Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca

Mostr. de S. Miguel de Bostelle.

COMMENTARIORVM
AC
DISPVTATIONVM
IN TERTIAM PARTEM
DIVI THOMÆ.

TOMVS TERTIVS.

Qui est primus de Sacramentis, in quo ea continentur, quæ sequens pagina indicabit.

Autore Patre Francisco Suarez, è Societate IESV, in Collegio eiusdem Societatis Academiæ Salmanticensis, nec non in insigni Coimbricensi Academia primario sacræ Theologiæ professore.

AD ILLVSTRISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM
Dominum, D. Rodericum de Castro, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem,
& Archiepiscopum Hispalensem.



IHS
UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE COMILLAS
BIBLIOTECA
MADRID
141414

Cum gratia, & priuilegio Regis Catholici.
SALMANTICAE,
Apud Joannem & Andream Renaut fratres.
M. D. XCVIII.

Summa rerum omnium, quæ in hoc tomo disputantur.

IN quinque principalia capita totum opus distribuitur. De sacramentis in genere. De Baptismo. De Confirmatione. De sacrosancto Eucharistiæ sacramento. De arcano Missæ sacrificio.

Vnaquæque ex his partibus in duas præcipuas diuiditur. Prior speculatiua seu dogmatica vocari potest. Posterior, moralis & practica. In priori nanque institutio sacramenti, natura, essentiales & integrales partes, causæ, effecta, & accidentia seu ceremoniæ declarantur. In posteriori verò de præceptis omnibus, quæ ad tale sacramentum pertinent, quibus modis ac temporibus, & seruanda sint, & contra ea peccari possit, & an censuræ aliquæ, vel Ecclesiasticæ pœnæ eis annexe sint transgressoribus impositæ, copiose differitur.

Prima pars, quæ est de Sacramentis in genere, primis octodecim disputationibus absoluitur, ex quibus quatuordecim priores partem speculatiuam, quatuor reliquæ moralem continent.

Pars secunda, quæ est de Baptismo, tredecim habet disputationes, à decimanona vsque ad trigesimam primam, quarum vltima moralis est.

Pars tertia, quæ est de Confirmatione, septem disputationibus comprehenditur, à trigesima secunda, vsque ad trigesimam octauam, quarum sola vltima moralis est.

Pars quarta, quæ est de sacramento Eucharistiæ, triginta quatuor disputationibus continetur, à trigesima nona vsque ad septuagesimam secundam. In prioribus viginti septem, Eucharistiæ declaratur mysterium: non solum scholasticæ quæstiones, sed etiam controuersiæ cum hæreticis accuratè differuntur. In septem residuis, moralis doctrina ad hoc sacramentum pertinens proponitur.

Quinta & vltima pars, quæ est de Sacrificio Missæ, decem & sex disputationibus concluditur, à septuagesima tertia vsque ad octuagesimam octauam. Atque ex his priores septem fidei dogmata continent, declarant, atque defendunt: reliquæ vero nouem, morales sunt, & præcepta omnia ad Missam spectantia, tam quæ ad dicentes seu offerentes, quam ea, quæ administrantes & audientes pertinent, simul & omnes Missæ ceremonias, continent ac explanãt.

Quid in singelis disputationibus, earumque membris seu sectionibus tractetur, in proprio indice inferius demonstratur.

POR

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Padre Francisco Suarez de la Compañia de Iesus, nos fue fecha relacion, que vos auiades compuesto dos tomos, el vno de Sacramentis, y el otro de Eucharistia: los quales eran muy vtiles y prouechosos, y nos supplicastes os mandassemos dar licencia para los poder imprimir, y priuilegio por veynte años, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que la prematica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Y por la presente por hazer bien, y merced al dicho Padre Francisco Suarez le damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corran, y le cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, el dicho Padre Francisco Suarez, o la persona que su poder huuiere, y no otra alguna, pueda imprimir, y vender los dichos libros, que de suso se haze mencion, por su original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, y firmado de Pedro çapata del Marmol nuestro escriuano de camara, de los que en el nuestro Consejo residen, y con que antes que se vendan los trayays ante ellos juntamente con su original, para que se vea si la impresion esta conforme a el, o trayga fe en publica forma en como por el Corrector nombrado por nuestro mandado se vio, y corrigio la dicha impresion por su original, y mas al impressor que assi imprimiere los dichos libros, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de dos solos libros con los originales al autor, o persona, a cuya costa le imprimiere, ni otra persona alguna para effecto de la dicha correction, y tassa, hasta que antes y primero los dichos libros esten corregidos y tassados por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, y seguidamente ponga esta nuestra cedula, tassa, y retassa, so pena de caer en las penas contenidas en las prematicas, y leyes de nuestros Reynos. Y mandamos que durante el termino de los dichos diez años, persona alguna sin licencia del dicho Padre Francisco Suarez no pueda imprimir, ni vender los dichos libros, so pena que el que los imprimiere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes y aparejos, que de los dichos libros tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, la tercia parte para la nuestra camara, y la otra tercia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente, y Oydores, de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra casa Corte y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistentes, Gouernadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros juezes, y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos y Señorios, assi a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, guarden y cumplan esta nuestra cedula, y contra su tenor y forma no vayan, ni passen por alguna manera, so pena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Madrid a diez y nueue dias del mes de Mayo, de mil y quinientos y nouenta y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor:

Don Luys de Salazar.

TASSA.

YO Pedro çapata del Marmol, escriuano de camara de su Magestad, doy fe, que los señores del Consejo, de pedimiento y supplicacion del Padre Francisco Suarez de la Compañia de Iesus, tassaron vn libro por el compuesto, intitulado, Commentariorum ac disputationum in tertiam partem Diui Thomæ, Tomus tertius, qui est primus de Sacramentis, que con licencia y priuilegio de su Magestad se imprimio, à tres marauedis y medio cada pliego en papel, y al dicho precio, y no mas, mandaron que se venda, y que antes que se venda ningun libro, se imprima esta tassa en la primera hoja de cada volumen. Y para que dello conste, de pedimiento del dicho Padre Francisco Suarez, y mandamiento de los señores del Consejo, di la presente, que es fecha en la villa de Madrid, à primero dia del mes de Março, de mil y quinientos y nouenta y cinco años.

Pedro çapata del Marmol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Approbatio P. Prouincialis Societatis Iesu Castellanæ Prouinciæ, nomine R. P. Generalis eiusdem Societatis facta.

PRotestate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt tertius tomus Commentariorum in tertiam partem Diui Thomæ, à Patre Francisco Suarez nostræ Societatis, sacræq; Theologiæ in nostro Collegio Salmanticensi professore, compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorumq; hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigilloq; nostro munitas dedimus. Valentiæ, die vigesima octaua mensis Augusti, Anni millesimi quingentesimi nonagesimi tertij.

Gonçalus Dauila
Prouincialis.

CENSVRA.

QVÆ in his duobus voluminibus differuntur de Sacramentis in communi, & de tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, à P. Francisco Suarez, Societatis Iesu, & sacræ Theologiæ apud Salmanticenses professore, sunt vera, & nostræ Religioni consentanea, eaque eruditione referta, vt dignissima esse censeam, quæ in Theologorum vtilitatem typis mandentur. Madriti, Kalendis Maij. Anni 1594.

Petrus Lopez de Montoya,
Doctor Theologus.

ILLV-

IHS

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO D. Roderico de Castro, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Archiepiscopo Hispalensi, &c. veram fœliciratem.

VM primùm hoc tertium volumen Commentariorum meorum in tertiam partem Diui Thomæ, in lucem emittere decreui, statim tu mihi occurristi (princeps illustrissime) cui multis nominibus illud offerre, dicareq; deberem. Cui enim poterat, vel committi securiùs, vel digniùs consecrari, quàm Cardinali amplissimo, Archiepiscopo clarissimo, viro nobilissimo, cuius, & dignitate illustrari, & autoritate protegi, ipso denique nomine defendi facilè posset? Tuo enim nomine, tanquam arce Regia, & excelso castro, illustri loco sito, & firmissimo præsidio communitum, nihil est quod pertimescat. Quòd si solius generis tui, ac Regij sanguinis splendor, nomenque clarissimum, omnium ad te confugientium tutissimum munimentum esse posset: quantum erit in tua autoritate præsidium, qui ea, quæ à maioribus accepisti, quanuis magna, tot virtutibus, tot laudum titulis, tot dignitatis præmijs, tot honorum meritis, maiora effecisti? Ita enim factum est, vt antiquitas generis illustret nouum splendorem tuum, & nouus splendor tuus illuitret antiquitatem generis, ac proinde nihil in te desideretur, quod ad maximi Principis decus pertineat, siue illud sit, quod extrinsecùs assumitur, quodque apud homines plurimum valet, siue quod in vera laude, ac propria virtute consistit, quod caput est, quodque præcipuè tibi gloriæ ducis, & quod te posteritati commendabit memoria seculorum sempiterna, vt sit tibi Sacerdotij dignitas in æternum. Verùm hæc copiosior materia est, quàm, quæ exigua epistola coarctari possit, aut debeat: neq; eo animo à me commemorata est, vt de tuis laudibus scriberem, nam vererer tuam animi magnitudinem, & singularē modestiam offendere: attingere tamen ausus sum,

vt ratio-

vt rationes & causas, quæ me ad hoc opus tibi illustrissimo Præsuli dicandum impulerunt, exponerem. Admonuit etiã me ipsius operis argumentum, & res ipsa, de qua disputatur. Cui enim potiùs liber de Sacramẽtis, de Baptismo, de Confirmatione, de Eucharistia, & Missæ sacrificio dicari deberet, quàm ei, cui ex tantis, tamque diuinis thesauris, tam ampla, diuino beneficio, possessio cõtigit? Inclyto, scilicet, Sacerdoti, Cardinali amplissimo, dignissimo Archiepiscopo, egregio fidei propugnatori, atq; Ecclesiæ lumini longè clarissimo? Accedit huc magnifica tua, ac prolixa in nostram Societatem liberalitas, quam ita tibi tuorum beneficiorũ & promeritorum magnitudine deuinxisti, vt quod referenda gratia non potest, volũtate tamẽ ostendẽda assequi conetur: cùm eius filij partim libros scribant, quos tibi inscribant, partim ab alijs scriptos explicent in ijs gymnasijs, quæ tu nobis exædificanda, & amplissimis redditibus dotanda, ad Christianæ Reipublicæ vtilitatem, & honestam iuuentutis institutionem, pro tua insigni pietate, & magnifica natura curasti. Ex qua re in magnam spem adducimur fore, vt quas portas in alijs Prouincijs hæreticorum perfidia Societati præclusit, exẽplo, gratiaq; tua aperiãtur in Hispania: idque fructu duplò maiori, dum ex isto tuo Monte forti, à te nuper tanquam firmissima arce munito prodeant, vt ex equo Troiano, fortissimi milites, qui veræ, germanæque doctrinæ armis instructi, hæreticorum tela perfringant: ex eodemq; monte, quasi ex altero Sinai faces ignis erumpant, quibus animi fidelium inflammentur: & lucernæ ardentes emicent, quibus illuminentur. Accipiat Deus hæc tua in nos beneficia, & fortunet hæc nostra in te officia, vt & tu gratus Deo, & nos tibi non ingrati esse valeamus. Tu verò accipe, quod ego è minima Societate minimus defero, munus hoc minimum, non paruę tamen voluntatis pignus: quod si feceris, non solùm scripta, sed multò magis scriptor ipse in perpetuum dicatus tibi manebit.

Amplitudinis tuæ Illustrissimæ ac Reuerendissimæ perpetuus in Christo seruus.

Franciscus Suarez.

IHS

TOTIVS OPERIS ARGVMENTUM ad Lectorem.

CVM MEAM IN SCRIBENDO rationem (Christiane Lector) ex cateris libris, quos edidi, perspectam habeas, nihil habeo nouum, quod nunc te de nostro disputandi modo in hoc opere admoneam. Solum quia, hic liber, quanuis sit tertius Commentariorum in tertiam Diui Thomæ partem, est tamen primus de Sacramentis, seu in quartum librum Magistri Sententiarum, quem in animo est ad finem vsque persequi: placuit generalem quandam distributionem reliquorum etiam librorum, qui de hac re (adiuuante Deo) à nobis edentur, exponere. Totam enim hanc de Sacramentis disputationem in tres libros diuidimus: tum vt singula volumina sint moderatæ, atque æquabilis prope magnitudinis: tum præsertim, vt cum natura, atque institutione eorum quam maximè conueniret ipsa partitio. Nam sacramenta alia sunt, quæ ad communitatem, alia, quæ ad singulos homines pertinent: & rursus, ex ijs quædam ad communem originis labem auferendam, & ad spiritualem vitam conferendam, vel conseruandam, alia vero ad propria hominum peccata remittenda instituta sunt. Vnde fit, vt commodissima videatur eorum tripartita diuisio. Ea igitur, quæ ad singulorum vtilitatem per se conferunt & necessaria sunt, etiam sine occasione peccati propria voluntate commissi, vt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, primum hunc librum sibi vendicabunt: quæ vero ad proprium cuiusque morbum, eius ve reliquias depellendas, cuiusmodi est Pœnitẽtia, atque extrema vnctio, in secundum conferentur: in quo etiam (ne ea, quæ sunt cum Pœnitentia coniuncta, disiungamus) de indulgentijs, purgatorio, & suffragijs agendum erit: hæc enim omnia ad pœnarum remissionẽ iuuant. Porrò de censuris etiam omnibus, propter potestatem clauium, cuius actus est Sacerdotis absolutio, in eodem libro differendum erit. Postremo denique libro ea comprehendemus, quæ ad vniuersæ Ecclesiæ corpus attinent, Ordinis, scilicet, & Matri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Matrimonij sacramenta. Nam reliqua, quæ in extrema parte Quarti disputari solet, vt de nouissimis, &c. de industria, vt ea nos cura liberaremus, in superiori volumine, quantum satis visum est, expediuimus. Principio autem, quoniam multa sunt omnibus sacramentis communia, exemplum Diui Thomæ, atque aliorum Theologorum secuti, disputabimus de sacramentis in genere, quo clarius, & breuius res ipsa tota comprehendatur. Adiunximus tandem ad extremam huius voluminis partem, longam disputationem de sacrificio, non quia ratio sacrificij, & sacramenti diuersa non sint, sed quia in lege gratiæ ita cõiuncta sunt in admirabili Eucharistiæ mysterio, vt altera sine altera commodè explicari non possit. Accedit etiam, quod, cum in Ecclesia nõ sit sacrificiorum multitudo, sicut est Sacramentorum, vnus hic locus visus est ad hoc vnum Sacrificium declarãdum aptissimus. De cætero, quoniam ea, de quibus acturi sumus, partim speculatiua, partim moralia sunt, quorũ alia alijs vel iucunda sunt, vel vtilia, ita ea partiti sumus, vt illa priora prius, & posteriora posterius, separatim, in singulis rerum generibus, & Sacramentis explicemus, vt facilius quisque posset, quæ sibi aptiora videbuntur, eligere. Atque hanc methodum in reliquis duobus libris tenebimus, quos propediem tibi (studiose Lector) nos daturos speramus, quippe à quotidianis scholis, docendiq; curis, quibus adhuc districti fuimus, expeditos nihil est iã (Deo auspice) quod retardet: quod autem incitet, adest alacris de omnibus bene merendi voluntas, quæ, vt spero, nõ remittetur vllis, vel laboribus, vel molestijs, vel vigilijs, quoad valetudo, ac vita suppeditauerit. Tu vero interea hoc fruere, dum cætera tibi paramus, & studio legendi studium nobis auge scribendi, atque, vt lectio tua, & scriptio nostra in laudem ac gloriam Dei cedat, obsecra. Vale.

COMMENTARII, ET DISPVTATIONES

P. FRANCISCI SVAREZ

E SOCIETATE IESV IN TERTIAM PARTEM D. THOMAE.

A QVÆSTIONE SEXAGESIMA vsque ad octuagesimam tertiam.

PRAEFATIO.

Sacramenta septem cur nec, septēve fontes sint.

VM Diuus Thomas in superioribus quæstionibus doctrinam de Verbo incarnato copiosè tradiderit, ad sacramentorum cõsiderationem iure progreditur: quoniam septem sacramẽta ab eodem Verbo instituta, & sept'm columnæ sunt, quas diuina sapientia excidit, vt super eas Ecclesiæ suæ domum ædificaret, vt significarunt Cypria. Epist. 63. & August. 17. de Ciuit. cap. 20. & vberrimi etiam sunt gratiæ fontes, quos idem Verbum Dei, & fons vitæ in hac domo sua perennes esse voluit, vt filij eius aquam vitæ ex eis haurirent, sicut Isai. prædixerat, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* *Capit. 12.* *Non de fontibus fluminis Aegypti*, inquit Hieronymus, *sed de fontibus Iesu, qui in Euangelio clamabat, qui sitit, veniat ad me, & fluminа de ventre eius exibunt.* Admirandum sanè diuinæ sapientiæ artificium, atque infinitæ virtutis diuini Verbi singulare indicium, quod res externa specie caducas, atque labantes firmum æterni ædificij fundamentum effecerit, & sub signis ex corpereis elementis concretis, quibus nihil excelsius, nihilq; diuinius, quã cæteris rebus inesse videtur, cælestia mysteria omnemq; spiritalem animi salutem contineri voluerit. Per hæc enim diuina sacramenta, vt Concil. Trid. docuit, omnis vera iustitia, vel incipit, vel certe augetur, vel amissa reparatur. Qua in re benignissimè diuina prouidentia, se se fragili hominum naturæ accõmodauit, cum enim hæc sit hominis imbecillitas, vt res quæ sub sensum non cadunt, non nisi ex ijs, quæ sensibus obijciuntur, coniectare possit, ad diuinæ prouidentiæ *Sessio. 7. in princip.* *Sacramẽta rerum naturæ bus humanis accommodatissima est.* A sapientiam, suauitatemque pertinuit, diuina mysteria sub sensilibus signis homini proponere, eaque instrumenta tribuere, quibus & ab homine colatur Deus, & à Deo gratiæ beneficium, & auxilium homo suscipiat. Hæc itaque est eorum sacramentorum, quæ Ecclesiæ suæ Christus prouidit, dignitas, & maiestas, ob quam longè sanctiora, ac diuiniora, quàm sacramenta vetera censentur, teste Ambro. 1. de sacrament. capit. 4. Quæ licet numero pauciora sunt, acta tamen sunt sanctiora, virtute maiora, vtilitate meliora, vt Augustinus contra Faustum scripsit. Atque de his sacramentis præsens disputatio præcipuè instituitur, quantùs propter rerum similitudinem, & conuenientiam, de alijs etiam, quæ in lege naturæ, aut scripta fuerunt, quasi per occasionem differatur. *Sacramenta nouæ veteribus præstantiora.* *Lib. 19. capit. 13.*

Iam vero ex ijs quæ dicta sunt, de subiecto, & materia huius doctrinæ facilè intelligi potest, quanta sit eius dignitas, necessitas, ac obscuritas. Multa enim in ea continentur diuina ac supernaturalia mysteria, quorum cognitio ac contemplatio licèt humani ingenij vires, ac intelligentiam superet, tamen per se se iucundissima est, & ad Christianos mores componendos vtilissima, quæ eò maiori studio, ac diligentia his temporibus illustranda, & ex veterum fontibus, quorum traditione maiori ex parte consistit, eruenda est, quò ab hostibus fidei vehementius impugnatur, qui hos præclarissimos gratiæ fontes, aut prorsus obruere, aut fœdare saltem, atque imminuere totis viribus hac tempestate conati sunt. Quam ob rem non solum curandum nobis est, vt veram doctrinam, quæ ex principijs fidei colligitur, explicemus, atque illustremus, quod scholastici doctoris munus est, sed etiam, vt ipsa fidei *Susceptæ operis grauitas vtilitas, & iucunditas.* B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordo & ratio totius operis.

dogmata confirmemus, & aduersus hæreticos stabiliamus. In hac verò doctrina tradenda, eam methodum obseruabimus, quam & D. Thom. & reliqui omnes scriptores tenuerunt, ac rebus ipsis, & modo cognitionis humanæ consentanea est. Prius enim vniuersè de sacramentis; postea verò in specie de singulis sacramentis nouæ legis dicemus. Quia vero, vt diximus, doctrina hæc partim speculatiua est, partim practica, quædam enim continet, quæ ad solam veritatis, & rerum cognitionem, alia, quæ ad mores hominum dirigendos, & componendos spectant, ideò vt claritati, & breuitati studeamus, tam generalem tractatum de communi ratione sacramentorum, quam proprios, ac speciales de singulis, in duas principes partes distinguendos curabimus, quarum prior veluti speculatiua sit, in qua inquiratur, an sit, & quid sit sacramentum, & quas causas, effectus, proprietatesve habeat, posterior verò sit practica, & moralis, & in ea explicentur præcepta quæ ad huiusmodi sacramenta pertinent, & quibus modis contra ea peccare contingat, & si quæ fortasse Ecclesiasticæ pœnæ, aut censuræ ob huiusmodi transgressionem impositæ sunt. Quoniam verò in sacramentorum administratione, præter ea quæ sunt de ipsorum substantia, multa sunt ex Ecclesiæ institutione, & præcepto ad maiorem ornatum, ac reuerentiam sacramentorum adiuncta, quæ veluti accidentia sacramentorum, vel cæremoniæ, aut sacramentalia dici possunt, quorum cognitio studiosis omnibus, ac præcipuè sacramentorum ministris admodum necessaria est, ideò de ijs etiam suo loco, & ordine disputabimus, vel in communi in disputatione de sacramentis in genere, vel in singulis sacramentis, proprios vniuscuiusque ritus explicando.

Priùs verò quam ad disputandum de rebus accedamus, pauca de nomine sacramenti præmittenda sunt, quoniam huius temporis hæretici etiam nomen ipsum reijciunt in ea significatione, qua à Catholicis vsurpatur, quia & noua, & in scriptura sacra, & in sanctis Patribus minimè vsitata eis visa est. Sacramentum igitur Latinis à sacro deductum est, & priùs impositum fuit ad significandum pignus quoddam, vel pecuniam, quam litigantes apud Pontificem deponere solebant, vt qui causa caderet, pecuniam suam amitteret, quæ ærario publico applicabatur, & sacramentum dicebatur, eo quod in loco sacro seruaretur. Ita Varro lib. 4. de lingua Latina, & colligitur ex Cicerone Epist. 110. Deinde omne iuramentum, vel quod iuramento affirmatum est, dictum est sacramentum, quæ significatio in iure præsertim vsitata est. l. sacramenta puberum. C. si aduersus venditionem, & capit. si sacramenta 22. quæst. 4. & sæpè aliàs. Sic Hieronymus Epist. 1. ad Heliodorum scripsit. *Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba iurasti pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri.* Atque eodem modo Tertullianus lib. ad Martyres cap. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc cum in sacramenti verba respondimus,* & lib. de corona militis capit. 11. *Credimus humanum sacramentum diuino superduci licere, & in alium dominum respondere post Christum.* At verò in scriptura sacra hæc vox præcipuè significare solet rem aliquam diuinam, hominibus occultam, eorumque cognitionem superantem, vt sacramentum idem sit, quod sacrum secretum, quòd à Græcis *mysterium* appellatur.

Varro. Cicero. Iuramentū.

Hieronym.

Tertullia.

Rem, cui sub est occultum mysterium.

A sic Sapien. 1. *Nescierunt sacramenta Dei*, ad Ephes. 1. *Vt notum faceret sacramentum voluntatis suæ.* 1. ad Timot. 3. *Magnum est pietatis sacramentum*, quibus locis Græcè respõdet vox *mysterium*, quæ interdum à Latino interprete retinetur, vt Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, & 1. ad Corint. 13. *Si noverim mysteria omnia*, quod August. de gratia, & lib. arb. cap. 17. legit, *Si sciero sacramenta omnia.* & 1. Corint. 15. *Ecce mysterium vobis dico*, & ad Colossen. 4. *vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*, ad Ephes. autem 3. vtraque vox posita est, *Secundum revelationem notum factum mihi est sacramentum, sicut supra scripsi in breui, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.* Vnde veluti per analogiam quandam deriuata est hæc vox ad significandum secreta Regum, vel amicorum, Tobi. 12. *Sacramentum regis abscondere bonum est*, & Prouerb. 20. *Ei qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Hinc verò vlterius factum est, vt verba illa, seu res, quæ ré aliquam occultam, diuinam, ac supernaturalem significant, sacramenta dicantur, eo quod, veluti in se contineant, & occultent sacra mysteria, sic Paulus ad Ephes. 5. de coniugio inter primos homines in paradiso contracto, dixit. *Sacramentum hoc magnum est*, eo quod coniunctionem Christi cum Ecclesia significaret, & Danielis 2. *Mihi sacramentum hoc revelatum est*, & infrà, *verè Deus est revelans mysteria, quia tu potuisti explicare hoc sacramentum*, & Apocal. 1. *Sacramentum septem stellarum.* Et in eadem significatione vtuntur sæpè sancti hac voce, vt Cyprian. Epist. 63. dicens, omnia testimonia, & sacramenta sacræ Scripturæ Christum prædixisse, & Tertullianus lib. de præscript. aduersus hæreticos. c. 40. *Ipsas* (inquit) *res sacramentorũ diuinorum in idolorum mysterijs æmulatur.* Vbi Pamelius multa de nomine sacramenti congerit. Ambros. etiam libr. 1. de sacrament. capit. 4. transitum Iudæorum per mare rubrum, manna, & alias similes veteres figuras Iudæorum sacramenta vocat, & eodem modo loquitur Lactant. lib. 4. ca. 17. & D. August. lib. 2. contra aduersarium leg. & prophet. ca. 9. & lib. 8. de Genesi ad literam. c. 4. & 5. lib. 1. de pecc. meri. & remiss. c. 26. lib. 4. de symbolad Catechume. cap. 1. & 19. cõtra Faust. ca. 11. Epist. 23. & alijs innumeris locis. Ex hac vero generali significatione, amplius contracta est hæc vox cõmuni vsu Ecclesiæ, Sanctorum, & Theologorum ad significandum quædam specialia signa sensibilia spiritualem gratiam continentia, ac significantia, cuius significatiõis integra ratio ex ipsius rei explicatione pendet, quam statim disputatione sequenti trademus. Fuit autem necessariũ Theologis, ad explicanda propria nostræ fidei mysteria proprijs etiã ac specialibus vocibus ea exprimere, ac significare, & ideo, sicut in alijs mysterijs Incarnationis, aut Trinitatis, nouas voces adinuenerunt, ita hic non communem, & analogam vocem adaptarunt, & accommodarunt. Atque in hunc modum vtuntur voce sacramenti Concilia, præsertim Lateranens. sub Innocent. III. Constantiens. Florent. & Trident. & Victor. Papa, Epist. 2. Anastas. 2. in Epist. ad Anastas. Imp. cap. 8. & Nicol. primus in suis rescriptis, titu. 11. c. 5. & ex patribus Aug. Epist. 338. c. 1. & 3. lib. de doctri. Christiana, capit. 19. Cyprian. sermone de ablutione pedum & serm. de baptismo, *Verborum* (inquit) *solennitas & sacri invocatio nominis, & signa institutionibus apostolorum*, sacerdotum minis-

Ephes. 5. Dan. 2.

Cypria.

Tertull.

Pamelius. Ambros.

Augost.

Quid in præsenti sacramentum significet.

Concil. Lateranēs. Constantiens. Florent. Trident.

A *nisterijs attributa, visibile celebrant sacramentum.* Item Isidor. lib. 6. Etymol. cap. 18. Hieronym. Dialog. cõtra Luciferian. & Ezech. 44. Lactan. & Tertullian. passim. Atque in eadem significatione pro voce, *sacramentum*, vtuntur Græci hac voce, *mysterium*, vt Concilium Nicenum, can. 14. vbi interpres vertit, *sacramentum*, vt Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 13. & Orig. Homil. 5. in Numer. Cyril. Hierosolym. in Cateches. mystagogicis, & interdum vocant sacra, aut mystica symbola, vt Dionys. de Ecclesiast. Hierar. & Basil. in Exhortatio. de baptis. & hæc de nomine sacramenti sufficiant.

Quæ nos sacramenta, Græci mysteria appellant.

Autores, qui de sacramentis scripserunt.

Ambros.

Hugo.

Superest, vt nonnullos ex præcipuis autoribus cõ memoremus, qui de hac materia disseruerunt. Ex patribus pauci disputant in genere de sacramentis, sed de singulis speciebus, vt posteà videbimus, solus Ambros. quidam libros de sacramentis inscripsit; & alterum de mysterijs, sed in eis ferè de Baptismo & Eucharist. solum disputat, Hugo etiam Victori. prolixum opus de sacramentis edidit, sed in illo de omnibus mysterijs nostræ fidei tractat, solum libr. 1. part. 9. quædam de sacramentis in genere scripsit, eodem ferè sensu, quo nos loquimur. Quæ repetit in summa sententiarum, tract. 4. à quo multa sumpsit Magister sententiarum, qui de hac re disseruit lib. 4. à principio, vbi scholastici eandem late persequuntur. Contra hæreticos vero illustrarũt hanc materiam diligenter Vvaldensis tom. 2. de sacrament. Roffens. de refutat. articul. Luther. art. 1. Ruardus in articulis Louaniensib. art. 1. Alanus lib. de sacramen. in genere, Echius Homil. de sacramen. Clitou. in defensione Concil. Trid. contra Kemnitium, circa sess. 1. Osius in confes. cap. 37. & sequent. & Linda. lib. 4. Panop. à principio. Bellarm. tom. 2. à prin.

Magist. 4. sentēn.

Vvaldensis. Roffens. Ruardus. Alanus. Echius. Hosius. Bellarm.

QVÆSTIO LX. C

De Sacramentis, in octo articulos diuisa.

POST cõsiderationem eorũ, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ sacramẽtis, quę ab ipso Verbo incarnato efficaciam habẽt. Et prima consideratio erit de sacramentis in communi. Secunda de vno quoque sacramentorum in speciali. D

Circa primum quinque consideranda sunt.

Primò, quid sit sacramentum.
Secundò, de necessitate sacramentorum.
Tertiò, de effectibus sacramentorum.
Quartò, de causa eorum.
Quintò, de numero.

Circa primum quæruntur octo.

Primò, vtrùm sacramentum sit in genere signi.
Secundò, vtrùm omne signum rei sacræ, sit sacramentum.
Tertiò, vtrùm sacramẽtum sit signum vnius rei tantùm, vel plurium?
Quartò, vtrùm sacramentum sit signũ, quod est res sensibilis.
Quintò, vtrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.
Sextò, vtrùm ad sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba.
Septimò, vtrum requirantur determinata verba.
Octauò, vtrùm illis verbis posit aliquid addi, vel subtrahi.

ARTICVLVS I.

Verùm Sacramentum sit in genere signi.

AD primum sic proceditur. Videtur, q sacramentũ non sit in genere signi. Videtur enim sacramentũ dici à sacrãdo, sicut medicamentũ à medicãdo. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ, quã ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causæ, quàm in genere signi. *4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 1. & art. 3. ad 1. & art. 4. q. 1. ad 1.*

¶ 2 Præterea, sacramentum videtur aliquid occultum significare, secundum illud Tobiæ 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est. Et Ephes. 2. Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo. Sed illud quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi. Nam signum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, vt patet per August. * in 2. de doctrina Christiana. Ergo videtur, quòd sacramentum non sit in genere signi. *Lib. 2. c. 1. circa princ. tom. 3.*

¶ 3 Præterea, Iuramentum quandoque sacramentum nominatur, dicitur enim in Decret. * 22. quæst. 5. Parunli qui sine ætate rationabili sunt, non cogantur iurare, & qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum (id est iuramentum) accedat. Sed iuramentum non pertinet ad rationem signi: ergo videtur, quod sacramentum non sit in genere signi. *22. q. 5. cap. Parunli qui sine ætate.*

SED contra est, quod * Aug. dicit in 10. de ciuit. Dei: Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij sacramentũ, id est sacrũ signum est. *Lib. 10. cap. 15. nõ procul à princ. tom. 5.*

RESPONDEO dicendum, quòd omnia quæ habent ordinem ad vnum aliquid, (licet diuersimodè) ab illo denominati possunt, sicut à sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum, non solum animal, quod est sanitatis subiectum, sed dicitur, medicina sana, inquantum est sanitatis effectiua: diæta verò, inquantum est cõseruatiua eiusdem, & vrina, in quantum est significatiua ipsius. Sic igitur sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam sanctita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem occultam (& secundum hoc, sacramentum idem est, quod sacrum secretum) vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem, vel causæ, vel signi, vel secundū quācunque aliam habitudinē. Specialiter autem nūc loquimur de sacramentis, secundū quod important habitudinem signi, & secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi.

A D primum ergo dicendum, quod quia medicina se habet vt causa effectiua sanitatis, inde est quod omnia denominata à medicina dicuntur per ordinem ad vnum primum agens, & propter hoc medicamentum importat causalitatem quandam. Sed sanctitas, à qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causæ efficientis, B sed magis per modum causæ formalis vel finalis, & ideò non oportet, quod sacramentū semper importet causalitatem.

A D secundum dicendum, quod ratio illa procedit, secundùm quod sacramentum idem est quod sacrum secretū. Dicitur autē non solùm Dei secretum, sed etiam Regis, esse sacrum & sacramentum, quia secundum antiquos, sancta vel sacrosancta dicebantur, quæcunque violari non licebat, sicut etiam muri ciuitatis, & personæ in dignitatibus cōstitutæ. Et ideo illa secreta siue diuina, siue humana, quæ non licet violari, quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta. C

A D tertium dicendum, quòd etiam iuramentum habet quandam habitudinem ad res sacras, inquantum scilicet est quædam cōtestatio facta per aliquid sacrum. Et secundū hoc dicitur iuramentum esse sacramentum, non eadem ratione, qua nunc loquimur de sacramentis, non tamen æquiuocè sumpto nomine sacramenti, sed analogicè, scilicet secūdum diuersam habitudinem ad aliquid vnū, quod est res sacra.

COMMENTARIVS.

De signo significāte ad placitū, esse sermonem.

EXplicaturus D. Tho. essentiam, ac definitionem sacramenti conuenienti ordine illius genus ante omnia inquirit, & quanuis solum de signo in communi titulum proponat, tamen specialiter loqui videtur de signo significante ad placitū; seu ex impositione, & hoc sensu respondet sacramētum esse signum quoddam quam veritatem non aliter probat, nisi, quia signum sanctitatis, seu rei sacræ occultæ, potest conuenienter significari hoc nomine sacramenti, nam omnia, quæ dicūt habitudinem ad eandem formam possunt eadem voce, saltem secundum analogam rationem significari, quod autem in præsenti materia, in hac significatione hæc vox sumatur, supponit ex communi vsu eorum, qui de ea scribunt, aut loquuntur, significatio enim vocum ex vsu tantum probari potest. Quæstiones autem, quæ sunt de quidditate vel essentijs rerum, nec tractari, nec expediri à nobis possunt, nisi vocum significatio ex cōmuni modo loquendi supponatur.

Significatio vocum tantum ex vsu probari potest.

Et ita procedit D. Tho. tam in hoc articulo, quā in duobus sequentibus, ad quorum expositionem deseruiunt, quæ de nomine sacramenti præmisimus.

Duæ quæstiūculæ insinuantur à D. Thom.

In solutione ad primum indicat D. Thom. vnam vel alteram quæstiunculam. Prior est, cum medicamentum non significet rationem signi, sed causæ, cur non idem dicamus de sacramento: nam sicut medicamentum dicitur à medicando, ita sacramentum à sacrando. Et respondet medicamentum dictum esse à medicina, quæ est causa effectiua sanitatis, & ideo non denominari per modum signi, sed per modum causæ, sacramentum autem denominari à sanctitate, quæ non significatur per modum causæ efficientis, sed formalis vel finalis: & ideo, sacramentum non necessario significari per modum causæ efficientis sanctitatem, sed aliquid denominatum à sanctitate, vel intrinsecè, vel extrinsecè, atque hoc modo cōprehendere potest sub significatione sua id quod est signum sanctitatis. Ad quod amplius explicandum addi potest, quanuis medicamentum dictum sit à medicina, non tamen dicere habitudinem ad illam, sed ad sanitatem, ad quam habet habitudinem eiusdem generis, quam habet medicina, cui medicamentum subordinatur, & ideo participare rationem causæ, quam habet medicina: at vero sacramentum ita dicitur à sanctitate vel re sacra, vt dicat habitudinem ad illam, & ab illa denominetur, vt à termino, seu forma extrinseca, hæc autem habitudo potest esse multiplex, & vna est habitudo signi, quæ propterea optime potest illa voce significari. Iuxta quam responsionem, non erit necessarium, quod in argumento sumitur, sicut medicamentum dicitur à medicando actiue, ita sacramentum dici à sacrando etiam actiue, non enim hoc conuenit omni sacramento, præsertim loquendo de perfecta sanctificatione, quæ est per gratiam: loquendo enim latius de sanctificatione aliter dicendum esset, vt in disputatione latius explicabimus. Hinc videtur oriri secunda dubitatio, cum sacramenta sint causa & signa rei sacræ, cur potius dicantur constitui in genere signi, quam in genere causæ: quæ attingit multa tractanda in secunda disputatione, & dicendum breuiter est, sacramentum potissimum denominari à sanctitate perfecta, quæ est maximè occulta & supernaturalis; quanquam autem aliqua sacramenta sint causæ huius sanctitatis, non tamen omnia; & ideò non est hoc de ratione sacramenti secundùm se; esse autem signum conuenit omni sacramento, & ideò meritò dicitur sub hoc genere sacramentum constitui.

ARTICVLVS II.

D *Vtrùm omne signum rei sacræ sit sacramentum?*

Inf. q. 64. art. 2. Et 1. 2. q. 161. artic. 4. cor. & q. 102. art. 5. co. & 4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non omne signum rei sacræ sit sacramentum. Omnes enim creaturæ sensibiles sunt signa rerum sacrarum, secundum illud Romanor. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Nec tamen omnes res sensibiles possunt dici sacramenta. Non ergo omne signum rei sacræ, est sacramentum.

¶ 2 Præterea, omnia quæ in veteri lege fiebant, Christum figurabant, qui est sanctus sanctorum: secūdum illud 1. ad Corinth. 19. Omnia in figura contingebant illis, & Colossens. 2. Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris testamenti, vel etiam omnes cæremoniæ legis sunt sacramenta, sed quædam specialiter, sicut in Secunda parte habitum est. * Ergo videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum.

1. 2. q. 101. artic. 4.

¶ 3 Præterea, etiam in nouo Testamento multa geruntur in signum alicuius rei sacræ: quæ tamen non dicuntur sacramenta, sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, & similia. Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum. B

In art. præced. argumē. Sed cou.

SED contra est, quod definitio conuertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramētū per hoc, quòd est sacræ rei signū, & hoc etiam videtur ex autoritate Aug. * supra inducta. Ergo videtur, quod omne signū rei sacræ, sit sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quòd signa propriè dantur hominibus, quorum est, per nota ad ignota peruenire. Et ideò propriè dicitur sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ ad homines pertinentis, vt scilicet, propriè dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, inquantū est sanctificans homines. C

AD primum ergo dicendum, q creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet, sapientiam & bonitatem diuinam, inquantū sunt in se ipsis sacra: non autem inquantum nos per ea sanctificamur. Et ideō nō possunt dici sacramenta, secūdum quod nunc loquimur de sacramentis.

AD secundū dicendū, q quædā ad vetus Testamentum pertinentia, significabant sanctitatem Christi secundū quod in se sanctus est. Quædam verò significabant sanctitatem eius, inquātū per ea nos sanctificamur, sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationē Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur propriè veteris legis sacramēta. D

AD tertium dicendum, q res denominātur à fine & complemento, dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideò quæ significant dispositionem ad sanctitatem, nō dicuntur sacramenta (de quibus procedit obiectio) sed solum ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.

COMMENTARIVS.

EXplicato genere inquirit D. Thom. differentiam, vt definitionem sacramenti compleat, & quoniā ratio signi respectiua est, quæ speciem sumit à termino; ideo ex parte rei significatæ per sacramentum, illius definitionem complet, dicens, Sacramentum esse signum rei sacræ, inquantum est sanctificans homines, quæ particula reduplicatiua duplicem sensum habere potest. Prior est, si cadat supra rem sacram, ita vt sensus sit, sacramentum debere significare rem sacram sanctificātem hominem. & quatenus illum sanctificat. Posterior est, vt reduplicatio cadat in ipsum sacramentum, & sensus sit, sacramentum, quatenus hominem sanctificat, debere esse sacræ rei signū, & quanuis vterque sensus in re sit aliquomodo verus, nam vtrūq; horum pertinet ad rationem sacramenti, vt posteà explicabimus; tamen prior re vera est à Diuo Thoma intentus, qui loquitur de sanctificatione hominis simpliciter, quæ per gratiā fit, vt apertè explicat in solutione ad tertium, & ita est clarus totus cōtextus. Quomodò autē definitio sic explicata sufficiat ad essentiam sacramenti declarandam, in sequenti disputatione tractabitur.

Quid sit sacramentum definitur à D. Thom.

Duplex sensus definitionis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sacramentum sit signum vnius rei tantum.

4 dist. 1. q. 1. art. 1. q. 1. ad 4. & art. 3. cor.

AD tertium sic proceditur. Videtur, q sacramētum non sit signum, nisi vnius rei. Id enim quo multa significantur, est signum ambiguum, & per cōsequens fallendi occasio, sicut patet de nominibus æquiuocis. Sed omnis fallacia debet remoueri à Christiana religione, secundum illud Colossens. 2. Videte, ne quis vos seducat per philosophiam, & inanem fallaciam. Ergo videtur, quòd sacramentum non sit signum plurium rerum.

Artic. præcedun.

¶ 2 Præterea. Sicut dictū est *, Sacramētum significat rem sacram, inquātū est humanæ sanctificationis causa. Sed vna sola est causa humanæ sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Hebræ. vltim. IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinē populū, extra portam passus est. Ergo videtur, q sacramentum non significet plura.

Art. præcedun. ad 3.

¶ 3 Præterea. Dictum est *, quod sacramentum propriè significat ipsum finem sanctificationis, sed finis sanctificationis est vita æterna, secundum illud Roman. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam. Ergo videtur, quòd sacramentum non significet nisi vnam rem, scilicet vitam æternam.

De cons. distin. 2. cap. Hoc est quod dicimus art. præced.

SED contra est, q in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet, corpus Christi verum, & mysticum, vt * August. dicit in lib. sentent. Prosperi.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut dictum est) * sacramentum propriè dicitur quod ordinatur ad significandam nostrā sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, & forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia & virtu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutibus, & vltimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Vnde sacramentum est & signum rememoratiuum eius quod præcessit, scilicet passionis Christi, & demonstratiuum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ: & prognosticũ, id est, præuntiatiuũ futuræ gloriæ.

A D primum ergo dicendum, quòd tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum vnum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur vnum, tunc non est signum ambiguũ, sed certum, sicut hoc nomẽ homo significat animam & corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, secundum quòd quodam ordine sunt vnum.

In corp. articuli.

A D secundum dicendum, quòd sacramentum in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

A D tertium dicendum, quòd sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem quæ est forma, nec oportet quod solum significet perfectionem, quæ est finis.

COMMENTARIVS.

IN corpore articuli solùm explicat D. Thomas, quomodo fieri possit, vt idem sacramentum plura significet, quæ ordinem dicunt ad sanctificationem nostram, vel per modum formæ, vel per modum causæ efficientis, vel finalis, quòd autem hoc sit de ratione sacramenti non probat D. Thom. imò neque ad apertè affirmat, sed solùm dicit, hæc omnia significari per sacramenta: fieri autem potest, vt hoc conueniat omnibus sacramentis, quæ nunc habemus, quanuis non sit de ratione sacramenti vt sic, sicut re vera non est: potest enim optimè definitio sacramenti data præcedenti articulo intelligi, atq; saluari cum sola significatione formali sanctitatis, sine significatione propria atque immediata causarum eius. Quin potiùs, quòd omnibus sacramentis conueniat, illa tria significare, scilicet, præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, & futuram gloriam, asseritur quidem à D. Tho. non tamen probatur: sed (vt Caiet. dixit) ex communi modo loquendi omnium, vt clarum sumitur: quod vt verum sit, necessario intelligendum est de sacramentis nouæ legis, nam vetera (licèt veram rationem sacramenti participarent) nec præsentem gratiam, nec futuram gloriam semper significarunt, quæ omnia in sequenti disputatione latiùs disputabunt.

Explicatur D. Thom.

DISPVTATIO I.

De essentia ac definitione sacramenti.

COgimur doctrinæ ordinem aliquantulũ inuertere priùs, quid sit sacramentum, quàm an sit, inquirendo (sicut D. Tho. fecit) quia antequam sacramenta esse ostendamus, necesse est exactè intelligere, quid nomine sacramenti significetur: significatio autem huius vocis tam est coniũcta cum proprietate & essentia ipsius rei, vt sine huius cognitione nõ possit intelligi, & ab omni alia æquiuoca, vel analoga significatione separari. Dicemus ergo priùs de quidditate sacramenti, quam in hac disputatione per rationem metaphysicam generis & differentiæ, in sequenti verò per rationẽ quasi physicam, scilicet materiæ & formæ explanabimus.

Quid sit sacramentum primo per rationem metaphysicẽ, deinde per physicam ostendum.

SECTIO I.

Vtrùm sacramentum sit sacrum signum aliquam sanctificationem homini conferens, vel significans.

NOn inquiro, an sit hæc propria & exacta definitio sacramẽti: priùs enim paulatim explicabimus omnia, quæ sacramẽto cõueniũt, & ita tandem in fine disputationis integrã definitionem cõplebimus. Ratiò verò dubitãdi in quæstione proposita est, quia, neq; omnia signa sacra sanctificationem hominis significantia sunt sacramenta, neq; è cõuerso, omnia sacramẽta videntur sanctificationẽ significare. Prior pars cõstat, quia transitus maris rubri significauit sanctitatẽ per baptismũ cõferendam, vt colligitur ex 1. ad Corint. 10. & similiter manna significauit sanctitatẽ dandam per Eucharistiam, & tamen illa nõ fuere vera sacramenta. Deinde, quod difficilius est, sacrificiũ, vt sacrificiũ est, nõ est sacramentũ, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 4. & tamẽ habet totam illam sacrã significationẽ: nam, vt August. ait. 10. de Ciuit. c. 5. *Sacrificium visibile, inuisibilis sacrificij signum est*, & de nostro sacrificio constat cruentũ sacrificiũ Christi repræsentare, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*, idemq; de veteribus sacrificijs tradit D. Tho. latè suprà in 1. 2. loco citato, & videri potest Sãderus lib. 1. de visibi. Monarch. c. 5. Vnde fit, sacrificiũ, vt sacrificiũ significare rem sacrã, quatenus nos sanctificat, quia significat passionẽ Chri qua sanctificati sumus. Posterior pars probatur, quia eius agni Paschalis fuit sacramentũ, & non cõferebat, nec significabat sanctificationem hominis, atq; idem argumentũ fieri potest de multis aliis cæremonijs, seu sacramentis veteris legis.

Ratio dubitandi.

1. Cor. 10.

August.

Vt respondeamus huic quæstioni, aduertendum est, sacramentum, vt ex ipsa voce constat, aliquid sacrum esse: cùm autem ex communi vsu suppona mus, sacramentum hic accipi pro signo, consequenter fit, debere sacramentum esse signum sacrum, & religiosum; possum autem in omni signo duo considerari; scilicet res significans, & significatio seu habitudo ad rem significatam, & ex vtroq; capite potest signum esse sacrum, scilicet, vel quia res, quæ significat, est sacra & religiosa & pertinẽs aliquo modo ad cultum Dei, & animæ sanctitatem: vel significatio ipsa sacra est, scilicet, quia est de re sacra, & ad rem sacram terminatur, quomodo manna, vel transitus maris rubri, quanuis ipsæ non essent res sacræ, signa sacra propter rem significatam dici possunt, vt bene notauit Cano relect. de sacram. p. 1. ad 3.

Signum sacrum, vel ratione rei, quæ significat, vel ratione rei, quæ significatur.

Dico ergo primo. Sacramẽtum, prout de illo nũc agimus, debet esse signum sacrum ex parte rei significantis, id est, res aliqua vel cæremonia ad cultum Dei ordinata seu instituta. Ita significant cum Magist. in 4. d. 1. Bonauẽt. Scotus, & Gabr. q. 1. Caiet. hic art. 2. expressiùs verò id docet D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 4. & q. 102. art. 5. Et probatur primo inductione, nam in lege veteri omnia propriè sacramenta erant huiusmodi vt circuncisio, per quam homines initiabantur, & in Dei populo cõsignabatur. Genes. 17. Item consecratio sacerdotum, per quam cultui diuino dedicabantur, & ad hoc munus quodammodo sanctificabantur. Exod. 28. Leuit. 8. Agnus item Paschalis, si concedamus cum D. Tho. fuisse sacramentum, idem habuit: quanuis enim nõ desint, qui negent fuisse sacramẽtum asserentes sõlùm fuisse sacrificium, probabile autem est vtrãq; rationem habuisse, tanquam perfectam figuram nostræ Eucharistiæ; mactabatur enim in cultum Dei, & vt sic erat sacrificiũ, & comedebatur certo quodam ritu lege præscripto, & tanquam cibus sacer Deo dicatus, & vt sic dici potest fuisse sacramentum, & sub vtraq; ratione erat cæremonia illa religiosa, & per illam disponebantur homines ad sanctificationem aliquam in illa lege obtinendam, vt D. Thom. notauit dict. q. 102. artic. 5. & Cano suprà ad 4. Prætereà idem intueri licet in lege gratiæ, baptismus enim, *Lauacrum regenerationis*, dicitur ad Titum 3. & tanquam prima fidei Christianæ professio, & vnica ianua Ecclesiæ & regni cælorum præcipitur. Ioan. 3. & Matth. vltim. at de cæteris sacramentis idem facilè constat. Solùm de matrimonio posset quis dubitare, quia nõ videtur esse cæremonia sacra, sed contractus quidam humanus ac moralis. Sed, dicèe ex se, & prout est à sola voluntate humana, vt à principali causa, tantùm hoc habeat, tamen, prout à Christo elenatum est, & institutum ad dandam coniugibus sanctificationẽ suo statui necessariam, iam non tantùm est ciuilis contractus sed sacra cæremonia, quia iam non tantùm efficit coniuges, sed quantum in ipso est efficit sanctos coniuges, nec solùm efficit vinculum mutuæ obligationis, sed etiam confert vinculum mutuæ charitatis, & ideo de illo dixit Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*: præmiserat autem. *Viri diligite vxores vestras sicut Christus Ecclesiam*, significans, in lege gratiæ vinculum illud iam esse sacrũ & religiosum gratia & charitate sanctificatum, vt Concil. Trid. docuit sess. 24. Deniq; de his sacramentis rectè intelligitur illud Pauli 1 ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispẽsatores mysteriorum Dei*, id est, sacramentorum, vt Ambros. legit, & alij intelligunt, quæ sacramenta, quia res sacræ sunt, & ad cultum Dei pertinentes, per Christi ministros dispensanda dicuntur, atque tantùm illis danda, quibus oportet vt Chrysost. exposuit Homil. 10. quem D. Thom. & Anselm. imitantur. Secundò probatur conclusio ex Patribus, Aug. Epist. 23. dicit consecrari homines Deo per sacramenta, idem quæst. 84. in Leuit. Ambros. lib. de mysterijs dicit, initiari homines per sacramẽta, idem Cypria. serm. de baptism. Christi, & Hilarius in id Psalm. 131. Et *filij eorum vsque in seculum sedebunt super sedem tuam*, dicit, hos filios esse animas fidelium sacramentis Ecclesiæ sanctificatas. Deniq; ostendemus inferiùs totum sacramentorũ negotium ad cultum Dei religiosum ordinari, vt nimirum homines per hæc signa in eum nomen religionis cõueniant, in quæ, & ipsi sanctificentur, & Deum proficeantur suæ sanctificationis autorẽ. Tertiò ratione, nam quod in Ecclesia sint cæremo-

Matrimonium etiam esse cæremoniam sacrã probatur.

Locus Pauli ad Cor. explicatur. 1. Cor. 4. Ambros. Chrysost. 2 Probatur conclus. ex patribus. August. Ambros. Cyprian. Hilarius.

3 Probatur ratione.

Sacramentum debet esse signũ sacrũ ex parte rei significatæ.

niæ aliquæ ordinatæ ad sanctificationem hominũ colentium Deum, constat ex vsu, qui ortus est ex diuina prouidentia, quæ hominum naturæ accommodatur, & eorum vtilitati consulit, nam, quia homo est corporeus, per visibiles, & corporeas cæremonias, conuenienter ad suam sanctificationem, & cultum disponitur, vt latiùs Sect. 3. dicturi sumus. Quòd verò sacramenta sub hoc cæremoniarũ genere cõtineantur, non aliunde, quam ex vsu ipsius vocis, petendum est, qui vsus satis est in superioribus demonstratus, & in hoc sensu potest hoc confirmari ex notatione ipsius nominis *Sacramentum*, nam sicut vestimentum dicitur, quo vestimur, ornamentum, quo ornamur, ita sacramentum satis cõuenienter dicitur, quo sacramur, seu quo initiamur: hanc enim significationem habet etiam vox Græca, *Mysterium*, quæ, vt diximus, Latinæ voci, *sacramentum* respondet. Quanquam enim Soto hic hanc notationem vocis sacramenti reijciat, existimans esse sententiam D. Thom. hic, artic. 1. ad 2. tamen re verà est valde probabilis & consentanea sanctis Patribus, & valde apta ad explicandũ munus, & institutionem nostrorum sacramentorum. Nec D. Tho. in dicta solutione illam absolutè negat, sed, vt ibi exposui, docet, sacramentum ex sua ratione, vel etymologia non dicere habitudinem causæ efficientis ad veram animæ sanctitatem, & in hoc solùm ponit differentiam inter sacramentũ, & medicamentum; tamen cum his, quæ ibi dicit, & cum alijs exemplis à nobis adductis, rectè quadrat, vt possit dicere habitudinem causæ quasi formalis conferentis aliquam sanctitatem, saltem per extrinsecam denominationem, quomodo sanctificari dicitur, quidquid cultui diuino dicatur, vt expressiùs docuit idem D. Tho. 1. 2. in locis citatis.

Diuina prouidentia homini naturæ se accommodat.

D. Thom. explicatur.

Dico secundo. De ratione sacramenti est, vt illa cæremonia sacra, quæ sacramentum dicitur, sit etiã signum sacrum ex parte significationis, seu rei significatæ, vel vt rem sacram significet. Hæc assertio est D. Tho. hic & omnium, qui hac ratione describunt, sacramentum debere esse signum rei sacræ, & probatur. Primo ex scriptura, hoc enim modo Genes. 17. Circuncisio dicitur, *Signum fœderis inter Deum & homines*, & ad Rom. 4. additur fuisse *Signaculum iustitiæ fidei*. Similiter ad Rom. 6. dicimur, *Sepulti in Christo per baptismum*, non re ipsa, sed repræsentatione, & ad Ephes. 5. matrimonium dicitur, *Signum coniunctionis Christi cum Ecclesia*, & Matth. 26. & 1. ad Corint. 11. *Mysterium Christi dicitur, commemoratio passionis Christi*. Secundo probatur ex Patribus, qui in hac significatione vtuntur hac voce *Sacramentum*, vt patet ex Alexand. Papa epist. 1. c. 4. optimè Aug. epist. 5. *Lõgè* (inquit) *est conuenienter disputare de varietate signorum, quæ, cum ad res sacras pertinent, sacramenta appellantur*. Idẽ lib. 2. de doctri. Christiana ca. 3. & lib. 4. de Catechizãdis rudibus. c. 26. hæc ratione *sacramenta* vocat *verba visibilia rerum diuinarum*, & 19. cõtra Faustũ, c. 16. vocat etiã *signacula*, & epist. 118. cit. dicit sacramẽta nouæ legis esse *signa præstantissima*. Sic etiã Bernar. in serm. de Cœna Dñi sacramẽtũ dicit esse *sacrum signũ*, atq; in eodẽ sensu Græci Patres, sacramẽta vocãt *mysteria*, vt suprà dixim⁹, quia in significatione sua rem sacrã atq; diuinã habẽt recõditã, vnde à Dionys. c. 1. de Eccles. Hierar. vocantur *sanctissima signa*, eorũq; sacrã significationẽ toto il' lo libro exponit, & eodem ferè modo loquitur de

Genes. 17. Rom. 4. Rom. 6. Ephes. 5. Matth. 26. 1. Cor. 11. Alex. papa. August. Bernar. Dionys.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cælesti Hierarch. Basil. etiam, in exhortatione ad baptismū seu homil. 13. ex variis, vocat *signa mysti ca*, & similiter loquitur in epist. ad Amphylochiū can. 72. & 80. Martialis etiā epist. ad Tolosanos. c. 4. vocat, *mysteria sacramentorū, per quæ Deo coniungimur*, quibus verbis vtrūq; indicat, scilicet, sacramenta, & esse sacras cæremonias, & ré sacram significare, scilicet, coniunctionem cum Deo. Quomodo Greg. Nisse. oratio. de baptis. dicit externam ablutionem esse signum internæ, & ideò esse sacramentum, quod elegāter prosequitur Cyril. Hierosoly. Cateches. 3. illuminatorum, vbi sacramentū *signaculum* appellat. Tertio probatur ratione, quę primo (sicut sæpe dictū est) sumēda est ex vsu, & impositione seu accōmodatione huius vocis, *sacramentum*. Deinde hæc posterior assertio probari potest ex præcedenti, quia, si sacramentum esse debet cæremonia sacra & religiosa, non debet esse signum rei prophanæ, & vulgaris: esset enim hic abusus sacrarum cæremoniarū: ergo, si aliquid significare debet, vt sacramentum sit, necesse est, vt illud sit aliquid sacrum: quin potiùs ostēdemus statim, necesse esse, vt illud sit maximè sacrū, atq; recōditū, vt ea ratione possint sacramenta distingui à multis cæremonijs sacris, quæ sacramenta non sunt.

Basil. Martialis. Greg. Nisse. Cyrillus.

Ad rationē dub. respōd.

Ad rationem ergo dubitandi in principio propositam facilis est ex dictis responsio: ad priorem enim partem concedimus multa esse signa rerum sacrarum, quæ nō sunt sacramenta, præsertim si nō sint cæremoniæ sacræ, vt sunt multa exempla ibi adducta. Ad posteriorē vero partem negatur esse vel fuisse vnquam aliquod sacramentū, quod non contulerit, vel significauerit aliquam sanctitatem, aut internam & perfectā, aut externam saltem & legalem, qualis per externas cæremonias conferri potest, sicut dictum est de Agno Paschali. Quòd si in lege veteri fuerunt aliquæ cæremoniæ, quibus hæc ratio signi, & cæremoniæ sacræ non conuenie bant, illæ non fuere sacramenta, sed obseruātiæ vel aliquid huiusmodi, vt D. Tho. docet in prædictis locis ex 1.2. citatis.

In lege vetere nō omnes cæremoniæ obtinuerunt rationem sacramenti.

Dubitatio vero, quæ in priori parte illius difficultatis indicatur, aliquos coegit, vt dicerent, quāuis non omne sacramentum sit sacrificium, omne tamen sacrificium esse sacramentum. Ita loquitur Sanderus lib. 1. de Visib. Monarch. c. 5. fauet Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 20. dicens omnia sacrificia vetera fuisse passionis Christi sacramenta. Sed ibi late vtitur voce *sacramentum*, prout dicitur de quouis sacro signo, tamen loquendo propriè de sacramento, vt loquimur, differt in ratione sua formali à sacrificio, in actione autem seu re materiali possunt interdùm conuenire, sicut in lege gratiæ factum est in mysterio Eucharistiæ, non tamen semper, quia, neque omne sacramentum est sacrificiū, vt de sex sacramentis legis nouæ constat, & in lege veteri multa fuerunt sacrificia quæ non erāt sacramenta, vt D. Thom. docet 1.2. quæst. 102. art. 3. & 5. Vnde, quod Cano prædicta relectione par. 1. ad 2. dicit, sacrificium, quod offertur Deo, tantū in cultum, & recognitionem dominij non esse sacramentum, quod verò offertur in expiationē peccati esse sacramentum, non probatur: quia si formaliter loquamur de vtroque vt tale est, in neutro ratio sacrificij est eadem cum ratione sacramenti, vel è conuerso: si autem loquamur materialiter, vtraq; ratio sacrificij potest coniungi cum ratione sacramenti, vt in Eucharistia videre licet; & vtraque etiam potest à ratione sacramenti separari: nam, sicut potest institui sacrificium honorariū, vel in gratiarum actionem, quod non sit sacramentum, ita etiam potest institui in expiationem peccati, nihil enim vetat, neq; est vlla necessitas vtrāq; rationem coniungendi, quin potiùs existimo, multa fuisse in veteri lege sacrificia pro peccatō, quæ non erant sacramenta, vt D. Tho. loco citato sentit, ex cuius doctrinā sumenda est vera responsio ad difficultatem propositam, quam breuiter attingā. Dicendum est ergo, sacrificium quidem, & sacramentum conuenire in ratione signi sacri, tam ex parte cæremoniæ, quia vtrumque esse debet cæremonia religiosa, quā ex parte rei significatæ: quia in vtroque esse debet res sacra: differre tamen in re significante, quia sacrificium continet suprem̄ cultum Dei, id est, immediatè refertur & instituitur ad tribuendum cultum Deo, quocunque titulo religionis, vel iustitiæ tribuatur: sacramētum verò immediatè refertur ad ipsos cultores Dei, quos disponit seu sanctificat ad cultum Dei. Vnde fit, vt sacrificium consistat in actione aliqua, seu oblatione, quæ ad Deum refertur, sacramentum autem in receptione seu quasi passione, quæ in Dei cultoribus aliquo modo suscipiatur. Et hinc etiam oritur, vt idem sacrificium possit à multis offerri, & omnibus prodesse: vnum verò sacramentum, seu vsus sacramenti tantum in vno recipiatur, eique tantū prosit. In re autem significata differunt, quia sacrificiū per se ex intrinseca ratione sua solū requirit, vt significet diuinam excellentiam, & cultū, qui illi præstatur; sacramentū verò potiùs ordinatur, vt iam dicemus, ad significandam sanctificationē eorum, qui Deum colunt. Vnde licēt contingat, eandem Christi passionem, per sacrificiū, & sacramentū significari, tamen in hoc ipso est aliqua diuersitas, nam per sacrificiū significatur, vt fiat oblatio quædā placās Deū, eique summū honorē exhibēs, per sacramentum verò, vt applicatur nobis per sanctificationem aliquam, quæ ab illa manat.

Differentia inter sacrificium & sacramentū.

SECTIO II.

Quam rem sacram, quamue sanctificationem conferat, aut significet sacramentum: & consequenter, an sacramē tum vnius dicatur de sacramentis veteris, & nouæ legis.

QVoniam dictum est, sacramentum constitui in genere signi sacri, vt eius ratio perfectè cognoscatur duo explicare oportet, vnum est, qualis esse debeat res significata, quæ est quasi terminus huius relationis, alterum, qualis esse debeat res significans, quæ est veluti relationis fundamentum, de hoc dicemus Sectione sequenti, vbi etiam impositionem explicabimus, quæ est veluti ratio fundandi. Vt ergo quæstioni propositæ respondeamus, supponendum est ex Aug. libr. 1. de pecc. meri. cap. 26. & serm. 14. de verbis apostoli, varios esse sanctificationū modos, quos possumus ad duo membra reuocare, quæ ad Hebr. 5. insinuā tur: alia enim est sanctificatio interior spiritualis, & coram Deo, quæ fit per gratiam sanctificantem, & potest dici sanctificatio simpliciter, alia verò est sanctificatio externa legalis & secundum quid, qui modus sanctificationis erat frequens in veteri lege: & ideò hæc significatio huius vocis frequens est in veteri testamento, & non solum de hominibus, sed etiam de aliis rebus dicitur: explicādum ergo est à nobis, quæ harū sanctificationum in sacramentis conferatur, aut significetur.

Augustin.

Sanctificatio duplex interior, & exterior.

Hæreticorū error confutatur.

Hæretici ergo huius temporis de nostris sacramentis ita sentiunt, vt neget esse signa nostræ sanctificationis: vnde consequenter negabunt hoc esse de ratione sacramenti; dicunt autem esse signum diuinæ beneuolentiæ, & prædestinationis, vel potiùs esse sigillum, ac testimonium iustitiæ acceptæ per fidem quam sacramenta excitant, vt externa quædam motiua, iuxta illud ad Rom 4. vbi circuncisiō dicitur, *Signaculum iustitiæ fidei, quæ fuit in Abraham*, ita referūt Lyn. d. Bellar. & alij. Sed hic error, quod attinet ad significationem diuinæ beneuolentiæ vel prædestinationis, planè est absurdus, quia sacramenta indifferenter pro reprobis, ac prædestinatis instituta sunt: vnde significationem habent rerum, quæ vtrisque possunt esse cōmunes, alioquin non essent bene instituta, & sæpè haberent falsam significationem. Denique nūquam baptismus, vel aliud sacramentum, etiam si optima dispositione recipiatur, significat hominem esse prædestinatum: vnde enim habere potest significationem hāc, aut quo fundamento affirmatur? Quod verò dicunt de sigillo & testimonio iustitiæ acceptæ per fidem prout ab eis asseritur, plures errores inuoluit. Primus est solam fidem iustificare: secundus est, sacramenta nouæ legis gratiam non conferre, sed solum excitare fidem, atque adeò nullam vim habere ex passione Christi contra illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ.* Vnde vnus baptismus paruulorū sufficit ad confutandum hunc errorem, quia in illis non supponitur fides ante baptismum: ergo nec iustitia data per fidem: ergo, si baptismus illam nō confert, non potest esse sigillum, aut testimoniū eius: quomodo etiam potest baptismus excitare fidem paruuli, qui ratione vti non potest? Denique supponunt, teneri fideles, qui sacramenta suscipiūt, ad credendum certa fide se esse iustos, quod planè falsum est, & impossibile sine speciali Dei reuelatione. Neque eos quicquam iuuat locus ille ad Rom. 4. nam in primis non est ibi sermo de fide mortua, sed de fide viua Abrahæ, per quam iustificatus est, vt latiùs exposuit Iacob. in sua epist. c. 2. Deinde circuncisio, non tantū dicitur signaculum, sed etiā signū: signaculum enim dicitur respectu Abrahæ, qui propter fidem, & obedientiam cōsignatus est diuino sigillo, vt multarum gentium pater existeret, vt exponit Chrysost. hom. 8. in ad Rom. signū autem dicitur, tam respectu illius, quam totius posteritatis, & vt sic erat sacramentum. Quanquam sano, ac meliori sensu etiam posset illud sacramentum, vel baptismus dici signaculum, quo cōsignantur homines qui sunt de populo Dei, vel de Ecclesia; sed hoc ipsum non fit sine significatione alicuius sanctificationis, quia omne sigillum, vel signaculum, signum etiam est; & hoc ipso, quòd indicat hominem cultui ac religioni deputatum, sanctificationem aliquam significat; & hoc sensu Basil. lib. de Spiritu sancto. c. 12. dicit, Christianos baptismo sanctificari, & consignari. & Hom. 13. vocat *baptismum regenerationis lauacrum & sigillum*; & Nazianz. oratio. 40. dicit esse *lauacrum, quia abluit, sigillum, quia significat dominationem.* Vnde, quod idē Nazianz. oratio. 21. in laudem sororis Gorgoniæ dicit, baptismum non tam fuisse illi gratiam, quam sigillum, per exaggerationem dictum fuit, vt significaret sanctam illam fœminam ante baptismū magnam gratiam fuisse assecutam: & ideò præmisit Greg. illa verba, *Venè, vt audacter loquar.* Sic etiam Hieron. ad Ephes. 1. circa illa verba, *Signati spiritu promissionis sancto*, dicit, *Qui in regeneratione Spiritum sanctum acceperit, ab eo signatur, & signum Conditoris accipit*, vbi simul dicit baptismum esse signum sanctificationis, & sigillum, quo consignamur. Et idē dici posset de Cōfirmatione, & Ordine, & suo modo de cæteris sacramentis, præsertim quia, quatenus in se occultant, & quasi consignata habent aliqua diuina mysteria, signacula seu sigilla dici possunt. Quomodò Origen hb. 4. in ad Roman. paulò post principium, dicit sacramenta esse signa, quatenus mysteria indicant, signacula verò, quatenus ea mysteria continent, & obsecrata habent. Aug. verò 19. contra Faust. c. 11. signa, & signacula ea vocat, addens eorū virtutē inenarrabiliter valere plurimū.

Hieron.

Orig. 10.

Augustin.

Hoc ergo refutato errore, supponamus vt certum, sacramentum nouæ legis, & conferre, & significare veram, atque interiorem sanctificationem nostram. Et prior quidem pars de causalitate infrà q. 62. ex professo tractanda est: & ideò hoc loco solum est supponenda, & ex illa sequitur posterior de significatione, quæ ad præsentem locum magis spectat: quia hæc sacramenta id significant, quod efficiunt, vt Concil. Floren. & Trident. docuere, & probāt Scripturæ testimonia paulò ante citata: hæc verò significatio ita explicatur à D. Thom. hic & cæteris Theologis, vt, scilicet hæc sacramenta, non tantùm significent formalem sanctitatem, quæ in nobis recipitur, sed etiam Christum qui est fons huius sanctificationis; iuxta illud ad Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus per baptismum in mortem.* Quibus verbis indicat Paulus, baptismum esse signum mortis & sepulturæ Christi, & statim subdit significare etiam futuram gloriam, & resurrectionem quæ est finis nostræ sanctificationis. *Vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriā Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, & similia traduntur de Eucharistia Ioan. 6. Luc. 22. 1. ad Corinth. 11. atque ita Ecclesia de illo mysterio inquit, *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et de matrimonio aliquid simile indicatur ad Ephes. 5. de cæteris verò sacramentis non sunt tam expressa testimonia, tamen eadem doctrina in eis locum habet; quia omnia habent vim ex passione Christi, & illius nomine ac virtute conferuntur; omnia etiam nobis conferunt ipsem gloriæ per gratiam: & ideò in omnibus habet locum illa triplex significatio gratiæ, gloriæ, & Christi vtriusque amoris; quæ, quia per modum vnius fit in ordine ad nostram sanctificationem: ideò hæc absolutè dicitur esse significatiua horum sacramentorū. Solùm est obseruanda differentia inter Eucharistiam, quæ est sacramentum permanens, habens suum significationem ante vsum, & cætera, quæ essentialiter in vsu consistunt: nam hæc primò ac

Ephes. 5.

Rom. 6.

Ioan. 6. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Ephes. 5.

Sacramenta id efficiunt quod significant.

Florent. Trident.

Universidad de Deusto
Biblioteca

proximè significant, ac conferunt sanctificationẽ animæ, propter quam immediatè sunt instituta: & ita omnia verba, quæ in illis dicuntur hoc maximè exprimunt, at verò sacramẽtum Eucharistiæ, quod est permanens, proximè & immediatè significat ipsum Christum: nam ipse est panis qui de cælo descendit, quique per verba huius sacramenti immediatè conficitur, ac significatur: & similiter sub speciebus sacramentalibus immediatè continetur & significatur, tamen repræsentatur per modum cibi, & consequenter cum ordine ad sanctificationem nostram, quam, & confert, & expressiùs significat, quando ad vsum applicatur, iuxta illud. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sic igitur omnibus sacramentis cõmune est, vt sanctificationem nostram significent: propter quod omnia dicuntur esse signa demonstratiua gratiæ præsentis, scilicet, quantum est de se, nisi ex parte suscipientis adsit impedimentum, & vt omnibus conueniat, intelligendum est, quando applicatur ad vsum: nam Eucharistia ante vsum non significat gratiam præsentem, nisi velimus dicere, significare gratiam substantialem, quæ est Christus ipse, vel gratuitum effectum, vt loquuntur Scot. Okam & alij in princip. 4. quod parum refert, cùm de re constet. Dicuntur etiam hæc sacramenta esse signa commemoratiua respectu passionis, & prognosticа respectu gloriæ, quæ omnia habent, vt rectè D. Tho. dixit, sine æquiuocatione, vel ambiguitate aliqua, quia ex his omnibus quasi completur vna integra significatio nostræ sanctificationis perfectæ.

Ex tribus dictis sacramentorum significatio sine æquiuocatione completur.

Iam verò explicandum superest, an hoc, quod nostris sacramentis conuenit, sit de ratione sacramenti vt sic. Prima sententia negat, de ratione sacramenti esse, vt vel conferat, vel significet verã, ac perfectam sanctitatem, sed vel hanc, vel quamcunque aliam perfectam seu legalem. Ita indicat Cano dict. relect. de sacramen. p. 1. circa fin. quanuis aliis locis eiusdem relectionis aliter loqui videatur. Fundamentum esse potest, quia de ratione sacramenti solùm est, vt significet eam sanctitatem, quam conferre potest, sed non est de ratione sacramenti, vt veram sanctitatem conferat, vt patet in multis sacramentis veteribus: ergo neque etiam est de ratione sacramenti idem significare.

1. Sententia. Cano.

2. Sententia.

Secunda sententia in hac quæst. esse potest, de ratione sacramenti esse, vt & cõferat, & significet veram sanctitatem, ita sentiunt Magist. in 4. dist. 1. & Hugo Victori. in sum. sent. tract. 4. c. 1. & 1. lib. de sacramen. p. 9. c. 1. qui in definitione sacramenti ponunt, quòd sit, *visibilis forma inuisibilis gratiæ*, cuius causa existat: ita exponentes August. 10. de Trin. c. 1. quibus fauet idem August. q. 84. in Leuit. dicens, totum fructum visibilium sacramentorum in inuisibili gratia positum esse, & 19. contra Faust. c. 11. dicens, *virtutem sacramentorum inenarrabiliter valere plurimùm.* Fauet etiam definitio sacramenti, quæ ex Greg. refertur in cap. multi. 1. quæst. 1. reperitur autem apud Isidor. lib. 6. etym. c. 14. & Rabban. lib. 1. de instit. cleric. cap. 24. scilicet sacramenta dicuntur, *quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretiùs salutem operatur*, vnde à secretis virtutibus vel sacris, sacramenta dicuntur. Ratio autem huius sententiæ esse potest, quia sacramentum solùm habet significare eam sanctitatem, quam confert, significat enim vt signũ practicum, & quasi in actu exercito sanctificationem, quæ per ipsum, vel sub ipso fit: non enim potest aliter rectè distingui sacramentum ab aliis signis, quę quasi speculatiuè eandem sanctificationem significant, sed de ratione sacramenti est, vt significet hoc modo veram, atque interiorem sanctificationem: ergo, vt illam etiam conferat. Quòd si obiicias, quia antiqua sacramenta non conferebant veram, & internam sanctificationem: dupliciter respondent autores huius sententiæ. Primò negando assumptionẽ: Hugo enim existimat etiam vetera sacramenta contulisse gratiam, quam significabant, quem sequitur Bonau. in 4. dist. 1. art. 1. q. 5. Alii verò respondent concedendo assumptum, & negando, vetera sacramenta fuisse verè & propriè sacramenta, & vniuocè cum nostris, quod videtur sentire Magister quem D. Tho. secutus est in 4. dist. 1. q. 1. artic. 1. quæstiunc. 3. ad 5.

Obiectio. *Responsio. 1.* *Hugo.* *Bonan.* *Responsio. 2.*

3. Sententia.

Tertia sententia esse potest, de ratione quidem sacramenti esse, vt significet sanctitatem, non verò, vt aliquam sanctitatem conferat, neque perfectam, neque imperfectam, quæ videtur esse communis opinio discipulorum D. Tho. vt significant hic Soto & Ledesm. quia D. Tho. in his articulis, solam significationem requisiuit ad sacramentum, non verò sanctificationem.

Dico tamen primò. Quanuis non sit de ratione sacramenti, vt conferat interiorem animæ sanctitatem, tamen ex parte materiæ, seu rei impositæ ad significandum, de ratione illius esse, vt sit cæremonia instituta ad conferendam homini aliquam sanctificationem. Prior pars sufficienter mihi probari videtur argumento illo ex veteribus sacramentis desumpto, quæ, vt suppono ex dicendis infrà, & q. 62. gratiam ex opere operato non conferebant, neque oppositum potest aliqua probabilitate affirmari, excepta circunciſione, neque Hugo, aut Bonauentura quoad hoc in re videntur dissentire: nã videntur magis loqui de gratia ex opere operãtis, quàm ex opere operato, quæ tamen gratia nihil refert ad rationem sacramenti, communis enim est omnibus operibus meritoriis, vnde non significatur per sacramentum vt sacramentum est, id est, ratione institutionis eius, sed vt opus meritorium est ad eum modum, quo causa potest suum effectum significare. Immeritò autem negatur, illa sacramenta fuisse simpliciter atque vniuocè sacramenta. Primò, quia Sancti Patres ita de illis loquuntur, præsertim August. 19. cont. Faust. cap. 11. comparans sacramenta noua cum veteribus, dicit nostra esse perfectiora; in comparatione autem supponit vtraque esse vera sacramenta, deinde generalem regulam statuit, non posse homines in aliquod nomen religionis congregari, nisi aliquo visibilium sacramentorum consortio: sub quo principio subsumere possumus, in lege veteri fuisse veram religionẽ diuinam & supernaturalem, & modo hominibus accommodato; cur ergo negabimus fuisse in illa vera sacramenta? Præterea, in illis sacramentis continebantur & occultabantur supernaturalia mysteria; non enim instituta erant solùm propter illud visibile, quod in eis prospiciebatur, sed propter altiora mysteria: sed vbi est vera ratio mysterii, potest esse vera ratio sacramenti, vt ex dictis patet: ergo. Tandem illa erant vera signa, sub quo genere sacramentum constituitur, vt diximus, & nulla est sufficiens

August.

Obiectio. *Responsio.*

sufficiens ratio analogiæ. Dices, esse analogiam, quia illa sacramẽta erant signa nostrorum sacramentorũ, atque ita habuisse rationem sacramenti per ordinem ad nostra, in quo consistit ratio analogiæ. Respondetur in primis, non omnia illa sacramenta significasse nostra sacramenta, sed interdùm significasse alia mysteria, vel effectus nostrorum sacramentorũ, quod nõ est satis ad analogiam. Deinde etiam quatenus significabant nostra sacramenta erant vniuocè sacramenta cum illis, quia sicut datur signum rei, ita potest dari signum signi, quod tam verum signum est, sicut signum ipsius rei, quia non accipit rationẽ signi ex habitudine ad aliud signum, quatenus signum, sed ex habitudine ad signũ, quatenus significatum est: sicut imago imaginis tam vera imago est, quàm imago prototypi, & nostrum sacrificium perfectè ac vniuocè sacrificium est, quanuis sit imago sacrificij, & similiter sacrificia vetera, quanuis signa essent, vel nostri sacrificij incruenti: vel sacrificij cruenti Christi; nihilominùs erant simpliciter ac vniuocè sacrificia. Vnde tandem confirmatur: nã si in veteri lege erant propriè ac vniuocè sacrificia, cur non etiam sacramenta? Cùm ergo vera ratio sacramenti in illis seruetur, & illa veram sanctitatem non contulerint, non potest hoc esse de ratione sacramenti vt sic.

Dico secundò, de ratione sacramenti esse, vt conferat aliquam sanctificationem saltem imperfectam. Hæc conclusio ferè probata est in sectione præcedenti, & colligi potest facta inductione in omnibus veris sacramentis, quæ hactenus fuerunt instituta, nam de sacramentis legis nouæ constat sanctificationem conferre, de veteribus id probat atq; explicat D. Thom. in 4. dist. 1. art. 5. quæstiunc. 2. & 3. & est per se manifestum ex institutione sacramentorum. De tempore autem legis naturæ solùm nobis constat de vno sacramento, quod in remedium originalis peccati tunc erat, sed nos non loquimur de sacramentis, nisi prout hactenus fuerunt in vsu, neq; aliunde eorum rationem colligere possumus, præsertim cùm sint res quædam artificiales, quæ totum suum esse habent ab institutione. Præterea, quia suprà ostensum est, sacramentum debere esse cæremoniam aliquam ad cultum Dei ordinatam, quæ in hoc differt à sacrificio, quòd non immediatè refertur ad Deum, sed ad cultores Dei, vt ex vsu omnium constat: ergo de ratione sacramenti est, vt per ipsum conferatur aliqua sanctificatio saltem imperfecta cultoribus Dei. Denique hanc conclusionem confirmant omnia, quæ in præcedenti sectione assertione prima adduximus.

Probatur primo. *August.*

Dico tertiò de ratione sacramenti esse, vt conferendo sanctitatem aliquam significet veram animæ sanctitatem. Itaque, si hæc interna sanctitas per ipsum sacramentum, vel in ipso confertur, per illud etiam significatur, de quo nullus dubitat: si verò solùm conferat legalem & imperfectam sanctitatem, nihilominus, vt verum sacramentum sit, necesse est, vt aliquid altius, ac diuinius, interiorem scilicet sanctificationem significet. Hanc assertionem sumo ex D. Tho. 1. 2. ad 3. dicente, rationem sacramenti in hoc compleri, quod humanæ sanctitatis perfectionem significet; idemque affirmat inferiùs quæst. 61. art. 3. sentit etiam Aug. 19. cont. Faust. cap. 16. dicens, sacramentum esse donum temporale, significare verò donum æternum. Et probatur primo inductione, & quoniam de sacramentis nouæ legis, & de circunciſione, & de sacramento legis naturæ, quod erat in remedium originalis peccati, nulla est controuersia, de cæteris sacramentis veteribus in vniuersum probatur ex Concil. Florent. in literis Vnionis, vbi sacramenta vetera vocat simpliciter sacramenta quanuis gratiam non conferrent, quia significabant gratiam per Christum dandam. Vnde Dionys. cap. 5. de Eccles. hierarchia, p. 3. dicit legale sacerdotium & sacramentum, sacerdotium nostrum nostraque sacramenta figurasse: idem sentit August. in expositione Psal. 77. in principio, vbi inter alia dicit *Sacramentum regni cælorum fuisse velatum in veteri testamento, quod plenitudine temporis reueloretur in nouo*, & infrà dicit *Sacramenta fuisse omnibus communia, non tamen gratiam, quæ est virtus sacramentorum.* Et adducit testimonium Pauli 1. ad Corinth. 10. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Facie etiam, quod ibidem generatim Paulus ait. *Omnia in figura contingebant illis.* Posset etiam hoc in specie ostendi discurrendo per singula illius legis sacramenta: sed quia onerosum hoc esset, & præter nostrum institutũ, legi potest D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 1. Secundò probatur eadem assertio, quia in lege noua multæ sunt cæremoniæ sacræ ad aliquam sanctificationem fidelium institutæ, quæ sacramenta non sunt, & tamen non possunt alia ratione conuenienti excludi, nisi quia non habent prædictam significationem: est ergo illa significatio de ratione sacramenti. Antecedens declaratur variis exemplis. Primo, prima tonsura, cæremonia sacra est, per quam incipit homo dicari cultui diuino, vnde aliquam sanctificationem confert & significat: tamen non est sacramentum, quia nõ significat gratiam. Secundò. Aqua lustralis est etiam cæremonia sacra, & aliquam sanctificationem habet, præsertim, si verum est delere peccata venialia. Tertiò: Absolutio ab excommunicatione dici potest quædam legalis sanctificatio: nam excõmunicatio, quædam legalis macula esse videtur, nõ minùs quã essent in veteri lege legales irregularitates, à quibus sacramenta vetera homines mundabant, vt D. Tho. in 4. loco citato. & August. lib. 1. de peccat. merit. c. 26. Quarto, per signum crucis, per manus impositionem, confertur catechumenis aliqua sanctificatio imperfecta, & tamen constat non esse sacramentum propriè vt loquimur, quanuis ab August. ibi vocetur sacramentum latissima significatione. Tandem addere possumus professionem, quæ in religione fit, quæ sacrum habet significationem, & aliquam sanctificationem, quia per eam singulari modo dicatur homo cultui diuino.

Conc. Flor. *Dionys.* *August.* *D. Thom.* *August.*

Obiectio.

Dices, hæc omnia non esse sacramenta; vel quia tantùm sunt dispositiones quædam ad perfectam sanctificationem, vt hîc dicit D. Thom. art. 1. ad 3. vel quia tantùm sunt ab Ecclesia instituta. Sed primum non obstaret, nisi illa particula exclusiua, *tantùm*, excluderet etiam significationẽ gratiæ, de qua loquimur: nam etiam sacramenta vetera in ratione causæ solùm erant dispositiones quædam imperfectæ ad sanctificationem veram & perfectam: tamẽ, quia in ratione signi non solùm hoc habebant, sed etiam significationem veræ sanctificationis, ideò vera sacramenta fuere: & ideò Sanct. Thom. in illa eadem solutione concluſit, de ratione sacramenti esse, vt significet perfectionem sanctitatis humanæ. Secundum etiam nihil obstat, quia, si res ab Ecclesia instituta haberet totũ, quod est de ratione sacramenti,

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti, parum referret, quod à Christo, vel ab Eccle A
sia esset instituta: quia res non denominatur talis à
causa agente, sed à ratione intrinseca constitutiua
rei, vndecunque illam habeat. Quocirca, hinc po-
tius simi potest argumentum ad confirmandã con
clusionẽ, quia si verũ est, vt re vera est, quod Theo-
logi docent, & infra quæst. 64. tractandum est, non
posse sacramentum verum instituí, nisi à solo Deo,
Cur solus Deus potest sacramenta instituere. aut ex speciali commissione seu potestate eius, hoc
ideò est, quia sacramentum esse debet signum gra
tiæ conferendæ; nam, quia solus Deus potest esse au
tor gratiæ, solus potest etiam huiusmodi verum si-
gnum instituere: ergo talis significatio est de ratio-
ne sacramenti: nam si sufficeret significatio cuiusli-
ber imperfectæ sanctitatis, sicut potest Ecclesia cæ-
remonias instituere, quæ & conferant, & significent
huiusmodi sanctitatem, ita posset sacramenta insti-
tuere. Vltimò argumentor ex proprietate nominis, B
sacramentum; significat enim arcanum aliquod & la-
tens mysterium, si autem solam externam sanctifica
tionem, & imperfectam significaret, nihil magnũ,
vel arcanum in se contineret: oportet ergo, vt ali-
quid internum, & spirituale significet, &, quia hoc
nomen specialiter accommodatum est, ad significan
Confirm. da illa signa, quæ ad nos pertinent, & ad nostram
sanctitatẽ sunt aliquo modo instituta, ideò necesse
est, vt ad perfectam sanctitatem hominis habitudi-
nem dicant. Confirmatur tandem, quia sacramentũ
dicit habitudinem ad sanctitatem: ergo, vt sit vniuo
cè sacramentum, debet dicere habitudinem ad san-
ctitatem vniuocã, quæ est sanctitas interna per gra-
tiam: nam alia imperfecta & externa solùm analogi
cè meretur nomen sanctitatis: sed illa habitudo, quę
communis esse potest omnibus sacramentis, non est
nisi habitudo signi, ergo.

Obiectio. Dices: quomodo sacramenta vetera poterant es-
se signa gratiæ, cùm in illis per se, & ex vi sacramen
ti non daretur gratia, & alioquin sacramentum esse
debeat signum practicum, & demonstratiuum gra-
Responsio. tiæ. Respondetur non esse de ratione sacramenti vt
significet gratiam, quæ in ipso datur: sed satis esse,
vt significet gratiam dãdam aliquo tempore: Quarè
non est necesse, vt sacramentum significet solam
sanctitatem quam confert: potest enim conferre im-
perfectam sanctitatem, & significare perfectam sic-
ut nostra sacramenta, non solum significant gra-
tiam, quam conferunt, sed etiam gloriam, quã pro-
mittunt. Quarè non est etiam de ratione sacramenti
vt sic, quòd sit signum demõstratiuum gratiæ præ-
sentis, quamuis hoc conueniat nostris sacramentis;
sed abstrahit secundùm communem rationẽ sacra-
mentiã signo demonstratiuo, & promissiuo, seu D
prognostico: & ita in sacramentis veteribus non
dabatur, sed promittebatur gratia aliquando dan-
da. Denique hinc sequitur, si practicum signum di-
catur illud per quod, vel in quo actu datur gratia,
non esse de ratione sacramenti vt sic, esse hoc modo
signum practicum: si autem signum practicum dica
tur illud, in quo exercendo, & conferendo aliquam
sanctificationem externam, significatur gratia con
ferenda, & secundùm illum modum quo conferen-
da est, vel tunc, vel posteà, sic omne sacramentum
dici posse signum tale, quia non significat gratiam
secundùm se, & absolutè; sed cum ordine ad opus,
seu per modum actualis sanctificationis. Sed obji-
Obiectio. cies, quia etiam hic modus significandi communis
esse potest aliquibus rebus, quæ non sunt sacramen-
tã, vt fuit transitus per mare rubrum, vel manducã-
tio manna. Respondetur primò, huiusmodi iam esse *Responsio.*
exclusa à ratione sacramenti per vniuersaliorẽ quan-
dam rationem, scilicet, quia non erant cæremoniæ
sacræ & stabiles, ac lege firmatæ, nam sacramentũ,
licèt de formali dicat significationem, tamen conno
tat vel requirit, vt talis significatio in tali materia
fundetur, vt dictum est & in sequenti sectione la-
tiùs explicabitur, sicut scriptura eandem significa-
tionem habere potest, quam vox; tamen dicit illam
in tali materia. Deinde dicitur, illa signa non contu
lisse sanctificationem aliquam etiam imperfectam,
atque adeò non significasse vnam sanctificationem
perfectam, exercẽdo saltem imperfectam, & in hoc
defecisse ab ea ratione signi practici. Et ex his satis
responsum est ad fundamenta aliarum opinionum.

Atque hinc intelligitur primò, quomodo sacramẽ
ta noua, & vetera genericè, atque vniuocè conue-
niant in ratione sacramenti, specie autem differant,
conueniunt enim, tum in ratione cæremoniæ sacræ,
tum in ratione signi gratiæ, & sanctificationis no-
stræ, tum etiam in significãda Christi passione, quæ
est fons totius gratiæ, tum denique in significanda
gloria, quæ finis est huius sanctificationis. Quanuis
enim necesse non sit hæc omnia significata fuisse
per singula sacramenta vetera, neque tam expresè
& distinctè, sicut per nostra, tamen nõ est dubium,
quin sacramentis illis hæc omnia significata fuerint,
cum ordine ad nostram sanctificationem. & hoc sa-
tis est, vt in ratione sacramenti vniuocè cõueniant.
Differunt tamen primò, Quia diuerso ritu externo,
& in diuersis actionibus instituta sunt, vt per se con
stat, & rationem reddidit Augustinus dicto lib. con C *Augusti.*
tra Faustum, & dicta epist. 118. quia mutata lege &
statu rerum, quæ significandæ erant, oportuit etiam
externum Dei cultum mutari. Vnde quo status le-
gis gratiæ perfectior est, eo oportuit actum sacra-
mentorum esse etiam perfectiorem, & faciliorem,
& ad expressiorem significationem magis accom-
modatum. Vnde est secunda differentia iam supra ta
cta, quod omnia nostra sacramenta sunt demonstra-
tiua gratiæ præsentis, quæ per ipsa datur, vetera au-
tem sacramenta, ex se tantum erant signa promissiua
in futurum, vt colligi potest ex Concilio Floren *Florent.*
tino, & ex August. Psal. 73. & ex supradictis. Quo- *August.*
modo autem quo ad hoc excipienda sint circũcisio
& sacramentum parulorum in lege naturæ, infe-
riùs quæstione 62. tractabitur. Tertio differunt
Quia nostra sacramenta clarius, & apertius signifi-
cant, & ideo in eorum ritu adiunguntur verba, vt
posteà dicemus. Quartò, significatio gloriæ, magis
propria, & immediata est in nostris sacramentis, vt
colligitur ex Dionys. cap. 5. de Ecclesiast. Hierarch. *Dionys.*
vbi nostram Ecclesiam ponit mediam inter synago-
gam, & Ecclesiam triumphantem, quia in nostra da
tur gratia per sacramentum, & immediatè significa
tur gloria, cuius ianua aperta iam est, & ideò ab
hac nostra Ecclesia immediatè fieri potest transi-
tus ad illam triumphantem, at verò in lege vete-
ri ex vi illius & sacramentorum eius, nec dabatur
gratia, nec significabatur gloria, vt post illum sta- *Heb. 10*
tum immediatè consequenda, & ideò Paulus ad He *Theodor.*
bræos 10. dicit legem veterem fuisse vmbram futu *Theophyl.*
rorum, nostram verò continere ipsam imaginem re-
rum, vt ibi notant Theodoret. & Theophyl. qui in
eandem sententiam refert Gregor. Nazianz. oratio-
nẽ de Pascha te.

Secundò

Secũdò intelligitur ex dictis, quomodo in eandẽ A
rationem sacramenti illa duo coniungantur, scilicet
cõferre, & significare sanctificationẽ, sunt enim hæ
duæ rationes valde diuersæ. Altera enim ad genus
actionis, altera verò ad genus relationis pertinet, &
ideò nõ videntur posse cõponere eandẽ rationẽ sa-
cramẽti. Dicendũ verò est, alterã istarũ rationũ per
se requiri ex parte materiæ, seu rei ad significandũ im
positæ, alteram verò, ex parte rationis formalis, nã
vt sacramentum imponatur ad significandã gratiã,
supponi, vel institui debet, vt sit ceremonia sacra, ali
quam sanctificationem conferens, hoc ergo est, qua
si materiale, quia est res, quæ ad significandum im-
ponitur, cuiq; adiũgitur significatio, tanquã vltima
ratio formalis constitutiua sacramẽti. Quo etiã fit,
vt licet in re, quæ est sacramentum interdum prima
rio intendatur significatio, ex intentione agentis, ta
mẽ in executione immediatiùs conferatur sacramen
tũ ad aliquã sanctificationem conferendã, quia sem- B
per fit sacramentũ per modum cæremoniæ sacræ, &
sacrantis, & hoc est quasi materiale, quod significa-
tioni substernitur. Quapropter si sanctificatio
propter quã conferendã instituitur sacramẽtum est
perfecta, & per gratiam sanctificantẽ, tunc non est
necesse, vt etiam ex intentione instituẽtis primario
sit sacramentum institutum, propter significationẽ,
sed propter effectionem, seu donationem sanctifica-
tionis, quia tunc huiusmodi finis videtur altior, &
perfectior, & ita potest esse magis intentus.

Obiectio. Dices, Si ratio causæ, seu conferendi sanctitatẽ no-
bilior est quã ratio significandi, cur hæc potius dici
tur formaliter cõstituere rationẽ sacramenti, quam
prior. *Responsio.* Respõdetur, aliam rationem esse reddendã si
loquamur de sacramẽto, aliã verò si agamus de nos-
tris sacramentis, loquẽdo enim in cõmuni, habitudi
nẽ aliquã dicit ad sanctitatẽ perfectã, quæ habitudo
nõ est generalis, nec cõmunis omnibus, nisi in ratio
ne signi, & ideò hæc est, quæ formaliter constituit
rationẽ sacramenti, & sub hac communi ratione, C
non est nobilior ratio conferẽdi, quam significandi
sanctitatem, quia sacramentũ vt sic in ratione confe-
rendi sanctitatem abstrahit à sanctitate perfecta, vel
imperfecta, quia quodcunque horũ sufficit ad ratio
nem cæremoniæ sacræ aptæ, vt sit veluti materia ad
altiorẽ significationem imposita, at vero in ratione
signi non abstrahit, sed determinatur ad perfectam
sanctitatẽ, vt constituatur sacramentũ in absoluta &
perfecta ratione sacramenti. Si autẽ agamus de nos-
tris sacramentis, quanuis in esse entis perfectior sit
ratio causæ, quã ratio signi respectu eiusdem sancti- D
tatis, tamen quia differentiæ futuræ sunt proportio-
natæ generibus, & sub genérico cõceptu sub ratio-
ne signi constituuntur, ideò in eadem latitudine spe
ciem & differentiam sortiuntur. Accedit etiã, quod
in modo suæ significationis includunt suam causali
tatem, quia significant, vt efficacia signa gratiæ, seu
significant gratiã, vt à se conferendã, & ita in huius
modi ratione signi quodãmodò includitur tota per
fectio causæ respectu eiusdem sanctitatis.

SECTIO III.

Vtrum oporteat esse sacramentum signum sensibile ex institutione sua.

EXplicuimus significationem sacramenti ex par
te rei significatæ: reliquum est, vt ex parte rei

significantis, & modi participandi significationem A
eam declaremus. Non defuerunt autem hæretici,
qui negauerunt omnia sacramẽta esse sensibilia præ
sertim in lege gratiæ, quorum errorem commodius
confutabimus in q. 61.

Dico ergo primò Sacramentum debere esse sig- *Sacramentũ esse debere signum sensibile.*
num sensibile, & consequenter rem, quæ ad significã
dum imponitur debere esse aliquo modo materia
lem, & sensibilẽ: ita docẽt omnes Theologi in 4. d. 1. *Augusti.*
& D. Tho. hic art. 4. cum August. 19. contra Faustũ
capit. 11. & alijs Patribus supra citatis, & statim re-
ferẽdis, & patet inductione in omnibus sacramentis
legis veteris, & nouæ, itẽ ex definitione signi, quã
tradit August. 2. de Doct. Christ. cap. 1. Signum est, *Signum humanum quod fit.*
quod præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid
aliud facit in cognitionem venire, quæ est definitio
signi humani, seu hominum cognitioni accommo-
dati, nam humana cognitio à sensibus incipit, cum
ergo dicitur sacramentum constitui in genere sig- B
ni, intelligitur de signo humano, atque adeo de si-
gno sensibili. Atque hinc sumitur prima congruen- *1. Cõgruẽt.*
tia, ob quam, omnia sacramenta instituuntur sensi-
bilia, quia scilicet, homo ex sensibilibus ad intelligi-
bilia contemplanda traducitur, & ideo valde vtile
fuit in ipsomet exteriori, ac sensibili cultu religio-
nis, internam sanctificationem significari; vt homo
ad illam capessendam, & intelligendam manu duce
retur, sic Dionys. cap. 1. de Cælesti Hierarc. *Nec enim* *Dionys.*
(inquit) *aliter fas erat infirmitati nostræ lucere diuinum*
radium, nisi sacrorum varietate velaminũ, quibus ad supe-
riora ferremur opertum, & his, quæ nobis familiaria sunt,
prouidentia paterna naturæ mortalium sese accomodante
vestitum, & de Ecclesiast. Hierarch. capit. 1. *Nos* (in-
quit) *visibilibus imaginibus ad diuinas inteligentias pro*
virium nostrarum modo conscendimus. Quam rationem
late etiam prosequitur Chrysost. Homil. 60. ad po- *Chrysost.*
pulum, & 83. in Matthæũ, vbi habet illa verba, *Si in-*
corporeus esses incorporea tibi dedisset ipse dona, nunc au-
tem, quoniam coniuncta est corpori anima tua, sub sensi-
bilibus tibi intelligibilia tradit, & eandem rationem
tetigit Damascenus lib. 4. de fide. cap. 10. & 14. & Au- *Damasc.*
gust. lib. super Epistol. ad Galat. colum. 9. vbi dicit *August.*
omne sacramentum ad contemplationem veritatis
esse referendum, & ad bonos mores, atque idem su-
mi potest ex eodem, cõcione. 1. in Psal. 33. vbi agẽs
de Verbo diuino, quod est cibus angelorum, dicit,
oportuisse ipsum panem, & carnem fieri, vt ab homi
ne capi posset. Quod etiã tetigit Isidor. lib. de sum.
bono. cap. 17. Secunda congruentia: Quia sicut ho- *2. Congruẽt.*
mines, naturali ratione ducti in vnum populum, vel
rempublicam congregantur, ita per Christum, qui
suauiter, ac sapienter omnia disposuit, in vnum ec- D
clesiæ corpus visibile, & ad diuinum cultum ordina
tum conueniunt, & ideo necesse fuit, signa aliqua
sensibilia instituí, quæ vniuerso corpori Ecclesiæ es
sent communia, vt totum hoc corpus, veluti in es-
sentiali ritu colendi Deum conueniret. Hæc autem
signa, eo sunt perfectiora, quo perfectiorem sancti-
tatem, vel conferunt, vel significant, quæ ratio sum-
pta est ex Augustino. 19. contra Faustum, cap. 11. & *August.*
sequentibus, & lib. de ver. relig. cap. 17. & ex Chry- *Chrysost.*
sost. Homil. 39. in Genes. vbi ad hãc rationẽ alludẽs
inquit, *Quando Deus voluit peculiarem sibi populum cõ*
gregare, dedisse illi proprias, ac definitas cæremonias, qui-
bus ipsum coleret, & propter eandem rationem Ter-
tul. lib. de præscriptio. hæret. cap. 20. agens de vnita-
te ecclesiæ, inquit, *Communionem pacis non alia ratione*

conseruari

conseruari posse, quam eiusdem sacramenti vna traditione, quod recte explicat, ac confirmat inferius, cap. 40. *3 Congruēt.* Tertia: Quia cum homo constet corpore & anima, non satis est, vt corde credat, nisi etiam actibus corporis suam fidē profiteatur, vt Paulus significat ad Rom. 10. *Rom. 10.* Et ideò necesse est, vt actibus etiā corporis Deum colat, seseq; Deo submittat. Item quia cū corpore, & animo Deum offendat, expedit, vt per sacramenta corporea, vim spiritualem habentia, curetur, & sanctificetur, quam rationem late prosequuntur *Nazianz. Nissenus.* Gregor. Nazian. oratione de sancto baptismate, & Gregor. Niss. oratione etiam de baptismo, non lōge ab initio, *Cōpositus,* (inquit) *est homo, atque idcirco cognata similiaque medicamenta ad curationem ei destinata sunt,* similia habet Cyril. Alex. lib. 2. in Ioan. cap. 42. & Cyril. Hierosolym. Catechef. 3. & multa ad locupletandam hanc rationem possunt sumi ex Tertul. lib. de Resurrectio. carnis. cap. 15. & sequētibus. *4. Congruēt. Gregor.* Quarta sumi potest ex Gregor. lib. 6. in. 1. Reg. ca. 3. prope finem, his verbis, *Oportuit, vt per ministeriū hominum spiritualia dona nobis darentur, vt dum exterius sacramenta percipimus, interius diuina gratia repleamur.* Et aliæ similes congruentiæ legi possunt in *August.* Augustino. 3. de Doctri. Christia. cap. 9. quæst. 33. in Nume. & 84. in Leuit. vbi aduertit non esse visibilia sacramenta contemnēda, etiam si inuisibilis gratia prius comparata sit. Prædictæ verò rationes potissimum procedere videntur de sacramentis nouæ legis, tamen seruata proportione, accommodari possunt ad omnia sacramenta.

Obiectio. Sed obijciunt quidam scholastici, conditionem hanc non esse de ratione sacramenti, vt sic, quia posset Deus rem spiritualem instituere, ad cuius præsentiam gratia daretur, verbigratia ad præsentiā actus voluntatis angelicæ, vel humanæ, ille ergo actus, statim ac fieret de se gratiam significaret intuentibus, seu cognoscentibus illum, esset ergo sacramentum non quidem sensibile sed spirituale. Atque ita sentiunt *Okam. Aliacus.* Okam, Petrus de Aliaco, & alij in princip. 4. sententiarum. *Confir. obiect.* Et cōfirmant, quia contritio est materia sacramenti pœnitentiæ, & non est sensibilis, & character baptismi, confirmationis, vel ordinis, est res spiritualis, & tamen est sacramentum, Christus etiam, prout est in Eucharistia est modo insensibili, & tamen est sacramentum. Respondetur ad principalem obiectionem, posse quidem Deum imponere rem aliquam, seu actionem spiritualem ad efficiendam, vel significandam gratiam, illud vero nō esset signum humanum, sed potius angelicum: ac proinde, tale signum non esset sacramentum, prout nunc de sacramentis loquimur, sacramenta enim vocamus, quædam signa hominibus accommodata, vt eis vti possint ad colendum Deum, corpore, & anima. Et ideo sub hac consideratione, necesse est sacramentū esse rem aliquam, seu cæremoniam sensibilem. Ad confirmationem tria distinguuntur à Theologis in sacramentis nouæ legis, res tantum, sacramentum tantum, res & sacramentum simul: res tantum dicitur, quæ significatur, & nō significat, & hæc esse potest omnino insensibilis, vt est gratia; sacramentum tantum dicitur, quod significat, & non significatur. & hoc est necesse esse sensibile propter rationes factas, nam de hoc præcipuè hic loquimur, res, & sacramentum simul dicitur, id quod & significat, & significatur, & huiusmodi sunt omnia illa quæ in argumento numerantur, & quidem quatenus res significatæ sunt, nihil obstat quod sint res insensibiles, **A** quia per sensibiles significātur, vt character per ablutionem, vel vnctionem, contritio per confessionem, Christus per species panis & vini, quatenus verò hæc sacramenta dicuntur, oportet, vt aliquo modo significent, atque adeo, vt fiant sensibiles saltem per illud, atq; hoc modo res per se insensibilis potest esse, aut pars sacramenti, aut res, & sacramentum simul, quatenus, vt coniuncta signo sensibili, aliquo modo manifestatur atque hoc modo interior contritio sensibilis quodammodo fit per exteriora signa doloris, & compunctionis, & Christus videri dicitur per species panis, & vini, & quia videtur per modum cibi, ideò refectionem animæ significat, & sic de alijs. Quō fit, vt in toto sacramento semper requiratur aliquod signum per se sensibi- **B** le, ratione cuius totum sacramentum per se, & absolutè sensibile sit quanuis ad illius constitutionem, aliquid spirituale internum posit cōcurrere, quod non per se, sed per aliud sentiatur, *Similitudo.* sicut homo absolutè & per se sensibilis est, quanuis simul cum corpore, animo constet, qui spiritualis est, atque adeo per se insensibilis, licet per actiones corporis sese prodat, & aliquo modo sentiri faciat.

Dico secundò, Sacramentum non esse naturale signum, sed ex institutione, & impositione significans. Hæc assertio sumitur ex D. Thom. artic. 5. & Augustino. 1. de doct. Christia. cap. 3. vbi significationem sacramentorum, significationi verborum comparat quod vtraque est ex impositione, idem lib. 3. cap. 9. vbi dicit sacramentum esse signum diuinitus institutum. *August.* Et ratio est clara ex dictis, quia sacramentum est signum gratiæ, quæ vel in ipso detur **C** vel postea danda sit. sed nulla res sensibilis ex natura sua habet hanc significationem, vt per se est manifestum: ergo oportet, vt illam habeat ex impositione, seu beneplacito eius, qui gratiam posit dare, aut promittere, ergo ex diuina impositione, vt latius dicturi sumus infrà, agentes de causa & institutione sacramentorum.

Obiectio. Sed obijci potest primo: Quia sacramenta significant propter similitudinem quam habent cum re repræsentata, dicit enim *August.* Aug. Epist. 23. *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarū sunt sacramenta, quam si non haberent, omnino sacramenta non essent,* & similia habet lib. de Catechizād. rudi. cap. 26. Vbi dicit explicandum esse catechumeno, quæ sit res in sacramento recondita, cuius similitudinem gerit. *Hugo victo.* Proter quod Hugo Victorinus. lib. 1. de sacramen. part. 9. cap. 1. in definitione sacramēti ponit, vt ex similitudine repræsentet. *Responsio.* Respondetur sicut dialectici dicunt, voces ita significare ad placitum, vt **D** impositio ipsa rationabilis sit, & quoad fieri posit, obseruet proportionem aliquam, vel similitudinem inter signum & rem significatam, ita dicendum est in sacramentalibus signis obseruatum esse. Quanuis enim signa hæc voluntaria plerunque imponantur, nullo habito respectu ad ipsarum rerum similitudinem, & proportionem, sed ex mera voluntate imponentis, vt est vulgare exemplum de viridi ramo pendente, qui significat vinum venale, tamen maior quædam seruatur proportio, magisque ostenditur sapientia instituentis, quando in huiusmodi signis similitudo aliqua, vel proportio seruatur, & ideo in institutione sacramentorum id semper obseruauit diuina prouidētia. Et hoc est quod August. dicto loco intendit: constat enim, solam illam analogam similitudinem, vel proportionem, quæ in huiusmo-

huiusmodi rebus inuenitur, verbi gratia inter ablutionem corporis, & mundationem animæ, & similes, non esse sufficientes, vt altera per alteram verè, & absolutè significetur; & ideò necessaria est impositio, & hoc sensu dicimus, sacramenta ex impositione significare. Quoniam verò contingit, vt sequenti disputatione videbimus, humana verba, quæ sunt signa ad placitum, ad sacramentalem significationem assumi atque eleuari; ideo notanda est differentia inter ea, & res alias, seu actiones naturales, quod in his proportio illa, quæ ad institutionem supponitur, intercedit, quasi ex natura rei, inter actionem sacramentalem, & effectum, vt inter ablutionem corporis, & animæ; at verò verba seclusa humana impositione ex qua significant, nullam habent analogiam, vel proportionem cum effectu sacramentali, vt ad illum significandum assumantur, *D. Thom.* quod notauit D. Thom. opusc. 22. cap. 24. & ideo in eiusmodi verbis supponenda est propria significatio ad placitum ex humana impositione, quæ est veluti materialis respectu sacramētalis significationis, & inter has duas significationes cōsideranda est proportio, seu analogia, quæ ad sacramenti institutionem supponitur vt diximus.

2. Obiectio. Secundo obijci potest; Quia ex hac assertione sequitur Sacramentū formaliter esse ens rationis, quia significatio ad placitum tantum est relatio rationis. Propter hanc difficultatem nonnulli Theologi ex professo hic tractant, quid sit significare formaliter & quam relationem importet, & similia quæ dialecticorum sunt propria. *Responsio.* His ergo omissis; Dicendum est, rationem signi ex impositione significantis, propriè ac formaliter non consistere in relatione, neqs reali, nec rationis. Primum patet quia nō habet reale fundamentum in re significata, extrinseca enim impositio nullam rem ponit in eo, quod ad significandum imponitur. Secundum patet, quia relatio rationis tandiu est, quandiu ab intellectu concipitur, seu fingitur. Huiusmodi autem signum postquā impositum est, non pendet ex fictione, vel comparatione intellectus referentis vnū ad aliud, sine illa enim, seu ante illam, exercet munus signi, excitando mentem, vt veniat in rei significatæ cognitionem. Hæc ergo ratio signi præcisè oritur ex impositione, quæ re ipsa facta est, quanuis nihil in re ponat physicè, nisi denominationem extrinsecā, à reali actu prouenientem: moraliter verò, & quasi more humano loquendo, relinquitur in re imposita ad significandum, habilitas quædam, seu aptitudo ad excitandum intellectum, vt rem illam cognoscat, nam hæ denominationes extrinsecæ, quatenus manent in memoria, & existimatione hominū, multum valent ad huiusmodi actiones morales, & humanas, vt facilè potest exemplis declarari, in potestate iurisdictionis, in grado doctoratus: hæc enim, & similia solum per quandam extrinsecam deputationem, & denominationem fiunt.

Sacramenti impositio debet fieri publica, & stabili lege. Dico tertiò: Hæc sacramenti impositio fieri debet publica, & stabili lege, quæ duret pro statu aliquo, in quo homines ex diuina ordinatione talē modum colendi Deum profitentur. Hec assertio explicatur simul, & probatur inductione: Nam Circuncisio, & vetera sacramenta instituta fuerunt in ritum perpetuum, vt dicitur Genes. 17. Exod. 12. & sæpè aliàs, idest, in ritum multo tempore duraturum, scilicet quandiu status synagogæ, ac veteris legis duraret: similiter sacramenta nouæ legis in- **A** stituta sunt pro toto tempore legis gratiæ vsq; ad consummationē sæculi, vt Matth. vlt. significatur. Ratio verò huius veritatis est, quia sacramenta, vt diximus, sunt quædam ceremoniæ, in quibus conueniunt omnes fideles, qui membra sunt eiusdem ecclesiæ, vt sanctificentur, & iuxta Dei beneplacitum ipsum colāt, atque ita vnam ecclesiam, vnumque modum religionis constituant, non quod in solo sacramentorum vsu hæc vnitas consistat, sed quod ad illam necessarius sit, sicut ergo status religionis, & ecclesiæ est permanens, ac durabilis, ita etiam sacramenta habere debent permanentem institutionem. Et confirmatur, nam signa ad placitum, quæ ad communem vsum hominum instituuntur communi lege, ac consuetudine stabili imponuntur, alioquin non censentur habere simpliciter talem significationem, ergo. Et confirmatur secundo: nam aliqua sunt **B** signa diuina quæ non possunt conuenienter excludi à ratione sacramentorum, nisi ob defectum huius cōditionis, Vt verba illa Christi Lucæ: *Remittuntur tibi peccata tua,* illa enim significarunt internam sanctificationem Magdalenæ, & Ioan. 20. Cū Christus insufflauit, dicēs, *Accipite Spiritum sanctū,* facto simul, & verbo significauit spirituale donum, quod Apostolis contulit, & tota illa actio exterior ad sanctificationem Apostolorum ordinata fuit, & tamen non fuit sacramentū, quia non fuit cæremonia, certa lege stabilita ad sanctificationem conferendam, & significandam. *Cano.* Quod enim Cano dicit loco supra citato, Christum non contulisse gratiam illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum,* & non sufficit ad rationē sacramenti excludendam, satis enim esset, quod gratiam significauerit, & prætereà falsum est, quia verba Christi fuerunt efficacia, & sicut alia miracula im- **C** perio suo fecit, ita & sanctificationem, vt in 1. tom. circa quæst. 13. D. Thom. latiùs diximus. Aliter verò inquit Soto, illam Christi actionem non habuisse significationem ex institutione, sed naturalem tātum, *Soto.* & ideo non fuisse sacramentum. Quæ responsio eadem erit cum doctrina à nobis tradita, si loquatur de institutione solenni, & lege stabili posita. Si autem omnem significationem ad placitum excludat etiam particularem, & pro illo tantum tempore, non videtur vera, quia Christus per sensibilem illum flatum, significare voluit interiorem Spiritus sancti afflatum, quam significationem, veram, ac certam non habet similis flatus ex sola naturali proportione, seu analogia, ergo tunc habuit eam significationem ex speciali Christi voluntate, in quo conuenit cum sacramentis: differt tamen, vt dixi in modo stabilis, & fixæ significationis, & ideo non habuit ra- **D** tionem sacramenti. *Obiectio.* Dices; quod res magis, vel minus duret, non variat eius rationem, ergo, quod signum sit lege stabili institutum, aut ad breue tempus, vel vnum actum, non variabit rationem signi, ergo nec rationem sacramenti. *Responsio.* Respondetur hoc verum esse; si ratio signi tantum metaphysicè consideretur; at verò, si moraliter, & in ordine ad humanos vsus spectetur, sic valde diuersam rationem habet, nam vno modo accipitur tanquam res permanens, & religiosa ceremonia, alio autem modo, vt actio quædam transiens; sub nomine autem & ratione sacramenti priori modo significatur, vt iam declaratum est.

SEC-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO IIII.

Quænam definitio sacramenti ex prædictis omnibus colligatur.

ALiqui Theologi dixerunt sacramentum nõ posse definiri, quia non est vnum ens, sed aggregatum ex multis, aut ex ente reali, & rationis, in quam sententiam referuntur Scotus in 4. dist. 1. quæst. 2. Ricard. artic. 1. quæst. 2. & Maior. quæst. 1. sed nec Scot. id dicit, neque alij autores in re possunt ab alijs dissentire, qui iudicant sacramentum posse absolutè & simpliciter definiri, eo modo quo habet esse, vt discipuli D. Thom. sentiunt. Ad hoc autem explicandum, alij necessarium existimãt dicere solam significationem esse essentiam sacramẽti, vt eius ratio sit per se vna ac definibilis, quod significare visus est Scot. in dict. quæst. §. de secundo principali, sed quanuis fortasse quæstio sit de nomine, non censeo sic esse loquendum. Nam sacramentum non est sola significatio, sed essentialiter includit rem significatam, sicut domus non est sola figura, sed res artificialis constans ex tali materia cum tali figura, & nomen, aut verbum, non dicit solam significationem, sed vocem aut figuram sic significantem: sic ergo sacramentum non dicit solam significationem, sed illam in tali materia, seu compositum ex tali re, & significatione, quæ est veluti forma illud cõstituens. Quocirca quanuis sacramentũ nõ sit tam per se vnum, sicut homo, & ideo definiri nõ possit tam exacta definitione sicut definiri solet substantia, nihilominus non est omnino vnum per accidẽs, seu per aggregationem, sed habet suum modũ compositionis, & vnitatis formalis, ratione cuius sufficienter potest definiri, seu describi. Nam si in sacramento consideremus significationem, & rem significantem, illa duo coniunguntur per modũ actus, & potentiæ, si vero consideremus rẽ ipsam ad significandũ impositam, quæ interdũ non est vna tantum, sed multæ, adhuc in eis inuenire licet aliquẽ modũ potentiæ & actus, seu aliquam certam habitudinẽ, vel ordinem, in quo conueniunt ad componendum vnum sacramentum sub eadem ratione signi, atque hoc modo componunt vnum aliquid per modũ entis artificialis, ad hũc enim modum reperitur vnitas in exercitu, oratione, &c.

Alij tantum significationem.

Sententia autoris.

Hoc ergo supposito variæ tradũtur definitiones, non solum à Catholicis, sed etiam ab hæreticis, sed hæretici tot mutant diffinitiones, & addunt vel tollunt particulas, quot ad suos errores tuendos necessariæ illis videtur, & ideo refutatis eorum erroribus prauæ illorum definitiones per se concidunt. Quapropter in eis referendis, vel refutandis immorari non oportet, sed de ea re legi possunt autores citati qui ex professo contra eos scripserunt: ex definitionibus vero, quas Catholici assignant, duæ videntur potiores, quæ à nobis exponendæ sunt.

Prima definitio est Magist. dist. 1. *Sacramẽtum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens.* Quæ sumpta est ex Hugone in summa sententiarum tract. 4. cap. 1. & in eandem fere coincidit alia, quam pluribus verbis tradit idem Hugo lib. 1. de sacramen. part. 9. cap. 1. *Sacramentum est materiale elementum sensibiliter propositũ, similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continẽs aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam.* Cuius definitionis particulæ omnes ex hactenus tractatis satis claræ sunt, præter illam *elemẽtum sensibiliter propositum*, nomine enim elementi, non significatur aliquod corpus simplex, sed quodlibet sensibile corpus, in cuius vsu, vel consecratione sacramentum conficitur, & verbis, quæ sunt forma sacramẽti tanquam materia supponitur; & ideò elementum dicitur, vt statim in Commentario articuli 4. & latiùs in disputatione sequenti dicturi sumus. Nec multum ab eadem definitione differt ea, quæ habetur in Catechismo Pij V. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram iustificationẽ institutum*; tamen hæc definitio, vt ex verbis eius cõstat, non solum definit sacramentum, vt signum, sed etiam vt causam gratiæ. Vnde non conuenit sacramento vt sic, sed vt sacramento nouæ legis; & hoc modo est satis apta definitio, præsertim prout vltimis verbis proposita est, nam priores definitiones paulo sunt longiores, quam expediat, & particulas continent, vel obscuras, vel non omnino necessarias, qualis est illa, quod sacramentum significare debet ex similitudine, quæ omnibus quidem sacramentis conuenit, quæ de facto instituta sunt, & quanuis non sit simpliciter necessaria, tamen ex quadam cõgruitate, & sapienti institutione semper obseruatur, & ideò non oportet eam distinctè in definitione explicare; quia eo modo, quo requisita est, in ipsa diuina institutione virtute continetur. Secunda est. D. Thom. hic: *Sacramẽtum est signum rei sacræ*, quã sumpsit ex August. 10. de Ciuitate cap. 5. quãquam August. ibi generalius nomine sacramenti vtatur, vt sacrificium etiam comprehendat, cui etiam definitionem illam accõmodat; eadem vero definitio reperitur apud Hugonem supra, & Bernard. serm. de Cœna domini, eamque multi ex scriptoribus supra citatis libenter amplectuntur propter illius breuitatem tamen propter eandem causam nõ potuit nõ esse subobscura. Vnde, vt conuertatur cum definito, non nulla, vel explicare, vel subintelligere necesse est, & in primis D. Thom. addidit illam particulam, seu determinationem, *rei sacræ quatenus sanctificat homines*, vt intelligeremus, non satis esse ad rationem sacramenti, vt significet quamcunque rem sacram, sed oportere vt significet hominis sanctificationem, quæ fit per gratiam, & causas eius; de hac enim sanctificatione D. Thom. loquitur. Rursus iuxta ea, quæ diximus, subintelligendum est, hoc signum tale esse debere, vt aliquam homini sanctificationem conferat nam ostensum est, hoc esse de ratione sacramẽti. Vnde exponendo definitionem illã posset clarius dici, *Sacramentum est signum sensibile ad sanctificationem aliquã conferendam, & veram animæ sanctitatem significandam institutum.* Vel (si more Aristotelico definire velimus) dicere possumus. *Sacramẽtum est sacra ac sensibilis cæremonia, homines aliquo modo sanctificans, & veram animæ sanctitatem ex institutione significans.* Quæ definitiones ex supradictis satis claræ sunt, & probari facile possunt, quia, & conueniunt omnibus sacramentis, & habent omnes particulas sufficientes ad excludenda omnia signa sacra, quæ sacramenta non sunt, qualia sunt sacrificium, vsus aquæ benedictæ, & similia, de quibus, iam diximus. Porrò, prædicta diffinitio facile potest ad sacramẽta nouæ legis coarctari, addendo, huiusmodi sacramentum significare veram animæ sanctitatem, quam confert seu quatenus ab ipso confertur, & ex parte rei ad signifi-

1. Sacramẽtum definitur à Magistro.

Defin. Hugo.

D. Thom. Augus.

Bernard.

Propria definitio.

significandum impositæ, posset addi, debere constare materia & forma, seu rebus, & verbis, de quo iam dicemus. Denique seruata proportione facilè potest contrahi ista definitio, ad sacramenta veteris legis, addendo fuisse instituta ad conferendum legalem sanctitatem per quam vera sanctitas per Christum conferenda significabatur, quæ tamen definitio non videtur competere circuncisioni, quæ antiquior fuit, quam sacramenta veteris legis, neque etiam sacramento legis naturæ, sed in hoc inculcatur grauis difficultas infrà tractanda, qua explicata facile erit, definitionem his etiam sacramentis accommodare, fuerunt enim illa quasi media inter sacramenta nouæ legis, & propria sacramenta legalia, quia nec conferebant gratiam propria virtute, vnde non significabant gratiam à se collatam, sicut nostra sacramenta, nec solum significabant gratiam vt futuram, seu promissam, sed etiam indicabant præsentem quæ in ipsis dabatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 1. & art. 2. q. 1. & art. 3. cor. Et 4. cõtra. ca. 56. & Ioan. 3. 1. cor. 4.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum in libr. Priorum, omnis effectus, suæ causæ signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicuius rei sacræ, inquantum per eam homo sanctificatur, vt dictum est; Non ergo requiritur ad sacramentum, quòd sit aliqua res sensibilis.

Arist. 2. huius quæst.

¶ 2. Præterea, Sacramenta pertinent ad cultum vel regnum Dei. Sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei. Dicitur enim Ioanis quarto. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Et Romanorum decimoquarto. Non est regnum Dei, esca & potus. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum.

¶ 3. Præterea, Augustinus dicit in libro de libero arbitrio quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo rectè viuere potest. Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanæ (vt infrà patebit) & ita sine eis homo rectè viuere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Lib. 2. c. 19. tom. 1.

quæst. 61.

Tract. 80. in Euange. loã. post medium, to. 9.

SED contra est, quòd Augustinus dicit super Ioannem. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

RESPONDEO dicendum, quòd sapientia diuina vnicuique rei prouidet secundum suum modum, & propter hoc dicitur Sapientiæ 8. quod suauiter disponit omnia. Vnde & Matthæi 25. dicitur, quòd dedit vnicuiq; secundum propriam virtutem. Est autem homini connaturale, vt per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Vnde cùm res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, vt per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in diuina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles: vt etiam Dionysius probat in 1. cap. Cæles. Hierarch.

Capi. 1. inter med. & finem.

AD primum ergo dicendum, quòd vnũquodque præcipuè denominatur & definitur secundum id quod conuenit ei primo & per se, non autem secundum id quod conuenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet, quod ducat in cognitionem alterius quasi primò & per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio à sensu oritur: effectus autem intelligibiles non habent, q̃ possint ducere in cognitionem alterius, nisi inquantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quòd primò & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur: sicut Augustinus dicit in 2. de doctrina Christiana, vbi dicit, quòd signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hanc etiã modum, quædam quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, inquantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infrà agetur.

Libro 2. de doctr. Christiana, circa princip. libr. tom. 3.

quæst. 60. art. 1. ad 2.

AD secundum dicendum, quòd res sensibiles, vt in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei, sed solùm secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

AD tertium dicendum, quòd August. ibi loquitur de rebus sensibilibus, secundũ quod sunt in sua natura, non autem secundũ quod assumuntur ad significãdum spiritualia, quæ sunt maxima bona.

Loco citato in arg. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

COMMENTARIVS.

Duplex sensus quæstionis.

DVobus modis potest res sensibilis accipi in quæstione hoc articulo proposita. Primò vt significet quamcunq; rem, quæ sensibus percipi potest: & hoc modo etiam verba sunt res sensibiles: & in hoc sensu tractata est à nobis hæc quæstio disputatione præcedenti sectione 3. & eundem videntur præseferre omnia argumenta, quæ Diuus Thomas obijcit, quorum solutiones faciles sunt. Et difficultas, quæ tãgitur in solutione ad primum, An sacramentum esse possit signum spirituale, in prædicto loco explicata est. Secundus sensus est, vt res sensibilis à verbis distinguatur, & significet rem aliquam permanentem corpoream, quæ sensibus percipi possit, qualis est aqua, oleum, & similes, quam Hugo paulò antea citatus nomine elementi significauit, & sumpsit ex August. tractatu 80. in Ioan. dicente. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, quæ verba retulit hic D. Thom. in argumento sed contra. Ex quo non obscurè constat hunc posteriorem sensum esse à D. Thom. intentum, quem magis ipse explicauit infrà artic. 6. vbi specialiter inquirit, An præter res requirantur verba: & ibi ad secundum declarat, nomine rei sensibilis, non tantùm intelligi rem ipsam permanentem, sed vel illam, vel vsum eius, qualis est ablutio, vnctio, &c. In hoc ergo sensu respondet, sacramentum debere constitui in aliqua re sensibili; quam assertionem egregiè probat ex naturali modo & accommodato homini, qui intelligibilia per sensibilia intelligit. Quæ quidem ratio in superioribus est ex Patribus confirmata, & explicata, & quia generalis est, in omni tempore & statu humanæ naturæ, quàdiu homo est in via, ideò assertio posita in omnibus sacramentis cuiuscunq; legis & status locum habet. Solùm posset dubitari, quia prædicta ratio solũ videtur procedere in priori sensu; quia humana cognitio, non solùm ex rebus, sed etiam ex verbis sensibilibus accipi potest. Respondetur verum esse, rationem D. Thomæ, non probare necessitatem simpliciter, sed congruitatem, quæ non solùm in hoc consistit, quòd humana cognitio incipit à sensu, vt obiectio sumit; sed in hoc etiam, quod intelligibilia commodè intelliguntur à nobis per analogiam & proportionem ad sensibilia, & quatenus in eis aliquo modo repræsentantur: hæc autem repræsentatio, nõ fit proprie per verba, sed per actiones aliquas, vel res sensibiles, in quibus sit quædam imago, vel vestigium potiùs intelligibile: quod rectè declarat D. Thom. exemplo sumpto ex vsu diuinæ Scripturæ, in qua res diuinæ, non solùm traduntur verbis, sed rebus etiam sensibilibus repræsentantur, vel in propheticis visionibus, vel in paraboljs, & metaphoricis locutionibus, vel certè in varijs figuris, quarum pars quædam in vsu sacramentorum consistit.

Hugo. August.

Sensus Diui Thomæ.

ARTICVLVS V.

Virùm requirantur determinatæ res ad sacramenta.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd non requirãtur determinatæ res ad sacramenta. Res enim sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, vt dictum est. Sed nihil prohibet diuersis rebus sensibilibus idem significari, sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphoricè significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliquid aliud huiusmodi. Ergo videtur, quòd diuersæ res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatæ res in sacramentis requiruntur.

Arti. 3. huius quæst.

¶ 2 Præterea, Magis est necessaria salus animæ, quàm salus corporis: Sed in medicinis corporalibus quæ ad salutem corporis ordinantur, potest vna res pro alia poni in eius defectu. Ergo multò magis in sacramentis, quę sunt medicinæ spirituales ad salutem animæ ordinatæ, poterit vna res assumi pro alia, quando illa defuerit.

¶ 3 Præterea, Non est cõueniens vt hominis salus arctetur per legem diuinam, & præcipuè per legem Christi, qui venit omnes saluare. Sed in statu legis naturæ non requirebantur in sacramentis aliquæ res determinatæ, sed ex voto assumebantur, vt patet Genes. 28. vbi Iacob vouit se Deo decimas & hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur, quòd nõ debuerit arctari homo, & præcipuè in noua lege, ad alicuius rei determinatæ vsum in sacramentis.

SED contra est, quòd Dominus dicit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

RESPONDEO dicendum, quòd in vsu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus diuinus, & sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum. secundum autem e conuerso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis nouæ legis, quibus homines sanctificantur (secundum illud 1. ad Corinth. 6. Abluti estis, sanctificati estis) oportet vti rebus ex diuina institutione determinatis.

AD primum ergo dicendum, q̃ etsi idem potest per diuersa signa significari, determinare tamẽ quo signo sit vtendũ ad significandum, pertinet ad significantem. Deus autem est qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramẽtis, & per verba similitudinaria in scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus sancti determinatũ est, quib⁹ similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiã debet esse diuina institutione determinatũ, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramẽto.

AD secundum dicendum, q̃ res sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem, & ideò non refert, si duæ earum eandem virtutem habeant, qua quis vtatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solũ ex institutione diuina, & ideò oportuit diuinitus determinari quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis vtendum.

AD tertium dicendũ, q̃ sicut Aug.* dicit 19. cõtra Faustum, diuersa sacramenta diuersis temporibus congruunt, sic etiam diuersis verbis significantur diuersa tempora, scilicet præsens, præteritum & futurũ. Et ideò sicut in statu legis naturæ, homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebãtur ad Deum colendũ, ita etiã ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultũ vterentur. Postmodum verò necesse fuit etiam exteriùs legem dari, tum propter obscurationẽ legis naturę ex peccatis hominũ, tum etiã ad expressiorẽ significationẽ gratiæ Christi, per quã humanũ genus sanctificatur. Et ideò etiam necesse fuit res determinari, quibus homines vterentur in sacramẽtis. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia res quarũ vsus est necessarius in sacramentis, vel communiter habẽtur, vel paruo studio adhibito haberi possunt.

Lib. 19. c. 16. & 17. tom. 6.

COMMENTARIVS.

1. Sensus quæstionis. Res in sacramento debet esse determinata, prout est instituta ad significãdum.

DVplex potest esse sensus huius quæstionis. Prior, vt hæc necessitas intelligatur cõsequẽs institutionem. Posterior, vt intelligatur antecedens. Priori modo quæstio est, an facta institutione sacramenti, necessaria sit res determinata, vt sacramentũ cõsistat, quo sensu facilis resolutio est, eo modo requiri res determinatas, quo per institutionẽ definitæ fuerint: habet enim sacramentũ totũ esse ab institutione, vt dictum est: quia est signum ad placitũ; vnde, sicut verba, vel scripturæ, vel alia similia signa ad placitum, habere debent eam figuram, vel compositionẽ, vel in vniuersum illum entis modũ, cui ex impositione adiuncta est significatio, ita sacramenta ex illis rebus necessariò cõficienda sunt, quæ per institutionem ad significandum sunt impositæ: atq; ita, si institutio facta sit de tali re secundũ speciem, illa erit necessaria ad sacramentum; si verò solùm sit facta determinatio secundùm genus, illa etiam sufficiet. Et in hoc sensu videtur tractari quæstio à D. Thom. nam illa verba, quibus ad quæstionem respondet: *In sacramentis oportet vti rebus, diuina institutione determinatis*, in prædicto sensu quæstionem definiunt, & loca scripturæ, quæ adducit, in eodem etiam loquuntur, & ratio, seu discursus eius in eodem sensu procedit, scilicet, quia ad Deum pertinet determinare res, per quas homines sanctificentur, quæ ratio (vt ipsemet D. Thom. vidit) solùm

A in sacramentis nouæ legis procedit, potest autem facilè ad omnia extendi, ex his quæ idem D. Thom. dicit in solut. ad 1. quia etiam ad Deum pertinet per res sensibiles effectum gratiæ significare, vt à nobis etiam supra dictum est. Posteriori modo quæstio est, vtrùm sacramentum ita institui debeat, vt res determinatæ præscribantur, ex quibus conficiatur sacramentum, & hoc etiam sensu videtur D. Thom. definire quæstionem, præsertim in solut. ad primum, in illis verbis. *Sicut iudicio Spiritus sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse diuina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento.* In quibus hanc etiam rationem indicat, quia, nimirùm per diuersa sacramenta diuersæ res significantur: ergo oportet etiam per res diuersas significari: ergo oportet ad singula sacramenta cõficienda determinatas res præscribi. Item, quia B sacramenta instituuntur, vt per quandam similitudinem, & proportionẽ nobis indicent spirituales effectus: sed nõ in omnibus rebus est similitudo, & proportio ad quoslibet effectus repræsentandos: ergo oportet res determinatas institui aptas, & accommodatas ad significationem intentam. Et hinc intelligitur etiam doctrina D. Tho. in solutione ad 2. & 3. nam in priori docet, duo sacramenta diuersa non habere virtutes, seu significationes eiusdem rationis; quod intelligendum est de proprijs & sacramentalibus effectibus; quia sicut in diuersis rebus instituũtur; ita ad diuersos effectus significandos imponuntur, cum quibus propriam similitudinem, & proportionem habent.

In solutione verò ad tertium docet, in diuersis legibus seu temporibus iuxta diuersos hominum status diuersò modo fuisse res determinatas ad constitutionem sacramentorum. Vnde colligitur, hanc determinationem non esse eiusdem rationis in omnibus, nec debere esse semper specificam aut genericã, proximam, vel remotam, sed posse interdùm fieri vno modo, interdùm alio iuxta diuinæ prouidẽtiæ, & sapientiæ rationem, de quo plura dicemus posteà de varijs sacramentorum generibus ac speciebus disputantes.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in significatione sacramentorum requirantur verba.

AD sextum sic proceditur. Videtur, q̃ in significatione sacramentorum non requirantur verba. Dicit enim August. contra Faustũ* lib. 19. Quid sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quasi quædam verba visibilia? Et sic videtur, quòd addere verba rebus sensibilibus in sacramentis, sit addere verba verbis. Sed hoc est superfluum. Non ergo requiruntur verba cum rebus sensibilibus in sacramentis.

4. d. 1. q. 1. a. 3. & d. 13. q. 1. ar. 2. q. 6. ad secundum. Et veri. qũ. 27. arti. 4. ad 10. Lib. 19. ca. 16. circa med. to. 6.

¶ 2 Præterea, Sacramentum est aliquid vnum. Ex his autem, quæ sunt diuersorum generum, non videtur posse aliquid vnum fieri. Cùm igitur res sensibiles & verba sint di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersorum generum (quia res sensibiles sunt à natura, verba autem à ratione) videtur, quòd in sacramentis non requirantur verba cũ rebus sensibilibus.

¶ 3 Præterea, Sacramẽta nouæ legis successerunt sacramentis veteris legis, quia illis ablatis ista sunt instituta, vt Augustin. dicit 19. contra Faustum.* Sed in sacramentis veteris legis non requirebatur aliqua forma verborum. Ergo nec in sacramentis nouæ legis.

Libr. 19. c. 16. & 17. in 10. 6.

SED contra est, quòd Apostolus dicit Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Et August. dicit super Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

Tract. 80. in Ioã. post med. 10. 9.

RESPONDEO dicendum, quòd sacramenta (sicut dictum est *) adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quædam signa. Tripliciter ergo considerari possunt, & quolibet modo congruit eis, quòd verba rebus sensibilibus adiũgãtur. Primò enim possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatũ, cui sacramentum quodammodo cõformatur, in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei vnitum. Secundò possunt considerari sacramenta ex parte hominis qui sanctificatur, qui cõponitur ex anima & corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Vnde August.* dicit super illud Ioan. 15. Iam vos mundi estis propter sermonem, &c. Vnde est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Tertiò possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem August.* in 2. de doctrina Christiana, quòd verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia verba diuersimodè formari possunt ad significandos diuersos conceptus mentis, & propter hoc per verba magis distinctè possumus exprimere quod mente concipimus. Et ideò ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, vt significatio rerum sensibilium, per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur: Ego te baptizo, manifestatur, quòd aqua vtimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

Tract. 80. in Ioan. post med. 10. 9.

Lib. 2. c. 3. circa medi. tom. 3.

Artic. 2. ad tertium.

A D primum ergo dicendum, quòd res visibiles sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, in quantum scilicet participant quandam vim significandi, quæ principaliter est in ipsis verbis, vt dictũ est. Et ideo non est superflua ingeminatio verborum, cùm in sacramẽtis, rebus visibilibus verba adduntur, quia vnum eorum determinatur per aliud, vt dictum est.

In corpore articuli.

In corpore articuli.

A D secundũ dicendũ, q̃ quãnis verba & aliæ res sensibiles sint in diuerso genere, quãtũ pertinet ad naturã rei, cõueniũt tamen in ratione significãdi, quæ perfectiùs est in verbis quã in alijs rebus. Et ideò ex verbis & rebus fit quodã modo vnũ in sacramẽtis, sicut ex forma & materia, inquãtũ scilicet, per verba perficitur significatio rerũ, vt dictũ est.*

Artic. 3. ad primum.

Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, putà ablutio, inunctio, & alia huiusmodi, quia in his est eadem ratio significandi & in rebus.

A D tertium dicendũ, q̃ (sicut Aug.† dicit cõtra Faustũ) alia debent esse sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ. Sacramẽta autẽ veteris legis prænũcia erant Christi venturi: & ideò non ita expresse significabant Christũ, sicut sacramenta nouæ legis, quæ ab ipso Christo effluunt, & quandam similitudinem ipsius in se habẽt: vt dictũ est.† Vtebantur tamẽ in veteri lege aliquibus verbis in his, quæ ad cultũ Dei pertinent, tam sacerdotes, qui erant sacramentorũ illorũ ministri (secundũ illud Num. 6. Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, &c.) quam etiã illi, qui illis sacramẽtis vtebantur: secundum illud Deuter. 26. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, &c.

Lib. 19. ca. 6. tom. 6.

In corpore articuli.

In corpore articuli.

COMMENTARIVS.

HIC articulus intelligendus est de sacramentis nouæ legis, & ita est clarus in vtroq; sensu articulo præcedenti explicato, & rationes & congruentiæ Diui Thomæ sunt optimæ, in quibus non explicatur necessitas ex institutione orta; hæc enim per se satis clara est, si de institutione constet. Reddit ergo rationem ipsius institutionis, tam ex parte instituentis, qui fuit Verbum incarnatum, quàm ex parte hominis, qui animo & corpore constat, quàm ex parte ipsius signi, vt esset expressius, magisque determinatũ ac certum. Atque ex eisdem rationibus colligit D. Thom. in solut. ad 3. quarè hæc proprietas & perfectio potiùs sacramentis nouæ legis attributa est, quàm veteribus, & omnia sunt in contextu D. Thom. satis clara.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm requirantur determinata verba in sacramentis.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd non requirãtur determinata verba in sacramentis. Vt enim Philosophus

Lib. 1. Peri her. parum à princ. tex. 1.

phus* dicit, voces non sunt eædem apud omnes. Sed salus, quæ per sacramenta quæritur, est eadem apud omnes. Ergo non requiruntur aliqua determinata verba in sacramentis.

Arti. præced.

¶ 2 Præterea, verba requiruntur in sacramentis inquantum sunt principaliter significatiua, sicut dictum est.* Sed contingit per diuersa verba idem significari. Ergo non requiruntur determinata verba in sacramẽtis.

¶ 3 Præterea. Corruptio cuiuslibet rei variat eius speciem. Sed quidã corruptè verba proferunt, nec tamẽ propter hoc creditur sacramentorum effectus impediri, alioquin illiterati & balbi, qui ista sacramenta conferunt, frequenter defectum in sacramentis inducerent. Ergo videtur, quòd non requirantur in sacramentis determinata verba.

SED contra est, quòd Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistię dicens Matth. 26. Hoc est corpus meum. Similiter etiam mandauit discipulis, vt sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Matth. vltim. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Art. præced. ad 2.

RESPONDEO dicendum, q̃ (sicut dictum est *) in sacramentis verba se habẽt per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia & forma, principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodãmodo finis & terminus materiæ, & ideò principaliùs requiritur ad esse rei, determinata forma, quã determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ. Cùm igitur in sacramẽtis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in sacramentis sicut materia, multò magis requiritur in eis determinata forma verborum.

Tract. 80. à med. 10. 9.

A D primũ ergo dicendũ, q̃ sicut Aug.* dicit super Ioan, verbum operatur in sacramentis, nõ quia dicitur, id est, non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, id est, secundum sensum verborũ, qui fide tenetur. Et hic quidẽ sensus est idem apud omnes, licèt nõ eædem voces sint quantũ ad sonum. Et ideo cuiuscunq; linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum.

A D secundum dicendum, q̃ licet in qualiber lingua contingat diuersis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, qua principalius & communius homines illius linguæ vtuntur ad hoc significãdum, & talis vox assumi debet in significatione sacramenti, Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti, cuius vsus est communior ad actum, per quem sacramenti effectus significatur, sicut aqua communiùs vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur, & ideo aqua assumitur vt materia in baptismo.

A D tertium dicendum, q̃ ille, qui corruptè profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, & ita nõ videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore vel lapsu linguæ, si sit tanta corruptio, quæ omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum. Et hoc præcipuè cõtingit, quando fit corruptio ex parte principij dictionis, putà, si loco eius quod est in nomine Patris, dicat, in nomine matris. Si verò non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelã, nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte finis, putà, si aliquis dicat in nomine patrias & filias. Quanuis enim huiusmodi verba corruptè prolata, nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus. Et ideo, licèt mutetur sonus sensibilis, remanet tamẽ idem sensus. Quod autem dictum est * de differentia corruptionis, circa principium vel finem dictionis, rationem habet, quia apud nos variatio dictionis ex parte principij mutat significationem, variatio autem ex parte finis dictionis, vt plurimum mutat consignificationem, quæ tamen apud Græcos variatur etiam secundum principium dictionis in declinationibus verborum. Magis tamen videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex vtraque parte potest esse tam parua, quod non aufert sensum verborũ, & tam magna, quod aufert, sed vnum horum faciliùs accidit ex parte principij, & aliud ex parte finis.

In illamet solutione.

COMMENTARIVS.

HIC articulus eodem modo exponẽdus est, quo articulum quintum declarauimus: nam eadem est vtriusque ratio, imo addit Diuus Thom. maiori quadam ratione requiri hanc determinationem in verbis, quàm in rebus, quia per verba determinantur res ad propriam sacramentalem significationem. In solutione verò ad primum explicat hanc determinationem, non debere materialiter intelligi, in sono vocis, sed in sensu & significatione, & in hunc modum exponit difficilia verba August. tract. 80. in Ioan. *Verbum operatur in sacramẽtis non quia dicitur, sed quia creditur*, id est, quia significat aliquid, quod fide creditur, sed hic locus August. latiùs est tractandus in sequentibus. In solutione verò ad 2. & 3. tradit D. Tho. quasdam regulas circa mutationem & corruptionem verborum sacramentalium, quæ in sequẽti disputatione latiùs sunt à nobis explicandæ.

August.

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis, in quibus conſiſtit forma ſacramentorum.

4.d.3.art.2.q̃.2.3. & 4.

AD octauum ſic proceditur. Videtur, ꝙ nihil liceat addere verbis, in quibus conſiſtit forma ſacramentorum. Non enĩ minoris ſunt neceſsitatis huiuſmodi verba ſacramentalia, quàm verba ſacræ Scripturæ. Sed verbis ſacrę Scripturæ nihil licet addere vel minuere, dicitur enim Deut. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Et Apocal. vltim. Conteſtor omni audienti verba prophetię libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet ſuper eum Deus plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit, auferet Deus partẽ eius de libro vitæ. Ergo videtur, ꝙ neque in formis ſacramentorũ liceat aliquid addere vel minuere.

Artic. præceden.

¶ 2 Præterea, Verba ſe habent in ſacramentis per modum formæ, vt dictũ eſt.* Sed in formis quælibet additio vel ſubtractio variat ſpeciem, ſicut & in numeris, vt dicitur 8. Metaphy.* Ergo videtur, quòd ſi aliquid addatur vel ſubtrahatur à forma ſacramenti, non erit idem ſacramentum.

Lib. 8. Metaph. tex. 8. tom. 3.

¶ 3 Præterea. Sicut ad formam ſacramẽti requiritur determinatus numerus dictionum, ita etiam requiritur determinatus ordo verborum, & etiam orationis continuitas. Si ergo additio vel ſubtractio non aufert ſacramenti veritatem, videtur, quòd pari ratione nec tranſpoſitio verborum, aut etiam interpolatio pronuntiationis.

SED contra eſt, quòd in formis ſacramentorum quædam apponuntur à quibuſdam, quæ ab alijs non apponuntur, ſicut Latini baptizant ſub hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Græci autẽ ſub iſta, Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris, &c. Et tamen vtriq; verum conferunt ſacramentum. Ergo in formis ſacramentorum licet aliquid addere vel minuere.

RESPONDEO dicendum, quòd circa omnes iſtas mutationes, quæ poſſunt in formis ſacramentorum cõtingere, duo videntur eſſe conſideranda. Vnum quidem ex parte eius qui profert verba, cuius intentio requiritur ad ſacramentum, vt infrà dicetur.* Et ideo ſi intẽdat per huiuſmodi additionẽ, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, nõ videtur perfici ſacramentum, quia non videtur, quòd intendat facere id quod facit Eccleſia. Aliud autem eſt conſiderandum ex parte ſignificationis verborum. Cùm enim verba operentur in ſacramẽtis, quantum ad ſenſum, quem faciunt (vt ſuprà dictum eſt *) oportet conſiderare vtrum per talem mutationẽ tollatur debitus ſenſus verborũ: quia ſic manifeſtum eſt, ꝙ tollitur veritas ſacramenti. Manifeſtũ eſt autem, ꝙ ſi diminuatur aliquid eorũ, quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum: & ideo non perficitur ſacramentũ. Vnde Didymus * dicit in lib. de Spiritu ſancto: Si quis ita baptizare conetur, vt vnum de * prædictis nominibus prætermittat (ſcilicet Patris & Filij & Spiritus ſancti) ſine perfectione baptizabit. Si autem ſubtrahatur aliquid quod non ſit de ſubſtantia formæ, talis diminutio non tollit debitum ſenſum verborũ, & per conſequens nec ſacramenti perfectionẽ. Sicut in forma Euchariſtiæ quæ eſt: Hoc eſt enim corpus meum, ly enim ſublatum, non tollit debitum ſenſum verborum. & ideò non impedit perfectionem ſacramenti: quamuis poſsit contingere, quod ille qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemptu. Circa additionẽ etiam contingit aliquid apponi, quod eſt corruptiuum debiti ſenſus: putà, ſi aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, ſicut Ariani baptizabãt: & ideò talis additio tollit veritatem ſacramenti. Si verò ſit talis additio, quæ non auferat debitũ ſenſum: non tollitur ſacramenti veritas. Nec refert vtrũ talis additio fiat in principio, medio vel in fine: vt ſi aliquis dicat. Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus ſancti paracleti, erit verum baptiſma. Et ſimiliter ſi quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & beata Virgo te adiuuet, erit verum baptiſma. Fortè autem ſi diceret: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & beatæ Virginis Mariæ, non eſſet baptiſmus: quia dicitur 1. ad Corinth. 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? Aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Sed hoc verum eſt, ſi ſic intelligatur in nomine beatæ Virginis baptizari, ſicut in nomine Trinitatis, quo baptiſmus conſecratur: talis enim ſenſus eſſet contrarius veræ fidei, & per conſequens tolleret veritatem ſacramenti. Si verò ſic intelligatur quod additur (& in nomine beatæ Virginis) non quaſi nomen beatæ Virginis aliquid operetur in baptiſmo, ſed vt eius interceſsio proſit baptizato, ad conſeruandam gratiam baptiſmalẽ, non tollitur perfectio ſacramenti.

Quæſt. 64. artic. 8.

Arti. præced. ad 1. & ad tertium.

Libro. 2. de Spiritu ſancto, paulò à principio. Habetur hic liber in fine operum S. Hierony.

AD primum ergo dicendum, quòd ad verba ſacræ Scripturæ non licet aliquid apponere, quantum ad ſenſum, ſed quantum ad expoſitionem ſacræ Scripturæ, multa eis verba à doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba ſacræ Scripturæ apponere, ita quod dicantur eſſe de integritate ſacræ Scripturæ, quia hoc eſſet vitium falſitatis. Et ſimiliter ſi quis diceret aliquid eſſe de neceſsitate formæ, quod non eſt.

AD ſecundum dicendum, quòd verba pertinent ad formam ſacramenti ratione ſenſus ſignificati. Et ideò quæcunque fiat additio vel ſubtractio verborum, quæ non addat aliquid aut ſubtrahat debito ſenſui, non tollitur ſpecies ſacramenti.

AD tertium dicendum, quod ſi ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur ſenſus ſacramenti, & per conſequens veritas eius: non autem tollitur, quando eſt parua interruptio, quæ intentionem proferẽtis & intellectum verborum non aufert. Et idem eſt etiam dicendum de tranſpoſitione verborum, quia ſi tollit ſenſum locutionis, non perficitur ſacramentum, ſicut patet de negatione præpoſita, vel poſtpoſita ſigno. Si autem ſit talis tranſpoſitio, quæ ſenſum locutiònis non variet, non tollitur veritas ſacramenti: quia, ſecundum quod Philoſophus * dicit, nomina & verba tranſpoſita idem ſignificant.

Lib. 2. Periher. c. 1. parum ante finem to. 1.

LItera D. Thom. ſatis eſt perſpicua, de re autem dicemus diſputatione ſequenti. Solùm eſt aduertendum, in hac additione vel quacunque mutatione facta in verbis ſacramentalibus, duo poſſe conſiderari: Primum quando ſit, vel non ſit contra ſubſtantiam ſacramenti: Secundum, quando licitè vel illicitè fiat; & vtrumque promiſcuè attigit D. Thom. hoc artic. tamen, quia nobis in animo eſt, totam materiam moralem, ſeparatim, & diſtinctè tradere, ideò hic ſolùm agemus de his, quæ ſpectant ad ſubſtantiam ſacramentorum; de his verò, quæ ad mores pertinent, infrà in diſputatione practica ſeu morali.

DISPVTATIO II.

De materia & forma ſacramentorum.

IN præcedenti diſputatione metaphyſica ratione tractauimus de eſſentia ſacramenti, per genus & differentiam eius: in hac ampliùs eſt eadem eſſentia explicanda more phyſico, ſcilicet per materiam & formam, quæ doctrina propriè ſolùm habet locum in ſacramentis nouæ legis. Si quid autem ad cætera ſacramenta accommodari poterit, obiter etiam explicabimus.

SECTIO I.

Vtrùm oporteat, ſacramẽta cõſtare rebus & verbis tanquam materia, & forma.

PRincipio dicendum eſt, hanc compoſitionem non eſſe de ratione ſacramẽti vt ſic. Probatur, quia non fuit inuenta in ſacramentis veteribus quæ ſuprà oſtendimus fuiſſe propriè & vniuocè ſacramenta: quod præſertim de circuncisione nemò negare poteſt, atq; idem eſt de ſacramento in lege naturæ inſtituto in remedium paruulorum. Conſtat autem ex Geneſ. 17. circũciſionis ritum in ſola actione inſtitutum fuiſſe ſine mentione alicuius verbi. Idem legimus de agno paſchali Exod. 12. & de ordinatione ſacerdotis Leuit. 8. & licèt in ſacrificio pro peccato dicatur, Leui. 4. *Et orabit pro eo ſacerdos*: tamẽ, neq; conſtat, illud fuiſſe ſacramentũ, neq; orationẽ illam fuiſſe ſub certa verborũ forma proferendam, ſed ſolùm debuiſſe ſacerdotẽ ſuo arbitrio orare, vt offerenti peccata remitterentur, vnde in principio eiuſdem capitis, vbi fit mẽtio expiationis peccatorum, nihil de aliquibus verbis proferendis dicitur: &, ſi aliqua verba interdùm dicebantur, vel à ſacerdotibus, vel ab ipſis fidelibus, quibus ſacramenta dabantur, illa non erant de ſubſtantia ſacramẽti, ſed ad diuinum cultum, vel commemorationem beneficiorum Dei pertinebant, vt D. Tho. hic, art. 6. ad 3. notauit. Ratio verò eſt, quam eodem loco ipſe indicauit, videlicet ſtatum veteris legis fuiſſe imperfectum, in quo fides, & obſcurior, & magis implicita erat, & ideò, non oportuit ſacramenta illius temporis habere tam expreſſam ſignificationem, ſicut nũc habent, atque adeò neceſſe non fuit, vt exterioribus rebus, ſeu cæremonijs, verba adiungerentur, quæ ad expreſsiùs ſignificandum adhiberi ſolent. Generaliùs autem poſſumus rationem hanc explicare, ſcilicet, quia de ratione ſacramenti vt ſic ſolùm eſt, vt ſit exterior cæremonia ſacra cum debita ſanctificatione, & ſignificatione; hæc autem omnia poſſunt conſiſtere abſque illa compoſitione ex rebus & verbis, ſeu materia & forma.

Verba non erant de ratione ſacramentorũ veterum.

D. Thom.

Dico ſecundò. Sacramenta nouæ legis omnia conſtant rebus, & verbis, vel omnino propriè, vel ſecundùm aliquam proportionem. Ita eſt explicanda ſententia D. Thom. hic, quæ communis eſt doctorum in 4. d. 1. & Aleſ. 4. part. q. 1. memb. 4. & q. 8. mẽb. 3. art. 1. 2. & 3. Et explicatur primò inductiõe facta ex ſcripturis, nã de baptiſmo dicitur Matth. vltim. *Baptizãtes eos*, ecce rem, *in nomine Patris, &c.* ecce verba, quæ Paul. diſtinctè explicuit ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Vbi, licèt Hierony. per verbũ vitæ intelligat verbũ doctrinæ, ſenſus tamẽ eſt tropologicus, vt ipſe fatetur; nam ad literã ſermo eſt de verbo cõſecratorio ſacramẽti, vt Chryſoſt. Homil. 20. Theodor. & alij Græci, Ambroſ. Anſelm. D. Thom. & Latini exponunt. Præterea, in inſtitutione Euchariſtiæ legimus accepiſſe Chriſtum res aliquas, ſcilicet, *panem & vinum*, & dixiſſe verbũ, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei.* Item de Extrema vnctione Iacobi 5. *Vngentes eos oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum.* De cæteris verò, quamuis non ſint tam apertæ ſcripturæ, tamen ex traditione Eccleſiæ cõſtat, vt Concil. Florẽ. tandem explicuit. Ratio à priori poſita eſt in voluntate Chriſti ſic inſtituentis, congruentiæ verò, quas D. Tho. attulit, optimæ ſunt, ex quibus tertia maximè videtur literalis, quæ in hunc modum poteſt explicari; nam res externæ ſeu actiones ſenſibiles ſunt valde accommodatæ ad exteriorem cultum diuinũ; & ideò in omnibus ſacramentis tam veteribus, quã nouis adhibitæ ſunt; verba autem conferunt, vt ſignificatio ſit certior, & expreſsior, qualis eſſe debet in lege gratiæ propter huius ſtatus perfectionem: & ideò conueniens fuit, ſacramenta huius legis ex rebus

Sacramenta nouæ legis conſtant rebus & verbis.

Matth. vlt.

Epheſ. 5.

Hieronym.

Chryſoſt. Theodor. Ambroſ. Anſelm. D. Thom. Iacobi 5.

Concil. Florent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus & verbis componi. Vel alia ratione potest hoc explicari ex alio fine sacramẽtorum, qui est, per sensibilia manuducere hominem ad intelligibilia cognoscenda, duo enim sunt sensus, qui intellectui maximè deseruiunt, visus scilicet, & auditus, quibus duo modi ac quirendi scientiam accommodãtur, scilicet, per inuentionem, & disciplinam, & ideo ad spiritualia intelligenda multum homini confert, repræsentatio aliqua sensibilis visui obiecta, quæ fit rebus seu actione aliqua, vel vsu alicuius rei sensibilis: si autem huic repræsentationi adiũgatur verba, pertingitur doctrina, & repræsentatio, & iuuatur homo, vt partim quasi per inuentionem, & collationẽ rei, quam videt, cum ea, quam non videt, partim per disciplinam, quam verbis accipit, perfectiùs spiritualia concipiat, & intelligat. Cur autem in assertione addiderim, has res, & verba, vel propriè, vel secundùm accommodationem inueniri in omnibus sacramentis, statim in responsione ad primam obiectionem explicabimus. B

Res & verba instar materiæ & formæ concurrunt.

Dico tertio, hanc compositionem sacramentorum ex rebus & verbis optimè accommodatam esse compositioni ex materia & forma. Hæc assertio satis probatur communi consensu Theologorum omnium, cui Florent. Concil. maximâ autoritatẽ adhibuit; nam ex rebus & verbis vnum sacramentũ componitur, & non omnino per accidens, seu per aggregationem: ergo optimè intelligitur, vnum concurrere per modum materiæ & potentiæ, & alterum per modum actus & formæ. Quòd verò res, & verba hoc modo concurrant, rectè explicatur à D. Tho. quia sola res, vel actio exterior de se est valde indifferens & imperfecta ad significandum; & ideò censetur concurrere per modum materiæ, vnde ab Aug. & Hug. (vt suprà vidimus) vocatur elemẽtum, verba autem censentur habere rationem formæ, quia determinant significationem, & quasi constituunt, ac complent sacramenta, iuxta illud Aug. tracta. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementũ, & fit sacramentũ.* C

August. Hugo.

Verba verũ significationem cõplẽt.

Dubium.

Sed occurrit difficultas circa has duas assertiones, de sacramentis Confessionis, & Matrimonij: nam illud perficitur solis verbis, quia tam confessio, quàm absolutio verbis tantùm fit: hoc verò interdum fit solis verbis, quibus vtriusq; coniugis consensus explicatur, interdum sine vllis verbis, nutibus videlicet, aut alijs signis. Ad hanc difficultatem quidam hæretici negarunt, hæc duo esse sacramenta: existimabant enim materiam sacramenti debere esse rem ita materialem, vt & contrectari manibus, & oculis percipi possit, quod ex suo cerebrò sine autoritate vel ratione confingunt: quòd autem illa sint propria, & verissima sacramenta, suo loco ostendemus. D

Durand.

Aliter opinatus est Duran. in 4. dist. 1. quæst. 3. qui hoc argumento coactus, negat assertionem secundã esse vniuersalem, aut veritatẽ habere in his duobus sacramẽtis, & quod ad Matrimonium attinet, idem opinatur Adrianus quæst. 2. de baptismo ad finem. Sed immeritò deserunt communem sentẽtiam, cùm commodè possit explicari, & accommodari, & res hæc magis in modo loquendi, quàm in re aliqua cõsistat. Igitur in sacramento confessionis certum est, requiri verba ex parte formæ in omni rigore, & proprietate, vt ex Concil. Florenr. colligitur, & in sequenti tomo latiùs ostendemus. Rursus concurrunt in hoc sacramento actus pœnitentis, quasi materia, vt Concil. Florent. & Trident. dixerunt, & hoc modo cum verbis concurrit res aliqua, quia nomine rei non intelligitur tantũ substantia sensibilis, sed quælibet actio sensibilis, quæ verbis supponatur, vt Diuus Tho. dixit. Atque hoc modo, actus satisfactionis, & contritionis, sunt materia huius sacramẽti, & ipsa etiam confessio, licèt verbis fieri possit, est materia, quia respectu absolutionis, est quid imperfectũ, inchoatum, & informe. In omni enim iudicio accusatio est inchoatio quædam iudicij, sententia verò iudicis est, quæ iudicium perficit. Sacramentum autem confessionis perficitur per modum cuiusdam iudicij, in quo confessio peccatorum concurrit, vt accusatio rei; absolutio verò sacerdotis, vt sententia iudicis; & ita, quod ad rem spectat, hoc sacramentũ est sacra quædam cæremonia, quæ constat partim ex actibus pœnitentis, tãquam materia, in quibus quasi accidentarium est, quòd verba misceantur; per se verò est quòd dolorosam accusationem, & satisfactionem contineant, partim ex verbis sacerdotis sententiam proferentis. De matrimonio multa dicit Soto hoc loco, quæ prætermitto, quia sunt alterius considerationis. Illud solùm aduerto, eum quidem satis impugnare aliorum sententias, non tamen exactè exponere quomodo in hoc sacramento reperiantur res, & verba, seu materia, & forma: dicit enim, consensus expressos vtriusq; coniugis sibi inuicem esse materiam, & formam, non tamen declarat, qua ratione id fiat. Breuiter ergo dicendum est, externam cæremoniam huius sacramenti esse contractum, qui inter coniuges perficitur; in omni autem huiusmodi contractu duo interueniunt, scilicet traditio, & acceptatio illius rei, de qua est contractus, vt in præsenti est mutua traditio & acceptatio corporũ; hæc autem duo, scilicet, traditio, & acceptatio ita in contractu concurrunt, vt traditio supponatur acceptationi, & in illa inchoetur, per hanc verò consummetur contractus, atque hinc fit, vt consensus vtriusq; coniugis siue verbis, siue nutibus exprimatur, quatenùs mutuam traditionem continent, habeant rationem materiæ, quatenus verò efficiunt mutuam acceptationem habeant rationem formæ, atque hoc modo facilè explicatur in hoc sacramento tertia assertio posita. Quòd verò ad secundam attinet, peculiare est huic sacramento, vt neq; in materia, neq; in forma requirat verba in omni rigore, & proprietate sumpta, quia Christus Dominus nihil aliud voluit ad hoc sacramentum, vt sensibile signum exigere, quàm quod ad perficiendum humanum contractũ esset necessarium: ad hoc autem quælibet signa sufficiunt, quibus cõsensus contrahentium exprimitur, etiam si non sint verba propriè. Tamen quia verba determinant, & perficiunt significationem, ideò illa signa, quibus exprimitur acceptatio mutua vtriusq; coniugis, dicuntur verba; vel propriè, vel proportione quadam, quia illis perficitur significatio: & eadem ratione mutua traditio, quãuis verbis fiat, quia est quid informe, & quia tendit ad hunc effectum realem, seu moralem, qui est translatio dominij corporis vtriusq; coniugis, ideò dicitur habere rationẽ materiæ seu rei, ex qua conficitur sacramentũ. Atq; ita cõstat, cur in secunda assertione dixerim, in omnibus sacramentis inueniri res, & verba, vel propriè, vel proportione quadam. D

Soto.

Secundò est difficultas præcipuè circa tertiam assertionem, nam in sacramentis propria forma est significatio: nam in omni signo materia est res ad significandum imposita, forma verò signum constituens est significatio, ergo præter hanc nulla alia est forma

Obiectio.

forma sacramenti, sed potiùs quidquid significat, siue sit res, siue verbum, est materia sacramenti. A

Respõsio 1.

Respondetur, hæc duo non pugnare inter se, quòd significatio sit vltima forma totius sacramenti, quæ adæquatè inest toti composito ex rebus & verbis; & quòd in eo composito, vna pars ad alteram comparetur, sicut forma ad materiam, quod significauit hic Caieta. artic. 6. & exemplis rerum artificialium potest facilè explicari: domus enim vnum quid est, cuius vltima forma est totius domus figura; hæc autem forma inest composito ex multis materialibus partibus ita inter se dispositis ac ordinatis, vt vna respectu alterius sit veluti forma & materia, nam fundamentum, quod supponitur, est quid imperfectũ, & quasi materia, tectum verò quasi forma. Ratio autem est, quia compositio materiæ & formæ non tribuitur his rebus propriè, sed secundum quandã habitudinem & accommodationem, & ideo iuxta varios respectus, & habitudines potest eadem res recipere has denominatiões respectu diuersorũ. Deinde dici potest, materiam & formam sacramentorũ habere suas partiales significationes, ratione quarũ ad vnum integrum signum seu sacramentum componendum conueniunt. Quo fit, vt, licèt tota significatio sit veluti forma totius, tamen comparando significationẽ elementi ad significationem verbi, illa fit, quasi materia, hæc verò, vt forma, quia, vt suprà dicebam, significatio elementi est magis indeterminata & imperfecta, determinatur autem, atq; perficitur per significationem formæ. Quod etiam explicari potest adducto exẽplo ex rebus artificialibus, nam partes componentes domum per suas partiales figuras concurrunt ad totam figuram domus cõponendam, & vna ad alteram, tanquam materia ad formam comparatur. Neq; obstat, quòd Caiet. hic has partiales significationes, in rebus, ac verbis sacramẽtorum negare visus est, quia nulla ratione id persuadet, nec video, cur negandum sit tam ablutionem quàm verba, *Ego te baptizo*, significare effectum baptismi, scilicet ablutionem animæ, & eadẽ ratio est de cæteris sacramentis, nam verba Eucharistiæ significant præsentiam Christi, species verò animæ nutritionem, & vnionẽ fidelium inter se, & cũ Christo, & sic de cæteris. Neq; partialis hæc significatio impedit significationẽ totius, sed potiùs vtraq; cõcurrit ad cõponendam illam, imò (si propriè loquamur) non habent hæ partes essentiales propriã significationem sacramentalẽ, nisi in ordine ad totum, quod cõponunt: quo sensu dici potest sacramentalis significatio composita, quodammodo indiuisibilis: quia si sacramentum non sit essentialiter perfectum, omnino perit sacramentalis significatio in toto & in partibus; hoc autem non obstat quominùs partes ipsa in toto suas habeant significationes partiales, vt videtur esse aperta sententia D. Tho. hic art. 6. B

Respõsio 2.

Caietanus. C

D. Thom. D

SECTIO II.

Vtrùm materia & forma sacramẽtorum sint partes componentes & constituentes sacramentum.

Opinio 1.

Quæstionem hanc sic in genere propositã pauci ex theologis attigerunt, agentes verò de singulis sacramentis nonnulla indicant, quæ videri possunt generali doctrinæ traditæ esse cõtraria, & ideò necessaria hoc loco visa est. Sit ergo prima opinio quæ in vniuersum negat, formam sacramenti esse partem sacramenti, ita sentit tractans de baptismo, Soto dist. 3. art. 1. vbi consequenter dicit, baptismũ supponere pro ablutione, imò totã significationem baptismi in ablutione positam esse, atque idem docet agens de sacramento pœnitentiæ, dist. 14. art. 1. atq; eadem est ratio de cæteris sacramentis quæ in vsu consistunt, & de Eucharistia est multò maior, quia materia eius est permanens, vnde distin. 8. artic. 1. de illo sacramento tractans dicit, formam tantùm esse quoddam sacramentale. Fundamẽtum eius præcipuum est, quia in artificialibus materia est tota substantia rei, & pro ea supponunt nomina huiusmodi res significantia. Omitto coniecturas alias, ex quibusdam nominibus sacramentorum desumptas, quia nullam vim habent, & manifestã continent æquiuocationem, vt statim dicam. A

Soto.

Secunda sententia est, materiam & formam sacramentorum nõ semper esse partes sacramenti, sed interdùm esse, interdùm non esse, iuxta varias rationes, & significationes sacramentorum. Sacramentũ enim illud est, in quo inest significatio sacramentalis: hæc autem interdùm est in toto cõposito ex materia & forma, vt in Baptismo, Confirmatione, Extrema vnctione, in quibus materia & forma sunt partes componentes sacramentũ. Interdùm verò significatio est in sola forma, vt in absolutione sacerdotis, & tunc illa est totum sacramẽtum, materia verò solùm concurrit, vt quid prærequisitum, è contrario autem aliquãdo est significatio tota in materia, forma verò solùm se habet, vt efficiens respectu materiæ, & tunc non est pars sacramenti, sed sola materia est totum sacramentum, vt in Eucharistia videre licet: tota hæc sententia sumpta est ex Scoto in 4. d. 3. quæst. 1. dist. 8. quæst. 1. & 2. dist. 14. quæst. 4. Fundamentum esse potest, quia sacramentũ est id, quod est impositum ad significandum, non semper autem imponitur cõpositum totum ad significandum, sed interdùm tota significatio est in altera parte, vt in exemplis demonstratũ est. Confirmatur, quia Concil. Florent. solùm dixit sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquã forma, & persona ministri conficientis sacramentum debita intentione, quorum si aliquid desit, non fit sacramẽtum, ex quibus solùm habetur; hæc tria esse necessaria, non verò quòd materia & forma sint partes, quemadmodum nec minister pars est sacramenti.

Scotus.

Concil. Florent.

Dico tamen primò. Omnia sacramenta, quæ consistunt in vsu cõstant rebus & verbis, seu materia & forma, tanquam ex partibus, quibus componuntur; hæc est sententia D. Thom. hic art. 6. ad 2. & art. 7. vbi dicit sacramentum esse vnum ex materia & forma compositum, quomodo loquitur etiam infrà. q. 86. art. 6. & eadem locutione vtuntur communiter Theologi in 4. dist. 1. Alens. 4. part. q. 8. membr. 3. art. 1. ad 2. Marsil. in 4. q. 1. art. 1. & Soto his articulis sæpe vtitur eadem locutione, non tamen satis cõstanter vt mihi quidem videtur. Quia si sacramentũ est vnum compositum ex materia & forma, quomodo negari potest illas esse partes? Fauent etiam huic conclusioni illa verba Aug. sæpè citata, *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Doctrina etiam Concil. Florent. nõ parùm fauet huic assertioni, quia ipsa nomina materiæ & formæ, sunt nomina partiũ componentium vnum totum: ergo, cùm Cõcilium dicat, res & verba cõcurrere vt materiam & formã,

Vera sententia.

Augustin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& de persona ministri id nō affirmet, satis significat, illa concurrere per modum partium, ministrum verò extrinsecè per modum causæ efficientis. Hinc sumitur prima ratio sumpta ex analogia materiæ, & formæ, quæ ad hoc inuenta est in sacramentis, eisq; accommodata, vt indicaretur quid sit de substantia sacramenti, quia per has voces significantur partes essentiales vel substantiales rei; ergo ex ipsis nominibus satis colligitur, res & verba, quæ dicuntur materia & forma sacramenti, esse partes sacramenti. Secunda. Quia in his sacramentis, nec sola materia, nec sola forma significat, sed vtraq; ergo ex vtraq; componitur sacramentum. Antecedēs patet inductione, nam in Baptismo, & in omnibus similibus Scotus id admittit, contra Sotum verò probatur, quia ablutio significationem sacramentalem habet, vt ipse concedit, verba autem non solùm significant, verùm etiā expressiùs & perfectiùs significant, quàm ablutio, nam ad hoc addita sunt, vt determinent & perficiāt significationem, vt D. Tho. hic expressè docuit, & ex natura & modo significandi ipsorum verborum satis constare potest. Item in Pœnitentia per formā significatur remissio peccatorum, quæ est significatio sacramentalis. Idem apertè constat de forma Extremæ vnctionis, *Dimittat tibi Deus, &c.* & de forma Confirmationis præsertim in illis verbis, *Et confirmo te Chrismate salutis*: & de forma Ordinis. *Accipe potestatem, &c.* de forma etiam Eucharistiæ per se notum est significare sacramentalem effectum in Matrimonio. Item, nō est vlla ratio cur traditio potiùs, quàm acceptatio significent coniunctionem Christi cum Ecclesia, seu spirituale vinculum charitatis, quando quidem matrimonij vinculum non magis traditione, quàm acceptatione perficitur. Cur ergo in solo baptismo negantur verba formæ, *Ego te baptizo*, significare sacramētaliter internam animi ablutionē: id certè, nec ratione vlla probabili, neque alicuius theologi autoritate nititur. Atq; similis ratio fieri potest contra Scotum de materia sacramenti pœnitentiæ, nam in omnibus alijs sacramētis materia habet significationem sacramentalē, vt patet de ablutione, vnctione chrismatis, vel olei, traditione calicis, aut libri, &c. traditionis mutuæ corporis in matrimonio: cur ergo id negabitur in confessione, quæ non minorem proportionem habet ad significandā expulsionem peccati ab anima, quam cæteræ materiæ ad explicandos suos effectus, nec minus est de substantia talis sacramenti ex Christi Domini institutione? ergo non minus habet significationem sacramentalem, quàm reliquæ materiæ. Confirmatur tota hæc ratio, quia sacramenta efficiunt quod signi ficant, sed non solùm efficiunt per formam, sed etiā per materiam, de aqua enim baptismi ait Aug. *Corpus tangit, & cor abluit*: & eadem est ratio de cæteris, & specialiter de sacramento pœnitentiæ, & generaliter de omnibus id docet D. Tho. infrà quæst. 86. art. 6. vbi latiùs tractandum est. Neque è contrario efficiunt per solam materiam, sed etiam per formā: nam de baptismo ait Aug. aquam habere vim abluē di animam ratione adiuncti verbi, multò ergo magis ipsum verbum habebit hanc vim: quæ ratio eodem modo procedit in Confirmatione & Extrema vnctione, de Eucharistia verò & absolutione pœnitentiæ nemo dubitat, neque etiam est vlla ratio dubitandi de forma Ordinis, quæ magis profertur per modum traditionis, seu imperij, & in Matrimonio est res clara propter rationem suprà factam: ergo sicut omnes materiæ horum sacramentorum habent efficientiam sacramentalem, ita etiam significationem: ergo componūt intrinsecè sacramenta, tanquā partes substantiales eorum. Vnde adiungi potest tertia ratio contra Scotum, retorquendo argumentum eius, nam in re arte facta omnia illa, quæ componūt totum, in quo inest forma & figura artificij, sunt partes componētes ipsum artificium, vt in exemplo domus suprà posito, tectum, fundamentum, & reliqua, sunt partes componentes domum, quia ex omnibus consurgit vna figura domus; quāuis vna pars respectu alterius dicatur habere rationem formę, vel materiæ: ergo similiter in sacramento res & verba, quæ inter se comparantur vt materia & forma, erūt partes intrinsecè componentes ipsum sacramentum: quia ex illis componitur integrum signum sensibile, in quo est tota significatio sacramenti, vnde illæ duæ partes, licèt inter se comparentur vt materia & forma: tamen in ordine ad significationem materialiter se habent, vt suprà dictum est. Vnde infero, falsum esse quod Soto ait, sacramētum supponere pro sola materia, verbi gratia, Baptismum pro ablutione, malèque applicare regulam dialecticam, artificialia nomina supponere pro re materiali vt subest tali figuræ vel formæ; quia sicut in re arte facta supponunt pro tota materia, quæ subest formæ totius, & non pro vna parte materiæ vt substat alteri: domus enim non supponit pro fundamento vt subest parieti, vel tecto, sed pro his omnibus, vt ex eis resultat vna figura; ita signum ad placitum supponit pro tota & adæquata materia significationis, quæ imposita est ad significādum, & non pro aliqua parte eius, quæ ad alteram vt materia ad formam comparatur; quia in huiusmodi signo veluti vltima forma est significatio, & reliquæ omnia sunt veluti substantia, seu suppositum talis formæ: sic igitur sacramentū, quod in vsu consistit (de hoc enim agimus) nō supponit pro sola materia, aut pro sola forma, sed pro composito ex vtraque, quod est quasi subiectū adæquatum talis significationis. Neque obstat argumentum, quod Soto sumit ex nominibus sacramentorum, quia scilicet Baptismus solùm significat ablutionem, & Chrisma, vnctionem, & sic de alijs: non enim in his nominibus attendendum est vnde sumpta sunt, sed ad quid significandum imposita sunt. Interdùm verò sumuntur à materia proxima, vt vnctio; interdùm verò à materia remota vt chrisma, interdum à ritu aliquo, vt manus impositio, interdùm à forma: aliquando enim sacramentum pœnitentiæ vocari solet absolutio; tamen simpliciter imponuntur ad significandum totum sacramētum, & hoc modo non significant solam materiam, sed totum compositum, pro quo etiam supponunt.

Sed supereſt difficultas, quia, si hęc materia & forma sunt partes sacramenti, ergo debent simul esse, & vniri vt vnum sacramentum componant; hæc enim sunt de ratione materiæ & formæ, quæ sunt partes vnius compositi: sed neutrum horum reperitur in hac materia & forma: nam, cùm sint res successiuæ, sæpe fit, vt quando fit forma iam nō sit materia, & è conuerso: qui enim heri cōfessus est, hodie aliquando absoluitur; & sic de cæteris: nulla etiam vnio inter has partes fit, nam & sunt res diuersarum rationum, quæ nullam realem vnionem admittunt & sæpè distant, & tempore & loco. Respondetur, cum ratio materiæ & formæ non omnino propriè, sed secundùm quandam accomodationem his partibus

Nec sola materia, nec sola forma sacramenti significat.

Sacramenta non solū per formam sed etiā per materiam efficiunt.
August.
D. Thom.

Sacramentū nō supponit pro materia solum.

Dubium.

bus sacramenti tribuatur, non oportere, vt conditiones materiæ & formæ cum omni proprietate, & rigore eis conueniant, necessarium tamen esse, vt secundùm aliquam analogiam vel proportionem illas participent. Oportet ergo, vt aliquo modo sint simul, & vt aliquo modo coniungantur, vt argumentum factum probat: quia, nisi aliquo modo coniungerentur, non facerent aliquo modo vnū, propter quod dixit August. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*: nam verbum illud *accedendi*, coniunctionem aliquam significat: si autem non essent simul, non possent coniungi, & ideò ipsæ formæ sacramentorum sæpe requirunt hanc coniunctionem vel propinquitatem, nam cùm minister dicit, *Ego te baptizo*, illa verba requirunt, vt actio baptizandi tunc simul fiat, nam, si antea facta esset, nō satis esset ad veritatem formæ indicantis materiam de præsenti. Cō firmatur primò, quia materia sacramenti, vt dictum est, determinatur per formam: ergo necesse est, vt cum illa coniungatur, & aliquo modo simul cùm illa sit, nam si essent omnino disiunctæ, & quasi dispa ratæ, non posset vna in alteram cadere, & eā determinare. Tandem in ipsamet forma sacramenti, quæ pluribus dictionibus seu partibus constat, & in vniuersum in omni oratione necesse est, vt partes eius vel simul, vel cum debita propinquitate & coniunctione proferantur: aliàs neque vnam orationem, neque vnum signum componerent, ergo similiter in toto sacramento, vt materia & forma componant vnum signum vnam integram significationem habens, necesse est, vt simultatem aliquam, & coniunctionem habeant. Quæ simultas, & coniunctio exē plo declarari potest: nam sicut oratio est quædam res successiua, cuius partes per debitam quandā propinquitatem, & certum ordinem coniunguntur, ne que aliud genus vnionis inter illas exquirere oportet, ita sacramentum de quo agimus, est res, quæ successiuè perficitur, inter cuius partes tantùm est necessaria debita propinquitas & subordinatio, vt per modum materiæ & formæ vnum sacramentum componant.

Augusſ.

Inter materiam & formam sacramentalem quæ propinquitas requiratur.

Sed quæres, quanta debeat esse hęc propinquitas. Quidam dicūt, necessarium esse, vt antequàm finiatur tota materialis actio, verbi gratia, ablutio, perficiatur tota forma. Ita sentit glos. in cap. detrahet. 1. quæst. 1. Sed est falsa, & improbabilis sententia; nā in primis id affirmat sine vllo fundamento, quia neque ad veritatem formæ vel materiæ id necessariū est, neque ad compositionem totius: quia in rebus artificialibus; præsertim successiuis non est necessaria tam scrupulosa propinquitas, seu coniūctio. Itē, cur magis necessarium est, vt forma ante materiam, quàm materia ante formam perficiatur? nulla certè assignari potest ratio, requirere autem, vt ambæ finiantur in eodem instanti, est præter humanam facultatem, vnde est reuocare in dubium omnium sacramentorum veritatem. Dicetur fortasse, esse necessarium ad veritatem formæ de præsenti, quòd cū ipsa absoluitur adhuc exerceatur actio, quæ est materia sacramenti, vt verbi gratia, ablutio, quia eam indicat forma tanquam præsentem. Sed in primis hæc ratio ad summum habet locum in vno vel altero sacramento. Deinde etiam in illis sacramentis, in quibus forma ita indicat actionem materialem, non requiritur ad veritatem formæ tam physica & indi uisibilis præsentia seu concomitantia: quia per illa verba in communi modo loquendi solum significa tur actio, quæ hic & nunc moraliter exercetur: siue in rigore actio coexistat verbis siue paulò post exercenda sit, vel parùm antea præcesserit.

Cap. detrahet. 1. q. 1.

Non requiritur physica, & indiuisibilis concomitantia.

Hinc refellitur aliorum opinio, qui dicunt, oportere, vt, antequàm actio, quæ est materia omnino absoluatur, inchoetur forma, & è conuerso, vt, antequàm absoluatur forma, inchoetur materia, ita vt in aliqua sui parte concurrant, & coexistant, quæcunque illa sit. Pro qua sententia citatur Ricard. in 4. d. 3. art. 4. q. 2. vbi dicit quidem hoc sufficere, non tamē dicit esse necessarium, eam verò sententiam indicat Scotus tractans de baptismo dist. 6. q. 3. clariùs & prolixiùs Caiet. tom. 1. opusc. tract. 2. 6. Cuius fundamentum est illud suprà tactum, quoniam ad veritatem formæ requiritur hæc præsentia, seu coniunctio cum materia, nam cùm ego profero hæc verba, *Ego te baptizo*, si tunc actu non exerceo illum actum saltem secundùm aliquam partem eius, non erit vera enuntiatio. Contra hanc verò sententiam procedunt omnia argumenta facta contra præcedentem, & præsertim illud morale, quòd sine causa iniicit magnum scrupulum circa veritatem, & certitudinē sacramentorum: actiones enim morales non possunt tam Metaphysicè mensurari, nec sermones morales habent illum sensum, nec expediebat, vt speciali intentione Christi instituentis hoc exigeretur. Vndè rectè objicit Soto, quia cùm baptizanda est magna multitudo, vt verbi gratia, cùm Apostoli vno die tria millia hominum baptizabant, non tam Metaphysicè attēdebant, vt pars materiæ coexisteret parti formæ, sed moraliter vtrunque faciebant. Præterea, in sacramento confessionis non potest habere locum illa opinio, nam aliquo tempore post absolutā cōfessionem datur absolutio, nec necesse est, vt tūc exerceatur aliquis dolor, vel actus pœnitētis, nam si confessio fuit dolorosa, etiam si tunc sit omnino distractus vel phræneticus, perficitur sacramentum, satisfactio verò posteà futura, & magis distat, & nō est essentialis, & fieri potest, vt nunquam sequatur. Dicendum est ergo, inter hanc materiam & formā requiri eam propinquitatem moralem, quæ iuxta verborum formæ significationem, & iuxta qualitatem actionis per quam fit sacramentum, sufficiat, tū ad veritatem formæ, tum etiam, vt moraliter censeatur cadere super talem materiam, & cum illa coniungi ad vnum signum constituēdum. Ita sentit Ricar. suprà, & latiùs Soto d. 3. art. 8. Nec potest certior regula tradi, quia non potest Metaphysicè designari, quanta debeat esse hæc propinquitas: est ergo moraliter pensanda, & obseruandum ne fiat magna interpolatio, & vt ex modo, quo fit actio, & quo proferuntur verba, iuxta communem & humanū modum concipiendi intelligatur vnum alteri applicari atque vnum ab altero determinari. Vnde fit, pro diuersitate sacramentorum diuersam etiam requiri propinquitatem materiæ cum forma, nam quando materia est actio ipsius ministri, & hæc indicatur per pronomen demonstratiuum, aut per verbum indicatiui modi, tum maior requiritur propinquitas, vt in Baptismo, Confirmatione, & Extrema vnctione, ac fere idem est in sacramento Ordinis, vbi per formam significatur traditio potestatis, quam etiā significat traditio libri, & calicis, &c. ideò necesse etiam est, vt illa duo moraliter simul fiant, in sacramento etiam matrimonij tanta propinquitas requiritur inter mutuam traditionem, & acceptationem quanta est ad humanum contractum necessaria: at verò

Ricar. in 4.

Scot.
Caiet.

Propinquitas moralis sufficit.

Maior, minor ve propinquitas pro diuersitate sacramentorum postulatur.

Universidad de Deusto Biblioteca

verò in sacramento pœnitentiæ, quia materia eius nullo modo est actio ministri, sed ipsius pœnitẽtis: & quia illud sacramentum perficitur per modum iudicij, tota materia, quæ fit per modum accusationis, supponitur ante sententiæ prolationem, in qua forma consistit: & ideò, in eo sacramento sufficit ea simultas, quæ moraliter satis sit, vt idem iudiciũ peragi, & per sententiam consummari intelligatur.

Quę hactenus diximus, vt in assertione explicui, solùm habent locum in sex sacramentis, quæ in vsu consistunt, nam cum in modo quo fiunt, existũt, & componuntur, conueniant, potest generalis doctrina de omnibus tradi, at verò de sacramento Eucharistiæ est specialis difficultas propter proprium & specialem modum existendi, significandi, & efficiẽdi, quem habet, nam forma eius in verbis consistit, quæ transeunt, sicut in alijs sacramentis, materia autem eius proxima non est aliqua actio vel vsus transiens, sed res permanens. Vnde fit, vt simpliciter duret sacramentum & permaneat, postquam factum est, etiam si forma transeat, deinde in hoc sacramento forma solum significat præsentiam corporis, vel sanguinis Christi, materia verò significat vnionem fidelium cum Christo, & inter se. Rursus forma est, quæ efficit ipsum sacramentum per actionem physicam & realem, qua panis consecratur, & non efficit gratiam in anima, materia verò applicata ad vsum efficit gratiam in suscipiente. Ex quo etiam fit, vt hoc mysteriũ sit sacrificium, seu sacrificatio in ipsa effectione sacramenti, sit autem sacramentum id, quod permanet factum per sacrificationem, propter quæ omnia specialem difficultatem habet, quomodò materia & forma in hoc mysterio concurrant ad vnum sacramentum componendum. De qua re in hoc eodem tomo ex professo disputandũ est, & ideò nõ oportet concisè, & sine sufficienti examinatione aliquid definire, præsenti enim loco satis est dicere, vt hoc sacramentum conficiatur, necessariũ esse, vt materia præsens adsit, quando profertur forma, cuius virtute consecrata manet, & quodammodo per illam in formata.

Specialis est difficultas in sacramento Eucharistiæ

SECTIO III.

Vtrùm materia & forma sacramẽti sint certæ ac definitæ ex diuina institutione.

Varij errores.

IN hac re varij fuerunt errores speciales circa proprias materias & formas singulorum sacramentorum, de quibus suo loco dicendum est: nunc tantùm duo ad præsentem locum videntur pertinere, primus est eorum, qui solis verbis certis putabant confici sacramenta, de actionibus verò seu materijs nihil curabant. Ita senserunt Pauliciani, vt refert Euthymius in 2. parte Panopliæ, tit. 21. Secundus error est hæreticorum huius temporis, qui negant requiri in sacramentis definita verba, quæ consecratoria vocamus, sed tantùm verbum doctrinæ, seu concionatorium, quia hoc solùm necessarium est ad excitandum fidem, & in memoriam reuocandum id, quod Christus in sacramentis operatus est: ad hanc autem doctrinam proponendam non sunt necessaria definita verba, varijs enim modis, ac verbis fieri potest: ergo præscripta verba requirere ad hominũ sanctificationem, superstitiosum est (inquiunt) & veluti quædam magiæ species.

Euthymius.

Materiæ & formæ in sacramẽtis definita.

A Dico primo, materias & formas sacramentorum determinatas esse ex Christi Domini institutione & eo modo, quo definitæ sunt, esse necessarias ad sacramenta conficienda. In hac assertione comprehẽdimus vtrumq; sensum explicatum in commentario art. 5. & in vtroq; est communis theologorum, & absolutè loquẽdo est de fide, quia res in hac assertione intenta ex scriptura sufficiẽter colligitur, adiuncta Ecclesiæ & sanctorum expositione, & traditione. Primùm de baptismo dixit Christus Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. Vbi materiam remotam designat, proximam verò materiam simul cũ forma ponit Matth. vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Similiter de Eucharistia determinata materia ponitur Matth. 26. *Accepit Iesus panem*, determinata autem forma in illis verbis, *Hoc est corpus meum.* Similiter in illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, in primo indicatur forma, B & in secundo materia. Pœnitentiæ, de Extrema vnctione colligitur Iacobi. 5. Et idem est iudicium de cæteris sacramentis, quanuis non sint ita in scriptura explicata. Vt enim ait Dionys. cap. 1. de Eccle siast. Hierarch. *Primi sacerdotalis muneris duces visibilibus signis cælestia sacramenta texuerunt, & partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.* Atque ad hũc modum explicat ipse determinatũ ritũm cõficiendi ea sacramenta de quibus in sequentibus capitulis scribit. Hinc etiam August. lib. de Vnic. bap. c. 8. dicit sacramenta Christi debere ritu euangelico celebrari: & lib. 3. de bap. cap. 15. dicit, baptismum celebrari debere verbis euangelicis, & vbicunq; tractat illam quæstionem an ab hæreticis vera fiant sacramenta, eam tradit generalem regulam, si in eis conficiendis ritum à Christo traditum C obseruant, vera tradere sacramenta, & non alias, *Non enim* (inquit Epistola. 23.) *propterea nõ regenerãt quia non ab illis hac instione offeruntur, celebrãtur enim ab eis necessaria ministeria*, similia habet lib. 7. de bap. cap. 47. & 53. lib. de vnitate Eccles. ca. 19. & Basil. li. de Spiritu sancto. c. 10. vbi *Perinde* (dicit esse) *si quis expers baptismatis decedat, & si in vno quopiam quæ à Christo tradita sunt deficiens baptismum accipiat*. atq; idem significat in cap. 15. Tertul. lib. de bap. cap. 1. *Homo* (inquit) *in aquam demissus, & inter pauca verba intinctus*, & cap. 13. *lex tingendi posita est, & forma præscripta*. Vnde Vigil. Pap Epist. 1. decret. cap. 2. dicit defectum vnius particulæ copulatiuæ in forma baptismi, multùm derogare veritati sacramẽti, & ca. 6. Ex eadem causa dicit projiciendum esse ab Ecclesia eum, qui in forma baptismi ritum à Christo institutum non seruat, & plura statim referemus in D cõclusione. 2. Ratio verò tacta est à D. Tho. in ar. 4. nam hæc sacramenta sunt signa gratiæ, quãm conferunt, sed hoc non habent nisi ex institutione diuina: ergo, vt hanc virtutem habeãt, necesse est, vt in eis cõficiẽdis diuina institutio seruetur: ergo oportet, vt ex illis rebus & verbis constent, quæ Deus decreuit. Quæ ratio satis declarata est in commentario artic. 5. vbi etiam diximus, potuisse Deum instituere sacramenta, non determinando certam materiam in specie, vel in aliquo determinato vsu, sed liberam hominibus dando facultatem, vt quibus rebus vellent vterentur ad sacramẽta conficienda, sicut de sacramento legis naturæ posteà dicemus, in lege autem gratiæ certum est, nõ ita fecisse, vt ostẽdimus, cuius institutionis congruentias nonnullas collegimus ex D. Thom. in eodẽ art. 5. Quibus ad-

dere

Ioan. 3. Matth. 26. Ioan. 20. Iacob. 5. Dionys. August. Basil. Ep. 1. Decret.

dere possumus, pertinuisse ad perfectionẽ sacramentorum nouæ legis, vt à Christo essent determinata, sicut in veteri lege Deus ipse sacramentorum cæremonias definiuit, tum, quia hoc cõfert ad maiorem claritatem, & proportionem necessariam in significatione sacramenti, tum etiam, quia, cùm hæc sacramenta futura essent instrumenta gratiæ, debuerũt ab ipso autore gratiæ definiri, tum præterea, quia ad maiorem Ecclesiæ vnitatem & consensionem necessarium fuit, vt in sacramentis, & sacrificio, in quibus consistit essentialis ritus exterior colendi Deum, tota Ecclesia conspiraret & conueniret, sicut oportuit vt esset vnum baptisma, quod est ianua Ecclesiæ ad vnitatem commendandam, non posset autem hæc vnitas seruari in vniuersa Ecclesia, nisi essent à Christo determinatæ materia & forma sacramentorum. Deniq; hoc maiorem reuerentiam conciliat ipsis sacramentis, quando intelligimus ritu ab ipso Christo tradito, & verbis eiusdem Christi confici.

Materia in sacramentis modo determinata in specie, modo in genere tãtum.

Quæres, an hæc determinatio materiæ & formæ sit æqualis seu eiusdem rationis in omnibus sacramẽtis. Respondetur non esse id necessarium, in quibusdam enim certum est, materiam esse determinatam in quadam specie vltima, vt est aqua in baptismo, & oleũ in extrema vnctione, in alijs verò sufficit vnitas generica, vt verbi gratia, confessio dolorosa est materia sacramenti pœnitentiæ, siue sit dolorosa per attritionem, siue per contritionem, quæ specie differunt, & siue sit de peccato veniali, vel mortali, & siue verbo, siue nutibus explicetur, in alijs verò materijs dubia res est, an materia sit vnius speciei physicæ vel vnius generis, vt panis & vinũ in Eucharistia, & balsamum in Confirmatione. Atque idẽ reperire possumus in formis, quanuis in his maior vnitas & determinatio reperiatur, nam in sacramentis, excepto Matrimonio, requiruntur propria verba certa ac præscripta in sensu & significatione, non in idiomate, vt posteà dicemus: in Matrimonio verò sufficit quodlibet signum consensum sufficiẽter significans, siue sit proprium verbum, siue non, vt suprà dixi: quia Christus noluit magis determinare materiam & formam huius sacramenti, quàm ad rationem contractus esset necessarium, quia illud satis erat ad significationem huius sacramenti. Quapropter non dixi, requiri in sacramentis determinatam formam aut materiã in specie, vel in genere, sed iuxta Christi institutionem: in omnibus autem his materijs, & formis reperiemus quandam determinationem in ordine ad particularem aliquem finem, vel vsum humanũ, vt est in Matrimonio cõiugale vinculum: nam signum sufficiens ad faciẽdum hoc vinculum sufficit ad sacramentum, & in Eucharistia panis & vinum, quæ simpliciter talia cẽsentur in ordine ad humanum vsum, sunt sufficiens materia sacramenti, & sic de alijs, de quibus distinctiùs agemus de singulis sacramẽtis disputantes: vbi etiam occurremus difficultatibus, quę hic obijci poterant de aliquibus mutationibus, quæ in materijs, & formis sacramentorum factæ sunt in Ecclesia, ostendemus enim, omnes fuisse accidẽtales, & non substãtiales.

Mutationes ab Ecclesia factæ in sacramentorũ formis, vel materijs accidentales.

Ex hac verò cõclusione & ratione eius colligitur primò, idem proportione seruata dicendũ esse de sacramentis veteris legis, nam, licèt illa non cõstiterint materia & forma, seu verbis & rebus, tamẽ ex diuina institutione habuerũt certũ & determinatũ ritum, & ideò de eorum necessitate erat, vt fierent in eis rebus, vel actionibus, quas Deus instituerat.

Sacramenta veteracertis ritibus determinata.

Verbũ cõcionatoriũ non est simpliciter necessarium in sacramento.

A Secundò sequitur, in sacramentis nouæ legis non esse simpliciter necessarium verbum concionatorium, vt hæretici dicunt, sed consecratorium, vt patet ex dictis, & ex eisdem ferè locis scripturæ & sanctorum. Christus enim, quando Eucharistiam confecit, nõ est vsus verbo concionatorio ad docendũ, sed verbo apto ad consecrandum panem & calicem eo modo, quo ad veritatẽ talium verborum fuit necessariũ. Vnde Paul. 1. ad Corint. 10. *Calix* (inquit) *cui benedicimus*, id est, quem verbis consecramus, benedictio enim verbis fit. Præterea Matth. vlt. priùs dixit Christus Apostolis, *Euntes docete omnes gentes*, & posteà subdit, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & posteà, *Docentes eos seruare omnia, &c.* illud ergo verbum. *In nomine Patris*, non significat verbum doctrinæ, quia iam hoc præmiserat, sicut catechismus solet præcedere baptismum, B vt bene Hierony. notauit, & ideò simpliciter dixit Christus, *Docentes eos*, scilicet, nõ tantùm mysteriũ Trinitatis, sed fidem absolutè, posteà verò specialiter exprimit mysterium Trinitatis, tanquã necessario explicandum in forma baptismi, quod etiam indicat illa particula, *In nomine*, id est, in inuocatione, iuxta illud 1. ad Corinth. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* hoc est, nunquid super vos inuocatũ est nomen Pauli quando baptizati estis, sic enim intelligunt Patres omnes, quos infrà agentes de baptismo latiùs referemus: nunc satis erit vnum vel alterum commemorare præter citatos in prima assertione. Cypri. ser. de baptism. Christ. *Verborum* (inquit) *solennitas & sacri inuocatio nominis, & signa Apostolicis institutionibus, & sacerdotum ministerijs attributa, visibile efficiunt sacramentum.* August. Epis. 118. C hoc sensu dicit, consecrari baptismũ in nomine Trinitatis, & 19. contra Faustum. c. 16. dicit, *Nisi illæ syllabæ celeriter sonantes & transeuntes dicantur, non consecratur*, & lib. 20. cap. 3. *Noster calix & panis certa consecratione mysticus fit nobis*, & lib. 3. de baptismo. cap. 10. & sequentibus idem latè docet. Ac deniq; hunc sensum habent illa eius verba, tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum*, quem locum prauè interpretãtur hæretici, quia re vera subobscurus est, nam si antecedentia & consequentia considerentur interdùm de verbo doctrinæ, interdùm de sacramentali loqui videtur, nunquam tamẽ dicit, verbum concionatorium esse de ratione sacramenti, sed tantùm verbum aliquod nostram sanctificationem efficiens: vnde videtur generatim loqui de verbo, quo sanctificamur. Tandem, veritas hæc satis definita est in Concil. Florenti. vbi præscripta verba docet esse necessaria ad consecranda sacramen- D ta, idemque colligitur ex Concil. Trident. sessio. 7. cano. 13. de sacramentis in genere, & cano. 3. de baptismo. & ex cap. Ad abolendam de hæreticis, vbi generaliter dãnantur, qui aliter de sacramentis sentiunt, quàm Ecclesia Romana docet. Ratione possumus in hunc modum argumentari contra hæreticos, nam vel ipsi existimant, verbum concionatoriũ esse necessarium ad conficienda sacramenta, vel nõ: si negant esse necessarium, sequitur ex eorum sentẽtia, nullum verbum esse necessarium in sacramentis, quia omnino reijciunt verbum consecratorium, tanquam superstitiosum, & nullius efficacię ad sacramẽta conficienda, consequens autem esse contra fidẽ, suprà ostensum est. Si verò asserant, verbum concionatorium esse necessarium ad veritatem sacramentorũ, in primis oportet, vt ostendant, vbi Christus

hoc

1. Cor. 10. Cypria. August. Epist. 118. Conc. Flo. Trid. ses. 7. can. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc instituerit, aut præceperit, nobis enim traditum non est, neq; etiam in scriptura id legimus, sed potius in ea contrarium indicatur vt vidimus: ipsi autem dicunt nihil esse credendum, nisi quod in scriptura continetur. Secundo, si ratione vti velimus, in re, quæ ex institutione pendet, nulla est probabilis coniectura, ob quam hoc verbum requiratur, nam concio per se nō est necessaria, propter eum, qui suscipit sacramentum, nam sæpe non est capax eius, vt paruuli, phrænetici, sæpe verò illo non indiget, quia est sufficiēter instructus, & dispositus. Neq; est etiā necessaria propter circunstantes, tum propter similes rationes, tum quia accidentarium est, vt alij adsint, imo in sacramento Confessionis regulariter est necessarium, vt non adsint: atq; simile argumentū fieri potest ex parte eius, à quo præmitti debet hec concio, aut enim necessarium est vt fiat à ministro, vel ab alio, non primum, quia non est de ratione ministri sacramenti vt possit docere, nam aliud est baptizare, aliud euangelizare, vt Paulus dicit primæ ad Corint. 1. vbi Anselm. aduertit, non omnem illum, qui est idoneus ad sacramentum ministrandum, esse etiam ad docendum, & Ambros. addit, sacramentum perfici verbis solennibus, & ideò necessariū nō esse, vt qui baptizat docere possit, & aduertit, Petrū docuisse Cornelium, & domum eius, posteà verò præcepisse, vt à ministris baptizaretur. Neque etiam dici potest secundum, scilicet hoc verbum adhibendum esse à ministro, vel ab alio, tū quia non est de necessitate sacraméti vt alius præter ministrū & eū, qui suscipit sacramentū ibi operetur. Tum etiū, quia forma sacramenti semper à ministro adhibenda est, vt postea videbimus. Rursus potest simile argumē tum confici ex parte ipsius doctrinæ, nam interrogo, quid sit necessariò docendum, vt sacramentum conficiatur? nūquid tota doctrina fidei, aut aliquod certum mysterium? aut fortasse institutio illius sacramenti, quod tradendum est? quidquid responderirit, sine fundamento loquentur, & contra Ecclesiæ consuetudinem. Quin potius sequitur, si hæreticus ministret sacramētum seruato ritu ecclesiæ, præmittendo verò falsam doctrinam, non conficere sacramentum, quia illud verbum, non est verbum fidei, sed erroris, quod si dicant quodlibet verbum sufficere, cuiuscunq; doctrinæ vel mysterij sit, nihil certe potest dici absurdius, & præterea refutari potest omnibus argumentis adductis in priori assertione, quibus ostendimus determinata verba esse ad conficienda sacramenta necessaria. Ad fundamentum autem hæreticorum respondetur, eos errare ex alio falso principio nimirum sacramenta non deseruire, nisi ad excitandam fidem, per se autem nihil valere, & ideo dicunt esse superstitiosum, vti determinatis verbis, cum ad excitandam fidem quælibet verba possint sufficere. Fides autem docet sacramenta ipsa per se multum valere, tum ad significationem, vt ostensum est, tum ad efficaciam, vt dicemus latius q. 62. & ideo merito requiri determinata verba, quę cum sint verba Dei, & ab ipso Christo tradita non possunt esse superstitiosa, sed aptissima tum ad colēdum Deum, tum ad nostram sanctificationem, nam verbo Dei sanctificantur etiam ipsi cibi, vt Paul. ait primæ ad Timot. 4. Nulla etiam verba aptiora sunt ad Deum orandū, quā illa, quæ ipse nobis tradidit: sic ergo nulla esse possunt aptiora ad Deum colendum. Deniq; in hoc nulla est maior ratio de verbis quam de rebus. Si ergo determinatæ res sunt necessariæ, & nō est superstitiosum vti aqua in baptismate, & vino in Eucharistia potius quam alijs rebus, quia Christus, sacramentorum & nostræ religionis autor has res definiuit, atq; instituit, cur erit superstitiosum vti definitis, ac consecratorijs verbis ex eiusdem Christi voluntate & institutione?

Prima. 1. Anselm. Ambros.

SECTIO IIII.

Vtrùm omnis mutatio materiæ, aut formæ sacramentorum sit contra eorum substantiam, & veritatem.

RAtio dubitandi oritur ex præcedenti sectione, dictum est enim, de necessitate sacramentorum esse determinatas formas & materias, ergo, si in his fiat immutatio non manebit sacramētum, sicut si vera forma, aut materia hominis auferatur, vel mutetur, non manebit homo. In contrarium vero est, quia non omnis immutatio est substantialis, sed aliqua est accidētalis, quas oportet distingue re, duę enim regulę sunt in hac materia obseruandæ.

Prima regula est: Si mutatio materiæ & formæ, substantialis, seu essentialis sit, nullum efficitur sacramētum. Hanc probat ratio facta ex doctrina præcedentis sectionis, quia per huiusmodi mutationes tollitur vera materia, aut vera forma essentialis sacramenti. Et confirmari potest ex Concil. Nicen. cano. 19. vbi baptismus, quē hæretici Paulianistæ dabāt, iudicatur nullus, non quia ab hæreticis daretur, hoc enim non est contra substantiā sacramenti, sed quia mutabant veram, & essentialē formam, vt constat ex Innoc. 1. ep. 22. ca. 5. Atq; simile est, quod in Cōcil. Laodicen. c. 8. dicitur, baptismum Cataphrygarum esse nullum, quia, videlicet, mutabant formam, vt notauit Prateol. verbo. Cataphrygæ, & Sander. hæres. 32. quanuis antiqui hunc errorem in Cataphrygis non notent, sed solum dicant eos de Trinitate malè sensisse, vt in August. & Damasc. videre licet.

Mutatio materiæ aut formæ substantialis nullum est sacramētum. Conc. Nicæ.

Innoc. 1. Conc. Laod. Prateol. Sander.

Secunda regula est, si in materia, vel forma sacramenti fiat mutatio tantum accidentalis, non omnino destruitur sacramentum, sed factum tenet. Est cōmunis, & certa, quæ sumitur ex Zacharia Pap. epist. 1. ad Bonifac. & habetur in capi. Retulerunt, de cōsecra. d. 3. vbi docet, mutationem factam in forma baptismi ex ignorantia cuiusdam non irritasse baptismum, quia accidētaria erat. Sic etiam August. lib. 6. de baptis. c. 25. dicit, dummodò verba euangelica seruentur, sine quibus baptismus nihil valet, licēt interdum per imperitiam aliquid ex errore misceatur, nihilominus perfici sacramentum. Ratio vero clara est, quia sola accidentalis mutatio non variat substantiam rei: ergo etiam in sacramentis, illa non obstante, manere poterit substantia sacramenti, atq; adeo verum sacramentum.

Vt differat mutatio substantialis, & accidētalis.

Vt verò distinguamus has mutationes sit tertia regula circa materias sacramentorum. Quando mutatio materiæ tanta est, vt iuxta communem vsum & conceptionem hominum minimè conueniat ratione, & nomine cum materia ab ecclesia vsitata & à Christo præscripta, tunc mutatio est essentialis, alioqui est accidētalis. Declaratur exemplis, materia baptismi est aqua, si ergo mutatio fiat ex elementali aqua in rosaceā, mutatio est essentialis, quia aqua rosacea nec simpliciter est aqua, neq; rationem, aut vsum aquæ simpliciter dictæ habet: si verò solū mutetur aqua ex frigida in calidam, mutatio est accidētalis, quia aqua calida simpliciter & nomen, & ratione, & vsum aquæ retinet. Simile est in Eucharistia, de materia panis, nam si mutetur ex azymo in fermentatum, & è contrario, accidentalis est mutatio, quia vterq; est simpliciter panis, si triticeus sit, si tamen ita fiat mutatio, vt ex alia re conficiatur, mutatio est essentialis, quia iam ille, neque in re, neque in vsu hominum cēsetur simpliciter panis. Ratio verò est clara ex suprà dictis, nam materia sacramentorū est determinata à Christo, ergo necesse est, vt sub aliqua ratione, & nomine determinationem habeat: ergo, si tanta sit mutatio, vt amittat illam rationē, & consequenter nomen, erit mutatio essentialis, sin minùs, erit accidentalis. Adiungo autem mutationem nominis cum mutatione rei, non quia illa sit per se necessaria: nam, sicut in rebus ipsis consistit sacramentum, ita mutatio rei est, quæ per se pertinet ad veritatem, vel nullitatem sacramenti, tamen, quia nomina sunt nobis signa rerum, ideò amissio nominis est magnum morale argumentum, quòd res etiam mutata sit: agimus enim de nomine communi, quo propria rei substantia indicatur. Obseruandum autem est, quod suprà etiam adnotauimus, hanc rationem materiæ non semper esse considerandam secundùm aliquam rationem vltimam, ac physicam, sed in ordine ad humanum vsum, & vt significatur per nomen, quod huiusmodi vsum respicit, quia istæ materiæ sacramentorum designatæ sunt in aliquibus actionibus humanis vel in ordine ad illas, & sub ea ratione habent propriam determinationē, & essentialem immutabilitatem, exemplum vulgare est in pane, qui est materia Eucharistiæ: massa verò nondum cocta, non est materia, siue differat à pane in specie substantiali physica, siue non, quia non est panis, qui possit esse cibus humanus. Deniq; in praxi huius regulæ obseruanda maximè est traditio Ecclesiæ, nam omnis illa mutatio materiæ, quæ iuxta vsum Ecclesiæ non destruit sacramentum, accidentalis est: neque in hoc potest Ecclesia errare, si traditio sit vniuersalis, vel approbata ab vniuersali Ecclesia, quia hæc res maximè pertinet ad fundamēta fidei, & morum, in quibus Ecclesia errare non potest, cùm sit columna & fundamentum veritatis.

Materia ad rēdēda est in ordine ad vsum humanum.

Quarta regula ad formas sacramentorum pertinens est, mutationem illam quæ variat sensum verborum formæ, esse substantialem, si verò illum non varier, esse accidētalem, ita D. Tho. hic, & latè Sco. in 4. d. 3. q. 1. Gab. q. 1. & alij, quos statim referam, & in eandē sententiam adducit D. Tho. August. vt in Commentario artic. 7. visum est, exemplum afferemus statim. Ratio verò est, quia sensus est veluti anima verbi, quia verbum non profertur propter sonum, sed propter sensum, & ideò, si idem sensus maneat, idem verbum, atque adeò eadem forma manere censetur, si autem mutetur sensus, & verbum & formam substantialiter mutari necesse est.

Mutatio variās sensum verborū substantialis. D. Thom. Scotus. Gabriel.

Quo mutationū modi in verbis esse possunt.

Sed, vt hæc regula clarior fit, & ad vsum possit accomodari, oportet, omnes mutationes, quæ in formis sacramentorum contingere possunt, distingue re. Octo autem potissimùm reperio huius mutationis genera, seu modos. Prima mutatio est idiomatis, scilicet vnius linguæ in aliam, de qua certa fide tenēdum est, esse accidentalem tantùm, alioqui oporteret sacramenta conficere in ea lingua seu idiomate,

A quo Christus locutus est, quod apertè constat esse hæreticum, si autem verba, quæ Christus protulit Hebraicè, vel Syriacè possunt Græcè, vel Latinè prolata ad sacramenta conficienda sufficere, eadem ratione quodlibet genus linguæ, vel idiomatis sufficiet, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, & ratio generalis omnibus est suprà dicta, quia retinetur idē sensus. Dices, Ecclesiæ vsum, vel præceptum posse efficere, vt vnum idioma potiùs, quàm aliud sufficiat. Respondetur, Ecclesiam posse præcipere, vt hoc, vel illo idiomate vtamur in conficiendis sacramentis: & tunc malè facier, ac peccabit, qui tale præceptū fuerit transgressus alio idiomate vtēdo, non potest tamen Ecclesia efficere, vt ea solùm de causa sacramentum nullum sit, si idem sensus formæ retineatur, quia in his, quę sunt de substantia sacramentorum, nihil potest immutare, neq; aliquid, vt essentiale præscribere, quod iuxta Christi institutionem essentiale non sit.

B

Vnde rectè etiam obseruauit Caiet. hic art. 7. circa solut. ad 1. mistionem idiomatum, etiam si in eadem numero forma fiat, non esse contra substantiā sacramenti, dummodò singulæ voces eiusdem significationis sint cum verbis formæ, & in vnam orationem coniunctæ eundem sensum referant. Ex quo intelligitur, apertè errare hæreticos huius tēporis, qui necessarium putant, vt sacramenta in singulis nationibus & prouincijs, in vulgari lingua conficiantur, contra quorum errorem sufficit Ecclesiæ traditio & autoritas: ac præterea, si de necessitate simpliciter ad sacramenti substantiam loquantur, satis cōuincuntur ratione prædicta, quia non minus significāt verba in alio idiomate, quàm in vulgari. Quòd si dicāt, vulgarem populum non intelligere significationē. Respondetur primùm, id non esse necessariū, vt sæpè Dionys. repetit de Eccles. Hierarch. Deinde satis est, quòd confusè intelligant illa actione, & verbis sacris significari sanctificationem nostrā, & hoc omnes intelligunt, etiam si proprium verborū significationē non percipiant. Si autē loquantur de necessitate præcepti, seu maioris congruentiæ, cōfutabitur latiùs hic eorum error inferiùs, cùm de ritibus, ac cæremonijs sacramentorum disputabimus.

C

Secunda mutatio est, quando intrà idem idioma ponuntur alia verba, quàm ea, quibus Ecclesia vti consuevit, eadem tamen res significantia, vt si loco *Patris & Filij*, ponātur *genitor*, & *genitus*, & loco verbi, *Baptizo*, ponatur verbum, *abluo*, & sic de reliquis, & in hac mutatione diligenter obseruandum est, an voces re vera idem significent, ita vt synonymæ sint: nam tunc sine dubio est mutatio accidentalis, quia est idem sensus, si autem voces nō sint synonymæ, erit essentialis mutatio: quia iam non tantū sonus, sed etiam significatio vocum mutatur: & ideò cauēdum est, ne in dubio hæc mutatio fiat, quia dubium consequenter erit ipsum sacramentū. Quocirca vlteriùs est circa hanc mutationem obseruandū, cùm dicimus, debere voces significare eadem res, intelligendum esse de significatione æquè distincta & clara nam, si, quod quibusdam verbis distinctè significatur, alijs significetur confusè, nō potest dici æquivalens significatio, vt, si loco illorum verborū, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, dicatur, *in nomine Trinitatis*, mutatio est essentialis, propter dictam causam. Atque eadem ratione (vt Soto meritò aduertit) necessarium est, vt significatio vocis, in quam fit mutatio, sit publica, & communi im-

D

posi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

positione recepta, nam si quis suo arbitrio, & priuata autoritate tentet imponere nouas voces ad id significandum, quod voces sacramentales significant, etiam si eis vtatur animo conficiendi sacramentum, nihil faciet, quia non possunt illa verba simpliciter dici significare ad placitum, tâquam verba humana, & ad communem vsum hominũ deseruientia, qualia esse debent verba sacramentalia, ad quorum significationem necesse est, vt verba habeant predictã significationem publicam, & vsualem (vt sic dicã) Prætereà tertiò est in hac mutatione obseruandum accidere posse, vt verba, in quæ fit mutatio, sint æquiuoca, & in vna significatione omnino referant eundem sensum, quem habent verba sacramentalia, in alia verò minimè, & tunc difficultas esse potest, an talis mutatio sit substantialis. Videtur enim multùm variare significationem vocis: nam eam, quæ erat certa & determinata, reddit incertam & dubiam. Nihilominùs, si debita intentione proferantur, in eo sensu, quo sacramentalia verba, dicendum est, mutationem esse accidentalem, & in primis, si ex adiunctis verbis & circunstantijs satis determinentur verba ad talem significationem, res videtur clara, sicut etiam è contrario, si ex adiunctis determinarentur verba ad alium sensum & significationem, mutatio esset essentialis, & destrueretur sacramentum, quia tunc quodammodò tollitur æquiuocatio, quia definiuntur verba ad certam significationem, vnde si in illa reddant eundem sensum cũ forma, satis sufficiens erit ad substantiam sacramenti. Deinde, si verba maneant in sua æquiuocatione & ambiguitate, quoad exteriorem sonum, & tamẽ ex animo, & intentione proferentis determinentur ad significationem & sensum verborum formæ, id satis esse videtur, vt mutatio sit accidentalis, nam illa verba in ea significatione sunt synonyma cum verbis formæ, & in ea proferuntur: ergo vt sic referunt eundem sensum: ergo sufficient ad substantiã sacramenti. Confirmatur, nam sola æquiuocatio nõ videtur sufficiens ad mutationem substantialem, si aliàs seruatur significatio, & debita intentio: tum, quia ferè in omnibus vocibus est aliqua æquiuocatio quæ, vel ex communi vsu, vel ex intentione loquentium, ad alteram significationem determinantur: tum etiam, quia in alijs rebus, & exemplis, quæ attigit D. Thom. artic. 8 & in sequenti sectione tractabimus, negari non potest, quin aliquando voces dubiæ, vel æquiuocæ, iuxta intentionem proferentis possint sufficere ad substantiam sacramenti. Vnde consequenter fit, si minister proferat verba æquiuoca, & animo suo intendat ea proferre in sensu alieno à verbis formæ, tunc esse mutationem substantialem, quia tunc illa verba, vt ab isto prolata, nõ significant, neque habent eundem sensum, quẽ forma sacramenti requirit.

Verbũ æquiuocum in bono tamẽ sensu prolatum nõ destruit sacramentũ.

Atque ex dictis circa hanc mutationem colligitur, quomodò intelligenda sit regula, quã D. Tho. tradit art. 7. ad 1. quando in aliqua lingua cadẽ res pluribus vocibus significatur, illam esse assumendã ad conficiendum sacramentum, qua homines illius linguæ principaliùs & communiùs vtuntur ad illã rem significandam, nam hoc in primis intelligendũ est de communiori vsu Ecclesiastico, vt Caiet. notat, exẽplum adhibẽs in verbo, *baptizo*, quod apud Latinos non est proprium neque vsitatum ad actũ abluendi significandum, tamen ex vsu Ecclesiæ accommodatum est ad eam significationẽ, prout vsur-

D. Thom.

patur communiter in forma baptismi. Deinde, verbum illud *debes* non significat necessitatem simpliciter ad substantiã sacramẽti: quia, vt ex dictis cõstat, si verba sint synonyma, quodlibet eorum sufficiet ad significationẽ eiusdẽ sensus, & consequenter ad substantiam sacramenti, etiam si alterũ eorum principalius sit, seu magis vsitatum: solùm ergo significatur illo verbo, vel cõgrua ratio, ob quã Ecclesia ferè semper vtitur huiusmodi verbis magis vsitatis, in formis sacramentorum, vel potiùs significatur obligatio, quã ministri sacramentorũ habent, vtendi in sacramentorum formis verbis illis, quibus Ecclesia vti solet: nam illa simpliciter dicẽda sunt principaliora, & communiora in huiusmodi vsu.

Tertia mutatio est, per transpositionem verborum, vt si quis dicat, *Baptizo te*, vel si actiuam orationem in passiuam conuertat, & in hac mutatione idem, quod de præcedenti, dicendũ est: nam, si sensum mutet, est cõtra substantiã sacramenti: non verò si sensus idem sit, quod ex vsu verborum, & communi significatione iudicandũ est, regulariter tamẽ hæc mutatio erit accidentalis, quia si singulæ formæ sacramentorum considerentur, hæc sola mutatio vix potest sensum formæ variare.

Quarta mutatio esse potest per interpolationẽ, seu disiunctionem partium seu verborum formæ, vt si priùs dicat, *Ego te baptizo*, & ibi aliquantulum sistat, vel etiã de rebus alijs loquatur, & postea subiungat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & in hac mutatione nihil potest certiùs dici, quàm quod in superioribus de materia & forma sacramenti diximus, & de morali propinquitate, quam requirunt, eadem enim moralis regula seruanda hic est, nam, si tanta est disiunctio verborum, vt ex modo proferendi communi sensu iudicetur ex illis non cõfici vnam orationẽ, nec reddi vnum integrum sensum, mutatio est substantialis, quia non solùm singulæ voces, sed etiam debita earum compositio est de substantia formæ, quia esse debet oratio ex illis vocibus composita, vt possit verum ac propriũ sensum talis formæ reddere, at verò si mora aut disiunctio tam parua sit, vt ea non obstante censeatur iuxta communem sensum voces illæ sufficienter coniũgi ad vnam orationem componendam, & vnum integrum sensum efficiendum, mutatio erit accidentalis, vt constat ex generali principio posito. Quando verò interruptio sit huius vel illius generis non potest certa, ac indiuisibili regula definiri, sed ex modo & ex duratione temporis & ex alijs circunstantijs prudenter est iudicandum. Quapropter ad tollendum omne dubium diligenter cauendum est, ne huiusmodi interpolatio fiat.

Verba disiũcta vel prolata quando tollant substantiam sacramenti.

Quinta mutatio esse potest per additionẽ alicuius verbi, & ex ta per subtractionẽ, de quibus latè agit D. Tho. hic art. 8. vbi, quod dicit de intẽtione ministri, in sequenti sectione examinabitur. Quod verò ait de sensu mutationẽ ex dictis satis explicatũ est: nam si additio vel subtractio talis sit, vt mutet debitũ sensum formæ, mutatio erit substantialis & cõtra sacramenti veritatẽ, alioqui erit accidentalis. Solùm obijci potest, quia vix fieri posse videtur, vt aliquod verbũ subtrahatur, & nõ mutetur sensus formæ, vt in exẽplo illo quo D. Tho. vtitur, de forma Eucharistiæ, *Hoc est enim corpus meum*, nã si tollatur particula, *enim*, dicitur esse mutatio accidẽtalis, & tamẽ mutatur sensus propositionis, quia mutatur propositio causalis, in propositionẽ de ineſſe, quę valde diuersos

In additione vel detractione verbi mutatio grauis.

Obiectio.

sos referunt sensus. Respondetur in primis, non semper mutari vllo modo sensum, vt si in forma baptismi, vel pœnitentiæ tollatur pronomen, *ego*. Deinde considerandus est sensus per se intentus in forma sacramenti: ille enim est substantialis, & simpliciter necessarius, & quod illi additur, vel subtrahitur, accidentale est, ille autem sensus est per se intentus in forma, quo proprius sacramenti, vel ipsius formæ effectus significatur, in quo discernendo Ecclesiæ traditio potissimùm consulenda & sequenda est, vt in dicto exemplo de Eucharistia substantialis sensus formæ est, vt significet conuersionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, & hic sensus nõ mutatur ablata particula, *enim*, & ideò mutatio illa accidentalis est.

Responsio.

Septima mutatio est per aliqualẽ formæ corruptionẽ, vt est in illo vulgari exẽplo sumpto ex Zacha. Pap. in d.c. retulerunt, si in forma baptismi quis dicat, *In nomine Patrias, & Filias, &c.* De qua idẽ Ponti fex tradit regulã à nobis positã, considerandũ nimirũ esse, an corruptio sit tanta, v omnino tollatur sensus, nã tũc erit substantialis mutatio, nõ verò si verba sic corrupta possint eũdẽ sensum reddere. Necne esse est, vt verba sic corrupta per se sumpta habeãt in rigore illã significationẽ, seu satis est, vt ex modo quo hic & nũc proferũtur, iuxta cõmunẽ concipiẽ di modũ talẽ sensum generẽt in audiẽtibus, sicut in predicto exẽplo, vox *Patrias*, per se sumpta in rigore lõgè aliã significationẽ habet quã vox *Patris*, tamẽ posita in illa oratione, & accõmodata illi actioni, iuxta cõmunem modũ cõcipiẽdi, idẽ significat, atq; eundẽ sensum reddit: & hoc satis est, vt illa mutatio accidentalis censeatur. Addit verò D. Tho. hic art. 7. ad 3. quãdo corruptio cõtingit in principio dictionis, frequentiùs esse substãtialẽ, & omnino mutare sensum, vt si loco *Patris* dicatur, *Matris*. Quod sepè fortasse ita est in aliquibus vocibus Latinis, nam in alijs fieri potest, vt maior sit mutatio in fine dictionis facta, vt si, pro *baptizo*, dicatur, *baptizor*, & sic de alijs. Quapropter cõmunis sensus & modus concipiendi potissimùm est consulẽdus, ac fortasse magis conferet obseruare, an corruptio talis sit, vt cũ illa verba nõ habeant aliũ legitimũ, & cohærentẽ sensum præter sensum formæ, nã tunc regulariter eundẽ sensum retinent, atq; ita corruptio erit accidentalis, & ciusmodi est illa, in nomine Patrias, &c. quãdo verò per corruptionẽ transeunt verba in aliã significationẽ valde diuersam legitimã & cohærentẽ orationi, quæ resultat ex verbis sic corruptis, tũc regulariter est mutatio substantialis, vel vt minimũ, redit formam valde dubiã, vt patet in illis mutationibus, *In nomine Matris*, vel, *Ego baptizor*, & sic de alijs.

Syllabarum corruptio quãta esse debeat vt sacramentum destruatur.

Octaua mutatio esse posset, si omnia verba formę mutarentur in alia signa, vel nutus, vel scripturã, de qua dicendũ est in Matrimonio esse accidentalem propter rationẽ suprà datã, in alijs verò esse substantialẽ, quod in quinq; sacramentis certũ est, de pœnitentiæ verò sacramento nõnulli dubitarunt, an possit sufficere forma, seu absolutio scripto missa, sed lõgè probabilius est non sufficere, sed verba propria requiri ex Christi institutione, quam habemus ex Ecclesiæ traditione, & doctrina Conc. Floren. cuius generales congruentias suprà tradidimus, cùm ostẽderemus, verba esse in sacramentis necessaria, & assignauimus peculiarem causam excipiẽdi Matrimonium, quæ omnia in singulis sacramentis latiùs examinanda & confirmanda sunt.

SECTIO V.

Vtrùm ex scientia, vel intentione ministri pẽdeat, quod mutatio facta in forma sacramẽti substãtialis sit, vel accidẽtalis.

RAtio dubitãdi sumitur ex Zachar. Pap. dict. cap. Retulerunt, vbi dicit, illam corruptionẽ formæ baptismi, *in nomine Patrias, &c.* nõ esse contra substãtiam sacramenti, si ex ignorantia facta sit, & non ex intentione introducendi nouum ritũ in Ecclesiã, quẽ D. Tho. hìc imitatur, ex qua doctrina à contrario sensu videtur, si prædicta mutatio ex illa intentione oriatur, fore substantialem. In contrariũ verò est, quia tũc mutatio est substãtialis, quã do tollitur sensus verborũ formę, sed ad hoc nihil refert videtur scientia, vel intentio ministri, quia sensus verbi pẽdet ex significatione eius, significatio autem consequitur verbi prolationem, si ergo eadẽ sit prolatio & compositio verborum, eadem erit significatio atque idem sensus, quidquid minister intendat, sciat, aut ignoret. Cõfirmatur, nam, si minister integrè proferat formam, non potest mutare sensum eius, etiam si ipse velit aliud intendere, vel significare, & similiter, si ita corrumpat formã, vt in re ipsa mutetur sensus eius, etiam si ipse maximè intendat, & cupiat verum sensum proferre, mutatio erit substantialis: ergo è cõtrario, si verba non adeò corrũpantur, vt amittãt sensum & significationem, nõ poterit mutatio esse substantialis, quidquid minister intendat. Et ratio vniuersalis est, quia significatio & sensus pendet ex re ipsa, & non ex intentione, si maior, vel minor mutatio in re non fiat.

Zach. Pap.

In hac re oportet distinguere scientiam ab intentione, quia diuersæ difficultates ex eis oriuntur. Tribus igitur modis potest se habere minister in hac mutatione. Primò vt bona fide operetur, nullã existimans mutationẽ efficere, sed ex imperitia ita corrumpat, vel mutet verba, quia putat ita solere proferri, quod etiã potest contingere ex naturali linguæ impedimento, vt si non possit aliter verba proferre: & in hoc casu loquitur Zachar. Pap. suprà, & in eo procedunt fine difficultate omnia, quæ in superiori sectione dicta sunt.

Tribus modis minister potest mutare verba.

Primo nec sciens, neque intendens.

Secundò fieri potest, vt minister sciens & vidẽs, & voluntariè faciat huiusmodi mutationes, nõ animo introducendi nouũ ritũ, sed vel ex indiscreta deuotione, aut potiùs superstitione, vel ex alio vano motiuo. Et in eo casu aliqui sine distinctione affirmant, mutationẽ esse substantialẽ, & putant esse sententiã D. Tho. hic art. 7. ad 3. quam indicat Antoni. 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 3. Sed simpliciter est falsa sentẽtia, vnde regula generalis statuenda est, si minister habeat intentionem faciendi sacramentũ, quanuis sciẽs & videns aliter proferat verba, quam communiter proferri solent in Ecclesia, ita tamen, vt in eis non mutetur sensus verborum, mutationem esse accidentalem, atque adeò sacramentum esse validum: licèt in ea actione minister peccet, vt infrà videbimus. Ita sentiunt omnes Theologi statim citandi. Et ratio est, quia iuxta Concil. Florent. omne sacramentum tribus perficitur, materia, forma, & ministro debita intentione operante: quibus concurrẽtibus, necessariò fit sacramentũ: sed in eo casu omnia ista concurrunt, nam supponimus adhiberi veram materiã, & ministrũ habere intentionem faciendi,

Secũdo sciẽs & intendit ipsam tantũ mutationẽ.

D. Thom. D. Anton.

Regula tenẽda.

Conc. Flor.

Universidad de Deusto Biblioteca

quod Ecclesia facit, ex parte autem formæ nõ est defectus essentialis, quia manent verba cũ eodem sensu (vt etiam in casu supponitur) ergo est tãtùm mutatio accidentalis. Neq; D. Tho. in illa solutione cõtrarium docuit: sed potiùs, si attẽtè legatur, hoc potest colligi ex eius doctrina: nam in primis ibi non agit absolutè de omni mutatione, sed de illa, quæ fit per corruptionem verborũ. Deinde nõ dicit simpliciter, quando hæc mutatio fit ex certa scientia non perfici sacramentum, sed dicit, non videri perfici sacramentũ: quia nimirũ ille, qui scit esse dicẽdum in forma baptismi, *In nomine Patris*, & voluntariè corrũpit, ac dicit, *In nomine Patrias*, videtur potiùs per iocum, aut cõtemptum velle proferre formam, quàm vt conficiat sacramentum, aut certè vult aliud significare, quàm Ecclesia intendat, quanuis autem hoc signũ sit probabile, non tamẽ certũ: potuisset enim minister ex alia intẽtione sic operari retenta substantiali intentione faciendi sacramenta, quod in alijs mutationibus facilius est, vt si quis breuitatis causa verbum aliquod volũtariè omittat, vel addat ob indiscretam deuotionẽ, quod manifestè docet Diuus Thom. in art. 8.

Explicatur D. Thom.

Tertiò sciẽs & intendẽs nouum ritũ inducere. 1. Sentẽtia.

Tertio modo fieri potest, vt minister, non solũ ex certa sciẽtia mutationẽ efficiat, verùm etiã per eam intendat nouum ritũ & errorẽ in Ecclesiã introducere, & in eo casu prima sentẽtia valde cõmunis est, mutationem esse substantialem, ac veritati sacramẽti contrariam. Ita videtur sentire D. Tho. hic art. 8. & in 4. d. 3. q. 1. art. 2. quæstiun. 3. & ibi Bonauẽ. ar. 2. q. 3. ad finem, in illis verbis, *Nisi velit inducere errorem*. Alexan. Alens. 4. p. q. 13. memb. 3. art. 3. D. Antoni. loco paulò antea citato. Qui autores generaliter loquũtur. Alij verò specialiter hoc affirmãt, quãdo minister intẽdit aliquid addere formæ, tanquã essentiale, quod non est ex Christi institutione necessarium, vel si intendit auferre aliquid putans esse essentiale, cùm re vera non sit, nã in huiusmodi euẽtibus, & similibus negant confici sacramentũ propter formæ mutationem. Ita opinantur Gab. in 4. d. 3. art. 2. concl. 3. & ibi Scot. q. 3. Richar. art. 2. q. 3. & huic sententiæ videtur fauere decisio Zachar. Pap. in d. c. Retulerunt. Fundamentum autem prædictorũ autorum est, quia minister, qui intẽdit introducere ritũ Ecclesiasticæ traditioni contrarium, non potest intendere facere, quod facit Ecclesia, & similiter, qui intẽdit addere, vt essentiale pręter Christi institutionẽ, nõ potest intendere efficere verã essentiã sacramẽti: & multò minùs id potest, qui intẽdit tollere aliquid, quod putat esse essentiale: sed absque debita intentione ministri non potest perfici sacramentum, vt infrà dicemus: ergo.

Bonauent. Alens. Antonin.

Gabr. Scot. Zach. Pap.

2. Sentẽtia.

Secunda sententia est, non pẽdere ex intentione ministri, quòd mutatio sit substantialis, vel accidentalis, sed attendendam esse regulam suprà positã, an in re ipsa destruatur legitimus sensus formæ, necne: quia, si non destruitur, mutatio erit accidentalis, etiam si minister intendat introducere nouũ ritum Ecclesiæ contrariũ, dummodò intendat facere sacramentũ, nã hæ duæ intentiones non sunt contrariæ. Et, quoniam ex hoc vltimo magna ex parte pẽdet fundamentũ huius sententiæ, illud in primis probãdum est. Primo exemplis, seu inductione quadam, nam Græci intendũt plures ritus vt essentiales, qui re vera non sunt necessarij, putant enim panem fermẽtatũ esse de essentia Eucharistiæ & similiter verbum illud, *Quod pro vobis tradetur*, esse de essentia formæ, qua corpus Domini consecratur, & illam formã baptismi, *Baptizetur seruus Christi*, ita vt in ea non exprimatur persona ministri, esse essentialẽ, & hæc nõ obstant, quominùs & intendant facere sacramentũ à Christo institutum, & re vera faciant, quia in re ipsa vera materia, ac vera forma vtuntur. Similiter Donatistæ intendebant, de necessitate sacramenti esse, vt minister sit fidelis, vel iustus: & hunc ritum volebant in Ecclesiã introducere: & nihilominùs verum baptisma conficiebant, vt Augustin. contra illos scribens, tanquam indubitatum vbique supponit. Rursus inter Catholicos sæpè est quæstio, an aliquod verbum sit de essentia sacramẽti, necne, vt v. g. in forma sanguinis de verbis illis, *Qui pro vobis, & pro multis, &c.* Si quis ergo opinetur esse essentialia, & hoc modo intendat illis conficere sacramẽtum, quanuis contingat re ipsa non esse de essentia, non propterea non conficiet, quia illa priuata opinio, & intentio non excludit absolutam, & generalem intentionem conficiẽdi, sicut Christus instituit & alioquin non impedit, quominùs sufficiens materia & forma applicentur.

Cum errore priuato potest esse simul intentio conficiendi sacramentum.

Vnde argumentor secundò ratione, quia cũ errore priuato potest simul esse generalis intentio faciẽdi sacramentum, vt ex dictis patet, & latiùs dicetur infrà. q. 64. & ex se videtur manifestum, quia illæ duæ intentiones non sunt contrariæ in obiectis suis, & ideò non est necesse, vt altera alteram excludat. Vnde, si contingat, ministrum non habere intentionem faciendi sacramentum, erit quidem sacramentum irritum, non tamen ex eo capite, quod nunc tractamus, scilicet, ex mutatione formæ aut materiæ: sed ex alio extrinseco, scilicet ex defectu intentionis, qui non est necessariò coniunctus cum tali mutatione, & coniungi posset cum materia & forma integrè exteriùs exhibitis sine vlla mutatione. Et hanc opinionem tenet Durand. in 4. distin. 3. quæst. 2. num. 5. clariùs Palud. quæst. 1. nu. 15. & ferè Adrianus in materia de baptism. quæst. 3. in 2. part. illius, quanquam ex parte videatur primæ sententiæ assentire, tenet etiam Ledes. in 4. 1. part. quęstio. 1. artic. 7. vbi ad D. Thom. respondet eodem modo, quo paulò antea explicuimus solutionem ad 3. artic 7. scilicet, vt non simpliciter neget, in hoc casu confici sacramentum, sed solùm dicat, ita apparere, id est, ministrum sic operantem, suspicionem generare, quòd non debita intentione sacramentũ conficiat. Tandem Soto distinct. 1. quæst. 1. art. 8. & distin. 8. quæst. 1. art. 5. licèt Paludani sententiã reprehendat, posteà verò, vel in eam incidit, vel nõ satis constanter loquitur, dicit enim, si is, qui intendit errorem inducere, eum exprimat in forma, tunc esse mutationem substantialem, & non fieri sacramentum, vt si quis existimans, personas diuinas esse inæquales, hoc significet in forma baptismi dicens, *In nomine Patris maioris, & Filij minoris.* Si autem (inquit) error non exprimatur in forma, priuatus error nõ obstabit, quominùs fiat sacramẽtũ. Sed inquiro, quomodò existimet necessariũ, vt error in forma exprimatur: aut enim id fieri necesse est, mutando legitimum sensum formæ, vt in exemplo suprà posito contingit, & tunc res est extra controuersiam, nam tunc illa mutatio est substantialis, non ex defectu intẽtionis, sed quia in re ipsa verus sensus destruitur, aut verò ad hoc, vt error exprimatur in forma, satis est, quòd ex tali errore, & intentione aliquod verbũ addatur, vel subtrahatur formæ, etiam si ex ea additione

Durand. Palud. Adrian. Ledesma.

Soto. Soti sententia refutatur.

tione vel subtractione sensus formæ nõ mutetur, & sic nõ loquitur consequẽter, nã rationes omnes quibus probat posteriorem partem illius disiunctionis scilicet errorem non expressum in forma non esse contra substantiam sacramenti, probant etiam si sic expressus prædicto modo, nõ obstare veritati sacramenti: quia omnes fundantur in hoc, quòd non mutatur sensus formæ. Vnde potiùs videtur sentire (& meritò) tunc errorem nõ esse expressum in forma, quando etiã si aliquid sit additum, vel subtractũ formæ, nullus error per eam significatur, vt in prædicto exemplo, si quis in forma panis Eucharistiæ ex errore Græcorum, & intentione inducendi nouũ ritum, addat illud verbũ, *Quod pro vobis tradetur*, quanuis in actu exercito (vt sic dicam) errorem suũ prodat in forma, tamen non illũ exprimit quasi in actu signato: non enim dicit in ipsa forma illam particulã esse essentialem, nec propter illã additionẽ error aliquis in forma ipsa significatur. Quòd si hunc sensum intẽdit Soto, incidit in opinionẽ Palud. vt ex dictis patet, quia ille supponit mutationẽ esse talem, vt legitimus sensus non mutetur. Adhibet præterea Soto distinctionem aliam de ministro tolerato, vel nõ tolerato ab Ecclesia, quæ ad præsentem controuersiã nihil refert, sed solũ potest deseruire ad præsumptionẽ quandã, nã, si minister sit hæreticus, vel ab Ecclesia præcisus, faciliùs potest dubitari, an verã habuerit intentionem conficiendi sacramentum, si tamen illam habeat, eadẽ ratio est de illo, & de quocunq; alio, vt latiùs dicemus. q. 64.

Error in actu tantum exercito positus in forma nõ vero formaliter expressus sacramentum non destruit.

Quid ex his opinionibus verum.

In vtraq; istarũ opinionũ aliquid verũ inueniri potest, & ideò possunt, vel in cõcordiã redigi, vel ita distingui, vt ex vtraq; aliquid eligamus, & aliquid relinquamus. Primò ergo supponendum est, aliud esse agere de defectu sacramenti ex defectu materiæ, vel formæ eius, aliud verò ex eo, ꝙ minister nõ habet intẽtionẽ faciẽdi sacramentũ, nec in particulari, nec in generali, scilicet intendendo facere, quod instituit Christus, vel quod Ecclesia facit. Hic solũ ac præcise agimus de priori defectu, nõ de posteriori, de quo in q. 64. agendũ est, hi enim duo defectus per se sunt separabiles ad inuicẽ, & quilibet eorũ sufficit ad sacramenta irritãda: quod rectè intelligitur in quodã exẽplo suprà posito de ministro qui omittit aliquod verbũ, vel aliquã partẽ materię vt essentialẽ ex falsa sua existimatione, cũ re vera nõ sit, vt si in forma sacramenti Pœnitentiæ, omittat inuocationem Trinitatis putans esse essentialem, vel in materia calicis omittat infusionẽ aquæ, tales enim mutationes nõ possunt dici substantiales propter falsam ministri existimationẽ. Neq; ex eo capite sacramentũ esset nullũ, quia in re habetur quidquid est simpliciter necessariũ, ex defectu autẽ intentionis, regulariter erit nullũ tale sacramentum, quia, moraliter loquendo, fieri non potest, vt habeat intentionem faciendi sacramentum, qui omittit aliquid, quod putat esse essentiale, sicut est impossibile intendere finẽ, & omittere mediũ, quod necessariũ simpliciter existimatur. Dico autẽ, moraliter loquẽdo, quia speculatiuè fingi potest, eũ, qui sic operatur, habere intentionẽ generalẽ efficiendi, quidquid illis verbis effici potest, &, licèt priuato errore existimet, nihil per sola illa fieri posse, tamẽ habere potest quasi conditionatã voluntatẽ efficiendi sacramentũ, si fortasse illa verba sufficiũt, & tunc sine dubio fiet sacramentũ, quia nihil ex necessarijs deest, quod est manifestum argumentum, ex parte mutationis formæ aut materiæ nihil substantiale ibi deesse, quandoquidem adhibita sufficienti intentione statim fit sacramentum.

Intentio noui ritus inducendi, vel relinquit verũ sensum formæ, vel reddit ambiguũ.

Secundò est obseruandum, mutationem formæ, per quam quis intendit nouum introducere ritum, interdùm posse esse talem, vt neque excludat verũ sensum formæ, nec reddat illum ambiguum, sed omnino eundem relinquat, solùm addendo aliquid, vel modum proferendi immutando, vt si in forma Eucharistiæ intendat addere illa verba, *Quod pro vobis tradetur*, vt essentialia, vel si formam eandem proferat in vulgari lingua, *Este es mi cuerpo*, intendens hunc ritum vt essentialem & necessarium introducere. Secundò potest talis esse mutatio, vt, licèt non destruat sensum, reddat tamen illum ambiguum, & æquiuocum, vt in illo exemplo, *Ego te baptizo in nomine Patrias*, in his enim verbis illa saltem est ambiguitas, quòd ex vi verborum, non habent sensum legitimum, licèt ex accommodatione, & circunstãtijs possint illum habere, & clarius exemplum esset, si quis in forma panis Eucharistiæ hanc mutationem faceret. *Hic est corpus meum*, manet enim ambiguum, an illa particula, Hic, sit pronomen, & ex ignorantia ponatur masculinum pro neutro, an vero sit aduerbium locale, quod ponatur ad introducendũ errorem, veram transsubstantiationem excludentem.

Ex intentione noui erroris præcise non tollitur sacramentũ.

Dico ergo primò. Quando per mutationẽ nullo modo variatur sensus formæ, non potest esse substãtialis propter solam intentionem ministri volentis introducere nouum ritum: neque etiam propter eã causam præcise sumptam sacramentum erit nullum, quia cum illa intentione potest simul esse intentio faciendi sacramentum, & ita poterunt concurrere omnia ad veritatem sacramenti necessaria. Quòd si interdùm defuerit intentio faciẽdi sacramentũ, tũc quidem sacramentum erit nullũ: non tamẽ propter mutationem formæ, aut materiæ, quæ de se sufficerent, cùm solũ accidẽtalis mutatio in eis facta sit, sed ex alio defectu intẽtionis. Hæc assertio cũ omnibus quæ in illius explicatione & probatione dicta sunt, sufficienter cõstat ex dictis in secũda opinione, quã in hoc sensu veram censeo. Vnde fit nihil referre, ꝙ quis intendat aliquid addere, vt essentiale, quod essentiale nõ est, nam, si nihil ex essentialibus excludat, nec sensum formæ variet, mutatio nõ est substãtialis, nec necessariò excluditur intentio faciendi sacramẽtum. Dices, hoc ipso, quod aliquid additur vt essentiale, quod à Christo non est impositum, mutatur signum: nam est aliud totum, quàm à Christo sit institutum. Respondetur negando assumptũ, quia in prædicto casu verè ponitur in forma, quidquid Christus instituit, &, quanuis materialiter, & ex priuato errore addatur aliquid, quod putatur à Christo etiam esse additum, tamen illud non mutat sensum, & ita non excludit id, quod Christus instituit, & per generalem intentionẽ faciendi sacramentũ corrigitur priuatus error, & ex vi illius intentionis exhibetur signum, quod Christus voluit exhiberi, licèt per accidens aliquid illi addatur.

Dico secundò. Quãdo per mutationem redditur ambiguus sensus formæ, tunc, si minister ita intẽdat introducere nouum ritum, vt non intendat verum sensum, sed falsum atq; erroneum per talem formã significare, tunc mutatio est substãtialis, & sufficiẽs ad irritandum sacramentum, non solùm ex defectu intentionis, sed etiã ex defectu veræ formæ, & quo ad hanc assertionẽ admitto primam opinionẽ suprà

Universidad de Deusto
Biblioteca

citatam,& iuxta eandem intelligo sententiã Zachariæ Pap.in dict.ca.Retulerunt,& patet ex suprà dictis de mutatione proprij verbi formæ in aliud verbum æquiuocũ:diximus enim,si fiat animo significandi aliud,quàm per formam significetur,mutationem esse substantialem,sed idem est in præsenti. Et ratio est clara,quia in eo casu formaliter & propriè aliud est signum,quod minister exhibere intendit, quàm quod Christus instituit:nam quòd materialis sonus sit idẽ, vel diuersus,nõ refert, vt suprà dictũ est,sed significatio est attẽdenda,hic autẽ,licèt verba quoad materialem sonum sint eadem, vel parùm diuersa,tamen significatio,quæ intenditur,est lõgè alia,& per intentionem proferentis determinantur verba ad talem significationẽ:fit ergo tunc substãtialis mutatio,sicut è contrario est substantialis idẽtitas,quando significatio est eadem, licèt sonus vocis varietur,neque contra hanc assertionem procedunt argumenta secundæ sententiæ, vt per se constat.Et iuxta eãdem optimè intelligitur,quomodò interdùm,si minister intendat addere,vt essentiale, aliquid,quod essentiale nõ est,ponit ea ratione mutatio esse substantialis,vt D.Tho.docuit,art.8. est enim hoc verum,quando inde oriri potest sensus aliquis contrarius veritati formæ,& ille est intẽtus, vt si quis addat in forma baptismi,*Et Beatissimæ Virginis*,intendens significare.& profiteri quaternitatem personarum,earumq; æqualitatem,tunc enim reuera est mutatio substantialis, quanquam si per eadẽ verba solùm intenderet Virginem inuocare vt Dei matrem,mutatio esset solùm accidentalis.

A

SECTIO VI.

Vtrùm eadem materia & forma in singulis sacramentis pro vniuersa Ecclesia sufficiat.

C

DIstinguere oportet ritum accidẽtalem ab essentiali,& necessitatem sacramenti à necessitate præcepti,hoc enim loco, vt antea diximus,non agimus de necessitate præcepti, sed sacramenti,nec de ritu accidẽtali,sed essentiali. Vnde vt certũ supponimus,in sacramentis tradendis nõ seruari eundem ritũ accidẽtalem in vniuersa Ecclesia, & consequenter ad seruãda præcepta,quæ in diuersis prouincijs,vel regionibus obligare possunt,non sufficere vbiq; seruare ritũ accidentalẽ, qui alicubi est in vsu,quod est extra cõtrouersiam inter Catholicos,& constabit latiùs ex his,quæ posteà dicemus de cæremonijs sacramentorũ,& præcipuè de singulis sacramẽtis in specie.Quod ergo nũc inquirimus est,an nõ obstantibus præceptis ecclesiasticis,vel diuersis ritibus variarũ Ecclesiarũ,ea materia & forma,quæ sufficit ad verũ sacramentũ constituendũ in vna parte Ecclesiæ,sufficiat vbiq;. Non enim desunt Catholici,qui hoc negent,præsertim ex doctoribus iuris canonici,vt Innoc.cũ alijs in c.1.de baptismo,& Feli.in c.quæ in Ecclesiarũ.de constitutio. nu.26.qui sentiunt, Græcis sufficere ad baptismũ cõficiendũ formam illã,*Baptizetur seruus Christi*, & ad consecrandum corpus Domini satis eisdẽ esse panem fermentatum,si tamẽ aliquis in Latina Ecclesia illa forma, vel hac materia vti velit,neq; baptismũ,neq; Eucharistiã effecturum.Difficileq; exemplũ videtur de sacramento Matrimonij: nam si aliqui nunc cõtrahãt priuatim in aliquo loco, vbi decretũ Cõcil.Trid.promulgatũ non sit,illi consensus sic expressi erunt ibi sufficiens forma & materia sacramenti,qui tamẽ nõ sufficiũt in vniuersa Ecclesia, vt in Italia.v.g.vel Hispania,vbi ritus à Concil.institutus necessarius est.

Non est idẽ ritus accidentalis in omnibus Ecclesiæ locis.

Explicatio quæstionis.

Innocent. Cap. 1. de Baptismo.

B

Dicendum nihilominùs est,sacramenta omnia eadem materia & forma constare in vniuersa Ecclesia atq; adeò id quod in vno loco sufficit,sufficere vbique vt sacramentum factum teneat, quanuis fortasse peccet minister accidentalem ritum omittendo. Hanc assertionem obseruauit Adrian. cõtra prædictos canonistas,in loco citato sectione præcedẽti in materia de baptismo,& est communis theologorũ disputantium de sacramentis in specie,& cõuincit potest illismet exemplis de Baptismo, & Eucharistia, nam,vt proprijs locis videbimus, certissimum est, in illis casibus vera effici sacramẽta, si quis in Ecclesia Latina vtatur forma,vel materia Græcorum. Ratio verò est,quia duobus modis potest intelligi formam aliquam,vel materiã sufficere in vna parte Ecclesiæ,& nõ in alia,scilicet vel ex institutione Christi,vel ex præcepto Ecclesiæ,neutrum autẽ dici potest probabiliter.Quod patet primo de Christi institutione,nam,sicut Christus vnã instituit Ecclesiam ita vnam tãtùm fecit sacramentorũ institutionem, quæ vniuersæ Ecclesiæ deseruiret, & ideò dixit Paul.in hac Ecclesia esse *Vnum Deum, vnã fidem, vnũ baptisma*. Quis enim fingat instituisse Christũ vnũ ritũ Baptismi,vel Eucharistiæ pro Græcis, & alium pro Latinis?Hoc sanè alienum est ab omni ratione, & ab omni Ecclesiæ sensu,vt ex Concil.Florent.latis constat,alioqui, eadem facilitate posset aliquis fingere instituisse vnum ritũ pro Iudæis,& aliũ pro Gẽtilibus,aut quid simile: aut certè dici posset, diuersis tẽporibus posse variari sacramentorum essentias,ita vt quod nũc sufficit,antea non fuerit sufficiens:vel è cõtrario,quia non est maior ratio de diuersis locis,quàm de diuersis temporibus, & sicut potuit Christus aliquid instituere pro vno loco, & aliud pro alio,ita etiã vt aliquid in vno tempore fieret,& aliud in alio.Et quidem, si fundamenta prioris sententiæ alicuius momẽti essent, non minùs probarent de diuersis tẽporibus,quàm de diuersis locis quinimò in multis sacramentis maior mutatio facta videtur in tẽporibus diuersis,quàm in locis:esset autẽ absurdissimum dicere,sacramenta ex Christi institutione essentialiter variari pro temporum diuersitate:quia neq; ista multiplex institutio Christi à principio facta fuit,aut nobis tradita,nec posteà aliquo tempore per specialem reuelationem manifesta est,vna est ergo institutio,quæ immutabilis perseuerat omni tempore, eadem ergo est vniuersalis pro omnibus locis.Tandem ex fine huius institutionis,quem suprà tractauimus,idẽ probari potest, institutæ enim sunt sacramenta, vt Christi populus in vnum religionis nomen congregaretur,& ideò necesse fuit,vt vna esset pro omnibus institutio.

Eadem materia & forma sacramẽti est vbiq; seruanda.

D

Altera verò pars de Ecclesiæ præcepto facilè conuinci potest, quia Ecclesia non potest mutare, aut impedire institutionem à Christo factam, nõ enim ab illo accepit potestatem excellentiæ sacramẽtis superiorem,sed ministerialem, & sacramentis alligatã,vt latiùs dicturi sumus q.64. ergo nec potest facere Ecclesia,vt sine materia & forma à Christo institutis fiat sacramentum, neq; etiam potest impedire, quin ex materia & forma essentiali fiat sacramentum à debito ministro, ergo non potest Ecclesia

Florent.

Ecclesia non potest mutare instituta nẽ à Christo factam.

sia efficere,vt materia,& forma,quæ in vna Ecclesia sufficit,non sufficiat in vniuersa Ecclesia, saltem vt sacramentum factum teneat, patet vltima hæc consequentia,quia si illa forma & materia in vno loco sufficit,illa sola est essentialis ex Christi institutione:ergo eadem sufficiet in quolibet loco,si ibi applicetur.Confirmatur,nam, licèt Ecclesia prohibeat alicui ministro,ne conficiat sacramentum, si non priuet illum aliqua re substantiali, ac necessaria ad sacramentum, sola prohibitio non satis est ad irritandum sacramentum ab huiusmodi ministro factum, etiam si ipse peccet sacramentum conferendo contra Ecclesiæ prohibitionem,ergo similiter, licèt Ecclesia prohibeat,sacramentum fieri ex tali materia, nisi adhibita tali circunstantia accidentali,aut ex tali forma,nisi tali modo prolata,hæc prohibitio non erit sufficiens ad irritandum sacramentum,si substãtialis materia & forma in eo seruetur,licèt peccet sacerdos accidentalem illam solẽnitatem omittendo, ergo quanuis in diuersis regionibus & locis Ecclesiæ diuersi ritus accidentales præcepti sint,id obstare non potest, quominùs ad veritatem sacramenti sufficiant materia & forma essentialis, quocũq; modo vel ritu adhibeantur.

Canonistarum quorundã error de.

Ad fundamenta ergo prioris sententiæ respondetur,eos autores errasse, non satis distinguendo necessitatem sacramenti à necessitate præcepti: vnde illa duo exempla, quæ afferunt, potiùs contra illos demonstrant,vt diximus,nam in eis casibus peccare posset sacerdos ita conficiendo sacramentum,ipsum autem validum esset.Ad tertium exemplum de Matrimonio respondetur,idem argumentum fieri posse de remporibus diuersis,nam eadem signa mutui consensus, quæ antea sufficerent ad sacramentum Matrimonij,nunc non sufficient, si absq; parocho, & testibus exhibeantur,& tamen non propterea dicendum est,materiam & formam essentialem, quæ antea sufficiebãt ad Matrimonium,nunc non sufficere,non enim potuisset Ecclesia illas mutare. Sed dicendum potiùs est,materiam & formam huius sacramenti esse mutuum consensum expressum,& ad contractum Matrimonij perficiendum inter baptizatos sufficientẽ,quam materiã,& formam Ecclesia mutare non potest, neq; impedire quominùs illis adhibitis fiat sacramentum:at verò, quia hoc sacramentum supponit contractum,in quo fundatur: & valor,seu efficacia cõtractus pendere potest ex modo contrahendi,qui modus potest ab Ecclesia præscribi,ideò fieri potest,vt expressio consensus, quæ aliquando sufficit ad valorem cõtractus sine aliqua solennitate,alio tempore sine illa non sit sufficiens: & ita non variatur formaliter, ac propriè materia, & forma sacramẽti,sed id quod erat materia,& forma, amittit illud esse, ratione cuius poterat esse materia,& forma sacramenti,sicut si Ecclesia posset efficere,vt id quod erat panis,iam nõ sit panis, vel, vt hæc vox corpus,nõ significaret quod nunc significat,sed rẽ aliam,tunc consequenter faceret, vt ex illa re, vel ex illo verbo non fieret sacramentum, non quidem mutando formam,vel materiam sacramenti proprie,ac formaliter,sed remotè,quasi destruendo rem ipsam, quæ poterat esse forma vel materia sacramenti.

Ecclesia in matrimonio non mutauit materiã, & formam.

A

QVÆSTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.



DEinde considerandum est de necessitate sacramentorum.

¶ *Et circa hoc quærantur quatuor.*

Primò, vtrùm sacramẽta sint necessaria ad salutem humanam.

B Secundò, vtrùm fuerint necessaria in statu ante peccatum.

Tertiò,vtrũ fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

Quartò,vtrùm fuerint necessaria post Christi aduentum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd sacramenta non sint necessaria ad humanam salutẽ: Dicit enim Apostolus.1.ad Timo 4.Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.Sed vsus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationẽ, eò quòd sacramenta perficiantur in significatione sensibilium rerum & verborum, vt dictum est:* ergo sacramenta non sunt necessaria ad humanam salutem.

*4.d.1.q.1.ar.1.q.1. Et 3.contra ca.110. Et li.4.c.55. fi.& c.56.

Quæst.præc. art.6.ad 2.

¶ 2 Præterea.2.ad Corinth.12. Apostolo dicitur,Sufficit tibi gratia mea. Non autẽ sufficeret, si sacramenta essent necessaria ad salutem.Non sunt ergo sacramenta saluti humanæ necessaria.

¶ 3 Præterea,Posita causa sufficienti,nihil aliud videtur esse necessarium ad effectũ. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ D salutis.Dicit enim Apost.ad Rom.5.Si cum inimici essemus,reconciliati sumus Dẽo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.Non ergo requirũtur sacramenta ad salutem humanam.

SED contra est, quod August.† dicit 19.contra Faustum: In nullum nomen religionis seu verum,seu falsum, coadunari homines possunt,nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligẽtur.Sed necessarium est ad humanam salutẽ homines adunari in vnũ veræ religionis nomen.Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

†*Li.18.c.11 in fin.tom.6*

RESPONDEO dicendum, quòd sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione. Quarum prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium est, vt per corporalia & sensibilia in spiritualia & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam prouidentiā, vt vnicuique rei prouideat secundum modum suæ conditionis. Et ideò conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus & sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remediū homini adhiberi, vbi patitur morbum. Et ideò cōueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia signa, homini spiritualem medicinam adhiberet: nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumēda est ex studio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durū, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramētis, quibus salubriter exerceatur ad euitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercunque noxia, quæ cōsistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem, homo cōuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxijs actionibus per salubria exercitia sacramentorum.

AD primum ergo dicendum, quòd corporalis exercitatio, inquantum est corporalis, non multū vtilis est. Sed exercitatio per vsum sacramentorum, non est pure corporalis, sed quodammodo est spiritualis, scilicet, per significationem & causalitatem.

AD secūdum dicēdum, quòd gratia Dei est sufficiens causa humanæ salutis, sed Deus dat hominibus gratiam secundùm modum eis conuenientem: & ideò necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam.

AD tertium dicēdum, quòd passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis. Nec propter hoc sequitur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operātur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodò applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus.

COMMENTARIVS.

IN titulo tam huius articuli, quàm omnium sequentium, obseruandum in primis est, non esse sermonem de necessitate sacramenti post factam institutionem: hæc enim non est generalis, neque eiusdem rationis in omnibus sacramentis, sed in vnoquoque talis erit, qualis fuerit eius institutio, vt inferius attingitur à D. Thom. in quæst. 65. sed est sermo de necessitate ipsius institutionis. Vnde fit (quod rectè annotauit Caiet.) non posse esse sermonem de necessitate simpliciter, sed ad melius esse: absolutè enim potuisset Deus sine sensibilibus sacramentis salutem hominum operari. Quod ergo inquiritur est, an hic modus fuerit conuenientior, & homini magis accommodatus. Secundo est obseruandum, D. Thom. simpliciter mouere quæstionem hanc abstrahendo à determinato aliquo tempore, nam in tribus articulis sequentibus de singulis temporibus inquirit, atque ita hic absolutè etiam respondet; sacramēta esse ad salutem homini necessaria. Vnde videtur colligi, definitionem hanc esse generalem, & applicari posse ad omnia tempora, & ad omnem statum humanæ naturæ: alioqui nec doctrinalis esset responsio, neq; interrogationi adequatè satisfaciens. In contrarium verò est, quia D. Tho. artic. sequenti negat, fuisse necessaria homini sacramenta in aliquo statu, scilicet, ante peccatum, oportet ergo, vt & titulum huius articuli & responsionē eius de tempore post peccatum intelligamus. Dicendum tamen existimo, mentem D. Thomæ fuisse loqui de homine absolutè considerata eius natura, nō tantùm vt lapsa, neq; vt euecta ad perfectionē status innocentiæ, sed secundùm se ex vi naturalis conditionis eius, & hoc modo respondet, indigere subsidio sacramentorum. An verò constitui possit in aliquo altiori statu, in quo illis non indigeat, hoc inquirit in articulo sequenti.

Sacramētorum non est necessitas simpliciter.

Cōciliantur duo loca D. Thomæ.

Et iuxta hunc sensum, tam respōsio articuli, quàm prima & tertia ratio eius claræ sunt. Secunda verò nonnihil difficultatis habet, quia cùm ex peccato sumatur, videtur procedere de homine lapso, & nō de homine secundùm se. Respondetur tamen, rationem illam non fundari in propria malitia culpæ, sed in effectu relicto ex culpa, qui est affectus, & nimia propensio ad res corporales, qui quidem affectus idem est in homine in sua pura natura considerato, quanuis in illo non esset pœna, nec effectus peccati, eodem tamen modo esset sufficiens ratio efficiens sacramentorum necessitatem, seu indigentiam: quia hæc nō oritur ex illo affectu propter habitudinem, quam habet ad culpam originale, sed secundùm se, & ita facilè accōmodatur hæc ratio sensui prædicto.

Secunda ratio D. Tho. fundatur in affectu ad res corporales.

Alia verò difficultas oriri poterat ex rationibus D. Tho. & solutionibus argumentorum: procedunt enim de sacramentis ad sanctificandos homines institutis: vnde solùm videntur probare de sacramentis nouæ legis. Respondetur in primis, cùm dictum sit, hic nō esse sermonem de necessitate simpliciter, sed ad melius esse, etiam si fateamur, sermonem D. Thom. esse de sacramentis nouæ legis, meritò dici posse, illa esse necessaria homini secundùm se ad salutem obtinendam, quamquam non semper illi data sint: quia non omni tempore abundantia gratiæ illi collata est. Deinde dicitur D. Thomam absolutè loqui de sacramentis, siue sint signa, siue causæ gratiæ, vt apertè patet in solutione ad primum, & omnes vtilitates sacramentorum, quæ in tribus rationibus

nibus proponuntur, non pendent ex causalitate gratiæ, sed solum requirunt, quòd sacramēta contineāt diuinum cultum, & spiritualem significationē. Vnde etiam fit, vt eorum vsus possit conferre ad hominis sanctificationem, saltem ex opere operantis, q. si etiam habuerint virtutem ad sanctificādum ex opere operato, tantò erunt meliora & vtiliora homini, & hoc modo loquitur D. Tho. in solutione ad 1. & 3. & ita est perspicua litera huius articuli.

ARTICVLVS II.

Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

4. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 3

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod etiam ante peccatū fuerint homini necessaria sacramēta. Quia sicut dictum est,* sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. Sed etiam in statu innocentiæ homo indigebat gratia: sicut in prima parte habitum est.* Ergo etiā in statu illo erant necessaria sacramenta.

Art. præc. ad. 2.

1. p. q. 95. ar. 4. ad. 1.

¶ 2. Præterea, Sacramēta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ: sicut dictum est.* Sed eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatū. Ergo videtur, quòd etiam ante peccatum homo indiguerit sacramentis.

Artic. præc.

¶ 3 Prætereà, Matrimonium est quoddam sacramentum, secundum illud Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Sed matrimoniū fuit institutū ante peccatum, vt dicitur Genes. 2. Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum.

SED cōtra est, quod medicina nō est necessaria nisi ægroto, secundum illud Matth. 9. Non est opus sanis medicus. Sed sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo nō fuerunt necessaria ante peccatum.

RESPONDEO dicendum, quod in statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo depēdebant ab eis. Sicut enim mēs suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideò in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat, nō solùm in quantum sacramenta ordināntur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem.

AD primum ergo dicēdum, quòd homo in statu innocentiæ gratia indigebat, non tamen vt eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter & inuisibiliter.

AD secundum dicēdum, quòd eadem est natura hominis ante peccatum & post peccatum, nō tamen est idem naturæ status. Nā post peccatum, anima etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid à corporalibus rebus ad sui perfectionē, quod in illo statu homini necesse non erat.

AD tertium dicendum, quòd matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, nō secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ: Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum & Ecclesiam, sicut & omnia alia quæ in figura Christi præcesserunt.

COMMENTARIVS.

CIrca intelligētiam tituli huius articuli dissentiunt inter se interpretes D. Thom. Caiet. enim existimat D. Thom. non habere quæstionem de statu innocentiæ absolutè, prout futurus esset, si homo non peccaret, sed solùm prout de facto fuit in primis hominibus ante peccatum: ita vt hic non tractetur quæstio quasi conditionalis, scilicet, an si status innocentiæ durasset, & in eo multiplicarentur homines, indigerent sacramentis, sed absoluta, vtrùm Adam, & Eua deberent aliqua sacramenta accipere antequam peccarent. Fundatur Caiet. primò in verbis tituli, quia non quæritur, vtrum in statu innocentiæ, sed *vtrum ante peccatum.* Secundò in solutione ad secundum, in qua dicitur ante peccatum non indiguisse hominem corporalibus rebus, vt ab eis aliquam perfectionem animæ acciperet, quod est verum de Adam, & Eua, non tamen esset verum de omnibus hominibus, si status innocentiæ duraret, acciperent enim scientiam à corporalibus rebus. Tertio iuuat hanc expositionē, quod iuxta illam resolutio articuli est vera, & facilis, in alio verò sensu est valde difficilis, vt videbimus. At verò Soto & Ledesma intelligunt D. Tho. quærere de statu innocentiæ, tam qui iam fuit in primis hominibus, quàm qui futurus esset in omnibus, si Adam non peccaret. Qui sensus & simplicior, & verior est sine dubio. Primò, quia D. Tho. in discursu huius quæstionis tractare voluit de necessitate sacramentorum in omnibus tēporibus & statibus hominum, quod nō plenè fecisset, nisi in hoc posteriori sensu quæstionem mouisset. Secundò, quia in discursu articuli nō fundatur in peculiari perfectione, quam habuerant Adam & Eua ante peccatum, sed in communi ratione, & rectitudine status innocentiæ, quæ futura erat in hominibus, si peccatum non intercessisset. Tertiò, quia tam in corpore articuli, quàm in solutione ad primum, pro eodem ducit D. Thom. agere de statu innocentiæ, quàm de primis hominibus, & ita ratio sumpta ex titulo articuli nullius momenti est, neque etiam ratio desumpta ex solutione ad secundum, quia D. Thom. non intendit excludere ab illo statu perfectionem homini connaturalem, qualis est, vti rebus corporalibus, vt obiectis ad scientiam acquirendam, quia hoc nihil pugnabat cū perfectione illius status. Vnde de ipsomet

Quid quæratur, quæritur.

Intelligēda quæstio de statu innocētiæ qui fuit & qui futurus esset, nisi Adam peccasset.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo, qui perfectiorem statum habuit quantũ ad animam, docet alibi D. Thom. hoc modo accepisse naturalem scientiam à rebus, & de Adam & Eua negari non potest, quin aliquo modo proficere potuerint ante peccatum ex sensibilibus obiectis, saltem quantum ad experimentalem scientiam. Loquitur ergo D. Thom. de supernaturali perfectione scientiæ & gratiæ, in quibus non expediebat hominem in statu innocentiæ proficere per vsum rerum sensibilium, neque illis subijci ad huiusmodi fructum capiendum propter rectitudinem ac perfectionem illius status, & ita est perspicua litera, & sensus D. Thom. de re autem ipsa commodiùs disputatione sequenti dicemus.

DISPVTATIO III.

De sacramentis, quæ futura essent in statu innocentiæ.

IN præcedentibus disputationibus tractauimus, quid sit sacramentum, ante quæstionẽ an sit, propter rationẽ ibi traditã, reliquũ ergo est, vt quæstionem ibi ex accidenti omissam disputemus, antequàm ad effectus, vel causas sacramentorum progrediamur. Quoniam verò sacramenta habent suum esse ex institutione, idem est quærere, an sacramenta sint, & an facta sit eorum institutio, &, quoniam Deus qui solus est sacramentorum institutor, vt posteà dicemus, nihil nisi ex certa ratione, necessitate, vel vtilitate operatur, ideò, inuestigando sacramentorum institutionem, necessariò inquirendum est, quæ fuerit causa, vel necessitas illa instituendi, hæc ergo tria simul tractanda sunt, vnde simul ex parte obiter explicabitur finalis causa sacramentorũ, quæ est eorum vtilitas, vel necessitas, hæc enim duo idẽ in hac materia significant, vt in Commentario art. 1. notaui, & latiùs tractant Scot. in. 4. distinct. 1. q. 3. & Gab. q. 1. art. 1. Quanuis autem D. Tho. priùs generalem quæstionem de homine præmiserit, quâ de singulis statibus hominis disputauerit, tamen claritatis gratia, illa prætermissa, de singulis statibus figillatim dicemus: quia, cùm nõ sit in omnibus æqualis congruentia, vel necessitas, neque eadem institutio, & ratio sacramentorum omnibus conueniat, non tàm commodè potest sacramentorum necessitas in communi explicari, quàm in particulari: præsertim, quia de illa generali quæstione sufficiunt, quæ D. Thom. tradit, & quæ dicemus de homine in statu innocentiæ, omnia applicari poterunt homini secundùm se considerato, nam certum est, ex statu innocentiæ non fuisse ortum specialem necessitatẽ sacramentorum, vnde si quæ in illo fuit necessitas, hæc nata est ex natura hominis secundùm se.

In hac ergo disputatione dicemus de statu innocentiæ, in sequentibus verò de statu post peccatum, iuxta diuersa tempora, ætates, & leges à Deo datas. Consideratio autem sacramẽtorum fieri potest, vel secundum propriam & specificam rationẽ sacramenti, vel secundùm communiorem rationem diuini cultus externi, quas duas rationes sæpè confundunt autores in præsenti materia, cum tamẽ valde diuersæ sint, & ratio externi cultus latiùs pateat, quàm ratio sacramenti, quia ergo de statu innocẽtiæ vtraque in dubium verti potest, vt à cõmunioribus & clarioribus procedamus, dicemus priùs de cultu in cõmuni, deinde de sacrificio, posteà de sacramẽto,

SECTIO I.

Vtrùm in statu innocentiæ colendus esset Deus ab hominibus cultu externo, priuato, & publico.

IN quæstione hac non inuenio inter Catholicos dissentientes sententias, nec, etiã fuerũt aliqui hæretici qui de illo statu specialiter hoc negarent, præter eos, qui in vniuersum hunc externũ cultum reijciunt, vt per se malũ in hoc statu, cõtra quos nõ est hoc loco disputandũ, tùm, quia est absurdissima hæresis, & sine fundamento, tùm, quia est valde generalis ad materiam de religione pertinens.

Dicendum est ergo primò. Cultus Dei externus per actiones corporis valde consentaneus esset hominibus in statu innocentiæ, vnde & probabile est de facto in eis fuisse, & longè probabilius futurum fuisse, si homo non peccasset. Hanc conclusionẽ existimo certam ex ipsa naturali ratione, quia hic cultus externus non est ex accidenti, seu per occasionẽ introductus ratione peccati, sed est per se debitus Deo, eò quòd est autor humanæ naturæ, quæ animo & corpore constat, hæc est enim fundamentalis ratio huius cultus, qua sæpe Patres vtuntur, vt in superioribus visum est, & latiùs in materia de religione tractatur: sed hæc ratio eodẽ modo obligaret in statu innocentiæ, in quo etiam homo constaret corpore & anima, ergo vtriusque actibus deberet colere Deum autorem suum. Secundò est alia ratio sumpta ex cõsortio & societate aliorum hominum: est enim naturalis homini vita politica, & socialis, & ideò non satis est, vt interiùs credat, & colat verum Deum, sed etiam oportet, vt ore, & opere suam fidẽ & religionem ostendat, sed hæc ratio tota haberet locum in statu innocentiæ, in quo & homines politicè, & non solitariè viuerent, neque enim alia viuẽdi ratio perfectioni illius status fuisset consentanea, & vnus non cognosceret interiores actus alterius, nisi quatenus per exteriores manifestarentur: ergo necessarium erat, vt in eo statu, non solùm esset vera religio, sed etiam exterior eius professio, quæ nõ fit nisi hoc exteriori cultu religionis. Tertiò, Naturale est homini, vti corpore & animo in suis actionibus: ergo maximè in diuino cultu. Quis enim potest excogitari decentior vsus facultatum, & actionũ corporis, quàm diuinus cultus? sicut ergo non esset indecens homini in statu innocentiæ animo, & corpore constare, ita neque offerre cultum Deo suo modo spiritu & corpore compositum. Confirmatur, quia actiones corporis iuuare solent ad actiones mentis, & animi deuotionem excitare, hunc autem vsum possent habere etiam in statu innocentiæ.

Cultus Dei externus vt de consentaneus esset in statu innocentiæ.

Dices, His rationibus probaretur etiam in statu gloriæ post resurrectionem corporum futurum esse diuinum cultum externum, & sensibilem. Respõdetur in primis non esse omnino eãdem rationẽ, quia in gloria resurget corpus spirituale, & anima multò magis erit indepẽdens ab actionibus eius: erit enim intentissima Deo, absq; consortio seu concursu corporis: in statu verò innocentiæ quanuis corpus esset in perfectiori statu, quàm nunc sit, tamen reuera esset corpus animale, & licèt anima perfectiùs illi dominaretur, tamen etiam posset ab illo iuuari, vt perfectiùs interiores actus exerceret, & vehementiùs ad illos applicaretur, penderet enim intellectus in cognitione sua à phantasmatibus, & affectus omnino

Obiectio.

Respondetur.

nino spirituales coniunctionem haberent cum affectibus corporis, & consequenter cum obiectis sensibilibus, à quibus hi excitantur. Deinde dicitur, verum esse, in beatitudine futurum esse externum Dei cultum, laudabunt enim sancti Deum, non tantùm mente, sed etiam voce, & actibus corporis: & præsertim indubitatum est adoraturos Christum Deum hominem, exteriorem reuerentiam illi exhibendo.

Homines beati externo cultu deũ laudabunt.

Circa hanc verò assertionem inquiri potest, vtrũ hic cultus externus futurus esset in statu innocentiæ priuatus tantùm pro vniuscuiusque arbitrio, an verò etiam publicus nomine totius Ecclesiæ, vel rei publicæ solenni aliquo ritu exhibitus: nam rationes factæ solùm videntur procedere de priori modo cultus. Respondetur, licèt conclusio certior sit de ritu priuato, veram tamen videri etiam de publico, propter illam præcipuè rationem; quia homo natura sua est politicum animal, & ideò naturale est hominibus in vnum populum, vel rem publicam congregari; esset ergo hic modus societatis in statu innocentiæ; nam per se bonus est, & humanæ naturæ conueniens, & non tantùm occasione peccati: ergo homines sic congregati in vnum corpus politicum, deberent etiam in vnum religionis nomen congregari. Nam in omni republica benè instituta primum, ac præcipuum esse debet religionis negotium, ad cuius debitam institutionem, ordinem, conseruationem, & augmentum reliqua omnia, si necesse fuerit, referri debent: non enim posset honestas morum rectè in humana republica institui, & conseruari, nisi ratio diuini cultus principem locum haberet: non possunt autem homines congregari in vnum nomen religionis, nisi medio aliquo cultu Dei externo & sensibili, ac toti reipublicæ communi, vt constat ex Auguſt. 19. contra Faustum, capit. 11. & ex ratione facta, quia homines non vident actiones animi, sed corporis. Secundò est etiam optima ratio, quia sicut recta ratio dictat, vt vnusquisque priuatus homo suo proprio corpore, & animo, & priuatis actionibus colat Deum; ita etiam dictat, vt tota respublica, prout est vnum corpus politicum, vnum etiam cultum quasi communi consensu Deo offerat: sed hoc est colere Deum publico, & solenni cultu, ergo. Tandem, nam in statu innocentiæ futura esset vna humana congregatio, seu respublica, siue omnino vna, siue in varios populos, vel regna, esset diuidenda, hoc enim nihil ad præsentem disputationem refert: ergo eadem vel maiori ratione futura esset vna Ecclesia; magis enim ad spiritualem finem quàm ad temporale commodum in vnum corpus congregarentur homines, quorum vna esset interior fides, & intentio eiusdem beatitudinis acquirendæ: esset igitur illa Ecclesia visibilis, quia hoc est de ratione Ecclesiæ militantis, & ex visibilibus hominibus compositæ: ergo necessarius esset in illa Ecclesia visibilis cultus religiosus, publicus, & cõmunis, vt in eo omnia vnius Ecclesiæ membra conuenirent. Neque contra hæc omnia inuenio obiectionem aliquam, vel difficultatem, quia nullã habent repugnantiam, vel indecentiam in illo statu; & ex ipsa naturali ratione bene instituta, & præsertim fide illustrata consequũtur absque alijs legibus positiuis, vel speciali diuina institutione, quæ necessaria sit; posset enim totus hic cultus hominum arbitrio relinqui, & ex eorum consensione, vel maiorum traditione definiri.

In rep. præcipuũ debet esse negotiũ religionis.

Augusſ.

SECTIO II.

Vtrùm in statu innocentiæ futurus esset sacrificiorum & oblationum cultus.

DVplex intelligi potest externus ac sensibilis Dei cultus. Alter, qui fit solis actionibus, & organis corporis humani, alter qui fit aliquo vsu externarum rerum. Priorem exercemus, quãdo voce Deum oramus, vel laudamus: quando genu flectimus, vel similes actiones exercemus, quæ non habent aliam materiam, circa quam versentur, præter nostri corporis membra, & eorum vsum. Posteriori verò modo colimus Deum, quando res externas illi offerimus, vel sacrificamus, cereos accendimus, vel thus, aut incensum adolemus in eius honorem. Vnde pendet explicatio quæstionis propositæ, an in illo statu futurum esset sacrificium. Soto enim negat, in statu innocentiæ futura fuisse sacrificia, quia omnis finis & ratio sacrificiorũ in eo statu cessaret: quia tunc non essent peccata, & ita non essent necessaria sacrificia satisfactoria, neque esset varietas cultus, aut religionis; quia omnes vno ore colerent & adorarẽt Deum, & omnibus esset notum, omnes esse eiusdẽ Dei cultores, & amicos, ac iustos, quia omnes essent in iustitia procreati, & nulla tunc essent peccata; atq; ita non essent necessaria sacrificia, vel ad manifestationem, vel ad distinctionem veræ religionis. Neque etiam ad memoriam beneficiorũ Dei, quia alijs modis essent tunc homines sufficienter instructi de diuinis rebus, ac beneficijs. Nec deniq; ad gratias agendas conferrent sacrificia, quia omnes tunc simplici corde, & ore Deum laudarent. Confirmatur primò, quia vanè offeruntur res sensibiles, nisi cessuræ sint in vsum ministrorum, & templorum; tunc autẽ non essent ministri, neque templa, neque etiam quisquã aliqua re indigeret: quia omnia essent communia: ergo tales oblationes tunc nullius essent momenti; ergo & nullius meriti vel laudis. Tandem confirmatur, quia, secluſa significatione, vanum ac futile est huiusmodi sensibilia sacrificia facere; sed hæc significatio non esset necessaria in statu innocentiæ: ergo. Hę verò rationes nõ me ita mouẽt, quin cõtrariã sententiam valde probabilem existimem, & consentaneam doctrinæ D. Tho. qui nunquam negauit in eo statu futura fuisse sacrificia: quin potius 2. 2. q. 85. art. 3. absolutè dicit, offerre sacrificium esse de lege naturæ: quia ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam rebus sensibilibus vtatur, vt per earum oblationem subiectionem ad Deum significet, & diuinum dominium recognoscat, & similia repetit artic. 4. Hoc autem naturale dictamen de offerẽdo Deo sacrificia, non oritur ex occasione aliqua orta ex peccato, vt ex ratione facta cõstat; sed ex subiectione, & illius recognitione, quã homo debet Deo, propter supremũ eius dominium. Quæ ratio ita patet ex dictis confirmari, quia homo non tantùm accepit à Deo corpus & animam, sed etiam res externas, quibus ad corporis conseruationẽ, & animi profectum, oblectationem, vel exercitium vtitur: ergo nõ solùm debet corpus & animo Deum colere, sed etiam rebus externis, quarum oblatione, cõsumptione, aut alio simili vsu, Deum esse omnium dominũ protestẽtur: eiq; gratias agat, iuxta illud 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*, quæ tota ratio & congruentia lo-

Sotus negat futura fuisse sacrificia.

Contraria sententia melior & doctrinæ Diui Thom. congruentior.

1. Paralip. 29.

cum haberet in ſtatu innocentiæ. Denique huiuſmodi vſus rerum ſenſibilium eſt per ſe decens & honeſtus, & non includit imperfectionem ſtatui innocentiæ repugnantem, vt ex dictis facilè conſtat, & ex his, quæ Soto obijcit: nullam enim in hoc actu imperfectionem oſtendunt.

Etiã ſi Adã nõ peccaſſet, probabile eſt alios peccaturos.

Ad primam enim & præcipuam rationem in primis dicitur, eum ſupponere, ſi Adam non peccaſſet, nulla fuiſſe futura hominum peccata: quod non ſolùm incertum eſt, ſed etiam minùs probabile: nam per iuſtitiam originalem non magis confirmarentur homines in gratia, quàm Adam ipſe fuit in ſua creatione, & prima iuſtificatione confirmatus: ſicut ergo ille peccauit, potuiſſent alij peccare, etiam ſi ipſe non fuiſſet lapſus; neque in illo tota natura corruiſſet. Quòd ſi peccarent aliqui, ceſſant omnes rationes Soti: nam pro illis poſſent offerri ſacrificia, vel ſatisfactoria, vel deprecatoria à viris ſanctis, & iuſtis: poſſent etiam adeò multiplicari peccata, vt diuerſi ritus religionis, vel veræ aut falſæ ab hominibus inſtituerentur.

Sacrificiorũ ſatis magna cauſa eſt gratiarũ actio, &c.

Deinde, ſeclusis omnibus peccatis, eſſet ſufficiens ratio ad inſtituenda ſacrificia, exhibitio diuini honoris, & gratiarum actionis & cauſa etiã aliquid impetrandi à Deo. Quanquam enim poſſent hæc omnia homines corde, & ore facere, decebat tamen, vt etiam externis rebus hoc facerent, vt omnibus modis animi gratitudinem, & recognitionem oſtenderent. Quòd verò de vſu templorum, ac miniſtrorum obijcitur, valde accidentarium eſt, & extrinſecum ad inſtitutionem, honeſtatem, & vtilitatem ſacrificij, vt in lege gratiæ, ſi ſolùm ſacrificium nude ac per ſe ſpectetur, oblatio, quæ in eo fit, non cedit in vſum templorum, vel miniſtrorum; imò ſi tales eſſent homines, vt nulla re indigerent, puriùs ac ſinceriùs illud ſacrificium offerre poſſent. Atque eadem ratione impertinens eſt, quod bona ſint communia, quia ſacrificium nõ habet honeſtatem ex eo, quod homo ex proprijs bonis aliquid amittit, vel conſumit, vt videre licet in ſacrificio Miſſæ: in quo offerendo ferè nihil ex temporalibus bonis conſumitur; & æquè religioſè fieri poſſet ex bonis communibus, ſicut ex priuatis: ergo propter has cauſas extrinſecas non eſt negandum ſacrificium in ſtatu innocentiæ, cùm per ſe & intrinſeca ratio eius cum perfectione illius ſtatus non repugnet, ſed maximã habeat congruentiam. Vnde circa id, quod in vltima confirmatione dicebatur de ſignificatione ſacrificij, diſtinctione opus eſt, quam latiùs inferiùs tradituri ſumus.

Quæ ſignificatio ſit de eſſentia ſacrificij.

Eſt enim in ſacrificio ſignificatio quædam moralis, quatenus eſt ſignum interioris ſacrificij; & hæc ſola eſt de eſſentia ſacrificij, quæ non repugnabat ſtatui innocentiæ, nam in eo etiam naturale eſſet hominibus interiorem mentem exterioribus ac ſenſibilibus ſignis manifeſtare, tam verbis, quàm factis, & rebus. Alia eſt ſignificatio myſtica, quatenus per ſacrificiũ ſignificatur aliquod ſupernaturale diuinum myſterium, & hæc non eſt de eſſentia, ac neceſsitate ſacrificij, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, & ideo, quanuis gratis concederemus hanc ſignificationem non fuiſſe futuram in ſtatu innocentiæ, non inde fit, tunc non fuiſſe futurum ſacrificium: quanquam improbabile nõ eſt, potuiſſe tũc eſſe ſignificationem aliquam myſticam alicuius diuini myſterij, vt verbi gratia, Chriſti Domini, qui in eo ſtatu venturus eſſet, etiam ſi homo non peccaſſet: quia, ſicut hæc myſteria poſſent tunc ſignificari ab hominibus per verba ſenſibilia, vel per ſcripta; ita etiam per facta, vel res externas: cur enim hoc poſterius repugnat perfectioni illius ſtatus potiùs quàm illud prius? Mihi igitur probabilius eſt, vſum ſacrificij potuiſſe habere ſufficientem cõgruentiam in ſtatu innocentiæ, & neque indecentiã vllam fuiſſe allaturum: ac denique (quod certius eſt) non futurũ fuiſſe malum, nec cõtra rationem, nec ſpeciali aliqua Dei lege prohibendum, vanum enim eſſet, ſine fundamento vel ratione aliqua huiuſmodi legẽ fingere. An verò de facto futurus fuiſſet talis vſus ſacrificij, ſi homo non peccaſſet, non exiſtimo poſſe certa ratione affirmari, quia licèt hoc ſacrificium dicatur eſſe de lege naturæ, vel ſecundùm rationẽ communem cultus externi, vel quia eſt conſentaneum rationi naturali, tamen ſimpliciter non eſt in præcepto naturali, propriè loquendo de ſacrificio, prout conſiſtit in ſacra oblatione externarum rerum ſenſibilium: igitur ex ſola obligatione legis naturæ non poteſt certò colligi, homines perſeuerantes in iuſtitia originali vſuros fuiſſe ſacrificijs, penderet enim hoc ex eorum arbitrio, vel certè ex diuino, ſi huiuſmodi legem eis vellet imponere. Si tamen credendũ eſt, facturos fuiſſe homines in eo ſtatu, quod eſſet magis congruum, magiſque humanæ naturæ ac rectæ rationi conſentaneum, credibilius eſt, fuiſſe vſuros aliquo ſacrificio propter rationes ſupra factas.

Adam obtuliſſe ſacrificiũ ante peccatũ cur negetur omnino non eſt.

Denique, ſi quæratur, vtrùm Adam & Eua ante peccatum aliquod ſacrificium obtulerint. Id multò magis incertum eſt, nam ſicut id affirmare non poſſumus propter illius temporis breuitatem, ita neq; eſt ſufficiens fundamentum ad id negandum; nam licèt ſcriptura hoc non referat, non inde ſequitur factum non eſſe, vt in ſimili dixit D. Thom. 2. 2. quæſt. 85. artic. 1. ad primum, vbi dicit credendum eſſe, Adam obtuliſſe ſacrificium, licèt non legatur, loquitur autem abſolutè de Adam, non diſtinguendo de tempore, ante vel poſt peccatum.

SECTIO III.

Vtrùm in ſtatu innocentiæ fuerint ſacramenta, vel futura fuiſſent peccato non exiſtente.

Hugo. Hæc ſententia eſſet [illegible] ſacramenta orta [illegible] peccato.

PRima ſententia negat, tenet Hugo Victor. lib. 1. de ſacramẽt. part. 9. c. 3. & 5. & in ſum. ſent. tract. 9. cap. 1. vbi omnes congruentias ſacramẽtorum ortas dicit occaſione peccati. Et hæc videtur eſſe mens D. Thom. vt diximus, quanuis enim non expreſsè neget, futura fuiſſe tunc ſacramenta, tamẽ, cùm negat fuiſſe neceſſaria, hoc planè intendit, ſcilicet non fuiſſe illi ſtatui congruentia, & conſequenter nec in eo futura fuiſſe: quia Deus ſuauiter omnia diſponit, & in ſingulis ſtatibus prouidet, quod eis eſt conſentaneum. Idem D. Thom. in 4. diſt. 1. artic. 2. quæſt. 2. & ibi Bonauent. art. 2. quæſt. 1. Richar. art. 1. quæſt. 1. & Gabriel. quæſt. 2. concl. 1. Maior quæſt. 4. Palud. quæſt. 3. cõcl. 2. Altiſiod. lib. 4. ſum. in princ. Caiet. Soto, & Ledeſma.

Bonauent. Richar. Gabr. Maior. Palud. Altiſiod.

Fundamẽtum eſt, quia ſacramenta inſtituuntur propter ſupernaturalẽ perfectionem, vel cognitionis, vel gratiæ, ſacramenta enim ſunt vel propter ſignificationem, quæ ad cognitionem ordinatur, vel propter effectionem, per quam gratia confertur, ſed neutro modo debuit perfici homo per ſacramenta in ſtatu innocentiæ: ergo non

non eſt, cur tunc inſtituerentur. Probatur minor, nam nobiliora perfici ab inferioribus non eſt ordo per ſe conueniens, niſi vel ex neceſsitate naturæ oriatur, vt cùm homo naturalem cognitionem accipit à ſenſibilibus, vel cùm propter aliquam rationem ortam occaſione peccati, ita fieri expedit; ſed vtraque cauſa ex his deficit in ſtatu innocentiæ quoad inſtitutionem ſacramentorũ: ergo. Et confirmatur, quia ordo illius ſtatus erat, vt homo ſecũdùm partem ſuperiorem dominaretur omnibus rebus, eiſque minimè ſubijceretur, quandiu ipſe ſubiectus eſſet Deo: ergo durante hac ſubiectione perfecta hominis ad Deum, non eſſet ipſe ſubijciendus ſacramentis ſenſibilibus, vt per ea gratiam, vel ſupernaturalem cognitionem acciperet.

Secunda ſententia affirmat, licèt in ſtatu innocentiæ non eſſet futura tanta neceſsitas ſacramẽtorum, ſicut modò eſt, non tamen fuiſſe defuturam ſufficiẽtem rationem, & cauſam, ob quam inſtituerentur. Ita tenet Alex. 4. par. quæſt. 1. memb. 2. art. 1. inclinat etiam Duran. diſt. 1. quæſt. 2. nu. 9. nec diſſentit Scot. quæſt. 3. arti. 3. ſolùm enim dicit, in eo ſtatu nõ fuiſſe tantam congruentiam ad ſacramentorum inſtitutionem, ſicut modò eſt.

Quid in quæſtione inuoluatur, euoluitur.

In hac quæſtione multa ab autoribus inuoluuntur, quæ confuſionem pariunt. Diſtinguenda ergo ſunt vt diſtinctè poſsimus quæſtioni ſatisfacere. Primùm ergo inquiri poteſt, an in ſtatu innocentiæ fuerit ſufficiens congruentia ad inſtituenda ſacramenta; an verò talis inſtitutio oppoſitionem aliquam, vel repugnantiam habeat cum perfectione illius ſtatus. Secundum, an inſtituta fuerint ſacramenta in eo ſtatu eo breui tempore, quo durauit; nam licèt demus, potuiſſe hanc inſtitutionem habere conuenientem rationem pro illo ſtatu, non ſtatim ſequitur, factam eſſe; quia non ſemper facit Deus, quidquid videtur congruenti ratione fieri poſſe. Tertium, eſtò de facto non fuerint talia ſacramenta, an futura fuiſſent, ſi homines in illo ſtatu perſeueraſſent.

Sacramenta eſſe in ſtatu innocentiæ non dedecet.

Dicendum eſt primò, Sacramentorũ inſtitutionẽ non eſſe contra debitum ordinem & perfectionem illius ſtatus, quinimò potuiſſe in eo habere ſufficientem cauſam, & congruentiam. Probatur, quia dupliciter poſſunt conſiderari ſacramenta, vno modo, vt ſigna; alio modo, vt cauſa gratiæ, & vtroque modo poſſunt habere cõuenientem rationem in illo ſtatu. Primò de ſignificatione probatur, quia ſacramenta, vt ſigna, non tantùm ſunt ad acquirendam cognitionem, ſed ad alias vtilitates.

Significationis ſacramẽtorũ variæ vtilitates.

Prima ad exprimendã & profitendam interiorem fidem. Secunda, ad excitandam memoriam, & affectum. Tertia, ad quandã repræſentationem ſupernaturalium myſteriorum, & faciliorem eorum apprehenſionem. Quarta, ad conſenſionem, & vnitatem hominum eiuſdem religionis in exteriori cultu Dei: ſed has omnes vtilitates poſſent habere ſacramenta in ſtatu innocentiæ ſine aliqua imperfectione contraria recto ordini illius ſtatus. Quod probo primò, quia in eo ſtatu ſeruaretur naturalis modus humanæ cognitionis, quantùm ad hæc videlicet, quòd excitaretur homo ab obiectis ſenſibilibus, & intelligeret cum dependentia à phãtaſmatibus; & quia non conciperet res ſpirituales, prout in ſe ſunt, ſed per aliquam analogiam ad res ſenſibiles.

Filij Adæ ſcientias ſibi compararent.

Item filij Adæ non haberent ſcientias naturales per accidens infuſas, ſed eas ſibi compararẽt, vel per inuentionem ab obiectis ſenſibilibus, vel per diſciplinam à parẽtibus. Vnde neceſſariò vterentur ſignis ſenſibilibus ad mentis conceptus exprimendos. Quod verò Sotus inquit, hæc habere locum in cognitione naturali, nõ tamen in ſupernaturali, quia hæc à principio cum ipſa gratia, & iuſtitia infunderetur, hoc (inquam) ſi rectè penſetur, nõ habet abſolutam veritatem in omnibus. Vnde non ſufficit ad excludenda omnia ſenſibilia ſigna ſupernaturalium rerum. Probatur, quia, licèt cum gratia, & iuſtitia infunderetur habitus fidei, ſicut nunc infunditur infantibus baptizatis; tamen non infunderentur ſpecies, & phantaſmata, quibus homo indiget ad apprehendendas res fidei, neque fierent omnibus, ac ſingulis hominibus interiores reuelationes rerum omnium credendarum, ſed per traditionem filij à parentibus acciperent: nam hic eſt modus connaturalis homini viatori, & nulla eſt cauſa ad fingenda miracula, vel nouum prouidentiæ modum.

Species rerum fidei nõ infunduntur cum fide.

Deberent ergo tunc homines inſtitui in rebus fidei per voces, & ſigna ſenſibilia, eaſque apprehendere per habitudinẽ ad illa, quia in vſu fidei à phantaſmatibus dependerent: ergo pari ratione, ſi tunc inſtituerentur alia ſigna, quæ in actionibus, vel rebus conſiſterent, poſſent habere vſum & vtilitatem illi ſtatui conuenientem abſque imperfectione, vel inuerſione ordinis eidem ſtatui conuenientis.

Congruentia varia.

Confirmatur argumento ſuprà facto, quia non eſt dubium, quin tunc eſſent futura ſigna vocalia; credibile etiam eſt futuras tũc fuiſſe ſcripturas, ſaltem vt poſſent homines cum abſentibus loqui. Item veriſimile eſt, futuras fuiſſe imagines, non ſolùm propter exercendam artem illam nobilem, in qua homo naturam, & autorem eius quodammodò imitatur, ſed etiam, vt res abſentes quodammodo præſentes fierent; & præterea in honorem & venerationem aliquarum perſonarum, & in ſignum amoris: in illo enim ſtatu futura eſſet hæc imperfectio, quod non poſſent homines omnes res æquè habere præſentes, neque oculis intueri, quæ longè diſtarent. Neque etiam haberent rerum omnium memoriam in actu continuo, ſed indigerent vt aliquo modo excitarentur ad actu conſiderandas res, quas memoria retinerent: ergo oporteret ad hæc omnia iuuari adminiculo ſenſibilium ſignorum: ergo pari ratione poſſent eis ad hos fines eſſe vtiles actiones ſacræ, ad ſignificandas ſpirituales res impoſitæ: neque huiuſmodi ſigna eſſent ab ordine illius ſtatus aliena. Tandẽ, in illo ſtatu futurus erat externus Dei cultus, tam in actionibus, quàm in rebus conſiſtens; ſed quod Deus huiuſmodi cultum ad ſacram ſignificationem eleuaret, nullam præ ſe fert indecẽtiam, nullamq; affert imperfectionem aut perfectionem impedit; & poteſt habere vtilitatem: ergo, ſi fieret, ſatis congruentem rationem habere poſſet.

Sacramenta vt cauſæ gratiæ non tantam habent proportionẽ cũ modo operandi hominis.

Secundò, ſi conſiderentur ſacramenta, vt cauſæ gratiæ, ſub hac quidem ratione habent minorẽ coniunctionem, ſeu proportionem cum modo naturali cognoſcendi, & operandi hominis, & ex hac parte videtur eſſe minor congruentia ſacramentorum in illo ſtatu, quia talis modus prouidentiæ nullo modo debetur naturæ, aut oritur ex naturali modo operandi eius. Aliunde verò conſiderata maxima ſpirituali vtilitate, quæ eſt in obtinenda gratia, ſeu augmento eius ex vi operis externi, vltra omne meritum operantis, eſt hæc perfectio tanti momenti, vt, ſi Deus vellet eam conferre hominibus in ſtatu innocentiæ, ex hoc ſolo capite eſſet maior congruitas in inſtitutione ſacramentorum, quàm ſit in omnibus alijs coniecturis, quæ in contrarium afferri poſſunt. Confirmatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

matur & explicatur, nam decuit in illo statu arceri hominē ab esu ligni scientiæ boni, & mali, quæ erat quædam arbor sensibilis; quia id factum est propter vtilitatem obediētiæ, & humilis ad Deum subiectionis: ergo propter eandem obedientiam, & humilitatem, & maximè adiuncto prætereà fructu gratiæ ex opere operato, potuisset, & conuenienter, & satis cōgruenter, præcipi homini in eo statu vsus alicuius rei sensibilis, quo & Deum coleret, & ipse magis sanctificaretur. Tandem, quia conferre gratiam per res sensibiles, est vnum ex maximis operibus sapientiæ, potentiæ, & bonitatis diuinæ, quia res infimas cum supremis in eo opere mirabiliter coniungit, quod est magnæ sapientiæ, & res inferioris ordinis eleuat ad perfectiores efficiendas; quod est magnæ potentiæ; denique in rebus facilibus, & quæ passim vsu veniūt, sanctificationem suam & gratiam præstat, quod est magnæ bonitatis & misericordiæ: ergo huiusmodi opus non solùm propter vtilitatem hominum, sed per se propter manifestationem diuinæ virtutis, poterat in statu innocentiæ sufficientem congruētiam habere; nam hic est potissimus finis diuinorum operum, eorum præsertim, quæ supernaturalia, ac miraculosa sunt: ergo sacramenta sanctificantia possent esse congrua statui innocentiæ, non ad medicinam peccatorum, sed ad maiorem perfectionem. Nec contra assertionem hanc obstant fundamenta primæ sententiæ, nam licèt non sit naturalis ordo, vt homo perficiatur per sensibilia in gratiæ augmento, vel intensione, sed supernaturalis; tamen non est necesse, vt hoc fiat solùm occasione peccati, cùm per se habeat alias conuenientes rationes, vel cōgruentias tam ex parte Dei, quàm hominis, neque hoc esset propriè hominem subijci sensibilibus rebus, sed Deo in vsu alicuius rei sensibilis, quod non repugnabat cū perfectione illius status, vt ostensum est in exemplo ligni scientiæ boni, & mali.

Adamo in statu innocētiæ nullum traditum sacramentum.

Secundò dicendum est de facto nullum fuisse sacramentum institutum, aut traditum Adamo in statu innocentiæ, quatenus breui tempore ante lapsum durauit. Hæc assertio non potest certo fundamento ostendi, quia non est reuelata in scriptura, vel traditione hæc pars, qua negatur fuisse sacramenta in eo statu, fit autē verisimilis ex eo, quòd nullibi fit mentio talium sacramentorum, & cùm aliunde tempus, quo ille status durauit, fuerit breuissimum, ita vt vix potuerit esse locus tali vsui sacramentorum, cùmque Deus præsciјsset instantē lapsum hominum & amissionem illius status, non erat cur ipse pro tam breui tempore instituisset sacramenta; neque etiam Adam potuit ea instituere, aut definire, etiam si hoc illius arbitrio fuisset commissum. Et ad hoc confirmandū valent illæ coniecturæ, quòd primi homines pro illo breui tempore non indiguerunt sacramentis, quia erant perfecti in scientia, & cognitione rerum supernaturalium, & in gratia & iustitia, quantum pro tūc oporteret.

Num matrimoniū in statu innocentiæ fuerit sacramentum. Ephes. 5.

Solùm potest obijci, quia Matrimonium videtur tunc fuisse sacramentum. Paulus enim ad Ephes. 5. loquens de coniugio Adæ, & Euæ, dixit, *Sacramentū hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Dici potest, Paulum non dicere, sacramentum hoc magnum fuit, sed *sacramentum hoc magnum est*, vt sit sensus, matrimonium, quod in Adam, & Eua inchoatū fuit, nunc esse sacramentum, significans coniunctionem Christi cum Ecclesia, non verò quòd à principio eam rationem vel significationem habuerit, Sed

A contra hoc est, quia ferè omnes Patres ex his verbis Pauli colligūt in formatione Euæ ex costa Adami, & in coniugio vtriusq; significatam fuisse incarnationem Verbi Diuini, eamq; significationem propheticè reuelatam fuisse Adamo, vt in primo Tomo huius tertiæ partis, quæst. 1. in cōment. artic. 3. fusè dictum est. Vnde Hug. de Sancto Vict. lib. 1. de sacr. pars. 8. capit. 12. & 13. ab assertione posita excipit Matrimonium, quod solum sacramentum dicit esse institutum in statu innocentiæ. Addit verò hoc esse intelligendum de sacramento, quantum ad significationem; quo verbo indicat se loqui de sacramento in generali significatione, qua cōplectitur quodcunque mysterium, figuram, vel signum rei sacræ. Dicendum est ergo, Deum illo opere voluisse quidē præsignificare desponsationem Verbi cum humana natura, seu Christi cum Ecclesia, non tamen instituisse propriè contractum matrimonij in sacramentum: B quia neque ad aliquam hominis sanctificationē illud ordinauit, neque fecit illud ceremoniā sacram, aut religiosam; cùm certum apud omnes sit, tunc nō fuisse datam gratiā ex opere operato per Matrimoniū; cùm enim hoc sit opus gratiæ maximè supernaturale, non est sine fundamento affirmandū. Addit etiam D. Tho. in 4. dist. 1. art. 1. quæstiunc. 2. Adam non cognouisse mysterium Incarnationis per illud signum sensibile Matrimonij, vel formationis Euæ ex costa sua: sed è contrario potiùs postquàm perfectè cognouerat futurum mysterium per diuinam reuelationem, cognouisse per infusam sapientiā (quam habebat) proportionem, & analogiam, quæ erat inter Matrimonium illud, & mysterium futurum: & ita ænigmaticè prædixisse, & prophetasse mysteriū futurum sub velamine rei sensibilis: itaque significat, illud signum non tam fuisse à Deo impositum, C quàm ab ipso Adamo cognitum, & accommodatū, quod est probabile. Quocunque verò modo id factum sit, rectè ex hoc facto colligimus, quod antea dicebamus, non repugnasse perfectioni illius status vti sensibilibus signis ad spiritualia & diuina mysteria explicanda.

Hugo.

Respōdetur propriè nō fuisse sacramentum.

Futura an fuissent sacramenta, si status innocentiæ durasset, incertum.

Tertiò dicendū est, incertum esse, si status innocentiæ absq; peccato durasset, an in illo futura fuissent sacramenta. Ratio est, quia sacramentorū institutio pendet ex voluntate diuina; non est autem nobis nunc reuelatum aliquod decretum diuinæ voluntatis; ex quo necessariò sequatur futuram fuisse vel non fuisse sacramentorum institutionem in illo statu, si durasset. Probatur, quia non est nobis reuelatus modus prouidentiæ, quem circa res omnes seruaturus esset Deus in eo statu, sed solùm nobis constat, si D Adam non peccasset, generandos fuisse homines in originali iustitia, & gratia, ac perfecta naturæ integritate, ex hoc autem solo principio, nec colligi potest futura tunc fuisse sacramenta, nec non fuisse, vt ostensum est. Rursus, nec reuelatum nobis est, quale decretum habiturus tunc esset Deus circa sacramentorum institutionem. Et, licèt possint inueniri congruentiæ, ob quas credi possit Deum instituturū sacramenta; tamen, neq; Deus semper operatur, quod humano discursui, & ratiocinationi congruum videtur, neque deessent aliunde rationes, ob quas videri posset congruum, vt in eo statu sacramenta non instituerentur, sicut videmus angelis nulla fuisse data spiritualia signa, per quæ sanctificarentur ex opere operato vltra meritum operantis, aūt quibus iuuarentur ad supernaturalium rerum cognitionem: ergo

Simile.

go idem credi potest de hominibus in statu innocentiæ, seruata proportione sensibilium signorum, nam angelico more viuerent, & immortalem vitam agerent sine vllo impedimento corporis, vel sensibilium affectionum.

Si Christus non fuisset venturus, nec futura sacramenta verisimili.

Dices, si quid tandem asserēdum est, quid est existimandum probabiliorem habere coiecturam? Respondetur primum, si quis sentiat, non existente peccato Deum non fuisse futurum hominem, probabilius existimabit, nulla tunc fuisse futura sacramenta sensibilia. Quod primo colligere licet ex omnibus sacramentis, quæ de facto instituta sunt, omnia enim ad significandum Christum, & gratiam ab illo manantem referuntur, & omnia sunt aliquo modo medicinæ, vel subsidia aduersus peccatum, vel effectus ab illo manantes: ergo, si ex his quæ de facto operatus est Deus, creditur non existente peccato nō fuisse futurum principale mysteriū, quod est causa omnium sacramentorum, & remedium omnis peccati, consequenti ratione credendum est, non fuisse tunc futura sacramenta. Deinde, quia si congruentiis agēdum esset, multò maiores sunt, vt Deus fieret homo absq; hominis peccato, quàm vt per sacramenta sensibilia gratiam significaret, aut conferret; multò enim magis in eo opere manifestaret ipse suam sapiētiam, bonitatem, & potentiam, & maiores vtilitates ex illo beneficio hominibus prouenirent: ergo si, hoc nō obstante, negatur futurum fuisse illud mysterium, multò magis negandum est de cæteris sacramentis.

At verò si supponamus homine nō peccante Christum fuisse venturum, dicendum vlteriùs est, credibilius esse, nullum tunc fuisse instituendum sacramētum, antequàm ipse in carne veniret. Probatur, quia neque essent instituenda sacramenta eo tempore, vt causæ gratiæ, neq; vt signa tantum. Primum patet, quia in eo statu omnis gratia à Christo, & eius meritis deriuaretur supposita prædicta sententia; ergo, si aliqua sacramenta possent conferre gratiā, eam virtutem haberent ex meritis Christi; est autem, & ipsius Christi dignitati, & suo modo naturis rerum cōsentaneum, vt instrumentalis virtus ad gratiam efficiendam non conferatur instrumentis separatis, nisi per coniunctum organum diuinitatis; ergo ante realem existentiam humanitatis, & vnionem eius cum Verbo, non tribueretur hæc virtus alicui sacramento: sicut neque nunc data est, quia omnia huiusmodi sacramenta sunt instrumenta humanitatis. Secundum patet, quia vti signis sensibilibus, egenis, ac vacuis, est imperfectio quædam pertinens ad legalem seruitutem, & puerilem pædagogiam, vt ex Paulo sumitur in Epist. ad Galat. non ergo indigerent homines in illo perfectissimo statu hoc imperfecto prouidentiæ genere; nam propter vitam innocentissimam, ac pacatissimam, & perfectam parentum traditionem homines essent in rebus fidei satis instructi, quarum contemplationi, quasi perpetuò vacarent, & tam propter hanc causam, quàm propter corporis impassibilitatem; tum etiam propter frequens studium, vsum, ac sermonem de diuinis mysteriis, nec memoria exciderent, nec extrinsecis adiumentis indigerent, quibus ad istarum rerum intelligentiam, & considerationem excitarentur.

Sacramenta sunt instrumenta humanitatis Christi.

Paul. ad Galat.

Vltimò tamē probabiliter credi potest, post Christi incarnationem futurum fuisse tunc aliquod sacramentum, quod maximè videtur probabile de sacramento Eucharistiæ; quia hoc sacramentum est per se maximè expetibile, & independens à peccato, se-

A clusa significatione passionis, quæ facilè excludi posset, manente reali præsentia Christi, & intima vnione, qua nos sibi coniungit per hoc sacramentū, quæ est per se primò in illo intēta; de qua re dicemus plura infrà tractantes de hoc sacramento. Ex alijs verò sacramentis constat, baptismum non fuisse necessarium, quia homines sine peccato in iustitia nascerentur; vnde sicut nunc sunt natura filij iræ, ita tunc essent natura filij iustitiæ, & filij Dei; ideoque alia spiritali regeneratione non indigerent; atq; eadem est ratio de pœnitētia, & de extrema vnctione, quæ peccatum, ægritudinem, ac corporis mortalitatem supponunt. De Confirmatione nonnulla posset esse maior suspicio; quia abundantiā Spiritus sancti, quæ per illud sacramentum datur, omni tempore, & absque vlla occasione peccati optari maximè posset; tamen etiam negādum est, hoc sacramentum futurū fuisse in eo statu, quia præsertim ordinatur ad profitendā B fidem, superando difficultates, & pericula, seu persecutiones tyrannorum, quæ in eo statu locum non haberent: item quia homines in eo statu alijs medijs satis essent in gratia perfecti. Atque eadem ferè ratio est de matrimonio; nā, cùm in eo statu futurus esset contractus matrimonij, & aptus esset ad significandum mysterium Christi, videtur facillimè potuisse eleuari ad rationem sacramenti, & ideò facilè credi posset, ita faciendum fuisse, & ad perfectionem sine imperfectione pertinuisse: aliundè verò, si consideretur proprius finis, propriusque effectus huius sacramenti, non videtur in eo statu necessarium; quia in eo tempore esset matrimonium sine libidine, & concupiscentia inordinata, & sine difficultate, quæ nūc est in sustinēdis oneribus matrimonij, propter quas duas causas nunc præcipuè est institutum hoc sacramentum. Maior denique probabilitas videri posset C esse de sacramento Ordinis, propter habitudinem, quam habet ad Eucharistiam; sed hoc etiam incertū est: fingere verò alia sacramentorū genera, quæ tunc institui possent, & voluntariū est, & præter omnem scientiam, quia in infinitum excogitari possunt.

Baptismus, Pœnitentia, Vnctio neutiquam essent nec etiā confirmatio.

Matrimonij sacramentū ex parte videtur non futurum.

Sacramentum ordinis probabilius censetur futurum.

Solum illud prætermittendū non est, quod à multis interrogatur, & desideratur, supponendo potuisse homines peccare in eo statu; an pro his, qui peccassent, instituendum esset aliquod sacramentum in remedium peccati. Dico ergò, incognitum nobis esse, quomodò tunc Deus prouisurus esset huiusmodi hominibus, an statim puniret illos nullo concesso pœnitentiæ tempore; sicut in malis angelis fecit, videri enim potest hoc consentaneum illi statui. Tum, quia homines sola voluntate absque passione, vel simili fragilitate peccarent; tum etiam, quia non expediret, peccatores ampliùs in hoc mundo viuere, ne D fœlicem innocentium vitam, & statum perturbarēt: aut, si credibilius est, vt re vera est, illis fuisse concedendum tempus, & locum pœnitentiæ, quia non aliter peccarent, quàm Adam, & Eua, quibus hoc remedium negatum non est, quia humana natura non est ita inflexibilis, sicut angelica, incidimus in aliam ambiguitatem, an tales homines peccatores perpetuò separarentur ab aliis hominibus iustis extrà paradisum, & an possent originalem iustitiam, & priorem statum recuperare, ac denique quo remedio remissionem peccati, & iustitiā consequi possent. Omissis verò, quæ ad præsentem locum non pertinent, verisimilius videtur, remedium amoris, & contritionis futurum fuisse sufficiens absque aliquo sacramento, quia (quantùm credi potest) pauci essent homines, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui in e» fœlici statu peccarent, atque illi facilè possent ad pœnitentiam, & contritionem moueri, ipso saltem experimento propriæ miseriæ, & fœlicissimi status per peccatum amissi, sicut Adam contigisse legimus, quem sapientia eduxit de delicto suo, vt dicitur Sapien. 10. Item, quia, posito sacramento Pœnitentiæ, vel cum illo requireretur contritio ad remissionem peccati; & sic pactum ad eam remissionem iuuaret; vel remitteret peccatum sine contritione: & hæc indulgētia videtur nimia pro illo statu, in quo tam facilis esset dilectio Dei. Sed de rebus adeò incertis, & absconditis, hæc coniectasse sufficiat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm post peccatum ante Christum, sacramenta debuerint esse.

4.d.2.q.1. art.2.q.4. Arti.1. huius quæst.ad tertium.

AD tertium sic proceditur. Videtur, ꝙ post peccatum ante Christum sacramenta non debuerint esse. Dictum est enim, ꝙ per sacramenta passio Christi hominibus applicatur, & sic passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum. Sed effectus non præcedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi aduentum.

¶ 2. Præterea Sacramenta debent esse cōuenientia statui humani generis, vt patet per Lib.19.ca. 16.& 17. tom.6. Augustin. 19. contra Faustum. Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum, vsque ad reparationem factam per Christū. Ergo neque sacramenta debuerunt immutari, vt præter sacramenta legis naturæ, alia starent in lege Moysi.

¶ 3 Præterea, Quantò aliquid est magis propinquum perfecto, tantò magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis humanæ per Christum facta est, cui propinquiora fuerūt sacramenta veteris legis, quàm ea, quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similiora sacramentis Christi. Cuius tamen contrarium apparet, ex eo, quòd sacerdotiū Christi prædicitur esse futurum secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron: vt habetur Hebr. 7. Non ergo conuenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

SED contra est, quòd Aug. dicit 19. contra Faustum, quod prima sacramenta quæ celebrabantur & obseruabantur ex lege, prænuntiarant Christi vēturi. Sed necessarium erat ad humanam salutem, vt aduētus Christi prænuntiaretur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quædam disponi.

Lib.19.ca. 1; in prin. tom.10.

RESPONDEO dicendum, quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa inuisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autē sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et ideò oportebat ante Christi aduētum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Saluatoris aduentu. Et huiusmodi signa dicūtur sacramēta. Et sic patet, quod ante Christi aduentum, necesse fuit quædam sacramenta institui.

AD primum ergo dicēdum, quod passio Christi est causa finalis veterum sacramētorum, quæ scilicet ad ipsam significādam sunt instituta. Causa autem finalis non præcedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideò non est inconueniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

AD secundum dicendum, quod status humani generis post peccatum & ante Christū, dupliciter potest considerari. Vno modo secundum fiderrationem, & sic semper vnus & idem permansit, quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus. Alio modo potest considerari secundum intēsionē & remissionem peccati, & expressæ cognitionis de Christo. Nam per incrementa temporum & peccatum cœpit in homine magis dominari, in tantum, quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficeret homini ad rectè viuendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta, & cum his quædam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei, quia, vt Gregor. dicit: Per incremēta temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum. Et ideo etiam necesse fuit, quod in veteri lege quædam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur. Quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet ante legem non fuit determinate præfixum homini, quibus sacramentis vteretur, sicut fuit per legem, quòd erat necessarium, & propter obtenebrationem legis naturalis, & vt esset determinatior fidei significatio.

Homil.1. in Ezech. medio.

AD tertium dicendum, quod sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem, magis assimilatur sacramento nouæ legis in materia, inquantum, scilicet obtulit panem & vinum (vt habetur Genes. 14.) sicut etiam sacrificiū nouę legis oblatione panis & vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicæ magis assimilantur rei significatæ per sacramentū, scilicet passioni Christi, vt patet de agno Paschali,

Paschali, & alijs huiusmodi. Et hoc ideo, ne propter continuitatem temporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur sacramenti eiusdem esse continuatio.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo D.Tho. duo tempora comprehendit, scilicet, tempus legis naturæ, & legis scriptæ: nam, licēt in eis temporibus institutio sacramentorum fuerit in eis statibus diuersa, vel quantùm ad determinationem maiorem, vel minorem, vel quantùm ad clariorem significationem; tamen ratio significandi gratiā, vt futuram per Christum, fuit vtriusq; communis, & propriam differentiam constituens inter omnia illa, & sacramenta nouæ legis, & ita sunt facilia omnia, quæ D.Thom. posuit. Ex quo obiter colligere licet, quàm sit doctrinæ D.Thom. consentaneum, quod suprà diximus, de ratione sacramenti esse, vt significet gratiam Christi; quibusdam verò significari vt futuram: alijs verò vt præsentem.

DISPVTATIO IIII.

De institutione, & necessitate sacramentorum legis naturæ.

DIstinguimus claritatis gratia tempus illud, quod à peccato Adæ, vsq; ad Christū interceisit (de quo sub vno titulo D.Tho. egit, artic. 3.) in duo tempora, scilicet legis naturæ, & scriptæ; & quanuis hoc posterius propriè inceperit à Moyse, per quem lex data est; tamen, quia circuncisio, quæ in lege scripta permāsit, multis annis legem antecessit à diebus Abraham, cui præcepta fuit, ideò tempus hoc legis naturæ solùm vsq; ad institutionē circuncisionis extendimus: illud enim legis naturæ tempus appellatur, in quo tantùm vigebat lex naturalis in mentibus hominum scripta, & nulla fuerant à Deo data specialia præcepta, quibus peculiaris cultus, aut determinatæ ceremoniæ ordinariè, ac regulariter hominibus præciperentur. Cùm autem de lege naturali agimus, non intelligimus solùm illud dictamen rationis, quod manat ex pura natura hominis, seu ratione naturali nudè sumpta; nunquā enim humana natura huiusmodi statum legis naturæ habuit; quia sicut creata fuit ad supernaturalē finem, ac semper à Deo habuit media, quibus illum cōsequi posset, ita semper habuit aliqua supernaturalia præcepta, quibus ad eundem finem dirigeretur. Comprehendimus ergo sub lege naturæ ea præcepta, quæ connaturalia sunt gratiæ, & iustitiæ supernaturali, seu illud dictamen rationis, quod non tantùm ex naturali lumine, sed etiam ex fide supernaturaliter reuelata, ac sufficienter proposita intrinsecè oritur, qualia sunt præcepta fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, & similia, quæ per se, & ex natura rei sunt necessaria ad vitam rectè instituendam, in ordine ad finem supernaturalem, & ita sunt intelligenda, quæ ibi D.Tho. docet, art. 3. ad 2. & q. præced. art. 5. ad 3. & 1.2. q. 98. art. 5. & quæst. 100. artic. 1. Ex quo intelligitur, statum illum legis naturæ distingui ab statu legis veteris, tanquam partem à toto, seu tanquam includens & inclusum, seu tāquam determinatū, & indeterminatum, vt eisdem locis D.Tho. notauit; nam, quidquid erat necessarium ad salutem in lege naturæ, fuit etiam in lege veteri; sed hæc addidit aliqua peculiaria, seu determinata præcepta. Rursus hinc fit, quia illa præcepta legis scriptæ non omnes obligabant, sed tantum Israeliticum populum, ideò solùm respectu illius populi distingui hæc duo tempora; nam respectu aliorum hominum, qui ea lege non tenebantur, vsq; ad Christum, & legem gratiæ durauit, imò, quod pertinet ad præsentem quæstionem, etiam in populo Israelitico durauit remedium illius legis ad tollendum originale peccatum, saltem respectu fœminarum, vt posteà videbimus. De hoc ergo tempore difficile est inquirere, quæ sacramenta in illo fuerint, quia perpauca sunt nobis de illo reuelata, aut scriptura diuina, aut Patrum traditione; vt verò distinctior sit inquisitio, visum est, prius dicere de hoc speciali sacramento, quod ad remedium originalis peccati ordinatur, quoniam de illo maiora esse possunt veritatis vestigia, vel indicia, qua prout poterimus, inuestigata, facile erit de reliquis sacramētis illius temporis generatim dicere.

Tempus legis naturæ quod.

Lex naturæ intelligitur dictamen rationis, nō solum ex naturali, sed etiā ex supernaturali lumine orium.

Lex naturæ respectu aliorum à populo Israel durauit vsque ad Christum.

SECTIO I.

Vtrùm in lege naturæ potuerint infantes ante vsum rationis ab originali peccato aliquo remedio liberari.

PRæmittimus quæstionem hanc, quoniam necessaria est ad inueniendam & definiendam veritatem, quam inquirimus. Specialiterque agimus de infantibus, quia de adultis non est dubium, quin saltem per conuersionem in Deum ex vera fide per charitatem operante possent iustificari, & ab originali peccato faciliùs, quam ab actuali liberari. An verò remedium pro paruulis institutum illis prodesse potuerit, facilè posteà dicemus. Ratio autem dubitandi in primis est, quia in tota antiquitate ferè nulla est mentio huius remedij, saltem ante Augustinū: in scriptura enim nihil de eo legitur, neque ante institutam circuncisionem, neque post illam pro fœminis Iudæorum, aut pro alijs gentibus, de ipsa verò circuncisione adhuc est res sub controuersia, an fuerit instituta in remedium originalis peccati, vt posteà videbimus. Rursus ante Augustinum nullus sanctorum Patrum huius remedij meminit, ipse verò Augustinus qui primus videtur fuisse huius remedij inuentor, sub dubitatione loqui videtur, & non certa autoritate, sed pietate quadam, & probabili coniectura nititur, nimirum, quòd videtur grauissimū, & à diuina pietate alienum, quòd omnes illos infantes absque remedio reliquerit. Quæ tamen coniectura non videtur admodum firma, etiam iuxta doctrinam eiusdem Augustini, qui in huiusmodi admirandis iudicijs & mysterijs diuinæ prouidentiæ, prædestinationis, ac reprobationis, similia sæpè docet, quæ nō minorem admirationē habent, & occultam causam, & rationem; nam in lib. de bon. perseuer. c. 12. & lib. de nat. & grat. c. 8. dicit, esse aliquos paruulos, quos Deus saluare noluit, neq; de remedio illis prouidere ad ostensionem iustitiæ suæ, quia in eis est sufficiens causa suæ damnationis, scilicet, peccatum originale. Quid ergo, si aliquis idem dicat de omnibus illis paruulis, qui in lege naturæ mortui sunt; quia in illis etiam fuit sufficiens causa damnationis, & materia, in qua ostendi posset diuina iustitia Præsertim cum Paul. Act. 17. ætatem illam vocet, *Tempora ignorantiæ, quæ despexit Deus.*

Ratio dubitandi.

Augustī.

Act. 17.

Dicet

Universidad de Deusto Biblioteca

Dicet aliquis, id, quod August. ait citatis locis, intelligendum esse de his quæ rarò contingunt, pauci enim sunt, qui ita deseruntur à Deo, paruulos autem defunctos in lege naturæ fuisse penè infinitæ multitudinis, & ideò non esse parem rationem. Sed contra hoc est, nam paruuli, qui moriuntur in vteris maternis, à principio mundi vsque ad finem, nō sunt pauci, sed in multitudine etiam penè infinita, & tamen omnes illos reliquit sine remedio, non solùm in lege naturæ, & veteri, sed etiam in lege gratiæ. Quibus adiungi possunt omnes illi, quibus ob defectum aquæ, vel aliud simile impedimentum, applicari remedium non potest; nam hi etiam non sunt pauci, & moraliter loquēdo, ac humano more relicti sunt sine remedio, solùm ex iusta permissione Dei, qui solùm voluit quædam generalia remedia instituere, quæ his omnibus applicari non potuerunt; cur ergo non poterit idem dici de infantibus legis naturæ; nam sicut est per accidens hominem mori ante natiuitatem ex vtero, ita est per accidens mori ante ætatem adultā, ergo sicut nunc solùm instituit Deus remediū pro his, qui nascuntur ex vtero, & non censetur inconueniens alios manere sine remedio, quia est per accidēs quod antea moriantur, ita fieri potuit, vt tunc solū daretur remediū pro adultis, & non censebitur incōueniens, vt, qui antea decedunt, remedio careant, quia etiam est per accidens, quod antea moriantur.

Augetur difficultas.

Secūdò augetur difficultas ratione ostēsiua, quia ante legē gratiæ nemini dabatur gratia, & aliquod mediū ex opere operato, sed solū ex vi dispositionis aut meriti operantis, nam ille alius operandi modus est proprius sacramentorū nouæ legis, vt posteà videbimus: sed nullum remediū poterat paruulis prodesse ad tollendum originale peccatum, nisi eis daretur gratia ex opere operato: ergo nō potuerūt tunc habere tale remedium. Minor probatur, quia, vt suppono, peccatum originale non deponitur, nisi per infusionem gratiæ, ad quam consequendam paruuli non poterant habere propria merita, aut dispositionem propriam, debuisset ergo infundi ex opere operato, quod imperfectioni illius tēporis repugnabat.

Tertio, quia non potest facilè fingi in quo positū fuerit hoc remediū. Quòd si quis dicat, non fuisse determinatum, sed fuisse relictū arbitrio parentum, certè hinc sequitur, meliùs fuisse prouisum infantibus legis naturæ, quàm legis gratiæ, quia multò faciliùs poterat illis applicari remedium ita amplum, ac voluntarium, quàm remedium aquæ certum ac definitum, quod in lege gratiæ institutum est. Vnde fieret, vt, re bene compensata, plures infantes damnarentur in lege gratiæ ex defectu remedij, quàm in lege naturæ, quia hoc ipso, quòd determinatum est hoc remedium ad baptismum aquæ, relicti sunt sine remedio, qui baptizari non possunt, qui possunt esse quā plures. Tum quia ob naturæ debilitatem & maiorē hominum multitudinem plures infantes nunc moriuntur ante adultam ætatem, quàm in lege naturæ; tum etiam, quia baptismi necessitas ab innumeris nationibus, & gentibus ignoratur: tum denique, quia, cùm remediū sit ita præfixum ac vnicum, multis de causis fieri potest, vt applicari non possit; at verò in lege naturæ, cùm remedium esset indifferens ex parte illius, faciliùs applicari poterat, & alioqui ex parte paruulorum erat minus periculum; quia, cùm natura esset robustior, pauciores in ea ętate moriebātur: ergo omnibus pensatis meliùs esset prouisum infantibus in illo statu, quàm in lege gratiæ, quod videtur incredibile, cùm in hac lege abundantiùs Christi gratia hominibus communicetur.

In lege naturæ omnibus fuit aliquod remediū ad infantiū salutem. 4. dist. 1. August.

Nihilominùs omnino affirmandum est, in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantiū salutem à Deo institutum. Ita docent omnes Theologi in 4. dist. 1. & 2. absq; vlla controuersia, aut opinionum varietate, quod est signum, dogma hoc certum, ac indubitatum apud illos fuisse, quod priùs docuerat Augu. 5. contra Iulian. c. 9. dicens, *Non est credendum, ante datam circuncisionem, famulos Dei, quandoquidē illis inerat mediatoris fides, nullo sacramento eius opitulatos esse paruulis suis, quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa sacra scriptura tacere voluerit.* Similia habet. 2. libr. de nupt. & cōcup. c. 12. & lib. 2. de pecc. mer. & remiss. ca. 9. quem posteà sequuti sunt Greg. Beda, & Hug. de sanct. Vict. locis infrà citādis. Et videtur esse sententia Innocen. 3. in cap. Maiores. de baptism. vbi, cū docuisset, baptisma prodesse nunc paruulis, sicut eis circuncisio priùs conferri poterat: posteà quasi generalem reddens rationem, subiungit hæc verba. *Absit enim, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem.* Quæ verba & generalia sunt, & de omnibus temporibus æquè procedunt, & propriam rationem continent huius veritatis: nam licèt sine iniustitia potuerit Deus permittere omnium illorum paruulorum damnationem, eosque sine remedio relinquere, vt rationes dubitandi in principio positæ cōcludūt, non tamen est consentaneum diuinæ prouidentiæ, neq; illi generali volūtati, qua vult, omnes homines saluos fieri, vt Innoc. significat; nam illa voluntas salutem est antecedēs, ergo ad illam spectat, vt Deus det omnibus sufficientia media ad salutem, modo accōmodato, iuxta singulorum capacitatem: ergo, si in illa generali voluntate paruuli cōprehenduntur, debuit Deus in omni lege aliquod remedium eis prouidere; nam hoc postulat fragilitas, & mortalitas humanæ naturæ, ex qua tanta certitudine, ac necessitate sequitur multorum mors ante adultam ætatem, vt non possit censeri hominibus omnibus sufficienter prouisum, nisi etiam infantium, ante vsum rationis morientium, ratio habeatur. Nec verò simile est de infantibus, qui in vtero moriuntur, quia pro illo statu non censentur capaces remedij quod per homines, & modo accommodato hominibus applicari possit, cùm nondum in hanc lucem sint editi, & vix cadant sub cognitionem humanam. Præterea huius veritatis magnum indicium est, quòd non est verisimile, fœminas Iudæorum, quibus circuncisio applicari non poterat, relictas esse sine remedio, quo tolleretur peccatum originale; sed ad hunc effectum nullum remedium legimus esse institutum in illa lege; nam si aliquod esset huiusmodi, esset proprium fœminarum, & non adhiberetur viris, qui circuncidebantur, nullum autem tale remedium fuit in illa lege: nam, si quod esset, maximè præsentatio, seu oblatio in templo: hæc autem communis erat viris, & fœminis; signum ergo est, non fuisse institutam illam cæremoniam in remedium originalis peccati: ergo signum est, illud ipsum remedium, quod in lege naturæ fuit, perdurasse, & vtile fuisse fœminis in populo Israelitico, tam ab Abraham vsque ad Moysem, quàm posteà in toto tempore legis naturæ: ergo signum est, simile remedium semper fuisse à Deo prouisum omnibus infantibus, tam viris, quā fœminis. Prima propositio in hac ratione assumpta videtur per

Gregor. Beda. Hugo. Innocen.

Diuina [pro]uidentia omni æ[què] Prouidet.

Fœminæ Iudææ remedio ad salutem non caruerunt.

per se nota; tum, quia non est verisimile in eodem Dei populo infantibus viris prouisum esse remediū ad salutem, non autem fœminis; tum etiam, quia fœminæ ante vsum rationis offerebantur Deo, & fiebant participes sacramentorum, & cæremoniarum illius legis, quod nullo modo fieret, nisi in diuinam amicitiam priùs essent reconciliatæ.

Nullam reliquit Deus sine remedio.

Ad rationes in contrarium iam facile est ex dictis respondere. Ad primam negatur propriè loquendo, Deum reliquisse aliquē sine remedio ad salutē iuxtà sui status capacitatem: quanquam enim nō de singulis in particulari prouiderit, vt eis efficaciter applicaretur remedium generaliter omnibus prouisum: tamen, quantum in ipso est, omnibus prouidit, præuidens autē in quibusdā futurū esse impedimentū, ne illis posset remediū ad salutē applicari, id permittere voluit, & hoc sensu dixit August. quosdam sine remedio reliquisse, hæc enim permissio, seu volūtas nō repugnat vniuersali, ac sufficienti gratiæ, quā de se omnibus obtulit, & ideò esse potest accōmodata ad manifestationē diuinæ iustitiæ; secus verò est de voluntate relinquēdi aliquod genus hominū sine sufficienti remedio pro aliquo statu, id enim, quamuis ex rigore iustitiæ fieri posset, nō esset tamē cōsentaneū generali voluntati, qua Deus omnibus hominibus redemptionē, ac salutē obtulit. Ad secundū dicetur latiùs infrà q. 62. concedendū est enim, ante Christi aduentū aliquibus datā esse gratiā ex diuina ꝓmissione ad præsentiam alicuius signi, vel operis sine proprio merito, vel dispositione, si illius capaces non erant; quāquā ille modus propriè non fuerit ex opere operato, & in hoc sit aliqua diuersitas inter illa remedia, & nostra sacramenta, quæ prædicto loco explicanda est. Ad tertiū patebit ex sectione sequenti.

August.

SECTIO II.

Verùm ad tollendum peccatum originale infantium in lege naturæ sufficiens fuerit interior fides parentū, vel fuerit præterea necessaria aliqua actio exterior.

Paruulorū actio nō fuit necessaria.

EX dictis in præcedenti Sectione nonnulla per se clara & certa colligere possumus. Primū est, hoc paruulorū remediū non potuisse adhiberi per propriā actionē ipsorū paruulorū: agimus enim de statu eorū ante vsum rationis, in quo nō sunt capaces humanarū actionū; aliæ verò actiones, vel passiones, quæ vel merè naturales sunt, vel casu eueniūt ab extrinseco, non sunt apta media ad prædictū effectū, aliàs, vel omnes iustificati fuissent per aliquā naturalē actionem, sicut omnes originali culpa inficiuntur, quia per modum naturæ communicatur in ipsa naturali generatione, vel certè Deus suo arbitrio iustificaret, quos vellet, & ita non omnibus prouidisset certum, ac definitum remedium.

Aliqua humana actio requisita est.

Secundò est certū, hoc remediū debuisse applicari per aliquam humanā actionem parentū, seu eorū, quibus paruulorū cura incumberet. Patet, quia nec ex parte ipsius remedij, nec ex parte eius, per quem applicandum erat, potest aliquid aliud accommodatum excogitari; nam, quòd fuerit necessaria aliqua actio humana, patet, quia si hominibus nihil agentibus, Deus iustificasset aliquos paruulos, vel iustificasset omnes, vel aliquos tantū suo arbitrio, vel certè per causas aliquas naturales gratiam communicaret, quæ omnia sunt absurda, & improbabilia. Rursus, neque hoc remediū positū fuit in aliqua sanctitate habituali parentum, aut alia simili conditione, ratione cuius filij orti ex talibus parentibus iustificarentur: quia sicut nulla sanctitas, vel cōditio parentū impedire potuit, ne filij in peccato originali conciperentur, & nascerentur; ita nec poterat esse sufficiens, vt ratione illius tolleretur posteà originale peccatū, sine alia operatione. Præterea, ꝙ hæc actio debuerit esse parētis, vel alterius, qui eius vicē gereret, patet, quia nō poterat esse ipsius paruuli, vt dictū est: quia nō erat capax, & optimè cōgruebat, vt qui per alienā actionē, peccatū cōtraxerat, per alienā etiā volūtatē iustitiam consequi posset. Neq; etiam ad alterū hoc magis pertinebat, quàm ad parentem, quia filius est sub cura eius, & quando propriam non habet, regendus est etiā in his, quæ ad animam spectant, voluntate parentis; & ita seruatum videmus in alijs remedijs paruulorum à Deo institutis in lege veteri, & noua, de quibus nobis magis constat.

Remedium hoc in aliquo cultu religioso consistebat.

Tertiò conueniūt omnes, huiusmodi remediū positum fuisse in aliqua actione, vel professione fidei, & cultus religiosi, quo paruulus dicaretur Deo, & cultui eius manciparetur ex fide, & intentione parentis, vel eius per quē remediū applicabatur. Cuius ratio est; quia, cū per hoc remediū sanctificandi essent paruuli, & in diuinā amicitiā reuocandi, necesse est, vt hoc fieret per aliquā actionē sacrā, & ad Deū pertinentē, & quia fundamētū omnis iustitiæ, & omnis veri cultus diuini est fides, ideò necessariū dicimus, illā actionē aliqua ratione fuisse operationē fidei, & hoc sensu dicūt omnes fuisse tūc paruulos iustificatos in fide parētū, vt magis in sequētibus explicabimus. Igitur inquirēdū restat, qualis fuerit illa actio, sensibilis ne, vel merè interna, & spiritualis, vt posteà dicere possimus, an fuerit sacramentum, necne.

1. Sententia remedium hoc in actu internæ fidei constituit.

Prima sententia est, illū actū solū fuisse internæ fidei, ita tamen, vt per fidē nō intelligatur sola credulitas intellectus, sed aliqua alia moralis actio interior à fide manans, qua parens filium suum Deo offerret, vel salutē spiritualē ipsius deprecaretur, vel aliquid simile. Ita sentit Bonauen. dist. 1. art. 2. q. 1. & 2. Richar. ar. 5. q. 1. & 2. qui fundant effectū, seu fructum huius remedij in merito de cōgruo ipsorū parentū, & nihilominùs dicūt, sufficientē fuisse informē fidē eorū, quia hæc satis est ad meritū de cōgruo. Sed hi autores in hoc, & falsum supponunt, quia re vera ad meritū de cōgruo nō sufficit fides informis, & præsertim ad merendā alteri gratiā & sanctitatē, & præterea non satis explicant vim, & radicem huius remedij: quia vt esset infallibile, quod necessarium est, vt esset verum remedium, non satis erat meritum de congruo, quia non semper & infallibiliter habet effectum, sed necessaria erat diuina promissio, & hāc oportet ostendere. Quòd si hæc intercessit, non erit necessariū meritū de cōgruo, sed sola illa actio, quā diuina promissio postulabat. Alia ergo via defendit eandē sentētiā D. Tho. in 4. d. 1. q. 2. ar. 6. quæstiūc. 1. & 2. vbi dicit, per interiorem fidem parentū fuisse paruulos iustificatos ex vi diuinæ promissionis, & quasi ex opere operato; vnde consequenter negat, fuisse tunc institutum aliquod sacramentum in remedium paruulorū, quia non erat signū sensibile, sed actus merè interior, quod si interdum adiungebatur exterior, id erat accidentariū; nam ex vi solius interioris actus esset iā collatus effectus. Et eandem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem sententiam latè defendit Soto, in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. circa medium. Et primo fundari potest autoritate Aug. lib. 2. de Nupt. ca. 12. vbi dicit, per fidem fuisse iustificatos eam paruulos, qui adultos, quàuis mysterium iustificationis ex fide, multos latuerit. Magis fauet Tertul. lib. de pœnit. c. 13. dicés, olim fuisse sufficiens fidē sine sacramento ad consequendā salutem, postea aucta fide, additū fuisse sacramētum. Sed ibi nō loquitur specialiter de paruulis. Quapropter clarius videtur docere hanc sententiā Greg. 4. moral. c. 2. & 3. vbi dicit, *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* Vbi, vt differētiā aliquā cōstituat inter paruulos, & adultos, intelligere necesse est, cū dicit solā fidē sufficisse pro paruulis, excludere omnē actū externū: alioqui nulla esset differentia, atq; eodē modo loquitur Beda lib. 1. in Luc. c. 8. & Bernar. Epist. 77. & Hug. de sanct. Vict. lib. 1. de sacram. p. 11. c. 3. & 6. & p. 9. c. 5. qui addit fuisse quidē in ea lege aliquod sacramentū pro paruulis, illud tamen fuisse deuotionis, nō necessitatis. Secūdò probatur ratione, quia status legis naturæ, vt suprà dicebamus nō includit præcepta diuina positiua, sed solū ea, quæ ex intrinseca ratione fidei, & gratiæ in humana natura existētis cōsequebantur, sed vti aliqua externa & sensibili actione ad remedium paruulorū non sequitur necessariò ex fide, aut gratia; ergo non erat necessarium in illo statu. Dices, hac ratione probaretur, etiā actū interiorē nō fuisse necessariū, quia ex sola rei natura nō sequitur hæc necessitas. Respōdetur, ideò dixi consideranda esse præcepta quæ cōsequūtur gratiā & fidē, prout in humana natura existunt, naturale autē est homini, vt parēti incūbat, tā spiritualis, quā corporalis salus filij; & ideò ex intrinseca natura gratiæ sequitur, vt parentes habētes fidem de lapsu filiorū, & de necessitate remedij, quā habēt, vt Deo recōciliētur, debeant quod in ipsis est facere, & aliquo modo filios suos Deo offerre, vt iustitiā corā illo cōsequātur: & quia hoc necesse est vt fiat saltem per actū interiū, ideò ipsa lex naturæ obligat parentes saltē ad huiusmodi remediū, at verò actus exterior nō erat sic necessarius ex sola rei natura: oporteret ergo, vt eius necessitas manaret ex præcepto diuino positiuo, qđ in eo statu nullū erat. Cōfirmatur, quia cū eo tēpore fides esset valde obscura, & implicita, præsertim de Christo, & de lapsu primi hominis, ac originali peccato, oportuit præter fidē nihil aliud exigi in remediū paruulorū, vt remediū, quod propter ignorātiā erat difficillimū, & à paucissimis cognosci & adhiberi poterat, fieret aliqua ex parte facile, vt aliquibus saltē applicari posset, & in hoc est magna differētia inter statū legis naturæ, & legis scriptæ, vel gratiæ, propter quam non licet ab exemplo harū legū sumere argumentum ad statum legis naturæ.

Secunda sententia, quæ probabilior nobis videtur, est, hoc remediū paruulorū in lege naturæ nō fuisse positum in solo interiori actu, sed debuisse applicari per aliquē actū externū, qui esset veluti exterior profes̄io interioris fidei. Hæc est communior sententia Theologorū Alex. Alens. Scot. Durā. Palud. Gabr. Maior. & aliorū in 4. d. 1. vt latiùs seq. Sect. referā, & Adria. in 4. q. vlt. de Bapt. ad 2. & Armachan. lib. 8. de quæst. Armen. ca. 17. & videtur manifesta D. Tho. hic & quæst. præced. arti. 5. & clariùs infrà. q. 70. art. 4. ad 2. vbi cùm dixisset solam fidem parentum fuisse sufficientem paruulis ad salutem in legē naturæ, subdit inferius, verisimile esse, debuisse eam fidem aliquo sensibili signo manifestari. Et primò probari potest hæc sententia D. Augustī. autoritate, nam licēt aliquando hanc quæstionem attingens eā non definiat, dicens sacram historiam hoc tacuisse, vt videre licet. 15. de Ciuit. c. 16. & lib. 2. de gratia Christi, seu de pecc. orig. c. 30. tamen libr. 5. contra Iul. c. 9. eam definit verbis, quæ sect. præcedenti retuli, quæ in sequenti iterum attingam, & eandē sententiam indicat Cypr. lib. de Card. Christi operibus cap. de circuncisione Christi, dicens. *Sanè originale peccatum quod à primis parentibus in totam generis huius successionem defluxit, omni tēpore aliquibus remedijs oportuit expiari, licèt vim plenam significantia non habuerint, donec ad eum ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine*, vbi apertè dicit illa remedia habuisse significationē sensibilem, & statim illa vocat *Sacramenta*, & rationem reddit, cur externis actionibus fierent, scilicet, ad præfigurandam Christi mortem, & diuinam sententiam ab initio in peccatum prolatam. Secundò probatur ratione hæc opinio. Primò, quia in lege naturæ necessarius erat cultus Dei externus, & sensibilis, ergo per huiusmodi cultum, seu per actum ad illum pertinentē debuit fieri hæc sanctificatio paruulorum. Hanc rationem latè prosequitur Cano in relect. de sacram. in gene. c. 3. Sed ferè omnia quæ adducit, ad probationem antecedentis pertinent, quod tamen adeò clarum est, vt nulla noua probatione indigeat, maximè suppositis, quæ de statu innocentiæ diximus, de consequentia verò in qua est difficultas pauce dicit. Probari autem potest primò, quia cū per hoc remedium paruuli initiarentur, & cultui diuino cōsecrarētur, oportebat, vt per illud genus cultus sanctificarentur, qui est homini accōmodatus, & Deo ab homine debitus, sed hic nō tantū est interior, sed etiā exterior: ergo. Secundò, quia hominibus non solum est necessaria ad salutem fides, sed etiā fidei profes̄io: ergo eo modo, quo paruuli participare poterant fidē, scilicet per parentes, vel (vt ita dicam) non actiuè, quia nō poterant illi elicere, vel profiteri fidē, sed passiuè, quia per alios fieri poterant fideles, & profes̄ores fidei: eo (inquam) modo, quo erant capaces, vtrunq; debuit circa illos exercerī. Tertiò, quia cùm Ecclesia ex hominibus constans sit visibilis, valde cōsentaneū illi est, vt hoc remediū esset sensibile, tum vt cōstare posset Ecclesiæ tale remediū esse applicatū, ne oporteret, aut semper esse in dubio, aut inutiliter repeti; tum etiā, quia per hoc remediā fierent paruuli mēbra Ecclesiæ, sicut nunc fiunt per baptismū, vel in synagoga fiebāt per circuncisionem; oportuit enim, vt cōiunctio ad corpus visibile, per actum sensibilē fieret. Aliter colligit Durand. hanc rationē, scilicet, quia iustificatio paruuli fiebat ex merito de cōgruo totius Ecclesiæ: ergo oportebat fieri per aliquā actionē, quæ in persona Ecclesiæ fieret: ergo per actionem sensibilem, nā actio purè interior, cùm sit ignota Ecclesiæ, non est apta, vt nomine eius fiat. Sed fundamentū huius rationis, vno sensu est falsum, alio verò est probabile, nam si intelligat propriam causam, ob quam debatur & promittebatur iustitia paruulis, fuisse meritū Ecclesiæ, est falsum; nullus enim meretur alteri primam gratiam, præsertim infallibiliter dandam, & sine proprio motu suscipientis, nisi solus Christus; & ita solum meritum eius est propria causa huius promissionis & iustitiæ. Si verò intelligat, illud meritū de con-

Augustī. *Tertul.* *Gregor.* *Beda. Bernard. Hugo.* *Status legis naturæ non includit præcepta diuina positiua.* *Hoc remedium debuit applicari per actum exteriorem.* *Augustī.* *Cypriā.* *In lege naturæ erat cultus Dei externus necessarius.*

de congruo fuisse veluti conditionem necessariam, quam Deus tunc exigebat, est quidem probabile in eo sensu, quo Aug. dicit epist. 23. per charitatem totius Ecclesiæ adiungi paruulos ad fidelium communionem: non est autem intelligendum, fuisse necessarium aliquod meritum actuale ministri vel Ecclesiæ, quia, licèt nullus actus bonus tunc sanctè fieret, iustificaretur paruulus ex vi diuinæ promissionis; sicut nunc fit in baptismo; sed solùm est intelligendum, decuisse actionem illam fieri ministerio publico, atque ita in persona Ecclesiæ, vt actio moraliter censeretur magis accommodata, & ex parte hominum aptior ad illum effectum obtinendum. Quartò accedit similis ratio ex parte Christi, quia per hoc remedium coniungebantur hi paruuli Christo capiti, & in virtute illius sanctificabantur, & ideò, sicut Christus, non tantū sperabatur Deus, sed etiā homo, & caput hominum homogeneum, & sensibile, ita oportebat, modo etiam externo, & sensibili in illo regenerari. Quinto addere possumus, peccatum originale communicari per actionem corpoream, & sensibilem, & ideò ad profitendam totius humanæ naturæ ruinam, indigentiam, ac vitiatam originem, debuisse per actionem etiam sensibilem ab hac peccati macula liberari, per quam etiā tacitè profitebantur homines, quòd sicut per vnū hominē peccatum intrauit in mundū, ita per aliū salutē sperabant, vt Cypria. suprà indicauit. Tandē hic modus maximè est accōmodatus homini ad operādū circa aliū, & quodāmodo cōmunicandū illi fidem suam.

Ad argumēta in contrariū proposita respōdetur, primò ad testimonia Patrū, ad August. de cuius sententia iam constat, respondetur, quanuis nō semper meminerit signi sensibilis, nunquam tamen illud excluisse: & cùm in dicto loco ait, homines in lege naturæ fuisse per fidem iustificatos, sicut non excludit opera, ita etiā non excludit actus externos, qui ad salutē erant necessarij, sed fidē distinguit à lege, & ab specialibus remedijs, seu sacramentis à Deo designatis. Et eodem modo loquitur apertè Tertul. ac similiter Gregorius sub fide includit fidei professionē, & applicationē humano more factā: differētia autē, quā constituit inter paruulos, & adultos, hæc est, q̄ quia paruuli non habent nisi originale peccatū, illis sufficiebat sacramentū fidei ad salutem; adultis verò propter actualia peccata necessaria erant sacrificia, per quæ Deo satisfacerent, saltem ex opere operantis, vt notauit suprà D. Tho. in 4. quæstiun. 3. & eadem est respōsio ad omnes alios Patres, qui Gregorio imitati sunt. Ad rationē rectè ibi respōsum est, supposito statu naturæ lapsæ, & indigētia gratiæ, & fidei ex natura rei sequi, vt teneantur parentes subuenire filijs, & remediū ad cōperandā iustitiā & expellendā culpā necessariū adhibere; quale autē futurū esset hoc remediū, nō poterat ex sola naturali ratione etiā fide illustrata definiri, quia pēdet necessariò ex Dei institutione, & promissione: siue ergo cōstituatur hoc remedium in actu exteriori, siue in interiori tantum, necessariò dicendū est, intersenisse aliquā institutionē diuinā, quæ ex sola rei natura sequi nō potest. Et ita difficultas in illa ratione tacta communis est in omni opinione. Ad quā dicendum est, quāuis status legis naturæ nō includat specialia præcepta diuina, nō tamē excludere eā prouidentiā, eaq; auxilia, & remedia ad salutē, quæ iuxta conditionē & statū naturæ lapsæ sunt necessaria; & ideo etiā in eo statu prouidisse mediū aliquod ad salutē paruulo

SECTIO III.

Verum in lege naturæ fuerit institutum aliquod verum sacramentum, quo peccatū originale deleretur.

1. *Sententia cōstituit determinatum signū, verumq; sacramentum.*

PRima sententia est, fuisse in eo statu institutū à Deo determinatū signum sensibile sub certa quadam cæremonia sensibili à Deo definita, vt ea facta, seu applicata paruulis, illis originale peccatū remitteretur: vnde fit, hoc signum fuisse verè ac propriè sacramentū. Ita sentit Scot. in 4. d. 1. q. 6. & 7. Ratio huius est, quia peccatum originale, semper fuit remissum per regenerationem in Christo: ergo per aliquod signū visibile: ergo oportuit hoc signū esse determinatū ex diuina institutione, vt iustificatio sub tali signo esset omnino certa, & profes̄io fidei esset magis clara, & expressa. Hæc sententia affirmat rem incertā sine fundamento, & ideò à cæteris Theologis reiecta est. Assumptū declaratur, quia in primis, neq; in scriptura, neq; in Patribus, neq; in vlla historia est aliquod vestigiū huius traditionis, vel institutionis determinati signi. Deinde ad certitudinē iustificationis nō erat necessaria talis determinatio, quia, si Deus generatim promittat remittere originale peccatū per fidē parentū, quocūq; actu externo filijs applicaretur, non esset minùs certa, & infallibilis iustificatio, imò ex parte signi requisiti, quodammodo esset certior, vel saltem facilior, quia ex parte promissionis diuinæ æqualis est infallibilitas, ex parte verò conditionis requisitæ facilius est applicare quemcunq; actum in genere, quàm certā, ac definitam cæremoniā. Rursus, nec propter fidei clariorem profes̄ionem expediebat tunc fieri talem signi determinationem diuinam, quin potiùs propter eam causam expediebat non fieri. Primùm quidem, quia in eo statu fides erat imperfecta, & obscura, propter quod implicita fides Christi ad salutem sufficiebat: ergo non erat necessarium, vt profes̄io fidei esset adeo clara & explicita: tum etiam, quia eo tempore non conuenisbant omnes fideles in eodē ritu externo colendi Deum: ergo non expediebat, titum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritum sanctificeã dẽ paruulos esse eundem apud omnes homines, sicut nũc est in vniuersa Ecclesia, quã rationem attigit D. Thom. infrà q. 70. art. 4. & seq. Et cõfirmatur præterea, quia difficillimũ erat eo tẽpore conseruari apud omnes fideles traditionem huius remedij certi, & determinati, quia nõ habebant scripturas, nec erant ita perfectè congregati in vnũ corpus, vt possent huiusmodi traditiones perfectè conseruare: vnde fiebat, vt valde imperfectam haberent huiusmodi rerũ cognitionẽ. Cõfirmatur secundo, quia oportebat hãc determinationẽ fieri per propriam legẽ Dei positiuã, nulla autẽ vniuersalis lex de aliqua cæremonia determinata creditur eo tempore data, quia nõ erat illi statui cõsentanea, nã propterea vocatur status legis naturæ. Tandem, si hoc remedium determinatũ fuisset, perdurasset pro fœminis in lege veteri; nullibi autem legimus factam esse mẽtionem huius remedij, vel cæremoniæ, neq; in scriptura sacra, neque in alijs auctoribus Hebræis.

2 Sententia ponit signum sensibile, tamen negat sacramentum.

Secunda sententia est, hoc remedium paruulorũ, quanuis in aliqua sensibili actione positum esset, nõ tamen fuisse verum sacramentum, ita tenet Duran. in 4. d. 1. q. 8. Fundamentum eius est, quia sacramẽtum esse debet cæremonia aliqua à Deo determinata ad significandam gratiam, quæ sub tali opere, vel cæremonia datur ex diuina promissione, sed hoc remedium paruulorum, neq; erat cæremonia determinata à Deo, nec erat propriè instituta ad significandam gratiam, sed solùm erat quædam actio meritoria de congruo, ratione cuius Deus dabat gratiã, & ita non aliter significabat illam, quàm alia opera meritoria illam significent: ergo illa actio non magis erat sacramẽtum, quàm sint cætera opera meritoria. Sed hoc fundamẽtum Durandi supponere videtur sensum illum, qui falsum esse diximus Sect. præced. scilicet, per huiusmodi actum fuisse iustificatos paruulos verè, ac propriè ex merito operantis Ecclesiæ, & non solùm ex meritis Christi, sicut nũc iustificantur in baptismo, vel olim in circuncisione, quod omnino falsum existimo, vt latiùs infrà dicã quæst. 62.

Fuit sacramentum sub indeterminata cæremonia.

Dicẽdum ergo est, in lege naturæ fuisse quodẽ sacramentum ad iustificationem paruulorũ, & remedium originalis peccati institutũ, quãuis ex diuina institutione non fuerit determinata cæremonia, seu actio sensibilis ad significandũ imposita, sed ex hominum arbitrio ad certum actionis modũ determinetur: quia hoc non est contra veram rationem sacramenti. Hæc est sententia D. Tho. hic ad 1. vbi docet vera fuisse sacramenta ante legẽ scriptã, quæ cõparãtur ad sacramenta legis scriptæ, sicut indeterminatũ ad determinatũ: idem q. præced. art. 5. ad 3. & infrà q. 70. art. 4. ad 1. vbi cũ inquit, ante legẽ non fuisse requisitum aliquod signum protestatiuum fidei ad iustificandos paruulos, intelligi debet de signo determinato, & fixo, eandẽ sententiã tenet Alex. Alef. 4. p. q. 1. mẽb. 3. art. 3. clarius q. 5. mẽb. 1. Palud. in 4. d. 1. q. 5. art. 5. & Maior q. 4. circa fin. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 1. vbi hoc modo Scotũ interpretatur, latẽ Cano dicta relect. de sacram. in gene. p. 3. Et probatur primo ex August. dicto loco contra Iulia. lib. 5. c. 9. vbi dicit non esse negandum, quin in lege naturæ, parentes subuenirent filijs aliquo sacramento fidei; Cyprian. etiam dicto sermone de Circuncisiõne Christi, sacramentum vocat hoc remedium. Ratione verò probatur assertio, quia in primis hoc remedium erat aliqua cæremonia sensibilis ad sanctificationem paruulorum ordinata, quia instituta erat ad remediũ originalis peccati, vt supponimus, quod peccatum non deletur sine hominis sanctificatione. Rursus hæc sanctificatio necessario significabatur per hoc remedium, quia ad hoc institutum erat, vt intelligerent homines, adhibita tali cæremonia exteriori hominem interiùs sanctificari à Deo; significabatur ergo gratia per huiusmodi cæremoniã sensibilem: & cõsequenter etiã significabatur, vel explicitè, vel saltem implicitè venturus mediator, in cuius fide, & spe meritorũ eius, illa gratia obtineretur; ergo nihil in eo opere, seu remedio deerat ad veram rationẽ sacramenti. Quòd enim talis cæremonia sit determinata in specie, & in particulari ex institutione diuina, aut in genere tantũ, & modus ac determinatio eius cõmissa fuerit hominũ arbitrio, nihil refert ad veram rationem sacramẽti, vt patet ex suprà tractatis de essentia & definitione sacramenti. Et ratio etiam est facilis; quia, licèt in sola diuina institutione sacramentum non sit determinatum ad hanc vel illam actionem, seu cæremoniã; tamen cum in re ipsa exercetur, semper adhiberur determinata cæremonia sacra, quæ hic & nunc est verũ signũ internæ sanctificationis, & in hoc consistit essentialis ratio sacramenti. Quòd autem illa determinatio hic & nunc orta sit ex sola institutione diuina, vel ex alia arbitrio humano, hoc solùm pertinet ad causam extrinsecam efficientem sacramentũ, non verò mutat intrinsecam rationem, & naturã sacramenti, sicut, si Christus instituisset baptismũ, non solũ in aqua naturali, sed in genere, in quacunq; aqua naturali, seu artificiali, vel in quocũq; liquore, nõ propterea non esset verum sacramentũ, quãtis in particulari determinatio aquæ, vel liquoris, humano arbitrio fieret.

Simile.

Obiectio.

Vna sola obiectio superest contra hanc sententiã, quam attigit D. Tho. præced. q. 61. 4. arg. 3. quia sequitur, remediũ paruulorum coarctatũ esse in lege scripta, vel gratiæ magis, quàm esset in lege naturæ, quia nunc determinata cæremonia requiritur, remediũ autem eo facilius, & generalius est, quo minorẽ habet determinationem, & in re quacunq; adhiberi potest. Respondetur negando sequelam, primũ quidem, quia licèt nunc sit determinata cæremonia paruulorũ ad regenerationem, tamẽ est valde facilis, & in rebus cõsuetis, quæ obuiæ sunt, & præmanibus ferè semper habetur. Deinde, quia sicut nũc oportuit determinari hoc signũ ob expressiorẽ fidei significationẽ & repræsentationẽ, & maiorẽ Ecclesiæ vnitatẽ, ita notius est omnibus hoc remediũ, & ex hac parte facilius applicari potest, licèt determinatũ sit, quàm olim posset remedium legis naturæ, quãtumuis indeterminatum ac indifferens.

Responsio.

Vltimò ex dictis colligitur, hoc remedium præcipuè esse institutum propter paruulos, quia ipsi eo maximè indigebant, adulti enim, cùm per propriã dispositionem sanctificari possent, illo simpliciter non egebant, propter delendum peccatum: quanuis ad profitendam fidem, & ad coniunctionem quandam exteriorem cum Ecclesia visibili, quæ tũc erat, oportebat eos vti aliqua sensibili cæremonia iuxta vniuscuiusque populi seu regionis consuetudinem & ritum. An verò hoc remedium haberet rationem sacramenti respectu adultorum, & an obligati fuerint ad vtendum illo, non solùm ob fidei professionem seu confessionem, sed etiam ob remissionem peccati, dicemus infrà quæst. 62. vbi explicabimus, quomodo remissio peccati per gratiam fuerit effectus huius sacramenti.

Hoc remedium fuit institutum propter paruulos.

SE-

SECTIO IIII.

Vtrum in lege naturæ fuerint alia sacramenta.

Cano de hac re sentẽtia.

IN hac quæstione explicanda diuisi sunt D. Tho. discipuli. Cano enim dicta relect. de sacram. in genere par. 3. docet fuisse varia sacramenta in lege naturæ. Cuius fundamentum solum est, quia in illa lege fuit necessarius cultus Dei externus, qui nõ cõsistit in vno solo actu, quo remittitur peccatũ originale, sed in multis alijs quibus homines vti possunt & ad suam sanctificationem, & ad fidei professionẽ. Quæ ratio potest in hunc modum explicari, quia ad cultum Dei perfectum quatuor requiruntur, ex D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 4. scilicet, sacrificia, sacra, obseruantiæ, & sacramenta, sed in lege naturæ fuit perfectus Dei cultus & fuerunt tria priora, quæ ferè coniuncta sunt cum vero vsu religionis: ergo etiam credendũ est fuisse sacramenta in illo statu. Confirmari potest hæc opinio, quia omnes vtilitates sacramentorum suprà positæ in disputatione præcedenti locum habent in tempore legis naturæ, & præterea aliæ, quæ occasione peccati ortæ sunt, scilicet, vt homo, qui malè vtendo creaturis corporalibus ceciderat, illis se subijciendo ad suam sanctificationem humiliaretur, & confunderetur. Item, vt homo qui per creaturas sæpè Deum offendit, assuesceret per eadẽ Deum colere, & ad vsus sacros illas conuertere. Denique vt homo lapsus, ad idololatriam pronus, in vera Dei fide, & vero cultu per hæc sacramenta sensibilia conseruaretur, & in vnum politicum corpus congregaretur. Fauet tandem huic opinioni, quòd antiqui doctores, qui de lege naturæ tractant, non in singulari, sed in plurali definiunt, sacramenta in illo statu fuisse, ita enim loquuntur Hug. de Sanct. Vict. D. Thom. Scot. Richar. Palud. & alij sect. præced. citati, præsertim in 4. dist. 1.

Sententia.

Aliorum verò opinio est, in ea lege nullum fuisse sacramentum propriè dictum præter illud, quod hactenus explicuimus. Et hæc tribui potest illis autoribus, qui nec prædictum sacramentum, neq; aliquod aliud proprium in ea lege admittũt, ex quibus videtur esse D. Th. in 4. d. 1. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. vbi licèt doceat in eo statu fuisse sacramenta, tamen id posteà explicat de solo cultu externo per sacrificia, & oblationes, & idem sentit Duran. ibi q. 1. & Soto d. 1. q. 2. art. 3. & dist. 2. q. 1. art. 4. & Ledes. 1. p. 4. q. 2. art. 3. Et hæc sententia absolutè videtur probabilior, indiget tamen aliqua expositione. Aliud est enim loqui de cultu externo in genere, seu de actibus sensibilibus, quibus homines fidẽ exterius profitentur, & interiorem cultum ostendunt. Aliud verò est loqui de proprijs sacramentis, quæ solùm partem continent illius cultus, & specialem institutionem, ac significationem requirunt. Rursus aliud est loqui de illo statu legis naturæ secundùm communem, & ordinariam legem; aliud verò de speciali aliquo casu, seu prærogatiua alicuius personæ.

D. Thom.

Durand. Ledesma.

In lege naturæ fuit cultus Dei externus per sacrificia & oblationes.

Dico ergò primò, in lege naturæ fuisse cultũ Dei externum per sacrificia, oblationes, & alias similes cæremonias. In hac assertione conueniunt ferè omnes autores suprà citati, quanuis videantur differre, quia aliqui sentiunt, hunc cultum fuisse necessariũ ad salutem, alij verò tantùmodo voluntarium, quod significat D. Tho. loco proximè citato, & Hug. Vict. &c. lib. 1. de sacra. p. 11. c. 3. & par. 12. c. 3. vbi differentiam constituit inter sacramẽta legis naturæ, & veteris, quod illa fuerunt voluntaris, hæc necessitatis, illa ex voto, hæc ex præcepto, & Anael. Papa epist. 2. cap. 2. sic dicit, *Abraham & antiquos Patres ante Aaron obtulisse sacrificium ipontanea voluntate.* Sed intelligendum est fuisse voluntariũ, quoad determinationem, & modũ cultus, vt ait D. Tho. 1. 2. q. 103. art. 2. cũ enim, neq; ex natura rei determinatus sit, neque ex speciali Dei institutione, quæ in illo statu nõ fuit, rectè dicitur cultus ille, quoad modũ, & determinationẽ fuisse voluntarius, at verò absolutè loquendo de cultu externo, siue per hanc, siue per illam actionẽ exhibeatur, dicendũ est illũ fuisse necessariũ necessitate præcepti naturalis, vt cõstat ex 2. 2. q. 84. & 85. & infrà in materia de sacrificio iterum dicemus. Et probari facilè potest ex dictis præcedenti disputatione, vbi ostendimus hanc obligationẽ oriri ex naturali cõpositione hominis ex corpore, & anima, & ex origine, quã à Deo habet secũdùm vtrãque rationẽ, & ex modo viuendi quẽ natura sua postulat in congregatione & societate aliorum hominum. Ex hoc ergo principio sequitur necessario cõclusio posita: nam in tẽpore legis naturæ semper fuerunt aliqui homines iusti, qui vero Deo cultũ ex naturali lege debitum exhiberent, nam ab initio mundi semper Ecclesia durauit, & vera fides, ac religio. Confirmari hoc potest traditione ex scriptura desumpta, nam à principio Abel & Cain cœperunt colere Deum rebus externis; & idem legimus de aliquibus hominibus sanctis ab Adam vsque ad Noe, & à Noe vsq; ad Abraham, vt latiùs tractabimus infrà agentes de sacrificio. Confirmari etiã potest, quia non solùm fideles, sed etiam Gentiles hoc semper obseruarunt, vt quos Deos colerent, eos cultu aliquo externo venerarentur, vnde Genes. 41. & 47. fit mentio sacerdotũ Aegypti, & terræ sacerdotalis, & Exod. 2. & 3. nominatur sacerdos Madian, & idem est frequens in scriptura, & alijs historijs. Quin potius norant sancti Patres, propterea Deum tanta sacrificiorum, & cæremoniarum multitudine Israeliticũ populum onerasse, vt eum à cultu externo idolorum, quo gentes vtebantur, abstraheret: signum ergo est, ipsam naturã esse propensam ad hũc cultum tribuendum Deo, & consequenter, si rectè instructa sit, verũq; Deum agnoscat, eum interiùs, & exteriùs culturam: fuit ergo hic cultus in lege naturæ, in sanctis hominibus, qui veram Dei fidem, & religionem retinuerunt.

Nunquã defuit veri Dei cultus.

Dico secundò, in statu legis naturæ communi & ordinaria lege non fuerunt aliquæ cæremoniæ, quæ haberent propriam rationem sacramentorum præter illud, quod fuit in remedium paruulorum. Probatur primò, quia non fuerunt aliæ cæremoniæ, in quibus significaretur gratia aut præsens, quæ in illis daretur, aut futura, quæ in illis promissa significaretur: sed de ratione proprij sacramenti est, vt gratiã significet: ergo nõ erant aliæ cæremoniæ, in quibus propria ratio sacramenti inuenta fuerit. Maior quoad priorem partem communis est, & certa, vt latiùs q. 62. dicturi sumus, quia specialis promissio gratiæ, in aliquo opere præter meritum operãtis, per se loquendo erat præter statum, & perfectionẽ illius tẽporis; & ideò solùm propter extremam paruulorum necessitatem facta est illi operi, seu remedio, quod ad tollendum originale peccatum est institutum: de alijs verò, neque est necessitas, nec fundamentũ ad

In lege naturæ præter remediũ paruulorũ, non fuit aliud sacramentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

id asserendum. Posterior verò pars in prima propoſitione assumpta probatur, quia talis significatio futuræ gratiæ non poterat esse, nisi ex institutione diuina, vt suprà dictum est; nam debet practicè cõtinere & exhibere diuinam promissionem: nulla autem legitur huiusmodi diuina institutio, neque est vlla ratio sufficiens, vt asseratur: neque est consentanea illi statui, qui legis naturæ dicitur, quia non habebat positiuas leges, & cæremonias. Cõfirmatur, quia si tunc Deus instituisset huiusmodi sacraméta, quæ essent prognostica, & repræsentarent res futuras, instituisset illa, in particulari definiendo proprios ritus illorum, alioqui non posset fieri commodè repræsentatio cum debita proportione, & analogia, in quo non est eadem ratio de sacramento paruulorũ, quia in illo præcipuè attendebatur necessitas, & remedium paruuli, quanuis significatio non esset tam accommodata, & expressa, secus verò dicendum esset de illis sacramentis, quæ propter significationẽ præcipuè instituerentur. Secundo argumẽtor, quia hæc sacramenta non erant necessaria in eo statu ad cultũ Dei, neque ad aliquem alium finem, qui ex necessitate aliqua morali sit coniunctus cum lege naturæ: ergo non fuerunt tunc talia sacramenta. Patet consequentia, quia in eo statu illa tantùm fuere, quæ sunt aliquo modo de lege naturæ: seu, quæ vel ex parte Dei, vel ex parte hominis habent necessitatem aliquam, propter quam ex naturali ratione fide illustrata dictentur, vel eligantur. Antecedens verò patet, quia triplex fingi potest necessitas talium sacramentorum. Prima est in remedium peccati; & hæc seclusa originali peccato nulla est, quia cætera sunt actualia, quæ, sicut à solis adultis per proprios actus committuntur, ita per propriam eorum dispositionem remitti possunt, & quanquam in hoc possint adulti multùm iuuari per sacramenta, in quibus gratia conferatur, & maximè si talia sint, quæ faciant hominẽ ex attrito contritum, tamen hæc perfectio superat imperfectionem illius temporis, & status, vt dictum est. Secunda necessitas potest sumi ex aliqua sanctificatione hominum colentium Deum; at verò, si sermo sit de sanctificatione per gratiam, iam dictũ est, esse supra conditionem, vel imperfectionem illius legis, & status, si verò sermo sit de sola sanctificatione externa, & legali, in primis non est cur hæc censeatur necessaria, quia fideles sufficienter sanctificabantur, & aggregabantur Ecclesiæ Dei per illod sacramentum, quod diximus esse institutum in remedium originalis peccati; præterquã quòd nulla alia sanctificatio exterior est cõmuniter cultoribus Dei necessaria, sed illa tantũ, quæ fit per externos actus pœnitentiæ, religionis, & aliarum virtutum. Solùm in sacerdotibus videtur esse quædam specialis necessitas, quia proprio quodam modo destinãtur ad cultum Dei, sed neq; illis tunc erat necessaria exterior sanctificatio, vel cõsecratio, quia primogeniti, quasi iure hæreditario erant sacerdotes, vel poterãt certè sola extrinseca deputatione ad illud munus destinari: quo sensu videtur dixisse Anacl. Papa in dict. epist. o. antiquos illos patres non obtulisse sacrificiũ sacerdotali autoritate, illa scilicet, quæ data est Aaron, per vnctionẽ sacrã, & alias cæremonias à Deo institutas. Deinde, licèt admittamus, fuisse tũc cæremonias ordinatas ad aliquam externã sanctificationem fidelium, non sequitur illa fuisse sacramenta, quia non significabant gratiam præsentem, nec præfigurabãt futurã, nec talis significatio est per se necessaria ad

Triplex sacramentorũ necessitas fingi potest in illo statu.

Anaclet. Papa.

A cultũ Dei. Tertia necessitas sacramẽtorũ esse potest propter fidei professionẽ, qua ratione vtitur D. Th. in hoc art. 3. & ex illa generaliter colligit, debuisse esse sacramenta ante Christi aduentũ; vnde videtur loqui, & ratiocinari de toto illo tempore, etiã legis naturæ, vt patet: tum quia principia quæ assumit cõmunia sunt illi statui, scilicet, quia homines semper fuerunt iustificati in fide Christi, quam oportuit signis visibilibus protestari; tum etiã, quia in solutio. ad 2. de vtroq; tẽpore legis naturæ, & scriptæ conclusionẽ explicat; & in vtroq; dicit fuisse sacramenta, quãuis in modo institutionis, & determinationis fuerint diuersa. Nihilominus tamẽ ex hoc solo capite nõ possunt colligi propria ac perfecta sacraméta, quia professio fidei sine sacramẽtis propriè dictis fieri poterat multis alijs modis, vt per verba, per sacrificia, & per alias similes exteriores actiones: sicut nũc in lege gratiæ præter sacramenta habemus plures alios exteriores actus, quibus fidẽ profitemur. Quo circa, licèt in sacramentis sit quidam peculiaris modus profitendi fidem, & significandi spirituale sanctificationẽ, qui ad perfectiorẽ cultũ religionis pertinet: & ideò vtile, vel congruũ fuerit, hunc modũ profitendi fidem Christi venturi fuisse vsitatum ante aduentum eius, vt fides eius meliùs cõseruaretur, & homines ad illum suscipiendum paulatim disponerentur, non tamen necesse fuit, hunc modum cultus generaliter incipere à tempore legis naturæ, sed satis fuit inchoari à tẽpore legis scriptæ; in quo propter hominũ peccata fides erat obscurior, & rarior, ac ratio magis obtenebrata. Præterea, quãuis admittamus, aliquem sacramentorum vsum debuisse esse in lege naturæ, satis esse videtur ille, qui in prima fidei professione, seu in illo sacramento, quod in remedium originalis peccati institutum fuit, exercebatur; nullum ergo est sufficiens fundamentũ, vt asseramus fuisse in eo statu alia sacramenta.

Professio fidei fieri potuerat sine sacramentis.

Obiectio.

Dices, in lege naturæ fuerunt vera & propria sacrificia, cur ergo non admittemus fuisse etiam plura sacramenta vera & propria, & non vnum tantùm? Respõdetur, non esse eandem rationem; quia, vt suprà retigi, & infrà tractando de sacrificio iterum dicam, de ratione sacrificij per se solùm est significatio moralis interioris cultus diuini; quam significationem potest habere sacrificium ex hominum impositione absq; speciali Dei institutione; at verò sacramentum propriè cõstituitur per significationẽ mysticam gratiæ sanctificantis, quam non potest habere certam, & infallibilẽ, nisi ex diuina institutione. Dices, quanuis primaria ratio sacrificij visibilis consistat in significatione inuisibilis sacrificij interioris; tamen supposita fide Christi venturi, quam in lege naturæ homines habebant, poterant suis sacrificijs adiũgere significationem mysticam, absq; speciali institutione diuina solùm per generalem instinctũ fidei, quomodo probabile est, Abel sua oblatione significasse, ac figurasse sacrificiũ Christi: ergo eodẽ modo poterãt tũc homines ducti fide instituere aliquas cæremonias ad sanctificationem aliquam hominum exteriorem, eisq; adiungere significationẽ futuræ gratiæ Christi, & redẽptionis eius: ergo potuerunt esse illo tempore hoc modo sacramenta. Respõdetur, huiusmodi institutionem, & sanctificationẽ in primis non habere fundamentũ. Deinde nõ sufficere ad perfectam rationem sacramenti, de qua nos agimus, vt patet ex definitione suprà data, & quia illo modo essent nunc in Ecclesia multa alia sacramẽta præ-

Solutio.

ta præter septem à Christo tradita. Vnde bene adnertit Soto loco supra citato, antiquos Doctores, qui de sacramentis legis naturæ loquuntur, præsertim scholasticos post Hugo. de sanct. Vict. loco nuper citato vsos esse nomine Sacramenti cõmuniori significatione, qua oblationes, sacrificia, & similia solent vocari sacramenta, non quia propriam rationẽ sacramenti habuerint, sed quia, cùm eo tempore nõ fuerint perfectiora signa sacra, illis accommodatum est commune nomen.

Soto.

Ex qua doctrina colligitur, hæc sacraméta impropria, quæ in lege naturæ fuerunt, non fuisse simpliciter necessaria ad salutem necessitate medij, præter illud vnicum sacramentum ad remedium originalis peccati institutum, quod saltem respectu paruulorũ erat medium necessarium ad eorũ salutem; nam de adultis fortasse alia est ratio, vt inferiùs dicemus. At verò reliqua sacramenta, seu potiùs sacrificia & cæremoniæ externæ, non erant propriè necessaria media ad salutem, quia nec tollebant peccatum, nec cõferebant interiorem sanctitatem ex vi sua, sed erant necessaria necessitate præcepti, quatenus erãt determinata ad reddendum Deo cultum debitum, sicut erat necessarium, honorare parentes, vel alios similes actus exercere. In quo est magna differentia inter fidem interiorem viuam, & exteriorem professionẽ eius; nam illa est necessaria necessitate præcepti & medij; quia continet substantialem animi iustitiam, & Dei cultum; hæc verò solùm est necessaria ex præcepto, seclusa speciali institutione Dei, & ita fuit in lege naturæ, vt notauit D. Thom. in 4. distin. 1. quæst. 1. artic. 6.

D. Thom. Auguſt. Ambroſ. Clemens.

Dico tertiò. Ex singulari Dei beneficio, & reuelatione, interdum fuisse in lege naturæ in aliqua familia, vel gente, vsum alicuius sacramẽti propriè dicti, præter illud, quod commune erat omnibus in remedium originalis peccati. Hanc assertionem cõstituo primo propter oblationẽ Melchisedech in pane, & vino, quæ non solùm habuit rationem sacrificij, vt sacra oblatio erat, sed etiam res oblata habuit rationem sacramenti, vt in 1. tom. huius 3. part. circa quæstionem 22. D. Thom. dixi, & indicat hic D. Th. ad 3. & D. Aug. Epist. 95. ad Innoc. vbi panem illũ vocat *Sacramentum mensæ Dominicæ*, & idem sensit Ambrosius lib. 4. de sacram. c. vlti. & Clemens Alex. lib. 4. stromatum in fine dicens, *Melchisedech dedisse in nutrimentum panem & vinum sanctificatum in typum Eucharistiæ*; credibile ergo est, illud fuisse propriũ sacramẽtum datum Melchisedech speciali instinctu, & reuelatione diuina, vt ritu solenni & publico celebraretur. Quod fortasse interdum alijs nationibus accidit, nos verò de nullo alio id possumus affirmare, quia nec in scriptura, vel Patribus habemus fundamentum, nec erat id commune, ac regulare in illo statu. Possumus verò à simili hoc confirmare, quia etiam determinatio sacrificiorum facta à Deo non erat communis & frequens in illa lege, & tamen interdum Deus ab aliquibus determinatã postulauit sacrificia, vt de sacrificio Abraham cõstat Gene. 22. & de amicis Iob cap. vlti. lib. Iob. Et interdum fieri poterat hæc determinatio, non quidem per expressam reuelationem, sed per singularem instinctum Dei, sicut credi potest de Abraham, quando decimas obtulit Melchisedech Gene. 14. & de Iacob, quando votũ fecit dandi decimas Deo Gen. 28. vt autor est Hug. Vict. lib. 1. de sacram. part. 12. ca. 3. & 4. & D. Tho. 1. 2. q. 87. art. 1. ad 3. Igitur eodem modo

Hugo.

potuerunt eo tempore aliquibus dari propria sacraméta ex singulari Dei beneficio. Ratio verò solùm est, quia licèt huiusmodi sacraméta nõ essent necessaria in illa lege, tamen poterãt esse vtilia, & quòd aliqua interdũ fuerint, potuit esse conueniens ad Christi honorem, & ad prædicanda, seu præfiguranda aliqua mysteria, quæ in lege gratiæ consummãda, atq; perficienda erant. Et ex his facilis est responsio ad fundamenta primæ opinionis. Ad rationes enim omnes respõdetur, solum probare, in illo statu fuisse aliqua sacrificia, vel cæremonias externas, quæ latè possunt sacramenta vocari. Probant etiam, potuisse sacramenta habere vtilitatem in illo statu, & ideò, si aliquibus data sunt, conuenienter, atque vtiliter dari potuissent, nõ tamen probant fuisse pro eo tempore necessaria, neque debita hominibus regulariter, iuxta illius temporis statum, ac viuendi rationem. Ad Doctores verò antiquos, qui de sacramẽtis illius temporis loquuntur, partim responsum est, sacramẽtorum nomine, sacrificia comprehendere, & alios externos ritus diuini cultus, quod euidenter cõstat ex Hugone & alijs; partim etiam dici potest, loqui generaliter de sacramentis, quia aliquod sacramentum commune fuit omnibus fidelibus in eo statu, & præter illud fuerunt alia non ita communia, sed ex singulari Dei beneficio aliquibus collata, vt dictũ est.

Ad argu. 1. opin. respõ.

DISPVTATIO V.

De institutione & necessitate Circuncisionis, & aliorum sacramentorum veteris legis.

IN hac disputatione agendũ est de reliquo tẽpore ab Abraham vsq; ad Christum; & ideò non posui in titulo, de sacramentis in lege veteri institutis, vt circuncisionem comprehẽderem, quæ in lege veteri instituta non est, sed in Abrahã initiũ habuit, mãsit tamen in lege, & inter cæremonias legis veteris cõputatur, quia per illã cœpit cõgregari specialis Dei populus, & ad speciale legẽ eius suscipiendam præparari; & posteà fuit quasi proprius character illius populi, & professio per quam aliquis illi legi se obligabat, ac subijciebat, iuxta illud Pauli ad Galat. 5. *Testificor omni homini circuncidenti se, quoniã debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Seruabimus ergo in hac disputatione methodum, quam in præcedenti tenuimus, vt prius de circũcisione, posteà de reliquis sacramentis illius legis disseramus.

SECTIO I.

Vtrum Circuncisio fuerit verum sacramẽtum in remedium originalis peccati institutum pro filijs Abrahæ.

QVæstionẽ hãc valde difficilem reddunt varia dicta, & sententiæ antiquorũ Patrũ, quia oẽs ferè, qui Augustinũ præcessere, longè aliter de circuncisione sensisse videntur, quam Augustinus & qui eũ secuti sunt, sensisse videtur. Conueniũt quidẽ omnes circuncisionẽ fuisse verum sacramentum, quia id satis aperte docet Paul. in Epistola ad Rom. vt posteà dicemus, differunt tamẽ tum in

Universidad de Deusto Biblioteca

tradenda ratione institutionis eius, tum etiam in primaria illius significatione declaranda.

Prima ergo sententia fuit primariam rationem tradendi circuncisionem tantùm fuisse ad consignandum peculiarem Dei populum eumq; à cæteris gentibus distinguendum; non verò in remedium originalis peccati, vnde fit, circuncisionem quidem fuisse cæremoniam ad aliquam sanctificationem illorum hominum institutam, quia per eam dedicabâtur homines specialiter ad cultum Dei, quæ meritò dici potest quædam sanctificatio; non tamen fuisse institutam ad internam sanctificationem conferendam; vnde fit, non significasse gratiam, quæ in illa daretur: significauit tamen ex diuina institutione baptismũ, & circuncisionem spiritualem per Christum conferendam, & hinc censetur habuisse perfectam rationem sacramenti.

Iustin.

Hanc sententiam primo docere videtur ex Græcis patribus Iustin. Martyr, dialog. cõtra Triphon. aliquantulum à principio dicens. *Circuncisionem accepit Abraham significationis gratia, non iustitiæ, idque & sacræ scripturæ & res ipsæ nos cogunt cõfiteri.*

Irenæus.

Secundo, Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 30. *Circuncisionem non quasi consummatricem iustitiæ, sed in signum dedit Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, quod ex ipsa scriptura discimus*, & deinde adducit verba Genes. 17. *Circuncidetur omne masculinum vestrum, & circuncidetis carnem præputij vestri, & erit signum testamenti inter me, & vos.* Quæ verba confert

Exod. 31.
Ezech. 20.

cum illis, quæ habentur Exod. 31. *Sabbatha mea obseruabitis, eritque signum vobis apud me in generationes vestras*, & illa Ezech. 20. *Sabbatha mea dedi eis, vt sint in signum inter me, & ipsos.* Ex quibus exemplis colligere vult, solùm fuisse cæremoniam quandam ad cõgregandum populum Dei, & distinguendum eum ab alijs. Posteà verò de significatione subdit, *In signo ergo data sunt hæc, non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur, sed secundùm carnem circuncisio, circuncisionem præfigurabat spiritalem, etenim nos* (ait Apostolus ad Colos. 2.) *circuncisi sumus circuncisione non manu facta.*

Chrysost.

Tertio, Chrysost. homil. 17. in Genes. *Voluit circuncisionem lege sanciri, non quod ad salutem animi hæc proficere aliquid posset, sed vt hoc gratitudinis indicium, quasi signum, & sigillum circunferrent Iudæorum pueri, & ne eis liceret contaminari gentium cõmistionibus: propter quod Paul. ad Rom. 4. circuncisionẽ vocat signum, nam ad iustitiam nihil ipsa conducit*, idem homil. 39. in fine, expressiùs 40. in fine, vbi dicit, *Nulla alia ex circuncisione fuit vtilitas, quàm hæc sola, quòd ex hoc signo essent cognoscibiles, & ab alijs Gentibus sequestrarentur Iudæi, nostra autem circuncisio baptismatis (inquam) gratiæ medicinam habet.*

Rom. 4.

Cyril.

Quarto, Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 21. *Lex circuncisionem introduxit carnis, quæ nihil est, vt Paul. ait, Dominus autem circuncisionem spiritus*, & lib. 11. contra Iulianum ad finem, de circuncisionis ratione & institutione disputás, nullam mentioné facit remedij peccati, neq; aliã significationem, quàm circuncisionem cordis in spiritu, *Et absurdarum*, inquit, *concupiscentiarum, & voluptatũ abiectionem significat, quam per Spiritum sanctum in nobis omnibus Christus operatur.*

Euseb.

Quintò, Euseb. eodem modo explicat circuncisionis institutionem, libr. 1. de præpar. Euang. c. 10. & lib. 1. hist. c. 1. vbi circuncisionem comparat, & æqualem facit alijs cæremonijs legalibus, & solùm illi tribuit esse figuram, & signũ futuræ gratiæ.

Epiphã.

Sexto, eodem modo loquitur Epiphan. hæres. 8 post mediũ, & clariùs hæres. 30. non longè à fine.

Orig.
Theodo.

Septimo, Origen. homil. 3. in Genes. latè, & Theodoret. q. 67. in Genes. vbi dicit circuncisionem nihil dedisse Abrahæ, neq; Ismaeli: & hinc sumit argumentum probabile, nam Ægyptij, & alij populi qui circuncidebantur, dicuntur impij in sacra scriptura, signum ergo est non fuisse iustificatos in circuncisione. Vnde concludit, *non ergo circuncisio iustos facit.*

Damasc.
Athanas.

Octauo, eodem modo loquitur Damasc. lib. 4. ca. 26. Nono, indicat etiam Athanas. oratione in illud, *Omnia tradita sunt mihi à Patre meo*, non longè à fine, dicens circuncisioné tantùm fuisse notam, baptismum autem regenerationem continere.

Oechumen.
Theophy.

Denique idem docent Oechumen. ad Rom. 2. & 3. & Theophyl. ad Rom. 4.

Ex patrib. Latinis.
Cyprian.

Secundo principaliter ex Latinis Patribus Cypr. lib. 1. ad Quir. c. 8. hoc sensu vocat illam primam circuncisionem carnalem, quæ euacuata est, per quam secunda spiritalis circuncisio promissa est, ac figurata; & probat illam non dedisse spiritualem circuncisionem: tum quòd priores Patres sancti incircuncisi fuerunt, tum etiam, quia illud signaculum fœminis non proficiebat, idem epist. 59.

Ambros.

Secundo, Ambros. epist. 72. eodẽ modo sentit de circũcisione, nullũq; discrimen inter eam, & alias cæremonias legales agnoscit, illamq; circuncisionem carnalem vocat, quã in hoc ab spirituali distinguit, quòd illa corpus; hæc verò peccatum amputat, & lib. 1. de Abraham ca. 4. dicit, circuncisionem tantùm fuisse signum, & super ad Rom. 4. negat aliquid iustitiæ Abrahæ cõtulisse.

Hierony.

Tertiò, eodem modo sentit Hierony. lib. 1. in epist. ad Galat. circa illa verba, cap. 3. *Cognoscitis ergo, quia, qui ex fide sunt, hi filij sunt Abrahæ* (inquit) *Circuncisionem, nõ ob meritum operum, sed in signum fidei prioris accepit: quia enim ex semine eius erat Christus oriundus (in quo vniuersarum gentium fuerat benedictio repromissa & ab Abraham vsque ad Christum multa erant tẽpora transitura) prouidens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circuncisionis cauterio denotauit*, & libr. 2. in fine, circa illa verba, capit. 5. *Neque circuncisio aliquid valet*, quanuis exponat, hoc intelligẽdum esse post Christum Iesum, nam antea aliquo modo vtilis fuit, dicit tamen, *ideo vtilem Iudæis fuisse, quia illis credita sunt eloquia Dei, quæ in opera vertentes, à salute extranei non fuerunt*, & infrà dicit, *Etiam valuisse ad obtinendas benedictiones carnales, quæ legem seruantibus spondebantur.* De vtilitate verò circũcisionis ad tollẽdum originale peccatũ, ne verbum quidem, & in id ad Rom. 4. *Signum accepit circuncisionis*, inquit, *Ne diceres, ergo superfluè circũcisus est Abraham, signum dicit esse iustitiæ non augmentum*, quæ verba ferè transcripsit Ansel. eodẽ loco.

Anselm.
Tertul.

Quartò. Tertul. lib. cõtra Iudæos c. 3. de Abraham inquit, *Acceperat circuncisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in prærogatiuam*, & infrà dicit, *Datam esse in signum populo Israel, vt dignosceretur, non in salutem*, & capit. sequenti latè probat, circuncisionem non esse datam ad purgationem, seu iustitiam. Quintò, Autor libri de altercatio. Eccle. & synagogæ qui est in sexto tomo operum August. latè probat, circuncisionem nõ esse datam illi populo vt ad æternitaté per illã proficeret; & potissimum vtitur illo argumento, quod remedia ad salutem sunt communia viris, & fœminis.

Isidor.

Sextò, Isidor. lib. in Genes. ca. 13. reddés causam circuncisionis, inquit, *Iam tunc propter peregrinationẽ futuram ne commisceretur semen eius inter gentes, datur ei circuncisio in signum his verbis, Circuncidetur in vobis*

omne masculinum, & infrà, *Sed quid aliud circuncisio significat nisi renouatã naturam per baptismum, post expoliationem veteris hominis*, atque eodẽ modo scribunt de circuncisione Glossa, & Lyran. Genes. 17. & 20.

Lyran.
Ex ipsis Hebræis.
Philo.

Tertiò & principaliter ex Hæbreis Philo. libr. de circuncisione, tom. 2. reddens varias causas & rationes, propter quas instituta est circuncisio, nullam mentionem facit originalis peccati: si autem circuncisio in remedium peccati esset instituta, hæc fuisset potissima causa institutionis eius; atq; inter Iudæos celebrior, ac notior esse debuisset: ad eandem rem citari solet Iosephus, lib. 1. antiquitat. ibi tamen cap. 18. commemorans circuncisionis præceptũ, promittit se alio loco causas circuncisionis explicaturum, quod nullibi impleuisse reperio.

Ex loco Genesis 17.

Quartò principaliter fundatur hæc sententia in loco Genes. 17. vbi circũcisionis institutio refertur, & nulla facta mentione iustitiæ, vel remisionis peccati, solùm dicitur, *Vt sit in signum fœderis inter me & vos*, & infrà, *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Ex quibus verbis colligitur datam esse circuncisionem ad signandum populum, quẽ Deus peculiariter eligebat; quoniam ex illo Christus erat nasciturus, vt illius singularem haberet prouidentiam, & ab eo specialiter coleretur; hoc enim erat pactum, & fœdus inter Deũ, & illum populum, cuius signum erat circuncisio.

Ex locis Paul.
Galat. 5.
1. Cor. 7.
Rom. 3.
Theodor.

Quintò videtur hæc sentẽtia colligi ex aliquibus Pauli locis, vbi dicit, *Circuncisionem nihil valere*, vt ad Galat. 5. & 6. *aut nihil esse*, vt 1. ad Corinth. 7. sed hæc loca non vrgent, quia sermo in illis est de circuncisione post Christi aduentum; & ideò dicitur, *In Christo Iesu, neque circuncisio aliquid valet.* Locus autẽ ad Rom. 3. videtur magnam vim habere, nam cùm interrogasset Paulus, *Quæ vtilitas circuncisionis*; respondet, *multum per omnẽ modum.* Explicans autem hanc magnam vtilitatem, nullam aliam affert, nisi, *quia credita sunt illis eloquia Dei.* Vbi Theodoretus dicit potuisse Paulũ multa enarrare beneficia, quibus Deus Iudæos præ gentibus affecit, *Elegit enim eorum maiores, ab Ægiptiorum potentia liberauit; vt clara esset eorũ fama, & in ore omnium versaretur, perennis generis miracula effecit; legem ad auxilium dedit, Prophetas eis cõstituit, his autem omnibus silentio prætermissis, solam legislationẽ posuit, quia maximus hic honos est:* Ergo teste Paulo, solùm est data circuncisio, vt ille populus separatus à reliquis specialem Dei legem acciperet, & promisiones, ac prophetias de Christo, de remisione autem peccati nullam mentionẽ facit. Quin potiùs paulò inferiùs dicit, *Ex operibus legis neminem iustificari*, sub quibus circuncisionem sine dubio comprehẽdit, & ideò ad Colos. 2. illã vocat, *Circuncisionem manu factam in expoliationem corporis carnis*, eamq; ab spirituali circuncisione omnino distinguit, & ad Philip. 3. vocat circuncisionem, *fiduciam in carne*, quia nõ erat signum spiritualis regenerationis, sed tantùm generationis carnalis ex Abraham, in qua multùm Iudæi confidunt.

Coloss. 2.
Philip. 3.

Congruentibus rationibus.

Sextò adduci possunt congruentiæ, vel coniecturæ, quas Patres citati indicant, prima & frequens est, quia remedium peccati cõmune est masculis, & fœminis. Secunda ex Cypriano, quia remedium peccati non præciperetur differri vsque ad octauum diem. Tertia ex Hieronym. & Theodoret. quia populus in deserto non est circuncisus per quadraginta annos, remedium autem peccati non esset tanto tempore dilatum. At verò, quia circuncisio solùm erat ad segregandum illum populum ab alijs, & eo tẽpore quo erat in deserto, erat satis separatus à gentibus, ideò tunc non indiguit circuncisione; postquàm verò cœpit commisceri populis gentium, omnes fuerunt circuncisi, quanuis sine dubio iam multis esset originale peccatum remissum. Quarta, quia priores Patres sine circũcisione fuerunt iustificati: media autem ad iustitiam acquirendam necessaria, eadem semper fuerunt ante Christi aduentum.

Secũda sententia circũcisionem in remediũ peccati fuisse dicit.

Secunda sententia est, circũcisionem institutam fuisse & datam populo Israelitico in remedium originalis peccati, ita vt remedium legis naturæ, quod de se indifferẽs erat quoad externã cæremoniam, determinatum fuerit ad ritum circuncisionis, pro filijs & posteris Abrahæ. Hanc sententiam ex patribus, qui Augustinum præcesserunt, indicauit tantùm Athanas. in oratione nuper citata, his verbis. *Rebus autem ita constitutis, videtur circuncisio data esse, vt auferretur vituperium terreni stemmatis ab Abrahamitis, quo in posterum non simus obnoxij huic maledicto. Terra es, & in terram ibis: ablatum est enim opprobriũ delicti, id autẽ tunc factũ est ad figuram huius baptismatis, quod in Christo perficitur: tunc enim ex parte fiebat: vtpote ad vmbram, nunc autem, sicuti Apostolus ait, terrenam originem eruentes, per lauachrum baptismi regeneramur.*

Athanas.

Sed re vera Athanasius, si rectè perpendatur, solùm dicit, circuncisionẽ fuisse figurã baptismi, & repræsentationẽ quandã regenerationis per illũ perficiẽdæ.

Cyprian.

Apertius hanc sententiã docuit Cypria. (si ipse est autor operis de Cardinalibus Christi operibus) c. de circuncisione Christi, vbi sic inquit. *Hoc cũ octaua die iussum sit celebrari, & nomẽ circuncisio aptari, vaticinatum est his, qui digni sanctorum consortio censebãtur, quod eorum nomina scriberentur in cælis, & æternæ beatitudinis heredes fierent, & consortes* & infrà cùm dixisset, originale peccatum omni tempore aliquibus remedijs esse expiatũ, subiũgit, *Propter hoc cum iam fidei tempora appropinquarent, imperata est circuncisio.*

Ambros.
Genes. 17.
Ioan. 3.

Ambr. etiam epist. 84. ad mediũ, vbi ex institutione circuncisionis, veritatẽ peccati originalis demõstrat, & eandem vim existimat habere illa verba. Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima eius de populo suo*, & illa Ioã. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ intrabit in regnum cælorum.* Verũ illa epistola nõ censetur esse Ambrosij, sed Prosperi.

Primus huius sentẽtiæ autor Augustinus.

Primus itaq; ac præcipuus & indubitatus autor huius sentẽtiæ fuit August. qui 3. lib. cõtra Iulian. c. 18. sic inquit, *Responde, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circuncisus octauo die fuisset, perijsset anima eius de populo suo. Explica, si potes, cur merito tanta pœna plecteretur, nisi ab hac tanto sacramento liberaretur?* Idem repetit lib. 5. c. 9. lib. 2. de gratia Chri, & peccat orig. c. 30. & 32. & lib. 2. de nupc. c. 11. & 12. & lib. 4. de bapt. c. 14. vbi dicit, *Ex circũcisiõe carnis, quã prior populus accepit, conijcere nos posse quid valeat in paruulis baptismi sacramentum*, vbi adducit etiam argumentũ ex 4. Exod. vbi filius Moysi per circuncisionem mortis periculo ereptus est, & lib. 2. cõt. liter. Petilia. c. 71. *Antiquus populus circũcisiõe pro baptismo vtebatur.* idẽ docet. 15. de Ciuit. c. 16. & lib. 16. c. 27. & lib. de pœni. & medici. c. 5. & lib. 5. hypogno. à medio. *Circũcisio* (inquit) *illa octaue diei gratiã baptismi gestabat & paruulus, qui ea fraudatus est, delicto quod ex Adã traxit, nõ caruit*, & tract. 20. in Ioã. dicit, ideò circuncisionem solitam esse dari etiam in sabbatho, quia sanctificationẽ afferebat, à qua non erat in sab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

batho vacandum. Vnde Christus Ioan. 7. dicebat, *In Sabbatho circumciditis hominē, & mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabbatho.*

Secundo. Augustinum sequuti sunt posteriores patres, Gregor. 4 moral. c. 2. & 3. & habetur in cap. Quod autem, de consecratione. d. 4. & apud Iuonē in decreto. par. 1. c. 49. Prosper dicta epistola. & lib. de promissionibus Dei. 1. p. c. 14 Isidorus lib. in Genes. cap. 17. vbi eodem modo quo Augustin. exponit illam comminationem, *Parvulus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c.* vt infrà videbimus. Beda lib. 2. in Lucam. cap. 8. & homilia quadam de circumcisione. to. 7. vbi dicit, tam circumcisionem, quàm baptismum, tollendæ prævaricationis gratia posita esse; differre verò, quia illa non introducebat ad regnū, sicut baptismus, idem lib. variarum quæstionū, q. 15 tom. 8. Beroard. serm. 3. de Circū. serm. 1. de Assūp. Virginis circa finem. & epist. 77. Rupert. Abb. lib. 5 de operib. Trini. in Genes. cap. 33. Hug. Victo. lib. 2. de sacram. par. 6. c. 3. vbi comparat in hoc effectu circumcisionem cum baptismo. & licet dicat verum esse, per baptismum aperiri ianuam regni, quod per circumcisionem non fiebat, tamen dicit hanc differentiam, non tam in ipsis sacramentis positam esse, quàm in eo, quòd passio Christi nunc est exhibita, quæ antea non erat.

Tertiò, sententiam hanc secuti sunt omnes scholastici sine vlla opinionum diuersitate, Magist. in 4. d. 1. vbi D. Tho. Scot. Durā. Bonau. Ricard. Palud. Gabr. & alij, idem D. Tho. hic & infra. q. 61 art. 6. ad 3. & q. 70 art. 4. Alex. Alens. 4 part. q. 7. memb. 7. art. 1 & sequentibus.

Quarto, fundari potest hæc sententia in decreto Innocentij. 3. in Capitulo Maiores de baptismo, vbi primùm dicit baptisma succedisse circūcisioni. Deinde comparat illa verba, *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit* cum illis. *Nisi quis renatus, &c.* Deinde concludit plus conferre nunc baptismum, quàm olim circumcisionem, *Quoniam esti originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculū vitabatur, non tamen perueniebatur ad regnum cælorum, quod vtiq; ad mortē Christi fuit omnibus obseratum; sed per sacramentum baptismi culpa remittitur, & ad regnum cælorum peruenitur.* Vbi quamuis Pontifex non intendat hanc veritatem definire; tamē cū hac sententia vtatur, vt ostendat parvulos in lege noua esse baptizandos, sicut in veteri circumcidebātur, magnam certè huic sententiæ præbet autoritatem.

Quinto, fundamentum præcipuū, quo motus est Aug. ad hanc sententiam astruendam nititur verbis illis Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa nō fuerit, delebitur anima illius de populo suo,* ad cuius testimonij vim intelligendā, tria expendēda sunt. Primum ad quos referantur illa verba, seu in quos cadat illa comminatio. Secundum, Quæ sit pœna, quā Deus ibi comminatur. Tertium, Quod sit illud pactū, quæue illius transgressio, propter quam illa pœna iniungitur. Circa primum multi exponūt, verba illa intelligenda esse de adultis & ratione vtentibus, qui vel propriam circumcisionem contemnerent, vt Cæt. in Genesim exponit, & indicat Iustinus, & nonnulli ex alijs Patribus, vel qui filiorum suorū circumcisionem negligerēt, vt exponit Diodorus apud Lyporan. in catenam super Genes. Quæ expositio probabilior apparebit, si verba illa, nō passiuè, sed actiuè legantur hoc modo. *Masculus, qui non circumciderit carnem præputij sui,* vt Ambros. & nonnulli alij legunt. Græca enim, & Hebraica lectio hanc versionem admittit: & Chaldaica paraphasis eodem modo habet; iuxta hanc autem lectionem, de solis adultis potest propriè esse sermo, quia paruuli non poterant se circumcidere, nec physicè, nec moraliter; adulti autem, quia voluntariè poterant, vel negligere, vel admittere, & procurare circūcisionem, ideò dici possunt habuisse præceptum, vt se circumcidant, licēt nō essent proprijs manibus circumcisionem effecturi; parentes etiam proprijssimè dicūtur fuisse obligati ad suos filios circumcidendos, in vtroq; ergo & in eos tantūm, optimè cadit illa comminatio. Et iuxta hūc sensum facilè intelligitur, propter quam causam comminaretur Deus illam pœnam, scilicet, propter culpam, quam hi committebant, negligendo circumcisionē. vel propriam, vel filiorum. Quod videtur cōsentaneum illis verbis, *quia pactum meum irritum fecit.* Illud enim pactum (nisi apertam æquiuocationem in breui textu admittamus) non est aliud, nisi illud quod sæpiùs in præcedentibus verbis repetitur: *Statuā pactū meū inter me, & te, & semen tuū. Tu ergo custodias pactum meum, & semen tuum post te: hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: Circūcidetur ex vobis omne masculinū, &c.* illud ergo pactum, nullum aliud erat, quàm lex circumcisionis; cōstat enim, sæpe in scriptura legem diuinam nomine pacti, & fœderis significari: quia habet adiunctam promissionem, & comminationem; imponebatur ergo illa pœna propter trāsgressionem huius legis, quam non poterāt paruuli, sed soli adulti committere. Et iuxta hæc non est difficile exponere, quę fuerit illa pœna: erat enim, vel moris corporalis, aut quædam excommunicatio, seu separatio à populo Dei, vtrunq; enim significare solent illa verba. *Delebitur anima eius de populo suo* iuxta phrasim Hebraicam, non enim significare solent pœnam alterius vitæ, sed præsentis: & interdum pœnam mortis, vt Exod. 12. *Quicunq; comederit fermentatum, peribit anima illius de Israel.* idest, occidetur: similiter. c. 30. & 31. Leuit. 17. 18 & 19. & ita intelligūt præsentes locū Genes. Lyra, & Caiet. ibi; dicūt enim patrē fuisse morte plectendum, si filium nollet circumcidere, & ipsum etiam filium, si post vsum rationis voluntariè maneret incircumcisus. Interdum verò significatur illis verbis excommunicatio, & separatio à populo Dei, vt Numer. 19. *Qui tetigerit humanæ animæ mortuum, & aspersus hac commissione non fuerit, peribit ex Israel,* & infrà. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ,* quāquam hæc verba ab alijs intelligantur de morte corporis. In dicto ergo loco Gen. *Delebitur de populo suo,* idest, nō memorabitur, nec erit membrum populi Dei, neque erit particeps sacramentorum, beneficiorum, & promissionū illius populi, iuxta quam expositionem hic locus nihil omnino confert ad sententiā Augustini fundandam; quia ex illis verbis sic expositis non potest colligi, circumcisionem fuisse medium necessarium paruulis ad salutem, quia non sequitur paruulos incircūcisos fuisse damnatos, sed solùm sequitur eam circumcisionem fuisse in præcepto, cuius transgressores puniri præcipiebantur. At verò Augustin. longè aliter intelligit tria illa, quæ explicanda proposuimus. Primo enim existimat, comminationem illam non tantùm ad adultos, sed etiam ad paruulos dirigi. Cui in primis fauet editio 70. interpretum, qui addunt particulam illam, *Octauo die,* hunc in modū: *Masculus, cuius præputij caro octauo die circumcisa nō fuerit, &c.*

rit, &c. quæ lectio retenta est in noua editione Septuaginta interpretum, iussu Sixti V. facta, & eadem vsus est Augustin. in citatis locis, & Ambros. epist. 77 & Origen. lib. 2. in ad Rom. circa finē cap. 3. Quare non videtur facilè reijcienda, eò quòd in Hebræa, & Vulgata Latina non habeatur, quia illis non repugnat sed potiùs ea explicat. Vnde potest sumi indicium, antiquam Iudæorum Synagogā, ita hunc locum intellexisse, & Septuaginta interpretes, ad explicandū ampliùs sensum suo tempore, & in sua Ecclesia receptum, illam particulam addidisse. Qua posita, non potest illa comminatio ad solos adultos referri: cùm etiam masculus post octauum diem incircumcisus periturus dicatur. Præterea, seclusa etiam illa particula, verba scripturæ indefinita sunt, & æquiualent vniuersali loquutioni; non ergo possunt liberè ad solos adultos coarctari, alioqui etiā illa verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* possent simili modo limitari, quia est idem genus indefinitæ seu vniuersalis loquutionis, & in vtraq; passiuè dicitur. *Cuius caro circumcisa non fuerit, &c., Nisi quis renatus fuerit:* ergo sicut hæc non limitantur ad eos, qui actiuè (vt sic dicam) transgrediūtur præceptum baptismi, sed simpliciter intelliguntur de omnibus, qui baptismū nō recipiunt, nec re, nec voto, cuiuscunque ætatis sint, ita nec alia verba limitanda sunt, sed eodem modo intelligenda Præterea, huic expositioni fauet contextus Genes. nam proximè dictum erat. *Infans octo dierum circūcidetur in vobis, eritque pactum meum in carne vestra, in fœdus sempiternum,* statim verò subditur *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c.* ergo, nisi sit magna æquiuocatio in verbis, idem masculus perituru dicitur, si non circūcidatur, qui præceptus erat circumcidi; hic autem erat infans octo dierum; ergo de illo, & non tātùm de adulto, sermo est in prædictis verbis. Ex quo vlteriùs intelligit Augustin. per illa verba, *Delebitur anima eius de populo suo,* significari, non tantùm pœnam aliquam huius vitæ, sed separationem à Deo, & à cœtu sanctorum, per carētiam diuinæ gratiæ, & æternæ beatitudinis quia paruulus, qui post octauum diem sine circumcisione moreretur, hanc pœnam incurreret, etiā si in hac vita nulla alia afficeretur. Neq; est hic sensus ab illo genere locutionis alienus, nam in veteri testamento, cùm iusti moriuntur, dicuntur apponi ad populū suum. Genes. 25. 35. & 49. idest, ad cœtum sanctorum: ergo rectè dicitur periturus à populo suo, qui non erat ad sanctorum cœtum aggregandus. Cōfirmatur, quia vt notat Burgens. Genes. 17. & Glos. ord. nunquam Hebræi intellexerunt, ibi esse impositam pœnam mortis, aut paruulis incircumcisis, aut adultis transgressoribus illius præcepti: vnde nunquam illud delictum tali pœna punitum fuit in populo Israel, vt ijdem referunt: non ergo rectè intelliguntur illa verba de pœna mortis: neque etiam de legali separatione, seu excomunicatione, nam illud præceptum datum fuit multò ante legem scriptam, quæ introduxit cæremonias, irregularitates, & leges separationes, quæq; per terrores & minas pœnarū cœpit homines inducere ad sui obseruationem; igitur nec pœna mortis nec separationis legalis aptè quadrat huic præcepto. Ac denique, licēt admittamus, hominem incircumcisum, etiam in hac vita separandum fuisse ab illo populo, & abscindendum tā quam membrum carēs propria nota, & signo illius populi, tamen hoc nihil obstat, quominùs etiā pœna alterius vitæ illis verbis indicetur; & per hanc separationem repræsentetur; sicut etiam nūc homo non baptizatus, & ab Ecclesia est separatus in hac vita, & propterea separabitur à consortio iustorum in futura. Tandem colligit Augustin. causam huius pœnæ propriam, & adæquatam non fuisse actuale peccatum in transgressione præcepti circumcisionis cōmissum, sed peccatum originale ex Adami transgressione contractum, paruulus enim non habet aliud peccatum, & ideò verba illa, *Quia pactum meum irritū fecit,* non censet Augustin. Isid. & Bed. esse intelligenda de pacto circumcisionis; quia non potuit paruulus octo dierum præceptum illud transgredi, sed de pacto inito cum Adam, quod paruulus in ipso irritū fecit, sicut in Adam peccauit. Quæ expositio quoad hanc vltimam partem durissima videri potest, propter rationem suprà factam, quod videlicet in toto illo capite per pactum intelligitur circumcisio, & ideo retinendo eundem sensum, & ampliùs illum explicando, dici posset, immediatè & in sensu maximè literali sermone esse de pacto circumcisionis: hoc tamen dicit irritum fieri à paruulo incircumciso, non actiuè per transgressionem præcepti culpabilem, sed passiuè, quia in eo nō est obseruatum, seu executioni mandatum pactum diuinum, quod ea ratione irritum in eo factum est. Fortasse verò sub hoc sensu voluit etiam Spiritus sanctus indicare culpam existentem in paruulo, ex transgressione prioris pacti, quā humana natura in Adamo commisit, vt Augustin. dixit. Et ita in illis verbis immediatè significatur ratio incurrendi illam pœnam, quæ est carentia remedij per quod tollēda esset culpa, quæ est causa illius pœnæ; quæ etiam culpa mystice seu in sensu magis recondito indicatur, & ita coincidit hæc expositio cū intentione Augustin. eamq; significauit Euther. lib. 2. in Genes. c. 24. Atque ex tota hac expositione rectè concluditur, circumcisionem fuisse institutam in remedium necessarium paruulis, vt liberarentur ab originali peccato, quādoquidē ex carentia illius sequebatur dānatio infantis; sicut ex illis verbis. *Nisi quis renatus fuerit,* colligimus, baptismum esse medium necessarium ad tollendum originale peccatum, vt inferiùs suo loco dicemus. Vnde in hoc propriè videtur circumcisio fuisse figura baptismi; sicut Paulus eam vocat ad Coloss. 2. & sæpe alias.

Sextò possumus afferre coniecturas, seu congruētias. Prima & præcipua sit, quia licēt verum sit quod prima sententia asseuerat, circumcisionem institutā esse ad consignādum Dei populum, & illum à cæteris distinguendum, tamen cum hoc fine non repugnat, quòd simul etiam sit institutum in remedium originalis peccati, nec priores Patres, qui priorem causam assignant, licēt posteriorem raceant, illam excludunt: nec hæ sunt ex se repugnantes: quin potius optimè inter se conueniunt, vt qui consecratur Deo, & nouum pactum, & fœdus cum eo init, seruandi legem eius, & colēdi eum, cuiq, Deus promittit suā peculiarem prouidentiam, ac paternam benedictionem, iam non manet inimicus Dei, sed sanctus, & iustus: sicut nunc in baptismo vtroq; simul fit, nā per illum consignātur fideles charactere Christi, & fiunt propria membra Ecclesiæ, & mundātur etiam ab originali peccato. Ex qua analogia etiam confirmatur hæc sentētia, quia, vt diximus, circūcisio fuit quædam figura baptismi; propter quod baptismus dicitur spiritualis circumcisio, quia consignat homines non in corpore sed in anima per characterem spiritualem, & circūcidit non corpore: sed corde; circumcisio

Greg. Beda. Bernar. Rupert. Hugo. Augustin. Genes. 17. Caiet. Iustin. Diodor. Ambros. Exod. 12. 30. & Leuit. 17. Genes. 25. 35. & 49. Num. 19. Burgens. Augustin. Isidor. Beda. Euther. Circumcisio figura baptismi. Coloss. 2. Baptismus cur spiritualis & circūcisio cur carnalis.

cisio autem appellatur carnalis,non quia nullum spirituale bonum in ea daretur,sed quia carnali,ac visibili charactere consignabat homines. Cõfirmatur hæc coniectura, quia nisi in illo sacramento tollendum esset originale peccatum,nulla esset sufficiens causa,ob quam infantibus dari præciperetur; nam ad alium finem sufficiebat dari in adulta ætate,& videri posset conuenientior,tum ad meritum per illũ actũ obedientiæ & doloris:tum etiam ad intelligẽdam significationem illius mysterij:sicut nunc etiã baptismus non daretur paruulis,nisi esset remediũ originalis peccati. Tandem hęc sacramentalis significatio optimè quadrat cum ritu circuncisionis; nã, quia peccatum originale per seminalem generationem communicatur, & vires suas in concupiscentia carnis potissimùm exerit; cui malo sola diuina gratia potens est subuenire, ideò per circũcisionem carnis aptè significatur affectus qui fit in anima, cùm ab illa tollitur originale peccatum.

Sententia autoris, & opinionum concordia.

Vtraq; istarum sententiarum tanto autoritatis põdere,& tam probabilibus nititur fundamẽtis, vt nostri muneris esse videatur, neutram, si fieri potest, reijcere,sed vtriq; aliquid concedere, easq; in concordiã redigere. Vnde dicimus primò, primariam rationem instituendi circuncisionem non fuisse remissionem originalis peccati, neq; ad hoc habuisse maiorem aliquam vim, quàm habuerit sacramentũ legis naturæ. Hanc conclusionẽ probãt omnia, quæ pro prima opinione adducta sunt. Neque negari potest, quin primarius finis circuncisionis fuerit, congregatio populi Dei, & segregatio eius à cæteris populis,per specialem,magisq; expressam professionem fidei veri Dei,& Christi venturi, quæ fides eo tempore valde imperfecta iam erat, vt notarunt Hugo Victor.lib. 1.de sacram.parte.11.c.6.& Alexand. Alens.4.par.q.7.mẽb.2.&D.Tho. hic, & elegãter in 1.2.q.102.ar.5.ad primum, vbi ait, literalem principalemq; rationem instituendi circuncisionẽ fuisse ad protestationem fidei vnius Dei, figuralem verò ad significandam ablationẽ corruptionis per Christum faciendam. Rursus, quod circuncisio nihil habuerit speciale ad delendum originale peccatum, præter id,quod commune erat in lege naturæ,inter alia, quæ adducta sunt pro prima sententia, probat optimè illa coniectura, quia si aliquid amplius daretur paruulis in lege veteri,quàm in lege naturæ, nõ debuissent ab illo beneficio fœminæ excludi: cur enim,cùm diuina gratia & præsertim ea, quæ est in remedium peccati,de se æquè omnibus communicetur. Illud etiã signũ non est contemnendũ,quòd tãto tempore sit circuncisio in deserto prætermissa.

In circũcisione non plus dabatur, quàm in remedio legis naturæ.

Secundò, dicendum est, circuncisionem fuisse remedium, in quo peccatum originale paruulis remittebatur: quod quidem etiam ex diuina institutione habuit, secundariò tamen, & quasi consequenter. Prior pars sufficienter probatur ex his,quæ adducta sunt in posteriori sententia. Hæc videtur non posse nunc negari, sine aliqua temeritate,propter communem consensum tantorum Patrum,& scholasticorũ omnium,& maximè Innocẽtij.3. Modus autem huius institutionis,& tota conclusio ita potest à nobis intelligi,& exponi: quia,vt vidimus,ante institutam circuncisionem in lege naturæ erat lex & promissio Dei de remittendo paruulis originali peccato per quodcunq; signum externum protestatiuum fidei à parentibus applicatum: circuncisio autem ex vi suæ institutionis habuit,vt esset quoddam signum sacrũ fidei protestatiuum,quo paruuli specialiter dedicabantur Deo;ergo ex vi huius institutionis,quanuis nihil aliud addatur, habuit circuncisio vt posset esse remedium sufficiens, vt tolleretur originale peccatum,saltem si priùs nõ esset ablatum. Quod potest exemplo declarari: nam si esset à Deo lata lex,vt quicunque sibi offerret sacrificium,peccatorum remissionem vel alium similem effectum consequeretur, & posteà Deus aliquam actionem in sacrificiũ institueret; quanuis ex vi huius posterioris institutionis, non haberet tale sacrificium aliquem effectum; nihilominùs ex vi prioris institutionis generalis, haberet effectum cuicunque vero sacrificio promissum; ita ergo in præsenti intelligi potest, nam priùs erat vniuersalis lex,vt per quancunque cæremoniã externam posset paruulis subueniri: ergo hoc ipso, quòd fuit cæremonia sacra, non tantum pro adultis,sed pro pauulis instituta ad sanctificandos illos aliquo modo, seu cultui diuino dicandos, hoc (inquam) ipso habuit ex vi prioris generalis legis, vt posset esse remedium sufficiens aduersus originale peccatum,etiam si nihil aliud in eius institutione intelligamus. Quòd autem hoc modo & non alio excellentiori fuerit eleuata circuncisio,vt in ea daretur hic effectus, colligi satis videtur ex autoritate omnium sanctorum, quos in priori sententia adduxi, imò etiam ex Pauli testimonio, qui nihil tribuit circuncisioni, quatenus tali cæremonia peculiariter instituta fuit, quod ad internam iustitiam, & remissionem peccati pertineat. Et eodem sensu dicunt Patres nullam attulisse spiritualem vtilitatem quam non habuerint alij sancti in lege naturæ. Ex quibus probabile sumitur argumentum ad hoc confirmandum,non quia non potuerit Deus instituere in lege veteri aliquod remedium,quod maiorem gratiã conferret ex diuina promissione,quàm in lege naturæ, vel perfectiori modo; sed quòd nulla sit ratio ad id asserendum,nec sit consentaneum statui illius legis;in hoc enim habebat eandem imperfectionem, quàm lex naturæ; quia non habebat exhibita, & præsentia Christi merita, sed solùm credebat, & sperabat futura; & ideò sacramenta eius de se tã egena erant & infirma,sicut in lege naturæ: ergo ex coditione illius legis,& status non est,cur in aliquo sacramento eius vberior gratia,vel perfectiori modo collata sit: ergo nec in circũcisione fuit aliter remissum peccatum, quàm in sacramẽto legis naturæ; nec per alium effectum,nec per aliud causalitatis genus; & consequenter,nec fuit necessaria quoad hoc alia institutio,præter eam,qua circũcisio sub ratione cæremoniæ sacræ protestatiuæ fidei, & paruulis applicandæ cõstituta est. Præterea potest hoc à signo declarari ex probabili opinione Theologorum asserentium,post Christi mortem,quandiu legalia fuerunt mortua,& non mortifera, circuncisionem fuisse vtilem paruulis ad remedium originalis peccati,non vt ceremonia legalis, sed vt remedium legis naturæ, quia nimirùm retinuit rationem cæremoniæ sacræ, per quam poterat fides parentum filijs applicari. Dices,ergo eodem modo posset dici de baptismo non esse per se primò institutum in remedium originalis peccati,sed ad protestandam fidem, seu ad consecrãdos homines cultui diuino, & consequenter habuisse,vt in illo tollatur originale peccatum. Respondetur negando sequelam,tum, quia hoc sacramentum habet effectus gratiæ longè diuersos,& perfectiores à circuncisione,& sacramento legis naturæ, & ideò oportet,

In circũcisione originale paruulis remittebatur.

Innocent.

Circum... aliqu... post C... morti... moder...

Obiect...

Respon...

oportet,vt illos habeat ex vi suæ institutionis. Item habet illos effectus perfectiori modo,vt infra dicemus. Itẽ ex verbis promissionis,& institutionis eius constat per se primò esse institutum ad regenerandos homines in Christo iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*; Regeneratio autem in Christo non fit primariò & per se per externam aliquam sanctificationem: sed per spiritualem & internam. Deniq; status legis gratiæ propter Christi merita præsentia est longè perfectior,& ideo consentaneum illi fuit, vt noua gratiæ promissio,nouusque modus regenerationis in eo fieret.

Dubium.

Rursus verò dicet aliquis, quanuis prædicto modo satis explicatum sit, quomodo circuncisio fuerit sufficiens remedium peccati originalis ex vi institutionis prædicto modo explicatæ; non tamen id satis esse,vt fuerit remedium necessarium paruulis ad salutem,quod tamen August. præcipuè contendit,& ex loco Genesis,vt à nobis explicatus est in eius doctrina, necessariò consequitur,vt ex dictis patet. Antecedens declaratur,nam si circuncisio non habuit, quòd in ea deleretur peccatum originale,nisi ex generali ratione cæremoniæ sacræ seu protestationis fidei paruulis applicatæ; sequitur, quòd si ante circuncisionem parentes alio modo offerrent suos paruulos Deo per quodcunq; aliud signum,paruuli cõsequerentur remissionem originalis peccati;ergo ad hunc effectum, non esset illis necessaria circuncisio: ergo, licèt non circunciderentur, non proptereà damnarentur. Antecedens patet, quia per hoc solùm,quòd circuncisio instituta est,vt esset cæremonia sacra,& protestatio fidei,&c. non est ablata potestas faciẽdi alias cæremonias,seu protestandi fidem alijs signis, sicut antea in lege naturæ fieri poterat, & sicut tũc in eadem lege scripta circa fœminas fiebat. Vnde cõfirmatur & explicatur difficultas optimo exemplo, nam ex præcepto legis veteris, fœminæ recens natæ offerendæ erant Deo in templo post octuagesimũ diem, Leuit. 12. Et hæc est prima cæremonia sacra, quæ ex necessitate legis scriptæ exercenda tunc erat circa fœminas; ex qua necessariò sequitur, quod, si ante illum diem,nulla alia via,neque alia fidei protestatione,esset illis remissum originale peccatũ, in illa oblatione facta in templo sine dubio remitteretur,non propter specialem institutionem, vel promissionem,sed ex generali ratione sacramenti legis naturæ,vt de circuncisione explicatum est. Quo tamen non obstante, necessarium non erat expectare octuagesimum diem, vt fœminæ iustificarentur,sed quocunq; signo protestatiuo fidei subueniri illis poterat sicut in lege naturæ: ergo idem dicendum erit de circuncisione, si non habuit specialiorem institutionem.

Solutio.

Ad quam difficultatem posset aliquis totũ hoc concedere, quia non videtur esse magnum inconueniens,& quia hoc modo meliùs saluantur omnia dicta antiquorum Patrum, quæ in priori sententia attulimus. Iuxta quam responsionem consequenter dicendum erit, circuncisionem appellari cõmuniter remedium originalis peccati, quia illa erat, quæ regulariter loquendo primò applicabatur; non quia esset simpliciter necessaria. Quod potest confirmari, quia certum est, interdũ potuisse remitti originale peccatum infanti Hebræo absq; circũcisione per remedium legis naturæ; vt si ante octauum diem esset in euidenti mortis periculo; non enim licebat præuenire circuncisionem; nam ex præcepto diuino definitum erat tempus octauæ diei, nõ sine magna significatione,& mysterio. Ac præterea, quia si infans ante illum diem existeret in periculo mortis, tunc cum circuncidere,esset illum interficere. Quare etiã si in die octauo,vel post illum non posset dari circũcisio,sine graui incõmodo,& periculo mortis,nulla ratione erat applicanda, quia non est verisimile voluisse Deũ,vt parentes suos filios interficerent,quod etiam apertè colligitur ex Iosue. 5. nõ enim propter aliam causam videtur in transitu per desertum omissa,vel dilata circuncisio,nisi,quia cum quotidie iter agerent,non poterant sine graui incommodo circũcidi,& ideo ibidem dicitur; postquàm tempore Iosue omnes circuncisi sunt, mansisse in eodem castrorum loco,donec sanarentur; igitur in his & similibus casibus poterant Iudæi saluari, vel remissionem originalis peccati consequi per aliud remediũ; quia non est verisimile,relictos esse a Deo sine remedio, & factos esse deterioris conditionis, quã alios infantes in lege naturæ cõstitutos: & ita apertè sentit D.Tho.infrà.q.70.ar.3.& 4.ad 3. ergo nõ fuit circũcisio instituta,vt mediũ necessarium ad remittendum originale peccatum; fuit enim valde acerbum, & difficile remedium,& ideò non oportuit,vt esset simpliciter necessarium; sicut nunc est baptismus: ergo quacunq; ratione applicaretur aliud remedium legis naturæ ante circuncisionem,illud sufficeret. Et hæc sententia videtur claritatem quandam & probabilitatem præ se ferre,sed non est iuxta mentem Augustini & Innoc.3.nec satis explicat, cur circũcisioni tribuatur effectus remittendi originale peccatum viris, magis quàm oblationi in templo attribuatur remissio originalis peccati in fœminis. Deniq; si vera est expositio verborum Genes. suprà data, quam etiam approbat Innoc.3.in dicto capitulo. Maiores, non potest cum illa hæc sententia consistere, quia illa comminatio de paruulis intellecta apertè infert necessitatem aliquam huius remedij.

Cum periculo mortis nõ adhibebatur circuncisio, sed aliud remedium legis naturæ etiam post octauum diem. Iosue 5.

Quomodo intelligenda conclusio.

Propter hanc ergo difficultatem addidi in conclusione, circuncisionem fuisse remedium originalis peccati ex peculiari Dei institutione. itaq; quanuis non promiserit Deus specialem aliquam gratiam circuncisioni, neq; in eum finem primariò illam instituerit, quæ duo hactenus docuimus, voluit tamen, vt remedium illud,quod in lege naturæ indifferens erat quoad cæremoniam,& ritum externũ, esset in populo Israelitico pro pueris,seu viris determinatũ, quoad ritũ circuncisionis,ita vt ordinariè, seu quãdocunq; fieri posset sine graui incommodo protestatio fidei parentum,& applicatio eius ad remediũ paruulorum per circuncisionem fieret; & hoc modo,ac non alio,parentes filios suos Deo dicarent, & offerrent. Ex quo factum est,vt, si parentes vellent alio ritu vel cæremonia vti ad offerendum filios suos Deo,seclusa speciali gratia, vel necessitate,nihil efficerẽt,quod ad eorum salutem vtile esse posset; quia iam illa non censeretur cæremonia sacra, sed superstitiosa, quod videtur significatũ Leuiti. 12. vbi dicitur: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octauo circuncidetur paruulus*,& in figuram huius applicari potest quod Leuiti. 22. dicitur, *Septem diebus erunt sub vbere matris suæ, die autem octauo & deinceps offerri poterunt Domino*. Et ita facilè intelligitur,quomodo tunc fuerit circuncisio necessaria,tum necessitate præcepti respectu adultorum,tum etiam necessitate medij saltem respectu paruulorum,quando sine graui incommodo applicari poterat. Ita enim est limitanda & exponenda Augustini

Leu. 12.

gustini sententia, cui non contradicunt antiquiores Patres, qui directè contra Iudæos scribūt, qui suam spem totam in circuncisione ponebant: & ideo præcipuè docuerunt, circuncisionem nullam habuisse spiritualem efficaciam, vel vtilitatem. Ad hanc autē sanctorum mentem & intentionem satis est, quod circuncisio, vt erat peculiaris cæremonia Iudaica, nullam habuit specialem vim sanctificantem, neque ad hoc fuit primariò instituta, prout in prima assertione diximus, quam prædicti Patres sine dubio docent, non tamen negant secundam, neque illā explicant, quia ad eorum institutum non pertinebat. August. verò locutus est contra Pelagianos, negantes originale peccatum: & ideò clariùs, ac distinctiùs explicuit, quod in singulis ætatibus fuerit remedium ad huiusmodi peccatum tollendum.

Tertiò dicendum est, circuncisionem fuisse verū ac proprium sacramentum veteris legis, primò, & per se prognosticon, seu præfiguratiuum gratiæ futuræ: consequenter verò demonstratiuum gratiæ præsentis, quæ in eo dabatur. Hæc assertio est præcipuè intenta in hac sectione, nam ad hunc locū propriè spectat, & prima pars eius est certa de fide, scilicet circuncisionem fuisse verū sacramētum; nam licèt non sub his verbis expresis, tamen sub æquiualentibus, & definitionem sacramenti cōtinentibus habetur ad Ro. 4. *Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei*, vbi genus sacramenti illi tribuitur, scilicèt esse signum. Quòd autem fuerit signum sacrum, & rei sacræ ac iustitiæ, constat ex sequenti verbo, *Signaculum iustitiæ*; non enim poterat esse sigillū iustitiæ, nisi illam significaret: quāquàm probabile sit, solùm respectu Abrahæ fuisse signaculū iustitiæ, quia vt Chrysost. & Theophyl. dicūt, ei data est in testimoniū iustitiæ, & peculiaris dilectionis qua Deo gratus erat. Quòd autem fuerit signū circūcisionis spiritualis, atq; adeò gratię dādæ per Christū, satis significauit Paul. primæ ad Colossen. 2. Deniq; ex Genes. 17. apertè constat, circuncisionē fuisse religiosam cæremoniam & sacram, dicitur enim fœdus, & pactum inter Deum & Abraham, *Vt sim* (inquit) *Deus tuus, & seminis tui post te*, & infra dicitur; *vt sit in signum fœderis inter me & vos*, & infrà *erit pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum*; ergo ex diuina institutione habuit illa actio, vt per eam peculiariter dicarentur homines Deo, & coniungerētur illi: erat ergo quid sacrum, & religiosum, & alioqui erat signū, vt ibidē dicitur, & Paulus confirmat, & explicat: nihil ergo illi deerat ad rationē proprij sacramenti, & in hoc consentiunt omnes Patres suprà citati contra Gnosticos, & Manichæos, qui circuncisionem detestabantur tanquam rem indecentem, & à malo principio profectam, cōtra quos videri potest specialiter Ambros. epist. 77. & Origen li. 2. in ad Rom. circa fin. c. 2. & Aug. lib. cont. Adimāt. Manich. c. 16. & li. 6. cōt. Faust. c. 3. vbi ad hoc propositū adducit illud ad Tit. 1. *Omnia mūda mundis: infidelibus autem nihil est mundum*, legi etiā potest. D. Tho. infrà q. 70. & 1. 2. q. 102. ar. 5. ad. 1. vbi optime declarat rationē huius cæremoniæ, & sacramenti. Quo modo autem dicatur esse sacramētū veteris legis, in principio huius disputationis explicatum est; nam, licèt ante legem fuerit instituta, māsit tamē in lege, & erat quasi ianua ad cætera sacramenta illius legis: quia sine illa nullus ad legales cæremonias admittebatur, vt D. Thom. docuit. 1. 2. q. 102. ar. 5. Deniq; quod circūcisio fuerit signum præfiguratiuum gratiæ futuræ, certissimū est, ita vt nullus sacris literis mediocriter eruditus id ignoret, vt Aug. dixit lib. 6. cont. Iul. c. 3. Quòd verò fuerit etiā signū demonstratiuū gratiæ præsentis, tam certum est, quā est certa eiusdem August. sententia suprà tractata, atq; ita tota conclusio satis constat ex dictis inter explicandas superiores Patrum sententias. Vnde ad earū fundamenta nihil aliud respondere oportet.

Chrysost. Theophyl. 1. Colos. 2. Genes. 17.

1. 2. q. 102. artic. 5.

SECTIO II.

Vtrū in veteri lege fuerint alia sacramēta præter circuncisionem.

HAEc quæstio suppositis his, quæ de cæremonijs veteris legis in Exod. & Leuit. tradūtur & quæ suprà de definitione sacramenti diximus, nullam difficultatem continet nouam, quæ de re esse posit, sed solùm de modo loquendi.

Primò enim de fide certū est, præter cirūcisionē fuisse in lege veteri plures cæremonias sacras, atque sensibiles, ad aliquā cultorū Dei sanctificationē ordinatas, vt ex Exo. & Leui. constat. Secūdò est certū illas cæremonias non solum dedisse sanctificationē legalem, sed etiam significasse gratiam per Christum dandam. Ita docuit D. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 5. Et primo potest generaliter probari ex illo Pauli. 1. ad Corint. 10. *Omnia in figura cōtingebant illis*, & in particulari, de agno paschali, ex illo. 1. ad Corint. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, & de legali sacerdotio, & aspersione sanguinis taurorū & vitulorū, ex tota Epist. ad Hebr. Præterea hoc tradidit aperte Eugē. 4. in decreto de sacram. in Cōc. Flor. Tertiò, Dionys. c. 5. de Eccles. Hierar. part. 1. dicit, synagogā habuisse carnalia sacramenta, quæ erāt vmbrę ac figuræ futurorum. Idem latè atq; eleganter explicat Euseb. Emis. homil. de transfigura. in Sabbatum post Domin. 1. quadragel. vbi ex Paulo ad Hebr. 9. tria tabernacula distinguit, *Primū synagoga, secūdū Ecclesia, tertiū cœlum; primum in vmbra fuit & figura, secundum in figura est & veritate, tertium in veritate sola; in primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur: non enim sacramenta Ecclesiæ, sicut sacramenta synagogæ medicinam docent & ostendunt, sed ipsa per se sunt medicinæ & remissio peccatorum.* Idem tradit Ambros. lib. 1. de sacram. c. 4. & 6. & lib. de his, qui initiantur mysterijs. c. 8. & 9. Deniq; frequenter Patres hanc differētiā cōstituunt inter illa sacramenta, & nostra; quod illa tantùm erant signa futuræ gratiæ, & non causæ præsentis, sicut nostra, vt referemus latiùs in fine quæstionis. 62. Quartò potest adiungi ratio, quia illę cæremoniæ fuerūt ab ipso Deo sapientissimè institutæ ad profitendā fidem, & excitandā spem Christi venturi: ergo nō debuerunt institui propter id solùm, quod exterius in eis fiebat, sed propter mysterium, quod in eis latebat. Posset deniq; idem cōfirmari, explicando singulorum sacramentorum significationes; sed, quoniā id copiose præstitit D. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 5. non est, quod in ea re immoremur.

D. Th. 1. Cor. Eugen. 4. Dionys. Eusebi.

Tertiò probabilius est, illas cæremonias non fuisse demonstratiuas gratiæ præsentis, quæ per eas vel in eis daretur, circuncisione excepta. Hoc probatū est latè infrà in quæst. seq. & ideò hic tantùm supponitur vt necessariū ad id, de quo agimus; ex his enim sequitur, non esse certū, atq; de fide, an illæ cæremoniæ fuerint propria & vera sacramēta simpliciter, & vniuocè; an verò tantùm secundùm quid, ita vt hoc ipso

ipso

ipso, quòd dicūtur sacramēta vetera, illa sit cōditio diminuens, pendet enim hoc ex vera definitione sacramēti, de qua nihil hactenùs definitū est de fide.

Quartò tamen ex principijs à nobis positis necessariò sequitur, fuisse in lege veteri alia sacramēta præter circuncisionem, quæ propriè, simpliciter, & vniuocè sacramenta dicenda sunt. Quæ assertio est magis consentanea modo loquendi Conciliorū, præsertim Florent. loco suprà citato, & Trid. sess. 7. & omnium Patrum, ita enim de illis sacramentis loquuntur. Ratio verò ex dictis conficitur, quia præter circuncisionem fuere aliæ cæremoniæ sacræ ad sanctificatione hominum institutæ, & verām sanctificationem significantes: ergo præter circuncisionem fuerunt alia vera, ac propria sacramenta. Atq; hic adiungi possunt omnia, quibus suprà ostendimus, sacramenta vetera fuisse vniuocè sacramenta. Item possunt adduci omnes vtilitates sacramētorum, quæ in illa lege locum habuerunt, præsertim propter infirmitatem, & imperfectionem illius populi, qui per hæc sacramenta in vnum religionis nomen congregabatur, & ad specialem Dei cultum assumebatur, & ab alijs gentibus & falsis cultibus separabatur & abstrahebatur.

Posset autē hoc loco quæri primò, quis fuerit numerus illorum sacramentorū, & quomodo discernēda sint, tam inter se, quā ab alijs cæremonijs, & obseruantijs illius legis, & præsertim à sacrificijs. Sed ad hæc explicāda necessariū esset hoc loco magnā Exodi, & Leuitici partē interpretari, quod alienum est à nostro instituto, & parū vtile ad doctrinā moralem. Quapropter pro scholastico instituto sufficere existimo, quæ de hac re tradidit D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 5. vbi hæc sacramenta reuocat ad tria capita præter circūcisionē. Quædā enim instituta fuere ad consecrandos sacerdotes, & Pontifices. Alia verò ad quēdam vsum, & participationē rerū sacrarū, seu recognitionē beneficiorū Dei, vt agnus paschalis. Alia denique ad expiationes, & purificationes legalīū irregularitatū vel peccatorū. Et ita fuerūt in illa lege sacramēta, quæ fuere figuræ quatuor nostrorū sacramētorū: nā circuncisio fuit figura baptismi: agnus paschalis Eucharistiæ, sacerdotiū legale nostri sacerdotij, & expiationes omnes, sacramēti pœnitentiæ: matrimoniū verò nō fuit tunc sacramentū, quia nondū facta fuerat coniunctio Verbi cū humanitate, nec data gratia, quæ concupiscentiam superat, nec nostrū sacramentū Matrimonij habuit tūc specialem figurā, quia per ipsum matrimonij contractum semper fuit aliquo modo adumbratū, & quia cū non sit adeo perfectū, nec singulis necessariū, nō oportuit specialiùs præfigurari. De Confirmatione autem, & Extrema vnctione ait D. Thom. non habuisse proprias figuras: quia in illo datur plenitudo Spiritus sancti: per hoc verò proximè pręparatur homo ad introitū gloriæ: vt ergo significaretur, illā legem fuisse egenā, & gratia vacuā, & non introduxisse homines ad regnū, cuius ianua tūc aperta nō erat, adhoc significandū nō fuerunt in illa lege illa duo sacramenta, etiā in figura, & imagine. Hæc quidem sufficiunt de numero illorū sacramentorum, ex quibus facile erit, ea inter se distinguere. Quomodò autē à sacrificijs distinguenda sint, ex suprà dictis de distinctione sacrificij, & sacramenti petendum est: solùmq; obseruandū, quoniam sacrificia multa offerebantur in expiationē peccatorū, vel irregularitatum, difficile esse semper distinguere in his sacrificia à sacramentis, & ita D. Tho. in citato loco interdum videtur illa confundere: semper tamen obseruari potest aliquid, quod immediatè fiebat in cultū Dei, vt eleuatio in altari, concrematio & aliquid simile: id enim propriè habebat rationē sacrificij, aliquid verò quodāmodo inde resultabat, quod fiebat circa fideles ad eorum sanctificationē, vt aspersio aliqua vel inunctio, vt sumitur ex Num. 19. Exo. 24. ad Heb. 9. Et in huiusmodi cæremonia posita maximè erat ratio sacramēti iuxta doctrinam suprà traditam. Vnde etiam verisimilius mihi est, huiusmodi purificationes, quando fiebant circa res inanimatas, vt circa vestes, vel domum, &c. non fuisse propriè sacramenta, sed quasi sacramentalia, quia non erant cæremoniæ immediatè ad sanctificationem hominum ordinatæ. Atque hinc facile erit, hæc sacramēta ab alijs obseruantijs distinguere, & legi etiam potest D. Thom. prædicta. q. art. 3. & 6.

D. Thom. Nostrorum sacramentorum figuræ.

Num. 19. Exo. 24. Heb. 9.

Secundò quæri potest, an hæc sacramēta vetera fuerint illo tempore hominibus necessaria ad salutē nam hoc pertinet etiam ad quæstionē, an sint sacramenta. In quo breuiter dicendum est, si sermo sit de necessitate, quæ antecedit institutionē, nō fuisse necessaria, fuisse tamen valde vtilia propter rationes suprà factas. Si verò sit sermo de necessitate, quæ cōsequitur institutionem, dicendum est, illa non fuisse necessaria necessitate medij: quia nō habebant aliquem effectum ad salutē necessarium, fuisse tamen necessaria necessitate præcepti, non quidem omnibus hominibus, sed his tantum, qui erant de populo Israel, quibus erat circuncisio imperata. Nā, vt diximus, circūcisio erat veluti ianuā illorū sacramētorū: quia nō licebat illis vti, nisi hominibus circuncisis, vt constat Exod. 12. vbi in particulari est sermo de agno paschali. Est autem eadē ratio de cæteris sacramentis, vt cōstat ex discursu Exodi, & Leuit. & ex Acto. 16. & 21. nō obscurè colligitur & ex omnibus suprà tractatis, intelligendū autem est de viris, nā fœminæ nō poterant circuncidi: pertinebant autē ad illū populū ratione originis & parentū, & hoc ipso erant capaces sacramentorum. E contrario verò omnes circuncisi tenebātur ad legē seruandā, iuxta illud Pauli ad Gal. 5. *Testificor omni homini circuncidenti se, quoniā debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Quod intelligendū est de his, qui vtebantur circūcisione, quatenus erat professio illius legis, nā aliæ gētes quæ tantū propter quandā imitationē Abrahæ, vel cōsuetudinē circuncidebantur, nō propterea tenebantur ad alia sacramenta illius legis suscipienda, vt de AEgyptijs, Moabitis, & alijs notat Hiero. Ierem. 9 circa illa verba, *Visitabo super omnem, qui circuncisum habet præputium*. Igitur sacramenta vetera Iudæis erāt necessaria necessitate præcepti, ita enim in lege præcepta erant, alijs verò nationibus nullo modo erant necessaria, nisi ex suppositione, quòd vellent circuncidi, & illam legem profiteri. Quamuis enim circuncisio non fuerit omnibus præcepta, sed tantum Abrahæ, & eius familiæ, ac posteritati, vt patet Genes. 17. & iterū attingemus infrà. q. 70. tamē omnibus nationibus fuit proposita, vt, si vellent, illa vti possent, & per illam legi subijci, vt constat ex cap. 12. Exodi. vbi exteris nationibus dabatur facultas comedendi de agno paschali, si vellent circuncidi, & Iudith. 14. Nachor circuncisus fuit, & populo annumeratus. Post quam legis professionem, sicut poterat aliquis vti sacramentis veteribus, ita etiam erant illi necessaria eo modo, quo dictum est.

D. Thom. Exod. 12. Actor. 16. & 21. Galat. 5. Gen. 17.

ART.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.

4.d.1.q.1.a.2.q.5. Et dist.2.ar.4.q.1. Et 4 con.c.57.

AD quartum sic proceditur. Videtur, q̃ post Christum non debuerint esse aliqua sacramenta. Veniente enim veritate, debet cessare figura. Sed gratia & veritas per Iesum Christum facta est, vt dicitur Ioã. 1. cùm igitur sacramenta sint veritatis signa siue figuræ, videtur, quòd post Christi passionem sacramenta esse non debuerint.

q.prac.ar.4 & 5.

¶ 2 Præterea, sacramẽta in quibusdã elemẽtis consistunt, vt ex supradictis patet. Sed Apost. dicit Galat. 4. Cũ essemus paruuli sub elementis mundi eramus seruientes, nũc autẽ temporis plenitudine veniente, iã non sumus paruuli. Ergo videtur, quòd non debeamus Deo seruire sub elementis huius mundi corporalibus sacramentis vtendo.

¶ 3 Præterea, Apud Deum nõ est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, vt dicitur Iaco. 1. Sed hoc videtur ad quandã mutationẽ diuinæ volũtatis pertinere, q̃ alia sacramenta nunc hominibus exhibeat ad sanctificationẽ tẽpore gratiæ, & alia ante Christum. Ergo videtur, quod post Christum nõ debuerint alia sacramenta institui.

Lib.19.ca.23.nom.6. SED contra est, quod August. dicit contra Faustũ. 19. quod sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta: & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

RESPONDEO dicẽdum, quòd sicut antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi vẽturi: ita & nos saluamur per fidẽ Christi iãnati & passi. Sunt autem sacramenta quædã signa protestantia fidẽ, qua homo iustificatur. Oportet autem alijs signis significari futura, præterita, seu præsentia. Vt enim Augustin. dicit. 19. contra Faustũ, eadem res aliter annuntiatur faciẽda, aliter facta, sicut ipsa verba passurus, & passus, nõ similiter sonãt. Et ideò oportet quædam alia sacramenta esse in noua lege, quibus significentur ea, quæ præcesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænũtiabãtur futura.

Li.19.c.16 nom.6.

Cap.5.Eccl. hier.par.1. tit.1.circa med.

AD primum ergo dicendum, quod sicut Dionys. dicit in 5. cap. Eccles. Hierar. status nouæ legis medius est inter statum veteris legis, cuius figuræ implẽtur in noua lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nudè & perfectè manifestabitur veritas. Et ideo tũc nulla erunt sacramenta. Nunc autem quãdiu per speculũ & in ænigmate cognoscimus (vt dicitur. 1. ad Corin. 13.) oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia deuenire. Quod pertinet ad rationem sacramentorum.

A AD secundum dicendum, quòd sacramẽta veteris legis Apostolus vocat egena & infirma elementa: quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo vtẽtes illis sacramentis, dicit Apostolus sub elementis mundi Deo seruisse: quia scilicet nihil aliud erãt, quam elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent & causant: & ideò non est de eis similis ratio.

AD tertium dicendum, quòd sicut pater familias non ex hoc habere monstratur mutabilem voluntatem, quod diuersa præcepta famuliæ suæ proponit pro temporum varietate, nõ eadem præcipiens hyeme & æstate: ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum, ex hoc, quod alia sacramẽta instituit post Christi aduentum, & alia tempore legis: quia illa fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ: hæc autem sunt congrua gratiæ præsenti aliter demonstrandæ.

HIC articulus non indiget aliquo commẽtario præter ea, quæ dicemus disput. seq.

DISPVTATIO VI.

De institutione & necessitate sacramentorum legis gratiæ.

HAEc disputatio breuissimè à nobis expediẽda est, quoniam hæc institutio multò commodiùs in singulis sacramẽtis explicabitur, & similiter vniuscuiusque sacramenti necessitas, ac perfectio. De numero etiam horum sacramentorũ nouæ legis, quod ad præsentem disputationem pertinere pòterat, tractat D. Tho. infrà, quæstio. 65. & ideò, ne ordinem eius inuertamus, in Commentarijs illius quęstionis illam partẽ explicabimus. Hic verò ad doctrinæ complementum solùm in genere tractabimus, an in hac lege debuerint sacramẽta institui, & quãtũ priora sacramẽta perfectione superent.

SECTIO I.

Virùm in lege gratiæ fuerint sacramenta necessaria.

Qui hæretici omnia sacramenta abierunt. Epipha. Theodor. Augus. Damasc. Iren. Guid.

NOn defuerũt hæretici, qui omnia sacramẽta legis gratiæ abijcerẽt, vt de Archõticis refert Epiph. hæres. 4. & Theodor. li. 1. hæret. fabul. quãuis Aug. & Damas. de his hæreticis scribẽtes, hũc taceãt errorẽ. Eundẽ tribuit Gnosticis Irẽ. lib. 3. c. 18. & Epiphan. hæres. 34. circa finẽ, vbi eos Marchosios vocat. Eundẽ tribuit Guido Carmel. Catharistis, qui diuersi sunt à Catharis: hi enim solã Pœnitẽtiã: illi verò omnia sacramẽta negabãt, quos aliqui putãt fuisse illos, quorũ Aug. meminit hæres. 46. & à Manichæo dicit originẽ duxisse, qui fuerũt anno Domini 279. sub Aurelian. Imp. & Fœlice. 1. Põtif. ita Praeel. verbo, Catharistæ, & Castro verbo, sacramẽta Sãderus autẽ li. 7. de visi. monar. hæres. 147. putat esse recẽtiores, & vixisse sub Alexã. 3. & Frederic. 1. Imper. & dãnatos esse in Cõcil. Lateran. sub Alex. 3. 3. p. c. 27. Sed incertũ est, quid horum verius sit: quia neque in dicto Concilio, neque apud August. fit mentio huius erroris: quanuis Catharistæ ibi nominentur. Denique Ioan. 22. in Extrau. sancta Romana. de Relig. domib. refert, hæreticos

A cẽrtitudinem, vt in plurimum, quia si homo non sit valde negligens, sed bona fide, quod in se est, faciat, non priuabitur fructu sanctitatis, quod est magnum spei solatium. Aliunde verò in sacramentis quodammodò ostenditur diuina iustitia, & inepta hæreticorum fiducia retunditur, per institutionẽ enim sacramentorũ ostẽsum est, nõ satis esse ad salutẽ re ipsa cõsequendam, quòd Christus mortuus sit pro nobis, nisi fructus passionis eius nobis applicetur: hoc enim fit per sacramentorum vsum. Item ostensum est, necessarium esse homini, etiam in hoc statu suam fragilitatem, & indignitatem recognoscere: vt, sicut abusus est sensibilibus creaturis in Dei iniuriam, eis se submittat ad suam sanctificationem & ad diuinum cultum eis vtatur. Tandem ex hac institutione maximè perficitur fides, tum extensiuè, quia plura mysteria de Christo, & de diuina potentia illi credenda proponuntur: tum etiam intensiuè, quia per ipsa sacramenta datur maius auxilium ad credendum, & perseuerandũ in fide: tum denique in exteriori professione, & cultu religioso, qui cæteris paribus per hæc sacramẽta melius, & perfectiùs Deo exhibetur. Quæ omnia partim desumpta sunt ex Aug. libr. 15. cõt. Faust. c. 21. & Epist. 118. & ex Leo. Pap. ser. 4. quadrag. Chrys. hom. 83. in Matth. & ex Ireneo lib. 4. c. 32. & Damas. lib. 4. de fid. c. 14. Hug. de sanct. Vict. lib. 1. de sacra. p. 9. c. 3. D. Tho. 3. cõt. gẽt. c. 19. & lib. 4. c. 56. ex quibus rationes aliæ peti possunt.

August. Leo Papa. Chrysost. Irenæ. Damasc. Hugo. D. Thom.

Dico secundò, vsum sacramentorũ esse in hoc tẽpore legis gratiæ ad omnium hominum salutem necessarium. Hæc assertio intelligenda est de necessitate, quæ institutionem consequitur, nam ipsa institutionis non potuit esse necessitas simpliciter, sed tantũ vtilitas, quæ iam à nobis explicata est: & hoc sensu conclusio est de fide generaliter ac simpliciter intellecta, vt traditur in Trid. sess. 7. can. 4. nõ enim est sensus, omnia, vel singula sacramenta esse necessaria, sed absolutè. Quomodo autem, aut in quibus sacramentis in particulari conclusio verum habeat, attingemus infrà cum D. Tho. quæst. 65. art. 4. latiùs verò in singulis sacramentis explicandum est. Nam est quædam necessitas, quæ dicitur medij, alia quæ appellatur præcepti. Item alia est necessitas respectu singulorum, alia est respectu totius communitatis. Vnde quoddam sacramentum est necessarium omnibus necessitate medij, & præcepti, vt baptismus; aliud verò eisdem modis necessarium est adultis tantùm, qui post baptismum mortaliter peccauerunt, vt Pœnitentia: aliud verò est necessarium singulis necessitate præcepti, vt Eucharistia; alia verò duo, scilicet Confirmatio, & Extrema vnctio, licèt vtilia sint, non constat autem, an de illis sit necessitas imposita etiam præcepti, reliqua verò duo sunt Ecclesiæ necessaria, quanuis non singulis personis, quæ omnia in propijs locis sigillatim demonstranda sunt. Atq; ita satis patet conclusio posita: Ratio verò eius à priori sumenda est ex Christi voluntate, & institutione; congruentiæ verò ex fine, & effectu sacramentorum: fuit enim expediens instituì ad cõferendos aliquos effectus necessarios, vel maximè vtiles ad salutem. Et inde factũ est, vt interdum fuerit expediens instituì tanquam causas necessarias, interdum verò præcipi propter maiorem vtilitatem, aut propter fidei professionem, vel propter Dei cultum & reuerentiam. Ex quo patet solutio ad fundamentum contrarij erroris; nam, licèt veritas præcedentium vmbrarum, ac figurarum per

Ad fundamentum contrarij erroris respondetur.

In lege gratiæ sunt vera sacramẽta.

Cur in hoc statu sacramenta esse debeant, varia congruẽtia.

Cypria.

Trident. sess. 7. can. 4.

Universidad de Deusto Biblioteca

Christum facta sit; & quoad hoc cessauerit necessitas sensibilium signorum, tamen necessaria nobis est memoria præteritorum beneficiorum Dei, & fidei professio, & exterior cultus, & applicatio gratiæ & veritatis, quæ per Christum sufficienter facta est, & ideò non est contra perfectionem legis nouæ, quòd signis sensibilibus vtatur. Præsens enim Ecclesiæ status medius est inter statum legis veteris, & statum gloriæ, vt suprà ex Dionys. retulimus; quia, licèt iam habeamus Christum præsentem, & eius merita exhibita, nondum tamē illo fruimur facie ad faciem, neque omnem fructum passionis eius consequuti sumus; & ideò nobis necessaria sunt signa, quæ præsentem gratiam significent, & futuram gloriam promittant; & ideò vti huiusmodi signis, non est seruire sub elementis mundi huius, sed potiùs est, elementa ipsa ad nobilissimos effectus, & vsum perfectissimum eleuare. Iudæi enim dicebantur militare sub elementis mundi huius, nam multitudine cæremoniarum quasi premebantur, & non iuuabantur; quia illis gratiam non conferebant, nostra verò sacramenta, & pauciora sunt, & faciliorem vsum habent, & dum gratiam conferunt, nostram infirmitatem iuuant. Ita ferè respondet Augustinus libr. 2. de doctrina Christiana, capit. 6. & libr. 83. quæstionum, quæst. 9. & alijs locis infrà citandis.

SECTIO II.

Vtrùm sacramenta noua legis, antiqua sacramenta perfectione excellant.

Hæretici nouis vetera sacramenta vel præferunt, vel æquant.

HAEretici huius temporis ita sentiunt de nostris, & veteribus sacramentis, vt vel æqualia ea faciant, vel certè nostra in inferiori ordine constituant. Tria enim possunt in sacramentis considerari, scilicet ritus externus, significatio, & efficientia gratiæ, efficientiam tam nostris, quàm antiquis sacramentis denegant, & ita in hoc paria illa faciunt; quia omnia æquè sunt apta ad excitandam fidem, de quo errore quæst. sequenti dicemus. Rursus quoad significationē negare non possunt, quin nostra significent Christum, & passionem eius iam factam, quæ priora sacramenta significabant futura. Item etiam non negant, per priora sacramenta significata esse nostra, non tamen è conuerso. Vnde ex hac parte fateantur, necesse est, nostra sacramenta aliquo modo excedere, quanquàm hic excessus magis in re significata & in diuersa habitudine, seu statu eius, quàm in ipsis signis positus sit. Potest enim signū rei futuræ in ratiōe signi tā perfectè esse, sicut signū rei præsentis, si æquè clarè, ac distinctè illam significet: & præsertim si res significata æquè perfecta sit. Et in hoc videntur hæretici non agnoscere differentiam inter vetera sacramenta ac nostra; quia in vtrisque negant esse necessarium verbum consecratorium, à quo maximè pendere videtur expressior, & clarior significatio sacramenti. Vtrisque verò adiungi poterat verbum concionatorium: ergo in hoc non est differentia. Denique, quod ad ritum attinet, si in esse rei, seu actionis materialis consideretur, interdum poterant sacramenta vetera esse in hoc perfectiora, quàm nostra, agnus enim perfectior res est, quàm panis, & maius quid est carnem suam scindere, & sanguinem fundere in cultum Dei, & professionem fidei, quàm aqua lauari: si verò considerentur secundùm proportionem, seu aptitudinem ad

A significandum, sic interdum potest esse æqualitas, vt in significatione, quæ fit per ablutionem aquæ: interdum verò videntur excedere sacramenta vetera, quia vel erant magis durabilia, vt circūcisio, quæ imprimebat signum sensibile permanens, quod non facit baptismus: vel habebant quandam maiorē proportionem, vt agnus interfectus ad significandum Christum pro nobis mortuum.

Sacramenta noua veteribus præstant. Florent.

Dicendum verò est, nostra sacramenta simpliciter & absolutè esse perfectiora veteribus sacramentis. Conclusio est de fide definita in Concil. Floren. & eandem videtur intendisse Trident. sess. 7. can. 2. cùm anathema dicit in eum, qui dixerit, nouæ legis sacramenta ab antiquæ legis sacramentis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi. Eandem veritatem sæpissimè docet August. præsertim 19. contra Faustum, capit. 13. vbi quatuor excellentias nostrorum sacramentorum ponit, scilicet, *Quòd sunt virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Epist. verò 118. capit. 1. ijs addit, quòd sunt etiā *significatione præstantissima.* Similia possunt sumi ex eodem, Psalm. 73. in principio, & Psalm. 77. in principio, & Ambros. libr. 1. de sacrament. capit. 4. & 6. Et in genere probari potest, quia status legis gratiæ est perfectior, & ideò habet fidem magis explicitam, copiosiorem gratiam, & faciliorem salutis viam, ergo etiam habere debuit sacramenta perfectiora, quibus, & expressior fieret fidei professio, & Deo perfectior cultus redderetur, & hominibus maior vtilitas, & facilitas ad consequendam salutem proueniret. Confirmatur, quia propter hanc causam sacrificium in noua lege fuit perfectissimè institutum, quia ipsa lex, & status eius excellentior est, & ideò decet, vt in eo reddatur Deo perfectissimus cultus; ergo eadem ratione debuerunt esse sacramenta perfectissima. Secundò, vt distinctiùs intelligatur, & probetur conclusio, tribus modis possunt comparari sacramenta noua cum veteribus. Primò, generatim tantùm, & hoc modo est multiplex excessus nostrorum sacramentorum, vt Augustinus suprà indicauit, scilicet, quòd nostra sunt faciliora, puriora, & mundiora, quod expressiùs significant, saltem ratione verborum, quòd sunt veluti exemplaria, & prototypa veterum sacramentorum quæ erant figuræ nostrorum, deinde quòd illa tantùm ad breue tempus data sunt, nostra vt durent vsque ad finem seculi: quòd illa per Moysem, hæc per Christum promulgata sunt. Præter hæc autem tres sunt notandi excessus nostrorum sacramentorū propter quos euidēter sunt ex genere suo perfectiora. Primus est, quia perfectissimum nostrorum sacramentorum infinitè excedit quodcunq; sacramentū vetus, quantumuis fingatur perfectum; vt est Eucharistia, quæ in se continet autorem omnium sacramētorum: comparando ergo maximum ad maximum, nostra sacramenta euidenter excedunt, quod satis esset, vt ex suo genere dicerentur perfectiora. Secundus excessus est, quòd nostra sacramenta nō tantum significant, sed conferunt etiam gratiam per virtutem quam in se continent, quod in antiquis sacramētis nō fiebat, vt posteà latiùs dicturi sumus. Tertius est, quòd in nostris sacramentis dantur & significantur nobilissimi effectus spirituales, qui non dabantur in sacramentis veteribus. Nostra enim præter gratiā sanctificantem, & ea dona, quæ ipsam consequūtur, spirituales characteres imprimunt, supernaturalem potestatem conferunt, & specialia auxilia: qui effectus,

August. *Ambros.* *Nostrorum sacramentorum præstantia triplex.*

ctus, licèt non fiant eodem modo per singula sacramenta nouæ legis, sufficiunt tamen ad demonstrandum, hoc genus sacramentorū perfectius esse. Secundò comparare possumus singula sacramenta inter se, non vnum cum omnibus conferendo, sed singula singulis cum quadam proportione, vt verbi gratia, comparando singula sacramenta legis nouæ cum illis, quibus in lege veteri, vel naturæ respondent, vt verbi gratia, baptismum cum circuncisione, vel remedio legis naturæ: Eucharistiam cum agno paschali, vel sacramento Melchisedech, & sic de alijs, atque hoc modo singula sacramenta noua manifestè superant in perfectione sacramenta antiqua omnibus illis modis, quos Augustinus explicuit, vt patebit facilè discurrenti per singula; nam baptismus in ritu exteriori est facilior, vniuersalior, decentior, quàm circuncisio, & habet expressiorem fidei, & spiritualis munditiei significationem; & præterea habet nobiliores effectus, & altiori modo, vt posteà dicemus. Atque idem est facile reperire in cæteris sacramentis, ne in re clara prolixiores simus. Præter hoc autem sunt in lege noua quædam sacramenta, quæ propter speciales aliquas perfectiones huius status, non habuerunt in lege veteri alia etiam minùs perfecta, quæ illis secundum aliquam proportionem responderent. Nec verò hinc fit, nostra sacramenta esse plura numero, quàm illa; quia hæc potiùs est perfectio nostrorum sacramētorum, quòd, cum sint numero pauciora, complectuntur excellentiori modo omnia munera illorum sacramentorum, & quidquid in illis repræsentabatur, & plura alia, quæ in illis nullo modo continebantur: è contrario vero in illis propter suam imperfectionem multitudo cæremoniarum, vel expiationum vix adumbrabat id, quod vnum nostrum sacramentum Pœnitentiæ perficit. Tertio comparari possunt singula sacramenta nostra ad omnia sacramenta vetera absolutè, & simpliciter, & hoc modo etiam est verum, minimum nostrorum sacramentorum esse perfectius omnibus, ac singulis sacramentis veteribus, tum, quia in quolibet ex nostris sacramentis reperiuntur quàmplures excellentiæ, & perfectiones in prima comparatione numeratæ; tum maximè quia in quolibet ex nostris sacramentis est virtus ad causandam gratiam, & ita est significatio gratiæ præsentis ex vi ipsius sacramenti collatæ, & hæc perfectio est maioris momenti, quàm omnis alia, quæ in quolibet antiquo sacramento considerari possit. Solùm dubitari posset de sacramento instituto in remediū originalis peccati, quia in eo dabatur gratia, vt posteà dicemus, tamen ad huc illud sacramentum erat inferius; tum, quia (vt opinor) minor gratia in illo dabatur, quàm in quolibet ex nostris; tum etiam, quia non dabatur ex virtute ipsius sacramenti: vnde etiam fortasse non dabatur omnibus, sed solùm pueris extremè indigentibus, vt posteà tractabimus.

Ad hæreticos autem nihil oportet specialiter respondere, supponunt enim falsa fundamenta, quæ partim in superioribus reiecta sunt, vbi egimus de compositione nostrorum sacramentorum ex rebus & verbis, partim quæst. sequenti confutabuntur. Hic verò desiderari poterat, vt ipsa nouæ legis sacramenta inter se conferremus, sed hoc, vt exactè fiat, omnium illorum cognitionem exactam supponit, & ideò in discursu totius doctrinæ tractandum est, aliquid verò attingemus cum D. Thom. infrà quæstione 65. artic. secundo & tertio.

QVÆSTIO LXII.

De principali effectu sacramentorum qui est gratia, in sex articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de effectu sacramentorum. Et primò de effectu eorum principali, qui est gratia. Secundò de effectu secundario, qui est character.

Circa primum quæruntur sex.

Primò, vtrùm sacramenta nouæ legis sint causa gratiæ.

Secundò, vtrùm gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorū.

Tertio, vtrùm sacramenta cōtineant gratiā.

Quarto, vtrùm sit in eis aliqua virtus ad causandum gratiam.

Quinto, vtrùm talis virtus in sacramētis deriuetur à passione Christi.

Sexto, vtrùm sacramenta veteris legis gratiam causarent.

ARTICVLVS I.

Vtrum sacramenta sint causa gratiæ.

AD primum sic proceditur. Videtur, ꝙ sacramenta non sint causa gratiæ. Non enim idem videtur esse signum & causa, eo quod ratio signi videtur magis effectui competere. Sed sacramentum est signū gratiæ. Non igitur est causa eius.

Inf. ar. 6. & q. 64. ar. 1. Et 3. d. 40. ar. 3. & 4. d. 1. q. 1. & arti. 4. q. 1. & art. 5. q. 1. & 4. contr. cap. 57. & 74. princi. & col. 2. in princi. & veri. q. 27. ar. 4. & quolib. 11. artic. 15.

¶ 2 Præterea, Nullum corporale agere potest in rem spiritualē, eo ꝙ agens honorabilius est patiēte, vt Aug. dicit 12. super Genes. ad literam. Sed subiectū gratiæ est mens hominis, quæ est res spiritualis. Non ergo sacramenta possunt gratiam causare.

¶ 3 Præterea. Illud quod est ꝓpriū Dei, non debet alicui creaturæ attribui. Sed causare gratiam, est proprium Dei, secundum illud Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Cum ergo sacramenta consistant in quibusdam verbis & rebus creatis, non videtur, ꝙ possint gratiam causare.

Lib 12. cap. 16. in med. tom. 3.

SED contra est, quòd August. dicit supra Ioan. ꝙ aqua baptismalis corpus tangit, & cor abluit. Sed cor non abluitur nisi per gratiam. Ergo causat gratiā, & pari ratione alia Ecclesiæ sacramenta.

Tract. 80. à med. to. 9.

RESPONDEO dicendum, quod necesse est dicere sacramenta nouæ Legis per aliquem modum gratiam causare. Manifestū est enim, quòd per sacramenta nouæ Legis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

homo Christo incorporatur: sicut de baptismo dicit Apostolus ad Galat. 3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: non autem efficitur homo membrũ Christi, nisi per gratiam. Quidam tamen dicunt, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando, sed quia Deus sacramẽtis adhibitis, in anima gratiam operatur. Et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium plumbeum accipit centum libras ex Regis ordinatione, nõ quòd denarius ille aliquid operetur ad habendam prædictæ pecuniæ quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas Regis. Vnde & Bernardus dicit in quodam sermone de Cœna Domini, sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculũ, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersæ sunt traditæ sacramentis.

Bernardus in sermo. de Cœna, ante med. illius.

SED si quis rectè consideret, iste modus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab isto. Similiter liber est quoddam signum, quo designatur traditio canonicatus. Secundùm hoc igitur, sacramenta nouæ Legis nihil plus essent, quam signa gratiæ: cùm tamen ex multis Sanctorum autoritatibus habeatur, ꝙ sacramenta nouæ legis non solum significant, sed causant gratiam.

ET ideò aliter dicendum, quod duplex est causa agens, principalis & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus: sicut ignis suo colore calefacit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus: quia gratia nihil est aliud, quàm quædam participata similitudo diuinæ naturæ, secundum illud secundæ Pet. primo. Magna nobis & pretiosa promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Causa verò instrumentalis nõ agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti: sicut lectus non assimilatur fabro, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta nouæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. Vnde Augustinus dicit 19. contra Faustum. Hæc omnia, scilicet, sacramentalia, fiunt & transeunt: virtus tamen, scilicet Dei, quæ per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem propriè dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Vnde ad Titum 3. dicitur: Saluos nos fecit per lauachrũ regenerationis.

Cap. 19. in princ. to. 6.

AD primum ergo dicendum, quòd causa principalis non propriè potest dici signum effectus, licèt occulti, etiam si ipsa sit sensibilis & manifesta. Sed causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occulti: eò quòd non solùm est causa, sed etiam quodammodo effectus, inquantum mouetur à principali agente. Et secundum hoc, sacramenta nouæ legis, simul sunt causæ & signa: & inde est, quod sicut communiter dicitur, efficiunt quod figurant. Ex quo etiam patet, quòd habent perfectè rationem sacramenti, inquantum ordinantur ad aliquid sacrum non solùm per modum signi, sed etiam per modum causæ.

AD secundum dicendum, quòd instrumentum habet duas actiones. Vnam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam: sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam virtutem, abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis diuinæ, nam ex anima & corpore vnum fit. Et hoc est, quòd Augustinus dicit, quòd corpus tangit, & cor abluit.

Loco citato in arg. Sed contra.

AD tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de eo quod est causa gratiæ per modum principalis agentis. Hoc enim est proprium Dei, vt dictum est.

In corpore articuli.

COMMENTARIVS.

HIC articulus de sacramentis nouæ legis intelligendus videtur, vt ex responsione articuli cõstat, & ex articulo vltimo huius quæstionis, in quo specialis quæstio proponitur de sacramentis veteribus: rectè autem notat Caiet. gratiam hic sumi, vt à charactere distinguitur, quia ita illam distinxit D. Thom. in principio quæstionis, vocans gratiam effectum principalem sacramentorum, characterem verò, effectum secundarium, quanquàm autem in articulo sequenti declarat D. Thom. specialiùs de hac gratia sacramentorum quid sit; tamen sine dubio est hic articulus præcipuè intelligendus de gratia sanctificante, & habituali, quia in hac præcipuè versatur tota efficacia sacramẽtorum. Vnde ratio D. Tho. in articulo de hac gratia potissimũ procedit, nam hæc est per quã Christi membra efficimur.

Respondet ergo D. Tho. negari non posse, quin sacramenta sint aliquo modo causæ gratiæ, quia per illa incorporamur Christo; tum etiam, quia ita loquuntur sancti de sacramentis. In modo autẽ huius causalitatis explicando dicit, duo extrema esse cauẽda. Alterum, ne existimentur esse causæ principales gratiæ: hoc enim solius Dei proprium est, alterũ est, ne existimentur esse tantùm conditiones requisitæ, ad quarum præsentiam Deus operatur: quia hoc nõ excedit rationem signi, sed asserendum est, esse causas instrumentales, quæ à Deo vt à principali agente ordinantur, & eleuantur ad hunc effectum. In quo discursu apertè constat, mentem D. Tho. esse, tribuere instrumentis propriam causalitatem physicam instrumentalem. Primò, quia omnis alia causalitas non excedit rationem signi, vt apertè D. Tho. explicat, exemplum ponens in sigillo regio, seu denario plũbeo, quo exhibito datur magna quantitas pecuniæ propter ordinationem Regis, in quo reperitur causalitas moralis seu conditiones requisitæ, & omnis alia quæ præter physicam, & propriè fingi posset, & tamen totã illam excludit D. Tho. vt insufficientem sacramentis. Secundò, quia, cùm D. Tho. distinguit duplicem causam agentem, principale & instrumentale, apertè loquitur de causa per se, ac physica. Obseruandũ præterea est, D. Tho. non probare, sed supponere, esse possibile huiusmodi causalitatem instrumentalẽ sacramentorum: existimauit enim satis esse argumenta soluere, quibus hoc videri posset impossibile, quod præcipuè fecit in 1. argum. cuius solutio est valde difficilis, tractãda verò est latè in sequẽti disputatione, alia verò argumenta facilia sunt.

D. Tho. tribuere sacramentis causalitatẽ physicam ostenditur.

Vltimò est obseruandum in hoc articulo, nõ esse hoc loco tractandum, an aliquid præter Deũ possit esse causa principalis gratiæ, & quam vim habeat illa ratio D. Tho. gratiam esse participatam similitudinem diuinæ naturæ, & ideo nõ posse manare ab alio, vt à principali agẽte, nisi ab ipsa diuina natura. Hæc enim quæstio proprium locum habet in materia de gratia, & hic solùm obiter, & per occasionem à D. Thom. tangitur, nam præsenti disputationi non est necessaria, quia certissimum & extra controuersiam est, sacramenta non esse causas principales gratiæ, cùm sint res inferioris ordinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum gratia sacramẽtalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

Inf. qu. 72. art. 7. ad 2. Et 4. d. 7. q. 2. art. 2. q. 3. & dist. 17. q. 1. ar. 4. q. 5. 1. 2. quæst. 110. ar. 3. & 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd gratia sacramentalis non addat aliquid super gratiam virtutum & donorum. Per gratiam enim virtutum & donorum perficitur anima sufficienter, & quantum ad essentiam animæ, & quantum ad potentias eius, vt patet ex his quæ in Secunda Parte dicta sunt. Sed gratia ordinatur ad animæ perfectionem. Ergo gratia sacramentalis non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum.

¶ 2 Præterea, Defectus animæ ex peccatis causantur. Sed omnia peccata sufficienter excluduntur per gratiam virtutum & donorum: quia nullum est peccatum, quod non contrarietur alicui virtuti. Gratia ergo sacramentalis, cum ordinetur ad defectus animæ tollendos, non potest aliquid addere super gratiam virtutum & donorum.

¶ 3 Præterea, Omnis additio vel subtractio in formis, variat speciem: vt dicitur 8. Metaphys. Si ergo gratia sacramẽtalis addat aliquid super gratiam virtutum & donorum, sequitur, quòd æquiuocè dicatur gratia. Et sic nihil certũ nobis ostenditur ex hoc, quod sacramenta dicuntur gratiam causare.

Lib. 8. text. 10. com. 30.

SED contra est, quod, si gratia sacramentalis non addit aliquid super gratiam donorum & virtutum, frustrà sacramenta habentibus & dona & virtutes cõferrentur. In operibus autem Dei nihil est frustrà. Ergo videtur, quòd gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut in secunda parte dictum est) gratia secundum se considerata, perficit essentiam animæ, inquantum participat quandam similitudinem diuini esse. Et sicut ab essentia animæ fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinãtur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita Christiana, sicut baptismus ordinatur ad quãdam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitijs, & fit membrũ Christi, qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarũ animæ. Et eadem ratio est in alijs sacramentis. Sicut igitur virtutes & dona addũt super gratiam communiter dictam, quandam perfectionẽ determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum & donorum.

1. 2. quæst. 110. ar. 3. & 4.

AD primum ergo dicendum, quòd gratia virtutum & donorũ sufficienter perficit essentiam & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ. Sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur sacramentalis gratia.

AD secundum dicendum, quòd per virtutes & dona excluduntur sufficienter vitia & peccata, quantum ad præsens & futurum, in quantum, scilicet, impeditur homo per virtutes, & dona à peccando. Sed quantũ ad præterita peccata, quæ transeunt actu, & permanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per sacramenta.

AD tertium dicendum, quòd ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter

Universidad de Deusto
Biblioteca

niter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Vnde sicut non æquinocè dicitur animal cōmuniter dictum, & pro homine sumptum, ita nō æquinocè dicitur gratia communiter sumpta, & gratia sacramentalis.

COMMENTARIVS.

PER gratiam virtutum & donorum intelligit D. Tho. gratiam habitualem, quæ est in essentia animæ, & virtutes infusas, cum donis Spiritus sancti. Quærit autem, non, an sacramentalis gratia distinguatur ab hac gratia virtutum, & donorū, sed, an aliquid illi addat: itaque sentit (quod notandum est) gratiam, quæ est effectus sacramentorum, primum omnium supponere, atque includere hanc gratiam virtutum, & donorum, & hoc sumit tanquam probatum articulo præcedenti, hic verò inquirit, an aliquid addat. Et hoc sensu est facilis responsio D. Tho. scilicet, hanc gratiam addere auxilium aliquod, præter gratiam virtutum, & donorum, vbi nomine auxilij intelligendum est vel auxilium propriè dictum, quod ad operandum datur, vel quicunque specialis effectus gratiæ, qui ratione sacramenti confertur; nam singula sacramēta ad speciales fines, & effectus ordinantur, & ideò necesse est, vt aliquid speciale conferant. Quæ est summa rationis D. Thomæ, & ita est facilis tota litera articuli præter solutionē ad tertiū, vbi dicit, hanc gratiā sacramentalē comparari ad gratiā in cōmuni, sicut speciem ad genus: quod explicabimus inferiùs de re disputantes.

ARTICVLVS III.

Vtrum sacramenta nouæ legis contineāt gratiam.

4. dist. 2. ar. 4. q. 4. Et ver. q. 27. art. 7.

AD tertiū sic proceditur. Videtur, q̄ sacramēta nouæ legis non cōtineāt gratiam: contentū enim videtur esse in cōtinente. Sed gratia non est in sacramento, neque sicut in subiecto (quia subiectum gratiæ non est corpus, sed spiritus) neque sicut in vase, quia vas est locus mobilis, vt dicitur in 4. Physic. Esse autem in loco, non conuenit accidenti. Ergo videtur, quòd sacramenta nouæ legis non contineant gratiam.

Lib. 4. text. 41. com. 2.

¶ 2 Præterea, Sacramenta ordinantur ad hoc, quòd homines per ea gratiam consequātur. Sed gratia cum sit accidens, non potest transire de subiecto in subiectum. Ergo pro nihilo esset gratia in sacramentis.

¶ 3 Præterea, Spirituale non continetur à corporali, etiam si in eo sit, nō enim anima continetur à corpore, sed potiùs cōtinet corpus. Ergo videtur, quòd gratia, cum sit quiddam spirituale, non contineatur in sacramento corporali.

Lib. de sacra mē. par. 19. cap. 1.

SED contra est, quod Hugo de sancto Victore dicit, quòd sacramentum ex sanctificatione insisibilem gratiam continet.

RESPONDEO dicendum, q̄ multipliciter aliquid dicitur esse in alio, inter quos duplici modo gratia est in sacramentis. Vno modo sicut in signo, nam sacramentum est signum gratiæ. Alio modo sicut in causa, nam sicut dictum est, Sacramētum nouæ legis est instrumentalis gratiæ causa. Vnde gratia est in sacramento nouæ legis, non quidem secundum similitudinem speciei, sicut effectus est in causa vniuoca, neque etiam secundum aliquam formam propriam & permanentem & proportionatam ad talem effectū, sicut sunt effectus in causis non vniuocis, putà, res generatæ in sole. Sed secundum quandā instrumentalem virtutem, quæ est fluens & incompleta in esse naturæ, vt infrà dicetur.

Arti. præced. Arti. sequ.

AD primum ergo dicendum, q̄ gratia nō dicitur esse in sacramento, sicut in subiecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi, secundum quòd dicitur Ezech 9. Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

AD secundū dicendū, q̄ quamuis accidens non transeat à subiecto in subiectū, transfertamē à causa per instrumētū aliqualiter in subiectum, non vt eodem modo sit in eis, sed in vnoquoque secundum propriam rationem.

AD tertium dicendum, q̄ spirituale existens perfectè in aliquo, continet ipsum, & non continetur ab eo. Sed gratia est in sacramento secundum esse fluens & incompletū. Et ideò non inconuenienter sacramentum dicitur continere gratiam.

IN hoc articulo nullam rem nouā declarat Diuus Thom. sed solùm explicat hunc loquendi modū, quo nihil aliud significatur, quàm sacramenta habere aliquo modo virtutem ad efficiendam gratiā, nam hoc modo dicuntur eam continere, nō formaliter, sed in virtute; non principali, sed instrumētali.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiua.

Inf. qū. 7. art. 4. & 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 1. & dist. 5. 2. art. 3. quæ. art. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd in sacramentis non sit aliqua virtus gratiæ causatiua. Virtus enim gratiæ causatiua est virtus spiritualis. Sed in corpore nō potest esse virtus spiritualis, neque ita, quod sit propria ei (quia virtus fluit ab essentia rei, & ita non potest eam transcendere) neque ita, quod recipiat eam ab alio, quia quod recipitur ab aliquo, est in eo per modū recipientis. Ergo in sacramentis non potest esse aliqua virtus gratiæ causatiua.

¶ 2 Præterea, Omne, quod est, reducitur ad aliquod genus entis, & ad aliquem gradū boni. Sed non est dare in quo genere entis sit talis virtus (vt patet discurrenti per singula) nec etiam potest reduci ad aliquem gradum bonorum, neque enim est inter minima bona, quia sacramenta sunt de necessitate salutis; neque etiam inter media bona cuiusmodi sunt potentiæ animæ, quæ sunt quædam potentiæ naturales, neque etiam inter maxima bona, quia nec est gratia, nec virtus mentis. Ergo videtur, quòd in sacramentis nulla sit virtus gratiæ causatiua.

¶ 3 Præterea. Si talis virtus est in sacramentis, non caulatur in eis, nisi per creationē à Deo. Sed inconueniens videtur, quòd tam nobilis creatura statim esse desinat, sacramento perfecto. Ergo videtur, quod nulla virtus sit in sacramentis ad gratiam causandam.

¶ 4 Præterea. Idem non potest esse in diuersis. Sed ad sacramenta concurrunt diuersa, scilicet, verba, & res. Vnius autem sacramenti non potest esse nisi virtus vna. Ergo videtur q̄ in sacramentis nulla sit virtus.

Aug. tract. 80. in Ioā. pòst mēd. tomo 9. in fo. Euā. quod canitur in octa. Epiph. id habetur. In hoc miliario totius Anni inuenies.

SED contra est, quòd Aug. dicit super Ioan. Vnde tanta vis aquæ vt corpus tangat, & cor abluat? Et Beda dicit, quod Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerationis contulit aquis.

RESPONDEO dicendum, quòd illi, qui ponunt quod sacramenta non causant gratiam nisi per quandam concomitantiam, ponunt quod in sacramento non sit aliqua virtus, quæ operetur ad sacramenti effectū, est tamen virtus diuina sacramento assistens, quæ sacramentalem effectum operatur. Sed ponendo, quòd sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quòd in sacramento sit quæ dā virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et hæc quidem virtus proportionatur instrumēto. Vnde cōparatur ad virtutem absolutam & perfectam alicuius rei, sicut cōparatur instrumentum ad agens principale.

Arti. 1. huius quæst.

Instrumentum enim (vt dictum est) non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente, quod per se operatur. Et ideo virtus principalis agentis habet permanens & completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletū: sicut & motus est actus imperfectus ab agente in patiens.

AD primum ergo dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumētaliter, inquantum scilicet corpus potest moueri ab aliqua substantia spirituali, ad aliquē effectum spiritualem inducendum. Sicut & in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem.

AD secundum dicendum, quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti (sicut alteratio ad qualitatem) ita virtus instrumentalis non est, propriè loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus & speciem virtutis perfectæ.

AD tertium dicendum, quod sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc ipso, quod mouetur ab agente principali: ita & sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum sacramenti. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania: Nec mirum quòd aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire, peruenit planè & penetrat conscientiæ vniuersa latibula. Quamuis enim ipsa sit subtilis & tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, occultans vitæ causas, ad secreta mentis subtili rore pertransit.

AD quartum dicendum, quòd sicut eadē vis principalis agentis, instrumentaliter inuenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine vnum: ita etiam eadem vis sacramentalis inuenitur in verbis & rebus, prout ex verbis & rebus perficitur vnum sacramentum.

COMMENTARIVS.

HVnc articulum proposuit D. Tho. ad soluendam præcipuam difficultatem huius materiæ, scilicet quomodo sacramenta possint efficere gratiam, cùm non habeant virtutem ad hunc effectum, ad quam difficillimè respondet, esse in sacramentis virtutem instrumentalem, quæ nō habet esse permanens, sed trāsiens ex vno in aliud, & incōpletum; propter quā imperfectionē ait in solutione ad primū hanc virtutē, licèt spiritualis sit, posse esse in re corporea, & in solutione ad secundū ait, nō constitui in aliquo prædicamento, sed reduci ad genus virtutis perfectæ gratiæ effectricis. Eādem doctrinā habet D. Tho. q. 6. de potent. art. 4. & q. 27. de veritate, art. 4. ad 4. & in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. vbi Palud. & Capreol. mentē D. Tho. explicant, prout verba sonāt, nimirū addi sacramētis qualitatē quandā realē, per quā possint gratiā efficere, sed differūt inter se, quia Palud. sentit, qualitatē illā esse materialē, in quo sanè non satis constater loquitur: nam omnis qualitas corporalis est improportionata ad producendā gratiā, vnde illa posita, eadem difficultas supereset: erit ergo impertinens talis qualitas. Atq; ideò Capreol dicit, illam esse qualitatem spiritualē, sed hoc etiā magnas habet difficultates, quas cetigi in 1. tom. disp. 1. sect. 5. scilicet, quomodo qualitas

spiritualis posit inhærere in subiecto materiali,cùm ex natura sua non posit habere habitudinem & naturalem proportionem cum illo, & ideò non posit magis informare illud, quàm posit aliqua potentia animæ ferri extra obiectum suum,quia magis intrinsecus est formæ ordo ad suum actum formalem, & subiectum,quàm sit potentiæ ordo ad suum actum, & obiectum. Secundò, quia nulla qualitas potest ex natura sua esse effectiua gratiæ habitualis, si autem non habet hanc virtutem connaturalem,est impertinens,nihilq; iuuare poterit. Assumptū patet, quia nec illa qualitas potest natura sua efficere gratiam, per modum virtutis principalis,vel sufficientis in genere causæ secundæ,quia non est tam perfecta, sicut gratia. Neque etiam potest efficere per modū agentis principalis partialis, quia gratia est altissima participatio diuinæ naturæ, & ideò in solo Deo potest esse tota virtus principalis ad efficiendam illā; adeo, vt neque ipsa gratia posit hoc modo concurrere ad efficiendam aliam sibi similem. Denique nec potest concurrere vt instrumentum connaturale, quia huiusmodi instrumentum non agit, nisi media aliqua actione præuia sibi & effectui ex natura rei proportionata,quæ nulla hic fingi potest,& ideo Caiet. Soto,& alij Thomistæ negant hanc qualitatem,& exponunt D. Thom. per virtutem illā intellexisse motionem primi agentis, quod etiam habet difficultates prædicto loco tractatas. Fortasse igitur D. Tho. per virtutem hanc instrumentalem intellexit potentiam,quam nos vocamus obedientialem, non enim dixit,hanc potentiam addi sacramentis,sed esse in sacramentis, dicitur autem à D. Thom. hæc virtus trāsiens; quia nō censetur esse in potētia proxima, nisi quando à Deo eleuatur per specialissimum auxiliū. Et propterea dicitur non esse in aliquo determinato genere,quia non distinguitur à quacunq; entitate rei,nam si esset specialis qualitas,cur non esset in determinato genere,& specie? Denique dicitur illa virtus spiritualis non formaliter,sed causaliter, quia ad efficiendum spiritualem effectum eleuatur.

DISPVTATIO VII.

De efficacia sacramentorum nouæ legis ad gratiam conferendam.

TRactauimus hactenus quæstionem,an sit, & quid sit sacramentum, consequens esse videbatur, vt de causis eius disputaremus, tamen, quia prima omnium est causa finalis, quæ cum effectu coincidit in his,quę sunt instrumenta ad aliquid agendum,ideò priùs à D. Thom. disputatum est de effectu sacramentorum, qui est præcipuus finis eorum,& consequenter disserendum fuit de efficacia, quam sacramenta habent,seu de modo, quo possunt hunc effectum inducere. Quia verò in hac re longè diuersam perfectionem habent sacramenta noua, quàm vetera,ideò priùs dicemus de nouis sacramentis,posteà de veteribus.

SECTIO I.

Vtrum sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato.

vide Euthy. 3.part. pa-

MVlti hæretici negarūt sacramentis omnem virtutem ad conferendam gratiam,ita Messaliani,qui specialiter de baptismo dixerunt nihil valere ad salutem conferendam,sed solam orationem sufficere,vt referunt Damasc. libr. de centum hæresibus, prope finem,& Theodor. lib. 4. hæreti. fabul. circa finem,quanuis Epiphan. hæres. 80. & August. hæres. 57. tractantes de Messalianis, nihil de hoc errore dixerint: generaliùs asseruerunt hunc errorem Armeni,vt referunt Guid. Carmel. & Prateol. verbo, Armeni. Præterea hæretici huius temporis docent, sacramenta non aliter valere ad gratiam conferendam, nisi vt obiecta,vel signa excitantia fidem, quam solam iustificare dicunt:&, licèt interdum vocent sacramenta causas,vel instrumenta iustitiæ, tamen ita loquuntur ad decipiendos homines, & occultādum errorem,quia re vera sentiunt,non aliter esse causas, quàm concionem,vel aliud obiectum, quod potest fidem excitare. Addidit præterea Lutherus, sacramenta etiam isto modo nō posse tollere peccata, sed tantùm efficere vt regantur, vel non imputentur, sed hic error in materia de iustificatione ex professo impugnatur.

…ept. tit. 11. post … dium. *Damasc.* Theodor. *Epiphan.* *August.* Guid. Prateol. *Hæretico[rum] error circa effectum sacramentorum.*

Dico ergo primò, Sacramenta nouæ legis esse causas gratiæ. Hæc conclusio est de fide, nam sub eisdē ferè terminis definitur in Trident. sess. 7. can. 6. 7. & 8. & in sess. 6. cap. 7. dixerat, baptismum esse instrumentalem causam iustificationis. Concil. etiam Florent. hanc differentiam constituit inter sacramenta antiqua,& nostra, quòd illa non causabant gratiam, hæc vero & gratiam continent, & dignè suscipientibus conferunt. Præterea in symbolo Niceno & Constantinopolitano dicitur. *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*,quibus verbis significatur, per baptismum conferri remissionem peccatorum,& consequenter etiam gratiam. Et idem traditur in Concil. Mileuit. cap 1. & Arausicano. 2. capit. 25. ac denique in Concil. Senonens. cap. 10. error Lutheri anathematis damnatur.

Sacrament[a] nouæ leg[is] sunt caus[æ] gratiæ. *Trid. ses. 7. can. 6. 7. & 8. & ses. 6. c. 7.* *Conc. Mileuit.* *Arausican.* *Senonen.*

Secundo probatur hæc veritas ex Patrum traditione,Clemens Alexan. lib. 1. Pædago. ca. 6. de baptismo dicit esse, *Gratiam, perfectionem, illuminationem, & lauacrum, per quod peccata abstergimus.* Iustin quæst. 56. ad Orthodoxos dicit, baptismum multa bona afferre eis,qui baptizantur. Idem latè Chrysost. homil. de Neophy. & homil. ad baptizatos, & de Eucharistia habet multa similia homil. 83. in Matth. Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 15. dicit baptismum *Depurgare animam*, & homil. 1. de baptism. dicit per baptismum Christi, *Conferri Spiritum sanctum, quem Ioannis baptisma non conferebat.* Præterea Leo Pap. sermo. 4. de Natiuit. inquit, *Omni homini renascenti baptismus instar est vteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem, vt peccatum, quod ibi euacuauit sacra conceptio, hic soluat ablutio.* Et similia scribit serm. 5. atque addit. *Virtus altissimi, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem, facit, vt regeneret vnda credentem.* Ambros. lib. 4. Luc. cap. cuius titulus est. Confirmatio eiusdem exemplo Elisæi,& Naaman, eandē tradens doctrinam, illam confirmat exemplo Naaman Syri, iussu prophetæ à lepra mundati in aquis Iordanis,& lib. 1. de sacram. cap. 4. *Qui per hunc fontem transijt, transijt à terrenis ad cælestia, à peccato ad vitam: à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem*,& cap. 5. adhibens eandem figuram Naaman subdit, *Non aqua omnis sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi: non sanat aqua, nisi prius Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecrauerit*, & libro 3. de Spiritu sancto, cap. 11. dicit, *Per lauacrum regenerationis*

Probatur patribus. *Clemens.* *August.* *Chrysost.* *Leo Papa.* *Ambros.*

tionis & renouationis Spiritus sancti spem vitæ accipimus æternę. Et similiter docet de Eucharistia, quòd gratiam conferat, lib. 5. de sacram. cap. 3. Præterea Cyprian. serm. de ablut. ped. & serm. de Cœn. Domi. eodem modo loquitur de his sacramentis. Idem Epistol. 63. & 76. & lib. 3. ad Quirin. cap. 65. ad hoc adducit verba illa. 1. ad Corint. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Hieron. etiam lib. 3. cont. Pelag. in princip. dicit, *Baptismum preterita donare peccata.* Idē ferè dialog. contra Lucifer. circa finem,& epist. 83. ad Oceanū in principio. D. Greg. lib. 9. epist. 39. & Augustinus semper cōstituit differentiam inter vetera,& noua sacramenta, quòd illa promittebant saluatorem, hæc dant salutem: præsertim enarratione Psal. 73. in principio,& ideò. 19. cōtra Faust. c. 3. dicit, hæc sacramenta esse *virtute maiora, & vtilitate meliora.* & lib. 1. contra duas epistolas Pelagian. cap. 3. dicit *Baptismum facere nouos homines, & omnia peccata delere.* Et lib. 2. de gratia Christi,& pecca. origin. c. 32. addit, baptismum hoc facere *per virtutem à Christo communicatam*,& plura referemus in sequētibus. Hinc etiam Optatus lib. 5 contra Parmenian. dicit *Baptisma Christianorum Trinitate consecratum, gratiam conferre.* & Hilar. in id Psal. 65. *Venite & videte opera Domini* dicit, *per baptismum donari spem vitę, & remitti peccata.* sic Lactant. lib. 3. ca. 26. dicit, *Vno lauacro omnia peccata aboleri.* & lib. 7. cap. 5. dicit *Hominem sacro lauacro purificari*, multaq; similia leguntur apud Tertul. lib. de baptism. qui cap. 1. dicit, *Nonne mirandum lauacro mortem dilui?* & cap. 4. alludens ad illud Genes. 1. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas* dicit de Spiritu sancto: *Sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare cæpit*, & infrà, *Superuenit enim statim Spiritus de cęlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso & ita sanctificatę vim sanctificandi combibunt.* Adhæc Bernard. serm. de cœna Domi. ad hoc dicit esse instituta sacramenta Christi, *vt inuisibilis gratia visibili signo præstaretur*, & infrà dicit *Ipsum sacramentum hanc gratiam operari.* Ac denique Gaudent. tractat. 2. in Exod. circa finem, *adest* (inquit) *sacramētis suis Christus, cuius virtus inęstimabilis permanet in omnia secula.*

Cyprian. 1. Cor. 6. *Hieron.* *Greg.* *Optat.* *Hilar.* *Lactant.* *Tertul.* *Genes. 1.* *Bernar.* *Gaudent.*

Vnde hæc definitio & traditio Ecclesię fundamētum habet in scriptura: nam de baptismo dicitur ad Ephes. 5. *Mundās eam lauacro aquę in verbo vitę.* ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* De Eucharistia. Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in ęternum*,& propterea dicitur panis vitæ,& dans vitam,&. 1. ad Corinth. 10. *Vnū corpus sumus, qui vno pane, & calice participamus.* vbi Græca habent causalem notam, *Quia de vno pane*; qua significatur, hunc esse effectum huius sacramenti, vt Theophyl. notauit,& alij Græci. De Confirmatione dicitur Actor. 8. & 19. *Per manuum impositionem dari Spiritum sanctum*,& similiter de Ordine dicitur. ad Timo 2. *Vt resuscites gratiam, quę est in te per impositionem manuum mearum.* de Pœnitentia. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, Vnde sumpta sunt illa verba, *Ego te absoluo*, quorum veritas requirit, vt ipse sacerdos per illud sacramentum gratiam & iustitiam conferat, qua remittantur peccata. De Extrema vnctione eodem ferè modo dicitur Iacobi 5. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & si in peccatis est, dimittentur ei.* vbi per orationem fidei, forma illius sacramenti significatur, non solùm, quia communi appellatione forma sacramenti solet vocari deprecatio (vt suprà dictū est) sed etiam quia illa forma fit per modum deprecationis. Denique de Matrimonio, licèt non sit tam apertus locus, indicatur tamen ad Ephes. 5. & explicatur traditione Ecclesiæ, quia est verum sacramentum nouæ legis, & eiusdem rationis cum cæteris. Dices, ex his locutionibus ad summum colligi posse, adhibitis sacramentis, Deum dare gratiam, non verò ipsa sacramenta esse causas gratiæ. Respondetur, hic iam attingi quæstionem aliā pertinentem ad modum, quo sacramenta conferūt gratiam, quam nunc non disputamus, sed solùm asserimus, ex prædictis testimonijs colligi, simpliciter & absolutè sacramenta esse vocanda causas gratiæ, vt patet ex illis modis dicendi, *Per lauacrum, & aquā remitto*, & similibus, quæ in proprietate sermonis causalitatem significant. Item vox illa instrumentū qua vtitur Trid. nomen est causæ, & Florentinum simpliciter causas appellauit. An verò ille modus explicandi hanc causalitatem sufficiat ad veritatem, & proprietatem harum locutionum, dicemus disputatione sequenti.

Probatur ex scriptura. Ephes. 5. Tit. 3. Ioan. 6. 1. Cor. 10. *Act. 8.* 1. Tim. 2. Ioan. 20. Iacob. 5. *Ephes. 5.*

Quartò, rationibus non potest à priori ostendi hæc conclusio meliùs, quàm ostendendo hanc fuisse Christi voluntatem, quia hæc est tota ratio, & radix huius causalitatis. Congruentiæ verò sufficiunt quæ in quæstione. 60. & 61. adductæ sunt: & re vera supponendo, hoc non esse impossibile, quod infra declarabimus, per se notum est, fuisse valde conueniens, tum ad nostram vtilitatem, tum ad perfectionem legis gratiæ, tum ad ostendendam efficaciam meritorum Christi, tum denique ad demonstrandā diuinam potentiam, & sapientiam, erga homineśq; misericordiam, & liberalitatem.

Ratio à priori sumitur ex voluntate Christi.

Atq; ex his colligitur primò, hæc sacramenta conferre gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. Quibus verbis eadē res explicatur, quæ in præcedenti assertione: ea verò addimus ad declarādum modum loquendi theologorum, quem sub eisdem verbis retinuit Concil. Trident. dicta sessio. 7. ad cōfusionem hæreticorum, qui illa verba irrident tanquam portentosa, & barbara, quod faciunt, vt reiectis vsitatis verbis, rem etiam obscurent, & ad suos falsos errores peruertant. Theologi verò è cōtrario, vt fidei veritatem exactè declarent, de verborum elegantia non sunt admodùm soliciti. Distinguunt ergo duplicem modum obtinendi gratiam: priorē vocant ex opere operantis, qui est, quando obtinetur gratia ex merito, vel ratione propriæ dispositionis præcisè, vt est ab operante, in qua fortasse semper est aliquod meritum, saltem de congruo: posteriorem vocant ex opere operato, qui est, quando ratione operis externi, vel sacramenti applicati, datur aliqua gratia vltra omne meritum operantis, tam de condigno, quàm de congruo, vt ex Alens. D. Tho. & alijs, notauit Gab. in 4. d. 1. q. 3. in principio. Atque eodem sensu dicit August. lib. 4. de baptis. cap. 24. ipsum sacramentum per se ipsum multum valere, & Cyprian. sermo. de cœna Domini, sacramenta quantum in se est, sine propria virtute esse non posse. Cùm igitur sacramenta sint causa gratiæ, aliquid gratiæ conferunt præter omne meritum operantis, cōferunt igitur gratiam ex opere operato, requirūt tamen, vt suscipiens non ponat obicem peccati mortalis, quia cum illo gratia esse non potest, & illud sine voluntate, & dispositione ipsius peccatoris expelli non potest, & ideò non est contra virtutem sacramenti, quòd ponenti obicem non conferat gratiā, sed potiùs cōmune est causis agentibus, vt propter resistentiam passi ab agendo impediantur, de quo

Alens. *D. Thom.* *Gabriel.* *August.* *Cyprian.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicemus plura infra, agentes de dispositione necessaria ad effectum sacramenti.

Sacramenta non conferūt gratiā, solū excitāt fidē.

Secundo sequitur, sacramenta non conferre gratiam, solùm excitādo fidem, vt noui hæretici dicūt, quorum error refellitur ex dictis. Primò, nam locutiones scripturæ, Conciliorum, & sanctorum, plus significant, nam esse obiectum excitans fidem non satis est, vt baptismus dicatur regeneratio hominis, sicuti Ioan. 3. dicitur *homo renatus ex aquæ, & Spiritu sancto*, vbi particula *ex*, vt dixi, causalitatem significat, sicut ibidem dicitur, *Quod natū est ex carne, caro est.* Ioan. 3. Secundò, quia etiam concio excitat fidem, & imago, & exempla, seu bona opera aliorum, quæ non dicuntur conferre gratiam sicut sacramenta. Tertiò sacramentalia, vt aqua benedicta, excitāt fidem, vnde sequitur iuxta hunc hæreticorum errorem, posse Ecclesiam instituere sacramenta, quæ sint causa gratiæ, quia potest instituere signa excitantia fidē. Quartò similiter sequitur, sacramenta vetera, nō minus sanctificasse, quàm noua, quia etiam erant apta ad excitandam fidem. Quinto sequitur, sacramentā per se non conferre gratiam suscipienti, sed cuicunque videnti, & consideranti, nam illius fidem excitant. Dicent fortassè, non excitare aliquem ad concipiendam fidem certam de propria iustitia, nisi solùm suscipientem, & ita hoc esse proprium sacramētorum Christi. Sed in primis potiùs hinc sequitur, hæc sacramenta nemini conferre gratiam, etiam suscipienti. Quia etiam illi impossibile est, quòd hanc fidem concipiat certam, & absolutā, vt suprà dixi. Deinde, si hanc fidem potest concipere, qui suscipit sacramenta, & non alij, qui adsunt, ergo aliqua promissio specialis facta est suscipienti, atq; adeò sacramentum aliquid confert per se illi, quod nō confert alijs: alioqui nulla esset ratio, ob quam sacramentum susceptum excitaret hominem ad credendum se esse iustum magis quàm sacramentum vilum. Sextò, aut loquimur de paruulis, aut de adultis. si de paruulis, illi non possunt excitari ad actum fidei, vt per se manifestum est, & infrà dicetur in materia de baptismo, & tamen sacramentum confert illis gratiam, & fidem, ergo non confert excitando fidem. Dicent fortassè, excitare fidem parentum. Sed hoc est impertinens, quia interna fides parentum, nec est necessaria ad iustificationem paruulorum, neq; est sufficiens, aut propria causa illius. Alioqui, cùm illa fides per se loquendo supponi possit ante baptismū paruuli, & alijs modis excitari, possent iustificari paruuli sine baptismo. Si verò loquamur de adultis, sacramenta, vt in eis habeant effectum, supponunt fidem: propter quod dixit Christus Matth. vlti. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, & Philippus Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet.* Et præter eam fidē quæ supponenda est vt conueniens & necessaria dispositio, nulla alia est necessaria, quæ per sacramentum fiat, ergo vel sacramentum per se nihil facit, si sola fides iustificat, vt hæretici dicūt, quia sicut supponitur fides, ita & iustificatio facta per fidem. Et quanuis demus sacramenta excitare fidem, non tamen erit ad conferendam iustitiam, quàm ad exercendā iustitiam acquisitam, vel certè. si sacramenta iustificant, id non faciunt tantùm excitando fidem, sed verum donum iustitiæ conferendo.

Matth. vlt. Act. 8.

Contra hanc veritatem obijciunt multa hæretici, sed omnia cōtendunt, vt probent, nos per solam fidem iustificari, nam ex hoc principio suum errorē inferūt, sed alienū esset à nostro instituto ad illam nunc quæstionem deriuare sermonē. Primùm quidem, quia in materia de iustificatione proprium habet locum. Deinde, quia eadem testimonia, quibus hæretici vtuntur, possunt facilè contra illos retorqueri, quia non sunt pauciora scripturæ loca, nec minus clara, in quibus, sacramentis tribuitur nostra iustificatio, quàm fidei: ergo, vel vtrisque attribuant, aut vtrisque negent nostræ iustificationis effectum. Veritas ergo est omnia hæc requiri, & suo modo cō currere ad nostram iustificationem, fidem, vt fundamentum: pœnitentiam, & dilectionem, vt dispositionem: sacramenta, vt instrumenta, sicut Triden. sess. 6. cap. 7. declarauit. Denique dicitur etiam, illa tionem hæreticorum esse ineptam, vt ostendi, quia si sola fides iustificat, vel est fermo de actuali, vel de habituali, si de habituali, etiam si illud verum esset, possunt sacramenta iustificare infundendo habitum fidei: si de actuali, non poterunt sacramenta iustificare paruulos, neque etiam adultos, quia in his supponunt fidem, non faciunt, neque augent per se loquendo.

Sess. 6. c. 7.

Vnum verò scripturæ testimonium per se difficile, quodque videri potest propositæ veritati contrarium, hoc loco explicandum est, ait enim Petrus. 1. Canoni. cap. 3. *Octo animæ* (loquitur de diluuio) *salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.* Quibus verbis significat, baptismum nō saluare hominem per externam lotionem, sed ratione bonæ conscientiæ, & interioris fidei. Cuius testimonij difficultatem auxit August. tract. 80. in Ioā. vbi tractans illa verba, *Vos mundi estis propter sermonem meum*, interrogat, cur non dixerit propter baptismum: & respondet, quia ipse baptismus non habet, quod sanctificet, nisi à verbo Christi, & subiungit. *Non quia dictum, sed quia creditur.* Et statim citat prædicta verba Petri, & alia scripturæ testimonia, in quibus iustificatio tribuitur fidei. Vnde serm. 30. de Verbis Domini, ait, *Baptismus, qui semel adhibetur, per fidem mundat*: & statim testimonium Petri allegat. Similia habentur li. qq. noui & vet. testam. quæst. 59 & similem doctrinam habet Lanfrancus lib. de Eucharist. circa med. & Guitmundus lib. 1. de verit. Eucharist. circa finē, & Algerus lib. 3. de Eucharist. ca. 7. vbi tractans prædictum locum Petri ex Prospero in lib. sent. citat hæc verba. *Verus baptismus constat nō tam ablutione corporis, quàm fide cordis.*

1. Explicatio. Locus Petri 1. can. 3. explicatur.

Lanfranc. Guimund. Algerus.

Ad locum Petri respondetur primò, in illis verbis, *Vos nunc similis formæ saluos facit baptisma*: docere fidei veritatem à nobis propositam, quam non negat in sequentibus verbis, sed explicat vnde baptismus habeat hunc effectum, vel quamnam, & dispositione suscipiendus sit, vt illum habere possit: & prior quidem pars illorum verborum, scilicet, *Non carnis depositio sordium*, perspicuum habet sensum, scilicet, non ideò baptismum saluare hominem, quia corpus mundat: posterior verò pars, scilicet, *sed conscientia bonæ interrogatio in Deum*, obscura est: vnde alij legunt, *& petitio in Deum*, quæ vox, cōtractū vel pactum significat. Vnde primus sensus est, baptismū saluare, non ex virtute quam habet ad mundandum corpus, sed quia ex pacto, vel promissione diuina, vim habet ad mundandam conscientiam. Hoc videtur iudicare Basil. lib. de Spiritu sancto. ca. 15. dicēs, *Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia: non enim est baptismus, depositio [illegible]*

1. Explicatio.

Basil.

dium corporis, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Alij legunt *inquisitio*, vt sit secundus sensus, baptismum saluare, non propter effectum, quem habet in corpus, sed quia facit hominem inquirere, seu procurare bonam conscientiam apud Deum. Ita Cajet. ibi: & in idem ferè redit, quod significat Eras. baptismum efficere, vt bona conscientia bene respondeat apud Deum. Itaque iuxta priorem expositionem explicatur illis verbis vnde sit virtus baptismi: iuxta hanc verò posteriorem explicatur effectus eius, ratione cuius nos saluare dicitur. Vtraque vero illud difficultatis patitur, quod vix potest verbis Petri accommodari, præsertim prout in vulgata lectione leguntur. Tertius ergo sensus est, baptismum saluare non vt sumitur ad mundandum corpus, sed vt sumitur ad mundandam animam, & cum dispositione ad hunc effectum accommodata, quæ ideò indicata est *per interrogationem bonæ conscientiæ apud Deū*, quia fit alluſio ad cōsuetudinem Ecclesiæ, in qua interrogatur baptizandus, an velit baptizari, & an renunciet sathanæ: & per se, vel per susceptorem respō det, *Volo, abrenuncio.* Sic Philippus Acto. 8. priusquā Eunuchum baptizaret, interrogauit eum. *Si credis ex toto corde, licet.* Per hāc ergo interrogationem significatur, qua intentione, & dispositione suscipiendū sit baptisma, vt saluet. Quam expositionem indicarunt Glossæ, & Gagneius ibi.

3. Explicatio.

Cajet.

Acto. 8.

Gloss. Gagneius. Augustinus explicatur.

Ad August. similiter respondetur, nō solùm alijs, sed etiam illo loco, apertè docere aquam baptismi habere virtutem admirabilem, *Vt corpus tangat, & cor abluat.* Vnde, cum subdit, hanc vim habere à verbo *non quia dicitur, sed quia creditur*, non potest intelligere, hanc vim prouenire ex fide suscipientis, quæ per baptismum excitatur, vt hæretici dicunt: quia ibidē ait, eandem virtutem habere in paruulis, qui non sunt capaces actus fidei. Aliqui ergo exponunt, per verbum Christi non intelligere Augustinum formam baptismi, sed institutionem baptismi à Christo factam, nam quia illa creditur in Ecclesia, & in hac fide baptismus applicatur, ideò baptismus habet hunc effectum. Ita Ruar. artic. 1. versus finem. Sed Augustinus apertè loquitur de verbo, quo consecratur sacramentum. Item institutio non dat aquæ virtutem, quia creditur, sed quia ab ipso Christo efficaciam habet. Dices, hoc esse verum de fide ipsius ministri, quæ non est necessaria, vt infrà dicetur, secùs verò esse de fide Ecclesiæ, quæ necessaria videtur. Sic enim exponit Bonauentura in 4. distinct. 3. 1. par. dict. artic. 1. quæst. 3. quæ expositio tam potest applicari verbo formæ, quàm verbo institutionis, tamen neutro modo videtur satisfacere, quia virtus baptismi non manat à fide Ecclesiæ, sed à solo Christo & passione eius, vt notauit Palud. dist. 1. quæst. 1. artic. 5. Vnde, si per impossibile nulla esset fides in Ecclesia, & applicaretur baptismus iuxta Christi institutionem, haberet baptismus suum effectum, ergo non habet hunc effectum, quia creditur, in præcto sensu, scilicèt, ab Ecclesia. Alij exponunt de fide suscipientis, ita vt illa causalis non reddat originalem causam huius virtutis, sed solùm dispositiuam ex parte suscipientis. Qui sensus esset probabilis, si esset sermo de adultis, tamen paruulis nullo modo potest applicari, quia illi nō sunt capaces fidei actualis, habitualis verò non est in eis dispositio, sed effectus baptismi. Sensus ergo est, quem D. Tho. suprà tetigit quæst. 60. artic. 7. ad 1. aquam baptismi habere vim sanctificandi, vt coniungitur verbo Chri-

Ruard.

Bonauent.

Palud.

A sti, ideſt, formæ, per quam veluti consecratur ablutio, & constituitur in esse sacramenti: verbum autē formæ dicitur habere hanc virtutem, quia creditur, non subiectiuè (vt sic dicam) sed obiectiuè, id est, quia fidei Christi professionem in se continet. Itaque sensus sit, hæc verba assumpta esse ad hūc effectum, non propter materialem sonum, sed propter fidei mysterium, quod continent, & omnibus credendū proponunt. Vnde subdit ibid. August. *Nam & in ipso verbo aliud est virtus transiens, aliud virtus manens.* Et ad hunc modum sunt explicandi alij autores suprà citati. Secundum autem Augustini testimoniū facilius est: nam illa verba, *Baptismus per fidem mundat*, intelligi possunt de fide viua, & in genere causæ formalis, nam baptismus conferendo fidem viuam, per eam mundat animam, qui sensus explicatur latiùs in alio loco quæstionum noui & veteris testamenti.

SECTO II.

Virùm omnia sacramēta legis nouæ virtutem habeant conferendi gratiam habitualem, & virtutes, ac dona, quæ illam consequuntur.

NOmine gratiæ habitualis intelligere possumus, vel gratiam primam, vel aliquod eius augmentum, vel denique abstractè loqui possumus de gratia in communi, abstrahendo à prima, vel secunda, seu augmento eius. Supponamus ergo nonnulla, quæ certa sunt.

Primum est, omnia sacramenta nouæ legis cōferre gratiam habitualem omnibus non ponentibus obicem, abstractè loquēdo, siue illa gratia sit prima, siue secunda, & in hoc sensu existimo, hanc conclusionem esse de fide: hoc enim sensu definiunt Concil. Trid. & Florent. sacramenta nouæ legis cōferre gratiam, quam continent, & in ea cōueniunt Theologi omnes: atque eam probant omnia adducta præcedenti sectione. & facilè potest fieri inductio, nam Baptismus, & Pœnitentia nō possent remittere peccatum originale, vel mortale, nisi gratiam darent, Cōfirmatio, cùm det Spiritum sanctum, necesse est, vt det etiam gratiam: Eucharistia, cùm charitatem nutriat, atque nos Christo magis vniat, necesse est, vt gratiam conferat, atq; eadem ratio est de cæteris sacramētis, omnia enim instituta sunt propter verā hominis sanctificationem, nā, licèt singula ad proprios effectus sint instituta, vt infrà dicemus, omnium tamen principalis causa, & maximè connaturalis est gratia sanctificans, & ideò omnibus commune est, vt hanc gratiam conferant.

1. Suppositio.

Secundò est certum, omnia hæc sacramenta posse conferre augmentum gratiæ, si suscipientem inueniant in gratia iam constitutum. Hæc etiam est cōmunis omnium sententia, & sequitur euidenter ex prima assertione, & ex definitione Concil. Trid. sess. 7. can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiā per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, sed aliquando, & aliquibus, etiam si rité ea suscipiant, anathema sit.* Ex hac enim definitione sequitur, hæc sacramenta semper, & omnibus suscipientibus dare aliquam gratiam, si non ponant obicem: constat autem, eum, qui accedit in gratia ad suscipiē

2. Suppositio.

Trid. sess. 7. can. 7.

dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum quodlibet sacramentum, ex eo capite non pō- A
nere obicem, sed potiùs accedere optimè dispositū,
ergo semper potest recipere gratiam sanctificantē:
ergo augmentum gratiæ, nam ille, qui iā est in gra-
tia constitutus, non est capax nouæ gratiæ primæ,
sed solùs augmenti. Quinimò hac ratione probatur
semper consequi nouum augmentum gratiæ eū, qui
in gratia constitutus sacramentum suscipit, quia ille
non potest obicē ponere supposito eo statu, & per-
seuerantia in illo, vt ex his, quæ statim dicemus de
dispositione, apertiùs constabit.

3. Suppositio. Tertiò est certum, non omnia sacramenta nouæ legis esse per se, & ex propria ac specifica ratione in-
stituta, ad dandam gratiam primam, neque omnia
ad dandum augmentum gratiæ: sed quædam per se
esse instituta ad dandam primam gratiam, alia verò
minimè, sed tantùm ad augmentum. Probatur, & B
explicatur, quia Baptismus, & Pœnitentia secundū
fidem instituta sunt ad remittendum originale, vel
mortale pēccatum, quod non tollitur nisi per primā
gratiam: ergo necesse est, vt hæc sacramenta per se
sint instituta ad primam gratiam conferendam. E
contrario verò Confirmatio instituta est ad dandū
Spiritus sancti robur, & augmentum, & ideo per se
non est instituta ad primā gratiam, sed ad eius aug-
mentum conferendum. Et eadem ratio est de Eucha-
ristia, quæ per se instituta est ad nutriendam carita-
tem secundùm propriam & specialem rationem: an
verò secundùm aliquem aliū modum hoc sacramē-
tum sit institutum ad dandam primam gratiam, vt
aliqui opinati sunt, dicemus postea, de illo differen-
tes. De alijs verò tribus sacramentis, cùm certum sit
non fuisse per se instituta ad tollendum peccatū ori
ginale, vel mortale, ex consequenti etiam est certū, C
per se, & ex vi propriæ ac specialis institutionis non
habere, quòd gratiam primam conferant, sed tantū
augmentum eius. Ex qua inductione sumi facilè po
test ratio à priori huius veritatis, quia non omnia sa-
cramenta sunt instituta ad eundem finem, sed vnū-
quodque habet suum proprium munus distinctum
ab alio. Quædam autem sunt propria quorundam sa
cramentorum munera, quæ per se requirunt primæ
gratiæ infusionem: alia verò illam potiùs supponūt,
& functiùs, ac dignius fiunt per augmentum eius:
ergo meritò sunt instituta quædam sacramenta ad
dandam primam gratiam per se, quædam ad aug-
mentum.

Vtrū per aliquod sacramentum detur prima gratia. His ergo tribus existentibus certis, tria alia in du
bium possunt reuocari. Primum est: An in reipsa de
tur aliquando prima gratia per aliquod sacramentū
per propriam efficientiam sacramentalem & ex ope
re operato. Quidam enim Theologi negant, sacra- D
mentum posse vnquam habere hunc effectum, saltē
in adultis, nam de paruulis certa fides est, baptismū
posse habere in eis hunc effectum, & solùm illum.
Primum cōstat ex traditione Ecclesiæ, de qua dice-
mus latiùs in materia de Baptismo. Secundum verò
constat, quia ante baptismalem characterem nullus
est capax gratię sacramētalis, paruuli ergo, nisi priùs
baptismum recipiant, non possunt recipere aliud sa-
cramentum, nec effectum eius, si autē recipiūt priùs
Ratio dub. in adultis. baptismum, necesse est, vt primam gratiam per illū
suscipiāt. De adultis ergo fundamētum esse potest,
quia non sunt capaces primæ gratiæ, nisi sint contri
ti, Deumque super omnia diligant, si autem huius-
modi dispositionem habeant, per illam iustificantur
& gratiam primam recipiunt, ergo nunquam illam

recipiunt per sacramentum: quia, vel accedunt ad il-
lud contriti, vel non, si nō, nullam gratiā recipiunt:
si verò priùs fuere contriti, iam prius fuere iustifica
ti, quàm ad sacramentum accederent, ergo non acci
piunt per illud gratiam primam, sed solum gratiæ
augmentum. Solùm fingi posset euentus quidā me
dius, scilicet quòd in eodem instanti incipias homo
contritionem habere, in quo consummatur sacramē
tum. Sed, quia hic casus est accidētarius, & regulari-
ter ac humano modo ferè non potest accidere, ideò
morali modo loquendo, negatur, sacramēta habere
hunc effectum. Vel dici potest iuxta hanc sententiā,
in eo etiam casu contritionem antecedere ordine
naturæ vt dispositionem ad sacramentum, & illi re-
spondere gratiam primam, quæ daretur ex disposi
tione operantis, etiam si sacramentum non adesset,
statim verò in secundo signo naturæ dari aliquos
gradus gratiæ ratione sacramenti per modum aug-
menti. Quòd si obijcias, hoc videri contrarium in- *Obiectio.*
stitutioni saltem eorum sacramentorum, quæ dixi-
mus per se primò esse ordinata ad dandam primam
gratiam. Responderi potest, non esse contrarium, *Responsio.*
quia, vt sacramenta sint instituta per se ad hunc ef-
fectum primæ gratiæ, satis est, vt non detur nisi in
ordine ad aliquod sacramentum, seu per votum eius
quod in contritione includitur, quandocunque per
illam datur prima gratia, & remissio peccati. Et hæc
opinio sic explicata est Gab. Maior. Petri Soto, & *Gabr. Maior. Pet. Soto.*
aliorum, qui negant Baptismum, aut Pœnitentiam
habere virtutem ad faciendum hominem ex attrito
contritum ex opere operato, quos infrà suis locis in
particulari referemus.

Nihilominùs dicendum est, habere sacramēta vir
tutem conferendi aliquando primam gratiam: quæ
est communior sententia doctorum disputantiū de
Baptismo, & Confessione, vt suis locis videbimus.
Ratio verò est illa suprà adducta, quòd sacramenta
aliqua sunt per se initituta ad tollendum peccatum,
quod ex natura rei habet formalem oppositionem
cum gratia, & non nisi per illam expellitur: ergo ne
cesse est, quòd saltem hæc sacramenta aliquando ex
pellant peccatum, & conferant primam gratiam ex
opere operato, alias nunquam efficerent propria vir
tute illum effectum, propter quem sunt instituta.
Nec satis est dicere, quòd datur hæc prima gratia
per contritionem, vt continet sacramentum in vo-
to, quia, licèt hic modus conferendi gratiam verus
sit, quando contingit haberi contritionem ante sa-
cramentum, tamen, si hoc semper est necessarium,
nunquam sacramentum habebit suum effectum ex
opere operato, nec ex propria efficacia sacramento-
rum, quia contririo, quæ antecedit susceptionem
realem sacramenti, etiam si dicatur sacramentum in
voto includere, tamen non confert gratiam ex ope
re operato, vt infrà dicam, sed solùm iuxta mensurā
dispositionis operantis: ergo, si semper necesse est,
quod præcedat prima gratia data per contritionem
nunquam sacramentum habebit vi sua proprium
suum effectum, vnde respectu illius quodammodo
fruſtrà esset talis institutio: nunquam enim assequē-
retur suum primarium finem, sed assecutum semper
supponeret. Ex quo etiam fieret, vt sacramentorum
institutio non contulisset hominibus faciliorem ali-
quam viam obtinendi primam gratiam, quàm sine
sacramentis haberent, quod etiam est contra finem
horum sacramentorum. Quocirca negandum est,
necessariam semper esse contritionem ad consequen-
dum

dum per sacramenta huiusmodi effectum, sed suffi- A
cere interdùm attritionem, vt in materia de Baptis-
mo, & latiùs de Pœnitentia dicturi sumus.

An omnia sacramenta habeant ex vi institutionis suæ, dare primam gratiā. Secundum dubium est, an omnia sacraméta sub
aliqua ratione habeant per se, & ex vi institutionis
suæ, primam gratiam cōferre. Quibusdam enim ne-
cessarium hoc videtur propter definitionem Con-
cil. Florent. & Trid. docentium, sacramenta nouæ le
gis conferre gratiam, & continere illam, quod neces
se est intelligi de prima gratia, nam, si aliqua tantū
haberent vim ad augendam, vel intendendam gra-
tiam, de illis non posset simpliciter verū esse, quòd
gratiam contineant, & illam conferre possint: tum
quia gratia simpliciter dicta non significat solùm in
tensionem gratiæ, sed absolutè gratiam quoad to-
tam substantiam eius: tum etiam, quia conferre gra-
tiam, non significat augere, sed dare illam simpliciter,
& absolutè. Confirmatur, quia homo non dici-
tur mereri gratiam, sed tantùm augmentum gratię,
quia non potest mereri gratiam primam, ergo, si ali-
qua sacramenta possent tantùm augere gratiam, &
non conferre primam gratiam, illa non dicerentur
simpliciter continere gratiam, vel augere illam, sed
tantùm secundum quid, vel posse gratiam augere,
ergo necesse est, vt fateamur, omnia sacramenta ha-
bere virtutem ad conferendam primam gratiam.
Vnde, cùm illam non habeant, nec habere possint ni
si ab institutione, consequenter dicendum est, ali-
quo modo seu sub aliqua ratione habere hanc virtu
tem ex vi suæ institutionis. Quòd si inquiras, quo- *Obiectio.*
modo hoc non pugnet cum tertia assertione suprà
posita, quam certam, & ab omnibus receptam esse
dixi mus; Responderi potest, in sacramentis posse cō
siderari, aut genericam rationem sacramenti nouæ *Responsio.*
legis, aut specificam, in tertia ergo assertione solùm
dictum est, non omnia sacramenta secundùm pro-
prias & specificas rationes esse instituta ad conferen
dam primam gratiam, huic autem veritati non re-
pugnat, quòd secundùm genericam rationem sacra-
menti nouæ legis omnia sint instituta ad hunc effe-
ctum, atque ita sub hac ratione generica dicūtur ha
bere vim per se, & ex institutione sua ad primam
gratiam conferendam.

Sed hæc sententia nobis non probatur propter se
quentes causas. Prima, quia nullo vel debilissimo vti
tur fundamento. Nam, cùm Concilia dicunt, sacra-
menta nouæ legis continere gratiam, aut dare illā,
non loquuntur de prima gratia, sed absolutè, præci-
Cōc. Florēt. se & abstractè de gratia, siue prima sit, siue secunda.
Quod paret, tum ex Concil. Florent. nam, postquā
dixit, nostra sacramenta continere gratiam, & illam
dignè suscipientibus conferre, subdit, *Per baptismum* D
enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & robo rati, nutrimur diuina Eucharistiæ alimonia. Cùm ergo
Concilium hæc verba proferat vt continentia suffi-
cientem explicationem & probationem generalis
Conc. Trid. conclusionis priùs positæ, necesse est, vt per gratiā
intellexerit, vel primam, vel secundam. Tùm etiam
quia Concil. Trident. sessio. 7. cano. 6. cùm dicit, *Sa-*
cramenta nouæ legis continere gratiam, addit illam parti
cularem, *quam significant*: non omnia autem sacraméta
significant gratiam primam, sed vel hanc, vel aug-
mentum eius. Tùm denique, quia secūda gratia, seu
quilibet gradus gratiæ est vera gratia, sicut quilibet
Apoc. vlti. gradus caloris est calor, vnde in scriptura, qui in gra
tia crescit, iustificari dicitur, iuxta illud Apocalyp.

vltimo, *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Eccles. 18. *Ne ve-* A
reris vsque ad mortem iustificari. Et Iacob. 2. *Ex operi-* *Eccles. 18.*
bus iustificatur homo, quæ testimonia de augmēto gra *Iacob. 2.*
tiæ exposuit Concil. Trident. sessio. 6. ca. 10. ergo
ex eo dogmate Conciliorum, quòd sacramenta ha-
bent virtutem ad conferendam gratiam, nō potest *Trident.*
colligi, omnia habere vim ad dandam gratiam pri-
mam: sed absolutè, vel primam, vel secundam.

Secūda causa est, quia illa Metaphysica distinctio
de sacramento secundùm genericam, vel specificam
rationem, etiam est sine fundamento conficta, quia
sacramenta sub nulla ratione habent vim ad confe-
rendam gratiam, nisi ex institutione, Christus antē
nullam institutionem sacramentorum fecit secun-
dùm genericam rationem, seu generalem omnibus.
Vbi enim talis institutio tradita est? vel quo funda- B
mento affirmari potest? Solùm ergo instituit singu
la sacramenta ad suos speciales fines, & effectus, &
ex institutione singulorū ortum est, vt omnia, & ef
fectus eorum inter se conueniant in aliquibus com-
munibus rationibus, quas intellectus abstrahere po-
test, ac præcisè considerare, quod ad nostram specu-
lationem pertiner, non ad practicam & moralem in-
stitutionem, quæ per se respicit particularia, & pro-
prios, ac determinatos fines, non verò generales ra-
tiones, nisi quatenus in specificis continentur, ergo
ex institutione sacramentorum non potest colligi,
quòd secundùm communem rationem sacramenti
habeant aliquam propriam virtutem, præter illam,
in qua conueniunt, ratione propriarum & specialiū
institutionum singulorum sacramentorum. Ex qui-
bus solùm potest colligi conuenientia in causalitate
gratiæ, abstrahendo à prima, vel secunda. Confir- C
matur, quia alias omnia sacramenta nouæ legis, saltē
secundùm rationem genericam, essent per se institu
ta ad delendum peccatum mortale, quod est alienū
à communi doctrina, & ab omni antiqua traditio-
ne. Item, aliàs quodlibet eorum posset per se & ex in
tentione assumi ad hunc effectum, saltem, quando
non posset applicari sacramentum Pœnitentiæ. Vn-
de probabile fieret, tunc posse sacramentum sumi
cum sola attritione cognita: quia per se, ac præcipuè
sumitur, vt primam gratiam conferat. Deniq; se-
quitur, singula sacramenta habere per se duos effe-
ctus gratiæ, vnum ex ratione generica, scilicet pri-
mam gratiam, alterū ex ratione specifica, scilicet in
tensionem. Vnde fieret, sacramentum semper dare
diuersos gradus gratiæ, ratione generis, & speciei,
quia, si homo accedit ad sacramentum iam iustificā-
tus, recipit augmentum gratiæ, ratione sacramenti
talis speciei: non priuabitur autem alio fructu, vt re-
sponder rationi genericæ, quia sacramentum per se D
institutum ad dandam primam gratiam, si inueniat
subiectum gratum, non priuatur effectu, sed dat ali-
quod augmentum loco primæ gratiæ: ergo idem
erit de sacramento quolibet secundùm genericam
rationem, si secundùm illam institutum est ad pri-
mam gratiam conferendam. E contrario verò, si ac-
cedens ad sacramentum est in peccato, recipiet pri-
mam gratiam per sacramentum, secundùm generi-
cam rationem eius, & tùc iam erit subiectum dispo-
situm, vt idem sacramentum secundùm rationē spe
cificam aliquod augmentum gratiæ illi tribuat. Hęc
autem omnia absurda sunt, & sine fundamento.

Tertia causa, propter quam potest hæc sententia
improbari est, quia ex nullo effectu sacramentorum
colligi potest hic modus institutionis, seu causalita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis per se primæ gratiæ, vt ex dicendis dubitatione sequenti magis constabit. Dicendum ergo est, non omnia sacramenta esse per se instituta, neque sub ratione specifica, neque sub ratione generica ad primã gratiam conferendam. Quod satis probatum est ex dictis contra præcedentem sententiam.

An omnia sacramẽta possint aliquãdo cõferre primam gratiã.

Sed tũc insurgit dubitatio tertia, an de facto omnia sacramenta possint aliquando conferre primam gratiam. Et ratio dubitandi oritur ex præcedenti dubio. Nam aliqua sunt sacramenta, quæ non sunt instituta ad dandam primam gratiam, vt dictũ est, ergo illa nunquam poterunt conferre huiusmodi gratiam. Patet consequentia, quia sacramenta solùm ab institutione habent quod gratiam conferre possint: ergo seclusa institutione non possunt illam conferre. Atque ita sentiunt omnes, qui negant, Confirmationem, Extremam vnctionem, aut Eucharistiã, facere hominem ex attrito contritum, quos commorabimus tractando de singulis sacramentis.

Nihilominùs contraria sententia, & magis pia est, & probabilior, quam D. Thom. vbique docet, tractando de singulis sacramentis, vt suis locis videbimus, quem & discipuli eius, & multi alij sequuntur, quos ibidem referemus, ne cogamur in multiplicandis, & repetendis allegationibus prolixiores esse. Ratio autem generalis solùm est, quia omnia hæc sacramenta sunt per se instituta ad dandum aliquem gradum gratiæ, ergo, si subiectum non habet dispositionem repugnantem actualiter gratiæ, semper illũ conferent, vel per modum augmenti, si subiectum sit iam gratum, vel per modum primę gratiæ, si subiectum nondùm erat iustificatum. Probatur consequentia, quia, si homo bona fide accedat ad sacramẽtum putans se esse iustificatum, non peccat, & consequenter non ponit actualẽ obicem gratiæ: rursus si cum tali bona fide habet attritionem peccati, est ita dispositus, vt ex parte subiecti non repugnet peccatum expelli, & gratiã infundi, ergo ex parte etiã sacramenti non repugnabit ex defectu virtutis, & institutionis dare gratiam primam. Probatur hæc vltima consequentia, quia non est minoris virtutis, augere gratiam, quàm illam infundere: neque primus gradus gratiæ est excellentior, quàm secũdus, neque actiuitas sacramenti per se requirit ex parte subiecti, misi solam non repugnantiam cum capacitate obedientiali. Et explicatur à simili, nam sacramenta per se instituta ad dandam primam gratiam, quando eam iam infusam inueniunt, augent illam, quanuis non sint per se instituta ad augendum, ergo & è contrario sacramenta per se instituta ad augendam gratiam, quando illam nõ inueniunt infusam, infundent illam, si aliunde obicem non inuenerint, est enim eadem ratio. Ex qua facile est, respondere ad rationem dubitãdi in principio positam, necesse est enim, vt totus hic effectus maner ex Christi institutione, vt argumentum concludit, tamen non est necesse, vt ex tali institutione sit sacramentum per se ordinatum ad hunc effectum, sed solùm ex accidenti, sicut etiam baptismus non fuit ordinatus ex sua institutione ad dandum gratiæ augmentum, sed tãtum ex accidenti. Itaque voluit Christus, vt hæc sacramenta per se & ex intentione non sumantur ad hunc effectum, si tamen contingat, sumi ad propriũ effectum, non tamen in gratia, sed cum dispositione non repugnante, sed sufficiente ad primam gratiam, tunc illam conferent loco illius gradus gratiæ, quem per modum augmenti datura essent, si subiectũ esset antea iustificatum. q. Ex dictis hactenus constat, quid dicendum sit de virtutibus infusis, & donis Spiritus sancti, quæ habitualem gratiã comitari solent, an scilicet hæc per sacramenta intendantur, vel augeantur. Dicendum est enim ex communi omnium sententia, hæc omnia infundi, vel augeri cum gratia ipsa seruata proportione. Itaque, si per sacramentum infunditur prima gratia per se, vel ex accidenti, eisdem modis infunduntur virtutes, & dona, & in eodẽ gradu, in quo infunditur gratia, atque idem est proportionaliter de augmento. Ita sentiunt omnes Theologi, & colligi potest ex discursu Concilij Tridentini, sess. 6. & 7. nam in priori, cap. 7. definit, homines iustificari per susceptionem gratiæ & donorum, quam inferiùs vocat iustitiã, quæ est vnica causa formalis nostræ iustificationis, & huius instrumentalem causam dicit esse baptismum, in sessione verò septima definit, omnia sacramenta cõferre gratiam, intelligit ergo de gratia iustificationis, vt ibidem loquitur can. 4. eamque gratiam, & iustitiam appellat can. 6. ergo sub gratia, quæ est effectus sacramentorum, includuntur virtutes, & dona. Ratio etiam hoc conuincit, quia virtutes, & dona sunt veluti passiones, seu proprietates consequẽtes gratiam, sed qui dat formam, dat consequentia ad formam, præcipuè si sit agens perfectum. Et hæc ratio etiam probat, infundi hæc dona per sacramenta cum proportione debita, quia proprietas, quæ comitatur formam, si debito modo fiat, infundi debet cum perfectione, intensione, vel remissione proportionata formæ, & hoc pertinet ad perfectum statum ipsius gratiæ, & totius supernaturalis iustitiæ.

Trident. sess. 6. & 7.

Can. 4. & 6.

Dices, aliquando potest homo accedere ad sacramentum magis dispositus ad augmentũ fidei, quã caritatis, vel temperantiæ, quàm iustitiæ, & sic de cæteris. Item, quædam sacramenta videntur principaliùs instituta ad perfectionem vnius virtutis, quàm alterius, vt Confirmatio ad robur fidei. Eucharistia ad nutritionem caritatis, Extrema vnctio ad firmitatem spei. Respondetur, dispositionem suscipientis, pensatis omnibus, considerandam esse in ordine ad infusionem, vel augmentum gratiæ habitualis: nam licèt hæc dispositio sit actus alicuius virtutis, & interdùm ex multis, & varijs actibus coalescat, tamen moraliter considerata sufficiens est ad consequendos eos gradus gratiæ per sacramenta, & consequenter sufficit ad eosdem gradus in cæteris virtutibus, & donis, quia hæc dantur concomitanter cum ipsa gratia. Et in hoc eadem est ratio, & proportio sacramentorum omnium, nam licèt per auxilia actualia quædam sacramenta magis iuuent ad actus quarundam virtutum, quàm aliarum, tamen in infusione gratiæ habitualis omnia primario respiciunt gratiã sanctificantem, & consequenter virtutes, & dona, quæ illam comitantur. Vnde, licèt fortasse gratiam habitualem conferant aliqua sacramenta principaliter propter aliquos speciales actus virtutum, tamen hoc ipso, quòd gratiam conferunt, dant etiam consequenter virtutes, & dona cum debita proportione. Quod etiam iuuare potest ad perfectũ vsum cuiuslibet virtutis, quia virtutes omnes connexæ sunt, & se se mutuò iuuare possunt.

Obiectio.

Solutio.

Omnia sacramẽta primario respiciunt gratiam sanctificantem.

SECTIO III.

Vtrùm sacramenta conferant aliquam specialem gratiam præter gratiam virtutum, & donorum, & quid illa sit.

Sacramẽtum suam quodq; gratiã sacramentalẽ efficit.

D. Thom. Bonauent. Richar. Alens.

QVæ hactenùs diximus, communia sunt omnibus sacramentis, sequitur, vt explicemus, quo modo in hoc effectu differant. In qua re Theologi omnes conueniunt, habere singula sacramenta proprias sacramentales gratias, quas efficiũt. Ita docent D. Thom. hic & in quarto, distinct. 1. q. 1. art. 4. quæstiun. 5 & D. Bon. ar. 1. q. 6. Richar. ar. 4. q. 4. & reliqui Theologi, & Alens. 4. p. q. 8. mẽ. 4. artic. 2. §. 1. Et ratio est, quia sacramenta ad distinctos fines ordinãtur: vnde necesse est, vt distinctos habeãt effectus. Deinde quia, si omnia eundem omnino haberent effectum: non differrent formaliter in ratione sacramenti, id est, in significatione, & causalitate gratiæ, sed tantum materialiter in ritu, seu cæremonia ad significandum, & efficiendum imposita. Item hinc fieret, non esse quædam sacramenta magis necessaria ad salutem, quã alia, nec posset reddi ratio, cur quędã possent iterari, & non alia, nec denique, cur essent tot sacramenta multiplicata, si omnia ad eundem gratiæ effectum essent ordinata. Ne esse est igitur, effectus gratiæ, qui per diuersa sacramenta conferuntur, aliquo modo inter se differre.

Obiectio.

Ex quo fit primò, sacramentales gratias diuersorum sacramentorum differre aliquo modo à communi gratia virtutum, & donorum, quia non possent gratiæ sacramentales inter se differre, nisi etiam aliquo modo distinguerentur ab effectu gratiæ, vel aliquid proprium, & speciale adderent. Dicetur fortasse, solum in hoc differre, quòd gratia in communi abstrahit à prima, vel secunda, & à gratia intensa, vel remissa, seu à tali, vel tali gradu gratiæ, sacramẽtales verò gratiæ includunt determinationem, scilicet, quòd sit prima, vel secunda, quòd detur in tanto, vel tali gradu. Sed licèt hæc differentia ex parte vera sit, tamen non est sufficiens, quia ad varios fines, & effectus sacramentorum, non satis est illa diuersitas in gradibus gratiæ: quia hæc tantum est secundum magis & minus intrà eandem rationẽ gratiæ, vnde propter hanc solam causam nõ essent multiplicata sacramenta, nam idem sæpiùs repetitũ posset omnes hos gradus conferre, oportet ergo, vt sit aliqua formalis diuersitas in ipsis donis gratiæ, quæ per sacramenta conferuntur. Et de hac diuersitate inquirimus, quid sit, & in quo consistat.

Refutatio.

In qua re quidam dixerunt, gratiam sacramentalem vniuscuiusque sacramenti addere specialem quẽdam habitum distinctum à gratia sanctificante, quæ est in essentia animæ, & ab omnibus virtutibus infusis, & donis Spiritus sancti, quæ ex natura rei illam comitantur. Ita sentit Palud. in 4. distinct. 1. quæst. 3. Et existimat, esse opinionem D. Thom. quam dicit esse singularem, & contrariam communi opinioni aliorum doctorum. verum tamen est, Palud. nunquam expressè dicere, hanc gratiam sacramentalem esse habitum specialem, multùm tamẽ indicat, quia si de auxilio tantùm loqueretur, non esset cur existimaret, opinionem suam esse singularem, & communi doctrinæ contrariam: ipse tamen nullam rationẽ adducit, quæ probet, hanc gratiam debere esse habitum, sed solùm esse aliquid proprium, & speciale in singulis sacramentis. Hinc verò potest concludi, quòd sit habitus, tum, quia ita datur per sacramenta, vt permaneat & duret, quandiù homo non posuerit obicem: tum etiam, quia aliàs non posset fieri per sacramenta.

Palud.

Dicendum verò est primò, per nullum sacramentum infundi, vel augeri aliquem habitum, qui non infundatur, vel augeatur per alia. Quo fit, vt sacramentalis gratia non addat aliquem habitum vltra gratiam virtutum, & donorum. Nõ agimus de charactere, quia de illo est specialis sermo, quæst. sequenti: & magis annumeratur inter gratias gratis datas, quàm inter dona gratiæ gratum facientis. Et ita assertio posita est D. Thom. hic art. 2. & Alex. Alens. Bonauen. Richar. locis suprà citatis, quam bene exposuit Caieta hic, & Soto distinct. 1. quæst. 3. ar. 2. Et ratione declaratur, quia, vel talis habitus esset in essentia animæ, vel in potentijs. Non primum, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia. & non potest fingi alius finis, vel effectus, qui in essentia animæ fiat, propter quem huiusmodi habitus superaddatur. Neque etiam secundum, quia in potentijs solum infunduntur habitus, qui sunt principia supernaturalium, & honestorum actuum, sed per virtutes infusas Theologales & morales, & Spiritus sancti dona sufficientissimè perficiuntur nostræ potentiæ in huiusmodi actibus: nec excogitari potest aliquis actus huiusmodi, qui ad aliquam virtutem infusam, vel donum Spiritus sancti non pertineat: nec sacramenta ordinantur, vel requirunt alia genera supernaturalium actuũ, vt facilè patebit per singula breuiter discurrendo. Nam Baptismus, & Pœnitentia solùm ordinantur ad infusionem primæ gratiæ, & remissionem peccati, requirunt autem fidem, & pœnitentiam. Confirmatio instituta est, vt det animæ robur ad confitendam fidem, qui actus solùm potest, vel ab ipsa fide, vel à religione, vel à fortitudine, vel à caritate, vel ab omnibus his virtutibus simul proficiscitur: neque ad hunc finem potest sacramẽtum dare aliquem habitum ab his virtutibus distinctum. Similiter Eucharistia ordinatur ad nutriendã caritatem, vnde per se iuuat ad actus deuotionis, caritatis, vel similes. Item Extrema vnctio, præter reliquias peccatorum, quas tollit, confortat hominem ad vincendas tentationes, quæ in articulo mortis occurrunt, quod non fit nisi per actus fidei, spei, pœnitentiæ, & aliarum virtutum. Similiter sacramentũ Ordinis, dat specialem gratiam ad sanctè, ac religiosè exercendas sacras actiones ad cultum Dei spectantes, vnde omnes actus, qui per hanc gratiam fiunt, pertinent ad caritatem, vel religionem, aut alias virtutes. Denique idem videre licet in Matrimonio, actus enim, ad quos tale sacramentum ordinari potest, solùm sunt, vel castitatis, vel fidelitatis, iustitiæ aut caritatis, seu pietatis inter coniuges, ergo nullus fingi potest actus, propter quem specialis habitus infundatur per sacramenta, ergo gratia sacramentalis non addit aliquem habitum præter gratiam virtutum, & donorum.

D. Thom. Alens. Bonauen. Richar. Caiet. Soto.

Gratia sacramentalis aliquod speciale auxilium ad dict. supr. gratiã virtutũ.

Dico secundò, Gratia sacramentalis addit supra gratiam virtutum, & donorum aliquod speciale auxilium gratiæ ordinatum ad proprium finem sacramenti. Quod circà ipsamet gratia communis, quatenus per tale sacramentum datur, & ordinatur ad talem finem, & quatenus sub ea ratione illi respondet, ac debetur ex diuina institutione tale auxilium, potest

test dici gratia sacramentalis. Hæc est mẽs D. Tho. hic, & facilè probatur primò ex dictis, quia nihil aliud relinquitur, quod gratia sacramentalis esse possit, nec potest intelligi, quid aliud addat, si nō addit habitum. Secundò declaratur in singulis sacramentis, nam baptismus differt à reliquis sacramentis, quia per se ordinatur ad delendum originale peccatum, & reliqua, quæ cum illo coniuncta erant: atque adeò ad dandam primam gratiam, simpliciter primam, id est, quæ primò homini infunditur in toto vitæ tempore, & per quā primò sanctificatur: & ideò datur per modum spiritualis regenerationis, quia sicut per generationem datur primum esse rei genitæ, ita per baptismum datur primum esse diuinum, & quia hoc perfectè fit in lege gratiæ, ideò datum etiam est baptismo, vt simul auferat, non solū culpas mortales & veniales, sed etiam omnem pœnę reatū. Atque ita ipsa gratia prima vt regeneratiua, est gratia sacramentalis huius sacramenti: & hoc esset sufficiens, vt distingueretur à reliquis: verisimile autem est, ac piè credi potest, per hoc sacramentum conferri aliqua specialia auxilia, vel ad se conformādum cum Christo, cui in baptismo homo consepelitur, vel ad seruanda diuina mandata: quia baptismus est professio diuinæ legis, vel ad dignè suscipienda alia sacramenta, quia est ianua sacramentorum. Idē suo modo videre est in Pœnitentia, nam hoc sacramentum per se est institutum ad remittenda peccata mortalia post baptismum commissa, & ad dandā primā gratiam, non primam simpliciter in toto tēpore vitæ, sed primam post lapsum & spiritualē mortem: vnde non confertur per modum regenerationis, sed quasi spiritualis resurrectionis, seu curationis & sanitatis animæ, & prima gratia sub hac ratione est sacramentalis respectu huius sacramenti, & cū ea coniuncta est remisio æternæ pœnæ, non tamen plena remissio temporalis pœnæ, sed ea est maior, vel minor, iuxta dispositionem pœnitentis: præter hæc verò credibile est dari aliquod speciale auxiliū ad efficacius detestandum peccata, & satisfaciendū pro commissis. Similiter in Confirmatione gratia sacramentalis addit speciale auxilium ad constanter, ac firmiter confitendam fidem, vnde ipsummet gratiæ augmentum, quod ad hunc finem per hoc sacramentum datur, sub ea ratione, & quatenus habet annexum prædictum Dei auxilium, sacramentalis gratia dicitur. Et ad hunc modū facile erit, in cæteris sacramentis hoc declarare, neq; contra hanc doctrinā D. Tho. sic expositam aliquid difficultatis obijciendum occurrit.

Solùm potest quis dubitare, an gratiæ sacramentales, seu auxilia illa, quæ à nobis explicata sunt, possint extra sacramenta cōferri. Quibusdā enim videtur nunquam aliter dari, quia aliàs sacramentorū institutio esset superflua, si alijs modis possent effectus sacramentorum obtineri, quam per ipsa sacramēta. Alij verò dicunt, non semper esse necessaria sacramenta re ipsa suscepta ad obtinendos huiusmodi effectus, semper tamen conferri in ordine ad illa, seu in voto illorum. Ego verò censeo ex communi, ac præcisa ratione, & institutione sacramenti neutrum horum sequi, atque adeò fieri posse, vt aliquæ gratiæ eiusdem rationis cum sacramentalibus extra sacramentum obtineantur, vel per orationem, & impetrationem, vel per modū meriti. Ratio est, quia, licèt sacramento detur virtus ad aliquem effectum conferendum, non statim constituitur, vt sit mediū necessarium ad talem effectum, seu gratiæ beneficiū obtinendum, potest enim esse causa de se sufficiens & efficax, non tamen necessaria, neque propterea sacramenti institutio est superflua, sed est vtilissima ad obtinendam huiusmodi gratiam, etiam sine speciali impetratione, & merito operantis. Exemplò declarari potest in effectu Confirmationis, nam si quis non Confirmatus, sit in necessitate, vel periculo deserendi fidem, potest, si faciat quod in se est, obtinere à Deo omne auxilium necessarium ad cōfitendā fidem, & tanta caritate, ac fiducia potest orare Deū, vt ab ipso obtineat superabundans auxilium æquale, & fortasse maius, quàm sit illud, quòd per Confirmationem datur. Cur enim hoc negandum est cùm totum hoc cadere possit sub gratiæ meritū, & per iustam, ac honestam petitionem possit debito modo postulari? Neque oportet fingere, quòd hoc fiat cum ordine, vel ex voto Confirmationis: quia nulla est necessitas huius voti, præsertim si verū est, hoc sacramentum non esse sub præcepto impositum. Quocirca in singulis sacramentis considerandum est, an sint media necessaria ad aliquos effectus, & quomodo, vt possit iudiciū ferri, an illi effectus possint extra talia sacramenta conferri: vt. v. g. Baptismus est medium necessarium ad remissionem originalis peccati, & ad characterem baptismalem, tamen non eodem modo, nam ad priorem effectum sufficit, quòd in re vel in voto suscipiatur: tamen ad posteriorem necesse est, vt re ipsa applicetur: ad alia verò auxilia obtinenda est medium vtile, non tamē necessarium. Et ad hunc modum de alijs censendum est, vt propriùs in singulis sacramentis dicemus, & in sequentibus sectionibus aliqua attingemus.

SECTIO IIII.

Vtrùm sacramenta semper conferāt suos effectus gratiæ, & quam dispositionem ad hoc requirant.

IN hac quæstione, sicut in præcedentibus, nō agimus de charactere, sed solùm de gratia sanctificāte, & præcipuè tractatur hæc quæstio de gratia habituali virtutum, & donorum, & de augmento eius: simul tamen aliquid dicemus de gratia sacramētali, seu de auxilijs gratiæ, quæ per sacramēta dātur.

Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter conferūt effectū gratiæ. Tridentin.

Primò igitur statuēda est generalis regula in hac materia, Sacramenta semper atque infallibiliter conferre gratiæ effectum non ponentibus obicē. Quā his verbis tradit Cypian. serm. de Cœna Domini. *Sacramenta quidem, quātum in se est, sine propria esse virtute non possunt.* Et expressiùs eam definit Conciliū Tridentinū, sessione 7. canon. 7. dicens, *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta, semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* Ratio est primò, quia sacramēta nouæ legis sunt signa gratiæ, non prognostica, sed demonstratiua, significāt ergo gratiam, quæ in eorum susceptione confertur, sunt autem sacramenta signa vera, & infallibilia cū sint ab ipso Deo tradita, & imposita: ergo necesse est, vt, quantum est ex parte ipsorum, semper conferant gratiam, vt eorum significatio semper vera sit. Quod inductione manifestè declaratur, nam si hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non semper haberēt

sacramentalem effectum, non possent semper esse vera, & similiter, si sacerdos non haberet virtutem de se certam, & efficacem ad remittenda peccata homini disposito, non posset semper verè dicere, *Ego te absoluo*, & sic de cæteris. Secūdò est ratio à priori, quia omnia sacramenta habent coniunctam promissioné gratiæ à Christo datam, vt est illa, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*, & illa: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Promissio autem Christi est infallibilis, eo modo, quo fit; nam si est absoluta, semper impletur; si autem est cōditionata, necesse est etiam impleri, saltem posita conditione, in præsenti autē non potuit esse omnino absoluta: quia indispositi, atque indigni homines, non sunt pro illo statu capaces diuinæ gratiæ; ergo, necesse est, vt saltem sit conditionata; quia alioqui, nulla esset promissio; non potuit autem conuenientior conditio poni, quàm si in suscipiente nō sit obex, id est, aliquid diuinæ gratiæ repugnans. Tertiò colligi potest hæc veritas ex principio supra posito, quòd sacramēta hæc sunt causa gratiæ, quod habent ex sua institutione. Nam hæc institutio eadem semper immutabilis perseuerat, ergo ex vi illius semper habent sacramenta eandem vim ad gratiam conferendam: ergo, posita institutione, iam sunt veluti causæ naturales, quæ semper operantur, si ex parte subiecti non sit tanta repugnantia, vt sit omnino indispositum ad effectum talis causæ.

Infantes quoad sacramentorū sunt capaces, eorū semper fructum percipiunt.

Ex quo principio sequitur primò, quæstionē hāc nihil difficultatis habere in infantibus, respectu eorum sacramentorum, quorum sunt capaces; quia certum est semper, & infallibiliter habere in eis effectū gratiæ, si sacramenta ritè conficiātur, & applicentur; Vnde sacramentum Baptismi semper & infallibiliter in his habet effectum, tam characteris, quàm gratiæ; quia huiusmodi infantes non possunt ponere obicem, cum non sint capaces actualis culpæ, & ad remissionem originalis nulla in eis requiratur dispositio. Supposito autem Baptismo, si Cōfirmatio, vel aliud simile sacramentum illis tribuatur, etiā habet infallibiliter effectum, propter eandem causam; necesse est autem supponi Baptismum, quia sine charactere baptismali non sunt capaces aliorum sacramentorum, vt posteà dicemus.

Sine charactere baptismali non est capacitas ad reliqua sacramenta.

Secundò sequitur, ex malitia vel indispositione suscipientis fieri posse, vt sacramentum suo effectu priuetur, vt clarè significauit Concil. Trid. addēs illam particulam, *quantum est ex parte Dei*: & in can. 6. cum definit sacramenta conferre gratiam, non ponentibus obicem, quomodo etiam locutum fuerat Conc. Flor. Cuius rei causam egregiè tradidit Cyp. suprà, his verbis. *Non possunt tamen Spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini cō tradicit; ideòque alijs sunt hæc munera odor vitæ in vitam alijs odor mortis in mortem; quia omnino iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem.* Eandem sententiam habet August. Psalm. 141. circa fin. dicens, *Non est malum, quod datur. Sed bonum malo in iudiciū datur: bene enim esse non potest malè accipienti quod bonum est.* Quæ sententia habetur in lib. sentent. Prospe. nu. 69. & propterea dixit idem Aug. lib. 6. de bapt. c. 3. *Neminem debere esse securum de effectu sacramenti, licèt sacramentum susceperit, nisi sit corde dispositus*: quia vt idē August. ait Psal. 77. *Licèt omnibus communia sint sacramenta, nō tamen omnibus cōmunis est gratia*, quod etiā repetit concio. 1. in Psal. 103. Superest verò explicādum, quæ sit indignitas, vel indispositio, quæ impedire potest effectum sacramenti; &, quoniam priuatio per habitum cognoscitur, simul explicandū erit, quæ dispositio sit necessaria in suscipiente ad hunc effectum.

Peccatū mortale, in ipsa sacramenti susceptione commissum, effectū gratiæ tunc impedit.

Secūdò igitur dicendū est, Peccatū mortale actu commissum in ipsa susceptioni sacramenti impedire omnem effectū gratiæ eius, ne scilicet tunc conferatur: an verò possit posteà reuiuiscere, & conferri, inferiùs disputandum est sect. 6. Et hoc sensu conclusio est communis doctorum, & certa; quia peccatum mortale in actu repugnat diuinæ gratię, & ideò, quā diu illud durat, gratia infundi nō potest: ergo, si durat tale peccatū, quandiu sacramentū suscipitur, nō poterit tunc sacramentū gratiam præstare. Atque ita sequitur hęc assertio ex illo principio, quòd sacramēta conferunt gratiam non ponentibus obicē; cuius sensus nō solum est affirmatiuus, prout verba sonāt, ac præseferunt, sed etiam negatiuus, qui virtute in illis verbis continetur, scilicet, quòd sacramēta gratiā non conferunt ponētibus obicē, nullus autē maior obex poni potest, quàm actuale peccatum mortale.

Ad primam gratiam sacramēti semper est necessaria aliqua dispositio actualis. Gabr. Petr. Soto.

Tertiò dicendū est, Vt sacramentū cōferat gratiā primā, necessariā semper esse ex parte suscipiētis aliquā actuale dispositioné, qua se ad gratiā suscipiendā ita præparet, vt illi obicem non ponat. Hæc est certa sententia, de qua videri potest Gabr. in 4. distin. 14. quæst. 1. art. 1. & Pet. Sot. lect. 9. de sacra. in gen. & lect. 7. de confes. Et probatur, quia sacramentū non dat primam gratiam, nisi homini suscipienti illud in peccato, vel originali, vel mortali, quia vt prima gratia dari possit, supponitur in subiecto priuatio eius; priuatio autem gratiæ non est, nisi per peccatum originale, vel mortale; nam peccatum, & gratia immediatè opponuntur secundum ordinariam potentiam, de qua loquimur. Vnde etiam fit, vt non possit sacramentum primam gratiam conferre, nisi expellendo peccatum originale, vel mortale habituale: quia non possunt simul esse gratia, & huiusmodi peccatum; ergo, vt sacramentum possit gratiam primam infundere, necessaria est in subiecto aliqua dispositio actualis sufficiens ad expulsionem peccati; nam ad hoc non sufficit, q. homo cesset à peccato actuali, neque etiam satis est, vt voluntariè suscipiatur sacramentum, sed præterea necessaria est bona aliqua dispositio, tam in intellectu, quàm in voluntate, nam in illo requiritur fides, *Sine qua impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11. vnde etiam de baptismo, qui minimam dispositioné requirere videtur, dixit Christus Matthæi vltimo. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et ideò dixit Philip. Eunucho Actorum 8. *Si credis ex toto corde, licet.* Deinde in voluntate requiritur aliqua detestatio peccati, vel bonus motus in Deum, vnde de baptismo dixit Petr. Actorum 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum.* & de Eucharistia ait Paulus 1. Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Et eadem est ratio de reliquis. Vnde Concil. Trid. sess. 6. describens iustificationē adultorū, quæ fit per baptismū, & sess. 14. tractans de illa, quæ fit per sacramentū Pœnitentiæ, ad vtramq; requirit dispositioné hominis per propriū aliquem actū voluntatis eius, vnde euidēter concluditur, multò magis requiri in omnibus alijs sacramētis, si fortasse per illa interdū datur prima gratia, tū, quia, cùm hic effectus sit proprius ac per se tantū illorū duorū sacramentorū, minorem dispositionem respectu illorū requirere debet, quàm respectu aliorū: tum etiam; quia cætera sacramenta nunquā pos-

Hebr. 11. Matth. vlt. Actor. 8. Actor. 2. 1. ad Corinth. 11. Trid. sess. 6. Sess. 14.

Universidad de Deusto Biblioteca

sunt remittere peccatũ mortale, nisi in voto sacramenti Pœnitentiæ, quod votum non est sine aliqua detestatione prioris peccati, & proposito emendæ. Ratio denique à priori est, quia homo peccãdo, volũtariè auertitur à Deo, & ad creaturam conuertitur; & ideo quacunq; via, aut ratione iustificandus sit, siue extra sacramentum, siue per illud, meritò ab illo exigitur vt necessaria dispositio, quòd voluntariè peccatũ deserat, & ad Deum aliquomodo conuertatur; quod non fit, nisi per aliquem actũ. Quæ ratio sufficiens est respectu primæ gratiæ, quando infunditur ad delendũ peccatum mortale: si verò cõtingeret infundi homini adulto ad delendum solùm originale peccatũ, prædicta ratio non procederet; quia originale peccatum non est propria voluntate commissum; tamen hic casus moraliter nunquã accidit; quia non contingit hominẽ post vsum rationis multo tẽpore esse in peccato originali, quin aliquando in mortale peccatũ labatur. Verumtamen in eo casu dicendum est, quamuis in illo homine nõ requiratur dispositio, qua formaliter detestetur peccatum, propter rationẽ factã, requiri tamen aliquã conuersionẽ in Deũ, qua voluntariè iustificationẽ, & diuinam amicitiam amplectatur. In paruulis enim, qui propria voluntate vti non possunt, hæc dispositio non requiritur, sed sicut aliena voluntate peccarunt, ita per Christi volũtatem in baptismo applicatam, iustificantur; adulti verò, quia iam habent dominium propriæ voluntatis, debent aliquomodo voluntariè concurrere, seu consentire suæ iustificationi, vt latiùs infra dicemus agentes de baptismo.

Quæ dispositio requiratur ad effectum sacramenti.

Occurrebat autem hoc loco disputandum, quænã sit hæc dispositio, quam sacramenta requirunt ad gratiam conferẽdam. Sed de hac re dicetur commodiùs in singulis sacramẽtis, nũc in genere sufficiat dicere id, quod ex dictis in secunda sectione facilè colligitur, ad hũc effectum nõ esse necessariã cõtritionem præuiam: quia, si hæc antecedit, statim dabitur prima gratia, atque ita nõ dabitur per sacramentũ, sed augebitur: sufficiet ergo attritio, diuerso tamen modo; nã in duobus sacramentis, quæ dicũtur mortuorũ, quoniam per se instituta sunt ad tollendũ peccatũ, & dãdam primam gratiam, per se etiã sufficit hæc dispositio tam ad effectũ sacramenti, quàm ad dignã sumptionẽ eius, in alijs autẽ quinque sacramentis viuorum, quoniam per se non sunt instituta ad delendum peccatum mortale, per se etiã non sufficit illa dispositio ad dignam sumptionem, sed requiritur status gratiæ; tamen ex accidenti, si quis inculpabiliter existimet, se esse in statu gratiæ, cum nõ sit, sufficiet illa dispositio ad prædictũ gratiæ effectũ: quia ratione prædictæ ignorantiæ, ac bonæ fidei, non ponitur obex, & alioqui per attritionẽ auertitur voluntas à peccato, sufficienti modo vt per sacramentum iustificari possit, vt prædicta sect. 2. dictum est.

Obiectio.

Dices, hinc videtur sequi, neque hãc dispositionem requiri, si aliàs homo per ignorãtiã excusetur ab actuali culpa: quia vel habituale peccatũ est sufficiens obex, vel non. Si primum, ergo, qui est tantùm attritus, cùm adhuc in se habeat habituale peccatum, ponit obicẽ sacramento, & sic non iustificabitur. Si secũdum, ergo qui bona fide accedit cũ habituali peccato, sine alia dispositione, non ponit obicẽ sacramento: ergo iustificabitur, nam sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicẽ. Propter quã rationem visus est ita sentire Scot. in 4. dist. 14. q. 4. ar. 3. Sed reuera non ita sentit, vt latiùs dicemus agentes de sacramento Pœni- A tentiæ, & de sacramento Baptismi, de quo nonnulli alij idem sensisse videntur, quorũ sententia falsa est, vt ibi dicam.

Scot.

Solutio.

Respondetur ergo ad argumentum, nõ solùm actuale mortale peccatum esse obicem ad effectum sacramenti, sed etiam habituale nullo modo detestatum seu retractatum saltem per attritionem; quia, quandiù retractatum non est, moraliter censetur voluntariè permanere, & ideò est obex ad diuinam gratiam suscipiendam.

Dico quartò, Vt sacramenta cõferant augmẽtum gratiæ, solùm requirunt habitualem gratiæ dispositionem, id est, quòd in statu gratiæ recipiantur. Hæc est sententia D. Thom. Scoti & aliorum, quos statim referam. Et quidem pars affirmatiua huius conclusionis non indiget probatione; quia gratiæ augmentum supponit gratiam primam. Probatur ergo altera pars negatiua, scilicet aliam dispositionem non requiri, quia sacramenta conferunt gratiam non ponen- B tibus obicem, sed qui recipit sacramentum in statu gratiæ non ponit obicem augmento gratiæ; quia ad hoc augmentum ex opere operato efficiendũ, neq; est necessaria aliqua actualis bona dispositio, neque etiam impediri sufficienter potest per prauam dispositionem actualem, quæ peccatum mortale non sit, quia gratia, & augmentum eius, non habent formalem repugnantiam cum quolibet actu, qui nõ sit peccatum mortale.

Actua[...] cat[...] le non [...] augm[...] tiæ.

Atque hinc sequitur primò, actuale peccatum veniale non esse obicem ad hunc effectum sacramenti suscipiendum, quod de Eucharistia docuit D. Thom. infrà quæst. 79. art. 8. Vnde à fortiori idem diceret de cæteris sacramentis, quæ minus digna sunt, & de baptismo idem affirmat Scot. in 4. dist. 4. q. 7. & idẽ sentiunt frequentiùs Theologi, vt in particulari de singulis sacramentis dicemus; & fauent Aug. & alij C Patres suprà citati, qui solùm mortale peccatũ dicũt obstare sacramento, ne effectum gratiæ cõferat. Ratio verò est suprà tacta, quia veniale peccatum nõ habet formalem repugnantiã cũ augmento gratiæ, nec reddit sumptionem sacramenti ita indignam, vt ea de causa habeat mortalem malitiam. Quæ ratio etiã probat, peccatum veniale non esse obicem respectu infusionis primæ gratiæ: quod verum est, nõ solùm in iustificatione per sacramentũ, sed etiã extra sacramentũ; nam potest quis habere contritionem mortalis peccati, & cõcomitanter admittere aliquod veniale peccatũ, quod nõ obstabit, quominùs statim iustificetur. Cõtra hæc verò doctrinã opinatus est Caiet. infrà quæst. 79. art. 1. vbi specialiter de Eucharistia dicit, nõ solùm propter veniale peccatũ, sed etiã propter actualẽ distractionẽ impediri, ne augmẽtũ gra- D tiæ conferat. Quod ad cætera sacramenta ampliauit Pet. Soto lect. 9 de sacra. in gene. & lect. 8. de cõfes. Et fundari potest hæc opinio, quia videtur absurdũ, quod homo, dum actu peccat, & offendit Deũ, fiat sanctior, ac Deo gratior. Sed nihilominùs doctrina tradita apud me ferè certa est, quia contraria nulla ratione, aut autoritate nititur, & est nimis rigida, ac præter humanam fragilitatem; cùm autem hoc pendeat ex Christi voluntate, & institutione, piè potiùs credendum est, sese in hoc humanæ fragilitati accõmodasse. Præsertim, quia gratia habitualis in homine manens tãtæ est dignitatis apud Deũ, vt vincere possit, ac superare leues omnes defectus, ac negligentias, & ideò ipsa sola est sufficiens dispositio ad hunc sacramẽti effectũ. Deniq; ratio suprà facta, & in principijs fidei fundata, à prædictis autoribus non soluitur:

D. Thom. Scot. Pet. Soto.

tur: est autem valde efficax, satisque ostendit, hanc fuisse Christi institutionem. Neque est incõueniẽs, diuersis titulis, seu actibus esse simul augmentũ in diuina amicitia cũ aliqua leui offensione Dei, quia hæc, vt dixi, non sunt formaliter repugnantia, & in merito ex opere operantis potest interdum accidere per duos actus concomitantes, quorum vnus non sit circunstantia alterius, vt notauit Scot. in 4. dist. 4. q. 7. & in 1. 2. latiùs tractatur.

Obiectio.

Dicunt verò aliqui, quanuis peccatum veniale nõ impediat, quominus gratia in esse gratiæ augeatur per sacramentum propter rationem factam, impedire tamen, ne augeatur in esse qualitatis.

Responsio.

Sed hæc distinctio in proposito nõ bene accommodatur; quia qualitas illa, quæ est gratia, ex intrinseca sua natura facit gratum & proportionatum gloriæ; vnde esse gratiæ, & esse illius qualitatis idem sunt, nisi fortè esse gratiæ dicatur extrinseca acceptatio ad gloriã. Sed sub hac etiam ratione nunquam gratia augetur in esse gratiæ, quin augeatur in esse qualitatis, quia secundum legem ordinariam nunquam homo acceptatur ad maiorem gloriam, quin intrinsecè fiat proportionatus illi per maiorem gratiam: ac denique, licèt aliquando hoc fieret, vt quidam dicunt de merito per actus remissos, tamen in effectu sacramenti nulla est probabilis ratio adhoc asserendum; quia sacramentum, cùm agat vt instrumentum Christi, virtutem habet ad totum suum effectum præstandũ, si subiectum non ponat obicem, neque aliam dispositionem positiuam requirit, quam quòd subiectum sit gratum, vt ostensum est. Nam, si alia esset necessaria ad augmentum gratiæ inesse qualitatis, eadem ratione diceretur necessaria ad augmẽtum in esse gratiæ, quandoquidem illa non tam esset dispositio physica, quàm moralis: aut dicendum est, sacramentum nunquam augere habitum in esse qualitatis, nisi homo disponatur per intensiorem actum, quod omnino falsum est & improbabile.

Quæ dispositio requiratur ad sacramentalem gratiam formaliter sumptam.

Secundò colligitur ex dictis, quæ sit necessaria dispositio, vt sacramentũ conferat propriã sacramentalẽ gratiam, prout addit diuinã aliquã motionem, seu auxiliũ, in primis enim necessariũ est, vt homo eo tẽpore, quo recepturus est huiusmodi auxiliũ ratione sacramenti, sit in statu gratię. Tũ, quia hic effectus sacramentalis nõ datur, nisi vt coniũctus, & fundatus in gratia sanctificãte, vt diximus: tũ etiã, quia qui est in peccato, indignus est his supernaturalibus donis; & ideò, quandiu est in illo statu, non sunt illi debita ratione sacramenti; quamquã possit Deus illa liberaliter cõferre: Deus enim, qui sapiẽter, & suauiter omnia disponit, noluit, vt huiusmodi auxilia debita essent homini in peccato mortali existenti. Est autem sermo de auxilijs, quæ ad sanctificationẽ propriam suscipientis ordinatur, nam alij speciales Dei concursus, qui pertinent ad bonum aliorũ, seu Ecclesiæ vtilitatẽ, aut vsum alicuius spiritualis potestatis, vt ad cõsecrandũ, absoluendũ, vel similis, hæc (inquã) auxilia non pendent ex gratia sanctificãte, sed sunt admodũ gratiæ gratis datæ, quæ propter aliorũ cõmodum, interdùm bonis, interdùm malis tribuitur, vt latiùs infra dicetur quæst. 64. Deinde necessariũ est, vt homo non habeat actualem dispositionem repugnantem huiusmodi auxilijs seu motionibus diuinis, hæc enim, non solùm per mortale peccatũ, sed etiam per veniale, & per voluntariam distractionẽ, seu attentionem ad res alias impedire possunt, vt per se constat, & latiùs in singulis sacramentis dicemus.

A

SECTIO V.

Vtrùm omnia sacramenta cõferant æqualem gratiam.

Quæstionis explicatio.

POtest cõparatio fieri, vel inter sacramenta specie diuersa, vt inter Baptismũ, & Confirmationem, & sic de reliquis septem sacramentis; vel inter sacramenta solo numero diuersa, vt sunt duo baptismata. Prior comparatio non pertinet ad hunc locum, sed infrà q. 65. facienda est. Circa posteriorẽ verò duo possunt esse dicendi modi extremè contrarij.

Prima sententia.

Primus est, sacramẽta posse habere in eodem, vel diuersis subiectis, inæqualem effectũ, etiam si ex parte suscipientium eadem sit dispositio, & æqualitas in omnibus. Ita sentit Palud. dist. 4. quæst. 1. vbi agens de baptismo dicit, paruulos, qui cum solo baptis- B mo morituri sunt, recipere inæqualem gratiam, quia sunt ad inæqualem gloriam prædestinati. Hoc autem colligit supponendo, homines futuros esse æquales, in multitudine angelis beatis; vnde infert futuros etiam esse pares in gloria, vt latera (inquit) ciuitatis sint æqualia; angeli autem inter se nõ sunt æquales, in gloria, ergo, vt homines sint æquales illis, necesse est, vt inter se non sint æquales. Sed hoc fundamentum valde est infirmũ, nam omnia ferè quæ assumit nituntur leui ac voluntaria cõiectura, sine firmo fundamento. Nec solidius est, quod alij dicunt, homines prædestinari, vt in gloria accipiant sedes, quas angeli mali amiserunt: angeli autem omnes sunt in gloria inæquales, sicut & in natura, quia acceperũt gratiam iuxta naturæ proportionem, & ideo omnes homines fore inæquales in gloria. Scotus etiam eadem dist. 4. quæst. 8. & Gabr. q. 2. concl. 7. licèt absolutè hoc nõ C affirment, dicunt tamen, rem esse dubiam, an scilicet sacramentum conferat vni maiorem gratiam, quàm alteri, vel propter solam Dei voluntatem, scilicet, quia prædestinauit vnum ad maiorem gloriam, quã alium, vel propter merita parentum, aut ministrorũ, qui impetrant homini maiorem sacramenti effectũ, cæteris paribus. Et hoc posterius secutus etiam est Caiet. infrà quæst. 64. ar. 1. qui cum Scoto adnotat, illum gratiæ gradum, qui additur ex merito, vel impetratione ministri, non esse propriè effectum sacramẽti ex opere operato, sed concomitanter dari cum effectu sacramenti, atq; ita saluat formaliter nõ augeri effectum sacramenti. Fundamẽtum huius sententiæ quoad priorem partem solùm esse potest, quia diuina virtus, ac voluntas non est alligata sacramen- D to, ergo quanuis Deus solùm promiserit aliquem certũ gradum gratię, potest voluntate sua dare maiorem, vt prædestinatio consummetur, iuxta illud Matth. 20. *An non licet mihi, quod volo facere.* Ex qua ratione colligitur, effectũ sacramẽti ex parte vnius termini semper esse æqualem, existente æquali dispositione subiecti, quia scilicet semper dabitur tãta gratia, quanta promissa est, & non minor; quia diuina promissio habet infallibilem effectum, ex parte autẽ alterius termini poterit esse inæqualitas: quia potest Deus dare vltra id, quod promisit. Altera verò pars in eo fundari potest, quòd vnus homo iustus potest alteri impetrare, seu mereri gratiã de cõgruo, ergo potest etiã impetrare, vt augeatur effectus sacramenti.

Palad.

Secunda sententia.

Secunda sententia est, sacramenta eiusdem rationis semper habere æqualem effectum gratiæ, quomodocunque homo sit dispositus, dummodo nõ ponat obicem. Ita baptismus ex opere operato eandem

gratiam confert homini attrito, & contrito, seu homini attrito, vt duo, vel vt quatuor. Et ratio est, quia sacramentum, vt det suum gratiæ effectum, solùm requirit, vt suscipiens non ponat obicem, ergo sacramentum operatur, quantum potest in homine non ponente obicem; ergo non magis operabitur in homine magis disposito, quàm in alio: quia, si operatur quantum potest in eo, qui minimam dispositionē habet, nihil ei superest, quod in alio operetur; & ratio est, quia in non ponendo obicem omnes sunt æquales, & dispositio per se non est necessaria ad effectum sacramenti, sed solùm, vt non ponatur obex. Quòd si obijcias, quia videtur magnum incommodum, quòd recipiens sacramētum, verbi gratia, Baptismū, cum meliori actu attritionis vel cōtritionis, nō recipiat maiorem gratiam, Responderi potest, recipere quidem maiorem gratiam, non tamen ex opere operato, sed ex merito operantis: in illo enim instanti meritum operantis coniungitur, cum effectu ex opere operato, & ex vtroque maior effectus resultat, ille verò excessus non est effectus sacramenti, sed concomitanter est simul cum illo: sicut Caiet. dicebat de effectu, qui augetur per impetrationem, vel meritum ministri.

Obiectio.

Solutio.

Cum æquali dispositione æqualis est effectus sacramenti.

Dico tamen primò sacramentum semper habere æqualem effectū in subiecto æquè disposito. Ita sentiunt communiter Theologi, quamuis enim non loquantur in genere de sacramento, sed in particulari de aliquo, & maximè de baptismo, fundantur tamē in ratione generali, & communi omnibus, vt videre licet in D. Tho. infra. q. 69. art. 8. Alex. Alen. 4. par. q. 21. memb. 3. Richar. dist. 4. art. 3. q. 3. Bonauent. q. vlt. Maior. q. 3. Soto dist. 6. q. 1. art. 6. & fauet Damascen. lib. 4. de fide cap. 10. Cyprian. Aug. & Chrysost. locis infra citandis. Ratio verò est, quia vnumquodque sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione; ergo ex parte Dei hic effectus semper est æqualis: ergo, si ex parte suscipiētis sit etiam æqualitas, effectus simpliciter & absolutè erit æqualis. Primum antecedens constat ex supra dictis, & ex Concil. Trident. sess. 7. can. 7. definiente, sacramentum conferre gratiam ex certa & statuta lege, nam eadem est ratio de gratia, & de tanta gratia per illam legem definita. Item, quia sicut significatio sacramentorum debuit esse determinata, ita & efficientia, quantum est ex parte sacramenti. Præterea, quia ad conuenientem modum prouidentiæ spectat, vt singulæ causæ habeāt certos effectus. Denique, quia aliàs eadem ratione dici posset, nullum sacramentum comparatum ad aliud specie distinctum, habere determinatum effectum: sed nunc dare hunc effectum, posteà alium pro Dei arbitrio: quod est manifestè contra debitam institutionem sacramentorū, & contra doctrinam Concilij Trident. sess. 7. & Florent. in decreto Eugenij. Prima verò consequentia primò ex dictis est manifesta, quia rationes factæ nō solùm probant, debuisse effectum sacramenti esse determinatum, quoad minimum, sed etiam quoad maximum effectum producendum in tali subiecto sic disposito: nec est maior ratio de vno termino, quam de alio. Quapropter, si fingamus, Deū suo arbitrio interdū augere huiusmodi effectum existente æquali dispositione ex parte suscipientis, ille excessus non potest dici effectus sacramenti, sed esse donū quoddam merè gratis à Deo collatum concomitanter cum effectu sacramēti, sicut Caiet. dicebat de impetratione seu merito ministrorū. Atque hinc probata relin-

D. Thom. Alcas. Rich. Bonauen. Soto. Damasc. Cyprian. August. Chrysost. Trident.

Floren.

A quitur secunda cōsequentia, quia si ex parte passi est æqualitas, & etiā ex parte agētis, scilicet sacramēti, nō est vnde effectus sit inæqualis; nā circunstātiæ tēporis, loci, aut aliæ eiusmodi, nihil conferre possunt, vt effectus sacramēti sit maior, vel minor; quia effectus sacramentorum, nec pendent ex tēpore, nec ex propinquitate, aut distantia loci, dūmodò sacramentum reuera fiat, & suscipiatur. Et confirmatur tota hæc ratio ex Cyprian. epist. 59. vbi agens de sacramento Baptismi dicit, habere apud omnes homines vnā diuini muneris æqualitatem, sed *Illic* (inquit) *æqualitas diuina, & spiritalis exprimitur, quòd pares, atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt; & possit ætas nostra in incrementis corporum secundum sæculum, non secundum Deum habere discrimen, neq; gratia ipsa, quæ baptizatis datur, pro ætate accipientiū, vel minor vel maior tribuitur, cum Spiritus sanctus, nō de mensura sed de pietate ac indulgentia paterna, æqualis omnibus* B *præbeatur; nam Deus, vt personam non accipit, sic nec ætatem: cùm se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionē æqualitate librata præbeat patrem.* Et candē doctrinā indicat Chrysost. hom. 24. in Acta, tractans illa verba. c. 10. *Dans illis par donum, sicut & nobis.* Posset tamē aliquis hæc loca explicare, de æqualitate doni quoad substātiā, non verò quoad intensionem, quia reuera prædicti sancti de hoc præcipuè loquūtur, tamen si doctrina eorū, & ratio attēdatur, æquè de vtraq; æqualitate procedit, vt magis explicuit idē Cypr. lib. 4. epist. 7. aliàs epist. 76. circa finē dicēs. *An cōsecuti sunt quidē gratiā dominicā, sed breuiori, & minori mensura muneris diuini, ac spiritus sancti, vt habeantur quidē Christiani, non sint tamen cæteris adæquandi? quinimò Spiritus sanctus nō de mensura datur, sed super credentē totus infunditur; nā si dies omnibus æqualis nascitur, & si sol super omnes pari, &* C *æquali luce diffunditur, quantò magis Christus Sol, & dies verus, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate elargitur?* Quòd latiùs posteà persequitur.

Cyprian.

Chrysost. Act. c.

Dico secundò, secundū legē ordinariā, & et seclusis miraculis, nec concomitanter augeri effectum sacramenti ex sola Dei volūtate, & prædestinatione, neq; ex solo merito, vel impetratione ministrorū vel aliorū, si suscipiētis dispositio semper sit eadē. Probatur prior pars, quia licèt ex diuina prædestinatione, & electione oriatur, vt vnus maiorē gratiā recipiat, quā alius, tamen hoc nō fit regulariter, nisi per media cōsentanea, & ad hūc effectū accōmodata: quia hoc pertinet ad suauē Dei prouidentiā, & perfectā prædestinandi rationē. Vnde, si duo sint prædestinati ad inæqualem gloriam non inde fit recepturos esse inæqualē gratiā per baptismū in infantia receptū, si in ea ætate sint morituri; sed potiùs fit, ita Deū illis esse D prouisurū, vt alter nō decedat, donec illi applicetur mediū, quo maiorē gratiam cōsequatur. Et cōfirmatur, quia aliàs eadem ratione dici posset, interdū saluari infantes sine sacramēto Baptismi, solū, quia prædestinati sunt, & ex Dei voluntate datur illis gratia, & remissio peccati sine medio ad hūc effectū instituto. Itē, eadē ratione dicere posset aliquis, eūdē actū, cæteris omnibus paribus, esse in vno magis meritoriū, quā in alio, solū, quia prædestinatus est ad maiorē gloriā, quā per solū illum actū est cōsecuturus. Deniq; hoc sensu dicunt sancti citati, Deum, quod in se est, æqualiter se præbere omnibus per sacramenta. Et ita hanc priorē partem cōfirmant omnia adducta in præcedenti assertione. Posterior verò pars sumitur ex Aug. lib. 4. de baptis. ca. 10. & tract. 5. super Ioā. & Ambros. lib. de mysterijs cap. 5. Cyp. serm. de baptismo

Effectus ... crementum lege ordinaria non ... tur, eadem dispositione existente.

August. Ambros.

Christi, vbi hoc eleganter docet; & Nazian. oratio. 40. in sanctum Baptisma, satis post medium, vbi comparat ministrum bonum, vel malum, sigillo ferreo, vel aureo, quod eundem confert effectū, Chrysost. homil. de reditu suo ex Asia. vbi sic loquitur. *Multi me absente baptizati sunt, & quid inde? nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei, absente me baptizati sunt, sed præsente Christo sunt baptizati,* Ratio verò est, quia effectus sacramenti non datur ob meritum ministri, sed solius Christi, propter quod ait Paul. 1. ad Cor. 1. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* vbi hoc D. Tho. notat. Dices, hac ratione solùm probari, proprium effectū sacramēti formaliter, ac propriè loquēdo nō augeri per orationem, aut meritum ministri; non verò probari, quòd nullus gradus gratiæ possit adiungi effectui sacramenti propter orationem ministri. Vnde D. Tho. infrà q. 64. art. 1. ad 2. sic inquit. *Effectus sacramenti nō datur melior per meliorem ministrum, aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per deuotionem ministri,* & q. 82. art. 6. eodem sensu dicit, quòd missa melioris sacerdotis magis est fructuosa ex deuotione sacerdotis orantis. Sed, licèt verum sit, ministrum sacramenti posse mereri de congruo, & impetrare aliquid vltra effectum sacramenti, non tamen potest immediatè mereri gratiam sanctificantem, vel aliquem eius gradum absq; proprio actu, vel merito suscipiētis; in hoc enim merito, vel impetratione non est maior ratio, vel efficacia in ministro sacramenti, quàm sit in quolibet alio homine æquè iusto pro alio orante, ac bene operante, cæteris paribus, quia minister in hac oratione tantùm se gerit vt persona priuata, solùmq; cōcomitanter adiungit orationem suam ministerio sacramenti, neq; habet aliquam specialem promissionem, aut valorē in suo opere, vel oratione, sed nullus hominum præter Christū potest alteri mereri, vel impetrare et gratiam sanctificantem sine actu, vel dispositione eius aliàs possem ego mereri, vel impetrare, vt alicui remitteretur peccatum sine contritione, quod est apertè falsum; nam licèt possimus mereri alteri de congruo primam gratiam, merēdo illi bonum motum, quo se ad illam disponat, vel merendo etiam applicationem sacramenti, si opus sit, mereri autem alicui gratiam dandam sine sufficiēti dispositione, & sine sacramento, est præter legem Dei ordinariā; & ideò sine speciali miraculo impetrari nō potest; aliàs possemus etiam à Deo mereri, vt paruulus sine baptismo saluetur, vel vt paruulus iam baptizatus crescat in gratiam, antequā possit habere actum, quid enim refert impetrare hoc augmentum concomitāter eo tempore, quo datur baptismus, vel posteà? aut si semel hoc augmentum impetrari potest, cur non iterum atque iterum? at verò magnum absurdum esset hæc omnia admittere secundùm ordinariam legem: alioquin fieri posset, vt paruulus, vel adultus dormiens, aut nihil de salute sua cogitans vnico momento abundantissimā gratiam consequatur si multi iusti pro illo orant, & vnusquisque aliquem gratiæ gradum illi impetrat: deberemus etiam omnes pro paruulis sic orare, vt in gratia crescant, etiam dum incapaces sunt propriorum actuum, hoc autem est planè falsum, & inauditum in Ecclesia: signum ergo est, non esse possibilem huiusmodi modum meriti secundùm legem ordinariam, aut sine speciali miraculo. Cuius ratio propria est, quia essentiale præmium meritorum est gloria, quæ gratiæ respondet, & ideò

D. Thom.

A non augetur gratia, nisi per propria merita, vel per merita Christi sufficienter applicata per sacramentum, vnde cū aliquis pro alio orat, aut ei de cōgruo meretur, per illammet orationem, vel meritoriam operationem, sibi ipsi meretur de condigno præmiū gratiæ & gloriæ proportionatum, & adæquatū; & ideò non potest mereri alteri immediatè tale præmiū: aliquod autem auxilium, vel bonum motum, quo alter se præparet ad gratiam suscipiendā, mereri potest: quia hoc est quasi accidentarium præmiū respectu merentis, respectu autem alterius, est principium, quo se disponat ad gratiam, vel augmētum eius obtinendum. Et ideò huiusmodi meritum solū habet locum respectu adultorum, qui sunt capaces diuinarum motionum. Vnde fit tandem, vt oratio ministri possit prodesse suscipienti sacramentum, si adultus sit, vt à Deo moueatur, quo meliùs se dispo B nat ad suscipiendum sacramenti effectum, non tamen, vt immediatè, ac sine meliori dispositione, abūdantiorem gratiam recipiat.

Dico tertiò. Sacramentum eiusdem rationis confert maiorem effectum gratiæ homini meliùs disposito. Hæc est cōmunis sententia Theologorū, quos retuli, tenet etiam Ledesm. 1. par. 4. q. 22. ar. 4. dub. 2. & eam indicat Damasc. lib. 4. cap. 10. dum inquit. *Quamuis peccatorum remissio omnibus æquè per baptismū detur, Spiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur.* Idē colligitur ex Concil. Triden. sess. 6. ca. 7. dicente. *Nos iustificari, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundū propriam vniuscuiusq; dispositionem, & cooperationem.* Et loquitur eo loco de iustificatione, C quæ fit per baptismum. Ratio à priori huius conclusionis petēda est ex Christi institutiōe; potuit enim ita instituere, & promittere gratiam vnicuiq; sacramento, vt voluerit, illam non esse absolutè æqualem in omnibus, sed proportionalem, & accommodatam vniuscuiusque dispositioni. Quòd verò ita fuerit facta institutio, solùm potest congruentijs declarari. Primò, quia ad suauem Dei prouidentiam, & sapientiam, ac iustissimam distributionem pertinet, vt meliùs disposito maior gratia conferatur. Secundò fuit hoc expediens, vt homines excitarentur ad recipienda sacramenta cum maiori deuotione, & reuerentia, saltem propter spē maioris fructus. Tertiò, quia causæ naturales meliùs operantur circa passum meliùs dispositum; decuit ergo, vt causæ gratuitæ (vt sic dicam) eandem proportionem obseruent. Nec adhæc D omnia satis est, vt homo ipse per meliorem dispositionē aliquid ampliùs mereatur, vel obtineat; quia hoc totum est ex opere operantis. Vnde nō sufficit ad propriam causalitatem sacramentorum, quæ est ex opere operato. Et confirmatur, quia si duo accedant ad sacramentum cum sola attritione, in gradu tamen & perfectione inæquali, vel recipiunt æqualem gratiam, & ita non iustificabuntur iuxta vniuscuiusque dispositionem, quod est contra Conciliū; vel vnus recipit maiorem gratiam, quàm alius, & ita necesse est sacramentū ex opere operato habere maiorem effectum in vno, quàm in alio, quia attritioni secundùm se nullus gradus gratiæ respōdet. Sed ad hoc respondere potest aliquis, duplicem gratiā esse ibi considerandam, alteram per modū gratiæ primæ, quæ datur ex opere operato virtute solius sacramenti, & hanc esse æqualem in vtroq; homine, quia vt argumentum probat, nihil huius gratiæ respon-

Trident.

Vt meliùs disposito maior gratia tribueretur, ō portuit.

Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

det attritioni secũdùm se. Altera verò gratia potest ibi considerari per modum augmenti, quatenus attritio, iam informata gratia, fit meritoria corã Deo: videtur enim esse meritoria alicuius augmenti gratiæ, cùm prior gratia nullo modo ratione illius data sit, sed solùm retione sacramenti. Sed hæc responsio supponit quiddã, vel falsum, vel valde incertũ, scilicet, per attritionem informatam gratia sacramentali mereri hominem augmentum gratiæ in eodem instanti conferendũ. Nam, cùm ipsa sacramentalis gratia simul detur ratione attritionis in genere causæ dispositiuæ, sine causa dicitur, habere eandem attritionem causalitatem meritoriam circa nouum gradum gratiæ aliàs eadem contritio, quæ vt antecedit primam gratiam, est dispositio ad illam, vt informata per illam, esset meritoria noui augmenti, quod est falsum, & contra omnes, vt cõstat ex materia de gratia. Vnde confirmatur, quia homo contritus, etiam si simul sacramentum suscipiat, non meretur augmẽtum gratiæ: ergo multò minùs illud merebitur homo attritus. Ac tandem, quia per illam attritionem meretur primam gloriam, quantum potest, & illud est cõdignum præmium. Deinde, quidquid de hoc sit, non satisfit argumento, quia formaliter loquendo de gratia prima, qua sanctificatur homo, & trãsfertur de morte ad vitã, illa non daretur secundùm propriam vniuscuiusque dispositionẽ, si æqualis esset, at hoc repugnat doctrinæ Concilij Trid.

Attritio, quæ est dispositiua ad primam gratiã falsò singitur esse meritoria noui augmenti.

Quæ sit dispositio, qua crescit sacramentalis effectus.

Sed quæres, quæ nam sit hæc melior dispositio hominis suscipientis sacramentum, ratione cuius crescit sacramentalis effectus, fieri enim potest, vt vnus excedat alterum in habituali gratia, & sanctitate, non tamen in actuali deuotione & reuerentia; in ipsa etiam actuali dispositione potest esse diuersitas, vel in specie actus, vt si vnus sit attritus, & alter contritus, &c. vel in intẽsione, vt si vnus accedat cũ affectu charitatis intenso, alius cum remisso, vel in multitudine actuum, vt si vnus accedat cum vno actu, alius cum duobus, alius cum pluribus: vel in actuali, vel virtuali præsentia, vt si quis in eodem momento, in quo recipit effectum sacramenti, sit in actuali dispositione, alius verò, licèt proximo antecedenti tempore multis actibus se disposuerit, in ipsa tamen actuali susceptione sacramẽti non habeat huiusmodi actum physicè præsentem; nam tota hæc dispositio censetur actualis, quia per proprium actum facta est, & moraliter manet, licèt physicè non duret. In hac igitur tanta dispositionum varietate, & quacunque alia, quæ facilè excogitari potest, dicendum videtur, ad effectum sacramenti maximè conferre actualem dispositionem; quia in ea maximum locum habent congruentiæ adductæ, ob quas sacramentum ita est institutum, vt maiorem cõferat gratiam meliùs dispositio: nam, moraliter loquendo, illa est propriè dispositio: nam in ea aliquid homo de suo confert cum diuina gratia, vt digniùs sacramentum recipiat; habitualis autem gratia potiùs pertinet ad quandam personæ dignitatem, & ad excludendum impedimentum peccati. Deinde addendũ, hanc dispositionem moraliter esse considerandam; nam illa, quæ pensatis omnibus circunstantijs, melior est & laudabilior, & magis proportionata ad effectum sacramenti, conducet ad augmentum eius, & hoc modo, inter alias circunstantias poterit etiã iuuare maior gratiæ dignitas, quatenus aliquo modo redundat in actum, & facit illum esse maioris valoris, ac dignitatis moralis.

A DISPVTATIO VIII.

De tempore, in quo sacramenta gratiam conferant.

TRia sunt tempora, de quibus disputare possumus. Primum est, quod duratione antecedit susceptionem sacramenti. Secũdum est illud, in quo sacramentum recipitur. Tertium esse potest post transactam susceptionem sacramenti: de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Vtrum sacramenta interdum conferant gratiam ex operato antequã recipiãtur.

B RAtio dubitandi esse potest, quia interdum cõtingit, consequi effectum sacramenti per solũ votum & desiderium sacramenti quod inductione ostendi potest in quinque sacramẽtis, quæ ad vtilitatem singulorum fidelium instituta sunt; nam de duobus alijs, quæ sunt ordinata ad bonum totius communitatis, scilicet Ordine & Matrimonio; nemo existimare potest, quòd conferant sacramentalẽ effectum, per solum sui desideriũ. Quis enim dicat, consequi aliquem sacramentalem gratiam Ordinis, vel Matrimonij, eò quòd ordinari, aut vxorẽ ducere cupiat. Et ratio est aperta, quia hæc duo sacramenta instituta sunt ad iuuandos homines in tali statu, vel dignitate cõstitutos, & ideò donec re ipsa in eo statu constituantur, non est cur recipiant sacramentales effectus illorum sacramentorum: non constituuntur autem in eo statu per solum desideriũ, sed per realem susceptionem talium sacramentorum. Ex alijs igitur sacramentis Baptismus in solo voto susceptus peccatum originale delet, & hominem in Christo regenerat, qui est proprius effectus talis sacramẽti, & similiter sacramentum Pœnitentiæ in voto acceptũ resuscitat spiritualiter hominẽ, & tollit mortale peccatum post Baptismum commissum. Præterea, sacramentum Eucharistiæ tantùm spiritualiter acceptum, & non sacramentaliter, auget gratiã, vt sentit D. Tho. infrà. q. 80. art. 1. ad 3. vbi propter hanc causam generaliter dicit, effectum sacramenti posse ab aliquo percipi, si sacramentũ habeat in voto, quãuis nõ accipiat in re, atq; idem dixerat. q. 66. ar. 11. 68. art. 2. 73. art. 3. Vnde Soto d. 11. q. 2. art. 1. refert, quosdam asseruisse, sacramentum Eucharistiæ solùm spiritualiter susceptũ interdum dare effectum ex opere operato, saltem in extrema necessitate. Denique eadem ferè ratio est de Confirmatione, & Extrema vnctione, q. scilicet effectus suos præbeant per solum desiderium sui, præsertim in casu necessitatis, si re ipsa suscipi non possint: quia, licèt hæc duo sacramenta non sint tam necessaria, sunt tamẽ valde vtilia, & vrgente necessitate mortis, vel fidei confitendæ possunt dici moraliter necessaria. Ratio verò generalis est, quia hæc sacramenta instituta sunt ad subueniendũ humanæ necessitati, & infirmitati, cui homo sæpè subesse potest, cùm sacramentũ suscipere non potest; ergo ad benignitatem & liberalitatẽ Christi pertinuit, ita instituere hæc sacramenta, vt possint effectus suos conferre, tantùm per fidem, & desiderium applicata, præcipuè in casu necessitatis; sicut olim passio Christi, antequàm in re exhiberetur, per fidem viuam applicata effectus gratiæ præstabat,

Ratio dub.

D. Thom.

Soto.

stabat, quia necessitas illius temporis hoc exigebat. A

Sacramenta antequàm re ipsa applicẽtur non tribuunt gratiam ex opere operato.

Nihilominus dicendum est, sacramenta nũquam conferre gratiam ex opere operato, antequàm re ipsa sumantur, seu applicẽtur. Ita senti: Alex. Alens. 4. p. quæst. 41. memb. 3. artic. 3. vbi in specie de Eucharistia loquitur, generaliùs & expressiùs hoc docuit Soto loco suprà citato, & dist. 12. q. 1. art. 1. & Ledes. 1. p. q. 79. art. 1. vbi dicit, per sacramentũ in voto non recipi effectum sacramenti ex opere operato, sed alium, addit tamen fortè per huiusmodi desiderium sacramenti, dari maiorem gratiam, quàm daretur per desiderium bonum de altero obiecto cæteris paribus; sed hæc limitatio non est necessaria, quia, cum per desiderium sacramenti nihil omnino detur ex opere operato, fructus eius eodem modo comparatur ad fructum alterius boni desiderij, quo ipsamet desideria inter se fuerint æqualia, vel inæqualia in bonitate morali, vel in ratione meriti. Vnde

Ledesma. idem autor quæst. 12. art. 4. dub. 1. eandem sententiam sine limitatione repetit. Et probatur primò, B quia effectus sacramentorum non sunt promissi, nisi reali vsui sacramentorum, vt patet ex illis verbis, *qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Secundò probatur apertè in quibusdam effectibus propriissimis sacramentorum, vt sunt character Baptismi, vel Confirmationis, quos certissimum est, non magis posse conferri per solum votum, sine reali susceptione sacramenti, quàm characterem Ordinis. Nam, si per Baptismum in voto imprimeretur character, nõ posset posteà recipi Baptismus in re. Et quanquam hic effectus non pertineat ad effectus gratiæ, de quibus nunc loquimur, tamen sumimus argumentum à paritate rationis, seu à signo. Alius effectus est in Baptismo, remissio totius pœnæ simul cum culpa; hic enim non datur per baptismum in voto ad modum operis operati, aliàs omnes catechumeni, qui iustificarentur per contritionem includentem Baptismũ, consequerentur remissionem totius pœnæ, quod falsum est. Tertiò à posteriori potest ratio fieri, nam, qui accepit sacramentum in voto & desiderio, quando posteà re ipsa illud suscipit, integrum effectum sacramẽti ex opere operato recipit: ergo signum est, sacramentum nihil priùs contulisse ex opere operato, aliàs idem numero sacramentum sæpiùs conferret effectum summum; vnde posset quis etiam dicere, si post sumptum sacramentum iterum quis cogitet de tali sacramenti sumptione, atque de illa gaudeat, & de nouo in ea consentiat, per huiusmodi actum accipere effectum ex opere operato, quia non minus bonum est gaudium de vsu sacramenti, quàm desiderium eius, vnde non est, cur sit minus efficax.

Ad rationes dub. respondetur.

Ad rationem ergo dubitandi propositam respon- D detur, negando inductionem factam; nam, quando datur prima gratia, vel remissio peccati per solam contritionem includentẽ votum Baptismi, vel Pœnitentiæ, ille effectus non est propriè ex opere operato talium sacramentorum, sed est idem effectus, qui responderet contitioni, vt dispositioni operantis, qui effectus suo modo, & in suo genere est connaturalis tali dispositioni; & ideo, & semper illum habuit ante sacramentorum institutionem; & post sacramenta instituta eundem retinuit, cum ordine tamen & habitudine ad aliquod ex dictis sacramentis, quod in voto includit. Cuius signum est, quia sola attritio, etiam si fiat cum expresso voto sacramenti suscipiendi, non sufficiet ad illum effectum, nisi sacramentum realiter applicetur: quia nimirum appli-

catum per solum votum non sufficit ad dandũ effectum, & ideo nunquàm datur, nisi aliàs ipse actus operantis ex se sit sufficiens dispositio ad gratiam obtinendam; & tunc illa non est propriè effectus sacramenti, sed dispositionis cum ordine ad sacramentum. Ad aliud de Eucharistia respondetur, per desiderium Eucharistiæ formaliter, ac propriè non comparari sacramentalem effectum Eucharistiæ; obtineri tamen maiorem vnionem ad Christum per gratiam, & charitatem ex merito operantis, si ille in gratia sit. Nam, si fortasse sit in peccato, etiam si tale de desiderium habeat, putans inuincibiliter se esse in gratia, nullum gratiæ effectum obtinebit; quod etiam est signum, ioi non interuenire effectum ex opere operato. Cùm ergo D. Thomas sit, effectum sacramẽti recipi interdum per votum sacramenti, non loquitur de effectu secundùm relationem effectus (vt sic dicam) sed secundum naturæ similitudinem, quèadmodum interdum dicimus, effectus ignis interdum fieri ex sole sine igne, non quia quando fit tantùm à sole, tunc sit effectus ignis, nam re vera non est, cùm ab illo non fiat, sed quia ille effectus est eiusdem rationis cum eo, qui fieri solet ab igne: ita ergo effectus sacramenti dicitur fieri per votum sacramenti, non quia tunc sit effectus sacramenti; sed quia est quidam effectus eiusdem rationis cum illo, qui per sacramentum daretur, si re ipsa applicaretur; & hoc sensu dixit etiam Concil. Trident. sess. 13. capit. 8. *Eos, qui voto cælestem panem edunt fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentire.* Quia nimirum in charitate crescunt, & magis in Christo vniuntur, qui est fructus illius sacramenti, quanuis tunc non sit ab illo sacramento, vt à propria causa, sed vt ab obiecto: atque hic planè est sensus D. Tho. in citato loco.

Sacramẽta in voto non conferunt effectum gratiæ, nisi actus operantis sit ex se sufficiens ad illã dispositio.

Trident.

Aduertendum verò est, non omnem effectum sacramenti posse obtineri per solum votum sacramenti, etiam in prædicto sensu, sed solum illum, qui proportionatus est dispositioni, vel merito operãtis; alij quis enim effectus sacramenti talis est, vt nunquam per merita, vel dispositionem obtineri possit, vt de charactere diximus; & idem est de remissione peccati cum sola attritione, vel de remissione totius pœnæ sine cõdigna satisfactione: & fortasse aliquod genus auxilij datur per sacramenta realiter suscepta, quod sine illis nunquam datur. Alij verò sunt effectus sacramentorum, quorum fuules obtineri possunt per merita, vel dispositionem operãtis, vt sunt remissio peccati, & prima gratia, charitatis augmentum, seu nutritio, auxilium sufficiens ad vincendas tentationes: & hi effectus dicuntur interdum fieri in voto sacramenti in sensu iam explicato. Vnde patet responsio ad aliam partem de Confirmatione & Extrema vnctione; quia in illis multò minor est necessitas. Ad congruentiam verò ibi insinuatam respondetur, potuisse Christum illo modo instituere sacramenta, si vellet; quòd autem non fecerit, constat ex dictis, & quia nullum est probabile fundamẽtum, vel autoritas ad explicandam aliter voluntatẽ, & institutionem eius, nec oportuit aliter fieri; quia hoc modo satis subuentum est humanæ necessitati: & alioqui magis conuenaneum est naturæ rerum, vt causa efficiens, quale est sacramentum, priùs existat, quàm operetur; & ad conciliandam reuerentiã, & amorem ad vsum sacramentorum cõueniens fuit, vt haberent proprios effectus, quos in ipso vsu conferrent, & non absque illo.

Non omnis effectus sacramenti obtineri potest per votũ sacramenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

Vtrum sacramenta conferant gratiam, dum suscipiuntur in aliquo tempore, vel instanti.

IN hac re certum est, sacramenta maximè conferre effectum gratiæ sanctificantis quando actu suscipiuntur, si in suscipiente non sit obex, vt patet ex definitionibus Cõciliorum suprà adductis, & ex omnibus alijs hactenus disputatis de hoc effectu; & ex illa ratione generali, q̃ causa efficax statim operatur, ac est, si ex parte effectus, vel subiecti nõ sit repugnantia: sed sacramentum de se est causa efficax gratiæ, & ex parte ipsius gratiæ non repugnat statim fieri; ergo, si ex parte subiecti non sit obex, statim sacramentum operabitur. Locutus sum autem de effectu gratiæ sanctificantis seu habitualis, quia sacramentalis gratia, prout speciale auxilium significat, non semper datur statim, quando sacramentum accipitur, etiam si tunc suscipiẽs non ponat obicem, sed posteà tempore opportuno iuxta finem, & institutionem sacramenti, vt verbi gratia, quando homo recipit sacramentum Confirmationis, statim recipit augmentum gratiæ, & plenitudinem Spiritus sancti per dona habitualia seu eorũ perfectionem: nõ tamen statim recipit in actu secundo singulare auxilium ad confitendam fidem: sed tunc recipit illud quasi in actu primo, seu consequitur ius ad obtinendum illud, cùm oportuerit; & simile est de sacramẽto Ordinis, Matrimonij, & alijs. Quòd autem hic effectus non statim detur, neq; est ex defectu sacramenti, neq; ex defectu suscipientis, sed ex vi ipsius institutionis quæ facta est modo accommodato tali effectui. Gratia enim habitualis, quia natura sua est permanens, & magna perfectio, quæ semper, & ad omnia potest esse vtilis, ideò meritò statim datur: auxilium verò actuale, non est de se durabile ac permanens, nec propter se datur, sed solùm propter aliquem actum exercendum; & ideò ex se postulat, vt tunc solum detur quando est tempus opportunum ad exercendum actum, propter quem datur; tunc autem statim infallibiliter datur, si pro eo tempore homo obicem non ponat: & ita in hoc potiùs conspici potest perfectus modus quem sacramenta habent conferendi gratiam, scilicet tempore opportuno, & vnicuique gratiæ accommodato.

Speciale auxilium, qui est effectus sacramenti, sæpè non datur simul cũ sacramento.

Vtrùm sacramenta cõferant gratiã in tẽpore, an in instanti.

Superest verò circa priorẽ partem vulgaris difficultas, an sacramenta conferant gratiam habitualẽ in tempore, vel in instanti: & si in instanti, quodnã illud sit? Ratio autem difficultatis est, quia sacramẽtum, seu vsus eius non fit in instanti, sed in tempore: quia successiuè fit; ergo non potest efficere gratiam quando fit, quia tunc nondum est perfectum, neque habet suam absolutam significationem, & ideò simpliciter loquendo, nondum est sacramentum, vt patet in forma Baptismi, vel Eucharistiæ, quandiu enim quis profert verba, *Hoc est corpus*, donec absoluat vltimam particulam, *meum*, nondum fecit sacramentum: & idem est de cæteris; ergo toto illo tempore, quo fit sacramentum, non fit gratia, quia nondum est sacramentum, per quod efficiẽda est. Rursus, cùm primum sacramentum absoluitur, iam non est, quia cùm sit ens successiuum, desinit per primum non esse (loquor de sacramẽtis, quæ consistunt in vsu) ergo nunquam sacramenta conferunt gratiam, dum fiunt, vel existunt.

Prima sententia.

Ad hanc difficultatem varij sunt modi respõdendi. Primus est, sacramenta conferre gratiam non in instanti, sed in tempore, non definito, ac certo, sed indeterminato, scilicet, in illo tempore, quod immediatè antecedit illud instans, quod est primum non esse sacramenti; nam in illo instanti consummatur sacramentum extrinsecè, ergo in tempore immediatè ante illud consummatur intrinsecè, ergo in eodem tempore immediatè ante illud cõfert suum effectũ; quia operatur statim, ac est, cùm sit causa efficax; sed tempus illud, quod immediatè antecedit instãs, est indeterminatum; quia nulla pars temporis secundum se totam, immediatè cõiungitur, seu antecedit ante aliquod instans, vt per se notum est, ergo sacramentum confert gratiam in tempore indeterminato, ita vt qualibet particula temporis designata, non fiat gratia in tota illa, sed in minori, ac in minori, etiã si in infinitum procedatur, versus prædictum instãs extrinsecum, quod est primum nõ esse sacramenti. Vnde etiam fit, sacramentum non conferre gratiam per aliquam sui partem determinatam, seu quandiu illa durat, sed per indeterminatam. Quòd autem hic modus conferendi gratiam non sit impossibilis, ita potest à contrario declarari; nam peccatum committi potest in tempore immediato ante hoc instans, & non antea, neque posteà, ergo & gratia potest desinere esse intrinsecè in tempore immediato ante instans; ergo eadem ratione potest in eadem mensura incipere. Antecedens patet, si constituamus hominem iustum habentem præceptum amandi Deum ante primum instans mortis; nam, si hic homo toto hoc tempore non diligat, peccat mortaliter, & perdit gratiam, & non in ipso instanti mortis, quod est primũ non esse hominis, tum quia immediatè ante illud instans transgressus fuerat præceptũ, nam pro illo tempore obligabat, & non pro instanti mortis: ergo ante illud instans peccauit, & perdidit gratiam, quæ nec simul est cum peccato, nec prius amittitur, quàm peccatum cõmittatur: tum etiam, quia non potest aliquis toto tẽpore vitæ esse in gratia, & in primo non esse illam perdere: neq; etiam peccat, & perdit gratiam in aliquo instanti ante instans mortis, quia, quolibet signato, inter illud, & instans mortis mediat tempus, in quo potest impleri præceptum, ergo nondum erat violatum præceptum; ergo nec gratia erat perdita: ergo non potuit amitti, nisi in tempore immediato ante instans.

Refutatur ista sententia.

Nihilominus hæc sententia falsa est, primò quidẽ, quia ille modus inceptionis, tam gratiæ, quã cuiusli bet qualitatis est impossibilis: vnde omnes philosophi duos tantum modos inceptionis rerum distinxerunt, scilicet per primum sui esse, & per vltimũ non esse: ille autem, qui est solum in tempore immediatè ante aliquod instans, sub neutro horum comprehenditur, vt facilè probari potest; quia nullum potest signari instans, quod sit primũ esse gratiæ, tum quia dicitur intrinsecè incipere in tempore, & nõ in instanti: tum etiam quia neque illud instans, in quo consummatur sacramentum, est primum esse gratiæ iuxta hanc sententiam, quia dicitur esse immediatè ante illud, neque etiam aliquod præcedens instans, quia nullum est immediatum. Vnde si in aliquo instanti præcedẽti inciperet gratia, inter illud, & aliud instans consummatiuum sacramenti, intercederet tẽpus, in quo non primò fieret gratia, sed conseruaretur; &

tur; & ita non fieret in tempore immediato ante illud instans, vt hæc sententia supponit: ergo iuxta hanc sententiam non incipit gratia in instãti per primum sui esse. Rursus, nec incipit per vltimum non esse; quia, si posset signari instans, in quo vltimò gratia non esset, intrinsecè inciperet habere esse in tempore immediato post illud instans; repugnat autem simul incipere in tempore, quod immediatè antecedit instans, & quod immediatè subsequitur; nã, vel illud instans est vnum & idem, vel sunt diuersa instantia; si est vnum, non potest idem terminus immediatè antecedere & subsequi, neq; eadem res potest simul incipere in diuersis temporibus, quorum vnũ immediatè antecedit, & aliud immediatè subsequitur idem instans: si autem instantia sunt diuersa, inter illa intercedit tempus, vnde necessariò fiet, vt multò magis inter se distent tempus, quod antecedit vnum instans, & quod subsequitur aliud: ergo iuxta hanc sententiam nullo modo assignari potest instans, quod sit, vel primum esse, vel vltimum non esse gratiæ, quæ per sacramentum fit. Hæc autẽ esse impossibile, probatur, nam cùm esse gratiæ, quæ fit, immediatè sequatur post non esse eius, necesse est in telligere, illa duo esse quasi continua, vel contigua, per coexistẽtiam ad nostrum tempus: ergo necesse est dari vnum instans, quod diuidat esse à non esse, & sit terminus vnius, & initium alterius, & vni extrinsecum, & alteri intrinsecum: atq; adeò, quod sit primum vnius, & vltimum alterius. Quæ ratio tam de gratia quàm de omnibus alijs rebus, & tam de inceptione, quàm de desitione generaliter conuincit, non posse accidere, nisi alterutro ex duobus dictis modis, scilicet, per primum esse, vel per vltimũ non esse: aut per primum non esse, vel vltimum sui esse. Præterea, si verum est, sacramenta physicè ac propriè efficere gratiam, ex eo capite habet hæc sententia specialem difficultatem; quia intelligi nõ potest, Deum vti aliqua re, vt instrumento, & tamen illam non esse certam, & determinatã, & vt talem cognosci à Deo. Quod potest declarari argumento simili suprà facto, nam sacramẽtum successiuè fit, & non confert gratiam toto tempore, quo fit, ergo nõ confert gratiam per omnes partes suas; ergo si efficit illam per aliquam partem ex vltimis, poterit signari instans distinguens partes sacramenti, quæ efficiũt, ab his, quæ non efficiunt, ita vt in illo sit verum dicere, vsq; ad hoc instans partes sacramenti nihil effecerunt, posthac verò efficient; vel è contrario, nunc incipiunt efficere, & immediatè ante non effecerũt, quia illæ partes immediatè sibi succedunt, ergo necesse est, vt tota efficientia sacramenti claudatur inter duo instãtia, scilicet inter illud, quod distinguit partes efficientes à non efficiẽtibus, & illud, in quo consummatur sacramẽtum, ergo, si efficientia sacramenti est per aliquam partem sacramẽti, necesse est, vt sit per partem determinatam, neque esse potest per partem indeterminatam.

Ad argumẽta respõsio.

Ad rationem ergo illius sententiæ respondetur etiam si gratis demus, sacramentum intrinsecè consummari in tempore immediatè ante instans, nihilominus non efficere gratiam illo modo, quia est repugnantia in tali modo efficiendi, vt ostensum est. Ad confirmationem eadem ratione dicitur, esse impossibile, gratiam desinere illo modo. Ad casum verò ibi confictum, primo respondetur potest, negando obligationem præcepti affirmatiui posse illo modo extrinsecè terminare: nam illa admissa, videtur sanè argumentum factum, in rigore metaphysico sumptũ non parũ vrgere. Potest autem reddi ratio, ob quã hic modus obligationis imponi homini non possit, quia obligatio debet esse accõmodata actibus humanis, quibus implẽda est. Secundò admissa illa obligatione, respondetur, transgressionem illius præcepti cõmitti ante instans mortis, non tamen immediatè ante illud instans, sed in aliquo instanti, quod, licèt à nobis designari non possit, in se tamen certũ ac diffinitum est, & Deus illud agnoscit. Nec refert, quòd inter illud instãs, & aliud instans mortis intercedat aliquod tempus, nam illud potest esse tam breue, vt in eo non possit moraliter impleri præceptum, quia ad eliciendos huiusmodi actus, moraliter & humano modo loquẽdo, indiget homo aliquo tẽpore, quod ad deliberandum, & operandum, necessarium est; & ideò, quando peruenit homo ad illas temporis angustias, si adhuc est negligens, & omittit actũ præceptum, moraliter constituitur in statu, in quo non potest præceptum implere, & ideò tũc peccat. Quæ quidẽ respõsio moraliter satisfacit, considerando res humanas, prout ex natura rei precipi, & fieri possũt. Vrgeri tamen posset argumentũ, vel in angelis, vel in anima separata, vel in homine de absoluta potentia Dei. Sed non oportet in his immorari: nam si alia responsio adhiberi non possit, prior est sufficiens.

Prima solutio.

Secunda sententia.

Secundus modus dicendi est, sacramentũ efficere gratiã in tempore aliquo certo ac determinato, in quo vltima quædã particula ipsius sacramenti conficitur, quæ licèt successiua sit, & partes habeat, nihilominùs per totam illam fit gratia, quia per illã consummatur sacramentũ. Sed hæc responsio nullo modo probari potest: primò quidem, quia impossibile est, primam inceptionẽ rei permanentis, & quæ tota simul fit, coexistere tempori determinato, gratia autem, quæ per sacramentũ fit, est res permanẽs, & tota simul efficitur, quia in agente est virtus sufficiẽs, & in subiecto non est resistentia, & ipsa ex natura sua postulat ita fieri. Antecedens patet primò, quia talis inceptio, nec esset per primum esse rei, quæ fit, nec per vltimum non esse. Prior pars est per se nota, quia si res incipit per primũ sui esse, secundũ coexistentiam ad nostrum tempus, iam non incipit in tẽpore, sed in instanti. Posterior pars probatur, quia, si incipit per vltimum non esse; ergo nunc non est, & immediatè post hoc erit; sed illud tempus, quod dicitur esse immediatè post hoc instans, non potest esse determinatum, quia non clauditur inter duo instantia: nam in quolibet instanti signabili in illo tempore immediato post hoc; est verum dicere, antea incipisse rem illam, quæ fit immediatè post hoc instans. Vnde confici potest generalis ratio, quia quodlibet determinatũ tempus clauditur inter duo instãtia, & diuidi potest in duas partes, quæ alio instanti medio coiunguntur. Si ergo res incipit in illo tempore, & incipit tota simul, ergo signato instãti medio illius temporis, iam in illo tota res inceperat, ergo non incipit, sed conseruatur in reliqua parte temporis. Atq; idem argumentum fieri potest de reliqua parte signata, & de quacunque alia, quantumuis minima; non potest igitur determinata pars temporis esse mensura adæquata inceptionis, nisi res, quæ fit, per partes fiat, seu per intensionem successiuam.

Refellitur.

Dici potest, hoc argumentũ rectè conuincere de inceptione in rigore sumpta, non verò de inceptione, seu effectione, quæ necessariò habet adiunctam aliquam conseruationem, qualis est omnis inceptio

1. Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rei permanentis, quæ licèt in se indiuisibilis sit, & tota simul, secundùm coexistentiam tamen ad nostrũ tempus sic per vltimum non esse: quia tunc necesse est, vt illa actio duret pro aliquo tẽpore determinato, & incluso inter duo instantia, saltem extrinseca; quia, sicut incepit per vltimum non esse, ita necesse est, vt ipsa actio, seu effectio, aut dependentia, cùm non semper duret, desinat esse in aliquo instanti intrinseco vel extrinseco, ergo necesse est vt duret saltem tẽpore incluso inter illa duo instantia. Illa vero actio habet rationem inceptionis, solùm prout intelligitur coexistere tempori indeterminato, quod sequitur immediatè post instans, prout verò durat maiori tempore determinato, habebit potiùs rationem conseruationis. Sic ergo in proposito dici potest, gratiam quidem fieri per sacramentum pro tempore aliquo determinato, in quo durat vltima quædam particula sacramenti, per quam fit gratia illa enim particula non potest efficere in instanti, quia est successiua; & ideò partes, quæ antecederent illud instans, nõ possent efficere, quia iam nõ essent nec partes, quæ sequuntur illud instans, quia nondũ sunt; vt ergo tota illa pars sacramẽti efficiat, necesse est, vt actio tandiu duret, quandiu durat successio illius partis, quia non potest gratiam efficere, nisi quandiu est: illa verò actio dicetur incipere per vltimũ nõ esse in ratione inceptionis, atq; sub hac ratione nõ fieri tempore determinato, sed indeterminato, tamẽ absolutè sub ratione effectionis, quæ aliquã conseruationẽ includit, durabit pro aliquo tempore determinato.

Solutio. Sed, licèt hæc doctrina in alijs rebus vera sit, tamẽ in præsenti non potest habere locũ. Primò, quia impossibile est, variato agente, non variari actionẽ, vt ex principijs philosophicis constat; si autẽ sacramentum per aliquã determinatã partem vltimam, gratiã efficit, sicut illa pars successiuè sit, ita principiũ, seu instrumentũ illius actionis est in continua variatione: ergo & actionem, quæ ab illo procedit, necesse est continuè variari: non ergo potest eadem indiuisibiliter permanere toto illo tempore, sicut dicebatur. Sed respõderi potest, variari quidẽ actionem illam, vt est dependentia ab agente, atque hoc modo successiuè fieri, & cõtinuè mutari, tamẽ ex parte termini, qui est gratia, nõ esse successiuã, quia gratia tota simul fit, per totam illã actionem, & per quãlibet partem eius. Quæ respõsio, in cõmuni etiã sumpta, difficilis quidem est ad intelligendũ; quia vix concipi potest, quomodo actio, quæ tota simul incipit ex parte termini, ex parte agentis sit in continua successione, & mutatione. Vix tamẽ impugnari potest, quia non videtur tam apertam inuoluere contradictionem. Sed, licèt hoc ita sit, in genere loquẽdo, tamen in præsenti probari nõ potest; sumo enim totã illam particulam vltimam sacramenti, per quam dicitur fieri gratia; & inquiro, an in priori dimidia parte eius fit consummatũ sacramentũ, necne; nam si non est, ergo illa prior pars non potest efficere gratiam, quia quandiu non est sacramentũ factum, non datur gratia; aliàs dici posset, gratiam fieri à principio, ex quo sacramentũ incepit; quia non est maior ratio de vna parte, quàm de alia: si in vtraq; sacramentũ est inchoatũ, & nondum perfectum: si autem in priori parte sacramentum est iam consummatum: ergo alia quæ posteà subsequitur non est pars sacramenti; ergo nec efficit effectum sacraméti. Respõderi potest, in priori parte esse sacramẽtum perfectum essentialiter, non tamen esse omni ex parte integrum. Sed

2. Obiectio.

Solutio.

A hoc non rectè dicitur; quia, vt forma sacramenti, verbi gratia, sit essentialiter cõpleta, necesse est, vt sit cõsummatus, & absolutus sensus eius; quod si ita sit, talis forma etiam est integra, & omni ex parte completa: vnde si fingeremus prolationem verborum non vltra progredi, sacramentum erit omnino integrum, & perfectum, & similiter effectus eius: si autem sensus formæ nondum est consummatus, sacramentum neque est integrum, neque essentialiter cõpletum. Atque idem argumẽtum fieri potest ex parte materiæ, nam si ablutio, verbi gratia tanta est, vt sufficiat ad essentiam Baptismi, cum sola illa, si adiũgatur forma, est integer Baptismus, & omnis ablutio, quæ posteà sequitur, neq; ad essentiam, nec ad integritatem Baptismi pertinet, sed per accidens illi coniungitur; si verò ablutio non est tanta, quæ sufficiat ad essentiam Baptismi, neq; etiam erit sufficiens ad dandum effectum, donec compleatur.

B Tertius modus dicendi est, sacramentum cõferre gratiam in tempore indeterminato, scilicet, per vltimum nõ esse ipsius gratiæ, quia sacramentũ eodem modo cõsummatur in tẽpore indeterminato. Quod potest ita explicari, primò ex parte materiæ sacramẽti, si constituamus id, quod facilè fieri potuit, ablutionem, verbi gratia, quæ propter sui paruitatẽ non sufficit ad essentiam sacramenti, terminari ad minimum extrinsecè, ita vt verè dicere possimus, tanta ablutio non sufficit ad essentiam sacramenti, quælibet autem maior sufficit. Hoc enim posito sequitur facta illa minima ablutione, verũ esse dicere, nunc non est sacramentum, & immediatè post hoc erit sacramentũ: ergo eadem ratione erit verum dicere, C nunc non est gratia, & immediatè post hoc erit gratia, incipiet ergo per vltimũ nõ esse, & fiet in tempore indeterminato; quia illud *immediatè post hoc* non designat determinatam temporis quantitatẽ. Secundò idem argumentum fieri potest ex parte formæ, quia propè finem prolationis verborũ, intelligi potest dari aliquod instans, in quo sit verũ dicere, nunc non est consummatus sensus, seu significatio verborum, & immediatè post hoc erit consummatus: vt, verbi gratia, in forma Baptismi, non intelligitur cõsummatus sensus, donec incipiat proferri vltima particula dictionis vltimæ, & totius formæ, vt est particula, *ti*, in dictione. *Spiritus sancti*; Statim verò ac incipit proferri illa particula, iam intelligitur consummata significatio formæ, quia iam est aliquid illius, quod sufficit ad imprimendã speciem totius propositionis, illa autem particula incipit proferri per vltimũ nõ esse, quia successiuè profertur, ergo eodẽ modo consummatur sacramentum, & fit effectus eius.

Tertia sententia.

D Contra hanc sententiam fieri solet generale argumentum, quia nõ potest res permanens, quæ tota simul sit, incipere per vltimum non esse. Sed hoc argumentum nõ existimo esse efficax, quia si causa, quæ efficit huiusmodi effectum, ita applicetur, ex parte effectus nõ censeo esse repugnantiam, quod ita fiat; quia res permanens habet suam intrinsecam indiuisibilem durationem, quæ potest, & instanti, & tẽpori nostro coexistere; & ita quod in se est, potest vtroq; modo incipere, si ex parte agentis non sit repugnantia. Nihilominus in præsenti non placet hic modus dicendi, quia necesse est, vt coincidat cũ præcedenti, & ideò eisdem rationibus refellendus est. Assumptum explicatur primò, quia quando actio, quæ est in se indiuisibilis, secundũ coexistentiã ad nostrum tempus incipit per vltimum non esse, necesse

esse est, vt in re duret per aliquod tempus determinatũ, cui coexistit. Sed effectio gratiæ est actio indiuisibilis, vt ostensum est; quia gratia, quæ est effectus sacraméti, tota simul datur: ergo, si illa actio incipit per vltimũ nõ esse, durat pro aliquo tẽpore determinato, quia non semper durat: ergo desinit esse in aliquo instãti intrinseco, vel extrinseco; ergo durabit toto tẽpore interiecto inter illa duo instantia, quod tẽpus certũ est, ac determinatũ: ergo hæc sententia necessariò coincidit cum præcedenti.

Secundò idem declaratur, quia impossibile est, sacramentum consummari illo modo, scilicet per vltimum non esse vltimæ particulæ consummantis sacramentum; quia necesse est, vt in aliquo instãti, vel tẽpore sit verum dicere sacramentum esse, aliàs nunquam esset: quia non potest esse, nisi, vel in tempore vel in instanti, sed postquàm sacramentum est, desinit esse; ergo necesse est, signari aliquod instans; qđ B diuidat esse sacramenti à non esse; ergo necesse est, vt illud instans sit, aut primum non esse sacramenti, aut vltimum esse eius, quia nulla res potest desinere esse, nisi alterutro ex his modis, vt suprà probatum est; ergo nõ potest sacramentum incipere esse in vltimo non esse vltimæ particulæ eius. Nam inquiro, an illud instans, quod est vltimum non esse gratiæ, vel posterę particulæ sacramenti, sit primum esse sacramenti, vel vltimum non esse eius. Primum dici non potest iuxta hanc sententiam; tum, quia, si in illo instanti iam est sacramentum; ergo in illo instanti iam est quidquid est de essentia sacramenti: ergo pars, quæ posteà subsequitur, & tunc incipit extrinsecè, non pertinet ad constitutionẽ sacramenti; tum etiam, quia si tunc iam est sacramentum, ergo in eodem instanti erit effectus sacramenti: quia sacramen- C tum simul atq; existit, efficit. Si verò dicatur secundum, scilicet, hoc instans esse vltimum non esse sacraméti, necesse est, vt post illud designari possit aliquod instans, in quo desinat esse sacramentum, quia non potest in eodem desinere in quo incipit extrinsecè, vt per se notum est, quia in illo instanti nondũ res est, & ita illud instans nec potest esse primũ non esse rei, cùm potiùs dicatur esse vltimum non esse illius: neq; etiam potest esse vltimũ esse rei, cùm nondum sit, ac deniq; quia nulla res potest desinere esse, antequàm esse supponatur: necesse est ergo, vt designetur aliud instans, in quo desinat esse sacramentum; ergo durabit sacramentum toto illo tempore determinato, quod est inter illa duo instantia; ergo non fuit sacramentum consummatum per illam particulam, vt incepit esse in tempore indeterminato, sed vt consummata est toto illo tempore determinato. Patet hæc vltima consequẽtia: quia, si illo modo D fuisset consummatum sacramentum, ergo in dimidia parte illius particulæ fuisset consummatum, & in quacunq; alia minori designata, consequens autem ostensum est falsum, quia si priùs fuisset cõsummatum sacramentũ, priùs etiã esse desijsset; quia cũ sacramentum successiuè fiat, statim ac cõsummatur desinit esse: repugnat ergo, sacramentũ cõsummari illo modo in tempore indeterminato, quia illud necessariò erit reuocandũ ad tempus determinatũ ex parte desitionis sacramenti, nõ potest autem totum aliquod tempus determinatũ esse secundũ se totũ, & secundũ quãlibet sui partẽ esse consummatiuum sacramenti; quia hoc ipso, q̃ pars prior sufficit ad cõsummandũ sacramentũ, reliquæ non requiruntur: ergo eadem ratione repugnat effectum sacraméti inci-

A pere illo modo, quia in hac sententia supponitur effectus sacramenti incipere simul cum ipso sacramento. Tertiò confirmari potest hic discursus, quia, vt suprà dicebam, sacramentũ in re esse debet aliquid determinatũ, cumq; sit instrumentũ gratiæ, oportet vt illam efficiat per aliquam rem determinatã: ergo, si illa pars, per quam sacramentũ efficit gratiam est successiua, necesse est, vt duret aliquo tempore determinato, ergo toto illo durabit effectio gratiæ, quod supra improbatum est, atque ita necesse est, vt hæc tertia sententia cum secunda coincidat.

Vnde ad fundamentum huius sententiæ negatur, minimam ablutionem, seu materiam sacramenti, designandam esse illo modo; sed intrinsecè, scilicet, tanta ablutio sufficit, & minor non sufficit: nec potest aliter intelligi; quia, sicut sacramentum in re debet esse certum, ac determinatum, ita & materia eius intrinseca. Item, quia quantitas materiæ non determinatur, nisi quatenus necessaria est, vt sit vera ablutio vel vnctio hominis, seu partis illius; ad hoc autem requiritur, q̃ fiat, vt minimũ, in tanta quãtitate. Atq; eodẽ modo respondetur ad alterã partem de forma, nam significatio eius non perficitur per indeterminatã inceptionẽ vltimæ particulæ, aliàs nõ redderet sensum certum: ergo consummatur sensus & significatio in aliquo instanti, in quo vel tota vltima particula, vel aliqua sufficiens pars eius prolata est. *Ad argum. respõdetur.*

Quartus ergo modus dicendi est, Sacramentum conferre gratiam in vnico instanti, non in quo sacramentum primò est, aut vltimò nõ est, sed in quo ptimò non est. Cùm enim sacramẽtum successiuè fiat, non aliter est, ac desinit esse, quàm entia successiua, & ideò tantùm est, dum fit in temporis successione, in qua nõ potest dare gratiam, quia id repugnat, vt declaratũ est in omnibus modis suprà tractatis. Rursus, in nullo instanti illius successionis potest dici, sacramentũ esse consummatum, quia semper supereset aliquid efficiendum, quod est de essentia illius, & propterea in nullo etiam illorum instantium, in quo fit sacramentum, potest gratiam conferre, quia non dat illam, donec sit essentialiter perfectum, quia sicut antea non habet cõsummatam significationem suam, ita neque efficaciam. Deniq; quia si semel fieret gratia in instanti intermedio, licèt posteà nõ consummaretur sacramentum, maneret effectus eius, & ita haberetur effectus sacramenti sine vero sacramento, quod est impossibile; supereset ergo, vt gratia sacramenti conferatur in instanti, in quo consummatur sacramentum, quod est primum non esse illius; nam in rebus successiuis, vt est oratio, dies, &c. illud instans, in quo cõsummantur, est primum non esse earũ. Ita docet Soto in 4. dist. 9. q. 1. art. 7. circa finẽ. Quæ sententia facilè sustineri posset, si opinaremur, sacramenta non esse causas physicas gratiæ, sed morales; quia in causis moralibus nullum est incommodum, quòd effectus earum conferatur, postquàm illæ esse desierunt, tamen, si supponamus, sacramenta esse causas physicas, non potest hæc responsio sustineri: nec Soto, & aliqui Thomistæ, qui hæc duo coniungunt, consequenter in eo loquũtur: quia nihil potest efficere, quãdo non est. Primò, quia nihil potest efficere, nisi habeat virtutem agendi, vel naturalẽ, vel obedientialem, sed quod non est, n̄ habet naturalem virtutem agendi, vt est per se notum, nec obedientialem, quia necesse est, vt hæc fundetur saltem in aliqua entitate, ergo quod entitatem non habet, non potest assumi vt instrumentum ad agendũ. *Quarta sententia.*

Soto.

Secundò,

Universidad de Deusto Biblioteca

Secundò, quia quod fit ab alio, pendet ab illo in suo esse; sed res, quæ existit, non potest physicè, ac realiter pendere à re, quæ non existit, quia rem vnã pendere ab alia physicè & effectiuè, intrinsecè includit, quòd existentia vnius rei ita innitatur in existentia alterius, vt ablata vna, tollatur altera, quæ ab illa pẽdet. Tertiò, quia fieri non potest, vt res, quæ futura est, efficiat, antequã sit: ergo similiter repugnat, vt res quæ præterijt, efficiat, quando iam nõ est, nec in se, neq; aliqua reali virtute, patet cõsequentia, quia res, quæ fuit, postquã esse desijt, tam est omnino nihil, quàm res futura, quandiu facta nõ est: imò illa, quæ iam fuit, quodammodo magis distat ab ente reali, quia iam non potest habere esse per causas naturales, sicut potest res futura. Quòd autem res aliquãdo habuerit esse, si nunc illud non habet, neq; in se, neq; in aliquo instrumento, seu virtute, tam est impertinens ad præsentem actionem, sicut quòd res habitura sit esse, quod nondũ habet. Vnde hæc sola vera differentia inueniri potest inter rem præteritam, & futuram; quia res præterita, quia aliquãdo habuit esse, potest relinquere virtutem aliquam, quæ vice sui efficiat, quã non potest præmittere res futura, quæ nondum habuit esse: at verò si res, quæ fuit, nullam virtutem reliquit, non magis potest agere, quàm si nũquàm fuisset, quia illud fuisse, nihil omnino est, nisi denominatio purè extrinseca, quæ non potest esse sufficiens ratio agendi. Et hinc consequenter fit, si res iam omnino desijt esse, nihil omnino referre, quòd inter esse præteritum, & non esse, sit magna, vel parua distantia: nã repugnantia non oritur, nisi ex ipsa ratione non entis, quæ, cùm nihil sit, non potest esse origo, seu fons alicuius esse; & hæc ratio eandẽ vim habet siue præterierit esse ante multũ, siue ante paruum tempus. Et idem est etiam si præcesserit in tempore immediato ante præsens instans: quia hæc differentia solùm est secundùm magis, vel minus, in propinquitate, vel distantia: nam præsens instans re vera habet durationem indiuisibilem distinctam à toto tempore præcedenti; nõ enim sunt simul, sed quãdo est præsens instans, iam præteritũ tempus omnino non est: ergo, quando ex duabus rebus vna incipit in præsenti instanti, alia verò desijt esse in tẽpore immediato ante hoc instans, nõ potest illa ab hac dependere in efficientia, & existentia: quia duæ illæ res nunquam coexistunt simul, nec se tangũt (vt ita dicam) secundùm coexistentiã, & consequenter nec secundùm efficientiam, quia hæc intrinsecè, & essentialiter pendet ab existẽtia, de qua re paulò inferiùs, & in disputatione sequenti redibit sermo.

Res præterita potest esse causa per virtutem relictam, quod nequaquã potest futura.

Quod obijcit Sotus refellitur.

Neque est verum quod Soto suprà ait, in naturalibus causis interdum accidere, vt res, quæ immediatè ante hoc fuit, nunc operetur: sicut motus, inquit, est causa caloris, & nõ efficit illum, nisi in primo nõ esse sui: & alij ponũt exemplum in dispositionibus, quæ præcedunt immediatè ante instans generationis, quæ licèt in instanti generationis nõ maneant, efficiant formam, quæ in illo instãti producitur. Sed vtrũque exemplum est falsum, nam motus non est causa caloris per se, sed per accidens: vnde præter illum est alia causa per se, fieri autem potest, vt calor successiuè fiat simul cum ipso motu, si subiectum ratione illius successiuè disponatur, vel causa per se efficiens calorem, successiuè applicetur. Quòd si aliquãdo incipit calor in termino motus, ideò est, quia per motum relinquitur subiectum dispositum ad calorẽ, & causa per se efficiens calorem in eodem instãti & existit, & applicata manet. De dispositionibus autẽ, primò verius est, non corrumpi, sed manere in instanti generationis. Secundò admissa probabili sententia, quòd illæ pereunt in instanti generationis, nõ est probabile, illas effectiuè concurrere ad introductionem formæ, tum propter rationes factas, quia iam non sunt, neque aliquid vice sui relinquũt, tum etiam, quia sunt insufficientes ad introducendã formam, quia non habuerunt vltimum terminum, & complementum necessarium ad introductionẽ formæ. Sed de hoc plura in philosophia.

Vltima, & tenenda sententia.

Vltimus ergo ac verus dicendi modus est, sacramentum conferre gratiam in instanti, in quo nõ extrinsecè, sed intrinsecè perficitur, ac consummatur; quanquã enim sacramenta extrinsecè fieri incipiant per vltimum nõ esse ablutionis, vel prolationis verborum, & cõsummantur tamen in vno instanti, in quo fit aliquid indiuisibile, positiuum, & reale, quo intrinsecè completur sacramentum, & in eodem instanti gratia confertur. Probo singula; & primùm quidem ex philosophia constat, dari in omni motu successiuo, quando peruenitur ad terminum eius, aliquam mutationem instantaneam, qua cõsummatur terminus illius motus: quia per illam mutationẽ acquiritur in illo instanti aliquid indiuisibile, quod in toto anteriori tempore non erat acquisitum; vt verbi gratia, in intensione acquiritur terminus caloris, vt duo, vel vt tria, & sic de alijs: & ideò licèt illud instans dicatur primum non esse motus, quatenus ens successiuum est, tamen est primum esse termini consummati, & perfecti, & ideò vocatur vltimũ mutatum esse motus. Quocirca idem videre licet in materijs, & formis sacramentorũ: nam materiæ illæ, quæ cõsistũt in vsu, per motum localem, vel contactũ aliquem perficiuntur, vt ablutio, vel vnctio: intelligi autem potest, contactum sufficientẽ perfici, aut fieri in aliquo instanti terminante motum præcedentẽ, qui terminus licèt extrinsecus sit motui præcedenti, est tamen intrinsecus cõtactui, qui aliquid reale est, & intrinsecum sacramento. Similiter forma sacramẽti est oratio aliqua, quatenus reddit integrũ, & perfectum sensum, qui sensus in aliquo instanti intrinsecè consummatur per aliquem sonum, qui in eo instãti additur, & realiter existit, tanquã realis terminus totius soni præcedẽtis. Cuius signum est, quia in eo instanti ita cõsummatur oratio, vt in eo multiplicẽtur seu efficiantur species in auditu, ergo durat in illo instanti aliquid rei, pertinens ad complementum verborum, seu orationis.

Sacramentũ in aliquo instanti esse, necesse est.

Secundo hoc declaratur, quia necesse est signare aliquod instans, in quo sit verum dicere, sacramentum esse; quia inconueniens videtur, rem aliquam realiter fieri, & nunquã de illa affirmari posse, quòd existat, sacramentum autẽ realiter fit, & quãdiu fit, si aliquid illius superest faciendum, nondum existere dicitur, quia nondum tota eius essentia facta est, in quo differt, à motu & tempore, & huiusmodi entibus successiuis, quæ tunc existere dicuntur, quãdo aliquid eorum factum est, & aliquid superest faciendum, ergo oportet, vt sacramentum dicatur esse, saltem in illo instanti, in quo perficitur, quãquam post illud instãs, vltra futurum non sit sacramentum, neque aliquid illius restet efficiendum, quia in eo instanti perficitur & cõsummatur tota significatio sacramenti, ergo necesse est, vt in eo instanti fiat, & sit aliquid intrinsecum sacramenti, quia, si nihil illius esset, nulla ratione dici posset, tunc existere sa-

cramen-

Obiectio.

cramentum. Dices, si tunc existit sacramentũ, cùm antea non esset; ergo tunc incipit esse sacramentũ, ergo incipit per primum sui esse, ergo non est ens successiuum; nam repugnat entia successiua fieri per primum sui esse; nam, quod ita fit, totum simul fit. Vnde etiam sequitur, quòd ante illud instans sacramentum non fiebat. Rursus immediatè post illud instãs non erit sacramentum, vt dictum est, ergo si tũc est sacramẽtum, desinit esse per vltimum sui esse, quod etiam repugnat rebus successiuis, vt constat ex communi sententia philosophorum.

Propter hæc aliqui renuunt concedere, in illo instanti sacramentum existere, etiam si aliquis realis terminus eius existat, qui cùm sit indiuisibilis, & ideò sufficiat, vt in eo instanti fiat gratia actione indiuisibili, non tamen sufficit, vt dicatur existere sacramentum, quia nihil illius faciendum superest: sicut etiam, quãuis in termino motus aliqua mutatio indiuisibilis superaddatur toti motui præcedenti, non tamen dicitur in eo instanti esse motus, quia nihil ampliùs superest faciendum; & hæc est natura entis successiui, vt tantùm esse dicatur, quando aliquid eius factum est, & aliquid faciendũ superest. Verius tamen est, quod asseruimus, quia non oportet, vt in omnibus sacramentum imitetur entia successiua, nã sicut in hoc non seruat similitudinem cum illis, quòd illa dicũtur esse dum fiunt, & aliquid ex eis superest faciendum, sacramentum autem minimè: ita è contrario non oportet, vt in eo seruet similitudinem, quòd sicut illa non sunt in suo termino, ita etiam sacramentum tunc non sit, quin potius, quia in illo est dissimile, debet etiam esse in hoc, quia oportet, vt in aliquo instanti dicatur iam existere; cùm ergo hoc nõ verificetur in intermedijs instantibus, debet saltem verificari in illo instanti, in quo sacramentum perficitur & consummatur. Nam ex his differentijs inter sacramentũ & alia entia successiua colligimus, sacramentũ requirere quidem successionẽ, non tamen in sola illa cõsistere, sed in ea, vt intrinsecè terminata, vsq; ad tale instans, in quo intrinsecè perficitur, aut sensus verborum, aut cõtactus ex parte materiæ necessarius, aut denique tota significatio sacramenti. Erit ergo sacramentum signum quoddam, quod successiuè fit, & intrinsecè terminatur, in quo termino habet perfectam significationem suam, & ideò in eo esse dicitur, quia signum tunc est quãdo significat. Atq; huius rei exemplũ esse potest oratio, vel propositio, quæ ante instans, in quo consummatur sensus eius, nõ potest dici esse, quia nondũ significat verũ, vel falsum, in illo verò instanti propriè dicetur esse, quia tunc habet veram significationem.

Sacramentũ non in omnibus imitatur entia successiua.

Sacramentũ in eo instanti esse dicitur, in quo habet perfectam significationem.

Obiectioni satisfit.

Ad argumentum ergo respondeo, in illo instanti incipere esse sacramẽtum per primum sui esse in esse perfecto, quamuis secundũ esse imperfectum antea fiat, sicut calor vt octo incipit esse per primum sui esse, quia tunc terminatur, & perficitur, licèt antea fieret quoad latitudinem caloris per alterationem successiuam, vnde quod ita incipit per primum sui esse, non oportet, vt simul incipiat, sed quòd in instanti absoluatur, ac terminetur: neque oportet: vt diximus, in hoc esse simile sacramentum alijs entibus successiuis, quæ non requirunt determinatam perfectionem, & veluti intrinsecam consummationem, sed solam successionem. Atque idem respondendum est ad alteram partem de desitione sacramenti: concedo enim, illud idem instans, quod est primum esse sacramenti perfecti, esse vltimum esse sacramenti, quod nullum est inconueniens, vt ex dictis facilè constat.

Vltimò facilè ex dictis intelligitur, quomodo sacramentũ gratiam conferat in vnico instanti, in quo & ipsum sacramentũ existit, & primò perficitur, ac consummatur; quia in eo instanti omnia cõcurrunt, vt effectus fieri possit, quæ neq; ante illud instans, nec post illud cõcurrere potuerunt; quia in eo instãti causa est essentialiter perfecta, & antea non fuit, neq; posteà duratura est: & alioqui subiectũ est capax, & sine obice, vt supponimus, & effectus natura sua postulat, vt indiuisibiliter fiat: ergo in nullo alio tempore, vel instanti perfici cõmodius potest huiusmodi effectus. Quam doctrinam colligo, ex D. Thom. infrà quæst. 75. art. 7. ad 1. & 3. dicente, transsubstantiationẽ perfici in vltimo instanti prolationis verborum, & quæst. 78. art. 4. ad 3. vbi dicit in vltimo instanti prolationis verborũ habere verba virtutem efficiẽdi, & eandem doctrinam significat Capreol. in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ad 2. Scoti cõtra tertiam cõclusionẽ, vbi refert alia loca D. Thomæ. Possunt etiam prædicta omnia confirmari quodam vulgari exemplo seu casu, nimirũ, si contingat subiectum deficere in eo instanti, in quo consummatur sacramentũ, ita vt illud instans sit primum non esse hominis, qui sacramentũ recipit, an tunc detur gratia per sacramẽntum, nam iuxta opiniones suprà tractatas, & præsertim iuxta quartam sequitur, sacramentum fuisse perfectum, & consequenter ratione illius dandam esse gratiam, etiam si in illo vltimo instanti danda sit. Et ita sentiunt Maior in 4. distin. 16. & Adria. materia de Confessione, quæst. 4. quod tamen habet nonnulla incõmoda, primum, hominẽ, qui toto tẽpore vitæ fuit in peccato mortali, vel originali, in termino eius incipere esse in gratia, vel etiã in gloria, ratione Baptismi. Secundò saluari eũ, qui in hac vita, nec fidem actualẽ, nec habitualẽ in consecutus est. Iuxta nostrã autem sententiã hæc incõmoda facilè vitantur: negamus enim illum hominẽ accepisse sacramentũ, quia defuit illi aliquid necessariũ ad essentiã, & perfectionẽ sacramenti. Item, quia cùm in eo instanti perficiatur significatio, & tũc deficiat subiectũ, quod per verba significatur, nõ possunt tunc reddere verũ sensum. Vnde consequenter fit, vt neq; tunc detur effectus sacramenti, quia sine sacramentũ nõ cõparatur effectus, vt suprà dictũ est, & hoc significauit Soto in 4. d. 9. q. 1. art. 7. in fine.

D. Thom. *Capreol.* *Confirmatur.* *Maior.* *Adrian.* *Soto.*

Obiectio.

Dices, si sacramentum in solo vltimo instanti confert gratiam, ergo non totum sacramentum facit illam, sed solùm aliquid indiuisibile sacramenti, quod in illo vltimo instanti existit.

Solutio.

Respondetur simpliciter negando consequentiam; quia, licèt sacramentum solùm efficiat per illum vltimum terminum suum, tamen simpliciter totum sacramentum confert effectum, quia ille vltimus terminus non efficit, nisi in virtute, seu ratione totius formæ. Item, quia, quod fit per partem, vel per aliquid, quatenus est complementum alterius, simpliciter, fit ab ipso toto, sicut homo videre dicitur, licèt non per omnes sui partes, sed per oculum tantùm videat, & globus perfectus tangit planum, & impellit illud, quamuis solùm per indiuisibile tangat, & impetum imprimat. Adde, quod in sacramentis, licèt in ratione mutationis, seu successionis illud, per quod fit actio, sit quid indiuisibile tamen, considerando rem ipsam, semper est res aliqua diuisibilis, vt aqua, sonus, vel similia.

Sed

Universidad de Deusto Biblioteca

In quo instãti detur gratia.

Sed quæres rursus, cùm sacramentũ cõstet forma, & materia, in quo instanti vltimo detur gratia: an in eo, in quo absoluitur forma, vel in quo finitur materia: non enim semper inter vnum, & idem. Respõdetur, in quouis illorum, quod fuerit vltimum complementum sacramenti: non enim est de substantia sacramẽti, quòd physicè finiatur priùs forma, quàm materia eius, sed interdum potest priùs absolui forma, interdum materia, dummodo moraliter coniungantur, vt suprà dictum est. Et donec vtraq; finita sit essentialiter, nõ est completum sacramentũ, & ideò indifferenter fieri potest, vt sacramentũ compleatur posteriùs tempore, quàm forma, si nondũ finita sit materia, & è contrario, atq; eadem ratione, interdũ fieri potest effectus in instanti cõpletiuo formæ, interdum verò in instanti terminatiuo materiæ, dummodo sit illud, in quo completur sacramentũ: nam hoc solum est per se, ac simpliciter necessariũ. Vnde fit, hunc effectum gratiæ re ipsa interdum fieri per formam, interdum per materiam, interdum per vtrãque ratione vltimi termini, si contingat vtrumque simul concurrere, semper tamen effectus tribuitur toti sacramento, quia fit in virtute totius, vt suprà dictum est; & eodem modo tribuitur magis formæ, quàm materiæ; quia illa est, quæ determinat significationem materiæ, vel etiam, quia regulariter consummatur in ea sacramentum.

Vltimò supererat hic difficultas specialis de sacramento Eucharistiæ: nam quæ hactenus diximus propriè solùm procedũt de his sacramẽtis, quæ cõsistũt in vsu, & ita cõmunia sunt omnibus sine vlla speciali difficultate: at verò sacramentum Eucharistiæ est permanens, & quanuis constet, non conferre gratiã ante vsum manducationis; tamen ille vsus habet successionem, & in eo reperiuntur duo valde diuersa à cæteris sacramentis. Primum est, quòd à principio vsus vsque ad finem, totum sacramentum iam existens applicatur, & tangitur à suscipiente. Secundũ, quòd aliquo tempore post finitam manducationem permanet sacramentum applicatum suscipienti, & ideò est specialis difficultas in hoc sacramento, quando cõferat suam gratiam. Sed cùm sit illius propria, in propriam etiam materiam reseruanda est.

SECTIO III.

Vtrum sacramenta conferant gratiam postquam transacta sunt.

Quæstionis sensus explicatur.

HAEC difficultas potissimũ procedit de gratia habituali, & de sacramẽtis quæ consistũt in vsu, & si extendatur ad Eucharistiã, intelligenda est de tempore, postquam species sacramentales esse desierunt, seu corruptæ sunt, nam de tempore, quo permanent in stomacho post manducationem, est specialis difficultas suo loco tractanda. Rursus supponendum est, certum esse, sacramentũ, propriè loquendo, vnum tantùm effectum gratiæ cõferre, vnde, si sacramentum, quando recipitur, suũ effectum conferat, certum est posteà non conferre aliũ similem; quia tantùm ordinatur ad vnum adæquatũ effectum gratiæ conferendum: agimus enim de gratia habituali, nam de auxiliante infrà dicam. Non disputo nunc, an illa gratia per sacramentum semel collata, si posteà per peccatum perdatur, rursus per pœnitentiam restituatur; quia hoc non est præsentis instituti, sed ad materiã de pœnitentia spectat; & quãuis demus, illam gratiam restitui, illa non censebitur nouus effectus sacramenti, sed quasi cõtinuatiò prioris, sine noua dependẽtia à sacramento, sed ex vi applicationis meritorum Christi factæ per præcedentem sacramenti susceptionem. Difficultas ergo superest, quando sacramentum eo tempore, quo suscipitur, nõ habet effectum propter fictionem seu obicem suscipiẽtis, an posteà incipiat illum habere, quando fictio, seu obex remouetur. In qua duo possunt esse extremi modi dicẽdi, plures autem medij inter alios extremos.

1. Modus dicendi ... tuitur, & probatur.

Primus in vniuersum negans, sacramentum, quod semel fuit impeditum, ne conferret suum effectum propter obicem, posteà illum conferre, etiam si obex auferatur: quia promissio gratiæ solùm est facta susceptioni ipsius sacramenti, & sub ea cõditione, si homo nõ ponat obicem; si ergo homo conditionem non implet, & obicem ponit, promissio Dei nõ habet effectum, atq; adeò Deus liber manet ab omni obligatione conferendi talem effectũ. Rursus sacramentum iam non est, vt possit illũ conferre: ergo non est, cur dicamus, illum per sacramentum postea dari; quia nec sacramẽtum dat, nec Deus dare tenetur ratione sacramenti, quod si nõ tenetur, neque infallibiliter dat, nec ex certa lege, vbi enim est huiusmodi lex: Quòd si non infallibiliter datur, iam non est effectus sacramentalis. Et confirmatur, nam sacramentum non dat gratiam, nisi per illud applicentur Christi merita ad hũc effectum, sed ei, qui ponit obicẽ sacramento, non applicantur tunc Christi merita, quia est inimicus, & incapax meritorum Christi: ergo illud sacramentum non potest posteà habere effectum in huiusmodi homine. Probatur cõsequentia, quia sine applicatione meritorum Christi non potest gratia conferri; quia hæc applicatio non fit, nisi per ipsum sacramentum, quando suscipitur. Et hanc sententiam necesse est doceant illi autores, qui negant, baptismum habere effectum recedente fictione, quia si de aliquo id affirmandum est, maximè de baptismo; hos autem autores referam in propria materia.

2. Modus dicendi. *Caiet. Soto. D.Thom.*

Secundus modus dicendi est, Omnia sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa posteà ablata, incipere conferre suum effectum gratiæ sanctificantis. Ita sentit Caieta. tom. 1. Opusc. tract. 5. q. 5. de confess. informi, & Pet. Soto, lect. 4. de Baptism. & videtur esse sententia D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. artic. 4. q. 1. vbi cùm dixisset, eum, qui sine interiori pœnitentia absoluitur, tunc nõ percipere fructum absolutionis, consequi tamen illum recedente fictione, subdit, sicut etiam est & in alijs sacramentis: vnde eidem sententiæ adhærere videntur Palud. ibi. q. 8. Capr. q. 2. Ratio huius sententiæ esse potest, quia sacramentorum omnium institutio, & causalitas eiusdem rationis est, constat autem, aliqua sacramenta habere effectum recedente fictione; ergo idem dicendũ est de omnibus.

Obiectio. Respõ...

Dices, in quibusdã esse specialem causam, & necessitatem, vt in Baptismo, aut Pœnitẽtia. Sed contra, quia absolutè nulla est necessitas, vt sacramẽtum incipiat habere proprium, & specialem effectũ, satis enim erat, quod homo posset resurgere à peccato per contritionem absq; voto eiusdẽ sacramenti, sed potiùs cum ordine ad sacramentum susceptum, quod fieri potest, absque effectu ex opere operato. Nam, sicut suprà diximus, quando datur gratia per contritionem in voto futuri sacramenti, non dari ex opere operato, sed solùm iuxta dispositionem operantis,

cum ordine ad sacramentum futurum: ita posset dari gratia, solùm iuxta dispositionem operantis, cũ ordine ad sacramẽta præterita, absq; effectu ex opere operato; & illa gratia esset sufficiens ad salutem; ergo quòd sacramenta aliqua habeant effectum ex opere operato, recedente fictione, nõ est propter necessitatem simpliciter, sed propter maiorem vtilitatem, & propter efficaciam meritorum Christi, & sacramentorum eius: hæc autem ratio locum habet in omnibus sacramentis. Quæ in hunc etiam modum explicari potest, quia per vsum sacramenti applicantur Christi merita, quantũ est ex parte Dei, & Christi, ergo post sacramentum receptum manent Christi merita applicata, & acceptata à Deo, vt quotiescũque ablatum fuerit impedimentum, statim habeant suum effectum. Nam sicut gratia priùs collata per sacramentum, & deinde per peccatum amissa, posteà per pœnitentiam reparatur, quia ad illum effectum iam semel fuerũt applicata Christi merita, quæ semper manent in diuina acceptatione, ita eadem gratia quæ danda erat per sacramentũ, quãdo primò susceptũ fuit, si nullũ inuenisset impedimentũ, reuiuiscet posteà ablato impedimento, quia merita Christi fuerũt applicata, & acceptata à Deo ad illum effectum. Atq; similis cõiectura, seu proportio sumi potest ex eo, quòd opera mortificata reuiuiscunt posteà quoad effectũ gratiæ: quia sacramentũ, etiã si in peccato suscipiatur, licèt, vt est opus hominis recipientis illud, sit opus mortuũ; tamen vt est opus Christi, non est opus mortuũ, sed viuum, quanuis quoad effectũ sit veluti mortificatũ ex indispositione operantis; ergo sicut alia opera mortificata recedẽte peccato habẽt suum præmium, ita & sacramẽtum fictè susceptum, recedente fictione habebit effectum suum.

3. Dicendi modus. Soto. Durand. D.Thom. Palud. Syluest. Couarru.

Tertius modus dicendi est, Baptismũ habere effectum suum, recedente fictione, alia vero sacramenta minimè, ita Soto in 4. d. 6. q. 1. art. 8. Alij hãc virtutem tribuunt Baptismo, & Pœnitentiæ tantùm, quod sentit Durand. in 4. d. 4. q. 4. nu 8. & d. 17. q. 13. Alij hoc tribuunt omnibus, & solis sacramentis imprimentibus characterem. Quod sentit D. Tho. in 4. d. 4. q. 3. art. 2. quæstiũc. 3. ad. 3. Palud. ibi. q. 5. Sylu. verb. Baptismus. 4. in fin. Couarru. in ca. Alma mater. 1. p. §. 4. nu 13. in fin. Quæ sententiæ cõmodius examinabuntur infrà in materia de Baptismo. Nunc solùm in genere quæstioni propositæ respondetur: nõ repugnare sacramento nouæ legis, vt sic, habere effectũ, postquam transactũ est, habendo scilicet effectũ recedente fictione. Probatur, quia certum ferè est, effectum Baptismi dari recedẽte fictione; est enim hæc aperta sententia August. libr. 1. de Baptism. ca. 12. & lib. 3. ca. 13. quam omnes Theologi secuti sunt, vt in proprio loco videbimus, motus est autem Augustinus ad hoc asserendũ, propterea quòd sacramentum Baptismi iterari non potest, vnde, ne homo, qui fictè illũ suscepit, perpetuò careat effectu huius sacramenti, necesse est, vt effectus sacramenti priùs indignè suscepti, redire possit recedente fictione. Quod maximè in hoc sacramento necessarium fuit, quia eius effectus, scilicet remissio originalis peccati, est necessarius ad salutem, & sacramentum ipsum est medium necessariũ ad talem effectũ obtinẽdum, vt latiùs in prædicto loco dicemus. An verò hoc sit propriũ eius, vel alij etiã conueniat, tractabimus agentes de effectu Baptismi.

Sacramentũ transactum non dat propriè effectũ, sed Deus ratione illius.

Vltimò addendum est, quando effectus sacramenti fit post sacramentum susceptum, & aliquo tempore transactum, tunc non propriè fieri effectum ab ipso sacramento, sed dari à Deo intuitu sacramenti, seu ratione sacramenti priùs suscepti: cùm enim sacramentum iam non sit; nõ potest propriè causare, vel efficere gratiam; nam causare, & efficere supponit esse, ergo solùm dicitur ille effectus dari ratione sacramenti, quia intelligitur manere in diuina acceptatione, de qua re dicemus plura in sequenti disputatione.

Ad argu. in contrarium respõdetur.

Ad fundamenta aliarum opinionum facilis est responsio ex dictis. Ad rationem enim primæ sententiæ dicendum est, sacramenta, quæ habent effectum recedente fictione, id habere ratione diuinæ promissionis, quæ sub hac lege, & modo fieri potuit, & facta creditur, quando finis, & natura sacramenti id postulare videtur. Vnde ad fundamenta secũdæ opinionis dicitur, hanc promissionem, & institutionẽ non esse eiusdem rationis in omnibus sacramentis, quia non est in omnibus eadem causa, & eadem necessitas, vt declaratum est. Cætera, quæ ibi dicũtur, facilia sunt, & ideo non est necesse ad singula prolixiùs respondere.

DISPVTATIO IX.

De modo, quo sacramẽta efficiunt gratiã.

IN hac disputatione non est sermo de modo effectionis ex parte ipsius effectus, vt ita dicã, id est, an fiat in instanti, vel successiuè, vel an fiat per creationem, vel eductionem de potentia subiecti, nã prior quæstio in præcedenti disputatione expedita est, posteriorem verò obiter attingemus in sequentibus. Est igitur sermo de modo effectionis seu causalitatis ex parte ipsius causæ, seu sacramenti. Supponimus autem tanquam certum, sacramenta non efficere gratiam, vt causas principales, sed vt instrumẽta; quod est per se notum, quia neq; ex se, neq; in se habent virtutem sufficientem ad huiusmodi effectum producendum, solùm ergo superest quæstio de modo instrumentorum, id est, an sacramenta efficiant, vt propria instrumẽta physica, vel alio imperfectiori modo, & minus proprio. In qua re dicemus priùs, quid fuerit possibile, deinde quid de facto fuerit à Christo institutum.

SECTIO I.

Vtrum sacramenta potuerint esse propriæ causæ instrumẽtales physicæ, gratiæ sanctificantis.

1. Sentẽtia negat. Durand. Scotus. Capreol.

AVtores ferè omnes, qui negant, sacramenta de facto esse instrumenta physica, supponere videntur esse impossibile cõmunicari sacramentis hoc causalitatis genus, & ita videntur procedere, Durand. Scot. Capreol. & alij Sect. sequẽti citandi. Potest autem hæc sententia fundari, primo in speciali quadam proprietate sacramentorum, eorum præsertim, quæ in vsu consistunt, scilicet, quia sunt entia successiua, quæ dum fiunt, non sunt perfecta, & quando sunt perfecta, iam non sunt, quando autẽ non sunt, efficere non possunt.

Fundamẽta.

Sed hoc fundamentum expeditum à nobis est ex dictis disputatione præcedenti, sectio. 2. Vbi declarauimus, quomodo effectus

Universidad de Deusto
Biblioteca

effectus gratiæ fiat in aliquo instanti, in quo sacramentum perficitur, & existit per aliquid reale, pertinens ad intrinsecũ complementũ suum, per quod potest gratiam efficere. Secũdò fundari potest hæc sententia in aliqua speciali proprietate gratiæ, efficiendæ per sacramentum, scilicet, quia gratia tantùm potest fieri per creationem: nulla autẽ creatura potest esse creationis instrumentũ. Maior patet, quia cùm gratia sit forma supernaturalis, non cõtinetur in potentia animæ: ergo non potest inde educi: oportet ergo vt creetur. Tertiò potest fundari in generali ratione omnium diuinorum operum, seu miraculorum, quæ superant virtutem creaturæ; & ideò non videntur propriè, ac physicè effici posse ab inferiori creatura; quia impossibile est operari sine virtute operandi; creatura verò non habet virtutem ad gratiam efficiendam, quia neq; habet illam connaturalem, cum tota illa actio sit supra naturam eius; nec superadditã, quia nulla res seu qualitas ei additur, per quam agat. Quæ ratio maximè locum habet in sacramentis, quæ in esse naturæ, seu entitatis suæ sunt valde imperfecta, quia solùm sunt quidam motus locales, vel soni, aut voces. Et augeri potest hæc difficultas. Primò, quia in his rebus, præsertim in sacramentis, nulla potest intelligi actio prævia proprij instrumenti, per quam concurrat ad gratiam efficiendam; sed sine huiusmodi actione nõ potest intelligi propria ratio instrumenti, quia de ratione instrumẽti est, vt de se aliquid conferat, & agat ad effectum principalis agentis, alias vix intelligi potest, quomodo instrumentum sit. Confirmatur secundò, quia, si sacramenta possunt assumi vt instrumenta ad efficiendam gratiam, eadem ratione quælibet res posset esse instrumentum ad efficiendam quamcunque aliam, quia nõ est maior ratio de vna, quàm de alia; consequens verò videtur falsum, aliàs per sensum posset Deus efficere visionem beatificam, & per relationem posset efficere rem absolutam, quantũuis perfectam. Vnde etiam fieret, vt per diuinas etiam relationes posset Deus ad extra efficere, quia nulla est ratio, qua magis posit Deus efficere per creaturas, non habentes virtutem connaturalem operandi, quàm per relationes sibi proprias, & intrinsecas; cõsequens autem est falsum, alias etiam posset Deus aliquid efficere per vnam relationem personalem, & non per aliam, atque ita opera Trinitatis ad extra non essent necessariò indiuisa.

Sacramenta posse esse instrumenta physica non repugnat. D. Thom. Caiet.

Nihilominùs dicendum est non esse impossibile, neq; implicare contradictionem, vt sacramenta sint propria, ac physica instrumẽta ad gratiam in anima efficiendam, attingendo immediate ac proximè ipsum gratiæ productionem. Hæc est sentẽtia D. Tho. in his articulis, quam Caiet. sequitur, & alij eius discipuli frequentiùs. Et probari potest primò omnibus testimonijs, quibus suprà probabimus, ita esse de facto. Secundò probari potest ex his, quæ docuimus in primo Tomo huius partis disput. 31. vbi ostendimus Christi humanitatem fuisse instrumentũ physicè gratiam efficiens: nõ est autem maior implicatio contradictionis in sacramẽtis, vt per se constat, quia Christus, aut verbo, aut tactu suo gratiam conferebat; cur ergo non poterit idem facere, per verbũ sacerdotis, seu ministri? Tertiò ratio à priori est, quia non implicat contradictionem, vt Deus faciat creaturam aliquam pendere ab alia, à qua ex natura sua non pendet; neque implicat Deum facere, vt creatura aliter producatur, quàm ex natura sua produci possit. Nèque etiam repugnat, vt aliqua naturalis potentia aliquid efficiat vltra suas naturales vires, vt verbi gratia, quòd intellectus efficiat visionem beatam; ergo pari ratione non implicabit contradictionem, quòd sacramenta efficiant gratiã. Sed hoc ostẽdetur melius, soluendo difficultates, & repugnantias, quæ in hac effectione esse vidẽtur: nam si nulla afferri potest ratio, quæ ostendat hoc implicare contradictionem, nõ est cur asseramus hoc esse Deo impossibile. Et quoniam, vt dixi, prima difficultas in superioribus expedita est, reliquis tantùm satisfaciendum erit.

Ad secundum fundamentum varijs respondetur. 1. Modus.

Secunda ergo difficultas nõ solùm alios autores, sed etiam plures ex D. Thom. sectatoribus torsit, & ideò variè circa illã locuti sunt. Primus modus respondendi est, illo argumento rectè probari, sacramenta non posse esse instrumenta physica ad efficiendam gratiam immediatè ac proximè illam attingendo; posse tamen esse instrumenta ad efficiendam aliquam dispositionem, vt characterem, vel ornatum, ad quem statim sequitur gratia, sicut (iuxta multorũ opinionem) calor est instrumentum ignis ad producendum ignem, non quia attingat ipsam substantialem formam ignis proximè, & immediatè, sed quia efficit dispositionem, ad quam illa forma consequitur. Ita opinatus est D. Tho. q. 27. de verit. artic. 4. ad 3. & in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quem secuti sunt ibi Palud. q. 1. opinione 2. Capreol. q. 1. concl. 3. Thomas de Argentin. q. 1. & in 2. d. 19. q. 1. art. 3. Sed hic modus dicendi mihi omnino displicet, quia neq; vlla ratione fulcitur, nec consequenter loquitur, quia necesse est, vt in eandem difficultatẽ incidat, quam vitare cupit: vnde difficultatem nõ soluit, sed auget. Quod vt declarem, interrogo de dispositione illa, quam dicuntur sacramenta efficere, an sit qualitas aliqua naturalis, vel supernaturalis; nam primum horum dici non potest, tum, quia huiusmodi qualitas naturalis gratis ac sine fundamento esset cõficta; neque explicari potest, quæ vel qualis sit, aut quod sit eius munus, tum etiã, quia secundũ fidem nulla qualitas naturalis est ex se sufficiẽs dispositio, vt ad eam gratia consequatur, necessarium ergo est dicere, illã dispositionẽ esse qualitatem aliquam supernaturalẽ. Quo posito, argumentor primò, quia vel illa qualitas sit per creationem, vel non; si creatur: ergo non magis potest immediatè fieri per sacramenta, quàm gratia, ergo oportebit aliam fingere dispositionem, quam posit sacramentum attingere, de qua eadem redibit quæstio, & argumentandi ratio; atq; ita poterit in infinitum procedi. Si verò non creatur, ergo nec gratia creabitur, quia licèt dici possit, gratiam esse perfectiorem qualitatẽ, quàm sit illa dispositio, tamen in hoc conueniunt, quòd vtraque est forma supernaturalis, & vtraq; fit in subiecto vltra naturalem capacitatem eius; ergo, vel vtraq; creatur, vel neutra. Secundò, hæc qualitas, seu dispositio superna turalis gratis est conficta, & sine fundamento, nam in primis, licèt certum de fide sit, tria sacramenta imprimere characterem, qui est veluti potentia quædã, aut spirituale signaculum, quo anima ad speciale aliquod munus obeundum cõsignatur; tamẽ propriè, & in rigore loquendo, non potest character dici dispositio, ad quam gratia consequatur; quia, nec gratia ipsa ex se postulat talem dispositionem, vt cõstat, quia sine huiusmodi charactere multis temporibus gratia est hominibus communicata, & nunc etiam sæpè communicatur; cùm tamen nunquam detur sine propria, & cõnaturali dispositione, quam ipsa gratia secundùm se requirit; ergo ex parte ipsius gratiæ non est hæc dispositio ad illam. Neq; etiam ex parte characteris reperitur illa naturalis connexio, vt posito charactere, necessariò ponatur gratia; quia, licèt de facto ita sit, vt cui datur character, detur etiam gratia, ablato obice, propter diuinam promissionẽ, vel efficatiam sacramentorum; tamen, quòd hoc sit ex naturali connexione ipsarum qualitatum; nõ potest cum fundamẽto, sed merè gratis affirmari; alioquin etiam posset aliquis dicere, amissa gratia, amitti characterem, quia ablata forma, auferetur vltima dispositio. Igitur si hæc sacramenta, quæ characterem imprimunt, nullam possent habere efficientiam circa gratiam præter eam, quam habẽt circa characterem, propter illam solam non possent dici instrumẽta physica gratiæ sanctificantis. Tertiò, in sacramentis, quæ non imprimunt characterem, vanum est fingere qualitatem illam præuiã ad gratiã, quæ dicitur ornatus. Quæ est enim qualitas ista? aut in quo est subiecto? aut propter quem finem, vel effectum ponitur? Nihil sanè respondeti potest probabiliter. Quod in hãc modũ declaratur, quia anima suis actibus, & habitibus ornatur: illæ autem ornatus non est habitus operatiuus, vt prædicti etiam autores concedunt, quia non posset esse, nisi aliqua ex virtutibus infusis. Et hinc fit, huiusmodi ornatũ non esse in potentijs animæ, quia in eis tãtùm sunt habitus operatiui: neque etiam est, cur fingatur esse in essentia, quia ad nullum finem est necessarius, quia, nec ponitur ad consignãdum hominem ad aliquod spirituale munus; alioqui esset character, & ita omnia sacramenta imprimerent characterem, quod est contra mentem Conciliorum, & contra rationẽ, quia nullum est speciale munus, ad quod obeundum consignentur homines per cætera sacramenta. Neq; etiã dari potest huiusmodi ornatus in essentia animæ, vt sit dispositio ad gratiam; tum quia aliàs etiã alia sacramenta, quæ imprimunt characterem, præter characterem imprimerent huiusmodi ornatum; tum etiam, quia si gratia indigeret huiusmodi dispositione, etiam postularet illam in iustificatione, quæ fit extra sacramentum. Tum præterea, quia anima per se est capax gratiæ; quæ immediatè illam informat, & perficit; nec est cur requirat aliã dispositionem physicam per modum habitus, seu actus primi. Tum denique, quia aliàs etiam in voluntate esset necessarius ornatus præuius; qui esset dispositio ad infusionem caritatis; imò ad ipsum ornatum posset requiri alia dispositio, & sic in infinitum. Præterea hic ornatus non est aliquis actus secundus, quia non potest esse, nisi aliquis actus alicuius virtutis, neque enim alium in nobis experimur, neque aliquid aliud fingi, vel excogitari potest. Ac denique, quia iuxta veram ac sanam doctrinam, vt hæc sacramenta conferant gratiam, non est necessaria ex parte hominis alia dispositio, nisi vel attritio, vel contritio, aut dilectio, aut alij similes actus. Quartò sumi potest speciale argumentum ex effectione seu consecratione Eucharistiæ: ibi enim non potest fingi ornatus, qui sit dispositio prævia ad transubstantiationem, quia illa dispositio non posset fieri in subsantia panis, quia hæc iam non est, quando verba efficiunt transubstantiationem, & ante illud instans verba nihil efficiunt, quia nondùm habent completam significationem & sensum. Nec posset fieri illa dispositio in corpore Christi, tum, quia per hoc mysteriũ nulla qualitas additur corpori Christi, sed sola sacramentalis præsentia; tum etiam, quia corpus Christi non est subiectum, quod præsupponitur transubstantiationi, sed est primarius terminus eius, non ergo præsupponitur tanquam subiectum, in quo recipiatur prævia dispositio. Nec deniq; fieri potest illa dispositio in accidentibus panis & vini propter similes rationes, scilicet, quia illa accidentia nihil acquirunt in hoc mysterio præter modum per se existendi, ad quem non potest dispone re qualitas aliqua, cũ omnis qualitas natura sua postulet esse in subiecto. Dicetur fortasse, in hoc opere non esse necessariam dispositionem prævliam, quia non fit per creationẽ, sicut fit gratia. Respondetur primò non esse minorem difficultatem in instrumento transubstantiationis, quam creationis, vt in dicta disputatione 31. primo tomo attigi, & latiùs infrà dicam, tractando de Eucharistia; si ergo verba consecrationis possunt immediatè attingere transubstantiationem, & non tantùm dispositionem prævia, poterunt verba Baptismi, vel Pœnitentiæ immediatè attingere effectionem gratiæ. Ac deinde tota hæc responsio supponit, & gratiam creari, & non posse dari instrumentum creationis, neutrum autem est verum, vt dicemus.

Obiectio. Responsio.

1. Modus dicendi. Soto. Ledesma.

Secundus modus expediendi hanc difficultatem est Soti in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. quem probabilem etiã existimat Ledesm. 1. part. 4. q. 3. art. 1. nimirũ sacramenta non posse efficere gratiam ipsam; posse tamẽ efficere hominem gratum Deo; quia, licèt effectio ipsius gratiæ sit creatio, tamen q; homo sit gratus Deo, non fit per creationem. Quod alterò è duobus modis videtur Soto explicare. Primus est, quia esse gratum Deo de se non requirit qualitatẽ, fieri enim potest sine illa, ergo possunt sacramenta efficere hominem gratum Deo, etiam si non creẽt gratiam in illo, quãuis Deus statim sua propria actione & creatione illam qualitatem infundat. Sed hæc sententia hoc modo explicata omnino improbabilis est. Primò, quia, estò concedamus, hominem posse fieri gratum Deo sine qualitate inhærente; tamen hoc posito, multò esset impossibilius, quod sacramẽta essent physicè instrumenta ad efficiendum hominem gratum Deo, quia tunc solùm fieret homo gratus per extrinsecam beneuolentiam, vel acceptationem ad supernaturalia dona; quæ denominatio nullo modo fieri posset effectiuè à sacramentis, esset enim extrinseca ab actu Dei, & nihil in homine intrinsecum poneret, sacramenta autem nec possent efficere ipsum actum Dei, vt per se constat, nec denominationem ab actu illo desumptam, quia talis denominatio, vt dixi, nihil ponit in homine, efficientia autem realis necesse est, vt habeat aliquem effectum realẽ in subiecto, circa quod fit, nã si nihil fit, nulla potest esse effectio. Quod facilè explicatur illo exẽplo, quo ipse Soto vtitur, de amicitia humana, quatenus consistit in mutua beneuolentia, quæ fit per actus secluso omni alio reali habitu; nam hoc posito possibile est intelligere, quòd huiusmodi amicitia habeat aliam causam efficientem, præter eã, quæ efficit actus mutuæ beneuolẽtiæ: sic igitur, si esse gratum Deo, solũ consisteret in extrinseca beneuolentia Dei, nõ posset dari causa efficiens hominem gratum, seu ipsius esse grati, nisi quæ efficeret actum beneuolentiæ diuinæ erga hominẽ; illius autẽ actus nulla potest dari causa efficiens, quia est ipsemet actus increatus, qui est in Deo, Atq; simili ratione, si esse gratum Deo, esset denominatio sumpta non ab actuali gratia inhærente,

Refellitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hærente, sed ab aliquo actu ipsius hominis diligentis Deum, non possent sacramenta physicè efficere hominem gratum Deo, nisi efficiendo physicè actũ illum, quo gratificaretur homo. Et ratio generalis est, quia huiusmodi compositа, seu concreta, non possunt aliter fieri, quàm efficiendo formã in subiecto, vel vnionem eius, si autem homo fieret gratus per extrinsecam acceptationẽ, sacramenta non possent efficere formam, qua homo gratus fieret, quia talis forma non esset aliquid præter ipsum actũ Dei, nec possent efficere vnionem, quia illa non esset realis & physica, sed solùm per extrinsecam habitudinem, & denominationem. Secundò reijcienda est hæc sententia, quia est impertinens ad explicandam causalitatem, quam nũc habent sacramenta, nã, quidquid sit de possibili, tamen de facto est certum, hominem fieri gratum Deo formaliter per qualitatem inhærentem, non possunt ergo sacramenta nũc efficere hominem gratum causalitate physica, nisi de facto possint efficere, vel qualitatem ipsam gratiæ, vel saltem realem eius vnionem ad animam.

Quocirca adhiberi potest alter modus explicandi hanc Soti sententiam, scilicet, quòd in ipsa gratia distinguantur illa duo, nimirùm ipsa qualitas gratiæ, & vnio eius, seu inhærentia in anima, & quòd solus Deus priùs natura efficiat per creationẽ qualitatem ipsam gratię secundũ se ac præcindendo ab vnione, ac subiecto, in qua actione sacramenta non possunt esse instrumenta propter difficultatem tactam, scilicet, quia non possunt concurrere ad creationem. Præter hanc verò actionem ponẽda est ibi alia actio, per quam gratia vnitur animæ, & ad hanc possunt concurrere sacramenta, vt instrumẽta, quia illa actio nõ est creatio, & hoc modo possunt efficere hominem gratum, non creando gratiam. Exemplum huius rei est in hominis productione seu generatione; nam ibi duæ actiones circa animam intercedunt, vna est creatio animæ, ad quam nulla alia causa præter Deum potest cõcurrere, altera est vnio animæ ad corpus, ad quam possunt aliæ causæ naturales cooperari. Potest autem hæc sententia sic explicata fundari, vel in speciali natura illius qualitatis, quæ est gratia; nã cùm sit forma omnino supernaturalis, & specialis participatio diuinæ naturæ, non videtur posse aliter fieri, quàm per creationem, petit tamen vniri subiecto, eò quòd est accidens eius; vel secundò fundari potest in generali ratione omnium formarum, quæ in subiecto fiunt, quia in omnibus necesse est distinguere duas actiones, vnam per quam fiat entitas formæ, alterã per quam fiat vnio eius ad subiectum. Quod potest probari, primò quia hæc duo in re ipsa distincta sunt, scilicet, entitas formæ, & vnio eius, nam in re possunt separari: potest enim Deus conseruare formam sine vnione, ergo actio, per quam fit forma ipsa, distincta est ab actione, per quam fit vnio, quia, si termini sunt distincti, necesse est actiones esse distinctas. Secũdò potest hoc ipsum aliter probari, quia omnis forma creata essentialiter est creatura; ergo essentialiter habet dependentiam à Deo; ergo in omni huiusmodi forma essentialiter includitur aliqua dependentia à Deo, quam necesse est, esse omnino inuariabilem, & inseparabilem à forma creata: quia ea, quæ sunt essentialia, inuariabilia & immutabilia sunt. Hæ autẽ dependentia essentialis non potest esse, nisi per modũ creationis, quia solus hic modus dependentiæ est simpliciter necessarius, vt forma quælibet in rerum natura existat, vel

A conseruetur; si enim Deus faciat, vel conseruet gratiam, aut calorem separatum extra subiectũ, ibi nulla interuenit actio educens formã de potentia subiecti, neq; vniens illam subiecto; quia ibi nullum interuenit subiectum neq; causalitas eius, quod est signũ, huiusmodi actiones vel dependentias non esse essentiales his formis, quandoquidem separãtur ab eis, necessaria autẽ esset tunc actio diuina, seu dependentia à Deo per modũ creationis, vel conseruationis, quæ non sit alia actio, quã creatio permanens, ac durãs; sine qua dependentia non posset illa forma esse in rerũ natura; ergo hæc dependentia est essentialis, & inuariabilis in omni forma creata; ergo, quandocunq; fit talis forma in subiecto, habet hanc dependentiã à Deo, & consequẽter, priùs natura creatur, quàm vniatur subiecto; quia prior est essentialis dependẽtia à creatore, quã accidẽtalis à creatura, sic igitur gratia hoc ipso, quòd creata est priùs natura creatur à Deo quã per sacramenta vniatur animæ.

B Sed hæc sententia hoc etiam modo explicata mihi videtur falsa & improbabilis, & in primis, vt à clarioribus incipiamus, exemplum de anima rationali, non solùm non valet ad confirmandam hanc sententiam, verùm etiam deseruire potest ad confutandam illam, si differentiam inter qualitatem gratiæ, & animam rationalẽ consideremus; anima enim est forma natura sua subsistens & indepẽdens à corpore, gratia verò cùm accidens quoddam sit ex natura sua non est subsistens, sed inhærens ac pendens à suo subiecto in esse, & conseruari. Quæ differentia, quoad priorẽ partem est certa de fide, quoad posteriorem verò, quamuis non tam apertè videatur ad fidem pertinens, nec in proprijs terminis definita, sequitur tamen necessariò ex quibusdam principijs fidei, & alijs euidẽtibus lumine naturæ; quia certũ

C est, gratiam esse in anima, formaliter afficiendo, ac perficiẽdo, atq; adeò informãdo illã; ex quo fit gratiam nõ esse formam substantialem, sed accidentalẽ; quia vna forma substantialis non potest informare aliam; gratia ergo, quæ informat animã, nõ est substantialis, sed accidentalis forma; ergo natura sua postulat actualem inhærentiam in ipsa anima, tãquam in subiecto suo; nam hæc est prima, ac communissima ratio accidentalis formæ, cuiuscunque gradus, aut ordinis illa sit; quia si ex natura sua non postularet hanc inhærentiam actualem, ergo ex natura sua posset esse, & conseruari sine illa, ergo ex natura sua esset apta ad subsistendum; non ergo esset ex natura sua accidentalis forma. Secundò ex hac differentia colligitur alia; quia anima rationalis, etiã cùm

D est corpori vnita, ita conseruatur à Deo in suo esse, vt dissoluta vnione, ex vi prioris cõseruationis existere possit, & manere in rerum natura, & ideò necesse est distinguere duas actiones, & dependentias, aliam, qua conseruatur existentia animæ, & aliã, qua conseruatur vnio, quandoquidem cessante vna ex natura rei manet alia. Neque enim existimandum est, quandiu anima est in corpore, vnica & eadẽ actione conseruari existẽtiam, & vnionem animæ, in morte autẽ hominis cessare actionẽ illam, & inchoari aliã, qua substantia animæ in suo esse sine vnione conseruatur; nam si hoc verum esset, nulla posset afferri specialis ratio, propter quã debita esset animæ rationali cõseruatio eius post separationem à corpore potiùs, quã alijs formis; quandoquidem non aliter ponitur cõseruari in corpore, quam aliæ formæ, scilicet per vnicam actionẽ, & dependentiã, quæ esse nõ potest,

test, nec conseruari sine corpore; actio enim illa, per quã fit, vel cõseruatur vnio, essentialiter pẽdet à corpore, ergo, si per illammet actionem conseruaretur existentia animæ, conseruaretur per actionem depẽdentem à corpore; ergo quandiu esset in corpore, nõ aliter conseruaretur, quàm aliæ formæ; ergo, destructo corpore, nulla esset ratio, cur magis conseruaretur quàm aliæ formæ. Igitur ex inde pendentia, quã existentia animæ habet ab vnione ad corpus, rectè colligitur, etiam eo tempore, quo est corpori vnita, per aliam actionem conseruari existentem, distinctã ab ea, qua conseruatur vnita. Secus verò est in qualitate gratiæ, nam in sua existentia ita pẽdet ab vnione, vt naturaliter, & ex vi illius actionis, qua nunc conseruatur in suo esse, non possit manere existens ablata vnione, & ideò nulla est necessitas fingendi ibi duas actiones, alteram, qua simpliciter conseruetur existentia gratiæ, alterã, qua conseruetur vnita, nam ipsamet existentia non cõseruatur sine vnione. Alioquin, si illæ essent duæ actiones distinctæ, nulla posset reddi naturalis ratio, ob quã, dissoluta vnione, & cessante actione, per quam vnio conseruabatur, nõ posset manere gratia existẽs, & durare actio, per quam ipsa gratia conseruabatur secundùm se; nã hæc actio, cùm non attingat vnionem, ex natura sua non pendet à subiecto: actio enim circa subiectum, nec intelligi potest sine vnione, saltem in fieri, ergo ablato subiecto, & vnione ad illud, posset actio illa, & terminus eius ex natura sua durare, non enim alia ratione permanet anima, corpore destructo; ergo non sunt duæ actiones, sed vna, qua conseruatur gratia, & qua conseruatur vnita.

Tertiò ex his colligitur alia differentia in ipso fieri, quæ præcedẽtem cõfirmat, & declarat; videlicèt, q; cũ anima fit, alia est actio, per quã in suo esse producitur, & alia per quã corpori vnitur; nã sicut habet esse indepẽdens à corpore, ita etiã necesse est, vt C fiat & recipiat esse per actionem independentem à corpore, quæ non potest esse actio eductiua, neque etiam vnitiua animæ ad corpus; nã huiusmodi actio à corpore necessariò pẽdet, est ergo actio distincta, atque vera, & propria creatio, cùm fiat sine cõcursu materiæ. At verò in productione gratiæ, non est necessaria actio, quæ priùs terminetur ad existentiam gratiæ, quàm ad vnionem eius, quia sicut gratia nõ habet esse independens à subiecto, ita neque ex natura sua postulat, vt recipiat illud esse per actionem independentem à subiecto: vnaquæque enim res fit eo modo, quo postulat esse ipsius; si ergo ipsum esse non est independens, ergo nec ipsum fieri; & similiter, si conseruatio non est per actionem independentem à subiecto; ergo neque productio: nam eadem actio, per quam res fit, si duret aliquo tempore, ha- D bet rationem conseruationis. Igitur ex illo exemplo animæ rationalis non potest colligi, priùs gratiam creari, quã vniri, sed potiùs contrarium propter diuersam naturam vtriusque formæ.

Secundò principaliter ostenditur contra hanc sententiam, gratiam ex sua speciali ratione, nimirum, quia est supernaturalis, ac perfectissima qualitas, non postulare, vt alia actione creetur, & alia vniatur subiecto, primò quidem, quia actus fidei, charitatis, & visionis beatificæ, supernaturales qualitates sunt in substantia, & entitate sua, sicut ipsa gratia, & alij habitus infusi, & tamen hi actus effectiuè fiunt à potentijs vitalibus, non solùm quoad vnionem, sed etiam quoad entitatem ipsorum; vnde non priùs natura

A creantur à solo Deo, quàm fiant ab ipsis potentijs: quia saltẽ ex natura rei repugnat actibus vitalibus, vt aliter fiant. Et hoc euidentiùs ostendi potest in actibus liberis; nam si à solo Deo priùs natura efficerentur in nobis, non posset intelligi libertas nostra circa tales actus, quia, vel posita illa Dei efficientia, esset in potestate hominis nõ influere in illum actũ, neq; illũ sibi vnire, & hoc est impossibile; aliàs maneret actus vitalis productus à solo Deo in potentia, ipsa nihil operante, & consequenter neque amante, neque intelligente, neque aliquem effectum vitalem recipiente, vel operante, quod est impossibile: vel posita Dei efficientia, necessariò voluntas influit in illum actum; & sic nulla relinquitur libertas: nec potest esse verum, quod Concil. Trid. sessione 6. definit, scilicet, stante quacunque Dei motione præueniente, & antecedente cõsensum voluntatis, adhuc *Trident.*
esse in potestate eius efficere, vel nõ efficere actum.

B Probatur sequela, quia iuxta contrariam sententiã, priusquàm Deus creet in voluntate nostra actum infusum charitatis, non potest voluntas illum elicere, neque aliquid aliud efficere; ex quo necessariò sequatur infusio, vel creatio talis actus; postquã verò Deus se solo infundit, & creat in voluntate talem actum, non est in potestate voluntatis non habere illum, & influere eo modo, quo potest; ergo in his actibus non potest vlla ratione affirmari, priùs natura fieri aut creari à solo Deo, quàm fiant à volũtate, & vniantur illi; ergo similiter non est necessarium, gratiam priùs creari, quàm vniri.

Dices, gratiam esse perfectiorem qualitatem. Sed hoc præterquã quòd incertum est (præsertim si cõparatio fiat cum visione beatifica) nihil in præsenti refert. Quia commune est omnibus his qualitatibus, quòd sint supra capacitatem naturalem subiecti, ergo, si hoc non obstante, possunt aliquæ earum fieri per eductionem, & nõ per creationem, eadem ratione, tam gratia, quàm quælibet alia qualitas supernaturalis poterit in anima fieri absque præuia creatione. Item ratio, & imperfectio, vnde hoc nascitur, non minùs conuenit gratiæ, quàm alijs qualitatibus supernaturalibus, scilicet esse formam accidentalem, natura sua pendentem à subiecto, tam in fieri quàm in esse; nam ex hac imperfectione nascitur, vt, quando gratia fit modo connaturali, non fiat sine concursu subiecti. Ex quo vlteriùs argumentor contra Sotum, quòd, si sacramenta possunt effectiuè attingere vnionem gratiæ cum anima, possint etiam attingere primam gratiæ effectionem, primò quidem, quia sicut gratia est forma spiritualis & supernaturalis, ita & vnio gratiæ ad animã, & sicut vnio illa fit in anima tãquam in subiecto, à quo pendet in fieri, & conseruari, ita eodem modo gratia ipsa fit in anima, tanquã in subiecto à quo pẽdet in fieri, & conseruari, ergo est eadem vtriusq; ratio, quia non magis existentia gratiæ, quàm vnio fit per creationem. Vnde potest alia formari ratio, nam hæc vnio gratiæ ad animam talis est, vt per illam pendeat gratia ab anima tanquam à causa materiali, non solùm in vnione, & informatione, sed etiam in existentia sua, in quo differt multum inter vnionem hanc gratiæ, & vnionem animæ ad corpus; ergo si sacramenta possunt attingere illam vnionem gratiæ ad animam, possunt etiam attingere ipsum esse gratiæ, quia illud esse communicatur ei in ipsa vnione, & quodammodò per illam ex parte materialis causæ, ante cuius concursum nulla est effectio

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectio gratiæ, cùm ostensum sit non creari.

Tertiò principaliter probandum est contra prædictam sententiam, gratiam ob generalem rationẽ fórmæ creatæ non fieri priùs natura per creationem à solo Deo, vt posteriùs natura possit per sacramenta animæ vniri. Nam si hoc conueniret gratiæ ex hoc præcisè, quòd forma creata est, conueniret omni formæ creatę, & omni accidenti, consequens autem est valde absurdum. Aliàs sequitur primò, nõ esse proprium animæ rationalis, vt priùs natura fiat per creationem, & deinde vniatur subiecto; sed hoc commune est omnibus animalibus brutorum, imò omnibus formis materialibus, & accidentibus omnibus, atq; ita nulla forma fieret per eductionem de potentia materiæ, sed per creationem; consequens autem est contra recepta philosophiæ principia, imò contra communem Ecclesiæ doctrinam, quæ sentit aliquid proprium in hoc habere rationalem animam. Et ratione conuinci potest ex dictis in primo puncto cõtra hanc sentẽtiam. Sequela probatur, quia si omnis forma priùs natura fit à solo Deo, quàm ab agente creato vniatur materiæ, inquiro, an illa actio Dei fiat cum materiali concursu subiecti, necne. Primum dici non potest, quia materia non habet cõcursum, nisi circa formam sibi vnitam, seu quæ sibi vnitur, nec forma pendet à materia in fieri, vel in facto esse, nisi quatenus illi vnitur in fieri, vel in facto esse: si ergo per illam actionem Dei forma ita fit, vt non vniatur materiæ, non potest illa actio, aut terminus eius vt sic, pendere à materia, nec materia potest ibi habere aliquem materialẽ concursum. Propter hanc enim causam nullum habet in productione animæ rationalis, quia illa actio, per quam fit anima, secundùm se præscindit ab vnione ad materiam. Si verò dicatur secundum, necesse est dicere, illam actionem esse veré, ac propriè creationem; tum, quia non est eductio de potentia materiæ: ergo nõ est actio ex subiecto, ergo ex nihilo, ergo creatio, tum etiam, quia illa est actio ex sola efficacia causæ efficientis sine concursu causæ materialis; ergo est creatio.

Forma accidentalis nõ priùs creatur, & posterius vnitur.

Vnde argumentor tecũdò, nam ex hoc principio sequitur, quòd, sicut sacramenta dicuntur (iuxta hãc opinionem) non efficere gratiam, sed vnionem gratiæ cum anima, ità dicenda sunt omnia agentia naturalia non efficere formas, nec qualitates, educendo illas de non esse ad esse, sed tantùm vnire illas subiectis suis; patet sequela, quia supponuntur factæ priùs natura à Deo: ergo nõ possunt iterum fieri à causis secundis, sed tantùm vniri: maius enim miraculum esset, rem iam factam iterum facere, quàm omnino ab actione cessare. Tertiò hinc vlteriùs sequitur, tales formas natura sua non pendere à subiecto in existentia sua, sed solùm in vnione, sicut docet fides de anima rationali; probatur sequela argumento suprà facto; quia huiusmodi formæ fiunt priùs natura per actionem independentem à subiecto: ergo per illam vt sic recipiunt esse independens à subiecto, rursus quandiù sunt in subiecto, per hanc actionem permanentem continuatam conseruantur in esse, quod in principio acquisierunt; ergo ablata vnione ad subiectum, per eandem actionem à subiecto independentem conseruabuntur in esse. Nam hæc actio non est cur necessariò tollatur, ablata vnione, quæ est quid posterius, sicut philosophamur in anima rationali. Dici tamen potest, quod licèt vnio harum formarũ sit posterior, quàm existẽtia earum, quæ fit per creationem; tamen potest esse conditio necessaria, sine qua non debetur his formis existentia, & conseruatio; hoc enim modo interdùm potest id, quod prius est, pendere à posteriori; atque in hoc potest constitui differentia inter animam rationalem & alias formas: illa enim, quia spiritualis & subsistentialis est, nõ requirit illam cõditionem, seu vnionem ad corpus, vt conseruetur in esse. Sed hæc respõsio, licèt ex parte verum dicat, tamen & petit principium, & nõ potest sufficiẽtem rationem reddere eorum, quæ dicit; hoc enim inquirimus, cur vnio ad subiectum sit cõditio necessaria, vt huiusmodi formæ conseruentur in esse. Sanè non potest alia ratio philosophica reddi, nisi quia necesse est, vt subiectum in suo genere causæ materialis concurrat, non tantùm ad vnionẽ, sed etiam ad ipsum esse harum formarum, & consequenter ad fieri & conseruari ipsius esse; vnde fit, vt huiusmodi formæ secundùm naturam suam, nõ possint priùs natura fieri per creationem, cùm non possint fieri sine concursu subiecti, seu materiæ. Quartò, ex prædicto modo explicandi hanc sententiam sequitur, non solam formam, sed etiam vnionem formæ ad subiectum, priùs natura fieri à solo Deo, quã à causa secunda: quod est apertè falsum. Sequela probatur, quia sicut forma est res creata, quę à solo Deo habet dependentiam essentialem, ita vnio formæ ad subiectum est res, vel modus creatus, qui etiam à solo Deo habet essentialem dependentiam; vnde cessante actione causæ secundæ, non sola forma, sed etiã ipsa vnio conseruatur à solo Deo; & è contrario à principio potuisset fieri vnio à solo Deo sine causa secunda, quantuis non posset fieri à causa secunda sine Deo: ergo est æqualis ratio essentialis dependentiæ à Deo in vnione, & in existentia formæ; ergo si propter hanc causam priùs natura fit forma à solo Deo, quàm à causa secunda; etiã vnio priùs natura fiet à solo Deo. Quòd autem hoc consequẽs falsum & absurdum sit, patet, quia nihil relinquitur, quod possit fieri à causa secunda, & in præsenti materia nihil est, quod possit facere sacramentum, nam si priùs Deus gratiam creat, & priùs se solo gratiam vnit, quid facient sacramenta? Et idem quæri potest de igne, vel quolibet alio agente. Dices, facere candem vnionem, quã priùs natura fecit Deus secundùm nouam dependentiam, vel actionem. Sed hoc vanum est, & absurdum; præter naturas enim rerum est, iterum agere quod actum supponitur: aliàs, cur non ageret naturaliter quælibet res ad se ipsam efficiendam, vel cõseruandam? Item saltem esset superflua efficientia naturalium causarum, si nullas res nouas agerent, sed solùm nouas dependentias earundẽ rerum, quas Deus se solo iam effecerat.

Quintò obijci potest argumentum suprà tractatũ de actibus liberis; nã, si omnis forma, vel qualitas creata priùs natura creatur à solo Deo, quã à causa secunda; ergo, cùm actus liberi voluntatis sint qualitates creatæ, priùs natura fient à solo Deo, quàm à voluntate: ergo, quòd talis actus, seu qualitas simpliciter fiat, non est liberum voluntati humanæ: quia non pẽdet ab illa in suo fieri simpliciter: ergo intelligi, vel explicari non potest, in quo consistat libertas talis actus; nam quod Deus illum in me creet, nõ est mihi liberum, quia non pendet ex me, neque immediatè, neque ratione alicuius prioris dispositionis, nam de illa redibit eadem quæstio: supposito autem quòd Deus in me creet talem actum, nõ est mihi liberum non influere, vt suprà argumentabamur. Denique hoc inconueniens adhuc maius est in actibus intrinsecè malis, nam præter omnia suprà dicta sequitur, ante omnem efficientiam voluntatis creatæ, Deum se solo creare in illa huiusmodi actus prauos, quoad omnem positiuam entitatem eorum. Vnde vlteriùs fit, Deũ sola sua efficacia determinare voluntatem hominis ad obiecta praua istorũ actuũ priùs natura, quàm ipsa se determinet, quia posita in voluntate entitate talis actus, necessariò manet determinata ad obiectum illius actus, neque aliter voluntas determinatur ad obiectum nisi per entitatem positiuam sui actus: hæc autem omnia sunt valde falsa, & absurda; falsum ergo est dicere, de ratione formæ vt sic creatæ esse, vt priùs natura fiat à solo Deo per creationem, seu dependentiam essentialem, quã ab agente creato. Quod si non conueniat hoc omnibus formis creatis, ex hac præcisa ac generali ratione, neq; etiam conueniet gratiæ, neque alicui formæ, quæ natura sua pendeat à causa materiali in fieri, & in esse: quia, vt ostensum est, nulla est in qualitate gratiæ specialis ratio, quæ hunc modum productionis requirat.

Ad argumẽ. respõdetur.

Et per hæc responsum est ad primum fundamentum illius sententiæ. Ad secundum respondetur, falsam esse primam propositionem assumptam, scilicet in productione omnium formarum distinguendas esse duas actiones, vnam, qua producatur forma, & alteram, qua vniatur, nam in omnibus formis, quæ fiunt per eductionem de potẽtia subiecti, falsum est, quia cùm non fiant sine concursu causæ materialis, illamet actio, qua fiunt, pendet non solùm ab agente, sed etiã à subiecto in genere causæ materialis; nõ potest autem pendere à materia, nisi in ea insit, eiq; vniatur: quia causalitas materiæ nõ est, nisi per vnionem, & sustentationem formæ, vel actionis, quæ ab ea causatur, & ideò illamet actio & tendit ad formã, & vnit illam subiecto, quia non facit illam, nisi in subiecto, & ex subiecto. Quinimò ex hac ratione colligo primò non posse formam fieri ab agente naturali modo ac virtute naturali nisi eadem actione, qua fit, vniatur subiecto: quia nõ potest fieri, nisi per eductionem de potentia subiecti, ergo nec potest fieri, nisi per actionẽ, quæ in subiecto inhereat, & à subiecto pendeat, sed per talem actionem necessariò simul fit forma, & vnitur subiecto, quia actio inhærẽs subiecto vt sic, non facit, nisi formam inhærentem, seu informantem subiectum: & hoc est facere vnionem, seu formam vnitam subiecto, & hoc sensu dixit Arist. per calefactionem non fieri per se primò calorem, sed calidum. Atque eadem est ratio de sacramentis, quatenus esse possunt instrumenta ad efficiẽdam gratiam, nam licèt ille modus agendi sit supernaturalis ex parte principij actiui, tamen ex parte subiecti concurrentis in genere causæ materialis, & ex parte ipsius gratiæ talis est, qualis iuxta naturam ipsius qualitatis esse debet, quia per illum nõ fit gratia per se, & independens à subiecto, hoc enim esset nouum & speciale miraculum; sed fit in subiecto, & dependenter ab illo.

Forma pendens à subiecto, non potest effectiuè vniri, quin ab eodẽ agẽte eadem actione fiat.

Secundò infero, non posse formam, quæ ex natura sua pendet à subiecto in suo esse, vniri effectiuè subiecto ab aliquo agente, nisi eadem actione fiat ipsa forma ab eodem agente; atque adeò non posse eleuari sacramenta ad vniendam gratiam animæ, quin simul eleuẽtur ad efficiendam ipsam gratiam. Ratio patet ex dictis, quia per actionẽ illam ita vnitur forma, seu gratia subiecto suo, vt ab illo pendeat in suo esse: ergo eadẽ actione, qua vnitur, recipit suum es-

se. Dices, quanquàm hoc sit verum, considerato modo connaturali productioni talis formæ, non tamen repugnare, Deum se solo priùs producere gratiam, deinde verò vnire illam per sacramenta. Respondetur primùm, hoc non posse fieri sine speciali miraculo, nimirùm quòd forma natura sua dependens à subiecto fiat sine dependentia ab illo. Deinde adhuc pò sito illo miraculo necessarium esset, vt actio vniens talem formam cum subiecto, attingeret entitatem ipsam seu existentiam talis formæ; inquo est differentia inter huiusmodi formam, & animam rationalem, quòd anima, quæ priùs natura creatur, quàm vniatur, per solam actionem creatiuam recipit esse, per actionem verò vnitiuam, solùm recipit vnionem, & informationem; ita vt illa actio non attingat ipsum esse, seu existentiam animæ; at verò gratia, & quælibet alia forma pendẽs à subiecto, etiam si fingamus, miraculosè priùs creari independenter à subiecto; tamen cum subiecto vnitur, necesse est, vt hoc fiat per actionem, & efficientiam, quæ non solùm vnionem, sed etiam entitatem, seu existentiam formæ attingat. Et ratio differentiæ est, quia omnis forma debet necessariò informare subiectum modo sibi connaturali; neque in hoc potest recipere varietatem, quia informatio est actus intrinsecus, & formalis, qui nec suppleri, nec variari potest, si forma est in se eiusdem rationis; anima ergo, quia ex natura sua est forma independens, ex se habet talem modum informandi, vt ratione illius non sustentẽtur à materia in suo esse, sed solùm vniatur illi ad componendum vnum totũ; at verò gratia, & omnis alia forma, quæ natura sua pendet à subiecto, quod informat; ex natura sua etiam postulat talem informandi modum, quo inhæreat subiecto, seu ab illo sustentetur in suo esse; & ideò necesse est, vt agens, quod attingit huiusmodi modum vnionis, attingat etiam ipsum esse talis formæ. Quapropter, si illa forma priùs facta supponitur à Deo per creationem, necessarium erit, vt vel priùs tempore creetur, & posteà vniatur, vel, vt in eodem instanti recipiat esse per duas actiones, scilicet per creationem, & per eductionem de potentia subiecti, quod quidem non videtur implicare contradictionem, quanuis fieri non possit sine speciali miraculo, non solùm propter pluralitatem actionum totalium, seu per se ac sigillatim sufficientium ad dãdum esse tali formæ; sed etiam, quia actio creatiua semper est præter modum connaturalem, quem talis forma postulat.

Tertiò sequitur, quòd in actione eductiua formæ de potentia subiecti, non solùm aptitudinalis, sed etiam actualis vnio, & inhærentia illius actionis in subiecto, est de essentia seu necessitate talis actionis, quia illa actio natura sua talis est, vt essentialiter pẽdeat à causa agente, & materiali, in quo differt essentialiter à creatione, non potest autem pendere à causa materiali, nisi illi inhæreat. Et confirmatur, nam ob hanc causam calefactio, quæ fit ab igne, verbigratia, in ligno, non potest conseruari omnino extra subiectum; quia hoc ipso quòd extra subiectum fieret, iam esset creatio, seu per modum creationis. Dices, in calore, qui fit ab igne, vnio ad subiectum non est de essentia caloris; ergo in calefactione, per quam naturaliter fit calor ab igne, actualis inhærentia in subiecto non est de essentia talis calefactionis. Respondetur negando consequentiam, quia calor non dicit dependentiam, sed formam dependentem, tamen calefactio dicit ipsam dependentiam caloris ab

Actualis vnio est de essentia actionis, quæ educitur forma de potentia subiecti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agẽte naturali (de hac enim calefactione loquimur) huiusmodi autem dependentia ex sua intrinseca & specifica ratione includit actualem habitudinem ad duplicem causam, agentem, & materialẽ, & ideo sicut de essentia illius est, quòd actu pendeat à tali causa agente, ita etiam quod actu pendeat à tali causa materiali. Vnde etiam fit, vt illa dependentia tam essentialiter sit passio, quàm actio, quæ duo sola ratione in ea distinguuntur. Et hinc tandem patet responsio ad primam probationem contrariæ sententiæ, quomodo scilicet, quanuis gratia, & inhærentia eius ad subiectum ex natura rei distinguãtur, nihilominùs vnica actione simul natura fiant; quia videlicet illa duo gratia & vnio per modum vnius fiunt cum ipso composito, quod per se primò fit, scilicet homo gratus. Quarè, licèt possint inter se comparati illa duo secundùm aliquem ordinem causalitatis, tamen in ordine ad agens, quod educit formam de potentia subiecti, simul ac per modum vnius fiunt, & vnica actione, quæ cũ essentialiter sit mutatio subiecti simul facit formam, & vnit illam, seu introducit in subiecto.

Emanatio à Deo per modum creationis nõ præcedit ordine naturæ in omni forma ante actionẽ causæ secundæ.

Superest, vt respondeamus ad aliam probationem de dependentia essentiali creaturæ a Deo, ad quam primò responderi poterit, esto concedamus in omni forma creata essentialiter includi dependentiam, & emanationem à Deo per modum creationis, non tamen esse necessarium intelligere hãc emanationem, vt priorem natura, quàm sit emanatio formæ creatæ à causa secunda principali, vel instrumentali. Hoc enim potissimùm videntur probare omnes rationes suprà factæ in tertio argumentandi modo, scilicet, quòd emanatio à Deo per modum creationis non præcedat ordine naturæ in omni forma ante actionem causæ secũdæ. Et hoc satis est, vt nec in effectione gratiæ sit necessarium dicere priùs natura antecedere creationem eius, & hoc sufficit vt, si sacramenta efficiant vnionem gratiæ, necessariò efficere debeant gratiam ipsam; quia cùm non possint vnire, nisi rem existentem, si non supponunt factam, necesse est, vt vniendo efficiant. Dices fieri posse, vt solùm concomitanter se habeãt effectio gratiæ à solo Deo facta, & vnio per sacramenta effecta. Respondetur, si sacramenta præcisè attingerent vnionem, & non existentiam ipsius gratiæ, necessarium esset, vt saltè ordine naturæ, antecederet creatio gratiæ; quia existẽtia formæ supponitur vnioni, quando per vnionem non fit. Et hac ratione in productione hominis creatio animæ ordine naturæ antecedit vnionem eius, quia actio, qua fit vnio, non attingit existentiam animæ sed præcisè vnionem. Si autẽ concedatur, quod sacramenta non solùm efficiunt vnionem, sed etiam ipsam gratiam, hoc satis est ad id, quod in præsenti quæstione intendimus, alia verò quæstio erit, an præter hanc efficientiam sit alia essentialiter inclusa in ipsa entitate gratiæ, propter dependentiam essentialem, quam habet à Deo, quatenus forma creata est, non antecedens ordine naturæ aliam efficientiã, sed concomitans, vel potiùs natura posterior, eo modo, quo terminus est posterior natura quàm actio, vel fieri eius. Quæ quæstio ad præsentem disputationẽ nihil ferè refert, cùm generale sit omnibus formis creatis, & in omnibus efficientijs causarum secundarum locum habeat.

Neque etiã includitur in omnibus formis talis dependentia Dei.

Vt autem breuiter veram responsionem difficultatis positæ tradamus, respondendum secundò est, falsum esse, in omnibus formis creatis includi aliquam dependentiam essentialem à Deo, quæ sit vera emanatio, & effectio causæ efficientis omnino inuariabilis, & ipsam rei essentiam intrinsecè constituat. Primo quidem, quia, licèt non ponatur hæc dependentia prior natura, quàm effectio causæ secundæ, tamen necessariò dicendum erit, per illam fieri totum id, quod per actionem creaturæ, & consequenter omnem formam, quæ fit per actionem causæ secundæ, necessariò bis fieri, & manare à Deo quoad suam entitatem, & existentiam: nam primò manat à creatura per actionem eius, & consequenter à Deo, vt concurrente cum creatura, quia non potest actio creaturæ esse sine concursu Dei, à quo pendet essentialiter non solùm effectus creaturæ, sed etiam ipsamet actio creaturæ, & secundo dicitur iterum manare à solo Deo per dependentiam essentialem, quę dicitur esse vera creatio. Quinimò rursus sequitur, non solam entitatem gratiæ, vel cuiuslibet formæ hoc modo bis fieri, sed etiam ipsammet vnionem talis formæ cum subiecto bis etiam fieri, semel à causa secunda & Deo concurrente, & iterum à solo Deo per dependentiam essentialem; nam vt suprà argumentabar, cùm hæc vnio sit modus creatus distinctus ab actione creaturæ, qui potest esse sine illa, etiam in sua essentia includet aliquam dependentiam à Deo inuariabilem, sine qua esse non possit. Rursus, cùm effectio huius vnionis talis sit, vt non solùm attingat modum vnionis, sed etiam entitatem ipsius formæ, quia per illam pendet in esse à suo subiecto, vt suprà dicebam: cũ hoc (inquam) ita sit, sequitur vlteriùs omnem huiusmodi formam creatam, quandocunque fit à causa secunda, tribus modis emanare à Deo, primò quatenus fit à creatura cum concursu Dei, secundò quatenus fit per dependentiam essentialem huius formæ vt vnitæ, quomodo conseruatur à solo Deo, cessante actione creaturæ; tertio per dependentiam essentialem ipsius formæ secundùm se, quæ est distincta à præcedentibus, quia potest manere sine illis, vt si forma à subiecto separata conseruetur: & ideò est per modum creationis, & independens à subiecto, quod non habent duæ aliæ dependentiæ, & ideò non dicuntur esse essentiales ipsi formæ secundùm se & absolutè sumptæ, sed hoc modo sola hæc tertia est essentialis, secunda verò erit essentialis vnioni, prima verò accidentalis vtrique. Attamen superfluum est admittere tot modos effectionum seu productionum eiusdem rei simul concurrẽtium, cùm vnusquisque eorum per se sufficeret ad effectum producendum, neque apud vllum autorem grauem huiusmodi doctrina reperietur. Neque etiã quòd omnis forma materialis dum educitur, simul creetur, simulque educatur à causa secunda simul cum concursu Dei & alio modo per se sufficiente fiat à solo Deo. Secundò hoc idem probatur alio modo; quia causa secũda, dum calefacit, verbi gratia, simpliciter educit de non esse ad esse totam entitatem caloris; ergo, si in hac entitate caloris essentialiter includitur creatio per dependentiam essentialem à Deo, sequitur, hanc ipsam creationem fieri ab igne producente calorem; quia non potest ignis facere calorem, quin faciat, quicquid est de essentia caloris, quia calor est entitas simpl ex, quæ cùm fit, educitur de non esse ad esse virtute & efficacia illius agentis, à quo fit, ergo totum id, quod est essentiale calori, fit ab eodem agente. Hoc autem esse valde absurdum dupliciter declaratur. Primò, quia agens creatum non potest sua virtute creare, ergo nec potest

virtute sua efficere creationem. Vt enim omittam, esse difficillimum intellectu, quòd creatio ipsa fiat per aliam actionem, tanquam terminus eius, quod in hac sententia concedendum necessariò est: multò tamen difficilius, & impossibilius videtur, quòd hoc fiat per virtutem agentis creati; nam, si hoc agens non potest efficere creationem per modum emanationis à virtute ipsius, cur poterit illam facere per modum termini suæ actionis, cùm non requiratur minor virtus ad efficiendum aliquid per modum termini, quàm per modum actionis? Secundo, quia tota entitas huius formæ pendet in suo esse, & fieri à causa materiali; ergo, si in intrinseco, & essentiali conceptu huius formæ includitur creatio, etiam illa pendebit in fieri, & in esse à causa materiali, quia nõ potest forma ipsa physica pendere à materia secundùm entitatem suam; quin omnia ea, quæ sunt de essentia eius, quatenus in ea continentur, à materia pẽdeant; sed contra rationem creationis est, vt habeat ex natura sua dependentiam à causa materiali, quia essentialis ratio creationis in hoc consistit, quòd sit effectio ex nihilo, atq; adeo indepẽdens à subiecto.

Vnde argumentor tertiò. Quia, quando Deus cõseruat calorem sine subiecto, vel adhibet nouam efficientiam ad conseruandum illum, vel non; si adhibet, ergo iam habet calor nouam depẽdentiam, quã antea non habebat, ergo illa dependentia essentialis, quam dicebatur habere calor secundùm entitatẽ suam, quando inhærebat subiecto, nõ erat sufficiens ad procreandam illam entitatem, cùm non sit sufficiens ad conseruandam illam: ergo superfluè fingitur illa dependentia, cùm præter illam addenda sit in omni statu caloris alia actio, vel effectio, per quã existat. Si verò dicatur, non esse necessariam nouam efficientiam ad conseruandum calorem sine subiecto præter illam dependentiam essentialem, quam habeb at etiam in subiecto: hoc in primis repugnat communi sensui omnium Theologorũ, qui sentiunt non posse conseruari accidens sine subiecto, sine speciali ac miraculosa efficientia Dei: & præterea impugnatur ex dictis. Quia illamet dependentia essentialis natura sua pendet à subiecto nõ minus, quàm ipse calor, vt ostensum est, quia si est de essentia caloris, necesse est, vt habeat eandem dependentiã à subiecto, quam habet calor, ergo ipsamet dependentia non potest conseruari sine subiecto, nisi aliunde suppleatur causalitas subiecti, non potest autem supplere ab ipsa dependentia per seipsam, quia hoc nihil addit, ergo necesse est, vt suppleatur per nouũ modum diuinæ efficientiæ; hic autem modus non est alius nisi quòd extra subiectum fit, vel conseruatur per modum creationis, non verò in subiecto; ergo in essentia caloris, vel alterius similis formæ non includitur aliqua dependentia essentialis per modum creationis; & consequenter nulla talis est essentialis dependentia inclusa in huiusmodi formis, quia si aliqua esset, futura maximè esset per modum creationis, vt ratio in principio facta optimè probat.

Vltimò argumentor, quia nullum est argumentũ sufficiens ad fingendam huiusmodi dependentiam essentialem inuariabilem; cùm enim dicitur essentiale esse creaturæ, vt pendeat à Deo, non est sensus, aliquam dependentiam determinatam esse de essentia creaturæ, sed entitatem creatam talis esse naturæ & essentiæ, vt existere non possit sine dependentia à Deo, & hoc est verissimũ, quia cùm sit ens per participationem, non potest habere esse, nisi manans à primo fonte totius esse, quia verò potest manare diuersis modis, & per varias actiones, quæ per se singulæ sufficiunt ad dandum esse; ideò essentia creaturæ non determinat essentialiter vnum, vel alium modũ dependentiæ, sed quocunq; sufficienti contenta est. Et quanuis interdum postulet aliquem, tanquàm sibi magis connaturalem, non tamen vt essentialem, aut vt simpliciter necessarium, cùm de potentia Dei absoluta deleri possit. Vnde licèt verum sit, quando Deus conseruat accidens sine subiecto, alio genere actionis illud conseruare, quàm in subiecto, non inde fit, illam actionẽ, seu dependentiam esse essentialem accidenti, aut necessariam fuisse, dum accidens in subiecto conseruabatur, sed est noua actio, seu depẽdẽtia, quę diuina virtute fit, & succedit loco illius quam accidens haberet in subiecto. Atq; hæ rationes, præsertim tres priores, maximè procedunt de formis, quæ ex natura sua pendẽt à subiecto, & per diuinam potentiam possunt fieri, vel conseruari extra illud, de rebus verò, quæ natura sua postulãt fieri per creationem, non tam euidenter procedunt rationes factæ, quia illę res nunquam possunt fieri per eductionem, nec cum concursu causæ materialis; nihilominùs tamen à paritate rationis potest sumi efficax argumentum, nam si ratio entis creati vt sic nõ consistit in hoc, quòd per essentiam suam maneat à Deo absque vlla dependentia media, nulla est ratio, cur aliquibus entibus creatis hoc tribuatur. Item, quia si Deus miraculosè efficeret animam leonis, verbi gratia, separatam, necessariò faceret illam per creationem, & illa creatio esset quid distinctum à tali anima, & extra essentiam eius, cùm possit talis anima existere sine illa creatione, & absque tali genere dependentiæ; ergo eadem ratione, quando creatur anima rationalis, vel angelus, illa dependentia est aliquid distinctum & extra essentiam rei creatæ. Itẽ quia etiam in hac dependentia potest intelligi aliqua varietas manente eodem termino, nam si eadem res fiat à solo Deo, vel fiat mediante aliquo instrumento, diuersa est actio dependentiæ, potest autem vtroque modo fieri, vt diximus in 1. tomo, & dicemus iterum agentes de transsubstantiatione.

Nõ possunt eleuari sacramenta ad efficiendum physicè hominem gratũ, quin eleuẽtur ad efficiendã gratiam ipsam.

Ex his ergo omnibus satis apertè demonstratum est, supposito modo, quo nunc fit gratia in anima, non posse sacramenta eleuari ad efficiẽdum physicè hominẽ gratum, quin eleuẽtur ad efficiendam gratiam ipsam. Vnde ad secundam difficultatem facilius respondetur, quidquid sit, an possit creatura esse instrumentum creationis, gratiam tamen non creari, & ideò ex hoc capite nihil obstare, quominùs sacramenta esse possint instrumenta gratiæ; quia gratia non fit sine concursu materiali animæ, à qua pendet in fieri, & conseruari, & ideò non creatur, sed educitur de potentia obediẽtiali ipsius animæ, neque etiam propriè concreatur, vt aliqui loquuntur; propriè enim concreari dicitur, quod simul fit cum alio, quod eodem tempore creatur, in productione autem gratiæ, quæ fit per sacramenta, nullius rei creatio intercedit, sed fit solùm quædam veluti spiritualis alteratio, seu mutatio perfectiua, qua per se primò fit animus, vel homo gratus Deo, ipsa verò gratia comproducitur, seu de potentia animæ educitur.

Tertia verò difficultas in principio posita plures continet, quæ communes sunt omnibus diuinis instrumentis, quibus supernaturalia, ac miraculosa opera efficiuntur; & longissimam disputationem requirerent

Universidad de Deusto Biblioteca

quirerent, nisi in disputat. 31. 1. tomi latè fuissent tractatæ, vbi sectione quinta explicuimus, quænam sit illa virtus, per quam possunt instrumenta Dei cõcurrere, quando eleuantur. Diximus enim, non esse rem aliquam superadditam, sed esse ipsammet entitatem rei, quæ hoc ipso, quòd creata est, & subordinata primo agenti, est in potentia obedientiali actiua, vt efficiat, quidquid non implicat contradictionem respectu illius. Hæc enim ratio obedientialis potentiæ communis etiam est sacramentis, quorum eleuatio diuina solùm in hoc cõsistit, quòd Deus altiori modo concurrit dando auxilium sufficiens, vt res operetur secundùm hanc potentiam. Neque ad hoc refert, quòd sacramenta sint imperfecta in sua entitate, quia hic concursus non fundatur in naturali eorum perfectione, sed in prædicta virtute obedientiali, & infinita Dei virtute, cui omnia subordinantur, & ideò nihil refert, quòd sacramenta consistãt in motu, vel sono, dummodò aliquid entitatis habeant, quanquã fortasse non efficiant solùm per ipsum motum, qui est ens imperfectum, seu modus entis, & significatur nomine ablutionis vel vnctionis, sed per ipsasmet res, quæ mouentur, vel applicantur dum sacramenta fiunt, vel accipiuntur, vt per oleum, aquam, species panis, &c. sic enim dixit August. aquam esse, *Quæ corpus tangit, & cor abluit.* Vnde nullum est inconueniens concedere, quamcũque creaturam quantumuis imperfectam posse à Deo assumi vt instrumẽtum ad efficiẽdam aliam, si aliunde non inuoluitur specialis ratio contradictionis. Non est autem eadem ratio de relationibus diuinis: illæ enim propter suam infinitam perfectionem non possunt esse instrumenta, & cùm sint increatæ non possunt esse in potentia obedientiali ad aliquid agendum; & cùm in suo essentiali, & adæquato conceptu includant essentiam diuinam, à qua est tota virtus agẽdi, ratione illius habẽt proprium ac determinatum modum agendi omnibus communem per modum vnius causæ primæ ac principalis, & ideò nõ possunt illæ relationes cũ creaturis comparari. Plura possem de hac potentia obediẽtiali actiua hoc loco adiungere, nisi in posteriori editione primi tomi, disputatione 36. sectione 6. id præstitissem.

Quæ est illa virtus per quã possunt instrumẽta Dei concurrere quando eleuantur.

De alia verò difficultate, quomodo sacramẽta possint habere actionem præuiam, & an hæc necessaria sit in diuinis instrumentis, in prædicta disputatione, sectione. 9. fusè etiam dictum est. Discipuli enim D. Thomæ in omnibus sacramentis conantur inuenire actionem præuiam connaturalem ipsis sacramẽtis, vt eleuari possint ad gratiam efficiendam, quæ actio præuia non recipitur in anima, sed in corpore hominis, vt est lotio, vnctio, & aliæ similes, quas cẽsent sufficere, vt possint sacramenta efficere gratiam in anima corpori coniuncta, & August. dicit, aquam baptismi *corpus tangere, & cor abluere.* Quæ doctrina fundamentũ habet in D. Thom. hic art. 1. ad. 2. difficile tamen est, eam commodè applicare omnibus sacramentis, præsertim si illa actio præuia requiratur, vt omnino necessaria ad efficientiam instrumentalem. Quòd declaratur primò, discurrendo ferè per omnia sacramenta, nam in primis verba Eucharistiæ non habent actionem præuiã, vt possint esse instrumentum physicum ad efficiendam transubstantiationem, quæ est substãtialis, & supernaturalis actio. Probatur antecedens, quia talis actio præuia non potest esse circa substantiam panis, & vini, quia illa non est subiectum transsubstantiationis, sed potiùs desinit esse per eam; neq; etiam potest esse actio præuia circa accidentia, nam si in eo mysterio consideretur actio, qua accidentia separantur à substantia & per se constituuntur, vel qua corpus Christi sub accidentibus constituitur, neutra est à verbis virtute naturali. Vnde neutra est actio præuia, de qua loquimur, sed est potiùs actio instrumentaria, quæ est supra virtutẽ naturalẽ verborũ, & fit ex virtute & efficacia supernaturalis agentis; ante hanc verò actionem nulla alia est, quæ circa accidentia versetur. Et eadem ratione probari potest, nullam esse actionem præuiam, quæ versetur circa Corpus Christi: nam præter illam actionem, qua constituitur sub speciebus, cuius Corpus Christi non est subiectũ, sed terminus, nulla est alia actio præuia, quam verba efficiant circa ipsum, & illa non est à verbis virtute naturali sed instrumentali; ergo nulla potest ibi excogitari actio præuia. Nisi fortasse ipsamet prolatio verborum dicatur actio præuia, quòd non potest conuenienter dici, tum, quia talis actio parum refert ad soluendam difficultatem, de qua agimus, vt statim dicam; tum etiam, quia illa actio non tam est actio præuia instrumenti, quàm actio, qua fit, & constituitur in rerum natura ipsum instrumentum. Nam instrumentum illius actionis est verbum ore prolatũ: ergo prolatio verbi non est actio, quæ fit ab instrumento, sed quæ antecedit ordine naturæ ipsum instrumentum; ergo non est actio præuia quæ mediet (vt sic dicam) inter instrumentum ipsum, & actionẽ principalis agẽtis. Atq; hæc ratio procedit de omnibus formis sacramentorum, quæ in verbis consistunt; de quibus tamẽ dici potest, quòd habẽt actionem præuiam, qua efficiunt species in auditu. Sed hoc quàm sit impertinens, satis notum est, quia neq; illa actio confert ad effectum sacramenti, neq; etiam si fingamus naturaliter vel supernaturaliter impediri, propterea impediretur sacramenti effectus. Dici etiam potest, verba efficere sonum in aere. Sed hoc, & non rectè dicitur, quia verba non tam efficiunt sonum, quàm sunt ipsa quidam sonus articulatus organis vitæ effectus, & quanuis id esset verum, nihil referret ad præsentem quæstionẽ; quia neq; illa actio confert aliquid natura sua ad effectum principalis agentis, qui est gratia, neque recipitur, per se loquẽdo, in illo subiecto, in quo fit actio principalis agentis. Præterea, eodem ferè modo fieri potest inductio in materia sacramentorum; nam in primis in Eucharistia species sacramentales nullam habent actionem præuiam, vt conferant gratiam, sed solùm necesse est vt manducentur, quæ mãducatio non est actio præuia ipsarum specierum, sed potiùs est passiua motio earum, & quasi applicatio ad agẽdum, ex qua ex natura rei solùm sequitur contactus quidam inter corpus sumentis, & ipsas species, qui per se nõ est actio specierum, sed solùm consistit in propinquitate, & contiguitate duarum quantitatum. Et quanuis inde resultare possit aliqua alteratio materialis, vel intentionalis, facta virtute accidentium sacramentalium circa gustum, vel alia organa corporis manducantis sacramentum, tamen tota illa alteratio est impertinens ad effectum gratiæ; quia neque ex se cõfert aliquid ad illum, neque etiam est per se necessaria: nã licèt impediretur naturaliter aut supernaturaliter, non propterea impediretur effectus gratiæ. De alijs verò sacramentorum materijs, quæ consistũt in vsu, est alia specialis ratio, quia proxima materia sacramẽ-

ti non

Vtrùm sacramẽta habeãt aliquã præuiã actionem, vt eleuari possint ad gratiam efficiendam.

ti non est aqua, vel oleum, sed ipsa ablutio, vel vnctio, ergo hæc debet esse instrumẽtum: ergo nõ est actio præuia, nec potest fingi aliqua alia, quæ mediet inter hoc instrumentum, & actionem principalis agentis. Secundò ex hac inductione colligitur generalis ratio, nam etiam si admittamus, nũc de facto antecedere aliquam actionem instrumenti circa corpus ante actionem gratiæ, quæ est à principali agente, non potest illa actio requiri, vt simpliciter necessaria in diuinis instrumentis; quia illa actio ex natura sua nihil confert ad spiritualem effectum principalis agentis, neque habet proportionem, vel naturalem connexionem cum illo; cur ergo existimanda est talis actio necessaria ad hunc effectum? In naturalibus enim instrumentis, quando antecedit actio præuia instrumenti, ex natura rei disponit aliquomodo ad effectum principalis agentis, cum quo habet proportionem, & non cum alio, & si hoc non haberet illa actio, neque necessaria, neque vtilis censeretur ad effectum principalis agentis: ergo cùm actiones materiales sacramentorum ex se & ex natura rei nullo modo disponant, aut conferant ad effectum gratiæ, vel non sunt actiones præuiæ necessariæ de potentia absoluta loquendo, vel si aliqua actio præuia est simpliciter necessaria, huiusmodi non est sufficiens. Et confirmatur, ac declaratur, nam ablutio, verbi gratia, supra aquam nihil addit, nisi quòd aqua per corpus aliquo modò fluat, seu moueatur, illud contingendo, incredibile autem est posse Deum efficere gratiam per aquam sic motam, & contingentẽ corpus, & non per aquam quietam, & propinquam, vel contiguam absque alia motione vel materiali actione, cùm illa motio, quæ est ablutio, nihil ex se conferat ad actionem gratiæ, neque habeat maiorẽ proportionem, aut connexionem cum illa, quàm ipsa aqua.

Quocirca, vera responsio ad prædictam difficultatem, vt opinor, est, in diuinis instrumentis non esse simpliciter necessariam præuiam actionem connaturalem instrumento ante actionem, & effectũ principalis agentis. Et ratio est, quia, vt diximus, diuina instrumenta non addunt potentiam naturalem, sed obedientialem; & ideò operantur vltra terminos naturalis perfectionis, propter quod in eis non attenditur naturalis connexio, quæ reperiatur inter actiones eorum naturales, & effectus principalis agentis; solùm ergo requiritur, vt immediatè influant in ipsum effectũ Dei vt eleuata ab ipso per specialẽ concursum nõ debitũ naturali perfectioni eorũ, in quo differunt ab omnibus naturalibus, & artificialibus instrumentis; hæc enim assumuntur ad agendũ per virtutes eorum naturales, & ideò semper agunt effectum principalis agentis media aliqua actione sibi connaturali, quanuis non semper illa actio sit præuia, propriè loquendo ad actionem principalis agentis. Et hinc etiam oritur, vt diuersa naturalia vel artificialia instrumenta ad diuersos effectus requirantur; quia talis conditio instrumenti est accommodata tali actioni, & non alteri, at verò diuina instrumẽta non habent hanc determinationem, quia solùm assumuntur secundùm obedientialem potentiã, quæ indifferens est ad omne id, quod non implicat contradictionem, propter infinitatem diuinæ virtutis, quæ omnia latiùs explicui in dicto 1. tomo disputatio. 31. sectione 6. & 9.

SECTIO II.

Vtrùm sacramenta nouæ legis gratiam conferant, vt vera ac propria instrumenta physica.

IN præcedẽti sectione solùm diximus, quid possibile sit; in hac superest explicandum, quid fuerit de facto à Christo institutũ; nõ enim, quidquid est possibile, affirmandum est factum esse, si omnino sit supernaturale, ac miraculosum, & reuelatum non sit ita factum esse, nec ex reuelatis satis colligi possit. Videtur autem ita esse in præsenti, quia quod sacramenta per physicam efficientiam conferant gratiam, solùm est possibile per diuinam potentiam, & per maximum quoddam miraculũ; sed hoc miraculum non est reuelatum, neque est necessarium ad ea quæ reuelata sunt; nam, vt ea omnia verum habeãt, satis est, quòd suscipienti sacramentum, ratione illius conferat Deus gratiam, quanquam sacramentum ipsum physicè ac propriè illam non efficiat. Quod potest confirmari primò, ex modo loquendi sanctorum Patrum, qui sæpè tribuunt soli Deo totum interiorem effectum sacramentorum, Cyprian. serm. de Baptism. Christi, sic inquit: *Remissio peccatorum siue per baptismum, siue per alia sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus apostolicis, sacerdotum ministerijs attributa, visibile celebrant sacramẽtum; rem verò sacramenti Spiritus sanctus format, & efficit.* Basilius lib. de Spiritu sancto. c. 15. sic scribit: *Qui nobis vitam dispensat Dominus, baptismatis pactũ nobis statuit, mortis quidem imaginem implente aqua, Spiritu verò vitæ arrhã præbente,* & iterum infrà. *Aqua mortis exhibet imaginem, Spiritus, verò vim viuificãdi immittit,* vbi aquæ solam repræsentationem videtur tribuere, Spiritui sancto verò efficientiam ex pacto. Sic etiam loquitur Ambros. 1. de sacram. c. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio; aqua opus est, operatio Spiritus sancti est.* Præterea Hierony. Isai. 4. tractans illa verba Matth. 3. *Ego vos baptizo in aqua, qui autem post me venit, ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Ex hoc* (inquit) *discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum.* Sic etiam Aug. epist. 23. *Aqua* (inquit) *exhibens forinsecùs sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem Christo,* & in lib. 15. de Trinit. c. 26. negat, discipulos Christi dedisse Spiritum sanctum, *Orabant* (inquit) *vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant,* atq; similes locutiones reperientur apud Damasc. Cyril. & Greg. Nisse. quorum loca statim referemus.

Basilius. Ambrosius. Hieronym. Augustinus. Damascen. Cyrillus. Grego. Nissen.

Secundò probari idem potest, quia si sacramenta aliquam gratiam conferrent physicè, maximè gratiam sacramentalem; hæc enim est illis maximè propria, & eodem modo illis attribuitur, quo gratia habitualis; sed sacramentalem gratiam non conferunt vt instrumenta physica, quia, vt supra dixi, hæc gratia sæpè confertur multo tempore post susceptũ sacramentum, quando occurrit opportuna occasio. Item, quia hæc gratia interdùm consistit in effectibus quibusdam moralibus, qui non possunt per physicam efficientiam fieri, vt est, verbi gratia, remissio totius pœnæ in Baptismo, sicut ergo verè dicuntur

1. Argum.

sacramenta

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramenta cõferre hos effectus ex opere operato sine efficiẽtia physica, ita possunt veræ, ac propriæ esse locutiones Sanctorum & Conciliorum, in quibus affirmantur sacramenta conferre gratiam ex opere operato, absq; physica efficientia.

3. *Argum.* Tertio potest sumi simile argumentum ex effectu gratiæ, quem habet Baptismus prius fictè susceptus, recedente fictione; nam in illo verificantur omnes prædictæ locutiones, nam ille homo mundatur, regeneratur, & saluatur per Baptismum, & tamen hoc totum fit absq; efficientia physica: nam Baptismus præteritus, qui iam non est, non potest physicè gratiam cõferre; ergo idem dici potest de Baptismo, & de quolibet alio sacramento, in cuius præsentia datur gratia. Patet consequentia, tum quia institutio, & causalitas est eiusdem rationis in omnibus; tum etiam quia hoc exemplum demonstrat, non esse necessariam efficientiam physicam ad verificanda omnia, quæ de efficacia sacramentorum fides docet.

4 *Argum.* Quarto esse potest aliud signum à posteriori, quia Deus eodem modo conseruat gratiam datam cum sacramento, & sine sacramento; nam finito sacramento non conseruat illam per sacramentum, sed sola actione sua; ergo eodem modo illam dedit à principio; ergo, sicut sacramentum non concurrit physicè ad conseruationem, ita neq; ad infusionem. Secunda consequentia est euidens, & prima probatur; tum quia conseruatio non est alia actio à productione, sed eadem continuata, ac durans; tum etiam, quia sicut gratia in principio data est ratione sacramenti, ita ratione eiusdem cõseruatur, ergo, sicut hoc posterius fit sine efficientia physica sacramenti, ita & illud prius.

5. *Argum.* Quinto sumi potest argumentum ex causa principali, vnde manat hæc virtus sacramentorum, quæ est passio Christi, nam ex eius latere pendentis in Cruce manarunt sacramenta; Christi enim passio non efficit physicè gratiam in nobis, cùm iam non sit, ergo nec sacramenta, quæ sunt instrumenta eius; nam si præcipua causa non est physica, multò minùs causa ministerialis, vel si instrumentum proximum quale est passio Christi respectu Verbi diuini, non concurrit physicè; multò minus concurret instrumentum remotum, quale est sacramentum, quia remotum instrumentum non mouetur à principali agente, nisi mediate proximo, ideò enim remotum appellatur respectu agentis, quamuis sit immediatũ respectu effectus, cùm immediatè illum attingat.

6 *Argum.* Sexto tandem argumentari possumus ex fine huius causalitatis sacramentorum, qui est nostra sanctificatio, nam ad illã nihil refert, sed potiùs omnino est nobis inutile, quod sacramenta physicè efficiant, vel non efficiant gratiam, dummodò idem gratiæ fructus nobis præstetur. Neq; etiam deseruit hæc causalitas ad augmentum, vel exercitium nostræ fidei, præsertim cùm tota sit sub opinione, & adhuc incertum sit, an sit possibilis, nec alia vera, & realis vtilitas excogitari potest, quæ ex huiusmodi efficientia oriatur, Deus autem sua miracula vel insignis opera non facit frustra, ergo non est, cur credamus sacramenta prædicto modo eleuari ad gratiã efficiendam.

1 *Senten.* In hac re multi & graues Theologi negant, sacramenta efficere gratiam per veram, & physicam efficientiam; quoniam verò fides docet sacramenta esse causas & instrumenta gratiæ, quamuis hi autores in prædicta propositione negatiua conueniant, in ex-

A plicanda hac affirmatiua, quam negare non possunt, multum inter se dissentiunt, quanquam fortasse tota diuersitas magis in verbis, quàm in re consistat. Primò ergo dixerunt aliqui, sacramenta non esse causas efficientes, sed quasi materiales gratiæ, quam continere dicuntur, sicut vas continens medicinam, non est causa efficiens sanitatem, sed per modum materiæ. Ita Altisio. li. 4. sum. tract. 3. in principio, qui vnum docet verum, ac de fide certum, scilicet sacramenta continere gratiam, sub his enim verbis definitur in Concil. Florent. in decreto Eug. & in Trident. sessio. 7. can. 6. Quod tamen non intelligitur de formali continentia ipsius gratiæ, nam ipsa qualitas gratiæ non adhæret ipsis sacramentis; sed intelligitur de virtuali, seu instrumentali continentia, quia nimirum ex Dei promissione habent sacramenta virtutem ad conferendam gratiam, & applicanda nobis merita Christi iam exhibita, & in ipsis sacra- *Altisiodor.* *Cõcil. Floren. Trid.*
B mentis, tanquam in eiusdem Christi instrumentis contenta, vt effectus eorum per ipsa sacramenta nobis conferantur. Ex hoc autem vero principio non solùm non potest colligi, sacramenta habere causalitatem materialem, & non effectiuam, verùm etiam potius infertur, non posse ad aliud genus causæ nisi efficientis reuocari. Primò, quia ratione huius causalitatis dicũtur sacramenta mundare & sanare, quæ efficientem potius causam quàm materialem denotant. Secundò, quia hæc continentia non est formalis, sed virtualis, vt dixi; ergo non dicuntur sacramenta continere gratiam, nisi quia habent aliquam vim conferendi illam; ergo necesse est, vt ad genus causæ efficientis reuocetur. Tertiò, quia per sacramentorum vsum & applicationem datur nobis gratia, sed hic modus causandi nullam similitudinem vel proportionem habet cum genere causæ materialis, ha-
C bet autem maximam cum causa efficienti. Neq; exẽplum illud de vase est ad rem, tũ, quia medicina formaliter continetur in vase, gratia autem non est ita in sacramento; tum etiam, quia si vas comparetur ad sanitatem, quam efficit medicina, re vera non est causa materialis eius, neque vllo modo est causa per se, sed potest dici causa per accidẽs, quatenus est instrumentum ad applicandam causam per se efficientem sanitatem.

2. Mod. explicãdi hãc sententiã. Secundò, dixerunt alij sacramenta conferre gratiam per modũ impetrationis, quia oratio ministri, vel Ecclesiæ cõiuncta sacramento impetrat gratiam suscipienti, sicut legimus Actor. 8. Apostolos præmisisse orationẽ ante manus impositionem, *Orauerũt* (inquit) *pro ipsis, vt acciperet Spiritum sanctum*; & infra *Tũc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritũ*
D *sanctum*. Ita videtur sentire Guiliel. Paris. lib. de sacram in genere cap. 1. in fine. Hæc vero sententia duobus modis intelligi potest. Primò, quod effectus sacramenti per se pendeat ex oratione, & impetratione ministri, aut Ecclesiæ, illiq; tribuẽdus sit, tãquam propriæ causæ, & hoc sensu est falsa & improbabilis; quia quod non est de substantia & necessitate sacramenti, non est per se necessarium ad effectum sacramenti, nisi quatenus necessarium est, vt suscipiens non ponat obicem, sed oratio ministri non est per se de substantia sacramenti, vt per se cõstat, nec necessaria vt sacramentum fiat, quia sufficit intentio faciẽdi sacramentũ; & idem est de oratione, vel impetratione Ecclesiæ. Quia si per possibile vel impossibile Ecclesia nihil oraret, imò nec fidem, aut sanctitatem haberet, si applicarentur omnia necessaria ad sacramentum *Guil. Par.*

mentum

mentum cum debita intentione, sacramẽtum fieret; ergo etiam daret suum effectum nõ ponenti obicẽ. Et ratio à priori est; quia sacramentum ex se est sufficiens causa gratiæ in suo genere, & ideò dicitur illã conferre ex opere operato, quod habet ex meritis, & institutione Christi, & ideo per se aliunde nõ pendet eius efficacia. Vnde quamuis interdùm adiungatur oratio ministri, tamen effectus non est illi per se tribuendus; potest autẽ ad hoc cõferre, vt impetret suscipienti bonam dispositionem, & vt nõ ponat obicem. Alio modo potest intelligi hæc sentẽtia, vt nõ sit sermo de personali (vt ita dicam) oratione vel impetratione ministri, sed de sacramentali, ita vt ipsamet applicatio sacramenti dicatur quædam gratiæ impetratio, quia illa posita, Deus promisit dare gratiam propter merita Christi, & hoc sensu est probabilis opinio, & coincidit cum sequentibus.

3 Modus explicandi hanc sententiam. Durand. Scotus. Tertiò ergo dixerunt alij, sacramẽta tantùm esse conditiones quasdam, quibus positis, seu ad quarũ præsentiã Deus confert gratiam. Vnde solùm dicũtur causæ, tanquam conditiones necessariæ, & sine quibus gratia non datur. Ita Durand. in 4. d. 1. q. 4. & re vera illam tenet Scot. d. 1. q. 5. §. Ad primã ergo quæstionem dico, quanquàm in modo loquendi videatur differre; dicit enim sacramẽta nõ esse dicẽda causas per accidens gratiæ, sed vera instrumenta, & causas per se eo modo, quo dispositio est causa per se formæ, & instrumentum ad illam producendam; nam ex ordinatione diuina (inquit) sacramenti susceptio est veluti vltima dispositio gratiæ, ad quã immediatè consequitur. Quem dicendi modum variis coniecturis, & exemplis philosophicis explicat, quæ non oportet prolixiùs referre & expendere, nihil enim ad præsens institutum confert; quia, licèt Scot. modum loquendi dissimulet, tamen re ipsa nihil aliud quàm Durand. dicit, licèt quas Duran. vocat conditiones necessarias, ad quarum præsentiam Deus dat gratiam ex sua promissione, ipse appellet dispositiones ex diuina ordinatione sufficientes ac necessarias, & instrumenta Dei. Qui modus loquendi gratis excogitatus videtur & sine fundamento. Cur enim dicẽtur dispositiones illæ, quæ ex se nullam habent connexionem cum gratia, sed solùm requiruntur, quia Deus voluit ad earum præsentiam dare gratiam? Item dispositio propria debet recipi in eodem subiecto, vel saltem in eodem supposito, in quo est forma, quæ fit per actionẽ agentis, sed in primis formæ omnes sacramentorum non recipiuntur in homine, neq; cũ fit Eucharistia, forma recipitur in pane, aut in corpore Christi, quomodo ergo vocabitur dispositio? Idem argumentũ fieri potest de multis materiis sacramẽtorũ, vt v.g. de Eucharistia, quæ licèt dicatur recipi ab homine, quãdo comeditur ab homine, tamen non recipitur in illo tanquam in subiecto, sed solùm applicatur illi, quod non satis est, vt vocetur dispositio, aliàs approximatio agẽtis ad passum vocari posset dispositio, & causa per se. Et idem argumentum fieri potest de reliquis materiis quæ consistunt in quodã contractu. Ac deniq;, quidquid ex diuina ordinatione extrinseca & voluntaria esset necessarium ad aliquem effectum, ita vt illo posito statim poneretur effectus & non aliàs, posset dici dispositio vltima ad talem effectum, vt si Deus statueret, me loquente, creare angelum, vel aliquid huiusmodi; hoc autem impropriissimè diceretur, nec magis propriè vocatur hoc ab Scoto instrumentum per se, cùm re vera nihil influat in effectum, nec sit

A aliud, quàm conditio necessaria ex Dei ordinatione requisita. Item est argumentum ad hominem, nam, si hoc satis est ad rationem instrumenti, cur Scotus negat, posse dari instrumentum creationis? Item quod Scot. ait, dispositionem vltimam esse instrumẽtum ad formam, non satis consequenter ab eo dicitur, quia vltima dispositio non habet actionem aliquã circa formam introducendam, sed solum informando subiectum, præparat illud ad introductionẽ formæ; vnde licèt calor v.g. quo ignis introducit vltimam dispositionem in ligno, possit dici instrumentum ignis ad generandũ sibi simile, tamen calor productus in ligno, qui est vltima dispositio, nõ potest propriè dici instrumentum ad generandum ignem; quare si sacramenta sunt dispositiones, & nõ habent aliam actionem, non propriè vocabuntur instrumenta. Scotus ergo non videtur locutus in rigore philosophico, sed latè vocauit dispositionem vel instrumentum morali quadam ratione, & ita comparat huiusmodi causalitatem cum merito, & similibus.
B Vnde Gab. eadẽ dist. 1. q. 5. art. 1. not. 3. & 4. art. 2. conclus. 6. & 7. licèt sequatur hanc opinionem Scoti, fatetur tamen iuxta illam, sacramenta non esse nisi conditiones quasdam, addit vero, non vocari causas per accidens, sed per se; quia posita causa per accidens, non sequitur infallibiliter effectus, positis autem sacramẽtis, sequitur necessario effectus. Sed hoc nec verum est, nec sufficiens; approximatio enim agentis naturalis, realis est, vt illa posita sequatur infallibiliter effectus, remotis extrinsecis impedimẽtis, & tamen non est causa per se. Et ratio est, quia hoc non sufficit ad causam per se, sed prætereà requiritur, quòd ex propria virtute & influxu eius sequatur effectus, vt quando Sol appropinquat aeri, statim sequitur lumen, non tamen ex virtute approximationis, sed lucis, quæ est in sole, sic ergo si sacramenta sunt tantùm conditiones necessariæ, gratia fiet solùm ex influxu Dei: sacramenta ergo erunt causæ per accidens, physicè loquendo, quanquam moraliter possint dici causæ per se, quia quod est per accidens in genere physico, censetur per se in genere moris, vt ad hoc propositum rectè notauit Bonauẽt. in 4. d. 1. art. 1. q. 4. Sicut sigillum, vel scriptura *Gabriel.*
C est conditio, qua posita, sequitur effectus, & licèt physicè sit causa per accidens, tamen moraliter censetur habere vim quandam, & esse per se causa.

Quartò igitur alij, negando sacramenta esse causas physicas gratiæ, docẽt esse causas morales: quam sententiam docet latè Cano relect. de sacram. in gen. parte 4. vbi priùs latè improbat opinionem Scoti, & Dur. posteà verò, ac si nouum aliquid, & diuersum ab eis diceret, concludit, sacramenta esse tantùm causas morales, quia sunt veluti chirographa continentia sanguinem Christi, qui fuit nostræ redemptionis pretium. Quam sententiam etiam defendit *Quartus modus explicandi hanc sententiam.*
D Ledesm. 1. p. 4. q. 5. art. 1. circa finem, quæ quidẽ in se probabilis est, vt dicemus, tamen in impugnatione aliarum opinionum sibi similium non sibi constat: quia sacramenta esse chirographa, vel causas morales, si bene expendatur, nihil aliud est, quàm esse res, vel conditiones quasdam, quæ ex institutione Christi & promissione Dei fundata in sanguine Christi pro nobis effuso, hoc habent, vt illis positis & applicatis, statim nobis gratia detur. Quod si contra hanc opinionem obiiciatur, quia instrumentum debet esse proportionatum causæ principali: Deus autem, qui est causa principalis gratiæ, non est causa *Ledesma.*

moralis

moralis sed physica; ergo sacramenta, quæ sunt illius instrumenta, non possunt esse instrumenta moralia, sed physica. Facilè responderi potest eandem esse posse causam physicam, & moralem; nam causa physica est, quæ propria actione influit in effectum, quæ si per intellectum, & voluntatem liberè operetur, simul erit causa moralis, maximè propria & principalis, atq; in hunc modum Deus simul est causa physica, & moralis, & ideò respectu effectus, quem Deus operatur, non repugnat dari alias causas, seu instrumenta moralia. Illa enim causa dicitur moralis tantum, quæ per se non habet vim ad influendum in effectum, potest tamen mouere moraliter, & inducere causam principalem, vt efficiat effectum, & hoc modo causa consulens est moralis, & epistola, vel chirographum, quod mouet hominem ad soluendas pecunias, vel ad aliquid aliud agẽdum, est causa moralis, & instrumentum morale, quamuis homo & moraliter, & physicè illam actionem efficiat. Sic ergo sacramenta dicentur iuxta hanc sententiam causæ morales gratiæ, quia illis applicatis, quasi mouetur, & excitatur Deus ad gratiam, & physicè & voluntariè, atque adeò moraliter conferendam.

Quintus modus explicandi hanc sententiam.

Vnde intelligitur, non esse diuersum ab his quintum dicendi modum, quem Ledesm. refert, & impugnat non satis consequenter, neque constanter, dixerunt enim aliqui, sacramenta esse causas gratiæ solùm, quia cùm applicantur, mouent & excitant Deum ad conferendam gratiam. Quod enim hic modus dicendi non sit diuersus à præcedẽtibus, cõstat, quia illa motio, de qua hic agitur, non est propria & physica, sed metaphorica, & moralis fundata in pacto, & promissione Dei. Nam exhibita illa exteriori cæremonia, & signo externo, recordatur Deus (vt more scripturæ loquar) pacti sui, & suam promissionem implet, ad eum modum, quo Genes. 9. dixit Deus: *Arcum meum ponam, vt sit in signum fœderis.* Omnes ergo isti modi reducentur ad causalitatem moralem, imò, vt rectè D. Thom. hic dixit, nullus eorum transcendit rationem signi, sicut in citato loco Genes. dicitur, arcum illum esse in signum fœderis, licèt simul dici possit causa moralis, & chirographum, non aliter est causa moralis, quàm significando, ac testificando & reuocando in memoriam priorem promissionem.

D. Thom.

6 Modus explicandi hanc sententiam.

Vltimus modus explicandi hanc sententiam est Henri. quodl. 4. q. 37. vbi prius impugnat sententiam asserentem, sacramenta esse tantùm conditiones necessarias, ac deinde negat causalitatem physicam, tamen verò concludit, sacramenta esse instrumenta gratiæ, quia Deus vt speciali modo in illis existens, efficit gratiam, vt causa principalis. Hæc verò opinio, & nihil dicit diuersum à præcedentibus, & obscuriori modo rẽ proponit; inquiro enim, quid sit Deũ speciali modo existere in sacramentis. Vt enim omittam Eucharistiæ sacramentum, in reliquis nihil aliud esse potest, quã virtutem diuinã ex promissione & certa lege ita adesse sacramentis, vt illis applicatis, Deus gratiam efficiat. Quid enim aliud fingi potest? Nam Deus in ipsis sacramentis nullum effectum nouũ operatur, ergo nec nouo modo in illis existit, præterquàm per essentiam, præsentiam, & potentiam; interrogo ergo, an virtus diuina adsit prædicto modo sacramẽtis, vt per ipsa propriè ac physicè operetur, vel vt ipse solus ad præsentiam eorum operetur, nam etiam inter hæc duo non po-

A test aliquod medium excogitari, & primum nõ admittit Henricus: ergo necesse est, vt incidat in secundum, illud autẽ nihil aliud est, quã esse cõditiones ad quarum præsentiã Deus operatur. Sed inquit Henricus aliud esse Deum assistere in sacramento; aliud esse in ipso, nam primum non sufficit, vt sacramentum sit causa, secundum satis est: nam in circuncisione (inquit) Deus assistebat sacramento, quia ad præsentiam eius dabat gratiam ex promissione sua, tamen non erat in ipso sacramento; in Baptismo verò & assistit, & speciali modo est Deus, & ideò ipse Baptismus dicitur dare gratiam vt instrumẽtum. Sed hæc omnia in verbis solùm consistere videntur, de re autem ipsa, non explicant aliquid quod mente concipi possit. Quid enim esse potest, Deum esse in Baptismo, nisi esse paratum ad efficiendum specialem effectum in præsentia Baptismi ex sua promissione? cũ que in illum aliquam rem influat, neque illo vtatur specialiori modo vt instrumento physico iuxta hanc sententiam. Omnium igitur horum autorum vna est in re sententia, quamuis verbis dissentiãt. In qua nonnulla dicuntur, quæ vera, & certa sunt. B Primũ, causalitatem sacramentorum requirere promissionem diuinam: nam, hac seclusa, ex solis rerum naturis non sequitur talis effectus, nec potest esse certus, & infallibilis, nisi nitatur in diuina promissione, vt sæpe dictum est. Secundum, sacramẽta esse tales conditiones sensibiles, quibus positis, necesse est, sequi gratiæ effectum, supposita institutione & promissione. Hoc per se constat ex dictis, & ex omnibus testimonijs Patrum, quæ attulimus, & quæ statim afferemus. Tertium est, rectè posse dici sacramenta causas morales gratiæ, & moraliter continere pretium & valorem sanguinis Christi. Nam sicut Christi passio fuit causa moralis nostræ redemptionis, ita sacramenta, per quæ applicatur eius virtus, possunt dici causæ morales, & hoc probant omnia, quæ inter explicandas prædictas sententias dicta sunt, & in sequenti disputatione ampliùs confirmabitur. Vnum ergo, in quo omnes prædictæ sententię conueniunt, scilicet sacramenta non habere alium causandi modum præter dictum, examinandum superest.

2 Senten[tia] principal[is]

Secunda igitur sententia principalis est, sacramenta esse causas gratiæ, quia per veram actionem physicam concurrunt ad sanctificandos homines. C In explicanda verò hac sententia tres sunt modi diuersi, quos in præcedenti sectione tetigimus. Primus est eorum, qui dicunt, sacramenta physicè efficere dispositionem aliquam ad gratiam, non verò immediatè attingere ad gratiam ipsam, sed hanc efficere solum Deum. Ita Capreol. Palud. Thom. de Argent. Alex. Alens. & aliquando D. Thom. vt ibi retulimus. Sed hæc sententia satis improbata est in prædicto loco, quia & nulla fingi potest talis dispositio, & quia eadem difficultas est in efficientia huiusmodi dispositionis, quæ esse potest in efficienda ipsa gratia. Secundus modus dicendi est, sacramenta efficere hominem gratum, non efficiendo gratiam ipsam, D sed efficiendo vnionem eius ad animam. Sed hæc etiam improbata est, tum quia non est difficilius attingere vnionem, quàm gratiam cũ neutra creetur, & vtraque sit spiritualis, & supernaturalis; tum etiã quia supposito, quod gratia sit depẽdens in fieri, & in esse ab anima, non potest sacramentum efficere vnum, quin efficiat aliud. Denique, quia Patres non solùm affirmant, sacramenta efficere hominem gratum,

Capreol. Palud. Thomas Argent. Alex. Al[ens.] D. Thom.

gratum, sed etiam efficere gratiam: si ergo ad verificandum primum ponitur efficientia physica, cur non ad secundum? nam sola efficientia vnionis non satis est, vt sacramenta dicantur efficere gratiam, sicut homo efficit hominem, non tamen animã, quia non attingit animam ipsam, sed solùm vnioné eius. Tertius ergo modus propriè ac rigorosè explicandi hanc sententiam est, sacramenta efficere gratiam, quia ipsamet actio physica, per quam gratia fit, & educitur de potentia obedientiali animæ, verè ac realiter & physicè pendet ab ipsis sacramentis. Ita sentit D. Thom. hic, quem Caiet. ita intelligit, & sequitur, & infra, quæst. 78. ar. 4. & hæc sententia est iam communis in schola D. Thom. & mihi videtur valde consentanea dignitati nostrorum sacramentorum, & locutionibus Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum, & facillimè defendi posse, & ideò non esse ab ea discedendum.

D. Thom. Caietanus.

Conclusio. Sacramenta nouæ legis sunt vera instrumenta, attinguntq; verè, ac physicè gratiæ productionẽ.

Dicendum est enim, sacramenta nouæ legis esse B vera instrumenta per veram ac physicam efficientiam attingentia veram gratiæ productionem. Probatur primo, quia hoc est magis consentaneum illis locis sacræ Scripturæ, in quibus dicimur mundari, & sanctificari, & regenerari, *Ex aqua*, aut, *Per lauacrum regenerationis, & lauacro aquæ in verbo vitæ.* Si autem scripturæ verba possunt cum omni proprietate intelligi sine inconuenienti, imò maximè accõmodatè ad res, de quibus agitur, non est cur recurramus ad sensus improprios: posita autem hac effectione sacramẽtorum, proprijssimè intelliguntur omnes dictæ locutiones, iuxta alias verò sententias, non nisi valde impropriè. Secundò sumi potest simile argumentum ex modo loquendi Conciliorum. Florẽtinum, & Trid. suprà dicunt, sacramenta gratiam cõtinere, & conferre, & de quibusdam eorum dicunt, C imprimere characterem, & de verbis Eucharistiæ, virtute illorum confici corpus & sanguinem Christi, quæ omnia multùm indicant prædictam efficientiam. Est etiam optimus ille locus Concil. Trid. sessio. 6. ca. 7. Vbi annumerans causas gratiæ dicit, Baptismum esse instrumentalem causam eius, omnia autem alia genera causarum, quæ numerat, sunt proprijssima, singula in rationibus suis; sentit ergo etiã Baptismum esse verè, ac propriè instrumentũ, quod esse non potest sine prædicta efficientia, vt satis constare potest ex his, quæ dicta sunt, referendo opinionem Scoti, & aliorum. Quapropter Concil. Mogũt. cap. 11. sic inquit. *Doceant pastores, septem esse Ecclesiæ sacramenta, diuinitus instituta, per quæ velut apta instrumenta atque remedia suæ gratiæ munera nobis impartitur Deus.* Et infrà dicit, sacramenta esse *Sancta signacula, & efficacia signa,* & Concil. Senonense in decretis fidei, cap. 10. dicit, sacramenta habere vim diuinæ gratiæ conferendæ, & similia ferè habet Concil. Coloniens. p. 7. cap. 1. Tertiò possumus eodem modo argumentari ex sententijs Patrũ, Syluester Papa apud Niceph. lib. 7. hist. c. 33. sic loquitur ad Constantinum ad baptismum accedentem. *Hæc aqua, Imperator, diuina virtute per inuocationem viuificæ Trinitatis concepta, sicut exterius corpus hominis abluit, ita etiam interius animam mundat, & splendidiorem radijs solaribus efficit.* Secundò, Leo Papa epist. 4. cap. 6. dicit baptismo datam esse virtutem & potentiam renouandi, & regenerandi hominem: & ser. 4. de Natiuitate dicit, homini renascenti Baptismum esse instar vteri virginalis, & ser. 5. habet illa verba, quę suprà citaui. *Virtus altissimi, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorẽ,*

Concil. Tridens. — Con. Mog. — Con. Seno. Coloniens. — Syluester. — Leo.

A *facit, vt regeneret vnda credentem.* Tertiò, Cyprian. in serm. de cœn. Domin. agens de Eucharistia. *Panis* (inquit) *est esca propter nutrimenti congruentiam, sanguis, propter viuificationis efficientiam,* & infrà. *Panis iste cõmunis in carnem & sanguinem mutatus procurat vitam & incrementum corporibus; ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est, sensibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm spirituali transitione, Christo nos vniri.* Similia habet in sermone de Vnctione chrismatis, & lib. 1. epist. 2. Quartò, Chrysost. homil. 25. in Ioan. *Nouum iam naturæ nostræ intexitur opificium ab Spiritu sancto, & aqua; quod enim est matrix embrioni, hoc & fideli aqua,* & infra. *Ex quo Iordanis alueum ingressus est Christus, non ampliùs reptilia animarum viuentium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit,* & homil. 35. *Futurum erat baptisma plenum maxima potestatis, & gratiæ, purgaturum peccata,* B *pro mortuo viuum effecturum;* & homil. 16. in ad Roma. circa illa verba cap. 9. *In Isaac vocabitur tibi semẽ,* comparat eos, qui nascuntur ex aqua cum Isaac, *Qui natus est* (inquit) *non secundum naturæ vires, sed secundũ vires promissionis,* quam comparationem ibi latè persequens, aquæ sæpe tribuit supernaturalem vim, & efficaciam; atque eandem tribuit latè, & eleganter verbis consecrationis, homil. de proditione Iudæ circa finem. Quintò, Damas. lib. 4. de fid. cap. 10. sæpe dicit, per aquam nos mundari, & potum sanguinis esse causam vitæ æternæ, & cap. 14. dicit, Christum verbo suo efficaciter panem & vinum in corpus suum & sanguinem transmutasse, & eandẽ vim dicit habere verba à sacerdote prolata. Sexto, codẽ modo loquitur de Baptismo Iustinus in dial. cum Triph. de Baptismo, & Eucharistia in Apolog. 2. C pro Christianis, circa finem. Septimò, Greg. Nissen. lib. de Baptis. in principio dicit, per Baptismum dari nobis spiritualia dona: & infra dicit, esse causam spiritualis regenerationis: & infra dicit, Eucharistiam habere in nobis excellentem operationem: & infra cõparat sacramẽta cum virga Moysi, *Per quam* (inquit) *voluit Deus efficere sublimia,* & tandem comparat cũ virtute miraculorum effectrice. Octauò, Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 42. postquàm dixerat, per Baptismum dari gratiam, subdit. *Sicut enim viribus ignis intensius aqua calefacta calorem efficit, non aliter, quàm ignis, sic Spiritus sancti operatione ad diuinã aquæ reformantur virtutem, qua baptizatum abstergunt,* atque eodem modo loquitur de Eucharistia, lib. 4. in Ioã. capit. 16. lib. autem septimo contra Iulian. circa finẽ dicit, sacramenta Christi, non tantùm ad res sensibiles, & visibiles pertingere, sed Christum, qui magna D facilitate mirabilia operatus est, dedisse illis vim & virtutem mirabilem & supernaturalem. Nonò, eodem ferè modo loquitur Cyril. Hierosoly. in præfatione ad Catechesi. circa finem, & Catechesi. 3. & 4. Decimò, Theodoretus in Epitom. diuinorum officiorum: cap. de Baptismo dicit, Baptismum efficere nos participes Christi, & largiri remissionem peccatorum. Vndecimò. Ambros. lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi.* & infrà, *Non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam consecrauerit,* & lib. 3. cap. 1. *Tibi reseruatum est, vt aqua te generet ad gratiam, sicut illa generauit ad vitam, &c.* & lib. 4. cap. 4. *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erãt, quanto magis operatorius est, vt sint, quæ erãt, & in aliud commutentur.* Duodecimò, August. Tract. 80. in Ioã.

Cyprian. — Chrysost. — Damasc. — Iustinus. — Greg. Nissen. — Cyril. Alexand. — Cyril. Hierosoly. — Theodor. — Ambros. — August.

habet

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet illa verba, *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*? & Epist. 23. dicit, aquam cum Spiritu regenerare hominem in Christo, & multa similia habet de Baptism. Tract. 5. in Ioan. & Patres vbicunque loquuntur de Baptismo, dicunt, datam esse illi mirabilem virtutem ad nos sanctificandos, vt patet ex Greg. Nazian. oratione de Baptismo, & Beda sermone. 1. de Epiphan. & alijs quæ referuntur in Decreto de Consecratione, distin. 4. & de Baptismo traduntur similia, de Consecra. distinct. 1. Et vbique significant, esse magnum diuinæ omnipotentiæ opus, q. rebus sensibilibus vim dederit ad effectus mirabiles producendos; si autem sacramenta tantum essent conditiones, quibus positis, Deus operaretur, nullum esset in hoc speciale opus omnipotentiæ.

Greg. Nazian. Beda.

A

Quartò argumẽtari possumus ex veritate & proprietate verborum sacramentalium, seu formarum sacramentorum, præsertim ex illis, *Ego te absoluo*, quę fundantur in verbis Christi, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ad illorum enim veritatẽ oportet, vt sacerdos illa proferens, verè absoluat, vt docuit Concilium Constan. sessione 45. Ergo necesse etiam est, vt verè conferat gratiam, quæ est forma, per quam peccator à peccato absoluitur: sed non potest sacerdos dici verè conferre gratiam, nisi saltem suo verbo illam efficiat: nam, si solus Deus efficit ad præsentiam verbi; ergo solus Deus remittit & absoluit, & non verè, ac propriè sacerdos, sicut in moralibus exemplis suprà positis, quanuis oblato, seu præsentato chirographo, alius debitum soluat, non dicitur propriè soluisse debitum, qui chirographum obtulit, vt ergo huiusmodi locutiones in omni proprietate veræ sint, oportet, vt ministri sacramentorũ per illa verba gratiam efficiant.

Ioannes.

Conc. Constantien.

B

Quintò argumentari possumus, quia Christus sua humanitate tangendo vel loquendo faciebat miracula, & conferebat gratiam per veram, & physicã efficientiam, vt in primo tomo latè ostensum est; ergo idem sentiendum est de sacramentis. Probatur consequentia primò, quia Scriptura sacra & sancti Patres eodem modo loquuntur de sacramentis, quo de Christi humanitate. Secundò, quia sacramenta non reputantur, nisi tanquam verba, & actiones ipsiusmet Christi, vt verbi gratia, in Eucharistia verba proferuntur in persona Christi, & ideò eandem vim nunc habere censentur, quam habuerunt in nocte cœnæ ab ipso prolata, & caro ipsa Christi sicut tactu suo viuificabat, ita in sacramento existens verè viuificat animam, iuxta illud. *Qui manducat me, viuet propter me*. Propter quod dixit Concil. Ephes. in illo sacramento accipi, non communem carnem, sed verè viuificatricem, per quam sanctificamur. In alijs vero sacramentis Christus est, qui principaliter operatur. Vnde, sicut humanitas eius est verum ac proprium instrumentum physicum coniunctum, ita sacramenta sunt vera & propria instrumenta eius ad gratiam efficiendam.

C

Conc. Ephesin.

D

Sextò tandem potest afferri congruentia, suppositа possibilitate huius efficientiæ, de qua suprà dictum est, quia decuit Deum vti illis hoc modo, tum ad maiorem dignitatem, sanctitatem, & excellentiam horum sacramentorum: tum etiam ad diuinæ omnipotentiæ ostensionem, aliquid enim amplius, & excellentius videtur tribuendum diuinis sacramentis, & instrumentis etiam in modo operandi, quàm tribuatur signis recordatiuis pacti, seu promissionis, nam totum hoc genus causalitatis, si quod est, non transcendit rationem signi, vt D. Thom. dixit, & quodammodo attribui etiam potest circumcisioni. In quo argumento magnam vim aliqui faciunt contra Scotum; sed quantam habeat efficaciam, dicemus disputatione sequenti. Illud verò nõ nihil iuuat, quia etiam dæmon in magicis artibus solet opem suam illo modo promittere ad præsentiam alicuius signi sensibilis, quod ipse constituit in memoriam promissionis & pacti, quod inter eum & aliquem prauum hominem intercesit: decet ergo, vt altiori modo Deus efficiat per sua sacramenta.

D. Thom.

Ad argumenta in principio posita respondetur. Ad primum, sanctos ibi citatos non negare efficientiam sacramentorum, quam eisdem, vel alijs locis ipsimet docent, sed significare, solum Deum, & Spiritum sanctum esse principalem gratiæ autorem, à quo virtus sacramentorum manat; & ideò distinguunt, quid sit in sacramentis ex se, seu ex propria virtute ministrorum, quid verò ex dono, seu motione Spiritus sancti. Nam id, quod est visibile & externum, est ab homine virtute propria; quod est autem inuisibile & spirituale, est à virtute Spiritus sancti operantis per sacramenta. Vnde Augustin. lib. 4. de baptis. c. 12. *Nemo* (inquit) *debet contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter exhibetur: nam per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur*. Deus ergo est, qui principaliter operatur, sed per sacramenta tanquam per instrumenta. & Ambros. Epist. 84. circa medium. *Non est* (inquit) *idem in sacramento forma, quod virtus, nam forma, cum humani ministerij obsequio exhibetur; virtus autem per diuini operis præstatur effectum, ad cuius vtique potentiam referendũ est, quòd, dum homo exterior abluitur, mutatur interior*: & Basil. dict. lib. de Spiritu sancto quasi explicans verba superiùs citata subdit. *Quòd si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia*, & ad hunc modum sunt exponenda reliqua testimonia. Illa verò vltima locutio Augustin. scilicet, *hominem non dare Spiritum sanctum*, eatenus vera est, quatenus dare significat autoritatem quandam indantis, ac si proprio arbitrio, & virtute donet, hoc enim modo solus Spiritus sanctus seipsum donat, & à Patre, & Filio mittitur, vt docuit etiam D. Thom. 1. par. quæst. 43. art. 8. Denique ad hanc totam responsionem confirmandam sunt optima verba Bernard. lib. 5. de Consid. ad Eugen. non longè à princip. vbi de Angelicis virtutibus sic loquitur. *Virtutes pro suo ministerio, & pot entatu satagit excitare corda torpentia hominum, innouatione signorum; virtus verò in eis manens ipsa facit opera. Faciunt & illæ, sed in comparatione eius non faciunt*.

Ad 1. obj.

Augustin.

D. Thom.

Bernard.

Ad secundum respondetur, efficientiam physicam sacramentorum potissimùm esse circa gratiam habitualem, & virtutes, quæ illam consequuntur; gratia verò sacramentalis non est necesse, vt in se fiat physicè per sacramentum, sed satis est, vt sacramenta efficiant gratiam habitualem, per quam, vt à sacramento effectam, acquiritur ex diuina promissione, & ordinatione ius ad obtinenda illa dona, & auxilia, in quibus gratia sacramentalis consistit. Quod verò pertinet ad effectus morales, satis est, q. ratione sacramentorum moraliter tribuantur, nam, vt dixi in primo tomo tractando de potentia humanitatis Christi, diuinis instrumentis ita est vnusquisque effectus tribuendus, sicut factibilis est, & ideò effectus

Ad secundũ.

Basilius.

effectus physicus, qui per veram efficientiam physicam fieri potest, hoc modo fit à sacramento; effectus autem moralis tantùm postulat, vt moraliter fiat, nam etiam ab ipso Deo vnusquisque effectus sit iuxta modum, & capacitatem suam.

A

Ad tertium.

Ad tertium, aliqui Thomistæ conantur defendere, effectum sacramenti, qui datur recedente fictione, fieri effectiuè & physicè à sacramento præterito, & putant esse instrumentum physicum ac reale, id, quod præterijt, licèt nunc nõ sit, neque in se, neque in aliqua reali virtute, quam reliquerit. Sed hæc doctrina est falsa, vt latè ostendi in prædicta disputatione primi tomi, & ideò in ea impugnanda hic amplius non immorabor. Alij ergo dicunt, effectum sacri propriè & physicè à virtute reali relicta à sacramẽto, quod præterijt, & ratione illius tribui hanc efficientiam ipsi sacramento, hãc autem virtutem dicũt esse characterem in his, quæ imprimunt illum: nam, cùm sit res & sacramentum simul, mirum non est, quòd efficere possit rem tantùm, quæ est gratia, in alijs verò forsasse dicerent esse ornatum, vel aliquid simile. Sed hoc de ornatu in superioribus est satis improbatum. Ergo, de sacramento, verbi gratia, Pœnitentiæ, si fictè suscipiatur, certum est, nullam efficere in homine qualitatẽ permanentem per modum habitus, quæ posteà, recedente fictione, possit gratiam efficere. De charactere verò non est dubiũ, quia possit Deus, si velit, vti illo vt instrumento ad infundendam gratiam recedente fictione, tamen certum est, primò & per se non infundi characterem ad hunc finem, vt posteà videbimus, vnde sine fundamento dicitur, Deum vti illo, vt instrumento. Quãdo enim à principio infunduntur simul character & gratia, non fit gratia à charactere, sed vtrũque fit immediate à sacramento: ergo quando gratia confertur post characterem propter priorem obicem, non est cur gratia fiat à charactere. Item si gratia Baptismalis semel habita, per peccatum amittatur, & posteà per pœnitentiam reparetur, non fit physicè à charactere, ergo neque quando primò acquiritur, & quasi reparatur recedente fictione. Denique, cùm hoc non sit connaturale characteri, nec per se pertineat ad finem, propter quem datur, non est hoc asserendum sine fundamento; imò cùm character non sit quasi virtus instrumentalis Baptismi, neq; ad hoc detur, vt suppleat efficientiam Baptismi in absentia eius, parùm videtur conferre, vt Baptismus dicatur efficere gratiam, quòd character eleuetur ad illã effiendam, necne; quia hoc est merè accidentarium Baptismo. Atque eisdem ferè rationibus refellitur alia responsio, quæ excogitari potest, scilicet, fictionem semper tolli per aliquem actum hominis, contritionis, vel attritionis, & illũ actum efficere gratiam in virtute prioris sacramenti. Nam, licèt hoc fieri possit volente Deo, tamẽ gratis dicitur, tum quia ille actus non est pars sacramẽti præcedentis, tum etiam, quia si simul concurreret cum ipso sacramento, verbi gratia, Baptismi, non haberet hanc efficientiam; tum denique quia ille actus non est virtus, vel instrumentũ prioris sacramenti. Respondetur ergo, in eo casu sacramentum præteritum non concurrere per physicam efficientiam ad gratiam præstandam, quando enim dicuntur sacramenta efficere physicè, ac propriè gratiam, sicut intelligitur, necessarium esse, vt ex parte subiecti concurrant conditiones necessariæ ad hunc effectum, scilicet vt obicem non ponat, ita ex parte ipsius sacramenti intelligendum est debere

B

C

D

concurrere necessarias conditiones omni agenti physico, scilicet vt existat, & debito modo applicetur: in prædicto ergo casu Baptismus non habet efficientiã physicam, non quia ex se nũquam illam habeat, sed quia tunc cum debitis conditionibus nõ applicatur. Quod verò pertinet ad modum loquendi in huiusmodi effectu re vera non verificantur propriè omnes locutiones, quæ sunt de efficiẽtia sacramentorũ: nam hic Baptismus neque fuit neque est vera causa instrumentalis gratiæ, nec de illo simpliciter dici potest, quòd hominẽ mũdet, sed propriè dicitur Deus mundare, aut conferre gratiã ratione prioris Baptismi, qui in diuina acceptatione manere intelligitur: est enim tanta huius sacramenti perfectio, vt, licèt suo tempore impediatur ab agendo, & posteà, quãdo iam nõ est, physicè agere non possit propter defectum conditionis necessariæ ad agendum: Deus tamen suppleat eius absentiam, & conferat gratiam ratione illius.

Ad quartum, qui admittunt, instrumenta diuina physicè agere, quando non sunt, docere consequenter possent, gratiam collatam per sacramentum, quã diu durat, eadem actione conseruari dependenter à præterito sacramento. Sed hæc omittamus vt improbabilia. Primùm ergo statuendum est, non semper formam conseruari per eandem actionem, per quam fuit effecta, aliud enim est dicere, conseruationem posse fieri, & sufficienter fieri per eandẽ actionem, per quam res fuit producta, si illa eadem perseuerer & duret, quod verissimum est: aliud verò est dicere, semper ac necessariò conseruationem esse eandem actionem cum productione durante, ac permanente, quod falsum est: potest enim res per vnam actionem fieri, & per aliam conseruari, quod semper accidit, quandocũque effectus ab vna causa fit, & ab alia conseruatur, quia varia causa, necesse est actionem variari, quia per se ipsam, & non per aliam actionem, dependet à causa: vnde calor factus ab igne, qui posteà à solo Deo conseruatur, alia actione conseruatur, quàm productus fit, ita ergo est in præsenti, nam in instanti, in quo fit gratia per sacramẽtũ, est vna actio pendens essentialiter à sacramento vt instrumento, & à Deo vt principali causa: hæc autẽ actio cessat finito sacramento, & consequenter etiam cessat ille concursus, quem Deus præbebat sacramẽto, quia hic nõ erat actio distincta ab illa, quæ à sacramẽto pẽdebat: incipit ergo cõseruari gratia à solo Deo per nouam actionem, quæ, licèt fortasse habeat respectum aliquem ad præcedens sacramentum, quia per illud data est gratia, vt posteà conseruetur, non tamen est physicè ab ipso sacramento, cum iam non existat.

Ad quartum.

D

Ad quintum Thomistæ respondẽt, passionẽ Christi, quæ præterijt, esse instrumentum physicum efficiens omnes effectus sacramentorum, & mouens ipsa sacramenta, eisque virtutem præbens ad efficiendum. Sed si hæc intelligantur propriè de passione, vt fuit quædam mutatio, quæ iam non est, falsa sunt & sine fundamento, vt latè in primo tomo dixi. Si autem non loquamur de passione præcisè ratione motus præteriti, sed de humanitate, in qua Christus passionem sustinuit, sic concedi potest, illam esse physicum instrumentum coniunctum vtens sacramentis, vt instrumentis separatis ad gratiam efficiendam, vt dixi in dicta disputatione 31. 1. tomi. Quod non est ita intelligendum, ac si Christus per humanitatem physicè moueat, vel applicet sacramentum, aliquam mo-

Ad quintũ.

Universidad de Deusto Biblioteca

motionem realem imprimendo ipſi ſacramento;cõſtat enim ex dictis,nullam qualitatem,vel realẽ motum imprimi ſacramento, ergo non poteſt illo modo explicari,ſacramentum moueri,aut eleuari à Verbo,media humanitate:ſi ergo humanitas Chriſti ſimul influit cum ſacramento in effectum gratiæ proprio influxu,intelligendum eſt, immediatè influere ſimul cum ipſo ſacramento,ita vt illa ſint duo inſtrumenta inter ſe ſubordinata ex diuina ordinatione. Poteſt autem humanitas in genere inſtrumenti dici vniuerſalis cauſa reſpectu ſacramentorum,quia cum omnibus illis operatur,& omnia ab illa pendent, ipſa verò ſine illis operari poteſt;& eadem ratione poteſt reſpectu illorum dici quaſi principalis, non ſimpliciter,quia re vera humanitas eſt tantùm inſtrumentum coniunctum reſpectu harum actionum, vt loco ſuprà citato diximus, ſed ſecundùm quandam comparationem: quia Chriſtus per ſuam voluntatem influit,& ab illa pendet ſacramentorum virtus. Dices,quomodo ergo virtus ſacramentorum dicitur manare à paſsione Chriſti, ſi nihil influit in ipſa ſacramenta? Item, quomodo illa virtus poteſt eſſe phyſica,ſi paſsio ipſa nihil phyſicè operatur? Reſpõdetur,ſacramenta habere virtutem à paſsione Chriſti nihil aliud eſſe,quàm Chriſtum paſsione ſua meruiſſe & impetraſſe, vt ſacramenta haberent hanc vim conferendi gratiam; & ideò non eſt neceſſe,vt illam vim habeant per aliquem influxum realẽ, qui fiat circa ipſa ſacramenta,ſed ſolùm per diuinam eleuationem,& ſpecialem concurſum, vt ſupra dictum eſt:& ob eandem cauſam neceſſarium nõ eſt, vt paſſio Chriſti phyſicè det ſacramentis hanc virtutem ſed meritoriè ac moraliter:neque inde fit, cauſalitatem ſacramentorum eſſe tantùm moralem, quia ipſamet cauſalitas phyſica ſacramentorum poteſt cadere ſub meritum Chriſti,ſicut auxilium gratiæ nobis datur propter Chriſti paſsionem in genere cauſæ meritoriæ,& tamẽ datur,vt per illud phyſicè operemur.

Ad ſextum. Ad ſextum ex dictis patet reſpõſio,non enim affirmamus hanc phyſicam cauſalitatem ſacramentorum,eò quòd, illa poſita,maior gratia vel ſanctificatio nobis conferatur, ſed quia hoc eſt conformius Scripturæ & Sanctis;& quia hoc pertinet ad maiorem quandam dignitatem & excellentiam ſacramẽtorum, magiſque declarat efficaciam diuinæ omnipotentiæ,& meritorum Chriſti.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ſacramenta nouæ Legis habeant virtutem ex paſsione Chriſti.

Inf.q.64. art.1.& 4. diſt.1.q.1. art.4.q.3. & diſt.5.q.2.ar.2.q.1 Tract.19.à medio, & 23.ante mediũ.tom.9.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramenta nouæ Legis non habeant virtutem ex paſsione Chriſti. Virtus enim ſacramentorum eſt ad gratiam cauſandam in anima,per quam ſpiritualiter viuit. Sed ſicut Auguſt. dicit ſuper Ioann. Verbum prout erat in principio apud Deũ, viuificat animas, ſecundum autem quod eſt caro factũ,viuificat corpora. Cũ igitur paſſio Chriſti pertineat ad Verbum, ſecundum quod eſt caro factum; videtur, quòd

A non poſsit cauſare virtutem ſacramentorum.

¶ 2 Prætereà, Virtus ſacramentorum videtur ex fide dependere,quia ſicut dicit Auguſt.ſuper Ioan. Verbum Dei perficit ſacramentum,non quia dicitur,ſed quia creditur. *Tract.80. in Euang. Ioan.poſt med.tom.9.* Sed fides noſtra non ſolùm reſpicit paſsionem Chriſti,ſed etiam alia myſteria humanitatis ipſius, & principalius etiam diuinitatẽ eius. Ergo videtur,quod ſacramenta non habeant ſpecialiter virtutẽ à paſsione Chriſti.

¶ 3 Præterea,Sacramenta ordinãtur ad hominum iuſtificationem, ſecundum illud 1.Corint. 6. Abluti eſtis, & iuſtificati eſtis. Sed iuſtificatio attribuitur reſurrectioni, ſecundum illud Rom.4. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram: Ergo videtur, quod ſacramenta magis habeant virtutem à reſurrectione Chriſti,quàm ab eius paſsione.

SED contra eſt,quod ſuper illud Rom. 5. In ſimilitudinẽ præuaricationis Adæ, &c. dicit gloſ.ex latere Chriſti dormientis in cruce fluxerunt ſacramenta, per quæ ſaluata eſt *Gloſ.ord. per illud Qui eſt forma futuri.*

B Eccleſia. Sic ergo ſacramenta videntur habere virtutem ex paſsione Chriſti.

RESPONDEO dicendum, quòd (ſicut dictum eſt) ſacramentum operatur ad gratiã cauſandam per modum inſtrumenti. Eſt autẽ duplex inſtrumentum, vnum quidem ſeparatum, vt baculus: aliud autem coniunctum, vt manus. *Ar.1.huius quæſt.* Per inſtrumentum autem coniunctũ mouetur inſtrumẽtum ſeparatum, ſicut baculus per manũ. Principalis autẽ cauſa efficiẽs gratiæ, eſt ipſe Deus, ad quem comparatur humanitas Chriſti, ſicut inſtrumentum coniunctum, ſacramentum autem ſicut inſtrumentum ſeparatum: & ideo oportet, quod virtus ſalutifera, à diuinitate Chriſti, per eius humanitatem, in ipſa ſacramenta deriuetur. Gratia autem ſacramentalis ad duo præcipue ordinari videtur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, in quan

C tum tranſeunt actu, & remanent reatu, & iterum, ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum religionem vitæ Chriſtianæ. Manifeſtum eſt autem ex his quæ ſuprà dicta ſunt, quòd Chriſtus liberauit nos à peccatis noſtris, præcipuè per ſuam paſsionem, non ſolùm efficienter & meritoriè, ſed etiam ſatisfactoriè. *q.48.&c.* Similiter etiam per ſuam paſsionẽ initiauit ritum Chriſtianæ religionis, offerẽs ſe ipſum oblationem & hoſtiam Deo, vt dicitur Epheſ. 5. Vnde manifeſtum eſt, quod ſacramenta Eccleſiæ ſpecialiter habẽt virtutem ex paſsione Chriſti, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per ſuſceptionem ſacramẽtorum. In cuius ſignum de latere Chriſti pendentis in cruce fluxerunt aqua & ſanguis, quorum

vnum pertinet ad baptiſmum, aliud ad Euchariſtiam, quæ ſunt potiſsima ſacramenta.

AD primum ergo dicendum, quod Verbum prout erat in principio apud Deum viuificat animas, ſicut agens principale, caro tamen eius & myſteria in ea perpetrata, operantur inſtrumentaliter ad animæ vitam. Ad vitam autem corporis non ſolùm inſtrumentaliter, ſed etiam per quandam exemplaritatem, vt ſuprà dictum eſt. *q.56.art.1.*

AD ſecundum dicẽdum, quod per fidem Chriſtus habitat in nobis (vt dicitur Eph.3.) & ideo virtus Chriſti copulatur nobis per fidem. Virtus autem remiſsiua peccatorũ ſpe-

B ciali quodã modo pertinet ad paſsionem ipſius Chriſti: & ideo per fidem paſsionis eius ſpecialiter homines liberantur à peccatis, ſecundùm illud Rom. 3. Quẽ propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Et ideo virtus ſacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipuè eſt ex fide paſsionis Chriſti.

AD tertium dicendum, quod iuſtificatio attribuitur reſurrectioni ratione termini ad quem, qui eſt nouitas vitæ per gratiam. Attribuitur tamen paſsioni ratione termini à quo, ſcilicet quãtum ad dimiſsionem culpæ.

HIC articulus in fine præcedentis ſectionis explicatus eſt, & de illo multa legi poſſunt in primo tomo diſp.31.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſacramenta veteris legis gratiam cauſarint.

1.2.q.103.a.2.& q.107. ar.1.ad 6.& 4.diſt.1.q.1. art.5.q.1. Art.prec.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quod etiam ſacramenta veteris legis, gratiam cauſarunt. Quia (ſicut dictum eſt) ſacramenta nouæ legis habẽt efficaciã ex fide paſsionis Chriſti: ſed fides paſsionis Chriſti fuit in veteri lege, ſicut & in noua, habemus enim eundem Spiritum fidei, vt habẽtur 2.ad Corint.4. Sicut ergo ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam, ita etiam ſacramenta veteris legis gratiam conferebant.

¶ 2 Præterea, Sanctificatio nõ fit niſi per gratiam. Sed per ſacramẽta veteris legis, homines ſanctificabantur, dicitur enim Leuitici 8. Cumque ſanctificaſſet Moyſes Aarõ & filios eius in veſtitu ſuo, &c. Ergo videtur quod ſacramenta veteris legis gratiam conferebant.

Inter principium & mediũ illius. In homiliario totius anni eam inuenies.

¶ 3 Præterea, Sicut Beda dicit in homilia Circuncifionis: Idem ſalutiferæ curationis auxilium, circunciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptiſmus agere reuelatæ tempore gratiæ conſueuit. Sed baptiſmus nunc cõfert gratiam. Ergo

A circũciſio gratiã conferebat. Et pari ratione alia ſacramẽta legalia: quia ſicut baptiſmus eſt ianua ſacramentorum nouæ legis, ita & circunciſio erat ianua ſacramentorum veteris legis. Propter quod & Apoſt. dicit Galat. 5. Teſtificor omni homini circũcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.

SED contra eſt, quod Gala. 4. dicitur: Cõuertimini iterum ad infirma & egena elementa: Gloſſ. id eſt, ad legẽ, quæ dicitur infirma, quia perfectè non iuſtificat. Sed gratia perfectè iuſtificat. Ergo ſacramenta veteris legis gratiam non conferebant. *Gloſ.ordinaria.ibid.*

B RESPONDEO dicendum, quòd non poteſt dici, quod ſacramenta veteris legis cõferrent gratiam iuſtificantẽ per ſeipſa, ideſt, propria virtute: quia ſic non fuiſſet neceſſaria paſsio Chriſti, ſecundum illud Galat. 2. Si ex lege eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Sed nec poteſt dici, quod ex paſsione Chriſti virtutem haberẽnt cõferendi gratiam iuſtificandi. Sicut enim ex prædictis patet, virtus paſsionis Chriſti copulatur nobis per fidem & ſacramenta, differenter tamen. *Art. præced.* Nam continuatio, quæ eſt per fidem, fit per actum animæ: cõtinuatio autem, quæ eſt

C per ſacramenta, fit per vſum exteriorum rerũ. Nihil autẽ prohibet id quod eſt poſterius tempore, antequàm ſit, mouere ſecundum quod præcedit in actu animæ, ſicut finis qui eſt poſterior tempore, mouet agentem, ſecũdum quod eſt apprehenſus & deſideratus ab ipſo. Sed illud quod nondum eſt in rerum natura, non mouet ſecundum vſum exteriorũ rerum. Vnde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe ordine durationis, ſicut cauſa finalis. Sic ergo manifeſtũ eſt, ꝙ à paſsione Chriſti, quæ eſt cauſa humanę iuſtificationis cõuenieñter deriuatur virtus iuſtificatiua ad ſacramẽta nouæ legis, non autẽ ad ſacramẽta veteris legis, & tamen per fidem paſsionis Chriſti iuſtificabantur antiqui Patres, ſicut

D & nos. Sacramenta autem veteris legis erãt quędam illius fidei proteſtationes, inquantũ ſignificabant paſsionem Chriſti & effectus eius. Sic ergo patet, quod ſacramenta veteris legis non habebant in ſe aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iuſtificantem, ſed ſolùm ſignificabant fidem per quam iuſtificabantur.

AD primum ergo dicendum, quod antiqui Patres habebant fidem de paſsione Chriſti futura, quæ ſecundum quod erat in apprehenſione animæ, poterat iuſtificare. Sed nos habemus fidem de paſsione Chriſti præcedenti, quæ poteſt iuſtificare etiam ſecũdum realem vſum ſacramentalium rerum, vt dictum eſt.

Universidad de Deusto Biblioteca

A D secundum dicendum, quod illa sanctificatio erat figuralis, per hoc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui diuino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandum passionem Christi. *In corp. art.*

A D tertium dicendum, quod de circuncisione multiplex fuit opinio, quidam enim dixerunt quod per circuncisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. Sed hoc non potest esse, quia homo non iustificatur à peccato, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et ideò alij dixerũt, quod per circuncisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotiuos culpæ, sed non quantum ad effectus positiuos gratiæ. Sed hoc etiam videtur esse falsum, quia per circuncisionem dabatur pueris facultas perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ. Et præterea, secundũ ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positiui, quam priuatiui, licèt secundum ordinem causæ materialis, sit è conuerso, forma enim non excludit priuationẽ, nisi informando subiectum. Et ideo alij dicunt, quod circuncisio conferebat gratiam, quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est facere dignum vita æterna, non tamẽ quantum ad hoc quod est reprimere concupiscentiam impellẽtem ad peccandũ. Quod & aliquando mihi visum est, sed diligentius considerãti apparet hoc etiam non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam, & ideo melius dicendum videtur, quòd circuncisio, sicut & alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei iustificantis. Vnde Apost. dicit Rom. 4. quod Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Et ideo in circuncisione conferebatur gratia, inquantum erat signum passionis Christi futuræ, vt infra patebit. *q. 7. art. 4.*

COMMENTARIVS.

Q Vanquam D. Thom. tantum videatur loqui de sacramentis legis scriptæ, quæ propriè dicitur lex vetus, tamen, si discursus articuli, & solutio ad quartum considerentur, responsio eius vniuersalis est de omnibus sacramentis, quæ ante Christi aduentum fuere, tam in lege naturæ, quam in veteri. Ratio D. Thom. est, quia illa omnia nitebãtur in Christo vẽturo, & illum promittebant, ac præfigurabant, & ideò nõ coniungebantur illi, vt instrumenta eius: quia sicut causa efficiens non operatur antequàm sit, ita etiam non vtitur aliquo reali instrumento ad efficiendum: solùm ergo erant signa. Quæ ratio eandem vim habet in omnibus præteritis sacramentis, atque ita in solutione ad quartum absolutè extendit D. Thom. hanc conclusionem, etiam ad circuncisionem. Quæ omnia in sequenti disputatione examinabũtur ampliùs, & declarabuntur.

DISPVTATIO X.

De inefficacia veterum sacramentorum ad gratiam conferendam.

S Vb hoc titulo, vt paulò antea dixi, comprehendo omnia sacramenta, quæ ante Christi aduentum fuere, quoniam verò in eis specialis ratio, ac difficultas est de sacramento circũcisionis, ac de illo, quod in remedium peccati originalis fuit in lege naturæ, ideo priùs de his specialiter dicemus, posteà generatim de reliquis omnibus sacramentis illius temporis.

SECTIO I.

Vtrùm in circuncisione, vel sacramento legis naturæ data sit gratia sanctificãs præter meritum operantis.

R Atio difficultatis est, quia D. Th. absolutè negat, per sacramenta vetera datam esse gratiam iustificantem, & eodem modo loquũtur antiqui Patres, quod infra referemus sectione vltima huius disputationis, sed eadem est ratio de sacramento legis naturæ, vel circuncisione, quæ legem antecessit quia etiam hæc respiciebant Christum venturum, cuius sola fides viua prodesse tunc poterat, ergo. *D. Thom.*

In contrariũ verò est, quia in his sacramẽtis remittebatur originale peccatũ, sed hoc nõ remittitur sine gratia, ergo necesse est, vt in eis data fuerit gratia.

In hac quæstione varij possunt esse opinandi modi, primus est, in circuncisione remissum fuisse originale peccatum, non verò fuisse datam gratiam. Hæc fuit opinio Mag. in 4. d. 1. circa finem & Gloss. in c. Quod autem de Consecr. d. 4. vbi significat, in circũcisione solam pœnam fuisse remissam. Sed hæc sentẽtia repugnat manifestè principijs fidei, & ideò meritò ab omnibus scholasticis reiecta est. Nam manente culpa mortali, vel originali, non potest æterna pœna remitti, quia inimicus Dei non potest non carere visione eius, rursus originalis culpa non remittitur sine infusione gratiæ, quia nõ remittitur nisi per verã iustificationem, vt tradit Concil. Triden. sess. 6. & in materia de iustificatione latiùs tradetur. Peccatũ enim originale, sicut & mortale, includit priuationẽ gratiæ, & ideò non remittitur sine infusione eius. Itẽ, quia de facto in homine non datur medium inter statum amicitiæ, & inimicitiæ diuinæ, sed is, cui remittitur originale peccatum, nõ manet inimicus: ergo fit amicus Dei, ergo infunditur ei gratia, & caritas, in quibus amicitia Dei consistit. *1. Sententia. Magister. Glossa. Concil. Trid.*

Atq; ex eisdẽ principijs, & rationibus, reiecta est ab omnib⁹ Theologis secũda sentẽtia aliorũ dicẽtiũ datã fuisse in circũcisione gratiã, quoad effectus priuatiuos, nõ quoad positiuos. Quæ opinio per effectus priuatiuos intellexisse videtur carẽtiã culpæ, aut reatus pœnæ: per positiuos verò, aut amicitiã diuinã, aut acceptationẽ ad gloriã, vel internã animæ renouationẽ, & sanctificationẽ. Vnde intelligit, hãc sentẽtiã ferè nihil à precedẽti differre, nec minus cũ veris principijs fidei repugnare. Primo quidem, quia gratia, per quam peccatum remittitur, non est tantum extrinsecus actus diuinæ voluntatis remittentis peccatum, vel acceptantis hominem ad gloriam, in quo possunt illi effectus aliquo modo distingui, sed est intrinsecum donum animæ infusum, quo ab statu peccati ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei homo transfertur, vt dicitur in Concil. Triden. sess. 6. cap. 3. 4. & sequentibus, impossibile autem est, hanc gratiã animæ infundi, & carere suo effectu positiuo, ergo si peccatũ originale remittebatur in circũcisione, in ea infundebatur huiusmodi gratia, ergo perficiebat positiuè animã efficiendo illam proportionatam ad gloriã, & supernaturalia opera, & dando ius illi ad hæreditatẽ gloriæ, atq; adeo constituendo hominẽ amicum, & acceptũ ad gloriã. Denique cùm ratio culpæ in priuatione cõsistat, illius exclusio nõ tam habet rationẽ effectus priuatiui, quàm positiui, sicut expellere tenebras magis consistit in effectu positiuo luminis, quàm in priuatione. *2. Sententia. Conc. Trid.*

Tertia sentẽtia est, in circuncisione fuisse datã gratiam, quæ sufficeret ad remittendam culpã nõ tamẽ quãtum ad vim & efficaciam reprimendi, & superãdi concupiscentiã, & merendi vitã æternã. Quã sententiam tenuit D. Tho. in 4. d. 1. q. 2. art. 5. quæstiuncula 3. significat Bonauen. ibi. q. vlti. dicens, illã gratiam nõ valuisse ad profectum. Hãc verò sentẽtiam correxit D. Tho. hic ad 3. & infrà. q. 70. art. 4. & meritò, quia quælibet gratia quantumuis minima cõstituit hominẽ Deo gratũ, hoc enim non habet ratione intensionis, sed ratione suæ essentiæ, & ideò de se est sufficiens principiũ merendi gloriam. Rursus talis gratia semper habet adiunctam secum caritatem, quæ est diuina amicitia, quæ Deũ habet pro vltimo fine, eumq; super omnia diligit, & ideò de se sufficiens est ad superandam concupiscentiã: quia amor Dei ex se est fortior, & potẽtior omnibus, & ideò dicitur. 1. Ioan. 3. *Omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semẽ ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Hoc enim semen est gratia Dei, quã si homo seruare velit, atq; eius inclinationẽ, & efficaciam sequi, non peccabit, & ideò dicit Ioan. in eadẽ Canonica. cap. 4. *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniã maior est, qui in vobis est, quã qui in mũdo.* Est ergo quæcũque gratia de se efficax ad vincẽda peccata, & superandas cõcupiscẽtias: præsertim, quia semper habet adiunctũ auxilium Dei sufficiens ad suũ finem consequendum. Prætereà ad præsentem quæstionem nihil refert, quòd illa gratia data in circuncisionẽ, fuerit magna, aut parua, sed simpliciter, an data fuerit gratia: quoniam, si quæ sunt testimonia, quæ videntur significare, non fuisse datã gratiam per circuncisionem, non loquuntur de magna, aut de parua gratia, sed simpliciter de gratia. Item, quia siue magna, siue parua fuerit, non potuit dari, nisi per Christum venturum, ergo eadem difficultas erit in gratia minima, quo modo dari potuerit per circuncisionem, cùm nondùm essent exhibita merita Christi. *3. Sententia. D. Thom. Bonauen. Ioannes. Ioannes.*

Quarta ergo sententia esse potest, in circuncisione per se nullum spiritualem fructum fuisse collatum homini vltra illud, quod respondebat fidei, & merito operantis, atq; adeò in circuncisione secundùm se nec gratiam fuisse collatam, nec originale peccatũ fuisse remissum, sed fuisse solum signum fidei iustificantis. In hãc sentẽtiã videtur inclinare D. Th. hic ad 3. vbi in hoc æquiparat circuncisionẽ alijs sacramentis legalibus, & simpliciter dicit, tantũ fuisse signũ fidei iustificantis: & idẽ docet. q. 70. a. 4. quãquã posteà dicat in circuncisione fuisse collatã gratiam, & ideò difficile est mentem D. Thom. explicare, & eorum, qui illum sequuntur, vt videre licet in Capreol. Soto, & alijs in 4. & in Bellarm. lib. 2. de sacram. cap. 13. & sequentibus, vbi cõstanter hanc sententiam defendit, ita vt sentire videatur, secluso merito recipientis, nullũ spiritualem fructum in circuncisione fuisse collatum. Quod confirmat varijs scripturæ testimonijs, ex quibus aliqua sunt generalia de omnibus veteribus sacramentis, quæ egena, & infirma in scriptura dicuntur, sub quibus circuncisio etiam comprehenditur, vt sectione sequenti dicã. Alia sunt specialia de circuncisione, qualia sunt ea, in quibus significatur circuncisionẽ nõ fuisse institutam, propter dandum spiritualem iustitiæ fructum, vt est illud ad Rom. 3. *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas circuncisionis?* &c. Sed hæc iam sunt à nobis tractata, & explicata. Illa verò difficiliora videntur, in quibus Paulus ait. *Circuncisio nihil est, & præputium nihil est.* 1. ad Corin. 7. & illud ad Galat. 6. *Neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Et ad Colos. 2. & ad Philip. 3. significat Paulus, nihil in circuncisione fuisse, nisi exteriorem illã carnis amputationem. Et ad hoc propositum afferri possunt omnes Patres Græci, quos suprà retulimus agentes de fine circuncisionis. *4. Sententia, in circuncisione nihil fuisse datum vltra meritum operantis. D. Thom. Capreol. Soto. Bellarm.*

Hanc verò sententiam, sic absolutè prolatam, vt à nobis exposita est, quidã vt falsam, alij etiam vt temerariam reijciunt, vtpote omnibus scholasticis cõtrariam. Sed vt mens dictorum autorum & rei veritas intelligatur, aduertendum est, varijs modis posse intelligi hãc sententiã. Primò, ante Christi aduentũ nulli hominũ fuisse gratiã collatã, aut remissum peccatum, nisi per propriam ipsius hominis fidẽ, ac dispositionẽ de se sufficientẽ ad obtinendam gratiã, & expellendũ peccatum. Quæ sententiã de adultis quidẽ probabilis est, vt posteà dicam, tamẽ si in vniuersum, tam de paruulis, quàm de adultis intelligatur, erit valde temeraria, quia ex illa sequitur, tam in lege naturæ, quàm Moysi, omnes infantes fuisse relictos sine remedio originalis peccati, atque adeò omnes, qui mortui sunt ante vsum rationis, dãnatos fuisse. Quod impium est sentire, & contra communem Ecclesiæ traditionem, & sensum, vt suprà probatum est, tamen in hoc sensu à nullo prædictorum autorum hæc sententia asseritur. *Huius sententiæ censura.*

Secundò ergo intelligi potest, ante Christi aduẽtũ nullũ fuisse institutũ externũ remediũ seu sensibile signum, in quo alicui daretur gratia, vel remediũ peccati, præter meritũ vel sufficientem dispositionem eius, sed remedium originalis peccati fuisse eo tẽpore merè internum: positumque fuisse in sola interiori fide, vel ipsiusmet hominis, cui remittebatur peccatum, si erat capax eius, vel alterius, sub cuius erat cura, & potestate, si erat paruulus. Et in hoc sensu sententia hæc quoad tempus legis naturæ, est quidẽ minus probabilis, non tamẽ temeraria, neque omnino improbabilis, vt in superioribus diximus. Quoad circũcisionẽ verò, videtur maiori censura digna, propter autoritatẽ August. Gregorij, & aliorũ, quos suprà retuli, & præsertim propter autoritatem Innocẽ. I. in ca. Maiore. de Baptismo, dicentis, quòd *Originalis culpa remittebatur per circuncisionis mysterium.* Nihilominus, quãuis etiã in hoc sensu falsa sit hæc opinio, nõ tamẽ videtur nota temeritatis digna, tũ *August. Gregor. Innocen.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia plura sanctorum testimonia illi fauere videtur, A
tum etiam quia licèt hæc sententia affirmet, externũ
signum legis naturæ, vel circuncisionis nõ fuisse ne-
cessarium ad applicandum paruulis remedium origi
nalis peccati; non tamen negabit, quin si simul cum
fide interna hoc signum exhibererur, daretur statim
gratia, & remissio originalis peccati, quanquam è cõ-
uerso solum externum signum sine fide non suffice
ret ad dictum effectum; & aliunde sola fides interior
posset iuxta hanc opinionem sufficere sine exteriori
signo. Vnde, cum dicunt sancti aliqui, per circunci-
sionem remissum fuisse originale peccatum, explicã
di essent iuxta hanc sententiam, id intelligendũ esse
ratione fidei, vel etiam, nisi iam esset remissum per
fidem, sicut de adultis posteà dicemus. Sed prædicti
autores non in hoc sensu asserunt prædictam senten B
tiam, saltem quoad circuncisionem.

Quomodo sit probabilis ista sententia.

Tertio ergo modo intelligi potest, in circuncisio
ne (& idem est proportione seruata de signo exter-
no legis naturæ) in circuncisione (inquam) datam
esse gratiam, & peccatum originale remissum, atq;
ad hunc spiritualem fructum consequendum neces-
sarium fuisse externum signum, seu circuncisionem,
non tamen sine fide interiori ecclesiæ, vel ministri,
neque è contrario fidem internam sufficisse sine tali
signo externo: effectum autem gratiæ fuisse tribuen
dum interiori fidei vt propriæ causæ, externum au-
tem signum tantùm fuisse conditionem, sine qua
non. Et hoc sensu est illa opinio, non solùm nulla cẽ
sura digna, sed etiam probabilis, nam sine dubio pro-
babile est, hunc fuisse sensum D. Thom. quem ita ex
plicat & sequitur Cano relectione de sacram. p. 5. &
Bellarmin. suprà, c. 15. in fine; & huius sententiæ etiã
videntur fuisse Bonauentura, Richar. & Durand. cũ
quibus disputabimus sectione sequenti.

Alens. Scotus. Gabr. Palud.

Quinta sententia est, in circũcisione per se, ac sem-
per data: à nullo fuisse gratiam, per hoc solùm, quod signũ
externum adhiberetur, ita tenet Alex. Alens. 4. p. q.
5. m. 3. & q. 7. m. 5. art. 1. & 2. Scot. Gab. Palud. sec-
tio. sequenti citandi.

Paruulis ante vsum rationis gratiã fuisse datam in circuncisione.

In hac re mihi videtur distinguendum inter par-
uulos & adultos, & dicendum primò, applicata circũ
cisione, seu exteriori sacramento legis naturæ, paruu
lis ante vsum rationis, datam eis fuisse gratiam, & re
missionem peccati originalis. Huius cõclusionis fun
damẽtũ sumẽdũ est ex dictis suprà de sacramẽto le-
gis naturæ, & de institutione circũcisionis, vbi ostẽ-
dimus, nũquam fuisse remissum originale peccatum
sine exteriori signo protestatiuo fidei, ostendimus
etiã, hoc signũ, quod prius fuit indifferens, in lege
Moysi determinatum fuisse pro masculis quoad cir-
cuncisionẽ, sic ergo hoc signũ externũ necessariũ fuit
ad remissionẽ originalis peccati, oportuit, vt illo ad-
hibito tolleretur peccatũ originale, & daret gratia.

Ad pueri sanctificationem non fuisse necessariam fidem parentis.

Dico secundò, Probabilius est, ipsum signum ex-
ternũ circuncisionis fuisse sufficiens, vt illo applica-
to daretur gratia paruulis, etiã si sine fide parentis,
aũt ministri, siue hominis conferẽtis sacramentũ ap-
plicaretur. Hanc conclusionẽ ponit expresse Alexã.
Alens. suprà, Palu. in 4. d. 1. q. 5. ar. 5. & idem sentiũt
Scotus, & alij nuper citati, & probatur primo ex Au
gust. lib. 1. cõtra Cresconiũ c. 31. vbi æquiparat circ-
cuncisionẽ in hoc cũ Baptismo, quòd data à mini-
stro infideli, nõ magis erat posteà iteranda, quã nũc
sit iterandus Baptismus datus ab hæretico, ergo si-
cut nunc talis baptismus est sufficiens remedium ori
ginalis peccati, ita & illa circuncisio.

Secundò, quia Baptismus applicatus à ministro in-
fideli est sufficiẽs remedium peccati, vt infra proba-
bimus, ergo & circũcisio. Probatur consequẽtia pri
mò, quia differentia, quæ in hoc ab alijs assignatur,
nulla autoritate, vel probabili fundamẽto nititur, &
aliàs Patres simpliciter affirmãt, circuncisionẽ fuisse
institutã in remedium peccati originalis, cui posteà
Baptismus successit, ergo quod sufficiebat ad veram
circũcisionẽ id est, vt esset verũ sacramentũ, sufficie
bat etiã, vt esset remediũ peccati, sicut de Baptismo
cõstat. Secũdo, quia sicut paruuli ante Christi aduẽ-
tũ dicũtur iustificati in fide parentũ, ita etiã nunc in
lege gratiæ, vt loquitur Iustinus Martyr. q. 56. ad *Iustinus Augustin.*
Orthodox. & Aug. li. 1. de peccatorũ merit. c. 2. & B
lib. de ver. & fals. pœni. c. 1. & epist. 23. & 107. er-
go sicut hoc posterius est intelligendũ de fide, vt
(ita dicam) obiectiua cũ exteriori eius professione,
non de propria & interna fide ipsius ministri, seu pa-
rentis, ita etiã erit illud intelligendũ. Tertiò, quia
omnes rationes, quibus infrà q. 64. probabimus, ma-
litiã, vel hæresim ministri, nõ impedire veritatem sa-
cramenti, nec effectũ eius, ferè eodẽ modo possunt
circuncisioni applicari. Præsertim, quia aliàs reme-
diũ originalis peccati esset valde incertũ, & sæpè es-
set iterandũ. Tandẽ argumentor, quia vel fides mi-
nistri esset necessaria, vt daretur gratia paruulo pro-
pter meritũ de condigno vel de congruo ipsius mi-
nistri, & hoc nõ: tũ quia nullus hominũ præter Chri
stũ, meretur alteri primã gratiã habitualem immedi-
atè, & sine vlla dispositione recipientis, vt etiã in C
superioribus dictũ est, tũ etiã, quia aliàs nõ quæcũq;
fides, sed viua, & charitate formata, esset necessaria
ad huiusmodi effectũ, quod est satis absurdum. Vel
illa fides postularetur à Deo, vt conditio necessaria
simul cum opere externo, & hoc, licèt à Deo fieri
potuit, gratis tamẽ & sine fundamẽto dicitur factũ,
quia nõ cõstat promissionẽ esse factam fidei, sed sig-
no externo, iuxta illud: *Anima cuius præputij caro circuncisa non fuerit, &c.* Ex quibus verbis sumi etiã po-
test aliud argumentũ, nã ad veritatẽ illius sacramẽti,
& vt esset impletũ præceptũ illis verbis contentũ,
nõ erat necessaria fides ministri, ergo neq; erat neces
saria, vt in illo sacramento daretur gratia, non existẽ
te obice in recipiente. Tandẽ quia cùm hæc gratia
non daretur propter meritum hominis applicantis sa
cramentũ, non expediebat, vt ab eius fide penderet.

Obiectio. Epiph. Ambro. Origen.

Sed contra, nam multæ gentes vtebantur circun-
cisione, quæ erant impiæ, & infideles, vt latè refert
Epiphani. hæres. 30. Ambros. epist 77. Orige. lib. 2. D
in ad Roma. circa finem cap. 3. & libr. 5. contra Cel
sum post medium, quæ tamen gentes non conse-
quebantur gratiam, solùm quia sine fide vtebantur
nuda exteriori cæremonia, ergo. Præterea, de sacra-
mento legis naturæ est speciale argumentum, quia
cùm non haberet specialem cæremoniam institutio-
ne Dei definitam, vt signum exterius applicatum
haberet rationem sacræ cæremoniæ, oportebat,
per fidem conferentis determinari, ad significan-
dum veri Dei cultum, & paruuli sanctificationem,
& oblationem vero Deo factam, ergo hac
ratione erat tunc necessaria fides veri ministri. Re-

Respõsio.

spondetur ad priorem partem, sicut in nostris sacra-
mentis, ita & in circuncisione distingui posse fi-
dem ministri ab intentione faciendi sacramentum
à Deo institutum, nam licèt fides non esset necessa-
ria, intentio tamen necessaria fuisse videtur ad ve-
ritatem sacramenti, quia quoad hoc eadem est ra-

tio

tio de illo, & de nostris sacramentis, vt posteà vide-
bimus. Vnde colligitur, fuisse etiam intentionem il
lam necessariam, vt daretur gratia sub illa cæremo-
nia externa, quia non dabatur in illa, nisi vt habebat
rationem sacramenti, & religiosæ cæremoniæ perti-
nentis ad Dei cultum. Quocirca de illis gentibus,
quæ extra Dei populum vtebantur circuncisione,
dicendum est, quòd si id faciebant sub prædicta intẽ
tione, etiam si aliàs essent infideles, poterant infan-
tes illarum nationum in illa circuncisione iustificari
& remedium originalis peccati consequi, sicut nunc
omnes gentes, quæ vtuntur Baptismate, debito ri-
tu, & sub intentione faciendi, quod Christus insti-
tuit, iustificant paruulos suos, etiam si alioqui versen
tur in infidelitate aliqua, aut hæresi, vel schismate,
poterant autem illæ gentes habere hanc intentionẽ,
saltem sub ratione valde confusa & generali, nimirũ
intendendo facere, quod Deus instituit, aut imitari
Abraham seu populum Iudæorum, aut intendendo
sanctificare paruulos suos, aut dicare & consecrare il
los Deo, vel aliquid simile, & probabile est ferè sem
per habuisse aliquam intentionem huiusmodi, quia
sine illa non erat illa cæremonia per se expetibilis,
aut ad aliquid aliud vtilis.

An esset iterãda circũcisio, si sine debita intẽtione fieret.

Sed quæret aliquis obiter, si verum est, hanc intẽ
tionem fuisse necessariam, quid esset Iudæo facien-
dum, si contingeret puerum circuncidi sine intẽtio-
ne debita, nam illa cæremonia exterior circunci-
sionis non poterat iterari, sicut nũc potest repeti ex-
terior cæremonia Baptismi, quando sine debita intẽ
tione facta est, quod ergo remedium esset tunc ap-
plicandum illi paruulo? Aliquis fortasse diceret, ite-
randam fuisse exteriorem cæremoniam circunci-
nis, aliquid amplius illius pelliculæ abscindendo, ve-
risimile enim est, nunquam fieri tam exactam, ac pre
cisam circuncisionem, quin possit magis perfici. Vel
etiam dici potest, in eo casu educendum esse præpu-
tium, vt iterum fieret circuncisio, quod enim post
semel factam circuncisionem iterum posset arte fieri
aut superinduci præputium, multi colligunt ex illis
verbis Pauli 1. ad Corin. 7. *Circuncisus aliquis vocatus est, non adducat præputium*, vt ibi notat Gagnæus ex
Epiphanio, Theophylo & Photio, Græcis. Sed quid
quid sit de sensu huius loci, tamen quod ad præsens
attinet, improbabilis est ista responsio. Quis enim
obligaret Iudæum ad vtendum huiusmodi arte? nul
lo enim fundamento id affirmari potest, neque ex le
ge Dei colligitur. Nec etiam prior responsio mihi
probatur, quia est voluntaria, & sine fundamento.

Gagne. Epipha. Theoph. Photius.

Respõdetur quæstioni.

Dico igitur, in eo casu non esse iterandam circun
cisionem, quia illa (vt ita dicam) non consistebat tã-
tùm in fieri, sed etiam in facto esse, & ideò, licèt con
tingeret non fieri debito modo, ex intentione appli
cantis illam, tamen si in re ipsa sufficienter fiebat, re
vera manebat facta, quoad externum effectum seu
characterem sensibilem, & ita illa lex, quoad substan
tiam eius, manebat in eo homine impleta, & ideò nõ
erat quod repeteretur: maximè, cùm moraliter esset
impossibile: tunc ergo, si in priori circuncisione non
erat applicatum sufficiens remedium peccati, ex de-
fectu intentionis, suppleri poterat, atque supplendũ
erat quolibet alio signo externo protestatiuo fidei,
seu sacramento legis naturæ, sicut in superioribus di-
ximus faciendum esse in alijs euentibus, quando nõ
poterat applicari circuncisio.

Ad aliam partem difficultatis propositæ respon-
detur primò, quanuis in lege naturæ non esset deter

minatum certum signum in remedium paruulorum A
ex iure diuino: tamen in vnoquoque populo potuis-
se publica autoritate determinari, qua determinatio
ne facta, poterat etiam applicari tale signum ab ali-
quo non habente veram fidem, vel cognitionẽ Dei,
ex intentione faciendi, quod ille populus fidelis facie
bat, seu intentione offerendi paruulum illũ illi Deo,
quem talis populus colebat, vel quem parentes eius
coluerunt. Quinimò, quanuis signum non esset ab
aliqua republica definitum, sed determinandum es-
set voluntate & arbitrio ipsius ministri, adhuc pos-
set ab eo determinari, & sufficienti intentione, & si
ne vera fide, vt si haberet prædictam intentionem
offerendi paruulum illum vero Deo creatori omniũ
seu Deo, quem coluerunt patres eius, de quo posset
is, qui sic applicaret sacramentum, non habere veram
fidem, sed aut nullam, aut certè solùm humanam, &
B multis erroribus admistam. Itaque neque in lege na-
turæ videtur simpliciter fuisse necessaria fides mini-
stri ad veritatem sacramenti, quanuis, moraliter lo-
quendo, vix posset sine illa fieri sacramentum, non
quia in illa niteretur veritas sacramenti, sed quia sine
illa vix poterat tunc haberi sufficiens intentio faciẽ-
di sacramentum, suppositis autem veritate sacramen
ti, vt in eo daretur gratia, non magis erat necessaria
fides ministri, quàm in circuncisione, quia quoad
hoc est eadem ratio, vt ex dictis patet.

In circuncisione non dabatur gratia adultis, nisi habentibus fidem & dilectionem Dei, &c.

Dico tertiò, In circuncisione non dabatur gratia
adultis, nisi habentibus fidem & dilectionem Dei,
seu contritionem peccatorum, & idem sentiendum
est à fortiori de sacramento legis naturæ. Hanc asser
tionẽ docuit Cano in relectione de sacram. p. 5. Soto
verò in 4. d. 2. q. 1. art. 4. ad 5. eam admittit in sacra
mento legis naturæ, nõ autẽ in circuncisione. Proba
tur ergo primò de sacramẽto legis naturæ, quia illud
tẽpus per se non erat accõmodatum, vt in eo daretur
gratia ex opere operato vltra meritum & dispositio
nem operantis, quia merita Christi nondũ erant ex-
hibita, ergo non est asserendum, aliquam gratiã fuis-
se hoc modo tunc datam, nisi quã necessitas humani
generis lapsi omnino requirit, & sine qua videretur
diuina prouidentia homini in necessarijs defuisse,
præsertim cum nulla certa autoritate constet, gratiã
fuisse sic datam illo tempore, sed solùm ex ratione
diuinæ prouidentiæ colligenda sit, at verò hæc ratio
& necessitas solum habet locum in paruulis, nã adulti
cùm possint se sufficienter ad primam gratiam di-
sponere, non erãt in eo articulo necessitatis constitu-
ti, ergo non est, cur asseramus illis fuisse remissum
peccatum, aut datam gratiam in sacramento legis na
turæ, sine dispositione per se sufficienti. Et confirma
tur primò, nã reddere hominem ex attrito contritũ
per infusionem gratiæ, & charitatis habitualis absq;
connaturali dispositione, est vnus ex potissimis effe-
ctibus sacramentorum nouæ legis, adeò excellens,
& supra naturas rerum, vt multis visum sit, etiam in
lege gratiæ nunquam remitti hoc modo peccatum,
ergo non est verisimile, hoc beneficium fuisse con-
cessum hominibus in lege naturæ. Et confirmatur
secũdò, quia si ad remissionẽ peccati originalis, habe
bant adulti huiusmodi remedia, quibus possent fieri
ex attritis contriti, cur non dicemus habuisse simi-
le remedium, ad remissionẽ peccati mortalis com-
missi post primã gratiam semel consequutam? cùm
non sit minus necessaria ad salutẽ remissio huius pec
cati, quàm illius, nec sit minus difficilis dispositio
ad remissionem huius, quàm illius. Atque hæ ra-

tio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones æquè in circuncisione procedunt, præsertim cùm suprà ostensum sit, circuncisioni non esse addi tam virtutem aliquam spiritualem, nec specialè promissionem gratiæ, sed solùm subijsse locum sacramenti legis naturæ, & remedij originalis peccati, quatenus illud, quod indifferens erat in lege naturæ, determinatum fuit ad talem ceremoniam in illo populo. Quod saltem probant testimonia Pauli in secunda sententia adducta, vt latiùs infra videbimus sectione 3. Et confirmatur, quia licèt Abraham fuerit circuncisus, non fuit in illa circuncisione iustificatus vltra meritum suæ fidei & obedientiæ, vt apertè docent omnes Patres superiùs citati, disputatione 5. sect. 1. & non obscurè colligitur ex Paulo ad Rom. 4. vbi hoc sensu dicit, Abraham non fuisse iustificatum in circuncisione, sed ex fide, accepisse autem circuncisionem *in signum & signaculum institiæ fidei*. Ergo neque alijs adultis dabatur gratia in circuncisione vltra meritum & dispositionem eorum. Respondet Scotus in 4. d. 1. quæst. 6. circuncisionem potuisse augere gratiam adultorum ex opere operato, vsq; ad certum gradum, non tamen vltra illum, & quia in Abraham inuenit excellentem gratiam, quæ illum gradū vel attingeret vel superaret, ideò nihil illi contulisse præter meritum operantis. Sed hæc responsio, & voluntaria est, & parum rationi consentanea, quia sacramenta, quæ possunt conferre aliquem gradum gratiæ, non impediuntur in suo effectu propter insignē sanctitatem recipientis, nam cùm illa sit melior dispositio ad sacramentum, non debet impedire effectum sacramenti. Item quia gratia viatoris de se semper augeri potest, & ex parte sacramenti nō potest deesse virtus ad augendam illam, si ad hoc institutū sit, quia operatur vt instrumentum Dei, vel saltē Deus operatur ad præsentiam eius: virtus autē diuina potest adiungere gradum gratiæ etiam secundùm legem ordinariam cuicunque gratiæ viatoris, quantūuis intensæ, & ideò gratia Virginis aucta fuit per Baptismum, quanuis magis excelleret communem gratiam Baptismalem, quàm gratia Abrahæ gratiā circuncisionis superaret, si ergo Abrahæ in circuncisione non fuit datum augmentum gratiæ vltra eius meritum, certum videtur, neque alijs adultis fuisse hoc modo datum augmentum gratiæ, quando contingebat, eos circuncidi iam iustificatos per viuam fidem, quanuis non sit dubium, quin mererētur augmentum gratiæ per circuncisionem, vt erat opus hominis iusti ex virtute & obedientia procedens: ergo æquè etiam certum est, non dedisse primam gratiam adultis, nisi per contritionem dispositis, nec ratione circuncisionis fuisse datam maiorem primam gratiam, quam ipsi contritioni respōderet. Patet cō sequentia, quia eadem vel maior ratio est de augmēto, quæ de prima gratia, nam magis debitum est iusto augmentum gratiæ, quàm peccatori dispōsito prima gratia. Vnde etiam in lege gratiæ nullum est sacramentum potens conferre primam gratiam, & efficere hominem de attrito contritum, quod non meliùs possit augere gratiam, si subiectum iam iustificatum inuenit.

Obiectio Scoti.

Solutio.

In circuncisione non dabatur adulto prima gratia maior, quam ipsi contritioni responderet. Obiectio.

Contra hanc verò conclusionem obijci potest primò, quòd grauiores Theologi docent, per circuncisionem remissa esse adultis, non tantùm peccatum originale, sed etiam actualia, ita docet D. Thom. infrà quæst. 70. artic. 4. ad 5. & in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 4. quæstiuncula 2. ad 4. & ibi Richar. art. 6. q. 3. Durand. quæst. 7. ad 2. Palud. quæst. 5. art. 4. concl. 2. non poterant autem in circuncisione remitti peccata, nisi in ea daretur prima gratia, per quam remittuntur peccata, ergo oportebat, vt in circuncisione homo fieret ex attrito contritus, nam si semper supponenda esset contritio, semper essent ante circuncisionem remissa peccata, nunquam ergo in ipsa circūcisione remitterentur adultis. Et confirmatur, nam aliàs sequitur, respectu adultorum non fuisse circuncisionem vel sacramentum legis naturæ institutā in remedium originalis peccati, quia de ratione huiusmodi remedij est, vt per illud, vel in illo, possit remitti peccatum, nam, si semper supponendum esset peccatum remissum, nullius vtilitatis vel momenti esset tale remedium. Vnde vlteriùs fit, circuncisionē vel sacramentum legis naturæ respectu adultorum non habuisse rationem sacramenti, sed solum cuiusdam professionis fidei, vel religiosæ ceremoniæ meritoriæ ex opere operantis: quia non aliter erant signa gratiæ.

Respondetur ad primam difficultatem, in primis D. Thom. nunquam docuisse in hac 3. par. per circūcisionē remissa fuisse peccata actualia, sed verba eius sunt: *Adulti, quando circuncidebantur, consequebantur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiā actualium peccatorū.* Quæ verba vera sunt, intelligenda sunt tamen, dummodò adultus, qui circuncidebatur, accederet dispositus ad remissionem peccatorum consequēdam. Poterat enim hæc dispositio simul cum circūcisione concurrere, & hoc erat, vt minimùm, necessarium, ac sufficiens, vt in circuncisione daretur gratia, quòd verò aliquando antecederet contritio, & prima gratia, est accidentarium. Vnde ad primam confirmationem primò concedi posset, circuncisionem (& idem est de sacramento legis naturæ) respectu adultorum non fuisse propriè remedium peccati, sed solùm signum externū remedij peccati, quod erat internum in fide & contritione consistens. Secundò faciliùs magisque iuxta communem loquendi modum negatur sequela, potest enim circuncisio fuisse etiam adultis remedium, ad remissionem originalis peccati obtinendam, vt conditio necessaria, sine qua ille effectus nō daretur: voluit enim Deus omnes, etiā adultos, signo aliquo externo pro fiteri suam fidem, & deuotionem internam, vt remissionem originalis peccati consequi possent, & ideò sine tali signo vel in re exhibito, vel in voto concepto, non potērat remitti originale peccatum; & hoc satis est, vt dicatur remedium illius. Ex quo patet solutio ad alteram partem de sacramento, simpliciter enim negatur sequela. Primo quidem, quia circuncisio non tantum erat sacramentum propter gratiam præsentem, quæ in illa dabatur, & significabatur, sed etiam propter alia mysteria, vt suprà dictum est, & constat de circuncisione, quæ data fuit Abrahæ in persona eius. Secundò quia, vt Scotus suprà dicit, ad rationem sacramenti satis est, quod significet gratiā quæ in ipso datur per se loquendo, id est, si non sit obex in subiecto; vel quę subiecto inest, etiā si priùs accepta sit, præsertim si data fuit cum ordine ad tale sacramentum, atque hoc modo circuncisio data adulto significabat iustitiam eius, siue illa tunc fieret, quia subiectum, nec antea se disposuerat, nec tunc ponebat obicem, siue priùs esset facta, & accepta per dispositionem sufficientem cum ordine ad tale sacramentum.

Respondetur.

Secundò respondetur circuncisionem fuisse conditionem necessariam ad remissionē peccati.

SEC-

SECTIO II.

Vtrùm circuncisio, vel sacramentum legis naturæ conferret gratiam ex opere operato.

HAEc quæstio præcipuè habet locū in iustificatione paruulorū: nā in adultis in nostra opinione non habet difficultatē, dixim⁹ enim, illis non fuisse datā gratiam nisi contritis, vel diligētibus Deū super omnia, in paruulis verò habet difficultatē, quia dabatur eis gratia sine eorum actu, & ideò Theologi variè loquūtur. Prima ergo sentētia fuit Palud. in 4. d. 1. q. 5. ar. 4. qui duplice distinguit modū causalitatis ex opere operato, vnū per causalitatem physicam, alterū per modū conditionis, ad cuius præsentiā infallibiliter confertur gratia, dicit ergo, circuncisionē & sacramentū legis naturæ dedisse gratiā ex opere operato, diuerso tamen modo, nā circūcisio physicè, sicut sacramēta nouæ legis, gratiā cōferebat, sacramentū autē legis naturæ solū per modū cōditionis requisitæ. Hæc verò opinio quoad priorē partē de causalitate physica circuncisionis, neque ab ipso aliquo fundamēto vel coniectura probatur, nec videtur probabilitatē aliquā habere, tū quia affirmat rē valde supernaturalē & miraculosam absque vllo fundamēto, tū etiā quia omnes autores, qui hoc genus causalitatis tribuūt sacramētis nouæ legis, docēt esse priuilegiū proprium illorū, vt cōstat ex D. Tho. hīc ad tertiū, & infrà q. 70. ar. 4. Alij vero, qui nec sacramentis nouæ legis tribuunt hæc genus efficiēdi, multò magis negabūt cōuenire circuncisioni. Præterea congruētia D. Th. est optima, quia sacramēta agūt in virtute Christi, & ideò non oportuit, vt prius daretur illis virtus efficiēdi gratiā, quā Christus in humanitate sua illā haberet. Argumēta etiā alia, quæ cōtra opinionē Scoti infrà tractandam objici solent, à fortiori impugnant hāc sententiā, vt inferiùs videbimus, vbi alterā huius opinionis partē tractabimus, quæ cum opinione Scoti coincidit.

Refellitur hæc pars.

Secunda opinio est Durand. in 4. d. 1. q. 5. 7. & 8. vbi aliter distinguit inter circuncisionē, & remediū legis naturæ, nā de circūcisione inquit cōtulisse gratiam ex opere operato eodē modo quo sacramenta nouæ legis, scilicet, vt conditionē, ad cuius præsentiā Deus operatur, & quoad hanc partem coincidit hæc opinio cū opinione Scott infrà tractanda, de remedio autē legis naturæ negat contulisse gratiā ex opere operato: quia existimat, non fuisse verū sacramentū. Vnde concludit, gratiā fuisse in illo remedio datā per modum meriti & suffragij totius Ecclesiæ, quæ fidē suā paruulo applicabat, eiq; remissionem peccati merebatur & impetrabat. Hāc opinionē indicauit etiā Alex. Alēs. 4. p. q. 5. mēb. 3. & q. 7. mēb. 5. ar. 1. ad. 1. Hęc verò opinio mihi nō probatur, nā primò differētia, quā constituit inter circuncisionē, & sacramentū legis naturæ, nullo fundamento nititur, nā in superioribus ostendimus, circuncisionē ex vi suæ institutionis nō habuisse nouā aliquam virtutē sanctificandi, quā sacramentū legis naturæ nō haberet; sed solū habuisse determinationē talis ceremoniæ. Et hæc ratio habet etiā vim cōtra opinionē Palud. paulò antea impugnatam. Secundò nititur duobus falsis fundamētis, primū est, remediū legis naturæ nō fuisse sacramentū, cuius oppositū suprà ostendimus. Secundū est, tunc datā fuisse paruulis gratiā ex merito Ecclesiæ, quod in primis ab illo nō probatur, sed deducitur ex priori falso principio, scilicet, quia tūc nullū fuit sacramentum. Deinde inquiro an loquatur de merito de condigno, vel de congruo. Primū affirmari non potest, quia mereri alteri primā gratiā de condigno est propriū Christi, neque gratia creata in persona creata potest habere hanc vim ex natura sua. Quòd autem illā habuerit in hoc speciali casu ex ordinatione diuina, oītendendū est aliquia reuelatione, vel autoritate, cū ex naturis rerū nō colligatur, sed sit supra illas. Si autem dicatur fuisse meritū de congruo, Cōtra est primò, quia hoc solū non sufficit, quia per se nō est infallibilis effectus huius meriti, gratia autē in illo remedio legis naturæ infallibiliter dabatur. Quòd si quis dicat, illi merito fuisse adiunctā promissionē diuinā, Primū oportet vt illā ostendat, deinde posita tali promissione sub cōditione talis operis habētis meritum & valorē ex sanctitate Ecclesiæ, vix deerit aliquid ad meritū de cōdigno, quantū cadere potest in personā creatā respectu alterius. Præterea, vel Durand. intelligit propriè, & in rigore, illā gratiā datam esse paruulis propter meritū Ecclesiæ tanquā propriū præmium respōdens operibus Ecclesiæ, vt propriæ causæ, & veluti pretio, quo (vt ita dicā) obtinebatur à Deo illa gratia. Et hic sensus videtur nimiū falsus. Primò, quia hoc neq; est necessariū, neq; vlla ratione cōstat, neque est cōsentaneū meritis fundatis in gratia tantū creata, nec ordinariæ legi diuinæ, iuxta quā nullus meretur alteri infallibiliter primā gratiā sine ꝓprio motu illius, nisi solus Christus, cuius meritū fuit sempер propria & sufficientissima causa huius effectus, & ideò nulla ratione tribui potest merito Ecclesiæ.

Durand. remediū legis naturæ non confert esse sacramentum.

Et cōfirmatur, quia aliàs etiā nunc posset effectus Baptismi tribui Ecclesiæ hoc modo, nō est enim nūc minùs efficax meritum Ecclesiæ, quā in lege naturę fuerit. Itē, cur deficiente Baptismo, non posset nunc Ecclesia mereri vt paruulo daretur gratia, applicando illi, vt posset, fidē & meritum suum? Deniq; cōfirmatur, quia, vt iustificaretur paruulus in lege naturæ, non erat necessariū actuale meritū Ecclesiæ, fingamus enim, nullū iusti⁹ actu operari tunc, quando paruulus offerebatur Deo per ministerium, & actio nē parentis in peccato existētis, tūc enim sine dubio iustificaretur paruulus, & tamen nullū esset actuale meritū in Ecclesia. Quòd si dicatur, sufficere merita præterita, permanentia in diuina acceptatione, contra hoc est, quia sequitur, illa merita fuisse sufficientia ad eundē effectū gratiæ paruulo obtinendū absque illa actione, seu oblatione parentis peccatoris, quia illā actio nullū addit meritū. Quòd si tandē dicatur, illā actionē fuisse necessariā vt applicationem meriti Ecclesiæ, seu vt actualē impetrationē, contra hoc est, quia inquiro an illa actio fuerit necessaria ex institutione Ecclesiæ, vel ex institutione diuina. Si primū dicatur, sequitur primò, potuisse Ecclesiam instituere, vt illa applicatio sui meriti nō fieret per aliquam specialem actionē circa paruulum factam, sed vel per orationem sacerdotis, vel per sacrificium generale publicum, vel per quācunque actionem externam virtutis, vt, verbi gratia, per eleemosynam, vel per aliquid simile, quod videtur absurdū & præter cōmunē sensum omniū. Sequitur deinde, illā actionē nihil aliud fuisse, quā conditionem ad cuius præsentiā Deus conferebat gratiā propter meritū Ecclesiæ, quia ex sententia ipsius Durandi, meritum Chri-

Refellitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sti nõ aliter applicatur per actiones externas, quàm vt per conditiones, quibus positis Deus confert gratiam: ergo re vera interueniebat ibi idem modus causalitatis ex opere operato; qui esse non poterat sine promissione diuina, solúmque erit differentia in fundamento illius causalitatis, quia Durandus vult illud esse meritum Ecclesiæ, cùm tamen melius & rationabilius dicatur fundari in merito Christi. Atq; idem argumentum fieri potest, si dicatur illam actionem externam fuisse ex institutione diuina; vel multò verius, magisque fidei consentaneum est dicere respexisse Deum in illa institutione, & promissione ad meritũ Christi, quàm ad meritũ Ecclesiæ. Quòd si sensus Durandi non fuit dicere, meritum Ecclesiæ fuisse propriam rationem & causam illius gratiæ, sed fuisse cõditionem secundùm legẽ ordinariam necessariam, vt conueniẽtiori modo applicaretur meritũ Christi, talis sensus est minus improbabilis, tamen ille nõ excludit causalitatẽ sacramẽtalem & ex opere operato, quia, vt in superioribus dicebam ex Aug. Epist. 23. etiam nũc per charitatem totius Ecclesiæ ad communionem fidelium paruuli adiunguntur, quia scilicet cùm baptizantur, ministerio publico & quasi in nomine totius Ecclesiæ offeruntur Deo, vt ipsi Ecclesiæ adiungantur. Ac deinde hoc ipsum nõ est simpliciter necessariũ ad hunc effectum, nam si per impossibile, nullus esset iustus in Ecclesia, & paruulo applicaretur Baptismus, haberet in illo suũ effectũ, & idem esset in lege naturæ, si similis casus per impossibile fingatur, vt rectè notauit Palud. dict. q. 5. art. 5. concl. 1. vbi rectè & facilè dissoluit rationes Durandi. Neque enim potest cũ fundamento dici, magis fuisse tunc necessariã ad iustificationẽ paruuli sanctitatem actualẽ vel habitualẽ Ecclesiæ, quàm nũc sit: quia meritũ Christi nõ erat tunc minus sufficiens, aut magis indigens consortio meriti vel sanctitatis Ecclesiæ ad obtinendam gratiã paruulo, quã nunc sit, neq; è contrario, meritum Ecclesiæ plus valebat tunc, quã nunc valet apud Deũ. Atque ex his multò magis improbata relinquitur opinio Bonauenturæ in 4. dist. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2. & Richar. art. 5. q. 1. & 2. dicentiũ, in lege naturæ non fuisse datã gratiam paruulo ex opere operato, quia solum dabatur ex merito de congruo parentis: cõtra hanc enim opinionem multò magis vrgent omnia dicta contra Durandum.

Tertia sententia.

Tertia igitur sententia principalis est circumcisionẽ, & sacra nentũ legis naturæ dedisse gratiã paruulis ex opere operato. Ita docet Scotus in 4. d. 1. q. 6. & 7. Gab. q. 4. ar. 1. & quoad circumcisionem tenuit idẽ Alens. Dur. & Palu. suprà. Et potest hæc sententia probari primò, quia sicut scriptura dicit de Baptismo. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ita de circũcisione dicit. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit*, &c. Quæ verba eundẽ reddũt sensum, & idẽ genus promissionis continẽt, vt Aug. sæpè exposuit, vt suprà vidimus. Propter quod idẽ August. eodẽ modo loquitur vbiq; de circumcisione, quo de Baptismo. Vnde 6. contra Iulian. c. 3. dicit, per circumcisionem ablatũ esse animæ vitiũ, & peccatũ originale, & 15. de Ciuit. c. 16. dicit, circumcisionẽ fuisse visibile regenerationis signum, & similia multa habet tertio cõtra Iulian. c. 18. & li. 5. Hypognostic. circa mediũ dicit, circumcisionẽ liberasse paruulos à peccato, & infrà eandẽ cõparat cũ Baptismo. Vnde lib. 4. de Baptismo. c. 24. dicit ex virtute, quam habuit circumcisio, coniectare nos posse, quam virtutem habeat Baptismus, & infrà. Cur (inquit) *præceptum est Abrahæ, vt paruulos circumcideret, nisi quia ipsum sacramentum per se ipsum multum valet?* Quæ verba æquiualent his, quibus Theologi vtuntur, sacramentũ habere vim ex opere operato. Præterea Bernard. serm. 2. de assumptione Virgin. In *Baptismate* (inquit) *sola gratia lauat hanc maculam*, scilicet originalẽ, *quam olim vastè petra circumcisionis.* Atque idem videntur sentire Greg. Beda, Rupert. dum aiunt, circumcisionem esse institutam ad tollendum originale peccatum, quorũ testimonia suprà retuli disputatione 5. sect. 1.

Secundò argumentor ratione, quia nullum videtur posse excogitari medium inter modũ dandi gratiam ex opere operantis & ex opere operato, sed paruulis non dabatur gratia in lege naturæ, & veteri, ex opere operantis, vt constat quia in eis nullũ erat meritũ vel dispositio, ergo ex opere operato. Maior patet primò, quia illi duo modi sunt contradictoriè oppositi, nam cùm gratia semper data sit ratione alicuius operis, quandocunque nõ datur propter opus ipsius operantis, necesse est, vt detur propter opus operatum. Secundò, quia posito tali opere, nullo expectato actu ipsius paruuli, dabatur ei gratia; ergo dabatur ratione talis operis operati. Denique in opinione Scoti, vel Durandi videtur necessariò hoc sequi, quia ad opus operatum solum requirunt, quòd opus sit, vel conditio, qua posita infallibiliter detur gratia, vel dispositio externa habens semper gratiã coniunctam ex ordinatione diuina, vtrumque enim ita conuenit circumcisioni, sicut nostris sacramentis. Atque idem videtur sequi in quacunque opinione, quæ solum tribuit nostris sacramentis causalitatem moralem, & illam censet esse sufficientem ad opus operatum, nam ostendimus, hanc causalitatem moralem non transcendere rationem signi, vel conditionis; ergo conuenit circumcisioni, erat enim veluti sigillum diuinum, aut quasi publicum instrumentũ cõtinens Dei pactum, vel promissionem, quod in re exhibitum, vel quasi repræsentatum Deo, eum mouebat, & suo modo obligabat ad gratiam conferendam. Vnde sumi potest noua confirmatio, quia circumcisio erat causa moralis gratiæ, ergo in suo genere absolutè conferebat gratiam, quia vnicuique causæ potest effectus attribui: ergo dabat illam ex opere operato, quia omnis causa operatur suo modo & vi sua, & hoc est in sacramento conferre gratiam ex opere operato.

Quapropter Cano dict. relect. de sacramentis in genere. p. 5. negat, solã circumcisionẽ externã fuisse sufficientẽ conditionẽ vt daretur gratia sine fide ministri. Sed hoc in primis falsum est, vt suprà ostendimus, & deinde nõ euacuat difficultatẽ, quia inde solùm fit, circũcisionẽ externam, nõ se solam, sed simul cũ fide ministri cõtulisse gratiã, ex quo nõ fit, ipsam nõ dedisse gratiã ex opere operato, sed potiùs potest colligi contrarium, quia ex illa simul cum fide ministri componebatur iuxta hanc sententiam vna moralis causa integra gratiæ puero collatæ, sicut in nostris sacramentis, quanuis sola materia nõ cõferat gratiã sine forma, non propterea negabimus conferre illã ex opere operato, quia simul cum forma componit vnũ sacramentũ, quod habet hanc vim. Quòd si Cano contendat, illũ effectũ nullo modo esse tribuẽdũ circumcisioni, aut sacraméto externo, sed soli fidei, non loquitur consequenter, quia tam necessaria conditio erat sacramentũ externũ, sicut fides interna, & ipsi fidei internæ non potest tribui effectus vt

vt causæ meritoriæ aut dispositiuæ, sed vt cõditioni necessariæ, aut causæ morali applicãti meritũ Christi: vnde de ipsa fide redit eadem difficultas, quæ locum habet etiam in ea opinione, quæ negat in lege naturæ fuisse necessarium sacramentum externum, sed sufficisse fidem internam ad iustificationẽ paruulorum. Nam de illa fide redibit eadẽ quæstio, an contulerit gratiam ex opere operato, quandoquidẽ non dabat illam ex opere operantis, & alioqui, posita illa fide, infallibiliter statim dabatur gratia.

Quid alij respondeant.

Quapropter alij Thomistæ confugiunt ad efficientiam physicam, asserentes eam esse necessariam, vt dicatur sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quia nisi sacramentum physicè efficiat, ipsum non conferet gratiam, licèt Deus conferat ad præsentiam eius: ergo neque ex opere operantis, neque ex opere operato illam dabit. Et quidem ratio D. Tho. hic in solutione ad tertium & infrà, quæst. 70. art. 4. qua probat, circumcisionem non dedisse gratiam ex opere operato, solùm probat, non fuisse instrumentum physicum, quia non potuit in hoc genere causalitatis coniungi Christo, antequàm incarnaretur, quia causa efficiens supponit eius existentiam. Sed contra hanc responsionem obstat. Primò, quia opinio illa de causalitate physica est valde incerta, & ad hominum sanctificationem nõ multùm referens, dummodo illis detur gratia ad præsentiam sacramentorum; vnde non videtur credibile, ex ea pendere doctrinam de inefficacia sacramentorũ veteris legis ad dandam gratiam, nec solùm ea de causa dicta esse egena, & infirma, quòd illam physicè non daret. Præterea, quia vt sacramentũ dicatur cõferre aliquid ex opere operato, sufficit causalitas moralis, vt patet de remissione totius pœnæ in Baptismo, & de alijs effectibus sacramentalibus suprà tractatis, sacrificium etiã habet effectũ ex opere operato, quanuis non habeat causalitatem physicam, vt suo loco videbimus, ergo idem esse potuit de circumcisione, & sacramento legis naturæ.

Quid illorũ obstet.

Quarta sententia.

Quarta sententia est, illa sacramenta non dedisse gratiam ex opere operato. Hæc est opinio D. Tho. hic ad tertium, & dicta quæst. 70. art. 4. & in 4. distinct. 1. quæst. 2. art. 4. & 6. licèt illic obscuriùs loquatur, eandem opinionem defendit latè Soto in 4. distinct. 2. quæst. 1. art. 4. Ledesm. hic Cano & Bellarmi. locis suprà citatis. Quæ sententia potissimùm fundari solet in generali doctrina de inefficacia legis antiquæ ad dandam gratiam, quam sectione sequenti confirmabimus. Sed præcipuè adduci solet contra Scotum decretum Eugenij III. in Concil. Florent. dicentis, sacramenta nouæ legis multùm à sacramentis antiquæ legis differre, quia nostra continent gratiam, eamque dignè suscipientibus conferunt; illa verò non causabant gratiam, sed eam solũ per passionem Christi dandam figurabant. Ad quã definitionem Scotus, & alij respondent, sub illa non comprehendi circumcisionem, quia hæc non fuit sacramentum antiquæ legis, sed ante legem, nõ enim ex Moyse fuit, sed ex Patribus, vt dicitur Ioan. 7. Sed hæc responsio nullo modo probanda videtur. Primò, quia Pontifex ibi loquutus est eo sensu, quo sancti, & Patres communiter loquuntur de sacramentis veteris legis: quandocunque autem scripturæ, vel sancti generatim loquuntur de illis sacramentis, comprehendunt circumcisionem, quia erat professio illius legis, & veluti ianua ad alia sacramenta, & quanuis paulò ante legem fuerit instituta, fuit tamen quædam illius inchoatio, & quasi præparatio ad illam, vnde cum illa durauit, & cum illa etiã cessauit. Quarè quod ait Paul. ad Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati*, non minùs de circũcisione, quã de cæteris mandatis intelligitur: ergo ratio etiam quam subdit, scilicet, *propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex*, etiam circumcisionem comprehendit: ergo quandocunque sacramenta dicuntur infirma & inutilia, sub eis intelligitur circumcisio; nam de illa etiam verum est, quod ad Hebr. 10. dicit Paul. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, nunquã accedentes perfectos facere potest.* Quin potiùs Paul. in Epistola ad Roma. & ad Galat. in quibus de inefficacia veteris legis ad iustificandum, & de cessatione legalium potissimè disputat, præcipuè sermonẽ habet de circumcisione, imo quodammodò ad eam, totam disputationem reuocat, quoniam illa erat, veluti fundamentum totius legis, vnde de illa concludit ad Galat. 5. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Sub iugo ergo seruitutis circumcisionem comprehendit, atque idem est de cæteris loquutionibus similibus. Cum ergo Eugenius nihil aliud in illo decreto tradat, quàm quod ex doctrina Pauli colligitur, consequens est, ipsum in generali illa doctrina circumcisionem cõprehendere. Et confirmatur, quia aliàs, nec sufficientem doctrinam, nec satis vniuersalem differentiam sacramentorum tradidisset, sicut, quando Concilium Tridentinum, sessione 7. can. 2. definit in hæc verba. *Si quis dixerit, ea ipsa non esse legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit*, sub hac diffinitione sine dubio comprehedit circumcisionem, quia intendit, vniuersalem, ac sufficientem doctrinam tradere; comprehenditur ergo circumcisio sub sacramentis antiquæ legis.

Propria differentia causa inter nostra sacramenta, & antiqua.

Alij ergo respondent, esse differentiam inter Baptismum & circumcisionẽ, quòd Baptismus dat gratiam, & aperit ianuam regni cælorum: circumcisio verò licèt gratiam daret, non tamen sufficientem ad introducendum in regnum cælorum. Sed hæc differentia licèt in vero sensu vera sit, eam enim tradit Innocen. in cap. Maiores de Baptismo & significata creditur Lucæ tertio, quando, baptizato Christo, apertum est cælũ, vt indicaretur, nobis esse per Baptismum aperiendum. Nihilominùs parum refert ad rem præsentem explicandam, aut enerũdam doctrinam Concil. Florent. Primò quidem, quia illa differentia, non tam oritur ex causalitate sacramẽtorum, aut ex gratia ab eis collata, quàm ex extrinseca causa, quia in vno tempore nondum erat satisfactum pro reatu totius humanæ naturæ, in alio verò iam est satisfactio oblata. Vnde Baptismus solum dicitur aperire ianuam regni, quia applicat fructum passionis Christi iam exhibitæ, per quam passionem aperta est ianua regni; per circumcisionem verò applicabatur fructus eiusdem passionis nõ exhibitæ, sed exhibendæ, est ergo illa differentia in tempore; & in extrinseca causa principali, non verò in proprio effectu gratiæ, & modo cõferendi illum; cuius signum est, quia etiam Baptismus Christi prout institutus & applicatus fuit ante passionem eius non aperiebat ianuam regni, & è contrario circumcisio, vel sacramentum legis naturæ, eo rempore, quo potuit esse vtile post passionem Christi, etiam aperiebat ianuã regni; hæc ergo differentia non satis est ad expli-

Universidad de Deusto Biblioteca

candam & verificandam Eugenij doctrinam, si re vera circuncisio fuit propria causa gratiæ. Sicut etiã vera est differentia inter Baptismum & circũcisionem, quòd per Baptismum copiosior gratia datur, quam per circũcisionem, vt omnes Sancti & Theologi docent propter perfectionẽ legis gratiæ. Tertia item differentia vera est, quòd Baptismus remittit omnem culpam & pœnam; in circuncisione verò non remittebatur tota pœna, vt D. Thom. suprà docet; quia non erat regeneratio, sicut Baptismus; tamen hæ differentiæ non sufficiunt ad doctrinam Concilij explicandam, quia in eo non dicitur, sacramenta vetera minorem gratiam contulisse, sed omnino nullam, cui contrarium est dicere, contulisse minorem gratiam, quia minor gratia aliqua gratia est.

Quô possit explicari Eugenij locus.

Potest verò aliter hic locus explicari ex doctrina suprà tradita, disputatione quinta, nimirùm circuncisionem posse dupliciter considerari. Primò vt sacramentum legis veteris; & hoc modo simpliciter verum esse, non magis habuisse virtutem ad conferendam gratiam, quàm alia vetera sacramenta. Secũdò vt habebat conuenientiam cum sacramento legis naturæ, & idem munus ac officiũ obtinebat simul cũ propria institutione; & hoc modo habuisse eandem virtutem conferendi gratiam, quam habuit sacramentũ legis naturæ; atque hoc sensu explicata prior responsio Scoti non videtur improbabilis. Nã Concilium non negat virtutem conferendi gratiam omnibus sacramentis, quæ fuerunt ante incarnationem Christi, sed solùm sacramẽtis veteris legis; ergo hæc definitio non obstat, quo minùs sacramentum legis naturæ hanc virtutem habuerit, & consequenter etiam circuncisio, vt eam rationem participauit. Et potest hæc interpretatio suaderi, quia ex illa generali doctrina Concilij, quam ex Paulo suprà deduximus, non solùm colligitur, sacramenta vetera non dedisse gratiam, sed etiam in eis datam non fuisse, vt sequenti sectione ostendemus: ergo necesse est aliquo modo excipi circũcisionem ab illa generali doctrina: diximus enim suprà, in ea datam fuisse gratiam; ergo saltem excipienda est quatenus habebat vim sacramenti legis naturæ: ergo etiam si dicamus sub hac ratione dedisse gratiam ex opere operato, non erit contra definitionem Concilij.

Quarè nõ sit admittenda hæc explicatio.

Sed hæc etiam euasio, quanuis apparentior sit, nõ videtur probanda. Primò, quia licèt Conciliũ nõ loquatur de sacramentis veteris legis, tamen sub illis à fortiori comprehendisse videtur sacramenta legis naturæ. Primò quidem, quia in ea differentia intendit docere propriam excellentiam sacramentorum nouæ legis supra omnia antiqua sacramenta, ergo non tantùm illa præfert sacramentis veteribus, sed multò magis antiquioribus sacramentis. Secundò, quia ex parte ipsarum legum, scilicèt veteris, & naturæ hoc ipsum à fortiori colligitur, quia status legis naturæ secundùm id, quod erat proprium eius, imperfectior fuit, quàm status legis Scriptæ, quia Deus paulatim processit perducendo homines ab imperfecto ad perfectum; ergo si sacramenta vetera non habebant vim iustificandi, multò magis nec sacramenta legis naturæ. Alioqui posset quis dicere, fuisse in lege naturæ multa sacramenta iustificantia, quod sanè esset contra sanam doctrinam. Vnde quod Paulus vbiq; negat legem iustificasse, quia si ex lege esset iustitia, gratis Christus mortuus esset, non solùm habet verum in lege Scripta, sed etiam in lege naturæ, quia etiam gratis Christus mortuus esset, si lex illa vi sua posset iustificare; & ideò, si in vtraq; illarum legum aliqua gratia data fuit, semper fuit data intuitu Christi venturi, & ex fide, & promissione eius, vt Paul. dicit: ergo sicut in hoc est eadem ratio vtriusq; legis, ita & in efficacia sacramentorum earundem legum ad iustificandum. Vnde argumentor tertiò ex radice huius differentiæ; ideò enim sacramenta veteris legis, & circuncisio quatenus fuit vnum ex illis, non potuerunt conferre gratiam ex opere operato, quia nondùm erat pretium nostræ redemptionis exhibitum, à quo omnia sacramenta habent virtutem: sed hæc ratio pari modo habet locum in sacramentis legis naturæ: ergo.

Quocirca, quanuis suppositis his, quæ in superioribus dicta sunt, quæstio hæc videatur ad modũ loquendi pertinere, nihilominùs hic modus loquendi magis probandus est, vt non simpliciter asseramus, circuncisionem vel sacramentum legis naturæ contulisse gratiam ex opere operato: sed interdùm in eis datam esse præter opus operantis, solùm ob specialem necessitatem, cui diuina prouidentia non statuit aliter subuenire, quæ necessitas in paruulis tantùm accidebat. Probatur primò, quia hic modus loquendi est magis cõsentaneus modo loquendi Pauli, nunquam enim dixit, circuncisionem mundasse animam, sicut de Baptismo sæpè loquitur, cui etiam consentaneæ sunt aliæ locutiones Pauli suprà citatæ. Secundò, hic modus loquendi in rigore physico est magis proprius, quia illa sacramẽta non fuerunt causæ physicæ gratiæ, vt dictum est; loquendo item de causalitate morali, habet maiorẽ proprietatẽ. Quod ita explico, nunc enim Baptismus, verbi gratia, rectè dicitur moraliter cõtinere gratiam Christi, quia iam Christus illam promeruit, & pretium illius persoluit, atque eam in tali sacramento moraliter reliquit: at vero de sacramento legis naturæ, vel circũcisione, nõ potest propriè dici gratia fuisse in eis moraliter contenta, quia nondùm erat pretiũ illius gratiæ solutum; vnde cùm illa sacramenta tantùm essent signa Christi, & meriti futuri, ex se non habebant vnde gratiam moraliter continerent; ergo nec possunt propriè dici moraliter dedisse gratiam ex opere operato; quia cõtinere gratiam prius est, quã dare illam: & ideò Concilia, quando definiunt, nostra sacramenta conferre gratiam, addunt, illam continere. Paulus verò è contra, quando loquitur de iustitia quæ dabatur in lege, dicit, non fuisse ex lege, quia non continebatur in illa, sed ex promissione, quia respiciebat Christum venturum. Potest hæc ratio alio exemplo declarari, nam si constituamus hominem, qui ad obtinendam mercedem offerat testimonia earum rerum vel actionum, quas iam operatus est; alium verò, qui ostendat scripturam continentem promissionem futurorum laborum, meritò dicemus, prius instrumentum continere iam ipsum pretium, & moraliter esse efficax ad dandum illud. posterius verò esse de se inefficax, quanuis interdùm ex aliqua speciali concessione, possit pretiũ obtineri seu anticipari; ergo ad eundem modũ philosophandum est de circuncisione, & de Baptismo. Et in hoc sensu rectè accommodatur ratio D. Tho. etiam ad causas morales: quia meritum Christi, ante quàm esset, solùm poterat mouere vt præuisum, & quasi per modum intentionis, sacramentum autem causat secundùm virtutem, quam in re habet. Tertiò à posteriori hoc colligimus ex eo, quod suprà diximus,

Quare ... tra sacr... da dica... gratiam ... tinere, ... qua ver... item.

ximus, non omnibus, quibus applicabatur circuncisio, semper fuisse aliquam gratiam datam vltra eorum merita, quod etiam nobiscum Scotus admittit. Hinc autem rectè colligimus, quando in ea dabatur gratia, non fuisse datam simpliciter ex opere operato ipsius circuncisionis, nam si hoc modo daret illam, vtique omnibus daret, qui non ponerẽt obicem, nam hæc est ratio sacramenti ex opere operato gratiam conferentis: non ergo erat ipsum sacramentum operatiuum talis effectus, sed solùm in paruulis propter necessitatem eorum Deus illum effectum conferebat, non tam ex virtute sacramenti, quàm supplendo inefficaciam eius. Atque hoc sensu explicari potest, ne apertũ errorem cõtineat, quod dixit Cano, dicta relectione de sacramentis, parte quinta, in circuncisione datam esse gratiam paruulo ex sola misericordia & pacto Dei; in Baptismo verò ex iustitia, & merito Christi; videri enim potest hoc esse falsum, quia, si consideretur opus externũ ipsius sacramenti, in vtroque necessaria est promissio & pactum Dei, vt in eo detur gratia ex certa lege; si autem effectus gratiæ consideretur in ordine ad recipientem, vtrique datur ex misericordia diuina; si verò in ordine ad Christum vel meritum eius, in vtroque data est gratia ex iustitia; nulla ergo videtur esse illa differentia. At verò iuxta dicta potest aliquo modo exponi, nam in baptismo, & in quolibet sacramento nouæ legis, intercessit absoluta institutio Christi fundata in rigoroso merito iam exhibito, ratione cuius voluit per hæc sacramenta gratiam dare omnibus non ponentibus obicem; & ideò dicitur hic effectus esse propriè ex iustitia; at verò in sacramento legis naturæ, vel circuncisione, nondùm erat exhibitum Christi meritum, neque erat specialiter applicatum vt in illis sacramentis daretur gratia, sed Deus ex sua misericordia hanc dare voluit paruulis sine sufficienti dispositione ex parte eorum propter specialem eorum necessitatem, & ideò, licèt illa gratia data fuerit propter meritũ Christi præuisum, atque ita ex iustitia, tamen quia propriè, & specialiter data fuit ad subueniendum necessitati paruulorum, & ante meritum Christi exhibitum, ideò dicitur fuisse specialiter ex misericordia, & præter id quod generaliter debitum erat in perfectione illorũ temporum ac legum.

Ad argumẽta tertiæ sententiæ respõdetur.

Ad fundamenta Scoti facilis est ex dictis responsio, nam patres ibi citati solùm intendunt, quod præcedenti sectione dictum est, illud sacramentum fuisse remedium, in quo peccatum originale remittebatur, vt latiùs explicuit August. lib. 2. de peccato originali capit. 30. & sequentibus. Ad rationem verò respondetur, modum obtinendi gratiam ex opere operantis, & ex opere operato, propriè & in rigore loquendo, non esse immediatè opposita; alius enim modus esse potest ex speciali priuilegio, vt infrà dicemus agentes de martyrio, & ita in præsenti dici potest gratia data paruulis in his sacramentis speciali Dei prouidẽtia ac promissione ob necessitatem paruulorum, qui modus, si dicatur esse ex opere operato, vel ad modum operis operati, solùm propter illã negationem, scilicet, quia non fuit ex proprio merito, vel dispositione operantis, non multùm refert, dummodò effectus non tribuatur propriæ virtuti, & causalitati ipsius sacramenti.

SECTIO III.

Vtrùm in alijs sacramẽtis veteris legis data fuerit gratia.

NON mouetur hæc quæstio de sacramentis legis naturæ, quia eo tempore non arbitramur fuisse alia præter illud quod fuit in remedium originalis peccati, quòd si fortè aliqua alia fuerũt, idem iudicandum de illis erit, quod de sacramentis legis veteris. Duæ igitur possunt esse de hac quæstione extremæ sententiæ. Prima est, in vsu sacramentorum veteris legis nullam fuisse datam gratiam etiam ex merito operantium, quanquam iusti essent, & in charitate & ex charitate illa susciperent. Quæ opinio tribuitur Magistro sent. in quarto, dist. 1. in cuius sententiæ confirmationem afferri possunt omnia testimonia scripturarum, in quibus sacramenta illius legis dicuntur egena, infirma, inutilia, & tanquam stercora, quæ non possent de illis rectè dici, si saltem meritoriè posset per illa gratia obtineri, & præcipuè videtur fauere Paulus, qui ad Rom. 2. 3. & 4. negat, ex operibus legis fuisse homines iustificatos. Et cõfirmari potest hæc opinio ratione, quia meritum de condigno non est sine promissione, sed vsui illorum sacramentorum non erat facta gratiæ promissio, sed solùm retributio aliqua temporalis: & ideò ad Heb. 8. probat Paul. *nouum testamentum esse perfectius veteri, quia melioribus repromissionibus sancitum est.* Ergo in vsu talium sacramentorum non erat meritum de condigno.

Prima sententia omnino negans.

Secunda sententia extremè contraria est, in sacramentis antiquis datam fuisse gratiam, non solùm ex merito operantis, sed etiam præter illud. Ita sentit Hugo Victor. lib. 1. de sacrament. part. 9. capit. 1. & par. 11. ca. 5. & part. 12. ca. 4. & 12. & in sum. sent. tit. 4. cap. 1. quibus locis etiam de sacramentis legis naturæ loquitur, non tamẽ expressè declarat, in eis datam fuisse gratiam vltra meritum operantis, sed solùm dicit illa sacramenta fuisse sanctificantia, & adiuuantia ad obseruanda præcepta. Idem sentit Alens. 4. par. quæst. 6. memb. 3. ar. 2. vbi dicit, illa sacramẽta non esse tantùm instituta ad significandum; apertiùs Bonauen. in 4. dist. 1. ar. 1. q. 5. vbi dicit, illa sacramenta dedisse gratiam ex opere operato; addit tamen hoc habuisse illa sacramenta tantùm per accidens ratione fidei, non autem per se; quia non habebant (inquit) hanc virtutem ex pactione seu promissione Dei, sicut habent sacramenta nouæ legis. Sed vel ipse æquiuocè loquitur de opere operato, vel repugnantia inuoluit in eis quæ dicit: quia impossibile est in aliquo opere externo dari semper aliquam gratiam præter meritum operantis, nisi intercedat pactio vel promissio diuina: vnde enim potest huiusmodi effectus oriri, nisi ex voluntate Dei? Hanc eandem sententiam partim limitat, partim clariùs explicat Durãd. in 4. d. 1. q. 5. distinguit enim duplicia sacramenta veteris legis, quædam impropria, vt erant sacrificia quædam, & oblationes, quæ, licèt essent meritoriæ ex opere operantis, tamen in eis non conferebatur specialis gratia; quia non suscipiebantur vt sacramenta. Alia verò erant sacramenta propriè, quæ per sacerdotes applicabantur fidelibus; & hæc (inquit) quædam ordinabantur ad effectum, ad

Secunda sententia ex opposito affirmans.

ad quem non erat gratia neceſſaria, vt erant illa, quę ſolum ordinabãtur ad legales expiationes, & de his etiam negat, contuliſſe aliquam gratiam, quia nec ratione effectus, nec ratione ſignificationis, illam poſtulabãt. Alia verò (inquit) erãt ſacramẽta ordinata ad actus qui ſine gratia non poſſunt conuenienter exerceri, vt conſecratio, ſeu ordinatio Pontificis, & Sacerdotis; & de his dicit contuliſſe gratiam ex opere operato, & non adhibet aliam probationem, niſi quia Deus non deficit in neceſſarijs. Alij etiam dixerunt, matrimonium dediſſe gratiam ex opere operato etiam in lege naturæ, vt indicat Paludanus in quarto; diſtinctione prima, quæſtione 5. numer. 52. dicit enim fuiſſe ſacramentum, & ęquiparat illud cum ſacramento ordinato ad remiſsionem peccati; & ibidem ait, in illo ſtatu fuiſſe etiam ſacramentum Pœnitentiæ contra actuale peccatum; de quo eodem modo loquitur, quo de remedio originalis peccata, Guilielmus etiam de Rubion. in quarto, diſtinct. 14. dixit in lege veteri fuiſſe ſacramentum Pœnitentiæ, remittens peccata actualia ex opere operato. Cui opinioni in primis fauere videntur loca ſcripturæ, in quibus promittitur remiſsio peccatorum hominibus vtentibus illis ſacramentis, vt Leuitici 4. & 5. Deuteronom. 6. & ſimiliter per conſecrationem dicebatur ſacerdos ſanctificari, Exod. 28. & 29. Leuitici. 8. Vnde Auguſtinus quæſt. 84. in Leuiticũ, exponens illa verba Leuit. 20. Ego *Dominus qui ſanctifico vos*, ait, *Quomodo Moyſes ſanctificat & Dominus? Moyſes viſibilibus ſacramentis per miniſteriũ ſuum, Dominus inuiſibili gratia per Spiritũ ſanctum, vbi eſt totus fructus viſibilium ſacramentorum, nam ſine iſta ſanctificatione inuiſibilis gratiæ, viſibilia ſacramẽta quid proſunt?* Atque de eiſdem ſacramentis loquens, quæſtione 25. in Numer. inquit, *Si per ſe ipſa attendantur, nullo pacto poſſunt mederi; ſi autem res ipſæ, quarum hæc ſacramenta ſunt, inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum.* Quapropter 19. contra Fauſtum. c. 13. comparans noſtra ſacramenta cum illis, ſolùm dicit noſtra eſſe *virtute maiora, & vtilitate meliora*, ſentit ergo, in eis fuiſſe aliquã virtutem, licèt minorẽ. Et idem videtur etiam ſenſiſſe Athanaſ. oratione in illud, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, poſt medium, dum ait, *tunc ſanctificationem fuiſſe factam viſibilibus figuris, & ſacramentis, ex parte vtpotè ad vmbram: ex parte*, inquit, id eſt imperfectè, conferebant enim illa ſacramenta aliquam gratiam, ſed minorem, quã noſtra. Deniq; huic ſententiæ fauet Hieronym. exponens Paul. ad Galat. 4. vocantem illa ſacramenta egena & infirma, quod intelligendum eſſe dicit de illis ſacramentis, prout iam ceſſarunt poſt Chriſti mortem. *Reſpondebimus* (inquit) *infirma his eſſe, & egena elementa, qui ad ea poſt Euangelij gratiam reuertũtur, in tantum enim nihil proſunt cultoribus ſuis, vt ne hoc quidem exhibere valeant, quod antea præſtiterant*, ſentit ergo, antea non fuiſſe egena, & infirma, ſed habuiſſe virtutem ad conferendam aliquam gratiam. Ratio pro hac ſententia ſolùm eſt diuina voluntas vel inſtitutio quæ ex dictis teſtimonijs colligitur. Congruentia verò eſſe poteſt, quia, quòd Deus hoc beneficium contulerit illi populo, nihil derogat legi gratiæ, quia totum illud proficiſcebatur ex meritis Chriſti venturi in lege gratiæ, & ſemper reſeruata erant maiora beneficia, & gratiæ priuilegia pro hoc tempore; alioqui verò expediebat, populum illum etiam ſpecialiter iuuari ad portandum graue onus illius legis, & ad dignè tractandas res diuinas, & cũ ex illis eſſet Chriſtus naſciturus, etiã oportebat propter ipſum ſpecialiter ſanctificari.

Quid in hac re dicendum.

Dico primò, in illis ſacramentis veteris legis nullam fuiſſe datam gratiam ex opere operato. Ita D. Thomas hic, & in 4. diſtinctione 1. quæſtione 1. articulo 5. vbi communiter Theologi. Ricard. Scotus, Gabriel, Soto, & Magiſtri ſententia facilè poteſt in hunc modum exponi. Probatur autem primò ex nonnullis ſcripturæ locis. Primum eſt illud ſuprà tactum ad Galat. 4. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa?* Quem locum tractãs Auguſt. in expoſitione illius Epiſtolæ, non de ſacramentis Iudaicis, ſed de idolis gentium, illum intelligit, & ea dicit vocari infirma, & egena elementa, aut certè ipſamet ſimplicia corpora elementaria, ex quibus mundus componitur, ac ſolem, & lunam, & corpora cæleſtia, quæ ſolebant Gentiles vt Deos adorare; ſcribit enim Paul. ad Galatas, qui gentiles fuerant, quibus inquit. *Sed tunc quidem ignorantes Deũ, his qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis*, cùm ergo ſubdit, *Quomodo conuertimini iterũ ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis?* Per egena elementa intelligit falſos Deos, quibus priùs ſeruiebant. A qua expoſitione non multùm diſcrepant Ambroſ. ibi: nam, licèt per elementa, ſolem & lunam intelligat, tamen ſeruire illis, dicit eſſe, illis abuti ad ſuperſtitioſas temporum obſeruationes, quas Gentiles colebant.

Pauli locus examinatur.

Sed hæc expoſitio difficultatem habet, quia Galatæ non volebant iterum ad idololatriam reuerti, ſed legem Moyſi amplecti; ergo non conuertebantur ad infirma, & egena elementa, ideſt, idola; ergo oportet intelligere ceremonias Moſaycas, quas in principio capitis vocauerat elementa mundi huius, in illis verbis. *Cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes*, vocat enim elementa ceremonias illas, vel quia fuerunt initia quædam diuini cultus & religionis ac expreſsioris fidei, vel certè, quia omnes illæ conſiſtebant in quibuſdam rebus externis, vt in lauacris, & c. Quanquam ergo Galatæ priùs fuiſſent idololatræ, nõ dicit eos iterum voluiſſe conuerti ad egena elementa, ideſt, ad idola, ſed ad quaſdam res, quibus hoc erat commune cum idolis, quòd erant res egenæ, & infirmæ. Huic verò argumento tacite reſpondet Adamus defendens Auguſtini expoſitionem, per egena elementa, intelligi ſolem, & lunam, ad quæ volebant conuerti Galatæ, non vt ſeruirent illis vt dijs, ſicut olim fecerant, ſed vt per eorum curſum obſeruarent Sabbatha, Neomenias & alias ſolennitates legis, quæ ſecundum elementorum volumina, ideſt, aſtrorum reuolutiones ſumuntur & adminiſtrantur. Sed hæc interpretatio nimis coacta mihi videtur, quanquam enim demus, ſolem & lunam vocari infirma elementa, quod ſatis voluntarium eſt; tamen, quod obſeruare curſus horum aſtrorum ad feſta legis celebranda, ſit ſeruire his elementis, valde violentum eſt. Paulus autem de his loquens elementis dicit: *Quibus denuò ſeruire vultis*, magis ergo probanda videtur expoſitio, quæ per egena elementa, ſacramenta vetera intelligit, quam ſequitur Tertul. libro 5. cont. Marcion. cap. 4. & alij Patres ſtatim citandi. At verò alia ratione eneruari poteſt hoc teſtimonium, ſi intelligatur Paulus loqui de illis ſacramentis nõ prout fuerẽ perfecta ante Chriſti aduentũ, ſed prout mortua, atq; mortifera poſt Chriſti paſsionẽ. Ita Hieron. ibi interpretatur, & inſinuat Chryſoſt. ibi, & clariùs Theophyl. dicens, vocare Paulum infirma, & egena elementa,

elementa, cultum eorum idololatriæ comparãs, quia genus idololatriæ eſt illas cæremonias ſeu ſacramenta, poſtquàm abolita ſunt ſimul cum Euangelio introducere. Quæ expoſitio, quoad hunc locum attinet, eſt ſatis probabilis, quam etiam ſequitur D. Tho. ibi, & Anſel. quanuis literam, & contextum Pauli aliter exponat, quod nunc examinare nõ oportet; quia tamen etiam inſinuat, eadem ſacramenta potuiſſe antea dici infirma & egena, quia per ſe non valebant cultores iuuare, ſed gratiæ auxilio egebant, quod etiam inſinuat Chryſoſt. & Theophyl. & D. Thom. non dicerentur autem infirma & egena, ſi in eis gratia daretur, ſicut non erat infirmum & egẽnum remedium legis naturæ, in quo originale peccatum delebatur. Hoc autem teſtimonium confirmari poteſt ex eadem Epiſt. ad Gala. c. 2. & 3. vbi Paul. probat, illam legem non potuiſſe iuſtificare, quod etiam ſæpè docet in Epiſt. ad Rom. ſi autem in illis ſacramentis data fuiſſet gratia multùm valuiſſet lex illa ad iuſtitiam comparandam. Sed neq; hoc argumentũ videtur conuincens, Paul. enim intendit euertere Iudæorum errorem, qui putabant, ſua ſacramenta, & ceremonias fuiſſe per ſe ſufficientia ad iuſtitiam & ſalutem ſine Chriſto & fide eius; vt latè exponit Aug. Epiſt. 19. ad Hieron. ergo ſolùm hoc ſenſu poteſt ex illis locis colligi, non fuiſſe in illis ſacramentis datã iuſtitiam, ſcilicet, ſine fide Chriſti, & hoc ſolũ concludit illa ratio, qua Paulus vtitur, *quia alias Chriſtus gratis mortuus eſt*; at verò, quòd in illis ſacramẽtis data fuerit gratia in fide Chriſti, ſicut in circuncìſione, nec fauet Iudæorum errori, nec videtur eſſe contra hanc Pauli doctrinam, neq; inde inferri poteſt; gratis Chriſtũ eſſe mortuum, vt per ſe cõſtat. Neq; etiam ſequitur, illa ſacramenta debuiſſe ſemper durare ſed potiùs ſequitur, ceſſaſſe aduenientẽ Chriſto quem præfigurabant, & ad quem homines diſponebant.

Sed quanquam hæc vera ſint, nam propter has expoſitiones horum teſtimoniorum, & aliorum ſimilium cõtraria ſententia non eſt hæreſis nota afficienda; nihilominus in huiuſmodi locis ſemper Paulus fauet huic ſentẽtiæ; extenuãs & quaſi in nihilum redigens virtutem illorum ſacramentorum; & docens, illam legem præceptis onerasse homines, non tamẽ iuuaſſe; & ideò ad Rom. 3. dicit per legem tantũ datam eſſe cognitionem peccati, & cap. 4. legem nõ iuſtitiam, ſed iram operatam fuiſſe, & ad Gala. 3. *Quid ergo lex? Propter tranſgreſsionem poſita eſt*, quæ loca tractans Auguſt. toto libro de Spirit. & lit. & lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. c. 11. & lib. 2. de peccato origin. cap. 25. & lib. 1. cõtra duas Epiſt. Pelag. ca. 8. & lib. 3. cap. 4. docet, hanc fuiſſe diuinæ prouidentię rationem, vt priùs homines præceptis oneraret, & ſacramentis, quæ per ſe gratiam non conferrent, vt homines ſuam infirmitatem agnoſcerent, & gratioribus animis autorem iuſtitiæ & legem gratiæ amplecterentur; & hac de cauſa dicit, interdùm vocari à Paulo legem illam, *legem mortis*, aut, *miniſtrationem mortis*, aut *literam occidentem*, ad Rom. 7. 2. Corinth. 3. & apud Ezechie. c. 20. vocari illa præcepta *non bona*, vnde, dicta Epiſt. 19. ad Hieronym. *Cur* (inquit) *non dicam, præcepta illa veterum ſacramẽtorum, nec bona eſſe, quia non eis homines iuſtificantur, vmbræ enim ſunt prænunciantes gratiam, qua iuſtificamur, nec tamen mala, quia diuinitus præcepta ſunt, temporibus perſoniſque congruentia? cùm me adiuuet etiam prophetica ſententia, qua dicit Deus, dediſſe ſe illi populo præcepta non bona; fortè enim propterea non dixit mala, ſed tantùm non bona, ideſt non talia, vt illis homines boni fiant, aut ſine illis boni non fiant*; ad verificandas autem has locutiones neceſſe eſt; vt in illis ceremonijs gratia daretur; nam quacunque ratione compararetur gratia per modum operis operati per illa ſacramenta, ſeu in illis, multùm iuuarentur homines ad illius legis obſeruationẽ, & ad peccata vitanda, & fortaſſe ob hanc cauſam Ioan. 1. lex à gratia condiſtinguitur, dum dicitur, *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt.*

Confirmatur alijs teſtimonijs.

Confirmatur tandẽ hæc veritas ex Paulo ad Hebr. 7. dicente: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem.* Et priùs vocauerat legem illam, *legem mandati carnalis*, ſignificans ex ſe nõ habuiſſe ſpiritualem fructũ, quod explicauit poſteà illis verbis: *Propter infirmitatẽ eius; & inutilitatem.* Quæ verba nõ poſſunt explicari, ſicut illa ſimilia adducta ex Epiſtola ad Galat. de tẽpore legis gratiæ, in quo lex vetus eſt reprobata, quia nõ dicit Paulus eam eſſe inutilẽ, & infirmã, quia reprobata eſt; ſed potiùs è cõtrario, eſſe reprobatam, quia erat inutilis & infirma: erat ergo huiuſmodi priùs etiã, quã abrogaretur; explicat autem hãc infirmitatẽ & inutilitatẽ ſequentibus verbis, *Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò melioris ſpei, per quam approximamus ad Deum*, & capit. 9. magis explicans hãc imperfectionẽ, dicit de veteri teſtamẽto. *Habuit quidẽ & priùs iuſtificationes culturæ*, id eſt, pertinentes ad cultum externũ; *& ſanctum ſeculare*, ſeu *mundanũ* vt textus Græcus habet, quod verbũ, cùm obſcurũ ſit varias habet interpretationes; Theodoretus, & Ambroſius intelligunt; templum ipſum dictum eſſe *ſanctum mundanum*, eo quòd totius mundi figuram haberet; Chryſoſtom. & alij Græci intelligunt, idem templum dictum eſſe mundanum, quoad exteriorẽ partem eius quia omnibus hominibus etiam ſecularibus ad illud patebat aditus. Anſel. verò exiſtimat, dictum eſſe mundanum, quia tota eius maieſtas erat externa, & quodammodo ex his rebus conſurgens, quæ mundus in æſtimatione habet, vt ſunt aurũ, argẽtum, lapides pretioſi, & ſimilia: nec multũ ab hac expoſitione diſcrepat D. Tho. qui dicit, vocari mũdanum, quia ſolũ erat corporale, & externũ, & in eo diuina virtus gratiã non operabatur. Quæ expoſitio ad rem præſentem confirmandam conducit ſicut & illa, quam Caiet. addit, vocari mundanum, quia ſolùm exigebat externam mundiciam, quæ erat ſecũdùm iudicium hominum; & eodem modo dicere poſſumus, vocari mundanum, quia in eo per ſe non dabatur iuſtitia interior in oculis Dei, ſed exterior in oculis mundi huius, vnde ſubdit Paulus inferiùs, *Iuxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo, in cibis, & in potibus, & in varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis, vſq; ad tempus correptionis impoſitis.* & infrà, *ſanguis* (inquit) *hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis.* Sentit igitur Paulus, in omnibus illis ſacrificijs, & cæremonijs, ſecundùm ſe conſideratis, non fuiſſe datam gratiam, nec ſpiritualem fructum, ſed ſolùm fuiſſe vmbram futurorum bonorum, vt dicit cap. 10.

Apud Paulũ Sanctũ mundanum, quid ſignificet.

Secundò principaliter probatur hæc veritas ex communi Patrum ſentẽtia, Chryſoſt. homil. 7. in ad Rom. dicit, Paulum tria oſtendere in illa epiſtola. Primum; ſine lege poſſe eſſe iuſtitiam. Secundum, quod ad nos ſpectat, per legem non potuiſſe comparari

2. probatur ex patrum teſtimonijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rari. Tertium legem fidei non repugnare. Idem homil. 14. ad Hebræ. dicit, *Sacerdotiũ vetus non potuisse prodesse, nec lætificare.* Similia habet homil. 13. in Ioan. & Basil. lib. de Spiritu sancto. ca. 14. Orig. lib. 1. cõtra Celsum. Irenæ. lib. 4. cap. 28. 32. & 34. Theodor. lib. 7. ad Græc. Ambros. 1. de sacram. c. 4. & 6. & lib. de his, qui initiantur. c. 8. & 9. Cyprian. ser. de circunciſ. circa finem, dicens, in illis sacramentis tantùm fuisse vmbram futurorum: apertiùs Auguſtin. enarratione in psal. 73. in initio, differentiam conſtituens inter sacramenta vetera & noua, quod hæc dant ſalutem, illa tantùm promittebant ſaluatorem, & tract. 41. in Ioan. circa medium. *In veteribus* (inquit) *ſacrificijs non erat expiatio peccatorum, ſed tantùm vmbra futurorum,* & Euſeb. Emiſ. homil. de transfiguratione in ſabbath. poſt primam Domi. Quadra. diſtinguens tria tabernacula Synagogæ, Eccleſiæ, & gloriæ. Primum (inquit) *in vmbra fuit & figura ſecundum in figura eſt, & veritate; Tertium in veritate ſolũ; in primo oſtenditur vita, in ſecundo datur, in tertio poſſidetur, nam vnum ſacramentũ Eccleſiæ, ſicut ſacramenta Synagogæ, medicinam docẽt, & oſtendunt, ſed ipſa potiùs ſunt medicina & remiſſio peccatorum.* Ad hoc deniq; confirmandum valent omnia, quæ ſuprà de circunciſione adducta ſunt, & præſertim definitio illa Concilij Florent. in qua duæ partes ponderandæ ſunt: altera negatiua in qua dicitur. *Sacramenta vetera non cauſabant gratiam,* quæ abſolutè excludit omnẽ gratiam ſacramentalem, ſiue magnam, ſiue paruam, & omnẽ cauſalitatem ſimpliciter, ſiue phyſicam, ſiue moralem. Dicere verò quis poſſet, per hanc propoſitionem negatiuam non excludi gratiam datam in ipſis ſacramentis præter meritum recipientium, quia, ſi talis gratia daretur, eam ſacramenta ſignificarent; ergo non tantùm eſſent ſigna prognoſtica gratiæ per Chriſtum dandæ, vt Concil. dicit. Tertiò, ad hanc veritatem confirmandam nulla alia ratio afferri poteſt, niſi, quia huiuſmodi gratia danda in ſacramento ad præſentiam externi operis, pendet ex diuina voluntate, & promiſſione, de quâ nobis non conſtat niſi per ſcripturas, vel doctrinam fidei; ergo, cùm ex his non colligatur promiſsio, ſed potiùs contrarium, nullo modo aſſerenda eſt, maximè cùm nulla ſit neceſsitas, & illa perfectio conſentanea non ſit imperfectioni illius ſtatus, & legis, vt ex hactenus dictis ſatis conſtat.

Iuſti ſacramẽtis vtentes, in lege veteri de condigno merebantur augmẽtũ gratiæ.

Dico ſecundo, homines iuſtos vtentes illis ſacrificijs vel ſacramentis de condigno illis actibus meruiſſe coram Deo gratiæ augmentum. Ita docent omnes theologi ſuprà citati, & eſt res certa; colligitur enim ex ſcripturis, & principijs fidei, quia ibi cõcurrebant omnia neceſſaria ad huiuſmodi meritum & augmentum gratiæ, nam ex parte operantium erat vera ſanctitas, & iuſtitia, ſupponimus enim eo tempore fuiſſe multos homines verè iuſtos & gratos Deo, quod eſt de fide certum, vt conſtat ex diſcurſu veteris teſtamenti; & ad Hebræ. 11. Lucæ. 1 & 2. Deinde ipſa opera ex obiecto erant bona, & grata Deo quandoquidem ab ipſo erant præcepta, & ad illius cultum & religionem pertinebant. Denique fieri poterant ex vera fide, & caritate: ergo ex parte operantium & operum nihil deerat ad meritum de condigno. Neque etiã ex parte Dei aliquid deeſſe poterat, nam ſemper, atq; omni tempore, paratus fuit, mercedem retribuere bene operantibus, vt patet Iſaiæ 56. *Hæc dicit Dominus eis, qui cuſtodierint præcepta mea, & elegerint, quæ ego volo, dabo illis in domo mea locum nominatiſsimum, nomen æternum dabo eis,* de quo præmio dicit idem Iſaias. cap. 64. *Oculus non vidit, Deus abſq; te, quæ præparaſti ſperantibus te.* Quod de præmio gloriæ explicat Paul. 1. ad Corinth. 2. & de eodem dicitur Sap. 11. *Iuſti autem in perpetuum viuent,* Eccleſ. 18. *Merces Domini manet in æternum,* de qua dictum eſt Abrahæ. Geneſ. 15. *Merces tua magna nimis.* Ac deniq; Paul. ad Hebræ. 11. dicit de antiquis Patribus, *Defuncti ſunt, non acceperũt repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes,* & infrà. *Qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere,* erat ergo etiam in eo ſtatu pactum diuinum ſeu repromiſsio ſub conditione operum. Quòd ſi illis operibus gloriam promerebantur antiqui iuſti, eadem ratione merebantur etiam gratiæ augmentum, quia poſt acquiſitum ius ad primam gloriam, nullus meretur gloriam, niſi merendo eius, & gratiæ augmentum; & ideo de Abraham dicitur Iacobi 2. fuiſſe ex operibus iuſtificatum, quæ verba de merito de condigno, & de augmento iuſtitiæ expoſuit Concil. Trident. ſeſsio. 6. cap. 10. vbi eodem modo exponit illud Eccleſiaſtici. 18. *Nè verearis uſque ad mortem iuſtificari:* Si ergo iuſti antiqui per opera iuſtificari amplius poterant, ergo etiam per ſacramenta, vel ſacrificia; quatenus erant quædam religionis opera.

Reſpondet ad argumẽta primæ ſententiæ.

Ad fundamenta primæ ſententiæ reſpondetur primo, ad illa loca ſcripturæ, aliqua ex illis intelligi poſſe de tempore poſt Chriſti mortem, vt dictum eſt eſſe probabile de teſtimonio ſuprà tractato ad Galatas 4. atque idem videtur de verbis illis ad Philipp. 3. vbi de eiſdem cæremonijs legalibus tractans ait Paulus. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* & infrà. *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens eam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti.* Quædam verò intelligenda ſunt de tempore legis ſcriptæ, quando illa ſacramenta vigebant, & illa dicuntur inutilia, & egena, quantum ad ſacramentalem iuſtificationem præſtandam, non verò quantum ad iuſtificationis augmentum ex merito, quod commune eſt omnibus bonis operibus, & non prouenit propriè ex virtute ſeu valore ipſorum operum externorum, ſed ex interiori charitate ac virtute. Dici etiam poſſunt illa ſacramenta non fuiſſe inutilia ad iuſtificandum quocunque modo per ſe ſe, ac ſine fide Chriſti; nam ſi aliquod meritum in vſu illorum futurum erat, neceſſe erat, vt in fide Chriſti fundaretur. Et hoc ſenſu intelligendum eſt, quod in locis citatis ex Epiſtola ad Rom. ait Paulus, *Ex operibus legis neminem iuſtificari,* ſcilicet virtute ipſorum operum, quatenus præciſè à libero arbitrio fieri poſſunt: ſecùs verò, vt à fide, & caritate procedunt, nam hoc modo potiùs dicit Paulus eodem loco ad Rom. 2. *Factores legis iuſtificabuntur, & qui fecerit ea, viuet in illis,* & hac ratione dicunt interdùm Patres, homines illius temporis, quatenus iuſti erant & merebantur coram Deo, ad nouum teſtamentum pertinuiſſe: quia per fidem Chriſto coniungebantur, & inde vim merendi accipiebant; atque eodem ſenſu aiunt, religionem Chriſtianam ab initio fuiſſe, vt videre licet apud Euſebium libro 1. capite 1. & Auguſtinus 1. retract. cap. 13.

Ad

Ad rationem pro illa opinione factam iam oſtenſum eſt, in eo ſtatu fuiſſe promiſsionem diuinam ad meritum de condigno ſufficiẽtem; q. verò Paulus ait, teſtamentum nouum melioribus repromiſsionibus eſſe ſancitum, exiſtimo in hunc modum eſſe intelligendũ; aliud enim eſt loqui de promiſsione quaſi intrinſeca ordini gratiæ, & prouidentiæ ſupernaturali, quæ reuera fuit in omni tempore, & in omni ſtatu humanæ naturæ; aliud verò de promiſsionibus proprijs alicuius legis ſeu ſtatus; promiſsio ergo primæ gratiæ, conferendæ homini ſufficienter diſpoſito per contritionem, & promiſsio gloriæ conferendæ homini grato; & promiſsio augmenti gratiæ & gloriæ dandæ iuſtis in præmium bonorum operum, quodammodo ſunt intrinſecæ ordini gratiæ, vt eſt ſub perfecta ac ſuaui prouidentia Dei ſupernaturali, & ita hæ promiſsiones fuerunt tam in lege naturæ, quàm in lege ſcripta; nec conſtat nobis in lege ſcripta fuiſſe maiores, aut potiores, quã in lege naturæ fuerint: quanuis fuerint clariores, magiſque à fidelibus cognitæ. At verò propriè promiſsiones, quæ additæ ſunt in veteri teſtamento, videntur fuiſſe tãtùm temporales, vt conſtat ferè in toto diſcurſu illius legis, & exponit optimè Auguſt. toto libro de ſpiritu & litera, & in enarratio. in Pſalm. 72. & lib. cõtra Adimãtũ Manich. c. 3. & 19. cont. Fauſt. c. 31. Quibus locis ait, in antiqua lege propter imperfectionem eius, & quia regnum cælorum longè diſtabat factas eſſe promiſsiones temporales, non tamen eſſe omnino prætermiſſas ſpirituales, quæ interdùm in ipſis tẽporalibus figurabantur, interdùm expreſsiùs fiebãt, vt diximus. Et ideò dicebat Chriſtus Phariſæis Ioan. 5. *Scrutamini ſcripturas, in quibus putatis vitam æternam haberi,* at verò in nouo teſtamento & generalis promiſsio gratiæ & gloriæ expreſsius facta eſt, adeò vt ſub nomine *Regni cælorum,* nõ fuerit antea propoſita, ſed initio prædicationis noui teſtamẽti, vt Auguſt. ſuprà notat, & 1. retract. c. 22. & prẽterea additæ ſunt multæ promiſsiones ſpirituales abũdantioris gratiæ propriæ huius ſtatus, in quo de temporalibus promiſsionibus ferè nulla eſt mentio, ſed veluti ſupponuntur hæc temporalia bona adijcẽda iuſtis, ſi illis aut neceſſaria aut vtilia fuerint. Propter hanc ergo cauſam meritò dixit Paulus, *Nouum teſtamentum in melioribus repromiſsionibus eſſe ſancitũ.*

Ad argum. 2 ſententiæ, reſpõdetur.

Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ. Primò, illa cõiectura Durandi, quòd Deus non deficit in neceſſarijs nullius eſt momenti. Primò, quia non conſtat, ſacerdotium Leuiticum & miniſteria eius fuiſſe adeò perfecta, vt neceſſarium ſimpliciter fuerit illa in gratia perficere. Deinde quidquid de hoc ſit ſufficiebat iuſtitia, quæ per meritum & diſpoſitionem operantis comparari poterat, neque enim illa lex adeò perfecta fuit, vt oportuerit, meliori & vtiliori modo hominibus prouideri.

Ad teſtimonia verò ſcripturarum, in quibus promiſsiones quædam continebantur, reſpondetur primùm multas ex illis non intelligi de interiori ac vera remiſsione culpæ coram Deo, ſed de legali quadã remiſsione quoad aliquas pœnas, vel irregularitates legis cuius ſignum eſſe poteſt, quòd non in ſingulis ſacramentis, vel ſacrificijs, promittebatur remiſsio omnium peccatorum, ſed quædam peccata dicebantur tolli quibuſdam ſacrificijs, quædam verò alijs, cum tamen in vera remiſsione culpæ mortalis nunquã vna ſine alia remittatur; & ideò prophetæ alijs in locis, reiectis illis ſacrificijs, interiorem animi contritionem & commutationẽ requirebant ad conſequendam veram remiſsionem peccatorum; & hoc ipſum ſignificauit Paulus vocans omnes illas iuſtitias carnis. Secundò dicitur illa ſacrificia hominibus nondum iuſtificatis per contritionem potuiſſe valere ad remiſsionem peccatorum obtinendam per modum impetrationis: ad quod multùm etiam iuuare poterat oratio ſacerdotis, ad impetrandum ſilicet à Deo auxilium & motum cordis, quo remitterentur peccata, vt docuit Diuus Thomas 1. 2. quæſtione 103. art. 2. & Cano. 12. de locis cap. 13. ad 9. hominibus autem iam iuſtificatis prodeſſe poterant ad ſatisfaciendum pro peccatis quoad temporales pœnas, non quidem ex opere operato, vt videtur ſenſiſſe Alexand. Alenſ. m. 4. artic. 5. ſed ex opere operantis, vt rectè docuit D. Thom. in 4. diſtinctio. 1. quæſtio. 1. artic. 5. quæſtiunc. 2. ad. 2. & ex dictis ſatis conſtare poteſt. Atque eodem modo exponenda ſunt teſtimonia ſanctorũ ibi citata: ſufficiẽter enim intelligũtur de fructu ex opere operãtis, neque aliud probat congruentia ibi adducta.

QVAESTIO LXIII.

De effectu ſacramentorum, qui eſt character in ſex articulos diuiſa.

DEinde conſiderandũ eſt de alio effectu ſacramẽtorũ, qui eſt character. Et *circa hoc quæruntur ſex.* 4. d. 4. q. 1. art. 4. q. 1. cap.

Primò, vtrùm ex ſacramẽtis cauſetur character aliquis in anima.

Secundò, quid ſit ille character.

Tertiò, cuius ſit character.

Quartò, in quo ſit ſicut in ſubiecto.

Quintò, vtrùm inſit indelebiliter.

Sextò, vtrùm omnia ſacramenta inprimant characterem.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ſacramentum non imprimat aliquem characterem in anima. Character enim ſignificare videtur quoddã ſignũ diſtinctiuum. Sed diſtinctio membrorum Chriſti ab alijs, fit per æternam prædeſtinationem, quæ non ponit aliquid in prædeſtinato, ſed ſolùm in Deo prædeſtinante, vt in prima part. habitum eſt. Dicitur enim. 2. Timot. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus qui 1. p. q. 23. art. 3.

ſunt

ſunt eius. Ergo ſacramenta non imprimunt characterem in anima.

¶ 2. Præterea, Character ſignum eſt diſtinctiuum; ſignum autem (vt Auguſtinus dicit in 2. de Doctrina Chriſtiana) eſt quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem eſt in anima, quod aliquam ſpeciem ſenſibus ingerat. Ergo videtur, quòd in anima non imprimatur aliquis character per ſacramenta.

Lib. 2. circa princ. to. 3.

¶ 3. Præterea, Sicut per ſacramenta nouæ legis diſtinguitur fidelis ab infideli, ita etiam per ſacramenta veteris legis, ſed ſacramenta veteris legis non imprimebant aliquem characterem in anima, vnde & dicũtur iuſtitiæ carnis ſecundum Apoſtol. ad Hebr. nono. Ergo videtur, quòd neque ſacramenta nouæ legis imprimunt characterem.

SED contra eſt, quòd Apoſt. dicit 2. ad Corinth. 1. Qui vnxit nos, Deus eſt, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Sed nihil aliud importat character quàm quandam ſignationem. Ergo videtur, quòd Deus per ſacramenta nobis ſuum characterem imprimat.

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ex prædictis patet, ſacramenta nouæ legis ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundùm ritum Chriſtianæ vitæ. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, conſueuit ad illud conſignari, ſicut milites, qui aſcribebantur ad militiam antiquitus, ſolebant quibuſdam characteribus corporalibus inſigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideò cum homines per ſacramenta deputentur ad aliquid ſpirituale pertinẽs ad cultum Dei, conſequens eſt, quod per ea fideles aliquo ſpirituali charactere inſigniantur. Vnde Auguſtin. dicit in ſecundo contra Parmenianum. Si militiæ characterem in corpore ſuo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſa, & impetrata iam venia militare cœperit, nunquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? an fortè minùs hærent ſacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota.

q. 62. art. 5.

AD primum ergo dicendum, quòd fideles Chriſti ad præmium quidem futuræ gloriæ deputantur ſignaculo prædeſtinationis diuinæ. Sed ad actus conuenientes præſenti Eccleſiæ deputantur quodam ſpirituali ſignaculo eis inſignito, qui character nuncupatur.

AD ſecundum dicendum, quòd character animæ impreſſus, habet rationem ſigni inquantum per ſenſibile ſacramentum imprimitur, per hoc enim ſcitur aliquis eſſe baptiſmali charactere inſignitus, quod eſt ablutus aqua ſenſibili. Nihilominus tamen character vel ſignaculum dici poteſt per quandam ſimilitudinem, omne quod configurat alicui, vel diſtinguit ab alio, etiam ſi non ſit ſenſibile, ſicut Chriſtus dicitur figura vel character paternæ ſubſtantiæ, ſecundum Apoſtolum, Hebr. 1.

AD tertium dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, ſacramenta veteris legis non habebãt in ſe ſpiritualem virtutem, ad aliquem ſpiritualem effectum operantem. Et ideò in illis ſacramentis non requirebatur aliquis ſpiritualis character, ſed ſufficiebat ibi corporalis circuncisio, quam Apoſtolus ſignaculum nominat Rom. 4.

q. 62. art.

COMMENTARIVS.

TITVLVS huius articuli, vt rectè Caieta. notat, indefinitè prout ſonat intelligendus eſt. Nõ enim de omnibus ſacramentis vniuerſaliter nec de aliquo in particulari ac definitè quæſtio proponitur, ſed abſolutè & confuſè de ſacramentis nouæ legis. Ruſus oportet aduertere, nomine characteris ſignificari ſignum, ſeu ſigillum, quo ſolet ſignari res aliqua, vel vt cognoſcatur, & ab alijs diſtinguatur, quomodò ſolet ſignari ſeruus, aut ouis, charactere proprio domini ſui; vel vt in pretio habeatur, quomodo ſignatur pecunia ſigillo Regio, vel vt ad aliquod munus deputetur, quomodo milites charactere militari inſigniuntur; & hoc modo accipitur in ſcriptura character Antichriſti pro ſigno, quo ille ſigillabit ſectatores ſuos. Apocalyp. 13. 14. & ſequentibus. Atque in hac propria ſignificatione accipi in præſenti conſtat, tam ex proprietate vocis, quàm ex vſu omnium. Verum eſt, vocẽ characteris communiter ſignificare ſignum ſenſibile, quia hæc vox primùm eſt impoſita ab hominibus, qui ſenſibilibus ſignis vtuntur; hic verò ſumitur pro ſigno ſeu charactere ſpirituali, quo ſignantur animæ chriſtianæ per Chriſti ſacramenta.

Reſpondet ergo D. Thom. per ſacramenta Chriſti imprimi in anima ſpiritualem characterem. Quam concluſionem in argumento. Sed contra, probat ex Paul. 2. ad Corinth. 1. dicente: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Quod teſtimonium eſt valde probabile; quatuor enim diuini effectus à Paulo ibi diſtinguntur; primus eſt fidei, qua firmamur in Chriſto. Secundus eſt caritatis & gratiæ, qua vngimur; Tertius eſt, pignus Spiritus quod eſt teſtimonum bonæ conſcientiæ; Quartus ergo, qui continetur in illis verbis, *Qui & conſignauit nos*, debet eſſe effectus diſtinctus à reliquis; & nõ poteſt meliùs interpretari, quàm de charactere, quo Chriſto conſignamur. Dices, ipſomet Baptiſmo ſignari

nari fideles, nec eſſe neceſſarium alium characterẽ. Reſpõdet Ambr. 1. de Spiritu ſancto c. 6. *Et ſi ſpecie ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur*, nam illud ſignum ſenſibile, quod eſt baptiſmus, nõ eſt tam proprius effectus Spiritus ſancti, ſicut eſt ſpirituale ſignum, quod animæ imprimitur, vnde ſicut alia omnia, quæ ibi numerantur à Paulo, ſunt interna & ſpiritualia, ita & conſignatio, & ita obiter explicata manet congruentia D. Thom. Dixi autem prædictum teſtimonium eſſe probabile, quia optimè & accommodatiſsimè prædicto modo exponitur, non tamen eſt per ſe ſufficiens ad conuincendũ proteruum; quia multi Patres intelligũt aliter illum locum. Anſelm. ſignum crucis tantum intelligit, quod noſtris frontibus Deus impoſuit, & per illud ab infidelibus diſtinxit. Apparentior eſt aliorum expoſitio qui dicunt illam conſignationem fieri per gratiam ſanctificantem & indicant per illa tria, *Qui vnxit, ſignauit, & dedit pignus Spiritus*, eandem gratiam ſignificari, illa enim vngimur, & in filios Dei ſignamur, & pignus eſt, atque artha gloriæ futuræ, ita ferè Chryſoſt. Theodor. Theophyl. & OEcumen. Indicatur etiam in commentarijs, qui Hieronym. tribuuntur; & D. Thom. in Paul. quanuis de ſigno fidei, & crucis etiam exponat, magis tamẽ approbat expoſitionem de ſigno gratiæ, quam etiam ſequitur Ambroſ. ibi dicens, *vnxit nos ſpirituali vnctione, & ſignauit nos, dando Spiritum ſuum nobis, pignus vt non ambigamus de promiſsis eius.* Et in prædicto lib. de Spiritu ſancto. *Sancto* (inquit) *Spiritu ſignati ſumus à Deo, ſicut enim Chriſto morimur, vt renaſcamur; ita etiam Spiritu ſignamur, vt ſplendorem atque imaginem eius tenere poſsimus, quod eſt vtique ſpirituale ſignaculum.* Quanquam hæc verba Ambroſij rectè poſſunt intelligi, ita vt inter hoc ſignum, & gratiam, diſtinctionem faciat, non enim dicit, ſignari nos per gratiam, ſed ſignari, vt gratiam tenere poſsimus; quod eſt propriũ characteris baptiſmalis; illo enim ſignamur, vt efficiamur capaces gratiæ, quæ per Baptiſmũ datur; eſt ergo valde probabilis prima expoſitio huius loci, & aptior ad diſtinguẽdum illa tria, quæ Apoſtolus annumerat.

ARTICVLVS II.

Vtrum character ſit ſpiritualis poteſtas.

4. diſt. 4. q. 1. art. 1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd character non ſit ſpiritualis poteſtas. Character enim idẽ videtur eſſe quod figura, vnde Heb. 1. vbi dicitur. Figura ſubſtantiæ eius, in Græco habetur loco figuræ, character. Sed figura eſt in quarta ſpecie qualitatis, & ita differt à poteſtate, quæ eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. Character ergo non eſt ſpiritualis poteſtas.

¶ 2 Præterea, Dionyſ. dicit 2. capit. Eccleſ. Hierar. quod diuina beatitudo accedentem ad beatitudinem in ſui participationem recipit, & proprio ſuo lumine, quaſi quodã ſigno, ipſi tradit ſuam participationem. Et ſic videtur, quòd character ſit quoddam lumen, ſed lumen ad tertiam ſpeciem qualitatis videtur pertinere. Non ergo character eſt poteſtas, quæ videtur ad ſecundam ſpeciem qualitatis pertinere.

c. 2. eccl. hier. par. 3. parum ante med.

¶ 3 Præterea, A quibuſdam character ſic definitur. Character eſt ſignum ſanctum cõmunionis fidei, & ſanctæ ordinationis, datũ à hierarcha. Signum autem eſt in genere relationis, non autem in genere poteſtatis. Nõ ergo character eſt ſpiritualis poteſtas.

¶ 4 Præterea, poteſtas habet rationem cauſę & principij, vt patet 5. Metaphyſ. Sed ſignum, quod ponitur in diffinitione characteris, magis pertinet ad rationem effectus. Character ergo non eſt ſpiritualis poteſtas.

Lib. 5. Meta. tex. 17. to. 3.

¶ SED contra eſt, quod Philoſoph. dicit in 2. Ethic. Tria ſunt in anima, potentia, habitus & paſsio. Sed character non eſt paſſio, quia paſsio citò tranſit, character autem indelebilis eſt, vt infrà dicetur. Similiter etiã non eſt habitus, quia nullus habitus eſt, qui ſe poſsit ad bene & malè habere: character autem ad vtrumque ſe habet, vtuntur enim eo quidam bene, alij verò malè. Quod in habitibus nõ cõtingit; nã habitu virtutis nullus vtitur malè, habitu malitiæ, nullus bene. Ergo relinquitur, quòd character ſit potentia.

Lib. 2. Ethi. c. 5. in prin. to. 5.

Art. 5. huius quæſt.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut dictum eſt, ſacramenta nouæ legis characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, ſecundùm ritum Chriſtianæ religionis. Vnde Dionyſ. in 2. c. Eccleſ. Hierarc. cum dixiſſet, quòd Deus in quodam ſigno tradit ſui participationem accedenti ad baptiſmum, ſubiungit, perficiẽs eum diuinum, & cõmunicatorem diuinorũ. Diuinus autem cultus cõſiſtit vel in recipiẽdo aliqua diuina, vel in tradendo alijs. Ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia: nã ad tradendum aliquid alijs, requiritur potentia actiua, ad recipiendum autem requiritur potentia paſsiua, & ideò character importat quandam potentiam ſpiritualem ordinatam ad ea, quæ ſunt diuini cultus. Sciendum tamen, quòd hæc ſpiritualis potentia eſt inſtrumentalis, ſicut etiam ſuprà dictum eſt de virtute, quę eſt in ſacramẽtis. Habere enim ſacramenti characterem cõpetit miniſtris Dei. Miniſter autem habet ſe per modum inſtrumenti, vt Philoſo. dicit in 1. Polit. Et ideò ſicut virtus, quæ eſt in ſacramentis, non eſt in genere per ſe, ſed per reductionem, eo quod eſt quiddã fluens & incompletum, ita etiam character non propriè eſt in genere vel ſpecie, ſed reducitur ad ſecundam ſpeciem qualitatis.

Art. præced. c. 2. eccl. hier. par. ... ante

Quæſt. præce. art. 4.

Lib. 1. c. 3. ali quantulum à prin. to. 5.

AD primum ergo dicendum, quòd figura eſt quædam terminatio quantitatis: vnde propriè loquendo, non eſt niſi in rebus corporeis, in ſpiritualibus autem dicitur metaphoricè. Non autem ponitur aliquid in genere

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere vel ſpecie, niſi per id quod de eo propriè prædicatur. Et ideò character non poteſt eſſe in quarta ſpecie qualitatis, licet hoc quidam poſuerint.

AD ſecundum dicendum, quòd in tertia ſpecie qualitatis non ſunt niſi ſenſibiles paſsiones vel ſenſibiles qualitates. Character autem non eſt lumen ſenſibile, & ideò non eſt in tertia ſpecie qualitatis, vt quidam dixerunt.

AD tertium dicendum, quòd relatio quæ importatur in nomine Signi, oportet quod ſuper aliquid fundetur. Relatio autem huius ſigni quod eſt character, non poteſt fundari immediatè ſuper eſſentiam animæ, quia ſic conueniret omni animæ naturaliter. Et ideò oportet aliquid poni in anima, ſuper quod fundetur talis relatio, & hoc eſt eſſentia characteris. Vnde non oportebit, quòd ſit in genere relationis, ſicut quidam poſuerunt.

AD quartum dicendum, quòd character habet rationē ſigni per comparationem ad ſacramentum ſenſibile, à quo imprimitur, ſed ſecundum ſe conſideratus, habet rationem principij, per modum iam dictum.

In cor. art. & art. præce.

COMMENTARIVS.

Quid importet character, exponitur.

CIRCA titulum poteſt imprimis dubitari: cùm D. Thom. præcedēti articulo ſuppoſuerit, characterem eſſe ſignum, quid neceſſe fuit inquirere, an ſit poteſtas; aut quomodo hæc cohæreāt eſſe ſignum, & eſſe poteſtatem. Vt hoc ergo explicetur, obſeruandum eſt, in omni ſigno diſtinguendam eſſe relationem ſeu denominationem ſigni à fundamento, ſeu re, quæ ad ſignificandum imponitur; character ergo nō poteſt ſignificare ſolam relationem vel denominationem, ſed rem aliquam, quæ animæ imprimitur cū tali impoſitione ſeu denominatione: quod videre licet in omnibus characteribus corporalibus; qui non imprimuntur, niſi per appoſitionem alicuius rei, talis vel talis figuræ; ſic ergo, vt anima interiùs conſignetur realiter & intrinſecè neceſſe eſt, vt aliqua res abſoluta illi imprimatur, quæ ſit ſignum, ſeu fundamentum relationis ſigni, ſeu res ad ſignificandum impoſita, quia ſola relatio ſigni non poteſt immediatè imprimi, aut per ſe fieri aliqua actione, vt conſtat ex generali ratione relationis, & præſertim, quia hæc ſignificatio neceſſe eſt, vt ſit relatio rationis, & ex impoſitione, vt infrà dicam, quare non poteſt immediatè cadere in ipſam animam, tum quia anima eſt quæ ſignatur; non quæ ad ſignificandum imponitur, tum etiam, quia aliàs hæc impreſsio characteris nihil eſſet in anima, niſi ſola denominatio extrinſeca per impoſitionem. Quanuis ergo character ſit ſignum neceſſe eſt, vt ſit aliquid reale, in anima inhærens, ac propterea D. Thom. hoc tanquam certum ſupponens, inquirit, in quo genere, ſeu ſpecie, ſit character. Supponit autem vlteriùs, tanquam manifeſtum, non poſſe eſſe niſi in prædicamento qualitatis, quia cùm inſit in anima, non poteſt eſſe ſubſtantia, quia ſubſtantia non inhæret ſubſtantiæ, nec anima rationalis informari poteſt alia forma ſubſtantiali, nec etiam poteſt eſſe quantitas, cum ſit forma ſpiritualis accōmodata ſubiecto ſuo, ſupereſt ergo, vt ſit qualitas, nam de relatione iam dictum eſt, de alijs verò prædicamentis, nulla poteſt eſſe quæſtio.

Ratio D. Th. expenditur.

Reſpondet ergo Diuus Thomas characterem eſſe potentiam ſpiritualem ordinatam ad ea, quæ ſunt diuini cultus, quam concluſionem in argumento, Sed contra, probat hoc diſcurſu; In anima tantùm ſunt potentia, habitus & paſsio, ex Ariſtotele ſecundo Ethicorum, capite quinto. Sed character non eſt paſsio, quia paſsio citò tranſit: character verò indelebilis permanet, neque eſt habitus; quia nemo poteſt eodem habitu bene & malè vti, ſicut poſſumus vti characterē; ergo eſt potentia. Sed hæc ratio ſine dubio efficax non eſt. Primò quidem, quia non eſt contra rationem habitus, vt poſſimus eodem habitu bene & malè vti in genere moris, vt ratio facta procedit. Probatur primò, quia etiam in voluntate eſt probabile præter habitus virtutum, & vitiorum dari habitus indifferentes, genitos ex actibus, ex obiecto, & ſpecie ſua indifferentibus; quī enim hoc repugnat? Nam licèt actus ſpecie indifferens in indiuiduo non fiat ſine bonitate, vel malitia accidentali ſumpta ex fine extrinſeco; tamen in entitate ſua manet indifferens, & ſecundùm illam generare poteſt habitum. Secundò, quidquid de hoc ſit, de habitibus intellectus eſt hoc euidens, nam eodem habitu ſcientiæ vtimur benè, & malè; & de habitu fidei multi idem exiſtimant, & eſt ſatis probabile; character autem à Diuo Thom. ponitur in intellectu: ergo nihil obſtat quo minùs poſsit eſſe habitus eius, quo voluntas benè & malè moraliter vti poſsit. Dico autem ſemper, benè & malè moraliter, quia, ſi loquamur de bono, & malo in eſſe naturæ, ſeu in ſuo genere, ſicut nullus poteſt vti bene & malè ſcientia in ratione iudicandi, quia ſi per ſcientiam iudicat, neceſſe eſt vt bene iudicet; ſi autem non rectè iudicat, non vtitur ſcientia, & ſimili modo de qualibet arte quæ ſit virtus: ita nullus bene & malè vtitur characterē in genere ſacramenti, vt ſic dicam, nam ſi characterē vtitur, ritè conficiet ſacramentum, applicando omnia ad illius cōſtitutionem neceſſaria, ſi autem non ritè conficit, iam nō vtitur characterē: non ergo occurrit apparens modus defendendi hanc rationem Diui Thomæ quod mirum eſſe non debet, quia, & D. Thom. concluſio difficilis eſt, & in argumentis, Sed contra, non ſemper vtitur D. Thom. rationibus neceſſarijs.

Addit ergo in corpore articuli rationē hanc, quia per characterē deputantur homines cultui diuino: ſed hic cultus conſiſtit in recipiendo & tradendo diuina; ad quos actus requiritur aliqua potentia: ergo character eſt huiuſmodi potentia. Circa quam rationem meritò dubitat Caiet. quia illa cōſequentia nec formalis eſt, nec etiam videtur tenere ratione materiæ. Primum patet, quia ſimili modo argumentari poſſumus. Per characterem deputatur homo ad cultum diuinum: ſed ad hunc cultum requiritur fides, aut ſcientia: ergo character eſt fides, aut ſcientia; defectus autem illationis eſt, quia ad cultum diuinum multa requiruntur. Vnde ex communi ratione, quòd aliquid ſit requiſitum ad cultum Dei, non licet inferre illud eſſe characterem, nam character eſt vnū ex requiſitis; nō verò eſt omne illud, quod requiritur ad cultum Dei. Quòd autem nec illatio teneat ratione materiæ probatur, quia per characterem deputantur homines ad cultum Dei tanquam per quoddam ſignum, vt D. Thom. dixit art. præced. ergo ex hac deputatione non poteſt colligi characterem eſſe potentiam; ſicut etiam per characterem militarē deputatur homo ad militiam; vnde non ſit illum eſſe potentiam, ſed tantùm ſignum. Reſpondet Caiet. conſecutionem tenere rationem materiæ, quia character non eſt qualecunq; ſignum, ſed perficiens animam ad cultum Dei, vt D. Thom. in litera ex Dionyſ. refert; quia ergo hic cultus conſiſtit in tradendo & recipiendo Diuina; ideò character perficit animam ad recipiendum; vel dandum diuina; homo autem primò ac per ſe perficitur ad recipiendum vel dandum per potentiam dandi vel recipiēdi. Sed hęc reſponſio in eandem incidit difficultatem, quia etiā perficitur homo ad dandum & recipiendum per habitus, & diſpoſitiones. Optima ergo reſponſio eſt, quam idem Caiet. in pincipio & fine huius diſputationis ſignificauit, ſcilicet per characterem ita deputari hominem ad diuina, vt non ſupponatur in homine potentia tradendi aut recipiendi diuina ſacramēta, quæ ſine characterē haberi non poteſt, & cum illo ſtatim habetur; character ergo non eſt ſignum deputatiuum ſupponens potentiam: ergo neceſſe eſt vt ſecum illam afferat; ergo ſignum eſt, ipſum etiam characterem eſſe potentiam, & hoc modo eſt ratio probabilis, quomodo autem re vera concludat eſſe potentiam, aut quomodo poſsit omni characteri applicari, in diſputatione ſequenti tractabitur; in qua diſcutiemus aliam partem corporis articuli, in qua duo valde difficilia D. Thom. dicit. Vnum eſt, characterem eſſe potentiam inſtrumentalem, ſicut eſt virtus quæ eſt in ſacramentis. Alterum eſt, non eſſe propriè in genere vel ſpecie, ſed reduci ad ſecundam ſpeciem qualitatis, & ibi etiam explicabimus ſolutionem ad 1. quæ aliquam difficultatem habet: reliquæ enim ex dictis faciles ſunt.

ARTICVLVS III.

Vtrum character ſacramentalis, ſit character Chriſti.

4. diſt. 4. q. 1. art. 2. & art. 3. q. 5.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, quòd character ſacramentalis non ſit character Chriſti. Dicitur enim Epheſ. 4. Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis. Sed conſignatio importatur in nomine characteris. Ergo character ſacramētalis magis debet attribui Spiritui ſancto, quā Chriſto.

¶2. Præterea, Character habet rationem ſigni. Eſt autem ſignum gratiæ, quæ per ſacramentum confertur, gratia autem infunditur animæ à tota Trinitate. Vnde dicitur in Pſalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Ergo videtur quod character ſacramentalis non debeat ſpecialiter attribui Chriſto.

¶3. Præterea, Ad hoc aliquis characterem accipit, vt eo à cæteris diſtinguatur. Sed diſtinctio ſanctorum ab alijs, fit per charitatē, quæ ſola diſtinguit inter filios regni & filios perditionis: vt Auguſtinus dicit 15. de Trinit. vnde & ipſi perditionis filij characterem beſtiæ habere dicuntur, vt patet Apocaly. 13. Charitas autem non attribuitur Chriſto, ſed magis Spiritui ſancto: ſecūdùm illud Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vel etiam Patri ſecundum illud 2. ad Corinth. vltim. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei. Ergo videtur, quod character ſacramētalis nō ſit attribuēdus Chriſto.

Lib. 18. c. 18 co. 3. in prin.

SED contra eſt, quòd quidam ſic definiunt characterem. Character eſt diſtinctio à charactere æterno impreſſa animæ rationali, ſecundum imaginem conſignans trinitatem creatam, Trinitati creāti & recreanti, & diſtinguens à non configuratis ſecundū ſtatū fidei. Sed character æternus eſt ipſe Chriſtus ſecundum illud Hebr. 1. Qui cum ſit ſplēdor gloriæ & figura vel character ſubſtantiæ eius. Ergo videtur quod character ſit propriè attribuendus Chriſto.

Art. 1. huius quæſt.

RESPONDEO dicendum quòd (ſicut ex ſupra dictis patet) character propriè eſt ſignaculum quoddam, quo aliquid inſignitur, vt ordinatum in aliquem finem: ſicut charactere inſignitur denarius ad vſum commutationum, & milites charactere inſigniuntur, quaſi ad militiam deputati. Homo autē fidelis ad duo deputatur. Primò quidem & principaliter ad fruitionem gloriæ: & ad hoc inſignitur ſignaculo gratiæ, ſecundum illud Ezech. 9. Signa Tau ſuper frontes virorum gemētium & dolentium. Et Apocal. 7. Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Secūdò autem deputatur quiſque fidelis ad recipiendum, vel tradendum alijs, ea quæ pertinent ad cultum Dei, & ad hoc propriè deputatur character ſacramētalis. Totus autem ritus Chriſtianæ religionis deriuatur à ſacerdotio Chriſti. Et ideo manifeſtum eſt, quòd character ſacramētalis ſpecialiter eſt character Chriſti, cuius ſacerdotio configurantur fideles ſecundum ſacramētales characteres, qui nihil aliud ſunt, quā quædam participationes ſacerdotij Chriſti, ab ipſo Chriſto deriuatæ.

AD primum ergo dicendum, quòd Apoſtolus ibi loquitur de conſignatione, ſecundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quæ fit per gratiam, quæ Spiritui ſancto attribuitur, in quantum ex amore procedit, quod Deus nobis aliquid gratis largiatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, quod ad rationem gratiæ pertinet. Spiritus autem sanctus amor est, vnde & 1. ad Corint. 12. dicitur, Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.

AD secundum dicendum, quòd character sacramentalis est res respectu sacramẽti exterioris, & est sacramentum respectu vltimi effectus. Et ideò dupliciter potest aliquid characteri attribui. Vno modo secundum rationem sacramenti, & hoc modo est signum inuisibilis gratiæ, quæ in sacramento confertur. Alio modo secundum propriam rationẽ characteris, & hoc modo est signum configuratiuum alicui principali apud quem residet authoritas eius ad quod aliquis deputatur, sicut milites qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei cõfigurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum Christianũ, cuius autor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur. Vnde propriè est character Christi.

AD tertium dicendum, quòd charactere distinguitur aliquis ab alio, per comparationem ad aliquem finem, in quem ordinatur qui characterẽ accipit, sicut dictũ est de charactere militari, quo in ordine ad pugnam, distinguitur miles regis à milite hostis. Et similiter character fidelium est, quo distinguuntur fideles Christi à seruis diaboli, vel in ordine ad vitam æternam, vel in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ. Quorum primũ fit per caritatẽ & gratiã, vt obiectio procedit, secundum autem fit per characterem sacramentalem. Vnde & character bestiæ intelligi potest per oppositum, vel obstinata malitia, qua aliqui deputantur ad pœnam æternam, vel professio illiciti cultus.

Art. 1. huius quæst.

COMMENTARIVS.

HIc articulus, quod attinet ad quæstionem in eo propositam, & resolutionem eius, nõ indiget expositione; supponendũ est enim Christum esse supremum Pontificem ac ducẽ Christianæ religionis, eiusque autorem & institutorem; de quo latè dictum est in 1. tomo huius 3. par. Hinc ergo fit, vt omnes, qui sub hac religione militant, dicantur consignari signo seu charactere Christi, quia talis character à sacerdotio Christi manat, & nos illi specialiter subijcit, & configurat. His ergo rationibus dicitur character esse Christi vt Dei hominis, quia illi nos consignat, tanquam membra capiti, vel tanquam milites duci, ac Principi, & tanquã ministros summo Sacerdoti, ac principaliter operanti. Alijs verò rationibus potest etiam dici character Dei & totius Trinitatis, quatenus à tota Trinitate efficitur & quatenus est spiritualis quædã perfectio est etiã quædã Dei participatio, nihil igitur de hac denominatione ampliùs dicendum superest.

Solùm est in hoc articulo notanda solutio ad 1. in qua D. Th. explicat verba Pauli ad Ephe. 4. *Nolite cõtristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, & dicit intelligenda esse de consignatione per gratiam, per quam homo deputatur ad futuram gloriam; *gratia enim* (inquit) *quæ ex amore diuino procedit, Spiritui sancto appropriatur*. Ex qua expositione & ratione eius sequitur, eodem modo exponenda esse similia verba ad Ephes. 1. *In quo, & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, & vtriusque loci expositio est satis probabilis, vt patet ex dictis in commentario art. 1. & ex Chrysost. qui in hunc modum videtur explicare hanc consignationem homil. 2. in ad Ephes. dicẽs, *Obsignauit ad hoc, vt ad futuram hæreditatem sorte adsciscantur*, & infrà, *Obsignati sunt & Israelitæ, sed ex cũcisione quemadmodũ pecudes, obsignati sumus & nos, sed Spiritu vtpote filij, quid est Spiritu promissionis? Videlicet, quòd Spiritũ iuxta promissionẽ accepimus*, & Homil. 14. in illa verba, *In quo signati estis. Hic* (inquit) *Spiritus nos regalẽ esse gregẽ ostẽdit, hic nos ab omnibus prioribus vitæ actibus cohibuit: hic nõ est passus vt cõsimili esse mus illis, qui iræ Dei sunt obnoxij*. Videtur ergo per hoc signũ intelligere gratiã, & caritatẽ, quæ distinguit inter filios Dei, & filios perditionis, & Theodoret. ad Ephes. 1. sic exponit prædicta verba. *Sãctissimi Spiritus gratiam adepti estis*, & addit. *Illud autem, signati estis, simile est dicto prophetico: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, pro eo quod est veluti quoddam signaculum Spiritus, donum accepistis; illud autem vocat promissionem, quia promittit Dominus se missurũ gratiam Spiritus*. & eodem ferè modo exponit Theophyl. & Oecumen. & expressè Hiero. ad Ephes. 1. *Signaculum Dei est, vt quemodo primus homo cõditus est ad imaginem & similitudinem Dei, sic in secunda regeneratione quicũq; Spiritum sanctum fuerit consecutus, signetur ab eo, & figuram conditoris accipiat*, & similia repetit c. 4. Deniq; hæc est frequentior apud cæteros Patres, Ambros. Anselm. Haymo. atq; idẽ D. Tho. Solùm potest illi obijci, quia non viderur ratio, cur in articulo 1. exposuerit locum. 2. ad Corinth. de signatione per characterem, hîc verò non exponat locum ad Ephes. de eadem signatione; nam in vtroque loco fit mentio Spiritus, & character etiã, quatenus est donum gratuitum, potest Spiritui sancto attribui. Dico ergo, quanuis hæc expositio vera sit & sufficiens non esse tamen reijciendum, quin possint hęc testimonia exponi de charactere, nam ferè omnes dicunt, Paul. ibi loqui de signatione spirituali, quæ in Baptismo accipitur, per quam efficimur *grex Christi*, vt Chrysost. & Theodoret. expressè dixerunt, hæc autem consignatio, quanuis perfectè, & cõsummatè fiat per gratiam, tamen proximè fit per characterem, quo ita consignamur, vt etiam ablata gratia, ratione illius pertineamus ad gregem Christi & hoc etiam confirmat illa antithesis circuncisionis, quia illa imprimebat signum in corpore, Baptismus verò imprimit in anima.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum character sit in potentijs animæ sicut in subiecto.

4. dist. 4. q. 1. art. 1. quæst. 1. art. 3. q. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod character non sit in potẽtijs animæ sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est

est in essentia animæ, sicut in subiecto, vt in secũda parte dictum est. Ergo videtur, quod character sit in essentia animæ, non autem in potentijs.

1. 2. q. 110. art. 4.

¶ 2. Præterea, Potentia animæ non videtur esse subiectum alicuius nisi habitus, vel dispositionis. Sed character (vt dictum est) non est habitus, vel dispositio, sed magis potentia, cuius subiectum non est nisi essentia animæ. Ergo videtur, quòd character nõ sit sicut in subiecto, in potentia animæ, sed magis in essentia ipsius.

Art. 2. huius quæst.

¶ 3. Præterea, Potentiæ animæ rationalis distinguũtur per cognitiuas & appetitiuas. Sed non potest dici, quod character sit tantùm in potentia cognitiua, neque etiam tantùm in potentia appetitiua (quia non ordinatur, neq; ad cognoscendum tantùm, neque ad appetendum) similiter etiam non potest dici quod sit in vtraq; quia idem accidens non potest esse in diuersis subiectis. Ergo videtur quòd character non sit in potentia animæ sicut in subiecto, sed magis in essentia.

Art. præcedent. in arg. sed contra.

SED contra est, quod (sicut in præmissa definitione characteris continetur) character imprimitur animæ rationali secundum imaginem. Sed imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character in potentijs animæ existit.

Art. præcedent.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est) character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad susciendum, vel alijs tradendum ea quæ sunt diuini cultus. Diuinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animæ, sed in eius potentia.

AD primum ergo dicendum, quod subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius ad quod propinquè disponit, non autem secundũ rationem eius, ad quod disponit remotè vel indirectè. Character autem directè quidem & propinquè disponit animam ad ea, quæ sunt diuini cultus exequenda, & quia hæc idoneè non fiunt sine auxilio gratiæ (quia vt dicitur Ioann. 4. Eos qui adorant Deum, in spirito & veritate adorare oportet) ex consequenti diuina largitas recipientibus characterem, largitur gratiam, per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum, secundum rationẽ actuum ad diuinum cultum pertinentium, quàm secundum rationem gratiæ.

AD secundum dicendum, quod essentia animæ est subiectum potẽtiæ naturalis, quæ ex principijs essentiæ procedit. Talis autem potentia non est character, sed est quædam spiritualis potẽtia, ab extrinseco adueniens. Vnde sicut essentia animæ, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter viuit, ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim & dispositio pertinẽt ad potentiam animæ, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiæ sunt principia. Et rademtione omne quod ad actum ordinatur, esti potentiæ tribuendum.

AD tertium dicendum, quod (sicut dictum est) character ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus. Qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideò oportet, quod character sit in cognitiua potentia animæ, in qua est fides.

In cor. art.

COMMENTARIVS.

IN corpore articuli docet D. Thom. characterẽ esse in potentia animæ, quia ordinatur ad cultũ Dei, qui in actibus consistit, ad actus autem potentiæ proximè ordinantur, ergo etiam character erit proximè in potẽtijs. In solutione verò ad 3. explicat D. Thom. hanc potẽtiam, in qua character residet, esse intellectum, in quo est fides. Sed hæc doctrina D. Thom. magnam continet difficultatem, & ideo in sequenti disputatione latiùs discutienda est.

DISPVTATIO XI.

De natura, ac necessitate characteris.

IN præcedentibus disputationibus dictum est de effectibus gratiæ sanctificantis, qui sub aliqua ratione generales sunt, & communes omnibus sacramentis; sequitur, vt dicamus de quodam effectu, qui licèt sit proprius sacramentorum nouæ legis, non tamen est omnibus communis, qui dicitur character, de quo videndum est, an sit, & quid sit, & inde facilè constabit, quas proprietates, effectus, ac vtilitates habeat.

SECTIO II.

Quænam sacramenta characterem imprimant.

VT ab his, quæ sunt clariora, incipiamus, primum omnium certum sit, in sacramentis legis veteris & naturæ non fuisse aliquem spiritualem characterem animæ impressum. Ita docet D. Thom. hîc art. 1. ad 3. & cæteri Theologi, & colligitur ex Chrys. in verbis illis nuper citatis ex Homil. 2. in ad Ephes. *Obsignati sunt & Israelitæ, sed circuncisio-*

In sacramentis veteris legis nullus fuit spiritualis character.

Universidad de Deusto Biblioteca

circuncisione, quemadmodum pecudes. Vbi sentit, illud signaculum fuisse tantũ corporale & non spirituale. Ratio verò est, quia in illis sacramẽtis per se nullus spiritualis effectus conferebatur per modũ operis operati, vt suprà dictum est; &, si interdùm gratia dabatur, erat solùm ob necessitatem paruulorum, quibus non erat necessarius character, sicut nec adultis. Prętereà ratio sumi potest ex charactere, vt per illũ deputantur homines ad cultum Dei; nam in lege naturæ hic cultus non erat determinatus, etiam quoad cæremonias externas, sed arbitrio hominum determinabatur, & ideò nõ oportebat aliquo speciali charactere diuinitùs infuso designari homines ad huiusmodi cultum, sed per fidem vel caritatẽ satis determinabantur. In lege autem veteri, quãuis cultus esset determinatus quoad externas cæremonias, tamen nullam habebat spiritualem virtutem, & ideò non oportebat imprimi characterem spiritualẽ, nã ad deputandum illum populum ad vsum passiuum (vt sic dicam) sacramentorum illius legis, sufficiebat corporalis character circuncisionis, vt Chrys. dixit; ad vsum verò actiuum, qui conuenit sacerdotibus, sufficiebat externa consecratio præter carnalẽ originem ex Leui, per quam distinguebatur tota Leuitica tribus à reliquis; nã sicut in illis sacerdotibus non erat propriè potestas ad spirituales effectus, ita nec illis fuit necessarium spirituale signaculum. Solus Scot. 4.d.6.q.9. inter scholasticos docuit, per circuncisionem impressum fuisse characterem. Gab. ibi q.2.ar.3.dub.5. dicit, neutrum probari posse, tamen hoc ipsum satis esse deberet, vt nemo affirmaret, circuncisionem impressisse characterem; quia, cùm sit effectus supernaturalis, & nulla autoritate, vel satis probabili ratione ostendi possit, non est pro libito confingendus, præterquàm quòd ratio facta, & autoritas Chrysost. & D. Thom. satis contrariã partem persuadent.

Durãd. Scot.

Sacramenta nouæ legis nõ omnia characterẽ imprimũt.

Secundò statuendum est pro certo, non omnia sacramenta nouæ legis imprimere characterem: nam quatuor ex illis, scilicet Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, & Matrimonium, characterem non imprimunt. In hoc conueniunt omnes Theologi, & colligitur ex Concilijs Trid. & Florent. quia, licèt expressè non negent, hæc quatuor sacramẽta imprimere characterem, tamen, dum de tribus alijs affirmant, de alijs tacitè negant, maximè quia dicunt inde habere alia sacramenta, vt iterari non possint. Vnde sumitur à posteriori ratio, nam hæc quatuor sacramenta iterabilia sunt; ergo non imprimũt characterem. Prætereà, cùm character sit res supernaturalis, & valde occulta nobis, vbi non cogit sufficiens autoritas, aut euidens necessitas, ponẽdus non est. Quòd autem hæc quatuor sacramenta characterem imprimant nulla autoritas docet, necessitas nulla est, quia per ea non deputantur homines specialiter ad cultum Dei, sed tãtùm sunt ipsa quidem speciales actus diuini cultus ordinati ad speciales effectus, vt Pœnitentia ad remissionem actualium peccatorum, Eucharistia ad nutritionem caritatis, quæ hoc etiam habet speciale, quod non solùm nõ ordinatur ad alia sacramenta verùm potiùs cætera ad ipsam vt ad finẽ referũtur. Similiter Extrema vnctio instituta est ad iuuandum, & purificãdum hominem (vt sic dicam) in mortis periculo constitutum, vnde ordine executionis dici potest vltimum sacramentorum omniũ. Matrimonium denique ordinatur ad iuuandos homines in oneribus matrimonij, vnde non charactere indiget, sed gratia, & auxilio.

1. Obiectio.

Obijci verò potest, quia inter congruentias seu vtilitates characteris, quas Theologi afferũt, vna est, quia congruum est, vt sacramenta à nullo recipiantur, quin habeant in illo aliquem effectum, etiam si ipse obicem ponat: ergo oportet vt omnia efficiant characterẽ, quia cùm non conferant gratiam homini ponenti obicẽ, si nec characterem imprimerẽt, nullum effectum in eo haberent.

Secunda.

Altera coniectura est; quia oportet vt disponant subiectum ad recipiendam formam perfectam, qualis est gratia. Hæc autem duplex congruentia in prædictis quatuor sacramẽtis locum habet. Propter hanc rationem quidam Theologi antiqui dixerunt, hæc sacramenta, quanuis characterem nõ imprimãt, efficere tamen ornatum quendam, qui est dispositio ad gratiam.

Responsio.

Sed hæc sententia in superioribus reiecta est, quia nullum habet fundamentum, neq; in scriptura, nec in Patribus, nec explicare potest, quæ sit necessitas, vel ratio, aut finis fingendi huiusmodi ornatum. Nec illæ congruentiæ veræ sunt, nulla enim est necessitas, quòd omnia sacramenta conferant aliquid homini etiam ficto, nec gratia indiget alia dispositione præter eam, quæ in actibus hominis consistit, nec propter has causas ponitur character, vt iam dicemus.

Quæstio ergo superest de alijs tribus sacramentis: hæretici enim negant etiam per illa sacramenta imprimi characterem, ita tenuit Vvitcleph, vt refert Vvaldens. tom.2. de sacram. cap.109. & idem docẽt omnes hæretici huius temporis. Luther. Caluin. & alij. Scholastici verò quidam verbis admittunt characterem, re tamen negant, vt de Dur. videbimus sect. sequenti. Alij dubitare videntur, vt Scot. & Gab. suprà citati, quia vix inueniunt firmum fundamẽtum ad ponendum characterem. Alij deniq; murmurant esse rem nouam, vt Caieta. hic.

Quæ sacramenta characterem imprimant.

Dicendum verò est, hæc tria sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere in anima characterem. Est de fide definita sub his terminis in Concil. Trident. sessio.7. can. 9. de sacram. in genere. & in Concil. Florent. in decreto Eugenij, & de Baptismo idem docuit Innoc. 3. in cap. Maiores de Baptismo, & habetur etiam ex illo generali dogmate, Ecclesiam Romanam veram, & infallibilem doctrinam de sacramentis profiteri, vt traditur in cap. Ad abolendam de Hæreticis, & in Concil. Trid. sessio.7. can.3. de Baptismo. Sed Ecclesia Romana vniuersa conspirat in hac veritate, quòd prædicta sacramẽta imprimunt characterem; ergo est certa de fide, & credendum est, manasse ab apostolica traditione, per quã Romana Ecclesia in fide edocta est, nõ enim definit Ecclesia res notas per nouas reuelationes, sed quæ in scripturis, vel Apostolicis traditionibus continentur. Potest autẽ hęc veritas probari ex illis scripturæ locis 2. ad Cor. 1. ad Ephes. 1. & 4. quæ in cõmentarijs art.1. & 3. explicata reliquimus, nam licèt per se non cogant, tamen supposita traditione Ecclesiæ, & veritate characteris, verisimile est, Paulum vsum fuisse verbo signandi propter characterem, & in locis ad Ephes. videtur specialiter loqui de charactere Baptismi, vt vidimus, in loco verò ad Corinth. videtur specialiter loqui de sacramẽto Confirmationis, vt patet ex omnibus illis verbis: *Cõfirmauit nos Deus, vnxit, signauit & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Atq; ita exponit Ambros. li. De his qui initiãtur c.7. in fine, & aliqui ex expositoribus. De charactere verò Ordinis nullum inuenio

scripturæ locum, in quo satis insinuetur, nam illud 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est quæ data est tibi per prophetiam, per impositionem manus Presbyterij,* & 2. ad Tim. 1. *Vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum,* Hæc (inquã) loca sufficienter intelliguntur de gratia gratũ faciẽte.

De Baptismo.

Secundò probari potest hæc veritas ex modo loquendi Sancto. Patrum, nam in primis sæpè vocant Baptismum, *signaculum, & sigillum,* quia hominẽ cõsignat & quasi sigillat per characterem: sic loquitur Basil. lib. de Spiritu sancto. cap.12. vbi dicit, quod Baptisma consignat pactum nostrum, & homil. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum agens de non baptizatis. *Charactere* (inquit) *sacro carentibus, os, aciemq; intentat,* scilicet, diuinus gladius, & infrà. *Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonã modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit quomodo* (inquã) *dices, Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator præterijt? thesauras non obsignatus furibus facilè patebit. Ouis item absq; nota insidijs protinus est obnoxia,* & Naziã. Orat. 40. in sanctũ Baptisma dicit. Baptismũ esse lauacrum quia abluit, sigillum verò, quia est significatio & conseruatio dominationis. & Cyril. Hyerosl. in præfatione Catechesi. vocat Baptismum, *Vestimentum candidum, & signaculum sanctum, & indelebile.* Vtrũq; autem causaliter est intelligendum, quia & confert indumentum gratiæ, & signaculum Characteris. Vnde Catechesi. 3. in principio sic loquitur ad Catechumenos, *Spiritus sanctus obsignabit animas vestras, deligendi estis in militiam magno regi, itaq; parate vos, & instructi estote,* & Catechesi. 4. capite de Spiritu sancto, *Spiritus sanctus* (inquit) *tempore Baptismi animam tuam obsignat,* & Catechesi. 16. non longè à fine loquens de Spiritu sancto, *Hic* (ait) *ad hodiernam vsq; diem obsignat animas in Baptismo.* Sic etiam Epiphan. hæres. 8. post medium, & hæres. 20. circa finem. dicit Baptismum *circuncidere nos à peccatis, & consignare nos in nomẽ Dei,* Damasc. li.4. c.10. *Per Baptismũ* (inquit) *regeneratio, signaculum, præsidium & illuminatio nobis efficitur.*

De ordine.

Prætereà ex Latinis, Aug. multis in locis characterem nominat, Epist. 23. post medium, & 50. circa finem inquit. *Non facio iniuriam characteri imperatoris, cùm errorem corrigo desertoris.* Idem lib.2. contra liter. Petilia. ca. 13. comparat characterem cum militari signo. Idem in eodem libro cap. vlti. & lib.1. cont. Cresconi. ca. 3. & lib.2. contra Gaud. c.4. vbi vocat *regium characterem.* lib.6. de Baptismo capit. 1. vocat *Dominicum characterem,* tract. 5. & 6. in Ioan. *Si baptizatus* (inquit) *caritatem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Prætereà dict. lib.2. cõt. Lit. Petilia. cap.13. & inferm. de Gestis cum Emerit. pręter characterem Baptismi facit mentionem characteris Ordinis; & hac ratione lib. de bono coniugali ca.24. dicit, sacramentũ Ordinationis manere, etiam si quis ob culpam ab officio remoueatur, Optima etiam sunt de hoc charactere verba Greg. Nisse. lib. de Baptis. non longè à principio, *Sacerdos post consecrationem, quod ad externam speciem attinet, idem est, qui antea, inuisibili tamen quadam vi ac gratia inuisibilem animam transformatam gerit in melius.*

De confirmatione.

Deniq; de charactere Cõfirmationis afferri potest Cypria. in sermone de ablutione ped. vbi Confirmationem æquiparat Baptismo, in hoc, quòd est sacramentum æque initerabile, ratum, ac firmum. Sic etiam Aug. lib. 2. contra Lit. Peti. c.104. dicit, *Sacramentũ Chrismatis semel datum permanere etiam in pessimis,* quod necesse est intelligi ratione alicuius effectus, alioqui etiam sacramentum Extremæ Vnctionis semel datum potest dici manere etiam in pessimis. Prætereà Hierony. circa illa verba 2. ad Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus* (ait) *Spiritu sancto vel chrismate. Et qui signauit nos, Illud* (inquit) *signatur, quod aliquid intrinsecùs cõtinet pretiosum,* Cyril. deniq; Hierosl. cùm in dicta Catechesi. 3. dicit. *Spiritus sanctus obsignabit animas vestras, deligẽdi estis in militiam mano regis,* in priori particula videtur intelligere characterem Baptismi, in posteriori verò sacramentum Confirmationis. Quoniam verò hæc omnia testimonia non videntur cogere, ideò Scot. d.q.9. dicit facilè exponi posse, ipsum met sacramentum Baptismi; verbi gratia, esse characterem, & ideò concludit, sola ecclesiæ autoritate nos cogi ad ponendum characterem. Sed quanuis verum sit, Ecclesiæ autoritatem habere præcipuas partes in hoc negotio, tamen ea supposita intelligimus, mentem sanctorum fuisse in eadem significatione de charactere loqui, & sine dubio multa ex dictis sanctorum meliùs prædicto modo intelliguntur.

Tertiò, ratio huius veritatis à priori est institutio & voluntas Christi, qui potuit hãc vim tribuere his sacramentis. Congruentia verò, seu moralis necessitas, sola illa adduci potest, quam D. Thom. art.1. exposuit, quæ sigillatim his tribus sacramentis in hũc modum applicanda est. Primò enim per Baptismum ita deputatur homo, & consecratur ad cultum Dei, vt fiat membrum Ecclesiæ Christi; & distinguatur ab illis qui nullo modo sunt Christo coniuncti, ergo oportet aliquo speciali signo Christi consignari, & hunc vocamus characterem. Dices, sufficere fidẽ per Baptismum infusam, nam illa etiam dici potest signum consignans Christi membrum, & distinguẽs ab infidelibus, sic enim Psalm. 4. dicitur, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vnde Ambros. lib. de his qui initiantur capit. 7. tractans illud Cant. 8. *Pone me vt signaculum in corde tuo, vt signaculũ* (inquit) *quo fides tua plena fulgeat sacramento,* & clariùs Dionys. de Eccles. Hierar. cap.2. par.3. dicit, *accedenti ad Baptismum Deum lumen suum perinde atq; signum aliquod tradere, sanctum efficiendo & sanctorum participem.* Respondetur tamen, fidem non posse habere perfectam rationem huiusmodi signi; tum, quia interdùm baptizatus non accipit fidem, & tamẽ manet sigillatus signo Christi; tũ etiã, quia licèt priùs fidem accipiat, & posteà amittat, signum tamen Christi retinet: tum denique, quia character baptismalis non est qualecunque signum, sed quo fit homo capax aliorum sacramentorum Christi: fides autem nõ est huiusmodi signum, catechumenus enim fidem habet, & tamen nondùm est capax sacramentorum Christi, donec baptizatus sit, propter quod Concil. Florent. vocat Baptismum, *ianuam sacramentorum,* nemo enim potest Confirmari, nisi priùs fidẽ in Baptismo sit professus, quomodo enim dignabitur miles Christi, qui nondùm est Christo consignatus per Baptismum? vt ait Clemẽs Papa in Epist. 4. post medium. Et eadem est ratio de sacramento Ordinis, vt constat ex capit. si quis. & capit. veniens de presbytero non baptizato, quia non est aptus vt cõsignetur in principale membrum & pastorem Ecclesiæ, qui nondùm est in membrum Ecclesię designatus. Et simile est de Eucharistia, non enim aptus est vt nutriatur, qui nondùm est genitus, quod significatum fuit, vt scribit Basil. homil. 13. in Israelitico populo, qui neque aquam de petra bibere, nec cœle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stem panem manducare valuit, donec marè pertransijt, sic etiâ inquit. *Nec tibi aliquis veram positionē nisi verè baptizato præbebit: quomodo enim tu vivuentem comedes panem, nisi sumpto prius hoc sacramento?* Atque hæc ratio facilè eadem proportione procedit in characte re Ordinis, nam per illū singulari modo deputatur homo in cultum Dei, & distinguitur à cæteris Eccle siæ mēbris, tanquam proprius ministerChristi participans speciali modo sacerdotium eius; & potestatē accipiens ad sacramenta diuina ministranda ex officio: ergo valde conueniens est, vt speciali quadam nota ac signo consecretur, qui sic ordinatur. De Cōfirmatione verò non videtur æquè procedere hæc ratio; quia per illam non videtur dari potestas ad recipiendum vel dandum aliquid, sicut in prædictis duobus sacrament is. Nihilominùs dicendum est, characterem confirmationis dari, tanquam signum militare, nam in sacramento Confirmationis constituitur homo, veluti Christi miles ex officio destinatus ad profitendam publicè Christi fidem, & pugnandū pro illa; & ideò speciali Christi characterе insignitur: legatur Sco. in 4. dist. 6. q. 10. §. sed restāt duo dubia; vbi totam hanc rationem, & sufficientiam triplicis characteris egregiè declarat. Accedit quòd propter hanc causam hoc sacramentum iterari nō potest, sicut neque Baptismus, neque Ordo, quod est signū characteris impressi: nam hinc habent hæc sacramenta quod iterari nō possint, vt Concil. Trid. expressè dixit. Neq; obstat, quod Gabr. & alij scholastici obijciunt; quòd diuina institutio posset esse sufficiens sine characterе, vt hæc sacramēta iterari non possint, sicut consecratio Ecclesiæ vel calicis iterari non potest, quanuis nullam qualitatem intrinsecam imprimat. Hæc enim ratio solùm ostendit, characterē non fuisse necessarium de potentia absoluta ad hunc effectum, quod nos fatemur; fieri enim possent omnia suprà dicta per extrinsecam denominationē, & moralem habitudinem vel deputationem, tamen non est dubium, quin perfectiori modo fiant per internū spirituale signum, quod & ad ornamentum animæ, & ad perfectam consecrationem conferre potest. Hanc ergo perfectionem voluit Christus suis cultoribus conferre.

Sed dubitabit aliquis, an hæc tria sacramenta principaliùs sint instituta propter hunc effectum characteris, vel propter effectum gratiæ; nam D. Thom. hic ar. 1. ad ù. indicat primario esse propter characterē, qui directè ordinatur ad ea exequenda, quæ sunt diuini cultus, sed quia hæc (inquit) idoneè non fiūt sine auxilio gratiæ, ex consequenti diuina largitas recipientibus characterem largitur gratiam per quā dignè impleant ea ad quæ deputantur. Verum est, Diuum Thom. eo loco non loqui de sacramento; sed de characterе, & solùm docere characterem non esse dispositionem ad gratiam, sed esse facultatē operandi, cui adiungitur gratia, vt operatio conuenienter fiat. Vnde Soto dist. 1. q. 4. art. 4. generaliter dicit omnia sacramenta principaliùs ordinari ad dandam gratiam, quàm characterem, quia principaliùs instituta sunt vt medicinæ peccatorum, quod faciunt infundendo gratiam; quanquam in his sacramentis, quæ characterem imprimunt, ex consequenti ordinetur gratia per diuinam prouidentiam ad bonum vsum ipsius characteris. Vnde vlteriùs addit, ea sacramenta quæ characterem imprimunt, si subiectum non ponat obicem, priùs natura dare gratiam, quàm characterem; quia character consequitur fidem; est enim signum sanctæ cōmunionis fidei; fides autem per se loquendo consequitur gratiam, ad quam comparatur, vt potentia ad essentiam; licet ex accidenti contingat dari fidem mortuam sine gratia. Mihi tamen sub distinctione videtur dicendum in primis, Baptismum principalius esse institutum propter gratiam gratum facientem, scilicet ad spiritualem regenerationem, & remissionem peccati originalis, consequenter verò illi datum esse, vt sit ianua ad ingrediendum Christi Ecclesiam, & participāda alia eius sacramenta, & propterea datam esse illi virtutem ad imprimendum characterem. Atque simili ratione Confirmatio, quæ est veluti complementum Baptismi, instituta primariò est ad conferendam plenitudinē Spiritus sancti, & abundantiora auxilia, quibus homo constantior fiat ad confitendam fidem, consequenter vero datum est illi vt characterem imprimat, quo milites Christi designantur. At verò in sacramento Ordinis è conuerso dicendum videtur, per se primò esse institutum ad dandum spiritualem potestatem ordinis, quæ datur per impressionē characteris, gratiā verò dari in illo sacramento ad dignè exercendos actus illius potestatis, nam licèt gratia secundùm se perfectior sit, tamen in hoc sacramento datur propter officium seu ministerium sacerdotale. Neque est generaliter verum, quod Soto dicit, sacramenta esse instituta, vt sint medicinæ peccatorum, si sermo sit de effectu, ad quem proximè instituitur vnumquodque sacramentum, quod apertiùs quàm in alijs constat in sacramento Ordinis; proximè enim non ordinatur ad remittenda peccata eorum quibus confertur, sed ad constituendos illos ministros sacramentorum: & quia per hos ministros remittuntur peccata, ideò mediatè & remotè ordinatur hoc sacramentum ad medicinam peccatorū. Igitur proximus finis & effectus eius non est dare gratiam remittentem peccata, sed propriam formam cōstituentem sacerdotem, vel ministrum diuini cultus, quæ est character, cui coniungitur gratia proter bonum vsum eius. Vnde quod Soto ait, in his sacramentis priùs natura dari gratiam quàm characterem, mihi non probatur quia physicè nullus est ordo causalitatis inter has duas qualitates, nulla enim ratione aut fundamento fingi potest, quandoquidem ex natura sua vna ab altera nullo modo pendet; manet enim character sine gratia, & gratia optimo & cōnaturali modo esse potest sine characterе. Loquēdo autem moraliter, priùs natura datur character, quā gratia sacramentalis, quia talis gratia characterem requirit, & non è contrario, nemini enim datur gratia per hæc sacramenta, cui nō detur character; multis autē datur character, quibus non datur gratia. Itē inductione explicari potest: quia cum in sacramēto Ordinis gratia sacramentalis detur ad bonū vsum actiuū diuini cultus, talis gratia supponit potestatē & facultatē ad efficiendos actus huiusmodi cultus. Et similis ratio fieri potest de Cōfirmatione: priùs est enim, aliquem consignari in militem, quàm illi dari auxilia, & arma ad militandum necessaria, & ideò licet ordine intentionis (vt sic dicam) prior sit in hoc sacramento gratia, quàm character; tamen ordine executionis prior natura est impressio characteris, quàm collatio gratiæ. Atque eodem modo philosophari possumus in Baptismo, in quo est specialis ratio, quia est ianua ad sacramenta, & ideò sicut character eius est potentia ad alia sacramēta, ita etiā est veluti potētia ad gratiam sacramentalē ipsiusmet Baptismi; & ita est quodammodò prior. Tandem eodem modo philosophandum est de fide & characterе, in nullo enim genere causæ character consequitur fidem, est enim omnino independens ab illa, nam sine illa conseruari, & imprimi potest, vt verò vtrumque fieri potest per sacramentum, moraliter priùs natura fit character propter easdem rationes, quas de gratia fecimus. Neque obstat definitio characteris, tum, quia non est adeò recepta, tum maximè, quia ex illa solū colligitur, fidei professionem, & significationem ordine intentionis esse priorem characterе, qui in hunc finem datur, non verò, quòd in executione & effectione ordine naturæ præcedat fides, & ex illa consequatur character.

SECTIO II.

Vtrùm character sit qualitas supernaturalis ab anima & potentijs eius distincta.

VAriæ sunt Theologorum opiniones. Prima est Duran. in 4. d. 4. q. 1. qui sentit, characterem solùm esse relationem rationis, seu denominationem extrinsecam, per quam ex institutione diuina deputatur aliquis ad sacras actiones. Fūdamētum eius est, quia hoc sufficit ad quemcunque finem characteris, & facilè intelligitur absque obscuritate, alia verò omnia sunt obscurissima, & difficiliora reddunt mysteria fidei. Hæc verò sententia Durand. potuit forsasse suo tempore sine hæresi sustineri, quanquam non sine temeritate, cùm non solùm esset contra cæteros Theologos, sed etiam contra Innocent. 3. in cap. maiores. de Baptism. vbi ita concludit. *Tūc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.* Nunc verò non potest hæc opinio ab errore in fide vindicari propter definitiones Conc. Flor. & Trid. quæ docēt characterem esse spirituale signū animæ impressum, quæ non possunt vllo modo conuenire relationi rationis, aut denominationi extrinsecæ, quia hæc nec sunt aliquid spirituale, neque animæ inhærent, nec imprimuntur: nam hoc apertè significat actionē realem, quam Innoc. vocauit *sacramentalem operationem*. Dicendum ergo est sine dubio characterem esse reāliquam verè ac realiter existentem & intrinsecè in anima inhærentem. Quod confirmatur contra Durand. quia aliàs non magis imprimeret characterem sacramentum Ordinis in lege noua, quàm sacerdotalis cōsecratio in lege veteri, quia etiam ibi fiebat deputatio extrinseca, & consequenter significatio aliqua, & relatio rationis, & simili ratione non magis imprimeretur character homini, cū ordinatur, quam calici cum consecratur, quæ omnia, & similia quæ facilè inferri possunt, manifestè pugnant cum doctrina Catholica in præcedenti sectione tractata. Denique hæc Durandi sententia nihil in re differt à sententia hæreticorum, quam Concilia voluerunt directè damnare. Fundamentum verò Duran. valde friuolū est, quia non semper quæ videntur nobis clariora, sunt veriora, præsertim in rebus fidei, sed quæ sunt magis consentanea Ecclesiasticæ doctrinæ & traditioni, eò vel maximè, quòd in hac doctrina de characterе non est tanta obscuritas aut difficultas. Quis enim dubitet, potuisse Deum hoc reale ac spirituale signum animæ imprimere? aut cur difficile creditu est, id fecisse, non propter necessitatem simpliciter, sed propter maiorem perfectionem.

Characterem non esse relationem probatur primò,

Secunda ergo opinio est characterem quidem esse aliquid reale, non tamen absolutum quid, sed solū relationem. In hanc opinionem inclinat Scotus in 4. d. 6. q. 10. Fundamentum esse potest, quia cùm character solùm sit quoddam signum, vt Concilia dicunt, constituitur in genere relationis, ergo & in specie relationis, nam genus relatiuum non potest contrahi per differentiam absolutam. Deinde hæc ratio relatiua sufficit ad illa omnia, ad quæ ponitur character, & hac occasione latè ibi digreditur Scotus, vt probet dari relationes reales extrinsecùs aduenientes, quæ per se primò fieri possint per actionem agentis. Hæc verò sententia Scoti mihi non probatur, cōseo enim characterem non posse esse relationem realem. Primò, quia est terminus propriæ actionis realis, quæ per se primò ad talem terminum tendit: non enim consequitur character positionem fundamenti, vel termini, vt patet præcipuè, quia potest solus imprimi per sacramentum sine gratia vel alia qualitate, sed nulla relatio realis potest esse huiusmodi naturæ, vt per se primò fiat per actionem, vt latè probat Cajet. hic contra Scot. & Capreolus in 4. d. 4. q. 1. ar. 3. ad argumenta contra primam conclusionem, sed id prætermitto, quia philosophicum est. Secundò illa relatio nullum posset habere fundamentum, sed sine fundamento intelligi non potest: ergo. Maior cōstat, quia nec gratia, nec fides, nec quid aliud animæ infusum potest esse talis relationis fundamentum, quia, ablatis omnibus illis, potest manere character, nec verò sola anima, alioqui posito aliquo termino resultaret ex ipsa anima talis relatio, esset ergo intrinseca, & connaturalis illi suppositæ existentiæ talis termini. Respondet Scotus, hanc relationē fundari in sola anima, nō tamē resultare ex illa, quia non est intrinsecùs, sed extrinsecùs aduenit. Et dēde, hoc in re nihil aliud est, quàm dicere, hanc relationem nullum habere fundamentum, quod consequatur, sed tantùm subiectū, in quo recipiatur. Tertiò, si character est relatio, inquiro in primis, qualis relatio sit. Dicetur fortasse esse relationē signi. Sed contra, quia si esset relatio signi realis, oporteret esse signum naturale, & non ad placitum, nam signa ad placitum significant tantùm ex impositione, atque adeò per denominationem extrinsecam, vnde non potest esse relatio realis sed rationis, vt suprà dictum est de sacramentis: relatio autem signi naturalis semper fundatur, aut in ratione effectus seu causæ, quomodo fumus significat ignem, aut in aliqua naturali vnitate, seu similitudine. Vnde hæc relatio signi naturalis siue sit distincta à relatione effectus, siue non, semper tamen supponit naturam aliquam seu entitatem factam, dependentem, seu habentem connexionem aut vnitatem cum alia, quàm significat, quæ entitas semper est absoluta fundans in se relationem. Rursus inquiro, ad quem dicat habitudinē hæc relatio, quæ est character. Aut enim respicit Deum, tanquam terminum, & hoc non, quia explicari non potest, sub qua ratione illum respiciat: non enim sub ratione causæ, quia hæc relatio communis est omni effectui diuino; oportet autem hic explicare aliquā ratio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationē relationis. Vel sub ratione similitudinis per aliquam participationem diuinæ perfectionis, & hoc non: quia talis relatio supponit naturam aliquam & vnitatem in qua fundetur: alioquin dici posset, gratiam etiam esse quandam relationem, quia est participatio quædam diuinæ naturæ, & potest ad illam referri iuxta hanc sententiam aliqua relatione similitudinis. Aut hæc relatio characteris dicit habitudinem ad Christum, vt ad terminum, & redeunt eadem argumenta, quia non potest intelligi, nisi per modum alicuius effectus, aut similitudinis, seu conformitatis cum Christo, huiusmodi autem relatio maximè requirit formā absolutam, in qua fundetur, nam si anima priùs non habebat perfectionem aliquam, ratione cuius esset conformis Christo, quomodò potest intelligi, vt manens immutata in omnibus absolutis & sine additione alicuius perfectionis, recipiat realē relationem similitudinis? Aut denique hæc relatio respicit vt terminum futuros actus diuini cultus, verbi gratia sacramenta recipienda, vel conferenda. Et tunc vlteriùs interrogo quomodo illa respiciat: aut enim per modum potentiæ realis, & ita non erit relatio, sed qualitas, aut per modum signi, & redeunt argumenta facta. Ac præterea, illa nō erit relatio realis, sed rationis, cùm non respiciat terminum realem existentem, neque ab illo pendeat. Quin potiùs intelligi non potest, quid ex natura rei significet hoc signum. Neque enim significat, futura esse talia sacramenta, vt per se constat, quia fieri potest, vt nunquā sint. Nec significat, hunc hominem esse capacem sacramentorum, quia sicut sacramenta pendent ex institutione, ita quòd homo affectus tali entitate sit capax illorum & non alio modo, pendet ex institutione & non ex sola rei natura. Igitur hæc significatio characteris non est solùm ex natura rei, sed ex impositione: ergo non potest tota realis essentia huius entitatis in hac relatione signi consistere, nullo ergo modo intelligi potest, quòd character sit pura relatio realis.

Ad fundamentum Scoti.

Ad fundamentum ergo Scoti respondetur, vocē, *signi*, dupliciter accipi posse: Primò, pro ipsa relatione signi: Secundò, pro forma vel figura, quæ alicui imprimitur, vt ex impositione significet: quomodo in circumcisione cicatrix illa, quam imprimebat, dicitur signum & sigillum, & aliæ similes figuræ, signa vocantur, licēt in se sint res absolutæ. Ad hunc ergo modum dicunt Concilia characterem esse signum, quia est forma realis animæ impressa, qua consignatur intrinsecè, ac deputatur ad aliquos actus diuini cultus; quæ forma ex diuina impositione habet, vt significet eum, cui imprimitur, esse aptum ad recipiendum, vel efficiendum huiusmodi actus, quæ impositio non potest intelligi fundata in aliqua re permanente in anima, nisi præintelligatur aliqua forma absoluta illi impressa, & ideò negatur solam relationē sufficere ad omnia propter quæ ponitur character.

3. Sententia.

Tertia sententia est, characterem esse aliquid absolutum, non tamen esse rem ab anima & potētijs eius realiter distinctam, sed fortasse aliquem modū eius, Soto in 4. d. 1. q. 4. art. 2. dicit, hanc sententiam esse valdè probabilem, dummodò non negetur, characterem imprimi animæ, & formaliter ab illa distingui, atq; adeò in genere qualitatis constitui: & fundamentum est, quia hæc distinctio sufficit ad omnia saluanda, quæ de charactere dicuntur. Sed hæc sententia mihi etiam non probatur, sed dicendum existimo, characterem esse rem distinctam realiter ab anima,

A & potentijs eius, illique imprimi, non vt modum habentem eādem realem entitatem cum anima, sed vt nouam formam omnino realiter distinctam. Primò quidem, quia intelligi non potest quis modus huius naturæ possit in anima fieri, aut qua ratione immutari possit hoc modo, & consignari anima sine additione nouæ qualitatis, & realitatis. Præsertim, cùm manifestum sit, hanc impressionem characteris, non cōsistere in mutatione aliqua locali, neque in habitudine, aut relatione, vt est ostensum. Secundò, quia character est supernaturalis forma, & accidentalis, quæ in anima fit per propriam actionem diuinam, ergo est noua forma realiter ab anima distincta, non enim efficaciori ratione concludi potest, gratiam, vel caritatem esse res distinctas ab anima, & potentijs eius, quia etiam character est res absoluta, & non est vnio ad aliam rem neque aliquid huiusmodi. Tertiò tandem, quia posita huiusmodi forma, & distinctione

B eius ab anima facillimè & propriissimè intelliguntur omnia, quæ de charactere scribuntur à sanctis, & Cōciliis; sed in hac distinctione affirmanda nulla est specialis difficultas, neque est superfluum, quod animæ imprimatur huiusmodi entitas; sed ad perfectionem, & decorem eius pertinet vt suprà dictum est: non est ergo cur hoc in dubium reuocetur, atque ita tandem Soto in hanc descendit sententiam.

Character qualitas naturalis realiter distincta.

Ex dictis ergo omnibus concluditur, characterē esse qualitatem supernaturalem realiter ab anima distinctam eique diuinitus infusam. Hoc sufficienter patet ex dictis à sufficienti partium diuisione, quia est res supernaturalis animæ infusa & nō est relatio, vt ostensum est, & non est substantia, neque aliquod ex cæteris prædicamentis, superest ergo, vt sit qualitas, vt in commentario art. 2. declarauimus. Inquirendum ergo restat quæ qualitas sit.

C

SECTIO III.

In qua specie qualitatis sit character.

1. Sententia negat esse aliquam qualitatem.

PRima sententia est, proprie & directè in nulla esse, sed solùm reductiuè. Ita sentit D. Thom. hic art. 2. & probabile iudicat Richard. in 4. d. 5. art. 2. q. 1. ad 3. diuer. 3 tamen modo. D. Th. enim fundatur in hoc, quòd character est per modum potētiæ, seu virtutis instrumentalis, quam ipse dicit nō poni per se sub genere sed reductiuè tantū. Richard verò fundatur in hoc, quòd qualitates supernaturales non conueniunt in genere aut prædicamento cū qualitatibus naturalibus: atque ita de gratia & alijs

D habitibus infusis negat directè cōstitui in aliqua specie qualitatis, sed reduci ad illam, vel potiùs per se constituere suum genus illi simile, atque eodem modo dicit, characterē directè, tantùm constitui sub genere supernaturalis qualitatis, & per quandā proportionē vel similitudinē posse ad tres species qualitatis reduci, scilicet, ad potentiā dispositionem, & figuram, de quo postea dicemus. Ego verò falsum existimo, qualitates naturales & supernaturales non conuenire vniuocè in genere qualitatis: quid enim obstat, quominus ab omnibus abstrahi possit vna ratio communis, quæ simpliciter omnibus conueniat, cùm in modo afficiendi animam, similitudinem & vnitatem habeant, & nullam inter se dicant habitudinem, in qua possit aliqua analogia fundari? Item, quis neget, actum fidei, vel caritatis, esse proprie & vniuo-

vniuoce actum intellectus, vel voluntatis? ergo nec de habitibus infusis negari potest, quin sint simpliciter habitus, vel virtutes: ergo & ratio qualitatis illis conuenit. Nam, quòd qualitas sit supernaturalis, non est conditio diminuens, sed perficiens potiùs, & eleuans genus qualitatis ad nobiliorem ordinem, non tamen ita eleuat, vt constituat analogiam; quia qualitates naturales non dicunt habitudinem ad supernaturales, nec dicuntur qualitates propter aliquā proportionem cum illis. Ex quo infero primò negari non posse, quin character sit simpliciter & vniuocè qualitas, quia est supernaturalis qualitas nobilior, quàm naturales qualitates, & altioris ordinis, ergo, si ad illas comparetur, est vniuocè & simpliciter qualitas maiori ratione, quàm omnes illæ. Si verò comparetur ad alias qualitates supernaturales, non est cur

B dicenda sit qualitas secundùm quid, vel analogicè, quia simpliciter afficit, ac perficit animam, & est qualitas permanens, imò & perpetua, vt infrà dicemus; & non constituitur in suo esse per habitudinem ad aliquā aliā qualitatē, vt euidēcius etiā ex sequentibus constabit. Imò, etiam si concedamus dicere aliquam habitudinem transcendentalem, illa erit habitudo principij, vel potentiæ, aut virtutis instrumentalis, quæ habitudo non sufficit ad constituendam analogiam sub communi genere, neq; impedit, quominùs propria ratio qualitatis alicui conueniat, vt patet in omnibus qualitatibus naturalibus quæ sunt instrumenta substantiæ ad agendum: potest enim forma aliqua accidentalis, quæ secundum esse suum absolutè, & propriè afficit subiectum in ratione principij actiui, habere vim agendi tantùm per modum instrumenti, atque ita priori ratione, & secundùm esse suum erit vera, ac propria qualitas. Vnde infero secundò, necessarium esse, vt character directè, ac propriè constituatur sub aliquo genere subalterno, & in aliqua specie vltima qualitatis, quia fieri non potest, vt aliqua res sit directè sub supremo genere, nisi mediantibus generibus subalternis, & speciebus adæquatè diuidentibus illud genus.

Secunda sententia constituit characterem in quarta specie qualitatis.

Secunda sententia collocat characterem in quarta specie qualitatis, quæ est figura, quia per characterē fit in anima quædā spiritualis configuratio. Ita Marsilius in 4. q. 4. artic. 1. cōcl. 7. & ex parte consentit Richard. loco supra citato. D. Thom. hic artic. 2. ad. 1. meritò hanc sententiam reijcit, nam figura propriè dicta & non per metaphoram, nō reperitur in rebus spiritualibus, cùm sit proprietas quantitatis resultās ex terminis eius, character autem est qualitas spiri-

D tualis quæ solum metaphoricè dicitur configurare nos Christo, quia in rebus sensibilibus vti solemus figuris impressis, tanquam signis, quibus res distinguamus seu sigillemus, vnde quoniā character est qualitas impressa ad huiusmodi proportionalem significationem, ideò per metaphoram & analogiam dicitur configurare nos Christo, vnde non fit, ipsum esse in specie figuræ, quia res nō constituitur in esse per denominationes metaphoricas, sed per proprias rationes formales, aliàs, quia virtus dicitur facere hominem rectum, constituenda esset in specie lineæ, vel figuræ, ad quam rectitudo spectat.

3. Sententia dicit esse potentiam.

Tertia sententia est D. Thomæ hic articul. 2. characterem constitui in secunda specie qualitatis, essque potentiam supernaturalem, vel passiuam, vel actiuam, qua homo aptus redditur ad opera diuini cultus præstanda. Quā opinionem defendūt Caiet. Soto, & alij Thomistæ, & Scotus distinctione 6.

A quæst. 10. dicit, hanc sententiam non posse satis improbari, & simul addit, posse simul habere rationem potentiæ, & habitus supernaturalis operatiui. Mihi tamen hæc sententia visa semper est difficillima, & ideò discurrendo per singulos characteres ostendum difficultatem eius. Suppono autem, dupliciter posse nos loqui de potentia. Primò, physicè, quomodo intellectus vel calor sunt potentiæ ad suas actiones. Secundò, tantùm moraliter, quomodo potestas iurisdictionis, vocatur potentia: & sceptrum seu virga regia potest vocari potentia moralis, si per traditionē eius detur potestas dominandi vel regendi.

Characterē baptismalem nō esse potentiā physicā ostenditur.

Primò ergo, tractando de charactere baptismali, non potest verè dici, quòd sit potentia physicè ac propriè receptiua alicuius actus pertinentis ad cultū

B Dei, quòd autem non sit actiua omnes concedunt, quia illud sacramentum non dat potestatem ad agēdum, sed ad recipiendum. Maior patet, nam potētia physicè receptiua est, quæ recipit actum & per illū actuatur, character autē Baptismi non ordinatur ad recipiendum hoc modo aliquem actum supernaturalem, ergo non est potentia passiua physicè propria. Maior constat ex definitione potentiæ passiuæ. Minor probatur, quia character Baptismi vel comparatur ad alia sacramenta, vel ad effectum gratiæ, qui per illa datur, neutro autem modo habet prædictam rationem physicam potentiæ passiuæ. Et primò, non respectu sacramentorum, in primis quia sacramenta non recipiuntur in anima, sed in corpore, imò interdùm non propriè recipiuntur per passionem physi-

C cam, sed recipi dicuntur, vel quia proferuntur, vt de se audiri possint, vel quia localiter coniunguntur, seu tanguntur, hæc autem fiunt circa corpus per naturales qualitates eius, neque est necessaria ad hæc omnia aliqua alia potentia physica supernaturalis. Secundò, quia si consideretur character tanquam conditio necessaria vt sacramentum constituatur in esse sacramenti, re vera non requiritur propter aliquam rem physicam, quæ quidem addenda sit ipsi sacramēto, & recipienda in homine, qui recipit sacramentū, ergo ex hoc capite non potest character requiri, vt porentia physica receptiua. Antecedens declaratur nam, verbi gratia, Matrimonium contractum inter homines non baptizatos, eisdem verbis vel signis fit quibus inter baptizatos, neque aliquid physicum ex parte ipsius signi externi reperitur magis in vno cōtractu, quàm in alio, & tamen in hominibus baptizatis est sacramentum, & non in alijs, solùm propter moralem rationem & significationem adiunctam vni, & non alteri. Secundò, quod character baptismalis non habeat propriam ac physicam rationem potētiæ passiuæ respectu effectuum aliorum sacramento-

Anima, vt sit receptiua gratiæ, non indiget aliquo alio se.

rum, facilè probari potest, quia ille effectus, aut est gratia habitualis, aut sacramentalis, aut character in sacramentis Confirmationis & Ordinis. Primò ergo gratia habitualis immediatè recipitur in ipsa anima, quæ per seipsam est capax gratiæ, & per potentias suas est capax virtutum & donorum, quæ gratiam consequuntur, quod tam est per se notum, vt non indigeat probatione, nam ante institutionem Baptismi recipiebator gratia in anima, nulla alia mediante potentia receptiua, & nunc etiam catechumenus recipit gratiam & virtutes ante characterem, & baptismus postea adueniens confert effectum gratiæ augēdo gratiam præexistentem in eodem subiecto, & potentia, in qua antea erat. Præterea quia si character esset hoc modo potentia passiua respectu gratiæ, opor-

oporteret priùs natura atque immediatiùs recipi in essentia animæ, quàm ipsam gratiam, quod tamen D. Thom. non admittit, atque eadem ratione posset fingi alius character in voluntate, vt esset potentia receptiua caritatis. Denique, si gratia quia est forma supernaturalis, requireret in anima potentiam receptiuam ab anima distinctam, cùm character sit forma supernaturalis, non posset immediatè recipi in anima, sed aliam potentiã receptiuam requireret, & ita procederetur in infinitum.

Respõderi ad hæc omnia potest, characterem vocari potentiam passiuam, non quia sit propriè receptiua gratiæ, vel alicuius actus, quo informetur, sed quia disponit hominem ad alia sacramenta recipienda & effectus eorum, dispositio enim reducitur ad causam materialem, & hac ratione vocari potest potentia passiua. Sed in primis, si verum esset characterem esse dispositionem, directè & propriè constitueretur in prima, vel tertia specie qualitatis, vnde non esset reducendus ad secundam. Deinde suprà ostendimus, & argumentis etiam factis ostẽdi potest, characterem non esse dispositionem physicam ex natura rei habentem connexionem cum gratia, sed solũ ex ordinatione diuina respectu gratiæ, quæ fit per sacramẽta, vnde, siue vocetur potẽtia, siue dispositio, quoad hoc eadem est ratio. Nec verò potest character baptismalis dici dispositio ad gratiam, eò quòd sit principium efficiendi aliquem actum, quo homo se ad gratiam disponat, tum quia hoc re vera est falsum, & improbabile, vt de alijs characteribus statim ostendemus: nam certius hoc est de charactere baptismali. Tum etiã, quia paruulus baptizatus potest recipere aliqua ex alijs sacramẽtis validè & cum effectu sine proprio actu. Tum denique, quia si illud esset verum, non esset character baptismalis constituẽdus in specie potentiæ passiuæ, sed vel in specie potẽtiæ actiuæ, vel potiùs in specie habitus. Nullo ergo modo potest character Baptismalis dici potentia passiua seu receptiua physicè ac propriè respectu gratiæ sanctificantis, quæ vel per ipsum Baptismum, vel per alia sacramenta datur. Et eisdem rationibus idẽ ostẽdetur de gratia sacramentali, quæ cum non sit res diuersa ab actibus intellectus, aut voluntatis, eadem, vel maior ratio de illa est, quæ de habitibus. De charactere autem Confirmationis & Ordinis, si quis cõtendat, recipi medio charactere Baptismali, vt propria potentia physicè receptiua, non potest quidem euidenti argumento impugnari, quia neque ex terminis cõstat id esse impossibile, neque ex effectibus aut signis aliquibus probari potest non ita esse, cùm hi characteres nunquam dati sint, nec dentur, nisi homini habenti characterem baptismalem. Nihilominùs tamen gratis & sine fundamento id affirmatur: nam, quòd ex ordinatione diuina character baptismalis semper supponatur ante hos characteres, nõ est signum, esse potentiam receptiuam illorum propriè ac physicè: quia etiam alia sacramenta non possunt habere valorem, neque effectum in subiecto nõ habente characterem baptismalem, non propter rationem physicæ potẽtiæ passiuæ, sed solùm propter diuinam institutionem: ergo similiter hæc sola est propria & immediata ratio, propter quam dicta sacramenta non possunt esse valida in subiecto non habẽte characterem: vnde fit, vt nihil in eo possint efficere. Et præterea, si ex naturalibus philosophari licet, vna qualitas nunquam est potentia receptiua alterius, nisi per illam constituatur in actu secundo, vel primo ad agendum, vt contingit in potentijs animæ, quæ nec sunt purè actiuæ, nec purè passiuæ, sed vtramque rationem participant, sed character baptismalis non habet rationem huiusmodi potentię respectu aliorum: ergo gratis fingitur, esse potentiã physicam receptiuam eorum. Et præterea sine necessitate, quia sicut anima per se ipsam & per suas potentias est capax vnius characteris, ita & aliorum. Neq; est verisimile, characterem baptismalem ex natura sua ita esse subordinatum alijs characteribus, vt sine illis sit, quasi in statu imperfecto, qualis est status potentiæ passiuæ, quæ suo actu caret, est ergo hic character qualitas quædam non actiua, formaliter actuans ac perficiens subiectum sine vllo ordine vel habitudine connaturali ad alium actum in eo recipiendum, & ideò physicè ac propriè non est potentia passiua.

Character Ordinis non potentia physica.

Tertiò de charactere Ordinis omnes admittunt, non habere rationem potentiæ passiuæ, quia non datur ad recipiendum, sed potiùs ad agendum. Quantis de charactere, qui datur per inferiorem Ordinem dubitari posset, an comparetur vt potẽtia passiua ad characterem impressum per superiorem Ordinem. Dicendum verò est, etiam sub hoc respectu non habere propriè rationem potentiæ passiuæ. Quod ostẽdi potest rationibus paulò antea factis de charactere baptismali respectu aliorum. Et addi potest, minorẽ esse subordinationẽ essentialem inter characteres diuersorum Ordinum, quia, licèt superior Ordo recipi non debeat ante inferiorem, tamen si recipiatur, factum tenet, & eius character imprimitur, & sicut tunc non recipitur in alio charactere, qui nondum est, sed immediatè in ipsa anima, vel potentia eius, ita intelligendum est fieri semper, quia semper informat animam eodem modo.

Omissa ergo potentia passiua, dicendum est de ratione potentiæ actiuæ. Et interrogo, an character Ordinis dicatur esse potẽtia actiua physica respectu sacramentorum, quæ à sacerdotibus dãtur, vel respectu effectuum talium sacramentorũ: neutrum autem dici potest, ergo hic character non habet propriã rationem potentiæ actiuæ. Prior pars de sacramentis manifesta in primis est in characteribus sex Ordinũ inferiorum, scilicet vsque ad diaconatum, nam per illos propriè non datur potestas ad conferendum aliqua sacramenta, nam, licèt Diacono detur interdùm facultas baptizandi, vel dispensandi sacramentum Eucharistiæ, hoc potiùs est, vt iure & licitè id faciat, quã vt factũ teneat. Vnde constat, id non pertinere ad potestatem Ordinis simpliciter, sed solũ ad rectũ modũ administrandi sacramentum. Relinquitur ergo, hos characteres inferiorũ Ordinum non habere propriam rationem potentiæ actiuæ supernaturalis. Primò, nã illi actus, propter quos dantur, si exteriùs considerentur quoad actus externos, verbi gratia cantandi Euangelium, vel similes, nec in se habent aliquid supernaturale, neque faciunt supernaturalẽ effectũ ex opere operato, propter quem requiratur potentia actiua supernaturalis physica & propria. Si verò cõsiderentur quoad actus interiores qui ad exteriores requiruntur, illi solum esse possunt actus fidei, vel religionis, ad quos non requiritur alia potentia præter habitus virtutum. De charactere verò sacerdotali, vel Episcopali (si distinctus est) idẽ facilè probatur, quia sacramẽta omnia quoad suum esse solũ consistunt in re sensibili, seu in actione corporali & sensibili (excipio Eucharistiam, de qua est alia ratio, vt statim dicam) sed ad omnem actionẽm sensibilem

sibilem, in qua sacramentum consistit, sufficiunt organa corporis cum suis naturalibus potentijs, vt, verbi gratia, ad proferendum verba sufficit naturalis vis loquendi, & ad lauandum, vel vngendum naturalis vis motiua manus, vel aquæ, & sic de alijs: ergo ad faciendum totum id quod est sensibile in sacramẽto, non est necessaria potentia aliqua physica, quæ sit character.

Obiectio.

Responderi potest, hoc esse verum de sacramento quoad id, quod est materiale in ipso, tamẽ formaliter ad faciendum sacramentum in esse sacramenti esse necessariam huiusmodi potentiam.

Refutatio.

Sed hoc facilè refutatur, quia illud esse sacramenti, supra rem sensibilem, quæ est sacramentum, nullam rẽ addit, sed solam denominationem extrinsecam & significationem, quæ conuenit tali actioni vel passioni ex diuina institutione. Vnde in ministro nullam aliã realem actionem externam requirit, vt fiat illud esse formale sacramenti, sed sicut intelligitur resultare relatio realis posito fundamento & termino, ita, supposita institutione Christi eo ipso, quòd talis actio sensibilis fit à ministro Christi vt sic, circa subiectum capax, resultat ratio seu relatio sacramenti. Dico autem, *à ministro Christi vt sic*: quia necesse est, vt illa actio fiat à ministro deputato à Christo, ad quod nõ est necessaria potentia physica respectu sacramenti, sed sola Christi institutio, vel ordinatio. Necessaria præterea est in huiusmodi ministro intentio faciendi, quod fecit Christus, vt infra dicemus, tamen ad hanc etiam intentionem non est necessaria noua potentia physica actiua, quæ sit character, nisi velimus fingere miracula non necessaria. Primò, quia huiusmodi intentio potest haberi quoad aliqua sacramenta sine charactere, vt in Baptismo, & in Matrimonio in alijs verò sacramentis licèt requiratur character ministri, vt sacramentum sit validum, tamen ipsa intentio non potest esse à charactere, tanquam à principio physicè eliciente talem actum, quia ille actus est voluntatis, & supponit aliquam cognitionẽ: sed illa cognitio sufficienter habetur per fidem, voluntas verò conficiendi sacramentum sufficienter est, velà religione, si fiat in cultũ Dei, vel à caritate proximi, si fiat in bonum eius, vel ab vtraque simul, vel ab alijs virtutibus voluntatis si fiat ex multis motiuis honestis. Interdùm verò nec fides supernaturalis necessaria est ad huiusmodi intentionem dandi sacramentum, quia hæreticus seu infidelis potest habere illam. Neque in voluntate est necessaria aliqua virtus, vel potentia supernaturalis, à qua procedat, quia per actum merè naturalem potest minister sacramenti velle conficere sacramentum, imò per actum humanum & ex prauo motiuo, ergo propter efficiendum huiusmodi actum internum, quatenus necessarius est ad faciendum sacramentum externum, non potest requiri character vt proprium principiũ physicum effectiuum talis actus. Adde, etiam si hac ratione requireretur character, non posse habere rationem potentiæ, sed potiùs habitus, quia supponeret in intellectu & voluntate aliquam potentiam eliciẽdi tales actus vitales, sic enim concurrunt omnes alij habitus infusi ad supernaturales actus, ergo respectu sacramentorum tantùm non potest character Ordinis habere rationem potentiæ actiuæ physicæ ac propriæ.

Characterem non esse effectiuã gratiæ ostẽditur.

Superest vt probemus alteram partem, scilicet, cõparando hunc characterem ad effectum sacramentorum, qui est gratia, non comparari ad illum vt verã potẽtiam actiuam, physicè effectiuam eius. Duobus enim modis possumus intelligere, spiritualem characterem inhęrentem sacerdoti physicè efficere gratiã in alio, cui sacerdos ministrat sacramentum. Primò, mediante actione aliqua immanenti, seu vitali ipsius sacerdotis, sicut voluntas angeli efficit motum in cœlo medio actu immanenti, quo vult, seu imperat talem motum. Alio modo intelligi potest efficere per actionem merè transeuntem, sicut calor efficit calorem in alio. Prior modus hic nõ habet locum, vt ex dictis facilè probari potest, quia, vt minister per sacramentum alteri gratiã conferat, non est necesse, vt habeat alium actum immanẽtem & vitalem præter intentionem internam dandi sacramentum, & actionem externam, in qua ipsum sacramentum consistit, nam his positis, necessariò sequetur gratia in suscipiente sacramentum sine obice, etiam si minister non habeat aliam voluntatem dandi gratiam, imò, licèt habeat volũtatem repugnantẽ collationi gratiæ dũmodò retineat voluntatem dandi sacramentum: ostensum est autem, characterem non esse potentiã physicã respectu horum actuum ministri, ergo nec potest esse potentia efficiens gratiam medio aliquo actu vitali ipsius ministri.

Obiectio.

Dices, characterem efficere gratiam medio actu ministri, non quidem efficiẽdo ipsam substantiam actus ablutionis, verbi gratia, vel prolationis verborum, sed efficiendo in illo virtutem ad conferendam gratiam.

Respon.

Sed hoc etiam stare non potest iuxta doctrinam suprà traditam, diximus enim, virtutem sacramentorum non esse rem aliquã eis superadditam, sed solam ipsorum entitatem, & potentiam obedientialem vt subordinatam speciali Dei concursui, & ideò ante actionem supernaturalẽ, qua fit effectus sacramenti, non antecedere aliquã supernaturalem actionem, vel motionem circa ipsum sacramentum, qua recipiat virtutem ad agendum, ergo non potest character esse potentia actiua physica talis virtutis in ipso sacramẽto, quia vbi nõ est actio realis, neque aliquid reale, quòd de nouo fiat, non potest esse necessaria potentia actiua præsertim propria ac physica, cùm hæc ad aliquid realiter agendum ordinetur. Posterior autem modus, scilicet, quòd character efficiat gratiam immediatè se ipso per actionẽ quasi transeuntem simul cum sacramento, non videtur etiam verisimilis. Primò, quia interrogo, an character sacerdotalis habeat ex natura sua hanc actiuitatem vt potentia seu virtus instrumentalis ex natura sua ordinata ad hunc effectum supernaturalem, & hoc dici non potest iuxta principia à nobis suprà posita partim hic disputatio. 9. partim in 1. tom. disp. 51. vbi ostendimus, nullam esse posse qualitatem, quæ ex natura sua sit effectiua gratiæ sanctificantis neque vt virtutem principalem, neque vt instrumẽtalem, atque hoc maximè verum esse de qualitate natura sua permanente, vt est character.

Nulla qualitas ex natura sua est effectiua gratiæ.

Nam si iuxta doctrinam D. Thomæ non potest dari huiusmodi qualitas quæ sit potentia effectiua miraculorum, nec dari poterit ad efficiendam gratiam, non est enim minus supernaturale hoc opus, quàm alia miracula. Item propter hanc causam negamus, datam esse humanitati Christi inhærentem virtutem ac permanentem ad faciendam gratiam vel alia miracula: multò ergo magis negandum est, dari sacerdotibus Christi huiusmodi virtutem physicam ac permanentem natura sua gratiæ effectricem, non potest ergo verè affirmari, characterem esse in hoc sensu potentiam actiuam. Et re vera si character talis esset qualitas, quæ natura sua esset effectrix gratiæ, vel transubstantiationis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis, perfectissima esset, & eminentissima virtus, A
vnde sine causa negaretur, datam esse animæ Christi
ad operandum per virtutem intrinsecam & propor-
tionatam, si ergo illi data non est hæc virtus, sig-
num certè est characterem non esse talem virtutem.
Alio ergo modo dici potest, characterem sacerdota-
lem influere physicè gratiam vt instrumentum Dei
per potentiam obedientialem eleuatum. Et hic mo-
dus efficiendi non inuoluit contradictionem, vt con
stat ex generali doctrina de instrumentis diuinis tra
dita in superioribus, an verò de facto Deus ita eleuet
characterem ad efficiendum, satis incertum est. In
primis verò, licèt id cõcedamus, nihil refert ad id de
quo modò agimus, idest, ad explicandum naturam
& specificam essentiam characteris, quia illo modo,
scilicet, vt instrumentum Dei & per potentiam obe B
dientialem quælibet qualitas, cuiuscunque speciei sit
potest eleuari à Deo ad efficiendam gratiam: vt per
gratiam, quæ in vno est, potest efficere gratiam in
alio, vel per fidem, vel per scientiam, ergo quâuis cõ
cedamus, Deum per characterem sacerdotalem effi-
cere gratiam in alijs, eleuando characterem per potẽ
tiam obedientialem, non potest inde colligi chara-
cterem esse natura sua potẽtiam actiuam, magis quã
id colligi possit de gratia, aut de habitu fidei, si per
hæc Deus gratiam efficeret. Et ratio est clara, quia
hæc potentia obedientialis est communis & quasi
transcendens in ente creato, & ideò non potest per
illam colligi propria rei natura. Quod sic etiam ex-
plico: nam, si character Ordinis ex propria specie &
essentia est potentia actiua, necesse est vt natura sua
sit propter aliquam actionem sibi connaturalem, nõ C
est autem hoc modo propter effectionem gratiæ, er-
go ex hoc capite non habet, quòd sit potentia acti-
ua: nulla autem actio assignari potest quæ illi sit con
naturalis, ergo nullo modo potest esse vera ac physi
ca potentia actiua. Addo præterea, verisimilius esse,
characterem sacerdotalem nõ influere prædicto mo-
do in gratiam, quæ datur per sacramenta, quia quan-
tum ex doctrina Conciliorum colligi potest, tota
actio ministri immediatè versatur circa sacramentũ,
efficiendo vel applicando illud, vnde non alio modo
censetur conferre gratiam, quam mediante sacramẽ-
to, scilicet absoluẽdo, abluendo, &c. ergo omnis alia
efficientia est gratis cõficta, & sine fundamento. Prę
tereà non est necessaria: quia quando minister Bap-
tismi non habet characterem, quia non est sacerdos,
tota efficientia gratiæ est mediante sacramento, &
minister non habet aliam: ergo idem est, etiam si mi D
nister habeat characterem, quia non habet tunc sacra
mentum minorem neque aliam efficientiam. Atque
idem argumentum fieri potest in sacramento Matri
monij, in quo proprius minister non habet characte
rem. Præterea illa efficientia characteris, quæ fingi-
tur per modum actionis transeuntis, nullo modo ver
satur circa actiones ministri, sed circa extrinsecum ef
fectum, est ergo impertinens ad rem moralem, & ad
proprium finem, propter quem ponitur huiusmodi
character, scilicet, vt minister sit deputatus ad tales
actiones pertinentes ad cultum Dei.

Character in ordine ad Eucharistiã, & effectum eius.

Atque ex his constat, eandem esse rationem de ef-
ficientia characteris sacerdotalis respectu sacramenti
Eucharistiæ, & effectus eius, nam si sermo sit de effe-
ctu verborum, quibus ipsum sacramentum confici-
tur, actio supernaturalis transubstantiationis, quæ
ibi intercedit, tota est immediatè ab ipsis verbis, &
minister ibi non habet aliam actionem, nisi verborũ
prolationem, vt expresse dixit D. Thom. infrà quæ-
stio. 78. articul. 1. atque ita character respectu tran-
substantiationis non habet rationem potentiæ acti-
uæ physicæ, sed ita se habet ad transubstantiationem
sicut se habet ad gratiam efficiendam per verba abso
lutionis, vel per aliud sacramentum. Si autem sermo
sit de effectu gratiæ, quam cõfert ipsum Eucharistiæ
sacramentum, respectu illius multo minorem concur
sum habet character, quia in ea actione solùm se ha-
bet sacerdos vt applicans sacramentum iam factum,
& in illo non est simpliciter necessarius character ad
effectum sacramenti, sed solum ordinariè requiritur
vt legitimè fiat dispensatio. Igitur respectu nullius
sacramenti vel effectus eius habet hic character ratio
nem potentiæ actiuæ.

Solùm posset aliquis dubitare de charactere sacer
dotali, vel Episcopali, si verum est Episcopatum esse
sacramentum, & imprimere characterem. Videtur
enim character Episcopi efficere sibi similem, vel in
specie vel in genere, quando Ordinat sacerdotem,
vel consecrat Episcopum, ergo rectè dici potest cha
racter episcopalis esse potentia actiua ad efficiendũ
aliquem characterem sibi similem. Respondetur ta-
men, hoc etiam non habere maiorem probabilitatẽ
quàm sit in reliquis sacramentis vel effectibus sacra-
mentorum. Primò, quia etiam character episcopalis
non concurrit ad imprimendum characterem alteri *Character cerdotalis episcopi efficit simi lem.*
per immediatam actionem in ipsum characterẽ, sed
solùm per verba seu per materiam & formam sacra-
menti Ordinis, non enim aliter concurrit ad Ordinã
dum, quàm ad Confirmandum, nullum enim est fun C
damentum ad assignandam huiusmodi differẽtiam.
Præterea, quia si propter solam similitudinem speci-
ficam posset character episcopalis efficere sibi simi-
lem, sequitur primò, eadem ratione posse characterẽ
sacerdotalem facere sibi similem. Sequitur secundò,
illum characterem esse veluti propriam & principa-
lem virtutem ad efficiendum sibi similem, sicut est
calor ad efficiendum calorem. Vnde etiam obiter se-
quitur, quòd licèt haberet hanc actiuitatem, non es-
set primò, & per se constituendus in specie potentiæ
sicut calor, licèt posit efficere sibi similem, non con
stituitur primò, & per se in specie potentiæ. Præte-
reà, hic modus efficientiæ est alienus à qualitatibus
spiritualibus, tantum enim habent actiuitatem in or
diae ad actus vitales, quatenus esse possunt princi-
pia, & obiecta eorum: non tamen sunt actiuæ per mo
dum actionis transeuntis ad generandum sibi simi-
les, quod maximè verum habet in supernaturalibus
qualitatibus, quæ sunt supra naturalem capacitatem
subiecti in quo recipiuntur, & ideò gratia nõ potest
illo modo efficere sibi similem, idẽ ergo erit de quo
libet charactere. Cuius signum sumi etiam potest
ex eo, quòd simplex sacerdos potest interdum ex cõ
missione summi Pontificis Ordinare in inferioribus
Ordinibus, vel etiam in Subdiaconatu, & tamen tũc
non est dicẽdum, imprimere characterem alteri per
characterem quem in se habet, quasi efficiendo sibi
similem, alioquin etiam subdiaconus & diaconus
hoc posset facere ex dispensatione Papæ, vel etiam
sine illa, sicut etiam quando sacerdos ex dispensatio-
ne Papæ ministrat sacramentum Confirmationis, po
testas eius se extendit ad imprimendum characterẽ,
quem antea non poterat imprimere, propter solam
extrinsecam dispensationem, & quasi moralem depu
tationem necessariam ad veritatem sacramẽti, à quo
est immediatè totus effectus & impressio characte-
ris.

ris. Atque idem argumentum sumi potest iuxta pro
babilem opinionem D. Thomæ quòd Episcopatus
non est sacramentum, nec imprimit characterem, nã
per solam extrinsecam consecrationem extenditur
character sacerdotalis, vt sit potestas consecrandi,
vel Ordinandi, ergo signum est, non esse propriè ac
rigorose potentiam physicam, sed moralem.

De charactere Confirmationis.

Tertiò principaliter de charactere Cõfirmationis
facilius ostendi potest, non habere propriam ac ve-
ram rationem potentiæ physicæ. Interrogo enim,
an sit potentia actiua, vel passiua. Quòd autem neu-
trum dici possit ostendò, quia D. Thom. vtroque
modo in diuersis locis explicuit rationem huius cha
racteris, & nunquam explicat proprium actum seu
actionem realem in ordine ad quam habeat propriã
rationem potentiæ physicæ. Primùm enim in hac
quæstione infrà articul. 6. significat, esse potentiam
passiuam, dum ait, *Per Baptismum ordinari homines ad recipiendum alia sacramenta*, & subdit. *Ad idem etiam ordinatur quodammodo Confirmatio*. Dicit autem, *quo- B
dammodo*, quia character Confirmationis non est sim
pliciter necessarius vt alia sacramenta validè recipiã
tur, sed solùm præcedere debet ante Ordinẽ, & Ma-
trimonium, & si commodè fieri potest ante alia sa-
cramenta, vt congruus ordo seruetur, si ergo chara-
cter baptismalis non est propriè potẽtia physica pas-
siua, euidentius est, characterem Confirmationis nõ
esse similem potentiam, præsertim cùm non sit sim-
pliciter necessarius ad recipiendum aliquem actum,
sed solùm secundùm quandam congruitatem prære
quiratur. Rursus idem D. Thom. infrà quæstio. 72.
artic. 5. dicit, per sacramentum Confirmationis dari
homini potestatem spiritualem ad alias actiones sa-
cras præter illas, ad quas datur ei potestas in Baptis-
mo, & infrà dicit, *Hanc potestatem esse ad agendum ea, C
quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei.*
Quibus verbis indicat, esse potentiam actiuam, sed
constat, illas actiones non esse à charactere Cõfirma-
tionis, vt à potentia physicè actiua, ergo. Patet mi-
nor, quia illæ non sunt nisi actus fidei, caritatis, for-
titudinis, aut religionis, vel exteriores actus, qui ab
his internis procedunt, vel auxilia gratiæ, quæ ad
hos actus efficiendos dantur, sed omnes isti actus suf
ficienter fiunt à potentijs animæ intellectu, scilicet,
& voluntate eleuatis per habitus virtutum infusarũ,
cum auxilio Dei excitante, & adiuuante, ergo ad has
actiones nulla efficientia characteris est necessaria,
nec facilè intelligi potest. Ac præterea, quanuis gra-
tis daremus, characterem habere aliquam efficientiã
in hos actus, non compararetur ad illos vt potentia,
sed vt habitus infusus potentiæ, & adiuuans illam ad
suos actus, sicut suprà in simili argumentabamur.
Præsertim, quia inter hos nullus est actus, ad quem D
sit simpliciter necessarius character Confirmationis,
omnia enim quæ pertinent ad pugnam spiritualem
contra hostes fidei, possunt fieri ab homine non cõ-
firmato, solum per auxilia gratiæ idque non solùm
de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria, ergo nõ
datur character vt potentia simpliciter ad huiusmo-
di actum, sed solùm vt aliquis designetur vt sit mi-
les ex officio deputatus ad huiusmodi pugnam, &
vt hoc de causa habeat à Deo paratum subsidium ne
cessarium ad eandem militiam exercendam, in quo
nulla intercedit propria ratio potentiæ physicæ
actiuæ.

Character dicit potest moralis potestas.

Quartò ex his constat, characterem solùm posse
dici habere rationem potentiæ aut potestatis secun-
dùm moralem quandam considerationem, quia vi-
delicet est signum ex diuina ordinatione ad hoc de
stinatum, vt qui illo insignitus fuerit, aptus sit ad ta
le ministerium, sicut in lege veteri circumcisio dici
poterat potentia passiua ad recipienda sacramenta il
lius legis, & similiter virga iudicis potest dici pote-
stas actiua ad gubernandum. Quòd autem ita de cha
ractere sentiendum sit, ita explicatur, nam in primis,
quòd character habeat aliquo modo rationem potẽ
tiæ probat ratio D. Thomæ hic articul. 2. quia per
characterem datur homini aliqua potestas, nam cum
charactere potest aliqua efficere, aut recipere, vel
alio modo, quàm sine charactere possit, ergo chara-
cter est aliquo modo potentia, sed vt ostensum est,
character non est potentia physica: superest ergo vt
tantùm sit potentia moralis, & hoc etiam modo di-
xit Scotus dicta quæst. 10. quòd, licèt character sit
relatio, potest habere rationem potentiæ ministeria- B
lis, quia non oportet vt talis potentia influat in actũ,
sed vt sit veluti conditio requisita à principali agen-
te in ministro, vt eius actione tanquam instrumento
vtatur, Deus autem deputando ministros sacramen-
torum, voluit propter maiorem perfectionem eos in
trinsecè designari per characterem, & hac ratione di
citur character potestas moralis, cuius signum est,
quia hoc non est semper vniuersale, vt dictum est de
ministro Baptismi, & de ministro Matrimonij, qui
per solam extrinsecam deputationem & institutio-
nem diuinam habent hanc potestatem, & è contra-
rio interdùm character ordinis non est sufficiens po
tentia ad aliquem actum, vt ibi gratia, ad confirman
dum, vel ordinandum, & tamen adiuncta concessio-
ne Pontificis, subit rationem potentiæ. Præterea,
quid simile videre licet in potentia passiua, nam cha
racter Baptismi in viris est sufficiens potentia ad re-
cipiendum ordinem, non autem in fœminis, & in
ægrotis est sufficiens potentia ad recipiendum sacra-
mentum extremæ vnctionis, non autem in sanis, er-
go signum est, hæc omnia pendere ex institutione,
atque ita pertinere ad moralem potentiam, non au-
tem ad physicam.

Character nõ est propriè & essentialiter potentia.

Quinto ex his vlteriùs concludi videtur, non pos
se characterem propriè & essentialiter constitui in
specie potentiæ. Probatur ex dictis, quia character
non est potentia physica actiua, vel passiua: ergo ve
rè ac propriè non est potentia, quia nulla est verè po
tentia, nisi quæ re ipsa, ac physicè ordinatur ad ali-
quem actum, ergo non constituitur in specie potẽ-
tiæ, quia nulla res constituitur in specie, nisi secundũ
eam rationem, quæ verè propriè ac physicè illi con-
uenit. Et confirmatur, nam propterea suprà dixi mus
cum D. Thom. characterem non constitui in specie
figuræ, quia hæc ratio non propriè sed metaphoricè
in illum conuenit, sed similiter ratio potentiæ non
conuenit propriè characteri, sed metaphoricè ac per
denominationem extrinsecam, quatenus per extrin
secum actum Dei, qui per characterem est designa-
tus, factus est capax talis actus ex ordinatione diui-
na, sicut alijs exemplis declaratum est, ergo.

Character est qualitas prima species.

Vltimò ergo dicendum existimo, characterem es-
se qualitatem primæ speciei, scilicet, dispositionem,
seu habitum, conuenientem ipsi animæ ac formaliter
perficientem illam, sine vllo ordine ad operationes,
sicut pulchritudo, vel sanitas est bona corporis dispo
sitio. Ita sentit Alexand. Alens. 4. part. quæst. 19. m.
1. art. 2. & Bonauent. in 4. d. 6. art. 1. q. 1. vbi Scot.
quæst. 10. sub disiunctione defendit, si character est

qualitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

qualitas absoluta, esse potentiam vel habitum. Et probatur primò, quia hoc modo facilè intelliguntur dicta Conciliorum, dicunt enim, characterem esse signum spirituale. Ex quo in primis colligo, characterē non dari per se primò, vt principium operādi, sed solùm ad consignandum, & deputandum hominem ad aliquam actionem. Deinde colligo, esse formam animæ impressam, vt ita affecta intelligatur esse consignata, quæ forma non potest meliùs intelligi, quā per modum cuiusdam bonæ & permanentis dispositionis, sicut videre licet in alijs signis corporalibus. Vnde non sumitur hic dispositio, vt relatiuè dicitur ad aliam formam, ad quam disponit in genere causæ materialis, quia hoc modo non censeo, characterem esse physicè ac propriè dispositionem ad aliam formam, vt sæpè dixi in superioribus, sed sumitur dispositio absolutè, prout dicitur de quacunque forma absoluta bene ac conuenienter afficiente subiectū, quo modo gratia potest dici bona dispositio animæ. Neque etiam sumitur hic dispositio in eo rigore, quo ab habitu distinguitur, & significat qualitatem facilè mobilem, sed prout comprehendit habitum fixū & immobilem, quāuis operatiuus non sit. Atq; hoc modo explicata ratio characteris facilè intelligi ac persuaderi potest, cùm tamen in quolibet alio sensu vix possit concipi. Vnde tandem confirmatur à sufficienti partium enumeratione, quia in nulla alia specie qualitatis potest constitui. Nisi forte quis dicat poni in tertia, & esse passibilem qualitatem, quatenus est terminus alicuius propriæ actionis, per quam imprimitur subiecto. Sed quia hic non est locus tractandi de distinctione harum specierum, solùm breuiter dicitur, hanc rationem termini nō sufficere per se ad constituendam propriam speciem qualitatis, quia hæc ratio communis est ferè omnibus speciebus, quatenus per aliquam actionem fieri possunt. Item, quia illa ratio termini solùm addit denominationem extrinsecam, & ideò fortasse illa ratio passibilis qualitatis aliter explicanda est in ordine ad mutationes sensibiles, atque ita probabile est, illam speciem solùm reperiri in qualitatibus sensibilibus.

Obiectio. Contra hanc verò sentētiam solùm obijci potest, quia omnis habitus dispōnit ad faciliter operandum, vt sumi potest ex Aristot. secundo Ethic. capit. 5. sed character per se ac physicè non confert ad operationem, ergo sicut propter hanc rationem negandum est, esse potentiam, negandum etiam est, esse habitum. *Respon.* Ad idem obijci potest autoritas D. Thom. artic. 2. Ad rationem respondetur, assumptum non esse verum, si per habitum intelligamus quamcunque dispositionem permanentem, ac subiecto conuenientem. Aristoteles autem ibi locutus est de habitibus potentiarum, qui per actus nostros acquiruntur, qui propriè sunt habitus operatiui. Præter hos verò possunt esse aliquæ qualitates bene disponentes subiectum in suo esse sine ordine ad operationem, quæ si permanentes sint, & difficilè mobiles, vocari etiam possunt habitus non operatiui, & de his non est necesse vt disponant ad faciliter operādum, & hoc modo gratia vocatur habitus, & sanitas etiam solēt ita vocari, hoc ergo modo intelligimus characterem esse habitum. Ad D. Thom. respōderi potest, intellexisse, characterem esse potentiam improprio modo, scilicet, moraliter, & ideò addidisse, illum non poni propriè & directè in specie potentiæ, sed reductiuè. Hæc verò responsio (vt verum fatear) mihi non satisfacit, nam D. Thom. planè intendit characterem habere aliam speciem, & essentiam, alioquin nec respondisset quæstioni, nec etiam impugnare debuisset opinionem ponentem characterem in specie figuræ. Quocirca nihil inuenio quod respondere possim ita vt satisfaciam, rationes enim suprà factæ me cogunt, vt in re non magni momenti à sententia D. Thom. discedam, paratus ei assentire, cùm primùm earum solutiones inuenero, quas hactenus nec reperire, nec assequi potui.

SECTIO IIII.

In quo subiecto sit character.

QVæstio hæc potissimum tractanda est de subiecto proximo, in quo character inhæret: nam de remoto nulla est ferè cōtrouersia. Voco autem subiectum remotum, personam, quæ habet characterem. De hoc ergo subiecto certū est, de facto solum esse characterem in illis hominibus, qui recipiunt aliquod ex sacramentis, quæ characterem imprimunt, est enim character proprius effectus sacramentorum. Hinc tamen rectè colligitur, quemlibet hominem secundum se esse capacem characteris per obedientialem potentiam, quia quoad capacitatem hanc, eadem est ratio de omnibus hominibus. Imò cùm homo sit capax characteris secundum animam, quæ spiritualis est, & in hoc angelis similis verisimile est, eandem capacitatem esse in angelis, sicut etiam est capacitas ad reliqua omnia dona gratiæ. Solet verò hic inquiri, an character fuerit etiam in Christo. Sed non est quod in hoc immoremur: nā vt rectè hic D. Thom. docuit artic. 5. Christus non indiguit charactere, quia Christus ratione suæ diuinitatis excellentiori modo est veluti designatus in supremum Ducem, Principem, ac Sacerdotē, & ideò non indiget charactere qui est veluti participatio quædam supremi sacerdotij Christi, & supponit imperfectionem in subiecto quod afficit, scilicet, quòd sit membrum, miles, aut minister alterius superioris capitis, de quo dixi nonnulla in priori tomo disput. 46. sect. 3.

1. Opin. Omisso ergo subiecto remoto, de subiecto proximo potest esse prima sententia, characterem esse in corpore hominis tanquā in subiecto proximo. Quē dicendi modum solum illi tenere possunt qui dicūt, characterem non esse aliquid distinctum ab ipso sacramento, sed ipsummet sacramentum, quatenus ex diuina institutione ad hoc ordinatur, vt suscipiens illud, perpetuò maneat destinatus ad tale munus, esse characterem. Qui ergo ita de charactere sentiunt, cō sequenter affirmabunt, sicut sacramentum recipitur immediatè in corpore, ita etiam subiectum proximum characteris esse corpus, sed huiusmodi sententia solum ab hæreticis defendi potest, qui characterē negant, quia dicere characterem nihil esse præter sacramentum, re vera est negare illum esse aut fieri, seu imprimi per sacramentum. Soto verò in 4. dist. 1. q. 4. art. 4. tribuit hanc sentētiam Duran. dist. 4. quæst. 1. alio tamen sensu, & modo. In primis enim illi imponit, q̄ neget esse aliū characterē præter characterem Ordinis, deinde refert, eum docere, characterē Ordinis non esse in anima, sed in corporis membris, nō quidē in illis in quibus sacerdos recipit sacramentum Ordinis, quando Ordinatur, sicut prior error dicebat, sed in illis quibus sacramenta conficit, scilicet

cet in lingua & manibus, quia virtus actiua instrumentalis esse debet in proximo instrumento operationis. Vnde fit iuxta hanc sententiam, characterem Ordinis tantum durare eo tempore quo durat sacramentalis operatio, quia virtus instrumentalis tandiu durat, quandiu durat motio principalis agentis. Verūtamen Soto non retulit fideliter Durandi opinionem, ille enim nihil eorum affirmat, quæ illi imponūtur, sed potiùs ea omnia infert tanquam incommoda quæ sequuntur ex opinione eorū, qui dicunt, characterē esse instrumentariam virtutem proportionalē illi, quæ est in sacramentis ad conferendam gratiam. Nam inde (inquit) sequitur primò, solum sacramentū Ordinis dare characterem, quia solùm per hoc sacramentum constituuntur homines ministri sacramentorū, ergo ad sum. num in hoc sacramentō solo oportebit dari instrumentariam virtutem, quæ dicitur esse character. Secundò (inquit) sequitur, hāc virtutem esse in membris, quibus sacramenta perficiuntur propter rationem suprà factam. Ac denique tertiò sequitur, characterem non esse virtutem permanentem, sed transeuntem, sicut ponitur esse virtus sacramentorum. Quæ omnes illationes Durandi re vera sunt satis apparentes & probabiles, tantum autem abest, vt ipse admittat ea, quæ inferuntur, quòd potiùs (vt dixi) ea infert vt magna incōmoda, sicut re vera sunt, quibus respondere fortasse poterunt alioquo modo, qui eam sententiam defendunt, nos autē in hoc immorari non oportet, quia cum Durando existimamus sententiam illam de instrumentaria virtute falsam esse.

Alio tamen modo posset hæc opinio tribui Dur. in eodem loco, nam cùm ipse affirmet, characterem non esse nisi relationē rationis, sequitur ex eius opinione, vel characterem nullum habere subiectū, quia relatio rationis nulli inhæret, vel si illi tribuendum est subiectum denominationis, illud non esse animā, vel corpus, sed totum hominem simpliciter, nam ille est, qui destinatur, vt sit capax sacramentorum, vel certè, si aliquod subiectum propinquius assignandū est ratione fundamēti huius relationis, illud erit corpus, quatenus in illo recipitur sacramentū, per quod homo destinatur ad aliquem Dei cultum. Et hoc videtur significasse Durandus in fine illius quæstionis vbi explicans ritum Baptismi, quem Dionysius scriptū reliquit, ita concludit. Et iste ritus exterior cū Baptismo, erat characterizatio sua, nec de alio charactere locutus est Dionysius. Et in solutione ad secundū clariùs concludit, non esse quærendum, in quo sit character, tanquam in subiecto, cùm non sit nisi deputatio hominis ad sacras actiones actiuè vel passiuè. Sed hæc sententia Durandi tam est falsa quam fundamentum ex quo sequitur, vnde in re nihil à sententia hæreticorum differt, vt suprà etiam dixi.

Characteris subiectū anima. Quocirca, vt certum statuendum est, characterem esse in anima vt in subiecto proprio, ita enim docent cæteri omnes Theologi & clarè definiunt Concil. Florent. & Tridentinum, dum docent, characterem imprimi in anima, & esse signum spirituale. Sequitur etiam necessariò ex his quæ suprà diximus de natura characteris, diximus enim esse qualitatem spiritualem, necesse est ergo vt in ea parte hominis inhæreat quæ spiritualis est, scilicet in anima. Quia verò in anima tria sunt scilicet substantia eius, intellectus, & voluntas, videndum superest, in quo ex his sit immediatè character: nam de his omnibus variæ sunt opiniones.

Secunda opinio. Secunda ergo sententia est, quæ ponit characterē esse in anima, & in vtraque potentia eius, ideſt, in tota imagine Trinitatis. Ita enim loquebantur antiqui, quos ex parte sequitur Alexand. Alens. 4. par. q. 19. memb. 5. & Bonauentura in 4. d. 6. art. 1. q. 3. vbi sentit, characterem esse in vtraque potentia, quamuis principaliùs dicat esse in intellectu, quàm in voluntate. Sed hæc sententia ab alijs reiecta est, quia re vera gratis affirmat quid superfluum, & quod nullo fundamento probari potest, cùm enim character solùm ponatur vt signum, quid necesse est illum multiplicare in diuersis potentijs? Item contra hanc opinionem à fortiori obijci poterunt omnes difficultates, quas in tertia & quarta opinione proponemus.

Tertia ergo opinio est, characterem esse in voluntate, ita refert Scotus in 4. d. 6. quæst. 11. Cuius fundamentum est primò, quia character est dispositio ad gratiam, sed gratia, cùm sit idem cum caritate, est in voluntate: ergo & character. Secundò, quia character est signum obligationis hominis ad Deū, sed homo proximè obligatur Deo per actum voluntatis, ergo decet vt tale signum sit in voluntate. Sed in primis hæc fundamenta Scoti firma non sunt: nam primum supponit gratiam esse idem cum caritate & nō esse in essentia animæ, quod est falsum. Præterea sumit characterem esse dispositionem ad gratiā, quod propriè etiam intellectum non est verum, & sub sum mum dici potest dispositio moralis secundum quandam congruitatem vel diuinam ordinationem ad gratiam sacramentalem, non est autem necesse, quòd huiusmodi dispositio sit in eodem subiecto in quo est forma, sed satis est quod sit in eodem supposito. Sicut contritio est dispositio ad gratiam, & sanctitas B. Virginis fuit dispositio ad maternitatem diuinā, & scientia vel prudentia est dispositio ad aliquam moralem dignitatem, vel iurisdictionem. Secundò etiam fundamentum facilè diluitur primò, quia character non tam est signum obligationis, quam muneris aut status suscepti, qui interdum secum affert aliquam obligationem, sicut in iudice signum, quod defert, non est signum obligationis, seu potestatis, ad quā sequitur obligatio. Secundò, quia nulla ratio cogit, vt signum obligationis sit in eadem facultate, ex qua nascitur obligatio, nam etiam homo interdum voluntate se obligat & vendit in seruum: signum autem seruitutis defert in facie. Vnde ex præcisa ratione signi non videtur posse colligi, in quo subiecto sit character, quia signum non tam ponitur in aliquo, vt ipse vtatur eo, quam vt ab alijs dignosci & distingui possit, & ideo in ea parte collocari solet quæ est aptior ad huiusmodi finem, scilicet ad significandum alijs, vt in corporalibus rebus facile constat. In spiritualibus autem quia anima & potentiæ eius æque patent spiritualibus oculis, quibus tantùm videri possunt, ideò ex hac parte æquè apta sunt, vt in eis collocetur spirituale signum, ergo ex hoc capire non potest satis iudicari, in quo subiecto sit character, sed aliunde ferendum est iudicium. Imo addo, si sola ratio signi consideretur, potiùs esse ponendum characterem in essentia animæ, quam in voluntate vel aliqua potentia, vt statim ostendam probādo nostram sententiam, vbi rationes alias cōtra Scotum afferemus.

Quarta sententia. Quarta sententia est, characterem esse in intellectu. Hæc est D. Thom. hic, vt vidimus, quam defendūt omnes Thomistæ, Caiet. Soto & Ledes. & Pal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in 4.d.4.q.2.ar.2.& ibid. Capreol. Richar.d.5. art. 2.q.2. Fundamentum D. Thom. est, quia character ordinatur ad actus diuini cultus, ad actum autē immediatè ordinatur potētia animæ, & non essentia, ergo character immediatè est in potentia & non in essentia animæ. Rursus actus diuini cultus ad quē character ordinatur est quædam fidei protestatio, ergo oportet, vt character sit in cognoscitiua potentia in qua est virtus, hæc autem est intellectus. Hæc sententia est quidem probabilis propter autoritatem D. Thomæ, si tamen rectè consideretur fundamentum eius, supponit doctrinam priùs à D. Thom. traditam, scilicet, characterem ordinari ad actus diuini cultus per modum potentiæ actiuæ, vel passiuæ, cū autem nos dixerimus, non esse veram potentiam, sed solùm per modum signi, quo deputatur, & cōsignatur homo ad cultum Dei, non est necesse, vt sit in potentia operante, quia non quidquid ordinatur ad actum est in potentia, sed id quod ordinatur per modum principij efficientis, seu coefficiētis ipsum actū: quod autem ordinatur tātùm per modum signi, potest esse in quacunque parte vel subiecto, in quo fit commodiùs ad significandum, sicut militiæ signum ponitur in pectore, vel capite, & tamen militia manibus exercetur, illa ergo ratione non satis probatur characterem esse in potentia animæ magis, quàm in essentia. Et hinc fit, ex eo quòd cultus Dei sit protestatio fidei per exteriora signa, non rectè sequi characterem esse in intellectu, vbi est fides, tum quia, non oportet signum esse in eodem subiecto, in quo est res significata, tum etiam, quia si illa ratio valida esset, potiùs constituendus esset character in voluntate, quam in intellectu, quia immediatè non ordinatur ad fidem, sed ad cultum Dei, quia licēt à fide dirigatur, tamen proximè à religione elicitur, quæ est in voluntate, ergo vel ponendus est in vtraque potentia, vel in neutra, vel certè si in vna ponitur potiùs quam in altera, non debet huius ratio sumi ex resignificata, sed ex eo quòd character aliquid potius conferat ad actus vnius potentiæ, quā alterius, quod tamen verum esse non potest vt infra ostendam.

Quinta sententia.

Quinta ergo sententia est, characterem esse immediatè in essentia animæ. Hanc tenet Marsil in 4.q.4. art. 1. & Gab. d. 6. q. 2. ar. 3. dub. 2. vbi primùm ait, hanc dubitationem non habere locum in sua & Nominalium sententia, quòd intellectus & voluntas nullo modo distinguuntur à substantia animæ. Deinde verò subiungit, suppositā distinctione potentiarū ab anima, potiùs esse characterem ponendum in anima, quàm in potentijs: ac tandem addit si ponendus esset in potentia, potiùs esse ponendum in voluntate, quàm in intellectu, quia in voluntate est gratia, quæ idem est cum caritate. Fundamentum Marsilij est, quia signum & id quod significatur, debent esse in eodem subiecto, sed character est signum eorum, quæ per sacramenta conferuntur, quibus tota anima perficitur, vt sunt fides, spes, caritas: ergo. Secundò, quia per characterem deputatur anima, & consignatur ad aliquod ministerium spirituale: ergo debet esse in ipsa anima. Sed hæc fundamenta non sunt efficacia, quia in prima ratione maior est falsa, vel saltem non necessaria, vt sæpè dictū est, aliàs debuisset Marsil. illa ratione concludere, esse characterem etiam in voluntate & in intellectu, quia significat perfectionem, seu augmentum fidei, & caritatis. Secūda verò ratio solū probat, characterē esse in homine, vel in anima, non tamē quòd sit in substantia animæ immediatè. Melior est ratio, quam adducit Gab. & quā etiam Dur. attigerat, scilicet, quia character non est principium alicuius actus intellectus aut voluntatis, quam statim latiùs explicabimus.

Conclusio

In hac igitur re, quæ satis incerta est, verisimilius videtur, characterem esse immediatè in substantia animæ. Ratio sumi potest primò, ex munere seu officio signi: quādo enim aliquid imprimitur alicui rei vt sit signum, manifestans rem illam vt destinatam ad aliquod munus, eamq; à cæteris distinguens, in illa parte poni debet, quæ notior est, & aptior ad notificādam rem illā, & distinctionem eius, sed substātia animæ secundū se notior est, & prior, quàm potentia, ergo cū hoc signum sit spirituale, atq; adeò proportionatū ipsis rebus quatenus secundum se cognoscibiles sunt, poni debet in ea re, quæ secundū se notior est: ergo debet poni in substantia eius. Et hæc ratio eadem probabilitate ostendit, si character ponendus esset in potentia, & non in essentia, potiùs esse ponēdum in intellectu, quàm in voluntate, quātum est ex hoc capite, scilicēt ex ratione signi, quia intellectus secundùm se est notior ac prior. Secunda ratio & efficacior est, quia character non est principium alicuius actus intellectus aut voluntatis pertinentis ad cultum Dei, vel vsum sacramentorum, ergo non est constituendus in intellectu, neque in voluntate, ergo in substantia animæ. Antecedens probatur, discurrendo per singulos characteres, nam primò character Baptismi datur vt facultas moralis ad recipiendum alia sacramenta, sed ad huiusmodi receptionē, ad summùm requiritur in intellectu actus fidei, vel prudentiæ, ad hos autem actus efficiendos non concurrit character Baptismi, vt potentia actiua, neque etiam vt habitus, vt omnes sine controuersia fatentur, tum quia character Baptismi ponitur vt potentia passiua, tum etiam, quia hi actus habent alia sufficientia principia, scilicet habitum fidei, & dona intellectus ac virtutem prudentiæ. Atque eadem ratio probat de actibus voluntatis, quia ad recipiendum sacramentum, ad summùm requiri potest in hac potentia voluntas recipiendi sacramentum, quæ si naturalis sit, ad illam nō requiritur principium supernaturale, si verò sit supernaturalis, & obiecto proportionata, erit elicita à virtute religionis & fide, ac prudentia regulata. Requiri etiam potest bona dispositio suscipientis, non ad substantiā sacramenti, sed vt dignè sumatur, & de hac constat non esse à charactere vt principio efficienti, sed à caritate, pœnitentia, vel alijs virtutibus. Secundò, idem discursus facilè fieri potest in charactere confirmationis, nam actus ad quem ordinatur hic character, est constans fidei & religionis Christianæ professio, ad hūc verò effectum ex parte intellectus hi actus requiri possunt, scilicet fidei, prudentiæ, caritatis obedientiæ, religionis, fortitudinis, ac similium virtutum, neque aliquis alius excogitari potest, qui in intellectu & voluntate non habeat sua propria & sufficientia principia à quibus, etiam si character non adsit, cōnaturaliter, & perfectè fieri potest, & character per se nullā vim ad eos eliciēdos cōfert. Quod in hunc modum etiam confirmatur, quia si character esset principium ad eliciendos hos actus, esset habitus intellectualis, aut appetitiuus: diceret etiam ordinem ad obiecta istorum actuum: deniq; esset virtus intellectus aut voluntatis, theologica vel moralis. Tertiò, eadē ratio accommodari potest ad characterem ordinis, qui datur ad sacramenta ministranda, in ministro enim sacramentorum nullus actus intellectus vel voluntatis requiritur ad substātiam sacramenti, nisi intentio faciendi sacramentum quæ formaliter dicit actum voluntatis, & supponit in intellectu aliquam cognitionem. De quibus actibus eadē est ratio, quia si cognitio sit naturalis, qualis esse potest in hæretico ministrante sacramentum, ad illam non requiritur supernaturalis potentia: si verò sit supernaturalis, erit, vel à fide, vel à prudentia, vel ab aliquo intellectuali dono: nec fingi aut excogitari potest aliud genus actuum intellectualium propter quod donatur character. Similiter intentio faciendi sacramentum nihil aliud est, quàm voluntas conferendi illud, quæ si supernaturalis sit, ad caritatem, religionem, aut similem aliam virtutem pertinebit, ergo nullus est actus intellectus, aut voluntatis, propter quem efficiendum oporteat characterē poni in intellectu vel voluntate.

Ad hanc verò rationem respondere videtur Palud. suprà, quòd licēt character non eliciat, nec dirigat intentionem dandi sacramentum, nam æqualiter (inquit) possunt habere hanc intentionem, qui habet characterem & qui non habet, tamen character ad hoc deseruit, vt intentio habeat virtutem, quam aliùs non haberet. Sed hoc nihil omnino confert. Primò quia non potest accōmodari characteri confirmationis. Secundò, vix etiam locum habet in charactere Baptismi, nam licēt intentio recipiendi sacramentum, sit necessaria in adultis, tamen illa intentio non confert aliquid per modum efficientis ad valorem sacramenti, sed solum est necessaria conditio vt vtens ratione sit capax sacramenti ex suaui Dei prouidentia propter modum operandi talis subiecti. Vnde etiam ad ipsum Baptismum, qui nullum characterem supponit, requiritur illa intentio, in infantibus verò non requiritur, neque ad Baptismum, neque ad alia sacramenta, quorum ipsi sunt capaces. Tertio, neque in charactere ordinis id quicquam valet, quia intentio ministri nullam in se virtutem physicam recipit. Quis enim fingat, qualitatem aliquam spiritualem effici à charactere circa ipsummet actum intentionis, vt sit efficax? hoc enim nullus hactenus finxit, & improbabilius est, quàm quòd in ipsis sacramentis imprimatur qualitas aliqua seu virtus physica quia illa interior intentio immediatè non attingit effectiuè gratiam, quæ est effectus sacramenti, quia hæc immediatè fit à solo sacramento vt ab instrumēto, vt suprà dictum est: versatur ergo illa intentio immediatè solùm circa ipsum sacramentum: ad faciendum autem totum id, quod est sensibile in sacramento, non est necessaria supernaturalis virtus, sed ipsa voluntas sua naturali efficacia sufficit, vt suprà ostendi, ad faciendum verò sacramentum in esse sacramenti non requiritur aliqua virtus, vel noua actio physica, quia illud solùm habet significationem ex institutione, vt suprà etiam dixi, ergo superfluè esset confecta omnis virtus, quæ, per modum qualitatis factæ per actionem characteris, additur intentioni sacerdotis, vt sit efficax, sed hoc solo, quòd illa voluntas, & intentio est ab homine designato à Christo ad hoc munus, est efficax ad faciendum hoc sacramentum: ad hoc autem impertinens est, quòd character sit in potentia, vel in essentia. Imò, si propter hoc ponendus esset in potentia, potiùs esset ponendus in voluntate, quàm in intellectu, quia intentio, quæ futura est efficax, in voluntate est formaliter, & cognitio intellectus requiritur, vt conditio necessaria ad actum voluntatis. Sed re vera in neutra potentia est necessarius ad hunc finem, sed solùm quòd ille homo sit consignatus, optimè autem & melius quodammodo & accommodatius designatur homo per qualitatem impressam substantiæ animæ eius, quàm potentiæ. Addo, interdùm intentionem hanc esse efficacem sine vllo charactere, vt constat in ministro Baptismi, aut sine charactere qui sit per modum facultatis actiuæ, vt in Matrimonio: quia in his vt intentio sit efficax, solùm requiritur iuxta diuinam institutionem, quòd sit à tali persona, quia illa non est efficacia physica, sed moralis: idem ergo erit, quando ex institutione diuina requiritur, quòd intentio sit à ministro charactere designato, non enim necesse est, vt character aliquid physicè influat in intentionem, sed solùm quod designet personam ad illud munus: hoc enim posito, si cætera necessaria concurrant, erit intentio moraliter efficax ad conficiendum sacramentum. Neque hæc doctrina pugnat cum ea, quam suprà tradidimus de efficacia sacramentorum, nam tota illa efficacia propriè conuenit ipsis sacramentis respectu gratiæ, minister verò non habet per se efficientiam immediatam, nisi circa ipsum sacramentum, circa quod nullam exercet actionem physicam, & supernaturalem, quia in sacramento nulla perfectio realis ac supernaturalis recipitur, vt latiùs suprà explicatum est.

Intentio ad sacramentū requisita nō physicam, sed moralem habet efficaciam ex eo, quod sit à tali persona.

Quædam respōsio refellitur.

Aliam responsionem indicat Soto loco suprà citato, vbi diserè concedit, characterem non ordinari ad cognoscendum neque ad appetendum, sed ad operandum, scilicet, ad protestandam fidem, & respondens Durando ait, quòd, licēt character non sit cognoscitius, est tamen facultas fidei ad colendum Deum, sicut ipsa docet, nam sicut ars est cognitio practica, ita fides charactere vtitur ad opus. Sed non satis intelligo, quò tendat hæc responsio, aut quomodo argumentis factis satisfaciat. Nam primùm, si character non est cognoscitius, sicut neque appetitiuus, cur ponitur in intellectu, potiùs quàm in voluntate, cùm protestatio fidei quæ est per cultum Dei propriùs ac formaliùs pertineat ad voluntatem, quàm ad intellectum? Secundò, si character est operatiuus, tanquam facultas fidei, inquiro, quæ nam sit eius operatio, aut enim est actus interior spiritualis & immanens, & ita non potest esse nisi actus intellectus, vel voluntatis, aut est actus exterior & corporalis, & ad hunc actum nec character spiritualis potest concurrere, vt suprà ostensum est, nec, etiam si posset, propter hunc concursum oporteret ipsum esse in intellectu, magis quàm alibi. Kursus, si est operatiuus, vel operatio eius est actio vitalis, & sic esse non poterit nisi intellectus, vel voluntatis: vel non est actio vitalis sed per modum transeuntis actionis, & neque explicari poterit qualis sit hæc actio, neque quid deseruiat ad finem conficiendi sacramenta, nec quo fundamento nitatur, vt satis patet ex dictis sectione præcedenti. Ac denique, admisso hoc genere actionis, impertinens est propter illam, characterem ponere in intellectu. Dicet aliquis, esto character non sit operatiuus propriè, ac physicè, sed solùm constituatur per modum signi, nihilominùs posse optimè poni in intellectu solùm, vt ipsum ornet, & perficiat, & hoc modo consignet hominem, sicut necessario dicturi sumus, seruata proportione, etiam si teneamus, illū esse in essentia animæ. Quòd si hoc

Universidad de Deusto Biblioteca

si hoc est posibile, vnde constare potest, non ita factum esse? Videtur enim esse congruum, vt sicut anima per potentias suas colit Deum, ita etiam in aliqua potentiarum consignetur ac destinetur ad illum cultum, & consequenter congruum etiam erit, vt hoc fiat in intellectu qui est primaria potentia, in qua est primum fundamentum cultus Dei, quod est fides. Respondeo, si aliquis esse potest probabilis modus explicandi, & defendendi opinionem D. Thomæ, fortasse nullum alium excogitari posse faciliorem, aut probabiliorem. Valde tamen dubito in primis, an fuerit hæc mens D. Thomæ, propter ea, quæ dixi in fine sectionis præcedentis. Deinde dubito, an potentiæ animæ sint capaces alicuius qualitatis, quæ nec sit actus secundus talis potentiæ, neq; actus primus disponens vel dans virtutem ad simpliciter agendum, vel saltem ad meliùs & faciliùs eliciendũ actum talis potentiæ, quia huiusmodi potentia tota est natura sua destinata ad operandum, & totum suum esse, & speciem suam recipit cum hac inclinatione seu habitudine ad actus & obiecta, & ideò nõ videtur posse perfici in suo esse per aliquam qualitatem, quæ non sit actus secundus, nisi perficiatur in actiuitate sua in ordine ad actum secundum. Tandem, etiam si admittamus, hoc esse posibile, videtur certè maior esse congruentia, quæ suprà adducta est vt ponatur character in ipsa substantia animæ, quæ principaliter destinatur, ac designatur ad sacrum ministerium, & quæ est principale principium omniũ actuum diuini cultus, & quia fere non est maior ratio de intellectu, quàm de voluntate, ita conuenientiùs ponitur in subiecto communi vtrique.

Capacitas potentiarum animæ ad quas qualitates se extendat.

ARTICVLVS V.

Vtrũ character insit animæ indelebiliter.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod character non insit animæ indelebiliter. Quantò enim aliquod accidens est perfectius, tantò firmius inhæret. Sed gratia est perfectior, quàm character: quia character ordinatur ad gratiam sicut ad vlteriorem finem. Gratia autem amittitur per peccatum. Ergo multò magis character.

4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 4. Et Rom. 7. col. 2

¶ 2 Præterea. Per characterem aliquis deputatur diuino cultui, sicut dictum est. Sed aliqui à cultu diuino transeunt ad contrariũ cultum, per apostasiam à fide. Ergo videtur, quòd tales amittant characterem sacramentalem.

ar. 1. & 2. huius quæst.

¶ 3 Præterea. Cessante fine, cessare debet & id quod est ad finem, alioquin frustrà remaneret, sicut post resurrectionem non erit matrimonium, quia cessabit generatio, ad quam ordinatur matrimonium. Cultus autem exterior, ad quem character ordinatur, non remanebit in patria, in qua nihil agetur in figura, sed totũ in nuda veritate. Ergo character sacramentalis non manet in perpetuũ in anima, & ita non inest indelebiliter.

SED contra est, quod August. dicit secundo contra Parmenianum: Non minus hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis nota militiæ. Sed character militaris non repetitur, sed agnitus approbatur in eo, qui veniam meretur ab imperatore post culpam. Ergo nec character sacramentalis deleri potest.

Lib. 2. c. 13. à me. tom. 7.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est) character sacramentalis est quædam participatio sacerdotij Christi in fidelibus eius, vt scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotij potestatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum. Et propter hoc etiã Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotij eius comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum & perfectum ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est æternum, secũdum illud Psalm. 109. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et inde est, quod omnis sanctificatio, quę fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis, nam Ecclesiæ vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cùm igitur anima sit subiectum characteris secundum intellectiuam partem, in qua est fides (vt dictum est) manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.

ar. 3. huius — *art. præc. 3. arg.*

AD primum ergo dicendum, quod aliter est in anima gratia, & aliter character. Nam gratia est in anima, sicut quædam forma habens esse completum in ea, character autem est in anima, sicut quædam virtus instrumentalis, vt suprà dictum est. Forma autem completa est in subiecto, secundum conditionem subiecti, & quia anima est mutabilis secundũ liberum arbitrium, quandiu est in statu viæ, consequens est, quod gratia insit animæ mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis, & ideo character indelebiliter inest animæ, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotij Christi, à quo deriuatur character sicut quædam instrumentalis virtus.

artic.

AD secundum dicendum, quod sicut Augustin. dicit ibidem. Nec ipsos apostatas videmus carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse indicatur. Et huius ratio est, quia character est virtus instrumentalis, vt dictum est. Ratio autem instrumenti consistit in hoc quòd ab alio moueatur,

nõ autem in hoc quòd ipsum se moueat, quod pertinet ad voluntatem. Et ideo quantumcunque voluntas moueatur in contrariũ character non remouetur, propter immobilitatem principalis mouentis.

Lib. [illegible] Donat. à princ. — *In solut. præc.*

AD tertium dicendum, quod quanuis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriã, & in his qui vicerunt, ad gloriam, & in his qui sunt victi, ad pœnam.

COMMENTARIVS.

POterat in disputatione præcedenti quinta sectio seu dubitatio addi: An character sit qualitas incorruptibilis natura sua, hanc verò omisimus explicandam in hoc commentario, quia ferè coincidit cum quæstione huius articuli, idem enim est, characterem esse indelebilem, & permanere semper, & esse aliquo modo incorruptibilem. Respondet ergo D. Thom. vnica assertione, characterem esse indelebilem. Quæ absolutè de fide est, nam sub his verbis definitur in dictis Concilijs Florentino, & Tridentino. Potest autem varios habere sensus. Primus est, quem Caiet. hìc notauit, scilicèt characterẽ semel animæ impressum, ita illi adhærere, vt dimoueri ampliùs non possit, etiam per potentiam Dei absolutam. Et hic sensus, vt rectè ipse docet, est falsus, & à nemine intentus, quia, cùm character sit qualitas realis, quæ à Deo conseruatur, potest ab eodem per suspensionem influxus corrumpi seu destrui, nõ enim ex necessitate naturæ, sed liberè illum conseruat. Sed potest obijci contra hoc ratio D. Thomæ, quia res consecrata, dum manet integra, necessariò manet consecrata, nec potest amittere consecrationẽ etiam de potentia absoluta, vt patet in calice consecrato: sed D. Thom. affirmat, characterem esse ad hunc modum indelebilem, quia anima semel consecrata, non potest non manere consecrata. Respondetur primò, similitudinem non tenere in omnibus: nã character est qualitas realis intrinsecè manẽs in subiecto, & pendens in conseruari à Deo, consecratio verò calicis solũ est denominatio extrinseca ab actu præterito. Vnde quiaad præteritum non est potentia, videri potest illa consecratio inamissibilis, durante subiecto, non verò æquè fit per characterem, quia pendet ex reali præsentia characteris. Secundò dicitur, assumptũ esse falsum, potest enim Deus facere, vt calix, aut qualibet alia res similis semel consecrata, maneat, & perdat consecrationem, vel execrãdo illam aliquibus alijs ceremonijs, vel actibus contrarijs: vel certè volendo & statuendo, vt non sit ampliùs destinata ad vsus sacros, sicut cessante lege veteri fecit, vt templum & vasa eius, quæ antea erant quodammodo sacra, suum statum & dignitatẽ amitterent. Atque idem videre licet in similibus moralibus denominationibus, quæ per contrariam voluntatem auferri possunt. Cùm ergo dicitur, quod res semel consecrata, semper consecrata manet, nisi destruatur, intelligendum est, non in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed vel ex natura rei, vel quantum est ex parte ipsius rei consecratæ, quanquã ab extrinseco agente habente sufficientem potestatem posit auferri consecratio, quæ obiter notanda sunt pro his quæ de voto solenni tractantur 2. 2. quæst. 88. artic. 11.

Indelebilitas characteris, de potentia ordinaria, intelligenda. — *Obiectio.* — *Solutio. 1.* — *Solutio. 2.*

Secundus sensus est, characterem esse indelebilẽ, quia de facto perpetuò manebit in anima, quandiu ipsa durat in quocunque statu, & hoc modo explicat conclusionem suam D. Thom. in solutione ad tertium, qui sensus, licèt verus fortasse sit, non videtur de fide, quia Concilia non intendunt definire, characterem etiam post mortem durare, non enim hoc erat necessarium, vel spectabat ad dogmata fidei. Nã quod character sit indelebilis ex eo præsertim colligitur, quia sacramenta, quæ illum imprimunt, iterari non possunt, sed ad hoc satis est, quòd sit indelebilis, quandiu vita durat, hoc ergo solùm videtur in rigore de fide. Nihilominus tamen prædictus sensus verus censetur, quia & D. Thom. & cæteri scholastici ita sentiunt. Item, quia Concilia absolutè loquuntur, & possunt commodè sine limitatione intelligi. Item, quia si moriatur sacerdos & rursus suscitetur, manebit sacerdos, nec indigebit noua Ordinatione, ergo signum est, conseruari characterem post mortem: & idem argumentum fieri potest de quolibet homine baptizato, & Confirmato. Item quia si character vsque ad mortem durat, non est cur in morte pereat, cùm spiritualis sit, & à corpore non pendeat & in Beatis manere posit sine vlla imperfectione repugnante illi statui, & cum perfectione, quam ex se affert, quia de se est bona qualitas animæ perficiens illam, & deseruire etiam potest in eo statu, vt ibi designati specialiter sint, qui hoc beneficium accepere, abundantius fruendi diuitijs Christi in lege gratiæ. De damnatis verò adhuc est res magis dubia, tamen etiam est probabile in illis manere ad eorum ignominiam, vt D. Thom. ait, & vt notior sit eorum ingratitudo, qui cùm in hac vita sacramentis Christi potiti fuerint, illorum gratia bene vti noluerunt.

Quod character sit indelebilis in vita, de fide est quod autem etiam post mortem, probabile.

Tertius ergo sensus est, characterem esse indelebilem, quandiu homo viuit, ita vt sacramẽtum, per quod ille datur, iterari non posit. Et hoc sensu, vt dixi, est conclusio de fide. Tamen duobus modis explicari potest, & ita duplicem habere sensum, & duplex eius ratio potest reddi. Primus ergo sensus huius veritatis esse potest, quòd Deus conseruat characterem semel impressum semper seu toto tempore vitæ, neque illum aufert propter quodcunque peccatum, & quoad hoc saltem est conclusio de fide, quia hoc, vt minimum, necessarium est ad prædictã veritatem, & quia hoc etiam sufficit, nihil amplius de fide est. Huius autem prouidentiæ seu conseruationis diuinæ respectu characteris præter naturam rei, de qua statim dicemus, reddi potest ratio. Primò ex parte sacerdotij Christi, cuius participatio seu consecratio, quæ ab illo manat, debet esse perpetua, quantum est ex parte eius, atque adeò, quandiu subiectum talis consecrationis durauerit. Nam omnis cõsecratio de se perpetua est, si subiectum duret, & causa efficiens perpetua & sufficiens sit, ergo consecratio etiam, quæ fit per characterem, est perpetua de se durante subiecto eius, quia causa efficiens illius, quæ est sacerdotium Christi, perpetuum est & efficax, ergo & character, quo formaliter fit hæc cõsecratio, perpetuus est, & indelebilis. Atque in hũc modum rectè explicatur ratio D. Thom in articul. in qua propositio illa. *Omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdo-*

Characterem esse indelebilem dupliciter intelligi potest

Universidad de Deusto Biblioteca

cerdotium Christi est perpetua, re consecrata manente*, intelligenda est non de quacunq; sanctificatione, quæ à sacerdotio Christi manat, nã hoc modo etiã sanctificatio quæ fit per gratiam, fit per sacerdotium Christi, nã Christus vt summus Sacerdos remittit peccata, & dat gratiam, & tamen non est perpetua, re sanctificata manente: intelligenda ergo est formaliter de sanctificatione per sacerdotium, id est, quæ fit per quandam participationem actiuam vel passiuam sacerdotij Christi, quæ fit per consignationem quandam, seu deputationem ad ea, quæ pertinent ad cultum Dei, & hoc modo est facilis propositio, & optimè explicatur exemplo consecrationis rei inanimatæ, quo D. Thom. vtitur. Atque in hunc modum explicata ratio directè concludit de tempore, in quo homo durat & viuit, quia simpliciter loquendo homo est, qui consecratur per characterem, sicut homo baptizatur, & Ordinatur. Extendi autem potest, vt D. Thom. etiam significat, ad perpetuam animæ durationem, quia, licèt homo sit, qui consecratur, tamẽ consecrationem, seu formam, qua formaliter consecratur, in anima recipit, quæ perpetuò durat.

Character sua pte natura incorruptibilis est.

Quartus sensus, qui simul continet secundam explicationem seu rationem veritatis fidei, est, characterem semel datum semper conseruari à Deo, quia natura sua est qualitas incorruptibilis, & hic sensus, quanuis non sit de fide, est tamen valde consentaneus principijs fidei, & aptior ad rem fidei explicandam. Deus enim non destruit rem de se perpetuam per solam suspensionem sui influxus vel conseruationis, nisi quando naturales causæ, vel morales id postulant, vt patet in omnibus alijs diuinis effectibus: hac enim ratione Deus nunquã annihilat res quas condidit, corrumpit verò illas, quæ aliquo modo corruptibiles sunt, quando causæ secundæ id postulant, nam alioqui dona Dei sunt sine pœnitentia. Dupliciter autem contingit formam aliquam seu qualitatem esse corruptibilem. Primò physicè ac propriè, & hoc modo character non est corruptibilis, quia est qualitas spiritualis, & caret contrario, & est in subiecto incorruptibili, & à nulla causa creata effectiuè pendet, sed à solo Deo. Secũdo modo potest esse qualitas corruptibilis moraliter, demeritoriè, ac dispositiuè, quomodo amittitur caritas & gratia per peccatũ mortale, & fides per hæresim, & hoc modo non est etiam corruptibilis character, cuius signum à posteriori euidens est, quia nullũ peccatũ etiã desperationis vel hæresis, impedit infusionẽ characteris, dum modò sacramentum perficiatur quoad substantiam ipsius, sicut perfici potest, nõ obstante quocũq; peccato recipientis. Ex quo effectu sumitur ratio à priori, scilicet quia nulla est dispositio in homine contraria characteri, & quasi formaliter illi repugnãs. Aut enim hæc dispositio est habitualis, & hoc non, quia neque in essentia animæ vbi est character, potest fingi habitus aliquis positiuus cõtrarius characteri, nec in potentijs, quarũ habitus, si vitiosi sint, opponũtur alijs habitibus, nõ verò signo, vel potestati alterius rationis, quæ ex voluntate vel malitia non pendeat. Aut illa dispositio esset actus aliquis, & hoc etiam dici non potest, quia actus non est dispositio repugnans habitui, vel qualitati permanenti per modũ habitus, nisi immediatè opponatur alteri actui, qui sit propriè operatio, vel dispositio ad talem habitum: character verò neque habet aliquem actum propriũ intellectus aut voluntatis, vt suprà ostensum est, nec per se requirit vllam dispositionem vt infunda-

A tur. Dicet aliquis, solam rationem demeriti sufficere, vt character sit moraliter corruptibilis, scilicet, demeritoriè, meretur enim peccator priuari omnibus spiritualibus bonis. Vel certè dici potest, sicut ad recipiendum characterem requiritur in adultis voluntas, & intentio recipiendi sacramentum, ita voluntatem contrariam esse dispositionem characteri repugnantem, atque adeò per illam amitti, vt si aliquẽ pœniteat suscepisse Baptismum. Respondetur, si merita peccati mortalis absolutè considerentur, iustissimè potuisse Deum, priuare peccatorem quolibet spiritali beneficio propter tale peccatum, nam etiam posset ea de causa iustè in nihilum illum redigere, tamen secundùm legem ordinariam & conuenientẽ, sicut non priuat illum fide & spe, quando non committit peccata directè his virtutibus repugnantia: ita multò minus priuat illum charactere, propter so-

Quare per p[…] catum non […] leatur char[…] cter.

B lum peccati demeritum, quia non punit peccatum quantum potest, sed quantum expedit iuxta ordinẽ diuinæ sapientiæ. De actu verò illo, quo potest peccator retractare priorem voluntatem suscipiendi sacramentum, respondetur, non esse illam dispositionem contrariam characteri, sicut postquàm aliquis voluntariè se seruum constituit, & signum seruitutis voluntariè suscepit, etiam si eum posteà pœniteat, actio est inefficax, & non est dispositio sufficiens ad expellendum signum seruitutis. Eò vel maximè, q. ad suscipiendum characterem propriè ac formaliter non est necessaria voluntas suscipiendi illum, sed sufficit voluntas recipiendi sacramentum. Vnde, si quis ex ignorantia vel malitia, vellet suscipere sacramentum, & simul nollet recipere aliquem effectum eius, etiam characterem, nihilominus illũ reciperet, quia reciperet verum sacramentum, sacramentum autem

verè susc[…] sacrament[…] quamuis n[…] effectum […] pere, chara[…] rem recip[…]

C non potest priuari hoc effectu, quia ad illum nullam dispositionem voluntatis requirit, & consequenter nec potest illi poni obex, si maneat substantia ac veritas sacramenti, quod propter hanc causam nunquam est iterabile.

Character […] prism & C[…] firmatio[…] quæ auger[…] quæ remit[…] test.

Vltimò potest hic moueri alia quæstio similis præcedenti, & illi annexa, an character sit qualitas indiuisibilis, id est, quæ ex natura sua intendi & remitti non possit. Ad quod dicendum est. Primò, characterem Baptismi nunquam augeri vel remitti in eodem vel diuersis subiectis, neque in vno intensiorem fieri, quàm in alio. Probatur quia nec intendi potest propter iterationem sacramenti, cùm iterabile non sit, neque à principio dari potest intensior propter dispositionem subiecti, quia character per se nullam requirit, neque ab illa pendet, & alioqui

D sacramentum de se æqualem effectum confert, si ex dispositione subiecti non varietur. Præterea potest reddi congruentia, quia cùm character per se primò detur vt signum, oportuit illud esse omnino certum, & indiuisibile, atque adeo omnino idem seu simile in omnibus, qui illo insigniuntur, præsertim cũ ex parte ipsius characteris omnibus detur æqualis potestas ad ea, quæ pertinent ad diuinum cultũ. Atque hinc fit verisimile, qualitatem characteris ex natura sua esse incapacem intensionis & remissionis, quia non repugnat fieri qualitatem huius naturæ, & congruum est, vt Deus contulerit eam qualitatem maximè accommodatam secundùm naturam suam ad effectum seu finem, in quem ordinatur. Secundò dicitur, characterem Confirmationis similiter esse qualitatem indiuisibilem propter easdem omnino rationes. Tertiò idem dicendum est de cha

Character Ordinis an indiuisibilis.

ractere vniuscuiusque Ordinis, si secundùm se consideretur, & comparetur cum alio charactere eiusdem Ordinis, non enim recipit maiorem potestatẽ consecrandi vnus sacerdos, quàm alius, & sic de cæteris Ordinibus, non est ergo intensior character sacerdotalis in vno sacerdote, quàm in alio. Comparando verò characterem inferioris Ordinis ad characterem superioris ordinis, dubitari potest, an sint distinctæ qualitates indiuisibiles, an verò sit vna & eadem, quæ paulatim augeatur per diuersos Ordines, vel per modum intensionis, vel per modum extensionis, sicut solet (vt aiunt) augeri habitus scientiæ: hæc verò quæstio non est hoc loco tractanda, sed cum dicetur de Ordinis sacramento.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character.

Inf. q. 72. ar. 5. Et. 4. dist. 4 q. 1. ar. 4. q. 2 & 3. & q. 3. art. 2. q. 3. Et d. 7. q. 2. ar. 1 q. 1. & q. 3. & 3. q. 3. & dist. 23. q. 1. ar. 2 q. 3. Art. 3. & 5. huius quæst.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character, per omnia enim sacramenta nouę legis fit aliquis particeps sacerdotij Christi. Sed character sacramentalis nihil est aliud, quàm participatio sacerdotij Christi, vt dictum est. Ergo videtur, quòd per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character.

2 Præterea. Character se habet ad animã in qua est, sicut consecratio ad res consecratas. Sed per quodlibet sacramentum nouæ legis homo recipit gratiam sanctificantem, vt suprà dictum est. Ergo videtur, quòd per quodlibet sacramentum nouę legis, imprimatur character.

Quæst. præced. art. 1.

¶ 3 Præterea. Character est res & sacramentum. In quolibet autem sacramento nouæ legis est aliquid quod est res tantum, & aliquid quod est sacramentum tantum, & aliquid quod est res & sacramentum. Ergo per quodlibet sacramentum nouæ legis imprimitur character.

Art. præc.

SED contra est, quod sacramenta, in quibus imprimitur character, non reiterantur, eo quod character est indelebilis, vt dictum est. Quædam autem sacramenta iterantur, sicut patet de pœnitentia & matrimonio. Ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem.

Quæst. 62. ar. 1. & 5.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut suprà dictum est) sacramenta nouæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum diuinum. Est autem omnibus sacramentis commune, quòd per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum per hoc quòd gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum, sicut patet de pœnitẽtia, per

A quam homo liberatur à peccato, non autem per hoc sacramentum, exhibetur homini aliquid de nouo, pertinens ad diuinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Pertinet autem aliquod sacramentum ad diuinum cultum tripliciter, vno modo per modũ ipsius actionis, alio modo per modum agentis, tertio modo per modum recipientis. Per modũ quidem ipsius actionis pertinet ad diuinum cultum Eucharistia, in qua principaliter diuinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium. Et per hoc idem sacramentũ non imprimitur homini character, quia per hoc sacramentum nõ ordinatur homo ad aliquid aliud vlterius agendum, vel recipiendũ in sacramentis, cum potius sit finis & cõsum-

B matio omnium sacramentorum, vt Dionys. dicit 3. cap. Eccles. hierar. Continet tamen in seipso Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotij plenitudo.

Cap. 3. eccles. hier. circa prin. illius.

Sed ad agentes in sacramentis pertinet sacramentum ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta alijs tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ sacramẽta. Vnde Baptismus dicitur esse ianua omnium sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo confirmatio, vt infrà suo loco dicetur. Et ideo per hæc tria sacramenta character imprimitur, scilicet per Ba-

Quæst. 72. a. 5

C ptismum, Confirmationem & Ordinem.

AD primum ergo dicendum, quod per omnia sacramenta fit homo particeps sacerdotij Christi, vt pote percipiens aliquem effectum eius. Non tamen per omnia sacramẽta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum, quod pertineat ad cultũ sacerdotij Christi. Quod quidẽ exigitur ad hoc quod sacramentum characterem imprimat.

AD secundum dicendum, quod per omnia sacramenta sanctificatur homo, secundũ quod sanctitas importat mũditiem à peccato, quæ fit per gratiam. Sed specialiter per quædam sacramenta, quæ characterem imprimunt, homo sanctificatur quadam conse-

D cratione, vt pote deputatus ad diuinum cultum. Sicut etiã res inanimatæ sanctificari dicuntur, in quãtum diuino cultui deputãtur.

AD tertium dicendum, quod licèt character sit res & sacramentum, non tamen oportet, omne id quod est res & sacramẽtum, esse characterem. Quid autem sit res & sacramentum, in alijs sacramentis infra dicetur.

In materia cuiusque in speciali.

HIc articulus explicatus à nobis est sect. prima præcedentis disputationis: quoniã ad explicandam characteris naturam, necessarium fuit, omnes modos & fines characteris explicare, vnde hic nihil addendum occurrit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆTIO LXIIII.

De causa sacramentorum, in decem articulos diuisa.

DEinde considerandum est de causis sacramentorum, siue per autoritatē siue per ministerium.

¶ *Et circa hoc quæruntur decem.*

Primò, vtrū solus Deus interius operetur in sacramentis.

Secundò, vtrum institutio sacramentorum sit solum à Deo.

Tertiò, de potestate, quam Christus habuit in sacramentis.

Quartò, vtrum illam potestatem potuerit alijs communicare.

Quintò, vtrum potestas ministerij in sacramentis, conueniat malis.

Sextò, vtrum mali peccent dispensando sacramenta.

Septimò, vtrum angeli possint esse ministri sacramentorum.

Octauò, vtrum intentio ministri requiratur in sacramentis.

Nonò, vtrum requiratur ibi recta fides, ita scilicet, quod infidelis non possit tradere sacramenta.

Decimò, vtrum requiratur ibi recta intētio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti.

Inf. art. 5. Et 4. dist. 5. q. 1. art. 2. q. 2.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non solus Deus, sed etiam minister interius operetur ad effectum sacramenti. Interior enim sacramenti effectus est, vt homo purgetur à peccatis, & illumine tur per gratiam. Sed ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare & perficere, vt patet per Dionys. in 5. cap. Eccl. hierar. Ergo videtur quod non solus Deus, sed etiam ministri Ecclesiæ interius operentur ad sacra menti effectum.

c. 5. 1. p. per totum.

¶ 2 Præterea. In collatione sacramento rum quædam orationum suffragia proponū tur. Sed orationes iustorum sunt magis apud Deum exaudibiles, quàm quorumcūque, secundum illud Ioan. 9. Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit. Ergo videtur, quod maiorem effectum sacramenti consequatur ille, qui recipit ipsum à bono ministro. Sic ergo & minister aliquid operatur ad interiorem effectum, & non solus Deus.

¶ 3 Præterea. Dignior est homo, quam res inanimata. Sed res inanimata aliquid operatur ad interiorem effectum: nam aqua corpus tangit, & cor abluit, vt Aug. dicit super Ioan. Ergo homo aliquid operatur ad interiorē effectum sacramēti, & non solus Deus.

Tract. 80. in Ioā. post. med.

Sed cōtra est, quod dicitur Rom. 8. Deus est qui iustificat. Cum ergo interior effectus omnium sacramentorum sit iustificatio, videtur, quod solus Deus operetur interiorem effectum sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quod operari aliquem effectum, contingit dupliciter, vno modo per modum principalis agentis, alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti: tum quia solus Deus illabitur animæ, in qua sacramēti effectus existit, non autem potest aliquid immediatè operari, vbi non est. Tum quia gratia quæ est interior sacramenti effectus, est à solo Deo, vt in secunda parte dictum est. Character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quæ manat à principali agente, quod est Deus. Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, in quantum operatur per modum ministri, nam eadem ratio est ministri & instrumenti, vtriusque enim actio exterius adhibetur, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agētis, quod est Deus.

1. 2. q. 112. art. 1.

AD primum ergo dicendum, quod purgatio, secundum quod attribuitur ministris Ecclesiæ, non est à peccato. Sed dicuntur dia coni purgare inquantum, vel immundos eijciunt à cœtu fidelium, vel eos sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionē. Similiter etiam sacerdotes illuminare dicūtur sacrum populum, non quidē gratiam infundendo, sed sacramenta gratiæ tradendo, vt patet per Dionys. ibidem.

Loco citato arg. 1.

AD secundum dicendum, quod orationes quæ dicuntur in sacramentorum collatione, proponūtur Deo non ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ. cuius preces sunt apud Deum exaudibiles, secundum illud Matth. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam cunque petierint, fiet illis à patre meo. Nihil tamen prohibet, quin deuotio viri iusti ad hoc aliquid operetur. Illi tamen quod est sacramenti effectus non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis, vt dictum est. Vnde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum, per deuotionem ministri. Nec tamen minister illud operatur sed impetrat operandum à Deo.

q. 62. art. 5.

AD tertium dicendum, quod res inanimatæ non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumētaliter vt dictum est. Et similiter homines non operantur ad sacramentorū interiorem effectum, nisi per modum ministerij, vt dictum est.

In cor. art.

Ibid.

COMMENTARIVS.

CIrca titulum huius articuli aduertendum occurrit, quæstionem in illo propositam nō tam pertinere ad causas sacramentorum, de quibus titulus totius quæstionis erat propositus, quàm ad explicandam principalem causam gratiæ, quæ est sacramentorum effectus, atq; ita responsio D. Thomæ in articulo huic sensui respondet, dicit enim, solum Deum efficere gratiam vel characterē, qui sunt effectus sacramentorum, vt causam principalem: hominem verò posse cōcurrere vt ministrū: quia eadem est ratio ministri, & instrumenti. Quæ res satis est à nobis in superioribus agitata. Nā quod sacramenta sint causæ instrumētales gratiæ, in quæstione 62. ostensum est: quòd verò solus Deus sit causa principalis, ibidem tactum est, latiùs verò in materia de gratia traditur.

Quæri verò hoc loco potest, an minister sit etiā inter causas gratiæ computandus, & quemnam influxum in eum effectum habeat. Quæ res ex his quæ de charactere diximus, facilè potest etiam expediri. Primò enim simpliciter asserendum est, sacramentorum ministros habere potestatem ministerialē ad remittenda peccata & conferendam gratiam, atque illam conferre per sacramenta. Ita colligitur apertè ex Concilijs Florentino, in Decreto Eugenij, & Trident. sess. 7. 13. & 14. & patet ex veritate illorū verborum. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. Ex quibus sumpta est illa forma. *Ego te absoluo.* Quæ non esset vera, si minister non efficeret effectum sacramenti, vt significat Trid. dicta. sess. 14. ca. 1. & 6. & can. 3. ergo. Confirmatur, nam minister per verba consecrationis dicitur efficere Eucharistiam, seu conuersionem panis & vini, in corpus & sanguinē Christi, ita enim loquuntur Concilium Florentin. & Triden. suprà: ergo eadem ratione per alias formas sacramentorum dicetur efficere gratiam. Nam, sicut in Eucharistia effectus formæ est consecratio materiæ: ita in alijs est sanctificatio personæ, cui confertur sacramentū. Ratio denique est, quia sacramentum omne (Eucharistia excepta) consistit in ipso vsu, qui includit actionem ministri: ergo illamet actio est instrumētum per quod Deus gratiam confert. Atque hac ratione in eucharistiæ sumptione non dicitur minister conferre gratiam, nisi valde remotè, quatenus applicat sacramentum iam factum, quod est causa gratiæ, quæ applicatio neque est actio propria sacramentalis, neque pars sacramenti. At verò in cæteris sacramētis, quia ipsamet actio ministri est quodammodo instrumentalis effectio gratiæ sacramentalis: quia per illam actionem tanquam per instrumentum fit gratia, ideò ministet efficiendo illam actionem dicitur efficere effectum sacramenti.

Ministri medio sacramento efficiunt effectum sacramenti.

Verus minister circa effectum sacramēti idem omnino efficit siue consecratus, siue nō cōsecratus sit.

Secundò verò addendum est, ministrum non habere circa effectum sacramenti actionem aliquam vel influxum distinctum ab actione vel influxu ipsorum sacramentorum; neque aliter illum conferre, quàm dando & efficiendo sacramenta, per quæ ille confertur. Ita colligitur ex communi doctrina Cōciliorum, & Theologorum, qui hoc sensu docent, hanc potestatem ministrorum esse alligatam sacramentis, neque aliter quàm per illa posse operari. Vnde August. lib. 4. de Baptis. cap. 22. inquit *Sacramentum ministrorū opere corporaliter adhiberi, sed per illud Deum hominis consecrationem spiritualiter operari*, & lib. 3. contra literas Petilian. c. 54. de ministro sacramenti sic loquitur. *Ad ministrandum & dispēsandū verbum ac sacramentum, aliquid est, ad mundandum verò, ac iustificandum non est aliquid: quia hoc non operatur in interiori homine, nisi per quem creatus est totus homo.* In quibus vltimis verbis videtur Augustinus omnem prorsus effectionē gratiæ ministro negare. Sed exponendus est de effectione propria & principali, quā minister non habet, neque aliam, præter ministeriū dandi sacramentum, quod est instrumentum Dei ad efficiendam gratiam. Ratio præterea colligi potest ex his, quæ suprà dicta sunt de charactere, vbi ostendimus, illum non habere proprium ac physicum influxum in sacramentum, vel effectum sacramenti. Hinc enim necessariò sequitur, ministrum ipsum nullam aliam physicam actionem habere immediatè, præter verborum prolationem, ablutionem, vnctionem, vel aliam physicam actionem, per quam sacramentum confert immediatè, & per illud efficit gratiam.

Ex quo intelligimus, non maiorem efficientiam physicam habere circa effectum sacramenti, ministrum consecratum, quàm nō consecratum, dummodò vterq; verum sacramentum conficere valeat, vt contingit. v. g. in Baptismo dato à laico, vel à sacerdote. Ita docuit Soto. 4. d. 1. q. 5. art. 1. cuius sententia vera est, quamuis oppositum doceat Palud. in 4. d. 1. q. 1. num. 85. Quanquam non comparet ministrum Baptismi consecratum cum non consecrato, sed absolutè ministrum Baptismi, & Matrimonij, cū ministris aliorum sacramentorum. Atque idem sentit Capreol. ibi q. 1. art. 3. ad 2. Durandi cōtra 4. conclu. Soto probat suam sententiam, quia non est minus vera forma Baptismi. *Ego te baptizo*, prolata à laico, quàm à sacerdote; sed illa non solū significat externam sed etiā internam ablutionem; ergo eodem modo confert gratiam vnus, ac alius. Secundò, quia in Matrimonio nullus alius est minister, qui ad sacramentum concurrat, præter contrahentes ipsos; ergo sicut in alijs sacramentis, in quibus requiritur minister consecratus, qui actione sua applicat formā sacramenti, vel etiam materiam, dicitur conferre gratiam, quæ per eam formam datur, ita etiam coniuges, quia exhibent actione sua sacramentale signum, quo constituitur sacramentum & datur gratia, dicētur efficere gratiam. Ratio verò à priori est, quia vbi minister non consecratus sufficit ad sacramentum, ex institutione diuina est designatus ad illud ministerium saltem vt sufficiēs causa eius in suo ordine: quòd autem hæc deputatio facta sit per cōsecrationem aut sine illa, nihil confert ad efficientiam physicam, cùm ostensum sit, characterem, qui per consecrationem datur, non esse virtutem physicam

Universidad de Deusto
Biblioteca

effectiuam gratiæ. Quamuis ergo in hoc differant A
minister cõsecratus & non consecratus, quòd vnus
confert sacramentum vt minister ex officio, alius ve
rò non; tamen in modo concurrendi ad effectum sa
cramenti nulla est differentia, nec maius est inconue
niens, quòd laicus vel etiam infidelis possit dici gra
tiam conferre, quàm quòd possit esse verus minis
ter ad conficiendum & dandum sacramentum. At
que eadem ratione censeo, non magis cõcurrere ad
gratiam, quæ per Eucharistiam datur, sacerdotem
dispensantem Eucharistiam consecratam, quam dia
conum, vel etiam laicum: quãuis Soto oppositum di
cat. Et ratio est, quia nullus horum ministrorum ha
bet in illo effectu aliam actionem præter localem ap
plicationem sacramenti, vnde, quòd sacerdos habet
virtutem ad conficiendum tale sacramentum, & nõ
alius, poterit quidem conferre ad moralem dignita
tem, & ad habendum ius dispensandi sacramentum,
non verò ad efficientiam de qua agimus. Quin po- B
tiùs, si res attentè consideretur, in dispensatione hu
ius sacramenti, priùs tempore cessat actio ministri,
quàm gratia detur, nam minister solum applicat sa
cramentum ori, & ibi cessat eius actio, gratia verò
postea datur in ipsa manducatione, quę potiùs sit
physica actione, & efficientia ipsius hominis susci
pientis, qui etiam non dicitur propriè conferre gra
tiam propter rationem suprà datam.

Non magis cõcurrit ad gratiam sacerdos dispensans Eucharistiã, quã laicus.

In solutione ad primum duo dicit D. Thom. Pri
mum est, *quòd purgatio secundum quod tribuitur à mini
stris Ecclesiæ, non est a peccato*, sed intelligendus est lo
qui ad mentem Dionysij cap. 5. de cæleſt. Hierar.
vt citatur in codice D. Thom. reperitur tamen. lib.
de Eccles. Hiera. c. 7. Tribuit enim hanc actionẽ pur
gãdi spiritualiter fideles, ministris Ecclesiæ, ad quos
spectat docere, admonere, ac disponere fideles ad sa
cramentorum susceptionem. Nihilominùs tamen si C
sub ministris Ecclesiæ comprehendamus sacerdotes
in quibus est potestas clauiũ, eis attribui potest pur
gatio à peccato eodem modo, quo eis tribuitur
effectus sacramenti, scilicet ministeriali modo; nã
inter effectus sacramentorum comprehenditur pur
gatio à peccato. Secundo ait D. Tho. sacerdotes illu
minare populum, *non gratiã infundendo, sed sacramen
ta gratiæ tradendo.* Ex quibus verbis colligit Soto su
prà, sentire D. Thomã, sacramentum non attingere
effectionem illius qualitatis, quæ est gratia, quia cũ
gratia non fiat, nisi per infusionem, si sacramentum
illam efficeret, eam etiam infunderet; ergo & sacer
dos per sacramentum infunderet gratiam, quod D.
Thom. negat. Sed longè alia est mẽs D. Thom. quòd
enim sacramenta gratiam efficiant satis diserte in su
perioribus docuit: atque eodem sensu concedi potest
quòd gratiam infundunt. Hic verò solùm voluit D. D
Thom. docere, sacerdotes non illuminare interiùs,
ac merè spiritualiter, circa mentem hominis operãdo
neque aliqua alia speciali actione, præter quàm sacra
menta gratiæ tradendo.

Quomodo sit intelligendus D. Tho.

In solutione ad secũdum tangit Diuus Thomas
quæstionem illam, quid sanctitas, meritum, aut ora
tio ministri conferat ad effectum sacramenti,
de qua re diximus suprà Disputatione
7. Sectione 5. Solutio ad tertium
nulla indiget expo-
sitione.

(3)

ARTICVLVS. II.

Vtrùm sacramenta sint solùm ex institutione diuina.

4. dist. 3. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 1. & dist. 5. q. 1. artic. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sacramenta non sint solum ex institutione diuina. Ea enim quæ sunt diuinitus instituta, traduntur nobis in sacra scriptura. Sed quædam aguntur in sacramentis de quibus nulla fit mentio in sacra scriptura, putà, de chrismate, quo homines confirmantur, & oleo, quo sacerdotes inunguntur: & de multis alijs tam verbis, quàm factis, qui bus vtimur in sacramentis. Non ergo sacramenta sunt solùm ex institutione diuina.

2 Præterea, Sacramenta sunt quædam sig na. Res autem sensibiles naturaliter quædam significant, nec potest dici quod Deus quibusdam significationibus delectetur, & non alijs, quia ipse omnia quæ fecit approbat. Hoc autem proprium videtur esse dæmonũ, vt quibusdam signis ad aliquid alliciantur, di cit enim Augul. 21. de Ciuitate Dei. Alliciũ- *Lib. 21. c. 6. parum a med. tom.* tur dæmones ad inhabitãdum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabili bus pro sua diuersitate diuersis, nõ vt animalia cibis, sed vt spiritus signis. Nõ ergo vide- *Lib. 1. de sacra. p. 9. c. 2.* tur, quod sacramenta indigeant esse ex institutione diuina.

¶ 3 Præterea, Apostoli vicem Dei gesserunt in terris: Vnde Apostolus dicit, 2. ad Corinthios 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, id est, ac si ipse Christus donasset. Sic ergo videtur, quod Apostoli & eorum successores possint noua sacramenta instituere.

SED contra est, quòd ille instituit aliquid, qui dat ei robur & virtutem, sicut patet de instituroribus legum. Sed virtus sacramenti est à solo Deo; vt patet ex prædictis. Ergo solus Deus potest instituere sacra- *Art. prec. q. 62. ar. 1. 5.* mentum.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut ex supradictis patet) sacramenta instrumentaliter operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem à principali agente. Agens autem respectu sacramenti est duplex, scilicet instituens sacramentum, & vtens sacramento instituto, applicando scilicet ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo, qui vtitur sacramento, quia non operatur nisi per modum ministerij. Vn de relinquitur, quòd virtus sacramenti sit ab eo, qui instituit sacramentum. Cum igitur virtus sacramenti sit à solo Deo, consequens est

est, quod solus Deus sit sacramentorum in- A
stitutor.

Ad primum ergo dicẽdum, quod illa, quæ aguntur in sacramentis per homines insti tuta, non sunt de necessitate sacramenti, sed ad quandam solennitatem, quæ adhibetur sa cramentis, ad excitandam deuotionem & re uerentiam in his qui sacramenta suscipiunt. Ea verò quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus & homo. Et licèt non sint omnia tradita in scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex fami liari Apostolorum traditione, sicut Apostolus dicit 1. ad Corinth. 11. Cætera cum vene- B
ro disponam.

Ad secundum dicendum, quòd res sensibiles aptitudinem quandam habent ad signi ficandum spirituales effectus ex sui natura, sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione diuina. Et hoc est quod Hugo de Sancto Victor. dicit, quòd sacramentum ex institutione significat. Præelegit tamen Deus quasdam res alijs ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur eius effectus, sed vt sit cõ uenientior significatio.

Ad tertium dicendum, quòd Apostoli & eorum successores, sunt vicarij Dei, quãtum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem C
& fidei sacramenta: Vnde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, nec instituere alia sacra mẽta, sed per sacramẽta, quæ de latere Chri sti pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.

COMMENTARIVS.

QVanuis D. Thom. solùm de facto quæ stionem proponere videatur; respondet tamen etiam de potestate, negando posse alium præter Deum sacramenta instituere: quod in telligit de cõnaturali, & intrinseca potestate, quam vocant supremæ autoritatis, nam de alijs inferiori- D
bus, articulis sequentibus dicturus est, & hoc sensu assertio Diui Thomæ est perspicua, præsertim si in telligatur solùm de sacramentis nouæ legis, vt iuxta mentem, & rationẽ eius satis commodè exponi po test. Probat enim prædictam assertionem, quia cùm solus Deus possit esse principalis autor gratiæ, solus etiam ipse potest dare sacramentis virtutem confe rendi gratiam, & consequenter solus ipse potest ea instituere, quia ex institutione habent sacramenta prædictam virtutem. Quæ ratio vim habet, siue virtus sacramentorum ad efficiendam gratiã sit phy sica, siue moralis, siue per modum causæ propriæ, siue per modum conditionis ad cuius præsentiam infallibiliter gratia detur; quia omnibus his modis solus Deus potest efficere, vt collatio gratiæ sit infal libiliter coniuncta cum susceptione seu præsentia sa cramenti, vt bene Caietanus notauit. Hæc verò ra- *Inf. art. 4. co. Et 4. dist. 5. q. 1. art. 1. & q. 2. ar. 2. q. 2.*

tio, vt constat, directè solùm procedit de sacramen tis nouæ legis, quorum est propria hæc virtus. At que eadem ferè ratio applicari potest circunciſioni, & sacramento legis naturæ, quatenus in illis infalli biliter dabatur gratia paruulis ex lege diuina. Quo modo autem extendi etiam possit ad sacramenta ve tera, quatenus erant nuda signa, dicemus in sequen ti disputatione, vbi rem totam latiùs tractabimus. Argumenta D. Thom. non indigent expositione.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus, secundum quod homo, habuerit potestatem operandi interiorem effectum sacramentorum.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Christus secundum quod homo, habuerit potestatem operãdi interio- *Inf. art. 4. co. Et 4. dist. 5. q. 1. art. 1. & q. 2. ar. 2. q. 2.* rem effectum sacramentorum. Dicit enim Ioan. Baptista, vt habetur Ioannis primo. Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi di xit: Super quem videris Spiritum descenden tem & manentem super eum, hic est qui bap tizat in Spiritu sancto. Sed baptizare in Spi ritu sancto, est interius gratiam Spiritus san cti conferre. Spiritus sanctus autem descen dit super Christum in quantum homo, nõ in quãtum Deus, quia sic ipse dat Spiritum san ctum. Ergo videtur, quòd Christus secũdum quod homo, habuerit potestatem interiorẽ effectum sacramẽtorum causandi.

¶ 2 Præterea, Matth. 9. Dominus dicit. Sciatis quia Filius hominis habet potestatẽ in terra dimittẽdi peccata. Sed remissio pec catorum est interior effectus sacramenti. Er go videtur quod Christus, secundum quod homo, interiorem effectum sacramentorũ operetur.

¶ 3 Præterea, institutio sacramentorum pertinet ad eum, qui tanquã principale agẽs operatur ad interiorem sacramẽti effectum. Manifestum est autem, quòd Christus sacra- D
mẽta instituit. Ergo ipse est qui interius ope ratur sacramentorum effectum.

¶ 4 Præterea, Nullus potest sine sacramẽ to effectum sacramenti cõferre, nisi propria virtute sacramenti effectum operetur. Sed Christus sine sacramento contulit sacramẽti effectum, vt patet in Magdalena, cui dixit: Dimittũtur tibi peccata. Ergo videtur, quòd Christus secundum quod homo, operetur interiorem sacramenti effectum.

¶ 5 Præterea. Illud in cuius virtute sacra mentum operatur, est principale agens ad interiorem effectum. Sed sacramenta habent virtutem ex passione Christi & inuocatione nominis eius, secundum illud 1. ad Corinth. 1. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut

Universidad de Deusto Biblioteca

aut in nomine Pauli baptizati estis? Ergo Christus in quantum homo, operatur interiorem effectum sacramenti.

Habetur. 1. q. 1. c. Multi secularium, à me. illius simile habet Aug. libro 3. con. Donat. c. 10. à me. tom. 7.

SED contra est, quòd Augustinus dicit, quòd in sacramentis diuina virtus secretius operatur salutem. Diuina autem virtus est Christi secũdum quod est Deus, non autem secundum quod est homo. Ergo Christus nõ operatur interiorẽ sacramẽti effectũ, secũdũ quod est homo, sed secundũ quod est Deus.

RESPONDEO dicẽdum, quòd interiorem sacramentorum effectum operatur Christus, & secundum quod est Deus, & secundum quod est homo, aliter tamen & aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per autoritatem; secundũ autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritoriè & efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim quod passio Christi, quæ competit ei secũdum humanam naturã, causa est nostræ iustificationis, & meritoriè, & effectiuè, non quidem per modum principalis agentis, siue per autoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum diuinitatis eius, vt suprà dictum est. Sed tamen quia est instrumentum coniunctum diuinitati in persona, habet quandam principalitatem & causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ, vt ex supradictis patet. Et ideò sicut Christus in quantum Deus, habet potestatẽ autoritatis in sacramentis, ita in quantum homo, habet potestatem ministerij principalis, siue potestatem excellentiæ. Quæ quidẽ consistit in quatuor. Primò quidem in hoc quod meritum & virtus passionis eius operatur in sacramentis, vt suprà dictum est. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem (secundum illud ad Romanos 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius) quam fidem per inuocationem nominis Christi protestamur, ideo secundò ad potestatem excellẽtiæ, quã Christus habet in sacramentis, pertinet quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quòd tertiò ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potiùs è conuerso, ideo quartò ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramẽtorum sine exteriori sacramento cõferre.

Quæst. 48. & 49. — Quæst. 13. ar. 2. & 3. — Art. 1. huius quæst. — Quæst. 62. ar. 5.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta, vtraque enim pars obiectionum secundum aliquid vera est, vt dictum est.

In corp. art.

COMMENTARIVS.

QVæstio hæc, prout à D. Thoma proponitur, magis pertinet ad disputationem de causis gratiæ, quam de causis sacramẽtorũ eam tamen hoc loco inseruit, vt ex potestate, quam Christus habuit ad conferendam gratiam, explicaret eam, quam habuit ad instituenda sacramẽta. Sed de hac re ex professo disseruimus in primo tomo huius 3. part. disputatio. 47. sectione. 1. & ideò hoc loco nõ erit necesse plura addere, litera enim D. Tho. per se satis perspicua est.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus potestatem suam, quã habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare. Vt enim argumentatur August. contra Maxim. Si potuit & nõ voluit, inuidus fuit. Sed inuidia longè fuit à Christo, in quo fuit summa plenitudo charitatis. Ergo cum Christus non communicauerit suam potestatem ministris, videtur, quòd non potuerit cõmunicare.

4. dist. 5. q. ... ar. 2. & ... q. 1. & 2. — Libr. 3. contra Maxi. c. 7. ... fin. tom. 6.

¶ 2 Præterea. Super illud Ioannis decimo quarto. Maiora horum faciet, dicit Augustin. Prorsus maius hoc esse dixerim, scilicet vt ex impio iustus fiat, quam creare cælum & terram. Sed Christus non potuit communicare discipulis, quod crearent cælum & terram. Ergo neque quòd iustificarent impium. Cùm igitur iustificatio impij fiat per potestatem Christi, quam habet in sacramentis, videtur, quòd potestatem suam, quam in sacramentis habuit, non potuerit ministris communicare.

Tracta. 7... Ioan. post ... tom. 9.

¶ 3 Præterea, Christo, in quantum est caput Ecclesiæ competit, vt ab ipso gratia deriuetur ad alios, secundum illud Ioannis primo, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed hoc non fuit alijs communicabile, quia sic Ecclesia esset monstrosa, multa capita habens. Ergo videtur quòd Christus potestatem suam non potuerit ministris cõmunicare.

SED contra est, quòd super illud Ioan. primo. Ego nesciebam eum, dicit Augustin. quod non nouerat potestatem baptismi, ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturũ. Hoc autem non ignorasset Ioannes, si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo suam potestatem Christus ministris cõmunicare.

Tractat. ... Euang. Ioan. non ... te med. to...

RESPON-

Art. præced.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est, Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Vnam authoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus, & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec diuina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo. Et talem potestatẽ potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorũ meritum operaretur ad sacramentorum effectus, vt ad inuocationem nominum ipsorum sanctificarẽtur sacramenta, & vt ipsi possent sacramenta instituere, & sine ritu sacramentorum, effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo.

AD primum ergo dicendum, quòd Christus non ex inuidia prætermisit potestatem excellentiæ Ecclesiæ ministris communicare, sed propter fidelium vtilitatem, ne in homine spem ponerent, & ne essent diuersa sacramenta. Ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur: sicut apud illos, qui dicebant. Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, vt dicitur 1. Corinth. 1.

AD secundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de potestate autoritatis, quæ conuenit Christo secundum quod est Deus, licet & potestas excellentiæ possit autoritas nominari, per comparationem ad alios ministros. Vnde super illud 1. ad Corinth. 1. Diuisus est Christus dicit Glos. quòd potuit eis dare autoritatem Baptismi, quibus contulit ministerium.

Glos. ord. ibi.

AD tertium dicendum, quod ad hoc inconueniens euitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alij verò secundariò.

COMMENTARIVS.

HAnc quæstionem tetigimus etiam loco suprà citato; & iterum in sequenti disputatione eam attingemus, nunc, quod ad literam D. Thomæ attinet, solum occurrit considerandum, quid D. Thom. respõdeat secundo argumẽto, quod in hunc modũ proposuerat. Maius est iustificare impium, quàm creare cælum, & terram; sed Christus non potuit communicare ministris, quòd crearent cælum, & terram; ergo nec quòd iustificarẽt impiũ. Respondet autem, argumentum hoc procedere de potestate autoritatis, quæ conuenit Christo secundum quod est Deus. Quæ solutio non videtur euacuare argumenti difficultatem, nam eadem propositione vrgere potest argumentum; quia maius est iustificare, quàm creare, sed potestas instrumentalis creandi non potest communicari: ergo nec potestas instrumentalis iustificandi. Cui argumento, si vera sunt quæ suprà diximus, facilè responderi potest negando minorem, sed iuxta mentem D. Thom. dicẽdum videtur, maiorem propositionem intelligendam esse de potestate iustificandi per propriam autoritatem, non verò de potestate instrumentaria. Et ratio reddi potest, quia licèt creatio & iustificatio æqualẽm potentiam requirãt in principali operãte, iustificatio verò est opus maioris misericordiæ, vt Aug. dixit. tract. 72. in Ioan. atque ita in causa instrumentaria non requiritur hic excessus respectu iustificationis: & aliunde creationis opus (iuxta hanc sententiam) habet specialem difficultatem propter modum quo fit ex nihilo & sine concursu subiecti: sed de hoc aliàs.

Quam vim habeat solutio D. Thom.

DISPVTATIO XII.

De causa instituente sacramenta.

QVoniam sacramenta non sunt res, aut signa merè naturalia, sed ex impositione pendent; ideò duplicem causam requirunt, alteram quodammodò remotam & primam, quæ illa ad significandum imponat, & cõsequenter eorũ essentiam seu essentialia principia instituat. Alteram proximè efficientem, & applicantem sacramentum. De priori egit D. Thom. in his articulis, de posteriori verò in sequentibus, quorum materiam in sequenti disputatione comprehendemus. Nũc de priori causa duo breuiter tractanda sunt, primum de facto, quę fuerit. Deinde de possibili, quæ potuerit esse causa institutionis sacramentorum.

SECTIO I.

Vtrùm omnia sacramenta fuerint à Deo, vel à Christo Domino immediatè instituta.

PRima sententia est hæreticorum huius temporis, qui solum duo sacramẽta dicunt esse à Christo instituta: quia de his tantùm existimant fieri mentionem in Scriptura; & reliqua, quæ in Scriptura non sunt expressa, vocãt traditiones humanas. Sed si quis rectè consideret, isti nõ negant, Christũ instituisse omnia sacramenta quæ in lege noua esse existimant, sed errant circa numerum sacramentorum. Contra quorum errorem quæstione 65. disputandum est.

Secunda sententia est quorundam Catholicorum, qui negarũt Christum immediatè instituisse omnia sacramenta, præsertim Confirmationem, & Extremam vnctionem. Sed quia huiusmodi opiniones cõmodiùs tractabũtur, disputando de singulis sacramentis, ideo nunc illis prætermissis, breuiter est definienda veritas. Et priùs dicemus de sacramẽtis nouæ legis, posteà de reliquis.

Dico primò. Christus Dominus immediatè ac per se ipsum instituit omnia sacramenta nouæ legis. Conclusio est omnino certa ex definitione Concilij Tridentini, sessione 7. canon. 1. vbi sic inquit. Si *quis dixerit, sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Vbi prætermi-

Omnia sacramenta a Christo immediatè instituta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

termisit Concilium illam particulam, *immediatè, & per se ipsum*, & ideò non dixi absolutè, conclusionem esse de fide, tamen hanc fuisse Concilij mentem vix potest dubitari. Primò ex proprietate sermonis, nam quæ Christus immediatè non præcepit, etiam si ab Ecclesia præcipiantur per potestatem ab ipso acceptam, non dicuntur esse præcepta à Christo, sed ab Ecclesia: ergo eadem ratione si non Christus immediatè, sed Ecclesia per potestatem ab ipso acceptam, instituisset vel omnia, vel aliqua sacramenta, nō posset propriè ac verè simpliciter dici, omnia sacramenta esse à Christo instituta; cùm ergo Concilium hoc absolutè doceat, planè loquitur de immediata institutione. Secundò, quia idem Concilium eadem sessione, can. 13. longè aliter loquitur de ceremonijs, seu ritibus sacramentalibus, qui in solenni sacramentorum administratione adhiberi solent, quos ab Ecclesia approbatos esse dicit, & consuetudine receptos, sentiens huiusmodi ritus esse ab Ecceſia approbatos & institutos per potestatem à Christo acceptam, vt expresiùs dixit sessione vigesima prima, capite secundo: ergo sentit, sacramenta non hoc modo, sed immediatè fuisse à Christo instituta; propter hāc enim causam longè aliter de sacramentis, quàm de sacramentalibus loquitur. Quod egregiè confirmari potest ex illo capite sessionis vigesimæ primæ, vbi ait, *Perpetuo fuisse in Ecclesia potestatem, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, posset ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* In quibus verbis illud maximè ponderandum est, *Salua illorū substantia*, quo apertè docet Concilium, Ecclesiam nullam habere potestatem ad mutandam substantiam sacramentorum, vtpotè quòd non fuerint ab ea proximè instituta; neque in ea vllam potestatem accepit; supponit ergo, Christum ipsum tradidisse Ecclesiæ sacramentorum substantiam, eamque immutabilem esse voluisse, hoc autem ipsum fuit, sacramenta immediatè instituere. Denique de institutione sacramentorum, quòd fuerit à Christo mediatè vel immediatè, nullum erat dubium, neque aliquis vnquā negauit omnia sacramenta esse à Christo instituta alterutro ex dictis modis; quod ergo ab aliquibus reuocabatur in dubium, an scilicet omnia essent à Christo immediatè instituta, voluit docere Concilium; & ideò inferius sessione vigesima quarta, canone primo de Extrema vnctione, de qua maximè dubitari poterat, definit illam esse à Christo institutam, & à sancto Iacobo promulgatam, qua distributione satis declarat, se loqui de immediata institutione.

Secundò, hæc definitio concilij habet fundamentum in scriptura, in qua institutiones duorum sacramentorum à Christo traditas clarè & expresse habemus, scilicet, Baptismi, & Eucharistiæ. Matth. 26. & 28. de duobus verò alijs, scilicet Pœnitentia, & Ordine, quanuis non sit tam aperta materiæ & formæ expressio, tamen de Pœnitentia satis significata est illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* De Ordine verò in illis, *Hoc facite*, Matthæi. 26. & ex his à paritate rationis intelligimus, reliqua omnia, quæ sunt vera ac propria sacramenta, eodem modo esse à Christo instituta, quanuis eorū institutio scripta expressè non sit: quia ex traditione Ecclesiæ habemus in hoc omnia sacramenta esse æqualia, atque omnia pertinere ad Ecclesiæ fundamenta, quæ immutabilia esse oportuit. Et confirmatur, quia si aliquis præter Christum potest existimari institutor alicuius sacramenti, maximè Apostoli; sed Apostoli in Scriptura non dicuntur institutores, sed dispensatores sacramentorum, & ministri Christi, 1. ad Corinth. 3. *Quid est Paulus? Quid verò Apollo? Ministri sunt eius, cui credidistis*, & capit. 4. *Sic nos existimet homō, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Petri 4. *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

Tertiò, ex Patribus Ambros. 4. de sacramentis, capit. 4. *Auter sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Augustinus Epistola 118. cap. 1. *Primum* (inquit) *tenere se volo, Dominum nostrum Iesum Christum leui iugo suo nos subdidisse, & farcina leui. Vnde sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facilliſima, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipſius; & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis commendatur.* Quæ vltima verba cum debito moderamine interpretanda sunt, videtur enim eis Augustinus significare, solùm ea sacramenta esse à Christo instituta, quæ in scriptura continentur. Et difficultatem auget verba quæ paulò post subdit, *Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri.* Hæc verò vltima verba in primis nō sunt intelligenda de sacramentis; nulla enim sunt (vt dixi) ab Apostolis, vel Concilijs instituta, sed de alijs quibusdam ceremonijs, quas vniuersa seruat Ecclesia, vt sunt celebratio Paschatis, & aliæ similes, in quibus Augustinus ponit exemplum. Deinde non est vniuersaliter intelligendum, omnia, quæ in Scriptura sacra non continentur, esse ab hominibus instituta; & non immediatè à Christo; nam aliqua potuerunt Apostoli ab ipsius Christi ore accipere, & Ecclesiæ tradere; etiam si scripta non sint, vt docuit hoc loco Diuus Thomas, articulo secundo ad primum; dicens omnia, quę sunt de necessitate sacramentorū, esse à Christo institutа, & licèt non sint omnia tradita in scripturis, ea tamen habere Ecclesiam ex familiari Apostolorum traditione. Quod ideò Diuus Thomas dixit, quia, licèt omnia sacramenta habeāt in Scriptura aliquod fundamentum, non tamen omnium institutio est ibi sufficienter expressa, seclusa traditione.

Dices, si ea, quæ traditione habentur, interdùm creditur manasse immediatè à Christo, interdùm verò ab Apostolis, vel Ecclesia, quo modo iudicare possumus, quando traditio est prioris generis, aut posterioris; nam ex sola antiquitate discerni non possunt. Quanquam enim Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 24. dicat, *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*, licèt (inquam) hoc verum sit, fieri tamen potest, vt hæc nō tantum autoritate Apostolica, aut tanquam promulgante Christi voluntatem & institutionem, aut tanquam instituente & ordinante, & in hoc dijudicando magna est difficultas, quia ex sola antiquitate, vt dixi, dicerni non potest. Et ideò obseruanda primò est materia traditionis, nam si pertineat ad substantialia fundamenta fidei seu Ecclesiæ, signū est ab ipso Christo manasse immediatè, quia solus ipse est autor fidei & Ecclesiæ, & huiusmodi est traditio, de qua nunc agimus. Deinde ipsamet traditio consulenda est, ipsa enim se ipsam manifestat qualis sit, quia nimirùm simul tradit, & docet suam originem; vt in præsenti, non solùm ex traditione habemus sacramenta, sed etiam eorum originem, scilicet Christi institutionem. Denique Ecclesiæ autoritate, & definitione, seu communi consensu de origine vniuscuiusque traditionis iudicandum est. Atque in hunc modum exponendus etiam est alius locus Augustini libro 3. de Doctrina Christiana, capit. 9. vbi agens de sacramentis nouæ legis, inquit, *Quædam pauca pro multis eademque facilia, & intellectu augustiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus, Apoſtolica tradidit diſciplina.* Intelligit enim Dominum tradidisse, vt eorum autorem, Apostolos verò, vt promulgatores. Est etiam alius locus non facilis apud Cyprian. qui in eundem sensum trahi, ac piè exponi debet, nam in sermone dolorione pedum, postquàm de Eucharistiæ sacramento rectissimè dixit, *Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor & autor*, subdit deinde, *In cæteris homines Spiritum ſanctum habuere doctorem, & ſicut par eſt Spiritui ſancto, & Chriſto diuinitas, ita in ſuis inſtitutis æquata eſt autoritas & poteſtas, nec minus ratum eſt, quod dictante Spiritu ſancto, Apoſtoli tradiderunt, quàm, quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem præcepit.* Qui locus primùm ita potest exponi, vt licèt in illis primis verbis, *Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor & autor*, in singulari de sacramento loquatur, non tamen de vno definito, sed de quolibet; atque adeò de omnibus sacramentis nouæ legis; nam ibidem planè docet, Baptismum, Pœnitentiam, & alia esse à Christo instituta. Cùm ergo subdit, *Reliqua tradita eſſe ab hominibus, Spiritu ſancto dictante*, non intelligit de sacramentis, sed de alijs ritibus & ceremonijs; vel si aliqua est cōstituenda differentia inter Eucharistiam & alia sacramenta, non est ponenda in institutione, seu materiæ & formæ designatione, sed in promulgatione, & vsu, nam sacramentum Eucharistiæ, non solùm per se institue re, sed etiam per se conficere Christus voluit, quod in nullo alio sacramento fecisse constat. Nam, licèt probabile sit, aliquos per se ipsum baptizasse, id tamen in Scriptura non legitur; & quanuis etiam Apostolos Sacerdotes ordinauerit, non tamen propriè conferendo sacramentum, sed per excellentiæ potestatem, illis verbis, *Hoc facite*, & illis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Fuit etiam in hoc singulare Eucharistiæ sacramentum, quod non solùm Christus tradidit, sed etiam accepit. Denique aduertit rectè Diuus Thomas in quarto, distinctione 23. quæstione prima, articulo primo, quæstiuncula tertia, ad primum & secundum, in Scriptura explicatiùs tradita esse quædam sacramenta, quæ sunt præcipua; & magis necessaria; alia verò per Apostolos fuisse tradita, quanuis à Christo fuerint etiam instituta; & ibidem piè exponit Catholicos autores dicentes, quædam sacramenta esse ex institutione Apostolorum, quod per institutionem, intelligant promulgationem.

Quartò, afferre possumus rationes & congruentias, ob quas Christus hanc institutionem sacramentorum sibi soli reseruauit. Primò, quia hæc institutio pertinet ad quandam excellentiæ potestatem, quam decuit soli humanitati Christi communicari propter singularem eius dignitatem, & excellens meritum. Nunc enim non agimus, an hæc potestas alijs hominibus communicari potuerit; & ideò non vtimur rationibus sumptis ex rei possibilitate, sed ex decentia. Secundam indicat D. Thom. hic articulo 4. ad 1. dicens Christum per se solum instituisse sacramenta propter fidelium vtilitatem, ne in homine spem ponerent. Vnde, sicut fides Christi Dei hominis est necessaria ad salutem, & in lege nouæ oportet, vt sit explicita, ita etiam decuit, ipsum esse autorem sacramentorum, in quibus fit huius fidei professio, & per quæ applicatur hominibus gratia, & iustitia propter merita Christi. Tertiam addit Diuus Thom. eodem loco, scilicet, ne varia sacramenta multiplicarentur, ex quo facilè nasci poterāt diuisiones, & schismata in Ecclesia. Quartam addit ibid. solut. ad 3. quia solus Christus est caput Ecclesiæ, eiusque institutor & autor, & ideò ad eum pertinuit illius iacere fundamenta, & dare sensibilia signa, quibus homines in hac Ecclesia congregarentur, & ab alijs congregationibus secernerentur; nam, licèt sacramenta sola non sufficiant ad discernendam Ecclesiam, & ad veritatem & vnitatem eius indicādam, nisi simul alia concurrant, præsertim coniunctio cum Christi Vicario in terris per fidem & obedientiam, sunt tamen vnum ex præcipuis signis & maximè necessarijs ad fideles in vno corpore Ecclesiæ cōgregandos, vt Augustinus dixit 19. contra Faust. cap. 11. & ideò fuit valde conueniens per Christum immediatè tradi.

Sacramenta veteris legis omnia a Deo immediatè instituta.

Dico secūdò, sacramenta veteris legis omnia fuere ab ipso Deo immediatè instituta. Conclusio est certa, nam de circuncisione constat ex Genes. 17. de reliquis verò ex toto Exodo, & Leuitico, nam sicut illa lex diuina fuit, ita sacrificia, & sacramenta eius ab ipso Deo sunt tradita, nam quod Ioan. 1. dicitur, *Lex per Moyſen data eſt*, intelligitur tanquam per ministrum, & promulgatorem tantùm; & ideò semper in Exodo & Leuitico præmittitur: *Dixit Dominus ad Moyſen*, & eadem ratione nō refert, quòd per angelos data fuerint illa sacramenta, sicut etiam per eos data fuit illa lex, teste Paulo, quia etiam ipsi non erant nisi ministri & legati, per quos Deus suam voluntatem ostendebat, institutio ergo ipsa diuina fuit, solumque Deum habuit proprium autorem. Ratio huius Assertionis præcipua est, quia Deus voluit, lege, ac ceremonijs à se ipso latis, populum illum singulariter sibi coniungere, & à ritu gentilium segregari. Deinde, quod ad circuncisionem attinet, cùm in ea danda esset gratia & remittendum originale peccatum, necessaria erat autoritas, & promissio diuina: quod verò spectat ad alia sacramenta illius legis, quāuis hoc sensu vacua essent, quòd in eis non daretur gratia præter meritum susci pientium, eratn tamen quodam modo gratuita mysteriorum & sacramentorum nouæ legis; quæ in illis præfigurabantur, & præmittebantur; & ideò etiam in illorum institutione erat necessaria diuina sapientia, & autoritas illa, quæ futura mysteria cognoscerer & accommodatis signis posset indicare; hæc, quæ potestatem haberet promittendi talia mysteria, & gratiam per sacramenta legis nouæ conferēdam.

Excellentia institutionis nouorum sacramentorum.

Dices, ergo quoad institutionem & autorem eius fuerunt digniora vetera illa sacramenta quàm noua, quia illa tradita sunt à Deo, vt Deus est per diuinitatem; hæc verò à Christo homine per humanitatē. Respondetur negando consequentiam, quia, licèt Christus per humanitatem instituerit nostra sacramenta, hoc tamen non excludit, quin prima, & principalis causa & ratio huius institutionis fuerit voluntas diuina, ad quam Christus vt homo suam humanam

Universidad de Deusto Biblioteca

A nam voluntatem conformabat: atque ita in hoc est quædam æqualitas inter vetera & noua sacramenta; in hoc autem nostra superant, quòd illa per purum hominem immediatè data sunt; hæc verò per hominem Deum. Item, quòd circa illorum institutionem, nullam potestatem, vel autoritatem habuit ille homo, per quem à Deo data sunt, sed nudum ministerium promulgandi voluntatem diuinam; in nostris verò sacramentis instituendis simul cum diuina voluntate & autoritate, intercessit voluntas Christi hominis, qui etiam vt homo, idest in humanitate sua habuit potestatem excellentiæ, qua, sicut potest leges ferre, & gratiam dare, ita etiam sacramenta potuit instituere, & gratiam per eam dandam promittere, & ad ea suscipiẽda obligare. Quod quidem pertinet ad dignitatẽ humanitatis assumptæ, & sacramentorum dignitatem non minuit, sicut, quòd nunc detur gratia per sacramenta, pertinet ad B ipsorum sacramentorum dignitatem, & nihil minuit de perfectione & dignitate ipsius gratiæ, cùm semper principalis eius autor sit Deus.

Immediatus sacramenti legis naturæ autor fuit Deus

Dico tertiò. Etiam sacramentum legis naturæ fuit ab ipso Deo immediatè institutum. Contra hanc assertionem videtur scribere Sot. in quarto, distinctione quinta, quæstione prima, articulo secundo, qui in hoc ponit differentiam inter legem naturæ, & veterem, ac nouam, quòd in his sunt sacramenta à Deo instituta, non verò in illa. Quia sacramenta (inquit) illius legis, neque habebãt virtutem conferendæ gratiæ, nisi implicitè, & valde obscurè. Sed ipse procedit in ea sententia, quæ negat fuisse in ea lege institutum externum ac sensibile remedium originalis peccati, tamen supponẽdo, vt suprà docuimus, C fuisse in ea lege aliquod sacramentum, in quo dabatur gratia, & delebatur originale peccatum, necessariò dicendum est, illud manasse ex diuina institutione, quia nullus poterat talem medicinam adhibere peccato originali, nec gratiam sub tali signo promittere, nisi solus Deus, vel ex commissione eius; non potest autem apparenti aliquo fundamento dici, hoc fuisse alicui homini commissum; nam si hoc in lege veteri, & noua factum non est, nec fieri decuit, multò minùs in lege naturæ fieri oportebat.

Obiectio.

Dices, Tũc non fuit à Deo determinatum aliquod signum, sed voluntate humana determinabatur, & verisimile est, vt suprà dixi, fuisse tunc potestatem in fideli republica definiendi huiusmodi signum seu ceremoniam, & obligandi fideles ad vtendum illo signo, & non alio; ergo institutio talis signi erat humana, & non diuina.

Responsio.

D Respondetur argumentum solùm concludere institutionem Dei non fuisse eiusdem modi, cuius fuit in lege veteri, vel noua, non tamen, quòd nõ fuerit diuina institutio. Deus enim voluit, & instituit, vt signo aliquo sensibili applicaretur remedium originalis peccati per externam fidei professionem, & applicationem, in qua gratia daretur; hoc enim non fuit inuentum humanum, sed diuinum, liberum antè reliquit hominibus vt hoc, vel illo signo vterentur, vnde solùm sit determinationem signi fuisse ex voluntate humana, vel priuata, vel publica non tamen ipsam sacramenti institutionem.

(∴)

SECTIO II.

Vtrùm potuerint sacramenta ab alio quàm à Deo institui.

A Ratio dubitandi esse potest, quia verum ac proprium sacramentum (de quo solum agimus) oportet vt sit certum, atque infallibile signum gratiæ, vel præsentis, vel saltem futuræ: sed nullus potest imponere signum certum gratiæ, nisi Deus, quia solus ipse potest eam dare, aut promittere; ergo solus ipse potest sacramenta instituere.

Propter hanc rationem nonnulli theologi absolutè negant, potuisse Deum communicare creaturæ B facultatem instituendi sacramenta. Ita sentit Scotus in 4.d.1.q.3.art.2. Gab.q.1.art.3.dub.1. Durand. d.2.q.1. Quòd si obijcias posse Deum committere voluntati alicuius hominis, vt suo arbitrio instituat, & promittat gratiam dandam sub aliquibus signis sensibilibus, quæ ipse arbitrio suo designauerit. Respondent, etiam si hoc faciat Deus, semper huiusmodi gratiæ effectum pendere ex diuina voluntate; & ideò, etiam si id fiat, non dari homini potestatem ad instituenda sacramenta, sed tantùm ad determinandum signum, ad cuius præsentiam Deus vult dare gratiam, vel illam aliquando dandam promittere. Quod magis explicat Scot. in. 4. d. 2. quæst. 1. §. Ex his, quia solus Deus determinat se ad causandum effectum sibi proprium; quia, si posset ab alio determinari, iam esset causa secunda respectu eius: effectus C autem gratiæ, quem sacramenta significant, est proprius solius Dei; ergo solus ille potest se determinare ad causandum talem effectum, atque adeò à sola diuina voluntate possunt fieri certa aut efficacia signa gratiæ. Quæ ratio si quam habet efficaciam, eodem modo procedit in Christo quoad humanam eius voluntatem, atque ita eodẽ modo de illa sentit ac loquitur Scotus.

... primaria ... delegata ... testas S... menta ... di commu... cari ... puro hom...

Sed quanuis fortasse quæstio sit de modo loquendi, dicendum simpliciter est, potuisse Deum dare puro homini autoritatem instituendi sacramenta, nõ quidem primariam, ac principalem: hæc enim incõmunicabilis est, sed ministerialem & quasi delegatã. Hæc est sententia D. Thom. hic articulo 4. quem sequuntur omnes Thomistæ, & idẽ tenet Richard. in 4. dist. 5. articulo 1. quæstione 3. & ibi Bonauẽt. art. 3. quæstio. 1. & videtur sententia Augustini tra- D ctat. 5 in Ioannem dicentis, *Potuit autẽ Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret Baptismum suum tanquã vice sua, & trãsferre a se baptizandi potestatẽ, & constituere in aliquo seruo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in seruũ, quantam vim haberet Baptismus datus a Domino.* Ex quibus verbis ratione declaratur hæc sententia, quia in primis certum est, nullam creaturam posse vi ac potestate sua naturali instituere sacramenta, quę sint causæ efficaces gratiæ, aut infallibilia signa illius, nisi supposita diuina promissione, vel specialiter, vel generaliter facta tali creaturæ conferendi gratiam, vel auxilium necessarium ad illam, per quodcunque signum arbitrio & voluntate talis creaturæ ad hũc effectum vel significationem deputatum; quia nulla voluntas creata ex se potest esse sufficiens causa gratiæ, nec potest per se determinare voluntatẽ diuinã, vt efficiat gratiã per signũ sensibile seu ad præsentiã eius,

cùm nec talis effectus vel concursus sit per se debitus creaturæ; nec voluntas creata ex se possit habere hanc connaturalem vim, vt hominem faciat participem diuinæ naturæ: necesse est ergo, vt certitudo talis significationis vel effectus habeat primam originem seu fundamentum in diuina voluntate & promissione. Et hoc sensu diximus, non posse communicari creaturæ primariam autoritatem instituendi sacramenta, & hoc probat fundamentum primæ opinionis, & re ipsa nihil aliud docent autores illius.

Facultas alijs gratiæ conferendæ communicabilis est.

Hoc tamen non obstante certum etiam est, posse Deum facere liberam facultatem alicui puræ creaturæ intellectuali, vel rationali (inferiores enim non sunt capaces, vt per se constat) vt suo arbitrio conferat alijs gratiam eo modo, quo voluerit, vel per solum actum internum suæ voluntatis, vel per externum contactum aut verbum, vel per aliquod aliud sensibile signum, ad eum modum quo communicata est humanitati Christi potestas faciendi miracula, & dandi gratiam, vt latè diximus in primo tomo, disputatione 31. quia nulla est per se loquendo maior repugnantia in communicanda hac potestate supposito creato, quàm naturæ creatæ. Quo sensu diximus in eodem primo tomo disputatione 47. sectione 1. seclusa ratione meriti & satisfactionis de rigore iustitiæ, posse communicari puræ creaturæ potestatem excellentiæ conferendi gratiam. Ex quo manifestè sequitur, posse communicari eidem creaturæ, vt suo arbitrio designet externos actus, vel cæremonias, per quas vel ad quarum præsentiam infallibiliter detur gratia: quia nulla est in hoc maior repugnantia, nec potest aliqua probabilis excogitari. Vnde nec Scotus, nec alij autores hoc negant.

Ex his autem tandem concluditur, potestatem instituendi sacramenta esse communicabilem creaturæ. Patet, quia hæc potestas, qualis à nobis explicata est, esset potestas instituendi sacramenta, & tamen ostensum est, illam esse communicabilem. Maior patet, quia institutio sacramenti nihil aliud est, quàm impositio talis rei, vel actionis sensibilis, vt sit certum signum, & infallibile gratiæ; sed potestas explicata, est potestas ad huiusmodi actum; nam, qui illam haberet, verè imponeret illam rem ad significandam gratiam.

Obijcit Scot.

Sed ait Scotus, impositionem vt factam à tali homine, non esse institutionem sacramenti, sed solùm determinationem signi, qualis erat in sacramento legis naturæ, vt suprà diximus. Et ratio est, quia licèt tunc voluntas creata determinaret signum, non tamen daret illi veritatem & certitudinem significationis, sed hanc haberet ex voluntate, & promissione diuina; sacramentum autem esse debet signum certum & infallibile; & ideò institutio eius non tantùm requirit determinationem signi, sed etiam efficaciam, seu certitudinem significationis; & propter hanc rationem, quanuis Scotus re ipsa nihil diuersum à nobis doceat, tamen in modo loquendi differt, & negat, in eo casu committi creaturæ institutionem sacramenti, sed tantùm determinationem signi. Et confirmatur, quia aliàs in lege naturæ, qui determinabant ceremoniam sensibilem qua iustificãdus erat paruulus essent sacramẽti institutores, quod est apertè falsum.

Diluitur obiectio.

Respondetur tamen, verum quidem esse, sacramentum debere esse signum certum & infallibile, quantum est in se, & consequẽter etiã admitto, A institutionem sacramenti non tantùm includere impositionem signi, sed etiam efficaciam seu certitudinem significationis eius. Quapropter necesse etiam est, vt is, qui futurus est potens ad instituenda sacramenta, possit non tantùm imponere signum, sed etiã dare illi certitudinẽ, quatenus habere potest in sua potestate, vt infallibiliter detur gratia, quando, & quomodo ipse voluerit. Dico tamen, hanc potestatẽ posse committi creaturæ, vt paulò superiùs declaraui. Neque enim necessarium est, vt in eo, qui instituit hoc sacramentum, sit hæc potestas omnino independens à superiori voluntate, & quasi in primo autore gratiæ: sed satis est quòd tota efficacia sacramenti pendeat ex voluntate talis creaturæ instituẽtis huiusmodi signum; quia hæc potestas, quam dicimus communicari posse creaturæ ad instituendum B sacramentum, non est primaria, sed secũdaria, & delegata: ergo ad illam satis est, vt effectus gratiæ sit etiam positus in volũtate eius, saltem ex delegatione & commissione. Et ideò non est simile de determinatione sensibilis ceremoniæ, quæ fiebat in lege naturæ, quia institutio sacramenti verè erat facta à Deo, solùm applicatio per hanc vel illam ceremoniam fiebat ab homine tanquam à ministro à Deo deputato; quia in ipsamet institutione relicta fuit indifferens ratio, aut modus talis ceremoniæ. Sicut nũc etiam liberum est sacerdoti, consecrare in vino albo, aut rubro: quia hoc est indifferens ex vi institutionis talis sacramenti. Vnde illa determinatio non est institutio, sed applicatio talis institutionis ad talem materiam: simili ergo modo fiebat in lege naturæ, hac tantùm interueniente differentia, quòd indif- C ferentia materiæ latior tunc erat. At verò in casu de quo agimus, non solùm determinatio materiæ, sed simpliciter impositio signi, & totus effectus sacramenti esset pendens à voluntate, & potestate eius, qui immediatè institueret sacramentum. Quod tandem confirmatur argumento suprà indicato: quia non aliter Christus habuit in humanitate sua potestatem instituendi sacramenta, & tamen iuxta modũ loquendi Sanctorum, & Conciliorum, sectione præcedenti tractatũ, non solùm vt Deus, sed etiam vt homo habuit potestatem instituendi sacramenta, & de facto illa instituit.

Nõ est hæc potestas puræ creaturæ commissa.

Quæres an hæc potestas alicui puræ creaturæ cõmissa sit; si enim est possibilis, cur nemini data est? Videtur enim ad quandam perfectionem, & complementum diuinorum operum pertinere, vt per suas D creaturas operetur omnibus modis, quibus id fieri potest. Et confirmatur, nam quando Christus dixit Apostolis Ioan. 20. *Sicut misit me Pater; ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum; quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis*, videtur eis communicasse similem potestatem, quam ipse habebat, nã eam vim habet verbũ, *Sicut misit me Pater*; ergo sicut ipse habebat potestatem instituendi sacramenta & remittendi peccata, eo modo quo vellet, ita concessit Apostolis potestatem, quia illa verba sunt generalia, & non sunt à nobis limitanda, vt si Rex Proregi suo diceret, totã potestatem meam tibi concedo, intelligeretur vniuersam dare sine vlla limitatione. Respondetur, ex dictis in præcedenti disputatione constare, nullam puram creaturam vsam esse hactenus hac potestate; quia nec in lege naturæ, nec in veteri, nec in noua, facta est sacramenti institutio per aliquam creaturã, vt ostensum est. Vnde rectè inferre possumus, etiam in posterum nullam creaturam vsuram aliquando

esse hac potestate; quia sicut lex gratiæ vltima est, & vsque ad finem mundi durabit, ita etiam institutio sacramentorum eius vltima est, ac perpetuò duratura: ita vt neque augenda, neque minuenda sint vsq; ad finem seculi. Atque hinc tandē inferimus, nemini datam esse hāc potestatem; quia potestas est propter vsum, ergo, si vsus non fuit vnquam, nec futurus est, nec potestas ad illum concessa est; atque ita Ecclesia, sicut nunquam in se agnouit potestatem mutandi formas, vel materias sacramentorum: ita neque augendi, nec minuēdi eorum numerū. Ad obiectionem ergo respondetur, nō esse necessarium; omnem posibilem facultatem concedi puris creaturis, præsertim, quia diuina omnipotētia, & liberalitas, quod ad præsens attinet, satis in hoc manifestata est, quòd hāc potestatem humanitati Christi communicauit. Decuit autem illi soli tribui, tum ob singularem dignitatem & excellentiam eius: tum etiā propter alias congruentias præcedenti sectione adductas. Ad cōfirmationem respondetur, verba illa Christi intelligenda esse iuxta Ecclesiæ sensum, perpetua traditione receptum, nimirùm, eis significasse Christum sacramenti Pœnitentiæ institutionem, atq; ita dedisse potestatem ad remittenda peccata, non quomodocunque; sed seruata forma cuiusdam spiritualis iudicij, in quo iuxta merita causæ reus, vel absoluatur; vel ligetur, seu ligatus relinquatur. Quapropter illa particula, *sicut*, non significat æqualitatem, sed similitudinem, aut imitationem, quod peruulgatum est, ac frequens in scripturis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per malos ministros sacramenta conferri posint.

Inf. art. 9. co. Et 4. d. 5. q. 2 ar. 2. & di. 7. q. 3. ar. 1. q. 1. 2. & d. 24. q. 3. art. 3. q. 5. ad 3. Et 4. cōtra c. 76.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod per malos ministros sacramenta conferri non posint. Sacramēta enim nouæ legis ordinantur ad emundationē culpæ, & collationem gratiæ. Sed mali, cùm sint immundi, non possunt alios à peccato mundare (secundum illud Eccles. 34. Ab immūdo quis mundabitur?) & etiam cum gratiam nō habeant, non videtur, quòd gratiam conferre posint, quia nullus dat quod nō habet. Non ergo videtur, quod per malos sacramenta cōferri posint.

Art. 3. huius quæst.

¶ 2 Præterea, Tota virtus sacramentorū deriuatur à Christo, vt dictum est. Sed mali sunt præcisi à Christo, quia non habent caritatē, per quā mēbra capiti vniuntur secundū illud 1. Ioan. 4. Qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. Ergo videtur quòd per malos sacramenta conferri non posint.

¶ 3 Præterea, si desit aliquid horum, quod debitum est esse in sacramentis, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati, secundum illud Leui. 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministeriū eius. Ergo videtur, quod si minister sit malus nihil efficiatur in sacramento.

Tractat. 5. Ioā. circa ... tom. 9.

SED contra est, quòd August. dicit super illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum, &c. Quid in Christo non nouerat Ioannes? potestatem baptismi, ipsum Dominum habiturum & sibi retenturum; sed ministerium planè transiturum in bonos & malos, quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus?

Art. 1. & huius q. Quæst. 62. a. 1. & 3.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in sacramētis, eo quòd quodammodo eadem ratio est ministri & instrumenti. Sicut autem suprà dictum est instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem eius, à quo mouetur. Et ideò accidit instrumēto inquantum est instrumentum, qualemcūque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumēti, sicut quod corpus medici (quod est instrumētum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmū & sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argētea, vel plūbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta cōferre, etiam si sint mali.

AD primum ergo dicendum, quòd ministri Ecclesiæ, neque à peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neq; gratiā conferunt sua virtute: sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. Et ideò effectus consequitur in suscipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secūdum cōfigurationem ad Christum.

AD secundum dicendum, quòd per caritatem membra Christi vniuntur suo capiti, vt ab eo vitam recipiant: quia vt dicitur 1. Ioā. 5. Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carēs vita, & à se separatum, quantum ad corporis vnionem, dummodo sit cōiunctum per quādam motionem, aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis & per bonos, tanquam per membra viuētia, & per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

AD tertium dicendum, quòd aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Vno modo sicut existens de necessitate sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundum quandam decētiam & hoc modo debitum est, vt ministri sacramentorum sint boni.

COM-

COMMENTARIVS.

IN hoc, & sequentibus articulis obseruādum est; quædam esse ex parte ministri necessaria ad veritatem sacramenti, vt factum teneat, & effectū habeat in suscipiente non ponente obicem; alia verò esse necessaria vt dignè ministretur, quæ duo promiscuē tractat D. Thom. in his articulis. Nos verò maioris claritatis gratia, & vt res morales faciliùs percipiantur, etiam ab his, qui res speculatiuas minùs diligenter & accuratē inquirunt, ea separabimus, hic solùm explicando, quæ sunt de necessitate sacramenti, posteà verò totam materiam moralem separatim cōprehendendo. In hoc ergo articulo Diuus Thomas agit de necessitate sacramenti, atque ita respondet, malitiam ministri per se non impedire, quin sacramentum verè fiat, dummodò applicet reliqua omnia, quæ sunt ad sacramentum necessaria. Ratio est, quia cùm minister sit instrumentum non pendet effectus ex forma eius, quæ ad instrumenti rationem non pertinet: quia instrumentum non agit propria virtute, & ideò effectus non fit similis instrumento sed principali agenti. Circa quam rationem solùm est aduertendum, primariam causam, ob quam bonitas vel malitia ministri non est necessaria ad substantiam sacramenti, petendā esse ex Christi institutione, & voluntate. Nam si Christus Dominus voluisset, potuisset sine dubio instituere, vt sacramenta non essent rata, nisi à bonis ministris conferrentur, sicut instituit, vt quàm plura eorum dari possent à ministro consecrato, & non ab alio, seu à viris, & nō à fœminis. D. Thom. autem supponens vt clarum ex doctrina fidei, Christum ex speciali institutione sua non postulasse in ministris sanctitatem vt necessariam ad valorem sacramenti, huius institutionis congruentem rationem afferre studuit; & ita est ratio facilis, & satis congrua. Quia cùm sanctitas ministri non sit futura principium, vel causa sanctitatis conferēdæ per sacramentum, nulla potuit esse conueniens ratio, ob quam Christus Dominus illam exigeret vt simpliciter necessariam ad valorem sacramenti. Solutiones argumentorum claræ sunt; solùm in solutione ad secundum adnotetur, quod D. Thom. dicit de vnione caritatis, extendi posse eadē ratione ad vnionem per fidem, nam sicut Christus potest vti vt instrumento membro mortuo, sibique per caritatem non vnito, ita etiam vti potest membro omnino separato, sibique nullo modo actu vnito in aliquo esse supernaturali; quia tanta est efficacia eius, vt posit etiam huiusmodi hominem mouere, seu actione illius vti ad sacramenti effectum præstandum, si aliunde substantiale impedimentum nō interuenit.

Quòd bonitas vel malitia ministri ad substantiam sacramenti nihil conferant.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm mali ministrantes sacramenta, peccent.

4. dist. 5. q. 2. art. 2. q. 4. co. & di. 19. q. 2. ar. 2. co. Et d. 24. q. 1. ar. 2. q. 1. & art. 3. q. 1. & 5.

AD sextū sic proceditur. Videtur, quòd mali ministrantes sacramēta, non peccēt. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera caritatis, vnde dicitur Hebr. vlt. beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Sed mali non peccant si ministrēt Deo in operibus caritatis, quinimo hoc est eis consulendum, secundum illud Daniel. 4. Consilium meum tibi placeat, peccata tua eleemosynis redime. Ergo videtur, quòd mali non peccent sacramenta ministrando.

¶ 2 Præterea, Quicunque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati, secundum illud Rom. 1. Digni sunt morte, non solùm qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed si mali ministri peccent, sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent, quod videtur inconueniens.

¶ 3 Præterea, Nullus videtur esse perplexus, quia sic homo cogeretur desperare, quasi non potēs peccatum euadere. Sed si mali peccarent, sacramenta tradendo, essent perplexi, quia etiam quandoque peccarent, si sacramenta non traderent, putà, cum eis ex officio incumbit necessitas (dicitur enim 1. Corinth. 9. Væ mihi, si non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit) quandoq; etiā propter periculum, sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus. Ergo videtur, quòd mali non peccent sacramenta ministrando.

c. 1. eccl. hier. declinando ad fin.

Est Epist. 8. q. Incipit Hebræorū tradit hist. parum ante med.

SED contra est, quòd Dionys. dicit 1. c. Eccles. Hierar. quòd malis nō est fas nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa. Et in Epistola ad Demophylum dicit: Talis, scilicet peccator, audax videtur, sacerdotalibus manum apponens, & non timet neq; verecundatur, diuina præter diuinitatem exequens, & Deum putans ignorare, quæ ipse in semetipso cognouit, & decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) super diuina signa Christiformiter enunciare.

Ex lib. 2. eth. c. 3. & 6. haberi potest. Et lib. 3. c. 7. to. 5.

Art. præce. ad 3.

RESPONDEO dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc quòd operatur non secundum quod oportet, vt patet per philosophum in libro 2. Ethic. Dictum est autem conueniens esse, vt sacramētorum ministri sint iusti, quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Leuit. 19. Sāncti eritis, quoniam ego sanctus sum, & Ecclesiastici. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Et ideò non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiā Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incōtaminabilia sint)

Universidad de Deusto
Biblioteca

lia sint) consequens est, quòd tale peccatũ ex genere suo sit mortale.

AD primum ergo dicendum, quòd opera caritatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiæ sanctitatem, sicut quædam iustitiæ partes, & ideò homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus caritatis, si sit iustus, amplius sanctificatur, si verò sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Sed sacramenta in se ipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem; & ideò præexigitur in ministro sanctitas iustitiæ, vt cõgruat suo ministerio. Et ideò incongruè agit & peccat si in peccato existens ad tale ministeriũ accedat.

AD secundum dicendum, quòd ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quãtum est minister Ecclesiæ. Et ideò quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleratur (puta cùm degradatur, vel excommunicatur vel suspenditur) peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia cõmunicat peccato ipsius.

AD tertium dicendum, quòd ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare, quia potest pœnitere de peccato, & licitè ministrare. Non est autem inconueniens, quod sit perplexus suppositio quodã, scilicet, quòd velit remanere in peccato. In articulo tamen necessitatis nõ peccaret baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare, sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subueniret necessitatem patienti. Secus est autem in alijs sacramentis, quæ non sunt tantę necessitatis, sicut baptismus, vt infrà patebit.

Quæst. 67. ar. 3. & 4.

COMMENTARIVS.

REsponsio D. Thom. est, esse peccatum mortale ex genere suo, ministrum Christi & Ecclesiæ ex officio ad hoc deputatum, sacramẽtum in peccato mortali dispensare; quia debet in suo ministerio, suo principali Domino conformari. De qua conclusione, & ratione, & difficultatibus, quas D. Tho. tangit in solutionibus argumentorum, dicturi sumus latè inferiùs in disputationibus moralibus. Hic solùm occurrũt adnotãda duo testimonia Dionysij, quæ D. Tho. affert in argumẽto sed cõtra, primũ sumptũ est ex c. 1. de Eccles. Hierar. quod si in rigore literæ sumatur, non videtur cõuincere. Docet enim ibi, Christũ & Apostolos tradidisse nobis diuina mysteria sub sensibilibus signis, cuius institutionis rationẽ reddens subdit. *Idque fecerunt non pro-*

Locus D. Tho. ex duobus locis D. Dionys. illustratus.

A *phanorum modò causa, quibus nec signa quidem fas est cõtingere, & tractare, sed etiam quòd hierarchia nostra, vt quod dixi, pro modo nostro signis contineatur, cùm egeat rebus, quæ sensum mouent, ad diuinorem nostri ex ipsis, ad eas quæ mente comprehenduntur, reuocationem.* Vbi per prophanos, videtur planè intelligere infideles, qui cũ omnino sint à Christo & Ecclesia alieni, semper sunt indigni iudicati, nõ solũ cõtactu, sed etiã conspectu sacrorũ mysteriorũ; D. Thom. verò propter quandã rationis similitudinẽ ad omnes prauos, & inquos, huiusmodi sententiã ampliauit, & ad ministros sacramentorum & actiones eorum eam applicuit.

B Secundum testimonium sumptum est ex Epistola eiusdem Dionysij ad Demophylum, cuius verba prout à D. Thoma referuntur obscuriora sunt, iuxta translationem verò Perionij sunt clariora, quæ sic habent. *Ac mihi quidem videtur audax, & temerarius, si quis ea sibi sumat, quæ sunt propria sacerdotũ, neque metu & pudore à diuinorum tractatione præter captũ ac meritum deterretur, putatque Deum ignorare, quæ ipse sibi est conscius, & sperat se decepturũ eum, qui à se falso nomine appellatur Pater, audetq; scelestas suas (vt ita dicam) maledictiones (neque enim preces dixerim) in diuinis mysterijs Christi imitatione proferre.* In quibus verbis nõ videtur loqui Dionysius de malis sacerdotibus ministrantibus sacramentum, sed de illis potiùs, qui cùm sacerdotes non sint, sacerdotum ministeria vsurpãt. Hoc enim significare videntur illa verba, *Videtur audax, & temerarius si quis ea sibi sumat, quæ sunt propriæ sacerdotum.* Sed, licèt in specie hoc appareat, tamẽ re vera videtur D. Thomas mentẽ Dionysij assecutus, nam si antecedentia, & consequẽtia considerentur,

C de malis sacerdotibus indignè ministrãtibus loquitur, priùs enim ita scribit. *Quod si sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profectò penitus abhorrere à sacerdotij ordine, atq; facultate, is, qui illustrandi vi non est prædituus, ac multò etiã magis qui illustratus nõ est.* Quo loco, *abhorrere a sacerdotum ordine atq; facultate*, nõ significat, non esse sacerdotẽ, sed abuti munere & dignitate sacerdotis; quo dergo statim subdit de his, qui præter captũ & meritum ea sumunt, quæ sunt propria sacerdotum, non intelligit solùm de his, qui cùm sacerdotes non sint, sacerdotalia munera vsurpant, sed propriè loquitur de sacerdotibus, qui indignè suo funguntur munere; & eodem sensu accipiẽdum est, quod posteà subdit. *Non est iste sacerdos, non est; sed inimicus, fallax, irrisor sui, lupusq; in gregem Domini ouina pelle armatus*, nam quòd loquatur de sacerdotibus sequentia verba planè declarant. *Non tamen fas est Demophylo hæc corrigere.* Reprehendit enim Dionysius Demophylum, eò quòd, cùm non esset sacerdos, sed tãtùm monachus quidam, sacerdotem obiurgare, ac corripere ausus fuerat.

D

ARTICVLVS VII.

Vtrum Angeli possint ministrare sacramenta.

4. dist. 5. art. 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur quòd angeli possint sacramenta ministrare. Quicquid enim potest minister inferior, potest & superior, sicut quicquid potest diaconus, potest sacerdos, sed non cõuertitur. Sed angeli sunt superiores ministri in ordine

Cap. 9. Eccles. hier. parũ ante med.

ordine hierarchico, quam etiam quicunq; homines, vt patet per Dionys. in lib. Cæle. hier. Ergo cum homines possint ministrare in sacramẽtis, videtur, quòd multò magis angeli.

Quæst. præce. art. 5.

¶ 2 Præterea, Homines sancti assimilãtur angelis in cælo, vt dicitur Matth. 22. Sed aliqui sancti in cœlo existẽtes posset ministrare in sacramẽtis, quia character sacramẽtalis est indelebilis, vt dictũ est. Ergo videtur, q etiã angeli possint in sacramẽtis ministrare.

Quæst. 3. ar. 7.

¶ 3 Præterea, sicut suprà dictũ est, diabolus est caput malorũ, & mali sunt mẽbra eius. Sed per malos possunt ministrati sacramẽta. Ergo videtur, quòd etiam per Dæmones.

B SED contra est, quòd dicitur Hebr. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deũ. Sed angeli boni vel mali, nõ sunt ex hominibus. Ergo ipsi nõ cõstituũtur ministri in his quæ sunt ad Deũ, id est, in sacramentis.

Quæst. præce art. 3.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) tota virtus sacramentorum à passione Christi derivatur, quæ est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli, sed potius secundum passionem dicitur modico ab angelis minoratus, vt patet Heb. 2. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, & in eis ministrare, non autem ad

C angelos. Sciendum tamen, quòd sicut Deus virtutem suam non alligauit sacramẽtis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam nõ alligauit Ecclesiæ ministris, quin etiam angelis posset virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntij veritatis, si aliquod sacramentale ministerium à bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate diuina, sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. Si verò dæmones, qui sunt spiritus mẽdacij, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non

D esset ratum habendum.

AD primum ergò dicendum, quod illud quod faciunt homines inferiori modo, scilicet, per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt angeli tãquam superiores ministri superiori modo, scilicet, inuisibiliter purgando, illuminando, & perficiendo.

AD secundum dicẽdum, quòd sancti qui sunt in cælo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantũ ad conditionem naturæ, & per consequens neque quantum ad sacramenta.

AD tertium dicendum, quod mali homines non habent, quod possint ministrare in sacramẽtis ex hoc, quòd per malitiã sunt mẽbra Diaboli. Et ideo non sequitur quòd diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

COMMENTARIVS.

REdit D. Thom. in hoc articulo ad explicanda ea, quæ sunt de necessitate sacramenti ex parte ministri, & inquirit, an necessariò sit futurus homo, vel possit esse angelus. Et in corpore respondet. Primò, necessarium esse hominem ad ministriãdum sacramentum, & reddit rationẽ, quia minister sacramenti est minister Christi, vt est homo, cui in natura conformantur homines, & non Angeli. Quæ ratio continet congruentiam institutionis, nam ratio à priori ex ipsa institutione petẽda est, vt in art. 1. diximus. Secundò dicit D. Thom. si cõstaret, aliquod sacramentale ministerium factum esse per Angelos, illud esse ratum habendum, qua licèt non sit iuxta institutionem sacramenti, esset tamen iuxta diuinam voluntatem, quæ non est alligare sacramẽtis. De qua sufficienter constare potest ministerio bonorum Angelorum, qui nõ possunt nisi vera nũciare, secus est de malis Angelis, quibus nulla fides adhibenda est. In solutione ad secundum significat D. Thom. animas hominũ, qui ex hac vita decesserunt, & sanctæ sunt, & beatæ, posse ministrare sacramenta. Argumentum enim erat huiusmodi; homines in cœlo sunt similes angelis, sed aliqui homines existẽtes in cælo possunt ministrare sacramenta, quia retinẽt characterẽ indelebilem. Responsio autem eius ad propriam formam reducta videtur consistere in negatione consequentiæ, quia, licèt homines sint similes Angelis in cælo, quantum ad participationem gloriæ, non tamen, quantum ad conditionẽ naturæ. Atque ita intellexit D. Thom. Soto dist. 1. quæst. 5. art. 7. & re vera videtur hic sensus eius, est tamen in hunc modum intelligendus. Animas scilicet separatas, secundùm eum statum, non posse ministrare sacramenta, quia pro tunc non solũ sunt similes Angelis in participatione gloriæ, sed etiam in conditione naturæ, idest, in actuali abstractione, & separatione à corpore. Neq; contra hoc obstat, quòd retineant characterem, quia ad sacramentum conficiendum non sufficit character sine organo corporeo, quo vox aut alia vitalis actio, qua constituendũ est sacramẽtum, exerceri possit. At verò, si anima separata ad corpus rediret, illudq; informaret, significat D. Thom. posse illum hominem esse ministrum sacramenti, de qua re quomodo intelligenda sit, posteà dicemus.

A nimæ separatæ, etiã character insignitæ ministrare sacramenta non possunt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Sup. q. 60. ar. 8. cor. Et. 4. d. 6. q. 1. ar. 2. q. 1. & dist. 7 q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. & d. 8. q. 2. ar. 4. q. 3 ad 1. & d. 3. q. 1. art. 3. ad 3. q. 65. ar. 3. & 4.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secũdum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ 2 Præterea, Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, non posset homini ad sacramentum accedenti esse notum, quòd sacramentum susceperit. Et ita non posset habere certitudinem salutis, præcipuè cùm quædam sacramenta sint de necessitate salutis, vt infrà dicetur.

q. 65. art. 3. & 4.

¶ 3 Præterea, Intentio hominis non potest esse ad id, circa q̃ nõ est attẽtus. Sed aliquãdo illi qui in sacramẽtis ministrãt, nõ attendũt ad ea quæ dicũt, vel faciũt, alia cogitãtes. Ergo secũdum hoc nõ perficeretur sacramentum, propter intentionis defectum.

SED contra est, quod ea quæ sunt præter intentionem, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramẽta requirũt intẽtionẽ ministri.

RESPONDEO dicendum, quod quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad vnum, si illud effici debeat. Ea verò quę in sacramentis agũtur, possunt diuersimodè agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatẽ corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi. Et ideò oportet, quod determinetur ad vnum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, putà, cum dicit: Ego te baptizo in nomine patris, &c.

AD primum ergo dicendum, quòd instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo mouetur à principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum mouetur; sed etiam quodammodo mouet seipsum, in quantum sua voluntate mouet membra ad operandum. Et ideò requiritur eius intentio, qua se subijciat principali agenti, vt scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia.

AD secundum dicendum, quòd circa hoc est duplex opinio. Quidã enim dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in ministro, quę si desit, non perficitur sacramentum, sed hũc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad sacramentũ) supplet Christus, qui interius baptizat, in adultis autem, qui intendunt sacramentũ suscipere, supplet illum defectum fides & deuotio. Sed hoc satis posset dici quãtum ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis; sed quãtum ad effectum, qui est res & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur, quòd per deuotionem accedentis possit suppleri: quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum. Et ideò alij melius dicũt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrariũ exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.

AD tertium dicendum, quòd licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionẽ habitualẽ quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, puta, cũ sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Vnde si posteà in ipso exercitio actus, cogitãtio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. Quanuis studiosè curare debeat sacramenti minister, vt etiam actualem intentionẽ adhibeat. Sed hoc nõ est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalm. 39. Cor meum dereliquit me.

COMMENTARIVS.

HIc etiam articulus de perfectione essentiali & substantiali intelligendus est, vt ex discursu eius planè constat. Quo autem sensu D. Tho. loquatur de intentione ministri, re vera obscurum est, propter ea præsertim, quæ docuit in solutio. ad 2. vt videbimus. Respondet igitur necessariã esse in ministro intentionẽ ad perficiendum sacramẽtũ; & in solutio. ad 1. explicat, hãc intẽtionẽ debere esse saltem faciendi, quod facit Christus, vel Ecclesia. Cuius veritatis primaria ratio ex Christi voluntate & institutione petẽda est, vt sæpè dixi, tamẽ D. Tho. hac supposita, duas affert congruẽtes rationes illius. Prima est in argumento, Sed cõtra, Quia si sacramẽtum non requireret intentionẽ ministri, casu perfici posset; ea enim sunt casualia quæ præter intentionẽ accidũt; hoc autẽ inconueniẽs est, & præter sacramẽtorum dignitatem. Secunda est in corpore articuli, nam externæ actiones, quæ in sacramentis fiunt, ex se indifferẽtes sunt & ad varios effectus, vel fines ordinari possunt; ergo oportet, vt determinẽtur aliquo modo ad vnũ potius quã ad aliũ, id est, ad sacramentalẽ effectũ: nõ determinãtur autẽ nisi per intẽtionẽ ministri, quæ verbis exprimitur in forma sacramẽti.

Minister tripliciter peccat.

Circa quẽ D. Tho. discũrsum, dubium in primis est, de qua intentione loquatur. Triplex enim intentio potest in ministro sacramenti intelligi: Prima est intentio seu voluntas proferendi illa verba, seu faciendi actionem externam. v. g. lauandi, vel vngẽdi. Secũda est, intẽtio faciẽdi sacramẽtum, vel quod idem est, faciendi quod Christus instituit, vel quod Ecclesia intendit. Tertia est intentio conferendi effectum sacramenti. Obscurum ergo est, de qua intentione loquatur D. Thom. nam, si considerentur ea, quæ in solutio. ad 2. dicit, videtur in corpore loqui tantùm de prima, nam in illa solutione significat, sine secunda & tertia intentione posse esse validũ sacramentũ. Atq; ita intellexit D. Tho. Syluest. Baptis. 3. num. 12. & Adria. in 4. materia de Baptis. q. 4. artic. 3. & prior ratio D. Tho. hoc solũ videtur probare,

hare, quia hæc intentio facta est, vt opus non sit casuale, sed humano modo factum. Posterior item ratio videtur posse ad hũc sensum facilè accõmodari, quia D. Thom. solùm concludit, requiri intentionem sacramentalis effectus, quatenus exprimitur in forma quæ significat, & continet intentionem Ecclesiæ. Neque aliud videtur posse concludi illa secunda ratione, quia materia sacramenti sufficienter determinatur per formam ad esse, & consequenter ad effectũ sacramenti; ergo, vt sacramentum determinetur ad vnum, sufficit quod minister velit proferre talia verba super talem materiam. Atque hæc expositio, si litera D. Tho. in cortice tantùm inspiciatur, videtur certè facilius & clarius illi accommodari. Nihil'ominùs tamen Caiet. Soto, & omnes discipuli D. Tho. alienum existimant hunc sensum ab illius mente: quibus ego lubens assentio, tum quia illa sententia in se valde falsa est, & ideò non est impingenda Diuo Thomæ, nisi euidenter & absque vlla cõmoda expositione constet, hanc fuisse mentem eius. tum propter alia, quæ statim afferemus. Alij ergo existimant, D. Tho. esse locutum de tertia intentione conferendi effectum sacramenti. Ita loquitur Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. circa solutionem ad 2. Et videtur fauere D. Thomas in illis verbis, *Oportet quòd determinetur ad vnum, idest, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis.* Sed hęc sententia sano modo intelligẽda est, nam in rigore intentio effectus sacramentalis propria, & vt distinguitur ab intentione sacramenti, non est necessaria ad perfectionem sacramenti, imò neque ad eius effectum. Nam, si quis intendat conferre alteri sacramentum Baptismi, etiam si nolit ipsum sanctificare, aut gratiam ei conferre, sacramentum erit validum, & habebit effectum, si ex parte suscipientis non sit impedimentum, vt posteà dicemus. Dicendum ergo est, D. Tho. loqui de secunda intentione, nam illa est necessaria ad valorem sacramenti. Et hoc patet primò ex citatis verbis. *Oportet quod determinetur ad vnum, idest, sacramentalem effectum, per intentionem abluentis.* Ex quibus apertè cõstat, iuxta mentem D. Thomæ, requiri aliam intentionem, quàm primam nam intendere solùm ablutionem, verbi gratia, & prolationem verborum, nõ est intendere vllo modo sacramentalem effectum, quia illa intentio indifferens est, vt tota illa actio fiat per ludum vel propter obtinendam sanitatem corporalem. D. Thom. autem requirit intentionem ita determinatam, vt hanc indifferentiam tollat, & determinet actionem ad esse sacramentale, quia sola verba per se ad hoc non sufficiunt, cùm possint etiam ipsa ad varios fines proferri. Per sacramentalem autem effectum non est necessarium intelligere gratiam, vel characterẽ, sed ipsum esse sacramenti, quod est effectus ministri. Itaq; intendere sacramentalem effectum nihil aliud est, quàm intendere constitutionem sacramenti, actione ipsius ministri perficiendam. Vel certè, si per sacramentalem effectum, gratiam intelligamus, dicendum est, intentionem eius esse necessariam non in se, sed in sua causa, idest intentionem sacramenti, quod ex se sufficiens est ad effectum sacramentalem conferendum. Nam moraliter loquendo, qui intendit sacramentum, intendit effectũ sacramẽti. & formalis intentio vnius est virtualis intentio alterius, ideo intentio ipsius sacramenti interdùm vocari solet intentio effectus. Et fortasse Soto nihhil aliud dicere voluit. Et confirmatur hæc expositio D. Thomæ ex solutione ad primum vbi

De qua intentione loquatur D. Tho.

egregiam differentiam D. Tho. constituit inter instrumentum inanime, & instrumum animatum, seu rationalem, quòd in illo nõ requiritur intentio, quia non est capax eius, & ideo satis est motio principalis agentis: at verò minister est capax intentionis propriæ, & concurrit non tantùm motus, sed etiam aliquo modo mouendo se ipsum, in quantum sua volũtate mouet membra ad operandum. Vnde cõcludit D. Tho. *Et ideò requiritur eius intentio, qua se subijciat principali agenti*, quæ intentio sine dubio alia est à sola intentione faciendi externum opus, nam per hanc solam non subijcitur minister principali agenti, cùm possit intẽdere illud opus sine tali subiectione propter alios fines. Vnde tandem satis exprimit D. Thom. qualis esse debeat illa intentio, dicens, *vt scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia.* Quod non est tantùm materialiter intelligẽdum, id est, quod intendat facere illud opus, vel proferre illa verba, quæ Christus instituit, nam hoc etiam intendit ille, qui solùm ad ludum vel fictionem hæc facit; est ergo intelligendum formaliter, scilicet quòd explicitè, vel implicitè, vel aliquo modo intendat sacramentum facere, quod Christus instituit. Denique ex art. 10. est satis clara hęc mens Diui Thomę, ibi enim docet, cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed deriserè aliquid agere, hoc esse contra veritatem sacramenti; supponit ergo, intentionem conferendi sacramentum esse de necessitate sacramenti. Quod verò D. Thom. subiungit, *Præcipuè, quando suam intentionem exterius manifestat*, non obstat expositioni datæ, sed potiùs illam confirmat. Cùm enim dicit *præcipuè*, sentit, etiam si exteriùs nõ manifestetur hic defectus, esse contra veritatem sacramenti, cùm verò exteriùs manifestatur, tunc nõ solùm sacramentum in se nullum esse, sed etiam corã Ecclesia; & hoc significat illud *præcipuè*, quod notandum est pro his, quæ dicemus circa solutionem ad secundum. Illud etiam est considerandum, quòd si defectus prædictæ intentionis mentalis non esset contra substantiam sacramenti, manifestatio eius exterior non posset derogare veritati sacramenti. Quia illa manifestatio non addit specialem defectũ, sed supponit, & prodit illum. Quare si contingeret è conuerso, ministrum exteriùs negare, velle se conficere sacramentum, tamen re vera interiùs intentionem haberet, sine dubio conficeretur sacramentum, quia adhiberentur omnia necessaria, & solum ministri mendacium nullum esset impedimentum, quanuis in exteriori foro Ecclesiæ, tale sacramentũ irritum esset existimandum.

Neq; est difficile ad hunc sensum accommodare rationes D. Thomæ: prior enim non est intelligẽda de materiali opere, quo fit sacramentum sed de ipso sacramento formaliter, seu constitutione eius, quæ nõ debet esse casualis, sed humano modo facta; si autem, vt sacramentum fieret, sufficeret voluntas ipsius operis externi, quasi materialiter sumpti, sacramentum vt sic, casu fierer, & præter intentionem hominis operantis; hoc autem est inconueniens, & cõtra dignitatem sacramentorum. Adde, quòd si non esset inconueniens, sacramẽtum, vt sacramentũ, casu & præter intentionem fieri, nullum etiam esset incõmodum, quòd fieret etiam præter intentionem propriam & humanam ipsius operis materialis, vt si verbi gratia mulier lauans puerũ casu diceret verba formæ, nec sciens, nec animaduertens, quid diceret: quod absurdissimũ est. Et sequela patet, quia cũ tota

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratio huius intentionis & necessitatis eius sumenda sit ex ipso esse sacramentali, si hoc posset casu & præter intentionē fieri, nihil referret, quòd cætera etiā possent casu fieri. Posterior verò ratio D. Thom. ex dictis ferè declarata est; oportet enim, vt talis sit intentio, quæ determinet totam actionem externam ad esse sacramentale, ad quod non sufficit sola forma: cùm prolatio eius sit etiam ex se indifferens, vt declaratum est.

In argumento secundo (de primo enim iam satis dictū est) tangit D. Tho. difficultatem, quia sequitur, non posse nos esse certos de veritate sacramentorum nec de effectibus eorum, cùm non possimus esse certi de intentione ministri, ex qua omnia hæc pendent. In solutione verò duo dicit D. Thom. valde difficilia. Primò enim refert opinionem quorundam dicentium, deficiente intentione ministri, non fieri sacramentum, tamen effectum suppleri à Christo, vel absolutè, & immediatè in infantibus, vel media fide, & deuotione suscipientis in adultis, quæ fuit opinio Alex. Alens. 4. p. q. 13. memb. 1. quam posteà secuti sunt Dur. d. 6. q. 2. Gab. q. 1. art. 3. dub. 2. De qua opinione ait D. Tho. posse admitti, quātum ad vltimum effectum sacramenti: qui est institiā à peccatis, non tamen quantum ad effectum characteris, qua hic nunquam imprimitur, nisi per sacramenta. Et in hac posteriori parte nulla est difficultas, quia cùm puer ille re vera non maneat baptizatus, non manet etiam insignitus charactere; vnde quacunque ratione constaret etiam per reuelationē, sacramentum fuisse nullum ex defectu intentionis, esset iterandum, signum ergo est, nō impressisse characterem, sicut, si sacramentum fuisset nullum ex defectu essentiali in materia & forma; vel etiam si omnino non esset exteriùs applicatum, nam perinde est, fictè seu cum essentiali defectu specie tenus applicari; ac omnino non dari. Hinc verò oritur difficultas circa alteram partem doctrinæ D. Thom. quia etiam effectus gratiæ, & iustificatio à peccatis prout est proprius effectus sacramenti ex opere operato, nunquam datur, nisi quando sacramentum est ratū, & validū, vt posteà latiùs dicemus: ergo falsum est, quod in infantibus suppleat Christus effectum gratiæ, quando sacramētum non est validum; hoc enim est contra generalem legem, & regulam à Christo datam, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & ideò affirmati non potest sine alia reuelatione, vel testimonio. Et eadem ratione in adultis non suppletur effectus per deuotionem eorū, nisi quatenus deuotio potest esse tanta, vt perueniat ad veram dilectionem, seu contritionem includentem votum sacramenti; tūc enim dabitur quidem gratia per talem dispositionem ex generali & communi lege; non quia Christus specialiter aliquid suppleat circa effectum sacramēti, quādo ob defectum intentionis ministri deest veritas sacramenti. Confirmatur primò, quia rationes factæ de charactere procedunt etiam de effectu gratiæ. Secundò, quia si sacerdos sine iurisdictione absoluat, aut si laicus se fingat sacerdotem, & conficere, non propterea dicendum est, Deum supplere hunc defectum, & perficere sacramentum, aut effectum eius, ne populus decipiatur; hoc enim neque vlla Dei lege aut promissione fundatum est, nec aliqua necessaria, aut probabili ratione; ergo idē est in Baptismo. Atque ita docuerunt Soto, & Ledesm. hic & Maior in 4. d. 2. q. 1. & ita mihi videtur simpliciter asserendum. Quapropter ad propositam difficultatē, quod ad rem attinet, nihil habeo, quod respondeam, existimo enim hanc doctrinam esse verissimam, quod verò spectat ad D. Thom. fateor illum concisè ac breuiter percurrisse, attingendo solùm, quæ sibi erant necessaria, reliqua verò, sine examinatione, aut affirmatione prætereūdo. Vnde cū in illa opinione duo retulisset, vnum pertinens ad infantes, aliud pertinēs ad adultos; hoc tantum approbauit, non quia cēseat, in eo casu dari aliquem effectum gratiæ adultis, præter eum, qui præcisè respondet deuotioni eorum, sed solùm vt doceat posse interdum obtineri effectum gratiæ, sine reali susceptione sacramenti, quia hoc ad solutionem argumenti nonnihil conferebat. Quia verò sentiebat, hoc non posse ad infantes applicari, neque ad effectum characteris, ideò ipse secundam responsionem adhibet. Dicit ergo secundò, ministrū sacramenti agere in persona totius Ecclesiæ, & in verbis formæ exprimere intentionem Ecclesiæ, *Quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur.* Quæ verba sunt obscurissima, & destruere videntur totam doctrinam datam: indicat enim D. Thom. etiam si desit interior intentio ministri faciendi sacramentum, si tamen exteriùs materiā & formā sine vllo defectu applicet, verè fieri sacramētū ex intētione Ecclesiæ, q̄ est apertè cōtra sensum suprà expositum, & contra veram, & sanam doctrinā, vt posteà videbimus. Quarè necessario admitteda est pia interpretatio Caiet. scilicet, illa verba, *Intētio Ecclesiæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi cōtrarium exteriùs exprimatur*, non esse intelligēda de perfectione, seu veritate sacramenti in re ipsa, sed in humana existimatione & certitudine; ac si diceret, hoc satis esse, vt sacramentum censeatur esse perfectum, & humana quadā certitudine tale reputetur, quādiu minister defectū suæ intentionis ex teriùs nō expresserit. Vt hoc modo solutio respondeat argumento cuius difficultas erat, quod veritas sacramentorū nobis esset incerta, responsio enim est, esse certam humano modo, & quantū in Ecclesiæ foro, & iudicio esse potest, & hoc satis esse ad pacandos hominū animos, & conscientias, & ad satisfaciendum Ecclesiæ, quæ quia nō iudicat de occultis, de veritate sacramēti ex sola veritate materiæ & formæ iudicat, nam intentionem semper supponit, quandiu contrariū exteriùs non constat, vt colligitur ex cap. à quodam. de consecra. d. 2. & alijs. Fateor quidem, non omnino adimi scrupulum, si rigorosè verba literæ perpendēda sint, & explicanda, tamen necesse est, hunc rigorem lenire, quia non est verisimile, D. Thomam in tam breui contextu sibi esse contrarium.

In solut. ad 3. vbi D. Tho. ait sufficere ad conficiēdū sacramentū habitualē intentionē ministri, debere tamen sacerdotem curare, vt actualem intentionē habeat, rectè Caiet. explicat D. Tho. mentē quoad vtramq; partē. Nā in priori per intentionē habituālē virtualis intelligitur, quæ, quia nō est in actu, habitualis interdū vocatur, nō tamen satis est, vt quomodocunq; in habitu retineatur, sed necesse est, vt aliquo modo influat, & moueat ad externū actum, & hoc est quod statim D. Tho. subiungit, *Et virtute primæ intentionis conficitur sacramentum*, quomodo autem hoc fiat in disputatione sequēti explicabimus. In posteriori autē parte, ait Caiet. actualē intētionē non esse intelligendā in actu signato. Quia nec necessariū est, nec expedit, vt sacerdos, verbi gratia, dū cōsecrat, hunc actū interiùs repetat, ego intendo conficere, sed melius est, vt de ipso mysterio āse cōficiēdo

Non dato sacramento, nō supplet Deus effectum sacramenti.

ficiendo cogitet, quam vocauit Caiet. actualē intentionem in actu exercito, & est potiùs attentio quædam ad res sacras peragendas, cum qua est coniuncta voluntas perficiendi eadem mysteria, quanuis necesse non sit, hanc semper actu exerceri, neque animam diligentiam ad hoc exhiberi.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fides ministri, sit de necessitate sacramenti.

4. d. 6. q. 1. a. 3. q. 2. Art. præc.

AD nonū sic proceditur. Videtur, quod fides ministri sit de necessitate sacramenti. Sicut enim dictum est, intentio ministri est necessaria ad sacramenti perfectionem. Sed fides intētionem dirigit, vt Augustin. dicit contra Iulianum. Ergo si desit vera fides in ministro, non perficitur sacramentū.

Id habet Augustin. in præf. Psal. 31. non Ligē ante med. tom. 8.

¶ 2 Præterea. Si minister Ecclesiæ verā fidem nō habeat, videtur esse hæreticus. Sed hæretici, vt videtur, non possunt sacramenta conferre, dicit enim Cyprianus in epistola contra hæreticos. Omnia quæcunque faciūt hæretici, carnalia sunt, & inania, & falsa, ita vt nihil eorum, quæ illi gesserint, à nobis probari debeat, & Leo Papa dicit in epistola ad Leonem Augustum, Manifestum est per crudelissimam & insanissimam vesaniam, in Alexandrina sede omne cælestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & patricidalibus manibus impiorum, omnia se subtraxere mysteria. Ergo vera fides ministri est de necessitate sacramenti.

Li. 1. epist. 12 non remotè à fi. incipit. Cū simul in cōcil. Leo in epist. 75. quæ incipit, Literas clemētiæ tuæ, a medio.

¶ 3 Præterea. Illi qui non habent veram fidem, videntur esse per excommunicationem ab Ecclesia separati: dicitur enim in secunda Canonica Ioan. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Aue dixeritis ei, & ad Tit. 3. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita. Sed excōmunicatus non videtur posse conferre Ecclesiæ sacramentum, cum ab Ecclesia sit separatus, ad cuius ministerium pertinet sacramentorum dispensatio. Ergo videtur, quōd vera fides ministri, sit de necessitate sacramenti.

Lib. 1. c. 47. aut ca finē to. 7

SED contra est, quod Augustin. dicit cōtra Petilianum Donatistam: Mementote, sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quòd illa, vel non sint, vel minus sancta sint.

Art. 5. huius q. & q. 62. a. 5. & 2.

RESPONDEO dicendum, quod sicut suprà dictum est, quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutē hominis, charitas, ita & fides. Vnde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quòd minister sit in charitate, sed possunt etiā peccatores sacramēta conferre, vt suprà dictum est: ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius, sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dūmodo cætera adsint, quæ sunt de necessitate sacramenti.

Art. 5. & 6. huius q.

AD primum ergo dicendum, quod potest contingere quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, & non circa veritatem sacramenti, quod exhibet, puta, si aliquis credat intramentum esse in omni casu illicitum, & tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem, & sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramētum. Si verò patiatur fidei defectum, circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia catholica intendit per huiusmodi, quæ exterius aguntur, præbere sacramentū. Vnde non obstante infidelitate, potest intēdere & facere id quod facit Ecclesia, licet ipsi met id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum, quia sicut suprà dictum est, minister sacramēti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cuius fide suppletur, id quod deest fidei ministri.

Art. 8. huius quæst.

AD secundum dicendum, quod hæretico rum quidam in collatione sacramentorum, formam Ecclesiæ non seruant, & tales neq; sacramentum conferunt, neq; rem sacramenti. Quidam verò seruant Ecclesiæ formam, & tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramēti. Et hoc dico, si sunt manifestè ab ecclesia præcisi, quia ex hoc ipso quod aliquis accipit sacramēta ab eis, peccat, & per hoc impeditur ne effectum sacramenti consequatur. Vnde Augustin. dicit in lib. de fide ad Petrū, Firmissimè tene & nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem. Et per hunc modum dicit Leo Papa, in sede Alexandrina omne sacramentorum lumen esse extinctū, scilicet quātum ad rem sacramenti, non autem quantum ad ipsum sacramentum. Cyprianus autem nullo modo sacramentum conferre hæreticos posse credebat, sed in hoc eius sententia non tenetur. Vnde Augustin. dicit martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, tanta merita vsque ad triumphum martyrij secuta sunt, vt charitatis, qua excellebat, luce obūbratio illa fugaretur, & si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.

ca. 36. vsque ad med. to. 5.

Epist. 75. a medio illius.

Epist. vlt. li. 1. epist.

Ex ep. 48. ante finem habetur to. 2. expressius. li. 1. contra Donat. c. 18. to. 7. & in fine lib. 2. cō. Cres. to. 7

AD tertium dicendum q̄ potestas minis-

Universidad de Deusto Biblioteca

strandi sacramenta, pertinet ad spiritualẽ characterem, qui indelebilis est, vt ex suprà dictis patet. Et ideo per hoc, quod aliquis ab ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, nõ amittit potestatem cõferendi sacramentum, sed licentiam vtendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo, & similiter ille, qui ab eo accipit sacramentum. Et sic non percipit rem sacramenti, nisi fortè per ignorantiam excusetur.

q. prec. ar. 5.

DOctrina huius Articuli comprehensa est sub generali doctrina data in art. 5. & ideò non indiget noua explicatione. Nam quod à D. Thoma dicitur in solutione ad secundum, hæreticũ posse dare sacramentum, non tamen rem seu effectũ sacramenti, intelligendum est, non ex defectu potestatis ipsius ministri, sed ratione obicis ex parte suscipientis, quia peccat suscipiendo sacramentum à tali ministro. Et hoc explicuit D. Thom. in solutione ad tertium dicens de huiusmodi suscipiente. *Et sic nõ percipit rem sacramenti, nisi fortè per ignorantiam excusetur*: sub qua exceptione subintelligi debet omnis alia ratio excusationis, quæ intercedere potest, nam eadem est omnium ratio. Atque hinc intelligitur, totum hoc impedimentum oriri ex obice peccati, nam si illud excusetur, sacramentum non priuabitur suo effectu, propterea quòd ab hæretico ministretur, vt latiùs posteà dicemus.

ARTICVLVS X.

Vtrùm intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Infr. q. 74. a. 2. ad. 2. Et 4. d. 6. q. 1. a. 2. q. 2. & d. 12. q. 2. ar. 1. q. 3 ad 1. & d. 10 q. 1. art. 3. ad 3. ar. 8. & 9.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ, vt ex dictis patet. Sed intentio Ecclesiæ semper est recta. Ergo de necessitate ad sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri.

¶ 2 Præterea. Peruersa intentio deterior esse videtur, quam intentio iocosa. Sed intentio iocosa tollit sacramentum, putà, si aliquis non seriò, sed ludò aliquem baptizaret. Ergo multo magis peruersa intentio aufert sacramentum, putà, si aliquis aliquem baptizaret, vt postmodum eum occideret.

¶ 3 Præterea. Peruersa intentio facit totum opus vitiosum, secundum illud Luc. 12. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Sed sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines, sicut August. dicit contra Petilianum. Ergo videtur, quod si sit peruersa intentio ministri, non sit ibi verum sacramentum.

Id tract. li. 1. cõtra Peti. per 8. vel. 9. c. & li. 3. cõt. cref. c. 5. 6. 7. to. 7

SED contra est, quod peruersa intentio

A pertinet ad malitiam ministri, sed malitia ministri non tollit sacramentum. Ergo nec peruersa intentio.

RESPONDEO dicendum, quod intẽtio ministri potest peruerti dupliciter. Vno modo respectu ipsius sacramenti, putà, cùm aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere. Et talis peruersitas tollit veritatem sacramẽti, præcipuè quãdo intentionem suam exterius manifestat. Alio modo potest peruerti intentio ministri quãtum ad id, quod sequitur sacramẽtum, putà, si sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, vt abutatur ea, vel si intendat conficere corpus Christi, vt eo ad veneficia vta-
B tur. Et quia prius non dependet à posteriori, inde est quod talis intentionis peruersitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse minister ex tali intentione grauiter peccat.

AD primum ergo dicendum, quod Ecclesiæ intentio recta est, & quantum ad sacramenti perfectionem, & quantum ad sacramẽti vsum, sed prima rectitudo perficit sacramẽtum, secunda operatur ad meritum. Et ideo minister qui conformat intentionẽ suam Ecclesiæ, quantum ad primam rectitudinem, nõ autem quantum ad secundam, perficit quidẽ sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

AD secundum dicendum, quod intentio ludicra, vel iocosa excludit primã rectitu-
C dinem intentionis, per quam perficitur sacramentum, & ideo non est similis ratio.

AD tertium dicendum, quod peruersa intentio peruertit opus intendentis, non autẽ opus alterius. Et ideo ex peruersa intentione ministri, peruertitur id quod agit in sacramentis, inquantum est opus eius, non inquãtum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile, si minister alicuius hominis, praua intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam Dominus recta intentione mandaret.

LItera huius articuli clarissima est, doctrina verò eius comprehensa est in illa, quæ art. 5. & 8.
D est tradita.

DISPVTATIO XIII.

De causa proximè ministrante sacramenta.

IN hac disputatione explicanda sunt omnia, quæ ex parte ministri necessaria sunt ad veritatem sacramenti: vnde primò dicemus de persona, deinde de actibus, quos adhibere debet ad sacramentũ perficiendum, vt factum teneat, & excludemus alias conditiones, quæ simpliciter necessariæ non sunt. De his verò quæ ad dignè ministrandum sacramentum seruari debent, commodius dicemus inferiùs in moralibus disputationibus.

SE-

SECTIO I.

Vtrùm omnes & soli homines possint esse sacramentorum ministri.

Ille verus sacramenti minister est, quẽ Christus esse voluit.

PRincipio statuenda est generalis regula in commentarijs articulorum indicata, quæ est basis & fundamentum omnium, quæ dicenda sunt, scilicet, illum esse sufficientem, ac necessarium ministrum ad sacramentum conficiendum, quẽ Christus sua institutione designauit. Probatur, quia, vt Concil. Florent. docuit, sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & ministro, ergo necesse est, vt qui sacramentum instituit, hæc tria statuat atque designet, quæ sunt de necessitate sacramenti. Quia institutio sacramenti hæc omnia includit, ergo sicut in vnoquoque sacramento, quæ sit materia vel forma sufficiens, aut necessaria ex Christi institutione petitur, ita de ministro ratiocinandum est. Et confirmatur, nam hac ratione sacramentorũ ministri dicũtur operari vt instrumenta & organa, quæ vicem Christi gerunt, non solùm respectu effectus sacramenti, sed in ipsomet sacramento conferendo. Ita sumitur ex Augustino, tractatu 5. & 6. in Ioan. vbi ponderat verbum illud. *Hic est qui baptizat.* Id est Christus. Quia licèt Petrus baptizet, tamen id facit vt minister à Christo deputatus, idem lib. 3. contra Cresconi. cap. 8. vbi adducit illud 1. ad Corint. 9. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, & lib. 1. cõtra liter. Petiliã. cap. 7. comparat ministrum sacramenti cum ministro Euangelij, quatenus vterque operatur vt legatus Christi. Addit vero lib. 5. de Baptismo. cap. 14. consideratione dignum esse, Paulum interdùm vocare euangelium suum, nunquam tamen appellasse baptismum suum: Quia licèt in vtroque munere sit homo minister Christi, specialiori tamen modo in collatione sacramenti, quàm in fidei prædicatione. Nam in hac potest homo aliquid de suo ponere, aut in doctrinæ expositione, aut in similibus: tamen in sacramento tradendo totum quod ad substantiam pertinet, fit ex institutione & virtute Christi. De qua re plura legi possunt apud eundem Augustinum, li. 3. contra literas Petilia. cap. 8. 49. & 55. & alijs lib. contra Donatistas. Vltimò adiũgi potest ratio, quia conficere sacramentum est opus supernaturale, nam est conficere signum efficax gratiæ, sed nulla creatura ex se habet hanc potestatem, ergo oportet vt illã recipiat ex diuina institutione.

Soli homines sacramentorũ ministri sunt.

Hoc posito, dico primò. Soli homines sunt sufficiẽtes ministri sacramentorum. Hæc est mens D. Thomæ hìc art. 7. atque idem docet Alex. Alens. 4. part. quæst. 16. memb. 4. Gab. d. 6. quæst. 1. Soto. d. 1. q. 5. art. 7. & reliqui. Probatur primò ex Christi institutione in singulis sacramentis, nam solis hominibus dixit Matthæ. vltimò *Baptizantes eos*, & Lucæ. 22. *Hoc facite*, & Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, & Iacobi. 5. similiter dicitur. *Vocet presbyteros Ecclesiæ*, & Actor. 8. Apostoli mittuntur ad Confirmãdos eos, qui fuerant in Samaria ad fidem conuersi. Denique ad Ephes. 4. inquit Paulus de Christo, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, & posteà subiungit, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autẽ Pastores, & Doctores ad consummationẽ sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis*

A *Christi*. Totum ergo hoc ministerium cõmissum est hominibus, de quibus proptereà dicitur prima ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Secundò afferri possunt congruentiæ huius institutionis. Prima, quia præcipui ministri sacramentorum, & qui ex officio ad hoc constituuntur sunt sacerdotes, sacerdos autem (ait Paulus ad Hebræos. 5.) oportet, *vt sit ex hominibus assumptus, vt pro hominibus constituatur in his, quæ sunt ad Deum.* Quam congruentiam attigit D. Thom. in art. 5. & optimè illam confirmat, quia summus Pontifex Christus, qui est præcipuus autor sacramentorum est verus homo, & ideò expedit vt ministri sint illi in natura conformes. Secunda adiũgi potest, quia illi, quibus ministranda sunt sacramenta, sunt soli homines: ergo vt seruetur proportio, oportet, vt ministri etiam sacramentorum sint homines. Tertio, fuit hoc Ecclesiæ conueniens, nam cùm humana, & visi-
B bilis sit, debuit per humanos, ac sensibiles ministros gubernari: ergo etiam oportuit vt ab eisdem sacramenta ministrarẽtur, ergo angelici spiritus non erãt ad hoc ministerium accommodati. De inferioribus verò creaturis nihil dicere oportet: quia cùm ratione careant, omnino sunt huius ministerij incapaces. Quartò addit Caiet. fuisse conueniens, vt sacramenta constarent verbis, soli autem homines possunt propria verba proferre, nam licèt angeli in corporibus assumptis possint efficere sonum verbis similem non tamen possunt veram locutionem efficere, vt docuit Diuus Thomas 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 4. Dices, ille sonus in ipsa motione, vel qualitate, vel signo sensibili, nihil differt à propria locutione humana, sed solum in habitudine, seu emanatio-
C ne ab organis vitæ, & anima informante illa, hoc autem nihil differre videtur à ratione sacramenti, quæ cõsistit in signo sensibili, ergo hoc nihil obstat, quo minùs angelus per corpus assumptũ possit proferre verba ex se sufficientia ad constituendum sacramentum. Respondetur (quidquid sit de physica distinctione inter vtrũque sonum, quæ ad præsentem disputationem non refert) propria verba, & humanam locutionem esse necessariam ad formam sacramenti quod colligimus ex Christi institutione, qui solis hominibus præcipit, vt illis sensibilibus verbis, quibus exprimere solent conceptus suos, ad conficienda sacramenta vterentur.

Tandem, si per singula sacramenta discurramus, de sacramento Matrimonij nulla potest esse controuersia, quia in illo nullus requiritur minister præter ipsos contrahentes, quos non posse esse nisi homines
D satis per se notum est. De quinque verò alijs sacramẽtis, in quibus necessarius est minister consecratus, & charactere Ordinis insignitus, satis etiam constat, eorum ministrum, non posse esse nisi hominem, quia nullus est capax sacramenti Ordinis, & characteris, nisi homo. Igitur solùm relinquitur sacramẽtum Baptismi, de quo possit dubitari. Nam Scotus in 4. dist. 6. quæst. 1. sentit angelum posse esse ministrum huius sacramenti, quia potest per corpus assumptum, & abluere, & verba proferre, & per se potest id facere debita intentione. Cui sententiæ fauere videtur August. lib. 2. contra Parmenianum, ca. 15. dicẽs. *Nemo accipit sine dante, sed, quod attinet ad sanctitatem Baptismi, adest Deus, qui dat, siue per hominem, siue per Angelũ.* Dicendum est tamen, secundùm legem ordinariam, solum hominem posse esse ministrum in sacramento propter omnes rationes suprà adductas, quæ satis de-

Baptismi etiã ministrum debere esse hominẽ, ostenditur.

cla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clarant hanc fuisse Christi institutionem, atque adeò hanc esse ordinariam legem. Vnde Concil. Florent. in decreto Eugenij, assignans ministrum huius sacramenti tam ordinarium, quàm sufficientem in casu necessitatis, solùm facit hominum mentionem. August. verò loquitur, non de lege ordinaria Baptismi, sed de varijs modis, quibus Deus potest sanctitatem conferre, vel per hominem, vel per angelum, vel vt ipsemet addit, *per seipsum*, cùm tamen certũ sit, Deũ per seipsum non conferre sacramẽtum Baptismi iuxta ordinariam legem: loquitur ergo Augustinus de eo, quod absolutè fieri potest. Certum est autem, ex priuilegio, seu diuina dispensatione, posse Deum cõferre effectum Baptismi, per signum sensibile per angelum factum, & fortasse Scotus nihil aliud voluit: requirit enim diuinum præceptum, & ideò negat, Baptismum datum à malo angelo censendum esse validum, nisi certa reuelatione constet de diuino præcepto. Hæc verò dispensatio nõ solùm habet locum in sacramento Baptismi, sed etiam in alijs: est enim eadem ratio, quia Deus nõ magis alligauit potentiam suam signo sensibili in alijs sacramentis, quã in Baptismo. Vnde refert Nicephorus lib. 11. histo. cap. 20. Amphylochium quendam fuisse consecratũ Episcopum per angelum, eamque consecrationem ratam fuisse habitam ab alijs Episcopis, quibus, credendum est sufficientibus coniecturis constitisse illum fuisse bonum angelum.

Quidam ab angelo consecratus episcopus.

Atque ex his omnibus sequitur, animam à corpore separatam, nõ posse esse ministrum sacramẽtorũ, non solùm quia non potest propria verba formare, sed etiam quia re vera non est homo. Si autem post separationem à corpore, iterum ad illud rediret, propriè informando & viuificando illud, non est dubiũ, quin suppositum illud, quantum est ex parte naturæ, posset esse sufficiens minister sacramenti, si aliæ conditiones necessariæ concurrerent, quia esset verè homo. Quod maximè verum est magisque indubitatũ, si anima illa rediret ad corpus passibile, & mortale, quia non solùm ille esset homo, sed etiam viator. Si autem loquamur de homine omnino existente extra viam in corpore & anima gloriosis, potest nonnulla ratio dubitandi suboriri, quia Christus solis hominibus viatoribus videtur hæc ministeria cõmisisse, & huiusmodi potestatem contulisse, nam ad illos solos dixit, *Baptizantes eos*, vel, *Hoc facite*, &c. Nec videtur sufficere, quòd in huiusmodi homine maneat character Ordinis, quia cùm character non sit potentia physica, sed solum signum, potuit dari ad deputandum hominem ad tale ministerium pro statu viæ, & non pro statu beatifico. Nihilominùs D. Thom. sensit, hunc hominem esse sufficientem ministrũ sacramenti, vt notauimus art. 7. ad. 2. Et videtur hæc sententia probabilior, quia in huiusmodi supposito concurrunt omnia necessaria ex parte ministri ad substantiam sacramenti, nam potest proferre propria verba humana, atq; ita applicare propriã formam, & materiam cum debita intentione, & potest etiam habere characterẽ si necessarius sit. Quod verò non sit in statu viatoris, non videtur essentiale impedimentum, quia, licèt Christus ad viatores homines sit locutus, quando eis dedit huiusmodi potestatem, quoniam eos tantùm præsentes habebat, & per eos re vera exercenda erãt hæc ministeria, tamẽ nihilominus institutio absoluta fuit, & potestas data est hominibus, nec apposita est illa conditio aut limitatio, scilicet, pro solo statu viæ, & ideò in eis ab-

Qui redit ad vitam, etiam in statu glorioso, sacramẽta posset ministrare.

A solutè manet, eamque exercere possent, si inter nos versari permitterentur.

Vltimò dicendum est, non omnes homines esse posse ministros quorumcũque sacramentorum, sed illos solos, qui iuxta Christi institutionem & variam sacramentorum rationem hanc potestatem acceperunt. Ratio huius assertionis constat ex principio suprà posito, & applicabitur ad singula sacramenta ex professo, in proprijs eorum tractatibus, seu disputationibus, & præsertim cùm agemus de sacramento Ordinis, vbi contra hæreticos ostendemus, non omnes homines esse sacerdotes, aut habere æqualem potestatem perficiendi res sacras. Itaque in omnibus sacramentis in primis necessarium est, vt homo ratione vti possit; quia aliàs non poterit habere debitam intentionem, & ideò nec infantes, neque amentes, aut alij eiusmodi possunt esse sacramentorum ministri. B Deinde, quod attinet ad necessitatem sacramenti, in Baptismo quilibet homo ratione vtens potest esse minister, in Matrimonio omnes fideles baptizati, qui possunt inter se Matrimonium contrahere, in Eucharistia & Extrema vnctione quilibet simplex sacerdos, in Pœnitentia verò sacerdos iurisdictionẽ habens: in alijs duobus Episcopus, vel ex dispensatione sacerdos in sacramento Confirmationis, & aliquibus Ordinibus. Quæ omnia intelliguntur de potestate simpliciter necessaria, nam ius dandi non his omnibus competit, sed quibus ex officio incumbit, de his verò omnibus latiùs in sequentibus.

Qui ratione vti non p[...] neque [...] menti [...] nister esse [...] test.

SECTIO II.

C *Vtrùm ad sacramentum conficiendum necessaria sit in ministro intentio faciendi sacramentum.*

NOmine intẽtionis hoc loco solùm intelligimus voluntatem faciendi sacramentum ex quocunque fine, vel ratione procedat, quia omnis alius finis extrinsecus est impertinens (vt nũc supponimus) ad sacramenti veritatem: solùm ergo hoc obiectum, scilicet, sacramentum perficiendum, consideratur in præsenti tãquam finis, ad quem aliæ actiones ordinantur, & ideò voluntas illius obiecti vt perficiendi, vocatur intentio, de cuius necessitate præsens quæstio instituitur.

In qua est prima sententia negans requiri huiusD modi intentionem ad valorem sacramenti. Hanc facilè amplectuntur hæretici omnes, qui sacramentis nihil tribuunt præter externum symbolum, quatenus aptum est ad excitandam fidem, hoc enim facere possunt actiones, & verba sensibilia, etiam si absque huiusmodi intentione fiant, imò etiam si nõ procedanẽ à voluntate rationali, sed omnino casu & indeliberatè fiant. Omisso verò hoc hæretico fundamento, alia via nonnulli Catholici secuti sunt hanc sententiam, dicentes, ad perficiendum sacramentum requiri quidem voluntatem faciẽdi illas actiones externas, quas Christus instituit, verbi gratia lauandi, & proferendi talia verba, & hanc dicunt esse intentionem faciendi, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, quam Concilia requirunt ad sacramenti veritatem, negant tamen præter hanc voluntatem esse necessariam intentionem faciendi sacramẽtum, nam

Intentio [...] ciendi a[...] externas [...] busdam [...] tur suffic[...]

nam si minister velit debita verba proferre super debitam materiam, etiam si decipiendi, vel illudendi causa id faciat, erit validum sacramentũ. Hanc sentẽtiam probabilem iudicat Palud. ibi. quæst. 2. art. 3. licèt contrariam iudicet veriorem: Angelus in sum. verbo Baptismus. 5. num. 7. dicit, quòd licèt baptizans intendat non facere quod facit Ecclesia, si tamẽ in re facit, quia formam seruat, nihilominùs baptizat dum modò baptizare intendat: secus verò (inquit) si intenderet solùm lauare. Et pro hac sententia citat Innocent. in cap. 1. de Baptismo. Hi verò duo autores re vera non defendunt prædictam opinionẽ, quia dum distinguunt inter intentionem lauandi, & Baptizandi, satis indicant se sentire, esse necessariam aliquo modo intentionem faciendi sacramentum, & non sufficere intentionem faciendi actionem externam, quod verò aiunt, posse esse validum sacramentum, etiam si minister intendat non facere, quod facit Ecclesia, intelligunt, quando ex ignorantia habet intentiones repugnantes, vnam baptizandi, & aliam discordandi ab intentione Ecclesiæ. Expresse tenet hanc sententiam Syuest. Baptism. 3. num. 12. qui existimat esse sententiam D. Thomæ, vt suprà dixi, & saltem negari non potest, quin in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 2. quæstiun. 1. ad. 2. in hanc opinionem fuerit propensus: refert enim secundo loco opinionem asserentem, in Baptismo, & alijs sacramentis, quæ habẽt in forma actum exercitum, non requiri mentalem intentionem, & quanuis non expresse, illam tamen approbare videtur: in hac verò 3. parte multò aliter locutus est, vt explicuimus.

Potest autem in huius sententiæ fauorem afferri historia illa vulgaris de Athanasio, qui cũ esset puer, quosdam alios pueros per iocum baptizauit, & tamẽ eum Baptismum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus, vt referunt Ruffin. lib. 1. hist. ca. 14. & Nicephor. lib. 8. cap. 44. & Sozomen. lib. 2. c. 16. & Gratian. in capit. Spiritus sanctus. §. Ecce. 1. quæst. 1. Nec dissimilis est historia, quam refert Nicephor. lib. 3. hist. cap. vlti. de quodam puero Iudæo per similem ludum ab alijs pueris baptizato, qui Baptismus in Ecclesia Constantinopolitana approbatus est, & ideò non fuit iteratus, sed solùm additæ cæremoniæ, quæ defuerunt. Ergo signum est, fuisse iudicatum à prædictis patribus, ad veritatem Baptismi nihil aliud esse necessariũ, præter externam ablutionem, & formam, de quibus in prædictis casibus constare potuit: nam de interna intentione non solũ constare non potuit, verùm etiam neque satis probabili ratione præsumi, quod tamen maximè necessarium erat, si existimaretur talis intentio necessaria, præsertim in re tam graui, & in sacramento ad salutem necessario.

Secundò augeri potest difficultas ex Augustino lib. 7. de Bap. cap. 53. & habetur in cap. Solet etiam quæri. de consecrat. d. 4. Vbi in primis ait, eũm, qui baptizatur absque simulatione baptizati seruata Ecclesiæ forma, manere baptizatum, in quibus verbis significat, simulationem baptizantis nõ esse contrariam veritati sacramenti, tum in vniuersali locutione, tum maximè in speciali exceptione simulationis baptizati, nam exceptio (vt dicitur) firmat regulam. Rursus verò inferiùs, expressiùs quærẽs, an cẽsendus sit esse baptismus, quãdo minister omnia per iocũ & irrisionẽ facit, non audet quidquam definire sed expectandam putat diuinam reuelationem.

Tertiò argumentor ratione, certum enim est, po-

A tuisse Christum ita sacramenta instituere, vt ad illorum valorem & efficaciam non sit necessaria prædicta intentio, sed solùm signum externũ, vel, ad summum, voluntas efficiendi actionẽ externam, & proferendi verba. Nihil enim afferri potest, cur hoc absolutè repugnet, aut Christo fuerit impossibile, sed hic modus institutionis est multis rationibus conuenientior: ergo credendum est, hanc fuisse Christi voluntatem. Minor declaratur varijs modis. Primò ex communi ratione ministrorum, nam quando aliquis transigit negotium, seu obligationem, aut contractum per ministrum, non requiritur intentio ministri ad valorem contractus, sed sola externæ actionis executio, vt si Petrus per famulum rem aliquam dono mittat ad Paulum, nõ oportet vt famulus habeat intentionem transferendi dominium, sed solùm vt rem exteriùs exhibeat, & tradat nomine Petri, & B quòd Paulus acceptet, sed hoc eodem modo comparantur ad Christum ministri sacramẽtorum: ergo. Secundo, ex generali ratione signi sensibilis ex impositione significantis, nam hoc ipso, quòd vox vel actio externa ad significandum aliquid imponitur si exteriùs exhibeatur seu proferatur, erit verum signum sensibile, quacunque intentione fiat, sed sacramentum est signum sensibile impositum à Christo ad significandum in tali actione, & talibus verbis, ergo talis actio & verba exteriùs exhibita habent illã significationẽ ex impositione Christi, quidquid minister intendat: imò etiam si ipse nolit, nam, cum exhibet exteriùs talem ceremoniam, velit, nolit, facit signum à Christo institutũ, facit ergo sacramentũ: sicut qui exhibet seu dispensat hostiam consecratam velit, nolit, confert sacramentum, quia ex vi consecrationis habet inseparabilem consecrationem. Ita C ergo, qui exhibet talem ceremoniam externam, velit, nolit, dabit sacramentum, quia illa ceremonia habet inseparabilem significationem. Et confirmatur, quia si minister velit dare sacramentum, non tamen effectum, nihilominus, si suscipiens sit dispositus, recipiet effectum: quoniam ex Christi institutione & promissione effectus infallibiliter est coniunctus cũ susceptione sacramenti, quantum est ex parte illius, & ideò non potest minister illum impedire, sed simili modo sacramentalis significatio à Christo est imposita tali ceremoniæ exteriori, ergo nihil aliud necessarium est vt illa ceremonia significet, præter quam, quòd exteriùs fiat: ergo, si minister hoc velit & faciat, necessario faciet sacramentum, nec potest sua voluntate seu intentione contraria impedimentum ponere Christi institutioni. Secundò confirma-D tur hæc coniectura, & ratio, quia re vera minister nihil aliud facit, nisi externam actionem, seu prolationem verborum, formalem enim significationem nõ potest efficere, hæc enim nihil reale addit verbis, aut actibus externis, sed solam denominationem resultantem ex Christi institutione: ergo, vt sacramentum fiat in ratione signi non fuit necessarium exigere à ministro aliam intentionem seu voluntatẽ, præter quàm faciendi illud opus externum, quia natura sacramenti nihil aliud postulat, neque aliud est necessarium ad totum illud sensibile signum applicandũ. Tandem explicatur hoc exemplo, nam si duo baptizati velint contrahere matrimonium in facie Ecclesiæ, & expresse nolint facere sacramentum, nihilominùs efficient, quia prior voluntas est efficax ad faciendum contractum & non est in eorum potestate separare rationem sacramenti à tali contractu inter ba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptizatos initor: ergo simili ratione in cæteris nō requiritur talis intentio. Vnde potest confici generalis confirmatio, nam interdum habet minister contrarias intentiones exignorantia, vt in prædicto casu, aut si velit dare Baptismum, nō verò sanctificare parvulum, quid ergo tunc fiet? Videtur etenim res esse perplexa, si requiritur intentio, quia nō est maior ratio, cur vna intentio operetur, quam alia, ergo ad vitandam huiusmodi perplexitatem melius est, negare intentionis necessitatem. Tertio, ad certitudinem sacramentorum, & ad pacandos animos suscipientiū illa, videtur hic modus ie stitutionis multò magis cōueniens. Decuit enim maximè, vt de sacramentorū veritate constaret fidelibus quoad fieri posset, & Ecclesiæ, vt rectè docuit D. Thom. in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 2. quæstiuncul. 1. vt ex hoc principio concludat, bonitatem ministri non esse ad substantiam sacramenti necessariam, atque eòdem ad eandem rem vtitur sæpe August. vt videre licet lib. 1. contr. liter. Petilian. cap. 3. & lib. 2. cap. 3. & 5. & alijs locis infrà tractandis, si autem valor externi sacramenti penderet ex intentione interna ministri, non minùs esset incerta veritas sacramenti, & sanctificatio eius, quàm si penderet ex sanctitate & fide ministri: quia non magis potest constare Ecclesiæ de intentione, quàm de fide eius. Et confirmatur, nam potissimùm redderentur incerta sacramenta ab hæreticis collata seruata Ecclesiastica forma, quia meritò dubitare possumus de vera intentione eius, qui veram fidem nō habet, præsertim, cùm dicat August. Psal. 31. quod intentionem rectam non facit, nisi recta fides. Confirmatur hæc coniectura, quia vt Chrysost. ait homil. 85. in Ioan. prope finem. *Ipsum non est, propter alios,* (idest ministri, vel sacerdotis) *malitiam ad salutem no stram accedentes offendi:* ergo neque etiam videtur iustum, vt is, qui bona fide ac mente accedit, & exterius recipit totum id, quod videtur necessarium ad sacramentum, propter solam malitiam ministri volētis illum decipere & illudere, tantum patiatur detrimentum, quantum est priuari sacramento, & fructu eius & interdùm fortasse propter solam eam causam damnari.

Intentio faciendi sacramentū est omnino necessaria.

Dicendum nihilominus est, ad faciendum sacramentum non sufficere externam effectionem cerimoniæ sensibilis, nec voluntatem efficiendi illam actionem, quasi materialem, sed requiri intentionem faciendi sacramentum, vel sub hoc conceptu vel sub aliqua ratione confusa & communi, seu æquiualenti, scilicet intendendo facere, quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt vel aliquid simile, quilibet enim ex his modis intentionis absque controuersia sufficit, & reperiri potest in hæretico, vel alio infideli, & in homine ignorante. Atque hoc modo explicata conclusio est communis theologorum in 4. dist. 6. Bonauen. art. 3. quæst. 1. Richard. art. 1. q. 2. clarius & melius Scotus quæst. 5. Gabriel. quæst. 1. art. 2. conclu. 3. & 4. Dur. quæst. 2. Maior. dist. 2. q. 1. §. penultimo circa finem. Adrian. quæst. 3. de Baptismo. Soto. dist. 1. q. 5. artic. 8. Victoria in sum. de sacramentis in materia de Baptismo. num. 31. Alexā. Alens. 4. par. quæst. 13. in memb. 1. per totum, præsertim. art. 4. Hugo de S. Vict. lib. 2. de sacram. par. 6. cap. 13. de D. Thomæ sententia satis est in commentarijs dictum, eademque apertè colligitur ex his quæ superiùs docuit art. 8. Est autem in nōnullis ex his autoribus aduertendum, non solùm videri requirere intentionem faciendi sacramentum, sed etiam conferendi effectum, quas intentiones expressiùs distinguens Scotus, quàm alij, negat vtramque esse necessariam, sed solum priorem, quod etiam nos suprà diximus in commentario art. 8. & assignauimus modum, quo explicandi sunt autores, qui loquūtur de intentione effectus sacramenti, non enim est necessarium illum formaliter & in se intendere, sed solum in causa, seu in ipso sacramento.

Fundamentum huius sententiæ sic explicatæ sumendum est ex Christi institutione, quoniam ex sola rei natura certum est, non posse probari hanc intētionem esse necessariam, neque esse impossibilē aliū institutionis modum, hoc enim satis conuincunt rationes factæ in fauorem primæ sententiæ. Quòd autem fuerit hæc Christi voluntas & institutio, quantis in Scriptura sacra expresse non doceatur, potest tamen colligi ex modo & verbis, quibus Christus sacramenta instituit. Quod ita declaratur, quia duobus modis potuerunt signa sacramentalia imponi ad significandum, primo, imponendo res ipsas, aut verba, aut actiones externas, quæcunque ratione fiant, seu ponantur in rerum natura, quo sensu procedunt multa ex argumentis prioris sententiæ. Secundo modo potest intelligi hæc institutio, vt per se primò dirigatur ad ministros, & illis detur potestas efficiendi sacramenta. Hoc ergo supposito, argumentor in hunc modum. Sacramentorum institutio facta est hoc posteriori modo, scilicet, dando ministris potestatem efficiendi, & dispensandi sacramenta: ergo ex vi illius requiritur intentio ministri ad conficiēdum sacramentum. Antecedens patet ex illis verbis institutionis sacramenti pœnitentiæ. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Ioan. 20. vbi potestatem dat ministris, & vsum eius ponit in eorum iudicio & arbitrio, idem est de illis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ. 22. nam illis significatur, actionem illam per deceptionem & simulationem factam, non habere rationem sacrificij, vel sacramenti, sed necessarium esse, vt aliqua ratione fiat ad Christi imitationem, seu repræsentationē, vel prout ab ipso fuit instituta. Idem fere est de illis verbis. *Baptizantes eos,* &c. Nam licèt ibi non fuerit institutum sacramentū sed datum præceptum, tamen in ipsis verbis satis significatur, eā potestatē datā esse ministris, & eorū arbitrio cōmissam. Idem colligi potest ex forma sacramenti Ordinis, quæ datur per modum imperij, *Accipe potestatem,* &c. & ex forma Extremæ vnctionis, quæ fit per modum deprecationis. Vnde D. Iacobus cap. 5. ad ministrum loquitur, dicens, vt super infirmum oret. Sic igitur in omnibus sacramentis ita est facta institutio, vt procedant ex potestate data ministris tanquam propriæ actiones eorum, & ideò dicuntur remittere peccata, conuertere panem in corpus Christi. Prima verò consequentia probatur, quia hæc potestas data est homini, vt homo est, ergo, vt vtatur illa humano modo operando per actiones humanas: ergo talis potestas subijcitur voluntati humanæ, ergo necessaria est propria intentio & voluntas ipsius hominis, vt per hanc potestatem censeatur operari, ergo non satis est velle efficere, quasi materialiter sensibilem illam actionem, quia illa ex se nō est actio huius potestatis nec per illam voluntatem applicatur hæc potestas ad operandum, est ergo necessaria prædicta intentio faciendi sacramentum, vt homo operetur tanquam minister Christi habens ab illo specialem potestatem. Quod confirmatur, & declaratur ex verbis illis Pauli primæ ad Corin. 4. *Sic nos*

nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Dispensator enim propriè dicitur ille, cuius potestati & arbitrio committitur aliquarum rerum distributio: quam necesse est fieri modo humano, atque adeò cum voluntate dispensandi res tali potestati commissas: ergo ad hunc modum intelligenda est dispensatio sacramentorum commissa Christi ministris. Quocirca duobus modis intelligi potest negotium aliquod fieri per nuncium, vel ministrum, in quorum distinctione & intelligentia cōsistit vis huius fundamenti, & solutio contrarij. Primus est, quando legatus seu minister, tantū est nuncius referens alterius voluntatem. Secundus est, quādo potestas datur huiusmodi ministro, vt ipse vice alterius, suo tamen iudicio & arbitrio, negotium tractet, & transigat, seu perficiat; quādo enim fit priori modo, non requiritur voluntas seu intentio interna ministri, sed solùm quasi materialiter concurrit, referens alterius voluntatem. At verò, quando fit posteriori modo, tunc volūtas ministri necessaria est, vt si rex committat iudici cognitionē, & iudicium alicuius causæ, necesse est vt talis iudex modo humano & per propriam voluntatem vtatur tali potestate, ministri ergo sacramentorum, non sunt prioris generis, sed posterioris, vt ex institutione declaratū est. Propter quod dixit Concil. Trid. loco statim citando, absolutionem sacerdotis non esse nudum ministerium, sed actum iudicialem; ergo necessaria est in illo prædicta intentio. Quod tandem potest alio exēplo declarari, nam si Deus daret homini potestatem suscitandi mortuum suis verbis aut imperio, ex vi talis concessionis censeretur positum in voluntate talis hominis vti tali potestate, quia hoc est de ratione potestatis humanæ vt sic, & ideò non posset actio procedere à tali potestate, nisi aliquo modo dirigeretur in finem seu effectum eius per intentionem seu voluntatem hominis, quia hoc est intrinsecè de ratione humanæ potestatis.

Minister sacramentorum nō se gerit vt referens alterius voluntatem, sed vt potestate vtens.

Veritas hæc ab Ecclesia definita.

Secundò principaliter probatur hæc veritas, quia hoc modo est intellecta Christi institutio ab Ecclesia, propter quod est eius autoritate definita prædicta assertio in Concil. Florent. in decreto Eugenij, & in Trid. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit,* nō enim potest hæc definitio explicari de intentione imitandi exteriùs, quasi materialiter, ritum quem seruat Ecclesia; primò, quia hoc sensu nullius momenti esset illa definitio; quia loquēdo moraliter ac humano modo, non potest aliquis facere exteriorem ceremoniā, quam Ecclesia facit, nisi volendo illam facere; ergo aliquid vltra hoc intendit Concilium. Secundò, quia de hoc nulla fuerat controuersia: Concilium autem intendit damnare errorem dicentium sacramentum eiusdem valoris esse, siue seriò, siue iocò & simulatè fiat, vt statim ex alio loco patebit. Tertiò, quia Concilia vtuntur illis verbis eo modo, quo sapientes & docti in hac materia vti solent; omnes autem Theologi, cùm ita loquuntur, non sumunt illa verba in eo materiali sensu, quia re vera in illo non significant requiri aliquam intentionem, sed solùm requiri externum ritum, quem Ecclesia seruat. Et re vera, si formalis intentio, de qua agimus, faciendi, quod facit Ecclesia, seu faciendi sacramentum, vel alia similis non esset necessaria, illa etiam voluntas faciendi externam ceremoniam non esset necessaria, nisi quatenus ad actionem externā concurrere potest. Quare, si actio illa exterior fieri posset sine tali voluntate saltem deliberata & humana, sed casu, & ab homine ebrio, aut amente, perficeretur sacramētum; quia non est maior ratio de vna, quam de alia, vt patebit facilè applicando argumenta prioris sententiæ. Concilia ergo, quæ intentionem requirūt faciendi, quod facit Ecclesia, sine dubio loquuntur de intentione sacramentali (vt sic loquamur.) Quod in hunc modū potest præterea declarari, nam quod verè ac propriè facit Ecclesia, non est sola ceremonia exterior, quasi materialiter sumpta, illam enim possent facere etiam pagani, & dæmones, quod ergo est proprium Ecclesiæ, est facere illam vt sacramentum est; intentio ergo faciendi quod facit Ecclesia, est sacramētalis. Denique Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. agens in particulari de ministro pœnitentiæ, docet, si à sacerdote desit animus seriò agendi, & verè absoluendi, nihil fieri, idque definit in cap. 9. Quæ definitio satis explicat vniuersalem definitionem priùs datam, propter quam existimo, contrariam sententiam nō posse iam tuto defendi nec sine errore.

Tertiò possumus addere congruentias huius institutionis. Prima, quia cùm sacramentum sit cerimonia sacra, pertinet in primis ad eius reuerentiam, vt nō fiat iocò, sed ex animo, nec casu, sed ex intentione. Secunda, quia actiones, quibus fiunt sacramēta, ex se indifferētes sunt vt hoc vel illo modo fiant, & ad significandum hoc vel illud: atq; adeò vt sint sacræ vel ꝓfanæ; ergo oportet vt definiātur ad esse sacramentale per intentionem ministri. Dices, determinari possunt per intentionem suscipientis, aut per intentionem Ecclesiæ, vel Christi. Respondetur, In primis suscipiens non semper est capax propriæ intētionis. Deinde actio, cùm sit ab agente, per eius intētionem determinari debet. Item potest retorqueri argumentum, nam si ex parte recipientis requiritur intentio, quando illam habere potest, cur nō multò magis ex parte dantis? Rursus Ecclesia nō habet per se propriam intentionem, sed per ministrum vult applicare sacramenta iuxta Christi institutionē: Christus verò non vult fieri sacramentum sine intentione ministri; quia expediens censuit, hanc potestatem suis ministris committere, vt modo humano ista virentur, qui est nobilior modus operandi, magisque dignitatem tanti ministerij, ipsorumq; ministrorū spectans. Quæ potest esse nouæ congruentiæ, seu confirmatio. Tandem argumentum illud, quod suprà explicando Concilia insinuabamus, non est contemnendum, nam si prædicta intentio non esset necessaria ad sacramentum, nulla prorsus esset necessaria. Ex quo ab inconuenienti argumentatur Hugo Victor. suprà contra priorem sententiam: nam ex ea sequitur, si mater ablueret corpus infantis solo animo & cogitatione mundandi corpus, & eadem mente baptizare imprecaretur illi inuocando Trinitatem, nihil omnino de sacramento cogitans, in eo casu perficeret sacramentum. Ac simili modo si sacerdos habens præsentem panem, nihil cogitans de sacramento, proferret verba formæ, referens fortasse factum Christi, consecraret sacramentum: vtrunq; autem & per se statim absurdissimum apparet, & prædictis definitionibus Conciliorum apertè repugnat. Sequela verò patet à paritate rationis, & quia argumenta prioris sententiæ, vel nihil, vel hoc etiam concludunt. Quia, si externum signum ita est impositum ad sacramentaliter significandum, vt hoc ipso quòd in re ipsa existit verbum, vel actio exterior, necessariò habeat

anne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

annexam prædictam significationem, & esse sacramẽtale, tam habebit illud esse sacramẽti, si casu fiat, quàm si ex voluntate deliberata absq; intentione sacraméti. Quæ argumentandi ratio plurimũ valet, sal tem ad eneruanda prioris sententiæ argumẽta, quibus nihilominùs sigillatim respondendum est.

Ad argumenta.

Ad primum fundamentũ respondetur ex Hugone Victor. suprà, dupliciter posse aliquid fieri per iocum, primò, animo illud verè efficiendi, quanuis extrinsecus finis sit iocus, aut animi oblectatio, & talis intentio iocosa non est contra substantiam sacramenti; quia non destruit obiectum intrinsecũ, sed adòit finem extrinsecum, & ita non tollit veritatẽ, sed honestatem actionis, quæ non est de substãtia sacramẽti. Secundò potest intentio ita esse iocosa, vt sit ficta & simulata, & hæc est contra veritatem sacramenti. In prædictis ergo factis, quæ in citatis historijs narrãtur, credendum est, sufficientibus signis & coniecturis repertum esse, intentionem fuisse prioris modi, & in facto Athanasij signum esse potest, quòd solùm catechumenos Baptizabat, vt Durand. suprà notat. Ad secundum respondetur, ad priorem partem, Augustinum ibi simpliciter loqui de intentione necessaria ex parte recipientis, non tamen propterea excludere intentionem dantis, quia neque ibi confert vnã cum alia, neque ponit exceptionem ad cõtrariam regulam affirmandam. Ad alteram verò partem Durandus suprà exponit Augustinum quòd intellexerit, expectandam esse reuelationem, quãdo dubium est de intentione iocosa, qualis fuerit, an scilicet omnino ficta, vel vera. Sed certè neq; in eo dubio oportet ad reuelationem recurrere; quia cõstat in eo casu sacramentum esse dubium, atque ideò iterandũ esse, vel absolutè, si est iterabile; vel sub cõditione, si iterabile nõ sit. Fortasse igitur Augustinus tunc fuit dubius, quia nõdum erat res tam exactè declarata: multa enim alia ibi reliquit ambigua quæ iam facilius expediri possunt ex his, quæ discursu temporum ab Ecclesia sunt iam declarata.

Ad tertium negatur, illum modum institutionis ibi propositum fuisse conuenientiorem. Ad primã verò probationẽ de munere, & officio ministri, iam responsum est probando nostram sententiam, vbi diximus varios ministrorum modos, & explicuimus, quales existimandi sint ministri sacramentorũ. Ad secundam etiam probationem data ferè est responsio, nimirùm, externas actiones sacramentorũ, non vtcunque esse impositas ad significandũ, sed vt sunt actiones humanæ ipsorum ministrorum, & procedunt aliquo modo ex potestate illis data ad sacramenta conficienda. Quod potest exemplo declarari, nam si Diaconus, verbi gratia, audita alterius confessione proferat verba absolutionis, si respicias id, quod exterius fit, ejusdem rationis esse videtur cum simili actione facta à sacerdote, tamen nullam habet sacramentalem significationem, quia non procedit à persona habente potestatem: eodem igitur modo, si sacerdos proferat verba sine debita intentione, non habent sacramentalem significationem; quia nõ procedunt à sacerdote vt habente talem potestatem, & per illam operante. Quocirca non est similis ratio de sacramento, & voce ad significandum imposita; quia vox imponitur secundùm se vt est sonus quidã articulatus, vnde, etiam si à psittaco proferatur, aliquo modo significat: sacramentale autem verbum non est hoc modo impositum, vt declaratum est. Neque etiam est simile aliud exemplũ, quod ibi adducitur, de Eucharistia consecrata, quia illud est sacramentum permanens in facto esse, & ideò, cùm dispensatur à ministro, non est quòd ab intentione eius pendeat: quia, nec fit, nec conseruatur ab illo; vnde si contingat casu sumi absque vlla voluntate sumendi sacramentum, nihilominus re ipsa verum sacramentum sumitur, quanuis fortasse tunc non habeat effectum, quia hic non datur absque aliqua intentione, vel voluntate suscipientis. Ad primam cõfirmationem de intentione effectus respõdetur, simpliciter negando consequentiam; quia sacramẽtum ita est à Christo institutum, vt postquam est, & applicatur, sit veluti causa naturaliter agens, vbi non inuenit impedimentum; & ideò, si minister habet intentionem dandi sacramentum, illud habebit effectum suum etiam si minister nolit, quia hoc non est positum in voluntate eius. Secus verò est de ipso sacramento, nam ratio sacramenti non est necessariò connexa cum exteriori actione seu ceremonia, sed pendet ex ministro, cui data est potestas faciẽdi vel non faciendi sacramentum. Hic verò oriebatur dubium, quia ille videtur habere intentiones quasi contrarias; de quo statim dicam in fine huius sectionis, atque idem est de casu Matrimonij ibi proposito. Ad secundam confirmationem huius probationis respondetur, ministrum sacramenti physicè proferre verba, aut efficere alias actiones externas, quantum ad physicam entitatem earum, moraliter verò efficere illas actiones prout humanæ actiones sunt: Atque hoc modo est causa illarum, vt sunt actiones sacræ, & sacramentales, & ad hoc est necessaria intentio, nã sub hac ratione morali assumuntur ad significationem sacramentalem. Ad tertiam probationem respõdetur, non esse inconueniens, sacramenta ex hoc capite habere aliquam incertitudinem metaphysicam (vt sic dicam) satis est enim quòd habeant moralem & humanam certitudinẽ; qualis esse potest in actione, quæ per homines & humano modo exercenda est, sicut negari non potest quin multorum sacramẽtorum veritas pendeat ex eo, quòd minister verè sit baptizatus, aut Ordinatus, atq; ex interno charactere, vel ex potestate iurisdictionis, vt in sacramento Pœnitentiæ: ex quibus principijs potest oriri aliqua incertitudo de veritate vel effectu sacramenti, quod nullum est inconueniens, quia res humanæ habent hanc incertitudinem annexam: voluit autem Christus, homines in huiusmodi effectibus & actibus gubernari & operari vt homines seu humano modo: ad pacandas autem conscientias sufficit certitudo moralis. Non est tamen simile exemplum, quod in argumento illo adducitur, de interna bonitate seu sanctitate ministri; quia hæc est multò magis dubia & incerta, vnde si esset necessaria non solum auferret metaphysicam certitudinem, sed etiam moralem & humanam. Eò vel maximè, quòd huiusmodi bonitas per se non est necessaria ad operandum humano modo, neque ad applicandum potestatem acceptam ad operandum, & ideò non est, cur requiratur ad veritatem sacramenti; intentio verò sacramenti est per se necessaria ad humanam operationem & applicationem ministerialis potestatis, & vix potest, moraliter loquendo, deesse, & ideò non est similis ratio. Et ex hoc patet solutio ad primam confirmationem de sacramento dato ab hæretico: non est enim inconueniens, quòd tale sacramentum sit aliquo modo suspectum ex conditione talis personæ, & ideò nõ debet sacramentum ab hæretico suscipi, quoad fieri possit.

Sacramenta ab hæretico quare fugiat.

Nihilominus

Nihilominus non est simpliciter dubium tale sacramentũ, si nullus alius defectus intercedat, vel timeatur, præter defectũ intẽtionis; quia hæresis nõ excludit omnino hãc intentionẽ sacramenti, potest enim hæreticus intendere id facere, quod Christus instituit, vt infrà latiùs dicemus. Quod verò Augustinus ait, intentionẽ rectam non facere nisi rectam fidem; intelligẽdum est de rectitudine honestatis meritoriæ, & quæ ad vitam æternam conducat.

Secunda confirmatione moti videntur autores, qui dixerunt, piè credi posse in eo casu, quando iniquus minister decipit hominem innocentem, fictè dando sacramentum sine intentione debita, tunc Deum supplere effectum sacramenti. Hæc verò pietas, vt dixi in commentario arti. 8. non est secũdum scientiam; quia non est consentanea ordinariæ legi à Christo latæ; hæc autem, quæ supernaturalia sunt, sine sufficienti fundamento non sunt asserenda, vt ibi latè probaui. Quare dicendum est, in eo casu fieri posse, vt aliquis damnetur propter malitiam ministri, quod nõ potest refundi in Deum, quia ipse sufficienter prouidit hominibus, modo tamen illis accõmodato: quia iudicauit expediens, homines saluare per homines, & remedia salũtis in eorum manibus constituere, eorumque arbitrio committere. Quantus ergo iustum non sit, hominem priuari spirituali remedio absque culpa, tamen hæc iniustitia non est Dei, sed iniqui ministri, & is, qui eam patitur, propriè ac per se non propter alterius culpam damnatur; sed propter proprium peccatum originale, aut mortale; alter verò est veluti causa per accidens remouens salutis remedium.

Si quis intendit facere, quod facit Christus, & non quod intendit eccle. sia, vtrũ conficiat sacramentum.

Superest vt respondeamus ad casum illum, in quo videtur esse perplexitas propter intentiones ministri inter se cõtrarias, vt v. g. si intẽdat facere quod fecit Christus, non verò quod intendit Ecclesia Romana. In qua re primum omnium obseruandum est, an tanta sit contrarietas voluntatum, vt omnino destruatur intentio faciendi sacramentum, tam in particulari, quàm in generali seu confusè; nam si talis sit contrarietas, non fiet sacramentum; quia tollitur intentio necessaria. Exemplum esse potest, si minister ita intendat facere sacramẽtum, quale ipse existimat ex falsa & erronea opinione, vt nullo modo velit facere illud, quod Ecclesia intendit, etiam si contingat ipsum decipi, & Ecclesiæ intentionem esse cõformẽ institutioni Christi, vt si hæreticus Caluinista hoc modo velit efficere talem Eucharistiam: quæ sit signum corporis Christi, non quæ sit verum corpus Christi. Hic autem modus intentionis vix haberi potest moraliter loquendo, requirit enim nimiam quãdam reflexionem actuum ex odio, aut maxima quadam pertinacia profectam. Deinde obseruandũ est, an illa contrarietas impediat, ne aliquid applicetur, quod sit de substantia sacramenti: tunc enim sacramẽtum esset nullum, non tam ex defectu intentionis, quàm ex defectu materiæ vel formæ, vt si quis intẽdat dare sacramentum Baptismi, lauando puerum aqua rosacea, vel aliquid huiusmodi. At verò, si neutrum horum intercedat, illa contrarietas volũtatum ex ignorantia concepta, non impediet sacramẽtum: quia nihil tollit ex tribus illis rebus, quæ necessariæ sunt in omni sacramento; adest enim materia, & forma, vt supponimus, adest etiam intentio, quia contraria voluntas, propter interuenientem ignorantiam non fuit sufficiens ad excludendam illam. Vnde fit, vt non sit propriè ac formaliter contraria in mente operantis, sed solum materialiter in obiecto ipso: hæc autem materialis contrarietas non fuit sufficiens ad destruendam moralem intentionem, à qua procedit exterior effectio sacramenti, & per illam moraliter informatur. Atque ita sine controuersia contingit in illo exemplo, quando quis intendit facere, quod fecit Christus; non verò, quod facit Romana Ecclesia, decipitur enim; nam cùm idem sit, quod Christus, & Romana Ecclesia docent, qui intendit vnum, necessariò re ipsa intendit aliud, quòd si huiusmodi homo non vult facere, quod Ecclesia facit, ideò est, quia existimat hoc esse diuersum ab eo, quod Christus fecit, atque hac ratione voluntas in illo errore fundata non excludit formalem & sufficientem intentionem sacramenti. Atque idem existimandum est de illo, qui intendit efficere sacramentum, non tamen dare effectum sacramenti; tum, quia, vt Durand. notauit, intentio sacramenti est prior, & essentialis: intentio autem effectus est posterior: tum maximè, quia necesse est vt hæc posterior intentio procedat ex errore, quo existimetur, posse ministrum voluntate sua suspendere & separare effectum à sacramento, & ideo cum voluntate procedente ex hoc errore stat absoluta, & efficax voluntas sacramenti. Si autem è contrario quis velit dare effectum sacramenti, sine sacramento, id est, nolit facere sacramẽtum, verbi gratia Baptismi, velit autem infantem sanctificare, nihil omnino efficiet, quia simpliciter non intendit facere sacramentum, & alia voluntas dandi gratiam, non est virtualis intentio sacramenti: sed procedit ex errore, quo existimat, se posse dare gratiam sine sacramento. Atq; hinc colligi potest, quid dicendum sit in illo casu de Matrimonio, si contrahentes cùm sint baptizati, velint facere contractũ, non tamen sacramẽtum. Nam si hæc posterior voluntas procedat ex priuato errore, quo existimant, Matrimoniũ non esse sacramẽtũ, tamẽ se ipsa velint Matrimoniũ cõtrahere eo modo, quo Christus instituit: vel quo iuxta Dei voluntatem, & ordinationem contrahi debet: tunc ille error particu latis non excludit sufficientem intentionem ad faciendum sacramentum; quia ad hoc sufficit illa voluntas vniuersalis, & altera particularis non proprie est ex affectu, & intentione non faciendi sacramentum, sed solùm ex errore, quia putant in re ipsa nullum esse sacramentum. Si autẽ illa volũtas re vera sit propriè intẽtio, & affectus separãdi, quãtũ in ipsis est rationẽ sacraméti à ratione contractus, vel vt Matrimonium non sit indissolubile, vel propter aliam similem ineptam rationem, tunc re vera nõ fieret sacramentum; quia deest necessaria intentio. An verò esset tale Matrimonium in ratione contractus, alterius est considerationis. Quidquid ergo circa hoc dicatur, probatur illud primum, quia vel ratio contractus est in re ipsa separabilis à ratione sacramenti inter tales contrahentes; & sic cùm ipsi intendant, illa duo separare, & vtrumq; pendeat ex eorum intentione, nihil obstat, quominùs re ipsa separentur: aut non possunt in re separari post Christi institutionem, & tunc valor contractus pendet intrinsecè ex sacramento: comparatur enim ad illud vt effectus ad causam, seu vt res ad sacramentum: ergo oportet vt intentio sacramenti in re omnia præcedat, alioqui nihil fiet sicut dicebamus de intẽtione Baptismi, & effectus eius. Qui verò intendere facere sacramentum, non autem contractum Matrimonij; nihil etiam facerent, quia illa

An qui vult dare sacramentum, nõ tamen effectum sacramenti, efficiat sacramentum.

An baptizati volentes contrahere matrimoniũ, & non facere sacramentũ, faciãt sacramentũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posterior intentio, non tãtùm est circa effectum, sed etiam circa materiam sacramenti, quam destruit. Sed de his hactenus.

SECTIO III.

Qualis intentio sufficiat ad efficiendum sacramentum.

Intentio multiplex.

MVlta sub hoc titulo comprehendi possunt, quia multiplex potest esse intentionũ partitio: altera enim est actualis, alia habitualis: alia virtualis, alia interpretativa seu remota & in causa tantùm. Rursus, quædam intentio potest esse conditionata, alia absoluta. Præterea, quædam esse potest vera ac certa, seu ex vera cognitione orta; alia falsa seu ex errore. Denique interdùm esse potest honesta, nonnunquàm verò turpis; de quibus omnibus sigillatim dicendum est.

Intẽtio in causa tantum nõ sufficit.

Dico primò, intentio remota seu interpretatiua & in causa, qualis esse censetur in voluntario tantũ indirecto, non sufficit ad efficiendum sacramẽtum. Explicatur, finge sacerdotem, qui inebriari solet, & eo tempore, quo ebrius est, verba consecrationis super panem dicere, certum est, licèt huiusmodi homo voluntariè inebrietur, & ibi in causa indirectè velit illum effectum, nihilominùs eam voluntatem non esse sufficientem ad conficiendum sacramẽtum; quia licèt ille indirectè velit externam prolationem verborum circa panem, tamen sacramentum vt sic nec indirectò voluit, quia hoc non continetur in illa causa, sed solum illud prius. Addi verò vlteriùs potest prædicto casui, quòd ille homo præuideat non solùm se prolaturũ externa verba, sed etiã habiturum voluntatem conficiendi sacramẽtũ. Sed neque hoc satis esset, quia illa voluntas, quam haberet tempore ebrietatis, non esset humana, nec rationalis; & ideò per se non esset sufficiens ad conficiendum sacramentum; voluntas autem indirecta, quæ præcessit, minimè etiam sufficit: quia re vera nullo modo imperat posteriorẽ actionẽ; imò neq; est propria volũtas talis obiecti, sed secundũ moralẽ rationẽ imputatur ac si esset volũtas eius, quando homo præuidit talẽ effectũ, & potuit, ac debebat illũ vitare. Vt hoc verò à fortiori constet, addo vlteriùs, etiã si huiusmodi homo habuisset priùs intẽtionẽ proferendi verba, & per illa cõficiendi tempore ebrietatis, nihilominùs posteà nihil efficere: quia illa nõ est satis, vt actio quæ posteà fit, sit propriè humana; nã exercetur ab illo, qui ratione vti non potest. Vnde, licèt prior intentio comparetur ad illum actum, qui posteà fit in ebrietate, vt actus interior ad obiectum suum, non tamẽ comparatur vt principium seu causa moralis ad suum effectum; actio autem sacramenti debet procedere ab intentione ministri, vt à principio operante. Et in hoc differt illa actio, ab illa quæ fit ab homine sui compote, tamen distracto, nam cũ huiusmodi homo ratione vtatur, actio eius simpliciter est humana, & libera, & procedit aliquo modo à priori intentione: at verò actio ebrij, licèt in ordine ad culpam denominari possit voluntaria & libera à præcedenti voluntate, magis tamen vt effectus quidam physicus, quàm vt actio humana; vnde vt est actio hominis tunc re vera non est libera, nec moraliter procedit à priori intentione, sed solùm remotè & valde per accidens, per applicationem cuiusdam causæ, à qua posteà efficiscitur illa actio modo quodam naturali seu irrationali, qui non est sufficiens, nec accommodatus ad ministerium sacramentorum. Sed contra, nam August. tract. 5. in Ioannẽ dicit, Baptismum ab ebrioso datum esse validũ. Cõfirmatur, nam Baptismus, quem ebrius, aut amens suscipit, est validus, si priùs ille habuit intentionem suscipiendi Baptismum; ergo similis intentio sufficiet in ministrante. Ad Augustinum respondetur, non loqui de ebrio, sed de ebrioso, qui in hoc differunt; quòd ebrius dicitur ille, qui actu ita est affectus; ebriosus autẽ vocatur, qui inebriari solet, etiam si actu ebrius non sit. Ita ergo dicit Augustinus esse validum Baptismum ab ebrioso, sicut dicit validũ esse, datũ ab homicida, vel alio iniquo ministro. Ad confirmationem negatur consequentia, quia suscipiens non est principium efficiens sacramentum, sed subiectũ tantùm, & ideò in illo non requiritur intentio, quæ sit principium humanæ actionis, sed quæ sit tantùm dispositio vt subiectum sit capax, seu non repugnãs sacramento; at verò in ministro requiritur intentio, vt principium, & veluti forma exterioris actionis, quæ humano modo fieri debet.

Obiectio.

Solutio.

Quæ intentio sit sufficiens ad sacramentum.

Dico secundò, Intentio merè habitualis nõ sufficit ad sacramentum conficiendum, nec requiritur actualis, quanuis illa perfectissima sit, sed sufficere potest virtualis. Hæc est omnium sententia, & mens D. Thomæ hic, vt Caiet. & omnes Thomistæ explicant, & sequuntur. Idem reliqui doctores in 4. d. 6. Scot. q. 6. Gab. q. 1. art. 3. dub. 1. Et probatur, explicãdo priùs breuiter, cuiusmodi sint hæ intẽtiones, & quoniam actualis satis est clara: cõsistit enim in hoc, quòd actu eliciatur voluntas faciendi sacramentum eo tempore, quo exteriùs fit; habitualis dicitur esse, quando præcessit voluntas faciendi sacramentum, & posteà nullo modo influit in effectũ, seu in actionem externam, quia neque vllo modo est posteà in memoria, seu cogitatione hominis, nec per se, aut per aliquem effectum, seu virtutem relictam, est causa talis actionis. Virtualis ergo dicitur, quando præcessit actualis intentio, quæ iam in se nõ existit quando fit sacramentum, manet tamen aliquid ab illa relictum, per quod censetur virtute mouere ad actionem sacramenti. Hoc posito, facile est, omnes assertionis partes persuadere. Primam quidem, quia illa intentio habitualis nullo modo est causa actionis, sed eo modo quo censetur habitu manere, tantùm concomitanter se habet. Vnde, sicut ratione illius non potest dici actio bona, aut mala, ita nec humana, ergo illa est insufficiens ad effectionem sacramenti. Dices, si quis hodie habeat intentionem offerendi crastino die sacrificium pro Petro, quanuis posteà maneat rãtùm in habitu, ita vt, cùm posteà fit sacrificium, nullo modo influat in illud, nec per se, nec per aliquam virtutẽ, nihilominùs ex vi prioris intentionis, manet illud sacrificium Petro applicatum; ergo intentio merè habitualis aliquid posteà operatur; ergo eadem ratione poterit esse sufficiens ad efficiendum sacramentum. Respondetur distinguendo antecedens: dupliciter enim potest intelligi illa voluntas offerendi sacrificium pro alio. Primò vt sit voluntas quasi de præsenti absoluta, & ex tunc applicãs fructũ sacrificij crastino die offerẽdi, & hoc modo concedo, illam voluntatem esse sufficientem, dummodò non retractetur, vt sacrificium posteà factum, sit fructuosum alteri, etiam si illa voluntas posteà maneat tantùm in habitu. Alio modo potest haberi illa voluntas, quasi de futuro, ita vt nunc tantũ sit propositum applicãdi posteà sacrificium tali personæ: & hæc voluntas non sufficit, si posteà maneat tantùm in habitu, & non accedat alia voluntas, qua offeratur, & applicetur sacrificium tali personæ. Et ratio est clara, quia illa altera voluntas non fuit applicatio sacrificij, sed propositum applicandi: ergo, si posteà non mandetur executioni, non habebit effectum. Voluntas ergo conferendi sacramentũ, quando omnino antecedit, ita vt posteà maneat solùm in habitu, non comparatur priori voluntati applicatiuæ sacrificij, sed posteriori proposito applicandi in futurum: & ideò non est sufficiens ad efficiendum sacramentum, quia re vera tantùm fuit propositum faciendi posteà sacramentum, quod nihil posteà operatum est, si manserit tantùm in habitu. Ratio verò differentiæ, ob quam non potest habere locum in sacraméto efficiendo prior modus voluntatis sicut in sacrificio offerendo, est clara, quia voluntas, qua offertur sacrificium, non oportet, vt sit operatiua sacrificij, sed solùm applicatiua fructus eius; & ideò fieri potest per simplicem voluntatem, quæ antecedat ipsum sacrificium; & posteà nihil aliud circa ipsum sacrificium operetur: at verò intentio sacramenti esse debet volũtas operatiua ipsius sacramẽti: & ideò, quando omnino antecedit, ita vt posteà nihil actualiter nec virtualiter operetur, non est sufficiens ad sacramentum, neque est propriè volũtas efficax eius, sed solùm propositum illud posteà faciendi.

Virtualis intẽtio, quæ.

Altera pars de actuali intẽtione non indiget probatione. Vltima verò de virtuali, quòd scilicet illa sufficiat, probatur primò ex vsu atque adeò ex consensu totius Ecclesiæ: nullus enim existimat, necessariam esse ad valorem sacramenti, vt minister quando illud exteriùs conficit, actu cogitet & intendat sacramentum conficere; & contrarium esset magnam occasionem præbere scrupulis & dubitationibus circa valorem sacraméti. Item, est præter humanam diligentiam & protestatem moralem. Vnde confirmatur, quia hæc intentio virtualis sufficit ad operandũ moraliter humano modo, & ad transigenda alia humana negotia: sufficiet ergo ad actionem sacramentorum. Neque ex verbis Christi supra allatis, aut ex potestate collata ministris sacramẽtorum, colligi potest, alium modum intentionis esse simpliciter necessarium.

Hic verò desiderari potest, quid sit hæc intentio virtualis, & quomodo influat in exteriorem actionem. De qua re latiùs agitur 1. 2. q. 1. hic breuiter respondetur, duobus modis posse hoc explicari, scilicet moraliter, & physicè. Prior facilè expediri potest aduertendo, q. licèt ad conficiendũ sacramentũ non sit necessaria actualis intẽtio, quæ in rigore coexistat exteriori actioni, vt dictũ est, necessariũ tamen est, vt saltem in initio actionis, quãdo homo incipit se mouere, & applicare ad sacramentũ conficiendum, præcedat aliqua actualis voluntas, à qua inchoetur illa actio, vt posteà in progressu actionis virtualiter durare possit; quia nisi ita fiat, nec intelligi potest, quomodo intẽtio sit virtualis, & influat in opus, nec in quo differat ab intentione habituali. Itẽ, quia necessarium est, vt actio sacramenti censeatur moralis & humana, hominem ex vi intentionis seu voluntatis sacramenti, humano modo & cum humana aduertentia applicari ad eam actionem exercendam, vt, verbi gratia, ad missam dicendam, vel quid simile; quia hoc saltem necessarium est ad humanam operationem. Vnde tandem requiritur, quòd illa intentio non sit per contrariam intentionem reuocata, alioqui actio exterior iam non procederet ab illa, sed casu fieret præter hominis intentionem. Posteriori modo, scilicet physicè, difficiliùs hoc explicatur, quia non apparet, quomodo actus exterior, qui nunc fit, procedat physicè ab actu interno, qui præterijt, quia ille, cùm iam non sit, nihil potest per se ipsum efficere, nec fingi potest aliqua virtus physica ab illo relicta, per quã influat; quæ est enim hæc virtus? nõ ergo apparet, quomodo talis actus exterior procedat physicè ab illa intẽtione. Quòd si physicè non procedit; ergo nec talis actus exterior denominabitur humanus ab illa intentione, nec magis procedet ab illa, quã ab habituali. Et cõfirmatur, quia si præcedens intentio aliquã virtutẽ reliquit: vel illa est in volũtate, & hoc nõ, quia in volũtate, ad summũ, potest relinquere aliquẽ habitũ, vel dispositionem per modũ actus primi, qui nõ potest influere in actũ externum nisi mediante aliquo actu secundo interno ipsius voluntatis: supponimus autem, voluntatem non esse in actu secundo proprio & interno, qui versetur circa talem externum; alioqui iam esset intentio actualis. Vel illa virtus manet in potentijs inferioribus, seu externis; & hoc non, quia nulla qualitas illis imprimitur ex vi talis intentionis, quæ possit manere per modũ virtutis influctis. Ad hãc difficultatẽ Richard. d. 6. ar. 1. q. 3. ad secũdũ, cẽset, hanc virtutẽ esse quãdã qualitatẽ seu dispositionẽ, ac veluti impetũ, qui imprimitur ex vi talis intentionis exterioribus organis motiuæ potẽtiæ, & durat cessante actuali intẽtione: nã sicut in proiectis, cessante cõtactu proijcientis, manet quidam impetus continuãs motum, per quem dicitur proijciens virtualiter mouere; ita (inquit) quando voluntas ex intentione sacramenti applicuit exteriora organa ad motum, illis impressit quandam virtutem, quæ durat cessante actuali intentione interna, & ratione illius dicitur actus exterior virtualiter manare ab interiori: illa autem virtus sua sponte paulatim deficit, & quando omnino extincta est, cessat virtualis motio. Sed hãc sententiam non probant Scot. ibi quæst. 6. & Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Et quanquam argumenta, quæ faciunt, non videantur conuincere, quia de impetu proiectorum, eodem modo procedunt, & necessariò soluenda sunt, nihilominùs mihi etiam nõ placet illie dicendi modus, quia non intelligo, per actum interiorem voluntatis fieri in membris externis physicam impressionem alicuius qualitatis. Item, quia hoc non est simpliciter necessarium, non est ergo necesse id fingere, aut credere. Aliter ergo dici potest, quanuis non sit necessaria formalis & propria intentio actualis sacramenti, necessariam tamen esse actualem voluntatem, quæ versetur saltem circa materialem actionem externam, quæ fit per modum vsus actiui. Vnde consequenter necessaria etiam erit aliqua actualis attentio, saltem ad ipsam actionẽ externam, quæ exercetur. Quòd si dicas, nos non experiri huiusmodi attentionem & actualem voluntatem. Respondetur, illam attentionem esse valde debilem & remissam, & non includere reflexionem, qua aduertamus, nos attendere, aut velle: & ideo, licèt re vera sit, vt exterior effectus probat, nos tamen illam in se non experimur, quandiu durat, nec postquàm transacta est recordari, aut dijudicare possumus, an illam habuerimus. Et hic modus dicendi non potest efficaciter refelli. Vnde probabilis est, & sæpè fortasse ita accidit. Nihilominùs nihil est

Num aliqua requiratur actualis attentio, dum exercetur actio.

Quare homo distractus posfit sacramentum facere ex intẽtione præcedẽti; ebrius autem nõ itẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam, quod conuincat, hoc esse simpliciter necessarium. Vnde D. Thom. hic. art. 8. ad 3. tanquã manifestum supponit, posse fieri actionem externam ex virtuali intentione præcedente, sine vlla actuali attentione; atque idem colligitur ex eodem 1. 2. q. 83. art. 15. Item, experientia huius rei videtur esse adeò clara, vt non videatur neganda absque euidenti ratione. Quis enim dicat, quãdiu homo ambulat ex vi prioris intentionis seu applicationis, semper actu cogitare de ipsa ambulatione; præsertim cum inter ambulandum alias res attentissimè meditatur, aut alia negotia tractat?

vbi nam, & quandiu maneat virtualis intentio.

Quocirca dicendum censeo cum Scot. & Gabr. suprà, hanc intentionem virtualem manere in ipsa motione externa, quæ non semper pendet in fieri & conseruari ab actuali intentione seu voluntate interna; sed postquàm per debitam intentionem applicuit minister suas exteriores potentias ad actionem sacramentalem, quanuis interrumpatur intentio interior, potentiæ ipsæ manent applicatæ & continuant motus suos, & quandiu motio illa durat, ex vi prioris applicationis dicitur virtualiter manare à priori intentione; durabit autem, donec vel finiatur vel obtineatur res priùs intenta, vel donec per contrariam intentionem, vel per aliquod superueniens impedimentum interrumpatur; & tunc necessaria erit noua voluntas, vt interrupta actio iterũ inchoetur, seu continuetur; probabile autem est, cũ actione externa semper concurrere actualem aliquam phantasiæ & appetitus motionem, atque hoc modo per quasdam actiones externas excitari hominẽ ad alias sibi ordinatè succedentes ex vi prioris intentionis, atque ita fieri sacramentum virtute illius.

Ad sacramentum requiritur absoluta intentio, vel conditionata, quæ statim transit in absolutam.

Dico tertiò. Ad efficiendum sacramentum necessaria est intentio absoluta, nec sufficiet conditionata, nisi talis sit, quæ statim transeat in absolutã. Hanc conclusionem explicuit bene Caieta. in sum. verbo, Absolutio, & quanuis in particulari loquatur de sacramento Pœnitentiæ, tamen eadem ratio est de omnibus. Prior ergo pars probatur, quia sola intẽtio absoluta est efficax, nam sicut propositio conditionalis vt sic nihil ponit in esse; ita conditionalis voluntas, quandiu talis est, suspensa manet, & nihil operatur; si ergo intentio sacramenti non sit absoluta; vel æquiualeat seu transeat in absolutam, non potest esse efficax sacramenti. Quod præterea confirmatur, explicando posteriorem partem, nam conditio apposita intentioni potest esse, aut de præterito, aut de præsenti, aut de futuro. Si sit primo, aut secundo modo, necesse est, vt vel omnino destruat intentionẽ, vel vt illam absolutam & efficacem relinquat: nam vel illa cõditio re ipsa fuit, aut est iam posita, vel nõ, si non; destruitur intentio, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est; si verò conditio est posita, intentio transit in absolutam propter contrariam rationem; & ita hæc intentio est sufficiens ad faciendum sacramentum, quod est certissimum; nam hoc modo sæpè iura consulunt baptizare, seu conficere sacramentum sub cõditione de præterito, vel de præsenti, scilicet, si non est baptizatus, vel alia simili. Quæ conditio interdùm potest exterius exprimi, interdum sola mente & intentione cõcipi; neutro autem modo adhibenda facilè est sine causa vel necessaria, vel probabili: quia intentio debet fieri determinata, quoad fieri possit, & ideò non debet fieri dependens ab aliqua conditione sine necessitate, alioqui peccare poterit minister adhibẽdo

A huiusmodi conditionem, nunquam tamẽ illa obstabit veritati sacramenti, si in re ipsa conditio posita fuerit. Quapropter non placet quod ait Soto in 4. d. 1. q. 1. ar. 8. si quis baptizet aliũ hac intentione, si es hæreticus, non te baptizo; si autẽ es Catholicus, ego te baptizo, non conficere sacramentum, quia ille nõ intendit facere, quod facit Ecclesia; nam Ecclesia intendit vt sacramentum sit validum, etiam si hæretico detur, cuius contrarium minister ille intendit. Hæc (inquam) sententia mihi non probatur, quia si talis conditio in re ipsa inuenitur, iam intentio transit in absolutam; ergo talis minister absolutè intendit baptizare hunc, & applicat veram materiam, & formam (vt suppono) ergo conficit sacramentum. Neque enim refert, quòd non intendat in vniuersum, quidquid intẽdit Ecclesia: satis est enim, quòd circa hunc Catholicum intendit facere, quod facit
B Ecclesia, scilicet baptizare: nam valor huius sacramẽti in indiuiduo non pendet ex intentione generali circa omnes, sed solùm ex intentione particulari circa hunc habentem hic & nunc has cõditiones. Præsertim, quia quòd minister nolit baptizare hunc, si est hæreticus, procedit solùm ex priuato errore, qui nihil obstat, quãdo non destruit aliquid eorum, quæ sunt de substantia sacramenti, & aliquando fieri potest: vt non ex errore speculatiuo, sed ex odio nolit baptizare hunc, si est hæreticus vel inimicus: & tunc certum est, cõditionem appositã, si in re inuenitur, nihil obstare veritati, & intentioni sacramenti. Neq; etiam refert, quòd talis intentio exteriùs verbis exprimatur; quia hoc, nec intentionem variat, nec substantiam formæ, quia illa conditio apposita, neq; est pars formæ, neque illam immutat.

Cõditio de futuro semper est contraria sacramento.

At verò, si conditio posita sit de futuro, hæc sem-
C per est contraria substantiæ sacramenti, vt si quis dicat, si restitueris, ego te absoluo, nihil fit. Quia conditio de futuro suspendit præsentẽ intentionẽ; & facit, vt minister hîc & nũc absolutè nõ habeat voluntatẽ faciendi sacramentum: ergo absolutè hic & nũc non efficit: ergo non fit sacramentum. Dices, si postea impleatur cõditio incipiet illud esse sacramẽtũ. Respondetur, id fieri non posse, quia illud, quod futurum erat materia & forma sacramenti, iam præterijt, & non est, & eo tempore, quo fuit, nõ fuit sacramentum: ergo nec nunc potest incipere esse sacramentum: Quia conditione impleta non potest incipere esse sacramentum pro eo tẽpore, quo fuit actio sacramentalis facta: quia ostensum est, in illo tempore non fuisse sacramentum, neque etiam potest incipere pro illo tempore in quo impletur cõditio, quia
D in illo nullum est signum sensibile, quod possit esse sacramentum. Dices, quanuis futurus effectus non sit factus, quando conditio ponitur, tamen propositio de futuro, tunc aut est determinatè vera, aut determinatè falsa; ergo, si vera est, iam censetur conditio posita in re; quia re vera illud est futurũ, vt supponitur; cõditio autem erat, si hoc fiat, vel futurum sit: si autem propositio de futuro est determinatè falsa, intẽtio iam erit nulla, quia conditio in re nõ est posita. Nec refert, quòd nobis sit ignotum, an propositio illa de futuro sit vera, vel falsa: nam satis est, q̃ in re ipsa sit vera, vt conditio sit etiam in re ipsa posita; & consequenter sacramentum sit in re validum, quanuis nos id ignoremus, donec videamus effectũ in re factum. Respondetur, non esse hunc sensum cõditionis de futuro, quæ contractui, seu consensui adiungi solet (& eadem est ratio de conditione apposita intentioni sacramenti) sed hæc conditio apponi solet ad suspendendum effectum, seu absolutum consensum, donec res in conditione posita eueniat, vel non eueniat, qui sensus constat tum ex cõmuni modo concipiendi & sentiendi omnium hominũ, tum etiam quia, quòd propositio de futuro contingenti nunc sit vera, vel falsa, non est res, quæ in humanam cognitionem cadit, & ideò non potest prudẽter sub huiusmodi conditione consensus præstari. Et confirmatur quia aliàs, qui vxorem duceret sub cõditione de futuro, si conditio posteà eueniret, non esset tunc denuo Matrimonium perficiendum, nec tunc inciperet esse validum; sed conditio subsecuta, tantùm esset signum, Matrimoniũ fuisse validum ab eo tempore, quo sub conditione contractum fuit, quod est euidenter falsum; alioqui, si intrà illud tempus ante impletam cõditionem homo ille aliam duxisset absolutè, & sine conditione, non fuisset tale Matrimonium validum, quod est contra Ecclesiæ consuetudinem: signum ergo est, consensum conditionatum suspendi donec impleatur conditio.

An sub conditione veritatis vei futuræ fiat sacramentum.

Sed vrgebis, quid si minister ex certa scientia vel malitia intendat ex tũc facere vel nõ facere sacramentũ sub hac cõditione; si verũ est dicere, hoc esse futurũ; vel nõ esse futurũ quæ cõditio sic explicata iam nõ erit de futuro, sed de præsenti, & æquiualet huic, si Deus scit, hoc esse futurũ. Quæri (inquã) potest, an talis intentio sufficiat ad sacramentũ, & similis quæstio est de hac intẽtione. Volo te baptizare si es prædestinatus, & non aliàs: & aliæ similes facilè excogitari possunt. Videtur autem ex dictis hæc intentio sufficiens, vt in re ipsa teneat sacramentum, si condi-
C tio in re ipsa posita est, quanuis à nobis ignoretur: nostra enim cognitio vel ignorantia non refert ad valorem sacramenti. Sæpè enim baptizatur aliquis sub hac conditione, si non es baptizatus, quanuis illa conditio omnino sciri non possit. In contrarium autem videtur illa conditio valde contraria institutioni sacramenti eiusq; veritati, nam quid Deus sciat nunc de euentu futuro, aut quid prædestinauerit de hoc homine, est omnino res aliena ab humana cognitione, & ideò præter humanum operandi modũ est, aliquid velle efficere sub ea conditione. Alioquin sacramentum esset omnino incertum per se & ex vi talis intentionis, nec posset humano modo sciri, an homo baptizatus, verbi gratia, sub tali conditione, sit verè baptizatus nec ne, quod est magnũ incommodum. In quo est magna differentia inter hãc conditionem, & illam de præterito, si nõ es baptizatus; tum quia illa est de re humana, quæ per se loquendo inquiri, & sciri potest, & per accidens est occulta; tũ maximè quia licet propter talem conditionem incertum sit, an præsens Baptismus sit validus, tamen sim pliciter est certum, hunc hominem manere baptizatum vel præsenti Baptismo, vel præterito. Nihilomi nùs non inuenio sufficientem rationem, quæ conuincat ad dicendum, ex hac intentione in re ipsa nõ conficì sacramentum, si conditio posita in re ipsa exi-
D stit, quanuis ignoretur, censeo tamen in primis, talẽ modum esse iniquissimum, & grauissimum sacrilegium continere, quod saltem conuincit ratio posteriori loco facta. Deinde dico, tale sacramentum esse iterandum (saltem sub conditione si sit initerabile) quia, & simpliciter dubium est, an intentio sub tali conditione sit sufficiens, & saltem hic & nunc in tali persona est incertum, an in re existat talis conditio. Vt, verbi gratia, si quis baptizaret alium si est

A prædestinatus, omnino esset rebaptizandus, quia est incertum an sit prædestinatus; cùm tamen, licet fortasse contingat non esse prædestinatũ, nihilominùs baptizari debeat. Quinimò, quanuis conditio talis sit, vt ex futuro euentu constare possit, an fuerit in re posita, nec ne, vt, verbi gratia, si conditio sit hæc, si Deus scit, te hoc anno victurum, vel alia similis; quãuis (inquã) cõditio huiusmodi sit, nõ oportet expectare illius rei euentum; quia non debet homo esse suspensus, & dubius de suscepto sacramento, & ideò sub conditione iterandũ est, si priùs nõ fuit validũ.

Intentio minister debet dirigi supra certã personam, seu materiam, absq; errore substantiali.

Dico quartò. Vt sacramentum sit validum, necesse est, vt intẽtio ministri dirigatur ad certam aliquã personam, seu materiam, circa quam versetur absque substãtiali errore. Hæc assertio in genere sumpta certa est; & prior pars constat primo ex ipsis formis sacramentorum *Baptizo te, Absoluo te*, nam illa pronomina designant determinatam personam, ad quam
B dirigi debet intentio ministri, & similiter in forma Eucharistiæ pronomen, *Hoc*, designat determinatam materiam consecrandam; est enim peculiare illi sacramento, vt fiat per materiæ consecrationem, & quòd effectus formæ sit circa ipsam materiam. Ratio autẽ est, quia hæc intentio ministri esse debet efficax & operatiua: actiones autem sunt circa singularia. Posterior verò pars, scilicet, quòd hæc intentio esse debeat sine errore substantiali, hunc sensum habet, scilicet, necessarium esse, vt subiectum seu materia circa quam versatur actio ministri, verè ac sine errore sit illa, ad quam hic & nunc dirigitur eius intentio. Et ita explicata hæc pars sequitur ex præcedenti; quia determinata intentio ministri est necessaria ad valorem sacramenti, ergo etiam necessarium est, vt verè
C cadat in eam rem, ad quam determinatur ex intentione eiusdem ministri, alioquin si intentio dirigatur ad vnum, & actio versetur circa alium, non procedet talis actio ex tali intentione: ergo non erit sufficiens ad sacramentum conficiendum.

Quis sit error substantialis.

Sed quæres, quando sit censendus error substantialis ille, qui in huiusmodi intentione solet intercedere, vt, verbi gratia, audio ego confessionem alicuius, quem puto esse Petrum eumque absoluo, cùm re vera sit Paulus, dubium est an hic error sit substãtialis, & idem est de similibus. Ratio dubij esse potèst, quia variatur persona ad quam fertur intentio, ergo nõ versantur actio & intẽtio circa idẽ. Confirmatur; nam in Matrimonio talis error est substãtialis. In cõtrariũ verò est, quia in prædicto casu nullus dubitauit, quin illa persona verè ac validè fuerit absoluta. Itẽ, quia ad absolutionem valde accidentariũ est, q̃ sit Petrus, vel Paulus. Respõdetur totũ hoc pendère ex volũtate ministri, quia re vera tantùm facit id, quod re ipsa & de facto intendit. Vnde, si ita determinet intentionem suam ad hanc personã, vt omnem aliam excludat, omnis error in tali persona erit substantialis, vt probat ratio facta; si verò nõ ita determinet intentionem, sed absolutè velit conferre sacramentum huic personæ, quam præsentem habet, licèt existimet esse Petrum, & contingat esse Paulum, erit error accidentarius: quia eo non obstante intentio perseuerat circa hanc personam præsentem. Atque idem est, si intendat consecrare hanc, quam putat esse vnam hostiam, cùm sint duæ; non tamen excludat, & sed absolutè velit consecrare materiam, quam præsentem habet, tunc enim vtraque manebit consecrata, quia error est accidentalis, & non excludit sufficientem intentionẽ. Sed interrogabit ali

quis, qualis de facto sit intentio ministri. Respondetur, aliud esse quærere, qualis sit, aliud verò, qualis esse debeat. Primum pertinet ad factum, & ideo non potest à nobis definiri, sed ipse minister debet agnoscere & discernere intentionem suam; quòd si fortasse nesciat, ex materia & circunstantijs dijudicanda erit. Secundum verò pertinet ad ius, de quo dicitur, intentionem ministri debere esse talem, vt simpliciter dirigatur ad præsentem materiam, vel personam absque limitatione, seu implicita conditione non faciendi sacramentũ, si persona non est illa, quam ipse existimat, nisi specialis ratio aut necessitas obliget ad limitandã hoc modo intentionẽ. Ita sentiunt ferè omnes Theologi, qui hunc punctum attingũt, vt videre licet in Soto, Ledesma & alijs, & cõstat etiã ex vsu: & ratio est, quia non debet minister sine causa se exponere periculo nihil faciendi. Vnde quandiu apertè nõ constat de cõtraria intentione, hoc modo explicanda est intentio ministri, quia omnes intendunt facere sacramenta, modo in Ecclesia consueto.

Error personæ in Matrimonio substantialis. Dixi autẽ, nisi specialis ratio aliud exigat, præcipuè propter Matrimonium, in quo error personæ semper est substantialis, vt D.Tho. docet in 4. d.30.q.1.ar.1. irritat enim contractum, & consequenter reddit nullum sacramentũ: nã in illo negotio contrahẽtes, quatenus mutuò sibi tradunt dominium corporis, sunt principales causæ illius, & meritò limitant intentionem ad hanc personã, excludendo omnem aliam, quia ratio, & æquitas humani contractus, hoc intrinsecè postulat, & maximè necessariũ est in grauissimo Matrimonij onere suscipiẽdo. Posset etiã interdũ in aliquo alio sacramento tradendo expedire, ministrũ habere similẽ intentionẽ, vt si timeret, ne supponeretur aliqua persona, cui non expediret dare sacramẽtum, Ordinando illam, vel baptizando, &c. regulariter tamen hoc non expedit, vt dixi.

SECTIO IIII.

Utrùm sanctitas, bonitas, vel fides ministri in sacramento efficiendo, sint de necessitate sacramenti.

Coniungimus hæc omnia, quanuis à D. Tho. distinctis articulis tractata sint, quoniã eadẽ est omniũ ratio: & ex eisdem principijs sunt definienda. Per sanctitatem autẽ ministri intelligimus statũ gratiæ. Per bonitatem verò, nõ solũ habitualẽ virtutem, sed etiam actualem honestatẽ ipsius operis, quo fit sacramentum, cõprehendimus. Ac simili modo per fidẽ; nõ solũ habitualẽ fidẽ circa alia mysteria, sed etiã specialiter veram existimationem & credulitatẽ habitualẽ aut etiã actualẽ, circa ipsum sacramentũ, quod faciẽdũ est, intelligere possumus. Itaq; hæc omnia sub huius quæstionis titulo cõplectimur. *Primus error.* De qua varij fuerunt errores. Primus fuit dicentiũ, ministrũ sacramẽti, si sit præscitus, seu reprobus, nihil efficere, sed necessariũ esse, vt sit prædestinatus. Ita fertur docuisse Vuitcleph, & colligi potest ex Vvaldens. tom.2. de sacram. c.14. in Concil. autẽ Constantiẽsi nõ expressè refertur, insinuatur tamen sessione 8. art. 8. illius. Tamen hæc hæresis prorsus vana est, & sine vllo fundamẽto, & ex his, quæ contra alios errores dicemus, euidentiùs confutabitur.

Secundus. Secundus error fuit, ministrũ existentẽ in peccato mortali, non conficere sacramentũ. Hunc errorẽ A innominato autore refert D.Tho. 4. cont. gent, cap. 77. & Bern. ser. 66. in Cantic. Videntur autẽ Donatistæ huius erroris autores, quantũ ex Aug. colligi potest libr.3. contr. lit. Petilian. c.20. vbi refert, hoc fuisse apud illos receptum, & quasi generale principiũ. *Conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis.* Idẽ colligitur ex lib.2. cõtr. Parmenian. cap. 10. & ex lib.2. contra Crescon. c.20. quibus locis maximè videtur esse sermo de peccatoribus publicis; tamen in illo lib. contra Crescon. c.27. & 28. apertè est sermo de omnibus peccatoribus etiam occultis. Prætereà in eodẽ errore fuisse Luciferianos, colligitur ex Hieronymo in dial. contra illos, non longè à principio: sic enim aiebant. *Qui ipse peccator est, quomodò potest peccata dimittere: quomodò sanctum sacrilegus facit?* B Prætereà eũdẽ errorem secuti sunt hæretici, dicti *Apostolici*, qui licèt antiquiores sint, tamen tempore D. Bernar. iterum pullulasse dicuntur, illumque prædicto sermone aduersus eos specialiter scripsisse. Refert etiam Antonin. 4. par. Theologali tit. 11. c.7. §.2. Pauperes de Lugduno eundẽ secutos esse errorẽ, & de Albanensibus refert idem Prateol. verbo Albanenses: & de aliquibus hæreticis huius temporis, idem referunt Hosius in confes. c.29. & Lyndan. dial.2. sui Dubitantij.

Tertius error est, fideles etiã si iusti nõ sint, posse sacramenta conficere, nõ tamen hæreticos, aut schismaticos. *Tertius.* Hæc sententia solet tribui Cypriano, non tamen fuit ipse primus eius autor: sed Agrippinus prædecessor eius in Episcopatu Carthaginensi, vt refert Vincent. Lyrinens. in lib. cont. Proph. voc. nouit. & constat ex August. lib.2. de Baptismo c.7. & lib. de C vnico Baptismo c.13. qui referũt, Agrippinũ cœpisse immutare antiquum morem rebaptizando eos, qui ab hæreticis fuissent baptizati. Cyprianus verò illam sententiam acriter defendit, eamque ita alijs Aphricæ Episcopis persuasit, vt coacto Concilio illã definierit, seruata tamen pace cum Ecclesia Romana, vt infrà dicemus, & fortasse ob hanc causam Euseb. lib.7. hist. c.3. prætermisso Agrippino, Cyprianum facit primum huius sententiæ autorem, quem secutus est Niceph. lib.6. hist. c.7. Hæc verò controuersia inter hos Patres eo tempore sine pertinacia aut nota hæresis ventilabatur, posteà vero Donatistæ contra Romanæ Ecclesiæ autoritatem, eam pertinaciter tanquam hæretici docuerunt adeoque hunc errorẽ auxerunt, vt verã Ecclesiam in solis ipsis permãsisse dicerent, ideóq; omnes ad suã sectã transeun- D tes, vbicunq; baptizati essent, rebaptizarent, vt August. frequentissimè contra eos disputans autor est.

Quartus. Quartus error esse potest, habitualem fidem, vel sanctitatem ministri, non requiri ad veritatem sacramenti, necessarium tamen esse, vt saltem ipsum opus administrandi sacramentum rectè & sine peccato exerceatur, quia sacramẽtum principaliter esse debet opus Dei, peccatum verò ita cum Deo pugnat, vt non possit Deus esse autor illius; ergo, si ipsum met opus, quo fit sacramentum, peccatũ sit, non potest esse aptum ad constituendum sacramentum. Huius sententiæ nõ inuenio specialem aliquem autorem.

Quinta sententia esse potest, hæreticos, aut malos ministros posse quidẽ dare sacramentũ, nõ tamẽ esse ctum sacramenti; quia qui sanctus non est, nõ potest aliũ sanctificare, & hoc maximè videntur significasse Luciferiani in verbis ex Hieronymo nuper citatis. Fundamenta omnium horum errorũ afferemus commodiùs in fine sectionis, eisque satisfaciemus.

Dicendum

Valor vel veritas sacramẽti non pendet ex fide, vel sanctitate ministri. Dicẽdum ergo in primis est, valorẽ ac veritatẽ sacramẽti per se nõ pẽdere ex fide vel sanctitate ministri, atq; adeò sacramẽtũ datũ à ministro, quantũuis iniquo, schismatico, hæretico & ab Ecclesia præciso, validũ esse, dũmodò reliqua omnia necessaria concurrãt. Hæc assertio iã est de fide, quãquam ex sola Scriptura probari nõ possit, vt Aug. notauit lib. de vnic. Baptismo. c.12. Possunt tamen ex Scriptura sacra nonnulla testimonia adduci ad hanc veritatẽ cõfirmandã, quale est illud Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt principes & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis seruate, & facite, secundã autẽ opera eorũ nolite facere.* Quod testimoniũ affert D.Tho. loco suprà citato, atque ex eo colligit, manere in ministris Christi potestatẽ Ordinis, etiã si praui sint, cũ illis obediendũ sit propter potestatẽ, quã habent. Ex prædictis autẽ verbis solũ videtur immediatè inferri, manere in eis potestatem iurisdictionis, nã obediẽtia magis debetur propter hanc potestatẽ, quã propter potestatẽ Ordinis. Nihilominùs tamen argumẽtũ potest esse efficax, vel à paritate rationis: nã si potestas iurisdictionis manet in ministro iniquo, cur non etiam potestas Ordinis? cũ vtraque nõ ad ipsius cõmodũ, sed ad aliorũ bonũ à Deo data sit, & in vtriusq; vsu Christũ repræsentet, eiusq; vicẽ gerat. Vel certè dici potest aliquãdo esse obediendũ ministro Christi, nõ solũ propter potestatẽ iurisdictionis, sed etiam propter potestatem Ordinis, vt maximè patet in interiori foro sacramẽti Pœnitentiæ. Aliud testimonium assumi potest ex 1. ad Corin. 4. vbi Paulus priùs inquit, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei,* posteà verò subdit. *Hic iã quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Sẽtit ergo, ministrũ Christi, etiã si prauè aut infideliter suo munere fungatur, nihilominùs dispensatorẽ esse mysteriorũ seu sacramẽtorũ Dei. Tertiò ponderat Hieron. in citato dial. contra Luciferian. circa finẽ, in Apocalypsi hæreticos, qui secuti fuerant doctrinã Nicolaitarũ, inuitari ad pœnitentiã, non tamẽ moneri, vt quos baptizauerant, vel Ordinauerãt, iterũ baptizẽt, vel Ordinent, quia nimirũ, licèt gratiã & fidẽ amisissent, nõ tamen sacramentorũ veritatẽ. Quartò cõsiderari etiã potest; q̃ Paulus Actorũ 19. iterũ baptizare fecit eos, quos solo baptismo Ioannis inuenit baptizatos, nunquã tamẽ legimus Apostolos iussisse iterũ baptizare aliquos Baptismo Christi baptizatos, etiã si credibile sit, multos fuisse baptizatos ab hæreticis, qui ab illis tẽporibus pullulare cœperũt. Verisimile etiã est, iniquissimũ Iudã aliquos cũ cæteris Apostolis baptizasse, nõ est autẽ verisimile baptismũ ab eo datũ existimatũ fuisse minus validũ, aut fuisse iteratũ. Quintò denique, adiũgere possumus verba Christi, quibus suis ministris hãc dedit potestatem, fuisse absoluta ac generalia. *Hoc facite. Quorum remiseritis peccata, &c.* ergo non est, q̃ nos ea limitemus ad ministros sanctos vel fideles.

Secundò præcipuè probatur hæc veritas ex antiquitate ac perpetua traditione: ac tandẽ ex Ecclesiæ definitione. De antiquitate enim sit scribit Vincent. Lyrinens. de Agrippino loquẽs. *Primus omniũ mortalium cõtra diuinũ canonẽ, cõtra vniuersalis Ecclesiæ regulã, contra sensum omniũ cõsacerdotum, cõtra morẽ, & instituta maiorũ, rebaptizãdum esse censebat.* Vnde inferiùs subdit. *Quis ergo tunc vniuersi negotij exitus, quis vtique nisi vsitatus & solitus? retenta est scilicet antiquitas, explosa nouitas. Sed forte tũc ipsi nouitati adinuentioni patrocinia defuerunt? imò verò tãta vis ingenij adfuit,* A *tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta diuinæ legis oracula; sed planè nouo, ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi solã tanti molitionis causam, ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata nouitatis professio destituisset,* & hæc de antiquitate sufficiant; nam etiam Euseb. loco suprà citato c.2.3. & 4. refert sententiam huic dogmati contrariã, tempore Cornelij & Stephani Romanorum Pontificũ & Dionysij Alexandrini exortam esse, ac Dionysiũ Epistolam de hac re ad Stephanum scripsisse, in qua refert, quamplures Episcopos repudiata nouitate antiquã sententiam retinuisse, eamq; varijs Cõcilijs definiuisse. Specialiter autem August. lib. 1. de Baptismo. c.7. refert, post mortẽ Cypriani hãc veritatẽ definitam esse in plenario Concilio; non explicat autem, quodnam illud fuerit, nonnulli verò coniectan- B tur fuisse Concil. quoddã Capuense; sic enim de illo dicitur Concilio Carthag. 3. c.38. & Concil. Aphricano c.15. *Illud autẽ suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, vt non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes.* De qua Synodo Capuẽsi nihil aliud scriptũ reperio; constat autẽ non fuisse vniuersalem totius Ecclesiæ, sed fortasse nationalẽ totius Aphricæ, & ideò appellatã esse plenariã Synodũ in illis Cõcilijs. Nã quod absolutè vniuersalis non fuerit, patet, quia post Conciliũ Nicenum primum, nullum aliud vniuersale congregatum est vsque ad Concilium Ephesinũ, quod fuit tertium generale, præter Constantinopolitanũ primũ; certũ verò etiã est Conciliũ illud Capuense, & Carthaginẽse etiã tertiũ ante Cõciliũ Ephesinum celebrata fuisse. Vnde non videtur Augustinus de hoc Cõcilio locutus, sed de aliquo alio vniuersali totius C Ecclesiæ, quia lib.1. de Baptismo cap. 18. vocat illud vniuersale totius orbis; lib. autẽ 2. c.9. dicit fuisse cõgregatũ, antequã ipsemet nasceretur. Vnde probabile est, illud fuisse Cõcil. Nicenũ primũ, quia ante Augustinũ natũ nullũ aliud Oecumenicum Concilium celebratũ fuit, nã Sardicẽse, quod paulò post Nicenũ fuit celebratũ, & quasi pro eodem cũ illo computatur, & videtur fuisse Augustino ignotũ, vt colligitur ex Concil. 6. Carthagin. can. 6. & 7. Quod autem Concil. Nicen. hoc tradiderit, colligi potest ex Hierony. dial. cõtra Luciferian. circa finẽ, vbi dicit, Conciliũ Nicenũ recepisse omnes ab hæresi resipiscentes in suo gradu, idest, baptizatos, vt verè baptizatos, & Ordinatos similiter, in ordine suscepto, exceptis solis Paulianistis; quæ exceptio habetur nunc in canone 19. Concil. Nicen. & can. 8. de Nouatianis specia- D liter præcipitur, vt in suo gradu recipiantur. Illa verò definitio vniuersalis, quã refert Hieronymus, non extat: sed fortasse illam intulit ex particulari illa definitione, quoniam eadem ratio & doctrina est de omnibus, & ex altera exceptione Paulianistarũ, qui propterea excepti sunt quia non seruabant verum ritum Baptismi, vt exposuit Innoc. 1. epistola 22. c. 5. Ibi tamen significat, nec fuisse in illo Cõcilio additam de hac re vniuersalem regulam, nec licere, eã, quæ de Nouatianis specialiter tradita est, ad omnes alios hæreticos extendere, sed non intelligit hoc Innocẽtius, quoad valorem sacramenti; nam in hoc potius apertè docet, omnes, qui vero ritu baptizati fuerint, sicut à Nouatianis, non esse iterum baptizandos, quia verum recipiunt Baptisma, intelligit ergo illam regulam non esse extendendam, quoad hoc, vt omnes recipiantur in eodem gradu & honore,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod spectat ad quandam remissionem cuiusdã Ecclesiasticæ pœnæ, in qua non licet sumere argumentum à simili, vt gratia quibusdam concessa, omnibus facta censeatur. Secus verò est de valore sacramenti, quia in hoc necesse est doctrinam esse vniuersalem. Quocirca non est improbabile fuisse in Concilio Nicæno additũ alium canonẽ, qui generalẽ illã doctrinam contineret, nam q; fuerint plures canones illius Concilij, quã nunc extant, & hæreticorum industria fuisse corruptos, constat ex Athanasio in Epistol. ad Marc. Pap. Accedit, q; Syricius Pap. Epist. 1. c. 1. sic inquit aduersus quosdam, qui denuò baptizare volebant eos, qui ab hærẽsi Ariana ad Ecclesiam redibãt. *Quod non licet, cum hoc fieri, & Apostolus vetet, & canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad Prouincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio, generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Nouatianis alijsq; hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conuentui sociamus.* Vbi generalia decreta appellat alicuius Concilij generalis decreta, quod per antonomasiam *Synodum* absolutè vocat, constat autem nullam Synodum generalẽ fuisse ante Nicenã. Eandem doctrinam tradit Concil. Carthag. primum. c. 1. vbi hoc sensu dicit rebaptizationes esse prohibitas contra Donatistas, idem clariùs definitur in Concil. Aurelian. 1. cap. 8. & Concil. Constant. sess. 8. damnantur art. 4. Ioan. Vvicleph, & art. 18. Ioan. Hus, in quibus prædictus error cõtinebatur. Ac deniq; Concil. Trident. sessio. 7. cano. 12. de sacramẽt. in genere, definit, ministros sacramentorũ, etiam si in peccato mortali sint, si cætera necessaria seruent, vera conficere sacramenta. Et canone 4. de Baptismo definit, Baptismũ posse dari ab hæreticis. Idẽ docuit Stephan. Pap. 1. tẽpore Cypriani, vt constat ex historijs suprà citatis, & ex Epistolis Cypriani inferiùs citãdis, & Leo Pap. epist. 77. aliàs 79. c. 7. Anastas. Pap. epist. ad Anastas. Imperat. ca. 7. & 8. qui in particulari loquitur de Baptismo & Ordine, alij verò frequentiùs loquuntur de solo Baptismo. Vnde nõ inuenio expressam definitionẽ vniuersalẽ de omnibus sacramentis, quod ministrata ab hæreticis rata sint, est tamen res certa, vt ex dictis satis patet, & in singulis sacramẽtis latiùs tractabitur.

Tertiò probãda est hæc veritas ratione, quia verò res hæc non est ex his, quæ consistunt in physica rerum natura, sed ex institutione pendet, ideò ad illam necessariò recurrendum est, eiusque prudens ratio inuestiganda. Non est enim dubiũ, quin potuerit Christus Dñs ita instituere sacramenta, vt ad eorum valorem & veritatẽ tanquã necessariam conditionẽ postularent ministri sanctitatem aut fidem: nulla enim in hoc est repugnantia; fuit autem maximè expediens, non ita instituere, sed absolutam potestatẽ dare suis ministris ad conficienda sacramenta, promittẽdo illis suum necessarium concursum independẽter ab eorum malitia, vel bonitate. Primò, quia aliàs Ecclesiasticus ordo, & regimen valde esset perturbatũ ac incertum, non speculatiua aliqua vel inusitata incertitudine, sed valde communi morali, ac humana: quoniam fides vel sanctitas ministri frequentissimè deest ac moraliter deesse potest. Qua ratione sæpè vtitur Augustinus vt 1. lib. contr. Lit. Petil. c. 3. & lib. 2. c. 5. ac sæpè aliàs. Dices, rationem hanc esse probabilem de peccatoribus occultis, non verò de publicis, & præsertim si sint hæretici, & schismatici, & ab Ecclesia præcisi, nam cum horum malitia nota sit, & facilè vitari possint, & satis potest Ecclesiæ cõstare, sacramenta ab eis data irrita esse. Respondet Augustinus, si hæc potestas ministrãdi sacramenta nõ pendet ex gratia vel fide in re ipsa in peccatoribus occultis, neq; etiam debuisse pendẽre ex fama vel notitia talis defectus in ministro existentis; tum quia hæc notitia est valde accidentalis & extrinseca: tum etiã quia, q; delictũ sit occultũ, sæpè aggrauat malitiam, propter simulationẽ & hypocrisin; tum præterea de hoc ipso maxima esset dubitatio & perplexitas, qualis scilicet, vel quãta esse debeat hæc notitia, seu publicatio delicti. Itẽ, quia interdũ accidit peccatũ ministri, etiã si aliàs publicũ sit, latère eũ, qui bona fide ad susciendum sacramentum accedit, aut è contrario, peccatũ alijs occultum, esse cognitum ei, qui susceperus est sacramentũ, fortasse bene vtendo malitia alterius. Ac tandem interdũ expedit propter necessitatem sacramentũ accipere; etiam à publico peccatore, nonnunquam etiã qui corã Deo innocens, & bonus est, prauus existimatur à multis; non ergo debuit veritas sacramentorũ ex hominũ opinione vel existimatione pendẽre. Secũda ratio principalis est, quia si peccator vel hæreticus priuaretur hac potestate, vel hoc esset, quia est illa indignus, vel quia non decet Deum vti homine iniquo vt instrumento ad supernaturalem effectum, præsertim ad gratiam conferendam: vel, quia Ecclesiæ, seu hominibus; qui recepturi sunt sacramenta, non expedit, huiusmodi homines esse posse sacramentorum ministros. Sed nihil horũ dici potest aut est verisimile. Primũ probatur, quia peccator est indignus fide, & hæreticus est indignus baptismali charactere, & vita ac bonis omnibus, quibus iustè priuari possunt, & non priuãtur: ergo ex hoc capite nihil colligi potest; præsertim in eo genere bonorum, quæ ipsis, non propter ipsos, sed propter aliorum vtilitatem, dantur; inter quæ hæc potestas conficiendi sacramenta annumeranda est. Quod à simili cõfirmatur, quia gratiæ gratis datæ sæpè dantur peccatoribus, quãuis illis indigni sint, quia ad aliorũ vtilitatẽ ordinantur. Vnde de Caipha dicitur Ioan. 11. prophetasse, *quia erat Pontifex anni illius*, Et Matth. 7. dicit. *Dñe, nonne in nomine tuo prophetauimus?* Et simile argumentum suprà sumpsimus ex potestate iurisdictionis; qua non priuantur peccatores, etiam si indigni sint: & idem dici potest de dominio tẽporali. Secundũ membrum probari potest primò ab exẽplo ex August. lib. 4. de Bapt. c. 11. ex potestate euangelizandi, & effectu eius: sæpè enim Deus per verbũ hominis peccatoris alios conuertit, & iustificat, quod non est cõtra diuinã bonitatẽ, sed maximè illam decet, eiusq; sapientiã, & potentiã cõmendat, dum quorundã malitia in aliorum bonum vtitur: maximè quia non illis vtitur, vt mali sunt, sed vt homines, & creaturæ suæ sunt, sub qua ratione boni sunt. Adde, quia Deus vtendo malo ministro ostẽdit, sanctitatẽ & efficaciam sacramenti nõ esse ab ipso ministro, sed à Christo; ipsum verò ministrum solùm esse veluti canalẽ, per quem gratia ad alios confluit; aut tanquam operarium, qui iacit semina, plantat, aut rigat, Deo incremẽtum dante. Tertium mẽbrum satis probatũ est ex prima ratione, nam potiùs Ecclesiæ maximè expediens fuit, vt sacramenta ab his ministris collata valida sint, quanquam ipsi peccent illa ministrando. Hæc sumpta sunt ex August. libr. 2. contra Lit. Petilian. c. 5. & libr. 3. cõtra Crescon. cap. 8. & lib. 3. de Baptismo. cap. 11. & lib. 4. ca. 20. & tract. 5. in Ioan.

Tertiò

Tertiò tandem possumus à posteriori argumentari, fuisse conueniens characterem esse indelebilem nam si catholicus baptizatus in hæresim labatur, & postea resipiscat, non baptizatur iterum ex omnium sententia etiam hæreticorum, signum ergo est, characterem baptismi indelebilem manere, & non amitti propter peccatum, vel hæresim; ergo eodem modo sacerdos ritè ordinatus, si hæreticus fiat, characterem sacerdotalem retinet indelebilem: ergo retinet potestatem conficiendi sacramenta; ergo si velit illa conferre, & materiam ac formam necessariam adhibeat, verum sacramentum perficiet. Hæc ex Augustino 2. cõtra Parme. cap. 13. & Hieronym. dial. contra Lucifer.

Ex quibus rationibus sequitur primò, assertionem positam æque procedere in omnibus sacramentis, quia rationes factæ eandem vim in omnibus habent, atque ita eadem fere est de omnibus traditio; quãuis in Baptismo magis sit expressa, præsertim quoad hæreticos, vt dixi. Atque eodem modo rationes factæ eandem ferè vim habent in quocunque genere peccati, siue illud contra caritatem sit, siue contra fidẽ; & siue peccatum habituale sit, siue actuale, ac redundans in ipsammet actionem, qua ministratur sacramentum: nam licèt procedat ex intẽtione praua, aut ex defectu alterius circunstantiæ actio iniqua sit, nihilominùs sacramentum validum erit: quia ipsa bonitas vel malitia, quæ ex voluntate vel circunstantia personæ ministri adiungitur tali actioni, est per accidens, & extrinseca ad rationẽ sacramenti. Neque inde fit, aut sacramentum amittere sanctitatem suã, aut Deum speciali & supernaturali auxilio concurrere ad peccatum, quia sacramentum non est ipsum peccatum, sed est actio illa, vel passio, cui ex malitia ministri coniungitur aliquis defectus seu culpa, ad quam Deus nullum speciale auxilium præbet, sed ad actionem seu effectum sacramenti. Hic verò occurrebat difficultas, quia interdum in decretis indicatur, Ordinationes ab hæreticis factas non esse veras: sed de hac re suo loco dicendũ est: non enim est sensus Ordinationes factas ab hæreticis, si substãtialia omnia seruentur, non esse ratas, sed esse prohibitas, & sic Ordinatos esse ab vsu Ordinum reijciẽdos. Legatur de hac re Petrus Damianus Epist. 15. c. 31.

Secundò sequitur, assertionem positam non solũ de sacramentis, sed etiam de effectibus sacramentorum veram esse. Itaque minister quantunuis iniquus vel hæreticus, sicut confert verum sacramentum, ita etiam dabit sacramenti effectum, si susciptens nõ ponat obicem. Quod omnes scholastici docent, hanc quæstionem tractantes, & præsertim bene explicuit Alens. 4. par. quæst. 16. in 3. art. 1. Tradit etiam expressè August. lib. 2 contra liter. Petilian. cap. 6. & 47. & tracta. 5. in Ioan. Et quanuis hoc de effectu nõ sit sub his terminis tam expressè definitum, tamen omnino certum est, & necessariò sequitur ex principijs fidei. Et primò quidem de effectu charactẽris res est clara: nam ideò Baptismus datus ab hæretico iterari non potest, quia characterem indelebilem imprimit. Atque idem est de sacramento Ordinis, vel Confirmationis. Rursus de effectu gratiæ regula fidei est, sacramenta dare gratiam non ponẽtibus obicem, ex Concil. Trid. sessione. 7. can. 6. & 7. sed sacramẽta data ab iniquis ministris sunt vera sacramẽta; ergo dant effectum, si susciptens non ponat obicẽ: cuius exemplum euidens est in paruulo baptizato ab hæretico, nam si statim moriatur, sine dubio salũabitur; alioqui vel rebaptizandus esset à Catholico priusquam moreretur, ne periret, vel maneret omni remedio destitutus; vtrũque autem absurdissimum & hæreticum est, ergo non solum recepit sacramentum sed effectum etiam sacramenti, & sanctificationem, quia nimirum non posuit obicem: ergo idẽ est de quocunque alio non ponente obicem, etiam si minister sacramenti iniquissimus sit. Denique propter hanc causam diximus in superioribus, per se loquendo, non augeri aut minui effectum sacramenti propter bonitatem, vel malitiam ministri, & ibi ostendimus hanc esse sententiam antiquorum Patrum.

Tertiò colligi ex dictis potest, veritatem hanc nõ solum in sacramentis legis nouæ, sed etiam in sacramentis legis naturæ, & veritatis habere posse locũ: quanquam enim non sit tanta certitudo, quia nõnulli dubitarunt, præsertim de sacramento legis naturę, & nihil in hoc est hactenus definitum, tamẽ sine dubio hoc est probabilius: quia rationes adductę eandẽ vim habent in omnibus sacramentis, & in omni tempore ac lege: præterquam quòd hæc est expressa sententia August. Epistol. 203. & lib. 2 cont. lit. Petil. cap. 72. & lib. 1. cont. Cresc. capit. 31. Sine causa igitur quidam moderni contrarium affirmant de sacramento Circuncisionis, nimirum non fuisse validũ ab infideli collatum, eamque opinionem attribuunt antiquis Theologis in 4. d. 1. & Alens. 4. p. quæst. 1. memb. 7. ad 2. & q. 6. mẽb. 3. art. 3. Cui opinioni fauet Cano relect. de sacra. in gene. p. 5. vbi inter alias, hanc differentiam constituit inter noua & vetera sacramenta, quod illa sanctificant ab infideli ministrata, hæc verò minimè. Sed in primis Cano non explicat, an tale sacramentum esset validum, sed solum loquitur de effectu: poterat autem sacramẽtum esse validum, quanuis non sanctificaret, vt patet in adulto ponente obicem: quod ergo absque fide ministri nõ esset verum sacramentum, prorsus sine fundamento dicitur, & contra debitam sacramentorum institutionẽ, vt ex omnibus adductis à paritate rationis facilè ostendi potest. Si autem sacramentum erat validũ, sine causa negatur, non fuisse in illo datam sanctitatem non ponenti obicem: quia ille effectus non nitebatur in merito aut fide ministri, sed in Dei promissione, & meritis Christi prætuisis. Nec refert, quod dici solet, in circuncisione, vel sacramento legis naturæ, non fuisse datam gratiam, nisi vt erant signa protestãtia fidem Christi venturi. Nam hoc intelligendum est, non de fide ministri, sed de fide Ecclesiæ, vt supra explicatum est. Quod verò Cano ait, tũc fuisse datam gratiam ex misericordia, & non ex iustitia: nunc verò dari ex iustitia & merito Christi, nõ est simpliciter verũ, nã respectu nostri, etiã nunc datur ex misericordia; respectu verò Christi, etiam tũc dabatur ex iustitia. Neq; antiqui autores aliquid diuersum docent ab his, quæ diximus, si attentè legantur.

Supereſt, vt fundamentis contrarij erroris satisfaciamus. Et primò quidem Episcopi Aphricani multa ex scripturis obijciebant, vt illud Eccles. 34. *Ab immũdo quis mundabitur?* & infrà eod. cap. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius?* & illud Psal. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, & similia*, quæ latissimè prosequitur Aug. libris citatis cõtra Donatistas scribens. Respondetur tamen ad primum testimonium, ministrum sacramenti non mundare virtute sua, sed virtute Christi, qui per illum operatur, non vt immundus, seu peccator est, sed vt ho- 1. *Obiectio.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo est, quo vtitur vt instrumẽto suo, & ideò potest A
minister sanctitatem, quam ipse non habet, alteri dare, quia non vt principalis sed vt instrumentalis causa operatur. Ad secundum Augustinus 2. cont. Cresc. c. 24. in verbis illis, *Qui baptizatur à mortuo*, per *mortuum*, idolum intelligit, & interpretatur illa verba scripta esse aduersus ceremonias gentium, quæ inutiles erant, & sine fructu; idem verò August. lib. 6. de Bapt. cap. 34. eundem locum attingens, & prædictam expositionem tacitè referens, inquit, *Quid sit à mortuo baptizari, sine præiudicio diligentioris eiusdem scripturæ considerationis, alibi iam diximus*. Diligẽtiùs ergo textum illum cõsiderando, videtur literalis sensus esse particulam illam *a mortuo*, non significare habitudinem ad causam efficientem, seu ad ministrum, sed ad terminũ à quo, ita vt sensus sit, qui baptizatur vt mundetur ab immunditia, quam contraxit ex cõ- B
tactu mortui, & iterũ tangit mortuum, nihil ei prodest ablutio. Vnde sermo ibi potiùs est de ceremonijs, quibus Iudæi in lege veteri vtebãtur ad immũditias legales detergendas, vt constat Num. 19. sub hoc autem exemplo, dirigitur proloquium illud in eos, qui nunc de peccatis dolent, & ea confitentur, paulò autem post ad ea redeunt, vt notauit Greg. exponens illa verba Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & lib. 9. Epistol. 39. & in eodem sensu citat hoc testimonium Cæsarius hom. 9. & ex ipso contextu est manifestus: nam in primis verba ipsa nõ integrè citãtur ab Aphricanis Episcopis, sic enim habent. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuũ, quid proficit lauatio illius?* omittebãt enim illa intermedia verba, *& iterum tangit mortuum*, quæ apertè explicant sensum prædictum. Deinde statim exem- C
plum prædictum accommodat Sapiens, dicens, *Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?* Ad tertium de oleo peccatoris respondetur sermonem ibi esse de oleo adulationis, & applicari etiam potest ad oleum turpis voluptatis, de quo legi potest August. Epist. 120. de gratia noui testamenti. cap. 31.

2. Obiectio. Secundò obijci potest Canon. 45. Apostolorum, qui sic ait, *Episcopum, aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus, quæ enim conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Responderi potest primò, non dici Baptismum hæreticorum Baptismum Christi ab hæreticis ministratum, sed alium ab hæreticis inuentũ, in quo illi suos errores miscent, mutando formam, vel materiam, & adiungendo ritum aliquem veritati sacramenti contrarium. Secundo, si hunc canonem intelligamus de Baptismo Christi dato ab hæretico, pœna illa nõ fertur in eos, qui tale Baptisma postquam datũ est, tanquam verum sacramentum recipiunt, sed in eos Episcopos, vel Presbyteros, qui hæreticos admittunt ad sacramenta ministranda. Hoc enim semper prohibitum fuit, non quia talia sacramenta inualida sint, sed quia sacra ministeria non sunt indignis committẽda.

3. Obiectio. Tertia obiectio confici potest ex varijs Patrum sententijs, quæ partim sunt de sacramento ipso, partim de effectu. Primò ergo Cyprianus acerrimus fuit defensor contrariæ sententiæ, in quo illud est difficile, quod non solùm eam simpliciter docuisse, sed etiã contra definitionem Stephani Papæ pertinaciter asseruisse videtur, nam Epist. 74. ad Pompei. sic inquit, *Quæ mihi ad literas meas Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti eius exemplum, quo lecto, magis ac magis errorem eius detestari, qui hæreticorum causam cõtra Christianos & contra Ecclesiã Dei asserere conatur.* Multaque similia aduersus Pontificis sententiã in sequentibus scribit. Illa tamen Stephani epistola, quã ibi commemorat, non extat, videtur autem Stephanus scripsisse definiendo Pontificia autoritate. Scribit enim Aug. lib. 5. de Bapt. cap. 23. Stephanum in ea Epistola, non solùm Cypriano non consensisse, *verùm etiam contra scripsisse, atque præcepisse*. Vnde ca. 25. de Cypriano sic scribit. *Illa quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia non opus est, eadem quippe esse dicuntur, quæ iã satis discussa sunt, & ea præterire melius est, quæ periculum pernicioſæ dissensionis habuerunt*, & subdit. *Stephanus autem & abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem connellere conarentur*. Significat ergo, Stephanum excommunicasse eos, qui contrariam sententiã tuerentur. Atque idem indicat Euseb. lib. 7. Histo. ca. 4. qui addit Dionys. Alex. hoc ægre tulisse, & ad Sixtum Pap. scripsisse considerandam esse rei magnitudinem. *Quia non quicunque* (inquit) *sed permagni, & nobiles inter Episcopos viri sunt, quibus hoc visum est.*

Secundò fauere videtur cõtrariæ sentẽtiæ Athana. serm. 3. cont. Arrian. circa medium, vbi Baptismum ab Arrianis datum, vanum, & inutilem, & speciẽ tãtùm Baptismi atque inane simulacrum vocat, & posteà subiungit. *Sicut creatura diuersum quid est a Filio, ita diuersum quiddam est quod ab illis dari existimatur, ta metsi nomen Patris & Filij, quia illa in scripturis videt, simulent se nominare. Non enim, qui simpliciter ait Dñe, is est, qui legitimum tribuit Baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet, ideòq; Saluator nõ quouis modo baptizandã præcepit, sed prius dixit docete, deinde baptizate, vt ex doctrina recta fides crearetur.*

Tertiò Greg. Nazian. Orat. 40. licèt doceat, peccatorem posse esse Baptismi ministrum, hanc verò doctrinam his verbis limitat, *Dummodò non apertè cõdemnatus sit, & ab Ecclesia alienus*. & infrà. *Quinis tibi initiator est, qui modo eadem fide informatus sit*. Vnde fit coniectura, nostrã sententiam non fuisse in Conc. Nicen. definitã; præsens enim fuit Athanas. & Greg. Nazian. posteà scripsit, & Basil. etiam, qui tamen in Epist. 1. ad Amph. can. 1. licèt in sententiam catholicam inclinet, non tamen vt certam, sed vt dubiã eam amplectitur, dicens. *Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.*

Quartò, de effectu sacramenti sic loquitur Ambr. lib de his qui initiantur. cap. 4. *Non sanat Baptismus perfidorum, sed polluit*, sic etiã Leo Pap. in citata Epist. negat Baptizatos ab hæreticis suscipere sanctificationem, sed solum ac nudum sacramentum. Atque eodem modo August. cont. Donatist. scribens, sæpe dicit eos errasse, nõ distinguentes inter sacramentũ, & effectum sacramenti. Nam ex eo, quòd hæretici non possunt dare sanctificationem, inferebant, non posse dare sacramentum, cum tamen priùs verũ sit, posterius autẽ falsum, vt ex August. colligi potest, lib. 3. de Bapt. cap. 17. lib. 5. cap. 21. 22. & 24. & lib. 6. cap. 1.

Ad Cyprianũ dixerunt quidam (vt Aug. refert Epist. 48.) Cyprianum re vera nunquã sensisse, nec docuisse sacramẽtum datum ab hæretico nullũ esse, aut baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, sed hoc illi fuisse ab hæreticis impositum, eiusq; scriptis insertum. Sed meritò Augustinus respõsum hoc incredibile iudicat, nam ex antiquissimis Patribus & historijs & ex scriptis Cypriani, ferè euidentissimè constat,

cõstat, illũ in ea sententia fuisse. Neq; eius sanctitati, A
vel autoritati derogat, quod in re nondũ apertè definita, recta intentione, ac religionis zelo, errare potuerit. Negari tamen non potest, quin in prædicta Epistola aliquantulũ excesserit, vt significauit etiã August. d. lib. 5. de Bapt. c. 25. vbi ad eum excusandum subiungit: *Quamuis commotius, sed tamen fraternè indigneturr, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt inter ali disceptatione, nullum inter eos malum schismatis oriretur*, & similia habet lib. 2. c. 6. Vnde intelligitur Stephan. Pap. neque definiuisse, neque contra sententiam Cypriani aliquid absolutè præcepisse. Et propter hanc causam Vincent. Lyrinens. ita de hac controuersia loquitur. *O rerum mira cõuersio, autores eiusdem opinionis Catholici, confessatores verò hæretici iudicantur: absoluuntur magistri, condemnantur discipuli: conscriptores librorũ filij regni erunt, assertores verò gehẽnæ suscipiet. Num quis illud sanctorum omnium & Epi- B
scoporum & Martyrum lumen, Beatissimum Cyprianum, cum cæteris collegis suis, in æternum dubitet regnaturum cum Christo?* Addit tandem Aug. lib. de vnic. Bapt. c. 13. *Si Cyprianus in hac causa aliquid purgandum habuit, victima passionis falsæ fuisse sublatum*, & Epist. 48. dicit nõ incongruẽter de tali viro credi, quod ante mortẽ se correxerit & sententiam mutauerit. Quam etiam mutasse Episcopos Aphricanos, qui priùs in suo concilio subscripserant, significat Hieron. in Dial. cont. Lucifer. Autor etiam libri de Card. Christ. oper. qui Cypriano tribuitur. cap. de Bap. Christ. sententiam Catholicam apertissimè docet.

Ad Athan. Ad Athanas. respondetur, non negare sacramẽtum ab Arrianis datum esse validum. nam potiùs dicit, Arrianos versatos esse in magno periculo amittẽdi Baptismi integritatem, & veritatem. Non ergo sentit Baptismum Arrianorum hoc ipso, quod ab hæreticis ministrabatur fuisse nullum; aliquin non diceret, eos versatos esse in periculo amittendi Baptismum, sed simpliciter amisisse illum: sed sentit, quoniam illi errabant in fide Trinitatis, facilè potuisse committere essentialem defectum, aut in forma, aut in debita intẽtione baptizandi. Ac præterea in citatis verbis non de valore sacramenti loquitur, sed de effectu, qui est sanctificatio, quam non consequitur, qui ab Arrianis baptizatur, illis nimirum consentiẽdo in fide, & errore; & hoc sensu dicit, tale baptisma esse vanum, & infructuosum, vt magis in sequentibus explicat. Neque est alia mens Greg. Nazian. nõ enim prohibet, sumere Baptismum ab hæretico, quia non possit ab illo fieri verum sacramentum, sed quia non debet ab indigno ministro sumi, & quia semper prohibitum fuit cum hæreticis communicare, præsertim in rebus sacris; loquitur autem Nazianzenus per se, ac regulariter, non verò de casu extremæ necessitatis. Quapropter ex horum Patrum testimonijs, nihil colligi potest de definitione Concilij Niceni. Basilius verò in eo loco sine dubio non existimauit, sententiam Catholicam suo tempore fuisse certã, aut definitionem Concilij Nicen. non fuisse omnino expressam, aut Basilium latuisse, nam canones illius Concilij, etiam viuente Athanasio, fuerunt ab hæreticis magna ex parte corrupti vel occultati.

Ad alios patres. Ad alia testimonia quarto loco posita dicendum est, sensum illorum Patrum eũdem esse, quẽ in Athanasio explicuimus, scilicet, hæreticos non posse dare sanctificationem per Baptismum his, qui eo animo & spiritu ab eis baptizantur, vt cum eis in errore vel schismate conueniant, quod est verissimũ, & in vni- A
uersum affirmari potest de quolibet prauo ministro, si ille, qui ab eo sacramentum suscipit, cum eo in malitia, vel sacrilegio communicat, nam tunc suscipiens ponit obicem effectui sacramenti; quæ est propria & proxima ratio non recipiendi effectũ, nõ verò, quia minister careat potestate illum cõferendi, & hoc insinuauit Aug. lib. 2. contra Parme. cap. 18. vbi concludit, neminem coniungi cum infideli nisi quia talia facientibus fauet, & iniqua, vel agit, vel approbat, & lib. 1. de Bapt. c. 2. dicit, tũ, qui in extrema necessitate sacramentum ab hæretico accipit, Catholicè sanctè atque adeò fructuosè accipere; quod etiã expressè docet lib. 6. de Bapt. c. 5. & iuxta hæc explicanda est quædam alia locutio, qua sæpè August. vtitur in lib. cont. Donatist. dicit enim potestatem remittẽdi peccata datã esse Ecclesiæ quatenus ex iustis & sanctis constat, qui loquendi modus potest erroneum sensum inducere, si quis intelligat, solos ministros seu sacerdotes iustos posse remittere peccata, quod, absolutè loquendo, falsum est; nam siue sacerdos sit iniquus, siue iustus, fidelis, vel infidelis, potest remittere peccata, si suscipiens non ponat obicẽ, & minister potestatem iurisdictionis in eum habeat, si de sacramento Pœnitentiæ sit sermo. Sensus ergo Augustini est, nemini remitti peccata, nisi quatenus caritate coniungitur Ecclesiæ, quæ ex iustis & sanctis constat propter quam data est potestas ministris sacramentorum; & ideò dicitur illi specialiter data, & minister dicitur operari specialiter vt huius Ecclesiæ minister, cui per caritatem coniungit eos, quos per sacramenta sanctificat, eisque peccata remittit.

4. Obiectio. Quarta obiectio esse potest, quia hæreticus non est membrum Ecclesiæ, ergo non potest operari vt minister Ecclesiæ, nam corpus non operatur nisi per C
membra sua, erga non potest conferre sacramenta, nam ministri sacramentorum operantur vt ministri Christi, & Ecclesiæ. Rursus, vbi non est vera Ecclesia, non possunt esse vera sacramenta, nam sacramenta soli Ecclesiæ Christi data sunt; sed inter hæreticos non est vera Ecclesia, ergo nec vera sacramenta, ergò illa, quæ ipsi conficere tentant, non sunt vera sacramenta. Respondetur ad priorem, licèt hæreticus non sit membrum Ecclesiæ quoad substantiam (vt ita dicam) seu formam constituentem tale membrum in esse membri Ecclesiæ, nihilominùs quoad ministerium se gerere, vt Christi ministrum, nam Christus, non solum per membra sibi coniuncta, sed etiam per abscissa operatur, eisque vtitur in suæ Ecclesiæ vtilitatem, & hoc sensu ait August. lib. 1. de Bapt. cap. 10. Christum assistere hæretico homini D
conferenti sacramentum iuxta ritum ab ipso institutum, propter ipsius ministerij & sacramenti sanctitatem. Ad alteram partem negatur propositio assumpta, nam licèt sacramenta soli Ecclesiæ data sint, possunt tamen ab his, qui sunt extra Ecclesiam impiè atque iniustè vsurpari, & ideò vera sacramenta extra Ecclesiam inueniri possunt, quantuis vbicunque sint, potiùs dicenda sint sacramenta Ecclesiæ, quam hæreticorum, sicut Euangelium etiam dici potest proprium Ecclesiæ, quia illi datum est, & nihilominus inter hæreticos reperiri potest verum Euangelium, iniquè tamen vsurpatum ac malè intellectum.

DISPV-

DISPVTATIO XIIII.

De subiecto apto ad suscipiẽda sacramẽta.

Disputationem hanc prætermisit D.Thom.in hac materia de sacramẽtis in genere, inferiùs verò de singulis sacramentis disputans, nunquam ferè illã prætermittit, quia cũ subiectũ susceptiuum sacramenti sit aliquo modo causa eius in genere causæ materialis; eius cognitio pertinet ad exactam scientiam sacramenti,& causarum eius tradendam. Et propter eandem rationem visum est, nõnulla de hac causa sacramentorum præmittere, tũ ad materiæ complementum, tum etiam vt faciliorem paremus viam ad ea, quæ de singulis sacramentis dicẽda sunt. Tria verò sunt, quæ de subiecto susceptiuo sacramenti considerari possunt. Primũ, quid ex parte eius requiratur ad valorem sacramenti. Secundum, quid necessarium sit ad sacramẽti effectum obtinendum. Tertium, quomodo dignè suscipiatur. Ex his verò tribus secundum latè superiùs tractatũ est Disput.7.sect.4. De tertio verò inferiùs dicendum est in parte morali; solùm ergo superest, vt de primo puncto dicamus.

SECTIO I.

Quinam sint capaces sacramentorum.

Ex hæreticis quidam dixerunt solos prædestinatos esse capaces sacramẽtorum, qui error tribui solet Ioanni Vuitcleph, & Ioan. Hus, de quorum errore satis dictum est in præcedenti disputatione de ministro. Est enim quoad hoc eadem planè ratio de ministro,& de suscipiente. Alij vero dixerunt, solos iustos esse capaces sacramentorum, cũ quibus agemus sectione sequenti. Omissis ergo hæreticis.

Homines viatores solũ esse sacramentorũ capaces.

Dico primò, solos homines viatores esse capaces sacramentorum. Est res certa & euidens suppositis principijs fidei, quia sacramenta instituuntur ad sanctificandos per gratiam eos, quibus conferenda sunt (agimus enim præcipuè de sacramentis legis nouæ) ergo tantùm illi sunt capaces horum sacramentorũ, qui sunt capaces gratiæ; huiusmodi autem sunt solæ creaturæ rationales: cum autem sacramenta sint ceremoniæ sensibiles, neque ad Angelos pertinent, neque illi esse possunt capaces eorum: & eadem ferè ratione non pertinent ad beatos homines, etiam si admittamus, aliquos iam esse corpore gloriosos, quia vsus harum cæremoniarum & sensibilium signorũ, valde alienus est ab eorum fœlici statu. Eò vel maximè quòd sacramenta sunt instituta ad gratiam dandam vel augendam; cum tamen neque Angeli, neq; beati omnes in statu sint, in quo possint gratiam vel augmentum eius acquirere.

Obiectio.

Dices, sacramentũ posse separari ab effectu suo, ergo ex incapacitate effectus non potest colligi incapacitas sacramenti. Nonnulli enim existimarunt, B. Virginem post conceptionẽ Filij sui fuisse incapacem augmenti gratiæ, cum tamen non negarent, nec negare possent, esse capacem sacramenti.

Solutio.

Respondetur, quanuis valor sacramenti & effectus eius quoad actum, non sint necessariò coniuncta, tamen quoad capacitatem ex parte subiecti, ipsa ratio,& institutio sacramenti postulat, vt habeãt necessariam connexionem. Quia sacramenta sunt instrumenta à Christo instituta ad dandam gratiam; A ergo ex institutione sua, tantũ sunt ordinata ad personas gratiæ capaces,& pro illo statu, in quo sanctificari possunt; & ita Christus Dominus, vbicunque de sacramẽtorum institutione vel dispensatione sermonem habet, ad huiusmodi personas illum dirigit, vt cũ dixit, *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Nõ enim docentur ab hominibus, nisi homines viatores; & cùm dixit. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Non enim remittuntur peccata nisi hominibus viatoribus. Illa verò sententia de B. Virgine probabilis non est; iuxta illã tamen respondendum esset, B. Virginem propter aliquam dispensationem, vel legem Dei extrinsecam, non potuisse post Filij conceptionem in gratia crescere, tamen per se & iuxta statũ suum, capacem fuisse gratiæ & augmẽti eius; & hoc satis esse vt fuerit capax sacramentorum.

B. Virg[...] modo [...] effectuũ [...] mentorũ [...] pax.

Quod de B Baptismo necessario dicendum est, nam per se est institutus ad dandam primam gratiam; vnde per se respicit subiectũ capax primæ gratiæ: B. autẽ Virgo ratione suæ perfectionis & confirmationis in gratia, nõ poterat ampliùs primam gratiã recipere, tamẽ, quia ex vi conditionis & status talis personæ erat capax eius, ideò hoc satis est, vt fuerit capax Baptismi.

Dices, rationem adductam solùm procedere de sacramentis nouæ legis, non autem in veteribus, exceptis illis, per quæ significabatur gratia quæ in eis dabatur, vt erat circuncisio, & sacramentum legis naturæ; nam de his rectè procedunt omnia, quæ de nostris sacramentis dicta sunt; secus autem videtur esse de alijs, per quæ solum dabatur sanctificatio legalis; nam huiusmodi sanctificatio conferri potest rebus etiam inanimatis; sic enim sanctificatur tem- C plum, calix, & similia; & per eam sanctificationem significari posset interior ac perfecta sanctificatio.

Creatu[...] rationa[...] cramen[...] quidem [...] tamen [...] menta [...] re possu[...]

Respondetur, solos homines fuisse semper capaces sacramenti propriè dicti, quia sacramentum vt suprà diximus, quanuis non semper ordinetur ad dandam gratiæ sanctificationem, semper tamen proximè refertur ad ipsos cultores Dei, scilicet, ad initiandos illos,& consecrandos aliquo modo cultui diuino; soli autẽ homines inter creaturas sensibiles sunt cultores Dei. Vnde illæ ceremoniæ, quæ interdum fiunt ad sanctificandas aliquo modo res inanimatas, non sunt propriè sacramenta, prout nunc de sacramentis loquimur, sed dicuntur sacra quædam, seu sacramẽtalia. Vnde fit non solùm de facto, sed etiam de possibili, irrationales creaturas esse prorsus ineptas & incapaces sacramentorum.

An [...] sint sacra[...] torũ ca[...]

Hic verò inquiri potest, an possint institui sacra- D menta sensibilia, quorum Angeli sint capaces. Respondetur non posse quidem Angelum in se recipere immediatè materialem passionem, vt v.g. ablutionẽ vel vnctionem, quia hoc requirit materialem contactum,& quantitatem in vtroque extremo, posse tamen fieri de potentia absoluta, vt Angelus sanctificetur per signũ sensibile, vt per vocẽ, aut per actionem factam circa aliquod corpus. Nam sicut Dæmõ cruciatur per ignem, tanquam per instrumentũ Dei; ita posset Angelus sanctificari per aquam, vel aliud sensibile signum; hic autem modus sanctificationis non est consentaneus Angelicæ naturæ, primò quidem, quia omnino spiritualis est, & ideò non oportuit eam perfici & sanctificari per signa sensibilia, quanuis in pęnam peccati subijciantur mali Angeli actioni instrumenti sensibilis: tum etiam, quia sanctificatio Angelorum, quæ fit in via, cum ipsa natura incipit,& vno actu perfectè meritorio, ac deliberato

rato consummatur; in patria verò vt diximus, non A est consentaneus sacramentorum vsus.

Nullus homo viator est incapax omniũ sacramẽtorũ.

Dico secundò, Omnes homines viatores sunt capaces sacramentorum nouæ legis. Nõ affirmo, quẽlibet hominem esse capacem omniũ, sed indefinitè, sacramentorum. Et hoc sensu est assertio certissima, quia nulla est ętas, nullus sexus, nulla ve cõditio, quę personam viatricem absolutè reddat incapacem omnium sacramentorum, si ea velit suscipere, vt posteà dicemus. Item, omnes viatores de se sunt capaces gratiæ,& illa indigent; & sacramenta sunt media ad huiusmodi gratiam conferendam instituta; ergo ex se omnibus dari possunt: ergo etiam ex parte personarum omnes sunt capaces eorũ, nam cæremoniæ sensibiles sacramentorum, per se loquendo, circa quemlibet hominem exerceri possunt. Est autem in primis circa hanc assertionem obseruandum, hominẽ B viatorem (prout de illo nũc loquimur) nõ inchoare viam donec ex vtero matris natus est; tunc enim incipit esse viator in foro Ecclesiæ, seu humano; nam quãdiu est in vtero matris, licèt coram Deo iam sit viator, quatenus est persona à matre distincta, capax propriæ originalis culpæ, propriæque sanctificationis, si Deus illam conferre velit, tamẽ quoad nos homines qui sensibus vtimur, tunc censetur inchoare viam suam, quando hac luce frui, nobisque sensibiliter apparere potest; & ideo, quandiu homo latet in vtero matris, non est capax sacramenti, quod per ministros Ecclesiæ visibilis modo sensibili & ad subiectum sensibile applicari debet. Deinde est obseruandum, hanc capacitatem non respicere immediatè omnia sacramenta, sed solùm sacramentum Baptismi, cuius omnes viatores ex se capaces sunt proximè, C ac immediatè: quia Baptismus, vt posteà dicemus, est ianua sacramentorum, post illum verò susceptum omnes homines sunt capaces saltem aliorum duorũ sacramentorum, scilicet, Confirmationis & Eucharistiæ; nam hæc nullam aliam conditionem certã requirunt, quæ simpliciter necessaria sit ad valorẽ, vel effectum sacramenti; aliorum verò sacramentorum non omnes homines sunt capaces, sed quædam requirunt certam ætatem; alia determinatum sexum; alia verò conditiones alias, quæ in singulis sacramentis explicanda erunt. Quocircà vltimo obseruandum est, hanc capacitatem non solùm esse physicè considerandam per modum proprię potentiæ passiuæ, sed præcipuè per modũ capacitatis moralis; si enim physicè consideremus capacitatem hominis, vt circa illũ exerceantur actiones illæ vel cæremoniæ, in quibus ritus sacramentorum consistunt, nullus homo est, D qui per se loquendo, non habeat hanc capacitatem, vt per se constat, siue sacramentum recipiatur per inhærentiam, siue per contactum, siue per verborum prolationem, aut alio modo simili. Tamen, sicut sacramentum non est tantum ille ritus externus, quomodocunque factus, sed cum debitis conditionibus, ac necessarijs vt sit signum efficax gratię, ita illa capacitas physica, & materialis (vt sic dicam) non satis est ad capacitatem sacramenti, sed requiritur vt coniunctas habeat eas circunstantias & conditiones, quæ iuxta Christi institutionem necessariæ sunt ad sacramentalem ritum; & hanc propterea vocamus, capacitatem moralem. Atque his obseruatis, sicque prædicta assertione exposita, nulla difficultas circa illam explicanda occurrit.

(∴)

SECTIO II.

Vtrũ ad valorem sacramenti requiratur ex parte suscipientis consensus voluntatis eius vel aliqua alia dispositio.

De pueris nulla quæstio est.

Hæc difficultas locum nõ habet in paruulis, qui ratione vti non possunt, quia, cùm illi non sint capaces proprij consensus, aut dicẽdum est eos esse incapaces omnium sacramentorum, quod est hæreticum; aut Deum miraculosè efficere, vt consentire possint susceptioni sacramenti, illuminando eos interiùs, eosque præueniendo, vt ratione vti possint, sicut hæretici fingunt; quod vanum est, ac temere & sine fundamento excogitatum, non so- B lùm contra totius Ecclesiæ sensum, omniumque Patrum doctrinam, verùm etiam contra experientiam ipsam, vt in materia de Baptismo latiùs dicturi sumus; Aut dicendum est, infantes esse capaces sacramentorum sine proprio consensu, quod est certissimum vt latiùs citato loco dicemus.

1. Sententia.

Quæstio ergo superest de adultis. In qua prima sententia est, ex parte suscipientis sacramentum non requiri interiorem consensum, seu intentionem suscipiendi sacramentum, sed solum vt non habeat contrariam voluntatem, vt si Gentilis seu infidelis adultus, qui nihil vnquam de baptismo cogitauit, vt illũ velle aut nolle potuerit, dormiens baptizetur, sacramentum erit validum, iuxta hanc sententiam, quam defendit Caie. infrà. q.68. art.7. Qui motus videtur primò ex verbis Innoc. in cap. Maiores. de Bapt. vbi C sic inquit, *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenerit.* Secundò, exemplo paruulorum, in quibus, vt diximus, nulla voluntas requiritur, sed sola non repugnantia. Tertiò, in sacramento Extremæ vnctionis videtur colligi ex vsu; datur enim homini baptizato, si contingat eum subitò rationis vsum amittere, & & in mortis periculum incidere, quanuis nullam voluntatem ostenderit recipiendi sacramentum, quia satis existimatur, quod contrariam voluntatem non habuerit. Quartò, quia Concil. Flor. tribus tantum dixit perfici sacramenta, materia, forma & ministro habente debitam intentionem, si autem intentio suscipientis esset necessaria, debuisset quatuor numerare. Nec multum ab hac sententia discrepat glos. in c. solet, verbo, simulatione, & verbo, implorandum de consecra. d.4. quanquam illa sentit, etiam contrariam D voluntatem recipientis non obstare veritati sacramẽti ex cap. de Iudæis. 45. dist. vbi tamen non est sermo de suscipiente sacramentum sine vllo interiori consensu, sed de illo, qui per vim adducitur vt consentiat. In eadem ferè sententia fuit glos. in cap. Maiores. de Bapt. verbo. Perdurare, quæ tamẽ addit, quod si quis ore consentiat, quanuis corde dissentiat,& nolit sacramentum, nihilominùs sacramentum recipiet, quia Ecclesia dare illud intendit: & ita interpretatur capitulum, Sicut ficti 1.q.1.& cap. solet de cõsecrat. d.4. Sed hoc quod hæc glossa addit, si, vt sonat, intelligatur, improbabile est quia solius oris mendacium non potest conferre ad valorem sacramenti, si interior intentio necessaria est, vel, si hæc non est necessaria, neque oris mendacium reputari potest necessarium, vt sacramentum teneat; ergo si is, qui interiùs non habet voluntatem recipiendi sacramentum, exteriùs illam ostendens, verum sacramentum recipit: eadem

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

eadem ratione, etiam si exteriùs contradicat, sacramentum erit validum, quod falsissimum est; vt dicemus; ergo æquè ferè falsum est, exteriorem consensum sine interiori ad valorem sacramenti sufficere. Nec Decreta, quæ illa glossa allegat, quidquã iuuat, nam in priori, in quo dicitur sacramentum cũ fictione esse validum, non est sermo de ficta voluntate recipiendi sacramentum, sed de obice seu fictione contraria effectui sacramenti; quo sensu dicere solemus, sacramentum incipere habere effectum recedente fictione. In posteriori autem capite, quod ex Augustino sumptum est lib. 7. de Bapt. cap. 53. potiùs apertè dicitur, ad veritatem sacramenti requiri; vt absq; simulatione recipiatur, est autem propria simulatio; quando aliquis ore aliquid profitetur, & contrarium habet in corde. Dixi autem, huius glossæ sententiã falsam esse, si prout sonat, intelligatur: quia in illa glossa marginali ita exponitur, vt non sit sensus tale sacramentum verum esse, sed solùm in foro Ecclesiæ verum præsumi, quando suscipiens exteriùs profitetur velle se suscipere sacramentum, quod quidem in se verum est, quia licèt posteà neget se interiùs consensisse, non est ei fides adhibenda, tamen, si glossæ illæ hunc sensum intendebãt, nec verbis suis satis explicant, nec veram differentiam assignant, inter dãtem, & recipientem sacramenta; nam in illo dicunt requiri intentionem dandi, in hoc verò negant requiri intentionem recipiendi. Nam si loquãtur in re ipsa, hoc posterius falsum est, vt videbimus; si verò in foro Ecclesiæ, nulla est differentia, nam etiam sacramentum datum à ministro, qui exterius professus est velle se dare sacramentum, ratum habebitur in foro Ecclesiæ, etiam si ille posteà neget se habuisse intentionem dandi, vt in Matrimonio constat, & eadem ratio est de alijs. Quod intelligendum est, quãdo ex signis & coniecturis exterioribus non potest satis probari humano modo ac morali defectus interioris intentionis.

2. Sententia. Secunda sentẽtia in alio extremo esse potest; præter voluntatem suscipientis sacramẽtum, requiri aliquam aliam dispositionem ad valorem sacramenti. In qua dispositione potest esse latitudo, & opinionũ varietas; nam illi hæretici, qui putabant, neminem recipere verum sacramentum, nisi qui recipit sanctificationé seu sacramenti effectum, consequenter dicerẽt, gratiam seu dispositionem illam, quæ ad effectum sacramenti necessaria est, ad valorem etiam sacramenti requiri; quia non est cur Deus conferat sacramentum, quod maximum donum est, homini indigno & sine fructu. Alter verò modus dicendi esse potest, saltem fidem requiri in suscipiente ad valorem sacramenti, quod significat Aug. lib. 7. de Bapt. cap. 53. in cap. solet. de consecrat. dist. 4. dicit enim, vt sacramentum teneat oportere, vt sine simulatione & cũ aliquali fide recipiatur. Et propter hanc fortasse causam dixit Cyril. Hierosol. in præfatio. Catechef. rebaptizari eos, qui in statu hæresis baptizati fuere.

Conclus. 1. Dico tamen primò, ad valorem sacramenti necessarium esse, vt recipiens habeat intentionem seu volũtatem formalem, aut virtualem seu interpretatiuam recipiendi sacramentum. Hæc cõclusio colligitur ex communi sententia Theologorum, qui hoc specialiter docent de baptismo, vt patet ex D. Thom. infrà quæst. 68. art. 7. & in 4. d. 6. q. 1. art. 2. quæstiun. 3. Bonau. d. 4. art. 2. q. 1. Sco. q. 4. Durã. q. 7. Richard. d. 6. art. 2. q. 3. Palud. q. 2. Adri. q. 1. de Bapt. art. 3. Alex. Alen. 4. p. q. 18. memb. 1. qui idem docent de

A sacramento Ordinis, & de alijs, vt suis locis videbimus, ac de sacramento Eucharistiæ similiter docent, si aliquis baptizatus & in gratia existẽs illud recipiat casu & sine voluntate recipiendi sacramentum, non recipere effectum eius, quia illa sumptio non est sacramentalis; ergo in alijs sacramentis, quorum substantia consistit in vsu, multò magis requirent prædictam voluntatem, vt talis vsus sit sacramentalis, atque adeò vt cõficiatur verũ sacramentũ. Et probatur hæc sentẽtia ex Conc. Carth. 3. c. 34. vbi sic dicitur. *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimoniũ hi, qui sui sunt, dixerint, baptizentur*, & in Concil. Arausi. 1. cap. 12. similiter dicitur, *Obmutescens baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* In quibus Concilijs apertè supponitur, voluntatem adulti esse necessariam, vt sacramentũ recipere possit.

B Idem clariùs docet Innoc. 3. in cap. Maiores. §. Item quæritur de Bapt. vbi inquit, *Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti*: & paulò post inde probat, eum, qui contradicit susceptioni sacramenti, etiam si inuitus baptizetur, non recipere sacramentum, *quia plus est* (inquit) *expressè contradicere, quam minimè consentire.* Quod ergo in fine totius capitis concludit, *Tũc sacramentum esse validum, cùm obicem voluntatis cõtrariæ non inuenit obsistentem*, iuxta præcedentia intelligendum est, nam per voluntatem contrariam intelligit, non solum positiuum dissensum, sed etiam carentiam consensus. *Innocẽ[illegible] ba expli[illegible]* Quia enim quæstio proposita fuerat de illo, qui inuitus baptizatur; ideò de hoc expressè respondet; ita verò declarauerat, solam carentiam consensus obsistere sacramento. Eò vel maximè quòd moraliter loquendo, adultus, qui non consen-

C tit, resistere censetur, & inuitus pati, & ideò pro eodem censentur, moraliter loquendo, carere consensu, & habere obicem dissentientis voluntatis. Præterea in eadem sententia est August. in cap. Cùm pro paruulis. de consecra. d. 4. ex. lib. 4. de Bapt. cap. 24. vbi ait, ideo sufficere vt pro paruulis alij respõdeant: quia ipsi respondere non possunt, *At, si pro eo* (inquit) *qui respondere potest, alius respondeat, nõ itidem valet ex qua regula, illud in Euangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet, ætatem habet, ipse pro se loquatur. Ioan. 9.* In quibus verbis rationem differentiæ assignat inter paruulos, & adultos, nam sacramentum vt validum sit non easdem conditiones requirere debet in omni subiecto, sed iuxta vniuscuiusque capacitatem; quia ergo paruulus non est capax propriæ voluntatis, voluntas Christi seu Ecclesiæ ei sufficit:

D secus verò esse debuit in adulto, qui capax est propriæ volũtatis. Atque eandem doctrinam habet idẽ Aug. lib. 7. de Bapt. c. 53. prout habetur in dict. cap. Verum sub figura, quanuis Glos. ibi textũ destruat. Ex his ergo satis constat, hanc fuisse Christi voluntatem & institutionem, quæ est prima ac præcipua radix huius veritatis, & ex vsu & traditione Ecclesiæ præcipuè habetur: indicatur verò in illis verbis Christi. Matth. vl. *Ite docete omnes gentes*: debet ergo doctrina præcedere Baptismum, vt sicut fides voluntariè suscipienda est, ita & baptismus; atque eadem ratione quodlibet sacramentum voluntariè suscipiatur ab his, qui voluntate propria vti possunt. Ratio verò seu congruentia est, quia sicut ad suauem Dei prouidentiam spectat non iustificare adultum, nec gratiam illi augere, sine eius consensu, & voluntaria dispositione, ita pari ratione pertinet ad idem prouidentiæ

Declaratur conclusio in singulis sacramẽtis. dentiæ genus, vt nullus adultus per sacramenta initietur, vel consecretur sine proprio consensu. Quod tandem confirmatur & declaratur inductione facta in omnibus sacramentis, nam in tribus illis, quæ imprimũt characterem, valde necessariũ fuit, vt in adultis non essent valida sine proprio eorum consensu, vt de Baptismo dicitur in d. c. Maiores: alioqui; cum hæc sacramenta iterabilia non sint, statim imprimerent characterem: vnde sequeretur, cogendum esse ad fidem & ad profitendam legem Christi eum, qui sine proprio consensu adultus baptizatus est, quod esset magnum incommodum, & contra conuenientem Ecclesiæ gubernationem, & propagationẽ, vt latiùs in materia de fide disputatur. Præterea de Matrimonio, & Pœnitentia sunt speciales rationes euidentes; Matrimonium enim essentialiter fundatur in contractu; contractus verò huiusmodi omnino necessariò requirit consensum seu voluntatem dandi & acceptandi: ergo voluntas contrahendi & tradendi mutuò corpora sua, est necessaria in coniugibus suscipientibus hoc sacramentum. Præsertim, quia cùm ipsi sint ministri talis sacramenti, necessaria est illis intentio faciendi sacramentum. Pœnitentia verò intrinsecè inuoluit vt ex propria volũtate oriatur; vnde non solùm volũtas suscipiendi sacramentũ, sed etiam aliqua alia dispositio ac volũtaria retractatio peccatorum est necessaria ad valorem huius sacramenti. Rursus Eucharistia, quia non consistit in vsu, sed fit per consecrationem materiæ, ideò non pendet in suo fieri ex voluntate suscipientis, sed ex sola intentione consecrantis, & quia est sacramentum permanens, postquam semel factum est, non pendet in esse, & conseruari ab vsu, vel voluntate vtentis. Vnde fit, vt tale sacramentum re ipsa sumi possit ab inuito, vel non habente voluntatem suscipiẽdi sacramẽtum, vt si casu vel per errorem aut deceptionem cõtingat, proponi ad manducandum panem consecratum loco communis panis; tamen, vt suprà insinuauimus, & suo loco latiùs dicemus, illa sumptio sacramenti est merè materialis, & non est vsus sacramentalis, id est, sacer & ordinatus ac sufficiens ad effectũ talis sacramenti, nam in eo casu sic recipiens sacramẽtum, non reciperet effectum eius, nec per illam corporalem refectionem interior animæ refectio aut vnio animæ cum Christo significaretur: quia ille non est humanus vsus sacramẽti, vt sacramentũ est: in hoc ergo mysterio ad recipiẽdũ sacramentũ etiã requiritur volunta: & consensus suscipientis, si sit capax illius, quantum pro sacramenti qualitate & modo requiri potest, scilicet ad formalem vsum eius. Solùm ergo superest, vt in Extrema vnctione hoc etiam explicemus; nam in hoc etiam sacramento verum est, nunquam dari homini sine illius consensu & voluntate: hæc tamen voluntas non oportet vt sit actualis, sed satis erit quòd fundetur in aliqua priori volũtate nõ retractata ratione cuius susceptio sacramenti, moraliter voluntaria censeatur, vt à fortiori patet ex his, quæ de intentione ministri superiùs tractauimus. Quin potiùs minor concursus voluntatis huius requiritur in suscipiente, quam in ministrante sacramẽtum; nam quia in ministro intentio concurrit aliquo modo vt causa efficiens sacramentum, ideò oportet, vt sit actualis, vel saltem virtualis; in suscipiente verò non requiritur vt causa influens in sacramentum efficienter, sed solùm vt conditio ex parte subiecti necessaria; vt sacramenti susceptio sit voluntaria, non vt effectus, sed vt obiectum volitum, ad quod satis

A est, quod aliquis actus præcesserit, qui non sit retractatus, sed habitualiter ac moraliter maneat. Propter quam rationem diximus etiam superiùs, sacramentũ non posse ministrari ab amente, ratione intentionis priùs habitæ, posse tamen recipi ab amente ratione voluntatis & consensus priùs adhibiti. Addo præterea, hunc consensum, quem necesse est præcessisse, quando actu non adest, non esse eodem modo necessarium in omnibus sacramentis, nã baptismus v. g. quia est ianua ad Ecclesiam, & in eo fit prima solennis professio fidei, & legis Christi, ideò videtur requirere in adulto voluntatem magis expressam & formalem. Similiter Pœnitentia, quia essentialiter includit actus pænitentis vt materiam, ideò etiam requirit voluntatem formalem, qua pœnitens se, & actus suos clauibus Ecclesiæ subijciat: at vero in Ex-

B trema vnctione, quæ per se supponit hominem baptizatum, & bene dispositum per pœnitentiam, & nõ postulat aliquos actus ipsius hominis recipientis tale sacramentum, vt ipsum aliquo modo constituant, nõ requiritur volũtas adeò expressa & formalis suscipiẽdi tale sacramentum in particulari, sed sufficit voluntas, qua vnusquisque fidelis pœnitens ac bene dispositus vult frui omnibus sacramẽtis & remedijs à Christo Domino ad suam salutem institutis, & ea cupit sibi applicari si eis indiguerit. Quam voluntatem & petitionem ab ea profectam exigit Ecclesia in particulari circa sacramentum Extremæ vnctionis, quando homo est sui compos, suamque voluntatem explicare potest: quando verò non potest, si aliunde constet hominem ægrotum esse bene dispositum, seu signa pœnitentiæ dedisse, præsumit Ecclesia, illũ

C habuisse saltem generalem illa volũtatem, quam explicuimus, eamque sufficientem reputat ad hoc sacramentum præstandum.

Atque ex his non solùm probata est assertio posita, sed etiam ferè responsum est fundamentis, quæ in fauorem Caietani adduximus, præsertim tribus primis. Ad quartum verò ex Conc. Flor. respondetur, Concilium Florentinum non numerasse suscipientem, & intentionem eius; quia hæc non in omnibus nec semper sunt necessaria: ad conficiendum enim sacramentum Eucharistię non requiritur suscipiẽs ex vi sacramenti, & in paruulis non est intentio necessaria. Adde, in sacramentis, quæ consistunt in vsu, suscipientẽ quodam modo includi in materia, quatenus hæc consistit in passione aliqua, quæ circa suscipientem exercetur.

Dico secundò, Excepto Pœnitentiæ sacramento, *2. Conclusio.*

D in reliquis nulla dispositio fidei, pœnitentiæ, aut iustitiæ necessaria est ad valorem sacramenti. De exceptione posita dicemus suo loco, quia in illo sacramento illud est peculiare, vt idem actus, quo suscipiens disponitur ad effectum sacramenti, sit pars substantialis ipsius sacramenti. De reliquis ergo sacramentis certa est conclusio, primò, ex definitione Conciliorum & Pontificum tradentium, hæreticos baptizatos, vel ordinatos, si iuxta ritum Ecclesiæ Catholicæ baptizati, vel ordinati sint, non esse iterum baptizãdos, vel ordinandos; quorum testimonia præcedenti disputatione adducta sunt. Supponunt ergo, sacramẽtum susceptum sine vera fide, & consequenter sine vlla supernaturali dispositione voluntatis, esse validum. Eandem veritatem sæpe tradit August. lib. 2. contra Parme. c. 16. lib. 2. cont. Petilian. c. 35. vbi dicit. Si quis baptizetur propter flagitium aliquod cõmittendum, dummodò baptizari velit, verè manere bapti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptizatum. Idem lib. 3. de Bapt. c. 14. atque eodem A
sensu lib. de catechizan. rudib. c. 17. dicit, aliquos fieri Christianos propter lucrum temporale, & nihilominus validè baptizari. Et hoc ipsum confirmat historia, quam refert Niceph. lib. 14. histo. cap. 17. videlicet, Iudæum quendam lucrandæ pecuniæ causa, sæpe Baptismum accepisse, ac tandem cùm à quodã Paulo Episcopo baptizãdus accederet, ineffabili quadam diuinæ prouidentiæ vi, aquam semel atque iterum disparuisse, atque illo mirabili signo compertũ esse, illum Iudæum priùs fuisse baptizatum. Vnde etiam constat, primum baptismum in eo Iudæo fuisse validum, quanquam sine recta intentione, ac fortasse sine debita fide ad illum accessisset. Congruentiæ ad hanc veritatem confirmandam eædem afferri possent, quæ de ministro adductæ sunt disputatione præcedẽti. Et optima est, quia aliud est sacramentũ, B
aliud effectus sacramenti, & sacramentum de se prius est; ergo non impeditur propter dispositionem contrariã effectui, si sacramẽto ipsi contraria non sit. Itẽ talis dispositio ad effectum non est causa sacramẽti in vllo genere; ergo, etiam si difficiat, cõcurrere possunt omnes causæ necessariæ ad conficiendum sacramentum: ergo perficietur sacramentum. Tãdem inductione constat, tria sacramenta initerabilia non esse iteranda, eo quòd indignè suscepta sint. Aque idẽ est de Matrimonio, & Extrema vnctione, quatenus aliquo modo iterari non possunt; illud viuente vtroque coniuge, hoc, durante eadem ægritudine eodemque statu eius. De Eucharistia non oportet probationem addere, cum sit sacramentum permanens: neque enim Christus discedit, quando ab indigno sacramẽtum sumitur, vt infrà suo loco latiùs dicemus. C
Quod verò secunda sententia obijciebat, Deum non conferre sua dona indignis, vniuersè intellectum falsum est; tanta enim est Dei bonitas, vt omnibus se communicet, quantum in ipso est. Addo verò, per se institutа esse sacramenta, vt homines illis vtantur, Deum autem iustè permittere, vt mali interdùm eis abutantur, noluit tamen tunc sacramenta esse inualida, quia oportuit sacramenta esse certa, & vniuersalia; vnde etiam fit, vt aliquando prosint eis, qui indignè illa receperunt, si postea resipiscant.

Ad Augustini verò testimonium, quod ibi afferebatur, respondetur in primis, illum in eo capite magis dubitando, quàm asserendo, procedere. Deinde dicitur, non requirere fidem simpliciter, id est, supernaturalem, quæ infidelitatem & omnem hæresim excludat; sed *aliquam fidem*, id est, aliqualem credulitatem, quanta nimirum necessaria esse potest ad voluntatem suscipiendi sacramentum habendam. Ad Cyrillum respondetur, cùm inquit, *Hæreticos rebaptizandos, siquidem prius illud non erat Baptisma*; hæc verba indefinitè, non vniuersaliter esse intelligenda, de his nimirùm, qui in ipsomet Baptismi vsu hæretici sunt & veram formam vel materiam Baptismi corrumpunt: nam si non interueniant huiusmodi defectus, sola hæresis suscipientis non sufficit, vt sacramentum nullum sit.

(*)

Artic. I.

QVÆSTIO LXV.

De numero sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de numero sacramentorum.
Et circa hoc quæruntur quatuor.
Primò, vtrùm sint septem sacramenta.
Secundò, de ordine eorum ad inuicem.
Tertiò de comparatione eorum.
Quartò, vtrùm omnia sint de necessitate salutis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute diuina & ex virtute passionis Christi. Sed vna est virtus diuina, & vna Christi passio, vna enim oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos, vt dicitur Hebr. 10. Ergo non debuit esse nisi vnum sacramentum. *4. dist. 1. ar. 2. qu. 1. cap. 58. & 60. primo.*

¶ 2 Præterea, Sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Hic autem est duplex, scilicet pœna, & culpa, ergo sufficeret esse duo sacramenta.

¶ 3 Præterea, sacramenta pertinent ad actionẽ Ecclesiasticę hierarchię, vt per Dionys. patet. Sed, sicut ipse dicit, tres sunt actiones hierarchiæ, scilicet, purgatio, illuminatio, & perfectio. Ergo non debent esse nisi tria sacramenta. *Cap. 1. Hier. pri.*

¶ 4 Præterea, Augustinus dicit 19. contra Faustum, Sacramenta nouæ legis sunt numero pauciora quàm sacramẽta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramẽtum, quod responderet confirmationi & Extremæ vnctioni. Ergo neque hæc debent numerari inter sacramenta nouæ legis. *Lib. 19. cap. 16. & 17.*

¶ 5 Præterea, Luxuria non est grauius inter cætera peccata, vt patet ex his quæ secunda parte dicta sunt. Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum matrimonij. *2. 2. q. 154. ar. 3.*

6 SED contra videtur, quòd sint plura sacramenta. Sacramẽta enim dicũtur quasi quædam sacra signa. Sed multæ aliæ sanctificationes fiunt in Ecclesia secundum sensibibilia

bilia signa, sicut aqua benedicta, cõsecratio altaris, & alia huiusmodi. Ergo sunt plura sacramenta, quàm septem.

Lib. 1. de sacra. par. 12. c. 10.

¶ 7 Præterea Hugo de sancto Victore dicit, quod sacramenta veteris legis fuerũt oblationes, decimæ & sacrificia. Sed sacrificium Ecclesiæ est vnum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes & decimæ debẽt dici sacramenta.

¶ 8 Præterea, Tria sunt genera peccatorum, originale, mortale, & veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur baptismus, contra mortale autem pœnitentia. Ergo deberet esse aliud præpter septem, quod ordinetur contra veniale.

Quæst. 62. ar. 3. & q. 63. ar. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianæ vitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitã corporalem, sicut & cætera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In vita autẽ corporali dupliciter aliquis perficitur. Vno modo quantum ad personã propriam, alio modo per respectum ad totam cõmunitatem societatis, in qua viuit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter. Vno modo per se, adquirẽdo scilicet, aliquam vitæ perfectionem. Alio modo per accidens, scilicet remouendo impedimenta vitæ, putà, ægritudines, vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primò quidem per generationem, per quam homo incipit esse & viuere. Et loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit. 3. per lauacrum regenerationis, &c. Secundò, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatẽ & virtutem. Et loco huius in spirituali vita, est cõfirmatio, in qua datur Spiritus sanctus ad robur. Vnde dicitur discipulis iam baptizatis, Luc. vlt. Sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto. Tertio, per nutritionem, qua conseruatur in homine vita & virtus. Et loco huius in vita spirituali est Eucharistia, vnde dicitur Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet & corporaliter & spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdũ & corporalem infirmitatem & spiritualem, scilicet peccatum, ideò necessaria est hominẽ curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex, vna quidem est sanatio quæ sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali vita est pœnitentia secundum illud Psalm. 40. Sana animam meam quia peccaui tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per conuenientem diætam & exercitium. Et loco huius in spirituali vita est extrema vnctio, quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam, vnde dicitur Iac. 5. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Vno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem & exercendi actus publicos. Et loco huius in spirituali vita est sacramẽtum Ordinis, secundum illud Hebr. 7. quod sacerdotes hostias offerũt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundò, quantum ad naturale propagationem; quod fit per matrimonium tam in corporali, quam in spirituali vita, eò quòd non est solum sacramentum, sed naturæ officium. Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis. Confirmatio, contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur, Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum, Pœnitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum, Extrema vnctio cõtra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia, Ordo contra dissolutionem multitudinis, Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam vero accipiunt numerum sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatum, dicentes, quod fidei respondet baptismus, & ordinatur contra culpam originalem: spei Extrema vnctio, & ordinatur contra culpam venialẽ: charitati Eucharistia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ: prudentiæ Ordo, & ordinatur contra ignorantiam: iustitiæ Pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale: temperãtiæ Matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam: fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod idem agens principale vtitur diuersis instrumentis ad diuersos effectus, secundum congruentiam operũ. Et similiter virtus diuina & passio Christi operantur in nobis per diuersa sacramenta, quasi per diuersa instrumenta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In corp. art.

AD secundum dicendum, quòd culpa & pœna diuersitatem habent & secundum speciem, in quantum sunt diuersæ species culparum & pœnarum, & secundum diuersos hominum status & habitudines. Et secundum hoc oportuit multiplicari sacramenta, vt ex dictis patet.

AD tertium dicendum, quòd in actionibus hierarchicis considerãtur, & agentes, & recipientes, & actiones. Agentes autem sunt ministri Ecclesiæ: ad quos pertinet ordinis sacramentum. Recipiẽtes autem sunt illi qui ad sacramentum accedunt, qui producuntur per matrimonium. Actiones autem sunt purgatio illuminatio & perfectio. Sed sola purgatio, non potest esse sacramentum nouæ legis, quod gratiam confert: sed pertinet ad quædam sacramentalia, quæ sunt catechismus, & exorcismus. Purgatio autem & illuminatio simul, secundum Dionys. pertinent ad baptismum: & propter recidium, secundario pertinent ad pœnitentiam & extremã vnctionem. Perfectio autem quantum ad virtutẽ quidẽ (quæ est quasi perfectio formalis) pertinet ad confirmationẽ: quantum autẽ ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiã.

Cap. 3. Eccles. hier. p. 1. circa finem.

AD quartum dicendum, quòd in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus sancti ad robur: in extrema autem vnctione præparatur homo, vt recipiat immediatè gloriam. Quorum neutrum competit veteri testamento: & ideò nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere. Nihilominus tamen sacramenta in veteri lege plura fuerunt numero, propter diuersitatem sacrificiorum & cæremoniarum.

AD quintum dicendum, quòd contra cõcupiscentiam venereorum oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramẽtum. Primò quidem, quia per huiusmodi concupiscentiam non solum vitiatur persona, sed etiam natura. Secundo, propter vehementiam eius, qua rationẽ absorbet.

AD sextum dicendum, quod aqua benedicta & aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio. Sed sunt dispositiones quædam ad sacramẽta, vel remouendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum, & contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionem & perceptionẽ, sicut consecratur altare & vasa propter reuerentiam Eucharistiæ.

AD septimum dicendum, quod oblationes & decimæ eranttam in lege naturæ, quã in lege Moysi ordinatæ, non solum in subsidium ministrorum & pauperum, sed etiam in figuram, & ideò erant sacramẽta: nunc autem non remanserunt in quantum sunt figuralia, & ideo non sunt sacramenta.

AD octauum dicendum, quod ad delectionem venialis peccati non requiritur infusio gratiæ. Vnde cum in quolibet sacramento nouæ legis gratia infundatur, nullũ sacramentum nouæ legis instituitur directè contra veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia, puta per aquam benedictam, & alia huiusmodi. Quidam tamen dicunt extremã vnctionem contra veniale peccatum ordinari, sed de hoc suo loco dicetur.

Nõ contra mortem tui.

COMMENTARIVS.

Duus Thom. in discursu articuli supponit fidei doctrinam, scilicet, in noua lege (de illa enim sola tota hæc quæstio intelligenda est) septem esse sacramenta, & non plura, nec pauciora. Quam ex principijs fidei non probat, sed congruentes rationes huius numeri sacramentorum affert. Quoniam vero non est in animo, de hac re propriam disputationem instituere, quia facilis est, & breuiter in hoc commentario expediri potest: ideò prius veritas fidei stabiliẽda est, & deinde explicandæ cõgruẽtiæ, quas D. Thom. affert.

Duobus ergo modis circa hanc doctrinam erratum est. Primo, per defectũ; & hoc modo lapsi sunt hæretici huius temporis, ex quibus alij duo, alij tria, alij quatuor, vel quinque sacramenta admittunt, vt constat ex Lindan. in fine Panopl. & alijs recentiori bus, & vtuntur testimonijs sanctorum Patrum, qui vbicunque sacramentorum mentionem faciũt, pauciora, quàm septem numerant. Augustin. epist. 118. in principio, de Christo & leui iugo eius loquens, inquit. *Vnde sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facilliimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem noui populi colligauit, ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio Corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis commendatur.* Ac similia repetit lib. 3. de Doct. Christian c. 9. Ambros. etiam in libro de sacrament. tantùm prædictorum duorum sacramentorum meminit, sicut & Cyrillus Hierosoly. in Cateches. præsertim in tertia illuminatorum, & Iustin. Martyr Apolog. 2. pro Christian. in fine, & Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 34. Alij his duobus tertium addunt, scilicet Chrismatis, seu Confirmationis, vt ex Gregor. refert Gratian. in Capit. Multi. 1. q. 1. Dionys. verò in lib. de Eccles. Hierar. præter hæc tria solum quartum addidit, scilicet sacramentum Ordinis. Quintum verò, scilicet, Pœnitentiæ sacramentum adiunxit Cyprian. in ser. de Cœn. Domi. nullus verò sanctorum Patrum alicu biseptem numerat. Nec ex Diuina Scriptura colligi potest ille numerus, cùm tamen D. August. primo loco suprà citato dicat, ea tantum sacramenta Christum Ecclesiæ reliquisse, quæ in scriptura canonica commendantur.

Error primus circa sacram.

Alius error esse potest per excessum, asserendo scilicet, plura esse sacramenta, quam septem. In quem videntur aliqui scholastici inclinasse asserendo dari plura sacramenta, quàm septem specie distincta, vt, verbi gratia, plura sacramenta Ordinis, plura sacramenta

Error secundus circa sacram.

Conclusitur septem esse sacramenta.

menta Eucharistiæ, vnum in pane, aliud in vino, vel vnum permanens, aliud in vsu consistens, vel plura etiam Baptismata, vnum aquæ, aliud sanguinis: Martyrium enim, cùm gratiam conferat ex opere operato, sacramentum esse videtur; de quibus opinionibus in propijs locis dicendum est: autores enim earum cum catholici sint, septenarium sacramentorũ numerum confitendum esse docent, secundùm tamen rationes genericas esse explicandum. Quod verò præter illa septem dentur alia videtur sumi posse ex Augustino, lib. 2. de Peccato. mer. & remiss. cap. 26. vbi cibum sanctificatum, qui catechumenis dabatur, sacramentum appellat, & lib. 4. de symbol. ca. 1. Exorcismos, insufflationes, & alia quæ fiunt circa catechumenos, sacramẽta vocat, & li. 19. cõt. Faust. cap. 14. Baptismum, Eucharistiam, & Crucis signũ, ineer sacramenta numerat. Basil. etiam lib. de Spiritu sancto, capit. 27. plura numerat sacramenta, quæ ex Apostolorum traditione Ecclesia retinet, & sacram habent significationem.

Doctrina verò Catholica vtrũq; virat extremũ, & primo docet, septem esse à Christo Domino instituta sacramenta, quæ partim in scriptura expressa sunt, partim insinuata, & ab Ecclesia magis declarata. De Baptismo habetur sermo Ioan. 3. & 4. Matth. 28. ad Ephes. 4. De Eucharistia Matth. 26. Luc. 22. Marci. 14. Ioan. 6. & 1. ad Corinth. 11. de Pœnitẽtia est clarus locus Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* 2. ad Corinth. 5. *Dedit nobis ſpiritum reconciliationis.* De confirmatione fit mentio Act. 8. & 19. vbi Apostoli imponebant manus super baptizatos, vt eis daretur Spiritus sanctus: de Ordine præter verba Christi Matth. 26. *Hoc facite*, rectè intelligitur locus ille. 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* De Extrema Vnctione mentionem facit Iacobus in sua epist. cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto*, &c. Denique de Matrimonio ait Paul. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt* quæ testimonia in singulis sacramentis diligentiùs expendenda sunt: quædam enim, vt dixi, per se sunt satis clara: alia verò sine Ecclesiæ autoritate, & expositione nõ conuincerent. Secundò ergo probatur ex traditione Ecclesiæ: nunc enim videmus in Ecclesiæ vsu septem esse sacramenta, & communi Catholicorum consensu, omnia esse recepta, vt vera ac propria sacramenta à Christo institutaised hoc nõ est aliquid nouum in Ecclesia, sed potiùs tam antiquum, vt præterita tempora vsq; ad Christum repetendo, nullum eius initium, vel in aliquo Concilio, vel in alicuius Pontificis decreto reperiatur; ergo signum est à Christo per Apostolos & eorum successores vsque ad nos peruenisse. Propter quod hæc veritas tandem definita est in Concil. Florentin. in decreto Eugenij, quam Græci, & Armeni facilè cum Latinis receperunt. Idem definit Trid. sess. 7. can. 1. Et in cap. Ad abolendam, de hæreticis, damnantur, qui de Ecclesiæ sacramentis aliter sentiunt, quàm catholica Ecclesia Romana tradit, quæ in hac doctrina errare non potest, cùm ad præcipua fidei fundamenta pertineat. Tertiò afferre possemus Patrum testimonia; sed quia, tractando de singulis sacramentis, ea fusiùs & diligentiùs asserenda sunt, nunc ad confirmandam hanc veritatem, pro quinque sacramentis, sufficiant ea testimonia, quæ obijciendo in principio quæstionis adducta sunt; quibus statim alia addemus. Pro sacramento ve-

Nullus ex patribus 7. sacramẽta negauit quamuis alij alia aliquãdo tacuerint.

rò Extremæ Vnctionis, est apertus locus apud Innocent. 1. epistol. 1. ad Decent. capit. 8. vbi loquens de *oleo infirmorum*, dicit *Pœnitentibus infundi nõ poſſe, quia genus eſt ſacramenti, nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo putatur vnum genus poſſe concedi?* Citari etiam potest August. Epist. 119. cap. 7. vbi inter materias sacramẽtorum, oleum ponit præter aquam, panem, & vinum. Atque eodem modo scribit Tertullia. lib. 1. contr. Marcion. cap. 14. qui hoc etiam sacramentum videtur indicasse lib. de resurrect. carn. c. 8. dicens, *Caro vngitur vt anima conſecretur*, &lib. de Præscript. aduersus hæretic. cap. 41. in illo verbo *Quæ audeant curationes reprouitare*, vt ibi notat Pamel. qui de hoc argumento plura Patrum testimonia congerit. Tandem pro sacramento Matrimonij affert potest August. lib. de bono coniugali cap. 18. vbi, *Sacramentum nuptiarum*, illud appellat. Et eodem modo loquitur lib. 1. de Nupt. & concup. capit. 10. Et plures alios refert Pamel. in Scholijs ad Tertullian. libro de Præscriptio. hæretic. ca. 40. nu. 248. & specialiter affert Petr. Damian. in sermo. 1. de Dedicat. Ecclesiæ, vbi septem numerat sacramenta, quæ alij separatim recensent.

Vnde intelligitur, nullum argumentum in contrarium sumi ex eo, quòd sancti Patres quædam sacramenta alicubi numerãt, alijs prætermissis; nã aliud est tacere, aliud negare; seu excludere aliquod ex prædictis à numero sacramentorum; hoc posterius in nullo sanctorum Patrum reperitur; illud autem prius nihil obstat; quia nec necesse est omnes ac singulos Patres de omnibus sacramentis scripsisse, & multò minus necessarium est, vt in omnibus locis, vbi aliquorum incidit sermo, omnia commemorent; interdum enim specialis occurrit occasio scribendi, aut loquendi de quibusdam, & non de alijs: nonnũquam verò gratia exempli quædam ponuntur, quæ celebriora sunt, vt facilè intelligatur breuiter discurrendo per singulos in principio citatos. Augustinus enim in illis locis in exemplum adduxit duo sacramenta; non verò excludit alia; cuius signum euidens est quia generalè clausulam postea adiunxit. Quod etiam obseruauit Conc. 1. in Psalm. 103. circa illa verba, *Qui tegis aquis ſuperiora eius.* Reſpicit (inquit) *ad munera Eccleſiæ, munus ſacramentorum in Baptiſmo, in Euchariſtia, & in cæteris ſanctis ſacramentis.* Quorum ipse alijs locis specialem mentionem facit; vt sacramenti Chrismatis, lib. 2. contr. lit. Petil. c. 104. Et Ordinis, lib. 2. contr. Parmen. c. 13. & lib. 1. de Baptis. c. 1. Et Pœnitentiæ, in toto lib. de ver. & falſ. pœnit. & enarratione in Psal. 146. circa illa verba, *Qui alligat contritiones eorum.* Cyprianus verò in eo sermone, de historia sacramẽtis scripsit, quæ ipse credit fuisse à Christo in nocte cœnæ institutta. Iustinus verò ad gentes sermonem habens, eorum tantùm sacramentorũ rationem reddit, quorum notitia seu fama ad eos magis peruenerat; quia sunt in frequẽtiori vsu fidelium & quia specialiter illa duo sacramenta adhibita semper fuere in ritu & modo initiandi eos, qui ad fidem conuertuntur. Propter quam causam, vbi sancti Patres de initiandis fidelibus scribunt, horum sacramẽtorum specialem mentionem faciunt, vt videre est apud Tertul. lib. 4. contr. Marcion. cap. 34. interdùm verò addunt etiam Confirmationem, quia hoc sacramentum statim post Baptismum & ante Eucharistiam conferri solebat, quando Episcopus aderat, qui est ordinarius minister illius sacramenti, quòd significauit Cypr. Epist. 70. & Hieron. Dialog. contr. Luciferian.

Universidad de Deusto Biblioteca

ciferian. ante medium, dicens, *An nescis, hunc esse Ecclesiæ morem, vt baptizatis posteà manus imponantur, & inuocetur Spiritus sanctus? exigis vbi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Et etiam si sacræ Scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Quæ postrema verba contra hæreticos huius temporis valde notanda sunt. Et hoc modo intelligi potest, locutũ fuisse Gregor. in dict. cap. multi. quanuis solum gratia exempli, illorum trium sacramentorum mentionem ibi fecisse videatur. Dionysius denique non assumpsit prouinciam explicandi omnia sacramenta, sed Ecclesiasticam Hierarchiam describẽdi, & ideò solùm disputat de actibus hierarchicis, qui publico & solenni ritu fiunt, vt sunt solennis administratio Baptismi, Confirmatio, Ordo, & Eucharistiæ sacrificium; de alijs verò ibi mentionem non fecit, quia mentioni eius nihil deseruiebant. Atque eodem modo Rabban. lib. de instit. cleric. prætermisso Matrimonio, de alijs disputauit, quia solum agebat de his quæ ad clericos per se possunt spectare.

Non esse plura, quam septem sacramẽta, definitur.

Secundò fides Catholica docet, non esse plura sacramenta, quàm hæc septem. Hanc varietatem insinuauerat Concil. Floren. expressius, verò eam definiuit Tridẽt. sess. 7. canon. 1. de sacram. in gene. Fũdatur autẽ in Ecclesiastica traditione; quæ docet, Christum illa septem instituisse; & non plura. Dices ex Scriptura sacra, vel traditione Ecclesiæ non constat quidem Christum instituisse plura, hinc tamen non potest inferri, tanquàm de fide certum, Christũ non instituisse plura, quia est argumentum ab autoritate negatiua, quod ex suo genere infirmum est. Respondetur, Concil. Trid. non solùm tacuisse plura, sed positiuè docuisse, ac definiuisse non esse plura, quod nõ tãtùm collegit ex autoritate negotiua, sed tacitè ita interpretatur scripturam & ecclesiasticam traditionem, quòd nimirum, docendo prædictum septenarium numerum, quemcunque alium maiorem negauerit; quod in alijs fidei dogmatibus obseruare licet. Quando enim Scriptura docet, in Deo esse tres personas, hoc ipso intelligitur, negare esse plures, etiam si expresiùs non dicat. Et similiter, cùm affirmat, Filium factum esse hominem, intelligitur negare alias personas esse incarnatas, etiã si hoc ampliùs non declaret. Ad exactam enim mysteriorum fidei cognitionem, & synceram veritatem vtrũq; necessarium est, & ideò in tali definito numero, intelligitur præscindi & excludi maior numerus. Denique, aliàs liberum fuisset vnicuique fingere noua sacramenta sine fundamento, asserendo, ea fuisse à Christo instituta, quod esset valde perniciosum Ecclesiæ. Quapropter non solùm de fide est, esse in Ecclesia septem sacramenta generatim, & confusè, sed definitè illa septem, quę Concilia numerant, scilicet Baptismum, &c. quæ intelligẽda sunt cum ea proprietate, quæ iuxta communem vsum, & sensum Ecclesiæ recipiuntur, vt v.g. nomine Baptismi intelligendus est Baptismus aquæ sub tali forma administratus; quia hoc intelligit cõmuniter Ecclesia nomine Baptismi absolutè dicti. Vnde fingere aliud genus Baptismi, quod sit verum sacramentum contra hanc esset definitionem; & ideò nullo modo affirmari potest, Martyrium, quod per metaphoram quandã dicitur Baptismus sanguinis, esse sacramentum, quomodo autem in eo gratia conferatur infrà dicemus. Atque idem obseruandum est in cæteris sacramẽtis. An verò illa septem sacramenta sint septem species vltimæ, vel solùm sint septem capita, ad quæ omnia Ecclesiæ sacramenta reducuntur, siue illa sint specifica, siue generica, in hoc nihil est de fide definitum; quanuis probabilius sit, omnia esse vltimas species sacramentorum; nam si qua est varietas, vel multitudo; tota ordinatur ad vnum integrum ac perfectum sacramentum perficiendum, vt de Ordine & Eucharistia suo loco dicemus. Vltimo est in hac conclusione considerandum, sermonem hic esse de proprijs ac perfectis sacramentis; sic enim Trident. definiuit, quodlibet horum septem esse verè & propriè sacramentum. Quando verò sancti Patres alios ritus vel ceremonias sacramenta vocant, loquuntur de sacramento in lata significatione, prout quodlibet signũ sacrum, sub quo mysterium aliquod latet, dici solet sacramentum, vt ex dictis in principio huius materiæ constat. Et hactenus de doctrina fidei.

Septẽ esse sacramenta de species vltimas, probabilius.

Quare nõ plura quam septem.

Superest, vt rationes seu congruentias, propter quas septem sacramenta & non plura neq; pauciora nobis data sunt, explicemus. Prima & valde recepta est illa, qua vsus est hic D. Thom. & 4. contr. Gent. cap. 58. quamq; Concilium Florentinum amplexum est, & sumpta est ex proportione inter corporalem & spiritualem vitam; nam finis sacramentorum est vita spiritualis animarum, & ideò ex necessitate vel vtilitate finis rectè sumitur sacramentorum numerus: necessitas autem ex parte huius finis rectè per dictam proportionem explicatur. In corporali enim vita, quædam sunt necessaria singulis personis, quædam vniuersæ toti naturæ. Rursus priora, quædam sunt per se requisita ex intrinseca constitutione naturæ, alia ex accidenti. Per se namque primùm necessaria est productio seu generatio; deinde augmẽtum vsque ad perfectum & virilem statum; Tertiò, nutritio continua ad conseruandum corpus; Quartò, ex accidenti propter occurrentem corporis ægritudinem necessaria est medicina; quæ vim habeat curandi corpus, & expellendi morbũ; quo expulso quintò necessarium est aliquod remedium, vt conualescat corpus, & amissas vires recuperet. Præter hæc vero ad conseruationem & gubernationem totius naturæ necessaria est potestas propagandi genus humanum per coniunctionem maris & fœminæ licitam & conuenienti modo factam; & potestas gubernandi rempublicam & continendi homines in officio ac iustitia. Hæc igitur omnia in vita spirituali sunt & propter illa sunt septem sacramenta instituta. Baptismus, ad regenerandos homines in spirituali vita: Confirmatio, ad dandum augmentum robur ac virilem statum; Eucharistia, ad conseruandam & nutriendam caritatem, & ita hæc tria sacramenta sunt bona per se ordinata ad bonum singulorum: Pœnitentia verò addita est occasione actualis peccati ad curandam spiritualem ægritudinem, si post generationem spiritualem contingat illam incurrere; adiuncta verò est Extrema Vnctio, quasi ad instaurandas vires & reliquias ægritudinis prorsus curandas. Ordo verò & Matrimonium ad bonum totius cõmunitatis ordinata sunt: hoc propter propagandos homines spirituales vitæ capaces, ille verò ad spiritualiter regendos illos.

Obiectio.

Circa hanc verò congruentiam dubitari potest; quia in multis rebus non seruatur conuenienter proportio assumpta, nam in vita corporali non sunt distincta media ordinata ad augendum, & nutriendum, seu conseruandum corpus; & ad reparandum illud post expulsam ægritudinem; totum enim hoc agitur

agitur

agitur eisdem cibis & eisdem internis facultatibus, calore scilicet naturali, & virtute nutriente: ergo in vita etiam spirituali idem Eucharistiæ sacramentum, quod est cibus animæ, sufficere poterat, & ad nutriẽdam & augendam spiritualem vitam per Baptismi regenerationem datam, & ad confirmandam, perficiendam, & purificandam (vt sic dicam) eandem spiritualem vitam per Pœnitentiæ medicinam restitutam. Hac enim de causa, Eucharistia nõ solùm post Baptismum, sed etiam post Pœnitentiam, nec semel tantùm, sed iterum atque iterum sumenda est. Secundò aliunde videri potest addenda fuisse alia duo sacramenta ad bonum totius communitatis; vnum quidem ad commodum eorum, qui humanam rempublicam temporaliter gubernant; dictum est enim, ad vitam humanam naturalem duo esse necessaria, scilicet propagatio generis humani, eiusque gubernatio; ergo, sicut institutum est vnum sacramentum ratione propagationis, vt sanctè fiat; ita institui aliud debuit ratione gubernationis, vt Magistratus, qui rempublicam gubernant, inde haberent speciale Dei auxilium, suo muneri valde necessariũ. Neque enim ad hoc sufficit sacramentum Ordinis, quia, valde diuersum est spirituale & temporale regimen, & valde diuersa vtriusque potestas, nam inter se & re & subiecto frequenter separatur: sacramentum autem Ordinis dat spiritualem potestatem, non verò temporalem; nec speciale auxilium ad illam sanctè exercendam: ergo ad hoc necessariũ fuit aliud sacramentum pro bono totius communitatis. Alia ratione videntur etiam requiri plura sacramenta ad cõmune bonum Ecclesiæ; nam triplex hominum status est in Ecclesia: sacerdotij seu episcopatus, Matrimonij, & religionis, sed ad perficiendos seu iuuãdos homines in duobus primis statibus instituta sunt duo sacramẽta: ergo oportuit illud institui quo perficerentur homines qui tertium statum vellent assumere, vt gratiam ex opere operato, & speciale auxilium reciperent ad sustinenda & perficienda onera illius status; maximè cùm status ille religiosus sit & sacer ac difficilis multumque indigens diuina ope & gratia, & aliunde magnam proportionem habeat ad sacram significationem ex institutione recipiendam, cùm sit veluti quoddam spirituale vinculum & mutuus contractus inter Deum & animam.

Ad obiectionẽ respondetur.

Respondetur, in his congruentijs & proportionibus non esse petendam exactam similitudinem, neque absolutam demonstrationem, quæ ostendat id, quod factum est ita esse cõueniens, vt non possit alio conuenienti modo fieri: constat enim hoc non esse necessarium; quia facile est Deo varijs atque infinitis modis conuenientibus atque infinitæ sapientiæ eius consentaneis, hominibus consulere. Ad priorem ergo partem obiectionis respondetur primò, in vita corporali illos tres fines esse diuersos, scilicet, nutriendi, augendi, & reparandi vires corporis. Rursus, media ad hos fines, licèt non omnino, tamen aliquo modo esse diuersa; & hoc satis est ad prædictam proportionem, & vt intelligamus, etiam in spiritualibus hos fines esse diuersos, & propter eos potuisse satis conuenienter tria sacramenta institui. Sed addi præterea potest, sacramentum Eucharistiæ per se primò institutum esse ad nutriendam caritatem, fuisse tamen necessariam Confirmationem, quæ proximè ac per se institueretur ad stabiliendum hominem in fide, dando illi specialem gratiam & robur ad profitẽdam illam superando omnia pericula; & propter hanc causam dicitur specialiter dare augmentum & virilem statum in vita spirituali; & consignare hominem in militem idoneum ad spiritualem pugnam strenuè exercendam. Præter hæc verò necessarium fuit aliud sacramentum, quod specialiter iuuaret hominem in virtute spei, quod non immeritò attribui potest sacramẽto Extremæ Vnctionis: nã spes beatitudinis obtinendæ, maximè videtur necessaria in mortis articulo, & ideò institutum fuit illud sacramentum, quo animarentur, & nouam quandam fiduciam conciperent homines ex hoc mundo transituri. Propter has ergo causas, & propter plures alias, quæ suis locis tradentur, oportet hæc sacramenta esse distincta.

Ad posteriorem partem obiectionis respondetur, non fuisse necessaria alia sacramenta: nam, quod attinet ad temporalem potestatem, magna differentia est inter illam, & spirituale; nã illa naturalis est seu humana, fundamentum habens in natura & voluntate humana; hæc verò est supernaturalis, & in ea nõ tantùm reperitur potestas iurisdictionis, quæ per extrinsecam concessionem dari solet, sed etiam potestas ordinis, quæ ad supernaturales & diuinas quodãmodò actiones ordinatur; & ideo oportuit hanc potestatem dari per speciale sacramentum. Rursus, quia actiones huius potestatis sacræ sunt, & proximè ordinantur ad cultum Dei, ideò oportet specialiter sanctificari per sacramentum eos, qui ad illas ex officio obeundas ordinantur; actiones verò potestatis temporalis non sunt sacræ, sed ciuiles ac morales, & ideò, sicut ad illas probè exercendas, morales virtutes sufficiunt, ita etiam satis sunt ea subsidia & sacramenta, quæ Deus omnibus fidelibus prouidit, vt bene moraliter viuere possent; alioqui, si ad iustitiam rectè administrandam instituendum fuisset vnum sacramentum, eadem ratione ad seruandam castitatem & singulas virtutes, debuissent singula sacramentalia remedia institui. Atque eadem ferè responsio est ad alteram partem. Vt enim nunc abstineamus ab illa disputatione, an status religionis fuerit à Christo institutus, propter illum non fuit necessarium speciale sacramentum institui; quia in eo nullũ est speciale ministerium, seu spiritualis potestas, sicut est in sacerdotali statu, sed solùm est via quædam & schola addiscendæ & acquirendæ perfectionis, caritatis, & virtutum omnium: ad quem finem sufficiunt cõmunia sacramenta, si frequentiùs & digniùs eis vtamur; nam vt dixi, propter solam perfectionem virtutis exercendæ, nisi adsit alia specialis ratio, non oportuit distinctum sacramentum institui. At verò in Matrimonio non vna tantùm sed plures rationes speciales reperiuntur. Primum, specialis significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia, quam à principio habuit fidelium Matrimonium, propter quam oportuit in lege gratiæ sanctificari. Deinde magna necessitas illius status, coniuncta cum magna fragilitate, difficultate ac periculo, propter fomitis ac concupiscẽtiæ inordinatione. Rectè igitur septẽ sacramẽta à Christo instituta sunt, eisq; sufficienter est Ecclesiæ prouisum. Atq; hæc sufficiant etiam de reliquis congruentijs D. Tho. quæ per se satis claræ sunt.

(∴)

ARTICVLVS II.

Vtrũ ſacramenta conuenienter ordinentur ſecundum modum prædictum.

4.diſt.2.q.1.ar.3.& d.7.q.1.ar.1.q.3.& Ephe.5.fi. Art.præce.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter ſacramenta ordinentur ſecundum modum prædictum. Vt enim Apoſtolus dicit 1. Corinthior. 15. Prius eſt quod eſt animale, deinde quod ſpirituale. Sed per matrimonium generatur homo prima generatione, quæ eſt animalis: per Baptiſmum autem generatur homo ſecunda generatione, quæ eſt ſpiritualis. Ergo matrimonium debet præcedere baptiſmum.

¶ 2 Prætereà, Per ſacramentum ordinis aliquis accipit poteſtatem agendi actiones ſacramentales. Sed agens eſt prior ſua actione. Ergo Ordo debet præcedere & Baptiſmum & alia ſacramenta.

¶ 3 Præterea Euchariſtia eſt ſpirituale nutrimentum, Confirmatio autem comparatur augmento. Nutrimentũ autem eſt cauſa augmenti, & per conſequens prius eo. Ergo Euchariſtia eſt prior confirmatione.

¶ 4 Præterea, Pœnitentia præparat hominem ad Euchariſtiam. Sed diſpoſitio præcedit perfectionem. Ergo pœnitentia debet præcedere Euchariſtiam.

¶ 5 Præterea, Quod eſt propinquius fini vltimo, eſt poſterius. Sed Extrema vnctio inter omnia ſacramenta propinquior eſt vltimo fini beatitudinis, ergo debet habere vltimum locum inter ſacramenta.

IN contrarium eſt, quod communiter ordinantur ab omnibus ſacramenta, ſicut prius dictum eſt. *Art præce.*

RESPONDEO dicendum, quod ratio ordinis ſacramentorum apparet ex his quæ ſuprà dicta ſunt. *Art. præced.* Nam ſicut vnũ eſt prius quam multitudo, ita ſacramenta quę ordinãtur ad perfectionem vnius perſonæ, naturaliter præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideò vltimo inter ſacramẽta ponũtur ordo & matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem. Matrimonium tamen poſt Ordinem, eò quod minus participat de ratione ſpiritualis vitæ, ad quam ordinantur ſacramenta. Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem vnius perſonæ, naturaliter ſunt priora illa, quæ per ſe ordinantur ad perfectionem ſpiritualis vitæ, quã illa quæ ordinantur per accidens, ſcilicet ad remouendum accidens nociuum ſuperueniens; cuiuſmodi ſunt Pœnitentia & Extrema vnctio. Poſterior tamen eſt naturaliter Extrema vnctio, quæ conſummat ſanationem, Pœnitentia, quæ inchoat.

A Inter alia verò tria manifeſtum eſt, quod Baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio, eſt prius, & deinde Confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, & poſtmodum Euchariſtia ordinatur ad perfectionem finis.

AD primum ergo dicendum, quod matrimonium, ſecundum quod ordinatur ad animalem vitam, eſt naturæ officium, ſed ſecundum quod habet aliquid ſpiritualitatis, eſt ſacramentum. Et quia minimum habet de ſpiritualitate, vltimo ponitur inter ſacramenta.

B AD ſecundum dicendum, quod ad hoc quod aliquid ſit agens, præſupponitur quod ſit in ſe perfectum, & ideo priora ſunt ſacramenta, quibus aliquis in ſe ipſo perficitur, quam ſacramentum ordinis, quo aliquis conſtituitur perfector aliorum.

AD tertium dicendum, quod nutrimentum & præcedit augmentum, ſicut cauſa eius, & ſubſequitur augmentum ſicut conſeruans hominem in perfecta quantitate & virtute. Et ideò poteſt Euchariſtia præmitti confirmationi, vt Dionyſius facit in libro de Eccleſiaſt. Hier. & poteſt poſtponi, ſicut Magiſter facit in quarto ſententiarum. *q. cap. 3. de Euch. cap. 4. ... fir.*

C AD quartum dicendum, quod ratio illa rectè procederet, ſi pœnitentia ex neceſſitate requireretur vt præparatoria ad Euchariſtiam. Sed hoc non eſt verum, nam ſi aliquis eſſet ſine peccato mortali, non indigeret pœnitentia ad ſumptionem Euchariſtiæ. Et ſic patet quòd per accidens pœnitentia præparat ad Euchariſtiam, ſcilicet ſuppoſito peccato, vnde dicitur 2. Paralypome. vlt. Tu Domine iuſtorum, non poſuiſti pœnitentiam iuſtis. *Vbi de ... tract. in ... de Euchar. verò diſ...*

AD quintum dicendum, quod Extrema Vnctio propter rationem inductam, eſt vltimum inter ſacramenta, quæ ordinantur ad D perfectionem vnius perſonæ. *in argu.*

COMMENTARIVS.

NVmerauerat D. Tho. art. præced. ſeptem ſacramenta hoc ordine, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitẽtia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimoniũ: quærit ergo in præſenti, an hic ordo numerandi ſacramenta ſit conueniens, id eſt, an ſit fundatus aliquo modo in ipſis ſacramentis, vel omnino ſit voluntarius. Et reſpondet, eſſe conuenientem, & fundatum in ipſis ſacramentis. Cuius ſignum adducit in argumento Sed contra: quia ab omnibus hoc ordine numerantur, nam ſi res fuiſſet prorſus voluntaria, & ad libitum, non tam facilè omnes in ea conueniſſent. Cùm autem Diuus Thom. *Omnes* dicit, ſcholaſticos potiſsimùm intelligere videtur: quos Concilia, præſertim Florent. & Tridẽt.

& Trident. hac in parte approbaſſe videntur, quãuis nonnulli ex ſcriptoribus antiquis, interdùm hũc ordinem mutent, vt in ſolutione ad 3. idem Diuus Thom. indicat, & infrà latiùs dicam in principio diſputationum de Euchariſtia. Rationem autem huius ordinis optimam reddit D. Thom. quæ in litera ſatis clara eſt. Solum poteſt dubitari, quis nam ſit hic ordo ſacramentorum; non eſt enim ordo perfectionis, nam de hoc agitur in articulo ſequenti, nec neceſſitatis, quia de hoc in art. 4. tractatur; nec naturæ, ſeu cauſalitatis, quia vnum ſacramẽtum non eſt cauſa alterius; neque etiam eſt ordo temporis, quia non eſt neceſſe ſacramenta eo ordine ſuſcipi, quo numerata ſunt. Reſpondetur, hunc ordinem præcipuè videri ſumptum ex finibus ſacramentorum, quatenus ad ſpiritualem vitam ordinãtur, vel cum illa coniũctionem habent; nam hoc modo hominum perfectio ſeu ſpiritualis vita priùs conſideratur in ſingulis perſonis, quàm intelligatur aliquid eſſe neceſſarium in tota communitate in ordine ad hunc finem, hoc modo dicuntur eſſe priora, ſacramenta ordinata ad ſingulos, quam ad communitatem & ea quæ ſunt per ſe, his quæ ſunt per accidẽs: & ſic de alijs. Hinc verò fit, vt hic ordo partim conſurgat ex maiori neceſsitate, vel in ordine ad effectum, vel in ordine ad vſum aliorum ſacramentorum: ſic enim Baptiſmus eſt ſimpliciter primus inter omnia ſacramenta. Partim verò ex ordine ad vſum, vel neceſſarium, vel conuenientiorem; quomodo confirmatio eſt prior Euchariſtia, per ſe loquendo vt infrà dicam diſputans de Confirmatione. Et Pœnitentia, quàm Extrema Vnctio, ſi peccatũm actuale præceſsit. Partim denique ex maiori perfectione, ſeu ſpiritualitate, vt Diuus Thomas loquitur, qui hac ratione dixit Matrimonium Ordini poſtponi, & hæc ſufficiant de præſenti articulo, nam in eo ſolùm videtur Diuus Thomas voluiſſe reddere rationem illius ordinis, quem in diſputatione de ſacramentis ſcriptores tenere cõſueuerunt. *Vnde ſumatur Ordo Sacramentorũ inter ſe.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit potiſsimum inter ſacramenta.

4.d.7.q.1.ar.1.q.3.co.& d.8.q.1.ar.1.q.1.& 4.con.c.74.col.2.& ver.q.27.ar.4.cor. Lib.1.Ethi.c.2.in ſi.to.5.

AD tertium ſic proceditur. Videtur quod ſacramentum Euchariſtiæ nõ ſit potiſsimum inter ſacramenta. Bonum enim commune potius eſt, quam bonum vnius, vt dicitur primo Ethichorum. Sed matrimonium ordinatur ad bonum commune ſpeciei humanæ, per viam generationis, ſacramentum autem Euchariſtiæ ordinatur ad bonum proprium ſumentis. Ergo non eſt potiſsimum ſacramentorum.

¶ 2 Præterea, Digniora ſacramenta eſſe videntur, quæ per maiorem miniſtrum cõferuntur. Sed ſacramentum Confirmationis & ſacramentum Ordinis non conferũtur niſi per Epiſcopum, qui eſt maior miniſter, quã ſimplex ſacerdos, per quem confertur Euchariſtiæ ſacramentum. Ergo illa ſacramenta ſunt potiora.

A ¶ 3 Præterea, Sacramenta tanto ſunt potiora, quanto maiorem virtutem habent. Sed quædam ſacramenta imprimunt characterẽ (ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo) quod non facit Euchariſtia. Ergo illa ſacramenta ſunt potiora.

¶ 4 Præterea illud videtur eſſe potius ex quo alia dependent: & non è cõuerſo. Sed ex baptiſmo dependet Euchariſtia, non enim poteſt aliquis Euchariſtiam accipere, niſi fuerit baptizatus. Ergo baptiſmus eſt potior Euchariſtia.

SED contra eſt, quòd Dionyſ. dicit. 3. cap. Eccleſ. hierarch. quod non contingit aliquẽ perfici perfectione hierarchica, niſi per diuiniſsimam Euchariſtiam. Ergo hoc ſacra- B mentum eſt potiſsimum omnium aliorum. *Cap. 3. Eccl. Hier. nõ remotè à princ.*

RESPONDEO dicendum, quòd ſimpliciter loquendo, ſacramentum Euchariſtiæ eſt potiſsimum inter alia ſacramenta. Quod quidem tripliciter apparet: primo quidem, ex eo quod in eo continetur: nam in ſacramẽto Euchariſtiæ continetur ipſe Chriſtus ſubſtantialiter, in alijs autem ſacramentis continetur quædam virtus inſtrumentalis participata à Chriſto, vt ex ſuprà dictis paret. Semper autem quod eſt per eſſentiam, potius eſt eo quod eſt per participationem. *Queſt. 62. ar. 3. & 4.* Secundò, hoc apparet ex ordine ſacramentorum ad in- C uicem: nam omnia alia ſacramenta ordinari videntur ad hoc ſacramẽtum, ſicut ad finem. Manifeſtum eſt enim quod ſacramentum ordinis ordinatur ad Euchariſtiæ conſecrationem. Sacramentum vero Baptiſmi ordinatur ad Euchariſtiæ receptionẽ. In quo etiã perficitur aliquis per Confirmationem, vt non vereatur ſe ſubtrahere à tali ſacramento. Per Pœnitentiam etiam & Extremam vnctionẽ præparatur homo ad dignè ſumendum corpus Chriſti. Matrimonium etiam ſaltem ſua ſignificatione attingit hoc ſacramentum, in quantum ſignificat coniũctionem Chriſti & Eccleſiæ, cuius vnitas per ſacramentũ Eucha- D riſtiæ figuratur: vnde & Apoſtolus dicit Ephe. 5. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Tertio, hoc apparet ex ritu ſacramentorum. Nam ferè omnia ſacramenta in Euchariſtia conſummantur: vt Dionyſ. dicit. 3. cap. Eccleſ. Hierarch. ſicut patet quod ordinati communicant, & etiam baptizati, ſi ſint adulti. Aliorũ autem ſacramentorum comparatio ad inuicem, poteſt eſſe multiplex. Nam in via neceſſitatis, baptiſmus eſt potiſsimum ſacramentorum. In via autem perfectionis ſacramentum ordinis. Medio autem modo ſe habet ſacramentum Confirmationis. Sacramẽtum verò Pœnitentiæ & Extremæ vnctionis ſunt *Cap. 3. Eccl. Hierar. circa princ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inferioris gradus à prædictis sacramẽtis: quia sicut dictum est, ordinantur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium superueniẽtis defectus. Inter quæ tamen, Extrema vnctio comparatur ad Pœnitentiam, sicut Cõfirmatio ad baptismũ: ita scilicet, quòd Pœnitentia est maioris necessitatis, sed Extrema vnctio est maioris perfectionis.

Art. 1. huius quæst.

AD primum ergo dicendum, quòd matrimonium ordinatur ad commune bonum corporaliter, sed bonum commune spirituale totius Ecclesiæ, continetur substantialiter in ipso Eucharistiæ sacramento.

AD secundum dicendum, quòd per ordinem & Confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia, quæ pertinent ad officium principis. Et ideò tradere huiusmodi sacramenta, pertinet ad solũ Episcopum, qui est quasi princeps in Ecclesia. Per sacramentum verò Eucharistiæ non deputatur homo ad aliquod officium, sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum, vt dictum est.

Incer. art.

AD tertium dicendum, quòd character sacramentalis (sicut suprà dictum est) est quædam participatio sacerdotij Christi. Vnde sacramentum quod ipsum Christum coniungit homini, est dignius sacramento, quod imprimit Christi characterem.

q. 63. art. 3.

AD quartũ dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte necessitatis: sicut enim baptismus, cùm sit maximæ necessitatis: est potissimum sacramentorum, sic Ordo & Confirmatio habent quandam excellentiam ratione ministerij, & Matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.

COMMENTARIVS.

CIRCA hunc articulum obseruandus est canon tertius Concil. Trid. sess. 7. de sacram. in genere. *Si quis dixerit, hæc septem sacramẽta ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Ex quo non colligitur tanquam de fide certum, omnia sacramenta esse inequalia in perfectione, sed hoc solùm, non omnia esse omnino æqualia. Quod saltem est de fide certum ratione cõparationis, quam hoc loco D. Thom. facit; quoniam saltem necesse est confiteri, Eucharistiæ sacramentũ perfectius esse cæteris, vt idem Concilium non obscurè docuit sess. 13. cap. 1. 2. & 3. & infrà de illo sacramento specialiter disputantes latiùs dicemus, nũc sufficiant rationes D. Thom. Circa quas est obseruãdum secundò, perfectionem sacramenti posse considerari, vel in esse ipsius sacramenti, vel in ratione causæ, seu finis aliorum sacramentorũ; vel in effectu gratiæ seu in virtute conferendi illam. Iuxta primã comparationem procedit prima ratio D. Thomæ. Et est

D. Thom. rationes explicãtur.

A res manifesta suppositis principijs fidei. Nam Eucharistiæ sacramentum, & est res permanens, & in se cõplectitur realiter & substantialiter ipsum Christum; ergo in esse suo est perfectius cæteris sacramentis. Vnde fit etiã, superare reliqua in ratione signi, quia reliqua immediatè significant gratiæ effectum, hoc verò significat ipsum Christum, quem continet, & vltra hoc significat etiam gratiam, quam confert, vt est animarum cibus. Iuxta secundam comparationẽ à nobis allatam procedit secunda ratio, & oritur ex præcedenti, nam quia Eucharistia in suo esse est ita perfecta, vt in se Christum contineat, ideò ad illam vt ad finem ordinantur cætera sacramenta. Quod solùm in Extrema vnctione aliquam difficultatem habet, quam hic tetigit Caietanus, quia Extrema vnctio, quoad vsum est vltimũ sacramentorum, quantum est ex vi suæ institutionis nam ordinatum est, vt post cætera sacramenta in extremo vitæ periculo accipiatur: ergo non ordinatur

B ad Eucharistiam. Respondet autem Caietanus, quodammodò dici ordinariad Eucharistiam ratione effectus; tollit enim reliquias peccatorum & perfectè mundat animam, quæ est optima dispositio ad vnionem cum Christo, quam facit Eucharistia. Addo præterea quia Christus est præsens in Eucharistia, quod ordinatur ad perfectiorem vnionem cum Christo, quantum in se est, ordinari etiam posse ad dignioré huius sacramenti sumptionem, vt in præsenti per sacram vnctionem homo sit habilior & melior dispositus ad recipiendum Eucharistiæ sacramentum; si velit illud posteà suscipere, vt potest interdùm accidere. De Matrimonio verò ipse D. Thom. explicat, ratione significationis ordinari ad Eucharistiam, quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quã

C Eucharistia perficit. Potest verò non improbabiliter dici sacramentum Matrimonij, specialiter ordinatum esse ad moderandam carnis concupiscentiam, vt, qui filiorum procreationi incumbunt, magis idonei sint ad purissimum Eucharistiæ sacramentum suscipiendum.

Extrema vnctio ordinatur ad Eucharistiam ordinatur.

De tertia comparatione D. Thom. nihil dixit, nec in illa quidquam certum, aut definitum inuenio; nã licèt propter Christi præsentiam videatur probabile, sacramentum Eucharistiæ (stante æquali dispositione subiecti) maiorem gratiam conferre, quàm cætera; tamen aliunde, quia hoc sacramentum institutum est veluti ad continuam nutritionem & consequenter vt sæpiùs ac frequentiùs recipiatur, ideò nõ videtur necessarium, vt quoties recipitur, toties maiorem gratiam conferat, quàm Baptismus semel susceptus, vel quam Confirmatio, aut Ordo. Est itaque

D res incerta; Diuus Thomas autem videtur priorem partem insinuare; nam simpliciter præfert Eucharistiam omnibus sacramentis, posteà verò comparat cætera inter se, quę comparatio maximè videtur quoad effectum intelligenda: ergo in eadem re præfert Eucharistiam cæteris.

Tertiò igitur, circa vltimã partẽ corporis articuli aduertendũ est, Diuũ Tho. inter cætera sex sacramẽta, hũc ordinẽ perfectionis constituere, vt primũ locum teneat Ordo; secundum Cofirmatio; tertiũ Baptismus, quartum Extrema vnctio; quintum Pœnitentia; sextum Matrimonium. De qua cõparatione multa dici possunt, nam ferè in omnibus sacramentis est aliquid excellens & singulare, in quo cætera superant: sed hoc pẽdet ex notitia omniũ sacramentorũ; & ideò hæc comparatio melius in singulis fiet.

Solutio-

Solutiones argumentorum non indigent explicatione, & quæ Caietanus notat circa solutionem ad 2. ex dictis sunt satis explicata.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm omnia sacramenta sint de necessitate salutis.

4. dist. 7. q. 1. art. 1. q. 2. et q. 3. arti. 2. q. prima.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd omnia sacramenta sint de necessitate salutis. Illud enim quod non est necessarium, videtur esse superfluum. Sed nullum sacramentum est superfluum: quia Deus nihil facit frustra. Ergo omnia sacramẽ

B ta sunt de necessitate salutis.

¶ 2 Præterea, Sicut de Baptismo dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, ita de Eucharistia dicitur Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis. Ergo sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & Eucharistia.

q. 38. arti. 1. & 2.

¶ 3 Præterea, Sine sacramento baptismi potest aliquis saluus fieri, dummodo non cõtemptus religionis, sed necessitas sacramentum excludat; vt infrà dicetur. Sed in quolibet sacramento contemptus religionis impedit hominis salutem. Ergo pari ratione omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

SED contra est, q̃ pueri saluantur per solam baptismum, sine alijs sacramentis.

RESPONDEO dicendum, quod necessarium respectu finis (de quo non loquimur) dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, sine quo non potest haberi finis: sicut cibus est necessarius vitæ humanæ. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem.

Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita conuenienter, sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finẽ. Primò igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria, duo quidem personæ singulari: baptismus quidem simpliciter & absolutè, Pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiæ: quia vbi non est gubernator, populus corruet, vt dicitur Prouerb. 11. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema vnctio pœnitẽtiam, matrimonium verò Ecclesiæ multitudinem per prorogationem conseruat.

In corp. arti.

AD primum ergo dicendum, quòd ad hoc quòd aliquid non sit superfluum, sufficit quòd sit necessarium primo vel secundo mo-

A do, & sic sunt necessaria omnia sacramenta, sicut dictum est.

AD secundum dicendum, quòd illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali, vt August. exponit super Ioan.

Tract. 26. et 27. in. 9.

AD tertium dicendum, quòd licet omniũ sacramentorum contemptus, sit saluti cõtrarius, non tamen est contemptus sacramenti, ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis, alioquin omnes qui non accipiunt Ordinẽ, & qui non contrahunt matrimonium contemnerent huiusmodi sacramenta.

COMMENTARIVS.

QVAESTIO huius articuli intelligenda est de necessitate, quæ orta est ex institutione sacramentorum, quia ante institutionem nulla poterat esse necessitas; & ipsius institutionis non tam fuit necessitas, quàm vtilitas, vel congruentia, de qua suprà dictum est. Ex institutione autem duplex potest intelligi orta necessitas, vna vocatur, *Necessitas medij*, altera verò, *Necessitas præcepti*: quas voces latiùs infrà explicabimus, de Baptismo, & de Eucharistia disputantes. Nunc breuiter sciẽdum est, illud dici necessarium in præsenti, quod ad vitam consequendam necessarium est. Quo fit, vt tota hæc necessitas sit in ordine ad finem, & consequenter, q̃ tota dici possit necessitas medij, generali quadam ratione loquendo, quia quidquid est necessarium ad finem, præsertim si tempore antecedat consecutionem finis, meritò dici potest medium ad finem necessarium. Rursus, quoniam sacramenta in humanis actionibus consistunt, quæ per se & natura sua non sunt ad vitam æternam necessariæ, hinc consequenter fit, vt non possit in eis reperiri necessitas medij respectu adultorum, nisi supposito aliquo præcepto, per quod inducatur illa necessitas. Quin potius generaliter verum est, nullum esse medium necessarium ad salutem, quod in actione hominis consistat, quod non sit etiam præceptum, quanuis in quibusdam præceptum, & necessitas oriatur ex natura ipsorum actuum: in alijs verò tota oriatur ex præcepto, & extrinseca institutione, & huiusmodi sunt sacramenta. Quocirca sub hac ratione generali quodlibet sacramentum quod est necessarium vt medium,

D potest dici necessarium necessitate præcepti; & è cõtrario quodcunque sacramentum cadens sub præceptum, potest etiam dici necessarium necessitate medij eo modo, quo obseruatio mandatorum est medium ad salutem necessarium. At verò propria quadam & speciali consideratione distinguuntur illæ duæ rationes, quia necessitas præcepti solùm requirit, quòd præceptum sit impositum, necessitas autẽ medij in sacramentis vltra id consistit in hoc, quòd sacramentum sit per se institutum ad conferendũ effectum ad salutem necessarium, tanquam propria causa illius, & per se loquendo, atque ex vi institutionis ad illum necessaria; quomodo Baptismus est necessarius ad salutem.

De qua necessitate sit intelligenda quæstio.

Sacramenta omnia vtilia, non tamẽ omnia necessaria.

De hac ergo necessitate medij loquitur D. Thomas vt constat ex principio art. Atq; ita respõdet primò, quanuis omnia sacramenta sint vtilia ad salutem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non tamen omnia esse necessaria. Quæ assertio clara est, nam constat Confirmationem, Extremam vnctionem, & Matrimonium, non esse media ad salutē necessaria, cùm non ordinentur ad effectus simpliciter necessarios, quatenus verò gratiam præstant, manifestum est esse valde vtilia. Solùm de Matrimonio oportet aduertere, vtilitatem eius non tam esse considerandam respectu singulorum, quàm respectu multitudinis: propter quam per se primo institutum est: nam simpliciter ac per se loquendo, respectu singulorum, sicut vnicuique melius est, castitatem seruare, quam copulari coniugio, ita simpliciter non est vtilius hoc sacramentum propter effectum eius, quam priuari effectu eius propter virginitatem seruandā. ex hypothesi autem (vt sic dicam) id est, supposito, quòd Matrimonium contrahendum est, seu respectu eorum, qui illud contrahere decreuerunt, tale sacramentum vtilissimum est. Secundo ait D. Thom. *Tria sacramēta necessaria.* tria sacramenta esse necessaria ad salutem, vnum respectu corporis Ecclesiæ, quanuis non respectu singulorum, scilicet sacramentum Ordinis, sine quo, neque Hierarchia Ecclesiæ posset consistere, neq; alia sacramenta confici possent, vel simpliciter, vel modo debito. Duo verò respectu singulorum, scilicet Baptismum absolutè respectu omnium, quia omnes in originali peccato nascuntur. Pœnitentiam verò respectu eorum, qui post baptismum mortaliter peccauerunt, quia remissio talis peccati ad salutem necessaria est, & ad hunc effectum institutum est huiusmodi sacramentum, de sacramento autē Eucharistiæ non meminit D. Tho. in corp. art. quanuis aliorum sex sacramentorū mentionē fecerit, tamen, cùm tantum dicat, tria sacramenta esse necessaria, planè reliqua non esse necessaria, alio quin valde ambiguus esset in doctrina tradenda. Ac præterea in solutione ad secundum, cùm argumentum eò tenderet, vt concluderet sacramentum Eucharistiæ esse necessariū, quia Ioan. 6. dicitur. *Nisi manducaueritis, &c.* Respondet in forma, inde nō colligi necessitatem, *quia illud verbum Domini* (inquit) *est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali*: est ergo hæc aperta sententia D. Thomæ hoc loco, quam infrà latiùs tractaturi sumus, vbi etiam expendemus expositionem verborum Christi, quam hic D. Thomas tradit. Hic verò attentè sunt ponderanda verba eius, non enim negat D. Thomas, Christum in verbis illis loqui de sacramento Eucharistiæ, nec de manducatione sacramentali, quia non sine causa addidit dictionem exclusiuam dicens, *Et non de sola sacramentali*: non ergo negat, Christum loqui de illa, sed de illa sola, quod valde diuersum est, sentit igitur, verba illa intelligi posse de manducatione sacramentali vel spirituali, quod tamen verum non esset, nisi de Sacramento essent intelligenda: quia Christus non potest sacramentaliter manducari, nisi in Sacramento, licèt in eo etiam possit spiritualiter manducari, & hic modus manducationis sufficere possit ad implendum id, quod in prædictis verbis Christi cōtinetur, iuxta expositionem Diui Thomæ, quam vt dixi, in proprio loco examinabimus.

Canon Trid. iuxta doctrinā D. Thomæ intelligendus. Colligitur tandē ex doctrina huius articuli, quomodo intelligendus sit Canon Concilij Tridē. sess. 7. can. 4. de sacramentis in genere, vbi condemnat dicentes, sacramenta non esse necessaria ad salutem. Vtrumque enim voluit comprehendere, quod in dictis assertionibus à D. Thoma explicatum est, scilicet & omnia hæc sacramenta esse vtilia, & absolutè loquendo sacramenta esse necessaria, quanuis nō omnia: quorum primum indicauit in illis verbis, *si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua*, superfluitas enim vtilitati opponitur, & si inter sacramenta aliquod esset inutile, tantus sacramentorum numerus esset superfluus, & hoc intendit damnare Concilium. Secundum verò docuit in verbis sequentibus, quæ per se satis clara sunt. Et hæc sufficiant de necessitate mēdij in communi, nam in particulari dicemus in suis locis, de necessitate autem præcepti, quod hic D. Tho. omisit, generatim dicemus in sequentibus disputationibus moralibus, sigillatim verò postea.

DISPVTATIO XV.

De sacramentalibus, seu ceremonijs sacramentorum in genere.

HAnc disputationem prætermisit D. Thom. in hac materia, tamen, cùm in singulis sacramentis, de vniuscuiusque ceremonijs differendum sit cum ipsomet D. Thoma, necessarium visum est hoc loco præmittere ea, quæ communia ac generalia esse possunt. Nam re vera, de his sacramentalibus ferè omnia illa capita disputari possunt, quæ de sacramentis à nobis sunt generaliter dicta; tamen suppositis his, quæ diximus de sacramentis, breuius poterunt omnia expediri.

SECTIO I.

Quid sit ceremonia seu sacramentale.

PRius quærimus quid sit, quàm an sit ceremonia, tum quia per se notum est, ceremonias esse, tum etiam, quia sicut de sacramentis diximus, non potest in his rebus, vocis significatio satis exponi, nisi simul intelligatur quid res ipsa sit. Aduertendum est igitur, in primis nomine ceremoniæ, si primam huius vocis impositionem, vel etymologiam attendamus, significari posse omnem cultum Dei externum, qui certo ac definito ritu sit ob maiorem Dei reuerentiam, in hac enim significatione latini omnes ea voce vtuntur, quam omnes etiam ducunt à Cære Italiæ oppido, vel à verbo cærendi, vt videre licet in D. Thom. 1. 2. quæst. 99. art. 3. & D. Aug. 1. retract. cap. 27. & in hac ferè significatione sumitur ceremonia in scriptura veteri, vbicunque de legalibus ceremonijs agitur. Atque ita sub hac voce comprehenduntur sacramenta, sacrificia, sacra, & obseruantiæ, ad quæ quatuor capita reuocat D. Thom. 1. 2. quæstione 101. articulo 4. omnes legis veteris ceremonias. Ex quibus duo prima quid sint satis est in superioribus expositum, & de sacrificio dicemus in particulari posteà tractantes de Missa: sacra autem vocātur à D. Thoma ea, quæ sunt veluti instrumenta aut res deputatæ ad sacrificia peragenda, aut sacramenta ministrāda, vt sunt vasa sacra, vestes, templa, & si quæ sunt alia similia: obseruantias autem vocat, omnes actiones, quibus cultores Dei vtūtur, vt eis se se ad cultum Dei disponant, vt sunt ieiunia, genuflexio, vsus signi crucis, & similia. In præsenti verò materia non vtimur nomine ceremoniæ in hac amplissima significatione, sed aptamus ibi lam ad ceremoniam sacramentalem, & à Theologis appellari solet simpliciter sacramentale, qua voce significamus actiones quasdam, vel circunstantias religiosas, quas in sacramentorum administratione, vel sacrificij oblatione, Ecclesia obseruat, præter eas, quæ sunt de essentia, seu substantia sacrificij, vt sunt, verbi gratia, in Baptismo, Vnctio, Exorcismus & alia huiusmodi.

Ceremoniarū varietas quæ ta. Secundò est obseruandum, ceremonias has, si materialiter (vt ita dicam) sumantur, varias & multiplices esse, ita vt per omnia prædicamenta distingui possint & variarinā quædam interdùm posita sunt in substantia alicuius rei, vt, verbi gratia, quòd vino conficrando misceatur aqua naturalis, & non alia, q. vnctio fiat in oleo oliuarum, &c. Quædam reuocari possunt ad quantitatem, vel continuā, vt quòd aqua misceatur vino in quantitate valde modica; Vel discretam, vt quòd Baptismus fiat tribus mersionibus. Rursus, alię reuocari possunt ad qualitatem, vt quòd panis sit fermentatus, vel azymus, quod vestis sit huius figuræ, vel coloris. Præterea, quædam possunt reuocari ad relationem, quia solùm propter deputationem quandam; aut extrinsecam benedictionem censentur sacræ, vt oleum benedictum, & alia huiusmodi. Item, quædam cōsistunt in temporis vel loci determinatione, vt templa & dies festiui. Aliæ pertinēt ad vestitum siue habitum sacrum ac decentem. Aliæ reuocantur ad situm, vt genuflexio. Aliæ denique in actione vel passione consistunt, & hæ sunt frequentiores: sub quibus comprehenduntur orationes, gestus, signa, & similia, quinimò omnia alia, quæ nume rata sunt, in tantum ad ceremonias seu sacramentalia pertinent, in quantum in vsu alicuius actionis sacræ obseruandæ sunt. Vnde fit, posse etiam has ceremonias distingui, iuxta septem circunstantias actuum moralium, quæ à philosophis moralibus, & Theologis numerantur, vt sunt circunstantia loci, temporis personæ, modi, & similes.

Ceremoniæ vt differant ab alijs. Tertiò est obseruandum, omnibus his ceremonijs commune esse, vt ad diuinum cultum ordinentur: hac enim intentione instituuntur, & obseruātur ab Ecclesia, vt ipse sacramentorum vel sacrificij vsus maiori cum reuerētia ac deuotione fiat: hoc igitur commune est sacramentalibus ceremonijs cum sacramentis ipsis, vel sacrificio, quòd actus sunt externi virtutis religionis: differunt tamen ab ipsis, quòd sacrificium continet ipsum supremum Dei cultum, quo Dei excellentiam per alicuius rei oblatæ sacrificationem seu immutationem profitemur: sacramenta verò ordinantur ad sanctificationem fideliū, quā significant & conferunt, præsertim in lege noua. At verò sacramentalia ordinantur ad cultum Dei medio sacrificio, vel sacramento aliquo (vt sic dicam) nam proximè referuntur ad reuerentiam seu conuenientiorem modum offerendi sacrificium, vel administrandi sacramentum. Differre autem possunt sacramentalia inter se vel in ritu externo, vt dictum est, vel etiam in fine, quia quædam propinquiùs, quædam remotiùs respiciunt sacramenta, quædam ordinantur præcipuè ad ornatum quendam decentem ac religiosum, vt, verbi gratia, quòd calix sit argenteus vel aliquid huiusmodi, quædam ad maiorem reuerētiam, vt quòd Eucharistia à ieiuno sumatur: quædam etiam continent sacram significationem, vt quòd baptizati induantur veste alba, &c. ac denique quædam ordinantur etiā ad aliquē spiritualē effectū, vel sanctificationem saltem imperfectam, vt posteà dicemus.

A Ex his igitur satis constat, quid sit ceremonia de qua hic agimus, est enim exterior actio religiosa, aut circunstantia seu conditio eius ad ornatum seu cultū debitum sacramentorum seu sacrificij instituta. Cuius descriptionis ratio ex dictis satis constat, & ex ipso vsu, & ex intentione præsentis disputationis: hic enim non agimus de omni cultu externo, sed de illo tantùm, qui est quasi circunstantia sacramenti, & à substantia eius distinguitur, estque veluti accidens eius: est ergo hæc propria ratio sacramentalis ceremoniæ, prout de illa nunc agimus. Verum est tamen, & obseruatione dignum, quia ceremoniæ sacramentorum eiusdem fere rationis sunt cum nonnullis alijs ritibus, qui extra sacramenta fiunt & obseruantur: ideò nomen *sacramentalis*, latiùs frequenter vsurpari, & doctrinam de his ceremonijs sacramentorum magna ex parte posse ad alias extendi; & hoc modo B disputant de his ceremonijs seu sacramentalibus plures autores, præsertim Vvaldens. in tomo integro de sacramentalibus, Hosius in Cōfessione catholica cap. 37. & latiùs cap. 86. & sequētibus, & Lindan. lib. 4. Panopl. capit. 97. & sequentibus. Bellarmin. lib. 2. de sacrament. in gen. cap. 29. & antiquiores, qui de ritibus seu officijs Ecclesiasticis scripserunt, vt Isidorus, Alcuin. Amalar. Duran. & alij & Rabban. lib. 1. de institut. Clericor. à cap. 27. Hugo Victor. lib. 2. de sacram. part. 4. & 5. posteà in sequentibus agens de singulis sacramentis. *Ceremoniæ in præsentiquid.*

SECTIO II.

An vsus sacramentalium religiosus & sanctus sit, atque Ecclesiæ conueniēs.

C MVlti hæretici hos Ecclesiæ ritus superstitiosos & illicitos esse dixerunt. Varijs tamen modis, atque ex diuersis principijs. Quidā enim in vniuersum omnem cultum Dei externum reprobarunt, sed cùm hi omnia euertant, nō est quòd hoc loco cum eis specialiter disputemus, hi enim, nō solùm accidentia, sed etiam substantiam sacrificij & sacramenti è medio tollunt: sufficiunt ergo contra illos, quæ de necessitate & vtilitate sacramentorum dicta sunt, & quæ dicemus posteà de sacrificio, & videri etiam possunt dicta de vsu & veneratione imaginum, in primo tomo huius tertiæ partis circa quæstio. 25. hic enim ex principijs & rationibus magis proprijs agendum est. *Primus error omnem externum Dei cultū reprehēdit.*

D Alij ergo Ecclesiasticas ceremonias reprehendūt, eò quòd sint humanæ inuentæ, absque diuino præcepto vel autoritate in diuinis scripturis contenta, putant enim isti, licere quidem colere Deum externo cultu, non tamen alio nisi illo, quiin scriptura sacra nobis præceptus est. In quo fundamento varij etiā errores continentur, qui alijs in locis magis proprijs impugnandi sunt. Primus est, sola ea, quæ scripta sunt non verò quæ traditione habentur, esse retinenda in Ecclesia, & in veneratione habenda, contra Paulum secundæ ad Thessalon. 2. dicentem. *Tenete traditiones, siue per epistolam, siue per sermonem*. Quia sine traditione, neque ipsa scriptura diuina potuisset à prophana discerni. De qua re legi potest Basil. li. de Spiritu Sancto. capit. 27. Irenæ. lib. 3. contra hæres. cap. 3. Cypria. Epist. 72. circa finē, Epiph. lib. 4. hær. 71. Hieronym. dialog. contr. Luciferian. August. lib. 4. de *Hæretici alij aliter ceremoniarum vsum exagitant.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæreticorum insania confutatur.

de Baptis. cap. 14. Secundus est, solùm illum externum cultum Deiesse licitum, quia ab ipsomet Deo præceptus & traditus est. Qui error est absurdissimus; nam in primis nullum habet fundamentum in scriptura vel traditione aliqua: nam in diuina scriptura potiùs legimus, in quolibet tempore seu statu homines sua sponte & arbitrio, & absque speciali præcepto Dei variis modis Deum exteriùs coluisse; sic Genes. 4. Abel obtulit sacrificium de primogenitis gregis sui, & Noe cap. 8. erexit altare, & obtulit sacrificia de pecoribus multis; Iacob vero cap. 28. votum vouit, decimasque obtulit Deo. In lege autem veteri, quanuis multa essent diuina lege præscripta, nũquam tamen fuit prohibitus voluntarius cultus, vel publicus, vel priuatus; quin potiùs Leuit. 23. postquam varia sacrificiorum, & festiuitatũ genera præcepta sunt, subditur, *Exceptis donis vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.* Atque Esther. 9. Iudith. vltimo. 1. Machab. 4. quædã festiuitates humana lege introductæ leguntur præter eas, quæ in diuina erant præcepta. In lege autem gratiæ, nullibi reperitur prohibitio hæc facta à Christo, quin potiùs, si eius exemplum nobis imitandum est, constat ex Euãgelio, eũsæpe fuisse externis ceremonijs vsum, vel eleuãdo oculos, & externã gratiarũ actionẽ atque orationem fundendo, vel accipiendo in manibus panem, benedicendo, oculos in cœlũ eleuando. Lucæ. 9. & 22. vel orando genibus flexis, aut in terram procidens Matth. 26. & Lucæ. 22. vel insufflando in Apostolos, vt eis Spiritum Sanctum daret: vel denique eleuando manus, vt discipulis benediceret, Lucæ. 24. Quocircà, cùm hæretici negẽt, esse credendum quod non reperitur scriptum, ostendant vbi sit scriptum hoc præceptum, quo prohibetur omnis cultus Dei exterior liber ac spontaneus; vt eis fidem adhibeamus, nam quòd ex traditione sola non habeatur hoc præceptum certissimum est, cũ potiùs contrarium ex traditione habeamus, vt dictum est, & statim dicemus latiùs. Nec verò fingere possunt, ipsa naturali lege hoc esse prohibitum, nam potiùs lex naturæ, quæ docet, Deum esse actibus & signis externis ab homine colendum, vel, quia ipse est autor animæ, & corporis, & ideò vtriusque actibus coli debet, vel quia cùm homo constet animo, & corpore, in actionibus animæ multùm ab actionibus corporis pendet, eisque iuuatur ad illas meliùs exercendas: ipsa (inquam) lex naturæ, quæ hoc docet, ex se non definit huiusmodi actiones: quia licèt fortasse aliquæ per se statim appareant aptiores ad huiusmodi cultum, vt sunt, oratio vocalis, laus, genuflexio, eleuatio manuum, pectoris tunsio, tamen, neq; istæ sunt ita per se determinatæ ad cultũ Dei, quin aliæ similes possint ad alias personas referri, nec sunt ita necessariæ, quin alijs modis possit idem religiosus animus significari. Hic ergo modus ex ipsa lege naturæ non est definitus: vnde necessariò sit, per hanc legem non prohiberi voluntarium modum exteriùs colendi Deum, sed potiùs relinqui, vt vel positiua lege, vel certè vniuscuiusque arbitrio determinetur, hoc ergo semper licitum est, quandiu speciali lege diuina, vel humana non est prohibitum, dũmodò prudenter ac decenter fiat. Sed dicunt hæretici, quanuis huiusmodi cultus spontaneus licitus esse possit in lege noua, non tamen esse licitum, illum præcipere, ita vt illius omissio, peccatum reputetur: quia hoc est cõtra priuilegium legis gratiæ, quæ est lex libertatis, nam subijci hoc modo his ceremonijs & ritibus magna est seruitus. Sed in hoc inculcatur tertius error, quo negant habere Ecclesiam potestatem præcipiẽdi atque ordinandi ea, quæ ad conuenientem modũ dispensandi sacramenta fuerint necessaria. Cuius cõtrarium definiuit Trident. sessione. 21. cano. 2. & in materia de legibus, & de Ecclesiastica potestate impugnatur ex professo hic error, & in sequenti sectione nonnulla afferemus.

Alij denique non reprobant generatim omnes ceremonias, sed specialiter inuehuntur in illas, quas nũc Ecclesia Romana obseruat, quia dicunt esse vanas & superstitiosas. Sed non est hic locus dicendi de singulis, sed cùm agemus de specialibus sacramẽtis, vbi apertè ostẽdemus, hanc esse falsam calumniam. Illud verò, quod generale omnibus est, scilicet, quòd à nobis fiunt intentione cultus, & tanquam pertinentes ad virtutem religionis, hoc (inquam) superstitiosum esse dicunt, quia licèt in sacramentis tradendis oporteat seruare modum, & debitas circunstantias, vt omnia honestè & secundùm ordinem fiant, vt dicitur primæ ad Corinth. 14. tamen hoc solùm esse volunt propter quandam humanam politiam, non verò ex intentione cultus & religionis, nam hoc dicunt esse superstitiosum. Qui error non potest nisi in aliquo ex suprà reiectis fundari: nam, si cultus Dei exterior voluntarius, vel lege humana præscriptus ex se non est malus, & superstitiosus, neque etiam erit malum, illum intendere, ergo neque etiam erit per se malum ceremonias sacramentales hac intentione obseruare.

Confutatio.

Prætermissis ergo hæreticorum sententijs, dicendum est: Vsum sacramentalium ceremoniarum, quas nunc Ecclesia obseruat, pium esse & ad cultum Dei secundariò saltem pertinere, & Ecclesiæ ac fidelibus non parum esse vtilem. Conclusio est de fide, quoad omnes partes, vt colligitur ex Concil. Trident. sessione. 7. cã. 13. de sacramentis in genere; vbi hos ritus in solẽni sacramentorũ administratione adhiberi cõsuetos, & ab Ecclesia Catholica receptos & approbatos, obseruandos, ac retinendos esse definit. Potest etiã conclusio ex generali principio ostendi, quòd Ecclesia non potest errare in his quæ ad fidem & mores pertinent: seruare autem ceremonias religiosas, & vtiles, ac non superstitiosas, maximè pertinet ad bonos mores Ecclesiæ. Deinde, quòd hæc ceremoniæ sint honestæ satis patet ex his, quæ contra hæreticos diximus: quia ex obiecto non sunt malæ, neque ex aliqua circunstantia, quam per se requirant, nulla enim circunstantia huiusmodi fingi, aut alsignari potest. Rursus ex fine proximo ordinantur ad decentem & conuenientem modum administrandi sacramenta: sicut ergo sacramentorum administratio ad religionem pertinet, ita etiam harum ceremoniarum obseruantia, quantum est ex se, & ex fine suo & ideò dicuntur pertinere ad cultum secundarium, non solùm quia continent cultum externum, sed etiam, quia in ipsomet externo cultu, sunt veluti accidentia aliarum actionum nobiliorum, scilicet, sacrificij, & sacramentorum. Tandem ex hoc fine facilè colligitur vtilitas harum ceremoniarum: conferunt enim primò, vt ipsa sacramenta debito honore tractentur, & in maiori æstimatione & reuerentia habeantur, nam cùm eorum substantia in paucis verbis & exterioribus actionibus aut rebus externa specie vilioribus atque infimi ordinis consistat, nisi ceremoniarum apparatu, & significatione eleuetur animus ad cogitandum aliquo modo de mysterijs sub illis signis contentis, & ad concipiendam deuotionem

Ceremoniarum vtilitas.

nem & reuerentiam illis debitam, facilè vilescerent & despicerentur, præsertim à rudioribus hominibus qui sensibus ferè ducuntur, igitur per has ceremonias docetur Christianus populus sub sensibilibus sacramentis magna mysteria contineri, & ideò magna veneratione esse tractanda. Secundò conferunt hæ ceremoniæ ad maiorem quandam intelligentiam & memoriam mysteriorum fidei, vt, verbi gratia, ferè in omnibus sacramentis adhibetur crucis signum, vt constat ex Stephan. Pap. in c. Nunquid. de Consecr. d. 5. & August. tract. 118. in Ioã. & serm. 19. de sanctis, illud autem fit, vt eo signo admoneantur fideles, virtutem sacramentorum ex Christi morte derivari. Similiter, dum in Baptismo præmittũtur Exorcismi, & insufflationes, docentur fideles, puerum, antequam baptizetur, esse sub potestate dæmonis ob originale peccatum, & ita hoc argumento vtitur sæpè Augustinus ad probandum originale peccatum ex vsu & traditione Ecclesiæ, vt videre licet libr. 1. de Peccato. merit. & remiss. cap. 34. & lib. 6. contra Iulian. cap. 2. & alia exempla videri possunt in Leone Pap. Epistol. 81. & Innocentio 1. Epistol. 1. Nec refert, quòd non omnes fideles intelligant hæc mysteria: satis est enim, vt à doctioribus intelligantur, qui simpliciores docere possint de his, quorum ipsi sunt capaces, quæue ipsos scire oportet, huiusmodi enim hominibus frequentiùs sufficit admiratio illa, quã in eis causat ipsamet ceremoniarum grauitas & autoritas, sub quibus statim concipiunt aliquid sacrum contineri, quanuis quid illud sit ignorent. Tertiò, per hæc conseruatur & augetur deuotio fidelium, vt rectè docuit August. libr. de Cura pro mort. agend. cap. 5. & Epistol. 119. cap. 11. qui tamen addit. cap. 19. cauendum esse ne nimium sit hoc ceremoniarũ onus, tantum enim esse potest, vt animum distrahat, & impediat, quo soluto seruato moderamine, ac prudenti consilio vt re vera ab Ecclesia seruatur, ruunt obiectiones omnes & calumniæ, quas hæretici ex cogitare possunt. Quartò tandem deseruire possunt hæ ceremoniæ ad distinguendum fidelem populũ ab infideli, & vnitatem Ecclesiæ commendandam, vt significauit Innocent. supra, & Concil. Tolet. 4. cano. 2. & ideò diligenter vitat Ecclesia in huiusmodi ceremonijs & obseruantijs omne consortium vel apparentem similitudinem cum Iudæis, vel alijs infidelibus, vt colligitur ex August. dicta Epist. 119. & Epiphan. libr. 3. contra hæres. in fine, vbi multa de his ceremonijs congerit.

SECTIO III.

Quis possit sacramentales ceremonias instituere, mutare, aut ministrare.

Diximus de substantia & ratione harum ceremoniarum, sequitur dicendum de causis earum. Et causa quidem finalis explicata iam est. Causa verò materialis, vel formalis in genere definiri non potest, sed in singulis obseruanda est proportione institutionis. Solùm ergo generatim dici potest, intrinsecam veluti formam, ac materiam vniuscuiusque ceremoniæ consistere in eo ritu, qui est ab habente potestatem institutus ac definitus. Igitur dicendum superest de causa efficiente, quæ duplex esse potest, sicut de sacramentis diximus, scilicet instituens, & ministrans.

Ceremoniæ, quæ sunt extra substantiã sacramenti nõ sunt immediatè à Christo institutæ.

Dico ergo primò, Sacramentales ceremoniæ, quæ sunt extra substantiam sacramentorum, quanuis interdùm introductæ sint ad imitationem seu exemplum Christi, non tamen sunt ab eo immediatè institutæ. Prior pars partim ex dictis præcedenti sectione constat, partim potest facilè exemplis ostendi: nã in conficienda Eucharistia ex Christi exemplo manauit mistio aquæ in vino, teste Cypriano Epistol. 63. atque ex eodem fonte manauit vsus Ecclesiæ Latinæ conficiendi in azymo & non in fermentato, atque similia exempla facilè adduci possunt, quæ in singulis sacramentis latiùs persequemur. Posterior ergo pars colligitur ex Concil. Trident. sessione. 21. cap. 2. docente. *Salua substantia sacramentorum*, reliqua fuisse Ecclesiæ commissa, quod latiùs confirmabimus conclusione sequenti: ergo signum est, ceremonias, quæ sunt extra substantiam sacramentorũ, non fuisse in particulari à Christo Domino præscriptas. Quod potest confirmari secundò, ab autoritate negatiua, quia neque ex scriptura, nec ex traditione cõstat, Christum Dominum huiusmodi ceremonias instituisse, aut in particulari præcepisse. Quin potiùs dogma est receptum ab omnibus Theologis, Christum in lege noua nulla præcepta præterquam fidei & sacramentorum tradidisse. Tertiò, ex vsu idẽ colligitur; nam in his ceremonijs pro diuersitate temporum & locorũ reperitur varietas in Ecclesia, substantia sacramentorum inuariabili manente: ergo signum est, hanc solam esse de iure diuino, & immediatè à Christo Domino definitam. Quarto hinc sumitur ratio seu congruentia huius assertionis, nam sacramenta ordinantur ad spiritualem hominum sanctificationem, quæ à Christo Domino fuit principaliter intenta, & ideò oportuit, ab ipso tanquam ab autore nostræ salutis & gratiæ institui. Atq; idem semper intelligendum est de sacrificio, nam hoc etiam oportuit à Christo institui, quia continet proprium ac principalem Dei cultum, & quia in eo offerendus erat ipsemet Christus. Denique ad maiorẽ Ecclesiæ vnitatem & stabilitatem necessarium fuit, vt hæc quæ sunt veluti fundamenta Ecclesiæ, immutabilia essent ex Christi institutione. Cætera verò, quæ accidentalia sunt, nõ oportet ita institui ac definiri, quia pro temporum diuersitate expedire potest, ea varia ri. Vnde hoc etiam pertinuit ad perfectionem legis Euangelicæ, in veteri enim lege, quia erat lex seruitutis, magis cõsistens in exterioribus oneribus, quã in interiori gratiæ spiritu, plurimæ ceremoniæ fuerunt diuina institutione traditæ ac præceptæ. At verò lex noua est lex gratiæ & spiritus, & ideò solùm in ea tradidit Christus, quæ ad gratiam obtinendam sunt necessaria media, vel vtilia instrumenta, reliqua verò Ecclesiæ disponenda commisit.

Ecclesiæ à Christo tradita potestas ceremonias instituendi.

Dico ergo secundò, Christum Dominum dedisse Ecclesiæ potestatem instituendi has ceremonias, quã partim Apostoli, partem eorum successores Episcopi & Pontifices exercuerunt, & huiusmodi originem habuerunt ceremonias, quas nunc Ecclesia obseruat. Tota hæc assertio quoad rem in ipsa contenta est de fide, vt constat ex Concil. Trid. sess. 7. can. 13. de sacramen. in genere & sessione. 21. capit. 2. & ad eã confirmandã adducit illud Pauli primæ ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & illud primæ ad Corinth. 11. *Cætera autem cum venero disponam*, vbi Paulus agebat de ritu in dispensatione Eucharistiæ seruando. De quo etiam agens August. Epist. 118. cap. 6. inquit.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ceremoniarũ in Ecclesia antiquitas.

quit. *Non præcepit Christus, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Secundò hæc potestas ex ipso vsu satis probatur, ex actibus enim potentia rectè colligitur: constat autem, hunc vsum non esse in Ecclesia recentem, sed à temporibus Apostolorum incepisse, vt autor est Clemens Pap. in Epist. 2. decret. & lib. 7. constit. Apost. cap. 23. & sæpè in illis libris & Epistolis. Dionys. toto lib. de Eccles. Hierar. vbi fere in singulis capitibus hos ritus docet, atque eorum significationes declarat. Et. cap. 1. præmittit, illos esse ex Apostolica traditione. Item Innocent. primus Epist. 1. docet, huiusmodi ceremonias in Latina Ecclesia duxisse originem ab Apostolo Petro: similiter Leo Pap. Epist. 81. agens de ceremonijs seruandis in ordinatione sacerdotis, eas dicit haberi ex Patrum traditione. Vnde Tertul. libr. de Corona militis. capit. 3. vbi agit de obseruandis traditionibus non scriptis præcipuè exemplum ponit in his ceremonijs sacramentorum. Quod etiam fecit Orig. homil. 5. in Nume. qui exempla ponens in his ceremonijs ait datas esse, *A Magno Pontifice, & à filijs eius, & ab omnibus obseruandas esse, licèt ratio omnium non omnibus pateat.* Idem legimus apud Basil. lib. 1. de Spiritu Sancto. c. 27. & frequenter apud August. Epist. 118. & 119. vbi specialiter cap. 15. dicit, multa ex his stabilita esse per Patrum Concilia, & capit. 18. optimam regulam constituit. *Quæcumque bonis moribus non repugnant, nec fidei, & habent aliquid exhortationis vitæ melioris, vbicumque instituta videantur, non esse improbanda sed laudanda, & sectanda,* & libr. de Nup. cap. 20. & lib. 6. contra Iulian. cap. 2. vbi ait, huiusmodi ceremonias ab vniuersa Ecclesia vera fide seruari. Tertiò probari potest, quòd in Ecclesia sit huiusmodi potestas à Christo data, ex alia vniuersaliori potestate, quam Christus Ecclesiæ suæ reliquit in Vicario suo ad illā conuenienti modo regendam, iuxta illud, *Pasce oues meas.* Ioan. 21. quæ res latiùs tractatur in 2. 2. quæst. 1. artic. 10. nam sub hac vniuersali potestate necesse est aliam de qua hîc agimus contineri. Primo quidē, quia cum hæc potestas spiritualis sit, principaliter ordinata est ad diuinum cultum & ad bonum animarum: ad eam ergo pertinet statuere debitum modū & ordinem seruandum in Ecclesia in ritu ac ceremonijs necessarijs ad conuenientem sacramentorum administrationem. Deinde, quia cum Christus Dominus per se ipsum immediatè hæc non instituerit, necessaria fuit Ecclesiæ hæc potestas, alioqui non possent sacramenta debita reuerentia dispensari, & infinita esset confusio in Ecclesia, si vniuscuiusque arbitrio hoc esset commissum. Vnde etiam in lege naturæ, vt publicus Dei cultus per oblationes vel sacrificia vel orationes & laudes publicas, vel alias obseruātias, debito modo fieret, erat potestas in republica ad præscribendum modum, & ritum in huiusmodi cultu & ceremonijs eius, vt latiùs dicemus infrà agentes de sacrificio: multò ergo magis in lege noua necessaria fuit hæc potestas, tantò altior, & superioris rationis, quantò cultus diuinus in hac lege altior est & supernaturalior. Si autem talis potestas est in Ecclesia, non potest esse nisi in pastoribus eius, quorum principes fuerunt Apostoli quibus Episcopi succedūt inter quos summus Pontifex supremam habet potestatem, à qua omnis alia Ecclesiastica potestas pēdet, solus enim ille propriè loquendo potest aliquid instituere, quod vniuersam Ecclesiam obliget, nam licèt Concilium generale hoc etiam possit, non tamen si-

A ne autoritate Pontificis congregantis & confirmantis illud. Possunt tamen priuati Episcopi in suis diœcesibus nōnullos ritus & ceremonias instituere, quæ non sint contra vniuersalem Ecclesiæ legem aut traditioné, sicut legimus fecisse Ambros. Chrysost. & alios, & nostra etiam ætate videmus esse in vsu: quia omnes Episcopi sunt ordinarij pastores, & principes suarum Ecclesiarum, & ideò sufficientem habent iurisdictionem ad huiusmodi actus, sicut possunt etiā præcipere ieiunium, aut obseruantiam alicuius diei festi, & alia huiusmodi. Constat igitur sufficienter, esse in Ecclesia hanc potestatem, vsus autem eius ipsa rerum euidentia notissimus est. Quæ autem ceremoniæ institutæ sint ab Apostolis, quæ verò à Concilijs, vel Pontificibus, in particulari tractandum est, cum agemus de singulis sacramentis. Hic generatim nulla melior regula tradi potest, quam illa vulgaris, B quæ est apud August. lib. 4. de Bap. cap. 24. nam quæ seruantur ab vniuersa Ecclesia, semperque seruata leguntur, & in nullo Concilio, vel summi Pontificis decreto instituta esse reperiuntur, signum est, ab Apostolica traditione manasse, vt, verbi gratia, quòd Eucharistia à ieiunis sumatur, quòd aqua vino consecrando misceatur, &c. in his verò quædam sunt absolutè recepta in vniuersa Ecclesia tam Græca, quàm Latina, vt ea, quæ diximus, alia verò sunt recepta in vniuersa Ecclesia Latina, non tamen in Græca, vel è contrario, vt quòd fiat consecratio in azymo, vel fermentato, quæ potuerunt etiam ab Apostolis manare, nam cum diuersi in diuersis regionibus prædicauerint, & Ecclesias fundauerint, potuerunt in his, quæ pendebant ex humano arbitrio, diuersos ritus tradere seu introducere. Cuius egregium exemplū est in illa antiqua controuersia de celebratione Pa- C schatis, in qua Orientales contendebant ritum celebrandi Pascha luna decima quarta, quocunque die hebdomadæ incideret, sibi fuisse à Ioanne Euangelista traditum: Romani verò, & Occidentales ex Petri traditione Pascha esse Dominica die celebrandū semper docuerunt. Quem ritum ab vniuersa Ecclesia seruari posteà præcepit Concilium Nicenum: atq; simili modo sunt aliæ vniuersales ceremoniæ, quas constat esse à Pontificibus institutas, vt de aqua benedicta, &c. Alij verò ritus particularium regionum aut diœcesium ex priuatis consuetudinibus vel ordinationibus Episcoporum introducti sunt.

Penes quē potestas ... di ritus.

Vnde intelliguntur verba citati canonis Concilij Trid. sess. 7. cano. 13. vbi sic inquit. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solenni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem immutari* D *posse, anathema sit.* Hæc enim verba intelligenda sunt præcipuè de vniuersalibus ritibus in vniuersa Ecclesia, præsertim Romana, receptis, de quibus non dicit Concilium, per nullum pastorem mutari posse, sed non per quemcunque: nam ab inferioribus Episcopis mutari non possunt, quia huiusmodi ritus vniuersales, vt dixi, originem habent ab vniuersaliori & superiori potestate: inferiores autem non possunt derogare ea, quæ à superiori instituta, & præcepta sunt, summus autem Pontifex de plenitudine potestatis suæ posset huiusmodi ritus mutare: quia eius potestas non est inferior, sed eadem cum illa, ex qua huiusmodi ritus originem duxerunt. Nunquam tamen id faciet sine magna necessitate vel vtilitate, præsertim in his obseruantijs, quæ antiquissimæ sunt in Ecclesia, & ab Apostolis creduntur traditæ, ac perpetuò obserua-

obseruatæ. Atque eadem proportione iudicandū est de priuatis ceremonijs particularium Episcopatuum nam illæ etiam possunt ab Episcopis mutari, si expedire censuerint, quando propria summi Pontificis autoritate non sunt confirmatæ propter eandem rationem. Cauendum tamen est in huiusmodi mutationibus scandalum, & pro temporum ac locorum opportunitate semper est habēda ratio diuini cultus & fructus animarum.

Eiusdē Ecclesiæ est sacramentalium ministros designare cuius est sacramētalia instituere.

Dico tertiò, sicut hæc sacramentalia per Ecclesiā sunt instituta, ita ministri eorum illi sunt, qui iuxta eandem Ecclesiæ institutionem sunt ad hoc ministerium designati. Ratio est clara, quia ad eum pertinet designare ministrum alicuius actionis, seu ministerij ad quem spectat talem actionem & ministerium instituere, nam illud est veluti pars institutionis. Qui autem designati sint ab Ecclesia ad huiusmodi sacramentalia efficienda, non potest in genere dici, donec ad singula descendamus: nam quædam fieri possunt à simplici sacerdote, quædam ab Episcopo: & quædā solus summus Pontifex exercet, vt est consecrare cereos Dei agnos. Loquendo verò specialiter de his sacramentalibus, quæ sunt veluti circunstantiæ solennis administrationis alicuius sacramenti, ille potest regulariter loquendo talia sacramentalia ministrare, qui potest tale sacramentum tanquam minister ex officio conferre. Ex quo rectè colligit Durand. in 4. distinct. 2. quæst. 1. num. 8. in hac re posse fieri mutationem per summum Pontificem, nam ea sacramentalia, quæ nunc solus Episcopus potest efficere possunt committi simplici sacerdoti ex ordinatione Pōtificis: quia cū hæc sint de iure positiuo, mutari possunt ab eo qui supremam habet in eo genere potestatem. An verò hoc ministerium possit cuilibet inferiori clerico, vel etiam laico committi, ex professo dicetur in tractatu de sacramento Ordinis.

SECTIO IIII.

Vtrùm hæc sacramentalia habeant aliquē effectum spiritualem.

Quæstionis explicatio.

NOn est quæstio de effectibus ex opere operātis, seu ex natura ipsius operis: nam certū est, hos actus, cùm sint honesti & religiosi cultus Dei, ex se aptos esse ad meritum, & satisfactionem, si operans sit in gratia, & debita intentione ac modo hæc omnia obseruet, seu operetur: quia talis obseruatio est grata Deo: ergo de se meretur apud ipsum, effectum gratiæ ex opere operantis. Vnde legimus, interdùm sanctos passos esse Martyrium nē ceremonias Ecclesiasticas contemnerent, vt eleganter prosequitur Tertul. in libr. de Corona militis, & in scriptura habemus Machabæorum exemplū: quia nimirùm in his continetur quædam professio fidei, & religionis: ergo si debitè fiat, erit valde meritoria, iuxta illud ad Rom. 10. *Confessio fidei fit ad salutem,* & illud Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Item constat, huiusmodi ceremonias esse aptas ex se ad excitādam memoriam, intelligentiam, ac deuotionem circa Deum, & res diuinas, vt in superioribus ostensum est, & hos effectus voco connaturales ipsi operi. Quæstio ergo est de effectu aliquo per modū operis operati, qui coniunctus sit cum tali opere ex speciali vir-

A tute seu efficacia vel promissione illi addita ex vi institutionis. Est autem ratio dubitandi, quia hæc sacramentalia, vt dictum est, per Ecclesiam sunt instituta: non videtur autem Ecclesia habere potestatem ad promittendum, vel conferendum aliquem effectum spiritualem ex opere operato. In contrarium verò est quia omnes autores, qui de his sacramentalibus scribunt, aliquam spiritualem vim illis attribuunt.

Vt distinctiùs respondeamus, distinguamus omnes effectus, qui videntur posse his sacramentalibus attribui. Primus est, gratia gratum faciens habitualis. Secundus, aliquod auxiliū, vel bonus motus gratiæ. Tertius, remissio culpæ saltē venialis. Quartus, remissio alicuius pœnæ temporalis, cuius reatus manere solet remissa culpa. Quintus, dæmonis expulsio vel cohibitio, ne lædat. Sextus aliquod commodum temporale, vt sanitas, vel aliquid huiusmodi. Est au- B tem obseruandū, quando inquirimus, an sacramētalia habeant huiusmodi effectus, non esse sensum, an omnia & singula cōferant omnes illos, quia non omnia habent eosdem effectus, neq; ad eosdē fines sunt instituta, quod colligendum est ex singulorum institutione, & modo quo conficiuntur, sensus ergo est indefinitus, an in latitudine sacramentalium sint aliqua quæ hos effectus conferant.

Circa primum effectum, certum est, per hæc sacramentalia nō conferri gratiam ex opere operato, quia si hoc haberent, iam non essent sacramentalia, sed sacramenta, vnde, quibus rationibus suprà probauimus, non habere Ecclesiam potestatem instituendi sacramenta, probari etiam potest, non potuisse dare his ceremonijs virtutem ad conferēdam gratiam ex opere operato.

Prima opinio affirmans habere vim excitandi bonū gratiæ motū ex opere operato.

C Circa secundum effectum, nonnulli tribuunt his sacramentalibus virtutem ad excitandum in nobis aliquem bonum gratiæ motum ex opere operato. Quæ sententia tribui solet D. Thomæ infrà quæst. 83. art. 3. dicenti templum & res alias ab Ecclesia cōsecratas habere spiritualem quandam virtutem, per quam apta diuino cultui redduntur, vbi Caiet. ait, hanc virtutem non esse qualitatem aliquam his rebus consecratis superadditam, quod est certissimū, alioqui fingenda esset in templo consecrato qualitas aliqua spiritualis illi inhærens, & in eo permanens, quandiu consecratio durat, quod non solum absurdum est, sed etiam ridiculum: dicit ergo Caiet. esse habilitatem quandam, quam ipse spiritualem virtutē inchoatiue vocat, per quam huiusmodi res fiunt idoneæ ad excitandam in nobis deuotionem, & reuerētiam, tanquam instrumenta Dei. Quibus verbis sig- D nificat Caiet. hæc sacramentalia conferre hunc effectum per veram efficientiam physicam. Caietanum autem sequitur Soto dist. 13. quæst. 2. artic. 3. Fauet etiam D. Thom. quæst. 71. artic. 3. dicens, vnctionē, quæ fit in capite baptizati, conferre auxilium ad cōseruandam gratiam baptismalem, & per salinam typicam & sacerdotalem actum, diuinam virtutē operari salutem catechumeni. Quod sumpsit ex Rabbano, lib. 1. de institutione Clericorum cap. 27.

Secunda opinio negans.

Aliorū verò sententia est, huiusmodi res non habere aliam vim ad excitandum huiusmodi bonum motum, nisi illam, quam ex natura rei sequi diximus ex significatione ad placitum, seu deputatione ad diuinum cultum, sicut imagines excitant deuotionem, & scripturæ, ac voces. Ratio est, quia nullum apparet fundamentum ad tribuendum his rebus maiorem efficaciam ad huiusmodi gratiæ effectum.

Universidad de Deusto Biblioteca

Sed in hac remedia quædam via tenenda videtur, sunt enim inter huiusmodi sacramentalia quædam, quæ solùm deputantur ad cultum diuinum absque vlla speciali consecratione, vel benedictione, vt sunt imagines, aliqua ornamenta, & aliquæ pallæ, vel oratoria, & his similia. Quædam verò sunt, quæ licèt benedicantur, tamen in orationibus vel alijs ceremonijs, quibus benedictio fit, non postulatur huiusmodi effectus, vt videre licet in benedictione candelarum, &c. Aliæ verò sunt, quæ consecrantur & benedicuntur, orando & postulando huiusmodi effectũ, vt patet in benedictione vestiũ sacerdotalium, &c. Dicendum ergo est in primis, in nullis sacramentalibus esse virtutem ex opere operato ad dandum huiusmodi effectum. Et primò, quòd non sint instrumenta physica, probatur, quia licèt non implicet cõtradictionem, tamen nec est necessitas, nec fundamẽtum vllum ad id asserendum: cur autem sine sufficiẽti fundamento affirmabimus, datã esse Ecclesiæ potestatem, ad instituendas & eleuandas res sensibiles, vt sint instrumenta physica spiritualium effectuum? Alioquin eadem facilitate posset quis dicere, habere Ecclesiam potestatem ad instituenda instrumenta physica gratiæ, quia non est minus supernaturale, quàm templum vel alia res similis efficiat in anima supernaturalem actum gratiæ, quàm quòd aqua efficiat habitum gratiæ. Item, sicut est proprium Dei dare gratiam habitualem, ita etiam dare gratiam auxiliantẽ & excitantem: ergo, sicut ob hanc rationem non potest Ecclesia instituere signa effectiua gratiæ habitualis, non poterit etiam instituere signa effectiua gratiæ auxiliantis. Nec D. Thom. de hac virtute locutus est, præsertim in posteriori loco: agit enim de ceremonijs Baptismi, quæ fiunt circa paruulum, qui non est capax huiusmodi motus eo tempore, quo baptizatur, posteà verò non potest ceremonia Baptismi habere circa illum physicam efficientiam. Hac ergo efficientia relicta, quæ nullo modo probabilis est ostenditur præterea, hunc effectum non esse ex opere operato, eadem fere ratione cum proportione applicata, quia non potest Ecclesia instituere signum, in quo infallibiliter detur gratia sanctificans ex opere operato, etiam seclusa efficientia physica, ergo nec potest instituere signum in quo infallibiliter detur gratia auxilians ex opere operato: patet cõsequẽtia, quia vtriusque gratiæ solus autor est Deus: & ideo solus ille potest illam promittere infallibiliter sub signo sensibili, & non constat dedisse alicui potestatem hoc promittendi nomine suo. Et confirmatur, quia in nulla Ecclesiæ benedictione vel consecratione reperitur huiusmodi promissio, sed solùm oratio, in qua postulat à Deo huiusmodi effectum. Neque vllo testimonio, vel autoritate Ecclesiæ, ostendi potest Deum hoc aliquando promisisse, sine promissione autem non potest intelligi spiritualis effectus ex opere operato.

Quid in hac re dicendum primo.

Dicendum secundo.

Vnde secundò dicendum est, quando huiusmodi res sacræ deputantur aut benedicuntur, absque oratione Ecclesiæ ad hunc effectum specialiter ordinata non esse in eis vllam vim seu specialem rationẽ, propter quam eis tribuatur hic effectus, præter illam, quæ ex natura rei sequitur, scilicet per modum signi excitantis memoriam. Probatur quia seclusa promissione & oratione, nullũ superest fundamentũ talis effectus, vt clariùs patebit ex sequenti assertione.

Dicẽdum tertio.

Addo ergo tertiò, quando hæc sacramentalia in sua ad tales effectus benedictione specialiter ordinãtur per Ecclesiæ orationem, tunc per modum impẽtrationis specialiter conferri à Deo tales effectus adhibitis huiusmodi sacramentalibus, vt, verbi gratia, credendum est, in templo consecrato ratione consecrationis Deum specialius assistere ad exaudiendas fidelium orationes, vel eorum animos ad deuotionẽ excitandos, & sic de alijs. Probatur primò, ex ipsismet Ecclesiæ orationibus, quæ apud Deum magnã vim habent ad impetrandum, diligit enim eam tanquam sponsam. Item, quia aliàs frustra adhiberentur illæ orationes, nisi habere possent effectum, saltẽ per modum impetrationis. Non est autem hic effectus omnino infallibilis: quia non est fundatus in speciali aliqua Dei promissione, quia, vt dixi, de tali promissione non constat, sed fundatur in communi lege & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum, præsertim quando pro alijs funditur. Quocirca hic effectus non est specialis legis nouæ, vt colligi potest ex secundo Paralip. 6. & 2. Mach. 3. & ex alijs, quæ rectè congerit Vvaldens. tom. 3. de sacramentalibus capit. 147. Quando ergo D. Thom. ait, in templo vel huiusmodi rebus esse virtutem diuinam, solùm intelligit propter orationes Ecclesiæ Deum ibi speciale aliquod auxilium præbere, prout explicatum est.

Circa tertium effectum de remissione peccatorũ, nihil est hoc loco dicendũ: quia de remissione peccati mortalis nulla est difficultas: hoc enim non remittitur nisi per gratiæ infusionem, & ideò illius remissio propria est sacramentorum. De peccato autẽ veniali res est valde dubia, & pendet ex multis principijs tractandis in materia de Pœnitentia, & ideò differendum hoc est vsque ad q. 87. artic. 3. vbi hoc D. Thom. attigit. Solùm hîc duo, quæ clariora videtur & ex dictis in superiori puncto colliguntur, præmitti possunt. Primum est, illa sacramẽtalia, quæ ad hũc effectum non sunt ab Ecclesia instituta, non habere illum: quia hic effectus oriri debet ex institutione, & consequenter requirit finem, seu intentionẽ instituentis: nam sacramenta ipsa non habent aliquẽ effectum, nisi ab illo sint instituta (loquor autem directè & per se) ergo multò magis idem erit in sacramẽtalibus. Potest autem valde probabile signum huius institutionis & finis eius sumi ex modo, & orationibus, quibus conficiuntur sacramentalia, nam si in eis nulla fit mentio, nec deprecatio talis effectus formaliter, aut virtualiter saltem, signum est, non esse instituta ad huiusmodi effectum: secus verò erit, si in conficiendis ipsis sacramentalibus adiunguntur orationes, quibus huiusmodi effectus postulatur. Atque hinc fit verisimile, ea sacramẽtalia, quæ sunt proprijssima huius materiæ, scilicet, ceremonias, vel ritus, qui adiunguntur in solenni administratione sacramentorum, regulariter non habere hũc effectum quia non sunt ad hunc finẽ instituta, sed ad ornatũ sacramentorum, & deuotionem ac reuerentiam conciliandam. Secundũ est, si Ecclesia instituat aliquod sacramentale ad hunc finem (vt multi existimant de aqua lustrali) & adiungat orationes suas, quibus à Deo postulet hunc effectum, posse obtinere illũ per modum impetrationis, saltem impetrando bonum motum, per quẽ homo à veniali culpa liberetur, vt patet ex ratione facta in præcedenti pũcto. An verò possint sacramentalia habere maiorem efficaciam ad prædictum effectum, dicemus prædicto loco.

An ... vim ad ... sionem ... lium.

Circa quartum effectum de remissione pœnæ temporalis, non est dubium, quin sit in Ecclesia potestas ad

ad applicandum ex thesauro suo aliquam satisfactionem, ratione cuius aliqua pœna temporalis remittatur vltra meritum & satisfactionem propriam eius, cui applicatur; vt constabit in materia de indulgentijs. Sic igitur certum est, potuisse Pontificem applicare huiusmodi satisfactionis partem homini vtenti hoc vel illo sacramentali, vt nimirum oranti in tẽplo consecrato, vel alio simili, quæ applicatio si fiat erit per modum indulgentiæ; nec video, quomodo possit aliter per Ecclesiam attribui his sacramentalibus. An verò hoc modo sint aliqua sacramentalia instituta ad hunc finem, & ad hunc effectum illo modo tribuendum, mihi non satis constat; nec video, quo fundamento sufficienti affirmari possit. Nam de ceremonijs, verbi gratia, Baptismi, non est verisimile, ordinatas esse ad hunc effectum, cùm ipsum sacramentum per se sit sufficiens ad tollendam totam pœnam, & ante Baptismum non sit homo capax talis effectus. De ceremonijs verò aliorum sacramentorum, licèt non sit omnino eadẽ ratio, tamen modus institutionis videtur esse similis: & ideò nisi in particulari de aliquo sacramentali satis constet esse institutum ad hunc effectum, nõ est leuiter & sine fundamento asserendus. Illud verò multò improbabilius est, quod quidam asseruisse feruntur, scilicet, per huiusmodi sacramentalia interdùm remitti pœnam temporalem ante remissionem culpæ venialis, propter quã debetur. Est enim hoc improbabile: quia reatus pœnæ est intrinsecè annexus culpę, quandiu illa durat; & ideò, quandiu culpa nõ remittitur, reatus pœnæ nec tolli, nec diminui potest, vt iterum dicemus agentes de Baptismo.

De remissione pœnæ tẽporalis quid sentiendum.

Circa quintum effectũ, qui est expellere, & coercere dæmones, ex ipso vsu Ecclesiæ & ex orationibus quæ in conficiendis multis sacramentalibus dicuntur, constat satis, hunc effectum esse frequenter intentum ab Ecclesia. Quapropter primum omniũ statuendũ est, habere Ecclesiam specialem potestatem à Christo datam in dæmones, ad imperandũ illis, seu ad illos coercendos, seu expellendos. Hoc constat ex vsu & traditione Ecclesiæ, quæ colligitur ex Cælestino Papa Epist. 1. ad Episcop. Galliæ ca. 12. vbi inquit, *Eos qui ad regenerationis veniunt sacramẽtum, nõ priùs fontem vitæ adire, quàm Exorcismis, & insufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur.* Vnde in Concil. Carthag. 4. ca. 7. dicitur, Exorcistis dari potestatem ad imponendum manus super Energumenos, scilicet, ad pellendos dæmones. Et idem habetur in Cõcilio Aquisgranensi sub Ludouico 1. cap. 4. Hinc Iustinus in Dialog. contra Triphon. dicit, solitos fuisse Christianos adiurare dæmones, eosque per inuocationem Iesu Christi Domini nostri coercere; *Cuius* (inquit) *vim nominis, etiam dæmones exhorrescunt*; idem Apolog. 1. pro Christianis: & eleganter Lactant. lib. 2. c. 16. de dæmonibus loquens inquit. *Nocent illi quidem, sed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelsa non protegit, qui prophani sunt à sacramento veritatis. Iustos autem, id est, cultores Dei, metuunt, cuius nomine adiurati de corporibus abscedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt, quia nec Deo, per quem adiurantur, nec iustis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe vlulatibus editis verberari se, & ardere, iam iamque exire proclamant.* De eadẽ re scribit Tertullia. in Apologeti. ca. 32. & lib. ad Scapul. cap. 2. *Dæmones* (inquit) *non tantùm respuimus, verùm etiam reuincimus, & quotidie traducimus, & de corporibus expellimus.* Aug. 10. de Ciuit. ca. 22. & sæpè alias huius consuetudinis & potestatis meminit. Itẽ Cyprian. lib. 4. epist. 7. alias epistol. 76. circa finem, vbi Pamelius alia congerit.

Ecclesia specialem potestatẽ habet in dæmones.

Non explicant autem prædicti Patres, an hic effectus seu efficacia fundetur in merito vel priuata oratione ministri operantis, quanquam interdùm hoc significent, potest enim sine dubio multũ prodesse, non est tamẽ censenda hæc tota causa, imò nec simpliciter necessaria ad hunc effectum, vt sentiunt cõmuniter scholastici tractantes de Exorcismis, vel ceremonijs Baptismi. D. Tho. infrà. q. 71. art. 3. & in 4. d. 6. q. 2. ar. 3. quæstiun. 2. Bonau. a. 3. q. 2. Richar. ar. 6. q. 1. Palud. q. 4. art. 5. Durand. q. 4. Soto q. 2. ar. 5. Henric. quodl. 8. quæst. 35. vbi generaliter de sacramentalibus loquitur. Hoc etiã sentiunt Patres citati, quatenus hunc effectũ etiã tribuunt virtuti, & efficaciæ nominis Iesu, & inuocationis eius, & fidei ac sanctitati Ecclesiæ, sentiunt etiã prouenire hoc ab speciali potestate à Christo data, quæ etiã colligitur ex Matth. 10. Luc. 10. Marci 16. *In nomine meo dæmonia ejicient*: & in lege veteri videtur fuisse similis potestas, vt notat Hieronymus in id Matth. 12. *Filij vestri, in quo eijciunt?* Multò ergo magis erit in lege noua. Et cõfirmatur, quia sicut in administratione sacramẽtorũ effectus nõ pendet ex sanctitate ministri, quia nõ in sua, sed in Christi persona operatur: ita, neque in sacramentalibus, quæ ad hunc effectũ instituta sunt, efficacia pendet ex sanctitate ministri, quia nõ in sua, sed in persona Ecclesiæ operatur, hac enim de causa ad hoc munus consecratur, & ordinatur, & definitis verbis ac orationibus ab Ecclesia institutis vtitur, igitur, quanuis ministri sanctitas & meritũ cõferre aliquid possint, nõ tamẽ est hęc causa vnica nec necessaria huius effectus.

An hæc efficacia fundetur in oratione ministri operantis.

Sed explicãdum superest, qualis sit hæc potestas, & quis modus operandi hunc effectum. In quo primum reijcienda est sententia, quam scholastici referunt, potestatem hãc expellendi dæmones posse esse naturalem, à qua non multum discordat Burgens. 1. Reg. 16. qui musicę, & quibusdam alijs qualitatibus naturalibus hanc vim tribuit, est tamen ridicula sententia. Nam cùm dæmon sit substantia spiritualis, nec noceri potest, neque aliquid pati à qualitatibus naturalibus: ergo nec cogi potest, vt à corpore humano discedat. Item dæmon nõ habet præsentiam, vel vnionem cum corpore humano quæ pẽdeat ex dispositionibus corporalibus eius, vt facta transmutatione in corpore cogatur dæmõ inde recedere. Et quanuis fortasse propter corporis immutationem fieri possit interdum, vt impediatur dæmon, ne possit, vel saltem, ne tam facilè possit hominem vexare aliquo passionis seu alterationis genere, non tamen potest simpliciter impediri, ne hominẽ obsideat, & membra eius vel humores moueat localiter. Adde, quãuis hoc in rebus etiam alijs certum videatur, multò tamen certius esse in ceremonijs seu sacramẽtalibus Ecclesiæ, de quibus agimus: quia Ecclesia solùm vtitur orationibus, imperio, & sacris signis, in quibus nulla naturalis efficacia fingi potest, est ergo supernaturalis potestas & efficacia.

Secundò verò dicendum est, hoc non fieri per actionem seu efficientiam physicam, primò quidẽ, quia nec est necessaria, nec fundari potest, neque est gratis fingenda. Secundò, quia sæpe nullus intercedit effectus, qui per physicam efficientiam fiat: quia vel

Hic effectus nõ fit per physicã actionem, sed moralem.

vel hic effectus fit in homine: & hoc non, quia nullus potest probabiliter excogitari, vel in dæmone, & hic maximè potest esse motus localis, quia videlicet cogitur dæmō hinc recedere; nihil enim aliud positiuum potest fingi quod in dæmone fiat; hic autem effectus non semper fit; interdùm enim solùm impeditur dæmon, ne noceat vel ne tentet, etiam si loco recedere non cogatur, & tunc intelligi nō potest, quis effectus physicus fiat in dæmone, aut quomodo impediatur per actionem physicam, sed solū per virtutem diuinam cogentem illum, vel subtrahentem concursum. Si aliquando verò cogitur etiā mutare locum, vel recedere, licèt intelligi possit fieri hoc ab agēte extrinseco per actionem physicam, tamē non oportet ita fieri, nam cùm dæmones percipiant verba & signa humana, & vim eorum intelligant, morali modo præcipiuntur, & obedire cogūtur: fit ergo hic effectus non physice sed moraliter.

Huius efficaciæ triplex radix.

Sed adhuc restat explicandum, quis sit modus & quæ radix huius efficaciæ moralis. Respōdetur, Triplex potest assignari. Prima est veluti connaturalis, suppositis nostræ fidei mysterijs, cùm enim dæmon virtutem Christi, vel inuitus, agnoscat & credat, seque per Crucem eius victum & superatum intelligat, ex hoc ipso quasi ex natura rei sequitur, vt audito Christi nomine perhorrescat, & viso signo crucis eius, quodammodò torqueatur, & confundatur. Et ideo sancti his duobus signis Crucis, & nominis Christi potissimùm vsi sunt ad hunc effectum consequendū. Vnde Lact. lib. 4. ca. 27. inquit. *Sicut Christus cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, ita nunc sectatores eius, in nomine Magistri sui, & signo passionis eius, eos ab hominibus excludunt*, sic etiā Orig. hom. 6. in Exod. *Quid* (inquit) *timent dæmones, quid tremunt? sine dubio Christi Crucem, in qua triumphati sunt*. Secunda est vis impetrandi fundata, non tantùm in ministro, sed in sanctitate totius Ecclesiæ, in cuius persona minister orat, & ratione huius intercessionis fit hic effectus per modū impetrationis, sicut de secundo dictū est. Tertia causa probabilis est specialis potestas data Ecclesiæ à Christo Domino ad imperandum dæmonibus, qui ex ipsius Christi voluntate obedire coguntur: hæc enim potestas videtur colligi ex citatis locis Scripturæ, & ex vsu & traditione Ecclesiæ; cùm enim Ordinādo Exorcistas dat eis potestatem aduersus dæmones, non tantùm videtur eis cōcedere facultatem postulandi hunc effectum nomine suo, sed etiam in eos transferre potestatem aliquam specialem sibi à Christo concessam, & fortasse de hac loquitur Iustinus, quæst. 40. ad gentes, cùm inquit, esse vim quādam, quæ sub sensum non cadit, quæ timorem incutit dæmonibus cùm ab Ecclesia imperantur. Hanc etiā videtur August. lib. 83. quæstionū. q. 79. vocare publicam, & imperialem legem, & summi Dei potestatem, quæ interdùm sanctis conceditur, vt imperent infimis potestatibus. Verum est, hæc & alia testimonia intelligi posse de gratia gratis data, quæ ad gratiam miraculorum reuocatur, quæ interdùm sanctis hominibus cōceditur supra dæmones. De qua legi potest optima historia apud Greg. Nissen. oratione de S. Gregorio Thaumaturgo; nihilominus tamen intelligi etiam possunt de ordinaria potestate, quā etiam Augustinus suprà vocat publicā administrationem, quæ fit iussu eius, *Cui cūcta creatura subiecta est*, & eodem modo dicit ibidem, nonnunquam malos Christianos, vel schismaticos, vel hæreticos, per nomen Christi aut verba aut sacramenta Christiana exigere aliquid à potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est; & hæc vocat ibidem, *signa publicæ iustitiæ*, quæ efficaciam habent propter honorem excellentissimi imperatoris. Quòd si inquiras, cur hæc signa non semper sint efficacia, seu cur hic effectus non semper sit infallibilis. Respondet ibidem Augustinus, dicens. *Cùm autem nō cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id iustū, atque vtile iudicat, vel ad cōfundendos malos, cùm eos oportet confundi, vel ad monendos bonos, vt proficiant in fide, atque ista non iactanter, sed vtiliter possint, vel ad discernēda dona mēbrorū Ecclesiæ.* Itaq; hic effectus nō est ita absolutè promissus, quin impediri possit, vel propter priuatam, vel propter publicam causam. Nam cùm hic effectus non pertineat ad donum gratiæ gratum facientis, sed liberationem quandam à malo pœnæ, nō solùm ex proprio demerito seu obice impediri potest, sed etiam propter maiorem vtilitatem animæ, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum.

Cur hic effectus non infallibilis.

Circa sextum effectum, qui est beneficium aliquod temporale seu corporale, nihil nouum addendum occurit, non est enim dubium, quin aliquæ ceremoniæ, vel benedictiones sint ab Ecclesia institutæ ad impetrandos huiusmodi effectus, vt latè prosequitur Vvaldensis tom. 3. de sacramentalibus. ca. 163. & sequentibus. Tamen hic effectus solùm obtinetur per modum impetrationis, loquendo directè & quasi per se; per accidēs verò, & remouēdo prohibens, interdùm obtineri solet coercendo dæmonum potestatem, quomodo vti solet Ecclesia Exorcismis ad tempestatem repellendam, vel fuganda animalia nociua, vt. 2. 2. quæst. 90. D. Tho. tractat, & Soto lib. 8. de iust. & iur. q. 3. art. 3.

DISPVTATIO XVI.

De præceptis sacramentorum pertinentibus ad ministros eorum.

HActenus vniuersam doctrinam speculatiuā de sacramentis prosecuti sumus. Doctrinam verò moralem in hanc postremam partem reiecimus, vt clariùs ac breuiùs comprehendi possit, & ad vsum applicari. Moralis autem doctrina in tribus potissimùm versari potest. Primum, in explicandis præceptis, quæ ad rem aliquam pertinent. Secundū, in explicando modo, quo seruari debent, vel violari possunt præcepta. Tertiò in pœnis declarandis, quæ propter huiusmodi transgressionē impositæ sunt: loquor autem de pœnis Ecclesiasticis, vt sunt censuræ, inhabilitates, & huiusmodi; nam pœnæ quas Deus infligit, vel aliæ humanæ seu seculares, ad nostram considerationem non spectāt. Atque de his tribus capitibus dicemus, tam hoc loco, quàm in morali disputatione de singulis sacramentis, atque eandem methodum seruabimus disputando de singulis virtutibus, si Deus hoc aliquando cōcesserit. Rursus obseruandum est, duas solùm personas necessarias esse, vt sacramentum fiat, scilicet, dantē, & recipientē, quas suprà diximus debere esse distinctas, saltem in his sacramentis, quæ in vsu consistūt; atque hæ duæ personæ sufficiunt, generatim loquendo, nam licèt in quibusdam sacramentis plu-

res interueniant, tamen vel non sunt de substantia sacramenti, vel earum necessitas est ex speciali ratione alicuius sacramenti, quæ ad hanc generalem considerationem non pertinet. Ad has ergo pertinere possunt sacramentorum præcepta, quæ considerari possunt, vel quatenus absolutè pertinent ad ministrum, vel prout imponuntur recipienti, vel prout respectiuè respiciunt vnum in ordine ad alterum; vel ēconuerso; & iuxta hæc tria membra partem hanc moralem tribus disputationibus complectemur.

Denique obseruandum est, cùm sacramenta sint res maximè sacræ, in eis in primis habere locum ea naturalia præcepta, quæ virtus ipsa religionis circa res sacras præcipit obseruare. Quorum vnū, & præcipuum est illud negatiuum, non inferendi iniuriam nec indignè tractandi res sacras, vt in specie notauit D. Tho. 2. 2. quæst. 99. a. 3. dicens huius præcepti trāsgressionem ex genere suo esse peccatum mortale: quia est cōtra nobilissimam virtutem, & contra honorem debitum Deo. Aliud præceptum naturale & generale potest esse affirmatiuum, non absolutè, sed sub conditione, scilicet dignè tractandi sacramenta, si dispēsanda vel recipienda sint; quod fere idem est cum præcedēti negatiuo: & in his fundantur multa, quæ dicemus de præceptis sacramentorum, quæ ex natura rei oriuntur ex ipsamet sacramentorum institutione. Alia verò sunt positiua diuina vel Ecclesiastica, quæ omnia explicanda à nobis sunt.

SECTIO I.

Quis possit licitè, vel teneatur, sacramenta ministrare.

PRimum omnium statuendum est, potestatem administrandi licitè sacramentum supponere potestatem conficiendi illud; nam si quis sacramentum conficere non possit, multò minùs poterit illud efficere licitè. Quia si illud tētet efficere sine potestate, nihil efficiet, & hoc ipso erit sacrilegus, quia fictè tentat facere rem sacram, quam non potest efficere. Præterea facit contra Christi institutionem, qui certos ministros sacramentorum instituit. Tertiò quantum in se est prauum ritum in conficiendis sacramentis introducit, & facto ipso falsam doctrinam profitetur; & ideò meritò vt sacramenti illusor & in fide suspectus ab Ecclesia punitur. Quartò grauiter decipit, tum eum, cui huiusmodi fictum sacramentum tribuit, tum etiam Ecclesiam, ex qua deceptione sequi possunt grauia incōmoda, vt exteriores idolotriæ, animarum pericula, scandala, & similia.

Quòd si quis inquirat, quænam sit hæc potestas. Dicendum est, non esse eandem respectu omnium sacramentorum, nam in quibusdam sufficit potestas ordines sacerdotalis, vel Episcopalis; aliquando requiritur etiam potestas iurisdictionis; aliquando verò neutra est necessaria ad valorem sacramenti, vt in Baptismo. Hic ergo absolutè loquimur de potestate, qualis necessaria fuerit, vt sacramentū teneat. Dices, quid, si ministraturus sacramentum dubius sit de sua potestate, idest, an sit ordinatus, vel iurisdictionem habeat. Respōdetur primo, si dubium tale sit, vt in neutram partem possit homo inclinari per assensum saltem probabilem, non potest licitè sacramentum ministrare, quia exponit se manifesto periculo, nihil faciendi, & incurrendi in omnia incommoda superiùs indicata. Secundò, quando hoc dubium est formido quædam, si cū illa sit cōiūctus assensus, quo pensatis omnibus, homo iudicat esse probabilius, se habere talem potestatem, regulariter loquēdo potest illa vti, si nullum detrimentū, vel iniuria tertiæ personæ intercedat. Probatur, quia huiusmodi iudicium est humano modo certum, & ideò est moraliter sufficiēs ad regulandas actiones humanas, quando nec certior cognitio haberi potest, neque ex hoc vsu sequitur graue aliquod detrimentum, quod facilè & sine vllo incommodo vitari non possit. Et confirmatur, nā propter hanc causam in omnibus alijs rebus licitum est vti opinione probabiliori, quandocūque illa duo concurrunt, quòd nec comparari potest certior cognitio, nec ex illo vsu sequitur graue detrimentum, quod facile vitari non possit, quod est extrinsecum & per accidens. Ratio verò est, quia vix potest homo certiorē cognitionem in quacunque materia consequi, & præsertim in rebus agendis, quæ lubricæ sunt & incertæ, ergo præter rationem esset, maiorem certitudinem requirere in homine ad conuenientem modum operandi. Tertiò quādo iudicium est probabile, vel verisimile, ita tamen, vt simul homo iudicet esse probabile, vel probabilius, se nō habere necessariam potestatem, res est magis incerta. Nam quidam absolutè, docent, tunc esse liberum homini sequi iudicium probabile, & in re incerta vti iure suo & potestate, quam se habere probabiliter credit. Alij verò absolutè negāt propter periculum quod in re ipsa existit nihil faciendi, propter probabile iudicium. Quæ ratio ita videtur vrgens, vt videatur concludere nunquam esse in hac re vtendum iudicio probabili absque certitudine morali, & humana, nisi aliqua necessitas, vel grauis causa ad id cogat: quod sanè est satis verisimile. Et ideò censeo, neutram ex illis duabus contrarijs sententijs posse generaliter ad praxim reduci, nam prior quidē non semper erit tuta, vt ratio facta conuincit, posterior verò sæpe erit nimis rigida, & hominen conijciet in magnas angustias & perplexitates. Quocirca prudenter sunt pensandæ occurrentes circunstantiæ vt homo, temere & sine causa non se exponat periculo faciendi sacramentum irritum & nullum; hoc enim re vera non licet; censebitur autem se exponere huic periculo, quando sine necessitate graui vel causa vrgente vtitur potestate incerta, sequendo iudicium minùs probabile. Secus verò erit, quando necessitas vrget, & non est alia securior via, quia, verbi gratia, vel sacramentum omnino omittendum est, vel illo probabili modo dispensandum, tunc enim licitum esse poterit vti tali potestate, quia tunc non tam se exponit periculo, quàm permittit illud, vt maius vitet, & alioqui habet humanam cognitionem quæ potest esse sufficiēs principium rectè operandi, quando aliunde non oritur speciale incommodum aut periculum. Atque tota hæc doctrina sumpta est ex generalibus principijs, quæ de vsu conscientiæ traduntur à theologis, & eam posteà ad singula sacramenta applicabimus, & ideò in cōgerendis exemplis in particulari non immorabor, ne prolixior sim.

In re incerta quæ mediocritas tenenda.

Ius ad sacramenta ministranda requiri.

Secūdò dicendum est, præter potestatem conficiendi sacramentum, requiri ius seu facultatem admini-

Universidad de Deusto Biblioteca

ministrandi illud, vt licitè posit dispensari. Itaque non omnis, qui potest facere sacramentum, potest etiam licitè illud dare, sed qui cum potestate habet etiam ius. Conclusio est certa, quæ originem trahit à iure diuino, pendet tamen aliquo modo ex determinatione iuris humani. Quod explico in hunc modum, nam, vt docet August. lib. 2. contra Parmeni. cap. 13. soli sacerdotes, per se loquendo, habent potestatem & ius administrandi sacramenta, quæ ab ipsis administrari possunt, quia collatio sacramenti est actio sacra, ad quam dignè perficiendam ministri consecrantur. Excipitur autem ab hac generali regula, in primis Matrimonium, in quo ipsi contrahentes habent rationem ministri conficientis sacramentum: quia materia & forma illius hoc requirit, nam in ipso exteriori contractu posita est. Quãquã nunc ex Ecclesiæ ordinatione, necessaria sit præsentia parochi, non vt sit minister sacramenti, sed vt cõditio quædam necessaria ad valorem contractus. Deinde excipi potest Baptismus, quẽ interdùm potest laicus ministrare; quæ facultas concessa est in illo sacramento propter necessitatem eius; & ideò, si extra necessitatem laicus ea vtatur, faciet quidem sacramentum, quia simpliciter potestatem habet, grauiter tamen peccabit, nam non habet ius & indebito modo potestate sibi data vtitur, alienum ministerium vsurpando. Vnde Augustin. suprà sic inquit. *Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est, quod autem datum fuerit, non poterit dici nõ datum, quanuis possit dici illicitè datum.*

Secundò obseruandum est, in ipsis sacerdotibus præter potestatem Ordinis, quam ex vi suæ Ordinationis habent, vt licitè possint ministrare sacramenta, requiri potestatem iurisdictionis, vel ordinariã, vel ab eo delegatam, qui est ordinarius pastor, quod quidem à iure diuino originem ducit, per ius autem positiuum consummatur. Loquendo enim in genere vel in vniuersali, de iure diuino est, vt in Ecclesia alij sint pastores, ad quos cura animarum pertineat, alij verò sint oues. Ioan. 20. ad Ephes. 4. Et ipsa naturalis ratio dictat, in corpore mystico, quale est Ecclesiæ, ad conueniens eius regimẽ, necessariã esse hanc munerum distinctionem, ordinemque hierarchicum. Hoc autem posito, necessariò sequitur, administrationem sacramentorum esse proprium munus pastorum Ecclesiæ, quibus cura animarum incumbit. Primò quidem, quia ipsi sunt dispensatores mysteriorum Dei, & ideò ad illos pertinet cura & solicitudo, atq; discretio inter dignos & indignos, vt sacramenta pro dignitate tractentur. Secundò, quia sacramenta sunt animarum medicinæ, & ideò pastorum animarum esse debet ius illa dispensandi. Tertiò, quia per sacramenta constituuntur membra Ecclesiæ, & ministri etiam Ecclesiæ ordinãtur: ergo necesse est, vt hoc pertineat ad eos, qui Ecclesiam regunt, alioqui necesse esset, multa fieri in Ecclesia inordinatè, ac confusè. Hoc ergo modo ducit hæc obligatio originem ex iure diuino. Per ius autẽ humanum consummatur, quatenus iurisdictionis huius distributio per homines facta est, & à supremo capite Christi Vicario ad cæteros aliquo modo deriuatur, qua diuisione facta, & huic, vel illi homini tali iurisdictione applicata, etiã fit illi iniuria, vsurpando ius seu ministerium eius absq; superioris delegatione seu facultate. Atque ex hoc capite peccat Episcopus, qui in aliena diœcesi Ordines confert, sine proprij Episcopi facultate; peccat etiam simplex sacerdos propria autoritate ministrans sacramenta alienis ouibus: peccant denique omnes, qui iuxta Ecclesiastica statuta priuati sunt iure seu vsu administrandi sacramenta, & nihilominùs ea dispensant. Quarè in hoc negotio potissimùm consulendæ sunt Ecclesiasticæ leges, & omnino seruandæ. Notanda verò est differentia quæ in hoc est inter sacramẽtum Confessionis, & cætera, quia in alijs sacramentis hæc facultas & iurisdictio est necessaria, vt licitè dispensentur sacramenta, si tamen absque illa ministrentur, valida erũt, in sacramento autem pœnitentiæ iurisdictio necessaria est ad valorem sacramẽti, quoniam est actus iudicialis, vt suo loco dicemus. Nũc etiam in sacramento Matrimonij, ad valorem eius aliquo modo necessaria est iurisdictio, quia est necessaria præsentia Parochi, vel alterius sacerdotis ex eius commissione. Sed hoc non est ex natura, vel ministerio sacramenti, sed solùm quia est conditio ex iure positiuo necessaria ad valorem contractus, vt dictum est, & alibi latiùs dicemus.

Potestas iurisdictionis orta à iure diuino, iure consummatur humano.

Dico tertiò, obligatio ministrandi sacramenta solùm cadit in eum, qui potest illa licitè ministrare, vel simpliciter, vel in casu aliquo, quia obligatio esse non potest, nisi de actu licito. Potest autem hæc obligatio ex duplici capite oriri, vt omittã alias obligationes extrinsecas, vt esse possunt ex voto, obedientia, &c. hæc enim sunt accidentalia, quæ sub sciẽtiam non cadunt. Vnũ caput est, caritatis, seu misericordiæ, in quo seruandæ sunt generales regulæ de tempore, in quo obligat præceptũ caritatis, seu misericordiæ: nihil enim aliud speciale hic addere oportet. Secundum caput est iustitiæ, cuius obligatio conuenit tantùm illis, qui, vel ex officio vel ratione stipendij, & promissionis, & pacti tenentur hoc munus exercere. Quapropter vtraque ex his obligationibus ex suo genere grauis est, & sub mortali obligat: posterior autem est maior & illius trãsgressio potest interdum obligationem restituendi inducere, quia hæc obligatio ad iustitiam commutatiuam pertinet. De hac verò obligatione magis in particulari dicemus in sequentibus, tractando de singulis sacramẽtis, & præsertim in materia de Pœnitentia, & de Ordine.

Ad ferm… ta mini… obligat… quis,… tione… tis,… tia.

SECTIO II.

Vtrùm ministri sacramentorum teneantur non mutare formas nec materias sacramentorum, & quo modo in hoc peccent.

PRimum fundamentum huius materiæ esse debet, sacramentorum ministros iure diuino teneri ad retinendum in vsu sacramentorum materias, & formas à Christo institutas. Hoc est de fide certum, & ex ipsa institutione intrinsecè sequitur, nam tenentur vera sacramenta conficere, non ficta & falsa: non efficient autem vera sacramenta, nisi applicent materias & formas à Christo institutas.

Ex hoc igitur fundamento sequitur primò, esse graue peccatum mutare in forma vel materia sacramenti aliquid substantiale seu essentiale. Probatur, quia facta hac mutatione, non applicatur materia, & forma à Christo instituta, nã quidquid est de essentia talis materiæ, & formæ cadit sub talem institutionem. Secundò, quia facta tali mutatione non fit verum sacramentum, vt suprà ostensum est, tenẽtur autem, vt dixi, sacramẽtorum ministri vera ministrare sacramenta, alioqui & sacramentis ipsis, & eorum autori Christo, & suscipienti, & vniuersæ Ecclesiæ magna fit iniuria, dum nouus ritus introducitur contra Christi institutionem, & frustrantur fideles veris sacramentis ac remedijs salutis suæ. Atque (vt hoc obiter definiamus) sub hac assertione comprehendi potest intẽtio ministri, quæ suo modo essentialis dici potest, quatenus simpliciter necessaria est, vt sacramentum sit validum. Quapropter non adhibere debitam ac necessariam intentionem in conficiendo sacramẽto mortale peccatum est, illudque grauissimum. Sed quæres, an huiusmodi lapsus possit interdum per ignorantiam excusari. Respondetur, ignorantiam iuris, moraliter loquendo, nunquam posse in hoc negotio excusare; quia hoc generale ius, quòd sacramenta debeant cõfici vera & integra ex partibus saltem essentialibus, tam est per se euidens, vt non possit ignorari, suppositis principijs fidei, quæ ex parte sunt lumine naturæ nota, scilicet, quòd sancta verè ac religiosè & sine fictione ac deceptione tractanda sunt. Lex autem particularis de materia & forma essentialia singulorũ sacramentorum, quanuis ignorari possit à multis, tamen à ministris sacramentorum non potest ignorari sine culpa: quia vel non debent se se huic ministerio ingerere, aut si volunt illud suscipere, tenẽtur priùs huiusmodi ignorãtiam expellere. Loquor autem moraliter & regulariter, quia non nego posse accidere, (speculatiuè rem considerando, seu casus fingendo,) vt aliquis ex ignorantia inuincibili habeat falsam existimationem circa essentiam alicuius sacramenti, sed illud rarò accidet, & valde accidentarium est: & ideò non cadit in cõsiderationem moralem. At verò, loquendo de ignorantia facti seu naturali inaduertentia, sæpe accidere potest, vt minister à culpa excusetur, consecrando verbi gratia, in aqua, vel omittendo aliquod verbum ex aliqua perturbatione, quæ perfectam aduertentiã, ac deliberationẽ impediat, quod notauit Caiet. in sum. verbo. Missæ celebratio, circa finem. Est autem difficile discernere, quando hæc inaduertentia est inculpabilis, aut sufficientia indicia præbere ad hoc iudicandum. Existimo tamen, si quis bona fide & intentione procedat, & moralem diligentiam adhibeat, qualis ordinariè adhiberi solet à viris prudentibus ac timoratis, facilè excusare à culpa præsertim graui. Quid autem faciẽdum posteà sit, quãdo contingit huiusmodi defectum committi, dicemus commodiùs in singulis sacramentis. Regula enim frequentiùs seruanda est, iterandum esse sacramentum, præsertim si sit necessitatis. An verò interdùm aliud expediat, pro ratione sacramenti & circunstantiarum iudicandum est, & in particulari, vt dixi, dicetur meliùs.

Peccat … ter, … stanti… mam, … teriam … tal.

Is qui debitã intentionẽ nõ adhibet, vt peccat.

An ignorantia excuset.

Secundò colligitur ex prædicto fundamento, teneri ministrum sacramẽtorum ad applicandam materiam & formam certam, grauiterque peccare, si vtatur materia seu forma dubia vel incerta, omissa certa, etiam si id faciat sequendo opinionem probabilem speculatiuè, vel etiam probabiliorem, de veritate & sufficientia. Hanc assertionem indicauit Scotus in 4. distin. 3. quæst. 2. a. 3. in prima variatiõe, licèt nõ tã distinctè eã explicuerit: exẽpla sunt facilia; si quis verbi gratia, in Baptismo diceret in forma. *In nomine Genitoris*, &c. omisso nomine Pa*tris*, &c. vel si in forma calicis omitteret illa verba. *Qui pro vobis & pro multis*, vel qui cõsecraret in materia hordeacea, aut Cõfirmaret sine balsamo. Ratio verò est tacta in præcedẽti sectione, quia in huiusmodi mutatione exponit se minister periculo nihil faciẽdi, quia relinquit certum, & assumit incertum, & quantumuis speculatiuè opinio probabilis sit, si tamen in re est falsa, vt esse potest, nihil fiet. Est ergo manifestum morale periculum, ergo est sacrilegium tali periculo sine causa se exponere. Nam, si ministrare fictum seu falsum sacramentum, sacrilegum est, vt ostendimus, etiam erit sacrilegum exponere se sine causa tali periculo, quia in moralibus perinde est aliquid facere, & exponere se periculo faciendi. Quòd autẽ hoc fiat sine causa patet, quia vt supponimus, teneri potest via certa, illa omittitur solùm voluntariè ad vtendum incerta. Confirmatur, quia huiusmodi mutatio semper est contra vniuersalem Ecclesiæ morem, & contra reuerẽtiam sacramento debitam; materia enim & forma sacramenti, quæ sunt in communi vsu Ecclesiæ, semper sunt certæ, & ad reuerentiam sacramento debitam spectat, vt ex materia & forma certis conficiatur, si commodè potest.

Materia, aut forma vti incerta, quando peccatum sit.

Obiectio. Dices, ergo nunquam licebit vti materia vel forma probabili in conficiendo sacramento: nã, si hoc est malum, est natura sua intrinsecè malum, quia sicut exteriùs efficere sacramentum fictum & nullum, est intrinsecè malum, ita exponere se morali periculo nihil faciendi est intrinsecè malum; quia hæc duo, vt diximus, moraliter idem sunt: ergo nunquam hoc licebit: consequens verò est falsum, nam sæpe est necessarium vt materia probabili. *Responsio.* Respondetur, aliud esse vti materia probabili, voluntariè omissa certa; aliud verò esse vti materia probabili, quando certa abhiberi non potest. Primum est propriè se exponere periculo; & ita concedo nunquam licere; sed esse intrinsecè malum. Secundum verò potest interdùm licere. Exemplo res declaratur, nam in sacramento Confirmationes Chrisma confectum ex balsamo & oleo & consecratum ab Episcopo est materia certa; oleum verò simplex ab Episcopo benedictum est materia probabilis; vti ergo hac posteriori materia, quãdo est copia prioris, semper est malum propter rationem factam; vti verò simplici oleo consecrato ad conficiẽdum Cõfirmationis sacramentum, vbi Episcopus non posset alicuius balsami copiam habere, non esset malũ: quia tunc, moraliter loquendo, non se exponit periculo, sed patitur potiùs seu permittit aliquod periculum, quod vitare non potest, vt sacramentum conficiat saltem probabile: nam minus malum hoc est, quàm omnino carere sacramento: cui nulla in hoc fit iniuria vel irreuerentia, quia fit certiori modo, quo tunc potest moraliter fieri.

Sed vrgebit aliquis, nam in materia Confessionis sæpe licet vti materia probabili omissa certa, vt verbi gratia, cõfiteri cum attritione cognita absq; contritione, cùm tamen hæc sit materia certa, illa verò probabilis tantùm, & vtraque sit in hominis potestate. Simile exemplũ est, quando sunt opiniones, an teneatur quis in tali casu confiteri tale peccatũ, necne; tunc enim, si pœnitens confiteatur illud, vtitur materia certa: quia nõ est dubium, quin illa sit confessio integra, si verò taceat, vtitur materia probabili. & tamen hoc licet, quanquam vtraque materia sit in eius postate. Respondetur; in

An, qui in materia confessionis vtitur materia probabili, omissa certa, peccet.

Universidad de Deusto Biblioteca

hoc posteriori casu semper materiam esse certam, quia semper est confessio integra formaliter, & hæc est materia certa & indubitata confessionis: dicitur autem confessio formaliter integra quandocunque nihil in confessione tacetur ex malitia, seu negligentia quæ ad peccatum mortale sufficiat; quando verò aliquid prudenter ac licitè tacetur propter occasionem, talis confessio formaliter est integra sine vlla dubitatione. At verò, qui sequendo opinionem probabilem aliquid tacet, prudenter ac licitè operatur, & ideò practicè certus est, se facere confessionem integram absque formali mutilatione, & ideo etiam est certus exhibere se, materiam certam sacramenti. Eadem responsio applicari potest priori exemplo: quanquam enim sit sub opinione an attritio cognita sufficiat ad effectum sacramenti consequendum, tamen, quod ad sacramentum ipsum conficiendum sit materia sufficiens, certum est, & extra omnem opinionem; & ideò qui sic accedit, materiam certam sacramenti præbet; & ideò in hoc non peccat. Dices, peccabit saltem in hoc, quòd non adhibet dispositionem certam ad effectum sacramenti, & exponit se periculo frustrandi sacramentum suo effectu, quod non videtur minus malum, quàm exponere se periculo non conficiendi sacramentum. Respondetur, reprehensione dignum esse eum, qui sic accedit, præsertim si possit absq; magna difficultate contritionem procurare, vt enim inquit Augusti. 1. de Bapt. cap. 3. *In rebus ad salutem animæ pertinentibus, hoc ipso grauiter quis peccat, quòd certis incerta præponit.* Et quidem si articulus esset extremæ necessitatis, vt in articulo mortis, non excusarem huiusmodi hominem à graui culpa, propter graue periculum æternæ mortis, quod est damnum irreparabile: extra hunc verò articulum excusari potest, præsertim ob difficultatem habendi contritionem, quia quod attinet ad reuerentiam sacramenti, iam ille accedit cum dispositione practicè sufficienti, cùm sequatur opinionem probabilem dicentem, ratione sacramenti non teneri ad perfectiorem dispositionem; quod verò pertinet ad effectum sacramenti, etiam si verū sit, se exponere periculo non obtinendi illum, tamen, cùm ille non sit tunc simpliciter necessarius ad salutem, & posteà possit alijs vijs suppleri, si fortè tunc non obtineatur, non est illa sufficiens ratio mortalis culpæ.

Mutare ritū ab Ecclesia præscriptum, contra religionem est & graue peccatum ex suo genere.

Tertiò addendum est, non solùm esse præceptū vtendi in sacramentis conficiendis materia & forma essentialibus, sed etiam seruandi eum modum in tali materia & forma, quem Ecclesia præscripsit, vel vniuersali ac recepta consuetudine obseruat: vnde mutationem in hoc facere ex suo genere graue peccatum est. Ita sentiunt communiter Theologi in quarto dist. 3. vbi Palud. quæst. 1. articul. 3. Soto distin. 1. quæst. 1. artic. 8. circa finem. Exempla sunt, siquis omitteret mistionem aquæ in consecratione sanguinis, vel in pane fermentato consecraret in Ecclesia Latina. Ratio est, quia in Ecclesia est potestas ad præcipiendum huiusmodi modum, seu accidentalem ritum, sicut ostensum est sectione præcedenti. Quòd autem de facto hoc præceperit, constare potest, vel ex vniuersali vsu, & consuetudine, vel ex Conciliorum aut Pontificum decretis, vt in particulari dicendum est iuxta materiæ diuersitatem. Denique quòd hoc peccatum ex suo genere sit graue patet, quia est contra virtutem religionis: vnde in sua specie est sacrilegium, sacrilegium autem ex suo genere peccatum mortale est. Potest autem hoc peccatum esse veniale ex leuitate materiæ, sicut alia peccata contra alias virtutes, quod tamen non contingit in mutatione essentiali, de qua in præcedenti assertione locuti sumus, nam illa semper est grauis materia, cùm ab illa pendeat tota substantia sacramenti, in accidentiali verò ritu potest esse latitudo, quia etiam si in illo fiat mutatio, manet sacramētum & tam parua esse potest, vt non censeatur res grauis. Vt verbi gratia si priuatim baptizando, vtatur lingua vulgari omissa Latina, vel si ex negligentia aliquantulum corrumpat formam, seruato sensu; nam hæc & similia leuia sunt, dummodò scandalum absit, & contemptus, vel intentio introducendi nouum ritum vel damnandi aliquem vsum Ecclesiæ, nam ex his circūstantijs fieret peccatum mortale, vt per se constat. His verò seclusis, leuis illa mutatio, ad summum, erit venialis culpa. Quin potius tales possunt occurrere circunstantiæ, vt nullum peccatum sit vt, si Baptismus sit necessarius, & nullus adsit, qui sciat formam Latinam proferre, nihil peccabit baptizando in lingua vulgari: nam cùm hoc sit accidētale & leue, mutari potest ob grauem causam seu necessitatem. Atque eadē ratione, siquis sit lingua impeditus, ita vt non possit formam proferre nisi aliquantulum corrumpendo illam, nō peccaret, faciendo prout posset: dummodò in essentialibus sufficienter faceret. Meritò tamen monet Palud. distinctione. 3. quæst. 3. circa finem, eum, qui habet huiusmodi impedimentum, non esse facilè assumendum ad ministerium sacramentorum, nisi res sit valde leuis.

SECTIO III.

Vtrùm sacramentorum ministri teneantur esse in statu gratiæ, quando ea ministrant, & quomodo in hoc peccent.

DVobus modis contingit ministrari sacramentum; vno modo quasi per se, vt cùm datur à ministro ex officio deputato & consecrato ad tale ministerium, & proprio ac solemni ritu accommodato tali sacramento: Alio modo quasi per accidens, vt cùm laicus baptizat in necessitate priuatim, & solùm vt necessitati subueniat. De priore modo dicemus in hac sectione, de alio verò in sequenti.

Minist… officio… se ad g… præpar… sacram… minist…

Dico ergo, qui ministrat sacramentum vt minister ex officio tenetur se ad gratiam præparare, & vt sanctè illud exerceat. Vnde, si sciens & videns, in statu peccati mortalis hoc faciat, mortaliter peccat. Cōclusio est communis theologorum, quos statim referam. Probatur primò ex Patribus, Dionys. c. 1. de Eccles. Hierar. sic ad Timoth. loquitur. *Ipsosque reuerendissimos præsules pontificio iure mouebis, munde vt munda, contingant*, & Epist. 8. ad Demophil. circa medium, *Nefas est, (inquit) ea, quæ iusta sunt, non secundum dignitatem, meritaque exequi*, & infrà: *Et mihi quidem videtur, audax nimium huiusmodi est, qui non veretur ea, quæ sunt diuina, præter meritum exequi*, & Gelas. Pap. vt habetur in capit. sacrosanct. 1. quæstio. 1. & apud Iuonem. in. 2. part. Decreti. capite. 90. & in 6.

in 6. parte. capite 110. *Quomodo (inquit) ad diuinum mysterium Spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos criminosis actionibus plenus esse probetur.* Quibus verbis non intendit Pontifex negare, quin adsit Spiritus sanctus ad conficiendum sacramentum, si sacerdos iniquus sit, sed negat aduenire ad sanctificandum ipsum, docetque non solùm sine fructu, sed etiam ad suam damnationem, ita conficere. Præterea Nicol. 1. ad consulta Bulgarorum. titul. 11. cap. 5. & habetur in capitu. vltimo. 15. quæstio. 8. *Mali (inquit) bona administrando, se tantummodò lædunt*, loquitur autem de sacerdote adultero Eucharistiam ministrante, vnde Greg. libr. 1. Epistol. 24. & habetur in capit. Necesse est. 1. quæst. 1. *Necesse est (inquit) vt munda sit manus, quæ diluere sordes curat*, adducitque illud Isai. 52. *Mundi estote, qui fertis vasa Domini.* Hinc Gregor. 9. in capitul. vltimo de temporibus ordinationum, dicit, monendos esse sacerdotes iniquos, & sub interminatione diuini iudicij obtestandos, si non pœnituerint, vt in susceptis Ordinibus non ministrent. Atque idem Pontifex in capitul. vltimo de Cohabit. Clerico. & mulier. dicit quēlibet sacerdotem, pro mortali peccato quo ad seipsum esse suspensum. Non quia speciali Ecclesiæ cēsura affectus, seu impeditus sit, sed quia ratione sui status, & peccati impeditus est, ne pro eo statu possit licitè sacramenta ministrare. De qua re multa similia decreta habentur. 1. quæstio. 1. Denique Diuus Augustinus multis in locis veritatem hanc docet ac confirmat. libro. 2. contra Parme. capitol. 10. *Omnia sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Appellat tamē indignè tractare, in peccato mortali ea ministrare, vt ibidem explicat, & alia plura habet capit. 2. 4. 5. & 11. & in enarratione Psalm. 103. circa illa verba, *Qui tegit aquis superiora eius. Videant (inquit) quam rationem sint reddituri coram Deo, qui sanctis non sanctè vtuntur.* Quæ omnia referūtur, prima quæst. prima, capitul. Omnia, capitul. Per Esaiam capitul. Prophetauit. Vnde idem August. libro. 4. de Trinit. capitul. 14. de sacrificio loquens, inquit, *Non posse rite offerri, nisi per sacerdotem sanctum & iustum.* Dicit autē, *rite*, id est honestè, & rectè: nam validè, bene potest offerri sacrificium etiam ab iniusto sacerdote: quod licèt ipsi vtile non sit, alijs potest prodesse. Atque in hanc sententiam congerit Augustinus testimonia veteris testamenti, quale est illud Isai. 66. *Facinorosus, qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidit*, & Leuiti. 21. *Incensum & panes offerunt Deo, & ideò sancti erunt Deo suo*, & capit. 22. *Omnis qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino*, & Exod. 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* In quibus locis interdum est sermo de immūditia, & sanctificatione legali: tamen ex eis sumi potest proportionale argumentum. Nam si ad ministranda legalia, & imperfecta sacramenta necessaria erat sanctitas & munditia legalis, ad ministrāda spiritualia sacramenta, & habentia vim sanctificandi per gratiam, erit necessaria spiritualis ac vera sanctitas.

De hoc esse naturale præceptum, verisimilius est.

Vltimò reddēda est ratio huius veritatis, ad quod necesse est explicare, an hoc præceptum sit positiuum, vel naturale. Nam quòd in Ecclesia sit hoc præceptum, dubitari non potest, vt cōstat ex decretis, & testimonijs adductis. Vnde quāuis sola ratione probari non possit, dicendo, latum esse, vel à Christo vel ab Apostolis, & perpetua traditione seruatum esse in Ecclesia; verisimilius tamen est, ex ipsa rei natura intrinsecè consecutum esse, supposita talium sacramentorum, taliumque ministrorum consecratione: nam hoc ipso, quod talia sacramenta & tam sancta, vereque sanctificantia instituta sunt, & ad illa dignè ministranda consecrantur sacerdotes, & specialem gratiam recipiunt, statim oritur obligatio ministrādi ea in statu gratiæ. Hanc verò consecutionem dupliciter probat D. Thom. suprà quæstion. 64. ar. 6. Primò, quia huiusmodi minister se exhibet in illo ministerio tanquam diuinum & animatum instrumentum ex officio ad huiusmodi munus deputatum: ergo tenetur se cōformare principali agenti, vt sit sanctus, sicut ille sanctus est: alio qui grauem irreuerentiam in eum committit. Secundò quia, quantum est in se, contaminat sacramētum tractando illud tanquam rem prophanam, non diiudicās neque discernens pretiosum à vili, neque ministerium sacrum à communi & vulgari, vt in simili dixit Paul. 1. ad Corin. 11.

Obiectio.

Dices, hac ratione probaretur, esse peccatum quamcunque actionem sanctam exercere in peccato mortali. Respondetur, non esse æqualem rationem, tum quia non omnis bona actio est specialiter consecrata & sanctificata Deo, neque speciali titulo est actio ipsius Dei, & instrumentum eius ad sanctificandos homines, quæ omnia in sacramentis repériūtur. Tertia probatio addi potest, nam sacerdotes sunt specialiter consecrati ad hoc munus, & ad illud dignè exercēdum specialem gratiam recipiūt: ergo ex vi talis muneris & consecrationis oritur eis obligatio, dignè ac sanctè tractandi sacramenta, saltem quādo illa ministrant ex officio. Dices, hac ratione probaretur, eum, qui post acceptum Cōfirmationis sacramentum ad confitendam fidem accedit, teneri in gratia accedere, quia per sacramētum est specialiter consecratus ad id munus.

Solutio.

Respondetur, quidquid sit an in eo casu aliūde oriatur hæc obligatio, vel ratione periculi, vel propter difficultatem & rei grauitatem; tamen, quod ad præsens spectat, non est similis ratio, quia illa actio, quia est proprium opus hominis, non habet specialem sanctificationem sicut actio sacramentalis. Item sacramentum Confirmationis non dat, vt illa actio meritoriè fiat primariò ac per se, sed vt fideliter & constanter fiat. Quartò possumus à signo argumentari: quia in ministerio sacramentorum vti vase immundo, est irreuerentia propter indecentiam, quæ tanta esse posset, vt fieret mortale peccatum; ergo cùm indecentia & immunditia peccati mortalis sit infinitè maior, & concursus ministri sit propinquior, & excellentior, maior irreuerentia erit, eum exhibere in peccato mortali: est ergo hoc sacrilegium & ex suo genere graue, quod tantò erit maius, quātò iniquitas ministri maior fuerit, & sacramentū dignius.

Attritio per se non est satis ad hoc ministerium.

Atque hinc sequitur, sacerdotem ministraturum sacramentum, si in peccato mortali priùs sit, non satisfacere huic obligationi, habendo attritionem. Poterit quidem per ignorantiam excusari, si ad hoc ministerium accedat cum sola attritione, inculpabiliter existimās, illam esse contritionē: nam talis ignorātia excusat à culpa: tamen reipsa ac per se loquendo, tenetur ad veram contritionem vel si attritionem solam in se agnoscat, tenetur confessionem præmittere: quia tenetur ita se disponere vt gratiam consequatur. Quo fit, vt si huiusmodi minister hinc teneatur ex officio ministrare

Universidad de Deusto Biblioteca

sacramentum, illinc verò ita sit peccato affectus, vt nolit statum illum relinquere, necessarium sit fore perplexum, vt quidquid faciat, peccaturus sit: nam si sacramentum ministret, erit sacrilegus, si non ministret, erit iniustus, non soluendo sui officij debitum. Neque mirum, si, supposita malitia, perplexitas oriatur, quæ simpliciter nulla sit, cùm sit in potestate huiusmodi hominis exire à peccato. Neque est, quòd aliquis ob rei difficultatem excusetur, quia contritio semper est moraliter possibilis cum diuino auxilio, quod omnibus præsto est. Quòd si aliquis ob prauam consuetudinem vel proximam occasionem quam præmanibus habet, tam est obstinatus vel affectus peccato, vt vix possit resurgere; sibi imputet, & vel à ministerio sacramentorum abstineat, vel totam illam difficultatem vincat ac superet.

Sed quæret aliquis primò, an sit præceptum præmittendi confessionem ante hoc ministerium, quãdo præcedit conscientia peccati mortalis. Aliqui affirmant, vt Marsil. in 4. quæst. 12. art. 1. part. 5. & insinuat Palud. dist. 5. quæst. 2. circa finem ante solutiones argumentorum. Et suaderi potest, quia sacerdos tenetur ministrare sacramentum in statu gratiæ: ergo tenetur moralem diligentiam facere, vt in eo statu constituatur ad hoc ministerium: huiusmodi autem diligentia fit per confessionẽ, quam qui omittit videtur se se exponere periculo ministrandi in peccato mortali. Respondetur, esse hoc optimum consilium, non tamen esse simpliciter necessarium præceptum, si sola ratio ministrandi sacramentum interueniat: hoc enim præceptum non est diuinum positiuum, quia neque ex scriptura habetur, neque ex traditione: non est etiam Ecclesiasticum, quia nullum est de hac re scriptum decretum, neque etiam ex consuetudine colligi potest; neque etiam est naturale, ita vt ex sola institutione sacramentorum & ministrorum possit sufficienti ratione colligi. Nam moralis diligentia, quam tenetur minister præmittere vt se ad gratiam præparet, sufficienter fit per contritionem, & quamuis maior sit illa, quæ fit per confessionem simul cum contritione, tamen non est, cur obligemus illum ad summam diligentiam, cùm illa prior sufficiat ad excludendum morale periculum, si homo bona fide procedat, & quod in se est faciat. Et confirmatur, quia non est minor obligatio in recipiente sacramenta viuorum accedendi in gratia, & tamen ex sola hac obligatione naturali non tenetur confessionem præmittere, sed hæc obligatio est singularis in Eucharistia propter proprium & speciale præceptum in illo sacramento impositum, vt suo loco videbimus. Et propter hanc causam addidi illam limitationem, si sola ratio ministrandi sacramentum interueniat; quia sacerdos ad conficiendam Eucharistiam tenetur confessionem præmittere, non tam propter actiuum ministerium (vt sic dicam) quàm quia communicaturus est. Vnde si solùm exerceat ministerium dispensandi Eucharistiam ex præconsecratis, non erit necessarium præmittere confessionem, sed contritio sufficiet. Atque hanc sententiam docent omnes autores statim referendi.

Præmittere confessionem non est simpliciter necessarium ad hoc ministerium.

Quæri enim vlteriùs potest circa eandem assertionem, an is, qui ministrat sacramentum in peccato mortali, committat duo peccata. Vnum omissionis, quatenus non conteritur, ad quod videtur teneri ex præcepto affirmatiuo: alterum commissionis, quatenus iniuriam facit sacramento illud in eo statu ministrando, quod videtur esse contra præceptum negatiuum. Respondetur, vnicum tantùm sacrilegij peccatum committere, quia tunc non habet propriè & absolutè affirmatiuum præceptum pœnitendi, neque illa obligatio habendi contritionem tunc oritur ex virtute pœnitentiæ, sed religionis, quæ obligat ad dignè tractanda sacramenta. Est autem peccatum illud, propriè loquendo, peccatum commissionis, quia est indigna & sacrilega ministratio sacramenti: Omissio autem pœnitentiæ, quæ ibi interuenit, non habet per se suam malitiam, sed est tantùm circunstantia actus mali, & priuati circunstantijs debitis. Ita docent recentiores autores, qui hanc quæstionem attigerunt, Dominicus Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 6. concl. 4. circa finem. Petr. Soto lectio. 13. de necessitate pœnitentiæ. Nauarro in summa cap. 22. num. 3. & de Pœnitentia dist. 5. in princip. Annot. circa 3. part. gloss. num. 34. Cano relect. de Pœnitent. part. 4. non longè à fine; qui aliter loquitur de suscipiente Eucharistiam; sed hæc exceptio ad præsentem disputationem non spectat.

An duo peccata committat, qui ministrat in peccato.

Tertiò quæri etiam hic obiter solet, vtrùm diaconus, vel subdiaconus peccet mortaliter exercendo actum sui Ordinis in peccato mortali. Atque idem quæri potest de quocunque ministro consecrato ad aliquod sacrum ministerium, illudque in peccato mortali exercente. In quo dubio D. Thom. in 4. distin. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 5. generalem statuit regulam, scilicet, peccare mortaliter eum, qui aliquod sacrum officium, quod sibi ex Ordinatione competit, in peccato mortali exequitur; quia indignè tractat res sacras, & sacrilegium committit: sacrilegium autem ex suo genere mortale peccatum est. Sed, vt à clarioribus incipiamus, in inferioribus quatuor Ordinibus probabilius ac ferè certum est, per se loquendo, non esse peccatum mortale, actus illorum Ordinum in peccato mortali exercere. Primò, quia illa materia leuis est, quia licèt illi actus sint aliquomodo sacri, tamen sunt valde remoti à proprio ac perfecto actu sacrificandi, vel ministrandi sacramenta, ad quem finem ordinantur. Secundò, quia non satis constat, omnes illos Ordines esse vera sacramenta, sed probabilis opinio est, tantùm esse quædam sacramentalia. Vnde Soto statim citandus etiam à culpa veniali excusat huiusmodi actum: quod fortasse frequenter ita verum est ex ignorantia, vel inaduertentia naturali, per se tamen nonnulla videtur esse illa irreuerentia, quando hoc ministerium fit publico & solenni ritu, tanquam à publico Ecclesiæ ministro; hoc enim modo est propriè actus Ordinis, ad quem est minister consecratus, & ideò nõ videtur posse omnino excusari à culpa, qui hoc ministerium indignè exercet in peccato mortali. Quod verò addunt Syluest. & Angel. statim citandi, peccare mortaliter clericum, qui tangit res sacras in peccato mortali vt calicem, corporalia, &c. quoniam indignè vtitur officio suo; hoc (inquam) incredibile est, secluso contemptu, vel scandalo, aut alia simili extrinseca circunstantia, quia illa est materia leuis, & nullum potest afferri præceptũ, vnde hæc tanta malitia colligatur, vt infra etiam dicemus de Eucharistia tractantes.

An, qui exercet actum Ordinis in peccato, peccet mortaliter.

De alijs verò duobus ministerijs diaconi, & subdiaconi est maior dubitatio: nam multi existimant hos peccare mortaliter canendo Epistolã, vel Euãgelium solenniter in peccato mortali. Ita tenet An-

gelus verbo, Clericus 8. numero 1. Syluester, verbo, Clericus, secundo, numero 2. & idem sentit Caietanus 2.2. quæst. 60. art. 2. in fine. Fundamentum est, quia illud ministerium est graue, & proximè accedit ad sacrificium, & ad illud dignè exercendum datur speciali gratia per sacramẽtum. Vnde quò hæc omnia maiora sunt in diaconatu, quàm in subdiaconatu, eò in illo erit hæc sententia verisimilior, atque ita diaconis specialiter dicitur primæ ad Timot. 3. vt ministrent, *nullum crimen habentes*, & huic sententiæ fauere videtur cap. vltimũ de têporibus ordinationum, suprà citatum, vbi generatim prohibentur clerici iniqui in susceptis Ordinibus ministrare. Quod maximè intelligendum videtur de clericis in sacris Ordinatis, vt colligi potest ex Gregor lib. 2. Epist. cap. 83. aliàs Epist. 44. & habetur in cap. vltimo, distinct. 33. vbi sic dicitur. *Si in sacro ordine constitutus, eius* (id est concubinæ) *permistione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposito, administrandum nullo modo præsumas accedere.* Atque hæc sentẽtia probabilis est, & non facilè contemnenda. Nihilominùs contrariam tenet Soto in 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 6. & distinct. 24. quæst. 1. art. 4. circa finem, putat enim, illam materiam nõ esse adeò grauem, quoniã illa actio, quæ in hoc ministerio exercetur, non est illo speciali modo consecrata, & sanctificata, quo sunt actiones sacramẽtorũ. Et hæc posterior sentẽtia practicè etiã probabilis est, & secura, atque in rigore vera: quia vbi non constat de præcepto, non est facilè imponenda obligatio sub peccato mortali: hic autem non constat de præcepto positiuo. Nam illud caput vltimũ de temp. ordinat. non condit. circa hoc nouam legem positiuam, sed tãtùm explicat naturalem, dum ait, monendos esse huiusmodi malos sacerdotes, & sub interminatione diuini iudicij obtestãdos, vt in susceptis Ordinibus non ministrent. Quanta verò, & quàm grauis sit hæc transgressio ibi non explicatur, sed ex obiecto & materia dijudicanda relinquitur. At verò hæc materia de qua agimus non videtur esse adeò grauis, vt ex natura rei censenda sit iniuria, vel sacrilegium graue huiusmodi actionem in peccato mortali exequi. Præsertim si semel tantùm aut iterum hoc fiat sine scandalo, aut contemptu. Nam siquis animum habeat diu vel frequenter solenniter ministrãdi in his Ordinibus sacris in statu mortalis peccati; vel si hanc consuetudinem habeat, ita vt huiusmodi animũ moraliter habere censeatur, non esset excusandus facilè à peccato mortali, quia illud obiectum ita sumptum videtur satis graue, & illa consuetudo vel propositum videtur oriri ex quodam contemptu formali aut virtuali, & hoc saltem videtur indicari in citato capitulo.

Quid de diacono, & subdiacono dicendum.

Atque hinc constat, quid dicendum sit de Presbytero, vel Episcopo, non quidem administrãte sacramenta; nam de hoc iam dictum est, sed exercente aliqua sacramentalia, vt de Episcopo, verbi gratia, dante primam tonsuram, vel consecrante Ecclesiam, aut vestes sacras benedicente, & similia. De quibus nihil inuenio, quod satis certum sit, nec doctores satis distinctè hoc definiunt. Aliqui verò eorum aliquid attingunt, Medina enim cod. de Pœnitencia, tractatu 1. quæst. 6. circa finem dicit, peccare mortaliter Episcopum: qui conficit chrisma benedicit oleum, aut consecrat Ecclesiam in peccato mortali, quia istæ actiones videtur graues, & duæ priores videntur quodammodo sacramẽtales, quatenus per eas sacratur materia sacramenti. Nihilominùs per se loquendo, ac secluso contemptu, de quo paulò antea loquebar, in huiusmodi actionibus non interuenit peccatum mortale, sed veniale. Vnde D. Tho. hic artic. 6. q. 64. solùm de ministerio sacramentorum dicit, esse peccatum mortale illud exercere in statu peccati mortalis, & in solutione ad primũ, reddit specialem causam, quia illæ actiones sunt singulari modo consecratæ. Atque ita explicat hanc doctrinam Caietanus tom. 2. opusc. tracta. 10. atque in eãdem inclinat Soto, loco suprà citato. Nam cùm aliæ actiones, præter sacramenta, nõ sint ad sanctificationem per gratiam proximè ordinatæ, neque in eis se exhibeat sacerdos vt minister Dei sanctificantis animam, non est tam grauis causa & ratio exigendi internam animæ sanctitatẽ ad eas exercendas, ergo illas in peccato efficere ex parte materiæ non videtur esse graue sacrilegium.

De eo qui exercet aliqua sacramentalia in peccato quid censendum.

Hinc verò expediri solent hoc loco similes dubitationes breues, nimirùm an peccet mortaliter concionator, verbũ Dei prædicans in mortali, vel prælatus corrigens subditum, vel iudex proferẽdo sententiam in eodem statu. Et ratio dubitãdi est, nam Augustinus lib. 2. contra Parmen. capit. 11. in hac obligatione videtur facere pares, ministrum sacramentorum, & ministrum verbi Dei: vnde D. Thomas in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad quartum, differentiam constituit, inter Doctorem seu Lectorem scripturæ, & Prædicatorem verbi Dei; quòd ille, non peccat moraliter, etiam si in peccato mortali suum munus exerceat, nisi fortasse per accidens ratione scandali, quando est peccator publicus; hic verò mortaliter peccat concionãdo in peccato mortali, etiam si peccatum sit occultum. Et hanc sententiam sequutus est Caietanus hic quæstione 64. art. 6. Et ratio eius est, quia munus prædicandi per se est annexum Ordini, & præcipuè cõsecrationi Episcopali; nam licèt ab alijs interdùm exerceatur, non tamen ex officio. Vnde à laicis exerceri non potest, nisi ex dispensatione, vel ob necessitatem, est ergo actio illa annexa Ordini, & alioqui est grauissima, & in ea præcipuè operatur homo, vt Spiritus sancti organum; ergo grauis videtur fieri iniuria Spiritui sancto, tantum munus in peccato mortali obeundo. Nihilominùs dicendũ est, hoc non esse peccatum mortale per se loquendo, sic D. Thom. 2.2. quæst. 33. artic. 5. dicit, non peccare mortaliter prælatum, qui subditũ ob peccatum mortale corrigit, cùm ipse vel eodem vel alio simili ligatus sit, retractans quod docuerat in quarto, loco suprà citato, & quæstione 60. art. 2. ad tertium, negat, peccare mortaliter iudicem Ecclesiasticum, qui in statu peccati mortalis iudicium dicit, vel alios actus iurisdictionis exercet, qui non sunt speciali consecratione sanctificati. De actu verò prædicationis nunquam D. Thom. expressè retractauit, quod in quarto docuit; à paritate autem rationis credi potest ita sensisse. Quod tandem opinatus est Caietan. in dicto opusc. 10. tom. 2. & idẽ tenet Soto in 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 6. & Medina dicto Codice de Pœnitentia, tract. 1. quæst. 6. Ratio autem est sæpe insinuata, quia nulla est lex positiua diuina, vel humana, in qua possit huiusmodi obligatio fundari, neque etiam sola naturali ratione satis conuinci potest: nam in primis munus prædicãdi, licèt maximè pertineat ad pastores animarum, quia ratione officij & iurisdictionis ex di-

An concionãs in mortali peccet mortaliter.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uno præcepto habent hanc curam & obligationem, vt indicauit Concilium Tridentinum, sessio. 23. capit. de reformatione, tamen propriè non est actus alicuius Ordinis, sed solùm est quædam actio honesta, quæ ex suo genere pertinere potest ad caritatem, vel misericordiam, vel etiam ad iustitiam: potest autem actio exterior, etiam si ex obiecto sit optima & honestissima, sine peccato exerceri ab homine existente in habituali peccato. Nam, quòd persona operans sit in gratia, non est circunstantia talis actionis, nisi quando speciali modo est sanctificata, & consecrata, vt de ministerio sacramentorum dictum est. Atque hæc ratio eodem modo procedit de actu corrigendi, iudicandi, ac similibus. Hæc autem doctrina intelligenda est per se, ac precisè ex vi talis status; nam per accidens interuenire potest peccatum mortale, vel ratione scandali, quando peccatum est publicum, ratione cuius verbum Dei quodammodò fit contemptibile, & ineffieax, nam exemplum magis mouet quàm verbũ, vel etiam ratione contemptus, vt si quis ex contemptu verbi Dei, & fructus eius, pro nihilo ducat in eo statu prædicare. Vel denique si tale peccatũ non solùm sit defectus ipsius personæ, sed etiam redundet, & influat in ipsum actum prædicationis, abutẽdo concione (vt Caieta. inquit) tanquam prophana declinatione, in qua doctrina ferè conueniunt citati authores.

SECTIO IIII.

Vtrùm qui ministrat sacramentum, cùm non sit ad hoc munus ex officio deputatus, teneatur illud ministrare in statu gratiæ.

PRima sententia affirmat, esse huiusmodi præceptum & obligationem; atque adeò peccare mortaliter eũ, qui quauis occasione, aut quouis modo sacramentum quodlibet in peccato mortali ministrat. Ita refert Durand. in 4. distinct. 5. q. 2. num. 6. qui licèt dicat, durum esse, hanc obligationem imponere, solùm tamen videtur excusare huiusmodi ministrum, quando necessitas est in causa, vt ipse non aduertat statum conscientiæ suæ. Quæ ratio communis est cuilibet ministro consecrato etiam ex officio ministranti, vnde non tollit obligationem per se, atque in hoc videtur etiam inclinare Palud. ibi, quæstio. 2. art. 2. & Capreol. ibi, quæst. 1. art. 1. conclus. 4. & art. 3. in defensio. eiusdem conclusionis, & Adrianus quæst. 3. de Baptismo, 2. part. illius in fine, licèt nõ satis explicet mentem suam, & similiter Angelus in summa, verbo, Baptismus 5. num. 10. dicit, eum, qui baptizat ob necessitatem sine solennitate in peccato mortali, nõ peccare mortaliter, si non aduertit, & cõsiderat statum suum; vnde iudicat, si aduertat teneri ad contritionem præmittendam. Non tamen explicant hi autores, an huiusmodi homo, per se loquendo, teneatur aduertere, & discutere conscientiam, vt in statu gratiæ conferat sacramentum, & non in alio: si tamen consequenter loquantur, hoc videntur esse dicturi, quia si quando aduertit huiusmodi homo se esse in peccato mortali, tenetur se ad gratiã præparare, vt possit dignè ministrare, ergo simpliciter ac per se ad hoc tenetur, nã aduertentia & non ponit obligationem ministrandi in gratia, sed supponit illã. Qua posita, ex vi illius tenebitur homo considerare, an sit debito modo dispositus ad sacramentum ministrandum. Atque ita explicata hac sententia, iuxta illam nulla erit differentia inter ministrũ consecratum vel non consecratum, solenniter aut priuatim, ex officio vel ob necessitatem ministrãtem. Et pro eadem sentẽtia solet referri Nauarrus de Pœnitentia, distinct. 5. in principio, num. 33. quia sine limitatione dicit esse peccatum mortale, ministrare sacramentum in statu peccati mortalis. Atque eodem modo loquitur de ministrante. Baptismum in summa cap. 2. num. 6. ibidem tamen num. 3. cùm dixisset, peccare mortaliter eũ, qui in peccato mortali sacramentum ministrat, limitationem addidit, *saltem solenniter*. Potest autem hæc sententia suaderi primò argumento Durandi. Quia nullus ministrat sacramentum etiam si laicus sit, & in necessitate ac priuatim ministret, quin illud faciat vt minister Christi ad hoc institutus, ergo tenetur illud in gratia ministrare, cùm semper possit se disponere, & saltem contritionem præmittere. Consequentia probatur, quia est radix obligationis, nempe sanctitas actionis sacramentalis, & reuerentia illi debita, ac principali agenti, cui conformari debet minister, qui vt minister eius operatur. Antecedens autem probatur, quia implicat aliquem operari sacramentum, & non operari illud vt ministrum Christi. Tum, quia necesse est, Christum esse, qui principaliter confert sacramentum & effectum eius; ergo necesse est, omnem illum, qui sacramentum cõfert, id facere vt ministrum Christi. Tum etiã, quia nullus potest conferre sacramentum, nisi à Christo habeat potestatem, & ab eo institutus sit ad illud ministerium, quia omnia, quæ sunt de necessitate sacramenti, quorum vnũ est minister, oportet vt sint à Christo instituta; ergo semper, qui dat sacramentum, operatur vt minister Christi.

Probatur sententia primo.

Secundò argumentor, quia si tunc cessat hæc obligatio, vel id est ob necessitatem suscipientis, vel ob defectum solennitatis Ecclesiasticæ, vel quia minister priuatim dans sacramentum, non est ad hoc munus specialiter consecratus. Sed ex nullo istorum capitum sumitur sufficiens ratio: ergo. De primo res est clara, quia necessitas suscipientis non impedit quominùs sanctè sanctè tractari debeant, alias sacerdos baptizans solenniter infantem iam iam animam agentem, non teneretur in gratia sacramentum illud ministrare, & similiter sacerdos ministraturus sacramentũ Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ homini existenti in necessitate, & extremo mortis periculo, non teneretur in statu gratiæ id agere, quæ omnia sunt aperte falsa ex omnium sententia: ergo necessitas suscipientis non excusat. Neque est vlla ratio cur excuset, cùm illa non obster, quominùs minister possit se præparare, & debito modo fungi officio suo. De secũdo capite, scilicet, solennitate Ecclesiastica, videtur etiam res clara, tum, quia illa solennitas est accidentaria: obligatio autem sanctè ministrandi sacramentum est per se, & intrinsecè oritur ex substantiali ritu, & sanctitate ipsius sacramenti. Vnde in antiqua Ecclesia, quando in initio dabatur sacramentum, verbi gratia, Baptismi, solo simplici, ac essentiali ritu, nõ erat minor obligatio ministrandi illud in statu gratiæ, quàm

Secundò.

quàm nunc sit, vt patet ex omnibus rationibus factis sectione præcedenti, quæ absolutè procedunt ex vi ipsius sacramenti, & substantiæ eius, seclusis his circunstantijs. Eò vel maximè, quia hæ ceremoniæ accidentariæ parum addunt sanctitati & gratiati ipsius sacramenti, non ergo potest ex eis oriri obligatio sub mortali culpa, si ex vi solius sacramenti non oritur.

Dices, non oriri ex solis ceremonijs ab Ecclesia adiunctis, sed ex sacramento coniuncto talibus ceremonijs, nam hoc totum aliquid maius est, quàm sacramentum nudum. Sed hoc non satisfacit, nam cùm tota hæc solennitas accidentalis, sit veluti extrinseca, & per se non attingat sanctificationẽ animæ, & non fiat à sacerdote vt ab instrumẽto Christi, eo modo quo fit sacramentum, non videtur illa per se postulare ministri sanctitatem, vt sine peccato fiat; ergo, si sacramentum per se ad hoc non obligaret, propter solennitatem illam adiunctam hanc obligationem non induceret. Vnde, si sacerdos ministraturus solenniter Baptismum, inciperet in peccato mortali ceremonias eius per agere cum proposito tamen procurandi contritionem & habendi illam, priusquàm substantiam sacramenti perficeret, non videtur peccare mortaliter, etiam si omnes exorcismos, & alia quæ præcedũt, in peccato mortali faciat, dummodo, prius quàm abluat, & verba formæ proferat, conteratur: è contrario verò ministrans sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali, mortaliter peccat, quanuis ibi nulla ferè sit solennitas, nec accidentalis ritus, & idem ferè est in dispensatione Eucharistiæ ex præconsecratis. De tertio capite, scilicet, consecratione ministri, quòd nec illud etiam ad excusandum sufficiat, patet, quia hæc obligatio per se non oritur ex cõsecratione ministri, sed ex sanctitate sacramenti, & principalis agentis, qui est Christus, & reuerentia illis debita, quam non minùs debet minister non consecratus, quàm consecratus, & facilè potest illam exhibere, cùm possit se ad gratiam præparare. Vnde licèt in hoc genere fortasse magis peccet, per se loquendo, minister consecratus in hoc delinquẽs, propter sanctiorem statum quem habet, & maius auxilium, nõ est tamen cur alius omnino excusetur, cùm ipse etiam sit minister Christi. Et cõfirmatur, quia aliàs contrahentes matrimonium in mortali peccato, nõ peccarent mortaliter, sacramentum illud in peccato ministrando, & sacerdos quandocunque aliquid ageret, ad quod nõ esset per necessitatẽ consecratio, non teneretur in gratia id operaris; & ita licèt dispensaret Eucharistiam in peccato mortali, non peccare mortaliter, dummodo illam nec conficeret, nec sumeret, quia ad illud ministerium non est necessaria consecratio, cùm fieri possit à diacono, vel etiam ab inferiori clerico, vel laico in necessitate.

Conclusio.

Nihilominùs dicendum est, eum, qui ob necessitatem priuatim ministrat sacramentum, non vt ministrum ex officio, sed eo modo quod laicus potest illud ministrare, non teneri se præparare ad gratiã, vt illud ministret, & consequenter nec peccare mortaliter, illud ministrando in peccato mortali, siue suum statum aduertat, siue non. Hæc est sententia D. Thomæ hic quæst. 64. art. 6. ad tertium, & in quarto, distinct. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula quinta, Richardi in 4. distinct. 5. art. 3. quæst. 3. Syluestri verbo, Baptismus, num. 4. Caietani, & Soto hic, & ferè nullus ex autoribus in priori sententia citatis ausus est eam simpliciter docere. Fundamentum huius sententiæ est, quia hæc obligatio sub peccato mortali, disponendi se ad gratiam, propter sacramentum cõficiendum, non oritur ex sola sanctitate sacramenti per se cõsiderata; neque ex eo quod Christus in eo opere est principale operãs; sed præter hæc, quæ multum ad hanc obligationẽ conferunt, oportet adiungere, quod is, qui dat sacramentum, in ipso modo ministrãdi se gerat vt persona specialiter & ex officio deputata & consecrata ad illud munus, atque adeo, quòd in eo opere se exhibeat publicum Christi, & Ecclesiæ ministrũ. Ratio autem huius est, quia cùm huiusmodi minister per se & ex officio sit ad hoc munus institutus, & spiritualia subsidia recipiat, accõmodata ad hoc munus pro dignitate exercẽdum, ideo merito obligatur, vt cum debita dispositione & sanctitate id faciat, & ideo quando aliter facit, grauem irreuerentiam & inordinationem committit; at verò, quando priuata persona permittitur sacramentum dare ob necessitatem, non tam illi commissa cõsetur administratio sacramẽti, quàm concessa vt subueniat necessitate patienti, & ideo non debuit tantum onus illi imponi, sed satis est, quòd sine cõtemptu, & cum debita fide, & exteriori reuerentia sacramentum administret; tunc enim cessat illa specialis deformitas, quia huiusmodi ministro solùm veluti per accidens permittitur tale ministerium. Confirmatur, quia hæc obligatio disponendi se ad gratiam propter sacramentum ministrandum non est tã clara & euidens, vt extendi debeat sine magno fundamentum, & non potiùs restringi; ergo satis est, si eam admittamus in his ministris, qui per se & ex officio ad hoc sunt consecrati; præsertim cùm decreta Ecclesiastica, quæ hanc obligationem declarant, de his solùm ministris loquantur, & naturalis ratio, in qua potissimum hoc præceptũ fundari debet, iudicio sapientum in his habeat specialiorem vim quàm in alijs.

Ad fundamentum ergo Durandi respondetur, laborare in æquinoco; verum est enim nullum posse ministrare sacramentũ, nisi ex institutione Christi, & virtute eius; nihilominùs tamen quidam sunt per se & ex officio ad hoc munus deputati & consecrati, & hos vocamus ministros ex officio, & propria Christi instrumenta, quibus incumbit specialis obligatio se conformandi in sanctitate suo principali agenti, cuius vicem gerunt. Alij verò quibus solùm ex accidenti & ob necessitatem hoc munus permittitur, non grauantur hoc onere; quia per se ad illos non pertinet, hæc cura, & administratio. Ad secundum argumentum concedo, ex primo & secundo capite non sumi sufficiẽtem rationem, sed potissimum ex tertio, vt declaratũ est; nec ratio ibi facta contrarium suadet, nam licèt hæc obligatio oriatur ex sanctitate sacramẽti, & principalis agentis; tamen non oritur respectu cuiuscunque, sed respectu illius, qui per se est ad hoc munus deputatus, & consecratus, nam licet, omnes teneantur debitam reuerentiam sacramento exhibere, & autori eius, non tamen idem modus reuerentiæ ab omnibus exigitur, sed ab vnoquoque iuxta capacitatem & statum suum. Ad confirmationem, quoad priorem partem de ministro sacramenti matrimonij posset negari sequela, & dici, in illo sacramento ipsos contrahentes esse per se, & ex primaria institutione ministros illius, & ideò non solùm recipiendo, sed etiam

Quomodo peccãt in mortali contrahentes matrimoniũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam ministrando illud in peccato mortali, grauiter peccare. Secundò verò respondetur posse cum Soto in 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 6. in vltimis verbis, concedendo sequelam, quia illi non sunt ministri consecrati ad illud munus, sed solùm illis concessum est necessitate quadam, quia oportuit, materiam & formam sacramenti in ipsomet cõtractu cõstitui, contractus autem fieri non poterat, nisi per consensus expressos ipsorum contrahentium. Si ergo in peccato mortali contrahant, peccant grauiter sacramentum indignè recipiendo, & illius effectui obicè ponendo; non tamen propriè ministrando. Neque etiam peccat sacerdos, qui assistit vt Ecclesiæ minister, & contrahentes benedicit, etiam si hoc faciat in statu peccati, quia ille non ministrat sacramentum, sed solùm adhibet accidentalem ceremoniam, vt notauit Paludanus in 4. distinct. 5. quæst. 2. num. 22. Ad aliam partem illius confirmationis distinguendum est, quid sit, consecrationem non esse per se necessariam ad aliquem actum, si enim dicatur non necessaria, quia sine illa potest interdùm ille actus fieri valide & cũ fructu; in hoc sensu negatur, ex dictis sequi, omnem actionem ad quam non est simpliciter necessaria consecratio, posse à sacerdote licitè fieri extra statũ gratiæ, alioquin etiam posset sacerdos licitè baptizare solenniter in statu peccati. Alio ergo modo dicitur consecratio per se necessaria ad aliquem actũ, vel dispensationem sacramenti, quia, per se loquendo, ministeri consecratur ad illum actum seu ministerium, quod propterea exerceri non potest tanquam à ministro publico, nisi ab eo qui est ad illud consecratus; & hoc modo non solùm conficere, sed etiã dispensare Eucharistiam per se sit à ministro consecrato, & idcò, si in peccato mortali fiat, graue peccatũ erit, vt inferiùs latiùs suo loco dicemus cum Diuo Thoma infrà quæst. 82. art. 9. vbi absolute dicit, esse, peccatum mortale ministrare illud sacramentum in peccato mortali, quanuis Palud. suprà excipiat casum necessitatis, de quo ibi videbimus.

Ministrare Eucharistiam in mortali, mortale peccatum est.

Atq; hinc apertè sequitur, peccare grauiter sacerdotem, qui sacramentum Pœnitentiæ ministrat in peccato mortali, etiam si suscipiens sit in quacũque necessitate, quia semper ille actus est proprius Ordinis sacerdotalis, & necessitas suscipientis est impertinens ad excusandum, vt rectè probat argumentum suprà factũ, & omnes Theologi vnò orè fatentur. Atque idem maiori ratione dicendum est de ministrante Extremam vnctionem, Confirmationem, aut Ordinem, quæ sunt sacramenta minoris necessitatis, & proprij actus Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis consecrationis. De sacerdote verò ministrãte Baptismum sine solennitate in casu necessitatis, potest esse nonnulla dubitandi ratio, quia licèt in modo ministrandi, ita ministrare videatur sicut laicus posset ministrare, nihilominùs ratione suæ consecrationis habet speciale ius ad illud munus, propter quod præferendus est cuius alteri, videtur ergo se gerere vt minister ex vi consecrationis ad id deputatus. Nihilominùs D. Tho. suprà, quem alij sequuntur, idem sentit de sacerdote quod de laico eo modo baptizante, quia re vera tunc non baptizat, vt minister ex officio, sed subuenit necessitatem patiẽti, eo modo quo laicus posset illud facere. Quod autem sacerdos sit præferendus laico in eo ministerio, non est sufficiens signũ, quod operetur vt minister ex officio, quia etiam vir est præferendus fœminæ, & clericus in quouis Ordine constitutus laico, quia ad reuerentiam sacramenti hoc spectat, & quia in vniuersum rerum spiritualium administratio ad sacerdotes pertinet. Maior posset esse dubitatio, si extra casum necessitatis, sacerdos baptizaret paruulum priuatim, eodẽ modo ac si esset in necessitate constitutus. Dicendũ verò est, tunc peccare quidem grauiter, vel vsurpãdo ius, ad baptizandum, quod non habet, vel baptizando modo indebito, iuxta ea quæ dicemus sectione sequenti: tamen supposito hoc peccato, non committere speciale peccatum mortale ex eo, quòd non se præparet ad gratiam vt sic ministret, quia de facto hic & nunc non se gerit vt minister ex officio, & ideò de facto cessat alia obligatio, quanuis hoc ex culpa nascatur.

Sacerdos baptizans sine solẽnitate nõ peccat.

SECTIO V.

Vtrùm teneantur ministri sacramentorũ in sacramentis ministrãdis Ecclesiasticum ritum seruare, & quomodo in hoc peccent.

HAEc sola dubitatio superest, circa obligationes ministrorum, quæ in ipsis absolutè considerantur sine respectu ad susceipientẽ. In qua non est sermo de ritu substantiali à Christo instituto, de quo in secunda sectione diximus, sed de accidentali ab Ecclesia superaddito. De quo hæretici huius temporis, qui nõ omnino reijciunt has ceremonias vt superstitiosas, ad summum illas admittunt vt voluntarias, & non necessarias, quia intolerabile (inquit) est, de his humana præcepta tradere, & legem libertatis, legem seruitutis efficere. Sed est hæresis manifesta, contra Ecclesiasticam potestatem à Christo traditam & contra vsum ac traditionem eius. Est etiam hic error contra naturalem rationem, quia in omni republica necessariũ est, vt in rebus sacris tradendis seu perficiendis sit aliqua forma præscripta, vt cum debito honore ac reuerentia fiant.

Conclusio.

Quapropter dicendum est primò, esse in Ecclesia præceptum ministris sacramentorum impositũ vt ea non ministrent nisi seruata solennitate & ceremonijs ab Ecclesia institutis. Conclusio est de fide definita in Concilio Tridentino, sessione 7. canone vltimo, de sacramentis in genere. De qua multa diximus suprà, disputatione 15. vbi ostendimus esse in Ecclesia hanc potestatẽ. Quòd verò hac potestate fuerit Ecclesia vsa tradendo hoc præceptũ; ex ipsa consuetudine constat, & ex sensu omnium fidelium, & ex multis decretis, quæ suis locis afferemus. Hoc enim præceptum non est vnum generatim datum de omnibus sacramentis, seu ceremonijs eorum, sed est obligatio consurgens ex variis præceptis latis in singulis sacramentis iuxta modum, & ritum vnicuique proprium.

Conclusio 2.

Dico secundò, Contemptum huius præcepti semper esse peccatum mortale; transgressionem verò eius absque contemptu, non semper sed pro materiæ grauitate. Hoc constat ex generali doctrina de omnibus præceptis, quæ hic est specialiter applicanda, & prudenter est discernendum, quid sit cõtemptus:

temptus; propriè enim in præsenti materia, si quis negligeret aliquas Ecclesiasticas ceremonias obseruare in sacramentorum administratione, existimãs illas esse vel omnino superfluas, vel impertinentes, aut aliquid huiusmodi, ille propriè diceretur contemnere ceremonias Ecclesiasticas, & grauiter peccaret, etiam si leuiores ceremonias hoc animo negligeret, quia magnam faceret iniuriã Ecclesiæ, atq; indigne de spiritu, quo huiusmodi ceremoniæ institutæ sunt sentiret. Si autem aliquis negligens sit, in huiusmodi ceremonijs, solùm ex quadam fragilitate, quanquam sciens & videns faciat, non dicetur propriè contemnere, etiam si fortasse huiusmodi culpam leuiorem reputet, & ideò frequenter & facilè illam committat. Non excusabitur tamen à graui culpa, si ceremonias præceptas, & cõsuetudine Ecclesiastica receptas hoc modo omittat in graui materia, quia præceptum hoc ad virtutem religionis pertinet, cuius obligatio ex suo gene grauis est. Quæ autem sit in hoc negotio censenda materia grauis, quæ verò leuis, prudenti arbitrio relinquẽdum est, potiùs quàm certa regula definiendum, & in singulis sacramentis id explicabitur commodiùs. Generaliter tamen aduertere possumus, ceremonias institutas propter sacram significationem esse grauiores, & culpabiliùs omitti, quàm quæ propter solum ornatum & decentiam quandam institutæ sunt, & eadẽ proportione quarum significatio est altior grauiores censebuntur, præsertim si cum significatione habeãt aliquẽ spiritualem effectum. Ex his verò, quæ ad decentiam pertinent, circunstantia loci, & temporis præscripti, per se loquendo, solent graues existimari, quia hæ circunstantiæ multum spectant ad exteriorem ornatum, & publicam solennitatem & existimationem, quod in his circunstantijs plurimum obseruandum est. Addendum denique est hanc obligationem esse humanam, & ideò, per se loquendo, minorem esse, quàm quæ oritur ex diuino præcepto, & interdùm posse cessare ob necessitatem vrgentem, sicut patet in baptismo. Quomodò autem in cæteris sacramentis hoc obseruandum sit, in proprijs locis dicemus.

DISPVTAT. XVII.

De præceptis pertinentibus ad eos, qui sacramenta suscipiunt.

HAEc disputatio erit breuissima, quia de hac obligatione in genere sumpta pauca autores dicunt, possumus autem illam ad duo capita reuocare; vnum est de obligatione vtẽdi, seu suscipiendi sacramenta, aliud de obligatione pertinente ad modum illa recipiendi.

SECTIO I.

Vtrùm sacramentorum vsus sit in præcepto.

SVperiùs in commentario articuli quarti, quæstionis sexagesimæ quintæ duplicem necessitatem sacramentorum distinximus, medij videlicet, & præcepti; priorem ibi explicauimus, posteriorem verò in hunc locum remisimus. Quia verò præcepta dantur de actibus in particulari seu in specie, hic verò de sacramentis in genere disputamus, pauca possunt huiusmodi necessitate prouenire ex præcepto in genere dici.

Obligatio præcepti duplex.

Breuiter ergo aduertendum est, duplicem posse intelligi obligationem præcepti, vna est per se; altera per accidens seu propter aliud. Prior est, quando sacramentum absque alio extrinseco fine propter suam vtilitatem seu effectum, præceptum est, quomodo est necessarium confiteri semel in anno, aut communicare in Paschate; posterior obligatio intelligi potest, si contingat, vsum sacramenti esse necessarium ad extrinsecum finem, vt, verbi gratia, ad vincendam tentationem, vel vitandum scandalum, vel subueniendum proximis, aut aliquid huiusmodi.

De sacramentorum vsu, in genere & huiusmodi præceptum.

Dicendum est ergo primò, Sacramentorũ vsum, tam diuino iure, quam Ecclesiastico præceptum esse. Hæc assertio eodem ferè modo explicanda est, quo necessitatem medij declarauimus; non est ergo intelligenda distributiuè, sed indefinitè: non enim nunc definire volumus quæstionem illam, an omnia sacramenta præcepta sint diuino iure vel Ecclesiastico, quæ in quibusdam clara est, in alijs magnã habet difficultatem. De baptismo enim certa res est, impositum esse illius præceptum omnibus adultis, qui soli sunt præcepti capaces, & eadem certitudo est de sacramento Pœnitentiæ, respectu eorum qui post baptismum mortaliter peccauerunt, nam vtrumque ex his sacramentis est medium necessarium ad salutem, at verò præcepta potissimum dantur de his medijs necessarijs, vel potiùs ipsamet necessitas medij in huiusmodi actibus adultorum necessario supponit præceptum, vt suprà tetigimus. Et hoc satis esset ad veritatem conclusionis positæ, quia, vt indefinitè verum sit, vsum sacramentorum esse in præcepto, satis est, quòd aliquo sacramenta sint in præcepto. Vltra hæc verò certum etiam est, vsum eucharistiæ esse in præcepto, & de Ecclesiastico quidem de fide est; de diuino autem res est controuersa, quanuis probabilior sit sententia, quæ id affirmat. De cõfirmatione verò & Extrema vnctione, vtrumque est dubium, vt suis locis tractabimus. Tandem de Ordine, & Matrimonio constat, non esse data præcepta, quæ singulos obligent regulariter aut moraliter loquendo, quia hæc sacramenta nec singulis necessaria sunt, nec propter vtilitatem singulorum sunt per se instituta: est tamen in Ecclesia præceptum communitatem obligans, ne in ea desint sacerdotes, nec Christiana coniugia ad conseruandam ipsam Ecclesiam necessaria. Atq; ex his potest facilè reddi generalis ratio conclusionis: nam sacramẽta instituta sunt à Christo vt animarum medicinæ, & remedia valde necessaria ad salutem fidelium, & conuenientem totius Ecclesiæ gubernationem: ergo oportuit illis adiungi præceptum.

Obligatio ad vsum sacramenti sæpe oritur ab extrinseco.

Dico secundò, Huiusmodi sacramentorũ vsum sæpe posse cadere sub obligationem ex fine vel circunstantia extrinseca, etiam tunc quando propriũ sacramẽtorum præceptum non obligat. Probatur, quia licèt sacramẽta habeant proprios, & quasi intrinsecos fines, propter quos præcipi possunt, tamẽ etiam possunt esse valde vtilia, vel moraliter necessaria ad alios fines per accidens occurrentes; ergo potest in ea cadere obligatio quasi extrinseca, seu per-

Universidad de Deusto Biblioteca

peraccidẽs. Exẽplis res facilè declaratur; nã fieri potest, vt aliquis tentatione aliqua vrgẽte teneatur ad illam vincendam vel confiteri, aut communicare, si diuturna experientia moraliter certus sit, solere se à tentatione superari, quando huiusmodi remedium omittit. Item ad communionem dandã proximo in nesitate existenti, potest obligari sacerdos vt Eucharistiam cõficiat; & consequenter vt ipse communicet; quòd si conscientiam peccati mortalis habeat, ex consequenti obligabitur confiteri, & sic de alijs. Ex quibus exemplis intelligere licet, hanc obligationem, quam peraccidens vocamus, oriri ex illa virtute, ad quam pertinet actus, propter quem vsus sacramẽti existimatur necessarius, vt si sit ad vincendam tentationem libidinis, erit obligatio ex castitate, si ad subueniendum proximo, erit ex caritate, & frequentiùs oritur hæc obligatio ab hac virtute, quæ vniuersalior est. Interdũ verò licèt rarò potest oriri ex iustitia, vt in parocho, qui tenetur missam facere, vt omittam obligationem valde extrinsecam, quæ ex voto oriri potest. Denique hinc etiam intelligitur, quando obligatio recipiendi sacramentum est huius posterioris generis, omissionem eius non esse speciale peccatũ religioni sacramentorum contrarium, quale erit, quando omittitur proprium præceptum sacramenti, sed esse peccatum vel circustantiam peccati contrarij illi virtuti; vnde orta est obligatio, vt si orta est ex necessitate vincendi tentationẽ carnis, omissio sacramenti habebit malitiam castitati contrariam: quia vel ea occasione homo lapsus est, vel morali periculo se exposuit; si verò ratio obligationis fuit proximi necessitas, omissio eius erit contra misericordiam. Atque in his casibus & similibus, omissio hæc non est peccatum distinctum ab illo, quod contrarium est virtuti, vnde obligatio oritur; sicut in simili dictum est disputatione præcedenti sectione tertia.

Cuius generis sit talis obligatio, & eius amissio.

SECTIO II.

Vtrùm grauiter peccent, qui sacramenta indignè recipiunt.

IN modo recipiendi sacramenta duo possunt cõsiderari. Vnum est ex parte ipsius sacramenti, scilicet, quòd verè integrè, & cum debitis circunstantijs fiat, aliud est, ex parte effectus sacramenti, & consequenter ex parte dispositionis suscipientis, quæ ad effectum est necessaria.

Quæ nessaria sunt & ad substantiam sacramenti, & ad decentẽ modum recipiendi, adhibere tenetur recipiẽs.

Dicendum est ergo primò, hominem, qui sacramentum suscipit, obligari ex præcepto ad exhibenda ea omnia, quæ ex parte illius necessaria sunt ad valorem & substantiam sacramenti, & ad eas etiam circunstãtias, quæ vel ex natura rei, vel ex speciali Ecclesiæ præcepto necessariæ sunt ad decentẽ modum recipiendi sacramentum. Tota hæc conclusio est ferè ex terminis euidens, & prior quidem pars constat ex dictis in simili de obligatione ministri, nam cooperatio suscipientis est in suo genere necessaria vt sacramentum fiat; ergo tenetur ipse adhibere suum concursum necessarium, alioqui non esset sacramenti susceptio, sed illusio & irrisio sacramenti, grauisque & iniuriosa Ecclesię deceptio. Hic autem concursus generalis omnibus sacramentis est, quòd recipiens habeat intentationem debitam formalem, vel virtualem recipiendi sacramentum; tenetur ergo ex præcepto illam habere, & grauiter peccaret, si absque tali voluntate accederet. Deinde huc spectat, vt nullus accipiat sacramentum cuius est incapax, vt si fœmina velle: Ordinari, aut Professus, vel Ordinatus in sacris vxorem ducere, aut homo sanus vngi, nam in his & similibus casibus fit speciale peccatum sacrilegij contra reuerentiam debitam sacramento. Prætereà, quando recipiens adhibet aliquem concursum actiuum ex vi huius obligationis tenetur ita illũ exhibere, vt sacramentum fiat, vt in sacramento Pœnitentiæ debet integrè confiteri, & cum dolore; in sacramenta Ordinis debet tãgere calicem, verbi gratia, & nunc in sacramento Matrimonij tenetur nõ exhibere consensum, nisi coram parocho & testibus. Posterior pars per se etiam satis clara est, nam supposita sacramenti sanctitate & religione, ipsa ratio naturalis dictat, esse decenter & cum debita veneratione suscipiendum, leges autem Ecclesiasticæ, quæ ad ritum sacramentorũ pertinent, quanuis præcipuè ad ministros attineant, interdùm verò recipientes per se obligant, vt verbi gratia quòd ieiuni communicent, & sijquæ sunt similes. Imò pręcepta quę de his ritibus ministris imposita sunt, possunt quodammodo redundare in recipientes, quatenus non debent sacramẽta suscipere nisi à ministris, qui debito modo & seruato Ecclesiastico ritu ea dispensent, quanuis hæc obligatio ea solùm ratione possit recipientes obligare, qua tenentur non participare nec communicare alieno peccato, nec ministrum ad peccandum inducere, quia per se & directè hæc cura ad eos non pertinet, & ideò de hac obligatione iudicandum erit iuxta principia & regulas, quas disputatione sequenti tradẽmus.

Suscipien[...] crament[...] bet eff[...] spositi[...] sit capa[...] ctus pri[...] lis.

Dico secundo, Recipiens sacramentum tenetur ita dispositus ad illud accedere, vt sit capax principalis effectus eius, qui est gratia sanctificans, cui effectui obicem ponere, semper est peccatum mortale, nisi propter ignorantiam inuincibilem aliquis excusetur. Conclusio est certa ex communi Theologorum doctrina, & vniuersali Ecclesiæ consensu, quod enim ait Paulus de Eucharistia 1. ad Corint. 11. *Qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ad omnia sacramẽta applicari potest, nã qui indignè illa sumit, non dijudicat inter ea & elementa vacua & egena. Atque hinc sumitur ratio cõclusionis. Prima, quia cùm hæc sacramenta sint instituta vt sint efficacia gratiæ signa, qui illa recipit, ponendo obicem huic effectui, quantum in se est, inanem & falsam reddit eorum significationem, & ideò graue sacrilegium committit. Secunda, quia sancta debent sanctè tractari, & ideò, si in dante hæc sacramenta gratia postulatur, multò magis in recipiente; quia propinquiùs, & (vt ita dicam) intimius concurrit ad sacramentum, cùm ipsi quodammodo adhæreat, & in ipso recipiatur.

Gratia n[...] in omnibus [...] cramentis [...] spositio nec[...] saria.

Sed obseruanda sunt nonnulla circa hanc doctrinam. Primùm enim, non dixi, teneri, qui sacramentum recipit, & accedendum in gratia, sed ad accedendum ita dispositum, vt effectum gratiæ possit recipere, quoniam dispositio gratiæ non est in omnibus sacramentis ex præcepto necessaria; nam illa, quæ instituta sunt ad dandam primam gratiã, quæ dicuntur sacramenta mortuorum, scilicet, Baptismus, & Pænitentia, non prærequirunt gratiam vt dispositionem, quia non debent necessariò præsupponere effectum ad quem ordinantur: Solùm ergo requirunt talem animi dispositionem, seu dolorẽ de peccatis, qui ad obicem gratiæ tollendum sufficit, & tunc non dicetur propriè aliquis recipere sacramentum in peccato mortali, quia licèt toto antecedenti tempore sit in eo statu, tamen in instanti, in quo sacramentum consummatur, ac perfectè recipitur, ipse recipiens iustificatur, & significatio sacramenti vera efficitur. In alijs verò sacramentis viuorum, quia per se ordinantur ad gratiam augendam, roborandam, ac iuuandam, ideò prærequirunt gratiam, & illa dispositio est ex præcepto necessaria, vt non ponatur obex effectibus talium sacramentorum. Quæ doctrina sumitur ex D. Thom. infrà quæst. 79. art. 3. ad secundum, & quæst. 80. art. 4. ad secundum, & in singulis ferè sacramentis ex professo declarabitur. Secundò locutus sum de effectu gratiæ sanctificantis, quia licèt sacramenta habeant alios effectus, illis obicem ponere, licèt interdùm possit esse aliqua culpa; tamẽ, per se loquendo ac secluso contemptu, non est peccatum mortale, vt verbi gratia, Baptismus præter effectum gratiæ, habet alium remittendi totã pœnam, cui ponet aliquis obicem, si accedat cũ complacẽtia aliquorum peccatorum venialium, in quo tamen non peccabit mortaliter. Similiter actualis deuotio est effectus Eucharistię, cui ponet quis obicem, si ad communicandum imparatus, & distractus accedat, non tamen peccabit mortaliter, dum modò accedat sine conscientia alterius peccati mortalis, & sic de alijs. Et ratio est, quia per huiusmodi obicem simpliciter non redditur falsa significatio sacramenti, cùm sacramentum verè efficiat gratiã, quàm significat; nec recipitur in subiecto indigno, cum sit per gratiam sanctificatum: Igitur si aliqua intercedit irreuerentia, leuis est culpa. Omitto esse ctum characteris, quia huic non potest recipiẽs obicem ponere, si velit sacramentum verum accipere, & ideò obligatio non ponendi obicem huic effectui non est distincta ab obligatione habendi debitam intentionem suscipiendi sacramentum; de qua præcedenti sectione dictum est. Atque eadem ratio est de quibusdam alijs effectibus, qui vel non pendent ex speciali dispositione recipientis, præter statum gratiæ, vel non statim dantur, sed temporibus opportunis, vt sunt verbi gratia, sanitas corporis in Extrema vnctione, actuale auxilium in Confirmatione, Matrimonio, aut Ordine, & similes ad quos vix cognoscitur quæ sit dispositio necessaria ex parte recipientis, aut quando, vel quomodo illis ponatur obex.

DISPVTATIO XVIII.

De obligatione nõ cooperandi indignè dãti, vel recipienti sacramentum.

HActenus diximus de absoluta obligatione dantis & recipientis sacramentum; nunc superest dicẽdum de respectiua, quæ oriri potest in ministro ex praua dispositione petentis sacramentum; vel è conuerso, in eo qui suscepturus est sacramẽtum ex praua dispositione illius qui est daturus. Quæ obligatio ad eã reducitur, qua vnusquisque tenetur nõ communicare alienis peccatis, seu fieri illorum particeps. Et ideò disputationem hãc sub dicto titulo proposui, sub quo possunt aliæ personæ comprehendi præter dantem & recipientem sacramentum, nam possunt alij inducere, vel cooperari ad indignè dandum, vel recipiendum sacramentum. Nihilominùs tamen, nihil est quod circa alias personas immoremur, quia vel rarissimè peccare possunt in hac cooperatione, vel si aliquãdo peccãt, est quatenus aliquo modo inducunt ad malum, quorum culpa vel obligatio ex regulis generalibus de caritate, & scandalo mensuranda est, & quæ dicemus de recipiente sacramentum, poterunt ferè ad alias personas applicari, seruata proportione, vt in sequentibus explicabimus. Dicemus ergo priùs de suscipiente, quoniã materia frequentior est, & vniuersalior, posteà verò de ministrãte.

SECTIO I.

Vtrùm teneantur omnes non suscipere sacramenta ab iniquis ministris, & quomodo in hoc peccare possint.

SVppono primò, neminem posse sacramentum petere ab eo qui nõ potest ritè & validè dare. Probatur apertè, quia si quis petit sacramentum ab eo qui omnino non potest illud conficere, vt si quis absolui petat à sacerdote, qui iurisdictionem non habet, duplici ratione peccat. Primò, quia inducit ad actum sacrilegij. Secundò, quia ipsa susceptio ficti sacramenti in se est mala & contra rectam rationem, vt suprà ostensum est, & ideò velle seu procurare illam per se est peccatum, præter inductionem seu cooperationem ad peccatũ alterius. Quapropter non solùm committitur hoc peccatũ, quando sacramentum petitur ab eo, qui nõ potest dare, sed etiam, si petatur ab eo, qui potestatem habet, male tamen illa vsurus est, ita vt sacramentum non conficiat, vt si quis ab Episcopo hæretico peteret Ordinari, sciens illum non solere seruare substantialem ritum illius sacramenti. Ratio est eadẽ, quia tunc tam actio, quàm receptio est sacrilega, & prorsus inutilis, perniciosamq; fictionem cõtinens. Secundò suppono, si is, à quo petitur sacramentũ, potestatem habeat conficiendi illud quoad substãtiam, & ritè sit illa vsurus, ita vt sacramentum factum teneat, non tamẽ possit licitè illa vti, vel simpliciter, quia, verbi gratia, prohibitus est, aut suspensus, vel aliquid huiusmodi, vel respectu petentis, quia videlicet non habet ius dandi, quia neque est pastor illius, nec facultatem habet à proprio pastore, neq; ob necessitatem aut aliam similem causam censetur illi concessum tale ius; in huiusmodi casibus semper est illicitum, sacramentum petere à tali ministro: quia cùm ab aliquo petitur quod sine peccato præstare non potest, consequenter petitur peccatum ipsum, quod est intrinsecè malum; & prætereà, quando ab eo petitur, qui non habet ius dandi, præter malitiam inducendi alium ad malũ, fit etiam contra obligationem qua fideles tenentur non petere aut accipere sacramenta ab alijs quã à suis pastoribus, vel qui ab eis habent dandi facultatem. Nam sicut pastores tenentur non vsurpare ius alienum, ita & oues non debent, nisi à suis pastoribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

storibus sacramenta petere, vtrumque enim ad bonum Ecclesiæ regimen necessarium est, & ita vtrûque habet in ipso iure diuino & naturali fundamẽtum: & in his conueniunt autores statim citandi. Dices, accidere potest, vt is, qui non habet potestatem licitè administrandi sacramentum, sit paratus & expositus ad dandû, & fingamus esse in actuali dispensatione eius, vt verbi gratia, in altari Eucharistiam dispensando, licebit ne tunc ab illo suscipere sacramentum? videtur enim in eo casu neq; esse inductionem ad malum, quia ille est expositus, neque inde augeri peccatum dantis moraliter loquẽdo, neque etiã videtur illa esse cooperatio ad actionem malam, sed ad receptionem bonam ex actione mala. Nihilominùs dicendum est, etiam in eo casu hoc non licere, quia, hoc ipso quòd minister nõ habet ius dandi, vel habet illud suspensum, est directè prohibitum fidelibus, ne ab eo accipiant sacramenta, & ideò non licet eis accipere, quãtumuis alter expositus sit. Ac deinde, non omnino deest ibi cooperatio ad malum, nam licèt sit minor, quã si alio modo fiat; non est tamen omnino nulla. Imo etiam est quædam virtualis petitio sacramenti, nam qui accedit ad recipiendum petit illud, petere autem ab eo qui non potest dare licitè, intrinsecè malum est, non est ergo illa pura passio licita ex illicita actione resultans, sed est quædam cooperatio ad actionem illicitam. Quæ non potest censeri leuis ex parte materiæ, eò quòd peccatum dantis parum augeri videatur, quia reuera est grauis materia, cùm sit integra effectio, vel dispensatio sacramenti, quæ si per se sola fieret, sufficeret ad peccatum mortale constituendum.

Difficultas ergo huius quæstionis est, quãdo minister, & rite & licitè potest dare sacramentum petenti, tamen re ipsa non est daturus sine peccato, quanuis verum sacramentum sit daturus, an tunc licitè ab eo petatur sacramentum. Et ratio dubitãdi est, quia, quanuis alius habeat potestatem, & ius dandi sacramentum, si tamen mihi constet, sacrilegium commissurum, illud ministrando, petendo sacramentum sum causa illius sacrilegij, quia si ego non peterem, non fieret: ergo non licet. In cõtrarium verò est, quia ego peto rem licitam, quam alius licitè præstare potest, & mihi vtilem & fortasse necessariam, cur ergo priuari debeo meo commodo, & vtilitate?

In hac re variæ sunt autorum sententiæ. Prima est Diui Thomæ supra quæst. 64. art. 6. ad secundum, & infrà, quæst. 82. art. 9. qui duplicem distinguit ministrum iniquum, alium vocat tolleratũ ab Ecclesia, quia licèt peccator sit, tamen neque est ab Ecclesia præcisus, neque à sacramentorum ministerio aliqua censurâ suspensus: alterum vocat non tolleratum, qui est ab Ecclesia prohibitus, seu suspensus, ac præcisus. Quia supposita distinctione, duas statuit regulas generales, & sine vlla limitatione. Prima est, à ministro tolerato, quanuis iniquus sit, licitum est, petere sacramentum. Cuius fundamentum esse videtur, paulò antea tactum in ratione dubitandi, secundo loco posita. Secũda est, à ministro non tolerato non licere petere sacramentum. Cuius fundamentum esse videtur, quia ille non solũ iniquè est daturus, sed etiam non potest licitè dare. Hanc doctrinam sequitur Durand. in 4. distinct. 5. quæst. 2. & Palud. quæst. 3. art. 1. qui diserte & sine limitatione declarant, licere non solum accipere, sed etiam petere sacramentum à ministro tolerato, licèt iniquus sit. Idem sentit Richard. ibi art. 3. quæst. 4. nã licèt addat, hoc maximè licere, quando minister tenetur ex officio dare sacramentum, non tamen negat, licere etiam respectu aliorum, sed generatim etiam loquitur. Idem sequitur Syluest. verbo Baptismus 3. num. 7.

Hæc verò tam generalis doctrina multis alijs nõ placet, & ideò varijs distinctionibus vtuntur. Primo, Scotus eãdem distinct. 5. quæst. 2. artic. 1. distinguit priùs de ministro non tolerato, nam in casu necessitatis licet ab eo accipere, nõ tamen extra illum, loquitur autem ibi specialiter de Baptismo; in articulo verò secundo distinguit de ministro tolerato, nam aut est occultus peccator, aut publicus, & de occulto absolutè affirmat licere ab eo petere sacramentum; de publico verò subdistinguit, nam vel tenetur ex officio dare, & tũc etiam licet ab eo petere aut non tenetur, & tunc vlteriùs subdistinguit; nam si sit alius sacerdos à quo sit melius & sine peccato sacramentum dãdum, non licebit à peccatore petere, si verò non sit alius, licebit. Hęc Scotus. In cuius sententia, quod de ministro non tolerato dicit, in genere sumptum verum est, & non est contrarium Diuo Thomæ, qui locutus est perse, prout materia moralis postulat, non tamen excludit accidentales casus ex necessitate prouenientes. Quæ verò, & quanta esse debeat hæc necessitas, in particulari explicandum est in varijs sacramentis pro ratione necessitatis eorum, & ad materiam de censuris hoc maximè spectat, & statim nõnulla dicemus pro huius loci opportunitate.

Omisso ergo ministro non tolerato, de tolerato aliter distinguit Caietan. d. quæst. 64. artic. 6. nam vt liceat ab eo sacramentum petere vel recipere, duas requirit conditiones. Prima, vt ille sit paratus ad dandum. Secunda, vt qui petit sit in aliqua necessitate suscipiendi sacramenta; quandocunq; verò hæ duæ conditiones non concurrunt, absolutè & sine distinctione negat hoc licere. Aliter Adrianus quæst. 3. de Baptismo distinguit, de ministro parato ad ministrandum, vel non parato: & rursus, de eo, qui ex officio tenetur ad ministrandum, vel non tenetur. Et dicit primò, à ministro iniquo, qui ex officio tenetur dare sacramentum, licitum esse illud petere sine aliqua causa vel limitatione, id est, siue ille sit paratus, siue non, & siue petens sit in necessitate, siue non: istis enim illi esse censet, quòd petit ius suum in re sancta & bona. Secundò dicit, ab eo, qui ex officio non tenetur dare, nec paratus est ad dandum, & iniquè est daturus, nunquam licere petere, etiam propter necessitatem, quia esset inducere ad malum, cum cesset ratio petẽdi ius suum. Tertiò addit, à ministro iniquo parato ad ministrandum sacramentum, licitum esse illud petere, absque alia conditione, id est, quanuis ille non teneatur dare, nec sit specialis necessitas, quia illa nõ est inductio ad malum, cum ille sit paratus. Quam doctrinam fere docuit Angelus verbo, Clericus 8. num. 1. tamen verbo Baptismus 5. num. 12. dicit, licere sacramentum accipere à ministro malo tolerato, dummodò qui accipit non inducat illum ad dandum. Eandem fere doctrinam sequitur Soto in 4. distinct. 1. q. 5. art. 6. ad 2. addit verò limitationem ab Scoto suprà indicatam, videlicet, etiam si malus minister sit paratus, non esse ab eo accipiendum sacramentum, si possit recipi à bono ministro, quãuis id facere (inquit) nõ esset peccatũ mortale. Rursus à ministro nõ parato dicit interdũ licere sacramẽtũ petere etiã si ex officio dare nõ teneatur, dummodò grauis necessitas intercedat, qualis est in articulo mortis, vel in tẽpore, quo implẽdũ est aliqd diuinũ præceptũ: putat enim, necessitate implẽdi Ecclesiastici præcepti ad hoc nõ sufficere. Nauar. autẽ in sum. ca. 21. nu. 4. solũ dãnat eũ, qui petit sine necessitate à malo ministro non parato, significãs, ob necessitatẽ hoc licere, nõ explicat autem, quale esse oporteat necessitatem hãc, nec distinguit de ministro, qui ex officio obligatur ad sacramẽtũ dandũ, vel qui non tenetur. Quocirca in tanta varietate iudiciorũ, & distinctionũ multitudine, difficile est, moralẽ doctrinam in praxi seruandã, clare, ac perspicuè, & cum sufficienti fundamẽto proponere.

Prohibitio petendi sacramẽtum duplex.

Vt ergo, si fieri põt, rẽ totã ad pauca & veras principia reuocemus, aduertẽdũ est, duob⁹ modis posse alicui esse prohibitũ petere aut accipere sacramẽtum ab aliquo ministro. Primò, directè, ex vi alicuius præcepti sibi impositi quo prohibetur aliquis accipere sacramẽtũ ab alio, qui secluſa tali prohibitione, haberet potestatẽ, & ius dãdi. Secũdò, quasi indirectè ex generali obligatione vitãdi scãdalũ, seu nõ inducendi aliquẽ ad peccãdũ, nec cooperãdi peccato alterius. Prior prohibitionis modus fit per cẽsuras Ecclesiasticas, præsertim per excõicationẽ maiorẽ, per quã non solũ ille qui excõicatur, à ministerio sacramẽtorum arcetur, sed etiã alij prohibẽtur directè, ne eũ illo cõicent, præsertim in sacris, & maximè in sacramẽtorũ participatione, & hæc est prohibitio, de qua dixit D. Thom. nõ licere sacramentũ accipere à ministro nõ tolerato, qd per se loquẽdo seruandũ est. An verò aliqui liceat à ministro excõicato sacramentũ petere, vel accipere, nõ est huius loci, sed in materia de cẽsuris tractandũ est, & in materia de Baptismo dicemus hoc licere in casu necessitatis illius sacramenti. An verò idẽ sit dicẽdũ de Pœnitẽtia, & Eucharistia, dicetur de illis disputãdo. Hic solũ sunt tria obseruãda circa hũc ministrũ nõ tolleratũ. Primũ est iuxta ius antiquũ, qd tpe D. Th. seruabatur, omnẽ ministrũ excõicatũ, fuisse nõ tolleratũ, quia omnibus prohibitũ erat ab illo petere, vel accipere sacramẽtum, tũ post Cõcil. Cõstã. & Basilie. sess. 20. hãc prohibitionẽ moderatã esse ac limitatã ad eum, qui nominatim est excõicatus, ac denunciatus, vel, qui est manifestus percussor clerici, ita vt nulla tergiuersatione possit celari. Quocirca, ex vi huius noui iuris solus ille dicẽdus est minister nõ tolerat⁹, qui hoc modo excõicatus est, & solũ respectu illius, prohibentur fideles speciali ac directa prohibitiõe petere, vel accipere ab eo sacramẽta. Dico autẽ, speciali ac directa prohibitiõe, quia ex vi legis charitatis de vitãdo scãdalo, & gñalis obligatiõis nõ cooperãdi ad malũ, poterunt obligari fideles ad nõ petendũ, neq; accipiendũ sacramẽtũ à ministro excõicato quocũq; modo, propter hoc solũ q; ille peccaturus est ministrãdo, nam hæc obligatio cũ naturalis sit, nõ potuit per illã Ecclesiasticã moderationẽ auferri, quia per illã neque excõicatio generalis ablata est, nec prohibitio ipsi excõicato facta, ne se sacris rebus vel ministerijs ingerat. Quando verò petere vel accipere sacramentum ab huiusmodi excõicato tolerato sit inducere, vel cooperari ad malum, iuxta regulas statim tradẽdas de quocunque ministro tolerato, iudicandũ est, præter ea quæ ad materiam de censuris spectant.

Secũdò est obseruandũ, præter hãc prohibitionẽ per cẽsuras, inuentã aliã specialẽ in iure, qua, prohibentur fideles, ne à sacerdote publicè cõcubinario sacramenta accipiãt, aut missam audiãt, vt patet ex c. nullus. & c. præter. d. 32. & ex c. vlt. 15. q. 8. & in c. vlt. extra. & c. vlt. de cohabitat. cleric. & mulierũ, quòd præceptũ obligasse oẽs sentit D. Tho. infrà q. 82. art. 9. ad 5. & quodl. 11. art. 8. & Sylu. verb. Concubinarius. §. 4. & verb. excõicatio. 5. §. 7. Nauar. in sum. ca. 25. nu. 80. qui dicit hæc esse eòem sentẽtiam Theologorũ & Canonistarũ, additq; hoc præceptũ ad hoc obligare oẽs, & adducit canonem Cõcil. Trident. sess. 25. ca. 14. de reformat. vbi Cõcilium renouat oẽs pœnas in sacris canonibus latas contra Clericos concubinarios. Sed quãuis fortasse hæc sentẽtia standum in iure antiquo sit probabilior (nõ enim defuerunt qui hoc negauerint, vt constat ex Gabr. in 4. d. 13. q. 1. art. 3. dub. 4.) tamen nunc probabilius existimo, hãc prohibitionẽ esse ablatam ex vi decreti Cõstantiensis suprà adducti. Quod sumi potest ex doctrina Gabriel. suprà. & ex his quæ tractat Adrian. in 4. in materia de Eucharistia. dub. 8. quod incipit. Vtilis de impedimentis, quia hæc prohibitio erat suspensio quædã, & cuiusdam censuræ genus, omnis autem huiusmodi prohibitio reuocata est per dictũ Concilium ad duo capita suprà posita, neq; est amplius extendenda, vt latiùs in materia de censuris.

Num à publico concubinario possit recipi sacramentum.

Tertiò est obseruandũ, hæreticũ, etiã si per Ecclesiã excõicatus nõ esset, præcisum esse ab Ecclesia ex vi suæ hæresis, ideoq; posse vocari nõ tolleratum ab Ecclesia cũ non sit illius mẽbrũ. Nihilominùs tũ, ex vi solius hæresis & secluſa Ecclesiæ censura, nõ esset directè prohibitũ fidelibus ab hæretico petere vel accipere sacramentũ, quia neq; ex sola rei natura oritur talis prohibitio, neq; in iure diuino positiuo inuenitur: igitur secluſa cẽsura, eodẽ modo, seu eodem genere obligatiõis erit prohibitũ accipere sacramẽtũ ab hæretico, quo à quolibet alio ministro iniquo: hæc verò obligatio tantò erit maior, quantò iniquitas hæretici maior est, maiusq; periculũ, priũ, maiusq; aliorũ scandalũ in cõicatiõe cũ illo. Vnde, cùm moderatio Concil. Cõstantiẽsis generalis sit, & ad omnes excõicatos se extẽdat, etiã cõprehendet hæreticos, & ideò, quandiu illi nominatim excõicati non fuerint, nõ erit specialis & directa obligatio nõ recipiendi ab illis sacramenta tanquam ab excõicatis, sed solum illa, quæ esse potest de vitãdo iniquo ministro in huiusmodi opere, prout explicandũ est. Et hactenus de ministro non tolerato.

Circa aliud membrum de obligatione quasi indirecta vitandi sacerdotem iniquè ministraturũ propter vitandam inductionem seu cooperationem ad malum, tota difficultas est in explicando, quando petitio vel acceptio sacramenti à tali ministro sit inductio vel cooperatio ad malum.

Quando acceptio sacramenti à malo ministro sit cooperatio ad malum.

Dico ergo primò, Petere & accipere sacramentũ à ministro, qui põt licitè dare ex malitia autẽ sua daturus nõ est sine peccato, nõ est intrinsecè, ac per se malũ, siue ille sit minister ex officio, siue nõ, & siue sit ad dandũ paratus, siue nõ sit. Probatur, quia ab illa actione ministri, quæ, vt ab illo fit, habet adiunctã malitiã, separabilis est malitia, per se loquẽdo: nã solũ ex praua volũtate ministri illi adiũgitur: ergo, qui petit illã actionẽ, per se non petit aliquid malũ, nec, quod necessariò habeat malitiã adiunctã: ergo illa petitio ex se & obiecto suo nõ est mala, neq; ex vi illius inducit aliquis alterũ ad operãdũ malũ, sed permittit illud malũ, quod alius ex sua voluntate so

Universidad de Deusto
Biblioteca

la admisturus est actioni p se bonæ, nõ est ergo hoc intrinsecè malũ. Exẽpla sunt cõia in petitiõe iuramẽti à Gentili, qui p falsos Deos iurarurus est, & in petitiõe mutui ab eo, qui vsuras exacturus est, nã hæc ex obiecto nõ sunt mala intrinsecè, sed possũt bene fieri, si cũ debitis circũstãtijs fiãt. Quin potiùs hęc petitio sacramẽti ab eo, qui põt licitè dare, ex obiecto nõ solũ nõ est mala, verũ etiã ex se est honesta, & nõ tantum indifferẽs, quia obiectũ illud ex se honestũ est, & ad virtutẽ religionis pertinẽs. Et hanc existimo fuisse mentẽ D. Tho. imò videtur aperta sententia Nicol. Pap. d. c. vlt. 15. q. 8. quã refert & sequitur Luci⁹ 3. in c. vlt. de cohab. cleric. & mulier.

Dices, Quãuis hæc actio ex obiecto nõ sit mala, sed bona, tñ ex circũstãtijs est semper mala, quia fit cũ scãdalo, & dando proximo occasionẽ ruinæ. Respõdetur, ex hoc quidẽ capite posse actionẽ esse malã, nõ tñ semper, quia illud scãdalũ põt esse interdũ actiuũ, interdũ merè passiuũ, & aliqñ illa occasio cẽsebitur moraliter data, interdũ verò tantũ permissa, seu ab alio accepta. Quã verò sit vnius, vel alterius modi, nõ requirit hic specialẽ regulã aut doctrinã, sed ex ordine charitatis, & ex gñali obligatione vitãdi scandalũ, & ruinã proximi, iudicandũ est: nã, si cõmodè possumus & sine magno detrimẽto, auferre debemus p̃ximo occasionẽ ruinæ, etiam si ex malitia vel fragilitate sua lapsur⁹ sit; quia hoc postulat ratio charitatis, si verò id vitare nõ possum⁹ sine graui incõmodo ac detrimẽto, nõ obligamur cũ tãto onere ad omittendũ ea, quæ nobis sunt vtilia, ne alius inde sumat occasionẽ peccãdi ex sola sua malitia, seu libertate. Hæc igitur regula seruanda est in

A ministro ex officio neque est semper licitum petere, neque ab alio semper illicitum.

præsenti materia. ¶ Vnde infero primò, nõ esse sufficientẽ illã distinctionẽ de ministro ex officio obligato vel spõte sua ministrãte, de neutro enim illorũ põt in vniuersum affirmari vel negari, esse licitũ ab eo petere sacramentũ in prædicto casu. Nã licèt ipse ex officio teneatur sacramentũ dare, tñ si ego possum sine vllo detrimẽto ab alio petere, qui sine peccato dabit, lex charitatis Dei & proximi tunc obligat, vt auferã occasionẽ ruinæ proximi, & irreuerẽtiæ sacramẽtis quia, licèt secundũ iustitiæ rigorẽ vni cuiq; liceat petere ab altero ius suũ, qđ sibi debet, tñ qñ inde magnũ detrimentũ proximo est euẽturũ, & mea nihil interest illud idẽ bonũ obtinere ab eo, qui spõte sua vel ex debito ipsum cõfert seu ministrat, charitas postulat, vt proximi in ea occasiõe miserear, cũ id possim facere sine detrimẽto, & illere vera sit in mortali necessitate, seu discrimine cõstitut⁹. Dices, illũ nõ esse in necessitate, cũ solà volũtate sua peccaturus sit. Rñdetur, non esse quidẽ necessitatẽ physicã, esse tñ moralẽ indigentiã & miseriã satis grauẽ: illa ergo satis est, vt subuenire illi debeã, si cõmodè possim. Atq; eadẽ ratiõe, nõ est semper malũ, sacramentũ petere à ministro iniquo, etiã si non teneatur ex officio dare, quia fieri põt, vt necessitas sacramẽti suscipiẽdi tanta sit, vt non teneat vitare ruinã alterius cũ tãto discrimine, vt patet manifestè si sim in mortis periculo, & indigeã Baptismo, vel Pœnitẽtia: & idẽ existimo de Eucharistia, imo & de Extrema vnctione, vt ex sequẽtibus magis patebit. ¶ Secundò infero, distinctionẽ illã de

Distinctio de ministro parato, & non parato, qualis.

ministro parato, & nõ parato, insufficiẽtẽ etiã esse ad tradendã gñalẽ regulã, quia de neutro illorũ põt in vniuersum affirmari, vel negari, licitũ esse petere ab eo sacramentũ. Quòd enim frequẽter liceat illud petere à ministro parato, licèt iniquus sit, oẽs sine

A controuersia admittunt, & est per se facilè creditu; quia tũc nulla est inductio nec cooperatio, cũ actio ipsa per se bona sit, & aliũde vix sit ibi aliqua occasio ruinæ; quia iã ipse recidit eo ipso q̃ paratus est. Nihilominus tñ, q̃ hoc etiã interdũ vitãdũ sit, nec semper liceat, sic explicatur: quia nõ semper aliquis est ita paratus, quin, si alter nõ accedat ad accipiendũ sacramentũ, vitetur in indiuiduo aliquis lapsus seu peccatũ aliquod: quia licèt sit paratus, nõ tñ semper est in illa actuali volũtate, aut in actuali vsu ministrãdi sacramentũ: ergo etiã si alius sit paratus, accedendo ad illũ offertur ei aliqua materia, ex qua ipse sumat hic & nũc occasionẽ peccãdi: ergo, si cũ tanta facilitate & cõmoditate hoc possũ vitare, teneor id facere, & propter reuerentiã sacramenti, & ppter bonũ proximi. Exẽplũ esse põt, si duo confessores sederẽt parati ad cõfessiones audiẽdas, & mihi satis cõstet, vnũ esse bonũ, & aliũ iniquũ, & cũ eadẽ facilitate possim alterutrũ eligere, tenebor sine dubio vitare peccatũ vnius, & alterũ qui bonus est cõfiteri, quia saltẽ vitatur illud sacrilegiũ externũ, & iniuria quæ fit sacramẽto, qñ in re ipsa dispẽsatur à praui⁹ ministro, & fortasse etiã vitabitur aliqua culpa interior, quã nõ cõmittet ille, qui paratus est, si cõfessionẽ actu nõ audiat, neq; absoluat. Rursus, q̃ à ministro iniquo nõ parato frequẽter non liceat petere, oẽs etiã admittũt, & est facile: quia est ibi maior inductio, quæ propterea vitanda est, si cõmodè põt. Quòd autẽ hoc etiã nõ semper sit malũ, cõstat ex ratione fundamẽtali suprà posita, quia q̃ peritur per se bonum est, & põt iusta necessitas vel vtilitas interuenire, ob quã nõ teneatur aliquis nõ petere à p̃ximo, seu nõ inducere illũ ad id sibi præstandũ, quod bonũ est, & bene ab ipso præstari potest, etiã si ille nihil antea cogitaret de illo opere faciẽdo, neq; ad id esset paratus, & quãuis ille ex volũtate sua iniquè id facturus sit, quia nõ obstãte tali dispositiõe ministri, illud malũ seu peccatum, quod ibi miseretur, nõ põt attribui petẽti sacramentũ, tanquã cooperãti vel inducẽti, sed solũ dici põt illud permittere. ¶ Dixi autẽ, posse interuenire iustam necessitatẽ, vel vtilitatẽ, quia vt hoc liceat, non existimo necessitatẽ extremã aut valdè grauẽ, aut necessitatẽ implendi diuinũ præceptũ exp ectandam esse, vt Soto cẽsuit, sed minore causæ poterũt sufficere, sicut sufficiũt in alijs actionibus humanis, quæ nec graviores sunt, neq; homini vtiliores, vt propter eas obtinẽdas, peccata proximi nõ minora permittãtur. Exẽpla sunt suprà posita, de iuramento, quod licet ab idololatra postulare, quod nõ tantũ licet, qñ ille est paratus ad iurandũ, sed etiã si interdũ non sit, vt si oporteat, eũ testimonium dicere in aliqua graui causa, & iudicio, possum illũ rogare, & inducere ad ferendũ veritatis testimoniũ eumq; iuramẽto cõfirmandũ, quãuis ibi nõ interueniat magna necessitas, sed vtilitas, vt v. g. obtinẽdi ius meũ, seu rẽ aliquã tẽporalem: ergo multò magis in hac causa de qua agimus sufficit aliqua rationabilis occasio, præsertim cũ ipsemet vsus sacramẽti, per se sumptus maximæ vtilitatis sit. Simile argumentũ sumi põt ab alio exẽplo de mutuo, quod licet petere ab aliquo, qui exacturus est vsuras, etiã si paratus nõ sit ad mutuandũ, dũmodò rationabilis causa intercedat, quãuis nõ sit extrema vel grauis necessitas. Et ratio vniuersalis est, quia cũ illa petitio ex se non sit occasio peccãdi, nec sit mala, neq; habeat speciẽ mali, non habet rationẽ scãdali actiui, etiã respectu hominis

non

nõ parati: ad vitandũ autẽ scandalũ passiuũ nõ tenemur cũ tãto rigore, & ideò ex rationabili causa permitti põt. Igitur hæc cõditiones ministrorũ, scilicet, q̃ teneãtur ex officio ministrare, aut q̃ sint parati, per se solæ nõ sufficiũt ad regulas gñales tradẽdas, sed vnica regula hic est ratio caritatis, & ordo, atq; obligatio eius. Nihilominus tñ prædictæ cõditiones nõ sunt cõtinẽndæ, sed prudẽter cõsiderãdæ in particularibus actionibus, quia multũ cõferre possunt, vt cũ minori causa vel necessitate hoc liceat; nam quia (vt dicebã) ipsamet sacramenta sunt per se valde vtilia animæ, ideò hæc ratio per se sufficiet mora liter loquẽdo vt liceat petere sacramẽtũ à ministro, qui vel ex officio tenetur, vel paratus est, etiã si in peccato sit ministraturus, si nõ est alius, qui sine peccato ministret, respectu verò alterius ministri nõ parati, vel nõ obligati, nõnulla maior causa erit necessaria, nõ tñ dubito, quin sufficiat necessitas implendi Ecclesiasticũ præceptũ Missæ audiẽdæ, aut cõicandi, vel vtilitas nõ differẽdi nimiũ vsum sacramenti cõfessionis, vel cõmunionis, præsertim si intercedat conscientia peccati mortalis; aut aliquid simile, quia nulla est sufficiẽs ratio ad coarctandã seu restringẽdã magis hãc facultatẽ. ¶ Quod vt ꝓbabilius fiat, cõsiderandũ vltimò est, nõ esse necessariũ, vt petẽti sacramẽtũ cõstet, ministrũ esse bene dispositũ, quia hæc cura nõ est illi cõmendata, satis ergo erit, vt illi nõ cõstet aliũ esse malè dispositum; ergo, vt obligetur ad nõ petendũ sacramentũ, oportebit, vt moraliter ei cõstet, ministrũ esse malè dispositũ, & cũ ea mala dispositione ministraturũ sacramentũ: hoc autẽ difficillimũ est iudicare, nisi vbi manifestè cõstat ministrum esse in diuturna cõsuetudine & proxima occasiõe alicuius peccati. Et tũc quidẽ maiori opus est prudẽtia & iudicio ad petendũ sacramentũ ab huiusmodi ministro, extra hunc verò casum, etiã si cõtingat videre sacerdotem paulò antea mortaliter peccantẽ, põt ab illo peti sacramentũ, etiã si non sit paratus, neque ex officio illud dare teneatur: quia semper põt ꝓperari, eũ fore cõuenienti modo disponendum; quod breuissimo tẽpore præstare potest.

Quæ necessitas sufficiat ad permissionem peccati ministrantis sacramentum.

Tertiò colligitur ex dictis, aliã etiã distinctionẽ, quæ in vsu solet esse in hac materia de recipiẽte sacramentũ ab iniquo ministro, an sit tantũ accipiẽs, vel etiã petens: hãc (inquã) distinctionẽ nõ esse admodũ necessariã. Primò quidẽ, quia hic tantùm est sermo de adultis ratione vtentibus: nã illi solũ sunt capaces huius obligationis de qua agimus: nã si sint infantes, vel amẽtes, aut dormientes, clarum est nõ posse peccare, si eis detur aliquod sacramentũ ab iniquo ministro: adulti autẽ vtentes ratione nunquam accipiũt sacramentũ, quin aliquo modo petãt; quia volũtariè accedunt, vt illud accipiãt. Deinde, quia omnia quæ diximus nõ solũ de accipiente, sed etiã de petente, vera sunt, vt patet ex rationibus & exẽplis, quibus vsi sumus. Neq; de accipiẽte, quantùmis à petente distinguatur, põt alia regula tradi præter eã, quæ à nobis data est. Solùm posset fingi casus, in quo sacerdos iniquus, qui ius habet dispẽsandi sacramentum, v. g. Eucharistiã, sit in actuali dispẽsatione eius paratus ad aliquem ad dandum omnibus, qui accedunt; tunc enim ab eo recipere sacramentum, videtur acceptio, ferè nihil habẽs admixtũ petitionis, & tunc fine vlla morali limitatione dici põt esse licitũ accipere: quia ibi nulla ratio cooperationis ad malũ, neq; scandalũ aut occasio ruinæ datur, vt facilè ex dictis cõstat: quod quidẽ licet verum sit, tñ in

principijs positis contineatur, & iuxta ea intelligendũ est. ¶ Vltimò ex his põt obiter expediri dubium de eo, qui ministrat sacerdoti iniquo, nõ petẽdo, vel accipiẽdo ab illo sacramentũ, sed solũ deseruiẽdo illi in actione sacra, quã ipse prauè exercet, vt v. g. ministrãdo Missæ, quã ille dicit in peccato, vel seruiẽdo Episcopo ordinanti aliquos in statu peccati mortalis, an in huiusmodi cooperatiõe aliqua culpa interueniat. Dicendũ est enim, in hoc seruanda esse duo principia suprà indicata. Primũ si talis sit actio vt à Sacerdote vel Episcopo, aut quolibet alio, nõ possit licitè fieri, ministrare illi seu cooperari tali actioni semper esse malũ, quia tunc nõ est separabilis malitia ab actione; ergo, qui inserit actioni, cooperatur actioni malæ. Itẽ, quia si sacerdos, nõ põt licitè illam actionẽ sacrã exercere, vel id est, quia nõ habet potestatem simpliciter; vel quia nõ habet ius, vel quia est ab Ecclesia suspẽsus: quocunq; autẽ istorũ modorũ cõtingat, est malũ cooperari tali actioni: quia primũ est directè sacrilegiũ, secundum, est vsurpatio alieni iuris, tertiũ verò est cõtra obedientiam Ecclesiæ debitã. Secundũ est, qã actio sacra per se est bona, & ab eo, qui facit, rite & rectè fieri põt, & tantũ ex malitia eius indignè fit, nõ est per se malũ inserire illi, seu ministrare in huiusmodi actione, vt patet ex dictis, quia actio ex se bona est, & circunstantia malitiæ ministri est valde extrinseca; & ideò nõ peccat, qui sacerdoti malo præbet vestes aut vasa sacra, ad missam faciendã, quia ille nõ cooperatur malitiæ eius: & idẽ est de ministrante ei in sacrificio. Verũ est tñ, speculatiuè loquẽdo, etiã hic habere locũ regulã charitatis suprà positã, q̃ si quis cõmodè põt vitare huiusmodi ministeriũ, vt alius nõ peccet, debet id facere; nã procedit hic eadẽ ratio. Nihilominus tñ, moraliter loquẽdo, vix põt hoc ad vsum applicari, quia neq; vitari cõmodè põt hoc ministeriũ, neq; ea de causa vitabitur peccatũ, & ideo non sunt huiusmodi scrupuli his ministris injiciendi.

Num peccet is, qui ministrat alteri in actione sacra, quam prauè exercet.

SECTIO II.

Virũ teneãtur semper ministri sacramentorũ non dare illa indignè petentibus.

PRæcipua difficultas huius quæstionis, & maxime moralis ac practica, tractatur à D. Tho. infra q. 68. art. 4. & q. 80. art. 6. in particulari de sacramẽto Baptismi, & Eucharistiæ; quibus locis, & præcipuè in posteriori ex professo tractãda hæc res est. Et ideò hoc loco solũ est in genere notandũ duplex caput, vnde oriri põt hæc obligatio, iuxta dicta sect. præced. Vnũ est ex præcepto directè imposito ministro nõ dãdi sacramẽta indignis. Aliud est gñale præceptũ non cooperandi peccato alterius.

Dico ergo primò. Ministrũ sacramentorũ ꝓprio & speciali præcepto teneri ad nõ dandũ sacramenta his, qui indignè ad illa accedũt. Cõclusio est cõis, & certa. Probatur; quia, cui cõmissa est sacramenti administratio, cõsequenter & ex natura rei præceptũ est, vt illud munus peragat tanquã fidelis dispẽsator & prudens: ergo ex vi huius præcepti tenetur nõ dare sacramentũ homini indigno. Patet cõsequẽtia, quia hoc pertinet ad fidelẽ & prudentẽ dispẽsationẽ sacramenti, & ad cultũ ac reuerentiã ei debitã. Et confirmatur; nã hac ratione tenetur sacerdos Eucharistiã in loco decenti collocare, q. si illã in ter

Universidad de Deusto
Biblioteca

ram proijceret, grauiter peccaret cõtra officiũ suũ: ergo similiter dando quodlibet sacramentũ indigno. Dices, satis ne erit, vt Sacerdoti nõ cõstet, eum qui sacramentũ petit esse indignũ; aut oportebit, eũ aliquã diligentiã adhibere, vt moraliter sibi constet aliũ dignè petere? Videtur enim hoc esse graue onus, & scãdalis expositũ, si oporteat sacerdotẽ de aliorũ vita & dispositiõe inquirere. Rãdetur, non posse nos vniuersalẽ regulã in omnibus sacramentis seruandã tradere. Quãuis enim in omnibus verũ sit, omnẽ illũ hominẽ, quẽ non cõstat esse malũ, præsumendũ esse bonũ, nihilominùs tñ in vnoquoq; sacramẽto iuxta eius naturã & cõditionẽ, prudentia opus est ad hoc iudiciũ ferendũ. Nã in Baptismo, v.g. quia est ianua sacramentorũ, prærequiritur examen de fide suscipiẽtis, & quia est regeneratio, & prima trãslatio ab statu peccati ad statũ gratiæ & viui mẽbri Christi, prærequirit etiã moralẽ diligentiã circa dispositionẽ suscipiẽtis. At verò ad confirmationẽ vel Eucharistiã sufficit, q; is, qui petit vel accedit ad sacramentũ, per Baptismũ habeat ius petendi, & q; de illo nõ cõstet esse in statu peccati. Si autẽ cõstiterit antea fuisse in huiusmodi statu, oportebit vt aliqua signa cõtritionis ediderit, aut etiã, q; cõfessus fuerit, si Eucharistiã sit recepturus, quæ omnia per se intelligẽda sunt ac iuxta prudentiam moralẽ & humanã. Nã interdũ ipsamet petitio sacramẽti à tali psona vel tali modo facta, põt esse signũ sufficiẽs bonæ dispositionis absq; alijs signis; aliquã verò talis põt esse cõditio personæ, & modus petendi, vt maiori diligẽtia opus sit, maximè si scãdalũ alicuius peccati præcesserit; tũc enim, etiã alijs satisfacere oportebit, ne maius scãdalũ oriatur. Quæ omnia eodem modo procedũt in sacramẽto Extremæ vnctionis. In sacramẽto autem Pœnitẽtiæ, quia administratur per modũ iudicij, in quo minister iustè iudicaturus est, ad eũ spectat accuratius causam examinare, cuius præcipua pars est dispositio rei, qui absoluẽdus est, vel ligãdus. Rursus in sacramẽto Ordinis, quia per illud admittũtur hominẽs ad sacrũ ministeriũ, ideò diligẽtius tenetur Episcopus examinare qualitatẽ & statũ personæ, vt & digna sit tanto sacramẽto, & aptã ad tale ministeriũ, vt vi derè licet in Conc. Trid. sess. 23. Deniq; in sacramẽto Matrimonij, quia nõ solũ est sacramẽtũ, sed etiã indicit vinculũ perpetuũ, & præterea, quia est talis cõtractus, quẽ si cõtingat nõ esse validũ, poterit esse occasio multorũ peccatorũ, ideò pastores Ecclesiæ diligẽter curare debent, vt ad tale sacramentum homines nõ accedãt, nisi eũ omnibus cõditionibus requisitis, & cum dispositione debita, vt cõstat ex Concil. Trid. sess. 24. de quibus omnibus in propriis locis latiùs dicemus. ¶ Dixi in conclusione, per se loquẽdo, quia per accidẽs interdũ põt dari aliquod sacramentũ, v.g. Eucharistia, peccatori occulto, quẽ publicè petẽti, ad vitandũ scandalũ, vel iniustã proximi infamationẽ, vt latiùs dicemus in materia de Eucharistia. ¶ Dico secũdo, etiã tenetur minister sacramẽti, per se loquẽdo nõ dare sacramentũ indigno, ne cooperetur peccato eius. Probatur apertè, quia tunc receptio suscipiẽtis est malatio; ergo cooperari dicta etiã erit malũ: sed nulla põt esse maior cooperatio ad recipiendũ, quàm ipsummet dare, peccat ergo tunc sacerdos duplici titulo, scilicet, & quia agit cõtra ꝓprij officij obligationẽ, & quia iuuat alterũ ad peccandũ. Nec refert, q; alter paratus sit, nec q; interiùs peccatũ suum cõmiserit, quia ipsamet exterior acceptio est peccatũ exterius: ad quod cooperari nõ licet, quantumuis parato animo ab alio fiat. Dices, illa exterior receptio per se nõ est mala, quin potiùs est ex obiecto bona, solúq; habet malitiã per accidens adiunctam ex praua dispositione subiecti, ad quã nullo modo cõcurrit, qui sacramentũ ministrat: ergo ex vi illius ministerij nõ cõcurrit ad malũ. Rãdetur, satis esse, q; hic & nunc talis receptio in hoc homine sit mala, & q; minister nullã habeat sufficientẽ causam dandi sacramentum homini sic praue dispositò: tunc enim moraliter cooperatur malitiæ eius, cooperando receptioni eius, quam deberet vitare cùm posset. Quod ideò addo, quia vt suprà dixi, in aliquo casu accidere põt vt minister moraliter nõ possit negare sacramentũ homini iniquo petenti, ꝓpter scandalũ vel similem causam, & tũc quãuis illud det, nõ cooperatur iniquæ receptioni, vt iniqua est, sed solum vt receptio sacramenti est: quia ipse vtitur iure suo, & dat operã rei de se licitæ, quã nõ põt eo tẽpore vitare. ¶ Sed quæres vtrũ, sicut interdũ licet, ob huiusmodi occasionẽ dare sacramentũ peccatori, ita etiã aliquã liceat ob necessitatẽ inducere peccatorẽ ad recipiendũ sacramentũ: nõ quidẽ inducendo illũ, vt in peccato sumat, nam per se notum est, hoc esse intrinsecè malũ, sed inducendo illũ, vt sumat, etiã si mihi constet iniquè esse sumpturũ, nõ quia non possit si velit licitè sumere, alioquin esset intrinsecè malũ, illũ inducere, quia nõ esset separabilis malitia à sumptione, sed quia voluntariè sumpturus creditur sine debita dispositione. Rãdetur, hoc nõ esse intrinsecè malũ, quia hoc formaliter nõ est inducere ad malũ, sed ad bonum permittẽdo malũ, quod ex obiecto & intrinsecè malũ nõ est. Quia verò nõ semper est bonum, ad iudicandũ, an talis permissio sit licita, & cõsequẽter an moraliter cẽsenda sit permissio vel cooperatio, seruandæ sunt regulæ suprà tractatæ charitatis, & prudentiæ; nam si occurrat sufficiens ratio & necessitas, quæ iuxta ordinem charitatis satis sit ad tolerandum illud malum propter aliquod aliud bonum, tunc poterit hoc esse licitum; quando verò causa vel necessitas sit huiusmodi, prudenti arbitrio relinquendum est. Rariùs tamen accidet hæc necessitas in recipiente, quàm in dante, nihilominùs tamen non est dubium, quin aliquando possit interuenire, vt verbi gratia, si oporteat populum audire sacrum in die festo, & non sit alius sacerdos nisi peccator, licet illum inducere ad faciendum sacrum, in quo communicaturus est, licèt ex malitia sua sit in peccato sacrificaturus. Similiter, si valdè expediat, vt aliqui statim contrahant Matrimonium ad vitandum aliquod scandalum, quod posteà timetur, licitum erit eos inducere ad contrahendum statim, eos admonendo, vt se disponãt, quamuis forsàn timeatur, non fore disponendos, & idem potest in Ordine accidere, & similes casus possunt facilè excogitari.

Et hactenus de Sacramentis in genere, & de prima huius libri parte, ad honorem Dei dictum sit.

An sit examinanda dispositio recipiẽtis, & quantum.

Dare sacramẽtũ prauè dispositò, est cooperari eius prauitati.

Verùm liceat inducere ad recipiendum quis peccatorem sacrum?

QVAESTIO SEXAGESIMASEXTA.

DE PERTINENTIBVS AD Sacramentum Baptismi, in duodecim articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de singulis sacramentis in speciali. Et primò, de Baptismo. Secundò, de Confirmatione. Tertiò, de Eucharistia. Quartò, de Pœnitentia. Quintò, de Extrema vnctione. Sextò, de Ordine. Septimò, de Matrimonio.

Circa primum occurrit duplex consideratio.

Prima, de ipso Baptismo. Secunda, de Præparatorijs ad Baptismum.

Circa primum quatuor consideranda occurrunt. Primò, de his quæ pertinent ad sacramentum Baptismi. Secundò, de ministro huius sacramenti. Tertiò, de recipientibus hoc sacramentum. Quartò, de effectu huius sacramenti.

Circa primum quæruntur duodecim.

Primò, qd sit Baptismus, vtrũ. s. sit ablutio.
Secundò, de institutione huius sacramenti.
Tertiò, vtrùm aqua sit propria materia huius sacramenti.
Quartò, vtrùm requiratur aqua simplex.
Quintò, vtrùm hæc sit conueniens forma huius sacramenti: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Sextò, vtrũ sub hac forma possit aliquis baptizari, Ego te baptizo in nomine Chri.
Septimò, vtrùm immersio sit de necessitate baptismi.
Octauò, vtrùm requiratur trina immersio.
Nonò, vtrùm Baptismus possit iterari.
Decimò, de ritu Baptismi.
A Vndecimò, de distinctione Baptismatum.
Duodecimò, de comparatione Baptismatũ.

HAEC est secũda pars principalis huius materie, in qua, postquàm D. Thom. ea tradidit, quæ omnibus sacramentis communia sunt, de primo sacramentorum omnium, videlicet Baptismo, disputat. Quam materiam persequitur ab hac quæstione, vsque ad 71. interponens in 70. quæst. tractatum de circumcisione, quæ figura quædam Baptismi fuit, & in lege veteri vicem illius habuit. Nos verò inchoatam methodum prosequendo, eadem ferè capita de Baptismo disputabimus, quæ de sacramentis in genere; atque ita curabimus D. Thom. textum exponere, vt ab instituto ordine non recedamus. In hac igitur quæst. 66. simul agit D. Tho. de essentia, & institutione Baptismi; quia vix potest vnum sine altero explicari.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Baptismus sit ipsa ablutio.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio enim corporalis transit; Baptismus autem permanet. Ergo Baptismus non est ipsa ablutio, sed potius regeneratio & sigillum, & custodia, & illuminatio, vt Damasc. dicit in 4. lib. *4.d.3.art.1. & 4.con.cap. 60.*

¶ 2 Præterea. Hug. de sancto Victor. dicit, quòd baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Aqua autem nõ est ipsa ablutio, sed ablutio est quidam vsus aquæ; Ergo, &c. *Libr. 4. c. 10. circa med. Hug. lib. 2. de sacrament. in part. 6. ca. 2. in princ.*

¶ 3 Præterea, Augustinus dicit * super Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit *Tract. 80. in Ioã. post med. tom. 9.*

Universidad de Deusto Biblioteca

sacramentum. Elementum autem est ipsa aqua in sacramento baptismi: ergo baptismus est ipsa aqua, non autem ablutio.

SED contra est, quod dicitur Eccle. 34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum quid proficit lauatio eius? Videtur ergo, quod baptismus sit ipsa ablutio siue lauatio.

RESPONDEO dicendum, quòd in sacramento baptismi est tria considerare, aliquid scilicet quod est sacramētum tantum, aliquid autem quod est res & sacramētum, aliquid verò quod est res tantum. Sacramentum tantum est aliquid visibile exteriùs existens, quod scilicet est signū interioris effectus: hoc enim pertinet ad rationē sacramenti. Exterius autem suppositum sensui, est & ipsa aqua, & eius vsus, qui est ablutio. Quidam ergo existimauerūt, quod ipsa aqua sit sacramentum, quod quidem sonare videtur verba Hug. de sancto Vict. Nam ipse in communi definitione sacramenti dicit, quòd est materiale elementum, & in definitione baptismi dicit, quod est aqua. Sed hoc non videtur esse verum. Cùm enim sacramenta nouæ legis sanctificationem quandam operentur, ibi perficitur sacramentum, vbi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est veræ sanctificationis subiectum. Et ideo sacramētum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio. Et ideò Magister in quarta distinctio. 3. sententiarum dicit, quod baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum. Res autem & sacramentum, est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, & est signum sacramentale interioris iustificationis, quæ est res tantum huius sacramenti: scilicet significata & non significans.

Posita in arg. 2. & loco ibi citato.

Lib. 4. dist. 3. in princ.

AD primum ergo dicendum, quod id quod est sacramētum tantum in Baptismo, transit: permanet autem & id quod est sacramentum & res, scilicet character, & id quod est res tantum, scilicet interior iustificatio, sed character permanet indelebiliter (vt supra dictum est) iustificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damasc. autem baptismum definiuit, nō quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantū, sed quantum ad id quod est interius. Vnde posuit duo pertinentia ad characterem, scilicet, sigillum & custodiam, inquantum ipse character (qui sigillum dicitur) quantum est de se, custodit animam in bono. Duo etiam posuit pertinentia ad vltimam rem sacramēti, scilicet regenerationem (quæ ad hoc pertinet, quòd per baptismum homo inchoat nouam vitam iustitiæ) & illuminationem, quæ pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spiritualem vitam accipit: secundum illud Abac. 2. Iustus ex fide viuit. Baptismus autem est quædam fidei protestatio, vnde dicitur fidei sacramentum. Et similiter Diony. baptismum definiuit per ordinem ad alia sacramenta, dicens 2. c. Eccle. Hierar. quòd est quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad eorum susceptiuam opportunitatem formans nostros animales habitus. Et iterum in ordine ad cælestem gloriam (quæ est vltimus finis sacramentorum) cùm subdit, ad supercælestis quietis anagogen, nostrum iter faciens. Et iterū quātū ad principiū spiritualis vitæ, per hoc quod subdit, Sacræ & diuinissimæ nostræ regenerationis traditio.

Quæst. 64. artic. 5.

Loco citato in artic.

AD secundum dicendum, quod sicut dictum est, opinionem Hug. de sanct. Vict. in hac parte sequi non oportet. Potest tamen verificari, vt baptismus dicatur esse aqua: quia aqua est materiale baptismi principiū, & sic erit prædicatio per causam.

AD tertium dicendum, quod accedente verbo ad elementū fit sacramentū, non quidē in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per vsum ablutionis. Et hoc etiam signat verbum, quod accedit ad elementū, cum dicitur, Ego te baptizo, &c.

COMMENTARIVS.

INtentio D. Thomæ in hoc articulo est, tradere quandam descriptionem, seu definitionem quid nominis *Baptismi*, hæc enim in initio cuiuscūq; disputationis necessaria est. Hac verò occasione distinguit tria, quæ suprà diximus reperiri in quolibet sacramento, scilicet sacramentum tantùm, rem tantùm, rem & sacramētum simul, & duo quidem vltima ad præsentem quæstionem nihil referunt, quia in hoc sacramanto res tantùm est gratia baptismalis, res autem & sacramentum est character; constat autem hæc non significari Baptismi nomine. Significat ergo hæc vox id, quod in hoc sacramento est signum sensibile, externum, efficax gratiæ, quam significat.

Quid sit Baptismus.

Hoc verò signum, quod Baptismi nomine significatur, ait D. Tho. esse, *Exteriorem corporis ablutionem factam sub præscripta forma verborum*. Quam descriptionem sumpsit ex Mag. in 4. d. 3. in qua existimat D. Tho. differre Magistrum ab Hugone de S. Vict. lib. 1. de sacram. par. 6. cap. 2. vbi non dicit, Baptismum esse ablutionem, sed aquam, existimo tamen in re non fuisse diuersitatem, sed solū in modo loquendi, qui proprior est & rigorosior apud Magistrū & scholasticos. Non dubito tamen, quin Hugo intellexerit aquam, quandiu ad vsum nō applicatur, non esse sacramentum, nam & res per se satis clara

Magister, Hugo de S. Victore.

tis clara

tis clara est, & ex verbis eius satis apertè colligitur, dum ait, *Aqua enim sola elementum esse potest, sacramentum esse non potest, donec accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Constat autem, verbum nō accedere ad elementum, nisi quatenus ad vsum applicatur ei, qui suscipit sacramentum, in quo sacramentū perficitur, nō in ipso elemento, vt in solutione ad tertiū D. Thomas exponit Augustinū. Idē ergo est sensus Hugonis, quāuis minùs ꝓpriè locutus fuerit, nō distinguēdo inter aquā, & ablutionē.

August.

Dubium.

Dubitare potest aliquis circa descriptionē datā, quia Baptismus, & ablutio, aut sunt duæ voces synonymæ, aut cōparātur sicut totū, & pars materialis eius, in neutro autē sensu pōt cōuenientèr Baptismus dici ablutio. Explicatur antecedēs, nā hæc duo verba *baptizo*, & *abluo*, synonyma sunt, tantū differūt, quia *abluo*, est Latinū, *baptizo*, verò Græcū, qd Ecclesia Latina retinuit, propter antiquitatē, sicut ergo *ablutio*, significat actionē abluēdi, ita *Baptismus*, significare videtur actionē baptizādi, ac si diceretur *baptizatio*: sed in Græco nō est vsus huius vltimæ vocis, sed loco illius est vox, *Baptismus*. In hac ergo significatione illæ duæ voces sunt synonymę, nō ergo potest vna per alterā definiri; alioquin idē per idē definiretur. At verò ex hac primæua significatione vocis, *Baptismus*, intelligi pōt ea vox trāslata ad significandū totū sacramentū integrū, quod ad regenerationē fideliū est à Christo Dño institutū; & in hac significatione ablutio est pars Baptismi: quia totum sacramentū cōstat materia & forma, ablutio verò, vt infrà dicemus, est materia huius sacramēti, neq; hæc vox est ad aliā significationem translata, ergo neq; iuxta has significationes vocū, potest Baptismus dici ablutio, quia pars materialis nō potest de toto cōposito prædicari. Quo argumēto cōuictus Marsil. in 4. q. 3. art. 1. cōcl. 2. locutionē illā negat, & Scot. etiā in 4. d. 3. q. 1. censet, esse negandā, nisi negetur, verba formæ esse partē huius sacramēti, & dicatur, solā ablutionē esse totū sacramentū, quod etiā censet esse probabile. Atq; hunc posteriorē respōdendi modū sequitur ibi Soto. art. 1. ad 3. negat enim, formā esse partē huius sacramēti, aut relationem signi aliqua ex parte in eā fundari. Sed hanc sententiā nos latè improbauimus supra, generatim ostendentes, in omnibus sacramētis, præsertim in his quæ in vsu cōsistunt, materiā & formā esse partes essentiales cōponentes sacramentū. Quapropter idē est sine dubio in hoc sacramēto dicendum: habet enim suā materiā & formā, scilicet ablutionē & verba, quibus essentialiter cōstat vt partibus, quæ licèt inter se collatæ habeant proportionē prædictā materiæ & formæ, tamen cōparatæ ad relationem signi, totū illud compositū est subiectū eius, & ita cōparatur ad illam quasi materiale ad formale, in quo tantò habent verba potiores partes, quantò expressiùs significant. Quæ omnia satis cōstant ex dictis de sacramentis in genere.

Prima respō.

Soto.

Reijcitur.

Quocirca alij respondent, res artificiales, quæ cōstant materia & forma, interdū ita definiri, vt pars materialis ponatur loco generis, formalis verò loco differentiæ, vt si dicas statuam esse lignum talis figuræ seu formæ, vel sicut Arist. dixit, nomen, *esse vocem significatiuam, &c.* Sic ergo aiunt Baptismum describi per ablutionem tanquam per partem materialem. Sed quanuis illa doctrina vera sit, non tamen videtur rectè applicari, quia, quando res artificialis illo modo definitur, non pars materiæ, sed tota materia quæ subest propriæ formæ artificiali, constituenda est loco generis, vt possit de re artificiali prædicari; vt non dicetur domus esse fundamentum, aut lignum, sed dicetur esse hæc omnia sub tali figura, in sacramēto autem propria forma quasi artificialis est significatio, cuius integra materia est compositum ex ablutione & verbis, vt dictum est; atque hoc sensu ablutio est pars materiæ; ergò in nullo sensu potest verè dici, quòd Baptismus sit ablutio. Respondetur nihilominus, verum quidem esse, in rigore & proprietate sermonis, & seclusa figura, qua per synecdochen pars sumitur pro toto, Baptismum non posse dici ablutionem, vt argumentum probat, sicut non potest dici, quòd Baptismus sit hæc verba, *Ego te baptizo*; quia sicut non est vna pars, ita neque altera, sed compositum ex vtraque. Nec Diuus Thomas, aut Magister aliter sunt locuti, non enim dicunt, Baptismum simpliciter esse ablutionem, sed esse ablutionem sub præscripta forma verborum, quibus verbis significare voluerunt, Baptismum esse quid constitutum ex ablutione & verbis.

Secūda respō.

Refellitur.

Solutio autoris.

Ex quibus intelligitur, prædictam descriptionē datam esse modo physico (vt ita dicam) per partes physicas, quales esse possunt in Baptismo. Nec refert, quòd hæ partes comparatæ ad significationē, sint veluti materia integra eius, quia explicato integro subiecto, & reali fundamento significationis, virtute subintelligitur relatio signi in eo fundata. Præsertim, cùm ad nominis descriptionem necesse non sit omnia distinctè explicari. Vnde, sicut Baptismus supponit pro illo composito ex ablutione, & verbis, ita potest commodè per illas duas partes definiri. Si autem velimus per proprium genus & differentiam Baptismum definire, breuiter dici potest, esse *sacramentum regenerationis*, seu *sacramentum ad spiritualem regenerationem fidelium institutum*. Nā, quia sacramentum est signum, per id quod significat necessariò definiendum est; & quia sacramentum nouæ legis id significat, quod efficit, ideò propria differentia sacramenti, per proprium eius effectum explicanda est. Ponitur ergo *Sacramentum* loco generis, *regeneratio*, verò ponitur loco differentiæ, seu potiùs termini in ordine ad quem Baptismus habet suam propriam differentiam, quatenus spiritualem regenerationem efficit & significat. Vnde intelligitur, explicationem huius definitionis ex cognitione talis effectus pendere, & fortasse Diuus Thomas ideò prætermisit hanc definitionē, quia de hoc effectu vsque ad quæstionem 69. non erat disputaturus. Possumus denique vtramque definitionem cum Catechismo Pij Quinti, breuiter comprehendere, dicentes: *Baptismum esse sacramentum regenerationis, per lauacrum aquæ in verbo vitæ*, iuxta verbum Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, & Paul. ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, & ad Titū tertio. *Per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.*

Explicatur Baptismi descriptio.

Definitio baptismi per proprium genus & differentiam.

Ioan. 3. ad Ephes. 5. & ad Tit. 3.

In solutione ad primum explicat D. Thom. quatuor appellationes, seu nomina, quæ Baptismo tribuit Damas. libr. 4. de fide c. 10. Primo enim vocat illū, *regenerationem*, quæ vox sumpta est ex effectu, iamq; est à nobis explicata. Quāuis enim quælibet hominis iustificatio possit dici spiritualis eius regeneratio, quia per illā nouū ac diuinū esse acquirit; quomodo intelligi pōt illud Petri. 1. *Regenerauit*

Damas. vocat Baptismum. 1. Regenerationem.

Universidad de Deusto Biblioteca

1. Pet. 1. Galat. 4.

nos in spem viuam, & illud ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Nihilominùs hæc vox & ratio regenerationis singulariter Baptismo cõuenit, quia per illũ fit sanctificatio simpliciter & absolutè prima, & funditus destruitur peccatũ, & ex mẽbro Adæ fit homo membrũ Christi, & filius Dei: vt Cõcil. Trid. dixit sess. 6. Secundũ nomẽ, quo Damascenus Baptismũ appellat, est *signaculum*, seu (vt D. Tho. citat) *Sigillũ*. Quod nomẽ cẽset desumptum ex effectu characteris, quo anima cõsignatur. Et quãuis hac ratione videatur hæc vox cõmunis cæteris sacramẽtis imprimẽtibus characterem; tamẽ specialiter cõuenit Baptismo, quia per illũ imprimitur signum indelebile quo designãtur mẽbra Christi, & Ecclesiæ eius, vt intrẽt in ouile eius, & frui possint pascuis eius. Tertiũ nomẽ, quod D. Tho. refert, est *custodia*, seu (vt alia versio habet) *præsidium*, quod nomen cẽset etiã D. Tho. sumptũ esse ex effectu characteris, quia ille (inquit) quantũ est de se, custodit animã in bono. Hoc autẽ intelligendum cẽseo, ratione alicuius specialis auxilij quod ratione Baptismi datur omnibus, qui charactere eius sunt insigniti. Quartũ nomẽ est *illuminatio*, quod sumptũ videtur ex Paulo ad Hebræos 6. & 10. vbi baptizatos, illuminatos vocat: quia Baptismus est sacramentũ fidei, qua illuminantur fideles: ex quo etiã Dionys. c. 2. de cælesti Hierarch. Baptismũ *illuminationem* vocat, quæ vox frequens est apud antiquos Patres, præsertim Græcos, vt patet ex Clemẽt. Alex. ad. libr. 1. Pæda. c. 6. & 7. vbi sic scribit. *Tincti illuminamur, illuminati, in filios adoptamur, adoptati, perficimur, perfecti, immortales reddimur.* Vnde cõcludit, Baptismũ esse *gratiam, illuminationem, perfectionem, & lauacrum.* Quæ verba exactè declarat, & similia multa habet Gregor. Nazian. orat. 40. in sanctum Baptisma, & Cyril. Hierosol. in Catechesibus, quas *illuminatorum* conscripsit, qui specialiter pro his, qui ad Baptismũ præparabantur, eas edidit. Optimè Chrysost. homil. ad neophytos, & alia homil. ad baptizãdos. Greg. Nissen. lib. de sancto Baptismo. D. Basil. in Exhor. ad Baptizã. vbi inter alia Baptismũ vocat *tesseram militũ Christi, amictum splendentem, quo signatur super nos lumen vultus Domini,* & similia lib. verò 3. cõtr. Eunom. circa finẽ vocat Baptismũ *sigillum fidei*, quia in eo fit prima ac solẽnis fidei professio; multaq; similia habet Tertul. lib. de Baptis. & alij Patres, apud quos frequentia sunt elogia, quibus Baptismus appellatur *donum*, seu *gratia*, quia in eo fit liberalissima remissio, primaq; gratiæ infusio absq; vllo præcedẽti merito. Dicitur etiam *Vnctio*, vel ab externa ceremonia, quæ in solẽni Baptismo adiũgitur, vt infra dicemus, vel ab interiori spirituali vnctione, qua efficimur participes regni, ac sacerdotij Christi. Dicitur etiam, *Principium, & ianua sacramentorũ*, præsertim apud Diony. c. 2. de Eccle. Hierar. quia per illũ fit homo capax, ad cætera sacramẽta Ecclesiæ recipienda. Atq; in hunc modum explicanda sunt alia nomina Baptismi, quæ ex effectibus eius desumuntur, de quibus suo loco dicturi sumus.

Concil. Trid. Sess. 6. — 2. Signaculũ seu sigillum. — 3. Custodiam, seu præsidiũ. — 4. Illuminationem. — Hebr. 6. & 10. — Dionys. — Clem. Alex. — Greg. Naz. — Cyril. Hier. — Chrysost. — Greg. Nissen. — Basilius. — Tertul. — Dionys.

ARTICVLVS II.

Vtrum baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

4. d. 3. q. 5. & d. 8. q. 1. art. 3. q. 3. ad 4.

AD secundũ sic pcedit. Videtur, q baptismus fuerit institutus post Chri passionẽ. Causa enĩ præcedit effectũ. Sed passio Christi operatur in sacramentis nouæ legis. Ergo passio Christi præcedit institutionẽ sacramẽtorũ nouæ legis, & præcipuè institutionẽ baptismi: cùm Apostolus dicat. Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c.

¶ 2 Præterea, Sacramenta nouæ legis efficaciam habent ex mandato Christi. Sed Christus mandatũ baptizãdi dedit discipulis post passionẽ & resurrectionẽ suã, dicẽs: Euntes docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine Patris, &c. vt habetur Matthæi vlt. Ergo videtur, quod post passionẽ Christi, baptismus fuerit institutus.

¶ 3 Præterea, Baptismus est sacramẽtũ necessitatis (vt suprà * dictũ est) & ita videtur, q ex quo baptismus institutus fuit, homines obligarentur ad baptismũ. Sed ante passionẽ Christi, homines nõ obligabantur ad baptismũ: quia adhuc circuncisio suã virtutẽ habebat, in cuius locũ successit baptismus, ergo videtur, quod baptismus non fuerit institutus ante passionem Christi.

SED cõtra est, quod Aug. * dicit in quodã sermone de Epiphania. Ex quo Christus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Sed hoc fuit ante Christi passionem. Ergo videtur, quod baptismus ante Christi passionem fuerit institutus.

RESPONDEO dicendũ, q (sicut dictũ est suprà) sacramenta ex sui institutione habẽt, q conferãt gratiã. Vnde tũc videtur aliquod sacramentũ institui, quãdo accipit virtutẽ producendi suũ effectũ. Hanc autẽ virtutẽ accepit baptismus, quãdo Christus est baptizatus. Vnde tũc verè baptismus institutus fuit, quantũ ad ipsum sacramẽtum. Sed necessitas vtẽdi hoc sacramẽto, indicta fuit hominibus post passionẽ & resurrectionẽ, tũ quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramẽta, quibus succedit baptismus & alia sacramẽta nouæ legis, tum etiã, quia per baptismũ cõfiguratur homo passioni & resurrectioni Christi, in quantũ moritur peccato, & incipit nouã iustitiæ vitã. Et ideo oportuit Christũ prius pati & resurgere, quã hominibus indiceretur necessitas se cõfigurandi morti & resurrectioni eius.

Ad primũ ergo dicẽdũ, q etiã ante passionem Christi baptismus habebat efficaciã à Christi passiõe, in quantũ eã præfigurabat. Aliter tñ quã sacramẽta veteris legis: nã illa erãt figuræ tantum: baptismus autẽ ab ipso Christo virtutẽ habebat iustificandi, per cuius virtutem ipsa etiã passio salutifera fuit.

A D secundum dicendũ, quòd homines non debebant multiplicibus figuris arctari

per Christũ, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionẽ suam baptismũ institutũ non posuit sub præcepto sed voluit ad eius exercitiũ homines assuefieri, & præcipuè in populo Iudæorũ, apud quẽ omnia facta figuralia erant: vt August. dicit contra Faustũ. Post passionẽ verò & resurrectionẽ, nõ solũ Iudæis, sed etiam Gentilibus sub præcepto necessitatem baptismi imposuit dicens: Euntes docete omnes Gentes.

Lib. 4. c. 2. circa med. præcipuè tom. 6.

A D tertium dicendũ, quod sacramẽta nõ sunt obligatoria, nisi quando sub præcepto ponuntur. Quod quidẽ non fuit ante passionẽ, vt dictum est. Quod enim Dñs ante passionẽ Nicodemo dixit: Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto nõ potest introire in regnum Dei, magis videtur ad futurum respicere, quã ad præsens tẽpus.

In corp. art.

COMMENTARIVS.

DIstinguit D. Tho. in Baptismo duo; vnum est, efficacia sanctificandi & significatio, aliud est præceptum seu necessitas sumendi illũ. Quoad primũ, ait D. Thomas, institutũ fuisse Baptismum ante passionem, quando Christus baptizatus est. Quoad secundum verò ait, Christum tradidisse præceptum Baptismi, postquàm à mortuis resurrexit. Quæ doctrina quoad vtramque partem indiget diligentiori examinatione, ac discussione, quod præstabimus disputatione sequenti.

DISPVTATIO XIX.

De institutione Baptismi.

DE nominibus Baptismi, eiusque definitione seu descriptione saltẽ quoad nominis declarationẽ satis dictũ est in cõmentario articuli primi, & ideò consequenter sequitur vt disputemus de quæstione an sit Baptismus, quod pendet ex institutione, de qua simul an facta sit, & à quo & quando facta sit, explicandum est, quæ omnia duabus sectionibus breuiter comprehendemus iuxta duas assertiones à D. Thoma positas.

SECTIO I.

Vtrùm Baptismus fuerit à Christo Domino ante mortem suam institutus.

PRimùm omnium statuendũ est, Baptismum esse vnũ è sacramentis nouæ legis. Hoc est certum de fide, vt patet ex dictis suprà in genere de numero sacramentorum nouæ legis, & explicatur ex re ipsa, & vsu Ecclesiæ, adiuncta Scriptura. Constat enim esse in vsu Ecclesiæ, quandam sensibilem ceremoniam, quæ fit per ablutionem aquæ, & inuocationem Trinitatis, per quam initiantur fideles vt fiant Ecclesiæ membra. Constat item ex Scriptura; hanc ceremoniã habere promissionem gratiæ, imò & esse necessariam ad iustitiam & vitam æternam consequendã: iuxta illud Ioã. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* & illud Matth. vlt. *Baptizãtes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* & ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Est ergo hæc ceremonia verum sacramentum nouæ legis, nã est sensibilis, & vim habet sanctificãdi, & consequenter significandi gratiam quam præstat. Hanc autem ceremoniam, seu hoc sacramentum (vt supra dictum est) nomine Baptismi significamus: nã licèt in veteri lege essent variæ ablutiones ceremoniales, quæ Baptismata appellantur ad Hebr. 9. tamen in noua lege vnũ tantũ est Baptisma, quod est vnum ex Sacramẽtis eius, vt in Cõcil. Flore. & Trid. definitur.

Ioannis 3. — Matth. vlt. — Ephes. 5. — Hebr. 9. — Concil. Flor. & Trid.

Secũdò hinc cõstat, Baptismũ esse à Christo Domino institutũ: quod patet, tum ex suprà dictis in genere de institutione sacramentorum nouæ legis, quæ omnia ostendimus, fuisse immediatè à Christo instituta: tum etiam ex testimonijs paulò ante citatis, in quibus habemus expressum præceptũ & promissionem ipsius Christi.

Difficultas ergo superest de tẽpore huius institutionis. In qua re est prima sentẽtia Alex. Alens. 4. p. q. 12. mẽb. 3. ar. 1. vbi inter alias distinctiones, quas satis obscurè proponit, in summa dicit, *Materialiter quidem instituisse Christum Baptismum in Iordane, quando baptizatus fuit, non verò formaliter vsque ad resurrectionem.* Cuius distinctionis sensus esse videtur, materiã huius sacramẽti esse designatã, & quasi consecratã, formã verò non fuisse traditam à Christo, donec Apostolis dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Vnde fit, ante Christi passionẽ nec Baptismum Christi fuisse institutũ quoad efficaciã & virtutẽ, neque fuisse ministratũ, quia neutrũ horũ fieri potest sine forma, & hanc sententiã indicat D. Thom. infrà q. 73. ar. 5. ad 4. & in eã inclinat Cano lib. 8. de Locis, cap. 5. dum negat, Apostolos ante Christi passionẽ baptizasse in nomine Trinitatis, quando baptizabant Ioan. 3. & 4. Fũdamentũ huius sententiæ esse potest, quia ante Christi resurrectionẽ nulla fit mentio formæ huius sacramẽti in Euangelio. Secundo potest cõfirmari Patrũ autoritate, nam Leo Pap. Epist. 4. c. 3. dicit, *Christum non dedisse Apostolis ritum Baptizandi vsq; ad resurrectionem,* vt indicaret, Baptismum habere virtutem à sua passione, & resurrectione, quarum est signum repræsentatiuum, vt dicitur ad Rom. 6. Rupertus autem libro 3. in Ioan. circa finem, negat, *Baptismum, quo baptizabant Apostoli ante passionem, fuisse Baptismum nouæ legis, aut habuisse efficaciam gratiæ, quã accepturus erat Baptismus à passione Christi: antea enim non dabatur Spiritus, quia nondum erat Iesus glorificatus,* Ioan. 7. Concludit ergo non fuisse Baptismum *in spiritu, sed in aqua tantum:* atque adeo non fuisse Baptismum Christi, sed quandam dispositionem, & præparationem ad illũ, sicut vnctio illa, qua leguntur Apostoli Marci 6. vnxisse infirmos, non erat sacramẽtum extremæ vnctionis sed quædam vmbra illius. Huius etiam sentẽtiæ sunt Chrysost. homil. 28. in Ioan. Theophyl. Ioan. 3. & 4. Tertull. lib. de Baptis. cap. 11. qui dicunt, Apostolos tunc non baptizasse baptismo Christi, sed Ioannis Baptismo.

Cano. — Ratio. — Ioan. 3. & 4. — Leo. — Roman. 6. — Rupertus. — Ioan. 7. — Marc. 6. — Theophyl. — Tertull.

Prima conclusio.

Dico primò, Christum Dñm instituisse Baptismum suũ ante suã Passionem. Aliqui moderni censent, hoc esse dogma fidei, nõ tamen ita cẽseo, quod attinet ad circũstantiã tẽporis, de qua agimus, quia neq; est res definita ab Ecclesia, neque tam apertè colligitur ex Scriptura, quin de ea re sint variæ Sanctorũ expositiones, vt dictum est. Solũ est hæc sententia probabilior, & Scripturis cõformior, & cõmu-

Universidad de Deusto Biblioteca

Magiſt. D. Thom. Scotus. Richard. Capreol. Palud. Hugo de ſancto Victor.

nis Theologorũ, Magiſt. in 4. d. 3. D. Tho. hic & ibi q. 1. ar. 5. quæſtiunc. 2. Scoti q. 4. Ricard. art. 5. q. 1. Capreol. Palud. & aliorũ, Hug. de ſancto Vict. lib. 2. de ſacram. par. 6. cap. 4. Et probatur primò ex Scriptura, & Patribus, dicitur enim Ioã. 3. *Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in Iudæam terram, & ibi demorabatur cum eis & baptizabat:* ſignum ergo eſt, iam tunc fuiſſe inſtitutũ hoc ſacramentũ. Nã vſus ſacramenti ſupponit aut cõtinet inſtitutionẽ eius. Quòd verò ibi ſit ſermo de proprio ſacramẽto, & Baptiſmo Chriſti, & non de Baptiſmo Ioannis, ex multis colligi poteſt. Primò, ex æmulatione, quã diſcipuli Ioannis habuerũt, eò ꝙ Chriſtus baptizaret, & plures ad eũ, quã ad Ioannẽ accurrerent, vt paulò poſt ibidẽ dicitur. Nam ſi Chriſtus & diſcipuli eius Baptiſmo Ioannis baptizaſſent, nulla fuiſſet cõtentionis, aut inuidię occaſio, potiùs enim diſcipuli Ioannis gaudere debuiſſent, eò quòd Chriſtus Baptiſmũ magiſtri eorũ approbaret, eoq; vteretur. Secũdò ex reſponſione Ioannis, qua planè oſtendit, longè diuerſum fuiſſe Baptiſmũ, quo Chriſtus baptizabat, à ſuo baptiſmate: tantoq; meliorẽ, quantò altiorẽ originem & inſtitutionẽ habebat: hoc enim ſignificãt illa verba, *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo*, & illa, *Illum oportet creſcere, me autem minui, qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.* Tertiò, quia

Ioan. 4.

ſtatim cap. 4. ait Ioan. *Audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quã Ioannes, quanquã Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Quibus verbis declarat, eodẽ modo intelligendũ eſſe, quod ſuperiori capite dixerat, ꝙ Chriſtus baptizabat, ſcilicet, non per ſe, ſed per diſcipulos ſuos, & quod Ioan.

Ioan. 1. Matth. 3.

Baptiſta prædixerat, *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Ioan. 1. & Matth. 3. *Ego baptizo vos in aqua, qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto.* In his ergo omnibus locis dicitur Chriſtus baptizare, non ꝙ ſuis manibus aquam fundat & lauet, ſed quia ipſe eſt autor Baptiſmi, & omnes, qui baptizant, id faciunt vt miniſtri eius & in

1. ad Cor. 3. Ioan. 3.

virtute illius, vt Paulus expoſuit 1. ad Corin. 3. Ergo cũ Ioan. 3. dicitur Chriſtus baptizaſſe, nõ poteſt cõuenienter intelligi de alio Baptiſmo, quã de proprio à Chriſto inſtituto; quia cùm per ſe nõ baptizaret, ſed per diſcipulos, ſi diſcipuli ſolũ darẽt Baptiſmũ Ioannis, aut aliũ à Chriſto nõ inſtitutum, nõ eſ-

Euaſio.

ſet cur talis Baptiſmus Chriſto tribueretur. Dicere quis poſſet, diſcipulos nõ dediſſe Baptiſmum Ioannis, ſed alium, quẽ Chriſtus docuerat, illũ tamẽ non fuiſſe ſacramentũ Baptiſmi, quod perpetuò erat in Eccleſia permanſurum, ſed quendam alium veluti preambulũ illi tẽpori accõmodatũ, ſicut de vnctione infirmorũ dicebamus.

Diluitur.

Verũtamen hæc reſpõſio eſt gratis conficta, & ſine vlla neceſsitate & fundamento: eſt etiã parũ conſentanea locis Scripturæ citatis, in quibus ſemper dicitur Chriſtus baptizaturus nõ in aqua ſolũ, ſed in aqua & Spiritu, nullus autem vnquam fuit Baptiſmus in aqua & Spiritu niſi verũ ſacramentum Baptiſmi. Vnde nullus alius Baptiſmus fuit vnquã dictus Baptiſmus Chriſti, neq; alius erat dignus tãto tamq; excellẽti autore & inſtitutore, vt Ioannes Baptiſta in ſua reſponſione ſignificauit.

Auguſt.

Quartò, hæc eſt ſentẽtia Patrũ, Auguſt. tract. 5. 13. & 15. in Ioan. vbi inter alia ait. *Diſcipulis Chriſti baptizantibus, Chriſtum dici baptizaſſe, quia illi vt miniſtri, hic vt autor ſacramẽti, illi tingebãt, hic mundabat.* Vnde cõcludit, *Illum fuiſſe lauacrum aquæ in verbo vitæ, quo Chriſtus mundat Eccleſiam ſuam*, ad Epheſ.

Ad Epheſ. 5.

A 5. Addit etiã, Baptiſmũ illum, etiã ſi à Iuda fuiſſet miniſtratus, non fuiſſe iterãdum, & ideo diuerſum fuiſſe à Baptiſmo Ioannis, quia poſt hunc neceſſarium erat recipere Baptiſmum Chriſti. Quare ibidem ſentit, Ioannẽ Baptiſtã fuiſſe baptizatũ illo Baptiſmate, quo tunc Apoſtoli baptizabant. Quæ poteſt eſſe vna ex congruentijs, ob quas Chriſtus inſtituit hoc ſacramentũ ante mortem ſuã, vt illo tingeret ſuum Baptiſtam.

Cyril.

Eandem expoſitionẽ habet Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 57. vbi affirmat, illũ Baptiſmũ fuiſſe ſpiritualẽ & perfectum, ad quem Ioannes ſuo Baptiſmate homines præparauerat:

Nazianz.

ſignificat etiã Nazianz. orat. 20. ſub finẽ dicens, *Baptizabit Ioannes, nondum tamen prorſus ſpiritualiter, Baptizat quoque Ieſus, ſed in Spiritu.*

Nicetas. Gloſſa. Lyran.

Vbi addit Nicetas: *Is enim, qui baptizandi munere fungi iubet, baptizare dicitur.* Denique Gloſſ. ordin. & Lyran. & frequentiùs expoſi-B tores, ita interpretantur locũ illũ, & hanc ſententiã amplectitur D. Tho. infrà q. 73. ar. 5. ad 4. nõ enim approbat aliã ſolutionem, quã primo loco poſuerat. Quintò addere poſſumus in confirmationem, tam huius expoſitionis, quã cõcluſionis, ꝙ Apoſtoli ante paſsionem Dñi baptizati fuerũt vero ſacramẽto

Auguſt.

Baptiſmi, vt docet Aug. lib. de orig. animæ. c. 9. & Epiſt. 108. ita interpretans verba illa Ioan. 13. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet:* exiſtimat enim hoc dixiſſe Chriſtũ, quia Petrus iam erat lotus per Baptiſmũ, quod optima cõiectura confirmat Epiſt. 163. Quia nõ eſt credibile, Chriſtũ dediſſe Euchariſtiã Apoſtolis nondũ baptizatis. Et eodẽ modo dicere poſſumus, nõ eſſe veriſimile Ordinaſſe illos ſacerdotes, dediſſeq; eis poteſtatẽ conficiendi corpus ſuũ (quã in nocte Cœnæ dedit, vt Concil. Trident. definit) niſi iam eſſent baptizati. Atque eadẽ conie-C ctura ſumi poteſt ex eo, ꝙ poſt reſurrectionẽ ipſamet die dominica dedit eis Spiritũ ſanctum, & poteſtatem remittendi peccata, cùm tamen nõ ſit probabile, neque hiſtoriæ Euangelicæ conſentaneum, ꝙ illo die eos baptizauerit: erant ergo antea baptizati, quia hæc ſacramenta & character ſacerdotalis, ſupponunt characterem baptiſmalem. Neq; eſt fundamentũ ad aſſerendũ, Chriſtum in hoc diſpẽſaſſe, & ordinem inuertiſſe, præſertim cùm per ſe ſe videatur incongruum, priùs Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos, quàm baptizatos.

Niceph.

Vnde Nicephor. lib. 2. hiſtor. c. 3. refert ex Euod. Chriſtum manibus ſuis baptizaſſe Petrum, & hunc filios Zebedæi, eoſq; cum Petro reliquos Apoſtolos, atque hos, cæteros diſcipulos. Quod ſanè multo probabilius eſt, quã, quod

Chryſoſt. Euthym.

ſignificat Chryſoſt. homil. 14. in Acta, Apoſtolos D non fuiſſe baptizatos ante diem Pentecoſtes. Valde autem pium eſt & credibile quod ait Euthymius Ioan. 3. Chriſtum ante Apoſtolos baptizaſſe Virginem manibus ſuis. Quæ omnia non poſſunt commodè intelligi de tempore poſt reſurrectionem. Præſertim, cùm Chriſtus non dixerit illa verba, quæ Matthæus refert, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*, vſque ad vltimum diẽ, quando iam erat in cælum aſcenſurus. Vnde ſi non inſtituiſſet Baptiſmum vſque ad illa verba, non eſſet veriſimile, ipſum ſuis manibus aliquem baptizaſſe. Sextò poſſumus addere coniecturas, quia Baptiſmus eſt veluti initium ac fundamentum nouæ legis, & ianua omniũ ſacramentorum: ſed Chriſtus ante mortem ſuam inchoauit legem gratiæ, & aliqua ſacramẽta inſtituit, imò & nouum teſtamentũ condidit, ergo conuenienti ordine debuit Baptiſ-

mum

A mum inſtituere ante reliqua ſacramenta, & ab illo initiũ ſumere: ſicut in lege veteri circunciſio priùs tradita eſt, quàm aliæ ceremoniæ, & quàm agnus Paſchalis: fuit autem circunciſio figura Baptiſmi, ſicut agnus fuit figura Euchariſtiæ, eratque profeſsio quædam illius legis, ſicut nunc Baptiſmus eſt legis gratiæ profeſsio: ſicut ergo circũciſio fuit præmiſſa ante legem datam, & agnus iuſſus eſt comedi tantùm à circunciſis, ita & Baptiſmus inſtitutus eſt à Chriſto viuente, priuſquàm poſt mortẽ & reſurrectionem ſuam legem ferret nouã, & antequàm ſe ipſum diſcipulis ſuis in cibũ daret, eoſque ſacerdotes conſecraret.

Obiectio.

Dices, imò priùs debuit conſecrare miniſtros qui poſſent ſacramẽtum tradere, quàm ipſum ſacramentum inſtituere.

Diſſoluitur.

Reſpondetur primum, in miniſtro Baptiſmi non eſſe ſimpliciter neceſſariam conſecrationem. Deinde in initio inſtitutionis non potuiſſe omnia ſimul fieri, ideoque conuenientius fuiſſe, vt Baptiſmus reliqua ſacramenta antecederet. B

Secũda concl.

Ex his colligo & dico ſecundò, Baptiſmum inſtitutum fuiſſe ante Chriſti mortem, non ſolùm quoad deſignationem materiæ, ſed etiam quoad traditionem formæ, & plenam ſignificationẽ, & efficaciam propriam & intrinſecã ipſius Baptiſmi.

Prior pars probatur.

Priorem partem probant omnia quæ hactenus adducta ſunt. Nã ſola materia non eſt ſacramentum, neque in illa differt Baptiſmus Chriſti à Baptiſmo Ioannis, ergo nec ſola deſignatio materiæ poteſt dici ſacramenti inſtitutio: ſi ergo ſacramentũ fuit inſtitutum ante mortem Chriſti, neceſſe eſt, vt totum ſignum compoſitum ex materia & verbis fuerit inſtitutum. Quare non placet, quod Soto ſuprà probabile cenſet, ante Chriſti mortem non fuiſſe in vſu formam ſub expreſſa inuocatione Trinita- C tis, ſed tantum ſub nomine Chriſti; quam formam duraſſe putat aliquo tempore poſt Chriſti Aſcenſionẽ. Sed de hoc poſteriori infrà videbimus: illud autem prius nullum habet fundamentum, ſed veriſimilius eſt, Chriſtum à principio inſtitutionis tradidiſſe formam perpetuò duraturam: alioqui re vera non plenè inſtituiſſet ſacramentum. Neque oportebat ſtatim in initio inſtitutionis vti diſpenſationibus, eò vel maximè, quòd iam Apoſtolos

Matth. 3. & Ioan. 3.

ſuos de fide Trinitatis inſtruxerat, & in ipſo Chriſti Baptiſmate, Pater de Filio teſtimonium dederat, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ apparuerat, & tam Ioannes Baptiſta quàm ipſe Chriſtus docuerant, Baptiſmum Chriſti futurum in Spiritu ſancto. Si ergo à principio tradidit Chriſtus plenam inſtitutionem Baptiſmi quoad materiam & D formam, credendum potiùs eſt eodem modo tunc fuiſſe in vſu, atque Apoſtolos tunc baptizaſſe ſub expreſſa inuocatione Trinitatis. Nec refert, ꝙ poſt reſurrectionẽ dixit Chriſtus Apoſtolis. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:* quia nõ ideò id fecit, quia Apoſtoli tũc ignorarẽt, ſub qua forma eſſet Baptiſmus tribuendus: id enim non eſt credibile, cùm de cæteris ſacramentis iã tũc eſſent Apoſtoli plenè inſtructi; id ergo fecit Chriſtus, vt præceptũ Baptiſmi ſolenniter promulgaret, ac publicè omnibus proponeret ianuam, per quã in Eccleſiã ſuã erant ingreſſuri, quã oportebat omnibus eſſe notiſsimã.

Probatur poſterior pars.

Poſterior pars de efficacia illius Baptiſmi probatur etiã ex dictis, quia ille Baptiſmus nõ erat tantũ in aqua, ſed etiam in Spiritu. Itã, quia ille Baptiſmus erat idẽ ſacramentũ cum noſtro: er-A go habebat eandem ſignificationẽ: ergo eũdẽ effectũ, quia neceſſe eſt, illã ſignificationẽ ſemper fuiſſe verã. Deniq; illa inſtitutio erat eadem, quæ nũc eſt: ſed efficacia eſt ab inſtitutione; ergo etiã efficacia erat eadem. Neq; cõtra hoc obſtant verba illa, *Nõdum erat Spiritus datus*, intelligũtur enim de miſſione viſibili Spiritus ſancti, inuiſibiliter autẽ certũ eſt antea fuiſſe datũ Spiritũ ſanctũ ad interiorẽ ſanctificationẽ: & eodẽ modo dari potuit per Baptiſmũ. Neq; etiã refert, ꝙ Baptiſmus habeat efficaciã ex paſsione Chriſti, tum quia poterat ad hoc ſufficere paſsio Chriſti præuiſa, tũ maximè, quia iã erat quodãmodo inchoata, quatenus tota Chriſti vita fuit quaſi quoddã continuũ ſacrificiũ, quod licèt in morte fuerit cõſummatũ, tamẽ antea habuit infinitũ meritũ ad hũc effectũ & ad alios plures & maiores ſufficientiſsimũ. Dixi autẽ, habuiſſe tunc

Cur Baptiſmus non aperuerit ianuam regni ante Chriſti mortem.

B Baptiſmũ efficaciã ſuam propriã & intrinſecã, quia licèt tunc re vera non aperuerit ianuam regni, quo ſenſu dici poteſt tunc nõ habuiſſe effectũ perfectũ in re, ſed in ſpe, vt loquitur D. Tho. infrà q. 69. ar. 7. ad 2. tamẽ hoc non proueniebat ex eo, quòd Baptiſmus tũc minorẽ gratiã daret, aut quæ de ſe minùs efficax eſſet, ſed quia Chriſtus nodũ plene ſatisfecerat, & debitũ totius naturæ perſoluerat, & ideò nondũ erat ablatũ impedimẽtũ totius naturę, nec dabatur gratia, quæ ſtatim perduceret ad regnũ, ſed ſuo tempore, quæ dilatio nõ oriebatur ex parte Baptiſmi, ſed aliũde: & ideò dici poteſt non caruiſſe Baptiſmus ſuo proprio & intrinſeco effectu, ſed veluti extrinſeca perfectione ſua. Et quoad hoc poteſt dici efficacia & inſtitutio baptiſmi fuiſſe cõpleta poſt Reſurrectionem, ſicut etiã ex parte rei ſignificatæ tunc etiã fuit cõſummata ſignifica- C tio eius: nã Baptiſmus impoſitus fuit ad ſignificandã paſsionẽ, & Reſurrectionem Chriſti, vt Paulus docet ad Rom. 6. atque de ſe inſtitutus fuit, vt ſignificaret illa myſteria iã facta potiùs quã futura, & ideò, antequã illa myſteria conſummarẽtur, erat Baptiſmi ſignificatio incõpleta: cœpit autem eſſe cõſummata & cõpleta poſt Chriſti mortem, ſicut etiã de ſacramẽto Euchariſtiæ infrà dicturi ſumus. Addo etiã, quoad vſum & diſpenſationẽ ſui fuiſſe cõſummatã hanc inſtitutionẽ poſt reſurrectionem duplici ratione. Primò, quia tunc eſt facultas data Apoſtolis, imò, & lex baptizandi omnes gentes. Secundò, quia ipſis gentibus & omnibus hominibus datũ eſt præceptũ ſuſcipiendi Baptiſmũ. Vnde ex tũc cœpit eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, quod antea non habuerat, de qua re dicturi ſumus latiùs inferiùs in diſputationibus moralibus.

Roman. 6.

Ad fundamentum primæ ſententiæ.

D Ad primum fundamentum primæ ſententiæ iã reſponſum eſt, & declaratum quomodo forma Baptiſmi, Chriſto iubente, data fuerit. Ad ſecundum verò ex Patribus, Leo Pap. exponi poteſt de generali poteſtate, ſeu præcepto baptizandi, Rupert. verò & cæteri ibi citati commodè exponi non poſſunt, tamen quod diximus probabilius eſt.

SECTIO II.

Quo tempore vitæ ſuæ Chriſtus Dominus Baptiſmum inſtituerit.

CErtum in primis eſt, Chriſtum Dominum nõ inſtituiſſe Baptiſmum ſuũ antequàm ipſe baptizatus fuerit à Ioanne, in quo conueniũt omnes

Theologi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theologi & Patres citandi. Quia, vt constat ex Lucæ 3. & Actor. 1. Christus Dñs nõ cœpit prædicare ante baptismum suũ: ergo neq; antea inchoauit legis nouæ aut sacramentorum eius institutionem. Kursus ex dictis in præcedẽti sectione cõstat, quando Apostoli baptizabant, Ioan. 3. & 4. iã baptismũ fuisse institutũ, quia vt ostẽdimus baptizãt Baptismo Christi illud autẽ tẽpus nõ multum abfuit à Baptismo Christi, quia nõdum Ioanes fuerat missus in carcerẽ, sed baptizabat, vt constat ex citatis locis Ioãnis. Hinc Ricardus in 4.d. 3. artic. 5.q. 1. dixit, tunc Baptismum fuisse institutũ, quãdo Apostoli baptizare cæperunt, sed si attentè res consideretur, cùm Apostoli nõ fuerint autores, sed ministri Baptismi, necessarium fuit, sacramẽti institutionem, eorum ministeriũ antecedere, quia minister non potest tradere sacramentum, nisi ritus eius traditus illi sit ab instituente. Quare Scotus eadẽ dist. q. 4. & Gab. q. vnic. ar. 3. dub. vlt. rectè itide cõcludũt, Baptismum fuisse institutum ante illud tẽpus, atq; adeò infrà paucos menses post Christi Baptismũ, quanuis præcisè dies & hora institutionis ignoretur, quia nihil de ea re scriptũ est, neq; apertè traditum. Alijs verò videtur, quòd sicut Christus instituit sacramentum Eucharistiæ cõficiẽdo, & offerendo, ita instituit sacramentum Baptismi, cum primùm aliquem manibus suis baptizauit. Sed quanuis hoc ita esse potuerit, tamen ita incertum est, vt affirmari non possit, quia ex vno facto Eucharistiæ non potest argumentum sumi ad alia sacramenta, quia nec Confirmationem, neque Vnctionẽ eo modo instituit, neque alia sacramenta.

Communior ergo sententia est, Christum instituisse hoc sacramentum eo ipso die quo baptizatus fuit à Ioanne. Ita sentit D. Thom. hic & Mag. d. 3. quos alij Theologi suprà citati sequuntur. Et explicatur in hunc modum, nam tunc Christus designauit materiam Baptismatis. Nã, vt ait Ambros. lib. 2. in Luc. c. vlt. in princ. *Baptizatus est Dñs, non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnẽ Christi, quæ peccatum non cognouit, Baptismatis ius haberent*, id est, aptæ essent, & designatæ ad Baptismũ. Quod eleganter explicuit Aug. ser. 36 de temp. dicens. *Filium genuit Mater, & casta est; Christum vnda lauit, & sancta est; nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita post Baptismum aquæ est purificatio comprobata, nisi quòd pene maiori munere, quàm Maria, vnda ditata est. Illa enim sibi tantùm meruit castitatem: ista nobis contulit sanctificationem: illa mernit, ne peccaret; ista vt peccata purgaret: illi est collata virginitas, isti donata fœcunditas.* Eandem sententiam habet Beda lib. 1. in Luc. cap. 10. dicens. *Aquas ablutas per carnem Christi peccati nescium Baptismi ius induisse, & vim regenerationis sanctificationis concepisse.* Hieronym. etiã Matth. 3. dicit, *Christum contactu suo aquas sanctificasse.* Deniq; hinc manauit vulgare illud Theologorũ elogium, *Christum contactu suo virtutẽ regenerationi aquis contulisse.* Quæ virtus existimanda nõ est fuisse qualitas aliqua aquis impressa: id enim sine fundamento fingeretur, & vix esset intelligibile: fuit ergo deputatio quædam illius materiæ ad vsum & effectum Baptismi: hoc autem pertinet ad sacramenti institutionem ex parte materiæ.

Deinde in eodem Christi baptismate designata fuit huius sacramenti forma: nã & Filius baptizandus adfuit, & Pater illi testimoniũ dedit, & Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit, vt notarũt Ambros. & Hieron. citatis locis: idẽq; Hiero. Dialog. contra Luciferia. nõ longè à principio, & Damasc. lib. 4. de fide. c. 10. vbi ait Christum fuisse baptizatum, *Vt Trinitatis mysterium aperiret, & nobis insciendi Baptismi formã, atque exemplũ se se præberet*, & infrà. *Quòd Spiritus sanctus corporea specie instar columbæ ad Dñm descendit, ea vt Baptismi nostri primitias subindicaret.* Sic etiam Hilar. can. 2. in Matth. *Exemplo*, inquit, *sui auctoritate humanæ salutis sacramenta cõsummat, hominem & assumptione sanctificãs, & lauacro.* Atque eodẽ modo Greg. Nazianz. Orat. 40. dicit, Christum Baptismo suo, nostrã ex Baptismo spiritualẽ natiuitatẽ honorasse. Prætereà, in eodẽ mysterio significatus fuit effectus Baptismi. Nã, vt Hieron. ait Matt. 3. *Per descensionem columbæ, Spiritus sancti in lauacro credentiũ monstranit aduentum.* Et Aug. lib. 3. de Mirab. sacræ Script. c. 5. dicit, *Apparuisse columbã, & cælũ apertum fuisse, vt Baptismi sacramentũ quid valeat ostenderetur.* Vnde Hilar. supra, & Chrysost. hom. 4. imperfecti, Theophyl. Lucæ 3. & alij, notãt, per cæli apertionẽ, quæ in Christi Baptismate apparuit, significatum esse, per Baptismi sacramentum aperiendã fuisse fidelibus ianuã regni cælestis. Ergo omnia, quæ ad Baptismi institutionẽ pertinere poterant, in illo mysterio inuenta sunt.

In hac verò cõmuni sententia solùm animadũertendum occurrit, ex prædictis omnibus ad summũ haberi, in Christi Baptismate fuisse quoddã mysteriũ, præsignificans sacramentum Baptismi à Christo dandũ, & quasi promittens eius institutionẽ iã proximè instantẽ: ex hoc autem non potest inferri tunc fuisse institutum: quia institutio requirit impositionẽ talis cæremoniæ exterioris ad significandũ, & conferendum sacramentalem effectum: hæc autẽ impositio requirit in primis absolutã & efficacem Christi voluntatem, qua decreuerit, vt ex eo tempore ablutio exteriùs facta cũ tali inuocatione Trinitatis habuerit talem significationẽ, & efficaciam. Deinde, necessariũ etiam videtur, quod Christus hanc suã voluntatem exteriùs manifestauerit, atq; de ea re stabilẽ legem tradiderit: quia institutio hæc debet esse exterior & sensibilis quia est respectu Ecclesiæ visibilis. Sicut quãdo Christus Eucharistiã instituit, & ritũ externũ conficiẽdi illud sacramentum docuit, & exercuit, ac prætereà addidit illa verba. *Hoc facite in meam cõmemorationem*, per quæ cõpleta & consummata fuit institutio. Nõ constat autem, Christum, aut illa hora, aut illa eadẽ die, qua baptizatus est, & habuisse prædictam voluntatem, & illã stabili lege declarasse. Quin potiùs, cùm nondum prædicationem suã inchoasset, nec discipulos haberet, non videtur verisimile. Respõdetur, hanc sententiã asserentem Christum instituisse sacramentũ Baptismi, quãdo ipse baptizatus est; non esse in hoc rigore intelligendam, qui in obiectione indicatur: quia quoad hoc rectè dixit Scotus non posse certò definiri diem & horã, in qua Christus Baptismum instituit, efficaciter decernendo, vt ex tunc haberet suam significationem, & virtutem: hoc enim re vera non colligitur ex his omnibus, quæ in Baptismo Christi acciderunt, vt probat obiectio facta, nec sancti Patres in hoc sensu loquuntur: igitur mens eorum solũ est, tunc indicatam esse materiam & formam huius sacramenti, & paulò post, tempore opportuno, vel facto vel verbis vel vtroque simul tradidisse Christum hanc institutionẽ. Et fortasse ab ipsa hora sui Baptismi habuit Christus deliberatam volũtatem, vt ex tunc sacramẽtum Baptismi haberet efficaciã, quanuis eam hominibus non statim declarauerit; sed hoc incertũ est, neque ab vllo hominum sciri potest, cùm non sit reuelatum.

ARTICVLVS III.

Virũ aqua sit propria materia Baptismi.

AD tertium sic proceditur. Videtur, q̃ aqua nõ sit propria materia baptismi. Baptismus enim secundùm Dionys. & Damasc. habet vim illuminatiuam. Sed illuminatio maximè competit igni. Ergo baptismus magis debet fieri in igne quam in aqua: præsertim cùm Ioan. Baptista prænuntians Christi baptismum, dicat: Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.

¶ 2 Prætereà. In baptismo significatur ablutio peccatorũ. Sed multa alia sunt ablutiua, quam aqua: sicut vinum, & oleum, & huiusmodi alia. Ergo etiam in his potest fieri baptismus. Non ergo aqua est propria materia baptismi.

¶ 3 Prætereà. Sacramenta Ecclesiæ fluxerunt de latere Christi, pendentis in cruce: vt suprà dictum est. Sed inde fluxit non solum aqua, sed etiam sanguis. Ergo videtur quod etiam in sanguine possit fieri baptismus. Qui etiam videtur magis conuenire cũ causa & effectu baptismi: quia dicitur Apocalypsis 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

¶ 4 Prætereà, Sicut Augustin. & Beda dicunt, Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam & purgatiuam contulit aquis. Sed non omnis aqua continuatur cum aqua Iordanis, quã Christus tetigit suã carne. Ergo videtur, quod non in omni aqua possit fieri baptismus, & ita aqua, in quantũ huiusmodi, nõ est propria materia baptismi.

¶ 5 Prætereà, Si aqua secundùm se esset propria baptismi materia, non oporteret aliquid aliud fieri circa aquam, ad hoc, quod in ea baptismus fieret. Sed in solenni baptismo, aqua, in qua debet celebrari baptismus, exorcizatur & benedicitur, ergo videtur quod aqua secundùm se non sit propria baptismi materia.

SED contra est, quòd Dominus dicit Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

RESPONDEO dicendum, quod ex institutione diuina, aqua est propria materia baptismi. Et hoc conuenienter. Primò quidem, quantum ad ipsam rationem baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam: quod maximè congruit aquæ. Vnde & semina, ex quibus generantur omnia viuentia, scilicet plantæ & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.

Secundò, quantum ad effectus baptismi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ sua humiditate lauat: ex quo conueniens est ad significandam & causandam ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris: & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiã fomitis. Sua diaphaneitate est luminis susceptiua, vnde eõperit baptismo inquantũ est fidei sacramẽtum. Tertiò, quia conuenit ad repræsentandum mysteria Christi quibus iustificamur. Vt enim dicit Chrysost. super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde nouus rursus ascendit.

Quartò, quia ratione suæ communitatis & abundantiæ est conueniens materia necessitati huius sacramenti: potest enim vbique de facili haberi.

AD primum ergo dicendum, q̃ illuminatio pertinet ad ignem actiuè. Ille autem qui baptizatur, non efficitur illuminans, sed illuminatus per fidem, quæ est ex auditu, vt dicitur Rom. 10. Et ideo magis competit aqua baptismo, quã ignis. Quod autẽ dicitur: Baptizabit vos in Spiritu sancto & igni, potest per ignem (vt Hieron. dicit) intelligi Spiritus sanctus, qui super discipulos in igneis linguis apparuit: vt dicitur Act. 2. Vel per ignẽ potest intelligi tribulatio: vt Chrys. dicit super Matth. Quia tribulatio peccata purgat, & cõcupiscẽtiã diminuit. Vel quia vt Hilar. dicit super Matth. Baptizatis in Spiritu sancto, reliquũ est consummari igne iudicij.

AD secundum dicendum, quòd vinum & oleum non communiter assumuntur ad vsum ablutionis, sicut aqua. Nec etiam ita perfectè abluunt: quia ex eorum ablutione remanet aliqua infectio, quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter & abundanter habentur, sicut aqua.

AD tertium dicendum, quod ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum. Et ideo sanguis competit sacramento Eucharistiæ: aqua autem sacramento Baptismi, qui tamen habet vim ablutiuam ex virtute sanguinis Christi.

AD quartum dicendum, quod virtus Christi derivata est ad omnem aquam, non propter

Ambr. & Hieron.
Damasc.
Hilar.
Greg. Naz.
Hieron.
Augustin.
Hilar.
Chrysost.
Theophyl.
Dubitatur
Ambros.
Augusti.
Beda.
Hieronym.
4. d. 3. a. 3. q. 1. & d. 17. q. ar. 4. q. 3. & 4. con. c. 59. & qual. 2. ar. 10. co. & to. 3. col. 4.
Dam. libr. 4. cap. 10. circa med.
Dionys. ca. 2. Eccles. hier.
q. 62. ar. 5.
Serm. 36. de tempore circa princ. to. 10.
Gloss. ord. super illud Luc. 3. & Iesu baptizato, ex Beda, cap. 10. in Luc. to. 2. & in hom. Euan. quod canit. in oct. Epiph.
Super illud verbũ Matt. 3. to. 9. Et Beda super Luc. cap. 9.
Homil. 3. in opere imperfecto. tom. 2.
Hilar. can. 2. in Matth. post med. illius.
Hom. 24. in Ioann. à med. tom. 3.
Vt dicitur in 1. Physic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In serm. 1. De miniæ infra oct. Epiph. & tom. 10.

propter continuitatem loci sed propter similitudinem speciei. Vnde dicit Aug.* in quodam sermone Epiphaniæ. Quæ de Salvatoris baptismate benedictio fluxit, tanquam fluuius spiritalis, omnium gurgitū tractus, vniuersorum fontium venas impleuit.

AD quintum dicendum, quòd illa benedictio, quæ adhibetur aquæ, non est de necessitate baptismi, sed pertinet ad quandam solennitatem, per quam excitatur deuotio fidelium, & impeditur astutia dæmonis, ne impediat baptismi effectum.

COMMENTARIVS.

RESpondet D. Thomas, aquam ex institutione diuina esse propriam materiã Baptismi, loquitur autem hic de aqua in genere. Nam id articulo sequenti explicat, cuius qualitatis seu speciei esse debeat hæc aqua. Hic verò in solutione ad quintum declarat, solam aquam esse de necessitate huius materiæ, benedictiones autem, aut ceremonias alias, quæ circa aquam fiunt ex ritu Ecclesiæ, non esse de necessitate huius materiæ: sed ad quandam solennitatẽ pertinere. Denique cùm D. Thomas ait, aquam esse materiam, loquitur de materia remota. Atque ita intellecta conclusio est per se facilis, & rationes D. Tho. sunt optimæ, quibus in corpore articuli explicat, quãm fuerit proportionata materia ad vsum, & significationem Baptismi. In solutionibus verò argumentorum declarat, quomodo res aliæ, quales sunt vinum, oleum, ignis, sanguis & similia, non erant materiæ aptæ ad huiusmodi vsum. Et litera est satis perspicua, & nõ indiget alia expositione. In solutione verò ad primũ attingit D. Tho. locum illum Matt. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*, quẽ tractabimus diligentiùs sequenti disputatione. In solutione autẽ ad tertiũ tractat D. Tho. locum Ioan. 19. *Exiuit sanguis & aqua*, explicans, per aquam significatum esse Baptismum, quem locũ tractaui latè in 1. tom. Disp. 39. sect. 3. & ideò non est hoc loco repetendus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ad baptismum requiratur aqua simplex.

4. d. 3. art. 3. q. 2. & 4. ca. 58.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd ad baptismum non requiratur aqua simplex. Aqua enim quæ apud nos est, nõ est aqua pura, quod præcipuè apparet de aqua maris, in qua plurimum admiscetur de terrestri, vt pater per Philosoph. in lib. Meteor.* Et tamen in tali aqua potest fieri baptismus. Ergo non requiritur aqua simplex, & pura ad baptismum.

Li. 2. c. 3. tomo 2.

¶ 2 Præterea, In solenni celebratione baptismi, aquæ infunditur chrisma. Sed hoc videtur impedire puritatem & simplicitatẽ aquæ. Ergo aqua pura & simplex non requiritur ad baptismum.

¶ 3 Præterea. Aqua fluẽs de latere Christi pendentis in Cruce, fuit signũ baptismi: vt dictum est.* Sed aqua illa non videtur fuisse aqua pura, eò quòd in corpore mixto (cuiusmodi fuit corpus Christi) non sunt elementa in actu. Ergo videtur, quod nõ requiratur aqua pura vel simplex ad baptismum.

Art. prec. q. 62. art. 5.

¶ 4 Præterea, Lixiuium nõ videtur esse aqua pura: habet enim contrarias proprietates aquæ, scilicet calefaciẽdi & deficcandi, & tamen in lixiuio videtur posse fieri baptismus: sicut & in aquis balneorum, quæ transeunt per venas sulphureas, sicut & lixiuium colatur per cineres. Ergo videtur quod aqua simplex non requiratur ad baptismum.

¶ 5 Præterea, Aqua rosacea fit per sublimationem à rosis, sicut etiam aquæ Alchimicæ generãtur per sublimationem ab aliquibus corporibus. Sed in his aquis, vt videtur, potest fieri baptismus, sicut & in aquis pluuialibus, quæ per sublimationem vaporũ generãtur. Cũ igitur huiusmodi aquæ non sint puræ & simplices, videtur quod aqua pura & simplex non requiratur ad baptismum.

Art. pre.

SED contra est, quod propria materia baptismi est aqua, vt dictum est.* Sed speciem aquæ non habet nisi aqua simplex. Ergo aqua pura & simplex de necessitate requiritur ad baptismum.

RESPONDEO dicendũ, q aqua suã puritatem & simplicitatẽ potest amittere dupliciter. Vno modo per mixtionem alterius corporis, alio modo per alterationem. Vtrunq; autẽ horũ cõtingit fieri dupliciter, scilicet, per artẽ & per naturã. Ars autẽ deficitab operatione naturæ, quia natura dat formã substantialẽ, quod ars facere nõ potest. Sed omnes formæ artificiales sunt accidẽtales, nisi fortè apponẽdo proprium agens ad propriam materiã, sicut ignem cõbustibili: per quẽ modũ à quibusdã quædam animalia per putrefactionem generantur. Quæcunq; igitur transmutatio circa aquã facta est per artem, siue cõmiscendo, siue alterando, non trãsmutatur species aquæ. Vnde in tali aqua potest fieri baptismus, nisi fortè aqua admisceatur per artem in tam parua quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud quàm aqua, sicut lutum magis est terra quàm aqua, & vinum lymphatum magis est vinum quàm aqua. Sed transmutatio, quæ fit à natura, quandoque quidem speciem aquæ soluit, & hoc fit quando aqua efficitur per naturam de substantia alicuius corporis mixti, sicut aqua conuersa in liquorem vnæ, est vinum: vnde non habet speciem aquæ. Aliquando autem fit per naturam trãsmutatio aquæ sine solutione speciei, & hoc tã per alterationẽ (sicut patet de aqua calefacta à Sole) quam

ti, quòd de aquis rosaceis & aquis alchimicis dici non potest.

LIcet D. Thomæ est clara, & in disputatione sequenti melius tota explicatur:

DISPVTATIO

De materia Baptismi.

IN sacramentis, quæ consistunt in vsu, duplex potest distingui materia, vna remota, & altera proxima. Remota dicitur elementum illud, quod in vsu sacramenti vtendum est. Proxima verò dicitur vsus elementi, qui ad conficiendum sacramentum est necessarius. D. Thom. ergo in his articulis agit de materia remota Baptismi, de proxima verò nullã attigit inferius art. 7. & 8. vt verò rem totã breuiter, & ordinatè complectamur, vtramque partẽ in præsenti disputatione expediemus.

Materia alia proxima, alia remota.

SECTIO I.

Verum aqua simplex & elementaris sit materia remota Baptismi.

NOnnulli ex antiquis hæreticis, qui dicti sunt Gnostici, negarunt, aquam sensibilẽ esse necessariam ad Baptismum conficiendum. Ita refert Irenæus lib. 1. cõtra hæres. cap. 18. Quem errorẽ secuti sunt Manichæi, teste Aug. hæres. 46. & Seleuciani apud eundem hæres. 59. & Pauliciani apud Euthymium 2. part. Panoplitit. tit. 23. quos refert solis verbis baptizasse. Referunt etiã moderni scriptores aliquos ex nouatoribus hæreticis huc errorẽ excitasse. Qui omnes cõsequẽter asserunt, in illis verbis Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, aquam metaphoricè sumi, fortasse pro illa aqua, de qua dicit idẽ Christus statim c. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, & Ezech. 36. *Effundã super vos aquam mundam*; quibus locis, *aqua*, gratiã significat. Vel aliter, vt Waldensis refert tom. 2. de sacrament. cap. 102. dixit Wicleph, aquã ibi significare Passionem Christi, propter aquam quæ exiuit de latere Christi pendentis in Cruce. Quæ interpretatio confirmari potest à simili ex Matthæi 3. vbi Ioannes Baptista de Christo ait; *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, vbi necesse est, ignẽ metaphoricè sumi: ergo eadem ratione poterit aqua metaphoricè sumi in prioribus verbis Christi.

Primus Gnosticorũ errorũ. Irenæus. Augst. Euthym.

Ioan. 3.

Secunda hæresis ex his eisdem verbis Matthæi exorta, asserit, materiam Baptismi esse ignem. Ita senserunt Iacobitæ, qui candenti ferro characterẽ crucis baptizatorum frontibus inurebant, vt referunt Prateolus verbo Iacobitæ, & Sander. lib. 7. de visibi. Monarch. hæres. 115. Non videntur autem hi hæretici negasse materiam aquæ, sed cum illa ignem coniunxisse, fortasse, vt vtrúque locum Scripturæ propriè intelligerent.

2. Iacobitarũ error. Prateolus. Sanderus.

Tertiam hæresim referũt Castro, verbo Baptismus, hæres. 12. & Prateol. verbo Flagellãtes, negãtem, iam nunc Baptismũ esse ex aqua conficiendũ, sed ex proprio sanguine flagellis ex proprio cor-

Tertius flagellantiũ dissidũ error. Castro, & Praseolus.

pore

pore excusso: & ideo sectatores huius hæresis, *Flagellantes*, dicti sunt, quia passim oberrabant, se ipsos virgis ac nodosis flagellis in quibus aculei inserti erant concidentes. Quis autem eorũ primus autor fuerit ignoratur, sicut etiam vix cogitari potest, quo fundamento moti fuerint, ad errorẽ adeò perniciosum confingendum, tamque crudelẽ Baptismum introducendum! Quod enim Castro refert, eos motos esse quadam allegoria, scilicet, quia quãdo Christus aquam in vinum conuertit, significauit fore aliquando in Ecclesia Baptismum aquæ in Baptismum sanguinis cõmutandum, hoc (inquã) ridiculum est, quia hæc allegoria & fundamentum nõ habet, & repugnat legi à Christo latæ. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, & illi. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quæ lex perpetuò vsque ad cõsummationem seculi duratura est, sicut Ecclesia; & Euangelium, quod Christus eodem loco (vt alia omittam) subiunctis verbis significauit dicens. *Et ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*

Conclusio 5. Dico ergo primò, aquam verã ac sensibilem, esse propriam materiam remotam, & essentialem sacramenti Baptismi. Est de fide, & definitur in Cõcil. Lateran. in cap. Firmiter, de sum. Trinit. & Cõcil. Florent. in decreto Eugen. & Concil. Trid. sessione 7. canone 2. de Baptismo. Et probatur simul ex Scriptura, adiuncta Patrum expositione & traditione. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* In quibus verbis aquam propriè, & non metaphoricè sumi, constat primò, ex generali regula interpretãdi Scripturam, nimirũ quòd proprietas verborũ seruanda sit, vbi, aut euidens necessitas non cogit metaphoricè interpretari, aut sufficiens autoritas nõ obligat, vel saltem facultatem non concedit ita interpretandi: aliàs nihil firmum & stabile possemus ex Scripturis habere: hoc autem maximè necessarium est in illis locis, in quibus, vel præcepta tradũtur, vel instituuntur sacramenta, quæ sunt & animarum medicinæ, & Ecclesiæ fundamenta. *(Cõcil. Later. Cõcil. Florẽt. Concil. Trid. Ioan. 3. Probatur. 1.)*

Probatur 2. Secundò idem constat ex alijs Scripturæ locis. Vnus est Matthæi vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Dicent fortasse, etiã ibi sumi metaphoricè, & spiritualiter, sicut Isai. 1. *Lauamini mundi estote*; sed hoc non potest præcepto Christi accommodari. Mandabat enim Apostolis actionem aliquam ab eis circa alios corporaliter, & sensibiliter exercẽdam: loquebatur ergo propriè de Baptismo sensibili, qui in aqua fit, quem vox Græca *Baptizo* propriè significat. Quã proprietatem & veritatẽ ipso vsu paulò post Apostoli declararunt, nã Actor. 2. eos baptizabant, qui per verbum eorum ad fidem conuertebantur, vbi *baptizare*, non potest significare solam prædicationem, seu aliquam aliam spiritualem actionem. Clariùs verò Actorũ 8. postquã Philippus Eunuchum catechizauerat. *Dum irent per viam, venerunt ad quandam aquã, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizare?* Intellexerat ergo Baptismum in aqua sensibili sibi esse necessarium. Quam intelligentiam veram esse confirmauit Philippus dicens: *Si credis ex toto corde, licet*, & infrà. *Descenderunt vterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum.* Similis locus euidẽs est Actor. 10. vt notauit Chrysost. homil. 24. in Ioan. vbi Petrus dixit. *Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Rursus ex cap. 19. sumitur manifestum argumentũ. Cùm enim Paulus veniret Ephesum, interrogauit discipulos, quos ibi inuenit: *In quo baptizati estis?* quibus respondentibus, *In Ioannis baptismate*, Paulus fecit eos baptizari Baptismo Christi. Ergo satis apertè significatur, Baptismum Christi & Ioannis conuenire in vera & propria ratione Baptismatis, quæ, quamuis differat in forma, & in spiritu. Denique hoc apertè confirmant verba Pauli ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* *(Matth. vlt. Isai. 1. Actor. 2. Actor. 8. Actor. 10. Actor. 19. Ad Ephes.)*

Probatur 3. Tertiò ex Patrũ traditione, & vsu perpetuo & vniuersali Ecclesiæ: omnes enim antiqui Patres, qui opera seu orationes de hoc sacramento scripserunt, vt Greg. Nazian. Nissen. Basil. Tertull. Aug. Ambr. ita verba Christi intellexerunt. Et præterea Aug. lib. 1. de Peccato. merit. cap. 20. & lib. 2. cap. 27. vbi ex verbis Christi colligit necessitatem Baptismi in aqua sensibili, etiam pro paruulis, & lib. 6. de Baptismo. c. 12. addit, posse aliquem renasci ex aqua absque spiritu, si sacramẽtum sensibile recipiat absque effectu gratiæ. Item Ambros. libro 3. de Spiritu sancto. c. 11. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 25. & bene Orig. lib. 5. in ad Rom. tractans illa verba cap. 6. *Quicunque baptizati sumus, in Christo Iesu baptizati sumus.* Cyrill. Hierosolym. Catechef. 3. & Chrysost. homil. 24. in Ioann. *(Nazian. Nissen. Tertull. August. Ambros. Cyprian. Origen. Cyrill. Hierosol. Chrysost.)*

Quartò. Quartò addunt Patres, quãuis in Scriptura, grãtia soleat nomine aquæ significari, propter metaphoram & analogiam, quia sicut aqua corpus, ita gratia animam mundat, in ea tamen metaphora adumbratam esse gratiam baptismalem, dandã per veram ac sensibilem aquam. Ita Cyprian. epist. 65. vbi varia Isaiæ loca in hunc modum exponit: sic etiam Hieron. declarat illud Ezech. 39. *Effundam super vos aquam mundam, Baptismi* (inquit) *salutaris*. Idem circa illa verba. c. 16. *Aqua non es lota in salutem*, & ibidem. *Et laui te aqua, & emũdaui sanguinem tuum ex te & vnxi te oleo.* Et Isai. 1. intelligit significari vocationem ad Baptismum illis verbis, *Lauamini, mundi estote.* Vbi Cyrillus eundem tribuẽs sensum addit, aquam Baptismi significatam fuisse, in aqua purificationis veteris legis. Denique Hieron. Zachar. 13. hoc sacramentum intelligit promitti illis verbis. *Erit fons patens domui Dauid in ablutionẽ peccatorum.* Et Epist. 83. ad Oceanum post mediũ, varia congerit mysteria in aquis facta ob significationem huius sacramenti, vt de his qui in arca Noe saluati sunt per aquas diluuij, primæ Petri 3. & de transitu populi Israel per mare rubrũ, similia habet Aug. lib. contra Fulgent. Donatist. nõ lõgè à fine, vbi inter alias adducit figuram aquarum, quas sanauit & fœcundauit Elisæus 4. Reg. 2. videri etiã potest Cyprian. Epist. 76. in posteriori eius parte. Basilius homil. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum, & Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 19. ac denique Innocen. 3. in cap. In quadam, de celebratione Missarum, vbi definit, & aquã, quæ de latere Christi manauit, fuisse veram & naturalem aquam, & in illa significatam fuisse aquam Baptismi. *(Cyprian. Hieron. Cyrill. Basil. Irenæus. Innocen.)*

Probatur. Vltimò afferre possumus rationes. Et quidẽ cùm hæc res pendeat ex institutione, absoluta ratio cur hæc materia est necessaria, fuit voluntas instituentis; rationes autem, seu congruentiæ huius voluntatis duæ sunt potissime. Vna est veluti literalis, quia aqua est res communissima, qualem esse oportebat ad conficiendum sacramẽtum commune ac necessarium omnibus: eius etiam vsus est facillimus, purus, innoxius, atque ita ad suauitatem legis Euangelicæ

gelicæ maximè accommodatus. Altera ratio mystica est, quia aqua habet maximam analogiam & proportionem ad significandam interiorem munditiam, quæ per Baptismum fit. Quam rationem egregiè amplificant D. Tho. hic, & Cyril. dicta catechef. 3. & Chrysost. homil. 24. in Ioannem. *(D. Th. Cyril. & Chrysost.)*

2. Conclusio. Dico secundò, solam aquã elementarem, simplicem, seu vsualem, esse materiam necessariã, ac sufficientem ad hoc sacramentum conficiendum. Ita D. Tho. hic art. 4. in solutionibus argumẽtorũ, & reliqui Theologi in 4. d. 3. Marsil. q. 3. artic. 2. Ex quibus aduertẽdũ est, in primis necessariũ esse, vt aqua retineat substãtiã elementi aquæ. Nã hæc est, quæ propriè & simpliciter aqua vocatur, & hęc est propria aqua vsualis, qua homines ad abluẽdũ corpus vtuntur. Et ideò in hac baptizatus fuit Christus, eãq; suo tactu sanctificauit. Hæc deniq; exiuit de latere eius ad significãdũ hoc sacramẽtũ, vt Innocent. 3. suprà citatus definiuit. Atq; hinc fit, aquas artificiales, quæ ex floribus seu herbis stillãtur, nõ esse materiã huius sacramẽti, quia non sunt veræ aquæ elemẽtares, sed mixti quidã humores, atq; eadẽ est ratio de lachrymis, saliua, & alijs huiusmodi rebus, quæ eodẽ titulo excludũtur, vt esse nõ possint materia Baptismi. Neq; oportet minutiores quæstiones de huiusmodi rebus, & materijs sigillatim discutere, neq; etiã philosophicã quæstionẽ tractare, an in aqua elementari & vsuali, sit interdũ essentialis diuersitas; quia & reuera nulla est, & præterea ad sacramẽtalem vsum satis cõstat, quænã aqua sit naturalis, & vsualis: omnis autẽ illa est sufficiẽs materia Baptismi quacunque qualitate affecta sit. Vnde fit, non referre ad huiusmodi materiã, quod sit calida aut frigida, aut quòd per sulphureos meatus transierit, aut per cineres, quæ lixiuium dicitur. Quinimò, licèt permista sit cum alia substantia & corpore, dummodo non sit tanta permistio, quæ reuera mutet, seu impediat vsum aquæ, erit sufficiens materia, vt si sit aqua turbida, pulueris, aut terræ permixtionem aliquã habens, vel si in ea caro fuerit decocta, & succo eius admista in parua quantitate, nam si sit magna, potius erit lutum, aut substantia alia mista, quã aqua. Denique in huiusmodi rebus seruanda est generalis regula suprà tradita, vt semper adhibeatur materia pura, quoad fieri possit, seruatis Ecclesiæ ritibus, & ceremonijs, nam hoc spectat ad reuerentiã sacramenti, & ad eius certitudinem. *(Innocen. 3.)*

Ex his, quæ inter referẽdũ cõtrarios errores allata sunt, solũ supersunt explicãda verba illa Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, in quibus necessariò aliqua metaphora admittenda est. Quia & circũstãtia literæ id postulat, & Patres in hoc cõsentiũt: quãuis in sensũ verborũ explicando dissentiant. Primũ ergo necesse non est, Baptistã ibi fuisse locutum de sacramento Baptismi à Christo instituendo, sed de aduẽtu Spiritus sancti sub specie ignis à Christo missi in discipulos suos die Pẽtecostes. Cũ quo sensu cõsonare videtur verba Christi Actor. 1. *Ioannes quidẽ baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies*, & ita exposuerũt ibi Hieron. & Beda lib. 1. in Luc. c. 9. & Cyril. Hierosol. catechef. 3. & Euthy. Matth. 3. Quæ expositio mihi nõ admodũ placet, si ad solam illam visibilem missionem Spiritus sancti coarctetur, quia Ioannes generatim locutus est, & prædictio eius ad omnes se extendit, & ad omnia tẽpora. Secũdò ergo exponitur de Baptismatis sacramento, à Chrysost. homil. 11. in Matth. Euthym. & Ansel. ibi, & Basil. in lib. de Bapt. nõ longè à princ. Cyrill. Alexan. lib. de fid. ad Theodos. post med. & lib. 1. de fid. ad Regin. in probatione, quod Christus sit Deus, ex Euangelio Matth. Cypr. lib. 1. contra Iudæos. c. 12. Quæ expositio facilè accõmodatur prioribus verbis, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, quibus Ioannes, nec materiã, neque formam, neque omnino ritum externũ Baptismi Christi explicuit, sed ab efficacia & virtute conferendi gratiam Spiritus sancti illum nominauit. Altera verò particula, *in igne*, à Theophylacto & Euthymio, prætermissa est, vnde non videntur eam legisse apud Matthæũ, sicut nec legitur apud Marc. c. 1. tamen certissimũ est ita esse legendum, non solùm apud Lucam cap. 3. de quo nunquam fuit dubitatio, sed etiam apud Matthæũ. Ita enim legunt omnes antiqui. Chrysost. Hieron. & alij. Et vulgata lectio ita habet sine vlla varietate. *(Matth. 3.)*

Exponitur autẽ illa particula varijs modis, Anselmus per illã particulam, *& igne*, intelligit metaphoricè significari sacramentum Confirmationis, quod est veluti cõsummatio Baptismatis Christi, & in eo datur plenitudo Spiritus sancti, & ideo ab effectu metaphoricè, significatur per ignem, quia Spiritus sanctus ignis consumens est. Chrysost. verò intelligit idem significari nomine ignis, quod nomine Spiritus sancti, sed illa repetitione & metaphorica significatione ait indicatam esse abundantiam gratiæ baptismalis, & efficaciam eius, quia & animã sanctificat, & sordes eius consumit, & vim bene operandi præstat. Beda verò & alij, *per ignem*, intelligunt, vel Pœnitẽtiam, vel tribulationes huius vitæ, vel quæcũq; alia remedia, per quæ Christus purificat animã baptizatam à maculis & peccatis post Baptismum cõmissis. Ita vt sensus sit: ipse vos in Spiritu sancto baptizabit, & si opus postea fuerit, etiã igne purgabit. Hieron. verò, *per ignem* intelligit ignẽ purgatorij, quo Christus in futuro seculo purgabit suos electos. Quæ expositio nõ displicet Bedæ, & alijs: & idẽ fortasse est sensus Hilarij, can. 2. in Matth. qui de igne iudicij vltimi, hoc interpretatur, potest autẽ intelligi, tam de igne iudicij vniuersalis, quã particularis vniuscuiusque. Et videtur satis cõsentanea verbis proximè sequẽtibus. *Cuius ventilabrum in manu sua, & permũdabit aream suam.* Vnde hæc expositio vltima est satis probabilis, iuxta quã non oportet priora verba ad sacramentũ Baptismi coarctare, sed simpliciter ea intelligere de omni sanctificatiõe spirituali, quę per Christũ in hac vita confertur: ita vt sensus sit, ipse vobis remittet peccata in hac vita, & spiritum liberaliter dabit, & Spiritus sancti gratijs inũdabit (vt ait Theophylactus) in futura verò etiam igne purgabit, scilicet, si opus fuerit. Et iuxta hanc expositionẽ metaphora illorũ verborũ potius posita est in verbo *Baptizo*, quã in voce *ignis*, quia non significat corporalem ablutionẽ, sed animæ emundationem, quæ per huiusmodi Baptismũ significari solet. Siue autẽ metaphora ponatur in vna, siue in alia voce, nihil est quod miremur, quòd vox *aqua*, vel *Baptismus* seu *Baptizo* in alijs locis propriè sumenda sit, in hoc verò vox *ignis*, aut verbum *Baptizandi*, metaphoricè sumantur: quia ratio diuersorum locorum & rerũ hoc postulat, & Ecclesiæ, ac Patrum traditio & expositio id confirmat. *(Chrysost. Beda. Hieron.)*

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

Vtrùm ablutio aquæ sit proxima materia Baptismi.

EX dictis in præcedenti sectione satis cõstat, quid in hac dicendum sit. Docent enim omnes Theologi, ablutionem esse materiam huius sacramenti, quod de materia proxima necessariò intelligendum est. Et hæc est mens D. Thom. in his articulis, & in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiũc. 1. & 2. vbi idem docet Magister, & Scot. q. 3. Richard. art. 1. q. 1. Palud. q. 3. & reliqui. Et sumitur ex verbis Christi, Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Et ex illis Pauli ad Eph. 5. *Mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Idem enim est lauacrum, quod Baptismus & lauacro tribuitur animę mundatio tanquam materiæ proximæ huius sacramenti. Vnde Augustinus tract. 15. in Ioan. *Quid* (inquit) *est Baptismus Christi? Lauacrum aquæ in verbo.* Ratione probatur facilè, nam aqua est materia remota, cùm enim hoc sacramentũ nõ sit permanẽs, sed in vsu consistat, non potest aqua per se sumpta esse materia proxima sacramenti, quia vt sic, & quieta manens (vt sic dicam) nec significat, nec est instrumentum gratiæ conferendæ: ergo materia proxima consistet in aliquo vsu aquæ: sed non in alio, nisi in ablutione, vt constat ex verbis Scripturæ citatis, & ex vsu & traditione Ecclesiæ: ergo.

Magister. Scotus. Richard. Palud. Matth. vlt. ad Ephes. 5. Augustin.

Ratio.

Atque hinc obiter colligitur, vt aqua sit conueniens materia Baptismi, necessarium esse, vt sit in ea dispositione, in qua possit ad ablutionem deseruire, & ideò si cõgelata sit, & facta glacies, aut nix, vel aliquid simile (quidquid sit de quæstione philosophica, an tunc sit substãtialiter aqua nec ne) do nec aliquantulum liquefiat, aptaq; ad ablutionem reddatur, non posse esse huius sacramenti materiã, cùm non valeat applicari ad illũ vsum, in quo proxima materia huius sacramenti consistit.

Quid sit ablutio, de qua agitur.

Sed explicandũ superest, quid sit, seu in quo formaliter consistat hæc ablutio: Soto enim in 4. d. 3. artic. 1. dicit, consistere in passione, seu receptione aquæ in corpore hominis baptizati, nã aqua vt sic recepta ordinatur ad sanctificationem animæ: ergo ipsa receptio est proximum instrumentum sanctificationis: ergo est materia proxima sacramenti. Vnde concludit, hanc ablutionem in passione consistere. Et in hanc sententiã citat Scotũ, & Richard. At verò Scot. ibi. q. 3. potiùs sentit, ablutionẽ consistere in actione, quia sacramentũ est actio sacra ipsius ministri: ergo & Baptismus ex parte materiæ proximæ erit lotio, vt facta à ministro: Richard. autem ibid. ar. 1. q. 2. sentit, ablutionem, vtramque rationẽ actionis & passionis includere: sicut iustificatio & ablutio interior, quæ per exteriorem significatur & efficitur, vtrumque requirit, scilicet infusionem, & receptionem gratiæ.

Scotus.

Richard.

Ego sentio, ad rẽ Theologã, quæstionẽ esse parui momenti & vtilitatis. Si tamẽ physicè velimus rem perpendere, dicendũ est, in rigore nullã physicã passionem requiri in corpore baptizati; vt fiat ablutio ad Baptismũ necessaria, requiri verò physicũ cõtactũ aquæ ad corpus baptizati, cum quadam successione, seu successiua effusione partium aquæ per partes corporis. Hoc ita declaro, nã in primis, q̃ requiratur cõtactus certũ est ex ipsa vocis significatione. Nemo enim vnquã dixit, aquã quæ non tãgit corpus, abluere illud, & ideò solet interdũ à Patribus hæc ablutio vocari *tinctio seu tactus, aut cõtactus aquæ.* Deinde, q̃ sit etiã necessaria motio per corpus seu successiuus cõtactus, constat etiã ex significatione vocis & cõmuni modo cõcipiẽdi omniũ. Aqua enim in vase existẽs propter solũ contactum nõ dicitur abluere illud, oportet ergo vt per corpus diffundatur, & successiuè contingat, vt bene Scotus notauit. Vnde fieri potest vt illa motione, atq; adeò ablutione finita, aliqua pars aquæ adhæreat corpori, & cõtingat illud, cũ tamẽ iã illud nõ abluat, ergo ablutio nõ cõsistit in quolibet cõtactu, sed oportet, vt sit in fieri, & ideò necesse est, vt successiuè fiat, saltẽ physicè, & naturaliter loquendo, quia per motũ localẽ fit. Dico autẽ naturaliter loquendo, quia fingi potest, q̃ ille cõtactus fiat in vno instãti terminãte motũ localem aquæ ad corpus, ita vt in eodẽ instãti plures partes aquæ perueniant ad cõtingẽdas plures partes corporis, & tũc ille cõtactus sine dubio sufficeret ad ablutionẽ, & ad hoc, vt in eodem instanti perficeretur sacramẽtũ. Sed huiusmodi casus non sunt morales, & ideò absolutè dici potest, requiri contactũ successiuum prout naturaliter fieri potest. Adde, necessarium etiã esse, vt hic cõtactus fiat per corpus liquidũ, nã gelu, verbi gratia, non potest abluere, quia est corpus durum, licèt possit paulatim contingere corpus, necessarium ergo est vt fiat contactus cum quadam facili diuisione corporis abluentis, ita vt facilè cedat ad contactum alterius. Et ideò oportet, vt tale corpus sit liquidum, quod totum ex ipso vsu vocum & experientia constat.

Et declarari potest ex fine ablutionis corporalis: ordinatur enim ad mũdandũ corpus, & tollendas sordes eius, & ideò oportet vt fiat per corpus liquidũ, quod sicut facilè diuiditur, ita facilè subintrat per partes alterius corporis quod abluit. Oportet autẽ attẽtè distinguere inter hunc effectũ ablutionis, & ablutionẽ ipsam. Sæpè enim vulgari sermone ablutio sumitur pro ipsa sordiũ depositione, nec cẽsetur quis verè ablutus etiã si aquã contigerit, si mundatus non sit: tamẽ hic potiùs est effectus ablutionis propriè dictæ, & præsertim prout nũc loquimur, qui effectus nõ est ad Baptismũ necessarius. Nã si quis aqua tingitur, etiã si per eum contactũ nullã corporis mũditiam assequatur, nec sordes aliquas deponat, nihil obstabit, quominùs fiat Baptismus, quia non carnis depositio sordium sed contactus aquæ in verbo vitæ illum perficit.

Atque inde apertè colligitur, quod in assertione dicebamus, nõ esse necessariã passionem aliquã physicã in corpore baptizati, vt ablutio fiat: quia in primis nõ est necessaria emũdatio aliqua corporalis, nec separatio alicuius impuræ substãtiæ à corpore baptizati. Deinde nõ est necessaria aliqua alteratio, nam licèt hæc naturaliter cõsequatur, v. g. frigefactio vel humectatio, tamẽ est per accidẽs ad rationẽ ablutionis vt sic. Vnde si per potentiã Dei fingamus impediri ac suspendi omnem huiusmodi alterationem, nihilominùs intelligitur manere vera ablutio, & ad Baptismũ sufficiens. Rursus nõ est necessaria motio localis corporis baptizati, nã licèt interdùm possit fieri, quando Baptismus fit per immersionem, vt infrà dicemus, tamen per se non est necessaria: satis enim est, q̃ aqua moueatur contingendo corpus baptizati. Nulla ergo passio propria

propria ac physica talis corporis est necessaria ad hanc ablutionem. Solus enim contactus nullã passionem dicit receptã in corpore baptizati, sed denominationem tantùm extrinsecam, seu relationem quandam ex tali propinquitate corporũ resultantem. Ergo ablutio, vt sic, neque in ratione suã formali includit physicam passionem in corpore baptizati, neque in tali passione potest consistere materia proxima huius sacramenti. Consistit ergo præcisè in prædicto contactu successiuo, prout à nobis explicatus est, ad quem necessarius est aliquis motus localis, vel aquæ per corpus, vel corporis subintrantis aquam iuxta diuersos modos ablutionum infrà declarandos.

Augustin.

Atque hinc tandem concluditur, ablutionẽ hãc vt dicit effectiuè huius contactus aquæ ad corpus, habere rationẽ actionis, prout verò dicit aquã ipsam quasi receptam in corpore seu cõtingentem illud, vt sic habere se ad modum passionis, quãuis propriè & physicè vera passio nõ sit, sed sola corporis propinquitas, seu contiguitas, in qua contactus ille cõsistit, vt dictũ est, & per se est satis clarũ. Et in hac vltima ratione seu cõsideratione cõsistit ratio ablutionis, & materia proxima huius sacramenti, iuxta illud Augustini tract. 80. in Ioan. *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat?*

Quapropter valde falsum est, quod Ledesma dixit in 4. 2. par. q. 7. art. 1. dub. 3. scilicet, Baptismũ seu ablutionẽ esse ipsum corpus baptizati, potiùs quã aquam, nam in hoc indicat ablutionẽ realiter, seu identicè esse idem cũ corpore baptizati, prout contingentis aquam, cùm tamen contrario prorsus modo dicendum sit, nihilrum ablutionẽ identicè esse ipsam aquam, & addere quendam modũ scilicet applicationem eius ad corpus, ita vt illud contingat, & per illud seu iuxta illud aliquo modo fluat. Quia ipsa aqua est, quæ sub illo modo applicata est signum gratiæ, & instrumentum efficax illius. Alioqui potiùs corpus baptizati, quàm aqua, dicendum esset materia Baptismi.

Ex his verò oritur alia dubitatio nimirũ, quanta ablutio necessaria sit ad huiusmodi materiã. Dictum est enim necessariam esse aliquã successionẽ, seu effusionem aquæ per corpus baptizati, quanta ergo esse debet huiusmodi successio? Vbi duo quæri possunt; Primum, per quot partes corporis esse debeat hæc ablutio? Secundum, in qua aquæ quantitate. Circa primã interrogationẽ, quidam existimant, quamcunque minimã partem corporis sufficere, quia in qualibet est tota anima, ergo per contactũ cuiuscunq; partis potest mundari à peccato originali, vt argumẽtatur Durand. in 4. d. 6. q. 1. nu. 6. Quæ tamẽ ratio est valde infirma, quia ad valorẽ baptismi nihil refert quod tangatur pars in qua est anima, quia hæc ablutio in qua est pars sacramẽti, licèt effectiuè sit ablutio animæ, tamẽ formaliter esse debet ablutio corporis: & ideò hoc in primis est cõsiderandũ, an scilicet ablutio sit talis, vt simpliciter dici possit hominis ablutio. Quocirca in hoc faciliùs dici potest, quid necessarium nõ sit, quã præcisè definire, quid sit necessariũ. Nã in primis cõstat, non oportere vt totũ corpus abluatur, nã hoc in Baptismo adultorũ, nec fit, nec decẽter fieri potest. Itẽ, quãdo ablutio fit per aspersionẽ, cõstat nõ attingi oẽs partes corporis. Item sine ablutiõe omniũ partiũ pòt esse ablutio sufficiẽs, vt totus homo simpliciter denominetur baptizatus.

Deinde etiã satis nõ est, vt quelibet minima pars corporis tingatur aqua, quia si digito, v. g. attingat illã, nõ diceretur simpliciter homo ablui quãuis aliquã partẽ digiti aquæ immergat. Vnde à fortiori nõ satis erit, quod aspersio aquæ vestes hominis attingat, si nõ attingat ipsum corpus: quia illa nullo modo dici potest ablutio corporis. Necesse est igitur, vt corpus ipsum in aliqua principali parte saltẽ mediocris quãtitatis aqua tingatur. Quanta verò debeat esse hæc pars, nõ potest mathematicè (vt ita dicã) præscribi, quia neq; reuelatũ est, neq; habemus aliã certã regulã ad id definiendũ præter illã, nimirũ, eã ablutionẽ esse necessariã, quæ sufficiat ad denominandũ hominẽ simpliciter baptizatũ. ¶ Quapropter in praxi obseruãdũ est, vt securior pars, quoad fieri potest, eligatur. Vnde si Baptismus fieri potest in capite, illa est certissima & sufficientissima materia: quia illa pars præcipua est, & ab ea maximè potest totus homo denominari. Quòd si hoc commodè fieri nõ potest propter aliquod grauis nocumenti periculũ, si fiat ablutio in scapulis aut in pectore, vel in humeris erit satis certa, & indubitata materia. Interdùm verò solet occurrere necessitas baptizãdi puerũ in pede propter periculũ mortis, & tũc etiã licitè id fit: tamen quia res est dubia, si infans euadat periculũ, & perfectè nascatur, iterũ abluẽdus est sub cõditione, prout in ritualibus ecclesiasticis parochi admonẽtur, & hæc est cõmunis doctrina Theologorũ, cum D. Thom. infrà quæst. 68. art. 11. & apertiùs in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad tertiũ, & ibi Palud. q. 1. Scot. d. 4. q. 3. Gab. q. 1. art. 3. dub. 2. Soto art. 7.

A alterã partẽ dubitationis.

Quare non est probãda sententia eorũ, qui existimant in extrema necessitate minorẽ ablutionem sufficere ad substantiam sacramenti, quã extra necessitatem sufficiat, sicut in sacramẽto Pœnitentiæ aliqua cõfessio satis est in necessitate, quæ extra illã non esset sufficiens, etiam ad valorem sacramenti. Hoc enim probabile nõ est, quia ablutio hominis absolutè, & simpliciter est de substãtia sacramẽti, siue in necessitate, siue extra illam fiat. Vnde si ablutio nõ peruenit ad illã quantitatẽ, in qua prædictã rationem habeat, etiã in necessitate erit insufficiens, si verò peruenit vsq; ad prædictã quantitatem, etiã extra necessitatem sufficiet. Neq; est simile de sacramẽto Cõfessionis, quia ibi materia necessaria est cõfessio integra formaliter, idest, qua tenus homini est moraliter possibilis, & hæc etiam est necessaria in articulo necessitatis, est autem differentia: nã integritas formalis cõfessionis, quia est res quædã moralis, variari potest ex circumstantijs, quæ se tenent ex parte operantis, quia confessio est actio quædã moralis, at verò ablutio est res quædã physica quæ nõ variat rationem suam, ex eo quod subiectum sit in necessitate, vel extra illam.

Alia dubitatio.

Atq; hinc est facilis responsio ad posteriorẽ interrogationem de quantitate aquæ. Dicendũ est enim, eam aquæ quantitatem, & necessariam esse, & sufficere, quæ ad abluendam seu contingẽdam sufficientem corporis partem satis fuerit. Quocirca cum hic cõtactus successiuè fieri debeat, parua quantitas aquæ sine dubio sufficiet, quia successiuè fluere potest per magnam corporis partem.

Dices, cùm hæc ablutio possit esse maior, vel minor, quã perficiatur sacramentũ? nũquid statim finita minima ablutione necessaria, an post absolutam totam ablutionẽ, quæ de facto fit, quantùs alioqui

Universidad de Deusto Biblioteca

nõ esset tota necessaria? Videtur enim primũ quia ad perficiendũ sacramentũ sufficit materia necessaria. Aliunde verò videtur secundũ, quia quãdo illa minima ablutio non adhibetur sola, non potest dici ablutio, sed pars vel initium ablutionis. Cùm ergo sacramentum non sit pars ablutionis, sed ablutio simpliciter, non perficietur sacramentũ, donec perficiatur ablutio, quantacunque illa sit.

Quorundam responsio. Respondẽt aliqui, hoc esse intentione baptizantis definiendũ. Sed hoc non satisfacit: tum quia minister nõ potest sua intentione differre vel suspendere perfectionẽ sacramenti, si alioqui habeat verã intentionem efficiendi illud, & sufficientem materiam & formam adhibeat: tum etiam, quia nullus minister habet huiusmodi intentionẽ, nec moraliter potest illam habere, sed absolutè intendit facere sacramentũ sicut potest & debet. *Vera solutio.* Dico ergo, statim ac perficitur forma, si cadat in ablutionẽ sufficientẽ, quantumuis minima sit, statim perfici sacramẽtũ, propter rationẽ factã, quia iã ibi concurrũt omnia necessaria. Et ita sentit Caietan. hic art. 8. & idẽ indicat Soto. Ad argumẽtũ verò dicitur in primis cùm ablutio sit res homogenea, quamlibet partẽ ablutionis esse ablutionẽ: & ideò, si alioquin sit per se sufficiẽs nihil referre, aut obstare, quòd post illam aliæ partes ablutionis subsequantur. Vnde vlteriùs dicitur, quòd licèt physicè illa ablutio sit veluti quidam partialis motus, quia vlteriùs cõtinuatur, tamen in ordine ad sacramentum est materia totalis, quia, vt sic, subest formæ, & quidquid posteà sequitur, est per accidens ad sacramentum.

Obiectio. Sed cõtra, nã D. Tho. in 4. d. 3. art. 4. quæstiun. 3. ad 3. dicit, quãdo Baptismus fit trina mersione, non perfici sacramentum donec absoluatur tertia mersio, & idẽ dicit Palud. ibi. q. 3. circa fin. & patet: quia aliàs superflua esset posterior immersio, si iam esset factũ sacramentũ, quia nunquam constare posset ex trina illa mersione: quod tamen videtur & contra intentionem Ecclesiæ, & contra intentionem ministri sic baptizantis: ergo eadem ratione in quouis alio baptizandi modo, nõ perficietur sacramentum, donec absoluatur tota ablutio.

Respondetur. Respondetur, illud dictum D. Thom. vt verũ habeat, intelligendum esse dummodò nõ perficiatur tota forma, donec fiat vltima mersio, nã si perficeretur forma in secunda, vel in prima, tunc esset sacramentum perfectum, vt dictum est. Quocirca in eo baptizandi modo, si minister velit vt omnes mersiones aliquo modo concurrant ad sacramentum, obseruare debet, vt non proferat totam formam ante vltimam mersionem, quia aliàs non poterit impedire perfectionem sacramenti, si legitimam habet intentionem, etiam si intẽdat baptizare trina mersione, quia solùm potest hoc intendere prout in se est necessarium; & ideò illa intẽtio nihil obstat, quin sacramentum perficiatur, cùm primùm sufficiens materia sub essentiali forma completur. Imò neq; obstare potest talis intẽtio, vt dixi, etiam si ipse minister cupiat suspẽdere, seu differre perfectionem sacramenti, nisi adeò sit temerarius, vt directè nolit, sacramentum cõficere: etiã si proferat formam, donec tanta ablutio, verbi gratia, totius corporis, aut donec trina mersio, vel aliquid simile perficiatur. Tunc enim fortasse omninò nihil efficiet, quia non habet legitimam intentionem perficiendi sacramentum, quando perfici potest: vel, si cùm illa particulari intentione retineat generalem intentionem faciendi, quod fecit Christus, & quod potest & debet, nihilominus statim perficietur sacramentum.

Atque hinc tandẽ intelligitur, quomodo sit verum, quod Paludanus suprà scribit; si aliquis tentet baptizare paruulum animam agentẽ trina mersione, & contingat paruulum mori in prima, vel secunda, & huiusmodi infantem mori sine Baptismo, & ministrum peccare grauiter, & præterea manere irregularem. Nam primum quod de paruulo dicit, tunc erit verum, quando paruulus mortuus fuerit ante absolutam formam, nõ verò si post formam integrè prolatam decedat, vt dictum est. Secundum de peccato ministri est certissimum, tum propter nocumentum corporale, quod infert paruulo, præsertim sine necessitate, tum propter periculum, cui exponit illum decedendi sine sacramento essentialiter perfecto. Tertiũ de irregularitate, tunc erit verũ, quando sic baptizans censetur homicida, vel accelerans mortẽ paruuli per actionem suã, & quando huiusmodi causa mortis datur, non solùm incurretur irregularitas, si paruulus decedat ante perfectum sacramentũ, sed etiam si sacramentum iam perfectum sit, quia irregularitas non incurritur propter spirituale nocumentum, sed propter homicidium seu mortis accelerationẽ, quę in vtroque casu æquè interuenit.

Obiectio. Dices, ergo etiam si quis baptizet huiusmodi paruulum agentem animã minima ablutione sufficiente ac necessaria ad Baptismum, si per illã acceleretur mors, manebit irregularis. *Diluitur.* Respõdetur, huiusmodi casum non esse moralem, quia semper potest fieri tam parua, tamque temperata ablutio, & in tali parte corporis, vt nihil noceat, nec mortem acceleret. Si tamen fingendi detur licentia, propter huiusmodi accelerationem, non incurretur irregularitas: quia illa neque est iniusta, neque intenta, seu per se facta, neque moraliter vitari potest; sed est solùm iustè permissa, & ideò, qui sic baptizat, nullo modo censetur causa mortis, non ergo est cur irregularitatem incurrat.

SECTIO III.

Quod ablutionis genus ad Baptismum sufficiat, vel necessarium sit.

Status quæstionis. DVplex est ablutionis genus, vnum est per aspersionem, seu infusionẽ aquæ: alterũ est, per immersionẽ in aqua. In quo potest esse varietas: nam hæc immersio potest esse, vel vna, vel multiplex. Item potest esse talis immersio, cui succedat emersio, aut talis quæ sit sola immersio, quæ videtur potiùs esse suffocatio. Inquirimus ergo, quo ex his modis facienda sit ablutio, quæ ad Baptismum sufficit.

Dubitandi ratio. Pelag. Pap. Gratianus. Iuo. Et ratio dubitandi esse potest, quia Pelagius Papa in epist. ad Gaudentium, prout refertur à Gratiano in cap. Multi sunt. de Consecratione, dist. 4. & ab Iuone in suo decreto. 1. par. cap. 161. dicit, esse præceptum Euangelicum baptizãdi trina mersione, cum inuocatione Trinitatis, vbi vtrumque coniungens indicat, vtrumque esse eiusdẽ necessitatis, ergo sola trina mersio est ablutio ad Baptismũ sufficiens. Præterea in Canon. 50. Apostolorũ sic dicitur. *Si quis Episcopus, aut Presbyter nõ trinam mersionẽ vnius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* *Basilius.* Hinc Basil. libr. de Spiritu sancto. c. 27. inter Apostolicas traditiones ponit, trina mersione baptizare, & Tertull. lib. de Corona militis cap. 3. eam numerat inter traditiones non scriptas: idem Tertull. lib. aduers. Praxeã. c. 26. *Dionys. Leo Pap. Hieronym.* Quæ traditio sumitur etiã ex Dionys. lib. de Eccles. Hierar. c. 2. in 2. p. illius, in fine; & ex Leone Papa Epist. 4. ad Episcopos Siciliæ. c. 3. vbi ait, per trinam mersionem, triduanã Christi sepulturã significari, & ex Hieronymo Dialog. cõtra Luciferian. & in id ad Ephes. 4. *Vnus Dñs, vna Fides, vnum Baptisma. Ter mergimur* (inquit) *vt Trinitatis vnũ appareat sacramentum*, idẽ Aug. serm. 91. & 201. de Tempore, & in c. Postquã. de consec. d. 4. sic etiã Damascen. lib. 4. c. 10. *Baptismus* (inquit) *per triplicem mersionem, tres dies quibus Dñs immolo conditus iacuit, significat*; atque idem fere legimus apud Athan. q. 125. ad Antioch. & Greg. Nissen. orat. magna Cateche. c. 35. Ambr. lib. 1. de sacramen. c. 7. Aug. serm. 91. de Temp. Denique Theodoret. lib. 4. hæreticarum fabularum cap. de Eunomio, ita de eo scribit. *Ipse subuertit sancti Baptismi ritum à Domino, & Apostolis ab initio traditum dicens, non oportere ter immergere eũ, qui baptizatur*, & horum error videtur damnat' in Concil. Constantinop. 1. can. 7.

1. Conclusio. Sed nihilominus dicendum primò est. Quamcũque ablutionem, siue per aspersionem fiat, siue per immersionem vnam aut trinam sufficere ad sacramentũ constituendũ, dũmodò vera ratio ablutionis saluetur. Hæc conclusio intelligitur, quãtũ attinet ad necessitatem sacramenti, vt factum teneat, nam de ritu seruãdo ex præcepto infrà dicemus. Et hæc sensu est certa conclusio, & communis Theologorum in 4. dist. 3. & D. Tho. infrà art. 7. & 8.

Probatur conclusio. Et probatur, quia materia proxima Baptismi est ablutio, vt ostensum est, sed ex institutione Christi nihil aliud definitum est, nisi quòd hæc ablutio sit in aqua; quòd verò hoc, vel illo modo fiat, non est à Christo præscriptum, vt patet ex illis verbis. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, & ex illis. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, &c.* ergo nullus particularis modus ablutionis est de essentia Baptismi. Rursus, vera ablutio fieri potest per aspersionem, & per immersionem vnam, aut trinam: ergo quilibet istorũ modorum sufficit ad Baptismum, quantũ ad eius necessitatem, & essentiam spectat. *Cõcil. Tolet.* Præterea, quòd trina mersio non sit necessaria, sed vna sufficiat, cõstat ex Concil. Toletan. 4. cap. 5. vbi etiam refertur responsio Gregorij Papæ ad Leandrum, quæ habetur lib. 1. Regist. epist. 41. qui consultus de hac re, quoniam in Hispania, quidam triplici mersione, alij vna tantùm baptizabant, respondit; Vtrãque retineri posse, siue trina mersio adhibeatur ad significandam Trinitatem personarum, siue vna tantùm ad confitendam diuinitatis vnitatem. Imò addit, consultius fuisse tunc, posteriorem baptizandi modum retinere, ad vitandum Arianorum errorẽ, qui naturarum diuisionem, & Trinitatem in trina mersione profitebantur. *Cyprian. Epist. 76.* Quod autẽ, neq; vna mersio sit simpliciter necessaria, sed aspersio sufficiat, præter rationem factam est sententia Cypriani lib. 4. Epist. 7. alias Epist. 76. §. Quæsisti, vbi ad hoc cõfirmandum adducit illud Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, & ex eo, quòd Numer. 18. & 19. *Num. 18. & 19.* aqua purificationis, per quam aqua Baptismi significabatur, aqua aspersionis dicitur. Item ex consuetudine Ecclesiæ, in qua semper obseruatum est, vt hoc modo tribui possit Baptismus saltem in necessitate, quomodo legimus, Laurentium instãte martyrij sui tempore quendam baptizasse aspersione, seu perfusione aquæ, signũ ergo est hoc sufficere ad essentiam & substãtiam sacramẽti. Quin potiùs etiam Apostolos hoc modo interdùm baptizasse, multi ex eo colligunt, quòd vno die tria millia hominũ baptizatos legimus Actor. 2. *Act. 2.* quod facilè fieri poterat per aspersionem: difficiliùs autem per immersionem. Tandem Christus Baptismo suo, quo baptizatus est, indicauit, & sanctificauit materiam Baptismi ab ipso instituendi, ipse autem baptizatus est per aspersionem, vt per se verisimile est, & communiter creditur, ac depingitur; ergo quilibet horum modorum sufficit ad sacramentum. Quod verò attinet ad præceptum, nihil certius dici potest, quàm seruãdam esse vniuscuiusque Ecclesiæ, seu prouinciæ consuetudinem, vt D. Thom. infrà articul. 8 sentit, & Turrecrem. cap. Si quis. de Consec. dist. 4.

Dubitatio. Vna tãtùm superest difficultas, scilicet, an quãdo Baptismus fit per immersionem, necessariũ sit, vt immersioni emersio succedat, & casus vulgaris est; si quis puerum in flumen proijciat. Theologi enim communiter sentire videntur, illum non esse verum Baptismum, quamuis in ratione reddenda non conueniant. Scotus enim, distin. 5. dicit ablutionem, quæ est materia Baptismi, ordinari ad vitam eius, qui baptizatur: illam autem ablutionem potiùs ordinari ad mortem, & ideò nõ satis esse ad Baptismũ. Sed hæc ratio laborat in æquiuoco, ablutio enim sacramentalis ordinatur ad vitã animæ: potest autem hunc finem retinere, etiam si ex praua ministri intentione ad corporis mortem ordinetur. Nam talis intentio ministri, si non mutat veritatem ablutionis, non potest obstare, quominùs sacramentum fiat. Quia praua intentio, quæ non est contra substantiam sacramenti, sed contra bonos mores, non impedit substantiam sacramenti. Exemplo res apertè demonstratur. Nam, si sacerdos aqua calidissima infantem ablueret, intentione quidem baptizandi illum, animo tamen simul interficiendi, verum sacramentum cõficeret; quia hæc posterior intentio non excludit intentionem conficiendi sacramentum, neque tollit aliquid quod sit de substantia eius. Aliter ergo Richardus dist. 4. artic. 4. casu 2. aliam rationem reddit: quia illa submersio non est ablutio, quia de ratione ablutionis est, vt submersioni succedat emersio, nam oportet vt corpus prius aqua tingatur, seu cooperiatur in toto, vel in parte, & posteà discooperiatur; hoc autem non fit, quando baptizandus proijcitur in aquam, & ideò illa non est ablutio, sed potiùs suffocatio. Et confirmatur, nam ablutio quæ est materia Baptismi, debet repræsentare Christi Passionem, & Resurrectionem: illa autem immersio, cui non succedit emersio, non repræsentat Resurrectionem vllo modo. Et hanc ferè rationem sequuntur Palud. distinct. 6. quæstio. 1. articul. 3. Marsil. in 4. quæstione 4. articul. 4. dubitat. 8. Soto dist. 3. quæstione vnica, articul. 8. circa finem. Syluest. verbo Baptismus. 4. §. 10. &

Universidad de Deusto Biblioteca

Baptiſmus. 5. §. 1. Angelus verbo Baptiſmus. 4. in princ. Armilla verbo Baptiſmus num. 30. Sed hæc etiam ratio non videtur conuincere, quia de ratione ablutionis ſolùm eſt, q; ſit ſucceſsiuus cõtactus aquæ circa corpus hominis, vt ſuprà viſum eſt: ſed tota hæc ratio ablutionis ſaluatur in illa immerſione, quanuis illi non ſuccedat emerſio: ergo eſt ibi vera ablutio, atque adeò vera materia Baptiſmi. Et confirmatur, nam ſi quis immũdum lapidẽ proijciat in flumen, & ibi mundetur, verè dicitur eſſe ablutus antequàm è flumine extrahatur: ergo non eſt de ratione ablutionis, quòd ſubmerſioni ſuccedat emerſio: neque eſt contra rationem ablutionis, quòd fiat per ſolam ſubmerſionem, ergo fieri optimè poteſt, vt miniſter intendat abluere ſubmergendo tantùm, & non emergendo, ergo quòd immerſio ordinetur ad emerſionem accidentarium eſt, & non variat ſubſtantialem materiam, & intentionem ſacramenti. Et confirmatur ſecundò, quia ſi miniſter bono animo immergat infantem in flumen ad baptizandum illum, & caſu elabatur è manibus, & ſuffocetur, nihilominùs perficiet ſacramẽtum, vt Soto admittit, ergo ſignum eſt, illum præciſum contactũ aquæ illo modo factũ eſſe ſufficientem ablutionem, & materiam Baptiſmi: ergo etiã ſi ſit per ſe intẽtus, erit ſimiliter ſufficiẽs materia: nã ratio ablutionis non variatur ex eo, q; vel caſu, vel à conſilio emerſio non ſuccedat immerſioni.

Quocircà, quod Richardus ait ad ablutionem requiri, vt corpus, aut pars eius priùs cooperiatur aqua, & deinde diſcooperiatur, non eſt vel ratione aliqua, vel autoritate fundatũ: tum quia ad rationẽ ablutionis per ſe ac præciſè non requiritur niſi ſufficiens contactus aquæ: vnde ſi metaphyſicè fingamus partem aquæ abluentis contingere partẽ corporis, illique adhærere tempore aliquo, illud nihil obſtabit, quominùs ablutio & ſacramentum perficiatur: tum etiam quia, vt dicebamus, optimè fieri poteſt ablutio ſub aquis, imò etiam in ablutione, quæ fit per aſperſionem, tanta poſſet eſſe moles aquæ ſuper hominem infuſæ, vt illum prorſus obrueret, & operiret, & nihilominùs illa eſſet ablutio ſufficiens ad Baptiſmum.

Vera reſpõſio. Quapropter alijs videtur in eo caſu verum perfici ſacramentum, quanuis grauiter peccet, qui ſic baptizat, propter homicidium, quod cõmittit. Ita ſentit Gabr. in 4. diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. circa finem, qui refert Holcot. & Panorm. in cap. eo. Nõ vt apponeres de Baptiſmo. Et idem tenet Petrus de Aliaco in 4. quæſt. 2. & ſum. Roſel. verbo Baptiſmus. Et hæc opinio mihi videtur ſatis tuta & probabilis, quia re vera nullus eſſentialis defectus in tali Baptiſmo oſtenditur. Suppono enim, miniſtrum habere veram ac ſufficientem intentionem baptizandi: ſuppono etiam, proferre integram formam antequàm infans moriatur. Et ſimiliter ſuppono, in illo tempore dum profertur forma, fieri contactum aquæ de ſe ſufficientem ad Baptiſmum perficiendum, quid ergo deſideratur, vt perficiatur? intentio enim occidendi non obſtat, vt probatum eſt. Item non refert, q; immerſioni non ſuccedat emerſio, quia totum hoc eſt accidentarium, dummodò ſeruetur ratio ablutionis, prout ſeruari poteſt, ſicut probatum eſt: neque etiam refert, q; ſignificetur ſepultura, & nõ reſurrectio: quia hæc repræſentatio non eſt de eſſentia Baptiſmi, ſed ſola ablutio. Imò ad Roman. 6. ſola ſepultura dicitur

Gabr. Holcot. Panorm. Petr. de Aliaco. Sum. Roſel. Roman. 6.

A propriè ac formaliter repræſentari per Baptiſmũ: Reſurrectio verò ſolùm ex conſequenti, quatenus illa mors ad hoc ordinatur, vt in nouitate vitæ ambulemus. Denique nõ obſtat, quòd miniſter proijciat infantem in aquam. Quia ſi hoc obſtaret: aut eſſet propter ſuffocationem: & hoc nõ, quia priùs fit ablutio, ſeu contactus ſufficiẽs, & poſteà ſequitur ſuffocatio: aut eſſet, quia cùm miniſter proijcit infantem non videtur ipſe abluere, cùm non contingat illum: ſed hoc etiam non requiritur, quia etiam cùm infundit aquam in infantem nõ tangit illum, & tamen abluere dicitur, quia efficit contactum aquæ ad puerum, eodem autẽ modo eſt cauſa illius contactus, ſiue illum faciat mouendo aquã ad infantem, ſiue è conuerſo. Nihil ergo ibi deeſſe videtur ad veram rationem Baptiſmi.

Ratio dubitandi in principio poſita ſoluitur. Ad rationem dubitandi in principio poſitã reſpondetur, B primùm, ad Gelaſium (cuius integram Epiſtolam reperire nõ potui) dicendum eſt, per ſe ac directè ſolùm intendere docere, ad Baptiſma cõficiendum non ſatis eſſe proferre formam in nomine Chriſti, ſeu in nomine Domini, ſed neceſſariam eſſe expreſſam Trinitatis inuocationem, vt patet etiam ex cap. Si re vera. de conſecr. diſt. 4. Quia verò eo tempore moris erat, tres perſonas in tribus merſionibus inuocare, ideò Pontifex obiter vtrũque coniungit in priori capite, quãuis nõ ſit æqualis vtriuſque neceſsitas. Et ideò in fine abſolutè cõcludit, Baptiſmum datũ ſine expreſſa inuocatione Trinitatis eſſe inualidum, illum verò, qui datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, eſſe validum, nullamque adhibet limitationem, neque ibi mentionem facit trinæ merſionis. *Ad canonem Apoſtolicum reſpondetur.* Atque idem ferè reſpondendum eſt ad Apoſtolicum canonem, C in quo directè damnatur error eorum, qui baptizabant in nomine Chriſti mortui pro nobis, & ad hunc ritum magis introducendum vtebãtur vna merſione tantùm. Contra hos ergo docetur, inuocandam eſſe Trinitatem, & additur, ter eſſe mergẽdum, tum propter conſuetudinem illius temporis, tum in deteſtationem illius erroris. Quòd verò hæc ſit intentio canonis patet ex ratione, quã ſubdit, dicens, *Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Ad alios tres reſpondetur. Ad alios Patres reſpondetur, ſolùm referre conſuetudinem, quæ tũc ſeruabatur propter cõuenientem ſignificationem: non tamen ſentire, illam ceremoniam fuiſſe de neceſsitate ſacramenti, vt oſtẽſum eſt. Cõcilium verò Conſtantinopolitanũ damnat Eunomium, quoniã hæretico ſpiritu & ad introducendos falſos errores, auferebat illã ceremoniam. Sicut etiam ijdem Sancti, Baſilius lib. de Spi- D ritu ſancto, Ambroſ. 1. de ſacramen. c. 5. Cyprian. Epiſt. 70. Tertull. lib. de Baptiſm. c. 4. referũt alias ceremonias, vt verbi gratia, quòd Baptiſmus aqua priùs benedicta perficiatur, & alias ſimiles infra ſuo loco explicandas, quas conſtat non eſſe de neceſsitate ſacramenti.

Baſil. Ambroſ. Cyprian. Tertull.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæc ſit conueniens forma baptiſmi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Inf. q. ... 3. ...

AD quintum ſic proceditur. Videtur, q; hæc non ſit cõueniens forma baptiſmi. Ego

3. ar. 2. q. 1. & 1. co. 1. lec. 2. col. 3.

Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Actus enim magis debet attribui principali agenti, quàm miniſtro. Sed in ſacramento miniſter agit, vt inſtrumentũ (vt ſuprà dictum eſt) principale autem agẽs in baptiſmo eſt Chriſtus, ſecundùm illud Ioannis 1. Super quem videris Spiritũ deſcendentem & manentem, hic eſt qui baptizat. Inconuenĩter ergo miniſter dicit, Ego te baptizo, præſertim, quia in hoc quod dicitur, Baptizo, intelligitur ego, & ſic videtur ſuperflue apponi.

Quæſt. 64. artic. 1.

¶ 2 Præterea. Nõ oportet quod ille qui aliquem actum exercet, de actu exercito faciat mentionem, ſicut ille qui docet, non oportet quod dicat: Ego vos doceo. Dominus autem ſimul tradidit præceptum baptizandi, & docendi, dicens, Matth. vlt. Euntes docete omnes Gentes, &c. Ergo non oportet quod in forma baptiſmi fiat mentio de actu baptiſmi.

¶ 3 Præterea, Ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba, puta, ſi ſit ſurdus aut puer. Fruſtra autem ad talem ſermo dirigitur, ſecundũ illud Eccleſiaſtici 32. Vbi nõ eſt auditus, nõ effundas ſermonem. Ergo inconuenienter dicitur: Ego te baptizo, ſermone directo ad eum, qui baptizatur.

¶ 4 Præterea. Contingit ſimul plures baptizari & à pluribus, ſicut Apoſtoli baptizauerunt vna die tria millia, & alia die quinque millia, vt dicitur Actorum ſecundo, & quarto. Non ergo debet forma Baptiſmi determinari in ſingulari numero, vt dicatur: Ego te baptizo, ſed poteſt dici, nos vos baptizamus.

¶ 5 Præterea. Baptiſmus virtutem habet à paſsione Chriſti. Sed per formam baptiſmus ſanctificatur. Ergo videtur, quod in forma baptiſmi debet fieri mẽtio de paſsione Chriſti.

¶ 6 Præterea. Nomẽ deſignat proprietatẽ rei. Sed tres ſunt proprietates perſonales diuinarũ perſonarũ, vt in prima parte dictũ eſt. Non ergo debet dici, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed in nominibus.

1. p. q. 32. artic. 3.

¶ 7 Præterea. Perſona Patris nõ ſolùm ſignificatur nomine Patris, ſed etiam nomine Innaſcibilis, & Genitoris, Filius etiã ſignificatur nomine Verbi, & Imaginis, & Geniti. Spiritus etiam ſanctus poteſt ſignificari nomine Doni, & Amoris procedentis. Ergo videtur, quod etiam his nominibus vtendo, perficiatur baptiſmus.

SED contra eſt, quod Dominus dicit Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

A RESPONDEO dicendum, quòd baptiſmus per ſuam formam conſecratur, ſecũdùm illud Epheſ. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & Auguſt. dicit in lib. de vnico baptiſmo, quod baptiſmus verbis Euangelicis conſecratur. Et ideò oportet, quod in forma baptiſmi exprimatur cauſa baptiſmi. Eſt autem eius duplex cauſa. Vna quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ eſt ſancta Trinitas. Alia autem inſtrumentalis, ſcilicet miniſter, qui tradit exterius ſacramentum. Et ideò oportet in forma baptiſmi, de vtraque fieri mentionem. Miniſter autem tangitur, cùm dicitur: Ego te baptizo. Cauſa autem principalis, cum dicitur: B In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Vnde hæc eſt conueniens forma baptiſmi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Lib. 6. de baptiſ. cõtra Donatiſt. ca. 25. to. 7. & li. 4. c. 15. refertur. de cõſec. d. 4. c. Satis oſtendimus.

AD primum ergo dicendum, quòd actio attribuitur inſtrumento ſicut immediatè agẽti; attribuitur autem huiuſmodi actio principali agenti: ſicut in cuius virtute inſtrumentum agit. Et ideo in forma baptiſmi conuenienter ſignificatur miniſter, vt exercens actum baptiſmi, per hoc quod dicitur: Ego te baptizo: ſicut & ipſe Dominus baptizandi actum attribuit miniſtris, dicens; Baptizantes eos, &c. Cauſa autem principalis ſi- C gnificatur, vt in cuius virtute ſacramentum agitur, per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: non enim Chriſtus baptizat ſine Patre & Spiritu ſancto. Græci autem non attribuunt actum baptiſmi miniſtris, ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem baptiſmi baptizantibus attribuebant, dicentes: Ego ſum Pauli, & ego Cephæ. Et ideo dicunt, Baptizetur ſeruus Chriſti, talis, in nomine Patris, &c. Et quia exprimitur actus exercitus per miniſtrum cum inuocatione Trinitatis, verum perficitur ſacramentum. Quod autem additur: Ego, in forma noſtra, non eſt de ſubſtantia formæ, ſed ponitur ad maiorem expreſ- D ſionem intentionis.

AD ſecundum dicẽdum, quod quia ablutio hominis in aqua, propter multa fieri poteſt, oportet quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: quia omnia in tali nomine facere debemus, vt habetur Coloſſen. 3. Et ideo ſi non exprimatur actus baptiſmi vel per modum noſtrum, vel per modũ Græcorum, non perficitur ſacramentum, ſecundùm illam Decret. Alexand. 3. Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen: & non

In Decr. lib. 3. tit. 41. de bapt. & eius effectu. c. 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen, non eſt puer baptizatus.

A D tertium dicendum, quòd verba quæ proferuntur in formis ſacramentorum, non pronuntiantur ſolum cauſa ſignificandi, ſed etiam cauſa efficiendi, inquantum habent efficaciā ab illo Verbo, per quod facta ſunt omnia. Et ideo conuenienter diriguntur nō ſolum ad homines non intelligētes, ſed etiā ad creaturas inſenſibiles, vt cū dicitur: Exorcizo te creatura ſalis.

A D quartum dicendum, quòd plures ſimul nō poſſunt vnum baptizare, quia actus multiplicatur ſecundùm multiplicationem agentium, ſi perfectè ab vnoquoque agatur. Et ſic ſi conuenirent duo, quorum vnus eſſet mutus, qui nō poſſet proferre verba, & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum: non poſſent ambo ſimul baptizare, vno dicēte verba, & alio exercente actū. Poſſunt autem (ſi neceſsitas exigit) plures ſimul baptizari, quia nullus eorum reciperet niſi vnum baptiſmum. Sed tunc oportebit dicere, Ego baptizo vos. Nec erit mutatio formæ, quia vos nihil aliud eſt, quam te, & te. Quod autem dicitur, nos, non eſt idem dicere, quod ego, & ego, ſed ego & tu, & ſic iam mutaretur forma. Similiter autem mutaretur, ſi diceretur: Ego baptizo me. Et ideo nullus poteſt baptizare ſe ipſum: propter quod & Chriſtus à Ioanne voluit baptizari, vt dicitur extra de baptiſmo * & eius effectu, cap. Debitum.

In Decre. lib. 3. tit. 42. ca. 4. Debitum.

A D quintum dicendū, quòd paſsio Chriſti, etſi ſit principalis cauſa reſpectu miniſtri: eſt tamen cauſa inſtrumentalis reſpectu ſanctæ Trinitatis. Et ideo potius commèmoratur Trinitas quàm paſsio Chriſti.

A D ſextum dicēdum, quòd etſi ſint tria nomina perſonalia trium perſonarum, eſt tamen nomen vnum eſſentiale. Virtus autem diuina, quæ operatur in baptiſmo, ad eſſentiam pertinet, & ideo dicitur in nomine, & non, in nominibus.

A D ſeptimum dicendum, ꝙ ſicut aqua ſumitur ad baptiſmū, quia eius vſus eſt cōmunior ad abluendum, ita ad ſignificandū tres perſonas, in forma baptiſmi aſſumuntur illa nomina, quibus communiùs conſueuerunt nominari perſonæ in illa lingua. Nec in alijs nominibus perficitur ſacramentum.

COMMENTARIVS.

RESpondet D. Thom. hanc eſſe conuenientem formam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et rationem reddit, quia in hac forma exprimitur duplex cauſa Baptiſmi, ſcilicet principalis, & inſtrumentalis, ergo eſt conueniens. Conſequentiam probat, quia cùm Baptiſmus verbis formæ conſecretur, oportet cauſas Baptiſmi in ea exprimi.

Dubitatio. Circa quem diſcurſum dubitare poteſt aliquis, Nam ex eo ſequitur, in omnibus formis ſacramentorum exprimendas eſſe illas duas cauſas, quia omnia per verba formæ conſecrantur, & in omnibus reperitur illa duplex cauſa principalis, & inſtrumētalis: conſequens eſt falſum, nam in forma Pœnitētiæ non exprimitur Trinitas, quæ eſt cauſa principalis, & in forma Extremæ vnctionis non exprimitur perſona miniſtri, & idem videre licet in alijs ſacramentis. Quin potiùs, neque in ipſo Baptiſmo exprimere perſonam miniſtri eſt de eſſentia formæ, vt D. Tho. hic ad 1. fatetur, & infrà latiùs dicetur. Et augetur difficultas, nam ſacramentum potiùs eſt ſignum ſui effectus, quàm cauſæ, à qua manat talis effectus; ergo conuenientia formæ, potiùs ex hac ſignificatione, quàm ex cauſarum expreſsione ſumenda eſt. *Solutio.* Reſpondetur, D. Thom. ſupponere Chriſti Domini inſtitutionem, quæ eſt prima radix, & vnica cauſa aſſertionis eius, quam in argumento Sed contra, ſufficienter probat ex verbis Chriſti Matth. vlt. de quibus poſteà dicturi ſumus. Suppoſita autem inſtitutione, in prædicto diſcurſu ſolùm reddit congruentiā eius, quæ non eſt in eo ſenſu intelligenda, qui in obiectione facta inſinuatur, videlicèt, vt forma ſacramenti ſit conueniens, neceſſariū eſſe, quòd in ea ſacramenti cauſæ exprimantur: ſed è contrario, quòd ea forma, in qua huiuſmodi cauſæ exprimuntur, hoc ipſo indicanda eſt conueniens, quia exprimendo cauſam principalem ſacramēti, indicatur origo totius ſanctificationis & conſecrationis ſacramenti, & fit principalis quædam Chriſtianæ fidei profeſsio: explicando autem miniſtrum declaratur etiam actus eius, qui eſt materia ſacramenti, ſcilicet, ablutio, & ſignificando hunc actum, conſequenter ſignificatur effectus, ſcilicet ſpiritualis & interior ablutio, quæ per exteriorem ſignificatur, atque ita rectè explicatur, nihil deeſſe tali formæ, vt ſit cōueniēs & aptiſsima, quanuis nō omnia iſta neceſſaria ſint in omni forma cuiuſuis ſacramenti: pauciora enim ſufficere poſſunt, quia non in omnibus eſt eadem ratio inſtitutionis, vt ſuis locis dicetur. Et per hęc patet reſponſio ad dubitationes prædictas.

In ſolutionibus argumentorum tangit D. Tho. difficultates aliquas, quæ in ſequenti diſputatione commodiùs tractabuntur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in nomine Chriſti poſsit dari baptiſmus.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, ꝙ in nomine Chriſti poſsit dari baptiſmus. Sicut enim vna eſt fides, ita eſt vnum baptiſma, vt dicitur Epheſ. 4. Sed Actor. 8. dicitur, quòd in nomine Chriſti baptizabantur viri & mulieres. Ergo etiā nūc poteſt dari baptiſmus in nomine Chriſti.

4. diſt. 3. q. 1. a. 2. q. 2. Et 1. Cor. 1. lect. 2.

¶ 2 Prætereà, Ambroſ. * dicit: Si Chriſtum dicas, & Patrem, à quo vnctus eſt, & ipſum, qui vnctus eſt, Filium, & Spiritum ſanctum, quo vnctus eſt, deſignaſti. Sed in nomine Trinitatis poteſt fieri baptiſmus. Ergo & in nomine Chriſti.

Li. 1. c. 3. ante med.

De conſe. d. 4. c. à quodā Iudæo.

¶ 3 Prætereà, Nicolaus Papa * ad conſulta Bulgarorum reſpondens, dicit. Qui in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti (ſicut in Act. Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt (vnum quippe idemq; eſt, vt ſanctus ait Ambroſ.) rebaptizari non debent. Rebaptizarētur autem, ſi in hac forma baptizati, ſacramentum baptiſmi non reciperent. Ergo poteſt conferri baptiſmus in nomine Chriſti, ſub hac forma, Ego te baptizo in nomine Chriſti.

Li. 1. de Spiritu ſancto. c. 3. ante med. tom. 2.

SED contra eſt, ꝙ Pelagius Papa ſcribit Gaudentio Epiſcopo: Si hi qui in locis dilectionis tuæ vicinis cōmorari dicuntur, ſe ſolummodo in nomine Dñi baptizatos fuiſſe cōfitentur, ſine cuiuſcūq; dubitatiōis ambiguo, eos ad fidem Catholicā veniētes, in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Didimus etiā dicit in libro de Spiritu ſancto: Licèt quis poſsit exiſtere ſaxei (vt ita dicā) cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnum de præceptis nominibus (ſcilicet trium perſonarū) prætermittat, tamen ſine perfectione baptizabit.

De conſec. d. 4. ca. 30. Si re vera.

In lib. 2. paulò à princ. habetur hic liber, in fin. operum Hier.

RESPONDEO dicendum, quòd (ſicut ſuprà dictum eſt) ſacramenta habent efficaciā ab inſtitutiōe Chriſti. Et ideo ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod ſacramentum, efficacia caret, niſi ex ſpeciali diſpenſatione eius, qui virtutem ſuam ſacramentis non alligauit. Chriſtus autem inſtituit ſacramētū baptiſmi dari cum inuocatiōe Trinitatis. Et ideò quicquid deſit ad plenam inuocationē Trinitatis, tollit integritatem baptiſmi. Nec obſtat quod in nomine vnius perſonæ intelligitur alia (ſicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille qui nominat vnam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidē de tribus: quia ſicut ad ſacramētū requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Vnde nō ſufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem ſacramēti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur. Vnde & in baptiſmo Chriſti (vbi fuit origo ſanctificatiōis noſtri baptiſmi) affuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſcilicet, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus ſanctus in colūba.

Art. 2. huius quæſt.

A D primum ergo dicendum, quòd ex ſpeciali Chriſti reuelatione Apoſtoli, in primitiua Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant, vt nomen Chriſti (quod erat odioſum Iudæis & Gentilibus) honorabile redderetur, per hoc, quod ad eius inuocationē Spiritus ſanctus dabatur in baptiſmo.

A D ſecundum dicendum, quòd Ambroſ. aſsignat rationem, quare conuenienter talis diſpēſatio fieri potuit in primitiua Eccleſia: quia ſcilicet, in nomine Chriſti, tota Trinitas intelligitur. Et ideò ſeruabatur ad minus integritate intelligibili, forma, quam Chriſtus tradidit in Euangelio.

Loco citato in arg. 2.

A D tertium dicendum, quòd Nicolaus Papa dictum ſuū confirmat ex duobus præmiſsis. Et ideò eius reſponſio patet ex primis duabus ſolutionibus.

Loco citato in arg. 3.

COMMENTARIVS.

RESpondet D. Thomas, hanc formam, *Ego te baptizo in nomine Chriſti*, non eſſe ſufficientē formam, ſecluſa diſpenſatione, quia nō eſt iuxta Chriſti Domini inſtitutionem. Addit verò in ſolutionibus argumentorum, Apoſtolos ſpeciali diſpenſatione interdum baptizaſſe ſub illa forma, atque ita exponit Nicolaum Papam & Ambroſium. Quæ doctrina quoad hanc poſteriorem partē difficilis valde eſt, & ideò ſpecialem de illa quæſtionem ſequenti diſputatione inſtituemus.

DISPVTATIO XXI.

De forma baptiſmi.

SVpponendū eſt cōtra hæreticos huius temporis, de neceſsitate Baptiſmi eſſe determinatam formam verborū, vt ſuprà in genere oſtenſum eſt, diſp. 2. ſect. 1. & 3. Quo ſuppoſito, explicandū à nobis eſt, quæ ſint iſta verba, vbi duo declaranda ſunt, ſcilicet, quæ ſufficiant, & quæ neceſſaria ſint.

SECTIO I.

Vtrum hæc ſit ſufficiēs & neceſſaria forma Baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

DVO poſſunt excogitari circa hanc formam extremi errores. Primus eſt hæreticorū huius temporis (vt quidam referunt ex Brentio & alijs) qui negant, illam formam eſſe ſufficientem, niſi catechiſmus præcedat, ſeu doctrina, qua baptizādus inſtruatur de fidei myſterijs: quia Chriſtus Dominus Matth. vlti. antequam diceret, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* præmiſit: *Docete omnes gentes.* Vnde colligūt, illam doctrinā eſſe de eſſentia Baptiſmi, non minùs, quā cætera verba. Sed hic error ſufficiēter refutatur ex his, quæ in prædicta diſputatione de ſacramentis in genere diximus, vbi oſtendimus, non verbum concionatorium, ſed conſecratorium eſſe de eſſentia ſacramenti, quod etiam ſufficienter conſtat ex traditione & praxi Eccléſiæ, ex qua etiam ſufficienter intelligitur, verbum illud, *Docete omnes gentes*, nō pertinere ad ipſam ſacramenti conſtitutionē ſeu admini-

1. Brentij & aliorū huius temporis hæreticorum error.

Matth. vlt.

Universidad de Deusto Biblioteca

institutionem, sed ad dispositionem, quam ministri fidei, & sacramentorum præmittere debent, vt homines ad sacramentum suscipiendũ & alliciant & præparent. *2. Græcorum error, alteri è diametro oppositus.* Secundus error extremè contrarius esse potest, hanc formam aliquid continere superfluũ, aut substantiæ sacramenti cõtrariũ. Hic error tribui põt Græcis, qui, prout colligitur ex cap. vlt. de Baptismo, quod sumptũ est ex Concil. Lateran. sub Innoc. 3. c. 4. existimarunt, esse contra veritatẽ huius sacramenti, q̃ in hac forma exprimatur persona ministri, & actus baptizandi prout ab illa procedit. Quia per huiusmodi formã tribuitur hoc sacramentum ministro tanquam autori eius. Omitto errores alios, qui circa mutationem huius formæ fuere, de quibus in sequẽtibus sectionibus cõmodiùs agam.

1. Conclusio. Dico primò, prædictam formam; *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, esse sufficientem ad hoc sacramentum constituendũ. Est conclusio de fide, definita in Cõcil. Flor. in decreto Eugenij; *Conc. Florẽt. Conc. Trid.* & sumitur ex Trid. sess. 7. can. 3. de Baptismo, vbi anathema dicit in eum, qui dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium mater est, & magistra, non esse verã de Baptismi sacramento doctrinã. Quod generatim de omnibus sacramẽtis traditur, in cap. ad abolendam. de hæreticis, cùm ergo Ecclesia Romana, & hoc doceat, & vtatur hac forma vt sufficienti, certũ de fide est eam sufficere, alioqui esset in Ecclesia intolerabilis error in doctrina, & vsu sacramenti, maximè ad salutem necessarij. Ratio verò sumitur ex Christi institutione, quæ colligitur *Matth. vlt.* ex illis verbis Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quæ ita Ecclesia intellexit, & Patres omnes, quos retuli suprà disp. 2. sect. 3. Congruentia verò sufficiens est, quam tradidit D. Thom. in art. 5. & alias fusiùs explicabimus in sequentibus sectionibus declarando singulas particulas huius formæ.

2. Conclusio. Dico secundò, hanc formam, quoad significationem seu substantialẽ sensum, esse simpliciter necessariam ad hoc sacramentum conficiendum. Hæc cõclusio rectè intellecta sequitur ex præcedenti. Primò, quia illa forma, quæ est à Christo instituta, nõ solùm est sufficiẽs, sed necessaria: sed hæc forma est à Christo instituta, vt ostensum est, ergo. Secũdò, quia forma sufficiens ad sacramentum, licèt materialiter, & in sono verborum possit esse multiplex, tamen formaliter, id est in significatione & substãtiali sensu, necessariò debet esse vna, quia sacramentum Baptismi vnum & idem est in vniuersa Ecclesia; ergo, si illa forma est sufficiens, erit etiam necessaria in sensu explicato.

Dixi autem, quoad significationem & substantialem sensum, quia certum est, illam formã, quoad illa materialia verba, nõ esse simpliciter necessariã. Primò quidem, propter generalem doctrinã suprà traditam disput. 1. quod accidentalis mutatio verborum; quando non mutatur substantialis sensus, non est contra veritatem sacramenti. Secundo, quia certum de fide est, formã qua Græci vtuntur. *Baptizetur N. seu seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, esse sufficientem, nã licèt multi dubitauerint de veritate Baptismi sub hac forma traditi, vt D. Tho. refert in 4. d. 3. q. 2. arti. 1. quæstiunc. 2. ad 1. adeò vt Syluest. verb. Baptismus. 1. in fine, dicat talem Baptismum esse sub conditione iterandum: tamen post Conciliũ præcipuè Florentinum, certũ est, illam formam esse sufficientem, Et quidem meritò, nam Ecclesia Græca habet vsum illius formæ antiquissimum. Vnde credibile est à sanctis Patribus & Episcopis Catholicis illũ accepisse. Neque est credibile, totam illam Ecclesiam caruisse vero Baptismate, alioqui reliquis sacramentis omnibus, verisque sacerdotibus, ac Episcopis caruisset, quod est absurdum, & contra id quod vniuersa Ecclesia Romana sentit. Nam quando Græci ab schismate ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ redeunt, nec baptizantur iterum, nec si Sacerdotes, vel Episcopi sint, iterum Ordinantur, ac consecrantur, sed in suo gradu & Ordine recipiuntur, ergo hæc omnia verè, & ritè apud illos perficiuntur: ergo cum omnia pendeant ex veritate & sufficiẽtia illius formæ Baptismi, dicendum necessariò est, illam formã esse sufficientem, & consequenter in illa contineri Christi institutionem, atq; adeò in substãtiali sensu esse eandẽ cũ nostra. Quis sit autẽ hic substantialis sensus, per sectiones sequẽtes meliùs exponemus.

SECTIO II.

Vtrùm de necessitate huius formæ sit, vt in ea exprimantur actus baptizandi, & persona, quæ baptizat, & quæ baptizatur.

1. Conclusio. DIco primò, De necessitate huius formæ est, vt in ea exprimatur actus baptizandi. Cõclusio est de fide, quam insinuat Cõcil. Florẽn. *Conc. Flor.* suprà in illis verbis; *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur sacramentum*. Sentit ergo vtrumq; esse necessarium. *Alexand.* Clariùs Alexand. 3. in ca. 1. extra de Baptismo, vbi sic inquit, *Si quis puerum in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non dixerit; Ego te baptizo, non est puer baptizatus*, est ergo necessaria prolatio illius verbi, Baptizo, quatenus per illud exprimitur, seu significatur actus baptizandi. Ratio verò sumitur ex verbo Christi. *Baptizantes eos*. *Obiectio.* Dices, Christus his verbis non præcepit, quid dicendum sit, sed quid sit agendum, cùm hoc sacramentum datur; ergo satis implent ministri sacramentorum hoc præceptum opere, & (vt ita dicam) actu exercito, lauãdo eos, quos baptizant, quãuis verbis non dicant se baptizare, neq; aliquo alio verbo exprimant actum lauandi quem exercent. *Respondetur.* Respondetur, hoc argumento pari ratione posse probari, nec Trinitatis inuocationem, neque alicuius verbi prolationem esse de necessitate huius sacramenti, quia si Christi verba nudè, ac rigorosè, prout in cortice sonant, sumãtur, non videntur cogere ministros huius sacramenti, vt verbis exprimant quod faciunt, sed solùm vt opere faciãt, sicut, cùm eisdem dixit ibidem, *Docete omnes gentes*, non eis præcepit, vt dicerent, se docere, sed vt docerẽt, & cùm alibi dixit, *Hoc facite*, non eis præcepit vt dicerent, se consecrare, sed vt consecrarent. Dicendum est ergo, sensum præcepti, & verborũ Christi ex doctrina & vsu Ecclesiæ esse sumendum, ex quo constat Ecclesiam ab Apostolis edoctam hoc sensu semper intellexisse verba Christi; ergo & Christus in hoc sensu locutus est, & Apostoli ita verba eius intellexerunt, sicut traditio explicuit. Qui sensus optimè etiam quadrat verbis Christi. Nam, vt infra dicam,

Duplex verborum Christi sensus. dicam, cùm Christus ait; *In nomine Patris, &c.* dupliciter explicari potest, vno modo, id est, in virtute, & fide Trinitatis, sicut ipse dixit Marc. 14. *In nomine meo dæmonia eijcient*, & Matth. 15. *Ego veni in nomine Patris mei*, & Ioan. 21. *Vt credentes vitam habeatis in nomine eius*. *Marc. 14. Matth. 15. Ioan. 21.* In quo sensu non esset necessaria exterior prolatio Trinitatis, sed solùm intentio operãdi in virtute & fide eius. Alio modo possunt rectè exponi illa verba, *In nomine Patris, & Filij &c.* id est, verbis ipsis inuocando & profitendo fidem Trinitatis, & hic est verus sensus verborũ Christi, vt ex Patribus infrà ostendemus, & ex circunstantijs illius loci conijci potest. Nam Christus ibi tradebat ritum seruandum in sacramento Baptismi, & ideò, non tantùm docet, qua fide, & virtute tradendum sit, sed etiam, qua forma & verbis sit cõsecrandum. Sicut ergo inuocatio Trinitatis intelligitur verbis ministri facienda: ita etiam actus baptizandi verbis ministri est explicandus. Primò quidem, vt inuocatio Trinitatis ipsi actui baptizandi applicetur, atque ita determinetur ad sacramẽtalem vsum, vt D. Tho. hic notauit arti. 5. & 2. Secundò, vt per formam significetur effectus sacramenti mediante actione ministri, quæ est materia proxima sacramẽti. Tertiò, vt significatio totius formæ sit expressior & clarior, & aliquem definitũ sensum reddat. Nam si solùm diceretur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, illa verba per se sumpta nullũ sensum determinatum redderent.

Dubitatio. Quærunt verò hoc loco scholastici, an necesse sit exprimere hunc actum per illud verbum, *Baptizo*, vel sufficiat aliud æquiualens, vt *abluo, tingo*, vel similia. *Respondetur.* Quam rem latè tractat Soto in 4. d. 3. q. vnica. artic. 5. ad 1. Sed si obseruentur, quæ suprà dicta sunt de sacramentis in genere circa mutationes formarum, quæ hic repetenda non sunt, nihil hoc loco addere necesse est, sed solùm obseruare primum (si mutatio fiat) an verbum sit synonymũ vel æquiualens, ita vt verè significet actum abluendi, seu lauãdi. Nam si verbum sit huiusmodi, mutatio erit accidentalis, qua non obstante, forma erit sufficiens ad sacramentum constituendum: quanuis significatio vocis non sit omnino eadem, quia satis est, vt in ordine ad significandum actum lauandi æquiualeat. Et huiusmodi sunt hæ voces, *abluo, lauo, imingo*, & similes. Si autem verbum nõ retineat hãc significationem, non erit sufficiens, vt per se constat ex principijs suprà positis. Quando autem verbum sit huius, *Secundum.* vel alterius significationis, ex vsu & peritia vniuscuiusque linguæ petendum est. Et ideò est secundò obseruandum, vt semper retineatur verbũ, *Baptizo*, quo Ecclesia vtitur, ita vt, licèt cõtingat aliquem proferre formam in sua lingua vulgari, quia Latinam ignorat, meliùs faciet exprimendo actum per verbum baptizandi, quàm per aliud verbũ Hispanum, vel huiusmodi, quod ablutionem significet, quia verbum illud magis est certum, & indubitatum. Et quanuis Græcum sit, tamen ex vsu accõmodatũ iam est tam Latinæ linguæ, quàm cuilibet vulgari: & fortasse ideò retentum est ab Ecclesia Latina, vt illud verbum esset certum, & quasi definitum ad communem vsum.

Alia dubitatio. Rursus inquiri potest circa hanc assertionem, an sit de necessitate huius formæ, vt actus baptizandi exprimatur per verbum indicatiuum, actiuum, vel passiuum, quale est, *Baptizo te*, aut *baptizaris*, vel *baptizatur*, aut per modum imperatiui, *baptizetur*. Respondetur, neutrum ex his modis esse essentialem *Respondetur.* aut simpliciter necessarium, sed quemlibet eorum sufficere, quantum est ex necessitate sacramenti, dũmodò actus baptizandi significetur vt actu exercitus, quod ideò addo, quia si quis dicat, *Baptizo Petrum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, illa non esset sufficiens forma, quia non significat ablutionem vt actu exercitam sub tali forma, sed vt alteri imperatam seu vt exercendam ab alio. Reliqui autem modi sufficientes sunt, quia satis significant actum exercitum prædicto modo. Et de verbo actiuo & indicatiuo constat ex vsu Ecclesiæ Latinæ: de passiuo verò, quia reddit eundem sensum: de imperatiuo autem baptizetur, aut alio simili constat ex forma Græcorum, quæ, vt ostendimus, sufficiẽs est. An verò sit necessarium, hãc actionem in singulari exprimi, vel possit proferri in plurali, scilicet, *Baptizamus, &c.* dicemus disput. 23. sect. 3.

2. Conclusio. Dico secũdò. Nõ est de essentia huius formæ, vt in ea exprimatur persona ministri. Est certa conclusio. Quæ probatur; nam in primis constat non esse necessarium exprimere personam ministri per illud pronomen, *Ego*, vt D. Tho. hic docuit, & significauit Zacharias Papa in c. retulerunt. de consecr. d. 4. & bene etiam notauit glos. in c. 1. de Baptismo, vbi Pontifex dicit, nõ fieri Baptismum, nisi quis dicat, *Ego te baptizo, &c.* Sed ibi solùm intendit docere, actum baptizandi esse exprimẽdum in forma, vsus autem est illis verbis, quia illa sunt in communi vsu Ecclesiæ Latinæ, non quia pronomen illud sit simpliciter necessarium, maximè cum in ipso verbo baptizo implicitè cõtineatur, & quoad sensum idem sit dicere, *Baptizo te*, ac, *Ego te baptizo*. Vlteriùs verò addendũ est, etiam hoc implicito modo non esse necessarium indicari personam ministri, vt constat ex forma Græcorum; *Baptizetur seruus Christi, &c.* Nam vt notat Soto suprà dicto art. 5. ad 1. Græci illis verbis non subintelligunt personam ministri, ita vt sensus sit, *Baptizetur à me*, nam potiùs ipsi dicuntur vti hac forma, ne viderentur sibi attribuere baptismum, & ideo potiùs intelligunt, *Baptizetur seruus Christi, à Christo*, vel *à Deo*, aut simpliciter ab eo qui autoritatem & efficaciam habet baptizandi; ergo ex vi talis formæ non exprimitur vllo modo persona ministri, & tamẽ est sufficiẽs, ergo expressio ministri in forma non est simpliciter necessaria, quod etiam docuit Concil. Florent. suprà. Et rationem reddit, quia cùm minister sit tantùm causa instrumentalis, non est simpliciter necessarium, illam exprimere in forma: maximè cùm ex institutione Christi id non colligatur, neq; ex vniuersali Ecclesiæ traditione, nam licèt Latina Ecclesia hoc obseruet, non tamen Græca, quæ in hac parte non arguitur erroris ab Ecclesia Latina. Sed dicunt alij, quanuis *Obiectio.* non sit de necessitate sacramẽti absolutè & simpliciter ac in omni loco exprimere in forma personam ministri, tamen in Ecclesia Latina hoc esse necessarium, propter receptam in ea consuetudinem. Vnde colligunt, si in Ecclesia Latina aliquis baptizet forma Græcorum non conficere sacramentum. Ita refert D. Th. suprà, & Adria. q. 1. de Baptismo. *Respondetur.* art. 3. dub. 1. citans Innoc. in c. 1. de Baptismo. Sed hæc sententia falsa est, vt constat ex dictis suprà de sacramentis in genere. Nam sacramẽti essentia vna est in vniuersa Ecclesia. Vnde forma quæ in vna parte sufficit ad constituendum sacramentum, sufficit in qualibet parte seu regione Ecclesię, quod attinet ad sa-

Universidad de Deusto Biblioteca

ad sacramenti necessitatem: si ergo in Ecclesia Græca nõ est necessariũ exprimere personam ministri, etiam in Ecclesia Latina id nõ erit de necessitate sacramenti, quia Ecclesiæ præceptum, aut cõsuetudo, non potest mutare essentiam sacramenti, aut efficere vt aliquid sit de necessitate illius, quod ex institutione Christi nõ erat, quanuis facere posit, vt sit de necessitate præcepti, quia minister tenetur obseruare ritũ suæ Ecclesiæ, vt suprà dictum est, & infrà etiã dicetur in materia morali huius sacramenti.

Dubitatio. Sed quæres, estò non sit de necessitate huius formæ, ministrum in illa exprimere, an saltem sit expediens, magisq; conueniens. Nam Græci hoc vitare studuerunt, ne viderentur ministri sacramentorum sibi arrogare efficaciam sacramẽti, & vt illius schismatis occasionem fugerent, cuius fit mentio. 1. ad Corinth. 3. *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo.* *Solutur.* Respõdetur, consuetudinem Græcorum per se loquendo non esse malam, vt Concil. Floren. docuit, ita tamẽ illi consuetudini adhærere, vt ritum Ecclesiæ Latinæ damnent, erroneum est, & omnino contra rationem. Quin potiùs addo, ritũ Ecclesiæ Latinæ esse meliorem, tum, quia est magis cõsentaneus verbis Christi: *Baptizantes eos*, tum etiam, quia meliùs explicat causas, & effectum Baptismi, & ipsum actum baptizandi, vt actualiter exercitum. Neq; datur occasio schismatis, quia minister solùm in illo opere se exhibet, vt Christi ministrum, neq; aliter sibi tribuit sacramenti ministerium, sicut quando in sacramento Pœnitentiæ dicit, *Ego te absoluo*, nullam occasionem schismatis tribuit, neque sibi arrogat virtutem, seu efficaciam sacramenti.

3. Conclusio. Dico tertio, de necessitate huius formæ esse, vt in ea explicetur, seu indicetur persona, quæ baptizatur. Ita Diuus Tho. hic art. 5. ad 4. & est communis omniũ sententia, quæ colligitur ex verbis Christi, *Baptizantes eos.* Hunc enim esse sensum illorum verborum & institutionis Christi, docuit traditio & vsus Ecclesiæ, & ita in vtraq; forma tam Græcorum, quàm Latinorum, hoc obseruatum est. Ratio verò reddi potest, quia nisi aliquo modo exprimatur persona, cui applicatur Baptismus, non potest actus baptizandi practicè significari, vt hic & nunc in particulari exercitus. Nam si tantùm diceret minister, *Ego baptizo in nomine Patris*, nec significaret determinatũ actum baptizãdi, determinatur enim à subiecto cui applicatur, nec satis indicaret actum prout hic & nunc exercetur. Ac tandem non satis significaret effectum Baptismi, quatenus est spiritualis ablutio & regeneratio eius qui baptizatur. Tandem necessaria est expressio huius personæ, vt indicetur in forma distinctio, quæ necessaria est inter baptizantem & baptizatum, sicut inter generãtem & genitum, prout dicitur in c. debitum, extra de baptismo. Vnde colligunt D. Tho. & Theologi omnes, necessarium esse exprimere hãc personam quæ baptizatur, aut proprio nomine, vt cùm dicitur, *Ego te baptizo*, aut per pronomen secundæ, vel tertiæ personæ, vt *baptizo te*, vel *illum*, non verò per pronomen primæ personæ, vt *Baptizo me*, vt in prædicto cap. debitum definitur, & colligitur ex citatis verbis Christi *Baptizantes eos.* Et confirmatur exemplo Christi, qui hac de causa voluit ab alio baptizari, & adiungi potest exemplum Apostolorũ in Actibus eorum; vbi semper legimus baptizãtem esse distinctam personam à baptizatis, & idẽ obseruauit semper Ecclesiæ traditio, & in eodem capite A redditur congruentia sumpta ex similitudine generationis, in qua oportet generantem & genitum personaliter distingui. Atque idem confirmari potest exemplo sacramentorum, quæ in vsu consistunt, vt in superioribus dictum est. *Alia dubitatio.* An verò oporteat exprimere hanc personam in singulari numero, vel sufficiat in plurali dicẽdo, Ego baptizo vos: *Responsio.* Diuus Thomas hic, & quæst. sequen. art. 6. ad. 2. respondet, hanc mutationem esse accidentalem, & vtrumq; modum sufficere, & idem generaliter dicendum est de quacunq; simili mutatione, dũmodò sufficienter designetur persona. Quãuis, vt ministerium hoc debitè, & sine culpa exerceatur, seruare oporteat Ecclesiæ consuetudinem.

SECTIO III.

B *Vtrũ de necessitate huius formæ sit explicita inuocatio Trinitatis, vel sufficiat baptizare in nomine Christi.*

Circa hanc partem huius formæ, quæ est de Trinitatis inuocatione, primũ referri possunt varij antiqui errores hæreticorum, qui aliquid huic formæ addebant, vel subtrahebãt, quo vera Trinitatis cõfessio destrueretur, sic Gnostici, teste Irenæo lib. 1. cap. 18. baptizabant in nomine ignoti Patris omniũ & in veritate Matris omniũ, & in nomine descendentis Iesu ad vnitionem, & redemptionem, & communionem virtutũ. Quod etiam paululùm mutatis verbis refert Euseb. lib. 4. hist. cap. 10. & Epiphan. hæres. 34. cõtra Marcosios circa finem, & Nicepho. lib. 4. hist. c. 4. circa finem. *Euseb. Epiphan.* C Alij verò tempore Apostolorum baptizasse dicuntur in tribus Patribus, seu in tribus sine initio principijs, seu in nomine trium principij expertiũ, aut trium Filiorum aut trium Paracletorum, vt colligitur ex cano. 48. seu 49. Apostolorum, vbi hic error damnatur, & Cano. 50. damnatur, qui baptizabãt in Domini morte, quem errorem sequutos fuisse Eunomianos refert Socrates lib. 5. hist. cap. 23. *Can. Apost.* Cataphrygæ etiam, & Paulianistæ, dicitur corrupisse in hac forma, inuocationem Trinitatis, vt refert Innocent. 1. epist. 22. cap. 5. vbi in hunc modum explicat Canonem 19. Concil. Niceni in quo baptizati à Paulianistis, venientes ad Ecclesiam Catholicã iterum baptizari præcipiuntur, quia in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti minimè baptizabãt, vt dicit Innocent. qui tamen non explicat quomodo hi hæretici in hac forma peccarent. *Innoc. 1.* Idem verò D de Cataphrygis dicitur in Concilio Laodicen. Canon. 8. & in Concil. Arelaten. 1. dicitur de Arianis, qui propria lege sua vtuntur, vt rebaptizentur placuit. *Conc. Laod. & Arelat.* Vnde colligitur aliquos etiam ex Arianis mutasse hanc formam, verãm Trinitatis inuocationẽ corrumpendo, quanuis non explicet, qualis fuerit illa mutatio. Nicephor. verò 10. lib. hist. cap. 35. refert quendam Episcopum Arianum nomine Deuterium, Baptizasse *in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto*, & addit miraculosè accidisse, vt aqua quæ ad Baptismum parata erat repente disparuerit in detestationem Arianæ hæresis quam Episcopus ille prædictis verbis, formæque mutatione profiteri intendebat. *Nicephor. Insigne miraculum.* Horum omnium errorum nullum inuenio fundamentum, nisi hoc solùm, quod vnusquisque

quisque hæreticus iuxta suã falsam fidem, Baptismi formam sibi confingebat.

Veterum sententia asserentium quæ sufficere affirmẽt implicitã personarum inuocationem seu quòd fiat in nomine Christi. Secundò referri potest aliquorum veterum sententia, qui dixerunt non esse de necessitate huius formæ explicitam trium personarum inuocationẽ, sed satis esse implicitam, qualis in hac forma continetur, *Ego te baptizo in nomine Christi.* Huius sententiæ videtur fuisse Nicolaus Papa, in cap. A quodam Iudæo. de consecrat. dist. 4. consultus enim, an baptismus datus à quodam Iudæo esset validus, Respõdet, si datus fuit in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi, fuisse validũ, qui sequutus est in hac responsione Ambrosium libr. de Spiritu sancto, capit. 3. vbi sic inquit: *Qui benedicitur in Christo, in Patre, & Spiritu sancto benedicitur: quia vnum est nomen, vna potestas*, & infrà, *Qui Christum nominat, & dicit Filium, qui vnctus est, & Patrem, à quo vnctus est, & Spiritum sanctum, quo vnctus est.* *Nicol. Papa. Ambros.* Ex qua ratione & explicatione Ambrosij, constat, eum non fundari in dispensatione aliqua, sed in significatione ipsius nominis Christi, quod omnes tres personas saltem implicitè continet. Eò vel maximè, quòd licèt aliqui dixerint, huiusmodi licentiam, seu dispensationem baptizandi in solo nomine Christi concessam esse Apostolis, eorumq; tempore durasse, nullus tamen probabiliter dicere, aut ostẽdere potest perdurasse vsq; ad tempora Ambrosij, qui sua ætate illam formam validam esse existimauit, multoq; minùs credibile est, Iudæum illum de quo Nicolaus cõsultus fuit huiusmodi dispẽsatione vsum fuisse, nisi alicui fortasse placeat, quod Marsilius dicit, Nicolaum habuisse specialem reuelationem huius dispẽsationis. Hinc verò addit vlteriùs Ambrosius, Baptismum datum in nomine vnius personæ, quæcunq; illa sit, dummodò vera fides omniũ trium retineatur esse validum, quia in vna persona tres omnes virtute cõtinentur. *Beda.* Quam sententiam secutus est Beda, in capit. 10. Act. circa illa verba, *Iussit illos baptizari in nomine Domini Iesu.* Citatur etiam in cap. 2. Lucæ, ibi tamen nihil de hac re scribit, *Bernard.* eandem sententiam tenet Bernar. Epist. 340. vbi etiam approbat Baptismum datũ sub hac forma. *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ crucis.* *Hugo de sancto Vict.* Item Hugo de sancto Victore, lib. 2. de sacrament. part. 6. cap. 2. *Soto.* Soto etiam citat in fauorem huius sententiæ Athanasium, lib. de Trinitate & Spiritu sancto, & Cyprianum in libr. ad Quirin. & Chrysost. homil. 3. Imperfecti in Matthæum, sed apud hos Patres nihil inuenitur, quod ad hãc quæstionem pertineat.

Magister. Adrianus. Caiet. Glossa. Ex scholasticis verò sequutus est hanc sententiã Magister in 4. d. 3. Adria. q. 2. de Baptismo, Caiet. hic art. 5. item glos. in dict. cap. A quodam Iudæo, & cap. Multi sunt. de consecr. d. 4. & in cap. si quis puerum, extra de Baptis. Fundamentum huius sententiæ sumptum fuit ex quibusdam locis Actuum Apostolorum, in quibus dicitur dari Baptismus, *In nomine Christi*, aut, *in nomine Domini Iesu*, vt videre licet cap. 2. 8. 10. 11. & 19. *Actor. 8. 10. 11. 19.* & significat Paul. 1. ad Cor. 1. *1. Corint. 1.* vbi reprehendens eos, qui dicebant, *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo. Ego verò Cephæ, Ego autem Christi* (inquit) *Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Significat ergo eos fuisse baptizatos in nomine Christi.

Conclus. 1. Dicendum verò est primò, De essentia huius formæ esse, vt in ea expressè, & distinctè nominentur tres personæ Trinitatis, quatenus inter se distinctæ A sunt. Ita docet D. Tho. hic art. 6. Altisiodor. lib. 4. sum. tract. 3. cap. 4. q. 2. Alens. 4. p. q. 13. membr. 3. art. 2. §. 3. & art. 4. §. 2. Marsil. in 4. q. 3. Bonauẽ. d. 3. art. 2. q. 2. Palud. q. 1. arti. 2. Richard. arti. 2. q. 3. Scot. q. 2. art. 3. quanuis hi duo vltimi magis dubij sint. *Probatur primo ex verbis Christi.* Probatur primò ex verbis Christi Domini. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Iam enim suprà declarauimus, illud *in nomine*, non tantùm significare, in virtute, aut in fide, vt in alijs locis scripturæ solet, Marci 14. Matthæi 15. Ioan. 21. sed etiam significare Baptismum esse dandum, nominando, & voce ipsa inuocando, *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Quoniam eo loco intendebat Christus docere non solùm præceptum, sed etiam ritum, formamq; baptizandi, vt docuit Leo Pap. Epist. 4. cap. 3. & Damas. lib. 4. de fide cap. 10. & Iustin. Apolog. 2. pro Christianis circa finem, & B optimè Athanas. serm. 3. contra Arian. paulò post med. & Chrysost. homil. 16. in ad Rom. & optimè Fulgent. in libr. de Incarnat. capit. 11. cuius verba posteà referemus cum alijs Patribus, & ita Ecclesia semper intellexit, vt statim videbimus. At verò ex ipsis verbis Christi satis apertè constat, hanc Trinitatis inuocationẽ debere esse expressam, & distinctam. *2. Probatur ex Ecclesiæ declaratione.* Secundò hoc probatur ex Ecclesiæ declaratione, & definitiõe, nam in canone 50. Apostolorum, reprobatur Baptismus datus, *in Domini morte, Quia non dixit Christus, in morte mea baptizate: sed Baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* *Clem. Papa.* Vnde Clemens Pap. lib. 3. constit. cap. 16. *Nominans* (inquit) *inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus sancti, baptizabis eos in aqua*, & lib. 7. cap. 23. *Baptizare debes quemadmodum Dominus præcepit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Patris, qui misit, Christi, qui venit, Paracleti, qui testimoniũ dedit.* C Præterea Pelag. Pap. in cap. si re vera. de consecra. d. 4. dicit, Baptismum datum in nomine Domini esse nullũ, & in cap. multi sunt, eadem distinctione idem dicit de Baptismo dato solummodò in nomine Christi. *Pelag. papa.* Et Zachar. Pap. in cap. in synodo eadem distinctione, expressè docet, Baptismũ nõ perfici, nisi *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, ita vt, qui vel vnam de Trinitate personam, in Baptismo non nominaret, verum baptisma conficere non posset. *Zacha. Papa.* Idẽ sumitur ex cap. firmiter. de sum. Trinit. vbi dicitur Baptismus consecrari inuocatione *indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* *Cap. firmiter.* Et ex capit. 1. de Baptismo, & ex Concil. Flor. in Decreto Eugenij, vbi prædicta forma Baptismi præscribitur. *Concil. Flor.* Et sufficere dicitur forma Græcorum, dummodò in ea fiat Trinitatis inuocatio.

D Tertiò afferri possunt innumera Patrũ testimonia, ex quibus videri possunt omnes expositores Euangeliorum, & omnes, qui de Baptismo scripserunt, vt Greg. Nazian. Nissen. Tertul. & præsertim August. lib. 4. de Baptismo cap. 15. & lib. 5. cap. 1. & libr. 6. cap. 17. & 25. vbi ait, Baptismum verbis Euangelicis cõsecrari, & sine illis confici nõ posse, ideòq; Baptismum ab hæreticis datum validũ esse, *Quia faciliùs (inquit) inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.* *3. Probatur ex patribus. Naziã. Nisse. Tertull. August.* Præterea Damasc. lib. 4. de fid. cap. 10. postquàm docuit formam baptizãdi datam esse à Christo suprà dictis verbis, subdit. *At qui in sanctam Trinitatem minimè baptizati sunt, ij denuo baptizentur necesse est. Etsi enim Apostolus his verbis vtitur, in Christũ, & in mortem ipsius baptizati sumus, non tamen hoc vult, Baptismi formulam* *Damasc.*

formulam

Universidad de Deusto Biblioteca

formulam his verbis constare debere, verùm hoc demum, Baptismum mortis Christi figuram præferre. Atq; idē est sensus Basilij lib. de Spiritu sancto capi. 12. vbi ait: *Neminem offendere debet illud Apostoli, quòd nomen Patris, & Spiritus sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit, neque ideò putet harum vocum vsum esse indifferentem*, infrà vero huius rei causam reddens videtur Ambrosij opinionem indicare. Dicit enim, ideò Apostolum appellare Baptismum in Christo, *quia Christi appellatio, totius est Trinitatis professio, quia simul declarat & Patrem, qui vnxit, & filium, qui vnctus est, & Spiritum sanctum, qui est vnctio.* At verò Basil. in hac ratione, nō intendit hanc implicitam Trinitatis professionem esse ad Baptismum sufficientem, sed solùm reddit probabilem causam modi loquendi Apostoli. Nam paulò inferiùs similiter dicit, interdum Apostolum solius Spiritus, in Baptismate fecisse mentionem, vt cùm inquit: *Omnes in vno Spiritu baptizati sumus.* 1. ad Corinth. 12. Et tamen subdit Basil. *At non ideo quis dixerit, perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus nomen inuocatum est. Oportet enim inuiolabilē manere traditionem, &c.* Idem rectè docet Gauden. tract. 2. de lect. Euang. qui est ordine nonus, vbi inter alia inquit: *Neque enim baptizari quis potest, nisi in integram atque inseparabilem Trinitatem.* Et deinde ex professo probat esse contra veritatem huius sacramenti alicuius personæ professionem, & inuocationem omittere. Idem colligitur ex Ambrosio lib. de his qui initiantur. cap. 4. & lib. 2. de sacram. cap. 5. & Cypria. Epist. 73. ad Iubaian. parùm à principio, & ex alijs Patribus suprà citatis, tam referendo priores errores, quàm verba Christi explicãdo.

Basil. — *Gaudentius.* — *Ambros.* — *Cyprian.*

Vltimo probatur ratione.

Ratio verò seu congruentia huius institutionis explicata est suprà in commētarijs articulorum Diui Thomæ, & in sect. 1. Quibus addi potest, in lege Euangelica explicitam fidem Trinitatis esse ad salutem necessariã per se loquendo, Baptismum autem esse sacramentū fidei, vt loquitur Innoc. Pap. in capit. debitum. de Baptismo, & August. Epist. 103. quia sicut est ianua Ecclesiæ, ita in eo fit expressa professio Euangelicæ fidei, & ideò oportuit, vt in eo tradendo fieret expressa Inuocatio Trinitatis, quæ est primarium obiectum & fundamētū totius fidei, & principalis causa, tam ipsius Baptismi, quàm omnium mysteriorum nouæ legis.

Innoc. Pap. — *August.*

Nullus est baptismus datus in nomine Dei.

Atq; hinc sequitur primò, ex vi huius institutionis nullū esse Baptismū datū in nomine Dei. Patet quia, sicut fides de Deo absolutè & simpliciter non est fides explicita Trinitatis, ita inuocatio Dei absoluta, non est inuocatio Trinitatis explicita, prout ad Baptismum est necessaria. Secundò sequitur, Baptismum datum in nomine Patris & Filij, nō nominato Spiritu sancto, vel in nomine Patris & Spiritus sancti, tacito Filio, vel deniq; in nomine cuiuscunq; personæ, sine nominatione aliarū, nullū esse. Quod quidē fatetur Ambr. quando is qui baptizat hunc defectum cōmittit ex prauo errore, quo existimat in Trinitate non esse tres personas. Idem autem est, etiam si absq; errore in fide id faciat ex negligentia, vel odio, aut alio prauo affectu: quia valor sacramenti non pendet ex fide ministri, sed ex essentiali integritate, & significatione formæ, suppositis alijs requisitis. Si ergo illa forma est insufficiens, quando minister non habet rectam fidē, etiā erit insufficiens, quanuis minister veram fidem habeat, dummodò cætera paria sint. Est ergo illa forma per se insufficiens, & ratio est, quia nō continet expressam professionem totius Trinitatis, quæ necessaria est ex institutione Christi. Quinimò, neq; implicitè tota Trinitas satis indicatur, vna tantùm vel duabus personis nominatis; quia licèt appellatione solius Patris implicitè indicetur Filius, non tamē Spiritus sanctus, qui sit persona ab eis distincta. Et idem est etiam si expressè Pater & Filius inuocentur. Si verò nominentur Pater & Spiritus sanctus, quanuis videatur implicitè indicari Filius, nō tamen vt persona ab Spiritu sancto distincta, quin potius indicari videtur, ipsum Spiritum sanctū esse filium respectu cuius altera persona Pater nominatur, atque idem est seruata proportione si solus Filius & Spiritus sanctus exprimantur, non fit ergo sufficiens Trinitatis professio, nisi omnes tres personæ nominentur.

Non est sufficiens forma baptismi, nisi omnes tres personæ sigillatim nominentur. — *Ambros.*

Baptism... nomine C...sti datu... est valid...

Tertiò sequitur, Baptismum datum in nomine Christi, non exprimendo alias personas, esse inualidum ex vi institutionis Christi. Ita sentiūt omnes Theologi suprà citati, & colligitur apertè ex omnibus, quæ in probatione assertionis positæ adducta sunt. Præsertim ex definitionibus Pelagij & Zachariæ Pontificum, & plura statim afferemus in solutionibus argumentorum. Nunc solùm addo verba Bedæ lib. variarum. qq. q. 14. *Notandum, si quis baptizans dicat, Baptizo te in Christo Iesu, & non dicat in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus.* Et ratio est clara, quia inuocatio Christi non est expressa Trinitatis professio, quàm ostendimus esse de essentia formæ Baptismi. Adde præterea, ex vi verborum etiā non esse implicitam Trinitatis professionē, quanuis supposita fide, quam nos habemus, possit eam nobis indicare, magis ex facilitate & promptitudine intelligentium, quam ex vocis significatione. Nam licèt Christus sit vnctus à Patre, tamen etiam ipse, se ipsum vnxit, quatenus est suæ Incarnationis, & sanctificationis suæ humanitatis autor. Atque eodem modo, licèt dicatur Spiritu sancto vnctus, seu sanctificatus per quandā appropriationē, tamen etiam ipso Verbo, eiusq; diuinitate sanctificatus est, ac delibutus, vnde si in Deo tantū esset vna persona, & carnem sumeret, propriè appellari posset Christus, ergo ex vi significationis huius vocis, non satis indicatur tota Trinitas etiam implicitè, ergo ex vi institutionis non potest illa forma esse sufficiens. Et hoc existimo ita certum, vt contraria sentētia, quo ad hanc partē, nullo modo probabilis sit. An verò aliquando ex dispensatione talis forma concessa fuerit, dicemus in solutione argumentorum.

2. Con...

Dico secundò, De essentia huius formæ est, vt in ea non solùm Trinitas personarū, sed etiam naturæ vnitas significetur, quod fit per particulam illam *in nomine*. Ita sentit D. Thom. hic ar. 6. & Magister cum scholasticis loco suprà citato, & Hugo de Sancto Vict. lib. 2. de sacr. par. 6. cap. 2. Et colligitur ex verbis Christi adiuncta Ecclesiæ, & sanctorum intelligentia. Nō enim sine mysterio existimatur dixisse Christus *in nomine*, & non in nominibus: sed vt indicaret vnam esse trium personarum virtutē, substantiam, & maiestatem, quæ vno illo nomine significatur. Vnde Hieronymus Matth. 28. *Baptizantur* (inquit) *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt quorum vna est diuinitas, vna sit largitio, nomenque Trinitatis vnus Deus est.* Et clariùs super ad Epes. 4. circa illa verba: *Vnum Dominum, vna fides, vnū baptisma.*

Magist. ... de sanct... — *Hieronym...*

Non baptizamur, inquit, *in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quo intelligitur Deus.* Eodē modo August. 3. contra Maxim. c. 32. *In nomine,* inquit, *non in nominibus, quia hi tres vnum sunt, & hi tres vnus est Deus.* Ambr. 2. de sacram. cap. 7. *In vno nomine baptizare nos iussit, dicens, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Noli mirari, quia dixi, vnum nomen, vbi est vna substātia, vna diuinitas, vna maiestas.* Idem latè atque ex professo docet libr. 1. de Spiritu sancto. cap. 14. ex hoc, & alijs scripturæ locis ostendens, vno triū personarum nomine, vnam dominationem significari. Et Gaudent. tract. 14. de promissione Paracleti sic scribit: *cùm Baptismi opus in Trinitate decerneret celebrandū,* non ait, *in nominibus, sed in nomine. Pater enim Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est, sicut sanctarum scripturarum testimonijs dilectioni vestræ sepiùs approbaui; & propterea, vnum est Trinitatis nomen, cuius vna virtus, atque diuinitas permanet in omnia secula.* Ratio verò est, quia non minus est de necessitate salutis, vnius diuinitatis, quàm triū personarū professio, nec potest esse vera ac perfecta huius mysterij professio sine fide huius diuinitatis. Vtrūq; ergo debuit in forma Baptismi explicari.

August. — *Ambros.* — *Gaudent.*

Ex qua conclusione infertur, hanc formam; *Ego te baptizo in nominibus Patris & Filij, & Spiritus sancti*, esse insufficientem ad hoc sacramentum constituendum, quia in ea fit essentialis mutatio. Nam, si per vocem illam, *In nominibus*, indicentur tantū ipsa nomina relatiua, seu proprietates trium personarū, quanuis non admisceatur positiuus error in forma, tacetur tamen mysterium vnitatis trium personarum in Deitate, & ita nō sufficienter explicatur in hac forma fides vnius Deitatis in tribus personis. Si autem vox illa, *In nominibus*, indicet absolutū nomen, seu perfectionem, continebit forma errorem vnitati Dei contrarium. Atque eadem ratio est de quacūq; simili mutatione, vel additione facta huic formæ, ratione cuius, aut inæqualitas inter personas, aut distinctio in natura significetur. Si quis autē loco illius vocis *In nomine*, diceret, *in virtute*, vel aliquid simile, quo vnitas in natura trium personarum significetur, fortasse forma esset valida, quia res significata videtur esse eadem, quantisvocibus diuersis; grauiter tamen peccaret, & nō careret forma aliqua dubitatione, quia illę voces non sunt omnino synonymæ, nam illud *In nomine* plus complecti videtur, quàm si dicas *In virtute, aut in maiestate*, vel *Deitate Patris, &c.* nam hoc totum illa voce comprehenditur, & præterea inuocatio, & professio fidei vnius Dei, atque Trini.

Hæc forma in nomine Patris & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti, &c. est valida.

Sed quid, si quis baptizet hoc modo. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & in nominē Filij, & in nomine Spiritus sancti*, videtur enim illa nominis repetitio æquiualere illi plurali voci *In nominibus*? Respōdetur, non æquiualere, sed illam formam esse validam, quia vnum & idem nomen potest iterū atque iterum nominari, & inuocari absq; pluralitate; vt verè dicitur Pater Deus Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, non tamē possunt dici Dij: quia hoc significat pluralitatem naturarum, illud verò minimè, quia sunt vnus & idem Deus.

Ad rationes secundæ sententiæ respondetur.

Superest, respondeamus ad ea quæ in secūda sentētia adducta sunt (nam de prima nihil dicere oportet.) Et priùs quàm sententiā Zachariæ Pap. & Ambros. explicemus, declarāda sunt illa scripturæ testimonia, in quibus Apostoli dicūtur baptizasse *In nomine Christi*, aut *In nomine Domini Iesu*. Est enim valde communis inter scholasticos sententia, Apostolos vsos fuisse eo tempore hac forma, *Ego te baptizo in nomine Christi*, non quia illa per se sufficiat iuxta Christi institutionem, sed quia ex speciali dispensatione hoc illis concessum fuerit eo tempore, vt nomen Christi, & fides, atq; amor erga illum, fideliū animis magis insiderent. Ita sentit D. Thom. hic, & ferè antiqui scholastici suprà citati. Mihi tamē longè probabilius videtur, nunquā Apostolos, aut eorum ministros, baptizasse sub illa forma, ita vt nomen Patris, vel Spiritus sancti omiserint, quod latè docuit Armachan. lib. 8. de quæstionibus Armenorum à cap. 3. Can. libr. 6. de locis. cap. 8. ad septimū, & propendet Soto in 4. d. 3. q. vnica. arti. 3. Et probatur primò ex loco Actorum 19. vbi Paulus inuenit quosdam, qui se baptizatos esse dicebāt, eosque interrogauit. *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed neq; si Spiritus sanctus est, audiuimus.* Tunc Paulus rursus interrogauit. *In quo ergo baptizati estis?* quæ interrogatio apertè supponit, non potuisse illos more consueto & ea forma qua alij solebant, baptizari, non audito Spiritus sancti nomine, quia nimirùm non dabatur tunc forma Baptismi, absq; Spiritus sancti inuocatione, & appellatione: ergo tunc etiam fiebat in forma Baptismi, expressa trium personarum inuocatio. Et ideò Paulus iussit illos iterū baptizari baptismo Christi, & forma cōsueta. Secūdò probatur, quia ex illo modo loquendi scripturæ colligi non potest huiusmodi dispensatio, aut q; Apostoli illo modo baptizauerint. Primò quidem, quia baptizari *In nomine Christi*, vel *In nomine Domini Iesu*, non tantùm significat inuocato hoc nomine, sed etiam significare potest in fide, virtute, & autoritate eius, & Baptismo ab ipso instituto baptizari. Quod patet ex eodem loco Actorum 19. Vbi statim subdit, *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, ac si diceretur, baptizati sunt baptismo Christi, qui antea solo baptismo Ioannis fuerant baptizati, quomodo exposuit Damasc. lib. 4. de fide cap. 10. quod Paul. ait ad Rom. 6. nos esse in Christo baptizatos, *Nam in Christum*, inquit, *baptizatum esse, nihil aliud indicat, quàm in eū credendo salutifera aqua tingi.* Sic etiam Basil. dicto lib. de Spiritu sancto. cap. 12. exposuit, baptizari in Spiritu sancto non esse idem, quod baptizari sola Spiritus sancti persona nominata, sed idē quod baptizari in virtute, seu in sanctificatione Spiritus sancti. Vel aliter, quanuis demus, in illis locis significari, nomen Domini Iesu Christi solitum esse proferri in forma Baptismi, nō tamen inde potest colligi, nomina Patris, vel Spirit⁹ sancti fuisse omissa, quia facilè potuerunt omnia coniungi, & proferri, hoc modo: Ego te baptizo in nomine Pattis, & Filij ei⁹ Iesu Christi Domini nostri, & Spiritus sancti. Atque hoc modo, & satis fit illi coniecturæ, quam sententia contraria afferebat, scilicet, q; nomen Christi exprimebatur, vt fieret amabile; & simul retinetur integra forma baptismi, & non omittūtur aliæ personæ, quarum amor æquè necessarius est, earumq; cognitio ad ipsum Christum meliùs cognoscendū confert. Tertiò, q; Apostoli non fuerint vsi dispensatione, videtur planè colligi ex illo can. 49. vel 50. Apostolorū, vbi damnatur error eorum qui baptizabant in morte Christi, seu Domini, & subditur ratio. *Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate; sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Armachan. — *Cano.* — *Soto.* — *Probatur primo ex Actor. 19.* — *2. Probatur.* — *Actor. 19.*

Quæ

A Quæ ratio euidenter supponit, & illos semper præceptum illud & formam obseruasse, & omnẽ aliã, etiam si sit *in nomine Domini*, vel *Christi* insufficientẽ iudicasse. Quartò hoc potissimũ confirmatur testimonijs Patrum, qui in hunc modum prædicta testimonia interpretati sunt. *4. Probatur ex patribus.* *Cypria.* Cyprianus epist. 73. ad Iubaian. post medium, vbi tractans illa verba Petri Act. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Dñi Iesu Christi*, inquit, *Iesu Christi mentionẽ facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur. Denique vbi post Resurrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittuntur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizare gentiles iubentur: quomodo ergo quidam dicunt, baptizatũ in nomine Iesu Christi, remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizare iubeat in plena, & adunata Trinitate?* B Eandem expositionem & doctrinã habet *Fulgentius.* Fulgent. lib. 5. de Incarnatione & gratia ca. 11. vbi inter alia inquit. Ideò in forma Baptismi dictũ esse, *In nomine Filij*, in singulari vt significaretur vnam & eandem esse Christi personam in diuinitate, & humanitate subsistentem, *Et propterea*, inquit, *omnis qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sacramento sanctæ regenerationis abluitur, nõ nisi in Christi morte, ac nomine baptizatur.* Atq; in hunc modum exponit statim verba citata Petri Acto. 2. & Pauli ad Rom. 6. *August.* Sic etiam August. lib. 3. contra Maximinũ cap. 17. dicit, sicut ex illis verbis Ioã. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, non potest colligi Spiritum sanctũ excludi ab opere creationis, ita ex verbis Petri Acto. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Domini nostri Iesu Christi*, non posse colligi, illos nõ fuisse baptizatos in nomine Patris & Spiritus sancti, C quia licèt in nomine Iesu Christi iussi sint baptizari, vna persona alias non excludit. *Chrysost.* Eandem sententiã docet Chrysost. homil. 30. in. 2. ad Cor. tractans verba illa cap. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis Amen.* Vbi & considerat, interdum Paulum omnes tres personas simul nominare, interdum duas, interdum vnam tantùm, vt earum æqualitatẽ ostendat, atq; vnam ab altera non separari, & huius occasione adducit illud 1. ad Corinth. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri*, & subdit. *Quid igitur dic oro? Non baptizati fuerunt in Patre illi? Quare igitur non dixit abluti estis in nomine Patris? Quia sine discrimine, nũc huius, nunc illius meminit hypostasis.* *Origen.* Eodem modo Origen. lib. 5. in ad Rom. circa illa verba, cap. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, &c. Requiras*, inquit, D *hoc quod Dominus dixit ad Discipulos, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cur Apostolus solius Christi in Baptismo nomen assumpsit dicẽs. Quicunque baptizati sumus, cùm non habeatur legitimum Baptisma, nisi sub nomine Trinitatis.* & in summa respondet, Paulum ibi non describere formam, & rationem Baptismatis, & ideò non posuisse integra verba, sed ea tantùm, quæ ad rem, de qua agebat, pertinebant. Ibi autem disputabat de Baptismo quatenus mortem, & sepulturam Christi repræsentat, & quia in hoc conformamur Christo, nõ Patri, aut Spiritui sancto, ideò Christi potiùs, quàm aliarum personarum mentionem fecit, nõ quia in forma Baptismi Christus absq; alijs personis nominetur. *Theophylact.* Denique Theophylact. in fine Euang. Lucæ tractans illa verba, *Et prædicari in nomine eius pænitentiam*, &

A per pænitentiam, baptismum intelligens, quærit, *Quomodo baptisma, in nomine ipsius Christi fieri intelligerẽt cùm alias doceamur baptizare In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti?* Et respondet, *Primum dicimus, quòd quando dicimus, Baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus, quòd oporteat in solius nomine Christi fieri, sed quòd Christi baptisma spirituale est. Insuper baptisma In nomine Christi, intellige in morte Christi. Et aliter, Christi nomen in se ipso continet & Patrem inungentem, & vnctionem Spiritum, & vnctum Filium.* In quibus vltimis verbis, non sentit propter hanc causam satis esse proferre nomen Christi, sed reddit hanc inter alias causas, ob quas Baptismus dicitur Baptismus Christi, aut dari in nomine Christi, sicut suprà exponentes Basilium dicebamus.

Vltimò … tur … Vltimò adhiberi potest cõiectura, quia nulla fuit in primitiua Ecclesia probabilis causa talis dispensa- B tionis, quia etiam si demus, fuisse tunc expediens nomen Iesu Christi expressè in forma proferre, nulla tamen ostendi potest vtilitas, in subticendis nominibus Patris, & Spiritus sancti. Et alioqui sine euidenti necessitate non oportebat dispensare in lege maximè necessaria, cuius obseruatio erat veluti ianua ad totam Christi legem suscipiendam, quæ tunc promulgari incipiebat. Adde, explicitã fidem Trinitatis omnibus fuisse in præcepto ab initio prædicationis euangelicæ; ergo non erat tantum mysterium aut occultandum, aut in forma Baptismi omittendum. Talis ergo dispensatio, nec necessaria fuit, nec expediens, non est ergo voluntariè asserẽda, cùm neque in scriptura sacra, neque ex aliquo Concilio, aut traditione colligatur.

Decret … colai … claratur. Ad Decretum Nicolai difficile est respondere. C Nam quod D. Tho. & alij dicunt de dispensatione, duplici ex capite reiectum est, quia & nunquã fuit talis dispensatio Apostolis concessa, & quãuis fuisset, non durasset vsq; ad Nicolai tempora, qui octingentis annis fuit post Christum: alioqui pari ratione dici posset, nunc etiam durare. Præsertim, quia Pontifex suam sententiam fundat in dicto Ambrosij, quem ostendimus, non fundasse sententiã suam in dispensatione. Secundò, nõ minùs displicet quod alij dicunt, Pontificẽ loqui in casu necessitatis, tum quia in eo casu, in quo Pontifex loquitur, nulla erat necessitas baptizandi in solo nomine Christi. Imò vix fingi potest, quòd in aliquo casu interueniat talis necessitas, nisi fortè ex ignorantia ministri baptizãtis, tum præcipuè, quia propter nullam necessitatẽ potest variari essentialis materia, vel forma sacramẽti, vt supra ostensum est. Alij dicunt, Nicolaum nõ D affirmare huiusmodi Baptismum esse validum, sed non esse iterandum, & interpretantur non esse iterandum absolutè, quia saltem est res dubia, iterandum autem esse sub conditione. Sed hoc nõ placet: quia Pontifex ibidem dicit, Baptismum datum à Iudæo in nomine Trinitatis non esse iterandum, quod intelligit tam absolutè, quàm sub cõditione, vnde illis verbis simpliciter docet, talem Baptismũ esse validum, at verò eodem modo loquitur de Baptismo dato in nomine Christi. Alij ergo ita exponũt Nicolaum, sicut nos interpretati sumus Actuũ testimonium, scilicet, vt non loquatur de forma, in qua expresso nomine Christi omittuntur Personæ Patris & Spiritus sancti, sed de illa in qua secunda persona nominatur sub nomine Christi alijs non omissis. Cùm verò dicit Pontifex, *tantum in nomine Christi*, illa dictio exclusiua, *tantum*, aiunt non exclu

dere

A dere alias personas, sed Filij expressam nominationem, ita vt solũ dicatur *in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti.* Quæ expositio attribui etiam potest Ambrosio, & ad eã potest ratio eius accõmodari, quod scilicet, tãtũdem sit nominare secũdã personã sub nomine Christi ac sub nomine filij, quia etiã in nomine Christi dicatur relatio ad alias personas. Et idem dici potest ad Bedam super Acta, præsertim cũ alio loco verã sententiã docuerit, vt vidimus. Atq; hæc expositio pia est, & probabilis, nõnihil tamẽ videtur coacta. Vnde valde dubito, an hæc fuerit mens Nicolai, & Ambrosij. An verò id quod in ea asseritur in rigore verũ sit, dicam sequenti sectione. Quamobrem alij simpliciter confitentur, Põtificẽ vt priuatũ doctorẽ falsæ opinioni adhæsisse, quã sententiã sequitur Cano loco suprà citato, quia in eo decreto vnũ est de quo Pontifex interrogatus directè respondet, atque definit, B aliud verò, quod obiter dicit absq; Põtificia autoritate, ac definitione. Primum illud est, an Baptismus datus à Iudæo validus sit, ad quod Pontifex affirmatiuè respõdet, eiusq; definitio certa est. Secundò verò obiter dixit Pontifex, huiusmodi Baptismũ datũ tantũ in nomine Christi validũ esse, & in hoc secutus est sententiã Ambrosij, existimauitq; testimonia Actuũ Apostolorũ, ita esse intelligenda, & locutus est vt priuatus doctor, & sententiã minus probabilẽ secutus est. *Obiectio.* Dices, Contraria sentẽtia definita fuerat à Pelagio & Zacharia Pontificibus, vt visum est ex cap. Si re vera. c. In synodo. c. Multi. de consecr. dist. 4. Quomodo ergo potuit Nicolaus, etiã vt priuatus doctor, cõtrariæ sententiæ adhærere? *Responsio.* Respondetur, eos Pontifices de quæstione hac nihil ex professo ac de fide definiuisse, quia Epistolæ illæ, ex quibus Gratianus refert C se sumpsisse illa decreta, nõ leguntur integræ in tomis Conciliorũ: ex illis autẽ decretis vt sunt apud Gratianũ, habemus quidẽ eos Põtifices docuisse, necessariã esse Trium personarũ inuocationem, & non satis esse Christi, vel vnius personæ appellationem, non verò satis cõstat, eos Pontificia autoritate definiuisse, hanc inuocationem debere esse explicitam, & nõ satis esse implicitẽ cõtentam in nomine Christi. Atque hæc vltima responsio potest in rigore sustineri; proximè verò præcedẽs reijciẽda omnino nõ est, quia pietati est consentanea. Et per hæc responsum est ad alios Patres. Sententia verò ibi citata ex Bernardo durior est, ac difficilior. Nã sine dubio hæc forma, *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ crucis*, nullo modo est sufficiens, nisi per Deũ intelligamus, Patrẽ, & Filiũ, & Spiritum D sanctũ, vt Marsilius exponit. Addẽdũ verò est nõ sufficere, vt ab audiẽtibus intelligatur, nisi in ipsa forma exprimatur, vt satis dictum, ac probatũ est.

SECTIO IIII.

Vtrùm necessariũ sit in forma Baptismi exprimere tres personas diuinas sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Caiet. senten. HAEC quæstio præcipuè tractari solet de hac forma, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*, seu *procedentis ab vtroq;*, quã esse sufficientẽ docuit Caiet. hic sequens Gloss. in c. Mul-

A ti. de consec. d. 4. quæ dicit has voces sufficere. *In nomine Genitoris & Nati, & sancti Flaminis*, addit tñ non sufficere, si dicat: *Baptizo te in nomine trium personarum*, quod fortasse Caiet. nõ admitteret, vt videbimus: opinionẽ Caiet. sequutus est Vict. vt habetur in summa eius. §. 14. de Baptismo. Fũdamentũ huius sentẽtiæ est, quia essentialis formã sacramẽti nõ põdet ex materialibus verbis, vt suprà visum est: sed ex significatione eorum. *Probatur.* Vnde omnes voces eiusdẽ seu æquipollẽtis significationis sufficiũt ad substantiã, vel essentiã sacramẽti cõstituendã: sed illæ voces, *Genitor, genitus, &c.* in significatione æquiualẽt his, *Pater & Filius*; ergo sufficiunt ad essentiã Baptismi. Patet consequẽtia, quia licet formale significatũ illarũ vocum videatur diuersum, nã hæ significãt de formali relationes, illæ verò origines, tamẽ hæc diuersitas nihil referre videtur: B quia ex vsu easdẽ omnino res, & personas significãt, eisdẽq; cõceptibus subordinantur. Et hic vsus vocũ magis est attẽdẽdus, quã formalis illa & rigorosa significatio, sicut etiã voces illæ *Pater & Filius*, in rigore nõ significãt de formali Paternitatem, vel Filiationẽ diuinã, sed Paternitatẽ & Filiationẽ simpliciter, tamen ex vsu accõmodatæ sunt ad illã significationẽ. *Confirm. 1.* Et confirmatur primò, nam Concil. Florent. definit, illã formã esse ad Baptismũ sufficientẽ, in qua exprimitur actus ministri, cũ sanctæ Trinitatis inuocatione, & nõ addit, necessariũ esse hãc inuocationẽ fieri illis vocibus. *Pater & Filius, & Spiritus sanctus.* Sed sub illis nominibus, *genitoris, &c.* verè & ꝓpriè inuocatur & laudatur Trinitas, vt patet, cũ Ecclesia canit, *Genitori, genitoq; laus & iubilatio*, & si quis cõfiteatur, vel credat Trinitatis mysteriũ illis vocibus, & concepti- C bus expressum, sine dubio satisfacit præcepto credẽdi, vel cõfitẽdi Trinitatẽ, ergo, &c. *Confirm. 2.* Cõfirmatur secundò, nã si fieret mutatio similis in vna tãtùm persona, validũ esset sacramẽtũ: ergo idẽ est, si fiat in omnibus, patet cõsequentia, quia tam essentialis est inuocatio singularũ personarum, quàm simul omnium. Antecedens verò patet exẽplis receptis. Primũ illud est, quod in præcedẽti sectione tangebamus de hac forma, *Baptizo te in nomine Patris, Christi vel Iesu Christi, & Spiritus sancti.* Aliud est, si loco *Filij*, dicatur *Verbi*, Itẽ si loco nominis *Spiritus sancti*, dicas *Paracleti*, aut *Doni*. *Confirm. 3.* Tandẽ cõfirmatur, quia in huiusmodi mutationibus formarũ sacramentaliũ, vt accidẽtales & nõ substantiales censeantur, nunquã attendimus ad rigorosam, ac metaphysicã formalitatẽ significationis: sed ad rem D significatam, & ad moralem & practicũ modũ cõcipiẽdi. Et hac ratione censentur æquiualẽtia hæc verba, *Baptizo, abluo, tingo*, & similiter hæc, *Absoluo, & remitto*, cùm tamen formalia significata in rigore sint diuersa, ergo idem erit in præsenti.

Secunda & communis sententia. Secunda sentẽtia & cõmunis est, necessariũ esse exprimere tres personas nominibus, *Patris & Filij & Spiritus sancti*, & mutationẽ illã, in nomẽ *Genitoris, Geniti, & Spirati*, & quãcũq; similẽ, esse contra substantiã sacramenti. *D. Thom.* Ita sentit D. Tho. hic art. 5. ad 7. & in 4. d. 3. ar. 2. quæstiun. 2. ad 5. *Bonauent.* Bonau. ar. 2. q. 3. Scot. q. 2. art. 3. *Richard.* Richar. ar. 2. q. 3. *Palud.* Palud. q. 1. ar. 3. n. 16. *Durand.* Dur. q. 2. *Gabriel.* Gabr. art. 2. concl. 4. & art. 3. dub. 1. qui dicit Theologos omnes, Iurisperitos, & Sũmistas in hãc sentẽtiã conuenire, eandẽ tenet Alex. Alens. 4. p. q. 13. membr. 3. ar. 3. §. 5. & Altisiod. li. 3. sum. tract. 3. c. 4. q. 4. Marsil. in 4. q. 3. ar

Universidad de Deusto
Biblioteca

tic. 4. D. Bonauen. reddit rationem, quia mutatur nomina principalia in nō principalia; quod magis explicās Scotus dicit, nomine *Patris, Filij, & Spiritus sancti* significari proprias personarū proprietates, atq; adeō personas ipsas: nomine verō *Genitoris, &c.* significari actus notionales, nō verō Personas, sed solum connotari illas. Hæ verō rationes non videtur cogere, tum quia vix potest reddi ratio, cur nomen *Filij* sit principalius, quā nomen *Verbi*; aut nomen *Patris*, quàm nomen *Genitoris*. Tum etiam, quia ad substantiam sacramēti nō videtur referre, quòd nomē sit magis vel minùs principale, dummodò eandem omnino rem significet. In hoc autē non videtur vera differentia, quā Scotus assignat, quia *Genitor* reuera significat personā generantē, pro qua etiā supponit, quod si fiat vis in significato formali, aut connotato, etiam Pater ex vi suæ significationis formaliter significat Paternitatē, & connotat Personam. Aliam assignat rationem D. Tho. quia, sicut in Baptismo, inquit, ex parte materiæ determinata est aqua, quia eius vsus est cōmunissimus, facilis, & aptissimus ad significationem huius sacramenti: ita ex parte formæ determinatæ sunt illæ voces, quæ facilius, & aptius personas diuinas significant, quæq; futuræ erāt in vsu frequētiori Ecclesiæ ad Trinitatem inuocandā, eiusq; fidem profitēdam, huiusmodi autē sunt illa, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, & quę in vnaquaq; lingua his vocibus respondent. Itaq; videtur D. Thomas hoc referre in specialē Christi institutionē. Quæ, præter adductam cōgruentiam, fundari potest in verbis Christi, adiūcto vsu Ecclesiæ, & interpretatione Patrum, quos suprà retulimus. Quibus addi potest Epiphan. hæres. 73. in principio, vbi significat, voces *Geniti*, & *Ingeniti* nō valere ad Baptismū, *Non dixit*, inquit, *Baptizantes eos in nomine Geniti, & Ingeniti, sed in nomine Patris, & Filij*, & post multa dicit. *Ingenitum, nondum significare Patris intelligentiam, neq; Genitum significare propriè Filium, quia ad omnia genita communem facit intelligentiam. Non enim omne quod generatur est filius, quamuis omnis filius sit genitus*, & eadē ratione genitor, seu generans latiùs patet, quā Pater. Quare tādē cōcludit, nos nō in genito, & ingenito, sed in Patre & Filio esse baptizatos. Et hoc ipsum videtur innuere Athanas. ser. 2. cōt. Arian. circa med. cū inquit, *Non iussit nos baptizare, in nomine Geniti, & Ingeniti, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Et confirmari potest hæc sententia, quia aliàs sequitur, formā esse validam, etiā si dicatur *In nomine trium Personarū*, vel *In nomine primæ, & secundæ, & tertiæ Personæ*, vel *In nomine Genitoris, & imaginis eius seu splendoris gloriæ eius, & Doni vel flaminis*, & similibus: quia in his omnibus, licèt verba sint diuersa, tamen re ipsa, & iuxta communem vsum idem significant, & eaſdem diuinas Personas faciunt concipere, & sufficere possunt ad fidem profitendam, & ad Trinitatem inuocandā, vel laudandam. Quæ omnia vt existimo Caietanus concederet. Videntur tamen valde absurda, & contra communem sensum.

In hac re primùm existimo certum, Omnem illam mutationē per quā expressa inuocatio Trinitatis mutatur in implicitam, vel cōfusam esse cōtra veritatem, & substantiā huius formæ, in quo non censeo probabilem esse opinionē Caietani. Vnde si quis dicat *Baptizo te in nomine Trinitatis*, forma est insufficiens. Itē si dicat *Baptizo te in nomine Trini, & Vnius, & in nomine trium Personarū, & in nomine Primæ, Secundæ, & Tertiæ personæ*, quia in his omnibus modis, & similibus nō satis explicatur mysterium Trinitatis. Nā licèt explicetur numerus Personarū, tamen valde cōfusē, & nullo modo explicantur proprietates personales, nec emanatio vnius personæ ab alia. Atq; idē cēseo, si mutatio fiat in voces omnino appropriatas & nō proprias, vel etiā in valde metaphoricas, vt si dicas *In nomine Omnipotētis, Sapientis, & Doni seu flaminis*: & idē est de similib⁹, quia talis inuocatio Trinitatis redditur valde obscura, & aliena à cōmuni vsu fideliū. Item quia per illas voces non significatur, id quod est proprium singularum Personarum, quāuis ex vsu intelligentium præcipuè sapiētium cōtingat per illas voces concipi Personas ipsas. Dices, etiam illa vox, *Spiritus sanctus* non est propria, sed appropriata tertiæ personæ, nā in rigore etiā Pater, & Filius, sunt Spiritus, & sancti. Respondetur, iam illam vocē esse impositam ad significandā proprietatē tertiæ Personæ, scilicet spirationem passiuā, quam de formali significat, sub qua ratione hæc vox, quæ iā æquiuoca dici potest, non conuenit Patri, aut Filio. Atque ita non est appropriata, sed propria. Ex quibus etiam intelligitur, quando Concilium Florentinum dixit, necessariam esse in hac forma Trinitatis inuocationē, quanuis in cortice verborum generaliter loquatur, tamen reuera ipsum loqui de illa inuocatione, quæ est in vsu Ecclesiæ, quamque paulò antea commemorauerat, veram Baptismi formam assignando: hunc enim sensum & cōtextus ipse præ se fert, & ratio ostendit, quia alioquī quæliber inuocatio Trinitatis esset sufficiēs, quod falsum esse ostendimus.

Secundò, quando mutatio solum fit in diuersa nomina propria Personarum, manēte expressa inuocatione earum, res est magis dubia, & vtrinque probabilis, vt fatentur hīc Soto, & alij recentiores expositores D. Tho. Aliud autē est in hac re practicè loqui, aliud verò speculatiuè. Practicè enim certum est, esse graue peccatum huiusmodi mutationem facere, tum propter verba Christi, & consuetudinem Ecclesiæ, tum propter scādalum, tum etiam propterea quòd redditur dubium sacramentum, nā etiam si demus, Caietani opinionem esse probabilē, est tamen incerta: & si fortasse falsa sit, sacramentū in re erit nullū. Quapropter certū etiā censeo Baptismum datum sub illa forma *In nomine Genitoris, Geniti, &c.* iterandū esse saltem sub condītione, quia re vera est valde dubius. At verò speculatiuè potest opinio Caietani probabiliter teneri, habet enim fundamenta non parum vrgentia, & apparentia. Nihilominùs discedendum non est à communi sententia, quæ in materia præcipuè sacramentorum, multū ponderis habet, nā tota res pendet ex institutione, quam vsus, & traditio Ecclesiæ declarat, & huiusmodi Ecclesiæ sensus ex antiquis Patribus & sapientibus doctoribus petendus est. Est ergo valde verisimile, hanc fuisse Christi institutionem, vt simplex professio fidei, quæ in Baptismo fit, & omnibus etiam rudioribus & simplicioribus cōmunis esse debet, fieret etiam simplicioribus verbis, & cōmunibus omnibus, & propriùs diuinas personas significantibus. Et ideò mutatio in his vocibus, vel omnibus, vel aliqua earū substantialis esse censetur. Ex quo fundamento facile est omnia Caietani argumenta diluere.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm immersio in aqua sit de necessitate baptismi.

4. d. 3. art. 4. q. 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod immersio in aqua, sit de necessitate baptismi. Vt enim dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Sed apud multos communis modus baptizādi est per immersionem. Ergo videtur, quod non possit esse baptismus, sine immersione.

¶ 2 Præterea, Apostolus dicit Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, cōsepulti enim sumus cū illo per baptismū in mortem. Sed hoc fit per immersionē, dicit enim Chrysost. * super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Sicut in quodam sepulchro in aqua submergētibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, deinde nouus rursus ascendit. Ergo videtur quod immersio sit de necessitate baptismi.

Homil. 24. in Ioannem, post med. tom. 3.

¶ 3 Præterea, Si sine immersione totius corporis posset fieri baptismus, sequeretur quod pari ratione sufficeret, quamlibet partem aqua perfundi. Sed hoc videtur inconueniens, quia originale peccatum, contra quod præcipuè datur baptismus, non est in vna tantùm corporis parte. Ergo videtur, quod requiratur immersio ad baptismum, & non sufficiat sola aspersio.

SED contra est, quod Hebr. 10. dicitur: Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.

RESPONDEO dicēdum, quòd aqua assumitur in sacramento baptismi, ad vsum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autē fieri potest per aquam, nō solùm per modū immersionis, sed etiam per modū aspersionis, vel effusionis. Et ideo quanuis tutius sit baptizare per modū immersionis (quia hoc habet communior vsus) potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiā per modum effusionis: secundùm illud Ezechi. 36. Effundam super vos aquam mundā: sicut beatus Laurentius legitur baptizasse. Et præcipuè propter necessitatem: vel quia est magna multitudo baptizandorū: vt patet Act. 2. & 4. vbi dicitur, quod crediderūt vna die tria millia, & alia die quinq; millia. Quandoq; autē potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ: vel propter debilitatē ministri, qui non potest sustentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi; cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendū est, quod immersio non est de necessitate baptismi.

AD primum ergo dicēdum, quod ea quæ sunt per accidens, non variant substātiā rei. Per se autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam. Vnde & baptismus lauacrum nominatur, secundùm illud Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo. Et ideo talis diuersitas non tollit vnitatem baptismi.

AD secundum dicendum, quod in immersione expressiùs repræsentatur figura sepulturæ Christi, & ideo hic modus baptizādi est communior & laudabilior. Sed in alijs modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, licèt non ita expressè. Nam quocunque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius, aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.

AD tertium dicendum, quod principalis pars corporis, præcipuè quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores & exteriores. Et ideo, si totum corpus aqua non possit perfundi, propter aquæ paucitatē, vel propter aliquam aliā causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principiū animalis vitæ. Et licèt per membra, quæ generationi deseruiunt, peccatū originale traducatur, non tamen sunt mēbra illa potius aspergenda, quàm caput: quia per baptismū non tollitur trālmissio originalis in prolem per actum generationis, sed liberatur anima à macula & reatu peccati, quod incurrit. Et ideo debet præcipuè lauari illa pars corporis, in qua manifestantur opera animæ. In veteri autem lege remedium contra originale peccatum, institutum erat in membro generationis, quia adhuc ille, per quem originale erat amouendum, nasciturus erat ex semine Abrahæ. Cuius fidem circuncisio significabat, vt dicitur Rom. 4.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm trina immersio sit de necessitate baptismi.

4. d. 5. art. 4. q. 2. & 3. Et d. 25. q. 1. ar. 1. q. 2. cor. Refertur hoc in Dec. de cōs. d. 4. cap. 77. Postquam ex Aug. hom. 9.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod trina immersio sit de necessitate baptismi. Dicit em Aug. in quodā sermone de symbolo ad baptizatos, Rectè tertio mersi estis, qui accepistis baptismū in nomine sanctæ Trinitatis, rectè tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine

IesuChristi, qui etiã tertia die resurrexit à mortuis, illa enim tertiò repetita immersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo. Sed vtrumque videtur ad necessitatem baptismi pertinere, scilicet, & quod significetur in baptismo Trinitas personarũ, & quod fiat configuratio ad sepulturam Christi. Ergo videtur, quòd trina immersio sit de necessitate baptismi.

¶ 2 Præterea. Sacramenta ex mandato Christi efficaciam habent. Sed trina immersio est ex mandato Christi. Scribit enim Pelagius Papa * Gaudentio Episcopo, Euangelicum præceptum ipso Domino Deo & Saluatore nostro Iesu Christo tradẽte, nos admonet, in nomine Trinitatis trina mersione sanctum baptismum vnicuique tribuere. Ergo sicut baptizare in nomine Trinitatis, est de necessitate baptismi, ita etiam baptizare trina immersione, videtur esse de necessitate baptismi.

De consecr. d. 4. c. 8. Multi sunt.

¶ 3 Præterea. Si trina immersio non sit de necessitate baptismi, ergo ad primã immersionem aliquis baptismi consequitur sacramentum. Si ergo addatur secunda, vel tertia, videtur, quòd secundò, vel tertiò baptizetur, quod est inconueniens. Nõ ergo vna immersio sufficit ad sacramentum baptismi, sed trina immersio videtur esse de necessitate ipsius.

SED contra est, φ Gregor. dicit scribens Leandro Episcopo, Reprehẽsibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate, vel ter, vel semel immergere, quoniam & in tribus mersionibus, personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.

Lib. 1. episto. 41. à med. & habetur de cõsec. d. 4. c. 79. De trina.

RESPONDEO dicendũ, quòd (sicut prius dictum est) ad baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate sacramenti, modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo, sicut ex prædicta autoritate Gregor. patet, quantum est de se, vtrũq; licitè fieri potest, scilicet & semel & ter immergere, quia vnica immersione significatur vnitas mortis Christi & vnitas deitatis, per trinã autẽ immersionem significatur triduum sepulturæ Christi, & etiam Trinitas personarũ. Sed diuersis ex causis secũdùm ordinationem Ecclesiæ, quandoq; institutus est vnus modus quãdoq; alius. Quia enim à principio nascẽtis Ecclesiæ, quidã de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominẽ esse æstimãtes, nec dici filium Dei & Deũ, nisi propter meritum eius, quod prçipuè fuit in morte, ideo non baptizabãt in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & vna immersione. Quod reprobatum fuit in primitiua Ecclesia. Vnde in canonibus Apostolorũ legitur, Siquis presbyter aut Episcopus non trinam immersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate (quod dari à quibusdã dicitur in morte Domini) deponatur. Non enim nobis dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Postmodum verò inoleuit quorundam schismaticorum & hæreticorum error, homines rebaptizãtium, sicut de Donatistis August. narrat super Ioan. Et ideo in detestationẽ erroris eorũ fuit statutum in Conc. Tolet. quod fieret vna sola immersio. Vbi sic legitur, Propter vitandum schismatis scãdalum vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi immersionem. Sed cessante tali causa communiter obseruatur in baptismo trina immersio. Et ideo grauiter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ nõ obseruans, nihilominus tamen esset baptismus.

Art. præced. ad primum.

In can. ap... 150. E... tur de con... d. 4. c. 7... quis pre... ter.

Tract. 11 ... mo. 9.

In Conc. ... 4. ca. 5. ... Conc. ... tur de ... d. 4. ... Propter ... Ivone in ... cret. lib. ...

AD primum ergo dicẽdum, quod Trinitas est sicut agẽs principale in baptismo. Similitudo autem agentis peruenit ad effectũ secundum formam, & non secundùm materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formæ, nec est de necessitate, φ significetur Trinitas per vsum materiæ, sed hoc fit ad maiorem expressionẽ. Similiter etiã mors Christi figuratur sufficiẽter in vnica immersione. Triduum autem sepulturæ nõ est de necessitate salutis nostræ, quia etiã si vno die fuisset sepultus, vel mortuus, suffecisset ad perficiendam nostrã redemptionem, sed triduũ illud ordinatur ad manifestãdum veritatem mortis, vt suprà dictũ est. Et ideo patet, quòd trina immersio, nec ex parte Trinitatis, nec ex parte passionis Christi, est de necessitate sacramenti.

In arg. Sed cõtra.

q. 51 ... 53. art...

AD secundum dicendum, quod Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse de mãdato Christi in suo simili, in hoc scilicet, quod Christus præcipit baptizãri in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non tamen est similis ratio de forma & de vsu materiæ, vt dictum est.

Loco ... argum.

AD tertium dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) intentio requiritur ad baptismum, & ideo ex intentione ministri Ecclesiæ, qui intendit vnum baptismũ dare trina immersione, efficitur vnum baptisma. Vnde Hieron. dicit super Epistolam ad Philip. Licèt ter baptizetur (id est, immergatur) propter mysteriũ Trinitatis: tamen vnũ baptisma reputatur. Si verò intenderet, ad vnamquamque immersionem vnum baptisma dare, ad singulas immersiones repetens verba formæ, peccaret, quantum in se est, plures baptizans.

In salut...

q. 64. ar...

In com... ad Eph... illud. ... dei, vn... ptisma... refert... sec. d. 4. ... Eodem ...

DOctrina, quam D. Thom. tradidit in his articulis, explicata à nobis est in superiori disputatione 20, quia pertinet ad materiã huius sacramenti, vt ibi notauimus: litera autem D. Thomæ per se satis est perspicua.

ARTICVLVS IX.

¶ *Vtrùm baptismus possit iterari.*

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod baptismus possit iterari. Baptismus enim videtur institutus ad ablutionem peccatorum. Sed peccata iterantur. Ergo multò magis baptismus debet iterari, quia misericordia Christi transcẽdit hominis culpam.

4. d. 6. q. 2. ar. 1. q. 1. Et 4. cont. c. 59. fin. & c. 70. & 71. Et Ioã. 3. co. 4. & Ephes. 4. lect. 2. col. 1. fin. & sup. q. 63. art. 5.

¶ 2 Præterea, Ioannes Baptista præcipue fuit à Christo commendatus, cùm de eo dictum sit Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Sed baptizati à Ioanne, iterum baptizabantur, vt habetur Act. 19. vbi dicitur, quod Paulus baptizabat eos, qui erant baptizati baptismo Ioannis. Ergo multò fortius illi qui sunt baptizati ab hæreticis, vel peccatoribus sunt rebaptizandi.

¶ 3 Præterea, In Niceno Cõcilio statutum est, Si quis confugerit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis & Cataphrygis, rebaptizari eum omnino debere. Videtur autem esse eadem ratio de alijs hæreticis. Ergo baptizati ab hæreticis, debent rebaptizari.

In Conc. 1. Nicen. can. 19.

¶ 4 Præterea, Baptismus est necessarius ad salutem. Sed de quibusdam baptizatis aliquando dubitatur, an sint baptizati. Ergo videtur, quòd debeant iterum baptizari.

¶ 5 Præterea, Eucharistia est perfectius sacramentum, quàm baptismus, vt suprà dictum est. Sed sacramentum Eucharistiæ iteratur. Ergo videtur, quod multò magis baptismus possit iterari.

q. præc. art. 4.

SED contra est quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma.

RESPONDEO dicendum, quod baptismus iterari non potest: primò quidem, quia baptismus est quædã spiritualis regeneratio, prout, scilicet aliquis moritur veteri vitæ, & incipit nouam vitam agere. Vnde dicitur Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vnius autem non est nisi vna generatio, & ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Vnde August. dicit super illud Ioann. 3. Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci? Sic tu, inquit, intellige natiuitatem Spiritus, quomodo intellexit Nicodemus natiuitatem carnis, quomodo enim vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Secundò, quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in nouitatem vitæ: Christus autem semel tantùm mortuus est, & ideo baptismus iterari non debet: propter quod Hebræ. 6, contra quosdam rebaptizari volentes dicitur. Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei: vbi gloss. dicit, Vna Christi mors, vnum baptisma consecrauit. Tertiò, quia baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur: vnde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus. Et hoc est quod August. dicit in 2. contra epistolam Parmeniani, quod character militaris non repetitur, & quod non minus hæret sacramentum Christi, quàm corporalis hæc nota: cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiã redeuntibus, non restituitur. Quartò, quia baptismus principaliter datur contra originale peccatum, & ideo sicut originale peccatũ non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur, quia vt dicitur Rom. 5. Sicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.

Tract. 11. in Euang. Ioan. à med. to. 9

Gloss. ord. super illud; Renouari rursus ad pœnitẽtiã.

Lib. 2. c. 13. à med. to. 7. & supra habetur q. 93. ar. 5. et vide eundem epis. 50. ad Bonif. post med. tom. 2.

AD primum ergo dicendũ, quod baptismus operatur in virtute passionis Christi, sicut suprà dictum est. Et ideo sicut peccata sequentia virtutem passionis Christi non auferunt, ita etiam non auferunt baptismũ, vt necesse sit ipsum iterari. Sed pœnitentia superueniente, tollitur peccatum, quod impediebat effectum baptismi.

Art. 2. huius quæst.

AD secundum dicendũ, quòd sicut Aug. dicit super illud Ioan. 1. Sed ego nesciebam eum. Ecce post Ioannem baptizatũ est, post homicidã non est baptizatum, quia Ioannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismũ Christi, quod sacramẽtũ tam sanctũ est, vt nec homicida ministrante polluatur.

Tract. 5. declinando ad fin. tom. 9.

AD tertium dicendum, quòd Pauliani & Cataphrygæ nõ baptizabãt in nomine Trinitatis. Vnde Greg. dicit scribens Quirino Episcopo, Hi hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizabant, sicut sunt Bonosiani & Cataphrygæ (qui scilicet idem sentiebant cum Paulianis) quia & illi Christum Deum non credunt (existimantes, ipsum scilicet esse purum hominem) & isti (scilicet Cataphrygæ) Spiritum sanctum peruerso sensu esse quendam prauum hominem Montanum (scilicet credunt) tales cùm ad sanctam

In regist. li. 9. epist. 61. paulò à princ. Refert de consec. d. 10. Hi verò.

Universidad de Deusto Biblioteca

ctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. Sed sicut in regulis Ecclesiasticis * dicitur: Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizabant, & veniunt ad catholicam fidem, recipiantur vt baptizati.

De ecclesiast. dogm. c. 52. ti. 3. in Aug. & de cõs. d. 4. c. 43. & ca. 27.

AD quartum dicendum, quod sicut dicit Decret. Alexandri III. De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis. Si baptizatus es, ego non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Non enim videtur iterari quod nescitur esse factum.

In Decr. li. 3. ti. 41. de Bap. & eius effectu. c. De quibus est. cap. 2. & de cons. d. 4. 109. 110. 111. & 112.

AD quintum dicendum, quòd vtrunque sacramentum, scilicet Baptismi & Eucharistiæ est repræsentatiuum Dominicæ mortis & passionis, aliter tamen & aliter. Nam in baptismo commemoratur mors Christi inquantum homo Christo commoritur vt in nouam vitam regeneretur. Sed in sacramento Eucharistiæ cõmemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi Paschale conuiuium, secundùm illud 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur. Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantùm datur baptismus, multoties autem Eucharistia.

COMMENTARIVS.

RESpondet D. Thom. Baptismum iterari non posse. Cuius rei quatuor adducit congruentias optimas, easque magis explicat in solutionibus argumentorum, sed omnia sunt clara in litera: locus autem ad Ephes. 4. quem D. Thom. adducit, nonnullam difficultatem habet, quam in sequenti disputatione tractabimus.

DISPVTATIO XXII.

De vnitate sacramenti Baptismi.

DIsputatio hæc pertinere poterat ad aliã suprà traditam de institutione, seu existẽtia Baptismi, tamen propter D. Thom. vsque ad hũc locum dilata est: & quia facilè expediri potest, suppositis his, quæ de essentia Baptismi dicta sunt. Duplex ergo vnitas de hoc sacramento inuestigari potest, essentialis scilicet, seu specifica, & numerica, & de vtraque breuiter dicemus.

SECTIO I.

Vtrùm Baptismi sacramentum sit vnũ tantùm in specie, & quomodo differat à Baptismo sanguinis, & flaminis.

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi est primò, quia Baptismus cõmuniter distingui solet in Baptismum aquæ, sanguinis, & flaminis, vt constat ex D. Thoma in hac quæst. art. 11. & 12. Magistro, & alijs doctoribus in 4. d. 4. Alens. 4. par. q. 22. Hug. Vict. lib. 2. de sacramen. part. 6. c. 6. & 7. Vualdens. tom. 2. de sacram. c. 96. & 97. sed hæc tria baptismata specie differunt, vt per se constat: ergo. Secundò, quia Baptismus etiam diuiditur in Baptismum Ioannis, & Baptismum Christi: sed hæc baptismata specie differunt, vt in superioribus visum est, ergo. Tertiò, quia Baptismus etiam diuiditur in Baptismũ per immersionem, & per aspersionem seu infusionem aquæ: sed hæc etiam baptismata videntur specie differre, quia licèt materia remota sit eadem, tamẽ materia proxima videtur specie diuersa: essentia autem sacramenti magis attendenda est iuxta materiam proximam, quàm remotam: ergo, &c.

Magister. Alens. Hugo de S. Victo. Vualdens.

Conclusio.

Respondetur, Baptismũ, qui est vnũ è sacramentis nouæ legis, esse vnicũ in essentia & specie vltima. Conclusio est cõmunis Theologorũ, & certa ex illo Pauli ad Ephes. 4. *Vnus Dñs, vna Fides, vnum Baptisma.* Illũ enim locum de essentiali & specifica vnitate interpretantur ibi Chrysost. ser. 11. & Hieron. qui ex eo loco arguit Valentinũ, & alios hæreticos, qui duo, vel plura baptismata posuerunt, & insinuat Tertull. lib. de Bapt. c. 15. de quo testimonio plura in sequẽti sectione. Prætereà ostendi potest cõclusio, tum ex doctrina generali suprà tradita de septẽ sacramẽtis nouæ legis: ostẽdimus enim tantũ esse septẽ species vltimas sacramẽtorũ; tum etiã ex speciali doctrina & ratione huius sacramenti, habet enim vnam formam specificã, quæ omnino necessaria est, vt huiusmodi sacramẽtum conficiatur. Habet etiam eandem materiã remotã, scilicet, aquam naturalem, & proximam, scilicet, ablutionem. Illæ enim ablutionum differentiæ accidentales sunt, tam physicè, quia omnes fiunt per motum localem, solum accidentaliter diuersum, quã moraliter seu sacramentaliter, quia omnes ordinantur ad eundem finem ablutionis. Rursus huiusmodi Baptismus semper ordinatur ad eundẽ primarium effectum spiritualis regenerationis, & remissionis peccati originalis. Vnde eandem significationem habet, & eundem characterem in specie imprimit: est ergo semper idem secundùm speciem.

Inductione probatur conclusio.

Deinde explicatur & probatur cõclusio discurrẽdo per alia baptismata, seu opera quibus nomen Baptismi accõmodari solet. Et in primis omitto varia baptismata aquæ, quæ in lege veteri in vsu fuerunt, vt dicitur ad Hebr. 9. illa enim, quanuis in exteriori ablutione similia esse potuerint nostro baptismo, tamẽ in ratione signi, & ceremoniæ sacræ multũ ab eo differebãt. Eadẽq; ratio est de Baptismo Ioãnnis, qui etiam in ablutione externa similis fuit nostro Baptismo, in ratione tamen signi sacri, & in effectu & in sanctificatione per formã verborum valde dissimilis. De qua re fusè disputatũ est tomo præcedenti, & ideò plura hoc loco dicenda non sunt. Ac propterea in cõclusione locutus sum de Baptismo, qui est sacramentum nouæ legis, vt cætera omnia baptismata aquæ excludat.

Hebr. 9.

Martyrium interdũ Baptismus dicitur, sed metaphoricè.

Rursus solet Martyriũ *Baptismus sanguinis* appellari. Quæ locutio habet fundamẽtũ in Scriptura sacra; nã Christus Dñs Passionẽ suã, quæ martyriũ quoddã fuit, Baptismũ interdũ appellauit. Marci 10. *Potestis bibere calicẽ, quẽ ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* & Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsq; dũ perficiatur?* Hæc appellatio metaphorica est, quia constat, Martyrium

Martyrium nõ esse Baptismum aquæ, qui est propriè Baptismus, de quo nunc loquimur. Prætereà constat, Martyrium non esse sacramentum, cùm non sit ceremonia sacra ad Dei cultum per se ordinata & instituta, quod est de ratione sacramenti: neque etiam sit signum sacrum speciali institutione ad significandum impositum, sub quo genere signi sacramentum constituitur, vt suprà visum est. Appellatur ergo Martyrium, *sanguinis Baptismus*, per quandam analogiam, quæ in primis considerari potest in omni Martyrio, & in hoc consistit, quòd sicut aqua Baptismi tangendo corpus perfectè lauat animam, omnem culpam & pœnam remittendo, ita in martyrio sanguis effusus, suo modo tangit corpus, & inde fit, vt sanctificetur anima, & à culpa ac pœna perfectè liberetur, quanuis diuerso modo; nam hoc conuenit Martyrio solùm ex speciali priuilegio, Baptismo autem ex opere operato, ac sacramentaliter.

Quid propriè baptismus sanguinis.

Alio specialiori modo accommodatur hæc vox non cuilibet Martyrio, sed illi qui interdùm supplet defectum Baptismi aquæ: est enim Baptismus aquæ per se necessarius ad salutem, contingit autem aliquando aliquem ad Martyrium rapi priùs quàm baptizari possit, & tunc dicitur baptizari sanguine suo, quia per Martyrium saluatur, etiam si Baptismum aquæ non recipiat: qui modus loquẽdi est frequens apud Patres, vt latè inferiùs videbimus, agentes de effectu Baptismi, & interim videri possunt Cyprianus epistola 73. ad Iubaian. Damascen. libr. 4. de fid. capit. 10. Fulgent. de fide ad Petrum capit. 30. & Tertull. libr. de Baptism. capit. 16. In hac autem analogia seu proportione, præter differentias suprà positas intercedit alia, quia Baptismus sanguinis nunquam habet illum proprijssimũ effectum Baptismi, qui est character. Vnde neque est propria regeneratio in Christo, nec ianua ad Ecclesiam, & alia sacramenta recipienda, & per se loquendo non excludit necessitatem Baptismi aquæ si suscipi possit. Ac denique quanuis ex parte subiecti naturaliter iterari non possit, quia homo per Martyrium extinguitur, & ideò naturaliter loquendo iterum mori non potest, tamen quantum est ex parte eius, & sui effectus; non repugnaret iterari, si homo semel per Martyrium mortuus, ad vitam rediret, iterumque Martyrium subiret. Differunt ergo plusquàm specie Baptismus sanguinis, & aquæ; tamen hoc non est contra vnitatẽ sacramenti Baptismi de quo agimus, quia, vt ostensum est, Baptismus sanguinis, neque est sacramentum, neque habet proprium effectum sacramenti Baptismi.

Cyprian. Damasc. Fulgent. Tertull.

Baptismus flaminis, metaphoricè baptismus.

Tandem solet etiam interior contritio cũ proposito suscipiendi sacramentum Baptismi, *Baptismus flaminis* appellari: sed hæc etiam est metaphorica, & analoga significatio Baptismi, nam constat, huiusmodi motum cordis non esse sacramentum, quia nullum sensibile signum includit, aut requirit, nec propriũ aliquẽ effectũ habet ex opere operato, sed solùm ex dispositione operantis cum diuino auxilio, secum affert gratiam sanctificãtem, & remissionem peccati, non autem characterem, qui est proprius effectus sacramenti in re ipsa suscepti. Vnde fit, vt huiusmodi Baptismus flaminis iterum atque iterum haberi possit, quia post vnam contritionem, potest optimè haberi alia, & vt post illũ nõ solùm possit, sed etiã debeat recipi Baptismus aquæ, si facultas illũ suscipiẽdi cõcedatur, vel etiam Baptismus sanguinis, si ita occasio tulerit, est ergo metaphorica, & analoga hæc appellatio Baptismi, quæ fundatur in supradicta proportione: Baptismus enim propriè est remediũ per se necessariũ ex institutione Christi ad delẽdũ originale peccatũ: quia verò nõ semper in re ipsa applicari potest, & per internã cõtritionẽ cũ proposito seu desiderio illius interdũ suppletur virtus eius quoad hũc effectũ: ideò talis contritio includens hoc propositũ Baptismi, & supplẽs vicẽ eius, appellari solet Baptismus flaminis, seu Baptismus in voto. Quo fit, vt, quanuis latiori quadã significatione, quælibet cõtritio appellari soleat Baptismus pœnitentiæ, seu lachrymarũ, vt cõstat ex Damasc. lib. 4. de fide c. 10. & Nazianz. orat. 39. versus finem: specialiori tamen modo illa cõtritio, quę antecedit realẽ Baptismi susceptionẽ & includit votũ eius, eaq; ratione delet originale peccatũ, hanc Baptismi flaminis appellationẽ suscipit, sicut de Martyrio suprà dicebamus, illud specialiter vocari Baptismũ sanguinis, quod Baptismũ aquæ antecedit, & vicem eius supplet. Ex quo etiã obiter intelligitur, quòd licèt post susceptũ Baptismũ aquæ possit aliquis martyriũ subire, vel cõtritionẽ de peccatis habere, propriè tamen iã non est capax Baptismi sanguinis, aut flaminis, quia iã non est capax contritionis, vt includit votũ Baptismi, neq; etiã martyrio indiget, vt suppleat Baptismi vicẽ, hæ igitur variæ Baptismi nuncupationes nihil obstãt specificæ vnitati sacramẽti Baptismi. Atq; ex his satisfactũ est rationibus dubitãdi in principio positis.

Corollarium.

SECTIO II.

Vtrùm sacramentum Baptismi vnum tantùm numero recipi possit in eodẽ supposito, ita vt iterari non possit.

DEclarata specifica vnitate, dicẽdũ est de numero, supponimus autẽ id, quod per se manifestũ est, in diuersis subiectis seu hominibus baptismata multiplicari secũdũ numerũ, & in vnoquoq; habere suã numericã vnitatem, quia in diuersis hominibus necesse est diuersas fieri ablutiones. Neq; curiosè inquirere oportet, quomodo sint diuersa baptismata, si cõtingat plures hac vna forma baptizari, *Ego vos baptizo*. Facilè enim respõderi potest, vel sufficere distinctionem materiæ vel, quod probabilius est, formam illã, quanuis in materiali sono vna videatur; tamen significatione & sensu esse plures: nã æquiualet his, *Ego baptizo te, & baptizo te, &c.* Rursus disputare nõ oportet, quomodo Baptismus in vno subiecto sit vnus numero, cũ ex multis rebus constet, ablutione scilicet, & verbis, quæ inter se nõ habent realem vnionem; iam enim superiùs tractando de sacramentis in genere dictũ est, vnitatẽ sacramẽti esse similẽ vnitati rerũ artificialiũ, quæ semper constant ex pluribus partibus, quæ inter se non semper vniuntur reali vnione: sed solùm ordine quodam, vel alia morali, seu artificiali coniunctione. Sit ergo certum, in vno & eodẽ subiecto habere Baptismum vnitatẽ numericam sacramentalem, & in subiectis diuersis posse secundùm numerum multiplicari.

Quæstio igitur superest, an in eodẽ subiecto pos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint recipi plura baptismata numero distincta: quæ in duplici sensu tractari potest. Prior est, an simul & in eodē institi possit aliquis recipere duo sacramenta baptismi; & de hoc nō agimus in præsenti, tum quia inferiùs habebit cōmodiorem locum in materia de ministro, tractando quæstionem illā, an possit aliquis à duobus baptizari: tum etiam quia illa multiplicatio baptismatum, si possibilis est parum ad rem Theologam refert: est enim valde materialis, nam in effectu & in formali significatione ex parte rei significatæ illa baptismata vnū sunt, & per modū vnius conferuntur. Posterior ergo sensus est, an successiuè possint in eodē subiecto baptismata multiplicari, quod est quærere, an Baptismus semel susceptus possit iterari, aut iterum dari.

Varij errores. In qua re fuit antiqua hæresis affirmās, posse homine ter baptizari. Ita refert Epiphan. hæres. 42. nullum tamen affert illius fundamentum, neque ego illud inuenire potui. Solet etiam hic error tribui Donatistis: sed hi, quamuis errarent in eo quòd Baptismum Ecclesiæ non admitterent tanquam verum & ratum, & ideo re ipsa baptizarent iterū eos qui rite erant baptizati, tamen formaliter non docuerunt, posse iterum baptizari eum, qui semel est rite baptizatus, vt sumitur ex Augustino lib. 2. cont. lit. Petiliani. c. 25.

Epiphan.

August.

Quocirca dicendum est, vnum hominem semel tantùm baptizari posse, atque ita sacramentū Baptismi non esse iterabile, neque posse esse nisi vnū numero in eodem subiecto. Conclusio est certa de fide, quæ primò à D. Tho. hic probatur ex illo Pauli ad Ephes. 4. *Vnus Dñs, vna Fides, vnum Baptisma.*

Ephe. 4.

Quod testimonium eludi posset iuxta expositionem supra datā de vnitate specifica Baptismi, quæ videtur satis consentanea intentioni Pauli; intendit enim ibi persuadere concordiam, pacem, & charitatem inter Ecclesiæ membra ex eo, quòd omnia eandem gratiam sint consecuta, & vno Baptismo regenerentur, quod necesse est intelligi de specifica vnitate, sicut, quod ibidem dicitur, omniū esse vnam fidem, necesse est intelligi de vnitate specifica, vt significauit Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 2. quia neque in omnibus fidelibus, neque in vno & eodem, necesse est fidem esse vnam numero, potest enim semel per hæresim amitti, & iterum comparari: & tunc non idem numero fidei habitus recuperatur, sed diuersus. Sed quamuis hæc expositio maximè literalis videatur, nihilominùs alia reijcienda non est, quā Anselmus ibi, & D. Thom. sequuntur, & alij Patres, qui ea hoc loco vtuntur ad veritatē propositā confirmandā. Leo Pap. epist. 37. ad Leonem Episcopum Rauennatem. c. 1. *Scimus*, inquit, *inexpiabile esse factum, quoties cogitur aliquis lauacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante doctrina, quæ vnam prædicat in Trinitate Deitatem, vnam in fide confessionē, vnū in Baptismate sacramentum.* Similia habet epist. 79. ad Nicetam. c. 7. *Hanc regulam seruandam omnibus Ecclesijs prædicamus, vt lauacrum semel initum, nulla iteratione violetur: dicente Apostolo, Vnus Dñs, vna Fides, vnum Baptisma.* Et eandem expositionem sequitur Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 1. vbi eandem veritatem confirmat ex alio Pauli testimonio, ad Hebræos dicentis: *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerint etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, iterum*

Augustin.

Anselm.

Leo Pap.

Ambros.

A *renouari ad Pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* Nā in his verbis apertè loquitur Apostolus ad eos, qui baptizati sunt, & post baptismū peccauerunt, quos illuminatos vocat. Nā quia per fidem diuinitus illuminamur, & Baptismus est sacramentum fidei ac solennis fidei professio, ideò & ipse Baptismus, *illuminatio*, & baptizati, *illuminati*, vocari solēt. Et hoc modo loqui solēt præcipuè Patres Græci, vt videre licet apud Clem. Alexan. lib. 1. Pædag. c. 6. & Nazian. oratio. 40. Chrysost. hom. ad Neophyt. & Cyril. Hierosol. in Cateches. Illuminatorū. Nō intendit autem Paulus (vt quidā hæretici exīstimarunt, & cū eis Tertull. libr. de Pudicit. c. 20.) nō posse hos illuminatos, à statu gratiæ lapsos, ad eū per Pœnitētiā restitui. Hoc enim (vt rectè notat Ambros.) contrariū esset eidē Paulo 1. ad Corin. 5. docenti, etiam fidelibus, & baptizatis, peccata per Pœnitentiā condonari. Solū igitur docet, huiusmodi hominē lapsum nō posse iterū renouari, vtiq; per Baptismum. *Per lauacrū enim* (inquit Ambros.) *renouamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit* (ad Roman. scilicet. 6.) *Consepulti enim sumus cum illo*, (scilicet Christo) *per Baptismū in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriā Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quod inferiùs etiā confirmat ex illis verbis. *Iterum crucifigentes.* Nā in eo (inquit) *qui baptizatur, crucifigitur filius Dei, quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Iesu. Denique scriptū est ad Rom. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: Et infrà, si enim cōplantati sumus similitudini mortis eius, ita & resurrectionis erimus, scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est cruci. Et ad Coloss. 2. Consepulti ei in Baptismo, in quo consurrexistis, ergo quod ait ad Hebræos. Ac rursus crucifigentes filium Dei, eò spectat, vt de Baptismo dictū credamus.* Itaq; qui post primū baptismū, alterū suscipere tētat, dicitur iterū Christū crucifigere, quia repræsentatione, & professione ipsa, vel profitetur Christū bis mortuū, vel significat primam Christi mortē nō sibi sufficere ad salutē, & alia indigere, & hanc huius loci expositionē habet etiā Aug. lib. de ver. & fals. Pœnit. c. 3. Epiphan. hæres. 59. in princ. Chrysost. hom. 1. 9. in ad Hebr. Theodoret. & Theophyl. ad Hebr. 6. Phylost. hæres. 89. qui in eodem sensu explicant aliud testimonium Pauli ad Hebr. 10. quod ex professo tractabimus infrà de sacrificio disputantes.

Clem. Alex. Nazian. Chrysost. Cyril. Hierosol.

Augustin. Epiphan. Chrysost. Theodor. Theophyl. Phylastr.

Secūdo principaliter probatur cōclusio ex Ecclesiæ definitione. Hoc enim sensu dictū est in symbolo Apostolorū. *Confiteor vnum baptisma in remissionē peccatorum*, vnde ex eorūdē Apostolorū doctrina

B

C

D dixit Clem. Rom. li. 6. cōstit. c. 15. *Vno baptismo sumus cōtenti, qui in Dñi mortē traditur*, & infrà, de his qui Baptismū iterare audēt, dicit. *Crucifigūt Dñm, derident diuina.* Præterea ide definitur in Cōc. Viēnēsi prout habetur in c. vnic. §. vltim. de sum. Trinit. 6. & in Cōcil. Flor. in Decr. Eugenij. & in Trid. sess. 7. can. 9. de sacram. in genere, & can. 11. de Baptismo, & eodē sensu Cōcil. Carthag. primū, can. 1. prohibentur rebaptizationes, & regulæ fidei cōtrariæ dicūtur. Atque eadē est veterū Patrū traditio, vt videre licet, præter citatos, apud Cyprian. Epist. 63. ad Cæcilium. & serm. de ablutione pedum, *Quem fari reuerentia nō patitur iterari*, Basilius lib. de Spiritu sancto. c. 15. *Non* (inquit) *iudeorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, sed vna*

Clem. Rom.

Cyprian. Basilius.

Tertul. Optatus. Damasc. Augest. Vltimo rationibus. *nimus salutiferum Baptisma, quandoquidem vna est promando mortis, & vna ex mortuis resurrectio, quarum figura est Baptisma.* Idem docet Tertul. lib. de Baptism. c. 15. Optatus, lib. 5. cōtra Parmenia. Damas. lib. 4. c. 10. August. tract. 5. 11. & 15. in Ioan. epist. 203. & 204. & frequentissimè in lib. contra Donatistas.

Hugo. Vltimo afferre possumus rationes, quarū prima sumēda est ex Christi institutione, ab illa enim originem trahit, q̄ Baptismus iterari nō possit. Vnde, vel corrigenda, vel piè exponenda sunt verba Hugonis, lib. 2. de sacr. p. 6. c. 13. dicentis, *Valde rationabili definitione à sanctis Patribus institutū est, vt qui semel Baptismi sacramentū percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iteratò accipiat.* Nā quod ait, *Institutum est*, perinde dictum videtur, ac si diceretur, traditū, declaratum, ac definitum. Alioquin enim certū est, propriam huius rei causam in Christi Domini volūtate, & institutione, esse positam. Nam quæ sunt de necessitate sacramentorum, cùm in sola rei natura non habeant fundamentum, ex voluntate institutis orta sunt. Etenim, quod ablutio facta sub debita forma verborum, si fiat circa hominem baptizatum, non sit sacramentum, nec signū rei sacræ, neque ex ipsa rei natura oriri potuit, neque ex sola Ecclesiæ institutione. Nam, si ex vi institutionis Christi aliud esset subiectum capax talis sacramēti, cùm alioqui materia & forma de se sufficientes sint, non posset Ecclesia impedire, quominùs tale sacramentum conficeretur; ergo dicendum est, hominem semel baptizatū, diuino iure esse subiectū incapax alterius Baptismi, atq; hoc modo ex diuino iure esse vt hoc sacramētū iterari nō possit: hæc autē institutio ex prædictis testimonijs, & definitionibus sufficienter nobis cōstat. Rationes verò seu congruētiæ huius institutionis optimæ sunt, quas D. Thomas ibi adduxit. art. 1. potissimæ verò sunt, quæ sumuntur ex fine huius sacramenti, ordinatur enim hoc sacramentū primò ad remissionē originalis peccati, hoc autem peccatum vnicū est, & iterari nō potest; & ideò remedium illius semel tantùm applicari oportet, sicut in circumcisione fiebat.

Obiectio. Dices fieri posse, vt Baptismus semel datus non efficiat prædictū effectū: ergo hac saltem de causa oporteret eum posse iterari. Respondetur per se & quantum est ex parte sacramenti nunquam posse carere suo effectu; in institutione autem sacramēti attendenda sunt ea, quæ sunt per se, non quæ per accidens ex defectu subiecti. Ac deinde, etiam in eo casu, quando Baptismus impeditur, ne suum effectum habeat propter dispositionem suscipientis, recedente fictione, & impedimento ablato, potest postea habere suum effectum, vt infrà dicemus, propter hanc ergo causam non fuit necessarium hoc sacramentum iterari.

1. Respond.

2. Respond.

Alia obiectio

Respondetur. Dices, quamuis originale peccatum iterari non possit, tamen post illud remissum possunt alia committi, quibus Baptismi effectus destruatur, & amittatur: ergo vt ille effectus possit reparari, oportuit Baptismum iterari. Respondetur, negando consequentiam, ad summam enim concludit, necessariū seu conueniens fuisse, institui aliquod sacramentum, quo peccata post Baptismum commissa delerētur; non verò illud esse Baptismum, quia alius modus remissionis, & facilior venia concedi deberet homini contra hæc originale peccatum, aut etiam peccanti ante susceptū Baptismū, quàm ei, qui postquā per Baptismum illuminatus est, à susceptā gratia cadit, vt latiùs in materia de Pœnitentia dicturi sumus.

Secundò, cum prædicto fine Baptismi coniuncti sunt alii, nimirum, quòd per illum regeneramur in Christo, vnde sicut generatio ex Adam vnica tantùm est, ita regeneratio in Christo vnica tantū esse debet. Item, quòd Baptismus institutus est, vt per illum Christo consignemur, & efficiamur membra eius, & Ecclesiæ eius, & ideò per illum imprimitur character, qui est effectus omnino inseparabilis à Baptismo, atque omnino indelebilis, postquam semel impressus est, vt suprà quæst. 63. latius dictum est, & ideò sicut characteres eiusdem rationis multiplicari non possunt in eodem subiecto; ita neque Baptismata iterari.

Alia congruētia in qua character redditur.

Sed quæres obiter, quid agendum sit, quādo dubium est, an Baptismus fuerit datus, vel an fuerit validus. Respondetur generalem regulā esse, quando dubium est morale ac probabile, Baptismū esse dandum sub conditione, *si non es baptizatus*; vt habetur in capit. 2. Extra de Baptismo, vbi significatur, in huiusmodi euentu conditionem esse his verbis exprimendam, *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Sed hoc intelligendum censeo, tum in solenni baptismo: tum maximè, quando dubium est publicum, vt omnis occasio scandali auferatur. Si autem dubium occultū sit, aut Baptismus secretò conferatur, satis erit conditionem mente, atque intentione concipere. Rationem autem huius rei tradit Leo pap. in epistolis suprà citatis dicens. *Prouidere itaque debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandorum incautis damus animarum*, & epist. 91. ad Rusticū cap. 14. agens de huiusmodi dubio, inquit, *Agenda est, vt rescindantur, ne manifestè pereant, in quibus quod non offenditur gestum, ratio non sinit, vt videatur iteratum*, & infrà. *Conferendum est videtur, quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.* Ratio itaque est, quia per hoc subuenitur probabili periculo animarum, ne regeneratione Baptismatis priuentur, & alioqui nullum est periculum reiterationis, quia conditio apposita, seu concepta, illud omnino excludit.

Dubitatio.

Respondetur.

Ratio Leonis Pap.

Dubium facti dupliciter accidit.

Est autem animaduertendum, duplex posse esse hoc dubium, vnum iuris, alterum facti, iuris voco, quando constat adhibitam esse materiam, vel formam dubiam, quod varijs modis cōtingere potest, vt constat ex suprà dictis, tum de sacramentis in genere, tum ex dictis de materia & forma huius sacramenti. Dubium facti appello, quando absolutè incertum est, an datus sit baptismus: quod duobus modis potest accidere. Primo, vt sit omnino negatiuum, quia videlicet, nulla sunt indicia ad iudicandum, hominem esse baptizatum; & tunc nō est dubium, quin possit iterum baptizari modo superiùs dicto: in hoc enim casu præcipuè loquitur Leo pap. suprà, & Gregor. 3. epist. 4. ad Bonifacium, & referuntur in cap. paruulos. cap. cum itaque. cap. si nulla. de consecr. dist. 4. Alio modo potest esse dubiū, quasi positiuum, vt contingit quando sunt aliqua apparentia indicia ad credendum hominem esse baptizatum, non tamen sufficientia, & aliunde sunt etiam apparentes coniecturæ, quæ oppositum persuadeant. Et in huiusmodi euentu, si coniecturæ vel efficiunt rem dubiam, etiam debet dari Baptismus sub conditione, & hoc sensu intelligendū est, quod dicitur in 6. synodo. cap. 84. *Quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos absque vlla dubitatione baptizatos*

6. Synodus.

Universidad de Deusto Biblioteca

ptizatos esse dicant, nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio aptè respondere possint debere baptizari, & in Concil. Carthag. 5. cap. 6. idem dicitur, quoties non inueniuntur certissimi testes. Atque idem habetur in Concil. Africano cap. 39. & Concil. Vormaciensi. can. 70. Et vbique ratio redditur, ne homo exponatur periculo damnationis ob carentiam Baptismi. Et ideò in huiusmodi dubio semper inclinandum est in fauorem hominis baptizandi, quia salus eius est res maximi momenti, & alioqui nulla fit iniuria sacramento, quia debita intentio & conditio apposita omne periculum reiterationis excludit, neque intelligitur esse iteratum, quod ambigitur an sit datum, vt dicitur in cap. vlti. de presbytero non baptizato,

Cōcil. Carth. Africanum. Vormatiense.

Quanuis autem in prædictis decretis, videantur postulari plures testes fide digni; nihilominus communiter autores cēsēt, si adsit vnus testis oculatus, qui dicat se vidisse hominem baptizari, & alioquin nulla sit verisimilis suspicio perniciosi mendacij, id satis esse, vt baptismus non sit iterandus, quia illud testimonium sufficit ad faciendam moralem fidem excludentem dubium, & rationabilem suspicioné. Quin potiùs, quanuis non adsit testis oculatus; si tamen homo natus est ex fidelibus parentibus, & inter Christianos educatus, vsque ad eam ætatem, in qua solent omnes baptizari, & aliunde nulla est probabilis ratio dubitandi de Baptismo, non est in dubium reuocandus, quia prædictæ coniecturæ cōiunctæ cum communi Ecclesiæ consuetudine faciunt sufficientem fidem, donec euidentissimis argumentis contrarium probetur, vt dicit Innoc. 3. in cap. vlt. de presbytero non baptizato. In illa ergo locutione prædictorum canonum, vel plurale positum est loco singularis, ita vt illo dicendi modo solum significatum sit, requiri tale testimonium, quod ad firmam fidem generandam sufficiat, vel certè intelligendum est requiri plures testes, quando nō sunt aliæ coniecturæ, quæ vel per se solæ, vel cum vnius hominis testimonio coniunctæ ad moralem certitudinem generandam sufficiant.

Explicantur prædicta Concilia.

Innocen. 3.

Vltimo loco dubitari poterat, quale peccatū sit baptismum iterari, & quæ pœna sit illi imposita, sed de hac re dicemus in disputatione morali.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ritus, quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quòd non sit conueniens ritus, quo Ecclesia vtitur in baptizādo. Vt enim dicit Chrysost. nūquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu Dominici corporis sanctificata fuisset. Hoc autem factum fuit in baptismo Christi, qui celebratur in festo Epiphaniæ. Ergo magis deberet celebrari solennis baptismus in festo Epiphaniæ, quàm in vigilia Paschæ, & in vigilia Pentecostes.

4. d. 2. q. 1. ar. 3. ad septimum & dist. 5. q. 2. art. 1. q. 3. refertur de consecr. distin. 6. c. 10. Nunquam.

¶ 2 Præterea, Ad idem sacramentū non videtur pertinere diuersarum materiarum vsus. Sed ad baptismum pertinet ablutio a-

A quæ. Inconuenienter igitur ille qui baptizatur, bis inungitur oleo sancto, primùm in pectore, deinde inter scapulas, & tertiò chrismate in vertice.

¶ 3 Præterea, In Christo IESV non est masculus neq; fœmina, Barbarus, & Scytha, & eadē ratione nec aliquæ aliæ huiusmodi differentiæ. Multò igitur minus diuersitas vestiū aliquid operatur in fide Christi. Inconuenienter igitur baptizatis traditur candida vestis.

¶ 4 Præterea, Sine huiusmodi obseruātijs potest baptismus celebrari. Hæc igitur, quæ dicta sunt, videntur esse superflua, & ita inconuenienter ab Ecclesia instituta esse in ritu baptismi.

B SED cōtra est, q Ecclesia regitur Spiritu sancto, qui nihil inordinatum operatur.

RESPONDEO dicendum, q in sacramento baptismi aliquid agitur, quod est de necessitate sacramenti, & aliquid est, quod ad quandam solennitatem sacramenti pertinet. De necessitate quidem sacramenti est forma, quæ designat principalem causam sacramenti: & minister, qui est causa instrumētalis, & vsus materiæ, scilicet ablutio in aqua, quæ designat principalem sacramenti effectum. Cætera verò omnia, quæ in ritu baptizandi obseruat Ecclesia, magis pertinent ad quandam solennitatem sacramenti.

C Quæ quidem adhibentur sacramento propter tria. Primò quidem, ad excitandam deuotionem fidelium, & reuerentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solennitate, de facili ab aliquibus æstimaretur, quasi quædam communis ablutio. Secundò, ad fidelium instructionem. Simplices enim qui literis non erudiūtur, oportet erudiri per aliqua sensibilia signa, putà, per picturas, & aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea, quæ in sacramētis aguntur, vel instruuntur, vel solicitantur ad quærendū de his quæ per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideò, quia præter principalem sacramenti effectum, oportet

D quædam alia scire circa baptismum, conueniens fuit, vt etiam quibusdam exterioribus signis repræsentarentur. Tertiò, quia per orationes & benedictiones & alia huiusmodi, cohibetur vis dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus.

AD primum ergo dicendum, q Christus in Epiphania baptizatus est baptismo Ioannis, vt suprà dictum est. Quo quidē baptismo nō baptizātur fideles, sed potiùs baptismo Christi. Qui quidem habet efficaciā ex passione Christi (secundum illud Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo IE SV,

Art. 1. … tic. 3.

SV, in morte ipsius baptizati sumus) & ex Spiritu sancto: secundum illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. & ideo solennis baptismus agitur in Ecclesia, & in vigilia Paschæ, quando fit cōmemoratio Dominicæ sepulturæ, & resurrectionis eiusdem (propter quod & Dominus post resurrectionem, præceptum de baptismo discipulis dedit, vt habetur Matthei vltimo) & in vigilia Pentecostes, quādo incipit celebrari solēnitas Spiritus sancti. Vnde & Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse.

B AD secundum dicendum, q vsus aquæ adhibetur in baptismo, quasi pertinens ad substantiā sacramēti: sed vsus olei vel chrismatis adhibetur ad quandam solennitatem, nam primò baptizandus inungitur oleo sancto, & in pectore & in scapulis, quasi athleta Dei, vt Ambros.* dicit in lib. de sacramentis. Sicut pugiles inungi consueuerunt. Vnde sicut Innocen. dicit in quadam Decret.* de sacra vnctione, Baptizandus in pectore inungitur, vt per sancti Spiritus donū, abijciat errorem & ignorantiam, & fidem rectā suscipiat, quia iustus ex fide viuit. Inter scapulas autem inungitur, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, vt per fidei sacramentum, sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborū in scapulis. Post baptismum vero (vt Rabanus* dicit) statim signatur in cerebro à presbytero cum sacro chrismate sequente simul & oratiōe, vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari: vel sicut Ambros. dicit; Vnguentum super caput effunditur, quia sensus sapientis in capite eius, vt scilicet, sit paratus omni petenti, de fide reddere rationem.

Lib. 1. c. 2. & li. 3. c. 1. to. 4. Lib. 1. Decr. tit. 15. c. cum venisset, à me dio illius.

Libr. 1. de inst. cleric. cap. 28. refertur de conse. d. 4. c. postquam. Li. 3. de sacrament. ca. 1. in princ. to. 4. & de ijs qui initiantur mysterijs c. 6. & de consec. d. 4. c. 85. & lib. 1. Decret. ti. 15. cap. 1. De consecr. d. 4. c. 90.

AD tertium dicendum, quòd vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione, quòd non liceat ei alijs vestibus vti,

D sed in signum gloriosæ resurrectionis †, ad quam homines per baptismum regenerantur, & ad significandam puritatem vitæ, quā debent post baptismum obseruare, secundū illud Rom. 6. In nouitate vitæ ambulemus.

AD quartum dicendum, quòd ea quæ pertinent ad solennitatem sacramenti, etsi non sint de necessitate sacramenti, non tamen sunt superflua, quia sunt ad bene esse sacramenti, vt dictum est. †

In corp. articuli.

MAteria huius articuli ad ceremonias huius sacramenti spectat, de quibus in postrema parte huius materiæ dicendum

A est, in qua explicabimus omnia, quæ hic attingit Diuus Thomas, ne conuenientem institutumque ordinem disputationum intermittamus.

ARTICVLVS XI.

¶ Vtrum conuenienter describantur tria baptismata.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter describantur tria baptismata, scilicet aquæ, sanguinis, & flaminis siue Spiritus sancti. Quia Apost. dicit Ephes. 4. Vna fides, vnum Baptisma. Sed non est nisi vna fides. Ergo non

B debent poni tria baptismata.

¶ 2 Præterea, Baptismus est quoddā sacramentum, vt ex supra dictis patet.* Sed solus baptismus aquæ, est sacramentum. Ergo non debent poni alia duo baptismata.

¶ 3 Præterea, Damasc. in 4. lib. determinat plura alia genera baptismatum. Non ergo debent poni solum tria baptismata.

SED contra est, quod super illud Heb. 6. Baptismatum doctrinæ, dicit* glos. Pluraliter dicit, quia est baptismus aquæ, pænitentiæ, & sanguinis.

4. dist. 4. q. 3. ar. 3. & quæst. 6. ar. 4. … 3. lect. 1. … Heb. 6. col. fi. q. 65. ar. 1. c. 4. ortho. fide. to. 10. post medium. Glo. ordi. ibidē q. 62. art. 5. & q. 66. artic. 2. q. 62. arti. 5. & q. 66. artic. 2.

RESPONDEO dicendū, q (sicut supra dictum est*) baptismus aquæ efficaciam habet à passione Christi (cui aliquis cōfiguratur per baptismum) & vlterius sicut à prima causa à Spiritu sancto. Licèt autem effectus dependeat à prima causa, causa tamē superexcedit effectum, nec dependet ab effectu. Et ideò prèter baptismum aquæ, potest aliquis consequi sacramēti effectum ex passione Christi, inquantū quis ei cōformatur, pro Christo patiendo. Vnde dicitur Apocal. 7. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus sancti consequitur effectum baptismi, non solum sine baptismo aquæ, sed etiā sine baptismo sanguinis, inquantum scilicet alicuius cor per Spiritum sanctum mouetur ad credendum, & diligendum Deum, & pænitendum de peccatis: vnde etiam dicitur baptismus pænitentiæ. Et de hoc dicitur Isaiæ. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion & sanguinē Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Sic igitur vtrumque aliorum baptismatum nominatur baptismus, inquantum supplet vicem baptismi aquæ. Vnde dicit August. in 4. libr. de vnico baptismo paruulorum. Baptismi vicem aliquando implere passionē, de latrone illo, cui non baptizato dictum est. Hodie mecum eris in paradiso. Beatus Cypria-

Lib. 4. de bap. cōtra Donat. c. 12. in princ. to. 7. & refertur de consec. d. 4. cap. 33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cyprianus non leue documentum assumpsit, quod etiam æque etiam considerãs, inuenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod baptismo decrat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi, in angustijs temporum succurri non potest.

AD primum ergo dicendum, quòd alia duo baptismata includuntur in baptismo aquæ, qui efficaciam habet & ex passione Christi & ex Spiritu sancto. Et ideò per hoc non tollitur vnitas baptismatis.

AD secundum dicendum, quòd (sicut supra dictum est) sacramentum habet rationem signi. Alia verò duo conueniunt cum baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis, & ideò non sunt sacramenta.

AD tertium dicendum, quòd Damasc. ponit quædam baptismata figuralia, sicut diluuiũ, quòd fuit signum nostri baptismi, quantum ad saluationem fidelium in Ecclesia, sicut tunc paucæ animę saluæ factæ sunt in arca, vt dicitur 1. Petri 3. Ponit etiam transitum maris rubri, qui significat nostrum baptisma, quantum ad liberationem à seruitute peccati. Vnde & Apostolus dicit 1. Corinth. 10. quòd omnes baptizati sunt in nube & in mari.

PONIT etiam ablutiones diuersas, quæ fiebant in veteri lege, præfigurantes nostrum baptisma, quantum ad purgationem peccatorum. Ponit etiam baptismum Ioannis, qui fuit præparatorius ad nostrum baptisma.

COMMENTARIVS.

HAEC diuisio Baptismi, in Baptismũ aquę, sanguinis, & flaminis, quã hic Diuus Thomas declarat, communis est Theologorum cum Magistro in 4. distinctione 4. & Hugone de Sancto Victor. lib. 2. de sacrament. par. 6. capit. 6. & 7. Alexand. Alens. 4. par. quæst. 22. Vvaldens. tomo 2. de sacramen. cap. 96. & 97. & à nobis ferè explicata est disputatione præcedenti, vbi ostendimus, non omnia hæc Baptismata esse sacramenta, sed solum Baptismũ aquæ, atque ideò illum solum esse simpliciter Baptismum, cætera verò ita appellari solùm per analogiam quandam, in quantum in aliquo casu quoad effectum seu remissionem culpæ supplent vicem Baptismi, quam metaphoram seu analogiam ibi ostendimus habere aliquod fundamentum in scriptura, & Patribus. Quomodo autẽ intelligendum sit, Baptismum sanguinis posse supplere Baptismum aquæ, & an oporteat vt includat Baptismum flaminis necne, dicemus inferiùs tractantes de effectu Baptismi.

q. 60. art. 1.

Li. 4. orth. fidei. c. 10. à me dio.

Triplex baptismus, aquæ, sanguinis, & flaminis. Magister. Hugo Vict. Alensis. Vvaldens.

ARTICVLVS XII.

Vtrum baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod baptismus sanguinis non sit potissimus inter tria prędicta baptismata. Baptismus enim aquæ imprimit characterem. Quod quidem baptismus sanguinis non facit. Ergo baptismus sanguinis nõ est potior, quàm baptismus aquæ.

4. dist. 4. q. 3. art. 2. quæstiun. 1. Conclu. 3.

¶ 2 Præterea, Baptismus sanguinis non valet sine baptismo flaminis, qui est per charitatem: dicitur enim primæ ad Corinthios 13. Si tradidero corpus meũ ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sed baptismus flaminis valet sine baptismo sanguinis: non enim soli martyres saluãtur. Ergo baptismus sanguinis non est potissimus.

¶ 3 Præterea, Sicut baptismus aquæ habet efficaciam à passione Christi (cui secundum prædicta respondet baptismus sanguinis) ita passio Christi efficaciam habet à Spiritu sancto, secundum illud Heb. 9. Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum pro nobis, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, &c. Ergo baptismus flaminis potior est, quàm baptismus sanguinis. Non ergo baptismus sanguinis est potissimus.

Habetur lib. de Eccles. dogmat. tom. 3.

SED contra est, quod August. ad Fortunatum, loquens de comparatione baptismatum, ait: Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore, ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine, ille per impositionem manus pontificis recipit Spiritum sanctũ, hic tempus efficitur Spiritus sancti.

Art. præc.

RESPONDEO dicendum, q̃ (sicut dictum est) effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus sancti, dicuntur baptismata, inquantum efficiunt effectũ baptismi aquæ. Baptismus autem aquæ efficaciam habet à passione Christi, & à Spiritu sancto, vt dictum est. Quæ quidem duæ causæ operantur in quolibet horum trium baptismatum, excellentissimè tamen in baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquæ, per quandam figuralem repræsentationẽ, in baptismo autẽ flaminis, vel pœnitentiæ, per quandam affectionẽ, sed in baptismo sanguinis, per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquæ, per quandam virtutem latentem, in baptismo autem pœnitentiæ per cordis commotionem, sed in baptismo sanguinis, per

motionem, sed in baptismo sanguinis, per potissimum dilectionis & affectionis feruorem secundum illud Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

AD primum ergo dicendum, quòd character est res & sacramentum. Non autem dicimus, quòd baptismus sanguinis, pœnitentiam habeat secundum rationem sacramenti, sed quantum ad sacramenti effectum.

AD secundum dicendum, quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, q̃ baptismus sanguinis includit baptismum flaminis & non è conuerso. Vnde ex hoc ipso probatur perfectior.

Cap. 1. Eccl. hierar. par. 1. & 3.

AD tertium dicendum, quòd baptismus sanguinis præeminentiam habet, nõ solùm ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus sancti, vt dictum est.

In corp. artic.

COMMENTARIVS.

Baptismi aquæ, sanguinis, & flaminis tripliciter ad inuicem cõparãtur.

DIuus Thomas videtur hæc tria Baptismata comparare solùm in effectu, quia cætera solùm dicuntur Baptismata, in quantum aliquo modo efficiunt effectum Baptismi, & hoc modo præfert cæteris Baptismum sanguinis, quia in eo, tam Spiritus sanctus, quàm Passio Christi excellentiùs operantur, vt satis dilucidè explicat in articulo. Quæ doctrina ad summum intelligi potest de excellentia effectus, quantum ad intensionem gratiæ, & donorum, & quantum ad aureolam Martyrij. Nam quantum ad characterem, certum est, Baptismum aquæ superare cæteros, vt Diuus Thomas ad primum docet. Et quantum ad remissionem culpæ & pœnæ, Baptismus aquæ æqualis est Baptismo sanguinis, nam vterque remittit omnem culpam & pœnam: vnde vterque in hoc superat Baptismum flaminis, qui non semper habet huiusmodi effectum. Quam verò certum sit, quod Diuus Thomas hic docet, de excessu Martyrij in effectu gratiæ, dicemus inferiùs agentes de effectu. Alio modo possunt comparari hæc Baptismata in ratione actus virtutis, & hoc modo etiam Martyrium ex suo genere superat reliqua, si habeat totam perfectionem suam, nam vt sic includit charitatem perfectam, secundum verò lo cum tenet Baptismus flaminis, nam etiam consistit in interno actu contritionis, baptismus autem aquæ solùm dicit exteriorem actum quendam religionis. Vltimò comparari possunt in ratione sacramenti, & hoc modo non solùm excedit Baptismus aquæ, sed etiam ipse solus habet veram rationem sacramenti, vt dictum est.

Solutio ad secundum est notanda, in qua Diuus Thomas ait, Baptismum sanguinis includere Baptismum flaminis, quia sine charitate non potest effusio sanguinis habere rationem Baptismi, quod qua ratione intelligendum sit, infra dicetur quæstione sequente.

QVÆSTIO LXVII.

De ministris, per quos traditur baptismi sacramentum; in octo articulos diuisa.

DEINDE considerandũ est de ministris, per quos traditur sacramẽtum baptismi.

¶ *Et circa hoc quæruntur octo.*

Primò, vtrum ad diaconũ pertineat baptizare.

Secundò, vtrum pertineat ad presbyterum, vel solum Episcopum.

Tertiò, vtrum laicus possit sacramentum baptismi conferre.

Quartò, vtrum hoc possit facere mulier.

Quintò, vtrum non baptizatus possit baptizare.

Sextò, vtrum plures possint simul baptizare vnum & eundem.

Septimò, vtrum necesse sit aliquem esse qui baptizatum de sacro fonte recipiat.

Octauò, vtrum suscipiens aliquem de sacro fonte, obligetur ad eius instructionem.

DISPVTANS superiùs Diuus Thomas de sacramentis in genere, priùs de effectu, quam de ministro, seu causa sacramenti disseruit; hic verò inuerso ordine priùs tractat de causis Baptismi, tam efficienti, seu ministeriali, quam subiectiua, seu materiali, de qua in quæstione sequenti; posteà verò agit de effectibus Baptismi in quæstione sexagesimanona. Quod fortasse ita Diuus Thomas fecit, quia causarum cognitio natura sua prior est; quàm scientia effectuum, & hic non occurrebat tanta necessitas immutandi hunc ordinem, quanta in materia de sacramentis in genere, quia vt ibi vidimus, non potuit ratio & essentia sacramentorum nouæ legis, nisi per ordinem ad effectum exactè explicari. At verò supposita generali notitia sacramenti nouæ legis, facilius potuit ratio Baptismi explicari; non quidem sine habitudine ad suum effectum saltem confusè & in communi cognitum; tamen absque exacta, atque perfecta notitia illius; quæ in proprium locum tradenda reseruatur. Quam dicendi rationem sequemur, ne à Diui Thomæ ordine recedamus, quanuis fortasse non parum lucis afferret effectus cognitio, præsertim ad ea quæ in sequenti quæstione à Diuo Thomã disputantur. Est autem materia huius quæstionis clarissima, & litera Diui Thomæ satis perspicua, & ideo vsque ad articulum sextum, nullum adijciemus commentarium, sed breui disputatione omnium quæ in eis traduntur summam complectemur.

ARTI-

ARTICVLVS I.

¶Vtrum ad officium diaconi pertineat baptizare.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod ad officium diaconi pertineat baptizare. Simul enim iniũgitur à Domino officium prædicandi Euangelium & baptizandi, ſecundùm illud Matth. vltimo. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Sed ad officium diaconi pertinet euangelizare. Ergo videtur, quòd etiam ad officium diaconi pertineat baptizare.

4.d.5.q.2.arti.1.qō.2.& d.7.q.5.ar.1.q.1.cor.& d.13.q.2.arti.5.q.2.cor.

¶ 2 Præterea, Secũdum Diony. cap.5. Eccle.hier. purgare pertinet ad officiũ diaconi. Sed purgatio à peccatis maximè fit per baptiſmum, ſecundũ illud Ephe.5. Mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ergo videtur, quòd baptizare pertineat ad diaconum.

Ca.5.in par.1.à med.vſq; ad finem illius partis.

¶ 3 Præterea, De beato Laurentio legitur, quòd cum ipſe eſſet diaconus, plurimos baptizabat. Ergo videtur, quod ad diaconos pertineat baptizare.

SED contra eſt, quod Gelaſ. Papa dicit, & habetur in Decret. 93. diſtin.† Diaconos propriam conſtituimus obſeruare menſurã, & infra, Abſque Epiſcopo, vel presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus fortaſſe longius conſtitutis, neceſsitas extrema compellat.

Gela.1.in epiſt. ad Epiſc. per Lucaniam c.9.d.93.ca.13. Diaconos.

RESPONDEO dicẽdum, quod ſicut cæleſtium ordinum proprietates & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur (vt Dionyſ. dicit cap.7. cæleſt.hier.) ita etiam ex nominibus eccleſiaſticorum ordinum accipi poteſt, quid ad vnumquẽque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi, quaſi miniſtri, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod ſacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere: ſed adhibere miniſterium alijs maioribus in ſacramẽtorum exhibitione. Et ſic ad diaconum non pertinet quaſi ex proprio officio tradere ſacramentũ baptiſmi, ſed in collatione huius ſacramenti & aliorum, aſsiſtere & miniſtrare maioribus. Vnde Iſidor. dicit, ad diaconum pertinet aſsiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in ſacramentis Chriſti in baptiſmo, ſiue in chriſmate, in patena & calice.

Ca.7. cæleſt. hier. in princ. & ca. 8. circa princ.

Decre. d. 93. c.17. habetur in decr. d.25. c. perlectis. Et dicitur eſſe in epiſt. ad Ludifredum.

Cap.5. in tit. de ſacerdotum perfectiõibus.

AD primum ergo dicendũ, quod ad diaconum pertinet recitare Euangelium in Eccleſia, & prædicare ipſum per modum catechizantis. Vnde & Dionyſ. dicit, quod diaconi habent officium ſuper immũdos, inter quos ponit catechumenos. Sed docere, id eſt, exponere Euãgelium, pertinet propriè ad Epiſcopum, cuius actus eſt perficere, ſecundum Diony. cap.5. Eccle.hier. Perficere autem idem eſt quod docere. Vnde non ſequitur, quòd ad diaconos pertineat officiũ baptizandi.

Ca.3. eccl. hierar. par.1.& tertia.

AD ſecundum dicendũ, quod ſicut Dionyſ. dicit in cap.2. Eccleſ. hierar. baptiſmus non ſolum habet purgatiuam, ſed etiam illuminatiuã virtutem. Et ideo excedit officiũ diaconi, ad quẽ pertinet ſolùm purgare, ſcilicet, vel repellendo immundos, vel diſponendo eos ad ſacramenti ſuſceptionem.

Ca.2. par. & 2.

AD tertium dicendum, quòd quia baptiſmus eſt ſacramẽtũ neceſsitatis, permittitur diaconibus neceſsitate vrgente, in abſentia maiorũ baptizare, ſicut patet ex autoritate Gelaſij ſupra inducta. Et hoc modo beatus Laurẽtius diaconus exiſtẽs baptizauit.

In arg. contra.

ARTICVLVS II.

¶Vtrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum.

AD ſecũdum ſic proceditur. Videtur, quod baptizare non pertinet ad officium presbyterorum, ſed ſolum Epiſcoporum. Quia (ſicut dictum eſt) ſub eodẽ præcepto iniungitur Matth. vlti. officium docendi & baptizandi. Sed docere, quod eſt perficere, pertinet ad officium Epiſcopi, vt patet per Dionyſ.5. & 6.capit. Eccleſ. hier. Ergo & baptizare pertinet tantum ad officium Epiſcopi.

¶ 2 Præterea, Per baptiſmum annumeratur aliquis populo Chriſtiano, quod quidem videtur ad officiũ ſolius principis pertinere. Sed principatũ in Eccleſia tenẽt Epiſcopi, qui, vt dicitur in gloſ. Luc. 10. tenent locum Apoſtolorum, de quibus dicitur in Pſalm.44. Conſtitues eos principes ſuper omnẽ terram. Ergo videtur, quòd baptizare pertineat ſolum ad officium Epiſcopi.

¶ 3 Præterea, Iſidor. dicit, quod ad Epiſcopum pertinet baſilicarum cõſecratio, vnctio altaris & confectio chriſmatis, ipſe ordines eccleſiaſticos diſtribuit, & ſacras virgines benedicit. Sed his omnibus maius eſt ſacramẽtum baptiſmi. Ergo videtur, ꝙ multò magis ad officium ſolius Epiſcopi pertineat baptizare.

SED contra eſt, quod Iſidor. dicit in lib. de officijs. Conſtat baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe traditum.

RESPONDEO dicendũ, ꝙ ſacerdotes ad hoc conſecrantur, vt ſacramẽtum corporis Chriſti conficiant, ſicut ſupra dictum eſt. Illud autem eſt ſacramentum eccleſiaſticæ vnitatis, ſecundum illud Apoſtol. primæ Corinth. decimo. Vnus panis & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Per baptiſmum autem aliquis fit particeps eccleſiaſticæ vnitatis. Vnde & accipit ius ad menſam Domini accedendi. Et ideo ſicut ad ſacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam (ad quod principaliter ſacerdotium ordinatur) ita ad proprium officium ſacerdotis pertinet baptizare. Eiuſdem enim videtur eſſe operari totum, & partem in toto diſponere.

AD primum ergo dicendum, quòd vtrumque officium, ſcilicet docendi & baptizandi, Dominus Apoſtolis iniunxit, quorum vicem gerunt Epiſcopi, aliter tamen & aliter. Nam officium docendi commiſit eis Chriſtus, vt ipſi per ſe illud exercerent, tanquam principaliſsimum, vnde & ipſi Apoſtoli dixerunt Actorum ſexto. Non eſt æquum nos relinquere verbũ Dei, & miniſtrare menſis. Officium autem baptizãdi cõmiſit Apoſtolis, vt per alios exercẽdum. Vnde & Apoſtolus dicit 1. Corint.1. Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare. Et hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum & ſapientia miniſtri, ſicut in docendo, vt patet ex ſupradictis. In cuius etiam ſignum nec ipſe Dominus baptizauit, ſed diſcipuli eius, vt dicitur Ioan.4. Nec tamẽ per hoc excluditur, quin Epiſcopi poſsint baptizare, quia quod poteſt poteſtas inferior, poteſt & ſuperior. Vnde & Apoſtolus ibidem dicit, ſe quoſdã baptizaſſe.

Id habet gloſ. Lyrani, ſuper eũ locũ Apoſt. q.64. arti.5. 6.& 9.

AD ſecundum dicendum, quòd in qualibet republica ea, quæ ſunt minora, pertinent ad minora officia, maiora verò maioribus reſeruantur, ſecundum illud Exodi decimo octauo. Quicquid maius fuerit, referant ad te, & ipſi tantummodò minora iudicent. Et ideo ad minores ciuitatis principes pertinet diſponere de infimo populo, ad ſummos autem principes pertinet diſponere ea, quæ pertinent ad maiores ciuitatis. Per baptiſmum autem non adipiſcitur aliquis, niſi infimum gradum in populo Chriſtiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores principes Eccleſiæ, id eſt, ad presbyteros, qui tenent locum ſeptuaginta duorum diſcipulorũ Chriſti, vt dicit gloſſ. Lucæ 10.

Eſt gl. or. ibi, ex Bed. loco citato in arg.

AD tertium dicendum, quòd (ſicut ſupra dictum eſt) ſacramentum baptiſmi eſt potiſsimum neceſsitate. Sed quantum ad perfectionem, ſunt quædam alia potiora, quæ Epiſcopis reſeruantur.

Quæſt.65. ar. 3.& 4.

ARTICVLVS III.

Vtrum laicus poſsit baptizare.

AD tertium ſic proceditur. Videtur, ꝙ laicus baptizare non poſsit. Baptizare enim (ſicut dictum eſt) propriè pertinet ad ordinem ſacerdotalem. Sed ea quæ ſunt ordinis, non poſſunt committi non habenti ordinẽ. Ergo videtur, ꝙ laicus, qui nõ habet ordinem, baptizare non poſsit.

2.2.qō.100. ar.2. ad 1. Et 4. diſt.5.q.2. ar.1.qō.1.& 3.& diſt.6.q.3. art.3.q.2.& 3.

¶ 2 Præterea, Maius eſt baptizare, quã alia ſacramentalia baptiſmi perficere, ſicut catechizare, & exorcizare, & aquã baptiſmalem benedicere. Sed hæc non poſſunt fieri à laicis, ſed ſolũ à ſacerdotibus. Ergo videtur ꝙ multò minus laici poſsint baptizare.

Ar. præc. in locis citatis art. præ. in vtraq; arg. Sed cont.

¶ 3 Præterea, Sicut baptiſmus eſt ſacramentum neceſsitatis, ita & pœnitentia. Sed laicus non poteſt abſoluere in foro pœnitẽtiali. Ergo neq; poteſt baptizare.

SED cõtra eſt, quod Gelaſ. Pap. & Iſid. dicũt, ꝙ baptizare neceſsitate imminẽte, laicis Chriſtianis plerunque conceditur.

Et in decr. ibidẽ citat. & d. 93. ca.13.

RESPONDEO dicendum, quod ad miſericordiã eius, qui vult omnes homines ſaluos fieri, pertinet, vt in his, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, homo de facili remedium inueniat. Inter omnia autem ſacramẽta, maximæ neceſsitatis eſt baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualẽ, quia pueris aliter omnino ſubueniri non poteſt, & adulti non poſſunt aliter, quàm per baptiſmum plenam remiſsionem conſequi, & quantum ad culpam & quãtum ad pœnam. Et ideo vt homo circa remediũ tam neceſſarium defectum pati non poſsit, inſtitutum eſt, vt & materia baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ à quolibet de facili haberi poteſt, & miniſter baptiſmi etiam ſit quicũque non ordinatus: ne propter defectum baptiſmi, homo ſalutis ſuæ diſpẽdiũ patiatur.

AD primum ergo dicendum, ꝙ baptizare pertinet ad ordinem ſacerdotalem, ſecundum quandam conuenientiam & ſolennitatem, non autem hoc eſt de neceſsitate ſacramenti. Vnde etiam ſi extra neceſsitatis articulum laicus baptizet, peccat quidẽ, tamen ſacramentum baptiſmi confert, nec eſt rebaptizandus ille, qui ſic eſt baptizatus.

AD ſecundũ dicendũ, ꝙ illa ſacramẽtalia baptiſmi pertinent ad ſolennitatẽ, non autẽ ad neceſsitatem baptimi. Et ideo fieri non debent, nec poſſunt à laico, ſed ſolũ à ſacerdote, cuius eſt ſolenniter baptizare.

AD tertium dicendum, quòd (ſicut ſupra dictum eſt) pœnitentia nõ eſt tantæ neceſsitatis ſicut baptiſmus. Poteſt enim per contritionẽ ſuppleri defectus ſacerdotalis abſolutio-

Quæſt.65. art. 3.& 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lutionis, quæ non liberat à tota pœna, nec etiam pueris adhibetur. Et ideò non est simile de baptismo, cuius effectus per nihil aliud suppleri potest.

ARTICVLVS IIII.

¶ *Vtrùm mulier possit baptizare.*

Supra art. 3. & locis ibidē indictis. In cōc. 4. Carth. ca. 99. & 100. & refertur de cōs. dist. 4. ca. 19. Mulier.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod mulier non possit baptizare. Legitur enim in Carthaginēsi Concilio, quòd mulier, quanuis docta & sancta, viros in conuentu docere, vel aliquos baptizare nō præsumat. Sed nullo modo licet mulieri docere in conuentu, secundum illud 1. ad Corint. 14. Turpe est mulieri, in Ecclesia loqui: ergo videtur, q̄ nec etiam aliquo modo mulieri liceat baptizare.

¶ 2 Præterea, Baptizare pertinet ad officium prælationis, vnde à sacerdotibus habentibus curam animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non potest competere mulieri, secundum illud 1. Tim. 2. Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed esse in silentio. Ergo mulier baptizare non potest.

Tractat. 11. paulo ante medium tom. 9.

¶ 3 Præterea, In spirituali regeneratione videtur aqua habere locum materni uteri (vt Augustin. dicit super illud Ioan. 3. Nunquid homo potest in ventrē matris suæ iterato introire, & renasci?) ille autem qui baptizat, videtur magis habere patris officiū. Sed hoc non competit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

Vrban. Vitali presbytero Brixiensi scribens 30. q. 1. cap. super quibus.

SED contra est, quod Vrba. Papa dicit, & habetur in Decret. 30. q. 3. Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis hac sententia respondendum, vt baptismus sit, si instāte necessitate fœmina puerū in nomine sanctæ Trinitatis baptizauerit.

RESPONDEO dicendū, q̄ Christus est, qui principaliter baptizat, secundum illud Ioan. 1. Super quē videris Spiritū descēdentem & manentem, hic est qui baptizat. Dicitur autem Coloss. 3. Quòd in Christo nō est masculus & fœmina. Et ideò sicut masculus laicus potest baptizare quasi minister Christi, ita etiam & fœmina. Quia tamē caput mulieris est vir, & caput viri est Christus (vt dicitur 1. Corin. 11.) non debet mulier baptizare, si adsit copia viri, sicut nec laicus præsente clerico, nec clericus præsente sacerdote: qui tamen potest baptizare præsente Episcopo, eò q̄ hoc pertinet ad officium sacerdotis.

AD primum ergo dicendum, q̄ sicut mulieri nō permittitur publicè docere, potest tamen priuata doctrina, vel monitione, aliquem instruere, ita nō permittitur ei publicè & solenniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

AD secundum dicendum, q̄ quando baptismus solenniter & ordinariè celebratur, debet aliquis sacramentum baptismi suscipere à presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamen nō requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare.

AD tertium dicendum, quòd in generatione carnali masculus & fœmina operantur secundùm virtutem propriæ naturę, & ideò fœmina nō potest esse principiū generationis actiuū, sed passiuum tantū. Sed in generatione spirituali neuter operatur in virtute propria, sed instrumentaliter tātū per virtutem Christi, & ideò eodem modo potest vir & mulier in casu necessitatis baptizare. Si tamen mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus, sicut & de laico dictum est. Peccaret tamen ipsa baptizans, & alij qui ad hoc cooperarē tur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre.

Supra art. 2. & locis ibi notatis.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd ille qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre. Nullus enim dat quod non habet, sed nō baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

¶ 2 Præterea, Sacramentum baptismi confert aliquis, inquantum est minister Ecclesiæ. Sed ille qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam, scilicet nec re, nec sacramento. Ergo non potest sacramentum baptismi conferre.

Dec. conf. d. 4. c. 23. A quodā Iudæo.

¶ 3 Præterea, Maius est sacramentum conferre, quam suscipere. Sed non baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multò minùs potest aliquod sacramentum conferre.

Refertur 1. capit. quis per vrbem. De cons. d. 4. Romanus.

SED contra est, q̄ Isidor. dicit, Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat. Sed ille qui non est baptizatus, dicitur Paganus. Ergo etiam nō baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

RESPONDEO dicēdum, quòd hanc quæstionem Augustin. indeterminatam reliquit.

Lib. 2. c. 13. Post med. tom. 7. refertur 1. 9. 1. c. 89. Item Aug. de vnico bapt. cont. Petil. cap. 7. tom. 7.

Hæc quidem alia quæstio est, vtrū & ab his, qui nunquā fuerunt Christiani, possit baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmādum est, sine autoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit. Postmodum verò per Ecclesiam determinatum est, quòd nō baptizati, siue sint Iudæi, siue Pagani, possunt sacramentum baptismi conferre, dūmodo in forma Ecclesiæ baptizent. Vnde Nicolaus Papa rēspodet, de conse. d. 4. ad cōsulta Bulgar. c. 3. A quodā Iudæo, nescitis vtrū Christiano an pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos, &, quid inde sit agēdum, cōsulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari nō debēt, si autē forma Ecclesiæ nō fuerit obseruata, sacramentū baptismi nō confertur. Et sic intelligendū est, quod Greg. secūdus scribit Bonifacio Episcopo: Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti (scilicet Ecclesiæ forma nō seruata) vt de nouo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus. Et huius ratio est, quia sicut ex parte materię, quantū ad necessitatem sacramenti, sufficit quæcunq; aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicūq; homo. Et ideò etiā non baptizatus, in articulo necessitatis baptizare potest, vt si duo nō baptizati se inuicem baptizent, dum priùs vnus baptizaret alium, & posteà baptizaretur ab eodem, & consequeretur vterq; non solum sacramentum, sed etiam rem sacramēti. Si verò extra articulum necessitatis hoc fieret, vterq; grauiter peccaret, scilicet baptizans & baptizatus: & per hoc impediretur baptismi effectus, licet nō tolleretur ipsum sacramentum.

Habetur de cons. dist. 4. quos à paganis. c. 51. Denuò.

AD primum ergo dicendum, quod homo baptizans adhibet tātum modo ministerium exterius, sed Christus est qui interius baptizat, qui potest vti omnibus hominib' ad quodcunq; voluerit. Et ideò non baptizati possunt baptizare, quia vt Nicolaus Papa dicit, baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed eius, scilicet Christi.

De cons. d. 4. c. 23. A quodā Iudæo, in fin.

AD secundum dicendum, quòd ille qui non est baptizatus, quāuis non pertineat ad Ecclesiam re vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione & similitudine actus, inquantū scilicet intēdit facere quod facit Ecclesia, & formam Ecclesiæ seruat in baptizādo. Et sic operatur vt minister Christi, qui virtutem suam non alligauit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

AD tertium dicendum, quòd alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. Et ideò magis conceditur, quòd non baptizatus possit baptizare, quā quòd possit alia sacramenta suscipere.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm plures possint simul vnum baptizare.

4. d. 3. art. 2. q. 2. ad 1. & 2. d. 6. q. 2. artic. 1. quæst. 1. ad 3.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod plures possint simul vnū baptizare. In multitudine enim continetur vnum, sed non conuertitur. Vnde videtur, quòd quidquid potest facere vnus, possint facere multi, & non è conuerso, sicut multi trahunt nauem, quam vnus trahere non posset. Sed vnus homo potest baptizare. Ergo & plures possunt simul vnum baptizare.

¶ 2 Præterea, Difficilius est, quod vnū agens agat in plura, quàm quòd plures agentes agant simul in vnum. Sed vnus homo potest simul plures baptizare. Ergo multò magis plures possunt simul vnum baptizare.

¶ 3 Præterea, Baptismus est sacramētū maximæ necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessariū, quod plures simul vnū baptizēt, puta, si aliquis parvulus esset in articulo mortis, & adessent duo, quorum alter esset mutus, & alter manibus, & brachijs careret, tunc enim oporteret quòd mutilatus verba pferret & mutus actū baptismi exerceret. Ergo videtur quod plures possint simul vnum baptizare.

SED contra est, quod vnius agentis est vna actio. Si ergo plures vnum baptizarēt, videtur sequi, quod essent plures baptismi, quod est contra id quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnū baptisma.

RESPONDEO dicēdū, quòd sacramētū baptismi præcipuè habet virtutē ex forma, quā Apostolus nominat verbum vitæ. Ephe. 5. Et ideo considerare oportet, si plures simul vnum baptizarent, qua forma vterētur. Si enim dicerent: Nos te baptizamus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, dicut quidam, quòd non conferretur sacramētum baptismi, eo quod nō seruaretur forma Ecclesiæ, quæ sic habet: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Sed hoc excluditur per formam baptizandi, quā vtitur Ecclesia Græcorū, possent enim dicere, Baptizetur seruus Chri N. in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, &c. Sub qua forma Græci baptismum suscipiunt, quæ tamē forma multò magis dissimilis est formę qua nos vtimur, quàm si dicatur: Nos te baptizamus. Sed considerādum est, quod ex tali forma, te baptizamus, exprimitur talis intentio, quod plures conueniant ad vnum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerij: homo enim nō baptizat, nisi vt minister Christi, & vicem eius gerens. Vnde sicut vnus est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus, ita oportet esse vnum ministrum, qui Christũ repræsentet, propter quod signanter Apost. dicit, Eph. 4. Vnus Dñs, vna fides, vnum baptisma. Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramẽtũ. Si verò vterq; diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vterque exprimeret suã intentionem, quasi ipse singulariter baptismũ cõferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose vterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestũ est, quod ille, qui priùs verba proferret, daret baptismi sacramẽtũ, alius verò quantũcunque ius baptizãdi haberet, nihil faceret, & si verba pronuntiare præsumeret, esset puniẽdus tanquã rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominẽ immergerent, aut aspergerent, essent puniẽdi de inordinato modo baptizandi, & nõ de iteratione baptismi: quia vterque intenderet non baptizatũ baptizare. Et vterque quantum est in se baptizaret. Nec traderent aliud & aliud sacramentũ, sed Christus, qui est vnus, interius baptizans, vnum sacramentũ per vtrunque conferret.

AD primum ergo dicendum, quod ratio illa locũ habet in his, quæ agunt propria virtute. Sed homines non baptizant propria virtute, sed virtute Christi, qui cũ sit vnus, per vnum ministrum perficit suum opus.

AD secundum dicendum, quod in casu necessitatis vnus posset simul plures baptizare sub hac forma: Ego vos baptizo, putã, si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quòd omnino moram non pateretur, vt sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diuersificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare gemi natũ: præsertim cũ pluraliter dicatur Matt. vltim. baptizãtes eos, &c. Nec est simile de baptizante & baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est vnus, sed multi per baptismũ efficiuntur vnum in Christo.

AD tertium dicẽdum, quod (sicut suprà q. 66. art. 3. & 5. dictũ est) integritas baptismi cõsistit in forma verborũ, & in vsu materiæ. Et ideo neq; ille, qui tantum verba profert baptizat, neque ille, qui immergit. Et ideo si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborũ poterit esse cõueniẽs, neq; enim poterit dici: Ego te baptizo (cum ipse nõ immergat, & per consequens non baptizet) neque etiam poterit dici: Nos te baptizamus, cum neuter baptizet. Si enim duo sint, quorum vnus vnam partem libri scribat, & alius aliã, non erit propria locutio, Nos scripsimus librum istum, sed synecdochica, in quantum totum ponitur pro parte.

DISPVTATIO XXIII.

De ministro seu causa efficiente sacramẽtum Baptismi.

IN hac disputatione solùm est dicendũ de causa proximè ministrante hoc sacramentum, nã de causa principali, quæ est Deus, & de instrumento illi coniuncto, & vniuersali, quod est Christi humanitas, nihil speciale hic dicendum occurrit. De causa verò instituente hoc sacramentum, superiùs in principio huius tractatus dictum est. Rursus de causa ministeriali supponenda sunt omnia, quæ in superioribus, de ministris sacramentorum in genere dicta sunt, nimirùm de intentione, bonitate, aut fide eius, & alia similia, quæ hic in particulari traduntur à Theologis in 4. dist. 6. nos verò solùm addemus ea, quæ aliquo modo fuerint propria, & specialia huius sacramenti.

SECTIO I.

Quis sit minister simpliciter necessarius sacramẽti Baptismi, vt factum teneat.

PRimùm refertur noua hæresis Caluini asserẽtis, neminem posse hoc sacramẽtum ministrare, etiam in casu extremæ necessitatis, nisi sit minister Ecclesiæ ad hoc institutus, & ordinatus. Ita refert Feuardẽ. in addit. ad Castr. verb. Baptismus, hæres. 6. Bellar. lib. 1. de hoc sacram. c. 7. qui dicit, hunc hæreticũ non satis explicasse, an huiusmodi minister sit necessarius vt sacramẽtũ teneat, an verò solùm, vt licitè ministretur. Mirum est autem: quomodo hic hæreticus in hunc errorem potuerit incidere, cũ ipse nec veros Episcopos, vel sacerdotes, nec veram eorum Ordinationem agnoscat: sed solã extrinsecã deputationem, ex populi, vel Magistratuũ consensu, ad verbũ Dei prædicãdum, & si quæ sunt alia ministeria peragenda. Adducit autem Caluinus in confirmationem sui erroris, verba Christi Matth. vltim. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Nam ibi ad solos Apostolos, & in eis ad eorum successores Episcopos loquitur.

Secunda sentẽtia hic referri potest affirmans, de necessitate huius sacramenti esse, vt minister eius baptizatus sit. Huius sententiæ videtur fuisse Gregor. 2. in Epist. vltim. ad Bonifacium. Et habetur in c. Quos à paganis, de Consecr. distinct. 4. Nam ibi præcipit iterũ baptizari eos, quos à paganis constiterit esse baptizatos: pagani enim propriè dicũtur, qui baptizati non sunt. Aug. etiã 2. lib. cont. epist. Parmeniani. c. 13. & lib. 7. de Baptis. c. 53. hanc quæstionẽ attingens, eã definire non audet, *Sine auctoritate*, inquit, *tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit*. Et coniectura adhiberi potest, tum quia non baptizatus nullo modo est Ecclesiæ membrum, ergo nec potest esse minister sacramentorum Ecclesiæ. Tum etiam, quia qui non est consecratus, non videtur aptum instrumẽtum ad consecrandũ alios, sicut nullus consecrat Episcopum, qui non sit Episcopus, neque ordinat sacerdotes, qui non sit sacerdos: ergo neque baptizare potest, qui non est baptizatus. Vnde Hieron. Dialog. contra Luciferianos, parum ante medium, cùm dixisset, laicum baptizare posse, subdit: *Vt enim accepit quis, ita & dare potest*. Et similiter Tertullianus lib. de Baptism. cap. 17. de eadem re tractans, inquit, *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*: ergo eadẽ ratione, quod acceptum non est, dari non potest. Atque propter hãc causam videtur dixisse Concil. Elibertin. cap. 38. eum, qui suum baptismum integrum habet: posse in necessitate baptizare.

Tertiò opinari quis posset, non quamlibet personam, etiam baptizatam, esse posse sufficiẽtẽ ministrum Baptismi, sed oportere esse virum, & nõ fœminam. Nam de fœminis dicit Concil. Carthag. 4. can. 10. *Mulier baptizare non præsumat*. Et Clemens lib. 3. constit. c. 9. Periculosum esse dicit, iniquũ, & impium, mulierem baptizare. Et infrà dicit, esse alienum à Christi ordinatione. *Aliàs*, inquit, *cùm nos ad baptizandum misit, quã nobis cum ad id mulieres misisset, nunc autem id nusquam ordinauit*, &c. Vnde Epiphan. hæres. 42. & hæres. 79. in princ. & Tertull. lib. de Baptism. cap. 7. inter hæreses Marcionis ponunt, quòd mulieres permitteret baptizare.

Dicendũ verò est primò, Quemlibet hominem, qui loqui possit & lauare, posse esse sufficiẽtem ministrum Baptismi, siue sit vir, siue fœmina, fidelis, vel infidelis, baptizatus, vel non baptizatus, dummodò sciat lauare, & verba proferre cũ debita intentione. Hæc assertio est omnino certa, & in primis quòd in casu necessitatis, quãdo scilicet instat mortis periculum, & non adest sacerdos, vel diaconus, vel alius huiusmodi, quòd (inquam) in eo casu quilibet possit ministrare Baptismum, definitum est in Concilio Florentino in decreto Eugenij, vbi notanda sunt illa verba, *In casu necessitatis, non solũ sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest*. Atq; idẽ ex parte colligitur ex Ioanne Papa 8. in cap. Addimina. 30. quæst. 1. vbi solùm dicit. *Laicis fidelibus iuxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit, opus baptizandi libere conceditur*. Et similia referuntur ex Augustino, in cap. In necessitate. de cõsecr. dist. 4. vbi dicitur, laicos in necessitate solere dare Baptismũ, quem acceperunt. Atque idem refertur ibidem in cap. Constat. ex Isidoro lib. 2. de officijs. c. 14. vbi solùm loquitur de laicis fidelibus, in cap. verò, Super quibus. 30. q. 3. Vrbanus Papa declarat idẽ esse de fœminis. Atque de paganis, seu non baptizatis, declaratum est aliàs Ecclesiasticis decretis, quæ statim citabimus. Et ex ipso vsu Ecclesiæ idem colligi potest. Vt enim adnotauit Ambros. ad Ephes. 4. in primitiua Ecclesia solebãt Apostoli fratribus non Ordinatis committere baptismi ministerijũ, quando ipsi non poterant per seipsos illud exercere, vt ex Act. 2. 9. & 10. elici potest, imò ipsi Apostoli Christo viuente baptizabant antequàm essent Ordinati, vt in superioribus ostensum est: ergo Ordinatio ministri non est de necessitate huius sacramenti, ergo nec fides, vt suprà de sacramentis in genere dictum est, ergo nec baptismus, nec sexus, est enim eadem ratio. Ex his ergo, & ex traditione Ecclesiæ, nobis constat hanc fuisse Christi voluntatem, & institutionem, à qua totum hoc potissimùm pendet.

Congruentia verò est, quia Baptismus est sacramentum maximæ necessitatis respectu omniũ hominũ, ergo expediens fuit, vt illius administratio omnibus cõcederetur, præsertim necessitate vrgente. Et confirmatur, nam propter hanc causam instituta est in materia communi, quæ vbique facilè reperitur, & in simplicissima actione, ac verbis; ergo eadem ratione fuit conueniens, necessarium ministrum huius sacramenti esse valde communem, atque adeò ministerium hoc cuilibet concedi.

Obiectio. At verò dicet aliquis, his testimonijs ac rationibus ad summum probari, in casu necessitatis, quẽlibet esse posse ministrum huius sacramenti, nõ verò, q; extra casum necessitatis id fieri possit, ita vt factum teneat, neque enim vnum ex altero rectè potest inferri, sicut patet à simili ex sacramẽto Pœnitẽtiæ, quilibet enim sacerdos simplex, si nõ adsit prius, potest ministrare illud sacramẽtũ, etiã in materia necessaria seu peccati mortalis, & tamen si extra necessitatem illam, sacramentum illud ministrare tentet, non solùm malè faciet, sed etiam nihil efficiet; ergo minister, qui in casu necessitatis sufficit ad ministrandũ sacramentũ, nõ sufficit extra illum, etiam vt sacramentũ collatũ teneat, ergo idem esse poterit de Baptismo. Respõdetur, quidquid sit de illatione, seu cõsecutione, quæ re vera non est formalis, potuisset enim Christus, protestatem hanc cum prædicta limitatione, solũ pro articulo necessitatis cõcedere: nihilominùs tamen certum esse in præsenti materia, hanc potestatem talẽ esse, vt si quis illa vtatur extra necessitatis articulũ, etiam si malè faciat, vt infrà dicemus, nihilominùs factũ teneat, vt hic docet D. Tho. art. 3. ad 1. Et est sententia Aug. lib. 2. cõtra epist. Parmenian. c. 13. dicentis, *Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, &* *à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datũ*. Quæ quidem verba, vt ex his quæ inferiùs subiungit cõstat, potissimùm ab ipso intelligũtur de fideli laico baptizãte; sed est eadem ratio de infideli vel pagano, si semel admittamus, cũ posse in necessitate baptizare. Vnde Nicolaus Papa in cap. A quodam Iudæo. de Consecr. distin. 4. definit, verũ esse Baptismum datũ à Iudæo sub debita forma, & nihil distinguit, an baptizaret ille Iudæus in casu necessitatis, nec ne, sed generaliter docet, baptizatos ab illo nõ esse iterum baptizãdos. Et similiter in cap. Romanus. eadem distinctione, generaliter & sine vlla limitatione sic dicitur: *Romanus Pontifex non hominem indicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiã Baptismi, etiam si paganus sit qui baptizat*, & ideò in decreto Gregoriano, circa capitulum, si quis per ignorãtiã, rectè corrigũtur, seu explicantur verba illius textus, quæ sic habẽt, *Si quis per ignorantiam Ordinatur, antequã baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari*. Quæ verba ex Isidoro ibi referũtur, sed nõ sunt legenda affirmatiuè, ita vt ea sententia ab ipso asseratur, sed relatiuè, idest, quod tãquã falsa aliorũ opinio referatur. Eã enim statim corrigens Isidorus, subdit. *Sed Romanus Pontifex, non hominem indicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licèt paganus sit qui baptizat*. Quod iudicium sedis Apostolicæ ex Greg. & Sergio Põtificibus ibidẽ refertur, ex lib. 5. Capitulariũ. c. 4. Et hoc etiã confirmat historia illa suprà citata de Athanasio, qui cùm puer esset, Baptismum ministrauit absque vlla necessitate, & tamen Baptismus iudicatus est validus. Ex quibus colligitur, iuxta communem sensum & traditionem Ecclesiæ, ita fuisse intellectam Christi institutionem, à qua, vt sæpe dixi, hæc omnia pendent.

Solutio. Congruentia verò adiungi potest, respõdendo simul ad obiectionem factam, ex differentia inter *Baptismus extra necessitatem, à quouis collatus est validus.* *Baptismus magis necessarius*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est quàm Pœnitentia.

Baptismũ, & Pœnitẽtiam. Nam in prismis Baptismus est sacramentum maioris necessitatis, quàm Pœnitentia, nõ solùm in ordine ad vltimam salutem, sed etiã in ordine ad effectus seu fructus diuinæ gratiæ in hac vita comparandos, quatenus Baptismus est ianua Ecclesiæ, & veluti primũ fundamentum, per quod fit homo capax aliorum sacramẽtorum, & influxus gratiæ ex opere operato, & ideò in sacramento Pœnitentiæ non potest esse minister quilibet homo in necessitate, sed solus sacerdos, atque ille non in quacunque necessitate, sed in extrema tantùm, si materia confessionis sit mortale peccatum. At verò in Baptismo non semper necesse est extremam necessitatem expectari, nam etiam extra illam propter magnam vtilitatem, aut ne cogatur quis multo tempore Baptismũ differre, potest illum à laico, vel alio simili ministro recipere. Et ideò fuit conueniens, hanc potestatem concedi absolutè, & non limitatam ad casum necessitatis, saltem quoad hoc, vt sacramentum factum teneat, ne fortasse posset sacramentum in dubium reuocari, occasione necessitatis, si fortassè minor existimari posset, quàm sufficeret ad valorem sacramenti. Atque hinc sumitur secunda differentia, nã sacramentum Baptismi iterari non potest, sacramẽtum autem Pœnitentiæ potest iterari, tum circa eandem, tum etiam circa diuersam materiã, vnde fit, vt in sacramento Pœnitentiæ nihil sit periculi, si contingat sacramentum datum in necessitate à simplici sacerdote non esse validum, quia fortasse non tanta erat necessitas, quantam esse oportebat ad habendam iurisdictionem in tali articulo, quia tale sacramentum, vt dixi, potest facilè iterari: & si non iteretur circa eandẽ materiam, quia bona fide susceptum est, poterunt illa peccata, saltem per accidens, remitti per aliud simile sacramentum, ex alia materia confectum: at verò sacramẽtũ Baptismi, & iterari non potest, & alioqui maximum homini creatur periculũ, si illo priuetur; & ideò oportet, vt ea quæ necessaria sunt ad illud conficiendũ, sint omnino fixa & stabilia, ita vt certum sit, illis positis sacramentum confici, siue adsit vera necessitas, siue non. Tertia differentia est, quia sacramentum Pœnitentiæ pendet ex potestate iurisdictionis, quæ per extrinsecam deputationem ab hominibus datur, vel aufertur, vel limitatur ad casum necessitatis: at verò potestas baptizandi est absoluta facultas ministerialis, ad conficiendum tale sacramentum, quæ non solet limitari, secundũ substantiam, vel facultatem suam ad casum necessitatis: sed simpliciter confertur, sicut patet in omni alia potestate conficiendi sacramentũ, quæ ex iurisdictione non pendet. Et confirmatur tandẽ, nã si intelligeremus, hanc potestatẽ dari per impressionem alicuius characteris dati à Christo ad deputandum homines ad hoc ministerium, hoc ipso intelligeremus, sacramentum collatum ab habẽte talem characterem esse validum, etiam si ille malè faceret, vt endo illa potestate extra necessitatem vel alio modo indebito: ergo idem dicẽdum est, etiam si intelligamus hanc potestatem esse datam à Christo per solam institutionem, & extrinsecam deputationem, seu voluntatem suam, quæ ad hunc effectum æquè sufficiens & efficax esse potest.

Pœnitentia sacramentũ iterari potest, baptismus non item.

Potestas absoluendi est iurisdictionis, potestas verò baptizandi est absoluta.

Ad fundamentum primæ sententiæ respõd.

Ad fundamentum ergo primæ sententiæ in primis dicitur, in verbis illis, *Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eos, &c.* non esse datam potestatẽ baptizandi, quæ est necessaria vt sacramentum factũ teneat, hanc enim multò antea habuerunt Apostoli, qui viuente Christo baptizabant: vnde verisimè creditur hæc potestas data hominibus ab eo tẽpore, in quo sacramentum Baptismi institutum est, nã sicut tunc Christus vim regeneratiuã contulit aquis, non per impressionem alicuius qualitatis, sed per extrinsecã deputationem, & quasi sanctificationem quandam: ita etiam ex tunc deputauit quemcunque hominem, non per impressionẽ characteris, sed per volũtatem suam, vt posit esse minister sufficiens huius sacramenti, quanuis nõ omnibus dederit ius illud administrandi, vt posteà dicemus. In prædicto ergo loco dedit Christus Apostolis, & eorum successoribus, præceptum exercendi hoc munus, & speciale ius ministrandi hoc sacramentum ex officio. Deinde, quanuis concederemus, in illo loco esse datam potestatem baptizandi, non sequitur datam esse solis Apostolis, vel Episcopis, seu sacerdotibus, quia tunc Christus loqui potuit ad Apostolos, & discipulos, vt repræsentabant vniuersam Ecclesiam: atque ita rectè intelligitur dedisse hanc potestatem cuilibet, qui vt minister huius Ecclesiæ hoc ministerium exercere vellet.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respõdetur.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur in primis, Gregorium cùm rebaptizari præcipit eos, qui à paganis baptizati fuerant, loqui (vt ita dicã) formaliter de paganis, vt pagani sunt, id est, de his qui in baptizando non seruabant ritum Ecclesiæ, sed paganorum, atque ita explicuit gloss. in dicto cap. Quos à paganis, ita interpretans verba textus, *si ita habetur*, id est, quòd in forma Ecclesiæ non fuerint baptizati. Quæ expositio potest colligi ex verbis sequentibus, Vt *denuo baptizes in nomine Trinitatis.* Supponit ergo priorem Baptismum non fuisse datum in hoc nomine. Ad Augustinum respondetur, suo tempore potuisse dubitari, quia nondùm erat res ita ab Ecclesia declarata, sicut nunc est. Ad rationem seu coniecturã respondetur, ad priorem partem, Christum Dominũ sæpe vti vt instrumento membro separato ac præciso ab Ecclesia, vel nondùm illi actu coniuncto, quia virtus Christi non pendet ex dispositione instrumenti, neque illius virtute nititur. Ad alteram partem respondetur, optimè probare, per se non decere, hominem non baptizatum aut infidelem, baptizare; non probaret tamen, si id fiat, non rectè fieri, ita vt factum teneat, aut etiam, vt cõuenienter fiat, si necessitas vrgeat: neque in hoc est par ratio de Baptismo, & Ordine, cùm non sit par vtriusque necessitas, & ita sunt intelligenda loca Hieronymi, Tertulliani, & Concilij Elibertini ibi citata, non enim afferunt illam rationem tanquam adæquatam, neque requirunt illam conditionem tanquam simpliciter necessariam, sed solùm vt magis conuenientem, si fieri potest. Imò prædicti Patres solùm affirmant, eos, qui baptismum acceperunt, sicut acceperunt, ita posse illum dare, non tamen addunt exclusiuam, neque dicunt hanc esse propriam vel necessariam rationem dandi. Neque verò est inconueniens, vt aliquis dare possit, quod non accepit, præsertim quando id non facit vt causa præcipua, sed solùm vt instrumentum alterius.

Ad tertiam.

Ad tertiam opinionem respondetur, etiam fœminas in casu necessitatis posse baptizare, vt ex probationibus superiùs adductis satis constat, Patres verò ibi citati, intelligendi sunt de iure, seu potestate licitè baptizandi, vel solenniter, vel per se, & extra casum necessitatis.

SECTIO II.

Quis habeat ius administrandi hoc sacramentum tanquam minister ex officio ad hoc deputatus.

Titulus explicatur.

HAEC quæstio remitti posset ad disputationem moralem infrà tractandam; tamen, quia coniuncta est cùm præcedenti; faciliùs hoc loco expedietur. Est igitur in primis animaduertendum ex dictis supra de sacramentis in genere, præter potestatem conficiendi sacramentum, quæ necessaria est vt factum teneat, necessarium esse ius administrandi illud, vt licitè fiat: hoc autẽ ius in præsenti materia dupliciter explicari potest; vno modo in ordine ad ipsum sacramentum: alio modo in ordine ad personam baptizandam. Et quidem de hoc posteriori modo nihil speciale addendum occurrit his, quæ in genere de sacramẽtis dicta sunt. Cùm enim administratio sacramenti sit proprium munus pastoris, & requirat iurisdictionem administrantis in eum cui administratur, vel eius qui iurisdictionem habet, multò maiori ratione hoc requiritur in hoc sacramento, quod est ianua omnium sacramentorum, & regeneratio spiritualis hominum in Christo. Quæstio ergo præsens potissimùm tractatur in priori sensu, scilicet, ex parte ipsius sacramenti; nam licèt dictum sit, omnibus hominibus absolutè loquendo datam esse potestatem ad hoc sacramentum perficiendum ratione necessitatis; tamen nõ omnibus data est absoluta facultas seu licentia illud administrandi quocunque modo & extra necessitatem: neque omnes sunt diuino iure destinati, vt tanquã ministri ex officio hoc munus possint præstare: & hoc vocamus in præsenti ius administrandi sacramentum, quod est veluti capacitas proxima per se requisita ad tale ministerium. Vt autem breuiter respondeamus, possunt breuiter distingui quatuor personarum ordines, scilicet Episcopus, Presbyter, Diaconus, & quilibet alius Diacono inferior.

1. Conclusio.

Primò ergo certum est, Episcopum iure suo & ex vi suæ Ordinationis, esse aptissimum ministrũ huius sacramenti. Hoc per se notum est, & à fortiori constabit ex dicendis.

2. Conclusio.

Secundò est certum, sacerdotem ex vi suæ consecrationis esse posse ordinarium ministrũ huius sacramenti: vt hic docet D. Thom. artic. 1. & 2. & ex vsu Ecclesiæ satis constat, & ex Clemente Romano, Ignatio, Epiphanio, Isidoro & alijs, quos statim referemus. Denique Concilium Florentinum hoc sensu dixit, *Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Ratio verò est optima, quam hic attigit D. Thomas, quia sacerdos habet potestatem in corpus Christi verum: ergo consequenter recipit potestatem in corpus Christi mysticum saltem, quæ necessaria est ex vi consecrationis; quæ aliàs dici solet *potestas ordinis*, & respectu illorum sacramentorum, quæ communia sunt populo Christiano, & ad remissionem peccatorum, & communem eius profectum ordinantur. Quod addo propter sacramentum Confirmationis, quod propter specialem rationem solis Episcopis ordinariè reseruatur. Vnde sumitur confirmatio, nam sacerdos est ordinarius minister sacramenti Eucharistiæ, quod ad incrementum spiritualis vitæ institutum est, habet etiam potestatem ordinis ad sacramentum Pœnitentiæ necessariam, quod est ad reparandam spiritualem vitam; ergo multò magis illam habebit ad Baptismum ministrandum, per quod datur spiritualis vita. Denique sacerdos est in statu & ordine constitutus, in quo esse potest ordinarius pastor animarum: ergo necesse est, vt ex vi suæ consecrationis aptus sit ad regenerandos homines in Christo. Sed contra, nã Presbyter non potest Baptismum ministrare, nisi facultate sibi ab Episcopo concessa, ergo non proprio iure suo potest hoc ministerium vsurpare. Antecedens patet ex Hieronymo contra Luciferianos, & Tertul. lib. de Baptismo, dicentibus, ius baptizandi esse penes Episcopum, communicari autem Presbytero, & Diacono, non nisi ex facultate Episcopi propter Ecclesiæ honorem; vbi nihil amplius videntur tribuere Sacerdoti, quã Diacono: qui tamen non habet proprium ius baptizandi, vt statim dicemus. Et confirmatur, nã per Baptismũ recipiuntur homines in Ecclesiam & fiunt membra eius: decet autem vt potestas & ius admittẽdi homines ad Ecclesiam sit penes principes & supremos pastores Ecclesiæ, vt sunt Episcopi: & hoc saltem videtur probari illis verbis Christi. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* nam ibi locutus est ad undecim Apostolos, vt Matthæus dicit, quorum successores sunt Episcopi.

Obiectio. *Hieron. Tertull.*

Cõfirmatur.

Respõdetur. Alia potestas ordinis, alia iurisdictionis.

3. Conclusio.

Respondetur, distinguendam esse (vt dixi) potestatem ordinis respectu sacramenti, & potestatẽ iurisdictionis respectu eius cui dandum est sacramentum. Sacerdos ergo ex vi suæ Ordinationis habet sufficientem potestatem, vt valide & dignè ministret hoc sacramentum, & quo ad hoc non pendet ab Episcopo, nec indiget concessione eius, & in hoc superat Diaconũ, vt iam dicemus. At verò vltra hanc potestatem requirit iurisdictionem in personam, vt licitè illi ministret hoc sacramẽtum, & quoad hanc pendet ab Episcopo, tanquã à superiori pastore, in quo est aliqua similitudo inter Diaconum, & Sacerdotẽ, & de hac intelligendi sunt prædicti Patres, & hæc etiã sufficit ad conuenientem ordinem & debitum Ecclesiæ regimen. Denique facilè cogi potest, hoc esse consentaneũ prædictis verbis Christi, quanuis, vt dixi, non satis cõstet, hunc esse sensum illius loci, quia neque constat, Christũ locutum esse de potestate iurisdictionis, sed de præcepto vtendi Baptismate, neque etiã constat locutũ esse ad solos Apostolos, quia licèt Matthæus, tantùm vndecim Apostolorum mentionem faciat, tamẽ non excludit discipulos alios, est autẽ probabile, vt in superiori tomo diximus, agentes de Resurrectione Christi, apparitionem illam coram alijs multis discipulis factam esse.

Ratio.

Tertiò dicendum est, Diaconũ per se ac iure diuino ordinario non posse administrare hoc sacramentum ex vi suæ Ordinationis, esse tamen capacem huius ministerij ex concessione seu delegatione Episcopi aut sacerdotis. Vtraque pars est certa, & priùs quidem satis colligitur ex definitione Cõcilij Florentini, nam dicens, Presbyterum esse ordinarium

Conc. Florent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinarium ministrum, cui ex officio competit baptizare; satis significat; nulli inferiori ministro hoc conuenire. Atque idem docet Clemes Romanus, lib. 3. Const. capit. 11. dicens, *Sed neque reliquos clericos baptizare permittimus, sed solos Episcopos, & Presbyteros, ministrantibus illis Diaconis*, & lib. 8. cap. 42: *Nam nec Diacono fas est* (inquit) *offerre sacrificium, vel baptizare.* Idem docet Ignatius Epist. 13. ad Heronem Diaconum, & Gelasius Papa epist. 1. cap. 9. & habetur in cap. Diaconus, 93. dist. & Isidor. lib. 2. de officijs, cap. 14. & habetur in cap. Constat. de Consecrat. dist. 4. Idem Epiphan. hæres. 79.

Clem. Rom. *Ignat.* *Gelas. Pap.* *Isidorus.*

Ratio verò est, quàm hic Diuus Thomas, artic. 2. indicat, quia ordinaria potestas ordinis supra corpus Christi mysticum manat ex potestate supra corpus Christi verum: & artic. 1. ex ipso nomine *Diaconi* hoc colligit, quia Diaconus ad hoc ordinatur, vt Episcopo & Sacerdoti deseruiat, seu ministret in sacramentorum dispensatione; non ergo constituitur tanquam ordinarius minister alicuius sacramenti. Denique per Baptismum remittuntur peccata, & congregantur homines intrà Christi Ecclesiam, ergo per se pertinet hoc munus, solùm ad eos qui possunt esse Ecclesiæ pastores: huiusmodi autem sunt Sacerdotes, & non Diaconi.

Ratio.

Obiectio. Sed contra, nam in Pontificali Romano in Ordinatione Diaconi dicitur, Diaconum debere baptizare, & prædicare. Respondetur, hinc probari alteram partem conclusionis positâ. Quàuis enim Diaconus ex vi suæ ordinationis per se non constituatur ordinarius minister huius sacramenti, fit tamen aptus, vt ei possit hoc ministerium delegari ab Episcopo, vel Presbytero, vt magis in sequenti conclusione declarabitur.

Diluitur.

4. Conclusio. Quartò igitur dicendum est, nullum hominem Diacono inferiorem habere aliquod ius, seu capacitatem proximam ad dignè ministrandum hoc sacramentum, nec iure ordinario neque ex delegatione Episcopi, vel Sacerdotis. Hæc etiam assertio est Diui Thomæ, & communis omnium cum August. lib. 2. contrà Parmenian. c. 13. Et probatur sufficienter ex dictis, nam ostensum est ordinariũ ius baptizandi ad Episcopos, vel Presbyteros pertinere, & nõ extendi ad Diaconos: multò ergo minùs spectabit ad inferiores. Rursus, potestas ad hoc ministerium ex delegatione peragẽdũ specialiter datur Diacono ratione suæ Ordinationis, ergo non conuenit cæteris, qui tali Ordine carent.

Difficultas. Sed est difficultas in explicanda differẽtia, quæ in hoc est inter Diaconum & inferiores: videtur enim esse nulla respectiuè & cum proportione loquendo, vt enim fateamur, Diaconum in hoc cæteros superare, quòd in absentia Sacerdotis ipse præferendus est reliquis in hoc ministerio: quia est sacratior minister; tamen hoc modo etiam Subdiaconus respectu inferiorum potest dici minister huius sacramenti, quia in absentia Diaconi & superiorum præferẽdus est omnibus inferioribus: quia est sacratior illis. Rursus si loquamur extra casum necessitatis, vel quando est copia sacerdotis, sicut inferiores non possunt ministrare, nec iure ordinario, neque ex delegatione Sacerdotis; ita neque Diaconus, quia non potest ei committi hoc ministerium, sine vrgente necessitate. Quæ est ergo differentia?

Soluitur. Respondetur, duplicem esse differentiam, vna est absoluta in ordine ad solennem Baptismi administrationem, nam hæc ex rationabili causa committi potest Diacono in casu necessitatis, imò si necessitas vrgeat, & sacerdos sit absens, potest ipse iure suo hoc ministerium vsurpare, vt docet glos. in cap. *Diaconos*, verbo, *Necessitas*, 93. dist. Atverò inferioribus non potest committi propter vllã necessitatem, sed ea vrgente, possunt tantùm priuatim baptizare. Quæ differentia colligitur ex citatis decretis, & ex his quæ adduximus de Ordinatione Diaconi ex Pontificali Romano. Videtur autem hæc differentia stabilita potiùs iure Ecclesiastico quàm diuino: tum quia, neque in Scriptura aliquid legimus vnde possit hæc differẽtia colligi. Nam sicut Actor. 8. legimus, Philippum Diaconum baptizasse, ita etiam cap. 9. legimus, baptizasse Ananiam, quem laicum fuisse significat Clemens lib. 8. capit. 52. & vtrumque dicit ex speciali Christi dispensatione baptizasse. Neque etiam ex traditione colligi potest, hanc differentiam esse diuino iure introductam. Tum etiam, quia sicut solennitas & ceremoniæ Baptismi Ecclesiastico iure institutæ sunt, ita eodem iure videtur præscriptum, quòd tales ceremoniæ nemini, qui sit inferior Diacono, possint committi; imò hoc videtur pertinere ad quendam ritum ipsius Baptismi. Nõ dubito tamen, quin ex dispensatione summi Pontificis hoc solenne ministerium alicui non Diacono committi possit: quia nullum est sufficiens fundamentum ad negandum Pontifici hanc potestatem. Non tamen nego, quin hæc Ecclesiastica ordinatio valde consentanea sit iuri diuino, & in illo habeat aliquod fundamentum, quatenus ex intentione diuini iuris ad hoc Ordinatur Diaconus, vt sit specialis minister Presbyteri, vt & illius ministerio vtatur in rebus sacris peragendis, & possit etiam ei committere aliquod sacerdotale ministerium, ad quod non est absolutè necessarius sacerdotalis character, quando subest causa legitima. Exẽplum accommodatissimum est in dispensatione Dominici corporis, quæ potest Diacono committi, non verò Subdiacono, vt infrà dicemus ex Cõcilio Niceno cap. 14. & Concil. Arelaten. cap. 15. quod quidem consentaneum est iuri diuino: absolutè tamen iure Ecclesiastico est institutum.

Secunda differentia est in priuata administratione Baptismi ob necessitarem, nam in primis facilius committi potest Diacono, quàm inferiori, quia iam est aliquo modo ratione sui Ordinis ad hoc deputatus, vnde etiam in præsentia sacerdotis aliqua esse potest causa sufficiens ad cõmittendum hoc ministerium Diacono, quæ non satis est, vt inferiori committatur, vt, verbi gratia, ob grauiorem aliquam occupationem, posset interdum Sacerdos committere Diacono, non verò Subdiacono, vel inferiori. Deinde, quanuis vera sit illa respectiua differentia, suprà inter argumentandum posita, non est tamen omni ex parte æqualis proportio: nam in absentia superiorum Diaconus, veluti iure suo præferẽdus est omnibus inferioribus, ita vt inuersio huius ordinis non solùm sit indecens ratione huius sacramenti, sed etiam sit quædam vsurpatio iuris alieni: at verò ordo inter cæteras personas inferiores Diacono, solùm fit ex decentia quadam, non verò ratione iuris, quod aliquis eorum habeat ad ministrandum hoc sacramentum, adeò vt probabile sit inuersionem huius ordinis in his inferioribus personis inter se non esse

esse peccatum mortale secluso contemptu, cùm tamen respectu Diaconi, nõ sit dubium, quin res sit grauis, de qua re disturi sumus infrà in disput. moral. vbi explicabimus peccata, quæ in hoc ministerio committi possunt.

SECTIO III.

Vtrum minister Baptismi esse debeat vna tantùm persona, vel possit ex multis componi.

VArijs modis potest intelligi, eundem hominem à multis simul baptizari. Primò, ità vt à singulis integrè baptizetur, vnoquoque per se, & abluente, & totam formam proferẽte, & absolutam intentionem baptizandi habente independenter ab alio, in quo Baptismi modo non est vnus minister ex multis personis compositus, sed sunt plures integri, seu totales ministri baptizãtes eandem personã. Secundo modo intelligi potest, vt plures concurrant partialiter, idq; duobus alijs modis: primò, diuidendo inter se ipsum actũ externũ, ità vt vnus abluat, alter proferat formã; vel quod vnus proferat, v. g. illa verba, *Ego te baptizo*, alius verò addat, *In nomine Patris*, &c. vel etiã si fieri possit, vnus abluat partem vnã, alius verò aliã. Secundò, solùm ex intentione sua partialiter concurrendo, ità vt licèt vterque lauet, & proferat totam formam: tamen vterque intentionem habeat non baptizandi sine alio, siue interiùs tantùm eam exprimant, dicendo, *Non te baptizamus*, & de singulis his modis aliquid dicendum est.

Circa primũ ratio dubitandi esse potest; primũ, quia vel in eo casu vterque illorũ baptizat: vel alter tantùm, vel neuter. Non primum; quia nõ possunt dari eiusdẽ effectus plures causæ totales. Non secundum, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio: ergo tertium, atque ita repugnabit, Baptismum dari à multis ministris. Secundò, quia vel ille Baptismus est vnus, vel plures: vnus esse non potest, quia ibi sunt plures materiæ, plures formæ, & plures ministri totales: neq; etiam possunt esse plures, quia vnus necessariò destrueret alium, quia baptismus caderet in subiectum baptizatũ, quod est incapax sacramẽti Baptismi, vt suprà dictũ est: ergo verùm dicitur, nullũ ibi esse sacramẽtũ. Tertiò fingamus, vtrunque ministrũ sic baptizãtẽ, habere intentionẽ nõ baptizãdi si alius baptizet: baptizãdi verò, alio nõ baptizãte: & tũc inquiro, an sit validus Baptismus, ab aliquo eorum datus, necne. Nõ potest dici q; sit validus, quia, neque vterq; potest esse validus, cũ sit cõtra intentionẽ baptizantium, neque alter rantùm, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de altero. Si autem alter eorũ inualidus est, necessariò dicendum videtur alium esse validum, quia cõcurrunt materia, & forma necessariæ, & intentio ministri, quæ, licèt cõditionata fuerit, tamẽ transijt in absolutam, cùm supponatur cõditio iã posita: ergo nihil deest quominùs talis Baptismus validus sit, nisi dicamus, hoc ipso esse minùs q; multi ad illum efficiendum concurrere tenta runt: ergo hoc necessariò dicendum est, cùm fieri non possit, vt vnus potiùs quàm alius validus sit.

Nihilominùs communis sentẽtia est, nihil repugnare quominùs plures homines hoc modo ad baptizandũ cõcurrant. Hæc est sentẽtia D. Thomæ, & omnium Theologorũ, quos statim referemus. Et ratio est, quia in eo casu vnusquisque illorũ baptizantiũ est ex se sufficiẽs ad ministrãdũ Baptismũ; & tam in actione, quã in sua intẽtione, operatur vt integer minister, & applicat omnia necessaria ad sacramentũ conficiendũ: ergo verè ac validè conficit illud. Patet cõsequẽtia; quia nihil est quod impediat: nam solus concursus seu concomitantia alterius non potest impedire, quia nõ habet actionem contrariam, aut repugnantem, sed omninò similem. Sicut in sacramento Eucharistiæ cõficiendo, licèt plures hoc modo concurrant, non se impediunt, quominùs sacramentũ factum teneat; vt ex Ecclesiæ consuetudine cõstat sicut infrà dicemus. Et hæc ratio euidentior fiet ex solutionibus argumentorum, quæ in contrarium obiecta sunt.

Ad primum distinctione vtẽdum est: aut enim vterque illorum in eodem instanti perficit omnia necessaria ad Baptismum, vel vnus priùs tempore absoluit, quàm alius. Si priori modo contingat, dicendũ est, vtrumque illorum baptizare in eo casu, imò singulos eorum integrum Baptismũ conferre, quia vterque applicat integrã formam, & materiam indepẽdenter ab alio, quomodo verò illi duo ministri sint causæ totales eiusdẽ effectus, dicetur statim. Si autem alter illorũ priùs absoluat omnia necessaria ad sacramentum, ille solus perficit sacramentum, & nõ alius, si debita intẽtione baptizet. Ita docet D. Thomas, hic, quem sequuntur omnes, & conuincitur illa ratione, quia Baptismus iterari nõ potest, & quòd subiectũ semel baptizatũ incapax est vlterioris Baptismi: sed quãdo alter ministrorũ priùs tempore perficit sacramentũ, iam subiectum illud est baptizatum, ergo quidquid posteà fit, irritum est, & inane. Cõfirmatur ac declaratur, nam si post cõsummatum vnum Baptismũ, alter minister Baptismum aliũ inchoaret, nihil faceret, quia subiectum iam est incapax: ergo eadem ratione, quanuis inchoauerit simul suum Baptismũ, antequàm subiectum esset baptizatũ, tamẽ, si in instanti quo illum erat perfecturus, iam inuenit subiectum baptizatũ, non poterit illum perficere, quia iam subiectum non est capax illius perfectionis; sicut si subiectũ deficeret seu moreretur ante perfectum sacramentum, nõ posset perfici, sed maneret irritum & inane ex defectu subiecti; eadẽ enim est ratio, quacũque ex causa subiectũ fiat incapax sacramenti. Supponit autem totus hic discursus, Baptismũ priùs tempore cõsummatum statim esse validum, quod est certissimum, quia cõcurrentibus omnibus necessarijs ad sacramentũ, statim absque vlla mora perficitur sacramentum; hic autem concurrunt omnia necessaria, vt Baptismus fiat, si ministerdebitã intentionẽ habeat. Quod ideò addo, quia si haberet intentionem non baptizandi, donec alius absoluat omnia necessaria ad sacramentum, in eo casu nihil perficiet is qui priùs absoluit, quia non habet absolutam intentionem, sed conditionatam, & cõditio non est impleta in eo instãti, in quo ipse perficit omnia ex parte sua necessaria ad sacramentũ. Diximus autem suprà agẽtes de sacramentis in genere, sacramentum datum sub conditione de futuro, nullum esse, quia neque est validum in instanti in quo deberet perfici, quia non

Universidad de Deusto
Biblioteca

est impleta conditio, nec posteà, quia iam non extant materia, nec forma ex quibus perfici deberet. Quocirca in prædicto casu, ille minister qui posteriùs absolueret necessaria ad Baptismum, illũ perficeret, atque conferret, quia iam ex parte subiecti non esset incapacitas, & aliũde adhiberentur omnia necessaria. Quia licèt intentio esset conditionata, tamen iam conditio esset impleta, quia iã suppo nimus alterum absoluisse omnia ex parte sua necessaria, & hæc tantùm erat conditio apposita, vt supponitur. Si autem conditio esset, quòd alius verum perfecisset sacramentum, redit difficultas tacta in tertia obiectione. Atque hinc constat verissimum esse, quod hic D. Thom. dixit, illicitũ esse, per se loquendo, hoc modo plures baptizare, non solũ, quia superfluum est, & præter morem Ecclesiæ, sed etiam, quia sine causa se exponunt morali periculo, vt alter eorum nihil efficiat, & materialiter saltem Baptismum repetat.

Ad secundam difficultatem D. Tho. hic, art. 6. planè sentit, vnum & eundem Baptisinum ab eodem ministro in eo casu conferri; & rationem indicat, quia Christus, qui est vnus, interiùs baptizãs, vnum sacramentũ per vtrumq; confert. Idem sentit Scotus dist. 6. q. 2. & Soto d. 4. art. 4. iuxta quã opinionem tollitur omnis difficultas, seu periculũ rebaptizãdi in eo casu. At verò Gabr. in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. dub. 4. existimat, ibi fieri duo baptismata, & idem videtur supponere Caiet. hic art. 6. Et valde fauet D. Tho. q. præced. artic. 5. ad 4. vbi dicit, agens de hac eadem re, *aliter multiplicari secundùm multiplicationem agentium, si perfectè ab vnoquoque agantur.* Sed in præsenti casu, de quo agimus, Baptismus perfectè datur ab vnoquoque agente, ergo multiplicatur iuxta multiplicationem agentium. Atque eandem vim habere videtur obiectio facta, quia ibi sunt duæ formæ integræ, à quibus potissimũ sumi videtur constitutio, & distinctio sacramentorũ, præsertim eorum, quæ in vsu consistunt. Rursus sunt duæ materiæ, nã sunt duæ ablutiones, maximè si Baptismus fiat per aspersionem vel infusionẽ aquæ: sunt ergo duo Baptismata, nã quodlibet totum multiplicatur multiplicatis partibus ex quibus intrinsecè constat, nec videtur referre, quod subiectum sit idem, nam vnitas sacramenti non sumitur ex subiecto; sicut neq; entitas eius. Et iuxta hanc sententiã respõdendum est ad obiectionem factam, vtrumque illorũ Baptismatũ fieri circa subiectum non baptizatũ, quia vnũ eorum non supponit alterum, nec tempore, nec natura, & ideò vtrumq; potest esse validũ: quia veritati, & valori Baptismi nõ repugnat consortiũ alterius, qui omnino simul fiat, sed solùm repugnat fieri circa subiectum iam baptizatum. Atque hinc facilè soluitur iuxta hãc opinionẽ alia difficultas tacta de pluribus causis totalibus eiusdem effectus. Duo enim effectus horũ ministrorum possunt hic cõsiderari. Prior est, ipsum sacramentũ, cùm enim fiat à ministro, verè ac ꝓpriè dicitur effectus eius, & hoc modo nõ est vnus effectus à duabus causis, quia sunt duo sacramẽta à duobus ministris. Posterior est character seu gratia sacramentalis: & hic absq; vlla controuersia est vnus tantũ, quia illa receptio est per modũ vnius, & quia non est homo capax characterũ baptismalium, nec gratia sacramentalis Baptismi iterari potest, propriè loquẽdo, per multiplicationem eius, quanuis possit eadem restitui si amittatur, de quo aliàs. Et rũe est difficultas, quomodo ille vnus effectus fiat à duobus ministris, seu à duobus sacramentis. Ad quam respõdet Caietanus, quòd licèt in causis principalibus, & quæ operantur in propria virtute, repugnet eundẽ effectum esse à duabus causis totalibus; tamen nõ repugnat esse à duobus instrumentis, quãdo vnũ est principale operans per vtrumque eorũ. Sed si loquamur in ordine ad diuinam potentiam absolutam, re vera neutrum repugnat, quia potest idem effectus fieri pluribus dependentijs & actionibus. Si verò sermo sit de potentia ordinaria, & consentanea rebus ipsis, sicut est superuacaneum, plures causas principales & ex se sufficientes ad vnũ effectum, simul efficere illum pluribus actionibus totalibus: ita videtur superfluum, fieri per plura instrumenta totaliter in suo genere concurrẽtia, id est, efficientia per plures actiones totales in suo genere. Quocirca in præsenti casu cẽseo, hunc characterem & sacramentalem gratiã posse fieri à Deo per vtramque formã à ministris prolatam, vel pluribus actionibus, vel vna tantùm, dimanãte simul ab vtroque sacramẽto. Et si priori modo fiat, sacramenta concurrere, vt instrumenta totalia, quia à singulis eorum est tota actio, quæ sufficit ad effectum: si autẽ fiat posteriori modo, tunc concurrere vt instrumẽta partialia, quia licèt virtute (vt sic dicã) sint totalia, tamen actu vnũ nõ influit actione independente à consortio alterius, quia non est maior concursus necessarius. Cùm ergo vterque istorum modorum sit Deo possibilis, incertũ est, quo illorum vtatur: quãuis posterior videatur minùs miraculosus, facilior, & conformior ordinario modo operandi. De qua re iterũ dicemus in materia de Eucharistia, vbi similis quæstio redibit. Atq; hæc posterior sententia in hunc modũ explicata, videtur satis probabilis, & fortasse nõ est cõtraria D. Tho. imò vix potest hic esse diuersitas in re, sed solùm in modo loquendi, quod attinet ad vnitatem, vel pluralitatem sacraméti. Materialiter enim (vt sic dicam) negari non potest, quin ibi sint plures res significãtes & efficiẽtes gratiam, quæ inter se non vniuntur per modum materiæ & formæ, neque alio genere compositionis: sed sunt potiùs distinctæ formæ & materiæ distinctæ, hoc ergo modo sunt plura sacramẽta: tamẽ formaliter atq; moraliter, quia in eodẽ subiecto fiunt simul & in ordine ad eundem omnino effectũ efficiendũ & significandum, possunt dici vnũ sacramentum, & vnũ sacrum signum, quatenus totum illud signũ exterum, nec plus efficit, nec plus significat, quàm si esset ex vnica simplici forma & materia cõpositũ.

Ad tertium respondetur, quãdo intentio ministri in se ipsa inuoluit contradictionem quandã, seu inextricabilem perplexitatẽ, & est quodammodò se falsificans (vt more dialectic orũ loquamur) tunc talem intentionem esse contra veritatem sacraméti, quia quodãmodò se ipsam destruit & impedit: non est autem hoc sensu interpretãda intentio, nisi manifestè constet de voluntate & proposito operãtis. In præsenti ergo, quãdo vterq; ministrorũ vult baptizare, dummodò alius non baptizet, & nõ alias, duobus modis exponi potest talis intẽtio, vt non inuoluat repugnantiã. Primus est, dummodò alius non prius baptizet, & ita est nõ solùm sufficiens intentio, sed etiã prudens, ad euitandum periculum intẽtatæ rebaptizationis, & in eo casu,

casu, qui prius absoluit, perficit sacramentum, &, si simul absoluant, vterq; perficit, quia conditio posita in vtriusq; intentione impletur in ipsomet instãti, in quo perficiendũ est sacramentũ. Secundus sensus conditionis appositæ esse potest, dummodò alius nõ absoluerit materiã & formã sacramenti in eo instanti, in quo est à me perficiendũ, & tunc si vterq; simul absoluat, neuter baptizat, quia neutrius conditio impletur, est tamẽ talis conditio imprudens, quia sine causa voluntatio eo casu irritum facere sacramentũ. Multò verò magis est imprudẽs & inepta intẽtio, si apponatur cõditio in alio sensu perplexo & inuoluente repugnantiã, vt est ille tactus in argumẽto, & tunc etiã vtrũq; sacramentum nullum est, non quia ministri propter solam multitudinem personarũ se impediant, sed quia habent intentionem perplexam, & ideò inutilem & ineffi cacem, vt Paludanus & Soto etiam indicarunt.

Paludan. Soto. 1. Pars huius sectionis.

In secunda parte huius sectionis videndum est, an possit Baptismus ita à duobus conferri, vt alter abluat, alter verò proferat formã; Theologi enim variè in hoc sentiunt, Marsil. enim in 4. q. 4. art. 8. dub. 11. & Caiet. hic, quãuis cunctanter, in eam tamen partem magis inclinãt, quæ affirmat, huiusmodi Baptismum validum esse, quia, vt supponimus, huiusmodi duo homines habẽt intentionem baptizandi, & applicant verã materiã, & verã formã: ergo nihil deest ad veritatem Baptismi. Probatur cõsequentia, quia solùm potest obstare, q; ibi integer minister veluti cõponitur ex duplici persona. Hoc autem nullum impedimentum esse videtur, primò quidem, quia neq; ex ipsa rei natura hoc repugnat, neq; ex institutione, neq; ex aliqua significatione, aut repræsentatione sacraméti. Primum patet, tum quia sacramenta nullum habent esse, neq; virtutẽ agendi ex sola natura rei, sed ex institutione; tum etiam, quia in alijs causis & effectibus sæpe contingit, causam integram cõponi ex pluribus suppositis seu personis, sæpe etiam cõtingit, principalem causam vti pluribus instrumentis, vel ad præparandam materiam, vel ad inducẽdam formam. Quinimo in hac sacramentorũ materia nõ est hoc notum: nam in Matrimonio duo cõtrahẽtes sunt ministri vnius sacramenti, & in Pœnitentia, pœnitẽs est, qui exhibet materiam, sacerdos verò qui inducit formam. Secundum patet, quia nulla est autoritas, vel traditio sufficiens ex qua possit talis institutio colligi: nec verò est vlla ratio, vnde colligatur, vt ex dictis cõstat. Verba autem Euangelij, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* satis verificantur, siue vtrumq; fiat ab vna persona, siue à pluribus concurrentibus per modum vnius. Dices, id colligi ex verbis formæ, *Ego te baptizo*, quæ erunt falsa, si alter baptizet, alter proferat formam. Sed cõtra, quia huiusmodi significatio formæ nõ est de essentia huius sacramenti: nam sufficit forma Græcorum, *Baptizetur seruus Christi.* Item sufficit, si in plurali dicatur, *Nos te baptizamus*, & vtroque modo nulla est falsitas in significatione formæ, etiam si Baptismus prædicto modo à duobus cõferatur. Tertium de significatione seu repræsentatione sacramenti, scilicet, q; ex parte illius nihil obstet, probatur, quia nõ est necesse, vt in ministro ipso, siue sit vna persona, siue plures, sit aliqua specialis significatio. Quæ est enim hæc necessitas, aut vnde colligi potest? Deinde etiã si admittamus, quod D. Th. ait, q; sicut vnus est Christus, qui est principalis baptizans, ita vnus esse debet ministe, qui illũ repræsentat. Respõderi pòt, debere quidem esse vnum ministrum, sed non simplicem; nam licèt sit compositus ex duplici persona, tamen vtraque concurrit per modum vnius ministri, & in hoc satis repræsentat Christum principalem Baptismi autorem, cuius vicem gerit. Et confirmatur tandem, nam hic modus baptizandi interdum potest esse necessarius, vt si infans sit in extrema necessitate, & tantùm adsint duæ personæ, quarum altera loqui non possit, altera verò non possit abluere, Baptismus autem est sacramentum maximæ necessitatis, ergo debuit in sua institutione comprehendere etiam huiusmodi ministerij modum.

Obiectio.

Nihilominùs cõmunis sententia est, Baptismum hoc modo collatum à multis non esse verum sacramentum. Ita tenet D. Thom. hic art. 6. in corpo. & ad 3. & quæst. præced. art. 5. ad 4. & Alexan. Alen. 4. par. q. 16. memb. 6. Bonauen. in 4. d. 5. art. 1. q. 1. Scotus dist. 6. q. 2. Gabr. q. 1. Richard. d. 3. artic. 4. q. 1. ad 1. Palud. q. 2. art. 2. & Soto dist. 4. art. 4. atque idem tenet Glossa in cap. Quorundã. 23. dist. verbo, Imposuisse, quæ hoc colligit ex illo textu, in quo Ordo datus ab Episcopo, & Presbytero simul, Episcopo imponente manus, Presbytero autẽ benedicente, seu proferente formam, irritus esse declaratur. Cuius generalis ratio (vt illa Glossa inquit) est, quia duo imperfecta non cõstituunt vnũ perfectum. Sed hæc ratio nõ redditur in textu, nec videtur casus ille similis ei, de quo agimus: quia in sacramento Ordinis cõferendo, Presbyter non potest esse minister, & ideò nõ potest cum Episcopo cõponere vnum ministrum, & ex hoc solo capite euidens est, illam Ordinationem fuisse irritam; in nostro autem casu quælibet persona concurrens posset esse sufficiens minister sacramenti baptismi. Diuus Thomas ergo tres rationes indicat. Prima est iam in situata, quia in persona ministri debet repræsentari persona Christi, & ideò vna esse debet, sicut Christus est vnus. Cõtra quam instat Durandus, q. principalior causa Baptismi est Trinitas personarum, ergo sicut in principali causa sunt plures personæ, ita esse possunt in ministris. Sed hoc facilè habet solutionem, tum quia Trinitas non operatur in Baptismo per se, vt est plures personæ, sed vt est vnus Deus; tum maximè, quia minister immediatè non gerit personam Trinitatis, sed Christi Dei homini, cui data est omnis potestas excellẽtiæ supra sacramẽta. Difficilior videtur obiectio supra facta, quia nulla apparet necessitas, quòd vnitas personæ Christi repræsentetur per vnitatem personæ ministri; quia neq; hoc sacramentũ est ad hoc specialiter institutum, neque in cæteris sacramentis omnibus hoc reperitur. Adde, si in hoc est aliqua repræsentatio necessaria, satis videri, q; sacramentum vnũ non possit à multis personis administrari, nisi quatenus vnum integrum ministrum cõplent, nam per hoc indicant vnam virtutem principalis agentis in qua operantur. Secunda ratio D. Thomæ est, quia actus baptizandi multiplicantur secundùm multiplicationem agentium, si ab vnoquoque perfectè agantur. Sed actus baptizandi debet perfectè agi à quocunque agente, ergo nõ potest idem Baptismus fieri à multis imperfectè, & incõplerè cõcurrentibus. Minor probatur ex veritate formæ, nam hoc significant illa verba, *Ego te baptizo*, quæ si ab vno solo proferantur, & ille nõ lauat, neque integrum sacramentum ministrat, falsa erũt; si autem fiat variatio in for-

D. Thom. Alens. Bonauent. Scotus. Gabr. Richard. Palud. Sotus. Glossa.

1. Ratio D. Thom.

Instantia Durandi.

Reijcitur.

2. Ratio Diui Thomæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in forma, & dicatur, *Nos te baptizamus*, iam mutabi
A tur substantialiter forma, quia aliquid ei additur,
quod in illa non continetur, quia illa forma æqui-
pollet huic: *Ego & ille te baptizamus*. Et præterea
3. ratio Diui Thomæ. (vt hic ait D. Tho. ad 3. quę est eiusdem tertia ratio) nō
euitatur falsitas, tum, quia si alter non lauat, re vera
non baptizat, tum etiam, quia si neuter conficit to-
tum sacramentum, neuter dici potest baptizare, er-
go multò minùs dici potest de vtroq; copulatiuè,
prout in prædicta forma affirmatur.

1. Eluditur. Hic verò discursus Diui Thomæ posset altero è
duobus modis eludi. Primò si cum Caietano tenea
mus, illis verbis formæ, *Ego te baptizo*, non significa
ri idem quod, ego te externis, sensibiliter, & corpo
raliter lauo: sed ego tribuo tibi Baptismi sacramen-
tum, quo sensu supposito verè ab illis duobus dice-
tur. *Nos te baptizamus*, quia tunc forma nō facit sen-
sum copulatiuū, & diuisiuū (in quo sensu procedit
B obiectio D. Thom.) sed facit sensum cōplexiuū, &
hoc sensu est vera loquutio, quia non est necesse, vt
de singulis personis verum sit dicere, integrè & in
solidum baptizare: sed solum vtramque per modū
vnius concurrere ad illud sacramentum perficien-
dum, & vtrāque suam qualemcunque operam adhi-
bere, & hoc verum est, & ita euitatur omnis falsi-
tas in forma, mutatio autem illa non videtur substā
tialis, quia nihil per eam tollitur, quod sit de substā
tia formæ, neque etiam aliquid additur, quod corrū
pat substātiale sensum, solū enim mutatur, & signi-
ficetur administratio sacramenti vt ab vno, vel à
duobus progrediens, & hoc contendimus non esse
de substantia. Quòd si contrarium in prædicta ra-
tione supponitur, petitur principium, seu supponi-
tur quod probandum est.

Respondetur. Hæc tamen responsio procedit, vt existimo, ex
falso fundamēto. Nam illa verba formæ, vt in supe
rioribus dixi, primo & per se significāt actionē sen
sibilem lauandi, & de illa in primis verificāda sunt,
tum quia hæc est propria significatio taliū verbo-
rū, tū etiā quia de ratione huius formæ est, vt in ea
significetur vsus materiæ, & ideò si alter ministro-
rum nō lauat, nō potest verè dicere, *Ego te baptizo*,
nec vterque simul poterūt dicere, *Nos te baptiza-
mus*. Necesse est ergo, vt qui profert illa verba, *Ego
te baptizo*, ipsemet lauet, imò necesse est, vt totā ablu
tionem efficiat necessariā ad sacramentum cōficien
dum, nam talis debet esse ablutio, quæ tam ex insti-
tutione, quàm ex vsu, per illa verba significatur. Et
consequenter necesse etiam est, vt qui profert illa
verba, *Ego te baptizo*, proferat etiā alia, *in nomine Pa-
tris*, &c. quia vt sint pars formæ, necesse est, q; deter
minent verbum baptizandi, & significationē eius:
nisi autem ab eodem proferantur, re vera non sunt
pars eiusdem propositionis, nec determinant, aut
eleuant significationem eius ad sacramentalem &
mysticam significationem. Atque hoc modo non
paruam vim habet ratio D. Thomæ, supposito ver
bis formæ, quibus Ecclesia Romana vtitur.

2. Eluditur. Posset tamen aliter responderi, illa verba sub illa
D. Thom. doctrina. significatione non esse essentialia, quia sufficit for
ma Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*, per quam
non significatur actio lauandi, vt progrediens ab
eodem, qui profert verba formæ, sed solùm vt recī
pitur in passo, ergo ex vi talis formæ, nō est hoc de
essentia huius sacramenti: ergo, si, abluente vno, al-
ter sub illis verbis formam proferat, nulla est falsi-
tas, nec substantialis mutatio in materia: ergo ex ra
tione facta non potest probari ibi non fieri sacramē
tum. Vnde vlteriùs fieri videtur, etiam hanc formā
posse in illo casu sufficere, *Ille, seu Ioannes te baptiz-
at in nomine Patris*, &c. talis enim mutatio non vi-
detur substantialis, cùm eundē sensum referre pos-
sit, quem forma Græcorum, in qua sicut dicitur ab-
solutè, *Baptizetur seruus Christi*, ita dici potest, *Bapti-
zetur à me*, seu *Baptizetur à Petro*, vel *Ioanne*. Nihilo
minus tamen existimo, rationem D. Thom. esse val
de probabilem, quia verus sensus formæ Baptismi
non est petendus ex forma Græcorum, sed potiùs
ex forma, qua vtitur Ecclesia Romana, neq; est cen
senda illa forma sufficiens, quæ prolata illis verbis,
quibus Ecclesia Romana vtitur, vera esse non po-
test. Existimo ergo, de essentia huius sacramenti
esse, vt actio lauandi ab eodem prodeat, qui pro-
fert verba formæ, prout in Latina forma significa-
tur. Atque in eodē sensu accipienda est forma Græ
ca, nam verbum illud, *Baptizetur*, non est veluti de-
precatiuum, sed quasi efficaciter operatiuum. Vn-
de significat actualem operationem vt exercitam
ab ipsomet proferente.

Ratio à priori huius veritatis ex Christi institutione petenda. Addo tandem, rationem à priori huius veritatis,
petendā esse ex Christi institutione. Non est enim
dubium, quin potuerit Christus, vel eo modo insti
tuere hoc sacramentum, quo alia sententia dicebat,
vel prout à Diuo Thoma declarata est institutio.
Quæ autem fuerit Christi voluntas, ex sola quidē
ratione colligi satis non potest, neque in scriptura,
vel ab Ecclesia aliquid est satis declaratū: si autem
spectemus vsum, qui est optimus legum interpres,
nunquam visum est, vel auditum in Ecclesia, quòd
Baptismus aliter fuerit administratus, quàm ab vno
C abluente & proferente formam, & in hoc sensu in-
tellecta sunt verba Christi, *Baptizantes eos in nomine
Patris*, &c. quòd scilicet is qui baptizat, id faciat in-
uocando Trinitatem super actionem suam. Rursus,
si spectemus formam Latinæ Ecclesiæ (quæ debet
esse regula, & mensura cæterarum) in ea satis signi-
ficatur, hūc fuisse sensum institutionis Christi. Præ
tereà haber institutio sit explicata pleniorem, & cō
uenientiorem significationem, quo sensu accipien-
da est prima ratio Diui Thomæ, tanquam cōgruen
tia quædā institutionis, cui etiam addi potest, fuisse
conueniens, spiritualem regenerationem ab vna
tantùm persona perfici posse, vt in hoc etiam esset
diuersa à generatione carnali, & quodammodo si-
milior spirituali Dei generationi. Ac tandem hoc
fuit etiam conueniens ad euitanda incommoda, &
occasiones illudendi sacramento, partiendo seu di-
uidendo inter se illud ministerium, & hoc magis
constabit respondendo ad fundamentum cōtrariæ
sententiæ.

Ad fundamentum cōtrariæ sententiæ respondetur. D Ad primam ergo illius partem fatemur, hoc non
pendere ex solis rerum naturis, sed ex institutione:
cur autem hæc fuerit conuenientior institutio, iam
explicatum est. Atque eadem institutio reperietur
in omnibus similibus sacramentis, vt sunt, Confir-
matio, & Extrema vnctio. Ea verò, quæ in argumē
to adducuntur, non sunt similia, quæ in eis materia
sacramenti non est prius actus ministri, ex intē-
tione eius determinandus & sanctificandus per for
mam, vt cum ea vnum sacramentum cōstituat, sed
in Matrimonio formaliter ac ppriè materia est tra-
ditio, forma verò acceptatio mutua, & exteriùs ex-
pressa. Et ideò modus talis sacramenti, & res ipsa in
quibus fundatur, postulant distinctionem personā-
rum,

rū, quia oportet, vt qui acceptat alius sit ab eo qui
A tradit, & forma ipsa acceptādi talis est, vt ex se sup
ponat traditionē vt ab altero oblatam. Et idē pro-
portionaliter cōsiderari potest in sacramento Pœ-
nitētiæ, quod per modum iudicij exercetur, in quo
oportet, reum, & iudicem distinguī, & cōfessionē
fieri à reo non à iudice, sed supponi potiùs, vt in eā
cadat sententia iudicis. At verò in hoc sacramento
(& idem est in Confirmatione, & sacra Vnctione)
ipse minister exercet totam actionem, quæ est ma-
teria sacramēti, & quæ explicatur in forma, vt per
eam sanctificetur & determinetur ad significatio-
nem sacramentalē. Et ideò oportet, vt ipsemet, qui
actionem exercet, suis verbis, suaq; intentione pro
prium actum informet. Ad secundam & tertiā par-
tem illius fundamenti iam responsum est.

Ad vltimam verò confirmationem de necessita
te respōdetur, nullam hic esse, si moraliter res consi
deretur, prout institutio sacramenti requirit, alio-
qui pari modo dici posset, nō esse necessaria verba
semper, quia potest esse casus necessitatis, in quo ne
mo loqui possit, sed tantū efficere nutus, vel signa,
quod Paludanus censet probabile; re tamē vera nō
est, sed omnino cōtra substantiam sacramenti: alio-
qui etiā negari posset necessitas aquæ, quia potest
occurrere casus in quo etiam aqua deficiat. Sicut er-
go propter huiusmodi euentus rarissimos, nō est fa
cta exceptio in institutione Baptismi, sed generali-
ter facta est in tali materia & tali forma, ita etiā in
tali ministro. Quòd si extra casum necessitatis, nul
lus auderet approbare Baptismum illo modo datū
à duobus: ita neq; in casu necessitatis censendus est
validus, quia veritas & substantia sacramenti vt fa-
ctum teneat, non aliam formam, materiam, vel mi-
nistrū requirit extra casum necessitatis, quā in illo.
Nō nego tamen, si occurreret talis necessitatis arti
culus, posse iuxta aliam sentētiam conferri baptis-
mum, quia melius est accipere Baptismum dubiū,
& aliquo modo probabilem, quàm omnino nullū,
esset tamen ille Baptismus sub cōditione iterādus,
si posteà occurreret opportunitas recipiendi indu-
bitatum sacramentum ab vno & eodem ministro.

1. Corollarium. Ex his in vniuersum sequitur primò, quacunque
ratione duæ personæ concurrant ad sacramentum
Baptismi conficiendum, vt partiales ministri, diui-
dentes inter se externum Baptismi ministerium, ni
hil conficere. Probatur, tum rationibus factis, tum
etiam inductione, quæ ex dictis fieri potest: quia
ostensum est, non posse materiam applicari ab vno,
& formam proferri ab alio. Obiter etiam probatū
est, non posse partem formæ ab vno proferri, partē
verò ab alio. Atque idem declaratum est de mate-
ria, quæ subest formæ, & per eam significatur. Non
potest autem excogitari præter hos alius modus
diuidendi hoc ministerium inter plures personas.
Denique, cùm non sit maior ratio de vno, quam de
alio, excluso vno, pari ratione quilibet alius modus
reijciendus est.

2. Corollarium. Secundò sequitur, etiam si exteriùs nō diuidant
plures personæ inter se ministerium baptizandi, si
tamen interiori intentione illud diuidāt, ita vt neu
ter velit baptizare, vt totalis minister, sed solùm vt
partialis, & vt componens cum altero vnum inte-
grum ministerum, nullum fieri sacramentū. Hæc est
sententia D. Thomæ, & communior, & sequitur cō
sequēter ex dictis. Nam probabilius existimauimus,
Christi institutione fuisse, vt minister Baptismi in-
teger & totalis sit illa persona, quæ abluit & affert
formam; ergo illa intentio nō baptizandi nisi partia
liter est contra Christi institutionem. Deinde est
contra significationem & veritatem formæ, nā per
eam significat, qui illam profert, se applicare omnia
necessaria ad Baptismum conficiendū, scilicet, ablu
tionem integram, & consequenter integrā formā:
ergo, vel habet intentionem veritati formæ contra
riam, & ita nihil efficit: vel re vera vult sua actione
applicare totam materiam sacramenti proferēdo to
tam formam, & consequenter vult adhibere totum
ministerium necessarium ad conficiendū sacramen
tū; quia minister sacramēti nihil aliud efficit, quod
ad substantiam sacramenti spectet, nisi applicatione
materiæ & formæ: ergo nunquam potest efficere sa
cramentum, tanquam minister partialis: & hoc est,
quod Diuus Thomas dicit, quòd Baptismus, vt pro
cedit à persona baptizāte, est actus perfectus, in quo
B non potest principium, vt alij obijciunt, quia id non
sumit sine probatione, sed ex verbis formæ id colle
git, vt declarauimus. Et eodem sensu dixit D. Tho
mas, si duo baptizent sub hac forma, *Nos te baptiza-
mus*, sacramentum esse nullum: intelligendum enim
hoc est, si forma faciat sensum cōplexiuum, accom-
modatum illi intentioni, qua intendunt solùm par-
tialiter baptizare, secus enim esset, si talem formam
proferrent in sensu copulatiuo, cum recta intentio-
ne integrè baptizandi: nam tunc forma esset suffi-
ciens, quanuis in ea adderetur aliquid non necessa-
rium, scilicet, q; alius simul mecum baptizet, quod
in prædicto sensu non est contra substantiam sacra
menti, vt ex. 1. par. huius sectionis constat.

Marsil. Caiet. Durandi. Palud. Contra hanc verò illationem opinantur Marsi-
lius & Caietanus paulò ante citati, & in hoc cum
eis concordat Durandus in 4. dist. 3. q. 3. circa finē,
C & in eandem sententiam inclinat Paludanus ibi,
quæstione 2. articul. 3. Nullam tamen nouam ratio-
nem afferunt, cui satisfacere necessarium sit. Nam,
quod aiunt, non esse de ratione Baptismi, quòd ab
vno tantùm fiat, vel falsum est, vel non est ad rem:
quia illa dictio exclusiua, *tantùm*, duplicem sensum
reddere potest. Prior est, vt excludat omnem aliū
simul baptizārem eandem personam, & hoc modo
verum est, non esse de ratione Baptismi, vt vnus so
lus baptizet, vt in prima parte sectionis dictum est,
hic tamen sensus nihil refert ad rem præsentem,
quia non agimus de consortio plurium ministrō-
rum totalium, sed de compositione vnius ministri
totalis ex pluribus personis partialiter tantùm con-
currentibus, eò vel maximè, quòd, quando plures
illo modo baptizant, valde probabile sit, plura fieri
baptismata, & ita nullum Baptismum fieri à pluri-
D bus. Alius ergo sensus illius exclusiuæ esse potest,
non esse de ratione Baptismi, vt vna persona sit in-
teger minister sacramenti, ita vt totum ministeriū
ab illa sufficienter fiat sine cōcursu per se, vel depen
dentia ab altero, & hoc modo falsum est, nō esse de
ratione Baptismi, vt ab vna tantùm persona fiat. Ac
que hæc sufficiant de ministro Baptismi: nam alia
quæstio, quæ hic disputari posset, an minister Bap-
tismi debeat esse persona distincta ab eo, qui bapti-
zatur, & consequenter, an idem possit baptizare se
ipsum, hæc (inquam) quæstio, & per se facilis est, nā
extra omnem cōtrouersiam est, neminem posse ba-
tizare se ipsum, & in superioribus, tractando de for
ma, sufficienter tacta est, & latiùs in disputatione
de ministris sacramentorum in genere.

ARTI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum leuet de sacro fonte.

Infra artì. 8. ad 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd in Baptismo non requiratur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte leuet. Baptismus enim noster per baptismũ Christi consecratur, & ei conformatur. Sed Christus baptizatus nõ est ab aliquo de fonte susceptus, sed sicut dicitur Matth. 2. Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua. Ergo videtur, quòd nec in aliorum baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte suscipiat.

Arti. 3. huius quæst.

¶ 2 Præterea, Baptismus est spiritualis regeneratio, vt dictum est. Sed in carnali generatione non requiritur, nisi principium actiuum, quod est pater, & principiũ passiuum, quod est mater. Igitur cũ in baptismo locum patris obtineat ille, qui baptizat, locum autẽ matris, ipsa aqua baptismi (vt Augst. dicit in quodam sermone Epiphaniæ) videtur, quod non requiratur aliquis alius, qui baptizatum de sacro fonte leuet.

In serm. 1. De vnitate intra octa. epiphan. to. 10.

¶ 3 Præterea, In sacramentis Ecclesiæ, nihil derisorium fieri debet. Sed hoc derisorium videtur, q̃ adulti baptizati, qui seipsos sustẽtare possunt, & de sacro fonte exire, ab alio suscipiãtur. Ergo videtur, q̃ nõ requiratur aliquis præcipuè in baptismo adultorũ, qui baptizatum de sacro fonte leuet.

Cap. 2. part. 2. decl. ad fin.

SED contra est, quod Dionys. dicit capit. 2. Eccles. hierar. quòd sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem susceptori & duci.

RESPONDEO dicendum, quod spiritualis regeneratio, quæ fit per baptismũ, assimilatur quodammodo generationi carnali. Vnde dicitur 1. Pet. 2. Sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo, lac concupiscite. In generatione autem carnali paruulus nuper natus, indiget nutrice & pædagogo. Vnde & in spirituali generatiõe baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando & instruendo eum, quasi nouitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem & vitam Christianam. Ad quod prælati Ecclesiæ vacare non possunt, circa cõmunem curã populi occupati: paruuli enim & nouitij indigent speciali cura præter cõmunem. Et ideo requiritur, q̃ aliquis suscipiat baptizatũ de sacro fonte, quasi in suã instructionẽ & tutelam. Et hoc est, q̃ Dionys. dicit vlt. capit. Eccles. hierar. Diuinis nostris ducibus (id est Apostolis) ad mentem venit, & visum est susceipere infantes secundum istum sanctum modum, quod

Cap. 7. Eccle. non multũ procul à fin.

A naturales pueri parentes, traderent puerum cuidam docto in diuinis pædagogo, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub diuinõ patre & saluationis sanctæ susceptore.

AD primum ergo dicendum, q̃ Christus non est baptizatus, vt ipse regeneraretur, sed vt alios regeneraret. Et ideò post baptismum non indiguit pædagogo tanquam paruulus.

AD secundum dicendum, quod in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater & mater. Sed ad facilem partũ, & educationẽ pueri conuenientem, requiritur obstetrix & nutrix & pædagogus, quorum vicem implet in baptismo, ille qui puerum de sacro fonte leuat. Vnde nõ est de necessitate sacramẽti: sed vnus solus potest alium baptizare, necessitate imminente.

B

AD tertium dicendum, quòd baptizatus non suscipitur à patrino de sacro fonte propter imbecillitatem corporalem, sed propter imbecillitatẽ spiritualem, vt dictũ est. In corpo.

COMMENTARIVS.

HIC articulus magis pertinet ad ceremõias quàm ad ea quæ sunt de substantia & de necessitate Baptismi, tamen, quia hæc persona, de qua D. Thomas hic disputat, quæ *susceptor, sponsor*, aut *patrinus* vocari solet, aliquod ministerium exhibet in solenni Baptismo, ideò D. Tho. hunc, & sequentem articulum huic quæstioni de ministro adiunxit. Est ergo in primis aduertendum, ex institutione & præcepto Ecclesiæ statutum esse, vt præter baptizantem & baptizatum adhibeatur alia persona in baptismo solenni, quæ baptizatum suscipiat de sacro fonte, quam consuetudinem fuisse antiquissimam, constat ex Dionysio cap. 2. de Eccles. hierar. & ex Tertul. lib. de baptismo. cap. 18. & Augst. 1. de peccat. merit. cap. 34. & de eodem videtur loqui Iustinus. q. 56. ad Gent. cùm dicit, *Baptizatum ab aliquo offerri ad baptismum*. Munus autem huius susceptoris præcipuum est, vt puerum baptizatum de manu baptizantis, velùti sub tutela & cura sua suscipiat, vt colligitur ex citatis Patribus, & ex cap. in catechismo, & sequentib. de consec. dist. 4. & ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. In quibus locis, semper hoc munus explicatur per actũ suscipiendi baptizatum, non oportet autem hanc susceptionẽ solùm materialiter intelligere, seu corporaliter, sed potissimum intelligenda est moraliter, quia sub cura sua alterum suscipit, quamuis necessarius etiam sit aliquis corporalis contactus, quo munus illud exterius exerceatur, & significetur ipsa moralis susceptio, & obligatio, & ideo solet hic susceptor vocari, *fideiussor*, vt patet ex Dionys. supra, & ex cap. Vos ante. de consec. dist. 4. & ex Augst. serm. 116. 163. & serm. 215. de temp. & *sponsor*, vt patet ex Tertul. supra, & sumitur ex Concil. Parisiens. 1. lib. 1. cap. 54. & *fidei doctor*, apud Aug. epist. 23. quia suscipiendo baptizatum virtualiter fideiubet, & promittit se habiturum curam salutis spiritualis illius. Quocirca licèt possit susceptor in Baptismo solenni alios actus exercere, vt tenẽdo baptizatum,

Dionys. Tertul. Augst. Iustinus

Conc. Trid.

ptizatum; dum baptizatur, vel pro illo respondendo, tamen proprius illius actus & maximè necessarius est, quòd illum suscipiat de manu baptizantis.

Atque hinc colligitur ratio huius institutionis, quam D. Thom. in articulo sufficienter attigit, scilicet, quia homo recens baptizatus, est veluti paruulus nuper genitus, qui pædagogo indiget, à quo instruatur: ad hoc ergo munus assumitur susceptor baptismi, eò q̃ spiritualis pater, qui hominem in Christo regenerat baptizando illum, non semper potest per se ipsum hoc munus exercere; & ideò susceptor conuenienter, vt fideiussor adhibetur, quo Ecclesia securior sit de fide hominis regenerati. Atq; hinc in citatis ecclesiasticis decretis cautũ est, vt hic susceptor idoneus sit atq; expeditus ad explendũ munus ad quod assumitur, ita statuitur in dict. Concil. Parisiensi, vbi dicitur *huiusmodi Patronos debere, & vim tanti sacramenti, & quid pro alijs spoponderint intelligere*, & ibi specialiter remouentur ab hoc munere. *Qui propter reatum suum publica pœnitentia fuerint multati, donec per dignam pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur.* Et in Concil. Mogũ. cap. 47. quod habetur in cap. in baptismate. de consec. dist. 4. præcipitur, vt nemo posit alterũ de Baptismo suscipere, nisi ipse baptizatus sit, atq; eadem ratione nullus baptizatus potest ad idẽ munus admitti qui sit hæreticus, quia est omnino ineptus ad huiusmodi ministeriũ. Aliam verò ob causam statuitur in Concil. Antisiodorensi cap. 25. vt Monachi, & Abbates hoc munus nõ exerceãt quia nimirum hæc cura, & solicitudo ab eorum statu est aliena. Habetur in cap. non licet. de cõsec. dist. 4. atque idem refertur ex decretis Eugenij 4. in cap. placet 2. 16. q. 1. De fœminis quidã dubitant, an possint susceptoris munus obire. Sed certum est posse, vt constat ex vsu, & antiqua traditione, apud Augst. serm. 163. de tempore, c. vos ante. de consec. dist. 4. & cap. quod autem, 30. q. 4. vbi Vrba. Papa dicit, maritum, & vxorem non debere eundem de fonte suscipere, hoc tamen vsu receptum non est. Additur verò in Conci. Nicen. cap. 22. apud Turrit. Vt, *Vxor non teneant in Baptismo fœminas, neque mulier teneant marem*, quod sanè in baptismo adultorum satis prudenter cautum erat, nunc verò in baptismo infantium non seruatur.

Conci. Paris. Conc. Mogũ. Conc. Antisi.

Vltimo tandem aduertendum est, olim statutũ fuisse, vt in Baptismo vnus tantùm sit vnius baptizati susceptor, vt patet ex cap. in Catechismo, & ca. non plures. de cõsecr. dist. 4. quæ referuntur ex decretis Iginij, & Leonis Pontificum. Postea verò vi detur consuetudine introductum, vt plures ad eundem baptizatum suscipiendum admitterentur, vt colligitur ex cap. quanuis. de cognatione spirituali in 6. Iam verò in Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim. statutum est, vt vnus tantùm siue vir, siue mulier, vel ad summum, vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, & Parocho præcipit, vt diligenter de illis inquirat, & eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatq; eos, quã cognationẽ cõtraxerint, de qua in sequent. art. pauca addemus.

C

D

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ille, qui aliquem leuat de sacro fonte, teneatur ad eius instructionem.

Inf. q. 71. ar. 1. ad 3. Et

AD octauum sic proceditur. Videtur, q̃ ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad eius instructionẽ. Quia nullus potest instruere nisi instructus. Sed etiam quidã non instructi, sed simplices admittuntur leuare aliquem de sacro fonte. Ergo ille qui suscipit baptizatum, non obligatur ad eius instructionem.

A

4. d. 6. q. 2. art. 1. 2. q. 3. cor. & ad 3.

¶ 2 Præterea, Filius magis potest à patre instrui, quàm ab alio extraneo, nã filius habet à patre esse & nutrimentum & disciplinam, vt Philos. dicit in 8. Ethic. Si ergo ille, qui suscipit baptizatũ, teneretur eum instruere, magis esset conueniens quòd pater carnalis filium suum de fonte susciperet, quam aliquis alius. Quod tamẽ videtur esse prohibitum, vt habetur in decret. 30. q. 1. c. peruenit. & dictum est.

Libr. 8. Ethi. cap. 12. circa med. & capi. 11. non longè à princ.

30. q. 1. c. peruenit. & cap. dictum est. Arti. præced.

B

¶ 3 Præterea, Plures magis possunt instruere, quàm vnus solus. Si ergo ille qui suscipit aliquem baptizatum, teneretur eum instruere, magis deberent plures suscipere, quã vnus solus, cuius cõtrarium habetur ex Decret. Leonis Papæ. Non plures, inquit, ad suscipiendum de baptismo infantẽ, quàm vnus, accedant, siue vir, siue mulier.

Loco citato in arg. 2.

SED contra est, quòd Augustin. dicit in quodam sermone Paschali. Vos ante omnia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptismo suscepistis, monco, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere.

Hoc dictũ est Aug. refertur de conse. d. 4. cap. 204. vos ante omnia. Aug. in serm. post Paschæ Dño. incipit; Hodierna dies tom. 10. Arti. præced.

C

RESPONDEO dicẽdum, quòd vnusquisque obligatur ad exequendum officiũ quod accepit. Dictum est autem, quòd ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officiũ pædagogi. Et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur, sed vbi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possũt hac cura excusari, præsumẽdo quod à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocunque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere.

AD primum ergo dicendum, q̃ vbi immineret periculum, oporteret esse aliquem doctum in diuinis, sicut Dionys. dicit, qui baptizatũ de sacro fonte susciperet. Sed vbi hoc periculum non imminet, propter hoc quòd pueri nutriuntur inter Catholicos, admittuntur quicunque ad hoc officium, quia ea, quæ pertinent ad Christianam vitam, & fidem, publicè omnibus nota sunt. Et tamen ille qui non est baptizatus, non potest suscipere baptizatum (vt est declaratum in Concilio Moguntino) licet nõ baptizatus possit baptizare, quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona

Cap. 7. Eccles. hier. non multum procul à fine.

Refertur de conse. d. 4. ca. 101. In baptismate.

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arti. præced. fonas suscipientis, sicut dictum est.

AD secundum dicendum, ꝙ sicut est alia generatio spiritualis à carnali, ita etiã debet esse alia disciplina secundũ illud Heb. 12. Patres quidẽ carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, non multò magis obtẽperabimus Patri spirituũ, & viuemus? Et ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrariũ exigat.

AD tertium dicendum, ꝙ confusio esset disciplinæ, nisi esset vnus principalis instructor. Et ideo in baptismo vnus debet esse principalis susceptor. Alij tamen possunt admitti quasi coadiutores.

COMMENTARIVS.

HIC etiam articulus ad partem moralem pertinebat, tamen, quia breuem continet materiam, hic poterit breuiter expediri. Respondet ergo D. Thom. teneri susceptorem ad instruendum baptizatum in rebus fidei, & morum, quæ ad salutem eius sunt necessariæ. Quæ est doctrina omnium veterum, quos præcedenti articul. citauimus, & exprimitur in c. vos autem. de cõsec. dist. 4. Et ratio, quam D. Tho. subiungit, est aperta, quia vnusquisq; tenetur munus illud explere, quod assumit. *D. Thom. ratio.* Item quia, vt ex dictis cõstat, ibi est quædam virtualis promissio, & fideiussio, quæ obligationẽ inducit. Addit verò D. Tho. obligationẽ hanc, cùm sit illi similis, quæ ex affirmatiuo præcepto oritur, nõ semper vrgere, sed temporibus opportunis, seu necessarijs; id est, si baptizatus hac cura patrini, & instructione indigeat; vt v. g. si infideles habeat parẽtes, vel ita negligemes, vt filium non instruant: at verò si puer est inter catholicos natus, & enutritus, & à parentibus, vel tutoribus, vel dominis, si seruus sit, vel alijs huiusmodi sufficienter instrui credatur, faciẽ possunt susceptores ab huiusmodi obligatione excusari. Quo fit, vt inter catholicos raro vrgeat hæc obligatio, quãuis cauendum sit, ne hoc munus iam ita suscipiatur, & negligenter seruetur, vt sit pura ceremonia exterior, sine vllo fructu. Deniq; obligatio hæc nõ est perpetua existimanda, sed tandiu durare censenda est, donec baptizatus in rebus fidei ad ipsum pertinentibus sit sufficienter instructus: quod si semel sufficienter fiat, cessabit susceptoris obligatio, quia iam baptizatus censetur esse extra statum infantię, in quo pædagogo indigebat. Atq; in hunc modum explicanda sunt, quæ traduntur in dicto cap. vos autem. de consec. dist. 4.

Vltimò est in hac materia aduertendum, ex hoc munere & officio susceptoris oriri, ecclesiastica etiã institutione, essentiale impedimẽtum Matrimonij, quod spiritualis cognatio appellatur, quod ideò fortasse introductũ est, vt significaretur, quã puro & spirituali affectu sit hoc munus suscipiendũ, & quã paterno amore sit prosequuturus patrinus suũ spiritualem filium, ita enim eos Patres appellant, vt pater apud Aug. d. serm. 116. de tempor. & Nicol. pap. ad consuit. Bulgarorum cap. 2. Ita (inquit) *diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem; quinimò quanto præstantior est spiritus carne, tanto magis spiritali pater est à spirituali filio diligendus.* Vnde addit inferiùs. *Est tamen alia inter eos gra-*

tuita, & sancta communio, quæ non est dicenda cõsanguinitas: sed potiùs habenda spiritalis proximitas. Propter hanc ergo causam, iure ecclesiastico vetitum est matrimonium inter has personas, vt patet ex Conc. Mogunti. sub Carol. Mag. cap. 55. & ex can. 53. Trullano, & cano. 21. Conci. Nicen. apud Turrian. Est autem hoc impedimentum, non tantùm impediens, ne Matrimonium licitè contrahi possit inter eos, qui hoc impedimento affecti sunt; verum etiam dirimens, seu irritans illud, vt multis iuribus cautum est, sub titulo de cognatione spirituali libr. 3. & lib. 6. Decretal. & in cap. Pitacium. & cap. super quibus. & cap. illud 30. q. 3. in quibus iuribus multa traduntur de personis, inter quas hoc impedimentum contrahitur. Quæ omnia nouo iure Concilij Tridentini limitata sunt, cui iam standum est, & ideò satis erit, illud breuiter proponere.

Primò ergo statuit Concilium, vt tantùm vnus, vel ad summum duo, vir scilicet & fœmina, sint capaces huius impedimenti, in quo derogat, quod decretum fuerat in cap. quanuis. de cognat. spirituali. in 6. vbi statutum fuerat sine vlla determinatione, seu limitatione personarum, ꝙ si plures ad suscipiendum accedunt, omnes hoc impedimentum contrahant: Concilium autem voluit, vt ad summũ duæ personæ possint illud contrahere; & ideò præcipit, vt parochi diligenter habeant curam designandi personam, vel personas ad summũ duas, ad hoc munus assumendas: nam etiam si contingat plures alias tangere, vel suscipere baptizatum, re verà non sunt susceptores, nec contrahunt hoc impedimentum.

Sed quæres, an quãdo sunt duæ personæ, necesse sit, illas esse virum, & fœminã, an verò possint esse duo viri, vel duæ fœminæ, Respondetur, standum esse in rigore, verbis Concilij statuentis, vt tantùm sit vnus vel vna, vel ad summum vnus & vna: non ergo possunt esse duo viri, vel duæ fœminæ, cùm enim hæc res pendeat ex iure positiuo, verbis eius standum est, præterquàm ꝙ non expedit hæc impedimenta ampliari, sed potiùs restringi. Sed quæres rursus, quid si de facto duo viri, vel duæ fœminæ baptizatum suscipiant, quis eorum cognationẽ spiritualem contrahet? Et idem quæri potest, si plures viri & plures fœminæ simul admittãtur ad hoc munus de facto, licèt non de iure, cùm non possint omnes contrahere hoc impedimentum, qui nã contrahent? Respondetur in primis, solum illum, vel illas personas illud contrahere, quæ sunt designatæ specialiter ad hoc munus, per eos ad quos eas eligere, vel designare spectat, & per parochum ad idem munus fuerint admissæ: vnde omnes illi qui specialiter designati non sunt, non contrahunt impedimentum. Deinde, si ex ignorantia vel malitia plures fuerint designati, quàm possint iuxta formam Concilij, ille tantùm contrahet impedimentũ, qui primò baptizatum susceperit, vel ad summum duo, si fuerint vir, & fœmina. Nam re vera illi tantũ sunt susceptores, & reliqui iam non sunt capaces talis ministerij. Quod si fingamus plures simul designari, & suscipere vltra formam à Concilio statutam, probabile est, neminem eorum contrahere impedimentum. Nam certè videtur, nullum esse ibi verum, ac legitimũ susceptorem, quia nullus exerceat munus illud eo modo, quo ab Ecclesia statutũ est; & ideò fit probabile, nullum contrahere impedimentum: quia hoc iam limitatum est ad illum, qui fuerit, vel totalis susceptor, vel ita partialis, vt solùm habeat alium

alium socium diuersum in sexu, in eo autem casu nullus est huiusmodi susceptor. Nihilominus alijs probabile videri potest, in eo casu omnes contrahere cognationem, & Concilium esse intelligẽdum, si seruetur forma ab ipso præscripta, vel certè mora liter, ac regulariter loquendo, quanquam nõ ita videtur consentaneum verbis Concilij, nam simpliciter excludit hoc impedimentum, quando non seruatur forma ab ipso præscripta, vt inferiùs iterũ dicã. Sed quãuis hoc sit ꝓbabile, quia res est dubia, & ab alijs hactenus hoc explicatum nõ est, nõ esset hoc facilè consulendũ, sed abstinendũ potiùs ab huiusmodi Matrimonio, saltem propter dubium.

Secundò explicat Concilium, respectu quarum personarum contrahat susceptor huiusmodi impedimentum; & tres tantùm personas numerat, scilicet, baptizatum ipsum, & patrem, & matrem eius. Ideoque si susceptor contrahat matrimonium cum fœmina baptizata, quam de sacro fonte leuauit, vel è contrario susceptrix cum viro baptizato, nullum est matrimonium, atq; idem est si susceptor cũ matre baptizati, aut susceptrix cum patre eius tentet contrahere. Et ratio est, quia Ecclesia potuit hoc impedimentum ponere, & vsa est sua potestate, & sicut potuit ponere, ita potuit, vel ampliare, vel limitare, & de facto limitauit ad has personas. Et sanè meritò, quia hoc satis est ad spiritualem fructum suprà declaratum, & alioquin tolluntur multa incommoda, quæ ex huiusmodi impedimẽtis sequi solẽt, si nimium multiplicẽtur. Vnde constat primò, ablatum iam esse impedimentum spiritualis fraternitatis, quod inter baptizatum, & filios susceptoris, contrahi solebat: vnde, iam inutiles sunt omnes quæstiones quæ de hac fraternitate tractari solebant, solùm ergo durat paternitas spiritualis inter susceptorem & susceptum, & compaternitas inter eundem susceptorem & parentes susceptι. Secundò colligitur, si duo sint susceptores, vir scilicet, & fœmina, inter eos nullum oriri impedimentum, quia neque iuxta antiqua iura cõtrahebatur, vt omnes docent in 4. dist. 42. neque Concil. Tridẽ. nouum aliquod impedimentum introducere voluit. Quocirca quãdo Concilium, inquit, *ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem, & matrem spiritualis cognatio contrahatur*, sensus illius particulæ, *inter quos*, non est ꝙ inter illos inter se talis cognatio cõtrahatur, sed inter illos, & alias personas, quæ statim numerãtur. Quo fit, vt si vir, & vxor alienum puerum de sacro fonte leuent, nullum inter se contrahant impedimentum ad reddendum, vel petendum debitum, probabile tamen est, eos peccare, simul ad hoc munus accedendo, nam licèt Vrbanus II. in capit. quod autem. 30. q. 4. dicat, Nulla autoritate hoc reperiri prohibitum, ipse tamen decernit vt minimè hoc facere præsumant propter maiorem decentiã, & puritatem: non existimo tamen hanc fore grauẽ culpam, quia materia leuis est, imò si contrariũ esset consuetudine receptum, facilè possent ab omni culpa excusari. Tertiò colligitur, si solus maritus sit susceptor, quatenus ipse contrahat cognationem cum baptizato, nihilominùs vxorem eius nullam cõtrahere, quia Concilium limitat illam ad ipsum susceptorem, & ita explicuit Pius V. in quodam motu proprio, & notauit Nauar. cap. 12. nu. 39. Quòd si obijcias, quia vir, & vxor sunt vna caro, & ideò impedimentum vnius redundat in alterum. Respõde-

Dubium.

tur, negando consequentiam, tum quia hoc impedimentum est alterius rationis, & ordinis, tum etiã, quia sola lege ecclesiastica est introductum, & ideo non extenditur vltra præscriptum legis.

Sed hinc oritur vulgare dubium, Quid, si pater filium suum ex legitima coniuge natum, necessitate vrgente, in Baptismo suscipiat, an contrahat aliquod impedimentũ cũ sua vxore, vt saltem debitũ petere non possit. Et est ratio dubij, quia Concilium generaliter dicit contrahi cognationem spiritualẽ inter susceptorem, & matrem pueri baptizati. Respondetur tamen, nullum contrahi impedimentũ, ita enim expressè declarat Ioan. 8. in cap. ad limina. 30. q. 1. quia pater non debet priuari iure suo; iam per matrimonium acquisito, eò ꝙ filio in necessitate subueniat. Vnde neque baptizando illum tale cõtrahit impedimentum, vt ibidem dicitur, Concilium autem Tridentinũ in hoc nihil de nouo statuit, sed solùm in his casibus, in quibus iure antiquo contrahebatur cognatio spiritualis, limitationem ad certũ numerum personarum adhibuit.

Aliud dubium.

Maius verò dubium est, si parens sine vlla necessitate filium suum in Baptismo suscipit, an teneatur non petere debitum, vel non reddere. Respondetur primò, si ex ignorantia facti, aut iuris, seu ex errore personæ id fecit, nõ solùm reddere, sed neq; etiam petere prohiberi, quia existimatur ex necessitate quadam, atque inuoluntariè fecisse. Deinde si sciens, & videns ex malitia id faciat, certum est nihilominùs teneri ad reddendum debitum alteri cõiugi petenti, quia alter non debet priuari iure suo ob peccatum alterius, & vtrumq; horum statutum est in cap. si vir. de cognat. spirituali. vbi corrigitur antiqua iura. in c. 1. & 2. 30. q. 1. Idem verò colligitur ex cap. 3. & sequentib. eiusdẽ causæ & quæstionis. An verò in hoc casu sit prohibitum huiusmodi coniugi, qui proprium filium scienter de Baptismo suscepit, petere debitum, meritò dubitari potest, nam ille volũtariè, & sine necessitate illud munus suscepit, ergo contrahit hoc impedimentum, quantum iure contrahere potest: potest autem meritò priuari iure petendi. Vnde in citatis iuribus, nũquam ei datur facultas petendi debitum, sed solùm asseritur non debere separari ab altero cõiuge, quia nõ debet illi malitia, & fraus patrocinari; quæ ratio procedit de obligatione reddendi, nõ autem de iure petendi. Item, quia impedimentum ditimens matrimonium postea contractum, si superueniat post matrimonium antea contractum, saltem priuat iure petendi debitum. Tandem hæc est cõmunis sententia doctorum in 4. d. 42. vbi D. Tho. q. 1. art. 1. & quodl. 6. q. 3. Palud. q. 1. art. 1. concl. 7. Soto art. 3. Syluest. verb. Matrimonium. 8. q. 7. Nauar. cap. 16. num. 34. & Abbas in cap. si vir. de cognat. spirituali. Nihilominùs contrariam sententiam tenent Cardinalis in dict. cap. si vir. & alij Doctores, quos Syluest. suprà refert. Quorum fundamentum esse potuit, quia hoc impedimentum, seu prohibitio petendi debitum in eo casu, nullo iure constat, ergo non est curasseratur: nam in huiusmodi impedimẽtis & prohibitionibus, quæ ex iure positiuo pendent, neque congruentiæ, neq; argumenta à simili sunt efficacia. Antecedens patet, nam duo, vel tria iura ad hoc adduci solent: primum est ca. peruenit, 30. q. 1. quod quidem videtur expressam prohibitionem continere: tamen illud decretum manifestè derogatum est in cap. si vir. de cognat. spirituali. & mani-

Universidad de Deusto Biblioteca

manifestum argumentum est; quod prædictũ capitulum Peruenit, loquitur etiam quando parentes per ignorantiam hoc faciunt, vt patet ex illa dictione, *nescientes*, at verò est certissimum ex alijs iuribus, quando intercedit ignorantia, nullum huiusmodi impedimentum oriri. Rursus afferri solet capitulum. de eo. 30. q. 1. & dictum cap. si vir. in quibus solùm dicitur, ꝙ in eo casu, *alter alteri non subtrahat debitum*, non tamen dicitur, ꝙ possint petere. Sed in primis in his iuribus non prohibentur petere, imò in dict. cap. de eo. dicitur, vt etiam si ambo coniuges ex industria id faciant, si nolint, non separentur, sed simul maneant, & alia pœna mulctentur. Ergo supponit illud decretum, licitum esse illis petere debitum, alioquin deberent per Ecclesiam quoad thorum separari; cur enim Ecclesia cohabitare permitteret, non solùm vt patres, sed etiã vt coniuges, eos, quibus ex impedimẽto, & prohibitione ipsius Ecclesiæ non liceret debitum exigere. Et confirmo, nam in eo casu, quo vterque sciens & videns suscipit filium, volens & intendens contrahere impedimentum, si neuter potest petere debitum, neuter etiam potest reddere alteri petẽti, ergo nõ possunt simul manere vt coniuges, sed omnino tenentur alter alteri subtrahere debitum, quæ sunt cõtra prædicta iura. Prior sequela patet, quia qui sciens & videns voluit contrahere impedimentum, hoc ipso cessit iuri suo, & quando ambo in hoc consentiunt, ambo sibi mutuò cedunt, & acceptant: ergo neuter posteà iure petit, & consequenter neuter tenetur reddere: ergo nec licitè reddere potest.

Quocirca liberè fateor, nullum in iure me inuenire sufficiens fundamentum ad hoc impedimentũ asserendum. Neque etiam ratio illa cogit, quòd scilicet huiusmodi impedimentum inter alios non coniugatos est dirimens matrimonium. Nam regula illa, quòd impedimentum dirimens vinculum inter non coniugatos, impedit actum petendi inter coniugatos, habet quidem locum, quando in ipso iure non est restrictum impedimentum ad non cõiugatos: at verò in præsenti ipsum ius hanc limitationẽ adhibuit, & ratio insinuatur in cap. ad limina. 30. q. 1. quia hæc nõ est sufficiens causa ad separandos eos, quos Deus coniunxit. in cap. verò. si vir. de cognat. spirit. insinuatur alia, scilicet, ne detur occasio coniugibus, vt per fraudem & dolum thoro separẽtur, & inducãt impedimentũ viui matrimonij cõtrarium. Exemplum afferri potest, nam qui baptizat filium suum in extrema necessitate, nullum impedimentum contrahit etiam ad petendum debitum: & tamen, qui baptizat filium alterius etiam in necessitate, non potest matrem eius ducere vxorẽ secundùm communem sententiam, quia hoc impedimentum in iure est limitatum respectu alterius non coniugis. Itaque in hac re solum est certum, peccare grauiter parentem, qui filium suum de propria coniuge natũ in baptismo suscipit sine necessitate, hoc enim apertè prohibetur & asseritur in dictis iuribus, quod verò posteà teneatur hac de causa non petere debitum, non video, quo sufficienti fundamento asseratur, quanuis in re morali communem sententiam deserere difficile sit.

Cõmunis senten. D. Thom. Palud. Nauar. Couar.

Vltimò dubitari potest in hac materia, an hoc impedimentum contrahatur in priuato baptismo, vel tantùm in solenni. Et quidem, stando in iure antiquo, communis sententia affirmat cõtrahi, vt patet ex D. Tho. Palud. & alijs dicta dist. 42. Nauar. ca-
A pit. 16. nu. 34. cap. 22. nu. 40. & Couar. in 4. decre. cap. 6. §. 4. nu. 4. Quorum fundamentum est, quia iura antiqua generaliter loquuntur de susceptore, non limitando ad baptismum solennem, vel priuatum. Vnde infert Nauarrus idem esse seruandum nũc, quia Concilium Tridẽtinum nihil in hoc innouauit. Et addit in dict. cap. 22. nu. 39. ꝙ si in eo casu nulli designentur in patrinos, omnes, qui tangũt baptizatũ, contrahũt impedimentum, etiam si sint plures, quàm duo vel tres: quia Concilium Tridentinum solùm restringit hunc numerũ ad susceptores designatos. Nihilominùs contrariam sentẽtiam tenuit Soto in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. circa finem. Et fundamentum indicat his solis verbis, quia vbi non est solennitas, non est propriè susceptor. Et ita interpretatur tacitè iura antiqua, nam illa supponunt solennem ritum baptismi, quo introductum est, vt
B præter baptizantem aliquis sit susceptor: nam seclusa illa solennitate, cùm aliquis corporaliter tantum teneat baptizatum, non sufficit ad munus susceptoris, & consequenter non satis est ad cognationẽ spiritualem cõtrahendam. Imò, quòd in baptismo priuato aliquis teneat baptizatum, est valde accidentarium & quasi materiale, & nõ fit propter ceremoniam baptismi. Vnde si is, qui baptizatur, sit adultus, nunquam in baptismo priuato aliquis adhibebitur, qui illum teneat, vel suscipiat: si verò sit infans, interdum baptizari solet in lecto, interdum in vlnis matris, vel alterius personæ, non propter ceremoniam, sed propter cõmoditatem, vel opportunitatẽ, quod certè non satis est ad spiritualem cognationẽ, quæ secundum iurium intentionem nõ est, nisi vbi est susceptor eo modo, quo speciali ceremonia Ecclesiastica est introductus. Quocirca hęc opinio,
C quanuis singularis videatur, mihi videtur satis consentanea rationi, & iuri etiam antiquo; & ad minimum censeo, si is, qui baptizatum tenet, tantũ (vt ita dicam) materialiter illum teneat, & non intẽdat illum veluti spiritualiter suscipere, exercendo circa illum quoddam ecclesiasticum munus, & sub cura sua illum suscipiendo, eum nec posse propriè vocari susceptorem, nec contrahere spiritualem cognationem, & ita existimo fieri regulariter in Baptismo priuato. Vnde cùm ita sit, non oritur in susceptore illa obligatio instruendi baptizatum, quam supra diximus esse in solenni baptismo. Et ratio omnium est, quia tam obligatio, quàm spiritualis cognatio, oritur ex proprio munere & actu susceptoris, hoc autem, quãuis requirat aliquam actionem externã, non tamen in illa sola consistit, sed requirit intentionem aliquam, saltem exercendi actum ab Ecclesia institutum. Addo præterea, quãuis in Baptismo
D solenni, necessarium sit adhibere susceptorem ex præcepto Ecclesiæ, eo modo, quo necessariũ est seruare alias graues Ecclesiæ ceremonias, tamen in baptismo priuato hoc non esse necessarium; nihilque peccari, si omittatur, quia nullum de hac re extat speciale præceptum positiuum. Item, quia si tunc non est necessarium seruare alias ceremonias pro solenni Baptismo ab Ecclesia institutas, cur erit necessarium hanc obseruare. Nihilominùs tamen licèt hæc ceremonia tũc non sit ex præcepto necessaria, si tamen verè, ac propriè adhibeatur voluntariè, probabile est, quod cõmunis opinio dicit, tunc cõtrahi cognationem spiritualem, quia tunc re vera ille est susceptor, de quo iura loquuntur. Nam, quòd aliæ solennitates non adhibeantur, non impedit, quomi-

A nus hæc possit impleri. Quo supposito, verùm etiam est, post Concilium Tridentinum posse hanc cognationem contrahi in priuato baptismo, quia Concilium nihil in hoc innouat, quod iuri antiquo sit contrarium. Et quanuis dicat, susceptorem debere designari, & admitti à parocho; tamen, vel id intelligendum est ordinariè, & in Baptismo solenni, vel certè nomine parochi comprehenditur omnis ille, qui munus baptizandi loco parochi suscipit. Non probatur tamen mihi, quod Nauar. ait, tunc posse plures, quam vnum vel ad summum duos, spiritualem hanc cognationẽ contrahere, quia est apertè contra limitationem factã à Concilio Tridentino. Vnde etiam falsum existimo dicere, si nullus sit specialiter designatus in susceptorem, omnes, qui tangunt puerum, seu tenẽt baptizatum, contrahere hoc impedimentũ, quot-
B quot illi sint; quia Concilium solùm præscripsit numerum in susceptoribus specialiter designatis. Hoc (inquam) existimo falsum, sed potius in eo casu iudico neminem contrahere tale impedimentum, quia Concilium simpliciter voluit, vt non possent esse plures susceptores, quàm duo, vir scilicet & fœmina. Et ad hoc voluit, vt qui futurus esset susceptor, esset specialiter designatus: & ideò, qui designatus non est, iam non est susceptor: & consequenter nec contrahit impedimentum, alioqui non euitarentur incommoda, quæ Concilium euitare intendit, si possent esse susceptores ad hoc munus non designati, vel plures quam designati. Quæ omnia etiam in Baptismo solenni verum habent: ergo à fortiori in priuato. Et hæc sufficient de susceptore, & de cognatione spirituali quam contrahit, quæ ferè omnia applicari possunt ad su-
C sceptorem in sacramento Confirmationis. Nam in omnibus est eadem ratio, his tantùm exceptis, quę ad baptismum priuatum pertinent, vt infra suo loco breuiter attingemus. De cognatione autem spirituali, quam contrahit minister baptismi, dicemus infra in parte morali agentes de obligationibus eius, vbi addemus aliqua, quæ de hac cognatione spirituali desiderari possunt.

QVÆSTIO LXVIII.

De suscipiẽtibus Baptismum, in duodecim articulos diuisa.

D DEINDE considerandum est de suscipiẽtibus Baptismum.

¶ *Et circa hoc quæruntur duodecim.*

Primò, vtrùm omnes teneantur ad suscipiẽdum Baptismũ.
Secundò, vtrùm aliquis possit saluari sine Baptismo.
Tertiò, vtrùm Baptismus sit differendus.
Quartò, vtrùm peccatores sint baptizandi.
A Quintò, vtrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.
Sextò, vtrùm requiratur confessio peccatorum.
Septimò, vtrùm requiratur intentio ex parte baptizati.
Octauò, vtrùm requiratur fides.
Nonò, vtrùm pueri sint baptizandi.
Decimò, vtrùm pueri Iudæorum sint baptizandi inuitis parentibus.
Vndecimò, vtrùm aliqui sint baptizandi in maternis vteris existentes.
Duodecimò, vtrùm furiosi & amentes sint baptizandi.

B TRactatur D. Thom. in hac quæstione de his qui suscipiunt sacramentũ Baptismi, in eius discursu omnia cõplectitur, quæ ad huiusmodi personas pertinere possunt. Quæ ad quatuor capita videntur reuocari, quæ sunt capacitas Baptismi, ad quã spectant omnia quæ ex parte baptizati necessaria sunt, vt Baptismus fiat. Secundũ est obligatio suscipiendi Baptismum. Tertium est id quod ex parte baptizati est necessariũ ad consequendum effectum Baptismi. Quartum est necessitas huius effectus, seu Baptismi ratione illius. Quæ omnia persequitur D. Thom. in duodecim articulis huius quæstionis. Ne verò inchoatũ à nobis ordinẽ inuertamus, circa hanc quæstionẽ solùm ex professo disputabimus ea, quæ ex parte suscipiẽtis pertinent ad valorem & substantiã sacramenti, de qua nunc agimus, & quæ cum his necessario con-
C nexa sunt, de cæteris verò attingemus tãtùm ea, quæ ad intelligendum mentem D. Thom. fuerint necessaria; longiorem verò disputationem, vel ad quæstionem sequentem, quæ est de effectu huius sacramenti, vel ad doctrinam moralem huius materiæ, in fine illius tradendam, reseruabimus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.

D AD primum sic proceditur. Videtur, quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christũ enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi aduentum poterant homines saluari sine Baptismo. Ergo & post Christi aduentum.

Inf. q. 70. ar. 2. ar. 3. & 4. & 4. d. 4. q. 3 ar. 3. q. 2. cõ. & ad 3. & d. 6. q. 1. art. 1. q. 1. con. & 4. cõt. c. 71.

¶ 2 Præterea, Baptismus maximè videtur esse institutum in remedium peccati originalis. Sed ille qui est baptizatus, cùm non habeat originale peccatum, non videtur quòd possit illud transfundere in prolem. Ergo filij baptizatorum non videntur esse baptizandi.

¶ 3 Præterea, Baptismus datur ad hoc, quòd aliquis per gratiam à peccato munde-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. Sed hoc consequuntur illi, qui sunt sanctificati in vtero sine Baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum Baptismum.

SED cōtra est, quòd dicitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei. Et in lib. de Ecclesiasticis* dogmatibus dicitur, Baptizatis tātùm iter salutis esse credimus.

In lib. de eccl. dogmat. c. 24. & 7. Habetur inter ope. Aug. to. 3.

RESPONDEO dicendum, quòd ad illud homines tenentur, sine quo salutem cōsequi non possunt. Manifestum est autem, quod nullus potest salutem cōsequi, nisi per Christum. Vnde & Apost. dicit Rom. 5. Sicut per vnius delictū in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiā, in omnes homines in iustificationem vitæ. Ad hoc autē datur baptismus, vt aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, & fiat membrū ipsius. Vnde dicitur Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vnde manifestum est, quòd omnes ad baptismum tenentur, & sine eo nō potest esse salus hominibus.

AD primum ergo dicendum, quòd nunquam homines potuerūt saluari, etiam ante Christi aduentum, nisi fierēt membra Christi: quia, vt dicitur Acto. 4. non est aliud nomē datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sed ante aduentū Christi, homines Christo incorporabantur per fidē futuri aduentus: cuius fidei signaculum erat circuncisio, vt Apostolus dicit Roman. 4. Ante verò quàm circuncisio instituereturi, sola fide (vt Gregor. dicit) cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidē antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur, secūdùm illud Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Sed alio signo manifestatur fides rei iam præsentis, quàm demōstraretur, quando erat futura: sicut etiā alijs verbis significatur præsens, præteritum, & futurum. Et ideò licèt ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem, fides tamen, cuius baptismus sacramētum est, semper necessaria fuit.

Lib. 4. Mora. c. 2. circa me.

1. 2. q. 81. a. 3. ad 2.

AD secundum dicendum, quòd (sicut in secunda parte dictum est) illi qui baptizantur, renouantur per baptismum secundū spiritum, corpus tamen remanet subiectum vetustati peccati, secundùm illud Rom. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatū, spiritus verò vivit propter iustificationem. Vnde & August. probat in lib. contra Iulianū, quod non baptizatur in homine, quicquid in eo est. Manifestum est autem, quòd homo non generat generatione carnali secundùm spiritum, sed secundùm carnem. Et ideò filij baptizatorum cum peccato originali nascuntur, vnde indigent baptizari.

Lib. 6. ca. 6. à med. ad fin. to mo 7.

AD tertium dicēdum, quòd illi qui sunt sanctificati in vtero, consequuntur quidem gratiam, emundantem à peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurētur. Et propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in vtero, necesse esset eos baptizari, vt per susceptionem characteris, alijs membris Christi conformarentur.

COMMENTARIVS.

SAEPE in superioribus distinximus duplicem necessitatem sacramentorum medij, scilicet, & præcepti, & has duas videtur explicare Diuus Thomas in tribus primis articulis huius quæstionis. Et in hoc primo videtur quidem agere de necessitate præcepti, vt cōstat ex titulo eius, tamen, quia hæc necessitas præcepti ibi semper est, vbi est necessitas medij, ideò D. Thomas in corpore articuli, ex eo quòd fides Christi, & exterior eius professio per actum à Deo præceptum, est necessaria ad salutem, colligit obligationem ad baptismum suscipiendū, quia in lege noua baptismus est sacramentū fidei, per quod fidem Christi solēniter profitemur, eiq; incorporamur, & in eo legeneramur. Atque hinc colligit in solutione ad primum, in omni lege, & statu hominū post peccatū primi parentis, fuisse similem obligationem profitendi fidem Christi per sacramentum, seu signum externum ad hoc institutū, de qua re latè disputauimus suprà, tractantes de sacramentis in genere. Cætera, quæ D. Tho. dicit in articulo, clara sunt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine baptismo aliquis possit saluari.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod sine baptismo nullus possit saluari. Dicit enim Dominus Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Sed illi soli saluantur, qui regnum Dei intrant. Ergo nullus potest saluari sine baptismo, quo quis regeneratur ex aqua & Spiritu sancto.

T. 2. q. 81. ar. 3. ad 4. & q. 4. a. 3. q. 2. & ad 3. contr. Gen. col. 2. & lib. 1. Et to. 8. col. 1. Ca. 74. habetur de cō sec. d. 4. c.

¶ 2 Prætereà. In lib. * de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur. Nullum catechumenū, quamuis in bonis operibus defunctū, vitam æternā habere credimus, excepto martyrio, vbi tota virtus sacramēti baptismi completur. Sed si aliquis sine baptismo posset saluari, maximè hoc haberet locū in catechumenis, bona opera habentibus, qui videntur habere fidem per dilectionem operantem. Videtur ergo, quòd sine baptismo nullus possit saluari.

Iuli. de obitu Valentin. pan lo ante med. habetur li. 5. Epi. immediate post epist. 33. tom. 3.

q. 65. art. 3. & 4.

Libr. 5. Met. tex. 6. to. 3.

¶ 3 Prætereà. Sicut suprà dictum est, sacramentum baptismi est de necessitate salutis. Necessarium autem est, sine quo non potest aliquid esse, vt dicitur 5. Metaph. * Ergo videtur, quòd sine baptismo nullus possit consequi salutem.

In lib. q. 1. Leuitic. q. 84. a med. tom. 4.

SED contra est, quòd August. * dicit super Leuiticum, Inuisibilem sanctificationē quibusdam assuisse & profuisse, sine visibilibus sacramentis, visibilem verò sanctificationem (quæ fit sacramento visibili) sine inuisibili posse adesse, sed non posse prodesse. Cùm igitur sacramentum baptismi ad visibilem sanctificationem pertineat, videtur, quòd sine sacramento baptismi, aliquis possit salutem consequi per inuisibilem sanctificationem.

RESPONDEO dicendum, q̄ sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui deesse. Vno modo & re, & voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quod manifestè ad contemptū sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent vsum liberi arbitrij. Et ideò hi, quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed nō voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu, præuenitur morte, antequā baptismum suscipiat. Et talis sine baptismo actuali, salute consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante: per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Vnde Ambros. * dicit de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit. Quem regeneratum eram amisi, veruntamen ille gratiam, quam popoſcit, non amisit.

AD primum ergo dicendum, quòd sicut dicitur 1. Reg. 16. Homo videt ea, quæ patēt, Dominus autem intuetur cor. Ille autē qui desiderat per baptismum regenerari ex aqua & Spiritu sancto, corde quidem regeneratus est, licèt non corpore. Sicut & Apostolus dicit Rom. 2. quòd circuncisio cordis est in Spiritu, non in litera, cuius laus nō ex hominibus, sed ex Deo est.

AD secundum dicendum, quòd nullus peruenit ad vitam æternam, nisi absolutus ab omni culpa & reatu pœnæ. Quæ quidem vniuersalis absolutio fit in perceptione baptismi & in martyrio, propter quod dicitur quod in martyrio omnia sacramenta baptismi complentur, scilicet, quantum ad plenā liberationem à culpa & pœna. Si quis ergo catechumenus sit habēs desiderium baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, quæ non possunt esse sine fide per dilectionem operante) talis decedens non statim perueniet ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipse tamen saluus erit sic quasi per ignem, vt dicitur 1. ad Corin. 3.

AD tertium dicendum, quòd pro tanto dicitur sacramētum baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeatur, quæ apud Deum reputatur pro facto.

COMMENTARIVS.

RESponsio Diui Thomæ est, sine Baptismo in re suscepto posse aliquem saluari, non tamen sine Baptismo in re, vel in voto: significat tamen in solutione ad secundum, Martyrium etiam habere vim ad supplēdam vicem Baptismi: de qua re dicemus inferius.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Baptismus sit differendus.

4. d. 4. q. 3. a. 1. q. 2. & d. 17. q. 3. ar. 2. q. 4. corp. Et mal. q. 4. a. 1. Habetur de cō sec. d. 4. c. duo tempora. Et sumitur ex Epist. eius 4. cap. 5. In Conc. Agathen. c. 23.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd baptismus sit differendus. Dicit enim Leo * Papa, Duo tēpora: id est, Pascha & Pentecosten ad baptizandum à Romano Pontifice legitimè præfixa sunt: vnde dilectionem vestrā monemus, vt nullos alios dies huic obseruationi misceatis. Videtur ergo, quod oporteat non statim aliquem baptizari, sed vsque ad prædicta tempora baptismum differri.

¶ 2 Prætereà. In Concilio Agathensi * legitur, Iudæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges Catholicas venire voluerint, octo menses inter catechumenos Ecclesiæ limen introeant, & si pura fide venire noscantur, tunc demum baptismi gratiam mereantur. Non ergo statim sunt homines baptizandi, sed vsque ad certum tempus ad differendum baptisma.

¶ 3 Prætereà. Sicut dicitur Isai. 27. Iste est omnis fructus, vt auferatur peccatum. Sed magis videtur auferri peccatū, vel etiā diminui, si baptismus diu differatur. Primò quidē, quia peccātes post baptismū grauiùs peccāt, secūdùm illud Hebr. 10. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, scilicet per baptismū? Secundò, quia baptismus tollit peccata præterita

Universidad de Deusto
Biblioteca

terita, non autem futura, vnde quãtò magis baptismus differtur, tãtò plura peccata tollit. Videtur ergo, quòd baptismus debeat diu differri.

SED contra est, quòd dicitur Ecclesiast. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Sed perfecta conuersio ad Deum est eorum, qui regenerantur in Christo per baptismum, Non ergo debet baptismus differri de die in diem.

RESPONDEO dicẽdum, quòd circa hoc distinguendum est, vtrùm sint baptizãdi pueri vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum baptisma. Primò quidem, quia nõ expectatur in eis maior instructio, aut etiam plenior conuersio. Secundò, propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subueniri, nisi per sacramentũ baptismi. Adultis verò subueniri potest per solũ baptismi desiderium, vt supra dictũ est. Art. præced. Et ideò adultis nõ statim cum conuertuntur, est sacramentum baptismi conferrẽdum, sed oportet differri vsque ad aliquod certum tempus. Primò quidem propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur, sacramentum fictè accedentibus conferens, secundùm illud 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quæ quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquod spatiũ, eorum fides & mores examinantur. Secundò, hoc est necessarium ad vtilitatem eorum, qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent, ad hoc quòd plenè instruantur de fide, & exercitentur in his, quæ pertinent ad vitam Christianam. Tertiò, hoc est necessarium ad quandam reuerẽtiam sacramenti, dum in solennitatibus præcipuis, scilicet Paschæ, & Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur, & ita deuotiùs sacramentum suscipiunt. Hæc tamen dilatio est prætermittenda duplici ratione. Primò quidem, quando illi, qui sunt baptizãdi, apparent perfectè instructi in fide, & ad baptismum idonei, sicut Philippus statim baptizauit Eunuchum (vt habetur Actor. 8.) & Petrus Cornelium, & eos, qui cum eo erant, vt habetur Actorum 10. Secundò, propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis. Vnde Leo Papa * dicit, Hi qui necessitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragij, vrgentur, omni tempore debent baptizari. Si tamen aliquis morte præueniatur, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, saluatur, licet per ignem, vt suprà dictum est. Peccat autem si vltra tempus institutum ab Ecclesia, differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria & licentia prælatorum Ecclesiæ. Sed tamen & hoc peccatum cum alijs deleri potest per succedentem contritionem, quæ supplet vicem baptismi, vt suprà dictum est.

Habetur de consec. dist. 4. c. Si quis necessitate, sumitur ex epist. eius 4. c. 6.

Art. præced. ad 2.

Intra. art. præc.

AD primum ergo dicendum, quòd illud mandatum Leonis Papæ de obseruandis duobus temporibus in baptismo: intelligẽdum est de adultis, excepto tamen periculo mortis, quod semper in pueris est timendũ, vt dictum est. *In corp.*

AD secundum dicendum, quòd illud de Iudæis, est institutum ad Ecclesiæ cautelã, ne simplicium fidem corrumpant, si nõ fuerint plenè conuersi. Et tamen, vt ibidem subditur, si infra tempus præscriptum, aliquod periculum infirmitatis incurrerint, debent baptizari.

AD tertium dicendum, quòd baptismus per gratiam, quam confert, non solùm remouet peccata præterita, sed etiam impedit peccata futura, ne fiant. Hoc autem præcipuè desiderandum est, vt homines non peccent. Secundariò autẽ vt leuiùs peccent, vel etiam vt eorum peccata mundentur. Secundùm illud 1. Ioan. 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis: sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

COMMENTARIVS.

IN titulo huius articuli multa comprehendi possunt. Primum est, an aliqua dilatio baptismi sit necessaria ad valorem eius, & hanc quæstionem attigit D. Thomas in priori parte articuli, dicens, dilationem vsque ad vsum rationis non esse necessariam, vt hoc sacramentum dari possit, & validè, & licitè, ac conuenienter; & eandem quæstionem inferius tractat art. 10. Et huc etiam potest spectare quæstio, quam infrà tractat in articulo vndecimo, Vtrùm necesse sit differre baptismũ vsque ad perfectam natiuitatem ex vtero, de qua ibi dicemus. Secundò quæri potest in titulo proposito, an is, qui ad ætatem adultam sine baptismo peruenit, teneatur quàm primum potest, illum accipere, & an differri possit, & quanto tempore, & quid in hoc sit absolutè necessarium, quid verò magis expediens, & hæc omnia tractanda inferius sunt in morali disputatione.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccatores sint baptizandi.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd peccatores sint baptizandi. Dicitur enim Zachar. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Quod quidem intelligitur de fonte baptismali. Ergo videtur, quod sacramentum baptismi sit etiã peccatoribus exhibendum.

¶ 2 Prætereà, Dominus dicit Matth. 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Male autem habentes, sunt peccatores. Cum igitur spiritualis medici, scilicet Christi, medicina sit baptismus, videtur quod peccatoribus sit sacramentum baptismi exhibendum.

¶ 3. Prætereà, Nullum subsidium debet peccatoribus subtrahi. Sed peccatores baptizati, ex ipso charactere baptismali spiritualiter adiuuantur, cùm sit quædam dispositio ad gratiam. Ergo videtur, quòd sacramentum baptismi sit peccatoribus exhibendum.

Alias, quia Aug. ad Bonif. Epist. 23. dicit, in baptismo aliquis membrũ Christi efficitur. Sed nullus peccator, persistens in voluntate peccandi, potest fieri membrũ Christi, quod est incorporari Christo: Et sic huiusmodi peccator non est baptizandus: quia frustra baptizaretur.

Colligitur ex 3. dist. 22. a. 2. q. 2. Tom. 9.

SED contra est, * quòd August. * dicit, Quæreauitte sine te, non iustificabit te sine te. Sed peccator, cùm habeat voluntatem non dispositam, non cooperatur Deo, imò magis contrarium operatur. Ergo frustrà adhiberetur sibi baptismus ad iustificationem non dispositio.

Lib. de medicina pœnit. c. 2. non procul à princ. tom. 9.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquis potest dici peccator dupliciter. Vno modo propter maculam & reatum præteritum. Et sic peccatoribus est sacramentum baptismi conferendum: quia est ad hoc specialiter institutum, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur, secundum illud Ephes. 5. Mundans eam (scilicet Ecclesiam) lauacro aquæ in verbo vitæ. Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi & proposito persistendi in peccato. Et sic peccatoribus non est sacramentum baptismi conferendum: primo quidem, quia per baptismum homines Christo incorporantur: secundum illud Galat. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quandiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus, secundum illud 2. Corinth. 6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Vnde & Augustin. * dicit in lib. de pœnitentia, quod nullus suæ voluntatis arbiter constitutus, potest nouam vitam inchoare, nisi cum veteris vitæ pœniteat. Secundo, quia in operibus Christi & Ecclesiæ nihil debet fieri frustrà. Frustrà autem est, quod non pertingit ad finem, ad quem est ordinatum. Nullus autem habens voluntatem peccandi, simul potest à peccato mundari, ad quod ordinatur baptismus, quia hoc esset pœnæ contradictoria esse simul. Tertio, quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas. Est autem signum falsum, cui res significata non respondet. Ex hoc autem, quod aliquis lauãdum se præbet per baptismum, significatur, quòd se disponat ad interiorem ablutionem. Quod non cõtingit de eo, qui habet propositum perstitẽdi in peccato. Vnde manifestum est, quod talibus sacramentum baptismi non est conferendum.

AD primum ergo dicendum, quòd illud verbum est intelligendum de peccatoribus, qui habent voluntatem recedendi à peccato.

AD secundum dicendum, quòd spiritualis medicus, scilicet Christus, operatur dupliciter. Vno modo interiùs per seipsum, & sic præparat voluntatem hominis, vt bonum velit, & malum odiat. Alio modo operatur per ministros, exteriùs adhibendo sacramenta, & sic operatur perficiendo exterius id, quod est interius inchoatum. Et ideò sacramentum baptismi non est exhibendum, nisi ei, in quo interioris conuersionis aliquod signum appareat: sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo, nisi in eo aliquis motus vitalis naturæ appareat.

AD tertium dicendum, quòd baptismus est fidei sacramẽtum. Fides autem informis non sufficit ad salutem, nec ipsa est fundamẽtũ, sed sola fides formata, quæ per dilectionem operatur, vt Augustinus † dicit in libr. de fide & operibus. Vnde nec sacramentum baptismi salutem conferre potest cum voluntate peccandi, quæ fidei formam excludit. Non est autem per impressionem characteris baptismalis aliquis disponendus ad gratiam, quandiu in eo apparet voluntas peccandi, quia Deus neminem ad virtutem compellit, sicut Damasc. * dicit.

Ca. 16. to. 4.

Lib. 2. ortho. fid. c. 30. circa princ.

DISPVTATIO

Vigesimaquarta.

De Baptismo adultorum.

INter eos, quibus baptismus conferri potest, quidam sunt adulti, qui ratione vti possunt, alij infantes: suppono enim ex dictis suprà de sacramentis in genere, solos viatores homines esse capaces baptismi: quoniam ergo de infantibus difficilior est & prolixior disputatio, ideo hic breuiter dicemus de adultis. De quibus suppono, omnes qui baptizati non sunt, absolutè loquendo, esse capaces baptismi, quantum est ex parte ipsarum personarum, nam de omnibus generatim dixit Christus. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; Marci yltimo,

Universidad de Deusto Biblioteca

Marc. vltim. *Matth. vlt.* vltimo, ſicut enim omnes homines ſunt capaces euangelicæ prædicationis, ac fidei, ita etiam baptiſmi, & ideò Matthæi vltimo, generatim etiam dictum eſt: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, ſicut enim omnes ex Adamo generati ſunt, ita & in Chriſto regenerari poſſunt, quæ regeneratio in lege noua, non niſi per baptiſmum fit, iuxta illud *Ioan. 3.* Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum* Dei. Supereſt ergo vt videamus, quid præter hanc capacitatem (quā perſonalem ſeu remotam appellare poſſumus) requiratur ex parte baptizati, vt baptiſmus adulto collatus, verum ſit ſacramentum: & obiter etiam attingemus, quid etiam neceſſarium ſit, vt dignè ſuſcipiatur, & conferatur.

SECTIO I.

Vtrùm neceſſarius ſit voluntarius cõſenſus hominis adulti, vt baptizetur.

Error. POſſet imprimis hoc loco tractari antiquus error eorum, qui dixerunt, non ſolùm nō requiri proprium conſenſum: verùmetiam, neque corporalem vitam aut vnionem animæ cum corpore mortali, vt poſsit homo ritè ac validè baptizari, ita refert *Theophyl.* Theophylactus 1. ad Corint. 15. circa illa verba. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* dicens, Apoſtolum ibi alludere ad quorūdam errorem, qui aſſerebant, poſſe hominem poſt mortem baptizari, aliquo ex viuis pro illo reſpondente, & conſentiente. Quem errorem referunt etiam *Chryſoſt. Ambroſ. Tertull. Epiphan.* ibi Chryſoſtomus, & Ambroſius, & Tertullianus lib. de Reſurrectio. carnis, cap. 48. & lib. 5. contra Marcion. cap. 10. & Epiphan. hæreſ. 28. Quanuis hi autores videantur hunc errorem explicare, ſcilicet, poſſe hominem viuum in ſe baptiſmum ſuſcipere, loco hominis mortui, & eo animo, & intē tione, vt alteri proſit; & hoc ſatis eſſe, vt alter verè maneat baptizatus. Sed, quod ad locū Pauli pertinet, probabilius exiſtimo, eum ibi nullam facere mentionem huius erroris, vt latiùs tractaui ſupra tom. 2. huius 3. partis, diſput. 50. ſectio. 1. vbi de vero ſenſu huius loci latè diſſerui. *Reijcitur dictus error.* Quod verò ad ipſum errorem attinet, vterque illius ſenſus apertè eſt hæreticus, quia conſtat ſolos homines viatores eſſe capaces ſacramentorum, vt ſuprà de ſacramentis in genere dictum eſt, & de baptiſmo in ſpecie probari poteſt ex citatis in capite huius diſputationis, nam Chriſtus de ſolis hominibus viuis, & in hac vita degentibus dixit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, & docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et ſimiliter vnicuique dixit, eſſe neceſſariū, vt ipſemet renaſcatur & baptizetur, non verò ꝙ vnus pro alio baptizari poſsit. Denique certum principium fidei eſt, ſolum præſentis vitæ tempus eſſe omnibus hominibus deſtinatum, vt in eo poſſint gratiam, & peccati remiſsionem conſequi.

Alia Catholicorū ſententia. Secundò tractari poſſet quorundam Catholicorum ſententia, qui dixerunt, ad valorem Baptiſmi adultorum, non requiri conſenſum, ſeu intentionem eorum. Qui etiam bipartiti ſunt, nam quidā dixerunt ſatis eſſe, vt non diſſentiant, quanuis nō conſentiant, ſed neutro modo ſe habeant. Alij verò addiderunt, etiam ſi diſſentiant, & voluntate ſua repugnent, dummodò exteriùs eis applicetur materia & forma baptiſmi, verum fieri ſacramentum. *Reijc…* Sed, quia contra hanc ſententiam latè diſputauimus ſuprà agentes de ſacramentis in genere, & in baptiſmo nihil ſpeciale occurrit, quod ibi tractatum non ſit, eadem repetere non erit neceſſarium.

Alia ſen… primam… metu… ta. Tertia ſententia in alio extremo eſſe poteſt, ad valorem baptiſmi, non ſolum requiri conſenſum hominis baptizati, ſed etiam oportere illum eſſe omnino ſpontaneum, nulla vi aut neceſsitate extortum, atque ita nec ſimpliciter nec ſecundùm quid inuoluntarium. Ita videntur ſenſiſſe quidā, *Cyprian.* quos Cyprian. Epiſto. 66. poſt medium, aliàs libro 4. Epiſtol. 12. refert, dixiſſe, eos qui toto tempore vitæ baptizari nolunt, ſi in mortis articulo ipſis etiā petentibus baptizentur, baptiſmum eſſe inualidum, quia iam non tam voluntate, quàm neceſsitate baptizari videntur. *Reijcitur.* Hi autem hæretici multò maiori ratione aſſeruiſſent, ſi quis baptizetur ob timorem violentæ mortis, vel exilij, aut alterius ſimilis pœnæ, non manere baptizatum, etiā ſi interiùs baptizari velit; quia ille baptiſmus non eſt plenè voluntarius.

Concluſ. Dicēdum verò eſt primò, in adultis, vt baptiſmus ſit validus, neceſſarium eſſe voluntarium conſenſum, & intentionem ſuſcipiendi baptiſmum. Hæc concluſio eſt communis Theologorū, quos ſuprà retuli Diſput. 14. ſectione 1. & ſumitur ex *Auguſt. Innocent.* Auguſtino libro 4. de Baptiſm. cap. 14. & Innoc. 3. in capitul. Maiores. de baptiſmo, & in citato loco generaliter de ſacramentis probata eſt. Neque oportet diſtinguere de huiuſmodi homine adulto, ſi ſolùm habet originale peccatum, vel iā mortaliter peccauit, nihil enim hoc ad præſens refert. Nam quomodocunque ſe habeat, neceſſaria in illo eſt hæc intentio: quia hæc non requiritur propter impedimentum huius vel illius peccati, ſed quia iam homo eſt dominus ſuorum actuum, & ideò ſine proprio conſenſu, nec ſpiritualiter regenerari poteſt, nec membrum Chriſti aut Eccleſiæ fieri.

2. Concl… Secundò addendum eſt, non oportere, vt hæc voluntas ſeu conſenſus ſit actualis; ſed ſatis eſſe, quòd aliquando præceſſerit, & moraliter duret, nec retractata ſit. Res eſt communis, & certa; & prædicto etiam loco de ſacramentis in genere inſinuata, & ſumitur ex *Cōcil. Car… Cōcil. Ar… Auguſt…* Cōcil. Carthagin. 3. can. 34. & Arauſican. 1. can. 12. & ex dicto cap. Maiores. & Auguſtin. lib. 1. de Adulter. coniug. capit. 26. Ratio verò eſt, quia huiuſmodi voluntas ſufficit, vt talis baptiſmus cenſeatur voluntarius. *Duplici… cidit… baptiz… virtuali… tate.* Vt verò hoc magis explicetur, aduertendum eſt, duobus modis poſſe contingere hominem baptizari cum hac ſola morali ſeu virtuali voluntate ex præcedē ti actuali voluntate relicta. Primò, vt, cùm baptizatur, ratione vti poſsit, & ſciens & videns baptizetur, & non reſiſtat, quanuis actu non conſentiat: & tunc baptiſmus ſine dubio eſt validus, & quoad forum Eccleſiæ ſemper talis iudicatur: quia illa permiſsio & non repugnantia exterior, eſt ſufficiens indicium interioris conſenſus, imò videtur eſſe quædam virtualis voluntas: tamen re ipſa & coram Deo neceſſe eſt, vt poſitiuus conſenſus ſaltem aliquando præceſſerit, & retractatus non ſit: quoniam ſola illa non reſiſtentia & carentia contrariæ voluntatis non ſatis eſt, vt actu ſit voluntarius, ſed ſolùm vt ſit permiſſus, vel neuter,

ter, ſeu nec voluntarius, nec inuoluntarius, quod non ſatis eſt ad valorem baptiſmi, vt dictum eſt. Secundo modo contingere poteſt, vt is qui baptizatur, quanuis adultus ſit, & aliquando ratione vſus fuerit, tamen, dum baptizatur, illa non vtatur, vel ex impotentia habituali, vt qui eſt amens, vel phreneticus: vel actuali, vt ſi ſit dormiens, vel omnino diſtractus & non conſiderans quid circa ipſum fiat. Et in his omnibus caſibus, ea ipſa neceſſaria eſt, & ſufficit poſitiua voluntas præterita non retractata, vt conſtat ex his quæ D. Thom. tradit infrà art. 12. & ex Auguſtino citatis locis, & 4. confeſſ. capitul. 4. vbi de quodam amico ſuo refert, ſaluum factum eſſe per Baptiſmum, quē in phreneſi, abſque vllo ſenſu recepit. Et ratio cur hæc voluntas requiratur, ſæpe repetita eſt, ſcilicet, vt ſuſceptio Baptiſmi ſit aliquo modo humana, & voluntaria. Ratio verò, ob quam ſufficit, eſt, quia in huiuſmodi euentibus moraliter manet homo in ea diſpoſitione voluntatis in qua reperitur; propter quam cauſam non ſolum ad valorem ſacramenti, ſed etiam ad effectum poteſt ſufficere talis voluntas, ſi cum ſufficienti attritione coniuncta fuerit, vt dicemus latiùs inferiùs agentes de Pœnitentia. Quod verò ſpectat ad Eccleſiæ forum, neceſſarium eſt in his euentibus, vt de priori voluntate data ſint ſufficientia indicia; de quibus conſtet ſaltē aliquo fideli teſtimonio, nā oportet vt illa voluntas aliquo modo Eccleſiæ conſtet. Imò addendum eſt, quanuis hoc ſufficiat vt validè ſacramentum miniſtretur; tamen, vt dignè & ſine peccato fiat, oportere vt aliqua neceſsitas cogat ad baptizandum hominem in eo ſtatu, vt verbi gratia, ſi homo ſit in probabili periculo mortis, vel impedimentum vſus rationis cēſeatur perpetuum; nam extra hos caſus expectanda eſt ea diſpoſitio, ſeu aptitudo hominis adulti, in qua poſsit ſciens & videns ſacramentum accipere; tum propter maiorem certitudinem, tum propter maiorem fructum & reuerentiam ſacramenti. Quando vero neceſsitate cogente opportunius tempus expectari non poteſt, ſi ſufficientia indicia præteritæ voluntatis data ſint, poterit validè & dignè baptiſmus conferri. Et quanuis ad hoc poſterius, id eſt, ad dignam adminiſtrationem prēter indicia conſenſus, neceſſaria etiam ſint aliqua pœnitentię ſigna; tamen, ſi conſtet aliquem oſtendiſſe voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum, & non conſtet in virtuali complacentia peccati mortalis incidiſſe in phreneſim, vel amentiam, præſumenda eſt huiuſmodi diſpoſitio, & ipſum deſiderium baptiſmi Eccleſiæ manifeſtatum reputabitur ſufficiens etiam ſignum attritionis, ſeu bonæ diſpoſitionis, vt dignè poſsit dari ſacramentum in articulo neceſsitatis.

3. Concluſ. Dico tertiò, vt ſacramentum hoc validum ſit, ſufficit conſenſus voluntarius ſimpliciter, quantumuis ſit inuoluntarius ſecundùm quid, id eſt, vi, aut metu extortus. Concluſio eſt certa & de fide, & quidem, ſi metus ſit ab intrinſeco, ſeu abſq; vlla iniuria, vel actione humana incuſſus, res eſt manifeſta, *Cyprian.* vt Cyprianus docet, contra vltimum errorem paulo antea citatum: quia etiam pœnitentia in articulo mortis ex metu concepta, poteſt eſſe vera pœnitentia, & ſufficiens ad ſalutem, alias omnes, qui pœnitentiam differunt vſque ad finem vitæ, eſſent extra ſtatum ſalutis, quod eſt hæreticum, vt latiùs dicemus in materia de Pœnitentia. Et confirmatur, nam votum factum ex huiuſmodi metu ab intrinſeco proueniente eſt validum, quia eſt voluntarium ſimpliciter, licèt ſit inuoluntarium ſecundùm quid: ergo ſimiliter baptiſmus. At verò ſi metus ſit extrinſeca vi, & præſertim ſi ſit per iniuriam illatus, non videtur res adeò clara, quia interdùm contingit, vt huiuſmodi inuoluntarium irritet contractum, vel effectum huiuſmodi voluntatis, vt conſtat in matrimonio, & in voto. Nihilominùs tamen etiam quoad hanc partem eſt concluſio definita ab Innocent. 3. in capitul. Maiores. de Baptiſmo, & priùs tradita fuerat in Concilio Toletano 4. capit. 56. *Innocen. 3. Conci. Tolet.* prout habetur in capit. de Iudæis. 45. diſtinctione. Et ratio eſt, quia ille conſenſus eſt ſimpliciter & abſolutè conſenſus voluntarius, ergo ſufficit ad valorem baptiſmi, & ideò talis baptiſmus cenſetur in prædictis decretis imprimere characterem indelebilem, ratione cuius, qui ſic baptizatus eſt, ſubditus manet iuriſdictioni Eccleſiæ, & cogi poteſt ad ſeruandam fidem.

Declaratur hæc ratio. Nam ſi conſenſus ſic voluntarius non ſufficeret, vel hoc eſſet ex natura rei, vel ex inſtitutione; non primum, tum quia ex natura rei efficacior eſt abſoluta voluntas, quā diſplicentia ſecundùm quid, tum etiam, quia in alijs rebus ad Deum ſpectantibus, huiuſmodi voluntas ex natura rei ſufficit, imò in quibuſcunque contractibus ex natura rei ſufficere poteſt, niſi fortaſſe interdùm ratione iniuriæ illatæ, quando ius acquirendum eſt ab eo, qui intulit iniuriam, vt latiùs dicetur infra in materia de matrimonio, & tradi etiam ſolet in materia de voto, & in 1. 2. quæſtione 6. quæ ratio in propoſito locum non habet, quia Deus & Chriſtus, nullam in hoc negotio inferunt iniuriam. Secundum etiam de Chriſti voluntate dici non poteſt, cùm contrariū conſtet ex definitione & doctrina Eccleſiæ. Et quanuis non negemus potuiſſe Chriſtum aliter hoc inſtituere, tamen hoc certè multò fuit congruentius, *Ne nomen Domini blaſphemetur, & fides ſemel ſuſcepta, vilis, & contemptibilis habeatur*, vt dicitur in prædictis decretis. Et ideò, vt rectè notauit Soto hîc, diſtin. 5. artic. 7. *Soto.* qui non vult Chriſtianus fieri, potiùs debet quamcunque iniuriam ſuſtinere, quàm fictè baptiſmo conſentire, quia in hoc magnam illi irrogat iniuriam. Quòd ſi propter vitādum proprium incommodum, verè vult baptizari ſine iniuria baptiſmi, neceſſe eſt, vt habeat volūtatem nunquam diſcedēdi à fide, quā in baptiſmo profeſſus eſt. Hæc ergo volūtas ſufficit, vt baptiſmus teneat. Neque eſt ſimile de matrimonio, quia valor eius, in ratione ſacramenti, fundatur in contractu humano, qui ibi intercedit. Quanuis, tam de illo, quàm de voto, adhuc ſub iudice ſit, an ex natura rei, vel ſolùm ex Eccleſiæ ſtatuto introductum ſit, vt irrita ſint, ſi ex graui metu fiant, de quo non eſt hîc diſputandi locus.

4. Concluſ. Vltimò dicendum eſt, proprium cōſenſum eius qui baptizatur, ſufficere ad Baptiſmum abſque dependentia ab alio humano conſenſu. Itaque etiam ſi ſit filius familias, conſenſus eius ſufficit, quanuis ſit contra voluntatem parentis, vel ſi ſit ſeruus, licèt conſentiat contra voluntatem domini, vel ſi ſit quicunq; alius qui à quolibet ſuperiori, vel Eccleſiaſtico paſtore prohibitus ſit baptizari. Con-

Universidad de Deusto Biblioteca

ri. Conclusio est æquè certa, ac præcedentes; quia valor sacramenti per se nō pendet ex volūtate extrinseca, si ex parte suscipientis, & ministri adhibeantur omnia necessaria cum debita materia, & forma: quod patet in omnibus alijs sacramentis, & maximè in his, quæ in quadam consecratione consistunt. *Ratio.* Deinde est optima ratio seu congruentia, quia postquàm aliquis est capax propriæ voluntatis, in his, quæ ad salutem pertinent, est suiiuris, & maximè vt subdi possit Deo, eiusque fidem ac religionē suscipere, & ideò in hoc nō pendet vel à parente vel à domino: Ecclesia verò, quamuis interdum possit prohibere vsum sacramenti, propter eius reuerentiam vel aliam iustam causam; non potest tamen sua sola prohibitione efficere inualidum sacramentum, si, ea non obstante, omnia necessaria adhibeantur, vt constat ex dictis de sacramentis in genere, in quo nulla hic noua difficultas occurrit.

SECTIO II.

Vtrùm fides, vel aliqua alia dispositio suscipientis, necessaria sit ex parte eius ad valorem Baptismi.

HANC sectionem præmitto ante omnes sequentes articulos D. Thomæ, quoniam ex illius resolutione erunt perspicui. Et quamuis quæstio tantùm sit proposita de valore, tamen, quia res est facilis, simul expediemus ea, quæ ad dignam administrationem pertinent.

1. Propositio. Primò ergo sit certum, ad valorem sacramenti nec fidem nec bonam aliquam dispositionē in suscipiente requiri. Est certa conclusio & communis omnium, vt in genere tractaui dicta disp. 14. sectio. 2. Et colligitur ex dicto capit. Maiores. de baptismo. & capit. de Iudæis. 45. distin. nam ille, qui per vim & coactus baptizatur, si baptismo cōsensit, cogendus dicitur ad seruandam fidem absolutè, & sine vlla limitatione: ergo, etiam si cū incredulitate & infidelitate ad baptismū quis accedat, si tamen baptizari vult, characterem recipit, & verum sacramentum. Et hoc etiam confirmat praxis Ecclesiæ, nam quemlibet adultum voluntariè baptizatum cogit ad seruandam fidem, etiā si constet fuisse infidelem, vel hæreticum cùm baptizatus est, nec permittit, illum iterū baptizari. Quòd si fidei dispositio necessaria non est, multò minùs quælibet alia; quoniam ceterarum omnium primum fundamentum est fides. Quamuis hinc possit etiam argumentum à contrario sumi, nam aliæ bonæ dispositiones non requiruntur ad valorem baptismi, ergo nec dispositio fidei, ergo nulla. Probatur prima consequentia, quia sicut aliæ dispositiones per se non ordinantur ad effectionem sacramenti, sed ad effectum eius, ita neque fides.

Obiectio. Dices; in hoc videtur magis necessaria fides, quod sine illa, non videtur posse haberi vera voluntas baptismi, tum quia, nisi quis credat, in baptismo esse aliquid commodi vel honestatis, non videtur posse illum appetere: & similiter nisi credat esse sacramentum, non potest illum velle sub ratione sacramenti: tum etiam, quia illa voluntas est supernaturalis, ergo supponit fidem, in qua fundatur.

A *Dilutio.* Respondetur, si voluntas baptismi honesta sit, & ex desiderio propriæ salutis spiritualis & diuini cultus nascatur, moraliter necessarium esse, vt procedat ex fide, seu credulitate baptismi: non est autem necesse, quod voluntas Baptismi sit in se supernaturalis, potest enim ex aliquo motiuo humano, vel naturali procedere, & ideò non est necesse, vt fundetur in fide supernaturali, sed in quadam humana credulitate, quam potest habere hæreticus. Interdum verò potest esse voluntas, quæ ad valorem baptismi sufficiat, absque vlla credulitate baptismi, solùm sub quadam ratione confusa faciendi vel suscipiendi id, quod Christiani faciunt vel suscipiunt, quidquid illud sit: quam voluntatem potest quis habere, etiam si priuata opinione credat, totum id nullius valoris vel momenti esse: ergo ex hoc capite simpliciter loquendo non est B magis necessaria fides ad veritatem baptismi, quā sint aliæ dispositiones voluntatis, ergo nulla est simpliciter necessaria. *Probatur concl.* Ratio verò à priori huius conclusionis eadem ferè est, quæ in præcedenti sectione tradita est. Nam hæc veritas non pendet ex sola rei natura, sed ex institutione, à qua est totum esse sacramenti: constat autem ex vsu & traditione Ecclesiæ, hanc fuisse Christi institutionem. Congruentia autem illius est, quia non expedit, vt rei substantia pendeat ex accidentibus extrinsecis & contingentibus, sed ex proprijs principijs & causis; quod etiam est necessarium, vt possit certitudine morali constare de illius veritate & valore. Item est naturis rerum consentaneum, vt causa non pendeat à suo effectu, sed è contrario: ergo nec sacramentum pendere debet à suo effectu, ergo nec à dispositione quæ ad effectum or- C dinatur. Plura de hac materia dixi suprà Disput. 14. sectione 1.

2. Propos. Dico secundò, vt alicui dignè detur baptismus, præter voluntatem suscipiendi sacramentum necessaria est dispositio conueniens sanctitati sacramenti. Hæc etiam assertio est certa & de fide, vt constat ex principijs generalibus de sacramentis: debent enim sacramenta sanctè & religiosè tractari: ad hoc autem necesse est, vt cum debita dispositione suscipiantur: ergo idem necessarium est in baptismo, qui est vnum ex præcipuis sacramentis, & ideò Christus Matth. vltimo dixit. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, quia debet baptismum præcedere doctrina, qua homines ad baptismum disponantur, iuxta illud Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, & illud Acto. 2. *Pœnitentiam* D *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Denique ob hanc causam, in baptismo adultorum præmittitur catechismus, vt infra dicemus. *Matth. vlt.*

Dubitatio. Respondetur. Sed quæres primò, quænam debeat esse hæc dispositio. Respondetur, eam sufficere & necessariam esse, quæ ad consequendum effectum baptismi fuerit sufficiens ac necessaria. Quia, cùm per baptismum detur gratia, si aliquis est rectè dispositus ad effectum baptismi consequendum, in instanti, quo receperit baptismum perfectum, recipiet gratiam: ergo cum sufficienti dignitate & sanctitate recipit sacramentum. Item, quia cùm hoc sit sacramentum mortuorum, non est ad illud dignè suscipiendum præexigenda gratia, ad quam conferendam ipsum est institutum: ergo sufficiet illa dispositio, cum qua sacramentum conferet talem effectum. Quæ autem sit hæc dispositio,

spositio, dicemus inferiùs disputantes de effectu.

2. Dubitatio. Quæres secundo, an hæc dispositio suscipientis requiratur ad dignam tractationem sacramenti ex parte suscipientis, vel etiam ex parte dantis. *Respondetur.* Respōdetur, ex parte vtriusque esse necessariam, nam ex natura rei & diuino iure vterque tenetur dignè tractare id quod sanctum est: ergo, & suscipiens tenetur non vti sacramento nisi debitè dispositus; & dans tenetur non dare sanctum canibus: Vnde ad hoc obligatur, non solùm ministrans solenniter, sed etiam qui priuatim baptizat, siue sit sacerdos siue laicus, siue ex officio siue ob necessitatem baptizet: quia hæc obligatio non oritur ex officio vel ex modo baptizandi, sed ex ipsius rei natura & sanctitate sacramenti: ideò vel maximè, ꝙ nunquam potest esse necessarium dare baptismū homini indisposito, quia nihil ei prodesse potest, etiam si sit in extrema necessitate constitutus, nisi ad effectum eius comparandum se disponat. Quomodo autem de hac dispositione constare debeat, non potest certiori regula præscribi aut declarari, quam ꝙ probabilis quædā & humana fides satis est, ad quā concipiendam prudentia est necessaria, pensatis omnibus circunstantijs personæ & temporis, & occurrentis necessitatis, & opportunitatis, vt Diuus Tho. in art. 3. & 4. latiùs declarat. Quæri verò hic posset, an hic habeat locum distinctio de peccatore occulto vel publico petēte baptismū. De qua re existimo idem esse ferendum iudicium, quod in simili quæstione de sacramento Eucharistiæ ferri solet, vt in eo loco latius disputabimus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Sup. q. 49. art. 3. ad 2. & inf. ar. 6. cor. & 2. d. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. cor. & 3. dist. 19. ar. 3. q. 1. ad 1. & 4. d. 6. q. 1. art. 1. q. 1. corp. Et 4. cont. c. 58. & Roma. 1. lect. 4. col. 4. & 5.

AD quintum sic proceditur. Videtur, ꝙ peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponēda. Hoc enim ad iustitiam Dei pertinere videtur, vt pro quolibet peccato aliquis puniatur, secundum illud Eccles. vltim. Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium. Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in pœnam præteritorum peccatorum. Ergo videtur, ꝙ peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

¶ 2 Præterea, Per opera satisfactoria exercitantur peccatores de nouo conuersi ad iustitiam, & subtrahuntur eis occasiones peccandi, nam satisfacere, est peccatorū causas excidere, & peccatis aditum non indulgere. Sed hoc maximè est necessariū nuper baptizatis. Ergo videtur, ꝙ baptizatis sint opera satisfactoria iniungenda.

¶ 3 Præterea, Non minùs debitum est, vt homo Deo satisfaciat, quàm proximo. Sed nuper baptizatis iniungendum est, vt satisfaciant proximis, si eos læserint. Ergo etiam est eis iniungendum, vt Deo satisfaciant per opera pœnitentiæ.

Est gl. D. Ambro. in illū locum, to. 5. SED contra est, quod Ambros. super illud Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona & A vocatio Dei, dicit, gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum, vel etiam opus aliquod, sed solam fidem, & omnia gratis condonat.

RESPONDEO dicēdum, quòd sicut Apostolus dicit Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem: ita scilicet, ꝙ homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi. Manifestum est autem ex supradictis, ꝙ mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi, vt dicitur. 1. Ioan. 2. Et ideò ei, qui baptizatur, pro quibuscunque peccatis, non est aliqua satisfactio iniungen- B da, hoc enim esset iniuriam facere passioni & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. *Quæst. 49. & 48.*

AD primum ergo dicendum, ꝙ sicut August. dicit in libr. de baptismo paruulorum, ad hoc baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, vt membra eius. Vnde ipsa pœna Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicut & pœna vnius mēbri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri. Vnde Isai. 53. dicitur: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Lib. 1. de baptis. paruu. c. 26. à medio. tom. 7.*

C AD secundū dicendū, ꝙ nuper baptizati, exercitandi sunt ad iustitiā, non per opera pœnalia, sed per opera facilia, vt quasi quodam lacte facilis exercitij, promoueātur ad perfectiora: vt glossa dicit super illud Psal. 130. Sicut ablactatus est super matre sua. Vnde & Dominus discipulos suos de nouo conuersos, à ieiunio excusauit, vt patet Matthæi 9. Et hoc est, quod dicitur. 1. Petr. 2. Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. *Glos. ord. ibi.*

AD tertium dicēdum, ꝙ restituere malè ablata proximis, & satisfacere eis de iniurijs illatis, est cessare à peccando, quia hoc ipsum, quod est detinere aliena, & proximū D læsum non placare, est peccatum. Et ideò peccatoribus baptizatis iniungendum est, ꝙ satisfaciant proximis, sicut & ꝙ desistant à peccato: non est autem eis iniungendum, ꝙ pro peccatis præteritis aliquam pœnam patiantur.

COMMENTARIVS.

ATtente considerandum est in titulo articuli, non tractare D. Thomam de peccatoribus baptizandis, sed de baptizatis, & quæstionem mouere de operibus satisfactorijs propriè ac formaliter, id est, quatenus ad satisfaciendū pro peccatis commissis efficiuntur. Eadem enim opera

 pœnalia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnalia, per quæ Deo satisfacimus, possunt ad plures alios effectus esse vtilia. Primò, ad corrigendos prauos mores & moderandos affectus. Secundò, ad excitandam animam ad deuotionem, & dolorem ac contritionem de peccatis. Tertiò, ad impetrandum à Deo ipsammet veram pœnitentiam de peccatis. Diuus Thomas igitur in articulo solū negat, peccatoribus, qui ad baptismum accedunt, ita esse iniungenda hæc opera, vt ad satisfaciendū pro reatu peccatorū fiant etiam post receptum baptismū, quod est certissimum: quanquam ratio, qua Diuus Thomas id probat, nō videatur cōuincere: sic enim argumentatur, Per baptismum consepelimur Christo in morte eius, id est, incorporamur ipsi morti Christi, ergo post baptismum nulla est satisfactio necessaria pro peccatis priùs cōmissis: nam hoc esset iniuriam facere passioni & morti Christi, ac si ipsa non esset sufficiēs ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. Quæ vltima probatio non videtur vrgens, quia licet satisfactio Christi in se sit sufficientissima, tamen ex defectu hominis, potest ei non plenè applicari, ergo nulla fieret iniuria morti Christi, si ob hanc causam, seu ob timorem alicuius impedimenti ex parte baptizati, ei satisfactoria opera imponantur.

Cōcl. D. Th.

Vera ratio ponitur, & D. Tho. ratio corroboratur & explicatur.

Itaque propria ratio huius veritatis petenda est ex effectibus huius sacramenti, nam quia vnus effectus illius est vt nō solùm remittat culpam, sed etiā omnem pœnam, si non inueniat obicem, vt infrà videbimus; ideò per se loquendo nulla est homini baptizato necessaria satisfactio pro peccatis ante baptismum commissis, quia satisfactio solùm habet locum, vbi aliquis reatus pœnæ relinquitur, hic verò effectus baptismi primariā originem ducit ex morte Christi quantum ad sufficientiam, quantum ad efficaciam verò manat ex institutione eiusdē Christi, qua voluit, suam satisfactionem per hoc instrumentum plenè ac perfectè applicare. Hanc verò institutionem colligit D. Thomas ex significatione ipsius baptismi, per quem profitemur, nos commori & consepeliri Christo, vt in ipso nouam vitam inchoemus, cui significationi consentaneum est, vt omnia priora peccata prorsus aboleantur in sanguine Christi, & ideò concludit fieri iniuriam ipsi sanguini Christi, & satisfactioni eius, si opera satisfactionis requirantur, ac si hoc sacramentum censeatur insufficiens ad hunc effectum præstandū, quod non posset attribui, nisi insufficientiæ principalis causæ, seu satisfactionis Christi; quia ipsum sacramētum in se plenam significationem habet; virtutem autem ad faciendum quod significat, habere debet ex passione Christi, hoc igitur modo totum cederet in iniuriam ipsius passionis. Quanquam autem hæc vera sint, ante baptismum imponi possunt hęc opera (vt Ecclesiastica etiam consuetudo habet, sicut infrà videbimus. quæst. 71.) imponuntur autē præcipuè propter vtilitates supradictas, quanquam D. Thomas hic ad secundum admoneat, nuper baptizatos non esse exercendos ad iustitiam per opera pœnalia, sed per opera faciliora, quia sunt veluti infantes denuo geniti, qui lacte potius indigent, quàm solido cibo, quod, si verum est, maiori ratione locum habet in catechumenis, qui nōdùm sunt generati. Sed licèt hoc regulariter verum sit, & præsertim de operibus difficilioribus, magisq; pœnalibus, nihilominùs tamen sæpe expedire potest, huiusmodi opera imponere, quia personæ status & cōditiō eis indiget: quanquā verum sit, non posse de his speciale præceptum imponi, sed solùm poterūt consuli, vel si ex se iudicentur media necessaria ad cauēda peccata in futurum; poterit hæc obligatio homini declarari; & non priùs ad baptismū admitti, quàm, & ea faciat, quæ ad præbenda sufficientia signa veræ pœnitentiæ, & tollendas proximas peccatorum occasiones, necessaria iudicabuntur, & similiter proponat, post baptismum similia remedia adhibere ad cauenda peccata, si moraliter existimata fuerint necessaria, quod tamen, moraliter loquendo, rarò vel nunquam accidit.

Addo denique, ante baptismum etiam posse hæc opera fieri animo & intentione satisfaciendi Deo pro pœna debita ob peccata ante baptismum commissa, & quanuis non possint hoc titulo præcipi ab Ecclesia, posse tamen sub consilio proponi, in quo est differētia inter statum ante, vel post baptismū; nam antequàm peccatum remittatur, quanuis speretur tota eius pœna gratis in baptismo remittenda, nihilominùs optimum est consilium, vt homo velit, quantum in se est, facere, vt priùs Deo satisfaciat, quod etiam est maioris amoris, ac deuotionis signum, post baptismum verò iam hoc non habet locum, quia iam est omnis pœna remissa. Dices, nō constat homini baptizato, se cōsecutum esse hunc effectum, aut non posuisse obicem illi. Respondetur primum, hoc esse per accidens, nos autem per se loqui. Et deinde, vt possit posteà satisfacere, necesse est, vt priùs sit in gratia & tollat obicem, quē priùs posuit, quo sublato, statim baptismus habebit suum effectum, & ita iam non habet locum satisfactio per propria opera. Dices, etiam si homo sit consecutus integram remissionem culpæ, & pœnæ, potest velle quantum in se est, satisfacere Deo; & ita soluere quod remissum est, ac si nō esset remissum. Nam hoc modo, etiam post remissam culpā, potest homo habere verū actum contritionis ex proprio, & speciali motiuo virtutis pœnitentiæ. Respōdetur, totum hoc verum esse, nō tamen repugnare doctrinæ traditæ, & à Diuo Thoma intentæ, quæ solùm est, hæc opera post baptismum non esse necessaria ad consequendam remissionem pœnæ, & hoc modo non esse facienda propter actualem satisfactionē pro pœna; id est, vt ratione eorum remissio pœnæ obtineatur: in prædicto autem operandi modo nō tam operatur quis ad satisfaciendū actualiter, quàm ad faciendum opera ex se satisfactiua, & ad explicandum affectum ad Deum, & ad honorem eius, & ad resarciendam, quantum in se est, iniuriam in illum commissam.

Obiectio. *Responde[...]* *Instantia.* *Responde[...]*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm peccatores ad baptismum accedentes, teneantur sua peccata confiteri.

AD sextum sic proceditur. Videtur, ꝙ peccatores ad baptismū accedentes, teneantur sua peccata confiteri. Dicitur enim Matth. 3. ꝙ baptizabantur multi à Ioanne in Iordane, confitentes peccata sua. Sed baptismus Christi est perfectior, quàm baptismus Ioannis. Ergo videtur, ꝙ multò magis illi, qui sunt baptizandi baptismo Christi,

3. d. 19. ar[...] 3. q. 2. [...] & 4. [...] 58. & R[...] 11. lib. 4. [...] 4. & 5.

Christi debeant sua peccata confiteri.

¶ 2 Præterea, Prouerb. 28. dicitur. Qui abscondit scelera sua, non diligetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sed ad hoc aliqui baptizantur, vt peccatis suis misericordiā consequantur, Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri,

¶ 3 Præterea, Pœnitentia requiritur ante baptismum, secundùm illud Acto. 2. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisq; vestrum. Sed confessio est pars pœnitētiæ. Ergo videtur, quòd confessio peccatorum requiratur ante baptismum.

SED contra est, quòd confessio peccatorum debet esse cum fletu, dicit enim August, *in lib. de pœnitentia: Omnis ista vanitas confitenda est & deflenda. Sed sicut Ambros. *dicit, gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque planctum. Ergo à baptizandis non est requirenda confessio peccatorum.

Aug. in lib. de vera & fal. pœn. c. 14. nō procul à prin. to. 4. & habetur de pœn. d. 4. c. 1. ante medium ad Ro. 11. super illud sine pœnit. sunt dona Dei. to. 5.

RESPONDEO dicendum, ꝙ duplex est peccatorum confessio. Vna quidem interior, quæ fit Deo: & talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doleat. Non enim potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, vt dicit Aug. in libr. de pœnitentia. Alia verò est cōfessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti. Et talis confessio non requiritur ante baptismum. Primò quidem: quia talis confessio, cùm respiciat personam ministri, pertinet ad pœnitentiæ sacramentum, quod non requiritur ante baptismum: quia est ianua omnium sacramentorum. Secundò, quia confessio exterior, quæ fit sacerdoti, ordinatur ad hoc, ꝙ sacerdos confitentem absoluat à peccatis, & liget ad opera satisfactoria, quæ baptizatis non sunt imponenda, vt supra dictum est. Nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claues Ecclesiæ, quibus omnia remittuntur per baptismum. Tertiò, quia ipsa particularis confessio homini facta, est pœnosa propter verecundiā cōfitentis: Baptizato autem nulla exterior pœna imponitur. Et ideo à baptizandis nō requiritur specialis confessio peccatorū, sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant Satanæ & omnibus pompis eius. Et hoc modo dicit quædam gloss. Matth. 3. ꝙ in baptismo Ioannis, exemplum dabatur baptizandis cōfitendi peccata, & promittendi meliora. Si qui tamen baptizandi, ex deuotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum cōfessio audienda: non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quòd contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur.

In li. de med. pœn. cap. 2. nō procul à prin. tom. 9.

Art. præced.

In gl. ord. super illud, Exibant vt baptizarentur ab eo.

AD primum ergo dicendum, quòd in baptismo Ioannis non remittebantur peccata, sed erat baptismus pœnitentiæ. Et ideò conuenienter accedentes ad illud baptisma, confitebantur peccata, vt secundum qualitatem peccatorum, eis pœnitentia determinaretur. Sed baptismus Christi est sine exteriori pœnitentia, vt Ambros. dicit. Vnde nō est similis ratio.

AD secundū dicendū, ꝙ baptizatis sufficit confessio interior Deo facta, & etiam exterior generalis, ad hoc ꝙ dirigantur & misericordiam consequantur. Nec requiritur confessio specialis exterior, sicut dictū est.

Ambr. loco citato in argu. Sed contra.

AD tertium dicendum, quòd confessio est pars pœnitētiæ sacramentalis, quæ nō requiritur ante baptismum, vt dictum est, sed requiritur interioris pœnitentiæ virtus.

In corp. artic.

In corp. artic.

COMMENTARIVS.

DIstinguit D. Thomas de cōfessione interna, quæ fit Deo, & externa, quæ fit homini, & priorem affirmat esse necessariam ante baptismū; de posteriori verò id negat. Sed circa priorem partem aduertendum est, illam internam confessionem nihil aliud esse, quàm recogitationē peccatorum, vt D. Thomas etiam declarat: hæc autem recogitatio non aliter necessaria est, nisi quatenus ad contritionem vel attritionem habendam requiritur, vel ad eos effectus, quos necesse est cum vera pœnitentia coniungi, quales sunt, restituere alienū, auferre proximas occasiones peccandi, & similes, de qua re dicturi sumus latiùs in materia de Pœnitentia. Circa posteriorem autem partem aliter loquendum est de confessione externa peccatorum in genere, aliter verò de confessione sacramentali: hæc enim posterior non solùm non requiritur ante baptismum, verùm nec præmitti potest, imò nec post baptismum receptum fieri potest de illis peccatis, quæ ante baptismum commissa sunt, quæ non sunt materia sacramentalis confessionis: at verò alia confessio, quæ extra sacramentum fieri potest, quæ potiùs est veluti consultatio quædam, fieri potest ad maiorem animæ profectum, & de hac potissimū loquitur D. Thom. in articulo.

Sed quæri potest, an hæc confessio necessaria sit ante baptismum. Videtur enim fuisse olim in vsu in Ecclesia. Dicit enim Tertul. libr. de baptis. cap. 20. *Ingressurus Baptismum orationibus, ieiuniis, &c. & cū confessione omnium retrò delictorum.* Ex quo verbo Pamel. num. 136. confessionem colligit sacramentalem. Nazian. orat. 40. post medium dicit. *Ad baptizandum, ne peccatū tuum confiteri graue ducas; sciens quo pacto Ioannes baptizaret*, Matth. etiam 3. accedētes ad Baptismum Ioannis priùs confitebantur peccata sua: quod de confessione peccatorum in specie videtur intelligere Chrysosto. homil. 3. imperf. & clarè Basil. 1. opere de baptis. part. 2. aliquantulū à princ. & significat D. Tho. suprà quæst. 38. art. 3. & hac quæst. Vnde in lib. 9. Tripart. cap. 29. ita refert

Universidad de Deusto Biblioteca

fert Socrates; *In Alexandrina ciuitate plurimi ad Baptismum, confitebantur, & peccata confitentes baptizabantur.* Et ratio esse potest, quia confessio, videtur necessaria ad medicinam adhibendam præteritis peccatis, & vt Ecclesiæ constet de bona dispositione baptizandi.

Dico tamen, talem confessionem non esse necessariam ex communi sententia Theologorum. Et ratio est; quia illa confessio nec est, nec esse potest sacramentalis, quia ante Baptismum nullus est capax sacramenti Pœnitentiæ: imò peccata ante Baptismū commissa non sunt sufficiens materia sacramēti Pœnitentiæ, etiam post Baptismum susceptum, vt suo loco dicam, quia fuerunt commissa extra forum Ecclesiæ: confessio autem non sacramentalis non est homini necessaria, nec præcepta, nec per se est dispositio ad gratiam. Quòd si alicubi olim fuit illa consuetudo, fortasse fuit per modum consilij, & cuiusdam actus humilitatis; & fortè non erat exacta confessio, sed quædam communicatio conscientiæ ad instructionem, & directionem. Atque ita satisfactū est adductis testimonijs. Ad rationem verò dicitur, aliis modis posse Ecclesiam habere sufficiētia signa dispositionis baptizandi, medicinam verò curatiuā non esse necessariam, quia ipse Baptismus est sufficiens: præseruatiuam verò voluntariè suscipi posse à Baptismum suscipiente, & ob eam rem posse sua sponte consulere, quem voluerit.

In solutione ad primum tractat D. Thomas locum Matth. 3. in quo dicit, ꝙ baptizabantur multi à Ioanne, confitentes peccata sua, atque illum explicat de posteriori confessione dicta, & quāuis in corpore articuli indicasse videtur illam confessionem factam esse in generali, tamē in hac solutione declarat fuisse in particulari, nā inquit, *Confitebantur peccata, vt secundum qualitatem peccatorum eis pœnitentia determinaretur*, quod fieri non poterat sine particulari, & specifica reuelatione peccatorū: sed hunc locum tractaui præcedenti tom. in com. artic. 3.

ARTICVLVS VII.

Vtrū ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentū baptismi.

Inf. q. 69. ar. 9. & 4. d. 6. q. 1. art. 2. q. 3. & dis. 27. q. 1. art. 2. q. 4. corp.

AD septimū sic proceditur. Videtur, ꝙ ex parte baptizati non requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi. Baptizatus enim se habet, sicut patiēs in sacramēto. Intētio autē nō requiritur ex parte patiētis, sed ex parte agentis. Ergo videtur ꝙ ex parte baptizati, non requiratur intentio suscipiendi baptismum.

¶ 2 Præterea, Si prætermittatur id, quod requiritur ad baptismū, homo est denuo baptizandus: sicut cum prætermittitur inuocatio Trinitatis, vt suprà dictum est. Sed ex hoc non videtur aliquis esse denuo baptizādus, ꝙ intentionē non habebat suscipiēdi baptismū, alioquin cū de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari propter intentionis defectū. Nō videtur ergo, ꝙ intentio requiratur ex parte baptizati, vt suscipiat sacramentum.

Quæst. 66. artic. 6.

¶ 3 Præterea, Baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatū contrahitur sine intentione nascentis. Ergo baptismus (vt videtur) intentionem non requirit ex parte baptizati.

SED contra est, ꝙ secundū ritū Ecclesiæ, baptizandi profitētur se petere ab Ecclesia baptismum, per quod profitentur suā intentionem de susceptione sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quòd per baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati; & incipit quandam vitæ nouitatem, secundum illud Roman. 6. Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et ideò sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur secundum Aug. in habēte vsum liberi arbitrij volūtas, qua eū veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ nouitatē, cuius principiū est ipsa susceptio sacramenti. Et ideò ex parte baptizati requiritur volūtas, siue intentio suscipiendi sacramentum.

AD primum ergo dicendum, quòd in iustificatione, quæ fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria. Et ideo requiritur intentio recipiendi ei id, quod datur.

AD secundum dicendum, ꝙ si in adulto deesset intentio suscipientis sacramentum, esset rebaptizandus. Si autem hoc non constaret, esset dicendum, si non es baptizatus, ego te baptizo.

AD tertium dicēdum, ꝙ baptismus ordinatur non solum contra originale peccatū, sed etiam contra actualia, quæ per voluntatem & intentionem causantur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrū fides requiratur ex parte baptizati.

AD octauum sic proceditur. Videtur, ꝙ fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentū enim baptismi à Christo est institutum. Sed Christus formam baptismi tradens, fidem baptismo præmittit, dicēs Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ergo videtur, ꝙ nisi sit fides, non possit esse sacramentū baptismi.

4. d. 6. q. … ti. 3. q. 1. … 2. art. 2. … cor. & d. … ti. 1. q. … secundum.

¶ 2 Præterea, Nihil frustra in sacramentis Ecclesiæ agitur. Sed secundum ritum Ecclesiæ, ille qui accedit ad baptismum, de fide interrogatur, cum dicitur, Credis in Deum Patrem, &c. Ergo videtur, quòd fides ad baptismum requiratur.

¶ 3 Præterea, Ad baptismū requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc non potest esse sine recta fide, cūm baptis-

mus sit rectæ fidei sacramētum, per cū enim incorporantur homines Christo (vt Aug. dicit in lib. de baptismo paruulorum) hoc autem non potest esse sine recta fide, secundū illud Ephes. 3. Habitare Christū per fidem in cordibus vestris. Ergo videtur, quòd illi, qui non habent rectam fidem, non possint suscipere sacramentum baptismi.

Lib. 1. de pec. mer. & remi. c. 26. à med. tom. 7.

¶ 4 Præterea, Infidelitas est grauissimū peccatū, vt in secūda parte habitum est. Sed permanētes in peccato, nō sunt baptizandi. Ergo etiā nec permanentes in infidelitate.

2. 2. q. 10. artic. 3.

SED contra est, quod Gregor. scribens Quirino Episcopo dicit, Ab antiqua Patrū institutione didicimus, vt qui apud hæresim, in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur. Hoc autem non esset, si recta fides esset de necessitate baptismi. Nō ergo recta fides ex necessitate requiritur ad susceptionem baptismi.

In regi. lib. 9. epi. 61. nō longè à princ. & habetur de cō se. d. 4. c. 43.

RESPONDEO dicendum, ꝙ sicut ex dictis patet, duo efficiuntur in anima per baptismum, scilicet character & gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismū. Vno modo, sine quo gratia haberi nō potest, quæ est vltimus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismū, quia sicut dicitur Rom. 3. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad baptismū, sine quo character baptismatis imprimi nō potest. Et sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismū, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramēti. Non enim sacramētum perficitur per iustitiā hominis dātis vel suscipientis baptismū, sed per virtutem Dei.

Quæst. 63. ar. 6. & q. 69. artic. 4. & 6.

AD primum ergo dicēdum, ꝙ Dominus loquitur ibi de baptismo, secundum ꝙ perducit homines ad salutem per gratiam iustificantem. Quod quidem sine recta fide esse non potest: & ideo signanter dicit. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

AD secundum dicendum, quod Ecclesia intendit homines baptizare, vt emundētur à peccato: secundum illud Isai. 27. Hic est omnis fructus, vt auferatur peccatū. Et ideò quantum est de se, nō intendit dare baptismum, nisi habentibus rectā fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat accedētes ad baptismum, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismū suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illum ad suam salutem. Vnde Aug. dicit, Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem baptismū eius, homines etiā foris accipere, sed salutē beatitudinis extra eam neminem percipere vel tenere.

Lib. 4. de baptis. cōtra Dona. in princ. titul. 7.

AD tertium dicendum, quòd etiam non habēs rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramētum baptismi, & ita nō impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramētum non rectè sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit.

AD quartum dicendum, quòd sicut sacramentum baptismi non est conferendum ei, qui non vult ab alijs peccatis recedere: ita etiam nec ei, qui non vult infidelitatem deserere. Vterque tamen suscipit sacramentū, si ei conferatur, licèt non ad salutem.

DOctrina horum articulorū sufficienter explicata est in præcedēti disputatione, circa textū autē D. Tho. nihil notādū occurrit.

ARTICVLVS IX.

Vtrum pueri sint baptizandi.

AD nonum sic proceditur. Videtur, ꝙ pueri non sint baptizādi: in eo enim qui baptizatur, requiritur intentio suscipiendi sacramentum: vt supra dictum est. Huiusmodi autem intentionem nō possunt pueri habere, cùm non habeant vsum liberi arbitrij. Ergo videtur, quòd non possint suscipere sacramentum baptismi.

4. dist. 4. q. 3. art. 1. q. 1. & Mal. q. 4. art. 1. col. prin. & quol. 4. artic. 16. corpo. Et quol. 9. artic. 12. cor. ar. 7. huius quæst.

¶ 2 Præterea, Baptismus est fidei sacramentū, vt supra dictū est. Sed pueri non habent fidem, quæ consistit in credentium voluntate, vt Aug. dicit super Ioan. Nec etiam potest dici, quòd saluentur in fide parentū: quia quandoque parentes sunt infideles, & sic magis per eorum infidelitatem damnarentur. Ergo videtur, quòd pueri non possint baptizari.

Quæst. 65. ar. primo.

In lib. de prædesti. sancto. c. 5. in fi. to. 7.

¶ 3 Præterea, 1. Pet. 3. dicitur, ꝙ homines saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Sed pueri neque conscientiam habent bonam vel malam (cùm nō habeant vsum rationis) neque etiam cōuenienter ipsi interrogantur, cùm non intelligant. Non ergo pueri debent baptizari.

SED contra est, quòd Dionys. dicit vltimo cap. Eccles. hiera. Diuini nostri duces, scilicet Apostoli, probauerunt infantes recipi ad baptismum.

Capi. 7. Eccl. hier. non procul à fi.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut Apostolus dicit, Roma. 5. Si vnius delicto,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mors regnauit per vnum, scilicet per Adam, A uersa societate sanctorũ atq; fideliũ. Ab omnibus nanq; offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offerũtur, & quorũ charitate ad cõmunionẽ sancti Spiritus adiunguntur. Infidelitas autẽ propriorũ parentũ, etiã si eos post baptismum dæmoniorum sacrificijs imbuere conentur, pueris non nocet, quia vt Aug. ibidem dicit, puer semel generatus per aliorum voluntatem, deinceps nõ potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, vbi nulla sua volũtate consentit, secundũ illud Ezech. 18. Sicut anima patris mea est, ita & anima filij: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Sed ideò ex Adam traxit, q̃ sacramenti illius gratia solueretur: quia nondum erat anima separatim viuens. Fides autem vnius, imò totius Ecclesiæ paruulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui vnit Ecclesiã, & bona vnius alteri communicat.

Vt dicit Aug. lib. 5. Hypog. & li. 1. de pec. cat. merit. & remiss. c. 19. tom. 7.

Aug. de Gene. ad lit. lib. 10. cap. 11. to. 3. Conc. Milen. c. 2. tom. 1.

Ea ep. 23 Innocẽtij habetur 16. quæst. 1. cap. 39.

AD tertium dicendum, q̃ sicut puer cũ baptizatur, non per seipsum, sed per alios credit: ita non per seipsum, sed per alios interrogatur: & interrogati cõfitentur fidem Ecclesiæ in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso: non quidem actu, sed habitu per gratiam iustificantem.

COMMENTARIVS.

DVO docet D. Thomas in hoc artic. Primũ est, infantes esse capaces Baptismi, quod probat, quia sicut pueri ex Adam nascendo contrahunt originale peccatum, ita necesse est eos renasci in Christo, vt possint gratiam consequi, & à peccato exire; sed non possunt in Christo renasci, nisi possint baptizati: ergo necessarium fuit, vt essent capaces Baptismi. Secundum est, conueniens esse pueros baptizare, vt à pueritia nutriti in his quæ sunt Christianæ vitæ, firmius in ea perseuerẽt de quibus assertionibus statim ex professo disputãdũ est. Nunc rationes D. Thomæ declarandæ sunt. Ratio enim prior, vel nimium, vel nihil probare videtur: nam si pueros, quoniam sunt capaces originalis peccati ante vsum rationis, necesse est esse capaces Baptismi in eodem statu, sequitur etiã in vtero materno debere esse capaces Baptismi: nam etiã ad eundem statum applicari possent verba Pauli, quæ D. Thom. adducit. *Si vnius delicto, mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Hanc difficultatem attigit D. Thom. infrà artic. 11. Argumẽ. 1. cum solutione. Et respondet, *Pueros in vteris maternis existentes, non posse subijci actioni humanæ, quia nondum in lucem prodierunt.* Ex quibus verbis colligitur in primis, nõ esse parem rationem de statu in vtero & extra vterum ante vsum ratiõis. Colligitur deinde limitatio seu declaratio rationis D. Tho. nimirum, hominẽ, qui est capax originalis peccati, debere etiam esse capacem remedij seu iustitiæ, & regenerationis in Christo, si possit subijci actioni sensibili & humanæ:

D. Thom. assignat tionẽ.

Prior ratio D. Tho. habetur, & explicatur.

næ: quoniã expedit, regenerationẽ in Christo fieri A & in potestate dominorũ. Sed Iudæi sunt
phe huiusmodi actionem, de qua re plura dicturi sumus infrà disputantes de baptismi necessitate.

Posterior D. Thom. ratio explicatur.

Circa posteriorem rationẽ dubitari potest, quia ante vsum rationis pueri nõ possunt in fide instrui, seu enutriri; ergo ex hoc capite nõ oportet eos tũc baptizari. Deinde, eo modo, quo tunc possunt instrui, per quandam puerilem cõsuetudinem, & imperfectam conceptionem, possent etiam quãuis nõ essent baptizati; imò & post rationis vsum, statim à principio illius, possent doceri & instrui, etiam si baptizati non essent: ergo ex hoc capite, nulla dari potest sufficiens causa huius cõsuetudinis. Respondetur, non esse hanc solam rationem huius consuetudinis, sed alias, quas disputatione sequente declarabimus, hãc tamen etiam per se sumptã & rectè intellectã, est optima, nam ad fidei firmitatem, & vt fiat veluti cõnaturalis, multum confert, q. à principio fere à natiuitate infantes habeantur, tractentur, & educentur vt Christiani, & vt membra Ecclesiæ, non postea efficienda, sed iam facta. Item confert multum, vt pueri ab infantia imbibant fidem, vt omnino necessariam ac perpetuò retinendam, & q. se semper agnoscant, vt Ecclesiæ subditos, à cuius gremio sis recedere non licet, quæ omnia in Baptismo fundantur, hoc ergo modo Baptismus infantum vtilissimus eis est, vt in fide Christiana enutriti firmiùs illi adhæreant.

Caiet.

Quæ D. Thomas tractat in solutione argumẽti quomodo paruuli sine propria intentione & fide baptizari possint, aut quomodo eis prosit fides, aut meritum Ecclesiæ, bene explicantur à Caiet. breui cõmentario. Resolutio est, de necessitate sacramenti, nihil esse paruulo necessarium ex parte sua, vt sit capax, quia illi sufficit voluntas & intentio Christi, per quem regeneratur: tamen ad maiorem solennitatem, & ad significandos effectus, quos baptismus habet in infantibus, vtitur Ecclesia illis cerimonijs, quibus significat, paruulos velle baptizari, credere, & iustificari, non ex proprijs actibus, sed voluntate sui capitis, seu totius corporis Ecclesiæ. Cuius meritũ dicitur etiam paruulis prodesse, non quia ratione illius iustificantur, sed quia pro eis orat Ecclesia, vt sine impedimento, & baptismũ accipiant, & postea suo tempore illius effectu perfruantur.

ARTICVLVS X.

Vtrum pueri Iudæorũ, vel aliorũ infidelium sint inuitis parentibus baptizãdi.

1. 2. q. 10. ar. 11. 12. & quo lib. 2. arti. 7. & quol. 2. ar. 7. 11. cor.

AD decimum sic proceditur. Videtur, D q̃ pueri Iudæorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam inuitis parentibus. Magis enim debet homini subueniri cõtra periculũ mortis æternæ, quàm contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subueniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multò magis est subueniendum pueris, infidelium filijs, per baptismum contra periculũ mortis æternæ, etiam inuitis parentibus.

¶ 2 Præterea, Filij seruorum sunt serui,

Dist. 45. rad. de Iudæis. Et Concil. Tolet. 4. cap. 55.

¶ 3 Præterea, Quilibet homo est magis Dei, à quo habet animam, quàm patris carnalis, à quo habet corpus. Non est ergo iniustum, si pueri, infidelium filij, parentibus carnalibus auferantur, & Deo per baptismum consecrentur.

SED contrà est, quod in Decret. distin. 45. Cõcilio Toletano sic dicitur de Iudæis. Præcepit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ.

RESPONDEO dicendũ, q̃ pueri, infideliũ filij, aut habent vsum rationis, aut non habent. Si autem habent, tam, quantũ ad ea, quæ sunt iuris diuini vel naturalis, incipiũt suæ potestatis esse. Et ideò propria voluntate, inuitis parentibus, possunt baptismũ suscipere, sicut & matrimoniũ contrahere. Et ideò tales licitè moneri possunt & induci ad suscipiendũ baptismũ. Si verò nondũ habent vsum liberi arbitrij, secundũ ius naturale sunt sub cura parentũ, quandiu ipsi sibi prouidere nõ possunt. Vnde etiã & de pueris antiquorum dicitur, quod saluabantur in fide parentũ. Et ideò cõtra iustitiã naturalẽ esset, si tales pueri inuitis parentibus, baptizarẽtur: sicut etiã si aliquis habens vsum rationis baptizaretur inuitus. Esset etiã periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatẽ redirent, ppter naturalẽ affectũ ad parentes. Et ideò nõ habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filij infidelium inuitis parentibus baptizentur.

Ad primum ergo dicendum, q̃ à morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem iuris ciuilis: putà, si aliquis à suo iudice condemnetur ad mortem, nullus debet eum violenter à morte eripere. Vnde nec aliquis debet irrumpere ordinem iuris naturæ, quo filius est sub cura patris, vt cum liberet à periculo mortis æternæ.

AD secundum dicendũ, q̃ Iudæi sunt serui Principum seruitute ciuili: quæ non excludit ordinem iuris naturalis vel diuini.

AD tertium dicendum, quòd homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Vnde puer, ante quàm vsum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum, per rationem parentũ, quorum curæ naturaliter subiacet, & secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum diuina agenda.

DI-

Universidad de Deusto Biblioteca

DISPVTATIO Vigesimaquinta.

De Baptismo paruulorum & iure ac potestate baptizandi illos.

IN hac disputatione primum omnium declarandæ sunt amplius, & confirmandæ duæ cõclusiones à D. Thoma traditæ in artic. 9. Deinde agendum erit de iure seruando in baptizandis his infantibus, quod D. Thomas tractat in artic. 10. Nomine autem infantium in tota hac disputatione intelligimus omnes eos, qui rationis vsum nunquam habuerunt, siue hoc sit propter defectum ætatis, siue propter aliud impedimentum, quale est in perpetuis amentibus, nam de vtrisque eadem ratio est, quantum ad negotium iustificationis pertinet.

SECTIO I.

Vtrum homines ante vsum rationis sint capaces baptismi.

Hierachitarũ error. Epiphan. August.

EPiphanius, hæres. 67. & Augu. hæres. 47. referunt Hierachitas, quorum autor Hierax fuit, negasse, paruulos pertinere posse ad regnũ cælorum, quia non possunt habere vlla merita, quibus illud assequatur, nec possunt vllum certamen subire: Apostolus autem ait non fore coronandum, nisi qui legitimè certauerit. Ex quo errore apertè consequi videtur, hos infantes non esse capaces baptismi: quia si non sunt capaces effectus, cur erunt sacramẽti? Apertius docuit hunc errorem Petrus Brusius, & quidam Henricus, à quibus orti sunt hæretici dicti Petrobrusiani, & Henriciani, vt meminit Bernard. Epist. 140. & serm. 66. in Cant. & hos posteà secuti sunt Anabaptistæ, vt videri potest in Prateolo libr. 1. Elenchi. nu. 35. & libr. 14. nu. 18. Castro, Sandero, & alijs. Fundamentum huius hæresis, præter suprà insinuatũ, sumi potest ex verbis illis Christi, Matth. vlti. *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* & illis Marci vlti. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* nam ex his colligi videtur, iuxta Christi institutionem & voluntatem (à qua totum hoc negotium pendet) eos tantùm esse capaces baptismi & salutis, qui sunt capaces doctrinæ, & fidei, nã illa præcipit Christus præmitti ante baptismũ, sicut ergo paruuli non sunt capaces doctrinæ, & fidei, ita nec baptismi. Addi prætereà potest, q. ad Baptismũ necessaria est intentio suscipientis, paruuli autem non sunt capaces huius intentionis.

Bernard. Matth. vlti. Marci vlti.

1. Conclusio. Homines statim à natiuitate ex vtero sunt capaces baptismi. Primum argumentum. Actor. 16. 1. Corint. 1.

Dico primò, homines post natiuitatem ex vtero materno statim sunt capaces baptismi, etiam si rationis vsum non habeant. Cõclusio est de fide, quæ licèt nõ sit in sacra scriptura expressa, possunt tamẽ ex illa varia argumenta sumi ad eam cõfirmandam. Actorũ enim 16. legimus baptizatam fuisse Lydiã, & domum eius, & primæ ad Corinth. 1. ait Paul. se baptizasse Stephanæ domum, nomine autem domus, tota familia intelligi solet, in qua continentur etiam infantes. Et quanuis his locis non fiat eorum mentio, nec constet aliquos in illis familijs fuisse, satis tamen est esse potuisse, & locutiones scripturæ esse generales, ac neminem excludere. Nec dissimile argumẽtũ sumitur ex ipsa institutione baptismi, & ex illis verbis Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Quibus significatur, omnem hominẽ, qui tingi potest aqua sub Spiritus sancti, seu Trinitatis inuocatione, posse spiritualiter renasci, atque adeo esse capacem baptismi: vbi etiã ponderari solet, Christum passiuè potius quàm actiuè esse locutum: quia ad hanc natiuitatem spiritualem nulla est simpliciter necessaria humana actio (præsertim in his qui non sunt capaces eius) sed sufficit passio, seu ablutio aquæ in verbo vitæ.

Ioan. 3.

Secundum argumentum ex scriptura.

Alterum argumentũ ex scriptura sumitur de circuncisione, quæ fuit figura baptismi, vt dicitur ad Colossens. 2. nam in lege veteri paruuli erant capaces circuncisionis, quatenus erat sacramẽtum legis veteris, multò ergo magis in lege noua erunt capaces baptismi, qui circuncisionis successit. Nam lex gratiæ benignior & vniuersalior est, & neminem excludit ab his beneficijs, quæ sunt remedia ad salutem magis quàm lex vetus. Quo argumẽto vsus est Innoc. 3. cap. Maiores, de Baptismo. & ante illum Greg. Nazian. Oration. 40. Quinimò in hoc generalior est baptismi quàm circũcisionis institutio: nã hæc dari non poterat ante octauum post Natiuitatẽ diem, ex quo aliqui tempore Cypriani inferebant, eandem regulam in Baptismo esse seruandã, quos meritò ipse reprehendit Epist. 59. quia lex gratiæ neminem prorsus excludit, cui remedia eius applicari possint. Addit Cyprianus, in circuncisione præceptum esse expectare octauum diem, propter mysteriũ & significationẽ futurorũ, quorũ illa lex erat vmbra, hoc antẽ cessauit in lege gratiæ, quæ veritatem cõtinet rerum, & ad iustificationẽ conferendã per se primò ac principaliter ordinatur. Addere etiã possumus, remedium circũcisionis fuisse difficilius & acerbius, & ideò cautũ esse, ne in tenerrima ætate ante octauum diem applicaretur, quæ cautio in baptismate non fuit necessaria, quoniam est facillimum remedium. Confirmare verò possumus, quia in lege naturæ sacramentũ omnibus infantibus etiã ante octauum diem applicari poterat, propter facilitatem, & necessitatem eius. Vnde etiam in lege veteri, si ante octauum diem infans periclitaretur, non erat remedio destitutus, sed erat capax sacramenti legis naturæ; ergo multò magis in lege noua omnes sunt capaces Baptismi, per quẽ omnia antiqua remedia abolita sunt, vt infrà videbimus.

Innocent. Greg. Naz. Cyprian.

Vltimum argumentum ex scriptura. Epiphan.

Vltimò ex scripturis colligi potest, infantes non esse incapaces salutis & gratiæ, quod Epiphanius probat primo, exemplo Hieremiæ (& idem est de Ioanne Baptista) quod tamen argumentum nõ est efficax, quia fundatur in specialibus priuilegijs, alioqui nimium probaret. Atque idem respõderi posset ad exemplum quod adducit de Martyribus innocẽtibus: quanquam hoc re vera efficacius est: nã licèt sanctificatio illa per Martyriũ ex priuilegio sit ipsi martyrio concessa, tamen hoc priuilegium est, non personale (vt sic dicam) sed generale, & ordinaria lege institutum, vnde si ab hac lege non excludũtur paruuli, nõ est cur excludãtur à lege Baptismi, aut incapaces salutis censeantur. Deinde adducit verba illa Christi Matth. 19. & Marci 10. *Sinite paruulos venire ad me: talium enim est regnum cælorum.* Nã licèt Aug. 1. Cõfes. c. 19. per *paruulos* ibi humiles intelligat, sensu videlicet, spirituali & mystico, tamen ad literam sermo est de paruulis seu infantibus, vt dicitur Luc. 16. Hieronymus autẽ sua expositione hoc testimoniũ nobis eneruat, ponderans, Christũ non dixisse:

dixisse: *Horum, sed talium,* Vt ostenderet (inquit) *non ætatẽ regnare, sed mores, & his, qui similem haberẽt innocentiam & simplicitatem, præmium repromitti.* Et eodẽ modo eludi possunt plura alia testimonia, quæ ibi congerit Epiphan. vt est illud Sapien. 4. *Senectus venerabilis est, nõ diuturna, neque annorũ numero computata, & ætas senectutis vita immaculata,* & illud, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius,* & alia quæ ibi subiungit sapiens, quæ non est necesse intelligi de infante ante vsum rationis. Sed de his qui in iuuentute decedunt, cũ sint iusti. Nec videntur fortiora illa testimonia: *Ex ore infantium, & lactentiũ perfecisti laudẽ,* & illud, *Laudate pueri Dñm,* & quod pueri Christo acclamabant. *Benedictus, qui venit in nomine Dñi,* & illud: *Custodiens paruulos Dñs, &c.* quanquã hæc omnia testimonia contemnenda non sint: nam ex eis satis colligi videtur, nullam ætatem excludi à regno cælorum, cùm Deus omnium misereatur, neq; per Deũ stare, quominùs etiam hi paruuli saluari possint, cũ ipsi per se Deo non displiceant, nec ratione cõmunis lapsus totius naturæ, Deo sint magis inuisi, quàm adulti. Denique Epiphanius, ponderans priora verba Christi, & quasi respõdẽs obiectioni factæ, addit. *Ne solum puerorum esse intelligeretur regnum cælorum, & non omnis ætatis, ab ipsis quidem initium facit: his verò, qui similes ipsorum sunt, largitum est, vt cum ipsis habeant hæreditatem. Si enim hi, qui secundùm ipsos sunt, habent regnum: quantò magis illi, qui exemplaria sunt eorum, qui secundùm ipsos sunt.*

Secundum argumentũ principale. August.

Secundò principaliter probatur hæc veritas ex vniuersali consensu & definitione Ecclesiæ. Nam q vniuersa Ecclesia Catholica ita nunc de Baptismo paruulorum sentiat, satis ex re ipsa constat: q. vero ita semper fuerit ab initio Ecclesiæ, præter citatos Patres, Cyprian. Nazianz. Epiphan. & alios, quos sequenti sectione referam, apertissimè cõstat ex Augustino, qui in omnibus ferè libris cõtra Pelagianos, inde probat, esse in nobis peccatum originale, quòd iuxta Ecclesiæ morem, etiam paruuli baptizantur in remedium peccati. Ita habet 1. de Peccat. merit. c. 26. vbi dicit, traditionem hanc à *Domino per Apostolos manasse.* Idem lib. 3. c. 5. vbi latè tractat supra citatum testimonium Cypriani: idem lib. 4. de Baptis. c. 24. & lib. 2. de Nuptijs. c. 17. & lib. 10. Genes. ad lit. c. 23. & Epist. 23. 28. 57. 105. in fine. 106. per totam, & 107. post med. Et ita etiam definierunt tempore August. Concil. Mileuitan. c. 2. & posteà Concil. Africanum can. 76. & habetur in cap. Placuit. de Consecrat. d. 4. & Concil. Lateran. sub Innoc. 3. in cap. Maiores. de Baptismo, Concil. Viennens. cum Clemen. 5. in Clem. 1. §. de sum. Trin. & fide Cathol. Trid. sess. 5. in decreto de peccato origin. c. 4. & sess. 7. can. 12. & 13. Atque idem supponitur in quodam decreto Concil. Nicen. quod refertur in cap. Ecclesijs. 68. dist. & in Concil. Brachar. 2. can. 7. quod habetur in cap. Placuit. 1. quæst. 1. Idem denique antiquissimi Pontifices definierunt. Innocent. 1. Epist. 26. Syricius Epist. 1. c. 2. Leo epist. 86. c. 3.

Concil. Mile. African. Lateran. Viennen. Tridem. Nicen. Brachar.

Vltimum argumentũ principale.

Vltimò est optima ratio D. Tho. sumpta ex cõparatione, atque excessu gratiæ Christi ad peccatum originale ex Adamo contractũ: ex qua sumitur optima coniectura, seu cõgruentia institutionis: tamen ratio à priori in ipsa institutione, & voluntate Christi posita est. Pertinuit etiã hoc ad copiosam redemptionem eius, & sufficientissimam prouidentiam, qua omnibus hominibus abundanter prouidit, vnicuique iuxta capacitatem suam. Itẽ, quia sæpè infantes extremè indigent aliquo remedio, ne pereant: est autem certum, nullum aliud illis prodesse posse, secluso martyrio, vt infra videbimus, nec verò diuinam misericordiam decebat, eos sine hoc remedio relinquere: cur enim, qui sine actu proprio per Adamum damnati sunt, nõ poterunt etiam sine actu proprio per Christũ saluari?

2. Conclusio. Quorundã hæreticorum huius temporis figmentum. Richardus. Soto. Bellarm.

Dico secũdò, vt infantes sint capaces Baptismi, non est eis necessaria intentio suscipiendi Baptismum, nec propria, nec parẽtũ, vel alterius: sed sufficit illis voluntas Christi. Hæc conclusio est communis, & mihi videtur certa, quanuis nõ æqualiter quoad vtramque partẽ. Prior ergo pars est contra quosdam hæreticos huius tẽporis, qui fingunt, paruulis omnibus, vt baptizari & saluari possint, diuinitus accelerari vsum rationis, vt & credere possint, & velle baptizari. Ita referunt Richar. ar. 1. contra Vvicleph, & Soto 2. de natura & gratia. c. 10. & Bellar. lib. 1. de Baptis. c. 10. Sed hic error summa leuitate cõfictus est, sine vlla autoritate, & contra omnẽ experientiã. Paruuli enim non sunt capaces per se seu naturaliter huiusmodi cognitionis ac liberi consensus: fingere autem miraculum, præsertim ordinaria lege omnibus concessum, est voluntariũ figmentũ. Rursus experientia cõstat, hos paruulos, cùm baptizãtur, motibus & signis, prout, possunt repugnare Baptismo, satisq; indicare, se non intelligere, quid circa illos fiat, neque in actione illam voluntariè consentire: ita ferè argumentatur Augustinus, qui hunc errorem antequã exortus esset impugnauit Epist. 23. & 106. & 21. de ciuit. c. 16. & lib. 22. c. 22. & lib. 1. de Peccat. mer. c. 25. 33. & sequen. & tract. 80. in Ioan. vbi dicit, *Verbum fidei tantum valere in Ecclesia Dei, vt mundet infantem, nondum valentem corde credere, & ore confiteri.* Ex his ergo satis probata est illa prior conclusionis pars, nã de facto Baptismus perficitur in paruulis sine propria eorũ volũtate & cõsensu: ergo talis cõsensus vel intẽtio nõ est necessaria vt sint capaces Baptismi. Item, Christus prouidit vnicuiq; iuxta capacitatem eius: ergo cùm paruulus non sit capax propriæ intẽtionis absque miraculo, non est verisimile Christum secundùm ordinariam legẽ huiusmodi eorũ consensum postulasse. Deniq; hic habet locum ratio D. Tho. quia infantibus applicatur (vt sic dicam) originale peccatũ absq; eorũ consensu, ergo etiam potest applicari meritũ Christi, ergo vt regenerentur in Christo per baptismũ non est necessaria propria eorũ intentio. Neque in hoc valet argumentũ à simili de adultis, quia, vt sæpè dictũ est, Deus vnicuique prouidet iuxta capacitatem eius, & ideò aliter adultum quàm infantem iustificat: cùm ergo Baptismus ad primam iustificationem ordinetur, aliam conditionẽ in adulto requirit, quã in paruulo: quod etiam in circuncisione & in sacramento legis naturæ semper locum habuit, vt in superioribus visum est.

August. D. Tho. ratio.

Quorundam scholasticorũ sententia.

Posterior pars conclusionis est contra quosdam scholasticos, qui dixerũt, in his infantibus, vt Baptismus sit validus, necessariã esse volũtatem parẽtum suorũ vel aliorũ, quorũ curæ commissi sunt, quia quandiu infans non habet propriam volũtatem, voluntas parentũ reputatur voluntas eius, & ideò necesse est, vt saltem per voluntatem parẽtũ intendat baptizari. Ita sentiunt Durand. in 4. d. 4. q. 7. nu. 13. & Palud. q. 4. n. 33. Cathar. in opusculo de

Universidad de Deusto Biblioteca

lo de infantibus Iudæorũ baptizandis, qui in particulari loquuntur de filijs infidelium, quos existimant non manere baptizatos, si contra voluntatẽ parentum baptizentur. Fortasse tamen non idẽ dicerent de filijs Christianorũ, quia hi magis videntur esse sub cura pastorũ Ecclesiæ, & ideò fortè dicerent, posse illis prodesse intentione Ecclesiæ, vel pastorum eius, etiã si deficeret voluntas carnaliũ parentum. Hæc tamen sententia falsa est, & conclusio posita est communior Theologorum, D. Tho. Soti, & aliorum, quos in Sect. sequentibus referemus: & sumitur ex August. Epist. 23. vbi ait, esse validum Baptismũ illorũ infantiũ, quos parentes infidelium offerunt baptizandos, etiam si ipsi non intendant vt ad vitam regenerentur æternam, sed vt sanitatem aut aliquod temporale cõmodũ accipiant. *Non enim (inquit) illi non regenerantur, quia nõ ab eis hac intentione offeruntur, celebrantur enim per eos necessaria ministeria*, & infrà. *Offeruntur quippe paruuli ad recipiendam spiritualem gratiam, non tam ab ijsis, quorum gestantur manibus (quamuis & ab illis si fideles sint) quàm ab vniuersa societate sanctorum, atque fidelium*, & infrà. *Illud autem nolo te fallat, vt existimes, reatus vinculũ ab Adã tractũ aliter non posse disrumpi, nisi paruuli ad recipiendam Christi gratiam à parentibus offerantur*, & posteà subdit exẽpla, quibus confirmat, Baptismũ posse esse validũ sine voluntate parentum. Atq; idẽ est, etiã si adsit contraria voluntas, nã hoc ipso, q. voluntarius consensus parentis non est necessarius, vt Baptismus sit validus, nõ potest contrarius dissensus obstare, quin Baptismus datus validus sit, quia, eo dissensu non obstante, possunt applicari omnia ministeria, vt August. dixit.

August.

Cõclusio probatur.

Ratio autem cõclusionis est, quia nulla est autoritas vel traditio, propter quã asseramus, Christũ in institutione Baptismi voluisse, hãc intentionem parentum respectu filiorum esse simpliciter necessariã; quin potiùs oppositum colligi potest ex vsu Ecclesiæ, quæ nunquã permisit Baptismum iterari propter hunc solum defectum. Neq; etiam est ratio vlla, ob quã fuerit Baptismus hoc modo instituendus: nã sicut paruulus cõtrahit originale peccatum absque consensu proximi parentis per solũ Adæ consensum, ita poterit iustitiã Christi participare per voluntatẽ Christi & media ab eo instituta sine voluntate proprij parentis. Præterea, quia in ordine ad spiritualia, & salutem animæ, nõ semper voluntas parentis reputatur volũtas filij, aliàs sicut ad valorẽ Baptismi dicitur necessaria voluntas Baptismi in parẽte, ita ad effectũ Baptismi similiter exigenda esset in parente voluntas credendi, vt per eã voluntatem & fidẽ, dicatur filius credere, atque ita filij infideliũ saluari non possent. Imò etiã si eis daretur Baptismus validè, parentibus cõsentientibus, posset in eis non habere effectum, parentibus non credentibus. Atque pari ratione è cõtrario sequitur, si paruulus re ipsa baptizari non posit, ei posse prodesse ad salutem, voluntatem & dispositionem parentum, quæ reputatur voluntas eorũ: quæ omnia sunt falsa & absurda: non ergo in his quæ ad animam spectant voluntas patris reputatur voluntas filij, sed in his solùm quæ pertinent ad naturale ius quod pater habet in filium, cuius curæ cõmissus est, vt ab eo educetur & instruatur. Et hac de causa, etiam si parens offerat filium falso Deo, nihil illi nocet, & è contrario, quòd parẽs sit baptizatus & iustus, rectamque habeat voluntatem, per se non sufficit ad liberandum filiũ à peccato, quia in his omnibus voluntas parentis est propria & personalis, quamuis valere possit ad impetrandum à Deo aliquod bonum filio.

Deinde argumentum à simili suprà insinuatum contra Durand. & Palud. non est satis solutum. Sequitur enim, filiũ hominis baptizati hæretici vel schismatici, &c. si baptizetur contra voluntatem parentis, nõ manere baptizatum, quandoquidẽ voluntas parẽtis dicitur simpliciter necessaria, vt filius infans sit capax Baptismi. Neque enim satis est dicere, hanc voluntatem veluti trãslatã esse in Ecclesiã, & pastores eius; tum quia fieri potest vt Ecclesia nolit, sed potiùs prohibeat huiusmodi infantem baptizari inuito parente, & tamen si ab aliquo priuata autoritate baptizetur, verè ac validè baptizatus erit, ac reputabitur, tum etiã, quia illud gratis dici videtur, & non satis consequenter. Nã licet interdum Ecclesia habeat ius baptizandi aliquem adultum, vel cogendi illũ ad Baptismum, vt in aliquibus casibus accidere potest, si tamẽ re ipsa adultus nõ consentit, quamuis Ecclesia iure suo vtatur, nihilominus Baptismus nõ erit validus: ergo similiter, quamuis Ecclesia habeat ius baptizãdi hos infantes, si tamen parentes non consentiunt, Baptismus non erit validus; quia iuxta hanc sententiam voluntas parentis talis existimatur respectu filij, sicut voluntas propria respectu adulti. Tandẽ nõ fuit expediẽs, vt Christus institueret hũc Baptismum infantiũ ita pendentem à voluntate seu intentione parentum: tum quia sæpe est necessariũ, aut valde expediens, non expectare consensum parentis ad baptizãdum filiũ extremè periclitantem, vt infra videbimus; tum etiã, quia sæpe parentes sunt incerti vel occulti, sæpe etiã non satis cõstare potest de voluntatẽ parentis, quæ interdũ potest esse ficta & fallax, & alioqui nulla erat causa sufficiẽs ad hũc institutionis modũ, vt declaratum est.

Ad fundamentum erroris contrarij respondetur.

Ad fundamentum erroris cõtrarij, omisso errore Lutheranorum iam impugnato de actuali fide horum infantium, dicendum est, Christum in illis verbis, *Docete omnes gentes*, non tantùm proposuisse id quod simpliciter necessariũ est ad valorem baptismi, sed quod erat necessariũ ad Ecclesiæ propagationem & promulgationem Euangelij, quodq; in his, qui capaces sunt, oportet fieri, vt conuenienter sint dispositi ad Baptismum & effectũ eius suscipiendũ. Vnde vlteriùs dicitur, tam hæc verba, quã illa, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, dicta esse de adultis, vt exponit Innoc. 3. in c. Maiores. de Baptismo, non tamẽ propterea excludũtur paruuli, sed fit specialis mentio adultorũ, quia illis prædicandum erat Euangeliũ, vt illi conuerterentur & ad Ecclesiam venirẽt, secumq; suos infantes afferent. Propter quã causam dicit August. hos infantes credere per eos, per quos ad Baptismum offerũtur, & lib. 3. de lib. arb. c. 23. ait fidem offerentium prodesse paruulis, non quidem per modum necessariæ dispositionis, sed quia per eam fit, vt eis applicetur sacramẽtũ fidei, vt ipse explicat serm. 10. de verbis Apostoli, & serm. 14. post mediũ. Vnde etiã dici possunt huiusmodi infantes credere, non actu interno fidei, sed ipso opere, & susceptione Baptismi, ita vt credere, eis nihil aliud sit, quàm fidẽ Christi opere ipso in Baptismo profiteri. Atq; ad eum modum dicuntur saluari in fide parentũ, sicut suprà vidimus agẽtes de statu legis naturæ. Et

Innocent. 3.

August.

eodem modo loquuntur de nostris infantibus baptizatis Dionys. Iustin. Prosp. & Bernar. locis sect. seq. citandis: nam per fidẽ parentum intelligenda est nõ interior, & (vt ita dicã) personalis fides eorum, sed ipsa exterior fidei professio, quam parentes vel profitentur vel profiteri debent. Tandem dicuntur hi paruuli credere, non actu, sed habitu, quæ fides non antecedit Baptismum, sed per eum infunditur. Ita Innocent. 3. dicto cap. Maiores, & propterea Concil. Tridẽt. definit, hos infantes esse propriè Christianos & fideles, & August. 1. de Peccato. merit. cap. 33. *Vtcumque infideles (inquit) nominantur & credere dicuntur: quia hoc eis [illegible] per Baptismi sacramentum.*

SECTIO II.

Vtrũ expediat baptizare infantes Christianorum filios ante rationis vsum.

QVIA non omnia quæ fieri possunt validè, licent aut expediunt: ideò nõ satis est, ostendisse posse paruulos baptizari, nisi etiã declaremus an id liceat, vel expediat. Et quia valde diuersa ratio est de filijs infideliũ, & Christianorũ, ideò de his prius dicemus, posteà de reliquis. Fuit ergo quorundam hæreticorũ sententia, nõ expedire, hos infantes baptizare ante annos discretionis. Ita sentiunt Lutherani, vt moderni autores referũt. Et in eundẽ errorẽ inclinat Ludouicus Viues in scholijs ad August. 1. de Ciuit. c. 27. eidemque fauet Erasmus, qui præfatione in Matth. dixit, si in infantia aliqui baptizentur, cũ peruenerint ad vsum rationis, dandã eis esse liberam facultatem, vt vel in religione Christiana permaneant, vel, si malint, aliã eligant. Et hinc potest sumi fundamẽtum huius erroris, quia nemo, cum incipit ratione vti, cogendus est, vt in Christũ credat: nam fides debet esse maximè libera, & spontanea: ergo etiã filij Christianorum non sunt hac libertate priuandi: ergo non expedit eos ante rationis vsum baptizare: quia vel posteà cogendi sunt credere, & in catholica Ecclesia permanere, quod est contra libertatem Christianam, vel, si hæc libertas violanda non est, Baptismus & character eius exponuntur periculo, vt indignè tractentur, & contemnãtur.

Dico primò, non solũ est licitũ, verũ etiã magis expediens, hos infantes baptizare antequã possint ipsi liberè consentire. Est cõclusio certa de fide, tradita in Trid. sess. 7. can. 13. de Baptismo, vbi anathematis damnat eũ, qui dixerit, præstare, omitti eorum baptisma, quã eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ. Fundamentum præcipuum sumitur ex Ecclesiæ consuetudine, nã quod vniuersa Ecclesia seruat, semperque seruauit in his, quæ ad animarum salutem spectant, non solum licitum est (cùm errare non possit in moribus regitur enim ab Spiritu sancto qui non permittit eam errare in re tam graui) verũ etiam valde expediens. Imò etiam si solam humanam autoritatem spectemus, est incredibile, esse deceptos tot sanctos, & sapientissimos viros, qui in omni ætate & in omni loco huiusmodi consuetudinem conueniẽtem, & vtilitati fidelium maximè opportunã semper iudicarunt. Sed quòd vniuersa Ecclesia ita nũc sentiat, ex ipso vsu satis patet. Quòd verò semper idem senserit, constat ex veterum testimonijs. Clemens lib. 6. constit. c. 15. sic inquit. *Baptizate paruulos vestros, & educate eos in disciplina, & præceptis Dei.* Dionys. c. 7. Eccles. Hierar. alias 12. part. 3. circa finem, contrarij erroris mentionem facit, eiusque sectatores grauiter reprehendit his verbis. *Pueros verò, etiam qui nondum diuina mysteria intelligere possunt, diuini ortus participes fieri, sanctissimorumq; diuinæ societatis signorum videtur quidẽ, vt aiũt, nõ sanctis hominibus, & à religione nostra abhorrentibus meritò risu dignissimũ, si nos, qui docere nõ possunt diuina, Pontifices doceant, & non intelligentibus frustra ea, quæ sanctè tradita acceperunt, tradant.* Et post multa. *Hæc quoq; de hac re dicimus, quod diuini nostri Pontifices à veteribus accepta nobis tradiderunt. Aiunt enim, id quod etiã verum est, pueri, si in sancto instituto ac lege instituantur, ad sanctam animi constitutionem peruenturos esse ab omni errore solutos ac liberos, & sine vllo vitæ impuræ periculo.* Quod posteà latiùs prosequitur declarãs, quanta his infantibus vtilitas ex baptismo proueniat, & quomodo per sponsores, eorum ignorãtiæ, atque impotentiæ Ecclesia subueniat. Vnde Chrysost. tom. 4. homil. de Adam & Eua (si illius est) *Prædicat (inquit) Ecclesia Catholica vbique diffusa debere baptizare paruulos propter originale peccatum*, & tomo 3. homil. ad neophytos. *Hæc (inquit) de causa etiam infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt Spiritus habitatio fiant.* Hanc etiam esse Apostolicã traditionẽ dixit Orig. lib. 5. in ad Rom. circa illa verba c. 6. *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* De qua eleganter etiã scribit Hieron. allegans Cyprian. & Aug. lib. 3. contra Pelag. in vltimis verbis. & Prosper. 2. de vocatione gentium. c. 8. & Greg. lib. 7. Reg. epist. 57. & in Resp. ad Aug. Resp. 10. Optimẽ Greg. Naziã. orat. 40. Omnes ætatũ gradus attingit, inter alia, inquit: *Infans tibi est, nè occasionẽ improbitas arripiat, ab infantia sanctificetur, ab ipsis vnguiculis Spiritui consecretur*, sic etiã dixit Basil. homil. 13. ex varijs, nullam ætatem nõ esse opportunam suscipiendo baptismo. Quam sententiã habet etiam Irenæus lib. 2. contra hæres. c. 39. expressè nominans *Infantes, paruulos, pueros, iuuenes, & seniores*. Multa etiã de hac re scribit Bernard. Epist. 77. 240. & serm. 66. in Cantic. Atque hoc etiam cõfirmant omnia, quæ ex Pontificibus & Concilijs precedenti sectio. adduximus. Nam illa non solũ explicant potestatem, sed etiam vsum, & Ecclesiæ cõsuetudinem declarant. Ratio verò huius assertionis est, nam in primis constat hoc esse licitum, cùm nec per se, & ex obiecto sit intrinsecè malũ: neque etiam sit iure positiuo prohibitum. Primum patet, quia hæc actio non habet prauum obiectum, cùm nec sit iniuriosa proximo, sed potiùs vtilissima, vt dicemus: nec sacramento, cùm detur homini capaci & non indigno, nec Christo aut Deo, cũ cedat potiùs in honorem eius, & religionis augmẽtum, & animarum salutem. Secundum patet, quia tale ius positiuum, neque diuinum, neque humanũ est, neutrum enim scriptum est, aut traditum, neque ab aliquo ostendi poterit.

Rursus, supposita actus honestate facile est intelligere cõuenietiã eius, supponendo, quod certissimũ est, Baptismũ dare infantibus suũ effectum, vt affirmãt Patres oẽs nuper citati, & expressè Iustinus. q. 56. ad Gent. & sentit Damasc. li. 4. c. 10. & ratione patet, quia omne sacramentũ confert suũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

effectum non ponenti obicem; infantes autem neque ponunt, neq; possunt ponere obicem, vt per se constat; recipiunt ergo sacramenti effectum, est ergo eis vtilissimus Baptismus, liberantur enim à potestate diaboli, fiunt Christi & Ecclesiæ membra: præueniuntur, ne repentinis & inopinatis casibus obruantur, ac perpetuò pereant, armantur aduersus dæmonis tentationes, ac denique disponuntur, vt firmiùs ac stabiliùs illis adhæreat religio: ergo ex parte ipsorum infantiũ est maximè conueniens hęc actio, nec in hoc lædit ur eorũ libertas, sed perficitur potiùs ac liberatur. Atque ideò etiã ex parte sacramenti, non est cur expediat hanc actionem differri: quia tenentur paruuli, cũ ad annos discretionis peruenerint, in religione, quã professi sunt, perseuerare: & ad hoc meritò cogi possunt, non minus quã si in adulta ætate essent baptizati, vt dicemus. Et quãuis negari nõ possit, quin, cæteris paribus, perfectior modus sanctificationis & susceptionis baptismi sit per proprium consensum propriamque dispositionem: tamen hoc solùm habet locũ suppositâ capacitate, tamen propter alias causas maioris momenti non expedit, illam capacitatem expectare, sed melius est priùs sanctificari modo illi ætati accommodato, & posteà per propriã dispositionem ac meritum in sanctitate crescere, ac confirmari.

Dubium. Respondetur.

Sed quæres, an baptizare hos infantes nõ solùm liceat, & expediat, verùmetiam præceptũ sit. Respondetur primùm, si necessitas vrgeat, ita vt infans sit in probabili mortis periculo: certũ est hoc esse in præcepto: tum ex generali lege charitatis, qua tenemur subuenire proximis extremè indigẽtibus; præsertim in spirituali necessitate: tum ex lege pietatis, qua parentes tenẽtur filijs prouidere, tum etiam ex lege iustitiæ respectu pastorũ Ecclesiæ, qui ex officio tenentur, sacramenta subditis ministrare tẽporibus opportunis, & præsertim in necessitatis articulo. Neq; in hoc videtur esse vlla dubitandi ratio, quin potiùs Tertul. lib. de Baptis. c. 18. existimat, in hoc solo articulo esse paruulos baptizandos, nam si necessitas non vrgeat, conuenientius iudicat, annos discretionis expectare; *Nesponsores* (inquit) *qui pro baptizato promittunt, periculo se exponant, non implendi quod promittunt, propter varias causas quæ in infantia ocurrere possunt*. Sed in hoc, vt in alijs, grauiter errauit Tertull. vt probatũ est. Nec incõmodum illud, quod affert, est alicuius momenti: nã satis est, quòd sponsor id præstet, quod commodè potuerit: quòd si ipse defecerit, ad Ecclesiæ pastores pertinet instruere infantẽ, aut aliquem prouidere, qui hoc munus in se suscipiat.

Tertull.

Extra necessitatem nullum præceptũ obligat, vt pueri baptizẽtur ante vsum rationis.

Deinde addendum est, extra casum necessitatis nullum extare diuinum præceptum, quod obliget ad baptizandos hos infantes filios Christianorum ante vsum rationis. Neq; enim scriptura vel traditione ostendi potest de hac re positiuũ præceptũ, neque etiã est naturale, quod ex alijs principijs fidei necessariò sequatur. Dices, ipsa quotidiana necessitas, & morale periculũ, quod est in illa tenera ætate videtur esse sufficiẽs causa, vt ex vi institutionis Baptismi orta sit hæc obligatio. Respondetur, hanc quidẽ rationem ostendere, rẽ esse valde conuenientẽ: non tamẽ simpliciter necessariã: quia illa necessitas non est tanta, vt ex illa oriatur mora le periculũ moriendi sine Baptismo: præcipuè cũ hoc sacramẽtum possit tanta facilitate administrari, vt ratissimè possit euenire casus, in quo moraliter, ob acceleratam infantis mortem dari nõ possit. Quin potiùs Gregor. Nazian. dicta orat. 40. significat, in necessitate quidem baptizandũ esse infantem sine vlla mora, tamen extra illam expectandũ esse triennij tempus, vt per se possit infans aliquo modo rẽspondere, & annuere. Hoc autem Nazianzeni arbitrium, habuit fortasse sua ætate locum, nunc verò saluandum non est, nec, per se loquendo, potuit vnquam esse necessariũ, aut expediens. Quia si triennium expectandũ esset, melius esset vsque ad rationis vsum expectare: nam aliàs quid refert illa dilatio vsque ad tertium annũ? aut quid interest verbis respondere, si mens non concipit, neq; intelligere valet, ita vt credat & liberè cõsentiat? sanè neque ad suscipientis commodum, neque ad sacramenti reuerentiã hoc vtile est, & aliquã maius infantiũ periculũ est in ætate tenuiori.

Greg. Nazian.

Ecclesiastico iure necessarium est baptizare hos infantes ante vsum rationis.

Vltimò ergo addendum est, Ecclesiastico iure necessarium esse baptizare hos infantes ante vsum rationis. De hac enim re non inuenio ius canonicum, quod scriptum sit, tamen recepta Ecclesiæ cõsuetudo sufficiens videtur ad hoc ius introducendum: cuius indicium esse potest, quòd si quis fidelium vellet contra hanc consuetudinem agere, magnum scandalum in alijs generaret, nisi euidẽs aliqua necessitas ad Baptismum differendum cogeret. Quocirca, & pastores Ecclesiæ tenentur adhibere curam, vt hi paruuli maturè baptizentur, & parentes etiam renentur eos ad Baptismũ offerre. Quòd si ipsi negligentes sint, vel etiam si sint inuiti, pastores Ecclesiæ eos debent obligare & cogere, vel, si opus sit, etiam ipsis inuitis filios baptizare, quia neque horum consensus est simpliciter ad Baptismum necessarius, vt dixi, neque habent ius differendi filiorum Baptismum contra legem, seu consuetudinem Ecclesiæ.

Aliud dubium. Respondetur.

Sed quæres tandem, pro quo tempore vrgeat hæc obligatio. Respõdetur in primis, expectandũ esse, vt infans sit perfectè natus ex vtero matris, nã qui omnino natus non est, ita vt aqua contingi nõ possit, nullo modo baptizari potest, quia vt rectè dixit August. lib. 6. cõtra Iulia. c. 5. nec per se ablui potest, vt per se cõstat, nec per matrem, cùm re vera sit persona ab illa distincta & animã habeat propria, & distincta peccati macula affectã. Qui verò nasci incepit, baptizari integrè nõ debet, donec integrè ac perfectè nascatur, quia ordinariè nõ renascitur, nisi qui iam semel natus est, vt August. dixit Epist. 57. Hoc autem intelligendum est extra casum necessitatis: tunc enim & ad reuerentiam sacramenti, & ad corporale commodum ipsius infantis pertinet, vt aliquãtulum differatur Baptismus, & commodius tempus expectetur. Propter necessitatem verò baptizari potest & debet infans ante perfectam natiuitatem ex vtero, vt dicemus in Commentario artic. 11. vbi exponemus, quid tũc temporis agendum sit. Post perfectã verò natiuitatem corporalem, non potest certior regula assignari, quàm vt Baptismus non nimium differatur sine causa contra Ecclesiæ consuetudinem: quanta verò possit esse dilatio, & quando sit nimia cẽsenda, prudenti arbitrio relinquendum est.

Duplex infidelium conditio.

Ad fundamentum contrarij erroris iam fere responsum est: diximus enim nihil esse periculi, quoniã huiusmodi baptizati infantes, cùm ad annos discretionis perueniunt, nõ sunt ampliùs suo arbitrio

arbitrio relinquendi, sed obligandi sunt, & cogendi ad perseuerandum in religione susceptã, vt Concil. Triden. definit suprà can. 14. & latiùs in materia de fide ostẽditur, quia per Baptismum hoc ius Ecclesiæ acquiritur, quod potuit Christus ei dare, ac meritò dedit, vt ex ipso vsu & traditione constat, quia necessariũ erat, vt & hominũ necessitati subueniretur, & sacramẽta ac religio Christiana debito honore tractarẽtur. Neq; in hoc fit iniuria infanti: tum quia hoc ipso, quòd ex Christianis nascitur, ipso iure natiuitatis sit subditus Ecclesiæ, sicut filius ancillæ est seruus, filius Hispani est subditus Regi Hispaniæ: tum maximè, quia totũ hoc negotium cedit in bonũ & maximã vtilitatem ipsius infantis, & re ipsa nullum ferè nouũ pondus illi imponitur, nã iure diuino tenetur, cũ ad vsum rationis peruenerit, Christi fidẽ profiteri, & eius præceptis obedire: quòd autem speciali modo subdatur Ecclesiæ re vera potiùs est cõmodum, quàm onus, ex quo maiorem gratiam, maiusque auxilium cõsequitur ad id præstandum, quod iure tenetur.

Conc. Trid.

SECTIO III.

Vtrùm liceat infantes infidelium filios baptizare parentibus inuitis, quando parentes nullo modo sunt Ecclesiæ subditi.

Titulus explicatur.

POstquàm dictum est de filijs Christianorũ, dicendum sequitur de filijs infidelium. Et est sermo de solis infantibus, nã adulti, vt dixi mus, sunt in hoc negotio iuris sui, & ideò neque quoad factũ, neq; quoad ius pendent, in eo à velo tate parentum. Infantium verò Baptismus, quamuis non pendeat quoad factũ, seu, vt datus reneatur pendere tamẽ potest quoadius dãdi, id est, vt iustè & licitè detur, & hoc est quod in quitimus, loquor autem in titulo huius sectionis de infidelibus, qui nullo modo sunt Ecclesiæ subditi. Est enim cõsiderandum, quosdã esse infideles subditos Ecclesiæ directione potestatis, & iurisdictionis spiritualis, huiusmodi sunt omnes apostatæ, qui post susceptũ Baptismũ defecerũt à fide, siue in hæresim incederint, siue in Iudaismum, aut Paganismũ declinauerint, & de his nulla est controuersia, quin Ecclesia habeat ius baptizandi eorũ infantes, etiã si parentes renitantur; nã ipsos etiã parentes potest ad fidẽ cogere, & pœna etiã mortis afficere, si seruandam iurauerint, & pertinaces sint: multò ergo magis potest eos priua re potestate, quã in filios suos habent. Præterquã quòd, vt suprà ostensum est, ex vi natiuitatis ex parentibus baptizatis, & sibi subditis Ecclesiæ, habet eadẽ Ecclesia ius & potestatẽ directã in ipsos filios, vt eos instruere possit, & in religione instituere. Alij verò sunt infideles, qui nũquam baptizati fuerũt, qui non sunt directè subditi spirituali iurisdictioni Ecclesiæ, & hi sunt in duplici differentia: quidã sunt subditi Ecclesiæ seu principibus Christianis, quoad iurisdictionẽ seu dominiũ temporale, de quibus dictum fuit sectione sequẽti. Alij verò sunt, qui nullo modo, nec spiritualiter, nec temporaliter subijciuntur Ecclesiæ, de quibus est præsens dubitatio. In qua nõnulli Theologi affirmãt, per se loquendo, posse Ecclesiam baptizare hos infantes sine consensu parentũ, imo illis etiã inuitis.

Communis Theologorum

Hęc sentẽtia solet tribui Scoto in 4. d. 4. q. 9. sed ibi hoc nõ docet, nõ enim loquitur de his infidelibus, sed de alijs, subditis Christianis principibus, de quibus etiã loquuntur Duran. & Gabr. vt posteà dicemus, vnde nullũ Theologorum inuenio, qui expressè hanc sententiã doceat, si qui tamẽ sunt, qui existimẽt huiusmodi infideles posse cogi, vel ad suscipiendã nostrã fidem, vel saltẽ ad emendandos errores, & tollenda vitia legi & rationi naturali contraria, & ad fidẽ audiendã, & nõ impediendũ eos, qui conuerti velint, hi cõsequenter dicẽt, posse iustè baptizari hos infantes inuitis parentibus, sed de illa sententia, cuiusque falsitate nõ est hic dicendi locus, habet enim proprium in 2. 2. q. 10. vbi interim videri possunt interpretes, & reliqui Scholastici in 4. d. 4. 5. & 6. & Genes. Sepulued. lib. 7. Polit. c. 2. & Greg. Lup. Partit. 2. tit. 23. l. 3.

Titulus explicatur.

qui duo autores singulare illã sententiã defendũt. Quod verò ad præsentem rem spectat, potest hæc sentẽtia fundari duplici via. Prima est, quia Ecclesia videtur ad hoc habere potestatẽ directam, potuit enim Christus illã dare, vt per se notũ est, nã maius & excellẽtius dominiũ habet in quoscunq; infantes, quã habeant parẽtes, & videtur dedisse, nã verba eius generalia sunt, *Docte omnes gentes, baptizantes eos*. Nã sicut Christus instituit, vt baptismus esset mediũ necessariũ, etiam his infantibus, ita etiam præcepit eos baptizari, sicut ergo præceptum generale est, ita & potestas baptizãdi: ergo quãuis parentes resistãt, possunt filij baptizari, nã in hoc ipsi faciunt cõtra Christi præceptũ, & contra potestatẽ Ecclesiæ datam: Vnde in hoc illi irrogant iniuriam, ergo merentur ipsi priuari potestate, quã habent in illos. Et confirmatur, nã in lege naturæ poterat quicunque fidelis offerre Deo: alienum infantem, eique remedium contra originale peccatum applicare, inuito parente, ergo hoc ius translatum nunc est in Ecclesiam, aliàs nũc essent deterioris conditionis huiusmodi infantes.

1. Fundamentum prædictæ sententiæ

Secundum fundamentum esse potest, quia saltẽ indirectè videtur habere Ecclesia hanc potestatẽ ipso iure naturæ, quia potestas defendẽdi innocentes, omnibus est iure naturæ concessa: sed hi infantes sunt innocentes & infimi, & summã iniuriam à parentibus patiuntur, & maximũ detrimẽtum: ergo licet eos defendere, & hoc iure eos eripere, si opus fuerit, de potestate parentũ, vt securè baptizentur. Et cõfirmatur primò, nam parentes accipiunt potestatẽ in filios, vt eos in pietate instruãt, & vero Dei cultu; sed ipsi abutuntur hac potestate contra Dei honore, & contra filiorum salutem: non est ergo cur hoc ius eis seruetur: ergo, nõ obstante hoc iure, possunt baptizari inuitis parentibus. Cõfirmatur secundò, quia si parens vellet interficere filium, iure possemus illũ cogere ne id faciat; quia habuit ut naturali iure, quod in illum habet: ergo multò magis hoc licet, si mortẽ illi spirituale procuret, dum non permittit illũ baptizari.

2. Fundamentum.

Nihilominùs dicendũ est, nõ posse hos infantes in re baptizari inuitis parẽtibus, neq; priuata autoritate, neq; publica. Hæc est sentẽtia D. Tho. hic, & 2. 2. q. 10. art. 12. quã sequũtur oẽs eius discipuli vtro; loco. Caiet. Capre. Palud. Sot. d. 5. Richar. d. 6. ar. 3. q. 2. Mart. in 4. q. 4. ar. 4. Antoni. 3. p. tit. 13. c. 3. Vt fundetur hæc cõclusio supponẽdũ est, huiusmodi infideles nõ posse iustè cogi ad suscipiẽdã fidem per bellũ, aut iniuriam aliquã. Ita statuũt

Conclusio.

Universidad de Deusto Biblioteca

Conc. Tolet.

tum eſt in c. Quiſyncera. 45. diſt. ex Greg. lib. 11. Epiſt. 15. & idẽ ſumitur ex eodem Greg. lib. 1. c. 91. Epiſt. 51. Idem ſtatuitur in Cõcil. Tolet. 4. c. 56. & habetur in c. De Iudæis. 45. diſt. Idẽ ſtatuitur in c. Sicut Iudæi. de Iudæis & Sarac. De qua re latiùs tractatur in materia de fide. Secundò ſupponendũ eſt, iure naturæ patrẽ habere ius in filiũ, vt eũ inſtituat, & in rebus omnibus dirigat, atque gubernet, præſertim, quando filius propria volũtate regi non poteſt: quia filius ex vi originis eſt aliquid patris, & ideò eſt ſub patria poteſtate; ita, quia pater iure naturæ tenetur prouidere filio, ac res illius diligenter curare: ergo & è contrario, vt ſit æqualitas, ius in filiũ ex natura rei ad parentem ſpectat.

Ratio cõcluſ.

Ex his ergo cõcluditur ratio, nam duobus modis intelligi poſſet baptizari hos infantes filios infideliũ: vno modo eripiendo eos parẽtibus, alio modo relinquendo eos ſub eorũ cura & poteſtate. Prior modus includit apertã iniuriã, non ſunt autẽ facienda mala, vt veniant bona. Aſſumptum patet, quia priuantur parentes naturali iure, & quaſi dominio quod habent in filios: quod iuſtè fieri nõ poteſt: quia Eccleſia nullã habet poteſtatem ſupra hos infideles, nec poteſt illos priuare rebus ſuis, vt conuertantur ad fidẽ: nõ ergo poteſt priuare illos filijs ſuis, vt eos baptizet. Secundus verò modus inprimis includit apertũ ſacrilegiũ, nam, vt dicitur in Conc. Tolet. c. 59. nõ poſſunt, moraliter loquẽdo, infantes baptizati educari ſub cura parentũ infidelium, quin eorũ inuoluãtur erroribus, in quo fit magna iniuria Chriſtianæ religioni, & ipſi ſacramento Baptiſmi, vt inferiùs latiùs dicemus. Deinde eſſet hoc etiã cõtra iuſtitiã, quia hoc ipſo q; infans baptizatur, poteſt Eccleſia, ſi oportuerit ad tuendũ honorẽ ſuſcepti ſacramenti, & vt ſemel baptizatus in fide ſuſcepta inſtruatur ac perſeueret, poteſt (inquã) eũ à patria poteſtate eripere: nã hoc ius acquirit ex vi characteris baptiſmalis: ergo ſi Eccleſia nõ poteſt filios auferre ab his infidelibus, neq; etiã poteſt id facere, ex quo hoc neceſſariò conſequitur. Denique, quia cũ parens iure naturæ habeat hoc ius in filiũ, quacunque ratione alius velit vti hoc iure contra voluntatẽ patris, vſurpat alienum ius. Et confirmatur, quia nullibi legimus, Chriſtũ dediſſe Eccleſiæ hanc poteſtatem, neque enim hoc ſcriptũ eſt, vt per ſe cõſtat, & videbimus ſoluendo argumenta. Neq; etiã eſt traditũ, nullus enim ſanctorũ Patrum id docuit: neq; ex vſu Eccleſiæ id colligi poteſt: nunquã enim Eccleſia hoc facere cõſueuit. Vnde confirmatur, nam ſi Eccleſia haberet hanc poteſtatem, poſſet hoc ſolo titulo iuſtum bellũ omnibus his infidelibus inferre, vt permitterent filios ſuos baptizari: & conſequẽter etiã inſtruere eos in religione Chriſtiana, & præſeruare ab omni morali periculo, & proxima occaſione retrocedendi: hoc autem eſt planè abſurdum, & cõtra omnem vſum & ſenſum Eccleſiæ.

Reſpondetur argumẽtis primæ ſententiæ.

Vt autẽ huius rationis vis apertiùs cõſtet, oportet ſtatim reſpondere argumentis primæ ſententiæ.

Ad primum.

Ad primũ negamus, Chriſtũ dediſſe hanc poteſtatem Eccleſiæ: illa enim verba *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, directè ac primariò reſpiciũt adultos, qui ſunt capaces doctrinæ, per quã trahẽdi ſunt ad baptiſmũ; infantes verò, qui per ſe capaces nõ ſunt doctrinæ, per parentes trahendi ſunt, quorũ voluntati ſunt cõmiſsi, vt per eã gubernentur, atque ita, licèt baptiſmus reſpectu illorũ ſit mediũ neceſſa- A riũ, tamẽ eis applicandũ eſt conuenienti modo & ſeruato iuſtitiæ ordine. Et ſimiliter, quãuis præceptum Baptiſmi ſit generale, tamen directè non cadit in infantes ante vſum rationis, quia pro tunc non ſunt capaces præcepti, pertinet ergo ad illos medijs parentibus, qui tenentur & fidem ſuſcipere, & filios ſuos in ea inſtituere, & per Baptiſmum initiare. Licèt autẽ parentes hoc præceptum violent, non poſſunt ab Eccleſia puniri, aut ad illud ſeruandum cogi: quia, cùm non ſint ſubditi Eccleſiæ, non habet Eccleſia vim coactiuam in illos.

Ad confir.

Ad cõfirmationem autẽ de tẽpore legis naturæ, Soto, cõceſſo antecedenti, negat conſequentiã: eſt enim, vt ipſi videtur, ratio valde diuerſa, quia in lege naturæ remediũ cõtra originale peccatũ, vel nullã externã ceremoniã requirebat, vel ſaltẽ non fiebat præſcripto ac definito ritu, neq; imprimebat B characterẽ, ex quo oriretur ſpecialis obligatio ad ſpecialẽ modũ diuini cultus & religionis ſeruãdũ, ſicut nũc oritur ex Baptiſmo. Et ideò nõ videbatur tũc fieri iniuria parenti, offerẽdo infantẽ vero Deo, eiq; fidẽ applicãdo: quia ad hoc nõ oportebat ſubtrahere filiũ è parẽtũ poteſtatẽ, quæ ſententia videtur ꝓbabilis. Meliùs tamẽ ac faciliùs, magiſque cõſequẽter reſpõdetur, negãdo antecedẽs, quia iniuria, quæ nũc fit parenti, baptizãdo infantẽ, ipſo inuito, nõ oritur ex determinato ritu Baptiſmi, neque ex charactere, ſed ex iure paterno in filium, quod idẽ erat in lege naturæ ac modò eſt. Deinde, quãuis tũc nõ imprimeretur character, tamẽ infundebatur fides ſupernaturalis per illud ſacramentũ legis naturæ, ergo fieret cõtra reuerentiã debitam ſacramẽto & ipſi fidei, applicãdo illud remedium infanti educãdo ſub cura parentũ infideliũ, & exi C ſtẽti in euidẽti periculo apoſtaſiæ: ſi ergo liceret, illis infantibus talẽ ſacramẽtũ dare, liceret etiã eos eripere à patria poteſtate, ne in periculo apoſtaſiæ relinquerentur. Omitto valde incertum eſſe, per quos poſsit in illo ſtatu validè applicari tale remediũ: nã fortaſſe ſoli parẽtes, vel qui eorũ ius obtinebant, ſeu in eorum locũ ſuccedebant, habebãt hãc poteſtatem applicandi fidem ſuã paruulis, cùm eo tempore nõ eſſet alius ſpecialis ritus ſacramẽti inſtitutus. De qua re in ſuperioribus dictum eſt.

Ad alterũ fundamentum.

Ad ſecundũ fundamẽtũ reſpõdetur, licère quidẽ, innocentes defendere iure naturæ, quando iniuſta vis eis infertur in his rebus, quæ ipſo iure naturæ ſunt homini debitæ, defenſio enim ſolũ habet locũ, vbi intercedit coactio & vis, vel manifeſta fraus repugnãs naturali iuſtitiæ: at verò parẽtes in- D fideles, qui nolunt baptizari filios ſuos, nullã eis vim inferũt, propriè loquẽdo, neq; eis faciũt propriã iniuriam, neque abutuntur iure ſuo cõtra debitũ iuſtitiæ ordinem, ſed cõtra legem fidei, & cõtra pietatem non merè naturalẽ, ſed vt regulandã per fidẽ, & ſupernaturalem cognitionẽ, cuius peccati, vt diximus, Deus eſt vindex, *Nam de his, quæ foris ſunt, nihil ad nos*, vt dicitur 1. ad Corint. 5.

Ad 1. confir.

Et per hæc patet reſponſio ad primã confirmationẽ, nã licèt iſti infideles abutantur patria poteſtate, tamen ille abuſus non eſt per manifeſtam iniuriam contra legem naturæ; imò, propriè loquendo, non incipit ille abuſus vſque ad ætatem adultam filiorum, quando illi ſunt capaces, vt in vera vel falſa religione inſtruantur: nã antea non baptizare paruulos, licèt reſpectu Chriſtianorũ, ſit cõtra Eccleſiaſticã legẽ vel conſuetudinẽ: tamẽ reſpectu infidelium,

Ad 1. confir.

A delium, qui his legibus Eccleſiaſticis non obligantur, non eſt contra diuinũ ius poſitiuũ, nedũ cõtra naturale. Vnde patet, non eſſe ſimile illud quod in ſecũda cõfirmatione adducitur, videlicet, ſi parẽs velit interficere filiũ. Nã homicidiũ eſt manifeſta vis & iniuria cõtra naturalẽ iuſtitiam. Deinde eſt alia differẽtia, quia homicidiũ eſt damnũ irreparabile; & ideò infans cui infertur hæc vis, eſt in extrema neceſsitate, cui ex charitate tenemur ſuccurrere ſi poſsimus. At verò ob dilationẽ Baptiſmi præciſè ac per ſe cõſideratã, nõ conſtituitur infans in extrema neceſsitate ſpirituali, cui ſubuenire poſsimus alterũ iure ſuo priuando, præſertim cùm moraliter ac regulariter fieri non poſsit ſine magna perturbatione pacis, & cũ occaſione belli iniuſti.

1. Coroll.

Ex his autem videtur inferri duo. Primũ eſt, ſi paruulus ſit in extremo mortis periculo, tũc ſaltẽ poſſe baptizari inuitis parentibus, præſertim ſecre- B tè & occultè. Primũ quidẽ, quia illa cenſetur eſſe extrema neceſsitas ſpiritualis, in qua videtur maior facultas cõcedenda. Deinde, quia iã videtur parens moraliter amiſiſſe ius in filiũ, quia quod parũ diſtat, nihil diſtare videtur; atq; ita ſentiunt Antoninus & quidã Guillielmus quẽ ipſe citat, & Soto hic.

Antonin. Guilliel. Soto. Obiectio. Reſpondetur.

Quòd ſi obijcias, quia baptizare filium, inuito parente, eſt intrinſecè malũ, cùm ſit cõtra iuſtitiã. Reſpõdetur primùm, id eſſe verũ extra caſum neceſsitatis, in eo tamen ceſſare ſolere huiuſmodi iura, præſertim cũ in illo articulo ferè iã ſit extinctũ paternum ius, licèt autẽ hoc ſit piũ & probabile: nõ eſt tamẽ vtendũ hac facultate ſine magna prudẽtia, & cautela. Et primùm obſeruãdũ eſt, vt infans in eo iam ſit ſtatu, in quo de illius vita corporali moraliter deſperetur, ne, ſi fortaſſe viuat, aut patri ſit filius eripiendus, aut poſt Baptiſmũ relin- C quẽdus in euidenti periculo apoſtaſiæ. Deinde cauendũ eſt, ne id fiat per manifeſtã violentiam, cũ ſcandalo parentũ infideliũ: quia hoc nõ poteſt non cedere in iniuriã religionis Chriſtianæ, & occaſionẽ præbere, vt fiãt ſacrilegia. Et ratio à priori reddi poteſt, quia in prædicto caſu parẽs adhuc re vera poſsidet ius ſuũ, & ideò ius habet illud defendẽdi & tuendi: ergo non poteſt per vim illo priuari, ne admittamus iuſtũ bellũ ex vtraq; parte, nõ fundatũ in ignorãtia, ſed in vero ac reali iure. Et ideò, licèt ob neceſsitatẽ admittamus, poſſe paruulũ in eo caſu baptizari; tamen quia illa neceſsitas non eſt talis, quæ lumine naturæ cognoſci poſsit, nec verſetur circa rem ad quam parens iure teneatur: ideò non concedimus facultatẽ ſubueniendi tali neceſsitati, per vim, ſed ſolùm ſecretè & ſine ſcandalo.

2. Coroll.

D Secundò infertur ex dictis, ſi infans iure vel iniuria de facto iam ſit extra patriã poteſtatẽ, ita vt nulla ſit ſpes, neq; obligatio reſtituẽdi filiũ parẽti ſuo, vel quia ignoratur cuius filius ſit, vel quia tã longè diſtat, vt moraliter nõ poſsit reſtitui, ſequitur (inquã) in huiuſmodi euentu poſſe huiuſmodi filiũ baptizari ſine cõſenſu parentis, vel etiã ſi conſtet ipſum fore inuitũ.

Caietan. Sotus.

Ita docẽt Caiet. Soto, & omnes, quia tunc quanuis parens retineat veluti radicale ius, tamẽ amiſit actualẽ vſum eius, imò & moralem poteſtatem vtendi illo, & ideò neceſſe eſt, ne ille infans ſit omni auxilio deſtitutus, vt alius in eo iure ſuccedat, qui poſsit & debeat curã illius ſuſcipere, ergo ille poteſt eũ baptizare, nõ expectato parẽtis cõſenſu. Oportet tamẽ, vt ille paruulus ita ſit orbatus vtroq; parente, vt nullũ etiã tutorẽ A habeat, ad quem ius inſtituẽdi ſeu educãdi paruulum pertineat: nam tunc eadẽ eſt ratio de tutore, quæ de parentibus, vt rectè Paludanus dixit, quãuis Soto in eo caſu dicat non fieri tam atrocẽ iniuriam.

Paludan.

Ratio eſt, quia ſi tutor eſt inſtitutus ex volũtate parentũ, qui potuerũt ius ſuũ in illũ transferre, habet eundem iuſtitiæ titulum, cùm illud ius in ipſum tranſlatum ſit: ergo eſt eadẽ ratio iniuſtitiæ, nec magis poteſt tutor illo iure priuari, quam parẽs. Atque eadẽ ratio eſt, ſi tutor alio iuſto titulo ſuccedat, vt quia eſt auus, vel frater natu maior, vel quilibet alius legitimo iure inſtitutus. Quòd ſi fingamus infantẽ omnibus his auxilijs deſtitutũ, ad rẽpublicã, vel gubernatorẽ eius pertinet illi de tutore prouidere, vel illius curã ſuſcipere: & ideò reſpectu illius, eadem erit ſeruanda regula, quæ reſpectu parentis, quandiu paruulus eſt ſub poteſtate vel gubernatione Principis, aut tutoris infi- B delis, ſecus verò erit, vt dixi, ſi quacunq; cauſa vel occaſione ſubtractus ſit de poteſtate infidelium.

Dubium 1.

Duo ſuperſunt dubia circa hanc doctrinã explicanda. Primũ eſt, an requiratur conſenſus vtriuſq; parentis, vel ſufficiat vnius, etiã ſi alter inuitus ſit.

Reſpondetur.

Reſpõdetur primum, ſi mater ſit Chriſtiana ante conceptionẽ, & partũ filij, eſt certũ, poſſe & debere filiũ baptizari; per ſe loquendo, etiã ſi pater contradicat. Eſt res certa, quia partus, vt dicũt, ſequitur ventrem: vnde hoc ipſo quòd filius ex matre fideli & Chriſtiana concipitur, acquirit ius Eccleſia ad baptizandum illum, quia ille paruulus ex vi originis naſcitur ſubditus Eccleſiæ, & hoc à fortiori conſtat ex iuribus ſtatim citãdis. Secundum, ſi pater ſit Chriſtianus, & mater infidelis, etiã poterit baptizari paruulus, conſentiente patre, & re- C nuente matre: quia parens eſt caput, & habet præcipuũ ius in filium. Tertio, etiam ſi filius natus ſit ex vtroque parente infideli, ſi poſteà alteruter parentũ conuertatur ad fidem, illius conſenſus ſufficiet, etiam ſi alter contradicat, ſiue ille ſit pater, ſiue mater.

Gregor. 9.

Ita colligitur ex c. 2. extrã. de cõuerſ. infidelium, vbi Greg. 9. ſtatuit, patre conuerſo ad fidem, illi eſſe aſsignandũ filium puerũ quadriennem, vt ab eo poſsit in fide Chriſtiana educari & inſtitui, & idem ferè ſtatuerat Concil. Tolet. IIII. c. 61. & habetur in cap. Iudæo. c. 28. q. 1. vbi dicitur, filios natos, tam ex patre infideli, & fideli matre, quàm ex patre fideli, & matre infideli, imitari debere in religione parentem fidelem, atque ita poſſe baptizari.

Conc. Tolet.

Ratio autẽ in patre eſt facilis, quia ille eſt caput, & ad illũ maximè ſpectat filij cura & gubernatio: de matre verò, quando tẽpore par- D tus nondum erat fidelis, non eſt tam euidẽs ratio, eſt tamen ſufficienter probabilis, quia ius maternũ ferè eſt æquale paterno. Nã licèt pater ſuperet in cauſalitate, & in eo quod eſt caput vxoris & totius familiæ: tamen mater excedit: tum in certitudine: tum in eo quod mater plus confert de ſubſtãtia ſua ad filij generationẽ, maioreſque dolores & labores pro illo ſuſtinet: aliunde verò aliquid dandũ eſt parẽti fideli in fauorẽ Chriſtianæ religionis vt ſignificat Greg. 9. d. c. & in fauorem etiã innocentiæ, & ſalutis ipſius paruuli: meritò ergo in hoc negotio præfertur ius illius parentis, qui fidẽ aut religionem Chriſtianam ſequitur.

Vtriuſuis parentis, ſi ambo infideles ſint, conſenſus

Quin potiùs addo vltimò, etiã ſi neuter parẽs infidelis ad fidẽ conuertatur: ſi tamen permittat, filiũ baptizari, id ſatis eſſe, etiam ſi ſola mater huiuſmodi cõſenſum præbeat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sufficit, vt puer, altero inuito, baptizari possit.

præbeat, quia cùm talis consensus sit in fauorẽ religionis, & bonum & salutem filij, præferendus est. Nam etiam iuxta cõmune ius, si filius alicui ex parentibus subtrahendus est, adiudicatur parti innocenti, quid ergo mirum si in hoc negotio, vbi parentes per se non cõsentiunt, & alteri eorũ quodã modo adiudicandus est filius, dicamus, illius consensum esse sequendũ, qui, quãtum ad hoc spectat, innocens dici potest, cùm solus illius consensus honestus sit, & in filij cõmodum cedat? Hæc autẽ omnia, vt initio dixi, per se intelligenda sunt: nã per accidens accidere potest, vt non expediat baptizare filium altero parente inuito propter periculum apostasiæ, vel alicuius sacrilegij, & ideò in eo casu curandum est, vt priùs filius subtrahatur à cura & consortio parentis infidelis, vt tutò baptizari possit, iuxta doctrinam Concilij Tolet. 4. cap. 59.

Concil. Tolet. 2. Dubium.

Secundum dubium est, cùm dictum sit, hos infantes ante vsum rationis non posse baptizari, inuitis parentibus; posse autẽ statim ac ratione vti possunt, in quanã ætate baptizari possint, vel quæ sit in hoc regula seruanda. Quod dubium attigit hic Soto, & latiùs Catharinus in opusc. de infantib. Iudeorũ baptizand. qui rectè dicunt, per annos seu tempus ætatis nullam posse certam regulã præscribi, quia neq; ex natura rei definitum est hoc tempus, cùm quidam homines maturiùs, alij tardiùs ratione vti, incipiant. Neq; etiã est taxatum hoc tempus iure positiuo, diuino, aut humano: nullum enim extat tale ius; neque ostendi potest. Imò nec videtur hæc materia capax huius determinationis, aut positiui iuris, quia agitur de remedio ad salutem necessario, cuius salutis per proprium cõsensum acquirendæ homo est capax, statim ac potest sua libertate vti, & non antea, in quacunque ætate constitutus sit. Igitur hæc sola videtur esse certa regula, q̃ cùm primum homo peruenit ad eũ statũ vsus rationis, in quo est capax peccati mortalis, iã tunc baptizari potest per proprium cõsensum, parentibus etiam inuitis, antea verò non potest. Ratio prioris partis est, quia qui habet potestatẽ peccandi mortaliter, iam est dominus suarum actionum, & perfectè liber. Item, potest se à Deo auertere, ergo etiã potest se ad illũ conuertere. Nam si nõ esset capax habitus seu positiuæ conuersionis, neq; etiam esset capax priuationis seu auersionis, qui autẽ potest se in Deũ conuertere, potèrit etiã liberè in baptismum consentire. Et hinc etiam sumitur ratio posterioris partis, nã qui non est doli capax & mortalis culpæ, non est etiam capax ad suscipiendã fidem per proprium ac liberum consensum: ergo nec ad recipiendũ baptismũ propria voluntate. Ad cognoscendũ autem, an peruenerit paruulus ad eum statum & facultatẽ vsus rationis, vtendum est signis, & coniecturis ex experientia desumptis, & hominis prudentis arbitrio iudiciũ ferendum est. Quòd si signa non fuerint satis euidentia: tamen rem faciant dubiam, & aliquo modo probabilem, si necessitas non vrgeat, expectari potest & debet commodior occasio, & maior cognitio. Si autem necessitas vrgeat, ita vt, pensatis omnibus circunstantijs, ea occasio videatur necessaria ad salutem paruuli, tunc in casu dubio inclinandum est in fauorẽ religionis, & fidei Christianæ, & spiritualis salutis ipsius paruuli, qui magis possidere censetur ius se tuendi, & animam suã, quàm parentes possideant ius in ipsum: in casu autem dubio melius ius possidentis præferendũ est. Quod etiã intelligendum est, per se considerata ratione iustitiæ, nã habenda est etiam prudens ratio Christianæ religionis, & omnino cauendũ, ne ita baptizẽtur huiusmodi paruuli, vt relinquãtur sub cõsortio parẽtũ infideliũ cũ aperto periculo apostasiæ.

Regula obseruanda.

Dubitatio.

Sed quid, si paruulus constitutus in ea ætate in gua exhibet aliqua probabilia signa vsus rationis, non tamen sufficientia, vt satis de libero eius arbitrio constare possit, sed res sit dubia, & parẽtes infideles velint eum baptizare, ipse autẽ nolit? Soto indicat, eum fore baptizandum, quia in casu dubij inclinandũ est in fauorẽ Baptismi. Mihi verò oppositum verum videtur, tum propter rationẽ, q̃ in dubio melior est conditio possidentis: filius autem magis possidet se ipsum, quàm possideatur à parentibus: tum etiam, quia in eo casu ipsummet sacramentũ dubium redditur an sit validũ necne: nam si fortasse paruulus habet arbitrij libertatem, ipso dissentiente, sacramentũ erit nullum. Denique, quia in eo casu est euidentissimũ, & quasi per se coniunctum cum tali actu apostasiæ periculum: nam facilè vnusquisque recedit ab eo statu, quem inuitus suscipit, etiam si fortasse absque sufficienti indicio & rerum cognitione inuoluntarius sit.

Respondeo.

SECTIO IIII.

Vtrũ filij infideliũ iure baptizari possint, inuitis parentibus, quãdo ipsi parentes subditi sunt Christianis Principibus.

Scoti opin.

IN hac quæstione est opinio Scoti in 4. d. 4. q. 9. qui absq; vlla distinctione affirmat, hos paruulos posse baptizari inuitis parẽtibus. Quã opinionẽ sequitur Gabriel ibi q. 2. ar. 3. dub. 5. Fundamẽtũ eorũ est, quia ad principẽ & superiorem spectat, sibi subditos coercere, & compellere, vt Deo, qui omniũ est supremus Dñs, obediãt, sed huiusmodi infideles tenentur iure diuino velle, vt filij baptizẽtur: ergo possunt ad hoc cõpelli à suis superioribus, &, si obedire nolint, possunt ipsis inuitis filij eorum baptizari, vel in pœnã sui criminis, vel certè, quia ipsi Principes tanquã legitimi superiores habẽt maius ius in filios subditos, quã ipsi parẽtes: & ideò nullã faciũt iniuriã parẽtibus, priuando eos iure patriæ potestatis, maximè cũ ea abutãtur in perniciẽ filiorũ, & cõtra Dei præceptum. Sicut, si subditus malè vtatur rebus suis in perniciẽ reipublicæ, potest eis priuari ab habente legitimã potestatẽ. Ex quo fundamẽto sequitur primò, hos ipsos baptizãdi hos infantes iuxta hãc sententiã non esse in singulis priuatis personis propria autoritate, sed in Principe, vel cuibus ipse potestatem concesserit. Probatur, quia hoc ius oritur ex potestate iurisdictionis, seu coercitiua, hæc autem non est in singulis, sed in Principe. Secundò sequitur, iuxta hanc sententiam non solùm posse, sed etiã teneri Principem, per se loquendo, ed baptizãdos hos paruulos. Probatur, quia tenetur legitimè vti ea potestate, quã habet in subditos. Dico autẽ, per se loquendo, quia, vt ipse etiam Scotus obseruat, per accidens possunt Principes abstinere ab vsu huius potestatis, si timeant futurum esse, vt inde maiora mala sequantur, vt verbi gratia, q̃ parẽtes occidãt filios

Gabriel.

filios suos, priusquã subtrahantur, & baptizentur, aut si cõmodè separari à parẽtibus non possunt, ita vt sine periculo apostasiæ, & sacrilegij baptizẽtur.

1. Sententia Durandi.

Secunda sententia est Durandi in 4. dist. 4. q. 6. qui subdistinguit de huiusmodi infidelibus subditis. Nam quidam sunt subditi tantùm ciuili subiectione, eo modo quo alij fideles subduntur iurisdictioni Regum. Alij verò sunt subditi tanquam serui, qui omnino sunt sub dominio aliorum. De prioribus inquit, non posse eorum filius baptizari, parẽtibus inuitis, de posterioribus verò affirmat, per se loquendo, & considerata iustitiæ ratione, posse baptizari, quanuis moraliter censeat id non expedire; tum propter periculũ apostasiæ, nam huiusmodi infantes, cùm adoleuerint, facilè imitabuntur parẽtes suos, præsertim cùm intelligant ipsis inuitis fuisse baptizatos, tum etiam, quia hoc modo vis quædam inferretur parentibus, vt vel fictè conuerterentur ad fidem, vel certè filios suos occiderent, ne sibi subtraherentur à dominis, & baptizarẽtur. Hæc doctrina Durandi mihi non displicet, quanuis Caietanus hic, & alij Thomistæ aliter sentire videantur, quoniam D. Thomas indistinctè negat, filios infidelium esse baptizandos inuitis parentibus. Vt verò rem totam distinctius explicemus & fundemus, oportet distinguere, vt sæpè insinuauimus, in hoc negotio rationem iustitiæ, quæ pendet ex iure, seu potestate vnius in alterum, & rationem seu obligationem religionis, ad quam spectat, vt sacramenta dignè tractentur, & tertio loco adiungere possumus obligationem charitatis, ad quàm pertinet cura spiritualis salutis proximi, quæ iustè & religiosè adhiberi potest.

Durandi sententia approbatur.

1. Conclusio.

Dico ergo primò, filij eorum infidelium, qui nõ sunt serui Christianorum, baptizari nõ possunt, parentibus inuitis, neque autoritate priuata, neq; publica Christianorum Principum; etiam si parentes politicè subditi sint temporali iurisdictioni Christiani Principis. Hæc conclusio sumitur ex doctrina D. Tho. hic & 2. 2. q. 10. eamq; latè defendunt Capre. Palud. Caie. Soto, locis suprà citatis, & Vict. Relect. de Indis. Et quidem, quod ad priuatã autoritatem attinet, præter suprà dicta circa opinionẽ Scoti, probari potest ex præcedenti sectione: sequitur enim ex ibi dictis, quia vnus homo non est subditus alteri priuato homini, etiam si vterq; eidem Principi subdatur; ergo comparantur isti infideles ad alios cõciues priuatã autoritate vtentes, sicut cõparantur infideles nõ subditi ad Christianos principes: ergo sicut illorum filij baptizari nõ possunt à Principibus, ita neq; istorũ à priuatis personis. Vnde etiam fit, idem esse dicendum de infidelibus subditis vni Principi Christiano, respectu alterius cuius non sunt subditi, vt v. g. de subditis Regis Hispaniæ, respectu Regis Galliæ, nam respectu illius nõ sunt subditi, & quoad hoc eadẽ est ratio de summo Pontifice, quia etiam ipse nõ habet directã iurisdictionem temporalem in huiusmodi infideles, ex eo q̃ summus Pontifex est, & si quos habet sibi subditos, id habet vt dominus & Rex temporalis, cuius potestas quoad hoc non se extendit vltra suũ gradum. Superest probãda cõclusio, etiam respectu propriorum Principum. Et ratio illius à priori est, quia isti infideles quanuis sint subditi Christianis Principibus, nõ tamen possunt eorum volũtate priuari iure patriæ potestatis, quod habent in filios, ergo non possunt etiam filij eorum baptizari ipsis inuitis. Probatur consequentia, tum quia hic actus instituendi filium in religione, & dicãdi illum Deo, maximè spectat ad patriam potestatem, tum etiam, quia huiusmodi infantes non possent securè baptizari absque periculo apostasiæ, nisi parentibus subtraherentur; si ergo illud prius esset licitum, etiam hoc posteriùs liceret; maximè quia per Baptismum subijcitur homo iurisdictioni Ecclesiæ, & cõsequenter iure liberatur paterna cura in his quæ ad gubernationem animæ spectant, quatenus iuri Ecclesiæ acquisito contraria esse potest. Antecedens principalis argumenti probatur, quia licèt isti infideles sint subditi, non sunt serui, vt suppono, ergo sicut retinent dominium aliarum rerum, ita etiã & ius naturale quod habent in filios: ergo sicut nõ possunt priuari alijs rebus earumque dominio, ita nec filijs, & iure quod in illos habent. Dicetur, non posse priuari hoc iure ex sola voluntate Principis sine legitima causa, posse tamẽ vel in pœnam, vel propter maius bonum reipublicæ & aliorum subditorum, id iustè fieri à superiori habente potestatem, sicut propter easdem causas possunt subditi priuari alijs rebus tẽporalibus: hic autem vtraque causa intercedere videtur, nam isti infideles abutuntur iure suo quod in filios habent: ergo merentur illo priuari: ergo possunt à Principe superiori priuari. Habet enim Princeps potestatem regendi subditos in his, quæ ad honestatẽ morum pertinent: vnde & cogere possunt ad ea quæ necessaria sunt ad salutem animæ, & contraria prohibere. Rursus, filij istorum infideliũ nõ minus sunt subditi Christianorum Principi, quàm ipsorum parentes; ergo etiam pertinet ad huiusmodi Principem prouidere, quæ necessaria sunt ad commodum ipsorum paruulorum: possunt ergo iustè coercere parentes, si contra illorum salutem sua potestate vtantur. Et confirmatur, nam Princeps cura re potest & debet, vt iura seruentur illæsa, & quòd maius ius minori præferatur, atque adeò q̃, si potestas superior & inferior inter se dissentiãt, subditus potiùs pareat superiori potestati, quàm inferiori; cùm ergo in præsenti patet infidelis ab ipso Deo dissentiat, potest princeps efficere vt diuinum ius illæsum seruetur, etiam si necessarium sit parentem suo iure priuare.

Obiectio.

Refellitur obiectio.

Sed contra hoc est; primùm, quia hæc omnia ad summum procedunt, in his quæ pertinent ad naturalem iustitiam, & honestatem; nõ in his quæ merè supernaturalia sunt: nam ad hæc non extenditur potestas hæc politica & humana: quia hæc ab ipsis hominibus proximum originem habet, media naturali ratione, & ideò excedere nõ potest per se ac dirè ẽtẽres, quæ cadunt sub lumen naturæ. Vnde in ordine ad supernaturalia data est hominibus alia superior potestas spiritualis & supernaturalis, quæ nõ ab hominibus, sed ab ipso Deo immediatè manauit, lex autem baptismi & obseruatio eius supernaturalis est, & ideò non pertinet ad humanam potestatẽ cogere ad obseruationem eius. Quapropter sicut non possunt huiusmodi Principes temporales cogere ipsos parentes infideles, vt ipsimet baptizari velint (vt contra Scotum latiùs ostenditur in materia de fide) ita non possunt efficere, vt eorum filij, ipsis inuitis, baptizentur. Dices, etiam potestas, quã parens habet in filium, est merè naturalis, ergo non se extendit ad supernaturalia, ergo cùm Baptismus sit supernaturalis, est extra latitudinem huius potestatis, & consequenter non sit contra illam, etiam

Obiectio.

Universidad de Deusto Biblioteca

Respondetur. si filius baptizetur, inuito parente. Respondetur, gratiam fundari in natura, & non destruere neque inuertere debitum ordinem, sed perficere, & ideò, quanuis, stando in pura natura, patria potestas absolutè non se extendat ad supernaturalia, tamen hoc ipso, ꝙ hæc natura humana eleuatur ad supernaturalia, suo etiam modo eleuatur patria potestas, vt sicut ex mero iure naturali à Deo insito ipsi naturæ, filius qui propria voluntate vti non potest, gubernandus est & consecrandus Deo autori naturæ per voluntatē parentis, ita ex iure naturali ipsi gratiæ debet filius cōsecrari Deo autori gratiæ per voluntatem parentis: eò vel maximè ꝙ non potest filius dicari Deo vt est autor gratiæ, nec sanctificari, nisi simul ordinetur ad Deum vt autorem naturæ, & ideò, si hoc faciendum est per voluntatem parētis, non potest illud prius fieri, ipso inuito. Sed vrgere quis poterit, retorquendo hanc doctrinam, nā licèt potestas regia, seu politica sit humana & temporalis, & ita considerata in pura natura, non se extendat vltra naturalia, tamen, supposita eleuatione naturæ, potest consequenter extendi ad supernaturalia, quatenus supposita reuelatione & sufficienti propositione supernaturalium præceptorum, ipsa naturalis ratio dictat illis esse obediendum, & ideò qui eis non parent, non solùm contra legem supernaturalem, sed etiam contra rationem naturalē peccant. *Respondetur.* Respondetur in primis, non esse simile; tum quia ius paternum est merè naturale & intrinsecū ipsi naturæ, & ideò, eleuata natura, videtur necessarium, vt consequenter eleuetur; ius autem regium, quanuis radicaliter dicatur esse à Deo, tamen immediatè est ab hominibus, & ideò non est ita necessarium, ipsum eleuari, & extendi ad supernaturalia; tum maximè, quia si filius baptizaretur, inuito parente, non posset circa illum fieri id quod supernaturale est, quin læderetur ius patriæ potestatis in eo ipso quod naturale est; quia est veluti fundamentū ordinis supernaturalis. At verò è contrario parens infidelis non admittendo baptismum, vel suum, vel filij, non violat ius regiū, neque aliquod quod sit merè naturale: nam licèt fortasse peccet contra rationem naturalem, non tamen puram, sed vt admixtā ordini supernaturali. Adde (quod maximè omnia confirmat) Principem temporalem non habere iurisdictionem seu potestatem ad punienda vel coercēda omnia delicta, sed solùm ea, quæ sunt contraria communi paci, & iustitiæ reipublicæ: hic enim est finis & scopus huius potestatis, sub quem finē non cadit baptismus, neque contra illum peccat infidelis subditus, qui nec se, nec filium suum baptizari vult. Non ergo possunt hi principes per potestatem coercitiuam cogere hos infideles subditos ad baptismū suum, vel filiorum, sed ad summum poterunt eos cogere, ne abutantur potestate, quam habent in filios per superstitiones, vel sacrilegia euidenter cōtraria rationi naturali. Vnde tandem confirmatur conclusio, nam si hi Principes habent hanc potestatem baptizandi filios subditorum suorum inuitis parentibus, vel hoc est ex natura rei, supposita tantū Christi institutione, vel est ex speciali concessione Christi. Primum dici non potest, vt ex dictis patet, quia hæc potestas nec est merè naturalis, neque habet necessariam connexionem cum naturali. Secundum etiam non potest cum probabilitate dici, tum quia hæc specialis cōcessio, nec ex traditione nec ex scriptura colligitur, quin potiùs vsus Ecclesiæ cōtrariū indicat, quia nunquam Ecclesia consueuit huiusmodi baptismata permittere: quia vbi de speciali institutione Christi non constat, naturalia iura seruāda sunt; tum etiam quia si Christus Dominus talem potestatem Ecclesiæ cōcessisset, illa potiùs pertineret ad spiritualem potestatem, quàm ad iurisdictionem temporalium principum; hanc enim Christus, neq; immutauit, neque auxit; ostensum autem est, Ecclesiam non habere spiritualem potestatem in hos infideles, quoad hoc enim eadem ratio est de infidelibus temporaliter subditis vel non subditis. Principibus Christianis. Et per hæc satis responsum est fundamentum Scoti.

2. Conclusio. Dico secundò, si infideles, & eorum filij, sint serui Christianorum, licitè possunt autoritate dominorum filij à parentibus separari, & baptizari inuitis parentibus. Hæc est sententia Durandi, quā non existimo esse contra D. Thomam, qui nihil dixit expressè de hoc speciali casu, quin potiùs hic art. 10. cùm in 2. argumento obiecisset, filios Iudæorum posse baptizari, quia Iudæi sunt serui Christianorū, in solutione respondet, nō esse propriè seruos seruitute pœnali contraria libertati, sed solùm esse subiectos seruitute ciuili, & eodem modo respōdet. 2. 2. q. 10. arti. 12. ad 3. in qua responsione significat, si Iudæi essent verè serui, fore, vt eorum filij baptizari possent ipsis inuitis. Atque ita doctrinam hāc ex parte admittunt Caiet. & Soto, & alij ex recentioribus Thomistis, quanuis non in omnibus cōsequenter loquantur, vt ostendemus. *Caiet. & Soto.*

1. Notabile. Primò igitur, vt conclusionem probemus, supponendum est, posse dominum suo arbitrio separare filium seruum à parte, etiam seruo, absque vlla iniustitia, ex vi potestatis & iuris quod habet ratione dominij. Probatur, quia seruitus iure gentium hoc modo introducta est, vt dominus posit seruū vendere, aut donare, aut quo voluerit mittere; ergo sicut hoc potest facere circa parentem, nō expectato filij consensu, ita potest idem facere circa filiū contra voluntatem patris. Antecedens constat, ex communi consensu omnium gentium. Et ratio sumēda est, ex ipso titulo iustitiæ, in quo hæc seruitus fundata est, est enim veluti iusta pœna ex iusto bello introducta, in quo ad seruandam vitam captiuorū, illa ne priuentur, priuantur libertate, & rebus suis, nam hæc omnia minoris æstimantur, quàm vita. Quādo ergo pater & filius in captiuitatē & seruitutē deueniunt, omnino cōstituūtur sub potestate domini, vt eis vti posit tāquā rebus suis, modo rationabili, & hominibus accommodato. Sicut ergo ex vi huius dominij potest priuare seruum dominio aliarum rerum, ita etiam filij sui: potest ergo vnum ab alio separare vel per venditionem, vel per donationem. Quod à posteriori confirmatur & declaratur, quoniā aliàs, si miles in bello patrem cum quinque aut sex filijs caperet, nec posset vnum sine alio captiuare, nec vendere, & consequenter, si nec posset omnes alere; neque vni & eidē omnes diuendere, cogeretur omnes libertate donare, quod nullus faceret, vt existimo, neque est cur id facere obligetur. Denique vsus ipse satis hanc conclusionem confirmat, & declarat hoc dominium in seruos hoc modo, & cum tota hac potestate esse introductum. Quocirca in hoc puncto nulla ferè est inter doctores controuersia, quanuis Capreol. in 4. dist. 5. q. 1. arti. 3. ad argumenta Durandi contra primam conclusionem hoc in dubium reuocet sine vlla probatione, *Capreol.*

tione, quæ difficultatem ingerat, nam licèt verum sit, non posse dominum vti seruo ad omnem vsum pro suo arbitrio, quando in illo vsu est aliquid contrarium alteri naturali legi seu honestati, qua ratione non potest illum interficere, & similia, tamen in hoc vsu separandi filium à patre, intrinsecè nulla est turpitudo, nec ius, quod pater habet in filium, tam est intrinsecum, vt non posit illo priuari in pœnam iure seruitutis, maius enim est ius propriæ libertatis, & tamen eo priuatur.

2. Notabile. Secūdò est certum apud omnes, si filius serui infidelis semel separetur à patre, posse baptizari, inuito patre. Diximus enim in præcedenti sectione, etiam in filijs infidelium non subditorū Christianis, hoc verum habere, ꝙ si omnino sint separati à parentibus, baptizari posint, quia non debent carere omni auxilio, & tunc non possunt gubernari voluntate parentum, ergo multò magis hoc erit verū de subditis & seruis. Sed asignari potest differentia. Nā illud prius est verum, quando filij ita sunt destituti parentibus, vt vel omnino sint ignoti, vel nullus ad eos pateat aditus, vt eorum consensus postuletur, vel certè adeò est difficilis, vt moraliter non posit, vel non expediat, qui huiusmodi filium proximè gubernat, pendere à parentis voluntate & arbitrio. Quòd si hoc solùm de his seruis infidelibus diceretur, nulla esset difficultas: aliquid ergo amplius & specialius docere intendimus: fieri enim potest, vt filius re ipsa sit & conuictu & loco satis à patre seiunctus absq; vlla spe redeundi ad consortium eius, & nihilominus parētes pueri esse cognitus his, sub quorum cura existit, & quod etiam facilè sit parentes consulere, an velint filium baptizari. *Capreol.* Et in eo casu inuitat Capreolus quantumcunq; hi paruuli vendantur, & ad remotas regiones transferantur, non esse scienter contra voluntatem parentum baptizandus ante vsum rationis, & hoc etiam docuit Soto hic, quanuis non satis constans in dictis suis videatur, priùs enim dicit, falsum esse quod Capreolus ait, filium separatum à patre seruo non posse baptizari, illo inuito: & tamen postea dicit, quādo parentes consuli possunt non posse baptizari, eis inuitis, cùm tamen hoc ipsum sit, quod Capreolus docuit. Neque enim ille negat, quando consuli non possunt parentes, posse filios baptizari, eis inuitis, sed potius id expressè affirmat paulò inferius. Ego tamē existimo, in eo casu posse legitimè baptizari, neque oportere parentes consulere, nec facultatem ab eis petere, quandoquidem, licèt eam non concedant, baptizari possunt. Ratio est, quia dominus succedit loco parentis, & ad eum pertinet ius & cura gubernandi seruum suum, sicut ad eum spectat prouidere illi de necessarijs ad vitam corporalem: quanuis enim hæc cura & obligatio nō sit parenti ablata, quia naturalis coniunctio semper manet: nihilominus tamen etiam est domino acquisita, & potest illa vti absque vlla dependentia à parentibus, quandoquidem ius illorum in dominum quodammodò translatum est, seu magis est illi subordinatū quàm è cōtrario, supponimus enim, iusto titulo filium esse in seruitutem redactum vel solum & separatum à patre vel simul cum illo. Et cōfirmari hoc potest ex 1. Machab. 2. vbi Mathathias omnes paruulos incircuncisos in bello captos circuncidi fecit. Nam quanuis Lyra dicat, solum id fecisse in filijs Iudæorum, tamen scriptura absolutè loquitur & quāuis Soto dicat, si Mathathias id fecit in filijs gentium, fecisse quidem secundùm zelum, non tamen secundùm scientiam. Hoc tamen de insigni, & sanctißimo viro non rectè dictum videtur, meliùs ergo dicitur; cùm illi iam essent iure belli in seruitutē redacti, & à parentibus separati, iure circuncidi potuisse, sicut nos etiam nunc iure baptizamus filios Saracenorum in bello captos.

Quocirca citata opinio Capreoli de consulendis parentibus, ad summum, procedere posset, quando infans iniustè esset captus, & separatus à patre, tunc enim consulendus esset pater si fieri posset, vel (vt meliùs dicamus) potiùs esset filius restituendus parenti, si fieri posset, quàm baptizādus, quia cū actio fuerit iniuriosa, nullum ius ex vi illius ablatum est patri per se loquendo, neq; ille dici potest filius serui de quo agimus. Quādo verò iusta ac legitima seruitus cōtracta est, dominus acquisiuit ius in seruū; iustèque priuauit parentem iure suo. Neque obstat quod Capreolus obijcit, hoc scilicet ius esse naturale patri, & ideò non posse illo priuari. Nam duobus modis potest intelligi hoc ius esse naturale; primò, quia habet originem ab ipsa natura; alio modo, quia ipsum ius naturæ obligat, vt nullus posit hoc ius vsurpare præter parentem, aut ipsum illo priuare. Prior sensus est verus; posterior autem falsus, quia non omne ius, quod à natura ducit originem, est immutabile, tolli enim potest, vel inuitè, in pœnam iustam, vel voluntariè, vt cùm aliquis se vendit in seruum, & se priuat iure libertatis sibi à natura cōcesso, sic ergo in præsenti dicendum est, quia nulla est ratio specialis, propter quam hoc ius sit immutabilius, quàm reliqua.

Tertiò ex duobus principijs positis sequitur, posse dominum hac speciali intentione & fine vendere seruū, vt liberè posit filiū baptizare à parente suo separatum. *3. Notabile.* Quāquam enim hoc Caietanus hic neget, eique Sotus citato loco consentire videatur; hoc tamen, per se loquēdo, & ablatis extrinsecis incōmodis, verius videtur. Probatur, quia dominus habet potestatem liberè vendendi seruū, & asportandi in remotissimas regiones, vt ostensum est: ergo ob quemcunque finem vel causam hoc faciat, non erit iniustus ex hoc præcisè capite, ꝙ separet filium à patre: nam vtitur iure suo. Imò ex vi talis obiecti actio illa non est mala, sed saltem indifferēs, sicut vendere equum vel alium quamcunq; rem similem. Rursus finis ille vendendi patrē ad baptizādum filiū nō est malus, imò potiùs videtur habere honestatem charitatis & religionis: ergo neq; facere illum actum propter hunc finem est malum, nullam enim inordinationem aut aliam turpitudinem habet adiunctā. Respōderi potest ex doctrina, quā Caietanus indicat, illud medium non esse proportionatum tali fini, & ideò contra rationem esse vnū propter alterum facere. Antecedens patet, quia illa duo pertinent ad diuersos ordines, nam baptizare est iuris diuini, potestas autem vendendi seruū est iure ciuili, seu gentium introducta; nō ergo potest vna actio rectè ad aliam ordinari. Sed certè non video quo principio, vel fundamento nitatur hæc illatio. Videtur enim fundari in hoc, ꝙ ea, quæ sunt iuris humani aut merè temporalia, non licet facere propter ea, quæ sunt iuris diuini seu spiritualia; nam secluso hoc principio, nulla est vis illius illationis. Hoc autem principium est omnino falsum, vt patet tum ratione, nam ea quæ sunt inferioris ordinis conuenientissimè ordinantur ad ea quæ sunt ordinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nia conuenientissimè ordinantur ad ea quæ sunt ordinis superioris, tum apertissimis exemplis, nã temporale regnum res est humano iure introducta, & tamen conuenientissimè datum est summo Pontifici, vt optimè & cõuenientissimè possit spirituali potestate vti; imò nullus esse potest melior finis temporalis dominij, & vsus eius, quàm vt ad salutẽ animarum prosit. Imò, vt adhibeamus exẽpla propinquiora præsenti materiæ, qui habet dominiũ in seruum potest illum libertate donare, vt si velit possit ad suos redire, seque à suis filijs separare, cui ergo facit iniuriã, aut quæ est inhonestas, si hoc faciat animo seu intentione baptizandi filios? Quin potiùs existimo, si pater sit dignus morte, & sit in potestate ducis aut Regis, vel illi parcere liberaliter, aut illum occidere iustè, nihil peccare, si eligat potiùs eum occidere, si nullã spem haberet spiritualis salutis eius, & timeret eũ impediturũ baptismũ, seu cõuersionem filiorum, quia tunc neq; ageret cõtra iustitiam, neque cõtra charitatem. Deniq; si Gentilis haberet seruum infantem filium Christiani, vel alicuius infidelis, nonne liceret illum emere solũ fine baptizandi illum? Nullus credo negabit, hoc esse opus magnæ charitatis, & tamẽ ibi actio ciuilis, humana, & temporalis ordinatur ad spiritualem, & supernaturalem finem: ergo idem est in præsenti.

1. Inconueniens. Dixi autem, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, quia per accidens posset hoc, vel non expedire, vel etiã nõ licere, & huiusmodi sunt nonnulla quæ contra prædictam doctrinam obijci possunt. Primũ est, quia illa est quædam indirecta coactio parentis ad fidem, nam si intelligat se forè vendendum, & à filio separandũ, vt possit filius baptizari, potiùs eliget ipse conuerti ad fidem, seu eo sentire baptismo filij, vnde oritur morale periculũ simulationis, & fictionis. Respondetur, ibi nullam Respondetur. esse coactionem formalem & propriam, quia neque est actio iniusta, nec fit ex formali intẽtione extorquendi cõsensum ab alio. Quòd autem interuenire possit quædã inductio indirecta, & quasi p accidẽs, id non habet malitiam intrinsecam. Solùm oportet cauere, ne quando aliquis hoc titulo mouetur ad fidem suscipiendam, facilè admittatur: oportet enim priùs sufficiẽter examinare, ac probare, an ficto, vel vero corde accedat.

2. Inconueniens. Secũdum inconueniens extrinsecum obijci potest, quia si propter hunc finem separarentur filij à parentibus, periculum esset, ne parentes filios occiderent, priùs quam sibi eriperentur, & baptizarentur. Respondetur, huiusmodi casum non tam frequenter euenire, vt timeri possit hoc periculũ, modo Respondetur. raliter loquendo, vnde in indiuiduo vix vnquã occurret. Quòd si aliquãdo timeatur, facile est priùs filiũ à patre separare, quàm ipse possit in huiusmodi suspicionem venire. Ac deniq;, si aliquando prudenter cõsideratis omnibus circunstantijs, probabiliter timeretur hoc periculum, nec posset aliter vitari, cessandum potiùs tunc esset ab huiusmodi actu, quàm infans tali periculo exponendus esset.

3. Inconueniens. Tertium incõmodũ inferri potest, quia si Christiani hoc iure verterentur in seruos infideles captiuos, etiam ipsi infideles eodem verterentur in Christianos quos apud se haberent captiuos, separarent enim parentes à filijs, vt eos possent, vel circuncidere, vel alijs ritibus, suis fãlsis religionibus adigere, eosque in ipsis instituere, & enutrire. Respondetur Respondetur. primum, vt dixi, hoc non esse tam frequens, neque

A oporteret esse tam manifestũ, & publicũ vt necesse sit in aliorum exemplum venire. Deinde existimo, paganos vel quoscunq; infideles (eo arbitrio ac voluntate id facturos, si in eam cogitationẽ incidant: nam existimant se habere verũ ius dominij in Christianos quos habent captiuos, atque ita liberè posse eos diuendere, seu distrahere prout voluerint. Putare etiam possunt, obsequium se præstare Deo, trahendo aliquem ad suam sectam; & ideò ex cõmuni iure gentium arbitrari etiam facilè possunt hoc sibi licere. Vnde si fortasse hoc non faciunt, id est, quia non magno zelo suæ sectæ, vel animarum ducũtur, sed solùm studẽt suæ cupiditati & cõmoditati; tamen si qui sunt qui huiusmodi zelum habent, nõ dubito quin liberè id faciant, nulla habita considerationẽ eorum, quæ Christiani facere solent. Nõ est ergo q̃ ob timorem huius incõmodi, Christianos homines hoc iure priuemus.

B 4. Inconueniens. Quartum incommodum est, quia huiusmodi infantes cùm adoleuerint, facilè in apostasiã declinabunt, cùm intelligent, quos parentes habuerint, & quam sectam secuti fuerint, nam quodam veluti naturali desiderio appetunt filij sequi & imitari parentes. Sed hoc non est morale periculum, alioqui, etiã si casu moreretur pater seruus, non liceret domino Respondetur. baptizare filium, quia esset idem periculũ. Itẽ nec nũc liceret baptizare infantes filios Turcarũ, quos Christiani in bello capiunt, omnino à parẽtibus separatos, quod tamen est cõtra vsum omnium Christianorum. Imò nec liceret Ecclesiæ baptizare filios hæreticorum, propter idem periculum. Quãdo igitur huiusmodi pueri sunt à parentibus separari absque vlla spe redeundi ad illos, non est cur moraliter hoc periculum timeatur: tum quia res absentes minus mouent, tum præsertim quia facilè fieri potest, vt vel nullam, vel paruam notitiam parẽtum, & religionis eorum habeat: tum etiam, quia si aliquam occasionem inconstantiæ inde sumere possint, quæ eadem ferè est in omnibus neophytis, doctrina & diligentia pastorum curandum est, vt eorum fragilitas præueniatur, non verò sunt propter hanc causam ad id remotam tanto beneficio priuandi. Nullum ergo apparet accidentale, seu extrinsecum incõmodum, tanta morali necessitate cum hoc actu conjunctum, vt propter ea possit iudicari moraliter, vel vt in plurimum, illicitus. Quin potiùs, si prudenter fiat, non erit difficile, vt existimo, omnia inconuenientia vitare. Atque ex his sufficienter declarata & confirmata relinquitur secunda assertio. Ea verò quæ circa illam desiderari possunt, sectionibus sequentibus expedientur.

C

D

SECTIO V.

Vtrum filius infidelis seruus, ac serui filius, licitè baptizari possit, priùs quàm à parente separetur.

DOctores omnes, etiam hi, qui existimant licere baptizare hos infantes, hanc conditionẽ requirunt, scilicet, vt priùs à parẽtibus separentur, absque vlla spe ad illos redeundi, quæ certè nõ esset difficultate, quàm vt declaremus, duplex ratio honestatis in hoc actu considerari potest, altera est religionis, altera iustitiæ. Et similiter in contrario actu duplex potest esse malitia. Vna est contra religionem, quatenus videri potest indignè conferri sacramentum. Nam licèt paruulus ex se non sit indignus, tamen vtens consortio parentis infidelis, non censetur subiectum dignum sacramento, propter periculum quod ei creatur ex consortio parentis infidelis, à quo facilè peruertetur filius, & contaminabitur (vt sic dicam) Baptismi sacramentũ. Altera malitia esse potest contra iustitiam, si fortasse in hoc actu fit contra ius paternum.

Prime difficultas. De priori res est facilior & extra cõtrouersiam apud omnes Theologos; omnes enim asserũt illum actum, saltem ex hoc capite, esse illicitum, quia si filius cohabitet cum patre infideli, ac possit vti conuersationem, ac familiaritate illius, & patet exercere bit circa filium superstitiosas actiones & ritus suæ religionis contra reuerentiam Baptismo debitam, & ipse filius educabitur magno periculo apostatandi à fide per Baptismum suscepta. Quæ duo in eo casu ita sunt moraliter coniuncta eum illa actione, vt absolutè & simpliciter censenda sit illicita. Dices, quandiu filius non potest ratione vti, nullum est periculum, q̃ à parente instruatur in fide falsa, cùm primùm autem peruenerit ad vsum rationis, tunc poterit, vel separari, vel hoc incommodum aliter præueniri. Respondetur, primùm non solùm hoc illarum esse incommodum contra religionem, & dignitatem baptismi; sed etiam, q̃ possit parens, infidelis exercere superstitiosas actiones circa filium, vt v.g. circuncidendo illũ, vel aliquid simile. Deinde, etiam si tempore infantiæ non sit infans capax malitiæ, aut falsæ fidei, vel religionis, tamen nõ expedit priùs eum baptizare, postea separandum, sed potiùs è contrario priùs separare; postea baptizandum: quia in hoc posteriori ordine nullum est periculum; in priori verò semper est aliquod, vel quia amor parentum crescit, & consuetudine, ac familiaritate cõfirmatur, vel quia potest saltẽ pueris adhærere memoria earum rerum, quas parentes, aut corã filijs faciunt, aut eos ab infantia docent: vel certè quia tempus vsus rationis est incertum, & prouidẽtia etiam humana incerta est. Vnde facilè accidere potest, vt filius sic baptizatus, vel non possit separari à parente, vel certè, quòd de facto non separetur propter hominum negligentiam, vel malitiam. Sicut ergo, vt dignè suscipiatur sacramentum, antecedere debet bona dispositio, & nõ expectari post sacramentum susceptum: ita hæc separatio, quæ est veluti dispositio paruuli, antecedere debet nõ subsequi sacramentum.

Obiectiones. Prima. Sed adhuc superest difficilis obiectio, nam sequitur primò, non posse licitè baptizari filios hæreticorum manentes sub cura, & cohabitatione parẽtum, patet consequentia, quia, licèt Ecclesia habeat ius baptizandi hos infantes, eò quòd parentes eorum baptizari sint, tamen ex parte periculi contra religionem videtur esse idem incommodum, saltem apostasiæ. Nam huiusmodi infantes sine dubio imbuentur infidelitate parentum, & ab Ecclesia apostatabunt, vt experientia fieri videmus. Consequẽs autem videtur esse valde rigidum, & contra cõsuetudinem omnium. Secundo etiam sequitur, filios eorum, qui ex Mahumetanis nuper cõuersi religionem Christianam exterius profitentur in Hispania, non posse licitè baptizari. Quia est morale periculum, q̃ à parentibus & superstitiosè tractentur, & ad apostasiam inclinentur, vt est etiam experientia

Secunda.

A notum: consequens autem est contra communem Ecclesiæ cõsuetudinem. Tertiò sequitur etiã filios iam adultos non esse baptizandos, nisi priùs à parẽtibus infidelibus separentur, quia est idem periculũ apostasiæ: hoc autem non ita fieri videmus. Nam si filius Iudæi Romæ, vel alibi Baptismum petat, & post sufficientem institutionem firmus in fide appareat, non cogitur mutare domiciliũ, vel parens, vel filius vt baptizetur. Quarto denique accedit ratio generalis, quia hoc periculum videtur valde remotum, præsertim si parens, & filius non cohabitent in eadem domo, etiam si in eadem ciuitate maneant, sicut in alijs peccatis eadem occasio, quæ censeretur proxima si esset in eadem domo, existimatur remota si sit tantùm in eadem ciuitate. Vnde sumitur confirmatio, quia ad suscipiendum dignè baptismum, non solùm est necessaria dispositio ad fidem, sed etiam ad charitatem; sed si parens sit fidelis, ita tamen iniquus, vt moraliter existimetur educaturus filium in prauis moribus, ita vt sit morale periculum, eum amissurum baptismalem iustitiam; statim ac peruenerit ad vsum rationis, nõ propterea est omittendus baptismus talis infantis, nec infans sub cura talis parentis censetur indispositus ad baptismum suscipiendum; quia illa est dispositio valde remota: ergo idem iudicium est de periculo amittendi fidem in tempore futuro; quia, vt dixi, ad dignè tractandum hoc sacramentũ non est minùs necessaria dispositio ad charitatẽ, quàm ad fidem; nõ est ergo minùs necessarium tollere occasionẽ amittendi charitatem, quàm amittendi fidem.

Tertia.

Quarta.

Hæc argumenta, vt verum fatear, in re morali nõ paruam ingerunt difficultatem, & possent alicui videri sufficientia ad probabiliter opinandum, hunc solum titulum non satis esse ad reddendum hunc actum illicitum: si alioqui ius iustitiæ non desit, & possit esse moralis spes subueniendi alio modo his periculis, & adhibendi diligentiam, ne illa incõmoda & sacrilegia sequantur. Nihilominùs tamẽ, quia res est grauis & moralis, non est recedendum à communi sententia, cuius probabilitas magis constabit soluendo obiectiones. Ad primam ergo in primis dicitur, non esse in omnibus parem rationem, quia in primis Ecclesia habet per se & directè ius ad baptizandum filium hominis baptizati, etiam si pater hæreticus sit. Deinde habet etiam directam potestatem in patrem, vt ipsum possit coercere, ne filiũ falsis erroribus decipiat. Ad hæc ex parte periculi, moraliter loquendo, videtur esse minus in parente hæretico, quia absolutè non negat Christum, sicut Ethnicus & Paganus, & ideò quanuis ex parte subiecti destruat omnino fidem Christi, tamen ex parte obiecti non omnino euertit Euangelium, & totam Christi doctrinam, & ita nõ omnino separabit filium à Christo, & à nomine Christiano. Rursus inter hæreticos moraliter nunquam desunt Catholici, qui possint instruere in vera side huiusmodi infantes, quãdo peruenerint ad vsum rationis. Sed, vt verum fatear, hæc omnia non satisfaciunt, nam reuera potest vrgeri casus, in quo sit idem periculum infidelitatis, imò maius quàm in casu de quo loquimur, quia potest esse maior penuria veræ doctrinæ, & minor facultas ad coercendos hæreticos. Parum autem refert ad periculum tollendum ius quod Ecclesia habet, si non est potens ad illud exequẽdum. Parum item refert, q̃ Christi doctrina in rerum aut in partem negetur, si omnino incurritur apostasia à fide,

Ad primum.

Universidad de Deusto Biblioteca

fide, & Ecclesia. Quocirca, vt consequenter loquamur, idem dicendum videtur in casu de hæretico, & de quocunque alio infideli, si idem sit morale periculum. Aut igitur filius hæretici baptizatur à parente, seu à ministro hæretico, & tunc cõcedo nunquam ab eis licitè fieri; quia semper id faciũt animo instruendi talem puerum in falsa doctrina, ac religione baptismo contraria. Aut baptizatur à ministro Catholico, & tunc dico, vt licitè fiat, necessarium esse, vt probabilem spem concipiat, fore vt huiusmodi puer baptizatus post, suo tempore in vera fide instrui, quòd si nulla via possit huiusmodi spem moralem habere, deberet certè potiùs à baptismo abstinere, supponendo paruulum non esse in extrema necessitate, in qua quilibet alius baptizari potest, vt supra dixi. *Ad secundũ.* Ad secundum de filijs bonorum Christianorum, de quibus periculum est, quòd fidem tantùm simulent & fingant, dicendum est, quanuis in communi sit hoc dubium vel incertitudo, tamẽ in particulari de hac vel illa persona non posse hoc iudicari, nec de hac re existere probabile aliquod testimonium, & ideò bona fide baptizatur huiusmodi infantes, nihil temerè iudicando de hoc, vel illo parente, quia illa generalis suspicio non satis est ad dirigendum actum moralem in particulari. Quapropter, si in particulari constaret de tali periculo & occasione idem iudicium esset ferendum, neque essent baptizandi huiusmodi infantes, nisi prius à parentibus separarentur. *Ad tertium.* Ad tertium respondetur, cõcedendo sequelam, proportione seruata, sit enim iure etiam Ecclesiastico cautum est in Concil. Toletan. 4. cap. 59. *Conc. Tolet.* & habetur in cap. Iudæorum 28. q. 1. vt filij Iudæorum (& idem est de alijs infidelibus) qui conuertuntur ad fidem, statim à parentibus separentur, ne parentum vltra inuoluantur erroribus. Hæc autem separatio fortasse minùs necessaria erit in his, qui iam conuertuntur in adulta ætate, quàm in alijs; quia cùm illi proprio arbitrio conuertãtur, & priùs instruantur de falsitate & deceptione suorum parentũ, minus videtur esse periculi, quòd ab eis iterum decipi possint. Sed hoc ad prudentiam magis spectat, & ideò in particulari, considerata hominis capacitate, & modo conuersionis, & parentis diligentia ac pertinacia, iudicandum est, quãta sit hominis separatio conueniens, aut necessaria. *Ad quartũ.* Et per hæc ferè patet solutio ad quartum: negamus enim hoc periculum non esse morale, & occasionẽ proximam, si re vera pueri ita sint in consortio parẽtum infidelium, vt ipsi possint, vel superstitiones suas circa ipsos exercere tempore infantiæ, vel eos docere falsos errores, si cum eis nutriantur vsque ad tempus vsus rationis. Quæ autem cohabitatio, vel coniunctio sufficiat ad hoc periculum, vel è contrario, quæ separatio sufficiat ad illud tollendum, non ad doctrinam pertinet, sed ad prudẽtiam, pendet enim ex particularibus circunstantijs, aliquãdo enim fortasse sufficit absentia ab eodem oppido: interdum erit maior necessaria: aliquando verò fortè sufficiet, vt in eadem domo non cohabitent, neque vllum inter se consortium, vel familiaritatem habeãt. *Ad confir.* Denique ad confirmationem negatur similitudo: quia periculum amittendi charitatẽ, valde generale est, & commune omnibus, quod licèt aliquantulũ crescere possit ex iniquis moribus & exemplis parentum, tamen hoc scandalum est valde accidentariũ, & nunquã inter Catholicos desunt sufficientia media & auxilia, quibus possit facilè superari, at verò periculum apostasiæ est speciale & multò maius, & constituens hominem in proxima & speciali occasione apostatãdi à fide suscepta. Vnde est alia differentia, quòd lapsus charitati contrarius, quanuis differatur iustitiæ, quæ datur per baptismum, non tamẽ est directè contrarius professioni quæ in baptismo fit; at verò apostasia à fide & Ecclesia, est directè cõtraria professioni, quæ fit in baptismo: & ideo periculum apostatandi à fide multò magis repugnet cõdignæ administrationi baptismi.

Altera difficultas. Superest dicendum de posteriori malitia, scilicet, contra iustitiam. Est enim difficultas, an dominus habeat ius baptizandi huiusmodi seruum infantem non separatum à patre infideli, quanuis per accidens & ab extrinsecò non possit religiosè vti hoc iure, ita vt, si de facto id faciat, non peccet contra iustitiam, licèt peccet contra religionem, vel è contrario, si in particulari possit vitare illud periculum, & incommodum contra religionem, possit licitè baptizare seruum suum renitente patre. *Pars affirmatiua probatur.* En videtur tamẽ hoc non esse contra iustitiam. Ad quod declarandum oportet aduertere, aliud esse, filium esse in consortio parentis, aliud verò, esse sub cura illius, nam primum solùm dicit concomitantiam, seu cohabitationem; secundum verò dicit potestatem vnius in alterum. Vnde rectè possunt hæc separatim se constare. Quando ergo filius non sit loco & conuictu separatus à patre, rectè intelligi potest, propriè ac formaliter non esse iam sub cura patris, si ius patris in alterum translatum sit, ita verò fieri videtur ex vi captiuitatis, & legitimæ seruitutis: nam per eam videtur ius paternum translatum in dominum: nam iure dominij habet potestatem in seruũ ad regendum & gubernandum illum in omnibus, quæ ad ipsum pertinent: ergo siue pater sit præsens, siue absens, potest dominus vti hoc iure suo indepẽdenter à voluntate patris absque vlla iniustitia. Et confirmatur, nam separatio illa veluti localis, quo ad conuictum & habitationem, nullum nouum ius confert domino; imò est actus iuris & potestatis priùs acquisitæ in ipsum seruum: ergo sublata interueniente potest baptizare filium, inuito parente, imò si habet hoc ius vtendi hoc medio ad eũ finẽ, etiam ante omnem separationem habet hãc potestatem, & consequenter non peccat contra iustitiam, si illa vtatur absque separatione media, sed potiùs vtitur iure suo. Et confirmatur secundò, quia licèt parens semper necessariò sit parens, & hac ratione videatur semper habere ius instruendi, & gubernãdi filium, tamen hoc non obstat, quominus hæc potestas sit maior apud dominum, & consequenter, quòd ab ipso possit impediri, seu præueniri (vt ita dicam) in huiusmodi actione, & regimine, ita vt ipse non possit iustè domino per vim resistere, quominùs vtatur iure suo, quanuis fortasse occultè oblata occasione possit iure paterno in filium vti, sicut est probabilis sententia, quòd seruus quantumuis sit legitimè bello captus, habet ius fugiendi, si potest occultè, & absque vi, quanuis, quia absolutè non manet dominus suæ libertatis, non possit per vim resistere domino eum impedienti ne fugiat. Sic ergo in præsenti, etiam si parens simul cum filio maneat, & potestatem paternam aliquo modo in filium retineat, tamen à domino poterit iustè impediri, ne illa potestate vtatur: ergo potest dominus absque vlla iniustitia illam sibi vsurpare, & ratione illius filium baptizare, inuito parente. Quia, vt sæpe dixi, non est ma-

est maius ius regendi, vel gubernãdi filium, quàm tuendi propriam libertatem.

Pars negatiua probatur. Durand. In contrariũ autem videtur esse cõmunis sententia, nã ferè omnes Doctores, atq; etiã Durãdus sentire videntur; nõ facta separatione filij à patre, semper fieri patri iniuriã, baptizando filiũ, ipso inuito, etiã si vterq; seruus sit. Cuius fundamentũ esse potest paulò antea insinuatum, quia licèt pater ratione seruitutis priuari possit cura, & gubernatione filij quoad vsum, non tamen quoad proprietatẽ, & radicale ius paternũ: quia est omnino intrinsecũ & cõnaturale, ergo, si filius manet cõiunctus patri, nõ poterit pater iustè prohiberi, quominùs paternam curã exerceat in filiũ. Sicut si seruus cõiugatus sit, quanuis iure seruitutis posse iustè separari à cõiuge, vel venditione, vel donatione, &c. tamen, quandiu nõ separatur, iustè prohiberi non potest, quominùs matrimonij actus cum cõiuge exerceat, petẽdo, & reddendo debitũ, & debitam curam cõiugis gerendo. Nã hæ actiones sunt valde intrinsecæ, & cõnaturales, quibus per se loquẽdo, nõ priuatur homo ratione seruitutis, quanuis per accidens priuari possit propter locorũ distantiam. Ita ergo videtur esse in præsenti casu de quo agimus. Nam ius etiam patris ergo filium est valde cõnaturale, & intrinsecũ, & eiusdem rationis sunt actiones quæ ab illo manant: nõ ergo potest per se omnino illis priuari, quanuis per accidens possit media separatione & distantia loci: priuaretur autẽ omnino, si filius existens in cõsortio patris, ipso inuito, baptizaretur. Nam intrinsecè repugnat filium esse baptizatũ, & manere sub cura patris infidelis, siue cũ illo habitet, siue nõ. Nã per baptismum fit paruulus de iurisdictione Ecclesiæ, & ideo fieri non potest, vt ius gubernandi paruulũ iam baptizatũ, in his quæ ad Deum pertinẽt, maneat apud parentem infidelem; id enim, & iuri Ecclesiæ, & sanctitati baptismi repugnat: ergo per baptismũ fit paruulus omnino extra ius paternum, ergo si pater non potest omnino priuari hoc iure, neque etiam poterit filius baptizari, ipso inuito.

Inter has sentẽtias difficile est ferre iudiciũ, nam priores rationes videntur certè valde efficaces, & magnam facere probabilitatem: quoniã ex illis non est difficile soluere fundamentum posterioris sentẽtiæ, quæ nihilominùs securior est, & in praxi seruãda, tum propter cõmunem opinionem, tum etiam propter fundamentum eius, quod est probabile, & exẽplo adducto ex matrimonio fit valde verisimile, ex quo vnicuiq; facile erit prioribus rationibus satisfacere, præsertim ad illud exemplũ de fuga, & iure libertatis: nam etiam si admittamus illam sentẽtiam, quæ probabilis est, non est simile illud exemplum, nam fuga est directè contraria dominio, & tendit ad destruendum illud: & ideò necesse est, vt qui habet dominium, saltem habeat ius impediendi fugam. At verò cura & gubernatio filij, præsertim in his, quæ ad animam spectant, non repugnat dominio, nec tendit in destructionem eius, & ideò nõ oportet, vt ratione seruitutis possit seruus directè priuari prædicto iure paterno in filium.

Obiectio. Potest tamen ex hac sententia aliquis argumẽtari contra ea, quæ paulò antea diximus, nam si non licet per se ac directè parentem omnino arcere à cura & gubernatione filij: ergo neq; etiam licebit, filiũ eã intentione diuendere aut separare à patre, vt omnino liberetur ab illius cura & gubernatione, & vt nõ possit parẽs curam paternã circa illum exercere, sicut nõ posset seruus cõiugatus, ea intentione per se ac directè diuendi, vt separetur à cõiuge, nec possit matrimonij actus exercere. *Respondetur.* Respondetur, negãdo consequentiã, quando in illo fine includitur honestum motiuum, quale est baptizare, & saluari infidelem. Nam licèt concedamus, dominum non habere ius priuandi patrem omni cura & gubernatione filij secum conuiuentis, tamen simpliciter habet ius separandi filium à patre, & consequenter etiam habet ius priuandi parentem omni vsu regendi filiũ, saltẽ media separatione, quasi per accidens: ergo potest hoc ipsum intendere propter quemcunque honestum finem. Atq; idem erit proportione seruata in alio exemplo, quãuis intercedat dissimilitudo, nam in separatione vnius cõiugis ab altero, non potest propriè intercedere illa intentio baptismi, de qua agimus, cùm vterq; sit adultus: tamẽ, si aliqua alia intentio honesta excogitetur, quã posset dominus serui intendere, per illud mediũ vendendi seruum, & separandi à cõiuge, nõ video cur non possit hoc directè eligere, & velle propter illum finem.

Dubitatio. Sed quæri hoc loco potest circa hanc & præcedẽtem sectionẽ. Qui nam infideles censendi sint ex his seruis, cũ quibus licitum est hoc iure vti, quod dubium specialiter tractari solet de Iudæis, qui in aliquibus prouincijs sub potestate Christianorũ Principum degunt. Autores enim aliqui hos Iudæos inter seruos cõputare videntur, vt Caietanus & Durãdus, & expressè Angelus, verb. Baptismus. 3. num. 11. quibus fauet modus loquẽdi Innoc. III. in cap. Et si Iudæos. extra. de Iud. & Sarac. dicentis, *Iudæos propria culpa perpetua seruituti submisit*. *Caietan. Durand. Angelus. Innocent. 3.* Dicendũ verò est in primis, hos Iudæos, qui nunc sunt subditi Principibus Christianis, nõ esse propriè seruos, sicut *1. Propositio.* sunt mancipia, & ideo in eorum filijs nõ procedere doctrinã datam de filijs seruorũ. Ita docet Soto, & est consentaneũ D. Thomæ hic ad 2. nã hoc sensu *Soto.* dicit, Iudæos esse seruos seruitute ciuili, id est, tanquã subditos & tributarios. Et ratio est, quia licèt Iudæi ob culpã suam digni sint seruitute, quo sensu videtur loquutus Innocentius, & quanuis etiam in principio, quãdo per bellũ superati sunt, iustè potuerint in captiuitatem, & seruitutẽ redigi, quod etiã in prædicto textu insinuatur; tamen iam nunc de facto nõ sunt hoc modo serui effecti, vt ipse vsus satis docet, tractantur enim vt Vasalli & tributarij, nec vendi possunt vt mancipia. Deinde generaliter dicendũ est, *2. Propositio.* eos tantũ infideles esse propriè seruos, qui vel iusto bello capiuntur, vt sunt ordinariè Saraceni, Turcæ, &c. vel qui pretio emuntur à veris dominis, qui ius habent illos vendendi, de quibus magna est quæstio, quæ ad hanc locũ non spectat: nam hic nõ tractamus, quando aliquis legitimè fiat seruus, sed quomodo possit illi baptismus dari supposito dominio in eum tanquam in seruum.

SECTIO VI.

Vtrùm Christiani teneantur huiusmodi infantes baptizare.

Diximus hunc actum esse licitum, dicendum superest, an sit etiã ex præcepto necessarius. Præsertim quando Christiani hos infantes à parentibus separatos in bello capiunt, ita vt tunc non possint licitè eos parentibus seu tutoribus reddere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere, etiam accepto pretio. Quod dubium nō inuenio sub his terminis ab autoribus tractatum; est tamen graue, quodq; interdum nobis in praxim venit, & ideò dicam breuiter, quidquid in vtramque partem occurrit, quidque probabilius censeant.

Pars affirmatiua probatur Scotus. Gabriel.

Quòd ergo milites, qui nos infantes captiuant, vel alij, ad quorum dominium peruenerint, teneantur eos baptizare, nec possint licitè ampliùs eos vendere infidelibus, videtur colligi ex Scoto, Gabriele, & alijs, quatenus sentiunt, Principes Christianos habentes infideles subditos, non solùm posse, sed etiam teneri ad baptizādos eos si cōmodè possint.

Primo.

Et potest fundari primò in officio & iure dominij, ratione cuius, sicut in hos dominos transfertur potestas supra hos infantes, ita etiam cura salutis eorum; ergo tenentur prouidere necessitati illorum: ergo & baptizare illos, quod est eis maximè necessarium. Et cōfirmatur, nam sicut filius ante vsum rationis, quandiu est sub cura parentis, quia nō habet voluntatem propriam, sed voluntas patris reputatur voluntas eius, ita postquam cōstitutus est sub potestate domini, voluntas domini reputatur voluntas serui: ergo tenetur dominus id velle fieri circa seruum suum infantem, quod ipse, si posset, velle deberet; sed si esset in potestate serui, teneretur potiùs velle baptizari, quàm reddi parentibus: ergo hoc ipsum tenetur velle & facere dominus. Quod etiā sic explicatur, nam si ille seruus posset ratione vti, & petere baptismum, non posset licitè dari aut vendi parentibus; ergo eandem voluntatem tenetur habere dominus, per cuius voluntatem paruulus regitur. Secundò oriri potest hæc obligatio ex charitate, qua tenemur amare proximum in spiritualibus, magis quàm nos ipsos in corporalibus vel temporalibus; & ideò tenemur ei subuenire in spirituali necessitate existenti, etiam cum aliqua iactura temporalis commodi pro ratione necessitatis & iacturæ, vt constat ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 26. art. 5. & q. 33. artic. 2. Sed in præsenti casu, necessitas paruulorum est grauissima ac ferè extrema: nam si reddantur parentibus, moraliter loquendo, constituentur in euidenti periculo infidelitatis, & mortis æternæ; si autem retineantur & baptizentur, in primis liberantur à grauissimo malo infidelitatis, & grauissimorum peccatorum quæ illam consequuntur, & deinde constituuntur in statu, in quo probabilissimè sperari potest æterna eorum salus. Deinde huic eorum necessitati subueniri potest absque vlla ferè iactura temporali; nam licèt parentibus nō vendantur, poterunt vendi fidelibus. Dices, si nunquā reddantur parentibus, erit magna illorum copia inter fideles; vnde fiet, vt vili pretio æstimentur. Sed hoc, & parui momenti est si cum spirituali necessitate conferatur, & moraliter hoc non potest accidere, quia absolutè vix alicubi est magna copia horū infantium. Et confirmatur, quia tenemur baptizare paruulum in extrema necessitate constitutum, & mortiproximum, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, vt tenet probabilior sententia, fundata in illo principio de ordine charitatis, quam tenet Syluester, verb. Bellū. 2. §. 4. & Cordub. qui refert alios lib. 1. qq. Theologi. q. 26. dub. vlt. ergo à fortiori erit obligatio in præsenti casu, vbi spiritualis necessitas paruuli tam grauis est, & temporale incommodū ferè nullum. Tertium argumentum sumi potest ex ratione cooperationis, nam Christianus vendens vel tribuens hos paruulos infidelibus, videtur certè cooperari infidelitati eorum, quā exercebunt in huiusmodi paruulos, vel saltē præbere illis materiam vel occasionem præueloperandi, hoc autē videtur esse intrinsecè malum, sicut dare arma gerenti iniustum bellum, vel pecunias exercenti vsuras.

Secundo.

Syluest. Cordub.

Tertio.

Pars negatiua probabilior.

Nihilominùs, simpliciter loquendo, verius videtur, sine vllo peccato posse hos infantes vendi parētibus, & consequenter absolutè non esse obligationem eos baptizandi. Cui sententiæ in primis fauet communis doctrina Theologorum docentium, nō licere, vel saltem non expedire, separare hos infantes à parentibus, vt baptizentur, eiusdem autē ferè rationis est retinere paruulum, ne parentibus reddatur, & separare illum, & quāquam hoc posterius aliquid esse maius videatur, tamen autores, qui cēsent hoc posterius non licere, vel non expedire, vt sunt Durandus, Paludanus, Capreolus, Caietanus, & Soto, maiori ratione responderent, illud prius nō esse præceptum, si de hoc essent interrogati.

Durand. Palud. Capreol. Caietan. Soto. Probatur sententia.

Fundamentum autem huius sententiæ esse debet, quia nullum est sufficiens principiū vnde hæc obligatio oriatur: supponimus enim, vt per se clarum, nullum esse positiuū ius in quo fundetur. Assumptū ostenditur, discurrendo per tria capita superiùs posita. Nam primò, ex vi dominij non oritur hæc obligatio; licèt enim dominus, quandiu dominium retinet, teneatur habere curam serui, tamen non tenetur perpetuò conseruare huiusmodi dominium, quia neque est aliqua lex iustitiæ, quæ ad hoc obliget, neque hic est necessarius actus dominij, sed indifferens est ad retinendam vel alienandā rem, quæ sub dominiū cadit rectè; igitur probat illa ratio, teneri Christianum dominum ad baptizandum seruū suum infantem, quem apud se habet à parentibus separatum, si decernat, nunquam eum parentibus restituere; nō tamen probat, teneri ex titulo dominij ad nō restituendum. Neq; aliquid probat illa ratio, q. voluntas domini reputatur voluntas infantis, est enim valde metaphorica, neque potest ad omnes actiones applicari, præsertim ad hanc actionem vendendi seruū ipsum, in qua dominus vtitur iure suo, & operatur proprio arbitrio, & voluntate, & non quatenus in potestate sua retinet voluntatem serui. Nihil ergo refert, q. illa actio existimetur voluntaria aut inuoluntaria paruulo secundum voluntatē interpretatiuam, quam habere deberet, si posset ratione vti; quia dominus non tenetur cōformare se huic voluntati excogitatæ potiùs à nobis, quàm in re ipsa existenti; tum quia ipse non operatur vt in se continens vel interpretans rationalem voluntatē paruuli, sed vt dominus, qui potest re sua vti, & alienare illarum etiam, quia, cùm illa interpretatiua voluntas paruuli, neque existat, neque sit regula præsentis actionis, nihil conferrad honestatem præsentiæ ejus. Quare non est eadem ratio de infideli iam adulto, qui vellet potiùs baptizari, quàm restitui parentibus: nam ille iam est sui iuris in his quæ spectant ad bonum animæ suæ, in quibus nec parenti, nec domino obedire tenetur cum morali periculo suæ salutis: paruulus verò semper regitur aliena voluntate, & quanuis sit sub potestate domini, tamen ipse dominus potest à se abdicare hoc ius, illudque parenti restituere absque vlla iniustitia, vel iniuria, quam in hoc faciat ipsi paruulo.

Neq; etiam hæc obligatio oritur ex charitate: nā licèt hi paruuli hac ratione constituantur in aliquo periculo: non tamen obligat charitas ad subueniendum

dum illis hoc medio, non solùm ob temporale incōmodum, quo tota ratio superioris sententiæ nitebatur, sed propter alias grauiores causas, quales sunt Baptismi reuerentia, maior libertas, & honor nostræ fidei, & religionis, conseruatio iuris gētiū valde necessarij reipublicæ Christianæ. Singulæ ex his declarari possunt ex rationibus suprà factis in fauorē sententiæ D. Tho. nimirum, q. infideles hoc modo baptizati frequenter sunt parùm constantes in fide, quodq; non decet religionem nostrā vti huiusmodi medijs violentis, & valde extrinsecis ad aggregandos homines ad hanc religionē: nā hoc potest reddere illam odiosam infidelibus. Quæ rationes, quanuis extrinsecæ videantur, tamen etiā caritatis ratio extrinseca est, &, vt illa obliget, omnes circunstantiæ tam extrinsecæ, quàm intrinsecæ sunt considerandæ. Rursus redēptio captiuorū iure gentiū est introducta, & est valde necessaria ad pacem hominū, & ad vitanda maiora mala, & homicidia: ergo non obligat ratio caritatis ad nunquam seruandum, seu exequēdum hoc ius gentium in huiusmodi infantibus, quia hinc fortasse maiora incōmoda sequerētur. Quod potest in hunc modum explicari, quia si infideles intelligerent, Christianos nunquam donare libertate hos infantes, atque ad hoc suis legibus obligari, etiam ipsi infideles retinerent apud se nostros infantes captiuos, neque esset locus redemptioni eorum, exponerentur ergo filij Christianorū magno periculo, vt filios infidelium eo liberaremus, imò detrimētum nostrorum infantium esset multò certius, quàm sit vtilitas infantium infidelium: quia facilius est degenerare à vera fide, & in errorem deflectere, quàm constanter perseuerare in fide susceptā sine proprio consensu, & contra veterem parentum consuetudinem. Dicetur fortasse, non esse faciendum malum, vt vitetur maius.

Obiectio. Responsio.

Respondetur, hoc esse quod inquirimus, an hoc malum sit, scilicet, reddere hos paruulos parētibus infidelibus; & hoc negamus esse malum, nam per se ex obiecto nullam malitiam habet: aliud verò malum, quod inde timetur, scilicet, quòd hi paruuli fiant infideles, non fit à Christianis illos vendentibus, sed à parentibus; permittitur autem à Christianis qui illos vendunt, & hoc modo licitum est, & caritati consentaneum, permittere minus, magisque alienum malum, propter vitandum maius ac magis proprium. Aliter respondeti potest, reuera non vitari hoc maius malum, quia infideles de facto nunquam concedunt libertatem infantibus Christianorum, quos captiuant, sed omnino apud se retinent, vt paganos illos efficiant: ita enim refertur. Respondetur, si ita est, licitum est par pari referre, vix tamen credibile est, eos nunquam diuēdere huiusmodi infantes, quanuis fortasse difficiliùs & maiori pretio id faciant: quapropter non expedit eis dare occasionem, vt in hoc negotio duriores fiant: & ideò non est hæc obligatio nostris militibus, seu fidelibus imponenda. Accedere vlteriùs potest temporale detrimentum, quod interdum esse potest non minimæ existimationis, si nonnulla alia præter suprà dicta considerentur. Primum, quòd huiusmodi serui toto tempore infantiæ nullam vtilitatem afferunt dominis suis, sed potiùs sunt illis sumptui, & labori. Deinde, sæpe non possunt illos apud se retinere, neque educare & alere, vt verbi gratia, si domini, qui illos captiuant, sunt milites, qui neque inueniunt Christianos homines, qui illos velint emere, nec possunt commodè illos in aliquam prouinciam Christianorum transmittere, nec secum ferre: cur ergo hi non poterūt precio accepto ad suos remittere? Quia potiùs hinc vlteriùs fieret, vt milites intelligentes, se non posse captiuare hos paruulos cum aliqua vtilitate, sed potiùs cum magno onere & obligatione, vel remissiùs bellum agant, vel certè illos interficiendos censeant, potiùs quā captiuandos. Igitur, pensatis omnibus, hoc medium perpetuæ seruitutis, quod valde extrinsecum est, tot habet incommoda, vt non possit absolutè existimari caritas ad illud obligare, loquendo moraliter ac regulariter, quanuis fortasse in aliquo speciali casu, præsertim si extrema necessitas interueniat, hæc obligatio admitti possit.

Instantia.

Respondetur.

Vltimum caput, quod ex cooperatione sumebatur, minoris est difficultatis: negamus enim hanc esse cooperationem, nam Christianus vendens seruum, vtitur iure suo & rem facit ex obiecto, vel indifferentem, vel bonam; scilicet, filium parentibus restituere: quidquid verò posteà sequitur, est per accidens ex malitia parentum, quam alter vitare non tenetur propter dictas causas: & ideò illi nō imputatur. Sicut non est malum soluere pecunias homini exercenti vsuras, quanuis ipse malè sit illis vsuris: quia hoc est valde extrinsecum, & accidentarium. Nulla est ergo sufficiens ratio huius obligationis, generatim loquendo, in particulari verò, vt dixi, considerandæ sunt omnes circunstātiæ, non solùm ad iudicandū de obligatione, quæ vel nunquam, vel ratò intercedit, sed etiam ad cōsulendum, quid agere expediat, quid ve melius sit. Atque hinc etiam à fortiori colligitur, quādo aliquis apud se habet captiuum parentem simul cum paruulo filio, non esse obligationem separādi vnū ab altero, vt baptizetur infans: tum quia opinio probabilis est, hoc non licere, multò ergo probabilius erit, non esse necessarium. Tum etiam, quia ferē omnes rationes factæ, eadem vel maiori proportione hic applicari possunt, neque vlla noua ratio in contrarium occurrit.

1. Corollar.

2. Corollar.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm pueri in maternis vteris positi sint baptizandi.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quòd pueri in maternis vteris existentes possint baptizari. Efficacius enim est donum Christi ad salutē, quàm peccatum Adæ ad damnationem, vt Apost. dicit Roman. 5. Sed pueri in maternis vteris damnantur propter peccatum Adæ. Ergo multò magis saluari possunt per donū Christi; quod quidem fit per baptismum. Ergo pueri in maternis vteris existentes possunt baptizari.

¶ 2 Præterea, Puer in vtero matris existēs aliquid matris esse videt. Sed baptizata matre, baptizatur quicquid est eius intra ipsam

Universidad de Deusto Biblioteca

existens. Ergo videtur, quòd baptizata matre, baptizetur puer in vtero eius existens.

¶ 3 Præterea, Mors æterna peior est, quã mors corporalis. Sed de duobus malis minus malũ est eligẽdũ. Si ergo puer in vtero matris existens baptizari non potest, melius esset, ꝙ mater aperiretur, & puer vi eductus baptizaretur, quàm ꝙ puer æternaliter damnaretur absque baptismo decedens.

¶ 4 Præterea, Cõtingit quãdoque, quod aliqua pars pueri prius egreditur: sicut legitur Genes. 38. ꝙ pariente Thamar, in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens, Iste egredietur prior, illo verò manum retrahente, egressus est alter. Quandoque autẽ in tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur, ꝙ illa pars debeat baptizari, puero adhuc in materno vtero existente.

Epist. 57. inter med. & fi. tom. 2.

SED contra est, ꝙ August. dicit in epist. ad Dardanum, Nemo renascitur, nisi primò nascatur. Sed baptismus est quædã spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex vtero nascatur.

Quæst. 66. artic. 1.

RESPONDEO dicendum, ꝙ de necessitate baptismi est, ꝙ corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum baptismus sit quædam ablutio: vt suprà dictũ est. Corpus autem infantis, antequàm nascatur ex vtero, non potest aliquo modo ablui aqua, nisi fortè dicatur, ꝙ ablutio baptismalis, qua corpus matris lauatur, ad filiũ in ventre existentem perueniat. Sed hoc esse non potest: tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationẽ ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animati, iam est formatum, & per consequẽs à corpore matris distinctum. Et ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem, in vtero matris existentem. Vnde August. dicit contra Iulianum. Si ad matris corpus id, ꝙ in ea cõcipitur, pertinet, ita vt eius pars imputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est, aliquo mortis vrgente periculo, cũ eum gestaret in vtero. Nunc vero cũ ipse etiam, scilicet, infans baptizetur, non vtique ad maternum corpus, cũ esset in vtero, pertinebat. Et ita relinquitur, ꝙ nullo modo infantes in maternis vteris existentes, baptizari possunt.

Lib. 6. cap. 8. nõ longè ante med. tom. 7.

AD primum ergo dicendũ, ꝙ pueri in maternis vteris existentes, nondum prodierũt in lucem, vt cũ alijs hominibus vitã ducant. Vnde non possunt subijci actioni humanæ, vt per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutẽ. Possunt tamen subijci operationi Dei, apud quem viuunt, vt quodam priuilegio gratiæ sanctificationem consequãtur: sicut patet de sanctificatis in vtero.

AD secundum dicendum, ꝙ membrum interiùs matris est aliquid eius per cõtinuationem & vnionem naturalem partis ad totum. Puer autem in vtero matris existẽs, est aliquid eius per quãdã colligationẽ corporum distinctorum. Vnde non est similis ratio.

AD tertium dicendum, ꝙ non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vt dicitur Roman. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, vt baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit viuente prole in vtero, debet aperiri vt puer baptizetur.

AD quartũ dicendum, ꝙ expectanda est totalis egressio pueri ex vtero ad baptismũ, nisi mors immineat. Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente: & nõ est posteà rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcunque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorũ partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite: videtur quibusdam, quòd propter dubium, quacunque alia parte corporis abluta, puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma, Si non es baptizatus, ego te baptizo.

COMMENTARIVS.

HIC articulus ferè expositus est in superioribus: nam si paruulus omnino clausus est in vtero matris, constat nõ posse baptizari: quia neque aqua tangi in seipso potest, neque per matrem baptizari, nam cùm sit persona ab illa distincta, ablutio matris non potest ablutio filij reputari, vt benè notauit August. 6. cont. Iulianum cap. 1. & c. 6. habetur in cap. Si quidquid. de cõsecrat. dist. 4. Et ideò in Concil. Neocæsar. c. 6. dicitur, baptismum mulieris prægnantis non communicari, nec prodesse filio. Oportet ergo, vt priùs aliquo modo egrediatur ex vtero. Et quidem extra casum necessitatis, iam suprà diximus expectandum esse, vt perfectè nascatur: in necessitate verò baptizari potest statim ac ex vtero exijt pars corporis, quæ ad baptismum perficiendum sufficit, vt superiùs disp. 20. sect. 2. dictum est.

Non est ex- ... stãda pro- ... natiuitas ... infans bapti- ... zari possit.

Hic verò solùm addendum occurrit, cùm dicitur, debere hominem priùs nasci ex vtero, vel omnino, vel ex parte, quàm baptizetur: non oportere intelligi de propria natiuitate, quacunque enim ratione fieri posit, vt abluatur, id satis erit ad valorem baptismi: etiam si propria natiuitas humana non præcedat, quia substantia sacramenti consistit in ablutione sub debita forma verborum. Vnde si mortua sit mater habens infantem in vtero, & aperiatur, ac detegatur puer, illa non est propria corporalis natiuitas, & tamen circa illum puerum perfici potest baptismus: nec solùm potest, sed etiam debet, quando mater priùs mortua est: nam interficere, & aperire adhuc viuentem,

Paludanus.

uentem, ne priùs filius sine baptismo moriatur, nũquam licet, vt bene Palud. notauit in 4. dist. 6. quęst. 1. quod est intelligendum, etiam si mater sit iam morti proxima & infallibiliter expectetur mors eius, ac probabiliter timeatur, ne filius priùs moriatur; quia non sunt facienda mala, vt eueniãt bona, & quandiu vita durat, nemo est dominus eius, vt posit illam violenter auferre propter salutem alterius.

Si mulier prægnans sit morte digna, deceleari potest eius mors vt puer baptizari possit. lege prægnantem. ff. de pœnis.

Solùm posset excipi casus, quãdo mater aliàs est morte digna, & iustè est ad illam damnata: nam licèt tunc regulariter differendum sit suppliciũ matris vsque ad partum propter bonum prolis, vt habetur in lege Prægnantem. ff. de Pœnis. Tamen si fingatur casus in quo eo tempore, quo differtur supplicium, credatur priùs moriturus paruulus quàm ad partum, vel natiuitatem peruenerit, & in eo casu, quanuis Paludanus dubius sit: quia (inquit) hoc non est in iure expressum; mihi tamen, non videtur esse dubium, quin tunc liceat anticipare supplicium, quantum fieri posit, seruato ordine iuris, & iustitiæ, quia tunc nulli fit iniuria, & cedit in maximum spirituale bonum prolis: nam illa dilatio, quæ in iure cõceditur, non est propter matrem, sed in filij vtilitatem: si ergo non solùm cesset hæc vtilitas, verùm etiam credatur cedere in magnum detrimentum prolis, non est necessarium, nec legi consentaneum in tali casu differre supplicium.

Obiectio.
Respondetur.

Dices; cessante fine legis in particulari, non cessare obligationem legis. Respondetur primò, illud esse certum, quando tantùm cessat negatiuè, non verò si cesset contrariè, prout accideret in prædicto casu: quia non solùm non esset vtilis proli, talis dilatio supplicij, sed etiam esset in magnũ detrimentum eius. Deinde illa lex respectu prolis est potiùs beneficium quoddam & priuilegiũ, quàm præceptum: & ideò, si in particulari casu non habet rationem beneficij, & priuilegij, sed potiùs nocumenti, talis casus non censetur sub illa lege comprehendi. Et hæc quidem vera sunt ex suppositione huiusmodi euentus, existimo tamen moraliter vix posse accidere huiusmodi casum, nam semper maius periculum imminet proli, si mater interficiatur, & ideò loquendo practicè, & moraliter semper est differendum supplicium vsque ad partum.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm furiosi & amentes debeant baptizari.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quòd furiosi & amentes, non debeant baptizari. Ad susceptionem enim baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur: vt supra dictum est. Sed furiosi & amentes, cùm careant vsu rationis, non possunt habere ordinatam intentionem: ergo non debent baptizari.

¶ 2 Præterea, Homo bruta animalia superexcedit in hoc, quòd habet rationem. Sed furiosi & amentes non habent vsum rationis: & quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur, quòd sicut bruta animalia non baptizantur, ita nec tales furiosi & amentes debeant baptizari.

¶ 3 Præterea, Magis est ligatus vsus rationis in furiosis vel amentibus, quàm in dormientibus. Sed baptismus non consueuit dari dormientibus. Ergo non debet dari amentibus & furiosis.

Lib. 4. c. 4. parũ ante med. tom. 1.

SED contra est quod Augustin. dicit 4. Confess. de amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nesciens: & tamen baptismus in eo efficaciam habuit. Ergo carentibus vsu rationis, aliquando baptismus dari debet.

Art. 9. huius quæst.

RESPONDEO dicendum, quòd circa amentes & furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt à natiuitate tales, nulla habentes lucida interualla: in quibus etiam nullus vsus rationis apparet. Et de talibus, quãtum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium & de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, vt supra dictum est. Alij verò sunt amentes, qui ex sana mente quam habuerunt priùs, in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundùm volũtatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideò, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia & amentia constitutis: etiam si tunc actu contradicant: alioquin, si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam verò sunt, qui, etsi à natiuitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione vti possunt. Vnde, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti. Et debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin melius est, vt tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc, quòd deuotiùs suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi interualli non appareat in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari nõ debent in amentia constituti. Quidam verò sunt, qui, etsi non omnino sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione vtũtur, quòd possunt de sua salute cogitare, & intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idẽ est iudicium, sicut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inuiti.

Vt habetur in Decr. li. 3. ti. 42. c. 3. in fi.

AD primum ergo dicendum, quòd amẽtes, qui nunquam habuerunt, nec habent vsum rationis, baptizantur ex intentione

Universidad de Deusto Biblioteca

Ecclesiæ, sicut & ex actu Ecclesiæ credũt & pœnitẽt: sicut suprà de pueris dictum est. * Illi verò, qui aliquo tempore habuerunt vel habent vsum rationis, secundùm propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerunt tempore sanæ mentis. *Art. 9. huius quæst.*

AD secundum dicẽdum, quod furiosi vel amentes carent vsu rationis per accidens, scilicet propter aliquod impedimentum organi corporalis: non autem propter defectum animæ rationalis, sicut bruta animalia. Vnde non est de his similis ratio.

AD tertium dicendum, quòd dormiẽtes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis immineat: in quo casu baptizari debent, si priùs in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut & de amentibus dictũ est *. Sicut August. † narrat in 4. lib. Confess. de amico suo, qui baptizatus est nesciens, propter periculum mortis. *In corp. artic. Lib. 4. c. 4. parũ ante med. tom. 1.*

COMMENTARIVS.

HIC articulus iam est in superioribus explicatus. Nam hi amentes, si sint perpetui, inter infantes computantur: si verò aliquando vsum rationis habuerunt, eadem est ratio de illis, quæ de alijs adultis, iudicandi autem sunt iuxta statum, & voluntatem in qua inuenti sunt, quãdo in amẽtiã inciderũt. Neq; circa literã D. Tho. aliquid nouum, aut speciale notandum occurrit.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus Baptismi, in decem articulos diuisa.

DEINDE considerandum est effectibus baptismi.

¶ *Et circa hoc quæruntur decem.*

Primò, vtrùm per baptismum auferãtur omnia peccata.

Secundò, vtrùm per baptismum liberetur homo ab omni pœna.

Tertiò, vtrum baptismus auferat pœnalitates huius vitæ.

Quartò, vtrum per baptismum conferantur homini gratia & virtutes.

Quintò, de effectibus virtutum, qui per baptismum conferuntur.

Sextò, vtrum etiam paruuli in baptismo gratias & virtutes accipiant.

Septimò, vtrum per baptismum aperiatur baptizatis ianua regni cælestis.

Octauò, vtrum baptismus æqualem effectũ habeat in omnibus baptizatis.

Nonò, vtrùm fictio impediat effectum baptismi.

Decimò, vtrũ recedẽte fictione, baptismus obtineat suum effectum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per baptismum tollantur omnia peccata.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd per baptismum nõ tollãtur omnia peccata. Baptismus enĩ est quædã spiritualis regeneratio, quæ contraponitur generationi carnali, sed per generationem carnalẽ homo contrahit solũ originale peccatum, ergo per baptismum soluitur solum originale peccatum. *2. d. 32. q. ar. 1. & 4. q. 2. q. 1. & q. 3. art. 1. & 4. 59. & col. 2. & 6. col. 3.*

¶ 2 Præterea. Pœnitentia est sufficiens causa remissionis actualium peccatorũ. Sed ante baptismum in adultis requiritur pœnitentia, secundum illud Actor. 2. Pœnitentiã agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Ergo baptismus nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum.

¶ 3 Præterea, Diuersorum morborũ diuersæ sunt medicinæ: quia, sicut Hieronym. dicit, non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Sed peccatum originale, quod per baptismum tollitur, est aliud genus peccati à peccato actuali. Ergo nõ omnia peccata remittuntur per baptismum. *Mar. 9. illud ver. Hoc gen. momor. eijcitur, &c. tom.*

SED contra est, quod dicitur Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam: & mũdabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris.

RESPONDEO dicendum, ꝙ, sicut Apostolus dicit Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus. Et posteà cõcludit. Ita & vos existimate mortuos quidẽ esse peccato, viuentes autem Deo in Christo IESV Domino nostro. Ex quo patet, quòd per baptismum homo moritur vetustati peccati: & incipit viuere nouitati gratiæ. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatẽ pertinet. Vnde consequens est, quòd omne peccatum per baptismum tollatur.

AD primũ ergo dicendũ, ꝙ sicut Apost. dicit Roman. 5. Peccatum Adæ non tantum potest, quantum potest donũ Christi, quod in baptismo percipitur. Nam iudicium ex vno in cõdemnationem, gratia autẽ ex multis delictis in iustificationẽ. Vnde August. dicit in lib. de Baptismo paruulorum, quod generante carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerãte autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum. *Li. 1. de pec. to. merit. remis. c. fin. tom. 7.*

AD

AD secundum dicendum, quòd nullius peccati remissio fieri potest nisi per virtutẽ passionis Christi: vnde & Apostolus dicit Hebr. 9. quòd sine sanguinis effusione nõ fit remissio. Vnde motus humanæ voluntatis, qui est in pœnitente, non sufficeret ad remissionem culpæ, nisi adesset fides passionis Christi, & propositum participandi ipsam, vel suscipiendo baptismum, vel subijciendo se clauibus Ecclesiæ. Et ideò, quãdo aliquis adultus pœnitens ad baptismum accedit, cõsequitur quidem remissionem omniũ peccatorum ex proposito baptismi, perfectius autem ex reali susceptione baptismi.

AD tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de particularibus medicinis. Baptismus autem operatur in virtute passionis Christi, quæ est vniuersalis medicina omniũ peccatorum. Et ideò per baptismum omnia peccata tolluntur.

COMMENTARIVS.

RESpondet D. Thomas, baptismum habere virtutem ad tollendum omne peccatum. Quam veritatem in argumento Sed contra confirmat ex illo Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam*, quem locum, vt suprà notaui disp. 10. sect. 1. Hieronym. de aqua baptismi intelligit. Quã expositionem Theodoretus etiam sequitur, atque eodẽ modo interpretatur Cyprian. epist. 70. & in 76. in 1. par. illius, aliàs lib. 4. epist. 7. sumitur etiã ex Athanasio epist. ad Serapionem, contra eos qui dicunt Spiritum sanctũ esse creaturam: dicit enim promissiones ibi per Ezechielem factas, solũ tempore Messiæ esse impletas. In corpore autem articuli, eandem veritatem confirmat ex Paulo ad Rom. 6. dicente. *Nos per baptismum consepulti Christo in mortẽ, vt in nouitate vitæ ambulemus*: quod infra exponens ait, eos qui baptizati sunt, *mortuos quidẽ esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*: mori autẽ peccato, vt superiùs idem Paulus exposuerat, idem est quod iustificari à peccato. *Ezech. 36. Hierony. Theodoret. Cyprian. Athanas. Roman. 6.*

Ratio D. Tho. Ex quo loco colligit D. Tho. rationem; quæ dupliciter formari potest: primò, quia nõ potest quis iustificari ab vno peccato, verbi gratia, originali, quin iustificetur ab omnibus: si ergo baptismus habet virtutẽ iustificandi hominẽ à peccato, necesse est, vt possit delere omnia peccata. Quæ ratio procedit optimè de omnibus peccatis, quæ gratiã tollunt, vt sunt originale, & mortalia omnia: de venialibus autem nõ videtur ita procedere, quia hæc nõ necessariò tollũtur per iustificationẽ à peccato. Potest tamẽ facilè extendi ratio, quia licèt non sit simpliciter necessariũ remitti venialia peccata simul cũ mortalibus, quia potest homo ponere impedimẽtũ: tamẽ à fortiori necessariũ est, vt qui virtute habet tollẽdi mortalia peccata, habeat etiam tollẽdi venialia, si homo sit dispositus, seu obicem non ponat: quia hic effectus minor est, & eiusdem ordinis cũ illo, seu subordinatus illi. Secũdo modo potest formari ratio D. Tho. quia per baptismum ita iustificatur homo, vt omnino censeatur mori vitæ præteritæ, & in nouũ hominẽ restitui: vnde in alio loco Ezechielis dicitur accipere nouum cor, & nouum spiritum; omnia autem peccata ante baptismum commissa pertinent ad veterẽ vitã: ergo omnia illa pereunt, & suffocantur in baptismate.

In solutione ad primum, rationẽ reddit D. Thomas, cur per regenerationem baptismi non solùm tollatur originale peccatum, sed etiam alia, cũ per generationem carnalem ex Adamo solum originale peccatum contrahamus, & non alia: & rationẽ reddit, quia efficacior est virtus Christi, quã defectus Adæ. Quod confirmat ex illo ad Rom. 5. *Nõ sicut delictum, ita & donum*, & infrà. *Non sicut per vnũ peccatum, ita & donum, nam iudicium quidem ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Quorũ verborũ sensus est, Christi donũ esse efficacius, nã lapsus Adæ solũ vnum delictum potuit in posteros transfundere. Christi autem meritũ non solùm illud peccatum, sed & reliqua omnia, quæ omnes homines posteà committunt, potest auferre. Atq; ita exponunt ibi Chrysost. serm. 10. Theodoret. Theophyl. Ambros. & alij, & August. quem D. Tho. citat. Quod testimoniũ, & ratio in illo fundata, rectè procedit de virtute Christi in communi; tamen quia hæc virtus nõ solùm per baptismũ, sed etiã per alia media applicatur, ideo nõ videtur tam efficaciter procedere in particulari de baptismo. Sed dicendũ est, illa ratione probari, habuisse Christum virtutẽ ad instituendum talẽ modũ regenerationis, quo omnia peccata delerentur, & hoc est, quod immediatè probat D. Thom. nam quod oportuerit hãc regenerationẽ esse huiusmodi in corp. artic. satis probatum est. Atq; eodẽ sensu accipiendũ est quod in solutione ad tertiũ, dicit D. Thom. baptismũ esse remediũ sufficiens ad omnia genera peccatorũ tollẽda, quia passio Christi, in cuius virtute operatur, est vniuersalis medicina omniũ peccatorum. Videri enim potest hæc ratio insufficiens: quoniã similiter inferri posset sacramentum Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, & alia, sufficere ad omnia peccata tollẽda: quoniã operantur in virtute passionis Christi, quæ est vniuersalis medicina. Igitur ex illo principio solũ intendit D. Tho. concludere, in passione Christi esse virtutem sufficientem ad instituendum aliquod sacramentum, quod vniuersaliter delet omnia peccata: quòd autem communicauerit hanc virtutem baptismo, quodq; ad hunc effectum sit specialis ratio in illo magis quàm in alijs sacramẽtis, ex alijs principijs iam insinuatis probatum supponitur. *Roman. 5. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Ambros. August.*

In solutione ad secundũ, tangit D. Thom. quæstionem de necessitate baptismi ad prædictum effectum, quam paulò post ex professo disputabimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd per baptismum non liberetur homo ab omni reatu peccati. Dicit enim Apost. Rom. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sed culpa non ordinatur, nisi per pænam, vt August. * dicit. Ergo per baptismum non tollitur reatus pænæ præcedentium peccatorum. *Sup. 68. a. 5. & 3. d. 19. a. 3. q. 2. Et 4. d. 4. q. 2. a. 1. q. 2. & ar. 3. q. 1. & d. 7. q. 1. art. 1. q. 1. & 4. cõt. c. 58. 59. & 72. col. 2. & Rom. 11.*

Le. 4. col. 4. & 5. Et He. 6. col. 7. fin. Li. 1. retract. c. 9. & lib. 3. lib. arb. c. 18. tom. 1.

¶ 2 Præterea, Effectus sacramenti aliquâ similitudinem habet cum ipso sacramento: quia sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant: vt suprà dictum est. * Sed ablutio baptismalis habet quidem aliquam similitudinem cum ablutione maculæ: nullam autē similitudinem habere videtur cum subtractione reatus pœnæ. Non ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ.

¶ 3 Præterea, Sublato reatu pœnæ, aliquis non remanet dignus pœna: & ita iniustum esset eum puniri. Si igitur per baptismum tollitur reatus pœnæ, iniustum esset, post baptismum suspendere latronem, qui antea homicidium commisit: & ita per baptismum tolleretur rigor humanæ disciplinæ: quod est inconueniens. Nō ergo per baptismum tollitur reatus pœnæ.

Super illud ad Rom. 11. tomo 5.

SED contra est, quòd Ambros. dicit super illud Roman. 11. Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio. Gratia, inquit, Dei in baptismo gratis omnia condonat.

Art. præc. & q. 68. art. 5. ad 1. & ar. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum est) per baptismū aliquis incorporatur passioni & morti Christi, secundùm illud Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiā viuemus cum eo. Ex quo patet, quòd omni baptizato cōmunicatur passio Christi ad redimendū, ac si ipse passus & mortuus esset. Passio autem Christi (sicut dictum est) est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideò ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ, sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfeciſſet pro omnibus peccatis suis.

q. 68. art. 5.

AD primum ergo dicendum, quòd quia pœna passionis Christi communicatur baptizato, inquantum sit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinuisset, ideò eius peccata remanent ordinata per pœnā passionis Christi.

AD secundum dicendum, quòd aqua nō solùm abluit, sed etiam refrigerat. Et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus pœnæ, sicut sua ablutione significat emundationem à culpa.

AD tertium dicendum, q̄ in pœnis, quæ iudicio humano inferuntur, non solū attenditur, qua pœna sit homo dignus, quoad Deū, sed etiā in quo sit obligatus, quoad homines, qui læsi & scandalizati sunt per peccatum alicuius. Et ideo licēt homicida per baptismū liberetur à reatu pœnæ, quoad Deū, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos iustum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset pœnam indulgere.

Artic. III.

COMMENTARIVS.

Titulus est.

PER reatum peccati intelligit D. Tho. obligationem ad pœnam temporalem: nam obligatio ad æternam pœnam cum ipsa culpa necessariò tollitur: nam licēt formaliter non sit ipsa culpa, sed effectus, vel proprietas illius, est tamen ita per se coniuncta cum macula culpæ mortalis, vt sit inseparabilis ab ipsa, saltem secundùm legem Dei ordinariam. Solet autem sæpè, ablata culpa, manere obligatio ad pœnam temporalem, vt inferiùs tractando de sacramento Pœnitentiæ dicendū est, & ideò meritò inquirit D. Tho. an ita etiā contingat in baptizatis, & respondet, per se loquendo, non ita contingere, sed Baptismum per se & virtute sua, delendo culpam, redimere omnem pœnā, atque adeò omnem obligationē ad pœnam manentem ex culpa. Dico autē, per se & virtute sua, quoniā ad hunc effectum nulla est satisfactio necessaria ex parte suscipientis sacramentum, neque alia dispositio præter illam, quæ necessaria est ad remissionem culpæ. Vnde fit, hunc effectum nunquam impediri, nisi per obicem quo remissio culpæ impediatur, quia remissa culpa, nihil est, quod obstare possit ad remissionē pœnæ, si ex parte hominis nulla satisfactio est necessaria. Hanc verò cō clusionē sic explicatā optimè probat D. Tho. in argumēto Sed contra, ex Ambros. ad Roman. 11. in quo præter verba, quæ D. Tho. affert, notāda sunt illa: *Gratia Dei in baptismate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solum ex corde professionem.* In corpore verò articuli ferè non affert D. Tho. rationē distinctā à ratione præcedentis articuli, & ideò nihil hoc loco addere oportet: nam de re ipsa statim disputaturi sumus. Solutiones autem argumentorū claræ sunt, solū est notanda solutio ad tertium, in qua D. Tho. declarat conclusionem positam intelligendam esse de reatu peccati respectu Dei, non verò respectu reipublicæ, seu temporalis Principis. Nam licēt peccata sint coram Deo remissa, potest manere homo obligatus coram hominibus ad pœnam humanam, seu corporalē: quia est distincta ratio huius pœnæ, & fieri potest, vt non sit illi satisfactum, vel etiā, vt non expediat, ablatā vna pœna, alteram auferri: & ita inquit D. Thomas contingere in baptismo, qui solùm est institutus ad tollendā culpam & pœnam coram Deo, non tamen coram hominibus, quos iustum est (inquit) ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa, possentque homines occasionē sumere multiplicandi publica peccata ante baptismum, si scirent, nullum eis superesse humanum supplicium, si baptizari vellent, vel etiam possent occasionem sumere fictè accedendi ad baptismū, vt euaderent humanum supplicium. Addit verò D. Thom. piè posse Principem huiusmodi pœnā remittere his, qui ad fidē conuertūtur, & baptizātur, quod intelligendū existimo de supremo Principe, vel qui ab eo habet potestatē dispēsandi in legibus humanis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ.

2. d. 32. q. 1. ar. 1. q. 2. o

AD tertium sic proceditur. Videtur, q̄ per baptismum debeant auferri pœnalitates

d. 13. q. 1. ar. 2. & 3. d. 19. ar. 3. q. 1. & 4. d. 4. q. 2. a. 1. q. 3. & 4. con. c. 58. fin. & 55. ad 5. & 27. & ca. 19. & quæst. 6. ver. 15.

litates præsentis vitæ. Vt enim Apost. dicit Rom. 5. Donum Christi potentius est, quàm peccatum Adæ. Sed per peccatum Adæ (vt ibidem Apostolus dicit) mors in hunc modum intrabit, & per consequēs omnes aliæ pœnalitates præsentis vitæ. Ergo multò magis per donū Christi, quod in baptismo percipitur, homo à pœnalitatibus præsentis vitæ debet liberari.

¶ 2 Præterea, Baptismus aufert & culpā originalem & actualem, sicut suprà dictum est. * Sic autem aufert actualem culpā, quòd liberat ab omni reatu pœnæ consequente actualem culpam. Ergo etiam liberat a pœnalitatibus præsentis vitæ, quæ sunt pœna originalis peccati.

art. 1. huius quæst.

¶ 3 Præterea, Remota causa, remouetur effectus. Sed causa harum pœnalitatum est, peccatū originale, quod tollitur per baptismum. Ergo non debēt huiusmodi pœnalitates remanere.

Est glo. Aug. lib. 1. de bapt. parul. c. 39. inter prin. & med. tom. 7.

SED contra est, quòd super illud Rom. 6. Destruatur corpus peccati, dicit glos. * Per baptismum id agitur, vt vetus homo crucifigatur, & corpus peccati destruatur: non ita, vt in ipso viuente carnis concupiscentia resperſa, & innata repētè absumatur, & nō sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Ergo pari ratione, nec aliæ pœnalitates per baptismum tolluntur.

RESPONDEO dicendum, q̄ baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ, nō tamē eas aufert in præsenti vita, sed eius virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, vt dicitur 1. Cor. 15. Et hoc rationabiliter: primò quidē, quia per baptismū homo incorporatur Christo, & efficitur membrum eius, vt suprà dictum est. Et ideò conueniens est, vt id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite, Christus autem à principio suæ cōceptionis fuit plen⁹ gratia & veritate, habuit tamē corpus passibile, quod post passionē & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Vnde & Christianus in baptismo gratiam consequitur, quantū ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitā. Vnde Apostolus dicit Rom. 8. Qui suscitabit IESVM Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis: & infrà eodem, Hæredes quidem Dei, cohæredes autē Christi: si tamen cōpatimur, vt & simul glorificemur. Secundò, hoc est conueniēs propter spirituale exercitiū, vt videlicet cōtra concupiscentiam & alias passibilitates pugnans homo, victorię coronam acciperet. Vnde super illud Rom. 6. Vt destruatur corpus peccati, dicit glos. Si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, quamq; adiuuante Deo, superet. In cuius figuram dicitur Iudic. 3. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelē, & posteà discerēt filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem prælianāi. Tertiò hoc fuit conueniens, ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Vnde & Apostolus dicit 1. Corinth. 15. Si in hac vita tantùm sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Est Aug. li. 1. de Bapt. parul. c. 39. circ. prin. tom. 7.

AD primum ergo dicendum, quod (sicut glos. dicit Rom. 6. super illud, Vt vltra nō seruiamus peccato) sicut aliquis capiēs hostem atrocissimum, non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore & dolore aliquā tulum viuere: ita & Christus pœnā prius alligauit, in futuro autem perimet.

Gl. ord. super illud ad Rom. 6. homo noster simul crucifixus.

AD secundū dicendum, quòd sicut ibidē dicit glos. duplex est pœna peccati, gehennalis & tēporalis. Gehēnalē prorsus deleuit Christus, vt eā nō sentiāt baptizati & verè pœnitentes. Temporalē verò nondū penitus tollit, manet enim fames, sitis & mors, & huiusmodi. Sed regnum & dominiū eius deiecit, vt scilicet hoc homo non timeat, & tādē in nouissimo eādē penitus exterminabit.

1. 2. q. 81. ar tic. 1.

AD tertium dicēdum, quòd (sicut in 2. parte dictum est) peccatum originale hoc modo pœsit, quod primò persona infecit naturā, postmodū verò natura infecit personā. Christus vero conuerso ordine prius reparat id quod personæ est, & postmodum simul in omnibus reparabit, id quod naturæ est. Et ideo culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ visionis diuinæ, quę respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine, sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, famis, sitis, & alia huiusmodi) respiciunt naturā, ex cuius principijs causantur, prout est destituta originali iustitia. Et ideo ista defectus non tollētur, nisi in vltima reparatione naturæ, per resurrectionem gloriosam.

COMMENTARIVS.

CVM satis constat experientia, huiusmodi pœnalitates, quæ sunt fomes peccati, mors, & alia huiusmodi, non auferri per Baptismum, quandiu præsens vita durat, Diuus Thomas solùm mouet præsentem quæstionem, vt rationem reddat huius institutionis. Certum est enim, Baptismum non carere hac virtute, eò quòd non potuerit Christus eam ipsi communicare,

nicare, nam cùm virtus Christi sit infinita, certum est, potuisse hanc vim conferre baptismo. Quin potius addit D. Thomas, Baptismum re vera habere hanc vim ex virtute Christi, nō tamen statim exercendam, sed suo tempore, nimirùm in statu gloriæ, in quo reformabitur corpus nostrum, & surget immortale, & simile corpori Christi, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis, quem per Baptismum accipimus: quæ est doctrina Aug. lib. 6. Genes. ad liter. cap. 26. & sequentibus. Quod ergo Christus non dederit Baptismo, vt statim hoc faciat, non est quia non potuit, sed quia non oportuit. Huius autem rei tres affert congruentias D. Thomas. Prima est, quia per Baptismum incorporamur Christo, cùm ergo Christus in hac vita fuerit passibilis & mortalis, non oportuit nos statim fieri immortales & impassibiles, sed potiùs expedit, vt pro illo pati, & cum illo compati possimus, vt cum eo etiam conglorificemur. Dices, hæc ratio optimè procedit de passibilitate, & imbecillitatibus corporis, non verò de fomite peccati, qui in Christo non fuit, si ergo per Baptismum incorporamur Christo, cur non statim efficimur illi similes saltem in carentia fomitis? Respondetur primùm, concedendo hanc rationem non procedere de fomite, nihilominus esse alias propter quas non fuit expediens statim nobis dari conformitatē cū Christo in hac perfectione, quas statim afferemus. Secundo dicitur, fomitem ex natura rei & ex lege ordinaria esse coniunctum cum passibilitate corporis: quòd ergo Christus caruerit fomite, fuit illi connaturale ratione vnionis, & eodem modo fuisset connaturalis impassibilitas corporis, ex dispensatione autem assumpsit corpus passibile propter nos, non assumpsit autem fomitem, quia neque illum decebat, nec nobis vtile erat, atque ita in illo fuit speciale, quòd habuerit corpus passibile sine fomite. Quod etiam ex speciali priuilegio Beatæ Virgini communicatum est propter singularem dignitatem eius. In reliquis autem hominibus nō oportuit fieri hoc speciale miraculum, & ideò hoc ipso quòd non oportuit, vt per Baptismum statim fierent impassibiles, consequens fuit, vt manerent fomiti subiecti.

1.Cor.15. Philip.3. Rom.8. Triplex congruentia D. Thom. 1.Congruentia. Obiectio. Responsio.

Secunda ratio D. Thomæ procedit specialiter de fomite, quāuis possit etiam applicari ad omnes alias corporis debilitates, quia oportuit (inquit) manere in homine concupiscentiam ad exercitiū pugnæ spiritualis. Et hanc rationem attigit Cōcil. Trid. sess. 5. in decreto de peccat. origin. can. 5. dicens, *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ, cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimò, qui legitimè certauerit, coronabitur.* Et statim veluti respondens cuidam tacitæ obiectioni addit Concilium, hanc concupiscentiam, quando in nobis per consensum non dominatur, non esse verè ac propriè peccatum, & ideò posse manere post Baptismum, quanuis post Baptismum omnia peccata tollantur. Solet autem impropriè appellari peccatum, quia ex peccato nascitur & ad peccatū inclinat, vt Concil. dicit ex August. lib. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 13. & lib. 1. de Nupt. & concupisc. c. 23. & sequen. & lib. 6. contra Iulian. c. 5. & 6. & lib. 2. de Peccat. merit. c. 28. & Epist. 28. ad Hieronymū: quod alijs locis sæpe repetit August. cōtra

2.Cōgruētia. Concil. Trid.

A Pelagianos, in quibus significat, concupiscentiam ante peccatum originale remissum, magis propriè habere rationem peccati, & ideò fortasse Conciliū addit illam particulam, *In renatis*, negans concupiscentiam in eis esse peccatum. Quomodò autem id intelligendum sit, ad hunc locum non spectat, sed ad materiam de peccato originali. Hæc autem ratio, quæ in fomite explicata est, facilè potest ad alias corporis pœnalitates applicari, quod his verbis eleganter facit August. lib. 3. de Peccat. merit. c. 13. *Nouit ille medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternā salutem, qui & ipsam mortem, quanuis peccati merito inflicta sit, non aufert in hoc seculo eis, quibus peccata dimittit, vt eam cum eius timore superando, suscipiant pro fidei synceritate certamen.*

August.

Tertia ratio D. Tho. his verbis traditur lib. 1.
B de Peccat. merit. c. 31. *Poterat etiam hoc donare credentibus, vt neque istius experirentur corporis mortem: sed, si hoc fecisset, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei meritum. Sic enim homines mortem istam timent, vt non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quòd mori omninò non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis, ad Christi gratiam festinaret, sed propter remouendam mortis molestiam, vel delicatiùs crederetur in Christo.* Ex quibus verbis, quarta ratio sumi potest, scilicet, relictas esse has pœnalitates ne fides eneruaretur, & vtramque rationem repetit idem August. 13. de Trin. c. 4. Quinta addi potest ex eodem lib. 22. de Ciuit. c. 22. scilicet, *Vt hinc appareat, in quid veluti pondere suo procliuis sit vitiosa natura, & quanta ope, vt hinc liberetur, indigeat.* Atque eadem ratio
C sumi potest ex lib. 3. de Peccato. merit. c. vltimo. Sexta denique addi potest, vt homo in hac vita semper feret secum testimonium sui lapsus, & quātum Deus superbis resistat, ex eodem Augustino lib. 1. Confess. cap. 1.

3.Congruentia. Quarta additur. Quinta ... Sexta ratio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm per baptismum conferantur homini gratia & virtutes.

AD quartum sic proceditur. Videtur, φ per baptismum non cōferantur homini gratia & virtutes. Quia, sicut suprà dictum est, sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant. Sed per ablutionem baptismi significatur emundatio animæ à
D culpa, non autem informatio animæ per gratiam & virtutes. Videtur igitur, φ per baptismum non conferantur homini gratia & virtutes.

Inf. q. 7... 3. cor. & ... 1. q. 3. ... q. 5. art... 2. ad 2. ... 4. q. 2. ... q. 2. & ... artic. 1. ... cor. & ... q. 1. art... 1. corp. ... q. 60. ... & 62. ... & q. ... artic.

¶ 2 Præterea, Illud, quod iā aliquis adeptus est, non indiget iterum suscipere. Sed aliqui accedunt ad baptismum, iam habētes gratiam & virtutes, sicut Actor. 10. legitur: Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus & timens Deum: qui tamē postea à Petro baptizatus est. Nō ergo per baptismum conferuntur gratia & virtutes.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Prætereà, Virtus est habitus, ad cuius rationē pertinet, quòd sit qualitas difficile mobilis, per quam aliquis faciliter & delectabiliter operetur. Sed post baptismum remanet in hominibus pronitas ad malū, per quod tollitur virtus, & consequitur difficultatem quis ad bonum, quod est actus virtutis. Ergo per baptismum non consequitur homo gratiam & virtutes. A

SED contra est, quòd ad Titum 3. dicit Apostolus, Saluos nos fecit per lauacrū regenerationis (id est per baptismum) & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, id est, ad remissionem peccatorum & copiam virtutum, vt glos. ibi exponit. Sic ergo in baptismo datur gratia Spiritus sancti & copia virtutum. B

Glos. interlin. ibidem.

RESPONDEO dicendum, φ (sicut August. dicit in lib. de Baptismo paruulorum) ad hoc baptismus valet, vt baptizati Christo incorporentur, vt mēbra eius. A capite autem Christo, in omnia membra eius, gratiæ & virtutis plenitudo deriuatur: secūdum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Vnde manifestum est, quòd per baptismum aliquis consequitur gratiam & virtutes.

Lib. 1. ca. 26. à med. to. 7.

AD primū ergo dicendum, φ sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpæ, & per suum refrigerium significat liberationem à pœna, ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiæ & virtutem. C

AD secundum dicendum, φ sicut dictū est, remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto, vel explicitè, vel implicitè: & tamen cùm realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio quantum ad liberationem à tota pœna. Ita etiam ante baptismum Cornelius & alij similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi & desiderium baptismi implicitè, vel explicitè, postmodum tamen in baptismo maiorem copiam gratiæ & virtutum cōsequū- D tur. Vnde super illud Psalm. 22. super aquas refectionis educauit me, dicit glos. Per augmentum virtutis & bonæ operationis educauit in baptismo.

Quæst. 68. artic. 2.

AD tertium dicendum, quod difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, inueniuntur in baptizatis, non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quæ non tollitur in baptismo. Sicut tamen per baptismum diminuitur cōcupiscentia, vt non dominetur, ita etiam diminuitur vtrumque dictorum, ne homo ab his superetur.

Ex glos. interlin. colligitur ibid.

A

DISPVTATIO Vigesimasexta.

De effectibus Baptismi.

DVos possumus in genere distinguere Baptismi effectus, scilicet, characterem & gratiam sanctificantem, sub qua comprehendimus omnia dona, quæ ad hāc gratiā spectāt, de quibus tantùm in hac disputatione dicendum est, nam de charactere nihil addendum occurrit his, quæ in superioribꝰ circa quæst. 63. D. Thomæ dicta sunt.

SECTIO I.

Vtrùm Baptismus verè ac propriè remittat omnem culpam.

B

VArij fuerunt de hac re hæreticorū errores, ac pene extremè contrarij. Primò quidā dixerunt, Baptismū esse inutile: & nullius efficaciæ ad delenda peccata. Huius erroris primus autor fuisse creditur Gaianus, vt colligitur ex Tertulliano lib. de Baptismo in principio. Hunc imitati sunt Manichæi ex Augustino, hæres. 46. & Arcontici ex Epiphanio hæres. 40. & Messaliani, seu Massaliani, hos enim vt diuersos numerat Damascenus, sunt tamē ijdem apud Theodoretum lib. 4. hæret. fabul. circa finem, & lib. 4. hist. cap. 10. & habetur etiam libr. 7. Tripar. capit. 11. Huius erroris nullum inuenio fundamentum.

Varij errores. Primus. Tertull. August. Damasc. Theodoret. August.

C Secundus error est, Baptismum quidem non esse omnino inutilem, nec tamen propriè ac verè tollere peccata, sed ea tantum tegere, & facere, vt non imputentur. Huius erroris inuenitur mentio apud Augustinum varijs locis contra Pelagianos specialiter lib. 1. cōtr. duas epist. Pelag. ca. 13. vbi tamen non refert aliquem hæreticum hoc docuisse, sed potiùs Pelagianos ipsi Augustino imputasse, eumque reprehendisse, quòd ipsum docere existimarent, *Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorū, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Ab eo tamen errore se omnino alienum ostendit Augustino, tum ibi, tum etiam lib. 3. cap. 3. Theodoretus autem loco suprà citato in hunc ferè modum explicat Messalianorū errorem, refert enim eos dixisse, Baptismum instar nouaculæ auferre peccata, radicem verò peccati nō extinguere. Epiphanius etiam hæres. 64. ex Me-
D thodio refert, Proclum quendam Origenistam dixisse, contrahi quidem nunc, & sopiri peccatū, non tamen radicitus tolli, & eiusdem erroris meminit Gregorius lib. 9. Registri. Epist. 39. dicens, *Si qui sunt, qui dicunt, peccata in baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius?* Hunc nihilominùs errorem renouarunt hoc tempora Lutherani, qui interdum eisdem loquendi formulis vtūtur, dicentes, Baptismum non tollere originale peccatum, sed radere, aut tegere, aut facere, vt non imputetur; interdum verò negant delere baptismū omnia peccata, quanuis fortasse tollat aliqua. Fundamētum horum hæreticorum est, quia Baptismus non tollit concupiscentiam, quæ tamen peccatum est, de quo dicitur ad Rom. 7. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato,* & infrà. *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malū, illud*

2. Error. Theodoret. Epiphan. Gregor. Roma. 7.

 facio,

Universidad de Deusto Biblioteca

facio, nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ac tandem vlterius. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Tertius error.

Tertius error extremè contrarius est, Baptismũ delere omnia peccata non tantùm iam comissa, sed etiam quæ post Baptismum susceptum committuntur. Hunc errorem ex Luthero, Caluino, & Kemnitio, refert Bellar. lib. 1. de baptism. cap. 18. Qui tamen hæretici non videntur loqui de vera peccatorum remissione, sed de occultatione, seu non imputatione peccatorum. Fundamentum autem eorum præcipuum est, quia peccata remittuntur per solam fidem, & Baptismus solùm deseruit ad excitandam fidem, quæ non minus excitari potest per meritoriam Baptismi suscepti, & addunt quædam loca scripturæ, in quibus saluari, & mundari dicimur per Baptismum 1. Petri 3. *Saluos nos facit baptisma.* ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*; ad Ephes. 5. *Mundans eũ lauacro aquæ.* Quem locũ tractans Augustinus lib. 1. de nupt. c. 33. multum videtur huic errori fauere.

1. Petri 3. ad Titum 3. Ephes. 5. August.

1. Conclusio.

Dico primò, Baptismus verè ac propriè delet originalem culpam, & quidquid in ea veram rationem peccati habet nam ad hoc est per se institutus. Conclusio est de fide, definita in Trid. sessio. 5. can. 5. his verbis. *Si quis per Iesu Christi Domini gratiã, quæ in baptismate confertur, reatũ originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut nõ imputari, anathema sit.* Et statim eam veritatẽ confirmat varijs scripturæ testimonijs, vt est illud ad Rom. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortem, &c.* & illud cap. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.* Et hoc etiam cõuincunt illa loca ad Tit. 3. & similia. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Nam, cùm originale peccatum sit vera mors animæ, & hominem inimicum Dei constituat, non potest Baptismus hominẽ saluare, nisi verè ac propriè tollat peccatum originale & hominem verè Dei amicum efficiat, & ad vitam spiritualem transferat, propter quod Baptismus *regeneratio* appellatur Ioan. 3. ad Tit. 3. primæ Petri 1. dicitur etiam *spiritualis circuncisio, & resurrectio,* ad Colos. 20. *In quo & circuncisi estis, circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.* Vnde August. in Enchirid. cap. 51. *Quemadmodum in Christo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita & in nobis vera iustificatio.* Et eandẽ veritatem latiùs statim confirmabimus simul cum sequenti conclusione. Ratio verò est, quia supponimus ex dictis de necessitate baptismi, eum esse institutum, vt sit verum sacramentum est regenerãdos homines in Christo: non est autem minus efficax spiritualis regeneratio Christi, quam generatio carnalis ex Adamo: si ergo hec potens est ad transfundendum originale peccatum in filios Adæ, multo erit potentior illa ad tollendum hoc peccatum, & infundendam Christi iustitiam. Rursus nõ potest peccatum illud secundum id quod in eo habet rationem culpæ & maculæ partim tolli, partim relinqui, neq; etiam ita potest radi, quin eradicetur, quia illud peccatum quoad culpam vnum est & indiuisibile in singulis hominibus, vnde, vel totum tollitur, vel totum manet. Item, quidquid est culpæ in

Cõc. Triden. Rom. 6. & 8. Ad Titum 3. Ioan. 3. Ad Titum 3. 2. Petri. 1. Ad Coloss. 2. August. Ratio conclusionis.

A

eo peccato, non tollitur, nisi per infusionem diuinæ gratiæ, & charitatis: gratia autem Dei & charitas, quantumuis minima, constituit hominem simpliciter Deo gratum, & amicum, atq; ita excludit, quidquid habet rationẽ culpæ, quæ huic amicitiæ cõtraria sit, qualis est culpa originalis. Denique, quòd hæc peccati remissio non sit sola occultatio seu non imputatio peccati, latiùs probandum est in materia de gratia, & de iustificatione, vbi ostenditur, verã sanctitatem, & iustitiam viuis Christi membris infundi, per quã verè ac propriè à peccatis mundantur: quod ad rem præsentẽ satis cõuincunt illa verba ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ*, nam si in anima maneret peccati macula tecta, nõ verè mundaretur anima, sed fieret tanquam sepulchrum dealbatum: Paulus autem dicit verè mundari, & renouari per Spiritum sanctum, qui in baptismo nobis infunditur abundè, vt ad Titum 3. idem Apostolus tradit.

Ad Ephes. 5. Ad Titum 3.

B

2. Conclus.

Dico secundò, Baptismus cum originali culpa simul delet omnem actualẽ antea commissam, si nullum sit ex parte suscipientis impedimentum. Conclusio est de fide definita in Concil. Florent. in Decreto Eugenij, *Huius* (inquit) *sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis.* Ex quibus verbis colligo, non solùm per accidens, sed per se conferre Baptismum hunc effectum ex vi suæ institutionis; nam inter effectus sacramentorum non numerantur nisi illi, ad quos sunt sacramẽta ex institutione sua ordinata; & quia Concilium æquè ponit originale & actuale. Itaq; licèt fortasse primũ motiuum (vt sic dicam) instituẽdi hoc sacramentum, fuerit originale peccatum, tamen adæquatus effectus in hoc genere remissionis culpæ, ad quem per se est ordinatum hoc sacramentum, omnia peccata cõplectitur: sicut de passione Christi dici solet, primariò quidem ordinatam esse à Deo occasione originalis peccati, deinde tamen esse propter omnia peccata tollenda. Quòd verò hoc intelligẽdum sit de actualibus peccatis iam commissis, quando baptismus suscipitur, Concilium non apertè explicuit, vel quia Lutheranorum error nondũ exortus erat, vel quia res nulla expositione indigebat, non enim remittitur peccatum, nisi quod, vel contractũ est, vel commissum. Non tamen hoc omnino prætermisit Concilium, subdens inferiùs, baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præteritis. Clariùs autem hoc declarauit Concilium Tridenti. sess. 7. Can. 9. vt statim videbimus. Potest etiã hæc assertio colligi ex eodẽ Concilio Tridentino sess. 6. per totam, vbi docet in iustificatione impij deleri omnia peccata; & hanc iustificationem dicit conferri per baptismum; & ideò sess. 14. cap. 1. ait. *Si homines iustitiam in baptismo acceptam cõstanter tuerentur, non forè necessarium aliud sacramentum ad remittendæ peccata præter baptismum*: supponens, illum sufficere ad tollenda omnia peccata, quæ ante acceptam baptismalem iustitiam cõmittũtur, prout statim apertè cap. 2. In quo fundamentũ iam tactum huius veritatis declarat, quia per baptismũ efficimur noua prorsus creatura in Christo, cui cõmorimur, & cõresuscitamur. Ad quod facilè applicari possunt omnia testimonia scripturæ in præcedenti cõclusione adducta. Quibus addi possunt expressa verba Petri Actor. 2. *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum*, actualium videlicet: nam horum tantùm pœnitentia est necessaria, & ea sunt propriè peccata adultorum, ad

Conc. Triden. Actor. 2.

quos

Michæ. 7. 1. Corin. 10. August.

quos Petrus sermonem habebat. Atq; de hoc effectu baptismi exponuntur illa verba Michæ. 7. *Proijciam in profundum maris omnia peccata vestra: nam* per mare, Baptismus significatus est, vt primæ ad Corinth. 10. dicitur, vt latè tractat. August. concion. 1. in Psalm. 113. dicens: *Sicut Ægyptios in mare rubro, ita delicta nostra in baptismo esse demersa, & extincta*, quod etiam notarunt super Michæã Theodoret. & Rupert. & Basil. homil. 1. in Psalm. 28. circa illa verba; *Dominus diluuium inhabitare facit.* & Hierony. epist. 83. ad Ocean. vbi copiosè de laude Baptismi tractat.

Præterea hanc fuisse antiquissimam Ecclesiæ fidem, constat ex Patrum traditione. Nam in primis in Concil. Carthag. 4. cap. 1. inter dogmata fidei, quæ debet Episcopus profiteri cum consecratur, vnum est de quo agimus. *Quærendum* (inquit) *ab eo, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale cõtractum, quam illa, quæ voluntariè admissa sunt dimittãtur.* vnde Chrysost. hom. ad baptizand. ante medium. to. 5. *Diuina gratia lauacrum* (inquit) *non corporis maculas, sed animæ sordes mundare consueuit, etsi mollis, etsi fornicator, etsi totius malitiæ nodis astrictus, cũ ad natatoria venerit, solis radijs mũdior eleuatur.* Idẽ docet Basil. hom. 13. quæ est exhortatio ad Baptismũ, & homil. in Psal. 59. circa illa verba *Moab lebes spei meæ.* Theodoretus tractans illa verba Psal. 50. *asperges me Domine hyssopo, & mundabor, sola* (inquit) *aqua Baptismi, hanc potest facere purgationem delictorũ.* Vbi ad eandem rem confirmandam plura similia testimonia applicat in sensu allegorico. Eleganter Ambros. 1. de sacrament. c. 4. *Qui per hunc fontem transijt à peccato ad vitam.* & lib. 2. cap. 4. applicat figuram de Helisæo, qui ligno in aquis misso ferrum fecit ascendere. 4. Reg. 6. & aliam de aquis amaris, quæ dulces effectæ sunt Exod. 15. *Nam merito* (inquit) *aqua dulcis est, in qua culpa deuoratur*, & lib. 4. in Lucam. *Nemo* (inquit) *ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ablutus ab omnibus maculis delictorum gratia cælestis munere consecretur.* Vnde Lactant. lib. 3. cap. 26. *Vno* (inquit) *lauacro, malitia omnis abolebitur.* Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c. 5. *Euacuaretur fides, qua credit per Baptismum omnia peccata dimitti, si gratia non malis, & impijs, sed bonis & rectis probaretur impendi.* In eadem sententia est perpetuò Augustinus, vt videre licet. q. 33. in Nume. vbi ad hoc accommodat figuram de aqua aspersionis. Num. 19. idem tract. 11. & sequentibus in Ioan. & in Enchirid. cap. 64. & Oration. contra Iudæos, Paganos, & Arianos. ca. 19. & alia tam ex eodem, quàm ex alijs citauimus suprà in cõmentarijs articulorum, & disputantes de institutione, & de materia baptismi, & infrà afferemus alia agentes de illius necessitate. Rationem huius veritatis attulit sufficientem D. Thomas in artic. 1. vbi eam declaratam reliquimus. Aliã verò hic addere possumus, quia peccata actualia cõmissa ante baptismum non possunt tolli per sacramentum Pœnitentiæ, quia non sunt materia eius, vt infrà videbimus; ergo necesse est tolli per baptismum per se & directè, quia non est aliud sacramentum per se institutum ad remissionem peccatorũ: omnia autem peccata per se remittũtur per aliquod sacramentum, voluit enim Christus omnia peccata per Ecclesiam dimitti medijs sacramentis. Quæ ratio optimè probat de peccatis mortalibus, nam venialia, & necesse non est per sacramenta tolli, & fortasse per alia etiam sacramenta remitti possunt. Sed

Chrysost. Basil. Theodoret. Ambros. Lactant. Ratio conclusionis ex D. Thom.

A

in hoc non est cur multùm hæreamus, nullus enim, qui sentiat per baptismum tolli peccata mortalia, id negabit de venialibus, quorum remissio multò facilior est. Vnde probabile est, omnia sacramenta nouæ legis habere hanc virtutem, in quo est multò maior ratio de baptismo. Nam cum sit spiritualis hominis regeneratio, atque integra renouatio, non solùm aufert, quidquid spirituali vitæ contrarium est, sed omnem etiam tollit maculam, & rugam, vt statim iterum dicemus.

3. Conclus.

Dico tertio, Baptismus simul remittit cum culpa omnem pœnam propriè dictam; non tamen aufert omnes vitæ pœnalitates. Ad intelligẽdã vtraq; partem huius cõclusionis aduertendum est, quosdã esse in hominibus lapsis defectus, qui secundum se ex principijs naturæ oriuntur, essentq; in homine in puris naturalibus condito, quantum ad substantiam, seu entitatem, aut imperfectionem eorum, huiusmodi sunt passibilitas corporis, ægritudines, dolores, mors, fomes peccati, & inordinatio potentiarum, &c. His autem defectibus subuentum erat per originalem iustitiam, quam in primo suo parente totum genus humanum amisit, & ideò hi defectus in homine lapso non censentur merè naturales, sed pœnales, & per peccatum originale contracti, & isti significati sunt à theologis nomine pœnalitatum, vt distinguantur ab illis pœnis, quæ ita sunt per diuinam iustitiam impositæ, vt ex principijs naturæ nõ oriantur, quales sunt pœnæ inferni, aut purgatorij. Ex his ergo satis clara est vtraq; pars conclusionis, & posterior quidem sufficienter tractata est in commentario artic. 3. Non est enim hoc loco probandũ hos defectus habere rationem pœnæ, id enim in materia de peccato originali agẽdum est. Hac autem veritate supposita, vel ipsa experientia, satis notum est non auferri has pœnalitates per baptismum, eius rei congruentes rationes dicto loco tradidimus. Prior verò pars definita est in Concil. Florent. hac enim ratione negat esse baptizatis imponenda opera satisfactoria pro peccatis ante baptismum commissis, quod etiam explicuimus, quæstione præcedenti. art. 5. Eandem veritatem satis indicat Cõcil. Trid. sess. 5. can. 5. in illis verbis: *Innocẽtes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sũt, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur*, loquitur enim de baptizatis. Expressiùs sess. 6. cap. 14. dicit in sacramento Pœnitentiæ, non semper totam pœnam temporalem remitti. *vt in baptismo fit*, quod latiùs repetit, sess. 14. cap. 8. vbi in hoc constituit magnum differentiam inter iustificationem, quæ per baptismum, & per sacramentum Pœnitentiæ fit. Atque in hunc modum explicant multi difficilem illum locũ Pauli ad Hebr. 6. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiã*, scilicet renouatione illa, quæ in baptismo fit, absolutam condonationem omnium obtinendo absque vlla satisfactione, de quo etiam intelligunt verba illa cap. 10. eiusdem Epistolæ, *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* De quibus testimonijs in materia de sacrificio, & de pœnitentia latiùs dicendũ est. Solet etiam hæc veritas confirmari illis testimonijs suprà tractatis ad Rom. 6. & ad Ephes. 4. & 5. in quibus docet Paulus, per baptismũ omnino nos mori vitæ superiori, atq; adeò omnino mundari, & renouari: nam hinc rectè colligimus, ita nos per baptismũ inchoare nouam spiritualem vitam, ac si tũc

Concil. Flor. Hebr. 6. Hebr. 10. Roman. 6. Eph. 4. & 5.

denuò

Universidad de Deusto Biblioteca

denuo in gratia crearemur, ideoque omnem culpã, & reatum pœnæ nobis auferri.

Tandem Ecclesiastica traditio & perpetuus Ecclesiæ consensus ita intellexit hæc testimonia, & hunc Baptismi effectum, vt colligere licet ex Sanctis Patribus suprà citatis, & ex Cypriano lib. 3. ad Quiri. ca. 65. & ser. de ablution. ped. vbi de baptismo dicit, *Sit lauans quos parentalis labes infecerat, vt neque actualis nec originalis culpæ vestigia relinquat.* Et Gregor. Nazian. oratione 50. quæ est de baptismo, multa dicit in hanc sententiam; & inter alia vocat baptismum, *præclarissimum, & præstantissimum beneficiorum Dei*, quod non simpliciter intelligendũ est, sed quoad hunc effectum. Hoc idem late docet Gregor. Pap. lib. 9. cap. 39. vbi sæpe repetit. *Animam in baptismo cælestem munditiam consequi, radicitus à peccatis absolui, peccata in baptismo funditus dimitti*, atque ad hoc confirmandum adducit illud Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*, scilicet, per baptismum, vt ipse intelligit. Vnde ait. *Totus mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit: sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait, qui lotus est, mundus est totus, nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit.* Præterea Clemens Alexand. lib. 1. Pædagog. capit. 6. vbi inter alia multa, quæ de effectibus baptismi scribit: *Multis*, inquit, *modis vocatur hoc opus, lauacrum quo peccata abstergimus, gratia, quæ remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur.*

Cypria. — *Nazian.* — *Greg. Pap.* — *Ioan. 13.* — *Clemens Alexan.*

Ratio conclu. Denique ratio huius conclusionis primariò fundatur in voluntate, & institutione Christi, eadẽque est quæ præcedentium. Nam, quia hoc sacramẽtum est regeneratio, & per illud homo cõmoritur Christo, & in eo resurgit, ideò per illud perfectissimè applicatur passio Christi, quantum vnicuiq; necesse est ad plenam totius pœnæ remissionem. *Congruẽtia ex Concil. Trid.* Præterea addi potest congruentia ex Concilio Tridentino; nam peccata ante baptismum cõmissa, videntur ex quadã ignorantia & infirmitate profecta: quia tũc nõdum homo est illuminatus à Deo, nec specialem baptismi gratiam est consecutus, & ideò docuit facilius remitti quoad omnem pœnam. *Alia congru.* Tandem baptismus est ianua ad Ecclesiam, & quasi fundamentum illius, quam Christus cupit esse purissimam, & sine macula & ruga, & ideò voluit, vt omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, per hoc sacramentum perfectissimè mundarentur. *Coroll.* Atq; ex hac veritate sequitur, si quis ex hac vita decedat statim post receptũ baptismum, antequàm aliquam culpam cõmittat, sine vlla mora ingredi cælorum regnum & beatitudinem accipere, si nullum posuit obicem effectui baptismi: quia nihil damnationis in eo manet cũm enim omni culpa, & reatu pœnę liber sit, nihil in eo est, quod eũ possit ab ingressu beatitudinis retardare. Et hac ratione, dicitur baptismus aperire ianuã regni, vt statim explicabimus circa artic. 7.

4. Conclu. Dico quartò, Baptismus per se nõ tollit peccata, quæ subsequuntur post baptismũ ipsum receptum. Conclusio est de fide, definita in Cõcilio Trid. sess. 7. can. 10. de baptismo, & colligitur etiam ex sess. 14. can. 1. & 2. *Concil. Trid.* vbi ex hoc fundamento docet, necessarium esse aliud sacramentum præter baptismũ, quo lapsis post baptismum, beneficiũ mortis Christi applicetur. Et ideò sancti Patres, Pœnitentiã vocarunt secundam tabulam post naufragiũ, vt idem Cõcilium notauit sess. 6. ca. 14. De qua refusius est in seq. tomo dicendũ, in quo de Pœnitentiæ sacramento, eiusq; necessitate disputabimus. Indè enim sumendum est huius veritatis fundamentum: quia si memoria baptismi præteriti sufficeret ad tollẽda peccata post baptismũ cõmissa, propter hunc effectum non esset aliud sacramentum necessarium. Deinde, si illud esset sufficiens remedium omnium peccatorum, non solùm eadem facilitate, qua peccata antecedentia baptismum, verùm etiam quodam modo maiori tollerentur: quia facilius est recordari baptismi suscepti, quàm de nouo illud suscipere: cõsequens autem est contra Paul. ad Hebr. 6. vt in præcedenti assertione dicebamus, & contra communẽ Patrum traditionẽ, qui hac ratione vocant Pœnitentiam post baptismum necessariam, laboriosum baptismũ. *Hebr. 6.* Præterea cõtrarius error hæreticorũ procedit ex alijs falsis & erroneis principijs, scilicet, q; sacramenta non aliter deseruiant ad remissionẽ peccati, quàm excitando fidem, & q; peccata sola fide, & ficta ac particulari fiducia tollantur, firmiter credendo, sibi non imputari propter Christũ, seu propter baptismum susceptum, quæ sunt falsa & hæretica dogmata, vt partim in superioribus tractando de sacramentis in genere dictum est; partim in prædicto tractatu de Pœnitentia demonstrabimus.

Ad primum errorẽ [...] adductum [...] spondetur.

Ad fundamentum secundi erroris respondetur. Ad fundamentum ergo secundi erroris de concupiscentia, quæ manet in renatis, satis dictum est in cõment. art. 3. illam non esse verè ac propriè peccatum; atque adeò ob eam causam negari non posse, quin per baptismum omnia peccata remittantur. Cùm ergo dicunt hæretici, peccata non tolli radicitus per baptismum, si tantùm hoc dicerent, quia nõ tollitur fomes peccatorum, eos tantùm admonere oporteret, vt sensum tenerent, & linguam corrigerent: si enim Paulus dicit. *Radix malorum omnium est cupiditas*, etiam nos dicere possumus fomitem, & cõcupiscentiam effrænem esse radicem omnium peccatorum, quatenus ergo baptismus non aufert hanc radicem, dici potest non tollere radicitus peccata, quia non tollit radicem illorum, & hoc ad summũ probat hæreticorum fundamentum. Tamen non est hic illorum sensus, neq; illorum verborum secundùm proprietatem, & rigorem, sed quòd de facto non tollitur per baptismum, quidquid habet rationem culpæ & peccati, & hic sensus est hæreticus: & ad illum confirmandum nihil omnino valet prædictum fundamentum, vt ostensum est.

Ad fundamentum tertij erroris respondetur. Ad fundamentum tertij erroris iam dictum est, esse hæreticum illud dogma, q; sacramenta solum concurrant ad remissionem peccatorum excitando fidem. Testimonia verò Scripturæ ibi citata solùm probant, Baptismum, cùm confertur, perfectè mundare hominem, & cõstituere illum in statu salutis, ita vt, si non ponat impedimentũ, infallibiliter æternam salutẽ consequatur ratione baptismi suscepti, si verò impedimentum ponat, nõ est necesse, vt per baptismum auferatur, neque hoc dicitur in citatis locis, sed satis est, quòd per baptismum cõstituatur in eo statu, in quo sit capax alterius remedij, quod institutum est ad huiusmodi impedimenta, seu peccata tollenda. Et hic est sine dubio sensus Augustini in loco ibi citato: cùm enim dixisset. *Per baptismum semel datum fieri, vt non solùm antea, verũ etiam posteà quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur*: subdit. *Quid enim prodesset, vel ante baptismum Pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel posteà, nisi præcederet?* Quæ quidem sententia verissima est. Est autem conuenienter exponenda, quod Augustinus

stinus facere prætermisit, quia tunc res satis clarã videbatur, & cõtrarius error nondũ fuerat exortus. Itaque aliter Pœnitentia respicit futurum baptismum, vt peccata deleat ante baptismum commissa: aliter verò iam susceptum, vt tollat ea, quæ posteà commissa sunt, nam respectu antecedentium peccatorum respicit baptismum vt vnicum remedium, quo tollenda sunt, & in cuius voto interdũ per pœnitentiam tolluntur, respectu verò subsequentium peccatorum, respicit baptismum, seu potiùs supponit illum, vt constituentem subiectum capax illius remedij, quo talia peccata tollenda sunt, nam per baptismum imprimitur character, quo fit homo capax aliorum sacramentorum, & habet ius ad alia remedia, quæ aduersus peccata instituta sunt.

SECTIO II.

Vtrùm Baptismus conferat gratiam & supernaturalia dona hominibus, vel alios effectus in eis habeat.

HAEC sectio est facillima, suppositis, quæ diximus, solumque ad doctrinæ complementum proponitur, & ideò est breuissimè expedienda. *1. Propositio.* ¶ Dico ergo primò, Baptismus confert baptizatis gratiam, & dona infusa, si suscipiens non ponat obicem. Conclusio sub his terminis est certa de fide. Nam licèt olim fuerit dubitatum, an gratia & virtutes infusæ sint qualitates & habitus inhærentes nobis, & ab Innoc. 3. in cap. maiores. de baptismo. & à Clemente 5. cum Concil. Viennens. in Clement. 1. de sum. Trinit. & fide Catho. hoc non fuerit de fide definitum, sed solùm probabilius existimatum: *Innoc. 3. Clemen. 5. Cõcil. Viẽnẽ.* iam tamen de fide certum est, baptismũ nobis conferre hunc effectum, præsertim, si nos abstrahamus à nominibus qualitatis, & habitus, & loquamur de iustitia inhærẽte, & de gratia, & donis, seu de fide, spe, & charitate; sic enim de fide est, sacramenta nouæ legis, gratiam conferre non ponentibus obicem, semper & omnibus ex opere operato, vt suprà latè dictum est, & definiunt Cõcil. Florent. sub Eugen. 4. & Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8. de sacram. in genere; *Concil. Flor. Concil. Trid.* sed baptismus est sacramentũ nouæ legis, ergo. Deinde Concil. Tridẽ. sess. 6. cap. 7. definit, iustificationẽ fieri per voluntariã susceptionẽ gratiæ & donorũ, scilicet charitatis, quæ in cordibus eorũ diffunditur, qui iustificantur, atq; ipsis inhæret, simul cũ fide, & spe, nam hæc omnia simul infusa accipit homo, qui iustificatur, cũ remissione peccatorũ. Et ibidem definit, causam instrumentalem huius iustificationis esse baptismum; ergo definit, baptismum cõferre gratiam, dona, & iustitiam inhærentem nobis. Denique definit, iustificationẽ non tantùm esse remissionem peccatorum, sed etiã internam humanis renouationẽ, & sanctificationẽ homines per gratiam; & totum hoc ait cõferri per baptismum: ergo vtrumque est de fide certum.

Huius autem doctrinæ fundamentum præcipuè pendet ex doctrina de iustificatione, vbi ex ꝓfesso probandum est, peccatum auferri per infusionem gratiæ, & donorum. Nunc sufficiat attingere pauca testimonia Scripturæ & Sanctorũ, in quibus de baptismo in speciali sermo est. Propter hanc enim causam ait Paulus ad Rom. 6. *Roman. 6.* *Per baptismum itaque mori peccato, vt viuamus Deo, & complantati Christo, nõ solum fieri similes morti eius, sed etiam resurrectioni.* Quod etiã repetit ad Coloss. 2. *Coloss. 2.* ergo per baptismũ non solùm moritur peccatum in nobis, sed etiã anima per gratiam viuificatur. Vnde ad Ephes. 5. *Ephes. 5.* *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illã sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, vt sit sancta, & immaculata.* Vtrumque ergo efficitur per baptismũ. Et ideò Christus Ioan. 3. *Ioan. 3.* agens de natiuitate spirituali Baptismi. *Quod natum*, inquit, *est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, ac si diceret, per hanc regenerationem, non accipere hominem corporalem & humanam vitam, sed spiritualem per interna & spiritualia dona. Vnde Cyrill. *Cyrill.* ibi lib. 2. cap. 43. *Natum*, inquit, *ex spiritu spiritum hominis dicimus, quoniam per ipsum ad Deum reformati, ac proprio eius charactere insigniti, ad suam (vt ita dicam) qualitatem animi transformamur. Atque hoc pacto* (inquit) *illud etiam Pauli intelligi potest, Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sic enim per gratiam dicimur *Christum induere*, ad Galat. 4. *Galat. 4.* Quod etiam declarans Basilius *Basilius.* homil. de baptism. in 2. par. illius, versus finem, inquit. *Quemadmodum quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est, quale id ex quo natum est, ita & nos ex spiritu natos spiritum fieri spiritum dico, non secundum immensam illã, & humano sensu incomprehensibilem Spiritus sancti gloriam, sed secundũ eã, quæ in diuisione charismatum Dei conspicitur.* Atque ibidem explicat hunc effectum exemplo ferri, quod igni immersum, non solum purificatur, sed etiam in se ipso illustrius, & splẽdidius fit, ita enim anima per baptismum non solùm peccatorum maculis purgatur, sed etiam iustificationis gratia decoratur atque perficitur. Quam doctrinã in tota illa homilia latè prosequitur, & eadem reperietur apud omnes Patres de baptismo scribentes. Dionys. de Eccles. hierar. c. 2. Tertul. lib. de baptis. Damasc. lib. 4. de fide. cap. 10. Chrysost. optimè homil. 24. in Ioan. & homil. ad neophy. cuius verba tractat optimè Augu. lib. 1. contra Iulian. ante medium, qui etiam legi potest in Enchir. ca. 57. lib. 1. de nupt. cap. 12. & lib. 2. de peccato merit. ca. 9. & 27. & epist. 57. ferè tota quæst. 2. & Cypria. epist. 63. Prosper. de vocat. gent. lib. 1. cap. 5. circa finẽ. ac denique etiam Basil. lib. de Spiritu sancto. ca. 14. & 15. & alij sect. præced. in 2. & 3. conclu. citati.

Ratio conclus. Ratio autem huius veritatis ex eisdem principijs & testimonijs sumenda est; nam baptismus institutus est ad remittendum originale peccatũ, & actuale, si cum illo coniunctum sit, sed peccatum originale, & mortale non remittitur sine infusione gratiæ, & iustitiæ inhærentis homini: ergo baptismus infundit gratiam, & iustitiam & virtutes omnes quæ gratiam comitantur. Et confirmatur, nã baptismus facit hominem membrum Christi, & hæredem vitæ æternæ, sed hoc fit in nobis per gratiam, & charitatem infusam in cordibus nostris: ergo hæc omnia dona confert baptismus.

Dubium. Sed quæres, an hæc assertio sit æquè certa in omnibus baptizatis, tam infantibus quàm adultis. In hoc duo extrema vitanda sunt, vnum fuit antiquũ, quòd baptismus tribuat hæc dona adultis, non verò infantibus, vt attigit D. Thom. hic arti. 6. quia infantes non videntur esse capaces harum virtutum, cum nec possint earum actus exercere, neq; earum infusioni consentire; cùm tamen Conciliũ Tridentinum *Concil. Trid.* doceat, susceptionem horum donorũ debere esse

Universidad de Deusto Biblioteca

Refellitur hæc sententia. re esse voluntariè, vt posit iustificare. Sed hæc sententia antiquata iam est, eamq; euidenter confutat ex principijs fidei D. Thom. citans Aug. art. 6. Est enim apertè erronea, nam, vt rectè dixit Cyprian. epist. 59. *Vna est diuini muneris æqualitas apud omnes, siue infantes, siue maiores natu, nam gratia quæ baptizatis datur, non pro ætate accipientium maior, vel minor tribuitur, sed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur. Nam Deus vt personam non accipit, sic neque ætatem, cùm se omnibus ad cælestis gratiæ consequutionem æqualitate librata præbeat patrem.* Vnde *Concil. Trid.* Concil. Trid. sess. 5. cap. 5. generaliter, & sine distinctione definit, baptizatis gratiam conferri, per quam & veterem hominem exuunt, & nouum induunt, & sess. 7. can. 13. de baptismo, definit, paruulos baptizatos, inter fideles computandos esse; quia nimirũ iam habent fidem infusam per baptismum, vt *August.* August. docuit lib. 1. de peccato. merit. c. 19. & lib. 3. cap. 2. Est autem eadem ratio de cæteris donis, ac de fide, maximè, quia si paruulis datur fides, non mortua, sed viua, quia æquè sunt capaces illius absque obice, vel impedimento. *Huius veritatis ratio.* Et hæc est ratio euidens huius veritatis, suppositis principijs fidei, quia sacramentũ cõfert suum effectum non ponenti obicem, sed paruuli sunt capaces effectus baptismi, alioqui, vel non essent capaces sacramẽti, vel saltem indignè illis tribueretur, & non ponunt obicem; ergo recipiunt gratiæ effectum. Neque enim refert, q̃ non possint propria voluntate cõsentire; vt iustificentur, sufficit enim, q̃ eis sit voluntaria illa susceptio voluntate capitis. Nam voluntariũ non minus est de ratione culpæ, quàm iustitiæ, & nihilominùs voluntas capitis naturalis, seu primi parentis sufficit vt veram culpam voluntariam contrahant, ergo multò magis voluntas capitis gratuiti, primique spiritualis parentis sufficiet, vt veram iustitiam recipiant. *Refellitur fundamẽtum oppositæ sententiæ.* Neque etiam obstat, q̃ pro ea ætate non possint actus iustitiæ exercere, quia, cùm non sit acquirenda per proprios actus, sed à Deo infundenda, satis est, quòd statim possit suum effectum formalem habere, sanctificando animam, dando illi ius intrinsecum ad vitam æternam, & aptè disponẽdo potentias, vt possint suo tempore actus iustitiæ elicere: non est igitur hæc veritas minùs certa in paruulis, quàm in adultis.

Alterum extremum. Aliud extremum nouum est, veritatem hanc certiorẽ esse in paruulis, quã in adultis, quia de vtrisq; est de fide certum iustificari per baptismum, & per iustitiam ipsis inhærentem, vt Concilium Tridentinum definit: hæc autem iustitia cùm in paruulis nõ possit esse actualis, necessariò esse debet habitualis, in adultis verò, cùm reperiatur actualis iustitia inhærens, non potest tam necessaria consecutione inferri, dari eis per baptismum habitualem iustitiam. Sed hæc etiam sententia falsa est, non est enim minùs certum infundi adultis nõ ponentibus obicem habitualem iustitiam quàm paruulis. Primò, quia *Concil. Trid.* doctrina de iustificatione Concilij Trid. sess. 6. c. 7. generalis est, imò magis propria adultorũ, quàm dispositionem paruulorum: nam agit de his, qui per propriam iustificantur, & tamen illis dicit infundi iustitiam inhærentem, cuius instrumentalis causa est baptismus: hæc autem nõ est iustitia actualis, sed habitualis, quia iustitia actualis nihil aliud est præter actus, per quos homo se disponit ad baptismum dignè suscipiendum, qui non fiunt per baptismum, sed illi supponuntur. Adde, Concilium ipsum distinguere iustitiam, quæ per baptismum infunditur, ab actuali dispositione suscipientis: nã dicit, illam infundi dispositioni proportionatã: loquitur ergo de iustitia inhærente distincta ab actibus suscipientis. Secundò idem colligitur ex doctrina eiusdem Concilij de sacramentis in genere. Cum enim definit, sacramenta cõferre gratiam omnibus, & semper certa, ac definita lege Dei, si non ponant obicem, non tantùm loquitur de gratia actuali, sed etiam, ac multò magis de habituali, vt in superioribus ostensum est: ergo, si baptismus habet efficaciam ad cõferendam gratiam habitualem paruulis, eandem semper confert omnibus non ponentibus obicem: sed adulti non ponunt obicem, eò q̃ accedant cũ actibus iustitiæ, nam potiùs per hos actus omnino tollitur obex: ergo tam est certum, baptismum cõnferre hanc gratiam adultis, quàm paruulis. Tertiò idem colligi potest ex doctrina propria, & speciali huius sacramenti, nam baptismus, sicut est vnus in omnibus, ita & regenerationem spiritualem eandẽ, & eiusdem rationis in omnibus efficit, confert ergo omnibus idem esse, & eandem spiritualem vitam permanentem, & durabilẽ. Quam rationem indicauit *Concil. Viennens.* Concilium Viennense, dicens, *Nos attendẽtes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem, quæ asserit tam paruulis, quàm adultis, dari in baptismo informantem gratiam, duximus eligendam.* Et similiter Patres omnes locis supra citatis agentes de donis, quæ per baptismum dantur, indifferenter loquuntur de paruulis, & adultis, est ergo res in vtrisque æquè certa.

Ad rationem oppositæ sententiæ respondetur. Neque obstat ratio in contrariũ facta: tum quia hæc veritas non solùm nititur illo principio de necessitate absoluta gratiæ inhærentis; sed etiam altero de efficacia sacramenti, ad suum effectum præstandum: tum etiam quia, licèt in adultis reperiantur actus iustitiæ inhærentis, tamen illi nõ sunt causa formalis iustificationis, sed dispositiua, vt apertè docet *Concil. Trid.* Concilium Tridentinum, & ideò etiam in illis necessaria est iustitia inhærens, distincta ab actibus, vt ex eodem Concilio declarauimus.

Aliud dubium. Sed quæret vlterius aliquis, vtrùm præter habitualem iustitiam, conferat baptismus aliquam sacramentalem gratiam. Respõdeo primò, certum esse, non infundi aliquem habitum; nam (prætermisso charactere de quo iam non agimus) certum est, nullum habitũ infundi præter eos, qui semper, & quasi ex natura rei, gratiam habitualem comitantur, vt constat ex generali doctrina suprà tradita de sacramentis in genere. Deinde ipsamet iustitia baptismalis, quatenus est regeneratiua, & secum affert remissionem omnis culpæ & pœnæ, dici potest gratia sacramentalis huius sacramenti, quia sub illo respectu & ratione est illius propria. At verò probabile est, ratione huius sacramenti dari aliqua auxilia actualia, maiora, quàm ipsi gratiæ secundũ se debeãtur, non quidem talia, vt baptizatus in gratia confirmetur, aut infallibile donum perseuerantiæ recipiat: hoc enim hæreticorum figmentum, est vanũ & sine vllo fundamento, ac meritò damnatum in Trid. sess. 7. can. 6. de baptismo: est enim non solũ contra scripturam, & Ecclesiæ sensum, sed etiã contra experientiam ipsam, vt latiùs in materia de gratia & charitate differitur. Sed dari dicimus aliquod maius auxilium, quo homo frequentiùs, & vehemẽtiùs excitetur, & adiuuetur, vel ad superandum cõcupi-

cupiscentiæ fomitem, vel ad exercẽda illa munera, ad quæ baptismus obligat. Nam per baptismũ efficimur membra Christi, & Ecclesiæ, & capaces aliorum sacramẽtorum, piè igitur credi potest, ratione illius dari aliquod speciale auxilium ad ferendum Christi iugum fortiter ac suauiter, & ad dignè accedendum ad cætera sacramenta, qui effectus satis cõsentaneus est doctrinis Sanctorum Patrum suprà citatis, quamuis illum non tam distinctè explicuerint. Præter hos autem effectus nulli alij sunt, qui verè possint baptismo attribui, tanquam propriè sacramentales. Quod ideò addo, quia interdum baptismus sanat hominem corporaliter, aut alium similem miraculosum effectum operatur, sed hoc nõ est ex certa lege, & promissione, neque ex directa institutione sacramenti, sed ex speciali Dei beneficio, & extraordinaria prouidẽtia, & ideò huiusmodi miracula non pertinent ad sacramẽtales effectus, nec possunt aliquo probabili fundamento alij effectus præter dictos huic sacramento tribui, quia nec de illis facta est promissio, neque ex traditione habentur, aut ratione aliqua ostendi possunt: in his autem, quæ pendent ex Christi voluntate, & institutione, nihil est asserendum, nisi quod, aut reuelatum sit, aut ex reuelatis colligatur.

Quapropter vana sunt hæreticorum figmenta, qui nouos quosdã baptismi effectus excogitarunt, quales sunt, reddere hominem baptizatum liberũ omni lege diuina, & humana, quamuis diuerso modo, quia per humanam (inquiunt) nullo modo obligari potest per diuinam autem licèt obligetur, tamen transgressio illius non imputatur ad culpam propter baptismum. Vnde vlterius addunt, baptismum ea ratione confirmare hominem in iustitia suscepta, quia vel facit illum impeccabilem, vel facit, vt licèt homo peccet, tamen peccatum ei non imputetur, dummodo firmiter credat sibi non imputari, neque esse vllum crimen, quod possit eum gratia baptismali priuare. Sed hæc & similia meritò *Concil. Trid.* damnata sunt in Concilio Tridẽtino, sess. 7. can. 6, 7. 8. 9. & 10. quia non solùm tales sunt hi effectus, vt nullo Ecclesiastico, aut probabili fundamento nitantur, sed etiam sunt ex his, qui principijs, ac dogmatibus fidei repugnant, quod latiùs demonstrare ad hunc locum non spectat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm cõuenienter attribuantur baptismo quidam actus.

4. d. 4. q. 2. ar. 2. q. 3. 4. & 5. & d. 5. q. 2 ar. 3. q. 2. & cor. ar. 5. ad 1. & ar. 1. q. 1. ad 1. & quol. 6. art. 4. cor.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter attribuantur baptismo pro effectibus quidã actus virtutum, scilicet, incorporatio ad Christum, illuminatio, & fœcũdatio. Non enim baptismus datur adulto, nisi fideli, secundum illud Marc. vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed per fidem aliquis incorporatur Christo secundum illud Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Ergo nullus baptizatur, nisi iã Christo incorporatus. Non ergo est effectus baptismi incorporari Christo.

¶ 2 Prætereà, Illuminatio fit per doctrinam, secundum illud Ephes. 3. Mihi omniũ sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes, &c. Sed doctrina præcedit baptismũ in catechismo. Non ergo est effectus baptismi.

¶ 3 Prætereà, Fœcunditas pertinet ad generationem actiuam, sed per baptismum aliquis regeneratur spiritualiter: ergo fœcũditas non est effectus baptismi.

SED contra est, quod August. dicit in libro de Baptismo paruulorum, quòd ad hoc valet baptismus, vt baptizati, Christo incorporentur. Dionys. etiam 2. cap. eccles. hier. illuminationem attribuit baptismo. *c. 2. eccl. hier. part. 1. & 2.* Et super illud Psalm. 22. super aquam refectionis: dicit glos. quod anima, peccatorum ariditate sterilis, fœcundatur per baptismum. *Est gl. Cassio. super hũc locũ Psal. 22.*

RESPONDEO dicendum, quòd per baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quæ est propria fideliũ Christi: sicut Apostolus dicit Galat. 2. Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei. Vita autem non est, nisi membrorũ capiti vnitorum, à quo sensum & motum suscipiũt, & ideò necesse est, q̃ per baptismũ aliquis incorporetur Christo, quasi membrũ ipsius. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra sensus & motus: ita à capite spirituali, quod est Christus, deriuatur ad mẽbra eius, sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis, qui est per gratiæ instinctũ. Vnde Ioan. 1. dicitur: Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ideo consequens est, quod baptizati illuminentur à Christo circa cognitionem veritatis, & fœcundentur ab eo fœcunditate bonorum operum per gratiæ infusionem.

AD primum ergo dicendum, quod adulti priùs credentes in Christum, sunt ei incorporati mentaliter: sed postmodum cùm baptizantur, incorporantur ei quodammodò corporaliter, scilicet per visibile sacramentum, sine cuius proposito nec mẽtaliter incorporari potuissent.

AD secundũ dicẽdũ, q̃ doctor illuminat exterius per ministerium, catechizãdo: sed Deus illuminat interius baptizatos, præparans corda eorũ ad recipiendã doctrinã veritatis, secundũ illud Ioan. 6. Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.

AD tertium dicendum, quòd effectus baptismi ponitur fœcunditas, qua aliquis producit bona opera: non autem fœcunditas, qua aliquis generat alios in Christo, sicut Apostolus dicit 1. ad Corint. 4. In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.

COM-

Universidad de Deusto Biblioteca

COMMENTARIVS.

Baptiſmo incorporamur Chriſto illuminamur, & fœcundamur.

IN hoc articulo nõ explicat D. Thomas nouum baptiſmi effectum: quia re vera nullus ſupereſt explicandus, vt dixi, ſed declarat nonnullas voces, quibus baptiſmi effectus ſolet à Patribus ſignificari, præſertim has tres, *Incorporari Chriſto, illuminari, ac fœcundari*: nam primum tribuitur baptiſmo ratione gratiæ, & charitatis, per quam homo vnitur ſpiritualiter Chriſto. Item, ratione characteris, per quem ſpeciali modo conſignatur, vt ſit membrum Chriſti, & Eccleſiæ, quæ eſt corpus eius: & ideò rectè dicit D. Thomas in ſolutione ad primũ, ꝙ licèt per fidem, & gratiam fiat homo ſpirituale membrũ Chriſti, tamen per illa, vt accepta per hoc ſacramentum viſibile, quodammodò incorporatur ei, corporaliter, & viſibiliter, quia fit membrum Eccleſiæ viſibilis, & fit capax influxus quodammodò ſenſibilis, prouenientis à capite Chriſto per ſacramenta ſenſibilia. Secundum, ſcilicet illuminare, tribuitur baptiſmo ratione fidei: eſt enim fidei ſacramentum, & ſpecialis eius profeſsio. Tertium, ſcilicet fœcunditas, tribuitur baptiſmo ratione aliarum virtutum, & bonorum operum ab eis prodeuntiũ. Significat autem D. Thomas in ſolutionibus ad 2. & 3. hos actus non tribui baptiſmo ſolùm propter infuſionem habituum, ſed etiam, quia Deus ſpecialiter præparat cor hominis baptizati ad ſuſcipiẽdam, & operandam doctrinam veritatis, quod intelligendum videtur iuxta dicta in fine præcedentis diſputationis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum pueri in baptiſmo conſequantur gratiam & virtutes.

2.2.q.47.arti.14.ad 3. & 4.d.4.q.2.art.2.q.1. & d.17.q.1.ar.3.q.2.corpo.ad 3. & d.18.q.1.arti.3.q.1.cor. Epiſt.23.non remotè à fine. tom.2.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, ꝙ pueri in baptiſmo non conſequantur gratiã & virtutes. Gratia enim & virtutes nõ habentur ſine fide & charitate. Sed fides, vt Augu. dicit, conſiſtit in credentium voluntate, ſimiliter etiam charitas conſiſtit in diligentium voluntate, cuius vſum pueri non habent, & ſic non habent fidem & charitatem. Ergo pueri in baptiſmo, non recipiunt gratiam & virtutes.

Tracta.72.in Ioann.à med. tom.9.

¶ 2 Præterea, Super illud Ioã. 14. Maiora horũ faciet, dici Aug. quod ex impio iuſtus fiat in illo, ſed nõ ſine illo Chriſtus operatur. Sed puer, cũ nõ habeat vſum liberi arbitrij, nõ cooperatur Chriſto ad ſuã iuſtificationẽ, imò quandoq; pro poſſe renititur. Ergo nõ iuſtificatur per gratiã & virtutes.

¶ 3 Præterea, Rom. 4. dicitur, Ei qui nõ operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiã ſecũdum propoſitum gratiæ Dei. Sed puer non eſt credens in eum, qui iuſtificat impiũ, Ergo non conſequitur gratiam iuſtificantẽ neque virtutes.

¶ 4 Præterea, Quod ex carnali intentione agitur, nõ videtur habere ſpiritualem ef-A fectum. Sed quandoque pueri ad baptiſmũ deferũtur carnali intentione, vt ſcilicet corporaliter ſanentur. Non ergo conſequuntur ſpiritualem effectum gratiæ & virtutum.

Enchirid. paulò ante med. tomo 3.

SED contra eſt, quod Aug. dicit in Enchir. Paruuli renaſcendo moriũtur illi peccato quod naſcendo contraxerunt. Ac per hoc ad illos etiam pertinet, quod dicitur, cõſepulti ſumus cũ illo per baptiſmum in mortem (ſubditur autẽ) vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sed nouitas vitæ eſt ꝑ gratiã & virtutes. Ergo pueri in baptiſmo gratiã & virtutes cõſequũtur.

RESPONDEO dicendum, quod qui- B dam antiqui poſuerunt, quòd pueris in baptiſmo non dantur gratia & virtutes, ſed imprimitur eis character Chriſti, cuius virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, conſequuntur gratiam & virtutes.

Sed hoc patet eſſe falſum dupliciter. Primò quidem, quia pueri ſicut & adulti, in baptiſmo efficiũtur membra Chriſti, vnde neceſſe eſt, ꝙ à capite recipiant influxum gratiæ & virtutis. Secundò, quia ſecundùm hoc pueri decedẽtes poſt baptiſmum, nõ peruenirent ad vitã æternã, quia, vt dicitur Rom. 9. Gratia Dei eſt vita æterna. Et ita nõ profuiſſet eis ad ſalutẽ, baptizatus fuiſſe. Cauſa C autẽ erroris fuit, quia neſcierũt diſtinguere inter habitum & actũ. Et ſic vidẽtes pueros inhabiles ad actus virtutũ, crediderunt eos poſt baptiſmũ nullatenus virtutem habere. Sed iſta impotentia operãdi, nõ accidit pueris ex defectu habituũ, ſed ex impedimento corporali: ſicut etiã dormientes, quamuis habeant habitus virtutum, impediuntur tamẽ ab actibus propter ſomnum.

AD primum ergo dicendum, ꝙ fides & charitas conſiſtunt in voluntate hominum, ita tamẽ, ꝙ habitus harum & aliarum virtutum requirunt potentiã voluntatis, quæ eſt in pueris, ſed actus virtutum requirunt actũ voluntatis, qui nõ eſt in pueris. Et hoc mo- D do Auguſt. dicit in lib. de baptiſmo paruulorum, etſi nondum illa fides, quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei ſacramentum (quod ſcilicet cauſæ habitum fidei) fidelem facit.

Epiſto. 23. ad Bonif. non procul à fine.

AD ſecundum dicendũ, quòd) ſicut Auguſt. dicit in lib. de charitate) nemo ex aqua & Spiritu ſancto renaſcitur niſi volẽs. Quòd non de paruulis, ſed de adultis intelligendũ eſt. Et ſimiliter de adultis intelligendũ eſt, ꝙ homo à Chriſto ſine ipſo non iuſtificatur. Quòd autem paruuli baptizandi, prout viribus poſſunt, reluctantur, non eis imputatur, qui in tantum neſciunt quod faciunt, vt nec

nec facere videantur, vt Auguſt. dicit in lib. A de præſentia Dei ad Dardanum.

Epiſt. 57. poſt med. tom. 2.

Ad tertium dicẽdum, quòd (ſicut Aug. dicit) paruulis mater Eccleſia aliorum pedes accommodat, vt veniant aliorum cor, vt credant, aliorum linguam, vt fateantur. Et ita pueri credunt: nõ per actũ propriũ, ſed per fidẽ Eccleſię, quę eis cõmunicatur. Et huius fidei virtute cõferũtur eis gratia, & virtutes.

De conſe. d. 4. c. Mater Eccl. Ep. 23. parum ante med. to. 2 & li. 1. de pec ca. meri. c. 25. in fin. tom. 7.

AD quartum dicendum, quòd carnalis intentio deferentium pueros ad baptiſmum, nihil eis nocet, ſicut nec culpa vnius nocet alteri, niſi conſentiat. Vnde Auguſt. dicit in Epiſtola ad Bonifacium. Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptiſmũ B pręcipiendum paruulos ferunt, vt gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed hoc eos putant remedio corporalẽ retinere vel recipere ſanitatem. Nõ enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur.

COMMENTARIVS.

MAteria huius articuli in præcedenti diſp. tractata eſt. Etenim hæc quæſtio ita coniuncta eſt cum alia de adultis, vt ſine repetitione, & prolixitate, non potuerint ſeparari. Litera autem D. Thomæ ſatis clara eſt.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm effectus baptiſmi ſit apertio ianuæ regni cæleſtis.

4. d. 3. ar. 1. q 3. & 4. d. 4. q. 2. ar. 2. q. 6 & 4. co. c. 59. & 7. co. 3. & Ioan. 3. lec. 1.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd effectus baptiſmi non ſit apertio ianuæ regni cæleſtis. Illud enim quod eſt apertũ, non indiget apertione. Sed ianua regni cæleſtis eſt aperta per paſsionẽ Chriſti, vnde Apocal. 4. dicitur. Poſt hæc vidi oſtiũ magnũ apertũ in cęlo, nõ eſt ergo effectus baptiſmi apertio ianuę regni cęleſtis.

¶ 2 Præterea, Baptiſmus omni tẽpore, ex quo inſtitutus fuit, habet ſuum effectũ. Sed D quidã baptizati ſunt baptiſmo Chriſti ante eius paſsionem (vt habetur Ioan. 3.) quibus, ſi tũc deceſsiſsẽt, introitus regni cęleſtis nõdum patebat, in quòd nullus ante Chriſtũ introiuit, ſecundum illud Mich. 2. Aſcẽdit pandens iter ante eos. Non eſt ergo effectus baptiſmi apertio ianuæ regni cæleſtis.

Ar. 3. huius q.

¶ 3 Præterea, Baptizati adhuc ſunt obnoxij morti, & alijs pœnalitatibus vitæ pręſentis, vt ſuprà dictum eſt. Sed nulli eſt apertus aditus regni cæleſtis: quandiu obnoxius eſt pœnæ: ſicut patet de his, qui ſunt in purgatorio. Non ergo effectus baptiſmi eſt apertio ianuæ regni cæleſtis;

Beda Lu. 3. in c. 10. ſecundũ ſuũ ordi. to. 2.

A SED contra eſt, quod ſuper illud Luc. 3. Apertum eſt cælũ, dicit glo. Bedæ. Virtus hic baptiſmatis oſtẽditur, de quo quiſque cum egreditur: regni cæleſtis ei ianua aperitur.

Ar. 1. & 2. huius q.

RESPONDEO dicendum quòd aperire ianuam regni cæleſtis eſt amouere impedimentum: quo quis impeditur regnum cæleſte introire. Hoc autem impedimentum eſt culpa & reatus pœnæ. Oſtenſum eſt autẽ ſuprà: quòd per baptiſmum omnis culpa & omnis reatus pęnæ tollitur. Vnde cõſequẽs eſt quòd effectus baptiſmi ſit apertio ianuæ regni cæleſtis.

AD primum ergo dicendum, quòd baptiſ- B mus in tantum aperit baptizato ianuam regni cæleſtis: in quantum incorporat eũ paſſioni Chriſti, virtutem eius homini applicando.

AD ſecundum dicendum: quòd quando paſsio Chriſti nondũ erat realiter perfecta: ſed ſolum in fide credentiũ baptiſmus proportionaliter cauſabat ianuæ apertionem: non quidem in re: ſed in ſpe. Baptizati enim tunc decedentes ex certa ſpe introitum regni cæleſtis expectabant.

AD tertium dicendum: quòd baptizatus non eſt obnoxius morti: & pœnalitatibus vitæ præſentis: propter reatum perſonæ, C ſed propter ſtatum naturæ. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni cæleſtis: quando anima ſeparatur à corpore per mortem: quaſi iam perſoluto eo, quod naturæ debebatur.

COMMENTARIVS.

Impugnatur ratio D. Tho.

DE hoc effectu iam ſupra dictum eſt, ſolùm eſt aduertenda ratio D. Thomæ, probat enim baptiſmum aperire ianuam regni, quia tollit impedimenta regni cæleſtis, quæ ſunt culpa, & reatus pœnę. Contra quam inſtari poteſt, nã etiam circunciſio tollebat hæc impedimẽta, & tamen non dicitur aperuiſſe ianuã regni, vt cõſtat D ex capitulo Maiores de baptiſmo. Itẽ, baptiſmus ipſe ante Chriſti mortem applicatus tollebat eadẽ impedimenta, & tamen non aperiebat ianuã regni; nam ſi quis ſtatim poſt baptiſmum tũc deceſsiſſet, non fuiſſet regnum cælorum ingreſſus. Sed ſciendum eſt, aliud eſſe agere de perſonali impedimento, aliud de impedimento totius naturæ: nã illud tollitur per gratiã, & integram remiſsionem pœnę debitam ipſi perſonæ; ad hoc verò tollendũ neceſſaria fuit paſsio & ſatisfactio Chriſti de ſe ſufficiẽs pro lapſu totius naturæ. Baptiſmus ergo cùm non ſit ad ſatisfaciendum pro tota natura, ſed ad applicãdũ ſingulis perſonis generalem ac ſufficientem Chriſti ſatisfactionem, non tollit ex ſe impedimentum totius naturæ, niſi quatenus illud redundabat in perſonam, cui applicatur baptiſmus, nam impediebat illam ab ingreſſu regni, & hoc impedimẽtum tol-

Reſpondetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discrimen inter baptismū, & circuncisionem.

tum tollit baptismus. In quo est differētia inter ipsum, & circuncisionem, & omnem gratiā, quæ ante Christi mortem dabatur, quia tunc gratia non aperiebat ianuam regni pro illo tēpore, & ita pro tunc non tollebat impedimētum illud totius naturæ, etiam prout in singulas personas redundabat, sed solùm dabat ius obtinendi gloriā statim ac redemptio totius naturæ esset consummata: at verò gratia baptismalis statim aperit ianuā regni, quod per se conuenit baptismo, in quātum institutus est signū passionis Christi iam exhibitæ & cōsummatæ, à qua habet virtutem applicandi satisfactionē iam factam. Quod autem ante Christi mortē baptismus non haberet hūc effectum, est quasi per accidens, quia tunc baptismus nondùm habebat suam significationē perfectā, & erat quasi in statu præternaturali: quia licèt ante Christi mortem institutus sit, tamen per se nō instituebatur pro illo statu imperfecto legis veteris, sed pro statu perfecto legis gratiæ, in quo, & redēptio Christi perfecta est, & impedimentum totius naturæ sublatum.

DISPVTATIO Vigesimaseptima.

De necessitate baptismi ad gratiam, & gloriam consequendam.

HAnc disputationem suprà, quæstio. 68. ar. 1. & 2. in hunc locū remisimus, quia supponit ea, quæ in præcedenti disputatione dicta sunt, nimirùm baptismum cōferre gratiā primam, & aperire ianuā regni: statim enim inquirendum sequitur, an sit causa adequata huius effectus, ita vt sine illa fieri non possit: quod est inquirere, an baptismus sit necessarius necessitate medij, de necessitate autem præcepti inferiùs in parte morali dicendum est. Dicemus igitur primò de hac necessitate in communi, deinde tam in adultis quàm in infantibus sigillatim eam explicabimus.

SECTIO I.

Vtrū baptismus sit simpliciter necessarius ad gratiā, & vitā æternā consequendā.

Primus error negantium necessitatem baptismi.

MVlti hæretici negarūt hanc baptismi necessitatem, non tamē eodem modo, neq; ex eisdem principijs, & fundamentis. Primò Pelagiani, cùm negarent originale peccatum, & gratiæ necessitatem, consequenter negabant baptismum esse necessarium, vel ad remissionem peccati, vel ad gratiam obtinendam, vel ad consequēdam vitam æternam, quam putarunt esse puræ naturæ debitā. Ita sumitur ex Augustino hæresi. 88.

Augustin. Distinguūt hæretici inter vitam æternam, & cælorum regnum.

Quoniam verò Ioan. 3. ait Christus neminem sine baptismo ingredi posse regnum cælorum, coacti sunt isti hæretici distinguere inter vitam æternam, & cælorum regnum, & docerent baptismum esse necessarium ad ingressum regni cælorum, non autem ad vitam æternam. Quanquam hoc etiam limitauit quidam Vincentius Victor, Pelagianus, dicens pueros non baptizatos detineri ab ingressu regni vsque ad diem iudicij: postea verò illuc etiā ingressuros, vt refert August. lib. 1. de anima, & eius origine. cap. 9. & lib. 3. cap. 11. & 13. Quam autem differentiam isti hæretici constituerint, inter vitam æternam, & regnum cælorum, neq; Augustinus explicauit, neque à nobis cū aliquo fundamento doceri potest, cùm ex sacra Scriptura cōstet, nec vitam æternam haberi posse extra regnū cælorum, vt latè Augustinus prosequitur lib. 1. de Peccato. merit. cap. 18. & 20. nec magis vnū, quā aliud posse sine baptismo cōparari, vt videbimus. Sed huius erroris fundamenta in materia de peccato originali, & de gratia, euertenda sunt, ostendendo, homines in peccato originali nasci, & cum summa gratiæ necessitate.

Augustin.

2. Error.

Secundus error similis præcedenti, quanuis minùs generalis, est, baptismum non esse necessarium saltem hominibus ex parētibus fidelibus, & baptizatis procreatis, quia, vel non oriuntur in peccato originali, vel certè, quia eis nō imputatur propter fidem parentum. Hic error antiquior est Caluino, vt cōstat ex Vvaldens. tomo, de sacramentali titul. 3. cap. 53. & 54. illum tamen, aut excūsauit, aut auxit Caluinus, vt cōstat ex Ruardo art. 1. & Lindano. lib. 4. Panopl. cap. 15. Prateolo, & alijs recentioribus. Nam alij hæretici fortasse putabant saltē requiri, vt vterque, vel saltem aliquis ex parentibus proximis, non tantùm fidelis, sed etiam baptizatus sit. Noui autem hæretici videntur docere satis esse, quòd aliquis ex progenitoribus, quātumuis remotis, fuerit fidelis, præsertim ab eo tempore, quo facta est Abrahæ illa promissio: *In semine tuo benedicentur omnes gentes, & ero Deus tuus, & semini tuo post te.* Omnes enim fideles sunt semen Abrahæ non carne, sed spiritu, & fide, ergo omnes complectitur illa promissio, omnes ergo fidelium filij sunt amici Dei. Sed præcipuum huius erroris fundamentum, scilicet, filios fidelium non nasci in peccato originali est planè hæreticum, & contra generales locutiones scripturæ, vt sæpe probat Augustinus libro 2. de pecc. mer. capit. 9. 25. 27. & lib 1. de Nuptijs capit. 17. & sequent. & lib. 6. contr. Iulian. cap. 3. vbi argumenta hæreticorum dissoluit. Aliud verò huius erroris fundamentum suprà tactū de promissione facta Abrahæ, vanum est. Quis enim cogitet omnes filios Iudæorum concipi, aut nasci sanctos solùm, quia ab Abrahan, vel Israel ducunt originem? dicente Paulo ad Rom. 6. *Non omnes qui filij Israel, hi sunt Israelitæ, neque qui filij carnis, hi filij promissionis.* In illa ergo promissione facta Abrahæ, semen illud, in quo benedicendæ sunt omnes gētes, est Christus Dominus, in quo & per quem diuinā hæreditatem & benedictionem accipiunt, quicunque illius efficiuntur digni, per spiritualē in Christo regenerationem. Et ita explicuit Paulus ad Galatas 3. & 4. & declarauit Augustinus Epist. 200. Adde, quantus per semen Abrahæ, filios Abrahæ intelligamus, vt in posterioribus verbis citatis intelligi potest: non oportere id exponere de filijs tātùm secundum generationem carnis, sed secundū imitationem fidei. Vel denique, etiam si intelligatur de filijs secundùm carnem, subintelligēda sem per est conditio, si eandem fidem profiteantur. Iudeus enim ante aduentum Christi ex Abraham descendens, si non circumcideretur, non computaretur inter filios Dei, vt ex eodem loco Genesis colligitur, non ergo satis erat generatio carnalis ex progenitoribus fidelibus, nisi adiungeretur eadē fides, seu eiusdem fidei professio.

Ad Gal. 3. & 4.

Tertius

3. Error.

Vvaldens.

Refellitur.

Tertius error negat, baptismum esse necessariū ex alio falso fundamento diuinæ prædestinationis. Nam si homo (inquiūt autores huius erroris) prædestinatus est, etiam si non baptizetur, saluabitur, si verò est reprobatus etiā si baptizetur, nō saluabitur. Ita est argumētatus Vviclef, vt refert Vvaldē. lib. 2. de sacramen. c. 96. Et noui hæretici dicuntur in eodem errore versari: illa verò argumentatio, si quippiam valeret, non solùm probaret baptismum non esse necessarium, sed etiam non esse alicuius vtilitatis ad salutem consequendam. Rursus etiam probaret, neque obseruare mandata, neque fidem, spem, aut charitatem, vel aliquod aliud medium esse ad salutem necessarium: quia iuxta illud argumentandi genus prædestinatio nullum medium requirit, vt executioni mandetur, quoad vltimum effectum, quod est absurdissimum. Nam prædestinatio, quæ est pars diuinę prouidentiæ, nō excludit consentanea media ad finem consequendum, sed potiùs illa prouidet, atq; ita disponit, vt infallibiliter ad finem perducant. Quòd si prædestinatio non excludit media, quid prohibet, quominùs vnum ex illis sit baptismus? Nullius ergo momenti est illa collectio: si est prædestinatus, etiā si non baptizetur, saluabitur; sed potius colligendum esset, suppositā baptismi necessitate, si est prædestinatus, ergo non morietur sine baptismo; quia per ipsammet prædestinationē prouisum erit, vt infallibiliter baptizetur. E contrario verò non sequitur, si non est prædestinatus, vel si est reprobus, ergo non baptizabitur; quia esto, baptismus sit necessaria causa salutis; tamen non est adæquata seu sufficiens, neque carentia baptismi est adæquata causa damnationis: potest enim etiam is, qui baptizatus est, damnari, si adultus sit; in infantibus verò, quia per proprium actum non possunt amittere gratiam baptismi, neque alio medio indigent ad salutem, rectè inferri potest in noua lege, si est reprobatus & moriturus est ante ætatem adultam: ergo non baptizabitur, non tamen propter eandem causam, quæ de prædestinatione dicta est, sed è contrario: quia reprobatio supponit præsciētiam carentiæ baptismi. Atque eodem modo de adulto verè dicitur, si reprobatus est, etiam si sit baptizatus, non fore saluandum, non quia baptismus ei minùs fructuosus sit, quàm prædestinatio; sed quia ille, qui huiusmodi est, non præseuerabit in iustitia per baptismum accepta, quod non ideo euenit, quia reprobatus est, sed potius ideò reprobatus est, quia præuisus est non perseueraturus in gratia per baptismum accepta, vt rectè dixit Prosper in responsionibus ad capitula gallorum capit. 3. & 7. & in libr. sententiarum capite tertio, & septimo, de qua re latiùs alibi.

Baptismi necessitas impugnatur.

Prætermissis ergo his fundamentis extraneis, & erroneis, aliunde videtur posse probari, baptismū, etiam si sit causa efficax gratiæ, non tamē esse vnicam, & adæquatam, & consequenter non esse simpliciter necessariam. Antecedens patet primò in adultis, quia licèt non baptizentur, per fidem, charitatem, ac veram pœnitentiam possunt saluari. De paruulis verò, quia interdū baptizari non possūt: ergo tunc poterunt saluari per fidem parentum, sicut ante baptismum institutum saluabatur. Neq; enim credibile est illis esse salutis viam occlusam, vel coarctatā per baptismi institutionem. De vtrisque verò est etiam argumentum, quia licèt non sint baptizati per martyrium saluari possunt, iuxta illud. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Conclusio.

Nihilominùs simpliciter dicendum est, baptismum esse medium necessarium ad remissionē peccatorum, & ad gratiam & gloriam consequendā. Conclusio est de fide. Probatur primò, ex scriptura. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Loquitur enim Christus ibi de sacramento baptismi, vt suprà ostēsum est, in illa verò conditionali locutione intrinsecè includitur necessitas: nam illud dicitur necessarium ad finem, vel effectum sine quo fieri, aut comparari non potest, præsertim cum sermo sit de sacramento instituto ad remissionem peccati originalis, cum quo nemo saluari potest, etiam si aliud non committat. Vt, si medicus infirmo diceret, nisi hanc acceperis medicinam non sanaberis, perinde est ac si diceret, hæc medicina est tibi ad salutem necessaria. Vnde hanc necessitatem statim explicuit Christus, dicens: *Oportet vos nasci denuo*, nam verbum illud oportet, necessitatem significat, sicut ibidem dixit Christus, *Oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat*, docens, passionem suam fuisse nobis ad salutem necessariam. Hinc Petrus 1. Canonica, capite tertio: baptismum dicit fuisse figuratum per arcam Noe in diluuio: quia, sicut per illam aream pauci salui facti sunt, qui illo remedio tanquam omnino necessario indigucrunt, ita nos quoque similis formæ saluos facit baptisma. Et idcirco Actorum. 2. interrogatus Petrus à quibusdam, *Quid faciemus*: nimirùm, vt saluemur, ipse respondit: *Pœnitemini igitur, & baptizetur vnusquisque vestrum*, significans tam necessarium esse baptismum peccatoribus, quam pœnitentiam. Ac simili modo Paulus, cùm ad Romanos quinto dixisset, sicut per vnum hominem omnes lapsi sunt, ita per vnum Christum esse viuificandos, statim capite sexto, proponit vnicam viam resurgendi à peccato per Christum, dicens: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c.* Et ideo ad Titum tertio, baptismum vocat regenerationem, per quam saluamur; quia sicut naturalis generatio ex Adamo est vnica via contrahendi peccatum ex Adamo, ita hæc regeneratio per aquam est vnica via resurgēdi ab illo peccato per Christum. At que in hunc modum intellexit semper Ecclesia has scripturæ locutiones.

Probatur. 1.

Ioan. 3.

Act. 2.

Rom. 5.

Rom. 6.

Ad Tit. 3.

Vnde probatur secundò hæc veritas, Ecclesiæ autoritate, & Patrum traditione, primū enim antiqua Concilia contra Pelagium congregata, hanc veritatem docuerunt, vt constat ex Epistolis Conciliorum Carthaginensis, & Mileuitani ad Innocentium Papam, & rescriptis eius, quæ habentur inter Epistolas Innocentij. 24. & 26. & inter Epistol. Auguſt. 90. 91. 92. & 93. Clariùs id tradit Cōcilium Florent. quod propter hanc causam vocat baptismum *ianuam spiritualis vitæ*, ita exponens verba Christi Ioannis 3. Concilium etiam Tridentinum, sessione 7. Canon. 5. de baptismo, anathema dicit in eum, qui dixerit, baptismum liberum esse, id est, non necessarium ad salutem: sed hic Canon exponi posset de necessitate præcepti, nā hæc necessitas videtur propriè opponi libertati, de qua ibi est sermo, tamen ex doctrina eiusdem

2. Probatur conclusio.

Cōc. Carthag. Milevit.

Augustinus. Conc. Floren.

Tridentinum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilij, sessione 5. can. 4. & 5. colligitur, hanc necessitatem non solùm esse respectu adultorum, sed etiam respectu infantium, & ideò non posse esse solam necessitatem præcepti, sed etiam medij.

Syric. Papa. Præterea Syricius Pap. epist. 1. cap. 2. dicit, baptismũ nemini esse negãdũ in necessitatis articulo, *Ne, si absq; baptismo decedat, & regnũ perdat, & vitam*; & inferiùs vocat baptismũ, *vnicum credulitatis auxilium*, eodẽ modo loquitur Leo Papa, Epist. 78. alias 80. vbi inter alia ait: *Qui baptismo priuatur, necessaria liberatione fraudari.* Et Clemẽs Pap. epist. 4. cũ dixisset, *Per baptismi regenerationem exuere hominem maculam prioris natiuitatis contractã*, subdit; *Aliàs impossibile est.* Idẽ ferè Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 19. dum ait, *aquam, & Spiritum esse necessaria, vt homo in vitam Dei perficiatur.* Idem sumitur ex Gregor. 4. moral. c. 2. & Hieron. dialog. 3. contra Pelagianos, vbi in hanc sententiam refert, & plurimũ commendat libros Augustin. de peccat. merit. & remiss. in quibus copiosè hanc veritatem docuit Augustin. qui etiam legi potest contra duas Epist. Pelag. c. 4. vbi Innocentiũ allegat, & lib. 1. de anima & eius origine, c. 10. vbi facilius existimat hominem baptizatum, & in peccato mortali mortuum, potuisse ab æternis pœnis per intercessionẽ cuiusdam sanctæ mulieris liberari, quàm hominem non baptizatum, per similes preces saluari: quod per quandã exaggerationem dictũ videtur: vtrumq; enim æquè impossibile est; quia non est minùs necessaria pœnitẽtia peccati mortalis post baptismũ cõmissi, quàm baptismus ad priora peccata delenda, quanuis, si dispensatio in hac lege esset admittenda propter preces alicuius sancti, faciliùs videtur Augustin. admitti posse circa hominem baptizatum, quã circa non baptizatum: quia ille est Christo, & Ecclesiæ incorporatus, non verò hic. Eandẽ baptismi necessitatem docet idẽ Augustin. lib. 1. de anima & eius orig. c. 12. & lib. 3. c. 9. vbi sic scribit, *Nolo credere, nolo dicere, nolo docere, infantes, antequàm baptizentur, morte præuentos, posse peruenire ad indulgentiam originalium peccatorum, si vis esse Catholicus.* Idẽ Epist. 28. ad Hieron. & similia habet Fulgen. de fide ad Petrũ. c. 30. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. c. 8. *Nec credi fas est*, inquit, *eos qui non sunt adepti regenerationis sacramentum, ad vllum beatorum pertinere consortium.* Idem docet Chrysost. homil. 40. in primam ad Corinth. vbi tractans illa verba, *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* refert quorundam errorẽ, qui putabant posse aliquẽ ex viuis baptizari pro defuncto, qui sine baptismo decessit, ita vt baptismus ille mortuo prosit ad vitam. Quẽ errorem dicit esse contra verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit*, in quibus vnicuique, dum viuit, dicitur esse necessarius proprius baptismus: sed de illo loco Pauli, & quid sit baptizari pro mortuis latè disserui superiori tomo, disp. 50. sect. 1.

Ratio conclusionis. Vltimò adhibẽda est ratio huius veritatis: quia, cùm omnes homines nascantur in peccato originali, & filij iræ, indigent aliquo medio, quo, & ab illo peccato liberentur, & Christo liberatori suo vniantur: sed in lege noua hoc medium ab eodem Christo institutum est baptismus, vt ex superiùs tractatis de eius institutione constat. Ostendimus quoque in superioribus, in omni lege fuisse necessarium aliquod sacramentum fidei ad hunc effectũ, quod in vnoquoque statu fuit suo tempori accommodatum: hoc autem sacramentum determinatũ est ad baptismum in noua lege; est ergo simpliciter necessarius ad suum effectum.

Atque hinc sequitur, baptismum nõ minùs esse necessarium filijs fidelium seu baptizatorum hominum, quàm reliquis. Probatur, tum quia etiam hi nascuntur in peccato originali, & filij iræ, & indigent incorporari Christo, eiusque charactere consignari; tum etiam, quia omnia testimonia adducta generalia sunt, & vniuersus Ecclesiæ consensus ita declarat verba Christi. Ac tãdem expresè definit Concil. Trident. sess. 5. can. 4. Neque in hoc est vlla difficultas, nam licèt parentibus sit remissum peccatum originale, nihilominùs per eorum carnalem generationem transfunditur peccatum originale in filios: quia non generant illos vt sancti, sed vt filij Adæ: & quia, licèt eis sit remissum peccatum quoad personalem maculam, non tamẽ quoad communem naturæ defectum.

Obiectio. Solet verò obijci locus ille Pauli 1. ad Corin. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelẽ: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autẽ sancti sunt*: si ergo filij, qui nascũtur ex alterutro parẽte fideli, sancti sunt, nõ est illis necessaria simpliciter alia sanctificatio baptismi. Respõdetur, ibi *Sancti* vocabulo non intelligi iusti & mundi à culpa coram Deo, sed idem quod legitimi, & ex puro thoro nati: docet enim ibi Paulus, Matrimonium inter fidelem, & infidelẽ nõ statim dissolui. *Alioquin*, inquit, *filij vestri immundi essent*, id est, illegitimi, quod ergo subdit, *nunc autem sancti sunt*, intelligit de sanctitate illi immunditiæ opposita, id est, legitimè, & honestè concepti, ita Ambros. ibi, cũ alijs, & D. Augustin. serm. 14. de verb. Apost. circa fin. & lib. 2. de peccat. merit. c. 26. & hic videtur literalis sensus. Secundò verò dicitur, si intelligatur de vera sanctitate, nõ esse sensum filios sanctificari (vt sic dicam) ex opere operato, hoc solùm, quòd ex parentibus filibus oriuntur, sed quòd eorum fide, & diligentia, ac exẽplo possunt facilè sanctificari, sicut ibidem dicitur sanctificari coniux infidelis per coniugem fidelem: quod tamen nullus intellexit fieri ex vi solius matrimonij, sed per exemplum, & sanctam conuersationem, quæ non excludit necessitatem baptismi, sed est potiùs quædam occasio excitans ad suscipiẽdum illum. Ita expoait etiam Augustin. lib. 1. de serm. Dñi in monte. c. 27. & lib. 3. de peccat. merit. cap. 12. Hieron. epist. 153. ad Paulin. qui citat Tertull. lib. de Monogamia, qui eandem ferè expositionem habet lib. 2. ad vxorem.

Fundamenta hæreticorum, inter referendas eorum sententias, expedita sunt. Vltima verò ratio dubitãdi à nobis proposita postulat dubitationes sequentibus sectionibus tractandas.

SECTIO II.

Vtrũ sacramentũ baptismi re ipsa susceptum sit adultis ad salutẽ necessariũ.

Quorundam error. NOn defuerunt hæretici, qui docuerint, nullũ adultũ posse saluari, si absq; baptismo re ipsa suscepto moriatur, quantumuis desiderio ipsius flagrauerit, & per eum non steterit, quominus fuerit ablutus. Ita refert Bernard. Epist. 77. & nostris tẽporibus Theologus quidam Louaniensis dictus Michael

Michael Baius docuit, sine baptismo re ipsa suscepto, posse quidem interdum obtineri caritatẽ, non tamen comparari remissionem peccati ante realẽ Baptismi susceptionem; mouebaturque quibusdã Augustini testimonijs, quæ posteà tractabimus.

Pius V. Greg. XIII. Huius verò autoris sententiam Pius V. & Gregorius XIII. proprijs rescriptis ac literis contra doctrinam huius autoris editis reprobarũt. Alius autem error, qui in hac sententia continetur, scilicet, infundi caritatem absque remissione peccati, & in Concil. Trident. sess. 6. planè damnatus est, & in materia de gratia proprium habet locum, fusiorq; contra illum est ibi disputatio.

1. Conclus. Dicendum ergo est primò, ad obtinendã primã gratiam, & remissionẽ originalis peccati, & actualium, quæ cum ipso coniuncta fuerint, non esse necessarium semper baptismum re ipsa suscipere, sed sufficere contritionem, baptismi votum in se cõtinentem. In hac assertione cõueniunt omnes Theologi, tanquã in rẽ omnino certa: quæ probatur primo ex illis Scripturæ locis, in quibus hominibus verè pœnitentibus, seque post peccatum per amorem, dolorem, & contritionem ad Deum cõuertentibus, vera iustificatio, & remissio peccati promittitur, vt est illud Ezech. 18. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: & alia similia, quæ omitto, tum quia vulgaria sunt, tum quia in materia de pœnitentia & de gratia latiùs tractantur. Ex quibus colligimus, non solùm posse hominẽ iustificari ante realem susceptionem baptismi, verùm etiã frequẽter ita fieri, quia interior cordis motus in Deũ, & aduersus peccatum vno momẽto perficitur, priùs quàm homo baptizari possit: nã baptismus & ab alio conferendus est, & temporis successionem requirit: motus autem interior & ab alio non pẽdet, præterquàm à Deo, & ab ipso homine peccatore, & in instanti perfici potest. In huius autem veritatis cõfirmationẽ habemus illustre exemplũ Actor. 10. vbi Cornelius, antequàm baptismum susciperet, iustificatus est: & prædicante Petro, Spiritus sanctus cecidit super multos, qui nondum baptizati fuerant, de quibus Petrus dixit: *Nunquid aquam quis prohibere poterit, vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?* Secundo probatur hæc veritas testimonijs Patrũ, ex quibus multa congeruntur in decretis de Consecr. dist. 4. præsertim in cap. Baptismi vice. Et in cap. non dubito. ex Augustin. lib. 4. de baptismo. c. 22. & sequen. Idẽ Augustin. lib. 2. contra literas Petiliani, vbi in illo hæretico contrarium errorem damnat: citatur etiã Augustin. in 8. lib. de Ciuit. Dei ab Innoc. 3. in cap. Apostolicam. de Presbytero non baptizato, vbi etiã refert Ambros. orat. de obitu Valentiniani circa finẽ, vbi inter alia inquit, *Audio vos dolere, quòd non acceperit sacramentum baptismatis, atqui hoc etiam in votis habuit. Non ergo habuit gratiam, quam desiderauit? Non habuit, quia poposcit? Imò, quia poposcit, accepit.* Idem latè docet Bernar. dicta epist. 77. vbi inter alia ponderat, dixisse Christũ Marci vltim. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò nõ crediderit, condemnabitur.* Non verò dixisse, qui non baptizatus fuerit, condemnabitur: quia per fidem viuam homines iustificari possunt, etiam si baptismum re ipsa non suscipiant. Quod etiam verè docuit Hugo Victorinus lib. 2. de sacramen. part. 6. cap. 7. Propter quod Trident. Concil. sess. 6. c. 4. docet, *Post Euangelium promulgatum neminem transferri à statu peccati in statum gratiæ sine lauacro regenerationis, aut eius voto.* Ita exponens verba Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tertiò adiungi potest ratio, quia interior iustificatio fit per infusionem gratiæ, & caritatis, per quã etiã peccatum expellitur: sed vltima dispositio ad hanc iustitiam potest habere priùs tempore, quàm homo realiter baptizetur, ergo etiã ipsa iustificatio. Minor probatur, quia iuxta Concil. Triden. sess. 6. & 14. vltima dispositio ad iustitiam est vera pœnitentia ex amore Dei super omnia procedens, cũ voto præstandi reliqua, quæ necessaria sunt: hoc autẽ totum fieri potest ante baptismũ, vt per se notũ est, & ex dictis etiã est probatũ. Consequentia verò principalis argumẽti probatur: tum Scripturis, quia eor contritũ & humiliatũ Deus non despicit, sed illigit potiùs diligentes fecitũ ratione Theologa, quia faciẽti quod in se est per gratiæ auxiliũ, Deus non denegat suã gratiam, & iustitiam; tum ratione moral, quia voluntas prõ facto reputatur, vbi facultas deest, præsertim apud Deum, qui corda intuetur: tum denique ratione philosophica, quia posita vltima dispositione statim infunditur forma.

Ioan. 3. *Conc. Trid.*

Corollarium. Ex quibus infero, non satis perspecte scripsisse Pamelium super Epist. 54. Cypriani circa finem, improbabilem esse eorum sententiam, qui solam contritionẽ sufficere plerumque existimant ad remissionem peccati absque baptismo re ipsa susceptο. Vnde subdit inferius, etiam si ordinaria nõ sit peccatorum remissio in decedentibus sine confessione seu baptismo, tamen interdum, atque in necessitate operari Deum sine sacramẽto. Ex quibus verbis colligere licet, quòd ipsum mouerit ad eam sententiam, nimirum quia Patres solùm docent, contritionẽ sufficere sine baptismo in casu necessitatis, vt constat ex Cypriano ibi, & Augustin. lib. de natura boni contra Manichæos, cap. vlt. & libr. 1. de adulterinis coniugijs, cap. vlt. Veruntamẽ hæc sententia sustineri quidem posset, si sermo esset de vltima salute, seu gloriæ consecutione, vt statim dicam: tamen, loquendo de iustificatione, & remissione peccati, defendi non potest: quia nõ solũ non est improbabile ad huiusmodi effectum sufficere contritionem cum voto baptismi absq; reali susceptione sacramenti, verùm potiùs est certũ & catholicum dogma, vt probãt quæ adducta sunt, & quæ tradit Concil. Trident. sess. 6. & 14. Atque hinc fit, ordinariè accidere posse adultum catechumenũ iustificari ante realem susceptionem sacramenti: quia iuxta legem gratiæ ordinariam fieri facilè potest, vt veram contritionem habeat, priùs tempore, quàm baptizetur. Neque hoc est contra mentem sanctorum, qui necessitatem aliquam requirunt: nam hic etiam intercedit aliquis modus necessitatis, eò quòd non sit in potestate hominis statim & in momento baptizari, sicut est in hominis potestate statim ac fine dilatione conuerti: cũ qua perfecta conuersione coniuncta est sanctificatio, ac peccati remissio. Contra hanc verò doctrinã obijci possent nonnulla Patrũ testimonia, quæ nõ minùs possunt contra sequentem conclusionẽ vrgere, & ideò inferiùs meliùs proponentur.

Cyprian. Augustin. *Conc. Trid.*

2. Conclusio. Dico secundo, regulariter ac per se loquẽdo, nõ assequuntur homines beatitudinem absq; reali susceptione baptismi, interdùm tamẽ accidere id potest interueniente impedimẽto suscipiẽdi sacramẽ-

Universidad de Deusto Biblioteca

tū. Aſſertio eſt certa: & quoad priorē eius partē habemus exēpla Act.9.10. *Act. 9. 10.* vbi Paulus, Cēturio, & alij fideles, qui per fidē & interiorē conuerſionē iuſtificati fuerāt, & Spiritum ſanctū acceperant, baptizati ſunt, vt æternā vitā conſequi poſſent. *August.* Vnde Aug. lib.4. de baptiſ. c.21. ſic inquit. *Si Cēturio poſt Spiritū ſanctū acceptum baptizari noluiſſet, cōtempti ſacramēti reus fieret.* Et infrà dicit: *Bono catechumeno deeſt baptiſmus ad cōſequendum regnum cælorum.* Et lib.1.q. ad Simplicianū q.2. *In quibuſdam*, inquit, *tāta eſt gratia fidei, quāta non ſufficit ad capeſſendā regnū cælorum, ſicut in catechumenis, ſicut in Cornelio, antequā ſacramentorū participatione incorporaretur Eccleſiæ.* Et infrà. *Fiunt conceptiones quædā fidei cōceptibus ſimiles; non tamen ſolū concipi opus eſt, ſed etiā naſci, vt ad vitā perueniatur æternam.* Et ſimilia habet q.83. in Numeros. Quæ omnia per ſe intelligēda ſunt, ac ſecluſa neceſſitate, quæ omnino cogat hominem ſine baptiſmo mori. *Obiectio.* Dices, idē eſſe de iuſtitia ſeu ſanctitate: quæ eſt ergo differētia, quā Auguſt. ſignificat, quamq; etiā nos in hac, & præcedenti concluſione indicauimus? *Diluitur.* Reſpondetur, eſſe quidē in hoc ſimilitudinē, q. ſacramentū baptiſmi per ſe inſtitutum ſit, vt mediū neceſſariū, tam ad remiſsionē peccati, quā ad beatitudinem obtinendā: tamen eſt differentia reſpectu adultorū, q. regulariter ac moraliter loquendo, nō poſsint tam citò baptiſmū recipere, quàm remiſsionē peccati obtinere, ſi, quod in ipſis eſt, facere & præſtare velint: at verò reſpectu gloriæ, quantumuis interiùs perfectè ſe diſponāt, non poſſunt ſtatim illam cōſequi, & ideò frequenter ac regulariter poſſunt priùs re ipſa baptizari, quā ad beatitudinē perueniant. Et hæc eſt tota ratio huius partis: nā baptiſmus re ipſa ſuſceptus, per ſe loquendo, eſt mediū neceſſariū ad capeſſendum regnū cælorū, vt conſtat ex verbis Chriſti Ioā.3. *Ioan. 3. Matth. & Marc. vlt.* & eſt etiā in præcepto, vt ex Matth. & Marci vlt. colligitur: ſed adulti, per ſe ac regulariter loquendo, poſſunt vti hoc medio, & implere hoc præceptū, antequā moriantur: ergo, moraliter loquēdo, hoc eſt illis neceſſariū. Atq; hinc facilè probatur altera pars cōcluſionis, quā frequēter docent Patres ſupra citati, & eſt res omnino certa: quia nō eſt dubiū, quin poſsit interdū accidere, vt fideli catechumeno, vereq; pœnitēti, & in extrema vitæ neceſsitate poſito deſit copia baptiſmi reliquo tēpore vitæ vſq; ad mortē; hoc enī humanū eſt, neq; eſt, q. fingamus miracula, aut extraordinariā Dei prouidētiā, vt euitētur huiuſmodi pericula, & naturales defectus; ipſaq; experiētia docet, hoc ſæpè accidiſſe in neceſsitate ſacramēti baptiſmi, & frequētius in ſacramento pœnitentiæ: poſito ergo huiuſmodi euētu, neceſſe eſt, huiuſmodi hominē per cōtritionē iuſtificatū ſine reali ſuſceptione baptiſmi ſaluari: quia vera iuſtitia vſq; ad mortē cōſeruata perducit hominē ad regnū cælorū: cōſeruatur autē vſq; ad mortē, ſi nullū peccatū mortale interueniat: qui autē omittit baptiſmū ob ſolam impotētia in hoc nō peccat, & ſimul poteſt alia peccata vitare, cū ſit iuſtus, & auxiliū Dei nō deſit: ergo, ſi id faciat, ſaluabitur ex vi iuſtitiæ cōparatæ per contritionē & baptiſmū in voto, etiā ſi decedat abſque baptiſmo in re ſuſcepto. *Obiectio.* Dices, ergo ſi in aliqua debita opportunitate catechumenus ex negligētia baptiſmum omittat, ita vt mortaliter peccet, & amittat iuſtitiā, poſteà nō poterit ſaluari, ſi baptizari nō poſsit. *Reſpondetur.* Reſpōdetur, ſi poſt priorē culpabilē omiſsionē illius peccati verè cōteratur, non minùs poterit per illā ſecūdā cōtritionē, & baptiſmi votum, ſaluari, quādo deeſt copia baptiſmi, quā priùs poſſet ſi eadē neceſsitas occurriſſet: nā baptiſmus flaminis iterabilis eſt, & per quācunq; cōtritionem remittitur culpa, etiā ſi ſæpiùs iterata ſit, & cōparata iuſtitia, quæ poſteà non amittitur abſque nouo peccato.

Impugnatur conclusio variis sanctorum testimoniis. Sed obijci poſſunt cōtra dicta, varia Sāctorū teſtimonia. Primū ſit, q. Siricius Papa, & alij antiqui Pōtifices monēt, nō eſſe negādū alicui baptiſmum in neceſsitate exiſtēti, ne ob defectū neceſſarij remedij regno cælorū priuetur: ſentiūt ergo baptiſmi ſuſceptionē eſſe neceſſariā ad obtinendam gloriā, nec ſufficere deſideriū eius, alioqui nullū crearetur periculū homini petēti baptiſmū ex denegatione illius: quia per ſuū deſideriū poſſet ſaluari. *Ambroſ.* Secundò Ambroſ. lib. de his qui initiātur. c.4. *Credit*, inquit, *catechumenus, ſed niſi baptizetur, remiſsionem peccatorum nō poteſt obtinere, neq; gratiæ munus haurire.* Tertiò Aug. lib.4. de baptiſ. c.21. inquit, *Deeſt bono catechumeno baptiſmus ad capeſſendum regnū cælorum, ſicut deeſt malo baptizato vera conuerſio: qui enim dixit, niſi quis renatus fuerit, &c. dixit etiā, niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquā ſcribarum, & phariſæorum, &c.* ſicut ergo malo baptizato in re ipſa neceſſaria eſt conuerſio, vt ſaluus fiat, ita bono catechumeno re ipſa neceſſarius eſt baptiſmus, vt regnū cælorū obtineat. *Auguſt.* Vnde idē Aug. tract.13. in Ioan. *Quantūcunque, ait, catechumenus proficiat, adhuc ſarcinā iniquitatis ſuæ portat, nō illi dimittitur, niſi cum peruenerit ad baptiſmum.* Vbi per ſarcinā iniquitatis videtur intelligere reatū amittēdi regnū cælorū ex peccato contractū. Vnde lib.3. de anima, & de eius orig. c.9. indicat credēdū nō eſſe, catechumenum ſine baptiſmo mortuū ad beatitudinē perueniſſe: & lib. de Cōfeſ. c.4. de ſe ipſo dicit, quāuis ante baptiſmū fidē haberet, ſeq; de peccatis cōmiſsis pœniteret, nūquā de obtēta illorū remiſsione fuiſſe ſecurum, donec illam in baptiſmo eſt aſſecutus. *Fulgent.* Quartò Fulgētius de fide ad Petrū. c.3. circa fin. *Ex illo*, inquit *tēpore, in quo ſaluator dixit: niſi quis renatus fuerit, &c. abſq; ſacramento baptiſmatis præter eos, qui in Eccleſia ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum cælorum poteſt quiſquā accipere, nec vitā æternam.* Vbi notanda eſt illa exceptio, quæ (vt Iuriſtæ dicūt) firmat regulā: igitur ex ſentētia Fulgentij, ſolus baptiſm⁹ ſanguinis ſufficit ſine baptiſmo aquæ ad obtinēdū regnū cælorū. *Gennadius.* Quintò eādē ſentētiā difficillimè cōfirmat Gennadius lib. de Eccleſ. dogma. c.74. dicens, *Baptizatis tantùm iter eſſe ſalutis credimus: Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio: vbi tota baptiſmi ſacramenta complentur.* *Nazianz.* Sextò Nazianz. orat.40. de baptiſ. circa med. dicit, *Catechumenos eſſe in veſtibulo pietatis, ad quam per baptiſmum intrant.* Vnde ſubdit inferiùs: *Quid autem*, inquies, *quoſdam priuari baptiſmo, vel propter infantiā, vel propter inopinatum aliquem caſum, quo efficitur, vt neq; cupientibus gratia potiri liceat?* Et inferiùs cōcludit huiuſmodi homines nec cæleſti gloria, nec ſupplicijs à iuſto iudice affici, vtpote qui, licèt ſignati nō fuerint, improbitate tamen carent: atque hanc iacturā paſsi potiùs fuerint, quā fecerint. *Richard. Hugo de S. Victo.* Septimò afferre poſſumus Richardū, & Hugonē Victorinū, qui de ſacramento pœnitentiæ dixerūt, per ſolā contritionem & votū eius non omnino remitti æternæ pœnæ reatū, niſi ſacramētum ipſum ſuſcipiatur,

piatur, videtur enim eadē ratio eſſe de baptiſmo.

Hæc Patrum teſtimonia, generatim loquēdo, partim intelligi poſſunt eodem modo, quo verba Euangelij, partim ſunt piè exponenda, de illo, qui baptiſmū voluntariè omittit, cùm poſsit ante mortem illum ſuſcipere: partim verò ſunt corrigēda, quia nōnulla certè cōmodam expoſitionē non admittunt, ſed faciliùs omnia expendētur, ſi per ſingula breuiter diſcurramus. Ad primum reſpondetur, quanuis poſsit quis, ſine baptiſmo ſaluari ob impotentiam recipiendi illū, multò tamen certiorem eſſe ſalutis conſecutionē, ſi homo ſine baptiſmo non decedat: quia vera cōtritio difficilis valdè eſt, & ideò in magno periculo cōſtituitur fidelis, ſi tempore neceſsitatis ei ſacramentū denegetur: nā fortaſſe illo ſuſcepto ſaluabitur, & ſine illo condemnabitur, nō quia impoſsibile ſit ſine illo ſaluari, ſed quia fortaſſe verā contritionē non habebit: & hoc periculū meritò docent eſſe cauendum Siricius & alij Pontifices. Adde, ſacramentum ipſum, per ſe loquendo, eſſe neceſſariū: & ideò negandum non eſſe tēpore neceſsitatis ab Eccleſiæ miniſtris: nā ſicut fideles tenetur illud accipere in illo præſenti articulo: ita & ipſi tenentur illud miniſtrare, ſi moraliter poſsint. Ad ſecundum reſpondetur, Ambroſium exponendum eſſe de baptiſmo in re, vel in voto: ſola enim fides non ſufficit catechumeno ad remiſsionem peccatorū, & gratiā conſequendā; nec pœnitentia ſeu contritio illi ſufficeret, niſi votū baptiſmi includeret. Ad tertiū reſpondetur, non oportere ſimilitudinem in omnibus tenere: bono ergo catechumeno adhuc deeſt ſacramentū baptiſmi, per ſe loquēdo, & in hoc tenet comparatio inter illū & baptizatū peccatorē, qui indiget cōuerſione; eſt autē differentia, q. vera conuerſio poſsit ſemper re ipſa exhiberi: vnde nō poteſt in ſolo voto ſufficere: imò, ſi propriè loquamur, non poteſt contineri in voto in aliquo alio priori actu, qui non ſit ipſe ſupernaturalis conuerſio in Deū, & auerſio à peccato propter Deum: cū enim ipſe interior cōuerſio ſit vltima diſpoſitio ad gratiā, nō poteſt ſine illa obtineri ſecluſo ſacramēto: quia nō poteſt forma introduci ſine vltima diſpoſitione: at verò exterior ſuſceptio ſacramenti neque eſt ex natura ſua diſpoſitio ad gratiam, ſed ſolū ex inſtitutione eſt neceſſaria, nec ſemper eſt in hominis poteſtate, & ideò interdū poteſt votū illius ſufficere. Ad alterū locū Auguſt. qui re vera difficilis eſt, reſpōdetur, per ſarcinā iniquitatis nō potuiſſe Auguſt. intelligere reatū æternæ pœnę, cū per ſe ſatis conſtet hunc reatū tolli cū ipſa culpa, quod tā eſt frequens apud Auguſt. vt veriſimile nō ſit, eū in hoc dubitaſſe. Poſſumus ergo per ſarcinā iniquitatis intelligere reatū aliquem pœnæ temporalis. Vnde dicit, hanc ſarcinā non remitti niſi in ipſo baptiſmo: quia ex ordinaria ac certa lege plenaria remiſsio totius culpæ & pœnæ nō niſi per ſacramentū datur. Vnde fit, vt, regulariter loquendo, catechumenus, qui per ſolū interiorē actū iuſtificatur, ſemper maneat obnoxius alicui temporali pœnę. Vel, ſi hoc nō ſatisfacit, quia nō eſt in vniuerſum neceſſarium, dici poteſt catechumenus iuſtus portare ſarcinā iniquitatis: quia licèt illi ſint remiſſa peccata, tamē id factū eſt in ordine ad baptiſmū ſuſcipiendū, ad quod manet obligatus: & ideò, donec ſacramētū re ipſa ſuſcipiat, nō cēſetur omnino liber ab illo onere, quod dici poteſt ex peccatis ortū, quia ob remiſsionē peccati impoſitū eſt. Atq; hac etiā ratione nō cēſetur catechumenus ſecūdū præſentē ſtatū ſatis expeditus & aptus ad regnum cælorū, ſed neceſſe eſt, vt per ipſum ſacramētū ampliùs ſe diſponat, ſi tamē poſsit. Tertius Auguſtini locus facilior eſt: ſolùm enim dicit, infantes non poſſe ſine baptiſmo ſaluari, quod poſteà videbimus: indicat tamē eādē eſſe rationē de adultis: nā obijcit de bono latrone, qui ſine baptiſmo ſaluatus eſt, & de quodā Dinocrate fratre ſanctæ Perpetuæ, qui mortuus fuit ſine baptiſmo, & tamen precibus ſororis ſuæ ſalutem eſt cōſecutus: & de latrone quidē reſpōdet, fortaſſe fuiſſe baptizatū, nō tamē neceſſariū erat Auguſtino de latrone eſſe ſolicitū: quia tūc nōdū erat baptiſmus ad ſalutem neceſſarius. De Dinocratē verò ſimiliter reſpōdet Auguſt. fortaſſe fuiſſe baptizatū, poſt baptiſmū autē peccaſſe, & ideò poſt mortē fuiſſe in pœnis, de quibus ſorore orante, liberatus eſt: ſed ſi ſit ſermo de pœnis inferni, non video cur ſit credibilius ab eis fuiſſe liberatū per orationē ſororis, ſi deceſsit baptizatus, quā ſi catechumenus: quia ſecundū legē ordinariā, tā impoſsibile eſt ſaluari ſine pœnitētia poſt peccatū cōmiſſum poſt baptiſmū, quā ſine baptiſmo ratione peccati originalis, & aliorum, qui poſſunt baptiſmū antecedere. Si verò ſit ſermo de pœnis purgatorij, ſicut potuit ad illas peruenire iā baptizatus propter peccata cōmiſſa poſt baptiſmū, ita etiā potuit catechumenus ad eaſdē pœnas deduci, ſi per cōtritionē iuſtificatus fuit, nō tamen ita perfectè, vt plenā remiſsionē peccatorū obtineret. Potuit ergo Dinocrates ab illis pœnis, ſororis orationib⁹ liberari, etiā ſi catechumenus mortuus fuiſſet. Quæ ratio, vt verū fatear, cōuincit, reſponſionē Auguſt. etſi ſufficiēs fuerit ad eludēdam & eneruādā obiectionē, nō tamē fuiſſe neceſſariā: tā faciliùſq; potuiſſe reſpōdere per diſtinctionē baptiſmi in re, vel in voto, ſi illius meminiſſet: quāuis autē de illa tacuerit, nūquā tñ eā negauit, nec negare potuit, cū ex doctrina eius, & ex alijs locis ſupra citatis cōſtet, in caſu neceſsitatis, votū ſacramēti ſufficere, Deūq; ſupplere, quod nō volūtas, ſed neceſſitas abſtulit, vt ex doctrina eiuſdē Auguſt. latè docet Vualdenſ. tom.2. de ſacram. c.97. & 98. *Vualdenſis.* Quartus locus Auguſt. eādē habet reſpōſionē, quæ primo loco ad Siriciū data eſt: meritò enī ante baptiſmū erat ſolicitus de obtēta remiſsione peccatorū, quæ, accepto baptiſmate, multò facilior eſt, atq; ſecurior. Ad quintū reſpōdetur, dictū Fulgētij eſſe verū, intelligendū tamen eſſe per ſe, ac ſecluſa neceſsitate & impotētia, vel, quod idē eſt, de baptiſmo in re, vel in voto, quando in re non poteſt applicari: q. verò ſolū excipit martyriū, fortaſſe ideò eſt, quia ſub baptiſmo aquæ votū ipſius cōprehenditur: vel etiā id fecit ad cōmendandam excellentiā & ſpeciale priuilegiū martyrij, quod nō ſolùm ſaluat, vt votū baptiſmi aquæ, ſed quodammodò etiā vi ſua, vt inferiùs latiùs explicabimus: vel etiā dici poteſt, neminē ſine baptiſmo mortuū, ſtatim accipere regnū cælorū, excepto martyrio: quia, vt ſupra dicebā, nō fit plena remiſsio in voto ſacramēti ſine ipſo ſacramento: quod tamen priuilegium ſoli martyrio cōmune eſt. Hæc verò vltima reſpōſio, neq; eſt iuxta mentem Fulgentij, qui non loquitur de tempore, ſeu mora conſequendi regnū cælorū, ſed abſolutè de cōſecutione illius, neq; eſt vniuerſaliter vera, ſed ſolū regulariter, vt ſuprà di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum est. Ad sextum ex lib. de Eccles. iast. dogmat. D. Tho. q. præced. art. 2. ad 2. addit vltimâ respõsionem, quam nuper dedimus ad Fulgentium: sed valdè dubito, an sit ad mentẽ autoris propter ea, quæ dicta sunt: & quia loquitur de catechumeno in bonis operibus defuncto: fieri autem potest, vt catechumenus per bona opera sua ita satisfaciat pro peccatis suis, vt statim in cælũ euolet. Ideò respondeti potest, Gennadium loqui de catechumẽno habente quidem alia bona opera, voluntariè tamen, seu negligenter omittente baptismum. Ita respondet Glos. ibi, & in c. Baptismi. de consecrat. d. 4. nõ tamen videtur posse accõmodari: quia hoc modo nõ haberet locum exceptio martyrij: quia, si quis voluntariè baptismum omitteret, etiá per martyrium saluari non posset; tenetur enim fidei confessor, si baptizatus nõ est, priùs baptizari, quã martyriũ subeat: & ideò si voluntariè baptismum omittat, nihil illi proderit martyrium: quòd si dicas, posse tunc prodesse martyriũ, si baptismus iã non sit in potestate, & prioris omissionis hominẽ pœniteat: sed hoc idem est in baptismo flaminis, vt supra diximus; necessariò ergo retinẽda est D. Tho. responsio, dum melior non occurrerit, & sententia illa moraliter, ac regulariter intelligẽda est, vt sæpiùs est dictũ. Septimũ Nazianzeni testimonium vix habet interpretationẽ vllam: nã apertè loquitur de adulto: nã sermonẽ habet de illo, qui per propriũ actum desiderat baptismũ. Item manifestè tractat de illo, qui sine vllo peccato suo, sacramento caret: & hunc dicit non peruenire ad regnũ cælorũ, &, quod obscurissimũ est, distinguit tres ordines adultorum baptismo carentium: nam alij sunt baptismi contemptores; alij nõ tam animi prauitate, quã stultitia à baptismo aberrarunt: postremi denique absque improbitate passi sunt potiùs, quã fecerũt baptismi iacturã: & de his postremis, inquit, nec cælesti gloria, nec supplicijs à iusto iudice esse afficiendos. Quẽ locũ nonnulli de infantibus explicare volunt, illos solos in illo tertio ordine constituentes: Sed hoc re vera est præter mentem Nazianzeni, qui non solum infantes, sed etiam aliquos adultos in illo ordine numerat: sic enim ait; *Alij ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam forte esse, vel propter inopinatum prorsus, & violentum aliquem casum; quo efficitur, vt neque cupientibus quidem gratia potiri liceat.* Possemus autem vtcunque exponere Nazianzenum de illis adultis, qui desiderant quidem baptismum non tamẽ sufficienter se disponunt ad gratiam consequendã: hi enim propter solum desiderium, regnum cælorũ non assequuntur: quòd si contingat, eos peccata actualia non commisisse (quod rarò; vel fortasse nunquam euenier) non afficientur supplicio, scilicet, quoad pœnam sensus, aut, si alia peccata commiserint, punientur quidẽ propter illa, non tamen propter carentiam baptismi. Ad vltimum ex Richardo & Hugone de sancto Victore respõdetur, falsam esse eorum sententiã, vt latiùs ostendemus, tractando de sacramento Pœnitentiæ.

Dubitatio. Superest vero dubium circa præcedentem doctrinam, quale requiratur baptismi votũ ad remissionem peccati obtinendam absque reali susceptione sacramenti: cumq; certum sit, requiri verã peccatorum contritionẽ, seu amorem Dei super omnia, difficultas solũ esse potest, an præter hos actus requiratur proprium desiderium, & explicitum propositum suscipiendi baptismum, quod propositum expressam cognitionem & fidem baptismi requirit; an verò sufficiat implicitum desiderium, quod in ipsa contritione, & in generali proposito seruandi omnia mandata continetur. Quòd dubiũ tractari etiã solet de confessione, seu proposito cõfitendi peccatum mortale post baptismum commissum; nam quoad hoc eadem est vtriusque sacramenti ratio: quia æqua est vtriusque necessitas in ordine ad suum effectum. Tres igitur possunt esse dicendi modi: primus est, tam ad iustitiã, quã ad gloriam obtinendam esse necessarium expressum desiderium baptismi, huius verò opinionis, neque autorem inuenio, neque fundamẽtũ: quanuis Soto interdum videatur ex parte illi fauere. Nã licèt hic dist. 5. art. 2. post medium, solũ implicitũ votum exigere videatur: tamen infra d. 14. q. 1. art. 5. sub distinctione dicit, his, qui non habẽt notitiam baptismi, sufficere implicitum votum eius, his verò, qui iam habent baptismi fidem, necessariũ esse votum explicitum: quia tenentur quãprimũ ponere baptismum suscipere. Sed re vera hæc ratio nullius momenti est: nam quanuis fidelis, dũ recogitat sua peccata, & de illis dolet, nõ proponat expressè suscipere baptismum, potest postea baptizari tempore debito, sicut etiã tenetur restituere alienum, cũ primũ potest, & tamen non oportet, vt hoc expressè proponat, cùm iustificatur: sed sufficit generale propositũ seruandi mandata, quod, si non mutetur, sufficiet, vt postea opportunis temporibus impleatur. Deinde, sicut is, qui caret notitia baptismi excusatur ab hoc expresso proposito propter ignorantiam, ita, qui habet iam fidem huius sacramenti, poterit excusari ab hoc expresso desiderio propter actualẽ inconsiderationẽ: fieri enim potest, vt subitò excitetur ad considerationem diuinæ bonitatis, & suorũ peccatorũ, quibus illam offendit, nihil prorsus tunc de baptismo considerans: atque ita moueatur in Deum per veram contritionem, & pœnitẽtiam: ergo tunc iustificabitur sine alio explicito desiderio baptismi. Quin potiùs excogitari potest casus, in quo, etiam si baptismus memoriæ occurrat, non oporteat propositum, seu desiderium explicitum eius cõcipere, vt, si huiusmodi homo in extremo mortis articulo cõstituatur, in quo iudicet sibi iam esse impossibile baptizari, ille certè tunc non tenetur absolutum propositum suscipiendi baptismũ habere: est enim illud impossibile: quia iã, hic, & nũc res iudicatur impossibilis: neque etiam videtur necessariũ, vt habeat propositũ conditionale, scilicet, proponẽ baptizari, si hoc periculo eripiar, vel aliter: ellem baptizari, si possem: nã huiusmodi actus nullius ferè momenti sunt, aut fructus sunt in eo casu, in quo apprehenditur cõditio vt impossibilis, & nũquã exequẽdaterit ergo tũc vtilius in Dei amore, & peccatorũ detestatione prorsus occupari: non est ergo alius actus necessarius, neq; afferri potest fundamẽtum sufficiens huius necessitatis. Quocirca etiã extra prædictũ necessitatis articulũ, & posita cognitione & cogitatione baptismi, nõ videtur specialiter necessarius hic actus ex vi alicuius specialis præcepti, aut institutionis, propter quã, per se loquẽdo, sit necessarius hic actus ad iustificationẽ, sicut sunt amor Dei, dolor de peccatis, & propositũ nõ peccãdi de cætero, quãuis moraliter vix fieri possit, quin homo iam credens, & amans Deũ, & proponẽs illi placere in omnib⁹, si simul cogitet de baptismo, eiusque necessitate, statim illum desideret, ac proponat suscipere, cùm primùm possit. Hæc tamẽ moralis necessitas magis oritur ex propensione voluntatis, suppositis prioribus actibus, quàm ex speciali institutione, aut præcepto habendi statim talẽ actũ, vt dixi; quia hoc re vera neq; est expressè traditum, aut scriptum, nec necessariò sequitur ex institutione ac necessitate baptismi, vt ostensum est.

1. Dicendi modus. Secũdus modus dicendi alia distinctione vtitur, nimirum, ad cõparandam iustitiam in hac vita nõ esse necessariũ desiderium explicitum, sed sufficere implicitum, ad obtinendam verò gloriam in alia vita necessarium esse, vt in hac vita aliquando præcedat explicitum baptismi desideriũ. Ita sensit Cano relect. de sacram. in genere, part. 2. & relect. de pœnitent. part. 1. qui videtur fundari in hoc, q; de necessitate fidei explicitæ Christi ad iustitiam, vel gloriam, simili distinctione vsus est. Veruntamen hæc distinctio nec de fide ipsa habet fundamẽtum, & multò cum minori probabilitate ad baptismũ applicatur, si sermo sit de necessitate simpliciter: nã, per se loquendo, interior dispositio, quæ sufficit ad iustitiam, potest etiam sufficere ad gloriam, si non occurrat noua aliqua obligatio absq; excusatione, vel impedimento implendi illam: sed fides & voluntas implicita baptismi sufficit ad iustificationẽ: ergo potest etiam sufficere ad gloriã: quia potest contingere, vt propter vitæ breuitatem, aut alia extrinseca impedimenta, non possit homo maiorem fidei notitiam consequi, aut certè, vt necessarium nõ sit, neque opportunum, illud baptismi desiderium exercere, vt etiam contra priorem dicendi modũ arguebamur. Deinde est in hoc magna differentia inter fidem Christi, & desiderium baptismi: nam illa per se, & propter se est necessaria explicitè in lege gratiæ, & ideò licèt ex accidenti possit sufficere implicita ad iustitiam, tamen semper manet obligatio, & necessitas habendi fidem explicitam Christi in hac vita, si fieri potest, tamen desideriũ, seu proposítum baptismi non exigitur propter se, sicut fides, sed propter externam susceptionẽ ipsius sacramẽti; & ideò si non occurrat opportunitas, nec spes obtinendi ipsum sacramentum, non est, cur sit necessarium expressum desiderium eius. Deniq; baptismus in re susceptus non est necessarius ad gloriam obtinendam: quia interdum potest propter necessitatem, & occurrentia impedimenta sine illo obtineri: sed etiam possunt occurrere impedimenta, propter quæ non possit homo habere votum explicitum baptismi: ergo eadem ratione non erit necessarium tale votum ad obtinendam gloriam.

Tres dicendi modi proponuntur.

Primus.

Cano.

Impugnatur hic modus dicendi.

Tam ad iustitiam, quam ad gloriam sufficere potest implicitum votum baptismi. Vega. S. Thom. Tridentinũ.

Tertius ergo dicendi modus & verus est, tam ad iustitiam, quàm ad gloriam consequendam sufficere posse implicitum votum baptismi. Quem docuit Vega lib. 5. in Trident. capit. 14. & sumitur ex S. Thom. suprà quæst. 68. artic. 2. & clariùs in hac quæstione 69. artic. 4. ad secundum. Cuius fundamentum satis constat ex dictis contra præcedentes sententias, scilicet, quia sufficiens dispositio ad gratiam potest haberi cum voto implicito in ipsa contritione incluso, vt significauit Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. & clariùs sess. 14. capit. 4. gratia autem comparata per hanc dispositionem potest durare vsque ad mortem sine nouo desiderio baptismi, atque ita etiam sufficere ad vltimam salutem: sed de hac re plura dicturi sumus in materia de Pœnitentia.

SECTIO III.

Virũ baptismus re ipsa susceptus sibi infantibus necessarius ad salutem.

HAEC quæstio accipienda est, secluso priuilegio martyrij, atque in hunc sensum accipienda sunt, tam quæ in præcedenti sectione sunt dicta, quàm quæ in præsenti dixerimus, ne id sæpius oporteat monere. Fuit ergo quorundam sententia asserentiũ, paruulos posse sine baptismo saluari, & vitam æternam consequi. Hoc docuerũt Pelagiani, qui, cùm negarẽt originale peccatum, negarunt etiam paruulos indigere baptismo nõ remissionem peccatorum: de quibus, & de alijs hæreticis negantibus vtilitatem, vel necessitatem baptismi, satis in superioribus dictum est, nunc solùm cum Catholicis est disputandum, qui cùm fateantur, paruulos indigere baptismo, esseque simpliciter loquendo, necessarium ad salutem, quia verba Christi Domini Ioan. 3. & definitiones Conciliorum, & Sanctorum id conuincunt, nihilominùs arbitrantur, interdum paruulos posse saluari sine baptismo, si casu aliquo, vel fortuito euentu contingat, vt illis non possit applicari. In hac verò sententia asserenda, duo possunt modi excogitari; prior est, hoc non esse regulare, neque secundùm legem ordinariam à Christo Domino statutam, tamen interdum ex misericordia Dei, & speciali dispensatione, priuilegium hoc aliquibus concedi. Ita sentit Altisiod. in sum. lib. 4. tract. 3. c. 4. Alens. 4. part. q. 13. art. 1. & 2. Sylues. verb. Baptismus, primo. nu. 5. & 7. qui specialiter loquuntur in eo casu, in quo baptismus exterius administrari incipit, tamen in eo cõmittitur defectus essentialis, aut in materia, aut in forma, aut in intentione ministri; tunc enim existimant, quanuis baptismus nullus sit, piè tamen credi, Deum supplere effectum eius, ex quo fit consequens, infantem sic baptizatum saluari sine baptismo: quia re vera ille baptismus nullus est. Pro qua sententia citari possunt alij autores, qui generatim de sacramentis ita sentiunt, quando in eis committitur defectus essentialis, quos citaui suprà tractando de sacramentis in genere. Eandem sententiam absolutè docet Bonauent. in 4. d. 4. art. 5. q. 1. ad vlt. qui solùm dicit, hanc esse legem cõmunem, sed ex priuilegio, posse aliud fieri, sicut in sanctificatis in vtero: idemque sentit Gabr. ibi. q. 2. arti. 3. dub. 1. circa finẽ. & Gerson tom. 3. suorum operũ, serm. de Natiuit. Mariæ. consider. 1. vbi dicit, debere parentes fundere preces pro filijs infantibus, si fortè casu aliquo mori ante baptismum, vt Christus in eis gratiam suppleat, quia non est omnino ablata spes, quanuis absque reuelatione nulla possit esse certitudo. Fundamentum huius sententiæ solum est, quia Christus statuendo ordinariam legem de necessitate baptismi non abstulit sibi potestatem dispensandi, & gratiam suam cõmunicandi per potestatem excellentiæ, quæ non est alligata sacramentis: ergo pium est credere, ita interdũ facere, vel ob parentum iustorum deprecationem, vel ad ostensionem gratiæ suæ.

Pelagianorũ error.

Ioan. 3. Saluari ne possit infans sine baptismo ob casum fortuitum nõ susceptũ?

1. Modus.

Altisiodor. Alensis. Sylueſter.

Bonauent.

Gabriel. Gerson.

Secundus modus asserendi hanc sententiam est, non solùm interdum speciali priuilegio, sed semper ac certa lege ita fieri, vt paruulus, qui in aliquo casu fortuito baptizari non possit, per aliud remediũ sal-

2. Modus.

uari possit, videlicet per fidem parentum ei applicatam quolibet religioso signo externo, vt, v. g. signo Crucis cum inuocatione Trinitatis, vel alio simili. Hanc sententiam docuit inter Catholicos solus *Caietanus.* Caieta. q. 68. art. 2. qui hoc modo videtur legẽ Christi interpretari, quasi addendo illi cõditionẽ, scilicet, Baptismũ esse paruulis necessariũ, si possit illis applicari: Aut meliùs dicere posset, Baptismũ esse paruulis necessarium in re, vel in voto. Atque *Fundamentũ huius sententiæ.* hinc possumus fundamentum huius sententiæ inchoare: nam lex de necessitate baptismi æquè vniuersaliter proposita est pro adultis, ac pro paruulis, & nihilominus in adultis explicatur de baptismo in re, vel in voto: ergo eodem modo explicanda est in paruulis, qui imbeciliores, & indigẽtiores sunt, quàm adulti, si tamen eis potest cõmodè applicari dicta distinctio. Quòd autẽ possit, ita declaro: quia voluntas parentis reputatur voluntas paruuli, nam, vt inquit *Prosper.* Prosper. lib. 1. de vocatio. gentium. ca. 8. *Omnia exordia paruulorum sub arbitrio iacent voluntatis alienæ; neque illis vllo modo, nisi per alios consuli potest, & consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel rectè, vel prauè reguntur affectu.* Sicut ergo adultus per voluntatem propriam habet votum baptismi, ita infans poterit illud habere per voluntatem parentis, præsertim si applicetur illi aliquo signo externo, quod poterit etiam dici cõtinere huiusmodi votum, quasi ex opere operato, sicut multi dicunt, Baptismum continere votum Eucharistiæ. *Confirm. 1.* Et cõfirmatur hæc sentẽtia primò, quia Christus Dñs potuit instituere necessitatem baptismi, & dare legem eius hoc sensu, & cum prædicta exceptione, & verba Euangelij videntur sufficienter explicari dicto modo; atque hoc prouidentiæ genus videtur suauius, & sapientię ac charitati Christi magis cõsentaneum: sic enim melius erit prouisum necessitati paruulorũ, & aliunde nullum sequitur incõmodum. *Confirm. 2.* Et cõfirmatur secundò, quia remediũ originalis peccati respectu paruulorum non debet esse in lege noua magis limitatum, & coarctatũ, quàm in veteri, cũ illa sit lex gratiæ, & in ea merita Christi efficaciùs applicentur: sed in lege veteri ita fuit data circuncisio in remedium necessarium paruulorum, vt, si casu aliquo eis applicari non posset, per sacramentum seu remedium legis naturæ posset illis subueniri, scilicet applicando eis fidem Christi quolibet externo signo: ergo idem credendum est sufficere in lege gratiæ: ratio enim eadẽ est, aut maior. Ideò enim id factum est in lege veteri, ne illa signi exterioris determinatio cederet in detrimentũ paruulorum, atque ita videretur eis salutis via difficilior, & arctior effecta: hæc autem ratio multò maiorem vim habet in præsenti tempore gratiæ: ergo cẽsendum est, nunc vtile esse posse paruulis remediũ legis naturæ, quando non potest illis baptismus applicari, non quidem per se, & vi sua, sed vt includit votum baptismi. Vnde *Bernard.* Bernardus epist. 77. non longè à principio, cùm dixisset, necessitatem baptismi non incepisse vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem, subdit; *Sanè paruulis, & nondum ratione vtentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati præuaricatio, tandiu credendum est, antiqua valuisse sacramenta, quandiu palam interdicta non fuisse constiterit, An verò vltra, penes Deum est, non meum definire.* Ecce non audet Bernardus negare posse interdum sacramẽtum antiquum prodesse paruulis in lege gratiæ, & post Euangeliũ sufficienter promulgatum: ergo hoc maximè probabile est de sacramento legis naturæ, & in articulo necessitatis, non vt erat sacramentum illius legis, sed vt continet votum baptismi. Quod etiam confirmat & declarat exemplum adultorum, qui, si nunc baptizari nõ possint re ipsa, saluari possunt eodem remedio, quo saluabantur in lege naturæ, scilicet, eadẽ fide, & contritione, non tamen eadem ratione & consideratione, sed prout nunc includunt votum fidei explicitæ Christi & baptismi: quid ergo mirum, si idem dicamus de paruulis, seruata proportione, cũ hi sint magis innocẽtes, nec sit vlla ratio, cur eis magis limitetur remediũ salutis, quam adultis? Ac denique, quia sicut adultus per suam voluntatem facit quod in se est, ita potest facere paruulus per voluntatem parentis. Tandem cõfirmatur hæc sententia, *Confirm. 3.* quia aliàs sequitur, infantes decedentes in vteris maternis, nullo modo posse saluari in lege gratiæ, quia nõ possunt tingi aqua, neque ablutio matris potest esse materia sacramenti baptismi respectu filij, vt in superioribus ostensum est: consequens autem videtur durissimum, vt idem Caietanus notauit superiori q. art. 11. scilicet, quòd diuina prouidentia reliquerit homines sine remedio salutis in quodam statu, in quo quàm plurimi ex hac vita decedere necesse est. Neq; enim refert, si dicamus in eo statu infantem esse veluti partem matris, & ideò non esse capacem proprij remedij: nam re vera non ita est; est enim suppositum à matre distinctum: & ideò capax propriæ culpæ originalis distinctæ à culpa matris; & similiter propriæ sanctificationis. Vnde fit, vt sæpe mater possit esse iusta, & infans sit in peccato, & è contrario potest filius in vtero matris sanctificari, etiam si mater non esset sancta: est ergo capax proprij remedij contra originale peccatum. Etenim si culpa Adæ communicatur filio in vtero matris, & hoc fit ordinaria lege, ac via, multò magis poterit esse aliquod remediũ, quo eidem applicetur gratia Christi, cùm eius meritum efficacius sit, quam demeritum Adæ: ergo non est cur dicamus, clausam esse his infantibus salutis viam in lege gratiæ: poterunt ergo sine baptismo saluari.

Quomodo infantes in lege gratiæ nõ possint saluari. D. Thom. Dico primò, Infantes, qui ante vsum rationis moriuntur, tempore legis gratiæ sufficienter promulgatæ, non posse saluari secũdùm legem ordinariã, nisi re ipsa eis applicetur verum ac validũ baptismi sacramentum. Hæc est sententia D. Thom. superiori q. artic. 1. vbi nullum censet esse possibile votum Baptismi, nisi in his, qui per proprium actũ possunt cognoscere, & desiderare, & infra q. 73. art. 3. dicit, ante baptismum susceptum non posse paruulum habere baptismum in voto, & ideò non posse rem sacramenti sine ipso sacramento obtinere: idem. 1. 2. q. 113. art. 3. ad primum. & in 4. d. 4. q. 3. art. 3. q. 2. ad 3. & quodlib. 6. artic. 4. vbi in terminis tractat quæstionem de casu necessitatis: & hæc etiam est cõmonis sententia Doctorum in 4. d. 4. Scoti, Durand. Richardi, Paludani, Capreoli, & aliorũ, Soto d. 5. art. 1. Vega lib. 5. in Triden. cap. vlt. Vvaldensis 2. tom. de sacram. c. 99. vbi inter errores Vvicleff ponit, quod dubitauerit, an paruulus sine baptismo mortuus damnetur; tandem Castro lib. 3. cõtra hæreses. verb. Baptismus, hæresi. 9. sententiam Caietani, vt hæreticam, damnare videtur: & re vera est valde aliena à sensu & dogmatib⁹ Ecclesiæ, & ideò, vt minimũ, est temeraria, & errori proxima: eamq; ob causam meritò Pius V. hanc Caietani sententiã à con- *Scotus. Durandus. Richardus. Paludanus. Capreolus. Sotus. Vega. Vvalden. Castro. Pius Quintus.*

à con-

Exploditur Caiet. sententia. à commentarijs D. Thom. expungi fecit in Romana impressione. Præcipuum fundamẽtum huius sententiæ sumendum est ex verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* quæ non licet vnicuiq; proprio sensu & arbitrio interpretari, sed iuxta proprietatem verborum, & iuxta Ecclesiæ sensum, & sanctorum Patrum, quorum nullus addidit exceptionem illam, quam Caietanus contra verborum vim adiũxit, faciens ex propositione absoluta conditionatã: nam Christus absolutè dixit: *Nisi quis renatus fuerit,* ipse verò addit conditionem; si fuerit possibile, absque vllo testimonio, vel autoritate. Nec maius pondus autoritatis, habet alia interpretatio de baptismo in voto respectu paruulorum: nullus enim Sanctorum cognouit votum baptismi, nisi in adultis, idque meritò, vt commodiùs infrà dicam, respõdendo ad fundamenta contrariæ sententię: est ergo lex lata à Christo simpliciter, & absolutè intelligẽda, vt verba sonant: per eam autem planè excludũtur à regno cælorũ omnes paruuli, qui sine baptismo moriuntur. Vnde *August.* August. lib. de natura & gratia. ca. 8. tractãs de paruulo in eo loco nato, ac mortuo, vbi baptizari non potuit, sic inquit, *Absoluat eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini regnum cælorum, sed non absoluit eum Apostolus, dicens,* *Paulus.* *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors,* & similem doctrinam habet libr. de bono perseuerantiæ. ca. 12. Nec refert, quòd directè scribit contra Pelagium: nam licẽt diuerso modo & ratione, tamen in hoc conuenit sententia Caietani cum sententia Pelagij, quòd absoluit huiusmodi infantem, eique regnum cælorũ aperit: & hoc est, quod simpliciter damnat Augustinus docens, esse verbis Christi contrarium. Vnde libr. 1. de anima, & eius origine. cap. 9. & lib. 2. c. 11. & 12. refert sententiã *Vincen. Victo.* cuiusdam Vincentij Victoris, qui, cùm nõ negasset peccatum originale in paruulis (in quo à Pelagio differebat) nihilominùs his paruulis, qui morte præueniuntur, priùs quàm baptizentur in Christo, ausus fuit eis promittere, non solùm paradisum, verũ etiam regnum cælorum, & ideò aiebat, pro eis oblationes assiduas, & sacrificia sanctorum Sacerdotum iugiter esse offerenda, & subdit Augustinus illũ hæreticum plus fuisse ausum, quam Pelagium: nam hic non est ausus promittere paruulis non baptizatis regnum cælorum, sed nescio quam aliam æternam vitam, seu fœlicitatis locum; Vincentius autem etiam regnum cælorum eis concedere ausus est, *contra regularem legem Christi,* ait Augustinus concludens, *Nunquid in hac causa erroris audaciam, temeritatem, præsumptionem habere quisquam posset ampliorem?* & ideò lib. 3. cap. 9. ita definit, *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes morte præuentos, antequam baptizentur, peruenire posse ad originalium peccatorum, si vis esse catholicus,* in quibus verbis iam non contra Pelagium, sed contra Caietanum scribere videtur: non enim dicit, Noli docere, infantes carere originali peccato: sed noli docere, stante lege Christi, posse illis remitti sine baptismo. Atq; hoc apertè cõfirmat *Ambrosius.* Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. vlt. vbi tractans verba Christi, *Nisi quis renatus,* Vtique, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate, nemo ascendit in cælum, nisi per sacramentum baptismi, & quia omnis ætas peccato est obnoxia, ideò omnis ætas est huic sacramento idonea,* Sic etiam *Isidorus.* Isidorus lib. 2. de diuinis officijs, cap. 24. de baptismo, *Paruulis,* inquit, *Baptismus proficit, vt à peccato originali abluantur: quod ab Adam prima natiuitate contraxerunt, qui, si prius quàm ex aqua & Spiritu sancto regenerarentur, trãsierint, procul dubio à Saluatore nostro Christo alienati sunt, testante Dño, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Atque in eãdẽ sentẽtiã subscribit *Gregor.* Gregorius lib. 7. epist. 53. versus finem, vbi respondet huic quæstioni sibi propositæ de paruulis morte præuentis ante baptismum susceptum, dicitque esse rem certam, eos non ingredi regnum cælorum ex lege à Christo lata; atque idem tradit Innocent. III. in cap. maiores. de baptismo, & Concil. Constantiense sess. 15. absolutè damnat erroris dicere, paruulos posse sine baptismo saluari & Concilium Tridentinum sess. 5. can. 3. definit, peccatum originale non posse paruulis remitti per aliud remediũ, præterquàm per meritum Christi applicatũ per baptismi sacramentum ritè collatum, & capit. 4. dicit, necessarium esse, hoc peccatum regenerationis lauacro expiari, & sess. 6. ca. 4. clariùs docet, post Euangelium promulgatum neminem iustificari posse sine lauacro regenerationis, sicut scriptum est, nisi quis renatus fuerit, & sess. 7. can. 5. absolutè definit, baptismum esse ad salutem necessarium. *Innocen. 3. Conc. Const. Trident.*

Vltimò possumus argumẽtari ratione, quanquã hæc conclusio re vera tota posita est in Christi voluntate, & institutione, nam ex illa totum hoc negotium pendet, potest tamen in hunc modũ explicari, nam infantes saluari non possunt ex opere operantis per proprium actum, seu propriam dispositionem: quia non sunt capaces illius, vt per se notum est, nisi fortasse per miraculum, quod eis attribuere vanum esset, & sine vllo fundamento confictum, vt in superioribus etiam dictum est contra huius tẽporis hæreticos, rursus nec saluari possunt ex opere operato sine baptismo secundum legem latam, quia hic modus consequẽdi salutem pendet ex Dei prouisione, & institutione non est autem talis prouisio facta in lege gratiæ alteri remedio præter baptismum, imò ita huic facta est, vt alia remedia excludantur. Vnde August. libr. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 15. *Nulla,* inquit, *præter baptismum Christi salus promittitur infantibus: quia infantes, si per sacramentũ, quod ad hoc est diuinitus institutũ, in credẽtiũ numerũ nõ transeant, in tenebris manent.* Atq; in hoc tenere potest proportio & similitudo inter paruulos & adultos: quia etiam adulti non possunt ex opere operato iustificari ab originali peccato, nisi per baptismum: in hoc ergo pares esse debent infantes, nam est eadem omnium ratio: quia pro omnibus est institutus baptismum, & de omnibus lata est lex necessitatem inducens. Quòd verò adulti possint per propriam dispositionem iustificari cum voto baptismi, intrinsecè requirit facultatem vtendi ratione, quæ possit diuina gratia excitari & adiuuari, & ideò in hoc non potuerunt paruuli illis esse pares, vt latiùs dicemus in solutionibus argumentorum. Vnde potest hæc ratio confirmari, simulque excludi fuga, vel euasio, contrariæ sententiæ: nam isti paruuli non possunt saluari per baptismũ in voto: ergo, si non saluantur per baptismum in re, nullum eis superest remedium: patet cõsequentia: quia ostensum est, baptismum, simpliciter loquẽdo, esse medium necessarium ad salutem: antecedens autem probatur, quia votum baptismi habendum est, aut per desiderium eius, seu expressum propositum suscipiendi illum, aut certè per talem dispositionem ad gratiam, quæ hoc votum implicitè contineat.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo voluntas patris nō reputetur votum filij.

Quod verò dicitur, paternam volūtatem, vel dispositionem reputari votū filij, vanum est, & sine fundamento, nā q. propria contritio implicitè includat votū baptismi, supposita illius lege, non est aliquid extrinsecus super additum, sed ex natura rei consequitur: nam vera contritio includit propositum seruandi omnia præcepta, & exequendi omnia necessaria ad salutem, & diuinam amicitiam tuendam: vnde hoc ipso, q. baptismus est præceptum, & necessarius, continetur sub obiecto illius propositi: atque hoc modo ex natura rei tale propositum cōtinet votum implicitè baptismi supposita lege eius: at verò, q. voluntas, seu desiderium patris proficiat filio tanquam dispositio, vel votum eius, non potest in ipsa rei natura fundari, etiam supposita lege baptismi, oportet ergo ostendere Christi legem, aut prouisionem, qua decreuerit, huiusmodi patris voluntate acceptare ad salutem filij, ac si esset volūtas eius: nulla autem extat talis Christi promissio, nec vestigium eius. Nam illud principium, q. filij ante vsum rationis reguntur patris volūtate, neq; aliam habēt præter illam, non satis est, vt existimemus, totū negotium salutis filij positum esse in volūtate patris, sicut in adultis totum negotium salutis propriæ pēder ex propria voluntate. Alias sequeretur primò, baptismum datum filio contra voluntatem patris non esse validum, nec illi prodesse ad salutem, quod est omnino falsum, vt in sup̄tioribus ostendi. Secūdò sequitur, si pater desideret filio abundatiorē gratiam, hoc ipso acceptari ad illum effectum, & reputari, ac si esset volūtas ipsius filij; quod est planè falsum, aliàs crescerent infantes in gratia per desideria, vel merita parentum. Vnde è cōtrario etiam fieret, vt per prauam patris voluntatem posset infans iustificatus gratiam amittere, vt si pater filiū offerat idolo: quia voluntas patris æquè reputanda est voluntas filij in malis, ac in bonis, cōsequens autem est apertè erroneum, vt latè tractat August. in psalmum 2. 8. Tertiò sequitur, q. sicut adultus statim iustificatur per votum baptismi, etiam si non sit in extremo periculo moriendi sine baptismo, ita etiā infantes hoc ipso, q. parentes illos Deo offerunt, & proponunt eos baptizare, statim iustificentur, etiā si non sint in necessitate, vel periculo moriēdi sine baptismo; patet sequela, quia est eadem ratio, & proportio iuxta contrariam sententiam inter propriā voluntatem respectu adulti, & voluntatem patris respectu filij: eadem ergo voluntas, atque idem votum, quod sufficit in necessitate ad vltimā & æternam salutem, sufficiet extra illam ad iustificationē. Consequens autē est planè falsum, alioqui ferè nunquam infantes acciperent primam iustitiam in baptismo re ipsa suscepto, sed in voto eius per voluntatem parentum. Vnde viterius sequitur, q. licēt posteà omittatur baptismus ex negligentia, vel personali malitia, nihilominùs infans saluatur: quæ omnia sunt valdè absurda, & ab Ecclesiæ sensu aliena.

Quanam absurda sequantur ex oppositā sententia.

Augustinus.

Nullus infans sine baptismo etiam ex speciali priuilegio saluatur, idq; sine reuelatione temerè asseritur de aliquo. Augustin.

Dico secundò, nullum infantem decedentē sine baptismo saluari ex speciali priuilegio aut dispensatione, vel saltem non posse hoc de aliquo affirmari absq; speciali reuelatione sine temeritate: hæc conclusio sequitur iudicio meo ex præcedenti, eamque docuit Sotus dist. 15. art. 2. & colligi potest ex Augustino citatis locis de origine animæ: & ratio est, quia nobis constat de vniuersali lege in scriptura latā non ergo potest à nobis dispensatio in tali lege, aut speciale priuilegiū affirmari, nisi aut ex eadem scriptura colligitur, aut alia sufficienti autoritate, vel reuelatione constet; præsertim cùm non soleat Deus his dispensationibus vti, & præter legem ordinariam quasi miraculosè operari propter priuatas rationes, seu personalia cōmoda, aut necessitates aliquorum, sed propter aliquod cōmune bonum, aut publicum ministerium, seu diuinæ gratiæ cōmendationem, vt in hac materia dixit D. Tho. in 4. d. 6. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad tertium. Et confirmatur, nam si Deus vellet inusitato, seu miraculoso modo operari, facilius illi esset, prouidere viam aut rationem aliquam baptizandi illum, quàm eū sine baptismo iustificare, sicut magis extraordinarium, & miraculosum esset iustificare adultum sine fide, quàm extraordinario modo prouidere viam cōparandi fidem; sicut ergo improbabile, ac temerariū esset, dicere adultum aliquem saluari sine fide, quādo non habet humanum medium ad obtinendam illam, sed dicendum potiùs est, vel Deum illi donare fidem per specialem aliquam prouidentiā, vel certè fore damnandum, si Deus hoc modo illi nō prouideret: ita de nullo infante credendum est, ex dispensatione saluari sine fidei sacramento, quod est baptismus, sed vel Deum illi ꝓuidere de baptismo, vel certè perire, si omnino hac prouidentia destituatur, & baptismo careat, atq; ex hac conclusione colligo, idem dicendum esse de infante, qui exterius baptizatus est, tamen in baptismo cōmissus est defectus aliquis essentialis: nam cùm ille defectus irritet totum sacramentum, perinde se habet, ac si nullo modo esset baptizatus: quia re vera non est renatus ex aqua, & Spiritu sancto, & tota illa actio exterior re ipsa non fuit sacramentalis; atque ita nullum effectum habere potest. Vnde affirmare, in eo casu paruulum saluari, non est verisimilius, quàm id affirmare de quocunq; paruulo sine baptismo mortuo: nā vel illi promittitur salus per legem ordinariam, vel per speciale priuilegium aut dispensationē: hoc posterius vanum est, & sine fundamento dicendū, vt dictum est, illud verò prius inuoluit in terminis repugnantiam: nam si illa actio exterior, prout fuit facta cum tali defectu, non est sacramentum: ergo nō est signum gratiæ ex certa lege Dei & promissione, vel è contrario, si non obstante illo defectu, ex certa lege datur gratia per illam actionem: ergo illa est verum sacramētum; quia talis promissio gratiæ secundùm legem ordinariam non est facta, nisi sacramēto, item quia ex lege Dei esset certum signū gratiæ, & vera regeneratio: ergo, vel esset aliud sacramentū præter baptismū regeneratiuū animæ in lege gratiæ, quod est hæreticū, vel esset verum baptismi sacramentum cum defectu essentiali, quod, & in se repugnat, & non est minus falsum.

D. Thomas.

Sicut adultus sine fide ita paruulus sine baptismo saluari non potest.

Ad fundamentū igitur contrariæ sententiæ prio ri modo explicatum respōdetur, Christum quidem non abstulisse sibi potestatem dispensandi in lege sua, aut communicandi gratiam eo modo, quo sibi placuerit; tamen nec pium, nec rationabile esse credere, aut asserere, ipsum hoc facere in priuata aliqua necessitate sine alia causa, vel ratione, aut fundamēto. Nam, vel de omni simili necessitate idem asserēdum est; & hoc virtute est asserere, ita fieri ex lege ordinaria, vel certè non est maior ratio ad id potius asserendum in vno casu, quàm in alio, nisi hoc speciali reuelatione constet. Imò existimo in huiusmodi necessitate nō debere pios parētes petere à Deo, vt iustificet, vel saluet paruulū sine baptismo; quia hoc

Ad fundamentum sententiæ.

hoc esset petere ab alio, vt cōtra suam legem agat, vel vt in vniuersali lege pro omnibus lata dispenset, quod sine speciali reuelatione, aut instinctu Spiritus sancti, qui reuelationi æquiualeat, non licet, sicut nō licet petere à Deo, vt aliquem damnatum ab inferno liberet, vel vt peccatorem adultū sine illius dispositione sanctificet, sed in his casibus petendum est à Deo, vel in cōmuni, vt de remedio necessario prouideat, vel certè, vt nō permittat paruulum in ea opportunitate mori, antequā baptizetur: hoc autem intelligendum est, vt dixi, secūdùm ordinarium modum procedendi hominum, cōsentaneum fidei, & legi à Deo latæ: nam speciali instinctu Spiritus sancti, qui, vbi vult, & quomodo vult, spirat, posset interdum aliud licere.

Ad fundamentū opinionis Caietani.

Ad fundamentum opinionis Caietani iam ostensum est, vtramq; interpretationem legis Christi esse valdè absurdam: nam, cùm absolutè lex lata sit & absolutam necessitatem præseferat, addere ei cōditionem, vel generalem, & ordinariam exceptionem solùm ex proprio capite & arbitrio, non est interpretari legem, sed corrumpere, altera verò interpretatio de baptismo in re, vel in voto, non potest applicari paruulis, de quibus quoad hoc non est eadem ratio, quæ de adultis, vt ostensum est. Quod autem dici solet, paruulum non habere aliā voluntatem præter paternam, intelligendum est quoad particulare ius, quod pater habet ad gubernandum filium, & curam eius gerendam in his, quæ ad corpus, & animam eius pertinent, de quo iure in superioribus latè tractatum est; non verò quoad hoc, vt voluntas patris reputetur voluntas filij; præsertim in his, quæ ad salutem animæ spectant, quæ nō sunt posita in voluntate patris, nec subiacent dominio eius, neque in his se gerit vt caput filij, sed solùm vt priuata persona, & eadem ratione fides patris nō applicatur filio pro ipsius arbitrio, sed solùm iuxta diuinam institutionem; & ideò nihil refert signū externum, nisi sit illud, quod à Deo est institutum, quare gratis & sine fundamēto dicitur tale signum continere votum baptismi quasi ex opere operato: quia hoc opus operatum deberet fundari in aliqua Dei lege, vel in effectu aliquo ab illa prouenient e. Quare non est simile, quod de baptismo & de Eucharistia dicitur: nam, vt omittam satis metaphoricè dici, paruulum per baptismum habere votum Eucharistiæ, tamē illa metaphora fundatur in effectu, quem baptismus habet ex lege, & ꝓmissione Dei: nam vnit animam Christo, & infundit charitatis habitum, quo seruantur omnia mandata, seu seruari proponuntur, etiam in habitu: hæc autem & similia non habent locū in quolibet signo externo pro prio arbitrio exhibito absque Dei institutione. Ad primam confirmationem respondetur, negādo, verba Euangelij sufficienter explicari dicto modo, seu cum prædicta exceptione, quam non negamus potuisse Christum addere suæ legi, si voluisset, negamus tamen id fecisse; quia nec verba eius hoc præ se ferunt, nec Ecclesia ita sentit. Ad congruentiam verò de suaui Dei prouidentia respondetur, in primis in hoc negotio paruulorum partim habendam esse rationem diuinæ misericordiæ, partim iustitiæ est enim in paruulis sufficiens causa, propter quam excludantur à regno cælesti, & ideo potuit Deus ad ostensionem iustitiæ suæ permittere, vt pereāt illi, quibus remedium ordinarium ad consequendā salutem, vel non applicatur, vel applicari nō potest propter occurrentes circunstantias, quæ sunt per accidens ad institutionem remedij, quod de seruiuersale est, & pro omnibus datum. Deinde dicitur, in hac lege de necessitate baptismi magis esse pensandum, quid expediat bono cōmuni totius Ecclesiæ in hoc statu legis gratiæ, quàm quid expediat priuatis necessitatibus, aut commodis aliquorū: oportuit enim legem baptismi esse generalem, vt ille solus sit regeneratio in Christo, & ianua ingrediendi Ecclesiā, vt, sicut Ecclesia vna est, ita vnus sit regenerationis modus. Addo, illum euentum, in quo accidit, paruulum aliquem non posse baptizari, rarissimum esse, & moraliter vix posse accidere, & ideò propter id non oportuisse exceptionē addere, sed magis fuisse conueniens legem esse regularem, & inuiolabilem: nullumque locum relinqui humanis interpretationibus, & arbitrijs. Addo præterea, hoc fuisse expediēs ad ostensionem diuinæ gratiæ, sicut & iustitiæ: nam totum hoc negotium salutis maximè pendet ex diuina voluntate & præordinatione; & ideò sicut in hoc negotio baptismi interdum ostendit iustitiam suam, vt dicebamus, prouidens fore, vt alicui non possit applicari baptismus, & permittens illum sine baptismo perire: ita interdum mirabiliter ostendit gratiam suam, quando nimirum casus occurrit, in quo videtur paruulus omni humano & naturali auxilio destitutus, vt baptizari possit, & tamen Deus specialiter, & inusitato modo illi prouidet, vt omnino baptizetur, priùs quàm moriatur.

Ad 1. confir.

Ad secundam confirmationem respondetur, etiā si in lege gratiæ omnino determinatum sit remedium paruulorum ad baptismum; non ideò esse nūc paruulos peioris conditionis, quàm essent in lege naturæ, aut veteri: nam in primis quanuis materia, seu signum baptismi sit definitū ad talem ceremoniam, quæ non erat determinata in lege naturæ, nihilominùs tam est cōmunis hæc materia baptismi, & tam facilè potest applicari tota eius ceremonia, vt moraliter ferè tam facilè applicari possit, ac si esset indifferens, & quælibet ceremonia sufficeret, sicut in lege naturæ sufficiebat, aliunde verò faciliùs potest nunc applicari hoc remedium propter maiorem fidei cognitionem, & certiorem ipsius baptismi significationem, & institutionē. Accedit etiā, q. maiori fructu applicatur nunc hoc signum, quia maiorem confert gratiam, & ianuam regni aperit. Præterquàm, quòd propter cōmune bonum Ecclesiæ, & perfectiorem statum legis gratiæ, vt in ea esset expressior sacramentorum significatio, oportuit hoc remedium originalis peccati ad certum, & definitum signum limitari. Deinde si comparatio fiat ad remedium circuncisionis, omissa opinione eorum, qui negant potuisse illud remedium suppleri interdum per sacramentum legis naturæ, de qua infrà dicemus, & supposita cōtraria sententia vt verosimili, quam latè tractat Sotus d. 2. q. 1. arti. 3. dicendū est, non esse parem rationem de baptismo, & circuncisione: primò quidem, quia necessitas circuncisionis non vrgebat vsque ad octauum diem, nec fortasse poterat priùs applicari ob quamcunque necessitatem; & ideò, pro illo tempore non videtur exclusum aliud remedium, saltem necessitate vrgente. Deinde quia circuncisio per se primò non fuit instituta, vt remedium originalis peccati, sed vt esset professio illius legis, seu fidei, ex quo consequenter habuit eandem vim, quam remedium legis naturæ quasi

Ad 2. confir.

Comparatio Baptismi & Circuncisionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi loco illius succedens. Vnde mirum non est, q̃ non omnino illud euacuauerit, ac de medio abstulerit, cuius etiam signum est, quia nec toti orbi fuit proposita, neque omnibus infantibus Hebræorum applicari poterat, vt constat de fœminis: quæ omnia sunt longè alterius rationis in baptismo: nam & per se primò est institutus ad remittendum peccatum, & regenerandos homines in Christo, & omnibus applicari potest, & pro omnibus est institutus, & vt necessarius propositus. Denique accedit cõgruẽtia, q̃ circuncisio erat remedium difficile, & interdum periculis expositum; at verò baptismus est remedium facile, semperq; sine periculo applicari potest. Est ergo certum, per baptismum reuocatũ esse omne aliud signum externum, non solùm circuncisionis, sed etiam legis naturæ: quia quod tunc erat indifferens, nũc est à Christo determinatum ad baptismum sub absoluta lege necessitatis. Neque existimo, Bernardum de hoc vnquam dubitasse, sed solùm citato loco dubitat, quo tempore antiqua sacramenta cœperint esse inutilia paruulis: in quo potiùs supponit, iam esse inutilia. Quod si etiã de præsenti tempore; vel de sua ætate dubitabat, non est intelligendus quoad legem ordinariam, sed solũ quãtum dubitari potest, an Deus alicui speciale priuilegium concedat. Ad exemplum autem de adultis, quod in eadem confirmatione afferebatur, respondetur, nõ esse eandem rationem, vt ex dictis facilè cõstare potest: quia adulti sunt capaces iustificationis per propriam dispositionem, in qua intrinsecè, & quasi ex natura rei continetur votum baptismi, supposita eius institutione, & necessitate; in paruulis verò hoc non habet locum, vt dictum est.

Ad 3. confir.

Ad vltimam confirmationem cõceditur sequela, & consequens debet esse certissimum, scilicet infantes, qui in maternis vteris moriuntur, non posse saluari: ita enim sentit vniuersa Ecclesia, & Theologi omnes cum D. Tho. dicto art. 11. q. precedente, & Aug. epist. 57. Fulgentio de fide ad Petrum c. 27. Hoc autem non est singulare legis nouæ, sed in omni lege, & ætate verũ habuit: quia, vt August. supra dixit, seculo speciali priuilegio, nunquã potuit homo renasci priùs, quàm nasceretur ex vtero matris, & ideo sanctificatio, quæ interdum facta est in aliquibus in vtero materno, semper existimata est fieri ex priuilegio speciali. Ratio autem huius rei præcipuè petenda est ex diuina prouidentia, & voluntate: possumus autem nos nonnullam congruentiã illius voluntatis excogitare, nam oportuit, vt sicut homines ab Adamo descendunt humano modo, & per actionem sensibilem ab illo contrahunt originalem culpam, ita per omnes, & per actionem aliquam sensibilem, & modo hominibus accõmodato eis applicaretur gratia Christi; at verò quandiu infans est in vtero materno, adhuc est veluti extra societatem humanam; vnde non potest ad eum referri sacramẽ talis actio, & intentio, cùm adhuc non constet hominibus, quid ibi lateat, aut in quo statu, vel necessitate constitutum sit. Vnde fit vlterius, nõ potuisse cõmodè applicari huiusmodi remedium paruulis in eo statu existentibus, quia, vel semper applicãdum esset, quia semper timeri potest, ne sint in aliquo graui periculo vitæ, & ita nunquam sanctificarẽtur per ordinaria remedia, quæ pro hominibus iam natis instituta sunt, vel certè nunquam potest opportuno tempore prudenter applicari, quia nunquam potest satis constare de necessitate, aut statu, in quo

Augustinus.

Sanctificatio in vtero semper facta est ex aliquo priuilegio.

infans existit in materno vtero. Nisi fortè quis dicat, remedium semper esse applicandum per orationes, vel alia signa fidei parẽtum; habere autem, vel non habere effectum iuxta diuinam præscientiam, ita vt, si Deus præsciat, paruulum moriturũ in vtero matris, remedium applicatum habeat in eo effectum; non verò si præsciat, illum esse victurum, & nasciturum ex vtero matris; sicut in simili dixit Marsil. in 4. q. 2. art. 1. dub. 2. sed hoc non est veri simile, vt bene notauit Soto in 4. d. 2. q. 1. arti. 3. & 2. de natura & gratia. ca. 10. quia sacramenta, & alia remedia, quæ Deus nobis ad salutem reliquit, non pendent ex futuris euentibus, neq; ex præscientia eorum, sed ex applicatione remedij instituti, & dispositione recipientis, alioquì eodẽ modo dici posset, sicut dicebat Vviclef, hæc remedia habere effectum in prædestinatis, non verò in præscitis. Ad rationem ergo in illa vltima confirmatione factam fatẽdum est, Deum reliquisse hos infantes sine remedio pro illo statu, seu quod in illo statu applicari posset; inde verò non fit, simpliciter & absolutè reliquisse illos sine remedio: quia sufficienter illis prouidit, saltem in causis vniuersalibus, nam pro illis instituit baptismum, & per generales causas sufficienter prouidit, vt eis posset applicari, q. verò interdũ impediantur hæ causæ ex concursu aliarum causarum, est per accidens, nec pertinuit ad ordinariam Dei prouidentiam, hæc omnia impedimenta tollere, aut propter priuata incõmoda, & raros euentus extraordinaria concedere remedia, quorum vsus cõuenientem modum, & vsum ordinarium sacramentorum, quodammodò perturbaret. Vnde interdũ permittit Deus, infantem mori in eo statu absq; remedio ad ostensionem iustitiæ suæ; interdum verò extraordinario modo prouidet, vt infans, nõ obstãte quocũq; periculo, aliqua ex parte egrediatur de vtero matris, ita vt baptizari possit, antequàm moriatur, ad ostensionẽ gratiæ, & electionis suæ, neq; in hoc negotio aliquid ampliùs pẽtendum est à diuina prouidentia, quia non tenetur singulis dare remedia pro singulis temporibus, & in quocunq; statu, & sub quacunque conditione, sed satis est omnibus prouidere vniuersali quadam ratione, & modo hominibus accõmodato. Quocirca non est omnino eadẽ ratio quoad hoc in culpa Adæ, & gratia Christi cõmunicanda: nam illa transfunditur per naturalem generationẽ, & ideò in vtero matris, & in ipso cõceptionis instanti participatur; gratia verò Christi per spiritualem regenerationem infunditur, quæ fit per humanam, & sacramentalem actionem, ad quam necesse est supponi subiectũ, quod sensibus, atque oculis humanis subiacere possit.

Marsilius. Soto.

Vvicleff.

SECTIO IIII.

Quo tempore cœpit baptismus esse ad salutem necessarius.

Bernardus.

HANC quæstionem tetigit Bernard. epist. 77. vbi refert, quosdam suo tempore asseruisse, ab eo tempore, quo Christus dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum*, cœpisse baptismum esse necessarium ad salutem, ita nullus postea, sine illo salutem sit consecutus; cuius sententiæ videntur interdum fauere sancti Patres, præsertim Fulgentius lib. de

Fulgentius.

ergo omnia antiqua remedia fuissent iam inutilia, vel saltem insufficiẽtia ad salutẽ eorũ esset ergo tũc clausa salutis via hominibus, præsertim infantibus, non tantũ ex accidenti, sed per se ex vi talis modi imponendi necessitatẽ: pater vltima consequentia, quia, cùm tunc nõ esset publicè prædicatus baptismus, non poterant homines illo vti in remediũ salutis, quia non poterant vllo modo intelligere, vel cogitare, corporis ablutionẽ fore vtilem, nedum necessariam ad animæ salutẽ. Propter quam causam cõstans, & certa doctrina est Theologorũ, quæ in materia de legib⁹ traditur, antiqua remedia, tam legis naturæ, quam veteris, nõ amisisse suam vim & vtilitatem sufficientem ad tollendum peccatum ante Christi mortem: ex quo necessariò consequitur, baptismum non fuisse illo tempore necessarium.

Cyprianus. Augustinus.

Chrysost.

Dico secundò, Necessitas baptismi non incepit à die mortis, vel resurrectionis Christi, sed ab eo tempore, quo cœpit Euangelium esse sufficienter promulgatum. Hoc etiã docet Bernardus in dicta epistola, & colligitur ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. dicente, post Euangelium promulgatum neminem iustificari sine baptismo, vt rectè notauit Vega li. 5. in Trid. capit. 13. & cum Scoto & aliis doctoribus in 4. dist. 3. & 4. intelligendum esse declarat de solẽni promulgatione toti orbi facta, siue illa simul, siue successiuè perfecta fuerit, & obligare cœperit in toto orbe, quod in materia de legibus ex professo tractandũ est. Ratio autem à priori est, quia baptismus non priùs cœpit esse necessariũ medium ad salutẽ, quàm fuerit necessarius ex præcepto: sed præceptũ non cœpit obligare ante sufficientem promulgationẽ, quia hoc est de intrinseca ratione præcepti seu legis, siue sit de essentia, siue necessaria conditio ad obligationẽ eius (parum enim hoc refert) ergo nec cœpit baptismus habere necessitatem medij vsq; ad eandem promulgationem. Maior declaratur, quia licèt necessitas medij, & præcepti, sint aliquo modo diuersæ: tamen in his medijs externis, quæ natura sua non sunt media, sed solùm ex institutione, non potest esse necessitas medij, nisi ex necessitate præcepti oriatur. Quia, si non sit datum præceptũ de illorum vsu: ergo omittere illa nullum erit peccatum: poterit ergo aliquis saluari, etiam si illa omittat: quia salus solùm per peccatum impeditur: ergo sine præcepto non potest intelligi necessitas simpliciter in huiusmodi medio. Dices, hoc ad summum procedere in adultis, non verò in infantibus, illi enim possunt per cõtritionem, & iustitiam semel comparatam amittere nõ possunt, nisi per peccatũ, & ideò, nisi intercedat præceptum, quo teneantur suscipere baptismum, quodq; violent, omittendo illum, non potest intelligi necessitas talis medij, neq; q. votũ eius necessario in contritione includatur; infantes verò nec iustificari possunt per proprium actũ, nec sunt capaces præcepti, & ideò respectu illorum potuisset baptismus esse medium necessarium ante latum præceptum: quia licèt in carentia talis medij nõ peccarent, damnari possent propter originale non deletum. Respõdetur primùm, hoc nobis satis esse: quia, quicquid sit de possibili, tamen de facto certũ est, necessitatem baptismi non prius incepisse respectu infantium: quàm respectu adultorũ: nam Christus nullam inter eos distinctionem fecit, sed simul, & in cõmuni de omnibus locutus est. Deinde, non fuit cõueniens, prius cœpisse baptismum esse infantibus necessarium, quàm fuerit parentibus imposita necessi-

Quando cœpit esse baptismi necessitas. Bernardus. Concil. Trid. Vega. Scotus.

Ratio à priori.

Obiectio.

Solutio.

Ante Christi mortem & resurrectionem nõ fuit baptismi necessitas. Bernardus. Hugo de sancto Vict.

Lex non obligat antequàm condita sit, & promulgata.

Ioannis 6.

Universidad de Deusto Biblioteca

necessitas baptizandi illos: hæc autẽ orta est ex præcepto baptismi: quanquã etiam oriri potuerit ex lege charitatis & pietatis, supposita infantiũ necessitate; tamen, quia hæc ipsa necessitas non poterat cadere in mentem parentũ ante promulgatã sufficientem baptismi institutionem, ideò nõ potuit conueniẽter institui, & imponi baptismus vt necessarius, etiam respectu infantiũ, ante sufficientẽ promulgationem. Vnde potest hic tandem applicari suprà facta ratio, sumpta ex debito ordine diuinæ prouidẽtiæ, quia scilicet aliàs via salutis esset per se impossibilis omnibus infantibus toto illo tẽpore, quod est magnũ incõmodũ: dico autem, per se, quia per accidens non est incõueniens. Quòd enim gubernator, aut legislator prouideat, aut præcipiat media ex se impossibilia, est cõtra omnem prudentiã, & sapientiam; q. verò remedia aut præcepta, aliàs possibilia, interdũ executioni mandari nõ possint, humanum est, & nõ spectat ad legislatorẽ, vel gubernatorem prouidere modũ, quo possint in omni euẽtu, & particulari casu talia remedia applicari. Sed occurrebat iam hoc loco explicandũ, quãdo fuerit lex euangelica sufficienter promulgata, sed hoc non spectat ad præsentem locum, sed in 1.2. disserendum est.

An Christi morte vtilitas circuncisionis euanuerit.

Obijci verò potest contra hanc conclusionem, quia in puncto mortis Christi lex vetus euacuata est, & vtilitas circuncisionis euanuit, iuxta illud ad Rom. 7. *Mortificati estis legi per mortem Christi:* ergo ex tunc cœpit baptismus esse necessarius, aliàs nullũ tunc permansisset remedium necessarium ad peccatum originale delendum.

Responsio 1. Respondetur primò, negando antecedẽs: cùm enim Paulus significat, mortuam fuisse legem veterem per mortem Christi, nõ est necesse ita intelligi, vt in eodẽ momẽto, in quo mortuus fuit Christus, mortua etiam fuerit lex vetus: sed quia ex morte Christi manauit ablatio veteris legis, vnde tunc posita fuit sufficiẽs causa huius effectus, quãuis non statim, sed paulatim, seu opportuno tẽpore illum effecerit, vt lex illa sepeliretur cũ honore, sicut etiam sacrificia illius legis ablata sunt per sacrificiũ legis nouæ, & sacerdotium vetus per sacerdotium Christi, & per mortem eius, vt significatur ad Hebr. 7. & 9. & tamen nec sacerdotiũ, nec sacrificia vetera omnino extincta fuere in morte Christi, alioqui vsus talis sacerdotij, & omnes ceremoniæ, & sacrificia legis veteris fuissent superstitiosa & sacrilega ab instanti mortis Christi: quod tamen verũ non est: dicuntur ergo hæc omnia euacuata per mortem Christi: quia tunc consummata sunt omnia, & confirmatum testimoniũ nouũ, ex quo ortum est, vt vetus cessaret, modo tamen conuenienti, & tẽpore opportuno.

Pau. Hebr. 7. & 9.

Responsio 2. Secundò respondetur, negando cõsequentiã: probabile enim est, eo tẽpore, quo lex vetus fuit mortua, & non mortifera, adhuc non fuisse baptismum simpliciter necessariũ ad salutem, quãuis vtilitas omnium veterum sacramentorũ, & circũcisionis etiam, vt ad illam legem pertinebat, euacuata iam esset. Dicendũ est ergo, illo tẽpore vsq; ad perfectã euãgelij promulgationẽ durasse naturalẽ legem, & remedia salutis, quæ in illa erant, suam vtilitatem non amisisse: quia illa non erant ita ceremonialia, & vmbræ futurorũ, sicut veteres ceremoniæ: sed erant quasi cõnaturalia, & per se ordinata ad salutem hominum. Vnde fit, circuncisionem potuisse eo tempore prodesse ad remediũ originalis peccati: quia huiusmodi vtilitatẽ non habuit, vt speciale sacramentum veteris legis, sed vt participabat communem rationem, & vim sacramẽti legis naturæ, vt in superioribus explicatum est: hanc ergo vim obtinere potuit, quandiu lex vetus non fuit mortifera, & ideò non oportuit, baptismũ eo tempore esse simpliciter necessarium.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, si aliquando Patres dicunt; baptismũ cępisse esse necessariũ, ex quo Christus dixit Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, exponendos esse non de eo tempore, in quo, sed pro quo protulit illa verba, vt à nobis satis explicatũ est: quod verò August. Cypria. & Chrysost. de baptismo boni latronis docuerunt, ex quadam pia cõsideratione, & copia doctrinæ dictum videtur, nõ q. fuerit necessariũ, vt argumentum cõuincit: quia tunc nondum vrgebat baptismi necessitas.

Ioan. 3. Augustinus. Cyprianus. Chrysost.

An bonus latro fuerit baptizatus.

An verò credibile sit illum fuisse baptizatum, tractaui superiori tomo. q. 46. art. 11. in cõmẽtario, vbi probabilius duxi, non fuisse baptizatũ baptismo aquæ, antequã cruci affigeretur: quia nõdũ in Christũ crediderat: q. verò in ipsa cruce non fuerit baptizatus, certo certius est: quis enim minister eum baptizasset, aut formam protulisset? aut qua aqua baptizatus esset? illa enim, quæ ex latere Christi manauit, non potuit ad illum pertingere sine miraculo, quod non est fingendum sine fundamento: & fortasse priùs, quàm illa aqua manaret è latere Christi, iam ille erat mortuus, nam priùs fregerunt eius crura, vt interficeretur, quàm latus Christi aperirent: præsertim quia viuente Christo ille iustificatus est, quando ipsum confessus est, & ideò ab eo audiuit, *Hodie mecum eris in paradiso*. Vnde etiam constat, non fuisse baptismo sanguinis iustificatũ; quia multò tempore ante mortem & ante lethalia vulnera, ac omnino desperata, iustificatus est, & quando dici nullo modo poterat ꝓpter Christum pati. Addo passionem & mortem eius non posse dici baptismum sanguinis, tum quia nec fuit verum martyrium, quia non propter fidem, aut virtutem, sed propter sua scelera passus est: tum etiam quia, licèt illa mors fuisset martyrium, non tamen suppleuisset necessitatẽ baptismi aquæ, quod est necessarium ad propriã denominationem baptismi sanguinis, quia tunc nulla erat talis necessitas. Atq; eadem ratione nõ potest dici latro ille propriè baptizatus baptismo flaminis, quia licèt verã habuerit cõtritionem, verũq; Dei amorẽ super omnia, nõ tamen oportuit in eis includi votũ baptismi, qui nõdũ erat necessarius, quod tamen votũ est de necessitate baptismi flaminis. Quocirca ex hoc facto latronis nõ potest sufficienter colligi documentũ illud, quod nunc in necessitate sufficiet votũ baptismi, sed potest sumi argumentũ à simili, q. sicut illi profuit ad salutem interior conuersio in extremo vitæ posito: ita sufficiens esse poterit cuilibet in necessitate existenti, etiam si baptizari non possit: quia baptismi necessitas non abstulit vim suam interiori conuersioni ad Deum, si ex perfecto corde profecta sit.

ARTICVLVS VIII.

¶ *Vtrùm baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.*

4. d. 4. q. 3. ar. 3. q. 1. & 2. & dis. 2. q. 1. art. 3. q. 1. corp.

AD octauum sic proceditur. Videtur, q. baptismus non habeat in omnibus æqualem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpæ. Sed in quibusdã plura peccata tollit, quam in alijs: nã in pueris tollit solum peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibusdam plura, in quibusdam verò pauciora. Non ergo æqualem effectum habet baptismus in omnibus.

¶ 2 Præthereà, Per baptismum conferuntur homini gratia & virtutes. Sed quidã post baptismum videtur habere maiorem gratiã & perfectionem virtutum, quàm alij baptizati. Non ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

¶ 3 Prætereà, Natura perficitur per gratiam, sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum eius capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis etiam pueris, sit maior capacitas naturaliũ, quam in alijs, videtur, quod quidam maiorẽ gratiam consequantur, quàm alij.

¶ 4 Prætereà, Quidã in baptismo cõsequũtur non solũ spiritualẽ salutẽ, sed etiam corporalem, sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est à lepra. Non autẽ omnes infirmi corporalem salutẽ consequũtur in baptismo. Baptismus ergo non habet æqualem effectum in omnibus.

SED contra est, quòd dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma. Vniformis autẽ causæ est vniformis effectus. Ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

RESPONDEO dicendũ, quòd duplex est effectus baptismi, vnus per se, & alius per accidẽs. Per se quidẽ effectus baptismi, est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandũ homines in spiritualẽ vitã. Et hunc effectũ ęqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habet ad baptismũ. Vnde, quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismũ (quia nõ in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur) omnes æqualẽ effectũ percipiũt in baptismo. Adulti verò, qui per propriã fidẽ ab baptismũ accedũt, nõ æqualiter se habent ad baptismũ, quidã enim cũ maiori, quidã cũ minori deuotione ad baptismũ accedũt, & ideò quidã plus, quidã minus de gratia nouitatis accipiunt. Sicut etiã ab eodẽ igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licèt ignis, quãtũ est de se, ęqualiter ad omnes suũ calorẽ effundat. Effectus autẽ baptismi per accidens, est ad quẽ baptismus non est ordinatus, sed diuina virtus hoc in baptismo miraculosè operatur. Sicut super illud, Rom. 6. Vt vltrà nõ seruiamus peccato, dicit glos. Nõ hoc præstatur in baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili Creatoris, vt lex peccati, quæ est in mẽbris, prorsus extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiã si cum æquali deuotione accedant, sed dispẽsantur huiusmodi effectus secundum ordinem prouidentiæ diuinæ.

glos. Aug. lib. 1. de pec. mor. & remis. c. 39. tom. 7.

AD primum ergo dicendum, quòd minima gratia baptismalis sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Vnde hoc non est propter maiorẽ efficaciam baptismi, quod in quibusdam plura, in quibusdam autem pauciora peccata soluit, sed propter conditionẽ subiecti, quia in quolibet soluit, quotcunque inuenerit.

AD secundum dicendũ, quod hoc, quod in baptizatis maior vel minor gratia appareat, potest dupliciter contingere. Vno modo quia vnus in baptismo percipit maiorem gratiã, quàm alius propter deuotionẽ maiorem, vt dictum est. Alio modo, quia, etiam si æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea vtuntur, sed vnus studiosius in ea proficit, alius per negligẽtiam gratiæ Dei deest.

In cor. art.

AD tertium dicendum, quod diuersa capacitas naturalium in hominibus, non est ex diuersitate mentis, quæ per baptismum renouatur, cùm omnes homines eiusdẽ speciei existentes in forma conueniant, sed est ex diuersa dispositione corporum. Secus autem est in angelis, qui differunt specie. Et ideo Angelis dantur dona gratuita secundũ diuersam capacitatem naturalium, non autem hominibus.

AD quartum dicendum, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus prouidentiæ diuinæ.

COMMENTARIVS.

DOctrina D. Thomæ in corpore articuli clara est, neq; vlla indiget expositione: docet enim, baptismum per se, & vi sua æqualem habere effectũ in omnibus, qui illũ suscipiunt: quia, quantum in se est, æqualiter se habet ad omnes, ex parte verò subiecti inæqualiter dispositi fieri posse, vt maiorem habeat effectum in vno, quàm in alio. Quam doctrinam fusiùs explicabimus sequenti disputatione. Vbi non nihil etiam dicemus de solutione ad secundũ, in qua D. Thomas attingit philosophicam quæstionẽ, an animæ humanæ sint inæquales in naturali perfectione, vt hac ratione, cæteris paribus, recipiant inæqualẽ effectum proportionatum naturali perfectioni, & respõdet, nõ esse in mẽtibus hominum diuersam capacitatem naturalẽ ex parte ipsarum, sed ex diuersa corporũ dispositione, & ideò non opertere, vt eis detur inæqualis gratia ob diuersam capacitatẽ naturalẽ: quæ respõsio duobus modis potest intelligi. Primò, quòd in animabus ipsis secundum se nulla sit inæqualitas. Secũdò quod in eis nõ sit inæqualitas formalis (vt sic dicã) & omnino absoluta, sed materialis tantùm, & per habitudinem ad corpora diuersimodè disposita, ita tamen, vt non sit inæqualitas in solis corporibus,

Universidad de Deusto Biblioteca

sed etiam in animabus habentibus habitudinem ad illa. Et vterque sensus potest facilè accommodari verbis D. Thom. ac prior quidem est facilior ad euacuandam omnino difficultatem argumenti. Posterior verò est fortasse in re ipsa verior, vt in libro de anima latiùs differitur, & est sufficiens ad argumentum soluendum, quia, cùm multiplicatio indiuiduorum, & inæqualitas eorum sit quodammodo materialis, & per accidens, non oportet in hoc gratiam accommodari naturæ, vt iterum inferiùs dicam.

Quomodo effectus baptismi per accidẽs possint esse diuersi.

Quod autem D. Thomas asserit in posteriori parte articuli, effectus per accidens baptismi posse esse diuersos, & inæquales in varijs subiectis, si termini intelligantur, difficultatem etiam non habet, dicuntur enim effectus per accidens illi, qui sunt vltra virtutem, & efficaciam, quam baptismus habet ex vi suæ institutionis; de quibus nulla est à Deo lex, nec promissio. Vnde, si loquamur secundùm legem ordinariam, æqualitas baptismi quoad hos effectus est, quòd in nullo subiecto habere illos potest virtute sua, si ergo interdum habet aliquem huiusmodi effectum, est, quia Deus suo arbitrio miraculosè illo vtitur ad aliquid operandum vltra legem ordinariam. Diuina autem voluntas pro sua libertate & gratia potest operari, vel non operari huiusmodi effectum, quando vult, & ideo non oportet in huiusmodi effectibus inueniri æqualitatem, etiam si ex parte suscipientium cætera sint paria. Vnde quoad priores effectus baptismus se habet vt agens naturale ex vi institutionis, & ideò semper agit quantum potest, quoad posteriores autem effectus se habet vt agens liberum ex vi motionis diuinæ, & ideò non agit quantum potest, sed quantum Deus vult. Hac verò occasione attingit D. Thom. in solutione ad quartum quæstionem illam de baptismo Constantini, an in eo fuerit à lepra mundatus. Et in argumento quidem refert hanc historiam vt veram, & in solutione eandem veritatem admittens, respondet, illum fuisse ex effectibus miraculosis, & per accidens baptismi: Caietanus autem in Commentario significat, historiam illam, & esse incertam, & non esse adeò fide dignam: quia nullius autoritate constat, vt ipse dicit, ac tribus modis confirmat: primò, quia gesta Syluestri, in quibus hæc historia narratur, incertum habent autorem: secundò, quia nullus historicus Christianus, aut Gentilis eam narrauit historiam: tertiò, quia Ambrosius oratione de obitu Theodosij dicit, Constantinum in vltimo vitæ positum baptizatum fuisse, quod ipse etiam Caietanus docuit suprà art. 3. citans eundem Ambrosium. Potuissetq; adiungere Eusebium (ex quo fortasse Ambrosius id mutuatus est) lib. 4. de vita Constantini cap. 62. vbi refert, Constantinum in fine vitæ, Nicomediæ fuisse baptizatum. Idem Hieronymus in additione ad Chronicon Eusebij anno trecentesimo quadragesimo addens, Constantinum fuisse ab Eusebio Nicomediensi Ariano baptizatum & in Arianam hæresim declinasse. Theodoretus etiam lib. 1. historiæ cap. 32. addit, Constantinum baptismũ distulisse vsq; ad finem vitæ, *quod magno tenebatur desiderio hoc salutare lauacrum in Iordane fluuio recipiendi*, sed non debuisset Caietanus in re tam graui ac pia tam facilè à Romana traditione discedere: neque enim ea, quæ ipsum mouisse videntur, satis perspecta, atq; considerata sunt. Nam in primis, licèt fateamur cum Gelasio Papa in cap.

Baptismus Constãtini. *Caietani de Cõstantini baptismo.* *Exploditur Caietani sententia.*

A sancta Romana. 15. d. acta Syluestri non habere nominatum ac certum autorem, tamen ex eodem Gelasio fatendum nobis est, habere plusquàm probabilem, ac ferè certam autoritatem, qualis esse potest in humana historia, quæ non semper ex nomine autoris, sed interdum ex antiqua traditione, & communi cõsensione autoritatem accipit. Refert autem in eodẽ cap. Gelasius historiam illam, atq; acta Syluestri, suo iam tempore antiquo vsu fuisse recepta, tã in Romana Ecclesia, quàm in alijs: fuit autem Gelasius nondum duobus seculis posterior Syluestro, nimirùm centũ & septuaginta annis: ergo si tempore Gelasij iam erat illa historia antiqua traditione, & consuetudine recepta, verisimile certè est, vel viuente Syluestro, vel prope illius tempora fuisse cõscriptam: quis ergo leuiter audebit de illius veritate dubitare? Secũdò quod Caietanus ait, nullum historicum illius facti meminisse, non ita est, nam, vt omittam Glicam autorem Græcum lib. 4. suæ historiæ, & Marianum Scotum sub anno 327. illud miraculum narrare, & Gregorium Turonensem lib. 2. sacræ historiæ cap. 31. illam indicare: maioris autoritatis est Concilium Romanũ sub eodẽ Syluestro, B quod cap. 1. eandem historiã narrat, quam etiã amplectitur Adrianus Papa epistola ad Constantinum & Irenem, & refertur ac probatur in 7. synodo act. 2. Vnde Nicolaus Papa in epistola ad Michaelẽ Imperatorem paulò ante medium, Syluestrum Magni Cõstantini baptizatorem appellat, & Leo nonus in epistola cõtra Michaelem Imperatorem, Constantinum vocat spiritualem Syluestri filium, eumq; ait quarto à suo baptismate die quædam priuilegia Ecclesiæ Romanæ contulisse. Tertiò quod ad Ambrosium attinet, possemus eius verba subterfugere, negando illum dicere, Constantinum baptizatum esse extremo vitæ tempore: sed in extremo vitæ periculo, quod verificari potest, etiam si Romæ baptizatus fuerit, quia tunc re vera laborabat lepræ ægritudine, ratione cuius erat in vitæ discrimine: verba enim Ambrosij sunt, *Baptismatis gratia in vltimis cõstitutus omnia peccata dimisit*. Sed simpliciùs fatemur, Ambrosium obiter rem attigisse, & non satis exploratã causã Eusebio fidem dedisse: qui etiam nõnullos alios posteriores autores decepit, falsam narrationem cõtexens, nõ certè (vt existimo) quòd ipse deceptus fuerit, aut ignorãtia historiæ laborauerit, qui C enim hoc credibile est, cùm ille familiaris fuerit Cõstantino, & de rebus suæ ætate gestis, & quibus ipse ferè interfuit, scribat? Non ergo ipse deceptus est, sed alios decipere voluit in gratiã, vt creditur, Constantij hæretici, & in odium Ecclesiæ Romanæ, & in fauorem Arianæ hæresis, vt nimirũ posteris persuaderet, Constantinum inter Arianos & ab Episcopo Ariano, vel potiùs Arianorũ Principe, Eusebio scilicet Nicomediensi, fuisse baptizatum, atq; adeò in eodẽ schismate, & hæresi fuisse mortuũ, hoc enim totũ ex ipsius narratione colligitur, cùm dicat, Cõstantinum in vltimo vitæ positum Nicomediæ, ab Episcopis, qui ibi aderant, quorum Princeps, & illius Ecclesiæ caput erat Eusebius, baptismũ petijsse, & accepisse, pauloq; post obijsse. Quis autem credere audeat, Cõstantinum Imperatorem pijssimũ, & à tota antiquitate laudatum, Ariana hæresi infectum, & Arianis fauentẽ, baptizatũ, & mortuũ fuisse? Adde, per se esse incredibile, Constantinũ Christianissimũ Principem post fidem, & pietatẽ conceptã, tot bella gesisse, totq; vitæ periculis sese expo-

suisse

Glicas. Marianus Scotus. Greg. Tur. Cõcil. Rom. Adri. P. 7. Synod. Nicol. P. Leo. 9.

suisse sine baptismo: et, quod amplius est, interfuisse sæpe sacris functionibus & mysterijs, vt idem Eusebius varijs locis eiusdem operis narrat, quod non licebat, nisi baptizatis. Item constat eum adfuisse Nicæno Concilio: tantamq; pietatem, & Christianam fidem, & autoritatem in eo ostendisse, vt non sit credibile, eum tunc fuisse tantùm catechumenũ & non baptizatum. Deniq; extat Romæ antiquissimum monimentum, Baptisterium Cõstantini appellatum, quod ipsum ratione baptismatis ibi suscepti ædificasse, antiquissima traditio tenet ac docet: quod si hoc leuiter negare licet, eadem certè ratione negare quis poterit, aut Lateranensem Ecclesiã, aut Petri, vel Pauli templa à Constantino ex ædificata fuisse: quo nihil potest esse absurdius. Sit ergo constans, Constantinum multis annis ante mortem suam, Romæ à Syluestro baptizatum fuisse, & diuinitus à lepra mundatum, quam historiã etiam Pius V. in breuiario Romano in vita Syluestri recepit.

Constã. multis annis ante obitũ baptizatus, & à lepra mundatus. Pius. 5.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fictio impediat effectum baptismi.

4. d. 4. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. & q. 3. ar. 2. q. 2. per to. & d. 12. q. 2. ar. 1. q. 3. ad. 3.

AD nonum sic proceditur. Videtur, quòd fictio nõ impediat effectum baptismi. Dicit enim Apost. Gal. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Sed omnes qui baptismum Christi suscipiunt, baptizantur in Christo. Ergo omnes induunt Christum, quod est percipere baptismi effectum. Et ita fictio non impedit baptismi effectum.

¶ 2 Præterea, In baptismo operatur virtus diuina, quæ potest voluntatem hominis mutare in bonum. Sed effectus causæ agentis non potest impediri per id, quod ab illa causa potest auferri. Ergo fictio non impedit baptismi effectum.

¶ 3 Præterea, Effectus baptismi est gratia, cui peccatũ opponitur. Sed multa sunt alia peccata grauiora, quàm fictio, de quibus nõ dicitur, quod effectũ baptismi impediãt. Ergo neq; fictio impedit effectũ baptismi.

SED contra est, quod dicitur Sap. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Sed effectus baptismi est à Spiritu sancto. Ergo fictio impedit effectum baptismi.

Li. 2. orth. cap. 30.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut Damasc. dicit) Deus non cogit hominem ad iustitiã. Et ideo ad hoc, quod aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum, & baptismi effectum. Dicitur autem aliquis fictus, per hoc, quod voluntas eius contradicit vel baptismo, vel eius effectui. Nam secundum August. quatuor modis dicitur aliquis fictus. Vno modo ille qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentũ. Alio modo per hoc, quod contemnit ip- A sum sacramentum. Tertio modo per hoc, quod aliter celebrat sacramentum, non seruando ritum Ecclesiæ. Quarto modo per hoc, quod aliquis indeuotè accedit. Vnde manifestum est, quod fictio impedit effectum baptismi.

AD primum ergo dicendum, quod baptizari in Christo, potest intelligi dupliciter. Vno modo in Christo, idest in Christi conformitate. Et sic quicunque baptizantur in Christo, conformantur ei per fid & charitatem, induunt Christum per gratiam. Alio modo dicuntur aliqui baptizari in Christo, in quantum accipiunt sacramentum Christi. Et sic omnes induunt B Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiæ.

AD secundum dicendum, quod quando Deus voluntatem hominis de malo in bonum mutat, tunc homo non accedit fictus, sed non semper hoc Deus facit. Nec ad hoc sacramentum ordinatur, vt de ficto fiat aliquis non fictus, sed vt non fictus aliquis accedens iustificetur.

AD tertium dicendum, quod fictus dicitur aliquis ex eo, quod demonstrat se aliquid velle, quod non vult. Quicunque autem accedit ad baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habe- C re, & sacramentum venerari, & velle se Christo conformari, & velle à peccato recedere. Vnde cuicunque peccato vult homo inhærere, si ad baptismum accedit, fictus accedit, quod est indeuotè accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali, quod gratiæ contrariatur, non autem de peccato veniali. Vnde fictio hic quodãmodo includit omne peccatum.

COMMENTARIVS.

D. Thom.

D INtelligentia huius articuli tota pendet ex intelligentia illius vocis, *fictio*, nam D. Thomas in articulo satis concisè & sine explicatione numerat quatuor fictionis modos, quos posteà explicabimus, in solutione autem ad tertium ait, eum dici fictum, qui demonstrat se aliquid velle, quod non vult: fictio ergo erit simulatio exterior, seu opere ipso exhibita, qua aliquis in baptismo exteriùs profitetur se aliquid velle, quod re vera interiùs nõ vult. Quæ nominis interpretatio ipsi voci per se satis est accommodata, vocatur enim fictio, quia re vera nõ est, qualis apparet, seu exteriùs exhibetur. Vnde colligitur primò, duplicem posse esse huiusmodi fictionem, alteram ipsi baptismo, alterã verò solùm effectui baptismi contrariam: prior est in volũtate, & tũc est, quãdo quis recipit baptismũ sine intentione & voluntate recipiendi sacramentũ, & multò magis si habeat voluntatẽ nihil agẽdi

Quid sit fictio & quotuplex in baptismo.

sed vel decipiendi aut illudēdi, seu irridendi sacramentū, posterior autē fictio est etiā in voluntate, & potest redundare in intellectū, non tamen excludit volūtatē suscipiendi sacramentū, sed illā potiùs supponit, & formaliter cōsistit in carētia dispositionis necessariæ ad recipiendū sacramenti effectum: quæ dispositio in aliquo actu consistit, vt infra dicemus. Vnde hæc ipsa fictio duobus modis haberi potest, primò merè negatiuè, seu inuoluntariè, vt si quis careat dispositione necessaria ex ignorātia, vel inaduertentia inculpabili. Secundò cōtrariè, seu voluntariè, vt cùm quis vult baptismū suscipere cum voluntaria adhæsione ad aliquod peccatū mortale aut absq; necessaria displicentia illius: quādo fictio contingit priori modo, formaliter cōsistit in aliquo peccato habituali gratiæ cōtrario, & nullo modo retractato: quādo verò est posterioris generis, supponit habituale peccatū nō retractatū, & addit actuale aliquod, saltem ipsam indignam susceptionē baptismi voluntariā. In vtroq; autē fictionis genere possunt varia peccatorū genera interuenire, scilicet infidelitatis, contēptus, sacrilegij, &c. tamen hæc omnia materialiter se habent ad fictionem, quæ formaliter in hoc consistit, quòd aliquis imparatus, seu indispositus accedit ad sacramentum.

Fictio tantum locum habet in adultis.

Secundò colligitur ex dictis, hanc fictionem, & consequenter totam hanc quæstionē solùm habere locum in adultis: nam in paruulis, neq; ad substantiam sacramenti requiritur propria voluntas suscipiendi illud, neq; dispositio ad effectū: quia vtriusque sunt incapaces, & ideò ficti esse non possunt: quia nec repugnare possunt, neque aliqua re ex parte illorum necessaria carere.

Tertiò colligitur sensus, & facilis resolutio quæstionis: nā prior fictio non solùm effectum, sed etiā veritatem sacramenti impedit: quia, vt supra dictū est, ad valorem sacramenti requiritur in adulto intentio suscipientis, de qua re nihil hoc loco addendum est: quia satis est in superioribus disputata, & quia re vera non est hic sensus præsentis quæstionis vt patet, tum ex titulo, vbi non quæritur de impedimento baptismi, sed effectus eius, tum ex solutionibus argumentorum, maximè ex articulo sequenti, vbi D. Thom. docet, recedente fictione incipere baptismum habere suum effectum, quod non est verum, nisi in prædicto sensu. Posterior ergo fictio non impedit veritatem sacramenti, impedit tamen effectum gratiæ, cuius rationē reddit D. Tho. quia effectus gratiæ non datur, nisi volenti, qui autem accedit fictus, voluntate sua contradicit gratiæ effectui, de qua re statim latiùs disputabimus.

Quatuor fictionis modi explicantur.

Vltimò possunt ex dictis facilè explicari quatuor modi fictionis à D. Thom. positi, ex quibus nonnulli possunt ad vtrumque fictionis modum suprà positum facilè accommodari: nam licèt (vt dixi) quæstio hæc potissimùm intelligatur de fictione effectui contraria, tamen D. Tho. ad doctrinæ amplitudinem de vtraque miscet sermonem in corpore articuli. Primus ergo modus fictionis est per infidelitatem, quæ potest esse, vel contra sacramētum, si quis non credat baptismum esse alicuius valoris, neque aliquid sacrum, & ideò nolit re vera baptizari, sed ludere, vel simulare. Potest etiam hoc modo reperiri fictio soli effectui contraria, vt si quis sit infidelis in alijs rebus fidei, non tamen in ipso baptismo, vel etiam si sit infidelis in baptismo, vt si velit baptizari, nō credēs baptismū aliquid esse, volēs tamen accipere, quicquid ille sit, vt in superioribus tractatum est. Secundus modus fictionis dicitur esse per contemptum ipsius sacramenti, qui tantus esse potest, vt excludat intentionē suscipiendi sacramentum, atq; ita sit fictio cōtraria veritati sacramēti, vt si quis velit exteriùs baptizari, non tamen verùm sacramentum suscipere, solùm vt illudat sacramento, & in irreuerentiam eius, aliter tamen potest hæc fictio esse cōtraria effectui tātùm, vt si quis velit suscipere sacramentum sine debita dispositione; quia pro nihilo ducit, illam iniuriam facere sacramento, neq; in hoc vult recognoscere dignitatem sacramenti, ad illud se dignè præparando. Tertius modus, ait D. Thomas, est per hoc, quòd aliter celebrat sacramentū, non seruans ritum Ecclesiæ, quod quidē magis videtur ad ministrum, quàm ad suscipientē pertinere, potest tamen in suscipientem redūdare, si ipse velit eo ritu accipere, & aut ministrū inducat, aut alio modo cooperetur illi, erit autem hæc fictio sacramento contraria, si immutatio illa sit in ritu essentiali: si verò sit solùm in accidentali, erit tātùm cōtraria effectui, dummodò sit in re graui, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Vnde constat, omnes hos fictionis modos, quod ad rationem fictionis attinet, esse materialiter diuersos, posseq; in infinitum multiplicari iuxta varia peccatorū genera. Quartus ergo modus est proprius, formalis, atque vniuersalis, scilicet, quando quis indeuotè accedit, declarat autem D. Thom. in solutione ad 3. indeuotè accedere, idem esse, quod suscipere sacramentum cum voluntate adhærente alicui peccato mortali: vbi statim occurrebat difficultas, qualē necesse sit esse huiusmodi inhæsionem, & an interdū sufficiat solum originale peccatū, sed de hac re differemus disputatione sequenti.

ARTICVLVS X.

Vtrùm fictione recedente, baptismus suum effectum consequetur.

4. d. 4. art. 2. & d. 17. 3. art. q. 1.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quòd fictione recedente, baptismus suum effectum nō cōsequatur. Opus enim mortuum, quod est sine charitate, non potest vnquam viuificari. Sed ille, qui fictus accedit ad baptismum, recipit sacramentum sine charitate. Ergo nunquam potest viuificari hoc modo, vt gratiam conferat.

¶ 2 Prætereà, Fictio videtur esse fortior quàm baptismus, cū impediat eius effectū. Sed fortius nō tollitur à debiliori. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum. Et sic baptismus non consequetur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

¶ 3 Prætereà, Cōtingit quòd aliquis fictè accedat ad baptismum, & post baptismū multa peccata committat, quæ tamen per baptismum non tolluntur, quia baptismus tollit peccata præterita, nō futura. Ergo baptismus talis nunquā consequetur suū effe-

ctum, qui est remissio omniū peccatorum.

Lib. 1. de baptis. contra Donat. c. 12. ante med. to. 7. & habetur de Consec. d. 4. cap. 41. alias ab solitionē. 166. ar. 9.

SED cōtra est, quod August. dicit in lib. de Baptismo, Tunc valere incipit ad salutē baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia vel sacrilegio perseuerante, peccatorum ablutionē non sinebat fieri.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut supra dictum est) baptismus est quædā spiritualis regeneratio. Cùm autē aliquid generatum, simul cum forma recipit effectū formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit suum effectū sicut simul cum corpus graue generatur, mouetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim incipit moueri deorsum. Et similiter, quamdo aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autē quādoque per fictionem, vnde oportet, quòd remota ea per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

AD primum ergo dicendum, quòd sacramentum baptismi est opus Dei & non hominis. Et ideo nō est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.

AD secundum dicendum, quòd fictio nō remouetur per baptismum, sed per pœnitētiam subsequentem, qua remota, baptismus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismo. Vnde August. dicit in lib. de baptismo paruulorum, Soluitur hesternus dies & quicquid superest soluitur, etiam ipsa hora momentumque ante baptismum & in baptismo deinceps autem continuò reus esse incipit. Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrit baptismus & pœnitentia, sed baptismus sicut causa per se agens, pœnitentia sicut causa per accidens, id est, remouens prohibens.

Lib. 1. de bapti. paruul. c. 12. in fi. to. 7. habetur de cōsec. d. 4. c. 40. in fine.

AD tertium dicendum, quòd effectus baptismi nō est tollere peccata futura, sed præsentia vel præterita. Et ideò, recedēte fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per pœnitentiam, non per baptismum. Vnde non remittuntur quantum ad totum reatū, sicut peccata præcedentia baptismū.

COMMENTARIVS.

MAteria huius articuli amplissima est, & difficilis, tam in reddenda propria ratione, necessitate huius effectus, qui, vt D. Thomas docet, tribuitur ratione baptismi fictè recepti, recedente fictione, quàm in explicādo modo, quo hic effectus redeat, & quomodo sit tollenda fictio, quod D. Thom. attingit in solutione ad secundū & tertiū: quapropter de his statim fusiùs agemus.

D. Thom. Caietanus.

Circa contentextum autem Diui Thomæ dubitat Caietanus de illa proportione, qua comparātur character, & gratia, formæ, & proprietati, seu perfectioni, quæ consequitur formam: nam potiùs gratia videtur se habere vt præcipua forma in esse supernaturali: character autem est veluti dispositio, vel certè tanquam proprietas quædam, quæ consequitur gratiam medio sacramento: Sed non oportet multùm immorari in huiusmodi congruentijs, quæ solùm fundantur in analogia quadam & proportione. Non est ergo mens D. Thom. in re ipsa gratiam ex natura sua consequi ad characterem, tāquam ad formam: nam constat, non ita esse, vt probat ratio facta, & quia character solùm est signum quoddam commune bonis & malis, tamen, quia hoc signum datum est, vt homines consecrentur in mēbra Christi, & profiteantur legem eius, gratia verò datur, vt sint viua membra, & vt per eam iuuētur ad iugum Christi ferendum, ideò ex intentione Christi instituentis, gratia semper comitatur characterem, si ex parte suscipientis non sit impedimentum, atq; hoc satis est ad dictam proportionem.

DISPVTATIO XXVIII.

De dispositione ad effectum baptismi necessaria, & varietate effectus, quæ inde consequitur.

Vtrum effectus baptismi necessariò à sua causa pendeat.

POstquàm dictum est de effectu baptismi, & de necessitate talis causæ ad huiusmodi effectum, dicendum sequitur de necessitate emanationis talis effectus à tali causa, scilicet, an semper ab illa prodeat, vel possit interdum impediri, vnde consequenter constabit, an hic effectus sit semper omnino idem, & inuariabilis, an verò possit maior, & minor inueniri, totum autem hoc pendet ex dispositione recipientis, & ideò ab hac quæstione incipiendum nobis est.

SECTIO I.

Vtrùm baptismus requirat aliquam dispositionem ad suum effectum.

QVæstio hæc solùm habet locum in adultis, vt suprà notaui, nam infantes non sunt capaces dispositionis propriæ, per infantes autem intelliguntur omnes, qui nunquā ratione vti potuerunt, etiam si grandioris ætatis sint: & è conuerso adulti dicuntur omnes, qui aliquādo habuerunt vsum rationis, quāuis contingat esse amentes vel furiosos eo tempore quo baptizantur. Rursus mouetur quæstio de effectu gratiæ sanctificantis, & remissionis peccati, atq; aliorum donorum, quæ ad hunc ordinem spectant: nam de effectu characteris certa res est, nullam postulare dispositionem præter voluntatem suscipiendi sacramentum: quia hæc voluntas sufficit ad veritatem sacramenti: non potest autem esse verum sacramentum baptismi, quin conferat effectum characteris: hac enim de causa iterari non potest, & ideò nō potest maior dispositio requiri ad effectum characteris, quàm ad veritatē sacramenti. Nos autem supponimus verum sacramen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum suscipi,& consequenter hominem accedere cũ sufficienti volũtate recipiendi sacramentum,atq; ita recipere characterem eius, inquirimus autem, an ad recipiendum vlteriorem effectum alia dispositio necessaria sit.

Pau. Hebr.

Addo præterea,totam quæstionem esse de dispositione voluntatis:nam inter catholicos,imò etiam inter hæreticos nulla controuersia est, quin ex parte intellectus sit necessaria fides: quia, vt ad Hebræos. 11.inquit Paulus, sine fide impossibile est placere Deo:est enim totius iustitiæ fundamẽtũ,& ideò Christus Dominus Matthæi vltimo,præcepit discipulis,vt priùs docerent omnes gentes, deinde eos baptizarent:quia necesse est,vt fides antecedat baptismum:fides autem est ex auditu,ac simili modo Marci vlt.dixit Christus:*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*:est ergo necessaria fides,& illa sine dubio sufficit ex parte intellectus. Difficultas solũ est,an ex parte volũtatis aliqua alia dispositio requiratur. Lutherani negãt quia putãt fidem sufficere ad omnẽ iustitiã;quod in præsenti confirmãt ex citatis verbis Marci vltimo. *Qui crediderit,& baptizatus fuerit,saluus erit.* In quibus præter baptismum,nihil aliud ad salutem postulatur, nisi fides. Nonnulli etiam ex scholasticis solùm requirunt ex parte voluntatis,vt actualiter non sit affecta alicui peccato mortali,& quòd velit subdi baptismo, & recipere illud. Ita fertur tribui Scoto in 4.d.14.q.4. art.3.vbi inquit,nõ requiri,nisi volũtariã susceptionẽ baptismi sine fictione: hoc est,cũ intentione suscipiendi quod cõfert Ecclesia,& sine actu, vel volũtate peccati mortalis. Et, quãuis inferiùs videatur requirere motũ aliquem displicẽtiæ,seu attritionis,tamen non loquitur de sacramento baptismi, sed pœnitentiæ:in quo videtur aliquid amplius exigere, quàm in baptismo: fauet etiam Caietanus infra.q.86 art.2.dubio vlt.circa solutionẽ ad primũ. Vbi dicit,in baptismo nõ requiri propositum emẽdæ,in qua ratio formalis pœnitentiæ consistit; sed baptismum,in quantum includit voluntatem suscipiendi ipsum in remissionem peccatorum,includere sufficiens propositum emẽdæ:quia qui vult subijci baptismo,& fatetur se peccasse, & detestatur priorem vitam,moriendo illi,& subijcit se Deo,vt nouũ Christi mẽbrũ. Sentit ergo Caietanus,ipsam voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum esse virtualem pœnitentiam,& consequenter esse sufficientẽ dispositionẽ ad iustitiã per baptismum obtinendam: & adducit Caietanus in confirmationem suæ sententiæ dictum Ambrosij ad Romanos 11. *Gratiæ Dei in baptismo gratis omnia condonat, nullãque iustũ requirit*: Sed Ambrosius ibi nõ dicit,hæc præstare baptismũ sine vlla dispositione hominis. Magis videtur fauere lib.3.de sacramẽtis cap.vlt.dicens. *Qui venit ad baptismum,etiam si non confiteatur peccatum, in hoc ipso implet cõfessionem omnium peccatorum,quod baptizati petit, vt iustificetur.*

Matth. vlt.

Marc. vlt

Error Luthe ranorum.

Scoti sententia.

Caietanus.

2. Sententia.

Secunda sententia hic referri potest, quã docet Gabrielin 1.d.32.q.1.vbi distinguit inter effectũ remissionis peccati originalis, & infusionẽ gratiæ, ac remissionẽ peccatorũ actualiũ: & ad primũ effectum dicit sufficere voluntatẽ suscipiendi baptismum;ad alios verò requiri aliquã aliã dispositionẽ. Vnde infert,si quis accedat ad baptismum cũ intentione suscipiendi illum,& cũ complacentia alicuius peccati mortalis,consequi remissionẽ peccati originalis,nõ verò gratiã,nec remissionem peccati mortalis. Qua distinctione nihil cogitari potuit improbabilius,magisq; cõtrariũ catholicæ doctrinæ. Cõstat enim peccatũ originale non remitti sine infusione gratiæ, vt ferè apertis verbis definit Concil. Triden.sess.6.Vbi docet,peccatũ,in quo homo nascitur filius Adæ, nõ remitti nisi per iustificationẽ, *quæ est translatio ab eo statu,in quo homo nascitur filius primi Adæ,in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei* quã trãslationẽ dicit fieri in baptismo per infusionẽ gratiæ,& donorũ,tãquam per formalẽ causam. Atq; hinc fit,peccatũ originale nũquam remitti sine alijs peccatis mortalibus,vt planè supponit Concilium in tota illa sessione,& ideò indifferenter loquitur de remissione peccatorum,quæ hominẽ constituunt Deo inimicum,iterq; computatur peccatũ originale:nã est vera mors animæ,vt idem Concilij definit sess.5.canone.2.Et ideò c.5,concludit. *Per Iesu Christi Domini nostri gratiam,quæ in baptismate confertur,reatum originalis peccati remitti,ac tollitur totum id,quod veram,& proprium peccati rationẽ habet.* Nulli ergo remittitur peccatũ originale, nisi cui diuina gratia confertur:diuina autem gratia nullum peccatum mortale secũ admittit:ergo remissio omniũ peccatorum mortaliũ necessario coniuncta est cum remissione peccati originalis ratione diuinæ gratiæ,& iustitiæ. Sicut enim est certum,vnum peccatum mortale non remitti sine alio,quia nullũ remittitur sine infusione gratiæ, cui quodlibet peccatum mortale repugnat: ita non remittitur peccatũ originale sine mortalibus, quia tam cõstituit hominẽ Deo inimicum,tamq; per diuinam gratiã & sanctitatem tollendũ est,sicut mortale. Repugnat igitur catholicæ doctrinæ,quod Gabriel ait de remissione originalis peccati sine mortalibus, & sine infusione gratiæ:& cõsequenter etiam repugnat,aliquam dispositionem sufficere ad remissionem peccati originalis sine mortali,quando illa duo coniuncta sunt. Nec Gabriel habuit probabile fundamentũ ad illam distinctionẽ excogitandã:nullum enim inconueniens est illud,quod infert,aliquem esse verè baptizatum,cui non sit remissum peccatum originale propter obicem,quem posuit: nam licèt ille sit regeneratus in Christo quoad veram sacramenti susceptionẽ,& quoad impressionem characteris, qui propter hanc causam comparatur formæ per generationẽ inductæ,vt in Commẽtario articuli. 10. diximus:non tamẽ necesse est, vt susceperit omnes effectus huius regenerationis, si ex parte subiecti nõ est sufficiens dispositio. Et in hoc est differentia inter generationem Adæ, & regenerationẽ Christi: nam generatio ex Adamo nunquam fit sine trãsfusione peccati,quã homo genit⁹impedire nõ potest, sed solus Deus singulari gratia præueniendo,at verò regeneratio in Christo non semper fit cum infusione gratiæ,sed potest ab ipso suscipiente impediri & ratio differentiæ est clara, quia regeneratio in Christo spiritualis & voluntaria fit per propriã regenerati voluntatẽ si sit capax illius,& ideo per eãdem volũtatẽ potest ponere obicem effectui illius, at verò generatio ex Adamo est merè naturalis, & independens in se,& in omnibus, quæ per illam cõmunicantur,à propria voluntate ipsius geniti, & ideò non potest per illam impediri transfusio peccati. Maiori quidem probabilitatis specie posset hæc distinctio in hunc modũ assignari:dupliciter enim posset adultus ad baptismum accedere, vno modo cũ solo peccato originali absq; vllo actuali mortali non

Cõcil. Trid.

Originale remittitur ne alijs peccatis mortalibus.

Reijcitur præcedens sententia.

Quo differant generatio Adæ, & generatio Christi.

non enim repugnat, aliquẽ peruenientẽ ad vsum rationis perseuerare aliquo tempore sine peccato mortali,& sine sufficienti præparatione ad gratiã: potest enim habere ignorantiam inuincibilẽ fidei, & legem naturalem aliquo tẽpore seruare: alio modo potest adultus accedere ad baptismũ in peccato mortali. In priori ergo videtur sufficere voluntas baptismi ad consequẽdam gratiã & remissionẽ peccati originalis:quia illi non est necessaria pœnitentia, cùm per voluntatẽ suam non se auerterit à Deo,neq; conuerterit ad creaturam: ergo sufficit voluntaria acceptatio gratiæ: hãc verò habet hoc ipso,quòd voluntariè acceptat baptismum:nã qui vult causam,vult effectũ eius: cui,quantum est in se,obicem non ponit. In alio verò homine, qui habet peccatum mortale,hæc volũtas sine alia dispositione non sufficiet, etiã ad peccati originalis remissionem,non quia ipsum per se maiorẽ dispositionem requirat, sed quia remitti non potest sine peccato mortali,quod sine maiori dispositione remitti non potest:quia oportet,vt volũtas, quę per proprium motum peccato adhæsit, per proprium etiã actũ à peccato discedat,vt iam latiùs ostendemus. Atque hæc sententia & distinctio sic explicata non multũ,vt existimo,à veritate discrepat: eã tamen magis declarare ac confirmare oportet.

Quæ dispositio requiratur in præcatore adulto ad baptismum.

Vnde dico primò,In adultis,qui cũ peccato originali habent coniunctũ aliquod peccatũ mortale, præter voluntatẽ suscipiendi baptismũ necessaria est aliqua alia voluntatis dispositio, quæ consistit in aliqua conuersione ad Deũ cũ detestatione, seu pœnitentia prioris vitæ. Conclusio hæc iã est certa de fide. Eamq; docẽt omnes scholastici hic d.4. & 5.à quibus nõ discrepat Scotus,vt latè ostẽdũt Vega lib.9.in Trid. cap.13. & lib.13.c.33. & 34.& Cordubalib.1.Theologicarũ quæstionũ.q.2. expressè enim dist.4.q.5.dicit esse fictũ ad recipiendum effectũ baptismi, qui accedit cũ peccato mortali,vel actu præsente,vel præterito, de quo nullo modo atteritur,vel conteritur:in alio autem loco, licèt non satis rem explicet,non tamen docet contrarium, & semper requirit ad effectũ sacramenti, quòd non sit actu,vel voluntate peccatum mortale:quandiu autem peccatũ priùs commissum nullo modo displicet,potest dici esse in voluntate, quatenus non sit in actu: neque etiam existimo, Caietanum sensisse contrariũ, licèt obscurè satis loquatur,vt posteà exponã. Probatur ergo conclus. primò ex Scriptura & Patribus: nam ei, qui peccauit mortaliter,pœnitentia est mediũ ad salutẽ necessariũ,iuxta verba Christi Luc.13. *Nisi pœnitentiã egeritis,omnes simul peribitis.* Est ergo hæc dispositio necessaria omnibus peccatoribus, etiã baptizãdis: & ideò Petrus Actor.2.dicebat. *Pœnitemini, & baptizetur unusquisque vestrum.* Et Ioannes Baptista præparans viam ad baptismum Christi, initium fecit à prædicatione pœnitentiæ,& baptismũ dabat in remissionem peccatorum Matth.3.Lucæ 3.vt optimè tractat Chrysost.hom.11.in Matth. Hinc Augustin.lib.de vera,& falsa pœnit.cap.18.*Baptismus*, inquit, *sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccauit spontaneè.* Et lib.de pœnitentiæ medicina,ca.2.Vbi habet illam sententiam. *Omnis,qui voluntatis suæ factus est arbiter,cùm accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum vetet vitæ pœniteat, nouam inchoare non potest.* Et infrà. *Ab hac pœnitentia soli,qui baptizantur pueri, immunes sunt.* Similia docet lib.de fide & operibus c.6.& sequen.& epist.48.& 118.& lib.quinquaginta homiliarum,hom.27.& 50.& serm.11.ad fratres in eremo. O *compũctio sancta, sine qua adultis non prodest baptismus, siue qua infructuosa est omnes confessio.* Vnde Fulgentius lib.de fide ad Petrum cap. 30. *Firmissimè tene,& nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam,qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam fidemq; conuersus, & per sacramentum fidei,& pœnitentiæ,id est,per baptismum liberatus. Et maioribus quidem necessarium esse,& pœnitentiam de malis suis agere, & fidem catholicam secundùm regulam veritatis tenere, & sacramentum baptismatis accipere.* Tandem Concil.Trident.sess.6. cap.6.& 7. describens primam iustificationem, quæ fit in homine adulto per baptismum in re, vel in voto, docet esse necessariam dispositionẽ ex parte eius per detestationem peccatorum, & conuersionem in Deum. Et sess.14.cap.1.docet, pœnitentiã omni tempore fuisse necessariam ad salutem.

Cordub.

Luc.13.

Petrus act.2. Ioannes Bapt. Matth.3. Luce 3. Chrysost. August.

Fulgentius.

Trident.

Dico secundò, si contingeret, hominem adultum accedere ad baptismum sine peccato mortali cum solo originali, non esset illi necessaria pœnitentia aliqua,sed sufficeret voluntas ac propositũ profitendi & seruandi legem Christi. Propono hanc conclusionem sub forma conditionali: quia, moraliter ac regulariter loquendo, casus hic accidere non potest:præsertim,si vera est opinio Diui Thomæ, teneri hominem, quàm primùm peruenit ad vsum rationis,conuerti ad Deum:ideoq;ue, vel statim peccare mortaliter, si, quod tenetur facere, omittat, vel iustificari, si faciat, quod tenetur:si autem teneamus (quod fortasse verius est) illud naturale præceptum non statim vrgere & obligare, sed aliquod tempus esse admittendum, pro quo possit conuenienter,& humano modo impleri: itemque post impletum illud præceptum, quod sine fide impleri potest,non statim sequi iustificationem, ac denique (quod consequens est) posse hominem esse aliquo tempore in peccato originali,priusquàm,vel illius remissionem obtineat, vel mortaliter peccet, posset quidem eo tempore, & incipere credere,& ad baptismum suscipiendũ accedere. Licèt hoc tamen verum sit, moraliter vix potest accidere: quia necesse est,illud tempus esse valde breue: quia natura lapsa, non sanata per gratiam,non potest diu se continere, quin iterum atque iterum labatur,præsertim si sit sermo de homine non illuminato per fidem. Propter hanc ergo causam, non absolutè, sed sub conditione loquimur, tamen quia casus non est simpliciter impossibilis,prætermittendus non est. Prior igitur conclusionis pars, quòd scilicet huic homini non sit necessaria pœnitentia, est expressa Augustini lib.de vera & falsa pœnitentia cap.8. Vbi priùs sic absolutè scribit, *Pœnitentia baptizandis non est necessaria, sed baptizatis de maioribus, & minoribus peccatis pœnitendum est*: quæ verba quoad priorem partem videntur contraria doctrinæ traditæ in prima assertione, tamen non possunt in eo sensu interpretari, ne Augustinus sibi ipsi in eodem contextu contrarius sit: statim enim subdit, adulto sine pœnitentia non prodesse baptismum, si spontaneè peccauit: igitur in illis prioribus verbis loquitur Augustinus de baptismo, præcisè considerando id, ad quod fuit per se institutus: nam baptismus primò & per se ordinatus est ad tollendum originale

Vbi nõ est peccatũ mortale nõ est necessaria aliqua pœnitentia.

August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ginale peccatum: quòd verò cum hoc sint coniuncta mortalia, quæ simul tollantur, est per accidens: hoc ergo sensu verè dicitur, baptismum per se non requirere pœnitentiam: & hunc esse Augustini sensum, constat ex ratione, quam subdit, scilicet, quia ad tollendum originale peccatum, quod non est propria voluntate contractum, non est necessaria pœnitentia: & eandem doctrinam repetit alijs locis suprà citatis. Et ratio est clara, quia pœnitētia propriè est de peccatis ab ipso pœnitente commissis: est enim retractatio, & displicentia prioris voluntatis: quia ergo hic homo, de quo loquimur, propria voluntate non se auertit à Deo, & cōuertit ad creaturam, ideò non est illi necessaria pœnitentia, quatenus propriè significat displicentiam prioris vitæ: aut propositum satisfaciendi Deo pro culpa commissa. Atque hac etiam ratione, si huiusmodi homo esset iustificandus per proprium actū absq; sacramento, non indigeret dolore aut cōtritione, sed, ad summum, amore Dei super omnia cū proposito seruandi mandata: pœnitentia enim tātùm necessaria prædicatur ijs, qui propria voluntate mortaliter peccarunt. Iam verò probāda supereſt vltima pars conclusionis, & in primis, quòd huic homini adulto, licèt non sit necessaria pœnitentia, sit nihilominùs necessaria aliqua voluntatis dispositio ad iustitiam, optimè probat ratio D. Thomæ hic art. 9. quia Deus non iustificat adultum, nisi consentientem, & voluntate sua iustitiam amplectentem. Cùm enim hæc iustitia includat veram ac propriam amicitiam inter Deum & hominem, vtriusque etiam voluntarium cōsensum postulat, si homo capax illius sit, & potens ad præstandum illum: est ergo necessaria aliqua dispositio, qua huiusmodi homo amplectatur, & baptismum, & baptismi effectum, non est autem exigendus ab huiusmodi homine amor Dei super omnia, vt effectum baptismi consequatur: nā etiam illi, qui mortaliter peccauit, non est necessaria tam perfecta dispositio, vt infra dicemus: ergo multò minùs esse potest necessaria ei, qui non peccauit: ergo sufficiet illi, aut imperfectus amor Dei ad concupiscentiæ amorem spectans, aut (quod ferè idem est) propositum obediendi Deo in omnibus, saltem spe retributionis, vel ob timorem pœnæ, vel denique propter intrinsecam honestatem præceptorū, seu cuiuscunque virtutis. Quælibet autem ex his videtur apta dispositio iuxta necessitatem talis subiecti: & aliqua huiusmodi videtur necessaria: nam sicut in eo, qui peccauit, requiritur detestatio prioris vitæ, & propositum rectè viuendi in futurum sub aliquo ex prædictis motiuis: ita in eo, qui non peccauit, licèt non requiratur detestatio, quia huius necessitas oritur ex priori peccato commisso, voluntatis tamen conuersio aliqua ad Deum, vel saltem ad obedientiam eius, seu mandatorū obseruationem, æquè erit necessaria: quia hæc non exigitur ratione tantum peccati commissi, sed per se ad conuenienter instituendam nouam vitam, & voluntariè amplectendam ipsam iustitiam.

D. Thom.

Aliqua voluntatis conuersio ad Deum requiritur in adulto baptizando, qui nō peccauit mortaliter.

Ex his satisfactū ferè est omnibus, quæ inter referendas priores sententias adducta sunt: & circa posteriorem quidem nihil addendū occurrit, præterquàm quòd hæc dispositio, quam dicimus esse per se necessariam, etiam seclusō peccato mortali, non est sola voluntas suscipiendi baptismū, vt ibi significatur: nam hæc voluntas nō est formale aut

Ad argumenta oppositæ sententiæ.

A virtuale propositū amplectendi & sequendi iustitiam, ac seruandi mandata: quia cum illa volūtate baptismi potest esse formalis voluntas contraria iustitiæ: ergo oportet aliquam aliā voluntatē adde re, præter voluntatē baptismi. Atque hac ratione etiamsi velimus priorē sententiā, quæ ad iustitiam in baptismo obtinendam requirit solam voluntatē baptismi, explicare de baptismo per se, & seclusō peccato mortali, vt suprà de Augustino dicebamus, adhuc non est vera illa sententia, licèt sit minùs improbabilis: quia, licèt in eo sensu sit verum non requiri pœnitentiam, vt dictum est: nō tamen est verum, nullū alium actum voluntatis requiri præter voluntatem sacramenti. Quòd si Caietanus (nam de Scoto iā diximus) arbitratus est, solā voluntatē baptismi esse virtualem pœnitentiam, aut virtuale propositū seruandi iustitiā, falsa est eius sententia: tamen, quia hoc non apertè dicit, posset exponi, vt per propositum emēdæ intelligat propositū resarciendi iniuriam Deo factam per proprium actū: nā dicit in hoc proposito reperiri formalem rationē pœnitentiæ: constat autem, rationē formalem obiecti pœnitentiæ esse resarcire iniuriā Deo factam: huiusmodi autem propositum re vera non est ad baptismū necessariū: quia ibi nō oportet, vt homo intendat, quod in se est facere, ad cōpensandam diuinam iniuriam, sed solùm consequi remissionem culpæ per baptismalem gratiam. Nā si displicentia peccatorū est ibi necessaria, nō tam est ad satisfaciendū Deo, quàm vt subiectū sit conuenienter dispositū ad effectū gratiæ & remissionis peccati. Et quoad hoc verū est, quod Caietanus ait, voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorū, esse virtuale propositū emendę pro peccatis quoad culpam, & quoad pœnā, ratione tanti beneficij, quantū est baptisma, quod intelligendum est, quando illa voluntas est ita efficax, vt secum afferat reliqua omnia necessaria ad hoc beneficium obtinendum. Atque hunc sensum confirmat locus Ambrosij, quem Caietanus adducit: nā solùm ibi negat non requiri satisfactionem pro peccatis remissis in baptismo: quia omnia integrè & gratis remittūtur quoad culpam & pœnam, & consequenter etiam negabit, requiri voluntatem satisfaciendi formaliter ac propriè loquendo: non tamen inde fit, non esse necessariam displicentiam peccatorum, vt conuenientem dispositionem ad iustitiam. Non prætermittam autem aduertere, illud testimoniū non videri esse Ambrosij: exponit enim ibi verba Pauli dicentis, dona Dei interdum esse sine pœnitentia in hoc sensu, quòd Deus aliquando dat sua dona sine pœnitentia, quæ expositio est indigna Ambrosio: nam planus sensus est, Deum non pœnitere eorum donorum, quæ suis cō fert creaturis. Ad aliud Ambrosij testimoniū respondetur primum, ibi solùm asserere ad baptismum non esse necessariam confessionem peccatorum: sed hanc sufficienter impleri, in hoc quòd baptizari quis petit, vt iustificetur. Deinde potissimùm intendit docere, etiā si quis non habeat peccatum, quod confiteri oporteat, nihilominùs illi esse baptismum necessarium, vt à culpa ad gratiā transeat: & hoc modo ait, esse necessariam saltem illam pœnitentiam, qua sortem humanæ generationis homo recognoscat: non tamen dicit hanc pœnitentiam sufficere, si præter originale peccatū habeat homo propria peccata,

Ad Ambros. testimonium.

SECTIO II.

Quænam pœnitentiæ dispositio ad effectū baptismi consequendum sufficiens, ac necessaria sit.

A IN hac quæstione sermo solū est de homine adulto, qui habet mortalis peccata præter originale: nam de alio causa extraordinario hominis adulti accedentis ad baptismum cum sola originali culpa iam satis dictū est. Sunt ergo in hac re varia sententiæ extremè contrariæ. Prima affirmat requiri contritionem veram. Ita sentit Gabriel in 4. d. 4. q. 2. & d. 14. q. 2. & Marsil. in 4. q. 2. in princip. Eos secutus est Petrus Soto lect. 4. de baptismo, & lect. 7. de pœnitentia: videtur fauere D. Thom. suprà. q. 68. art. 6. ad 3. dicens, baptismum requirere in adultis ad suum effectum actum virtutis pœnitentiæ: proprius autem actus virtutis pœnitentiæ est contritio, & in hac quæst. 69. art. 1. arg. 2. cum solutione idem indicat: nam in argumēto sumit, ad baptismum requiri pœnitentiam, quæ est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum: & in solutione hoc videtur admittere, addens, in illa pœnitētia debere nunc includi votum baptismi: & infra q. 86. art. 2. ad 1. dicit peccata non remitti in baptismo sine actuali mutatione voluntatis, quod fit per pœnitentiam: loquitur autem propriè de pœnitentia virtute, cuius proprius actus est cōtritio. Simile habet in 4. d. 4. q. 2. art. 1. quæstiuncula 1. & super ad Roma. 11. circa illa verba, *Sine pœnitentia sunt dona Dei*, vbi dicit, in baptismo non requiri externā cōfessionem, sed internam contritionem. Fundamētum huius sentētiæ sumi potest ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6. & 7. Vbi describens primum iustificationem adulti, quæ fit per baptismum, ponit omnes actus, quibus necesse est disponi eum, qui per baptismum iustificandus est, & inter eos ponit amorē Dei, & dolorem de peccatis: sed hi actus sunt, qui contritionē perficiunt: ergo iuxta Concilij doctrinam cōtritio est necessaria dispositio ad iustitiam baptismalem obtinendam. Secundò possumus argumentari ratione; quia homo peccando se auertit à Deo, vt ab vltimo fine: ergo conuersio ad Deum, vt ad vltimū finem, qualis fit per amorem, & cōtritionem, est ex natura rei necessaria ad remissionē peccati, & verā iustitiam recuperandam: Christus autem instituens baptismum, nō abstulit media ex natura rei necessaria, & maximè conuenientia ad iustitiam, sed perfecit, & locupletauit illa: ergo tam est necessaria nūc illa contritio, quàm semper fuit: ergo sine illa nihil potest prodesse baptismus. Atque hic posset attingi cōmunis illa difficultas de iustificatione, an auersio illa, quæ per actuale peccatum vitali, & intrinseco quodā modo introducitur, tolli possit absq; vitali cōuersione formaliter illi cōtraria, qualis est sola contritio, vel dilectio Dei super omnia. Sed de hoc aliàs. Secunda sententia conuenit cum præcedenti, contritionem, per se loquendo, esse necessariam ad effectum baptismi, tamen ex accidente, propter ignorantiam inuincibilem posse minorem dispositionem sufficere, nimirum attritionem, existimatam cōtritionem. Ita opinatur Nauarrus in summa cap. 1. num. 39. & Cordub. lib. 1. quæstionum Theologicarum. quæst. 2. ad tertium. satis tamen de sua sententia dubitans. Fundamentum prioris

Prima sententia. Gabriel. Marsilius. Petrus Soto. D. Thomas.

Fundamentū Tridentinum.

2. Sententia.

Nauarrus. Cordubа.

B partis est idem, quod præcedentis sententiæ: posteriorem autem partem probant, quia aliàs nunquam baptismus primam gratiam conferret, quod est inconueniens, vt videbimus.

Tertia sententia omnino contraria est, quamcunque displicentiam peccatorum absolutam cum proposito emendæ, etiam si naturalis sit, & viribus naturæ concepta, esse sufficientem dispositionem ad effectum huius sacramenti. Ita opinatur Soto hic & lib. 2. de natura & gratia cap. 15. qui significat, etiam si dolor sit conceptus ex motiuo humano, qualis est metus infamiæ, aut mortis, sufficere cum hoc sacramento ad iustitiam. Fundamentum eius esse potest, quia, qui sic est dispositus, nō potuit obicem sacramento: quia non habet voluntatem affectā alicui peccato: sed sacramentum dat gratiam nō ponenti obicem: ergo. Cōfirmatur primo, quia hoc extendendum est, & amplificandum in sacramento baptismi, quantum fieri potsit: tum quia est regenerationis, in qua omnia delicta breuissimè condonātur: quia in eo consepelimur Christo, & veluti noua creatura efficimur: tum etiā quia, cùm baptismus, per se loquendo, supponat hominem valde imperfectum, & veluti infantem eum generet in rebus diuinis, & spiritualibus, continere debuit facillimam viam remittendi delicta, vt significatur etiam ad Hebr. 6. & 10. ergo quæcunque pœnitentia, dummodò verè tollat cōplacentiā peccati, erit sufficiens dispositio ad iustitiam. Vnde confirmatur secūdò, nam minor dispositio sufficit cum sacramento baptismi, quàm pœnitentiæ, vt significat Concilium Trid. sess. 14. c. 2. Vbi propter hanc causam dicit, sacramentum pœnitentiæ vocatum esse à Patribus laboriosum baptismum: quia nimirum maior dolor in sacramēto pœnitētiæ requiritur, quā in sacramento baptismi; sed in sacramento pœnitētiæ sufficit attritio supernaturalis; ergo in baptismo sufficiet naturalis. ¶ Quarta opinio est, per se loquendo, requiri, & sufficere quamcūque attritionem verā, etiam si naturalis sit, vt præcedens doctrina dicebat, tamē ex accidenti, & ob ignorantiam inuincibilem posse interdum obtineri effectum sacramentum sine tali dispositione vera, sed solùm existimata. Ita opinatur Cano relect. de pœnitentia, par. 3. Vbi generaliter docet, quacunque ratione homo accedat bona fide ad baptismum, existimans se esse satis dispositum, consequi effectum baptismi, quanuis re vera dispositus non sit. Primam partem probare potest omnibus testimonijs & rationibus, quibus suprà probauimus, pœnitentiam esse ad effectum baptismi necessariam: oportet enim, vt hoc verum sit, saltem per se loquendo, & de minima pœnitentia, qualis est illa attritio. Posteriorem autem partem probare potest, quia ille non ponit obicem effectui sacramenti, cùm bona fide accedat, & re vera non habeat voluntatem adhærentem peccato. Et confirmari potest à simili: quia ad effectum Eucharistiæ, verbi gratia, per se loquendo, necesse est, vt homo accedat in gratia, seu verè contritus, & tamen, ex accidente propter ignorantiam & bonam fidem potest sufficere existimata contritio, licèt vera non sit: ergo pari ratione, licèt in sacramento baptismi, per se loquendo, requiratur vera attritio, ob ignorātiam poterit sufficere solùm existimata.

3. Opinio. Soto.

4. Opinio. Cano.

Trident.

Paulus Hebr. 6. & 10.

Quid non requiratur ad effectum huius sacramenti.

C Dico tamen primò. Ad effectum huius sacramenti obtinendum non esse necessarium, vt homo accedat iam iustificatus per veram contritionem. Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

est sententia D.Tho. in 4.d.6.q.1.art.3.quæstiun cula 1. quam sequitur tota eius schola. Eandé tenet Scotus d.4.quæst.5.& dist.14.quæst.4.art.3.Durand. d.4.q.2.ad 2.Palud.q.1.nu.5.Soto conatur fundare hanc conclusionem in citato loco Concilij Trid.in sess.6.ca.6.& 7.sed ex hoc loco nihil colligi potest, vt inferiùs dicam; respondendo argumenta primæ opinionis. Magis fauet huic sententiæ idé Concil.sess.14.cap.4. Vbi significat, ad comparandam iustitiam cum sacramento pœnitentiæ nō esse necessariam contritionem, sed attritionem sufficere: sed in sacramento baptismi faciliùs venia conceditur, vt idem Concilium tradit: ergo. Atque hoc est sufficiens argumentum, supponit tamen multa, quæ in materia de sacramento pœnitentiæ tractanda sunt: nunc verò satis est, hanc conditionalem à nemine negari, si contritio non est necessaria in sacramẽto pœnitẽtiæ, multò minùs esse necessariâ in baptismo, ostẽdemus autẽ suo loco, ad effectũ sacramẽti pœnitẽtiæ tam perfectâ dispositionẽ nõ requiri. Ratio à priori sumẽda est ex efficacia huius sacramenti, illi à Christo Dño cõcessa, quæ ex institutione eiusdẽ sacramenti, & fine eius colligenda est: nã hoc sacramentũ per se institutũ est ad regenerandũ hominẽ, iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* est ergo per se institutũ ad remittendũ peccatum, spirituali vitæ contrarium: sicut enim naturalis generatio per se fit ex priuatione formæ, quæ per generationem inducitur, ita etiam supernaturalis regeneratio per se loquendo: ergo hoc sacramentũ, vt suũ effectum conferat, per se non supponit peccatum remissum, aut hominẽ iustificatum: quomodo enim ordinaretur ad dandam vitam spiritualem, si priùs semper illam necessariò supponeret? aut qualis esset institutio, vtilitas, aut efficacia remedij contra peccatum, quod priùs necessariò supponeret ablatũ peccatum? ergo similiter non necessariò supponit hoc sacramentum veram cõtritionem, vt suum effectũ conferat, aliàs supponeret peccatum remissum, & vitam gratiæ: quia hæc statim datur per contritionẽ. Nec refert, si quis dicat, nunc dari hos effectus per contritionem, vt includentem votum baptismi, & ideò totam efficaciã refundi in baptismum, & hoc satis esse ad conuenientem eius institutionem: nam re vera hoc satis non est: q̃ enim interdum per baptismum in voto detur ille effectus, non est contra efficaciam & institutionem eius, sed potius cõmendat illam, tamen, q̃ semper ac necessariò debeat baptismus supponere hunc effectum, prius quàm ipse recipiatur, re vera est contra efficaciam eius, & contra finẽ institutionis illius. Quod alio modo sic explicatur: nam inde sequitur, baptismum nunquã dare remissionem peccati, nec primã gratiã ex opere operato: nam illa, quæ datur per contritionem includentem votum baptismi, non est ex opere operato: quia sacramentũ nõ ita operatur, donec collatũ sit, sed datur iuxta dispositionem operãtis, vt latius dicetur in materia de pœnitentia; cõsequens autẽ est contrariũ primario fini huius sacramenti. Vnde tandem cõfirmatur, quia aliàs per institutionem huius sacramenti difficilior facta esset via salutis, quã sine illo esset in lege naturæ, ac veteri: quia tam difficilis contritionis actus nunc requireretur, quàm erat necessarius in eo tempore, & præterea addita esset necessitas baptismi: cõsequens autem est contra perfectionem legis gratiæ, in qua remedia salutis non solùm vtiliora: sed etiam faciliora esse debuerunt.

D.Thom. Scotus. Durandus. Paludanus. Soto. Trident.

A Dico secundò. Ad effectum huius sacramẽti sufficit attritio, etiam si cognita sit, nec necesse est, vt existimetur contritio. De priori parte nulla est difficultas: nam sequitur euidenter ex præcedẽte assertione: nam superiori sectione ostendimus, esse necessariam & sufficientem aliquam pœnitentiã peccatorum: rursusq; diximus, non esse necessariã contritionem: cõsequens ergo est, vt sufficiat attritio. Posterior ergo pars probanda est, quam docent Soto locis suprà citatis, & hic d.6.q.1.art.7. & Cano dicta relect. de pœnitentia, par.5. & Corduba dicta q.2. qui refert Turrecrematã in cap. si quotiescũq; de consecrat. d.2. & colligitur ex D.Thoma suprà q.68.art.4. vbi dicit, peccatoribus esse dandum baptismum, etiam si maculã & reatum præteriti peccati habeant, *quia est ad hoc specialiter institutus, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur*, secundũ illud ad Ephes.5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Clarius hoc docet infra q.79.art.3. ad secundũ. Vbi sic scribit. *Baptismus est spiritualis generatio, quæ est mutatio de non esse spirituali ad esse spirituale, & datur per modum ablutionis, & ideò quantum ad virtumq; non inconuenienter accedit ad baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis.* Habere autem conscientiã peccati mortalis, nõ est solùm hominem cognoscere, se aliquando peccasse: nam in hoc sensu non solũ ad baptismũ, sed etiam ad Eucharistiam potest homo cõscius peccati commissi dignè accedere; quod tamen ibi D.Thomas negat, differentiã in hoc constituẽs inter baptismum & Eucharistiam igitur habere conscientiam peccati mortalis est existimare, seu recognoscere hominem, nondum sibi esse remissum peccatum: qui autem habet hanc conscientiam, necesse est, vt existimet, se non esse contritũ: ergo iuxta sententiam D. Thomæ cum hac existimatione & conscientia potest quis dignè accedere ad hoc sacramentum, & consequi effectũ eius. Atq; eandem differentiam inter hoc sacramentum & Eucharistiam repetit D.Thom.q.80.arti.4.ad 2. vbi sic, *Eucharistiam, quia est medicina confortatiua, nõ esse dandam, nisi liberatis à peccato, secus verò esse de baptismo & pœnitentia, quæ sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem.* Ratio autem huius assertionis est, quia contritio non est simpliciter necessaria ad effectũ huius sacramenti necessitate medij, cùm ostensum sit, sine illa posse hominem iustificari. Rursus neque est necessaria necessitate præceptiuam, vel hoc præceptum esset positiuum, & huiusmodi nullum ostẽdi potest, neque ex Scriptura, neque ex traditione: aut esset naturale, seu connaturale ipsi sacramento, & necessarium ad dignũ vsum eius, eò q̃ sancta sanctè tractanda sint, nam ex hoc principio simile præceptum colligimus: sed hoc in præsenti sacramento non vrget, nam ex sine institutionis eius colligitur, dignè & sanctè tractari hoc sacramentum, si homo accedat cum sufficiente dispositione ad illius effectum consequendum. Nam vnaquæque res sanctè tractanda est iuxta modum suum: hoc autem sacramentum per se institutum est ad dandam vitam animæ, & primum esse supernaturale illius: ergo per se, vt dignè tractetur, solùm postulat dispositionem re ipsa necessariam ad talem effectum: satisq́ue dignè tractatur, si in ipso momento, in quo perficitur, homo sit sanctũs ex vi ipsius sacramenti: ergo contritio nullo modo est per se necessaria ad effectum huius sacramẽti; ergo neque existimatio contritionis potest esse necessaria;

Attritio non cognita sufficit ad effectum baptismi.

Soto. Cano. Corduba. Turrecrem. D.Thom.

ria; quia hæc existimatio per se nihil confert, cùm sit tantùm iudicium quoddam falsum & erroneũ: solùm ergo potest requiri, vt homo excutiatur ab aliquo peccato, seu trãsgressione aliculus præcepti: Si ergo nullum est præceptum de habenda contritione in susceptione baptismi, nõ erit necessaria existimatio contritionis ad effectum eius sufficiet ergo attritio, etiam si cognita sit.

Qualis debeat esse attritio, vt sufficiat ad effectum baptismi.

Dico tertio. Hæc attritio sufficiens ad effectum baptismi esse debet supernaturalis, absolutus, & efficax actus voluntaris, includens detestationem peccatorum, & propositum non peccandi de cætero; ex motiuo aliquo supernaturali, & per auxiliũ gratiæ elicitus. Hæc assertio est mihi fere certa, & in eius confirmationem adduci possunt in primis omnia, quæ supra ex Scriptura, & Patribus adduximus ad probandũ, aliquam pœnitentiam requiri ad effectum huius sacramenti: non enim loquuntur de aliqua humana displicentia peccati, sed de illa pœnitẽtia, quæ secundùm Deum est: illa enim sola salutem animæ operatur. Possunt deinde afferri omnia, quibus in materia de iustificatione & gratia ostenditur, non posse hominem viribus naturæ se præparare ad gratiam & remissionem peccati obtinendam: nam doctrina Patrum & Conciliorum in hac re generalis est, & indistinctè datur de iustificatione, quæ in sacramento, & extra illud fit, nec licet nobis, generalem doctrinam Conciliorum sine fundamẽto limitare: aliàs eadem ratione posset dici, ad iustitiam obtinendam extra sacramentũ requiri supernaturalem cognitionem fidei infusæ; tamẽ cum sacramento sufficere naturalem cognitionẽ, vel fidem aliquam humanam: nam Concilia, cum loquuntur de necessitate fidei ad iustitiam, solùm in cõmuni, & indistinctè loquuntur: consequens autem est omnino falsum & erroneum, vt in principio præmisimus. Præterea magis in specie probatur conclusio ex Concil Trid. sess.6. Vbi loquens absolutè de iustificatione, quæ fit per baptismum in voto, vel in re, ad illam requirit supernaturalem dispositionẽ, quæ, vt minimum; includit prædictum actum, vt patet à c.3. vsq; ad sextum, apertius sess.14.c.4. distinguens contritionẽ perfectã ab imperfecta, quã nos attritionem vocamus, vtramq; dicit esse supernaturalem detestationem peccatorum, quæ voluntatem peccandi excludat. Ratio autem cõclusionis est, quia cum in iustificatione remittẽda sint omnia peccata mortalia, necesse est, ea detestari, saltẽ illa, quæ homo cõmisit, & consequenter necesse est, vt hoc fiat per actum efficacem & absolutũ, aliàs non esset vera retractatio prioris vitæ, sed solũ simplex, & imperfectus affectus, cum quo manere potest voluntas suis peccatis efficaciter adhærens, atq; eadem ratione necesse est, vt hic motus includat formaliter, aut virtute propositũ seruandi mandata in futurum, quia per iustificationem homo recedit à priori vita, vt ad meliorem conuertatur. Ac denique, quia hic actus est dispositio ad supernaturalem formam, & ad tollendum aut rationem à supernaturali fine, ideò necesse est, vt ipsa sit supernaturalis, & consequenter vt sit ex motiuo supernaturali, & à Deo principaliter operãte per auxilium gratiæ, quatenus est supernaturalis causa, ducens hominem ad supernaturalẽ finẽ. Et cõfirmatur illo exẽplo de dispositione requisita ex parte intellectus: nã illa esse debet supernaturalis eriã in iustificatione, quæ fit per sacramentum: ergo etiã dispositio requisita ex

Trident.

Ratio cõclusionis.

parte voluntatis: est enim aut par, aut maior ratio, quia dispositio intellectus est magis remota, dispositio autẽ voluntatis propinquior est, & magis perficit conuersionem, & sanctificationem hominis.

Obiectio.

Dices, hoc argumentum, vel nimium, vel nihil probare: nam ex illo sequitur, tam perfectã dispositionem voluntatis requiri cum baptismo ad obtinendam iustitiam, quàm extra illum: probatur sequela simili ratione, quia ex parte intellectus requiritur dispositio æquè perfecta intrà, & extra sacramẽtũ, scilicet actus fidei eiusdem rationis & speciei: ergo idem erit in voluntate: vel si hæc consequentia nõ tenet quoad æqualitatem actus, etiam non tenebit quoad supernaturalitatem. Vnde potest reddi nonnulla differentia inter intellectum & voluntatem: quia actus intellectus est prior, & ideo est veluti fundamentũ totius ordinis supernaturalis, propter quod dicta est fides, *Substantia rerum sperandarum*, ad Hebr.11. Quapropter necesse est, vt saltem ex parte intellectus dispositio sit supernaturalis, vt ab ea omnes alij motus habeant aliquam supernaturalitatem, saltem extrinsecam, quanuis ipsi in se supernaturales nõ sint, at verò si ex parte intellectus deesset fides, & reliqui motus voluntaris naturales essent, & nihil supernaturalitatis relinqueretur in tota hominis dispositione.

Pau. Hebr. 11.

Responsio.

Respondetur ad obiectionem, negãdo sequelã: in intellectu enim sufficit ad iustificationem extra sacramentum talis dispositio supernaturalis, quæ in illo ordine infimum tenet locum; & ideo non potuit conuenienter fieri, vt in sacramento minor dispositio sufficeret, quia oportet illã naturalem esse: nam in ordine supernaturali non potest esse minùs perfecta cognitio (saltem secundùm legem ordinariam, seu quæ à nobis cognoscatur) quam sit cognitio fidei: at verò in voluntate ad iustificationem extra sacramentũ necessaria est perfectissima dispositio, qualis est cõtritio, & amor Dei super omnia ex charitate, infra quã possunt esse aliæ dispositiones minùs perfectæ intra ordinem supernaturalem, & ideò non est similis ratio de supernaturalitate dispositionis, & de æqualitate perfectionis eius: nam illa potuit, & debuit requiri propter supernaturalitatẽ formæ inducendæ, & vt homo per vtrãq; potentiã operetur cõsentaneè fini & statui supernaturali, ad quẽ eleuatus est, & à quò peccãdo cecidit: de æqualitate autem perfectionis potuit & debuit aliquid remitti ex parte voluntatis, vt propter passionẽ Christi exhibitã facilior esset hominibus salutis via. Et per hæc facilè etiam reijci potest illa differẽtia assignata inter intellectum & voluntatem, quæ magis in verbis, quam in re videtur cõsistere. Nam illa supernaturalitas extrinseca, quam dicuntur participare actus voluntatis ab actu intellectus, re vera nulla est, si ipsi actus voluntatis non sunt in se supernaturales, nam per se non requirunt fidem in intellectu, & quando cum illa coniunguntur, nihil ab ea accipiunt, vt supernaturalis est.

Ad effectum baptismi requiritur attritio verè, quiritur vt præcepta, sed etiam vt medium necessarium ad iustitiam, ea scilicet ratione, qua nonnulla pœnitentia peccatorum vera & supernaturalis necessaria est ad eorũ remissionẽ: sed in his, quæ sunt necessa-

baptismi reuincibilem & inculpabilẽ, si re vera ipsa attritio nõ habeatur. Probatur, quia hæc attritio non solùm re vera existens, & non sufficit existimata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessaria necessitate medij; nō sufficit ad salutem eorum existimatio, si ipsa re vera non adhibeantur: quid enim proderit peccatori, quòd existimet se verè absolui à sacerdote, si re vera ille non est sacerdos, aut non habet intentionem, vel iurisdictionē? sic ergo nihil proderit existimatio attritionis, si in re non existat: quia non est minùs necessaria attritio ad hunc effectum, quàm absolutio ad suum, & alia media necessaria ad salutem.

Dices, quamuis medium necessarium nō adhibeatur in re, posse sufficere votum eius: sicut in prædicto exemplo de absolutione cōstat. Respōdetur in primis, hoc votum nō sufficere, nisi quatenus incladitur in aliqua dispositione ita perfecta, vt sit sufficiens dispositio ad iustitiam: nō potest autem fingi huiusmodi votum attritionis: deberet enim in contritione includi, quod ridiculum est: tum quia attritio non est absolutè necessaria, sed ob defectum cōtritionis; tum etiam, quia nos loquimur, quando vtraque deest. Vnde addo, attritionē, si re ipsa non exhibeatur, non posse in voto propriè contineri, quia est minima, & imperfectissima dispositio, quæ in ordine supernaturali requiri potest: nam dolor, seu attritio naturalis, non est propriè votum; quia non est dispositio ad ordinem supernaturalem spectans. Optimum & accōmodatum exemplum est de fide, quæ etiam est medium ad salutem necessarium ex parte intellectus, & ideo, quātumuis quis existimet se habere fidem supernaturalem, si re vera illam non habet, poterit quidem à peccato excusari, non tamen iustificari: quia nō potest obtineri effectus sine medio necessario: fides autem est tale medium, quod si in re non habetur, non potest in solo voto cōtineri: est enim primus supernaturalis actus, qui non supponit alium, in quo ponit votum eius contineri; loquor enim simpliciter de fide, non in particulari de fide huius, vel illius rei, explicita vel implicita. Est ergo eadem ratio de pœnitentia infusa, quia æqualis est vtriusque necessitas, vt constat ex Concilio Tridentino sess. 6. & 14. & consequenter idem erit de attritione, de qua agimus, deficiente contritione. Vnde qui affirmant, sufficere cum sacramento existimatam attritionem sine vera attritione, eadem ratione possent, ac deberēt dicere, sufficere existimatam fidem sine supernaturali fide, & sufficere naturalem dispositionem, solis viribus naturæ effectam, existimatam supernaturalem, imò etiam sufficere existimatione in dispositionis sine vlla dispositione præter voluntatem baptismi, vt si quis ex ignorātia inuincibili existimaret, illam esse sufficientem dispositionem ad effectum baptismi, & dignum vsum eius: hæc autē omnia sunt valdè absurda, vt ex dictis patet.

Ad fundamen. 1. opinionis.

Ad fundamenta primæ sententiæ. Ad primū ex Concilio Tridentino in primis respōderi potest, ipsum in illis capitibus nihil pe cōtritione agere, sed solùm de attritione: ita enim Soto, & nonnulli alij recentiores hunc Concilij locum intellexisse videntur, & potest confirmari ex verbis ipsius Concilij: nam in illo capit. 6. initium illius dispositionis post actū fidei ponit in timore diuinæ iustitiæ, & addit actum spei in Christum, cùm autē peruenit ad amorem, nullam mentionem facit dilectionis Dei super omnia, sed solùm rit, *illumque* (scilicet Deum, seu Christum) *tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*. Quæ verba significāt sermonē esse de amore imperfecto, tum quia videtur in eis sermo esse

Explicatur loc. cōcilij Triden.

Trident.

de amore cōcupiscētiæ, quia amare Deū vt iustitiæ fontē, non videtur amare Deū propter se, sed vt benefactorem nostrum, tum etiam quia incipere diligere, non est perfectè diligere. Deinde statim addens Concilium actum doloris, solùm dixit. *Ac præterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet.* Vbi notandū est, verbum illud, *odium aliquod*, nā videtur esse diminuens; vnde nō videtur exigere summū odiū, summāq; detestationem, qualis est contritio. Item pœnitentia, quā agere oportet ante baptismum, nō est contritio, sed attritio tantùm. Tandem in omnibus testimonijs, quæ ibi Concilium adducit, nullum est, quod de cōtritione, aut de amore Dei super omnia loquatur, sed solùm de pœnitentia in genere. Sed mihi non videtur verisimile, Concilium ita loqui de attritione, vt contritionem excludat, vel vt in eam nō conueniant omnia quæ de dispositione ad gratiā, tam in illis capitibus, quàm in canonibus, qui illis respōdent, docet. Itaque, licet non affirmem, Concilium loqui de sola contritione, & amore Dei super omnia, non enim sine causa ita verba sua temperauit, sicut notatum est, & ex parte notauit Vega libr. 6. in Tridentinū ca. 28. 29. & 30. dico tamen, ita Concilium doctrinam suam accommodasse, vt non solùm attritioni, sed potissimùm contritioni conueniat. Primò, quia Concilium ibi non solùm intendit describere iustificationem, quæ sit per baptismum re ipsa susceptum, sed absolutè & simpliciter docere modū primæ iustificationis, qui, proportione seruata: conuenire possit iustificationi per baptismum in re, vel in voto, vel etiam illi, quæ fiebat in veteri, & naturali lege ante baptismi institutionē: nam illa doctrina de gratia communis est omnibus hominibus, & omnibus ætatibus: non ergo debuit limitari doctrina ad solam iustificationem per realē susceptionem baptismi: ergo non debuit loqui de sola attritione, sed potissimùm de contritione: præsertim cùm cap. 4. dixisset, posse iustificationē fieri per baptismum in voto, ad quam non sufficit attritio, sed necessaria est contritio.

Vega.

Secundò, verba Concilij optimè ad contritionem accommodantur: nam quod ait, *Diligere incipiunt*, non significat imperfectionem dilectionis, sed nouam mutationē, quæ fit in corde peccatoris, quando ex statu peccati transfertur in statum dilectionis Dei; tunc enim incipit diligere, quem antea odio habebat, quantumuis perfecto amore cum diligat. Itaq; illud verbum incipiēdi dicit durationē & inceptionem nouam, non essentialem imperfectionē actus, qui de nouo fit. Eò vel maximè, quòd dilectio Dei absolutè dicta maximè significare solet dilectionē super omnia, iuxta illud, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*, & *Pater meus diligit eum*. Ioan. 4. Nam cùm imperfecta dilectio possit simul esse cum peccato mortali, non meretur nomē dilectionis simpliciter; q. verò Cōcilium loquatur de dilectione Dei, tanquam fontis omnis iustitiæ, non excludit, quin amor ille sit beneuolentiæ, seu propter se ipsum; sed significat amorē illum debere ferri in Deum, vt supernaturalem finem, & autorem, sicut diligere Deum, vt creatorem, dilectione naturali, non est diligere amore concupiscētiæ, sed est diligere summam bonitatem Dei, vt potest esse obiectū naturalis amoris. Rursus verba, quibus loquitur Concilium de dolore, magis cōueniunt contritioni, quàm attritioni, vt patet ex illa causali, *Ac præterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem*, quibus significatur, hāc pœnitentiā, quam Cōciliū docet requiri, debere oriri ex amore Dei, & ex motiuo illius: hoc autē magis cōtritioni conuenit, quā attritioni, præsertim iuxta doctrinam eiusdem Concilij sess. 14. cap. 4. vbi loquens de attritione, quæ cū sacramento valet ad impetrandam remissionem peccatorum, duas tantùm eius species ponit, scilicet quod ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex motu pœnarum inferni concepta sit: ergo iuxta doctrinam Concilij detestatio peccati ex amore Dei concepta non est attritio sed potiùs contritio.

Ac denique hoc argumentū saltem eneruat fundamentum contrariæ sententiæ: nam etiā si demus, aliquam esse attritionē ex imperfecto amore Dei conceptam, tamen dici non potest, eam esse simpliciter necessariā ad effectum baptismi obtinēdum: quia sine dubio sufficere potest attritio concepta ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati, si supernaturalis sit, & à gratia procedat: ergo q. cōtritio non sit simpliciter necessaria, nullum argumētum est: doctrinam Concilij non esse de contritione intelligendā: quia negari nō potest, quin loquatur de contritione, aut saltē de attritione ex amore Dei cōcepta: neutra autē est simpliciter necessaria: igitur in omni sententia dicendū necessario est, Concilij non descripsisse dispositionē simpliciter necessariā: sed vel eā, quæ optima est omnium, magisq; certa, & hominibus, etiā ante baptismū, magis consuleda: fortasse enim ideo abstinuit à verbo necessitatis, solūq; dixit, *quā ante baptismum agere oportet*: vel certè numerauit eos actus, qui, per se loquēdo, sunt aliquo modo necessarij, non determinās, an omnes simul sint necessarij in omni iustificatione intra & ex extra sacramentū: an verò perfectiores sint necessarij extra sacramentum, alij minùs perfecti eū sacramento sufficiant; quod clarius ipsummet Concilium docuit sess. 14. cap. 4.

Possumus autem hanc explicationem doctrinæ Concilij confirmare ex definitione canonis tertij, vbi definit, neminē sine gratia excitate, & adiuuāte posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia cōcedatur. In qua definitione nō sit expressa mentio dilectionis super omnia, sed dilectionis absolutè, & tamen negari nō potest, quin maximè cōprehēdatur dilectio perfecta, & super omnia ex charitate: nam de hac potissimū, imò de hac sola certū est, non posse sine gratia excitate & adiuuāte haberi: nā de imperfecta dilectione, & incertū est, qualis sit, & quibus viribus fieri possit. Huius autē canonis definitio manifestè respōdet doctrinæ datæ in superiori cap. 6. ergo vtrobiq; est sermo de eadem dilectione: ergo etiā in cap. 5. est sermo de dilectione super omnia, vel solū vel maximè. Concedimus ergo ad difficultatē propositā, Concilium in eo capite loqui de contritione, vel saltem illam in sua doctrina cōprehendere: negamus tamen inde sequi, contritionem esse necessariam ad iustificationē, quæ fit per sacramentum: nam Concilium non tantùm de hac iustificatione loquitur, sed in cōmuni de prima iustificatione, qua homo adultus trāsfertur ab statu peccati originalis ad statum gratiæ: quod nunc fit per baptismum in re vel in voto, vt capit. 4. docuerat. Et ideò describit dispositionem, vel optimam, vel in communi, vt possit secūdùm diuersos actus ad diuersos iustificationis modos accommodari, non tamen dicit, omnes illos esse necessarios in singulis iustificatiōibus, vt nuper dicebamus. Et ideò fortasse inferiùs cano. 9. tractans Concilium de dispositione necessaria ad iustitiam ex parte voluntatis solùm dixit, non sufficere solam fidem, & necesse esse hominem suæ voluntatis motu præparari, & disponi, & damnat dicentes, nulla ex parte hanc dispositionem esse necessariam.

Concilij explicatio pauca cōtenta.

Ad rationē illius sententiæ respondetur, contritionem quidem ex natura rei esse optimam dispositionem ad remissionem peccati, & ex iustitia debitam Deo, vt homo, qui non potest ad æqualitatē Deo satisfacere pro iniuria illata, saltem faciat, quod in se est, quodque auersioni peccati maximè videtur repugnare. Christus autem nouum peccati remedium instituēs, rigorē iustitiæ tēperauit, & contritionis remedium leniuit, non quidem vtilitatē eius, sed necessitatē moderando. Nec dubitari potest, quin hoc facere potuerit, quia neq; ex parte obiecti repugnat, vt latiùs in materia de pœnitentia ostendemus, quoniam formalis causa iustitiæ, & remissionis peccati non est noster actus, seu dispositio, sed diuina gratia, vt Concilium Tridentinū aperte docuit. Neque etiam repugnat ex parte diuinæ omnipotētiæ; tum quia potest, gratis ac liberaliter iniurias cōdonare, & gratiā suam, cui voluerit, conferre, tum etiā quia totum hoc meruit nobis Christus sua perfecta iustitia, & rigorosa satisfactione.

Ad rationē 1. opinionis.

Ad fundamentū secūdæ sententiæ negatur, positum baptismum contritionem esse per se necessarium ad primam iustificationē, vt satis declaratum est. Hic verò inquiri posset, an talis cōtritio sit aliquādo in vita necessaria, saltē in articulo mortis, vel propter maiorem certitudinē, vt homo in tā graui negatio nulli se periculo exponeret: & certē propter obligationem cōnaturalem, quā homo habet conuertendi se ad Deum modo perfecto & conuenienti, quam obligationē nō est necesse ablatam esse per baptismum, etiam si absq; illius executione posit obtineri iustitia. Cum qua quæstione cōiuncta est alia, scilicet, an in attritione, quæ sufficit ad effectū baptismi, includatur votum seu propositum habendi aliquando contritionem tempore opportuno, sicut includitur propositum seruandi alia mandata: sed has quæstiones tractabimus infrà in materia de pœnitentia.

Ad fundamentum. 2. opinionis.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ negatur, eū, qui accedit ad baptismum cum solo dolore naturali, vel humano, non ponere obicem sacramēto. Primò quidem, quia ipsa carentia debitæ ac necessariæ dispositionis est obex, siue culpabilis sit, siue etiam inculpabilis, quia est veluti carentia medij necessarij, sicut explicatum est, tum etiam, quia solus dolor naturalis non censetur moraliter excludere affectum peccati, vt fuit contra Deum finem supernaturalem. Ad primam confirmationem concedimus in baptismo requirendam esse minimam dispositionem, tamen eam saltem esse exigendā, quæ possit esse dispositio: huiusmodi autem est solus dolor, qui supernaturalis sit: quique ex aliquo diuino motiuo procedat: quia naturalis actus non eleuat voluntatem ad ordinem supernaturalem, neq; extendit consensum eius, & proximam capacitatem ad supernaturalem iustitiam: dolor autem merè humanus & ex motiuo humano adhuc est minùs sufficiens;

Ad fundamentum. 3. opinionis.

ciens: quia re vera, quantum est ex se, non tollit internum affectum peccandi, vt latiùs dicemus in materia de pœnitentia. Ad secundam confirmationẽ, falsam existimo etiam in hac parte sententiam Soti asserentis, aliquam attritionem sufficere cum sacramento baptismi ad remissionem peccati mortalis, quæ non sufficeret cum sacramento pœnitentiæ: quia nullum est fundamentum ad constituendam hanc differentiam, & quia iuxta doctrinam eiusdẽ Concilij attritio concepta ex metu gehennæ sufficit cum sacramento pœnitentiæ: videtur tamen illa attritio satis in sua specie imperfecta; & idem est de attritione ob propriam fœditatem peccati, non ergo fingi potest alia minùs perfecta, quæ cum baptismo sufficiat: quia, nec quoad speciem fortasse dari potest, nec perfectio indiuidualis, aut intensiua est in aliquo sacramento necessaria. Quod ergo in sacramento pœnitentiæ dicitur difficilior, seu laboriosior pœnitentia requiri, quàm in baptismo, intelligitur quoad plenam satisfactionem seu remissionem peccati quoad culpam & pœnam; non verò quoad solius culpæ remissionẽ, vt satis explicuit Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. & 8.

Sententia Soti falsa est.

Cõcil. Trid.

Ad fundamentum 4. opinionis.

Ad fundamentum quartę opinionis respõdetur, non sufficere bonam fidem, vt homo nõ ponat obicem effectui sacramẽti, vt à fortiori patet ex dictis ad fundamẽta tertiæ sententiæ. Atq; hinc fit (licèt aliter Cano sentiat) in rigore posse dari statum medium in eo, qui ad baptismũ accedit, ita vt neq; effectum consequatur, neq; ob indignam sumptionem denuò peccet: vel propter inuincibilem ignorantiã iuris, putans non requiri aliam dispositionem præter voluntatem baptismi, vel propter ignorantiam facti, existimans se esse attritum, cùm verè nõ sit. Dico autem in rigore, quia simpliciter non repugnat, quãuis moraliter vix sit credibilis talis ignorantia. Ad confirmationem respondetur ex supradictis non esse similem rationem de contritione & attritione, quia contritio nõ est simpliciter necessaria necessitate medij cum alijs sacramentis, sed solũ necessitate præcepti, attritio verò, deficiente contritione, est simpliciter necessaria necessitate medij. Deinde contritio potest in voto contineri in attritione; vnde, cùm per attritionẽ voluntas auertatur à peccato, & in ea includatur propositum seruandi mandata, ex eo potest esse sufficiens dispositio ad gratiam cum quolibet sacramento, si alioquì homo per bonã fidem excusetur à transgressione præcepti habendi contritionẽ, quod alijs sacramentis adiunctum est; at verò, remota vera attritione, non relinquitur alia inferior dispositio, quæ ad gratiã sufficiat, quæq; satis auertat voluntatẽ à peccato, & propositũ includat præstãdi reliqua, & ideò existimatio attritiõis nõ sufficit sine vera attritiõe.

SECTIO III.

Vtrum Baptismi effectus augeatur, minuatur, vel impediatur ex dispositione suscipientis.

PRincipio statuendum est, quæstionem hanc non habere locum in infantibus: nam sicut in eis non requiritur dispositio ad effectũ baptismi, ita neq; impediri potest ex defectu dispositionis omnes ergo infantes infallibiliter recipiunt A effectum baptismi quoad gratiam, & omnia dona habitualis, quæ illam consequuntur, si verum sacramentum accipiant. Atque eadem ratione, sicut nõ possunt infantes per proprium actum se ad gratiã disponere, ita nõ possunt ratione dispositionis maiorem, aut minorem gratiam accipere. Vnde fit, omnes infantes recipere æqualem gratiam baptismalẽ, vt hic Diuus Thomas sentit, & suprà tractando de sacramentis generatim diximus; quia, seclusa dispositione, non est, vnde effectus hic varietatem, aut inæqualitatem accipiat. Sed dici potest primò, posse illam recipere ex sanctitate ministri, aut ex oratione eius, vel circunstantium. Sed iam suprà dictum est, sanctitatem ministri non posse augere effectum ex opere operato; quia non est causa principalis, à qua sacramentum habet vim & efficaciam operandi: sed tantùm est causa ministerialis, applicans instrumentum Christi. Et eadem ratione ex oratione eius, vel aliorum astantium, non potest hic effectus augeri: præsertim cùm nemo possit alteri impetrare immediatè infusionem gratiæ habitualis, vel augmentum eius, nisi impetrando dispo- B sitionem, seu auxilium congruũ ad illam habendã.

Omnes infantes æqualem gratiã baptismalẽ recipiunt. D. Thom.

1. Obiectio soluitur.

Secundò dici potest, hunc effectum recipere inæqualitatem ex diuersa capacitate naturali ipsorũ infantium: nam Deus confert gratiam iuxta capacitatem naturæ, vt de angelis Theologi docent: Sed ad hoc satis respondet Diuus Thomas in articulo: cui solùm addendum est, gratiam sanctificantem proximè ac per se dari iuxta proportionem dispositionis, quod etiam in angelis seruatum est: quia hoc postulat natura, & perfectio illius formæ. Ad ipsam autem dispositionem eliciendam datum est eis auxilium gratiæ, perfectioni naturali proportionatum: vnde datum est inæquale, quia naturalis perfectio, & essentialis erat in angelis inæqualis; & ideò non est eadem ratio de infantibus, tum quia in eis non est varia capacitas essentialis, tum etiam, quia non sunt capaces auxilij, quo se ad gratiam disponant.

2. Obiectio.

Soluitur.

Tertiò dici potest, hunc effectum variari & esse inæqualem in paruulis ex diuina ordinatione, & prædestinatione, quod aliquando significat Scotus C esse probabile, vt loco supra citato notauimus, & in re idem sentit Paludanus in 4. distinct. 4. quæstione 1. qui hoc colligit ex eo, quòd omnes homines electi à Deo, assumpti sunt ad sedes angelorũ, qui ceciderunt. Vnde infert, necesse esse, vt omnes sint in gratia, & gloria inæquales; quia angeli omnes sicut sunt inæquales in natura, ita & in gratia & gloria: ergo etiam infantes, qui cum solo effectu baptismi ex hac vita decedunt, assumuntur ad inæquales sedes angelorum: ergo recipiunt per baptismum illam inæqualem gratiam, solùm quia per diuinam prædestinationem ad illas inæquales sedes ordinati sunt. Respondetur, improbabile esse, sacramentorum effectus, qui in hominibus fiunt per solam diuinam voluntatem, aut prædestinationem metiri, ac si non habeant sacramenta certos ac stabiles effectus diuina lege ac promissione definitos, cum tamen hoc certissimum sit, vt prædicto loco ostendi: diuina ergo erectio ad inæqualem gloriam non efficit, vt per æqualia media hominibus æquè dispositis inæquales effectus conferantur: hic enim nõ esset conueniens prouidentiæ modus, quia diuina electio impleri debet per proportionata media, aliàs dici etiam posset, adultos æquè dispositos recipere inæquales effectus sacramentorum, aut per æqua-

3. Obiectio.

Scotus.

Paludanus.

Responsio.

æqualia opera, & cæteris omnibus paribus recipere inæquale augmentum gratiæ, vt tandem accipiant inæquales sedes gloriæ ad quas sunt præordinati, quæ tamen absurda sunt: non ergo hoc efficit diuina electio, sed quando hæc in intentione suæ efficaciæ terminatur ad inæqualem gloriam, consequenter efficit, vt dentur inæqualia media, & proportionata ad inæqualem gratiam obtinendam. Ad motiuum ergo Paludani in primis incertum est, omnes angelos esse in gloria inequales. Deinde falsum est, omnes homines electos, assumptos esse ad separandas sedes angelorum: nam primaria ratio electionis hominum non fuit reparatio angelicarum sedium: non enim prædestinati nos sumus occasione peccati angelorũ: sed tam per se, sicut ipsi angeli, vt rectè tractat Anselmus lib. 1. Cur Deus homo. c. 18.

Anselmus.

Quapropter sine fundamẽto dicitur, nec plures nec pauciores homines esse saluandos, quã fuerunt angeli qui ceciderunt, vel non esse habituros maio- B rem, vel minorem gloriam, quàm haberent illi, si perseuerarent: nam primum horum incertum est, & probabilius fortasse est, plures homines fore saluandos, quàm angeli ceciderunt. Secundum verò est planè falsum: nam, esto sit verisimile omnes illos gradus gloriæ, qui futuri erãt in angelis lapsis, si perseuerassent, reparandos esse in hominibus (sic enim interdum videntur loqui sancti Patres) tamen, quod non sit in eis futura aliqua maior, vel minor gloria quàm esset futura in illis angelis, falsum omnino est, quia, saltem in Beata Virgine, est certissimum, futuram esse maiorem gloriam, quàm in omnibus illis; & idem est probabile de aliquibus eximijs sanctis hominibus, si qui sunt, qui superent in gloria omnes beatos angelos; nam probabile est, supremum sanctorum angelorum habere nunc maiorem gloriam, quàm habiturus esset Lucifer, si C perseuerasset. Et simili modo non videtur dubiũ, quin multi homines habituri sint gloriam minus perfectã, quàm angeli, qui ceciderunt, habuissent, si perseuerassent: quod maximè credendum videtur de infantibus: nam horum gratia est valde imperfecta, vt iam dicam, tota autem angelica natura accepit in sua creatione perfectissimam gratiam, naturali perfectioni eius proportionatam. Ex hoc ergo fundamento non potest colligi, gloriam infantium futuram esse inæqualem, sed in multis erit æqualis, qui per æqualia media saluati sunt; in alijs verò poterit esse maior, & in alijs minor propter diuersitatem mediorum, vt statim explicabo: quę tota varietas ad ostensionem diuinæ gratiæ, & ad decorem, & splendorem gloriæ pertinebit.

Sed antequàm ab infantibus separemur, quæri breuiter potest, quanta sit hæc gratia, quæ infanti- D bus per baptismum datur. Quidam enim existimant, esse minimam; sed, vt hoc sit verum, intelligendum est de minima, quæ per baptismum datur: non enim est minima in intensione, quæ simpliciter reperiri potest in qualitate gratiæ: quia vel in nulla qualitate datur huiusmodi minimum in intensione, vel, si datur, gratis, & sine vllo fundamẽto attribuitur effectui baptismi: præsertim cùm sancti Patres plurimùm commendent, & exaggerent gratiam baptismalem. Quocirca non existimo, illam gratiam ita esse imperfectam, quin minor fuerit data paruulis per circuncisionem, & per remediũ legis naturæ: quia hoc pertinet ad plenitudinẽ perfectionis legis gratiæ, in qua & homines

Quanta sit gratia, quæ infantibus per baptismum datur.

A assumuntur, & per baptismũ cõsecrantur ad perfectiorem statum, magisq; spiritualem, quàm in lege veteri, & Christi merita re ipsa iam exhibita copiosiùs operãtur. Deinde nõ est improbabile, hanc gratiã baptismalẽ, quæ datus infantibus, habere plures gradus intensionis, quàm minima gratia, quæ datur per pœnitentiã, Extremam vnctionẽ, & similia sacramenta, quanuis omnis hæc comparatio incerta sit, sicut etiã incertũ est, quot gradus gratiæ per baptismũ paruulis conferantur. Deniq; quod hæc gratia baptismalis paruulorum sit minima inter baptismales, dupliciter intelligi potest: primò, negatiuè, scilicet, quia nulla est minor illa, & hoc modo est res clara, & certa, quia nõ est, vnde gratia illa possit decrescere, cùm in subiecto nulla possit esse minor dispositio, quã nõ repugnãtia ad gratiã. Secũdo modo potest intelligi positiuè, scilicet, quia potest dari gratia baptismalis maior, quàm hæc, & hic sensus B est etiam verus, pendet tamen ex sequentibus.

Omissis ergo infantibus, quæstio proposita proprium locum habet in adultis, de quibus dicẽdum est primò, ex defectu dispositionis interdum fieri posse, vt nullum effectum gratiæ per baptismũ accipiant. Hæc conclusio est certa, quia sacramenta non dant gratiam ponenti obicem, qui autẽ accedit sine dispositione debita, ponit obicẽ; & hoc ideò est, quod D. Thomas ait, fictionem impedire effectum baptismi: nã accedere sine debita dispositione, est fictè accedere. Dices, interdũ potest quis accedere sine debita dispositiõe absq; fictione, vt si bona fide accedat; nam hoc posse interdum contingere, dictum est Sectione præcedente; nam qui bona fide accedit, re vera non fingit, sed talem se exteriùs exhibet, qualem se esse existimat. Respondetur, sicut, qui dicit falsum, putans se dicere verum materialiter dicit mendacium, ipse autem formaliter C non mentitur; ita, qui bona fide accedit indispositus, obicem ponit, & materialiter ac re ipsa fictus est, quanuis formaliter, & quoad nouam culpam, non fingat.

Adulti defectu dispositionis nullũ interdũ effectum baptismi accipiũt.

Dico secundò, ex imperfectione dispositionis, fieri posse, vt effectus baptismi minuatur, & è conuerso vt ex perfectione dispositionis augeatur. Vt declaretur, & probetur hæc assertio, aduertendum est, in effectibus baptismi duplicem quantitatem intelligi posse; prior vocari potest extensiua, seu quasi discreta, vt est habituum, ac donorum multitudo, remissio peccatorum mortalium, & venialium & omnium pœnarum. Et præterea aliqua alia auxilia gratiæ, si fortasse aliqua dantur ratione baptismi, præterea, quæ ex natura rei debentur gratiæ habituali. Posterior quantitas est intensiua, quæ D eiusdem rationis, seu proportionis est in gratia gratum faciente, & in omnibus virtutibus infusis, & donis, quæ illam consequuntur. Quod igitur spectat ad priorem quantitatem, quælibet dispositio, quæ sufficit ad gratiam recipiendam per baptismũ, sufficit ad omnia alia positiua habitualia dona gratiæ, quæ secundùm legẽ ordinariã dari possunt per baptismum, tum quia hæc ex natura rei cõsequuntur gratiam, tum etiam, quia, qui nõ posuit obicem gratiæ, nõ ponit etiam illum alijs virtutibus, seu donis infusis, sufficit etiã illa dispositio ad omnia mortalia peccata tollẽda: quia omnia per gratiã remittuntur; neq; vnum potest sine alio remitti, aut cum gratia simul esse. Atq; ita in hac quãtitate huius effectus nõ potest esse inæqualitas ratione dispositionis,

Dispositio ad gratiã, sufficit ad omnia quæ eam consequuntur.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

nis, quia totus hic effectus per se, & ex natura sua, est quasi indiuisibilis, solùm in remissione peccatorum mortalium fieri potest, vt vni plura remittantur, quàm alteri, sed hoc nō potest prouenire ex parte dispositionis: quia cum eadē dispositione, imò, & cum meliori, possunt alicui pauciora peccata remitti. Tantùm ergo potest hoc prouenire ex parte subiecti, scilicet, quia vnus homo plura habet peccata, quàm alius, quod est per accidens, & quasi materiale ad virtutem sacramenti, cuius efficacia formaliter in hoc consistit, q̄ tollit semper omnia peccata mortalia, quæ inuenit in subiecto disposito, atque idem proportionaliter est in remissione pœnæ, quæ respondet huiusmodi peccatis: nam ex parte sacramenti, & dispositionis requisitæ ad effectum eius, non reperitur magis & minus in hoc effectu, sed si aliquid huius pœnæ remittitur per baptismū, totam remitti necesse est: quia non potest ex parte subiecti dari obex impediens remissionem totius pœnæ æternæ, & temporalis, si non datur ad remissionem culpæ: cùm nulla satisfactio exigatur ab eo, qui dignè suscipit baptismum. Ex parte verò subiecti fieri potest, vt vni remittatur maior pœna, quàm alteri, quia inuentus est reus maioris pœnæ propter plura, & maiora peccata, quod est per accidens, vt dixi. Tandem in remissione peccatorū venialium in hoc etiam reperitur quædam æqualitas, quia illa dispositio, quæ sufficit ad gratiam, sufficit ad remissionem omnium peccatorum venialium, quæ in subiecto inuenta fuerint, si aliunde nō fuerit positum speciale impedimentum: quia baptismus de se est efficax ad hunc effectum, & ideò illum præstat, si non inuenit obicem.

In remissione peccatorum inæqualitas prouenit ex parte subiecti.

Est autem differentia inter peccata venialia & mortalia, quòd remissis mortalibus non necessario remittuntur venialia, neque remisso vno veniali necessariò remittuntur omnia, quia potest quis veram attritionem vel contritionem habere de peccatis mortalibus, complacendo in venialibus: possunt item venialia simul esse cum gratia sanctificāte, & ideò licèt illa infundatur per sacramentum homini attrito, non necesse est excludi venialia, si contingat hominem in eis actū complacere, seu consentire: nam hæc praua dispositio actualis eorū remissioni repugnat, vt D. Thom. tradit infra quæst. 86. articul. 2. & ibi latiùs dicetur. Similiter potest vnum peccatum veniale displicere, quamuis aliud adhuc placeat, & ad remittendum veniale peccatum per se non requiritur gratiæ habitualis infusio: & ideò fieri etiam potest, vt per baptismum tollatur vnū peccatum veniale absque alio, si baptismus inueniat hominem affectum, & complacentem in aliquo peccato veniali, & non in alio: sic igitur in hoc effectu reperiri potest inæqualitas (vt sic dicam) extensiua ex imperfecta dispositione recipientis, seu potiùs ex contraria dispositione repugnante plenitudini, & integritati huius effectus, quæ tamen non impedit substantialem effectum eius, qui est gratia, & remissio peccati mortalis: quia nō excludit veram attritionem, vt dictum est, licèt Paluda. d. 4. q. 5. indicet, per solū veniale peccatū posse impediri effectū gratiæ sacramentalis, quod omnino falsum est, vt suprà etiam tetigimus tractādo de sacramentis in genere. Atq; hinc tandem cōstat, in effectu remissionis pœnæ, quæ correspondet culpis venialibus, posse ex eadē radice reperiri aliquā inæqualitaté proportionatam remissioni culpæ: quia in hoc sacramento, remissa aliqua veniali culpa, tota pœna illi respōdens remittitur: quia quoad hoc nō potest poni obex specialis, neque etiam exigitur satisfactio remissa culpa: solum ergo potest relinqui aliquis reatus pœnæ temporalis, quatenus potest manere aliqua culpa venialis non remissa. Atque hæc de priori quantitate huius effectus.

Discrimē inter venialia & mortalia. — *D. Thom.* — *Paludanus.*

Altera quantitas effectus baptismi est intensiua: de qua lōga posset institui disputatio, nisi superiùs esset tractata in materia de sacramētis in genere; & ideò breuiter solū dicendū est, pro qualitate dispositionis posse hūc effectū esse inæqualē, seu intēsiorē, vel remissiorem, quod satis significauit Concilium Trid. sess. 6. c. 7. agens enim de gratia, cuius instrumentalis causa est baptismus, dari docet vnicuique iuxta dispositionē eius; atq; idē docet D. Thomas hic, cuius ratio est optima, de qua plura citato loco. Atq; hinc infert Soto d. 6. q. 1. art. 6. hanc gratiam semper infundi intensiorē adulto, quā infantibus, quod est satis verisimile, quia semp adultus est meliùs dispositus, quā infans: nā hic nullā habet positiuā dispositionē, sed solā nō repugnātiā, adult⁹ verò semper esse debet positiuè dispositus per ꝓpriū actum, quod sanctificationis genus perfectius est.

... pro inæqualitate dispositionis. Triden. D. Thom. Sotus.

Sed dicet aliquis, hāc rationē habere vim, si cætera sint paria ex parte subiecti, fieri autem posse, imò semper moraliter accidere, vt ex parte subiecti sit magna diuersitas: nā infans tantū habet originale peccatū; adultus verò habet simul peccata actualia. Vnde maiorē habet repugnātiā ad gratiā, quam infans: & ideò, licèt aliquā habeat actualē dispositionē, tū respectu talis subiecti nō videtur illud reddere magis proportionatū ad maiorē gratiā accipiendā; præsertim si illa dispositio nō sit cōtritio, sed tantū attritio. Hoc autē argumentū, si alicuius momēti est, cōsequēter probabit, ex duobus adultis, si alter habeat plura peccata actualia, quā alius, licèt cū eadē attritione accedant ad baptismū, vel pœnitentiā, maiorē gratiā accipere eum, qui pauciora habet peccata: quia, licèt actus dispositionis in se sit æqualis, tū respectu subiecti indignioris, magisque indispositi per plura peccata, moraliter censetur minor dispositio; sicut idē calor vt duo, in subiecto humidiori ac densiori dici potest minor dispositio ad ignē, quā in subiecto sicciori. Vnde vlteriùs etiā sequitur, adultū magis attritū posse recipere minorē gratiā per baptismū, vel pœnitentiā quā aliū minus attritum videlicet si prior habeat plura peccata, & seruata ꝓportione, sit maior excessus in multitudine seu magnitudine peccatorū, quàm in attritione.

Obiectio.

Et fortasse nō deerit, qui hæc omnia non videantur absurda, quia re vera habent aliquā speciē congruētiæ probabilis, nihilominùs tamen mihi, sicut noua vidētur, ita etiā minùs probāda, sed dicendū est, inæqualitatē, vel perfectionē dispositionis simpliciter attēdendā esse ex qualitate, specie, intensione, & quacūq; alia perfectione positiua ipsius dispositionis, nulla habita ratione multitudinis, vel magnitudinis peccatorū, quæ præcesserūt. Potest quidē propter plura vel maiora peccata maior reatus pœnæ tēporalis relinqui, stante æquali dispositiōe, si iustificatio fiat extra sacramentū, vel in sacramento pœnitētiæ: nā in baptismo hoc nō habet locū, vt iam diximus; tamen quoad effectum gratiæ nō infundetur maior vel minor, stante æquali dispositione propter pauciora, vel plura peccata præterita, quia ab omnibus æquè auertitur voluntas per æqualem dispositionem, & æquè ad Deum conuertitur, nec plura peccata præterita faciunt illam dispositionem moraliter minorem, quia non sunt circunstantiæ eius, & dispositio illa non accipit à dignitate vel indignitate subiecti proportionem illā seu congruentiā, quam habet ad effectum gratiæ, sed ex gratia Spiritus sancti, & ex sua intrinseca perfectione. Deniq; quia peccator, formaliter loquendo, tā est auersus à Deo, tamq; repugnat gratiæ per vnū peccatū, sicut per multa: quamuis radicaliter, & demeritoriè vnus sit auersus per plura peccata, quā alius, & è cōuerso vera attritio æquè disponit ad tollendam auersionem, ex quacunque radice, seu voluntate orta sit. Vnde tandem concluditur, seruata proportione, verè ac rectè dici, adultum per propriam dispositionem iustificatū, in baptismo maiorem gratiam accipere, quàm infantem; quia est meliùs dispositus. Et hæc de posteriori quantitate intensiua effectus baptismi.

Respons. Æqualitas vel inæqualitas dispositionis sumēda ...

Adultus maiorem gratiā recipit in baptismo, quàm infans.

Vna supererat hoc loco quæstio pertinens ad priorem partem huius quæstionis, scilicet, an is, qui ponit obicem gratiæ sanctificanti recipiendæ per hoc sacramētum, possit interdum recipere aliquem habitum infusum, saltē fidei, & spei; de alijs enim non potest esse quæstio, quia, iuxta communem sententiam, nunquam separantur à gratia sanctificante. Ratio autem dubitandi esse potest, quia Concilium Tridentinum sessio. 6. cap. 7. tractans de prima iustificatione, quæ fit per sacramentum baptismi in re, vel in voto, dicit. *In hac iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem*: ergo iuxta doctrinam Concilij adultus baptizandus, vel baptizatus non priùs accipit fidem & spem, quam caritatem: sed quandocunque ponit obicem gratiæ, non recipit caritatem; ergo nec fidem, nec spem. Quæ ratio fundata in autoritate Cōcilij conuicit aliquos Theologos, vt hoc affirmarent. Ego verò in primis censeo non fuisse hanc mentem, aut intentionem Concilij: quia nulla erat necessitas hoc definiendi, nec pertinebat ad institutum eius: quod enim Concilium eo loco intendit, solum est, in instanti iustificationis illa tria, scilicèt, fidem, spem, & caritatem, esse inseparabilia à vera iustitia: atque adeo simul necessariò esse debere in homine iusto; & hoc probat ratio subiuncta à Concilio his verbis. *Nam fides, nisi ad eam spes accedat & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Quòd autem ante instans iustificationis non infundantur fides & spes sine caritate, nec probari potest illa ratione Concilij; quia ante iustificationem potest homo vnitus cum Christo imperfectè, & vt membrum mortuum. Neque etiam id erat necessarium ad doctrinam de iustificatione, neque aliquo firmo fundamento affirmari poterat: nō est ergo hæc mens Concilij: sed vel sumpsit verbum illud, *accipit*, non in rigore, vt significet initium essendi, sed latiùs, prout idem significare potest, quod habere, seu possidere: vel certè illud aduerbium, *simul*, non est positum ad significandam durationem, seu initiū eius, sed vt signum distribuens, ad significandam collectionem illarum trium virtutum, & necessariam connexionem, quam inter se habent, vt hominem plenè iustificent: in quo sensu, quando dicit Concilium, hominem in iustificatione illa tria simul accipere, non oportet per iustificationem intelligere solùm instans infusionis gratiæ sanctificantis, sed totam susceptionem, & spiritualem immutationem, quæ in homine fit à prima vocatione vsque ad gratiæ infusionem: hæc enim acceptio illius vocis valdè vsitata est, vt ex ipsomet Concilio constare potest, vt latiùs traditur in materia de iustificatione.

Vtrùm in baptismo ficte suscepto possit infundi fides, aut spes sine gratia ... baptismum. — *Concil. Trid.*

Quocircà valdè probabile semper mihi visum est, quòd sicut fides & spes non pendent in conseruatione sua à gratia & caritate, ita neque in infusione; est enim eadem ratio, nec facilè poterit conueniens discrimē assignari: nam sicut homo semel iustificatus, amissa iustitia verè & supernaturaliter credit, ac sperat, &, vt hoc possit conuenienter facere, retinet fidem & spem, ita peccator, qui incipit ad Christum conuerti, antequam perfectè amet, vel efficaciter detestetur omnia peccata, potest verè & supernaturaliter credere ac sperare: ergo, vt hoc possit conuenienter & connaturali modo facere, infundentur illi fides, & spes: nam ad illas est satis dispositus, & per illas meliùs disponi paulatim potest ad gratiam obtinendam, à qua hi habitus natura sua separabiles sunt. Neque in hoc reperiri poterit maius inconueniens inter habitus, quàm inter actus: si ergo actus possunt antecedere, cur non etiam habitus? Vnde consequenter fit, accidere posse, vt in baptismo homo ponat obicē gratiæ & caritati, non tamen fidei & spei: quia potest credere, & sperare, non tamen de peccatis dolere, tunc ergo sacramentū habebit effectum circa fidem & spem, quamuis nō habeat circa alia dona: quia sacramentū dat omnem effectū, cui non ponitur obex, est enim veluti causa naturalis, quæ agit quātū potest, si nō sit impedita, si ergo potest dare plures effectus, & impeditur circa vnū, & non circa aliū, qui est ab altero independens, dabit vnū sine alio: sicut contingit in charactere, & idē suprà dictum est de remissione venialium peccatorum.

Probabile est fidem, & spē infundi posse ante baptismum.

Obseruādū verò est iuxta discursum factū moraliter loquendo, semper accidere, vt habitus fidei ante baptismū infundatur, quia moraliter loquendo, necesse est, vt actus fidei in catechumeno antecedat: per quem actū disponitur, vt statim ei infundatur habitus: sicut, si priùs tempore, quàm baptizetur, habet amorē Dei super omnia, statim ei infundetur caritas, quæ posteà augetur per baptismum susceptum; & idem probabile est de fide cū eadē proportione. Si tamen contingeret, aliquem nō habere verum actū fidei vsque ad illud instans, in quo perficitur sacramentum baptismi; tunc prima infusio talis habitus fieret per ipsum sacramentū; & idem est dicendum proportionaliter de spe, in qua faciliùs potest accidere, vt ante baptismum non exerceatur per proprium & formalem actum suum: quia non est fundamentū totius iustitiæ, & supernaturalium actuū, sicut est fides: sed hæc res latiùs tractanda est in materia de iustificatione.

SECTIO IIII.

Vtrùm effectus baptismi impeditus per fictionem detur recedente fictione.

SVppono, quæstionem hanc solū habere locū, quando baptismi sacramētum validum fuit, non tamē contulit effectum propter obicem

suscipientis, qui obex, fictio appellatur: nam quando fictio opponitur ipsi sacramento, illudque irritum reddit, nihil est, quod redire possit; cùm nihil antea effectum fuerit, sed necesse est, sacramentum iterari. Ratio autem difficultatis in hac quæstione sic explicata est, quia causa physica non operatur, nisi quando existit: ergo, si baptismus non confert suum effectum, quando existit, nihil posteà efficere poterit, cum eius efficiẽtia realis ac physica sit. In cõtrariũ verò est, quia proprius effectus baptismi, qui est, regenerare hominem in Christo, & remittere originale peccatum, & alia mortalia, quæ cũ illo sunt coniuncta, ita est proprius baptismi, vt à nullo alio sacramento, nec per aliud remediũ absque baptismo fieri possit; hac enim de causa est baptismus medium necessarium ad salutem: ergo necesse est, vt, vel ablata fictione præcedens baptismus efficiat hunc effectum, vel vt iteretur baptismus, vt det illum effectum, qui non potest, nisi per baptismum, dari: sed baptismus iterari non potest, vt fides docet: ergo necesse est, vt præcedens baptismus conferat effectum recedente fictione.

Aug. Hæc posterior ratio omninò conuicit Augustinum, vt doceret, baptismum impeditum à suo effectu per fictionẽ incipere illũ habere ablata fictione, sicut videre licet, lib. 1. de Baptismo, cap. 11. & sequentibus. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. c. 5. & sæpè aliàs, & refertur de Consecrat. dist. 4. in cap. Tunc valere. *Cyprian.* Atque hanc sententiam videtur etiã significasse Cyprianus in lib. de Cardinalibus Christi operibus, verbis posteà referendis. *D. Thom.* Et eandem amplexi sunt omnes Scholastici cum D. Thoma hic. Sed in ea explicanda potest esse nonnulla diuersitas. *1. Sententia.* Varijs enim modis intelligi potest dari effectũ baptismi recedente fictione. Primò, omnino materialiter, & quasi concomitãter; ita vt, remoto obice, verbi gratia, per cõtritionem, verè infundatur gratia; & remittatur peccatum originale cum alijs actualibus, quæ per baptismũ tollenda erant, si fictio non intercessisset, & ideò dicatur tunc dari effectus baptismi, id est, qui per baptismum dandus erat, si non impediretur; tamen re vera, quando talis effectus datur, baptismus nihil circa illum operatur (iuxta hanc sententiam) nec physicè, nec moraliter, sed sola cõtritio, ratione cuius datur gratia, & tollitur fictio, & concomitanter tolluntur omnia alia peccata. *Glossa.* Ita opinatur Gloss. in cap. Tunc valere. de Consecrat. dist. 4. dicens, tunc non dari remissionem peccatorum propter baptismum, sed propter contritionem. Cuius sententiæ fundamentum esse potest, quia hoc sufficit, vt omnia peccata remittantur, quæ per baptismum remissa non fuere propter obicem; non ergò oportet nouos effectus, aut nouos causandi modos sine fundamẽto multiplicare. Item hoc modo facilè expeditur difficultas in prima ratione dubitandi tacta; quæ confirmari potest, quia sacramẽtum futurum non dat suum proprium & specialem effectum ex opere operato, antequàm sit; sed, ad summũ, dicitur contritio dare suum effectum in ordine, vel cum voto futuri sacramenti: quia veluti imponit obligationem suscipiendi illud, & sub hac veluti conditione, saltem voluntate & proposito concepta, confert suum effectum: ergo similiter sacramentum præteritum, quod iam non est, non potest dare suũ effectum ex opere operato: quia, postquàm præterijt, tam est nihil, quàm quod nondum fuit: ergo contritio est, quæ habet effectum: quæ iam non indiget voto baptismi, quia supponit illum susceptum, solùmque poterit talis effectus baptismo attribui, quia contritio supponit illum susceptum, nec dare illum posset, nisi præsupposito baptismo, vel in ordine ad illum. Denique iuxta hunc dicendi modum dupliciter solui potest ratio in contrarium suprà facta. Primò, dicendo, peccatum originale per se primò non posse tolli nisi per baptismum; tamen ex accidente & concomitanter posse tolli per pœnitẽtiam, quatenus per illam datur gratia, quæ tollendo fictionem consequenter necesse est, vt tollat originale peccatum, & omnia alia mortalia cum illo coniuncta: quia vnum peccatum mortale non potest tolli, nisi tollantur omnia. Vel secundo addi potest, hunc effectum attribui baptismo, quia, vt sic fiat, necessariò præsupponitur baptismus.

Impugnatur hic dicendi modus. Sed hic modus dicendi omnino est alienus à mente Augustini & aliorum Theologorum, & nullo modo probandus est: quia ratio suprà facta in contrarium semper vim suam retinet, neque euasiones illæ satisfaciunt: quia iuxta doctrinam Concilij Tridentini, sessione 6. & 14. in lege noua nullum peccatum originale aut mortale remittitur, nisi per aliquod sacramentum in re, vel in voto, scilicèt per baptismum aut poenitentiam: *Concil. Trid. Peccatũ originale, vel mortale nõ remittitur, nisi per aliquod sacramentum in re, vel in voto.* nam alia sacramenta non sunt per se instituta ad tollenda huiusmodi peccata: sed peccatum originale, & mortalia ante baptismum commissa non tolluntur per poenitentiæ sacramentum in re, vel in voto: quia, cùm non sint materia illius, ipsum non potest habere efficaciam circa illa: ergo oportet tolli per baptismum: sed in eo, qui iam baptizatus fuit fictè, non possunt tolli per baptismũ in voto: quia est incapax talis voti, sicut & alterius baptismi: ergo tolli necessario debent per baptismũ iam susceptum, quamuis tempore præcesserit. Neque illud de remissione peccatorum per concomitantiam sufficit ad vim huius rationis eludendam: quia nunquam peccatum aliquod martale remittitur per accidens, seu concomitanter per aliquod sacramentum, nisi cum ordine ac voto alterius sacramenti, per quod tolli potest per se, vt, verbi gratia, quando quis bona fide accedens tantùm attritus ad Eucharistiam, per illam consequitur gratiam & remissionem peccatorum, dicitur ille effectus per accidens respectu Eucharistiæ: quia semper fit per respectum ad sacramentũ poenitentiæ, vel cum voto illius. Interdum etiam contingit, per sacramentũ poenitentiæ remitti aliquod peccatum tantũ concomitãter ad remissionem aliorum, vt quando illud peccatum est oblitum, vel bona fide tacitum propter graue causam; tunc autem & sacramentũ ipsum poenitentiæ per se poterat habere virtutem ad tollẽdum illud peccatũ, si in confessione aperiretur, & prætereà peccatum illud nunquam tollitur, nisi in virtute, & voto alterius confessionis, in qua per se remittendum sit. At verò in præsenti originale peccatũ & alia mortalia ante baptismum commissa non respiciunt aliquã causam per se remissiuam illorum, nisi baptismum: ergo non possunt, etiam concomitanter, tolli per aliud remedium, nisi cum ordine ad baptismum, & non per votum baptismi futuri; quia hoc nullum esse potest: ergo per ordinem ad baptismum iam susceptum. Neque verò satis est, quod

quod secundo loco dicebatur, posse hũc effectum tribui baptismo: quia, vt sic fiat per contritionem sine voto baptismi, necessario supponit baptismũ susceptũ: quia hæc habitudo non sufficit, vt talis effectus baptismo attribuatur; aliàs enim remissio peccatorũ, quæ fit per sacramentum poenitentiæ, deberet tribui baptismo: quia poenitẽtia non posset habere illum effectũ, nisi præsupposito baptismo, & idẽ est de effectibus aliorũ sacramentorũ: ergo necesse est, vt alio proprio & speciali modo tribuatur ille effectus baptismo, scilicèt tanquã vnicę causæ, & remedio necessario per se instituto ad talem effectũ: ergo hoc modo baptismus priùs indignè susceptus confert posteà remissionẽ peccatorũ recedente fictione. Quod tandẽ ita confirmo, quia peccatum originale non contrahitur, nisi per generationem naturalem: ergo nec remitti potest, nisi per generationem spiritualem, iuxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* ergo quando peccatum originale deletur recedente fictione, tollitur per aliquam regenerationem spiritualem, quæ tantùm fit in baptismo, & nõ per præsentem, aut futuram: ergo per præteritam.

2. Sententia. Secundus modus explicandi Augustini sententiam esse potest, ablata fictione redire effectũ baptismi quoad remissionẽ peccati originalis, & omnium mortaliũ, quæ antea commissa fuerant; non tamen quoad specialem gratiam distinctam ab ea, quæ daretur ratione contritionis, per quã tollitur fictio neque quoad effectus alios, qui nõ sunt simpliciter necessarij, quatenus per baptismum fiunt, sed possunt alijs medijs obtineri, quales sunt remissio totius poenæ temporalis, & omniũ peccatorum venialiũ, & aliqua auxilia gratiæ, quæ fortasse dantur dignè suscipientibus baptismũ ratione ipsius sacramẽti. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia hoc satis est ad saluandam in baptismo necessitatem medij ad salutem: nam hoc modo ratione illius confertur ille effectus gratiæ, sine quo homo saluari non potest, qui est remissio peccati originalis, & mortalis: sed tota ratio, ob quam dicitur effectus baptismi dari rededente fictione, est, quoniam est causa vnica & necessaria alicuius effectus gratiæ necessarij ad salutem: ergo non oportet, vt hic effectus alio modo redeat, neque est aliquod probabile fundamentum ad id asserendum. Quòd si dicas, baptismum non posse remittere peccatum, nisi det gratiam; quia peccatum non remittitur, nisi per gratiã. Dicitur iuxta hanc sententiam, dari quidem gratiam intuitu seu ratione baptismi; non tamen distinctam ab ea, quæ daretur per contritionem, sed eandem, cum quadam habitudine seu morali respectu, non solùm ad contritionem, sed etiam ad baptismum; ita vt veluti duplici titulo detur eadem gratia, baptismi scilicèt, & contritionis: nam hoc satis est, neq; oportet multiplicare gratias sine sufficienti fundamento. Atque hoc modo expeditur facilè prior ratio dubitandi in principio posita, quia non oportet, vt hæc gratia physicæ fiat à baptismo præterito, sed satis est, vt moraliter detur ratione illius, & in ordine ad proprium effectum baptismi, qui est regenerare hominem, & mutare illum ab originali culpa, & alijs quas cum illa coniunctas inuenerit. Potest tandem confirmari hæc sententia, nam qui dignè suscepit baptismum, & per eum gratiam baptismalem, si posteà peccando illam amittat, & iterum posteà poenitendo resurgat, non oportet, vt illi restituatur prior gratia baptismalis, quam amisit per peccatum, quia hæc iam semel data est, & homo sibi imputare debet, si illam amittit, neque enim ampliùs ei debetur: ergo maiori ratione, si homo posuit impedimentũ gratiæ baptismali, nõ ei ampliùs debetur; sed satis est, quòd gratiæ poenitentiæ addatur respectus ad baptismum, vt ratione illius intelligatur destruere illud peccatum, quod solus baptismus delere potest. Confirmatur secundò, nam aliàs sequitur, eum, qui per baptismum fictè susceptum de fictione alijsque peccatis conteritur, maiorem gratiam accipere, quàm recepisset per contritionem, nondum suscepto baptismo: consequens est falsum; tum quia indigna susceptio non debet illi homini prodesse ad gratię augmentum; tum, quia oporteret in illa gratia distinguere diuersos gradus, ex quibus aliqui darentur ratione baptismi, alij ratione poenitentiæ: quod vix potest intelligi.

Impugnatur. Hæc sententia non caret aliqua probabilitate, mihi tamen simpliciter non placet. Primò, quia nõ videtur iuxta mentem Theologorum asserentiũ, effectum baptismi redire recedente fictione: simpliciter enim loquuntur de quolibet effectu baptismi, & maximè de effectu gratiæ: atque idem videtur sensus Augustini dicentis, non solùm remissionem peccatorum, sed & caritatem & Spiritum sanctum dari ratione baptismi recedente fictione. Et idem videtur docere Cyprianus sermone de Passione Domini, dicens: Et, *licèt indigni sint, qui accipiunt* (loquitur de baptismo) *sacramentorum tamẽ reuerentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & vbi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs quæri, aut repeti necesse est, salutiferum sacramentum.* Video, hæc testimonia posse eludi, dicendo, dari quidem gratiam ratione baptismi, sed non nouam aut maiorem, quàm daretur ratione ipsius poenitentiæ. Sed hoc re vera magis est verbis, quàm re ipsa dari, vel redire effectum baptismi, quia ille respectus nihil addit ipsi gratiæ, quæ ex se habet formalem repugnantiam cũ peccato originali, & quocunque mortali. Et prætereà argumentor primò in hunc modũ. Constituamus hominem, qui bona fide, & sine nouo peccato accepit baptismũ sine sufficienti dispositione, atque adeò fictè, & absque effectu, si huiusmodi homo, antequã aliquod mortale peccatum committat, habet verã attritionem de peccatis præteritis, consequetur effectũ baptismi, vt infrà dicã, quia re verà tollit fictionem, quæ tantùm posita fuerat in defectu talis dispositionis: ergo illi homini datur prima gratia baptismalis, quæ data fuisset tempore baptismi, si non esset fictio: ergo illa gratia datur ratione solius baptismi, supposita subiecti dispositione: nã sola attritio per se nõ sufficeret ad talẽ gratię effectũ: ergo baptismus præteritus sufficit recedẽte fictione ad dandam eandem gratiã: ergo semper eodem modo, & cũ eadem proportione operatur, si talis dispositio sit contritio, verbi gratia, vt quatuor: nã per eam secluso baptismo, seu ante institutionem eius, daretur gratia vt quatuor; nunc verò maior gratia datur homini priùs fictè baptizato, remouẽti fictionẽ per eandẽ contritionẽ vt quatuor, tũ quia, si nõ daretur nisi gratia vt quatuor, nulla gratia daretur ex opere operato ratione baptismi, cũ illa gratia nõ excedat latitudinẽ & pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

portionem contritionis secundùm se consideratę, tum etiam, quia est eadem proportio, & quodammodò maior ratio, nam si homini auferenti fictionem per attritionem datur ex opere operato aliqua gratia, multò maiori ratione dabitur idem effectus gratiæ ex opere operato homini remouenti fictionem per contritionem.

Secundò argumentor, quia prima gratia, vt suprà dixi ex Concilio Tridentino, nò datur, nisi vel ex opere operato per aliquod sacramentū, vel per votū illius: sed quando recedit fictio posita in prę-
terito baptismo, datur prima gratia: ergo datur ex opere operato ratione baptismi per se loquendo: ergo non tantū datur gratia per se respondens contritioni, sed etiā aliqua, quę respondet efficaciæ ipsius sacramenti, quod semper operatur, quantū potest, in subiecto dispositio, semperque aliquid amplius operatur, quā seclusō sacramento fieret in eodem subiecto eodē modo dispositio. Dixi autem, *per se loquendo*, quia interdū fieri potest ratione alicuius peccati mortalis post baptismū commissi, vt illa prima gratia nō tantū respiciat baptismū præteritum, sed etiam votū sacramenti pœnitentiæ posteà suscipiendi: hoc tamen hihil obstat: quia hoc est per accidens, & ad vim argumēti satis est, quòd baptismus priùs susceptus esset sufficiens causa, vt illa gratia detur ex opere operato, etiā si non sit necessitas respiciendi aliud sacramentum. Quod sic etiam confirmatur, nam ille sic iustificatus saluabitur: ergo ex aqua & Spiritu sancto, quia non est alia via ad salutem: ergo recipit gratiam regeneratiuam per aquam baptismalē: ergo est effectus eius ex opere operato. Tertiò argumentor, quia, iuxta probabiliorem, magisq; piam sententiā, gratia per baptismum semel comparata, etiam si per peccatū mortale amittatur, iterum recuperatur per pœnitentiam, vt latiùs sequenti tomo dicturi sumus: ergo similiter eadem gratia baptismalis, quæ danda fuisset homini nō ficto, dabitur recedēte fictione: est enim eadem ratio, vt magis ex dicēdis constabit, in quibus alia addemus, quæ huuc dicendi modum satis improbare videntur.

3. Sententia. Tertius igitur ac verus dicēdi modus est, ablata fictione dari totum effectū baptismi cum tota extensione & intensione, cum qua in principio daretur, si fictio nō interfuisset. Ita enim significāt verba Sanctorū & Theologorū simpliciter sumpta. Et sigillatim declaratur: nā in primis datur gratia sanctificans ex opere operato, vt ostensum est, & cū ea dātur omnes virtutes & dona: nā hæc omnia, vel sub nomine gratię sanctificātis comprehendūtur, vel in ea tanquā in radice continētur, & quasi naturali sequela consequuntur. Deinde datur remissio peccati originalis, & omniū mortaliū, quæ cum illo coniuncta sunt; non tamē omnia eodē titulo ac ratione: nā quæ commissa fuerunt ante baptismū, per se toliūtur virtute illius: quia remissio eorum est proprius ac per se effectus eius: quæ vero post baptismum commissa sunt, tolluntur, & concomitanter, seu per accidens respectu baptismi, & per se respectu pœnitentiæ, seu in voto eius. Vnde quoad hæc peccata mortalia post baptismū commissa nō dicetur propriè redire effectus baptismi: quia baptismus nunquā habuit virtutem per se ad remittēda hæc peccata, sed dicetur effectus baptismi necessario coniungi cum remissione eorū peccatorum, & cum effectu virtutis pœnitentiæ, vt

Quomodo remittantur mortalia post baptismum cōmissa recedēte fictione.

A includentis votū sacramenti pœnitentiæ: eò quòd nō possit tunc proprius effectus baptismi sine alio fieri; quia non potest vnum peccatum mortale sine alio remitti. Atque hinc fit, vt tunc etiam detur integra remissio pœnæ, quæ respondet peccatis mortalibus ante baptismum commissis; non vero illius pœnæ, quæ debetur propter peccata posteà commissa: quia remissio illorum est effectus per se baptismi, qui nullam satisfactionem postulat ad plenam remissionem totius pœnæ; sed solùm dispositionem sufficientem, vt tollatur culpa: horum autem remissio per se spectat ad sacramentum pœnitentiæ, in cuius voto fit: & ideò, licèt concomitanter tollantur, quando baptismus habet suum effectum ablata fictione; non tamen omnino remittuntur quoad poenam, sed iuxta dispositionem, & satisfactionem peccatoris; & ita quoad
B hæc potest manere reatus pœnæ temporalis, etiam si baptismus suū integrum effectum habeat. Præterea datur recedente fictione remissio peccatorum venialeum, quæ commissa sunt ante baptismum, & pœnæ, quæ ijs correspondēr, si tamen fictio etiam tollatur respectu illorum; ita vt non perseueret homo in complacentia eorum: sicut enim potest peccatum mortale sine veniali remitti: ita potest tolli fictio, vt impedit remissionem mortalium, & non vt impedit remissionem venialium, & tunc fiet prior effectus sine posteriori; quia vni ponitur obex, & non alteri, & vnus est ab alio separabilis: si autem obex & fictio simpliciter tollatur respectu omnium, omnia absolutè remittentur ex fundamento iacto, quòd, ablato impedimento, sacramentū operatur, quantum potest: non
C minùs autem potest operari baptismus priùs receptus, & veluti manēs in acceptatione diuina, quàm actu existens.

Quomodo remittantur mortalia ante baptismum cōmissa.

Dices, quid si priùs ablata est fictio respectu mortalium tantū, & post aliquod tempus respectu venialium; nunquid baptismus succesiuè, & quasi per partes tunc conferet hos effectus diuersis temporibus? Videtur enim hoc esse inconueniens, quia oporteret, gratiam etiam baptismalē paulatim, & quasi per partes infundi. Respondetur, quāuis non fit æquè certum redire effectum baptismi quoad remissionem venialium: quia baptismus non est medium necessarium ad huiusmodi remissionem, nihilominùs probabilius est, etiam hunc effectum redire: quia, si baptismus ita est institutus, vt possit operari ablato impedimento ex parte suscipientis, etiam si ipse iam non existat, nō est verisimile, hoc esse limitatum ad vnum effectum eius potiùs,
D quàm ad alium: nullum enim fundamentum est ad id excogitandum: præsertim, quia gratia illa, quæ datur recedente fictione, tam verè est regeneratiua, ac si esset data in præsentia baptismi, & ideò, quantū est de se, omnino transmutat hominem, & delet omnem maculā superioris vitæ. Vnde fit vlteriùs probabile, totum hunc effectum simul redire, si respectu totius simul tollatur fictio, vel etiam successiuè & diuersis temporibus, si eodem modo auferatur impedimentum, quia causa semper manet eadem, & cum eadem virtute ac determinatione ad operandum, si ex parte subiecti auferatur impedimentū. Quid ergo mirum, si impedimentum paulatim auferatur, effectum etiam paulatim, & per partes conferri? Neq; enim necesse est, vt gratia ipsa sanctificans paulatim etiam detur illis diuersis

uersis temporibus: nam hoc ipso, quòd aufertur fictio respectu mortaliū peccatorum; tollitur etiam obex respectu totius gratiæ baptismalis: quia peccatum veniale, vt sic, non repugnat gratiæ, neque intensioni eius, & è contrario, vt posteà tollantur peccata venialia, nō est per se necessaria gratiæ infusio: sed ipsamet gratia regeneratiua & baptismalis, ablato impedimento, est sufficiens ratio remissionis eorum: quòd si fortasse tūc coniungitur cū remissione venialium aliquod augmentum gratię, illud non erit ex opere operato ratione baptismi præteriti, sed fortasse ex merito ipsius operantis fundato in aliquo actu bono, quo displiceat illi venialia peccata, vel alio simili.

Sed quæres vlteriùs, quid de peccatis venialibus commissis post baptismum, nunquid illa etiam tollentur ablata fictione? Respondetur, per se loquendo nō est necesse illa tolli: quia nec per se hoc pertinet ad baptismum, quia, vt sæpè dictū est, non habet efficaciam circa peccata post illum susceptum commissa, neque etiam concomitāter, quia remissio venialium non habet necessariā connexionem cum remissione mortalium. Attendenda est ergo qualitas & virtus illius dispositionis, per quā fictio remouetur: nam si illa sit per se sufficiens dispositio, aut meritum operandi ad tollenda huiusmodi venialia, absque eo quòd sacramentum aliquid supleat ex opere operato, tunc quidem remittentur: si autem dispositio non fuerit huiusmodi, manebit reatus talium peccatorum, vel omniū, vel aliquorū, pro ratione dispositionis: quia baptismus priùs susceptus nihil omnino iuuat ex opere operato ad horum remissionem. Atq; eodem modo censendū
C est de remissione pœnæ, quæ propter hæc peccata debetur: fiet enim iuxta dispositionē & satisfactionem operantis, & non amplius. Tandem, ablata fictione, dabitur omnis gratia sacramentalis, si quæ fortasse est in baptismo præter ipsam gratiam sanctificantem, vt regeneratiuam; quale erit auxilium aliquod speciale opportuno tempore datum ad baptismi effectum conseruandum, vel aliquid huiusmodi: Quod probari potest ex fundamentis & rationibus suprà positis, & præterea, quia hic effectus gratiæ est maximè necessarius, & conueniens homini: non ergo debet illo perpetuò priuari: aliquī, saltem propter illum recipiendum, oporteret iterum baptismum susciperet: cùm ergo baptismus iterari non possit, oportuit, vt haberet hanc vim dandi omnem huiusmodi gratiam, quocunq; tempore obicem nō inueniat. Propter quod etiam verisimiliter credi potest, etiam si sæpiùs homo peccando ponat obicem huic effectui, tamen si resurgat, & præsertim si opportuno tempore, in quo
D dandum est hoc auxilium, non habeat impedimentum peccati, non fore illo priuandum propter priora peccata iam remissa. Quod videtur docuisse Cyprianus sermone de ablutione pedum, his verbis: *Nunc contemptum suum non statim vlciscitur Deus, nec per singulas offensas iudicantis ira discurrit, nec obstruxit fontis misericordiæ suæ ostia, meatusque multiplices: sed abuiat fugientibus, & cogit regredi desperatos, ostendens eis pœnitentiæ viam, quæ nulla latior inuenitur: & reuersis dat, vt iterum eis possint sacramenta prodesse: quorum, si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.* Ex his ergo satis constat, quomodo ablata fictione detur totus effectus baptismi quoad extensionem eius.

Quo gradu intensionis recedente fictione.

A Sed circa intensionem huius effectus est nō parua difficultas, quomodo intelligendum sit, redire totum effectum gratiæ, quoad intensionem ablata fictione. Et ratio dubitandi est, quia hæc intensio gratiæ, quæ datur ex opere operato, non est omnino indiuisibilis, & determinata: nam si huiusmodi esset, nulla relinqueretur difficultas, quin tota daretur iuxta principia posita: non tamen ita est, sed potest hæc intensio esse maior & minor iuxta dispositionē operantis magis, vel minùs perfectā. In eo autē, qui fictē suscepit baptismum, nulla fuit dispositio ad gratiā, vel intensionem eius: quæ ergo intensio danda est recedente fictione, aut per quā dispositionem vel mensuram est definienda?

1. modus dicēdi. Duos potui excogitare dicendi modos. Primus est, dari minimā gratiā, quæ ex opere operato dari potest per baptismū, qualis est illa, quæ datur infantibus, & cuicunq; neque obicem contrarium, neq; positiuam dispositionem ad gratiā habenti. Ratio huius sententiæ esse potest, quia in huiusmodi homine nulla est dispositio ad baptismū, ratione cuius effectus gratiæ excedat illum minimū gradū: quia dispositio ad baptismum dignè suscipiendum solùm est, quando ipse baptismus suscipitur: tunc autem nulla fuit talis dispositio: quia, vt supponitur, fictè & indignè susceptus est: ergo nō est, vnde effectus gratiæ excedat prædictum intensionis gradū. Dices, posse excedere ratione subsequentis
B dispositionis, per quam tollitur fictio: nam quò illa fuerit melior, tāto videtur futurus hic effectus maior. Vnde, cū semper sit necessaria aliqua positiua dispositio ad tollendū obicem, semper ex hoc capite dabitur intensior gratia, quā daretur cum dispositione neutra (vt sic dicam) id est, nec positiua, nec repugnante. Sed contra hoc est, quia ille actus, quo posteà tollitur fictio, re vera non est dispositio ad baptismū, quia non præparat hominem ad illum dignè suscipiendū: solū ergo deseruit respectu baptismi, tanquā remouens prohibens; non tanquā positiuè præparans: ergo, quòd ille actus sit magis vel minùs perfectus, nihil refert ad effectū baptismi: quia ad remouendū obicem quilibet est æquè sufficiens: ergo baptismus tunc per se nō operatur in subiecto positiuè dispositio, sed tantū in subiecto non habente obicem: dabit ergo illi minimum effectum quoad intensionem.

Confirmatur & declaratur à simili, supposita probabili sententia, quòd per quamcūque cōtritionem cuiuscunq; intensionis redeunt omnia merita per peccatum mortificata, & omnis gratia amissa: hoc enim posito fieri potest, vt per contritionem vt quatuor detur gratia vt centū, & per contritionem, vt octo non semper detur maior, sed interdum minor: quia licèt illis contritionibus, vt sunt dispositiones ad nouam gratiam, respondeat diuersus effectus, maior intensiori, & remissiori minor; tamen vt remouent obicem priorum meritorum, quantum est ex se, æquè operantur: quia in hoc habent quandam æqualitatem, quia vtraque
C remouet totum obicem, quo sublato omnia merita præcedētia redeunt, siue sint minora, siue æqualia, siue maiora: quia respectu illorum illa contritio nō se habet vt dispositio, sed tantùm vt remouens prohibēs: sic ergo in præsentia actus, quo tollitur fictio, solùm se habet, vt remouens obicem; & ideò non refert, quòd in se sit magis vel minùs perfectus: quia in efficacia tollendi obicem omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt æquales, & tantùm sub hac ratione tunc concurrunt ad effectum baptismi.

Et confirmatur secundò hæc sententia, quia recedente fictione solùm datur effectus baptismi ratione præcedentis susceptionis eius, eo modo quò tunc facta est, & acceptata à Deo ad talem effectum: sed nunc susceptio baptismi ex parte suscipientis fuit sacrilega, & indigna, quanuis ex parte baptismi semper de se fuerit efficax, & sufficiens ad gratiam: ergo ille baptismus sic susceptus solùm acceptatur ad dandam minimam gratiam, quam baptismus ex se potest dare; quia ex parte subiecti nihil fuit, vnde posset crescere ille effectus. Neque enim conuenienter dici potest, tunc non acceptari ad determinatum effectum, sed confusè ad talem effectum, qualis postea fuerit dispositio, per quam tolletur fictio. Hoc, inquam, non placet, quia sacramentum determinatur ad effectum iuxta capacitatem, & dispositionem, quam habet subiectum eo tempore, quo recipit sacramentum, non iuxta eam, quam postea est habiturum, vt patet inductione facta in omnibus sacramentis, & in omnibus causis efficientibus, quæ ex dispositione subiecti habent aliquo modo determinatos effectus. Ité ratione morali, quia hoc expedit ita fieri, vt homines excitentur ad dignè suscipienda sacramenta.

Vnde plures rationes oriuntur, quibus hæc sententia amplius confirmari potest. Vna est, quia ei, qui indignè suscepit baptismum, non datur postea gratia recedente fictione, nisi ob sanctitatem & efficaciam baptismi, vt est medium necessarium ad salutem; non verò propter id, quod homo ex parte sua adhibuit in eâ susceptione: nam ex hoc capite potiùs fuisset priuandus omni gratia: ergo satis superque est: quòd detur ei minima gratia baptismalis, nam hæc est, quam baptismus de se semper efficit nulla habita ratione dispositionis subiecti, sed solùm remoto obice: nam hæc sufficit ad salutem, & ad necessitatem baptismi & efficaciam eius, & quòd non detur maior, quodammodo debetur indigne susceptioni. Altera ratio, seu tertia confirmatio est, quia si aliquis accepit baptismum cum attritione vt duo, alius verò fictè, & vterque postea habeat attritionem vt tria, nō est verisimile, maiorem gratiam ex opere operato accipere eum, qui fictè baptizatus est, quàm eum, qui dignè cum attritione vt duo: ergo, quanuis ille, qui fictè accepit sacramentum, postea tollat fictionem per attritionem vt tria, non recipiet tantam gratiam ex opere operato, quantam accepisset, si tempore baptismi habuisset illam attritionē vt tria: alioquè acciperet maiorem gratiam ex opere operato, quā alius, qui baptizatus fuit cum attritione vt duo, quod videtur incredibile.

Et potest in hunc modum etiam explicari, nam ei, qui baptizatus est cum attritione vt duo, licèt habeat postea attritionem vt tria, non propterea confertur maior effectus ex opere operato, quia ille iam fuit definitus ex priori dispositione, quæ cū ipso baptismo concurrit: ergo neque ei, qui indignè suscepit baptismum, attritio vt tria postea habita vtilis esse debet, vt effectus ex opere operato in eo crescat; sed satis est, vt deseruiat ad tollēdum obicem. Tandem, potest alio modo vis huius rationis declarari, nam baptismus, sicut dat gratiam homini non ponenti obicem, ita maiorem dat homini bene disposito, & adhuc maiorem meliùs di-

A sposito: ergo sicut in homine adulto carentia dispositionis absolutè & simpliciter est obex ad totum effectum sacramenti; ita carentia perfectioris dispositionis dici potest obex respectu perfectioris gratiæ ex opere operato recipiendæ: sed, qui recepit sacramentum cum dispositione imperfecta, quanuis ex parte sua obstiterit perfectiori gratiæ, non potest postea per contritionem, vel attritionem perfectiorem qualemcumque illum obicem, & se disponere, vt ille effectus ex opere operato crescat: quia iam effectus baptismi fuit determinatus in ipso instanti receptionis eius, & subsequens contritio iam non est dispositio ad illum: ergo simili ratione & proportione dicendum est de eo, qui potuit obicem toti effectui, nimirum, quòd maior vel minor contritio, aut attritio postea habita, nō sit in eo dispositio ad perfectiorem
B effectum ex opere operato, sed solùm ad remouendum obicem.

Dices, si hæc ratio esset efficax, probaret, quòd sicut maior perfectio effectus baptismi semel impedita ex imperfecta dispositione suscipientis nō posset postea recuperari; veluti auferendo obicem per meliorem dispositionem: ita neque absolutus effectus gratiæ semel omnino impeditus posset postea redire ablata fictione; certum quoad minimam gratiam. Respondetur, non esse parem rationem, quia aliqua gratia baptismalis est necessaria ad salutem, perfectio autem gratiæ non est ita necessaria, & ideò baptismus, quomodocunque recipiatur, acceptatur ad aliquam gratiam dandam remoto obice; non verò ad perfectionem gratiæ, nisi pro ratione præsentis dispositionis. Ita est alia differentia, quia respectu perfectioris gratiæ non datur
C obex contrarius, proprieloquendo, sed tantū negatiuus, qui est carentia perfectioris dispositionis; qui obex postea nullo modo auferri potest, quia licèt possit haberi perfectior actus, non tamen perfectior dispositio, quia postea elicitus actus neq; est, neque esse potest dispositio ad baptismū: at verò respectu gratiæ absolutè, præter negatiuam dispositionem concurrit semper contraria, scilicèt, peccatum aliquod gratiæ repugnans, & huiusmodi obex auferri potest per aliquam detestationem illius, scilicèt per conuersionem in Deum illi repugnantem aliquo modo; & ideò potest redire effectus gratiæ prout est necessarius ad expulsionem peccati, quanuis non redeat quoad maiorem perfectionem, quæ pendet ex meliori dispositione.

Vltimò confirmatur, & declaratur hæc sententia à simili ex modo, quo reuiuiscit gratia baptismalis semel habita & amissa: nam si quis dignè recepit baptismum cum contritione vt duo, & postea peccauit, & deinde resurgit per contritionem vt quatuor, quāuis illi iterum detur gratia baptismalis ablato obice peccati, non tamen illi datur tāta gratia ratione baptismi, quanta data fuisset, si in ipsa susceptione baptismi habuisset contritionem vt quatuor; sed præcisè restituuntur illi gradus gratiæ, quos baptismus habere potest in homine contrito vt duo: quia illa gratia non est mensuranda per dispositionem, per quā postea aufertur obex, sed per eam, quæ fuit tempore susceptionis baptismi: ergo multo maiori ratione si priùs accepit baptismū sine vlla contritione, nec attritione, & postea resurgit per contritionem vt quatuor, nō dabitur illi tanta gratia ratione baptismi, quanta da-

rctur

retur homini suscipienti illum cum contritione vt
A quatuor: alioqui, cæteris paribus, meliorem effectū baptismi consequeretur, qui indignè illum suscepit, quàm qui dignè, licèt tardiùs, seu tempore posteriori, quod videtur satis absurdum: quia contritio illa, per quam remouetur obex, non magis est dispositio ad baptismū in vno, quàm in alio. Quæ ratio, & omnes aliæ factæ eadem proportione probant, ablata fictione nunquam dari tanquam gratiam ex opere operato ratione baptismi, quāta data fuisset homini dignè suscipienti illum quacunque dispositione minima & imperfecta. Vnde tādem concluditur, recedente fictione solùm dari minimam gratiam, quę determinata est ex ipsa institutione baptismi ad certum gradum, sine ordine ad positiuam dispositionem suscipientis, sed solùm ad subiectum non habens obicem, seu remo-
B uens illum: nam licèt baptismus non semper det hunc effectū ob indispositionem suscipientis, semper tamen ad illum acceptatur, vt remoto obice illum conferat. Atque hæc sententia videtur certè non solùm probabilis, sed etiam vera; nam rationes & coniecturæ adductæ videntur congruentissimæ, & satis vrgentes.

2. modus dicēdi. Nihilominus potest quis opinari, recedente fictione dari ratione baptismi, & ex opere operato maiorem vel minorem gratiam iuxta qualitatem actus seu dispositionis, per quam remouetur obex. luxta quam sententiam consequenter dicendum est, tantam gratiam dari recedente fictione, quanta data fuisset, si in ipso baptismo homo habuisset eandem dispositionem, quam habet, cùm tollit fictionem, nam supposito priori principio, quòd hic effectus crescat vel minuatur pro qualitate actus,
C quo remouetur fictio, non potest certior regula præscribi huius proportionis, nec solidius fundamentum dari, quàm tribuendo baptismo totū effectum suum, stante eadem proportione in subiecti dispositione. Itaque baptismus semel receptus tam est efficax ad operandum recedente fictione, quā in principio actu existens: ergo tantam gratiā dat, recedente fictione, cū tali dispositione, verbi gratia, contritione vt quatuor, quantam in principio daret, si cum eadem susceptus fuisset: antecedens patet inductione suprà facta in omnibus alijs effectibus; & ratione, quia est eadem causa, & eadem virtus, in qua perinde est manere in acceptatione diuina, ac si actu existeret: consequentia verò patet à paritate rationis. Nec videtur satis esse dicere illum actum, quo tollitur fictio, non esse dispositionem ad sacramentum: nam satis est, quòd sit dispositio ad effectum sacramenti: nam licèt sacra-
D mentum præcesserit quoad suum esse; non tamen quoad efficaciam suam: quia nondum contulit effectum suum; & ideò rectè intelligi potest, quòd, licèt non posit homo iam se disponere ad sacramentum suscipiendum; possit tamen se præparare ad gratiam, non solùm vt gratia est, sed etiam vt effectus sacramenti est, & quòd hac ratione detur inæqualis effectus dispositioni proportionatus. Neque in hoc oportet idem ferre iudicium de hoc effectu sacramenti, qui datur recedente fictione, & de reuiuiscentia meritorum, seu reditu gratiæ per peccatum amissæ: certius enim est, baptismum habere effectum recedente fictione, quàm gratiam semel per baptismum comparatam, & per peccatū amissam, per pœnitentiam in integrū restituirgra-

A tia enim, quæ datur propter sacramentum recedente fictione, verè est effectus sacramenti, & in eius efficacia & necessitate fundatur: gratia verò quæ per pœnitentiam restituitur, iam tunc nō est propriè effectus baptismi, sed, si restituitur, solùm est, quia acceptatio ad gloriam, quæ correspondet tali gratiæ, de se est perpetua, & firma, nisi homo ponat impedimentum perfectum; & ideò, ablato hoc impedimento per pœnitentiam, restituitur illa gratia, non vt nouus effectus sacramenti; & ideò non commensuratur præsenti dispositioni, at verò gratia, quæ datur recedente fictione, potest commensurari dispositioni, non solùm vt remouenti, sed etiam vt præparanti subiectum ad effectum sacramenti.

Denique ex hoc dicendi modo non sequitur aliquod inconueniēs; nam, licèt fateamur, eum, qui indignè suscepit baptismum, si postea resurgat
B per contritionem vt quatuor, maiorem gratiam baptismalem accipere, quàm eum qui indignè suscepit baptismum cum contritione vt duo, nihil absurdum, vel incommodum in hoc esse videtur, quia ille, qui indignè suscepit baptismum, non ratione peccati, quod tunc commisit, fructum aliquem accipit, sed magnum potiùs inde sensit detrimentum: quia eo tempore caruit diuina gratia, & fauoribus, & auxilijs proprijs filiorum Dei: si quid ergo vberioris fructus consequi videtur, totum prouenit ex perfectiori contritione, qua se ad effectum sacramenti præparauit. Quòd enim hæc contritio posterior tempore sit, non refert, quia moraliter coniungitur cum ipso sacramento, & præparat subiectum ad effectum illius. Et ideò etiā nihil obstat, quòd alter, qui dignè suscepit sacramentum cum remissa contritione, postea habeat alios actus contritionis intensiores: quia illi iam non sunt dispositiones ad effectum sacramenti. Sicut, si constituamus duos, quorum alter nunc accipiat baptismum cum contritione vt duo, postea verò successu temporis habeat feruētissimos actus amoris, & contritionis; alius verò in fine vitæ baptizetur cum contritione vt quatuor: hic posterior maiorem gratiam baptismalem secum afferet, quàm alius, etiam si fortasse aliunde plura habuerit peccata, & pauciora merita: quia hæc sunt accidentaria ad effectum sacramenti: ita verò est in præsenti; nam ita censendum est de illo, qui posteriori tempore tollit fictionē per nobiliorem actū, & dispositionem, ac si tunc cum eadem dispositione sacramentum accepisset.

Vterque modus probabilis, sed prior probabilior.

Atque in hunc modum explicata hæc sententia,
D & potest absque magna difficultate effugere vim superiorum rationum, & non est dubium, quin potuerit Christus Dominus hunc effectum, aut efficaciam sacramenti instituere: totum enim hoc negotium ex illius institutione pendet, quam coniecturis potiùs, quàm firmo aliquo fundamento, inuestigare possumus: & ideò vterque modus dicendi est probabilis; prior tamen videtur mihi verisimilior, magisque consentaneus communibus legibus sacramentorum, & conuenienti prouidentiæ, ad quam expedit, vt maiorem fructum reportet, qui meliùs dispositus ad sacramentum accedit; & ideò, quòd dispositio ad effectum propria tantùm ea sit, quæ simul est dispositio ad ipsum sacramentum, dignamque susceptionem, & & reuerentiam eius.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ad fundamẽta aliarum opinionum.

Superest respondeamus ad fundamenta aliarum opinionum, & ad rationem dubitãdi in principio positam; ad quam breuiter dicitur ex principijs suprà positis disputando de sacramentis in genere, sacramentum, quando habet effectum recedente fictione, non conferre illum, vt instrumentum physicum, sed Deum solùm dare effectum ratione sacramenti priùs suscepti: & hæc est facilior, & intelligibilior responsio, quàm aliæ, quę dari solent: neque in ea est vllum inconueniens; quia neque est necesse, neque possibile, quòd res, quæ, si existeret physicè, operaretur, etiam si non existat, physicũ influxum adhibeat: neque è conuerso necesse est, vt sacramentum, quod, cùm iam non existit, operatur tantùm moraliter, & non physicè, etiam cũ existit, & in subiecto non inuenit obicem, nõ operetur physicè, sed tantùm moraliter; sed potiùs consentaneũ rationi est, vt causa actu existens maiorem efficaciam habeat, saltem in modo operãdi: quæ omnia in prædicto loco latiùs tractata sunt. Atque hinc satis responsum est ad fundamentum primæ sententiæ: negamus enim, absque proprio effectu gratiæ sacramentalis verè ac propriè saluari, quòd sacramentum habeat suum effectum recedente fictione, vt satis declaratum est.

Responsio aliquorum.

Ad confirmationem verò ibi adiunctã ex comparatione inter sacramentum iam receptum, & posteà suscipiendum, quòd non magis possit vnũ habere effectum ex opere operato, quàm aliud. Aliqui concedunt proportionem, & affirmant, effectũ gratiæ, qui datur per contritionem in voto sacramenti, attribuendum esse ipsi sacramẽto tanquam propriæ causæ morali; atque ità dici posse effectũ ex opere operato respectu illius: nam huiusmodi causalitas ex opere operato, cùm latiùs pateat, quã causalitas physica, non requirit necessariò actualẽ, & realem existentiam causæ: potest ergo attribui sacramento futuro, sicut præterito.

Refellitur.

Sed hic dicendi modus, quanuis fortasse magis in verbis consistat, quàm in re, mihi non probatur, vt sæpè in superioribus tetigi: primò quidẽ, quia, si baptismus in voto operaretur ex opere operato, sicut dicitur causare gratiam, ita dici posset causare characterẽ, quia non est maior ratio de vno effectu, quàm de alio: imò videtur esse maior ratio de charactere: quia est veluti potentia passiua ad omnia sacramenta, & ad omnes effectus ex opere operato sacramẽtorum: & ita inter effectus baptismi est primus omnium. Secundò, quia, si post baptismum in voto aliquis accipiat baptismum in re, tunc recipit ex opere operato totam gratiam, quam hoc sacramentum dari potest cum tali dispositione: ergo signũ est, priùs non fuisse operatum sacramentũ ex opere operato; quia idem sacramentum nõ confert ex opere operato duplicem effectum distinctũ. Tertiò, ratio à priori esse videtur, quia in ipsis terminis videtur esse repugnantia, quòd effectus detur ex opere operato, & tamen quod detur priùs, quã opus fiat: quia in ipsismet verbis, *opus operatum*, includitur realis applicatio & effectio ipsius operis, cui talis effectus coniunctus est ratione ipsius operis re ipsa exhibiti, cui promissa est specialis virtus, seu priuilegium. Ex qua ratione clara est responsio ad prædictam confirmationem, negando similitudinem: & ratio differentiæ non est posita in reali & actuali existentia, vt bene probat ratio ibi facta: sed est in hoc posita, quòd sacramentum præte-

A ritum iam semel fuit re ipsa susceptum, & applicatum sufficienter ad operãdum, ratione ipsius operis iam operati: sacramentum autem futurum nondum applicatum est, neque operatum (vt sic dicã) & ideò nondum potest habere effectum ex opere operato.

Ad fundamentum secundæ sententiæ iam satis declaratum est, quæ sit necessitas, ob quam oportet, dari rationi baptismi specialem effectum gratiæ recedente fictione. Petitur autẽ in vltima confirmatione ibi posita (cætera enim omnia expedita iam sunt) specialis difficultas, nimirùm si recedente fictione datur aliqua gratia ratione baptismi, & aliqua ratione contritionis seu sacramenti pœnitentiæ, quomodò possit hic effectus diuidi, & attribui huiusmodi diuersis causis: sed quia hæc difficultas supponit aliqua in sequenti sectione tractãda; ideò B in fine illius commodiùs explanabitur.

SECTIO V.

Quænam dispositio sufficiat ad tollendã fictionem, vt baptismus suum effectũ habere incipiat.

TOta difficultas est, an requiratur contritio, vel sufficere possit attritio. Et ratio dubitãdi est, quia, si in ipsa susceptione sacramenti adfuisset attritio, illa fuisset sufficiẽs ad fictionem tollendam: ergo etiam posteà adhibita ad eundem effectum valebit. In contrariũ verò est, quia fictio nihil aliud fuit, quàm peccatũ: ergo tollere fictio- C nem nihil aliud est, quàm tollere peccatum: sed attritio non sufficit ad tollẽdum peccatum: ergo neque ad tollendam fictionem.

Attritio sufficiat ad tollendam fictionem.

Duobus modis contingere potest, vt suprà vidimus, hominem esse fictum in ipsa susceptione baptismi. Vno modo, absque actuali peccato sacrilegæ susceptionis, vt si bona fide accedat, putans se esse attritum, non tamen sit: aut, si inuincibiliter existimet, nõ esse necessariam aliam dispositionem præter fidem, & voluntatem baptismi. Secundo modo potest quis esse fictus, actualiter peccando, & sacrilegiũ committẽdo in ipsamet susceptione baptismi: quia nimirùm praua conscientia sciens, & videns, vel culpabiliter ignorans, ita accedit. Et vtroque modo euenire potest, vt homo post baptismum acceptũ aliqua peccata mortalia commiserit, aut quòd nũquam posteà mortaliter peccauerit.

Sufficit attritio, quando in baptismi susceptione, vel post baptismum non fuit peccatum.

D Dico ergo primò. In eo, qui neque in susceptione baptismi, nec post baptismum susceptum, mortaliter peccauit, sed ex inculpabili ignorãtia fictus accessit, sufficit posteà sola attritio ad tollendam fictionem, & ad gratiã & remissionem peccatorũ, ratione baptismi obtinendã. Hæc conclusio à fortiori colligitur ex autoribus statim citãdis, & eam apud me conuincit ratio dubitãdi in principio posita: quia illa attritio antea sufficeret: ergo & posteà sufficiet. Patet consequentia, quia nullum nouum peccati impedimentũ adiunctum est. Secundò, quia tollere fictionem, propriè ac formaliter non est tollere peccatum, vt falsò sumebatur in ratione dubitandi posteriori loco posita: nam ablatio peccati potiùs est effectus baptismi, quã dispositio ad illum: igitur tollere fictionem in præsenti

solùm est, tollere carentiam dispositionis: quia in casu, de quo agimus, tota fictio posita fuit carentia dispositionis, & non in aliquo nouo peccato. Vel aliter, tollere dispositionem est, retractare peccatum, quod priùs non fuerat retractatum: sed in casu, de quo agimus, per solã attritionem sufficienter retractatur peccatum, quantum baptismus postulat; & consequenter ponitur dispositio, quã solã baptismus per se requirit: ergo sufficienter tollitur fictio: ergo sacramentum habebit suum effectum, cùm aliunde nullum peccati impedimẽtum interueniat, vt supponitur. Tertiò, quia in huiusmodi homine non est necessarium sacramentũ pœnitentiæ, cum supponantur omnia peccata antecessisse baptismum: ergo tollenda sunt omnia virtute solius baptismi: ergo tollentur cum dispositione per se sufficiẽti cum solo baptismo. Deniq; quoad hoc perinde operatus boptismus anteà receptus, ac si tunc reciperetur: nam eandem habitudinem habet ad omnia illa peccata, & ad illam dispositionem, & semper de se est efficax, dum nouũ obicem nõ inueniat. Neq; contra hanc conclusionem inuenio obiectionem alicuius momenti: nam quæ in principio tacta est, soluta iam est.

Scotus.

Circa cõclusionem hanc videndus est Scotus, in 4. distinct. 4. q. 5. Vbi tamen sub obscurè loquitur, & nonnulla dicit, quæ mihi non omnino probantur: dicit enim, quòd si quis ante baptismũ habuit septem mortalia peccata, & ad baptismum accessit cum attritione sex peccatorum, & sine attritione septimi, vel cum complacentia eius, tunc ad remouendam fictionem non indiget noua contritione, vel attritione priorum sex peccatorum, indiget tamen pœnitentia, confessione, & satisfactione septimi peccati, quod fuit causa fictionis, & cuiuscunq; alterius posteà commissi. In qua doctrina, hæc vltima pars est vera, & consentanea conclusioni sequenti: prima etiam est probabilis, & conformis priori nostræ assertioni: nam supponimus posse aliquem habere veram attritionem aliquorum peccatorum, & non omnium, saltem propter propriam & specificam turpitudinem eorum, in qua non habent peccata mortalia necessariã connexionem respectu interioris affectus, seu detestationis voluntatis: potuit ergo verè aliquis detestari sex peccata, non detestando septimum: ergo per affectum ad illa non posuit obicem; ad tollendum ergo obicem seu fictionem non erit necessaria noua attritio illorum sex peccatorum.

Quod verò Scotus dicit de septimo peccato nullo modo detestato (gratia enim exempli sic loquimur: nam eadem ratio est de omnibus peccatis ante baptismum commissis, & non detestatis per veram attritionem) quod, inquã, Scotus inquit ad tollendum huiusmodi peccatum esse necessariam cõtritionem, confessionem, & satisfactionem, mihi non placet; nam consequenter significat, baptismũ non habere efficaciam ciaca illud peccatũ, nec delere illud quoad culpam & omnem pœnam, etiam accedente hominis attritione, indicat etiam peccatum illud esse materiam pœnitentię; vnde declarat propositionem illam vniuersalem, sacramentũ pœnitentiæ solùm habere efficaciam ad tollenda peccata post baptismum commissa, intelligendam esse de peccatis, vel commissis post receptũ baptismũ, vel ità inhærentibus, vt de illis nec attritio, nec cõtritio fuerit in baptismo: quæ omnia in rigore mi-

A hi videntur falsa: oportet enim distinguere inter peccatum ante baptismum commissum & non detestatum, quod fuit causa fictionis, & inter peccatum irreuerentiæ, seu sacrilegij, si fortasse cõmissum fuit in indigna susceptione baptismi: Scotus enim de vtroq; loquitur: eius tamen doctrina solũ habet verum in peccato postremo, scilicet sacrilegæ susceptionis baptismi, vt in tertia conclusione dicemus, non tamen in peccato ante baptismũ cõmisso, & non detestato, vt ex assertione posita colligitur, cui in hac parte contraria est doctrina Scoti. Probatur autem nostra sententia, quia omnino falsum est, peccata commissa ante baptismũ, quanuis post baptismum inhæreant ob defectum attritionis, esse materiam sacramenti pœnitentiæ: nã illa non cadunt sub iurisdictionem Ecclesiæ: ergo nec sub pœnitentiæ sacramentũ, quod iurisdictionem B requirit. Item, peccata non sunt materia pœnitentiæ prout habitu inhærent, sed prout actu cõmissa sunt: at verò peccata, prout commissa ante baptismum, non pertinent ad sacramentum pœnitentiæ: ergo quanuis posteà habitualiter inhæreant post baptismum, non propterea erũt materia sacramenti pœnitentiæ. Tandem, hoc sacramentum non habet efficaciam circa hominem, nisi vt iam insignitum charactere baptismali: ergo peccata commissa ante susceptum hunc characterem non sunt materia illius sacramenti. Vnde Concilium Tridentinũ sessio. 14. cap. 1. absolutè docet, sacramentum pœnitentiæ institutũ esse ad remittenda peccata post baptismum cõmissa, & reconciliandos fideles post baptismum lapsos: & cap. 2. & sequentibus eandem doctrinam sæpe reperies.

Trident.

Peccata ante baptismũ commissa non sunt materia sacramenti pœnitentiæ.

Ex hoc ergo princio colligitur (cũ eodem Con- C cilio eadem sess. c. 5.) peccata ante baptismũ commissa, quanuis in baptismo non sint remissa, neque vllo modo detestata, non esse posteà necessariò cõfitenda: quia non sunt materia illius sacramenti: si ergo in ipsa susceptione baptismi nihil peccatum sit, nihil oportebit confiteri eorum, quæ præcesserunt: si verò nouum sacrilegij peccatum commissum sit propter fictionem ortam fortasse ex complacentia alterius peccati prioris, aut ex carentia attritionis eius, ad summum confiteri oportebit, indignè suscepisse baptismum (vt dicetur conclusione tertia) non tamen oportebit explicare peccatum non detestatũ, cuius occasione fictio fuit posita; nisi fortasse aliquando id sit necessarium ad explicandam circumstantiam aliquam ipsius sacrilegij mutantem speciem, vel notabiliter aggrauantem, quod raro, aut nunquàm potest contingere, D & multò minùs erit necessarium confiteri alia peccata ante baptismum commissa, quanuis contrariũ sine fundamento doceat Paludanus loco allegato. Vnde infertur vlteriùs, illud septimum peccatum (vt cum Scoto loquamur) ante baptismum commissum, & in ipso baptismo nullo modo detestatum, per baptismum remitti: nam in lege noua nullum pecatum mortale remittitur, nisi per sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ in re, vel in voto: sed illud peccatum non remittitur per sacramentum pœnitentiæ, cùm non sit materia eius, vt ostensum est: ergo remitti debet per sacramentum baptismi.

Ex quo vlteriùs concluditur, ad illius remissionem non esse necessariam contritionem, sed attritionẽ per se sufficere, idest, seclusis alijs extrinsecis impedi-

Universidad de Deusto Biblioteca

impedimentis, & rationibus, de quibus in sequentibus assertionibus dicendum est. Probatur, quia attritio est per se dispositio sufficiens cũ baptismo ad remissionẽ peccati: sed peccatum illud tollitur per baptismum: ergo ad hoc, per se loquendo, sufficit attritio. Vnde tandem contra Scotum inferre possumus, nullam esse necessariam satisfactionem huiusmodi peccati: quia, cùm per baptismũ deleatur, simul quoad culpam, & quoad omnem pœnã, remittitur ablato obice: quia baptismus recedente fictione incipit habere effectum suum, non solùm quoad remissionem culpæ, sed etiam pœnæ, vt in superioribus ostensum est. Quocirca etiam si contingat, peccata ante baptismum commissa, esse cõiuncta cum alijs commissis post baptismum, & recedente fictione omnia deleri medio actu pœnitẽtiæ, qui per se non sufficeret ad satisfactionem pro omni pœna; nihilominùs priora peccata omnino delebuntur quoad omnem poenæ reatum, licèt de posterioribus maneat aliquis reatus poenæ temporalis: quia in hoc reatu poenæ temporalis delendo non est necessaria connexio; sed potest optimè auferri reatus poenæ temporalis respondens vni peccato, manente reatu, qui alteri peccato respondet, ex hac ergo parte non est repugnantia; & alioqui baptismus habet totum effectum suum, si ex parte subiecti non repugnet: delebit ergo omnino priora peccata, quamuis posteriora non prorsus tollantur quoad reatum poenæ temporalis.

Ad tollendam fictionem necessaria est cõtritio, si post baptismũ commissum est aliquod mortale.

Dico secũdò. Si post baptismum susceptum aliquod peccatum mortale commissum est, necessaria erit contritio ad tollendam fictionem, & recipiendum effectum baptismi, siue in ipsa susceptione denuò peccatum sit, siue non. Loquor de contritione per se ac præcisè considerando internam hominis dispositionem, vt separatam ab omni alio sacramento: nam de hoc dicemus cõclusione quarta. Hanc conclusionem significat Scotus paulò anteà citatus, & Paludanus in 4. d. 4. q. 5. num. 14. clariùs Durandus q. 4. Soto, & alij. Et probatur ratione, quia illud peccatum, quod post baptismum commissum est, non potest per baptismum deleri, vt suprà dictum est, & constat ex Concil. Triden. sess. 7. can. 10. & tota sess. 14. ergo non potest sola attritio sufficere ad illud peccatũ tollendum; quia attritio per se non sufficit ad tollẽdum peccatum, nisi cum aliquo sacramento: hic autem non cõcurrit cum attritione baptismus ad tollendũ hoc peccatum, vt ostensum est, neq; etiam concurrit aliud sacramentum, vt supponitur: non ergo satis est attritio, vt tollatur illud peccatum: ergo neq; etiam erit satis, vt tollatur fictio, & redeat effectus baptismi. Probatur vltima hæc consequentia, quia nõ potest tolli vnum peccatum mortale sine alio; & consequenter nec dari potest effectus gratiæ baptismalis absq; remissione peccatorum omniũ mortalium, siue ante, siue post baptismum commissa sint. Et confirmatur hæc ratio, nã si quis post baptismum dignè susceptum mortaliter peccet, licèt posteà atteratur, non ei satis erit, vt remissionem illius peccati consequatur ratione baptismi priùs suscepti: quia baptismus non habet efficaciam circa tale peccatum: ergo multo maiori ratione non sufficiet sola attritio ad remittendum simile peccatum ratione baptismi priùs indignè suscepti: ergo neque etiam sufficiet ad gratiam baptismalem, & remissionem aliorum peccatorum obtinendam.

Scotus. Paludanus. Durandus. Sotus. Trident.

Obiectio.

Sed obijciet aliquis contra positam conclusionem, & rationem eius, nam, licèt baptismus per se non sit institutus ad tollenda peccata post baptismum commissa, tamen interdùm necesse est, vt per accidens, & propter necessariam concomitantiam ea tollat, vt posteà dicemus: quia non potest vnum peccatum remitti sine alio: & ideò, si peccata antecedentia baptismum coniuncta sunt cum peccatis posteà subsecutis, vt illa tollantur, necesse est, hæc etiam concomitanter tolli: ergo hoc modo potest baptismus tollere peccatum post se susceptũ, commissum: sicut sacramentum poenitentiæ non est per se institutum ad delenda peccata, non cõfessa, vel propter obliuionem, vel propter aliam rationabilem causam, & tamen per concomitantiam illa delet; quia non possunt tolli peccata confessa, quin alia etiam tollantur: ergo illa dispositio, quæ sufficit, vt baptismus deleat peccata priùs commissa, quæ per se, & ex propria institutione remitit, nimirùm attritio, sufficiet etiam vt concomitanter deleat peccata, quæ cum illis inuenit coniũcta. Patet consequentia, tum à simili ex adducto exemplo; nam, vt sacramẽtum poenitentiæ remittat peccata oblita, sufficit attritio omnium peccatorum, quamuis non per se, & directè, sed concomitanter illa remittat; tum ratione, quia ideò sacramentum tollit concomitãter peccatum, quia dat gratiã, quæ simul necessariò excludit omnia peccata mortalia: ergo sacramentum quod per se & vi sua habet virtutem ad dãdam gratiam homini attrito, stante attritione, semper dabit illam, neque efficaciam eius impedire poterit quodcunq; peccatum, sed potiùs ipsum concomitanter tolletur, cùm voluntas ratione attritionis iam non sit ad illud formaliter, aut virtualiter affecta.

Et confirmatur à fortiori, nam sacramentũ Eucharistiæ (& idem est de alijs sacramentis viuorũ) quamuis non sit per se institutum ad delẽdum peccatum cum sola attritione; nihilominùs intercedẽte bona fide delet peccatum homini attrito propter virtutem, quam habet ad dandam gratiam, ad quam consequitur necessariò remissio peccati, saltem indirectè & per accidens, & non sine habitudine ad sacramentum poenitentiæ, & cum voto illius: ergo similiter baptismus, quamuis non sit institutus per se ad tollendum peccatum cõmissum post susceptionem eius, concomitanter delebit illud ex virtute, quam habet ad dandam gratiã homini attrito, indirectè tamen & per accidens, & cum voto sacramenti poenitentiæ respectu illius peccati, quod necessariò posteà confitendum est: non ergo est necessaria cõtritio ad hunc effectum: imò neque alia bona fides, aut existimatio contritionis videtur necessaria: quia hæc solùm exigitur in Eucharistia & alijs sacramentis, ad excusandum peccatum indignæ susceptionis sacramenti: hic autem nullum sacramentum denuò suscipiendũ est, neque respectu baptismi id esset necessarium: quia per se, solam attritionem postulat. Confirmatur secundò, quia si in eo casu necessaria esset contritio ad tollendum obicem: ergo oportet etiam de peccatis ante baptismum commissis habere contritionẽ: ergo impediretur quodãmodò effectus baptismi: quia non posset viuificare hominem, nõ priùs per contritionem viuificatum, nec posset delere peccata non priùs per cõtritionem deleta, quod suprà diximus esse contra institutionem baptismi. Hæc argu-

Paludan.

argumenta videntur facere probabilem sententiã, quam eiusmodi existimauit Paludanus dicta q. 5. num. 14. scilicet, in eo casu sufficere attritionem ad tollẽdam fictionem, dummodò includatur votum sacramenti poenitentiæ respectu talis peccati.

Responsio.

Nihilominùs tamen assertio posita verior, eiusque ratio solidior videtur. Ad principalẽ ergo obiectionem respondetur, verum quidem esse, non posse per baptismum tolli peccata mortalia antecedentia baptismum, quin tollantur etiam sequentia; dico tamen, solum baptismum priùs susceptum ad hoc non sufficere, nisi iuuetur aliquo alio medio, quod per se & in genere suo sufficiat ad delendum peccatum post baptismum cõmissum: huiusmodi autem medium non est sola attritio absq; reali susceptione sacramẽti poenitentiæ: erit ergo necessaria cõtritio. Ratio autem, ob quam baptismus non sufficit absq; alio medio per se sufficiente, est, quia nullum sacramentũ habet virtutem ad remittendum peccatum post susceptionem ipsius sacramẽti commissum, neq; directè, neq; indirectè, neque vllo modo: non enim ad hoc sunt vlla ratione instituta, neq; ad huiusmodi effectum à Deo acceptantur: sunt enim sacramenta medicinæ curatiuæ præcedentium peccatorum, & præseruatiuæ sequentium, non tamen fuit conueniens, vt haberent etiã vim ad delenda peccata posteà committenda: nam huiusmodi medicinæ non adhibentur, donec ęgritudo insit, neq; in aliquo alio sacramẽto huiusmodi effectus reperiri vnquam potest. Quamobrem non est simile, quod de sacramento poenitẽtiæ adducitur respectu peccatorum oblitorum, quæ indirectè remittit cum sola attritione. Vt enim omittã, non esse hoc certum, sed satis dubium, tamen, eo concesso, non est simile: quia peccatum oblitũ supponitur iam commissum ante susceptum tale sacramentum poenitentiæ, & ideò habere potest efficaciam ad tollendum illud, saltem concomitanter: peccatum autem, de quo hîc agimus, non erat commissum, quando baptismus susceptus est. Atq; eadem responsio est ad exemplum adductum in confirmatione prima: nam Eucharistia non facit ex attrito contritum, nisi respectu peccatorum, quę ante susceptionem talis sacramenti commissa fuerũt.

Scotus.

Ad secundam confirmationẽ Scotus suprà significat, sufficere contritionem illius peccati, quod fuit occasio fictionis, & subsequentiũ peccatorum; dico tamen, veram contritionem necessariò extendi, saltem virtualiter, & implicitè ad omnia peccata, vt sequenti tomo latiùs tractandum est: & hoc sensu cõcedo sequelam, nimirum necessariam esse contritionem vniuersalem omium peccatorũ, etiã illorum, quæ baptismum antecesserũt, siue aliquorum attritio præcesserit, siue non: hoc enim nihil refert, vt bene Soto notauit: neq; hoc est inconueniens, aut repugnans institutioni baptismi: quia est per accidens, ob necessariam connexionem omniũ peccatorum mortalium in ordine ad suam remissionem, & gratiæ infusionem. Nec verò in eo casu baptismus supponit hominem viuum, priùs quàm ipsum viuificet, nec peccatum deletum, priùs quã ipsum deleat; sed omnino simul baptismus iam applicatus adueniente contritione cum illà dat primam gratiam, & remittit peccata, vt paulò inferiùs ampliùs explanabimus.

Sotus.

Ad tollendam fictionem peccati commissi in ipsa susceptione baptismi requiritur contritio.

Dico tertiò. Quando in susceptione baptismi committitur peccatum mortale in ipsa actuali, & indigna susceptione, tunc necessaria est contritio ad tollendam fictionem, & consequendum effectũ baptismi, etiam si post acceptum baptismum nullũ aliud peccatum mortale commissum sit. Hæc conclusio est minùs certa, quàm præcedens: quia de illo peccato sacrilegij, quod in ipsa susceptione baptismi committitur, non immeritò dubitari potest, an subsequatur baptismum. Videtur enim potiùs antecedere, quia peccatũ potissimùm in voluntate consistit: voluntas autem sic suscipiendi baptismũ antecedit susceptionem eius: ergo illud peccatum antecedit baptismum: ergo sufficiet attritio eius, iuxta principia hactenus posita. Vel certè, si dicatur peccatum illud durare vsq; ad ipsam susceptionem sacramenti, responderi in primis poterit, id esse verum de peccato exteriori, quod præcisè consideratum non satis est, quia culpa formaliter est in voluntate & animo. De interiori autem voluntate actuali non est necesse, quòd actu perseueret vsque ad instans, in quo sacramentum perficitur; imò, moraliter loquendo, frequentiùs fortasse non ita accidit, præsertim si verum est, requiri actualẽ aduertentiam malitiæ ad actualiter peccandum in interiori voluntate. Denique, vt verum sit etiam internum peccatum actuale durare interdum vsq; ad consummatam susceptionem sacramenti; inde tamen, ad summùm, concluditur, illud peccatum esse concomittans baptismum, non tamen esse consequens ipsum: quia finito baptismo finitur susceptio eius: ergo finitur etiam peccatum sacrilegij, quòd solùm in ipsa susceptione cõmittebatur: ergo ex vi talis peccati nulla ibi est culpa post baptismum commissa: ergo neque est vlla ratio, propter quam ibi requiratur contritio: quia peccatum illud magis videtur numerãdum inter ea, quæ per se possunt per baptismum tolli, quàm inter alia: tũ quia est idem numero peccatum, quod ante baptismum inchoatum est, & vix ei additur aliqua malitia ob eam durationem: tum etiam, quia baptismus habet efficaciam aduersus omnia peccata, quę in homine inuenit, inter quæ computandum est illud peccatum, quod baptismum ipsum comitatur. Nihilominus assertio posita est consentanea doctrinæ D. Thomæ hic art. 10. ad secundum vbi negat, peccatum fictionis tolli per baptismum, sed per poenitentiam: quod etiam indicat Augustinus lib. de baptismo cap. 12. vbi significat, fictionem debere tolli per confessionem, scilicet in re, vel in voto, quod in contritione includitur. Et idem significant alij autores citati, neq; vllus negat, neque negare potest, illud peccatum sacrilegij esse materiam sacramenti poenitentiæ, & necessariò confitendum. Ex quo principio apertè sequitur, quandiu peccatum illud in confessione non aperitur, vt per sacramentum ponitentiæ re ipsa applicatũ deleatur, necessariam esse contritionem, vt possit deleri, & consequenter vt possit fictio tolli, & effectus baptismi redire. Cõsecutio probatur ex dictis, quia peccatum, quod per baptismum non deletur, nec per aliud sacramentum re ipsa applicatum, necessariò requirit contritionem, vt deleri possit. Atque hinc simul redditur ratio à priori conclusionis, & satisfit rationi dubitandi propositæ: nam illud peccatum cõputatur inter ea, quæ baptismũ subsequuntur. Quod ita declaratur: quia baptismus in ordine ad suscipientem, & ad dispositionẽ eius, priùs natura infundit characterem, quàm gratiam; tum

D. Thom. August.

Universidad de Deusto Biblioteca

tum quia ad imprimendum characterem nullã requirit dispositionem, quam requirit ad gratiã; tum etiam, quia (vt suprà dicebam) sicut character baptismalis est potentia passiua ad alia sacramenta, & eorum effectus: ita & ad effectum gratiæ baptismalis: igitur quando homo ponit obicem gratiæ baptismali per fictionem sacrilegam, iam intelligitur insignitus charactere baptismali: ergo tale peccatum, prout in re fit, est ab homine iam baptizato: quia est ab homine affecto charactere: & quia sicut priùs natura est, baptismum esse, quàm causare gratiam: ita priùs natura est, baptismum esse, quàm actualiter illi ponere impedimentum, ne causet gratiam: ergo hoc peccatum vt sic est ab homine iam subiecto clauibus Ecclesiæ; per characterem enim subijcitur: est ergo materiæ pœnitẽtiæ, & ideò per contritionem necessariò delendum est, quando sacramentum pœnitentiæ non applicatur.

D. Thom.

Tandem, etiam si peccatum illud consideretur, vt concomitans baptismum, per se & ex intrinseca ratione sua habet, vt non possit per baptismum deleri, nec directè, nec concomitanter: quia, vt D. Thomas in prædicto 2. argum. tetigit, per se, & directè includit oppositionem repugnantem effectui baptismi: quia directè, ac per se tollit necessariam dispositionem ad illũ, in quo eius malitia consistit; non potuit autem baptismus directè institui ad tollendum hoc peccatum, cùm potiùs ex sua institutione prærequirat ad suum effectum contrariam dispositionem, sine qua neque illud peccatũ, neq; aliud delere potest; & eadẽ ratione nõ potest illud tollere concomitanter, quia per illud impeditur, ne suum conferat effectum: si ergo hoc peccatum nullo modo potest per baptismũ tolli, superest, vt sit necessaria cõtritio ad illud tollendũ: hæc enim illatio satis est in superioribus demonstrata.

Vnde ad rationem dubitandi positam facilè patet respõsio: dico enim, hoc peccatum posse quidẽ in voluntate temporis duratione antecedere baptismum, tamen vt sic non existimo indigere alio remedio, sed per baptismũ posse tolli, vt concludit ratio facta. Vnde, si mihi constaret, aliquem eo tempore & instanti, quo baptizatus est, non actualiter peccasse, & priorem malam volũtatem cõtinuasse, censerem, illi sufficere attritionem per se loquẽdo, illudq; peccatum per baptismum esse remittendũ, & non esse materiam confessionis; tamen huiusmodi casus non est admittendus in eo, qui sciẽs & volens, & humano modo operans sic baptizatur; & ideò semper indiget contritione, vel sacramẽto pœnitentiæ ad huiusmodi obicem tollendum.

An id sit dicendum de sacrilegio tantùm non de quouis alio peccato.

Sed quæres, an hoc sit speciale in peccato sacrilegij cõmissi in indigna susceptione baptismi, vel sit idem diendum de quouis peccato actualiter cõcomitante baptismum in ipso tempore, & instanti quo baptismus perficitur. Videtur enim idem esse dicendum: in quam sententiam potest referri Scotus distinct. 4. q. 5. quem ferè sequitur Gabriel q. 1. art. 3. dubio 3. tamen Scotus non solùm de peccato concomitante baptismum, sed etiam de antecedenti idem censet, si tale peccatum fuit causa fictionis, quod nobis suprà non placuit: loquendo verò specialiter de peccato concomitante, videtur in eo esse peculiaris ratio; quia iam est peccatũ hominis baptizati, & subiecti Ecclesiæ per characterem: ergo est peccatum subijciendum clauibus, nõ tantùm sub ratione fictionis, sed vt est in tali spe- A cie, v.g. morosæ delectationis, vel odij, vel alterius similis: ergo non potest tolli per solùm baptismũ. Et confirmatur, quia tale peccatum ratione suæ specificæ malitiæ reddit indignam susceptionem baptismi, & ponit obicem effectui eius: vnde in illo peccato potest distingui duplex malitia; altera in propria specie, v.g. odij, vel turpis consensus; altera sacrilegij, quatenus est causa indignæ susceptionis; & hæc posterior fundatur in priori, & est veluti circunstantia illius: ergo, si sub vna ratione iudicatur illud peccatum ordine naturæ posteriùs charactere, & subiectum clauibus, & indigens contritione, idẽ est de illo dicendũ sub vtraq; ratione.

Scotus. Gabriel.

Quid D. Tho. sentiat.

Nihilominus D. Thomas artic. 10. ad secũdum, de fictione ait, non remitti per baptismum, sed per pœnitentiã: de cæteris verò peccatis, siue precedãt, siue simul cum baptismo existant, per ipsum baptismum remitti: B & ita eum exponunt, & sequuntur Caietanus, Soto, & alij Thomistæ, qui consequenter aiunt, non esse necessarium, peccatum illud fictionis materialiter (vt sic dicam) seu in propria specie confiteri, sed solum formaliter, seu ratione fictionis: ita vt sit satis dicere, se indignè ac fictè recepisse baptismum, non explicando, an illo eodem momento, quo baptizabatur, concupisceret fœminam, aut odio haberet proximũ, vel aliud simile peccatum commisisset. Et huic sententiæ fauet Augustinus lib. primo de baptismo, cap. 12. in fine, cuius verba D. Thomas refert. Atq; hæc sententia, speculatiuè loquendo, est satis verisimilis, ac probabilis; & ratio differentiæ inter fictionem, vt fictio est, & quodlibet aliud peccatũ actuale durans in eodẽ instanti, est de se sufficiens ad fundandam rationem; quæ ex dictis reddi potest; C quia sola fictio formalis est, quæ directè opponitur baptismo, & per se ex vi rationis suæ dicit actualem repugnantiam cum effectu illius; & ideò per se etiã est, vt baptismus nõ habeat vim ad remittendum tale peccatum: reliqua verò peccata ex se non habent directè repugnare effectui baptismi, & obicem illi ponere, sed hoc per accidens contingit ex sola concomitantia temporis. Vnde baptismus non habet ex vi sua, vt non tollat huiusmodi peccata, sed solũ per accidens ex actuali indispositione voluntatis. Vnde etiam fit, vt alia peccata merè concomitanter se habeãt ad baptismum, & ad effectũ eius, vel carentiam illius, nec sint posteriora illo, ordine naturæ, & quia nullam rationem causæ, aut effectus habent respectu illius, at verò fictio formaliter sub ratione sacrilegij & obicis baptismi quoad effectum eius ex natura sua supponit baptismum. D Nec refert, quòd malitia fictionis, seu sacrilegij fundetur aliquo modo in alio actuali peccato, vt tale est in sua specie; quia rectè potest intelligi, fundamentum esse prius; id verò, quod in eo fundatur, esse posterius; sicut etiã potest actualis & formalis fictio fundari in solo peccato præterito, & non retractato, seu in macula peccati, & carẽtia attritionis, quæ tunc non est nouum peccatum actuale, distinctum ab ipso sacrilegio, seu formali fictione. Vnde intelligitur, malitiã sacrilegij seu fictionis non esse propriè circunstantiã alterius peccati, quod simul concurrit cũ baptismo, v.g. infidelitatis, aut odij, &c. Sed vel neutrum esse circunstantiam alterius, sed vtrumq; esse simul tempore, vel potius ipsum peccatũ infidelitatis, vel odij, aut aliud simile esse circunstantiam ex parte personæ operantis, ex qua

Caietanus. Sotus.

August.

manat

manat: aliud peccatum sacrilegij; quod in hoc consistit, quòd persona carens debita dispositione, voluntariè recipit sacramentum: inde enim fit, vt indignè accipiat, tantò magis, quantò non solùm habet carentiã dispositionis, sed etiam prauam dispositionem contrariam; quæ quidem praua dispositio secundùm se, seu prout est tale peccatum, nullam habet habitudinem ad baptismum, neq; vllum ordinem cum illo: peccatum verò sacrilegij inde subsecutum, directè opponitur baptismo, & effectui eius. Est ergo verisimilis hæc opinio. Dixi autem, speculatiuè esse probabilem, quia moraliter vix potest ad praxim reduci: nam vix est moraliter credibile, vt aliquis duret in aliquo actuali cõsensu prauo toto tempore, quo perficitur baptismus, vsque ad instans, in quo consummatur baptismus intrinsecè, quin etiam post baptismum perfectum in eodem actu aliquo tempore duret: sed in casu, de quo B agimus, peccatum illud durat intrinsecè vsque ad instans perfectiuum baptismi; sic enim intelligenda sunt omnia dicta, vt per se constat: ergo, moraliter loquendo, tale peccatum durabit aliquo tempore post baptismum: tunc autẽ inter peccata post baptismum commissa computandum est, quia iam non est tantùm præcedens, vel concomitans, sed etiam subsequens; & ideò subiectum iam est clauibus Ecclesiæ; & extra sphæram (vt sic dicam) seu efficaciam baptismi: ergo saltem ratione huius moralis periculi, seu dubij oportebit huiusmodi peccatum confiteri, atque de illo conteri.

Attritio cũ sacramento pœnitentiæ sufficit ad tollendã fictionem, si in susceptione, & post susceptionem baptismi, peccatum fuerit.

Dico quartò, Si is, qui fictè baptismum accepit, posteà actualiter cõfiteatur, & sacramentum pœnitentiæ accipiat, sufficiet illi attritio ad tollendum obicẽ, etiã si & in ipsa fictione peccauerit, & post fictionem multa peccata commiserit. Cõclusio est C certa & communis omnium, qui tenent, pœnitentiæ sacramentum facere hominem de attrito contritum: nam hoc supposito attritio illa omniũ peccatorum, coniuncta cum præcedenti sacramento baptismi, & cum præsenti sacramento pœnitentiæ respectu omnium habet vim contritionis. Itẽ, quia vtrumque sacramentum habet tũc dispositionem sibi proportionatam ad effectũ, qui sibi potest attribui, seu respondere: ergo vtrumque delebit per se, & directè peccata, quæ sibi subijciuntur: ergo nihil iam tunc est, quod possit baptismi effectum impedire: non enim impedient peccata præcedentia baptismum; quia ipse potest illa delere supposita attritione, si non sit aliunde impedimentũ, neq; etiã impedient posteriora peccata: quia adest sacramentum pœnitentiæ, quod potest illa delere supposita etiã attritione. Atq; ex hac ratione infero, idẽ D esse quandocũq; cum huiusmodi attritione cõiungitur quodlibet aliud sacramentum bona fide susceptum, nam (vt suppono) quodlibet potest facere ex attrito contritum intercedente bona fide.

Dubium.

Sed supersunt circa hanc conclusionem duo dubia explicanda. Primum est, quæ gratia detur huiusmodi homini attrito ratione vtriusque sacramẽti, baptismi scilicet præteriti, & præsentis pœnitentiæ: ponamus enim illam attritionem esse, vt quatuor; inquirimus ergo, an per vtrumq; sacramentũ detur tanta gratia simul, & in eodẽ instanti, quanta diuersis temporibus daretur, si vtrumq; sacramentum suo tempore effectum suum contulisset, aut (quod idem est) si baptismus cum simili attritione vt quatuor receptus fuisset: nã iuxta doctri- A nam traditam videtur ita esse affirmandum: nam inprimis non est, cur sacramentum pœnitentiæ nõ conferat integrè suum effectum gratiæ, quem conferre potest subiecto sic disposito: nã actu existit, & actu inuenit talem dispositionem in subiecto, quando actu ita operatur: Aliunde verò probabiliter dictũ est suprà, baptismum ita operari recedẽte fictione, ac si esset receptus cum illa dispositione, per quam tollitur fictio: ergo dabitur simul tota illa gratia, quæ vtrique sacramento respondet.

Ratio dubitandi.

In contrarium verò est, quia huiusmodi homo nõ est tam bene dispositus ad effectum vtriusq; sacramenti per illum vnicum actum attritionis, quantum fuisset per duos actus similes & æquales, si cũ vno priùs baptismum recepisset, & cum alio posteà pœnitentiam: ergo non recipit æqualem effectum per vtrumque sacramentum. Probatur con- B sequentia, quia quodlibet sacramentum maiorem effectum confert homini meliùs disposito: ergo similiter duo sacramenta, quæ simul operantur, fortiùs operabuntur cum meliori dispositione. Primũ autem antecedens probatur, quia non sola intẽsio, sed etiam multitudo actum conducit ad meliorem dispositionem moralem: nam si confert ad meritũ, cur non ad rationem dispositionis? Item, quia ille, qui plures actus efficit, aliquid ampliùs ex parte sua præstat; vnde plus etiam satisfacit per duas attritiones, quàm per vnam. Et confirmatur, nam aliàs ille, qui fictè suscepit sacramentum, plus peccando, & minùs laborãdo, seu minùs studiosè operando, maiorem gratiam consequeretur, quod non videtur esse tationi consentaneum.

Responsio.

Res certè videtur dubia, mihi tamen in primis certum est, plus gratiæ dari per illa duo sacramen- C ta simul concurrentia; quam detur per singula cũ eadem attritione; quia vnumquodque habet suum proprium effectum, neque vnius causalitas impedit, aut minuit causalitatem alterius: cur enim se se impedirent, cùm effectus eorum inter ser non sint repugnantes, & in subiecto sit sufficiens capacitas ad vtrumq; simul recipiẽdum? Deinde nõ dubito, quin sacramentum pœnitentiæ det totum gratiæ effectum, quem potest dare homini sic disposito per attritionem vt quatuor; quia supponimus, hoc sacramentum recipi cum tali dispositione: nihil ergo illi deest, quominùs tota virtute operetur in subiectum sic dispositum; quoniam, & realiter existens operatur, & determinatur in actione sua ab actuali dispositione subiecti. Neq; enim potest ad hunc effectum minuendũ referre, quòd quis priùs fictè receperit baptismum, & nondùm fuerit effe- D ctum illius consecutus, aut quòd postmodùm plurima peccata multiplicauerit. Iam enim in superioribus ostendimus, eandem attritionem eiusdẽ perfectionis absolutæ ad æqualem effectum præparare hominem, siue plura, siue pauciora peccata in eo præcesserint: cùm ergo fictio sit vnum ex his peccatis, quòd illud præcesserit, & cum illo alia multa, non minuit valorem huius dispositionis, & consequenter neq; effectum, & eadẽ ratione nihil obstabit, quòd effectus baptismi non fuerit anteà datus, tum quia satis est, quòd possit simul dari; tum etiam, quia, licèt esset prius receptus, & per peccatum amissus, nihilominus pœnitentia posset habere suum effectum integrum: ergo eundem habere poterit, etiam si baptismi effectus nunquam fuerit anteà receptus. Denique nulla ratio est, ob quam

præsens

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsens effectus pœnitentiæ pendeat ex præcedēte effectu baptismi, habet ergo tunc sacramentum pœnitentiæ totum gratiæ effectum, quem habere potest in homine sic attrito.

Tertiò de sacramento baptismi; si teneamus, tãrundem operari recedente fictione, quantum cum simili dispositione operaretur actu existens, consequenter dicēdum erit, etiam ipsum dare totum effectum gratiæ, quē dare potest homini sic attrito, quia re vera concurrunt ibi omnia necessaria ad illum effectum. Neq; enim mihi probatur, quod videat ab aliquo excogitari posse, nimirũm illam attritionem, licèt in se vna sit & æqualis simili attritioni vt quatuor; tamen hoc ipso, quòd disponit simul ad duo sacramenta, reputari moraliter minorem dispositionem ad singula, quàm si ad vnum tantùm disponeret: nam si hoc esset verum, etiam effectus sacramenti pœnitentiæ esset minuendus, quod non videtur certè probabile. Item si fingamus, aliquem simul & eodem tẽpore recipere duo sacramenta, v.g. Eucharistiam, & extremã vnctionem, quamuis vnico deuotionis actu ad vtrumq; se se præparet, plenũ vtriusq; effectum reciperet, nõ minùs, quàm si sigillatim diuersis temporibus illa sacramenta acciperet cum æquali deuotione. Quare ad rationem in contrarium dicendum erit, multitudinem actuum esse quodammodò accidentalẽ, quando in reliquis est perfectio æqualis, & illa plũralitas actuum solùm requiritur propter temporis diuersitatem. Si autem teneamus, baptismũ recedente fictione solùm conferre minimam gratiam, quàm potest dare homini, neq; ponenti obicẽ, neq; se positiuè præparanti ad sacramentum suscipiendum, hoc modo expeditior, & verisimilior erit responsio, scilicet huiusmodi gradũ gratiæ dari tũc ratione baptismi homini sic attrito, & consequenter per vtrumque sacramẽtum simul minorem gratiam dari cũ attritione vt quatuor, quàm si vtrumq; sacramẽtum receptum fuisset cum simili attritione, quia tunc baptismus maiorem gratiam dedisset, quia determinaretur à dispositione, & attritione præsenti ad tantum effectum; in casu verò, de quo agimus, attritio illa non concurrit vt dispositio ad baptismum, determinans effectum eius, sicut concurrit cum sacramento pœnitentiæ, sed solùm vt remouens prohibens. Atque hic posterior modus dicendi mihi maximè probatur.

Probabilius respõdetur ad dubium.

Dubium.

Secundum dubium est: Quomodo hic effectus gratiæ diuidendus sit inter hæc duo sacramenta: neutrum enim videtur posse totum hũc gratiæ effectum præbere; nam, vt dixi, maior est, quàm possit fieri per singula illa sacramenta. Aliunde verò dicit etiã nõ posse, quosdam gradus illius gratiæ fieri ab vno sacramẽto, & alios ab altero; quia neq; designari, aut diuidi poterunt hi gradus, neq; est vlla ratio, cur hi potius quàm illi fiant ab alterutro sacramento. Dices, priores gradus fieri à sacramento baptismi, quia baptismus est primus omnium sacramentorum; & ita gratiæ baptismalis esse debet prima omnium. Sed contra hoc est in primis; quòd hcèt baptismus sit primus ratione characteris, non est tamẽ necesse, vt quoad effectum gratiæ sanctificãtis intelligatur ordine naturæ præcedere: alias, quoties homo lapsus per pœnitentiã reparatur, & primam gratiã recipit, deberet præintelligi ordine naturæ, vt recuperans gratiam baptismalẽ, in qua reliqui gradus gratiæ fundẽtur, quod valdè friuolum est. Deinde, & maximè, quia quilibet gradus gratiæ sufficit ad expellendã omnia peccata mortalia: non potest autẽ baptismus in casu, de quo agimus, expellere omnia peccata, nimirũm peccatum fictionis, & alia subinde commissa: ergo nec potest solus efficere vel minimum gradum gratiæ. Vnde etiam videtur dici non posse, totam illam gratiam fieri ab illis sacramentis, vt à causa partiali; tũ quia sacramentum ex institutione sua non habet, quòd sic causa partialis tantæ gratiæ, sed q; sit in suo genere integra causa instrumentalis minoris gratiæ sibi proportionatæ: tum maximè, quia quodlibet illorũ sacramentorum per se, ac propria & integra virtute remittit peccatum mortale sibi correspondens: ergo simili modo infundit aliquem gradum gratiæ, per quem tale peccatum tollatur, quia peccatum non tollitur, nisi per gratiam. Antecedẽs patet ex institutione horum sacramentorum, & ex communi modo loquendi Theologorum dicentium, peccatum originale remitti per baptismum: peccatum autem fictionis per pœnitentiam, &c.

Respõsio.

Augst.

D. Thom.

Respõdeo, non posse cõuenienter dici, quosdam gradus gratiæ fieri tunc ab vno sacramento; quosdam verò ab alio: neq; etiam totã illam gratiã fieri ab vno sacramento, vt ab instrumento totali, altero nihil efficiente, vt satis conuincunt rationes factæ. Quarè dicendum est, quod vltimo loco est positũ, scilicet illa duo sacramenta concurrere per modum vnius agẽtis integri ad illam gratiam producendam; ita vt mutuò se iuuent, & totus effectus sit à singulis, à neutro tamẽ indepẽdenter ab alio, sed cum necessaria dependentia ab vtroq; simul, siue illa dependentia tota sit physica, siue moralis, siue ex vtraque mixta: parũm enim refert. Neque hoc erit contra, vel præter institutionem talium sacramentorum: singula sacramẽta habent ex institutione sua virtutem ad præstandũ suum effectũ gratiæ, vel per se solùm, si nullũ adsit impedimẽtum, vel simul cum alio sacramento, si occasio vel necessitas subiecti id requirat; & tunc consequenter habẽt alia sacramenta ex institutione sua, vt sese possint iuuare, & cooperari ad suos effectus, iuxta subiecti capacitatẽ, vel necessitatem. Atq; hinc etiam fit, vt, licet vnumquodq; illorum sacramentorũ directè ac per se remittat quodam peccat, in quorum remediũ est institutum; tamen de facto in eo casu neutrũ eorũ remittat aliqua peccata directè; quin concomitanter remittat reliqua omnia eo ipso genere causalitatis, seu partialis instrumenti propter rationem factam, q; omnia hæc peccata sunt connexa quoad remissionẽ; & hæc videtur esse communis sententia Theologorum, vt videre licet in Scoto, Paludano, Gabriele, Soto, & alijs suprà citatis.

Scotus. Paludanus. Gabriel. Soto.

SECTIO VI.

Vtrùm habere effectum recedente fictione sit proprium sacramenti baptismi.

HAEC quæstio attingit materiam aliorum sacramentorũ, & ideo breuissimè hic expedienda est, quantum huius loci necessitas postulat, vt ea compleamus, quæ suprà disputatio. 8. sectio. 3. huc remisimus. Prima sententia est, hoc esse proprium sacramenti baptismi. Hanc tenet Soto distinct. 6. quæst. 1. art. 8. Fundari potest primò,

1. Sententia Soto.

primò, quia ratio & necessitas baptismi est in hac hac parte singularis, quia, & est sacramentũ, quod iterari non potest, & cuius effectus est simpliciter necessarius ad salutem; quæ duo non reperientur simul conuenire alicui aliorum sacramẽtorum. Ex bis autẽ duabus proprietatibus simul sumptis oritur necessitas, ob quam redit effectus baptismi recedente fictione: ergo nõ est, cur hoc alteri sacramento tribuatur; quia, si iterari potest, subsequẽs sacramentum sufficiet ad effectum, & ita nõ oportebit, vt sacramentum priùs fictè susceptum operetur: si autem iterari non potest, tamen non est sacramentum necessarium ad salutem, neq; eius effectus erit necessarius: ergo neque oportebit dari recedẽte fictione. Secundò argumentatur Soto, quia baptismus singulari modo est opus Dei, quodnec claues Ecclesiæ requirit, neque dispositionem in suscipiẽte, per se loquendo, nam institutum est ad remediũ originalis peccati, & ad plenissimam indulgentiã, & regenerationem filiorum Dei, & ob hęc omnia, illi est cõcessa hęc singularis prærogatiua. Tertiò, quia Augustinus soli baptismo tribuit hoc priuilegium: non est ergo extendendum: cùm neque in scriptura sacra, neq; in sanctis Patribus habeamus fundamentum. Vnde D. Thomas in tota hac tertia parte alteri sacramento tribuit hanc gratiam. Nihilominùs contraria opinio probabilior est, quæ breui inductione sic declaratur. Primo enim verissimilius est omnia sacramenta imprimentia characterem conferre hunc effectum: ita sentit D. Thomas in 4. distinct. 4. quæst. 3. artic. 2. quæstiunc. 3. ad tertium, & ibi Paludanus quæst. 5. art. 4. & alij quos refert, & sequitur Couarruuias in cap. Alma mater. 1. part. §. 4. nu. 13. Et potest probari ratione D. Thomæ hìc fundata in charactere: nam, licèt ipse loquatur de charactere baptismali, tamen ratio potest proportionaliter applicari: nã etiam, qui ordinatur, recipit characterem, quasi formam, qua constituitur sacerdos, ad quam consequitur gratia necessaria ad illud munus conuenienter peragendum: sed omnis forma remoto impedimento consequitur suum effectum, seu proprietatem sibi consentaneam, & connaturalem: neq; in hoc opus gratiæ est minus efficax, quàm opus naturæ: atque eadem proportione potest formari ratio de charactere Confirmationis. Sed quia hæc ratio non est in rigore metaphysico intelligenda, nam vt Durandus objcit, character non est forma, aut dispositio necessitans ad gratiam remoto obice, ideo moraliter sic explicanda est. Nã hæc sacramenta constituunt hominem in quodam statu, à quo retrocedere non potest: quia character, quem imprimunt, inamissibilis est: ergo conueniens institutio eorum postulat, vt ea gratia, quæ ex diuina institutione annexa est huic characteri, semper detur, quoties ex parte hominis non fuerit impedimentum, & consequenter, quòd reuiuiscat, etiam si in principio per fictionem impedita fuerit: probatur consequentia, quia hæc gratia, vt detur per sacramenta, ordinatur ad bonũ vsum ipsius characteris, seu illius muneris, ad quod homo per characterem destinatur: ergo non fuit expediens, vt homo propter peccatum commissum in susceptione talis sacramenti perpetuò priuaretur ea gratia: alioquin oportuisset, vel quòd tale sacramentum esset iterabile, vt posset illa gratia obtineri, vel certè, vt esset aliquod aliud remedium ad illam obtinendam, ne homo perpetuò priuaretur auxilijs debitis ratione sacramenti ad huiusmodi opus, vel ministeriũ efficiendum. Vnde hæc ratio immediatè procedit de gratia sacramentali, seu auxiliante, tamen consequenter etiam probat de gratia sanctificante, quæ per sacramentũ datur: tũ quia hæc etiam iuuat, vt opus, ad quod ordinatur sacramentum, sanctè & dignè perficiatur; tum etiam, quia per sacramenta nõ datur gratia auxilians, seu sacramẽtalis, nisi vt cõiuncta, & quasi radicata in aliqua gratia habituali.

Durandus.

Neque contra hanc conclusionem procedunt fundamenta primæ sententiæ: nam prima ratio solùm probat, in his sacramentis non esse tantam necessitatem, quanta est in baptismo, non tamen non esse sufficientem rationem, & necessitatẽ, eo modo, quo dicitur moraliter necessarium, quod est valdè vtile, vel conueniens: nam licèt gratia horũ sacramentorum non sit ad salutem simpliciter necessaria; tamen ad finem horum sacramentorum est quodãmodò necessaria moraliter prædicto necessitatis modo: secũda verò ratio nullius est momenti, quia nihil probat eorum, quæ assumit: tertia etiam est inefficax; quia solùm fundatur in autoritate negatiua Augustini, at quamuis Augustinus hoc non dixerit, non tamen negauit, & ex doctrina eius de baptismo potest hæc amplificatio probabiliter colligi.

Matrimonium & Extrema vnctio tribuũt suum effectum recedente fictione.

Secundò hinc infero, idem dicendum esse de sacramẽtis Matrimonij, & Extremæ vnctionis, quatenus aliquo modo iterari non possunt. Matrimonium enim non potest iterari viuente coniuge per se loquendo; & alioquin constituit hominem in eo statu, in quo valde indiget gratia sacramentali illius sacramenti: non ergo expedit, vt homo perpetuo careat hac gratia propter priorem fictionem: sed magis est consentaneum virtuti tanti sacramẽti, vt sicut de se constituit hominem in statu perpetuo & immutabili, viuente vtroque coniuge: ita de se semper sufficiat ad dandam gratiam conuenientem illi statui, si homo nõ ponat obicem: ergo propter hanc causam redibit effectus huius sacramenti recedente fictione; alioqui oporteret illud iterari, saltem propter hanc gratiã consequendam. Similis ratio formari potest de Extrema vnctione: est enim hoc sacramentum initerabile in eadem ægritudine, eodemque statu illius: & ordinatur præcipuè ad præparandum hominem ad exitũ huius vitæ, vt & coram Deo purior egrediatur, & omnes difficultates vincat, quæ in illo articulo occurrere solent. Constituamus ergo hominem morti proximum, qui hoc sacramentum fictè recipit, & deinde magis ac magis morti appropinquat: cur ergo hunc priuabimus omni spe, ac remedio consequendi gratiam, & subsidia huius sacramenti tam necessaria in tam graui negotio, tamq; arduo periculo? Certè, si homo per pœnitentiam remouendo fictionem non posset suscepto sacramento inuari, sine causa esset ita institutum hoc sacramentum, vt non possit in huiusmodi euentu iterum dignè suscipi, ad fruendum eius gratia, & auxilijs: in his ergo sacramentis, quatenus participant initerabilitatem baptismi, & quandam moralem necessitatẽ suæ gratiæ ad fines suos obtinendos, verisimile est, habere suos effectus recedente fictione.

Obiectio.

Dices, ergo si eo tempore, quo durat propria necessitas talis effectus, & pro quo iterari non possunt, non tollatur fictio, etiam si postea tollatur, nõ dabit

Universidad de Deusto
Biblioteca

dabit effectum: vt, verbi causa, gratia sacramenti matrimonij necessaria est durante matrimonio, & pro eo etiam tempore iterari non potest illud sacramentum; finge ergo, aliquem recepisse illud sacramentum fictè, & non abtulisse fictionem toto tempore, quo durauit matrimonium, postea verò mortuo altero coniuge egisse pœnitentiam; videtur ergo sequi tunc in huiusmodi homine non redire effectum prioris sacramenti: quia iam in eo non est simpliciter initerabile tale sacramentum, & quia in eo iam cessauit illa necessitas; neque illi homini dãda est amplius gratia auxilians sacramentalis matrimonij: quia iam desijt esse in tali statu constitutus. Idem fingi potest in extrema vnctione, si quis sacramentum illud fictè accipiat, nec veram pœnitentiam agat durante illa ægritudine: postea verò sanitatem recuperet, eumque pœniteat, &c. Respondetur, non esse inconueniens hoc totum concedere; quia coniectura videtur satis probabilis, & saltem videtur ostendere rationem à nobis factam ex quadam necessitate, & initerabilitate horum sacramentorum desumptam, non procedere in prædictis casibus, ac proinde saltè hoc titulo non oportere, vt tunc reuiuiscat effectus eorum: an verò alio titulo id affirmari possit, constabit ex dicendis in vltimo puncto. Posset etiam responderi, negando sequelam; quia aliud est, cõsiderare rationem institutionis, aliud institutionem ipsam: ratio ergo ob quam institutum est, vt hæc sacramenta habeant suum effectum recedente fictione est illa, quæ facta est: institutio autem absoluta facta est. Vnde non oportet, vt in quocunque casu particulari contingat, rationem illam, seu necessitatem cessare, eo ipso cesset effectus sacramenti. Sicut enim in materia de legibus dici solet, cessante in particulari fine, vel ratione legis, tantùm negatiuè, non cessare legis obligationem: quia lex est vniuersalis regula, quæ non excipit, neque considerat huiusmodi particulares euentus, qui sunt per accidens: ita in præsenti dicere possumus, institutionem hanc esse veluti legem quandam, quæ semper habet suam vim & efficaciam, quãuis in particulari cesset eius ratio, seu necessitas.

Redit effectus pœnitentiæ recedente fictione. *D. Thom. Durandus. Paludanus.*

Tertiò, de sacramento pœnitentiæ (si aliquando potest dari informe, ita vt verum sacramentum fictè recipiatur) verisimilius est, illud habere effectũ recedente fictione, quod docuit aperte D. Thomas loco suprà citato ex 4. distinct. 17. & Durandus ibi quæst. 13. & distinct. 4. quæst. 4. & Paludanus distinct. 14. quæst. 1. art. 3. & ratio est ferè eadem, quæ de baptismo quoad hoc, quòd sicut peccata mortalia ante baptismum commissa non possunt, nisi per baptismum, remitti: ita peccata mortalia postea commissa non possunt remitti, nisi per aliquod sacramentum, confessionis. Ex quo certo principio sic argument or; peccatum mortale fictè confessum remitti potest, potest per contritionem, & non in voto alterius confessionis eiusdem peccati, quia non tenetur homo illud iterum confiteri, vnde, stante contritione, potest habere propositum formale nunquam amplius confitendi illud peccatum: ergo remittitur tale peccatum per ordinem; & efficaciam prioris sacramenti; & hoc est incipere habere effectum recedente fictione: nã si potest remittere peccatũ mortale, potest etiã dare gratiam, quia illud remittitur, & procedunt aliæ rationes de baptismo factæ. Quæ propter non obstat,

Responsio.

A quòd hoc sacramentum iterari possit, etiam de eodem peccato priùs cõfesso, in quo differt à baptismo: nam de efficaciam rationis factæ satis est, quòd hæc iteratio non est necessaria ad remissionem talis peccati, cùm tamen efficacia sacramenti semper sit necessaria: nam hinc euidenter concluditur, necessarium esse, vt prior absolutio possit habere efficaciam ablato obice: quia, si illa iam esset omnino inefficax, necessarium esset aliam adhibere; & cõsequenter necessarium foret peccatum iterum confiteri: quia absolutio per se, & directè non cadit, nisi in peccatum confessum. Vnde non est satis, si dicatur, concomitanter remitti per sequentem absolutionem, tum quia potest ante aliam absolutionẽ remitti per contritionẽ, & sine vllo ordine ad sequẽtem absolutionẽ; tum etiam, quia nullũ peccatum mortale remittitur concomitanter, & per accidẽs

B per aliquã absolutionem, nisi eum voto seu ordine ad aliam, per quam directè remittatur, vt suprà dictũ est. Dices; interdùm fingi potest casus, in quo cõfessio sit ficta, etiam si sit tantùm de venialibus peccatis, vt si quis habeat mortale aliquod, quod inuincibiliter ignoret, & nullam attritionem illius habeat, sed tãtùm vnius, vel alterius venialis, quod confiteatur: tunc ergo non erit necesse, effectum illius sacramenti redire; quia non est necesse, vt illa peccata venialia sic confessa per absolutionẽ præterità, vel futuram remittantur, quia sacramentum pœnitentiæ non est mediũ necessarium ad remissionem venialium. Respõdetur, hîc optimè accommodari doctrinam paulò anteà datã de institutione sacramẽti; esse scilicet veluti generalẽ legẽ, quæ nõ cessat in particulari casu etiam si negatiuè cesset necessitas, dummodò tollatur contrarius obex.

Obiectio. *Responsio.*

C Quartò. De sacramento Eucharistiæ res est valde dubia: quam infrà in propria materia tractabo.

Sed circa alia sacramenta supererat hîc declarãdũ, per quid possit tolli fictio, vt suos effectus habere incipiant; tamen hoc, & alia similia dubia ex doctrina data de paptismo possunt facilè expediri. Posset autem hic vlteriùs dubitari, an in aliquo sacramẽto veteri habeat locũ hæc doctrina, scilicet, q̃ suo modo habuerit effectum recedẽte fictione: nam D. Tho. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæstiũc. 1. ad 3. hoc tribuit Circuncisioni, dicens: *Sicut in baptismo manet character spiritualis, ratione cuius filius deposita fictione, effectũ baptismi recipitita manebat character exterior in circuncisione; quæ hoc idem faciebat.* Sed nunquam hoc D. Tho. docuit in hac 3. p. Vnde valde incertum est, & contrarium mihi videtur probabilius, suppositis his, quæ suprà diximus de modo,

D quo in circuncisione, & in sacramento legis naturæ gratia dabatur: est enim multũ probabile, adultis nullam tunc fuisse datam gratiam ex opere operato, in huiusmodi sacramentis, nec potuisse facere adultum ex attrito contritum: atque adeò nõ fuisse simpliciter necessaria media ad remisionẽ peccati præsertim in adultis, qui poterant & debebãt per contritionem sanctificari: non ergo fuit necessarius hic effectus in his sacramentis, quia infantes non poterant esse fictij; adultis verò, & sufficiebat, & necessaria erat contritio, quod spectat ad medij necessitatem: si autem non est necessitas, non est attribuendus talis effectus illis sacramentis, quia in illis non dabatur gratia præter meritum operãtis, nisi veluti ex speciali dispensatione ad subueniendum necessitati infantium.

DISPV-

DISPVTATIO XXIX.

De effectu baptismi sanguinis, & dispositione ad illum necessaria.

POsset disputatio hæc in materiam de fortitudine reijci: quoniam hic baptismus sanguinis nihil aliud est, quàm martyrium, quod actus est fortitudinis; tamen, quoniam, vt suprà vidimus, non quodlibet martyrium habet ratione baptismi sanguinis, sed illud specialiter, quod supplet vicem baptismi aquæ; ideò consideratio martyrij sub hac ratione baptismatis ad hunc locum spectat: pendet autem eius cognitio ex virtute & efficacia, quam martyrium habet ad dandam gratiam, deficiente baptismate aquæ & flaminis, de quibus, & eorum

B effectibus iam satis dictum est. Hac igitur de causa proponimus hoc loco disputationem præsentem, quæ plurimùm etiam conferet ad perfectam intelligentiam eorum, quæ de necessitate baptismi ad salutem consequendam superiùs tractata sunt: & vt clarior sit disputatio, dicemus priùs de infantibus, posteà de adultis.

SECTIO I.

Virùm per baptismum sanguinis possint infantes saluari absq; baptismo aquæ.

INfantes hoc loco dicuntur, non tam propter ætatem, quàm propter carentiam perpetuam vsus rationis, sicut in superioribus explicatũ est, atq; hinc oritur ratio dubitãdi in quæstione proposita: nam baptismus sanguinis includit, vel supponit essentialem ac propriam rationẽ martyrij: sed absq; vsu rationis non potest vera ratio martyrij saluari: ergo in his, qui nunquam ratione vsi sunt, non potest baptismus sanguinis reperiri: non ergo potest per illũ saluari, absq; baptismo aquæ. Minor

C principalis argumenti patet, quia martyrium est actus virtutis fortitudinis; absq; rationis autem vsu nullus actus virtutis inueniri potest. Et augetur difficultas, quia aliàs baptismus aquæ, neq; in re, neque in voto esset infantibus necessarius ad salutẽ, quod videtur esse contra Christi verba; *Nisi quis renatus fuerit, &c.* à qua generali regula Scripturæ non licet exceptionem facere, absq; sufficiente, & cogẽte autoritate. Sequela patet, quia in huiusmodi infantibus supponitur deesse baptismus aquæ in re susceptus; votum autem in illis esse nõ potest, quia hoc votum concipitur per proprium actum, seu desiderium, cuius illi sunt incapaces. Nec dici potest, re ipsa per mortem habere huiusmodi votũ baptismi aquæ, quatenus & commoriuntur Christo, & suo sanguine tinguntur: hoc enim nõ satisfacit, tum quia est valde metaphoricũ, & in re nulla habitudo ad baptismum aquæ per hæc verba declaratur, sed solùm analoga quædam proportio, seu

D conuenientia; tum etiam quia, cùm mors efficiat hominem incapacem baptismi aquæ, nõ potest includere votum eius. Quòd verò nullum sit sufficiens fundamentum ad prædictam exceptionẽ faciendam, constat, quia neque in Scriptura continetur, neque in Ecclesiæ traditione. Prior pars probatur, quia, si contineretur in Scriptura, maximè in illis verbis Christi Domini. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo,* at verba hæc non de infantibus dicuntur, sed de adultis: infantes enim nesciunt confiteri Christũ. Posterior pars probatur, quia, si Ecclesiæ autoritas faueret ad hanc exceptionem faciendam maximè, quia Innocẽtes pueros colit vt sanctos: sed hoc nõ cogit, tum quia possunt illi inter sanctos recenseri, quia erant circuncisi, & mortui sunt absq; alio peccato, & Ecclesia voluit eos cõlere, quanuis fortasse non sint sanctiores alijs, in Christi reuerentiam & amorem, ob cuius odium illi sunt ab Herode occisi, tum etiam, quia, licèt gratis demus aliquod priuilegiũ fuisse illis paruulis concessum, non est cur extẽdatur ad omnes alios infantes, præsertim post baptismum aquæ, cuius necessitas nondum erat eo tempore introducta.

In hac quæstione nõ defuerunt Catholici, qui, fortasse propter rationes factas, senserũt, paruulos non posse saluari per baptismum sanguinis, ita videtur docere Alexander Alens. 4. p. q. 12. mẽbr. 5. art. 1. vbi dicit, baptismum aquæ extensuè excedere in effectu baptismũ sanguinis, quia pluribus personis prodesse potest, scilicet paruulis & adultis: cum tamen baptismus sanguinis solùm prosit adultis. In hanc sententiam inclinat etiam Armachanus lib. 8. de quæstionibus Armenorum. c. 37. & Adrianus in 4. q. vlt. de bapt. ad tertium. Qui, licèt non omnino rem definire audeant, tamen probabile esse censent, Innocentes martyres nihil gratiæ aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos; & si fortasse aliqui ex eis nõ fuerant circũcisi, eos etiã nõ fuisse saluos, sed in peccato originali decessisse. Soto etiam citat Bonauenturam in eandẽ sententiam, q. baptismus sanguinis non prosit paruulis. Sed ille nihil de hac re aperte locutus est.

Alex. Alens. *Armacanus.* *Adrianus.* *Bonauent.*

Dicẽdum est ergo primò, Infantes esse capaces martyrij; seu baptismi sanguinis. Hæc concl. est mihi certa, neq; existimo posse sine temeritate negari. Eam tradit D. Tho. 2. 2. q. 124. art. 1. ad primũ, & quodlib. 9. art. 4. Richard. in 4. d. 4. artic. 2. q. 3. vbi hoc extendit ad illos infantes, qui in vteris maternis simul cũ matribus interficiũtur. In eadẽ sententia sunt Scotus, Gabriel, & alij. d. 4. Soto. d. 3. art. 11. & bene Caiet. 2. 2. loco citato, & D. Bonauent. illa. d. 4. part. 2. art. 1. q. 2. limitat sententiam Alensis dicentis baptismum aquæ pluribus prodesse, quàm sanguinis. Vnde nihil in hoc distinguit inter paruulos & adultos & probatur præcipuè exemplo sanctorũ Innocentiũ, quos martyres fuisse constat, primò ex traditione, & sensu Ecclesiæ celebrãtis festũ eorũ, tanquã verè martyriũ, propter quod officiũ martyrũ eis recitandũ proponit, esse; martyres appellat, tum in collecta, tum in oratione, *Deus, cuius hodierna die præconium, Innocẽtes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt:* tum in hymno, *Saluete flores martyrum, vos prima Christi victima.*

Infantes capaces sunt martyrij. *D. Thom.* *Richardus.* *Scotus.* *Gabriel.* *Soto.* *Caietanus.* *Bonauent.*

Secundo ex patribus Cyprianus sermone de Stella & Magis circa finem; Tyrannus, inquit, *crudelis illuditur, qui dum putat perdere, quos occidit, meliorib. vitæ statum eis procurat,* & infrà, *Ecce paruuli isti, quos inaudita crudelitatis monstrum Herodes occidit, subito sunt martyres,* & infrà, *Ætas nondum habilis ad pugnã, idonea extitit ad coronam. Vt appareret Innocentes esse, qui pro Christo necantur, infantia innocens ob nomen eius occisa est.* Optimè Leo Papa sermone 1. de Epiphania. *Quos rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo,*

Cyprianus. *Leo Papa.*

& quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem. Et subdit sermone secundo. *Ac si iam diceret, Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum, noua gloria coronabat infantes.* Et infrà, *Vt discerètur, nullum hominem incapacem esse diuini sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrij.* Sic etiam August. lib. 3. de libero arbit. cap. 23. de Innocentibus loquens dicit, *Eos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia.* Et lib. 2. de symbolo ad catechumenos cap. 5. & libro 3. ca. 4. dicit, Innocentes martyres testimoniũ reddidisse innocentiæ Christi. Idem epist. 28. ad Hieronymum, & sermo. 8. de sanctis, cum sequentibus, qui sunt de Innocentibus. Origenes etiã homil. 3. in varios locos Euangelij, huius antiquæ traditionis meminit, & hunc in modum sensum Ecclesiæ interpretatur, dicens, *Horum memoria semper, vt dignum est, in Ecclesijs celebratur secundum ordinem integrum sanctorum, vt primorum martyrum pro Domino occisorum, vt ipsi a Bethleem, in qua natus est Dominus, primitias martyrum Domino obtulisse videatur.*

Augustinus. *Origenes.*

Denique Patres omnes in concionibus, quas de sanctis Innocentibus scripserunt, omnesque catholici scriptores Euangeliorum, Matth. 2. testes sunt, illos Innocẽtes fuisse verè martyres, & hoc nomine ab Ecclesia cæli. Tertiò, est optima ratio, quia, nisi illi Innocẽtes fuissent martyres, nõ potuisset Ecclesia omnes illos sua solennitate canonizare, & vt verè beatos colere: quid enim si aliqui eorum circuncisi non fuerant est enim id valde verisimile: nam occisi sunt omnes à bimatu, & infra: ergo etiam illi, qui nondum octauum diem ætatis attigerãt, quos necesse erat nondum esse circuncisos: at verò Ecclesia omnes generatim, & sine vlla exceptione colit: quia re vera non ob circuncisionem, nec ob gratiã, quam in ea acceperant, sed ob mortem pro Christo susceptam eos veneratur: hæc enim sola causa, & titulus venerationis erat illis omnibus cõmunis. Immeritò ergo Adrianus dixit, non satis constare in hac parte de sensu & doctrina Ecclesiæ, quia neque facto, neque verbo potuit Ecclesia clarius suã mentem aperire, & antiquam traditionem nobis proponere: quarè non video, quo modo sine temeritate, & magno errore possit hoc in dubiũ reuocari. Ex hoc autem singulari facto rectè colligimus, nullũ infantem ratione infantiæ esse martyrij incapacẽ: sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem sustinuerint, verè esse martyres: nam eadẽ est ratio & causa in cæteris infantibus, quæ fuit in illis Innocentibus. Quia vel in illo facto intercessit speciale priuilegium factum illis pueris, vel non: si non intercessit, ergo non est, cur alij censeantur magis incapaces martyrij, quàm illi, cum omnes æquè careant vsu rationis: si verò intercessit priuilegiũ, hoc certè non est factum personis, sed causæ: quid enim in illis pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod huiusmodi priuilegium illis cõcessum sit? Nihil sanè. Tota ergo ratio illius priuilegij fuit causa mortis, nimirum quod propter Christum occisi sunt. Vnde eleganter Cyprianus supra, *Sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguantur.* Et Leo Papa. *Vt discerètur, nullum hominem incapacem esse diuini sacramenti*, & eodem modo loquuntur cæteri Patres. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat, quoslibet pueros, vel infantes, qui in lege gratiæ pro Christiana religione mortui sunt,

Adrianus. *Quilibet infantes possunt esse martyres.* *Cyprianus.* *Leo Papa.*

A vt cõstat ex omnibus historijs Ecclesiasticis, & ex modo loquendi Sanctorum. Cur enim priuabuntur nunc infantes huiusmodi priuilegio & honore? Neque enim gratia Christi minus liberaliter nunc, quàm eo tempore cõmunicatur: neque horũ mors minùs est propter Christũ, quàm illorum: imò quodammodo videtur expressius ac formalius esse propter Christum: nam, licèt omnes interfecti sint in odium Christi; tamen illi priores Innocentes solũ mortui sunt inter quærendum Christum; hi verò interficiuntur propter fidem Christi, & ad destruẽdam & euertendam religionem eius: est ergo par omnium ratio.

Secundò igitur dicendũ est, baptismũ sanguinis satis esse posse infantibus ad salutem sine baptismo aquæ. Hæc cõclusio sequitur ex præcedẽti. Primò, quia verũ martyriũ est sufficiens ad salutẽ, vt sectione sequenti ostendã, imò in paruulis nõ potest alia B ratiõe mors eos, martyres efficere, honore & cultu dignos, nisi quia efficit sanctos: cõstat præterea, illa mortẽ nõ dici martyriũ, quia sit actus virtutis fortitudinis in ipsis infantibus, vt ratio dubitandi in principio posita satis probat: dicitur ergo martyriũ, quia ex eo, quod est propter Christũ, habet effectum martyrij, qui per se sufficit ad salutẽ. Prætereà Innocentibus ab Herode occisis martyriũ illud fuit sufficiens ad salutẽ sine circuncisione: ergo & nunc erit sine baptismo. Dices, non fuisse tantã necessitatem circuncisionis, quanta est baptismi, quia tunc ante octauum diem poterat aliquod remediũ prodesse. Sed cõtra, quia saltẽ ab octauo die erat tam necessaria circuncisio, vel saltẽ aliquod sacramentũ, circũcisionis, vel legis naturæ, erat tam necessariũ simpliciter, sicut nunc est baptismus; & tamẽ quãuis neutrũ fuisset applicatũ, certissimũ est, illã mortẽ fuisse C sufficientẽ ad salutẽ, vt constat ex adductis in prima cõclusione: ergo nõ obstãte necessitate baptismi similis mors nunc sufficiet: quia institutio baptismi nihil dignitatis, vel efficaciæ martyrio abstulit; quin potiùs probabile est; per Christũ vtriusque baptismi gratiam fuisse specialiter cõcessam, vel cõfirmatã, & auctã, vt de baptismo sanguinis dicetur inferiùs: nã de baptismo aquæ res est omnino certa; nã sicut illius necessitas, ita & efficacia ex Christi institutione & promissione manauit: priuilegiũ autẽ martyrij, licèt semper fundatũ fuerit in meritis Christi, tamẽ non est improbabile fuisse antiquius, quã institutionẽ Christi post incarnationẽ factam: esto tamẽ ita sit, nõ fuit tamẽ per Christũ, aut institutionẽ baptismi reuocatũ; sed confirmatũ potiùs, iuxta verba Christi. *Qui me cõfessus fuerit corã hominibus.* Et verisimile est, fuisse etiã auctum: nam ita D decet statũ & perfectionem legis gratiæ, in quo vberiùs & liberaliùs Christi gratia communicatur.

Baptismus sanguinis est sufficiens infantibus ad salutem, sine baptismo aquæ.

Ad rationem ergo dubitandi in principio positã respondetur, martyrium posse considerari vt actũ virtutis, & vt sic nõ habere locũ in infantibus, vel solũ vt est actualis mors, quã innocens pro Christo patitur, & vt sic non est de ratione eius, quod sit actus virtutis: imò nec est necessarium, quod mors sit voluntaria in eo, qui nõ est capax proprij cõsensus. Vnde dici potest illa mors martyriũ, quoad martyrij gloriam & efficaciam, quanuis non quoad essentiã virtutis. Vel dici etiã potest illa mors obiectiuè honesta & studiosa, quanuis formaliter, vt est in eo, qui eam patitur, non sit ex virtute, sicut non est ex voluntate. Ad confirmationem respondetur, nõ esse simpli-

Ad rationem dubitandi.

simpliciter contra necessitatem baptismi aquæ, priuilegiũ, seu exceptionem quæ sit de baptismo sanguinis. Primò quidẽ, quia per se loquẽdo baptismus aquæ semper debet præcedere, etiã si statim speretur baptismus sanguinis, & malè facerẽt parentes, tutores, vel pastores, qui infantem priuarẽt baptismo aquæ, etiam si statim esset pro Christo occidendus: hoc autem malũ nihil paruulo obesset, quominus frueretur fructu baptismi, cùm non esset positum in voluntate eius. Deinde, quia hæc exceptio ab eodem Christo est facta, vel confirmata illis verbis. *Qui me confessus fuerit coram hominibus*: nã, vt Patres dicunt, infantes, quãuis nõ verbis, re & opere Christum confitentur, eique conformantur. Accedit etiam traditio Ecclesiæ à nobis explicata. Vnde non est necesse quærere in his infantibus, qui nunc pro Christo occiduntur, votum baptismi aquæ: nã B hoc re vera propriè nullum est, nisi fortasse per extrinsecam voluntatem, & acceptationẽ Christi, sed nõ est necessarium, absolutè loquendo, huiusmodi votum propriè dictum: quia baptismus sanguinis per se sufficiens est, & non quasi in virtute alterius votum autem sacramenti tunc dicitur esse necessarium, quando effectus datur in ordine ad tale sacramentũ, quasi supplendo locum & vicem illius, donec ipsum applicetur: hoc autem non ita est in martyrio, sed per se, & ex propria promissione hoc habet priuilegium, vt in sequentibus dicemus latiùs.

SECTIO II.

Vtrum baptismus sanguinis sufficere possit adultis ad salutem, absque baptismo aquæ.

NOn inquirimus, an voluntariè possit omitti baptismus aquæ, propterea quòd instet, vel statim speretur necessitas sustinendi martyrium: nam certum est, si sit in hominis potestate se præparare per baptismum aquæ, antequàm mori pro Christo cogatur, teneri ad id faciendum non minùs, quàm in quouis periculo mortis tenetur: quia præceptum baptismi semper obligat, & nihil est, quod in eo casu excuset ab obseruatiõe eius: quia, licèt martyrium per se se sit optimus virtutis actus, & magna habeat priuilegia; non tamen tollit aliorum præceptorum obligationem, nec excusat, quin homo vti debeat ordinarijs ac necessarijs remedijs salutis, si facultas adsit: quin potiùs, quò martyrij certamẽ difficilius est, eò magis debet homo se ad illud disponere, præsertim per sacramenta ad salutem necessaria: quapropter, qui ea voluntariè negligit, quandiu in ea voluntate perseuerat, nõ est ad martyrium idoneus, nec fructum eius recipiet, vt Epist. 54. copiosè Cyprianus disputat.

Quæstio ergo proposita solùm habet locum in fideli adulto, qui ad martyrium rapitur, priùs quàm re ipsa possit suscipere baptismum aquæ, an illi satis esse possit ad salutem martyrium, tanquàm baptismus sanguinis. Et ratio difficultatis est; quia si in infantibus martyrium habet hanc virtutem & efficaciam, cur non in adultis? In contrarium verò est, quia adultus, cùm sit capax propriæ rationis & voluntatis, potest se ad gratiam disponere ac præparare per conuersionem in Deum & detestationem peccati; &, cùm hoc remedium sit per se necessariũ

Cyprianus. *In quo locũ habeat quæstio.*

A ad salutem, tenetur per se illud adhibere per veram contritionem instante mortis periculo, & præsertim deficiente baptismo aquæ, quam obligationẽ non tollit martyrium, vt ex dictis colligi potest, nam doctrina data generalis est. Vel ergo adultus, instante martyrio, in prædicto casu ita se disponit, vel non: si non, incapax est martyrij, & fructus eius; quia voluntariè perseuerat in peccato: si verò se ita disponit; illa dispositio habebit rationem baptismi flaminis, & virtute continebit votum baptismi aquæ: ergo iam ille homo nõ saluabitur per solum baptismum sanguinis, sed per baptismum flaminis, seu (quod idem est) per baptismum aquæ, non in re, sed in voto.

In hac re supponendum in primis est, hoc differre inter infantes, & adultos, quòd in illis martyriũ non requirit consensum voluntarium ipsius marty- B ris, sed sufficit violenta mors à tyrãno propter Christum, seu in odium Christi illata; at verò in adultis de ratione martyrij est voluntarius cõsensus, vt docent D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 1. & 2. & Caietanus ibi, ferè in vltimis verbis, & Soto in. 4. dist. 15. quæst. 1. artic. 1. & libr. 2. de natura & gratia cap. 16. Quocirca licèt contingat aliquem fidelẽ in somno à tyranno occidi in odium Christi, si nullam voluntatem priùs habuit circa mortem illam, non erit martyr, neque ex illa morte aliquem fructum gratiæ, aut remissionem culpæ vel pœnæ consequetur: ratio huius primùm reddi potest ex illo generali principio, quòd adultus, quia est capax propriæ voluntatis, sine illius libero consensu non cõsequitur regulariter gratiam, neque remissionem culpæ, & ideò nulla actio, vel passio exterior illi potest ad sa- C lutem prodesse, nisi aliquo modo voluntaria sit: ergo etiam mors merè extrinsecùs illata, nisi sit volũtaria, non habet in illo effectum gratiæ, vel remissionis culpæ: ergo talis mors non est martyrium, quasi ex priuilegio, seu quoad effectum, & dignitatem martyrij: sed neque etiam est verè ac propriè martyrium quoad essentiam: quia de ratione eius est, vt sit opus virtutis, quod essentialiter à voluntate pendet: ergo nullo modo est martyrium in adulto sine voluntate eius. Et confirmatur à simili de baptismo aquæ; qui, licèt in paruulo non requirat consensum propriæ voluntatis, in adulto non potest esse sine illo: quanuis gratia & priuilegiũ huius baptismi non manet ex voluntate recipientis, nec pendeat ex merito illius: solùm ex illo principio, quod salus animæ, & remedia, per quæ efficitur, voluntaria esse debent ei, qui sua voluntate vti potest: ergo D idem maiori ratione dicendum est de martyrio.

Quo differãt infantes ab adultis, quod attinet ad martyrium. *D. Thom. Soto.*

Ex quo vlteriùs infero, ad veram martyrij rationem, vt Scriptura & Sancti de illo loquuntur necessarium esse, vt hæc voluntas, qua mors pro Christo acceptatur, sit honesta, imò supernaturalis aliquo modo. Probatur prior pars, quia necesse est, vt procedat ex honesto motiuo: nam si fiat propter gloriam vanam, aut famam, vel aliud simile humanum commodum, non meretur illa mors nomen martyrij, vt meritò docent omnes Theologi: quia talis mors, neque est actus virtutis, nec fortitudinis; neque est propter Deum, seu Dei amorem aliquo modo, neque propter confessionem Christi, seu fidei eius, sed propter inanem gloriam. Vnde de illo, qui sic moritur, rectè dici potest, recepisse mercedem suam, & in illum optimè quadrat, quod Paulus ait, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem au-*

De ratione martyrij est volũtas moriendi pro Christo honesta, & quodammodo supernaturalis. *Paulus.*

Universidad de Deusto Biblioteca

tem non habuero, nihil mihi prodest. Denique, si natura & efficacia talis humani motiui consideretur, ex vi illius, seu ad famam & gloriam apud homines obtinendam, non minùs erit aliquis paratus ad falsitatem, quàm ad veritatem mordicùs, & vsq; ad mortem profitendam, si existimet, nõ minùs posse vna via, quàm altera famam acquirere, quã exoptat: signum ergo est, eum, qui sic moritur, propter & verè non mori pro fide, aut Christo: nõ est ergo martyr, nec præbet testimonium veritati fidei.

Altera verò pars, scilicet, quòd oporteat hanc voluntatem esse aliquo modo supernaturalem, & ex motiuo supernaturali profectam, probatur ex eisdem principijs, quia aliàs non pateretur homo vt Christianus, sed vt philosophus; nõ ergo dici posset mori, aut pati pro Christo, aut pro defensione fidei, vel Christianæ religionis, qua tenditur ad supernaturalem beatitudinem. Vnde est illud Petri, *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, &, qui est eius spiritus, super vos requiescet: nemo autem vestrum patiatur vt homicida; si autem vt Christianus, nõ erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.* Vnde confirmatur, nam ad veram rationẽ martyrij necesse est, vt procedat ex vera fide supernaturali. Vnde si cõtingat, hominem hæreticum circa vnam fidei veritatem, mori ob confessionem alterius veritatis fidei, ille non erit martyr, neque vllum effectum martyrij consequetur, vt eleganter tradit Cyprianus epist. 52. 54. & 73. ad Iubaianum; & August. lib. 1. de baptismo. cap. 11. lib. 3. cap. 16. & lib. 4. ca. 17. & ratio est, quia, qui caret fidei fundamento, nullo modo est Christo vnitus: nõ ergo potest mori pro Christo, aut pro eius fide: nam, licèt videatur mori pro aliqua veritate, quæ ad fidem spectat: tamen sicut hæreticus illam non credit ex motiuo fidei, sed ex humana aliqua ratione & iudicio proprio: ita etiam non moritur pro Christi fide, vt Christi est, sed solùm pro suo arbitrio, & proprio iudicio pertinaciter defendendo. Cuius indicium est, quia eodem modo erit paratus ad moriendum pro quacunque alia re, quam simili modo credit, etiam si contingeret, illam esse Catholicæ veritati repugnãtem: sicut ergo ex parte intellectus necessaria est fides: ita ex parte voluntatis necessaria est voluntas aliqua ex eadem fide procedens, vt actus ille aliquo modo in Christum, & in supernaturalem finem tendat.

Petrus.

Ad martyrium requiritur fides.

Cyprianus. Augustinus.

Potest tamen vlteriùs dubitari; an sit de ratione martyrij, vt procedat ex actuali charitate, & dilectione Dei super omnia. Aliqui enim Theologi ita sentire videntur: quoniam Paulus ait primæ ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et Diuus Thomas 2. 2. quæst. 124. artic. 2. ad secundum. dicit, *Martyrium esse actum charitatis vt imperantis; fortitudinis autem vt elicientis.* Vbi Caietanus sentit, non posse haberi honestam & veram martyrij voluntatem, nisi imperatam ab amore Dei super omnia ex charitate profecto. Sed quanuis demus, hoc charitatis imperium esse perfectissimum, & maximè efficax principium, eleuans & confortans hominem ad perseuerandum in difficillimò actu martyrij, in nihilominùs, per se loquendo, & considerata arbitrij, libertate diuina gratia adiuta, non videtur dubium, quin possit hic actus elici à fortitudine infusa ex proprio motiuo absque actuali im-

Actualis ne dilectio Dei super omnia sit de ratione martyrij.

Pau. 1. Corint. 13. D. Thom. Caietanus.

A perio charitatis, vel ex imperio religionis & intentione diuini cultus, quomodo potest quis velle mori, ne cultum soli Deo debitum transferat in idolũ, vel ex imperio virtutis obedientiæ, vt si quis velit mori potiùs quàm diuinam legem transgredi, vel ex pia affectione ad fidem, vt contingere potuit in multis martyribus; vel denique ex solo intrinseco motiuo fortitudinis; quia intrinsecè & per se honestum est, constanter tolerare mortem, quãdo oportet propter maius bonum: quælibet enim ex his rationibus per se sufficiens est ad mouendam voluntatem: quælibet etiam virtus per se sufficiens est ad eliciendum suum actum intra proprium obiectũ, neq; vna virtus voluntatis essentialiter pendet in suo actu ab imperio alterius, quia, vt ex. 1. 2. constat, hæc relatio actus vnius virtutis in finem alterius, quanuis ex parte operantis possit esse præcipua & maximè intenta, tamen ipsi actui imperato, seu relato in finem extrinsecum, accidentalis est.

B Potest igitur dari voluntas supernaturalis moriendi pro fide, aut religione, absque actuali Dei amore super omnia: mors ergo acceptata illa voluntate, habebit veram & essentialem rationem, martyrij: quia, & est opus virtutis, & est in confessionẽ Christi, & quasi in maximum testimonium & irreuocabile fidei, nihil autem aliud videtur Christus postulasse ad veritatem martyrij, cùm dixit. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. & 16. Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam:* Nec Paulus dicit; si tradidero corpus meum sine actuali dilectione, & relatione charitatis, sed sine charitate: quæ sunt valde diuersa: nam potest quis esse in charitate & amicitia Dei, & nõ operari ex actuali imperio charitatis. Diuus Thomas autem non dixit, de essentia martyrij esse, vt

Matth. 10. & 16. Marci 8. Paulus.

D. Thomas.

C imperetur à charitate; sed potiùs dixit, essentialiter esse actum fortitudinis, qui natura sua est aptus imperari à charitate: & hoc est illi maximè consentaneum propter difficultatem eius, & propter quandam coniunctionem, quam habet cum Deo, ac diuinis rebus; & ideò vocauit illum actum imperatũ à charitate, seu imperabilem natura sua. Vnde idem Diuus Thomas quodlib. 4. art. 19. fatetur, posse reperiri martyrium sine imperio charitatis, sed quanquam hoc verum sit de martyrio sub essentiali ratione martyrij considerato, difficultas verò superest, an huiusmodi martyrium, secluso merito, seu dispositione charitatis, vi sua, seu speciali priuilegio, sufficiat ad supplendam vicem baptismi aquæ.

In hac re videtur esse antiquorum Theologorũ opinio, negans martyrium per se habere hanc efficaciam. Ita sentit Alexander Alensis 4. par. q. 22. membr. 5. vbi apertè negat posse martyrium dare adulto primam gratiam: qui sanè consequenter loquitur, cùm ibidem neget, posse martyrium habere effectum gratiæ in infantibus; tamẽ, sicut in hoc posteriori puncto sententia Alensis improbabilis est; ita minorẽ facit fidem in puncto, de quo disputamus. Eandem verò sententiam tenet Bonauent. in 4. d. 4. 2. parte distinctionis, artic. 1. q. 2. vbi negat, posse baptismum sanguinis conferre gratiam gratum facientem, aut remittere culpam mortalẽ, quanuis de paruulis nihil expressè loquatur, Paludanus etiam dist. 4. q. 3. art. 1. vbi priùs negat baptismum sanguinis habere effectum ex opere operato, aut sine præuia contritione posse ad salutem prodesse,

D

Principalis totius quæstionis difficultas [illegible]. Opinio negans Alensis.

Bonauent.

Paludanus.

desse, posteà verò tribuit illi effectum remittendi omnem culpam originalem, actualem, & mortalẽ, & omnem pœnam, & in paruulis dicit supplere altiori modo effectum baptismi aquæ. Quæ non videntur satis consequenter dicta: nam, si martyriũ, vt sit fructuosum, supponit contritionem & gratiam, & non habet fructum nisi ex merito operantis, quomodò delet culpam originalem aut mortalem, cùm necessariò supponat illam remissam per contritionem & gratiam? Quomodò ergo supplet in paruulis baptismum aquæ, si non dat illis aliquo modo effectum ex opere operato? Aut, si dat illis, cur non etiam adultis? Durandus etiam ibi, quæst. 8. lubricus est in hac parte: nam in fine quæstionis in solutionẽ ad tertium, videtur fauere huic sententiæ; dum ait, martyrium requirere charitatem patientis, quanuis non à sola illa habeat efficaciam, priùs tamen numer. 6. & 8. dicit, per martyrium remitti culpam perfectiùs, quã in baptismo aquæ, & ideò non minùs operari ad salutem, & ꝓpterea vocari baptismum sanguinis. Tandem sententiæ multum fauet D. Thom. suprà quæst. 66. arti. 12. ad secundum, vbi sic inquit, *Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate, ex quo patet, quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis.* Ex recentioribus verò acriter defendit hanc sententiam Cano relect. de pœnitentia par. 3. Potestq; in eius fauorẽ citari Bernard. Epist. 7. vbi generatim dicit, sine charitate nullũ sacrificiũ esse Deo acceptũ, etiã martyriũ, iuxta illud primæ ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest;* specialiùs idem Bernardus epist. 77. circa medium significat, martyrium non supplere vicem baptismi, nisi ex fide & merito suscipientis, quod est re ipsa negare ipsum martyrium supplere vicem baptismi: sed meritum ipsum, seu veram conuersionem in Deum, quam supponit; baptismi vicem supplere. Vnde subdit idem Bernardus, si deesset externum martyrium, internam fidem & volũtatem esse sufficiẽtem dispositionem ad iustitiam.

Durandus.

D. Thom.

Cano. Bernardus.

Pau. 1. Corinth. 13.

Fundamentum huius sententiæ facilè cõstat ex dictis, nimirum quòd martyrium, cùm non sit verum sacramentum, non dat gratiam ex opere operato: ergo non potest per se remittere culpam: ergo non potest per se supplere vicem & necessitatẽ baptismi aquæ. Patet hęc vltima cõsequentia, quia primaria necessitas baptismi aquæ est ad remittendam culpam: ergo quod non potest remittere culpam, non potest supplere vicem baptismi.

Dico tamen primò, simpliciter & absolutè fatendum est, martyriũ obtinere vim baptismi aquæ in adultis, atque ita posse supplere vicem eius, quãdo non voluntatis contemptus, sed necessitas cogit pati martyrium absq; baptismo aquæ. Ita docet D. Thomas suprà, quæst. 66. artic. 11. & infra, quæst. 87. art. 1. ad secũdũ, & plures alij Theologi, quos inferiùs referã. Præcipuè tamen probatur hæc veritas ex Patribus, adiunctis scripturis, quas ipsi ad hanc rem adducunt, & interpretantur. In primis Clemens Papa lib. 5. constit. Apostolicar. capit. 7. *Qui martyriũ, inquit, consequi meruit, gaudeat in Domino, quod tantam coronam est adeptus, &, quãuis fuerit catechumenus, lætus discedat; passio enim, quã pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismũ; quoniã ipse re ipsa commoritur Christo, alij in figura.* Vbi non tantùm voluntati, sed ipsi passioni, hunc attribuit effectũ:

Martyrium obtinet vim baptismi aquæ in adultis.

D. Thom.

Clemens Papa.

A & rationẽ sumit ex ipsa reali cõformitate ad Christum, quæ per ipsam exteriorem mortem & passionem fit altiori modo, quàm per exteriorẽ ablutionem. Quam rationem insinuant alij Patres citãdi, eamq; D. Thomas, & alij scholastici amplectũtur, & est optima cõgruentia ad explicandam promissionem & institutionem Christi, quæ est prima radix & fundamentum huius veritatis. Præterea Cyprianus epist. 73. sic scribit, *Nunquid potest vis baptismi esse maior aut potior, quàm confessio? quã passio? vt quis coram hominibus Christum cõfiteatur, & suo sanguine baptizetur?* Ex quo principio cõcludit inferiùs, cui prodesse non potest martyriũ, nec baptismum aquæ posse prodesse: nã illius vis maior est: igitur ex mẽte Cypriani cõstat, si baptismus aquæ potest prodesse homini habenti originale, vel actuale peccatum, ad tollendũ illud, baptismũ sanguinis posse

Cyprianus.

B eidem ꝓdesse, præsertim si ex parte affectus ipsius hominis non sit maior repugnantia. Quod apertè confirmauit idem Cyprianus in expositione orationis dominicæ circa illa verba. *Et dimitte nobis debita nostra,* dicens, *Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? quale crimen est, quod nec martyrio potest expiari?* quasi dicat, nullũ, præter ipsum actualem affectum peccati, vt inferiùs declarat. Similia habet in sermone de Stella & Magis, vbi eodẽ modo præfert baptismũ sanguinis baptismo aquæ, sic etiã August. 13. de Ciuit. cap. 7. *Quid pretiosius, quã mors, per quã fit, vt delicta omnia dimittãtur?* quã vim dicit habere martyriũ ex Christi promissione: nã, sicut ille dixit Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto:* ita dixit Matthæi 10. & 17. *Qui me confessus fuerit corã hominibus, cõfitebor & ego eũ coram Patre meo,* significat autẽ August. eodem

August.

Ioan. 3. Matth. 10. & 17.

C loco, neminẽ posse martyriũ pati sine gratia & charitate; dicẽs. *Quando sine abũdantia gratiæ & spiritus tantũ Christum amare possit homo, vt eũ in tanto vitæ discrimine, sub tãta spe veniæ, negare nõ possit?* Sed hæc verba intelligi possũt de gratia excitãte & adiuuãte, & de amore opere ipso exhibito: gratia enim habitualis, quãuis, & multũ cõferre possit, &, moraliter loquendo, frequentiùs antecedat; nõ est tamen simpliciter necessaria, vt per se manifestum est.

Præterea, q; baptismus sanguinis, per se sufficiat loco baptismi aquæ alijs locis frequenter docet August. vt lib. 4. de baptismo. c. 22. lib. 1. de anima & eius origine, ca. 9. & de Ecclesiasticis dogmatibus. c. 74. vbi dicit Augustinus, vel potiùs Gennadius, omnia peccata remitti in baptismo, in martyrio ante extingui, & eodẽ modo loquitur Ambr. libr. 1. de pœniten. c. 2. vbi põderat, dixisse Christũ distri-

August.

Gennadius.

Ambrosius.

D butiuè seu vniuersaliter. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum corã Patre meo;* posteà verò indefinitè addidisse, *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. & Lucæ 12. *Vt quod est, inquit, miserationis exaggeret, quod est vltionis extenuet;* & idem ferè est, quod August. ait lib. de vera & falsa pœnitẽtia c. 5. id factum esse ad significandũ, etiã maximis peccatoribus posse prodesse martyriũ. Eandẽ sententiã docuit Prosper in lib. Sentẽtiarũ in 149. dicens, *Qui, non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluẽda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.* Multa etiam ad hanc rem habentur in lib. de singularitate clericorum, qui tribuitur Cypriano, & existimatur esse Origenis cap. 20. vbi inter alia dici-

Matth. 10. Luc. 12. August.

Prosper.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur. *Martyrium appellatur tam baptisma, quàm corona: quia baptizati pariter & coronati.* Ruffinus etiã in expositione symboli cap. 16. per aquam & sanguinẽ, quæ manarunt de latere Christi, dicit, significata esse duo baptismata, aquæ, & sanguinis. Vnde Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Leuticũ dicit, primũ remediũ ad remissionẽ peccati esse baptismũ aquæ, secundum autem esse martyrium.

Et cõsentiũt alij Patres, qui inter baptismata martyriũ numerant, vt Greg. Nazianze. oratione 39. Ambr. serm. 3. in Psalm. 118. Tertul. lib. de baptismo cap. 16. Nec minus fauent, qui, tractantes de necessitate baptismi aquæ, excipiũt baptismũ sanguinis, vt Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres.* Et Fulgẽtius de fide ad Petrum cap. 3. *Absq; sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitã æternam.* Et eandẽ exceptionẽ facit Bernard. epist. 77. & alij Patres supra relati tractãdo de necessitate baptismi: qui oẽs euidẽtius de adultis, quã de infantibus loquũtur: hæc autẽ exceptio nullo modo mẽti esset, si martyriũ per seipsum nõ posset aliquo modo saluare hominẽ, & à peccato mũdare, & hoc modo vicẽ baptismi aquæ supplere. Nam si totũ esset semper referendum in meritum & dispositionẽ hominis, nullam exceptionem martyrij facere oporteret, tum quia, posita illa dispositione, sine martyrio saluaretur homo; tum etiam, quia tunc propriè non saluatur per martyrium, sed per baptismum aquæ in voto contento in dispositione per se sufficiente ad salutem. Vnde tandẽ fit, vt nulla alia ratione possit ratio baptismatis martyrio accommodari, si per se non suppleat vicem baptismi aquæ, & id præstet, quod daret baptismus aquæ, si adesset, scilicet spiritualem ablutionem ab omni culpa. Atque hinc petenda est ratio conclusionis positæ: dicitur enim martyrium supplere vicem baptismi aquæ, ratione effectus, scilicet, quia per se est sufficiẽs remedium ad salutem, deficiente baptismo aquæ. Ratio autẽ huius effectus habet quidem magnam cõgruitatẽ in ipso opere, tum propter magnam difficultatem eius, tum quia de se est opus & signum maximæ dilectionis, iuxta illud. *Maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tum etiam, quia in eo opere est quidam virtualis cõtemptus omnis boni creati, & inferioris ordinis, propter Christum; tum maximè, quia re ipsa configuratur homo Christo, vt suprà dicebamus, at verò propriũ fundamentum habet hic effectus in Christi promissione, quam ipse significauit in locis Euangelij suprà citatis, & sancti Patres explicuerunt, & vsus ac traditio Ecclesiæ. Cùm enim ostensum sit, martyriũ habere hanc vim circa infantes, non tantùm in aliquo singulari facto, sed etiam communi & stabili lege; constat non aliunde manasse, nisi ex diuina promissione, quæ adhuc durat, & durabit vsque ad finem seculi: non est autem, vnde hanc promissionẽ ad solos infantes limitemus, cùm verba Christi sint vniuersalia; imò expressiùs videantur ad adultos pertinere, cùmque Patrum & Ecclesiæ sensus huic vniuersali interpretationi magis faueat. Hinc enim est illud Innocentij 3. in capit. Cùm Marte. de celebratione Missarum, *Iniuriam facit martyri, qui erat pro martyre*; quod sumptum est ex Augustino, sermone 5. de martyribus: sermo. 27. de verbis Apostoli, tractatu 84. in Ioannem. *Iniuria est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: certabit enim contra peccatum, vsque ad sanguinem.* Quæ verba vltima indicant optimam congruentiam: maximè enim decet, vt Deus condonet peccata ei, qui contra peccata tam fortiter dimicat. Hinc etiam est illud Tertulliani in Apologetico in fine. *Quis non pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat; omnia enim huic operi delicta donantur.* Qui etiam in Scorpiaco capit. 6. martyribus accommodat illud Psalmi 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: Propriè enim, inquit, martyribus nihil potest imputari, quibus in lauacro vitæ ipsa deponitur.* sic etiam Cyprianus libr. de laudibus Martyrij in fine concludit. *Igitur, cum ad exemplum Dominicæ passionis, atque ad omne testimonium Christi, animam tuam pro nomine fundere sanguinem metuas, martyrio necesse est, vt totum cadat, martyrij inestimabilis gloria, infinita mensura:* & quæ sequuntur: quibus tandem adiungit, *hoc totum esse diuina promissionis & muneris.* Hinc denique est communis ille consensus Theologorũ omnium, martyrem statim in cælum euolare, de quo latè tractant Clemens Alexãdrinus lib. 4. stromatum, & Cyprianus epistola 52. constat autem hoc non posse certò & infallibiliter conuenire martyrio ex solo merito, vel satisfactione operantis: possent enim interdum tanta esse peccata, & peccatorum reatus, & è conuerso tam leues dolores mortis, & tam remissa & imperfecta voluntas patiendi, vt ex solo opere operantis non sufficerẽt ad perfectam & condignam satisfactionem; necesse est ergo fateri, interuenire hic aliquam diuinam promissionem & extraordinariam legem seu priuilegium martyrio concessum. Hinc ergo habet prædictam vim, vt vicem baptismi supplere possit.

Ex his infero, & dico secundò, In baptismo sanguinis obtineri posse remissionem culpæ originalis & mortalis, & consequenter gratiam, nõ solum quoad augmentum, sed etiam quoad primam eius infusionem. Ita ferè colligit D. Thom. infra. q. 87. art. 1. ad secundum dicens, *Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, & purgat ab omni culpa & venali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inhærentem inueniat.* Vbi Caietanus eandem sententiã satis indicat, neque ei contradicit. 2. 2. q. 124. art. 2. circa ad 2. quanuis obscuriùs ibi loquatur. Fauet etiam Durandus suprà dicta, q. 8. nu. 10. neq; in solutione ad 3. contradicit: nã, licèt dicat, martyrium requirere charitatem, non tamen explicat, an requirat illam vt antecedentem, vel vt consequentem, subdit tamen, martyrium non habere totam suam efficaciam ex charitate: sed ex causa patiendi, & ex conformitate ad passionem Christi; citari etiam solet pro hac sententia Gabriel in 4. d. 4. q. 2. vbi nihil ferè dicit, quod ad causam satis spectet. Apertiùs loquitur D. Thomas ibi. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 4. vbi dicit, vtrumq; baptismum, aquæ, & sanguinis habere efficaciam à passione Christi; tamen, quia baptismus aquæ configurat Christo sacramentali significatione, ideò excedere in sacramentali effectu, qui est character: baptismum autẽ sanguinis, quia configurat Christo realiter per veram conformitatẽ in reali passione & morte, ideò superare in re sacramenti, quæ est gratia: *quia, & gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit,* & re-

& remisso peccatorum, quantũ non sit plenior, quia vterque baptismus omnem culpam & pœnam tollit, tamẽ in baptismo sanguinis efficacior est & fructuosior: quia accedit macula non inquinatur, vt Damascenus dicit. Et statim id confirmat exemplo infantium, nam eadem ratio (inquit) est de adultis non ponentibus obicem. Atque idem repetit d. 16. quæst. 2. arti. 2. quæstiuncula 2. ad tertium, vbi habet eadem verba, quæ in hac tertia parte, loco citato scripsit, scilicet, *Passio pro Christo suscepta vim baptismi obtinet, & ideo purgat ab omni venali & mortali, nisi actualiter voluntatem remanentem inueniat:* quod ideò aduerto, vt constet D. Thomã eandem sententiam; quã in 4. tenuerat, in hac 3. part. docuisse, & in eodem sensu fuisse locutum. Atque ita sentiunt moderni eius expositores; Soto in 4. d. 25. quæst. unic. art. 1. & 2. art. 1. & lib. 2. de natura & gratia cap. 16. Ledesma in 4. 1. part. q. 25. art. 5. dub. 2. & eandẽ sententiã fusè defendit Vega libr. 6. in 6. sess. Concilij Trid. c. 36. & 37. sequitur q; hæc conclusio manifestè ex præcedẽtibus: nam martyrium dicitur baptismus sanguinis, & remedium sufficiens ad salutem, deficiente baptismo aquæ, & ad supplẽdum vicem eius, ratione effectus, vt declaratum est: sed hic esse ius respectu baptismi aquæ est remissio originalis, & mortalis peccati, si adsit, & effectus gratiæ, etiã primæ: ergo oportet, vt martyrium possit hæc omnia dare, aliàs quomodo supplebit vicẽ baptismi aquæ? Aut quomodo saluabit hominem sine illo, cùm non possit saluari sine remissione peccati & gratia? Quocirca omnia, quæ adduximus ad priorẽ conclusionem probandam, hanc confirmant; nec plura videntur requiri. Fundamentum autem contrariæ sententiæ postulat multa tractanda in sectione sequenti, vbi & illud, & alia, quæ contra nostrã sententiam obijci possunt, dissoluemus.

SECTIO III.

Quam dispositionem requirat baptismus sanguinis in adulto, vt illi suum conferat effectum.

Duæ possunt esse opiniones extremè cõtrariæ. Prior affirmat necessariam esse contritionem, & consequenter charitatem elicitè, aut imperantem, vel saltem informantem & viuificantem opus martyrij. Hanc tenent autores citati in prima sententia, Sectione præcedenti. Primum ac præcipuum fundamentum sumitur ex verbis Pauli primæ ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodest.* Vbi pòderandũ est, eodem modo loqui Paulũ de insigni actu eleemosynæ, & de actu martyrij, & eandẽ legẽ de vtroq; statuere, quoad caritatis necessitatẽ, neq; plus vni, quã alteri tribuere: sicut ergò actus eleemosynæ, quantũuis insignis in suo genere, & in quãtitate rei donatæ, si non supponat caritatẽ, & aliquo modo ab illa procedat, nullius est valoris apud Deũ: ita eriã mors, seu martyrium. Atq; hoc testimonio cõfirmat expositio Diui Thomæ suprà. q. 66. art. 12. ad secũdũ, qui ex hoc loco Pauli colligit, baptismũ sanguinis includere baptismum flaminis, & in corpore articuli dixerat, virtutem Spiritus sancti operari in baptismo aquæ per virtutẽ latentem, in baptismo pœnitentiæ per cordis cõmotionẽ, in baptismo autẽ sanguinis per potissimum dilectionis actum. Requirit ergo Diuus Thomas dilectionem & charitatem, vt martyrium habeat baptismi effectum.

Vnde argumẽtor secũdò, nã iuxta D. Tho. sentẽtiã, hoc differt inter baptismũ aquæ, & sanguinis, q̃ in illo operatur Spiritus sanctus per virtutẽ latentem; in hoc verò nõ, sed iuxta mensurã dilectionis: ergo in illo operatur ex opere operato per virtutẽ latentẽ, quã addit ipsi operi; in hoc verò nõ ita: ergo non est, vnde habeat martyriũ vim faciendi hominẽ ex attrito contritũ, quia ad hoc necessaria est virtus specialis Spiritus sancti: ergo, vt aliquid conferat, necesse est, vt supponat hominẽ contritum.

Tertiò vrget ratio suprà facta, quia aliàs martyriũ daret gratiam ex opere operato, si posset facere hominẽ ex attrito cõtritũ; cõsequẽs est falsum. Primè, quia alias esset sacramẽtũ. Secũdò, quia talis virtus martyrij, neq; in noua lege specialiter ei data in venitur, neq; ante Christi aduentũ illã habere potuit. Tertiò, quia martyriũ cõsummatur in morte, quãdo iam homo nõ est: ergo iam nõ potest illi dare gratiã; alias posset homo esse sine gratia toto vitæ tẽpore, & in primo instãti separationis animæ à corpore iustificari, imò & beatificari ratione martyrij præcedẽtis, quod videtur absurdissimũ; neq; etiã potest dare gratiã ante instãs mortis, quia nõdum verã martyrij rationẽ habet. Quocirca Cano, vbi suprà, cõstanter defendit hanc sententiam, imò addit, nõ sufficere ad cõsequendũ effectũ martyrij etiã distinctionẽ Dei super omnia in eo, qui mortaliter peccauit, sed omnino necessariũ esse formalem dolorẽ, & contritionẽ peccatorũ existimat enim, tam necessariũ esse huiusmodi formalẽ dolorem ad remissionẽ peccati mortalis, vt sine illo nunquam remittatur, etiam si adsit absoluta dilectio Dei super omnia, actu imperans martyriũ. Sed in hoc excessit: non enim solùm in casu martyrij (de quo stat tim plura) sed etiã absolutè & per se, vera dilectio Dei super omnia supernaturalis & infusa, si contingat separari ab actuali dolore, est sufficiens dispositio ad gratiam obtinendam: nam satis est, q̃ virtutè & voto dolorem includat, et hunc actum amoris Dei super omnia ab actuali dolore separari nunquam contingat, nisi ex obliuione, vt latiùs in materia de pœnitentia dicendum est.

Secũda opinio extremè cõtraria esse potest, martyriũ nullã omnino dispositionẽ requirere, vt suũ effectũ cõferat, præter illã voluntatẽ moriẽdi pro Christo, à qua martyriũ imperatur. Quæ sententia variis modis doceri potest. Primò asserẽdo, per se, & non tantũ per accidẽs, illã voluntatẽ esse sufficiẽtem dispositionẽ, ita vt, quãtuis homo, dum ad martyriũ rapitur, actu recordetur se esse in statu peccati mortalis, nõ teneatur aliquam pœnitentiã agere, neq; in alijs interioribus actibus occupari, præterquã in illa volũtate fundendi sanguinem pro Christo; nam hæc erit illi sufficiens dispositio ad gratiã & remissionẽ peccati obtinendã. Et hanc sententiã ita explicatã tenet Vega loco suprà citato: & potest fundari primò, quia martyriũ est per se se sufficiens medium ad salutem, nõ minùs, quã baptismus, vel pœnitentia: ergo quãdo hoc remediũ præsens adest, potest homo illo esse cõtentus, alijs prætermissis. Secũdò, quia actus martyrij est per se difficillimus: ergo, quãdo instat eius occasio & necessitas,

non est obligādus homo, vt ad exercēdus alios actus diuertatur, & distrahatur; ne virtus, in pluribus diuisa, in singulis fiat minor: poterit ergo se totū colligere, & in sola illa volūtate martyrij occupare, vt eam constanter, atque efficaciter eliciat: ergo illa dispositio ei sufficiet. Tertio, quia illa voluntas est virtualis quædam dilectio Dei super omnia, & displicentia peccatorum omnium: ergo erit sufficiens dispositio ad effectum martyrij. Antecedens patet, quia per eam voluntatem homo contemnit propter Deum id, quod est in hac vita maioris æstimationis: nam dat vitam, ne Deum offendat; & diligit eum plùs quàm se ipsum; & virtute detestatur Dei offensam super omne detestabile.

2. Modus explicandi hanc opinionem.

Secūdus modus docēdi hāc sentētiā esse potest, præter voluntatē martyrij requiri, per se loquēdo, aliquā dispositionē ad effectū eius in eo, qui antea erat in statu peccati; nam in eo, qui est in statu gratiæ, ipsa gratia est sufficiēs dispositio, ratio est, quia formalis pœnitētia est per se necessaria ad salutem. Addit verò duo hæc sentētia, hāc dispositionē per se requisitā, solùm esse attritionē. Et ratio est, quia baptismus sanguinis est efficacior, quàm baptismus aquæ, vt suprà ex Cypriano & alijs Patribus referebamus, sed baptismus aquæ per se est efficax cū tali dispositione: ergo multò magis erit baptismus sanguinis. Et cōfirmatur, quia martyriū per se confert gratiā paruulis, absque alia dispositione: ergo per se etiā confert gratiā adultis, etiā si nō habeāt maiorē dispositionē, quā illa, quæ sufficit, vt non ponāt obicem gratiæ: ad hoc autē sufficit attritio: quia sufficiēter auertit voluntatē à peccato. Secundum est, per accidēs ob inaduertentiā, seu obliuionē, posse sufficere voluntatē illā moriendi ꝓ Christo absq; alia formali pœnitentia seu dispositione, vt si aliquis repentè cogatur fidē cōfiteri, & totus in eo actu occupatus, omnino non recordetur actu vitæ præteritæ, nec status sui, & subitò in eo actu interficiatur: tūc enim, & ratione obliuionis excusabitur ab omissione pœnitētiæ seu alterius dispositionis, & ratiōe illius volūtatis moriēdi ꝓ Christo censebitur satis dispositus ad iustitiā per martyriū obtinendā, ꝓpter rationes factas in priori modo.

3. Modus explicandi hanc opinionem.

Tertius modus explicandi hanc sententiam est, per se loquendo, dispositionem necessariā ad effectum martyrij esse contritionē & caritatem, ita vt si martyr sciens & volēs illam omittat, nihil sit illi martyrium ad salutem profuturum: quia martyriū per se non aufert necessitatem aliorum mediorum, tamen ex accidenti, & ob ignorantiā interuenientem posse sufficere attritionem; quia alioqui nunquam martyrium daret primam gratiam: tantaque potest esse ignorantia vel obliuio, vt sola volūtas martyrij sufficiat sine alia positiua dispositiōe, dūmodò nō adsit actualis affectus ad peccatum: quia hoc satis est, vt nō ponatur obex, & vt procedant aliæ rationes suprà factæ. Et pro hac sentētia sic exposita citari potest D. Tho. dict. q. 87. art. 1. ad 2. dicens, *Martyrium purgare ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem*; nam licèt hæc verba ad quemlibet modum huius sententiæ possint accommodari, tamē propriùs & faciliùs iuxta hunc posteriorem modū explicantur, & verificantur. Nam qui ob inaduertentiam naturalem, actum omittit, etiam si aliàs illum efficere teneatur, ex hoc capite non habet voluntatem actualiter peccato inhærentem; & ideò, si

D. Thomas.

aliunde non est in alio actuali peccato, hoc satis illi erit, vt per voluntariam martyrij mortem saluetur, iuxta Diui Thomæ doctrinam, & hoc etiam optimè accommodatur ad casum illum, de quo ibi Diuus Thomas sermonem habet, de homine dormiente in peccato, & in eo statu propter Christum occiso: hunc enim casum Diuus Thomas in argumento proposuerat, &, licèt in argumento solùm loquatur de peccato veniali; in solutione tamen extendit sermonem ad hominem dormientem in peccato mortali, quem dicit per martyrium posse saluari, solùm, quia nō habet voluntatem actualiter peccantem: supponit autem D. Thomas, illam mortē esse voluntariā per aliquā volūtatem præcedentē, alioqui nō haberet in adulto rationē martyrij. Pro hac etiā sentētia potest citari Soto in 4. d. 3. q. vnica, artic. 11. in fine, quamuis ille non satis explicet, quo modo ex dictis hanc sententiam defendat, sed solùm dicat, hunc actum, volo mortem pro Christo perpeti, cum ipso exteriori opere sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam & pœnam, si non opponatur obex complacentiæ alicuius criminis, & (quod amplius est) addit, martyrium hoc modo sufficere per modum meriti, quia volitio mortis pro Christo, pro summa reputatur charitatis excellentia.

Soto.

3. Opinio.

Tertia sententia media esse potest, solam voluntatem moriendi pro Christo nunquam sufficere ad effectum martyrij absque alia dispositione, quia oportet voluntatem formaliter auerti à peccato, vel conuerti in Deum, non esse tamen necessarium, vt hæc dispositio semper sit contritio, vel amor Dei super omnia, sed sufficere posse attritionē, aut per se, aut per accidens, ob ignorantiam seu inaduertētiam iuxta varias opiniones suprà tractatas. Quæ sententia sic exposita potest confirmari, quia in baptismo aquæ non sufficit voluntas ipsius baptismi ad effectum eius absque alia dispositione, ergo nec sufficiet in baptismo sanguinis, neque per se, neque per accidēs, quia neutro modo sufficit in baptismo aquæ. Probatur consequentia, quia, licèt baptismus sanguinis fortasse excedat in perfectione effectus, quem confert, tamen in virtute & promissione dandi effectum gratiæ, & remittendi omnem culpam, non potest excedere, imò baptismus aquæ videtur magis per se ad hunc effectum institutus: ergo non est verisimile, nō posse operari in subiecto æquè disposito, aut è contrariū, minorē dispositionem requiri cum baptismo sanguinis, quàm cum baptismo aquæ.

1. Conclusio.

Dico primò, per se loquendo, tenetur homo, qui est in peccato mortali, instāte occasione seu necessitate moriendi pro Christo, præmittere contritionē peccatorum per formalem detestationem eorū, & dilectionem Dei super omnia. Vnde, si voluntariè hoc omittat, & sine ea dispositione moriatur, nō saluabitur per martyrium. Hanc conclusionem existimo certam, primò ex generali ratione & obligatione caritatis, qua homo tenetur suæ saluti ꝓuidere: nam, quòd mors exterior pro Christo suscepta sufficiat ad remissionem peccati sine contritione, est quidem opinio speculatiuè probabilis, tamen simpliciter est res dubia, &, si fortasse in re est falsa talis opinio, nihil ei ꝓderit ad salutem, qui de tali opinione confisus se se sine peccatorum contritione morti exposuerit: ergo tenetur, saltem ex charitate propria in re tanti momenti non relinquere me-

dium

dium certum pro incerto: tenetur ergo contritionē præmittere. Secundò est ratio à priori, quia occasio martyrij non tollit obligationem adhibendi media necessaria ad salutem: neque enim martyrium est veluti medium per se institutum ad tollēdum peccatum, sed potiùs ex se supponit hominem bene dispositum ad transitum ex hac vita, & cōsequenter, quantum in se est, petit vt priùs homo seruet omnia necessaria, & à Deo instituta ad gratiam & gloriam consequendam, & hac ratione dicebamus suprà, teneri parentes ad baptizandos priùs suos paruulos infantes, etiam si sciant, statim fore pro Christo occidendos & maiori ratione tenetur homo adultus baptizari ante martyrium, si commodè possit, vel, si iam baptizatus sit, conscientiam autem mortalis peccati habeat, tenetur etiam priùs confiteri, si potest: ergo, si baptizari non potest, tenetur saltem in Deum conuerti per amorem super omnia & detestari peccatum per contritionem, si potest, probatur consequentia, quia sicut baptismus, vel confessio, est per se medium necessarium ad salutē, ita etiam interior pœnitentia & conuersio, quæ in omni tempore fuit necessaria, vt Concilium Tridētinum dicit sessione 14. capit. 4. & nunc etiam est in lege noua, præsertim vbi non potest externum sacramentum adhiberi.

Tridentinum.

Quocirca non potest, moraliter loquendo, ab obligatione hac excusari homo propter subitam mortis occasionem, nisi naturalis obliuio peccatorum, & pœnitentiæ de illis agēdæ intercedat: quia, si in ea occasione, quantumuis subita & momentanea, recordatur sui status, seu suorum peccatorum, simul etiam potest facilè ea detestari, & in Deum conuerti vnico momento, & actu morali: neque enim propter hunc actum impeditur, quominùs de sustinenda morte propter Christum cogitare possit, & in ea voluntate confirmari: quin potiùs huiusmodi actus pœnitentiæ, & conuersionis in Deum, præbebit animum & vires ad alium actum confitendi fidem, & ad recurrendum ad Deum per orationem, quæ in eo articulo maximè est necessaria, & optimè fiet, placādo priùs Deum per pœnitentiam, simulque veniam peccatorum ab eo postulando. Quanquam enim hi actus diuersi sint, & in rigore physico fortasse non fiant, nec regulariter fieri possint in eodem instanti, nihilominùs tamē moraliter sunt ita connexi, vt vnus alium excitet, & facillimè fiat transitus ab vno ad alium in quacūque breuissima mora temporis: in qua possunt dici moraliter simul fieri, & ideò, quantumuis occasio & tempus martyrij breue sit, & subitò occurrat, si in eo homo aduertat, non potest excusari à culpa, voluntariè omittendo pœnitentiam interiorem eorum peccatorum, quæ, veluti sponte sua, memoriæ occurrunt, tanquam commissa & nunquam per pœnitentiam deleta. Nec verò obligandus est homo tunc ad scrutandam conscientiam suam, vel inquirenda peccata, præsertim in particulari, sed satis erit generatim dolere de offensa Dei eo modo, quo memoriæ occurrit.

Nō tenetur martyr scrutari conscientiam.

2. Conclu.

Dico secundò, Nihilominùs, vt homo per martyrium obtineat gratiam & remissionēm peccatorum, non semper est necessarium, vt in re ipsa contritio intercedat, sed sufficere poterit attritio, saltem ex accidente, seu intercedente bona fide per ignorantiam probabilem iuris, aut facti. Hanc conclusionem, vt minimùm, tenent D. Thomas & alij

D. Thom.

autores citati sectione præcedenti, pro secunda sententia, & colligitur ex doctrina sanctorum, quā in eadem sectione tradidimus: omnes enim tribuunt baptismo sanguinis vim ad remittēdum peccatum mortale, non solùm quoad temporalem pœnam, sed etiam quoad culpam: si autem semper in re ipsa esset priùs necessaria contritio, semper supponeret martyrium culpam ablatam; nunquam ergo haberet efficaciam remittendi illam, sed tantùm pœnā. Vnde vlteriùs etiam sequitur, baptismum sanguinis verè ac propriè nunquam supplere baptismum aquæ: quia & supponit effectum iam factum per baptismum flaminis, & ipsum solùm conferet augmētum gratiæ, quod est valde accidentarium ad necessitatem baptismi aquæ. Et confirmatur hæc ratio: nam si catechumenus, priùs quam offeratur occasio martyrij, nihilque prorsùs de illo cogitans, de peccatis conteratur, & iustificetur, posteà verò, ante baptismum aquæ martyrium patiatur, non diceretur ille obtinuisse remissionem culpæ originalis aut mortalis per martyrium, neque, quoad hoc, martyrium supplebit vicem baptismi in illo, quia ante martyrium, illum effectum est cōsecutus per aliud remedium, quod de se nullum ordinē dicit ad martyrium: ergo idem erit dicendum in quocunque casu, si semper in re ipsa præmittēda est contritio; nā quòd hæc multo, vel paruo tempore antecedat, accidentarium est: semperque est medium eiusdem rationis, neque in vno euentu magis dicit ordinem ad martyrium, quàm in alio. Dicet aliquis, hoc argumentum procedere, quando contritio tempore antecedit martyrium, fieri tamen posse, vt simul in ipso martyrio perficiatur, & tunc martyrium remittere culpam, stante tali dispotione: sed hæc fuga in primis est impertinens ad rem moralem, quia ille casus moraliter nunquam accidet, imò, si in rigore loquamur de martyrio consummato, non potest accidere: nam martyrium consummatur in morte, quę est in primo non esse hominis, in quo contritio haberi non poterit, si priùs non est aliquo modo habita, ita vt durante hac vita sit remissio peccati obtenta. Quòd si dicas, martyrium quoad statum, in quo potest habere effectum gratiæ, consummari in aliquo instanti ante mortem, vt nos etiam statim dicemus, inquiro, de quo effectu sit sermo, an de effectu ex merito operantis, & hoc est falsum, quia, quandiu durat, potest durare meritum operantis; etiam si vulnera lethalia ad eum statum perueniant in quo iam nulla sit naturalis spes euadendi. Si verò sit sermo de effectu gratiæ ex opere, vel quasi ex opere operato, secum pugnat responsio, quia contraria sententia supponit, per martyrium non dari gratiam, nisi ex merito operantis.

1. Pars conclusionis probatur.

Vnde sumitur nouum argumentum, nam, licèt admittamus contritionem concurrere cum martyrio in eodem tempore vel instanti, nihilominùs remissio culpæ nō esse attribuenda martyrio, sed contritioni includenti votum baptismi aquæ: quia martyrium ipsum nec per se habet meritum, nisi sit in supposito grato, nec ex priuilegio habet aliquid vltra meritum operantis: ergo, si in aliquo casu non habet vim ad remittendam culpam absque contritione, non potest hic effectus verè illi attribui, neque quòd suppleat vicem baptismi aquæ.

Vnde etiam excluditur alia euasio; si quis dicat, martyriū solùm dici supplere vicem baptismi aquæ quia cum contritione coniūctum perficit integrum

effectum baptismi, quoad remissionem omnis culpæ & pœnæ. Sed hoc etiam non satisfacit, primò, quia in re nihil aliud dicitur, quàm martyrium supplere vicem baptismi, quoad remissionem pœnarū temporalium; cùm tamen Sancti dicant supplere vicem eius, etiam quoad remissionem culpæ. Secundò; quia (vt suprà argumentabamur) si martyrium supplet semper vicem baptismi quoad hunc effectū remittendi omnem pœnam, necesse est, vt hoc non attribuatur soli merito vel satisfactioni operantis, sed alicui priuilegio seu promissioni diuinæ, quia aliàs non erit infallibilis: ergo, si semel talis promissio seu priuilegium admittitur, cùm non habeat fundamentum, nisi, vel in traditione Ecclesiæ & Sanctorum, vel in verbis Scripturæ, prout exponū tur à Patribus, admittendum est non solùm in remissione pœnæ, sed etiam in remissione culpæ, & in collatione gratiæ: nam verba Christi generalia sunt & hæc omnia includunt, *Qui perdiderit animam suā propter me saluam faciet eam*. Marci 8. vel, *viuificabit eam*, vt clariùs dicitur Lucæ 12. Verba item & expositiones Sanctorum amplissimæ sunt, & sæpe expressè extenduntur ad omnes hos effectus, vsus etiam & traditio Ecclesiæ, non solùm ostendit certitudinem in integra remissione pœnæ; sed etiam de ipsa iustificatione, & remissione culpæ. Tandem in paruulis declarat, martyrium habere vim dandi gratiam præter meritum operantis: quo ergo fundamento dicemus, hanc promissionem esse limitatam ad paruulos, & non extendi ad adultos?

Marci. 8. Lucæ, 12.

2. Pars conclusionis probatur.

Ex hac ergo parte sic demonstrata, necessariò sequitur altera conclusionis pars, nempe per martyrium dari gratiam homini attrito, si bona fides intercedat: quia si martyrium non semper requirit veram & realem contritionem, neque amorem Dei super omnia, vt gratiam conferat, & peccatum tollat: ergo aliquando potest hoc facere cum minori dispositione: sed seclusa contritione & amore nulla est melior dispositio, quàm vera attritio, excludens omne actuale peccatum & affectum peccati: ergo hæc aliquando sufficiet. Confirmatur primò, quia martyrium ex priuilegio habet promissionem gratiæ vltra meritum operantis, vt ostensum est: ergo semper dat illam non ponenti obicem: omne enim opus, quod habet virtutem dandi gratiam ex se, præter meritum operantis, semper dat illam, quando non ponitur obex, & ideò omnia sacramenta dant gratiam non ponentī obicem: sed qui est attritus, & alioqui habet bonam fidem, non ponit obicem, quia iam habet voluntatem sufficienter à peccato auersam, & ideò omnia sacramenta faciunt ex attrito contritum, interueniente bona fide: ergo idem faciet martyrium. Confirmatur secundò, quia baptismus sanguinis non est minùs efficax, quàm baptismus aquę vt suprà ex Cypriano referebamus: sed baptismus aquæ confert gratiam attrito: ergo idem poterit facere baptismus sanguinis. Vnde, sicut Cyprianus argumentatur, si baptismus sanguinis non potest hæretico prodesse, nec baptismum aquæ posse, ita nos possumus argumentari, si baptismus sanguinis non posset peccatori attrito prodesse; nec baptismum aquæ posse: & à contradictorio consequentis, si baptismus aquæ potest prodesse attrito multò magis baptismus sanguinis.

Cyprian. guinis, quod

Dixi, debere bonam fidem intercedere, quia, cùm dictum sit, per se esse necessariam contritionem, vt homo non peccet se præparando per solam attritionem, necesse est, vt ab illa obligatione aliqua ratione excusetur: non potest autem excusari propter impotentiam simpliciter, quia semper est in potestate hominis habere contritionem per diuinam gratiam: ergo oportet, vt excusetur propter ignorantiam probabilē iuris, aut facti, id est, quòd probabiliter existimet, eam dispositionem, quam habet, esse contritionem, cùm re vera non sit, aut quòd probabiliter existimet, se non teneri ad habendam meliorem dispositionem, vel saltem omnino non aduertat se ad hoc obligari.

Obiectio.

Sed obijcies similem rationem illi, qua nos conclusionem probauimus, nam baptismus aquæ non requirit hanc fidem, seu existimationem, vt conferat suum effectum: sed dat gratiam homini attrito, cognoscenti & aduertenti se tantùm esse attritum: ergo idem faciet baptismus sanguinis, cùm sit efficacior. Respondetur primò, esse differentiā in hoc, quòd baptismus sanguinis semper constituit hominem in mortis articulo, baptismus autem aquæ nō ita: si autem loquamur de homine, qui in mortis articulo baptizatur, probabile est teneri tunc ad habendam contritionem, non quia sit necessaria dispositio ad baptismum, sed quia est necessaria dispositio ad mortem, vel propter obligationem caritatis (vt dicebam) quia etiam non est res omnino indubitata & certa, baptismum facere ex attrito contritum, præsertim quando attritio est cognita, in negotio autē, ex quo pendet æterna salus, videtur homo teneri ad eligendum medium, quod sit omnino certum & securum secundùm catholicam fidem, saltem quantum in ipso est, vel certè oritur hæc obligatio per se ex præcepto contritionis, cuius obligatio non est omnino extincta in noua lege. Vnde saltem videtur obligare in articulo mortis, aut saltem tunc obligat præceptum diligendi Deum super omnia, vt latiùs dicetur infra in materia de pœnitentia. Secundò dici potest, esse differentiam inter baptismum sanguinis, & baptismum aquæ: nam baptismus aquæ est per se institutus ad delendum peccatum, & dandam primam gratiam, & ideò ex propria ratione non requirit contritionem ante suum effectum, vel ad vsum dignum talis sacramenti, at verò baptismus sanguinis, licèt excellentior sit, & efficacior, non tamen est ordinatus ad talem effectum, sed solùm est quidam excellens actus virtutis, cui ex diuina liberalitate adiūcta est promissio plurium effectuum gratiæ & gloriæ, præter id, quod ex condigno respondet merito operātis: hæc autem promissio non tollit obligationem conuenienti modo operandi talem actum, & se præparandi ad mortem, quæ in illo includitur; & ideò non est similis ratio de vtroque baptismo, neque cō tra efficaciam & dignitatem baptismi sanguinis, vt ex dictis constat.

Responsio. Quo differat baptismus aquæ, & sanguinis, quod attinet ad dispositionem prærequisitam.

Ex quo vlteriùs infero, iuxta hanc nostram sententiam consequenter dicendum esse, per martyrium semper conferri aliquam gratiam gratum facientem, vel eius augmentum, vltra id quod respondet merito patientis, quæ largo modo dici potest ex opere operato, quanquam hoc negare videtur Soto distinct. 3. artic. 11. prope finem, id tamen nobiscum affirmat Paludanus distin. 4. quæstion. 5. Et in primis, quòd martyrium, quando facit ex attrito contritum, id faciat ad modum operis operati, probatur, quia illa gratia non debebatur

Per martyriū semper cōfertur gratia gratum faciens vel eius augmentum, quasi ex opere operato. Paludanus.

batur dispositioni operantis; quia solùm contritio, vel dilectio Dei super omnia, quæ virtute illam includat, est per se sufficiens dispositio ad gratiam, de quo plura in conclusione sequente. Hinc ergo vlteriùs rectè colligitur, quòd, si homo accedit ad martyrium rectè dispositus & in gratia, vltra id, quod de condigno meretur, recipit augmentum aliquod gratiæ ex speciali priuilegio martyrij. Primò quidem, quia non est verisimile esse peioris conditionis eum, qui iustior est, & meliùs se ad martyrium disponit quàm qui se disponit per attritionem: sed ei, qui accedit cum imperfecta dispositione attritionis, datur gratia ex priuilegio: ergo multò magis dabitur ei, qui accedit cum perfecta dispositione contritionis. Quod optimè declarat & confirmat exemplum paruulorum, nam si inter Innocentes, verbi gratia, fuerunt aliqui nondum circuncisi, illis data est gratia ratione martyrij: ergo etiam illis, qui iam erant circuncisi, dati fuerunt, vt minimùm, totidem gradus gratiæ: quanuis his dati sint per modum augmenti, alijs verò per modum primæ gratiæ: quis enim dicat, illos priuatos esse fructu martyrij propter acceptam circuncisionem? Atque idem argumentum fieri potest de infante baptizato, qui propter Christum occiditur: idem ergo erit in adultis: nam est eadem, vel maior ratio. Eò vel maximè, quòd gratia martyrum, vt sic, quantum ex sensu Ecclesiæ & traditione colligi potest, est longè maior, quàm illa, quæ dari potest propter vnum actum contritionis: veneratur enim Ecclesia, vt egregiè sanctum, hominem nuper conuersum ad fidem, & statim absque alijs præcedentibus meritis suo sanguine baptizatum, indicans, maiorem esse illam gratiam, quæ martyrio respondet, quàm quæ posset per multa merita longo tempore comparari: ergo non est priuandus tanto gratiæ augmento, eò quòd ad martyrium accedat cum prima gratia remissa, per vnum actum cō tritionis comparata.

Et confirmatur, nam omnia alia media, per quæ homini attrito datur prima gratia, conferunt augmentum gratiæ homini contrito seu grato, vt constat de baptismo & confessione: ergo multo magis idē est dicendum de martyrio. Ratio autem à priori est, quia promissio facta martyrio non est specialiter facta in fauorem hominum peccatorum, neque in remedium peccati, sed facta est in fauorem operis excellentissimi, in quo diuina caritas maximè inter opera externa manifestatur: ergo hæc promissio non solùm ad homines iustos se extendit (& ideò, sicut eis remittit omnem venialem culpam, & reatum temporalis pœnæ; ita etiam quasi ex opere operato confert magnum cumulum gratiæ) verùm etiam propter ipsos iustos præcipuè ac principaliter facta est, quia eorum caritas est maior extenditur tamen etiam ad peccatores non ponentes obicem, quia promissio intelligitur absolutè facta ipsi operi propter excellentiam suam, est autem generalis lex, vt gratia, quæ datur ex vi alicuius operis, infallibiliter detur homini non ponenti obicem: ergo non solùm est magis consequens, dari per martyrium huiusmodi augmentum gratiæ homini iusto, si datur prima gratia homini attrito, sed etiam illud videtur per se certius, seu verisimilius: neque video nouam difficultatem, quæ contra hoc obijci possit, præter eas, quæ, referendo alias sententias, tactæ sunt.

Dico tertiò, Probabile est, quanuis per se sit necessaria formalis pœnitentia peccatorum ante baptismum sanguinis, tamen, si ex accidenti contingat, hominem excusari à culpa omissionis huiusmodi pœnitentiæ propter naturalem inaduertentiam, & obliuionem peccatorum, solam voluntatem moriēdi pro Christo esse sufficientem dispositionem ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam ex priuilegio martyrij. Hanc conclusionem non ponunt expressè antiqui doctores suprà citati pro nostra sententia, insinuant tamen, & præsertim D. Thomas, qui nullam aliam dispositionem requirit, nisi quòd homo pro Christo moriatur absq; actuali complacentia peccati, & multùm fauet Caietanus circa illam solutionem ad secūdum artic. 1. quæstion. 77. dicens, *Si quis iuit dormitum cum proposito dicendi mane mendatium officiosum, & interim dormiēs occideretur pro Christo, illius peccati plenissimā remissionem consequitur, quanuis per baptismum, illius remissionem non consequeretur*. Vbi de peccato quidem veniali loquitur, tamen videtur esse eadem ratio de mortali, si tamen debita proportio seruetur, scilicet, quòd non maneat virtualiter, sed tantùm habitualiter, propositum mortaliter peccandi, vt inferiùs magis explicabimus. In hoc etiam fauet Caietanus, quòd maiorem vim agnoscit in martyrio ad remittendam culpam, quàm in baptismo. Expressiùs hanc conclusionem docent Soto, & Vega locis suprà citatis. Duobus autem modis potest hæc conclusio fundari. Primò in ipsa rei natura. Et hunc modum videtur sequi Soto suprà, dum inquit. *Martyrium non supplere vicem baptismi ex opere operato, sed per modum meriti, neque in hoc differre à baptismo flaminis, sed in hoc solùm, quod non requirit formalem detestationem peccatorum, sed hūc solum actum, volo mortem pro Christo perpeti*. Vnde sic potest formari ratio ex eodem autore. Nam volitio mortis pro Christo, pro summa reputatur caritatis excellentia, iuxta illud Ioannis. 15. *Maiorem caritatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: sed, qui diligit Deum, diligitur à Deo: ergo illa voluntas moriendi pro Christo est sufficiens dispositio ad gratiam, & ad remissionē culpæ. Et cōfirmatur, ac declaratur, nam illa voluntas est virtualis dilectio Dei super omnia: ergo est etiam virtualis detestatio omnium peccatorum: ergo est ex se sufficiens dispositio. Consequentia probatur, nam, vt suppono ex dicendis infrà in materia de pœnitētia, licèt hi actus amoris & detestationis per se requirantur formaliter ad remissionem peccati, tamen interdū possunt sufficere virtualiter, interueniente ignorantia, vel inaduertentia. Primum autem antecedens probatur, quia huiusmodi homo propter Deum contemnit id, quod maximè diligit inter bona creata, scilicet, vitam: ergo opere ipso & implicitè diligit Deū plus, quàm alia bona: cùmque id faciat propter fidem & religionem, seu cultum Dei, totum cedit in gloriam eius: ergo meritò tale opus potest dici virtualis amor Dei, sicut qui beneficus est erga proximum, aut vult pati aliquid propter commodū eius, rectè dicitur amare proximum, sicut se ipsum. Et propter hanc etiam rationem, qui sic pro Christo moritur, non potest dici, omnino sine caritate tradere corpus suum, quia illud tradit ex quadam virtuali caritate actuali, per quam se disponit ad formalem caritatem habitualem consequendam. Atque hinc probata etiam relinquitur prior conse-

Probabile est voluntatem tantum martyrij ex accidēti sufficere ad obtinēdam gratiam, &c.

D. Thom.

Caiet.

Soto. Vega.

Vtrum volitio mortis pro Christo includat virtute dilectionem Dei super omnia, & detestationem peccatorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

consequentia, scilicet, quòd ille actus sit virtualis detestatio peccatorum: tum quia in dilectione super omnia includitur hæc virtualis detestatio, tum etiam, quia illa voluntas talis est, vt repugnet cum voluntate peccandi: atque ita sit quoddam virtuale odium peccati: nam, qui vitam perdit, ne Deum offendat, satis ostendit, odisse offensam Dei, quatenus talis est.

Veruntamen, quanuis hæc ratio sit accommoda ta ad explicandam congruentiam, quæ in tali opere & voluntate esse potuit, vt Deus illam acceptaret, tanquam sufficientem dispositionem ad condonandam culpam in ipso opere martyrij; non tamen est sufficiens hæc ratio, secluso omni priuilegio speciali. Primò, quia si illa voluntas ex natura sua esset sufficiens dispositio, per illam obtineret homo gratiam & remissionem peccati absque exterao opere martyrij: consequens autem est, & contra D. Thomam suprà, qui supponit hominem in statu peccati dormientem interfici pro Christo, quem constat, non priùs fuisse iustificatum per voluntatem martyrij, quam antea habuit, alioqui iam non esset dormiens in peccato: & contra ipsum Soto, qui non ausus est dicere, hunc solum actum, volo mortem pro Christo perpeti, esse sufficientem dispositionem, sed illum cum ipso exteriori opere sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum. Est etiam contra rationem. Quis enim credat, omnem hominem, qui de martyrio cogitat, & ad illud ex cor de afficitur, quantumque in se est, efficaciter proponit, in ille constanter se gerere, si eius occasio occurrat, aut etiam talem occasionem appetit & desiderat, hoc ipso statim iustificari, & quanuis multa mortalia peccata commiserit, statim omnium remissionem consequi, etiam si nullum alium actum caritatis, vel pœnitentiæ habeat. Sanè hoc non videtur probabile, nec consentaneum Scripturis postulantibus pœnitentiam seu dilectionem ad remissionem peccati, à quibus non potest fieri exceptio sine sufficiente fundamento in eadem Scriptura, vel traditione Patrum, aut manifesta ratione: hic autem nullum est tale fundamentum. Patres enim solent excipere martyrium ab huiusmodi regulis, illa autem voluntas non est martyrium, sed dici potest votum, vel desiderium martyrij, & Christus Dominus, non de voluntate, sed de opere ipso dixit. *Qui me confessus fuerit*, &c. *Qui tradiderit animam suam propter me*, & ita Sancti interpretantur hanc promissionem factam esse ipsi operi & morti propter specialem conformitatem ad Christum, vt in paruulis manifestius videre licet. Præterea ratio suprà facta est insufficiens: nam in rigore voluntas dandi vitam pro alio non est virtualis dilectio illius super omnia, tum quia non est necesse vitam corporalem diligi super omnia bona creata: multi enim plus amant honorem, vel perpetuam famam, vel patriam, aut alia bona similia, tum etiam quia, qui perdit vitam propter amicum & propter salutem spiritualem proximi, non amat proximum super omnia, quia non refert se, & omnia sua in ipsum, tanquam in vltimum finem, sic ergo posset quis perdere vitam propter Christum, non amando illum, vt vltimũ finem, vel formaliter, vel virtualiter, sed solùm vt obiectum, cui offert cultum, seu honorem. Et similiter modo non includitur in rigore in illa voluntate virtualis detestatio peccatorum omnium: nam potest homo ita odisse hæresim, vel infidelitatem, vt sit paratus ad dãdam vitam, ne in illam consentiat, & nihilominùs esse in actuali propositio furandi, vel committendi aliud simile peccatum: ergo signum est, illam voluntatem non excludere omnino affectum peccatij: non ergo continet virtuale odiũ omnis peccati.

Secundò, igitur, præter congruentiam adductam, fundanda est hæc conclusio in speciali priuilegio & promissione Christi facta martyrio: est enim absoluta & vniuersalis. *Quicunque perdiderit animam suam propter me, viuificabit eã* Lucæ. 12. aut, *saluum faciet eam*. Marci. 8. & eodem modo loquuntur Sancti, & fauet Ecclesiæ consuetudo, quæ, vt martyrem veneretur, nullum aliud experimentum aut pœnitentiam explorat, præter hoc, quòd pro Christo passus sit. Dices, hoc signo probaretur, martyrium conferre gratiam, etiam si inueniat hominem in actuali complacentia peccati: quia de hoc etiam nihil Ecclesia inquirit, vt martyrem veneretur. Quocirca ad illas generales promissiones seu locutiones facilè respondeti potest, intelligendas esse, si homo non ponat obicem peccati mortalis nunquam detestati, sicut explicantur in sacramentis, in quibus certior est hæc promissio. Respondetur, his & similibus rationibus rectè ostendi prædictam conclusionem non esse certam, sed satis dubiã quia re vera non potest hoc priuilegium cum tota hac amplitudine efficacibus argumentis ostendi. Non tamen excludit obiectio facta, quin coniecturæ adductæ probabiles sint: nam in primis non est par ratio de actuali peccato, & de actuali pœnitentia præcedentium peccatorum: non est enim verisimile, imò vix est moraliter possibile, vt is, qui patitur martyrium, tunc sit in actuali effectu peccati præsertim quando exterius nullum signum præbet talis affectus, neque aliquid facit, quod meritò possit malum iudicari; & ideò ipsum martyrium sic susceptum potest esse Ecclesiæ sufficiens indicium ac certum testimonium, quantum moraliter esse potest, quòd martyr non decesserit in actuali affectu peccati. At verò bene potest moraliter contingere, vt homo, qui patitur martyrium, totus occupetur in confessione fidei exhibendã, & tunc actu nõ aduertat ad præterita peccata, & eorum dolorem, & ideò solum martyrium non est sufficiens signum actualis & formalis pœnitentiæ, præsertim quando exterius neque voce, neque alio actu exhibetur ali quod signum talis pœnitentiæ, aut formalis conuersionis: ergo, cum Ecclesia contenta sit martyrio, non obstantibus præcedentibus peccatis, absque alio signo vel testimonio maioris pœnitentiæ, signum est, illam non esse simpliciter necessariã. Deinde, moraliter loquendo, ille homo non ponit obicem gratiæ, quia non est in actuali peccato, & illa voluntas coniuncta operi in tali articulo, meritò reputatur sufficiens ad tollendum hunc obicem: quia in primis est valde verisimile, quòd ille homo in eo articulo positus, si recordaretur peccatorum, statim detestaretur illa ex vi illius voluntatis, quã habet moriendi pro Christo, & similiter in eodem tempore & articulo eadem constantia cuitaret omne peccatum mortale; cùm iam actualiter voluntariè perdat vitam, ne Christum offendat. Denique non est dubium, quin potuerit Deus hanc voluntatem acceptare vt sufficientem dispositionem, cum ipso opere externo & reali confortmitate

mitate ad Christum: & aliundè constat, aliquod priuilegium concessisse taliopĕri, & in illo, cum voluntate sibi intrinseca, esse sufficiens morale fundamentum, vt ex priuilegio acceptetur tanquam sufficiens dispositio ad gratiam. Atque hæc videtur esse vera probabilitas huius sententiæ.

Malè ergo Soto totum hũc effectum tribuit meritò operantis, primò quidem, quia ostensum est, solam voluntatem ad hoc non sufficere sine opere externo: opus autem externum non auget meritum, quod est ex parte operantis, vt suppono: ergo. Secundò, quia, aut Soto loquitur de merito de condigno, aut de congruo, priori sensu loqui non potest iuxta sanam doctrinam: agimus enim de effectu primæ gratiæ, & de remissione peccati mortalis quoad culpam, certum est autem, neminem posse hæc sibi de condigno mereri, etiam per martyrium, quia omne meritum de condigno supponit personam gratam, & à peccato immunem, posteriori autem sensu, scilicet, quoad meritum de congruo, in primis pugnat illa sententia cum doctrina eiusdem autoris negantis huiusmodi meritum de congruo, vt ordine naturæ antecedens infusionẽ primæ gratiæ, & remissionem peccati. Deinde, licèt hoc meritum admittatur, in dispositione vltima, & perfecta, tamen in dispositione ex se imperfecta, quanuis lato modo possit admitti, tamen re vera non esset sufficiens, nisi adiungeretur promissio specialis, quam vocamus speciale priuilegium, cuius etiam signum est, quòd non est facta promissio soli interiori voluntati, sed operi etiam externo. Vnde fieri potest tertium argumentum, quia paruulis datur gratia ratione martyrij, & tamen in eis nullum potest fingi meritum: ergo etiam in adultis potest habere effectum suprà meritum operantis, sicut etiam eis remittitur totam pœnam, vltra personalem eorum satisfactionem.

Ad fundamenta primæ opinionis, ad primum ex testimonio Pauli, *si tradidero corpus meum*, &c. dicitur primò, ex Chrysostomo & Theophylacto, sermonem Pauli non esse absolutum, sed conditionalem: non enim affirmat, posse aliquem pro Christo mortem pati, & sine caritate manere, sed solùm ex hypothesi ait, si per possibile vel impossibile id accideret, talem mortem nihil prodesse, quod verissimum est, quia sine caritate nihil sumus, cum hoc tamen stat, vt nunquam talis mors pro Christo sit sine caritate, & ideò non sit infructifera. Secundo dicitur, Paulum nõ dicere, si tradiro corpus meũ propter Christum, sed absolutè, *si tradidero, caritatẽ autem non habuero*, ait autem D. Thomas ibi, tunc tradi corpus absque caritate, *quando vel cum tali operi deest voluntas precandi mortaliter, vel quando fit propter inanem gloriam*: significans, quando quis tradit vitam propter fidem, vel religionem, vel honorem Christi, licet id non faciat ex præsupposito habitu caritatis, neque ex formali & actuali Dei dilectione, non posse omnino dici id facere absque caritate, quia ipso opere aliquo modo exhibet dilectionem Christi, vt suprà tactum est. Vnde dicitur tertiò, duobus modis intelligi posse, aliquem tradere corpus suum absque caritate, vno modo, absque caritate antecedente, quæ sit aliquo modo causa operis, vel simpliciter, vel in esse meriti, vel consequente, ita vt ex tali opere non sequatur caritas in operante, neque illud antecedat. Rursus duobus etiam modis intelligi potest, tradere corpus absque caritate, nihil prodesse, scilicet, aut meritorie ex proprio merito operantis, vel nullo prorsus modo: tradere igitur corpus suum tali modo, qui nec sit ex caritate, neque habeat caritatem adiunctam, & qui sit cõsequentem opus ipsum, saltem in termino operis, est prorsus infructuosum, & inutile, & ita potest rectè Paulus intelligi, similiter tradere corpus suum absq; caritate, aliquo modo antecedẽte opus ipsum & operante vel dignificante illud, est infructuosum, quantum ad proprium meritum operantis, & ita etiam potest exponi Paulus, vt D. Thomas, & Caietanus ibi significant, & quoad hoc est eadem ratio de martyrio & de eleemosyna, & neuter sensus repugnat his, quæ hactenus diximus: at verò tradere corpus suum absque caritate antecedente, cum illa tamen consequente, seu in ipso opere comparata, non est omni modo inutile, sed valde vtile: quia non est omnino sine caritate, atque ita contingit in martyrio, de quo hactenus locuti sumus: nam, licèt caritatem non supponat, secum tamen illam trahit, & ideo multùm prodest. Vt si diceremus, si de peccatis doleam, eaque confitear, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, absolutè loquendo verissimè dictum est: quia eo modo, quo illam non habeo, illa actio mihi non prodest, vnde, si neque antecedentem, neque consequentem caritatem habeam, nihil omnino proderit illa confessio, si tamen non habeam caritatem antecedentem ipsam confessionem, tamen per confessionem illam obtineam, multùm proderit illa confessio, quia non omnino est sine caritate: sic ergo nos dicimus de martyrio, neque ex loco Pauli colligi potest, nunquam tale esse martyrium, quod, licèt ex caritate non procedat, secum tamen illam non afferat, nec D. Thomas huic doctrinæ vel expositioni repugnat, quam alijs locis tam apertè docuit, quod ergo ait, in baptismo sanguinis Spiritum sanctum operari per potissimum dilectionis actum, ideò dictum est, quia ipsum martyrium ex se videtur maximum opus, quod potest caritas imperare; propter quam causam, inter alias, Spiritus sanctus voluit in eo opere specialiter operari, & gratiam, atque indulgentiam concedere. Et similiter, quod ait, baptismum sanguinis includere baptismum flaminis, intelligendum est ratione caritatis habitualis, quam secum affert, & ratione formalis, aut virtualis propositi implendi omnia præcepta, quod includitur in attritione præsertim informata caritate.

Ad secundum argumentum respondetur, in hoc esse posse aliquam conuenientiam inter baptismum aquæ & sanguinis, quòd in vtroque dari potest gratia Spiritus sancti vltra meritum operantis, neque hoc vnquam negauit D. Thomas; possunt tamen in hoc differre, quòd in baptismo aquæ non solùm datur gratia, sed etiam ipsemet baptismus operatur illam, & ideò dicitur operari per virtutẽ latentem Spiritus sancti; in martyrio verò, licèt detur gratia, non oportet, vt ipsa passio illam efficiat: quia non est ad hoc instituta, nec ibi operatur homo vt minister Dei, & ideò non dicetur opus illud operari per virtutem latentem Spiritus sancti, sed solùm dicetur ibi Spiritus sanctus operari ex speciali priuilegio.

Vnde ad tertium respondetur, esse posse quæstionem de nomine, an sit dicendum martyrium dare gratiam ex opere operato; nam, si per hanc loquẽ-

D. Thom. Caiet.

Ad secundũ.

Ad tertium

Universidad de Deusto Biblioteca

loquendi formam intelligatur, opus ipsum martyrij conferre gratiam, tanquam propriam & per se causam illius, sic non est necesse, id concedere, si autem solùm significetur, posito illo opere, Spiritum sanctum dare specialem gratiam absque merito, vel vltra meritum patientis, sic nullum est inconueniēs id concedere. Ad primam autem probationem in contrarium negatur, inde sequi martyrium esse sacramentum, quanuis id malè concedat Maior in 4. distinct. 4. quæst. 3. nam ad rationem sacramēti nō satis est, quòd sit opus externum, in quo detur gratia, sed in primis oportet vt sit ceremonia sacra, vt suprà dictum est, deinde oportet, vt sit instituta ad significandum: neutrum autem horum conuenit martyrio, quod ex parte tyrāni est actio praua, præter Dei ordinationem & institutionem, sed solùm ex permissione, ex parte autem martyris tantùm est quidam actus virtutis, cui Deus voluit hunc effectum & priuilegium concedere. Ad secundam verò rationem, in qua petitur, quādo inceperit hoc priuilegium martyrij, videri quidem potest incepisse à Christi aduentu, nam sancti illud fundant in eius verbis, & promissione, & in cōformitate ad mortem eius, quæ ante propriè non erat. Ac denique quia ante Christi aduentum non dabatur gratia ad modum operis operati, nisi in sacramento paruulorum, veluti ob necessitatem extremam. In contrarium autem sunt argumenta non parua. Primum de martyrio Innocentum, quod habuit hunc effectum ante Christi mortē, & ante verba & promissionem eius, & ideò non refert, quòd non fuerit ante Incarnationem: quia Incarnatio nō potuit esse initiū huius priuilegij, nisi media aliqua actione vel promissione Christi, quæ nondùm tunc præcesserat: signum ergo est, non fuisse tunc inchoatū hoc priuilegium. Secundum argumentum sumi potest ex martyrio Machabæorum, & alijs antiquioribus, quæ non minùs exaggerantur à sanctis vt videlicet in Cypriano libr. de exhortatione martyrij. cap. 11. & Gregorio Nazianzeno oratione 22. quæ est de Machabæis, *Quos*, dicit, *fuisse Christi passionis conformes, & in fide illius consecutos esse iustitiam, & effectos niue candidiores*, quo verbo significat remissionem totius culpæ & pœnæ. Vnde Tertullianus in Scorpiaco capit. 8. *Habes*, inquit, *hic & prædicationem, & remunerationem martyrij*. Videtur ergo hæc pars consentanea sanctis Patribus. Prætereà videtur consentanea diuinæ prouidentiæ: nam hoc priuilegium non est concessum martyrio per modum sacramenti, sed per modum excellentissimi actus virtutis, & propter maximam cum Christo conformitatem: quæ duæ rationes semper repertæ sunt in martyrio: nam etiam ante Christi aduentum erat maximum opus, & quodammodò magis laudabile, tum quia eo tempore erant pauciora exempla tantæ fortitudinis, tum etiam, quia erat fides obscurior, & minor diuinæ gratiæ communicatio: erat etiam conformitas cum Christo fide credito, & præsertim apud Deum, cui omnia sunt præsentia. Est ergo hæc sententia & pia & probabilis, quanuis nihil temerè asserendum sit, cùm antiqui nihil de hac re clarè docuerint: illa tamen differentia indubitata est, quòd martyrium ante Christi mortem non aperiebat ianuam regni, sicut nunc aperit, quia nec poterat totius naturæ impedimentum auferre, nec supponebat ablatum, sicut nunc est per Christi mortem.

Maior.

Quo tēpore martyrij priuilegium cœperit.

Cyprianus.
Greg. Naz.

Tertull.

In tertia parte illius argumenti petitur, quo tempore vel momento detur gratia homini non habenti illam, & patienti martyrium. Quæ difficultas nō tātùm procedit circa ea, quæ hîc dicta sunt, sed etiā circa ea, quæ in sectione prima diximus, nam eadē difficultas locum habet in martyrio Innocentum. Primus ergo dicendi modus esse potest, dari gratiā in instanti mortis, quod est primum non esse hominis, quia tunc martyrium consummatur. Huic sententiæ fauet Caiet. 2. 2. q. 124. ar. 4. circa solutionē ad quartum vbi concedit, martyrem mereri in illo instanti, in quo primò non est: nam si hoc est verū, necesse est, fateri illud instans intrinsecè pertinere ad viam, saltem tanquam terminum eius, quia homo mereri non potest nisi in via, ergo eadem ratione potuit in illo instante iustificari, etiam si priùs gratiam non habuerit, si in eo instanti consummetur medium sufficiens ad iustitiam, quale est martyrium, sicut alij id ipsum concedūt in baptismo aquę si contingat in eodem instanti consummari, vt Almainus tractatu secundo moralium. cap. 2. Hæc verò sententia mihi non placet, quia non est consentanea alijs principijs Theologiæ, vt suprà tetigi tractando de sacramentis in genere. Et prætereà, quia falsum est, illud instans pertinere intrinsecè ad statum viæ, si in illo iam anima non est vnita corpori, quia si tunc nullum habet impedimentum, vt contingit in martyre, statim in eodem instanti videt Deum, ergo non habet fidem, ergo non est in via, quia solùm, *quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus*. Si autem in eo instanti iam anima non est in via, non potest in ea mutari status, quem immediatè antea habuit in corpore, quia talis status viæ datus est ad gratiam comparandam. *Vbi autem ceciderit lignum, ibi erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem*. Est ergo parum consentaneum principijs fidei, dicere, posse hominem, qui in toto tempore huius vitæ durauit in statu peccati mortalis, saluari in primo sui non esse, aut eum, qui nunquam habuit fidem in hac vita neque actualem, neque habitualem, posse in instanti mortis incipere Deum videre, quod saltem de infantibus, qui nunc martyrio afficiuntur, necessariò fatendum esset. Vnde ad Caietanum, negatur instans mortis esse sufficiens ad meritum martyris, si in illo instanti iam non est, quia nullum est meritum in pura cretura, nisi fundatum in fide, tunc autem iam non est fides. Item quia in illo instanti iam non potest esse demeritum, ex vi status: neque enim fieri potest, vt in eo instanti aliquis perdat gratiam, quam immediatè antea habebat, status autem merendi non plus durat, quàm status demerendi. Ad Almainum verò dicitur, eius sententiam esse falsam, de qua satis dictum est suprà de sacramentis in genere. Secundus modus dicendi esse potest, dari gratiam martyri in instanti mortis, tamen illud non esse primum non esse hominis sed vltimum esse illius. Quæ sententia est quidem accommodata ad saluanda omnia principia Theologiæ, quia iuxta illam anima in eo instanti adhuc est corpori mortali vnita, adhuc ergo est in via, & nondum est capax visionis, sed fidei, & ideò rectè potest tum denuo iustificari: ergo, cùm martyriū tunc consummetur, verisimile est tunc habere effectum. Verùm hæc sententia supponit principium philosophicum paucis probatum, nam ferè omnes sentiunt, res permanentes desinere per pri-

Quo tempore, vel instanti martyri[j] gratiam [tri]buat.

1. Sententia. Caietanus.

Almainus. Reijcitur hæc sententia.

2. Sententia.

primum non esse, quod modo disputandum nō est neque negandum, ad tuendam sententiam Theologicam, quam defendimus, nam quomodocunq; homo desinat esse, potuit Deus hanc gratiam concedere martyribus, adhuc in corpore viuentibus. Data ergo hypothesi, quòd homo desinat per primum non esse, dicendum est, dari gratiam martyri, in aliquo priori instāti, inter quod, & instās mortis necesse est, vt aliquod breue tēpus intercedat. Nec refert, quòd in eo instanti nondum sit vita cōsummata, nā satis est, quod per vulnera lætalia, aut aliud genus passionis, iam sit homo in eo statu constitutus, in quo iam est mors naturaliter ineuitabilis, nam tunc iam apud Deum est completum, & acceptum martyrium, & hanc sentētiam sequitur Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 37. neq; videtur difficultatem habere alicuius momēti. Nisi quis fortasse dicat, in quocunq; tempore huius vitæ posse hominem peccare, ergo posset martyr in eo breui tempore peccare & gratiā perdere, & ita damnari post obtentam gratiam martyrij, quod videtur valde alienum à sensu omnium Patrum. Respondetur tamen simpliciter negando sequelam, primò quidem quia licèt homo possit peccare in hac vita, quandiu potest vti ratione, & libero arbitrio, verisimile tamen est, seclusis miraculis, semper esse aliquod breue tēpus ante mortem, in quo iam ita est homo viribus corporis destitutus, aut sensibus impeditus, vt iam non possit ratione, aut libertate vti, ex hac igitur parte fieri potest, vt iam martyr peccare non possit, quando illi gratia confertur. Secundò, quia etiam si homo posset vti ratione, & libertate vsque ad instans mortis, verisimile est, per gratiam martyrij in eadem gratia confirmari, ita vt vel peccare nō possit, vel infallibiliter ampliùs non peccet, quod perinde est, quantum spectat ad effectum gloriæ consequendæ. Dices ergo, si talis homo aliqua via mortem euaderet, maneret confirmatus in gratia toto tempore vitæ. Respondetur, casum esse naturaliter impossibilē, quia supponimus, gratiam non dari, donec mors est naturaliter ineuitabilis. Si autem miraculosè Deus vellet hominem conseruare, postquàm ad illum statum peruenit, dici potest, tūc non dari illi homini effectum martyrij, quia Deus præuidet, non fore martyrium in illo homine consummandum. Quod tamen mihi non admodùm placet tum quia non est mihi verisimile, Deum priuare hominem effectu gratiæ suæ propter miraculū, quod in eo vult operari, tum etiam, quia non est, cur dicamus de ratione martyrij esse, vt mors nullo modo impediatur, & non satis esse, pati vsque ad mortem naturaliter ineuitabilem, nā per huiusmodi passionem æquale testimonium fidei redditur, quòd si miraculum intercedat, adauget testimonium, non minui. Virtutes etiam fidei, fortitudinis, & aliæ æqualiter exercentur. Concedo ergo, tunc etiam dari gratiam homini ratione illius passionis, & cōfirmari in illa, saltem pro ea occasione, aut pro eo tempore, quo naturaliter posset viuere. An verò pro reliquo vitæ tempore maneret etiam in gratia cōfirmatus, incerta res est, nam cùm hoc sit præter legem, non videtur comprehensum sub communi priuilegio martyrij: nihilominùs tamen piè credi potest, nunquam Deum esse miraculosè liberaturū martyrem ab huiusmodi morte, quin illum in gratia confirmet, quia & hoc donum est valde consentaneum dignitati martyrij, & quia, cùm Deus tūc

Sententia tuenda.

Vega.

miraculosè reuocet (vt sic dicam) illum hominem à paradisi ianua, illumque detineat, ne beatitudinem accipiat, quam statim esset infallibiliter consecuturus, valde consentaneum est prouidentiæ eius, vt eum confirmet in acquisito iure beatitudinis.

Ad argumenta facta in fauorem secundæ sententiæ primo modo explicatæ, ferè responsum est ex dictis, nam martyrium non est per se medium ordinatum ad tollenda peccata, & ideò non excludit per se loquendo necessitatem baptismi & Pœnitentiæ, neq; hæc obligatio est admodùm difficilis, aut impediens affectum martyrij, nam si peccata memoriæ occurrant, eorum detestatio potiùs præbebit animum ad mortem constantiùs, & alacriùs obeundam. Quomodò autem sola voluntas martyrij per se non sufficiat, nec satis contineat Dei amorem & detestationem peccatorum, iam ostensum est. Ad ea verò, quæ in secundo membro illius sentētiæ adducebantur, respondetur, quod ad attritionem attinet, non esse eandem rationem de baptismo aquæ & sanguinis, nō quia hic sit minùs efficax, sed quia non est per se ordinatus ad remissionem culpæ, sicut ille: & ideò etiam per se non excludit necessitatem contritionis. Reliqua, quæ in ea sententia adducta sunt, non sunt contraria his, quæ diximus, de tertia verò sententia iam dictum est, esse probabilem, tamen quia contrariam etiam probabiliter sustinuimus, quoad eum casum, in quo est voluntas patiendi martyrium absque vlla alia dispositione. Respondetur, quoad hoc non esse eandem rationē de baptismo aquæ, tū quia voluntas baptismi aquæ non est tam insigne opus, sicut martyrium, neque ita continet aliquo modo amorem Dei & auersionem voluntatis à bono creato, tum etiam, quia, licèt baptismus aquæ sit ordinarium remedium, baptismus autem sanguinis est excellentior, & maiora habet priuilegia, vt fusè satis declaratum est.

Ad argumēta pro secūda sententia.

QVÆSTIO LXX.

De Circuncisione, quæ præcessit batismum, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de præparatorijs ad baptismum. Et primo de præparatorio, quod præcessit baptismum, idest, de Circuncisione. Secundo, de præparatorijs, quæ concurrunt simul cum baptismo, scilicet de catechismo & exorcismo.

¶ *Circa primum quæruntur quatuor.*

Primo, vtrùm Circuncisio fuerit præparatoria & figuratiua baptismi.
Secundo, de institutione ipsius.
Tertio, de ritu eius.
Quarto, de effectu ipsius.

Hanc

Universidad de Deusto Biblioteca

HAnc quæſtionem interpoſuit hoc loco D. Thom. occaſione ſumpta ex analogia, quæ eſt inter circuncisionem & baptiſmum, & quia, ſicut lex vetus præparauit homines ad legem gratiæ per Chriſtum dandam: ita circuncisio, quæ fuit profeſsio legis veteris, fuit præparatio quædam ad baptiſmum, in quo fit legis gratiæ profeſsio. Nobis autem in ſuperioribus neceſſarium fuit multa de circuncisione dicere, dum explicaremus inſtitutionem veterum ſacramentorum, atque eorum efficaciam, & in ſuperiori tomo diſputatione. 15. circa quæſt. 37. D. Thomæ, tractando de circuncisione Chriſti, nonnulla de hoc ſacramento attigimus, quæ omnia hoc loco repetenda non ſunt, & ideò neceſſarium non erit ſpecialem de circuncisione diſputationem inſtituere: nam, ſi quid occurrerit addendum, in Commentarijs articulorum breuiter poterit adnotari.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Circuncisio fuerit præparatoria & figuratiua baptiſmi.

Sup. q. 68. ar. 1. ad 1. & 1. 2. q. 102. art. 5. cor. ad 1. & 3. & 4. d. 1. q. 2. artic. 1. q. 1. co. & d. 2. q. 1. ar. 2. ad 5. & Ro. 2. le. 2. co. & le. 4. co. 4.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod circuncisio non fuerit præparatoria & figuratiua baptiſmi. Omnis enim figura habet aliquam ſimilitudinem cum ſuo figurato. Sed circūcisio nullam habet ſimilitudinem cum baptiſmo. Ergo videtur, quod non fuerit præparatoria & figuratiua baptiſmi.

¶ 2 Præterea, Apoſtolus dicit, 1. Corin. 10. de antiquis Patribus loquens, quòd omnes in nube & in mari baptizati ſunt. Non autem dicit, quòd in circuncisione baptizati ſint. Ergo protectio colūnæ nubis, & tranſitus maris rubri, magis fuerunt præparatoria ad baptiſmum & figuratiua ipſius, quàm circuncisio.

Quæſt. 37. ar. 1. 2. & 3.

¶ 3 Præterea, Suprà dictum eſt, quòd baptiſmus Ioannis fuit præparatorius ad Baptiſmum Chriſti. Si ergo etiam circuncisio fuit præparatoria & figuratiua baptiſmi Chriſti, videtur, quòd baptiſmus Ioānis fuerit ſuperfluus, quod eſt inconueniens. Non ergo circuncisio fuit præparatoria & figuratiua baptiſmi.

SED contra eſt, quod Apoſt. dicit Coloſ. 2. Circuncisi eſtis circuncisione nō manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed circuncisione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo.

RESPONDEO dicendum, quod baptiſmus dicitur ſacramentum fidei, in quantum ſcilicet in baptiſmo fit quædā fidei profeſsio, & per baptiſmum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem eſt fides noſtra & antiquorum Patrum, ſecundū illud Apoſt. 2. Corinth. 4. Habentes eundē

A Spiritum fidei, credimus: Circūcisio autem erat quædam proteſtatio fidei. Vnde dicitur Roman. 4. quod Abraham accepit circūcisionem, tanquam ſignaculum fidei: Vnde & per circuncisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Vnde manifeſtum eſt quod circuncisio fuit præparatoria ad baptiſmum & præfiguratiua ipſius, ſecundū quod antiquis Patribus omnia in figuram futuri contingebant (vt dicitur 1. Corint. 10.) ſicut & fides eorum erat de futuro.

AD primum ergo dicendum, quod circūcisio habebat ſimilitudinem cum baptiſmo, quantum ad ſpiritualem effectum baptiſmi. Nam ſicut per circuncisionem auferebatur B quædam carnalis pellicula, ita per baptiſmū homo expoliatur à carnali conuerſatione.

AD ſecundum dicēdum, quod protectio columnæ nubis, & tranſitus maris rubri, fuerunt quædam figuræ noſtri baptiſmi, quo renaſcimur ex aqua figurata per mare rubrū, & Spiritu ſancto ſignificato per columnam nubis. Nō tamen per hæc fiebat aliqua profeſsio fidei, ſicut per circūcisionem. Et ideo prædicta duo, erant tantùm figuræ, & non ſacramenta. (In iſta ſol. Ind. & in argum.) Circuncisio autem erat etiam ſacramētum præparatorium ad baptiſmum, minùs tamen expreſſe figurans baptiſmum quantum ad exteriora, quàm prædicta. Et ideo Apoſtolus potius fecit mentionem de C prædictis, quam de circuncisione.

AD tertium dicendum, quod baptiſmus Ioannis fuit præparatorius ad baptiſmum Chriſti, quantum ad exercitiū actus. Sed circuncisio quantum ad profeſsionē fidei, quæ requiritur in baptiſmo, ſicut dictum eſt.

COMMENTARIVS.

REſpondet D. Thomas, circuncisionem fuiſſe figuram baptiſmi, quā veritatem tam certam exiſtimauit eſſe Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium, cap. 31. vt cum hæreticis loquens dicat, *Circuncisionem certè præputij in figura futuri baptiſmi Chriſti ab antiquis obſeruatam eſſe, negare, vt arbitror, non audetis*. D Et. 6. contra Iulianum. cap. 3. *Sacramentum*, inquit, *circuncisionis in figura præceſsiſſe baptiſmatis, quis, vel mediocriter ſacris literis eruditus ignoret? cùm apertiſsimè de Chriſto dicat Apoſtolus, Qui eſt caput omnis principatus, in quo & circuncisi eſtis circunciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circuncisione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo*. In quibus verbis apertè Paulus baptiſmum vocat, circuncisionem Chriſti: nomine figuræ appellans rem figuratam. Quo teſtimonio vtitur D. Thomas hic in argumento, Sed contra: in corpore autem articuli id probat D. Thomas ex analogia inter vtrumq; ſacramentū, & vtriuſq; munera: nam ſicut circūcisio erat ſuo tempore profeſsio fidei, ita nunc eſt baptiſmus, & ſicut circuncisio erat quoddam ſignaculum fidei, quo ſignabantur homines, quia ad ſpecialem illam congregationem fidelium pertinebant, ita

A ita nunc per baptiſmum aggregatur homo cōgregationi fidelium. Et in ſolutione ad 1. addit, fuiſſe ſimilitudinem inter exteriorem, ſeu carnalē effectum circuncisionis, & interiorem ac ſpiritualē effectum baptiſmi: nam ſicut per circuncisionē auferebatur quædam corporis particula; ita per baptiſmum homo à carnali conuerſatione, quod ſatis ſignificauit Paulus in loco citato ad Coloſſ. & ad Rom. 4. vbi circūcisionē vocat, ſignaculū iuſtitiæ. Quomodo dixit Irenæus lib. 4. cont. hæreſes, c. 30. *Secundū carnē circūcisio circuncisionem præfigurabat ſpiritualem*; & Auguſt. lib. 6. contra Fauſt. ca. 3. (Auguſt.) *In quo*, inquit, *membro congruentius expoliatio carnalis & mortalis cōcupiſcupiſcentiæ figuratur, quàm vnde carnalis, & mortalis fœtus exoritur?* Vnde tandem in ſolutionibus aliorum argumentorum concludit, in exteriori ſigno & exercitio actus externi, tranſitū maris rubri, & alias ſimiles figuras potuiſſe eſſe ſimiliores baptiſmo Chriſti, & baptiſmum Ioannis B modo fuiſſe proinquiorem præparationem ad baptiſmum Chriſti, tamen in effectu & in vſu, quoad profeſsionem fidei, & aggregationem fidelium, circuncisionem fuiſſe potiſsimā figuram, & ſacramentum præparatorium ad baptiſmum. Dices, ex his omnibus ad ſummū colligi, inter, hæc ſacramenta eſſe analogiam & proportionē quandam; non verò, quod vnum ſit inſtitutum ad præfigurandum ſeu adumbrādum aliud. Sic enim etiam Auguſtinus Epiſt. 57. & 203. dicit, (Auguſt.) *Circuncisionem fuiſſe antiquis Sanctis pro baptiſmo*: quod dici etiam poſſet de ſacramento legis naturæ, quāuis nō eſſet ſpecialis figura baptiſmi. Reſpōdetur, in omni ſigno ad placitum ſignificante, & prudenter impoſito, reperiri aliquam analogiam, ſeu proportionem, cōtinentem imperfectam quandam repræſen C tationem, quaſi naturalē, quæ eſt aliquo modo fundamentum talis impoſitionis, & hanc fatemur reperiri aliquo modo inter circūcisionem, & effectū baptiſmi; quomodo dixit Damaſcenus lib. 4. c. 26. (Damaſc.) *Circuncisio baptiſmi figura erat; quemadmodum enim circuncisio non vtile aliquod ac neceſſarium corporis membrum, ſed ſuperuacaneum excrementum abſcindit: ita per ſanctum baptiſma peccatum nobis amputatur, quod cupiditatis excrementum eſt, non vtilis cupiditas.* Et ſimilia habet Chryſoſtomus homilia 39. in Geneſim, circa finē; (Chryſoſt.) nec diſsimile eſt, quod ait Auguſtinus 16. de Ciuitate, cap. 6. *Quid aliud circuncisio ſignificat, quā vetuſtate exuta naturam renouatā?* Et 16. contra Fauſtum, cap. 29. *Quid ſignificat circuncisio carnis, niſi ſpoliationem mortalitatis, quàm de carnali generatione portamus?* Quod idem ferè eſt cum eo, quod Paulus de D baptiſmo docet ad Rom. 6. (Paul. Rom. 6.) *Conſepulti enim ſumus cū illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Præter hoc tamen negandum non eſt; quin ſpeciali Dei inſtitutione & intentione fuerit circuncisio impoſita ad præfigurandum baptiſmum, & effectum eius; & expoliationem carnalium concupiſcentiarum per Chriſtum dandam, vt ait Auguſtinus 1. contra literas Petiliani cap. 37. (Auguſt.) & præfiguranda alia multa, de quibus Patres citati copioſè diſſerunt. Et idem Auguſt. Epiſt. 200. & lib. 3. contra Iulianum cap. 19. & Theodoret. quæſt. 67. in Geneſim; (Theodoret.) quam veritatem tandem confirmat Diuus Thomas in articulo ex illa generali doctrina Pauli 1. ad Corinth. 10. (Paul. ad Corint. 10.) *Omnia in figura contingebant illis.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm circuncisio fuerit conuenienter inſtituta.

AD ſecundū ſic proceditur. Videtur, quòd circūcisio fuerit inconueniēter inſtituta. Sicut enim dictum eſt *, in circūcisione fiebat quædam fidei profeſsio. Sed à peccato primi hominis nullus vnquam ſaluari potuit, niſi per fidem paſsionis Chriſti, ſecūdùm illud Rom. 3. Quē propoſuit Deus propitiatorē per fidē in ſanguine ipſius. Ergo ſtatim poſt peccatū primi hominis, circūcisio inſtitui debuit, & nō tēpore Abrahę.

1. 2. q. 102. art. 5. ad 1. & q. 103. ar. 1. ad. 3. & 4. d. 1. art. 2. q. 4. co. & q. 2. ar. 1. q. 3. per totum. Art. præc.

B ¶ 2. Præterea, In circuncisione homo profitebatur obſeruantiam veteris legis, ſicut in baptiſmo profitetur obſeruantiam nouæ legis. Vnde Apoſt. dicit, Galat. 5. Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniā debitor eſt vniuerſæ legis faciēdæ; ſed legalis obſeruantia non eſt tradita tempore Abrahæ, ſed magis tempore Moyſi. Ergo incōuenienter inſtituta eſt circuncisio tēpore Abrahæ.

¶ 3. Præterea, Circuncisio fuit figuratiua & præparatiua baptiſmi. Sed baptiſmus exhibetur omnibus populis, ſecundùm illud Matth. vlti. Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Ergo circūcisio nō debuit inſtitui, vt obſeruanda tantùm ab vno C populo Iudæorum, ſed ab omnibus populis.

¶ 4. Præterea, Carnalis circuncisio debet reſpondere ſpirituali, ſicut figura figurato. Sed ſpiritualis circuncisio, quę fit per Chriſtum, indifferenter conuenit vtrique ſexui, quia in Chriſto IESV nō eſt maſculus, neque fœmina, vt dicitur Coloſſ. 3. Ergo incōuenienter eſt circuncisio inſtituta, quæ competit ſolis maribus.

SED contra eſt, quòd, ſicut legitur Geneſ. 17. circuncisio eſt inſtituta à Deo, cuius perfecta ſunt opera.

RESPONDEO dicendum, quod (ſicut dictum eſt *) circuncisio erat præparato- (Art. præced.) D ria ad baptiſmum, in quantum erat quædam profeſsio fidei Chriſti, quā etiā nos in baptiſmo profitemur. Inter antiquos autem Patres primus Abraham promiſsionem accepit de Chriſto naſcituro, cùm dictum eſt ei, Geneſ. 22. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ipſe etiā primus ſe à ſocietate infidelium ſegregauit, ſecūdùm mādatum Dei dicentis ſibi, Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Et ideò conuenienter circuncisio fuit inſtituta in Abraham.

AD primum ergo dicendum, quòd immediatè poſt peccatum primi parētis, propter doctrinam ipſius Adæ (qui plenè inſtructus

fuerat de diuinis, adhuc fides & ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quòd non oportebat determinari hominib⁹ aliqua signa fidei & salutis, sed vnusquisq; pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tẽpus Abrahæ, diminuta erat fides, plurimis ad idololatriã declinantibus, obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiæ, vsque ad peccatum contra naturam. Et ideò conuenienter tunc, & nõ ante, fuit instituta circũcisio ad profitendum fidem, & ad minuendum carnalem concupiscentiam.

AD secundum dicendũ, quòd legalis obseruantia tradi non debuit, nisi populo iam congregato, quia lex ordinatur ad bonũ publicum, vt in secunda parte dictũ est *. Populus autem fidelium cõgregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc, quòd homines in quacunque religione adunentur, sicut August. * dicit contra Faustũ. Et ideo oportuit prius institui circuncisionẽ, quàm lex daretur. Illi autem Patres, qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus diuinis, per modum paternæ admonitionis. Vnde & Dominus dicit de Abraham; Scio, quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiat viam Domini.

1.2.q.90.artic.2.

Lib. 19. cap. 11. in fi. to. 6.

AD tertium dicendum, quòd baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, secũdum illud 1. Timoth. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri. Et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circuncisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam vt fiendam per Christum, qui erat ex Iudæorum populo nasciturus. Et ideo illi soli populo data est circuncisio.

AD quartum dicendum, quod circuncisio instituta est vt signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi, & ideo conueniẽter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circũcisio ordinabatur, à patre trahitur, non à matre, vt in secunda parte dictum est †. Sed baptismus continet virtutem Christi, qui est vniuersalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum.

1.2.q.81.artic.5.ad 2.& art.10.ad 2.

COMMENTARIVS.

QVanuis titulum huius articuli D. Thomas indefinite proponat, tamen præcipuus sensus eius est, tractare de conuenientia huius institutionis, quantum ad circunstantiam temporis, & personarum, quibus circuncisio data est, vt ex discursu articuli constat.

Duæ igitur quæstiones hîc à D. Thoma tractan-
A tur. Prima est, an circuncisio fuerit conueniente tẽpore data; & respondet duabus assertionibus. Prima est, conuenienter fuisse dilatam circũcisionem vsq; ad Abraham. Hanc probat primò D. Thomas in corpore articuli, quia Abrahã primus inter antiquos Patres promissionem accepit de Christo nasciturо. Secũdò, quia primus se à congregatione infidelium segregauit; sed hæ rationes partim videntur falsum assumere; partim petere principiũ. Primum patet, quia prius facta est Christi promissio ipsi Adamo, & fortasse alijs ex Patriarchis, Abraham antiquioribus: qui expressam de Christo fidẽ habuerunt, vt verbi gratia, Melchisedech, qui fuit, vt creditur, ex progenitoribus Abrahæ. Similiter Adam, quãdiu vixit, satis fuit ab infidelibus segregatus, quòd si fortasse eo tempore nulli erãt infideles, illud est extrinsecum & accidentarium; idemq; ar-
B gumetum fieri potest de Noë, & alijs. Secũdò, esto verum sit, quod D. Thom. assumit; adhuc superest quæstio, cur illæ duæ cõditiones requisitæ fuerint tanquam conueniens, vel necessaria dispositio in eo, cui danda erat circuncisio. Ac tandem, si necessariæ fuerunt, cur ante Abrahamum non vocauit Deus aliquem ex antiquis Patribus, cumq; ab infidelibus segregauit, & filium suum ei promisit, vt circuncisionis fœdus cum illo posset inire. Respondetur, hanc quæstionem supponere resolutionem alterius, cur scilicet fuerit conueniens tanto tẽpore incarnationem Verbi differri: cùm enim circuncisio, sicut & tota lex vetus, ordinata fuerit ad præparandum Christi aduentum, vt constat ex Paulo ad Gala. 3. 4. & 5. eo modo oportuit, circuncisionem, quo & incarnationẽ, differri proportione seruata: fuit autem dilata incarnatio, vt homines pau-
C latim ad Christum suscipiendum disponerentur, priusq; suæ naturæ infirmitatem agnoscerent, vt postea bonum gratiæ, vt par est, æstimarẽt: hac ergo de causa fuit conueniens, homines priùs relinqui in sola naturæ lege, cũ cõmunibus gratiæ auxilijs, vt suæ naturę vires experirẽtur, & ideò tũc nõ receperunt à Deo determinata signa aut ceremonias, quibus fidem suam protestarẽtur, quibus etiã tunc non admodũ indigebant: quia fides eo tẽpore magis vigebat per recentem traditionẽ, quæ ab Adamo manauerat, vt hic dicit D. Thom. in solutione ad 1. Et propterea etiã non oportuit ea ætate segregari aliquem populũ, qui proprijs ritibus à Deo præscriptis ipsum coleret; quia priùs debuerunt homines cõmitti suo arbitrio, & permitti in ignorantias & infidelitatem labi, vt gratia Dei, & incarnationis beneficium magis elucesceret. Post-
D quàm verò satis erat genus humanũ multiplicatũ, ac sufficienti tempore infirmitatem suam expertũ; ita vt pene totũ esset idololatrię, & alijs vitijs deditum; oportuit, quasi renouari in mundo fidẽ Dei & Christi mediatoris, tũ ne successu tẽporis prorsus extingueretur; tũ maximè, vt prepararẽtur homines ad Christum suscipiendũ, præsertim illi, ex quibus carnem erat assumpturus; & ideò etiã conueniens fuit, segregari quendam populũ, & cultui diuino specialiter dicari, vt & vera religio melius in eo cõseruaretur, & Christus ex illo decẽtiùs nasceretur: hac ergo de causa dilata est circũcisio vsq; ad Abrahã, qui à Deo vocatus, & ab infidelibus segregatus fuit, vt esset veluti primus parẽs illius populi, quem sibi Deus specialiter cõsecrare decreuerat; & ideò etiam illi facta est specialis Christi promissio,

An circuncisio fuerit conuenienter dilata vsq; ad Abraham.

Adam.

Melchisedech.

Noe.

Paul. ad Gal. 3.4.& 5.

D.Thom.

A missio, quę nemini anteà facta legitur post Adam: quia iuxta sapientem Dei prouidentiam totũ id tẽpus fuit opportunum, & moraliter necessarium ad prædictũ finem. Hac ergo de causa meritò D. Th. illas duas conditiones considerauit in Abrahamo, vt illi, potiùs quàm alteri, circuncisio commẽdaretur, quas in nullo anteà inuentas esse facilè constat: nam cum Adamo non fit comparatio; tum quia vt manifestum supponitur, non fuisse conueniẽs, huiusmodi determinatas ceremonias à principio generis humani incepisse; tum etiam, quia nec tã manifestè constat ex scriptura, illi esse factam specialẽ de Christo promissionem, neq; facta est eo modo, quo Abrahæ, scilicet in signum specialis beneuolẽtiæ, & in propriæ obedientiæ remunerationẽ, iuxta illud, *Quia fecisti rem hanc, &c.* nec deniq; propriè segregatus fuit Adam à cõsortio, & cohabitatione
B infidelium, sicut fuit segregatus Abrahã, & pater credentium effectus, vt dicitur ad Romanos 4. De alijs verò Patribus, qui post Adam fuerunt vsq; ad Abrahã, nulla est difficultas, quia, licèt expressam fidẽ Christi retinuerint per traditionem ab Adamo acceptam, nemini tamen facta legitur specialis reuelatio, aut promissio, præsertim eo modo, quo facta est Abrahæ; nullusq; eorum fuit à Deo specialiter vocatus, & ad ipsum colendum segregatus. Cur autem nemini anteà hæc gratia concessa sit, D. Thomas hic non explicuit, vel quia supponit facilè posse deduci ex ratione dilationis incarnationis, vt satis significauit in solutione ad primum, vel certè, quia hoc maximè pendet ex diuina electione, quæ facta est secundùm propositũ voluntatis diuinæ: non enim Abraham electus est, vt illi primùm fieret Christi repromissio, & vt pater
C esset circuncisionis, propter merita sua, sed potiùs, quia ad tantum munus electus est, ideò cepit merita per quæ illud consequeretur, vt D. Thom. 1.2. docet quæst. 98. art. 4. diuinę autem electionis vix potest ab hominibus ratio reddi.

Secunda assertio D. Tho. in hac priori quæstione est, non oportuisse circuncisionẽ vltra Abrahamum differri. Hanc ponit D. Thomas in solutione ad secundũ, & priùs supponi debet ex discursu supra facto, oportuisse, legem veterẽ dari aliquo tempore ante incarnationem quod tempus quantũ fuerit sufficiens sola diuina sapientia ac prouidẽtia definire potuit: circuncisio autẽ fuit professio illius legis, vt constat ad Gala. 5. debuit ergo etiã illa dari ante Christi aduentum, nec potuit cõuenienter dari tardiùs, quàm lex. Solũ ergo oportet exponere, cur fuerit etiam conueniens dari ante legem, si-
D cut de facto fuit data plusquã quadringentis annis ante Moysen; propter quod dicitur, non fuisse ex Moyse, sed ex Patribus. Ioãnis 7. Reddit ergo rationem D. Tho. quia, antequàm daretur lex, oportuit fidelem populum cõgregari, cui daretur, non congregatur autẽ, nisi signo aliquo sensibili, iuxta doctrinam Augustini 19. cõtra Faustum. c. 11. Dices; ergo propter similem rationẽ debuisset baptismus multo tẽpore institui ante legis nouę promulgationem, vt fideliũ populus priùs congregaretur cui lex posteà posset promulgari. Quod si dicas, hoc non fuisse necessarium, neque expediens, quia promulgãdo ipsam legẽ baptismi, potuit lex Euãgelica promulgari; idem de circuncisione dici poterit. Et maiori quadam ratione; nã lex vetus propter imperfectionem suam, & præceptorũ multitu-

D.Thom.

Circuncisio nõ fuit vltra Abraham differenda.

Paul. ad Gal. 5.

Ioan. 7.

August.

A dinem, debuit scripto tradi: ergo circuncisio, quæ pars est eius, non debuit institui ante tempus legis scriptæ. Respondetur, in primis baptismum etiam fuisse institutum ante promulgationẽ legis nouæ, quæ facta est post Christi resurrectionẽ, & similiter per baptismũ consignata priùs fuere præcipua mẽbra, & quasi fundamẽta Ecclesiæ, quibus in initio hæc lex data est, & quoad hoc est aliqua similitudo; quoad alia verò est duplex differentia. Prima, quòd lex gratię supponebat iam fidelem populum congregatum, cui primò prædicãda, ac promulgãda erat, iuxta illud, Isaiæ. 2. *De Siõ exibit lex, & verbũ Dñi de Hierusalẽ*: propter quod dicebat Christus, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel.* Matthæi 15. Secũda, quia lex gratię erat dãda vniuerso mũdo, & nõ priuato populo sicut lex vetus: & ideò non opotebat, vt baptismus lõgo tempore
B antecederet ipsam legem; maximè cùm idem futurus esset autor, & promulgator primus tã baptismi, quã totius legis. Ad illud verò de lege scripta respõdetur, quãuis oportuerit ipsam legẽ in scripto tradi, circuncisionem tamẽ, quæ erat veluti preparatio ad legem, nõ oportuisse in antecedente tẽpore scribi; tum quia, cùm esset vnicũ præceptum, facilè poterat memoria retineri, præsertim cùm esset solennis ceremonia in illo populo, cuius signũ & character in ipsa carne manebat impressus; tum etiam, quia præsciebat Deus fore, vt per traditionem à parentibus ad filios illo tempore cõseruaretur, iuxta illud Genes. 18. *Scio, quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiãt viam Domini.* Ita ferè D. Thomas hîc ad secũdum, & sumitur ex August. & Damasceno loco citatis.

Genes. 18. D.Thom. *August.* *Damasce.*

Secunda quæstio à D. Tho. in hoc articulo tra-
C ctata, est, an fuerit conueniens, circuncisionem dari, non vniuersis hominibus, sed certis ac determinatis personis. Et respondet alijs duabus assertionibus. Prima est in solutione ad tertiũ, nõ oportuisse dari vniuerso orbi, sed cuidam peculiari populo. Ratio à priori sumenda est ex dictis circa priorem dubitationẽ, quia circuncisio data est ad disponendũ populũ, ex quo Christus erat nasciturus; oportuit enim, vt ex fideli populo, & peculiariter Deo dilecto nasceretur, & ideò data est ad segregandũ illũ populũ à cæteris gentibus, & ideò non debuit esse communis omnibus hominibus. Et hæc ratio cõfirmari potest ex omnibus suprà adductis in tractatu de sacramẽtis in genere de principali fine instituendi circuncisionem, quòd scilicet nõ fuerit primariò propter dandã gratiam, sed propter consignandum Dei populum. Et in idem ferè incidit ra-
D tio, quam tãgit D. Thomas in solutione ad tertiũ, assignando differẽtiam inter baptismum, & circuncisionẽ: nam baptismus, inquit, cõtinet perfectionẽ salutis, quam Deus omnibus hominibus procurat, & ideo omnibus datus est, circuncisio autẽ nõ continebat salutem, sed figurabat per Christũ dãdam: & ideò illi soli populo data est, ex quo Christus erat nasciturus. Atque eadẽ differẽtia assignari potest inter circuncisionẽ, & sacramentum legis naturæ: nam, licèt hoc non propriè contineret salutẽ eo modo, quo baptismus continet, tamen datũ est pro omnibus hominibus: quia fuit per se institutũ, vt aliquo modo esset in remediũ salutis, quã Deus vult omnibus hominibus, & ipsa circuncisio in tãtum ad salutem profuit, in quantum generalem rationem sacramenti legis naturæ in se includebat.

An conuenerit certis ac determinatis tãtum personis circũcisionem dari.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Secūda assertio Diui Thomæ est in solutione ad quartum, Circuncisionem conuenienter institutā esse pro solis masculis populi Iudaici, & nō pro fœminis: Cuius rei duplicem rationē, reddit, vna est, quia data est in signū fidei Abrahæ, qui futur⁹ erat pater credentium. Secūda est, quia peccatū originale à patre trahitur, & nō à matre: addi etiam possunt omnes rationes, ob quas fuit cōueniens illam ceremoniam constitui in tali signo: nam illud signum non poterat esse commune fœminis, sed tantum viris. Præterea est alia ratio fortasse satis literalis, quia illud signum præcipuè dabatur ad congregandum Dei populum; in vnoquoque autem populo, seu republica, viri sunt capita familiarium, & totius reipublicę; & ideò, vt totus populus esset cōsignatus, & segregatus à cæteris, satis erat, quòd viri consignarentur: sic ergo satis etiam fuit, dare sacramentum circuncisionis, quod solis viris posset esse commune.

Qui nā homines obligati sunt ad circuncisionem.

Sed supersunt circa has assertiones nonnulla explicāda; nimirùm, qui homines obligati fuerint ad circuncisionem, neq; in hoc constituimus differentiam inter adultos & infantes: nam certum est præceptū solū obligasse adultos, vel ad circūcidendos seipsos, vel suos filios, vel etiam seruos & familiares. Ad quod exponendū supponēda sunt verba legis Genesis 17. *Hoc est pactū meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuū post te, circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnē præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis; omne masculinum in generationibus vestris, tā vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicunq; non fuerint de stirpe vestra.* Circa quæ verba primùm inquiri potest, an per hanc legem obligatus fuerit Abraham ad circuncidendos omnes filios suos, vel solum Isaac; & consequēter, an præceptum circuncisionis comprehēderit omnes posteros Abrahæ; an verò solū eos, qui ex Isaac & Iacob originem duxerunt. Quidā enim sentiūt hoc præceptum absolutè pertinere ad omnes: quia verba legis sunt absoluta & generalia, scilicet, *Hoc est pactum meū, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuū post te. Omne masculinū circūcidetur in vobis; seu in generationibus vestris.* Et cōfirmari potest, ex facto ipso: nam Abraham statim circūcidit Ismael filium suū; &, quod id fecerit ex obligatione & præcepto, colligitur ex verbis Genes. 17. *Tulit autē Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, &c. & circuncidit carnē præputij eorum, sicut præceperat ei Deus.* Fecit ergo hoc Abraham ex præcepto: ergo eadē ratione fuerunt obligati filij, & omnes posteri eius. Et cōfirmatur secūdò, quia si hæc obligatio coarctanda esset ad Isaac, maximè quia ex ipso erat Christus nasciturus, & ex illo solo erat Iudæorum populus propagand⁹: sed hac ratione etiā Isaac nō fuisset obligatus ad circuncidendum Esau, sed tantùm Iacob: imò & Iacob potuisset solùm Iudam & Leui circuncidere; quia ex eis tātùm erat Christus nasciturus. In contrariū autē induci in primis possunt verba Genes. 17. Nam ibi dicit Deus, pactum suum esse ad Abraham, & semen eius: notat autem Paulus ad Galatas 3. non dixisse Deum in plurali, *& seminibus*, sed in singulari, *& semini tuo*, quasi in vno, qui est Christus, qui ab Abraham & Isaac descendit; ergo per semen Abrahæ non intelligitur illa tota Abrahæ posteritas; sed solùm, quæ ex Isaac profectura erat, & ad Dei populum pertinere de-

Genes. 17. — Abraham. Isaac. — Ismael. — Esau. Iacob. Iudas. Leui. — Paul. ad Gal. 3.

A bebat. Vnde tota illa promissio, quæ Abrahæ fit in eo capite ante latam legem circuncisionis, ad solos posteros Isaac & Iacob pertinet, scilicet, *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & semini tuo post te: daboq; tibi & semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnē terram Chanaam in possessionem æternam: eroq; Deus eorum.* Et inferiùs post latam legē circūcisionis apertissimè subditur. *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisq; nomē eius Isaac, & constituam pactū meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum: super Ismael quoque exaudiui te, ecce benedicam ei; pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara.* Propter hæc dicunt aliqui, præceptum circuncisionis tantùm obligasse Abraham, & eius posteros quantum ad Isaac, Iacob, & cæteros, qui ex Iacob propagati sunt. Sed in hoc, B distinctione est vtēdum, quam docuit D. Thomas in 4. distinct. 1. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. 1. ad tertiū, & ibi Durandus q. 6. Maior q. 5. & alij: nā Abraham obligatus fuit ex præcepto circuncisionis ad circuncidendum Ismael, quia illa verba generalia sunt, *Circuncidetur ex vobis omne masculinum*; & quia tenebatur circuncidere omnem suam familiam, vt statim dicetur, Ismael autē, quandiu erat in patria potestate, pertinebat ad familiam Abrahæ; atq; idē à fortiori dicendum erit de Isaac, quòd fuerit obligatus ad circuncidendum Esau: quia manifestè cōprehendebatur sub verbis legis; atq; eadem ratione, quandiu Ismael, vel Esau pertinuerunt ad familiam parentum suorum, obligati fuerunt eadē lege quoad suos filios, si fortasse Esau eo tempore illos habuit: nam de Ismaele constat, multò priùs fuisse à patre segregatū. At verò, quoniam ex præcepto C Dei separatus est Ismael à familia Abrahæ, iuxta illud Genes. 21. *Ejice ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*, vt ait Paulus ad Galat. 4. *quia in Isaac* (inquit Deus) *vocabitur tibi semen*; ideò lex circuncisionis neq; eum ampliùs, neq; posteros eius Ismaelitas obligauit; & idem est de Esau, & filijs seu posteris eius Idumæis, postquā à familia parētis Isaac separati sunt ex Dei electione, seu reprobatione, iuxta illud Malachiæ. 1. & ad Romanos 9. *Iacob dilexi, Esau autem odio habuit, & posui montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.* Quoniā autem in filijs Iacob nulla facta est separatio, sed ex omnibus illis, & corū posteris congregatus fuit populus Dei, ex quo Christus erat nasciturus; & ideò omnes illos obligauit lex circūcisionis. Dices, ergo nō licebat Ismaelitis, vel Idumæis vti signo circūcisionis: quia nō perti- D nebāt ad eum populū, propter quē consignandum data fuit: præsertim quia illa circuncisio erat professio veteris legis, & ideo, qui illam assumebāt, totam legem seruare tenebantur, vt dicitur ad Gala. 5. ergo, qui nō habebant animū suscipiendi illā legem, neq; seruandi illam, non poterant licitè circuncidi. Respōdetur, simpliciter negādo sequelā, quia neq; aliqua diuina lege positiua hoc erat eis expressè prohibitū; nullibi enim est talis lex, neq; ex natura rei hoc erat intrinsecè malum, præsertim cùm hoc fieret ad imitationē quandam, vel parentum, quomodo ait Cypria. sermone de ratione circuncis. filios Esau, & Ismael huius traditionis non fuisse expertes, vel illius populi, cui Deus magna beneficia cōcedebat: hoc enim modo & Phœnices, & Arabes, & Ægyptij, & aliæ nationes circunci-

sio ne

D. Thom. Durand. Maior. — Paul. ad Gal. 4. — Malach. 1. Paul. Rom. 9. — Paul. ad Galat. 5.

sione vtebantur, vt Cypria. sup. & D. Hieronym. Hierem. 9. testantur. Illi autem populi non vtebantur eo signo, vt re sacra, sacramentum aliquod continente, neq; ad profitendam aliquam legem; sed solùm ex humana quadam consuetudine; & ideò non astringebantur ex vi talis circūcisionis ad seruandam legem. Paulus enim ad Galat. 5. loquitur de homine circuncidente se intentione & ritu Iudaico, quomodo, etiam Gentiles, licèt absolutè nō tenerentur circuncidi, si tamen prædicta intentione circuncidebantur, sicut facere poterant, vt cōstat Exod. 12. & Iudith. 14. tebantur perpetuò ea lege, ad circuncidendum filios suos.

Cyprian. Hieronym. Hierem. 9. — Exod. 12. Iudith. 14.

Quàm latè pateret præceptum circuncisionis.

Secundò quæri potest circa alteram partem illius legis; quæ pertinet ad seruos & familiam Abrahę; de quibus in primis est dubium, an hoc præceptū obligauerit Abraham, omnes seruos, etiā adultos, & infantes, qui viuos habebant parentes, incircun- B cisos, circuncidere. Et ratio dubitādi est, quia verba legis sunt generalia, *Circuncidetur tā vernaculus, quàm emptitius*; Et infrà subditur, *Tulit autē Abrahā omnes vernaculos domus suæ, omnesq; quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circuncidit carnem præputij eorū statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus*: ergo ex vi præcepti ad hoc tenebatur. In contrarium verò est, quia nemo adultus cogitur ad fidem sine suo consensu & voluntate: ergo neque ad accipiendum signū fidei. Dices, non posse quidem adultum ab hominibus cogi ad primam fidei susceptionem, seu professionem; posse tamē à Deo obligari, ipsumq; Deum fuisse autorem huius legis, atque ita rectè potuisse illa obligare. Sed cōtra hoc est, quia ea lege Deus nihil præcepit ipsis seruis sed Abrahæ, & semini eius: ergo ipsi serui per se nō C obligabantur lege, ergo neq; Abrahā, nec posteri eius tenebantur eos circuncidere, nisi fortasse ad summum, eis volentibus & consentiētibus. Quod etiam inde confirmatur, nam post illa verba, *Tam vernaculus, quā emptitius circūcidetur*, subditur, *Et quicunq; non fuerit de stirpe vestra*; constat autem, alienigenas & peregrinos, seu alios Gentiles non fuisse absolutè obligatos ad circuncisionem, sed solùm sub cōditione, quæ ponitur Exodi. 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniā, & facere Phase Domini, circūcidetur priùs omne masculinum eius; & tūc ritè celebrabit, eritq; sicut indigena terræ: eadem lex erit indigenæ, & colono qui peregrinatur ad vos.* Atq; ex hoc eodē loco oritur alia quæstio de mercenarijs famulis, an deberent circuncidi: nam quidam existimant, hos etiam comprehendi nomine vernaculorum, ita Caietanus Genes. 17. vbi vernaculos dicit appellari, qui nati, vel nascituri erant D ex familia Abrahæ, & filiorum eius, videlicet ex procuratoribus, & pastoribus, ministris, & huiusmodi: ita vt ex vi illius legis deberent circuncidi omnes domestici Iudæorū. Alijs verò videtur, huiusmodi famulos mercenarios nullo modo fuisse hac lege cōprehensos: quia nullū est verbum in tota lege, quod eos in rigore complectatur: nam per vernaculos sufficienter intelligi possunt serui dominati; & alioqui Exodi 10. videntur hi mercenarij apertè eximi ea lege; nam aliter ibi fit sermo de seruo emptitio, & de mercenario, vt patet ex illis verbis, *Omnis alienigena non comedet ex eo; omnis autē seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet, aduena & mercenarius non edent ex eo.* Vbi emptitius seruus circuncidendus dicitur; mercenarius autem non

Exod. 12. — Caietan. — Exod. 10.

A item, sed æquiparatur aduenæ, aut alienigenæ.

Tres igitur in hac re inuenio dicendi modos. Primus est, legem circuncisionis comprehendisse totam familiam Abrahæ, quatenus constare poterat ex filijs proprijs, seruis, famulis liberis, ac eorum filijs. Et hæc est opinio Caietani loco citato: quā sequitur Lyppomanus in catena Genesis 17. Eamq; sequi videtur Lyrannus Exodi 12. eiq; fauet Ambrosius Epistola 77. & lib. 2. de Abrahā Patriarcha c. 11. fauēt verba Genesis suprà citata, præsertim illa, *Et quicunque nō fuerit ex stirpe vestra*, quæ absoluta sunt, & voluntariè eis additur aliqua conditio: nam illa, quæ ponitur Exodi 12. non intelligitur respectu familiarium, seu domesticorum, sed respectu eorum, qui omnino erant extra familiam Abrahæ, & filiorum eius; in loco vero Genesis est sermo de domesticis. Vt autem hæc opinio verisi- B milior sit, intelligenda videtur in hunc modum, quòd Abraham (& idem semper intelligo de cæteris Iudæis) teneretur circuncidere omnes masculos familiæ suæ, etiam si non essent de stirpe sua, ita tamen vt neq; adulti absolutè cogerentur ad circuncisionem, nec infantes circuncíderentur suis parentibus inuitis, sed solùm sub hac conditione; si vellent in familia Abrahæ permanere; atq; ita tenebatur Abraham illos circuncidere: si cōsentirent, aut eos à sua familia separare, si circuncidi nollent: nam quòd deberet, aut posset eos absolutè cogere, non est verisimile. Vnde, si aliquis infans erat in domo eius vernaculus aut emptitius, parentibus orbatus, illum absolutè & sine conditione tenebatur circūcidere, etiam si non esset de stirpe sua; quia iam nō erat aliquis, cuius consensus esset expectandus.

1. Dicēdi modus. — Caietanus. Lyppoman. Lyran. Ambros. — Exod. 12.

Secūdus modus dicendi est extremè contrarius, C præsertim quātum ad adultos, & eorum filios ipsis viuentibus, negat enim hæc sententia, Abraham fuisse ex præcepto obligatum ad circuncidendos vernaculos, siue famulos, siue seruos, aut natos domi, aut emptitios. Ita opinatur Soto in 4. distinct. 2. quæst. 1. artic. 2. Et videtur fuisse opinio Alexādri Alēsis 4. par. q. 7. memb. 3. art. 2. & Bonauent. in 4. dist. 1. art. 3. Hug. Victor. lib. 1. de sacramentis. p. 12. cap. 2. Fauet etiam Rupertus lib. 5. in Genesim capit. 31. dicens, post illa verba Genesis 17. *Et quicunque non fuerit de stirpe vestra*, subintelligendam esse conditionem, scilicet, si ad vestrum populum transire voluerit; cui opinioni fauet Scriptura Exod. 12. vbi generaliter de aduenis & de peregrinis adhibetur illa cōditio; & idem indicatur de mercenarijs: nam, si esset absolutum præceptū illos circuncidendi, non oportuisset de illis potiùs, D quàm de filijs dicere, *Circuncidentur, & sic comedent*; ideò ergo Scriptura hoc dixit, quia absolutè non erat necessarium, seruos etiā emptitios esse circuncisos: quanuis ergo forma verborum diuersa videatur, tamē sensus est idem, scilicet, qui comedere voluerint, circuncidentur priùs: ergo verba Genesis accipiēda sunt iuxta sensum, qui in Exodo explicatur. Quocircà iuxta hanc sententiam factum Abrahæ circuncidendi omnes masculos domus suæ potiùs fuit consilium, quàm præceptum. Vnde, quod in Genesi dicitur, id fecisse, *sicut præceperat ei Deus*, iuxta hanc opinionem non est intelligendum, id est, iuxta obligationem præcepti; sed iuxta normam, & formam præcepti. Vel certè, quia nullus familiarium, aut seruorum suorum ei restitit, eò quòd omnibus esset dilectus; omnesque

2. Dicēdi modus. — Soto. Alex. Alens. Bonauent. Hugo Victor. Rupert. — Exod. 12.

Universidad de Deusto Biblioteca

cum maximè reuererentur, ideò debuit, etiam ex præcepto illos, circuncidere, seu ad circucisionem admittere, quia, licèt præceptum absolutè eum nõ obligaret ad eos cogendos, nõ tamen negabit hæc sententia, obligasse saltem ad eos admittendos, vel etiam inuitandos, si ipsi vellent.

3. Dicẽdi modus. Tertius modus dicendi medius inter hos distinguit inter famulos liberos, & seruos emptitios, sub quibus (vt opinor) cõprehendit à paritate rationis omnes verè ac propriè seruos, quocunque titulo in seruitutem redacti sint, siue quia capti in bello iusto, siue quia dominati ex ancilla: nam omnes hi sunt pretio æstimabiles, & emi ac vẽdi possunt; & ideò generali vocabulo dici possunt emptitij. Dicit ergo opinio, seruos emptitios omnino fuisse ex præcepto circuncidendos, reliquos verò famulos mercenarios non fuisse sub præcepto comprehensos, etiam si essent dominati, & vernaculi. Ita sentit Abulensis Genes. 17. & Exodi 12. quæstio. 56. & Matthæi. 16. quæstio 44. Fundamẽtum eius est, quia Exod. 12. cùm sit sermo de emptitio, absolutè dicitur, *Circuncidetur, & sic comedet*; de aduena autem, alienigena, & mercenario simpliciter dicitur, *Non edent ex eo*; & solùm in fine additur conditio, *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniã, & facere Phase Domini, circuncidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit*: signum ergo est priora verba dicta de emptitio non fuisse conditionata, sed absoluta.

Abulens. Genes. 12. Exod. 12. Matth. 16.

Inter has opiniones hæc posterior videtur minùs consentanea verbis Genesis, vbi eodem modo & contextu comprehenduntur vernaculi, & emptitij, & omnes, qui nõ essent de stirpe Abrahæ, vel, vt habent Hebræa, *Natus domi & possessus argento ex omni alienigena, qui non de semine tuo ipse*, scilicet, circuncidetur; non ergo rectè constituitur differentia inter hos; præsertim cùm verba Exodi non cogant: quia, vt dixi circa secundã opinionem, licèt forma verborum sit diuersa, tamen facilè possunt ad eundem sensum reduci. Aliæ verò duæ opiniones sunt quidem probabiles, & si rectè expendantur, in vtraque est aliquid verum; & fortasse autores earum non sunt admodum inter se contrarij.

Opinio tenenda. Mihi ergo in primis videtur, præceptum circuncisionis datum esse non solùm quantum ad illos, qui erant de stirpe Abraham, Isaac, & Iacob, sed etiam quantum ad omnes, qui ad populum illum qualitercunque pertinebant. Verba sunt ferè Diui Thomæ in quarto, distinct. 1. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula 1. Et rationem adhibet, quia circuncisio fuit signum distinguens populum Dei ab alijs: ergo oportebat, omnes qualitercunque pertinentes ad illum populum, esse circuncisos. Sed hoc præcipuè confirmant verba Genesis, vt circa primam opinionem declaratum est. Atque ex hac generali assertione colligitur, quod ad infantes attinet (de quibus in Genesi præcipua fit mentio: nam de adultis nulla fit mentio) omnes, qui absolutè & simpliciter essent in potestate Abrahæ, fuisse circuncidendos ex vi præcepti: quia verba præcepti id sonant, & nulla est conditio, quam subintelligi necesse sit. Huiusmodi autem erant serui infantes, vel pretio empti, & à parentibus separari, vel domi ex ancillis Iudæis nati; imò & alij omnes pertinentes ad familiam eius, qui essent sub eius tutela, & cura, eò quòd essent parentibus

D. Thom.

A orbati: quia hi omnes erant simpliciter sub potestate Abrahæ, eiusque voluntate & arbitrio poterant gubernari; de alijs verò infantibus, qui erant sub cura parentum idem iudicium erit, quod de parentibus ipsis. Igitur, quod ad adultos pertinet, non existimo debuisse, nec potuisse Abraham quenquam ad circuncisionem cogere; & primùm de mercenarijs res apparet clara ex duodecimo Exodi, vbi apertè supponitur, non fuisse necessarium, mercenarios esse circuncisos, & ideò prohibentur edere Phase. Eadem autem ratio est, de omnibus alijs famulis non seruis: nam hi omnes mercenarij dici possunt. De seruis autem in primis est ferè eadem ratio: nam etiam in eodem capite supponitur, eos licitè potuisse esse circuncisos; ideò enim dicitur, *Circuncidantur, & sic comedant*; id est, si comedere volunt: præterea nullum
B est expressum præceptum, quod huiusmodi adultos obligaret ad circuncisionem, aut quod tribueret facultatem Abrahæ ad cogendum illos, vt circunciderentur, aut ad expellendos eos de domo sua, si circuncidi nollent: hæc autem, cùm sit tam violenta & grauia, non sunt asserẽda sine expresso præcepto. Præterea, quia non est verisimilè Deum vllo modo voluisse, aliquem adultum hoc ipso, quòd esset seruus Iudæorum, potuisse cogi vel compelli ad suscipiendum onus legis antiquæ: ergo neque ad suscipiendam circuncisionem, quæ erat professio illius legis antiquæ: nam seruitus solùm est obligatio quædam ciuilis: vnde non est, cur ratione illius possint cogi homines ad legem supernaturalem. Adde, circuncisionem fuisse solennem fidei protestationem: fides autem esse debet voluntaria, & ideò nemo adultus ad
C eam rectè cogitur, nisi ratione alicuius sacramenti, seu characteris priùs sit ad illam obligatus; sicut suprà dictum est, tractando de baptismo, in qua re eadem certè ratio est de circuncisione: quapropter debuit etiam in hoc figura figurato conformari. Relinquitur ergo solùm obligasse hoc præceptum ad circuncidendos adultos domesticos Abrahæ, seu alterius Iudaicæ familiæ, si ipsi id peterent, vel consentirent: & idem dicendum est de filijs infantibus, existentibus sub cura parentum. Atque eodem modo exponendum est, quod dicitur Exodi cap. 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini circuncidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ*: non est enim verisimile, si aliquis pater familias gentilis voluisset ad Iudaismum transire, & Pascha celebrare, *Exod. 12.*
D necessarium illi fuisse, non solùm se ipsum, sed etiam omnes domesticos suos, etiam adultos, circuncidere, eos cogendos, si opus esset: hoc enim, & per se est incredibile, & valde alienum ab ea voluntate, qua & fides, & eius professio suscipiẽda est: intelligendum ergo est, debuisse priùs circuncidere omne masculinum suum, quãtum in ipso esset, seu quantum ab illius voluntate dependeret, prout explicatum est: ergo in eodem sensu obligabantur Iudæi ad circuncidendos omnes domesticos suos: nam quoad hoc æquiparantur proselytus, & Iudæus, vt patet ex verbis subiunctis, *Eritque sicut indigena terræ*. Dices; ergo etiam Abraham non debuisset, nec potuisset cogere Ismael ad circuncisionem, si ipse nollet consentire: probatur sequela, quia iam eo tempore Ismael

erat adultus, tredecim enim annos impleuerat, vt dicitur Genes. 17. Respõdetur, in primis non esse eandem rationẽ, quia illa lex directè data est Abrahæ, & filijs, ac posteris eius, vt patet ex illis verbis, *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te*; nam illud pronomen, *Vos*, quod sæpè ibi repetitur, indicat, legem illam directè datam esse Abrahæ, & posteritati eius; posteà verò extensa est ad alios domesticos, quasi secundario; & ideò magis obligabat filios, quàm seruos. Vnde omnes intelligunt, pœnam illam impositam transgressori illius legis in illis verbis, *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, pœnã, inquam, illam solùm ad filios Abrahæ, & Iudæorum pertinuisse, siue exponatur, iuxta sensum Augustini, de infantibus, & de pœna damni, quam patiebantur propter originale peccatum non remissum ex defectu circunsionis, siue iuxta communem opinionẽ, fortasse magis literalẽ, intelligatur de adultis, & de pœna mortis, cuius essent rei propter transgressionem illius legis; alij enim adulti alienigenæ non incurrebant illam pœnam, sed solùm posteri Abrahæ: hac ergo de causa potuit fortasse Abraham cogere filiũ Ismael ad circuncisionem sub illa pœna mortis: quia Deus lege sua illum immediatè obligauit, & Abraham erat tunc supremus Rex & Pontifex illius familiæ, ad quem spectabat diuinam legem exequi. Sicut quando Deus præcepit Abrahæ, interficere Isaac filium suum, si ipse noluisset consentire, potuisset pater illum cogere ad exequendum mandatum Dei. Secundò, non censeo inconueniens concedere sequelam, & consequenter Ismael non fuisse circuncisum sine suo consensu, neq; fuisse cogendum sub pœna mortis, si repugnaret: quia est valde probabile, pactum illud circuncisionis directè editum esse cum Abraham & semine eius, quod in Isaac & per Isaac propagandum, & congregãdum erat in peculiarem Dei populum; ad Ismaelem autem non fuisse extensum, nisi quatenus tunc pertinebat ad domum, & familiam Abrahæ; & ideò nõ aliter fuit obligatus Abraham ad circuncidendum Ismael, quã cęteros adultos domesticos suos: secus verò est de Isaac respectu Esau, quia hic natus est post latũ præceptũ circuncisionis, & potuit octauo die circuncidi, quando non oportebat eius consensum expectare; & in hunc sensum accipiẽda sunt, quæ paulò superiùs diximus.

August.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ritus circuncisionis fuerit conueniens.

4. di. 1. q. 2. ar. 3. q. 1. & art. 3. q. 2. & 3. & Ioan. 7. le. 2. & ca. 5. & Ro. 4. le. 2. & ca. 3. Art. 1. & 2. huius. q.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd ritus circuncisionis non fuerit conueniens. Circuncisio enim (sicut dictum est +) fidei quædam professio est. Sed fides in vi apprehẽsiua existit, cuius operationes maximè apparent in capite. Ergo magis debuit signum circuncisionis dari in capite, quàm in membro generationis.

¶2. Præterea, Ad vsum sacramentorũ assumimus ea, quorum est communior vsus,
A sicut aquam ad abluendum, & panem ad reficiendum. Sed ad incidendum cõmunius vtimur cultello ferreo, quàm petrino. Ergo circuncisio non debuit fieri cultello petrino.

¶3. Præterea, Sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita etiam circuncisio, sicut Beda dicit.* Sed baptismus non differtur vsq; ad octauum diem, ne pueris periculum damnationis immineat propter originale peccatum, si nondum baptizati decedant, quãdoque etiam traditur baptismus post octauum diem. Ergo circũcisioni non debuit determinari octauus dies, sed debebat quandoque præueniri, sicut etiam quandoque tardabatur.

In hom. circũcisionis inter princip. & med. in homi. totius anni reperies.

B SED contra est, quod Roman. 4. super illud, & signũ accepit circũcisionis, determinatur in glos.* prædictis circũcisionis ritus.

In glo. ord. super illud. Signum accepit circũcisionis. Arti. præced. huius. q.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut dictum est *) circuncisio quoddam signũ fidei est, institutum à Deo, cuius sapientiæ non est numerus. Determinare autem cõuenientia signa, est sapientiæ opus: & ideo concedendum est, quod ritus circuncisionis fuit conueniens.

AD primum ergo dicendum, quod circũcisio conuenienter fiebat in membro generationis. Primò quidem, quia signum erat fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum. Secundo, quia erat in re-
C medium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertio, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscẽtiæ, quæ præcipuè in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.

AD secundum dicendum, quod cultelus lapideus non erat de necessitate circũcisionis, vnde non inuenitur tale instrumentum præcepto diuino determinatum. Neq; etiã communiter tali instrumento Iudæi vtebantur ad circuncidendum, sicut neque modo vtuntur. Leguntur tamen aliquæ circũcisiones famosæ, cultello lapideo factę, sicut legi-
D tur Exod. 4. quod tulit Sephora acutissimã petram, & circuncidit prẹputium filij sui, & Iosue 5. dicitur. Fac tibi cultellos lapideos, & circuncide secundo filios Israel. Per quod figurabatur, circuncisionem spiritualem esse fiendam per Christũ, de quo dicitur. 1. Corinth. 10. Petra autem erat Christus.

AD tertium dicendum, quod octauus dies determinabatur circuncisioni, tũ propter mysteriũ, quia in octaua ętate (quæ erit ætas resurgentium) quasi in octauo die perficietur per Christũ spiritualis circuncisio, quando auferet ab electis non solùm culpã, sed etiam omnem pœnalitatem; tum etiam

Universidad de Deusto Biblioteca

propter teneritudinem infantis ante octauũ diem. Vnde etiam de alijs animalibus Leuit. 22 præcipitur, Bos, ouis & capra, cũ genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suę, die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino. Erat autẽ octauus dies de necessitate præcepti, ita scilicet, ꝙ octauum diẽ prætermittentes peccabãt, etiam si esset sabbathum, secundũ illud Ioan. 7. Circũcisionem accipit homo in sabbatho, vt nõ soluatur lex Moysi. Non tamen erat de necessitate sacramẽti, quia, si aliqui omittebãt octauum diem, posteà poterant circuncidi. Quidam etiã dicunt, ꝙ propter periculũ imminentis mortis, poterat octauus dies præueniri. Sed hoc nec ex autoritate Scripturæ, nec ex consuetudine Iudæorum haberi potest. Vnde melius dicendũ est, sicut etiam Hugo * de sancto Victor. dicit, quòd octauus dies nulla necessitate præueniebatur. Vnde super illud Prouerb. 4. Vnigenitus erã coram matre mea, dicit gloss. * quòd alius Bersabee paruulus non computatur, quia antea octauum diem mortuus, nominatus non fuit, & per consequens nec circuncisus.

Pot. colligi ex lib. 1. de sacr. part. 12. c. 1.

Glos. ord. ibi.

COMMENTARIVS.

Cur in ea corporis parte circuncisio fieret

DE triplici conditione seu cultu illius sacramenti quęstionem mouet Diuus Thomas. Prima est pars illa corporis, in qua circuncisio fieri præcepta est, cur scilicet in occulto & pudẽdo corporis membro voluerit Deus signum illud ponere: nã si datum fuit ad distinguẽdum fidelem populum à cæteris, conuenientius videretur datum in manifesta, & decenti corporis parte, v. g. in capite; præsertim, quia ibi melius significaret, Christum caput nostrum, & fidem Abrahæ parentis credentium, qui circũcisionem accepit, tanquã signaculum fidei suæ, vt dicitur ad Rom. 4. Atq; huc etiã spectat inquirere, cur voluerit Deus partem humani corporis abscindi, cùm in ea nullũ sit vitium, neq; etiã sit superflua, cùm per se sit ex institutione naturæ, & non sit excremẽtum. Deniq; cur datum sit in tenera ætate tam doloriferum signum, & quo possent facilè infantes periculo mortis exponi; propter has enim causas plereq; gentiũ, vt eleganter tractat Ambros. Epist. 77. & Cyprianus etiam refert sermone de ratione circũcisionis, *tam factum, quàm mãdatum irrident, & Deo nomine asserunt conuenire, vt saluatoris benignitas plagis infantiũ delectetur, & immeritos in ipso vitæ initio periculo mortis addicat.* Verùm (vt Cyprianus prosequitur) *cùm opus istud, & antiquitas commendet, & iubentis autoritas,* nemo prudens ac fidelis dubitare potest, quin conuenienter institutum sit, etiam si fortasse mens humana plenam ejus mysterij rationem assequi nõ possit; neq; enim diuinæ prouidentiæ altitudo humanis rationibus metiẽda atq; cõprehendenda est: sufficit ergo pro ratione, Dei voluntas & sapiẽtia.

Ambros.
Cypryan.

Nihilominùs Patres semper fuerunt soliciti in inquirenda ratione huius mysterij: nam & Damasus Papa inter alias quæstiones hanc Hieronymo proposuit in quadam Epistola, quæ est 124. inter Epistolas Hieronymi: de qua, vt ille statim refert Epistola 125. copiosè ac magnificè disputarũt Tertullianus, Nouatianus, Origenes, quorũ rationes, neq; ipse refert, neq; suã profert, sed rem totam ad eorũ opera remittit, in quibus nunc pauca reperimus: nã licèt Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 3. aliqua de circuncisione disputet; nihil tamen de hoc peculiari puncto scribit: opus autem de circuncisione, quod habetur inter opera Hieronymi tom. 9. licèt aliqui existiment esse Tertulliani, tamẽ verisimilius creditur esse Paulini, aut Maximi, vel alterius, qui post Manichæorum hæresim scripserit, quorũ ibi fit mentio. Origenes verò, quanuis de circuncisione tractet cap. 4. ad Romanos; tamen, quod ad præsentem quæstionem spectet, solùm dicit carnalem illam circuncisionem signum fuisse spiritualis circuncisionis, *quæ non in carne suscipitur, sed in corde.* Ex Iudæis autem Philo in lib. de circuncis. sex attulit rationes huius mysterij, quæ in eo videri possunt, nã quatuor illarum valde materiales sunt, vt sic dicam, aliæ verò morales, continentur in his, quas D. Tho. hic attigit in solutione ad primũ quę in hac re sunt præcipuæ.

Damas. Pap.
Tertullian. Nouatianus. Origen.
Paulinus. Maximus. Origen.
Philo.

Rationes, cur in ea parte corporis circuncisio fieri præcepta sit.

Prima est, quia circũcisio fuit signum fidei Abrahę, qua credidit Christũ ex ipso nasciturum; & ideò posita fuit in generationis organo: quoniam Christus ex Abraham secũdùm carnem producẽdus erat; & hoc est, quod dicitur Genesis 17. *Circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos:* fœdus enim præcipuum inter Abrahã & Deum fuit, ꝙ Deus illi promisit, Messiam ex eius semine venturum; ipse autẽ *credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam;* & ideò, vt dicitur ad Roman. 4. *Signum accepit circuncisionis signaculũ iustitiæ fidei,* illius scilicet, qua credidit promissioni sibi factę, ac semini eius, vt heres esset mũdi. Secunda ratio D. Thomæ est, quia circuncisio erat in remedium peccati originalis, quod per actũ carnalis generationis traducitur. Quæ ratio sumpta est ex Hugone Victorino lib. 1. de sacramẽtis, part. 12. cap. 2. & cum alijs adiuncta est probabilis, tamen per se non est efficax; tum quia, etiã baptismus est in remedium originalis peccati, tum maximè quia, licèt ex circuncisionis institutione consecutum sit, vt in ea deleretur originale peccatum, tamen non constat propter hunc finem esse primariò institutam. Tertia ratio est, quia circuncisio ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscẽtiæ; quæ ratio duobus modis potest intelligi, scilicet, efficaciter (vt sic dicam) aut significatiuè; efficaciter intelligo, id est, quòd ipsamet circuncisio per se fuerit remedium efficax ad minuendam concupiscentiam; & hoc, si intelligatur de efficacia naturali, nõ est probabile, nec verisimile; quia abscissionem illius particulæ corporis ex se nihil existimo posse conferre ad minuendam delectationem carnis, vel concupiscentiæ motus, qui non ex illa carnis particula, sed ex interna facultate, alijsq; naturalibus qualitatibus oriuntur. Si verò intelligatur de spirituali efficacia, quatenus gratia, qua peccatum originale remittitur, potens est ad minuendam concupiscentiam fomitis, quanquam hoc verum sit, non tamen bene accommodatur ad prædictam rationem; tum quia circũcisio in hoc nullam haberet efficaciam; &, licèt in ea daretur gratia, nõ tamen ratione sui, sed ex ratione, seu promissione communi sacramẽto legis naturæ, tum etiam, quia in hoc sensu nihil ferè distingueretur hæc ratio à præ-

Genes. 17.
Ad Rom. 4.
Hugo Victo.

à præcedenti. Magis ergo existimo, rationem illã intelligendam esse significatiuè, nimirùm circuncisionem datam esse ad significandum, carnis concupiscentiam per Christum, eiusque gratiam, minuendam, atque superandam fuisse; & ideò datam esse in ea parte, in qua magis hæc concupiscentia viget, vel (quod perinde ferè est) ideò in ea parte datam esse, vt hi, qui populo Dei adscribuntur, & cum ipso perpetuum fœdus ineunt, intelligãt, sibi esse carnis concupiscentiam amputandam, aut saltem mortificandam, & superandam. Quam rationem latissimè prosequitur autor libri de vera Circuncisione inter opera Hieronymi, & Cyprianus dicto sermone de Circuncisione, vbi inter alia inquit: *Tenera infantia huiusmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, etiam in paruulis adhibenda erat seueritas; ideòque dolor voluptati, & sanguini delectationis sanguis tormenti opponitur, vt in primis elementis discerent paruuli, semper propriæ memores sectionis, cõtraria curare contrarijs.* Addit etiam Damascenus lib. 4. cap. 26. Circuncisionem, non vtile aliquod, aut necessarium corporis membrum; sed superuacaneum excrementum abscidisse; quia non vtilis cupiditas, sed peccatum, quod cupiditatis est excrementum, resecandum significatur: *neque enim fieri potest, vt quisquam omnino nõ concupiscat, aut voluptatis omnino sit expers, verùm, quod in voluptate nulli vsui est, hoc est, inutilis concupiscentia & voluptas, hoc circuncidendum ostenditur.* Neque multum ab hac ratione differt, quod sæpè Patres dicunt, vt suprà retulimus ex Augustino, Epistol. 200. & 203. & alijs, Circuncisionem, scilicèt carnalem, spiritualẽ præfigurasse: cui addi potest ex libro de vera Circũcisione inter opera Hieronymi, ideò datam esse in ea parte, in qua, veluti in virtute, & semine, totus homo continetur: quia totus homo spiritualiter circundendus est. Addit Augustinus 16. contra Faustum, cap. 29. Circuncisionem carnis, expoliationem mortalitatis significasse, quam de carnali generatione portamus. Vnde concludit 6. contra eundem capitul. 3. *In quo membro congruentiùs expoliatio carnalis, & mortalis concupiscentiæ figuratur, quam vnde carnalis & mortalis fœtus exoritur? sed sicut dicit Apostolus, Omnia mũda mundis, immundis autem & infidelibus nihil est mundum.* Atque ita satis responsum est ad rationem dubitandi in principio positam: non enim fuit necessarium, signum illud esse oculis expositum, sed satis erat, quòd publica & solenni ceremonia in illo populo obseruaretur: imò vt notauit Autor illius libri de vera Circuncisione, in occulto illo signo significatum est, vel internam iustitiam, quæ illo signaculo indicabatur, in occulto potiùs, quàm in publico esse optandam ac procurandam, vel certè ita fuisse diuinitatem velandam sub carne assumpta in similitudinem carnis peccati, sicut interna fides & iustitia sub illo occulto, & ignobili signo delitescebat: reliqua verò, quæ in principio tangebantur, iam expedita sunt.

Cyprianus.
Damascenus.
Augustinus.

Lapideus ne culter fuit ex præcepto.

Secunda quæstio, seu pars ritus circuncisionis, quæ à Diuo Thoma tractatur in secũdo argumento, est de culto lapideo, quo circuncisio apud Iudæos fieri solita est; de quo solet esse non parua disputatio inter autores, an fuerit de necessitate sacramenti, aut præcepti duntaxat, quòd fuerit culter ille lapideus: quod videtur sentire Magister sententiarum in quarto, distinctione prima, dicẽs de circuncisione, quod fiebat, & fieri debeat secundùm legem octaua die, idque lapideo cultro in carne præputij. Vbi omnes tres ritus æquè enumerat, tanquam ad circuncisionem æquè necessarios. Fauet etiam Magistro hac in parte Augustinus libro secundo de gratia Christi, cap. trigesimo primo, vbi de Christo loquens sic ait: *Quem circuncisio prophetauit: dies enim octauus est in hebdomadarum recursibus dies dominicus, quo resurrexit Dominus, & petra erat Christus; vnde circuncisionis cultellus petrinus, & caro præputij corpus peccati:* idem significat, autor de vera Circuncisione, tom. nono operum D. Hierony. dicens, *cultello itaque petrino corporis nostri circuncidenda est natura. Petra autem Christus est, cuius amor cultellus est, quo crescẽte in nobis, seculi desideria decrescent.* Iusti; etiam Dialog. contra Thiphon. sic ait: *Iesus Christus omnes eos, qui volũt, circũcidit, iuxta prisca præsagia, cultris lapideis.* Fundamentum esse potest, vel quia hoc modo plenior est circuncisionis significatio, vt tactum est in verbis Augustini, vel certè quia, vbicunque Scriptura in particulari explicat materiam illius cultri, docet fuisse petrinam, vt Exod. 4. vbi Sephora sumpsit acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui, & Iosue 5. Vbi dixit Dominus ad Iosue. *Fac tibi cultros lapideos, & circuncides secundò filios Israel:* ergo signum est, hoc fuisse præceptum.

Magister.
Augustinus.
Autor operis de Vera Circuncis.
Iustinus.
Exod. 4.
Iosue 5.

Nihilominùs contraria sententia vera est, & cõmunis, scilicèt, nec de necessitate sacramẽti, nec de præcepto fuisse petrinum cultrum, sed ferreũ fuisse sufficiens. Ita tenet D. Thomas hic ad 2. & Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis. p. 12. c. 2. & communiter Doctores in 4. distinct. prima. & expositores Scripturæ citatis locis Genes. 17. & Iosue 5. Et est aperta sententia Iustini dialogo cum Triphone non longè à fine, cuius verba statim referam. Ratio seu fundamentum est, quia Genesis 17. vbi, & essentialis ritus, & præceptum circuncisionis traduntur, nulla fit mentio lapidei cultri: ergo non cadebat huiusmodi instrumẽtum sub præcepto: nam si quis præcisè faceret, quod eo loco cõtinetur, sine dubio satisfaceret illi præcepto. Et re vera, si Abraham vsus fuisset lapideo cultro ob aliquam significationem ex præcepto Dei, Scriptura non omisisset: nõ est ergo, cur id asseramus, neque de Abraham, nec de alijs Iudæis in communi vsu circuncisionis: quia nec nunc dicuntur vti petrinis cultris, sed ferreis. Quòd ergo Sephora vsa sit petra acutissima ad circuncidendum filium, non ob præceptum, ait Hugo, nec fortasse ob mysterium, sed ob festinationem, & timorem fecit: quia fortasse cultellum ferreum ad manum non habuit, & quia timebat, ne infans (vt putat Augustinus quæstio. 11. in Exodũ, & lib. 4. de baptismo cap. 24.) aut fortasse (vt existimabat Hieronymus ad Galatas 5.) ne Moyses ipse ab Angelo interficeretur, noluit differre, sed statim, quo instrumẽto potuit, filium circuncidit. Quòd verò in secunda circuncisione præcepit Deus Iosue vti cultris lapideis; potiùs est argumentũ ordinatio & frequenti vsu non fuisse solitam fieri circuncisionem illo instrumento; tum quia, si illud contentum fuisset in primo præcepto, non oportuisset tunc specialiter exprimi; tum etiam, quia hoc tunc specialiter factum est, propter singularem significationem & mysterium, quod notat Iustinus his verbis. *Beati nos circuncisi cultris lapideis circuncisione secunda: nam prima*

D. Thom.
Hugo.
Gene. 17.
Iustinus.
Hugo.
Augustinus.
Hieronymus.
Iustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa vestra, quia ferro facta est, & sit hodieque, permanet in vobis eadem cordis duritia, at nostra, quæ secunda post vestram circūcisionem numeratur, fit per acutos lapides, hoc est, per verbum Apostolorum illius angularis lapidis excisi sine manibus. In illa ergo secunda circunciſione ſignificatum eſt, poſt primam carnalem circunciſionem auturam fuiſſe ſecũdam ſpiritualem, per Chriſtum dandam, & ideo in illa ſola ſeruata eſt cultri lapidei ceremonia, quæ poſteà non eſt ſeruata, neque in vſum recepta; quia præceptum illud Ioſue 5. ſolùm pro illa vice, & ob ſpecialem ſignificationem datum eſt.

Ioſue 5.

Quod erat tempus ex præcepto circunciſionis præceptum.

Tertia pars illius ritus explicatur à Diuo Thoma in ſolutione ad tertium, quæ eſt de tempore ad circunciſionem præſcripto, quod conſtat fuiſſe octauum diem. In qua re primò certum eſt, illum diem fuiſſe neceſſarium neceſſitate præcepti per ſe loquendo; quod ideò dico, quia poterat interdum ex legitima cauſa differri, verbi gratia, ob ægritudinem, aut aliud periculum: ſic enim populus Iſrael in deſerto multo tempore fuit ſine vſu circunciſionis, quia propter continuum iter non poterat ſine multorum periculo conuenienter fieri, vt colligitur ex Ioſue 5. Non reputabatur autem ſufficiens cauſa ad differendam circunciſionem, quòd dies octauus in Sabbathum incideret: quia vna lex cum altera non pugnabat, nec per ſacramẽti vſum poterat Sabbathum violari, Ioannis 7. Secũdo probabilius cenſet Diuus Thomas hic, eum diẽ octauum ita fuiſſe de neceſſitate ſacramenti, vt ante illum exhiberi non poſſet: in quo ſequitur ſententiã Hugonis lib. 1. de Sacramẽtis, part. 12. cap. 2. quãuis in 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. artic. 3. non improbat ſententiam Magiſtri ibi; qui ſenſit imminẽre mortis periculo, potuiſſe circũciſionem ante octauum diem præueniri, tamen etiam ibi inclinat magis in ſententiam Hugonis, eamque confirmat autoritate Gloſſæ Prouerbiorum 4. circa illa verba, *Vnigenitus eram coram matre mea*, quæ ait, priorem filium Dauid ex Berſabe, non numerari, quia incircunciſus mortuus eſt ante octauum diem. Rationem etiam adhibet Diuus Thomas, quia præceptum, quod deſignat certum diem, non eſt implendum præueniendo diem; nam hoc potiùs eſſet illud tranſgredi, quod ſecus eſt de dilatione: nam ſi quis iam tranſgreſſus eſt differendo, debet quàm primum poſſe illud adimplere. Aliter etiam id probari poteſt, quia, cùm Deus illum diem deſignauit huic ſacramento, hoc ipſo voluit, neminem ante illam ætatem eſſe capacem eius, ſicut nunc dicimus de Extrema Vnctione, quæ pro ægrotantibus inſtituta eſt, neminem extra illum ſtatum eſſe capacem eius. Tandem eſt bona coniectura, quòd nulla poterat eſſe cauſa præueniendi circunciſionem, niſi periculum mortis: non erat autem pietati, nec miſericordiæ cõſentaneum, per circunciſionẽ maturare mortem infantis in tam graui periculo conſtituti; nam re vera, moraliter loquendo, hoc fuiſſet, illum interficere. Dices; ergo, ſi patet ex malitia, vel ignorantia filium ante octauum diem circuncidere, illud non fuiſſet ſacramentum, quia deeſſet illi aliquid eſſentiale: conſequens autẽ apparet falſum: quia aliàs neceſſariò priuandus eſſet ille infans perpetuò ſacramento circunciſionis; quia, vt ſæpè ait Auguſtinus, circunciſio iterari non poterat: quia illa particula ſemel abſciſſa ampliùs non reparatur, Et quod quidam Iudæi, aut Samaritani vti ſolebãt

Ioſue 5.

Ioan. 7. D. Thom.

Hugo.

Auguſtinus.

A inſtrumento ad pellem, ſeu autem extendendam, vt iterum circuncidi poſſent, improbum erat, & vt multi exiſtimant, à Paulo damnatum primæ ad Corinth. 7. dicẽte, *circunciſus aliquis vocatus eſt, non addueas præputium*, vt indicat Epiphanius lib. de menſuris & ponderibus poſt medium, vbi originem huiuſmodi abuſus recenſet. Reſpondetur, fortè poſſe probabiliter dici fuiſſe quidem de præcepto, vt dies ille non præueniretur, non tamen ita fuiſſe de neceſſitate ſacramenti, vt, ſi præueniretur, ſacramentum non eſſet validum, etiam ſi miniſter peccaret illud dando. Vnde Diuus Thomas nunquam dixit, eſſe de neceſſitate ſacramenti, ſed ſolùm non potuiſſe licitè præueniri, & Maior in 4. diſtinctio. 1. quæſtio. 5. abſolutè dicit, octauum diem non fuiſſe de neceſſitate ſacramenti, ſed fuiſſe neceſſarium neceſſitate miniſtri. Et idem ſignificat Paludanus ibi quæſtio. 5. art. 3. Secundò verò reſponderi poteſt, concedendo ſequelam, nam circunciſio data ante octauum diem erat ſimpliciter contra Dei inſtitutionem, & in ſubiecto incapaci, vnde non erat ſacramentum, nec ceremonia ſacra, ſed impia, & iniuſta pueri interfectio, vt dictum eſt, Neque erat inconueniens, puerum illum relinqui ſine proprio ſacramento circunciſionis, quia, quod ad remedium animæ ſpectat, poterat ei ſubueniri per ſacramentum legis naturæ, quod verò ſpectabat ad exteriorem characterem, idem erat, ac ſi per legitimum ſacramentum eſſet impreſſus. Sicut ſi aliquis Gentilis circunciſus, vt erat moris inter Aegyptios, & alios, voluiſſet ad Iudaiſmum tranſire, non poterat ei ſacramentum circunciſionis applicari, poterat tamẽ alijs modis ſuam fidem profiteri, & velle populo Iudæorũ aſcribi, & quaſi acceptare characterem, quem in ſua carne habebat impreſſum, tanquam ſignum diſtinctiuum Iudæorum ab alijs gentibus, & præfiguratiuum Chriſti ex illo populo venturi. Lege Auguſtinum Epiſtola 203. vbi de circunciſione Samaritanorum ferè in hunc modum philoſophatur.

1. Cor. 7.

Epiphanius Cerinthios 8. ſunt de neceſſitate præcepti, non ſacramẽti.

D. Thom.

Maior.

Paludanus.

Tertiò certum eſt, octauum diem non ita fuiſſe de neceſſitate ſacramẽti, quin circunciſio data poſt illum diem eſſet verum ſacramentum; imò neque ita fuiſſe de neceſſitate præcepti, quin ex legitima cauſa poſſet abſque peccato differri. Prior pars eſt certiſſima ex ſententia omnium Theologorum, cũ Hugone, Magiſtro, & D. Thoma locis citatis; & conſtat in ipſo initio inſtitutionis: nam Abrahã ſenex, & Iſmael tredecim annorum, & omnes viri domus eius, infantes & adulti, cuiuſcunque ætatis eſſent, dummodo octauum diem attigiſſent, circunciſi ſunt. Rurſus proſelyti, in quacunque ætate circuncidebantur, quando fiebant Iudæi, vt patet de Achior, Iud. 14. & Exod. 10. datur generalis facultas, vt omnis alienigena, qui vellet comedere Phaſe, circuncidi poſſet; & ideo Paulus circuncidit Timotheum, vt Iudæis ſatisfaceret. Actorum 16. ſigum ergo eſt, circunciſionem in quacunq; ætate datam, exiſtimatam fuiſſe validam à Iudæis. Dicere aliquis poſſet, hoc potuiſſe habere locum in aduenis, non verò in filijs Iudæorum, qui ob negligentiam parentum vltra octauum diem manerent in circunciſi: quia de tota poſteritate Abrahæ naſcitura poſt illã legem inſtitutũ eſt, vt octauo die circunciderẽtur; de illis verò, qui iam nati erant, quando inſtituta eſt circunciſio, & de aduenis poſteà adiungendis populo Iudaico per circunciſionem,

Magiſter. Hugo. D. Thom.

Iudith. 14. Exod. 10.

Actor. 16.

nem, non eſt præſcripta illa temporis determinatio. Reſpondetur, hanc fugam gratis eſſe confictã, tum quia non erat peioris cõditionis Hebræus incircunciſus, quàm Gentilis, vt hic cẽſeretur capax circunciſionis, & non ille; tum etiam, quia conditiones, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, generales ſunt. Tandem ratio à priori eſt, quia, licèt vſque ad octauum diem infans eſſet incapax ſacramenti circunciſionis, tamen ex eo die incipiebat eſſe capax; & ideò perpetuò manebat capax illius ſacramẽti, quãuis, per ſe loquẽdo, non deberet vltra diẽ illũ differri. Atq; hæc pars à fortiori patebit exequẽtis; quæ in primis probatur ex facto Iudæorum, qui per plures annos incircunciſi fuerunt, quandiu per deſertum peregrinabantur: neque enim dicendum eſt, eos tunc peccaſſe tranſgrediendo legem circunciſionis; tum quia non eſt credibile Moyſen, & alios viros ſanctiſſimos, publicum illud & generale peccatum eſſe permiſſuros; tum etiam, quia nunquam Deus propter illam cauſam eos puniuit, aut reprehendit: tum tamen propter minora & priuata peccata ſoleret id facere, & grauiſſimè. Neque eſt veriſimile, quod Maior, & alij dicunt, illud factum eſſe ex ſpeciali diſpenſatione diuina: nullibi enim de tali diſpenſatione conſtat, neque Ioſue 5. alia cauſa illius dilationis redditur; niſi quia per quadraginta annos iter latiſſimum egit populus in ſolitudine; nulla ergo interceſſit diſpenſatio, ſed ipſa rationabilis cauſa ſufficiens fuit ad excuſandos illos ab obligatione: hæc autem cauſa duplex aſſignari ſolet. Prima ex Damaſceno lib. 4. de fide, cap. 26. quia, cum populus tunc verſaretur in deſerto, ſatis erat ſegregatus à cæteris populis abſque circunciſione. Sed hæc ratio, licèt poſſit nonnihil iuuare adiuncta altera, tamen non eſſet per ſe ſufficiens ad excuſandum à præcepti obligatione: quia ceſſante fine legis ſolùm negatiuè, non ceſſat obligatio legis. Secunda ergo, & ſufficiens ratio eſt: quia ſemper erant quaſi in continuo motu, & ideo non poterant circuncidere infantes ſine graui illorum detrimẽto. Idem ergo iudicium ferendum eſt de quouis ſimili caſu, vel generali, vel particulari. Et ratio eſt, quia lex poſitiua, etiam diuina, eſt ſuauis & accommodata humanæ fragilitati; & ideò non obligat cum tanto vitæ diſcrimine, niſi in ipſa lege exprimatur, vel ex fine eius ſatis certò colligatur, hanc eſſe intentionem legiſlatoris: neutrum autem in præſenti locum habet, vt de ſe conſtat. Dices; ergo facta huiuſmodi dilatione neceſſe eſt, manere infantem, vel etiam adultũ toto illo tempore ſine remedio originalis peccati, & conſequenter etiam mori abſque tali præcepto; hoc autem videtur inconueniens, & contra finem illius inſtitutionis. Reſpondetur, ſimpliciter negando ſequelam, quia circunciſio non erat remedium abſolutè neceſſarium, vt ſæpè dictum eſt: poterat ergo in eo caſu adhiberi ſacramentum legis naturæ, ne infans tandiu maneret in ſtatu peccati, & adulti per contritionem poterant iuſtificari, & ideò non erat magnum inconueniens, quòd ſine circunciſione morerentur, ſi iuſta ex cauſa illã prætermittebant. Atq; ita ferè reſpondet Diuus Thomas in quarto, diſtinctione 2. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncula prima, ad tertium, agẽs de Iudæis, ſi qui fortè in deſerto incircũciſi mortui ſunt: nã idem, inquit, dicendum eſt de eis, quod de his, qui antè circunciſionis inſtitutionem moriebantur: addit

Maior.

D. Thom.

Pſal. 104. Ioſue 5.

Cyprianus.

Inſtinus. Cyprianus. Hieronymus. Ambroſius. Auguſtinus.

Quo loco fiebat circunciſio.

Abraham.

Ioſue. Ioãnes Bapt. Chriſtus. Miniſter circunciſionis.

tamen incertum eſſe, an aliqui incircunciſi mortui fuerint in deſerto: quia, vt dicitur in Pſalmo 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus*, & Ioſue 5. ſolùm dicitur, mortuos fuiſſe in deſerto omnes, qui exierant de Aegypto, qui omnes circunciſi erant.

Quartò, reddit Diuus Thomas rationem huius circunſtantiæ diei octaui, & literalis quidem fuiſſe videtur, quia ante illum diem propter ætatis teneritudinem non poſſent infantes ſine periculo circuncidi; ab illo autem die iam erant ſufficienter validi, ſeu conſolidati, vt poſſent vulnus illud, & dolorem ſine periculo ſuſtinere; non debuit autem vltra differri, vel (vt quidam aiunt) ne nimium obduraret ut caro, & dolor eſſet vehementior, vel certè, quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, & ideò nõ debuit remedium animæ differri, poſtquàm iam caro erat idonea ad ſuſtinendum illud.

B Addit Cyprianus dicto ſermone de ratione Circunciſionis, *inſſam eſſe partem illam, etiam in paruulis, amputari, vt proprij principia ſanguinis ei, qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent, & communia ſingulorum ſacrificia ſingulare præcederent holocauſtum*; ex quibus verbis colligi etiã poteſt ratio fortaſſe non improbanda, ſcilicet, iuſſum eſſe ſanguinem infantium effundi, quàm primùm commodè poſſet, vt Chriſtus quaſi ex illo præcepto occaſione ſumpta poſſet ſtatim in infantia pro nobis ſanguinem ſuũ fundere, ſtatim ac ſine periculo mortis poſſet: quia non expediebat eum tunc mori, & tamen oportebat, vt ſtatim ſoluere inciperet pretium ſanguinis ſui, copioſè poſteà effundendi. Myſtica verò ratio eſt, quia per octauum illum diem circunciſionis ſignificatur dies reſurrectionis, in quo omni vetuſtate exuta, natura noſtra perfectè renouabitur, & mortalitate prorſus expoliabitur. Chriſtus enim die Dominica, quæ eſt octaua poſt hebdomadam completam, reſurrexit, & omnes homines poſt ſeptimam mũdi ætatem in octaua reſurrecturi ſunt: & ideo per octauam diem perfectio gratiæ & gloriæ deſignatur, vt ſignificat Iuſtinus in Dialogo cum Triphone, Cyprianus Epiſtola 59. Hieronymus Amos 5. & Oſeæ 3. Ambroſ. lib. de Abraham Patriar. c. 11. & Auguſtinus 16. contra Fauſtum, cap. 29. & 2. lib. de gratia Chriſti, cap. 31.

Vltimo inquiri poteſt de alijs circũſtantijs, quas Diuus Thomas omiſit, nec ſine cauſa: quia ſicut de eis nihil ſcriptum eſt, ita earũ obſeruatio nihil ad ritum circunciſionis ſpectabat. Quædam ex his circunſtantijs eſſe poteſt, locus, de quo nihil per legẽ circunciſionis præſcriptum erat, vt conſtat ex Geneſis 17. Nec poſteà in lege ſtatutũ fuit, vt in templo fieret; quomodo enim poterant infantes omnes in templum adduci infra octauum diem? præſertim ex remotioribus locis: neque etiam oportebat circunciſionem fieri in ſynagoga, vel alio ſimili loco. Vnde Abraham primam circunciſionem in domo ſua celebrauit, Sephora filium ſuum circuncidit in diuerſorio, Ioſue circuncidit populum in Galgalis, Ioannes Baptiſta in domo patris Zachariæ circunciſus eſt, Chriſtus verò in Bethlehẽ. Itaque quoad hanc circunſtantiam nihil peculiare habemus de ritu circunciſionis. Altera circunſtantia eſſe poteſt, miniſter; & de hoc etiam nihil peculiare ſtatutum fuit: nam Geneſ. 17. ſolùm dicitur, *Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputij veſtri*; & nihil aliud in particulari traditur, neque ibi, neque in tota lege. Vnde interdum

Universidad de Deusto Biblioteca

dum legimus, viros circũcisionem effecisse; vt de Abraham in prædicto loco: interdum verò fœminas, vt de Sephora Exod. 4. & de alijs. 1. Machabæorum 1. & probabile est, potuisse adultum se ipsum circuncidere: quia neque ex verbis legis, neque ex vsu potest aliud colligi, vt notauit Abulensis Iosue 5. quæst. 44. Abraham enim se ipsum circuncidit, vt constat ex Genesis 17. quanuis de nullo alio id legatur; nam potius ibi dicitur Abraham circuncidisse reliquos viros domus suæ, & Iosue dicitur circuncidisse reliquum populum. Iosue 5. Reliquæ verò circuncisiones, quia fiebant in infantibus, necesse erat per alios fieri, solùm de Achior legitur Iudith. 4. *Relicto gentilitatis errore credidit Deo, & circuncidit carnẽ præputij sui*: quæ verba possent verificari, etiam si ab alio fuerit circuncisus: itaque etiam de hoc nihil constat fuisse lege præscriptum. Vnde non solùm à iusto, sed etiam à prauo ministro, nec solùm à fideli, sed etiam ab infideli, dari poterat circuncisio, etiam quoad veram rationẽ sacramenti, dummodo fieret intentione consecrãdi puerum, seu hominem circuncisum Deo, seu faciẽdi quod Deus instituit, & præcepit Abrahæ, seu faciendi quod faciebant Iudæi, de quo satis diximus suprà, tractando in genere de ministris sacramentorum. Atque hoc sensu sapiẽter dixit hoc loco Sebastianus Oxomensis Episcopus, Circuncisionem, quatenus fuit remedium, quo remitteretur originale peccatum, & professio fidei de Christo venturo, potuisse esse in vsu omnium gentium: poterant enim hoc externum signum eligere inter alia; & sine dubio esset validum ad prædictum effectum, si ea intentione fieret, quanuis nõ fieret cum intentione se se obligandi ad Iudaismum, seu profitendi illam legem, seque illi populo adiungendi, quo modo de circũcisione loquitur Paulus ad Galatas 5. Vltima ceremonia esse poterat nominis impositio, quæ fiebat in die octauo, finita circuncisione, sicut nunc fit in baptismo, de qua re satis diximus superiori tomo ad quæst. 37. Diui Thomæ. Dicunt autem quidam, solitum fuisse nomen imponi à matribus propter ea, quæ leguntur de Rebecca & Lia. Genes. 29. & 30. & de matre Samsonis Iudicum 13. sed hoc non est generatim intelligendum: quia, cùm vir caput sit mulieris, & præcipuus in generatione filiorum, sicut ad eum præcipuè spectat eorum gubernatio, ita & nominis impositio. Neque verisimile est, in lege veteri priuatum fuisse virum hoc iure: nullum enim est fundamentum ad hoc asserendum, & prætereà fuisset quidam abusus patriæ potestatis. Vnde Lucæ 1. cũ Elisabeth vellet, vt nomen Ioannis filio suo imponeretur, idque cæteris cognatis nouum in ea familia videretur, *innuebant patri eius, quem vellet vocari eum*, & Matthæi primo, dixit Angelus Iosepho, *Et vocabis nomen eius Iesu*: quia, licèt pater eius non esset, patris tamen munere functurus erat: per se igitur hoc ad patrem pertinebat; interdum verò potuit mater nomen eligere seu imponere, patre non repugnante, sed potius consentiente; neque aliud ex citatis Scripturæ testimonijs colligi potest.

[*Abraham. Sephora. — Abulensis. — Achior. — Sebastianus Oxomensis Episcopus. — Galat. 5. Minister circuncisionis. Cantapetrensis lib. 2. Hypotyposeon, cap. 1. — Luc. 1. — Matth. 1.*]

A

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm circuncisio conferebat gratiam iustificantem.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd circuncisio non conferebat gratiam iustificantem, dicit enim Apostolus Gal. 2. Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est, id est, sine causa. Sed circuncisio erat quædam obligatio legis implendæ; secundum illud Galat. 5. Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Ergo, si ex circuncisione est iustitia, Christus gratis, id est, sine causa, mortuus est. Sed hoc est inconueniens: non ergo ex circuncisione erat gratia iustificans à peccato.

[*Sup. q. 62. ar. 6. an. 3. & 4. d. 1. q. 1. art. 4. & vers. 4. 18. art. 2. ad 12. & 20. 4. le. 2. col. 3. & ca. 9. le. 5. 1. fin.*]

B

¶ 2 Prætereà, Ante institutionem circuncisionis sola fides ad iustificationem sufficiebat, dicit enim Gregorius * in Mora. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides. Sed virtus fidei non est imminuta per mandatum circuncisionis: ergo sola fides paruulos iustificabat, & non circuncisio.

¶ 3 Prætereà, Iosue 5. legitur, quòd populus, qui natus est in deserto, per quadraginta annos incircuncisus fuit. Si ergo per circuncisionem auferebatur peccatum originale, videtur, quòd omes qui in deserto mortui sunt, tam paruuli, quàm adulti, fuerint damnati. Et eadem obiectio est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem circuncisionis, quæ præueniri non debebat, vt dictum est. *

C

[*Ar. 3. ad 3. argum.*]

¶ 4 Prætereà, Nihil impedit introitum regni cælestis, nisi peccatum. Sed circuncisi ante passionem Christi impediebantur ab introitu regni cælestis. Non ergo per circuncisionem homines iustificabantur à peccato.

¶ 5 Prætereà, Peccatum originale non dimittitur sine actuali, quia impium est à Deo dimidiam sperare veniam, vt Augustinus * dicit. Sed nusquam legitur, quòd per circuncisionẽ remitteretur actuale peccatum. Ergo etiam neque originale per eam dimittebatur.

D

[*In lib. de vera & falsa pœn. c. 9. non longe à prin. tom. 4. Lib. 2. de nuptijs, & concup. ca. 11. tom. 7.*]

SED contra est, quod Augustinus † dicit ad Valerium contra Iulianum: Ex quo instituta est circuncisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei iustitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo cœpit valere tempore ad innouationem hominis, ex quo institutus est.

RE-

RESPONDEO dicendum, quòd ab omnibus communiter ponitur, quòd in circuncisione peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerũt, quod non conferebatur gratia, sed solùm auferebatur peccatum, quod Magister ponit in prima distinctione * 4. sententiarum, & Roman. 4. in glos. * Sed hoc non potest esse, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam, secundũ illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam. Et ideo alij dixerunt, quod per circuncisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remissionis culpæ, sed nõ quãtũ ad effectus positiuos, ne cogerentur dicere, quod gratia in circuncisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, & ita superfluus fuerit aduentus Christi. Sed hæc etiam positio stare nõ potest. Primò quidem, quia per circuncisionem dabatur pueris facultas suo tempore perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ. Secundò, quia priores sunt naturaliter secundùm ordinem causæ formalis, effectus positiui, quã priuatiui, licèt secundũ ordinem causæ materialis sit è conuerso, forma enim nõ excludit priuationem, nisi informando subiectũ. Et ideo alij dixerunt, quod in circuncisione conferebatur gratia, etiam quantùm ad aliquem effectum positiuum, qui est, facere dignum vita æterna, sed non quantùm ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendũ mandata legis, quod etiam aliquando mihi visum est. Sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim caritas plus diligit Deum, quã cupiditas millia auri & argenti. Et ideo dicendũ est, ꝙ in circuncisione cõferebatur gratia, quãtũ ad omnes gratię effectus, aliter tamen quã in baptismo. Nã in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quã habet, in quantum est instrumẽtum passionis Christi iam perfectæ. + In circuncisione autem conferebatur gratia, nõ ex virtute circuncisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signũ erat circuncisio, ita scilicet, quod homo, qui accipiebat circuncisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dicit Roman. 4. quod Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quia, scilicèt, iustitia erat ex fide significata, non ex circuncisione significante. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circuncisio: ideo baptismus imprimit characterẽ: incorporat enim hominem Christo, & copiosiorem gratiam confert, quàm circuncisio, maior enim est effectus rei præsentis, quàm spei.

[*Li. 4. in §. pen. dist. ordi. super illud, Signum accepit circuncisionis.*]

[*Alias circuncisione autem cõferebatur gratia inquantũ erat signũ fidei passionis Christi futuræ.*]

AD primũ ergo dicendũ est, quod ratio illa procederet, si ex circuncisione esset iustitia aliter, quàm per fidẽ passionis Christi.

AD secundum dicendum, quod sicut ante institutionem circuncisionis, sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quã adultos, ita etiam & circuncisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signũ protestatiuum huius fidei, quia nondum homines fideles, seorsum ab infidelibus cœperãt adunari ad cultum vnius Dei. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant.

AD tertium dicendum, quod populus in deserto prætermittens mandatum circuncisionis, excusabatur: tum quia nesciebant, quando castra mouenda erant, tum quia (vt Damascen. * dicit) non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab alijs populis habitabant. Et tamen, vt Aug. * dicit, inobedientiam incurrebãt, qui ex contemptu prætermittebant. Videtur tamen, quod nulli incircuncisi mortui fuerint in deserto, quia, vt in Psal. 104. dicitur, nõ erat in tribubus eorum infirmus: sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Ægypto circuncisi. Si tamen aliqui incircuncisi mortui sunt, eadem ratio est de his, & de his qui moriebantur ante circuncisionis institutionem: Quod etiã intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis.

[*Damasc. li. 4. cap. 16. circa princ. In lib. q. su. Iosue cap. 5. à med. tom. 4.*]

AD quartum dicendum, quod in circuncisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ, remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum cælorum ex parte totius naturæ, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed & circuncisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

AD quintum dicendum, quod adulti, quando circuncidebantur, consequebantur remissionem, non solùm originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamen ita, quod liberarentur ab omni reatu pœnæ, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

Materia

Universidad de Deusto Biblioteca

Materia huius articuli fusè satis tractata est suprà in materia de sacramentis in genere: circa literam autem Diui Thomæ nihil necesse est addere, præter ea, quæ in præcedentibus dicta sunt.

QVÆSTIO LXXI.

De præparatorijs, quæ simul concurrunt cum baptismo, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandū est de præparatorijs, quæ simul concurrūt cum baptismo.

¶ *Et circa hoc quæruntur quatuor.*

Primo, vtrùm catechismus debeat præcedere baptismum.

Secundo, vtrùm baptismum debeat præcedere exorcismus.

Tertio, vtrùm ea, quæ aguntur in catechismo & exorcismo, aliquid efficiant, vel solùm significent.

Quarto, vtrùm baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.

DISPVT. XXX.

De ritu ac circunstantijs, seu ceremonijs in solemni baptismo obseruandis.

Postquàm dictum est de essentia & omnibus causis, ac effectibus baptismi, superest, vt de ceremonijs, quæ sunt veluti accidentia, siue proprietates eius, pauca dicamus. Supponimus autem, baptismum in Ecclesia duobus modis celebrari posse; primo, priuatim & absque speciali solennitate, & tunc nullum specialem ritum requirit præter ea, quæ sunt de essentia; quia, vt sæpè dictū est, in quouis loco, quouis tempore, à quacunque persona ministrari potest, dummodo necessitas id requirat. Secundò datur baptismus publicè & solenniter adiunctis quibusdam ceremonijs ab Ecclesia institutis, quarum antiquitas & ratio explicanda à nobis est. Et has ceremonias vocat hic Diuus Thomas præparatorias ad baptismum, quas dicit simul cum illo concurrere, non quia omnino eodē tempore fiant; quædam enim antecedunt, aliæ comitantur, aliæ verò baptismum subsequuntur: tamen, quia proximè ad illum ordinantur, moraliter dicuntur simul cum illo fieri. Quoniam verò Diuus Thomas solùm de quibusdam ex his ritibus in particulari differit, visum est, nonnulla priùs in communi præmittere, vt res tota meliùs & copiosiùs comprehendatur.

SECTIO I.

Quibus de causis, seu ad quos effectus institutæ sint ceremoniæ baptismi.

Cum hæretici omnes Ecclesiæ ceremonias generatim contemnant, multò tamen magis has irridēt, quas in baptismo seruat Ecclesia, maximè propter earum multitudinem, quæ A videtur valdè onerosa & inutilis, & specialiter, quia quædam earum videntur nimis superstitiosæ, & non solùm inutiles, verùm etiam contemptibiles, vt sunt gustus salis, tactus narium, & aurium saliua. Addunt, in primitiua Ecclesia simpliciori, modo, absque huiusmodi obseruationibus, datum esse baptismum: nam quocūque tempore & loco, in fluuijs & fontibus, baptizabantur credentes, vt ex Actor. 8. & 16. colligi potest, & tractat Vualfredus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. 26.

Act. 8. et 16. Vualfredus Strabo.

Conueniens fuit baptis. in Ecclesia solenni aliquo ritu celebrari.

Dicendum verò est, conuenientissimum fuisse, vt baptismus solenni aliquo ritu in Ecclesia traderetur. Hæc conclusio est de fide, ad quam confirmādam sufficit Ecclesiæ autoritas, vsus, perpetuaque traditio, de qua statim in particulari plura afferemus. Videri etiam possunt suprà tractata disputatio. 15. sectio. 2. vbi in genere rationes sacramen-B talium rituum indicauimus. Nunc solùm explicandæ magis sunt causæ, ob quas hic vsus ceremoniarum magis quodammodò in baptismo, quā in alijs sacramentis obseruatus, & auctus est; plures enim ceremoniæ in hoc sacramento ministrando, quàm in cæteris obseruantur. Possunt autem hæ causæ ad quatuor capita reduci, quæ sunt instructio, significatio, efficacia, ornatus seu decentia, aut reuerentia sacramenti. Primò enim per hoc sacramentum regeneratur homo, & à dæmonis potestate ad Dei cultum & amicitiam traducitur, & ab infidelitate ad fidem, & in Ecclesiæ gremium recipitur: oportet ergo, vt priùs instruatur & disponatur: ad hunc ergo finem maxima pars harum ceremoniarum ordinatur, vt de Catechismo docet Diuus Thomas statim articulo 1. de quo ibi plura afferemus. Secundò, oportuit, nō solùm doctrina & ver-C bis, sed etiam rebus ipsis, & actionibus significari mysteria, quæ in baptismo continentur, vel propter ipsum baptizatum (si sit adultus) vel saltem propter alios fideles, qui sensibilibus signis indigent, quibus excitentur ad intelligenda supernaturalia mysteria, vt ea possint faciliùs memoria retinere: hac ergo de causa adhibitæ sunt multæ ceremoniæ propter significationem, vt docuit Augustinus 1. lib. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 26. & alijs locis, quæ in dicta disputatione 15. citaui, & in sequētibus omnia hæc signa breuiter exponemus. Tertiò, nonnullæ ex his ceremonijs creduntur adhibitæ propter efficaciam alicuius spiritualis effectus; qui duplex excogitari potest, scilicèt ablatio alicuius mali, seu impedimentorum, quæ, vel sacramentum, vel effectum eius impedire possunt, vel collatio, seu impetratio alicu-D ius boni. Propter priorem effectum censetur institutus exorcismus, de quo Diuus Thomas artic. 2. quanuis Altisiodorensis lib. 4. Summæ. tractatu 3. cap. 1. quæst. 1. censeat solùm adhiberi propter significationem, præsertim in baptismo infantium. Alij verò tantam censent esse huius exorcismi efficaciam, vt minuat pœnam peccato originali debitam, si fortè, qui exorcizatur, ante susceptum baptismum moriatur. Sed hoc valdè friuolum est; tum quia reatus pœnæ non minuitur, si culpa eadē semper maneat, tum etiam, quia pœna originali peccato debita minima est, & suo modo indiuisibilis. Si quam ergo efficaciam habent hæ ceremoniæ in deliberando à malo, solùm est, quoad coercendam Dæmonis potestatem circa hominem baptizandum. Et hoc sensu dicitur dæmon ab illo expelli,

Redditur quadruplex ratio ceremoniarum baptismi.

D. Thom.

Augustinus.

D. Thom. Altisiodor.

expelli, non quia semper ante baptismum homo sit A obsessus à dæmone, sed quia ratione originalis peccati quodammodò est eius potestati traditus, & ampliorem facultatem, seu licentiam accepit, hominem affligendi ac tentandi: hæc igitur eius potestas arcetur, atque impeditur per exorcismum, ne vlla ratione noceat homini baptizando, eumque à sacramento suscipiendo impediat; qui effectus fortasse non obtinetur solùm pro eo tempore, quo datur baptismus, sed etiā in futurum. Alter effectus, quasi positiuus per collationem alicuius doni, difficiliùs explicatur; docet tamen hunc effectum Diuus Thomas hic artic. 3. ad quartum, vbi ait, *Inunctio, quæ fit in vertice, operatur conseruationem gratiæ baptismalis*; vbi Caietanus ait, posse hoc intelligi, vel per remotionem impedimenti tentantis dæmonis, vel per excitationem alicuius boni motus; sed prior effectus magis pertinet ad exorcismum; posterior verò, neque in paruulis locum habet, neque in adultis videtur posse sufficienti fundamento affirmari, vt Durandus, Paludanus, & alij Scholastici notarunt; quapropter incertus satis est hic effectus. Sed oportet recolere, quod suprà de sacramentis in genere diximus, hanc efficaciam nō esse propriè ex opere operato, neque ex solo merito operantis, vel ministri, vel hominis baptizādi, vel aliorum astātium, sed fundari in impetratione totius Ecclesiæ, cuius nomine & autoritate hæc omnia fiunt: fieri ergo potest, vt, sicut Ecclesia impetrat per hæc sacramentalia, vt Deus coerceat dæmonis potestatem, ita etiam impetret bonum animæ motum ad resistendum illi, & gratiam conseruandam: qui motus, vel statim detur, si homo fuerit capax, & illo indigeat, vel posteà tempore opportuno; atque ita poterit hic effectus habere locū C in infantibus, vt magis ex his, quæ dicemus, in singulis ceremonijs constabit. Quarta causa, seu ratio harum ceremoniarum est, propter decentiam & ornatum tanto sacramento debitum: cùm enim hoc sacramentum sit Ecclesiæ ianua, & prima solennis fidei professio, decuit maiori pompa & celebritate fieri. Deinde, quia substantialis ritus huius sacramenti est simplicissimus, & paucissimis rebus, & vulgaribus, ac communibus perficitur: quia ita fieri oportuit propter huius necessitatem: vt ergo maiori reuerentia tractaretur, & ne apud rudiores homines vilesceret, oportuit debito ceremoniarum cultu celebrari.

D. Thom.

Caietanus.

Durandus. Paludanus.

Ad hæreticos ergo nihil est, quòd respōdeamus: quia nihil objiciunt, quod ratione vel autoritate nitatur: negatur enim, hunc ceremoniarum ornatum esse, vel nimis onerosum, vel inutilem: neque D enim tanta est rituum multitudo, quin possit facilè obseruari ab Ecclesiæ ministris, quos oportet in huiusmodi rebus satis esse instructos: quæ verò in his rebus sit vtilitas iam explicatum est, magisque ex dicendis cōstabit, vbi singulas ceremonias à calumnijs hæreticorū vindicabimus. Nec quidquam valet argumentum sumptum ex initio Ecclesiæ; quādo cœpit baptismus ministrari: quia tunc Ecclesia non erat satis fundata, & aliunde non erat tanta necessitas propter spiritus abundantiam: de qua legi potest egregius locus apud Ambrosiū, circa ad id Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidē Apostolos, &c.* Quanquam etiam tunc non omnino defuerunt huiusmodi ceremoniæ, sed à principio aliquæ obseruatæ sunt, saltem quoad substantiam ca- A rum, vt sunt illæ, quæ pertinent ad cathechismum, seu instructionem baptizandorum: reliquæ verò paulò post institutæ sunt, vel Apostolorum tempore, vel propè illud, vt ex antiquissima traditione constat, quam prædicta disputatione 15. tetigimus, & in sequentibus copiosius indicabimus.

SECTIO II.

Quinam sint, quàmue antiqui ritus in baptismo solenni obseruandi.

Ritus omnes, seu ceremoniæ, quas in solenni baptismo seruat Ecclesia, conuenienti ordine distingui possunt iuxta numerum circūstantiarum, quæ à Philosophis moralibus tradi so-B lent, quæ sunt; quis, quid, circa quid, quibus auxilijs, quo modo, vbi, quando: omitto circunstantiā, propter quid; nam hæc, nō tam pertinet ad ipsum opus externum, quod debitis circunstantijs vestiri debet, quàm ad interiorem voluntatem, seu rationem operandi. In his ergo circunstantijs omnibus concurrit aliquid de ceremonijs baptismi considerandum, & ideò per singulas breuiter discurremus.

Quænā consuetudo fuit circa tēpus celebrādi baptismū.

Primò ergo, à notioribus, & facilioribus incipiendo, circa temporis circunstantiam fuit olim ab Ecclesia statutum, vt baptismus duobus tantum anni dieb[us], Sabbatho, scilicèt, Paschæ, & Pentecostes celebraretur, nisi ob necessitatem vrgentem: nam in casu necessitatis nulla vnquam fuit, nec prudenter esse potuisset vlla temporis limitatio determinata. Hanc veterem consuetudinem obseruauit C Diuus Thomas suprà quæst. 66. artic. 10. quem in hunc locum explicandum remisimus: & colligitur ex antiquissimis decretis, quæ leguntur apud Gratianum de Consecratione. distinct. 4. capitulo Baptizandi, ex Gelasio Papa in epistola ad Episcopos Lucaniæ. capitul. 12. & ex Concilio Parisiensi, cap. 7. & in capitu. de Catechumenis ex Concilio Gerundensi, capitulo 4. & capitulo. Duo tempora. & capitulo Si quis, ex Leone Papa, epistola 4. vbi vbi hoc grauissimè præcipit; atque idem habet in epistola 6. Item in capitulo, Non ratione, ex Syricio Papa in epistola prima ad Himerium Tarraconensem Episcopum: alia decreta refert Burchardus libro 4. sui decreti, capitulo 3. 6. & 7. ex Victore Papa, epistola ad Alexandrinos, & Concilio apud Compendium, capitulo 3. & ex Concilio Vormatiensi capitulo 10. Eiusdem consuetudinis me-D minit Tertullianus libro de Baptismo, capit. 9. & libro de corona militis, capitulo tertio. & Hieronymus epistola 61. ad Pammachium, contra errores Ioannis Hierosolymitani circa finem, & in illud Zachariæ 14. *Exibunt aquæ viuæ de Hierusalem. Mali*, inquit, *ad baptismum referunt aquas viuentes, quas in vere & æstate*, hoc est, in Pascha, & Pentecoste, *sitientibus largiendæ sunt*. Ambrosius ad Ephesios 4. *Neque quacunque die*, inquit, *credentes tinguntur, nisi ægri*. Eadem consuetudo colligitur ex Gregorio Turonensi, libro quinto Historiæ, capitulo vndecimo. & libro sexto, capitulo 27. Augustino in lib. de symbolo ad Catechumenos, & in epistola Chrysostomi ad Innocentium, quam etiam refert Nicephorus libro 13. Historiæ, capitulo 19. & ex Alcuino de Ecclesiasticis officijs, capi-

D. Thom.

Gratianus. Gelasius Pap. Conc. Parisië. Conci. Gerundense. Leo Papa. Syricius pap.

Burchardus. Victor. Papa. Cōc. Vormat.

Tertullianus. Hierony.

Ambrosius.

Greg. Turo. August.

Chrysostom. Nycephorus. Alcuinus.

Universidad de Deusto Biblioteca

capitulo de Baptiſmo Domini, & capitulo de Sabbatho ſancto. Quin potiùs videtur colligi ex Concilio Matiſconẽſi, capitulo 3. alicubi obſeruatum eſſe, vt tantùm in feſtiuitate Paſchæ baptiſmus traderetur. Vnde etiam Socrates libro 5. Hiſtoriæ, capitulo 19. refert, in Theſſalia ſolùm in Paſchate baptiſma dari cõſueuiſſe; indeque eueniſſe, vt multi ſine baptiſmo decederent. Fauet etiam Ambroſius libro de myſterio Paſchæ cap. 5. Sed hi autores, quãuis his locis nõ faciãt mẽtionẽ Pẽtecoſtes, non tamen illud tempus excludunt: nam & Rupertus libro 4. de diuinis officijs, capitulo 18. abſolutè dicit, fuiſſe conſuetudinem in Eccleſia baptizãdi tantùm in Paſchate, & tamẽ poſteà libro 10. capitulo 2. addit, eandem conſuetudinem fuiſſe in Pentecoſte obſeruatam. Sunt autem qui exiſtiment, non tantùm in diebus Sabbathi Paſchæ, & Pentecoſtes, ſed in omnibus diebus vtriuſque Paſchalis hebdomadæ fuiſſe conſuetum, baptiſmum celebrari, ex Rhenano annotationibus in Tertullianum locis citatis. Sed contrarium colligitur ferè ex omnibus locis adductis, & ex veſtigijs illius antiquitatis, quæ adhuc in Romana Eccleſia permanent. Imò & Alcuinus horam baptiſmi deſignat, ſcilicèt, horam diei nonam, vel, quia ea hora Chriſtus obijt, vel, quia ea hora Petro oranti reuelatum eſt, vt gentes ad baptiſmũ reciperet, & Cornelium baptizaret. Rationes autem huius inſtitutionis attingunt Leo Papa, Tertullianus, D. Thomas, & alij Patres ſuprà citati, ſcilicèt, quia baptiſmus ex paſsione Domini habet efficaciam delendi peccata, & ad inſtar reſurrectionis eius nos transfert de morte ad vitam, & ideò meritò eo die celebratur, quo paſsio Domini conſummata eſt, & reſurrectio. Addebatur verò dies Pentecoſtes, vel, quia toto illo tempore reſurrectio Domini, & Paſchalis feſtiuitas celebratur, ibique conſummatur, vel, quia tunc gratia Spiritus ſancti copioſiùs diffuſa eſt, vel, quia tunc baptiſmus ab Apoſtolis publicè prædicari, & miniſtrari cœpit. Hæc autem conſuetudo vſque ad tempora Caroli Magni durauit, vt Rhenanus, & Pamelius annotationibus in librum Tertulliani de baptiſmo adnotarunt, poſteà verò aboleri cœpit, iamque omnino antiquata eſt, quantum ad obligationem præcepti ſpectat: nam quantum ad obſeruantiam, ob antiquitatis reuerentiam, & memoriam, adhuc Romæ huius conſuetudinis veſtigia ſeruari videmus; nam licèt alijs etiam temporibus anni baptiſmata celebrari conſueuerint, tamẽ illis duabus feſtiuitatibus ſpeciali, vt par eſt, ſolennitate fiunt. Ratio autem, ob quam hic mos mutatus eſt, facilè ſumi poteſt ex Ruperto Abbate libro 4. de diuinis officijs, capite 18. dicente, *Poſtquàm Chriſtianitas creuit, & ſagena illa verbi Dei piſcibus impleta eſt, quia periculoſum erat tantam multitudinem differri, propter occaſiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ ſunt, maximè propter turbam infantium ex fidelibus parentibus naſcentium, quorum tenera vita perſæpe leui occaſione ſuccidItur, viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ, paſsim indulgentia baptizandi conceſſa, cuncta anteuenire pericula.* Quocircà, quod ad hanc circunſtantiam ſpectat, nullus iam ſpecialis ritus, aut ceremonia ſeruari in Eccleſia conſueuit; ſed quoduis tempus aptum eſt baptiſmi ſacramento. Vnde, ſi baptizandus ſit infans, baptizandus eſt, quàm primùm ſine mortis probabili & morali periculo baptizari poſsit, nulla enim ætas, etiam vnius diei, inepta eſt baptiſmo, vt rectè Diuus Cyprianus epiſtola 89. & Beatus Auguſtinus epiſtola 28. ſi verò ſit adultus, cùm primùm fuerit conuenienter inſtructus, atque diſpoſitus, baptizandus eſt, nec differendus eſt baptiſmus, quoad commodè fieri poſsit, vt latè tractant Gregorius Nazianzenus oratione 40. & Baſilius in exhortatione ad baptiſmum.

Conc. Matiſconenſe. Socrates. Ambroſius. Rupertus. Rhenanus. Alcuinus. Leo Papa. Tertullianus. D. Thom. Rhenanus. Pamelius. Rupertus. Quoduis tempus aptum eſt baptiſmo.

Secunda circunſtantia eſt, locus, de qua conſtat, nec ex natura rei, neque ex diuino iure quidquam eſſe præſcriptum. Vnde olim in fluuijs, fontibus, in priuatis domibus, & alijs locis ſimilibus baptizabantur fideles, vt ex Actorum 2. 8. 10. & 16. colligi poteſt. Quanuis autem diuina lex nihil circa hoc in particulari ſtatuerit, aut decreuerit, tamen, quia baptiſmi ſacramentum res eſt admodùm ſacra, & prima ac ſolẽnis Chriſtianæ religionis profeſsio; ideò, poſtquã res Eccleſiaſticæ ad cõueniẽtem ordinem reduci potuerunt, meritò certa ſunt loca deſignata, vt in eis baptiſmus adminiſtraretur, quæ olim baptiſteria dicebantur, vt cõſtat ex Concil. Antiſiodorenſi ſub Deus dedit, capitulo 14. vbi prohibet mortuorũ corpora in baptiſterio ſepeliri, & ex Cyrillo Hieroſolymitano, catecheſi prima Myſtagogica dicente, *Primùm ingreſsi eſtis in porticum domus baptiſterij.* Item ex Nazianzeno oratione 40. & Paulino epiſtola 12. ad Seuerum, ex quibus, & ex alijs antiquis decretis colligere licet, olim hunc baptiſmi locum ſeparatum ab Eccleſia fuiſſe: imò & in ſingulis ciuitatibus ſeu oppidis vnum tantùm extitiſſe; poſteà verò in ſingulis parochialibus Eccleſijs ſunt propria baptiſteria deſignata, de quibus ſic legitur in Concilio Meldenſi, ſeu Illerdenſi, capitulo 7. vt eſt apud Burchardum, libro 4. capitulo 13. & apud Gratianum de Conſecratione, diſtinctione 4. capitulo 106. *Omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiuerit, vas conueniens ad hoc ſolummodò baptizandi officium habeat, quod extra Eccleſiam non deportetur.* Atque ita hic mos in Eccleſia ſeruatur, vt in ſingulis parochijs ſit fons ad baptizandos fideles deputatus ac conſecratus, quem Dionyſius capitulo 2. de Eccleſiaſtica Hierarch. part. 2. *Matrem adoptionis* honorificè appellat. Vnde iam non licet (caſum neceſsitatis ſemper excipio) extra Eccleſiam, etiam in priuatis oratorijs, quempiã baptizare, vt expreſsè ſtatuitur canone 59. Trullano: & colligitur ex Cõcilio Meldenſi, cap. 48. apud Burchardum, lib. 4. cap. 14. & in Clementina vnica de baptiſmo, vbi filios Regum & Principum ab hoc præcepto excipit, vbi Gloſſa latè diſputat, qui nomine Principũ cõprehendãtur, & adductis varijs iuribus concludit, illa voce plus videri ſignificari, quã nomine Ducis, Marchionis, &c. quod videtur verum, præſertim quando hi nõ ſunt ſupremi, ſed ſub Regibus conſtituti; ſolùm ergo videntur poſſe vti hoc priuilegio Reges, vel alij ſupremi Potẽtatus, qui ferè Regibus æquiparãtur. Exiſtimo autem, ibi non concedi priuilegiũ baptizandi hos filios Principũ ſine ſolennitatibus reliquis, quia ibi ſolùm fit mentio huius circunſtantiæ loci: ſi ergo extra caſum neceſsitatis, ſeu periculum mortis domi baptizentur, ſolenni ritu baptizandi ſunt, ſeruatis reliquis ceremonijs, quia nulla eſt cauſa, vel ratio ſufficiens ad illud priuilegium extendendum. Tertia eſt circunſtantia, quis, quæ in præſenti excogitari poteſt ex parte miniſtri baptizantis.

De

Cyprianus. Auguſtinus. Greg. Nazia. Baſilius. Quo loco baptiſmus ſit celebrandus. Conc. Antiſ. Cyrill. Hieroſoly. Nazian. Paulinus. Conc. Meldenſe ſeu Illerdẽſe. Burchardus. Gratianus. Dionyſ. Non licet extra Eccleſiam baptizare citra neceſsitatem. Conc. Meld.

De qua re, præter ea, quæ diximus ſuprà diſputatione 23. ſect. 2. & 3. nihil ferè addendũ occurrit: nam omnis conditio perſonæ, quæ non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſubſtantiam ſacramenti, poteſt dici pertinere ad hunc accidentalem ritum, & ad hanc circũſtantiam, de qua nunc tractamus, quanuis, quæ ibi diximus, magis ſint in ipſo iure diuino fundata, ſuppoſita inſtitutione, quàm in ſola aliqua Eccleſiaſtica lege. Præter hæc autem non inuenio aliquem alium ritum ex parte huius perſonæ eſſe neceſſariũ ex Eccleſiæ ordinatione, niſi fortè, quod ſpectat ad aliqua veſtimenta ſacra, quibus ornari debet miniſter, qui ſacramentum baptiſmi ſolenniter miniſtrat, de quibus ſeruanda eſt Eccleſiæ conſuetudo, & officium Romanum, ſeu alij recepti rituales libri conſulendi. Communis tamen vſus obtinuit, vt miniſter ſolenniter baptizaturus, ſaltem ſuperpellicio & ſtola amictus ſit. Quem ſtolæ vſum antiquiſſimũ eſſe in hoc miniſterio, colligi poteſt ex Theodoreto libro 2. Hiſtoriæ, cap. 27. vbi refert, Conſtantinum Machario, Hieroſolymorum Epiſcopo, ſtolam ex aureis filis contextam, dediſſe, vt ea amictus ſacroſancti baptiſmatis munus obiret. Quarta circunſtantia, ſeu ceremonia adiungi poteſt præcedenti, ſcilicet ſuſceptor, ſeu patrinus, quæ ſpectare videtur ad circunſtantiam, quibus auxilijs: nam ſuſceptor ab Eccleſia introductus eſt, quaſi in auxilium miniſtri, & vt eius onus ex parte ſuſcipiat, de quo ſatis dictum eſt ſuprà q. 67. art. 7. & 8.

Quinto loco numerare poſſumus circunſtantiã, quid. Qua voce propriè & in rigore ſumpta, ſubſtantia ipſius actionis ſignificari poteſt, & hoc ſenſu, quod hic præcipuè fit, eſt ſubſtantia ipſius ſacramenti, quæ conſiſtit in ablutione ſub tali verborum forma, debita intentione facta, quod ſub hac præciſa ratione non pertinet ad ritum accidentalem, de quo agimus, ſed ad ſubſtantialem, tamen in ipſa materia & forma, vel circa ipſas aliquid obſeruatum, ſeu adiunctum eſt ab Eccleſia, quod nos dicimus pertinere ad ritum accidentalem ex parte huius circunſtantiæ. Et in primis ex parte formæ pauca obſeruare poſſumus, quæ ad accidentalem ritum pertineant, eaque ſatis notata ſunt ſuprà diſputatione 21. ſcilicet, quòd forma exprimatur verbis ab Eccleſia vſitatis, & in eo idiomate, quo ipſa in publicis officijs ac ceremonijs vtitur. Rurſus hoc loco annumerari poſſunt benedictiones aliæ, ſeu deprecationes, quas ſacerdos cũ alijs actionibus adiungit in ipſo baptiſmo, de quibus ſtatim dicemus. Præterea ex parte materiæ duæ ceremoniæ ſeu ritus conſiderari poſſunt. Vnus eſt ex parte materiæ proximæ, quæ eſt ablutio, ad quam pertinet, quod fiat per immerſionem vnam, vel trinam, aut per aſperſionem. De qua re ſatis in ſuperioribus dictum eſt, diſputatione 20. Alter eſt ex parte materiæ remotæ, quæ eſt aqua, ad quã ſpectat, vt aqua priùs benedicatur & conſecretur, quàm ad vſum baptiſmatis aſſumatur: quanquam enim hoc nõ ſit de ſubſtantia ſacramẽti, vt ſatis cõſtat ex ſuprà tractatis. Diſputatione 20. & ideò, neceſsitate vrgente, quacunque aqua naturali poſsit perfici baptiſmus, vt habetur etiam in decretis Victoris Papæ 1. tomo Conciliorum, nihilominus antiquiſsima Eccleſiæ conſuetudo obtinuit, vt priùs aqua benedicatur, ſeu ſanctificetur. Vnde Dionyſius capit. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia, *Sacra, inquit, appellatione, inuocationibuſque ſanctificatis aquis, cum eas trina vnguenti perfuſione, crucis ſpecie perfecerit,* &c. Vnde Baſilius libro de Spiritu ſancto, capit. 27. hæc dicit eſſe Apoſtolicam traditionem. Idem libro ſexto contra Iulianum, capi. 8. & ſermone 181. de tempore, vbi dicit, crucis ſigno ſanctificari fontem baptiſmatis. Idem ſermone 19. de ſanctis, & tractatu 118. in Ioanem. & libro 50. Homiliarum, in homilia vigeſima ſeptima. Ratio verò huius ceremoniæ præcipua & potiſsima eſſe videtur, vel vt conciliet maiorem reuerentiam circa hoc Baptiſmi ſacramentum, vel vt nobis ſignificet Spiritus ſancti gratiam, quæ per ablutionem huius aquæ, & virtutem paſsionis Chriſti (vnde hæc aqua vim ſuam & efficaciam habet) mirabiliter & infallibiter, ex opere, vt loquuntur Theologi, operato baptizatis confertur. Hæc enim videntur ſignificari in infuſione olei cum benedictione, & crucis ſigno. Aliqui etiam ex Patribus ſignificant, hanc conſecrationem aquæ adhiberi, vt virtutem accipiat regenerandi: ſic enim ſcribit Cyprianus epiſtola 70. *Oportet mundari, & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, vt poſsit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Vnde poſteà colligit, qui non poteſt aquam ſanctificare, nec baptiſmum dare poſſe, & Ambroſius libro de hijs, qui myſterijs initiantur. capit. 3. *Aqua ſine prædicatione dominicæ crucis ad nullos vſus futuræ ſalutis eſt; cum verò ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tunc ad vſum ſpiritualis lauacri, & ſalutaris poculi temperatur.* Et libro 1. de ſacramentis, capit. 5. *Non aqua omnis ſanat, niſi Spiritus ſanctus deſcenderit, & aquam illam conſecrauerit:* & ſubdit inferiùs, *vſus hoc habes, vt ante fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizãdus eſt,* &c. loquitur ergo Ambroſius de cõſecratione aquæ præuia ad baptiſmum, & illam dicit eſſe neceſſariã, ſic etiam Auguſtinus libro vtilitate pœnitentiæ, capit. 1. *Non eſt, inquit, aqua ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata, qui pro nobis ſanguinem fudit, cruce ipſius aqua ſignatur.* Sed hæc Patrum teſtimonia ſano modo interpretanda ſunt: non eſt enim veriſimile eos crediſſe, hanc accidentalem ſanctificationẽ aquæ eſſe de neceſsitate baptiſmi, ſed illam aquæ cõſecrationem, quæ fit per ſacramentalem vſum, & coniunctionem formæ ſacramentalis cum aqua, ex qua habet vim ſanctificandi, iuxta illud Auguſtini tractatu 80. in Ioannem, *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?* tamẽ quia hæc ipſa veluti ſubſtantialis conſecratio per aliam ceremonialem ſignificatur, ideò indiſtinctè de conſecratione aquæ loquentes dicunt ſancti, aquam nõ ſanctificare, niſi fuerit in Chriſto conſecrata; indicant etiam, ex vſu Eccleſiæ fuiſſe hanc conſecrationem neceſſariam, non neceſsitate ſacramenti, ſed præcepti: adeò vt, iuxta Eccleſiæ conſuetudinem, quanuis in ſolenni baptiſmo ſoleat in ipſo baptiſmo conſecratio aquæ præmitti, nihilominùs pro his, qui neceſsitate baptizantur, ſoleat aqua conſecrata ſeruari, vt ea baptiſmus perficiatur, vt ex Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi quinta, & Optato Mileuitano libr. 5. contra Parmenianum, & ex alijs veteribus colligit Pamelius in annotationibus ad Tertullianum libro de baptiſmo capit. 4. num. 17. Quin etiam obſeruare licet ex Alcuino libro de diuinis officijs, capit. de ſabbato Paſchæ, fuiſſe ſolitos fideles de aqua ſanctificata baptiſterij ſecum deferre ad aſpergendas domos, &c.

Sexto loco recenſeri poſſunt omnes ceremoniæ, quæ ex parte perſonæ, circa quam baptiſmus exer-

Theodor. Qui ritus ab Eccleſia ſeruãtur circa formã. Qui ritus circa materiam obſeruandi. Victor. Pap. Dionyſ. Baſilius. Cur aquæ benedictio, & conſecratio baptiſmũ præcedat. Cyprian. Ambroſi. Auguſt. Cyrill. Hieroſol. Optatus Mileuitanus. Pamelius. Alcuinus. Qui ritus adhibentur ex parte perſonæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

cur, adhibentur quas D. Thomas ad duas reuocat, catechiſmum ſcilicet, & exorciſmum, & ſub eis alias minutiores complectitur, de quibus in commentarijs articulorum commodiùs ac breuiùs dicemus. De circũſtantia verò, quomodo, nihil addere oportet: quia in præſenti nihil addit ab alijs ceremonijs, ſeu earum collectione diuerſum: nam omnes adhibitæ ſunt, vt baptiſmus conuenienti modo fiat, & hic conueniens modus in hoc ſolùm cõſiſtit, quòd cùm ſubſtantiali ritu ſeruetur accidentalis in alijs actionibus ſeu cõditionibus, quæ baptiſmũ circunſtant. Solùm ergo ſupereſt, vt circa Diui Thomæ textum pauca notemus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm catechiſmus debeat præcedere baptiſmum.

4.d.6.2.q. art.2.q.3.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod catechiſmus non debeat præcedere baptiſmum, per baptiſmũ enim regenerantur homines in vitam ſpiritualẽ. Sed priùs homo accipit vitam, quàm doctrinam, Non ergo priùs debet homo catechizari, id eſt, doceri, quàm baptizari.

2 Præterea, Baptiſmus exhibetur non ſolùm adultis, ſed etiam pueris, qui nõ ſunt doctrinæ perceptibiles, eò quòd non habẽt vſum rationis. Ergo ridiculum eſt eos catechizare.

3 Præterea, In catechiſmo confitetur catechizatus ſuam fidem. Sed pueri non poſſunt ſuã fidem confiteri, neq; per ſe ipſos, neq; etiã aliquis alius pro eis, tũ quia nullus poteſt alium ad aliquid obligare: tũ etiã quia non poteſt aliquis ſcire, vtrùm pueri, cùm ad legitimam ætatem peruenerint, aſſentient fidei. Non ergo debet catechiſmus præcedere baptiſmum.

SED contra eſt, quod Rabanus de inſtitutione clericali dicit: Ante baptiſmum, catechizandi debet hominem præuenire officium, vt fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. *Li.1.c.25 à med. illius.*

RESPONDEO dicendum, quòd (ſicut ſuprà dictum eſt) baptiſmus eſt fidei Chriſtianæ ſacramentum, cùm ſit quædam profeſsio fidei Chriſtianæ. *q.præc.art.2.* Ad hoc autem, quòd aliquis fidẽ accipiat, requiritur, quòd de fide inſtruatur, ſecũdum illud Rom. 10. Quomodò credent ei, quem non audierũt? quomodò autem audient ſine prædicante? Et ideò ante baptiſmum conuenienter præcedit catechiſmus. Vnde & Dominus præceptum baptizandi diſcipulis tradẽs, præmittit doctrinam baptiſmo dicens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.

A AD primum ergo dicendum, quòd vita gratiæ, in qua regeneratur aliquis per baptiſmum, præſupponit vitam naturæ rationalis, in qua homo poteſt eſſe particeps doctrinæ.

AD ſecundum dicendum, quòd ſicut mater Eccleſia (vt ſuprà dictũ eſt) accõmodat pueris baptizandis aliorũ pedes, vt veniãt; & aliorũ cor, vt credant: ita etiam accommodat eis aliorum aures, vt audiant, & intellectum, vt per alios inſtruãtur. Et ideò eadẽ ratione ſunt catechizandi, qua ſunt baptizandi. *q.69.art.6. ad 3. & 68.art.9.*

AD tertium dicendum, quòd ille, qui pro puero baptizato reſpondet, Credo, B non prædicit puerum crediturum, cùm ad legitimos annos peruenerit, alioquin diceret, Credet. Sed profitetur fidem Eccleſiæ in perſona pueri, cui communicatur, cuius ſacramentum ei attribuitur, & ad quã obligatur per alium. Non eſt enim inconueniẽs quòd aliquis obligetur per aliũ in his, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis. Similiter etiam patrinus pro puero reſpondens promittit ſe operam daturum ad hoc, quòd puer credat. Quod tamen non ſufficeret in adultis, vſum rationis habentibus.

COMMENTARIVS.

De catechiſmo adultorũ ſubſtantiali.

C DVo attingit D. Thomas in hoc articulo, vnum de catechiſmo adultorum, aliud de catechiſmo paruulorum, & de vtroque aliquid notandum eſt. Circa primum diſtinguere poſſumus duplicem catechiſmum adultorum, ſcilicet ſubſtantialẽ (vt ſic dicam) & ceremonialem, ſubſtãtialem voco eum, qui per ſe & ex natura rei, ſuppoſita inſtitutione & fine baptiſmi, neceſſarius eſt ad conuenientem vſum huius ſacramenti, licèt non ſit ſimpliciter de eſſentia eius, & hic catechiſmus conſiſtit in ſufficiente inſtructione & doctrina rerum fidei ac morum; atque hic catechiſmus fundamentum habet in verbis Chriſti, Matthæi vltimo. *Matt. vlt.* *Docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*, vt rectè notauit & explicuit Baſilius homilia prima de baptiſmo. *Baſilius.* Et, ne quis exi- D ſtimaret (quod aliqui etiam hæretici opinati ſunt, vt refert, & impugnat Auguſtinus libro de fide & operibus) eſſe tantùm neceſſariam doctrinam de credendis, non autem de agendis, addit Chriſtus, *Docentes ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis*. Atque ita ſemper in Eccleſia ſeruatum eſt, vt ante baptiſmum ſufficiens catechiſmus præcederet. Vnde Actorum ſecundo, *Actorum 2.* priùs Petrus fidem prædicauit, & pœnitentiam agendam eſſe docuit, & deinde, qui receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt, & ſimiliter, capit. 8. Philippus priùs catechizauit eunuchum, & deinde baptizauit illum.

De catechiſmo ceremoniali.

Alter catechiſmus, quem ceremonialem vocamus, ad priorem ordinatur, & illum includit, ſolùmque addit ſpecialem quendam modum & ordinem ab Eccleſia inſtitutum, & obſeruatum in catechumenorum inſtructione & præparatione ad baptiſ-

ptiſmum. Primò ergo, qui animum ad Chriſtianã fidem applicabant, ad res fidei audiendas admittebantur priùs, quàm baptiſmum peterent, & hi generali nomine ſolent vocari catechumeni, ſpecialiter autem dicuntur audientes, vt diſtinguantur ab alijs, qui competentes vocantur, vt notat Rabanus libro 1. de inſtitutione Clericorum. cap. 26. ex Iſidoro lib. 2. de Eccleſiaſticis officijs. cap. 21. *Rabanus. Iſidorus.* Secundò igitur, qui iam omnino decreuerant fieri Chriſtiani, baptiſmum petebant, & ſua nomina dabant, vt conſtat ex Dionyſio. cap. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia. *Dionyſius. Clemens.* Vnde Clemẽs epiſtola 3. *Accedat, qui baptiſmum vult, ad ſacerdotem, & nomen ſuum det*, & Auguſtinus libro de fide & operibus. cap. 6. *Auguſt.* Hoc, inquit, *fit multo diligentiùs & inſtantiùs his diebus, quibus competens vocantur, cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina iam dederunt*, & lib. de cura pro mortuis agenda. cap. 12. *Paſcha*, inquit, *appropinquabat, dedit nomẽ inter alios competentes*, & libro non confeſsionum. c. 6. de ſe catechumeno ſic ſcribit, *Inde, vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanum remeauimus*, ſimilia repetit epiſtola. 115. *Cyr. Hiero.* Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi prima: *Intraſti eo loco dignus habitus, nomen tuum inſcriptum eſt*. Idem ſumitur ex Dionyſio. capit. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia, & ex Concilio Carthaginenſi 4. capitu. 85. & habetur de Conſecratione diſtinct. 4. capit. Baptizandi, ſecundo. *Dionyſius. Cõc. Carth. Cõc. 1. Cõſtantinopo.* Et iuxta hæc fortaſſe intelligẽdus eſt canon. 7. Concilij 1. Conſtantinopolitani, vbi hic ordo præſcribitur ſeruandus circa eos, qui rectę fidei aſcribi volunt. *Primo*, inquit, *die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo catechumenos, tertio exorcizamus, & tunc eos baptizamus*. Eſt enim in his verbis difficile intellectu, quid ſit Chriſtianos facere ante catechiſmum & baptiſmum: vnde nihil aliud eſſe videtur, quàm eos annumerare, & adſcribere inter electos ad Chriſtianiſmum (ſic enim eos vocat Leo Papa epiſtola 4. capit. 5. & 6.) *Leo Papa.* Vnde fit veriſimile, ea nomina, quæ tunc catechumeni dabant, non fuiſſe antiqua gentilitatis nomina, ſed ea, quæ baptiſmũ ſuſcepturi ſibi eligebant; quæ futura erant non gẽtilium, ſed Sanctorum nomina, iuxta id quod ſancitum eſt in Concilio Niceno canone 30. apud Turrianum; *Quæ nomina dabãt catechumeni. Cõc. Nicæ.* vbi etiam dicitur, nomina Chriſtianorum imponenda eſſe in baptiſmo, ſed intelligendum eſt, ita fuiſſe imponenda, vt ipſi ea ſibi eligant, ſi ſint adulti, vel parentes ſeu ſuſceptores, ſi ſint paruuli. Et quanuis huiuſmodi nomen dicatur imponi in baptiſmo, non eſt neceſſe, vt ipſo die baptiſmatis, ſeu cum ipſa ablutione ſimul imponendum intelligatur, ſed ſatis eſt, quòd in initio ipſius ritus baptiſmalis eligeretur, ſeu daretur nomen. Atque ita etiam in ritu baptizandi infantes, quem nũc ſeruat Eccleſia, ſtatim in foribus Eccleſiæ, in initio catechiſmi interrogat miniſter, *quo nomine vocari vis*: & reſpondent patrini, Petrus, vel Ioannes. Ita ergo exiſtimo ſeruatũ eſſe in adultis, quòd ſcilicet ea nomina, quæ in initio catechiſmi dabant, erant illa, quæ in baptiſmo, ſeu Chriſtianiſmo ſibi imponenda eligebant, quæ nomina ſcripta in Eccleſia ſeruabantur, vt colligitur ex capit. Legum Eccleſiaſticarum 2. quæſtion. 1. Poteſt etiam hoc colligi ex Euſebio lib. 7. Hiſtoriæ. cap. 10. & lib. 8. cap. 21. & Nicephoro lib. 6. cap. 22. *Euſebius. Nicephorus. Quibus in... ſeruabantur catechumeni.*

Tertiò poſt petitum baptiſmum, & datum nomen inchoabatur catechiſmus, vt ex prædictis decretis colligitur, præſertim ex D. Dionyſio Areo-

A pag. dicto capite 2. Clemente dicta epiſtola tertia, Ambroſio lib. de ijs, qui initiantur, Cyrillo Hieroſolymitano in catecheſibus, Auguſtino lib. de fide, & operibus. ca. 9. & ſequentibus, & Tertulliano in lib. de baptiſmo. *Ambroſius. Cyr. Hiero. Auguſt. Turrianus.* Qui omnes docent non ſolùm de rebus fidei, ſed etiam de his, quæ ad mores pertinẽt fuiſſe illo tempore catechumenos inſtructos, nec ſolùm edoctos, ſed etiam in ieiunijs, orationibus, alijſque pijs operibus eo tempore fuiſſe exercitos, vt diſertè docet Syricius Papa epiſtola ad Himerium Tarraconẽſem. cap. 2. De qua re nonnulla ſuprà attigimus. quæſt. 68. artic. 5. & 6. & Leo Papa epiſt. 80. Iuſtinus Martyr apologia 2. pro Chriſtianis circa finem. *Quãdiu durabat catecheſis. Siricius Papa. Leo Papa. Iuſtinus martyr.* Sed interrogabit fortaſſe aliquis, quanto tempore durare oportebat in huiuſmodi catechiſmo, & exercitatione. In hoc nihil inuenio ſatis apertè ſcriptum, nam in dicto canone 7. Concilij 1. Cõſtantinopolitani ſolùm dicitur, *Cõc. Cõſtã.* B *Sic eos catechizamus, ſeu initiamus, & curamus, vt longo tempore verſentur in Eccleſijs, & audiant Scripturas*, & in idẽ redit, quod in Concilio Carthaginẽſi IIII. cap. 85. dicitur; *Diu ſub abſtinentia vini & carnium, & manus impoſitione crebra examinati baptiſmum percipiant*: *Cõc. Carth. Burchardus.* apud Burchardum autem lib. 4. cap. 15. ex decretis Clemẽtis ſic legimus, *Si quis fidelis voluerit exiſtere, accedat ad ſacerdotem, & det nomen ſuum, atque ab eo audiat myſteria regni cælorum; ieiunijs frequentibus operam impendat, ac ſemetipſum in omnibus probet, vt tres menſes iam conſummando in die feſto poſſit baptizari*. Syricius verò loco citato dicit, eligendos eſſe ad baptiſmum, *Syricius.* *qui ante quadraginta, vel eò ampliùs dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus, atque ieiunijs fuerint expiati*. Rupertus verò lib. 4. de officijs Eccleſiaſticis. c. 18. agẽs de feria quarta quartæ hebdomadæ quadrageſimæ, ſic inquit, *Rupertus.* C *Cum iam penè Eccleſiæ proles quam per annum verbo prædicationis nouam gignere poterat, inſtante ſolemnitate Paſchali hac die ſua nomina dabant, &c.* quòd ſi hoc verum eſt (vt credẽdum eſt) tantùm viginti quinque diebus, qui ab eo die vſq; ad ſabbatum ſanctum intercedũt, durabat catechiſmus competentium, ex quo nomina ſua dederant. Et fortaſſe iuxta hanc Ruperti hiſtoriam intelligẽdum eſt decretum Concilij ſecundi Bracharenſis. cap. 1. quod refertur in capit. Placuit. 10. quæſt. 1. & in cap. Ante viginti, de Conſecratione diſtinct. 4. vbi ſic dicitur, *Epiſcopi docere debent ignaros, & hoc ordine omnibus præcipere, ſicut antiqui canones iubent, vt ante viginti dies baptiſmi ad purgationem exorciſmi currant catechumeni, in quibus viginti diebus omnino catechumeni ſymbolum doceantur*. Fortaſſe enim ille numerus cõpletus pro incompleto poſitus eſt, vel certè, quãuis eo die, quem Rupertus deſignat, inciperent nomina dari, non tamẽ erat neceſſarium omnes eo die *Rupertus.* D deſcribi, ſed infra quatuor, vel quinque dies, ita tamen vt ſaltem vigeſimo die ante baptiſmum omnes eſſent deſcripti, quomodò in cap. 49. ex Collectis à Martino Bracharenſi Epiſcopo dicitur, non licere ante duas ſeptimanas Paſchæ, ſed ante tres ad baptiſmum ſuſcipere aliquem. *Martinus Brachar.* Vel denique (quod veriſimile eſt) non fuit in hoc vna omnium Eccleſiarum conſuetudo, nec fortaſſe in omnibus Eccleſijs fuit certus dierum numerus deſignatus, ſed iudicio prudentis Epiſcopi, vel parochi committebatur, vt tunc eos admitteret, cum ſufficienter inſtructos, ac diſpoſitos iudicaret.

Quartò notantur ab autoribus nonullæ ceremoniæ, quæ ſpecialiter in hoc catechiſmo fiebant, *Deſcriptio*

Rupertus. Rabanus. Alcuinus. Leo Papa.

Prima dicitur ſcrutinium, vt videre licet apud Rupertum, Rabanum, & Alcuinũ locis citatis, & alios autores, qui de officijs Eccleſiaſticis ſcribunt, vt enim certiùs exploraretur, an vera eſſet catechumenorum conuerſio ad fidem, fiebant ab Eccleſia ſeptem ſcrutinia infra illos viginti quinque dies à die quo dabant nomina, vſque ad diem baptiſmatis; & de his loquitur Leo Papa epiſtola 4. capitulo ſexto, cùm ait, catechumenos priùs *ſcrutandos* eſſe, & Auguſtinus de fide, & operibus. capit. 6. *Catechizantur exorcizantur, ſcrutantur*: & lib. 2. de ſymbolo. capite 1. & lib. 4. capite 1. idem ſatis apertè ſignificat. Secunda ceremonia eſt, quòd catechumeni ſæpiùs ſignabantur ſigno crucis, per quod ſacroſanctum ſignum (teſte Diuo Auguſtino ſuprà) in vtero ſanctæ matris Eccleſiæ catechumenos concipitur; fiebatque hoc ſignum in fronte, vt ex Beato Dionyſio euidenter colligitur. capite 1. libri ſui de Eccleſiaſtica Hierarchia, & ſancto Cypriano epiſtola 56. & ſermone de lapſis, Auguſtino de catechizandis & inſtruendis rudibus. capite 20. & epiſtola. 118. & concione. 2. in Pſalmum. 36. & Ambroſius lib. de his, qui initiantur. capitulo 4. *Credit, inquit, catechumenus in crucem Domini Ieſu, qua & ipſe ſignatur.* Tertia, & ſolenniſsima ceremonia eſt abrenũtiatio Satanæ, quam latè deſcribit Beatus Cyrillus, Hieroſolymitanus Epiſcopus, catecheſi prima Myſtagogica, & eius ſæpè meminit etiam Diuus Dionyſius ſuprà, & Clemens libro 7. conſtitutionum. capitul. 41. & 42. & Tertullianus libro de ſpectaculis. capite 1. Diuus Baſilius libro de Spiritu ſancto. capitulo 27. Origenes homilia 8. in Exod. Ambroſ. locis ſuprà citatis, & libro 1. Hexameron. capite 4. Auguſtinus ſuprà & libro 1. de peccatorum meritis & remiſsione. capite 34. Chryſoſtomus homilia 21. ad populum; & Diuus Bernardus ſermone quem habuit de duplici baptiſmo. Colligitur autem id ipſum ex citatis Patribus, præſertim ex Diuo Dionyſio, Cyrillo, & Ambroſio, ſolitum fuiſſe catechumenum conuerti ad occidentem, facta verò renuntiatione conuerti ſolitum ad orientem ad ſignificandum hominem baptizandum debere, ſpreto dæmone Chriſtum intueri, vt ait Ambroſ. de ijs, qui initiantur. cap. 1. ſeu cœlum aſpicere, Chriſtoque coniũgi, vt ait Dionyſ. Quarta erat fidei profeſsio, quæ ſæpiùs fiebat illis catechiſmi diebus, & ipſo etiam baptiſmatis die, per publicam ſymboli confeſsionẽ, vt ex Dionyſ. & alijs Patribus citatis conſtat, & ex Concilio Carthaginenſi 1. cap. 1. & ex Cyrillo Alexan. lib. 12. in Ioan. cap. 64. vbi ait. *Hinc* (id eſt, ex trina interrogatione Chriſti facta ad Petrum) *Eccleſia regulam tertiò interrogandi eos accepit, qui ad baptiſmum accedunt, vt terna Chriſti confeſsione fidelibus annumerentur*, & ex Ambroſ. lib. 2. de ſacramẽtis cap. 7. Auguſtino de fide & operibus. cap. 11. *Cur*, inquit, *baptizandis, vel ſymbolum tradimus, vel reddendũ repoſcimus?* Idem ſæpè in lib. de ſymbolis, & lib. 8. confeſ. cap. 2. Hieronym. dialog. contra Luciferianos, & Tertullian. lib. de ſpectacul. *Aquam ingreſſi Chriſtianam in legis ſua verba profitentur.* Idem latè Cyprianus libro primo epiſtola 12. Ratio autẽ harum omnium ceremoniarũ eſt, vt per eas catechumeni in fide confirmentur, & perfectè ad Deum conuertantur, & de vtroque ſatis Eccleſiæ conſtet. Ex quo interdùm apud antiquos Patres legimus, inter baptizatum, & Chriſtum ſeu Eccleſiam iniri pactum cum promiſsione. Vnde Vrbanus 1. epiſto-

Auguſt. De ſigno crucis. Auguſt. Dionyſius. Cyprianus. Ambro. De Abrenũtione Satanæ. Cyrillus. Dionyſ. Clemens. Tertull. Baſilius. Origenes. Ambro. Auguſt. Chryſoſt. Bernar. De fidei profeſsione. Dionyſ. Conc. Carth. Cyril. Alex. Ambroſ. Auguſt. Hierony. Tertull. Cyprian. Vrbanus.

A la decretali cap. 6. *Hortamur*, inquit, *vt ſponſionem, quã Domino in baptiſmo feciſtis, firmiter teneatis*, & eodem ferè mod loquitur Ambroſ. lib. 1. de ſacramẽtis. cap. 2. *Vbi promiſeris conſidera, vel quibus promiſeris, chyrographum tuum tenetur, non in terra, ſed in cælo.* Imò Iſidor. lib. 2. de officijs Eccleſiaſticis. cap. 24. duplicem dicit intercedere pactionẽ; alteram renũciationis diaboli, & pomparum eius, alterã fidei in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Sed nõ eſt intelligẽdũ de proprio voto, ſeu promiſsione Deo facta, ſed de obligatione, quam ipſamet profeſsio Chriſtianæ religionis, quæ in baptiſmo fit, inducit ratione diuinæ legis à Chriſto latæ, & poteſtatis Eccleſiæ ſuæ cõceſſæ. Et hęc de catechiſmo adultorũ.

Ambroſ. De Catechiſmo infantium.

Altera pars doctrinæ D. Thomæ in hoc articulo eſt de catechiſmo infantium, quẽ infideles irrident vt ex Dionyſ. & alijs Patribus ſtatim citandis conſtat: B quia infantes, nec poſſunt in fide inſtrui, nec diabolo renunciare, & Chriſtum amplecti, neque alij pro eis poſſunt id affirmare, aut profiteri, cùm ignorent, quid ipſi paruuli poſteà acturi ſunt, aut deliberaturi. Nihilominùs tamen hic modus catechiſmi paruulorum, quem nunc eiſdem ferè ceremonijs Eccleſia ſeruat, antiquiſsimus eſt, vt patet ex Dionyſio de Eccleſiaſtica Hierarchia. cap. vlt. in fine, & Auguſt. epiſt. 23. & li. 4. de baptiſmo cap. 24. & ſermone. 10. & 14. de verbis Apoſtoli, & Iſidor. lib. 2. de officijs. cap. de Baptiſmo, & ſignificat etiã Iuſtinus q. 56. ad Orthodox. Fit autẽ hic catechiſmus in paruulis primò, vt in eis perficiantur ea, quorum ipſi ſunt capaces, & ita eis tunc nomen imponitur, & ſigno crucis ſignantur. Secundò, vt ſuſceptores admoneantur de obligatione, qua tenentur ad inſtruendos infantes, & ideò manus ſuas imponunt capiti baptizandi, & nomine eius ſymbolum profitentur, & orationem dominicam recitãt. C Tertiò, vt quaſi ſolenni profeſsione conſtet, non minùs manere obligatum paruulum baptizatum ad fidẽ & religionem Chriſtianam, quàm ſi propria voluntate baptiſmum ſuſcepiſſet. De qua re ſatis in ſuperioribus dictum eſt.

Dionyſ. Auguſt. Iſidorus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm exorciſmus debeat præcedere baptiſmum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd exorciſmus non debeat præcedere baptiſmũ. Exorciſmus enim cõ- D tra energumenos, id eſt, arreptitios, ordinatur. Sed non omnes baptizandi ſunt tales. Ergo exorciſmus non debet præcedere baptiſmum.

2. Præterea, Quandiu homo ſubiacet peccato, diabolus in eum habet poteſtatem quia, vt dicitur Ioann. 8. qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Sed peccatum tollitur per baptiſmum. Non ergo ante baptiſmum ſunt homines exorcizandi.

3. Præterea, Ad arcendum dęmonum poteſtatẽ introducta eſt aqua benedicta. Non ergo

ergo ad hoc oportebat aliud remedium adhiberi per exorciſmos.

SED contra eſt, quod Cœleſtinus Papa dicit: Siue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniant ſacramentum, nõ prius fontem vitæ adeant, quàm exorciſmis & exufflationibus clericorum, ſpiritus immundus ab eis abijciatur.

RESPONDEO dicendum, quòd quicunque ſapienter aliquod opus facere proponit, prius remouet impedimenta ſui operis, vnde dicitur Hierem. 4. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Diabolus autẽ hoſtis eſt humanæ ſalutis, quæ homini per baptiſmũ acquiritur, & habet poteſtatem aliquam in hominem, ex hoc ipſo quòd ſubditur originali peccato, vel etiam actuali. Vnde conuenienter ante baptiſmũ expelluntur dæmones per exorciſmos, ne ſalutem hominis impediant. quam quidem expulſionem ſignificat exufflatio. Benedictio autem cum manus impoſitione, præcludit expulſo viam, ne redire poſsit. Sal autẽ in os miſſum, & narium & aurium ſputo linitio ſignificat receptionem doctrinę fidei quantum ad aures, & approbationem, quantum ad nares; & confeſsionem quantum ad os. Olei verò inunctio ſignificat aptitudinẽ hominis ad pugnandum contra dæmones.

AD primum ergo dicendum, quòd energumeni dicuntur quaſi interiùs laborantes extrinſeca operatione diaboli. Et quamuis nõ omnes accedentes ad baptiſmum corporaliter ab eo vexẽtur, omnes tamen nõ baptizati poteſtati dæmonum ſubijciuntur, ſaltẽ propter originalis peccati reatum.

AD ſecundum dicendum quòd in baptiſmo per ablutionem peccati excluditur poteſtas dæmonum ab homini, quantum ad hoc, quod impedit eum à perceptione gloriæ. Sed exorciſmi excludunt poteſtatem dæmonis, in quantum impedit hominem à perceptione ſacramenti.

AD tertium dicendum, quòd aqua benedicta datur cõtra impugnationes dæmonũ, quæ ſunt ab exteriori, ſed exorciſmus ordinatur contra impugnationes dæmonum, quæ ſunt ab interiori. Vnde & energumeni dicuntur, quaſi interiùs laborantes, illi qui exorcizãtur. Vel dicendum, quod ſicut in remedium contra peccatum, ſecundo datur pœnitentia, quia baptiſmus nõ iteratur ita in remedium contra impugnationes dæmonum, ſecũdò datur aqua benedicta, quia exorciſmi baptiſmales non iterantur.

COMMENTARIVS.

DE hac materia, & de exorciſmi antiquitate multa ſuprà attingimus, de ceremonijs ſacra-

A mentorum in genere diſputando, & in particulari de exorciſmo, quatenus ante baptiſmum præmittitur, tractant Dionyſius cap. 2. de Eccleſiaſtica hierarch. & Cæleſtinus Papa, quẽ hic D. Thom. citat in epiſtola. 1. ad Epiſcopus Galliæ cap. 12. & Concilium Bracharenſe. 2. cap. 1. & Chryſoſtomus homil. de Adam & Eua, Auguſt. lib. 6. contra Iulianũ cap. 2. & lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 40. & libr. 2. de peccato originali ca. 4. & lib. 2. de nuptijs & cõcupiſcentia. cap. 17. & 18. & lib. 5. Hypognoſticõ, & lib. 3. contra Creſconium cap. 3. & 4. & ſerm. 10 de verbis Apoſtoli, & lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus ca. 31. in quibus locis ex hac ceremonia exorcizandi catechumenos colligit, dæmonem habere ſpecialem in homine poteſtatem, & inhabitationẽ propter peccatum originale. Quo argumento vtitur etiam Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parmenianum. B Eiuſdem ceremoniæ meminit Iſidorus lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. cap. 21. vbi ait, exorciſmũ eſſe increpationem contra immundum ſpiritũ, qua eius virtus, & violenta incurſio arcetur, ſeu fugatur. De eadem tractat Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi. 1. & Nazianzenus oratione. 40. in ſanctũ baptiſmum, Ambroſ. lib. 1. de ſacramentis cap. 5. Leo Papa epiſt. 4. cap. 5.

Dionyſ. Celeſ. Pap. Conc. Brac. Chryſoſt. Auguſt. Optatus Mileuit. Cyrillus. Nazianze. Ambro. Leo Papa.

Explicat autem D. Thomas in particulari varias ceremonias, quibus hic exorciſmus catechumenorũ perficitur. Prima eſt exufflatio dæmonis, quam expreſſe ponunt Dionyſ. Auguſt. & alij. Hæc autem exſufflatio per Eccleſiæ miniſtros fit, ad ſignificandum effectum exorciſmi, qui eſt, quædam dæmonis expulſio. Vnde videtur de ratione illius eſſe, vt C fiat à miniſtris exorciſmi. Vnde Auguſtinus de Eccleſiaſt. dogm. cap. 31. dicit, *Exufflationibus Clericorum ſpiritum immundum abigi tam à paruulis, quam ab adultis*, & idem ſignificat lib. 6. contra Iulianum capit. 2. & alijs locis ſuprà citatis, vbi ſemper docet, hanc exſufflationem fieri ab Eccleſia per miniſtros ſuos: at verò Dionyſ. loco citato ſignificat, ipſummet catechumenum baptizandum, ſi eſſet adultus ſolitum eſſe ter exſufflare dęmonẽ: verba eius ſunt. *Deinde cùm illum Occidentem verſus attendentem, manuſque porrigentem collocauit, tunc eum iubet tertiò ſatanã inſufflare, & præterea, quæ abrenunciationis ſunt, profiteri, &c.* Sed, ſi propriè loquamur, exſufflatio propriè pertinet ad miniſtros: fit enim ad ſignificandam efficaciam, vnde habet increpationem, & imperium adiunctum his fere verbis, *Maledicte exi foras*, vt Optatus ſuprà notat, fortaſſe verò adulti catechu- D meni etiam exſufflabant, veluti conſentiendo, aut certe ipſamet abrenunciatio dæmonis facta à catechumeno dicitur quædam eius inſufflatio. Secunda exorciſmi ceremonia eſt, manus impoſitio cum benedictione ſacerdotis, qua ſignificatur, vel etiam impetratur, vt dæmoni præcludatur via, ne iterum redeat, ſicut D. Thomas notauit: huius verò ceremoniæ, quoad manus impoſitionẽ, meminit Clemens Papa lib. 7. conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 39. & 40. & Concilium Hiſpal. 2. cap. 7. & Carthaginenſ. 4. cap. 85. & Auguſt. lib. 2. de peccatorũ meritis, & remiſ. capit. 26. vbi ait, *Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis ſanctificari*, quibus verbis ſignificat, hanc manus impoſitionem habuiſſe coniunctam orationem Sacerdotis, & ſignum crucis & hanc fortè vocauit D. Thomas, benedictionem ſacerdotis, quod ſumpſit ex Dionyſ. loco ci-

De exorciſmi. Ex ſufflatio. Dionyſ. Auguſt. Optatum. D. Thom. Clemens. Conc. Hiſp. Cõc. Carth. Auguſt.

Universidad de Deusto Biblioteca

Diony. tato dicente. *Rursus tùm precatus est, eum benedicit, manusque imponit.* *De sale in os baptizandi misso.* Tertia ceremonia est, sal in os baptizandi missum, qua ceremonia, aut diuinæ sapientiæ infusio, aut fidei confessio significatur, vt colligi potest ex *Origenes.* Origine homilia. 6. in Ezechielem circa illa verba cap. 16. *Aqua non es lota in salutem, nec sale salita*, & *August.* Augustino lib. 1. confessionum cap. 11. dicente, *Signabar iam signo eius, & condiebar eius sale.* Clariùs ex *Beda.* Beda lib. 2. in Esdram cap. 9. & habetur in capitulo, Sal cælestis sapientiæ, de consecratione dist. 4. & ex *Isidorus.* Isidoro lib. 2. de officijs cap. 20. in *Cōc. Carth.* Concilio autem Carthaginensi tertio cap. 5. indicatur, sal solitum fuisse dari catechumenis loco Eucharistiæ, quod de pane benedicto docuit August. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26. hoc autem sal priùs benedicebatur, quàm gustandum daretur *August.* catechumenis, vt constat ex ordine Romano, & ex more, quē nunc seruat Ecclesia, & ex Rabano lib. 1. de institutionibus Clericorum cap. 27. *Rabanus.* habetur in capitulo. Ex hinc de Consecrat. dist. 4. Datur, inquit, *baptizando sal benedictum in os, vt per sal typicum sapientiæ sale conditus fœtore careat iniquitatis, & ne à vermibus peccatorum vltra putrefiat.* Optimè Petrus Damianus epist. 15. c. 20. in quo sunt *Petrus Damianus.* illa verba notanda, agens enim de sale, aqua & chrismate subdit. *Hæc quidem per se considerata nuda sunt elementa, nullumque habere noscuntur mysticæ dignitatis arcanum, ad orationem autem Sacerdotis, & innocationem diuini nominis, virtutis intimæ concipiunt sacramentum.* Quarta ceremonia est, sputo nares, & aures baptizandi linire, in signū (ait D. Thomas) receptionis, & approbationis doctrinæ fidei: quam ceremoniam esse antiquissimam, constat ex Ambrosio lib. 1. de sacramētis. c. 1. *De sputo. D. Thom. Ambro.* *Ideo, inquit, tibi Sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium Sacerdotis*, & significat hanc ceremoniā sumptam esse ex Christi exemplo, qui os, & aures hominis surdi, & muti tetigit, vt ei sermonē & auditum restitueret, & subdit infrà. *Quarè nares? vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, & sit in te fides, deuotionisque plena fragrantia:* idem ferè docet Ambro. lib. de his, qui initiantur cap. 1. Verum est his locis nō facere Ambrosium expressam mentionem saliuæ, qua nares, & aures tangebantur, indicat tamen, dū affert Christi exemplum, qui expuens tetigit linguam, & aures alterius, de quo videndus est Beda homil. 19. in Marcum, & significat etiam August. tract. 44. in Ioan. quatenus dicit, cæcum saliua Christi inunctum repræsentare catechumenum. Quinta ceremonia est inunctio olei sanctificati, quam *D. Thom. Ambro.* dicit D. Thomas solū esse ad significandum aptitudinem hominis ad pugnandum cōtra dæmones, quod sumpsit ex Ambros. lib. 1. de sacram. c. 2. & lib. 5. c. 1. vt latiùs explicuit suprà. q. 66. art. 10. ad 2. vbi declarat duplicē esse hanc vnctionem; alterā in pectore, qua significatur fides recta animo suscepta, alteram inter scapulas, ad significandum exercitium *Innocen. Basilius.* bonæ operationis, quia fides sine operibus mortua est, vel per priorem significatur munditia cogitationū in pectore, per posteriorem verò fortitudo laborum in scapulis. Ita ferè Innocent. in c. vnico. §. quia verò de sacra vnctione, eandem ceremoniam indicat Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27. vbi inter traditiones non scriptas numerat benedictionē olei quo catechumeni inunguntur, eiusdem meminit *Origenes. Cyrill. Hierosol.* Origenes homil. 7. in Ezechielem, Cyrillus Hierosolym. catechesi. 2. Mystagogica, & Chrysostomus homil. 6. ad Colos. August. serm. 206. de tempore Iustinus. q. 137. ad Gētes. Clemens Romanus lib. 3. const. cap. 16. vbi optimè Turrianus. Atque hæ sunt ceremoniæ, quas D. Thom. in hoc art. attigit: quæque baptismum antecedūt: alias verò, quæ subsequuntur, explicata art. sequentibus. *Chrysost. August. Iustinus. Clemens Rom. Turrianus.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd ea, quæ aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid, sed solū significēt. *4. d. 6. q. 2. art. 4.* Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismū, salutē non cōsequetur. Sed ad hoc ordinatur effectus eorū, quæ in sacramentis aguntur, vt homo consequatur salutem, vnde & Marc. vlt. dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ergo ea quæ aguntur in exorcismo, nihil efficiunt sed solùm significant.

2 Præterea, Hoc solum requiritur ad sacramentū nouæ legis, vt sit signum & causa vt suprà dictum est. *q. 62. art. 1. & 2.* Si ergo ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant, videtur, quòd singula sint quædam sacramenta.

3 Præterea, Sicut exorcismus ordinatur ad baptismum, ita etiā, si aliquid in exorcismo efficitur, ordinatur ad effectū baptismi. Sed dispositio ex necessitate præcedit formam perfectam, quia forma nō recipitur nisi in materia disposita. Sequeretur ergo, quòd nullus posset consequi effectum baptismi, nisi prius exorcizetur, quod patet esse falsum. Non ergo ea, quæ aguntur in exorcismis aliquem effectum habent.

4 Præterea: Sicut quædā agūtur in exorcismo ante baptismum, ita etiā quædā aguntur post baptismum: sicut quòd sacerdos baptizatum chrismate vngat in vertice. Sed ea, quæ post baptismum aguntur, non videntur aliquid efficere, quia secūdum hoc effectus baptismi esset imperfectus. Ergo nec ea, quæ ante baptismum aguntur in exorcismo, aliquid efficiunt.

SED contra est, quòd Augu. dicit in lib. de Symbolo, Paruuli exufflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, qui decepit hominem. Nihil autē agitur frustrà per Ecclesiam. Ergo per huiusmodi exufflationes hoc agitur, vt dæmonum potestas expellatur. *Lib. 1. de symb. c. 1. circa fin. 6. & lib. Hypog. fin. li. 1. & de Nup. & cōcu. li. 1. c. 17. & 19. tom. 7.*

RESPONDEO dicendū, quod quidam dixerūt, eā, quæ in exorcismo agūtur, nihil efficere, sed solū significare. Sed hoc patet esse falsum, per hoc, quòd Ecclesia in

exorcismis, imperatiuis verbis vtitur ad expellendā dæmonis potestatē, putà, cùm dicit: Ergo maledicte diabole exi ab eo, &c. Et ideo dicendū est quod aliquē effectū habent, differenter tamē ab ipso baptismo. Nā per baptismū datur homini gratia, ad plenā remissionem culparum. Per ea verò, quæ in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutaris gratiæ percipiendæ. Quorum vnū est impedimentū extrinsecū, prout dæmones hominis salutem impedire conātur. Et hoc impedimentum excluditur per exufflationes, quibus potestas dæmonis pellitur (vt patet ex inducta autoritate August.) *In arg. sed cont.* quantū scilicet ad hoc, quòd non præstet impedimentū sacramento suscipiēdo. Manet tamē potestas dæmonis in homine, quantū ad maculam peccati, & reatū pœnæ, quousq; peccatum per baptismū tollatur. *In li. 4. epi. 7. post med.* Et secūdum hoc Cyprianus dicit, Scias diaboli nequitiam posse remanere vsque ad aquā salutarem: in baptismo autem omnem nequitiā amittere. Aliud impedimentū est intrinsecū, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipiēda salutis mysteria. Vnde Rabanus de institutione clericorum dicit, quod *Li. 1. ca. 27. post mediū.* per saliuam typicam & sacerdotis tactū, sapientia & virtus diuina salutē catechumeni operatur, vt aperiantur ei nares, ad percipiēdum odorem notitię Dei, vt aperiātur ei aures, ad audiendū mandata Dei: vt aperiātur illi sensus in intimo corde, ad respōdendū.

AD primum ergo dicendum, quòd per ea, quæ aguntur in exorcismo, non tollitur culpa, propter quā homo punitur post mortem, sed solùm tolluntur impedimenta recipiendi remissionem culpæ per sacramentū, vnde post mortem exorcismus non valet sine baptismo. Præpositiuus tamen dicit, quòd pueri exorcizati, si moriantur ante baptismum, minores tenebras patiuntur. Sed hoc non videtur verum, quia tenebræ illæ sunt carentia diuinæ visionis, quæ non recipit magis & minùs.

AD secundū dicendum, quod de ratione sacramenti est, quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remittens culpam, vel supplens aliquem hominis defectum. Quod quidem non fit per ea, quæ aguntur in exorcismo, sed solùm huiusmodi impedimenta tolluntur. Et ideo non sunt sacramēta, sed sacramentalia quædam.

AD tertium dicendum, quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem, est fides & intētio, vel propria eius, qui baptizatur, si sit adultus, vel ipsius Ecclesiæ, si sit paruulus. Ea vero, quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad remouendum impedimenta, & ideo sine eis potest aliquis consequi effectū baptismi. Non tamē sunt huiusmodi prætermittēda, nisi in necessitatis articulo. Et tūc, cessante periculo, debēt suppleri, vt seruetur vniformitas in baptismo. Nec frustra supplentur post baptismū, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequàm percipiatur, ita potest impediri postquàm fuerit perceptus.

AD quartum dicendū, quod eorum, quæ aguntur post baptismum circa baptizatum aliquid est, quod non solùm significat, sed efficit, putà, inūctio quæ fit in vertice, quæ operatur conseruationem gratiæ baptismalis. Aliquid autem est, quod nihil efficit, sed solùm significat, sicut quod datur ei vestis cādida, ad significandū nouitatem vitæ.

COMMENTARIVS.

QVæstio huius articuli ex professo à nobis suprà disputata est, tractando de sacramentalibus in genere, & in prima sect. huius disputationis eam iterum sufficienter attigimus quapropter nihil de illa addēdum occurrit: nec D. Thomæ litera indiget aliqua explicatione, solùm in solutione ad tertium, aduertendum est, quòd *Circa solutionē ad 3. D. Tho.* D. Thomas docet, has ceremonias tempore necessitatis prætermittendas esse, quia neque ad sacramentum, neq; ad effectum eius sunt simpliciter necessariæ, nihilominùs tamē, etiam si priùs baptismus sit priuatim datus, transacto posteà periculo eas esse adhibendas solenni ritu in Ecclesia, *Vt seruetur* (inquit) *vniformitas in baptismo*. Atque hoc seruat vsus Ecclesiæ, vnde ad Ecclesiasticum præceptum pertinet, neque tunc carent hæ ceremoniæ debito vsu, quia, licèt sacramentum non sit iterādum vllo modo, nihilominus ad illius ornatum & reuerentiam, & puplicam solennitatem, etiam tunc hæc omnia ordinantur, & suam retinent significationem, & efficaciam, quam habere possunt.

Circa solu. ad. 4. In solutione ad quartū explicat D. Thomas duas ceremonias, quæ baptismum consequuntur. Prima est, inunctio chrismatis, quæ fit in vertice baptizati quam dicit habere aliquam efficaciam ad conseruationem gratiæ baptismalis, scilicet per modum impetrationis, vt suprà explicatum est. *Quo differat inunctio Baptismi, & Confirmationis.* Est autem hæc vnctio valde diuersa ab illa, quæ fit in Confirmatione: nam illa prior est ceremonialis, & fit in vertice, posterior verò fit in fronte, & est substātialis materia sacramenti Cōfirmationis. Vnde illa fieri potest à simplici sacerdote: hæc tantum ab Episcopo, & ideò fortasse illa introducta est, quia nō semper adest Episcopus, qui possit confirmare: est autē hæc ceremonia antiquissima, vt cōstat ex Concil. Arausic. c. 1. Innocent. 1. Epistola. 1. c. 3. & Tertull. lib. de baptismo. c. 7. Iustino dicta. quæst. 137. Basil. dicto cap. 27. de Spiritu sancto, Nazianz. oratione. 40. de baptismo, August. lib. 15. de Trinit. 26. lib. 4. de symbolo. cap. 10. Hieronym. dialogo contra Luciferianos, vbi ratione huius vnctionis dicit, non licere Presbyteris sine Chrismate baptizare, & Cyrillo Hierosolymitato, Catechesi tertia mystagogica, ac denique Ambros. lib. 2. de sacramentis capit. 7. & libr. 3. capit. 1. *Accipis, inquit, mysterium, hoc est, vnguentum* *Cōc. Araus. Innocētius. Tertull. Iustinus. Basilius. Nazianzen. August. Hierony. Cyrillus. Ambrosi.*

guentum supra caput. *Quare supra caput? quia sensus sapientis in capite eius, friget enim sapiētia sine gratia, sed vbi sapientia acceperit gratiā, tunc opus eius incipit esse perfectū.* Est autē obseruādū, ex cap. Si quis de alio. de Consecr. d. 4. hāc vnctionē faciendā esse ex nouo chrismate, & nō ex veteri, nisi adsit mortis periculū: *Quod si quis contrariū tentauerit* (ait textus) *propria temeritate, ipse in se suæ dānationis protulisse sententiam manifestatur.* Quæ verba apertè indicāt esse præceptū, eiusq; transgressionē, esse graue peccatū, & ita etiā notauit Nauar. in sum. cap. 22. nu. 7. & capit. 25. nu. 75. & colligitur ex glossa in cap. Quoniā. de sentētia excommun. in 6. verbo, *Dubium*, vbi ait, depone sacerdotem, qui in hoc delinquit, & citat prædictum decretum. Si quis de alio. Vbi nihil de hac pœna in speciali dicitur.

Nauar.

Cur induitur vestimētis albis. Secunda ceremonia, cuius D. Thomas in eadem solutione meminit, est, quòd post baptismū induebatur vestimentis albis, quam ceremoniā dicit, nihil efficere, sed significare nouitatem vitæ, quæ ceremonia est etiam antiquissima, vt constat ex Dionys. suprà Ambros. lib. de his, qui initiantur cap. 7. August. serm. 157. de temp. Gregor. Turon. lib. 5. Histor. cap. 11. & Rabano lib. 1. de institut. Cleric. capit. 29. & lib. 2. cap. 39. vbi ait, solitos fuisse baptizatos vti vestimentis albis per totam octauā paschæ, & ideò dies octaua vocatur Dominica in Albis, quia eo die deponebant baptizati alba vestimēta. Et huius ceremoniæ vestigia adhuc manēt in baptismis adultorū, qui tēporibus Paschę & Pētecostes fiūt in Romana Ecclesia: in baptismo autē paruulorū sacerdos operit caput infantis cādida veste.

Diony. Ambro. August. Greg. Turō. Rabanus.

Cereus accensus cur datur baptizato. Præter has ceremonias à D. Thoma tractatas, seruat Ecclesia aliam, videlicet dandi cereum accēsum homini iam baptizato, quæ etiam est antiquissima, vt cōstat ex Greg. Nazian. orat. 40. in sanctū baptismū, vbi inquit, hac ceremonia significari fidē viuā, quā baptizatus semper habere debet, vsq; ad finē vitæ, & Greg. Turon. loco citato ad hanc ceremoniā alludēs inquit. *Flagrabant cerei, lāpades refulgebāt*, & Nicephorus lib. 3. Historiæ capit. vlt. & latiùs Alcuinus de diuinis officijs cap. de Sabbatho sancto. Rursus olim hominibus baptizatis lac & mel prægustāda dabātur ad infantiæ spiritualis significationē, vt ait Hieronymus dialogo contra Luciferianos. Vnde Dominica in albis canitur. *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite.* Addit verò idē Hierony. in 55. cap. Isaiæ, vsque ad sua tempora in Ecclesijs Occidētis obseruatum esse, vt renatis in Christo vinum lacque tribuatur: sed hæc ceremonia iam non est in vsu. Sicut neque alia de osculo pacis, cuius meminit Cyprianus lib. 3. Epistola. 8. neque alia de lotione pedum, de qua mentionem facit Ambros. lib. 3. de sacramentis cap. 1. Quam tamen non fuisse receptam, ne illa lotio existimaretur esse de substantia babptismi, docet August. Epistola. 119. cap. 18. imò prohibita videtur in Concil. Eliber. cap. 48.

Greg. Naz. Greg. Turō. Nicephor. Alcuinus. Hierony. Cyprian. Ambrosius. August. Cōc. Eliber.

ARTICVLVS IIII.

4. d. 6. q. 2. ar. 3. q. 3. c. 5. in tit. de sacerdotum perfectionibus, & in contemp.

Vtrum sit officium sacerdotis, catechizare & exorcizare baptizandum.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd non sit sacerdotis, catechizare & exorcizare baptizandum. Ad officium enim ministrorū pertinet habere operationem super immundos, vt Dionys. dicit. 5. cap. Eccles. hier. Sed catechumeni, qui instruuntur in catechismo, & energumeni, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos, vt ibidem Dionys. dicit. Ergo catechizare & exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potiùs ministrorum.

Loco citato.

2 Prætereà, Catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturā, quæ in Ecclesia per ministros recitatur, sicut enim per lectores in Ecclesia legitur vetus Testamentum; ita etiam per diaconos & subdiaconos legitur nouum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. Similiter etiam & exorcizare, vt videtur, ad ministros pertinet, dicit enim Isidor. in quadam epistola, Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos & catechumenos in exorcismo imponere. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis, catechizare & exorcizare.

Refertur in ... 25. ... lectis. ... citur esse ... epi. ad Ludifredum.

3 Prætereà, Catechizare idem est, quod docere, & hoc idem est, quod perficere, quod ad officium Episcoporum pertinet, vt dicit Dionys. 5. c. Eccles. hierar. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

SED contra est, quod Nicol. Papa dicit: Catechismi baptizandorum à sacerdotibus vniuscuiusque Ecclesiæ fieri possunt. Vnde Gregor. etiam super Ezech. dicit: Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, quid aliud faciunt, nisi quod dæmonia eijciunt?

Loco citato in arg. ... Refertur ... conse. d. ... ca. ... mi. Greg. hom. 29. in Euangel. ... dium.

RESPONDEO dicendum, quod minister comparatur ad sacerdotem, sicut secundarium & instrumentale agens ad principale, vt indicat ipsum nomen Ministri. Agens autem secundarium non agit sine principali agente, sed cooperatur principali agenti in operando. Quanto autem potior est operatio, tanto principale agēs potioribus indiget instrumētis, seu ministris. Potior autē est operatio sacerdotis, in quātum confert ipsum sacramentum, quàm in præparatorijs ad sacramentum. Et ideo supremi ministri, qui dicuntur diacones, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum. Dicit enim Isidor. quod ad diaconem pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo, scilicet in chrismate, patena, & calice. Inferiores autem ministri cooperantur sacerdotibus in his, quæ sunt præparatoria ad sacramētum, sicut lectores in catechismo, & exorcistæ in exorcismo.

De cō... 25. ... dist. ... esse in ... ad Lud... dum.

AD primum ergo dicendum, quòd super immundos ministri habēt operationem ministerialem, & quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

AD secundum dicendum, q lectores & exorcistæ habent officium catechizandi & exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

AD tertium dicendum, quòd multiplex est instructio, vna conuersiua ad fidem, quā Dionys. tribuit Episcopo in 2. Eccl. hierar. & potest competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fideli. Secunda est instructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum, & hæc pertinet secundariò quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. Tertia est instructio de conuersatione Christianæ vitæ, & hęc pertinet ad patrinos. Quarta est instructio de profundis mysterijs fidei, & perfectione Christianæ vitæ, & hæc ex officio pertinet ad Episcopos.

cap. 2. eccl. hierar. ar. 2.

IN hoc articulo nihil addēdum occurrit his, quæ de ministris sacramentalium in genere suprà tractata sunt, præter ea, quæ in sequenti disputatione morali de ministro huius sacrameti dicemus.

DISPVTAT. XXXI.

De morali doctrina ad sacramentum baptismi pertinente.

HAC sola disputatio superest de baptismi sacramēto: hactenus enim institutionem, essentiam, causam, effectus, & accidentia, seu proprietates eius explicuimus; dicendum ergo superest de præceptis, quæ ad hoc sacramentum spectant, & quando, vel quomodo contra illa peccetur, & quænam Ecclesiasticæ pœnæ propterea imponantur: ad hæc enim capita tota hæc doctrina moralis reuocatur. Præcepta autem huius sacramenti possunt, vel ad dantem, vel ad recipientem pertinere: nam hæ duæ personæ sunt per se necessariæ ad vsum huius sacramenti: nam de susceptore, qui ex vsu Ecclesiæ in solenni baptismo requiritur, satis dictū est suprà. q. 67. art. 8. dicemus ergo priùs de suscipiente sacramentum, deinde de ministrāte, ac deniq; de ijs, quæ vtriq; sunt communia, ac de mutua eorum obligatione inter se se.

SECTIO I.

Vtrum iure diuino teneantur homines baptizari.

Matth. vlt.

RAtio dubitandi esse potest, quiā, licèt Matth. vlt. præceptum sit Apostolis, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, tamen alijs nōn est præceptum, vt baptismum reciperent: potest autē optimè vnus obligari ex præcepto ad dandum, quamuis alter nō obligetur ad recipiendum, vt patet de eleemosyna & de restitutione: potest enim subintelligi cōditio in illis verbis, *baptizantes eos*, scilicet, si ipsi consensent, vel baptizari voluerint. Vnde addēs Christus Dominus Marci vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, solùm posteà dixit, *Qui non crediderit, condemnabitur*, & non dixit, *Qui non baptizatus fuerit*, indicans, baptismū non ita esse simpliciter præceptum, sicut fidem. Vnde potest hoc confirmari, quia per fidē viuam potest quis iustificari ante baptismū; postea ergo non indigebit baptismo, cū nō indigeat effectu eius & ceremonia exterior non sit per se præcepta, sed propter effectum.

Dico primo, Iure diuino impositum esse hominibus præceptū suscipiendi baptismū aquæ. Est certa conclusio & communis Theologorum, D. Thomæ suprà. q. 68. artic. 1. & in 4. d. 4. q. 3. art. 3. quæstiuncul. 2. & idem tenent alij Theologi, Richardus artic. 1. quæst. 3. Gabr. q. 2. artic. 3. dubio. 1. Bonauent. d. 6. artic. 2. quæst. 2. Palud. q. 1. Soto & alij, & Adria. materia de baptismo, quæst. 5. colligitur ex Concil. Trident. sess. 7. can. 5. de baptismo, vbi anathematis damnat dicentes, baptismum liberū esse, hoc est, nō necessariū ad salutē. Vbi, licèt nō apertè declaret, an de necessitate medij, vel præcepti loquatur, tamen, etiā si sit sermo de necessitate medij, in illa omnino continetur necessitas præcepti respectu adultorū, vt dicemus, & cùm Concil. negat baptismum esse liberum, manifestum est, libertatem ibi opponi præcepti obligationi. Deinde colligitur hæc veritas ex illo Ioan. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Primò quidem, quia omnia media necessaria ad salutem, quatenus sunt in potestate & voluntate nostra, cadunt sub præceptū, nam per obseruationem præceptorum vitam æternam consequimur, iuxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Nihil ergo est, quod magis sub præceptum cadet, quàm medium illud, sine quo vita æterna obtineri non potest, quantum in nostra est positum voluntate & potestate. Ex qua ratione intulerunt aliqui, hoc præceptum præter institutionem baptismi non esse positiuum, sed naturale, consequens ipsam institutionem ex vi charitatis, qua homo obligatur curam gerere salutis suæ spiritualis, & vti medijs institutis ad consequendā vitā æternā. Sed hoc non rectè dictū est, quia ex vi solius institutionis poterat quidem baptismus esse vtilis ad abundantiorem gratiam, & ad maiorem securitatem salutis comparandæ; tamē ex hoc præcisè non esset necessarius simpliciter ex obligatione charitatis, quia non tenetur homo, aut certiora, aut vtiliora media salutis assumere ex vi solius charitatis propriæ, nisi aliunde sint præcepta vel necessaria hæc ergo obligatio charitatis supponit aliam necessitatem priorem medij, quæ in præsenti intelligi non potest ex sola natura rei, nec sine priori aliquo præcepto positiuo. Vnde argumētor secundò in hunc modum; nam adultus, etiam si per interiorem fidem, dilectionem, & pœnitentiam iustificetur, adhuc est illi necessarius baptismus necessitate medij ad vltimam salutem, ita vt, si voluntariè illum negligat, saluari non possit, vt cōstat ex suprà dictis de necessitate medij: sed hæc necessitas oriri non potuit, nisi ex speciali præcepto positiuo, ergo. Probatur minor, quia postquā homo iustificatus est, non pōt impediri ab vltima salute consequenda, nisi ratione alicuius peccati, quia, si gratia non amittatur, infallibiliter perduci-

Est præceptum suscipiendi baptismū iure diuino. D. Thom. Richard. Gabriel. Bonauent. Palud. Soto. Adrian. Cōcil. Trid. Ioan. 3. Matth. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur ad vitam æternam: amitti autē non potest, nisi per peccatum, omissio ergo volūtaria baptismi nō potest, vel gratiam, priùs obtentam tollere, vel cōsecutionem vitæ æternæ impedire, nisi ipsa peccatum sit: non potest autem ipsa esse peccatum, nisi sit contra præceptum, vt per se cōstat, ergo de primo ad vltimum, vt baptismus sit adultis mediū necessariū ad salutem, oportet, vt illis sit præceptus. Dices, illam necessitatem non oriri ex præcepto, sed ex voto baptismi, quod homo per contritionē habuit, vt iustificari posset. Sed hoc friuolum est; quia hoc votum non est intelligendum (vt nomen sonat) per modum promissionis, qua homo se voluntariè obliget ad baptismum suscipiendum, tum quia ficta est, & inusitata talis promissio, imò (vt supra dictum est) interdum potest haberi hoc votum simplicitum sine cogitatione, vel cognitione baptismi, sine qua esse nō potest promissio propria voluntate; actu, tū etiā quia de ipsamet promissione inquiro, an sit præcepta nec ne: nam, si non est præcepta, omitti poterit sine peccato, & sine illa poterit homo habere dilectionem veram & contritionem, & ita poterit iustificari sine voto baptismi, & tolletur necessitas medij: si autem dicatur de illa datum esse præceptum, multò, veriùs & facilius dicetur, datum esse huiusmodi præceptū de ipso baptismo suscipiendo; quia hoc immediatè & per se pertinet ad necessitatē baptismi, non aliud. Votum ergo illud nihil aliud est, quàm propositum suscipiendi baptismum, quod propositum ideò necessarium est, quia baptismus est præceptus, vt mediū necessarium: nō ergo oritur illa obligatio ex voto, sed potiùs votum est de obligatione implenda, & ideò necesse est, illud includi in contritione, quia supponit obligationem: nam, si hæc non supponeretur, posset homo habere contritionem sine tali proposito, imò cùm contraria voluntate nō faciendi quidquid præceptum non est: quod enim licet æon facere, licet etiam velle non facere, & ideò voluntas illa non esset contraria veræ dilectioni ac contritioni, & ideò necessarium est præceptum, vt tale votum ex necessitate in cōtritione includatur. Ex quo vlterius concludi potest, hoc præceptū tale esse, vt obliget sub mortali, quandoquidē voluntaria eius omissio talis est, vt excludat hominem à regno cælorum, iuxta verba Christi Domini superius citata: & ratio est, quia hoc præceptū est de re ad salutem necessaria, seu tale est, vt cōstituat rem ad salutē necessariā. Quocirca, sicut Christus Dominus dixit, *Qui non crediderit condemnabitur*: ita de adultis dicere potuisset, qui sine baptismo voluntariè mortuus fuerit, condēnabitur: quia sine dubio æquè verum est, & licèt Christus Dñs id tacuerit, nō tamē negauit, tacuit autē, vel quia ex priori membro id satis colligi poterat, nam cùm dānandus dicitur, qui non crediderit, non solùm intelligēdum est de illo, qui nullo modo credit, sed etiā de omni illo, qui nō crediderit fide viua: qui autē voluntariè baptismum omittit, iam nō credit fide viua: vel certè id tacuit Christus, vt significaret, posse hominē saluari per internā dispositionē absq; reali susceptione baptismi, qñ non voluntas, sed necessitas illam excludit, quod optimè stare potest cum præcepto, quia tunc impotentia culpā excusat. Quando ergo Christus præcepit Apostolis, vt omnes gētes baptizarēt, implicitè alijs præcepit, vt baptizarētur, sicut præcipiēdo Apostolis, vt alios docerent, præcepit alijs, vt audirent, & crederēt. Nec verò hæc obligatio suscipiendi baptismū sine fructu est, etiam post gratiam & iustitiam per contritionem obtentam: Primò quidem, quia ipsa gratia sacramentalis, & totius pœnæ, & omnis culpæ remissio, & maior securitas ac certitudo, sunt fructus magni momenti, propter quos omnes poterat meritò præcipi baptismi susceptio. Deinde, character baptismalis non imprimitur per interiorem contritionem absque reali susceptione sacramenti, est autem hic character in lege noua necessarius, vt homo sit capax aliorum sacramentorum, & fructuū eorum. Denique sacramenti huius susceptio est solennis professio fidei, per quam fideles configurantur Christo, eiusque corpori Ecclesiæ aggregantur, & subijciuntur, quam professionem oportuit fieri certo aliquo sensibili signo, vt fieret humano modo, & constanti, & omnibus manifesto.

Præceptum baptismi respicit omnibus hominibus positum.

Dico secundò, Hoc præceptum baptismi omnibus hominibus positum est, vnde, quantum est ex se, ex quo latum est, omnes obligat, qui sunt capaces præcepti. Est certa concl. in quo differt hæc à lege circūcisionis, illa enim vni tantùm populo data est: hæc verò vniuerso mundo: quod constat ex generalitate verborum Christi, *Nisi quis renatus fuerit*, &, *Baptizate omnes gentes*. Et ratio est, quia regnum Christi, & Ecclesia eius futura erat Catholica, vniuersalis, & per vniuersum mūdū erat diffundenda: & ideò, sicut omnibus hominibus præcipitur fides Christi, & coniunctio cum Ecclesia, extra quā nō est salus: ita etiam omnibus præcipitur professio Christianæ fides, quæ fit in baptismo. Atque hinc sequitur primò, hanc legem, quantum est ex se, obligasse etiam illos homines, qui eo tempore viuebant, quo Christus hanc legem tulit, quantumuis essent iusti & sancti, obligauit itaque Apostolos, & Beatissimam etiam Virginem, quia omnibus necessarium fuit, vniri Ecclesiæ, prout à Christo instituebatur, & subdi iurisdictioni eius, & fieri capaces aliorum sacramentorum eius: & ideò omnibus est impositum hoc præceptum, quanuis iam non esset illis necessarius baptismus ad peccati remissionem. Sequitur secundò, obligare hoc præceptum infideles omnes, est enim à Christo datum, qui potestatem habuit excellentiæ ad obligandos omnes, & verba legis ad omnes diriguntur: quomodò autem hæc lex & obligatio illis applicetur, & an inuincibiliter ignorari possit, in materia de fide tractatur: eadem enim ratio quoad hoc est de baptismo, quæ est de ipsa fide, præsertim de fide explicita Christi, & Trinitatis, prout nunc est in lege gratiæ necessaria. Hinc verò obiter vlterius sequitur, nullum hominem proprij arbitrij capacem, posse iustè aliqua humana potestate impediri, quominus baptizetur, si velit. Itaq; & filius inuito parente, & seruus inuito Dño, & quilibet priuatus homo inuitu suo Principe, seu republica baptizari potest, & grauiter cōtra præceptū Christi delinquit, qui eū tentat impedire, ipseq; ius habet se defendēdi, si possit; imò & Ecclesia habet etiam potestatē defendēdi illum ex vi illorum verborū, *Docete omnes gentes baptizantes eos*, & illorū, *Pasce oues meas*: sed de hoc latius dixi in materia de fide.

Tertiò sequitur ex dictis, hoc præceptū per se & directè non obligare paruulos ante vsum rationis, quia, p ea ætate non sunt capaces præcepti: inquiri verò potest, an obliget parētes, aut alios, qui eā gerunt

gerunt infantū, ad baptizandos illos. Respōdetur primùm instante necessitatē vel periculo mortis ipsius infantis, saltem obligari ad hoc ex lege charitatis, misericordiæ, & pietatis, qua tenetur parēs subuenire filio indigenti, & rectè illum instituere, seu disponere; etiam in ijs, quæ ad salutem animæ spectant. Deinde, etiam ex vi legis baptismi existimo ad hoc teneri parentes, quia materia huius legis communis est infantibus, & adultis, & ideò ad omnes extendi debet obligatio eo modo, quo potest: infantes autem, sicut nō habent pro tunc aliā voluntatem, nisi paternam, ita per illam obligātur ad baptismum, quatenus ipsi parentes obligantur ad baptizandos illos, sicut olim lex circuncisionis obligabat parentes ad circuncidendos infantes. Præterea, si infantes sint filij Christianorum, tenentur pastores Ecclesiæ ex officio, & ex iustitia, ad baptizandos illos, saltem in prædicta necessitate, ve constat sufficienter ex supra tractatis de ministris sacramentorum in genere. At verò extra casum necessitatis, & standō in solo iure diuino non videntur obligari parentes hoc præcepto baptismi ad baptizandos suos filios tempore infantiæ: & idem videtur dicendum de tota Ecclesia respectu suorum membrorum, quia hoc non continetur in substantia ipsius præcepti: non enim determinat tempus, vel ætatem, in qua dandus, vel suscipiendus est baptismus, sicut determinabat lex circuncisionis. Rursus, cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, nō obligat pro omni tempore, sed solùm tempore opportuno, vel moraliter necessario, vt explicabimus sectione sequente: tempus autem infantiæ, secluso periculo mortis, non videtur ex se adeo necessariū vt ex vi solius diuini iuris obligetur Ecclesia ad baptizandos homines tempore infantiæ, nec possit licitè baptismum differre vsque ad ætatem adultā: quod videtur olim fuisse in consuetudine in aliquibus locis, nec video rationem, aut autoritatem sufficientem, ad asserendum talem cōsuetudinem esse contrariam iuri diuino, quanuis contraria melior sit, vt suprà tradidimus. Vnde ex consuetudine Ecclesiæ, & præcepto eius rectè possunt parentes Christiani, ad baptizandos infantes suos ante adultam ætatem, obligari: quia res est iusta, & bono communi satis expediens, & ipsi sunt subditi iurisdictioni Ecclesiæ. Et ita existimo, saltem consuetudine ipsa, introductum esse hoc præceptum, cō vel maximè, quòd secluſa grauissima causa non posset sine magno scandalo hæc consuetudo violari; parentes autē nō baptizari, cū non sint Ecclesiæ subditi, non obligātur hoc particulari præcepto.

Quando hoc præceptum obligare incipiat.

Bernardus. Hugo.

Vltimò occurrebat hoc loco tractandū, quando cœperit hoc præceptum vniuersum mundū obligare, sed, quia hæc quæstio generalis est de tota lege noua, illam relinquo in materiam de legibus, mihi tamen semper placuit D. Bernardi sententia in Epist. 77. ad Hugonem, & Hugonis in lib. 1. de ecclesiasticis officijs cap. 13. & in summa sententiarum tract. 5. cap. 2. scilicet hoc præceptum non obligasse vniuersum mūdum ante sufficientē Euangelij promulgationē, quæ cōprehendit sufficiens tēpus, & diligentiā, ac publicationē præcepti de se sufficientem, vt posset notitia eius ad omnes mundi homines prouenire: quia nec obligatio legis aliter prudenter imponeretur, neq; esset hominibus accōmodata: quia non solū ex accidenti, sed per se, esset impossibilis eius notitia: secluso enim miraculo per se repugnat, legem vno tantū loco diuulgatā, eadē hora, vel die in notitiā totius orbis deuenire; nō est ergo humanū hoc modo vniuersos homines aliqua lege obligare: neq; esset prudēs prouidētiæ genus, præsertim in lege introducente nouū remediū necessariū ad salutem, & antiqua remedia irritāte; quia non posset non afferre multis necessitatē quandā pereundi absq; remedio salutis, præsertim infantibus. Adde, nullū aliud tēpus conueniēter assignari posse: nā, quod quidam dicunt, die resurrectionis, vel ascēsionis cœpisse hāc legem obligare omnes, quando Christus dixit Apostolis, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, non est verisimile: quia tunc Christus non promulgauit hanc legem, sed solū instruxit Apostolos, eisque præcepit, vt illam promulgarent, & executioni mandarent. Quod verò alij dicunt, hanc vniuersalē obligationē cœpisse in die Pentecostes, nullū etiā habet sufficiens fundamentū: quia nec; eo die legimus factā hanc vniuersalē promulgationē, aut enim hæc intelligitur facta in solo ipso aduentu Spiritus sancti solenni & publico, aut in prædicatione Petri: nulla enim alia actio eo die facta est, quæ posuit vim promulgationis habere: sed in neutra earum actionum facta est talis promulgatio, nam per solū aduentum Spiritus sancti, & omnia signa, quę in illo facta sunt, nihil potuit mundus percipere aut intelligere de tali lege, vt per se cōstat: ergo per illud solum mysteriū nō est facta promulgatio sensibilis, & humana. Neque etiā facta est per prædicationem Petri, quia, neque ipse tunc direxit sermonem suum ad vniuersos homines, sed ad Iudæos, & Israelitas, vt patet ex illis verbis Actorum 2. *Viri Israelitæ audite verba hæc*, & illis, *Vobis enim est repromissio & filijs vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscunque, aduocauerit Deus noster*: quæ posteriora verba possunt intelligi, vel de Iudæis vbiq; diffusis, vel certè de quibuscunque hominibus, quos Deus vocare dignaretur, de quibus Petrus nihil tunc satis cognoscebat. Cuius rei argumentū sufficiens sumitur ex c. 10. Actorū, vbi Petro facta est specialis reuelatio de baptizādis gentibus: nō est ergo verisimile, ipsum voluisse in prima illa prædicatione promulgare baptismi legem omnibus gentibus, nō ergo fuit illa vniuersalis, & integra promulgatio, sed solū inchoatio quædam promulgationis paulatim perficiendæ.

Actorum 2.

Actorum 10.

SECTIO. II.

D Quomodo possit determinari certū tempus humanæ vitæ, pro quo obliget hoc præceptum baptismi.

Supponimus ex præcedente sectione sermonē esse de adultis, qui in se ipsis hac lege obligātur, nā de paruulis iā satis dictū est. Ratio autem dubitandi est, quia præceptum affirmatiuum, quale est hoc, de quo agim⁹, licèt obliget semper, non tamen p semper, & ideò difficile est, assignare tēporis articulā, pro quo definitè obliget, quando ipsa lex illum non determinat, vt in præsenti cōtingit. Duobus autem modis fieri solet hæc tēporis determinatio in obseruatione alicuius præcepti diuini affirmatiui. Primo, priuata autoritate p lolā prudētē & sapiētē interpretatione diuinæ legis, quomodo interpretamur, præceptū credendi obligare hominem

Universidad de Deusto Biblioteca

nem ad credendum statim, ac illi sufficienter proponuntur res fidei. Secundò per publicam Ecclesiæ autoritatem, & potestatem, quæ præcepto diuino adiungit aliud humanum, determinans tempus, in quo diuinum seruandum est, quomodò diuina lex de confessione peccatorum, vel de sumenda Eucharistia determinatur ex præcepto Ecclesiæ, vt semel in anno, vel tempore Paschali seruetur: & de vtroque modo dicendum est.

Circa priorem tria sunt tempora, de quibus potest esse controuersia; primum est, ipsum initium, seu status vsus rationis, supposita sufficiente cognitione baptismi, & iuxta hoc obligabitur vnusquisque ex vi huius legis, vt baptismũ recipiat statim, accommodè potest, supposita baptismi propositione, & cognitione secundum tempus erit, vltimum vitæ tempus seu periculum: tertium erit, aliquod tempus intermedium. Ex his autem hoc vltimũ videtur maximè indeterminatum, & æquè incertũ: quia non est maior ratio de vno die, mense, aut anno, quã de alio. Primũ autẽ tẽpus, quanuis opportunissimũ sit, & ideò maximè consulendũ, non tamẽ videtur posse sufficienti ratione probari, statim pro illo tẽpore obligare hoc præceptum, quia non obligatur homo ad id, quod optimũ est, nec cætera affirmatiua præcepta statim obligant, vt cõstat de præcepto pœnitendi seu confitendi post peccatum commissum: nunc enim per annum differri potest, &, seclusa Ecclesiæ determinatione, longiori tempore potuisset. *Tertullia.* Quin potiùs Tertullianus libr. de baptismo. cap. 18. consilium dicit esse differre baptismum, & nonnulla veterum sanctorum exempla id suadent; *Martinus. Ambros.* nam D. Martinus octo annis fuit catechumenos, & baptismũ distulit, & Ambros. quãdo in Episcopum electus fuit, nondum erat baptizatus. Videtur ergo solum vltimum tempus, id est, vitæ terminus, seu periculum esse illud, pro quo, per se loquendo, obligat hoc præceptum. Quod potest confirmari primo, quia præcepta affirmatiua solum obligant pro tempore necessitatis, *D. Thom.* teste D. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 1. sed nullũ aliud tempus potest verè dici tempus necessitatis baptismi: ergo tantum pro illo obligat. Secundò, quia etiam videtur illud tempus maximæ cõmoditatis: nã per baptismum remittuntur omnia peccata quoad culpã, & omnem pœnã, quod nõ semper fit per sacramentalẽ confessionem absq; laborioso pœnitentiæ baptismo, *Grego. Nazian.* vt dixit Gregor. Nazianze. orat. 40. ergo magnũ cõmodũ est differre baptismũ vsq; ad finem vitæ, quãdo iam homo vix post baptismum susceptum peccare possit, vt hoc modo purior & innocentior ex hac vita decedat.

Cum primũ quis cõmodè potest, tenetur baptizari.

Dicendũ nihilominùs est, hoc præceptũ obligare hominem, vt, moraliter loquendo, quam primũ dignè & cõmodè possit, baptismũ recipiat, vel saltẽ, vt nõ multo tempore hoc differat. Et ideò dixi, moraliter loquendo, quia in huiusmodi rebus non est postulandũ, vt tẽporis articulus indiuisibiliter designetur. Atq; sic intellecta cõclusio sumitur ex doctrina Sanctorũ, *Basilius. Nazian. Chrysost.* Basilij homil. 13. ex varijs. Nazianz. orat. 40. de sancto baptismo, Chrysosto. homil. 1. in Acta circa finẽ, & homil. 13. ad Hebræos, & habetur in c. quando quis. de cõsecratione. d. 4. vbi grauiter reprehendit eos, qui vsq; ad mortem baptisma differunt, vt liberiùs peccent, & tunc plenam remissionem cõsequantur. Ratione potest probari primo hæc opinio ex fine huius sacramenti, quanuis enim institutũ sit ad remittenda peccata, tamen per se primò est ad peccatũ originale tollendũ, & ad regenerandũ hominẽ in Christo, & ad cõstituendũ eum membrũ Ecclesiæ Christi, vt sit capax aliorũ sacramentorum, & fructus sacrificij, & obedientiæ seu subiectionis iurisdictioni Ecclesiæ. Sed hæc omnia talia sunt, vt per se pertineãt ad totum tẽpus, & statũ huius vitæ, & vt sint moraliter necessaria ad spiritualẽ vitã hominis: ergo ex fine & institutione baptismi satis constat, præceptum eius statim obligare modo explicato: voluit enim Christus fideles suos in hac vita in vna visibili republica seu Ecclesia congregare, vna fide, sub vno capite, in eorundẽ sacramentorũ vsu, & fructu, ad quam voluit ingressum patere per baptismũ: ergo consequenter etiã voluit, huiusmodi ingressum fieri statim à principio vitæ, moraliter loquendo. Et confirmatur, nã si in vltimũ vitæ tẽpus reseruetur, magna ex parte frustratur sacramentũ fine suo, de tẽpore autẽ intermedio rectè procedit argumentũ suprà factũ, nullã esse maiorem rationẽ de vna parte illius, quàm de altera relinquitur enim solũ prædictũ tempus posse rationabiliter determinari. Vnde confirmatur tertiò, quia illud non solum potest dici tẽpus cõmoditatis, sed etiam cuiusdã moralis necessitatis, quæ nõ est in omnibus affirmatiui præceptis eadem postulanda, sed proportionalis, iuxta vniuscuiusque materiam & finem: in præsenti ergo magna est necessitas ingrediendi Ecclesiam, & vitam spiritualẽ gerendi in illa, & fruendi sacramentis, & influxu eius, quæ necessitas durat toto tempore vitæ præsertim in ætate adulta: ergo hæc satis est, vt homo statim obligetur ad hanc spiritualẽ regenerationẽ. Quartò, homo statim tenetur credere, & suscipere fidem sibi sufficiẽter propositã, quia est vitæ spiritualis fundamentum: ergo similiter tenetur statim hoc fidei sacramentum suscipere, & in eo suã fidem solenniter profiteri. Probatur consequentia, tum quia non solum obligatur homo, vt interiùs credat, sed etiam vt exteriùs fidẽ profiteatur ritu publico, & solenni, quo ipsa vnitas fidei demonstretur, tum etiam quia sicut fides interior est fundamentum interioris iustitiæ, ita baptismus est fundamentum eiusdem iustitiæ, quatenus per exteriora media cõparari potest, & Christianæ religionis, quatenus exteriùs vniri, & videri potest. Vnde sicut, qui vouet ingredi religionem, quanuis nõ determinet tempus, tenetur ad statim ingrediendum moraliter loquendo: quia ex vitalis voti totã vitã suam, totumque vitæ tempus offert & consecrat ad illum statum: ita hoc præceptum, quod homines obligat ad assumendam religionem Christianam, statim obligat in sensu explicato. Tandem hoc est valde consentaneum vsui, quem semper seruauit Ecclesia, vbique enim legimus homines satis in fide instructus statim fuisse receptos & inuitatos ad baptismũ suscipiendum absque vlla mora, nisi causa rationabilis intercederet, vt patet Actorũ 2. 8. 10. &c. *Actor. 2. 8. 10.* Est etiam hoc consentaneum fragilitati & periculis huius vitæ, nam accidere facilè potest, vt homo sine hoc remedio decedat, si multum differat. Est deniq; cõsentaneũ ꝓpriæ caritati, ne homo priuetur maximis spiritualibus bonis, quę vel ꝑ hoc sacramẽtũ dantur, vel illud necessariò supponũt. Dixi in conclusione, quã primùm dignè & commodè possit, quia homo adultus priùs est in fide instruendus, & ad baptismum disponendus, & quandiu ob

hanc

hanc causam baptismum distulerit, non censebitur esse in mora culpabili, tenebitur tamen moralem diligentiam adhibere, vt se se ad baptismum disponat, & instruat, ne ob hanc causam plus iusto tempus baptismi differat, quæ obligatio oritur ex ipsa met præcepto baptismi: non enim obligat hoc præceptum tantum post sufficientem dispositionem ad baptismum recipiendum, sed absolutè omnes obligat, & ideò adiuncto alio præcepto naturali, sancta sanctè tractandi, consequenter etiam obligat ad non negligendam, nec nimium differendã ipsam baptismi dispositionem alioqui vel fingendum esset aliud præceptũ, vel huius præcepti obligatio ex hominis arbitrio penderet.

Ad argumẽta D. Tho.

Ad rationem dubitãdi in principio positam D. Thomas quidem in. 4. d. 17. loco suprà citato ęquiparat hoc præceptum baptismi cum præcepto pœnitentiæ, & ideò sicut præceptum confitendi non obligat statim, ac homo peccat: ita idem dicẽdum sentit de præcepto baptismi, *Caietanus.* Caietanus etiã supra quæst. 68. artic. 3. obscurè loquitur de hac obligatione huius præcepti, & illud videtur cæteris præceptis affirmatiuis æquiparare. *Quæ* (inquit) *licèt ex parte temporis non obligent, nisi in articulo necessitatis, ex parte tamen motiui ad differendum rationem requirunt: nam si sine sufficienti ratione dilatio voluntariè fiat, peccatum incurritur.* Vnde concludit, peccare hominem, differendo baptismum ex sola voluntate, non tamen, si ex rationabili causa illũ differat. Quæ conclusio Caietani simpliciter vera est, & nostræ sententiæ minimè contraria, si rectè intelligatur: imò ex illa necessariò sequitur, obligationem suscipiendi baptismũ vrgere statim, ac homo cõmodè potest illũ accipere, & nullam habet rationabilem causam ad differendũ, nã si hanc habeat, iam nõ cẽsebitur habere moralẽ opportunitatem ac cõmoditatẽ, & ideò nondum cẽsetur adesse tẽpus, pro quo dicimus, statim obligare baptismũ. Quòd verò Caietanus hãc doctrinã colligit ex communi ratione præcepti affirmatiui, mihi ꝓbari nõ pôt: non enim in omnibus illis dilatio, quæ sola volũtate fit, absq; alia rationabili causa, peccatũ est contra tale præceptũ: nã, vel præceptũ iã habet tẽpus determinatũ, intra quod implendũ est, vt, verbi gratia, ꝙ audiẽda est Missa die festo ante meridiẽ, & tunc dilatio, quæ fit intra totũ illud tẽpus vsq; ad vltimã eius horam, nullum est peccatũ, per se loquendo; quia quandiu præceptum sufficienter impleri potest, neque aliud agitur cõtra id, quod in ipso decretũ est, nihil contra illud peccatur, si autem vltra totum illud tempus differatur, iam illa erit trãsgressio præcepti, non quia est dilatio volũtaria sine motiuo rationabili, sed quia est absoluta trãsgressio cõtra substantiã præcepti, quæ peccatum est, quocunq; motiuo fiat, nisi talem causam contineat, quæ hominẽ excuset à totius præcepti obligatione. Aut præceptum nõ habet in se expressam determinationem temporis, sed ex materia, & fine talis præcepti colligenda est, & in his præceptis non est semper iudicãdum, an dilatio sit peccaminosa, nec ne, ex motiuo & ratione differendi: alioqui omnia obligarent ad exequendam actionẽ præceptã, statim ac cõmodè fieri potest, neq; vlla intercedit causa rationabilis ad differendũ, quod tamẽ cõstat esse falsum in præcepto confessionis, stãdo iuri diuino, aut in præcepto amãdi proximũ, & similibus. Priùs ergo determinanda est aliquo modo quãtitas temporis, intra quã potest præceptũ obligare: nã intra illã differri poterit executio sine peccato, etiã si sola volũtate fiat absq; alia causa: assignãdus autẽ erit aliquis terminus, vltra quẽ nõ liceat actionẽ præceptã differri, neq; ex volũtate, neq; ex causa, nisi sit tã grauis, quæ sufficiat excusare à præcepti obseruatione. Cẽseo igitur in præcepto baptismi esse singularem rationẽ, propter quã quãtitas temporis, pro quo obligat, & intra quod obligat, ita limitãda & coarctanda sit, vt moraliter censeatur statim obligare, quã primũ occurrerit opportuna occasio illud suscipiẽdi: quia, supposito fine & materia huius præcepti, illud tẽpus nõ solũ censetur cõmodius, sed necessarium, moraliter tamen, & prout res humana postulat, definiendum. Quare non est omnino in hoc eadem ratio de confessione, & de baptismo: quia confessio nõ est spiritualis regeneratio, nec fundamentũ Christianæ religionis, nec ianua Ecclesiæ, sicut est baptismus. Ad exẽpla verò Martini, Ambrosij, & huiusmodi dicẽdũ est, ex particularibus factis, aut euentibus nõ posse sumi efficax argumentũ: nã in rebus humanis multa occurrũt, quæ possent hominẽ sine peccato impedire, & ita in dictis casibus interuenire potuerunt speciales causæ, quæ ad id cogerent: præsertim quia tunc baptisma tantũ cõferebatur duobus anni temporibus, in quibus facilè occurrere poterant impedimenta; propter quæ necessarium existimaretur ab vno in alium annum baptismum differre; forrasse etiam interdum fiebat ex aliqua ignorantia, vel nimia reuerẽtia, qua ignorantia videtur Tertullianus laborasse, *Tertullianus.* qui etiã errauit, existimans non esse infantes baptizandos, vt suprà tractatum est. Ad vltimam rationem ibi factã (cætera enim omnia expedita sunt) respondetur, illam commoditatem consequendi remissionem totius pœnæ in fine vitæ, ferè nullius momenti esse, si cum alijs rationibus & vtilitatibus explicatis cõferatur, quales sunt ingredi Ecclesiam, frui alijs sacramentis, & sacrificio, & communicatione Sanctorum, & communibus suffragijs, & bonis operibus Ecclesiæ. Deinde, licèt humanum sit post baptismum susceptum peccare, tamen idem periculum est, etiam si baptismus non suscipiatur, & aliũde augeri potest, per defectum gratiæ baptismalis, quæ ad non peccandum iuuat, vel ob spem consequendi facilem & plenam veniam omnium peccatorum in fine vitæ, quod esset abuti valde tanto diuino beneficio contra finem, & intentionem eius: ergo propter hoc periculum peccandi non licet baptismum differre: ideò enim instituta est pœnitentia, quæ licèt laboriosa sit, tamen hoc ipsum diuina prouidentia & iustitia ordinatũ est; vt, vel timore pœnæ, homines à peccando arceantur.

An Ecclesia potuerit tẽpus baptismi suscipiendi determinare.

Circa posteriorem partem difficultas est, an potuerit Ecclesia hoc tempus baptismi determinare, & an id fecerit. *Caiet.* Caietanus enim dicta q. 68. articul. 3. concedit posse Ecclesiam hoc tempus determinare negat tamen se inuenire præceptum, quo id Ecclesia determinauerit. *D. Thom.* D. Thomas autem eo loco vtrũque affirmare videtur, dum ait, peccare catechumenum, si per tempus institutum ab Ecclesia, differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria, & licẽtia prælatorum Ecclesiæ: non enim esset necessaria talis licentia, nisi præceptum Ecclesiasticũ ad hoc obligaret, neque in hoc esset vllum peccatum, nisi talis institutio Ecclesiæ haberet vim præcepti: atq; ita videtur D. Thomam intellexisse Soto in 4. dist.

5. quæst.

Universidad de Deusto Biblioteca

5. quæst. vnica. arti. 3. Et quoad potestatem potest hoc probari, quia Christus dispensationem sacramentorum Ecclesiæ commisit: ergo dedit illi potestatem definiendi tempus, pro quo baptismus esset necessariò suscipiendus: hanc enim eandem habet Ecclesia in cæteris sacramentis; quæ sub præceptū diuinum cadunt, vt sunt Eucharistia & pœnitentia. Estque valde necessaria ad conuenientem sacramentorum vsum, & ad tollendas dubitationes, vtque certo cōstet hominibus, quo tempore teneātur hæc præcepta seruare. Et confirmatur, nam duobus modis potest præcipi hæc temporis determinatio. Primo, præcipiendo aliquam dilationem, seu prohibendo, ne vllus suscipiat baptismum, nisi tali tempore, vel post tot dies catechismi, aut alia similitatione. Secundo, præcipiendo accelerationem, seu prohibendo, ne vltra tale tempus differatur baptismus: sed constat posse Ecclesiam priori modo præcipere tempus baptismi, vt constat ex antiquo vsu suprà tractato in disputatione de ceremonijs, & ex cap. non ratione, cum sequentib. de consecr. dist. 4. ergo eadem ratione poterit præcipere posteriori modo certā temporis determinationem. Quod vero ad vsum huius potestatis spectat, videmus Ecclesiam iam definiuisse hoc tempus quoad baptismū infantium, vt suprà etiam diximus, de baptismo autem adultorum, quamuis de hac re nulla inueniatur lex Ecclesiastica, tamē cōsuetudo ipsa suadet, & verisimile est, Ecclesia obligare catechumenos, vt statim post perfectū catechismū ad lauacrū accedāt, & hac lege, & quasi pacto implicito eos admittere in catechumenorū numerum, eosq; instruere & ad baptismū præparare, vt ipsi etiā teneātur intra definitū tēpus baptismū suscipere, atq; hoc modo explicat hāc sententiā Soto loco suprà citato, qui huiusmodi pactū colligit ex eo, q̃ olim baptizādi in initio catechismi sua nomina dabant.

Soto.

Potest Ecclesia interpretari diuinum ius, nō vero illud determinare speciali præcepto.

Nihilominùs dicendū tertio, in Ecclesia nō esse directā potestatē ad præcipiendū adultis non baptizatis, nec baptizatorū filijs, vt intra tale tempus baptizētur, si ꝓpriè loquamur de præcepto positiuo humano. Aliud est enim interpretari diuinū ius aliud determinare illud speciali præcepto. Primum potest sine dubio facere Ecclesia in hoc præcepto, sicut & in alijs: nā apud illā est clauis scientiæ, & interpretationis diuinarum legum. Vnde, si Ecclesia interpretetur in tali tēpore vel opportunitate obligare baptismum, re vera obligabit, non tamen ex vi præcepti Ecclesiastici, sed ex vi solius diuini iuris, & catechumenus etiam tenebitur fidem adhibere tali interpretationi sufficienter sibi propositæ, non ex vi alicuius legis humanæ, sed ex vi præcepti fidei, seu iuris diuini, quo omnes homines tenentur credere definita ab Ecclesia, vel etiam naturali iure, quo tenetur quis legitimam legum interpretationem sequi, eique obedire. Secundū autem, scilicet specialem determinationē adhibere diuino præcepto baptismi per nouū Ecclesiasticum præceptum hoc negamus posse fieri ab Ecclesia respectu adultorum. Probatur ex illo Pauli 1. ad Corint. 5. *De his quæ foris sunt, nihil ad nos:* ex quo colligūt omnes Doctores Ecclesiam non habere iurisdictionē in eos, qui non sunt membra Ecclesiæ visibilis, qualis à Christo est instituta, cuiusmodi membra sunt solùm homines baptizati. Vnde Cōcil. Trid. sessio. 14. cap. 4. *Ecclesia,* inquit, *in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.*

Pau. 1. Corint. 5.

Concil. Tridens.

Eadem autem est ratio de præcepto, ac de iudicio, quia non minùs iurisdictionem vnum requirit, quàm aliud: ergo adultus, quantumuis catechumenus, non potest, antequam baptizetur, propter præcepta affirmatiua Ecclesiæ directè obligari: ergo non est in Ecclesia potestas ad huiusmodi determinationem faciendam per speciale præceptū humanum: patet consequentia, quia tale præceptū, vt esset alicuius momenti, deberet obligare ante baptismum. Et cōfirmatur, quia aliàs, posito tali præcepto, posset Ecclesia cogere catechumenum ad illud implendum, & punire illum nisi ita faceret, quod esse falsum constat ex Paulo, & Concil. Trident. citatis: sequela verò patet, quia potestas directiua, & coercitiua coniunctæ sunt in Ecclesia, &, per se loquendo, ad eosdem subditos extenduntur, quia potestas directiua inefficax esset sine coercitiua.

Paulus. Concil. Trident.

Secundò ex hoc principio infertur, neq; esse, neque fuisse vnquam in Ecclesia tale præceptum respectu adultorum infidelium, seu non baptizatorum: nam, si nō est potestas, neque actus esse potest. Et confirmatur vtrumq; quia non est necessarium tale præceptum, & consequenter nec talis potestas: nam cùm præceptum baptismi obliget statim habita opportunitate, secum affert determinationem suā, ergo nulla indiget determinatione per Ecclesiasticum præceptum, sed sola sufficiente interpretatione, & declaratione diuini iuris: & re vera Soto loco citato quoad hoc nihil differt à nostra sententia; quamuis non satis explicuerit modum determinationis. Quod verò ibi addit de pacto inter catechumenū & Ecclesiam mihi non videtur satis fundatum: quia, q̃ catechumeni sua nomina darent, nullum argumentum est specialis obligationis & pacti, sed solùm cuiusdam publici testimonij de voluntate catechumeni; & de tempore, quo incipiebat solenniter ad baptismum præparari. Sicut quando nouitius religionem ingreditur, nomen suum dat, vt constet de ingressu eius, non tamen ideò se obligat ad profitendam religionem intra tale tempus, neque si retrocedat, transgreditur aliquod pactum cum religione initum. Vnde confirmatur simili argumento suprà facto, nam si intercessisset pactum inter catechumenum, & Ecclesiam, posset posteà cogi catechumenus ad standum promissis: faceret enim iniuriā Ecclesiæ: vnaquæq; autem suprema respublica seu potestas pōt iniurias sibi illatas vendicare: posset ergo Ecclesia punire catechumenū à fide retrocedētē, eūq; ad baptismum seu fidei professionē cogere: cōsequens autē est falsum, vt ex testimonijs suprà adductis constat, & latiùs ostēditur in materia de fide. Nullum ergo videtur intercedere tale pactum, sed, ad summum, videtur Ecclesia statuisse, vt, qui in catechumenorum numerum recipiuntur, tempore ab Ecclesia definito baptizētur, & in hoc iudicio Ecclesiæ pareant, alioqui è catechumenorum numero reijciantur: non per modum pœnæ, ac si essent subditi, vel aliquam Ecclesiasticam legem essent trāsgressi, aut obligationem Ecclesiæ factam rupissent, sed solū per modum cuiusdam conuenientis dispositionis suorum beneficiorum, & suarum actionum, ac ministeriorum, vt conuenienti modo eos inducat ad præceptum diuinū exequendum: hoc enim modo intellectum hoc factum est rationi consentaneum, alio verò modo intellectum videretur esse contra eam liber-

Soto

libertatē, qua Christus voluit, homines ad baptismum venire, quod etiam exemplo suprà posito explicari potest de nouitio habitum religionis assumente: nam licet absolutè obligari non possit, vt intra certū tēpus profiteatur, potest tamē sub cōditione seu disiunctione obligari, vt, vel intra illud tempus profiteatur, vel habitu religionis priuetur.

Tertiò addendum est, posse Ecclesiam proprio & speciali præcepto determinare tempus baptismi pro filijs Christianorum, vel baptizatorum hominum hoc constat ex suprà dictis. Et ratio est, quia ratione parentum acquisiuit ius in filios, vt in superioribus etiā tractatū est. Ad D. Tho. ergo in principio citatum respondere possumus, ipsum vocasse tempus institutum ab Ecclesia, non illud, quod speciali præcepto Ecclesiastico determinatum est, sed illud, quod est declaratum ab Ecclesia, tanquā sufficiens, vt in eo incipiat obligare ius diuinū: potest item Ecclesiā tempus aliquod statuere, tradendo baptismo, & constituere sufficiens tempus & locum, omnemq; opportunitatem ad catechismum subeundum, & baptismum intra illud tempus suscipiendū, & tunc peccabit adultus sine causa differendo baptismum, non tamen contra præceptum Ecclesiasticum, sed contra diuinum tantùm.

Ad argum.

Ad primā rationem, qua suadetur hæc potestas, iam declaratū est, quomodo in hoc præcepto, neq; est necessaria propter intrinsecam determinationē eius, neq; etiā moraliter possibilis: quia ante executionē huius præcepti diuini de baptismo suscipiendo, non est homo subditus Ecclesiæ. Ad confirmationē primò dici potest, illa præcepta, non tā obligare homines baptizados, quā ministros ipsius Ecclesiæ, quibus potest ipsa præcipere, ne baptismum administrent, nisi talibus tēporibus, vel cū talibus cōditionibus. Secūdò, licet cōcedamus, illa præcepta directè etiā obligasse baptizādos, negatur similitudo: nō est enim par ratio, quia, cū ad Ecclesiam pertineat dispensatio sacramentorū, potest præscribere modū, & ceremonias, seu ritus couenietes ad dicentē eorum administrationē & vsum: quibus ab Ecclesia præscriptis obligantur, etiā infideles & catechumeni, nō tā ecclesiastico, quàm naturali & diuino præcepto, quo tenetur res sacras sanctè & reuerēter tractare, seruādo modū in vsu sacramenti, quē Ecclesia præscripsit; & cōsequēter posset trāsgressores huius legis ab Ecclesia puniri propter iniuriā sibi, & irreuerētiā sacramēto factā, sicut posset Ecclesia punire infidelē, qui templū Christianorū violaret, vel sacramentū cōculcaret. Maximè, q̃ catechumenus sic suscipiēs baptismū præter ritum ab Ecclesia institutū per ipsum baptismū fieret Ecclesiæ subditus, & ideò mirū nō est, q̃ puniri possit ab Ecclesia ꝓpter indebitū suscipiēdi modū, præsertim, cū suprà ostēsum sit, peccatū in susceptione baptismi cōmissum ad iurisdictionem Ecclesiæ pertinere. Cætera iam expedita sunt.

SECTIO III.

Quibus ex causis possit homo ab obseruatione huius præcepti excusari.

ALiud est, inquirere, quæ causæ sufficiant ad differēdā executionē huius præcepti, aliud verò, quæ sint satis ad illā prorsus omittendā. Illud enim prius sæpè potest contingere durante vita; hoc autē posterius tantū in vitæ fine cōtingit, quia, quādiu homo viuit, baptizari potest, nōdū ergo prorsus omisit, sed tantū distulit: solū ergo dicetur omittere, quādo voluntariè sine baptismo moritur, aut probabili periculo mortis se expōnit absq; baptismo suscepto: quia in moralibus perinde censetur esse, ex ponere se morali periculo aliquid faciēdi, vel omittendi, & illud facere & omittere. Hic ergo nō agimus de causis sufficiētibus ad differendū baptismū, quia hæ possunt esse cōplures & variæ: quia licèt oporteat esse graue & rationabilem causam, tamē non oportet esse grauissimam, & quasi extremā. Cuius ratio est, quia licèt hoc præceptū, nacta opportunitatē & ablatis incōmodis, statim incipiat obligare, tamē cū ea necessitas præcepti non statim sit extrema, secluso mortis periculo, & alioqui præceptū sit affirmatiuū, nō obligat statim cū tanto rigore, quanto in extrema necessitate obligaret, & ideò ex causa moraliter graui rationabiliter differri potest, nec est certior aut specialior regula: causæ enim particulares sub scientiā non cadunt, sed per prudentiā iudicādæ sunt. De absoluta ergo omissione baptismi dubitari in primis potest, an sine peccato possit interdū permitti, seu admitti, & ratio dubij esse potest, quia nulla videtur esse posse ratio sufficiens ad omittendū mediū simpliciter necessariū ad salutē animæ. In contrariū verò est, quia hoc præceptum, quamuis diuinū, est tamen positiuū: huiusmodi autem præcepta non ita obligant, quin ex grauissima causa, qualis est mortis periculum, vel alia huiusmodi, possit homo simpliciter ab eorum obseruatione excusari.

Num in mortis periculo omitti possit baptismus?

In hac re ferè omnes docent, hoc præceptum nō obligare ad sui obseruationem cum manifesto vitæ discrimine, atq; adeò hanc esse sufficientē causam, ad excusandū hominē. Vt tamē hoc meliùs intelligatur, distinguamus duplex vitæ periculum, quod possit esse cum baptismo coniunctū. Vnū est naturale, & ab intrinseco, aliud verò violentū, & ab extrinseco. Primū erit, si contingat, hominē grauiter ægrotare, & probabiliter timeat, ipsammet baptismi ablutionem magnum illi detrimentum allaturam, mortemq; acceleraturā, & in hoc casu Soto distin. 3. art. 8. circa finem, absolutè iudicat hanc esse sufficientem causam ad omittendum baptismum, & generali regulā statuit, in nullo casu esse aliquē cum tali periculo mortis baptizandū, ita vt baptismus sit ei causa, vel mortis, vel multæ eius accelerationis; præsertim, quandiu spes eius vitæ durat. *Sed ita,* inquit, *censendum est de illo, ac si nulla esset aquæ copia.* Fundamentū eius est, quia tunc baptizare hominē, esset illū occidere: interficere autem innocentē est intrinsecè malū: non ergo est faciendū ꝓpter quodcūq; bonū, sicut suprà dicebamus, nō esse proijciendū paruulū in puteū, vt baptizetur, neq; interficiedā matrē, vt infans baptizetur. Quæ doctrina in adultis facilè credi pōt ferè sine distinctione vlla; nam illis exterior baptismus nō est simpliciter necessarius ad salutē: possunt enim per baptismū in voto saluari, & ideò faciliùs excusari posse videntur: in paruulis autē videtur esse maior difficultas; quia si non baptizentur, nullum eis superest salutis remedium, & ideò, quamuis respectu illorū locū nō habeat obligatio & excusatio præcepti, quia non sunt capaces eius, illi tamen, qui eorum curam gerūt, nō videtur in illo casu excusari. Et augetur difficultas, quia, vel infans est in eo statu, in quo est mo-

Soto.

moralis spes vitæ eius, quæ tamen minuenda, vel prorsus auferenda timetur per baptismum, vel nulla iam est spes vitæ, etiam si nõ baptizetur. In priori casu certum est, durante eo statu, non esse baptizandum infantem, quia pro tunc baptismum non dare, non est simpliciter negare, sed differre tantũ, cùm adhuc speretur vita, & consequenter melior baptismi opportunitas: in posteriori autem casu negare baptismum esset prorsus omittere, & infantem perpetuò damnare, dare autem tunc baptismũ, non videtur esse, infantem occidere: tum quia ille iam supponitur esse sine spe vitæ; tum etiam quia per solam ablutionem, etiam si fingatur aliquantulum acceleranda mors, tamen in eo casu illud moraliter quasi nihil reputatur, præsertim si cum æterna vita conferatur. Atque hoc argumentum in adultis etiam fieri potest, quamuis in eis minùs aliquantulum vrgeat, propter minorem eorum necessitatem; & quia ꝓpter maius corporis robur rarior potest in eis huiusmodi necessitas accidere.

Quæ ratio adhibenda est in puero baptizãdo, cùm periculosè ægrotat.

Primùm igitur omnium in huiusmodi euentibus obseruandum est, vt omnis diligentia adhibeatur ad cauendum omne corporis damnum & salutis detrimentum, videlicet, vt baptismus aspersione fiat, & in quantitate modica, quæ ad baptismum sufficiat, & in ea parte corporis, in qua minùs nocere possit, & si oportuerit, vt aqua etiam modico calore temperetur, & statim post aspersionem abstergatur, quæ omnia si obseruentur, vt seruari facilè possunt, moraliter loquendo vix potest cogitari, aut fingi, quòd ex huiusmodi baptismo augeatur mortis periculum, vel vitæ desperatio, quantumuis infans sit debilis, & in vltimis constitutus. Ratio autem huius obligationis est, quia tenemur non inferre damnum proximo, nec cooperari morti eius.

Paludanus.

Vnde infert Paludanus distinct. 3. quæst. 3. circa finem, eum, qui incautè baptizat hominem in tali periculo constitutum, vtendo illa materia, quæ mortem eius accederet, manere irregularem, Soto verò

Soto.

suprà dicit, se nescire, ex quo canone Ecclesiæ hoc colligatur, & subdit. *Quamuis graui sacrilegio & homicidio delinqueret.* Sed mirum est, quod peccatum homicidij agnoscat, & specialem canonem requirat, in quo illa irregularitas expressa sit, cùm in vniuersum sit cum culpa homicidij coniuncta, presertim, cùm paulò inferiùs ipse doceat, eum, qui baptizat puerum, ita vt mors inde illi immineat, homicidam esse & irregularem: nam de hoc etiam nullum canonem ipse citat, sed ex peccato homicidij colligit meritò irregularitatem. Addendum verò est, dummodò non tantùm periculum mortis puero creetur, sed etiam re ipsa mors consequatur, vt in simili notauit Scotus in 4. distin. 3. quæst. 3. quia

Scotus.

irregularitas non est imposita propter peccatũ homicidij internum vel externum inchoatum, si re ipsa perfectum non sit homicidium.

Propter mortis periculũ moraliter, non est amittendus baptismus.

Secundò hinc colligo, moraliter loquendo, accidere non posse, vt propter hoc mortis periculum omittendus sit baptismus. Quod rectè suadet ratio suprà facta addendo, detrimentum salutis, quod ex baptismo prudenter applicato oriri potest, nullius ferè esse momenti, vel considerationis. Non tamen nego, quin in eo casu possit baptismus differri, quandiu est spes vitæ, & nullum est morale periculum subitaneæ mortis, quia tunc spiritualis necessitas non vrget, & consequenter, nec diuinum aut ecclesiasticum præceptum, & ideo quælibet causa etiam leuis, sufficit, vt sine peccato differatur; at verò, quando iam est morale periculum mortis æternæ, pro nihilo habendum est illud detrimẽtum corporis, quod ex baptismo accidere potest, quia re vera nec mors inde causatur, nec mortis acceleratio notabilis, aut cõsideratione digna. Quod non solùm in infantibus, sed etiam in adultis verum esse censeo: quia, licèt minor videatur eorum necessitas, est tamen non parua, & interdum potest esse æqualis, & saltem vtilitas semper est magna, quæ prætermittenda non est propter paruum detrimenti periculum. Hæc autem omnia per se, ac moraliter, & regulariter intelligenda sunt; nã si fingantur extraordinarij casus, in quibus oporteat, aut immittere puerum in puteum ad baptizandum illum, aut eum intingere aqua venenata, quæ statim illum interficiat, aut alij similes, in eis non est vtendum tali genere baptismi, quia sunt actiones planè interfectiuæ hominum, & ideo in illis vera est regula à Soto assignata. Hæc tamen, quæ sunt valde per accidens, non veniunt in moralem considerationem.

Soto.

Quando quis teneatur suscipere, vel conferre baptismum cum periculo mortis violentæ.

De alio periculo mortis violentæ, & extrinsecus illatæ, quale esset, si tyrannus minaretur mortem ei, qui vel baptismum susciperet, vel infantem baptizaret, multa dici possent, quæ partim ad materiam de fide, partim ad materiam de charitate spectat; & ideò breuiter illa expediam. Distinguendum ergo est primum de paruulis, & de adultis, deinde statu & necessitate, scilicet an sit baptizandus in periculo mortis, nec ne, ac denique an vis inferatur in odium fidei, vel religionis Christianæ, vel solum in odium personæ. Primò igitur, si baptizandus sit infans, & instet probabile mortis periculum, non est prætermittendus baptismus propter timorem violentæ mortis. Contrarium huius sentit Soto suprà: probatur tamen, quia, vel mors violenta timetur infanti baptizato, & hoc nullius est momenti, in prædicto casu, quia iam ponitur cõstitutus in eo statu, in quo absque violenta morte imminet ei probabile periculum mortis (ita enim est casus supponendus, & intelligendus) & quantùs hoc periculum corporalis mortis ex baptismo augeatur, hoc tamen meritò permittendũ est propter vitandum instans periculum mortis æternæ. Dico autem, tunc permitti illud externum & violentum periculum, quia baptizans tunc paruulum, re vera non est causa eius, sed tyrannus ex praua voluntate inde sumit occasionem inferendi vim, quã occasionem alter, qui baptizat, non dat, sed permittit propter maius bonum, ratione cuius non tenetur materiam eius auferre. Aut hoc periculum imminet ipsi baptizanti, quod magis morale est, & tunc etiam (vt opinor) non excusatur ab obligatione baptizandi, vel propter defensionem fidei, & honorem religionis Christianæ, nam vix potest fidelis prætermittere huiusmodi collationem baptismi propter huiusmudi timorem sine magno scandalo, & infamia religionis, vel generaliùs propter ordinem charitatis, tenetur enim vnusquisque plus diligere vitam spiritualem proximi, quam propriã corporalem: in eo autem casu æterna vita proximi periclitatur. Sed de hoc latiùs alibi, quia nunc non agimus de obligatione fidei, vel charitatis, sed præcepti baptismi: quod in eo casu non habet propriè locum respectu infantium. Secundò igitur, si baptizandus sit adultus, & in mortis articulo per se consti-

constitutus, etiam sine extrinseca vi, tenetur non omittere baptismum, etiam si tyrannus minetur mortem statim inferendam, seu accelerandam. Probatur, quia hoc præceptum est iuris diuini, & de re grauissima, & maximè necessaria ad salutem: non ergo est prætermittendum, absque grauissima & euidenti causa, tunc autem nulla est sufficiẽs, quia licèt tyrannus minetur mortem, tamen cum iam supponatur homo in probabili periculo mortis, illud augmẽtum vel certitudo, seu acceleratio mortis non est tanti momenti, vt propter eam sit res tam necessaria omittẽda, præsertim, quia, licèt adultus possit per contritionem saluari, ea tamen res est valde difficilis & incerta. At verò, si seclusa extrinseca vi homo non est in mortis periculo, & alioqui nec debilitatur fides, nec creatur infamia religioni Christianæ, potest sine peccato differri baptismus, donec vel maior instet necessitas, vel melior sese offerat baptismi opportunitas, quia iam illa nõ est absoluta omissio, sed sola dilatio, ad quam satis rationabilis causa tunc occurrit. Secus verò erit, si causa fidei & religionis aliud requirit, vt si iuxta circunstantias occurrentes censeatur esse obligatio confitendi fidem suscipiendo baptismum, etiam si necesse sit ob eam causam sustinere martyrium.

Alia, quæ hic desiderari possent de obligationibus pertinẽtibus ad modum suscipiendi baptismũ, suprà tractata sunt, cùm de dispositione ad baptismum necessaria ageremus, & in materia de sacramentis in genere nonnulla dicta sunt. De obligatione autem suscipiendi baptismum ab hoc, vel illo ministro præter ea, quæ de sacramentis in genere dicta sunt, quod addendum occurrerit, in sequẽ. sectionibus dicetur.

SECTIO. IIII.

Quis possit licitè, vel teneatur, sacramentum baptismi ministrare.

POstquam dictum est de præceptis, & obligationibus, ad baptizandos pertinentibus, dicẽdum sequitur de ijs, quæ ad ministros spectãt: inter quæ primum locum habent præcepta, quæ absolutè cadunt in actum baptizandi, posteà verò alia, quæ ad modum pertinent. Primum igitur caput duas quæstiones complectitur; vna est, an aliquibus datum sit præceptum baptizandi, & quas personas, & quando obliget hoc præceptum. Sed non est, q; circa huiusmodi quæstionem immoremur, nam, q; huiusmodi præceptum sit à Christo Domino datum, & pastoribus Ecclesiæ impositũ, satis expressum est Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & comprehenditur sub illis verbis dictis Petro, Ioan. 20. *Pasce oues meas*, scilicet, verbo, & sacramentorum administratione: quam successores Petri curare debent, & prouidere per se, vel per ministros, & coadiutores suos, cum quibus potestatem, & iurisdictionẽ suam communicant. Itaq; obligat hoc præceptũ animarũ pastores, per se loquẽdo, & ex officio, ex charitate verũ etiã alij obligari possunt ad hoc beneficiũ cõferendũ in necessitatis articulo. De qua re videnda sunt, & ad præsentẽ materiã applicanda, quæ de sacramentis in genere suprà diximus; nihil enim aliud hic addendum occurrit.

Parochi ex præcepto tenentur baptizare.

Matth. vlt.

Ioan. 20.

Altera quæstio est, quis habeat ius baptizãdi, seu quis possit licitè hoc ministerium exercere. In qua loqui possumus, vel simpliciter de baptismo etiam priuatim collato, vel specialiter de baptismo solẽni ritu cum omnibus ecclesiasticis ceremonijs perfecto. Dico ergo primò, solos pastores animarũ habere ius baptizãdi, atq; adeò illis solis per se licere hoc ministeriũ exercere, vel alijs ex cõmissione eorum, dico autem, per se, vt excludam casum necessitatis, de quo posteà. Cõclusio est certa ex dictis suprà de sacramentis in genere: nam eadem est ratio de hoc sacramento, & de cæteris: quia alieni muneris vsurpatio peccatum est, sed pascere animas est propriũ munus pastorum, quoq;, vt dixi, maximè fit verbo & sacramentis: ergo vsurpare hoc munus sine necessitate, est ius alienum inuadere, quod illicitũ est. Quæ ratio sumpta est ex Aug. lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 13. vbi specialiter loquitur de hoc sacramẽto: videtur tamen ibi docere, omnibus sacerdotibus in sua ordinatione datũ esse ius baptizãdi, sed intelligendũ est, non quoad potestatem iurisdictionis, nec simpliciter, sed quoad potestatẽ ordinis, & cõparatione facta ad laicos, vt statim explicabimus: laici enim, per se loquẽdo, & seclusa necessitate, nunquam possunt habere hoc ius, sed est proprium sacerdotum, & hoc modo dicitur illis dari quasi in radice in ordinatione sua, atque ita hæc doctrina est communis Theologorum, cum D. Tho. suprà quæst. 67. artic. 2. & 3. & alijs in 4. distin. 5. Soto distinct. 4. artic. 3. vbi alios refert. Sed dices, homo, antequam baptismum suscipiat, non est de iurisdictione Ecclesiæ, vt suprà dicebamus: ergo nullum habet pastorem: ergo à quolibet, saltem sacerdote, potest baptizari, quia respectu illius non est maior ratio de vno, quam de alio. Et confirmatur, nam ipse baptizandus potest licitè petere baptismum à quocunque sacerdote voluerit: ergo etiam sacerdos potest licitè dare: quia si vni non liceret dare, neque alteri liceret petere. Respondetur in primis, in infantibus filijs Christianorum non procedere argumentum factum, quia medijs parentibus habent proprios designatos pastores, ad eos enim pertinet ius baptizandi infantes, qui sunt proprij pastores suorum parentum: quapropter in his non solum ex parte baptizantis erit peccatum, alienum ius vsurpare, sed etiam ex parte eorum, qui infantem ad baptismum offerunt, seu eius curam gerunt, erit peccatum ab altero, quam à proprio pastore, vel de eius licentia baptismum postulare, vel accipere: quia etiam illud esset contra ius proprij pastoris, præterquam quòd etiam esset cooperatio vel inductio ad malum. At verò de alijs infidelibus, qui de nouo ad fidem veniunt, videtur esse maior difficultas propter rationem factam, & ideò existimare quis potest, sufficere voluntatem hominis infidelis, offerentis se vel filium suum infantem ad baptismum, vt à quolibet, saltem. Sacerdote baptizari licitè possit: re tamen vera non ita est, nam si infidelis baptizandus sit intra terminos Ecclesiæ catholicæ, in qua sunt Episcopatus, vel parochiæ distributæ, tunc ad Episcopum, vel parochum illius loci spectabit, huiusmodi hominem ad baptismum admittere, quia ipsi habent ius proprium dispensandi sacramenta in illis locis, & quia ita necessarium est, vt res ordinatẽ fiant, & sine confusione. Si verò aliqui denuò sint baptizandi in locis infidelium, vbi ad fidem conuertuntur, per se loquendo, & seclusa

August.

D. Thom.

Soto.

Obiectio.

Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cluſa neceſsitate, oportet, vt qui eos ad baptiſmum admittit, miſſus ſit à paſtoribus Eccleſiæ, & habeat hoc ius admittendi ad Eccleſiam commiſſum à ſupremo paſtore illius, Chriſti Vicario proximè, vel mediatè: quia, ſicut excludere, ita & admittere ad Eccleſiam, pertinet ad caput, & gubernatorem eius: ſic ergo reſpectu cuiuſcunque eſt neceſſarium ius baptizandi vt licitè fiat. Vnde fit, etiam infidelem, qui conuertitur, ſolum poſſe licitè baptiſmum petere ab eo, qui habet ius dandi propter rationem ſuprà factã: hæc autem obligatio non oritur ex ſpeciali præcepto eccleſiaſtico infideli impoſito: hoc enim nullum eſſe poteſt, vt ſuprà dixi, ſed oritur ex ipſa natura rei, quia vnuſquiſque tenetur, vnam quamque actionem poſtulare ab eo, qui licitè præſtare poteſt.

Nullam cenſuram incurrit, qui vſurpat iuriſdictionem in conferendo hoc ſacramento.

Sed quæres, an illicitè miniſtrans baptiſmum, inuertendo hunc ordinem & vſurpando aliorũ ius, aliquam cenſuram ſeu eccleſiaſticam pœnam propterea incurrat. Reſpondetur, præcisè ex hoc capite nullam incurrere, quia nulla eſt in iure impoſita, imò neque de hac re inuenietur eccleſiaſtica lex poſitiua, generaliter hoc prohibens, quauis non nulla ſpecialia decreta reperiantur, in capit. enim. Placuit. 2. 16. quæſt. 1. prohibentur monachi baptiſmum dare, tamen illa lex non comprehendit omnes ſacerdotes ſimplices ſeculares: ſolum ergo ipſo iure naturæ eſt hoc illis prohibitum, quia per ſe malum eſt, ius alienum vſurpare. Imò, neque in illa ſpeciali prohibitione eccleſiaſtica monachis facta addhibita eſt aliqua ſpecialis pœna vel cenſura, ſed ſolum videtur, eis ſpecialiter expreſſa illa prohibitio propter aliquem exceſſum vel ſpecialem neceſsitatem tunc occurrentem.

Dices, in Clementina prima de priuilegijs imponi excommunicationis cenſuram religioſis miniſtrantibus ſacramenta ſine licentia paſtorum. Reſpondetur, non eſſe ibi ſermonem generaliter de ſacramentis, ſed ſolùm de Extrema vnctione, Euchariſtia, & ſolennitate matrimonij, & quibuſdam alijs caſibus ibi expreſsis, extra quos non eſt illa excommunicatio extendenda: tum quia pœnæ & odia potiùs coarctanda ſunt, tum etiam, quia argumentum à ſimili in pœnarum impoſitione nullius momenti eſt: cum ergo ibi nulla fiat mentio de baptiſmo, non eſt ad illum extendenda illa cenſura. Maximè, quia cum ſit ſacramentum neceſsitatis, poſuit in eo eſſe ſpecialis ratio, vt non tanto rigore prohiberetur: ſicut neque de ſacramento pœnitentiæ quicquam ibi dictum eſt, fortè quia ſpeciem iuriſdictionem requirit. Dixi autem, præcisè ex hoc capite vſurpatæ iuriſdictionis, non incurri aliquam eccleſiaſticam pœnam, quia aliunde, ſcilicet ex adminiſtratione ſacramenti abſque ordine neceſſario ad talem adminiſtrandi modum, aliud dicendum erit, vt ſtatim annotabo.

Quis poſſit eſſe miniſter baptiſmi in caſu neceſſitatis.

Dico ſecundo, In caſu neceſsitatis poteſt licitè baptiſmum dare, etiam is, qui non eſt paſtor animarum, ſiue ſit Sacerdos, ſiue laicus, dummodo ſeruetur debitus ordo, ſeu ratio veræ neceſsitatis habeatur. Prior pars concluſionis eſt certa, ſatiſque conſtat ex dictis ſuprà quæſt. 67. vbi oſtendimus, in caſu neceſsitatis quemlibet poſſe eſſe miniſtrũ huius ſacramenti, ſuperfluè enim eſſet hæc poteſtas data, niſi vſus eius aliquando poſſet eſſe licitus: & ſi aliquando licèt, maximè in caſu neceſsitatis. Poſterior autem pars poſita eſt, ad explicandum hũc A caſum neceſsitatis poteſt enim, qui baptizandus eſt, eſſe in neceſsitate baptiſmi, nimirum quia eſt in periculo vitæ, & nihilominùs quòd poſsit illum recipere à proprio ſacerdote ſeu paſtore, qui vel præſens adeſt, vel facilè poteſt ad illud munus vocari, & tunc non eſt ſufficiens neceſsitas, vt alius poſsit ſe ſe in gerere ad baptiſmum dandum, quia re vera miniſterium illius non eſt neceſſariũ: oportet ergo vt vtrumque concurrat, ſcilicet, & extrema neceſsitas ex parte baptizandi, & neceſsitas etiam ex parte eius, qui miniſtraturus eſt ſacramentum, ſcilicet, vt non ſit alius, qui poſsit illud conferre, & ad quem aliquo titulo magis ſpectet miniſterium tale. Et hoc ſenſu dixi, ſeruandum eſſe debitum ordinem: nam ſi adſit Sacerdos, non erit conueniens miniſter diaconus, nec in præſentia diaconi inferior clericus, nec in præſentia clerici laicus, B neque in præſentia viri fœmina, ſi cætera ſint paria. Ratio omnium eſt, quia hæc licentia ſolum conceditur ob veram neceſsitatem: vera autem neceſsitas non conſurgit, niſi ex vtroque capite ſuprà poſito, ſcilicet ex penuria miniſtri, & periculo hominis baptizandi: ergo vbi hæc duo non concurrunt, nõ eſt vera neceſsitas: ergo nec facultas licitè baptizandi.

Sed quæres primò, an inuerſio huius ordinis ſit graue peccatum: videtur enim non eſſe, quia, cùm baptiſmus tunc priuatim detur, non oportet accidentalem ſolennitatem adiungere, ſed quòd miniſter ſic Sacerdos, vel laicus ſolum ſpectat ad quandam ſolennitatem accidentalem: ergo hoc omittere, vel immutare, vel nullum peccatum eſt, vel certè non graue. Confirmatur, quia non videtur grauis irreuerentia ſacramenti; neque etiam alicuius hoc fit grauis iniuria. Reſpondetur, hic poſſe fieri multiplicem comparationem, quia non omnes poſſunt vna & eadem regula definiri. Primò ergo, ſi comparemus Sacerdotem ſimplicem ad proprium, ſeu paſtorem eius, qui baptizandus eſt, cenſeo eſſe graue peccatum, illo inuito vſurpare munus illius propter rationes factas in prima concluſ. nam extrema neceſsitas ſubditi baptizandi non tollit alteri proprium ius, nec dat licentiam inuertendi debitum ordinem iuſtitiæ. Quòd euidentiùs eſt neceſſarium, quando baptizandus eſt adultus, quem oportet conuenienter eſſe diſpoſitum ad baptiſmum, etiam ſi in neceſsitate conſtitutus ſit: eius autem voluntatem examinare & probare pertinet ad paſtorem: per ſe etiam loquendo idem eſt de baptiſmo infantium, nam ſi parochus adſit, & velit illum baptizare, nullus Sacerdos poteſt illo inuito vſurpare hoc miniſterium: hoc autem non tam eſt propter reuerentiam, vel ſolennitatem ſacramẽti, quã D propter ſeruandum vnicuique ius ſuum, & ideò, ſi proprius Sacerdos velit cedere iuri ſuo, licitè poterit ſacerdos ſimplex id præſtare, quia iam nulli facit iniuriam, & quia alius poteſt hoc miniſterium alteri committere, & poteſtatem ſuam delegare. Et hac fortaſſe de cauſa infantes filij Chriſtianorum, quando in periculo mortis exiſtunt, facilè à quolibet ſimplici ſacerdote baptizantur, neque eſt tanta ſolicitudo vocandi parochum, quia ex vſu videtur haberi quædam interpretatiua voluntas & conſenſus illius, eò quòd in eo caſu ſufficiẽter exiſtimetur hoc miniſterium à quolibet ſacerdote, cùm priuatim ſit dandum ſacramentum, & ſine ſolennitate publica, & alie qui miniſterium ſit facilè, & nullum requirat examen, vel iudicium, vel diſpoſitionem baptizandi, ſed ſolius neceſsitatis.

Peccat grauiter Laicus baptizãs in præſentia ſacerdotis. Auguſt. D. Thom.

Secundo grauiter peccaret laicus, qui baptizaret in præſentia ſacerdotis, imò exiſtimo in huiuſmodi neceſsitate, quamuis non adſit ſacerdos, ſi tamen facilè vocari poteſt ſine vllo morali periculo, ita omnino faciendum eſſe. Ita ſumi poteſt ex Auguſtin. Diuo Thoma, & alijs Theologis nuper citatis, & vſus Eccleſiæ id confirmat, nam re vera ita ſeruatur. Ratio verò eſt, quia per ſe, & ex directa intentione inſtituentis, ſolus Sacerdos eſt miniſter, huius ſacramenti; Quòd ſi laico interdum cõceditur, ſolùm eſt omnino ex accidenti propter neceſsitatem: ergo ſine hac vſurpare hoc miniſteriũ grauis inordinatio eſt. Vnde non eſt eadem ratio de hac conditione miniſtri, & de alijs conditionibus accidentalibus ab Eccleſia inſtitutis: hæc enim magis neceſſaria eſt, & ex ipſa inſtitutione manat, B & magis ſpectat ad reuerentiam ſacramenti; nam cùm ſit ſacrum miniſterium per ſe requirit miniſtrum conſecratum. Accedit, quòd ſi hoc miniſterium fiat à laico, faciliùs poteſt interuenire periculum alicuius erroris, vel iterationis baptiſmi.

Quid ſi ſacerdos det facultatẽ, vel velit baptizare?

Sed quæres, an ſaltem ex licentia Sacerdotis poſſit laicus in eius præſentia baptizare; videtur enim poſſe, quia tunc ſacerdos cedit iuri ſuo. Reſpondetur, ſi ſacerdos omnino nolit baptiſmũ dare, poſſe laicum, illum præbere, quia iam eſt caſus neceſsitatis, quid enim refert, quòd adſit ſacerdos, ſi non vult neceſsitati proximi ſubuenire? Ergo ita poteſt tunc laicus illum dare, ac ſi ſacerdos non eſſet ibi; peccabit tamen tunc ſacerdos miniſterium ſuum negando contra reuerentiam ſacramenti, & contra debitum ſui muneris & officij. At verò, ſi ſacerdos non omnino neget miniſterium ſuum, ſed C tantùm cedat iura ſua, concedens alteri facultatem dandi, vel ex indiſcreta quadam vrbanitate, vel alia ſimili cauſa, tunc non poteſt laicus, imò nec quilibet alius non ſacerdos, etiam ſi diaconus ſit, vſurpare tale munus ſine graui cauſa, quæ neceſsitari æquiualeat, quia ſolus ſacerdos eſt per ſe inſtitutus miniſter ſacramenti, & non poteſt ipſe ſua autoritate hoc miniſterium alteri dare, & inuertere inſtitutionem per ſe intentam à Chriſto contra reuerentiam ſacramento debitam, quæ in hoc negotio magis eſt penſanda, quàm ius ipſius ſacerdotis. Dicunt autem quidam, non peccare tunc mortaliter laicum baptizando, non ſolùm, ſi ſacerdos det ſi- *Soto. Nauar.* lentiam, ſed etiam eo ipſo, quòd non prohibeat, citantque ſolent pro hac ſententia Soto in 4. diſtin. 4. artic. 3. & Nauar. in ſum. capit. 22. num. 7. Sed, neD què hoc probabile eſt, quia, cùm hoc peccatũ non conſiſtat in iniuria ſacerdotis, ſed ſacramenti, parum illud diminuit, quòd fiat contradicente, vel annuente ſacerdote, neque dicti autores id docẽt, ſed potius contrarium: nam generaliter & ſine limitatione affirmant, hoc eſſe peccatum mortale: cum Richardo, Palud. & alijs. diſt. 5. Hæc autem omnia per ſe intelligenda ſunt, excluſa ignorantia: nam hæc facilè in hoc negotio interuenire poteſt tam facti, quam iuris facti quidem, quia ſæpè poteſt facilè & ſine culpa timeri periculum, vbi non eſt, & accelerari baptiſmus non expectato conueniente miniſtro, ſine vera neceſsitate, bona tamen fide exiſtimata ex zelo charitatis: iuris autem, quia licèt hoc ius diuinum ſit, non eſt tamen tam clarum, quin facilè poſsit à communi plebe inuincibiliter ignorari.

Vnde tertiò addendum eſt, inter omnes alios miniſtros inferiores ſacerdote, etiam eſſe ſeruandum ordinem, ita vt quilibet ordinatus præferatur huic, & inter ordinatos, qui eſt in ſuperiori ordine conſtitutus, & inter laicos vir fœminæ. Ita docent omnes, quia hoc ſpectat ad quandam decentiam & reuerentiam ſacramenti. Non exiſtimatur autem hæc res grauis, quæ ad peccatum mortale ſufficiat, quia nullus horum eſt per ſe miniſter huius ſacramenti, neque abſolutum habet ius illud dandi, & ideò abſolutè non fit illi iniuria, neque etiam irreuerentia ſacramenti eſt grauis, quia neque illud miniſtratur ſolenniter, neque conditio miniſtri, quæ prætermittitur, eſt admodum neceſſaria. Dices, quãuis hoc reſpectu aliorum ſatis certum videatur, tamen reſpectu diaconi videtur dubium, quia aliquo modo ei competit hoc miniſterium ex vi ordinationis ſuæ. Reſpondetur, quanuis hoc ita ſit, nihilominùs verisimilius videri, etiam reſpectu diaconi non eſſe peccatum mortale, illi præferre aliũ inferiorem, & laicum, vt bene docuit Soto diſt. 4. artic. 2. quia diaconus in rigore loquendo non eſt miniſter ex officio, vt ſuprà dictum eſt: quare cum nulla ratio ſufficienter cogat, non eſt huiuſmodi factum culpæ mortalis damnandum.

Iuſtus peccatori eſt præferendus in dando baptiſmo.

Quarto ſimiliter dicendum eſt, cæteris paribus, præferendum eſſe in hoc miniſterio iuſtum peccatori, patet, quia hoc ſpectat ad reuerentiam ſacramenti. Dico autem, cæteris paribus, quia ſimpliciter ſacerdos eſt præferendus non ſacerdoti, etiam ſi peccator exiſtimetur, quia, vt ſæpè dictum eſt, per ſe & ex officio eſt miniſter, & ideò non eſt prinandus iure ſuo, neque immutandus ordo inſtitutionis propter ea, quæ ſunt per accidens. Quapropter, etiam inter inferiores, videtur magis rationi conſentaneum, vt ſeruetur ordo conſecrationis perſonæ, quanquam, ſi ille inuertatur intuitu maioris ſanctitatis, vel vt detur ſacramentum ab homine iuſto, & non à peccatore, exiſtimari certè poteſt ſufficiens cauſa ad excuſandum, etiam à culpa veniali ſuprà dicta. Aduertendum eſt autem, hic ſermonem eſſe de baptiſmo in neceſsitate collato, abſque ſolennitate, quomodo non eſt peccatũ mortale illum in peccato mortali miniſtrare, vt ſuprà dictum eſt, & ideò non videtur etiam peccatum mortale præferre in huiuſmodi miniſterio peccatorem iuſto, etiam cæteris paribus, quia, neque miniſter, tunc inducitur ad mortaliter peccandum, neque etiam ſacramento ſit grauis irreuerentia, cùm ipſemet miniſter in eare grauiter non peccet: ſecus verò eſſet in baptiſmo ſolenni propter rationẽ contrariam: nam ſic miniſtrare baptiſmum in peccato mortali peccatum mortale eſt, & ideò præferre in eo miniſterio peccatorum iuſto, ſi vterque haberet æquale ius, ſeu eandem facultatem, non careret culpa graui; quia eſſet ad malum inducere, & ad grauem irreuerentiam ſacramenti. At verò, ſi non ſit æqualitas, vt verbi gratia, quia vnus eſt ſacerdos, alter diaconus, vel quia vnus eſt ſacerdos proprius, alius ſimplex tantum, tunc ab eo eſt petendus baptiſmus ſolennis, ad quem ex officio ſpectat dare; nam, quod ab illo petitur, iuſtum eſt, & iure petitur, quandoquidem ille ſolus habet ius dandi, & autem ille iniquè ſit daturus, eſt per accidens ex malitia voluntate eius, quæ alteri non imputatur.

Sed obijcies contra priorem partem: nam ſequi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ex dictis, non esse graue peccatum in articulo necessitatis admittere ad baptizandum hominem infidelem prætermisso fideli, aut hæreticum præmisso catholico: consequens autem, & per se se videtur absurdum, quia est valde indecens ad sacramentum Ecclesiæ ministrandum sine causa admittere infidelem hominem extra Ecclesiam existentem, & præterea videtur esse contra S. Thom. suprà quæst. 67. artic. 5. vbi ait, esse graue peccatũ sine necessitate accipere baptismum ab homine nõ baptizato; nec dici potest D. Thom. loqui, quando baptizandus in nulla est necessitate; nam tunc etiã à laico baptizato suscipere baptismum esset peccatum; aliud autem specialius docet D. Tho. de non baptizato, scilicet, quòd ab illo baptismum accipere, quando recipi potest ab homine baptizato, grauis inordinatio sit. Respondetur, cõsiderando præcisè hanc comparationem vnius ad alterum, solum ob dignitatem personæ, non apparere etiam in hoc grauem inordinationem, quia in rigore neuter est minister ex officio, & alioqui sacramentum priuatim ministratur: nihilominus tamen, moraliter rem considerando, vix potest hoc fieri sine graui culpa, vel propter scandalum, & prauam suspicionem sui, quam merito daret, qui infidelem in sacro ministerio fideli præferret, vel propter sacrilegam communicationem cum homine hæretico, & ab Ecclesia præciso, vel propter aliquod morale periculum erroris, aut deceptionis, aut prauæ intentionis: & iux a hæc posset exponi D. Thom. quanuis ibi re vera loquatur in eo casu, in quo non est necessitas, etiam ex parte baptizandi, nec necesse est, vt aliquid singulare doceat de homine non baptizato; sed docet id, quod in illo est verum, quia de illo ser monem instituerat, quanuis illud ipsum verum posit etiam esse in alijs seruata proportione.

Vltimò dicendum est. Quando ob necessitatem conceditur facultas baptizandi ei, qui non est minister ex officio, solùm potest licitè baptismum priuatim, & sine solennitate dare. Vnde grauiter peccabit, si solenniter illum ministret. Dixi, *qui non sit minister ex officio*, & non salùm, *qui non est pastor*, vt excluderem etiam simplicẽ sacerdotem: nam hic, si ob necessitatem baptizet propria autoritate in absentia parochi, nihil peccabit ministrando solenniter, quia ex vi suæ ordinationis est satis idoneus ad hoc ministerium, & necessitas dat illi facultatem baptizandi, cur ergo peccabit solenniter baptizando? De diacono autem non est idem, nisi specialis dispensatione hoc illi concessum sit, iuxta suprà d. q. 67. Vnde constat de cæteris omnibus inferioribus, nunquam eis licere solenniter baptizare, etiam in necessitate, quia non sunt ad hoc idonei ministri.

Sed quæres, an laicus baptizans sine necessitate fiat irregularis, etiam si absque solennitate baptizet, & ratio dubitandi esse potest, quia in cap. 1. de clerico non ordinato ministrante, absolutè imponitur pœna irregularitatis ei, qui baptizauerit non ordinatus, quod videtur intelligendum de quocunque non ordinato baptizante, quando ei non licet, atque ita videntur intelligere Palud. in 4. distin. 5. quæst. 2. Syluest. verbo, Baptismus 3. in princip. Angelus, verbo, Baptismus 5. num. 1. Gabriel in 4. distin. 6. quæst. 1. artic. 1. conclus. 2. qui tamen tamen non expressè loquuntur de baptizante non solenniter, sed simpliciter de baptizante sine necessitate. Soto verò distin. 4. artic. 3. in hanc sententiam ita expositam valde inclinat, licèt non omnino audeat definire. Nihilominus dicendum est, propter baptismum priuatim ministratum illicitè ab homine non ordinato non incurri irregularitatem. Itaque textus ille intelligendus est de baptismo solenni. Ita sentit Glossa ibi, dum ait, intelligẽdum esse, si quis baptizauerit, ac si esset ordinatus, & eiiceret ex officio. Insinuat Nauar. cap. 22. num. 7. clariùs cap. 27. num. 242. vbi tradit generalem doctrinam ex Anton. 3. par. titul. 28. cap. 1. hanc irregularitatem non incurri, nisi exercendo actum ordinis eo modo, & cum ea solennitate, cũ qua à solis ordinatis licitè exerceri potest. Quam expositionem amplectitur etiam Syluester verbo, Irregularitas. quæst. 12. & 27. cum Paluda. dist. 5. quæst. 2. & idem tenet Ledesma in 4. 1. par. quæstione 8. art. 4. Et ratione confirmari potest, quia, vt ex titulo & intentione legislatoris constat, ibi imponitur irregularitas ei, qui exercet actum ordinis, cùm non sit ordinatus: sed baptismus priuatim datus in rigore non est actus ordinis, cùm possit validè fieri ab homine non ordinato, vnde, qui sic dat baptismum extra necessitatem nõ propriè peccat exercendo actum ordinis, quem non habet, sed vtendo sine necessitate, facultate sibi data solùm in casu necessitatis. Vnde etiam sacerdos sic baptizans sine necessitate peccabit: ergo propter illum actum non incurritur irregularitas.

Atque hinc fit, sacerdotem simplicem, etiam si solenniter baptizet, iniustè vsurpando munus alterius, non manere irregularem, vt bene docuit suprà Syluester, & omnes citati, & citandi, quia nõ exercet actum, ad quem non sit ordinatus, quanuis indebito modo illum exerceat: nam huic peccato nulla est in iure irregularitas annexa. Vltimò verò dico, quemlibet clericum non sacerdotem, ministrando solenniter, etiam in casu necessitatis, fieri irregularem. Ita sentiunt Soto, Nauar. & alij locis suprà citatis, & patet ex dict. cap. 1. de clerico non ordinato ministrante. Vbi generaliter pœna irregularitatis imponitur ei, qui, cùm non sit ordinatus, baptizat, quod intelligendum diximus de baptismo solenni, qui non conceditur ex vi ordinationis, nisi tantùm sacerdoti. Vnde pœna hæc, etiam ad diaconum sua autoritate sic baptizantem, extenditur: quia, vt suprà dictum est. quæst. 67. & tradit Clemens lib. 3. constitutionum. cap. 11. & ita significant Palud. Soto, Nauar. & Syluest. locis suprà citatis: nam absolutè id docent de clerico non presbytero. Neque etiam excipiunt casum necessitatis, neque est cur excipiatur: quia nulla est necessitas, quæ cogat ad baptismum solennem; nam sufficienter subuenitur cuicunque necessitati per baptismum, etiam sine solennitate: non ergo excusatur à culpa, propter quam incurritur hæc irregularitatis pœna, quia re vera tunc exercet proprium actum ordinis, sint ordine.

Sed quæres, an idem dicendum sit de laico soleniter ministrante, quòd maneat irregularis. Quidam enim negant, quoniam non inuenitur in iure hæc irregularitas laicis imposita: nam caput suprà citatum intelligendum est iuxta titulum sub quo continetur, titulus autem solum est de clerico non ordinato ministrante: ergo decisio illius canonis non comprehendit laicos, sed tantùm clericos: atque ita tenet Angel. in sum. verbo, Irregularitas.

Paluda. Sylvest. Angelus. Gabriel. Soto. *Glossa. Nauarr. Anton. Sylvester. Clemens. Palud. Soto. Nauar. Sylvest. Angelus.*

tas. §. 38. citans Directorium libr. 3. titul. 8. quem sequitur Armil. verbo, Irregularitas. nu. 65. & quidem alij Summistæ, qui fallo citant D. Thom. & quosdam alios scholasticos, qui contrarium expressè docent, vt iam dicam: videtur autem in hac sententia esse Couar. in Clement. Si furiosus. §. 1. num. 1. vbi tamen non de hac irregularitate tractabat, sed de illa, quæ imposita est exercentibus actũ ordinis, in quo suspensi sunt, quam sine dubio laici non incurrunt: hæc verò, de qua disputamus, est diuersa. De qua probabilius videtur, incurri etiã à laico solenniter baptizante: quia textus in dict. capit. 1. non dicit, *Si quis ordinatus baptizauerit, &c.* sed absolutè, *Si quis baptizauerit non ordinatus*, quæ verba generalia sunt, & omnem non ordinatum comprehendunt: non est ergo, cur excludatur laicus, qui etiam est non ordinatus. Nec refert, quod de rubrica tituli dicebatur. Primò, quia, vt Antonius Augustin. & alij eruditi viri adnotarunt, in antiquis codicibus, in illo titulo non legitur, *de clerico non ordinato ministrante*, sed, *de non ordinato ministrante*, & nunc in Gregorianis codicibus adnotatur, ita legi in septem manu scriptis. Secundò, quia decretalis illa, siue Hormisdæ sit, siue Honorij, antiquior est, quam rubrica illius tituli: non est ergo per rubricam tituli restringenda, præsertim, cum casu quodam, & ex inaduertentia potuerit facilè verbum illud excidere. Atque hæc sententia communis est inter Scholasticos in 4. vbi Palud. dist. 5. quæst. 2. dist. 22. quæst. 3. art. 2. Maior distin. 5. quæst. vnica, ad argum. contra 2. conclus. D. Antoni. 3. par. titul. 28. cap. 1. Soto in 4. distin. 4. art. 2. & distin. 25. quæst. 1. artic. 3. Ledesm. 1. part. 4. quæst. 8. artic. 2. Sylvest. verbo, Irregularitas, nu. 14. & 27. Maiol. lib. 4. de irregular. cap. 15. nu. 4. & eodem modo interpretantur communiter prædictam decretalem ibi. Et significat etiam Nauar. cap. 22. num. 7. & cap. 27. num. 242. Tandem adiungi potest coniectura, quia magis est (vt ita dicam) alienus ab huiusmodi sacro ministerio, qui omnino caret ordine, quàm qui est in inferiori ordine constitutus, & superiori caret: ergo non est verisimile, hunc incurrere irregularitatem propter hoc peccatum, & non illum.

Armilla. Couar. Ant. Aug. Hormisda. Honorius. Palud. Maior. D. Antoni. Sylvest. Ledesma. Sylvest. Maiol. Maior.

Scio, argumentum à simili, imò & à minori, non esse efficax in his, quæ à iure positiuo pendent, præsertim in materia irregularitatis, sed non in eo sensu vtimur hoc argumento, sed supposita decisione illius textus deseruit plurimùm illa ratio ad veram eius intelligentiam. De hac verò irregularitate aduertunt omnes autores, solum Pontificem posse in ea dispensare, quoad nouos ordines suscipiendos, Episcopum verò posse dispensare in vsu suscepto rum: quod videtur posse fundari in cap. 1. de clerico non ordinato ministrante, vbi Panormit. & alij cap. 1. & 2. Maiol. lib. 3. de Irregularit. cap. 13. Nauar. cap. 27. numer. 241. & alij suprà citati. Vltimò ex dictis in hac sectione intelligitur, peccare baptizatum (sub quo comprehendo eos, qui infantem ad baptismum offerunt) recipiendo baptismum ab eo, qui non habet ius, seu potestatem ministrandi illum: quia, &, quantum in ipso est, inuertit debitam subordinationem, & hierarchicum ordinem Ecclesiæ, & quia cooperatur peccato alterius. Et ideò necesse est, vt voluntariè id faciat, nam si necessitate compulsus id efficiat, quanuis ex malitia alterius in tali necessitate constituatur, non peccabit recipiendo baptismum; quia tunc non cooperatur, sed permittit alterum in se operari, vt, si alter minetur mortem, nisi se permittat baptizari, vel si laicus vi detineat Sacerdotem, & homo alias baptismo indigeat, & in casibus similibus, in quibus semper est adhibenda illa generalis exceptio, dum modo id non cedat in iniuriam fidei, & contemptum religionis Christianæ, nam tunc potiùs subeundum est martyrium, quod vicem baptismi supplebit.

SECTIO. V.

Quibus modis peccari possit indignè ministrando baptismum.

HIC titulus adeò generalis est, vt possit etiam comprehendere quæstionem præcedente Sectione tractatam, tamen ita illum proponimus, vt multa & varia, quæ breuiter expediri possunt, comprehendamus, & intelligendus est de ministro, qui, per se loquendo, potest licitè baptizare: & ita excludimus proximè præcedentem quæstionem: nam etiam supposita facultate & iure dandi Sacramentum, oportet seruare debitum & conuenientem modum, vt rectè & sine peccato fiat.

Quibus ex capitibus oriri possit defectus in administratione baptismo.

Tria ergo, vel quatuor sunt principalia capita, ex quibus oriri potest defectus seu culpa in administratione huius sacramenti. Primum ac præcipuum est, substantia ipsius sacramenti, erit enim graue peccatum in hoc ministerio aliquid prætermittere, quod sit de illius substantia, vt pater ex generali doctrina suprà tradita de sacramentis: hoc autem accidere potest, vel ex parte materiæ, non adhibendo naturalem aquam, vel non in sufficiente quantitate, aut ex parte formæ, non proferendo omnia verba necessaria, aut ex parte ministri, non habendo necessariam intentionem, aut ex parte personæ baptizandæ, quod solùm potest contingere, vel ex defectu consensus, & voluntatis eius, cui baptismus datur, si adultus sit, vel si baptismus detur ei, qui iam baptizatus est, de quo genere peccati, dicemus sectionis sequente. Atq; ad hoc caput spectat, vt minister in his præsertim, quæ sunt de substantia, adhibeat ea, quæ sunt certa, quoad possit, prætermissis dubijs, etiam si probabilia sint: cuius rei plura exempla in superioribus visa sunt, & ratio etiã est clara, quia contra omnem rectam rationem est exponere se periculo nihil faciendi, absque necessitate vel causa vrgente. Quæ ratio in omnibus sacramentis est vrgentissima, in hoc autem maximè, propter eius necessitatem. Rursus ex hoc principio inferunt aliqui teneri fœminas, quæ ex officio sunt obstetrices, ad scienda ea, quæ sunt substantialia ad baptismum, scilicet materiam, & formam, saltem vernacula lingua. Ita sentit Nauar. c. 22. nu. 6. citans Palud. in 4. d. 5. q. 2. nu. 7. vbi ait, non omnes teneri ad sciendam formam baptismi, nisi quibus incumbit ex officio, vt *curatis*, inquit, *& obstetrix, cui sæpè incumbit*, quæ verba transcripsit etiam Anton. 3. p. c. 13. §. 4. Quæ opinio est pia, & consulenda, tamen in rigore non video, quale sit hoc præceptum: quia nõ est positiuum Ecclesiasticum, vt cõstat, nullibi enim scriptũ reperitur. Nec; etiã est naturale, quia nõ pertinet ad iustitiam, quia ex vi sui muneris non obligatur obstetrix ad curandã

Nauar. Palud. Antoninus.

Universidad de Deusto Biblioteca

salutem animæ pueri, sed solùm ad rectè cooperandum natiuitati corporali eius: neq; etiam pertinet ad charitatem, quia, licèt, supposita necessitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare, si potest, vt rectè prædicti autores, & omnes docent: non tamen tenetur vnusquisque esse paratus aut instructus ad dandum baptismum, si fortasse inueniat proximũ in necessitate cõstitutum: ergo neque charitas obligat obstetricem ad huiusmodi præparationem, seu dispositionem; quia, licèt fortasse sæpiùs in eo munere accidat huiusmodi necessitas, tamen rarissimè euenit, vel non adesse aliquem alium, à quo possit infans baptizari, vel necessitatem esse tantam, vt non possit citò vocari, & expectari: ergo propter rarissimum euentum non obligat charitas ad prædictam scientiam.

Quomodo peccatur in conferendo baptismo ex defectu dispositionis.

Secundum caput præcipuum est, debita dispositio eius qui ministrat, & eius, cui baptismus datur, vtrumq; enim cadit sub ministri obligationẽ, quãuis ea obligatio quodammodo reciproca sit: primò enim qui hoc sacramentum ritu solenni ministrat in peccato mortali, grauiter peccat: secus verò si absq; solennitate id faciat in casu necessitatis, vt latiùs dictũ est suprà in materia de sacramẽ. in genẽ. Secundò, peccat mortaliter, qui ab Ecclesia interdictus per excommunicationem, vel aliam censuram, baptizat sine necessitate vrgẽte; quia, & agit cõtra Ecclesiasticã cẽsurã, & cõsequẽter indignè sacramentum tractat. Vnde vtroque titulo peccat, si baptismum solenniter ministret, imò, si sit clericus, irregularis manebit: ex c. 1. de re iudi. c. 1. cũ alijs. de sent. excõ. in 6. Si autem sine solennitate baptizet, non manebit irregularis: quia propriè non exercet actũ, ad quẽ sit simpliciter necessarius aliquis ordo, vt notauit Couar. cũ alijs in Clem. Si furiosus. p. 1. §. 1. nu. 1. & à simili cõfirmari potest ex dictis præcedente sectione; si tamẽ sine necessitate id faciat, grauiter peccabit, saltem ratione censuræ, ob necessitatem verò excusari potest, si non sit alius, qui ministret; quia Ecclesiæ prohibitio, cùm sit rationi consentanea, non habet locum in simili casu. De qua re videnda sunt dicta suprà de sacramentis in genere, & D. Thom. quæst. 64. arti. 6. Nauar. cum alijs, quos refert in summa capit. 25. num. 72. Tertio tenetur, qui ministrat baptismum, non dare illum nisi homini conuenienter disposito, quia debet sancta sanctè tractare, & non dare sanctum canibus. Quæ obligatio maximè locum habet respectu adultorum; in quibus tria, vel quatuor obseruare debet, scilicet, quòd voluntariè, absque metu, vel coactione baptizari velint, quòd sint sufficienter instructi in rebus fidei, & morum, quòd sufficientia signa pœnitentiæ dederint, & huc spectat, quòd non sint in morali periculo, vel proxima occasione recedendi à fide. Et hæc vltima ratio habet suo modo robur in infantibus filijs infidelium, sub eorum cura existentibus, præter aliam obligationem, quæ oritur ex iure paterno, ob quam baptizandi non sunt parentibus inuitis, de qua re satis in superioribus tractatum est. Quartò dixi, hanc obligationem quodammodò esse reciprocam: quia, etiam is, qui baptizatur, tenetur per se loquendo nõ accipere baptismum ab indigno ministro, si facilè habere potest alium, qui dignè minister: quod explicandum est iuxta doctrinam suprà traditam, tractando de sacramentis in genere.

Couar. — *D. Thom.* — *Nauar.*

Tertium caput est modus administrandi hoc sacramentum, qui etiam cadit sub præceptũ sub modo autem comprehendimus, obseruationem omnium rituum, quos Ecclesia peculiari præcepto seruandos statuit, aut quos recepta consuetudine obseruat, in solenni huius sacramenti administratione, vt colligi potest ex Concil. Triden. sess. 7. can. 13. de sacramentis in genere, & ex doctrina suprà tradita de sacramentalibus in communi, & ex his, quæ diximus de ritu huius sacramenti, satis cõstat fundamentum, & ratio huius obligationis: nam illi ritus sunt grauissimi, & antiquissimi, atque ad reuerentiam sacramento conciliandam maximè necessarij, & ideò grauiter peccaret, qui illos prætermitteret, sicut qui sine vestibus sacris celebraret: potest autem hoc peccatum esse leue ex paruitate materiæ: quia hæc obligatio, præsertim grauis, non est extendenda ad singulas, etiam leues ceremonias: intelligendum etiam hoc est extra casum necessitatis, in quo omnes ceremoniæ prætermitti possunt, & debent, vt per sacramentum necessitati proximi subueniatur.

Quomodo peccatur ex defectu debiti modi. Concil. Trident.

SECTIO VI.

Vtrum ob peccatum iterandi baptismum irregularitatis pœna incurratur.

Constat, iterationem baptismi, tam ex parte dantis, quàm voluntariè recipientis, esse grauissimum peccatum, vt ex varijs sententijs Pontificum, Conciliorum, & Patrum traditur de consecratione. distinct. 4. capit. non licet. 1. & sequentibus. Ratio verò à priori tacta est sectione præcedente, quia hoc est contra substantiam sacramenti, quod fieri tentatur in subiecto incapaci. Vnde fit, vt etiam sit contra institutionem Christi, & contra reuerentiam debitam baptismo priùs suscepto significatur enim fuisse inefficacem, & insufficientem, ac denique est cõtra significationem huius sacramenti, per quod Christo commorimur, & consepelimur, qui semel tantum pro nobis mortuus est, & sepultus; & ideò, qui baptismum iterat, quantum in se est, iterum Christum crucifigit, vt indicatur ad Hebræos 6. Est autem circa hoc aduertendum, tunc propriè hoc præceptum violari, quando constat, hominem esse baptizatum sufficienti ritu externo, saltem quoad substantiam sacramenti, & nulla est probabilis ratio dubitandi de intentione debita ministri: nam hæc semper præsumitur sufficiens, nisi aliunde sit probabilis suspicionis ratio. Cùm autem ita de baptismo cõstat, non solùm erit peccatum absolutè iterum baptizare, sed etiam sub conditione, tum quia etiam hoc modo fit magna irreuerentia sacramento, tum etiam, quia illa conditio in tali casu est impertinens, & moraliter haberi potest pro non adiecta. Quid enim interest addere conditionem, quando iam cõstat, quid in re ipsa factum sit? imò videtur ferè impossibile, tunc haberi actualem intentionem sub tali conditione, prout explicatur hoc verbo indicatiuo, intendo te baptizare, si non est baptizatus: sed solùm de futuro conditionali, prout explicatur per hoc verbum subiunctiuum, si non esses baptizatus intenderem te baptizare: quia stante iudicio, & credulitate, quòd aliquis sit baptizatus, vix potest prior modus intentionis mente concipi, sub illa cõditione,

Qui rebaptizat, & qui admittit, qui scienter rebaptizatur, grauissime peccant.

ditione, si non ex baptizatus, nisi fortasse, quatenus res illa potest aliqua ratione existimari dubia, quod est etiam contra prudentiam, quando moraliter modo de re constat. Secundò est aduertendum, in casu dubij, quando sunt aliqua indicia ad suspicandum puerum esse baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum, aut definitũ iudicium, tunc licitum esse talem puerum baptizare, vt traditur de consecratione. d. 4. cap. paruulos, & sequent. ex Leone Papa Epist. 3. c. 1. Epist. 91. c. 16. & ex Greg. III. Epist. 4. & Concil. Carthag. 5. ca. 6. Et ratio est clara, quia non est exponẽdus homo periculo salutis æternæ: & alioqui nulla fit iniuria sacramento, cùm non conferatur animo iterandi baptismum, & ideò ad tollendum omnia pericula, addenda est tunc conditio, si non es baptizatus: vt præcipitur in cap. 2. extra de bapt.

Leo papa. Conc. Carthag. Gregor.

De quo præcepto, & quando baptismus debeat censeri moraliter dubius, & quid sufficiat ad moralem certitudinem in hac materia, satis dictum est suprà Disput. 22. sect. 1. solùm addendum hic est, antequàm in huiusmodi casu iterum detur baptismus, adhibendam esse moralem diligentiam ad tollendum dubium, nam si statim absque vllo examine detur baptismus, valde temerè fit, & contra reuerentiam sacramento debitam, vt rectè annotauit Soto in 4. d. 5. art. 9. reprehendens contrariam consuetudinem aliquorum parochorum, qui maiori reprehensione digni sunt, si, quem constat esse priuatim domi baptizatum, iterum sub cõditione baptizant: sed in eo casu debent ceremonias, & ritus baptismi supplere, & ea, quæ sunt substantialia, omittere. Vltimo est aduertendum, hoc præceptum nõ minùs obligare baptizatum, quàm baptizantẽ: peccat enim grauiter, qui, cùm sit baptizatus, eiq; hoc sufficienter constat, iterum se baptizari consentit, etiam si metu mortis id faciat: quia id est intrinsecè malum, multò magis, quàm indignè suscipere sacramentum. Vnde etiam peccabunt parentes, vel quicunq; alij, qui puerum iam baptizatum, iterum ad baptismum offerunt, eumve baptizari procurant: quia cooperantur actui intrinsecè malo: admonere ergo debent de baptismo iam suscepto; solùmque ad supplenda accidentalia, quæ desunt, puerum offerre.

Soto.

Hactenus dictũ est de culpa, quæ in baptismo iterando cõmittitur; sequitur, vt dicamus de pœna iure imposita pro huiusmodi culpa. Duabus autẽ personis impositæ sunt huiusmodi pœnæ, scilicet baptizanti, & baptizato, quãdò in ea ætate est, vt cõsentiendo iterationi baptismi delinquere possit; de alijs autẽ personis nulla mentio in iure fit, fortasse quia licèt interdũ possint cooperari huic delicto, tamẽ valde per accidẽs, & remotè cõcurrunt. Igitur iure ciuili tã rebaptizanti, quã culpa sua rebaptizato pœna capitis imponitur in l. 2. C. ne sanctũ baptisma iteretur: sed hæc pœna nihil ad non spectat. Dicendũ ergo tantùm est de pœna ecclesiastica, & priùs de rebaptizante, posteà de rebaptizato.

Circa primum sic legitur in l. 1. C. ne sanctum baptisma iteretur. *Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita vsurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus*: tamẽ nec iure ciuili potuit aliqua huiusmodi pœna introduci, neq; illis verbis pœna aliqua iniungitur, sed criminis acerbitas exaggeratur. Prætereà in can. 47. Apostol. quẽ falsò citat ex Concil. Lugdun. Burchardus lib. 4. sui decreti. capit. 56. deponi iubetur Episcopus, aut presbyter, qui denuò baptizat eum, qui iam erat verè baptizatus. Sed ibi nulla pœna imponitur ipso facto incurrenda, & illa depositionis pœna nunc non videtur esse in vsu. Rursus Fœlix III. Epist. 1. cap. 2. & habetur in capit. eos, quos, de consecratione distinct. 4. varias imponit pœnas Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus. qui sacri baptismatis iacturam fecerint, scilicet quòd vsque ad finem vitæ in pœnitentia iaceant, & orationi fidelium non intersint, & solùm in fine vitæ communicentur communione laica; sed etiam hæ pœnæ non sunt in vsu, & prætereà illa verba, *Vnici salutarisque lauacri fecisse iacturam*, non significant peccatum rebaptizandi, sed consentiendi in iteratam baptismi receptionem, vt ex vsu illorum verborum, & ex reliqua parte illius textus, magisq; ex ipsa originali Epistola constat: nullam ergo excommunicationis, vel alterius censuræ pœnam inuenio esse iure impositam, quæ ratione huius peccati ipso facto incurratur. Solùm superest dicendum de pœna irregularitatis.

Conc. Lugdun. Burchard. — *Fœlix III.*

Et ratio dubitandi ex vna parte est, quia omnes doctores docent, manere irregularem eum, qui rebaptizando peccat, vt latè tradunt Theologi in 4. distinct. 5. & 6. Soto distinct. 5. art. 9. Antoni. 3. part. titul. 14. cap. 15. §. 12. & titul. 28. cap. 6. §. 3. Nauar. cap. 27. nu. 246. alij Summistæ, verbo, Irregularitas & Couar. Clement. si furiosus. part. 2. in princ. nu. 8. In contrarium autem est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis; sed de hac irregularitate nullum habemus expressum ius: omnes enim autores fundant illam in cap. 2. extra de Apostatis reliqua enim iura, quæ afferri solent, omnino sunt extra propositum, qualia sunt, quæ ex ciuili, & canonico iure adduximus: sed neque in cap. illo videtur satis fundata hæc irregularitas: nam in priori parte illius textus ante versiculum. Quia ergo, non est sermo de rebaptizante, sed de rebaptizato: in posteriori autem parte non est sermo de ipso baptizante, sed de acolyto, qui ei ministrauit; quod patet apertè ex textu originali in Concilio Lateran. sub Alexand. III. part. 26. capit. 1. vbi sic dicitur. *Assistit autem huic sacrilegio adolescens acolytus, frater illius, in quo baptismus asseritur iteratus, & ministerium exhibuit in respondendo Presbytero baptizãti, & cooperatur exitio rei nefandæ*, & de hoc acolyto posteà dicitur, nõ esse ad superiores ordines promouẽdũ, si publicũ sit crimen, si verò occultum est, promoueri posse: de ipso autem baptizante, nihil ibi quæritur, aut respõdetur. Nec videtur satisfieri, si quis dicat, à fortiori sumi posse argumentum, nõ si is, qui solùm cooperatur illi ministratio, ea pœna punitur, multò magis, qui ipsum substantiale ministerium exhibet, quia, vt sæpè diximus in his, quæ pendent ex iure positiuo, argumentum à simili, vel à fortiori non est efficax: nam, licèt maius peccatum sit operari rebaptizationem, quàm cooperari illi: potuit tamen propter cooperationem imponi hæc pœna, & non propter rebaptizationem, vel quia supponitur grauior pœna imponenda pro maiori crimine, vel ob alias causas: denique hæc ratio maximè procedit de irregularitate: quia in iure expressum est, non incurri, nisi in casibus à iure expressis. capit. is, qui. de sententia excommunicat. in 6.

Soto. Antoni. Couar. — *Concil. Lateran.*

Nihilominus communis sententia certa esse debet, quam ipse vsus & consuetudo, quæ est optima

Qui rebaptizet incurrit irregularitatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

legum interpres, satis confirmat, & textum illum declarat. Quæ interpretatio, & per se se est rationi cōsentanea, & verbis ipsius Pōtificis: nō enim iudicauit, illum acolytum dignum illa pœna ꝑpter cooperationem præcisé vt cooperatio est, nec ꝑpter solùm ministerium accidentale (vt ita dicam) sed absolutè propter notādum ministeriū, quod multò magis cōuenit rebaptizanti, quàm ministranti. Denique argumentū à fortiori in huiusmodi casu censendum est efficax, quia propriè nō est in rebus vel actionibus distinctis, sed in eadem actione, cōparando accessorium ad principale.

Dubium. 1. Sed ad explicādam hanc pœnam inquiri potest primò, an hæc irregularitas impediat solùm ascensum ad superiores ordines, vel etiam vsum susceptorum: autores enim nihil apertè declarant, sed simpliciter dicunt, propter hoc crimen irregularitatē incurri: irregularitas autem absolutè & simpliciter dicta vtrūque impedimentum afferre videtur. Et *Ledesma.* Ledesma in 4. 1. p. q. 7. art. 9. dub. 2. distinctè affirmat, quod si est promotus, non potest exercere officium suum, quod non aliter probat, nisi citādo prædictum cap. 2. de Apostatis. Sed non videtur satis considerasse textum illum: nam ex illo potiùs videtur sumi argumentum efficax in contrariū, quia in prædicto textu solùm prohibetur, ne ad superiores ordines promoueatur, neq; alia fit irregularitatis mētio. Adde, aliquas esse irregularitates, quæ impediunt acceptionem ordinum, & non vsum acceptorum, vt notauit *Nauar.* Nauar. cap. 27. nu. 191. Accedit, quòd pœnæ restringendæ sunt, & ad præcisa verba legis limitādæ: sed in verbis huius legis tantùm prohibetur ascensus ad superiores ordines: ergo non est hæc talis pœna vlterius extendenda. Certè hæ rationes videntur sufficienter hanc partem persuadere. Vnde, quod attinet ad acolytum ministrantem rebaptizanti, de quo tantùm est expressus sermo in illo textu, non dubito, quin in eo prædicto modo sit intelligenda hæc pœna, vt verba legis præ se ferunt, præsertim cùm ibi addatur, propter illam culpam non multùm fuisse plectendum: ex his autem eisdem verbis videtur fieri verisimile, aliter censendum esse de ipso rebaptizante, quia ille maiori dignus est pœna; nihilominus tamen, quia hæc maior pœna, qua dignus est, non est in iure expressa, non censeo impedimentum hoc etiam respectu illius esse amplificandum, vltra id quod verba legis requirunt.

Dubium 2. Quin potius de hac ipsa pœna potest vlterius dubitari, an incurratur ipso facto, vel solùm post iudicis sententiam, & declarationem, & est ratio dubij, quia in eo textu nullum est verbum, quo significetur hoc impedimentum contrahi ipso facto, nam ante illam Pontificis decisionem non incurrebatur ipsa irregularitas ipso facto per huiusmodi peccatum, quia nō erat iure expressa: & ideò in eo textu non interrogatur Pontifex, quam pœnam vel inhabilitatem ille acolytus incurrisset, sed qua pœna puniēdus esset. Respondet autē Alexan. *Alexan. 3.* III. q. quanuis non multū videatur propterea plectendus: *ad superiores tamen ordines ascendere nō valebit*: ergo donec à superiori plectatur rebaptizans hac pœna, non incurrit illam; neq; enim satisfacit, si quis dicat pœnam hanc, cùm solùm consistat in priuatione, & quadam inhabilitate, ipso facto contrahi nam, licèt verum sit, huiusmodi pœnarum genus facilius & frequentius ipso facto incurri, nihilominus necesse non est, vt semper eo modo contrahatur, nisi id fuerit lege expressum, vbi autem non ita fuerit, potius videtur generalis regula seruanda, quod pœnæ restringendæ sunt, quodq; nemo obligatur ad pœnam, donec iudicetur. His tamen non obstantibus, dicendum est, rebaptizantē ipso facto fieri irregularem, saltem quoad impedimētum ascendendi ad superiores ordines. *Incurritur ipso facto.* Ita enim autores omnes textum illum interpretantur, & ita est in vsu, quæ res maximi est momenti in huiusmodi materijs, neque maior est huius rei ratio exigenda, quia tota pendet ex lege humana, quæ nullo modo melius, quàm recepta consuetudine declaratur. Et verba textus ad hunc sensum possunt facilè induci & accommodari: nam absolutè respondet Pontifex, quòd is, qui sic deliquit, *ad superiores ordines promoueri non valebit*, vbi non dicit post sententiam latam, neque requirit, quòd à superiori priuetur ea potestate, sed ipsemet per illam legem priuat ipsum, & inhabilem seu impeditum reddit; & hoc ipsum est irregularitatem imponere ipso facto contrahendum.

Dubium 3. Tertium tamen, & difficilius dubium circa hoc est, an hæc irregularitas incurratur propter rebaptizationem, solùm quando delictum est publicum, an verò etiam quando est occultum. Et ratio dubitandi est, quia Pontifex sub hac distinctione respondet dicens, *Ad superiores ordines promoueri, si publicum est, quod proponitur, non valebit, si verò occultum est, promoueri poterit*: ergo, quando hoc crimen est occultum, non incurritur irregularitas. In hac re *Scotus.* Scotus in 4. dist. 6. quæst. 8. dicit, vtroq; modo incurri hanc irregularitatem, & textum illum hoc modo exponit, q. quando crimen est publicum, nullo modo potest quis ad superiores ordines promoueri, sine dispensatione Pontificis: quando verò est occultum, licèt irregularitas contrahatur, tamē Episcopus potest delinquentem promouere ad superiores ordines, cum illo dispensando. Sed hæc sententia non habet fundamentum in textu, quia, quādo crimen est occultum, nullam superioris dispensationem requirit, sed absolutè dicit, *promoueri poterit*, quod non est limitandum, addita conditione, scilicet ex dispensatione Episcopi, præsertim quia priora verba, quæ pœnam publici criminis cōtinent, scilicet, *promoueri non valebit*, absolutè intelligenda esse diximus, nulla expectata iudicis sententia, vel declaratione: ergo multò magis posteriora verba, quæ continent fauorem, intelligenda sunt absolutè, nulla requisita dispensatione, præsertim cùm fauores sint ampliandi, & odia restringenda. Vnde *Panormit.* Panormit. ibi notabil. 2. expressè dicit, nullam in hoc crimine occulto requiri dispensationē: quia per illud re vera non contrahitur hæc irregularitas. Et hanc opinionem sequuntur communiter iuris interpretes, & Syluester verbo, Irregularitas, num. 4. Sunt autem, qui dicant, hanc distinctionē de crimine publico & occulto, solùm habere locū in acolyto cooperante, non verò in ministro rebaptizante: quia textus solùm de priori loquitur. Vnde *Soto.* Soto in 4. dist. 3. art. 9. in fine significat, siue publicū, siue occultum sit hoc delictum, ratione illius contrahi irregularitatē. & contra Scotum addit, in neutro casu posse per Episcopum, sed per solum Papam dispensari, citās *Sylvest.* Syluestrū, verbo, Baptismus, 5. §. 3. vbi tantū in communi loquitur. Ad textum autem prædictū Soto nihil respondet. Vnde videtur tacitè prædictam distinctionem admittere, quę mihi probari nullo modo potest: quia hæc irregularitas non est alibi in iure expressa nisi in illo textu, neque in illo distinctè traditur de rebaptizante: sed solùm de acolyto ministrante, & sub illo intelligimus etiam personam rebaptizantem: ergo sub eadē distinctione & limitatione exponēda est: quia nullum est in iure fundamentum ad aliam extensionē in vna persona potiùs, quàm in alia faciēdam. Quocircà rationes factæ re vera conuincunt, quantùm ex iure colligi potest, non esse impositam hanc irregularitatem rebaptizanti, nisi quando crimen eius est publicum. An verò propter cōmunem & receptam sententiam dicendum sit, etiā incurri per crimen occultum, alijs iudicandum relinquo, quia in re morali nollem à recepta sententia discrepare, præsertim, quia fortasse fieri potest, vt cōmuni vsu sit hęc pœna ita introducta, seu lex illa ita declarata. In irregularitate autem, quam contrahit acolitus, habet locum sine vllo scrupulo distinctio prædicta. *Quando publica est rebaptizatio.* Non possumus autem hoc loco immorari in explicando quid requiratur ad crimen publicum, vel occultum: quoniam esset à præsente instituto alienū, & de ea re dicturi sumus inferiùs in parte morali de Eucharistia, videri etiam potest Nauarr. in sum. ca. 27. num. 255. Atque hinc obiter sequitur, in hac irregularitate acolyti neminem præter Summum Pōtificem posse dispensare: quia per delictum occultū non contrahitur: quando verò delictum est publicum, omnes fatentur, ad Summum Pontificem pertinere potestatem dispensandi. Et idem est de irregularitate rebaptizante publicè; de occultè verò rebaptizante, supponendo, quòd irregularis fiat, ait Scotus, per Episcopum posse dispensari, tamen hoc nullo antiquo iure probari potest, vt ex dictis constat: iure autem nouo Concil. Trident. sessio. 24. c. 6. est res certa.

Dubium. Quartò inquiri potest, an is, qui exteriùs rebaptizat, sine interna intentione cōficiendi sacramentū, hanc irregularitatem contrahat. Et ratio dubitandi esse potest, quia præcepta ecclesiastica cadunt in actus externos, & eosdem punit Ecclesia, nam de interioribus nihil iudicat: sed ille exteriùs rebaptizat: ergo contrahit pœnam rebaptizantibus iniunctā. Nihillominùs dicendum est, in foro quidem exteriori illum præsumi irregularem, hocque satis probari ratione facta, tamen re vera coram Deo nō cōtrahere irregularitatem propter tale crimen, & consequentèr si aliqua via Ecclesiæ constare posset de tali intentione, etiam in foro exteriori non debere huiusmodi hominem iudicari irregularem, sed posse alia pœna puniri. *Baptizans sine intentione non fit irregularis. Nauar.* Hanc opinionē indicat Nauarr. in sum. c. 27. nu. 246. in fine, in illis verbis, Quia intentio eorum non fuit iterare baptismum, & actus agentium non operantur vltra intentionem eorū. l. Non omnis. ff. de reb. cred. Quæ ratio solùm probat illum actum ex defectu intentionis non esse sacramentum, etiam si illud aliàs esset possibile: hinc tamen vlteriùs colligimus, actum illum verè in ratione culpæ nō esse peccatū cōsummatū rebaptizandi, sed esse tantū imperfectū in eo ordine, & ideò nō esse sufficiens ad contrahendā irregularitatem: quia huiusmodi pœnæ ecclesiasticæ, quæ imponūtur propter aliqua delicta, simpliciter, & absolutè intelligēdæ sunt de delictis perfectis & consummatis in suis speciebus.

Exemplum optimum ad rem hanc declarandam & cōfirmandam est in eo, qui exteriùs hæresim profitetur, veram fidem animo & mente retinens, nam iuxta communem sententiam ille non incurrit pœnas, & censuras hæreticis impositas: quia re vera nō est simpliciter hæreticus, sed solùm cum addito, scilicet exterior hæreticus, seu fictus, sic ergo in præsenti, qui sine intentione exterius iterat baptismū, re vera nō est rebaptizator, sed fingit se rebaptizatorem, & ideò, quanuis in hoc etiam grauiter peccet, non tamen propriè illa culpa, propter quam irregularitas est imposita. Quod etiam ex fine huius pœnæ confirmari potest, imposita enim est in odiū hæreticorum introducentium rebaptizationes: qui autem sine intentione operatur, non facit animo hæretico, nec propriè conuenit cum hæreticis in actione sua, vt ab eius intentione procedit. Neq; cōtra hoc vrget ratio in principio posita; quia, licèt Ecclesia per se non præcipiat, vel prohibeat actus interiores, prohibet tamen exteriores, vt ab interioribus manantes, & ita etiam prohibet interiorem ratione exterioris, seu vt principium eius, & eodem modo punit aliquando aliquem exteriorem, vt à tali interiori manantem, & non aliàs: quia ergo rebaptizatio simpliciter dicta significat actum exteriorem procedentem ex intentione dandi sacramentum baptismi homini iam baptizato, ideò, quandò actus exterior ab illa intentione non procedit, non est sufficiens ad irregularitatem inducendam.

Dubium. 5. Atq; ex hac doctrina, quæ mihi certè satis fundata videtur, definiendum est quintum dubiū, quod hic occurrere solet de rebaptizantibus sub conditione, aut verbis expressa, aut mente concepta, an incurrant hanc irregularitatem. *Soto.* Soto enim in 4. d. 3. artic. 9. sub distinctione respondet, eum, qui temerè, & nulla diligētia adhibita sic rebaptizat, manere irregularem, non verò qui, morali ac probabili diligentia adhibita, bona fide id facit, & de hac posteriori parte nulla est dubitandi ratio, vt à fortiori patebit ex his, quæ sequenti dubio dicemus; ratio verò prioris partis esse potest, quia ille grauiter peccat rebaptizando, & illa conditio moraliter habetur pro non adiecta; quam sententiam sumpsit Soto ex Victoria, vt constat ex summa eius in quattum. materia de baptismo. §. 56. & Cordu. in sum. *Victoria. Corduba.* Hispana. quæst. 37. hanc opinionem sequitur dicēs, & veram, & communem esse. Nihilominùs tamen mihi longè verior videtur sententia Nauar. loco citato negantis, in eo casu incurri irregularitatem. Vide Palaci. 6. quæst. 6. col. 3. Maiol. lib. 3. de Irregulari. cap. 14. num. 5. Ratio sumenda est ex resolutione præcedentis dubij: quia illa actio non procedit ex intentione dandi baptismum homini baptizato: ergo non est rebaptizatio simpliciter, neque peccatum in ea specie consummatum. Item, quia conditio ipsa, siue prudenter, siue ineptè addita, suspēdit quantum in se est, actum illum, atq; ita impedit formalem rationē rebaptizationis. Tandē, quia ille in eo facto non est imitator hæreticorum, vt à tali intentione conditionata procedit. Neq; autores contrariæ sententiæ aliquid in contrarium afferunt; Soto enim solùm id probat, quia forma baptizandi sub cōditione, solùm permittitur in casu dubij, sed hoc probat, id esse peccatum, non tamen propter illud esse irregularitatem impositam: illud enim est expressum in iure, hoc verò minimè, quia illa non est rebaptizatio simpliciter. Vnde, licèt illa conditio moraliter censeatur pro non adiecta, quantum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad hoc, quòd non excusat à temeritate, & culpa sacrilegij, aliquid verò operatur, & magni momenti est, quantum ad hoc, quòd tollit intentionem, & suspendit actum, & consequenter facit, vt illa non sit rebaptizatio simpliciter, ac deniq; propterea excusat ab irregularitatis pœna.

Dubium. 6. Sextum dubium esse potest, an, qui ob ignorantiam rebaptizat, non sub conditione (de hoc enim dictum est) sed absolutè, incurrat pœnam irregularitatis. Hoc dubium tractat Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 8. & in primis distinguit de ignorantia facti, vel iuris, deinde de ignorantia culpabili, vel inculpabili, & primò dicit, si ignorantia sit facti, & talis, vt excuset à culpa, etiam excusare ab irregularitate, & in hoc omnes conueniunt, quia est certissimum: hæc enim irregularitas est pœnalis, & ideò, vbi non est culpa, non incurritur talis pœna.

Scotus. Quod aliqui tam strictè & rigorosè intelligunt, vt requirant omnino carentiam culpæ, tam venialis, quàm mortalis, ita vt, si ignorantia talis sit, vt excuset à culpa mortali, non autem à veniali, non sufficiat ad impediendam irregularitatè. Ita sentit Cor-

Corduba. duba supra. Mihi tamen hoc videtur incredibile, tum quia tam grauis pœna non imponitur, nisi propter mortalem culpam, tum etiam, quia ille actus, vt culpabilis est, non est perfectè humanus, sed indeliberatus ratione ignorantiæ, nam, cùm ex parte obiecti & materiæ sit sufficiens grauitas ad peccatum mortale, non potest actus à tali culpa excusari, nisi propter indeliberationē turpitudinis actus quam ignorantia causat; propter actum autem imperfectè humanum, & indeliberatum non incurritur irregularitas: quæcunque ergo ratione ignorantia excuset à peccato mortali, excusat ab irregularitate, etiam si aliqua leuis negligentia, vel venialis culpa misceatur. Secundò, quando ignorantia facti non excusat à culpa mortali, docet Scotus, non excusare etiam ab irregularitate. In quo etiam omnes illum sequuntur propter contrariam rationem, quia qui non excusatur à culpa, non excusatur à pœna, illa autem culpa est simpliciter talis in sua specie, & eiusdem rationis cum rebaptizatione scienter facta.

Scotus. *Obiectio.* Solùm potest obijci ex principio posito in quarto, & quinto dubio, quia ille, qui ex huiusmodi ignorantia rebaptizat, non habet intentionem rebaptizandi, sed baptizandi tantùm hominem, quem putat non esse baptizatum: sed qui baptizat sine intentione rebaptizandi absolutè, non incurrit irregularitatem, vt dictum est: ergo. Et confirmatur, quia hoc ipso, quòd propter ignorantiam facti rebaptizat, virtute & implicitè habet in animo hāc conditionem baptizandi tantùm eum, qui non est baptizatus: ergo hoc satis est, vt ille non incurrat irregularitatem. Tandem confirmatur, quia ille ex intentione sua non rebaptizat animo hæretico, neque in eo facto hæreticos imitatur: ergo non videtur contra eum lata hæc iuris pœna.

Solutio. Fateor quidem, has rationes esse apparentes, & alicui videri posse probabiles, præsertim in materia odiosa, quæ restringenda est, & maximè, cùm hæc irregularitas tam euidenter & formaliter in iure nō sit expressa. Nihilominùs tamē in re morali & graui non est à recepta sententia recedendum, & ideò ad argumenta dicendum est, ad incurrendam pœnam non esse necessariam intentionem rebaptizandi formaliter, ita vt sub directo obiecto illius intentionis cadat hoc totum, scilicet baptismus iteratus. Neque hoc dictum est à nobis in superioribus, sed solùm necessariam esse intentionem dandi sacramentum baptismi homini iam baptizato: hoc autem intentionem habet etiam ille, qui ex ignorantia rebaptizat: quia, licèt non cognoscat, illum esse baptizatum, tamen simpliciter vult baptizare hunc, qui est baptizatus, & facilè posset, ac deberet scire illum esse baptizatum, & quoad hoc satis conuenit cum hæreticis in facto ipso, licèt non omnino conueniat in animo, quod satis est nam, licèt hæc irregularitas posita sit in odium hæreticorum, non tamen est imposita solis hæreticis, sed omnibus imitantibus hæreticos in absoluta rebaptizatione: quapropter consulendum semper est, vt in his casibus addatur conditio, nam illa posita tollit omne periculum irregularitatis.

Obiectio. Sed quid, si tanta est, tamque probabilis dubitatio prioris baptismi, vt sine culpa possit iterum sub conditione dari, minister autem non det illum absolutè sed sub conditione cōtra ordinationem Alexandri III. in capit. 2. de baptismo, nunquid incurret irregularitatem, si fortasse in re ipsa rebaptizet? Respondetur cum Nauar. supra nō incurrere, quia *non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum*, vt dicit Innocentius III. in capit. vnico de Clerico per saltum promoto. Et Fœlix Papa in capit. Solennitates. de Consecratione. dist. 1. Tertiò, quando rebaptizatio fit per ignorantiam iuris, Scotus absolute sentit, non excusare ab irregularitate, quia aut est ignorātia iuris ecclesiastici, aut diuini, prior, quæcunque illa sit, etiam inuincibilis, nihil refert, quia, cùm hoc peccatum sit contra ius diuinum, ignorantia solùs iuris humani non potest esse simpliciter de culpa, sed ad summum de pœna irregularitatis, solo iure humano imposita: ignorantia autem solius pœnæ non excusat, quominùs ratione culpæ eadem pœna irregularitatis contrahatur, nā, licèt de excommunicatione sit in hoc specialis controuersia & difficultas, quam suo loco tractabimus de irregularitate verò nulla esse videtur dubitandi ratio, vt patet etiam de irregularitate homicidij, & de alijs similibus. Licèt Castro libr. 2. de lege pœnal. capit. 14. contrarium sentire videatur, sine fundamento & contra communem sententiam, iuxta quam etiam hæc pars est recepta sine controuersia. Posterior autem ignorantia (ait Scotus) non excusat à peccato, quod sine probatione, vel maiori explicatione assumit. Sed, vt rectè Soto notauit dicto artic. 9. non videtur impossibile hoc ius diuinum de non rebaptizando, esse ab aliquo inuincibiliter ignoratū, quia non est tam per se notum, vt nullus, quantumuis rusticus, vel idiota, possit illud ignorare: maximè quia posset aliquis decipi ab vno vel pluribus viris doctis, & fide dignis, saltem secundùm communem existimationem. Posset ergo tūc ille error esse inculpabilis in homine simplici, qui per se ipsum nec debet, nec potest huiusmodi res fidei examinare. Quacunq; ergo ratione cōtingat hanc ignorantiam esse inuincibilem, excusabit à culpa, & consequenter etiam ab irregularitatis pœna, quod Soto dubitanter affirmat, sed nō video dubitandi rationem, cum constet, hanc irregularitatem non esse introductam ob significationem aliquam, sed præcisè in pœnam, quæ cessat cessante culpa. Quæret verò aliquis, an idem sit dicendum de rebaptizante per metum, quia ille etiam videtur in voluntariè rebaptizare. Respondetur, illud tantùm esse inuoluntarium secundùm quid, quòd non excusat à graui culpa sacrilegæ iterationis baptismi, & ideò neq; etiam excusat ab irregularitatis pœna, ni si fortasse solam exteriorem actionem quis faceret ex tali metu absque intentione faciendi sacramentum, vt dictum est. Vide Maiol. lib. 3. de irregularitate cap. 14. circa finem.

Castro.

Quid qui per vim, & metum rebaptizat. Maiolus.

Dub. 7. Septimò inquiri potest circa formalem casum, & decisionē illius textus, de illo Acolyto, qui presbytero baptizanti ministrauit, cur dicatur irregularitatem incurrisse, & eadem quæstio nunc est de quolibet sic ministrante. Et ratio dubitādi est, quia huiusmodi minister non potest cooperari ad substantiale ministerium baptismi, sed, ad summum, ad aliquem ritum accidentalem. Vnde in prædicto Concil. Lateranen. p. 2. c. 1. sic dicitur. *Astitit autē huic sacrilegio adolescens Acolytus, & ministerium exhibuit in respondendo Presbytero baptizanti, & cooperator extitit rei nefandæ.* Nihil ergo cooperatus est, aut ablutioni, aut prolationi verborum formæ, neq; ad hæc oportebat aliquid respondere, sed solùm ad cæteras orationes, quæ in ceremonijs dicūtur: ego ille propriè nullo modo contraxit culpam rebaptizantis: ergo nec pœnam. Atq; hinc oritur simul octaua dubitatio, an propter solam iterationem baptismi quoad accidentales ritus incurratur hæc irregularitas, si nō iterentur ea, quæ sunt substantialia sacramento. Et ratio dubij sumitur ex dictis, quia, si Acolytus manet irregularis solùm cooperando ijs ceremonijs, multò magis Presbyter illas iterando, vel è contrario, si hic, qui est principalis operans, ex hoc capite præcisè non fit illegalis, neq; etiam manebit minister cooperans. Respondetur ab vltimo dubio incipiendo, propter solam ceremoniarum iterationē non contrahi irregularitatem hanc, quia solùm est propter peccatum rebaptizandi iniuncta. Vnde, si quis puerum semel solenniter baptizatum, vel metu mortis, vel alia de causa fingeret se iterum solenniter baptizare, & omnes ceremonias efficeret, veram autem formam non proferret, non maneret irregularis, quia non est rebaptizatus: è contrario autem, si substantialia iteraret, etiam sine cæteris reuisitis, irregularis maneret. Quin potius dicūt aliqui iterationem harum ceremoniarum non esse ita prohibitam, quin si casu contingeret, in baptismo solenni committi substantialem, & essentialem defectū, dādus sit posteà baptismus essentialiter completus, omnes solēnitates iterādo: ita Antonin. sup. *Ledesm.* Ledesma. 1. par. 4. q. 7. art. 9. dub. 5. Sed hoc mihi nō probatur, cūm eo enim, in eo casu repetenda esse substantialia omissis accidentalibus, quia ita cautū est in iure. vt in huiusmodi defectibus solùm supleantur ea, quæ desunt, itē quia illa accidentalia in suo ordine fuerunt cōpleta: & licèt propter baptismū instituta sint ab Ecclesia, non tamen necesse est vt cū illo sint semper tempore coniuncta, vt patet, quando ob necessitatem priùs antecedit substātialis baptismus, & posteà ceremonialia supplētur. Et hinc ad septimum dubium respondetur, eum, qui ministrat Presbytero solenniter rebaptizanti manere irregularem propter decisionē illius textus: hāc autem irregularitatem non contrahi præcisè, quia cooperatur ceremoniis, sed quia cooperatur aliquo modo iterationi baptismi: sic enim in textu dicitur *Cooperator extitit rei nefandæ*: hæc autem res nefanda non est in accidentalis, sed in substantialis ritus baptismi iteratione. Vnde etiam si in illo baptismo nō iterarentur solennitates, verbi gratia, quia in priori fuerunt prætermissæ, nihilominùs Acolytus maneret irregularis: è contrario verò, etiam si ceremoniæ essent iterandæ, si tamen baptismus quoad substantiam non repeteretur, non maneret irregularis. Ratio ergo illius irregularitatis est cooperatio ad iteratum baptismum: nam, licèt acolytus nō concurrat, proximè ministrando aliquid substantiale, tamen quia ministrat illi actioni morali ad totam illam cooperari censetur, sicut cooperatur sacrificio, qui sacerdoti offerenti ministrat. Et hæc de rebaptizāte.

Quem pœnā incurrat rebaptizatus. Fœlix.

Circa rebaptizatum etiam in iure ciuili ei imponitur pœna capitis in legibus suprà citatis, & in epist. 1. Fœlicis II. suprà etiam citati: variæ etiam pœnæ huiusmodi rebaptizatis imponūtur, vt patet in cap. Eos, quos. de Consecratio. d. 4. quas partim suprà retulimus, sed illæ iam non sunt in vsu, neq; ibi fit vlla irregularitatis mentio: in cap. autē. Qui bis. eadem. d. apertè ponitur hæc irregularitas: dicitur enim, qui baptizatus est bis, secundùm canones ordinari non posse, nisi magna aliqua necessitas cogat, ille tamē textus per se non habet autoritatē ad hāc irregularitatem inducendā: non enim est alicuius Pontificis, vel generalis Concilij, vt Scotus & post eum alij notarunt, vt infrà, dicemus, sed desumptū est ex Pœnitētiali Theodori. c. 14. vt est apud Burchardum. lib. 4. decreti. c. 51. Apertius colligitur hæc irregularitas ex d. Epist. Fœlicis III. c. 5. & habetur in c. Qui in qualibet. 1. q. 7. vbi aperte declaratur, hāc irregularitatem nō solùm à susceptione, sed etiā ab vsu ordinū impedire. Solùm potest dubitari, quia ibi solū fit mentio de ijs, qui alibi, quā in Ecclesia catholica baptizati, aut rebaptizati sunt ergo, qui in Ecclesia & à Catholicis rebaptizatus fuerit, nō incurret hanc irregularitatē. Respōdetur tamen, eam legem generaliter esse intelligendam, ita enim, & ab omnibus iotellecta est, & communi vsu suscepta, quia, qui rebaptizatur, in eo facto ita se gerit, ac si esset extra Ecclesiā. Vnde in Concil. Carthag. V. c. 11. & habetur in c. Cōfirmādum, 2. ed. 50 absolutè dicitur, *Nunquam permittendum, vt rebaptizati ad Clericatus gradum promoueātur.* Idē colligitur ex Concil. Tolet. IIII. c. 18. & habetur in c. Qui in aliquo. d. 51. Quòd ergo baptizatus fiat irregularis certū est, intelligendū autē est iuxta suprà dicta de rebaptizatione absolutè & sine conditione, & cū intētione iterū suscipiēdi baptismū propter rationes ibi factas, quæ eodē modo hic applicari possunt.

Conc. Carth.

Conc. Tol.

Quid qui ignoranter rebaptizatur.

Solet autē de hac irregularitate specialiter dubitari, an cōtrahatur, etiā ab his, qui ignorāter rebaptizantur, nā quidā autores, præsertim Canonistæ ita sentiūt, vt refert Couar. in d. Clement. Si furiosus. in principio. n. 8. & in eā inclinat Richard. in. 4. d. 6. art. 4. q. 2. Palud. d. 6. q. 4. art. 1. quē sequitur Anton. 3. p. tit. 14. c. 13. §. 12. Fūdatur hæc opinio in d. c. Qui bis. ibi enim dicitur, etiā illos, qui bis ignoranter baptizati sunt, manere irregulares, & plānè loquitur de ignorantibus inuincibiliter: nam dicit, eos pro eo facto non indigere pœnitentia: quod non rectè à quibusdā exponitur de ijs, qui per ignorantiā iuris culpabilem rebaptizari se sinunt, qui dicuntur non indigere pœnitētia apud Deum, sed illa Ecclesiastica pœnitentia, quæ imponitur his, qui scienter rebaptizantur, est enim valde violenta hæc expositio, vt ipsa verba satis per se ostendunt, & ex fine eiusdem capitis cōstat, vbi triennalis pœnitentia

Scotus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia imponitur his, qui non pro vitio, sed pro mundi-
tia ex ignorantia rebaptizantur. Melior ergo re-
sponsio est, textum illum per se non habere autori-
tatem, vt suprà dicebã. Sed augetur difficultas, quia
ibidem dicitur, ità esse in canonibus statutũ, & vi-
detur sanè indicari decretũ Fælicis III. dicto cap.
Qui in qualibet, vbi dicitur, rebaptizatos in quali-
bet ætate manere irregulares: ergo etiam rebaptiza
tos in infantia, cùm tamen illi maximè ignoranter
rebaptizentur: ergo eadem ratio erit de omnibus
ignoranter rebaptizatis. Nihilominùs cõtraria sen-
tentia, & vera, & communis est. Eam tenet Scotus
in 3. d. 6. q. 8. Soto in dicto art. 9. Nauar. cap. 27. n.
246. Couarruui. suprà. & Sylvester verb. Irregula-
ritas. quæst. 4. Turrecremata dicto cap. Quibus. de
Consecra. distinctio. 4. num. 7. Quæ in hunc modũ
declaratur, & probatur: nam in primis, si aliquis in
infantia rebaptizetur, non manet irregularis, vt à si
mili colligitur ex cap. Placuit, & cap. Qui apud. de
Cõsecratio. dist. 4. vbi dicitur, infantes, etiam si ab
hæreticis baptizentur, non ideò manere irregula-
res, per quæ iura explicandũ est citatũ caput. Qui
in qualibet, vbi sermo est tam de baptizatis, quã de
rebaptizatis extra Ecclesiam. Si ergo illa lex nõ cõ-
prehendit infantes baptizatos ab hæreticis, neque
etiam comprehender rebaptizatos: cùm ergo dicit,
In qualibet ætate, intelligendum est de ætate adulta,
in qua iam homo possit ratione vti. Vnde vlteriùs
fit, etiam esse interpretandam hanc legẽ de ijs, qui
scienter & voluntariè rebaptizantur, nam, si requi-
ritur adulta ætas, solùm est, vt homo sit capax cul-
pæ & propriæ voluntatis. Item, si excluduntur in-
fantes, ideò est, quia excusantur à culpa: ergo idem
erit etiam de adulto, quacunque ratione à peccato
excusetur.

Tandem hæc irregularitas, etiam respectu reba-
ptizati, imposita est in pœnam, & non ob aliquam
specialẽ indecentiam, aut significationem: aliàs etiã
infantibus esset imposita: ergo, si ignorãtia talis est
quæ excusat à culpa, excusat etiam à pœna. Sed di-
cunt Richard. Palud. Antonin. Sylvest. & alij, licèt
hoc sit probabile, tutius tamen esse dispensationem
ab Episcopo petere, sed certè, si propter dubium di
spensatio petenda est, ab eo est petenda, qui habet
potestatem dispensandi in hac irregularitate. Solus
autẽ Papa potest cum rebaptizato dispensare, sicut
& cũ rebaptizante. Re tamen vera non est necessa-
riũ, talẽ dispẽsationẽ petere: nã res tam clara vide-
tur, vt nullum possit practicum dubium generare.

Felix. Scotus. Soto.

Richard. Paludanus. Antonin. Sylvest.

A Quin potiùs addo cõtra eosdẽ autores vltimo lo
co citatos, etiã si rebaptizatus postea sciat, quid circa illum actum sit, & ratum habeat, ac cõsentiat, nõ manere irregularem: quia huiusmodi consensus nõ facit priorem actionem, vel potiùs passionem, volũtariam aut culpabilem, sed est nouum peccatũ, vel internum, vel etiam externum: cui nulla est irregularitas in iure imposita. Sicut, si quis casu & omnino sine culpa occideret hominẽ, nec tũc fieret irregularis, nec postea, etiã si viso effectu gauderet: quia illud gaudium non est propriè voluntarium homicidium, cui est irregularitas iniuncta: sic ergo est in præsenti. Sed quæres, an idem dicendum sit de eo, qui per vim & metum rebaptizatur. Sylvester, verbo, Irregularitas. n. 4. ex Innoc. in cap. Eos, quos. de Consecratio. d. 4. respondet, si fuit absoluta coactio non manere irregularem: secus verò, si fuit tantùm conditionata, seu per metum; quæ fuit etiã opinio Glossæ in dict. cap. Eos, quos. Ego verò dicerem, si ille habeat intentionẽ, vt rebaptizetur, re vera manere irregularem, quia ad hanc intentionẽ cogi nullo modo potest, neq; ipse debet voluntariè illã adhibere, aliàs graviter peccat peccato rebaptizationis, & ideò irregularis manet. Si verò talem intentionem non adhibeat, siue per absolutam vim, siue per solum metum cogatur ad exteriorem receptionem ablutionis, non manebit irregularis. Imò, si metus sit grauis, nihil peccabit non resistendo, dùmodò nec exteriùs significet se consentire, quia in reliquo nihil operatur, sed patitur potiùs. Quod rectè potest à simili confirmari ex c. Constat. 1. q. 1. Sed potest inde sumi argumentum contra priorem partem huius responsionis: ibi enim dicitur, eos, qui in uitiordinantur ab hæreticis, non manere irregulares, quòd est verum, etiam si illi habuerint intẽtionem recipiendi ordinem. Respondetur esse disparẽ rationem, nam ille non tenetur non habere intẽtionẽ, supposito, quòd minister sit sufficiẽs & essentialia adhibeat, quia ipse est capax talis sacramẽti: si cut, qui inuitus baptizaretur ab hæretico, posset sine culpa habere intẽtionẽ, quia est capax: secus est de rebaptizato, quia est incapax. Vltimò dubitari potest, an hæc irregularitas extẽdenda sit ad iterãtẽ sacramentũ Confirmationis, sed de hoc dicemus in disputatione morali de illo sacramento, cuius tractationem aggredimur. Nam de sacramento baptismi satis disputatum est.

Sylvest. Innocen.

(?)

QVAESTIO SEPTVAGESIMA SECVNDA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, in duodecim articulos diuisa.

Onsequenter considerandum est de sacramento Confirmatio nis.

Et circa hoc quærũntur duodecim.

Primò, vtrum Confirmatio sit sacramentũ.

Secundo, de materia eius.

Tertio, vtrum sit de necessitate sacramenti, quod chrisma fuerit priùs Episcopum consecratum.

Quarto de forma ipsius.

Quinto, vtrum imprimat characterem.

Sexto, vtrum character Cõfirmationis præsupponat characterem baptismalem.

Septimò, vtrum conferat gratiam.

Octauò, cui competat recipere hoc sacramentum.

Nono, in qua parte.

Decimò, vtrũ requiratur aliquis, qui teneat confirmandum.

Vndecimo, vtrùm hoc sacramentum per solos Episcopos detur.

Duodecimo, de ritu eius.

POst tractationem de sacramento Baptismi D. Thom. & Magist. cum cæteris Theologis in 4. dist. 7. de Confirmatione disputant, secundũ ei locũ in ordine sacramentorum tribuentes, nõ tam dignitatis, aut necessitatis, quàm temporis & generationis ordinẽ considerantes. Sacramentum enim Confirmationis proximè post baptismũ tradendũ est, vt antiqua etiã Ecclesiæ cõsuetudine fuit obseruatũ: nam licèt interdũ Patres significẽt, Eucharistiã solitã esse dari immediatè post baptismũ, vt ex Hieronymo Dialog. cõtra Luciferianos, & ex Ambros. lib. de his, qui initiãtur, cap. & August. Epist. 23. sumitur; id tamen per se loquendo intelligendum est post sacramentum Confirmationis, quod post baptismum statim conferebatur, vt esset veluti perfectio & consummatio eius, vt ex eodẽ Ambros. eodem lib. de Mysterijs, cap. 7. in fine, & lib. 3. de sacramentis, cap. 1. & 2. constat, & ex Dionys. cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. dicente. *Hierarcha, cũ virũ vnguento, quod maxime diuinos effici, insigniuit, Eucharistiæ, quæ vim maximam habet perficiendæ sanctitatis, participem esse pronuntiat.* Idem tradit Cyril. Hierosolym. Catechesi. 3. Mystagogica, & alij infrà referẽdi. Vnde Eugenius Papa in decreto fidei, *Per baptismum*, inquit, *spiritualiter renascimur, per Cõfirmationẽ augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem & roborati nutrimur diuinæ Eucharistiæ alimonia*, præcedit ergo Confirmatio Eucharistiam. Atque hoc sensu accipiendum est, quod ait Melchiades Papa Epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap. 3. *Ita cõiuncta sunt hæc duo sacramenta* (agit de Baptismo & Confirmatione) *vt ab inuicem, nisi morte præueniente nullatenus possint segregari, & vnum sine altero vitè perfici non potest.* Quod enim ait, *vitè*, intelligendũ est, id est, conuenienter, & cum consummata hominis perfectione. Hinc denique Rabanus. lib. 1. de institutione Clericorum, cap. 28. dicit, Ceremonialem vnctionem chrismatis, quæ post baptismum fit in vertice, ideò esse ab Ecclesia introductam, quia nõ semper poterat ad esse Episcopus, qui sacramentum Confirmationis daret. Est itaque hoc sacramentum generatione, seu ordine, & vsu secundum, & ideò, & secundo loco numeratur, & eodem ordine de eo disputatio instituitur, quantis à nonnullis autoribus propter speciales causas interdum hic ordo immutetur, vt sequenti quæstione in initio disputationum de Eucharistia annotabimus.

Dionys.

Cyril.

Eugenius.

Melchia. pp.

Rabanus.

D. Thom. Magist.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Confirmatio sit sacramentum.

Sup. q. 65. ar. 1. & 4. d. 2. q. 1. a. 2. co. & d. 7. q. 1. ar. 1. q. 1. per to. & 4. cõ. c. 58. q. 64. art. 2.

AD primũ sic proceditur. Videtur, q Confirmatio non sit sacramentũ. Sacramẽta enim ex diuina institutione efficiam habent, sicut suprà dictum est.

Sed

Sed Confirmatio non legitur à Christo instituta. Ergo non est sacramentum.

2 Prætereà, Sacramenta nouæ legis in veteri lege præfigurata fuerunt, vnde Apostolus dicit. 1. Corinth. 10. quod omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualẽ biberunt. Sed Confirmatio non fuit præfigurata in veteri testamento: Non ergo est sacramentum.

3 Præterea, Sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Sed sine Confirmatione potest esse salus, nam pueri baptizati, sine Confirmatione decedentes, saluantur. Ergo Confirmatio non est sacramentum.

4 Præterea, Per omnia sacramenta Ecclesiæ, homo Chisto conformatur, qui est sacramentorum autor. Sed per Confirmationem non videtur homo Christo conformari, qui non legitur esse confirmatus: Ergo Confirmatio non est sacramentum.

Habetur de consec. d. 5. c. 3. De his. & est parũ ante med. illius ep. to. 1 Cõcil. Aug. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 140. to. 7.

SED contra est, quòd Melchiades Papa scribit Hispaniarum Episcopis. De his, super quibus rogastis vos informari, vtrũ maius sit sacramentum, manus impositio Episcoporum, an baptismus, scitote vtrũq; magnum esse sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quòd sacramenta nouæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus, & ideo vbi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia verò sensibilia & corporalia gerunt spiritualium & intelligibilium similitudinem, ex his, quæ in vita corporali agũtur, percipere possumus, quid in spirituali vita gratię speciale existat. Manifestum autem est, quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quòd homo ad perfectam ætatẽ perueniat, & perfectas actiones hominis agere posit. Vnde & Apostolus dicit. 1. Corinth. 13. Cùm autem factus sum vir, euacuaui, quæ erãt paruuli. Et inde est etiam, quòd præter motũ generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur & vitam spiritualem homo accipit per baptismũ, qui est spiritualis regeneratio. In Cõfirmatione autem homo accipit, quasi quãdam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Vnde Melchiades Papa dicit: Spiritus sanctus, qui super aquã baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinẽ tribuit ad innocentiam, in Cõfirmatione augmentum præstat ad gratiã, in baptismo regeneramur ad vitã, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.

In ep. ad Hispaniarum Epis. à med. illius tom. 1 Concil.

Et ideò manifestum est, quòd Confirmatio est speciale sacramentum.

AD primum ergo dicẽdum, quòd circa institutionem huius sacramenti est duplex opinio, Quidam enim dixerunt, quòd hoc sacramentum non fuit institutũ nec à Christo, nec ab Apostolis, sed posteà, processutẽporis in quodam Concilio. Alij verò dixerunt, quòd fuit institutũ ab Apostolis, Sed hoc non potest esse, quia instituere nouum sacramentum, pertinet ad potestatem excellentiæ, quę competit soli Christo.

Et ideò dicẽdum est, quòd Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secũdùm illud Ioan. 16. Si nõ abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos, Et hoc ideò quia in hoc sacramẽto datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem & ascensionem, secundũ illud Ioan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

AD secundum dicendum, quòd, quia Cõfirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri testamẽto, quia nihil ad perfectum adduxit lex, vt dicitur Heb. 7.

AD tertium dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) omnia sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem, sed quædam sunt, sine quibus non est salus; quędam verò sunt, quæ cooperantur ad perfectionẽ salutis. Et hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis, quanuis sine ea posit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contẽptu sacramenti.

q. 65. art. 4. ad 3. argumen.

Ad quartum dicendùm, quòd illi, qui Cõfirmationem accipiunt, quæ est sacramentũ plenitudinis gratiæ, Christo conformãtur, in quantum ipse à primo instanti suę conceptionis fuit plenus gratiæ & veritatis, vt dicitur Ioan. 1. Quę quidem plenitudo declarata est in baptismo, quando Spiritus sanctus descendit corporali specie super eum. Vnde & Luc. 4. dicitur, quod Iesus plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane. Non autem conueniebat dignitati Christi (qui est sacramentorum autor) vt à sacramento plenitudinem gratiæ acciperet.

COMMENTARIVS.

DVO definit D. Thomas in hoc artic. quæ à nobis in sequente disputatione latè sunt tractanda, & confirmanda. Primum est in corpore articuli, Confirmationem esse speciale sacramentum, quod præter autoritatem Melchiadis Papæ, quam adducit in argumento, sed cõtra, solùm declarat quadam congruentia & proportione ad corporis viuentis generationem & augmentum,

Melchiad. Pap.

quibus dicit in spiritualibus comparari baptismum & Confirmationem, de qua proportione satis dictum est suprà. quæst. 65. articul. 1. Secundum est in solutione ad primum, Confirmationem fuisse à Christo Domino institutam, quæ assertio sequitur ex præcedente suppositis principijs traditis de institutione sacramentorũ nouæ legis in genere. Addit tamen D. Thom. Christum instituisse hoc sacramentum nõ exhibendo, sed promittendo, iuxta illud Ioann. 16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et Lucæ. 24. *Ego mittam promissum Patris mei in vos.* Et Ioan. 14. & 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, &c.* iuxta quã interpretationem significat D. Thom. quanuis hæc promissio ad literã intelligẽda sit de celebri illa ac visibili missione, qua Spiritus sanctus in die Pentecostes in Apostolos missus est, iuxta id, quod statim subdit Lucas. *Vos autẽ sedete in ciuitate quoad vsq; induamini virtute ex alto*, & Actor. 1. *Vos autẽ baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*, non tamen esse limitandã ad illã missionem, sed extendendam ad omnium fideliũ Confirmationem, & ad specialem Spiritus sancti missionem, quæ in ea fit, siue visibiliter, vt olim, siue inuisibiliter, vt modò, fiat: nam illi effectus, propter quos Christus Apostolis Spiritum sanctũ promisit, semper sunt in Ecclesia necessarij, &, proportione seruata, in omnibus fidelibus locũ habẽt, vt facilè cõstabit prædicta Ioannis capita considerãti. Vnde Melchiades Papa, Epistola ad Episcopos Hispaniæ cap. 2. promissionem à Deo factam Ioelis. 2. *Effundã de Spiritu meo super omnem carnem*, quam Petrus Actorum. 2. de aduentu Spiritus sancti in die Pẽtecostes explicuit, declarat ipse de missione etiã, quæ fit in hoc sacramento, indicans nõ esse vnã ab altera seiũgendã. Vnde inferiùs ad explicandũ fructũ huius sacramenti vtitur illis verbis. Ioan. 16. *Cũ venerit Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnẽ veritatẽ*, subiũgens. *Vides, quomodo, cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.*

Ioan. 16. Luc. 24. Ioan. 14. 15. Actor. 1. Melc. Pap. Ioelis. 2. Ioan. 16.

Est autem vlteriùs in hac D. Tho. doctrina considerandum, cùm ait Christum Dominũ instituisse hoc sacramentũ, nõ exhibendo, sed promittẽdo, non esse intelligendum, Christũ ante ascensum in cælũ, nihil præter Spiritus sancti promissionem de hoc sacramẽto Apostolis tradidisse, nã hoc solum sine dubio ad institutionem sacramenti non fuisset sufficiens: nam illa promissio ex se ab omni sacramẽto abstrahit, nec determinat modum talis aduentus seu missionis Spiritus sancti. Igitur Christus Dominus non sola promissione, sed etiam instructione (vt latiùs infrà dicam) hoc sacramẽtum instituit, ritum illius Apostolos docens, & vsum præcipiens, Neque D. Tho. hoc excludit, sed solùm significare voluit, ita instituisse Christũ hoc sacramẽtum pro tẽpore futuro, pro quo Spiritum sanctum promittebat, vt ante aduentum eius noluerit, vsum illius exerceri, & hoc declarat ratione, quam subiungit, quia Spiritus sancti plenitudo, quæ est effectus huius sacramenti, non erat danda, antequàm Christus esset glorificatus, vt Ioan. 7. dicitur. Atque ob similem rationem addit D. Tho. in solutione ad secundum, in veteri lege non præcessisse propriam figuram huius sacramenti, quia nihil ad perfectum adduxit lex, in hoc autem sacramẽto plenitudo ac perfectio Spiritus sancti datur: idemq; docuerat suprà. q. 65. art. 1. ad quartũ. Addit verò in 4. d. 7. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. *aliquo modo fuisse hoc sacramentum adumbratum in vnctione Põtificum, qua significabatur vnctio Christi, à qua hæc vnctio deriuatur.* Quod significasse videtur Cyprianus serm. de vnctio chrismatis, dicens. A *facie noui olei desiccatæ sunt vnctiones antiquæ*, & inferiùs oleũ Eliæ, & Elisæi, & antiquas ferè omnes mysticas vnctiones in figurã huius sacræ vnctionis adducit. Sed hæ potiùs sunt accomodationes quædam, quàm propriæ figuræ.

Ioan. 7. Cyprianus.

In solutione ad tertium indicat D. Thom. quæstionem de necessitate huius sacramenti, sed, si sit sermo de necessitate medij, res est extra controuersiam, esse quidem hoc sacramentum valde vtile ad salutem, atque hoc sensu dici posse necessarium ad melius esse, simpliciter tamẽ non esse necessarium, quia non est per se institutum ad tollendum peccatum, & sine illo possunt homines saluari. Atque hoc sensu accipiendum est, quod Melchiades Papa loco citato dicit, *In baptismo abluimur, post baptismũ roboramur, at si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat, mox in pace beati seculi recipiendos: Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos.* Ad hunc ergo finem dixit esse necessariam Confirmationem, nõ simpliciter, sed ad melius esse, id est, maximè vtilẽ. Si autẽ sit sermo de necessitate præcepti habet hoc specialem difficultatem infrà tractandã in disputatione morali. Solutio ad quartum non indiget explicatione.

Melc. Pap.

DISPVTAT. XXXII.

Et prima de Confirmatione.

De institutione sacramenti Confirmationis.

QVàuis doctrina de hoc sacramẽto breuior sit, quàm aliorũ, nihilominùs in illa tradenda eandem dicendi methodum tenebimus, probando priùs dari hoc sacramentum à cæteris distinctũ, posteà essentiã, causas, effectus, & proprietates eius declarando. In hac ergo disputatione definiemus quæstionẽ, an sit hoc sacramentũ, & cõsequẽter eius institutionẽ, ex qua illius esse pẽdet.

SECTIO I.

Vtrùm Confirmatio sit verum ac perfectũ nouæ legis sacramentum.

RAtio dubitãdi esse potest primò, quia in Scriptura nulla sit huius sacramenti mẽtio. Secũdò, quia nulla est illius necessitas, nã baptismus sufficit ad spiritualẽ vitã præstandã, Eucharistia ad augendã, nutriendã, & cõseruãdã. Propter hæc multi hæretici ausi sunt sacramentũ hoc negare, ac contẽnere, quorũ parens videtur fuisse Nouatus: sic enim de illo scribit Theod, lib. 3. Hæret. fabul. c. pen. *Ijs, qui ab ipsis* (scilicet Nouatianis) *tingũtur, sacrũ Chrisma non præbent, quocirca eos etiã, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti Patres vngi iusserunt.* Hũc errorẽ secuti sunt Vualdenses, vt refert AEneas Syluius de origine Bohemorũ. cap. 35. Itẽ Flagellantes apud Sanderum lib. 7. de Visibili Monarchia Ecclesiæ hæres. 165. Itẽ Pauperes de Lugduno, Rutheni, Luterus, Caluinus, & reliqui

Error. Nouat. Theodor. Vualdens. AEneas Syluest. Flagellãtes. Sanderus. Paup. de Lug. Rutheni.

Universidad de Deusto Biblioteca

qui noui sectarij, vt videre licet apud Prateolum sub eorum nominibus, & Lindanum lib. 4. Panopliæ à cap. 26. Ruardum artitul. 12. Bellarmin. lib. de Confirmatione, & alios, qui hoc tempore cõtra hæreticos scripserunt.

Caluinus. Prateolus. Lindanus. Ruardus. Bellarmin.

Esse Confirmationis sacramentum distinctum ab alijs de fide est.

Cõclusio. 1. probatur authoritatibus Scripturæ.

Dicendum verò est, in lege gratiæ esse quoddã sacramentum à baptismo, & cæteris distinctum, ad diuersum finem & effectum, & sub diuerso signo visibili institutum; quod à Patribus Confirmatio appellatur, ab effectu, aut Consignatio frontis aut sacramentum Chrismatis, ex materia, aut manus impositio Episcoporum. Res in hac conclusione contenta est de fide, quæ in primis ex Sacra Scriptura colligenda est, sumẽdo in primis id, quod in Commentario articuli probatum est, Christum ita promisisse Apostolis suis speciale Spiritus sancti donum, & aduentum ad eorum instructionem, protectionem, & singulare regimen, vt non solùm eorũ personis, nec tantùm fidelibus discipulis, qui cum eis tunc congregati erant, sed in eis vniuersæ Ecclesiæ perpetuo duraturæ, omnibusque fidelibus hoc beneficium promiserit, iuxta illud Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mũdus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Hæc autem promissio, quamuis in Apostolis singulari, & extraordinario modo impleta sit tamen oportuit, vt Christus in Ecclesia relinqueret definitum aliquem ac certum modum & viam, qua donum hoc, & effectus huius promissionis ad omnes, & singulos fideles, quadam ordinaria ac certa lege perueniret, quia alioqui, nec posset nobis constare, quando, vel quomodo in nobis esset implenda hæc promissio, nec possent fideles vti aliquo certo medio ad hoc donum recipiendum, & hac ratione fuit etiam maximè conueniens, vt hæc promissio aliquo certo sacramento, & visibili signo impleretur, quoniam Ecclesia Christi visibilis est, & corporales homines sub visibilibus signis meliùs spiritualia capiunt. Vnde etiam in ipsis Apostolis non est hæc promissio impleta sine visibili signo, cuius vestigium, seu participatio quædam aliquo tempore in Ecclesia primitiua durauit, tamen quia illud extra legem, & quasi miraculosum erat, magisque ad fundandam, quàm ad conseruandam, & exercendam fidem expediens, ideò necessarium fuit institui aliud determinatum signum, per quod promissio illa in fidelibus impleretur: sicut ergo promissio illa determinata est, & distincta à cæteris in fine & effectu: ita proprium requirit signum & sacramentum.

Ioan. 14.

At enim dicet aliquis, promissionem hanc in baptismo, & per baptismum impleri. De illa enim loquẽs Petrus Actorum. 2. cùm dixisset, *Hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel, Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnẽ carnem:* subdit inferius. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorũ, & accipietis donum Spiritus sancti: vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster:* docet ergo Petrus promissionem illam in baptismo impleri. Sed non est hæc conueniens huius loci intelligentia: duo enim dona significat Petrus eis verbis nobis esse promissa, scilicet remissionem peccatorum per baptismũ, & speciale Spiritus sancti donũ post baptismũ. Vnde Chrysostom. hom. 18. in Acta, *Non est idem,* inquit, *assequi remissionem peccatorum, & accipere virtutem illam,* id est, Spiritum sanctũ: non ergo illa singularis Spiritus sancti promissio per solũ baptismum impletur, sed baptismus præmittendus est, vt in aliquo talis promissio possit impleri. Hanc autem esse verã huius loci intelligentiam, ipse rerum vsus, & praxis satis ostendit. Nam in primis Apostoli iam baptizati erãt quando Christus eis hoc speciale donum promisit, & quando in eis promissionem impleuit die Pentecostes, & tamen per baptismum receperant propriũ donum & effectum baptismi: ergo etiam nobis aliquid speciale promissum est ea promissione, distinctũ à dono baptismi. Deinde Samaritæ iam baptizati erant, & donum baptismi acceperãt, & nihilominùs ad eos mittũtur Petrus & Ioãnes, vt Spiritum sanctũ acciperent: est ergo hæc Spiritus sancti receptio distincta ab effectu baptismi: antecedens patet Actorũ. 8. vbi non solùm habemus, Spiritus sancti donationẽ, & promissionẽ impletã, sed etiã signũ visibile, per quod implebatur, *Miserunt* (inquit) *ad eos Petrum & Ioannẽ, qui, cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctũ, nondum enim in quẽquã illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctũ.* Quod factũ satis ostendit, Apostolos intellexisse, & hoc donũ esse distinctũ ab effectu baptismi: aliàs nõ tanta solicitudine illud procurassent hominibus iã baptizatis, & esse promissum à Christo sub tali ceremonia, & signo visibili, aliàs nõ ausi essent illa vti, vt daret Spiritus sanctus.

Actorum. 2

Actor. 19

Atque idem colligitur ex facto Pauli Actor. 19. vbi inuenit quosdam credentes baptizatos solo baptismo Ioannis, quos priùs fecit baptizari baptismo Christi, & postea Paulus imposuit manus super eos, & datus est eis Spiritus sanctus: est ergo hæc promissio Spiritus sancti distincta à promissione baptismi, & effectu eius, & in nobis impletur, non absolutè & simpliciter ex vi soliᵘˢ baptismi, nec sub conditione alicuius meriti, vel solius interioris dispositionis, nihil enim tale nobis traditũ est, aut in Scriptura legitur: sed per visibile ministerium Ecclesiæ, vt ex dictis locis colligitur, & hoc est, quod nos appellamus Confirmationis sacramentum.

Eludunt hæretici hoc argumentũ. 1.

Hoc autem efficacissimum argumentum ex Scripturis desumptum duobus modis eludunt hæretici vt referunt autores suprà citati, prior est, negãdo illã manuum impositionem fuisse ad dandũ aliquem effectũ, vel donũ ex opere operato: sed solùm fuisse ceremoniam ab illis introductã in signum cuiusdã approbationis: nã post baptismũ, inquiunt, fideles præsentabantur Apostolis, vel Episcopis, & ab eis examinabantur, & instruebantur, illi verò quasi approbantes eorum fidem manus eis imponebãt. Sed in primis hoc est hæreticorũ inuentum de suo capite absque fundamento solùm ad eneruandam Scripturæ vim. Deinde est per se incredibile, Petrum & Ioannem tanta cura fuisse missos Samariam, solùm vt nudam quandã ceremoniam exercerent. Deinde repugnat verbis Scripturæ, vt patet ex illa causali, *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum:* In hunc ergo finem, & non tantùm propter externam ceremoniã, *imponebant manus super illos,* & ita statim consecutum est, quod subditur, *Et accipiebant spiritum sanctum.* Quod paulò inferiùs expressiùs declaratur, cùm dicitur, *Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* vbi particula illa, per, causalitatẽ significat; & non à Simone, sed ab ipso Luca posita est, Simon autem agnoscens in Apostolis illam potestatem deceptus nõ est, sed in eo, quòd credidit pecunia posse obtineri. Vnde Petrus posteriùs hoc reprehendit, non primũ, sed potiùs illud probauit, docens, illam potestatem esse donum Dei, quod pecunia obtineri non posset, vt ex illis verbis patet, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia posse obtineri.*

Refellitur hæresis.

Simõ Magus.

Pugnãt 2. hæretici & nituntur hoc argumentum infirmare.

Alio modo respondent hæretici, illud factũ non pertinuisse, ad vsum seu ministerium alicuius sacramenti, sed ad potestatem miraculorum, vel similem gratiam gratis datam, tunc specialiter concessam Apostolis ad fidem fundandam, & confirmãdam. Vnde consequenter aiunt, per illam impositionem manuum non fuisse datam gratiam sanctificantem, sed similia dona, seu gratias gratis datas, vt sunt Prophetiæ, & donum linguarum; vnde Actorum 19. dicitur, *Postquam imposuit Paulus illis manus, venit Spiritus sanctus super illos, loquebanturque linguis, & prophetabant.* Vbi Chrysosto. homil. 40. *Illi,* inquit, *quibus manus imponit, Spiritum accipiebãt, verisimile autem est, illos Spiritum habere, sed non apparere, sed efficacia & linguarum locutione nunc declarabant.* Et eodem modo videtur exponere hanc manuum impositionẽ Theophylactus ad Hebræos 6. tractans illa verba, *Non rursum iacientes fundamentũ pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, & impositionis quoque manuũ. Per quas* (ait Theophilactus) *Spiritum accipiebant, vt Prophetarent, & miracula ederent: imponente enim ipsis Paulo manus, acceperunt Spiritum sanctum.* Alludit ad locum Actorum 19. ex quo nos sacramentum hoc Confirmationis colligebamus.

Actorum 19.

Chrysostom.

Theophyla.

Actorum 19.

Respondetur hæreticis.

Luc. 24. Ioan. 14. 15. 16.

Sed hæc etiam euasio repugnat Scripturis: nam in primis promissio Spiritus sancti facta à Christo, non solùm ad gratias datis datas, sed maximè ad gratiam sanctificantem pertinuit, iuxta illud Lucæ 24. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto:* & idem colligitur ex Ioan. 14. 15. & 16. vbi specialiter dicit Christus, *Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus nõ veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Si enim Spiritus sancti aduentus non fuisset futurus ad perfectionem spiritualis vitæ, & augmentum gratiæ sanctificantis, sed ad solas gratias gratis datas, quæ ad aliorum vtilitatem, magis quam recipientis ordinantur, non esset tantæ æstimationis, vt consortio & corporali præsentiæ Christi esset præferendus. Deinde gratiæ gratis datæ non sunt communes omnibus fidelibus, sed Spiritus sanctus eas distribuit prout vult, & Ecclesiæ expedit, vt patet 1. ad Corinthios 12. & ad Ephes. 4. at verò hoc donum Spiritus sancti indifferenter dabatur omnibus fidelibus; Apostoli enim omnibus baptizatis manus imponebant, vt patet Actorum 8. 9. & 19. ergo non pertinebat tantùm ad gratias datis datas.

1. Cor. 12. Ephes. 4.

Actor. 8. 9. 19.

Præterea, quòd illa impositio manuum nõ pertineret ad gratiam miraculorum pro illo tempore specialiter concessam, sed ad sacramentale aliquod ministerium perpetuò in Ecclesia mansurum, probari potest primò, quia per illam implebatur Christi promissio de Spiritu sancto fidelibus dando, quam factam esse toti Ecclesiæ, & pro vniuersis fidelibus, ac temporibus, suprà ostensum est. Secundò, quia, si illa potestas ad miracula, vel gratias gratis datas pertinuisset, alijs, quã Apostolis, vel Episcopis, interdum communicata fuisset, sicut ad alias miraculosas actiones dabatur: non sine mysterio autem vbique legitur, solos Apostolos hanc manuum impositionem exercuisse eo tempore, quo illi soli erant Episcopi. Tertiò est optimum testimonium ad Hebræos 6. vbi Paulus inter fidei rudimenta post baptismum ponit manus impositionem: nimirùm eam, per quam ipse & alij Apostoli gratiam Spiritus sancti dabant, vt Chrysostomus, Theophilactus, & alij exponunt: si autem illa manus impositio non pertineret ad ordinaria Ecclesiæ ministeria, & sacramenta, non numeraretur à Paulo inter fidei initia & fundamenta; & ita intellexit eum locum Ambrosius, ibi dicens, loqui Paulum de impositione manuum, *per quam Spiritus sanctus accipi posse creditur: quod post baptismum ad Confirmationem vnitatis in Ecclesia Christi à Pontificibus fieri solet.* Et Augustinus lib. de fide & operibus, cap. 11. tractans illum locum Pauli, ita concludit. Hæc igitur omnia pertinere ad initia neophytorum satis apertè Scriptura testatur. Denique sufficiens huius rei argumentum est, quòd illa manus impositio, quæ ab Apostolis fiebat, posteà in Ecclesia durauit, & per Episcopos semper facta est, & ideò manus impositio Episcoporum est dicta, vt constat ex Melchiade suprà; Cuius rei plures testes inferiùs adducam, nunc duo sufficiant omni fide digni. Vnus est Cyprianus Epistola 73. Iubaianum, vbi tractans prædictum locum Actorum 8. dicit Petrum & Ioannem cõpleuisse, quod Philippus Diaconus dare non poterat; & subdit, *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostrã orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consumentur.* Alius est Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas, cap. 16. & tractatu 6. in primam Canonicam Ioan. quibus locis ait, eundem Spiritum sanctum dari nunc per manus impositionem, qui tunc dabatur, quamuis non cum eisdem signis visibilibus, nec cum eisdem effectibus, ad gratias gratis datas pertinentibus, quæ tunc erant necessaria, iam verò eorum necessitas cessauit.

Chrysost. Theophil.

Ambrosius.

Cyprianus.

Augustinus.

2. Probatur Pontificum autoritate.

Clemẽs Papa.

Secundò principaliter probatur hæc veritas summorum Pontificum authoritate. Primò Clemens Papa libro 3. Constitutionum, cap. 16. *Postea,* inquit, *Episcopus baptizatos chrismate vngat;* & cap. 17. *Chrisma,* inquit, *confirmatio confessionis, seu professionis est:* in quibus verbis materiam, ministrũ, & effectum, & nomen Confirmationis ab illo desumptum, & in Ecclesia retentum indicauit; & Epistola 4. *Omnibus,* inquit, *festinandum est, sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritus sancti percipere:* & infrà. *Nisi regeneratus fuerit ab Episcopo confirmatus, perfectus esse Christianus nequaquam potest, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit, vt à Beato Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Secundò Vrbanus Papa in Epistola sua, cap. 7. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Tertiò Fabianus Epistola 2. capit. 2. de

Fabian⁹ Papa

Chrismate multa docet, quæ infrà trademus; inter alia verò ait, Baptismum sancti Chrismatis vnctione perfici atque confirmari.

Cornel. Papa.

Quartò Cornelius Papa Epistola ad Fabianum Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. Historiæ, cap. 33. aliâs 35. Domini sigillum appellat, referens de Nouato, *Neque Domini sigillo ab Episcopis consignatus fuit, quo quidem nequaquam potitus quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus est.*

Euseb. Papa. Melchiad Papa. Syluest. Papa.

Quintò Eusebius Papa Epistol. 3. circa finem. Sextò latè Melchiades Papa Epistola suprà citata. Septimò Syluester sacramentum hoc Constantino dedit: sic enim legitur in Edicto Constantini, columna 4. *Septiformis gratiæ Spiritus sancti adhibuit beati Chrismatis vnctionem, & vexillū sanctæ Crucis liniuit in mea fronte, dicens, signet te Deus sigillo fidei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Damas. Papa. Innocen. I. Leo Papa.

Octauò Damasius Papa Epistola 4. Nonò Innocentius I. Epistola 1. capitul. 3. Decimò Leo I. Epistola 73. aliâs 75. deplorans statum Ecclesiæ Alexandrinæ. *Interrupta est*, inquit, *sacrificij oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio.* clariùs Epistola 86. aliâs 88. de Chorepiscopis agens negat posse Chrisma cōficere, aut Chrismate baptizatorū frontes signare; Epist. etiam 37. c. 2. & 79. c. 7 dicit, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos, sed innouatione Spiritus sancti per Episcopalem manus impositionem confirmandos.

Gregor. I. Innocen. 3.

Vndecimò Gregor. I. lib. 3. Epist. 9. Duodecimò Innocent. III. in cap. vnico. de sacra vnctione. §. Quia verò. ait; *Post baptismum vngi Christianos sancto Chrismate in fronte, vt liberè confiteantur, quod credunt:* & infrà. *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur.*

3. Probatur autoritate Cōciliorum.

Tertium argumentum ex Conciliorū autoritate sumendū est: huius enim sacramenti meminit Concil. Elibertinum, cap. 38. dicens, baptizatū perducendum esse ad Episcopum, vt per manus impositionem perficiatur, cap. 77. dicit, *Episcopus per benedictionem eum perficere debebit.* (Cōc. Elibert.) Concil. Laodicenū. cap. 48. vocat *Vnctionē supercœlestis Chrismatis.* (Concil. Laodicenum.) Concilium Hispalense secundum cap. 7. vbi idem dicit de Chorepiscopis, quod Leo Papa loco suprà citato; (Conc. Hispal.) Concilium Cabilonense secundum, cap. 27. (Conc. Cabil.) sub nomine Confirmationis, quam dicit, sicut nec baptismum, iterari minimè debere, quod citant ex Concil. Tarraconensi canone 6. (Conc. Tarrac.) Gratianus in cap. Dictum est. de Consecrat. distinct. 5. Iuo lib. 4. capit. 46. Item Concilium Parisiense sub Ludouico & Lothario lib. 1. cap. 33. (Conc. Paris.) vbi præcipit Episcopis, ne post cibum & potum per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant temporibus Paschæ & Pentecostes, & Concilium Meldense, cap. 45. prohibet pro sacro Chrismate munera accipere. (Conc. Meldē.) In Concil. Arausicano. 1. can. 1. fit mentio huius sacramenti sub nomine Confirmationis, (Cōc. Arausi.) Idem in 6. Synodo, canon 7. Concil. Coloniense part. 7. cap. 8. ex professo tradit doctrinam de hoc sacramento, (Conci. Colon.) Senonense in decretis fidei, cap. 10. & in decretis morum, cap. 38. (Conci. Senon.) Moguntinum, capit. 17. (Conc. Mogūt.) expresiùs tamē hoc definierant Cōcil. Florent. in decreto Eugenij, (Conc. Florēt.) & Concil. Tridem. sess. 7. & sess. 23. cap. 4. (Conc. Tridēt.) vbi statuit, vt nemo prima tonsura initietur, qui priùs confirmatus non fuerit. Plura ex Concilijs afferemus infrà de materia & ministro huius sacramenti disputantes.

4. Probatur traditione Patrum.

Quartum argumentum sumitur ex Patrū traditione, quæ ad hanc veritatem confirmandum sufficeret, quando nullum aliud Scripturæ testimonium haberemus, vt de hac ipsa re disputans dixit Hieronymus Dialog. contra Luciferianos. (Hierony.) de Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. (Basilius.) inter non scriptas traditiones ponit cōsecrationem olei vnctionis, latiùs & apertiùs Dionysius cap. 4. de Ecclesiastica Hierar. (Dionysius.) differit de confectione Chrismatis, quod. c. 2. *Deificū vnguentum vocauerat, quo signantur baptizati*, & in tertia parte illius capitis hoc sacramentum vocat, *Diuinæ generationis sacrosanctam perfectionem.* Pulchrè de eodem disputat Cyril. Hierosolymit. (Cyril. Hierosol.) Catechesi. 5. Mystagogica, vbi inter alia ait, hoc sacramentum indicatum esse in Iordane, quando, Baptizato Christo, Spiritus sanctus in ipsum descendere visus est. Theodoretus (Theodoretus.) in id Canticorum 1. Vnguentum effusum nomen tuū, *Si mysticè*, inquit, *magis vis intelligere, sancti baptismatis mysterium recordare, in quo, qui initiantur, spiritualis vnguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili specie inuisibilem Spiritus sancti gratiam suscipiunt.* Vbi de baptismo & Confirmatione, vt de vno sacramento, loqui videtur; quia, vt suprà diximus, olim simul dari solebant; tanquam necessaria ad perfectionem, & quasi complementum hominis Christiani, non quidem quantum ad substantiam vitæ spiritualis: hæc enim in baptismo completè datur, sed quantum ad robur, & augmentum, perfectamque Spiritus sancti protectionem, quod ad intelligendos cæteros antiquos Patres obseruandum est, præsertim Nazianzenus (Nazian.) oratione 40. de sancto baptismo, vbi videtur Confirmationē sub baptismo comprehendere, cùm ait, *hoc animum & corpus vnctione & Spiritus consignari.* Nisi hæc verba ad ceremonialē vnctionē baptismi referātur: atq; eodem ferè modo loquitur Damascen⁹ (Damascen.) lib. 4. de fide c. 10 Præterea est optimus locus apud Eusebium (Euseb.) lib. 3. Historiæ, cap. 17. alias 23. vbi historiam illam ex Clemente Alexandrino refert de adolescente, quē Ioannes Euangelista singulariter dilexit, & Ephesino Episcopo concredidit, *Quem ille*, inquit, *baptismi sacramento illuminauit, postea verò sigillo Domini, id est, sacramento Confirmationis, tanquam perfecta, tutaque eius animi custodia obsignauit.* Iustinus Martyr, (Iustinus.) quæst. 137. ad Orthodoxos, vbi distinguit vnctionem olei, & vnguenti, per vnguentum Chrisma intelligens, quo dicit consignari fideles post baptismum. Ex Latinis Tertullianus (Tertullian.) interdum indicat hoc sacramentum, præsertim lib. de præscriptionibus hæreticorum, cap. 36. & 40. dicens; *Post lauacrum signat in frontibus milites suos:* idem lib. de Resurrection. carnis. cap. 8. Cyprianus (Cyprianus.) latè Epistola 70. clariùs 72. vbi dicit baptismum & manuum impositionē esse duo sacramenta, & vtrūq; esse fidelibus suscipiendum, & Epistola 73. ad Iubaianum, cuius verba suprà retulimus; & in sermon. de vnctione Chrismatis latè. Ambrosius (Ambros.) lib. 3. de sacramentis, cap. 2. vocat *spirituale signaculū, quod post fontem superest, vt perfectio fiat.* Idem lib. 6. cap. 10. & lib. de ijs, qui initiantur cap. 7. Augustinus (Augustin.) lib. 2. contra literas Petiliani. capit. 104. vbi vocat sacramentum Chrismatis, *Quod in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & baptismus.* Idem lib. 5. de baptismo. cap. 20. & lib. 15. de Trinit. cap. 26. tractatu 118. in Ioannem, & alijs locis suprà relatis. Pacianus (Pacianus.) Epist. 1. ad Symphorianum circa finem, inter sacramenta numerat baptisma & Chrisma,

de quo latiùs differit inferiùs libro de baptismo, *Lauacro*, inquit, *peccata purgantur, Chrismate Sanctus Spiritus superfunditur, vtraque verò ista manu & ore Antistitis impetramus*, Optatus (Optat. Milev.) etiam Mileuitanus libro 2. contra Parmenianum, colum. 8. mentionem facit cuiusdam ampullæ Chrismatis, quam hæreticus per fenestram proiecit, vt eā frangeret, *Quæ tamen*, inquit, *Deo muniente inter saxa illæsa consedit.* In 7. etiam Synod. (Synodus.) actione 4. inter miracula Sanctorum Cosmæ, & Damiani, ponitur, quod quædam mulier laborans quadam ægritudine, *Chrisma accipiens, in aquam effudit, illumque bibit, & confestim sanitati Sanctorum intercessione restituta est.* Eusebius etiam Emissenus (Euseb. Emiss. Melchiad. Isidorus. Beda. Rabanus. Bernardus.) homilia in die Pentecostes ex Melchiade Papa multa de hoc sacramento desumpsit: videri etiam potest Isidorus libro 2. de Ecclesiasticis officijs ad finem. Beda Lucæ 22. & Actor. 8. Rabanus in libro de institutione Clericorum, cap. 30. & Barnardus in vita sancti Malachiæ, cap. 2. in fine refert, B. Malachiam in Episcopatu quodam *vsum saluberrimum confessionis, & sacramentum confirmationis, quæ gens illa, aut ignorabat, aut negligebat, instaurasse.* & cap. sequente refert Malchum Episcopum. Malachiæ magistrum, *puerum mente captum ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione sanasse.*

5. Probatur ratione.

Vltimò afferre possumus congruentias, seu rationes huius veritatis; cùm enim non ex rerum naturis, sed ex institutione ad placitū, & ex volūtate instituētis pendeat, nō potest efficaci ratione probari, sed testimonijs, quibus de volūtate instituentis satis constet; possumus tamen eius voluntatis sufficientes & morales rationes afferre. Prima & fundamentalis est, qua Diuus Thomas (D. Thom.) hîc est vsus, de qua suprà satis dictum est. Secunda sumi potest ex Melchiade Papa, (Melch. Papa.) Epistola suprà citata, vbi proponens obiectionem, qua nunc maximè vtuntur hæretici. *Quid mihi prodest post mysterium baptismatis mysterium Confirmationis? aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione noui generis indigemus.* Respondet rationem reddens, sicut ad Imperatorem spectat, nō solùm signare militem, sed etiam armis competētibus eum instruere: ita Christum Dominum per baptismū nos describere militiæ suæ; per Confirmationem verò dare adiumentum militiæ. Item sicut parens magnam pupillo facultatem relinquens ei statim prouidet tutorem: ita in hoc sacramento dari regeneratis Paracletum, vt sit eis custos, consolator, & tutor: denique inquit, *In fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur*; & hoc est, quod alij sancti Patres dicunt, hoc sacramentum fuisse conueniens, vt sit perfectio baptismo, & plenitudo hominis Christiani, vt suprà explicatum est.

Dices, totum hoc potuit simul dari vnico baptismo; quid ergo necesse fuit, quasi per partes, per vniuersa sacramenta dari? Respondetur primùm, id fuisse expediens, vt ipsamet in sacramentorum diuersitate effectuum etiam gratiæ Dei, & beneficiorum eius varietas & multitudo cognosceretur: nam præter gratiam regenerationis baptismalis est singulare Christi beneficium, quòd ipsis regeneratis Spiritum sanctum tribuat in singulare regimen & protectionem eorum. Deinde vt homines, & difficultatem spiritualis militiæ, & suæ naturæ imbecillitatem agnoscant: nam etiam post copiosam baptismi gratiam indigent speciali robore & protectione Spiritus sancti, vt Christo possint conuenienter militare. Tandem vt hac sacramentorum sapientissima, & admirabili varietate magis ab hominibus coleretur Deus, & vt professio fidei in baptismo facta veluti iteraretur, & rata fieret in Confirmatione. Atque ex his obiter satisfactum est, si quid in contrarium obijci poterat.

SECTIO II.

An, & quo tempore fuerit hoc sacramentum à Christo institutum.

Error quorundam, tum hæreticorum, tum fidelium.

In hac re & hæreticos, & nonnullos Catholicos errasse inuenio, hæretici enim, qui negant hoc esse verum sacramentum, consequenter dicūt, non Christum, sed Melchiadem Papam hanc ceremoniam instituisse, sed, quantum in hoc errent, satis constat ex dictis: ostendimus enim, sacramentum hoc longè ante Melchiadem Papam (Melch. Papa.) tempore Clementis, Vrbani, Fabiani, Cornelij, Cypriani, Eusebij, & aliorum in vsu fuisse. Secundò fuit sententia quorundam Catholicorum, hoc sacramentum non fuisse institutum, neque à Christo, neque ab Apostolis, sed in Concilio Meldensi (Conc. Meldē.) speciali Spiritus sancti instinctu fuisse institutum. Fundamentum est, quia instituere sacramentum non est solùm promittere effectum sacramenti, sed designare etiam & præcipere signum visibile, seu materiam & formā, per cuius vsum significetur, & ex promissione detur effectus sacramēti: sed nec Christus Dominus, neque Apostoli hoc præstiterunt circa hoc sacramentum, ergo non instituerunt illud. Probatur minor, quia, licèt Christus promiserit Spiritum sanctum Apostolis, & discipulis suis, nullo tamen sacramento vsus est ad hoc promissum implēdum, sed in die Pentecostes per potestatem excellentiæ eos absque sacramēto confirmauit, vt significat Melchiad. Papa (Melch. Papa.) dict. Epist. dicens, *Quod in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis; hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donauit vniuersis*, & idem significauit Concil. Florent. (Concil. Flor.) in decret. Eugenij, & Diuus Thomas (D. Thom.) latè artic. sequente ad primum, & Bonauent. (Bonauent.) dist. 7. ar. 1. quæst. 1. Similiter, licèt Apostoli suo ministerio dederint effectum huius sacramenti, non tamen ad hoc vtebātur signo visibili huius sacramenti, sed sola manus impositione & oratione, vt dictum est; nec leguntur de vnctione Chrismatis, vel præscripta verborum forma quicquam docuisse. Hanc opinionem tenet apertè Alexander Alensis (Alex. Alens.) 4. part. quæst. 24. memb. 1. & 2. art. 1. & S. Bonauent. (Bonauent.) in 4. distinct. 7. ar. 1. quęst. 1. & 2. vbi ait, institutum esse, Spiritu sancto dictante, ab Ecclesiæ rectoribus, & alijs.

Sacramentum confirmationis fuit à Christo immediatè institutum.

Dicendum verò est, hoc sacramentum fuisse à Christo Domino immediatè institutum. Hoc iam est de fide certū ex definitione Concil. Triden. (Conc. Trid.) vt suprà latè explicatum est, tractando de sacramētis in genere, & in speciali de hoc sacramento docuerūt hoc Concil. Mogunt. (Concil. Mog.) c. 17. & Concil. Senonen (Conc. Senon.)

se in decretis morum, cap. 38. vbi dicit, hoc sacramentum fuisse primò à Christo institutum, & ab Apostolis receptum. Et ratio est illa generalis, quia institutio sacramenti pertinet ad potestatem excellentiæ, quā solus Christus habuit. Itē quia solus ipse potuit effectum gratiæ infallibiliter promittere per signum sensibile. Oportet autem distinguere institutionem ab vsu, & quidem verissimum est, Christum Dominum nunquam suis manibus dedisse sacramentum hoc, imò neque ante Ascensionem eius fuisse ab aliquo ministratum: cuius congruētem rationem adducit D. Thom. quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quam dari nō expediebat, donec Iesus esset glorificatus, vt dicit Ioan. 7. sed hinc nullum argumentum sumitur ad institutionem Christo negandā: nō enim Christus omnia sacramenta per se ministrauit, quæ instituit, imò de nullo hoc expressè legitur in Scriptura, nisi de Eucharistia; & idem est de baptismo, saltem quoad aliquas personas, vt suprà dictū est: de Pœnitentia verò, cum constet, Christum illam instituisse, cum Apostolis dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur; &c.* Ioan. 20. certum tamen est, nunquam sacramentū illud administrasse: sic ergo dicendum est de Confirmatione, sicut suo loco dicetur etiam de Extrema vnctione, de Matrimonio verò id notum est, idem verò est de sacramēto Ordinis, nā licèt Christus per se Apostolos ordinauerit, nō tamen sacramentum Ordinis ministrando, sed altiori modo. Atque eadem ratione nihil obstat, quòd Apostoli non fuerint confirmati per proprium signum visibile huius sacramenti, quia Christus per potestatē excellentiæ potuit eos altiori modo Spiritu sancto replere sub alio signo visibili mirabiliori, & manifestori, prout eo tēpore fuit expediens ad inchoandam nouæ legis promulgationem. An verò Apostoli vsi fuerint hoc sacramentali signo ad confirmandum alios fideles, quo nūc Ecclesia vtitur, vel sola manus impositione dicemus commodiùs disputatione sequente.

D. Thom. — *Ioan. 7.* — *Ioan. 20.*

Quando Christus instituit hoc sacramentum. Occurrit autem statim inquirendum, quando instituerit Christus hoc sacramentum; aliquibus enim visum est, & significatur in Concil. Senonensi, instituisse illud Matth. 19. *Quando oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret:* & cùm discipuli increparent eos, dixit eis Iesus, *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cælorum.* Sed, quanuis gratis demus, ibi fuisse aliquo modo adumbratū hoc sacramētum, quòd autem ibi fuerit institutum, nullo fundamento affirmari potest: ibi enim nulla promissio, nullū preceptum, nulla materiæ aut formæ designatio legitur, sine quibus sacramēti institutio esse nō potest; item verisimile non est, Christum pueros illos confirmasse, quia, vt diximus cum D. Thoma, decuit, hoc sacramentum ante Christi glorificationē non ministrari, & alioqui illi pueri nondùm erant baptizati, neque ad hunc finem Christo offerebantur, sed vt ab eo benedicerentur, vt Hieronymus dicit, vel vt curarētur, vt significat Anselmus. Alij ergo dicunt, Christum instituisse hoc sacramentum post resurrectionem, cùm Apostolis Spiritum sanctum dedit insufflando, eisque dixit Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ita videtur significare Scotus in 4. distinctione 7. quæstione 1. in prima obiectione:

1. Sententia. Conc. Senon. Matth. 19. — *D. Thom.* — *Hieronymus. Anselmus.* — *2. Sententia.*

A in solutione verò indicat, fortasse non fuisse institutum ante Christi ascensionem, neque toto illo tempore, quo Apostoli non fuerunt vsi materia & forma huius sacramenti: sed hoc posterius, neque ipsi Scoto placet, neque est probabile: alioqui, vel dicendum esset hoc sacramentum non fuisse immediatè à Christo institutum, aut iterum ad terras descendisse ad instituendum illud, vel certè in cælo existentem illud instituisse, & Apostolis per mundum dispersis reuelasse, quæ omnia improbabilia sunt. Primum verò etiam est valdè incertum, quia in illo facto Christi nullum est huius sacramenti vestigium: nam per illam insufflationem nō est datus Spiritus sanctus Apostolis ad robur, sicut datur in hoc sacramento, sed quoad potestatem remittendi peccata, vnde hic effectus magis ad sacramentum Ordinis, quàm ad hoc spectauit. In B verbis etiam, quæ Christus protulit, nullum est huius sacramenti indicium, quia non est institutum ad remittenda peccata; sed ad gratiam augendam. An verò in aliquo sensu hoc verum sit, infrà dicemus. Alij verò existimarunt sacramentum hoc fuisse institutum in die Pētecostes, quia tunc primum Apostoli sunt confirmati: sed neque hoc habet probabilitatis coniecturam, quia, licèt tunc Apostoli fuerint confirmati, non tamen per vsum sacramenti, sed altiori modo; tum etiam quia in toto illo facto nihil eorum intercessit, quæ diximus esse ad institutionem sacramenti necessaria. *3. Sententia.*

Hoc sacramentum est institutum à Christo ante quam ascenderet. Concil. Trid. Mihi ergo certum esse videtur, Christum, priùs quàm in cælum ascenderet, hoc sacramentum instituisse; tum propterea, quæ nuper circa Scoti sententiam dicebamus, tum etiam quia Concil. C Tridentin. hunc sensum videtur intendere, quando sessione 7. canon 1. definit, omnia sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro esse instituta. Denique, quia Christus Dominus priùs, quàm in cœlo ascenderet, Ecclesiam suam fundauit quoad potissima, quæ ad substantiam eius, & principalia fundamenta pertinent, qualia sunt omnia septem sacramenta. De tempore autem, quo ante ascensionem hoc instituit sacramentum, licèt res sit valdè incerta, quia à satis Historiographis non est memoriæ prodita, verisimilius tamen videtur, quoad promissionem, & Apostolorum instructionem, & præceptum illis datum de administrando hoc sacramento in futuro tempore, & de materia & forma, qua in illo vti debebant, totum; inquam, hoc fuisse à Christo Domino factum in nocte Cœnæ: nullum enim tempus ad hoc aptius D excogitari potest, præsertim cùm ea nocte toties Spiritum sanctum promiserit Ecclesiæ suæ, & nouum testamentum condiderit. Et, quod maximè vrget, hoc apertè docet Fabianus Papa Epistola 2. capitulo 1. *In illa*, inquit, *die Dominus Iesus, postquàm cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* Vbi nomine *Chrismatis*, totum sacramentum intelligere possumus, vel certè inde sufficiens sumitur argumentum, quòd, sicut Chrisma docuit conficere, ita etiā aliquos alios ritus, qui sunt de huius sacramenti substantia.

Institutum est confirmationis in nocte Cœnæ quoad aliqua. — *Fabianus Papa.*

Atque hoc modo idem sumitur ex Cypriano in sermon. de Vnction. Chrismat. & significat etiam Clemens Papa locis suprà citatis, & inde fortè manauit *Cyprianus. Clemēs. Papa.*

manauit Ecclesiæ consuetudo conficiendi Chrisma illo die singulis annis, de quo infrà dicemus. Atque hanc sententiam significat hic, D. Thomas ad primum, & sequūtur Soto hic, & Victoria in summa, in materia de hoc sacramento in principio, qui generalem regulam assignat; omnia sacramenta fuisse instituta ante resurrectionem, quia sunt instrumenta nostræ redemptionis, quæ in morte Christi consummata est, quam etiam amplectitur Soto ferè vbicunque in 4. disputat de institutione sacramentorum, vel in genere, vel in particulari. Hæc tamen tam generalis doctrina videri iam potest hoc tempore suspecta, quia Concilium Tridentinum definit, Christum instituisse sacramentum Pœnitentiæ post resurrectionem suam. sessione 6. capitulo 14. sessione 14. capitulo 1. vbi ait, illud sacramentum præcipuè fuisse institutum, quando Christus dixit Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum.* Vbi notanda est illa particula, *præcipue*, nam hinc, vt minimùm, certum esse existimo, tunc fuisse datam Apostolis potestatem ordinis ad absoluendum à peccatis, vt ex eodem etiam Concilio colligitur, sessione 23. capitulo 1. & canon 4. Vnde fit, ex illo tempore, cœpisse sacramentum illud esse veluti in eo statu, in quo, & ab Apostolis dari, & à fidelibus baptizati recipi posset, & ideo verè ac propriè dicitur, tunc fuisse institutum. Cum hoc tamen optimè potest intelligi absque vlla repugnantia, quòd Christus Dominus in nocte Cœnæ instruxerit Apostolos de futuro sacramento Pœnitentiæ, & quòd illos constituturus esset illius sacramenti ministros, eosque docuerit modum, & formam, quam in iudicandis & remittendis peccatis seruaturi erant. Quod nunc exempli, tantùm causa dictum sit, nam exacta eius discussio suo loco tradetur. Ad hunc ergo modum intelligo Confirmationis institutionem potiùs inchoatam, quàm perfectam esse in nocte Cœnæ, seu in futurum potiùs traditam per instructionem, quàm de præsenti per facultatem, & efficaciam datam: nam, vt infrà dicetur, soli Episcopi habent potestatem administrandi hoc sacramentum; Apostoli autem, licèt in nocte Cœnæ fuerint ordinati sacerdotes, non tamen Episcopi, vt probabiliùs creditur, vsque ad Christi resurrectionem; & ideo in nocte Cœnæ non fuit hoc sacramentum in eo statu constitutum, in quo posset, & administrari, & recipi; & hac ratione dicimus non fuisse tunc plenè institutum. Quo ad hoc ergo dici potest institutum Ioan. 20. quando Christus dixit Apostolis; *Accipite Spiritum sanctum, &c.* quatenus tunc Christus fecit Episcopos, suos Apostolos; atque ita dedit illis potestatem conficiendi hoc sacramentum, supposita instructione præcepti & promissione, quæ priùs in nocte Cœnæ eisdem tradiderat.

D. Thom. Soto. Victoria. — *Concil. Trid.* — *Quando Apostoli fuerūt instituti sacerdotes, quādo Episcopi.* — *Ioan. 20. Quando perfecta, & absoluta est confirmationis institutio.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm, chrisma sit conueniens materia huius sacramenti.

[illegible]

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd chrisma non sit conueniens materia huius sacramenti. Hoc enim sa-A cramentum (vt dictum est*) institutum est à Christo, promittente discipulis Spiritum sanctum. Sed ipse misit eis Spiritum sanctum absque omnis chrismatis inunctione. Ipsi etiam Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem, absque chrismate, dicitur enim Actorum 8. quòd Apostoli imponebant manus super baptizatos, & accipiebant Spiritum sanctum; Ergo chrisma non est materia huius sacramenti, quia materia est de necessitate sacramenti. *2. q. 1. & 2. Et 4. cont. capit. 60. Ar. præ. ad 1. argu.*

¶ 2 Pręterea, Confirmatio quodammodo perficit sacramentum baptismi (sicut suprà dictum est*) & ita debet ei conformari, B sicut perfectio perfectibili. Sed in baptismo est materia, simplex elemētū, scilicet aqua. Ergo huius sacramenti non est conueniens materia chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo. *q. 65. ar. 4.*

¶ 3 Prætereà, Oleum assumitur in materiam huius sacramenti ad inungendum. Sed quolibet oleo potest fieri inūctio, putà oleo, quod fit ex nucibus, vel ex quibuscūque alijs rebus. Non ergo solum oleum oliuarum debet assumi ad huiusmodi sacramentum.

¶ 4 Prætereà, Suprà dictum est, + quòd aqua assumitur vt materia ad baptizandū, quia vbique de facili inuenitur. Sed oleum C oliuarum non vbique inuenitur, & multo minus balsamum. Non erat chrisma, quod ex his conficitur, est conueniens materia huius sacramenti. *q. 66. ar. 3.*

SED contra est, quod Gregorius + dicit in Registro, Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro chrismate, non præsumant. Ergo chrisma est materia huius sacramenti. *Lib. 3. c. 9. à medio illius.*

RESPONDEO dicendum, quod chrisma est conueniens materia huius sacramenti. Sicut enim dictum est, * in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti ad robur spirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem, cùm ad D perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios, anteà verò quasi singulariter sibi ipsi viuit. Gratia verò Spiritus sancti in oleo designatur, vnde Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ, propter plenitudinem Spiritus sancti, quam habuit. Et ideo oleum competit materiæ huius sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, vnde Apostolus dicit 2. Corinthiorum 2. Christi bonus odor sumus Deo, &c. Et licèt multa alia sunt odorifera, tamen præci- *Ar. præc.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ accipitur balsamum propter hoc, quòd habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præstat. Vnde Eccles. 24. dicitur, quasi balsamum non mixtum odor meus.

AD primum ergo dicendum, quod Christus ex potestate excellentiæ, quam habet in sacramentis, contulit Apostolis rem huius sacramenti, id est, plenitudinem Spiritus sancti sine sacramento, eo quòd ipsi primitias Spiritus sancti acceperunt, sicut dicitur Romanorum 8. Nihilominus tamen aliquod conforme materiæ huius sacramenti, exhibitum fuit Apostolis sensibiliter in collatione Spiritus sancti. Quòd enim sensibiliter Spiritus sanctus super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur, ad quam refertur oleum, nisi quòd ignis habet vim actiuam, oleum autem habet vim passiuam, in quantum est materia & fomentum ignis. Et hoc satis competebat; nam per Apostolos gratia Spiritus sancti erat ad alios deriuanda. Super Apostolos etiam Spiritus sanctus descendit in figura linguæ, quod ad idem significandum refertur, quod significat balsamum, nisi quod lingua per locutionem est communicatiua ad alterum; balsamum verò per odorem, qua, scilicet, Apostoli replebantur Spiritu sancto, vt fidei Doctores; alij autem fideles, vt operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium. Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem, descendebat plenitudo Spiritus sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut & à principio descenderat super Apostolos, vnde Petrus Actorum 11. Cum cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, vbi sensibilia signa miraculosè exhibebantur diuinitus. Vtebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebãtur, dicit enim Dionysius * 4. capit. Ecclesiastic. hierarch. Est quædam perfectiua operatio, quam duces nostri (id est Apostoli) chrismati hostiam nominant.

ca. 4. in prin.

AD secundum dicendum, quod baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter cõsequendam, & ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus sancti, cuius est multiformis operatio, secundum illud Sapient. 7. est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, m Itiplex; & 1. ad Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autẽ Spiritus. Et ideo conuenienter huius sacramenti est materia cõposita.

AD tertium dicendum, quod proprietates olei, quibus significatur Spiritus sanctus, magis inueniuntur in oleo oliuarum, quàm in quocunque alio oleo. Vnde & ipsa oliua super frondibus virens, virorem & misericordiam Spiritus sancti significat. Hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in vsu, vbi haberi potest. Quilibet autem alius liquor, ex similitudine huius, oleum nominatur, nec est in vsu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum oliuarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in vsu huius, & quorundam aliorum sacramentorum.

AD quartum dicendum, quod baptismus est sacramentum absolutæ necessitatis; & ideo eius materia debet inueniri vbique. Sufficit autem, quod materia huius sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.

COMMENTARIVS.

CHrismatis nomine Diuus Thomas planè intelligit compositum seu mixtum quoddam ex oleo oliuarum, & balsamo, vt apertè constat ex corpore articuli, vbi optimam congruentiam huius materiæ adducit. De hoc ergo composito non ratione vnius, vel alterius partis, sed ratione totius, docet sine dubio Diuus Thomas (quicquid Caietanus dicat) esse necessariam materiam huius sacramenti, non minùs, quàm sit aqua necessaria ad baptismum, vt planè colligitur ex solutione ad quartum; & ita, quod attinet ad literam & sensum Diui Thomæ, nulla est difficultas. Quàm sit autem certa eius sententia, statim disputabitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit de necessitate huius sacramenti, quòd chrisma fuerit priùs per Episcopum consecratum.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod non sit de necessitate huius sacramenti, quod chrisma, quod est materia huius sacramenti, fuerit priùs per Episcopum consecratum. Baptismus enim, in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficaciæ, quàm hoc sacramentum. Sed

4. d. 7. q. 1. art. 1. q. 1.

Sed licèt quædam sanctificatio adhibeatur aquæ baptismali ante baptismum, non tamè est de necessitate sacramenti, quia in articulo necessitatis præteriri potest. Ergo non est de necessitate huius sacramenti, quòd chrisma fuerit priùs per Episcopum consecratum.

¶ 2 Præterea. Idem non debet bis consecrari. Sed materia sacramenti sanctificatur in ipsa collatione sacramenti, per formam verborum, qua confertur sacramentum, vnde & Augustinus † dicit super Ioannem: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Non ergo debet priùs chrisma consecrari, quàm hoc sacramentum tradatur.

† Tract. 80. in Ioan. a. 6. med. tom. 9.

¶ 3 præterea, Omnis consecratio, quæ fit in sacramentis, ad consecutionem gratiæ ordinatur. Sed materia sensibilis, confecta ex oleo & balsamo, non est capax gratiæ. Ergo non debet ei aliqua consecratio adhiberi.

Habetur de cõsecr. dist. 4. cap. Presbyteri.

SED contra est, quod Innocent. Papa * dicit, Presbyteris, cùm baptizant, chrismate baptizatos vngere liceat, quod ab Episcopo fuerat consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solum debetur Episcopis, cùm tradunt Paracletum. Quod quidem fit in hoc sacramento. Ergo ad hoc sacramentum requiritur chrisma per Episcopum consecratum.

q. 64. art. 3.

RESPONDEO dicendum, quòd tota sacramentorũ sanctificatio à Christo deriuatur, vt suprà dictum est. * Est autem considerandum, quòd quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream, Christus est vsus, scilicet, baptismo, & etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso vsu Christi, materiæ horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Vnde Chrysostomus † dicit, quòd nunquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. Et similiter ipse Dominus accipiens panem, benedixit, similiter autem & calicem, vt habetur Matthæi 26. & Lucæ 22. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum, quòd materia priùs benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua verò benedictio adhibeatur, pertinet ad solennitatem sacramenti, non autem ad necessitatem. Vnctionibus autem visibilibus Christus non est vsus, ne fieret iniuria inuisibili vnctioni, qua est vnctus præ consortibus suis. Et ideo tam chrisma, quàm oleum sanctum infirmorum, priùs benedicuntur, quàm adhibeantur ad vsum sacramenti.

Refertur de cõsecr. dist. 4. ca. 101. nunquid aquæ.

AD primum ergo patet responsio ex dictis. *Incor. 4.*

AD secundum dicendum, quòd vtraque consecratio chrismatis non refertur ad idẽ. Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet, quãdo accipit formam instrumenti, & quando mouetur à principali agente ad effectum, ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, per quarum vna fit propria materia sacramenti, per aliam verò applicatur ad effectum.

AD tertium dicendum, quod materia corporalis non est capax gratiæ, quasi gratiæ subiectum; sed solum sicut gratiæ instrumentum, vt suprà dictum est. * Et ad hoc materia sacramenti consecratur, vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi. *q. 62. ar. 2. & 3.*

COMMENTARIVS.

DVo proponũtur in titulo articuli, primum, an sit necessarium, chrisma esse consecratum; secundum, an eodem modo necessariũ sit, vt hæc consecratio fiat ab Episcopo. Ad priorẽ partem distinctè respondet Diuus Thomas in articulo de necessitate huius sacramenti esse consecrationem, seu benedictionem chrismatis. Ratio verò, qua id probat, nonnullam habet difficultatem, quæ ad formam argumenti redacta, videtur esse huiusmodi; Omnis materia sacramenti, qua Christus non est vsus, consecranda est, antequam ad vsum sacramenti applicetur; illa verò, qua Christus est vsus, non indiget tali consecratione: sed Christus nõ est vsus vnctione Chrismatis, aut olei: ergo de necessitate huius materiæ est, quod priùs consecretur. Maior declaratur ex differentia inter baptismum & Eucharistiam respectu aliorũ sacramentorũ: quia Christus baptizatus est, & tactu suæ sanctissimæ carnis aquã sanctificauit; ideo non est de necessitate simpliciter baptismi benedictio aquæ, sed solùm est ceremonialis ex institutione Ecclesiæ; & similiter, quia ipsemet Christus panẽ accepit, & benedixit, nulla etiã præuia benedictio est de necessitate Eucharistiæ: ergo vbi Christus tactu suo non sanctificauit materiam, erit necessaria præuia benedictio: atque huiusmodi est materia Chrismatis, & olei infirmorum.

Obiectio circa discursum D. Thomæ.

Circa quem discursum primò obijci potest de alijs tribus sacramẽtis, quorum materijs Christus etiam non est vsus, & tamen nulla est in eis necessaria præuia benedictio. Ad hoc autẽ facilis est responsio, sermonẽ esse de materijs, quæ sunt res sensibiles & permanentes: nam aliæ, quæ consistunt in solis actionibus humanis, aut verbis, non sunt capaces huiusmodi benedictionis, vt est in pœnitentia cõfessio peccatorum; & in matrimonio expressio consensus, seu mutuæ traditionis corporum: in sacramento Ordinis contactus aliquis; quanquam in eo sacramento eo modo, quo ex parte materiæ concurrunt aliquæ res permanentes, ita in eis reperitur præuia aliqua sanctificatio: nam, si materia est manuum impositio, illæ manus sunt Episcopales & consecratæ; si verò est porrectio

Universidad de Deusto Biblioteca

alicuius instrumenti, illud instrumentum est aliquo modo sacrum & religiosum, vt est calix, patena, liber Euangeliorum, &c.

De pœnitentia etiam dicere quis posset, confessionem quodammodò sanctificari ex vi contritionis, seu attritionis, à qua procedat necesse est; de Matrimonio vero externam traditionem sanctificari ratione intentionis, honestè procreandi filios in vitam æternam. Maior difficultas est in prima propositione à D. Thom. assumpta; & in declaratione, & probatione eius: nam quòd in baptismo nō requiratur necessariò præuia benedictio aquæ, non est, quia Christus est vsus baptismo, sed quia illud est sacramentū necessitatis: sicut enim ob hanc causam non requirit determinatum, seu sanctificatum ministrum: ita etiam propter eandem communem tantùm materiam postulat. Quòd autem nō sit propter cōtactum Christi: probatur, quia, cùm dicitur Christus fuisse vsus baptismo, aut est sermo de sacramento baptismi, & hoc est falsum, aut est sermo de ablutione aquæ, & hoc modo etiā est vsus vnctione, & viuens, quādo à Magdalena vnctus est, & mortuus, à Nicodemo. Similiter in Eucharistia propria ratio, ob quam non est necessaria præuia benedictio, non est, quia Christus illa est vsus, sed quia illud sacramentum tale est, quod per ipsius materiæ consecrationem conficitur; ita vt materia consecrata sit ipsum sacramentum, vsus verò sit quid posterius: ad consecrationem autem materiæ non oportuit exigi aliam priorem benedictionem, alioqui procedi posset in infinitum. Denique ex toto D. Thomæ discursu nulla ratio colligitur, ob quam necessarium sit in hoc sacramēto materiam esse præconsecratam; nam quòd Christus non fuerit ea vsus, non est sufficiens ratio.

Responsio. Respondetur ab hac vltima parte incipiendo, per se esse decens ac congruum, vt res, quæ ex se habet communem & vulgarem vsum, priùs quā ad sacrum vsum, & ad sanctificandos homines assumatur, fiat aliquo modo sacra ac religiosa, ita vt priùs constituatur in ratione materiæ remotæ, & rei sacræ separatæ à reliquis communibus, posteà verò adhibeatur ad vsum, qui est materia proxima, vt Diuus Thomas in solut. ad 2. & 3. significauit, quomodò dixit Cyrillus Hierosoly. agēs de Chrismate, catechesi. 3. mystagogica. *Sanctum hoc vnguentum non ampliùs est vnguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquàm iam consecratum est.* [*Cyril. Hierosol.*] Propter hanc ergo causam non fuit Diuus Thomas solicitus in corpore art. in reddenda ratione huius necessitatis, quam in solutionibus argumentorum satis erat explicaturus, sed illud potiùs existimauit declarandum, cur in baptismo & Eucharistia præuia materiæ benedictio non ex necessitate requiratur. Obiectiones autem contra hoc factæ probant quidem præter rationem à Diuo Thoma allatam, posse alias probabiles excogitari, non tamen efficiunt, quominùs Diui Thomæ coniectura probabilissima sit. Nam, quod ad baptismum attinet, cùm dicitur Christus vsus baptismo, neque intelligitur in rigore de nostro sacramento, neque de quacunque communi aquæ ablutione, sed de baptismo Ioannis, qui, licèt fuerit diuersus à nostro, tamen conueniebat in materia, & aliquam rationem sacri signi habebat, quatenus erat veluti præcursor ad baptismum Christi, eoque vsus est Christus, vt aquas ad suum baptismum sanctificaret, ac consecraret: hoc autem modo nō est Christus vsus vnctione aliqua Chrismatis, aut olei, licèt alijs de causis vnctum fuerit aliquando corpus eius, non tamen constat illas vnctiones ex huiusmodi materia fuisse. Quod verò ad Eucharistiam spectat, noua declaratione nō indiget; vtraque enim ratio adducta conueniens est: cùm enim materia illius sacramenti in persona ipsius Christi consecretur, sufficiens præuia sanctificatio est viua repræsentatio eius, quod ipse gessit, vt, sicut ipse accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & verbo suo consecrauit, ita etiam faciat minister illius sacramenti, eius personam repræsentando.

Ad alteram quæstionem in titulo contentam, Diuus Thomas non videtur respondere in corpore articuli: solùm enim concludit, Chrisma priùs esse conficiendum, quam ad vsum sacramenti adhibeatur: nihil tamen de Episcopo dicit, tamen, cùm in titulo id proposuerit, vt responsio quæstioni adæquata sit, in eo sensu intelligenda videtur; præsertim, quia testimonium Innocentij, quod adducit in argumento, sed contra, de Episcopali consecratione loquitur, & in solutione ad tertium, etiam rationem insinuat dicens, materiam sacramenti, vt sit gratiæ instrumentum, debere consecrari, *vel ab ipso Christo, vel ab Episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi.* [*Innocentius.*] Dices, etiam sacerdotem sic gerere personam Christi. Respondetur, specialiter hoc dici de Episcopo, qui ex institutione ipsius Christi est ordinarius Pastor, & sponsus Ecclesiæ, & subit vicem ipsius Christi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm hæc sit conueniens forma huius sacramenti, Consigno te signo crucis, &c.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conueniens forma huius sacramenti, Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. [*Inf. q. 84. ar. 3. cor. & 4. di. 7. q. 1. ar. 3. q. 3. & op. 12. col. 1.*] Vsus enim sacramentorum à Christo & ab Apostolis deriuatur. Sed neque Christus hanc formam instituit, nec Apostoli ea vsi leguntur. Ergo hæc non est conueniens forma huius sacramenti.

¶ 2. Præterea, Sicut sacramentum est idem apud omnes, ita & forma debet esse eadem, quia quælibet res habet vnitatem, sicut & esse, à sua forma. Sed hac forma non omnes vtuntur; quidam enim dicunt, confirmo te chrismate sanctificationis. Ergo hæc non est conueniens forma huius sacramenti.

¶ 2. Præterea, Sacramentum hoc debet conformari baptismo, sicut perfectio perfectibili, vt suprà dictum est. + [*q. 65. art. 2. ar. 1. huius q. arg. 2.*] Sed in forma baptismi non fit mentio de consignatione characteris, nec etiam de cruce Christi (cùm tamen per baptismum homo Christo commoriatur, vt Apostolus dicit, Roman. 6) nec etiam fit mentio de effectu salutis, cùm tamen baptismus sit de necessitate salutis. In forma etiā baptismi ponitur vnus actus tantùm, & exprimitur persona baptizantis, cū dicitur: Ego te baptizo. Cuius contrarium apparet in forma prædicta, * non ergo est conueniens forma huius sacramenti. [*In initio art. posita.*]

SED contra est auctoritas Ecclesiæ, quæ hac forma communiter vtitur.

RESPONDEO dicendùm, quòd prædicta * forma est conueniens huic sacramento. [*Posita in initio art.*] Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quicquid pertinet ad speciem sacramēti. Sicut autem ex suprà dictis patet, + in hoc sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnæ. [*Art. 1. huius quæst.*]

Et ideò in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. + Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quę est sancta Trinitas, quæ exprimitur, cū dicitur, In nomine Patris, &c. [*Posita in 1. argumento.*] Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materiæ visibilis, ad salutem, quod quidem tangitur, cùm dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signum, quod pugnatori datur, sicut & in pugna corporali milites insignijs ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur: Consigno te signo crucis, in quo scilicet Rex noster triūphauit, vt dicitur Coloss. 2.

AD primum ergo dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti, [*Art. 2. huius quæst. 1. argu.*] quibusdam visibilibus signis miraculosè à Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre. Et tunc nō erat necessaria nec materia nec forma huius sacramenti. Quandoque autem tanquam ministri sacramentorum hoc sacramentum præbebant, & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi vtebantur. Multa enim seruabant Apostoli in sacramentorum collatione, quæ in scripturis communiter proposita non sunt tradita. Vnde Dionys. + dicit in fine Eccles. Hierarc. [*Cap. 7. Eccle. Hierarc. p. 3. circa med. & fin.*] Consummatiuas inuocationes, id est, verba quibus perficiuntur sacramenta, nō est iustum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere, sed nostra sacra traditio, sine pompa, id est, occultè eas edocet. Vnde & Apostolus dicit, loquēs de celebratione Eucharistiæ 1. Corinth. 11. Cætera, cùm venero, disponam.

AD secundum dicendum, quod sanctitas est salutis causa. Et ideò in idem redit, quod dicitur chrismate salutis & sanctificationis.

AD tertium dicendum, quòd baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, qua homo viuit in seipso, & ideò non ponitur in forma baptismi, nisi vnus actus ad ipsum hominem sanctificandum pertinens. Sed hoc sacramentum non solùm ordinatur ad hoc, quod homo sanctificetur in seipso, sed exponatur cuidam pugnæ exteriori. Et ideo non solùm fit mentio de interiori sanctificatione, cùm dicitur; confirmo te chrismate salutis, sed etiam consignatur homo exteriùs quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem, quod significatur, cùm dicitur; Consigno te signo crucis. In ipso autem verbo baptizandi, quod ablutionem significat, potest intelligi & materia, quæ est aqua abluens, & effectus salutis, quæ non intelliguntur in verbo cōfirmandi, & ideo oportuit hæc ponere. Dictum est autem suprà, * quod hoc quod dicitur: ergo, nō est de necessitate formæ baptismalis, [*q. 66. art. 5. ad 1.*] quia intelligitur in verbo primæ personæ: apponitur tamen ad exprimendam intentionem. Quod non est ita necessarium in Confirmatione, quæ non exhibetur, nisi ab excellenti ministro, vt infrà + dicetur. [*Art. 11. huius quæst.*]

LItera Diui Thomæ perspicua est, rem autem ipsam ampliùs explicabimus in vltima sectione disputationis sequentis.

DISPVT. XXXIII.
& secunda de Confirmatione.

De essentia sacramenti Confirmationis.

COnfirmatio definiri potest, esse sacramentū nouæ legis, quo baptizati in gratia roborantur, & speciali modo Spiritū sanctū accipiunt; [*Quæ sit definitio Confirmationis.*] seu esse sacramentū nouæ legis speciale robur gratiæ Spiritus sancti significans, & conferēs. His enim verbis metaphysico modo per proprium genus & differentiā huius sacramēti essentia declaratur; tamen hoc modo explicata ratione huius sacramenti pendet eius intelligentia ex cognitione effectum eiusdem sacramenti, nā signū non potest sine signato intelligi, neque specialis causalitas instrumēti absq; speciali effectu; & ideò hæc tractatio reseruāda est in disputatione sequente, quę erit de effectu. Aliter ergo potest magis physicè definiri. Cōfirmatio, q̄ sit vnctio Chrismatis in fronte signo crucis facto sub prescripta forma verborum. Et hæc definitio est à nobis in hac disputatione explicanda, in qua priùs de materia remota, deinde de proxima, ac postremò de forma dicemus.

Universidad de Deusto Biblioteca

SECTIO I.

Vtrùm oleum balsamo mistum sit de necessitate materiæ huius sacramenti.

Prima sententia.

PRima sentẽtia esse potest, nullam sensibilem materiam præter Episcopalẽ manuũ impositionẽ esse de substantia huius sacramẽti. Hæc fuit opinio Canonistarum, vt refert Marsil. in 4. quæst. 5. art. 1. qui fundabatur in hoc, quòd materia hæc fuit ab Ecclesia instituta; & eadem opinio tribui potest Alensi, & Bonau. qui idem docent locis suprà citatis: nam quod est ex sola institutione Ecclesiæ non potest esse de substantia sacramenti. Vnde Apostoli nulla materia vtebantur præter manuum impositionem, vt sentit Hugo Victorinus lib. 2. de sacram. p. 7. cap. 2.

Marsil. Alensis. Bonauent. Hugo Victor.

2. Sententia.

Secunda opinio admittit chrisma saltem ex oleo confectum esse de essentia huius sacramenti; balsami autem mistionem non esse de necessitate sacramenti, sed solùm de necessitate præcepti, sicut est mistio aquæ in Eucharistia. Ita sentit Caietan. hic, quẽ secuti sunt Sot. d. 7. ar. 2. Victoria suprà, num. 41. Nauar. c. 22. nu. 3. Couar. lib. 1. Variarum resolutionum cap. 10. num. 4. citantur etiam Hosius, Ledes. & alij moderni, sed falsò. Præcipuum fundamentum huius sententiæ, sumitur ex Innocent. III. in cap. 1. de sacramentis non iterandis, vbi cõsultus Pontifex, an Confirmatio esset iteranda in eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo fuerat delinitus, respondet, nihil esse iterandum, sed cautè supplendũ, quod incautè fuerat prætermissum: supponit ergo, id quod fuerat prætermissum, non esse de substantia sacramenti, nam si defectus fuisset substantialis, sacramentum etiam nullum fuisset: ergo iterum dari debuisset. Respõdent Palud. Durand. Adrian. & alij infrà citandi, Pontificem non negare, in eo casu dandum esse sacramentum Confirmationis, sed negare esse iterandum sacramentum Confirmationis: illa enim non est iteratio, sed effectio eius, quod factum non fuerat. At hoc nimis videtur violentum, tum quia ibi nõ erat quæstio de iteratione, nec fiebat vis in verbo iterandi, prout significare potest secundam collationem eiusdem sacramenti post primam ratam & validam: sed simpliciùs agebatur de iteratione, prout communiter loquimur ad significandam collationem sacramenti, quæ iterum fit, quoniam prior iudicatur fuisse inualida; tum etiam, quia verba illa, *sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*, planè indicant, non esse totum sacramentum iterandum, sed solum aliquem defectum supplendum, quod solùm habet locum, quandò defectus est accidentalis; nam si sit substantialis, totum repeti oportet. Et confirmatur, nam ibi simul cum illa quæstione, alia Pontifici proponitur, scilicet, an Subdiaconatus sine manus impositione datus sit iterandus; & vtrique quæstione respondet eisdem verbis suprà citatis. Sentit ergo, eiusdem rationis esse defectum in vtroque casu: sed in subdiaconatu ille defectus est accidentalis: ergo etiam alter in Confirmatione.

Caietan. Soto. Victoria. Nauar. Couarru. Innocent. III. Palud. Durand. Adrian.

Secundò principaliter potest hæc sententia testimonijs antiquorum Patrum suaderi: sæpè enim nomine olei hanc materiam significant: & quanuis interdùm vtantur nomine Chrismatis, tamen illã vocem nomine olei sæpè declarant; nam Chrisma apud Græcos ex vi suæ significationis vnctionem tantùm generatim significat, quolibet genere vnguenti fiat, vt ex vsu illius linguæ constat, & notauit Augustinus tractat. 33. in Ioan. Et Prosper. in lib. sententiarum in 342. & sanctus Eligius homil. 8. in die Cœnæ Domini, vbi ait eo die confici Chrisma, quia ante biduum Maria caput Domini ac pedes vnguento perfudisse perhibetur. Itẽ Isidorus lib. 7. originum, cap. 2. & ita Christus à Chrismate dictus est, vt pote diuinitate, & gratia Spiritus sancti excellenti modo vnctus; vsu verò accommodata est illa vox ad significandam illam materiam, qua fit vnctio huius sacramẽti, quia illa est præcipua vnctio, quæ in Ecclesia fit, & per ilam datur Spiritus sancti gratia, quæ in Scriptura per oleum maximè significatur. Hinc Basilius de Spiritu sancto, cap. 27. inter antiquas, & Apostolicas traditiones solùm posuit oleum sanctificatum, neque alterius Chrismatis meminit; & apud Cyprianum Epistola 70. est locus egregius. *Vngi, inquit, necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porrò autem Eucharistia, &, vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificatur.* Vbi quod priùs vocauerat Chrisma, posteà vocat oleum. Sic etiam Prudentius in Psychomachia scripsit.

August. Prosper. Eligius. Isidor. Basil. Cyprian. Prudent.

Post inscripta oleo frontis signacula: per quæ
Vnguentum reale datum est per Chrisma perenne.

August.

Augustinus lib. 5. de Baptismo, cap. 20. alludẽs ad locum Cypriani, suprà citatũ. *Cur, inquit, ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit Deus oleum sanctificare, & in altari, quod heretici posuerunt, non possit, nescio.* Idem significat serm. 47. de verbis Domini, ponderans, quod Ioannes dicit, Christum perrexisse in montem Oliueti, *In montem, inquit, fructuosum, in montem vnguenti, in monte Chrismatis: vbi enim decebat docere Christũ nisi in monte Oliueti; Christi enim nomen à Chrismate dictum est: Chrisma autem Græcè, Latine vnctio nuncupatur, ideò nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit.* Vbi idẽ esse significat vnguentum, Chrisma, & oleum: nam ex monte Oliueti nullus alius liquor exoritur. Vnde serm. 206. de tempore copulatim dicit, baptizatos Chrisma & oleum benedictionis accipere. Sic etiam Cyrillus Hierosolymit. Cathechef. 3. mystagogica, vnguẽtum, Chrysma, & oleum vocat, sentit tamen esse idem, nam illo dicit frontem, & alios sensus corporis, & pectus inungi, cùm tamen modò non hæc omnia balsamo inungãtur. Vnde varias adducit figuras, & locutiones veteris testamenti, in quibus per oleum hoc vnguentum significatum est: quomodò etiã Innocen. III. in cap. vnico. §. Per frontis Chrismationem, de sacra vnctione ait, per hanc vnctionem Spiritus sancti aduentum designari, quia columba, quæ super Christum in baptismo descendit, in diluuio reuertens, *ramum attulit virentis oliuæ; &, quia hoc sacramentum Dauid prænoscens exhilarandam faciem in oleo prædicauit.* Clariùs Innoc. I. in Epist. 1. ad Decentium, cap. 3. Presbyteris, inquit, Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare: significat ergo, Chrisma nihil aliud essentialiter esse, quàm oleum consecratum.

Cyril. Hierosol. Innocen. III. Innocen. I.

Tertio adhibere possumus rationem, seu coniecturam, quia materias sacramentorũ tales esse oportet,

tet,

tet, quæ & certo cognosci, & facile in vsus omnium regionum venire possint: balsamum ergo nõ est de essentia huius materiæ: maior constat, quia sacramenta sunt pro vniuerso orbe instituta, ita vt, quoad fieri possit, certũ ac determinatũ vsum habeant: minor verò patet, quia teste Plinio lib. 12. 25. balsamum, *vni terrarum Iudeæ concessum est, quondam in duobus tantùm hortis vtraque Regio, altero iugerum viginti non ampliùs, altero pauciorum*: quod tam paruæ erat quãtitatis, vt vix posset pro vna regione deseruire nedum pro vniuers. Ecclesia: maximè cùm plures alios habeat vsus, nunc verò, quanuis ex India deferatur, etiam est in minori abundãtia, quàm vt pro vniuersa Ecclesia sufficiat; & adhuc incertum est, an sit verum balsamum, vel alius liquor illi similis; ait etiam Plinius suprà facilè balsamum adulterari, & ideò dixi hanc materiam esse incertam. De qua refertur historia, quæ, si vera est, non parùm fauet huic opinioni: tempore enim Pauli III. in regione quadam liquor quidam nomine balsami habebatur, de quo Episcopus, an verũ balsamum esset, dubitabat, consuluitq; Pontificẽ; ab eoque specialem facultatem postulauit, vtendi illo balsamo quanuis incerto in confectione Chrismatis, & confirmatione, cui Pontifex ex speciali fauore gratiam concessit. Ex hoc ergo facto colligimus, verum balsamum non esse de essentia huius sacramenti, nam, si esset priuilegium Pontificis nihil conferret: ergo, si verum balsamum non est necessarium, neque simpliciter balsamum, quia, quod verum balsamum non est, neque balsamum est, nisi æquiuocè. Accedit, tam paruam esse balsami mistionem, vt nec misceri possit omnibus partibus olei, nec multò tempore conseruari, quin in oleum conuertatur. Vnde fit, vnctionem, qua perficitur Confirmatio sæpè fieri ex solo oleo: ergo oleũ sufficit in materia proxima huius sacramenti: ergo posset etiam sufficere in materia remota ad substãtiam sacramenti, quia materia remota non est, nisi propter proximam.

Plinius. Caiet. Soto.

Est autem quædam diuersitas inter autores huius sententiæ; nam Caietan. existimat præceptum miscendi balsamũ in hac materia esse tantùm Ecclesiasticum, & non fuisse in vsu tempore Apostolorum, neque in primitiua Ecclesia, quia non est, inquit, credibile, pauperrimos Episcopos habuisse balsamum, quo fortè etiam hodie multi carẽt; Soto verò sentit, permistionem balsami esse ex institutione Christi; non tamen vt necessariam ad sacramentum, sed vt præceptam, vbi posset commodè seruari, qui probabiliùs quidem loquitur, si ad antiquitatẽ respiciamus; minùs tamen consequenter, vt videbimus.

Materia huius sacramenti simpliciter necessaria est Chrisma. Conc. Floren. Conc. Triden.

Dicendum est ergo primò, Chrisma esse materiam simpliciter necessariam ad essentiam, & substantiam huius sacramenti cõficiendam; hæc assertio nunc est absolutè de fide, definita in Cõcil. Florent. in decret. Eugenij, & in Trident. sessio. 7. canone 2. nam quanuis ex Scriptura hoc non colligatur, tamen antiquissima traditio, & perpetuus Ecclesiæ vsus sufficit ad certam fidem faciendam, vt de hac ipsa re disputans dixit Hierony. dialog. cõtra Luciferian. & in simili August. lib. 4. de baptismo, cap. 24. Hæc autem traditio partem ex disputatione præcedente constat; ibi enim ostendimus hac de causa sacramentum hoc sæpè ab antiquissimis Patribus Chrisma, vel sacramentũ Chrismatis appellari; idque non ex Ecclesiæ institutione, sed ab ipso Christo manasse. Quid verò de Apostolorum vsu dicendum sit, sequentibus sectionibus dicemus.

Chrisma confici debet ex oleo, & balsamo, vt sit huius sacramenti materia. Conc. Flor. Conc. Triden.

Dico secundò Chrisma, vt sit huius sacramenti materia confici debet ex oleo, & balsamo; etiam hæc conclusio nunc est absolutè de fide: nam Concil. Florentinum simpliciter docet, materiam huius sacramenti esse Chrisma confectum ex oleo & balsamo; vnde in eadem significatione videtur vsum nomine Chrismatis Concil. Trident. loco citato. Imò ex hac definitione colligimus, iuxta Ecclesiæ declarationem, hanc esse significationẽ huius vocis apud antiquos Patres, nam, licèt ex prima impositione linguæ Græcæ vnctionem significet absolutè, tamen ex accõmodatione vsus accommodata est ad prædictam materiam significandam; quæ interdùm Chrisma principale vocari solet, vt distinguatur ab oleo infirmorum, seu catechumenorum; interdùm verò appellatur vnguentum, & ab oleo distinguitur, vt legimus apud Iustinum quæst. 137. ad Ortodox. vbi ante lauacrũ dicit nos vngi oleo, posteà verò vnguento consignari; sic etiam in Concil. Meldensi cap. 1. apud Burchardum, lib. 4. cap. 75. distinguitur ampulla Chrismatis, ab ampullis olei Catechumenorum, & infirmorum, quo intelligimus, Chrisma aliquid aliud præter oleum includere. Fundamentum autem huius veritatis secundum etiam est ex traditione, quam statim afferemus,

Iustinus. Conc. Melden.

Cõfectio Chrismatis, ex oleo, & balsamo ex traditione.

Dico ergo tertio. Hæc confectio Chrimatis ex oleo & balsamo nõ ex Ecclesiæ institutione, sed ex Apostolica traditione & Christi institutione manauit. Hæc conclus. quoad materiam olei videtur etiam certa de fide, nam euidẽter sequitur ex principijs fidei positis: nam de fide est, Christum immediatè instituisse hoc sacramẽtum quoad omnia essentialia; item est de fide, Chrisma esse materiam essentialem: ergo de fide est Chrisma esse ex institutione Christi: ergo, saltem quoad materiã olei, nullus enim hactenus cogitauit, solum balsamum, vel aliquod aliud vnguentum posse sufficere; idq; à fortiori ex dicendis constabit. Atq; hinc fit, hoc intelligendum esse de oleo oliuarum, quod eadem certitudine tenendum est: hoc enim est, quod illã voce simpliciter ac propriè significatur; atque ita ab vniuersa Ecclesia intelligitur.

Apostolica, & Christi institutione manauit.

Altera verò pars de mistione balsami non est tã manifestè de fide, videtur tamen non posse vlla ratione negari. Et primùm, quod hæc sit Apostolica traditio satis ostenditur ex regula August. lib. 4. de baptismo, cap. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissime creditur*: sed huiusmodi est hæc mistio balsami: nam ab vniuersa Ecclesia obseruatur, & non est in aliquo Concil. instituta, nam quod de Concil. Meldensi dicitur, suprà ostendimus esse falsum: in Concil. autẽ Bracharensi 2. cap. 4. fit eius mentio, sed tanquam de re longè antiquiori; imò ex suprà adductis apertissimè constat, hunc morẽ esse in Ecclesia antiquiorem, quàm sint omnia Concilia, præsertim generalia, post Apostolorum tempora celebrata: ergo traditio hæc ad Apostolos reuocanda est. Quoniam verò Apostoli quædam tradiderũt, non à Christo, sed ab ipsismet instituta, alia verò vt à Christo instituta, & præcepta; probãda superest vltima pars

Aug. regula. Conc. Meldis. Conc. Brach.

conclu-

conclusionis, nimirùm hanc institutionem esse posterioris generis, id est, ab ipso Christo immediatè manasse, quod cùm non posit ratione à priori probari, testibus fide dignis adhibenda est: fides sunt autem in hac causa tot ac tales, vt cuius prudenti certam fidem faciãt. *Dionys.* Primus est Dionysius, qui capit. 4. de Ecclesiast. Hierarch. part. 3. circa finem mentionem facit Chrismatis sub nomine *vnguenti, quod nos maxime diuinos efficit*, De quo inferiùs, part. 3. circa finem dicit, *Vnguenti, quæ perficiendi vim habet, perfusio, eũ, qui initiatus est, suauitate odoris fragrantem facit*: quod de puro oleo dici nõ posset, vt per se notum est; latiùs tamen eius vnguenti ritum describens, cap. 4. dicit, illud vnguentum refertum esse odoris suauitate: vbi, quãuis nunquã expressè vtatur nomine balsami, satis tamen illud indicat sub nomine suauissimi odoris, posteà verò dicit, illũ ritũ traditũ esse ab Apostolis, vt diuinũ & eiusdem ordinis, & efficacitatis, cuius est synaxis sacramenti: & in fine satis apertè dicit eam institutionem à Deo esse traditam. *Fabia. Pap.* Secundus est Fabianus Papa in dicta epistola secunda, vbi expressè dicit, Dominum Iesum Apostolos Chrisma conficere docuisse, *sicut à sanctis Apostolis*, inquit, *Prædecessores nostri acceperunt*: supponit autem illam confectionem ex oleo & balsamo cõstare debere, & hoc modo præcipit, vt singulis annis renouetur. *Cyprian.* Tertius est Cyprianus serm. de vnctione Chrismatis, *Hodie*, inquit, *sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtũ oleo balsamũ Regiæ & Sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem, quibus dignitatibus initiandis diuinitus est vnctio instituta*: & inferiùs dicit, huiusmodi Chrismate sanctificari, confirmari, & quodammodo consecrari Christianos. Ex quibus testimonijs, & ex alijs infrà tractandis colligitur, quanuis nomen, *Chrisma*, ex primæua impositione vnguentum & vnctionẽ significet, tamen ex vsu significare vnguentum, *Quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione*, vt dicit *Innoc. III.* Innocentius III. in cap. vnico de sacra vnctione. Vnde apud sanctos Patres perinde est dicere, mistionem balsami esse ex Christi institutione, & dicere, vnctionem Chrismatis ex eadem esse institutione: quia nomine Chrismatis intelligunt quoddam mistum, seu compositum ex oleo, & balsamo. *Gregor.* Vnde Gregor. in id Canticorum. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. In Engaddi*, inquit, *balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.*

Mistio balsami est de essentia huius sacramenti.

Dico ergo quartò mistionem balsami esse de essentia huius materiæ, ita vt vnctio in fronte oleo tantùm facta sine mistione balsami non solùm illicita sit, sed etiam insufficiens, vt sacramentum factum teneat. *D. Thom.* Hæc videtur fuisse sententia Diui Thomæ hic, vt in Commentario artic. 2. explicuimus, & sumitur etiam ex quarto contra Gent. capit. 60. Vbi inter alia, quæ sunt de substantia huius sacramenti, ponit confectionem olei, & balsami, quæ Chrisma vocatur. Idem in 4. distinct. 7. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula secunda, vbi simpliciter dicit, materiam Confirmationis esse, *oleum balsamatum*; & ad secundum ait, materiam huius sacramenti esse vnam in actu, & multiplicem virtute, sicut & alia mista, & habere virtutem instrumentalem proportionatam: & hanc sententiam frequentiùs sequuntur ibi Theologi, *Bonauent. Richard. Scotus.* Bonauent. artic. 1. quæst. 2. ad primum, Richard. art. 1. quæst. 1. Scot. quæst. 1. *Durand. Alex. Alen. Rabanus. Hugo. Turrecrem.* Durandus quæst. 6. Alexan. Alens. 4. part. quæst. 24. memb. 2. art. 2. §. 2. qui citat Rabanum lib. 18. de Naturis rerum cap. 6. Hugo de sanct. Vict. lib. 2. de sacram. part. 7. cap. 1. Turrecrem. in capitulo Literis, num. 3. de Consecratione, distinct. 5. Sed hi autores non explicant distinctè, an mistio balsami sit essentialis, sed solùm dicunt, Chrisma debere confici ex oleo, & balsamo: quia tamen absolutè loquuntur de materia sacramenti, ideò eis meritò hæc sententia tribuitur; & eodem modo eam docet *Hosius. Petr. Soto. Conc. Colon.* Hosius in cõfessione fidei cap. 38. & Petrus Soto lib. 2. de Confirmatione, & alij moderni, imò & Concilium Coloniense in doctrina de hoc sacramento, expressiùs docet, balsamũ esse de essentia, negatque, solum oleum posse sufficere. *Gabriel. Paludan. Adrian. Syluest. Innocen. Hostien. Ledesm. Sebast. Oxon. Bellarm.* Gabriel in 4. distinct. 7. art. 1. Palud. quæst. 1. art. 2. Adrian. materia de Confirmat. art. 2. in 1. part. illius ad 5. Syluest. verb. confirmatio diuina, citans Innocentium, & Hostiensem in cap. 1. de sacramentis non iterandis. Et eandem sententiam vt probabiliorem sequitur Ledesma 1. p. 4. quæst. 13. art. 2. dub. 5. & Sebastianus Oxomensis Episcopus in Commentar o horum articulorum num. 2. & Bellarm. lib. 2. de sacramento Confirmationis capit. 8. & 9. idem insinuat, licèt dicat, neutram opinionem esse de fide, aut contra fidem.

Potest autem hæc sententia ex his, quæ adduximus, varijs modis fundari. Primo, ex Concil. Florent. dicente, *Secundum sacramentum est cõfirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto*. Vbi, licèt nõ expressè dicat, omnia hæc, quæ numerauit, esse de essentia huius materiæ, tamen in absoluta materiæ appellatione, & in æquali numeratione id satis indicat; tria enim numerat æqualiter, oleum, balsamũ, & benedictionem Episcopalem; at primum & tertium sunt de essentia: ergo & secundùm. Dices, etiam inferiùs agens de Eucharistiæ sacramento dicit, materam calicis esse vinum aqua mistum, & tamen mistio aquæ non est essentialis. Respondetur, negando antecedens, nam potiùs in diuerso modo loquendi de vtroque sacramento significauit Concilium, lõgè aliter esse necessariam mistionem in vno, quàm in alio: nam de Confirmatione absolutè dicit, materiam eius esse Chrisma confectum ex oleo, & balsamo; de Eucharistia verò non dicit, materiam esse vinum mistum aqua, sed simpliciter dicit esse *vinum de vite*; additque, *Cui antè consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*, vt hoc genere dicendi significaret, aquam non esse materiam, nec partem essentialem eius, sed ex præcepto esse miscendam ob significationẽ. *2. Probatio.* Secundò probatur, quia ostensum est, confectionem Chrismatis ex oleo, & balsamo ad vsum huius sacramenti esse ex Christi institutione & mandato: sed in nullo sacramento ostendi potest, aliquid esse de essentia, nisi quia est ex institutione, & mandato Christi necessarium in materia, aut forma; & ideò (vt infra videbimus) mistio aquæ in calice non censetur esse ex præcepto Christi, nec propriè ex institutione, sed solùm ex institutione & præcepto Ecclesiæ, sumpto tamen à Christo vt à causa exẽplari: quia illa mistio non est de substantia illius sacramenti: ergo, sicut & mistio balsami est de institutione & præcepto Christi; ita etiam est de substantia sacramenti: nec potest assignari ratio, ob quàm in hac materia, potiùs

potiùs quàm in alijs, aliquid sit de institutione & præcepto Christi, quod non sit de substantia.

Obiectio. Solùm posset aliquis subterfugere dicendo, satis esse, quod balsamum sit pars integralis huius materiæ, quanuis non sit essentialis: sicut in sacramento pœnitentiæ satisfactio est ex institutione & præcepto Christi, tamen solùm est pars integralis. *Responsio.* Respondetur, non esse similem rationẽ; nam illud est singulare in satisfactione, quia nõ est pars, quæ actu concurrat ad componendum sacramentum, quando substantialiter fit, nec ex parte materiæ necessariò supponitur ad formam, sed est quippiã posteà consequẽs. Vnde, licèt omittatur, sacramentum manet validum, imò, etiam à principio, potest nulla iniungi satisfactio, & interdùm etiã sine culpa, & nihilominùs verum fieri sacramentũ: at verò in præsenti confectio ex balsamo est ita necessaria ex parte materiæ, vt præsupponatur ipsi formæ, & simul concurrere debeat ad efficiendum sacramentum; neque legimus aliquando confectum esse hoc sacramentum absque vsu talis materiæ; quod esse potest nouum argumentum ad confirmandũ hanc materiam esse essentialem. *3. Probatio.* Tertium argumentum sumi potest ex parte formæ, nam illa materia sacramenti, quæ necessaria est ad veritatem formæ, est de essentia sacramenti, quia veritas formæ est de essentia sacramenti: sed ad veritatem formæ huius sacramẽti est necessarium oleum mistum balsamo, vt patet ex illis verbis: *Confirmo te Chrismate salutis*; quia (vt ostendimus) nomine *Chrismatis*, ex vsu totius Ecclesiæ, & sanctorum Patrum significatur compositum ex oleo, & balsamo Episcopali benedictione consecratum, vt autoritate Fabiani, Cypriani, Gregorij, Innocentij & aliorũ ostendimus: ergo huiusmodi Chrisma est de substantia huius materiæ.

Vltima probatio. Vltimò constabit hæc conclusio, magisque declarabitur ex responsionibus ad fundamenta contrariæ opinionis. *Ad argumenta opinionis contraria.* Ad capitulum ergo primum de sacramentis non iterandis, in primis dicitur, negari non posse, quin in eo casu, & in quocunque simili, contingat hominem Confirmari cum vnctione solius olei Catechumenorum, aut infirmorum, absq; mistione balsami debeat iterum Confirmari quoad substantialia huius sacramẽti; quia, etiam si demus contrariam opinonem esse probabilem, nihilominùs sacramentum iuxta illam confectum in re ipsa est incertum; &, vt minimũ, est etiam valde probabile, esse nullum: ergo non est homo relinquendus in periculo carendi hoc sacramento: ergo iterũ dãdum est illud in materia certa: ergo non est verisimile, hoc voluisse negare Pontificem, nec dubitari potest, quin, non obstante illo textu, nunc sit licitum, in eo casu iterum dari sacramẽtum: ergo necessariò est aliter explicandus textus ille. Deinde certum est ex illa responsione Innocentij supplendam esse in eo casu eam vnctionẽ ex balsamo, quæ facta non erat; nõ potest autem suppleri vngẽndo cum solo balsamo sine oleo; tum quia talis vnctio nunquã fuit adhibẽda; & ideò nec prætermissa dici potest, neq; supplenda; tum etiam quia suppleri debet vnctio ex balsamo benedicto: balsamũ autẽ nũquam per se benedicitur separatum ab oleo: erit ergo supplenda vnctio ex toto Chrismate, talisq;, qualis prætermissa fuerat: non est autem supplẽda sine forma, tũ quia illi vnctioni debita erat (vt sic dicam) talis informatio, & hæc etiã fuerat prætermissa, tum etiam quia prior forma caruerat veritate, quia non cecidit in verum Chrisma vt per illam significatur: Pontifex ergo, cùm dicit, *Cautè est supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*, non negat, sed affirmat potiùs substãtialia huius sacramẽti esse in eo casu iteranda. Vel igitur solùm negat, illam esse iterationem, vt ab autoribus suprà citatis dicitur, vel addẽdum prætereà est, negare Pontificem esse iterãdos alios ritus & ceremonias, quæ in solenni administratione huius sacramenti obseruari solent, vnde aliqui colligunt, illud supplementum priuatim & occultè absq; vlla solennitate esse addendum, præsertim ad vitandum scandalum, & ideò etiam suprà diximus agentes de baptismo, si contingat in solenni baptismo committi substantialem defectum, priuatim esse iterandum quoad substantiam, non verò quoad solennitatem & ceremonias. Quocirca iuxta hanc interpretationẽ potiùs ex hoc textu confirmatur nostra sententia, nã, iuxta responsum Innocẽtij, vnctio Chrismatis supplenda est, hoc autem nihil aliud est, quàm supplere id, quod est substãtiale in sacramento. Vnde nõnulli colligunt, in prædicto casu, non solùm posse, & debere sacramentum hoc quoad essentiam conferri, verùm etiam id faciendum esse absolutè, & nulla adhibita conditione; quia res videtur adeò certa, vt non sit necessaria talis conditio. Sed, quãuis hoc sine peccato fieri possit, eò quòd prædicta sententia probabilior sit & securior, non est tamen necessarium, sed adhiberi potest conditio; *si non es confirmatus*, &c. siue hæc exteriùs exprimatur, siue interiùs tantùm in intentione concipiatur: quia, cũ opinio contraria sit probabilis, in re ipsa incertum est, an prius fuerit verum sacramentum, & conditio adiuncta nihil obstat posteriori sacramento, neque intentioni conficiendi illud.

Neque contra prædictam interpretationem obstat coniectura suprà adducta, quòd Põtifex in eo textu vnica responsione duplici quæstioni satisfaciat, nam inde non colligitur, id, quod defuit in vtroque sacramento, eiusdem esse rationis, quoad esse accidentale, vel substantiale sacramẽto, sed colligitur potiùs, responsionem Põtificis generaliter, & cum proportione esse singulis quæstionibus applicandam, nimirũ in vnoquoque sacramento supplendum esse id tantum, quod defuerit, siue accidentale illud sit, siue essentiale.

Ad 2. argum. Ad secundum argumentum ex Patribus iam satis ostensum est, Chrima apud antiquos Patres regulariter significare compositum illud ex oleo & balsamo: quia verò præcipua pars eius compositi erat oleum, eiq; modicum balsamum miscebatur, ideò mirum non est, quòd interdum nomine olei significetur, præsertim, cũ ex eisdem Patribus, vel eisdem, vel alijs locis constet, huiusmodi Chrisma semper habuisse balsamum admixtum; in Concil. etiam Brachar. 2. capit. 4. totum Chrisma nomine balsami consecrati appellatur.

Ad 3. argum. Ad tertium respõdetur primò, coniecturam illã posse in fauorem nostræ sentẽtiæ adduci, quia hactenus nunquã in Ecclesia defuit balsamũ sufficienter certum, ex quo posset Chrisma confici, etiã in priscis illis temporibus, quando Ecclesia, & his tẽporalibus rebus magis egebat, & grauiores persecutiones sustinebat; cuius sufficiẽs argumentũ est, quòd, cum tempore *Fabian. Papa.* Fabiani Pontificis quidã Episcopi se excusarent à Chrismate quotãnis cõficiendo, idque

Universidad de Deusto Biblioteca

idque per biennium aut triennium differemt, eò quod balsamū per singulos annos reperiri non posse causarentur, eos Pontifex grauiter reprehendit epist. 2. docens, quotannis esse Chrisma nouum conficiendum, & vetus cremādum, *sicut à sanctis*, inquit, *Apostolis & eorū successoribus accepimus, hoc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena, à tempore Apostolorū custodit, & Hierosolymorum, ac Ephesianorum tenet.* Ad excusationem autem illorum Episcoporum, quòd scilicet, balsamum singulis annis non inuenirent, Fabianus nihil respondet, sed tanquam friuolā, & nullius momenti illam omittit: eaque non obstante seuerissimis verbis factum reprehendit significans fuisse confictam, & balsami copiam facili negotio potuisse reperiri. Vnde & in Cōcil. Brachar. suprà cit. præcipitur, vt pro Chrismate, seu balsamo benedictio nihil ab Ecclesijs exigatur, sed gratis ab Episcopis detur, quod est signum, sine magno labore, aut dispendio potuisse semper reperiri: signum ergo est, balsamum esse materiā sufficienter certam, & abundantem, nec propter eius penuriam dispensatum aliquando esse in Ecclesia, vt in solo oleo hoc sacramentum conficiatur, aut ea de causa caruisse aliquādo fideles hoc sacramēto; aliūde verò est congruentissima hæc materia ad perfectionem, & effectum huius sacramenti significandum, vt D. Tho. in art. satis explicuit. A probatione verò ex testimonio Plinij respondetur in primis maiorem esse vim experiētiæ, qua à principio nascentis Ecclesiæ vsq; nunc ostēsum est, esse sufficientem copiā balsami, semperq; fuisse in Ecclesia ad hoc sacramentum cōficiendum, quàm sit autoritas Plinij dicētis, solùm in duobus hortis Iudææ balsamū reperiri. Deinde nō videtur Plinius loqui de suo tēpore, sed de antiquo: sicut enim ait, *Balsamum vni terrarū Iudææ cōcessum, quondā in duobus tantum hortis*; itaq; fieri potuit, vt olim rariùs inueniretur, posteà verò in maiorem abundantiam excreuerit; quod ita accidisse vsq; ad sua tēpora Plinius in sequentibus significat, & apertiùs Iosephus lib. 8. Antiquitatū, cap. 2. aliàs 6. Vbi refert Reginā Sabā plantam balsami Salomoni obtulisse, *cuius hodie*, inquit, *ferax est nostra regio, illiusq; Reginæ munificentiæ acceptam ferri oportet*, & lib. 15. cap. 5. aliàs quarto de agro Hierichuntino loquēs, Is, inquit, *& balsamum fert, quod vnguentorum longè pretiosissimum ibi tantùm prouenit, & eximiarum palmularū vim maximā*, & Hierony. exponens verba illa Ezechiel 27. *Iuda, & Israel balsamum, mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis*, dicit, terram Iudææ seu Palestinæ copijs harum rerum abundare, & balsamum nasci in vineis Engaddi, quod etiam affirmat Gregorius Cantic. 1. suprà cit. Nunc deniq; magna copia balsami ex India differtur, quod, siue sit eiusdem speciei physicæ, siue non (hoc enim nihil ad veritatem sacramenti refert) non est tamen fictitium, neque adulterinum, vt quidam putant, sed verum, licèt colore differat: quia in fragrantia boni odoris, & in effectibus, alijsque proprietatibus habet sufficientem similitudinem, & conuenientiam cum alio balsamo Syriaco, & ideò simpliciter & vniuocè balsamum existimatur, & nominatur: propter similē enim rationem vinum, siue sit rubrum, siue albū, & siue specie differat, siue non, simpliciter est vinum, & materia sacramenti.

Atq; in hunc modum intelligenda est illa declaratio Pauli III. & alia cōcessio Pij IIII. quæ ab au- A toribus refertur, cōficiendi Chrisma in India cum balsamo illius regionis: non enim existimandum est, dispensasse Pontificem in materia huius sacramenti, sed declarasse tantum illam esse sufficiētem materiam, & dedisse facultatem vtendi illa, quod in eo casu prudenter fuit existimatum conueniens, ac necessarium; quia priùs solum balsamum Syriacū erat in vsu. In rigore tamen existimo id potuisse fieri, etiam sine facultate Pontificis, maximè, si alterius balsami copia non erat; quia illa erat materia sufficienter certa, moraliter loquendo. Tādem nihil refert, quòd quantitas balsami misti oleo parua sit (quod in fine illius argumenti obijcitur) quia nō dicimus, esse de essentia huius materiæ, quòd singulæ partes eius sint substantialiter mistæ ex oleo, & balsamo, sed solū, quòd ipsum vnguentum sit compositum & mistum, nam hoc satis est, vt tota B ipsa materia sit odorifera, quod maximè ad significationem sacramenti desideratur; singulæ etiam partes erunt mistæ, saltem quoad qualitates per mutuam partium alterationē; atq; hoc satis est, vt solū oleum sine mistione balsami non possit sufficere.

Hic verò inquiret aliquis, an sit de necessitate huius materiæ, vt Chrisma sit nouum & recens illius anni; nam Fabianus suprà dicit, hoc esse necessarium ex Apostolica traditione; vnde in Concilio Carthagin. IIII. cap. 36. præcipitur parochis, vt à suis Episcopis singulis annis ante Paschæ solennitatem Chrisma petant.

Idemque statuitur in Conc. Vasensi. cap. 3. & in Concil. Tolet. I. cap. 12. & colligitur ex cap. 51. ex Collectis à Martino Bracharensi Episcopo, & habetur in cap. Omni tempore. de Consecra. dist. 4. & cap. Quoniam. de sentent. excommun. in 6. C Respondetur, hoc nō esse de necessitate sacramenti, esse tamen de necessitate præcepti, ita Palud. 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 2. num. 19. Prior pars certa est, quoniam hæc conditio Chrismatis, quòd sit eiusdem vel alterius anni, est valde extrinseca, & accidentalis, vt ad substantiam sacramenti pertinere censeatur, neq; in dictis decretis, vel in alijs, est aliquod verbum, vnde id colligi possit. Denique Concil. Florent. non dixit, Chrisma eodē anno confectum, sed simpliciter, Chrisma esse materiam huius sacramenti: sed, quanuis sit vetus, vel alterius anni, est verum Chrisma: ergo est sufficiēs materia, quantum ad substantiam sacramenti spectat: quæ ratio probat idem esse iudicium de quouis Chrismate, quandiu substantialiter incorruptum manet, & fragrantiam seu odorem balsami retinet: nam, si hunc omnino amisisset, aut omni- D no nulla, aut certè valde dubia materia esset; quia iam videretur omnino corrupta, saltem quantum ad mistionem ex oleo, & balsamo. Posterior pars probatur sufficienter decretis suprà adductis; hac enim de causa præcipitur, vt singulis annis in die Coenæ Domini nouum Chrisma cōficiatur, & per parochias distribuatur, &, vt vetus concremetur, vt omnes vnctiones, quæ Chrismate conficiūtur, nouo, & non veteri Chrismate fiant. Vnde in cap. Si quis de alio. de Consecrat. distinct. 4. dicitur, Eum, qui tē tauerit ex veteri Chrismate baptizatum vngere, nisi præoccupante morte, pro temeritatis ausu ipsum in se suæ damnationis protulisse sententiam: ergo à fortiori idem dicendum est de vnctione Chrismatis, quæ fit in hoc sacramento, est omnium præcipua: & propterea in dict. c. Quoniam

Quoniam de sentent. excōmun. in 6. dicitur Chrisma posse confici in die Cœnæ, non obstāte interdicto: quoniam Baptismus, & Confirmatio dari possunt tempore interdicti, vt ibi gloss. notat. *Quia vetus* (inquit) *Chrisma non debet esse vsui neque de veteri Chrismate debet quis Chrismari.* Denq; Fabianus Papa expressè dicit, Apostolos iubentes docuisse, nō amplius, quā vno anno Chrismate vti *atq; deinceps nouo frui, & non veteri.* Hic autem annus computandus est Ecclesiastico more à Paschate in Pascha, seu à feria quinta in Cœna Domini ad aliam similem feriam quintam, vt satis colligitur ex citatis decretis.

Fabian. Pap.

SECTIO II.

Vtrùm de substantia, & de essentia huius materiæ sit, vt Chrisma sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum.

Ratio dubitandi 1.

RAtio difficultatis potest esse duplex. Prima est, quia hæc benedictio Chrismatis solū est sacramentale quoddam ab Ecclesia institutum, quod eius autoritate mutationem seu variationem recipit: ergo non est essentialis: nam Ecclesia nihil potest instituere, vel mutare in his, quæ ad substantiam sacramentorum pertinent. Et confirmatur, quia nulla certa, seu determinata benedictio est de essentia huius materiæ: ergo absolutè nulla est essentialiter requisita ex institutione Christi: quidquid enim ex institutione Christi est necessarium ad substantiam sacramenti, habet determinationem, certamq; formam ab ipsomet Christo. Secunda ratio dubitandi est, quia; saltem nō videtur essentiale, quod hæc consecratio fiat ab Episcopo, nam principalior est administratio sacramenti, quā consecratio materiæ: sed non est simpliciter de essentia huius sacramenti, quòd ab Episcopo conferatur: nam, vt infrà videbimus, Papa potest in hoc dispensare, cùm tamen non possit dispensare in his, quæ sunt de essentia sacramenti: ergo multò minùs Episcopalis benedictio materiæ erit de essentia.

Ratio dubitandi 2.

Chrisma ex necessitate præcepti, & sacramenti debet esse consecratū ab Episcopo.

In hac re dicendum est, non solùm de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti ex parte materiæ esse, vt Chrisma sit ab Episcopo consecratum, seu benedictum. Hæc est sententia Diui Thomæ hic, & omnium Theologorum, paucis exceptis: Et colligitur primò ex Concil. Florent. loco suprà citato definiente, materiam esse, *Chrisma ex oleo & balsamo per Episcopum benedictum.* Fundatur autem hæc definitio in perpetuo vsu Ecclesiæ, & ex traditione omniū Patrum, quos citauimus. Dionysius enim cap. 4. de Ecclesiast. Hierarc. latè describit, Chrismatis consecrationem, quam dicit per Pontificē fieri; Cyrillus verò Hierosolymi. Catech. 3. Mystag. adeo exaggerat hanc cōsecrationem, vt illam cum consecratione Eucharistiæ conferre videatur dicens, *Vide ne illud esse putes vnguentum tantùm: quemadmodùm enim panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus inuocationem non ampliùs est panis communis, sed est corpus Christi, sic & sanctum hoc vnguentū non ampliùs est vnguētum nudum, neq; si quis ita appellare malit, commune, sed est Chrisma Christi, quod aduentu* A *Spiritus sancti per ipsius diuinitatem, energiam habet*: quæ comparatio sano modo est intelligenda, per quandam similitudinem, vel proportionem, non verò æqualitatem. Fabianus item & Cyprianus, quanuis non expressè nomine consecrationis vtātur, tamen nomine confectionis Chrismatis idem intelligunt; quia in Ecclesia nunquam est confectū Chrisma sine aliqua benedictione. Vnde Cyprianus de vnctione Chrismatis, *Sanctificatis*, inquit, *elementis, iam non propriè natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, sed adest veritas signo, & Spiritus sacramento.* Innocentius Epist. 1. ad Decentium, cap. 3. expressè requirit, vt Chrisma sit ab Episcopo consecratum, non solùm ad Confirmationem, sed etiam ad ceremonialem vnctionē, quæ fit in vertice baptizati post baptismum. Denique omnia Concilia, quæ docent, Chrisma non posse B confici, nisi ab Episcopo, quæ suprà tetigimus, & statim insinuabimus, supponunt, confectionem Chrismatis non esse nudam, & quasi materialē mistionem balsami, & olei (hanc enim quilibet facere posset) sed esse etiam benedictionem aliquam, seu consecrationem, ad quam Episcopalis autoritas, & consecratio necessaria est, & suo modo concurrit. Quocircà vbicunq; Patres de Chrismate loquuntur, per Chrisma intelligunt hoc mistum ex oleo & balsamo sic confectum, & consecratum, & ideò sæpè vocant *sacrum*, seu *sacratissimum*, vel *sanctum Chrisma*, vt legitur in Concil. Tridentino, sess. 7. can. 2. & Laodic. can. 8. vbi vocatur *Chrisma cœleste*, seu *super cœleste*. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianū, *Sacrosanctum Chrisma* vocat, Theophyl. Antioch. lib. 1. contra Christianæ religionis calumniatores vocat *diuinum oleum*, Eligius homil. C 8. vocat *sanctum Chrisma*. In Concilio II. Brach. ca. 4. vocat *balsamum benedictum, quod pro salute animarum per Spiritus sancti inuocationem consecratur*; cùm ergo Sancti simpliciter dicunt Chrisma esse necessariam materiam huius sacramenti, loquuntur de Chrismate iuxta prædictum vsum: sicut ergo hinc suprà colligebamus mistionem balsami esse necessariam: ita nunc idem colligimus ex eadem traditione de benedictione, seu consecratione materiæ.

D. Thom. — Concil. Flor. — Dionys. — Cyril. Hierosol. — Fabian. — Cyprian. — Innocent. — Concil. Trid. — Laodicens. — Optatus Mileui. — Theoph. Antioch. — Eligius. — Conc. Brach.

Nec possunt hæc omnia testimonia explicari de sola necessitate præcepti, cùm inter essentialia, & necessaria simpliciter ex parte materiæ hæc conditio numeretur; & ideò ab initio Ecclesiæ inuiolabiliter, & vniuersaliter obseruata est talis conditio in huius sacramenti administratione. Atque eisdem testimonijs ostendi potest, eadem ne- D cessitate, & tanquam de essentia sacramenti requiri, vt hæc benedictio, seu consecratio, Episcopalis sit; ideò enim in Synodo Romana sub Syluestro cap. 3. & Concil. Toletan. I. cap. 20. & Concil. Carthag. II. cap. 3. & Carthag. III. cap. 36. & Hispalen. II. cap. 7. hoc ipsum expressè, & disertis verbis cauetur, ne Chrisma à Presbytero, neque ab alio, quàm ab Episcopo conficiatur. Ratio autem huius veritatis propria est, quia Christus ita instituit, cuius institutio & voluntas satis est nobis per traditionem Ecclesiæ proposita.

Synod. Rom. — Cōcil. Tolet. — Carthag. II. & III. — Hispal. II.

Congruentia verò sufficiens est, quæ traditur à D. Th. ar. 3. vbi eam declarauimus, defendimus, & cōfirmauimus, immeritoq; eam reijcit Durand. in 4. dist. 7. q. 2. vbi ipse aliam adducit rationē, scilicet,

Durand.

Universidad de Deusto Biblioteca

cet, quia materia sacramenti debet congruere ministro, & ideò, vbi requiritur minister consecratus certa cõsecratione, scilicet Episcopali, materia etiã debet esse sacrata certa benedictione: quæ ratio vt probabilis cõgruentia acceptari potest, quanquam fundamentum, quod assumit, vniuersale non sit, nam in Eucharistia sacer minister requiritur certa consecratione, & tamẽ ex parte materiæ nulla præsanctificatio necessaria est, & è contrario in Extrema vnctione in ministro tantùm requiritur sacerdotalis cõsecratio; in materia verò præexigitur Episcopalis benedictio, cuius rei causam suo loco trademus: nam de speciali ratione Eucharistiæ satis dictum est in Commentario articuli tertij.

Ad 1. dubitãdi rationem.

Prima ratio dubitandi in principio posita postulat, vt explicemus qualiter hæc Chrismatis consecratio sit iure diuino instituta, ac determinata. Quidam enim Theologi, licèt fateantur, nunc esse de necessitate huius sacramẽti, vt fiat ex Chrismate consecrato, dicunt tamẽ posse Ecclesiam in hoc dispẽsare, seu statuere, vt Cõfirmatio fiat ex Chrismate non benedicto, vtrumq; affirmat Paludan. in 4. distinct. 7. quæst. 1. num. 19. & quæst. 4. nu. 34. qui consequẽter docet, Christum solùm in cõmuni, seu disiunctim instituisse, vt Cõfirmatio fieret ex Chrismate consecrato, vel non consecrato, prout Ecclesia id præscriberet; ita tamen, vt illud esset essentiale, & simpliciter necessariũ, quod Ecclesia definire. Fundamentum eius solùm est, quia potuit ita fieri sine vllo incommodo; & quia cõsecratio, quæ de facto est, non est sacramentum, sed aliquid sacramentale, & est mutabilis per Ecclesiã, & nihil reale addit, sed puram relationem rationis, seu denominationem extrinsecam. Et hãc opinionem ferè sequitur Capreolus eadem, dist. 7. quæst. 2. ad primum.

Paludan. *Capreol.*

Mihi tamen nullo modo probanda videtur hæc opinio, nam, si necessitas huius cõsecrationis omnino penderet ex voluntate Ecclesiæ, nulla ratione ostendi posset, illam esse de necessitate sacramenti; vel è contrario, si ea, quæ adduximus, probant (vt verè probant) eam esse de necessitate sacramenti, consequenter etiam conuincunt, non esse in potestate Ecclesiæ facere, vt materia non consecrata sit sufficiens materia huius sacramenti: nam, quòd cõsecratio requiratur, non ex institutione Ecclesiæ, sed ab ipso Christo manauit: hoc enim sensu dicũt Patres, Christũ in nocte Cœnæ docuisse Chrisma conficere: iam enim ostendimus hanc confectionẽ Chrismatis benedictionẽ aliquam includere. Vnde Patres omnes, & doctores in conculusione citati; non tantùm ex suppositione determinationis Ecclesiæ, sed simpliciter & absolutè cẽsent esse de essentia huius materiæ, quòd sit consecrata. Et confirmatur, nam alioqui non omnia, quæ sunt essentialia in hoc sacramento, essent immediatè ex institutione Christi, quod videtur repugnare his, quæ disputatione præcedente tradita sunt, & est præter communem legem omnium sacramentorum nouæ legis: in nullo enim alio sacramento determinatio materiæ, quoad aliquod essentiale relicta est arbitrio Ecclesiæ. Sequela patet, quia nunc consecratio est essentialis, & tamen eius necessitas dicitur simpliciter pendere ex determinatione Ecclesiæ.

Nec fundamentum Paludani quicquam obstat, quia licèt verum sit, potuisse Christum aliter sacramenta instituere, tamen de facto ipse voluit esse A immediatus autor sacramẽtorum omnium quoad omnia essentialia; & in hoc sacramẽto absolutè voluit, vt fieret ex materia præconsecrata, per quam consecrationem, quamuis nihil physicum materiæ addatur, deputatur tamen, & quasi in actu primo constituitur, vt possit virtute diuina assumi in instrumentum ad sanctificãdos homines, sicut aqua ex contactu Christi dicitur vim accepisse regeneratiuam: est ergo hæc consecratio ex Christi volũtate, veluti conditio quædam necessaria, seu præparatio debita materiæ huius sacramenti.

Consecratio chrismatis in communi de essentia sacramenti. Paludan. Soto.

Restat verò vlteriùs declarandum, qualis consecratio necessaria sit in hac materia ex Christi institutione: videtur enim necessario dicendũ, Christũ non determinasse modum consecrationis, sed solũ in communi statuisse, vt hæc materia esset cõsecrata, modum autem consecrationis Ecclesiæ ordina- B tioni reliquisse: quia, nec est verisimile semper in Ecclesia seruatum esse illum modum consecrandi Chrisma, quem nunc Ecclesia tenet; nec fortasse nunc eundem modum in vniuersa Ecclesia, tã Latina, quàm Græca, seruari, cum tamen ea, quæ sunt ex institutione Christi, eadem sint apud omnes: ergo sola consecratio in communi est essentialis, modus autem est solùm ex determinatione Ecclesiæ; & hoc etiã docet Paludanus suprà, eiusq; opinionẽ quoad hoc sequitur Soto dist. 7. art. 3. & absolutè loquẽdo, ita sentiendum videtur. Potest autẽ duobus modis hoc explicari. Primus est, vt facta ab Ecclesia determinatione consecrationis, iã non tantùm consecratio absolutè, sed etiã talis modus consecrationis sit essentialis, & simpliciter necessarius; & hoc etiã affirmat Paludanus, & cõsequenter loquitur; videtur tamen incidere in eadem incom- C moda, quæ contra priorẽ partẽ eius sententiæ à nobis illata sunt, nimirùm quòd aliquid nunc de facto sit essentiale, quod Christus immediatè non instituit, & quòd essentia sacramenti pendeat ex institutione Ecclesiæ. Sed re vera non est quoad hoc similis ratio; vnde quoad hanc partem posset hæc sentẽtia probabiliter sustineri, dicẽdo, facta ab Ecclesia determinatione, & definito modo consecrationis, solam illam habere rationem sacræ ceremoniæ, & religiosi cultus, & ideò illam solam verè esse benedictionem sacramentalem, omnemq; alium modum fore superstitiosum, & sacrilegum, magisq; maledictionis, quàm benedictionis nomen mereri. Atque hoc modo non est inconueniens, materiam sacramenti pendere aliquo modo ex institutione Ecclesiæ, non quia ab illa pendeat designatio materiæ, D sed quia ab illa pendere potest existentia (vt sic dicam) ipsius materiæ, seu quòd talis re vera sit, qualem Christus postulauit. Sicut in sacramento matrimonij ex ordinatione Ecclesiæ pendet, quòd hic sit verus contractus, vel non: & in sacramẽto Confessionis pendet ex iurisdictione Ecclesiæ, quòd hæc sit vera confessio, vel non. Secũdus tamen modus explicandi hanc rem esse potest, Christũ instituisse, vt Chrisma consecraretur per Sancti Spiritus inuocationem, vt Sancti suprà citati loquũtur, ideòque, quomodocunque fiat hæc consecratio & benedictio, dummodò ab Episcopo debita intentione fiat, esse sufficientem ad substantiam sacramenti, quamuis non seruetur modus ab Ecclesia præscriptus; nam; quoad hoc ceremonialis magis videtur, quam substantialis; & ideò, licèt sit necessarius necessitate præcepti, non tamen sacramẽti; atque

que ita videtur opinari Soto supra, dicens, variare consecrationem materiæ non esse substantiam eius mutare; atque adeò nec substantiam sacramẽti. Et potest hoc confirmari, quia non est verisimile, omnes deprecationes, benedictiones, & ceremonias, quæ iuxta Romanum ritum fiunt in consecratione Chrismatis, esse de substantia huius materiæ, seu essentialis consecrationis eius. Neque etiam designari possunt aliqua verba vel facta, in quibus consistat essentia talis consecrationis, vt facilè patebit attentè legenti, & consideranti totum illum ritum: ergo dicendum est, solùm esse de essentia, quòd materia consecretur per Episcopalem benedictionem, & sancti Spiritus inuocationem, nam in hoc satis saluatur Christi institutio, & hoc de se semper est sanctum & pertinens ad diuinum cultum, quamuis in omissione aliorũ, quæ præcepta sunt ab Ecclesia, possit peccatum interuenire, si tamen in diuersis Ecclesijs sunt in hoc diuersi ritus probata consuetudine recepti, illa varietas, & licita est, & non est in re substantiali, sed accidentali sacramenti. Non omittam aduertere, August. tract. 118. in Ioan. in fine significare, vt rite fiat hæc consecratio, necessarium esse, adhiberi signum Crucis. Sed cùm August. idẽ ibi dicat de aqua baptismi, non videtur loqui de ritu essentiali, sed de ritu necessario ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ. Atque ita sufficienter responsum est ad primam difficultatem.

August.

Ad 2. rationẽ dubitandi. *Caietanus.*

In secunda petitur aliud dubium, scilicet, an sit omnino essẽtiale, & omnino inuariabile, quòd hæc benedictio sit Episcopalis; quod dubiũ posset remitti in disputationẽ de ministro tamẽ, vt plena notitia huius materiæ habeatur, hic poterit expediri. Caietanus ergo hic art. 3. in dubiũ reuocat, an Cõfirmatio facta cũ Chrismate à simplici Sacerdote consecrato sit verũ sacramentũ; & putat, affirmantẽ partẽ esse magis rationi cõsentaneã, quia sacerdos simplex potest efficere maximã consecrationem, scilicet Eucharistiæ: ergo & quamcunq; minorem, ita vt facta teneat, quamuis peccet faciendo. Hæc verò Caiet. opinio singularis est, & cõtra omnes Theologos, & planè repugnans his omnibus, quæ in Cõfirmationem conclusiones adduximus: ostẽdimus enim, Chrisma ab Episcopo benedictũ esse de essentia, & primæua institutione huius sacramẽti: ergo benedictio facta à simplici sacerdote est per se insufficiens ad conficiendum Chrisma, quale à Christo institutũ est, & hoc magis constabit ex sequentibus. Ratio autem Caietani nullius momenti est, quia in causis & virtutibus limitatis nullum argumentum sumitur à maiori effectum ad minorem, quando vnus alterum non includit, neq; ei subordinatur, quia enim ignis potest generare ignem, non rectè inferemus posse etiam generare aerem, licet minus perfectus sit, quia re vera huiusmodi argumentum non est à maiori ad minus, sed vel à disparatis, vel potius à minori ad maius, seu à parte ad totum, quia maius est posse vtrunq; quam alterum tantum. Alioqui etiam posset Caietanus inferre, posse simplicem Sacerdotem templa & aras consecrare, & omnia alia similia, quæ minora sunt, quam Eucharistiã conficere, quod tamen sine dubio falsum est, quia, licet sint minora, tamẽ propriã & specialẽ potestatẽ requirunt distinctã à potestate cõsecrãdi Eucharistiã, quæ limitata est ad actus suos. Sic ergo est in præsenti, nã etiã cõfectio Chris- A matis est supernaturalis actus à Christo institutus, requirens specialẽ potestatem ab eodẽ Christo datã: hanc autẽ, vt ex antiqua traditione colligitur, dedit Christus solis Episcopis, non simplicibus sacerdotibus, neq; etiã Ecclesia eam illis cõcessit, cũ potius omnino illis interdicat tale ministerium.

An Ecclesia possit concedere simplici sacerdoti munus cõficiẽdi Chrismatis. 1. Opinio. Palud.

Maior difficultas est, an saltem possit Ecclesia hoc ministerium conficiendi Chrisma concedere simplici sacerdoti: tres enim falsas sentẽtias in hoc reperio. Prima est Palu. d. q. 4. n. 34. qui, sicut dixit, potuisse Ecclesiã ordinare, vt sufficiat ad hoc sacramentum Chrisma non benedictum, ita etiam dicit, posse ordinare, vt sufficiat Chrisma benedictum à simplici sacerdote, & consequenter quidẽ loquitur, quia putat, nihil de hac Chrismatis consecratione Christum in particulari statuisse: sed, sicut hoc fundamentum falsum est, ita & ea, quæ il- B lud consequuntur: ostensum est enim ex diffinitione Conc. Flor. & alijs, Episcopalem consecrationẽ esse de essentia huius materiæ, & consequenter esse immediatè de institutione Christi: ergo non potest Ecclesia absolutè & simpliciter ordinare, vt minor benedictio, scilicet à simplici sacerdote facta, sufficiat. Secunda sententia esse potest, per modum dispensationis, seu delegationis, posse hãc potestatem concedi simplici sacerdoti, non solùm à Pontifice, sed etiam ab Episcopo. Ita tenet Ledesma hic art. 3. Fundatur in Concil. Tolet. I. cap. 20. vbi sic dicitur, *Quamuis penè vbique custodiatur, vt absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel prouincijs Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit, ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma conficere*. Ex quibus verbis non solum in fauorem huius sententiæ, sed etiam præ- C cedentis, potest multiplex argumentum sumi. Primò quia dicit, *Penè vbique custodiri, vt solus Episcopus Chrisma conficiat*: ergo non est simpliciter necessarium. Secundo quia non dicit illud chrisma, quod fiebat à presbyteris, fuisse irritum & inane, sed solum prohibet in posterum fieri: ergo signũ est illud prius antea factum fuisse saltem ex commissione Episcopi. Tertio, quia illa verba, *placuit ex hac die, &c.* valde indicant, hãc solum esse prohibitionem Ecclesiasticam. Quod etiam videtur colligi posse ex Concil. Cartha. II. cap. 3. & ex Concil. Brachar. I. cano. 37. dicente, antiquos canones vetuisse, ne Presbyter audeat chrisma benedicere, alioqui deponi iussisse. Quarto ponderat Ledesma, quòd infra dicitur, *sine conscientia Episcopi, nihil Presbyteri agere præsumant*: ergo, eo sciente & consentiente poterunt chrisma conficere.

2. Opinio. *Cõc. Cartha. Concil. Brac. Ledesma.*

D Sed nihilominus hæc sententia est sine dubio falsa, quia conficere chrisma pertinet ad potestatem ordinis: sed simplex sacerdos ex vi suæ ordinationis non habet hanc potestatem: ergo neque Episcopus potest illam dare per dispensationem, seu delegationem. Patet consequentia, quia Episcopi non possunt extendere (vt sic dicam) potestatem ordinis adauctus, ad quos character est de se insufficiens, sed solùm possunt concedere potestatem iurisdictionis. Et hoc à fortiori magis constabit ex his, quæ dicemus circa sequentem sententiam.

Nec decretum illud Conc. Toletani quicquam obstat, nam, quod dicit, *penè vbique custodiri, &c.* nõ ideo est, quia alicubi aliter rite fieret, sed quia ex ignorãtia, vel praua cõsuetudine, aliter fiebat in ali

Universidad de Deusto Biblioteca

quibus locis. Et, quanuis Concil. ibi non dicat expressè, illud factum fuisse irritum, tamen neque etiam affirmat fuisse ratum: vnde verba illa prohibentia iuxta capacitatem materiæ intelligenda sunt, non tanquam de nouo inducentiam prohibitionem, sed tanquam declarãtia id, quod de se erat prohibitum, atque irritum. Denique ex illa negatiua, quòd Presbyter nihil agere possit sine cõscientia, Episcopi, non sequitur illa affirmatiua, scilicet posse omnia agere sciente, & consentiente Episcopo: solùm ergo sequitur, Presbyterum, etiam in his, quæ sibi concessa sunt, dependere aliquo modo ex sciẽtia & facultate sui Episcopi. Addere etiã hic obiter possumus, duplicẽ inter alios esse vsum chrismatis, vnum ceremonialem respectu baptismi, alterum substantialem respectu sacramenti Cõfirmationis: quanuis ergo Ecclesia non possit concedere simplici sacerdoti absolutam potestatem conficiendi chrisma, quod sit sufficiens materia sacramenti Confirmationis, posset tamen concedere potestatem conficiendi chrisma, quo in vertice vngatur baptizatus: quia cum hęc ceremonia sit ex sola institutione Ecclesiæ, etiam eius materia potest per Ecclesiam mutari: quod ergo in illo Cõcilio insinuatur, fuisse aliquando alicubi abusum, vt simplices sacerdotes chrisma conficerent, non est necessarium intelligi de chrismate Confirmationis: quia nun est verisimile, in aliquibus Ecclesijs Catholicis hoc fuisse aliquando permissum, neque fuisse tantam ignorantiam in Episcopis, vt tali chrismate ad Confirmandum vterentur: verisimilius ergo est, solùm ad ceremonialem vsum baptismatis hoc fuisse alicubi ex negligẽtia introductum vel permissum.

3. Opinio probabilis est.

Tertia sententia est, iure diuino solùm Episcopum posse ordinariè verum chrisma conficere, nihilominus tamen posse Summun Pontificẽ hãc potestatem delegari simplici sacerdoti. Ita opinatur Caietanus hic, & in eãdem sententiam inclinat Soto, quem sequitur Victoria in sum. materia de hoc sacra. §. 43. Fundamentum eorum est, quia magis est Confirmare, quàm chrisma conficere; sed, quanuis iure diuino solus Episcopus possit confirmare, nihilominùs Papa potest hanc potestatem delegare simplici sacerdoti: ergo multò magis hoc poterit fieri in conficiendo chrismate. Et hæc sententia tribuitur Scoto. d. 7. q. 1. Sed ibi nihil de cõfectione chrismatis, sed solùm de sacramenti Confirmationis ministerio disputat. Est tamen hæc opinio probabilis propter rationem factam; nam si sacramentum ipsum potest commiti sacerdoti, cur non materiæ præparatio? Item quia aliæ consecrationes calicis vel altaris possunt per summum Pontificem simplici sacerdoti committi: ergo & hæc. Patet consequentia, tum quia hæc omnia tãtũ sunt quædã sacramẽtalia, tũ etiam quia in Concil. Tolet. VIII. c. 7. æqualiter dicitur, diuinam autoritatem Episcopali eminentiæ concessisse, quæ cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem, quæ à nullo altero cõferri, quã à solis Pontificibus possunt.

Caietanus. Soto. Victoria. Scotus. Cõcili. Tolet.

Probabilior sententia opposita.

Nihilominùs contraria sententia probabilior, & Conciliorum decretis conformior videtur. Primùm, quia ostensum est, de iure diuino solis Episcopis datã esse hanc potestatẽ conficiẽdi chrisma: ergo sine sufficiente autoritate extendenda nõ est hæc potestas ad alios, præter Episcopos: ergo sine eadem autoritate asserendum non est, Summũ Põtificẽ posse quasi extendere hoc ius diuinum, seu hanc potestatem concedere simplicibus Sacerdotibus. An cedens colligitur ex Dionysio, Fabiano, & Cypriano, & Concilio Rom. sub Syluestro, & alijs supra citatis, & ex Concil. Tolet. VIII. ca. 7. & ex Concil. Vormatien. can. 1. *Chrisma, inquit, cõficere nullus præter Episcopum præsumat: nam illi soli hæc dignitas concessa est.* Sed maximè hoc confirmat Cõcil. Florent. agens enim de ministro huius sacramẽti, dicit esse Episcopum, tamen aliquando ex concessione sedis Apostolicæ simplicem Sacerdotem illud ministrasse ex chrismate per Episcopum confecto: in quibus verbis significat, nũquam factum esse, neque fieri posse, vt hoc sacramentum detur alio chrismate, præter quàm chrismate consecrato ab Episcopo. Quod testimonium soluit rationem in contrarium adductam, quia, licèt simpliciter maius quid videatur conferre sacramentum, quàm conficere chrisma: tamen re vera maius est vtrumque concedere simplici Sacerdoti, quàm alterum tantum, Vnde vnum legimus aliquando concessum, quod rarum est, & singulare, vt infrà videbimus, & ideò non est ad vtrumque extendendum, quod nunquam legitur factum. Vnde nostris temporibus Gregor. XIII. dicitur concessisse potestatem confirmandi in India sacerdoti simplici, hac verò lege, vt vteretur chrismate consecrato ab Episcopo. Et potest addi etiam coniectura, quia multò minor est necessitas huius dispensationis, quàm alterius: nam sæpe potest accidere, vt Episcopi non possint mitti administrandum hoc sacramentum, semper tamẽ potest facilè fieri, vt simplex sacerdos, cui hoc ministerium committitur, habeat chrisma ab Episcopo consecratum. Item, quia; cùm per se hoc sacramentum ad Episcopum pertineat, si aliquando ex dispensatione alteri committitur, expedit, vt saltem in ipsa materia Episcopalis autoritas interueniat. Denique, quia expedit, vt materia substantialis sacramenti quoad omnes suas conditiones essentiales sit inuariabilis: Episcopalis autem benedictio est substantialis conditio huius materiæ, vt ostensum est: & ideò non fuit cõueniens, vt variationem, seu dispensationem aliquam reciperet, maximè cum hoc non sit sacramentum necessitatis, & rarissime euenire possit necessitas, vel iusta occasio talis dispẽsationis. Sed quæret tandem aliquis, vtrum è contrariò possit summus Pontifex priuare inferiores Episcopos potestate conficiendi chrisma. Respondetur, non magis posse summum Pontificem priuare inferiores Episcopos hac potestate, quam potestate confirmandi, de qua infrà dicendum est: quia etiam hæc conuenit Episcopo iure diuino ex vi suæ consecrationis. Vnde talis actus præcisè ad potestatem ordinis pertinet, neque essentialiter requirit potestatem iurisdictionis. Potest ergo Episcopus iusta ex causa prohiberi, ne chrisma conficiat, sicut potest etiam ab alijs actibus sui ordinis suspendi, non tamen potest ita priuari potestate, quin si id faciat, factum teneat quanuis malè faciat sicut de alijs actibus præcisè sumpta potestate ordinis dici solet, infrà attingetur. Quo fit, vt chrisma cõfectum ab Episcopo hæretico, schismatico, vel excommunicato, verum chrisma sit, & sufficiens materia huius sacramenti: quia re vera illi conuenit totum id, quod

Dionys. Fabian. Cyprian. Cõcil. Rom. Tolet. Vormatien. Florent. Greg. XIII.

quod ex Christi institutione est de essentia huius materiæ: quanuis contrarium doceat Cypria. Epistol. 70. sed ipse procedit in sua sententia suprà improbata, vt Aug. etiã notauit, nostram docens sententiam li. 5. de bapt. c. 19. & 20. & tract. 118. in Ioan.

Cyprianus. August.

SECTIO III.

Quæ vnctio chrismatis sit materia proxima huius sacramenti.

DIximus de materia remota, superest vt de proxima dicamus. De qua primò certũ est, substantiã & essentiam eius consistere in vnctione ex chrismate facta, vt ex Cõci. Florẽ. & ex omnibus, quę hactenus tractauimus, constat, & ex generali regula sacramẽtorũ, quòd in illis, quæ in vsu cõsistunt, proxima materia ex actualis vsus materiæ remotæ circa eum, qui sacramentum recipit, vt in baptismo materia proxima est ablutio, & in Extrema vnctione vnctio ex oleo benedicto hic ergo est vnctio chrismatis. Confirmatur, nam illa est materia proxima sacramenti, in quam proximè forma cadit: sed forma huius sacramenti proximè applicatur ipsi vnctioni: ergo vnctio est proxima materia. Cõfirmatur secundò, nam illa est proxima materia, per quam proximè fit, & significatur effectus sacramẽti: huiusmodi autẽ est vnctio: vnde est illud Tertul. *Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur.* Tandem hac ratione sacramentum hoc sæpe vocatur, *Vnctio*, & significare dicitur athletam Christi. Legatur Dionys. dict. cap. 4. de Ecclesiastica Hierarch. & Cypria. Epist. 70. & August. dicto tractatu. 118. in Ioan. Solùm ergo superest explicandum, qualis & quanta debeat esse hæc vnctio. Circa primum de qualitate dicendum est, de necessitate huius materiæ esse, vt hæc vnctio fiat in figura, seu signo Crucis; ita sentiunt communiter Theologi, D. Thom. hic art. 4. ad 3. & alij in 4. d. 7. vbi Scotus. q. 1. in definitione huius sacramenti ponit, quòd sit vnctio in figura Crucis: expressius Duran. ibi, q. 2. n. 9. Gab. art. 1. Soto arti. 4. & alij. Probari autem solet ex Stephano Papa in c. Nunquid. de consecrat. d. 5. vbi dicit, *Omnia charismata sacerdotalis ministerij Crucis figura perficiuntur.* Sed ex huiusmodi generalibus locutionibus non colligitur essentialis ritus, vt superius circa testimonium Augustini in tract. 118. in Ioan. dicebamus probatur ergo ex veritate formæ huius sacramenti, nam ille modus significatus per formam in vsu materiæ, & necessarius ad eius veritatem, est etiam ex parte materiæ necessarius, & essentialis: sed per formam significatur, vnctionem hanc debere fieri in figura Crucis, vt ex illis verbis patet: *Signo te signo Crucis*; ergo illa figura vnctionis est essentialis huic materiæ. Dices hoc argumento rectè cõuinci, de necessitate huius sacramenti esse, vt Episcopus signet signo Crucis eum, quem confirmat, non tamen probari ipsammet vnctionẽ debere fieri sub figura Crucis: posset enim Episcopus priùs nudo pollice signare confirmandum, & posteà simpliciter contingere seu vngere chrismate. Imò videtur hic ordo, & hæc duplex actio esse consentanea verbis formę, quę sic habet, *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis*: nam per priorem partem significatur cõsignatio, per posteriorem autem chrismatis vnctio; & ita etiam possent facilè interpretari Patres, cùm hoc sacramentum vocant *signaculum Dominicum*, vt est apud Cyprianum. Epistol. 73. & apud Eusebium ex cornelio Papa lib. 6. Historiæ c. 33. alias. 35. vbi vocat, *Domini sigillum, quo baptizatus ab Episcopo obsignatur*, nam ad hoc satis est, vt sacramentum hoc signo Crucis perficiatur, quanuis ipsa vnctio sub illo signo non fiat. Vnde Ambrosius illas duas actiones videtur distinguere. li. 6. de sacrament. c. 2. dicens, *Vnxit te Deus, signauit te Dominus*, seu *Christus*. Nihilominùs certum existimo, signum Crucis debere adhiberi in hoc sacramento, non vtcunque, sed in ipsa vnctione, atq; adeo illam figuram esse essentialem modum huius vnctionis; huncq; esse sensum formæ, vt sentit D. Thom. in dicta solutione ad tertium, & colligitur ex antiquis Patribus. Dionysius enim cap. 2. de Ecclesiastica Hierarch. part. 2. circa finem, dicit, peracto baptismo perduci baptizatum *ad Hierarchiam qui vngentem, quod maximè diuinas efficit, eum signat*: alia verò translatio habet, *insignit*: quod generalius verbum, magisque æquiuocum est: tamen Innocentius I. dicta epistol. 1. cap. 3. propriè vtitur verbo signandi, seu consignandi, cum ait, *Non licere Presbyteris frontem ex eodem oleo*, idest, Chrismate, *signare quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum Paracletum*, & Greg. lib. 3. epist. 9. *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes signare in fronte Chrismate non præsumant*. Vnde proprijssimè Constantinus in suo edicto, *Septiformis*, inquit, *gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis vnctione, & vexillum sanctæ Crucis in mea fronte liniuit dicens, Signet te Deus*, &c. constat ergo ipsam vnctionem faciendam esse in figura Crucis, & hunc ritum semper esse seruatum, sicut modo seruatur, & huiusmodi signationem significari per illud verbum formæ, *Signo te signo Crucis*, vt etiam ex Pontificali Romano clarè constat. Est ergo hæc institutio, quæ per patriam traditionem ad nos peruenit. Eius verò congruentia adhiberi potest; quia per hoc sacramentum designatur, & armatur baptizatus, miles ad spiritualem pugnam; & ideo decuit, signo Crucis muniri, illudq; palam ferre, ne illud confiteri timeat, aut erubescat: quia vero sola vnctio est essentialis actio ex parte materiæ huius sacramenti, ideo eandem fieri oportuit sub figura Crucis; quia per illã confirmatur homo, & miles Christi designatur.

Tertul. Dionys. Cypria. August. D. Thom. Scotus. Durand. Gabr. Soto. Steph. Papa. Obiectio. Cyprian. Euseb. Cornel. Papa. Ambros. Responsio. D. Thom. Dionys. Innoc. I. Gregor.

Quæ sit materiæ quantitas necessaria.

Circa alterã partẽ de quantitate vnctionis sicut supra de baptismo, ita hic distinguere possumus de quantitate, aut ex parte materiæ seu chrismatis, aut ex parte subiecti quod vngitur. Ad priorem interrogationem facile dicitur, eam quantitatem chrismatis sufficere, quæ satis sit ad signum Crucis imprimendum in ea parte corporis, quæ consignãda fuerit. Vndè, cùm hæc consignatio successiuè fiat, parua sanè chrismatis quantitate perfici poterit. In secunda vero interrogatione certum est, de necessitate huius sacramẽti esse, vt hæc vnctio fiat, in fronte eius, qui confirmatur; quamquam enim hoc nõ explicetur in forma, tamẽ traditio & vsus docet, esse necessarium; & quidem de necessitate pręcepti res indubitata est; idque, vt minimùm, do

D.Thom. Durandus. Scotus. Palud. Gabriel. Soto. Syluest. Innoc. III. Cōcil. Floren.

cet D.Thom. infrà art. 9. quòd verò sit etiam essentiale, docuerunt expressiùs Durand. Scotus, Palud. Gab. Soto, Syluest. & alij suprà citati. Et colligitur ex omnibus decretis suprà citatis, in quibus prohibetur simplicibus sacerdotibus sola illa vnctio Chrismatis, quæ fit in frōte baptizati, quę dicitur propria Episcoporum; significant ergo, Confirmationem essentialiter esse vnctionem, seu Chrismationem in fronte, & ita illam vocat Innocent. III. in capit. vnico de sacra vnctione; rationemque reddit Concilium Florentinum dicens, *Ideò in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmando inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia secundùm Apostolum, propter quod Crucis signo signatur.* Ex quibus verbis nouum potest confici argumentum, nam æquè censentur hæc duo necessaria, signum Crucis, & quod fiat in fronte: sicut ergo primum est de essentia sacramenti; ita & secundum: videntur autem verba illa ferè sumpta ex Augustin, enarratione ad psalm. 141. dicente. *Vsque adeò de Cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem;* & subdit, *Quædam sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam ore, quædam per totum corpus: quia verò in fronte erubescitur, ille, qui dixit, Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo, ipsam ignominiam quodammodò, & quam pagani erubescunt, in loco puduris constituit:* significans, esse aliquod sacramentum, quod in fronte est necessario recipiēdum, quod tamen nullum esse potest, nisi sacramentum Confirmationis. Vnde est illud Tertulliani libr. de præscriptionib. hæreticor. capit. 40. *Signat in frontibus milites suos.* Dices, nunquam expresse affirmari hāc ceremoniam esse essentialem. Propter hoc Ledesma hîc, artic. 9. dicit hoc tantùm esse de necessitate præcepti Ecclesiæ, non sacramenti, & consequenter, quocunque loco vel parte corporis fiat vnctio, factum tenere, licèt peccet sic administrans. Sed est sententia non solùm falsa, sed etiam valdè temeraria, vt satis patet ex his, quæ adduximus, & quæ adducit Bellarm. libr. de hoc sacramento. capit. 8. Respondetur ergo, non oportere, vt Patres antiqui dicant esse de essentia, in actu signato (vt sic dicam) & scolastico more, hoc enim non est apud illos vsitatum; satis ergo est, quòd hæc ceremonia inter essētialia numeretur, & quòd inuariabili ritu seruata semper sit, ac seruetur: sic enim in Extremæ vnctionis sacramento colligimus, vnctiones quarundam partium esse essentiales, ex perpetuo & inuariabili ritu, & quia ex traditione inter essentialia numerantur. Sed vrgebis, simili argumento posse probari, non solam vnctionem in fronte, sed quasdam etiam alias esse essentiales, nam Cyrillus Hierosolym. catech. 3. Mystagogica æquè dicit, frontem, & alios sensus corporis chrismate inungi. *Et primum quidem,* inquit, *fronti illinitur, vt eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circunferebat, simulque efficiat, vt possitis vultu non velato gloriam Domini intueri;* & addit, *Deinde verò aures vnguntur, posteà nares, &c.* Respondetur, fortasse eam ceremoniam tunc in ea Ecclesia obseruari solitam fuisse, quæ tamen neque in alijs, præsertim in Romana, fuisse legitur, neq; nunc seruatur, & hoc est sufficiens signum, illas alias vnctiones non esse, nec fuisse vnquam de essentia, sed accidentarias: neq; ipse Cyrillus eas ponit, vt omnino æquales, sed vnctionem in fronte ponit vt primariam, & substantialem; alias vt accessorias. Atque ex his satis etiam constat congruentia huius ritus, præsertim ex verbis Cyrilli, Augustini, & Concilij Florentini, quam latiùs explicat D.Thom. infrà art. 9.

August. Tertul. Ledesm. Bellarm. Cyri. Hieros. Aug. Conc. Floren. D.Thom.

Non omittam autem hoc loco inquirere, an sit de essentia huius materiæ, quòd vnctio & consignatio proximè fiat manu & pollice Episcopi; nihil enim de hoc inuenio ab autoribus dictum: cū tamen res possit in dubitationem venire: nam posset hæc vnctio fieri ab Episcopo medio aliquo instrumento, vt penna, aut alio simili, & tunc ex parte materiæ nihil videtur deesse ex his, quæ, vt essentialia, ab omnibus ponuntur, quæque sufficerent ad veritatem formæ, & omnium particularum eius: neque etiam aliquid deesset ex parte ministri, nam tunc etiam verè Episcopus inungeret, sicut verè scribit, qui medio calamo scribit: non videtur ergo hoc esse essentiale. In contrarium est, quòd Pontificale Romanum dicit, hāc vnctionem debere fieri ipso pollice dextræ manus chrismate intincto, & hoc videtur perpetuò in Ecclesia seruatum: quin potiùs ait Durandus lib. 6. Rationalis, capit. 84. pollicem Pontificis ad hoc specialiter in eius consecratione consecrari. Respondetur, Non videtur dubium, quin hoc sit de necessitate præcepti: quia est res grauis, & ab Ecclesia seruata, & præscripta in ritu tradendi hoc sacramentum. Deinde probabile mihi est esse necessarium, & essentiale, vt hæc vnctio immediatè fiat manu seu digito Episcopi propter ea, quæ de manus impositione dicemus statim dubio sequente: est enim probabile, manus impositionem esse aliquo modo de essentia huius sacramenti. Quòd hęc vnctio fiat pollice manus dextræ, non videtur ita essentiale, quin si contingeret fieri alio digito, etiā manus sinistræ, sacramentum factum teneret: quia tūc esset sufficiens manus impositio, & cætera omnia, quæ ex parte materiæ & formæ vt essentialia ab omnibus requiruntur, concurrerent. Illud verò speciale de pollice dextro, quamuis in pontificali ponatur, & pręcipiatur, quia regulariter est aptius ac decentius, non tamen potest inde colligi, quòd sit essentiale; nec video aliquod sufficiens fundamentum ad id asserendum.

SECTIO IIII.

Vtrùm sola vnctio chrismatis absq; alia manus impositione sit necessaria materia proxima huius sacramenti.

Dvo possūt in hoc titulo inquiri, quæ dictio exclusiua indicat. Vnū est, an prædicta vnctio sit ita necessaria, vt sine illa nō sufficiat manus impositio. Aliud est, an præter illam requiratur manus impositio. Et primū quidē horū satis videtur ex dictis resolutū: ostensum est enim esse hāc vnctionem essentialem materiam; sed sine parte essentiali non potest confici sacramentum; ergo sine prædicta vnctione, nulla manus impositio potest sufficere. Atque hinc etiam videtur expedita posterior quæstio, quia etiā videtur satis demōstratum, hanc esse totam materiam proximam huius sacramenti, in quam solùm cadit forma, quā oportet esse efficacem. In contrarium autem est factum Apostolicum, propter quod explicandum, hoc dubium propositum est: legimus enim in Actis Apostolorū 8. & 9. cap. Apostolos sæpè tradidisse hoc sacramentū sola manus impositione absq; vlla vnctione, aut chrismate: ergo signum est vnctionem non esse essentialem, solamque manus impositionē posse sufficere: aliunde verò nunquam in Scriptura legimus hoc sacramentum datum esse sine manus impositione; cur ergo negabimus esse essentialem, præsertim, cū ex antiquis Patribus habeamus, etiā post Apostolorū tempora, seruatā in Ecclesia fuisse? Hinc enim Cyprian. Episto. 72. manum dicit imponi ad accipiendum seu dandum Spiritum sanctum, & Tertul. lib. de resurrect. carnis, cap. 8. *Caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur,* & lib. de baptism. cap. 8. *Dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum:* quibus locis Pamelius multa congerit, & August. lib. 3. de baptismo contra Donatistas, cap. 16. In Ecclesia Catholica inquit dari Spiritum sanctum per manus impositionem; & similia testimonia reperientur passim in Patribus citatis: apud quos hac de causa hoc sacramentum frequētiùs vocatur manus impositio.

Act. 8. & 9. Cyprian. Tertull. Pamelius. August.

Quomodo vsi sint Apostoli manus impositione. 1. Opinio. Alensis. Bonauent.

In hac re priùs explicabimus Apostolorum factum, seu cōsuetudinem, & in facilè cōstabit, quid de re ipsa dicēdum sit. De vsu ergo Apostolorum variæ sunt opiniones. Prima est, Apostolos semper fuisse vsos sola manus impositione ad confirmandum fideles absq; chrismate vel vnctione. Ita tenent Alensis 4. part. quęst. 24. memb. 1. & 2. & Bonauent. in 4. distinct. 7. art. 1. quæst. 1. & 2. qui nō solùm de Apostolis ita sentiunt, sed etiam de alijs Episcopis primitiuæ Ecclesiæ per aliquot annos, seu vsq; ad Conc. Meldense, vt ait Alensis: quia nō potuerūt (inquiūt) in primitiua Ecclesia statim omnia redigi ad eum ordinem, in quo erant permansura. Hæc verò opinio, quātum ad alios Episcopos præter Apostolos, & maximè per illorū tempora, est prorsus falsa, & improbabilis, & nititur falso fundamēto, quòd vnctio chrismatis non sit ex Christi institutione, & Apostolorum traditione: cuius contrarium satis ostēsum est, neq; quoad hāc partem nititur hæc opinio aliquo probabili fundamēto, cui satisfacere sit necesse. Quoad aliā verò partē de personis Apostolorū, est hæc opinio incerta, sed probabilis: incerta quidē, quia, licèt legamus, Apostolos confirmasse imponendo manus, non tamen legimus, chrisma & vnctionē eos non adhibuisse, & multò minùs reperimus scriptum, nunquā omnino seruasse Apostolos hunc ritum: quin potiùs quamuis in Actis hoc non legatur, videtur tamen colligi ex his, quæ Fabianus, Cyprianus, & alij antiqui de confectione chrismatis scribunt, & in superioribus relata sunt. Probabilis verò est hęc pars. Primò, quia ex vno & alio facto possumus similia probabiliter coniectari. Secundò, quia ad Apostolicam dignitatem pertinuit, vt faciliori modo per solam manus impositionem darent Spiritum sanctum. Tertiò, quia fortasse non poterant tam facilè vti balsamo. Quartò, quia tunc dabatur Spiritus sanctus visibiliter, vt constat ex Actor. 8. in illis verbis, *Cùm vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus;* & cap. 10. Loquēte Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt, qui erant ex circumcisione fideles. Neq; enim ille vidisset, neq; hi obstupuissent, nisi Spiritus sanctus descenderet sub aliquo signo visibili, aut columbæ, aut ignis, vt est probabilius ex Actor. 11. Vltimò ex Conc. Florēt. dicente, *Loco illius manus impositionis Apostolicæ dari nunc in Ecclesia Confirmationis sacramentum.* Vnde iuxta hanc opinionem dicendum consequenter esset, Apostolos re vera non administrasse proprium & sensibile sacramentum Confirmationis secundū eum ritum sensibilem, quem Christus instituit, vt perpetuò in Ecclesia duraret, sed habuisse specialē dispensationem vtendi alio signo simplicis manus impositionis; ac propterea illam manus impositionem, neque nunc sufficere, neq; vnquam fuisse necessariam ad conficiendum hoc sacramentū, prout institutum fuit, vt lege ordinaria, & absq; dispensatione administraretur: quæ dispensatio nullis alijs præterquàm Apostolis concessa legitur.

Fabian. Cyprian. Actor. 8. 10. Actor. 11. Conc. Floren.

2. Opinio. Bellarm. Hugo de Sancto Victo.

Secunda sententia extremè contraria est, neque Apostolos, neque aliquem alium præter Christum seu Deum ipsum dedisse effectum Confirmationis absque vnctione chrismatis, neque adhibuisse vnquam, saltem vt necessariam, aliam manus impositionem præter eam; quæ in prædicta vnctione includitur. Hanc opinionem tenet Bellarmin. lib. 2. de hoc sacramento, cap. 9. citatque Hugonem de Sancto Vict. lib. 2. de sacrament. part. 7. cap. 2. Sed Hugo nihil apertè dicit; sic enim ait, *Manus impositio, quæ vsitato nomine Confirmatio vocatur, qua Christianus vnctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis debetur sicut in primitiua Ecclesia soli Apostoli per impositionem manuum Spiritum sanctum dabant,* non tamen explicat, an illa manus impositio Apostolica includeret omnia, quæ nunc includit nostra chrismatis vnctio: citat præterea Vvaldensem tom. 2. de sacrament. cap. 113. vbi re vera videtur ita sentire; imò significat esse certū de fide his verbis, *Nemo igitur dicat, qui vult esse fidelis, quòd sacramentum Confirmationis fiebat sine vnctione per solam manus impositionem à Christo & Apostolis, non enim minùs manus imponit, qui vngendo imponit,* vnde priùs dixerat. *Non rectè ergo colligunt dicentes, in Confirmatione non fuisse oleum vnctionis, vel Chrismatis in primatiua Ecclesia, sed ad acceptionem Spiritus sancti fuisse tantùm manus impositā.* Fundamentum eius est, quia institutio chrismatis ab ipso Christo facta est, & Apostolis tradita, vt suprà ostendimus, & ipse ibi confirmat ex Beda, Cæsario, & alijs. Responderi autem potest, institutionem quidem à Christo esse factam, & Apostolis datam; qui eam etiam Ecclesiæ tradiderunt, vsum autem illius institutionis, neque à Christo, neque ab Apostolis fuisse exercitum. Et de Christo quidem res certa est, nec video, cur Vvaldensis illum cum Apostolis coniunxerit: suprà enim ostendimus, Christum nunquam per se ipsum ministrasse Confirmationis sacramentum. Certa etiam res est, Christum interdùm dedisse Spiritum sanctum, & Confirmationis gratiam, non solum sine vnctione, verùm etiam sine vlla manus impositione, vt Apostolis & discipulis in die Pentecostes Actor. 2. & Cornel. & alijs in domo eius. Actor. 10. De Apostolis verò, quamuis res ita certa non sit, quia illi non habebant potestatem excellentiæ, sicut Christus; tamen

Vvaldens. Beda. Cæsarius. Actor. 2. 10.

ex institutione saltem non probatur, eos habuisse præceptum, seu non habuisse priuilegiũ non vtendi eo signo instituto, sed alio, & faciliori, & illi tempori magis accõmodato, & maiorem quandã dignitatem & potestatẽ præ se ferente, qualis erat manus impositio. Sed contra hoc replicatur ex verbis eiusdẽ Vualdẽsis, quia, si institutio à Christo facta est, ergo & regulare præceptum vngẽdi chrismate ad cõfirmandum fideles à Christo etiam latum est: ergo nullus est ab hoc præcepto excipiendus, nec priuilegium, aut dispensatio asserenda sine fundamẽto: nullum autem est, vt dicamus, Apostolos habuisse hoc priuilegiũ. Primò, quia ex Scriptura nõ colligitur; nam Scriptura solùm dicit, eos cõfirmasse per manus impositionem, qui autem à parte totũ nominat, non excludit reliquas partes: vnctio autẽ includit manus impositionem: ergo ex illa appellatione nõ potest colligi, illam manus impositionem non fuisse vngentem, seu chrismãtem, vt sic dicã. Et confirmari potest, nam eodem modo, quo Lucas in Actibus, antiqui Patres dicunt, in Ecclesia dari Spiritum sanctum per manus impositionẽ, vt patet ex Vrbano Papa Epist. vnica, & Leone Epistol. 88. August. lib. 3. de baptismo. c. 16. Cypriano serm. de ablutione pedum. Tertull. & alijs, locis suprà citatis, & citandis, & non propterea excludunt vnctionem, neq; aliam manus impositionem significant, aut requirũt, quàm illam, per quã ipsa vnctio fit: ergo & potest ita exponi Lucas, & ipsi Patres tacitè ita illum interpretantur. Secundò, neque est vlla congruentia ad hoc priuilegium asserendum, nam, per se loquendo, potiùs cõgruentius erat, vt in initio Ecclesiæ, quando eius fundamenta iacebantur, non vterentur Apostoli dispensationibus; nec priuilegijs, præsertim in ministerio sacramentorum, quæ perpetuò erant futura quædam certa signa Ecclesię visibilis. Aliunde verò nõ est verisimile, Apostolos omisisse vnctionem propter defectũ materiæ, quia materia olei facilis erat, nam etiam viuente Christo solebant ipsi infirmos oleo inũgere, Marci sexto, materia autem balsami, quamuis rarior esset, & pretiosior, tamen in illa regione, & in parua quantitate facilè haberi poterat. Item, si Magdalena libram vnguenti pretiosi effudit super caput Christi, & si Ioseph ab Arimathęa, & Nicodemus emerunt centum libras misturæ ad vngendum corpus Christi mortui, qui est credibile defuisse Apostolis exiguam quantitatem balsami ad confirmandos fideles? Non ergo id omiserunt propter penuriam materiæ. Neq; etiam propter difficultatẽ, quia nulla in hoc maior erat, quã in vngendis oleo infirmis. Nec propter dignitatẽ, quia nihil de Apostolica dignitate diminuit habere potestatem sacramentis à Christo institutis alligatam; nec minùs ostenditur diuina virtus dando gratiam Spiritus sancti per vnctionem, quàm per nudam manus impositionem. Nec denique omiserunt, quia tũc daretur Spiritus sanctus visibiliter; tunc quia si hæc fuisset causa sufficiẽs, omne aliud signũ sensibile, etiam ipsa manus impositio omittẽda fuisset: tum etiam quia illud sensibile signum, quod diuinitus apparebat, & nõ constat fuisse vniuersale in omnibus, & fortasse non erat semper in signo aliquo, quod simul iungeretur cum infusione Spiritus sancti, sed in aliquo effectu sensibili qui posteà sequebatur, vt verbi gratia, quòd loquebãtur linguis, & prophetabant, vt Augustinus significat libro tertio de baptismo, cap. 16. Ac denique quicquid illud esset, erat quid subsequens & posterius ad actionem, quam Apostoli exercebant, vt daretur Spiritus sanctus: ergo oportebat, vt ipsi vterentur signo de se sufficiente ad confirmandum, siue posteà dandus esset Spiritus sanctus sub alio signo visibili, siue non.

Vrbanus. Leo. August. Cypria. Tertull. Magdalena. Ioseph ab Arimat. Nicodemus. August.

Præcipua huius opinionis ratio.

Tertiò principaliter, quia ex antiqua traditione habemus, Apostolos vsos fuisse chrismate & vnctione, & tali manus impositione, qualis est illa, qua nunc vtitur Ecclesia ad confirmandos fideles, quæ solum ea est, quæ in ipsa vnctione intrinsecè includitur. Assumptum patet primò ex Fabiano dicta Epistola dicente, Apostolos, non solùm docuisse, sed etiam seruasse consuetudinem singulis annis conficiendi Chrisma, & concremandi vetus, & vtendi nouo. Secundò ex August. 15. de Trin. cap. 28. dicente, de Apostolis, *Orabant, vt Spiritus sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant*; & subdit, *Quem morem in suis Præpositis etiam nũc seruat Ecclesia*: quomodò dixit etiam Cyprianus epistol. 72. loquens de suo tempore, imponi manum, vt detur Spiritus sanctus; & clariùs epist. 73. dicit, ritũ, quẽ Petrus & Ioannes Actor. 8. seruarunt, orando & imponendo manum, esse eundem cum illo, quem Ecclesia suo tempore tenebat: sic enim ait. *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizãtur præpositis Ecclesię offerantur, & per nostrã orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequãtur, & signaculo dominico consummentur.* Est etiam optimum Eusebij Papæ testimonium epist. 3. in fine vbi sic inquit. *Manus quoque impositionis sacramentũ magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici nõ potest, nisi à summis sacerdotibus*, vbi per sacramentum manus impositionis intelligit sine dubio sacramentum chrismatis, quod vnctione perficitur, & tamen subiungit, *Nec tempore Apostolorum ab alijs quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur, peractum esse*: sentit ergo, illud ipsum manus impositionis sacramentum ab Apostolis peractum esse, & hanc esse Apostolicam manus impositionem, quæ in Actis Apostolorum legitur. Hoc tandem confirmant verba Innocentij III. in cap. vnico. §. penultim. de sacra vnctione, scilicet. *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine Cõfirmationis dicitur*: igitur illa tria, chrismatio, manus impositio, Confirmatio, in præsenti idem sunt, atque idem significant, & tamen subdit statim, *Cùm ceteras vnctiones simplex sacerdos possit conferre; hanc non nisi Episcopus confert; quia de solis Apostolis legitur, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant*: sentit ergo illam manus impositionem fuisse eandem, quæ nunc est; quæque nomine etiam chrismationis, seu vnctionis in fronte significatur. Atque iuxta hanc sententiam, quæ sine dubio satis pia est, & probabilis, cessat omnis præsentis quæstionis difficultas: quia consequenter dicendum est, & aliquam manus impositionem esse de essentia huius sacramenti, & nihil aliud præter vnctionem manu Episcopi factam; qui illa est quædam manus impositio, quam esse sufficientem probat satis præsens Ecclesiæ vsus, à quo ostendimus, substantialiter non discrepasse Apostolorum ritum. Neque contra hanc sententiam vrgent coniecturæ adductæ in fauorem præcedentis sententiæ: omnibus enim iam satisfactum est, præter quàm verbis

Fabian. August. Cyprian. Actor. 8. Euseb. Papa. Innocen. III.

verbis Concil. Florent. dicentis, *Loco manus impositionis Apostolicæ dari in Ecclesia Cõfirmationem*: ad quę facilis est responsio, illis verbis non significari diuersa esse hæc sacramenta, aut diuersos illorum ritus, sed solùm hoc facere Episcopos nunc confirmando, quod Apostoli faciebant manus imponendo; & idem nunc significari nomine Confirmationis, quod tunc manus impositionis; ac denique sicut Episcopi dicuntur successisse loco Apostolorum, quamuis Apostoli fuerint veri Episcopi, quoad substantiam, & potestatem ordinis eiusdem rationis cum suis successoribus, superiores tamen in iurisdictione, & alijs gratijs: ita nostra Confirmatio esse dicitur loco illius manus impositionis, non quia in ritu substantialiter differat, sed potiùs quia eandem sacramenti rationem retinet, licèt in quibusdam effectibus & gratijs maiorẽ quandam excellentiam habuerit Apostolorum manus impositio.

3. Opinio.

Tertia, & media sententia est, Apostolos interdùm vsos fuisse nuda manus impositione absque vnctione vt daretur Spiritus sanctus ad robur, & confirmationẽ fidelium, interdùm verò vsos fuisse vnctione chrismatis. Ita sentit D. Thom. hic artic. 2. ad primum, & art. 4. ad primum, quàm, non vt certam (vt quidam temerè dicunt) sed vt probabiliorem sequuntur Thomistæ, Palud. distinct. 7. quæst. 1. art. 2. nu. 12. & art. 3. nu. 24. & Soto art. 2. ad primum. Ledesma hic art. 2. dub. 5. & idẽ sentit Durand. q. 2. ad 1. & Gab. q. 1. art. 5. & Scotus quæst. 1. Richard. art. 12. quamquam re vera omnes hi autores dubij sunt, & non parum fauent pręcedenti sententiæ, præsertim Paludan. & Durand. atq; hanc opinionẽ secuta sunt duo recentiora prouincialia Concilia. Moguntinum in doctrina fidei, cap. 18. & Concil. Coloniense in doctrina de hoc sacramento. Fundamenta huius sententiæ sumenda sunt ex præcedentibus, nam quòd aliquando Apostoli non fuerint vsi chrismate, sed nuda manus impositione significant verba Actor. 8. & 19. simpliciter, & vt iacent intellecta, & similiter verba suprà tractata ex Concil. Florent. & coniecturæ adductæ in primo opinione: quòd verò aliquando etiam vsi fuerint chrismate, suadent argumenta secundæ opinionis, præsertim secundũ & tertium, quatenus ex autoritate antiquorum probant, Apostolos confecisse chrisma suo tpe, eoq; vsos fuisse, atq; adeò sacramentum Confirmationis ministrasse. Nã iuxta hanc opinionem consequenter dicẽdum est, illã priorem simplicem manus impositionem, re vera non fuisse sacramentũ Confirmationis, quod nunc habemus, quia in ritu sensibili valde differebat, imò nec simpliciter sacramentum fuisse, quia non erat ceremonia firma, & stabili lege instituta, tamen quia per illam fiebat idẽ effectus quoad substantiam, qui fit per sacramentum Cõfirmationis, & quia tunc supplebat vicẽ huius sacramenti, ideò (dicit hæc opinio) & illa manus impositio interdũ sacramentum dicitur, & è contrario nostra Confirmatio dicitur manus impositio, & tanquam vnum quid indicantur, atq; in hunc modum respondendum est iuxta hanc opinionem ad fundamenta secundæ sententiæ, quatenus illi obstare possunt.

D. Thom. Paludan. Soto. Ledesma. Durand. Gabr. Scot. Conc. Magun. Conc. Colon. Act. 8. & 9. Conc. Floren.

Quòd si inquiras, quando Apostoli vno vel alio modo vsi sunt ad confirmandos fideles, regula generalis, quæ ex prædictis autoribus sumi videtur, hæc est, quòd quãdo Spiritus sanctus dabatur missione visibili, seu cũ effectu sensibili doni linguarum, aut similibus, tunc Apostoli confirmabant sine vnctione: quando verò cessarunt illa signa visibilia, tunc cœperunt Apostoli vti Chrismate. Hæc autem duo quidam distinguunt per personas, non per tempora, nam Gentilibus, inquiunt, Spiritus sanctus dabatur modo visibili, vt patet Actorum 10. Iudæis autem dabatur sine effectu sensibili, quia signa, vt Paulus 1. ad Corint. 14. data sunt infidelibus, non fidelibus; & quia oportuit signis ostendi gratiam legis nouæ communem esse gentibus. Hanc opinionem citat Ledesma hic artic. 7. dub. 4. ex Beda Actor. 10. & Vualdensi in tom. 2. de sacramentis cap. 11. sed eo loco nihil dicit, neque inferiùs cap. 5. & sequẽtibus, in quibus de hoc sacramento disputat, nec Beda de hac re ibi loquitur, sed de alio speciali miraculo quod Actor. 10. accedisse narratur; quòd scilicet Spiritus sanctus descendit in eos, qui nondum fuerant baptizati, quod specialiter factum est in Gentilibus ad eorũ vocationem confirmandam.

Actor. 10. Paul. 1. Corinth. c. 4. Ledesma. Beda. Vualdens. Actor. 10.

Vnde hic dicendi modus improbabilis est, nam, vt omittam omnes discipulos, qui in die Pentecostes Spiritum Sanctum visibiliter cum Apostolis acceperunt, illi, qui in Samaria confirmati sunt, Iudæi erant, & tamen visibiliter eis datus est Spiritus sanctus: imò ex Actor. 10. colligitur, nunquam fuisse Spiritum sanctum visibiliter datum gentibus, ante Cornelium, & socios eius; cùm tamen constet sæpiùs fuisse anteà visibiliter datum: ergo ad Iudæos etiam illo modo mittebatur. Verius ergo fit illa distinctio per temporum diuersitatem: nam in initio Apostolicæ prædicationis dabatur Spiritus sanctus sub signo, vel effectu visibili, & hoc erat regulare, & ordinarium, & cõueniens ad fidem suadendam, & stabiliẽdam; posteà verò, viuentibus adhuc Apostolis, cessauit ille extraordinarius modus mittendi Spiritum sanctum: quia iam fides & Ecclesia cœperat sufficienter fundari, & tunc cœperũt etiã Apostoli vti vnctione chrismatis tãquàm regulari ac ordinario medio à Christo instituto ad confirmandos fideles, cùm priùs ex speciali commissione nuda, manus impositione vterentur.

Actor. 10.

Atque ita etiam iuxta hanc sententiam facilè expeditur proposita quæstio; dicendum est enim nullam manus impositionem distinctam ab vnctione chrismatis manu Episcopi facta esse de essentia huius sacramenti, ipsam verò vnctionem esse essentialem, & vtrumque satis constare ex dictis, & ex vsu Ecclesiæ, neque huic veritati obstare Apostolicum factum; quia illud non fuit iuxta legem & institutionem sacramentorum, sed præter illam ex speciali commissione, vel dispensatione; & consequenter signum illud simplicis impositionis manus non fuisse verum sacramentum Confirmationis quoad substantiam, fuisse verò quoad effectum.

Quòd si quis tandem inquirat, quęnam istorum opinionem probabilior sit. Respõdeo breuiter, secundam & tertiam esse longè probabiliores prima: quia non videtur negandum, Apostolos aliquãdo chrismate vsos esse ad confirmandos fideles: tum propter autoritatem antiquorum Patrum; tũ quia per se decens fuit & conueniens, omnia sacramenta viuentibus Apostolis fuisse in vsu in Ecclesia, & præsertim hoc, quod est proprium Episcopalis muneris;

Universidad de Deusto Biblioteca

neris; tum denique, quia non est verisimile illa miracula dandi Spiritum sanctum visibiliter & extraordinario modo multo tempore durasse. Inter secundam autem & tertiam opinionem, quantum ad illud, in quo differūt, difficile est ferre iudiciū, quia res est valde ambigua, & dubia; placet tamen non discedere à D. Thomæ sententia, præsertim quia etiam Concilium Florent. in eā inclinasse videtur; de quo pauca addemus in sect. sequent. *D.Thom. Concil. Flor.*

SECTIO V.

Vtrum tota hæc forma sit essentialis, Signo te signo Crucis, & cōfirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

DIfficultas circa hanc formam nō minor est, quàm circa materiā huius sacramenti, quia nihil omnino de illa legimus in Scriptura sacra: si autem ad traditionem confugimus, magnam in antiquis Patribus reperimus varietatē. Primò enim in edicto Constantini legimus Syluestrū hac forma confirmasse Cōstantinum, *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in consignatione fidei.* Secundò, Ambros. lib. 3. de sacramentis, cap. vltimo, hanc ponit formā, *Deus, qui te regenerauit, omnipotens, cōcessitq; tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam.* Tertiò, Alcuinus libro de diuinis officijs, capite de Sabbatho sancto dicit, Romanum Pontificem confirmaturum baptizatos solitum esse, orationē præmittere, per quā eis inuocat septiformem Spiritus sancti gratiā; eaque finita facere Crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti pax tibi.* Vnde videtur, priorem orationem esse tantum præambulā, & ceremonialem, solaq; posteriora verba poni vt essentialia huic formæ; atq; eodem modo refert huius sacramenti administrationē Durandus in Rationali diuinorum officiorum, lib. 6. cap. 84. Quartò, alij Patres scribentes de hoc sacramento, vel nullā faciunt mentionem formæ, vel solius vnctionis, vt Cyrillus Hierosolymit. catechesi quarta Mystag. & Dionysius capit. 1. de Ecclesiastica Hierarchia, vel, ad summum, adiungunt Pontificis, vel Episcopi orationem, vt videtur etiam Dionysius, cap. 4. de Ecclesiastica Hierarchia, & clariùs Augustinus 15. de Trinitate, cap. 26. qui id colligit ex verbis Actorum 8. *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritū sanctum. Quem morem, inquit, in suis Præpositis etiam nunc seruat Ecclesia.* Vnde Amalarius lib. de Ecclesiasticis officijs, cap. 27. sentit, formam huius sacramenti esse deprecatiuam, neq; aliam ponit præter orationem, per quam Episcopus Spiritū sanctum postulat infantibus, cùm eos signat, quia illi non dant Spiritum sanctum: sed dari petunt.

Constantin. Syluest. Ambros. Alcuinus. Durand. Cyrill. Hiero. Dionys. August. Amalarius.

1. Conclusio. Concil. Flor. Nihilominus dicēdum in primis est, formam in prædictis verbis contentam, esse sufficientem ad sacramentum Confirmationis conficiendum. Cōclusio est de fide, primò ex definitione Concil. Florent. Secundò, quia certum de fide est, esse in Ecclesia Romana legitimum sacramentorum vsum, cap. Ad abolendam, de Hereticis: vsus autem legi- A timus, vt minimum, requirit applicationem eorū omnium, quæ ad verum sacramentum conficiendum sufficiant; cùm ergo Romana & Catholica Ecclesia hac sola forma vtatur, de fide certum est illam esse sufficientem. Tertiò id egregiè declarat Diuus Thomas, quia per hanc formam significantur omnia, quæ significari oportet, scilicet materia remota, & proxima, finis, & effectus, causa principalis, instrumentalis, ministerialis, & actus eius; nihil ergo aliud desiderari potest, vt sit sufficiens. *D.Thom.*

2. Conclus. Secundò dicendum est, hæc verba continere formam necessariam, & essentialem constitutiuam huius sacramenti, nullamque aliam posse esse sufficientem, quæ huic non æquiualeat, saltem in sensu, & significatione substantiali. Est eodem modo certa; nam Concilium Florentinum assignans materias, & formas sacramentorum, præsertim quando in B particulari eas præscribit, solùm determinat eas, quæ necessariæ, & essentiales sunt. *Concil. Flor.* Imò hoc videtur esse de ratione formæ; quia, cùm cōstituat speciem, debet in indiuisibili consistere. Vnde Theologi omnes dicūt (vt suprà visum est) mutationē, quæ variat sensum formæ, illam prorsus destruere. Tertiò probatur, quia sacramentum Confirmationis vnum & idem est in vniuersa Ecclesia, quia sacramenta debent esse eadem apud omnes, saltē essentialiter, vt suprà visum est: ergo nulla alia forma potest sufficere præter dictam, nisi ei in sensu, & significatione æquiualeat. Vltimò tandem ita declaratur, quia necesse est in hoc sacramento interuenire aliquam præscriptam verborū formam; hoc enim est de ratione sacramentorum nouæ legis, vt suprà visum est: ergo necesse est, talem formam esse à Christo Domino immediatè institutā, C à quo totum sacramentum immediatè institutum esse ostendimus: ergo necesse est, illam formam esse vnam, & eandem; quia institutio Christi vnica tantùm fuit, & mutationem non recipit: ergo, si hæc forma est sufficiens, est etiā necessaria, & vnica; neq; vlla alia potest sufficere, nisi quatenus eadem est cum ista, in sensu, & significatione. Quo fit, sicut in omni loco; ita & in omni tempore esse, semperque fuisse hanc formam necessariam, &, sicut nunquam defuit in Ecclesia vsus huius sacramenti, ita neque vsum huius formæ defuisse: quòd si aliqua varietas inueniatur, mutatio erit accidentalis, non substantialis.

Singulæ particulæ huius formæ expenduntur. Sed, vt hoc ampliùs declaretur, per singulas particulas illius formæ discurrendum est, &, quomodo singulæ accidentales, vel essentiales sint, explicandum. D Primum ergo certum est, verba illa, *Signo* & *Chrismo*, quatenus significant actionem ministri; & pronomen, *te*, vt significat subiectum, circa quod illa actio versatur, esse de essentia huius formæ, sicut dictum est de illis verbis formæ baptismi *Baptizo te*; est enim eadem ratio, vt omnes Theologi docent: videri ergo possunt, & hic applicari, quæ ibi dicta sunt. Difficultas autem est, an geminatio illorum verborum, *Signo & chrismo*, sit de essentia, vel alterum proferre sufficiat; *Signo, & Cōfirmo.* & ratio dubitandi, esse potest; quia, quodcunque illorum per se proferatur, manet integer sensus formæ: ergo manet integra forma, quæ magis ex sensu, quàm ex verborum pluralitate, pensanda est: antecedens patet; nam si dicat, *Signo te chrismate salutis*, significat minister totum actum suum, qui est signare & vngere, qnia non potest signare chrisma-

chrismate, nisi vngat: addendo autem illam particulam salutis satis significat effectum, & finem huius vnctionis. Rursus, si tantùm dicat, *Confirmo te chrismate salutis*, vtrūque etiam satis explicat, maximè secūdùm communem sensum & vsum illius verbi, *Confirmo*, qui potissimùm attendendus est in verbis sacramentorum: assumptum patet, quia, sicut Confirmatio, vt est nomen, nō tantùm significat effectum sacramenti Confirmationis, sed etiā sacramentum ipsum, & in ea significatione hæ voces, *Confirmatio, signaculum*, & similes, synonymæ sunt, ita verbum, *Confirmo*, non tantùm significat interiorem & spiritualem vnctionem, quæ est effectus sacramenti, sed etiam exteriorem & sensibilē, quæ est materia sacramenti: ergo in hac significatione perinde est dicere, *Confirmo te*, & signo, vel vngo. Vnde quidam referunt, in quodam Ordine Romano antiquo solùm haberi hanc formā, *Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quod, si ita est, reddit probabilem hanc sententiam.

D.Thom. Alex. Alens. Richard. Bonauen. Scotus. Gabr. Palud. Soto. Conc. Flor. Ambros. 2.Cor.1. Nihilominus dicendum videtur, vtrumque verbum esse essentiale, prout Diuus Thomas hic sentit, & Alexand. Alens. 4. part. quæst. 24. memb. 2. art. 2. §. 1. alij Doctores distinct. 7. clarè Richard. artic. 2. quæst. 2. Bonauentu. quæst. 1. Scotus quæstione vnica. Gabr. artic. 1. Palud. quæst. 1. nu. 14. Soto artic. 4. Fauet Concil. Florent. ponens in forma vtrumque verbum, quod significauit etiā Ambrosius lib. de ijs, qui initiantur, cap. 7. *Accepisti, inquit, signaculū spirituale*, & infrà, *Signauit te Deus Pater, Confortauit te Christus*, & libr. 1. de Spiritu sancto, cap. 6. *Vnxit nos Deus, & signauit nos*, & fundamētum habet in verbis Pauli. 2. ad Corinth. 1. dicentis, *Qui confirmat nos, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, *Theodor. Anselm.* vbi Theodoretus. *Ipse, inquit, nos vnxit, & sanctissimi Spiritus signaculo dignos duxit*, & Anselmus, *Signauit, inquit, nos signo Crucis, quod nostris frontibus impressit, & dedit pignus Spiritus, quando per impositionem manus accepimus Spiritum sanctum.* Videtur ergo Paulus eo loco ad hoc sacramentum, & ad verba formæ eius allusisse. Ratio verò est, quia illa duo verba non possunt dici synonyma, neque æquipollentia, nam quolibet dempto aliqua significatio substantialis tollitur: ergo, vel vtrumque est de essentia, vel neutrum, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, & quia neutrum supplet significationem alterius. Assumptum declaratur; quia per verbum, *signo*, vel *consigno*, propriè significatur actio Pontificis, & quanuis ex vsu audientium statim illud intelligatur de consignatione Crucis, tamen ex vi verbi id non significat, sed generalior, & abstractior est eius significatio, & ideo necesse est, non omittere particulam illam, *signo Crucis*, & ideo non satis esset dicere, *Consigno te chrismate salutis*, præsertim, quia expressa Crucis mentio & significatio valde consentanea est fini, & effectui huius sacramenti; & ideo propter se potuit esse necessaria: dici ergo necessariò debet, *Signo te signo Crucis*; & tunc non posset commodè adiungi alia particula, *& chrismate salutis*, nisi interposito alio verbo, *Confirmo*, vel simili, quod tamen omitti nullo modo potest: quia alias non satis explicaretur materia. Rursus, si omittatur verbum, *Confirmo*, non satis significatur effectus huius sacramenti, qui per illud verbum exprimitur. Ac simili modo è conuerso nec verba illa, *Confirmo te chrismate salutis*, A sufficere possunt sine alijs: quia per ea non explicatur expressè signum Crucis. Dices, posse addi hoc modo, *Confirmo te signo Crucis, & chrismate salutis.* Respondetur. Hic modus esset etiam insufficiens; quia, licet exprimatur signum Crucis, vt res quædam, non tamen vt actio ministri consignantis, & ideò, quodcunque horum verborum tollatur, nō manet integer sensus huius formæ. An verò loco istorum verborum possint alia poni, quæstio communis est omnibus formis sacramentorum: nam, si verba non sint æquipollentia & synonyma, non solum nō licet vnum pro alio commutare, verum etiam, si id fiat, non fiet sacramentum, si autē verba sint synonyma, etiam si mutatio fiat, valida erit forma, erit tamen peccatum magis, vel minus graue pro materiæ qualitate & Ecclesiæ consuetudine, à qua non licet in huiusmodi rebus discrepare: B quæ omnia insinuauit Diuus Thom. artic. 4. ad secundum, & tertium. *D.Thom.* Neque oportet exēpla adhibere, quia res est communis & facilis: solùm aduerto, si verbum confirmandi mutetur in verbum vngendi, mutationem videri substātialem, neque manere sufficientem formam, quia verbum, *Confirmo*, significat sanctificationem interiorem, quæ nō satis explicaretur verbo vngendi, vt eadem solutione ad tertium, D. Thom. indicat.

Secundò dubitari potest, an expressa inuocatiō Trinitatis illis verbis, *In nomine Patris, &c.* sit de necessitate huius formæ. Respondetur, sine vlla dubitatione illam particulam esse essentialem: ita enim intelligitur ab omnibus Theologis; & probari potest ex Concil. Flor. & vsu Ecclesiæ, & alijs fundamentis suprà adductis. *Conc. Flor.* Et ratio seu congruētia est; quia hoc sacramentum est quædam baptismi perfectio; C & ideò in forma vtriusque sacramenti fit expressa Trinitatis professio; in hoc etiam sacramento armatur homo ad fidem profitendam, in qua præcipuum est Trinitatis mysterium; est etiam Trinitas principalis causa perfectionis & roboris spiritualis, quod in hoc sacramento datur, & finis ad quem hæc Confirmatio ordinatur, vt homo illi inseparabiliter adhæreat; & ideò meritò in hac forma fit expressa Trinitatis mentio; de qua re possent tractari omnia quæ in forma baptismi diximus de huiusmodi inuocatione: nā quoad hanc partem eadem est ratio vtriusque formæ.

Ad rationem dubitandi. Ad rationem dubitandi in principio positam, quod attinet ad autoritatem negatiuam Scripturæ sacræ, communis est hæreticorum obiectio; & Catholicorum etiam communis ac certa responsio nō oportere, vt omnia, quæ ad fidem spectant, in Scri- D ptura expressè contineantur, multa enim sola traditione habentur, ad quam sufficit perpetua Ecclesiæ obseruatio, quæ si talis est, vt à nullo Pontifice, vel Concilio habeat initium, est sufficiens signum Apostolicæ traditionis, iuxta vulgatam & receptam August. regul. libr. 4. de baptis. cap. 24. *August. regu.* huiusmodi autem est traditio huius formæ, vt constat ex vsu Ecclesiæ, cuius initium, & institutio à nullo Pontifice, vel Concilio incepit. Quod verò attinet ad Patres antiquos, non mirum est, non reperiri in eis vulgatam, & expressam huius formæ mentionem, quia timebant occulta nostræ fidei mysteria vulgo prodere sine magna causa, & necessitate: quod agens de præsente sacramento satis significauit Innoc. I. d. Epist. 1. cap. 3. *Innocen. I.* vbi, cùm de vnctione chrismatis nonnulla docuisset, subdit:

Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere; in quo satis significat, aliqua, & præscripta verba solere à Pontifice proferri ministrãte hoc sacramentum, quanuis ea non explicet propter dictam causam. Et similiter alij Patres compendio indicant hanc formam nomine deprecationis Episcopalis, nunquam tamen aliquid docent, quod veritati prædictæ formæ repugnet. *Ad primum.* Vnde ad primum de Edicto Constantini respondetur, Constantinum ibi non retulisse omnia, quæ Syluester dixit, aut fecit, sed breuibus ac concisis verbis illa insinuasse. *Ad secundum.* Ad secundũ respondetur, Ambrosium eo loco, non solùm non describere formam huius sacramenti; verum etiam nec de vnctione huius sacramenti ibi disputare, sed de ceremoniali vnctione, quæ à presbytero fit in baptismo. *Ad tertium.* Ad tertium respondetur, vel Alcoinum nõ retulisse integram formam, vel certè per orationẽ illam, quam dicit præmittere Pontificem, quando signat, & vngit baptizatum, intelligere priora verba huius formæ, quæ in illis terminantur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quod clarificauit Durand. citato loco, vbi ait, dicere Pontificem, *Consigno eum signo sanctæ Crucis, &c.* quæ mutatio non esset substãtialis, vt suprà in simili dictum est, tractando de forma baptismi: quia tamen hi autores nunquam satis exprimunt omnia verba essentialia, fortasse verius est, eos non retulisse ritum essentialem quoad omnia, sed tantùm accidentalem solennitatem. *Ad quartum.* Ad quartum iam responsum est ad Patres suprà citatos, idemque ad Amalarium dicendum est. Quod verò ibi tangitur de forma deprecatiua, eodem modo expediendum est, quo dictum est suprà de forma baptismi: non enim sufficit propriè forma per modum deprecationis, sed esse debet per modum indicatiui, aut saltem imperatiui, vt significetur efficacia sacramenti, & vt idem sensus formæ retineatur.

Vtrùm Apostoli fuerint hac forma vsi. Hinc verò inquiri potest, an Apostoli in confirmandis fidelibus vsi fuerint hac forma, sicut suprà quæsitum est de vnctione chrismatis. In quo possunt esse tres modi opinandi similes illis, quos præcedente sectione tractauimus de vnctione chrismatis: quibus addi potest, quosdam sentire, Apostolos nunquam confirmasse sine hac forma, etiam tunc, cùm per simplicem manus impositionem sine chrismate confirmabant. Sed est improbabilis valde & inconstans sententia: primum *D. Thom.* enim expressè est contra D. Thom. qui hoc artic. 4. ad primum, loquens de illo tempore dicit, *Tunc non erat necessaria, nec materia, nec forma huius sacramenti.* Deinde esset falsa forma: quomodo enim dicere poterant, *Confirmo te chrismate*, si chrismate nõ vtebantur? aut vnde constat, eos signasse signo signo Crucis, magis quàm vnxisse chrismate? Denique, sicut in Actis Apostolorum solùm legimus, *Imponebant manus super illos*; ita etiã solùm legimus, *Orauerunt pro ipsis.* Si ergo propter priora verba negatur eos vsos fuisse chrismate, ita propter posteriora negandum erit, eos vsos fuisse præscripta forma verborum, sed sola deprecatione pro suo arbitrio, & Spiritus sancti instinctu. *Responsio.* Quocirca ita sentiendum est in hoc dubio, sicut in præcedente de vnctione, & ideò, qui opinatus fuerit, Apostolos semper vsos fuisse integro sacramento, dicere consequenter debet, in illis verbis Actor. 8. Orauerũt pro ipsis, vel non significari verba formæ, sed præambulam orationem, formam autem comprehẽdi sub manus impositione, vt Actorũ etiam 19. vel certè formam ipsam posse orationis nomine significari, non quia deprecatiua tantùm sit, sed quia virtualem deprecationem continet, quatenus diuinæ virtuti & promissioni innititur, sicut suprà est de sacramentis in genere dictum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sacramentum Confirmationis imprimat characterem.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum Confirmationis non imprimat characterẽ. Character enim importat quoddam signum distinctiuum. Sed per sacramentum Confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus, hoc enim fit per baptismum, neque etiã ab alijs fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem, quę omnibus fidelibus indicitur. Non ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character. *4. d. 7. q. 2. artic. 1. q. 1. & q. 3. ar. 3.*

¶ 2 Præterea, Suprà dictũ est *, quòd character est quædam potentia spiritualis. Potentia autem nõ est nisi actiua vel passiua. Potentia autẽ actiua in sacramentis, confertur per sacramentum Ordinis: potentia autem passiua siue receptiua per sacramentum baptismi. Ergo per sacramentum Confirmationis nullus character imprimitur. *Quæst. 63. ar. 2.*

¶ 3 Præterea, In circuncisione, quæ est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc sacramento imprimitur quidam character corporalis: dũ, scilicet, homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

SED contra, In omni sacramento, quod non iteratur, imprimitur character. Sed hoc sacramentum non iteratur, dicit enim Gregorius * de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit denuo, talis iteratio prohibenda est. Ergo in Confirmatione imprimitur character. *Refertur de consec. d. 5. c. 9. de homine.*

RESPONDEO dicendum, quod (sicut suprà dictum est *) character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. *Quæst. 63. ar. 2.* Dictum est autem suprà, * quod, sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam Christianam; ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum, promouens hominem in spiritualem ætatem perfectam. *Art. 1. huius quæst.* Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati: & alia

alia actio, quæ competit ei, cùm ad perfectã ætatem peruenerit. Et ideo per sacramentũ Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriã pertinent salutem, prout, scilicet, secundùm seipsum viuit. Sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Sicut patet ex exemplo Apostolorũ, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cœnaculo perseuerãtes in oratione, postmodum verò egressi, non verebãtur publicè fidem fateri, etiam corã inimicis fidei Christianæ. Et ideò manifestũ est, quod in sacramento Confirmationis imprimitur character.

AD primum ergo dicendum, quòd pugna spiritualis contra hostes inuisibiles, omnibus competit. Sed cõtra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publicè confitendo, est confirmatorum, qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundùm quod dicitur 1. Ioan. 2. Scribo vobis, iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum. Et ideo character Confirmationis est signũ distinctiuũ, non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter prouectorum ab his, quibus dicitur, sicut modò geniti infantes.

AD secundum dicendum, quod omnia sacramenta sunt quædam fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem publicè fidem Christi, verbis profitendi, quasi ex officio.

AD tertium dicendum, quod sacramenta veteris legis dicuntur iustitiæ carnis (vt patet Hebræorum 9.) quia, scilicet, interiùs nihil efficiebant. Et ideo in circuncisione imprimebatur character solũ in corpore, non autem in anima. Sed in Confirmatione cum charactere corporali imprimitur simul character spiritualis, eo quod est sacramentum nouæ legis.

HIC articulus explicatus est in his, quæ suprà tractauimus de charactere in communi, quæstione 63. & pauca addemus disputatione sequente, præsertim, quòd hoc sacramentum non possit iterari, quod attigit hic Diuus Thomas in argum. Sed contra.

(∴)

ARTICVLVS VI.

Vtrùm character Confirmationis præsupponat characterem baptismi.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod character Confirmationis non præsupponat ex necessitate characterem baptismalem. *4. d. 7. q. 2. artic. 1. q. 3. & d. 24. q. 1. ar. 2. 3. q. & 4.* Sacramentum enim Confirmationis ordinatur ad confitendum publicè fidem Christi. Sed multi etiam ante baptismum sunt fidem Christi publicè confessi, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character confirmationis non præsupponit characterem baptismalem.

¶ 2 Præterea, De Apostolis non legitur, quod fuerint baptizati (præsertim, cum dicatur Ioan. 4. quod ipse Christus non baptizabat, sed discipuli eius) & tamen posteà fuerunt confirmati per aduentum Spiritus sancti. Ergo similiter alij possunt confirmari, antequam baptizentur.

¶ 3 Præterea, Actorũ 10. dicitur, quod, adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super eos, qui audiebant verbum, & audiebant eos loquẽtes linguis. Et posteà Petrus iussit eos baptizari. Ergo pari ratione possunt alij priùs confirmari, quam baptizentur.

SED contra est, quod Rabanus dicit in lib. * de institut. cleric. Nouissimè à summo sacerdote, per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum. *Lib. 1. ca. 31. in princip. & habetur de consec. d. 5. c. 5.*

RESPONDEO dicendum, quod character Confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem, ita, scilicet, quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum. Cuius ratio est, quia, sicut se habet Cõfirmatio ad baptismum, ita augmẽtum ad generationem, vt ex supra dictis patet. † *Art. 1. huius quæst.* Manifestum est autem, quod nullus potest promoueri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus. Et similiter, nisi primò aliquis fuerit baptizatus, non potest sacramentum Confirmationis accipere.

AD primum ergo dicendum, quod virtus diuina non est alligata sacramentis. Vnde potest conferre homini spirituale robur ad confitendum publicè fidem Christi absque sacramẽto Confirmationis, sicut etiam potest conferre remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus cõsequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius, quod potest habere etiam

etiam ante susceptionem baptismi.

AD secundum dicendum, quòd, sicut Augustinus * dicit ad Seleucianū, ex hoc quod Dominus dicit Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, intelligimus, Petrum & alios Christi discipulos fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis (sicut nonnulli arbitrantur) siue, quod magis credibile est, baptismo Christi, neque enim renuit ministerium baptizandi, vt haberet & baptizatos seruos, per quos cæteros baptizaret.

Epist. 108. à me. tom. 2.

AD tertium dicendum, quod audientes prædicationem Petri, acceperunt effectum Confirmationis miraculosè, nō tamen Confirmationis sacramenti. Dictum est autem, † quod effectus Confirmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum Confirmationis. Sicut enim effectus Confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit effectum baptismi, qui est iustificatio, ita sacramentum Confirmationis præsupponit sacramentum baptismi.

Art. 4. & 2. ad 1. arg.

COMMENTARIVS.

MAteria huius articuli pertinet ad disputationem trigesimam quintā de suscipientibus hoc sacramētum: & ideò, solùm hic pauca notabimus circa solutionem ad primum. Cætera enim facilia sunt. Nam conclusio eius certa est, scilicet, characterem Confirmationis supponere characterem baptismi, quod intelligendùm est secundùm legem ordinariam, vel seclusa diuina dispensatione; an verò hæc interdum data, seu facta sit, quod attigit hic Diuus Thom. in solutione ad tertium, in dicto loco dicemus. De Apostolis verò, quod tangitur in solutione ad secundum, quòd fuerint baptizati baptismo Christi, antequàm confirmata in die Pentecostes, tractatum est suprà in materia de baptismo.

Difficilis D. Thomæ locus explicatur.

In solutione ergo ad primum, difficilia sunt illa verba Diui Thomæ, *Sicut nullus consequitur effectū baptismi, sine baptismi voto; ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius, quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.* Hæc enim verba intelligi non possunt de effectu characteris, quia nec character Confirmationis, nec character baptismi obtineri potest sine reali susceptione sacramenti per solum votum eius, vt in superioribus dictum est; & constat, quia aliàs per votum talis sacramenti fieret homo incapax realis susceptionis sacramenti; quia, qui habet characterem, iam non est capax eiusdem sacramenti: hac enim de causa iterari non potest sacramentum illud, quod characterem imprimit: necesse est ergo, Diuum Thomam loqui de effectu huius sacramenti, qui est gratia, seu gratiæ auxilium sufficiens, vel efficax ad publicè confitendum fidem, & in hoc sensu est difficilis assertio Diui Thomæ, quia sacramentum Confirmationis non est medium simpliciter necessarium ad prædictum effectum, tum quia oratio ex fide, & charitate facta potest esse medium sufficiens ad obtinendum à Deo illud auxilium ex merito ope-

A rantis; tum etiam, quia sacramentum Confirmationis absolutè nō est in præcepto: potest ergo homo habere animum nunquam suscipiendi hoc sacramentum absque peccato, & nihilominùs cū diuina gratia publicè confiteri fidem: ergo ille consequitur prædictum effectum absque voto huius sacramenti: quia propositum non recipiendi sacramentum directè pugnat cū voto eius. De hac difficultate expositores D. Thomæ, Caietanus, Soto, Ledesma, & Sebastianus nihil attigerunt; solus Soto addidit verbis D. Thom. non oporteret intelligi de speciali voto; *Nam votum, inquit, baptismi, in quo includitur generaliter, recipere posteà sacramenta iuxta ritū Ecclesiæ, sufficit.* Sed hoc ipsum falsum videtur, in voto baptismi necessariò includi votum recipiendi alia sacramenta, sed solum illa, quæ fuerint necessaria ad salutē, saltem ex præcepto, quod

Caietanus. Soto. Ledesma. Sebastianus.

B virtuale votū non tam est in voto baptismi, vt sic, quā in actu dilectionis Dei super omnia, vel proposito seruandi omnia præcepta. Et prætereà loqui possumus de homine iā baptizato, & non Confirmato, in quo iam nō est votum baptismi, sed realis baptismus, in quo procedit argumentum factum, quòd potest nullum habere votum Confirmationis, & nihilominùs firmus in fide persistere, illam publicè confitendo, & martyrium etiam pro Christo subeundo. Dico ergo, aut D. Thom. interpretandum esse de voto quodam metaphorico, & improprio, quod in baptismo, vel baptismi voto includi dicitur, vt latiùs infrà dicam de necessitate Eucharistiæ disputans, quod in hoc solùm consistit, quòd, qui habet baptismum, consequenter habet ius quoddam ad sacramentum Confirmationis, Eucharistiæ, & alia; & sicvt perfectibile appe-

C tit suam perfectionem, ita baptismo initiatus Confirmationem, quasi naturalis appetitu potiùs, quā elicito: vel, si hæc expositio nimis violenta videtur, planè confitendum est, per se loquēdo, necessarium esse fideli, saltem ex necessitate præcepti, recipere sacramentum Confirmationis, si commodè potest, saltem in eo articulo, in quo vrget necessitas publicè confitendi fidem coram tyranno; nā sine hoc præcepto non potest intelligi necessitas illius voti, quod Diuus Thomas requirit, illo autē posito rectè sequitur, eum, qui nondùm hoc sacramento confirmatus fidem publicè confiteri cogitur, non posse consequi effectum huius sacramenti, id est, auxilium ad confitendam fidem sine voto huius sacramenti; quia non obtinebit illud auxilium, si non sit in gratia, & habeat animum seruandi omnia præcepta. Et adhuc iuxta hanc exposi-

D tionem est obseruandum, Diuum Thomam non dicere, in eo casu consequi hominem talem effectū gratiæ per votum huius sacramenti, seu per ipsum sacramentum in voto, sed solùm non consequi talem effectum, sine tali voto, quod valde diuersum est, nam ad hoc posterius sufficit quædam necessaria coniunctio, vel, ad summum, quòd illa sit quædam dispositio necessaria: illud autem prius significat, talem effectum dari intuitu huius sacramenti, & in ordine ad illud, quod non video, cur sit necessarium, aut quo fundamento affirmari possit; & argumentum suprà factum videtur oppositū probare: nam idem genus gratiæ, seu auxilij potest varijs medijs obtineri, & non est necesse vnum ordinare ad aliud, vel excludere alia. Vnde fit, vt homo Confirmatus præter auxilium debitum ratione sacra-

sacramenti possit alia noua impetrare per sua merita, & orationes sine ordine ad hoc sacramentum: ergo similiter qui non est Confirmatus potest impetrare aliqua auxilia omnino diuersa à gratia sacramentali Confirmationis sine ordine ad ipsum sacramentum Confirmationis, quanuis non sine aliquo voto illius. Quocirca cōparatio ad baptismum, quam Diuus Thomas facit, non debet secūdùm æqualitatem intelligi, sed secundùm quandam similitudinem, & proportionem.

ARTICVLVS VII.

Utrùm per sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciēs.

4. dist. 7. q. 2. ar. 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramētum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia enim gratum faciens, ordinatur contra culpam. Sed hoc sacramentum (sicut dictum est *) nō exhibetur nisi baptizatis, qui sunt à culpa mundati. Ergo per hoc sacramētum gratia gratum faciens non confertur.

Art. præced.

¶ 2 Prætereà, Peccatores maximè indigent gratia gratum faciente, per quam solam iustificari possunt. Si ergo per hoc sacramētum gratia gratum faciens confertur, videtur, quod deberet dari hominibus in peccato existentibus, quod tamen non est verum.

¶ 3 Prætereà, Gratia gratū faciens, specie non differt, cùm ad vnum effectum ordinetur. Sed duæ formæ eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto. Cùm ergo gratia gratum faciens cōferatur homini per baptismum, videtur, quod per sacramētum Confirmationis, quod non exhibetur nisi baptizato gratia gratum faciens non conferatur.

SED contra est, quod Melchiades Papa dicit, † Spiritus sanctus in fonte baptismi, plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.

In Epist. ad Hispaniæ Episcopos in medio. tom. 1. Cō cil.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc sacramento (sicut dictum est *) datur baptizato Spiritus sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, vt legitur Actor. 2.) & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, vt dicitur Actuum 8. Ostensum est autē in prima parte, quod missio seu datio Spiritus sancti non est nisi cum gratia gratum faciēte. Vnde manifestum est, quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

Art. 1. 2. & 7. huius q.

1. p. q. 43. ar. 3.

AD primum ergo dicendum, quod gratiæ gratum facientis primus effectus est remissio culpæ. Habet tamē & alios effectus,

A quia sufficit ad hoc, quod promoueat hominem per omnes gradus vsque in vitam æternam, secundùm illud Roman. 6. Gratia Dei vita æterna. Vnde & Paulo dictum est 2. Corinth. 12. Sufficit tibi gratia mea. Et ipse de se dicit 1. Corinth. 15. Gratia Dei sum id, quod sum. Et ideò gratia gratum faciens, non solùm datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmētum & firmitatem iustitiæ. Et sic confertur in hoc sacramento.

AD secundum dicendum, quod, sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod priùs inuenerit: & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc, sicut non datur nō

B baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiā reparatis. Vnde dicitur in Aurelianensi Concilio, Vt ieiuni ad Confirmationem veniant, vt moneantur confessionem facere priùs, vt mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. Et tunc per sacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, sicut & baptismi: quia per gratiam collatam in hoc sacramento, consequitur pœnitens pleniorem remissionem peccati. Et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remis-

Habetur de cō sec. dist. 5. ca. Vt ieiunij.

C sionem peccatorum.

AD tertium dicendum, quod (sicut dictū est) gratia sacramentalis addit super gratiā gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectiuū specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata, quantū ad id, quod est commune: si per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quàm per baptismum: sed quæ priùs inerat, augetur. Si autem consideretur, quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa.

Quæst. 62. ar tic. 2.

D LItera Diui Thom. satis perspicua est, & doctrina eius ferè est exposita in his, quæ de effectibus sacramentorum in genere suprà disputata sunt, & pauca addemus disputatione sequente.

DISPVT. XXXIIII. & 3. de hoc sacramento.

De effectu sacramenti Confirmationis.

EXplicata essentia huius sacaamenti dicendū, sequitur de effectibus eius: sic enim eius vtilitas, significatio, & finalis causa magis constabūt, erit autem breuissima hæc disputatio, quia nihil

nihil ferè difficultatis habet, sed solũ oportet generalem doctrinam suprà datam, tam de effectu gratiæ sacramentalis, quàm de effectu characteris, ad hoc sacramentum accommodare.

SECTIO I.

Vtrùm hoc sacramentum imprimat characterem, ideòque iterari non poßit.

Confirmatio characterem imprimit.

DE hoc charactere eædem sunt opiniones, vel errores, qui suprà de charactere in communi relati sunt. Quibus non obstantibus dicendum est, per hoc sacramentum infundi characterem in anima. Est de fide definita in Concil. Florent. & habetur ex traditione, vt in dicto loco latiùs ostendimus, ex quo petendæ sunt rationes, vel congruentiæ, quas hoc loco repetere necesse non est, de quibus legi etiam potest D. Thom. hic, & in 4. distinct. 7. vbi alij Doctores, & Turrecremata in cap. Dictum est. de Consecratio. d. 5.

Conc. Floren. Conc. Trid. D. Thom. Turrecrem.

Vtrum character baptismi & Confirmationis distinguantur.

Solùm potest hoc loco inquiri, an hic character sit distinctus à charactere baptismali; in quo dubitari nõ potest, quin ex natura rei aliqualiter distinguantur, quia, si non distinguerentur, non posset intelligi noua efficientia Cõfirmationis circa characterem præter efficientiam baptismi; solùm ergo dubitari potest, an character Cõfirmationis sit noua qualitas, omninò in re distincta à charactere baptismali, vel solùm sit quidam modus, vel perfectio eius; sicut gratia Cõfirmationis ad baptismalem gratiam comparatur. Videtur enim hoc posterius sufficere, quia hoc satis est, vt vera sint omnia, quæ de hoc charactere docent Concilia, & Theologi; & est consentaneum institutioni huius sacramenti: dicitur enim esse quædam baptismi perfectio: ergo & character eius solùm erit quædã perfectio chacteris baptismalis; & hoc sufficit, vt dicatur imprimere characterem, sicut dicitur conferre gratiam, solùm quia perficit gratiam baptismalem. Hic modus dicendi posset defendi sine errore in fide; veritas autem est, characterem Confirmationis esse qualitatem realiter omnino distinctã à charactere baptismi; quod inter alios clariùs notauit Gabriel dicta distinctione 7. dubio 4. & colligi potest ex Concilijs & Doctoribus, qui æquè distinguunt tres characteres, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: sicut ergo character Ordinis ab alijs realiter distinguitur; ita & alij inter se. Item, quia, si hic character in re tantùm esset vnus magis intensus, vel perfectus, eadem ratione dici posset; baptismum & Confirmationem non esse duo sacramenta, sed constituere vnum integrum atque perfectum, ad eum modum, quo plures Ordines vnum sacramentum Ordinis perficere dicũtur. Tandem, quia non est verisimile Confirmationem esse tantùm intensionem quandam characteris baptismalis, cùm ad fines valde diuersos ordinentur, seclusa autem intensione non satis intelligitur reale augmentum per additionem alicuius modi realis in his qualitatibus, vt alijs in locis, præsertim 1. 2. tractatum est. Ex quo vlterius dicendum est, characteres hos esse essentialiter, & in Physica specie qualitatis distinctos; tum quia non debent distingui solo numero, cùm ipsa sacramenta suo modo specie differant, cùmque multiplicatio qualitatum solo numero diuersarum in eodem indiuisibili subiecto, vel ex natura rei repugnet, vel saltem sit valde per accidens & impertinens, multoque magis ad ornatum animæ spectent perfectiones diuersarum rationum. Item quia per hos characteres consignatur homo ad diuersa muneras; per baptismalem, vt sit Ecclesiæ membrum & capax sacramentorum, per alium verò, vt sit consignatus miles Christi, ad fidem eius publicè profitendam. Addi etiam potest ratio, quia character baptismalis habet modum potentiæ passiuæ, alter verò magis assimilatur actiuæ, vt hic Diuus Thomas significat, quanuis Caietanus hic, art. 5. vtrũque sacramentum partim passiuum, partim actiuum constituere videatur, quod non admodum spectat ad disputationem de re: quia (vt suprà dixi) character non est proprie ac physicè potentia, sed dispositio quædam consignans hominem, & deputans illum ad aliquid agendum, vel recipiendum. Vnde cùm tam ea, quæ pertinent ad munus & officium hominis tantùm baptizati, quam ea, quæ sunt hominis Confirmati, & perfecti, partim in actione, partim in receptione consistant, facilè potest vtriq; characteri ratio potentiæ actiuæ, vel passiuæ accommodari, tamen, simpliciter loquendo, character baptismi magis dicitur potentia passiua, quam actiua, quia per illum fit homo capax aliorum sacramentorum, quæ extra tale subiectum fieri nullo modo possunt, sicut character Ordinis dicitur potentia actiua cõtraria ratione; character autem Confirmationis, vel non ita accommodatè recipit nomen, & metaphoram potentiæ, sed tantùm est vnum signaculum, vel magis reuocatur ad potentiam actiuam, quia proximè ad actionem ordinatur, & non ad receptionem, nisi in quantum ex actione, id est, ex constantia fidei & religionis pendet. Vnde, si quis quærat, quia sit perfectior character baptismi, vel Confirmationis, respondere esse incertam, probabile tamen videri, Confirmationis characterem esse perfectiorem iuxta ea, quæ sectione sequente tradentur.

Gabr. D. Thom. Caietanus. Vter character sit perfectior.

Vltimò ex dicto principio infertur, sacramentũ Confirmationis in eodem homine iterari non posse, quod est etiam de fide certum & definitum in eisdem Concilijs Florent. & Trident. sess. 7. canon 9. de sacramẽt. in genere; & hoc sensu dixit Cõcil. Tolet. 8. Sanctũ Chrisma collatũ euelli non posse, id est, indelebilem imprimere characterẽ, propter quod iterari non potest, vt expresiùs traditur in cap. Dictum est. de Consecrat. distinct. 5. ex Concil. Cabilonensi. 2. cap. 17, idemque tradit Gregor. 3. in Epistol. 1. ad Bonifacium habetur in cap. de homine. de Consecrat. distinct. 5. potestq; iuxta probabilem Sanctorum expositionem hæc veritas confirmari ex illo ad Hæbræos 6. *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptismatũ doctrinæ, impositionis quoque manuum*, quo loco sacramentum Confirmationis significari suprà ex Chrysostomo & alijs ostendimus. Vnde de eodẽ intelligũt Anselmus & alij, quod statim subditur. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati per baptismum, & participes facti sunt Spiritus sancti, iterum renouari, &c.* Vbi significatur, vtrumque donum tam baptismi, quàm Confirmationis iterari non posse: ratio verò est, quia per peccatum non amittitur character; & ideò non est necessaria

Cõfirmatio in eodem homine iterari non potest. Conc. Floren. Conc. Triden. Conc. Tolet. Conc. Cabil. Gregor. Hebr. 6. Chrysost. Anselm.

cessaria sacramẽti iteratio, nec propter se, nec propter effectum, nã si obex peccati tollatur, effectus sacramẽti semper præsto est; tollitur autẽ obex peccati, nõ per iteratum confirmationis sacramentũ, sed per pœnitentiam. Contra hanc autem veritatẽ obstat difficilis locus Augustini lib. 5. de bap. cap. 16. vbi sic ait, *Manus autem impositio non, sicut baptismus repeti nõ potest, quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Quod autem per manus impositionem sacramẽtum Confirmationis intelligat, patet ex initio illius capitis, scilicet, *Spiritus sanctus in sola Catholica Ecclesia per manus impositionem datur*: & infrà dicit, *nunc non dari sensibilibus miraculis attestantibus Spiritum sanctum per manus impositionem, sicut antea dabatur*: constat autem Spiritum sanctum non dari in Ecclesia nisi per sacramentum Confirmationis.

Augustini locus difficilis aequitur. 1. Expositio.

Ad hoc testimonium responderi potest, Augustinum sensisse, Confirmationem datam ab hæreticis (de his enim ibi loquitur) non esset ratam, nec verum sacramentum, & ideò iterari posse, & debere in huiusmodi homine, cùm ad Ecclesiam conuertitur, non tamen docet August. sacramentum Confirmationis semel ratum, & validum posse in eodem homine iterari: cui expositioni fauere videtur Innocent. Papa 1. Epist. 18. cap. 3. & habetur in cap. Arianos. 1. quæst. 1. vbi dicitur, *Hæreticos conuersos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ad sancti Spiritus sanctificationem per manus impositionẽ suscipi*; & infrà subdit rationem, *Quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, nem Spiritum sanctum eos habere arbitramur.* Vbi Gratianus paulò inferiùs in hoc sensu vtrumque testimonium interpretari videtur argumentando potiùs, quàm definiendo, vt ex his constat, quæ inferiùs latiùs tradit.

Innoc. Papa 1.

Hæc verò expositio omnino reijcienda est, primum, quia fundatur in doctrina hæretica, & repugnante alijs testimonijs August. quæ infrà, disputatione 36. sectione vltima afferemus; deinde, quia ratio Augustini non in eo fundatur, sed in hoc, quòd talis manus impositio nõ est sacramentum; sic enim ait, *Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?*

2. Expositio.

Vnde etiam mihi non videtur probabile, quod quidam aiunt, fortasse ita tunc sensisse Augustinũ de hoc sacramento: nam ratio Augustini declarat, eum sensisse, solam eam manus impositionem repeti posse, quæ sacramentum non est: nam hic est sensus illorum verborum, *Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* quanuis oppositum sentiat Petrus Soto lect. 1. de Confirmatione: nam ibidem distinguit Augustinus sacramentum ab operatione, seu fructu sacramenti, & dicit, sacramenta posse esse in hæreticis valida, non tamen fructuosa, & ideò, cùm conuertuntur, non repeti in eis sacramẽtum baptismi, quod validè acceperunt, sed solùm impon eis manus, quod repeti potest: *quid hæc tantùm est oratio quædam*: ergo per illam dictionem exclusiuam intendit excludere, quòd illa manus impositio sit sacramentum: non ergò ibi docere intendit, sacramẽtum Confirmationis iterari posse.

Petrus Soto. 3. Expositio. VValden.

Vnde est tertia responsio, ibi non loqui Augustinus de sacramento Confirmationis, ita VValdẽsis tomo 2. de sacrament. cap. 115. & alij moderni: & probatur, quia Augustinus alijs locis euidenter docet, Confirmationem, & manus impositionem, prout illam significat, esse verum sacramentum: signatim lib. 1. contra literas Petiliani, cap. 104. Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorũ sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis, in alio autem loco negat, illam manus impositionem esse sacramentum: non ergo loquitur de sacramento Chrismatis. Est ergo aduertendum, multiplicem fuisse manus impositionem, ideòque vocem hanc esse valde æquiuocam, vt notauit glossa in cap. Manus impositio. 1. quæst. 1. quædam enim dici potest, curatiua, iuxta illud Marci vltimo. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, de qua videtur intelligendum, quod Actorum 9. dicitur. *Abijt Ananias, & intrauit in domum, & imponens eis manus dixit, Saule frater, Dominus misit me Iesus, vt videas, & implearis Spiritu sancto*: Constat enim illam manus impositionem non fuisse Confirmationis sacramentum: nondùm enim Paulus fuerat baptizatus: fuit ergo tantùm curatiua, sicut etiam illa, de qua dicitur Actorum 28. *Contigit autem patrem Publij febribus, & dysenteria vexatum iacere, ad quem Paulus intrauit, & cùm orasset, & imposuisset ei manus, sanauit eum.* Secundò est alia manus impositio, quæ dici potest, Consecratiua, seu Ordinatiua, de qua dicitur 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te per impositionem manuum Presbyterij*, & ca. 5. *Nemini citò manum imposueris*, & 2. ad Timot. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, & de hac etiam intelligi potest illud Actorum 6. *Orantes, imponentesque eis manus, &c.* est enim ibi sermo de ordinatione septem Diaconorum: & eadem significatio reperitur in Concil. Niceno, canone 9. aliàs 11. & Concil. Carthag. III. c. 2. Tertio est manus impositio, Confirmatiua, quæ idem est quòd sacramentum Confirmationis; de qua probabile est sermonem esse ad Hebræos 6. & in superioribus multa de hac adducta sunt. Quartò est manus impositio ceremonialis ad baptismum, de qua latè suprà dictum est, eamq; fieri ad aliquam Catechumeni sanctificationem docet August. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. Quintò est manus impositio, quæ dici potest Reconciliatiua Conci. Arausic. 1. cap. 3. de qua potest etiam intelligi canon citatus ex Concil. Niceno; & apertiùs de illa est sermo in can. 8. eiusdem Conc. & in Concil. Agathensi cap. 15. prout refertur in cap. In cap. 50. d. & Concil. Arelat. 2. c. 17. vbi manus impositioni Chrisma coniungitur, vbi videri potest sermo esse de Confirmatione, quod si ita est, supponitur, illos hæreticos Bonosiacos, de quibus ibi sermo est, non fuisse vsos Confirmationis sacramento; sed probalius est, illam fuisse ceremonialem vnctionem: nam interdùm committitur Presbytero in extrema necessitate, vt patet ex Concil. Arausicano 1. can. 2. & cap. 3. fit expressa mentio manus impositionis reconciliatoriæ. Vltimò reperitur interdùm quædam manus impositio tantùm deprecatiua, qualis fuisse videtur illa, de qua est sermo Actorum 13. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*: nam Paulus, & Barnabas tunc neque fuerunt Confirmati, neque ordinati Presbyteri, vel Episcopi: ergo non fuit illa manus impositio aliqua ex prædictis: fuit ergo tantùm bona quædam imprecatio: Augustinus ergo in prædicto testimonio solùm loquitur de manus impositione reconciliatiua, quæ simul erat deprecatiua, quam à sacramento Confirmationis manifestè distinguit August. Idem lib. 5. de bap-

Manus impositio multipliciter sumitur. Marc. vlt. Act. 9. et 28. 1. Tim. 4. Act. 6. Conci. Nicen. Cõci. Cartha. Augustinus. Cõci. Arausi. Concil. Nicen. Conc. Agatẽ. Cõci. Arelat. Act. 13.

Universidad de Deusto Biblioteca

bap. cap. 20. & cap. 23. de eadem manus impositione loquens, dicit, *Si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse iudicaretur;* & statim declarat, hanc manus impositionem solú fieri in signum Ecclesiasticæ vnionis, quæ necessarea est ad charitatem recipiēdam: de qua etiam loquitur Innocentius citato loco: vterque enim sermonem habet de modo reconciliandi eos, qui ab hæresi reuertuntur, de quibus est optimum Tharasij testimonium in 7. syn. act. 1. vbi exponens dictum can. 8. Concil. Nicen. dicit fieri posse, vt manus impositio non ordinationem, sed benedictionem significet, & plura dicturi sumus disputatione 36. Ad argumentum autem sumptum ex principio eiusdem capitis August. aliqui dicunt, Augustinum eo capite æquiuoce vti nomine manus impositionis, sed non placet, alioqui ineptus esset & incongruus totus Augustini discursus: dicendum est ergo, etiam in principio capitis loqui de manus impositione reconciliatiua; per quam dicit dari Spiritum sanctum, non ad robur, neque eo speciali modo, quo datur in Confirmatione; sed ad viuificandum hominem spiritualiter, qui antea per peccatum, vel hæresim mortuus fuerat. Vnde, inquit, Spiritum sanctum dari per hanc manus impositionem, nihil aliud esse, quàm quod Apostolus ait, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* quam caritatem non habent, qui ab Ecclesiæ communione præcisi sunt: subdit vero deinde, Spiritum sanctum nó dari sensibiliter in hac manus impositione, sicut olim dabatur. Vbi videtur hanc manus impositioné comparare cum ea, quæ fiebat Actorum 8. & 19. non tamen propterea sentit esse eandem, aut æquiuocationem cómittit, sed solùm grati exempli declarat non fieri in vna, quod in altera fiebat. Denique cum inferius ait aliud esse sacramentum, aliud operationem Spiritus, non loquitur de Confirmatione, sed de baptismo: sic enim ait, *Cùm sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, &c.* legimus enim, Simonem Magum fuisse baptizatum, non autem Confirmatum, aut Apostolicas manus ei fuisse impositas; & sic est facilis totus Augustini contextus iuxta prædictam interpretationem, an vero iterantes hoc sacramentum incurrant aliquam pœnam, dicemus infrà in disputatione morali.

Tharasius. Augustinus. Innocen.

Act. 8. c. 9.

Simō Magus.

SECTIO II.

Quos effectus gratiæ sanctificātis conferat hoc sacramentum.

Primus error

DVo extremi errores possunt hoc loco referri. Prior est, negantium hoc sacramentú dare aliquem gratiæ effectum, quod non sentiunt nisi, vel qui negant, hoc esse verum sacramentum nouæ legis, vel qui generaliter negant sacramenta nouæ legis gratiam conferre, cōtra quos errores nihil nunc disputare oportet, quia id satis in superioribus præstitum est. Posterior hæresis esse potest, Confirmationem per se & ex primaria institutione sua tollere peccatum originale, & consequenter primam gratiam dare: hunc errorem docuisse dicitur Raimūdus Lullius, & sumitur ex Directorio Inquisitorum. 2. part. quæst. 9. vbi inter centum articulos Raimundi 89. est, *quod infanti, qui non vult assentiri sacramento Confirmationis, non valet sacramentum baptismatis*: in quo significat, sacramentum baptismi non habere effectum, donec sacramentum Confirmationis recipiatur. Vnde in 90. art. addit, *Quod, si homo non est Confirmatus, & credit se Confirmatum, est mundatus à peccato originali, ratione bonæ intentionis, quæ consumit culpam & peccatū:* significat itaque (vt ibi etiā notat Eymericus) peccatum originale, non in baptismo, sed in Confirmatione tolli: sed illos articulos damnauit Gregorius XI. vt ibidem refertur, & latiùs in quæst. 26. Oriri autem potuit hic error ex eo, quod Patres interdum vocant hoc sacramentum perfectionem baptismi, vt suprà visum est; quod ita intelligebatur, baptismum sine Confirmatione nullum habere effectum gratiæ, aut remissionis peccati, & ideò esse imperfectum, perfici autem in Confirmatione, quia tunc datur totus effectus, ex qua interpretatione apertè sequitur, vel baptismum nō esse sacramentum, vel saltem baptismum & Confirmationem non esse duo sacramenta, sed ex vtroque confici vnum habens vnum effectum gratiæ, & remissionem peccati originalis. Est ergo hæc intelligentia erronea, verus autem illius locutionis sensus ex dictis constat: gratia enim, quæ in baptismo datur sufficientissima ad remissionem peccati, in Confirmatione perficitur ac roboratur ad bene operandum, constanterque credendum & confitendum fidem, & ideò Confirmatio, baptismi perfectio appellatur.

2. Error.

Raymū. Lull.

Eymericus.

Grego. XI.

Quomodo dicatur Confirmatio baptismi perfectio.

Dicendum est ergo primò, hoc sacramētum per se, & vi sua posse conferre aliquam gratiam sanctificantem, præter eam, quam confert baptismus. Conclusio est de fide, quæ probanda est, primò ex generali principio, quod omnia sacramenta nouæ legis conferunt gratiam sanctificantem, de quo videnda sunt dicta suprà circa quæst. 62. Secundò probanda est ex his testimonijs Scripturæ & Patrum, quibus suprà probatum est, hoc sacramentū esse institutum, vt in eo detur Spiritus sanctus, & in eo impleri promissionem à Christo factam mittendi Spiritum sanctum; datur ergo Spiritus sanctus in hoc sacramento, non datur autem sine effectu gratiæ sanctificantis. Vnde Concil. Trident. sess. 7. cano. 2. de Confirmatione definit, sacrum Chrisma habere virtutem sanctificandi: de qua re videri possunt plura Decreta de Consecrat. dist. 5. à principio. Tertiò probanda est ex distinctione inter hæc duo sacramenta, Baptismum, & Confirmationem: nam, vt Melchiades Papa dixit, vtrumque est verum & magnum sacramentum; & sicut in essentia & significatione distinguuntur, ita & in gratiæ effectu.

Hoc sacramentum potest per se conferre aliquam gratiam sanctificantem præter gratiam baptismi.

Dico secundò, Hoc sacramentum per se non est institutum ad dandam gratiam primam, neque ad tollendum peccatum originale, aut mortale, sed ad augendam & roborandam baptismalem gratiam. Cōclusio est eodem modo certa, nam illa sola sacramenta sunt per se instituta ad dandam primam gratiam, quæ sunt per se instituta ad tollendū peccatum originale, aut mortale: quia, & huiusmodi peccata tolli non possunt, nisi per primam gratiā, & omnis gratia prima est sufficiens ad excludendū illa: est autem certum solùm baptismum esse institutum ad tollendum originale peccatum, & reliqua,

Non tamen est institutum ad dandam primam gratiam, sed ad augendam.

qua, quæ cum illo coniuncta fuerint. Ad tollendū autem alia peccata mortalia, quæ post baptismum committuntur, solum pœnitentiæ sacramentū institutum est, vt constant ex doctrina Concil. Florent. & Trident. sess. 7. & 14. & partim in superioribus dictum est, partim dicetur infrà tractando de pœnitentiæ sacramento: ergo sacramentū Confirmationis, neque ad remissionem peccati, neque ad primam gratiam dādam, est per se institutum; & ideò vnum est ex his, quæ dicuntur sacramenta viuorum; nam duo tantum illa, baptismus & pœnitentia, sunt ex institutione sua sacramenta mortuorum. Et hinc probata relinquitur vltima cōclusionis pars: nam hoc sacramentum institutum est ad dandam gratiam ex 1. concl. & non primam: ergo secundam, seu (quod idem est) ad augmentū & robur gratiæ. Quomodò autem in hoc differat à cæteris sacramentis viuorum, sæpè iam indicatū est, & statim etiam dicetur.

Conc. Floren. Conc. Triden.

Hinc sequitur primò, ad effectū huius sacramēti per se loquendo necessarium esse, vt, qui illud recipit, primam gratiam habeat: nam ad gratiæ augmentum per se requiritur & supponitur prima gratia: quomodo enim augebitur, quod non est? Vnde sicut in naturalibus augmentum supponit viuens genitum, & retinens, seu conseruās vitam, quam per generationem acquisiuit, ita hoc sacramentum, quod est quoddam spirituale augmentū, supponit spiritualem generationem & vitā. Quò circa, qui baptizatus est, si baptismalem gratiam non amisit, sufficienter dispositus est ad effectum huius sacramenti recipiendum, nec nouam dispositionem ex necessitate requirit, siue paruulus sit, siue adultus; solum in adulto requiritur consensus, non tam per modum dispositionis ad effectum sacramenti, quam per modum intentionis, & voluntatis necessariæ ad valorem sacramenti. Ex decentia etiam & congruitate oportet, vt hoc sacramentum cum debita attentione & deuotione ab adulto suscipiatur: ex necessitate tamen nulla actualis dispositio absoluta requiritur ad hunc effectum: quia satis est habere habitualem dispositionem, & non ponere obicem; nam iuxta sanam doctrinam sacramenta dant gratiam non ponentibus obicem. Vnde fit, in homine grato, si mortaliter non peccet, non posse impediri hunc effectum, si sacramētum validū est; interueniente autem peccato mortali impediri potest, ex obice recipientis, in quo differt hic effectus ab effectu characteris, qui impediri nullo modo potest, si validum est sacramentū vt in superioribus etiam traditum est. Secundo, sequitur ex dictis, eum, qui post baptismum mortaliter peccauit, per se loquendo indigere contritione vel attritione cum sacramento pœnitentiæ, vt dignè possit hoc sacramentum recipere; & effectum eius. Probatur, quia indiget prima gratia, vt possit recipere effectum huius sacramenti: sed hanc amisit peccando: ergo oportet, vt priùs illam recuperet, quàm ad effectum huius sacramenti recipiendum accedat; non potest autem illam recuperare, nisi per sacramentum pœnitentiæ dignè susceptum; aut per contritionem includentem votum eius. Vnde etiam concluditur, non sufficere solam attritionem per se loquendo. Quapropter, qui solam attritioné habet, suamque imperfectam dispositionem cognoscit, non potest licitè ad hoc sacramentū accedere, neque effectum eius recipere per se loquendo: quia, cùm careat spirituali vita, non est rectè dispositus ad augmentum eius recipiendum; caret ergo dispositione per se requisita, & hoc ipsum non ignorat, vt supponitur, malè ergo agit sic accedendo, & cōsequenter ponit obicē effectui sacramenti.

Effectus huius sacramenti præsupponit primam gratiam.

Sed quæret aliquis primò, an sit etiam necessarium adulto confessionem præmittere, antequam hoc sacramentum suscipiat, quando habet cōscientiam peccati mortalis post baptismum commissi. Respondetur, non esse hoc necessarium, quia nullum est præceptum speciale, quod ad hoc obliget, neque ex generali ratione sacramentorum colligitur, vt suprà visum est: ergo; maior patet, quia tale præceptum nec humanum, nec Ecclesiasticum, neque diuinum positiuum, nec scriptum, aut traditū est; neque etiam ex sola rei natura colligitur, nam quoad hoc nulla est maior ratio in hoc sacramētō, quàm in cæteris. Est ergo optimum consiliū confessionem præmittere: propter quod dicitur in Cōcilio Aurelianen. cap. 3. & habetur in capit. Vt ieiuni. de Consecrat. dist. 5. adultos admonēdos esse confessionem præmittere, non tamen est simpliciter necessarium, neque illud est præceptum, sed admonitio quædam: satis ergo erit per contritionē disponi. Quod si quis non valeat, aut (vt veriùs dicatur) nolit conari ad veram contritionem habendam, tenebitur ad confessionem præmittendam.

Non tamen adultus tenebitur confessionem præmittere, quamuis cō silium sit.

Conci. Aurel.

Occurrit verò statim secūdum dubium. Quid, si aliquis existimet se contritum, & reuera non sit? Respondetur, si probabilis sit existimatio, & inuincibilis ignorātia, excusari à culpa, ideoque probabile esse, quod hic D. Tho. docet art. 7. ad 2. eū recipere gratiam per hoc sacramentum: quia per attritionem disponitur ad remissionem peccati actualis, & ad gratiam ex opere operato recipiendam, & per bonam fidem tollitur obex peccati actualis, atque hic applicanda sunt omnia dicta in simili. q. de sacramentis in genere: nulla enim specialis ratio, aut difficultas circa hoc sacramentum occurrit. Significat autem D. Thom. in ea solutione, si quis accedat bona fide, solùm quia ex ignorantia non habet conscientiam peccati mortalis, recipere effectum sacramenti; etiam si re ipsa tale peccatum habeat: sed intelligendum est, dummodò habeat aliquam sufficientem attritionem: nam sola ignorantia, quantumuis inuincibilis, licèt sufficiat ad tollendum obicem actualis peccati, nō tamen per se est dispositio ad remissionem peccati priùs commissi; cùm tamen illud remitti non possit sine aliqua attritione & dispositione peccatoris, vt suprà in materia de baptismo tactum est, & dicetur latiùs in materia de pœnitentia.

Sufficit probabilis existimatio contritionis cum ignorantia inuincibili.

D. Thom.

Tertiò dubitari solet circa hunc effectū, quāta sit gratia, quæ per hoc sacramentū datur; & quoniam impossibile omnino est, præcisè & absolutè à nobis cognosci, aut signari gradus gratiæ, qui per hoc sacramentum dantur, tractari solet quæstio comparata, an scilicet hoc sacramentum det maiorem gratiam habitualem, quàm baptismus; & est ratio dubitandi, quia gratia baptismalis, cū sit regeneratiua, & perfectè remissiua omnis culpæ, videtur esse maxima; & ita maximis encomijs exaggeratur, & commendatur à sanctis Patribus. Item quia cùm illud sacramentum sit maioris

Vtrùm hoc sacramentū conferat maiorem gratiam, quā baptismus.

necesſitas videtur veriſimile maiorem gratiam in eo eſſe à Chriſto promiſſam, quàm Confirmationi, quæ fortaſſe ſolùm eſt voluntarium ſacramentum, & ad melius eſſe: præſertim, quia in ſuſceptione baptiſmi maius quoddam obſequium, longèque difficilius homo offert Deo, quàm in Confirmatione; nam in illo fit prima fidei profeſſio, & Chriſtianæ religionis ſuſceptio. In contrarium autem eſt, quia omnes Patres ſuprà citati dicunt, hoc ſacramentum conferre perfectionem homini Chriſtiano, qui cõparatur poſt Cõfirmationem ad ſe ipſum tantũ baptizatũ, ſicut vir ad puerũ: ſentiunt ergo maiorem eſſe perfectionem, quã addit Cõfirmatio, quã quę per baptiſmũ data erat.

Quid quidam Doctores sentiant. Circa hoc aliqui Theologi dicunt, effectũ Confirmationis dici perfectiorem, quia ſupponit effectum baptiſmi & addit aliquid aliud, non tamen quia id, quòd addit, præciſè comparatum ad id, quod ſupponit, ſit maius. Ita videntur ſentire Bonauent. in 4. diſtinctione 7. artic. 2. quæſt. 3. Marſil. in 4. quæſt. 5. artic. 4. in fine. *Bonauen. Marsil.* Sed hoc non videtur ſatisfacere dictis Sanctorum, tum quia eodem modo dici poſſet, quodlibet ſacramentum dare maiorem gratiam, quàm baptiſmum, quia ſupponit gratiam baptiſmalem & aliquid addit: hinc ergo non poſſet colligi dignitas, & excellentia huius ſacramẽti, quod Sancti intendunt; tum etiam quia ſatis clarè loquuntur de perfectione, quam per ſe confert hoc ſacramentum, in quo dari dicunt, Spiritus ſancti plenitudinem & robur, vt patet ex Clemente, Vrbano, & Cypriano, epiſtol. 27. & ſingulariter ex Melchiade dicta epiſtola: vbi interrogatus, quod ſit maius ſacramentum, Baptiſmus, an Confirmatio, abſolutè videtur Confirmationem præferre, dicens, *Scitote, vtrumque magnum eſſe ſacramentum, & ſicut vnum à maioribus ſit, id eſt, à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt, ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum eſt*; & ſtatim multis verbis exaggerat effectum huius ſacramenti; tum denique quia iuxta exemplum & proportionem adductam vir non ſolùm excedit magnitudine puerum, quia eius quantitatem includit, & aliquid addit, ſed etiam, quia ſi præciſè comparantur, maior eſt quantitas, quæ viro addit per augmentum, quam data fuerit per generationem. *Clemens. Vrbanus. Cyprianus. Melchiades.* Et Apoſtolis maior gratia videtur fuiſſe data in die Pentecoſtes, quàm antea per baptiſmum: ita ergo fieri in hoc ſacramento ſignificat D. Thom. infrà art. 11. ad tertium, dicens eſſe potiorem effectum huius ſacramenti, in quo datur ſeptiformis gratia Spiritus ſancti cum omni plenitudine ſanctitatis, ſcientiæ, & virtutis ex Rabano lib. 2. de inſtitutione Clericorum, cap. 30. quem etiam refert, atque eodem modo exponit, & ſequitur Magiſter in 4. diſt. 7. *D. Thom. Rabanus. Magister.* Vnde ſuperiùs quæſt. 65. artic. 3. via perfectionis dicit ſacramentum Confirmationis ſuperare baptiſmũ: idem in 4. dist. 7. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiuncula 3. & ibi Soto art. 7. & diſt. 6. q. 1. art. 6. eſtque hæc opinio ſatis probabilis, quanuis incerta.

Hoc sacramẽtũ cõfert propriam gratiã sacramentalẽ. Vltimò dicendum eſt, conferre hoc ſacramentum propriam gratiam ſacramentalem, id eſt, ſpecialem Spiritus ſancti protectionem, & auxilium ad fidem viuam conſtanter tenendam & profitendam. Ita docent cum Diuo Thoma, omnes Theologi, & colligitur ex omnibus ſuprà adductis ad explicandam rationem inſtitutionis huius

A ſacramenti: neceſſe eſt enim vnumquodque ſpeciale ſacramentum ad proprium finem ordinari, & gratiam ſpecialem tali fini accommodatam conferre, quæ in hoc ſacramento non poteſt eſſe alia, vel excogitari.

Poteſt autem de hoc effectu quæri, quando detur, quámue diſpoſitionem requirat, aut quomodo poſsit impediri. Ad quod breuiter reſpondetur, in ipſa ſuſceptione ſacramenti dari hunc effectum quaſi in radice, vel (vt ſic dicam) dari ius ad huiuſmodi auxilium: re tamen ipſa dari temporibus opportunis, iuxta diuinæ ſapientiæ diſpoſitionem conſentaneam fini huius ſacramenti. Vt autem tunc infallibiliter detur, neceſſe eſt, hominem non apponere obicem peccati: ſicut in ipſa ſuſceptione ſacramenti neceſſarium hoc fuit ad gratiam ipſam, quæ eſt veluti fundamentum huius protectionis, & auxilij diuini: B quia, ſi homo ponat obicem peccati mortalis, fit indignus hoc auxilio, & ineptus, vel indiſpoſitus ad finem huius ſacramenti: quia, & fides mortua infirma valde eſt, & homo in eo ſtatu exiſtens caret habitatore Spiritu ſancto. Statim verò occurrebat quæſtio, an, ſi homo poſuit obicem huic effectui per peccatum, & poſteà tollat obicem, reſtituatur effectus, ſiue obex poſitus fuerit in ipſa ſuſceptione ſacramenti, ſiue poſteà in vitæ diſcurſu, ſed de hac re ſatis diſputatum eſt ſuprà in materia de baptiſmo; vbi affirmantem partem elegimus; neque hic occurrit aliquid addendum.

ARTICVLVS VIII.

C *Vtrùm hoc ſacramentum ſit omnibus exhibendum.*

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſacramentum non ſit omnibus exhibendum. Hoc enim ſacramentum ad quandam excellentiam datur: vt dictũ eſt. Sed id, quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus. Ergo hoc ſacramentum non debet omnibus dari.

¶ 2 Præterea, Per hoc ſacramentum augetur aliquis ſpiritualiter in perfectam ętatem. Sed perfecta ætas repugnat ætati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.

¶ 3 Præterea. Sicut Melchiades Papa dicit, D poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam. Sed pugnare non competit mulieribus, propter fragilitatem ſexus. Ergo nec mulieribus hoc ſacramentum dari debet.

¶ 4 Præterea, Melchiades Papa dicit, quod quamuis continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamẽ Confirmationis auxilia neceſſaria ſunt: quia Confirmatio armat & inſtruit ad agones mundi huius, & prælia reſeruãdos. Qui autem poſt baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculatus peruenerit ad mortem, confirmatur morte: quia iam nõ poteſt peccare poſt mortem. Ergo ſtatim morituris non

non debet hoc ſacramentum conferri, & ſic non debet omnibus dari.

SED contra eſt, quod dicitur Actor. 2. quod Spiritus ſanctus adueniẽs repleuit totam domũ (per quam ſignificatur Eccleſia) & poſtea ſubditur, quo repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: Sed ad illam plenitudinem conſequendam hoc ſacramentum datur. Ergo eſt omnibus, qui ſunt in Eccleſia, exhibendum.

Art. 2. huius q. RESPONDEO dicendum, quod (ſicut dictum eſt) per hoc ſacramentũ promouetur homo ſpiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem eſt de intentione naturæ, vt omnis, qui corporaliter naſcitur, ad perfectam ætatem perueniat; ſed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatẽ corporis, quod morte præuenitur. B Multo autem magis de intentione Dei eſt, omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione hoc natura participat, vnde & Deutero. 32. dicitur, Dei perfecta ſunt opera. Anima autem, ad quam pertinet & ſpiritualis natiuitas, & ſpiritualis ætatis perfectio, immortalis eſt, & poteſt, ſicut tempore ſenectutis ſpiritualem natiuitatem conſequi, ita tempore iuuentutis, vel pueritiæ conſequi perfectam ætatem; quia huiuſmodi corporales ætates animæ non præiudicãt. Et ideo hoc ſacrametum debet omnibus exhiberi.

C AD primum ergo dicendum, quod hoc ſacramentum datur ad quandam excellentiam, non quidem vnius hominis ad alium, (ſicut ſacramentum ordinis) ſed hominis ad ſeipſum, ſicut idem perfectus vir exiſtens, habet excellentiam ad ſe puerum.

In cor. art. AD ſecundum dicendum, quod (ſicut dictum eſt) ætas corporalis nõ præiudicat animæ. Vnde etiã in puerili ætate poteſt quis conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. 4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Et inde eſt, quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus ſancti perceptum, vſque ad ſanguinem fortiter certauerint pro Chriſto.

D AD tertium dicendum, quod ſicut Chryſoſtomus dicit in homilia de Machabæis, In mundanis agonibus, ætatis, ac formæ, generiſque dignitas requiritur, & ideo ſeruis ac mulieribus, & ſenibus ac pueris ad eos aditus denegatur: In cæleſtibus autem, omni perſonæ & ætati ac ſexui, indiſcreta facultate ſtadium patet. Et in homilia de militia ſpirituali dicit. Apud Deum fœmineus etiã militat ſexus. Multæ namque fœminæ animo virili ſpiritualem militiam geſſerunt, quædam enim interioris hominis virtute,

A viros æquauerunt in agonibus martyrium: quædam etiam fortiores viris extiterunt. Et ideo etiam mulieribus hoc ſacramentũ conferendum eſt.

AD quartum dicendum, quod (ſicut dictum eſt) anima ad quam pertinet ſpiritualis ætas, immortalis eſt. *In cor. art.* Et ideo etiam morituris hoc ſacramentum dandum eſt, vt in reſurrectione perfecti appareant, ſecundùm illud Epheſ. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Et ideò Hugo de ſancto Victore dicit, Omnino periculum eſſet, ſi ab hac vita ſine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, *lib. 2. de sacr. par. 7. c. 3. circa princ.* B niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur. Vnde etiam pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic maiorem obtinent gratiam. Autoritas autem illa intelligitur, quantum ad hoc, quod morituris non eſt neceſſariũ hoc ſacramentum propter periculum pugnæ præſentis. *Citata in argu. 4.*

DISPVT. XXXV.

Et 4. huius ſacramenti.

De ſuſcipientibus Confirmationis ſacramentum.

C POſtquàm dictum eſt de effectibus, dicẽdum ſequitur de cauſis huius ſacramenti: & quoniam formalis & finalis ſimul cum eſſentia & effectu, ſeu vtilitate huius ſacramenti explicatæ ſunt, ſolùm ſupereſt dicendum de ſubiectiua ſeu materiali, & efficiente, de qua dicemus in ſequenti diſputatione; hic ergo agimus de materiali cauſa, non ex qua ſacramentum conſtat, nam hæc pertinet ad eſſentiam ſacramenti, & explicata iam eſt, ſed circa quam ſacramentum verſatur, & in qua recipitur: eſt enim ſacramentum veluti accidens quoddam indigens proprio ſubiecto, quod poteſt eſſe vel neceſsitatis, vel congruitatis, & vtrumque explicandum eſt.

SECTIO I.

D *Vtrùm quilibet homo ſit ſubiectum capax huius ſacrœmenti.*

DIco primò. Omnis homo baptizatus, eſt capax huius ſacramenti, non tamen is, qui baptiſmo caret. *Omnis homo baptizatus est subiectum capax huius sacramenti. D. Thom.* Hanc poſteriorem partem docuit Diuus Thomas ſuprà artic. 6. vbi hoc ſenſu docuit, characterem baptiſmi ſupponi ex neceſsitate characteri Confirmationis, quod eſt certum ex generali regula, quòd baptiſmus eſt ianua ſacramentorum, & character eius eſt veluti potẽtia paſsiua ad omnia ſacramenta. Secundò ex ſpeciali ratione, quia perfectio ſupponit ſuum perfectibile, & augmentum ſupponit generationem: His autem modis comparantur inter ſe Confirmatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

matio & Baptismus, vt Patres suprà citati docent, qui simul traduntObiectio. Augustin. Solutio 1. Solutio 2. Beda. Greg. Naz. D. Thom. Vrbanus Pap. Nulla est ætatum, sexuum, aut statuū distinctio, quod

qui simul traduntObiectio. Augustin. Solutio 1. Solutio 2. Beda. Greg. Naz. D. Thom. Vrbanus Pap. Nulla est ætatum, sexuum, aut statuū distinctio, quod

matio & Baptismus, vt Patres suprà citati docent,

& quartum. Neque eſt vlla conſuetudo in contrarium, neque de alijs infantibus eſt ſimilis ratio, vt ex dictis patet: infantes enim non priuãtur hoc ſacramento, ſed ſolùm eis differtur, vt commodius tempus expectetus: hi verò, vel omninò eſſent priuandi; quod neque expedit, neque rationabile eſſe videtur; vel, ſi priuandi non ſunt, nulla eſt ratio differendi ſacramentum. Vnde potiùs dicerem debere Epiſcopos huiuſmodi amentes Confirmare, niſi aliqua grauis & extraordinaria cauſa impediat.

Qui ſunt in articulo mortis nõ ſunt priuandi hoc ſacramento. *Melchia. PP.*

Circa tertium de his, qui ſunt in articulo mortis conſtituti, eadem ferè eſt ratio & cauſa dubitandi, cum ea, quam in dubio præcedente aſsignauimus; nam vt ait Melchiades Papa, *Etſi victuris neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia, at continuò tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia, &c.* Nihilominùs tamẽ huius præſentis dubij reſolutio eadem prorſus eſt, ſcilicet, regulariter & per ſe loquendo, huiuſmodi homines iam iam morituros omnino eſſe confirmãdos; quia nulla ratio eſt, nec eſſe poteſt, cur tanto augmento, tantaque perfectione gratiæ & gloriæ iam iam morituri priuentur; & quia, licèt, ratione mortis imminentis non ſint pugnaturi, id planè eſt per accidens, ſatiſque eſt quòd, quantum eſt de ſe, ſint capaces pugnæ; & quod ſine pugna poſsint præmium & mercedem pugnantibus debitam obtinere. Atque hæc eſt ſententia communis Teologorum, cum Diuo Thoma hic ad quartum argumentum; & in quarto ſententiarum, diſtinctione 7. Vbi Diuus Bonauentura, & alij omnes, quos in primo puncto citauimus, idipſum docent. Quòd autem hoc minimè ſit in vſu, non eſt, quia non expediat, ſed potiùs quia non poteſt commodè fieri, & cum debita ſolennitate, & præſertim, quia (vt in ſimili dixit Innocentius in Epiſtola 1. ad Decentium circa finem) *Epiſcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt, cæterùm, ſi Epiſcopus, aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitãdum, & benedicere, & tangere Chriſmate, ſine cunctatione poteſt*: quæ verba dixit Innocentius de extrema vnctione, habent tamen eandem veritatem ad Confirmationem applicata. Melchiades autem Papa negat, hoc ſacramentum eſſe morituris neceſſarium, non tamen negat eſſe valdè vtile, atque conueniens.

D.Thom. *Bonauen.* *Innocen.*

ARTICVLVS IX.

Vtrùm hoc ſacramentum ſit conferendum homini in fronte.

Inf. ar. 11. ad 3. et 4. d. 7. q. 3. arti. 3. q. 2. & 4. cont. ca. 60. Et q. l. 11. ar. 7. cor. Et Roman. 1. lec. 5. fin. & c. 10. lec. 2. cor. 1. q. 65. ar. 4.

AD nonum ſic proceditur. Videtur, quod hoc ſacramentum non ſit conferẽdum homini in fronte. Hoc enim ſacramentum eſt perfectiuum baptiſmi, vt ſuprà dictum eſt. Sed ſacramentum baptiſmi confertur homini in toto corpore. Ergo hoc ſacramentum nõ debet conferri ſolum in fronte.

Ar. 1. & 2. huius q.

¶ 2 Præterea, Hoc ſacramentum datur ad robur ſpirituale, vt ſuprà dictum eſt. Sed ſpirituale robur maximè conſiſtit in corde. A Ergo hoc ſacramentum magis debet conferri ſupra cor, quàm in fronte.

¶ 3 Præterea, Hoc ſacramentum datur homini ad hoc, quod libere fidem Chriſti confiteatur. Sed ore fit confeſsio ad ſalutẽ, vt dicitur Romanorum 10. Ergo hoc ſacramentum magis debet conferri circa os, quã in fronte.

SED contra eſt, quod Rabanus dicit in libro de inſtitutione clericorum, Signatur baptizatus Chriſmate in ſummitate capitis per ſacerdotem, per Pontificem verò in fronte. *Lib. 1. ca. 30 in prin.*

RESPONDEO dicendum, quod (ſicut ſuprà dictum eſt) in hoc ſacramento B homo accipit Spiritum ſanctum ad robur ſpiritualis pugnæ, vt fortiter etiam inter aduerſarios fidei, Chriſti fidem confiteatur. Vnde conuenienter ſignatur Chriſmate ſigno crucis in fronte propter duo: primo quidem, quia inſignitur ſigno crucis, ſicut miles ſigno Ducis: quod quidem debet eſſe euidens & manifeſtum. Inter omnia autem loca corporis humani, maximè frons manifeſta eſt, quæ quaſi nunquam obtegitur. Et ideo linitur confirmatus Chriſmate in fronte, vt in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum, ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum ſe manifeſtauerunt, qui prius in cœnaculo latebant. Secundo quia C aliquis impeditur à libera confeſsione nominis Chriſti propter duo, ſcilicet, propter timorem, & propter verecundiam. Vtriuſque autem horum ſignum maximè manifeſtatur in fronte propter duo, ſcilicet, propter propinquitatẽ imaginationis, & propter hoc, quod ſpiritus à corde directe ad frontem aſcendunt. Vnde verecundati erubeſcunt, timentes autem palleſcunt, vt dicitur in 4 Ethicor. Et ideo in fronte ſignatur Chriſmate, vt neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam, nomen Chriſti confiteri prætermittat. *Ar. 1. & 4. huius q.* *Lib. 4. c. vlt. circa prin. tomo 5.*

AD primum ergo dicendum, quod per baptiſmum regeneramur ad vitam ſpiritualem: quæ ad totum hominem pertinet. D Sed in Confirmatione roboramur ad pugnam, cuius ſignum ferendum eſt in fronte, quaſi in euidenti loco.

AD ſecundum dicendum, quod principium fortitudinis eſt in corde: ſed ſignum apparet in fronte. Vnde dicitur Ezech. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorẽ frontibus eorum. Et ideo ſacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſe ipſo confirmatur, pertinet ad cor, ſecundum illud Pſalm. 103. Panis cor hominis confirmet. Sed ad ſacramẽtum Confirmationis requiritur ſignum fortitudinis

dinis ad alios, & ideò exhibetur in fronte.

AD tertium dicendum, quod hoc ſacramentum datur ad libere confitendum, non autem ad confitẽdum ſimpliciter, quia hoc fit etiam in baptiſmo. Et ideò non debet dari in ore, ſed in fronte, vbi apparẽt ſigna paſſionum, quibus altera confeſsio impeditur.

Hic articulus iam eſt in ſuperioribus explicatus.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

4. d. 7. q. 3. arti. 3. q. 1.

AD decimum ſic proceditur. Videtur, quod ille qui confirmatur, non debeat ab alio teneri ad confirmationẽ. Hoc enim ſacramentum non ſolum pueris, ſed etiam adultis exhibetur. Adulti autem per ſe ipſos ſtare poſſunt. Ergo ridiculum eſt, quod ab alio teneantur.

¶ 2 Præterea, Ille, qui iam eſt de Eccleſia, liberũ habet acceſſum ad Eccleſiæ Principem, qui eſt Epiſcopus. Sed hoc ſacramentum (ſicut dictum eſt) non exhibetur niſi baptizato, qui iam eſt membrum Eccleſiæ. Videtur ergo, quod non debeat per alium exhiberi Epiſcopo, ad hoc ſacramentum recipiendum. *Ar. 6. huius q.*

¶ 3 Præterea, Hoc ſacramentum datur ad robur ſpirituale, quod magis viget in viris, quàm in mulieribus, ſecundũ illud Prouerb. vlt. Mulierem fortem quis inueniet? Ergo ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem. *Innoc. Exuperio Toloſano Epiſ. habetur 30. q. 4. c. ſi quis ex vno.*

SED contra eſt, quod Innoc, Papa dicit, & habetur in Decret. 30. quæſt. 4. Si quis ex coniugio filium aut filiam alterius, de ſacro fonte ſuſceperit, aut ad chriſma tenuerit, &c. Ergo ſicut requiritur, quod aliquis baptizatũ de ſacro fonte leuet, ita debet aliquis teneri ad ſacramentum confirmationis accipiendum.

Art. præc.

RESPONDEO dicendum, quod (ſicut dictum eſt) hoc ſacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ ſpiritualis. Sicut autem aliquis de nouo natus, indiget inſtructore in his quæ pertinent ad conuerſationem vitæ (ſecundum illud Hebr. 12. Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos) ita illi, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus inſtruantur, de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideò in bellis materialibus conſtituuntur Duces, & Centuriones, per quos alij gubernẽtur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc ſacramẽtum, A ab alio tenetur, quaſi per alium in pugna ſpirituali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc ſacramentum confertur homini perfectio ſpiritualis ætatis, (ſicut dictum eſt) ideò ille, qui ad hoc ſacramẽtum accedit, ſuſtentatur, quaſi adhuc ſpiritualiter imbecillis & puer. *Art. 2. 4. & 5. huius q.*

AD primum ergo dicendum, quod licèt ille, qui confirmatur, ſit adultus corporaliter, nondum tamen eſt adultus ſpiritualiter.

AD ſecundum dicendum, quod licet baptizatus ſit effectus membrum Eccleſiæ, nondum tamen eſt aſcriptus militiæ Chriſtianæ. Et ideo Epiſcopo tanquam duci exercitus, per aliũ exhibetur iam militiæ B Chriſtianæ aſcriptum. Non enim debet alium ad confirmationem tenere, qui nõdum eſt confirmatus.

AD tertium dicendum, quod (ſicut dicitur Coloſſenſes 3.) In Chriſto IESV non eſt maſculus & fœmina. Et ideò non differt vtrùm maſculus vel fœmina teneat aliquem in confirmatione.

COMMENTARIVS.

POſtquam Diuus Thomas tractauit de ijs, quibus dandum eſt hoc ſacramentum, acturus iam de ijs, à quibus eſt miniſtrandum, præmittit ſermonem de accidentali miniſterio, quod C exhibetur ab eo, qui Confirmandum tenet, qui patrinus, vel ſponſor, ſeu ſuſceptor dici poteſt, ſicut in baptiſmo dictum eſt. De quo ſuſceptore valde antiqua eſt Eccleſiæ traditio & conſuetudo, vt conſtat ex Iginio Papa, in capit. In Catechiſmo, de Conſecratione. diſtinctione 4. vbi dicit, nõ eſſe Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, vt idem ſit eiuſdem perſonæ patrinus ſeu ſuſceptor in baptiſmo, & in Confirmatione, quanquam ob neceſsitatem id fieri poſsit; & in capit. ſequente ex Leone Papa ſicut in Baptiſmo, ita & in Confirmatione dicitur, vnum tantùm debere eſſe ſuſceptorem, vel virum, vel fœminam: rurſuſque in ſequente capite additur ex Concilio Mogunt. huiuſmodi patrinum debere eſſe Confirmatum. Ratio autem huius ceremoniæ reddi poteſt, vel ex ſola ſignificatione, vel etiam ex miniſterio, nam probabile eſt, D ſolùm adhiberi huiuſmodi patrinum ad ornatum, & ad ſignificandum (vt rectè Diuus Thomas explicat in art.) Confirmandum eſſe Tyronem in ſpirituali militia; ideòque indigere, vt alicuius arte & conſilio doceatur, ac muniatur: vnde etiam probabile eſt huiuſmodi patrinum introductum, ſeu inſtitutum eſſe ab Eccleſia, vt hoc ſpirituale miniſterium circa Confirmatum exerceat. *Iginius Papa.*

Quæ ſit ſuſceptoris obligatio.

Dubium autem eſſe poteſt, an huiuſmodi obligatio ſit patrino impoſita ſub præcepto, hinc enim videtur ſuo muneri annexa; aliàs cur ſpiritualis pater vocatur, & alium in filiolum ſuſcipere dicitur, cap. In baptiſmate de Conſec. d. 4. Item in Pontifi. Roman. dicitur, Patrinum obligari ad informandum Confirmatum bonis moribus & operibus. Aliunde autem videtur, cum propriè non teneri ad

ad huiusmodi instructionem, tum quia nullum est ius, ex quo id colligatur: omnia enim, quæ hác obligationem indicant, loquuntur de solo susceptore baptismatis, vt patet ex suprà tractatis. quæst. 67. artic. 7. & 8. tum etiam, quia neque Diuus Thom. neque alij autores, huius obligationis meminerũt: tũ denique, quia non est omnino eadem ratio, quæ in baptismate, nam, qui Confirmantur, regulariter sunt iam adulti, & habent etiam alium baptismatis susceptorem, & fideiussorem, à quo instrui debent. Vnde regulariter, & moraliter ita dicendum videtur; in aliquo autem casu necessitatis posset talis obligatio intercedere. Appellatio ergo patrini in hoc sacramento sumpta est ex ipso ceremoniali ministerio tenendi Confirmandum; ex quo etiam oritur spiritualis quædam cognatio iuxta antiqua iura, vt colligitur ex ca. Si quis. & cap. De his. 30. quæst. 1. & ex cap. Si qui. 30. quæst. 4. & ex cap. 1. De cognatione spirituali in 6. quam cognationem vna tantum persona contrahit regulariter, quia vnus tantum potest esse patrinus huius sacramenti, vt dictũ est: si verò de facto plures teneant Confirmatum, omnes hanc cognationem contrahunt, vt statuitur in cap. Quamuis de cognatione spiri. in 6. hoc autem, & alia, quæ pertinent ad hanc cognationem, limitanda sunt iuxta statuta in Concilio Trident. sessione 24. cap. 2. de reformatione matrimonij, & declarata suprà. d. quæst. 67. art. 8. Addunt etiam aliqui, eum, qui non est Confirmatus, si alium teneat in Confirmatione, non contrahere hanc cognationem. Ita tenet Victoria in summa. num. 51. cum Angelo eodem verbo. num. 11. Tabiena. §. 7. Astensi tit. 7. ar. 8. Contrariũ tamen tenuit Syluester verbo, Matrimonium. 8. quęst. 7. nu. 12. qui citat summam Roselam, & Soto in 4. d. 42. q. 1. ar. 1. quia sufficit, inquiũt, character baptismatis, vt susceptor sit capax huius cognationis. Nihilominus verior apparet prima sententia, quæ nõ fundatur in incapacitate, sed in hoc, quod ille re verà non est susceptor, cum non habeat conditiones ab Ecclesia requisitas ad illud munus. Vnde in prædicto cap. In baptismate ęquè dicitur, non posse hominem non Confirmatum alium tenere in Confirmatione, cumque in filiolum suscipere, sicut non potest non baptizatus, in baptismate. Atque hinc colligitur, verum esse, quod docuit Syuester verbo, Confirmatio diuina. nu. 5. scilicet peccare eum, qui, cùm non sit Confirmatus, alium in Confirmatione tenet, non autem explicat, quale hoc peccatum sit. Diuus Thomas autem hic dicens, non Confirmatum nõ debere esse Confirmationis patrinum, significat non esse graue seu mortale peccatum, probabile tamen est ex suo genere esse mortale; quia hæc ceremonia est grauis, & recepta ab Ecclesia; vnde, sicut illam omnino omittere, ex suo genere est graue peccatum, ita etiam eam irritam facere.

Quæ cognatio spiritualis cõtrahatur inter susceptorem et cõfirmatum.

Concil. Trid.

Victoria. Angelus. Tabiena. Syluest. S. Rosela. Soto.

Syluester.

D. Thom.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit.

4. d. 7. q. 3. artic. 1. q. 2. & 3. q. 1. ar. 1.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quod non solum Episcopus hoc sacramentum conferre posset. Gregorius enim scribens Ianuario Episcopo dicit, Peruenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, & nos quidem secundum veterem vsum nostræ Ecclesiæ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. Sed illud, quod pertinet ad necessitatem sacramentorum, non est propter vitandum scandalum immutandum. Ergo videtur, quod non sit de necessitate huius sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

q. 1. & 4. 24. q. 1. art. 1. & 4. cont. 60. & 10. art. 7. 3. Epist. 26. in fine.

¶ 2 Præterea, Sacramentum baptismi videtur maioris efficaciæ, quam sacramentum confirmationis, quia per baptismum fit plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, quod non fit in hoc sacramento. Sed simplex sacerdos ex suo officio potest tradere sacramentum baptismi, & in necessitate quilibet etiam nõ ordinatus potest baptizare. Ergo non est de necessitate huius sacramenti, quod ab Episcopo conferatur.

¶ 3 Præterea, Summitas capitis, vbi secundum Medicos est locus rationis, scilicet, particularis (quæ dicitur virtus cogitatiua) est mobilior fronte, vbi est locus imaginatiuæ virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos vngere chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

SED contra est, quod Eusebius Papa dicit; Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenẽdum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse; nec ab alijs, quàm qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet, nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta. Est igitur de necessitate huius sacramenti, quod dicitur sacramentum manus impositionis, quod ab Episcopo tradatur.

Epi. 3. ad Episco. Tuscie, & Campanie, habetur de conse. d. 5. c. Manus quoque. et Inno. Conci. Epist. Engubin. Episco. c. 3.

RESPONDEO dicendum, quod in quolibet opere vltima consummatio supremæ arti, aut virtuti reseruatur; sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam; supremus autem est, ad quem pertinet vsus, qui est finis artificiatorum, & Epistola, quæ à notario scribitur, à Domino Papa signatur. Fideles autẽ Christi sunt quoddam diuinum opus, (secundum illud. 1. ad Corinthio. 3. Dei edificatio estis) sunt etiam quasi quædam Epistola Spiritu Dei scripta, sicut dicitur. 2. Corinth. 3. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi vltima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet, quòd per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis Epistola, sed per sacramentum Confirmationis quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, & quasi Epistola conscripta signatur signo Crucis. Et ideò collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, sicut & in primitima Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, vt habetur Actor. 8. Vnde Vrbanus Papa, dicit. Omnes fideles, per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniãtur.

Aug. li. 4. super sonã Test. q. 82. & de Trin. li. 15. c. 26. tomo. 3.

Vrba. I. in epi. ad omnes Christianos: habetur de consec. dist. 5. ca. Omnes fideles.

AD primum ergo dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorũ ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit beatus Grego. Papa, quod simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.

Lib. 3. epist. epi. 26. in fi.

AD secundum dicendum, quòd sacramẽtum baptismi est efficacius, quam hoc sacramentum quantum ad remotionem mali, eò quòd est spiritualis regeneratio, quæ est mutatio de non esse in esse. Hoc autem sacramentum est efficatius ad proficiendum in bono, quia est quodam spirituale augmẽtum de esse imperfecto ad esse perfectum, & ideò hoc sacramentum digniori ministro committitur.

AD tertium dicendum, quòd, sicut, Rabanus dicit in libr. de institutione clericorũ, signatur babtizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per Pontificẽ verò in fronte, vt in priori vnctione significetur super ipsum Spiritus sancti descẽsio ad habitationem Deo consecrandam, in secunda quoque, vt eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis & scientię, & virtutis, venire in hominẽ declaretur. Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiorem effectũ, hæc vnctio Episcopis reseruatur.

Li. 1. c. 30. refer. de consec. d. 5. cap. 5.

DISPVT. XXXVI.

&. 5. huius sacramenti.

De ministro Confirmationis.

IN hac disputatione supponenda sunt omnia, quæ de ministris sacramentorum in genere suprà sunt tradita, supponendum deinde est, nullum Presbytero inferiorem posse esse ministrum huius sacramenti, vt ex dicendis à fortiori constabit. Tota ergo controuersia versatur inter Presbyterum & Episcopum, de quibus breuiter dicemus, & de conditionibus ad hoc ministerium requisitis.

SECTIO I.

Vtrùm solus Episcopus sit ordinarius minister huius sacramenti.

ADdimus in titulo illum terminum, ordinarius (quem Concilium Tridentinum in sua difinitione addidit) vt abstineamus à quæstione de extraordinario ministro ex summi Pontificis dispẽsatione, seu delegatione, quam sectione sequente tractaturi sumus. Supponimus autem id: quod indubitatum est Episcopum esse sufficiẽtem ministrum huius sacramenti, vt à fortiori patebit ex omnibus testimonijs afferendis; & ratione constat, quia potestas ad conferendum sacramentũ hoc non est potestas iurisdictionis, sed ordinis: sed potestas ordinis est suprema in Episcopo, vt ita possit ille, quidquid inferiores possunt ex vi sui ordinis: ergo, si aliquis est sufficiens minister huius sacramenti, maximè Episcopus. Vnde obiter infero, quemlibet Episcopum, quantum ad necessitatem sacramenti attinet esse sufficientem ministrum huius sacramenti respectu cuiuslibet hominis baptizati. Nã licèt ex præcepto vnusquisque Episcopus teneatur non Confirmare alienas oues, neque vsurpare alienam iurisdictionem, tñ quia illa iurisdictio non est de substantia huius sacramenti, q; nõ per modũ iudicij, sed per modũ cuiusdã consecrationis, exercetur, ideò, licèt male faciat, & contra ius alterius Episcopus, qui alterius subditos Confirmat sine eius licentia, sacramẽtũ tamen factum tenet; & ita quilibet Episcopus est sufficiens minister; imò addi vlterius potest, certum esse, Episcopum esse necessarium ministrum huius sacramẽti, saltem necessitate præcepti, vt à fortiori cõstabit ex omnibus dicendis. Difficultas ergo est, an sit etiam necessarius ad substantiam sacramenti.

Conci. Trid. Quilibet Episcopus est sufficiens minister huius sacramẽti, & si alienas confirmet oues factum tenebit, licet peccet vsurpando iurisdict.

Error. Vvicl.

De hac re fuit error Vvitcleph asserentis, quemlibet sacerdotem esse sufficiẽtem ministrum Cõfirmationis, vt colligitur ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi hic error damnatur inter alios, & est nu 28. vt refert Vvaldensis, 2. tomo de sacramentis. cap. 114. & in eundem errorem incidit Armachanus lib. 11. de quæstionibus Armenorum cap. 4. & Durand. in. 4. distinction. 7. q. 3. post longã disputatione concludit numero. 11. rem esse dubiam, licèt probabilius sit cõtrarium, scilicet, solũ Episcopũ esse ministrũ: & ferè idẽ sentit Scotus. q. 1. & Caie. hic & Acto. 8. censet enim, Episcopũ esse quidẽ necessariũ ministrũ necessitate præcepti, nõ autẽ sacramenti. Refert etiã Ambro. ad Ephe. 4. AEgyptios olim fuisse in eadẽ sententia; & Aug.

Conc. Const. Armachan. Durandus. Scotus. Caietanus. Ambros. August.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

(vt Vvaldé.suprà refert)in li.9.q.noui,& veteris testamenti.q.101.hęc verba habet, *In Alexandria & per totā Aegyptum,si desit Episcopus,consignat Presbyter*,tamen in emendatioribus exemplaribus, nō legitur,*consignat*,sed,*consecrat*,imò(vt Vvaldé.notat)Aegyptij non propriè in hoc errabant, sed in eo,quod sacramentū Confirmationis negabant; solumq;ceremonialē vnctionem Chrismatis,quæ fit in solemni baptismo,cognoscebant;& ideò consequenter aiebant,eam non esse propriam Episcopi, sed à presbytero etiam ministrare posse;imò etiam dicere possent, diacono posse interdum concedi, vt constat ex supra dictis de ministro baptismi, & ex Ambros.1.de sacrament.capit.2.Refert etiam Turrianus in lib.5.Const.Clement.cap.16.ex Nicolao.1.Epistola ad Hicmarum Rhemensem, Grecos olim Latinos reprehendisse,eò quòd prohiberent Presbyteris Chrismate baptizatorum frontes vngere. Deniq; Hieronym.dialogo contra Luciferianos dicit, *Non ad legis necessitatem,sed ad sacerdotij honorem pertinere, quòd baptizati deferantur ad Episcopos,vt illis manus imponat*,significat ergo,hoc non esse de necessitate sacramenti, imò nec legis diuinæ,sed solum cuiusdam Ecclesiasticæ consuetudinis. Vnde in non nullis decretis solùm dicitur non licere presbyteris, Spiritum sanctum dare per manus impositionē,vt videre licet in Concil. Hispalens.II.cap.7.Concil.Vvormatiens.cap.8.Concil.Carthag.2.capit.3.& in Innocent.I.Epist.1.ad Decent.can.3.Est ergo hæc ad suum necessitas præcepti non sacramenti.

Turrianus. *Hierony.* *Concil. Hisp.* *Conci. Vvor.* *Conc.Carth.* *Innoc.I.*

Solus Episcopus est ordinarius minister Confirmationis. *Conc. Trid.* *Concil. Flor.*

Dicendum est tamen, solum Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis. Hæc conclusio sub his terminis est iam de fide;nam sub eisdē est definita in Concil.Trid.sess.7.can.3.de Confirmat.& eandem satis significauerat Concil.Florent. in decreto Eugenij, & colligitur ex multis alijs decretis,quæ referuntur de Consecrat. d.5. quæ statim annotabimus. Ratio à priori sumenda est ex Christi voluntate & institutione, quæ per Ecclesiæ traditionem,& diffinitionē nobis est sufficienter proposita;congruentia verò sufficiēs est quam D.Thom.hic tradit artic.11.Item quia Episcopus in Ecclesia est veluti dux in exercitu,ad quē spectat milites recipere & consignare. Item quia ad indicandum perfectum finem huius sacramenti conueniens fuit, vt à Principibus Ecclesiæ traderetur.

D. Thom.

Dico secundò, Episcopū non tantū esse ordinariū ministrū necessariū ex necessitate pręcepti,sed etiā necessitate sacramenti;ita vt, si sacerdos simplex propria autoritate illud tētet cōficere, nihil efficiet. Conclusio est eodem modo certa,quæ probari solet ex Act.8.& 19.vbi soli Apostoli leguntur Confirmasse fideles,qui ab alijs fuerant baptizati,quod non potuit oriri ex especiali necessitate alicuius præcepti positiui, quia nullum constat tunc latum fuisse ab Apostolis,nec sine fundamēto gratis fingēdū est,ergo ortum fuit ex ipsamet institutione,nam si id non fuisset existimatum necessariū, nō fuissent specialiter missi Apostoli Samariā ad Confirmādos baptizatos. Nec refert, si quis dicat,illā manus impositionē nō fuisse verum aut propriū sacramentū Cōfirmationis tū quia ostensum est, esse probabile,etiā quoad signū externū fuisse verum Cōfirmationis sacramentum; tū etiā quia,quicquid sit de signo externo,quoad effectū & vsum certū est habuisse vicem huius sacramenti. Vnde potius sumitur à fortiori argumentū, nā, licet in vsu Chrismatis aliquid fortè tunc sit dispēsatū, non tamen in ministro, seu conditione & dignitate requisita in persona illius.

Act.8.& 19

Sed dicet aliquis, ex his locis nō posse colligi, solos Apostolos tūc Cōfirmasse fideles, quia illi soli erāt Episcopi,quia etiā illi soli erāt sacerdotes;vnde potuit hoc ministeriū illis specialiter reseruari, nō vt Episcopis,sed vt presbyteris:imò multi probabilter existimant,in primitiua Ecclesia, nullos fuisse simplices sacerdotes præter Episcopos q; potest colligi ex Actor.20.vbi priùs dicitur Paulus mittens Ephesum vocasse presbyteros Ecclesię,ad quos postea loquēs inquit, Attēdite vobis & vniuerso gregi,in quo vos Spiritus sāctus posuit Episcopos,regere Ecclesiā Dei,quā acquisiuit sanguine suo; de quo testimonio,& de hac sententia videri potest Hieron.dial.cōtra Luciferianus,& super.c.1.Ad Titū,& in Epi.ad Rusticum,& Epi.85.ad Euagrium,& refertur in c.Legimus.93.distinct. & c.Olim.c.Ecce.65.d.Itē Aug.li.9.q.noui & vete.testā q.101.vbi hāc respōsionē significat dicēs, illo facto declaratū esse,quantū inter diaconū & sacerdotē distet, quia,quòd Philippus Diaconus dare non potuit Spiritū sanctū,missi sunt Apostoli, qui illum darent;significat ergo missos esse vt sacerdotes,non vt Episcopos.

Hieronym. *August.*

Sed,quicquid sit de hac sententia,nunc vt certū supponimus,dignitatē & potestatē Episcopi & sacerdotis iure diuino esse distinctas,siue olim fuerint semper coniūctæ,siue nō,vt sumitur ex Trid. sess.23.c.4.& can.6.& 7.Cōci.Trid. Quòd ergo eo tēpore,quo soli Apostoli Cōfirmabant fideles nulli alij fuerint sacerdotes,nullo firmo fundamēto affirmari pōt;quāquā etiā sit ignotū,an tūc essent aliqui alij sacerdotes ordinati. Deinde traditio,& cōmunis sensus & vsus Ecclesiæ declarauit, Apostolos,non vt Presbyteros tātū,sed vt Episcopos fuisse missos ad fideles Cōfirmandos. Vnde secūdo principaliter,pbāda est cōcl.autoritate & diffinitione Ecclesię,nā in primis Cōc.Flo.& Tri.cū docēt,solū Episcopū esse ordinariū ministrū huius sacramenti,sanè loquūtur de ministro simpliciter necessario ad substantiā sacramenti,sicut de cæteris sacramētis loqui solemus,& de hoc loquūtur Scholastici omnes;sed præcipuè vrget Conc.Trid.sess. 23.c.4.vbi inter alias functiones proprias Episcoporū. *Quarum potestatem reliqui inferioris ordinis nullā habent* ponit hanc scilicet. *Sacramentum confirmationis conferre*. Vnde can.7.Anathema dicit in eum qui dixerit potestatem Confirmandi esse Episcopis cum presbyteris communem:ergo in solis Episcopis est hæc potestas: ergo sunt ministri necessarij de necessitate sacramenti. Quam consecutionem apertis verbis confirmat Eusebius Papa Epistola.3.dicens, *Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest,nisi à summis sacerdotibus*,& infra, *Nam si aliter præsumptum fuerit,irritum habeatur, & vacuum,nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta*. Et Melchiades Papa de hoc loquens sacramento. *A maioribus*, inquit, *fit;id est, à summis Pontificibus, & à minoribus perfici non potest*. Vnde infrà,maiori veneratione celebrandum esse hoc sacramentum, quam baptismum; & eodem ferè modo scribunt Clemens Papa, Damasus Innocentius Leo, & alij supe-

Conc.Trid. *Conc.Flor.* *Conc.Trid.* *Conc.Trid.* *Euseb.Papa.* *Melch.Papa.* *Clemens Papa.*

superiùs citati ad confirmandam huius sacramenti veritatem;& idem colligitur ex capit. Quanto. Extra.de consuetudine, & ex alijs, quæ referuntur in decretis de consecrat. distinct.5.

Damasus. *Innocent.* *Leo.* *Nullus presbyter ex vi suæ ordinationis est sufficiens minister huius sacramenti.* *Gelasius Pap.* *Clemens.* *Dionys.* *August.* *Isidorus* *Cyprian.* *Epiphanius.* *Chrisostom.* *Beda.*

Et confirmatur,nam si presbyteri ex vi suæ ordinationis haberent sufficientem potestatem Ordinis adhoc sacramētū ministrādum, sine causa in vniuersum prohiberetur illud conferre, dicerenturque si hoc sacramentum dare tentent, excedere modum suum,& quæ Episcopalis fastigij sunt propria vsurpare vt loquitur Gelas.Papa, Epi.1.capit.8. Denique hoc sentiant omnes antiqui Patres, qui solis Episcopis tribuunt munus consignandi baptizatos in fronte, vt colligitur ex Clement.libr.3.Constit.capit.16.& Epist.4.& Dionys.capit.2.de Ecclesiastic.Hierarch.August.15.de Trinit.cap.26.& lib.quæst.noui testament.q.42.Isidoro libr.7. Etymologi.capit.12.& Cyprian.Epistola.73. ad Iubaianum. Epiphan.hæres.21.in principio Chrysostom. homil.18. in Acta. Beda in capitul.8.Actor. Rationes & congruentiæ,sunt eædem,quæ præcedentis conclusionis:est enim veluti proprium Episcoporum munus inferiores perficere, seu perfectos Christianos constituere:perficiuntur autem hoc sacramento,quod propterea manus impositio Episcoporum appellatur à Melchiade Papa,& ab Vrbano.I.in capitul.Omnes fideles. de Consecration. distinctione.5. Ex quibus satis constat, decreta suprà citata, quæ dicunt, non licere Presbyteris hoc sacramentum ministrare, intelligenda esse, non solùm Ecclesiastico iure, sed etiam diuino, quia scilicet carent potestate & consecratione necessaria ad hoc ministerium. Hieronym. autem illo dialog. contra Luciferiani (quem imitari videtur Autor illius quæstion.101. noui & veteris testamenti) ideò videtur contrarium sentire,quia non satis distinguit inter simplicem sacerdotem, & Episcopum quoad dignitatem & Ordinis potestatem, vt latiùs in materia de sacramento Ordinis tractandum est. Colligitur deinde, conclusionem hanc intelligendam esse vniuersaliter de omni Presbytero, cuiuscunque dignitatis sit, siue sit Abbas, siue alius quilibet. Hoc probant omnia adducta,& de Abbatibus id annotauit Concilium Senonense;& de Chorepiscopis idem notat Leo Papa, & alij Pontifices suprà citati:erant enim illi quoad ordinationem seu consecrationem tantùm Presbyteri regulariter loquendo, vt ex dictis Patribus sumitur & suo loco latius dicetur.

Melchiad. *Vrbanus.* *Hieronym.* *Leo Papa.*

Obiectiones. *Paul.ad Tim.4.* *Actorum.9.* *Concil.Tolet.* *Conc.Arausic.* *Innocen.I.*

Sed adhuc obijci solet illud primæ ad Timoth.4. *Nolli contemnere gratiam, quæ est in te per impositionem manus Presbiterij*,& Actor.9. Ananias imposuit manus Paulo, vt impleretur Spiritu sancto, cum tamen non esset Episcopus. Secundo & difficiliùs ex Concilio Toletano.1.cap.20.vbi dicitur *Statutum est, Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non nisi ab ipso fuerit preceptum*. Vnde in Conci.Arausic.1.can.2. dicitur, *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si de sit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari, placet*. Et Innocent.I.Epist.1.cap.6.idem planè docet de energumenis, scilicet, si non possint ad Episcopum referri, posse Episcopum autoritatē dare presbytero ad consignandos illos, seu ad imponēdas eis manus. Et in c.Omni tempore.de Consecratione. distin.4.dicitur, *Presbyter præsente Episcopo non signet infantes,nisi fortè ab Episcopo fuerit illi præceptum*: quod etiam habetur in capitul. Presbyter.95.distinction. quæ iura supponunt Presbyterum habere potestatem Ordinis, aliàs neque absente Episcopo, neque eo præsente ex præcepto eius quicquam posset efficere. Tertiò potest obijci Ambrosi.3.de sacrament.capitul.2.dicens, spirituale signaculum, & septiformem Spiritum tantum dari ad inuocationem sacerdotis; vnde Ignatius, Epist.13.inter munera sacerdotis ponit, manus impositionem.

Ambros. *Ignatius.*

Respondetur Obiectionibus

Ad testimonia Scripturæ facilis est responsio, nam in priori non est legēdum *Presbyteri*,sed, *Presbyterij*, vnde illa particula nō designat ministrum, sed modum, seu speciem illius manus impositionis quæ non fuit sacramētum Confirmationis, sed Ordinis. In posteriori verò testimonio non est etiam sermo de Confirmatione,sed de manus impositione curatiua, seu sanatiua; vt patet, primùm quia Scriptura non dicit, Ananiam imposuisse manus Paulo ad dandum ei Spiritum sanctum, sed ait in hunc modum. *Abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit, Saule frater Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto: & confestim ceciderūt ab oculis eius tāquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est*. Non ergo dicit Scriptura, Paulū fuisse per illam manus impositionem Spiritu sanctū impletum, sed visum recuperasse; fuit ergo illa manus impositio pertinens potiùs ad gratiā gratis datam sanitatis, iuxta illud Marci vltim. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Deinde huius etiam signum est, quia illa manus impositio facta est ante baptismum; Cōfirmatio autem fit post baptismum, quod si quis dicat, hoc esse verum ex lege ordinaria, tamen iussu diuino potuisse Paulū Confirmari, antequàm baptismum reciperet, sicut in alijs factum legimus Actor.10. in Centurionis domo. Respondetur primùm, dispensationē hanc & inuersionem ordinis sacramentorū, cum sit pręter legem ordinariam, asserēdam non esse sine maiori fundamento; deinde qua ratione aliquis dixerit, Paulum fuisse ab Anania Confirmatum, priùs quam baptizatum, speciali iussu Dei, qui ordinariā legem non abstulit, sed in ea dispensauit, eadem ratione dicere poterit, Paulum Confirmatum fuisse ab Anania, quanuis non esset Episcopus, singulari etiam iussu Dei dispensantis in hac lege de ordinario ministro huius sacramenti. Addo tandem, hactenus non esse probabile, nec probari fortè posse, Ananiā illū nondū fuisse in Episcopū consecratū.

Marci.vltim. *Actorum.10.*

Ad Cōc.Tole.

Ad Cōc.Tole.dicendum est, ibi non esse sermonem de vnctione Chrismatis in frontibus, sed de ceremoniali vnctione, quæ in vertice fit in baptismo solenni, nam vt ibidem dicitur, & confirmat optimè Leo Papa.Epist.86.aliàs.88.& Damasus Papa, in Epist.1.olim nihil Presbytero agere licebat absque licentia Episcopi, & ideò mirum non est, quod etiam hæc ceremonialis vnctio ei fuerit interdicta, nisi ex licentia Episcopi, vel in eius absentia. Vnde etiam Damas.in vita Syuestri refert, Syluestrum constituisse, vt *Presbyter baptizatum liniat chrismate propter occasionē transitus mortis*. Quod referens Hugo Victorinus libr.2.de sacramentis par.7.ca.3.dicit. *Primis temporibus omnis vnctio chrismatis per solos Pontifices fiebat, sed postquàm institu-*

Leo Papa. *Damasus.* *Syluester.* *Hugo.*

tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum sacerdos in vertice liuiat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus reseruatur: quod sumpsit ex Innocent. 1. Epist. 1 cap. 3. vbi dicit, illam vnctionem ceremonialem licere Presbyteris, *siue extra Episcopum, siue præsente Episcopo baptizent.* In quo videtur ampliare decretum Tole. Conc. quamquam quod dicit, *præsente Episcopo*, intelligi rectè potest de licentia eius. Vnde ad Decretum Concil. Arausicani dicendum est, non posse intelligi de hoc sacramento, alioquin non fuisset limitandum ad solos hæreticos, sed maiori ratione extendendum ad omnes fideles in mortis discrimine positos, quando non adest Episcopus, qui eos Confirmet; ideò ergo Cõcilium illud de hæreticis specialiter loquitur, quia non agit de sacramento Confirmationis, sed de reconciliatione solenni, qua olim ad Ecclesiæ gremium recipiebantur hæretici, qui ab hæresi conuertebãtur, in qua inter alias ceremonias in aliquibus regionibus seu prouincijs adhiberi solebat quædam vnctio, seu consignatio Chrismatis, vt ex hoc loco colligitur, & ex alijs, quæ infrà sect. 3. afferemus. Et ad eundem modum posset intelligi decretum Innocentij primi quamquam in eo nulla fit mentio Chrismatis, neque vnctionis, sed tantum consignationis, & manus impositionis, quæ sine dubio non erat sacramentum Cõfirmationis, hoc enim nũquam applicatum fuit energumenis; seu correptis à dæmone in remedium, de quo ibi est sermo; indicatur ergo eo loco aliqua ceremonia quæ olim in vsu, qua soli Episcopi vtebantur ad expellendos dæmones, Presbyteri autem & inferiores Clerici solũ ex licentia Episcopi. Denique c. illud Omni tempore, & c. Presbyter (quæ distincta non sunt, nec sumpta ex Martino. 1. cum Concil. Rom. vt Soto putauit, sed vnum & idem sumptũ ex canonibus collectis à Martino Brachar. Episcopo. can. 52.) rectè idem Soto respondet, illa non esse intelligenda de sacramento Confirmationis, sed de ceremoniale vnctione in vertice, quæ olim etiã erat prohibita Presbyteris præsente Antistete, vt ostensum est, præsertim ex Leone Papa Epist. 86.

Innoc. 1.

Adcõc. Arau.

Martinus. 1. Cõcil. Rom. Soto. Marti. Epis. Brach.

Leo Papa.

Ad Ambros. & Ignatium.

Ad Ambrosium, & Ignatium facilis est responsio: Ignatius enim apertè loquitur de Episcopo, sic enim ait, *Nihil sine Episcopis facito; sacerdotes eorum sunt*, vnde forsasse loquitur iuxta antiquam consuetudinem supra tactam, quam & refert Ambrosius ad Ephesios. 4. scilicet quod omnes sacerdotes consecrabantur etiam Episcopi, quamuis non omnes Episcopalem iurisdictionem haberẽt. Ambrosius autem quasi per antonomasiam Episcopum, sacerdotem vocauit: est enim re vera sacerdos, & sacerdotum princeps; nec Ambrosius ait, Spiritum sanctum dari ad inuocationem cuiuslibet sacerdotis, sed simpliciter ac indefinitè, ad inuocationem sacerdotis, scilicet principalis ac præcipui, qualis est Episcopus.

SECTIO II.

Vtrùm ex commissione vel dispositione Pontificis possit simplex sacerdos hoc sacramentum ministrare.

Cõcil. Flor.

RAtio difficultatis colligitur ex dictis præcedente sectione, nam, vt Conc. Flor. dixit, sacramenta nouæ legis tribus perficiuntur, materia forma, & ministro, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum: sunt ergo hęc tria de substantia sacramenti, & immutabilia ex diuina institutione: non ergo potest summus Põtifex aliquid in his immutare: ostensum est autem, solum Episcopum esse ministrum huius sacramẽti ex Christi institutione: ergo non potest alteri hoc ministerium committi ex humana dispositione. Et confirmatur secundo, nam hac ratione non potest Pontifex in materia vel forma huius sacramẽti dispensare: ergo neque in ministro. Tertio, declaratur in hunc mundum, quia vel collatio huius sacramenti est actus essentialiter pendens à caractere Episcopali, vel non: si non, nulla est ratio cur dicamus hoc ministerium esse proprium Episcopi ex ordinario iure diuino: si autem id affirmetur non poterit ille actus committi ei, qui non habet caracterem Episcopalem, quia non potest actio esse absque principio, à quo essentialiter pendet: hac enim ratione consecrare corpus Christi committi non potest ei, qui non habet characterem sacerdotalem, neque ordinatio Presbyteri ei, qui non habet characterem Episcopalem, aliàs posset etiã hoc ministerium committi nõ sacerdoti, quia character sacerdotalis nihil ad hoc confert per se, & vi sua, alioquin etiam sine concessione vel dispensatione Pontificis conferret.

Propter hæc argumenta nonnulli graues autores negant, ministerium hoc posse vlla ratione cõmitti sacerdoti simplici. Adrianus in. 4. in materia de Confirmatio. art. 3. Duran. d. 7. quæst. 3. &. 4. vbi idem insinuat Bonauent. circa literam Magistri, Scotus verò quæstione. 1. dubius est, & obscurè loquitur: tenet etiam Castro libr. de hæresibus, verbo Confirmatio, & inclinat Petrus Soto lectione. 2. de Confirmat. Caietanus verò & alij citati sect. præcedente fauent huic sententiæ, quatenus putant, rationes factas conuincere, vel Episcopum non esse necessarium ministrum necessitate sacramenti, sed tantùm præcepti seclusa, Pontificis dispensatione, vel, si Episcopus est priori modo necessarius, non posse alium loco eius substitui, etiam Pontificia autoritate.

1. Opinio. Scot. Adrian. Durandus. Bonauentura. Scotus. Castro. Petrus Soto. Caietanus.

Secunda sententia extremè contraria esse potest vel ex parte recipientis, vel ex parte dantis hanc facultatem. Ex parte recipientis, quod non solum sacerdoti, verum etiam Diacono, vel inferioribus Clericis, possit committi huius sacramẽti collatio. Pro hac sententia citari solet Glossa in capitul. Quanto. Extrà de consuetudine sed ibi solum loquitur de simplici sacerdote. Vnde falsò ei hæc opinio tribuitur à Syluestro verbo. Confirmatio diuina. quæstion. 1. qui in eandem sententiam refert Panormitan. ibi dicentem, hoc munus posse committi cuicunque clerico, dummodò confirmatus sit, quod etiam tenet Summa angelica verbo Consecration. sacrament. & refert pro hac sententia Innocent. Glossa verò in capit. Manus de Consecration. distinction. 5. videtur hanc opinionem extendere etiam ad laicos, dummodo Confirmati sint, statuit enim generalem regulam, ex facultate Pontificis quemlibet eleuari posse ad illud sacramentum ministrãdum, quod accepit, quæ tamen regula plus est, quàm falsa, & errorum plena, nullaque ratione vel autoritate fundatur, nam præter hoc, quod per se satis absurdum est, scilicet quod laicus Confirmatus posset esse minister Confirmationis, sequitur posse simplici sacerdoti committi, vt sacerdotes ordinet, & diacono vt ordinet diaconos, quod tamen est in auditum in Ecclesia. Ratio autem est clara, quia minister non confert sacramẽtum, ratione similis sacramenti suscepti, sed ratione potestatis ad illud ministerium conceſsæ, quæ tamen non conceditur per sacramentum simile, sed per sacramentum Ordinis, vel Episcopalem consecrationem; in qua sola datur potestas generandum sibi simile, vt sic dicam. Vnde etiam fit, per se nõ esse necessariũ ad hanc potestatem Confirmandi, vt minister ipse Confirmatus sit, quia ad ministrandum sacramẽtum non est necesse simile sacramentum recepisse, vt patet apertè in extrema vnctione, vel matrimonio; & quia potestas Confirmandi non datur per caracterem Confirmationis, sed per caracterem Episcopalem, qui per se nõ pendet à caractere Cõfirmationis, sed absque illo dari potest, suamque efficaciam habere. At verò ex parte dantis hanc facultatem posset etiam aliquis opinari hanc facultatem posse committi sacerdoti non solùm à summo Pontifice, sed etiam ab alijs Episcopis, huius tamen sententiæ nullum inuenio expressum assertorem; videtur tamen posse colligi ex decretis citatis in fine præcedẽtis sect. in quibus absolutè & generatim dicitur, Presbyterum posse ex facultate Episcopi Chrisma conferre.

2. Sententia affirmat. Glos. Syluester. Panorm. Angelus. Innocent.

Dicendum verò est primo, Summum Pontificẽ posse committere simplici sacerdoti, vt sacramentum Confirmationis ritè & validè ministret. Hęc est sententia D. Thom. hic & in. 4. distinction. 7. vbi cæteri Theologi eam communiter amplectuntur. Richar. Maior. Palud. Capreol. item Alens. 4. p. q. 23. membr. 1. art. 3. §. 2. Marsil. in. 4. q. 5. art. 3. Antonin. 3. part. tit. 14. cap. 14. §. 6. Ferrar. 4. contra gent. c. 60. & reliqui recentiores, & summistæ omnes. Syluest. & Angel. locis supra citatis, & alij verbo Confirmatio & Nauar. c. 22. 6. 8. Couarr. libr. 1. Variarum. cap. 10. qui refert alios iuris peritos. Fundamentũ huius sententiæ sumitur ex quodam facto D. Greg. quod refertur in c. Peruenit. 95. d. quod sumptũ est ex lib. 3. Epi. 26. cum enim Greg. relatũ fuisset, in insula Sardiniæ solitos fuisse Presbyteros, baptizatos Confirmare; id facere eos prohibuit, vt ipse refert in dicta Epi. & colligitur ex Epi. 9. eiusdem libri; ex hac autem prohibitione cũm orum scandalum videretur, sic scribit Greg. in prædicto textu. *Nos quidem secundum vsum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri, etiam infrontibus, baptizandos Chrismate ungere debeãt concedimus.* Ex quo facto colligũt prædicti autores, posse Pontificem facultatem hac simplici sacerdoti concedere. Alij autem Doctores variis modis ad hoc factum respondent. Primò quidam non verentur dicere, Gregorium vt hominem in eo facto errasse, sequendo propriam opinionem, quam probabilem existimauit. In his enim rebus, quæ magis ad vsum pertinent, quam ad doctrinam, interdum potest errare Pontifex, non docendo, seu definiendo, sed operando: sic enim interdum dispensat in voto solenni, vel in matrimonio rato sequẽdo probabiles opiniones, quę fortasse in re ipsa falsæ sunt; ita ergo accidere potuit in præsente casu. Et hanc responsionem non iudicant improbabilẽ Durand. & Palud. supra; mihi tamen nullo modo probanda videtur. Primò quidem, propter eximiam Gregorij sanctitatem & doctrinam: vnde non est verisimile in re tam graui se periculo errandi exposuisse, maximè cùm dispensatio illa non vni tantum vel alteri priuatæ personæ, sed integræ cuidam prouincię concederetur: nam error huiusmodi fuisset grauissimus, & valde perniciosus, & in re pertinente ad substantiam sacramenti. Deinde, quia Gregorius non cõcedit hanc facultatem verbis significãtibus aliquod dubium, vel probabilitatem: sed tanquam de re certa, & indubitata loquitur. Denique non legimus ante Gregorium quæstionem hanc sub his terminis fuisse in disputationem adductã, & vt inquę ortas esse opiniones probabiles, vt credamus Gregorium altera earum vti voluisse, sicut in exemplis adductis contingit: ergo nullo fundamento dici potest, Gregorium id fecisse sequẽdo opinionem probabilem, sed quia ex antiqua traditione, & fortasse ex suorum prædecessorum vsu (licet scriptus non sit) intellexit, & pro constante habuit, se habere illam potestatem.

3. Sententia negatiua. Glossa. Scotus. Bonauent.

Est autem secunda responsio, quã afferunt Glossa in prædicto textu, & Scotus, ac Bonauẽtura supra; Gregorium ibi nec dispensasse, nec potestatem aliquam concessisse, sed connixisse tantum, & quod sine scandalo vetare non poterat, permisisse. Hæc verò responsio est contra vim verborum Gregorij; nam enim ait, *permittimus, sed, concedimus*, ex quo sumitur efficax argumentum; nam, si Gregorius illo verbo in sua proprietate vsus est; ergo non tantũ factum permisit, sed etiam facultatem id faciendi concessit. Si autem illo verbo vsus est ad dissimulandum; grauissimè deliquit: quia non solum errorem quendam permisit, sed etiam specie suorum verborum confirmauit, & auxit. Adde (quod bene Scotus notat) non potuisse Pontificem in re tã grauis errorem & abusum illius gentis dissimulare ac permittere propter tam leuẽ causam, qualis erat quorundam tristitia & scãdalum, acceptum potius quam datum: nam potius ad officium Pontificis pertinebat, si scãdalum illud ex errore nasceb atur, veritatem constanter docere, vt error, & consequẽter scandalum tolleretur. Scotus.

Tertio respondeti potest ex Scoto, eo tempore Presbyteros non fuisse tantum simplices sacerdotes, sed etiam fuisse Episcopos consecratos, quamuis non omnes haberent iurisdictionem Episcopalem, sed vnus tantum in singulis ciuitatibus, qui per antonomasiam nomen Episcopi retinebat; & ideo ad illum solum spectabat huius sacramenti collatio: quia vero alij presbyteri habebãt etiam Episcopalem consecrationem, ideò facile potuit Gregorius ad eos extendere facultatem conferendi hoc sacramentum: quia hæc potius erat ampliatio quædam iurisdictionis, quã Ordinis, seu consecrationis, sicut posset nunc Papa concedere vni Episcopo potestatem Confirmãdi in alieno Episcopatu. Sed neque hæc responsio potest satisfacere, quia, licet fortasse in initio Ecclesiæ solitum fuerit, simul cum dignitate sacerdotij conferri Episcopalem consecrationem; tamen illa consuetudo non longo tempore duravit; & saltem tempore Gregorij certum est, simplices sacerdotes fuisse distinctos ab Episcopis, nõ solum iurisdictione, sed etiam consecratione: nam ante Gregorium dixit Eusebius Papa, Confirmationem datam à sacerdote esse irritam; & tamen Scotus. Euseb. Papa.

Universidad de Deusto Biblioteca

men si sacerdos esset consecratus Episcopus, quanuis iurisdictione careret, nihilominus sacramentũ Confirmationis ab eo datũ, factum teneret: ergo signum est, tum fuisse sacerdotes simplices sine cõsecratione Episcopali, & hoc est, quod Gregorius ait, *Et nos quidem secundum veterem Ecclesiæ nostræ cõsuetudinem fecimus*: Hæc enim consuetudo de simplici tantum sacerdote intelligenda est; & hæc est, quæ hactenus durat in Ecclesia Romana. Denique Gregorius dicit se concedere hanc facultatem Presbyteris in absentia Episcopi: ergo loquitur de Presbyteris carentibus consecratione Episcopali.

Adrian. Quartò respondet Adrianus, non loqui Gregorium de sacramento Confirmationis, sed de aliqua alia ceremoniali vnctione; nam fortasse illi Presbyteris vngebant infantes, semel in vertice, & iterum in fronte, neutram verò dabant per modum sacramẽti, sed per modum ceremoniæ; Gregorius autem prius prohibuit alteram ex his vnctionibus quia non erat in Ecclesia vsitata, & quia fortasse non existimauit illam esse conuenientem propter periculum erroris & deceptionis, quæ facilè introduci poterat, confundendo illam vnctionem cum Episcopali Cõfirmatione. Posteà verò potuit Gregorius illam ceremoniam admittere, quia non erat intrinsicè mala, nec contra ius diuinum: cum non esset sacramentalis; sed solum quædam vmbra & significatio illius. Possumus autem hoc coniectura confirmare: nam ante concesionẽ Gregorij vtebantur illi Presbyteri tali vnctione; non est autem credibile, fideles Presbyteros, & in regno Catholico, nec multum ab Ecclesia Romana distãtes propria autoritate ministrasse sacramentũ Confirmationis; aut scandalũ passuros fuisse; eo quod Gregorius tale ministerium eis prohiberet; ergo verisimile est, eam vnctionem, de qua ibi agebatur, non fuisse existimatum sacramentum Confirmationis.

Conc. Flor. Hæc verò expositio in primis est contra Concil. Florent. in decreto Eugenij, vbi cum dixisset, solum Episcopum posse conferre eam vnctionem, quæ est Confirmationis sacramentum, subdit. *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente admodum causa simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum cõfecto hoc administrasse confirmationis sacramentum*, vbi sine dubio refert hoc factum Gregorij: nam ante Concil. Flore. nullibi legimus Sedem Apostolicam in hoc dispensasse, nisi in hoc facto Gregorij; aut, si fortasse alibi legitur, inde sumi poterit idem argumẽtum efficax ad conclusionem confirmandam. Dico autem, ante Concilium Florentin. quia posteà Gregorius. III. eandem facultatem concessisse dicitur quibusdam simplicibus sacerdotibus, qui in remotissimis regionibus infidelium versantur, in quibus non sunt Episcopi, & multi eorum, qui ad fidem conuertuntur, sine hoc sacramento decederent, si non possent à Presbyteris Cõfirmari, quam facultatem alij dicunt concessisse Adrianum. VI. quibusdam fratribus Minoribus pro Indijs, quæ concessio dicitur authentica haberi Hispali in Monasterio sancti Francisci.

Vnde potest à simile argumentum sumi ad prædictam expositionem reijciendam: nam Gregorius Primus non absolutè, sed cum limitatione concedit hanc facultatem Presbyteris, *Vbi Episcopi desunt*: ergo signum est non agere de ceremoniali vnctione, sed de sacramentali: nã si tantũ esset ceremonialis vnctio, etiam posset facilè concedi in præsentia Episcopi. Deniq; illa expositio omnino voluntaria est, & sine fundamento; nam Gregorius loquitur simpliciter de vnctione Chrismatis in fronte, hoc autem nomen proprium est sacramenti Confirmationis, vt patet ex vsu totius antiquitatis supra relato: neq; vnquam legimus consignationem in fronte adiũctam esse baptismo solenni inter ceremonias eius: est ergo ibi sermo de sacramento Confirmationis.

Scotus. Vltimo ergo respondet Scotus, D. Gregorium per illam concesionem constituisse illos presbyteros, eosque quodammodo Episcopos effecisse quoad istum actum. Sed hoc, vel eodem reuoluitur, vel verum esse non potest: nam, si intelligat, fecisse illos semiepiscopos quoad ordinationem, cõsecrationem, aut caracteris impresionem, est plane falsum, vt per se constat, quia solum fuit quædam extrinseca deputatio, quæ ad præsentes & absentes vel postea etiam futuros, quantum est ex se, extendebatur, quæ non habent locum in ordinatione vlla vel consecratione, si vero intelligat illos sacerdotes accepisse aliquomodo potestatem exercendi actum Episcopalem, hoc est, quod intendimus, Pontificem posse communicare hanc potestatem sacerdoti simplici sine noua eius ordinatione, vel consecratione.

Quomodo potuerit simplex sacerdos in potentia remota adhuc posse delegari à Pontifice ad hoc sacramentum administrandum. Rationes ad hanc sententiã confirmandam adducuntur nonnullæ ab autoribus citatis: sed cum res pendeat ex institutione, ad illam semper recurrendum erit. Itaque rectè intelligimus, potuisse Christũ Dominũ instituere, vt sacerdoti simplici ex vi suæ ordinationis non daretur potestas proxime, & in actu. 1. (vt si dicam) ad cõferendũ hoc sacramentũ, sed hæc daretur soli Episcopo per cõsecrationẽ eius: & nihilominus simul voluisse Christũ, vt sacerdos ex vi suę ordinationis esset (vt si dicã) in potentia remota, vt adiũcta cõmisione, seu delegatione Pontificis posset hoc sacramentũ conferre: in hoc enim modo institutionis nulla est repugnãtia, imo potest esse magna congruẽtia, vt in absentia Episcopi nõ careant fideles aliqua via & potestate obtinẽdi hoc sacramentũ, & habendi sufficientẽ ministrũ eius. Quod autẽ huiusmodi fuerit institutio, ostendit primo factũ Gregorij supra declaratũ. Secundo. *Concil. Flor.* Conc. Flor. in verbis supra citatis: nã postquam dixit, ordinarium ministrum esse Episcopum, subdit, *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, &c.* significans, Christũ instituisse huiusmodi ministrũ cũ hac latitudine, & extensione tertio idẽ indicat Trid. sess. 7. can. 3. *Conc. Trid.* de hoc sacramento dicẽs, eius ordinariũ ministrũ esse solũ Episcopũ, nam cum dicit. *ordinarium*, duo significat: primum, Episcopum ex vi suæ ordinationis habere hanc indelebilem potestatem, vt ipsummet docuit sessio. 23. cap. 4. secundum ita habere Episcopum hanc ordinariam potestatem, vt tamen in sacerdote sit capacitas ad recipiendam illam saltem ex delegatione & commissione. Quarto *Conc. Senon.* Conc. Senonense in decretis morum cap. 38. cũ dixisset Abbates non habere potestatem Confirmandi, subdit, *Quod si qui sint, qui contendant, sibi competere hanc facultatem ex priuilegio, volumus, quod cum primum fuerint requisiti à suffraganeis nostris de priuilegio, fidem facere teneantur.* Vbi aperte supponit, Abbates, etiam si non sint Episcopi, sed simplices sacer-

cerdotes, ex priuilegio posse hoc sacramentum conferre. Atque hoc sensu adduci solent in huius sententiæ confirmationem quędam antiqua decreta, in quibus dicitur, sacerdotem posse vngere in absentia Episcopi: sed hæc decreta vel nimium probant, vel nihil, & hoc posterius verius est: illa enim non sunt alia, præter ea, quæ sectione præcedente tractauimus, vbi ostendimus in eis non esse sermonem de hoc sacramento, sed de alijs vsibus Chrismatis.

Solus sacerdos potest delegari à Summo Pontifice ad hoc sacramentum administrandum. D. Thom. Pars prima probatur. Dico secundo, nulli inferiori clerico, neque laico, posse hoc ministerium committi præterquam Sacerdoti, eique non ab alio, quam à Summo Pontifice ex causa rationabili. Prima pars est Diui Thomæ in 4. d. 7. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula. 3. quem alij sequuntur, & videtur res certa: quam, vt minimum probant & conuincunt argumenta suprà adducta in fauorem primæ santentiæ, quia in his, quæ sunt de substantia sacramentorum, nihil alteri, aut immutari potest à Christi institutione: sed ex institutione Christi solus Episcopus est ordinarius minister huius sacramenti, vt Concilia definiunt, solusque Sacerdos est in potentia vt ei possit committi hoc ministerium per Pontificem summum: hæc enim sola exceptio constat nobis traditione, quæ non potest firma aut probabili autoritate ad inferiores extendi: ergo non est id temere faciendum. Et confirmatur, nam dispensatio in his, quæ sunt iuris diuini ordinarij, non potest fieri à Summo Pontifice, nisi in his, quæ vel ab humana voluntate aliquomodo pendent, vel in his, in quibus eodem diuino iure constat, datam esse huiusmodi potestatem, & iuxta mensuram & regulam, ipso iure diuino constitutam, quæ ex vsu & traditione colligenda est: sed in præsenti ordinarium ius diuinum est, vt Episcopus ministret hoc sacramentum: quod vero alteri delegetur hæc potestas, est dispensatio quædam ipso diuino iure specialiter concessa, & traditio ac vsus Ecclesiæ hactenus solum docuit, dispensationem hanc solum esse à Christo concessam respectu simplicis Sacerdotis: ergo non potest probabiliter ad alios extendi. Tandem affert optimam cõgruentiam. Diuus Thomas nam sicut solus Sacerdos habet directam potestatem in corpus Christi verum, ita etiam solus habet per se & ex officio directam potestatem in corpus Christi mysticum ad remittenda peccata, & administranda sacramenta ex officio, & ideò meritò simplex Sacerdos censetur capax huius potestatis saltem per delegationem, vt, qui potest corpus Christi conficere, & per sacramentum illud fidelem populum spiritualiter nutrire, posit etiam deficiente Episcopo illum Confirmare, & ad Christianam militiam præparare. Diaconos vero, & consequenter quilibet inferior, cum careat prædicta potestate in corpus Christi verum, meritò reputatur ineptus ad huiusmodi ministerium, & incapax talis dispensationis. Nam ob hanc etiam causam non potest committi Diacono, vt ministret extremam vnctionem: ergo multo minùs vt ministret Confirmationem.

Secunda pars probatur. D. Thom. Secunda pars eodem modo videtur mihi certa, quanquã nonnulli scholastici contrarium insinuẽt eam vero significat D. Thom. hic ad primum dũ ait, hoc conuenire Pontifici supremo ex plenitudine potestatis, quã habet in Ecclesia: sentit ergo nullũ aliũ habere hãc potestatẽ. Et idẽ sentit Palud. d. 7. q. 4. nu. 20. & idem tenet Soto eadem d. art. 12. ad 5. quanquam non videatur satis consequenter *Palud.* *Soto.* loqui ad ea, quæ in solutione ad primum dixerat, vt statim anotabo. Ratio autẽ est supra tactã, quia in his, quæ sunt iuris diuini absolute & simpliciter non potest dispensari, nisi ixta modum & mensuram, ipsomet iure diuino statutã, & cõcessam; sed hoc ius ministrandi hoc sacramentum est diuinũ, & lege ordinaria concessum Episcopis, & ex traditione solum habemus Summũ Pontificem posse in hoc dispensare. Vnde Conc. Flor. signanter dicit. *Conc. Flor.* *Legimus autem per sedis Apostolicæ dispensationem, &c.* Contra hanc vero partem sentit Ledesma hic quãuis enim nobiscum doceat, nunc de facto non posse *Ledes.* Episcopos committere hoc ministerium simplicibus Sacerdotibus in suis Episcopatibus: quia hoc est eis à Summo Pontifice prohibitum; existimat tamẽ posse id facere stando in solo iure diuino, & seclusa prohibitione Põtificis: quia tantam habet potestatẽ Episcopus in sua prouincia; sicut Papa in toto orbe: & ad hoc confirmandum adducit canonem. 2. Concil. Tolet. 1. supra tractatum. Atque idem sentire debet Soto, si talis fuit Christi insti- *Conci. Tolet.* *Soto.* tutio, qualis ab ipso describitur; dicit enim Christum statuisse, solos Sacerdotes, siue ex officio siue ex commisione posse Confirmare, commisisse autem Ecclesiæ, vt posset, prout expedire censeret limitare vt Episcopus vel sacerdos sub hac vel illa conditione esset necessarius minister huius sacramenti. Ex qua doctrina necessariò sequitur potuisse Ecclesiam non limitare hanc potestatem delegatam Sacerdotis ad Summi Pontificis concesionẽ, sed eam extendere ad concesionem Episcopi. Vnde fit, stando in iure diuino, posse Episcopum hãc facultatem concedere, solumque ex censura & limitatione Ecclesiæ hoc esse Summo Pontifici reseruatum. Sed vterque istorum autorum grauiter deceptus est: nã in primis Ledesma nititur fundamento nimis falso & improbabili: multa enim põt Sũmus Pontifex in Ecclesia ex plenitudine potestatis, quę non possunt Episcopi in suis diœcesibus vt alio loco latius tractandum est. Deinde, si hoc possunt Episcopi iure diuino, vbi est illis prohibitum à Summo Pontifice, ne vtantur hac potestate? aut vbi facta est hæc reseruatio, aut iurisdictionis coartactio? nullum enim extat de hac re põtificium decretum. Quòd si fortasse dicat, Episcopos amisisse hoc ius per non vsum: in primis hoc gratis dicitur, cùm hoc non sit priuilegium, sed ordinariũ ius. Deinde hinc potiùs debuisset inferri, ideò Episcopos nunquam habuisse hunc vsum, quia nũquã habuerunt hãc potestatem. Denique alias eadem ratione dici posset, posse Episcopos per contrariam consuetudinem acquirere ius concedendi hanc facultatem: quod fortasse Ledesma facile cõcederet, imò existimat, in Græcia aliquando fuisse hanc consuetudinem, vt simplices Sacerdotes con- *Ambrosius.* firmarent ex licentia Episcopi; quod de AEgiptijs refert Ambrosius ad Ephesi. 4. sed loquitur aperte de eo tempore, in quo Presbyteri simul ordinabantur Episcopi, nunquam ergo in Catholica Ecclesia fuit talis consuetudo, quod Episcopi concedant simplicibus Sacerdotibus facultatem confirmandi: nec Concilium Toletanum, quod citat, loquitur de hoc sacramento, vt supra vidimus, At verò Soto non rectè explicat institu-

Universidad de Deusto Biblioteca

tutionem, primùm quia ex doctrina eius ſequitur, Epiſcopum, non ex Chriſti inſtitutione, ſed ex Eccleſię determinatione, eſſe nunc ordinarium miniſtrum huius ſacramenti, conſequens eſt falſum, & contra id, quod Concilium Florentinum, & Tridentinum indicant, dum definiunt, ſolum Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum, nimirum ex inſtitutione Chriſti. Secūdò, quia alias potuiſſet Eccleſia facere, vt ordinarius miniſter huius ſacramenti eſſet quilibet Sacerdos, ſi nullam limitationem inſtitutioni Chriſti adhibuiſſet, conſequens autem videtur etiā repugnare prædictis definitionibus. Tertiò potuiſſet Eccleſia alijs modis præſcribere hoc miniſterium, vt verbi gratia, quòd ſimul cū Epiſcopis aliqui eſſent neceſſarij & ordinarij miniſtri, non verò alij ſimplices Sacerdotes. Item quòd poteſtas delegandi hanc facultatem ſimplici Sacerdoti, non tantum eſſet penes Pontifices, ſed etiam penes Parochos, vel Abbates: & alia ſimilia inferri poſſunt planè abſurda. Verus ergo modus inſtitutionis eſt ſuprà à nobis declaratus, & iuxta illum limitata eſt ipſo iure diuino hæc poteſtas delegandi hoc miniſterium, vt ſit propria ſummi Pōtificis.

Concil. Flor. Conc. Trid.

3. pars probatur. Conc. Flor.

Tertia pars concluſionis ferè habetur in Concil. Florent. in illis verbis. *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & vrgēte admodum cauſa.* Colligitur etiam ex dictis, nam hæc conceſsio eſt per modum cuiuſdam diſpenſationis: omnis autem diſpenſatio in communi lege requirit cauſam rationabilem. Præterea Chriſtus Dominus, qui voluit ordinarium miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, conſequenter virtute voluit, alium miniſtrum ſine neceſsitate non introduci: ergo requiritur rationabilis cauſa. Imò hinc videtur inferri, ſi aliter fiat hæc diſpenſatio ex ſola voluntate Pontificis, ſine rationabili cauſa, non ſolum male fieri, ſed etiam irritam eſſe ac nullā: quia eſt contra Chriſti voluntatem, & inſtitutionē, & quia in vniuerſum, licet in iure humano diſpenſatio ſine cauſa facta teneat, quando eſt ab habente æqualem poteſtatem; tamen diſpēſatio in his, quæ pertinent ad ius diuinum, vt in voto, & ſimilibus, ſi fiat ſine cauſa, non ſolum eſt illicita, ſed etiam nulla: hæc autem diſpenſatio eſt aliquomodo in iure diuino, vt dictum eſt: ſed hoc vltimum licet appareat probabile, non tamen audeo id ſimpliciter affirmare, ne videar inijcere ſcrupulum & dubitationem, an Confirmatio facta à Presbytero ex conceſsione Pontificis valida ſit: eſſet enim hoc inconueniens; & ideò ſimpliciter dicendum eſt, quotieſcunque Papa cōcedit hanc facultatem, licet fortaſſe quoad praxim & vſum minus prudenter interdum faciat, nihilominus conceſsionem eſſe validam, ſuumque effectum habere: nam hic eſt conuenientior inſtitutionis modus. Vnde in prædicto Concilio Senonenſi ſignificatur, hanc falultatem poſſe concedi per modū cuiuſdam priuilegij quod vt validum cenſeatur, nil aliud exigitur, quā quod conſtet eſſe conceſſum. Quod poteſt etiam confirmari exemplo minorum Ordinum, quos non poſſunt concedere ſimplices ſacerdotes ex vi ſuæ ordinationis, poſſunt tamen ex delegatione Pontificis, quæ ſemper valida cenſetur abſque examinatione cauſæ. Vnde non requiritur ad valorem actionis, ſed vt prudenter fiat, & ad hoc non ſemper requiritur cauſa ex neceſsitate aliqua vel penuria miniſtrorum, ſed alijs titulis & rationibus fieri poteſt.

Conci. Seno.

Solet verò hic inquiri, an Papa electus, & habens iam ſupremam Eccleſiæ iuriſdictionem, nondum tamen Epiſcopus conſecratus poſsit hoc miniſterium committere ſimplici ſacerdoti, & ratio dubij eſſe poteſt, quia tunc Pontifex per ſe ipſum non poſſet confirmare; ergo nec poſſet alij committere, atque ita ſentit Paludan. ſupra numero. 51. Sed contrarium videtur longe probabilius: nam hæc diſpenſatio non eſt actus ordinis, nam in hoc non ſuperat Summus Pōtifex alios Epiſcopos, ſed eſt actus poteſtatis iuriſdictionis, in qua ſuperat Pōtifex alios Epiſcopos: ergo, ſi Papa habet ſupremā iuriſdictionem, quanuis nondum conſecratus ſeu ordinatus ſit, poteſt hanc diſpenſationem concedere. Nec refert, quod per ſe ipſum non poſsit cōfirmare ex defectu Ordinis, nam ſæpè poteſt hoc modo vnus alteri committere, quod per ſe non poteſt facere, vt Epiſcopus nondum ordinatus Sacerdos poteſt dare ius abſoluendi, quanuis ipſe per ſe abſoluere non poſsit, & ratio eſt, quia huiuſmodi conceſsio ſupponit in altero Ordinem neceſſarium ex inſtitutione Chriſti, vt ei poſsit hæc poteſtas delegari, & ipſa ſolum eſt veluti applicatio, ad quam ſufficit poteſtas iuriſdictionis. Vnde conſequenter infertur, ſi Pontifex electus ſit ſimplex Sacerdos nondum conſecratus Epiſcopus, poſſe, ſi velit, & rationabilis cauſa occurrat, hoc ſacramentum miniſtrare ſecum ipſe diſpenſando, quia non eſt peioris conditionis: quanuis, moraliter loquendo, vix poſsit caſus occurrere, in quo id fieri oporteat.

Palud.

Rurſus inquiri ſolet, an ſimplex Sacerdos, qui facultatem habuit à Summo Pontifice miniſtrandi hoc ſacramentum, poſsit, mortuo Pontifice, illud miniſtrare. Videtur enim ceſſare virtus eius, cum ſit veluti inſtrumentalis, pendens à Pontifice concedente facultatem. Dicendum eſt tamen, hanc facultatem non ceſſare per mortem concedentis; & ideò in eo caſu poſſe ſimplicem ſacerdotem licite & validè hoc ſacramentum miniſtrare; alioqui ſacerdotes hac facultate vtentes in remotiſsimis regionibus (pro quibus maximè concedi ſolet hæc facultas) ferè ſemper eſſent moraliter dubij de valore ſacramenti, ſi fortaſſe Pontifex, qui facultatem conceſsit, mortuus eſſet: nam hoc periculum morale eſt, & frequenter accidit. Accedit; quod in vniuerſum gratia non extinguitur morte concedentis: hæc autem facultas eſt gratia quædam & fauor; & ideo non ceſſat. Vnde etiam colligitur, quod licet fortaſſe ceſſet ratio, vel neceſsitas, quæ mouit Pōtificem ad hoc priuilegium concedendum, non ſtatim ceſſat ipſo facto huiuſmodi facultas, niſi in ea ſit expreſſum, ita vt ſub ea conditione, vel limitatione data ſit; alioqui, ſi abſolute concedatur, ſemper durat, etiam ſi fortaſſe cauſa non duret: quia non pendet ab illa in fieri, & in conſeruari, neque in ſua ſubſtantia & valore, vt dictum eſt. Poteſt autem hæc facultas ſemel conceſſa reuocari, ita vt, ſicut Confirmatio data à ſacerdote ſimplice, prius quam habeat à Pontifice facultatem, eſt nulla, & prorſus irrita, ita etiam data poſt reuocationem facultatis prius conceſſæ: quia per hanc facultatem non datur aliquis Ordo, neque imprimitur

aliquis

aliquis character indelebilis, & ideò de ſe reuocari poteſt, ſicut alia priuilegia: facta autem huiuſmodi reuocatione res conſtituitur in eodem ſtatu, in quo antea erat, & ideo tam impotens manet ſimplex Sacerdos ad miniſtrandum hoc ſacramentum poſt reuocatam prædictam facultatem, quàm erat impotens ante illam conceſſam. De qua relegi poteſt Alexand. Alenſ. 4. part. quæſt. 28. memb. 1. artic. 3. §. 3.

Alex. Ale. Ad Argum. 1. ſententiæ.

Ad argumenta primæ ſententiæ facilis eſt reſpōſio ex dictis. Dicimus enim, Pontificem in hoc negotio non diſpenſare, neque immutare ius diuinū, ſed conſtituere talem miniſtrum huius ſacramenti, qualem Chriſtus inſtituit, voluit autem Chriſtus, miniſtrum ordinarium & ex officio eſſe Epiſcopū: extraordinariè autem poſſe eſſe ſimplicem Sacerdotem autoritate Summi Pontificis ad hoc deputatum: hunc enim fuiſſe inſtitutionis modum, probatum eſt ex vſu & traditione Eccleſiæ. Neque proptereà hoc extendendum eſt ad quamcunque aliā, aut materiam aut formam ſacramentorum: quia nō oportet, eundem eſſe modum inſtitutionis in omnibus: cùm non ſit in omnibus eadem ratio, vel neceſsitas, vel traditio, erit autem ſimile exemplum in minoribus ordinibus ſupponendo, quòd ſint verum ſacramentum: nam ordinarius miniſter eorum eſt ſolus Epiſcopus, & tamen poſſunt ex conceſsione Pontificis per ſimplicem ſacerdotem miniſtrari: Atque hinc fit, characterem epiſcopalem eſſe ſufficiens principium huius ſacramenti, & neceſſarium in miniſtro ordinario & ex officio, non tamen abſolutè & ſimpliciter: quia etiam character Sacerdotalis poteſt ſufficere, non tamen per ſe, & veluti viſua, ſed quaſi extenſus vel applicatus per conceſſionem Pontificis: cùm enim character non ſit potentia phyſica, ſed ſignaculum quoddam, induens quandam rationem moralis potentiæ, ſeu facultatis, facilè intelligi poteſt, in aliqua actione poſſe pendere ex cōceſsione ſeu facultate morali iuxta Chriſti inſtitutionem. Sed quæres, an illa ſententia ſit iam hæretica, & noſtra ſit de fide, nonnulli enim ita ſimpliciter affirmant, vt Ledeſma hîc, & inſinuat etiam Soto diſtinct. 7. artic. 11. dicens, ſententiam Diui Thomæ, non ſolùm eſſe opinionem, verùm etiam Eccleſiaſticam ſanctionem. Fundantur autem in decreto Concil. Florentin. ante quod (ait Soto) potuiſſe Durand. & Scotum aliud opinari, de Adriano autem miratur, quòd illud nō legerit. Sed non eſt veriſimile, illud non legiſſe, ſed fortaſſe tempore Adriani decreta illa Concil. Florentin. non erant ita recepta, nec plena autoritate confirmata, vel certè (quod veriſimilius eſt) non intellexit, Concilium hoc definiuiſſe; nam ſolùm refert, ſedem Apoſtolicam aliquando in hoc diſpenſaſſe, non tamen id expreſſe approbat, neque habet aliquod verbum, quod definitionem indicet: ſed obiter tantùm hiſtoriam attingit. Concil. autem Trident. (quod Ledeſma citat) licèt definiat, ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, nihil tamen de extraordinario tractat, ſed rem indefinitam relinquit Exiſtimo ergo, nondùm eſſe in hoc aliquid de fide, quanquàm non negem, Concil. Florent. magnam huic noſtræ ſententiæ tribuiſſe autoritatem, adeò vt temerarium cenſeam, contrarium velle pertinaciter defendere. De fundamentis autem ſecundæ ſententiæ nihil dicendum occurrit. An verò neceſſarium ſit, ſimplicem ſacerdotem miniſtrantem hoc ſacramentum ex conceſsione Pontificis, vti Chriſmate ab Epiſcopo conſecrata, vel in hoc poſſit etiam cadere diſpenſatio, diximus ſuprà tractando de materia huius ſacramenti.

Ledeſ. Soto. Conc. Flor. Conc. Flo.

SECTIO III.

Vtrùm hæreticus Epiſcopus, vel ab Eccleſia præciſus, ſeu prohibitus, poſsit eſſe miniſter huius ſacramenti.

RAtio dubitandi eſt, quia nonnulli Pontifices & Patres antiqui interdùm ſignificant, ſacramentum Confirmationis datum ab Epiſcopo hæretico eſſe irritum & inane, ita ſignificat Innocentius Primus epiſt. 18. cap. 3. de hæreticis enim loquens ait. *Eis ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus,* & infra. *Nec dare Spiritus ſancti plenitudinem poſſunt, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt*: ſimiliter Leo Papa epiſt. 35. c. 2. baptizatum ab hæreticis dicit non eſſe rebaptizandum, *ſed hoc ei eſſe conferendum, quod ibi defuit, vt per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem ſancti Spiritus conſequatur,* & epiſt. 77. ca. 7. dicit, baptizatos ab hæreticis ſola inuocatione Spiritum ſancti per impoſitionē manus eſſe Confirmandos, & ſubdit inferiùs rationem, *Vt, quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus conſequatur*: ergo ex ſententia Leonis Confirmationis ſacramentum ab hęreticis dari non poteſt. Et confirmatur, nam ita fuit ſemper antiqua conſuetudine in Eccleſia obſeruatum, ſcilicet, vt ab hæreticis baptizati, cùm ad Catholicam Eccleſiam veniūt per manus impoſitionem, id eſt ſacramentum Confirmationis, recipiantur. Sic Euſebius Papa Epiſtola. 3. circa finem. *Hæreticos omnes, quicunque Dei gratia conuertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliari præcipimus,* & ſubdit ſtatim, *Manus impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt, &c.* ergo loquitur de hoc ſacramēto, de quo videntur etiam loqui Conciliū Arelatenſe I. canon. 8. illis verbis, *Manus eis tantum imponatur, vt accipiant Spiritum ſanctum.* Et Arelatenſe. II. capit. 17. ibi. *Cum chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Vnde Cyprianus ſupponēs hanc Eccleſiæ conſuetudinem, & ſequens ſententiam ſuam de rebaptizandis, ab hæreticis baptizatis, ſcribit in Epiſtol. 72. *Eis parum eſſe manum imponere ad accipiendū Spiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum,* & Epiſt. 74. videtur ſupponere tanquam cōceſſum ab omnibus, Confirmationem non poſſe dari ab hęreticis, cùm ſic ad hominem argumentatur, *Si maieſtati nominis tribuunt, vt, qui in nomine Ieſu Chriſti vbicunque & quomodocunque baptizantur, innouati & ſanctificati iudicentur, cur non, eiuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum? cur eadem eiuſdem maieſtas nominis non præualet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in baptiſmi ſanctificatione?* Hinc etiam in Concilio Carthaginenſi tempore Cypriani celebrato Nemeſianus Epiſcopus ſic inquit. *Malè ergo ſibi quidam interpretātur, vt dicāt, quòd per manus impoſitionem Spiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur: cùm manifeſtum ſit vtroque ſacramento debere eos renaſci in Eccleſia Catholi-*

Innocen. I. Leo. Pap. Euſeb. pap. Conc. Arelat. 1. & 2. Cypria. Conc. Cart. Nemeſia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fa: significat ergo hunc fuisse eo tempore sensum Catholicorum Doctorum distinguêtium inter baptismum & Confirmationẽ, vt illum validum esse dicerent ab hæreticis datum, non verò hanc: quod etiam significatur in lib. de Ecclesiasticis dogmat. cap. 52. vbi de baptizatis ab hæreticis, cùm ad Ecclesiam redeunt, dicitur. *Purgati iam fidei veritate cõfirmentur manus impositione*: sic etiá Augustinus lib. 2. de baptismo, cap. 7. & lib. 5. de baptismo. cap. 23. dicit, baptizatos ab hæreticis, & ab hæresi redeuntes per manus impositionem fore recipiendos.

August.

Ratio autẽ reddi potest, quâ Augustinus dictis locis tangit, quia hæretici sunt incapaces Spiritus sancti, & ideo Spisitus sanctus extra Ecclesiam Catholicam dari non potest: hoc autem sacramentum institutum est ad dandam Spiritus sancti abundantiam & perfectionem: congruum ergo fuit, vt huius sacraméti ministerium solis Episcopis Catholicis cõmitteretur. Nec refert, quòd character seu consecratio Episcopalis sit indelebilis: nam, etiam hoc admisso, intelligi rectè potest, Christum instituisse huiusmodi characterem non sufficere, nisi in ministro ab Ecclesia tolerato in sacramentorum administratione, sicut è contrario dicebamus, characterem sacerdotalem non sufficere per se sine facultate. Põtificis ad huiusmodi ministerium: illa autem adiuncta, posse sufficere, ita è contrario Episcopalem characterem sufficere, dummodò ab Ecclesia prohibitus, seu præcisus, Episcopus non sit.

Ratio pro hac sententia.

Propter hanc difficultatem nonnulli Iurisperiti docuerunt, Episcopum hæreticum, seu ab Ecclesia præcisum ita esse prohibitum ab huius sacramenti administratione, vt, si illud tentet conferre, nihil efficiat. Ita refert Castro libr. 2. de iusta hæreticorum punitio. capit. 21. Couarruuias libr. 1. Variarum resolution. capit. 10. numer. 8. ex Glossa in capit. Accedens. 50. distinctione, & in cap. Degradatio. de pœnis in 6. quæ generatim loquuntur de quocũque actu Ordinis facto à Clerico degradato. Hæc tamen sententia erronea est, ac meritò ab omnibus Doctoribus est reiecta.

Castro. Couar.

Dicendum est ergo, quemcunque verum Episcopum quoad consecrationem, esse sufficientem ministrum huius sacramenti, etiam si hæreticus sit excommunicatus, aut degradatus: ita vt non possit Ecclesia facere, quin sacramentum Confirmationis ab eo datum sub debita forma, materia, & intentione, validum sit, licèt ipse peccet illud ministrando. Hanc conclusionem non inuenio expressè definitam, & ideò non assero absolutè esse de fide, nam, licèt Concilium Tridentinum sessione. 7. Canon. 12 de sacramentis in genere, definiat, sacramentum datum à ministro existente in peccato mortali esse validum, nihil tamen de hæretico in genere definit neque aliquid etiam specialiter de hoc sacramento. Colligitur tamen conclusio posita primò ex doctrina suprà tradita de sacramentis in genere, est enim eadem ratio de hoc, & de cæteris sacramentis. Vnde omnia ferè ibi adducta possunt facilè ad hoc sacramentum applicari. Secundò ex Concil. Florent. & Trident. tum, quia absolutè dicunt, Episcopum esse ordinarium ministrum huius sacramẽti: sed Episcopus, quanuis sit hæreticus, aut quacunque alia ratione ab Ecclesia præcisus, est verus Episcopus: ergo est etiam verus, & sufficiens minister, tum etiá quia Concil. Trident. dicit, ministrum sacramenti in peccato mortali existentem esse verum ministrum: ergo etiam si sit in peccato hæresis: nam, sicut non licet excipere peccatum adulterij, aut incubinatus, & aliud simile, ita nec peccatum hæresis, nam hæ definitiones Conciliorum doctrinales sunt & vniuersales.

Conc. Tri. Conc. Flor. Conc. Trid.

Tertiò, quia Ecclesia non potest auferre à Sacerdote, vel Episcopo Ordinem, seu consecrationem semel datam: ergo, quanuis possit prohibere vsum eius, non tamen potest facere, quin actus solius Ordinis ab huiusmodi ministro factus validus sit: cùm ergo Confirmatio tantùm sit actus Ordinis Episcopalis, non potest ab Ecclesia impediri quominùs sit verum sacramentum, etiam si Episcopus sit hæreticus vel præcisus, dummodò cætera necessaria adhibeatur. Primum antecedẽs certissimum est; quia character Sacerdotalis deleri non potest, vt definit Concilium Tridentinum, sessione septima, Canone nono, & sessione vigesima tertia, capite quarto. Vnde, quando Sacerdos deponitur, seu degradatur re vera non priuatur ipso Ordine, quia non priuatur characterẽ, sed priuatur vsu, vel etiá priuilegijs sacerdotalibus. Quanuis autẽ inter Theologos in cõtrouersia positũ sit, an Episcopalis cõsecratio imprimat characterẽ, vel physicè augeat præexistẽtẽ, aut tantùm moraliter, nihilominùs sine cõtrouersia ab omnibus receptum est, consecrationem Episcopalem esse iteirabilem, & indelebilem, vt in proprio loco latiùs dicturi sumus. Vnde Concilium Tridentinum dicta sessione. 23. cùm capit. 4. dixisset, Ordinem imprimere characterem indelebilem, & ideò Sacerdotes habere potestatem Ordinis, quam amittere non possunt, statim subdit, Episcopos pertinere ad hunc hierarchicum ordinem, & habere in eo gradu propriam quandam potestatem, sentit ergo etiam illam esse inamissibilem. Prima autem cõsequentia probatur, quia huiusmodi actus solùm pendet à potestate Ordinis: ideò enim vocatur actus solius Ordinis, vt distinguatur ab illo, qui essentialiter est etiam actus iurisdictionis, vt est sacramentale iudicium, & absolutio, quæ propterea nulla est, si potestas iurisdictionis desit: quia ab illa per se pendet: actus verò solius Ordinis, vt est consecratio, à sola potestate Ordinis per se pendet, & ideò illa potestate durante prohiberi quidem potest talis actus, vt licitè fieri non possit, non tamen potest ab homine impediri, quominus, si fiat cum cæteris conditionibus requisitis, validus sit. Atque hac ratione consecratio Eucharistiæ facta à Sacerdote hæretico, vel quacunque ratione prohibito, valida est: similiter Extrema vnctio, item Ordinatio facta ab Episcopo hæretico, seu præciso: quæ propterea non iteratur in Ecclesia, vt suis locis videbimus: ergo idem dicendum est de actu confirmandi: nam constat per se & intrinsecè non esse actum iurisdictionis, cùm non sit actus iudicialis, sed solùm consecrationis, vt sic dicam.

Conc. Trid.

Quartò, est hæc sententia Augustini libr. 2. contra literas Petiliani, capit. 104. vbi agens de sacramento chrismatis, quod in genere visibilium sacramentorum sacrosanctum est, dicit, esse posse in hominibus pessimis, illudque in hoc comparat cum baptismo, & vtrumque dicit esse posse inter hæreticos, & in parte Donati, & ibidem declarat, etiam in hoc sacramento distinguendum esse sacramentum ab effectu, vt intelligamus, quâuis contingat Spiritum sanctum non dari ab hæreticis, non propterea negari debere ab eis dari sacramentum. Vnde ex

August.

ex hoc loco euidenter constat, totam doctrinam suprà datam & explicatam de malis ministris sacramentorum in genere ex sententia Augustini eodẽ modo procedere de ministro huius sacramenti. Vnde libro quinto de baptismo, capite vigesimo, ait, *Sicut sanctificatur oleum ad verba, quæ proferuntur ex ore hominis de, ita etiam sanctificatur in hæreticorum altaris: quia nullis hominum falsitatibus impeditur Deus, quominùs sua sacramentis adesse dignetur*. Vnde concludit, *Baptismum, Eucharistiam, & manus impositionem, valida esse etiam per homicidas*: constat autem ex omnibus libris Augustini contra Donatistas, eandem esse rationem de hæreticis, quæ est de homicidis, & alijs huiusmodi peccatoribus.

Vltimò, si congruentijs vtendum est, omnes suprà adductæ de sacramentis in genere hic habent locum, ne scilicet dubia & incerta sit Confirmationis veritas: si ab interna hominis sanctitate, aut fide pendeat, & aliæ similes, si verò ratio à priori petatur, recurrendum est ad institutionem, & ad potestatem Ordinis indelebilem, vt iã tactum est. Vnde sic potest ratio concludi, nam iuxta doctrinam Concilij Florentini sacramentum tribus perficitur, materia, forma, & ministro. Vnde fieri non potest, vt hæc rité adhibeantur, & sacramentum non perficiatur: ergo, si in præsenti sacramento adhibetur materia & forma à verò Episcopo, efficietur sacramentum, quantumuis Episcopus sit prauus, vel hæreticus, aut præcisus.

Conc. Flor.

Ad rationẽ dubitandi.

Ad rationem dubitandi in principio positam cogitare aliquis posset, potuisse aliquos ex prædictis Patribus circa hoc errare, quia olim hæc veritas nõ erat adeò declarata, & intellecta, sicut nunc est. Verumtamen, licèt de Diuo Cypriano & alijs, qui de sacramento baptismi ita senserunt, id dici posset, tamen de Diuo Augustino id non est verisimile, & multò minùs de Pontificibus citatis, præsertim cũ ibi doceant Ecclesiam de re grauissima, & ad bonos mores maximè pertinente, & referant Ecclesiæ cõsuetudinem, in qua nunquam esse potuit grauissimus, & intolerabilis error, qualis fuisset, si sacramẽtum hoc à ministro hæretico ritè celebratum, in Catholica Ecclesia iteraretur. Dicendum est ergo, Patres in illis locis non agere de hoc sacramento, sed de manus impositione reconciliatiua, quam esse distinctam ab hoc sacramento Confirmationis suprà ostendimus disputatione. 34. sectione. 1. & est satis expressum in Concil. Hispalen. 11. capit. 7. vbi dicitur, non licere Chorepiscopis, vel conuersis ex hæresi manus imponere, vt Spiritũ sanctum recipiant, vel baptizatorum frontes chrismate signare, quod sumptũ est ex Leone Papa. Epist. 88. at que idem colligi potest ex Fœlice III. in Epist. de cretali, capit. 3. & 4. & sequentibus, & ex Clemente lib. 2. Constitut. capit. 45. & lib. 8. capit. 12. qui bus locis sit mentio manus impositionis purgatiuæ, seu reconciliatiuæ, quæ erat per modum cuiusdam publicæ pœnitentiæ, & absolutionis, de qua etiam loquitur innocent. I. Epist. 22. capit. 4. cùm dicit. Clericos conuersos ex hæresi solere admitti ad communionem laicam per manus impositionẽ, & capit. 5. declarat id fieri per pœnitentiam, & addit, interdum recipi in suo gradu & ordine ad cleri calem communionem: quomodò etiam dicitur in Concilio Arelaten. cap. 12. Clericos conuersos ex hæresi, si magnum fidei suæ, & perfectæ conuersionis testimonium præbuerint, posse ad suum gradum & ordinem recipi per manus impositionem: non erat ergo illa manus impositio, Confirmatio: quomodo enim verisimile est, aut eos fuisse denuò confirmatos, qui in sacerdotali Ordine recipiebantur, aut Ordinationem hæreticorum, vt ratã & validam receptam esse, non autem Confirmationem? Quòd si dicas, non ibi esse sermonem de ordinatis ab hæreticis, sed de clericis, qui cùm in Ecclesia Catholica fuerint Ordinati, in hæresim labũtur, & postea conuertuntur. Sed in primis hoc gratis dictum est: quia illa decreta absolutè & simpliciter loquuntur, deinde eadem ratione dicam in alijs decretis non esse sermonem de his, qui ritè confirmati sunt ab hæreticis, vt de Bonosiacis loco suprà citato dicebamus, & maximè credi posset, quando alicubi dicitur, adiungendam esse huic manus impositioni reconciliatiuæ vnctionem chrismatis, vt est in Concilio Arelaten. II. capite 17. & apud Theodoretum libr. 3. Hæreticar. fabular. capit. de Nouato, vbi refert, Patres ordinasse, vt bi, qui à Nouatiana hæresi conuertebantur, per vnctionem chrismatis reciperentur: quia Nouatiani illis, quos baptizabãt sacrum chrisma non præbebant: sic ergo in vniuersum credi potest, quotiescunque hæretici per vnctionem chrismatis recipiebantur, id factum esse solùm cum his, qui in hæresi vncti non fuerant: nam alioqui constat, nõ semper fuisse adhibitam vnctionem chrismatis, cum manus impositione reconciliatiua, vt patet ex alijs decretis suprà citatis. Imò neque, quando adiungebatur chrisma, erat semper sacramentum Confirmationis, sed aliqua ceremonia lis vnctio, cuius signum apertum est, quia fiebat etiam à simplici presbytero, vt patet ex Concilio Arausicano I. cap. 2.

Cõc. Arela. Theodor.

Cõc. Arau.

Denique optimum argumentum est, quòd hæc manus impositio, per quam conuersi ex hæresi recipiebantur, non his tantùm adhibebatur, qui ab hæreticis baptizati, vel confirmati fuerant, sed in vniuersum omnibus, etiam si ante lapsum in hæresim essent à Catholicis baptizati & confirmati: ergo non poterat esse sacramẽtum Confirmationis, alioqui dicendum esset, non solùm non esse validam Cõfirmationem datam ab hæretico, sed etiam Confirmationem ritè acceptam in Ecclesia Catholica per hæresim amitti, & ideò debere postea iterari, quod est planè hæreticum. Antecedens verò constat ex generalibus locutionibus dictorum decretorum, & ex doctrina Augustini. dict. lib. 5. de baptismo, cap. 23. vbi rationem huius ceremoniæ reddens, inquit, *Si non adhiberetur venientibus ab hæresi manus impositio, quasi extra omnem culpam esse dijudicarentur propter caritatis ergo copulationem manus imponantur correctis ab hæresi*: hæc autem ratio generalis est, & ideò idem Augustinus lib. 3. de baptismo capit. 16. & 18. significat hanc manus impositionẽ pertinere ad potestatem ligandi atque soluendi. Vnde Cyprianus Epist. 10. illam coniungit cum exomologesi, & Epist. 71. dicit, huiusmodi manum imponi in pœnitentiam, quod etiam dicit Crescens Episcopus in Concilio Carthag. sub Cypriano: erat ergo illa manus impositio, vel ipsamet sacramenta lis absolutio, si secretè & in interiori foro fiebat, vel publica & solennis pœnitentia & reconciliatio facta etiam in exteriori foro Ecclesiæ, & de hac frequentiùs est sermo in prædictis decretis.

Augustinus. Cyprian. Crescẽs Epi. Conc. Car.

Ex his ergo satis respõsum est in communi ad rationem dubitandi propositam: singillatim verò ad singula

Universidad de Deusto
Biblioteca

singula testimonia respondendum est. Ad Innocē. respondetur ibi loqui de Ordine dato ab hæretico, quem dicit non esse ratum, non quoad substantiam sed quoad vsum, honorem, & dignitatem, & priuilegia clericalia, vt latiùs dicendum est in materia de Ordine, & constat ex multis, quæ tradit Gratianus. 1. quæstione. 1. & ex verbis ipsiusmet Innocētij, scilicet, *Non videtur, Clericos eorum, cum sacerdotij, aut ministerij cuiuspiam fuscepti debere dignitate*: & posteà subdit rationem suprà traditam. Vnde, si quis contendat, illam exclusiuam, qua dicitur, *solum baptismum esse ratum apud hæreticos*, excludere omnia alia sacramenta, etiam Confirmationem, Respondetur in primis potest, dictionem exclusiuam non excludere concomitantia, Confirmationem autem comitari baptismum, vt perfectionem eius. Deinde dicitur, solum baptismum esse ita concessum hæreticis, vt ab eis, & validè, & licitè ministrari possit: quia est ad salutem simpliciter necessarius: & hoc modo dici etiam potest, solum baptismum hæreticis ratum esse permitti, nam ad aliorum sacramentorum vsum simpliciter suspensi sunt, ita vt, saltem nō possint eis licitè vti, quādiu sunt hæretici. Quod verò ait Innocent. hæreticos non posse dare Spiritus sancti plenitudinem, intelligendum est, iuxta suprà dicta quæstione. 64. dictum esse propter effectum sacramenti, quem nō recipit is, qui à ministro hæretico sacramentum recipit voluntariè, & sine sufficiente necessitate, & ideò, cùm huiusmodi hæretici ad Ecclesiam veniunt, per manus impositionem reconciliatiuā suscipiuntur, *sub imagine pœnitentiæ, & innocentiæ Spiritus sancti*, vt ibidem ait Innocentius. Et eodem sensu loquitur Leo Papa locis in principio citatis: quanquàm Lindanus lib. 4. Panopliæ, cap. 27. contendat, Leonem ibi loqui de sacramento Confirmationis, præsertim in posteriori loco; quod re verà non est necessarium, quia Leo in in eodem sensu loquitur, quo Augustinus contra Nouatianos. Sicut enim per baptismū & alia sacramenta datur gratia, ita etiā datur Spiritus sanctus: & hoc modo aiunt Patres prædicti, quanuis hæreticorum baptisma sit validum, tamen non dare illis Spiritum sanctum, ideòque, cùm conuertuntur, eis manus imponi, vt Spiritum sanctum recipiant, non eo modo quo datur per sacramentum Confirmationis, sed eo modo, quo per baptismum datur. Si verò quis posteriorem locum Leonis velit de propria Cōfirmatione intelligere, oportet, vt limitationem adhibeat de illis hæreticis, qui non habent veros Episcopos, à quibus ritè confirmentur. Et eodem modo exponendum est testimonium superiùs adductum ex lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. Ad confirmationem satis iam explicatum est, qualis fuerit illa manus impositio, per quam hæretici in Ecclesia recipiebantur: &, quoniam cætera testimonia ibi adducta ex dictis facillima sunt, ad Eusebium Papam respondetur, in priori parte loqui Eusebium de manus impositione reconciliatiua, in posteriori verò de confirmatiua, neque hoc est mirum, quia vtraq; significatio est vsitata, & illa sunt diuersa capita, in quibus Pontifex ad diuersa interrogata respondet: atque ideò fortasse priorem vocauit absolutè manus impositionem, posteriorem verò vocat, manus impositionis sacramentum.

Ad rationem respondetur, in primis solùm probare, in hæreticis non habere locum effectum huius sacramenti, deinde dicitur, potuisse quidem Christum Dominum instituere ministrum huius sacramenti eo modo, qui ibi fingitur, ex vsu tamen & traditione Ecclesiæ constat, non ita instituisse, & ideò non est simile exemplum, quod ibi adducitur, nam simplex sacerdos non habet à Christo ex vi sui characteris potestatem ministrandi hoc sacramentum, sed solùm per delegationem Pontificis, Episcopus verò immediatè à Christo habet potestatē ministrandi hoc sacramentum ex vi characteris indelebilis, & ideò quoad substantiam sacramenti non pendet ab homine.

ARTICVLVS XII.

Verū ritus huius sacramēti sit cōuenientes.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod ritus huius sacramenti non sit conueniens. Sacramentū enim baptismi est maioris necessitatis, quàm hoc sacramentum, vt suprà dictum est. Sed baptismo deputantur certa tempore, scilicet Pascha & Pentecostes. Ergo etiam huic sacramēto aliquod certū tempus debet præfigi.

2 Præterea, sicut hoc sacramentum requirit deuotionem & dantis & recipientis, ita etiam & sacramentum baptismi. Sed in sacramento baptismi non requiritur, quod à ieiunis sumatur vel conferatur. Ergo videtur inconuenienter statutum in Concilio Aurelianensi, vt ieiuni ad confirmationem veniant, & in Concilio Meldensi, vt Episcopi, nō nisi ieiuni, per impositionem manū Spiritum sanctum tradant.

3 Præterea, Chrisma est quoddam signū plenitudinis Spiritus sancti, vt suprà dictū est. Sed plenitudo Spiritus sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, vt habetur Actor. 2. Magis ergo debet chrisma confici & benedici in festo Pētecostes, quā in cœna Domini.

SED contra est vsus Ecclesiæ, quæ à Spiritu sancto gubernatur.

RESPONDEO dicēdum, quòd Dominus Matth. 18. fidelibus suis promisit, dicens, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorū. Et ideò firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundū sapientiā Christi. Et propter hoc, certum esse debet, ritus, quos Ecclesia obseruat, in hoc, & in alijs sacramentis, esse cōuenientes.

AD primum ergo dicendum, quòd sicut Melchiades Papa dicit, ita coniuncta sunt hæc duo sacramēta (scilicet baptismi & Cōfirmationis) vt ab inuicē (nisi morte præueniente) nullatenus possint segregari, & vnū sine altero rite perfici nō possit. Et ideò eadem tempora sunt præfixa baptismo solemniter celebrando, & huic sacramento. Sed quia

quia hoc sacramentum à solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, vbi presbyteri baptizant, oportuit quantū ad communem vsum, sacramentum Confirmationis etiam in alia tempora differri.

AD secundum dicendum, quòd ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, sicut in statuto Meldensis Cōcilij legitur. Et ideò propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia, sustinetur, vt hoc sacramentum (quod non nisi ab Episcopis dari potest) etiam à non iejunis detur vel accipiatur, quia vnus Episcopus, præcipuè in magna diœcesi, nō sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Vbi tamen congruè obseruari potest, conuenientius est, vt à ieiunis detur & accipiatur.

AD tertium dicendū, quod, sicut ex Cōcilij Martini Papæ habetur omni tempore licebat chrisma conficere. Sed quia solēnis baptismus, ad quem requiritur vsus chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur, congruè ordinatum est, vt per biduum ante ab Episcopo chrisma benedicatur, vt possit per diœcesim destinari. Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut suprà dictum est.

DISPVTAT. XXXVII.

Et sexta huius sacramenti.

De ceremonijs sacramēti Cōfirmationis.

DVo possunt in præsenti considerari. Vnum est, confectio chrismatis, aliud est, sacramentalis vsus ipsius chrismatis, in quo sacramentum ipsum consistit, & vtrumque fit ab Ecclesia speciali solennitate ac ritu: qui breuiter erit à nobis explicandus.

SECTIO I.

Vtrum confectio Chrismatis conueniente ritu fiat ab Ecclesia.

OMissis hæreticis, qui, sicut cæteras, ita & has Ecclesiæ ceremonias damnant, nihil tamē speciale de hoc sacramento afferunt, præter ea, quæ statim annotabimus, ex generali ratione, quam D. Thom hic attigit, supponimus, Ecclesiā non errare, sed conuenienter agere in huiusmodi ceremonijs, quia Christi Domini Spiritu, & sapientia gubernatur. Vt verò earum ratione reddamus, ad quinq; vel sex ceremonias reuocari omnes possunt ex quibus aliquæ antecedunt, aliæ subsequūtur, aliæ verò comitantur, seu extrinsecùs circūstant ipsius chrismatis cōfectionem. Prima ergo ceremonia est benedictio balsami, quæ ab Episcopo, partim orationibus, & deprecationibus, partim signo, & benedictione Crucis, perficitur. De qua nihil dicendum occurrit præter superiùs dicta: nullā enim potest nouam pati calumniam, quia nullum potest esse aptius signum ad cuiusuis rei sanctificationem, quàm verbum Dei, oratio, & Crucis signum, vt in superioribus latè ostensum est.

Secunda ceremonia est, benedictio olei chrismalis; quæ eodem verbo & oratione, ac signo Crucis perficitur: fit antè per modū exorcismi, quod nullam habet nouam difficultatem positis his, quæ suprà de exorcismis in genere dicta sunt: solùm dubitari potest, de quadam ceremonia, quæ huiusmodi benedictionem antecedit, scilicet, quòd Pōtifex, & duodecim sacerdotes illi assistentes halant in modū Crucis super os ampullæ habentis oleū chrismale: quæ solū ad significationem quandā introducta est & ideò nullā habet superstitionem: Christus enim Joan. 20. vt Apostolis Spiritum sanctū daret, in eos insufflauit: quia ergo chrismale oleū ad dandā Spiritus sancti plenitudinē sanctificatur, ideò ad hoc significandū Ecclesia prædictā insufflationē induxit quæ ceremonia antiquissima est, vt constat ex Isidoro, Ruperto, & alijs, qui de officijs Ecclesiasticis scripserūt, & ex ordine Romano, ac lib. Pōtificali.

Tertia ceremonia est, mistio balsami, & olei, quā facit Episcopus immittendo balsamum in ampullā chrismalis olei, proferens illa verba, *Hæc commistio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio & custodia salutaris in secula seculorum*, qua actione & verbis substantialis confectio chrismatis perficitur: nam chrisma vtriusque liquoris mistionem, & benedictionem essentialiter requirit. Et quanuis interagēdam primam ceremoniam Pontifex parum olei misceat cum balsamo in patena, vel alio vasculo distincto ab ampulla chrismatis, tamen ibi re verā nō perficitur chrisma: quia neque ea intentione fit, neque illa est perfecta & completa mistio, sed tantùm inchoatio quædam, & adumbratio eius.

Quarta ceremonia, quæ post cōfectum Chrisma subsequitur, est veneratio quædā seu salutatio eius: nam Pōtifex capite inclinato salutat chrisma dicēs, *Salue sanctum chrisma*, & deinde osculatur labrū ampullæ, quod secundò & tertio facit, & hæc posteà imitantur duodecim Sacerdotes, qui ipsum comitātur, hæc autem ceremonia hæreticis videbitur idolatriam sapere: quia in ea videtur creatura adorari; alijs verò indoctis videri potest ridicula: quia res inanimis non potest salutari quanuis possit reuerenter tractari nam salutatio propriè ad personam intelligentem dirigitur. Dicendum verò est, hanc ceremoniam merito esse ab Ecclesia introductā ad commendādam fidelibus sancti chrismatis existimationem ac reuerētiam: est etiam chrisma res quædam sacra, suūque modū sanctificationis habens, & ideò propria quædā reuerentia & veneratio illi debetur, sicut & alijs sacris signis, & rebus diuino cultui dedicatis, vt egregiè docuit D. Tho. 2. 2. q. 99. art. 3. quæ reuerentia dicta est à nobis in superioribus adoratio respectiua: quia licèt verè ac propriè ad rem ipsam inanimem terminetur, non tamen propter ipsam, sed propter id, ad quod refertur, seu quod significat. Ad hoc autē significādum interdum hæc veneratio per modū salutationis exprimitur, sicut etiā B. Andreas Crucē salutauit, dicens, *Salue Crux pretiosa*, & Ecclesia canit, *O Crux ave spes vnica*: quæ verba, quatenus orationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel salutationẽ continẽt, per tropũ & prosopopæiã explicantur, & ad Christum, seu rem repræsentatã referuntur, vt dixi in 1. tom. disput. 54. sect. 4.

5. Ceremonia est circũstantia temporis. D. Thom. Conc. Martin. Papa. Mar. Brac. Episcopus.

Quinta ceremonia pertinet ad circunstantiã temporis, quam hic notauit D. Tho. in solut. ad. 3. vbi primum dicit, olim nullum fuisse anni tempus ab Ecclesia definitum ad chrisma conficiendum, sed quolibet tempore cõfici potuisse, quod colligit ex Concil. Martini Papæ, videtur autem allegare cap. Omni tempore. de Consecrat. distin. 4. quod sumptum est ex canonibus collectis à Martino Bracharensi Episcopo, cap. 51. vbi dicitur, *Omni tempore licere Episcopo chrisma conficere*, & similia verba habẽtur in Concil. Tolet. I. cap. 20. Sed nihilominùs certũ est, tẽpus ab Ecclesia designatum ad chrisma cõficiendum, esse Feriam quintam Cœnæ Domini: illo enim die, vt suprà vidimus ex Patribus, præsertim Fabiano, & Cypriano, Christus Dominus docuit chrisma conficere; in cuius rei memoriam illo tantũ die confici cõsueuit. Itẽ, quia, vt D. Tho. hic ait, tempus solennis baptismatis fuit semper vigilia Paschatis, & ideò ante duos dies consueuit renouari Chrisma, quod vsui esse posset in solẽni baptismate: hæc autem consuetudo præter Fabianum Epist. 2. & Cyprian. serm. de vnctione christatis, colligitur ex Isidoro, Alcuino, Ruperto, & alijs antiquis scribentibus de diuinis officijs. Vnde in Cõcil. Meldensi, cap. 46. expressè præcipitur, *vt nemo sacrum Chrisma, nisi in quinta Feria maioris hebdomadæ conficere præsumat*, & ob hãc causam in c. Quoniã. de sent. ex commun. in. 6. dicitur, Chrisma esse cõficiẽdum in die Cœnæ Domini, etiã si terra interdicta existat. Quapropter verisimile non est, fuisse aliquando vsitatum in Ecclesia, vt quolibet anni tempore chrisma conficeretur, quia Fabianus Papa contrariũ præcipit, & indicat fuisse traditionẽ Apostolicam. Neque ex prioribus decretis id satis colligitur: nam, quod dicitur, *omni tempore*, potest optimè per distributionẽ accomodam intelligi, scilicet, omni tẽpore ad conficiendum chrisma præscripto licitũ esse Episcopo illud conficere, id est, hoc per se, & ex officio ad illius munus pertinere: nam illa decreta non intendunt docere, quo tempore liceat chrisma cõficere, sed ad quem per se hoc munus & officiũ pertineat: nã Concil. Toletan. expressè intẽdit prohibere abusum quorundã Presbyterorum, qui confectionẽ chrismatis sibi vsurpabant, &, tam ibi, quàm in dicto cap. Omni tempore, statim post illa verba, *omni tempore liceat Episcopo chrisma conficere*, subditur, *Et per diœcesim destinare, ita vt accipiẽdum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem Paschæ de singulis Ecclesijs ad Episcopum destinetur, vt possint ad tempus deferre*: non ergo loquuntur de omni tempore simpliciter, sed accommodatè, id est, de omni tẽpore annuali, vt Glossa etiam exposuit.

(Margin: Conc. Tol. Fabianus. Cyprianus. D. Thom. Isidorus. Alcuinus. Rupertus. Conc. Mel. Fab. Papa. Conc. Tol.)

6. Ceremonia circunstantia loci.

Vltimò adiungere possumus circunstantiam loci, sub qua comprehendi potest, quòd chrisma conficiendum est in Ecclesia, & in loco presbyterij, vt notatur in Pontificali Romano, & huc etiã spectat quòd non est conficiendum nisi solenni ritu, & inter missarum solennia, imò ab Episcopo Pontificali ritu celebrante, ita enim ab Ecclesia præscriptum semperque seruatum est. Vnde, vbi hoc modo confici non potest, vel quia Ecclesia vacat, vel quia Episcopus impeditus est, ne illud possit solenni ritu cõficere, prætermittenda est eius confectio, & alium de nouum chrisma erit deportandum, vt alia consuetudo Ecclesiæ seruetur, vtendi singulis annis nouo chrismate: de qua infrà dicetur. Ad hanc etiam circunstantiam spectat, vt chrisma in proprio ac determinato vasculo conficiatur, quod ad hoc munus sacrum habeatur: nam, cùm chrisma res sacra sit, & ad sacrum ministeriũ deputata, ad eius reuerentiã spectat, vt non communi vasculo ac vulgari conficiatur, & custodiatur, sed specialiter ad hoc munus deputato, & ita colligitur ex ordine & Pontificali Romano. Quanquàm autem apud veteres nonnulla mentio chrismalis vasculi, seu ampullæ inueniatur, vt patet ex Iuone Epist. 3. & in decreto. part. 1. cap. 268. & ex Burchardo lib. 4. decreti. cap. 75. & ex Concil. Meldensi cap. 1. & Optato Mileuitano lib. 2. cõtra Parmenianũ; non tamẽ inuenio esse ab Ecclesia institutam specialẽ aliquam benedictionẽ, aut consecrationẽ talis vasculi, sed ipsomet vsu videtur sacrari, post quem vsum non debet ad vulgarẽ, seu prophanum vsum conuerti. Neque etiam inuenio esse ab Ecclesia definitam specialem materiam, ex qua conficiendum sit, nam, licèt communiter sit argentea, & hæc, vel aurea maximè deceat, tum propter securitatem, tum propter munditiem, nullum tamen inuenio de hac re esse præceptũ, imò ampulla illa, cuius meminit Optatus, vitreæ, vel alterius similis materiæ fuisse videtur: refert enim, hæreticos per fenestram illam proiecisse vt eam frangerent, & miraculo ascribit, quod casum non sensit nec confracta est, sed, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. Videtur ergo hoc prudenti pastoris arbitrio relinquendum: semper tamen, quoad fieri possit, seruanda est Ecclesiæ consuetudo.

(Margin: Iuone. Burchard. Conc. Mel. Optat. Mil.)

SECTIO II.

Vtrùm sacramentum Confirmationis conueniente ritu ab Ecclesia conferatur.

HIc nihil dicendum est de substantiali ritu, ad quem spectat, quòd vnctio ex chrismate fiat in fronte, & sub signaculo Crucis, vt superiùs dictũ est, dicendum est ergo solùm de accidentali ritu, qui solùm in tribus aut quatuor circũstantijs, seu ceremonijs consistit. Primò ergo notari potest circunstantia temporis, quã D. Tho. hic attigit in solutione ad primum, vbi dicit, eadẽ tempora Paschatis, & Pentecostes, quæ olim erant ad baptismum designata, hoc etiam sacramentum cõprehendisse, quia olim simul conferebantur, vt suprà vidimus, atque ita statuitur in Concilio Paris. sub Ludouico & Lothario. lib. 1. cap. 33. tamẽ illud Concilium prouinciale est, in vniuersum autem, nec satis constat, olim fuisse rigoroso præcepto prohibitum, ne sacramentum Confirmationis extra illa tempora daretur, & nunc certius est, nullũ esse tale præceptum, tum quia contrarium tenet cõsuetudo, quæ in ipso etiam baptismo illam limitationem abrogauit, tum etiã quia in hoc sacramento id commodè seruari non poterat, vt Dinus Thomas notat: quia eius minister est solus Episcopus, qui non potest quolibet tempore adesse ad confirmandos baptizatos, potest ergo hoc sacramentum conferri quolibet tempore opportuno. An verò matutino tempore conferendum sit, statim dicam.

(Margin: D. Thom. Cõc. Paris. D. Thom.)

Secundò notari potest circunstantia loci, de qua Palud. quæstione. 3. artic. 3. dicit, licèt confectio chrisma-

(Margin: Palude.)

chrismatis tantùm fieri possit in Ecclesia, tamen sacramentum posse dari in quolibet decente loco, & censeo, hoc esse probabile, quia nihil inuenio sub præcepto præscriptum, & in Pontificali solùm dicitur, quòd fiat ante medium altaris, aut in alio conueniente loco: consuetudo autem obtinuit, vt detur tantùm in Ecclesia, & ita obseruandum est, quoad fieri possit: nam, si hoc de baptismo præceptum est in Clementina de baptismo, maximè decet, in Confirmatione etiam obseruari. Statuitur autem in ca. Responso. de sententia excommunicat, posse hoc sacramentum conferri in locis interdictis, vt potest baptismus.

Tertiò ad hunc ritum etiam spectat, quòd Episcopus vestibus sacris indui debet ad hoc sacramentũ ministrandum: id enim pertinet ad ornatum, & decentiam huius sacramenti: tenetur ergo in hoc obseruare, quod in Romano Pontificali præscribitur. Ex parte verò ipsius confirmandi nulla est in hoc ceremonia præscripta: olim enim, quia Confirmatio statim post solennem baptismum dabatur, & baptizati induebantur vestibus albis, ideò eisdem candidati vestibus ad hoc sacramentum recipiendum accedebant, quod satis erat accommodatum ad innocentiam significandam, quam accedentes ad hoc sacramentum gestare debent: nunc verò, postquam illa ceremonia cessauit, nulla est circa hoc specialis obseruantia, sed tantùm decentiæ, & honestatis ratio habenda est.

(Margin: D. Thom. Conc. Senõ. Conc. Melde. Cõc. Paris.)

Quartò obseruatum est, vt tam confirmans, quã confirmandus ieiuni accedant, vt tetigit D. Tho. hic in solut. ad secundum, & significat hoc fuisse præceptũ in Concilio Senonensi cap. 3. & Concilio Meldensi cap. 6. & habentur in capit. Vt ieiuni, & capit. Vt Episcopi. de Consecrat. distinct. 5. & idem statuitur in Concilio Parisiensi lib. 1. cap. 33. vbi adducitur congruentia, quòd Apostoli ieiuni cõfirmati sunt per Spiritus sancti aduentum, & credibile est, eos non nisi ieiunos alijs Spiritum sanctũ tradidisse: quia ita decebat tam excellens ministeriũ, vt, qui daturus est Spiritum sanctum, priùs ieiunando & orando in corde suo illi præparet habitaculũ. Iuxta quæ decreta, si hæc ceremonia obseruanda est, consequenter dicendum erit, sacramentum hoc matutino tempore ante prandium esse ministrandum; quia aliàs, moraliter loquendo, non posse ieiunis à ieiunis ministrari. Nihilominùs tamen dicendum est, hanc ceremoniam non esse ex necessitate præcepti, sed solùm ex decentia, vt hic D. Thom. notat, quem omnes sequuntur, & expresse annotatur in Pontificali Romano, neque in suprà citatis decretis sunt verba, quæ sufficienter indicent præcepti obligationem, &, quamuis essent, tamen illa Concil. Prouincialia sunt, neque eorum lex communi vsu est recepta, sed potiùs abrogata, nam ferè consuetudo iam obtinuit, vt sacramentum hoc post prandium conferatur. Quinta ceremonia est, quod in hoc sacramento adhibetur susceptor, qui confirmãdum teneat. De qua satis dictum est in Comment. articul. 10.

(Margin: D. Thom.)

Sexta, antequàm Episcopus conferat sacramentum, fundit quasdam orationes, deprecationes, ac benedictiones, & peracto sacramẽto alias similiter subiungit, quæ piæ sunt, & iuxta consuetudinem Ecclesiæ obseruandæ.

Septima, post factam vnctionem substantialem in fronte, vitta linea caput confirmati ligatur, quã aliqui vno, alij tribus, alij septem diebus gestare cõsueuerunt, quod fit propter chrismatis reuerentiã, vt non abluatur, sed exsiccetur. Vnde hæc ceremonia seruanda omnino est, vt colligitur ex D. Tho. in 4. dist. 7. q. vlt. art. vlt. & alijs autoribus ibi, & Summistis verbo Confirmatio, quamuis in temporis, seu dierum determinatione nulla sit obligatio: sed vbiq; propria consuetudo seruanda est, vt in Pontificali Romano dicitur. Atq; idem iudicium ferendum est de eo, quod Hugo Victor in lib. 2. de sacram. p. 7. cap. 6. dicit, per septem dies nõ esse abluendum caput seu frontem hominis confirmati, quod ipse etiam, non vt necessarium, sed vt conueniens docet, & loquitur de vulgari & communi ablutione, nam alicubi mos est, vt paulò post abluatur in fonte baptismatis, vbi autem hoc non obseruatur, satis erit expectare, donec chrisma exsiccatum sit.

(Margin: D. Thom. Hugo Vict.)

Octaua, post peractum sacramentum Pontifex leuiter dat confirmato alapam super genam, dicens, *Pax tecum*, quod solùm fit ad significationem, vt confirmatus intelligat se armari ad iniurias pro Christo ferendas, & alij dicunt fieri etiam ob memoriam, vt suscipiens recordetur sacramenti suscepti, & militiæ, ad quam exercendam conscribitur: hæc autem ceremonia non videtur esse tanti momenti, vt, si prætermittatur, sit peccatum mortale, secluso contemptu, vt notauit Soto hic art. 12. vbi aliam ceremoniam refert, scilicet quòd cereus offertur, sed hanc non inuenio in Pontificali Romano, neque in antiquis autoribus.

(Margin: Soto.)

DISPVTAT. XXXVIII.

Et vltima de Confirmatione.

De præceptis ad hoc sacramentum pertinentibus.

DIstinguendæ sunt duæ personæ, quæ in vsu huius sacramenti, sicut & aliorum, necessario interueniunt, scilicet suscipiens, & minister, & de vtriusque obligationibus, & de modis, quibus contra eas delinquere possint, & de pœnis, si quas forcasse incurrunt, dicendum est, de susceptore verò præter superius notata, nihil addendum occurrit.

SECTIO I.

Vtrum omnes fideles baptizati teneantur hoc sacramentum suscipere, & illud non iterare.

TRiplex obligatio intelligi potest ex parte recipientis hoc sacramentum. Prima est negatiua, non recipiendi indignè, neq; sine debita intentione ac dispositione non sacramentum: quæ etiã affirmatiuè explicari potest sub conditione, seu quoad specificationẽ actus, scilicet dignè recipiẽdi hoc sacramentũ, si quis velit illud recipere, & de hac obligatione nihil in particulari hic occurrit addendũ, præter dicta suprà de sacramẽtis in genere, nã hæc obligatio nascitur ex generali, & connaturali lege sacramentorũ: quæ ad hoc sacramentum determinanda est iuxta dispositionẽ, quam hoc sacramentum requirit, de qua suprà tractatum est.

(Margin: 1. Obligatio.)

2. Obligatio.

Secunda obligatio, quæ in vltima particula tituli quæstionis attingitur, est etiam negatiua, non recipiendi pluries hoc sacramentum, quæ potest etiam affirmatiuè sub conditione & secundum numericā vnitatem explicari, id est, vt, si quis vult hoc sacramento vti, semel tantùm illud recipiat, & hæc obligatio est etiam certissima: quia suprà ostensum est, hoc sacramentum non esse iterabile ex vi suæ institutionis. Vnde, si quis tentet secundò illud recipere irritum facit, & inane est, quidquid recipit, & ideò grauiter delinquit. Quæri autem hic potest, an, qui iteratò suscipit hoc sacramentum, maneat irregularis, quidam enim ita affirmant, vt Richar. in 4. dist. 7. art. 6. quæst. 1. vbi idem iudicium censet esse de Confirmatione, quod de baptismo, & Maior ibi in fine totius distinctionis, & D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 6. §. 3. & ex Iuris peritis hoc tenet Glossa in c. Dictum est. de Consecrat. dist. 5. & Archidiaconus, & Albertus Trotius, quos refert Couar. infrà citandus. Fundari solet hæc sententia in paritate rationis, nam, si ille, qui iteratò suscipit baptismum, fit irregularis, cur non etiam ille, qui secundò confirmatur? præsertim, quia in Concil. Tarracon. ca. 6. & refertur in dict. cap. Dictum est, eodem modo prohibetur Confirmationis, quo baptismi iteratio, & eadem pœna pro vtroq; delicto imponitur, scilicet, vt, qui ita delinquit, *non seculo, sed solum Deo sub habitu regulari vel clericali religiosissime famulatur.* Vnde ad hoc adduci solent decreta, quæ rebaptizatis irregularitatem imponunt. cap. Confirmandū. d. 50. cap. Quod quidam. 1. quæst. 1. cap. Qui bis. de Consecrat. dist. 4. Sed hoc argumentum in materia odiosa & pœnali, & præsertim irregularitatis debilissimum est; primò, quia iure ipso cautum est, irregularitatem non incurri, nisi in casibus à iure expressis cap. Is, qui. de sententia excommu. in 6. ergo argumentū à simili nullum est ad irregularitatē colligendam. Secundò, quia licèt in dict. capit. Dictum est, ita esse malam & prohibitam Confirmationis, sicut baptismi, iterationem, asseratur, ibi tamen nulla pœna irregularitatis imponitur. Vnde, si ex alijs iuribus non constaret, fieri irregularem, qui secundum baptismum recipit, ex vi huius non fieret irregularis: nam aliud est religiosissimè famulari Deo sub habitu regulari, vel clericali, aliud verò fieri irregularem: neque hoc posterius ex illo priori sequitur: nā, etiam si quis denuò Ordinetur, vel in suscepto Ordine ministret, potest in habitu regulari, vel clericali Deo religiosissimè famulari: ex illo ergo textu neutra irregularitas colligitur, in alijs autem iuribus nulla fit mentio Confirmationis, sed solius baptismatis: hæc ergo irregularitas nō est in iure expressa. Et ideo est secunda sententia probabilior, negans propter hoc delictum irregularitatem incurri, quam tenent in 4. distinctione. 7. Scotus quæstione. 5. & Palud. quæstione. 2. Gabriel quæstione vnica, articulo. 3. dubio. 5. eamq; ex parte secutus fuerat Antonin. 3. part. tit. 14. cap. 14. §. 4. vbi tamen solùm loquitur de eo, qui ignoranter bis confirmatus est: quia de hoc, inquit, nihil est in iure expressum: sed hæc ratio plus concludit, vt diximus. Et eandem opinionem sequuntur Castro, & Turrecrem. quos refert & sequitur Couarruuias in Clementina Si furiosus, in principio, num. 8. vbi nō nullam rationem differentiæ assignat; nam in baptismo iniuncta est illa pœna propter hæresim circa illud sacramentum peculiariter exortam: quæ ratio neque in hoc sacramento, neque in sacramento Ordinis locum habet. Addò prætereà pœnam illam in illo capit. Dictum est. impositam, in primis non esse à Summo Pontifice, vel aliquo Concilio generali latam, sed à Concilio Tarraconensi prouinciali, vt Gratianus & Iuo referunt, nam in ipso Concil. non reperitur: deinde non esse vsu receptam, & ideò non incurri, præsertim ante iudicis condemnationem. Posset autem iudex Ecclesiasticus illam imponere pœnam, quanquàm non teneatur, vt existimo, propter rationem dictam.

1. Opinio affirmat. Richardus. Maior. D. Anton. Glossa. Archidiac. Albertus. Trotius. Cōc. Tarr.

2. Opinio negat. Scotus. Palud. Gabr. Antonin. Castro. Turrecrem. Couar.

Cōc. Tarr. Gratian. Iuo.

3. Obligatio.

Tertia obligatio affirmatiua esse potest de exercitio ipsius actus, vt si sit fidelibus baptizatis præceptum impositum suscipiendi hoc sacramentum, & de hoc sunt variæ opiniones. Prima affirmat, esse à Christo Domino latum huiusmodi præceptū, & obligare omnes baptizatos adultos, si commodè possunt hoc sacramentum suscipere. Ita sentit Scotus distinctione. 7. quæstione. 2. vbi primùm dicit, quòd adultus tenetur suscipere hoc sacramentum, id est, non contemnere. Vnde infert, teneri illud suscipere pro tempore congruo, quia iudicaretur contemptum, si omnimoda opportunitate oblata, non susciperetur. Idem omnino dicit Richard. articulo. 5. quæstione. 1. & Vualdens. tom. 2. de sacramentis, capit. 111. Petrus Soto lect. 2. de hoc sacramē. Pamel. in scholijs ad Tertull. lib. de baptis. cap. 8. & significat etiam Turrian. in scholijs ad Clementem lib. 8. Const. capit. 16. vbi ex verbis Clement. colligit, dari mandatum de hoc sacramento, & Bellarmin. 1. de sacramentis, capit. 22. similiter dicit, omnibus sacramentis esse adiunctum præceptum, vel respectu communitatis, vel respectu singularum personarum, & ex antiquis fauet huic sententiæ Hugo de Sancto Victor. lib. 2. de sacramentis, part. 3. capit. 3. cuius verba retulit, & explicuit Diuus Thomas, articulo. 8. ad quartum, & Amalar. lib. de diuinis officijs, ca. 27. Fundamentū est, quia, licèt hoc præceptum non sit expresse scriptum, vel traditum, vt quid distinctum ab institutione, tamen in ipsa institutione, & in fine eius intrinsecè includitur, quia omnes fideles tenentur fieri, & esse plenè Christiani, & ideò hoc sacramentū accipere debent, *vt plenè Christiani inueniantur*, vt dixit Vrbanus Papa Epistol. 1. cap. 7. & ideò dixit etiam Melchiades Papa. *Quanuis continuò morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria esse Confirmationis auxilia, ideòque ita coniuncta esse hæc duo sacramenta, vt ab inuicem, nisi morte interueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit.* Quod autem dicit, *ritè*, non potest intelligi quoad valorem sacramenti, necessariò ergo intelligendum videtur quoad obligationem vtrumque suscipiendi: atque eodem sensu intelligēdum videtur, quod in Concilio Aurelianēsi, capit. 3. dicitur, *Baptizatum non censeri Christianum, donec Confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.* Et cōfirmatur, nā, licèt fortasse ex sola ac præcisa institutione nō sequatur hæc obligatio, tamen per se se est valde credibile, Christū Dominum illam adiunxisse, neque tantum tamq; necessarium sacramentum sub consilio solùm reliquisse: quia non fuisset hic sufficiens prouidentiæ modus: simili enim de causa, instituendo sacramentum Eucharistiæ illi præceptū adiunxit, quanuis effectus eius nō esset simpliciter necessarius, sed tantum valde vtilis ad salutem. Tā-

1. Opinio affirmat. Scotus.

Richar. Vualden. P. Soto. Pamel. Turrian.

Bellarm.

Hugo. D. Thom.

Amalar.

Vrb. P. P. Melch. P. P.

Cōc. Aurel.

dem

dem omnes fatentur, omittere hoc sacramētum ex contemptu esse peccatum mortale: sed qui, oblata occasione negligit semel, atque iterum, vel certè qui proponit nunquam illud recipere, etiam si millies offeratur occasio, virtualiter contemnit, neq; enim expectandus hic est formalis cōtemptus, qui sine Pelagiano errore, aut Luciferina superbia vix concipi potest.

2. Opinio negat ex parte.

Secunda sentētia negat, hoc esse simpliciter præceptū iure diuino, sed solùm in determinato casu, scilicet, quādo instat occasio publicè confitendi fidem coram tyranno, & priùs potest commodè recipi hoc sacramentum: nam tunc, inquiunt, graue esset peccatum adire illud periculū sine præparatione huius sacramenti. Ita tenet Durand. in 4. distin. 7. quæst. 1. & eum videtur ibi sequi Gabr. dub. 3. Marsil. quæst. 5. art. 4. & idem Turrecremata cap. 1. de consecratione, distinct. 5. Vualdensis etiam, & nonnulli ex autoribus citatis possent facilè in eodē sensu intelligi. Fundamentum huius sententiæ est, quia temerè se exponit periculo cadendi, qui inermis aggreditur maximum periculum fidei, & spiritualis militiæ. Vnde hæc opinio non videtur fundare hoc præceptum in speciali impositione Christi, sed in ipsa rei natura, supposita institutiōe sacramenti. Potest autem nō nihil adiuuari hæc opinio illis Christi verbis, *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, nam, sicut promissio Spiritus sancti Apostolis facta, cōmunis est omnibus Christianis, vt suprà vidimus; & quod in illis impletum est in die Pentecostes, in cæteris per hoc sacramētum impletur: ita verba illa, quanuis solis Apostolis, & eorum socijs dicta videantur, omnes tamen fideles comprehendere videntur, quibus præcipitur, vt ad publica pericula fidei non exeant, donec per hoc sacramentum induātur virtute ex alto: nam, vt aliàs dixit Cyprian. Epist. 54. *contra rationem est, sine armis ad pugnam accedere.* Atque hanc sententiam maximè videtur probare, quæ in priori adducta sunt; quia in eo casu maximè apparet necessitas, & tunc voluntaria omissio maiorem contemptum indicat, & irrationabilem quandam prodigalitatem bonorum spiritualium ꝓpriæ, & ordinatæ charitati valde repugnantem. Nihilominùs tamen hæc sententia non videtur tam consequenter loqui, sicut præcedens: nam, vt suprà vidimus, hoc sacramentum, non solùm adiuuat ad constantiam fidei, quando propria infirmitas, & interior tentatio hominem premit, & obruit, nec solùm confert auxilium ad credendum, sed etiam ad viuendum secundùm fidem, ita vt non solùm in fide vt sic, sed etiam in fide viua hominem confirmet: vnde rectè dixerunt Alens. & Bonauent. infrà citandi, quòd non solùm ex externo periculo, sed etiam ex interna infirmitate, & continua huius vitæ necessitate potest oriri necessitas sacramētalis gratiæ Confirmationis: ergo, si specialis necessitas illius casus est sufficiens ad inducendam præcepti obligationem in illo statim articulo recipiendi hoc sacramentum, necessitas totius vitæ inducet obligationem, non negligendi hoc sacramentū toto tempore vitæ, sed aliquando illud suscipiendi, & ideo Melchiades PP. non dixit, statim prælaturis, sed simpliciter, *Victuris necessaria esse Confirmationis auxilia.*

Durand. Gabr. Marsil. Turrecrem. Vualden.

Cyprian.

Alens. Bonauent.

Melch. PP.

3. Opinio esse præceptum non diuinum, sed Ecclesiasticum.

Tertia opinio est, hoc sacramentum esse simpliciter in præcepto, nō tamen diuino, sed Ecclesiastico. Hanc tenent Alex. Alen. 4. par. quæst. 25. memb. 2. Bonauen. dist. 7. art. 3. quæst. 1. Palud. quæst. 1. & Antoni. 3 par. tit. 14. cap. 14. §. 5. Syluest. verb. Confirmatio diuina, nu. 2. & idem sequitur Turrecrem. suprà. Fundatur hæc sententia in dicta Pontificum suprà citatis: quæ etiam referuntur de consecrat. dist. 5. à principio: fauet etiam Concil. Laodicens. cap. 8. dicens, oportere hoc sacramentum recipere. Hæc verò opinio minùs etiam consequenter loquitur, quàm prima: quia re vera Pontifices in illis locis non condunt nouum ius, sed referunt antiquum, ab ipso Christo institutum, & traditum: nec nouam necessitatem imponunt, sed eam tantùm declarant, quàm Confirmatio ex se ratione sui finis & effectus habet.

4. Opinio absolute negat datum esse aliquod præceptum. D. Thom.

Quarta itaq; opinio absolutè negat, datum esse aliquod præceptum suscipiendi hoc sacramentum. Hæc censetur esse sententia D. Thom. in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. & hic artic. 8. ad 4. quia, secluso contemptu, dicit non esse peccatum mortale omittere hoc sacramentum toto tempore vitæ, at verò, si esset præceptum, voluntaria omissio esset peccatum mortale, etiam sine contemptu: constat enim, contemptum aliquid aliud addere præter voluntariam omissionem: potest enim quis voluntariè omittere susceptionem ordinis, vel religionis sine contēptu: sicut etiam potest, voluntariè committere mendacium sine contemptu: nam ex contemptu esset peccatum mortale, cùm tamen ex se libera tantùm voluntate factum, sit solùm veniale: item quod fit, vel omittitur ex ignorantia culpabili, vel passione, non est ex contemptu, & tamen erit peccatum mortale, si in re graui sit contra præceptum, sed in præsente iuxta sententiam D. Thomæ hæc omissio non erit peccatum mortale, etiā si ex negligentia, aut verecundia contingat, secluso contemptu: ergo signum est nullum interuenire præceptum. Et hoc sensu defendunt hanc sententiam hic Soto, & Ledesma artic. 8. Adrian. in 4. materia de Confirmat. art. 1. Angelus verb. Cōfirmationis sacramentum, nu. 1. Richard. art. 12. contra Lutherum. Victoria in summa. nu. 47. Nauar. in sum. ca. 22. nu. 9. qui tamen dicit esse peccatum veniale negligere hoc sacramentum secluso contemptu, secutus Caiet. in summa verbo, Confirmatio: idem tenet Couar. libr. Variar. resolut. cap. 10. num. 5. quanuis de veniali peccato nihil dicat. Fundamentum huius sententiæ est, quia præceptum obligans sub mortali non est asserendum sine cogente fundamento: hic autem nullum est, non solùm cogens, verum neque admodum vrgēs: quia neque in scriptura habemus hoc præceptum, neq; ex traditione, nam omnes sancti, & Pontifices, qui de hoc sacramento loquuntur, explicant quidem vim, efficaciam, & vtilitatem maximam (quam quodammodo necessitatem appellant) huius sacramenti: nihil tamen dicunt, quod sufficienter indicet præceptum. Nam, quod aiunt, requiri hoc sacramentum ad plenitudinem vel perfectionem hominis Christiani, vel etiam vt simpliciter Christianus dici possit, non potest intelligi de his, quæ sunt de substantia (vt sic dicam) hominis Christiani: hæc enim per baptismum dantur: nec de plenitudine sufficiētiæ (vt rectè dixit Alensis) sed de plenitudine abundantiæ & de Christiano milite cōsignato, quæ nō oportet esse simpliciter necessaria, vel præcepta. Atq; hoc modo dixit Clemens Epist. 1. qui ob incuriā omittit hoc sacramētum, nō fore perfe-

Soto. Ledesma. Adrian. Angelus. Richardus. Victoria. Nauar.

Alensis.

Clemens.

 ctum

Universidad de Deusto Biblioteca

ctum Christianum, non tamen negat posse esse verum, & iustum Christianum. Neque etiam colligitur hoc præceptum ex ipso vsu, vel traditione; tum quia fideles communiter non inducuntur ad recipiendum hoc sacramentum tanquam ex necessitate obligati, sed tanquam inuitati ad id, quod per se bonum & vtile est. Vnde nullis censuris astringi solent, neq; alijs medijs, quæ necessitatem indicent; tum etiam, quia si hoc sacramentum esset iure diuino præceptum, daretur omnibus adultis in articulo mortis: quod tamen vsus Ecclesiæ non habet.

Tandem nõ colligitur ex sola ratione, etiã supposita institutione, & fine, ac effectu huius sacramẽti: quia ex his omnibus solum colligitur hoc sacramentum esse valde vtile ad perseuerandum in fide, non tamen necessarium, neq; adeò neq; præceptum propter hanc causam: quia sunt alia media sufficientia ad eum finem consequendum, qualia sunt, oratio, meritum, virtutis exercitium, & similia. Et confirmatur, nam certum videtur, potuisse Christum Dominum instituere hoc sacramẽtum, ita vt ex illo nullum sumeretur præceptum: ergo ex sola institutione non colligitur: ergo nullo modo constat dari tale præceptum iure naturali, aut diuino. De iure autem purè Ecclesiastico manifestiùs hoc cõstare videtur, tum ex dictis; tum etiam quia Ecclesia non solet imponere affirmatiua præcepta nisi determinãdo tẽpus, in quo implẽda sint, imò in materia sacramentorum non solet præcipere vsum quoad substantiam eius (vt sic dicam) sed solùm determinare tempus, in quo talis vsus exercendus sit, in vsu autem huius sacramenti, nullum tempus determinauit.

Hæc vltima sententia tenenda est.

Quocirca hæc postrema sententia vera est per se loquẽdo de præcepto proprio, & intrinseca obligatione huius sacramenti. Ex quo fit, per se etiam loquendo, non esse peccatum mortale hoc sacramentum voluntariè omittere; an verò sit peccatum veniale, vt Caiet. & alij volunt, ex fine, & modo voluntatis iudicandũ est: nam ex vi obiecti, & intrinsecæ obligationis consequenter dicendum est, nullum esse peccatum: quia talis actus non est in præcepto, sed in consilio; alioqui, si esset præceptum, materia eius esset satis grauis, & ideò, per se loquẽdo, obligatio, aut esse debet sub mortali, vel omninò nulla, neque est dare medium. Ex accidente verò potest esse veniale peccatum, si censeatur irrationabilis quædam prodigalitas spiritualis, vel nonnulla temeritas in modo aggrediendi periculũ fidei. Sed his etiam modis potuit interdum esse peccatum mortale, etiam per accidens. Primò ratione contemptus, si quis pro nihilo ducat hoc sacramentum, aut effectum eius, aut vile, vel puerile existimet se illi subijcere. Secundò ratione scandali, si ita se publicè gerat, vt speciem contemptus alijs præbeat. Tertiò ratione conscientiæ, & charitatis propriæ, vt si practicè sibi quis persuadeat, sine hoc medio non posse tentationes contra fidem vincere, aut esse in morali periculo, vt in tormentis superetur, & vincatur. Quartò ratione extrinsecæ necessitatis ad remissionem peccati, vt, si quis habens conscientiam peccati mortalis, & in periculo mortis existens non posset aliud sacramentum accipere, & timeret de suæ contritionis perfectione, posset obligari ad hoc sacramentum accipiendum, vt, si fortè tantùm esset attritus, virtute illius fieret cõtritus; sed hic casus non est moralis, tum quia Episcopus, qui posset confirmare, posset etiam absoluere, nisi fingamus nolle confessionem audire ex aliquo timore, aut prauo errore, tum etiam quia ad recipiendum dignè hoc sacramentum, requiritur moralis existimatio contritionis, quæ videri etiam potest sufficiens ad sustinendam mortem, quanuis re vera charitas strictiùs obligare videatur ad vitandum periculum mortis æternæ. Vltimus casus excogitari potest propter recipiendum aliud sacramentum; ad eum modum quo obligatur interdum quis ad confessionem, ratione Eucharistiæ suscipiendæ; sed hæc obligatio in præsenti non habet locum respectu quinque sacramentorum, nam baptismus necessariò antecedere debet, & licèt respectu Eucharistiæ regulariter sit melius, vt Confirmatio antecedat, tamen hic ordo non est in præcepto, vt ex vsu Ecclesiæ suprà tractato constat; & quia nullibi extat tale præceptum: & idem à fortiori dicendum est de Matrimonio, & de Extrema vnctione, de Confessione verò non solùm non est præceptum, verùm potiùs consultius est, vt confessio præcedat, si homo habeat materiã eius, vt suprà dictum est, & habetur in cap. vt ieiuni. de consecrat. distin. 5. De ordine verò dubitari nonnihil potest, nam in Concilio Tridentino sessione 23. capit. 4. prohibetur prima tonsura initiari, qui sacramentum Confirmationis non suscepit: sed ibi non imponitur censura, neque verbum, quod rigorosum præceptum indicet, & ideò huiusmodi omissio non erit peccatũ, saltem mortale, vt docent Soto in 4. distinct. 7. artic. 8. conclus. 3. & distinct. 24. quæst. 1. artic. 4. Victoria in summa num. 48. Nauar. cap. 22. num. 9. qui idem censent de conferente Ordinem, vel ipse summet sacramentum Confirmationis, cùm ipse confirmatus non sit.

Caietanus. *Conc. Tridẽn.* *Soto.* *Victoria.* *Nauar.*

SECTIO II.

Ad quid obligetur minister huius sacramenti.

Triplex ministri obligatio.

EAdem ferè triplex obligatio, seu præceptorum ratio, quam circa suscipientem considerauimus, potest, seruata proportione, in ministro reperiri. Primũ ergo præceptũ est affirmatiuũ de exercẽdo hoc ministerio, & hoc modo obligãtur Episcopi in suis diœcesibus aliquoties opportunis tẽporibus ministrare hoc sacramẽtũ, ratione sui muneris & officij. Vnde grauiter peccare possunt cõtra hoc præceptũ, si multo tẽpore hoc neglígẽter omittant, vt notarũt Angelus, verb. Confirmationis sacramẽt. nu. 1. & Syluest. verb. Cõfirmatio diuina, nu. 2. quia, cũ sit pastor, tenetur pascere oues, nõ solũ in his, quæ sunt simpliciter necessaria ad salutẽ, sed etiã in his, quæ ad Ecclesiæ, & mẽbrorũ eius singularẽ vtilitatẽ à Christo sunt instituta, quæ proinde ab ipsis ouibus iustè possunt desiderari, & exigi, vt suprà diximus agentes de sacramentis in genere; & infrà etiã dicemus de sacramento Eucharistiæ, & Confessionis; est enim in hoc sacramẽto eadem, vel maior ratio: quia & magnã perfectionem gratiæ cõfert, & semel tantũ in vita recipi potest. Si autẽ Episcopus per se ipsum huic obligationi satisfacere nõ potest cõmodè, satis erit, si ministerio alterius Episcopi adiuuetur: quia ad ouium vtilitatem parum refert, quòd per se ipsum, vel per alium hoc sacramentum administret.

Angelus. *Syluest.*

Secun-

2. obligatio

Secundum præceptum est, aut negatiuum, aut affirmatiuum conditionatum, seu quoad specificationem actus, scilicet validè & ritè conferendi hoc sacramentum, quando illud administrat: quæ obligatio communis est in omnibus sacramẽtis: & ideò nihil ferè addendum occurrit, nisi quòd hinc nascitur specialis obligatio non iterandi hoc sacramentum, quia, cùm iteratur, nullum est, vt suprà ostendimus. Occurrit tamen statim quæstio suprà tractata, an Episcopus voluntariè iterans hoc sacramentum, maneat irregularis. Cui negatiuè respondendum est, sicut de suscipiente sacramentum respondimus, quod docent ijdem autores ibi citati, & propter idem fundamentum: quia huiusmodi irregularitas non est in iure expressa: imò (quod ego legerim) nulla censura, vel pœna est in iure data ratione huius delicti: nam in cap. dictum est. de consecrat. distinct. 5. non est sermo de cõferentibus, sed de suscipientibus iteratam Confirmationem, & nullus est alius textus, in quo pœna aliqua propter hanc obligationem imponatur.

Non fit irregularis Episcopus, qui iterat hoc sacramentũ.

3. obligatio

Tertium præceptum, quod negatiuè etiam potest explicari, vel affirmatiuè conditionaliter, seu quoad specificationem actus, est, non solùm validè, sed etiam dignè administrandi hoc sacramentum, & vitandi omnem irreuerentiã eius. Et huc in primis spectat debita dispositio, & sanctitas ministrantis iuxta generalem doctrinam de sacramentis: hic enim nihil speciale occurrit. Ad hanc etiam obligationem pertinet vsus conuenientis materiæ & formæ, in quo solum illuc specialiter aduertendũ occurrit, cadere scilicet sub huius præcepti obligatione, vt Confirmatio non cõficiatur ex veteri chrismate, sed ex nouo illius anni; esset enim graue peccatum sine vrgente necessitate illa materia vti, vt constat ex Epist. 2. Fabiani Papæ, & ex cap. si quis de alio. de consecr. dist. 4. vbi est sermo de vnctione chrismatis, quæ fit in baptismate: est autem maior ratio de vnctione Confirmationis, atque idem colligitur ex cap. quoniam. de sent. excom. in 6. vt ibi Glossa notauit. Præterea ad hoc præceptum reducitur obligatio ministrandi hoc sacramentum cum debita solennitate, ceremonijs, ac circunstantijs requisitis, ita vt detur tempore opportuno, loco decẽte, & cum alijs ritibus suprà numeratis præcedente Disput. sect. 2. quæ obligatio grauior, aut leuior esse poterit prò materiæ qualitate. Tandem ad hoc præceptum reducitur obligatio confirmandi tantùm in propria diœcesi, & personas sibi subditas; nam confirmare eos, qui sunt alieni iuris, aut in aliena diœcesi sine facultate debita, esset illegitima administratio in hoc sacramento, & graue peccatum, vt ex superiùs dictis constat, & docent Palud. in 4. dist. 7. quæst. 4. Syluest. verb. Confirmatio diuina, quæst. 5. qui meritò aduertit, nullã censuram esse ipso iure impositam propter hanc culpam, neque etiam propter illam irregularitatem incurri; quia non est in iure expressa.

Vti chrismate veteri sine vrgente necessitatẽ esset graue peccatum. Fabianus.

Palud. Syluest.

DIVI THOMAE AQVINATIS.

QVÆSTIO SEPTVAGESIMA tertia. De sacramento Eucharistiæ secundum se.

Proœmium materiæ de Eucharistiæ.

HAEC est quarta, ac præcipua huius libri pars, in qua disserendum nobis est de Eucharistiæ sacramento, quod vt Dionysius dixit cap. 3. de Ecclesiastica Hierar. Consummatio ac perfectio est sacramentorum omnium, *quoniam non solum signum est, & causa gratiæ hominibus conscientiæ, sed ipsum etiam fontem, & autorem gratiæ in se continet, sub speciebus panis, & vini latentem: vt ineffabili quodammodo nobiscum vniatur,* & vsque ad socie-

S. Dionys. Eucharistia cõsummatio & perfectio aliorum sacramentorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. Cyprianus. societatem germanissimam nos sibi coniungat, *vt Cyprianus dixit de Cœn. Domini, idem enim vnigenitus Dei, qui humanam naturam ineffabiliter sibi coniunxit, vt per se ipsum, salutem hominũ operaretur: vt tanti mysterij eosdem, quoad fieri posset, participes faceret, seipsum in animæ, ac corporis mirificam escam, ac refectionem donare non est dedignatus: opus enim gratiæ, vt significauit Damasc. lib. 4. cap. 14. quod per*

S. Ioan. Damasc. S. Grego. Nissen. *regenerationis lauacrum in nobis inchoat, & per Confirmationis sacramentũ perficit, per se ipsum conseruat, fouet, nutrit, & vsque ad vltimam perfectionem hoc admirabili cibo perducit.* Ob hanc enim causam, *ait Gregor. Nissenus in cap. 3. Ecclesiastes.* in escam se nobis proponit is, qui semper est, vt accipientes illum in nobis, id efficiamur quod ipse est, caro siquidem Verbi quæ in hoc cibo inest, non vnam aliquam gratiam habet, quin potius dulcis efficitur gustantibus, appetenda capientibus, & diligentibus amabilis. *Igitur, siue maiestatem Christi in hoc sacramento existentis, siue admirabilem modũ, & infinita miracula, quæ in perficiendo hoc mysterio interueniunt, siue fructus & vtilitates eius consideres, tantùm inter cætera sacramenta præstat, vt in illud solum intuens Zacharias dixerit.* Quid enim bonum eius est, & quid pulcrum eius, nisi frumentũ electorum, & vinum germinans virgines: *tantum enim hoc bonum inter cætera eminet, vt comparatione eius pene nihil esse videantur. At verò, quanuis sacramentũ*

Eucharistia in disputatione, sicut in vsu sacramentorum tertium locũ habet. *hoc dignitate, & excellentia primum omnium sit, in disputatione tamen de sacramentis tertium locum obtinet, quia in vsu sacramentorum eundem gradum, seu ordinem tenet. Vt enim suprà, inter disputandum de sacramentis in genere, & de sacramento Confirmationis, dixi, tria sunt sacramenta, quibus per se initiantur, & sanctificantur fideles, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, quæ, vt antiqua Ecclesiæ consuetudine obseruatum est, eo, quo numerata sunt, ordine, à fidelibus suscipiebantur: spiritualis enim regeneratio, quæ per Baptismum fit, absque vlla controuersia, reliqua sacramenta debet antecedere, post quam Confirmatio succedit, quæ hominem in statu quasi virili, & perfecto constituit, vt tandem capax sit Eucharistiæ, quæ cibus perfectorum est, & spiritualem vitam nutrit, & consummat. Vnde in sacramentis enumerandis hunc ordinem seruarunt Concilia: Florentinum in instructione Armenorum, & Tride. à sess. 7 vsque*

Conc. Florent. Conc. Trident. *ad 13. & eundem in eorum disputatione tenuerunt Cyrill. Hierosol. in Catechesibus,*

Cyril. Hierosol. Ambros. Vvalden. *præsertim in mystagogicis & Ambros. in lib. de sacramentis, vt ex lib. 3. cap. 2. colligitur, & lib. de iis qui initiantur mysterijs. cap. 7. & 8. & alij, quos suprà citatis locis recensui. Solus inter recentiores Vualdens. tomo 2. de sacramentis ab hoc sacramento initium suæ disputationis sumpsit, vel ordinem dignitatis attendens, vel, quod verius est, necessitate coactus, vt Vuiclefo hæretico iuxta stultitiam suam responderet: vt ex eodem colligitur, cap. 96. eiusdem libri. Ex antiquis vero Dionysius in lib. de Eccle. Hier. priùs*

Dionys. Quidam, aliàs obcausas, diuersum locum huic sacramento in disputatione tribuunt. *de Eucharistia, quàm de Confirmatione disseruit, nam cùm cap. 3. agat de Eucharistia 4. cap. de Confirmatione tractat. Et, licèt in 1. & 2. parte quarti capitis de confectione chrismatis, & de eius vsu in ordine ad alios effectus disputet, in vltima tamen parte capitis de sacramento Confirmationis expresse tractat, vt constat ex illis verbis,* Idcirco & sacræ regenerationis perficiens donum, & gratia vnguenti sacratissima consummatione perficitur, *sed expressiùs paulò infrà in illis verbis,* Sed & ipsi, qui

qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratur, aduentũ Sancti Spiritus cõsummans inunctio largitur vnguẽti, sub significante (quantum arbitror) sacra descriptione signorum ab ipso, qui propter nos in assumptâ carne diuino Spiritu sanctificatus est, immutabili substantialis Dei habitu sanctissimum Spiritum dari. *Dionysium secutum est Concilium Se-*

Concil. Senonen. *nonense decreto 10. sed Dionysius non considerauit sacramenta secundum se, nec in ordine ad vsum, sed quatenus ad Hierarchicum ordinem pertinere possunt, & ideò priùs de sacramentis, quæ à presbyteris, deinde de ijs, quæ à solis Episcopis ministrantur disseruit, vt D. Thom. Albert. Magn. Dionysius Carthus. & alij Dionysij expositores adnotarunt. Et ob similem fortasse causam, prædictum Senonense Concilium doctrinam de Sacramento Ordinis, priùs quàm de Eucharistia, vel Confirmatione tradit, vt nimirum consecrationem ministrorum, eorumq; potestatem, priùs quàm cætera sacramenta, quæ ab illa procedunt, explicaret. Aliter verò ad Dionysium respondet D. Thom. suprà quæst. 65. artic. 2. ad 3. & in 4. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. ad 6. cibum posse perfectum augmentum, & antecedere, & subsequi, & ideò tractationem de Eucharistia posse commodè ante, vel post materiam de Confirmatione tradi. Concilium verò Colonien se priùs de pœnitentia, quàm de Eucharistia disputat, quia in frequentiori vsu Ecclesiæ pœnitentia solet præcedere. Nihilominus tamen quia hoc est per accidens, prior verò ordo est per se, ideò Hugo Victor. lib. 2. de sacrament. Magist. in 4. distin. 8. Alexan.* Hugo Victor. Mag. sent. *Alens. 4. part. quæst. 10. aliàs. 33. D. Thom. & cæteri Theologi priores Patres imitati* Alex. Alens. *sunt, tertio loco de Eucharistiæ sacramento post Baptismum, & Confirmationem disputantes: quod omnes etiam recentiores obseruant, qui de sacramentis contra Lutheranos*

Ruar. Tap. Lindanus. Hosius. Ioan. Arb. Driedo. Bellarm. *scribunt, Richard. art. 13. & 14. Lindanus lib. 4. Panopliæ à cap. 37. Hosius in Confes. à cap. 39. Ioannes Arboreus lib. 5. Theosophiæ, Driedo lib. 4. de dogmatibus, capit. 5. part. 2. & 5. Bellarmin. tom. 2. Disputarunt etiam latissimè de hoc sacramento Guillelmus Alanus, Turrianus, Claudius de saincles, Caretius, & plures alij proprijs libris seu opusculis de Eucharistiæ sacramento, vt omittam Paschasium, Lantfrancum, Algerum, & alios antiquos scriptores, quorum opera in tomo 4. Bibliothecæ sanctorum continentur. Prosequitur verò D. Thom. disputationem hanc ab hac quæst. 73. vsque ad 82. cuius methodum & ordinem prosequemur, simul obseruando nostrarum distributionum ordinem & connexionem, quam in cæteris sacramentis tenuimus. Quoniam verò mysterium hoc simul sacramentum est & sacrificium, vniuersam hanc materiam in duas præcipuas partes distribuendam duximus, in priori de Eucharistia prout sacramentum est disputabimus, priùs eius institutionem, necessitatem, naturam, & essentiam, partes, proprietates & effectus: deinde præcepta, quæ ad illud pertinent, explicando, in posteriori autem parte de sacrificio Missæ eodem fere ordine tractabimus. Alia, quæ de nominibus, figuris aut prædictionibus sacramenti, in hoc Proœmio desiderari possunt, à D. Thom. in articulis attinguntur, superest igitur vt ad eorum explicationem veniamus.*

QVAE-

Universidad de Deusto Biblioteca

QVÆSTIO LXXIII.

De sacramento Eucharistiæ secundùm se, in sex articulos diuisa.

CONsequenter cõsiderandum est de sacramẽto Eucharistię. Et primò, de ipso sacramẽto. Secũdò, de materia. Tertiò, de forma. Quartò, de effectibus. Quintò, de recipiẽtibus hoc sacramentum. Sextò, de ministro. Septimò, de ritu.

Circa primum quæruntur sex.

Primò, vtrùm Eucharistia sit sacramentum.
Secundò, vtrùm sit vnum, vel plura.
Tertiò, vtrùm sit de necessitate salutis.
Quartò, de nominibus eius.
Quintò, de institutione ipsius.
Sextò, de figuris eius.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Eucharistia sit sacramentum.

Infr. art. 4. q. 79. ar. 5. & 7. Et 4. d. 8. q. 1. arti. 1. q. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Eucharistia non sit sacramẽtũ. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta, quia vnumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum. Cùm ergo ad perfectionem ordinetur & Confirmatio, & Eucharistia (vt dicit Dionys. 4. Eccles. Hierarch.) videtur Eucharistia non esse sacramentum, cũ Confirmatio sit sacramentum, vt priùs habitum est.

Ca. 2. eccl. hierar. ante med. & ca. 4. in princ. Quæst. 65. art. 4. & q. præc. ar. 1.

¶ 2 Præterea, In quolibet sacramento nouæ legis, id quod visibiliter subijcitur sensui, efficit indiuisibilem effectum sacramenti, sicut ablutio aquæ causat & characterem baptismalem, & ablutionem spiritualem, sicut suprà dictum est. Sed species panis & vini, quæ subijciũtur sensui in hoc sacramento, non efficiunt neque ipsum corpus Christi verum, quod res & sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia. Ergo videtur, quòd Eucharistia non sit sacramentũ nouæ legis.

Quæst. 62. & 65. ar. 1.

¶ 3 Præterea, Sacramenta nouæ legis habẽtia materiam, in vsu materiæ perficiũtur, sicut baptismus in ablutione, & Confirmatio in chrismatis consignatione. Si ergo Eucharistia sit sacramentum, perficieretur in vsu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ; quod patet esse falsum, quia forma huius sacramenti sunt verba, quæ in consecratione materiæ dicũtur, vt infrà patebit. Ergo Eucharistia non est sacramentum.

Quæst. 78. art. 1.

SED contra est, quòd in collecta dicitur. Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.

RESPONDEO dicendum, quod sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subueniẽdum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinẽ gerunt. Manifestum est autem, quod, sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionẽ vitæ, ita etiam requiritur alimentum, quo homo conseruatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritualem, oportuit esse baptismũ, qui est spiritualis generatio: & Confirmationem, quæ est spirituale augmentum: ita oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum.

AD primum ergo dicendum, quòd duplex est perfectio. Vna, quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum: & talis perfectio competit Confirmationi. Alia autem est perfectio, quàm homo consequitur ex adiunctione alicuius extrinseci, hominem conseruantis, putà ex adiunctione cibi, vel indumenti, vel alicuius huiusmodi, & talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio.

AD secundum dicendum, quòd aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus sancti in aqua existentem. Vnde Chrysost. dicit super illud Ioan. 5. Angelus Domini secundum tempus, &c. In baptizatis non simpliciter aqua operatur: sed cum Spiritus sancti susceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. Sicut autem se habet virtus Spiritus sancti ad aquam baptismi: ita se habet Corpus Christi verum ad species panis & vini. Vnde species panis & vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri.

Homil. 35. in Ioan. inter princ. & med.

AD tertium dicendum, ꝙ sacramentum dicitur ex eo ꝙ continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet, absolutè, & in ordine ad aliud.

Hæc autem est differentia inter Eucharistiam & alia sacramenta habentia materiam sensibilem, ꝙ Eucharistia continet aliquid sacrũ absolute, scilicet, ipsum Christũ: aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet, virtutem ad sanctificandum, & eadem ratio est de chrismate & similibus. Et ideo sacramẽtum Eucharistiæ perficitur

ficitur in ipsa cõsecratione materiæ, alia vero sacramenta perficiantur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum.

Et ex hoc etiam cõsequitur alia differentia, nam in sacramẽto Eucharistiæ id, quod est res & sacramentũ, est in ipsa materia: id verò quod est res tantum, est in suscipiẽte, scilicet, gratia, quæ cõfertur in baptismo autem vtrumque est in suscipiente, scilicet & character, qui est res & sacramẽtũ, & gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantũ, & eadem ratio est de alijs sacramentis.

COMMENTARIVS.

AFfirmat D. Thom. & rationem seu necessitatem, vel vtilitatem huius sacramenti sumit ex quadam proportione inter spiritualem & corporalẽ vitam, quàm suprà etiam tetigit, quæst. 65. art. 1. & quæst. 72. art. 1. quibus in locis breuiter explicata est, habet enim nonnullam difficultatem illa proportio, eò quòd vita corporalis eodem cibo, & eadem facultate, quibus augetur, nutritur etiam, & cõseruatur. Vnde videtur etiam in spirituali vita ad vtrumq; effectum idem sufficere sacramentum. Non oportet autem in huiusmodi cõiecturis, ac proportionibus exactam obseruare rationem, sed solùm illam, quæ ad congruentem institutionem explicandam sufficit. Igitur proportio in hoc solùm consistit, quòd in vita corporali duo inueniuntur, alterum est, vt viuens perducatur ad virilem statum, & robur membrorum acquirat, quod est veluti quoddam complementum imperfectæ generationis. Alterum est vt viuẽs se ipsum nutriat & conseruet, instaurando, & acquirendo quicquid per actionem contrariorum deperditum est, sic igitur in spirituali vita hæc duo necessaria sunt. Intercedit autem differentia quædam, quia in vita corporea idem alimentum est materia nutritionis, & augmentationis, & interdum etiam nos à cõtrarijs defendit, vel temperando, vel augendo naturalem calorem, vel nos alijs modis iuuando: nõ efficit tamen alimentum augmentationem nostrã vel nutritionẽ, sed ab intrinseca facultate viuentis hæc proueniunt, quæ pro ratione, & diuersitate status, seu dispositionis viuentis, vtrumq; motum perficere valet. At verò in vita spirituali illa perfectio, quę per modum augmenti vel nutritionis datur, ab ipsis sacramentis efficitur & distinctum donum Dei est, & ad finem valde diuersum ordinatur, & ideò alterum est sacramentum, quod per se instituitur ad dandum augmentum, & quasi virilem statum in vita spirituali complementumque spiritualis regenerationis, & arma ac tesseram spiritualis militię. Aliud verò est per se institutum, ad fouendam, & nutriendam hanc spiritualem vitam, qui proprius finis est sacramenti Eucharistiæ. Quæ differẽtia ex alia manifestatur, nam in corporali vita sicut necessarium est ad nutritionem sæpe vti materiali cibo, ita & ad accretionẽ. At verò in vita spirituali Confirmatio, quæ datur per modũ augmenti, vno actu perficitur, vnde iterari non potest, hic autem spiritualis cibus sæpius sumendus est, non ergo necesse est in omnibus seruari ꝓportionem ad corporalia. Et hinc intelligitur facilè solutio ad 1. D. Th. quæ aliàs obscura videri posset. Argumentatur enim serè dicto modo, Confirmatio & Eucharistia ad perfectionem spiritualis vitæ ordinantur, non ergo oportuit distingui. Respondet autem duplicem esse vitæ perfectionem, aliam formalem, quæ fit per proprium & intrinsecum augmentum, & ad Confirmationem pertinet, aliam veluti extrinsecus aduenientem, quæ fit per adiunctionem alicuius extrinseci, vt cibi aut vestimenti, & huiusmodi esse dicit perfectionẽ, quam Eucharistia tribuit, quæ doctrina est obscura: sensus verò est in vita corporali esse quandam perfectionem intrinsecam, vt est robur vel augmentum corporis, aliam verò esse extrinsecam, quæ nobis adiungitur ex eo solùm quòd res aliqua nobis admouetur, vt nos foueat seu tueatur, cuiusmodi est vestimentum, &c. Comparat autem D. Tho. sacramentum Confirmationis priori perfectioni, quia confert virilem statum fidei & gratiæ, & spirituale robur ad resistendum contrarijs, Eucharistiam verò posteriori perfectioni, quia per se ordinatur, vt nos Christo coniungat, vt ab eo protegamur & foueamur, quanquam ipse Christus, qui nobis coniungitur, propter eximiam virtutem suam nõ solùm extrinsecè nos defendat, sed etiam intrinsecè nos perficiat & nutriat: quæ nutritio, quia sine contraria diminutione fit, in augmentum transit, & magnum etiam robur confert. Et ad hunc modum intelligendum est, quod idem D. Thom. suprà quæst. 65. art. 1. ad 2. & artic. 3. dixerat. Confirmationem per se ordinari ad formalem perfectionem virtutis, Eucharistiam verò ad perfectionem, seu consecutionem finis, & eodem sensu dixit in 4. distinct. 8. quæst. 1. arti. 1. quæstiunc. 1, ad primum. sacramentum Confirmationis perficere hominem in ordine ad operationem spiritualis vitæ, quæ est fidei, & virtutis professio, Eucharistiam verò in ordine ad coniunctionem cum Christo, qui est fons omnis boni.

Proportio Eucharistiæ cum cibo materiali in quo consistat.

In solutione ad secundum, attingit D. Tho. grauem quæstionem, quomodo species consecratæ efficiant sacramentalem effectum, quam infra suo loco commodiùs disputabimus. In solutione verò ad 3. explicat nonnullas differentias inter hoc sacramentum & cætera, quas in sequentibus disputationibus latiùs tractaturi sumus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc sacramentum sit vnum, vel plura.

Infr. q. 78. art. 1. ad 2. Et 4. d. 8. q. 1. art. 1. q. 2.

AD secũdum sic proceditur. Videtur, ꝙ Eucharistia non sit vnum sacramẽtum, sed plura. Dicitur enim in collecta, Purificent nos Dñe sacramẽta, quæ sumpsimus. Quod quidẽ dicitur propter Eucharistiæ susceptionem. Ergo Eucharistia non est vnum sacramentum, sed plura.

¶ 2 Præterea, Impossibile est multiplicato genere, nõ multiplicari speciem: sicut quòd vnus homo sit plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, vt suprà dictũ est. Cùm igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet, panis & vinum videtur consequens esse, quòd sint plura sacramenta.

Quæst. 60. artic. 1.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Hoc sacramētū cōficitur in consecratione materiæ: sicut dictum est. Sed in hoc sacramento est duplex materiæ consecratio: ergo est duplex sacramentū.

SED contra est, quod Apost. dicit 1. Corint. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus, ex quo patet, quod Eucharistia est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei, cuius est sacramētum. Ergo Eucharistia est vnum sacramentum.

Lib. 5. Met. à tex. 9. vsque ad 12. tom. 3.

RESPONDEO dicendum, quòd, sicut dicitur 5. Metaph. vnum dicitur, nō solum quod est indiuisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur vna domus, & vnus homo. Est autē vnum imperfectione; ad cuius integritatē concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem, sicut homo integratur ex omnibus membris necessarijs ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum; & sic hoc sacramentum dicitur vnum, ordinatur enim ad spiritualem refectionē, quæ corporali conformatur. Ad corporalē autem refectionem duo requiruntur: scilicet, cibus, qui est alimentum sic cum, & potus, qui est alimentum humidum. Et ideò etiam ad integritatem huius sacramēti duo concurrunt, scilicet, spiritualis cibus & spiritualis potus, secundum illud Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ergo hoc sacramentum multa quidē est materialiter, sed vnum formaliter, & perfectiuè.

AD primum ergo dicendum, quod in eadē collecta & pluraliter dicitur primo. Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus: & posteà singulariter subditur. Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnā, ad ostendendum, quod hoc sacramentum quodammodo est multa: simpliciter autem vnum.

AD secundum dicendum, quòd panis & vinum materialiter quidem sunt plura signa: formaliter vero & perfectiuè vnum, in quantum ex eis perficitur vna refectio.

AD tertium dicendum, quòd ex hoc, quòd est duplex consecratio materiæ huius sacramenti, non potest plus haberi, nisi quòd hoc sacramētum materialiter est multa, vt dictum est.

In corp. art.

REspondet, hoc sacramentum esse multa materialiter, vnum vero formaliter ac perfectiuè. Sensus D. Tho. est, simpliciter esse vnum sacramentum, ex varijs rebus compositum ac perfectum, vt iam latiùs dicemus.

DISPVTAT. PRIMA De Eucharistia.

De institutione Sacramenti Eucharistiæ.

HAEC disputatio continet, an sit hoc sacramentum, nam quia esse sacramenti ab institutione manat, idem est sacramenti institutionem, ac existentiam, inuestigare, simul verò de vnitate huius sacramenti dicemus, nam quia vnum consequitur ens, & vix ab illo distinguitur, ideò quæstionem de vnitate, & multitudine ad quæstionem an est, semper reuocamus.

SECTIO I.

Vtrum Eucharistia, sit sacramentum à Christo Domino institutum.

Eucharistia est sacramentum sub speciebus panis & vini institutum.

EVcharistiæ nomine intelligimus sacramentū quoddam sub speciebus panis & vini institutum, in quo secūdum veram fidem Christus continetur, & à fidelibus sumitur, quæ vocis significatio necessariò supponenda est, vt possit disputatio procedere & res ipsa inuestigari, & ostēdi. Huius autem sacramenti præcipuum mysteriū in reali præsentia corporis & sanguinis Christi, & mirabili transmutatione vnius substantiæ in aliam consistit. Vnde primum omnium inquirendum videbatur, an hoc mysterium verum sit, & quale, & quomodò fiat, sed hæc tractantur à D. Thom. inferius commodiori loco quæst. 75. pertinent enim hæc ad propriam essentiam, & materialem partem huius sacramenti explicandam, his verò solum generatim agimus de institutione sacramenti sensibilis, quod per modum cibi & potus in noua lege institutum est ad spiritualem vitam nutriendam, & hoc vocamus Eucharistiam.

Archontici & Messaliani hæretici. S. Epiphan. Theodoret. Petrobrusiani hæretici.

Ex antiquis ergo hæreticis quidā Archontici altaris mysterium omnino negarunt, vt Epiphanius refert hæresi. 40. idemque fere de Messalianis refert Theod. lib. 4. hist. ca. 10. illi enim Eucharistiā nullius vtilitatis esse dicebant. Petrobrusiani verò dixerūt, licèt Christus hæc mysteria celebrauerit, non vero dedisse alijs eam potestatem, atque adeò nec sacramentum perpetuò in Ecclesia duraturum instituisse. Ita refert Petrus Cluniac. in Epist. quadam contra hanc hæresim. Denique Bogomili aiebant, Eucharistiam nihil esse præter orationem Dominicam & Euangelium, vnde sacramentum euertebant, vt constat ex Euthymio in Panoplin. 2. p. tit. 13. ca. 17. hæ autem hæreses, & Euangelio apertè repugnant, & nullum apparens habuere fundamentum, vnde antiquatæ prorsus sunt.

Petr. Cluniac. Bogomili hæretici. Euthym.

1. Conclusio.

Dicēdum ergo est primo, conueniens fuisse in noua lege institui sacramentum aliquod sensibile, vt esset spiritualis cibus animarum. Conclusio est de fide, vt ex facto ipso constat Ioan. 6. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & ex Brid. sess. 7. cap. 6. vbi numerat omnia sacramenta à Christo. Dico conueniētissima ratione instituta, & in specie de hoc sacramento. sess. 13. cap. 1. & 2. Ratio seu congruentia à D. Tho. hoc loco satis explicata est, vt vidimus. Est enim lex Euangelica perfectissima & plenitudinem gratiæ in se continens, & ideò cōueniens fuit, vt huius legis sacramenta à Christo eius autore instituta augmentum, & conseruationem gratiæ possent conferre modis omnibus, vel necessarijs, vel humanæ fragilitati accommodatis, ex quibus vnus, ac præcipuus est, vt per modum cibi, & potus spiritualis homines nutriri possent, & ab innumeris periculis, quibus in hac mortali vita subditi sunt, defendi. Possunt prætereà hic addi omnes congruentiæ, quas ad persuadendam realem Christi præsentia infra suo loco afferemus. Nunc illa sufficiat, Christum Dominum esse animarum cibum, & ideo maxime decuisse, vt sicut cibus reficit corpus media quadam reali vnione cum ipso viuente, ita Christus in quodam sacramento præsens adesset, vt per modum cibi & potus nobis realiter cō iunctus, nos spiritualiter conficeret.

Ioan. 6. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Conci. Tridē.

2. Conclusio.

Dico secundo, huiusmodi sacramentum esse Eucharistiam, quæ propterea verum, ac proprium sacramentum est à Christo institutum. Conclusio est de fide, quam non solum Catholici, sed etiam noui hæretici amplectuntur, nam etiam Lutherani, & Caluinistæ, qui vnum, vel, ad summum, duo sacramenta, admittunt, primum ac præcipuum locum Eucharistiæ tribuunt. Probatur ergo conclusio, primo ex Scriptura, quæ licet non eisdem verbis, rem tamen ipsam satis aperte docet. Matt. 26. Luc. 22. continetur visibilis ceremonia, & significatio, & præceptum Christi. *Hoc facite in meam commemorationem*, & Ioan. 6. cōtinetur gratiæ promissio, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Et cōfirmari hoc posset ex veteri testamēto, in quo varijs figuris, & metaphoris sacramētū hoc indicatū, ac promissū est, vt circa ar. 6. D. Tho. videbimus.

Conc. Flor. Trident. Latera. Carthag.

Secundo definita est hæc cōclusio in Conc. Flor. in literis vnionis, Trid. sess. 7. 13. & 21. Lateran. quod habetur in c. Firmiter. Cart. III. c. 28. & 29. c. Cum Matthæ de Celebr. miss. c. In sacramentorum. c. In sacramen. de Consec. d. 1. Tertio tradūt Patres omnes, qui late citantur dicta. d. 2. de Consec. & referemus plures in disputationibus sequentibus, nunc sufficiam Diony. c. 3. de Eccle. Hierar. Aug. Epi. 23. & 18. Ambr. li. de sacra. Damas. li. 4. c. 14. Quarto ratio sumenda est ex definitione sacramēti nouæ legis, est enim sacræ rei signum, ad sanctificandum hominem institutum, quæ tota definitio apertissimè in Eucharistiam cōuenit, vt per se facile est, & ex dicendis euidentius patebit. Et ex his patet vltima concusionis pars, scilicet solū Christum fuisse huius institutionis autorem, tum generali ratione omnium sacramentorum nouæ legis, tum etiam ratione propria, quia nullus potuit habere potestatem supra corpus & sanguinē Christi, nisi ab ipsomet Christo deriuatam; nec potuit vllus nisi Christus nouum testamentum fundare, & proprio sanguine confirmare ac consecrare, & quanuis de absoluta Dei potentia aliud genus institutionis excogitari posset, nullum tamen aliud adeo decens, aut expediens fuit.

S. Diony. S. Aug. S. Ambr. S. Damasc.

SECTIO II.

Vtrùm hoc sacramentum sit distinctum à reliquis, eisque perfectius.

Eucharistia sacramentum ab alijs distinctum.

HAEc quæstio facilis etiā est, & breuiter ex præcedēti expediri potest. Dico ergo primo eucharistiā esse sacramentum, essentialiter distinctum ab alijs sacramētis nouæ legis. Cōclusio est certissima ex omnium consensu, & ex Cōcilijs, definientibus septem esse sacramenta. Vt autem explicetur, oportebit breuiter proponere omnia, in quibus hoc sacramentum cum alijs conuenit, & in quibus differt. Nam, licet multa probanda sint in sequentibus, expediet tamē nunc ea præ oculis ponere. Primum igitur, si metaphysice loquamur, conuenit hoc sacramētum cum alijs in genere sacramenti nouæ legis, habet tamen propriam differentiam per quā describi potest, esse sacramentum corporis & sanguinis Domini, per modū conuiuij ad nutritionem animæ institutum. Vnde etiā constat alia similitudo & differentia. Cōuenit enim in virtute cōferendi gratiam, differt tamen in proprio fine ad quem est institutum, nam per se primo datum est ad caritatē, & deuotionem augendam, vt latius infra quæ. 79. Deinde per principia quasi physica rem explicando cōmune est huic sacramēto cum alijs, quod certam materiā & formā requirit, vt confici possit, differt tamen, quia illius materia & forma distincta est à reliquis, est enim panis & vinū, & verba specialia à Christo definita. Hinc secundo, sicut in alijs sacramentis datur materia remota & proxima, ita & in hoc, sed diuerso modo, quia in alijs materia proxima est aliqua actio, remota vero est aliquid aliud, ex quo, vel circa quod talis actio exercetur. At vero in hoc sacramēto materia non est actio, sed res permanens, quæ quatenus in confectione sacramenti transit, secūdū substantiam est materia remota, quatenus vero manet secundum accidentia est materia proxima. Vnde est tertia differentia, quod in alijs sacramentis, tam materia quā forma sunt res successiuæ, & ideo moraliter simul sunt & simul pereunt, hic vero forma est successiua & transit: materia vero proxima cōsecrata permanet. Vnde fit quarto, vt alia sacramenta tantum sint vsu, quia tunc fiunt quādo ad vsum applicantur, tunc autē sunt, quando fiunt, ad modū rerū successiuarū, hoc vero sacramentum ante vsum in ipsa consecratione perficitur, & ideo post suū fieri, factū permanet, quandiu species cōsecratæ durant, vt ex Trid. colligitur sess. 13. c. 3.

Tridentin.

Ex quo fit quinto, vt in alijs sacramentis tā materia, quam forma ordinentur ad vnum, & eundem effectum in suscipiente efficiendum, hic vero diuersos habent effectus, forma enim nihil efficit in suscipiente, sed in materia quam transmutat & cōficit, materia vero consecrata habet in suscipiente gratiæ effectum. Vltima vero & potissima differentia, & radix aliarū est, quod in alijs sacramentis præter materiā sensibilē, & formā nihil in eis inest, nisi quod assumuntur vt instrumenta ad gratiam efficiendam, & ideo dicitur eis conferri instrumentaria virtus gratiæ effectrix: in hoc vero sacramento præter formam, & materiam per se sensibilem, adest vere, & realiter ipsemet Christus, qui est præcipua res huius sacramenti, & proprius autor gratiæ, quæ per illud cōfertur. Ex his ergo satis patet conclusio posita.

Sacramentum Eucharistiæ cæteris perfectius.

Dico secūdo, hoc sacramentū esse lōge perfectius & excellentius reliquis. Hæc etiā est de fide, & sumi pōt ex Trid. sess. 13. vbi propter hanc causam sæpe vocat hoc sacramentū; *diuinū ac mirabile, sacrosanctū atq; sanctissimū* qui est cōmunis modus loquēdi totius Ecclesiæ & sanctorū omniū, &c. c. 2. dicit, *Christum Dominum diuitias amoris sui in hoc sacramentum*

Universidad de Deusto Biblioteca

to veluti effudisse, & cap. 3. dicit. *Virtutem sanctificandi communem esse huic sacramento cum reliquis: huic verò proprium esse, quod ipsum sanctitatis autorem in se continet.* Propter hanc denique causam præcipuæ existimo idem Concil. sess. 7. can. 3. anathematis damnare eos, qui docent omnia sacramenta esse æqualia dignitate. Ratio vero potissima est, quia hoc sacramentum continet corpus & sanguinem Domini, vt autem dicit Alex. Papa Epist. 1. decret. & habetur in c. Nihil de consecrat. distin. 2. *In sacramentis seu sacrificijs, nihil est maius corpore & sanguine Domini.* Quæ ratio varijs modis explicatur à Theologis. Primo, quia dignitas sacramentorum potissimum in sanctitate consistit, illud ergo est dignius, quod sanctius. Reliqua vero sacramēta solum sunt sancta habitudine, quia significant, & conferunt sanctitatem, hoc vero, tum hoc modo, tum etiam formaliter, quia ipsam sanctitatē in se continet. Secundo quia sacramentum est signum sacrum, eoque dignius, quo magis sacrum; sed hoc sacramentum est omnium sacratissimum propter eandem rationem, scilicet, quia rem maximè sacram continet & significat. Ita fere D. Thom. supra. q. 65. art. 5. Mars. in. 4. q. 6. art. 3. Scot. Duran. Gab. & alij. d. 8. Tertio addit S. Tho. (& habet fundamentū in Diony. 3. c. de Eccles. Hierar.) Hoc sacramentum esse excellentius, quia est finis, & consummatio cæterorū, ad quod omnia aliquo modo referuntur, quod potissimum ratione rei contentæ intelligendū est. Nam si propriè & in rigore loquamur de sacramento vt sic, & vsu sacramentali nou omnia sacramenta propriè ordinātur ad vsum huius, nisi valde remotè & per accidens, vt cōstat de Matrimonio, & Extrema vnctione; quia vero omnia sacramēta ordinata sunt, vt perfectius Christo vniamur, & ipse Christus in hoc sacramēto cōtinetur & per illud mirabili modo hæc vnio perficitur, & consumatur, ideo dicitur hoc sacramentū consummatio cæterorum. Ita fere D. Tho. in. 4. d. 7. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. Quarto confert ad hanc perfectionē, quod hoc sacramentum est permanēs cætera transeuntia. Addit deniq; Scotus, forma huius sacramēti habere certiorē significationem quā formas reliquorū, quia eius effectus non pendet ex dispositione recipientis, cum sit sola materiæ consecratio. Quod sano modo intelligendum est, omnes enim formæ sacramentorum habent infallibilē significationem in eo sensu quo significant, quia illis non potest subesse falsum, vt supra ostensum est. Differentia ergo est in effectu, quia in alijs interdum impeditur, in hoc vero non, quantum est ex parte materiæ.

D. Thom. Marsil. Scotus. Durandus. Gabr. S. Diony.

SECTIO III.

Vtrùm hoc sacramētum sit vnum tantū.

QVestio intelligitur de specifica vnitatate, sub propria & formali ratione perfecti sacramenti, nā materialiter cōstat, res multas in hoc sacramento inueniri. Hinc vero sumitur ratio dubitandi, quia in hoc sacramento sunt duæ materię scilicet panis & vinum, & duæ formæ verborum, quæ res diuersas significant & efficiunt per se & propria virtute, scilicet carnē & sanguinē Christi, vnde etiā species panis per se significant corpus, quod continent, species autem vini sanguinem; sunt ergo hæc diuersa signa sacra, atque adeo diuersa sacramenta. Neque enim dici potest, esse partialia sacramenta, seu partes vnius integri sacramēti, quod componunt, quia illa signa per se distincta sunt, & nullam inter se habent vnionem vel coniunctionem, qua vnum sacramentum componant. Et confiatur primo, ex communi vsu & locutione, nam qui suscipit speciem panis, non dicitur suscipere partem sacramēti, sed simpliciter totum sacramentum. Confirmatur secundo, nam, qui vnā speciem sumit, totum effectum gratiæ sacramentalis recipit: est ergo quælibet species per se integrū sacramentum, atque adeo duo sacramenta. Confirmatur vltimo, quia Ecclesia in orationibus missæ, sæpè de Eucharistia, vt de multis sacramentis, loquitur, vt cum ait, *Sacramenta quæ sumpsimus, &c.* & Concilia & Patres eodem modo interdum loquuntur, vt patet ex Conc. Afric. c. 4. Carth. III. c. 24. & 29. Cypr. serm. de Cęna Domini. Amb. li. 5. de sacra. c. 1. & alijs quæ habentur. c. Sacramenta altaris. de consecrat. d. 1. & c. In sacramentis. c. Cōperimus. c. Tribus gradibus. c. Species. c. Iteratur. de consec. d. 2.

Conc. Afr. Conc. Carth. S. Ambr. S. Cypr.

Propter hæc nonnulli Theologi simpliciter affirmant, esse plura Eucharistiæ sacramenta, vt ex Aureolo refert Capre. d. 8. q. 1. arg. cōtra. 2. cōclu. vbi etiam Maior dicit, esse plura sacramenta specie distincta, licet fateatur posse etiam vnum appellari, Gabr. etiam. q. 2. art. 2. & lectio. 53. in Canon. dicit esse plura simpliciter, vnum vero secundum quid, scilicet, vel genere proximo, vel aggregatione quadam.

Quorundā opinio. Aureolus. Gabriel.

Dicendū verò est Eucharistiam absolute & simpliciter esse vnum sacramentum, vnitate videlicet specifica in specie atoma, integra, & perfecta. Hæc est mens D. Tho. hic, & grauiorum Theologorū. d. 3. Bonan. q. vltima, Alberti art. 13. Richar. art. 1. q. 2. Durā. q. 1. ad. 2. Capr. Palud. Soti, & c. Marsil. q. 6. ar. 2. in fine, Alens. q. 31. mēb. 1. Soti item d. 24. q. 1. ar. 3. ad. 2. Ledes. 1. p. 4. q. 54. ar. 2. Turrecre. de consec. d. 2. c. 5. dub. 3. & in eandem sententiam tandem descēdit Gabr. dict. lectione. 53. si attente legatur, eamq; grauiter docet Catechismus Pij. V. dicens. *Non plura, sed vnum tantum sacramentum, Ecclesiæ autoritate docti confitemur.* Rationē huius vnitatis quidā sumunt, ab institutione, quia nimirū moraliter vna fuit institutio huius sacramēti. Alij à re contenta sub vtraq; specie, quæ est vnus & idē Christus. Alij ab effectu, quia per vtrāq; speciē vnus & idē efficitur. Propria verò ratio est, quā D. Tho. tetigit. Quia, licet ad constitutionem huius sacramenti concurrāt res variæ, & materialiter distinctæ, propriasq; habentes significationes, omnes tamen componunt vnum integrum signum rei & effectus spiritualis, componunt ergo vnum sacramentum. Antecedens declaratur primo, quia hoc sacramentum potest intelligi institutum ad rem præteritam significandam, scilicet, cruentum Christi sacrificium, quod effusione sui sanguinis, & morte sua consummauit, iuxta illud. *Hoc facite in meam commemorationem:* illud autem sacrificium, quod vnicum fuit, non significatur expressē per vnam, vel alterā speciem, sed per vtrāq; simul, quę dum separatim consecrantur, & offerūtur, effusionem sanguinis, & separationem animæ à corpore repræsentant, quæ ratio infra, in materia de communione sub vtraque specie, & de sacrificio, latius

Conclusio. D. Thom. D. Bonau. Albertus. Richardus. Durand. Capreol. Paludan. Soto. Marsil. Ledesma. Turrecrem. Gabriel. Catechismus.

tiùs explicanda est. Secundo intelligitur significare hoc sacramentum rem, quam continet, & hinc etiam vnitatem habet, non solum, quia sub vtraq; specie idem Christus continetur, sed etiam quia ex vtraq; specie vnum integrum signum Christi cōpletur, qui, vnus cum sit carne, & sanguine cōstat, quare, licet caro & sanguis distincta videantur, tamen quatenus natura sua vnum corpus Christi cōponunt, per passionem vero disiuncta fuerūt, vno integro sacramento, duplici specie cōstante, repræsentantur. Tertio significat hoc sacramentum gratiam, quam efficit, & ex hac etiam parte habet vnitatem, quia vel per vtramque speciem fit vnus tantum effectus, vt infrà dicetur, vel certe qualiscumque ille effectus significatur ita explicite per vnā speciem, sicut per vtramque, significatur enim per modum conuiuij, & spiritualis refectionis per analogiam ad corporalem. Vnde sicut hæc non consistit in solo cibo, vel potu, sed vtrumq; requirit, ita illa per cibum, & potum cōpletè significatur. Nec refert, quod spiritualis refectio eisdem omnino donis in re ipsa perficiatur, scilicet gratia, & caritate quæ tam famem, quam sitim animæ extinguunt; quia nihilominus hæc eadem spiritualis res, seu effectus non nisi per corporale conuiuium perfectū expresse & omnino completè significatur. Quartò significat hoc sacramentum vnitatem, & animorum coniunctionem, quam efficit, quod in se est, inter fideles, qui illud participant, vt dicitur in capit. Firmiter. de sum. Trinit. & fidei. Cathol. & in c. Cum Marthæ. de celebr. missar. & indicant Concilia, Florent. & Trident. Hęc vero fidelium vnio licet per singulas species aliquomodo significetur quatenus ex multis granis tritici, aut vuæ, vnus panis, vel vnum vinum conficitur, vt Cyprian. August. Ansel. & alij Patres docuerunt, quos infra, agentes de materia huius sacramenti, referemus, & colligitur ex c. Firmiter. de sum. Trinit. & cap. Cum Marthæ. de celebr. missar. proprie tamen significatur hæc vnitas per vtramque speciem, quatenus ad vnius corporis refectionem ordinantur, iuxta illud. 1. ad Cor. 10. *Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Neque satis conuenienter significaretur hæc vnitas per Eucharistiam, nisi ipsa esset vnum sacramētum. Quinto denique significare potest hoc sacramentum futuram gloriam, cuius est pignus. Et hæc etiam significatio completa inest in vtraq; specie simul sumpta, & non ita expresse in alterutra tantū: quia per vtramque indicatur plena satietas, & sufficientia, quæ futura est in æterna beatitudine, igitur sub omni ratione confiatur vnum perfectum signum ex vtraq; specie, atque adeo vnum sacramentum.

Conc. Flor. Trid. S. Cyprian. S. Aug. S. Ansel.

Secundo principaliter declaratur cōclusio, quia vt agentes de sacramentis in genere diximus, vnitas sacramentorum non est omni ex parte perfecta resultans ex indiuisibili entitate, aut ex vnitate physica partium componentium, sed talis est, qualis in rebus vel signis artificialibus inueniri solet: sic enim domus, exercitus, oratio conuiuium, & aliæ res vel actiones similes habent suam vnitatē, ad quam non exigitur physica vnio partium, sed talis, qualis ad perfectionem & finem talis rei sufficere censetur, vt in exercitu sufficit quidam ordo, & compositio partium. In domo maior cōiunctio seu copulatio partium necessaria est, propter maiorem domus integritatē. In oratione verò, vel alio signo sufficit ordo partium in certa mensura, vel proportione ad significandum accommodata, neque huic vnitati obstare solet distinctio seu diuersitas partium inter se: nam etiam solet res artificiata ex partibus heterogeneis componi, quod etiam in alijs sacramentis videre licet; constat enim materia, & forma, quæ res diuersæ sunt, & vnaquæque significat modo sibi accomodato, & tamen vnum sacramentum componunt, licet non physica vnione, sed morali, & proportionata ad rationē signi complendam, copulentur: sic etiam in sacramento Pœnitentiæ est magna varietas partium in ipsa materia, in sacramento vero Extremæ vnctionis & Ordinis tam in materia, quam in forma, & nihilominus sacramentum est vnum, cur ergo nō idem dicemus in hoc nostro sacramento.

Tertio probatur, quia alias plura essent quā septem sacramēta, contra Conc. Flor. & Trid. & vniuersum Ecclesiæ consensum. Dices esse plura in specie vltima; à Concilijs verò numerari septem sub aliqua ratione generica, sic enim multi censent sacramentum Ordinis non esse vnum specie, sed plura. Sed huic responsioni obstat, quia iuxta illam nihil certum statui potest de numero sacramentorū tum quia, non obstante diffinitione Conciliorum posset aliquis dicere, sub Baptismo contineri plura sacramenta Baptismi specie distincta, & similiter de alijs, tum etiam, quia sub ratione aliqua generica possent tantum duo, vel tria sacramenta numerari. Non ergo numerantur sacramenta sub generica ratione, in qua, vt ex Aristotele sumitur, latere potest æquiuocatio, sed numerantur à Concilijs sub ratione specifica. Addo, opinionem illam de multitudine simpliciter sacramentorum Ordinis falsam omnino esse, & retorquendum potius esse argumentum, nam omne aliud sacramentum est vnum vnitate specifica, & si quæ reperitur varietas, tota illa est veluti partium heterogenearū cōponentium vnum, ergo idem est in præsenti dicēdum.

Conc. Flor. Trid.

Tandem Concilia & Sancti frequentius loquuntur de Eucharistia, tanquam de vno sacramento, vt patet ex Conc. Flor. & Trid. sess. 7. & 13. & ex multis, quæ de Consecra. d. 2. referuntur, & in collectis missæ hic est frequentior vsus, vt D. Thom. hic adnotauit, quod si interdum in plurali loquūtur de sacramentis, id fiat lata & vulgari locutione, vel propter plura signa partialia, vel propter plura mysteria quæ in eis continentur, & repręsentantur; vel certe quia frequentius erat in vsu, vt in fine sacrificij fideles communicarent, & sacramenta reciperent, vnde hic modus locutionis frequentius reperitur in illa oratione missæ, quæ post cōmunionem dicitur, vt, *Purificent nos Domine sacramenta quæ sumpsimus, &c.*

Ex his facile respondetur ad rationem dubitandi in principio positam, negatur enim inter partiales formas & materias huius sacramenti, non esse sufficientem vnionem ad componendum vnum sacramentum, quia, vt dixi, non oportet, hanc vnionē esse quasi physicam, vel pertinentem ad quantitatē continuā; sed moralem, seu cuiusdam ordinis & proportionis, prout ad componendam vnā integram vel expressam significationem sufficit.

Ad primā confirmationem respondetur in primis, quod ad modum loquendi attinet, sæpe partē recipere de nominationē totius, quando per se, &

Universidad de Deusto Biblioteca

quasi separata consideratur, vt patet in partibus homogeneis, & in quantitatibus discretis, vna enim propositio per se sumpta oratio est, licet alias pars etiam sit vnius longioris orationis, & pars domus, si sufficiens sit ad vsum, & finem domus, se iuncta ab alijs partibus, & per se constituta, dicitur absolute domus, quãuis ex illa componi possit perfectior, & integrior domus; sic ergo species panis per se sumpta potest dici sacramentum, quanuis cum alia specie vini vnum componat sacramentum, cuius est pars. Secundo dicitur homo suscipere totum sacramentum sub vna specie, quia recipit totum Christum, qui est res præcipua in hoc sacramento, & sacramentum simul, vt indicat Trident. sessio. 21. capit. 3. Item, quia veluti eminenter recipit totam virtutem huius sacramenti, & quidquid ad perfectam refectionem spiritualem necessarium est. Quomodo dici potest tota ratio, seu virtus huius sacramẽti esse in toto, & in qualibet parte eius, formaliter tamẽ & in ratione signi, non recipiũt fideles in vna specie totum id, quod est sacramentum tantum, & hoc modo dixit Bonauẽ. d. 11. art. 2. q. 2. fides accipere in vna specie totum sacramentum quoad efficaciam, non quoad significationem. Vnde patet solutio ad secundam confirmationem, nam licet non sit certum, per singulas species dari totum effectum huius sacramenti, tamen, hoc admisso, potius confert ad illius vnitatem, quia ad eundem effectum ordinatur totum vt ex duabus speciebus constat, licet per quãlibet partẽ possit illum efficere. Si vero singulæ species conferunt diuersos effectus, illi erunt partiales, sicut de distinctis Ordinibus dictum est. Ad vltimam confirmationem in superioribus responsum est.

Trident. *S. Bonauent.*

Dubitant tamen hic nonulli Theologi, an in distinctis speciebus huius sacramenti sint distinctæ relationes signi, ex quibus componatur relatio totius, vel sit vna indiuisibilis relatio in toto composito. Scotus enim. distinct. 8. quæst. 1. priorem partem amplectitur. Capreolus vero ibi ad. 5. contra. 2. conclu. & ad. 5. contra. 5. licet fateatur supponi singularum partium significationes, contendit tamen relationem totius sacramenti esse vnã, & indiuisibilẽ. Sed hæc quæstio est de nomine, & magis dialectica, quam Theologa; quia non solum de hoc sacramento, sed etiam de alijs, & de omnibus signis cõplexis ad placitum tractari põt. Dico igitur negari non posse, quin significatio integra huius sacramenti cõponatur ex significationibus partium, cõponitur enim ex illis quatenus significatiuæ sunt: & hoc voluit Scot. & D. Tho. hic, cũ dixit hoc sacramentum esse vnum, non vt indiuisibile, sed vt perfectum, includens plurima signa partialia. Nihilominus verũ etiam est, in toto sacramẽto esse vnam totalem significationem, quæ à significationibus singularum partiũ distinguitur. Hoc etiam constat ex dictis de vnitate huius sacramẽti, non enim potest sacramẽtum esse vnum, nisi sit vnum signum; neq; vero potest esse vnum signũ, nisi etiam aliquo modo sit significatio vna, vt videre est in propositione, & terminis, ex quibus cõponitur, habet enim suũ proprium significatũ, distinctũ à significatis terminorũ, ex quibus componitur. Hæc autem significatio totius sacramẽti dici potest cõposita, quatenus diuersis partibus constat, & in re cõposita in est, quodãmodo tamen solet dici indiuisibilis, quatenus indiuisibiliter inest in toto cõplexo, ita vt nec in partibus manere possit eo modo, quo est in toto, neq; etiã ablato debito ordine, & cõnexione ipsarũ partium: & hoc, ad summum, probant fundamenta Capreoli, quæ solum sunt quædam testimonia D. Tho.

Scotus. *Capreolus.*

SECTIO IIII.

Quomodo vnitas numerica huius sacramenti sumenda sit.

QVoniã de vnitate specifica diximus, vt materiã hanc de vnitate absoluamus, oportet, vt modũ loquẽdi de illius vnitate numerica explicemus. Dico autẽ, modũ loquẽdi, quia quod in re ipsa subsistit, facile perspici potest, constat enim formas huius sacramenti multiplicari numero, quando verba consecrationis hostiæ, vel calicis multiplicantur, cõstat etiam species panis seu vini, quandiu continuę sunt, habere quãdã physica vnitatem, quã per discontinuationẽ amittunt & physice multiplicantur, constat deniq; sub omnibus speciebus consecratis eundẽ numero Christũ, contineri. Ex quibus etiã constat tũc proprissimè esse vnũ numero hoc sacramentũ, quando species consecratæ habent physicã vnitatẽ per partium cõtinuationẽ, siue vna forma, siue pluribus simul prolatis cõsecratæ sint; hoc enim non obstat vnitati sacramenti, præsertim in hoc, in quo forma magis ad effectionẽ quã ad constitutionẽ ipsius sacramẽti requiritur. Difficultas ergo, quæ mihi videtur ad modũ loquendi pertinere, super est, an species hoc ipso, quod discontinuæ sunt, dici debeant plura sacramẽta vel non, & est sermo de speciebus eiusdẽ rationis, nam de speciebus panis & vini inter se collatis iam dictum est, possunt autem in hoc esse tres modi dicendi.

Primus, tot esse sacramenta numero distincta, quot sunt species seu hostiæ consecratæ, diuisæ & discontinuæ. Probatur, quia species sunt sacramentũ, ergo species numero distinctæ sunt sacramenta numero distincta. Secundo, quia quælibet illarũ in sua specie habet totã significationem sacramenti, & nõ est pars alterius, ergo est integrum sacramẽtum, distinctum ab alio. Tertio quia non apparet aptior modus distinguendi numero hæc sacramẽta. Sed huic sentẽtiæ videtur obstare cõmunis modus sentiendi, & loquendi; nã sacerdos, qui accipit hostiã diuisam in tres partes, non cẽsetur accipere tria sacramenta, neq; illa hostia cẽsetur magis esse plura sacramenta post diuisionẽ, quã antea. Vnde Conc. Flor. & Trid. sess. 13. can. 3. dicunt, in hoc sacramento contineri totũ Christũ sub vnaquaq; specie, & sub singulis speciei partibus, separatione facta, sentiunt ergo, etiã post separationẽ, esse vnũ sacramẽtũ, & partes diuisas esse partes vnius sacramenti. Cõfirmatur primo, nã qui duas formas accipit cũ communicat, vnũ, & non duo sacramẽta cẽsetur accipere alias duos etiam effectus gratiæ susciperet; nam si sacramẽta essent duo etiã sumptiones essent duæ, ergo & effectus essent duo, quia, quod simul cõcurrant, non impedit effectũ: vel certe, si illa cẽsetur vna moralis sumptio, etiã sacramentum censebitur vnum, non obstante discontinuatione specierum. Confirmatur secundo, quia, vt supra dicebam, in huismodi rebus artificalibus, vnitas non pendet ex physica vnione, vel continuatione, vt

vt in baptismo, licet contingat ablutionẽ per partes discõtinuẽ fieri, tamẽ in ratione sacramenti vna tantum materia censetur.

Secundus modus dicendi est; vnitatem huius sacramenti non pendere ex physica continuatione, sed ex morali coniũctione specierum, ita vt omnia illa, quæ per modum vnius proponuntur, vel tribuuntur, vnum sacramentum censeantur, etiam si non sint continua physice, ita loquuntur Soto & Ledesma supra, & videtur fieri probabile argumentis factis, & potest explicari ex metaphora cõuiuij. Sicut enim est vnum conuiuium, licet rebus diuersis cõstet, ita etiã est vnum ferculum seu vna portio, licet partes illius discontinuas esse contingat. Vnde iuxta hanc sententiam partes hostiæ diuisæ sunt vnum sacramentum, & similiter omnes formæ in eadem pyxide existentes appellari possunt vnum sacramentum, donec distributio fiat, vnde plura sacramenta erunt, quæ moraliter sunt disiuncta, vt cum distinctæ hostiæ distinctis personis tribuũtur, vel omnino alias separatæ sunt, vel disiunctæ. Contra quem modum dicẽdi solum video posse obstare, quod iuxta illum nulla certa regula huius vnitatis, vel multitudinis præscribitur, sed vniuscuiusque fere arbitrio relinquitur.

Tertius modus dicendi esse potest, totum hoc sacramentum esse vnum numero, & omnes species consecratas, vbicunque; & quomodocunque sint esse vnum numero sacramentũ, quod ita declarari potest, quia, vt infra dicemus, quod præcipuũ est in hoc sacramento, est Christus, quatenus coniunctus speciebus vnum sacramentum cum illis componit, quod est panis vitæ, quia ergo vnũ, & idẽ corpus Christi est sub omnibus speciebus, quantũuis discontinuis & disiunctis, ideò cũ illis censetur cõponere vnũ numero sacramentum. Quod declaratur primo, quia si Verbum diuinum assumeret plures humanitates, esset vnus homo; ergo Christi corpus veluti assumens, seu sacramentaliter, sibi coniungens plures species panis, cum eis constituit vnum sacramentum. Item, si in eodem, vel propinquo loco sub illis existat, constituit cum eis vnum sacramentum, ergo & in diuersis, sicut in exemplo posito, quod illæ humanitates essent in vno, vel diuersis locis, nihil referret, vel etiam sicut vnum corpus si esset in diuersis locis, quanuis in eis haberet diuersas albedines, nihilominus cum eis constitueret vnum album. Et videtur hoc posse confirmari ex Paul. 1. ad Cor. dicente. *Omnes vnũ corpus sumus, qui de eodem pane participamus*, sicut enim Paulus intelligit omnes fideles vnum numero corpus Ecclesiæ constituere, ita significat omnes vnũ numero panem seu sacramentum participare. Fauet etiam Ambr. super 10. c. Epist. ad Hebr. & habetur c. In Christo de Consecrat. d. 2. dicens, vnã esse hostiam, & non multas, quam Christus obtulit, & omnes sacerdotes offerunt, sicut ergo est idẽ numero sacrificium, quoad rem oblatã, ita est idẽ sacramentum, nam in Ecclesia id, quod offertur in sacrificium, sumitur vt sacramentum.

Sed obijci potest, nam hinc fit omnes fideles idẽ numero sacramentum Eucharistiæ recipere, quod videtur esse contra communem sensum omnium, & contra Clementẽ Papam in c. Tribus gradibus. de consec. d. 2. dicentem, *Tot holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere.* Respondetur, cõcedendo omnes fideles participare idem numero sacramentum, vt Paulus loquitur, quanuis diuersas numero partes, formulas, aut hostias, seu species sacramentales recipiat, de quibus seu potius de numero hostiarum, quæ consecrãdæ sunt, loquitur Clemẽs in d. c. quæ simpliciter plures sunt pręsertim ante consecrationem: at vero post illam recipiunt quandam vnitatem sacramentalẽ, eo quod in eodem corpore Christi vniuntur, maior enim videtur esse hæc vnio, quod spectat ad vnitatem sacramenti, quam vnio per continuationem. Inter hos modos, vt dixi, tantum videtur esse dissensio de modo loquendi, & vltimus quidem probabilis valde est, & Theologicus, ac dignitati huius sacramenti consentaneus, & satis aptus ad explicãdum hoc mysterium, fouet enim pietatem, dũ optime explicat & commendat vnitatem, quæ in hoc sacramento significatur. Secundus tamen videtur esse magis vsitatus & vulgaris. Primus vero nimium retinere vult Philosophicum rigorem, & ideo ad loquendum in hac materia minus est accõmodatus. Dicamus igitur hoc sacramentum de se posse dici vnum, præsertim si Christum attendamus, nihilominus tamen sicut species consecratæ sunt sacramentum, ita species separatas & multiplicatas esse plura sacramenta, vel physice, si physica tantum sit disiunctio, vel etiã moraliter, si separatio moralis etiam sit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim Dñs, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi, & bibitur sanguinis eius. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spiritualis vitæ.

Inf. q. 80. art. 11. & 4. di. 9 art. 1. q. 2. & d. 12. q. 3. ar. 2 q. 1. & Ioa. 6 lect. 7. col. 1.

¶ 2 Prętereà, Hoc sacramentum est quoddã spirituale alimentũ. Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate spiritualis salutis.

¶ 3 Prætereà, Sicut baptismus est sacramẽtum Dominicæ passionis, sine qua non est salus; ita & Eucharistia: dicit enim Apostolus. 1. Cor. 11. Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Ergo sicut baptismus est de necessitate salutis, ita etiam hoc sacramentum.

SED cõtra est, quod August. scribit Bonifacio contra Pelagianos; Nec illud cogitetis, paruulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis, & sanguinis Cristi.

Lib. 4. contra duas Epis. Pelag. ca. 22. in med. to. 7.

RESPONDEO dicendum, quod hoc sacramento duo est considerare scili-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cet ipsum sacramentum & rem sacramenti, dictum est autem, quod res huius sacramenti est vnitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluuio
Quæ. 98. ar. 1. absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam, vt habetur. 1. Petr. 3. dictum est, autem suprà, quòd res alicuius sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Vnde ante perceptionem huius sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc
Quæst. 68. art. 2. sacramentum: sicut & ante baptismum ex voto babtismi, vt suprà dictum est. Et tamen differentia quâtum ad duo. Primò quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitę, & ianua sacramentorum: Eucharistia verò est quasi consumatio spiritualis
Quæst. 65. ar. 3. vitæ, & omnium sacramentorum finis (vt supradictum est) per sanctificationes enim omnium sacramentorum, fit præparatio ad suscipienda, vel cõsecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistię est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio & intentione: alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: & ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam, & sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens sacramentum. Et ideo ante susceptionem baptismi, non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti: vnde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.

Tract. 26. in Ioan. to. 9. AD primum ergo dicendum, quod sicut Aug. dicit, exponens illud verbum Ioann. Hunc cibum & potum, scilicet carnis suæ & sanguinis, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis, & vocatis & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius. Vnde, sicut ipse dicit in epist. 80. ad Bonifaciũ nulli est aliquatenus ambigendũ, tunc, vnũquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominiparticipem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus decedat.

Refertur de cõsec. d. 4. c. Nulli.

AD secundum dicendum, quod hæc est differentia inter alimentum corporale & spirituale, quod alimentum corporale conuertitur in substantiam eius, qui nutritur & ideo non potest homini valere ad vitæ conseruationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale cõuertit hominem in seipsum, secundum illud quod Aug. dicit in lib. Confess. quod quasi audiuit vocem Christi dicentis sibi, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuę, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mẽtis, etiam sine huius sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.

Li. 7. confes. c. 10. à med. to. 1.

AD tertium dicendum, quod baptismus est sacramentum mortis & passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo, virtute passionis eius; sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in vnione ad Christum passum. Vnde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ, ita Eucharistia dicitur sacramentum caritatis, quæ est vinculũ perfectionis, vt dicitur Colos. 3.

COMMENTARIVS.

TRactat D. Thom. de necessitate medij, non de necessitate præcepti; quod satis constat ex discursu articuli, & infra. q. 80. de necessitate præcepti disputat. Vt autem Diuus Thom. quæstioni respondeat, distinctione vtitur inter sacramentum & rem sacramenti, rem sacramenti vocat gratiam seu vnionem charitatis cum Christo, & corpore eius, quod est Ecclesia, extra cuius vnitatem non est salus, sacramentum autem vocat species consecratas, seu corpus Christi verum sub illis contentum. Dicit ergo primo Diuus Thomas rem sacramenti esse ad salutẽ necessariã quia sine Ecclesiæ vnitate non est salus. Vbi obiectare oportet vnitatem Ecclesiæ seu caritatis dupliciter considerari posse, vno modo secundum se; alio modo prout esse potest effectus Eucharistiæ, & per illam perfici seu consummari. Hoc modo posterioti est proprie & formaliter hæc vnitas res huius sacramenti, nam sicut per illud speciali modo significatur, ita & efficitur, vt infra latius dicemus agentes de effectibus huius sacramenti. Priori autem modo hæc vnitas secundum se, & generatim sumpta, non necessariò est res huius sacramenti proprie & formaliter loquendo, nam fieri potest, & augeri per alia sacramenta, aut per actus virtutum & merita, tamen per quandam appropriationem dicitur hæc vnio res huius sacramenti, quia est vnio cum Christo, qui in hoc sacramento continetur: quomodo etiã, qui per fidẽ, & caritatẽ vnitur Christo, dicitur spiritualiter mãducare Christũ, & hoc sacramẽtũ, sicut Paul. 1. ad Corin. 10.

10. ait Israelitas eandem escam, & potum spiritualem mãducasse & bibisse. Hoc ergo posteriori modo dicitur res huius sacramenti necessaria ad salutem, vt latius infra exponemus.

1. ad Corin.

Secundo de ipso sacramento dicit D. Thom. nõ esse tam necessarium ad salutem, sicut baptismum quod in argumento sed contra probat testimonio Aug. li. 1. contra duas epist. Pelagianorũ c. 22. sed D. Tho. vel non retulit hæc verba ex originali, sed ex Gratiano, vel fortasse incidit in mendosum codicem; sic enim refert verba Aug. *Nec illud cogitetis, paruulos vitam habere non posse, qui sunt experies corporis & sanguinis Christi*, quomodo refert eadem verba Gratianus in c. In Ecclesia de consec. d. 4. re tamen vera non ita legendum est, sed vt habent veri & emendati codices, *Nec illud cogitetis, eos vitam habere non posse qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi dicente ipso, Nisi manducaueritis carnẽ meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.*

August.

Vide ex hoc loco potius videtur probari huius sacramenti necessitas, & planè ex contextu & intentione Aug. constat hanc esse mẽtem illius, quo aũt sensu vera sit, infra dicetur. Ratione probat D. Tho. assertionem suam, primo, quia perceptio Baptismi est simpliciter necessaria ad vitã spiritualem, perceptio autẽ Eucharistiæ ad cõsummationẽ eius; magis autẽ necessaria est vita quã perfectio eius.

Secundo quia aliquibus, scilicet paruulis, necessarius est Baptismus re ipsa susceptus, non tamẽ Eucharistia, quia per ipsum Baptismi sacramentũ ordinantur ad Eucharistiam, & veluti desiderant illam, & hoc satis est, vt accipiant rem sacramenti ad salutem necessariam: ad Baptismum autem non ordinantur per aliud sacramentum, nec per propriũ actum illum desiderare possunt, & ideo sine ipso sacramento non possunt recipere rem sacramenti. Ex quibus rationibus videtur colligi, mentem D. Tho. esse, asserere hoc sacrametum esse necessariũ in re, vel in voto, nunquam tamen esse necessariã realem susceptionem eius, necessitate, scilicet, medij seu finis, sicut interdũ est susceptio Baptismi, quo autem sensu & doctrina suscipienda sit, in sequenti disputatione tractabitur, vbi etiam solutionem argumentorum explicabimus.

DISPVTAT. XL.

De necessitate Sacramenti Eucharistiæ.

Diuersa de disputatione de Eucharistia.

DIsputatio hæc cõiuncta est cum quæstione, an sit hoc sacramentum, & cũ institutione eius, quia sacramenta ab institutione habẽt necessitatem, & propter necessitatem institui solẽt. vnde considerare oportet, necessitatem hanc cõparari posse ad institutionẽ vel antecedentẽ, vel cõsequẽtem. Vnde quæri potest, an institutio huius sacrameti fuerit necessaria; &, an, posita institutione vsus talis sacramenti sit necessarius. De priori quæstione nihil est, q. dicamus, nã in illa cõstant duo. Primum est, nõ fuisse hanc institutionem simpliciter & absolute necessariam ad salutẽ nostrã: potuit enim Deus absque hoc sacramento, multis aliis modis illam consummare & perficere, vt perse cõstat. Secundum est, hanc institutionẽ fuisse vtilissimã; & adeo necessariã, vt dicitur, ad melius esse, fuit enim post incarnationis mysterium hoc sacramentum accommodatissimum medium ad fructũ ipsius incarnationis, passiõnis, & mortis Christi percipiendũ, quòd in præcedenti disputatione satis indicatum est, & inferius latius tractabitur, cum de reali præsentia corporis Christi & de huius sacramenti effectibus, seu vtilitatibus disputabimus.

Secunda igitur quæstio proprie ad hanc disputationem pertinet, in qua non agimus de necessitate præcepti, quæ solùm est necessitas ad vitandum nouum peccatum, de qua supponimus latum esse præceptum diuinum de vsu huius sacramenti, & hoc sensu necessarium esse ad salutem seruare hoc præceptum, tempore, & ætate, qua obligat. Agimus ergo de necessitate medij, quæ est necessitas proprie, & per se ad obtinendam salutem, & cõsistit in hoc, vt constat ex materia de baptismo, & alijs locis, quod sacramentum sit per se institutum ad dandum aliquem effectum gratiæ simpliciter necessarium ad salutem: nam si hoc non habeat, non potest vlla ratione in eo assignari aliqua necessitas medij, distincta à necessitate præcepti. Vnde considerandum vlterius est, omnes effectus gratiæ necessarios ad salutem posse reuocari ad duo capita, scilicet ad primam gratiam & remissionem peccati mortalis, vel originalis: & ad perseuerantiam in gratia, vsque ad mortem. De his ergo duobus videndum est, an Eucharistia sit necessarium medium ad aliquod horum obtinendum, quia, si ad neutrum necessaria est, euidenter concluditur non esse medium simpliciter necessarium ad salutem, nam præter illa duo, & quæ ad illa obtinenda simpliciter necessaria sunt, nihil aliud ad salutem requiritur, quia secundum fidem, qui fuerit iustus, & in iustitia perseuauerit vsque ad finem, saluabitur.

SECTIO I.

An hoc sacramentum sit necessarium ad primam iustificationem obtinendam.

NOn inuenio ab vllo, etiã hæretico, expresse affirmatum, realem sumptionem Eucharistiæ necessariam esse aliquibus ad primã iustificationem obtinendam, quia necessarium omnino est, vt baptismus præcedat tempore aliquo, etiã si breuissimũ illud esse fingatur. Certum autẽ est, baptismum ritè & sine obice susceptum statim habere suum effectum, absq; vlla dilatione, vel dependentia à futuro sacramento. Dixerunt autem nonnulli ex Catholicis, sacramentum Eucharistię esse necessarium ad primam iustificationem vel in re, vel in voto susceptum, nec desunt, qui putent hanc esse mentem D. Tho. hic, & infrà. q. 79. arti. 1. ad 1. vbi dicit, ante susceptionẽ huius sacramẽti neminẽ habere gratiã, nisi ex aliquo voto ipsius, vel per se ipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesię, sicut paruuli, & ar. 3. eiusdẽ quęstionis similẽ habet doctrinã. Quorũ fundamentũ præcipuè sumitur ex verbis illis Ioa. 6. *Nisi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quanquam enim nonnulli contendant, ea tantum de adultis esse intelligenda, ad quos Christi sermo tunc dirigebatur, tamen Sancti Patres sæpè hoc testimonio probãt, necessarium esse paruulis aliquo modo mandũcare corpus, & bibere sanguinem Christi. Ita sentit aperte Cyprian. lib. 3. ad Quirin.

Quorundã opinio.

Ioan. 6.

S. Cyprian. S. Innocen.

August. Quiria.c.25.Innoc.Pap.Epist.26.& Aug.Epist. 106.& dict.lib.1.contra duas Epist.Pelagian.c. 22.& lib.1.de peccat.merit.c.20.vbi id cōfirmat quia verba generalia sunt; & quia alias posset etiā dici, nō intelligi in illa verba de omnibus adultis, sed de illis tantum, qui præsentes aderāt Christo. Item, quia ibidem Christus ait, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, iuxta quam expositionē constat illis verbis non esse explicatam solam necessitatem præcepti, sed medij, quia in paruulis sola hæc posterior necessitas locum habet, sicut constat in similibus verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*. Ex quorum verborum similitudine confirmari potest hæc sententia, quia si in vno loco illa forma verborum explicat medium omnibus necessarium, cur non in alio, cum vis, & forma verborum sit eadem; Et huic sententiæ videtur fauere Cyrill. lib. 4. in Ioan. capit. 14. vbi exponens de hoc sacramento citata verba, dicit. *S.Cyril.* *Non possunt cum sanctificatione vitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem Iesum non susceperunt.* Confirmatur tandem nam Concilium Florent. dicit effectum huius sacramenti esse vnionem populi Christiani ad Christum, seu adunationem hominis ad *Conc.Floren.* Christum, sed hæc vnio fit per gratiā primam, per quam vnimur, & incorporamur Christo; ergo prima gratia est effectus huius sacramenti per se, & ex institutione illius, ergo ad illam obtinendam est aliquomodo necessarium hoc sacramentum, saltem in voto.

Vt autem rei veritas elucescat, dicendum est primo *1.conclusio.* hoc sacramentum non esse per se institutum ad remissionem peccati originalis, vel mortalis, atque adeo neque ad primam gratiam conferenda. Hæc cōclusio pertinet ad doctrinam de effectibus huius sacramenti infra. q.79. tradendam: sed quia fundamentū est præsentis quæstionis, & ab aliquibus Catholicis reuocatur in dubium, breuiter hic confirmanda est. Existimo enim, rem esse omnino *Tridem.* certam, primo ex Concil. Trid. sess. 13. can. 5. vbi anathematis damnat eos, qui dicunt præcipuū fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum; at vero si per se esset institutum ad remittendū originale vel mortale peccatū, & primā gratiā conferendā, certè hic esset vel præcipuus vel vnus ex præcipuis effectibus eius, & ca. 2. dixerat idem Concil. *Hoc sacramentum esse institutum tanquam spiritualem animarū cibū, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit. Qui manducat me, & ipse viuet propter me & antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Vbi aperte distinguit inter mortalia, & venialia peccata, & venialia sentit tolli per hoc sacramētum, etiā postquam commissa sunt; de mortalibus autem non itē sed dari auxilium, vt nō comitantur: apertè etiam hoc sacramentū ex vi suæ institutionis supponere *Conc.Flor.* videtur vitā, quam alit, per se autē non esse institutū ad dandā illam, quod clarius constat ex Conci. Flor. dicente, effectū huius sacramenti esse augmētū gratiæ, & omnē illum spiritualē effectum, quē materialis cibus in corpore efficit, & infra subdit Eugenius. *Huius sacramenti effectus, quem in anima efficit digne sumentis, est adunatio hominis ad Christū, & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & mēbris eius vnitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur*, Ex quibus verbis aperte constat, nō primam gratiā, sed gratiæ augmentum esse effectum huius sacramenti. Et cum dicitur, vnionē ad Christum, sed vnitatem corporis Christi esse effectum huius sacramenti, non intelligitur de ipsamet effectione, vel, vt ita dicam, prima constitutione huius vnionis, seu prima coniūctione mēbrorum huius corporis, hic enim est proprius effectus baptismi, qui, si amittatur, per pœnitentiam reparatur. *Eucharistia vnionem cum Christo efficit per se.* Intelligitur ergo de perfecta vnione istius corporis iam constituti, cum suo capite Christo, & membrorum eius inter se, institutum enim est hoc sacramentum vt cōseruet & perficiat huius corporis vnitatem. Quod etiam sensit *Inno. III.* Inno. III. c. Cum Marthæ, de celebrat. miss. dixit rem huius sacramenti esse vnitatē, id est, perfectionē vnitatis, & caritatis & clarius Conc. Lateran. *Conc. Lat.* ca. Firmiter, inquit, hoc sacramentum institutum esse ad perficiendum mysterium vnitatis. Ac denique omnes Patres, & Concilia, vbicunque de effectibus sacramenti disputant, datum esse dicunt in spirituale nutrimentum & augmentum caritatis. Et valde pium, ac probabile est, datum esse, vt nos excitet ad amorem Christi, non solum secundū diuinitatem, sed specialiter secūdum humanitatē, & similiter ad mutuā inter nos dilectionē: hoc enim speciali modo vnitas cū Christo, & mēbrorū eius inter se, est proprius, & sacramētalis effectus huius sacramēti, non vero prima gratia, nec remissio peccati mortalis.

1. Probatur ratione. Prima ratio. Secundò argumentor ratione primo, & à priori; quia ad vnum effectum seu finē principalem, vnū sacramētum per se & proximè instituitur, alioqui certus numerus sacramentorum non posset præscribi ex proprijs finibus, & effectibus eorum, sed ad remissionē originalis peccati per se primò institutus est Baptismus, ad remissionē vero mortaliū post baptismū cōmissorū datū est pœnitētiæ sacramentum: ergo Eucharistia ad neutrum istorum effectuū est per se primò instituta: ergo neque ad primam gratiam conferendā, nam prima gratia & remissio peccati, quod per illa formaliter expellitur, ad vnum, & eundē effectū sacramentalē pertinet. Nec vero dici potest sacramentū baptismi aut pœnitentiæ nō remittere peccata propria virtute, quā ex propria institutione habent: id enim aperte recte repugnat cum sana doctrina fidei, vt in proprijs disputationibus de ijs sacramētis ostenditur. *Secunda.* Secūda ratio sumi potest ex ipsa cibi metaphora. Quis enim dicat cibum creatū esse ad vitā dandā, prout per primā generationē, seu per resurrectionē datur: cibus enim per se & ad suum finē vitam supponit, datur autem ad illam conseruandā & nutriendam, Cū ergo hoc sacramentum institutū sit tanquā spiritualis cibus, non est ordinatū ad conferendā spiritualē vitā seu primā gratiā. *Tertia.* Vnde formari potest tertia ratio, quia nullū sacramentū per se, ac necessario supponit effectū, propter quē per se primo instituitur: esset enim præpostera & inordinata institutio: sed vsus huius sacramēti per se supponit primam gratiam & remissionē peccati, multo magis quam reliqua, quæ dicuntur sacramēta viuorum, vt satis aperte docuit Conci. Trid. sess. 13. c. 7. his verbis. *Tridentin.* *Si non decet ad sacras vllas functiones quēquā accedere nisi sanctè, certe quo magis sanctitas & diuinitas huius cælestis sacramenti viro Christiano cōperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absque magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Et infra docet præmittendam esse confessionē, quando conscientia peccati mortalis intercedit, etiā si quis contritum se esse existimet, nimirùm vt propter maiorem reuerentiam debitam huic sacramento, maior etiam diligentia adhibeatur ad accedēdum sine graui peccato, signum ergo est non esse recipiendum hoc sacramentum propter talem remissionem obtinendam, & consequenter neq; ipsum sacramentum esse propter hunc finem, seu effectū per se institutum.

Tertiò probatur, & confirmatur reddita, & obiectionibus fit obuiam. Quartò argumentor (ad confirmandas rationes factas, & excludendas euasiones, quæ saltem verbis confingi possunt) quia, si prima gratia vel remissio peccati mortalis est per se effectus huius sacramenti, vel id est ex speciali ratione illius effectus, propter quem est institutum, vel ex generali, quia nimirùm hoc sacramentum est fons, & veluti causa vniuersalis concurrens ad effectus omnium sacramentorum. Primum dici non potest aliquo probabili fundamento, quia nullo Scripturæ testimonio, nullave promissione magis tribuitur huic sacramento effectus baptismi aut Pœnitentiæ, quā Confirmationis, vel alterius sacramenti. Nec ille effectus primæ gratiæ habet maiorem proportionem cum fine vel proprio effectu huius sacramenti, quod per modum cibi institutum est, & ad nutriendam vitam spiritualem ordinatur, quā ex sua institutione per se supponit, vnde hanc partem satis confirmant omnia, quæ adduximus, & multa ex his, quæ de alia parte dicemus, ad hanc poterūt applicari, quæ in sequenti etiam conclusione fiet euidentior. Altera ergo pars de generali concursu huius sacramenti, quæ à quibusdam specie falsæ pietatis asseritur, nec probabilis est, nec ad dignitatem huius sacramenti, vel deuotionem, atque adeò neque ad pietatem, quicquam confert. Probatur primò, quia vel hæc causalitas vniuersalis sequitur ex sola ac præcisa institutione huius sacramenti, aut ex promissione speciali. Primum dici non potest, cur enim nō posset Christus instituere hoc sacramentum, non conferendo illi hūc generalem effectum? aliud est enim loqui de Christo secundū se, aliud prout est in hoc sacramento: quanuis ergo secundùm se sit causa vniuersalis effectuum omniū sacramentorum, non necessariò exercet illam causalitatem, prout est in hoc sacramento, nisi fortasse ratione existentiæ in rerum natura, si fingeretur alibi non existere, independenter à modo sacramētali, & à susceptione sacramenti vel voto eius, vt iam explicabo. Neque etiam dici potest secūdum, scilicet, hoc puenire ex speciali promissione Christi; oportet enim illam ostendere, nam in Scriptura non habetur, & Concilia, quæ sufficienter docent effectum & vtilitatem huius sacramenti, nō faciūt *Conc. Floren.* mentionem huius vniuersalis causalitatis, quæ tamen maximè explicanda esset. Et Florent. dixit conferre omnes effectus, quos confert cibus, non verò quos confert generatio, auctio, cōsecratio, seu Ordinatio, &c. non ergo licet ex proprio capite hoc confingere. Dices, Concilia dicere hoc sacramentum efficere vnionem cum Christo, & quia hæc vnio intrinsecè includitur in effectibus omnium sacramentorum, ideò hoc sacramentum habere vniuersalem causalitatem in omnes illos, hac enim ratione appellari videtur Eucharistia à Dionys. c. 3. de Eccles. Hierar. *sacramentorum consummatio & perfectio*. Sed hæc nullius momenti sunt, iam enim explicatū est, quomodò vnio ad Christum sit effectus huius sacramēti, scilicet, quoad perfectionem & cōseruationē suā, nō quoad cætera omnia. Quod satis explicuit eo loco Dionysius: non enim *Dionysius.* confundit effectus sacramentorū, nec Eucharistiæ tribuit aliorū effectus, sed dicit omnia cōparari ad Eucharistiam, sicut imperfectum ad perfectum, & ideò post cætera omnia adiungi Eucharistiam, tanquam finem & complementum omnium.

Secundò principaliter refellitur hæc vniuersalis causalitas, quia vel effectus aliorū sacramētorū pendent à Christo, vt existēte in hoc sacramento absolutè ac præcisè ratione præsentiæ sacramētalis, vel cum ordine ad vsum & māducatione sacramentalem futuram in eo, qui recepturus est talē effectū. Vtrūq; autem est apertè falsum. Primum quidem, quia sequitur, si Christus nō existeret alicubi sacramētaliter (vt si in tota Ecclesia nulla esset hostia cōsecrata) alia sacramenta nō posse conferre suos effectus, quia dicuntur pēdere essentialiter à Christo sic existēte. Quòd si dicatur non esse dependentiā adeo essentialem ac necessariam, sed solùm, quod, si Christus sic existit in hoc sacramēto, ab illo pendebunt cæteri effectus. Cōtra hoc etiam est, quia saltem sequitur, quādocūq; nunc ministratur baptismus, vel pœnitentia aut aliud sacramētū, Christū vt in pyxide existentē cōcurrere physicè ac realiter ad effectus taliū sacramentorū, quod est contra omnes Theologos, & sine fundamēto dictum, aut necessitate. Nec facilè dici poterit, ex quo loco vel sacramēto cōcurrat, nisi fortasse quis dicat ex propinquiori aut quid simile, quod eadē facilitate contenetur, quo sine fundamento assertū fuerit. Quòd si physicè Christus non cōcurrit, nō habet hîc locum cōcursus moralis, quia, secluso ordine ad manducationem vel vsum, quæ causalitas moralis fingi potest in hostia consecrata in altari existēte, in ordine ad effectum baptismi vel pœnitentiæ? Alterū autem mēbrum refellitur, quia hoc sacramentum cōcurrere ad effectus aliorū sacramentorū, in ordine ad suū vsum, nihil aliud esse potest, nisi quòd hoc sacramentū, vt manducatū in re vel in voto, effectus singulos cum singulis sacramētis efficiat, non enim potest hoc alio modo probabili explicari, neque hactenus aliter explicatū est. Ex qua explicatione sequitur, Cōfirmationē dare suum effectū in voto huius sacramenti, & similiter Extremā vnctionem, Matrimoniū, &c. At hoc in primis est nouum & inauditum, deinde sequitur, vt hæc sacramenta cōferant suos effectus, necessarium esse habere votū suscipiendi Eucharistiam, itaq; si quis dū confirmatur, habeat propositū non cōmunicādi ampliùs, nō consequetur effectū Cōfirmationis, quia ille non habet votū explicitū Eucharistiæ, vt per se constat, nec implicitū cū expresse proponat contrariū, cōsequens autē falsum esse, facilè potest exemplis ostendi. Nā, si quis morti proximus baptizetur, & statim Eucharistiā suscipiat, licèt posteà cōfirmetur, potest habere propositū nō communicandi iterū, recipiet ergo effectū cōfirmationis sine voto Eucharistiæ, idē nunc quotidie accidit in Extrema vnctione, quoties aliquis illam sumit non ampliùs cōmunicaturus, & de Matrimonio potest facilè similis casus excogitari. Et ratio omniū est, quia nullū est præceptū suscipiendi Eucharistiam post quodlibet sacramentum, quod sanè necessariū esset, si Eucharistia esset vniuersalis causa omnium effectuū sacramentorum, aut cū omnibus cōcurre-

Universidad de Deusto Biblioteca

ret in re vel in voto. Quòd si quis fortasse respondeat, in prædictis casibus Eucharistiã prius susceptã concurrere ad effectũ alterius sacramenti posteà suscepti, nõ erit difficile, huiusmodi fugam in verbis potiùs, quã in re aliqua cõsistentẽ reijcere. Tũ quia ille concursus, nec est physicus, vt per se notũ est, nec moralis, quia fieri potuit, vt Eucharistia prius suscepta nullum habuerit ordinẽ ad sacramẽtũ posteà suscipiendũ; imò q̃ recepta fuerit sine animo, vel etiã cum proposito non suscipiẽdi aliud sacramentũ; tum etiam, quia prior Eucharistiæ susceptio merè per accidens se habet ad effectũ sacramenti posteà suscepti, nec est dispositio ad illũ, neque ex institutione, aut aliũde potest verisimilis fieri huiusmodi concursus assertio, vt statim iterum dicã. Vnde tandẽ argumentor, ostendendo alteram partẽ suprà positã, scilicet, hoc nihil pertinere ad pietatẽ, vel ad cõciliandã deuotionẽ huic sacramẽto. Quia per hoc genus causalitatis vniuersalis, in re ipsa nulla maior efficacia aut virtus tribuitur huic sacramento, nec in re datur maior obligatio suscipiendi illud, sed tota illa ponitur in quibusdam extrinsecis respectibus vel denominationibus, quæ nihil ad mores pertinent, neque ad dignitatem huius sacramenti, nec fundamentum aliquod habent in institutione. Quocirca, si vera esset hæc causalitas, vt esset alicuius momenti, oporteret in primis, vt quotiescunque sacramẽtũ aliud esset operaturum, suscipienda necessariò esset Eucharistia, Deinde, vt deficiẽte alio sacramẽto. v.g. Confirmationis, vel Extremæ vnctionis, Eucharistia vt causa vniuersalis posset supplere proprium effectum eius. Denique, vt ex hac virtute manaret ad nos vel semper, vel aliquando, aliqua maior vtilitas, aut aliquis fructus. Nihil autem horũ conceditur huic sacramento propter hanc causalitatem vniuersalẽ, quã habere dicitur. Est ergo solùm in verbis, quæ si vacua sint fructu, nihil possunt ad pietatem vel dignitatem sacramenti pertinere.

Eucharistia in suo effectu proprio, veluti eminenter habet effectus aliorum sacramentorum.

Quapropter, si in aliquo autore graui interdũ legatur, Eucharistiã esse veluti primariũ fontẽ, efficaciam omniũ sacramentorũ virtute cõtinẽtem, id non est intelligendũ per illam causalitatem vniuersalem, sed per eminentiam quandã, quã in proprio, & specifico effectu hoc diuinũ sacramẽtum habet in perficiendis quodãmodò effectibus sacramentorũ omnium. Baptismus enim nos in Christo regenerat eique facit similes, hoc verò sacramentum nutrit & cõsummat illã vnionẽ, & speciali modo nos affigit Christo vt capiti nostro, & parẽti optimo. Pœnitẽtia delet peccata post baptismũ commissa, hoc verò sacramentum, & interdũ id facit, saltem per accidens, & illũ effectũ perficit, eodem modo, quo effectũ baptismi, & ampliùs purificat animũ, tollendo venialia, minuendo fomitẽ, & præseruando à mortalibus. Confirmatio præbet robur fidei, hoc sacramentũ etiam in hoc præbet auxilium, & munit hominẽ, vt hostibus fidei, & omnibus tentationibus resistat, vt frequẽter Cyprian. Chrysost. alijque Sancti docent, quos infrà suo loco signabimus. Extrema vnctio tollit reliquias peccatorum, & in difficili mortis transitu homini confert auxilium, hoc sacramentũ quatenus viaticum est, suum proprium subsidium in eo transitu præstat. Itẽ dũ generat virgines, & reuerentiam ad Deũ, & amorem ad proximũ conciliat, quodãmodo confert & ad effectum & finem sacramenti Ordinis, quo ministri Dei præparantur, vt dignè illi inseruiant, & ad matrimonij perfectionem, quæ in castitate coniugali, & mutua beneuolentia consistit. Hæc ergo est generalis vtilitas huius diuini mysterij, propter quã meritò dicitur consummatio sacramentorum omniũ, non verò alia, quæ verbis asseritur, re tamen, neque explicatur, nec fundari potest.

2. Conclusio. D.Thom. Caietan. Sotus.

Dico secundò, hoc sacramentũ, nec paruulis nec adultis esse necessariũ mediũ ad primã gratiã obtinendã. Hæc est sentẽtia D.Tho. lect. 7. super. 6. caput Ioan. & infrà hac. 3. p. q. 80. vbi Caiet. art. 11. eam rectè docet, & Sotus d. 8. q. 1. ar. 3. & colligitur. 1. ex Conc. Florent. & Trident. tribuentibus effectum remissionis peccati, & primæ gratiæ solis sacramentis baptismi, & pœnitentiæ; sentiũt ergo, nullum aliud sacramentũ, nec in re, neque in voto proprio, esse ad hunc effectũ necessariũ, aliàs non cõferrent hæc sacramenta primam gratiã propria virtute, sed in virtute illius sacramenti, in cuius voto illam tribuerent: sicut Concil. Trid. sess. 14. ca. 3. & 4. negat, contritionem sua virtute remittere peccatũ, sed virtute sacramenti pœnitentiæ, cuius votum includit. *Tridentinum.* Secundò probatur conclusio ex præcedenti, quia sacramentum tantùm potest esse mediũ necessarium ad obtinendum propriũ effectum, propter quem tale sacramentũ est institutũ, quia causæ non sunt necessariæ propter effectum per accidens, sed per se ostensum est autem, sacramentũ Eucharistiæ non esse institutũ ad dandã primã gratiam, aut remissionẽ peccati originalis, vel mortalis, nec per modum causæ propriæ, vt euidẽter probant prædicta Concilia, nec per modũ causæ vniuersalis, vt satis probatũ est: ergo nullo modo. Tertiò, quia in sacramẽtis nunquam reperitur necessitas medij ad aliquem effectum ad salutẽ necessarium, nisi simul cõcurrat necessitas præcepti, iuxta capacitatẽ eius, cui talis necessitas imminet, nam si ille sit adultus præceptum cadit in illum, si verò sit paruulus, cadit in Ecclesiam, vel eos qui illius curã habent. Quod facilè potest exẽplis probari in baptismo & pœnitentia. Et ratio est, quia hæc media non sunt ex natura sua necessaria: ergo non possunt fieri necessaria nisi adiuncta lege, nã si nulla sit lex, poterunt sine peccato omitti, & cõsequenter non erunt necessaria. Quæ ratio maximè procedit in adultis, suã tamen vim habet in paruulis, quia sicut per alios reguntur, ita expedit vt de rebus ad salutem necessarijs, saltẽ per alios, diuina lege ac præcepto regantur. Iam verò de susceptione Eucharistiæ, nullũ est datum præceptum à Christo hoc speciali titulo, scilicet propter gratiã primam obtinendã: ergo ad hunc finem non est medium necessarium. Minor explicatur primò in paruulis, nã certũ de fide est, nõ habere Ecclesiam præceptum à Christo dandi illis Eucharistiã, antequàm moriantur: quod mihi sanè est signum euidens, illis non esse Eucharistiã mediũ necessarium ad primã gratiã, vel primam gloriam obtinẽdam. *Obiectio.* Dices, argumẽtũ probat, Eucharistiã in re susceptã nõ esse mediũ necessariũ, non verò Eucharistiam in voto, de quo iã datũ est præceptũ, cùm datum est præceptũ baptizãdi hos paruulos, antequàm moriantur. *Diluitur.* Sed hoc nihil est, nam præceptũ de medio necessario, per se loquẽdo, non est de voto, sed de reali vsu, si adhiberi possit; neq; vnquã mediũ necessariũ potest omnino & per totũ tẽpus vitæ in re omitti, si accipi potest, aliàs nulla est necessitas rei,

sed

sed voti tantũ. Et ita reuera in præsenti solus baptismus dicitur necessarius, & de illo solo paruulis dando, est præceptum. Reliqua omnia dicuntur per metaphoram, neque aliqua additur necessitas huius sacramenti, quæ re ipsa aliquid addat.

Deinde euidentiùs id probatur de adultis, nã licèt verũ sit, esse præceptum diuinum cõmunicãdi aliquando, tamen quod hoc præceptum nõ sit datum propter primã gratiã obtinendam, illud argumentum apertè conuincit, quod si adultus tẽpore debito impleuit illud præceptũ ante mortem, licèt posteà indigeat prima gratia, & medijs ad illam recuperandã, non propterea tenetur cõmunicare, vt si, verbi gratia, post viaticum acceptum mortaliter peccauit, tenetur quidem iterum cõfiteri, etiã si eodẽ die accidat, illum peccare, & eodem censeatur moriturus, nõ tamen tenetur cõmunicare iterum, vnde potest habere expressam voluntatẽ nõ cõmunicãdi ampliùs, ergo signũ est, Eucharistiã non esse mediũ necessariũ ad illã gratiã primã, nec in re, nec in voto, quia neutro modo accipitur, cũ talis homo expressam habeat contrariam volũtatem. Dices, dari eam primam gratiam intuitu prioris cõmunionis. Sed hoc nõ est probabile, quia iam prior communio habuit effectum suum, nec sacramẽta habẽt effectũ circa peccata posteà commissa, alioqui damus causam hæreticis asserẽtibus, peccata post baptismum cõmissa remitti per baptismum priùs susceptũ. Dici potest, saltẽ debere habere cõditionatam voluntatem iterũ cõmunicandi, si superuixerit, vel si periculum illud euaserit, & hoc satis esse ad votum. Sed hoc nullius momenti est, quia medium necessarium debet re ipsa suscipi, si potest commodè: vnde illa conditionalis est impertinens, quia illud propositum conditionatũ nõ est propter præsentem effectũ, sed propter implendũ præceptum, quod posteà obligauit. Quare aliqui, consequenter loquendo, dicunt, per se loquẽdo teneri peccatorem in eo casu iterũ communicare, si possit sine vllo inconuenienti vel scandalo; regulariter tamen excusari, propter moralia incõmoda, scilicet scandalum, nimiam frequentiã viatici præter Ecclesiæ consuetudinem, & cum probabili suspicione manifestandi suum delictũ. Sed hoc ipsum satis ostendit, quam parũ sit probabilis contraria sententia, cum cogatur ponere præceptum, quod nec seruari potest, nec ab vllo graui Doctore, vno vel altero Summista excepto, admittitur, vt latiùs infrà in proprio loco dicam. Vnde, qua facilitate asseritur, contemnitur, quia præcepta, nisi probentur, admittenda non sunt, nedũ si absque ratione vel autoritate asserantur. Addo deinde, si verum esset hoc preceptum, ac vera hæc necessitas medij, nõ debuisse moraliter & secundum rectam rationem reputari incommoda illa quæ proponuntur, potiùs enim debuisset in Ecclesia introduci cõsuetudo dandi semper Eucharistiã simul cũ sacramento confessionis, præsertim in periculo mortis; &, quoties vnum sacramentum repetitur, deberet repeti alterum sine admiratione vel scandalo, propter summam illius articuli necessitatẽ. Quin potiùs addo iuxta hanc sententiã, si cõsequenter loquatur, sequi dari hoc præceptum in eo casu, nõ solum si peccatum mortale intercedat, sed etiã sine illo hoc solũ, q̃ ægrotus vult iterũ consequi gratiã pœnitẽtiæ. Quod ita declaro, si prima gratia sacramẽti pœnitẽtiæ datur per votũ Eucharistiæ, ergo quoties datur sacramentalis gratia pœnitentiæ, datur ex eodẽ voto Eucharistiæ, patet cõsequẽtia, tũ quia dicitur Eucharistia esse causa vniuersalis omnium effectuum sacramentorũ, tum etiã, quia omnis gratia, quæ per sacramentum pœnitentiæ confertur, de se est remissiua mortalis culpæ; sic enim saluatur veritas formæ, & per accidens est, quòd in hoc subiecto reperiatur peccatum mortale, & ideò illa gratia non sit prima, neque actu tollat maculã peccati; ergo semper illa gratia includit ordinem ad Eucharistiã & votum eius, ergo quotiescunq; quis confitetur, tenetur habere votum Eucharistiæ saltem implicitè, ergo & tenetur tunc non habere expressum propositũ cõtrariũ, & posteà implere in re ipsa susceptionem Eucharistiæ, si potest. Est ergo ficta, & gratis asserta tota hæc necessitas.

Responsio ad argumenta cõtraria.

Ad fundamentũ contrariæ sententiæ, quod attinet ad locum Ioan. 6. etsi concedamus omnia, quæ ibi assumuntur nihil efficitur, quia verbum illud, *Non habebitis vitam in vobis*, non significat necessitatem huius sacramenti ad obtinendã primam gratiam; sed, ad summum, ad retinendam & cõseruandam, rectè enim exponitur, *non habebitis vitam*, id est; nõ retinebitis, nec conseruabitis vitam, vt 1. Ioan. 3. dicitur, *Omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem*, id est, perdet illam. Quomodò verò sit necessaria Eucharistia ad conseruandã gratiam, & quid veritatis habeant reliqua, quæ in illo fundamento dicuntur, dicemus sectione sequenti, vbi D. Thom. testimonia etiam explicabimus. Ad confirmationem iam ostensum est, malè ibi citari, & exponi Concilium Florentinum, cuius verum sensum iam aperuimus.

SECTIO II.

An hoc sacramentum necessarium medium sit ad perseuerandum in gratia, vsque ad gloriæ consecutionem.

HAEretici quidam dixerunt, realẽ susceptionem Eucharistiæ esse omnibus hominibus necessarium medium ad salutem. In quo errore versati sunt Armeni, qui propterea simul cũ baptismo Eucharistiã paruulis dabant, vt ex Guid. Carmel. refert Vvaldens. tom. 2. de sacram. ca. 91. Eundem errorem tribuit Græcis, Iacobitis, & Nestorianis, Prateolus lib. 8. c. 15. lib. 9. ca. 2. lib. 12. cap. 4. & ex hoc errore videtur profectus abusus eorum, qui vel post mortem dabant Eucharistiam hominibus iam defunctis, vt colligitur ex VI. Synodo can. 83. Trullana, & in Concil. Antisiodor. c. 12. & Conc. Carth. III. c. 6. quibus locis hic abusus damnatur. Ex Catholicis verò quidã dixerũt, Eucharistiam esse medium necessarium ad perseuerandum in gratia vsq; ad mortem, non quidẽ in re susceptam, sed in re vel in voto, & putatur esse sententia D. Tho. hic, & infrà. q. 79. art. 1. ad 1. & q. 80. art. 11. ad 1. quibus locis generatim de paruulis & adultis loquitur. Et in hanc sententiam videtur inclinare Pet. Sot. lect. 9. de Eucharistia, dicẽs non secus esse necessariam Eucharistiam ad vitam spiritualem, quàm cibum ad corporalem; idẽ significant Claudius repet. 6. cap. 7. Spencæus lib. 2. de adorat. Eucharist. cap. 12. Roffensis lib. 5. contra OEcolampadium in proœmio, Iacobus Nachan

Guido. Vvaldensis. Prateolus. Synodus 6. Conc. Antis. Carthagin. D.Thom. Pet. Soto. Claud. Sainctes.

tract.

Spenceus. Roffens. Iacob. Nachã.

tract. de commun. theorem. 1. Sed hi autores, si attentè legantur, ferè omnes loquuntur de necessitate præcepti, & votum suscipiendi Eucharistiam nõ aliter requirunt, quàm propositum seruãdi omnia præcepta Citantur etiam Hosius, Soto, Ledesma, & alij, non tamen fideliter.

Ioan. 6. *Cyril.* *S. Basilius.* *S. August.*

Fundamentum harum sentẽtiarum sumitur ex citatis verbis Ioan. 6. quæ, vt ostendimus, necessitatem medij indicant ad spiritualem vitam, non inchoandam, vt diximus, ergo saltem conseruãdam. Hic enim effectus ibi huic sacramento tribuitur, tanquam propriæ & vnicæ causæ illius, vt ex illis etiam verbis patet, *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me.* Vbi significatur, sicut Pater est vnicum & necessarium principium Filij, ita vnicum principium seu medium ad spiritualem vitam conseruandam, esse hoc sacramentum. Vnde Cyril. lib. 10. in Ioan. cap. 13. de hoc sacramento loquens, inquit, *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur*, vbi significat hoc sacramentũ esse necessarium ad vitam æternam cõparandã. Quod apertè docet etiam Basil. in moralib. regul. 21. ita intelligens locum Ioann. 6. August. epist. 121. ad Probam. c. 11. & alij quos referemus latiùs infrà agentes de effectu huius sacramenti.

1. Argum. *Conc. Floren.*

Secundò argumentor ratione, quia sicut remissio peccati & prima gratia est res necessaria ad salutem, ita etiam perseuerãtia in gratia, seu gratia finalis, ergo sicut ad dandam vel reparandã primã gratiam instituta sunt sacramenta baptismi & pœnitẽtiæ, ita ad dandam perseuerantiam, seu gratiam finalem institui debuit aliud sacramentum, quod nõ potest esse aliud nisi Eucharistia, quæ sicut nobilissimum est sacramentum, ita propter effectum perfectissimum institui debuit, est ergo ad hunc effectum necessaria. Tertiò argumentor ex metaphora cibi, vt enim dixit Concil. Florent. hoc sacramentum proportione seruata præstat animæ omnia illa, quæ cibus corporalis tribuit corpori, ideò enim sub forma cibi institutum est, sicut ergo corporalis cibus ad corporis conseruationem, & præseruationem à morbo necessarius est, ita hoc sacramentum est simpliciter necessarium ad perseuerandum in gratia vsque ad finem.

1. Conclusio. *Tridentinũ.* *S. August.* *Beda.*

In hac re dicendum est primò, realem susceptionem huius sacramenti non esse medium simpliciter necessarium ad perseuerandum in gratia, vel obtinendam beatitudinem. Hæc conclusio est de fide, vt colligitur apertè ex Tridẽ. sess. 21. cap. & can. 4. & ex August. epist. 23. circa finẽ, & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 10. & lib. 3. cap. 4. & lib. 1. contra Iulianum, & serm. 11. de verbis Domini, Fulgentio de fide ad Petrum cap. 30. Beda super 1. ad Cor. 10. vbi citat Aug. homil. ad infantes. Qui docent, si paruulus moriatur cum solo baptismo, consequi æternam beatitudinem, & est per se euidens suppositis his principijs fidei; primum est, Baptismum conferre paruulis veram iustitiam: secundum, infantes non esse capaces peccati in ea ætate: tertium, gratiam non posse amitti nisi per mortale peccatum; quartum, quod ex his sequitur, eum qui semel gratiam obtinet, si vsque ad mortẽ non peccet, consequi gloriam. Ex his enim euidenter fit, si baptizatus infans in ea ætate moriatur absque reali manducatione huius sacramenti, vt expe- A rientia docet sæpe accidere, illum consequi æternã beatitudinem, & consequenter hoc sacramentum re ipsa susceptum, non esse illi medium necessariũ ad salutem. Quæ ratio eandem efficaciam habet in adulto, qui post Baptismum mortaliter nõ peccat, & absque sua culpa sine hoc sacramento decedit, nam sine vlla dubitatione saluus erit, iuxta illud Matth. vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Quinimò constat ex doctrina fidei, adultũ sine vllo prorsus sacramento re ipsa suscepto, per solam contritionem posse saluari, vt tractando de Baptismo & pœnitentia latiùs ostenditur.

Matth. vlt. *2. Conclusio.* *Caietan.* *Tridentin.*

Dico secundò, sacramentum Eucharistiæ nõ esse paruulis medium necessarium ad perseuerãdum in gratia vsque ad finem, neque in re, neq; propriè in voto susceptum. Hoc bene docuit Caiet. infrà q. 80. art. 12. & alij autores infra citandi. Et primò B non obscurè colligitur ex Trident. sess. 21. cap. & can. 4. dicente, *Si quis dixerit, paruulis, antequàm ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Quanquam enim de reali communione loquatur, tamen si Eucharistia esset illis medium necessarium, non esset simpliciter neganda eius necessitas, imò nec Ecclesia debuisset negare paruulis hoc sacramentum, saltem instante eorum morte, quod tamen facit, & meritò, vt q. 80. ostendemus. Secundò probatur ratione, quia sacramentum non est medium necessariũ ad salutem, nisi sit institutum ad dandũ aliquem effectum necessarium ad salutem, cuius per se loquendo debeat esse causa vnica, quia si non sit causa per se, non erit magis necessarius vsus talis sacramenti, quàm alij actus religionis, qui sunt in præcepto. Et si non sit causa vnica, non erit necessaria, C quia per aliã obtineri poterit talis effectus, sic enim dici non potest Eucharistia medium necessariũ ad remissionem venialium peccatorũ, quia sunt etiã aliæ causæ, quæ per se possunt hoc præstare. Sed nullus effectus gratiæ necessarius ad salutem fit in paruulo, cuius per se & adæquata causa sit Eucharistia: ergo non est illi medium necessarium. Probatur minor, quia in paruulis solùm est prima gratia remittens originale peccatum, & cum hac sola saluantur, si ante vsum rationis decedant. Dices, hanc gratiam conseruari in illis vsque ad mortẽ, & hunc esse effectum gratiæ, quem non confert Baptismus propria virtute, sed in virtute Eucharistiæ cuius est votum. Vnde ad hunc effectũ dandũ potest dici per se instituta Eucharistia, tanquã vnica causa illius. Sed hoc non satis considerate dictum est: duo enim possunt in gratiæ conseruatione intelligi. Primum est physicus influxus Dei, quo D gratiam conseruat, & hic effectus præcisè sumptus non confertur ratione alterius sacramenti, quàm illius, quo ipsamet prima gratia collata est, tũ quia quasi ex natura rei debetur ipsi gratiæ, non solùm ex parte Dei, cuius dona sunt sine pœnitentia, sed etiam ex parte ipsius gratiæ, quæ conseruari potest quandiu à contrario non expellitur: destrui enim per solam suspensionem influxus diuini non est naturis rerum consentaneum. Tum etiam, quia gratia data per Baptismum, non est de se minus stabilis, quàm alia gratia per meritum, vel aliam dispositionem comparata, cùm per Baptismum perfectè applicetur meritum Christi ad salutem: sed omnis alia gratia, quæ vel olim per circuncisionem, vel per aliam dispositionem dabatur, vel quæ nunc com-

comparatur per meritum, est de se perpetua, & ex vi primæ infusionis semper conseruatur, si homo non ponat impedimentum peccati, ergo multò magis idem dicendum est de prima gratia baptismali: hæc ergo conseruatio vt sic non est effectus alterius sacramenti. Et idem dicendum est sine vllo dubio de augmento gratiæ, quod per alia sacramenta confertur. Qui verò dicunt, omnes effectus sacramentorũ esse ab hoc sacramento, vt ab vniuersali fonte, respondere poterunt, gratiam baptismalem per votũ huius sacramenti conseruari, sicut à principio data est. Tamen hæc responsio tam falsa est, quàm est improbabile fundamentũ illud quo nititur de vniuersali causalitate, vt ostensum est. Alterum, quod in gratiæ conseruatione potest intelligi, est speciale auxilium gratiæ, quo remouentur peccata, quæ possent gratiam corrumpere, & hic quidem specialis effectus est, & magnum gratiæ donum, sed infantes neque illo indigent, neq; pro illo statu sunt capaces illius, & ideò propter cõseruationem gratiæ in hoc sensu explicatam non potest paruulis esse necessaria Eucharistia, ergo nullo modo est necessaria.

1. Ratio. *Impugnatio.*

At verò dicet aliquis, gratiam paruulorum considerari posse, vel tantum vt primam & remissiuã originalis peccati, & vt sic esse effectum solius baptismi, vel vt gratiam finalem, & vt sic esse effectũ Eucharistiæ in voto contentæ in ipso baptismo. Sed hæc fuga eodem fere modo exploditur, nam gratia finalis supra gratiam ipsam solùm addit cõseruationem gratiæ, vsque ad finem vitæ. Dices hoc ipsum, scilicet mori in gratia, est donum Dei ex æterna sua prædestinatione proueniens, distinctum sine dubio à cõseruatione gratiæ vt sic, posset enim conseruari gratia toto illo tempore, quamuis in eo non finiretur vita infantis. Ergo mori eo tempore speciale donum est, iuxta illud Sapien. 4. *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius.* Et hoc donum nõ est effectus Baptismi, nam Baptismus eosdem effectus habet in omnibus paruulis. Erit ergo effectus sacramenti Eucharistiæ. Respondetur, verum quidem esse posse hunc effectum reuocari ad donum perseuerantiæ, ex speciali Dei electione proueniens, verum etiam esse hunc nõ esse effectum Baptismi, vt ratio facta cõcludit. Dico tamen, eadem ratione, euidentiùs concludi hũc non esse effectum Eucharistiæ, quia nõ datur omnibus paruulis, nam si paruuli per Baptismum recipiunt Eucharistiam in voto, & per hoc votũ recipiũt aliquem effectum gratiæ, qui Eucharistiæ specialiter tribuendus sit, omnes æquales, & eosdem effectus recipient, quia omnes sunt æquè dispositi, & habẽt æquale votum, & sacramentum, ergo æqualẽ effectum, constat enim ex cõmuni, & certa doctrina, sacramentum habere æqualem effectũ in subiecto æquè disposito, præsertim loquẽdo de effectu gratiæ necessario ad salutẽ, qualis est mori in gratia. Quod argumentum cõcludit saltem de illis paruulis, qui, si non decedant in infantia, extra gratiam sint morituri. Sunt, qui dicant posse hunc effectũ esse sacramentalẽ, & tamen non omnibus dari, etiã si æquè dispositi sint, & nõ magis ponant impedimentum hi, quàm illi, sed quàm sit hoc falsum, & principijs fidei repugnãs, ostendã sequenti assertione. Et cõfirmatur, nã præterquàm quod gratis & sine fundamento tribuitur hic effectus Eucharistiæ; respectu paruulorum, inuoluit quandam repu- A gnantiam. Quomodo enim intelligi potest, vt ex voto alicuius sacramenti detur aliquis effectus directè pugnans cum reali susceptione talis sacramẽti? Vt si quis diceret per Matrimonium in voto dari auxilium ad seruandam virginitatem, vel profitendam religionem, tale enim est dicere per Eucharistiam in voto dari alicui vt moriatur, antequàm sit capax suscipiendi Eucharistiam, loquor enim de paruulo baptizato, qui moritur antequã naturaliter possit comedere.

2. Ratio.

Tertiò argumẽtor ex metaphora cibi; Quis enim dicat cibum esse necessarium illi, qui nec nutriri potest, nec augeri, nec minui, nec contrariam aliquam actionem pati, talis enim est paruulus in eo statu; quoad spiritualem vitam, quia in ea nec nutriri potest, nec augeri, neque ab vllo contrario aliquid pati: aut quis etiam dicat cibum seu desideriũ cibi esse alicui necessarium, antequam tali cibo indigeat, B vel illius sit capax? perinde enim est dicere dari paruulis, qui moriuntur in sola gratia baptismali, ratione Eucharistiæ, vt moriantur antequã manducatione Eucharistiæ indigeant, vel etiam antequàm illius capaces existant.

3. Conclusio.

Dico ergo tertiò. Eucharistiam in re aut voto proprio non esse medium necessarium adultis, ad perseuerandum in gratia, & consequendam gloriam. Hanc conclusionem necessariò docent illi Theologi, qui negant esse impositum diuinũ præceptum de sumenda Eucharistia. Nam ablata necessitate præcepti in præsenti materia, necessitatẽ etiam medij tolli necesse est. Sed hæc sententia falsa est, vt latiùs. q. 50. dicam; supposita ergo necessitate præcepti docuit hanc sententiam expressè D. Thom. q. 65. art. 4. vbi inquit, tantum tria sacramenta C esse simpliciter necessaria necessitate finis, duo quidem singulis personis, scilicet baptismum absolutè, & pœnitentiam ex suppositioni peccati mortalis post baptismum. Tertium verò respectu corporis Ecclesiæ. De reliquis autem omnibus negat esse necessaria necessitate finis. Dicunt aliqui D. Thom. de reali sumptione sacramenti loquutũ esse, sed non rectè, nam hoc modo etiã baptismus, & pœnitentia non sunt necessaria simpliciter. Aliter dici potest D. Thom. loqui de necessitate ad obtinendam primam gratiam, sed hoc etiã est cõtra mentem eius, nam generatim loquitur de necessitate sacramentorum. Vnde de alijs dicit esse necessaria ad meliùs, & conuenientiùs consequendum finem, cum tamen ad primam gratiam obtinendam, neq; isto modo possint dici necessaria, si D propriè loquamur. Idem docet 4. dist. 9. q. 1. ar. 1. quæstiun. 2. Durand. ibi. q. 2. Palud. q. 1. num. 6. Caiet. hic, qui hoc sensu exponit D. Thom. Soto dist. 8. art. 3. clarius. dist. 12. q. 1. art. 11. Ledesm. quæst. 14. art. 3. Hosius lib. 3. contra Brentiũ aliquantulum à principio.

Durandus. Palu dan. Caietan. Ledesm. Hosius. Quomodo valeat aliquando autoritas negatiua.

Et probatur primo autoritate negatiua Cõciliorũ & Patrum, quæ argumentandi ratio licèt aliàs infirma esse videatur, tamen in doctrina tradẽda de rebus multis, in qua de singulis docentur, quæ illis conueniunt, & aliquid affirmatur de quibusdam, quod tacetur de alijs, satis probabile argumẽtum sumitur, quia illud silentium est implicita quædã negatio, & particularis affirmatio, & quasi exceptio quæ firmare solet regulam, vt quod vni singulariter conceditur, alijs negari intelligatur. Patres ergo, & Concilia, licèt de præsenti quæstione, nihil

ne, nihil in terminis asserere videantur, vbicunque tamen de necessitate sacramentorum disserũt, baptismum & pœnitentiam dicunt esse necessaria, non tamen Eucharistiam. Quod præsertim notari potest in Concil. Tridet. disputans enim sess. 7. de baptismo, can. 5. definit esse necessarium ad salutẽ, & eodem modo loquitur de pœnitentia, sess. 14. cap. 8. in sess. vero 13. agens de sacramento Eucharistiæ, nullam necessitatem illi tribuit, præter necessitatem præcepti, quam can. 9. explicat, facit etiam quòd Melchiades Papa Epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap. 2. & habetur in c. Spiritus sanctus. de Consecrat. d. 5. inquit, *statim morituris regenerationis beneficia sufficere ad salutem, quia regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos*: vbi ponderandum est verbum illud, *per se*, ex illo enim colligi potest, nullum effectum conferri in voto alterius sacramenti, qui ad salutem necessarius sit.

Melchia. Pa.

2. Ratio. Vnde argumentor secundò ratione, quia Eucharistia non est per se, & vnica causa alicuius effectus gratiæ, necessarij simpliciter, vt adultus consequatur salutem, ergo non est illi medium necessarium ad salutem, consequentia patet ex dictis in præcedenti conclusione, antecedẽs verò probatur, nam, vt ex dictis ibidem constat, si aliquis esset talis effectus, maximè esset perseuerantiæ donum, & auxilium, quo à peccatis mortalibus præseruamur, quod maximè necessarium est adulto post primã gratiam obtentam, ad consequendam gloriam. Et hunc effectum videtur tribuere huic sacramento Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. sed vel hic effectus necessarius non est, vel prout est necessarius ad illum, non est necessaria Eucharistia. Quod ita declaro. Et in primis necessarium non est ad consequendam gloriam tale perseuerantiæ donũ, quod datur homini, ne vnquam peccet mortaliter post Baptismum, vel Pœnitentiam, semel susceptã, quia potest sæpiùs cadere, & resurgere, ac tandẽ saluari. Solùm ergo est ad vitam æternam necessarium, vt homo perueniat ad finem vitæ in aliqua gratia, atque adeò vt aliquam primam gratiam in hac vita receptam, vsque ad exitum ex hac vita retineat, & conseruet, quod si sit per longum tempus, necessarium est singulare donum gratiæ excitantis, & adiuuãtis vt homo ita perseueret, si verò tẽpus sit breue, includens tamen terminũ vie, sufficit tale genus auxilij, quod datur homini vt conuertatur, & moriatur in gratia, vt ex materijs de gratia, & prædestinatione suppono. Quãdo ergo dicitur, perseuerantiam esse effectum huius sacramẽti, duo possunt intelligi; Primum est, abundantius auxilium excitans & adiuuans quo præuenitur homo, & à Deo protegitur, ne cadat. Et hic sensus est verus, nam hoc auxilium datur per hoc sacramentũ, tamen ratione illius non potest dici medium necessarium. Primò, quia per hoc sacramentũ non datur, vt illud auxilium ita elargiatur, vt infallibiliter habeat effectum, quod statim probabo, & hoc esset potissimè necessarium ad salutem, &, hoc secluso, illud auxilium non est simpliciter necessarium, quia si homo in gratia moriatur, id satis est ad salutem, potest autem in gratia mori sine ijs auxilijs, cadendo, & resurgendo, ac tandem in fine vitæ breui tempore gratiam conseruando. Secundò, quia hoc sacramentum non est simpliciter necessarium ad hunc effectum, nam licèt Conc. Tridentinum dicat, per hoc sacramentum dari auxilium, quo à mortalibus peccatis præseruemur, non tamen dicit hunc effectum dari per solam Eucharistiam, neque id potest alia autoritate, vel probabili ratione ostendi, nam simul, & eodem tenore verborum dixit ibi Concilium hoc sacramentum esse antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, id est, venialibus, & tamen non inde fit per solum hoc sacramentum venialia remitti. Est etiam aliud exemplum, nam per Confirmationem datur auxilium gratiæ ad confitendam fidem, & resistendum contrarijs, & tamen non propterea est mediũ necessarium ad hunc effectum, nam qui non est cõfirmatus, si, quod in se est, faciat, obtinebit auxiliũ sufficiens ad talem actum, non in voto Confirmationis, quod potest fortasse non habere (maximè si verum est, illud sacramentum non cadere sub diuino præcepto) sed per orationem, vel aliam bonam dispositionem suam, ergo similiter licèt illud auxilium detur per Eucharistiam, poterit sine illa per alia media obtineri.

Trident.

Euasio. Dicent fortasse, posse quidem hæc auxilia obtineri per alia opera, & merita operantis, sed nõ sine voto Eucharistiæ. *Refutatur.* Sed hoc facilè potest refutari eisdem fere rationibus, quibus hactenus vsi sumus. Prima, quia nulla autoritate fundatur hic modus conferendi hunc effectum. Secunda, quia hæc merita habent locum, etiam eo tempore, quo iã nulla est necessitas, nec voluntas suscipiendi ampliùs Eucharistiam, & tunc iam non possunt dici includere votum Eucharistiæ, nec verò habere effectũ ratione præcedentis communionis, quia iam illa habuit suum integrum effectum, vt supponitur. Tertia, quia effectus sacramentorum propriè habent locum in ijs donis, quæ gratis dantur, saltem sine merito de iustitia, & quæ non sunt omnino debita, veluti ex natura rei, & ideò in prima iustificatione peccatoris, habuit optimè locum collatio gratiæ, in voto sacramenti. At verò hæc auxilia possunt obtineri per propria merita, de condigno, & de iustitia, & sunt debita ex intrinseca natura gratiæ, & iustitiæ ob caritatem operantis. Et ideò non oportuit, nec decuit ad hunc effectum requirere votum sacramenti. Quarta, quia aliàs omne gratiæ augmentum, quod per merita consequimur, ac denique omnia gratiæ beneficia, quæ in hac vita hominibus conferuntur, possent eadem facilitate tribui voto huius sacramenti, quod satis est per se absurdum.

Explicatur. Alio modo potest explicari hic effectus de illo speciali auxilio, seu prouidentia gratiæ, per quam datur homini, vt pro aliquo tempore vitæ perseueret in gratia, vitando omnia peccata mortalia vsq; ad mortem. *Impugnatio.* Et hic sensus esset necessarius ad saluã dam necessitatem medij in Eucharistia, est tamen falsus, Primò, quia si hic esset effectus per se huius sacramenti, esset infallibilis, saltem in eo, qui dignè vel cum certa aliqua dispositione susciperet hoc sacramentum, hoc autem est planè falsum, nullus enim, quacunque deuotione aut dispositione Eucharistiam suscipiat, potest ideò esse certus de sua æterna salute, seu de perseuerantia in gratia vsque ad finem vitæ, etiam si esset certus de sua dispositione, neque vllus vnquam Catholicus Doctor talem effectum tribuit huic sacramento, neque habet aliquod fundamentum in Cõcilijs, vel Scripturis, nam licèt Ioan. 6. dicatur. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ*, semper in his promissionibus *Ioan. 6.* subintelligitur conditio, scilicet, quod est ex parte sacramenti, & si homo impedimẽtum non ponat, vel alia via amittat vitam, quam sacramẽtum confert. Alioquin si promissio esset absoluta, quicunque semel susciperet hoc sacramentum, haberet infallibilem consecutionem vitæ æternæ, quod tamen dicere planè est hæreticum. Neque oportet distinguere inter ordinarium vsum huius sacramenti, & illum specialem vsum, quo in fine vitæ per modum viatici sumitur, quia facta ratio æquè de omnibus procedit, præsertim quia ipsum sacramentum de se non habet plures effectus in illo articulo, si suscipientis dispositio æqualis sit. Ac denique plus esset, quam temerarium & erroneum dicere, cum qui in graui morbo viaticum dignè suscipit, hoc ipso manere confirmatum in gratia, aut cum tali perseuerantiæ dono, vt infallibile sit illũ fore saluandum.

Euasio. Respõderi potest, hunc effectũ nõ esse infallibilẽ, etiam si sacramentũ dignissimè suscipiatur, quia semper potest homo posteà ponere impedimentũ, quia in ijs effectibus, qui nõ statim dantur, cũ suscipitur sacramẽtũ, sed posteà opportuno tẽpore, fieri potest, vt dignè suscipiatur sacramẽtũ, & posteà nõ detur effectus, propter superueniẽs impedimẽtũ. *Impugnatio.* Sed licèt hoc in alijs effectibus possit habere locum, nõ tamẽ in hoc de quo agimus, quia in ratione intrinseca huius effectus includitur, vt per ipsum tollatur omne impedimentũ, nam hoc est esse infallibile perseuerantiæ donũ, ita præueniri hominẽ, vt infallibile sit ipsum non adhibiturũ impedimentũ, quominùs certissimè perseueret, ergo hoc ipso quòd homo permittitur ponere impedimentũ non datur illi hic effectus. Confirmatur hoc, & declaratur, quia dupliciter possum⁹ intelligere effectum sacramẽti esse infallibilem, seu promissum. Primò, absolutè & sine conditione aliqua; & hoc modo secundũ fidem nullus effectus gratię sanctificantis est promissus sacramentis, neq; hic, de quo agimus, est promissus omnibus dignè suscipientibus, vt ostensum est. Secũdò, sub cõditione aliqua quæ dupliciter intelligi potest. Primò, si dignè susceperis, & hæc nõ sufficit in præsenti, vt à me probatũ est, & in prædicta responsione supponitur. Secũdò, si post dignã susceptionẽ obex, seu impedimentũ nõ ponatur, seu si homo, quod in se est, fecerit, ad illud donũ cõsequẽdũ. Et hãc cõditionẽ repugnat requiri ad illud donũ obtinendũ, quia tale est, vt ad illud nulla humana dispositio sufficiat, quæ ab ipsa actuali perseuerantia distinguatur, eãq; antecedat. Et quod in ipsa actuali perseuerãtia nõ impediatur, nõ est quid præuiũ, aut requisitum ad hoc donũ, sed est effectus ipsius doni, tale enim est, vt eo tẽpore ac opportunitate detur, quo scit Deus hominẽ non impeditурũ, sed vocationi respõsurũ. Repugnat ergo cum propria ac singulari ratione talis doni, q̃ quibusdã detur ratione sacramẽti, alijs verò in ipsa susceptione sacramenti æquè dispositis negetur, quia impedimentũ ponunt, non enim ponerẽt, si Deus illo dono eos præueniret, & alij ponerẽt, nisi eos perueniret. Vnde valde diuersum est loqui, aut de actuali perseuerantia, aut de speciali illo dono, quod ad perseuerandũ datur, nã de actuali perseuerãtia verissimè dicitur non dari homini, quia homo ponit impedimentum, nam in hoc non est sermo de auxilio antecedenti, sed de concomitante, & actualiter efficaci; at verò de illo dono antecedenti, dato ex proposito, & efficaci electione Dei, cui datur, ex electione datur, & cui non datur, ex electione seu libero arbitrio Dei negatur, non ex aliquo impedimento speciali.

Alia euasio. Dicet fortasse aliquis, hũc esse effectũ huius sacramẽti, non, quia infallibiliter detur omnibus dignè, vel cũ certa aliqua dispositione suscipiẽtibus hoc sacramentũ, sed quia, licèt ex altitudine diuini consilij, & arbitrij quibusdã detur, & nõ alijs; quibus tamẽ datur, propter hoc sacramẽtũ datur. *Refellitur.* Sed hæc respõsio apertam inuoluit repugnantiã, & destruit propriã rationẽ effectus sacramẽtalis, fundatur enim huiusmodi effect⁹ in diuina promissione, quã posita nõ intelligitur effect⁹ sacramẽti pẽdere ex solo arbitrio diuino, sed potiùs intelligẽdũ est sacramẽtũ tãquã causa per se efficax & naturaliter agens, in subiecto disposito. Repugnat ergo sacramẽtalẽ effectũ nõ esse infallibilẽ, ablato obice, aut dari vni, & nõ alteri habẽti æqualẽ dispositionem. *Tridentinum.* Vnde Cõc. Trid. sess. 7. can. 7. sic absolutè definit. *Si quis dixerit nõ dari gratiam per huiusmodi sacramẽta, semper, & omnibus, quãtũ est ex parte Dei, etiã si rite ea suscipiãt, sed aliquando, & aliquibus, &c.* vbi, licèt in genere de sacramentis, & de gratia loquatur, re tñ vera sermo Concilij est doctrinalis, & vniuersalis: vnde de omni sacramẽto, & de quacũq; gratia sacramẽtali vnicuiq; sacramẽto respõdẽte accõmodatẽ intelligitur; præsertim, quia Cõcilũ in eo sensu loquitur, quo solẽt Theologi loqui in hac materia, quorũ hæc est cõmunis sentẽtia & sensus. Et ratio etiã insinuata est euidẽs, quia si effectus pẽdet ex solo arbitrio Dei, etiã supposita institutione & promissione, nulla potest intelligi promissio talis effectus neq; absoluta, neq; cõditionata, quia per promissionẽ fit infallibilis effectus, vel simpliciter, vel posita cõditione, & cõsequẽter nõ pẽdet ex solo arbitrio, in sensu cõposito, si verò nulla intercedit promissio, non potest sacramẽtũ esse causa talis effectus, quia sacramentũ nõ est causa, nisi supposito pacto, & promissione. *Elusio.* Nisi fortasse quis dicat, promissionẽ esse huiusmodi cõferẽdi talẽ effectũ, per tale sacramẽtũ, nõ semper, sed quãdo Deus voluerit illũ efficere. *Reijcitur.* Sed hæc respõsio gratis cõficta est, cõtra sensũ Doctorũ omniũ, & prætereã tollit omnẽ certitudinẽ in effectibus sacramẽtorũ, etiã si homo faceret quãtũ in se esset, ad illos suscipiẽdos, quod est apertẽ cõtra definitionẽ Concil. Trid. & cõtra totius Ecclesiæ sensum, & cõtra vim verborũ sacræ Scripturæ, in quibus hæ promissiones continẽtur, videtur etiã contra verã rationẽ promissionis, qualis enim est promissio sub cõditione si promittẽti libuerit eã implere? Deniq; in omnib⁹ alijs sacramẽtis effectus gratiæ semper sunt hoc modo infallibiles, qui pertinet ad bonitatẽ simpliciter; q̃ ideò dico, quia in Extrema vnctione, sanitas corporis nõ est effectus ita infallibilis, quia nõ pertinet bonũ simpliciter, nec semper homini cõueniẽs est in ordine ad bonũ animæ, sub hac tñ cõditione, id est, si ita expediat suscipiẽti, etiã est infallibilis effectus. Addo, falso & sine vllo fundamẽto dici, quibuscunq; datur hic effectus, dari ratione Eucharistię in re, vel in voto, interdũ enim dari potest, vel ex merito de cõgruo, vel ex Dei arbitrio, propter solũ meritũ Christi, sine ordine ad vllũ sacramentũ, vt ostẽdi potest argumẽtis suprà factis, & exẽplo illo de homine, qui post viaticũ receptũ, peccet mortaliter, & deinde cõteratur, vel cõfiteatur, & sic

& sic moriatur in gratia, illa enim recipit hoc donũ, & beneficiũ finalis gratiæ, & nõ propter Eucharistiã priùs susceptã, quia post illã peccauit mortaliter, & fortasse ipsammet Eucharistiã indignè suscepit. Neq; in voto Eucharistiæ sumẽdæ, quia re vera iterum sumẽda nõ est, neq; ille homo tenetur ampliùs cõmunicare, vnde nõ habet votũ Eucharistiæ, sed potiùs potest habere propositũ cõtrariũ: ergo. Deniq; hoc donũ gratiæ, quod cõfertur adulto iustificato, vt in gratia decedat, suprà remissionẽ peccati, & primã gratiã, nihil addit, præter specialẽ Dei permissionẽ, seu prouidẽtiã, qua fit vt ille moriatur, antequã malitia mutet mentẽ eius, vt quãdo, post vltimã conuersionẽ ad Deũ, breuissimũ tempus vitæ superest, nec tentationes instant, neque specialis Dei motio, & excitatio est necessaria, ostendimus autem hoc ipsum, scilicet, mori in statu gratiæ nõ esse effectũ huius sacramẽti, ergo.

Eucharistia non est necessaria ad gloriã corporis consequendam. Rom. 6.

B Et ex his omnibus infero, non esse etiã Eucharistiã mediũ necessariũ ad gloriã corporis cõsequendã, hæc enĩ respõdet gratiæ cõsummatæ, seu gloriæ animæ, &, ideò sacramẽtũ, quod est sufficiens causa gratiæ, est suo modo causa gloriæ, tã animæ, quàm corporis, & ideò Paul. ad Rom. 6. resurrectionem tribuit Baptismo, quia resuscitãdo animã, dat ius ad resurrectionẽ corporis, & ca. 8. generaliùs dicit resurrectionẽ corporis gloriosi futurã esse, propter inhabitãtẽ Spiritũ Dei in nobis, vtiq; per gratiã.

4. Conclusio.

Dico quartò, posse hoc sacramẽtũ quodãmodò, seu moraliter dici necessarium ad perseuerandũ in gratia, id est, valde vtile & efficax, adeò, vt dicere possimus, eũ, qui volũtariè diu abstinet ab huius sacramẽti perceptione, vix posse moraliter dici perseuerare in gratia sine nouo peccato mortali. Ita insinuat D. Tho. suprà q. 65. ar. 4. clariùs in 4. dist. 12. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 1. & 4. cont. gent. c. 61. & multa ex Patribus ad hoc propositũ cõgerit Claudius repetit. 6. c. 7. solũ est notandus locus Cypriani, exponentis orationẽ Dñicam, & circa verbũ illud, *Panẽ nostrũ, &c.* dicentis, *Vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiã iure cõmunionis accipiunt, ita timẽdum est, & orãdum, ne, dum quis abstẽtus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, cõminãte ipso & dicẽte, Nisi mãducaueritis, &c.* Et ad eũdẽ modũ loquitur Cõciliũ Cabilonense II. c. 46. & põderãdũ est illud verbum, *timẽdum est & orãdum*, quo satis significat, hoc non esse infallibile, nec simpliciter necessariũ, sed valde periculosum, atq; adeò moraliter quodãmodo necessariũ, de qua necessitate, prouenĩete ex fragilitate hominis, & periculis huius vitæ videtur exponere locũ Ioan. quæ expositio ita est sumẽda, vt nõ excludatur alia propria, de qua infrà. Ratio verò nõ est alia, nisi quia hoc sacramẽtũ, per se, est institutũ, vt cõferat homini singulare auxiliũ ad cauẽda peccata, & perseuerandũ in gratia: ergo cũ hæc res sit adeò difficilis, & homo nimiũ fragilis, non est incredibile, si contẽnat, vel voluntariè omittat hoc mediũ, facilè esse casurũ, præsertim, quia cum Deus iam instituerit hãc veluti ordinariam viam, facilè fortasse deseret eũ, qui voluntariè illam deserit, secus verò est, quando inuoluntariè omittitur, quia tunc & votum sacramenti & alia media poterunt supplere hunc effectum.

D. Thom. Claudius. Cyprianus. Conc. Cabilo.

Dubium.

Sed quæret aliquis, cum hoc sacramentũ sit nobilius cæteris, cur non est impositũ sub maiori, vel æquali necessitate, ac cætera, cũ potuerit Christus A sub hac lege illud instituere; Responderi potest ex Caietano hic, rationẽ sumi ex natura sacramentorũ, nam regeneratio, quæ est per baptismũ (& idẽ, suo modo, est de Pœnitentia) est initium vitæ spiritualis, & ideò per se requirit, vt tanquã medium, in re ipsa, exhibeatur, & per accidens est, quod interdùm in voto sufficiat. At Eucharistia se habet per modum finis, cuius, natura est, vt habeatur in intentione, & ideò hoc sacramentũ per se saluat, vt in voto existens, ac propterea nõ est ex natura sua mediũ necessarium. Quæ ratio primũ videri potest obscura, quia vix intelligitur, quid, & quomodò cõcludat. Deinde videri potest falsò dicere, si propriè de sacramẽto, & sacramentali eius vsu loquamur, quod per se saluat Eucharistia in voto suscepta, quia si sermo sit de salute simpliciter, prout cõferri potest per baptismũ, & alia media, illã non confert Eucharistia, etiam in voto suscepta, vt dixi, si verò B sit sermo de salute, prout per Eucharistiã conferri potest, ad hoc per se requiritur, vt nõ tantũ in voto, sed etiã in re Eucharistia suscipiatur: vnde etiã falsum est, hoc sacramentũ, per se, & natura sua, in voto esse sumendũ, quia re vera non est institutũ, per se loquendo, nisi vt in re, & sacramẽtaliter suscipiatur, & hoc modo est necessarium ea necessitate, quæ in illud conueniri potest, scilicet, præcepti, vt iã dicã. Dico autẽ semper, si propriè loquamur. Primò quidem, quia si loquamur de voto huius sacramenti, sicut de proposito seruãdi alia præcepta, sicut dici potest obseruatio præceptorũ, & propositũ eius saluare hominẽ; ita etiã dici potest votum huius sacramenti conferre ad salutẽ, vt iterũ statim dicam. Deinde (quod valde obseruare oportet ad intelligenda aliqua loca tam D. Tho. quã sanctorũ C Patrũ) quia cùm in hoc sacramento sit realiter ipse Christus, imò cũ re vera Christus sit ipsum sacramentum, facilè fit transitus ab hoc sacramento ad Christum, & è contrario; vnde, quia tota nostra salus à Christo manat, & coniunctio cum illo est simpliciter necessaria ad salutẽ, ideò, dum loquuntur Sancti de hoc sacramento, ratione rei in illo contentæ, dicunt ab illo esse efficaciam omnis gratiæ, & ex voto aut desiderio ei⁹, seu in ordine ad illud, omnem perfectionem gratiæ conferri. Et ad hunc modum posset accommodari dictum Caiet. vt magis patebit ex dicendis. Ratio ergo propria, ob quam sacramẽtum hoc, quanuis sit perfectissimũ, non est medium simpliciter necessarium, nõ aliunde, quã ex ipsamet perfectione, & excellẽtia eius, petenda est, nam quo est nobilius, eo magis accedit D ad rationem finis, & deficit à ratione medij necessarij, sicut perfecta caritas melior est, quã inchoata, non tamen ita est ad salutem necessaria, vel certè gloria ipsa melior est, quã gratia, non tamen est in ratione medij, ita necessaria, sicut gratia, quanuis intentio & desiderium consequẽdi gloriam sit necessarium, & ita hoc sacramentum, cùm sit finis omnium, non oportuit esse necessarium medium, quanuis desiderium eius dici possit necessariũ, vel ratione rei contẽtæ, id est, desiderium Christi, vel, si propriè sit sermo de sacramento, solùm ratione præcepti, erit necessarium propositum sumptionis eius, sicut propositum seruandi alia præcepta. Et hoc fortasse voluit Caietanus.

Sententia Caietani.

Explicatur mens Caiet. Solutio dubij.

Dilatatur doctrina Caietani.

Secundò explicatur hoc ampliùs, soluendo simul secundã rationẽ contrariæ opinionis, nã, quia hoc sacramentũ nobilissimũ est, decuit, vt per se, & ex

natura sua primam gratiam supponeret, & nõ A esset sacramentum mortuorum; sed viuorũ: quia sanctissimum omniũ sacramentorum sanctius, quã cætera tractandum est, & ideò non potuit esse medium necessarium ad primã gratiam, supposita autem prima gratia, illa de se est sufficiens causa gloriæ, & per opera bona, & meritoria potens est ad crescendum & resistendum contrarijs, & auxiliũ ad hoc necessarium ex natura sua illi debitum est, qua virtute, & efficacia priuari non debuit per alicuius sacramenti institutionem, & ideò non potuit hoc sacramentum esse necessarium ad salutem. Addo tertiò, illud donum perseuerantiæ, quod datur alicui, vt infallibiliter in gratia moriatur, non potuisse, vel saltem non oportuisse conferri ex opere operato, per aliquod sacramẽtum, vel quia semper pendet ex futuro vsu liberi arbitrij, vt quidam dicunt, vel (quod verius existimo) quia pendet ex diuina electione, quæ non est eiusdem modi in omni B bus, neque habet eosdem effectus perducentes ad gloriam, etiam si effectus sacramenti & dispositio recipientis æqualis sit: & aliunde etiam expediens fuit hoc donum non esse infallibiliter annexũ huic sacramento, vt homines semper timerent occulta Dei iudicia, & liberalis Dei gratia magis ostenderetur. Ex quo discursu intelligitur, stante ordinario modo prouidentiæ & electionis diuinæ, non potuisse aliquod sacramentum esse singulis hominibus necessarium medium ad salutem, nisi ad dandam primam gratiam, & tollendum peccatum illi contrarium institutum sit.

Corollariũ ex præceden ti discursu deductum.

Responsio ad argumenta contraria ad primum.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ, vt respondeamus illi testimonio Ioan. 6. & Patribus, qui circa illud citantur, nonnulla dicenda sunt. Primũ est, C D. Aug. sæpissimè locum illum exponere, nõ de sacramentali manducatione, sed de spirituali, quæ est per fidem, quo sensu sæpè ait paruulos manducare, quia per fidem in habitu credunt, seu quia pertinẽt ad vnitatem corporis Christi. Quem sensum videntur sequi Cypria. & Innoc. præcedenti Sect. citati, quando indicant Eucharistiam esse necessariam paruulis, & expressè D. Thom. suprà. q. 65. art. 4. ad 2. & infrà q. 80. art. 9. ad vltimũ, & colligi potest ex Augustino lib. 1. contra Iulian. ca. 2. & libr. 2. c. 1. & lib. 4. contra duas Epistolas Pelagian. c. 4. & lib. 3. de doctrina Christiana, ca. 18. & alijs locis, quos infrà. q. 75. arti. 1. tractabimus, ostendendo nõ esse hunc solum literalem sensum illius loci, sed potissimum esse de sacramentali mãducatione Christi in hoc sacramẽto. Vnde Aug. qui priori sensu vtitur, D nunquam hunc excludit, sed potiùs alijs locis illum docet, vt infra dicemus, notat etiam Petrus Soto lectione 8. de Eucharistia, Patres, cùm prædictũ sensum sequuntur, nunquam dicere homines nõ posse saluari sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis & sanguinis Domini.

Cyprianus. Innocen. D. Thom. August.

Petr. Soto.

Secundò igitur dicitur, sermonẽ ibi esse de hoc sacramento, sed oportet aduertere, quædam ex illis verbis esse tantùm affirmatiua, seu promissiua, vt, *Qui manducat me, viuet propter me*, &, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, & hæc nullam indicant necessitatem, sed efficacitatem huius cibi: habet autem illa promissio subintellectam conditionem, vt suprà diximus. Et ita ex hac parte facilè expeditur difficultas, neq; enim oportet, sicut Filius est à Patre, vt ab vnico principio, ita spiritualem vitam in nobis esse ab hoc sacramento, non enim necesse est A exemplum esse simile in omnibus: neque comparatio in eo fit, sed solum in communicatione, & dimanatione. Alia sunt autem verba comminatoria, vt sunt illa, *Nisi manducaueritis*, & hæc continent quidem necessitatem, non tamen medij, sed præcepti, huiusmodi enim forma verborum, de se indifferens est, & interdum significat necessitatem medij, vt in illo, *Nisi pœnitentiam egeritis*, interdum verò præcepti, vt in illo, *Nisi efficiamini sicut paruuli, &c.* Vnde ex materia, in quã cadunt, discernendus est sensus: si enim est sermo de re necessaria ad tollendum peccatum mortale, vel acquirendam gratiam, præter necessitatem præcepti, continent necessitatem medij, & huiusmodi sunt locutiones illæ de baptismo, & pœnitentia. Si verò sermo sit de actione aliqua, quæ supponit peccatum remissum, & gratiam acquisitã, solùm significat necessitatem præcepti, vt si dicamus, nisi quis seruauerit mandata, nõ sal- B uabitur, vel, nisi quis restituerit, &c. nam, quia obseruatio mandatorum est suo modo necessariũ medium ad salutem æternam, ideò his etiam verbis hæc necessitas significari potest. Et de hac necessitate loquitur Cyrill. suprà, & sæpè Aug. & D. Th. infrà quæst. 80. art. 11. ad 1. & optimè Laurent. Iusti. lib. de perfectionis gradibus. c. 14. & alij, qui interdum agunt contra eos, qui mysterium hoc non credunt, & contemnunt. De quibus meritò dicũt, non posse saluari sine hoc sacramento, saltem credito, & desiderato, eo modo quo creduntur, & desiderantur alia præcepta, ad quem modum dicunt etiam sacrificium Missæ esse necessarium ad salutẽ.

Cyrillus. August. D. Thom. Laurentius Iustin.

Et iuxta hanc expositionem, consequenter dicẽdum est tertiò, verba illa, *Nisi manducaueritis, &c.* dirigi ad adultos tantùm, & non est infantes, vt be- C ne D. Tho. exponit lectio. 7. in Ioan. & Lauren. Iustin. lib. de obed. cap. 54. Iansen. cap. 59. cõcordiæ. vbi dicit August. interdum extendisse illa verba in aliquo sensu ad paruulos, ad abundãtiam doctrinæ, non verò, quia illa sensus necessarius esset, nec proprius illorum verborum. Primò quidem, quia soli adulti sunt capaces præcepti, verba autem illa præceptum continent, vt dixi, nec potest dici extendi ad infantes, hoc sensu, quia, scilicet, adulti tenentur illis Eucharistiam præbere, erroneum est enim hoc, nam nullum extat tale præceptum, vt q. 80. ostendemus. Secundò, quia Eucharistia per se non est instituta pro paruulis, sed pro adultis, vt vsus Ecclesiæ probat, & quia nõ omnes infantes sunt capaces proprij cibi, & potus corporalis, nec etiam spiritualis, quia non sunt capaces deuotionis: ergo verba, qui- D bus hoc sacramentum præcipitur, non diriguntur ad paruulos, Christus enim de propria & perfecta manducatione loquitur, de sacramentali, scilicet, quæ habet adiunctam spiritualem, vt fructuosa sit, & qualis decet tantum sacramentum. De qua etiã loquitur Paul. 1. Corinth. 11. cùm inquit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, indicans neminem esse satis aptum ad edendum, nisi qui probare se ipsum potest: quod est proprium adultorum, totus ergo sermo de hoc sacramẽto propriè ad adultos diligitur. Et confirmatur, quia valde consentaneum est huic sacramento, vt conuenienti modo suscipiatur, cum actuali deuotione suscipientis, ergo non fuit conueniens necessitatem eius imponi alicui, qui non est capax huius deuotionis, & reuerentiæ. Tertiò hoc colligitur ex ipsa verborũ forma, in baptismo enim passiuè dictum est, *Nisi quis*

D. Thom. Laurentius Iustin. Iansenius.

1. Corint. 11.

Universidad de Deusto Biblioteca

renatus fuerit, quod proprissimè conuenit paruulis, hic verò actiuè dicitur, *Nisi manducaueritis*, quod, vt dixi, non potest propriè conuenire omnibus paruulis, sicut alibi etiam dictum est, *Nisi pœnitentiã egeritis*, quia illa etiam verba ad solos adultos dirigebantur. Nec verò hinc sequitur, quod suprà inferebatur, posse illa verba de solis illis hominibus exponi, qui Christum audiebant, quia, cùm præceptum generale fertur, licèt solùm coram ijs, qui adsunt, promulgetur, non tamen ad solos illos pertinet, sed ad omnes, qui sunt capaces illius, & non ad alios, ad quos materia talis præcepti non spectat, quia non sunt illius capaces, sicut dicendum necessariò est in illis verbis, *Nisi pœnitentiam egeritis*, quæ ad solos adultos referuntur, non tamen ad illos solos, qui præsentes aderant, quando Christus illa protulit, & simile seu proportionale est de illis, *Hoc facite in meã commemorationem*, quæ nec etiam omnibus adultis dicta fuere, sed solis sacerdotibus, nõ tamẽ solis præsentibus, sed omnibus, qui in Ecclesia futuri erant.

Quo sensu, omnes iustificati habeant votũ Eucharistiæ

Hinc quartò, propter D. Thom. autoritatem, qui tam hic, quàm alijs locis sic loquitur, admitti potest in aliquo sensu omnes iustificatos habere votum huius sacramenti. Primò, secundùm quandam accommodationem, seu proportionem, quatenus, videlicet, omnis res inclinatur ad suam consummationem, & perfectionem, nam quia per gratiam vnimur Christo, & hæc vnio specialiter perficitur per hoc sacramentum, ideo qui iustificatur, quasi ipso pondere gratiæ dicitur appetere perfectam vnionem cum Christo, qualis per hoc sacramentum fit, & specialiter, quia baptismus est ianua sacramentorum, Eucharistia autem est veluti finis eorum, ideò quodammodò baptismus dicitur includere votum Eucharistiæ, sicut medium dicitur appetere finem, vel inchoatio perfectionem, vt insinuauit Caiet. infrà. q. 80. art. 12. (*Caietanus.*) Vel secundò dici potest, paruulũ per baptismum quodammodò accipere ius ad communicandum Christi corpori, sicut sponsa per matrimonium ratum accipit ius in corpus sponsi, quia ergo, necessarium est acquirere hoc ius, & qui habet ius ad aliquam rem, quasi moraliter censetur appetere consummationem seu vsum illius iuris, ideò sacramentum ipsum baptismi, conferendo hoc ius, censetur conferre votum huius sacramenti, de quo legi potest August. lib. 3. de peccator. meritis. c. 4. (*August.*) Vel tertiò, & fortasse meliùs, quia ad iustificationem, medium necessarium est propositum, seu votum implendi omnia præcepta, vel per actum proprium, vt in adultis, in quibus hæc est necessaria dispositio ad iustitiam: vel per habitum, seu per alios, in paruulis, qui, sicut dicuntur habitu credere, vel per Ecclesiã, ita dicuntur habitu, vel per alios proponere seruare omnia præcepta: & quia vnum præceptũ est desumenda Eucharistia, ideò dici possunt habere votum, & propositum huius sacramẽti. Ad quem modum exponi potest, quod August. dicit Epist. 107. ad vitalem, paruulos credere, & comedere carnem Christi per corda & ora gestantium. (*August.*) Hinc verò non fit, hoc sacramentum esse medium necessarium magis quàm alia præcepta, quia nullus effectus necessarius specialiter datur ꝓpter hoc sacramentum, neque ab illo pendet, sicut etiam intentio consequendi beatitudinem, quæ per virtutẽ spei concipitur, est necessarium medium ad salutẽ, ipsa vero beatitudo non est medium: sic igitur, licèt dicamus, aliquo modo votum aut desiderium Eu- A charistiæ esse necessarium tanquam intentionem & desiderium finis, non inde fit, ipsam Eucharistiam esse medium necessarium ad iustitiam, sed solùm ad quandam iustitiæ perfectionem pertinere.

Vltimò, iam obseruaui, Patres loquentes de hoc sacramento, sæpè facere transitum à Christo ad hoc sacramentum, & ab vnione cùm Christo ad Eucharistiam, & è conuerso; quia Christus in hoc sacramento verè, & realiter continetur. Vnde, quia coniunctio cum Christo est simpliciter necessaria ad salutem, & similiter, quia omnis gratia à Christo necessariò manare debet, ideò dicunt, hoc sacramentum esse necessarium, quoad rem, quam efficit, quã quam, vt ex Petro Soto notauimus, Augustinus & alij nunquam dicant, homines, præsertim paruulos, saluari non posse sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis, & sanguinis Domini. Secundũ argumentum solutum iam est. (*Petr. Soto.*)

Ad tertium argumentum solutio.

Ad tertium, ex metaphora cibi desumptum, primum, B iam ostendimus nõ procedere in paruulis, in quibus differentia est inter vitam corporalẽ, & spiritualem, q. in illa semper & in omni ætate agit naturalis calor, & corpus patitur à cõtrarijs, & ideò à principio indigent alimento aliquo; at verò spiritualis vita, pro tempore infantiæ, nulli actioni contrariæ subiecta est, & ideò nõ indiget cibo. Secũdò, in adultis notari potest alia differẽtia, quia corporalis vita ex necessitate patitur actionẽ cõtrarij agentis, quòd damnum nõ potest, nisi per nutrimentum, reparari; at verò spiritualis vita non potest damnũ pati, nisi per actionem liberam, & ideò nõ est illis simpliciter necessarius cibus, extrinsecus aduenien (vt ita dicã.) sed per actiones liberas vt per amorẽ Dei, & Christi, qui est cibus spiritualis animæ, augeri, & defendi potest. Vnde dicitur tertiò, quando plura sunt ciborũ genera, licèt cibus sit simpliciter neces- C sarius, non tamen hic, vel ille definite, sic igitur spiritualis vita habet quidem vtilissimum cibum sacramentalem (vt ita dicam) tamen habet etiam alium, quasi internum, in actibus virtutum consistentem, quo etiã potest nutriri, & à cõtrarijs defendi: quia igitur ille cibus, qui est sacramentum, nõ destruxit aliũ, neq; abstulit illi efficaciam, idcirco quãuis vtilissimus sit, non tñ est necessarius simpliciter. Quartò addit D. Tho. hic ad secundũ (& ferè in idem redit) cibum corporeum esse necessariũ, quia mutari debet in alitum; cibus vero animæ Christus potiùs mutat alitũ in se ipsum, quod potest præstare, nõ solùm perceptus in sacramẽto, sed etiam spiritualiter conceptus, per ipsius animæ, & mẽtis propositum, id est, per fidem, & amorem ipsius Christi.

D ARTICVLVS IIII.

Vtrum conuenienter hoc sacramentũ pluribus nominibus nominetur.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent respondere rebus, sed hoc sacramentum est vnum, vt dictum est. Ergo non debet pluribus nominibus nominari. ([illegible])

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, species non notificatur cõ A uenienter per id, quod est cõmune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentũ nouæ legis. Omnibus autem sacramentis commune est, quòd in eis confertur gratia, quod significat nomẽ Eucharistiæ, quod est idem, quod bona gratia. Omnia etiam sacramẽta remediũ nobis afferunt in via præsentis vitæ, quod pertinet ad rationẽ viatici. In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum, quod pertinet ad rationem sacrificij. Et per omnia sacramenta sibi inuicem communicant fideles, quod significat hoc nomen, synaxis, in Græco, vel cõmunio in Latino. Ergo hæc nomina non conuenienter adaptan B tur huic sacramento.

¶ 3 Præterea, Hostia videtur esse idem, quod sacrificiũ. Sicut ergo nõ propriè dicitur sacrificiũ, ita nec ꝓpriè dicitur hostia.

SED cõtra est, quod vsus fideliũ habet.

RESPONDEO dicẽdum, quòd hoc sacramentum habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti, in quantum, scilicet, est cõmemoratiuum Dominicę passionis, quę fuit verum sacrificiũ, vt supra dictum est, & secundum hoc nominatur sacrificium. (*Supr. q. 48. art. 3.*) Aliam autem significationẽ habet respectu rei pręsentis, scilicet. Ecclesiasticę vnitatis, cui homines aggregan- C tur per hoc sacramentum. Et secundum hoc nominatur cõmunio vel synaxis. Dicit enim Damasc. 4. libr. quòd dicitur cõmunio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carne & Deitate, & quia cõmunicamus, & vnimur ad inuicẽ per ipsam. (*Lib. 4. orth. fidei, c. 14.*) Tertiam significationẽ habet respectu futuri, in quantum, scilicet, hoc sacramẽtum est pręfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria, Et secũdum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Et secundũ hoc etiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna (vt dicitur Rom. 6.) vel quia rea D liter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in Gręco metalepsis, id est, assumptio, quia, vt Damas. dicit, per hoc filij deitatem assumimus. (*Lib. 4. orth. fid. c. 14.*)

AD primum ergo dicendum, quòd nihil ꝓhibet idẽ pluribus nominibus nominari secundũ diuersas proprietates, vel effectus.

AD secundũ dicendũ, ꝙ id, quod est cõmune omnibus sacramentis, attribuitur antonomasticè ei propter eius excellentiam,

AD tertium dicendum, quòd hoc sacramentum dicitur sacrificiũ, in quantũ repræsentat ipsam passionẽ Christi. Dicitur autẽ hostia, in quãtum continet ipsum Christũ, qui est hostia salutaris, vt dicitur Ephes. 5.

COMMENTARIVS.

QVinque tantùm nomina huius sacramenti explicat D. Thom. eaque distinguit ex diuersis eius proprietatibus, & significationibus, nam quia hoc sacramentum significat præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, & vnitatem corporis Christi in se & cum suo capite coniuncti, & futuram gloriam, & hæc omnia non poterant cõuenienter vno nomine explicari, ideò plura sunt illi imposita, & quatenus significat passionem, dicitur *sacrificium*, vt verò significat vnitatẽ Ecclesiæ, dicitur *communio*, quatenus verò præparat ad gloriam, dicitur *viaticum*, & sub eadem ratione, vel quatenus realiter continet Christum, qui est plenus gratia, dicitur *Eucharistia*, id est, bona gra- B tia, ac denique *metalepsis*, id est, assumptio, etiam dicitur, quia per hoc sacramentum filij deitatem assumimus, hæc D. Thom.

Sed vt horum nominum ratio copiosior habeatur (multum enim cõferet, ad veritatẽ, & maiestatem huius sacramẽti explicandã) distinguamus in primis duplicem huius mysterij rationẽ, sacramẽti, scilicet, & sacrificij, &, quoniã de hac posteriori in secunda principali parte huius materiæ dicendum est, illic etiam de nominibus, quæ ad illã pertinẽt, tractabimus, hic verò de illis, quæ rationẽ huius sacramẽti explicãt, sunt autẽ in hoc sacramẽto multa, à quibus varia nomina, partim ꝓpria, partim metaphorica, sumpta sunt. Primũ est, materia sensibilis ex qua hoc sacramentũ cõficitur, secundum est, vsus; tertium, effectus; quartum est, res, quæ in hoc C sacramento cõtinetur, scilicet Christus Dominus, quintum denique, significatio sacramenti.

Primò igitur à materia vocatur, *panis vitæ, panis qui de cælo descendit, verus cibus, esca spiritualis*, quæ nomina & similia sumi possunt, ex Ioan. 6. & 1. ad Corint. 10. & 11. Ignatius Epist. 14. Panem Dei, vocat, & Epist. 15. vocat etiã, *panem cælestem*, quæ nomina sunt aliquo modo metaphorica, quia, vt infrà dicemus, post consecrationẽ, re vera non est panis, tamen quia ex pane cõfectus est, & quia specie, & vsu externo figuram retinet panis, vel quia spiritualis animæ panis est, ideò panis, vel vinum appellatur, & ideò ferè semper in Scriptura additur aliquid, quo hæc panis significatio indicetur, aut quasi eleuetur, vt cùm dicitur, *panis qui de cælo descẽdit*, vel *panis, qui dat vitam mundo*, vel cum articulo, & D quasi per antonomasiã, *ille panis*, atq; ad hoc caput reducuntur alia nomina cibi, vel conuiuij, vt est illud apud Tertul. lib. 2. ad vxorẽ, *conuiuium Dominicum*, quod indicatur Matth. 22. vbi sub quadã parabola conuiuij hoc mysteriũ adumbratur, & illud, quod sumitur ex 1. ad Corinth. 11. *cœna Dominica*. De quo vocabulo his temporibus orta est quæstio, nã hæretici solo illo vti volunt, imitãtes, vt dicũt, Paulum prædicto loco, contra quos latè disputat Claudius disput. 6. c. 1. & cõtendit tria. Primũ, cũ Paulus nominat cœnã Dominicã, nõ agere de hoc sacramento, sed de quodam genere prandij, seu cõuiuij, quod in primitiua Ecclesia fieri solebat inter fideles ad refectionem pauperum, fiebat enim ex cõmunibus bonis, vel ad ostensionẽ mutuæ charitatis: vnde Agapis vocabatur, vt colligitur ex Tertulliano in apologet. c. 39. & dicebatur cœna, vel quia hoc nomine vocari potest omne cõuiuiũ, vel quia fiebat hora noctis, vt Tertull. indicat, Dñica

(*Ioan. 6. — 1. Cor. 10. & 11. — S. Ignatius. — Tertull. — Matth. 22. — 1. Corinth. 11. — Claudius. — Tertull.*)

Universidad de Deusto Biblioteca

autẽ dicebatur, quia fiebat ex charitate, vel ad imitationem Domini, quam expositionem aliquantulum immutatã habet ibi Caiet. dicit enim sermonẽ esse de prandio, vel cœna, quã singulis annis faciebant fideles in memoriã cœnæ Dominicæ. Secũdò dicit Claudius Patres antiquos non fuisse vsos hac voce ad signandum hoc sacramentũ, vnde concludit tertio, nec à nobis vsurpandam esse q; noua sit, & ab hæreticis introducta. Ego verò, quod ad secundum punctum attinet, video, antiquos Patres sæpè hoc nomine appellasse sacramentum hoc, vt constat ex Basilio in regulis breuioribus in 310. Nazian. oratione 2. vocat *Cœnam Euangelicam*, & Nicetas super Nazian. orat. 42. §. Et illi quidem, vocat *Cœnam mysticam*. Aug. lib. 2. de sermone Dñi in mõte. c. 12. vocat *Cœnam Dñicam*, idẽ Epist. 118. & habetur in c. liquido. de cõsecr. d. 2. & serm. 33. de verbis Dñi, ita exponit parabolã Lucæ 14. de homine qui fecit cœnã magnã. Potuit autem hoc sacramentũ ita vocari, vel ab institutione, quia in cœna institutũ est, vel certè, vt dicebã, quia idem est cœna, & conuiuiũ, vt patet ex dicto loco Lucæ, & Apocal. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*, vnde, quod attinet ad locum Pauli, quanuis precedẽs expositio ꝓbabilis sit, & Græcorũ, Chrysost. Oecume. & Theophylacti ibi, & eiusdẽ Chrysost. in homil. Oportet hæreses esse, tom. 3. tamẽ citati Patres intelligere videtur locũ illum de hoc sacramẽto, & est expositio satis accõmodata textui, quã sequũtur D. Theod. D. Hieron. Anselm. Glossa, & Lyra in Paulũ. Deniq; quod ptinet ad vsum huius vocis, quanuis in illa, per se nullũ sit periculum, tamen hoc tempore, quo hæretici illa abutuntur ad insinuandos suos errores, scilicet, vt nec ieiuni, nec seruando Ecclesiasticum ritum conficiãt sacramentum, hac ideò vel abstinendum est omnino, vel parcè & prudenter illa vtendum, vt notauit Concilium Coloniense tractatu de Eucharistia. Petrus Soto lect. 1. & alij moderni.

Basilius. Nazian. Nicetas. August. Apocal. 19 D. Thom. Theodor. Hieronym. Anselmus. Glossa. Lyra. Conc. Colon. Petr. Soto.

Secundò, sunt varia nomina sumpta ex vsu huius sacramẽti, & hinc primò vocatur hoc sacramentum *communio* Græcè Κοινωνία Actuum 2. & 1. Corint. 10. Circa quã vocẽ aduertendũ est, varios esse illius vsus, interdũ enim significat participationẽ, seu cõmunicationẽ fidelium in spiritualibus bonis, quomodò in symbolo confitemur Sanctorũ cõmunionem, aliquando cõmunio significat obiectum, seu quasi formã illã, qua per excõmunicationẽ priuantur fideles, vt constat ex decretis. 11. q. 3. & alijs iuribus, in quibus priuari cõmunione nõ significat tantũ priuari vsu huius sacramẽti, sed interna & externa cõmunicatione fidelium. Tertiò, quasi per antonomasiam significat hæc vox vsum huius sacramẽti, vt patet ex Cypria. Epist. 10. & in expositione orationis Dñicæ. Quartò tandẽ ipsum sacramentũ hoc nomine interdũ appellatur, quia est cõmunis vnio, seu cõiunctio fideliũ, qui edendo idem corpus Christi verũ, vnum corpus eius mysticum efficiuntur, iuxta illud Pauli 1. ad Corint. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio Christi est? vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus*. Ita Damasc. lib. 4. c. 14. circa finẽ, August. vt Beda refert 1. ad Corint. 10. & habetur in c. quia passus. de cõsecr. d. 2. & eodẽ ferè sensu dicit Cõcil. Trid. sess. 13. c. 8. sacramentũ hoc esse, *signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis & concordiæ symbolo*, quia singulari modo perficit, & significat vnitatem corporis Christi mystici. Hinc etiam synaxis, appellatur à Dionysio. c. 3. eccles. hierar. illa enim vox congregationem fidelium significat, vt patet ex Chrysostomo hom. 9. ad populũ, & propterea accommodatur ad hoc sacramentum significandũ, quia illo potissimum fideles in vnum congregantur, imò semper in Ecclesia ad vsum huius sacramẽti potissimum congregari solebant in templo, vt constat ex 1. Corint. 11. & ex Iustino apolog. 2. ꝓ Christianis in fine, & Tertul. lib. de orat. cap. vltimo, vbi dicit, soluendam esse orationem, corpore Domini accepto. Propter hãc etiam mutuam vnionem Ignatius Epist. 14. ad Ephes. illud vocat, *gloriam Dei, & pacem Christi*, & exhortatur fideles, vt crebriùs ad Eucharistiã congregentur propter vinculum pacis & vnitatis, Cyprian. verò sæpè vocat *pacem*, hoc sacramentum, vnde apud illum *dare pacem lapsis*, idem est, quod ad communionem eos admittere, vt constat ex Epist. 10. & 29. ad Clerum Romanum, & 30. quę est Cleri Romani ad ipsum. Hinc deniq; olim mos fuit Romanis Pontificibus, in signum pacis & charitatis mittere Eucharistiam ad Episcopos Romam venientes, vt refert Nicephor. lib. 4. hist. cap. 39. Euseb. lib. 5. cap. 24.

Actuum 2. 1. Cor. 10. Cyprianus. Damasc. August. Beda. Conc. Trid. Dionysius. Chrysost. Iustinus. Tertul. Ignatius. Cyprian. Nicephor. Eusebius.

Est autem hoc loco obiter adnotandũ, circa hoc nomen cõmunionis, in iure Canonico solere interdum distingui communionẽ laicam à clericali, vt in Concilio Elibertino. c. 76. Sardicensi. c. 2. Agathensi ca. 50. distinguit etiam Syricius Papa Epist. 1. c. 11. Fœlix III. Epist. 1. c. 2. in quibus locis Clerici propter aliqua crimina excluduntur à clericali communione, & ad laicam tantum admittuntur, quæ autem fuerit hæc diuersitas, quæve harum vocum significatio, obscurum est. Quidam dicunt, communionem sacerdotalem esse illam, quæ fit à sacerdote, ad complementũ sacrificij, & consequenter omnem aliam, quæ extra sacrificium fit, vocari laicam cõmunionẽ. Sed hoc nullo modo potest consistere, nam in dicto Concilio Elibertino diaconus priuatur communione clericali, & laica tantum illi permittitur, at verò diaconus non est capax sacerdotalis communionis in priori sensu; ergo. Item in prædictis decretis non solum sacerdotes, sed omnes clerici in vniuersum arcentur à clericali cõmunione, eisque permittitur sola cõmunio laica. Secundo, alij per cõmunionem laicã intelligunt cõmunionem in vna specie panis, clericalẽ verò in duabus; hæc interpretatio difficilis creditu est, quia olim, quando citata decreta cõdita fuere, cõmunio sub vtraq; specie etiã laicis licebat, & erat in vsu; ergo nõ erat, cur cõmunio sub vna specie, laica diceretur; nam clericis, quibus permittebatur cõmunio laica, permittebatur quidquid laicis licebat; at laicis licebat cõmunio sub vtraq; specie, ergo hoc etiã permittebatur clericis, ergo tota illa erat cõmunio laica. Adde, nõ cõstare ex aliqua historia, aliquo tempore cõcessam esse cõmunionẽ sub vtraq; specie omnibus Clericis non sacrificantibus, negatam verò fuisse laicis, ergo non videtur commodè illa distinctio explicari ratione vnius, vel duplicis speciei. Tertiò, alij per cõmunionẽ laicam intelligunt eam, quæ fiebat inter laicos, & in loco laicorũ, sic enim legitur in Concil. Tolet. IIII. c. 17. *Sacerdotes & diaconos ante altare cõmunicent, clerus in choro, extra chorum populus* & in Bracharensi. 1. c. 31. sic scribitur, *Placuit, vt intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris, vel mulieribus, nisi tantum clericis*

Conc. Elibert. Sardicense. Agathense. Syric. PP. Fœlix III. Conc. Tolet. Bracharen.

clericis, *sicut & antiquis canonibus institutum est*. Clerici ergo aliquando in pœnam solùm cum laicis, & in loco laicorum admittebantur ad cõmunionẽ, & tunc dicebatur illis permitti tantùm laica communio. Sed huic expositioni obstat, quod Fœlix III. suprà dicit de quibusdã, *Eis communio laica tantum in morte reddenda est*. At verò cõmunio in morte, cũ non fiat in Ecclesia, nec cum alijs, nõ potest ex sola locorum distinctione, vel ex consortio laicorum, laica appellari. Et in dicto Concilio Sardicensi, cõmunio laica etiam in fine quibusdam negatur. Sed dici potest, communionem quæ communiter omnibus fidelibus concedebatur, dictam esse cõmunionem laicam, sumpsisseq; denominationem ex loco & conditione laicorum, posteà verò retinuisse illud nomen vbicunque daretur: itaque communionem laicam aliquibus permitti, nihil aliud erat, quàm vt communicarent communi more laicorum, & quãdo aliquibus hoc concedebatur, solùm in fine vitæ, tunc dicebatur illis permitti communio laica pro illo articulo, vel addi potest, clericos non solùm in speciali loco, sed etiam proprio aliquo ritu, vel indutos aliquibus vestibus sacris, vel cum proprijs insignibus solitos fuisse communicare, qui ritus ex parte obseruari poterat, etiam in mortis articulo, ita vt tunc etiam distinctio aliqua fieret inter clericos, & laicus in prædicto ritu, & ita cùm conceditur solùm laica communio pro eodem tempore, idem est quod concedi solùm vulgari ritu laicis communi. Obscurius sanè est, quod in Concilio Agathensi, capitul. 2. & 5. de communione peregrina dicitur, quæ solùm conceditur quibusdam Clericis in pœnam, & videtur esse distincta à laica communione, vt patet ex cano. 50. eiusdem Concilij, vnde videtur eadem proportione explicanda, nam fortasse peregrinis speciali aliquo ritu dabatur communio, vel separatim à proprijs incolis, vel aliquo alio signo, quo denotaretur, eum, cui dabatur, extraneũ esse ab illa Ecclesia, qua nota afficiebatur interdum clerici aliqui ob delicta sua.

Chrysost. Damasc. August. Ignatius. Billius. Theodor.

Tertiò etiam ex effectu, quia perfectissimus & copiosissimus est, alia plura nomina accipit, Chrysost. homil. 45. in Ioan. vocat *fontem bonorum omnium*. Damascen. suprà vocat, *carbonem ignitum purificantem animam*, ex Esai. 6. & August. libr. 1. de peccatorum meritis. capitul. 24. *vitam* vocat, & dicit hanc fuisse vsitatam in Africa appellationem, Ignatius Epist. 14. etiam ab effectu vocat, *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum*, & Epistola 15. vocat *charitatem, ac vitam æternam*, Ex quo etiam capite sumi potuit Gręcum nomen *metalepsis*, quod D. Th. hic interpretatur, id est, assumptio, quia per hoc sacramentum Deitatem Filij sumimus, propriè verò significat *participationem*, vt vertit Billius apud Damascen. libr. 4. capitul. 14. per hoc enim sacramentum singulari modo Christi diuitias & incarnationem participamus, potest etiam verti *transmutatio*, & optimè conuenit in hoc sacramentum, vel ab effectu formæ, quæ substantiam panis in corpus Christi transmutat, vel ab effectu ipsius sacramenti, quia eos, qui illud recipiunt, in Christum spiritualiter mutat.

Quartò, ex re contenta; dicitur in primis, *corpus & sanguis Domini*, aut *sacramentum corporis & sanguinis Domini*, vt constat ex ca. multi. 1. q. 1. ca. omnis. de cõsecr. d. 2. & Ignatio apud Theodor. dialogo 3. Vbi Eucharistiã vocat, *carnem Domini nostri Iesu Christi*. Aug. lib. 1. de peccat. merit. c. 24. & lib. 21. de ciuit. c. 20. & Tertul. lib. de orat. c. vltim. dicit *Soluendam esse orationem corpore Domini accepto*, idẽ lib. de resurrect. car. c. 8. & sæpè aliàs, multa alia infrà referẽmus agentes de vera præsentia corporis Christi. Ex hac verò eadẽ radice, per antonomasiã, absolutè & simpliciter dicitur *sacramentũ*, vel, *sacramentũ sacramentorũ*, vel *sanctissimũ & Augustissimum sacramentũ*, vnde Dionys. c. 1. de cæl. hierar. *sacrosanctũ mysteriũ* vocat, & c. 3. eiusdẽ lib. vocat *sacramentorũ cõsummationẽ*, dicitur etiã interdũ, *mysteria*, quia penè infinita mysteria in se cõtinet, legatur Ambr. lib. 4. de sacram. c. 3. & lib. 5. c. 2. & 3. & de cõsecr. d. 2. c. 1. c. non oportet. c. pacẽ. c. peruenit, & alia.

August. Tertull. Dionysius. Ambrosius.

Quintò, ex significatione sumpta etiã sunt multa ex dictis nominibus, vt nomẽ, *sacramenti*, *mysterij*, &c. à Tertul. lib. de corona militis. Ambr. li. 4. de sacram. à c. 4. Aug. 1. de pecca. merit. c. 24. specialiter tamen ex significatione gloriæ futuræ ad quã viã parat, dictũ est, *viaticum*, vt D. Tho. hic docet, est enim pignus gloriæ & ad illã consequendã præparat, atq; ad difficillimũ iter peragendũ vires præbet, & ideò Cõcil. Nicen. c. 12. vetat, *ne exeuntes è corpore, vltimo & maximè necessario viatico priuentur*, idem Concil. Carthag. IIII. c. 77. & 78. Tolet. I. can. 14. vide Trid. sess. 13. c. 6. addit etiã Turrianus non tantum viaticum, sed *viam* etiam appellari, legatur tract. 2. de Eucharist. cap. 10.

Tertull. Ambros. August. Conc. Nicen. Carthag. Toletanum. Tridentinũ. Turrianus.

Sextò tandem vsitatissimo nomine vocatũ est hoc sacramentũ, *Eucharistia*, id est, *bona gratia*, quod nomẽ, ait D. Tho. sumptũ esse vel ex significatiõe futuræ gloriæ, quia *gratia Dei vita æterna*, vel ex re cõtẽta, scilicet Christo, qui est sũma gratia. Irenę. verò lib. 6. c. 34. significat ita appellari, quia in gratiarũ actionem consecratur, & offertur Deo, Eucharisteo enim, verbum Græcum, Latinè gratias agere significat, Eucharistia ergo idem erit, quod gratiarũ actio. Et idẽ sentit Iustin. apolog. 2. pro Christianis circa finem, & colligitur ex Hierony. exponente verba illa Amos 4. *sacrificate de fermento laudem*. quod tũc optimè facimus, qñ ex pane, Christi corpus conficiendo, illud Deo sanctificamus, vel etiã quando illud in gratiarũ actionem sumimus, iuxta illud, *Quid retribuam Domino? Calicem salutaris accipiam*. Quod cõfirmari potest ex Lucæ 22. & 1. ad Corint. 11. vbi dicitur, Christũ cõfecisse hoc sacramentũ Eucharistisans, id est gratias agens, quo loco Matthæus & Marcus legunt, Ecclogisans, id est, benedicens, quã benedictionẽ fuisse ipsammet cõsecrationẽ testatur D. Tho. infrà. q. 78. art. 1. vbi de hac re latiùs dicturi sumus, sic etiã Cyrill. Epist. 10. cõtra Nestoriũ in Cõcil. Ephesino recepta, *mysticam benedictionem*, seu, *Ecclogiam* hoc sacramentũ, seu eius consecrationem appellat, iuxta illud primæ ad Corint. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Vbi sanctus Remigius idem aduertit. Potest denique hoc sacramentum Eucharistia appellari ab effectu, quia magnũ gratiæ cumulũ cõfert, vel certè quia ipsummet, magnum donum Dei est, magnaq; gratia, de qua nonnulli exponũt illud ad Hebr. 12. *Habemus gratiam, per quam seruiamus, placentem Deo*, vt videre licet in Turriano qui tractatu. 2. de Eucharistia cap. 13. & cap. 19. varia Scripturæ testimonia congerit, quibus probat hoc sacramẽtum in Scriptura sacra, gratiam appellari, ac denique Cypria. in lib. de lapsis, *salutarem gratiam*, illud appellat.

Irenaeus. Iustinus. Hierony. Lucæ 22. 1. Cor. 11. D. Thom. Cyrill. Remigius. Hebr. 12. Turrianus. Cyprianus.

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS V.

Verum institutio huius sacramenti fuerit conueniens.

Infr. q. 74. art. 4. co. & ad 5. & q. 80. ar. 8. ad 1. & 4. dis. 8. q. 1. ar. 3. & 1. corpo. 11. le. 4. co. 4. & le. 5. col. 1. fin. Lib. 2. text. 50. tom. 2. Ca. 2. eccle. hierar. par. 1. medio.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens institutio istius sacramẽti. Vt enim Philosophus dicit in 2. de generatione, ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus. Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale, vt Dionys. dicit 2. ca. eccles. hier. Ergo per baptismum etiam nutrimur. Nõ ergo fuit necessariũ instituere hoc sacramentũ, quasi spirituale nutrimentum.

¶ 2 Præterea, Per hoc sacramẽtũ homines Christo vniũtur, sicut mẽbra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiã qui fuerũt ab initio mundi, vt suprà dictum est. Ergo non debuit institutio huius sacramenti differri vsque ad cœnam Domini. (Quæst. 8.)

¶ 3 Præterea, Hoc sacramẽtum dicitur esse memoriale Dominicæ passionis, secundum illud Luc. 22. Hoc facite in meã cõmemorationẽ, sed memoria est præteritorum. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

¶ 4 Præterea, Per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiã, quæ non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem & resurrectionem, vt patet Matth. vlt. Ergo inconuenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

SED contra est, quòd hoc sacramentum est institutũ à Christo, de quo dicitur Marci 7. Bene omnia fecit.

RESPONDEO dicendum, ꝙ conuenienter hoc sacramentum institutum fuit in cœna, in qua, scilicet, Christus, vltimò cum suis discipulis fuit conuersatus. Primò quidem, ratione continentiæ huius sacramenti. Continetur enim ipse Christus in Eucharistia, sicut in sacramento. Et ideò, quãdo ipse Christus in ꝓpria specie à discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Euseb. Emiss.* dicit: Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat, vt die cœnæ sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret nobis, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Secundò, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus, secundum illud Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentatiuum Dominicæ passionis. Cuius in veteri quidem Testamento præcipuum sacramentum erat agnus Paschalis, vnde & Apostolus dicit 1. Corint. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Successit autem & in nouo Testamento Eucharistiæ sacramentum, quod est rememoratiuum præteritæ passionis, sicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideo conueniens fuit, vt imminente passione, celebrato priori sacramento, nouũ sacramentum institueret. Vnde Leo Papa dicit, ꝙ, vt vmbræ cederent corpori, antiqua obseruantia nouo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur. Tertio, quia ea, quæ vltimo dicuntur, maximè ab amicis recedentibus magis memoriæ commendantur; præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero, ad quę magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur (vt beatus Alexan. Papa dicit) nihil in sacrificijs maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, ideo, vt in maiori veneratione haberetur, Dominus in vltimo discessu suo à discipulis, hoc sacramentum instituit. Et hoc est, quod August. dicit in lib. Respon. ad Ianuarium. Saluator, quo vehementius commẽdaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorũ, à quibus ad passionem digressurus erat.

Habetur de cõsec. d. 4. c. quia corpus assumptum homil. 4. in Pascha Domini, nõ longe à princip.

AD primum ergo dicendum, ꝙ ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, non tamen eodem modo nobis aduenientibus. Nam ea ex quibus sumus, nobis adueniunt per generationem: eadẽ autem, in quantum ex eis nutrimur, nobis adueniunt per manducationem. Vnde, sicut per baptismum regeneramur in Christo, ita per Eucharistiam manducamus Christum.

AD secundum dicendum, quod Eucharistia est sacramentum perfectum Dominicæ passionis, tanquam continens ipsum Christum passum. Et ideo non potuit institui ante incarnationem: sed tunc habebant locum sacramenta, quæ erant tantum præfiguratiua Dominicæ passionis.

AD tertium dicendum, ꝙ sacramentum illud fuit institutum in cœna, vt in futurum esset memoriale Dominicæ passiõis, ea perfecta. Vnde signanter dicit: hæc quotiescunque feceritis, de futuro loquens.

AD quartum dicendum, ꝙ institutio respondet ordini intentionis. Sacramẽtum autem Eucharistiæ, quanuis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intẽtione. Et ideo debuit prius institui. Vel potest dici, ꝙ baptismus iam erat aliqualiter

ter institutus in ipso Christi baptismo, vnde & iam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, vt legitur Ioan. 3.

COMMENTARIVS.

QVanquam videatur D. Thom. proponere absolutam quæstionem de conuenientia huius institutionis, re tamen vera solùm agit de circunstantia temporis in quo illa institutio facta est, & meritò, tum quia hoc propriè pertinet ad quæstionem, an est, quam in hac quæstione versat, tũ quia de cõuenientia ipsius institutionis in communi iam suprà dixerat, in particulari verò de conuenientia materiæ, & formæ, & præcipui mysterij huius sacramenti, scilicet realis præsentiæ corporis Christi, infrà proprijs locis dicturus est.

Respondet igitur, conuenientissimè instituisse Christum hoc sacramentum in vltima cœna, cùm iam suæ passioni, & morti esset vicinus, quod tribus rationibus ex sanctis Patribus depromptis elegantissimè, & clarissimè confirmat, neque eius litera maiori indiget expositione; vt res autem magis intelligatur, propriam de ea instituemus disputationem.

Solutiones argumentorum faciles sunt, præsertim solutio ad primum, in solutione verò ad secundum, sunt illa verba difficilia, Eucharistia est sacramentum perfectum, tanquam continens Concilium passum, & ideò non potuit institui ante incarnationem. Sed quia de hac re infrà sum ex professo disputaturus, hic solùm, quoad mentem Diui Thomæ, existimandum non est illum loqui de potentia absoluta, propter solam realem Christi præsentiam, id enim esset improbabile, vt prædicto loco, quæstione 75. ostendam. Et non est necessarium ad intentionem D. Thom. hic, vbi non de possibili absolutè, sed de eo, quod fuit conueniens, tractat, mens ergo Diui Thomæ fuit docere, primò sacramentum hoc, vt est signum rei præteritæ, scilicet, passionis Christi, non potuisse institui, vt esset in vsu ante ipsam passionem, quia fuisset falsa significatio. Secundò, si consideretur forma huius sacramenti, quatenus designat personam Christi subsistentem in natura humana, & per eã loquentem, vt in rigore significant illa verba. *Hoc est corpus meum*, sic impossibile esse intelligere institutionem talis sacramenti, cum eadem forma, & significatione, antequàm Christus in suo corpore existere, quia non potuisset illud relatiuum, *meum*, referre eodem modo corpus Christi, potuisset tamen hoc sacramentum, quatenus est quodammodo mysterium realiter continens corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini, ex Dei potentia, & voluntate institui, ante naturalem existentiam humanitatis Christi, absque illa præcisa verborum forma, vel significatione rei præteritæ, in hoc enim nulla contradictio inuoluitur. De solutione ad tertium inferiùs dicemus. In solutione ad quartum breuiter aduertatur, secundam solutionem esse veram, & propriam, certum est enim sacramentum Baptismi priùs tempore institutum esse, quàm sacramentum Eucharistiæ, quanuis præceptum Baptismi post Christi mortem datum fuerit, vt suprà in proprio loco tractatum est.

DISPVTAT. XLI.

De tempore institutionis huius sacramenti.

Tertia disputatio de Eucharistia.

MVlta possunt sub hac titulo comprehẽdi, quorum resolutio ex materia de incarnatione facilè constat, supposito vno principio fidei, scilicet, Christum instituisse hoc sacramentum in nocte cœnæ, pridie quàm pateretur, prout definitum est à Clemente. V. cum Concilio Viennensi in Clement. vnica, de reliq. & venerat. sanct. & à Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. & 2. Vbi dicit, hãc esse antiquorũ Patrum traditionẽ, nam Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. dicitur, tunc Christum consecrasse panem, & vinum, suisq; discipulis tradidisse, & prætereà addidisse illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem.* Per quæ dedit Apostolis, & eorũ in sacerdotio successoribus potestatẽ, & mandatũ illud conficiendi, & distribuendi fidelibus. Vnde apertè colligitur non effecisse illud opus, tanquam vnum ex alijs miraculis, quod ipse solus in sua persona effecit, sed instituisse illud in sacramentũ perpetuò in Ecclesia mansurũ, constat etiam non instituisse illud antea, & tunc illo fuisse vsum, sed illam fuisse primã institutionẽ, primumq; vsum huius sacramenti, non solùm, quia nulla mentio talis institutionis, ex Euangelio vel ex alia traditione habetur, nam licèt Ioan. 6. hoc sacramentũ fuerit promissum, nunquã tamen ante cœnã legitur exhibitum; sed etiam, quia ex modo narrationis, & verbis Euangelistarũ satis constat factũ illud fuisse nouũ, & nunquam antea à Christo vsitatum, constat ergo tunc primum factum esse institutionem; nam ibi fuit designata materia, & forma huius sacramenti, & data potestas illud conficiendi verbis illis. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt explicuit Concil. Trident. sessione 22. capit. 1. vnde ex tunc etiam cœpit habere vim promissio facta à Christo Ioan. 6. de effectu, & gratia per hoc sacramentum conferenda: illa enim ad tempus futuræ institutionis referebatur, qua facta, cœpit quasi obligare, imò in institutione quodammodò includi; institutum enim est hoc sacramentum, vt memoriale passionis Christi, & signum efficax gratiæ, verusque animarum cibus.

Clemens V. Concil. Vienen. Cõcil. Trid. Ioan. 6. Cõcil. Trid.

Ex hoc principio facilè definiri potest, quo anno, mense, & die institutum fuerit hoc sacramentum, constat enim institutum esse inchoato vltimo anno vitæ Christi, qui (vt ego opinor) fuit trigesimus quartus, licèt aliquorum probabilis opinio sit, fuisse trigesimum tertium, aliæ enim opiniones non sunt probabiles. Deinde etiam constat factam esse institutionem, primo mense lunari, qui iuxta computationem Iudæorum incipiebat in prima luna post æquinoctium vernale, qui est apud nos mensis, qui dicitur Martius, quanuis interdum partem aliquam etiam mensis Aprilis sub se complectatur. Denique constat etiam (vt existimo) sacramentum hoc institutum esse 14. Luna illius mensis, nam in illa iuxta legem Moysis cœnandus erat agnus paschalis, in qua cœna, vt dixi, hæc institutio facta est, quòd enim Christus ritum illius legis obseruauerit, & eadem nocte, qua alij Iudæi, cœnauerit, latissimè in proprio loco ostendi suprà quæst. 46. Tria igitur solùm possunt hoc loco desiderari. Pri-

Primum, in qua parte temporis illius decimæ quartæ Lunæ Christus cū Apostolis cœnauerit, & hoc sacramentum instituerit. Secundum est, quo tēpore cœnæ, seu quo ordine respectu aliarum rerū, quæ in cœna gesta sunt, atq; adeò qua hora noctis institutum fuerit hoc sacramentum. Tertium est, quæ fuerit ratio huius institutionis, id est; cur fuerit in illam noctem vltimæ cœnæ reseruata.

SECTIO I.

Vtrùm Christus instituerit hoc sacramentum decima quarta Luna ad exitum tendente, & decima quinta inchoante.

QVæstio hæc definita etiā est ex principio posito, q; Christus instituit hoc sacramentū eadem nocte, qua vltimā legalem cœnā perfecit, adiuncto alio principio à nobis etiā posito supra citata, q.46. disput.40. sect.2. & 3. vbi ostendimus iuxta præscriptū legis veteris, Phase fuisse comedendum in fine decimæ quartæ Lunæ, & initio decimę quintæ; atq; eodem tēpore fuisse à Christo Domino vltimā cœnam peractam. Nihilominus tamen, quia post editionē præcedētis tomi noua quædam cōtrouersia inter doctos viros exorta est, quorum scripta, vel tunc euulgata non fuerant, vel ad manus nostras non peruenerant, ideò ea diligētiùs hoc loco inquirere & examinare decreui.

Consistit autem punctus difficultatis in expositione illorum verborū Exodi 12. *Et seruabitis eum,* (idest, agnū) *vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorū Israel ad vesperam,* & difficultas est in illa particula, *ad vesperam,* an de priori, quæ erat principium diei decimæ quartæ, vel de posteriori, quæ finis erat eiusdē, sit intelligenda. Hebræi enim dies suos (præsertim in ordine ad suas festiuitates, vel solēnitates) à vespera vsq; ad vesperam cōputabant, iuxta illud Leuitici 23. *A vespera vsq; ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra:* dies autē ille decimus quartus, quāuis festiuus non esset, tamen ob solennem ritum Phase erat celebris, ac venerabilis, ideòque eodem modo à vespera incipiebat, & in alia vespera finiebatur; complectebatur ergo duas vesperas: priorem, & posteriorē, & ideò ambiguū relinquitur, de qua earū intelligendum sit suprà positum præceptum. De hac ergo quæstione breue opusculum edidit sapiētissimus Magister meus Luysius Legionensis, *Luysius Legionensis.* quod *de vtrisq; agni typici, atq; veri immolationis legitimo tempore* inscripsit, in quo demonstrasse se existimauit de priori, & non de posteriori vespera esse intelligendū, sententiāq; tam constanter defendit, vt contrariā, quanquā cōmunem & antiquam esse fateatur: ex vulgari errore ortam esse, initiumq; & occasionem pluriū aliorū errorum fuisse, affirmat. Hanc opinionem sequutus est ex parte Petr. Lopez de Montoya, lib. annot. in sacrum Can. Missæ. Fundamenta sunt. Primū, quia error prædictus (vt ipse ait) inde ortus est, q; vulgò diei vesperam, postremam diei partem esse omnes intelligunt, eo q; nostri dies noctu terminantur: est autem magnus error, inquit, de nostra cōsuetudine dies Hebręorū cōputare, cùm illi à vespera orirētur; & subsequēte mane clauderentur ante vesperam subsequentem ab illa enim iam dies insequens incipiebat: ergo, cū agnus in vespera decimæ quartæ diei immolari præciperetur, ea ineunte die immolandus erat; quia vespera non finem, sed initium diei significabat.

Secundum ac præcipuum argumentum conficit in hunc modum; quia eo tempore immolabatur ab Hebræis paschalis agnus, quo primum in AEgypto fuit ab eisdem immolatus: sed tunc immolarūt illū ineunte decima quarta die: ergo illud fuit semper legitimum tempus illius celebritatis; consequentia est euidens, & maior certissima ex capi. 12. Exodi, & ex fine illius præcepti, & sacrificij introducti, in memoriam beneficij ea nocte suscepti, quando angelus transiens percutiebat primogenitos AEgyptiorum, filios autem & domos Hebræorum transsiliebat propter signum sanguinis agni, quo domus Hebræorum erant intinctæ. Minor verò probatur primò ex Iosepho lib. 2. antiquitatum cap. 5. in verbo illo *appetente autem* (vt ipse vertit, Græcè enim Ενςταντος legitur) *decima quarta die omnes ad iter accincti sacrificabant, & sanguine domos lustrarunt.* Secundò ex Scriptura; nam Hebræi dicuntur egressi de AEgypto, quando egressi sunt de Ramesse AEgypti, iuxta illud Exodi 12. *Exod. 12.* *Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth,* sed de Ramesse egressi sunt noctu; sole occidente, in fine decimæ quartæ Lunę, inchoante iam decima quinta: ergo non potuerunt eadem nocte Phase celebrare: ergo celebrauerant illud antecedente nocte, initio Lunæ decimæ quartæ. Minor probatur quoad singulas partes, nam q; Hebræi noctu egressi fuerint de AEgypto, expressè legitur Exodi 12. *Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Quòd verò id fuerit in initio noctis, occidente sole, additur Deuter. 16. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Quod Phase (vt hic autor existimat) non erat agnus paschalis, sed aliud sacrificiū ex ouibus, & de bobus, vt ibidē dicitur, & ex Numer. 28. colligitur. *Numer. 33.* Quòd verò illa nox egressionis de AEgypto fuerit finis decimæ quartæ Lunæ, & initiū decimæ quintæ; cōstat apertè ex Numer. 33. *Profectiq; sunt de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi.* Vnde dici nō potest, Hebræos fuisse egressus post occasum solis, finito iam die decimo quinto, aliàs non essent egressi die decimo quinto, sed decimo sexto: ergo necesse est dicere fuisse egressos occidente sole, in initio diei decimæ quintæ. Atq; hinc necessariò cōcluditur prior cōsequentia, scilicet nō celebrasse eadē nocte Phase: quia Phase comederūt noctu, post occasum solis, in proprijs domibus, ex quibus iussi sunt nō egredi tota illa nocte, in cuius medio angelos pertransiuit, interficiens primogenitos AEgyptiorū, vt refertur Exodi 12. Vnde tandē patet vltima cōsequētia, necessariū, scilicet fuisse, vt nocte pximè antecedēte, quæ fuit initiū decimæ quartæ diei, agnū cœnauerint, atq; ita vnū ferè naturalē diē, inter noctem cœnæ agni, & egressionis ex AEgypto, intercessisse. Quod etiam videtur apertè scripsisse Moyses. *Num. 33.* Num. 33. *Profecti de Ramesse in mense primo in quinta decima die mensis primi, altera die à Phase, filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus: nam & in dijs eorum exercuerat vltionē.* Et quanquā Scriptura non tam apertè id diceret, res ipsæ, quæ gestæ legūtur ab esu agni vsque ad egressionē de AEgypto, illud tēpus, vt minimū, requirunt. Nam post cœnatum agnum tota illa nocte vsq; ad ortum diei intra domos suas perstite-

stiterunt, iuxta illud Exodi 12. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane.* Posteà verò (hortantibus AEgyptijs) post lucis ortū cœperunt omnes Hebræi ex omnibus vicis, in quibus habitabāt, congregari in Ramesse, vt inde simul exirēt. Nam, vt dicitur Exod. 12. *Profecti sunt de Ramesse sexcenta ferè millia peditum virorum absque paruulis, & mulieribus, sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cū eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.* Tanta autē multitudo non poterat priùs simul ibi habitare, ergo necesse fuit ibi denuò cōgregari: ergo, vt minimū, necessarius fuit dies integer, vt possent in eum locum cōuenire. Addere etiā possumus (quod Exodi. 12. legitur) filios Israel petijsse ab AEgyptijs vasa argentea, & aurea, vestemque plurimā, & c. q; nō potuit nocturno tēpore, & post mediā noctē fieri: factum est ergo diurno tempore inter duas noctes immolationis, & egressionis.

Tertium argumētū sumit ex facto Christi Domini, cuius occasione quæstionem hanc in præsente tractamus, nā Christus celebrauit vltimam cœnam legalē legitimo tēpore à lege præscripto, qoando totus populus agnum comedebat: sed Christus cœnauit cū discipulis in priori vespera decimę quartæ inchoantis lunæ: ergo illud erat legitimum tempus celebrandi Phase. Maiorē nunc supponimus, quia certissimam esse existimamus, vt superiori tomo diximus: minorem verò probat, quia Christus Crucifixus est proximo die artificiali, seu proxima luce, post noctem Cœnæ, vt ex Euangelio constat, non fuit autem Crucifixus decima quinta die, quia erat festiua, & solennis, in qua Hebræis non licebat iudicia exercere: ergo fuit Crucifixus decima quarta currente, quæ erat Parasceue Paschæ, vt dicitur *Ioan. 19.* Ioan. 19. cœnauerat ergo eadem decima quarta Luna inchoante. Atque hoc modo meliùs respondet figuratum figuræ, quia nimirùm eadē die decima quarta, quanuis non eadem hora, qua immolabatur agnus, Crucifixus est Christus. Vnde tandem iuxta hanc sententiam conficitur, typicum Eucharistię sacrificiū eadē decima quarta Luna inchoāte ad vesperam institutum, atque oblatum esse: quia eadem nocte, paulò post Cœnam legalem, sacrosanctum Eucharistiæ mysterium peractum est.

Hæc sententia, quāuis ingeniose quidem, & magna probabilitatis specie confirmata, non minùs nūc mihi displicet, & falsa esse videtur, quàm in præcedente tomo visa fuit, atq; idem iudiciū fuit Patris *Franc. Ribe.* Francisci Riberæ in opera de Templo, & his, quæ ad ipsum pertinent, lib. 5. cap. 5. Sebastianus etiam *Oxomensis.* Episcopus Oxomensis explicans hanc eadem D. Thom. quæstionem artic. 5. & sequentibus. q. de Azymo. n. 20. contrariā sententiam, tanquā certam sine disputatione, quāuis non sine sufficiēte probatione, affirmat. Dicendū est ergo, Christū Dominū vltimā Cœnam legalē peregisse in posteriori vespera decimę quartę diei, quæ erat illius finis, & initiū decimæ quintæ, tēpore nimirùm à lege præscripto, & tunc etiā Eucharistiæ mysteriū institutū esse. Hanc sententiā probaui in citato loco, sacræ Scripturæ, & veterū autoritate, & in summa ferè nihil addendū occurrit, sed oportet illa eadem ampliùs explicare, roborare, & defendere. Prima ergo probatio, quæ ex Scriptura sumitur, &, mea sentētia, euidens est, fundatur in hoc, quòd lex Exo. 12. Leuit. 23. Num. 28. solùm septē dies azymorū obseruare præcipiebat, qui ab eadem vespera, in qua agnus comedebatur, incipiebāt, & in vltima vespera vigesimæ primæ diei eiusdē mensis finiebantur. Vnde necessariò cōcluditur, vesperā, in qua incipiebāt dies azymorū, fuisse finē decimæ quartæ Lunæ, & initiū decimæ quintæ: quia ab illo die vsq; ad vigesimū primū inclusiuè septē numerantur dies: sed esus agni & azymi dies simul incipiebant: ergo agnus comedebatur eadē vespera, quæ erat initiū decimæ quintæ Lunæ, & finis decimæ quartæ.

Ad hāc rationē respōdet latè Aloysius, & in summa negat, dies azymorū propriè dictos incepisse simul cū esu agni, sed postridie in prima vespera sequentis diei, nā initio decimæ quartæ Lunę, quādo comedebatur agnus, prohibebatur fermentū solū in ipsa cœna legali agni, non tamē in reliquo tempore illius diei decimi quarti, in quo non erat prohibitū adhibere fermētatū panē ad alias communes epulas, & ideò dies illa decima quarta nō erat simpliciter dies azymorū, sed tantùm secundū quid, scilicet, quoad sacramentalē actum Cœnæ legalis, septē autē dies azymorū, qui in Scriptura numerantur, intelliguntur de azymis simpliciter, in quibus, quoad omnē cibū, fermentū erat prohibitū. Vnde, si in cōmuni loquamur de diebus azymorū, siue simpliciter, siue secundū quid, nō veretur hic autor cōcedere fuisse octo, putatq; esse sententiā Iosephi li. 2. Antiquitatū cap. 5. Hāc verò azimorū distinctionē, & sacræ Scripturæ interpretandæ rationē meritò improbat Petrus Mōtoya, dicitq; scriptas misisse rationes suas ad prędictū Aloysium, illisq; adeò *Pet. Mōto.* ipsum permonuisse, vt ei rescripserit, illam expositionē dierū azymorū sibi iam displicere, aliamq; fuisse traditurū in secūda eiusdē libri editione, quā morte præuentus perficere nō potuit. Prima ratio est, quia dies ille, in quo immolabatur agnus, simpliciter vocatur in Scriptura primus dies azymorū: ergo simpliciter erat dies azymus, ita vt in eo esset omnino prohibitū fermētum: antecedēs est expressum Marci. 14 *Erat autē Pascha & azyma post biduū* incipiebant ergo simul Pascha & azyma simpliciter dictū, & expressiùs infrà. *Primo die azymorū: quando Pascha immolabāt.* Idē fere Matth. 26. & Luc. 22.

Videri autem possunt hæc Euangeliorū testimonia nō conuincere, quia in eis primus dies azymorū vocatur ipsamet decima quarta Luna, nā eo die venerūt discipuli ad Christū interrogantes, *Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha?* ergo nondùm inceperāt dies simpliciter azymi: ergo necesse est, vt ibi dies azymorū latiùs summantur. Sed in primis hoc argumentū fortiùs vrgeri potest in contrariā sententiam, nam si agnus immolaretur in initio Lunæ decimæ quartæ, necesse est, illa verba, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* dicta esse ab Apostolis die decima tertia ante meridiem, vel circum circa: nam saltem illud tempus necessarium erat ad parandū omnia necessaria ad cœnam agni sequente vespere futuram, & ita iuxta hanc opinionem dies decimę tertiæ Lunæ vocaretur prima dies azymorum, & ita etiam in aliquo sensu essent nouem dies azymorū, vtrumque autem inauditū est. Deinde omissa quorundam Græcorum expositione dicentium, primū diem azymorum ibi significare decimam quintam Lunam, nondùm præsentem, sed proximè instantem: concedo, decimam quartam Lunam ibi appellari primum diem azymorum, hoc autem nihil obstat argumento facto, quia omnino certum est, illā diem, de qua Euangelistæ loquuntur iuxta hanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

expoſitionē non vocari diem azymorũ propter aliquem vſum panis azymi, qui vel in priori veſpera eiuſdem diei præceſsiſſet, vel in toto illo die obſeruandus eſſet, ſed ſolùm, quia in fine illius diei naturalis inchoandus erat azymorum vſus, quia tunc eo die, quo acceſſerunt diſcipuli ad Chriſtum, nondùm erat eſus paſchalis agnus, ante cuius eſum non incipiebant panes azymi, nec ſimpliciter, nec ſecundùm quid. Quomodocunque ergo exponatur ille primus dies azymorum, talis appellatur per reſpectum ad azyma ſimpliciter, quod in initio decimæ quintæ Lunæ incipiebat, & ita iuxta legalem, ſeu ceremonialem dierum computationē decima quinta Luna vocatur ſemper primus dies azymorum in veteri teſtamento Exodi. 12. Leuit. 23. Num. 28. iuxta naturalem verò dierum curſum, totum à parte denominando, decima quarta Luna dicitur interdùm prima dies azymorum in Euangelio, vt etiam annotaui præcedente tomo. diſput. 40. ſect. 2. vbi in eodem ſenſu explicui ſuprà citatum locum Ioſephi de octo diebus azymorum, vt ſcilicet de naturalibus, non de legalibus, intelligatur, ita tamen vt omnes dicantur azymi ſimpliciter per reſpectum ad eandem obſeruantiam, & prohibitionem fermēti, nam re vera hæc appellatio *dierum azymorum* magis in priuatione, & prohibitione fermenti, quàm in poſitiuo vſu panis azymi conſiſtebat, vt ex Deuter. 16. in loco citato præcedentis tomi annotaui. Et confirmari hoc poteſt ex illis verbis Lucæ. 22. *Appropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur paſcha.* Vbi certum eſt ſermonem eſſe de die decimo quinto, & ideò de illo nō dicit Euangeliſta, erat autem, ſed, *Appropinquabat autem*, neque eum tantùm vocat diem azymorum, ſed diem feſtum azymorũ: quia nō omnes dies azymorũ erāt feſtiui erās, ſed ſolũ primus & ſeptimus ex his diebus, qui azymi ſimpliciter, vt eſt euidens in Scriptura: certũ eſt autem, Lucam non loqui de die ſeptimo: loquitur ergo de die primo ſimpliciter azymo, & tamē illum dicit appellatum eſſe, *Paſcha*, quia nimirùm in initio eius occidebatur paſcha, id eſt, agnus, ſic enim ea voce vtuntur Euangeliſtæ, & ipſemet Lucas paulò inferiùs.

Atque hinc ſatis probata relinquitur conſequentia primi argumenti, tum quia ille dies, non ſolùm dicitur in Scriptura dies azymorum, ſed etiam dies feſtus azymorum, quod non conuenit, niſi primo dierum inter azymos ſimpliciter, nam ille autor, qui finxit, fuiſſe alium priorem diem azymum ſecundùm quid, fatetur illum non fuiſſe diem feſtum tum etiam quia in Scriptura nullum eſt veſtigium illius diſtinctionis azymorum, ſecundùm quid, & ſimpliciter, ſed, vbicunque de diebus azymorũ loquitur, intelligit illos dies, in quibus erat prohibitum fermentatum, tum denique quia Exodi. 12. ſatis apertè dicitur, à primo die fuiſſe prohibitum fermentum. *Septem*, inquit, *diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris vſque ad diem ſeptimum, &c.*

Secundum argumentum ſumitur ex traditione, ex qua conſtat, ab ea veſpera, in qua præcipiebatur comedi agnus, fuiſſe ſimpliciter prohibitum fermētum, etiam in communi prandio & vſu. Propterea enim Eccleſia Latina verius & certius exiſtimat, Chriſtum Dominum conſecraſſe in pane azymo: quia conſecrauit in eo tempore, quo erat prohibitus fermentatus, hoc autem non aliunde colligit, niſi quia conſecrauit decima quarta Luna ad veſperam, poſt inchoatam, vel etiam conſummatam cœnam agni: ergo ab illa veſpera erat ſimpliciter prohibitum fermentum, vſque ad vigeſimam primam diem. Et declaratur vis argumenti, nam, iuxta priorem ſententiam, poſt cœnam agni finitam, licebat vti fermētato in cœna vſuali, ſicut in quolibet alio communi prandio illius diei: Chriſtus autem (vt infrà oſtendemus) conſecrauit Euchariſtiam, poſt finitam cœnam legalem in vſuali cœna, vel proximè ante illam. ergo, ſi iam tunc licebat vti fermentato, veriſimilius eſt, Chriſtum in fermentato pane conſecraſſe, vel ſaltem nullo ſufficiente fundamento, ſed ad ſummum probabili coniectura, potuit Latina Eccleſia credere confeciſſe in azymo. Addo vlteriùs non ſolùm hunc fuiſſe ſemper ſenſum Eccleſiæ Latinæ, ſed etiam Græcæ, nam propterea Græci exiſtimarunt, Chriſtum in fermentato conſecraſſe, quia crediderunt, Chriſtum vno die anticipaſſe legitimum tempus legalis cœnæ, in quo nondùm erat prohibitum fermentum. Neque enim ipſi negarunt, Chriſtum, & Apoſtolos in cœna legali vſos fuiſſe pane azymo: illa enim ceremonia erat lege præſcripta, & neceſſaria ad illud ſacrificium peragendum, nec vlla fuit Chriſto occaſio, illam prætermittendi, tamen, quia Græci putant poſt illam cœnam licuiſſe ad fermentum redire, ideò exiſtimant, Chriſtum in fermentato conſecraſſe, atque ita contraria opinio dat Græcis quidquid ipſi deſiderant ad ſuam opinionem, & diſcedit ab eis in eo, in quo ipſi cum Latina Eccleſia conueniunt, ſcilicet, iuxta præſcriptum legis non licuiſſe poſt cœnam agni redire ad fermentum, Chriſto autem id licuiſſe (addunt Græci) quia anticipauit tempus à lege præſcriptum, in quo nondùm obligabat prohibitio fermenti. Denique addo, non ſolùm ex Latinorum, & Græcorum, ſed etiam ex traditione Hebræorum conſtare, ſimul cum azymis agni Paſchalis incepiſſe prohibitionē totius fermēti in domibus Iudæorum, atque ideò nullum eſſe diem azymũ ſecũdùm quid abſq; azymo ſimpliciter: antecedens patet ex traditione Hebræorũ, quã ex principio libri Thalmudici, qui Peſachim, id eſt Paſcharũ, inſcribitur, refert Ianſenius capit. 144. Cōcordiæ: aiunt enim, Hebræos ea nocte, qua agnum cœnabāt, ſolitos fuiſſe inquirere fermentum ad lumen lucernæ, eò quòd exiſtimarent, è domibus ſuis eſſe eijciendũ tanquā ſibi prohibitum ab eo tempore, & eadem traditio poteſt ſumi ex Ioſepho loco ſtatim citādo. Tertiò tandem in huius veritatis confirmationem expendere, ac pōderare poſſumus verba Exodi. 12. vbi primòm præcipitur ſacrificium agni cum omnibus ceremonijs ad illud pertinētibus, deinde præcipitur obſeruatio feſti azymorum, per ſeptē dies integros, à quarta decima die ad veſperā, vſq; ad vigeſimā primā ad veſperam. In quo conſidero, eodē modo dici, agnum fuiſſe immolandum decima quarta die ad veſperā, & azyma fuiſſe inchoandum decima quarta die ad veſperam, vbi euidenter eſt ſermo de azyma ſimpliciter: quia eſt ſermo de azyma ſeptē diebus integris ſeruando: ergo verba illa, *quarta decima die ad veſperam*, eodem modo ſunt in vtroque loco intelligenda: gratis enim, & ſine vllo fundamento in vno loco de priori, in altero de poſteriori veſpera intelligeretur: ergo ſimul in eadē veſpera comedebatur agnus, & incipiebat prohibitio fermenti, & azyma ſimpliciter.

Ianſenius.

Atque

Atque ex hoc eodem teſtimonio euidenter, vt exiſtimo, refelluntur duæ aliæ euaſiones rationis factæ, quæ ex illo opuſculo Petri Montoya ſumi poſſunt. Primò enim reſpondet, concedi poſſe, obſeruatos eſſe à Iudæis octo dies azymorum integros & legales, tamen diuerſis rationibus, & præceptis. Primus eorũ erat decima quarta Luna, à prima veſpera vſque ad finem diei, in quo comedebātur azymi panes propter eſum agni in memoriam tranſitus angeli percutientis, alij verò ſeptem propter ſpecialē ſolennitatem azymorum, quæ incipiebat proximè poſt decimā quartā Lunam, in principio decimæ quintæ, in memoriam egreſsionis de AEgypto, & azymorũ panum, quos eodem die in Socoth comederunt. Et de hac tantùm poſteriori ſolennitate loqui Scripturam veterem, vbicunq; numerat tantū ſeptem dies azymorum, & eorum primum vocat celeberrimum, atq; ſanctiſsimum, quem ſemper dicit incipere decima quinta die, quæ fuit dies egreſsionis de AEgypto, vt conſtat Exod. 12. & 13. Leuit. 23. Deuter. 16. Numer. 28. quibus etiam locis fit mentio decimi quarti diei, tāquam diuerſæ ſolennitatis, & obſeruationis azymorum, vt patet ex illis verbis Num. *Menſe primo, decima quarta die, ad veſperam Phaſe Domini eſt, & quinta decima die, ſolennitas azymorum*, & ex illis Exodi. 12. *Primo menſe, decima quarta die menſis ad veſperam comedetis azyma, vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis, ad veſperam.* Sed hæc reſponſio, vt ipſemet eius autor videre viſus eſt, magnā vim infert Scripturis, vt patet, primò ex eiſdē verbis proximè ab eodē adductis, *Primo menſe*, &c. poſt quæ ſtatim ſubdit Scriptura, *Septem diebus fermentum nō inuenietur in domibus veſtris*; ergo apertè declarat Scriptura ab illa veſpera decimæ quartæ Lunæ, vſq; ad illā veſperā vigeſimæ primæ, quo tēpore immediatè ante præceperat comedi azyma, tantũ numerari ſeptē dies, & tamen in illa numeratione etiam concluditur, azyma comedē dum cũ agno Paſchali, nam illud erat edēdum decima quarta Luna ad veſperā. Atq; hinc conficitur ſecundũ argumentum ſuprà indicatum, nam, ſicut agnus, ita & panis azymus, præcipitur manducari decima quarta Luna, ad veſperā: ergo vtrobiq; eadē veſpera accipienda eſt, propter argumentum ſuprà factũ: ergo vel illa eſt ſecunda veſpera (quod intendimus) & ſic impoſsibile eſt numerari octo dies azymorũ, vt per ſe cōſtat, vel eſt prima veſpera, & tunc ſequitur, verba etiam illa, *Vſque ad diem viceſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam*, intelligenda eſſe de prima veſpera vigeſimi primi diei: quia eſt idē locutionis modus, & eadē ratio ſignificandi per veſperā initiũ diei, & quia aliàs erit volũtaria interpretatio, & æquiuocatio. Atq; hoc etiam modo, tantùm numerabuntur ſeptē dies azymorũ quanquàm ille modus Scripturis etiā repugnet, vt ſtatim oſtendā. Tertiò obſtat huic euaſioni, quòd ſine fundamento Scripturæ affirmat, toto die decimæ quartæ Lunæ fuiſſe prohibitum fermentũ, ſupponendo agnum fuiſſe immolatum in initio illius diei, & adhuc ſupereſſe ſeptē integros dies azymorũ, à principio decimæ quintæ Lunæ inchoandos, quod acutè & conſideratè perſpexit Aloyſius, & ideò illam ſuam diſtinctionem confinxit. Antecedens patet, nam Exod. 12. vbi lariùs deſcribitur, & præcipitur ſacrificium agni decima quarta Luna ad veſperam, præcipitur quidem vſus azymorũ in illa cœna, de reliquo verò tempore illius diei nulla fit mētio, nullaue prohibitio fermenti, donec inferiùs ſeptē dies azymorum præcipiuntur, vbi ſtatim ſubditur. *In die primo non erit fermentum in domibus veſtris, vſque ad ſeptimum*, & inferiùs additur, *Septē diebus fermentatum non inuenietur in domibus veſtris*; & ſimiliter dicitur Leuitici. 23. & Num. 28. octaui autē diei nullibi fit mentio. Quartò tādem, nunquā in Scriptura ſacra decima quarta Luna vocatur primus dies azymorum, ea ratione & modo, quo hæc ſententia loquitur, nam, in teſtamento veteri, primus dies azymorum ſemper ſignificat diem decimæ quintæ Lunæ feſtiuam, atque ſolennē, vt manifeſtè patet ex citatis locis. At verò in Euangelio, quāuis interdum dies decimæ quartæ Lunæ dicatur dies azymorũ, nō tamē, quia ab initio eius diei comederetur azyma, ſed quia in fine illius erat comedendũ, vt patet apertè ex ſuprà dictis, nā quādo diſcipuli dicuntur acceſsiſſe ad Chriſtũ primo die azymorũ interrogantes, *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* nōdum inceperat vllum azyma, quia nondùm aduenerat tempus comedendi agnum. Vnde iuxta hanc etiam ſententiam dicendum eſſet, illam fuiſſe decimam tertiam Lunam currentem, eamq; vocari ab Euangeliſtis primam azymorum: ſicque aliquo ſenſu numerari poſſe nouem dies azymorũ, quæ planè ſunt abſurda in Scriptura. Neque illa, quę hic autor in huius reſponſionis perſuaſionē ex ſacra Scriptura adducit, difficultatem habent, fatemur enim celebritatem Phaſe, & ſolennitatem azymorum eſſe diuerſas, in præceptis, in actionibus, in finibus ſeu rationibus earum, & aliquo modo in tēporibus, non ita vt inter vnam, & alteram tempus aliquod interponeretur, ſed quod tempus Phaſe quoad immolationem agni inciperet ad veſperam diei, vergente iam ſole ad occaſum, & ſtatim poſt ſolis occaſum, oriente iam Luna decima quinta, & agnus ederetur, & ſimul inciperet azymorum ſolennitas, quæ omnia in præcedente loco ſuperioris tomi latè tractata, & demonſtrata ſunt.

Altera reſponſio prædicti autoris eſt, dies azymorũ omnino eſſe tantùm ſeptem, eoſq; numerari incipere à prima veſpera Lunę decimę quartæ, finiri verò in prima veſpera Lunæ vigeſimæ primæ, & conſequenter, quod Scriptura dicit, ſeptem dies azymorum obſeruandos fuiſſe vſque ad vigeſimam primam diem ad veſperam, intelligendum eſſe excluſiuè, & de prima veſpera vigeſimi primi diei, vt idē ſit, inquit, vſque ad veſperā diei vigeſimi primi, & vſq; ad initium vigeſimi primi diei, iuxta Hebræorum computationem. Sed hæc interpretatio, & diuinæ Scripturæ, & toti antiquitati repugnat.

Primò enim conſtat ex diuina Scriptura primũ diem azymorum non fuiſſe decimā quartam Lunā ſed decimam quintam, primum (inquam) diem azymorum intrinſecè ac legaliter (vt ſic dicam) quod ideò aſſero, quia, vt iam dixi decima quarta Luna vocatur in Euangelio primus dies azymorum magis ſecundùm naturalem ordinem dierum, quàm legalem, & ſolùm quaſi extrinſecè, eò quod in fine illius diei inciperet azyma, non verò quaſi intrinſecè quia in toto illo die, ſecundùm computationē legalem, obſeruatio azymorum, & abſtinentia à fermentato obligaret. Hoc autem, ex nouo teſtamento, iā ſuprà oſtenſum eſt, ex veteri autem teſtamento patet primo ex Leuit. 23. *Menſe primo quarta decima die ad veſperam phaſe Domini eſt, & quinta decima die menſis huius ſolennitas azymorum Domini eſt*, incipiebat

ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo solennita azymorum in die decimo quinto, ille ergo erat primus azymorum, atque idem dicitur Num. 28.

Secundò, dies primus azymorum dicitur solénis & festiuus, in quo nullũ seruile opus agere licebat, eisdem locis, & Exod. 12. sed dies decimus quartus non erat festinus, neque in eo necessariò vacandum erat à seruilibus operibus, vt omnes Doctores antiqui, & moderni docent, exponentes verba illa loã. 13. *Ante diem festum Paschæ*: nam ille dies festus erat decimus quintus, in quo mortuus est Christus, & dies, qui illum præcessit, sine dubio nõ erat festiuus quia in tota illa celebritate Paschali tantùm duo erant dies festiui, quorum vnus erat dies decimus quintus, & alter vltimus azymorum, vt patet apertè Leuit. 23. verbis paulò antea citatis, & alijs etiã locis sæpe notatis. Vnde nullibi legitur prohibitio operum seruilium in die Lunæ decimæ quartæ, & ideò Marci. 14. legimus, eo die dixisse Christũ discipulis, *Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenã aquæ bajulans, sequimini eum*, &c. vsque ad illud, *Illic parate nobis*, non ergo erant illo die prohibita opera seruilia: ergo non erat ille dies festus, quia sine vacatione ab opere seruili non est dies festus, vt per se constat, & in specie notauit Iosephus. 3. Antiquitatum, capit. 10. atque in hoc conueniunt omnes autores infrà citandi: ergo sub hac voce, *primus dies azymorum*, nunquam intelligitur in testamento veteri Luna decima quarta: ergo initium azymorum nullo modo sumi potest à prima vespera Lunæ decimæ quartæ.

Tertiò hinc planè sequitur, diem vigesimam primam non posse excludi à numero septem dierum azymorum, sed illam fuisse vltimam æquè festiuã & celebrem, ac primã, quia, si dies decima quinta est prima, non possunt ab ea numerari septem dies, nisi includatur tota dies vigesima prima vsque ad vltimam eius vesperam.

Ad has verò obiectiones respondẽt, diẽ decimũ quintum nõ vocari in lege veteri primũ azymorũ, sed primum solennitatis azymorũ, atq; ita esse primum, non simpliciter in ordine azymorum dierũ, sed solùm quoad solennitatem, & festiuitatẽ, diem verò septimũ vtraq; ratione vltimũ esse, vocari autem septimũ non in ordine ad priorẽ diem festum sed in ordine ad primũ diem azymorũ simpliciter. Sed in his omnibus (quæ re vera omnibus expositoribus contraria sunt) magna vis infertur Scripturę, nam Exodi. 12. sic scribitur. *Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris*, vbi sine dubio dies primus absolutè dicitur in ordine dierũ azymorũ, quia eorũ tantùm facta erat mentio, & nõ alicuius festiuitatis, & tamẽ de hac festiuitate proximè subiũgitur, *Dies prima erit sancta, atque solennis*, in quibus verbis nõ aliter sumitur dies prima, quàm in præcedentibus, tũ quia est quæ dã velut repetitio eiusdem diei, & sanctificatio illius, tum etiã quia eodẽ modo dicitur statim dies septima eadem, quæ in priori dierũ numero septima erat, tũ præterea, quia magna fuisset æquiuocatio, tũ deniq; quia in illis verbis nõ potest vocari dies prima ratione solẽnitatis & festiuitatis, quia nõdũ hoc statutũ fuerat, sed illis eisdẽ verbis præcipiebatur, esset enim ineptissimus sensus, si ita diceretur, prima dies festiua erit vobis sancta & solẽnis, est ergo sensus, prima dies azymorũ erit vobis sancta, atque solẽnis, & dies septima similiter azymorum eadem festiuitate venerabilis. Id quod euidentiùs cõstat ex verbis Numer. 28. *Septem diebus vescẽtur azymis: quarum* (vtique prædictarum septem dierum) *prima venerabilis & sancta erit, omne opus seruile nõ facietis in ea*: ergo eadem, quæ erat prima inter septem dies, erat festiua & solẽnis. Idẽ colligitur ex. Leuitici. 23. Ex quibus locis aliud conficio argumentũ, nam ex prædicta interpretatione sequitur à primo die festo azymorũ, vsq; ad secundũ diẽ festiuũ qui erat vltimus azymorũ, tantùm sex dies numerari: cõsequens est omnino, falsum, tum quia generaliter, quandocunq; Iudæi solennitatem aliquam septem diebus celebrabant, primus & vltimus totius solẽnitatis erant festiui, vt patet de Scenopegia Leuit. 23. & Numer. 29. Eodem autem modo loquitur Scriptura de azymorũ solennitate: tum etiam quia Leuitici. 23. & latiùs Numer. 28. præcipiuntur varia sacrificia diebus azymorũ perficienda, & posteà subiungitur, *Hæc facietis per singulos dies septem dierum*: at verò certissimum est in die decimæ quartæ Lunæ, quãdo offerebatur agnus, nullũ aliud sacrificiũ fuisse offerendũ ad solennitatẽ azymorum pertinẽs, vt constat Exodi. 12. & alijs suprà citatis locis: ergo illa sacrificia incipiebant offerri in decimo quinto die, quæ propterea nõdũ comederãt Iudæi, quando mortẽ Christi procurabãt, & ideò de illis dixit Ioan. c. 19. *Non introierunt prætorium, vt non cõtaminarentur, sed vt manducarent Pascha*. Igitur si illa sacrificia septem diebus erant offerenda, oportet, vt à decimo quinto die festiuo vsque ad vltimũ septem dies integri numerentur, atque adeò, vt totus vigesimus primus includatur.

Aliud prætereà argumentum ex eisdem locis desumi potest, nã ex prædicta interpretatione sequitur, manipulũ primitiarum fuisse offerendum tertia die azymorũ: qui Leuit. 23. & Deut. 16. præcipitur offerri altero die à primo festo azymorum: si ergo ille primus dies festus nõ erat primus azymorũ simpliciter, sed secundus, sequitur, diem oblationis manipuli primitiarũ fuisse tertiũ: consequens est planè falsum, vt constat tũ ex omnium sententia, tum ex celebratione festi Pentecostes, quod post quinquaginta dies numerãdos à die, in quo offerebatur manipulus, celebrabatur: constat autem ex die aduentus Spiritus sancti necessarium esse eos dies numerare à secundo die azymorum, vt latiùs tractaui superiori tomo, disput. 45. sect. 1. tum denique quia id expressè affirmat Iosephus li. 3. Antiquit. c. 10. Ex quo loco tota doctrina à nobis tradita manifestè cõfirmari potest. *Secunda*, inquit, *azimorũ die, quæ est mẽsis huius decima sexta, fructibus demessis, & hactenus intactis incipiũt frui, æquũq; rati, Deũ huius vbertatis autorem per gratitudinẽ honorari, hordei primitias offerũt in hunc modum, spicarũ manipulum ignis torrent*, &c. Ecce vbi manipulum dicit offerri secunda die azymorũ, item eam diem fuisse dicit decimam sextã mensis, quam non potuit vocare secũdam azymorum in ordine festiuitatũ, quia nõ erat festiuus: ergo in ordine azymorũ simpliciter, atq; ita in eodem sensu paulò antea quintam decimam diẽ vocauerat, *azymorum festiuitatis primã*, vbi *festiuitatem azymorum* vocat, nõ tantũ dies prohibitos à seruilibus operibus, sed absolutè totum ritum azymorũ, de quo subdit, *Nam hoc festum priori* (id est, sacrificio agni Paschalis) *continenter succedit, duratq; dies septem, per quos panibus non fermẽtatis vescuntur, & per singulos dies tauri ingulãtur duo*, &c. Ex quibus verbis etiam confirmatur secunda ratio contra hanc expositionem facta, nam ex illis constat, septem dies azymorum per se numerari, in quibus omnibus propria sacrificia offerebãtur, distincta ab agno Paschali. Satis ergo ex his omnibus constant omnia, quæ in hoc primo ac præcipuo fundamento nostræ sententiæ assumpsimus, scilicet solùm esse septem dies azymorum, numerarique à prima vespera Lunæ decimæ quintæ, & simul cum esu agni Paschalis incepisse, vnde fit consequens, tempus immolandi agnum fuisse posteriorem vesperam decimæ quartæ Lunæ, quæ proximè conũ gebatur cum initio decimæ quintæ.

Secundò principaliter probatur nostra sententia ex verbis ipsiusmet legis, adiunctis his, quæ antecedunt, & sequuntur in 12. c. Exodi. Nõ enim (vt cõtraria opinio obijciebat) antiqua hæc, & recepta doctrina fundatur in aliquo vulgari errore, aut circa significationem huius vocis, *vespera*, aut circa modũ computãdi dies Hebræorũ. Admittimus enim, dies Hebræorum, saltem ceremoniales (quod præsentì instituto satis est) incipere à vespera vsque ad vesperam, & consequenter in quolibet die duas vesperas, priorem & posteriorem numerari posse, quã quam non omnino eiusdem rationis: Hebræi enim (vt citato loco præcedentis tomi dixi) duas vesperas diei naturalis numerant. Vna, quæ est pomeridiana, maximè à tertia vel quarta hora post meridiem vsque ad occasum solis, & hæc erat propriè posterior vespera, & finis diei ceremonialis. Alia vespera dici potest nocturna, ab occasu solis vsque ad perfectas tenebras, in crepusculo scilicet noctis, & hæc erat propriè initiũ sequentis feriæ, seu festiuitatis, & propriè non pertinebat ad præcedentem, nisi ratione cursus naturalis eiusdem diei. Quotiès igitur hæc omnia vera sint, nihil obstant, quominùs verba illa huius legis, *Immolabitq; hæc totus vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, intelligenda sint de posteriori vespera decimæ quartæ Lunæ. Primò quidem, quia ibi iuxta veriorem interpretationem sermo est de vespera pomeridiana ante occasum solis, imò est de vespera pomeridiana ante occasum solis, aut saltem illa præcipuè includitur: nam est sermo de immolatione agni, quæ cœnam antecedebat, & fiebat ante solis occasum, vt ex Iosepho & alijs ostẽsum est, in illis verbis, *Decima quarta Lunæ ad vesperam comedetis azyma*, necessarium esse sermonẽ de posteriori vespera: quia est sermo de azymo simpliciter, quod non incipiebat ante initium decimæ quintæ Lunæ. Item ostendimus, in illis verbis, *vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*, etiam intelligi posteriorem vesperam, quia in diebus azymorum necessariò debet includi totus vigesimus primus dies, imò ad hoc significandũ addita videtur illa particula, *ad vesperam*, nam si dictum esset tantùm fuisset vsq; ad vigesimam primã diem in sensu excluſiuo, nõ oportuisset quicquam addere: quia ad attingẽdum vigesimum primũ diem necessariũ erat attingere exclusiuè saltem primam vesperã eius vt per se constat, addita est ergo illa particula, *vsque ad vesperum*, vt significetur percurrendũ fuisse totum vigesimum primum diem vsq; ad finem eius, quod etiã ipsa particula, *ad*, denotare videtur, vt patet etiam ex alijs locis Leuit. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, & Genes. 30. *Redeũtique ad vesperam pascit de agro* (id est, in fine diei) Iosue. 7. *Cecidit in terrã coram Arca Domini vsque ad vesperam*, & hæc est perpetua phrasis Scripturæ, vt vespera diei significet absolutè finẽ diei, & fieri aliquid ad vesperã significet fieri in fine diei. Atq; hinc sumo tertiũ argumentũ, nam illa particula, *ad vesperam*, non sine causa addita est prædictæ legi, in alijs enim solennitatibus, cùm dies aliquis celebrari præcipitur, absolutè id fit nulla determinatione facta, solũ, quando fit mentio Phase, determinatur hora, scilicet, decima quarta dies ad vesperam vt patet in prædicta lege Exod. 12. & Leuit. 23. *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam, Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solennitas azymorum Domini est*, & sic de cæteris diebus, quæ ibi numerantur. Ratio autem huius nulla est alia, nisi quia in cæteris diebus integri dies ad talem celebritatẽ, vel festiuitatẽ pertinebant, aliquicũ; præcipiebatur totis illis diebus observandũ, vt cessatio ab operibus seruilibus, vel abstinentia à fermentato, vel aliquid simile, in die verò decimæ quartæ Lunæ nihil præcipiebatur, præter immolationem Phasę, in vespera illius diei efficiendam. Vnde, vt suprà dicebam, tota reliqua pars illius diei nec festiua erat, quia in ea non erant opera seruilia prohibita, neque ad dies specialium solennitatẽ pertinens, quia nulla specialis ceremonia in ea præcipiebatur, sed erat communis, sicut cæteri dies: ergo solem vespertinum tempus, & pars illius diei postrema sera erat, & ad immolationem agni destinata.

Hoc argumentum latè proponit Ribera suprà 4. loco, quod dicit esse tam illustre ac validum, vt alia frustrà

frustrà requirantur:multaque eruditè congerit in probando antecedente,in quo nullam rationem dubitandi inuenio:quia neque autor præcipuus contrariæ sententiæ illud negat,neq; vllus vnquam dixit(quod ego viderim)totum diem decimæ quartæ Lunæ esse festiuũ, aut in eo fuisse opera seruilia prohibita,imò neque totum fuisse feriatum aut sacrum,ob aliquam ceremoniam ad totum diem pertinentem,nisi fortasse qui existimant , illum fuisse primum diem azymorum simpliciter, quorum sententiã ostendimus esse improbabilem. Itaque certũ est, tantùm vnam vesperam illius diei esse sacram. Quòd autem illa vespera fuerit secunda,& non prima(quæ est argumenti consequentia) Ribera non probat,cùm tamen,nec per se notum sit,nec necessariam connexionem habeat cum antecedẽte,vnde ad illam ostendendam necessariò vtendum est argumento facto,quod Ribera in tota illa disputatione omittit,& mihi videtur esse capitale in hac materia,scilicet,quòd si illa vespera decimę quartæ Lunæ,quæ erat sacra,fuisset prima illius diei, cùm tota reliqua pars illius diei nõ esset sacra nec ferialis, licitum fuisset post illam vesperam , atq; adeò post esum agni Paschalis redire ad fermentatum , quia nulla ceremonialis obseruantia erat præscripta: consequens autem falsum esse iam demonstratum est. Atque hoc modo potest eadem consequentia probari ex Innocent. III.lib.4.de altaris mysterio cap. 4.& Abulens.in.2.p.Defensorij.c.8.quos ibi Ribera citat,sed apertiùs ex Iosepho lib.3.Antiquit. c. 10.in illis verbis, *Nam hoc festum* (scilicet azymorũ) *priori*(id est,sacrificio agni)*continenter succedit,duratque dies septem,&c.*nullum ergo tempus commune, seu non feriatum , intercedebat inter vesperam ad sacrificium agni destinatã,& festum azymorũ:erat ergo secunda,& non prima. Quartò ad hoc ipsum confirmandum expendenda sunt illa verba Exodi. 12. *Nec remanebit quicquam ex eo,*(id est, agno) *vsque mane,&c.*vbi sine controuersia illud,*mane*, significat matutinum tempus diei artificialis proximè sequentis post noctẽ,in qua comedebatur agnus. Addit autẽ Ioseph citato loco illũ fuisse diẽ decimum quintum, *Sacrificium*(inquit)*quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum,quotannis instaurare lege iubemur,celebramusque illud per sodalitia, nihil è victimis in sequentem diem relinquentes,quæ est quinta decima,& azymorum festiuitatis prima*. Ergo nox immolationis agni immediatè antecedebat lucẽ decimi quinti diei. Atq; ita intelligunt illud,*mane*, pro quo nihil de agno paschali reseruandũ erat, Abulẽ. suprà Deut.16.q.1.& in eũdẽ locũ Exod.q.10.& 19.vbi Hug.Vict.&cõmuniter reliqui expositores.

Tertium argumentum directè opponitur tertio argumento contrariæ opinionis,nam de fide certũ est,Christum mortuum esse in artificiali die proximè sequente post noctem, in qua cœnauit cum discipulis suis,& sacramentum Eucharistiæ instituit, vt constat ex narratione Euangelica, & ex illis verbis canonis Missæ,*Qui pridie quàm pateretur , accepit panem,&c.*Sed Christus Dominus mortuus est Luna decima quinta circa vesperã , mortuus est enim iuxta verã doctrinam in die festo,ergo cœnauit agnum nocte decimum quintum diem inchoante:cœnauit autem legitimo tempore à lege præscripto, & ab omnibus Iudæis obseruato,vt dicta disp. 40. præced.tom.sect.3.ostendimus. Vbi sect.4. minorem propositionem hic assumptã probauimus,scilicet Christum mortuum esse in die festo, idq; autoritate Sanctorum Patrum Græcorum , ac Latinorũ cõfirmauimus,quos hic repetere nõ est necesse: quibus Ribera addit Epiphan.lib.3.cõtra hæreses, hæresi.70.& Chrysost.homil.86.in Matth.Hesychiũ Leuit.23.& Bed.lib.de ratione temporũ, cap.45. & Innoc.lib.4.de sacro altaris mysterio,ca.4.affert etiã Eugubinũ in duodecimum cap.Exodi referentem,traditionẽ Hebræorum fuisse , decima quinta die mensis Nisan redimendum Israel in diebus Messiæ. Quomodò autem hoc ostendi possit ex Euangelio,quomodò itẽ omnia,quæ à Iudæis facta sunt in morte Christi,rite in die festo fieri potuerint,eodem loco fuse satis prosecuti sumus,& alia Euangeliorum loca latè explicuimus,& ideò in hoc argumento confirmando,& expediẽdo tertio argumẽto contrariæ sententiæ hic ampliùs immorari non oportet. Quod enim de concordia inter figuram & figuratum in eo argumento addebatur,nullius momenti est,quia non oportet,vt figura in omnibus circunstantijs cõueniat cum figurato:satis ergo est, quòd intra eundẽ naturalem diem immolatio agni naturalis & typici peracta est. Eò vel maximè,quòd illud sacrificium agni nõ tantùm fuit figura sacrificij cruenti Christi,sed etiam incruenti Eucharistici. Vnde,cùm hęc duo non fuerint eadem diei hora oblata,non potuit per eandem figuram vtriusq; sacrificij tempus exactè,& quoad ipsam horam repręsentari. Quod etiam in contraria sententia necessariò fatendum est,nã,quod nos dicimus de die quinto decimo,comparato ad vesperam vltimã diei decimi quarti,ipsi necessariò dicturi sunt de die decimo quarto,cõparato ad præcedentẽ vesperam diẽ decimum tertium terminãte. Ex his,quæ hactenùs tractauimus,& cõfirmata sufficienter est nostræ assertionis veritas,simulq; expeditæ sunt prima, & tertia ratio contrariæ opinionis, quæ minoris momenti videbátur,solum superest,vt tertiæ rationi, quæ principale fundamẽtũ illius sententiæ cõtinet,& nõ facilẽ difficultatẽ habet,satisfaciamus, & nonnulla Scripturæ testimonia,quæ in ea attingũtur , exponamus. Duabus autẽ vijs in hac re procedere possumus,primò cõtraria principia assumendo,totãq; rationẽ in nostræ sententiæ confirmationẽ retorquẽdo. Secundò ostendẽdo eam rationem nõ rectè colligere,etiam si,quod assumit,cõcedatur. Priorem viam latè persequitur Frãciscus Ribera citato loco. Sic igitur argumentamur. Eodẽ ritu,eodemq; tempore immolabant agnũ omnes Iudæi vsq; ad Christum,quo patres eorum illum immolarunt primo mense,ac die,quo de AEgypto exierunt : sed hi in prima institutione illius sacrificij obtulerũt illud in fine decimæ quartæ Lunę,& nocte sequẽte agnum comederunt initio decimæ quintæ Lunæ: ergo eodẽ modo posteà actũ est vsq; ad Christũ. Minorẽ probo ex.12.Exod.vbi priùs dicitur, *Immolabit eũ vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperã*, & paulò post subditur, *Et comedent carnes nocte illa assas igni*, quod necesse est intelligi de nocte, quæ immediatè sequebatur,& coniuncta erat cùm vespera immolationis agni,tum quia nulla alia certa nox potest designari,tum etiam,quia illud relatiuum,*illa*, demõstrat noctẽ iam præsentem & inchoatã in illa vespera. Vnde de eadem nocte planè intelligitur , quod inferiùs additur, *Et transibo per terrã AEgypti nocte illa,percutiamq; omne primogenitũ in terra AEgypti*. Itẽ quòd infrà dicitur, *Factũ est autem in noctis medio,per-*

cussit

cussit Dominus omne primogenitũ in terra AEgypti,& infrà, *Surrexitq; Pharao nocte*,& infrà, *Vocatisq; Pharao Moyse,& Aarõ nocte ait, Surgite & egredimini,&c.* & infrà, *Vrgebantq; AEgyptij populũ de terra exire velociter*,& infrà, *Et fecerunt subcinericios panes azymos: neq; enim poterant fermentari,cogẽtibus exire AEgyptijs,& nullã facere sinentibus moram.* Quibus omnibus verbis,si rectè ponderetur,per se satis verisimile fit, nõ potuisse Iudæorũ egressionẽ per diem integrũ differri vsq; ad sequentẽ noctẽ , præsertim cũ AEgyptij eos vrgerẽt dicẽtes, Exite,*aliã omnes moriemur.* Sed apertiùs hoc inferiùs declaratur,cùm dicitur, *Nox ista est obseruabilis Domini*,certè non alia,nisi ea, quæ toties in eodem capite fuerat repetita , de qua subditur, *Quando eduxit eos de terra AEgypti,hanc obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis.* Atq; hoc etiã est,quod Deuter.16.dicitur, *Obserua mensem nouarum frugũ,& verni primũ tẽporis,vt facias Phase Domino Deo tuo,quoniã in isto mẽse eduxit te Dominus Deus tuus de AEgypto nocte.* Quo loco negat contraria sentẽtia sermonẽ esse de illa nocte , in qua Hebræi cœnarunt agnum,sed de proximè sequẽte: hoc autem esse falsum tribus modis ostẽdo. Primo quia Moyses in hoc loco alludit sine dubio ad historiam,quam in Exodo retulerat,sed ibi tantùm fecerat mentionem noctis cœnæ agni,& non proximè sequentis,neq; vnquã dixerat,Hebræos fuisse eductos in sequente nocte,sed in paschali:ergo de eadẽ loquitur in hoc loco. Secũdo, quia suprà manifestè ostẽsum est,noctem illam paschalem proximè subsecutam esse lucem decimæ quintæ diei , ex verbis illis Exodi, *Nec remanebit quicquam ex eo vsq; mane*, addito testimonio Iosephi explicãtis illa de *mane*, decimi quinti diei:si ergo citata verba Deuter. intelligẽda sunt de nocte subsecuta post illũ diem, sequitur Hebræos nõ fuisse eductos de AEgypto vsque ad decimũ sextũ diem,ad quẽ nox subsequens pertinebat , maximè iuxta fundamentũ contrariæ sententiæ , quòd omnes dies Hebræorũ à principio noctis cõputãdi sunt, hoc autẽ repugnat illis verbis Exodi, *In eadẽ enim ipsa die educam exercitum vestrũ de terra AEgypti*,id est, prima die azymorum , seu (quod idẽ est) decima quinta illius mensis . Vnde apertissimè dicitur Num.33. *Profecti de Ramesse mẽse primo quinta decima die mensis primi,&c.* non ergo potest ille locus intelligi de nocte, quæ paschalẽ nõctẽ subsecuta est,sed de ipsamet nocte paschali. Tertio,quia ibi est sermo de Phase celebrãdo:ergo etiã est sermo de nocte,in qua comedendũ erat : ergo, cùm redditur ratio,quia populus nocte de AEgypto egressus est,de eadẽ nocte est intelligenda. Ad hoc vero respõderi potest ex Aloysio suprà , illud Phase,de quo ibi loquitur Moyses, nõ esse agnum paschalẽ,sed sacrificiũ aliud, quod singulis diebus azymorũ offerri præcipiebatur ad vesperã in gratiarũ actionẽ,& memoriã beneficij suscepti liberationis de AEgypto,quod sanè videtur valde verisimile ex ipso textu,nã statim dicitur, *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus & de bobus,in loco quẽ elegerit Dominus Deus tuus,vt habitet nomen eius ibi*:nam agnus paschalis non erat offerẽdus de bobus , & tamẽ illud Phase dicitur immolandũ de bobus. Item agnus paschalis nõ necessariò erat in tẽplo immolãdus,sed in priuatis domibus, hoc verò Phase tantũ in tẽplo. Itẽ agnus nõ coctus , sed assus comedebatur,de hoc autẽ dicitur: *Coque & comedes in loco quẽ elegerit Dominus.* Tandẽ agnus præceptus est offerri in memoriã transitus angeli percutiẽtis,& nõ egressionis de AEgypto,hoc verò Phase immolari præcipitur in memoriã egressus de AEgypto . Vnde multi ex hoc loco Deut.16.colligunt,nomẽ, *Phase* nõn tantũ agnũ,sed etiã alia sacrificia paschali significare,& iuxta illũ interpretãtur aliũ locũ Ioan. c. 18. *Vt non cõtaminarentur,sed vt manducarent Pascha.* Toletus Ioan.13.annot.3.& 5. Idẽq; secuti sumus dicto priori tomo disput.40.sect.1.cũ Aug.q. 24. in Deut. Respõdetur,negari nõ posse,quin hoc loco aliquid aliud præter paschalẽ agnũ significatũ sit,vt argumenta probãt,Aug. etiã teste citato loco,tamẽ non propterea negandũ est,ibi etiã esse sermonẽ de agno paschali,quod significauit Aug. dicens,boues ibi cõmemoratos esse propter alia sacrificia illorum dierum, significans oues esse positas propter agnũ paschalem. Et coniectura esse potest, quia,cùm ibi fiat quædam cõmemoratio totius solẽnitatis paschalis,nõ est probabile , prætermissum fuisse solẽne illorũ dierũ sacrificium: rectè ergo intelligi potest in prioribus verbis, *Obserua mensem nouarum frugum, vt facias Phase*,sermonem esse de agno paschali,in sequentibus autem verbis, *Immolabisq; Phase*,adiungi aliud Phase aliorũ paschaliũ sacrificiorum,vel certẽ in toto capite in communi sumi,vt comprehendit vtrũq;. Quod potest satis cõfirmari ex verbis illis, *Et nõ remanebit de carnibus eius, quod immolatũ est vespere in die primo, vsq; mane*:quod singulariter dictũ est de agno. Exod.12. de alijs autẽ sacrificijs hoc non legitur Num. 28. aut Leuit. 23.& ideò addita videntur illa verba,vt nõ de quocũq; Phase,sed de illo, quod immolabatur vespere primi diei azymorũ,intelligãtur, illud autem erat agnus paschalis. Prætereà subditur ibidẽ. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus,&c.* Ex quo loco omnes colligunt,sacrificium agni paschalis non potuisse extra Hierusalẽ offerri, id enim & in Euãgelio indicatur & ex traditione & consuetudine Hebræorũ cõstat, & docent Ribera,& Tolet. suprà,& Iansen.ca.129. Cõcordiæ,& omnes,nullus est autem locus in Testamento veteri,vbi hoc præcipiatur,nisi in præsenti:ergo illud præceptũ Deut.16. cõprehendit paschalem agnum. Et ideò etiam vtitur Scriptura illo verbo, *Coques* , quod generale est ex vi suæ significationis,siue res solo igne assa sit,siue aqua cocta. Ac deniq; propter eandẽ causam generalis ratio redditur ex beneficio recepto liberationis ab AEgypto quomodò dixit D.Tho.1.2.q.100.art.5.ad.2.celebrationẽ Phase fuisse propter beneficiũ præteritæ liberationis ex AEgypto. Idẽ.q.102.art.4.ad 10. & art.5.ad.2. Quocircà , licẽt rationes priùs factæ ostendãt,illud Phase alia sacrificia præter agnũ paschalẽ cõprehendere, non tamen probant non esse etiam ibi sermonẽ de agno paschali. Et hoc satis est ad vim argumenti facti,nã priora verba sine dubio intelliguntur potissimùm de agno paschali, & cõsequenter de ipsamet nocte,in qua & primũ immolatus est,& populus ex AEgypto liberatus. Quartò hoc ipsum confirmatur ex illis verbis eiusdẽ Exodi 12. *Nec remanebit quicquã ex eo vsq; mane*, adiũcta obseruatione Abulẽ. Leu.23.c.6.& Deut.16.q.1. ideò hoc illis fuisse præceptũ,vt significaretur,eos magna festinatione mane fore exituros. Quod significauit Iosephus li.2.antiquit.c.5.dicẽs, *Vesperi tamẽ reliquias carniũ exusserũt tãquã exituri.* Quintò addere possum⁹ illud Num.33. *Profecti de Ramesse mẽ-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

se primò, in quinta decima die, altera die à Phase. Vbi dies significat mane illud insequens noctem Phase, ad eum modum, quo Ioan. dixit. cap. 13. *Ante diẽ festum Paschæ*. Sextò tandem ita historiam hanc intellexerunt Hieron. Oſææ. 3. Beda, lib. de temporum ratione. cap. 61. & Abulen. suprà, & omnes expositores in Exodum: & significat D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad. 1.

Ex quibus autoribus & ex testimonijs adductis colligimus, filios Israel egressos fuisse de AEgypto noctù quidem, vt apertè dicit Scriptura, non tamẽ in initio noctis, sed potiùs prope tempus matutinũ, ita vt hac ratione dici etiam possint egressi matutino tempore, seu mane dici decimæ quintæ, vt loquũtur etiam prædicti Patres. Et ideò nihil etiam cõtra hoc obstat præceptum illud, *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane*. Exod. 12. tum quia propriè dici possunt mane exijsse, quia prope diem exierunt, tum etiam quia rectè exponitur, eis fuisse præceptum, vt non exirent, donec transacta media nocte, propemane, Deo ita disponente, vocarentur & exire compellerentur: vt significat Rupertus li. 2. de Trinit. c. 18. Caiet. & alij expositores in Exodum Maiorẽ difficultatẽ habent illa verba Deut. *Immolabis Phase ad solis occasum, quando egressus es de AEgypto*. Sed hæc per priora sunt interpretanda, nam quod priùs dictum fuerat, *nocte*, posteà comprehenditur sub solis occasu, nox enim ex occasu solis perficitur, eò vel maximè, quòd aduerbium illud, *quando*, non oportet, vt determinatè designet eandem horam, sed eandem noctem, quæ à vespertino tempore recoli & honorari incipiebat: ac si nunc diceremus venerari nos vesperam resurrectionis, quãdo Christus resurrexit, atque ita satis factum est ad omnia testimonia Scripturæ, quæ in illo fundamento adducuntur. Testimonium autem Iosephi iam est à nobis expositum in citato loco præcedẽtis tomi, nam verba Græca non habent, *illucescente*, seu, *appetente decima quarta die*, quæ verba inchoationẽ diei significant, sed, *adstante*, aut potiùs, *cùm venisset decima quarta dies*: quæ verba nihil veritati obstant, quia, quod fit in fine cuiuscunq; diei, rectè dicitur factum esse, postquam dies ille aduenit, seu existente tali die. Atque eodem modo corrigendum est, quod ex Zonara in Chronicon, idem autor adducit quòd dicat, filios Israel egressos esse de AEgypto, *decima quinta die, oriente Luna*, quæ eo tempore, scilicet in plenilunio in principio noctis oritur. Non enim ita verterndum esset, sed *decimo quinto Lunari*: sic enim ait. (*Pempti kai dèkatikatà selynyn*) id est, quinta decima secundùm Lunam, id est, secundù Lunarem dierum computationem, vel, si quis interpretetur, secundùm Lunam, id est illuminante Luna, non est necesse intelligi de ortu Lunæ, sed de toto tempore noctis, quo Luna lucet, præsertim in plenilunio. Ad coniecturam verò vltimam respondetur, non fuisse necessarium integrum diẽ, vt post esum agni, & AEgyptiorum clamorem, & vehementem commotionem ob primogenitorũ interfectionem cõgregarentur in Rameſſe, quia, admonitione & prouidentia Moysis, ante finem decimæ quartæ Lunæ omnes iam erant congregati in Rameſſe, ibique per sodalitia distributi: quod significauit Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 5. dicens, *Ille verò* (id est Moyses) *instructos priùs ad profectionem, & per sodalitia distributos in vno loco continebat*. Loquitur autem de proximis diebus ante decimam quartam Lunam. Si ergo hoc verum est, facilè intelligitur, statim sine vlla mora potuisse omnes egredi eadẽ nocte, summo mane, ex eodem loco. Imò significat ibidem Iosephus, tunc etiam AEgyptios dona dedisse Hebræis, *Deus*, inquit, *Hebræos honorabant, alij quo celeriùs discederent, alij propter vicinitatis consuetudinem*. Vnde etiam tunc impleri potuit, quod de vasis aureis, & argenteis Scriptura dicit, quanquàm facilius videtur, quod Aug. dicit. quæst. 45. in Exodum, ante decimam quartâ diem petijsse Hebræos ab AEgyptijs vasa aurea & argentea.

Alicui tamen fortasse hoc vltimum difficile creditu videbitur, scilicet, ante decimũ quartum diẽ congregasse Moysen omnes filios Israel in vnũ oppidum Rameſſes, primò, quia licèt Iosephus significet id, tamen in hac re non cogimur illi credere, sicut in multis alijs, quæ hactenus adduximus, quæ suo tempore seruabantur, quorum ipse poterat esse testis oculatus, hæc autem erat historia, quæ longè ante eius tempora præcesserat, quam non potuit, ni si ex Scriptura elicere, in Scriptura autem nulla huius rei mentio fit, imò, si attentè legatur. 12. caput Exodi, videtur significari oppositũ in illis verbis, *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane*, quibus significatur vsque ad esum agni omnes in proprijs domibus permansisse, quod in sequentibus etiam sæpiùs significatur. Et saltem certum est, eos tunc non habitasse in tabernaculis, vel tentorijs sed in domibus. Vnde Hieron. Epist. 127. ad Fabiolam dicit, filios Israel in Socoth primùm tetendisse tabernacula, non est autem verisimile, domos, quæ erant in Rameſſes, tãtam hominum & familiarum multitudinem capere potuisse. Ac denique difficile creditu est, Pharaonem, & AEgyptios, qui egrediendi facultatem dare Hebræis nolebãt, imò neque à laboribus & operibus eos vacare sinebãt, permisisse, illos homines in locum vnum congregari, vt, vel discederent, vel arma sumere tentarent, alterutrum enim facilè timere poterant.

Propter has cõiecturas (quãuis alijs fortasse modis expediri possint) probabile fit ante cœnã agni filios Israel nõ mutasse habitacula, neq; aliquod publicum signũ profectionis dedisse. Vnde consequẽter dicendũ est (persistẽdo in responsione, quã prosequimur) non fuisse priùs vniuersum populum Israel in vnũ locum cõgregatum, vt inde iter inchoaret, sed statim decima quinta die illucescente, summo mane, cogentibus AEgyptijs, omnes è domibus suis fuisse egressos, & iter Socoth versus arripuisse, quia ita fuerant à Moyse præmoniti, & præparati. Quòd autem Num. 33. dicuntur profecti de Rameſſe, altero è duobus modis exponẽdum est, scilicet, vel ibi Rameſſen non significare ciuitatem aliquam, sed regionem, quæ eadem erat cum terra Iessen, vt colligi potest ex Genes. 47. vbi priùs dicitur dixisse Pharaonem Ioseph. *Terra AEgypti in conspectu tuo est, in vltimo loco fac eos habitare, & tribue eis terram Iessen*, & tamen infrà subditur, *Ioseph verò patri, & fratribus suis dedit possessionem in AEgypto in vltimo terræ loco Rameſſes, vt præceperat Pharao*, & posteà subditur, *Habitauitque Israel in AEgypto in terra Iessen, & possedit eam*, in quibus locis terra Iessen & Rameſſes pro eadem regione accipi videntur, & in Exodi. cap. 1. additur, filios Israel ædificasse vrbes tabernaculorũ Pharaoni Phitõ, & Rameſſes, priùs ergo videtur regio vocata Rameſſes, & ab illa ciuitas posteà ædificata nomen accepisse: non est ergo necesse

necesse in dicto loco Num. accipi pro ciuitate, sed pro regione. Vel certè, etiam si dicamus, Rameſſes solum significare ciuitatem vel oppidum, quod ante aduentum Hebræorum paruum erat in ea regione, & ab eis posteà in ciuitatem ædificatum est, dici potest, Israeliticum populum fuisse profectũ ex Rameſſe, quia ciuitas illa, vt autor est Hieronymus in extremis Aegypti finibus erat, & ita omnes statim illuc confluere cœperunt, vt ex Aegypto egrederentur, quod magis in sequente responsione declarabitur.

Vltimus ergo modus satisfaciẽdi omnibus difficultatibus esse potest, vt simpliciter concedamus priori sententiæ, populum Israel fuisse congregatum in Rameſſe, vt inde simul exiret; id enim significat Scriptura, & apertè confirmat Hieronymus dicta Epistola, mansione prima, his verbis. *Ad hanc vrbem populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat*. Concedo etiam hanc populi congregationem factam esse post esum agni propter comecturas adductas. Vnde dicẽdum est, cœptam esse noctu prope horam matutinam, perfectam verò post aliquot horas diei, vt prima etiam sententia concedit. Nihilominùs tamen dicendum est, illum diem, in quo hæc congregatio facta est, non fuisse decimam quartam Lunam, sed decimam quintam, nam initio lucis illius diei cœperunt exire de domibus suis, & tendere in Rameſſem, illuc autem congregati sunt ad meridiem, vel paulò post, vbi aliquantulùm requieuerunt, & primam mansionem fecerunt, vt Hieronymus numerat, & posteà ad occasum solis, priùs quàm decima quinta dies omninò absolueretur, egressus est populus de Rameſſe, & hoc modo omnia sunt facilia, nec quicquam reperio, quod huic modo dicendi, & describendi rem hanc repugnet. Vnde fit, liberationem, seu egressionem populi de Aegypto computari posse, vel ab eo tempore, quo perturbatim ludæi exire cœperunt è domibus suis, compellentibus Aegyptijs, vel ab eo tempore, quo ordinatè iter ágere cœperunt: priori modo terminus à quo illius egressionis dicendus est terra Iessen, seu Aegypti, posteriori autem modo dicitur fuisse Rameſſes. Item priori modo proprijssimè dicuntur, nocte egressi; posteriori verò proprijssimè ad occasum solis: vtrumque autẽ factum est decima quinta die; quia mox illa, & vespera, eiusdem diei decimæ quintæ fuerunt. Ac tandem, quando liberatio populi ab Aegypto narratur in Scriptura, vt maximum beneficium illi populo factum, proprijssimè dicitur noctu accidisse; quia tunc re vera fieri cœpit, quando filij Israel cœperunt egredi è domibus suis, & iter inchoare, non furtim, & occultè, sed publicè, & liberè, ipsis etiam Aegyptijs consentientibus, imò & cogentibus; quando verò narratur historia illius itineris, & mãsiones filiorũ Israel, & modus quo egressi sunt de Aegypto per turmas suas, dicuntur egressi de Rameſſe, & ad occasum solis; & sic etiam proprijssimè intelligi potest illud Num. 33. *Altera die à Phase*, id est, ab immolatione agni paschalis: quia re vera ante vnum naturalem diem in fine decimæ quartæ Lunæ ad occasum solis fuerat immolatus. Atque hoc modo expediuntur facillimè omnia testimonia, quæ in fundamẽto contrariæ sententiæ adducta sunt. Reliquitur ergo, CHRISTVM Dominum Eucharistiæ sacramẽtũ instituisse hora noctis, inchoata iam decima quinta Luna; superest, vt de hora, in qua institutum est, magis in particulari dicamus.

SECTIO II.

An hoc sacramentum sit institutũ, ante, vel post lotionem pedum.

VT hæc res explicetur, supponendum est, Christum in illa nocte duplicem, vel triplicem cœnam, egisse cum discipulis suis. Prima fuit cœna agni, quæ potest dici legalis, vetus, seu figuratiua. Secunda fuit communio huius sacramenti, quæ potest dici cœna mystica & noua. Tertia cœna dici potest communis seu vsualis, quas statim ex Euangelijs comprobabo. Priùs ergo, quàm præsenti quæstioni respondeam, explicare oportet ordinem temporis, qui fuit inter lotionem pedum, & duas alias cœnas, legalem, & vsualem.

In qua re inuenio, quinque posse esse dicendi modos. Primus est, Christum lauisse pedes discipulorum, ante inchoatam omnem cœnam, etiam legalem, & consequenter ante institutum hoc sacramentum, quia, vt infrà probabimus, institutum fuit, peracta legali cœna, & videtur posse hoc colligi ex Ioan. 13. vbi post lotionem pedum dicitur Christus recubuisse ad cœnandum, & dixisse posteà illa verba, *Qui manducat mecum panem*, & posteà dedisse Iudæ panem intinctum, quod est signum tunc duraſſe cœnam: deinde, quia Ioannes ibidem dicit se recubuisse inter cœnandum super pectus Iesu: constat autem ex eodem loco, hoc factum fuisse post lotionem pedũ. 1. *Opinio.* *Ioan. 13.*

Hæc verò sententia mihi non probatur, quia idem Ioannes eodem 13. capite expressè dicit, *Et cœna facta*, &c. ac posteà describit lotionem pedum. Verum est, Diuum Augustinum ibi, quem Beda & Diuus Thomas ibidem sequuntur, exponere, *cœna facta*, id est, iam parata, & mensa structa, cibis appositis, & iã sedentibus omnibus, qui cœnaturi erant. Sed re vera expositio est contra proprietatem & vim illius verbi, vnde, cùm nihil sit, quod nos cogat ad sic exponendum, perstiendum est in proprietate literæ, iuxta communem regulam Augustini, quem non exiſtimo nobis esse contrarium in hoc loco, sed vel non fuisse locutum de cœna legali, vel non intellexisse, cœnam nullo modo fuisse inchoatam, sed non fuisse omnino absolutam, quod constat ex eodem, tractat. 55. in Ioan. de quo etiam, quomodo sic intelligendum, statim dicam. *Reijcitur.* *Augustin.* *Beda.* *D. Thom.*

Secundus modus dicendi est, lotionem pedum factam esse, inchoata iam cœna legali, nondùm verò finita, cui videtur fauere illud verbum Ioan. *Surgit à cœna*. Sed neque hoc mihi placet, tum quia nõ est mihi verisimile, esum agni, qui erat sacramentum & sacrificium quoddam, interruptum esse per quandam actionem nihil ad illum pertinẽtem, tum præterea, quia Exodi 12. præceptum erat, *Et comedetis festinantes*, quod non seruasset Christus, si in lauandis pedibus immoratus esset. 2. *Opinio.* *Improbatur.* *Exod. 12.*

Tertius modus dicendi esse potest, Christum lauisse pedes discipulorum post finitam omnem cœnam. Quæ sententia sumitur ex Cypriano (si 3. *Opinio.* *Cyprianus.*

ipſe eſt autor libri de Cardinalibus Chriſti operibus) ſermone de ablutione pedum, quatenus ibi dicit, Chriſtum poſt inſtitutum hoc ſacramentum lauiſſe pedes diſcipulorum; imò etiam, poſtquàm Iudas inde diſceſſerat, diſceſsit autem, finita iã cœna, vel in fine illius, vt ex capite 13. Ioan. colligitur: & hanc etiam ſententiam neceſſe eſt aſſerere eos, qui nihil diſtinguunt inter cœnam legalem, & vſualem, ſuppoſitis his, quæ contra primam, & *Refutatur.* ſecundam ſententiam dicta ſunt. Sed hęc ſententia nullo modo ſtare poteſt, quia non ſolùm nõ habet fundamentum in Euangelio, nam illud verbum, *cœna facta*, ſatis intelligitur de cœna legali, ſed etiã pugnat cum Euanngelio, ex quo euidenter conſtant duo, primum eſt, adfuiſſe Iudã, quando Chriſtus lauit pedes diſcipulorum, vt cõſtat ex illo verbo, quod Chriſtus dixit, cùm accederet ad lauandum Petrum, *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, & addit Ioan. *Sciebat enim, quis traderet eum, propterea dixit: non eſtis mundi omnes*, aderat ergo Iudas, nã ad præſentes loquitur, & ita omnes Patres in hoc conſentiunt. Secundum eſt, poſt lotionem pedum iterum Chriſtum recubuiſſe, & cœnaſſe cũ diſcipulis ſuis, quod conuincunt verba, quæ ex Ioan. 13. ponderauimus in fauorem primæ ſententiæ. Vnde hoc argumento conuincimus, præter cœnam legalem, quæ anteceſsit lotionem pedum, egiſſe Dominũ cœnam vſualem poſt dictam lotionem. Neque enim dici poteſt, ea, quæ de cœna narrantur poſt lotionem pedum, pertinere tantùm ad cœnam myſticam, ſeu inſtitutionem huius ſacramenti. Primò *Lucæ 22.* quidem, quia, vt ex Lucæ 22. colligitur, in illa poſteriori cœna dixit Chriſtus, *Veruntamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*, quæ verba non poſſunt intelligi de ſacramẽtali cœna, ſed de vſuali. Secundò, quia ſignum illud proditoris, quod Chriſtus dedit, Ioan. cap. 13. *Cui intinctum panem porrexero*, datum eſt in poſteriori illa cœna poſt lotionem pedum, cuius argumentum eſt, quia continuò exiuit Iudas, vt Ioannes narrat: vnde nõ potuiſſet adeſſe lotioni, niſi eſſet iam facta, ille autem panis intinctus non erat Euchariſtiæ ſacramentum, vt ſequenti dubio oſtendam, ſed panis communis, ergo durabat tunc cœna vulgaris, & adhuc erat in cœna panis, & ius, vel aliquid ſimile, quo poſſet intingi; ergo neceſſariò concluditur, lotionem pedum factam eſſe, antequam eſſet omnino finita cœna vſualis.

Obiectio. Qui negant vſualem cœnam, reſpondent, Chriſtum dediſſe Iudæ buccellam intinctam, non quia tunc cœnarent, ſed quia ex præterita legali cœna adhuc ſuper menſam erat panis & vinum, vel condimentum aliquid, in quo poſſet panis intingi, incredibile enim videtur, toties eadem nocte Chriſtum cum diſcipulis cœnaſſe, præſertim, cùm ea nocte grauiſsima illi eſſent negotia peragenda, ac pertractanda, cumque diſcipuli omnes mœſti eſſent, eò quòd ſcirent, Chriſtum ea nocte morti eſſe tradendum. Denique, quia eſus agni ad eius noctis refectionem ſufficiens videbatur. *Reſponſio.* Sed nihilominùs, ſi attentè legantur, & ad improprios & incongruos ſenſus non traducantur, quæ Ioannes ſcribit, cap. 13. negari non poteſt, quin Chriſtus cum diſcipulis poſt lotionem pedum adhuc cœnauerit. Vnde, cùm oſtenſum ſit, cœnam legalem fuiſſe finitam ante lotionem pedum, ſit cœnam vſualem poſteà peractam eſſe, nam de myſtica cœna Ioannes nihil ſcribit, neque ad illam accommodari poſſunt, quæ dicit. Aſſumptum patet primò ex illo verbo, *Cùm recubuiſſet iterum*, ſcilicet, poſt finitam lotionem pedum, quod propriè ſignificat, iterum ad menſam ſedere vel accumbere. Deinde, quòd id fuerit comedendum iterum, patet ex verbis illis. *Sed, vt adimpleretur Scriptura, qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum.* Quæ verba non ſunt dicta à Chriſto, vt relata ex Scriptura, quia nullibi habentur illa verba in veteri Teſtamento, ſed dicta ſunt ad ſignificandum id, quod tunc fiebat, tunc ergo manducabat cum illo panem is, qui ſtatim erat illũ traditurus, & illo facto implebatur, quod Pſalm. 40. ſcriptum erat, *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Tertiò, quia infrà dicitur, tunc recubuiſſe Ioannem in ſinu Ieſu, dicit autem idem Ioannes *Ioannis 21.* infrà, capit. 21, ſe recubuiſſe in cœna ſuper pectus Ieſu. Quartò, ex ſigno illo, quod poſteà dedit Chriſtus, panis intincti, quia niſi actu comederent, nõn erat illud ſignum ſatis aptum & vrbanum, neque veriſimile eſt, manſiſſe ibi tanto tempore poſt cœnam, panem, & ius aliquod: & ita omnes Patres, qui exponunt hæc verba, pro comperto habent tunc duraſſe cœnam. Denique, niſi ita dicatur, non poſſunt exponi commodè alij Euangeliſtæ, qui dicunt, Chriſtum inter cœnandum inſtituiſſe ſacramentum hoc: quia, ſi priùs omnino abſoluit cœnam, & poſteà interpoſuit lotionem pedum, quomodò dici poteſt fieri inter cœnandum, quod poſt lotionem pedum factum eſt, ſi poſt illam nihil cœnatum eſt? Nec mirum eſt, tunc Chriſtum cœnaſſe cum diſcipulis vſu communi, tum quia vnus agnus non erat tredecim hominibus ſufficiens; tum etiam, quia nihil ſine cauſa omittere voluit, ex ijs, quæ agere ſolebat; nulla verò tunc occurrebat cauſa, quia inter cœnandum inſtruebat diſcipulos, & nõ impediebatur, ſed potiùs occaſionem & opportunum tempus expectabat patiendi. Ac denique fieri potuit, vt tam ipſe, quàm diſcipuli ea refectione corporali indigerent, ad ſuſtinendos eius noctis, ac ſequentis diei labores.

4. Opinio. Quartus modus eſt, lotionem factam eſſe poſt inchoatam cœnam vſualem, & antequàm eſſet finita. Hanc ſententiam tenent aliqui graues expoſitores Ioannis ex recentioribus, & fundantur ſolùm in illo verbo Ioannis, *Surgit à cœna*, inde enim colligitur, Chriſtum non ſtando, ſed diſcumbendo cœnaſſe, quando ſurrexit ad lauandos pedes, ergo ſignum eſt, illam non fuiſſe cœnam legalem, ſed vſualem, nam vſitatus modus prandendi ſeu cœnandi eo tempore, erat diſcumbendo, vt colligitur ex Eſther. 1. & Tob. 2. at verò in cœna legali, oportebat ſtare, tanquam paratos ad agendum iter, vt colligitur Exod. 12. & docet Gregorius Niſſen. lib. de vita Moyſis circa medium, & ſignificat Philo Iudæus, libro de Sacrificio Cain & Abel, circa medium. Eſt hæc ſententia probabilis, mihi tamen ſuaderi non poteſt, quia difficile creditu eſt, Chriſtum interrupiſſe aliquam cœnam ad lauandos pedes: eſt enim hoc præter omnium hominum conſuetudinem, & neſcio quid habet inurbanitatis, cuius nulla ratio moralis vel figuralis afferri poteſt, quæ probabilis ſit. Vnde Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. expreſsè dicit, Chriſtũ ante cœnam

Eſther. 1. Tobiæ. 2. Exodi. 12. Gregor. Niſſ. Philo Iudæus. Contra opinionem. Chryſoſt.

nam lauiſſe pedes diſcipulorum, & Iudæ, quod neceſſe eſt intelligi de cœna vſuali, nam de legali non poteſt, vt dixi. Quòd ſi quis velit intelligere de cœna myſtica, à fortiori ſequitur, quod intendimus, nam hæc fuit poſt lotionem pedum, vt ſtatim dicam. Deinde coniectura illa non eſt ſufficiens, quia valde probabile eſt, Chriſtum diſcubuiſſe in cœna legali. Primò, quia hoc ſignificant Matthæus, Marcus, & Lucas, dicendo, *recumbentibus illis, accepiſſe Ieſum panem.* Secundò, quia in Exodo non erat præceptum ſtandi ad comedendũ agnum, ceremonia autem non præcepta non cadit ſub obligationem, imò nec veriſimile eſt fuiſſe additam, ſed communi more ſolitos fuiſſe cœnare. *Ambroſ.* Tertiò, quia Ambr. ſuper 15. caput Lucæ, dicit in cœna legali Ioannem diſcubuiſſe in ſinu Ieſu ceruice reflexa, quod non potuiſſet fieri, ſi ſtarent. *Chryſoſt.* Et Chryſoſt. homil. 69. in Ioan. dicit, Chriſtum non priùs lauiſſe pedes diſcipulorum, quàm cum eis diſcubuerit, quod neceſſe eſt intelligi de cœna legali, ne contradicat ijs, quæ dixerat homil. 82. in Matth. vt vidimus, & ita hanc ſententiam tenent *Ianſenius. Cæſar Baron.* Ianſenius & Cæſar Baronius in annalibus in 34. anno; & alij, quanuis, etiam ſi admittamus ſtantes cœnaſſe agnum, dici poſſet, poſteà diſcubuiſſe ad cœnam vſualem; priùs verò, quàm illam inchoaſſent, admonuiſſe fortaſſe Chriſtum diſcipulos de myſterijs, quæ perficere antea volebat, & tũc ſurrexiſſe ad lauandos pedes eorum, cœna quidem inſtructa, & parata, nondum tamen inchoata; accõmodãdo expoſitionem Auguſtini ſuprà relatam, & ita etiam intelligi poteſt Chryſoſtomus vltimo loco citatus.

1. Aſſertio. Reſtat igitur, vt verus ſit quintus modus, iuxta quem breuiter dicendum eſt primò, Chriſtum inter vtramque cœnam lauiſſe pedes, finita, ſcilicet, legali, & nondum inchoata vſuali. Hoc concluditur neceſſariò ex dictis, & illius fortè literalis occaſio, fuit conſuetudo illius temporis, & regionis, in qua ante commune conuiuium hoſpitibus pedes lauabantur, quod non fiebat in cœna legali. Moralis autem ratio fuit, vt nobis Chriſtus daret exemplum, ſicut ipſe dixit: figuralem ſtatim reddemus.

2. Aſſertio. D. Thom. Euthymius. Lyra. Damaſc. Auguſt. Secundò enim dicendum eſt, lotionem pedum factam eſſe ante cœnam myſticam ſeu inſtitutionem huius ſacramenti. Ita docent ſuper Ioan. D. Thom. ſuper Matth. Euthymius & Lyra, & alij expoſitores, expreſſè Damaſcen. libro 4. cap. 14. & idem ſentit Auguſt. locis ſuprà citatis, Ambroſ. & Bernard. ſtatim citandi, quod non poteſt ex Euangelio apertè conuinci, oſtendemus autem ſtatim, inſtitutionem huius ſacramenti factam eſſe, vel inchoata cœna vſuali, vel certè proximè ante illam, ex quo poteſt hæc aſſertio concludi. Ratio myſtica ſeu figuralis eſt, quia illa lotione pedum voluit Chriſtus Dominus ſignificare mundationem animæ, quæ ante ſumptionem huius ſacramenti præmittenda eſt, vt docuit Ambroſius *Ambroſ. Bernardus. Cyprianus.* lib. de ijs, qui initiantur. ca. 6. & lib. 5. de Sacram. cap. 5. Bernard. in ſerm. de cœna Domini, Cyprianus etiam in ſerm. de lotione pedum dicit, per illam ſignificatum fuiſſe pœnitentiæ ſacramentum, debuit ergo illa lotio præcedere, ſicut pœnitentia, vel animi emundatio antecedere debet vſum huius ſacramenti.

SECTIO III.

Vtrùm hoc ſacramẽtum inſtitutum ſit, poſtquam Iudas à cœna diſceſsit, vel illo præſente.

D. Thom. QVæſtionem hanc attigit D. Tho. infrà. q. 81. art. 2. ſub alio titulo, *An Chriſtus communicauerit Iudam*, quam tractat etiam in 4. diſtin. 11. q. 3. art. 2. & ibi alij ſcholaſtici, ſenſus verò in idem redit; ſupponimus enim, ſi Iudas adfuit inſtitutioni, & communioni aliorum Apoſtolorum, etiam illi communicatum fuiſſe hoc ſacramentum, quia peccator occultus non excluditur à publica communione huius ſacramenti, vt docet Eugenius Papa ſtatim citandus, & omnes Scholaſtici, & dicemus. q. 80. *Status quæſtionis.* Quod ergo nunc quæritur, eſt, an Chriſtus ſapiẽter expectauerit Iudæ diſceſſum ad tanti myſterij inſtitutionem & communicationẽ: quam quæſtionẽ hoc loco præmitto, quia eſt ad intelligendam ſequentem, & totum ordinẽ cœnæ neceſſaria.

1. Sententia. S. Hilarius. Rupertus. Theophyl. Innocent. Tacianus. S. Clemens. Hieron. Dionyſ. Prima ergo ſententia eſt, fuiſſe Iudam abſentem quando Chriſtus inſtituit hoc ſacramẽtum, ita Hilarius can. 30. in Matth. & Rupert. lib. 10. in Matth. in fine, & Theophyl. Matth. 26. Innoc. libr. 4. de hoc myſterio. c. 13. Tacianus in harmonia Euãgel. & habetur hæc ſententia, apud Clementem libro 5. Conſtitut. c. 16. vbi apertè negat, Chriſtum communicaſſe Iudam, citatur etiã pro hac ſentẽtia Hierony. lib. 1. cõtra Iouinia. & Epiſt. 156. quęſt. 2. & Dionyſ. c. 3. de Eccleſiaſt. Hierarch. in principio, cuius verba è Græco reddita hæc ſunt. *Et ipſe autor ſymbolorum iuſtiſſimè ſeparat eum, qui nõ ſicut ipſe, nec pari morum ſimilitudine ſacra concœnauerat, docens bene, ſanctè, & prout Deum decebat, quod verus & cum virtute acceſſus ad ſacra donet accedenti communionem ad eum, qui eſt ſibi ſimilis.* Quæ verba ſic interpretatur *Turrianus.* Turrianus (qui in ſcholio ad dictum locum Clementis, hac ſententiam conſtanter defendit) quod Chriſtus ſeparauerit Iudam, ne communionis corporis ſui fieret particeps, eò quòd nõ ſanctè, ſed ſimulatè, & fictè adfuerat cum illo ad comedendum ſacra, id eſt, paſchalem agnum, qui ſacramentum, & ſacrificium antiquæ legis erat. Et confirmat Turrianus hanc ſententiam, quia Chriſtus duplici ſigno manifeſtauit peccatũ Iudæ. Primò, quando illi interroganti, *Nunquid ego ſum?* Reſpondit, *Tu dixiſti*. Secundò, quando dixit Ioanni, *Cui intinctum panem porrexero, &c.* ergo non eſt veriſimile illo præſente inſtitutũ fuiſſe hoc ſacramentum, aliàs oportuiſſet illum à communione excludere, quia iam erat agnitus peccator. Hilarius aliã adducit confirmationẽ, quia Chriſtus dixit diſcipulis. *Bibite ex hoc omnes, non bibam à modo de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei*, ſed nunquã poſteà cum Iuda bibit, ergo nec tunc illi ad libandũ dedit. Aliter explicat hanc ſantentiam *Origenes.* Origen. Ioan. 13. putat enim panẽ intinctum, quem Chriſtus Iudæ dedit, fuiſſe Euchariſtiã, tamen Iudam illum non comediſſe, ſed accepiſſe tantùm in manus, ibique reliquiſſe, ac ſubitò diſceſsiſſe. *2. Sententia.* Secunda ſententia dicit Chriſtum communicaſſe Iudam, quando illi dedit buccellam intinctam, Ioann. 13. quam videtur indicaſſe Cyril-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cyrillus. Augustinus. lus lib. 9. in Ioan. cap. 19. & August. lib 15. de Baptism. cap. 8.

D. Thom. Dicendum verò primò est, Christum Dominũ instituisse hoc sacramentum præsente Iuda, illumque cum alijs communicasse. Hæc est sententia Diui Thomæ, & communis scholasticorum dicta. d. 11. & probari potest primò ex ordine narrationis Matth. & Marc. Dicunt enim discubuisse Christũ cum duodecim, & cœnantibus illis, nimirùm duodecim, accepisse partem & instituisse hoc sacramẽtum. Apertiùs tamẽ vel (vt Augustinus dicit) euidentissimè hoc videtur dicere Lucas, cùm enim dixisset, discubuisse Christum cum duodecim & consecrasse ac dedisse illis mysteria, subdit, inter præbendum sacramentum addidisse, *Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, erat ergo præsens Iudas, & illa particula, *Veruntamen*, apertè indicat hoc esse dictum in ipsa communicatione sacramenti, nam sensus perspicuus est, trado vobis corpus & sanguinem, quanuis non ignoro inter vos esse qui me tradit. Vnde Sancti aduertunt, illa verba dicta esse à Christo, tum ad commendandam caritatem suam, tum vt emolliret cor Iudæ, vt resipisceret, & non indignè communicaret. Confirmari hoc potest, quia Iudas adfuit, cùm Christus dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationẽ*, nam ordinatus fuit Sacerdos, & Episcopus, iuxta illud, *Episcopatum eius accipiat alter*, quod de Iuda exponit Petrus Actorum 1. ergo adfuit institutioni huius sacramenti.

Act. 1.

Probatur ex traditione. Eugenius. Leo Papa. Augustin. Secundò probatur hæc sententia ex communi traditione & interpretatione Patrum, illam suppo nit Eugenius Papa dicens, Christum non remouisse Iudam à communione, idem docet Leo Papa serm. 3. & 7. de passione Domini, August. tract. 6. 50. & 62. in Ioan. & lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 22. lib. 1. de adulterinis coniugijs. cap. 27. & lib. 5. de bapt. cap. 8. item in id Psalm. 10. *iustus autem quid fecit?* & habetur in cap. Christus. 1. q. 1. idẽ etiam expressè Epistol. 163. Ambros. lib. de Apologia Dauid prope finem. Iustinianus Imperator in edicto fidei suæ ad Ioannem 11. Pontificem circa finem, *Iudas*, inquit, *cum putasset latere eum, qui occulta hominum cognoscit, sacramentis communicauit cum Apostolis*. Hugo 1. de sacramentis. part. 8. capit. 4. Rabanus lib. 1. de institut. cleric. cap. 32. lib. 2, capit. 36. Cyprianus in serm. de Cœna Domini. Beda, D. Tho. & alij, Ioan. 13. Laurent. Iustin. lib. de Triumphali Christi agone. c. 5. Nicephor. lib. 1. hist. cap. 30. Algerus lib. 1. cap. 21. vbi conatur Hilarium interpretari, sed frustrà, Ecclesia etiam canit in hymno, *Turba fratrum duodena datum non ambigitur*, & eadem est sententia Hieron. qui falsò in cõtrarium citatur, nam Marc. 14. circa illa verba, *biberunt ex eo omnes, & Iudas*, inquit, *bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis eterni, qui indignè sumit mysteria Christi*, Idem Psalm. 54. (si illius sunt commentarij) circa illa verba, *qui dulces mecum capiebas cibos*, illa exponens de Iuda ait, *Cibus dulcis est corpus Christi, quod ipse accepit indignus*, idem docuit ex Græcis Origenes tractatu. 35. in Matth. & Chrysost. homil. 83. in Matth. & elegãter homil. 2. de proditione Iudæ, & Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 26. Eadem est sententia Dionys. cùm enim dicit, *qui secum sacra conconauerat*, non agnum figuratiuum, sed verũ Christũ intelligit, vt omnes Dionysij commentatores interpretantur, tum quia, licèt legalis cœna posit dici aliquo modo sacra, tamen, quod præcipuè & quasi per antonomasiam fuit sacrum in illa nocte, fuit Eucharistia; tum etiam quia posteà non dici separasse Iudam à communione, sed à suo & suorum consortio, quando dixit, *Quod facis, fac citius*, vt nimirum ostenderet dignam Eucharistiæ sumptionem perficere vnitatem, & coniunctionem cum Christo, è contrario verò qui indignè sumit, dignum esse qui à Christi consortio & communione separetur.

Probatur ex ratione. Tertiò probat Diuus Thomas ratione hanc sententiam, quia non expediebat, vt Christus Iudam peccatorem occultum sine accusatore, & euidente probatione, ab aliorum cõmunione separaret. Sed responderi potest, Christum verè non separasse à cõmunione, sed prudenter expectasse, vt ipse discederet, antequam sacramentum distribueretur, quod fieri potest, quia tunc non publicatur delictum occultum. Quæ responsio rectè ostendit potuisse ita fieri, tamen ratio Diui Thomæ etiã ostendit hoc non fuisse necessarium, imò fuisse expediens in hac re grauissima dare exemplum Prælatis Ecclesiæ, quomodo circa peccatores occultos se gerere debeant, potuit etiam expedire, ad significandum amorem suum erga peccatores, & singulariter erga Iudam, quem beneficijs lucrari cupiebat.

Concilio. Iulius Papa. Dico secundò, Christum non communicasse Iudam, quando buccellam panis intinctam dedit, ita docuit Iulius Papa I. in suis decretis, cap. 7. & habetur in cap. Cùm omne crimen. de Consecrat. distinctione 2. & apud Iuonem. 2. part. decreti. cap. 11. Burchardum libro 5. decreti, cap. 1. idem docuit Concilium Bracar. 111. capit. 1. Beda, Diuus Thomas, & Laurent. Iustin. locis citatis, & expressè Augustinus tract. 62. in Ioan. & constat. Primò, ex illa simplici appellatione panis, *Cui intinctum panem porrexero*, quẽ Christus tunc non consecrauit. Secundò, quia nõ decebat Christum intingere Eucharistiã, fuit ergo simplex buccella panis. Quocirca Cyrillus & Augustinus suprà citati, qui contrarium interdum indicant, explicandi sunt, vt intelligant, vel paulò ante, Christum communicasse Iudam, vel certè, quòd per illum intinctum panem significata fuerit ficta eius communio, vt Augustinus magis indicat, de cuius sententia satis ex alijs locis constat, vt vidimus, Origenes verò Ioan. 13. licèt contrarium proponat vt probabile, non tamẽ affirmare audet.

Concludit. Dico tertiò (& concluditur ex dictis) Christum instituisse hoc sacramentum priùs, quàm illum panem intinctum Iudæ tribuisset, quod est contra Cæsarem Baronium, in illo anno 34. annalium, vbi contrarium sentit, & probat ex quodam rituali libro Hebræorum, vbi dicitur, illam consuetudinem dandi panem intinctum, fuisse ceremoniam pertinentem ad ritum cœnæ legalis, sed, vt vidimus, hoc sacramentum fuit institutum post finitam cœnam legalem, ergo. Sed hæc opinio, vt dixi, mihi displicet, quia est parum consentanea verbis Euangelij; dicit enim Ioann. post buccellam illam acceptam continuò Iudam exiisse, non potuisset ergo adesse institutioni huius sacramenti, si facta esset post buccellam illam traditam. Respondeti potest, particulam, *continuò*, solũ significare Iudam non expectasse prolixã Christi concionem. Sed in primis hoc est contra verbi proprietatem

A proprietatẽ sine fundamento. Deinde est contra expositionem Sanctorum, Cyrilli, Chrysostomi, & Augustini, locis citatis, qui dicunt vsq; ad illam horã Christũ sustinuisse Iudã, & verbis ac factis procurasse, vt resipisceret, ex tunc verò, quia iã indignè cõmunicarat, & semper magis obdurabatur permissum esse à dæmone vehementiùs instigari, & ideò statim ad Christum tradendum exiisse. De qua re legi potest Chrysost. homil. 1. & 2. de proditione Iudæ, Cyrillus Hierosolym. Catechel. 13. August. in Psalm. 10. & Epist. 163. ille autem ritualis liber, quo fundatur Cæsar, apud me non est tantæ autoritatis, vt illi fidem adhibeam, quantuis fieri potest, vt illa consuetudo, non solùm in cœnale legali, sed etiam in alijs obseruata fuerit.

Fundamenta contrariæ sententiæ, ad Patres citatos respondetur. Ad fundamenta contrariæ sententiæ, ad Patres ibi citatos respondetur, plures esse in contrarium, B solũ ille locus Clementis est difficilis, tamen vel ille locutus est ex propria opinione, & non ex antiqua aliqua traditione, vel certè ille totus non est omnino correctus, sicut de multis alijs illarũ Constitutionum dicere necesse est. Ad coniecturam verò respondetur, falsum esse assumptum, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 3. & constat primò quidem, quia vtrumq; illud signũ proditoris datum est à Christo post institutam Eucharistiam, vt patet ex dictis patet, partim ex dicendis dubio sequenti. Deinde, quia neutrum signum fuit publicũ, neque ab omnibus discipulis intellectum, nam verbum illud, *qui intingit mecum manum in paropside*, commune fuit, multi enim intingebant, sicut paulò ante dixerat, *qui manducat mecum panem*, &c. & signum est, quia post illud verbum alij hæsitabãt, & inquirebant, *Nunquid ego sum?* & Petrus, ne Ioan & inquirebant, *Nunquid ego sum?* Cui Christus respondit, *Tu dixisti*, quod verbum, vel solus ille audiuit, quia post illud, adhuc Petrus & Ioannes ignorabant, vel certè solus intellexit, nam illa dictio iuxta phrasim Hebraicam non est affirmantis sed suspendentis assensum, & intercidentis sermonem, ac si diceret, satis est, tu videris, quod dicuit August. lib. 3. de consensu Euangelistarum. cap. 1. & Euthym. Matth. suo cap. 64. & habetur etiam apud Clementem lib. 5. constitut. cap. 14. Denique aliud verbum, *Cui intinctum panem porrexero*, soli Ioanni supra pectus Christi recumbenti C dictum est, vt omnes exponunt. Potuit autem secretò dictum esse, vt Christus vni, vel alteri manifestare peccatum Iudæ, quanuis esset occultum, tum quia erat dominus famæ eius vt Deus, tum etiam, quia poterat id esse vtile ad fidei confirmationem, & suæ diuinitatis, ac caritatis manifestationem, noluit verò manifestare omnibus, sed in hoc famæ Iudæ prospicere, licèt eius peccatum paulò post esset omnibus manifestandum, quia quoad hoc voluit Christus se gerere tantùm vt homo, & suo facto exemplum nobis præbere; homines autem non debent operari iuxta futuros euentus, sed iuxta præsentem rerum statum. Ad confirmationem Hilarij facilis est solutio. Respondetur enim, ad veritatem & proprietatem illius locutionis, *Donec voluissem illud bibam nouum in regno Patris mei*, sufficere, vt de omnibus, quibus cum Christus cœnauerat, & ad quos Christus loquebatur, vno solùm excepto Iuda, verificetur.

SECTIO IIII.

An hoc sacramentum sit institutũ ante vel post cœnam, ac denique qua hora institutum fuerit.

1. Sententia autore carens. IN hac quæstione possunt esse sex modi dicendi; Primus, quod fuerit institutum ante inchoatam cœnam legalem, sed, vt existimo, hic modus à nemine asseritur, & est omnino improbabilis, vt latè probat Iansenius cap. 130. & ex dicendis à fortiori patebit. *Iansenius.*

2. Sententia. Secundus modus esse potest, vt institutio hæc facta fuerit, inchoata cœna legali, nondum autem finita. Quam sententiam videtur sequi Iansenius suprà, & videtur fundatus in hoc, quòd non distinguit cœnam visualem à legali, & necessarium existimauit asserere, ante finitam aliquam cœnam, institutum fuisse hoc sacramentum, in quo rectè asseruit, vt videbimus, tamen eius fundamẽtum falsum est: Vnde eius opinio etiam mihi non videtur probabilis, certum enim existimo, iam fuisse legalem cœnam finitam, quando sacramenti huius institutio facta est. Quod primò sequitur necessariò ex dictis, diximus enim lotionem pedum fuisse post finitam cœnam illam, & institutionem sacramenti post lotionem pedum fuisse effectam: ergo. Secundò argumentum suprà assumptum ex illo verbo, *& comedentis festinantes*, etiam probat cœnam legalem non debuisse interrumpi ob institutionem huius sacramenti. Tertiò videtur hæc esse sententia Concilij Tridentini, sess. 22. cap. 1. dicentis. *Celebrato vetere pascha, nouum instituit.* Et Vrbani Papæ, Clem. 1. de reliquijs & vener. sanct. *sumpta*, inquit, *cœna*, &c. est etiam expressa sententia Augustini. Epistol. 118. & habetur in cap. Liquido. de Consecratione. dist. 2. Denique vniuersa Ecclesia canit. *Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis.* Et sequenti dubio referã plures Patres asserẽtes decubisse, celebrata vmbra, trãsire ad veritatem. *Tridentinum. Vrbanus. S. August.*

Tertius modus dicendi est, Christum non eodẽ tempore vtramque speciem instituisse, sed speciem panis inter cœnandum legali cœna, speciem autem vini post finitam omnium cœnam, multis interpositis alijs rebus, vel actionibus. Hanc dicendi rationem tenet Ioannes à Louanio, lib. de Communione sub vtraque specie, & illum secutus est Bellarminus, libro 4. de Eucharistia. cap. 27. ad secundum. & potest fundari, quia de consecratione panis dicunt Matth. & Marcus, *Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem, &c.* de consecratione autem calicis ait Lucas cap. 22. & Paulus 1. Corinth. 11. *Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens*, Sed neque hic dicendi modus mihi probatur. Primum enim illa verba Ecclesiæ, *Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis*, apertè loquuntur de sacramento, quoad speciem panis, alia verò testimonia citata absolutè de toto sacramento loquuntur, & similiter quæ referemus sectione sequenti. Præterea rationes factæ contra præcedentem sententiã, contra hanc non minùs vrgent. Item sine sufficienti fundamento fingit hoc mysterium non fuisse institutum per modum vnius integri sacrificij & signi; nam si priùs cõsecratum *Ioan. Louan. Bellarminus. Luce. 22. 1. Cor. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ja corpus, & consumptum, posteà verò actiones aliæ interpositæ sunt, & finita cœna consecuta est calicis consecratio, certè non fuit per modum vnius factum totum mysterium, nec modo apto ad componendum vnum signum. Denique fundamentum ex Scriptura sacra nullũ est, nam Matth. & Marcus, tam de consecratione calicis quã corporis dicunt, *Cœnantibus autem illis*, & Lucas post consecrationem calicis ait, dixisse Christum, *Veruntamen manus tradentis me mecum est in mensa*, & omnes referunt vtramque consecrationem per modũ vnius actionis continuæ. Igitur quod Paulus ait, *similiter & calicem, postquam coenauit*, de toto mysterio intelligendum est, ita vt illud aduerbium, *similiter*, ad totum hoc referatur. Quòd sicut panem post cœnam, scilicet legalem, consecrauerat, ita fecit & calicem, quomodo autem illa duo concilientur, *coenantibus illis, & postquàm coenauit*, facilè ex dictis patere potest, nam hoc posterius dictum est, propter legalem cœnam, priùs verò propter vsualem, vel quia vtraque per modum vnius consideratur, vt in fine sectionis dicam.

4. Sententia. Quartus modus est, hoc sacramentum fuisse institutum finita omni cœna materiali, seu corporali, ita sentit *Claudius.* Claudius de Sainctes repetit. 1. capit. 7. & repetit 6. cap. 1. & *Baronius.* Cæsar Baronius suprà, & fundari etiam videntur, quia non distinguunt cœnam legalem ab vsuali. Quòd si obijcias verbum illud, *Coenantibus autem illis*. Respondere poterũt, illud verbum esse exponendum, id est, statim finita cœna, & recumbentibus adhuc, ita vt per modum vnius cœnæ id totum factum fuerit. *Refutatur.* Sed hæc sententia mihi non probatur, nam primò falso nititur fundamento, vt visum est, deinde ex dictis conuinci potest, ostendimus enim, Christum instituisse hoc sacramentum antequàm Iudas discederet, & antequàm illi intinctum panem daret: ergo post institutionem adhuc durabat cœna, quandoquidem potuit Christus illud signũ præbere, ergo non est facta institutio post finitã omnem cœnam.

Quintus modus dicendi est, hoc sacramentum fuisse institutum inter cœnandum vsuali cœna, illa videlicet inchoata & non dum finita. Quæ sententia in primis habet fundamentum in verbo, *Cœnantibus autem illis*, quod si potest cum omni proprietate intelligi, non est eneruandum, quibus verbis addi possunt illa, quæ scribit Lucas, *Veruntamẽ ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, quæ verba indicant Christum actu fuisse in cœna, quãdo hoc sacramentum dabat discipulis, videtur etiam fauere *August.* Diuus Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 1. vbi dicit verba illa, *Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me*, & illa, *Qui intingit mecum manum in parapside*, dicta esse post lotionem pedum, vnde fit, dicta esse inter cœnandum cœna vsuali, & tamen subdit dicta esse ante institutionem Eucharistiæ, ergo hæc facta est inchoata iam cœna vsuali. Et hæc sententia est valde probabilis, nihilque video quod ex Scriptura sacra, vel Patribus contra illam obijci possit. Nihilominùs mihi difficile creditu est, Christũ Dominum instituisse tantum sacramentum inter vulgares & communes epulas, videtur enim hoc esse præter reuerentiam debitam tanto sacramento, neque apparet vlla ratio literalis, aut moralis, propter quam ita fieri debuerit.

Sextus ergo dicendi modus est, Christum Dominum, finita cœna legali, lauisse, vt diximus, pedes Discipulorum, & ea actione absoluta, iterum recubuisse cum Discipulis, & dixisse illa grauissima verba. *Scitis quid fecerim vobis, &c.* vsque ad illa, *Exemplum dedi vobis*, vel, vt Augustinus suprà vult, vsque ad illud, *vnus ex vobis tradet me*, & fortasse tunc interposuit alia verba, quæ sunt apud Lucã, *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*, potest enim illud, *pascha*, nõ solùm agnum paschalem, sed etiam paschale tempus, vel certè ipsam Eucharistiam, quæ per illum agnum adumbrabatur, significare: vt exponunt Chrisostomus homil. 83. in Matth. Hieronym. Matth. 26. Euseb. in Catena D. Thomæ ibi, & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. Denique non est incredibile in eodem temporis articulo, Christum Discipulos de futuris mysterijs instruxisse, eosque ad eorum communionem præparasse, & statim instituisse hoc sacramentum & Discipulis dedisse. Quæ sententia non aliter confirmatur, nisi quia & cum ijs, quæ Euangelistæ narrant, accõmodari potest, & aliunde conuenientissimo ordine omnia connectit. Nã primùm omnium à legali cœna inchoatum est, vt legis præceptum ante alia seruaretur, & figura veritatem præcederet, quæ proximæ statim sequi debuit, interposita vero fuit lotio pedum, vt quanta reuerentia futurum sacramentum recipiendum esset, significaretur, & vt sacramentorum diuersitas magis innotesceret, posteà verò expletis mysterijs, ad communem cœnam ventum est. Quam sententiam indigat Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14. & iuxta illam rectè intelligitur illud, *coenantibus autem illis*, vel, quia inter vnam & alteram cœnam, quam totam Euangelistæ per modum vnius recensent, hoc mysterium peractum est, vel certè, quia recumbentibus iam illis ad cœnandum, & mensa iam instructa, & parata, ab hoc mysterio inchoatum est. Propter quod rectè potuit dicere Christus, *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*, Fateor tamen, Augustinum citato loco non satis distinguere inter cœnam vsualem, & legalẽ, suppositis tamen quæ diximus, nõ est necesse verba illa, quibus Christus suum proditorem prædicebat, dicta esse ante, vel post lotionem pedũ, aut institutionem Eucharistiæ, quia partim dici potuerunt in cœna legali, partim in vsuali, & partim in initio, partim in fine illius noctis, vt facile est ex Euangelistis colligere, & ex ijs, quæ tractat Iansenius, cap. 130. & 131.

Eucharistia finita legali cœna, nondum ... pa cœna ... li fuit instituta.

S. Chrysost. S. Hieron. Euseb. Tertullian.

Damasc.

Iansenius.

Ex quibus omnibus tandem colligitur, quo tempore, & hora institutum sit hoc sacramentum, Claudius enim suprà opinatur post multam noctem, seu in profundo, aut medio illius institutum esse. Ego verò existimo in principio noctis post transactam vnam, vel ad summum, duas horas post solis occasum esse institutum. Dicitur enim Deuteron. 16. *Immolabis phase vespere ad solis occasum*, Euangelistæ autem dicunt Christum accessisse ad immolandũ Pascha, *cùm facta esset hora*, vtiq; à lege præscripta; decebat enim Dominũ in lege exequenda se diligentissimum ostendere, Cœna autem legalis, & lotio pedum, ad summum, per duas horas durare potuerunt, & statim secura est institutio Eucharistiæ, ergo. Et addi potest coniectura ex Euangelio. Primò, quia Ioannes notat, quando Iudas exiuit, fuisse iam noctem, quod no-

Eucharistia ... est instituta ... vnã, & duas ... illas.

tari

tari solet in principio noctis, non in medio. Deinde post illius exitum, Christus habuit lõgam concionem, & posteà iuit in hortum, & prolixè orauit, deinde verò comprehensus est, & ab vno, ad alium Pontificem ductus, & examinatus, & nihilominùs posteà superfuit magna pars noctis, in qua contumelijs affectus est à ministris diem expectantibus, vt illum ante Pilatum sisterent. Ergo signũ est, instituisse Eucharistiam in initio noctis, vt diximus.

SECTIO V.

Utrùm conuenienti tempore institutum sit hoc sacramentum.

QVanuis instituentis autoritate satis constet, opportunissimo tempore fecisse omnia mysteria, quæ operatus est, vt tamen eius rei rationem aliquam explicemus, declarandũ est, quam ob causam non ante incarnationem, neq; ante tempus passioni proximum, sicut Baptismus, neque post passionem & resurrectionem, sicut pœnitentia, fuerit hoc sacramentum institutum. Principio igitur non oportuit ante incarnationem institui. Primò, quia antiqua sacramenta significare debuerunt Christum, vt futurum, non vt præsentem, hoc autem sacramentum, non solùm significat præsentem Christum, sed etiam continet. Secundò, hoc sacramentum est efficacissima causa, & veluti vberrimus fons gratię, & caritatis, abũdãtiã autẽ gratię legi gratię reseruari debuit. Tertiò, est certissimũ pignus gloriæ, cuius ianua nondũ erat hominibus patefacta. Quartò, quia non fuit conueniens vt Christi corpus, priùs quàm modo connaturali existeret, sub hoc sacramento constitueretur. Ac denique mysterium hoc, incarnationis mysterium supponit, imò, vt Chrysostomus sæpè indicat, est veluti quodd in illius complemẽtum, quia cùm incarnationis beneficium in sola vna humanitate perfectum sit, per hoc sacramentum ineffabili quodam modo alijs hominibus communicatur. Quocirca rationes omnes, quæ afferri solent suprà, quæst. 1. art. 4. & 5. propter quas conueniẽs fuit, mysterium incarnationis post longa tempora fieri in vltima mundi ætate; eædem præsenti mysterio applicari possunt, scilicet, quia non erant homines antea dispositi ad suscipiendum tantum beneficium, & quia oportuit mysterium adeò difficile per multa tempora priùs prædici, & varijs figuris adumbrari, quas articulo sequenti videbimus. Sed quæri solet hoc loco, an potuerit hoc sacramentum ante incarnationem institui. Sed circa hoc, quæ necessaria hoc loco visa sunt, notauimus in Commentario artic. 7. cætera adijciemus quæstione 75.

Non oportuit Eucharistiam institui ante incarnationem.

Chrysost.

Dico secundò, oportuisse hoc sacramentum institui ante passionem. Primò, quia decuit, vt Christus Dominus maximum amoris signum, adhuc in mortali corpore existens, nobis exhiberet, iuxta illud, *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, sicut etiã eodẽ tẽpore præbuit maximũ humilitatis exemplum, Discipulorum pedes lauando. Secundò, vt ipsamet institutio, & oblatio sacrificij incruenti esset meritoria, & satisfactoria, & pretium nostri redemptionis: hoc enim non habuisset, si post resurrectionem, quando iam non erat Christus in statu merendi, vel satisfaciendi, institueretur. Tertiò, quia decuit, vt memoriale mortis suæ ante eandem mortem, nobis relinqueret. Dices, imò, cum sit memoriale passionis iã peractę, non videtur potuisse institui ante passionem, aliàs falsum significasset. Respondetur, significationẽ huius sacramenti ab initio institutionis eius relatam esse ad illud tempus, in quo passio futura erat, & ideò non fuisse falsam, sicut etiam baptismus, licèt ante passionem fuerit institutus, passionem tamen Christi repræsentat.

Oportuit Eucharistiam institui ante passionem.

Dico tertiò. Opportunissimè fuisse hoc sacramentum institutum in ipso passionis ingressu, & non antea. Huius cõclusionis varias rationes affert hic D. Tho. & alij Theologi in 4. d. 8. & breuiter declaratur. Primò, quia decuit, vt in ipso discessu præcipuum signum traderet, ac memoriale suæ dilectionis, & imminẽte passione; memoriale illius nobis relinqueret, vt eo tempore altiùs cordibus infigeretur. Secundò, vt more amantissimi Patris in fine vitæ pretiosiorem hæreditatem filijs relinqueret, eamque maximè commendaret tanquam rem sibi carissimam. Tertiò decuit inuisibiliter hominibus dari tunc, quando visibiliter ab eis recedebat. Quartò decuit fieri post vltimam legalem cœnam, vt ex sacramentorum collatione; noui sacramenti excellentia magis innotesceret, & vt tũc inciperet maximè noui sacramenti virtus, quando legalia cessabant. Hæ rationes desumptæ sunt ex Chrysostomo homil. 83. in Matth. & 28. in 1. ad Corint. Hierony. Matth. 26. August. Epist. 118. ad Ianuarium. Cyprianus serm. de Cœna Domini. Vltimò accedit literalis ratio, quia, licèt Christus instituerit hoc sacramentum ante passionem, tamẽ re vera noluit, Ecclesiam vti illo, donec ipse esset glorificatus, quia ita decebat maiestatem tanti sacramenti, & ideò oportuit, institutionẽ illius proximè fieri ante passionem.

Conueniens etiam fuit illã institui in passionis ingressu & non antea.

Chrysost. Hierony. August. Cyprian.

Posset hoc loco curiose inquiri, an, si Adam non peccasset, instituturus esset Christus hoc sacramẽtum, supponendo mysterium incarnationis fuisse futurum, etiam si homines in statu innocẽtiæ perseuerassent: nam, si contraria sententia defendatur, nullus locus relinquitur præsenti quæstioni, vt constat. Sed in re incerta, & non admodum vtili, & ab alijs non disputata, immorari nolo, vnus enim quisque poterit facilè ex dictis suprà de mysterio Incarnationis, in proposito dubio proportionaliter ratiocinari: certum est enim, non fuisse tunc futurum hoc sacramentum, vel sacrificium in signum, seu memoriale passionis Christi, quia tunc Christus non esset passibilis. Deinde ex ijs, quæ in simili quæstione de Incarnatione diximus, constare potest, iuxta modum prædestinationis, quem de facto Deus habuit, nullum habuisse decretum circa hoc mysterium, ex quo sequatur, illud fuisse futurum, si homo non peccasset, neque ad hoc asserendum potest ex Scriptura sacra, & Patribus fundamentum sumi. An verò, non existente peccato, habiturus esset Deus tale decretum, res est incerta, quæ adductis coniecturis in vtramque partem posset disputari. Non est autem improbabile, Deum non fuisse prætermissurum tantũ, tamque admirabile mysteriũ, in quo post incarnationis opus, eius omnipotentia, & reliqua attributa

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximè relucent, etiam si homines non indigerent remedio contra peccatum; præsertim cũ hoc sacramentum per se primò non ordinetur ad tollendum peccatum, sed ad contrahendum maius caritatis vinculum, & quasi ad communicandum cũ cæteris hominibus altissimum Incarnationis beneficium, per summam quandam participationẽ, vt Chrysostomus inquit, & probari hoc posset. Primò, quia per hoc sacramentum ipsa humanitas Verbo coniuncta, realiter coniungitur suo modo cæteris hominibus, hoc autem est quoddam bonum, per se se maximè hominibus expetibile, & quod valde caritatem fouet, & excitat. Secundò, quia post factum incarnationis mysterium, ipsi etiam Angeli discunt à sensibili humanitate Verbo vnita, ergo multò magis expediret hominibus perfici & sanctificari ab ipso Christo, sub sensibili sacramẽto inter eos manente. Tertiò cõferret hoc, vt homines perfectissimum laudis, & gratiarum actionis Deo offerrent, Christum offerendo realiter præsentem. Quartò denique, quia hoc ipsum Eucharistiæ mysterium, est quoddam ex maximis operibus diuinæ omnipotentiæ, quodque valde declarat diuina attributa, sapientiam, caritatẽ, &c. propter quæ ostendenda Deus operatur. Sed de re incerta hæc sint satis. Poterat etiam hic de alia circunstantia huius institutionis tractari, de loco, scilicet, vel cœnaculo, in quo hoc sacramentum institutũ est. Sed de hac re nihil reperio, quod ad scholasticam disputationem pertineat. De his verò, quæ ad historiam pertinent, legi potest Nicephorus, libro 1. cap. 28. & Cæsar Baronius in Annalibus anni trigesimi quarti.

Chrysost.

Nicephorus. Baronius.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm agnus Paschalis fuerit præcipua figura huius sacramenti.

Inf. q. 80. art. 10. ad 2. & 4. d. 8. q. 1. art. 2. & art. 12. q. 3. ar. 1. q. 2. ad 1.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod agnus Paschalis non fuerit præcipua figura huius sacramenti: Christus enim dicitur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, propter hoc, quod Melchisedech gessit figuram sacrificij Christi, offerens panem & vinum. Sed expressio similitudinis facit, quod vnum ab alio denominetur. Ergo videtur, quod oblatio Melchisedech, fuerit potissima figura huius sacramenti.

¶ 2 Præterea, Transitus maris rubri fuit figura baptismi, secundùm illud. 1. Corinthiorum 10. Omnes baptizati sunt in nube & in mari. Sed immolatio agni Paschalis præcessit transitum maris rubri, quem subsecutum est manna, sicut Eucharistia sequitur baptismum. Ergo manna est expressior figura huius sacramenti, quàm agnus Paschalis.

¶ 3 Præterea, Potissima virtus huius sacramenti est, quod introducit nos in regnũ cælorum, sicut quoddam viaticum. Sed hoc

A maximè præfiguratum fuit in sacramento expiationis, quando Pontifex intrabat semel in anno cum sanguine in Sancta Sanctorum: sicut Apostolus probat Hebræo. 9. Ergo videtur, quod illud sacrificium fuerit expressior figura huius sacramenti, quàm agnus Paschalis.

SED contrà est, quod Apostolus dicit 1. Corint. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc sacramento tria considerare possumus, scilicet, id, quod est sacramentum tantùm, quod est panis & vinum; & id, quod est res, B & sacramentum, scilicet, corpus Christi verum, & quod est res tãtùm, scilicet, effectus huius sacramenti. Quantũ igitur ad id, quod est sacramentum tantùm, potissima figura fuit huius sacramẽti, oblatio Melchisedech, qui obtulit panem, & vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ eius fuerũt omnia sacrificia veteris Testamenti, præcipuè sacrificiũ expiationis, quod erat solennissimum. Quantum autem ad effectũ, fuit præcipua eius figura manna, quod habebat in se omnis saporis suauitatem (vt dicit Sap. 16.) sicut & gratia huius sacramenti, quantum ad omnia reficit mentem: sed agnus C Paschalis quantum ad hæc tria præfigurabat hoc sacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cũ panibus azimis, secundum illud Exod. 12. Edent carnes, & azimos panes. Quantum verò ad secundũ, quia immolabatur ab omni multitudine filiorũ Israel decima quarta Luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnos. Quantũ verò ad effectũ, quia per sanguinem agni Paschalis protecti sunt filij Israel à deuastante Angelo, & educti de Aegyptiaca seruitute. Et quantũ ad hoc ponitur præcipua figura huius sacramenti agnus Paschalis, quia secun- D dùm omnia ipsum repræsentat.

COMMENTARIVS.

QVæstio huius articuli annexa est disputationi præcedẽti, cùm enim ostensum sit, non fuisse conueniẽs, vt hoc sacramentum re ipsa præcesserit incarnationẽ, dubitari non immeritò potest, an expedierit, vt præcesserit saltẽ in figura, eo modo, quo Christus dicitur *agnus occisus ab origine mundi*. In qua re impius Lutherus irridet piam diligẽtiam, quam Diuus Thomas adhibuit in explicandis huius mysterij figuris, sed ille potiùs irridendus est, cùm Paulum contemnat 1. ad Corinth. 10. dicentem, *Omnia in figura contingebant illis*, qui etiam singulariter propter huius mysterij

1. Cor. 10.

mysterij repræsentationem dixisse videtur, *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, scilicet, mãna, quod figura fuit huius sacramenti. Certum ergo est, fuisse conueniens, sacramentum hoc præfigurari, priùs quam fieret, hoc enim ad maiestatem eius commendandam pertinuit. Et præterea, quia cum esset difficillimum, paulatim tradi & prædici oportuit. Et ideò Conc. Trid. sess. 22. c. 1. vt certũ tradit, præcessisse varias figuras huius sacramenti, quas Magister & Theologi in. 4. d. 8. diligenter explicant, præsertim Bonau. art. 1. per tres quæstiones Richar. art. 1. q. 3. Duran. q. 1. alter Durand. in rationali diuinorũ offic. lib. 6. c. 69. Gab. lect. 55. & 81. in canonem. Vt autem paucis rem hanc complectamur, ad quatuor capita reducuntur figuræ, nam vel sumptæ sunt ex sensibili sacramento, vel ex eo, quod in hoc sacramento est res & sacramentum simul, vel ex effectu, vel ex omnibus simul.

Primo igitur quædam figuræ datæ sunt ad significandum id, quod in Eucharistia est sacramentũ tãtum, id est, species panis & vini; huiusmodi fuit oblatio Melchisedech. Gen. 14. dicit Paul. ad Heb. 7. illam pertractans, hoc mysterium prætermisit cuius rationem. 1. tom. reddidimus, cum de sacerdotio Christi egeremus. q. 22. Idem significarunt panes propositionis, Exod. 40. Leuit. 23. de quibus soli mundi edere poterant. 1. Reg. 21. ita Damas. lib. 4. c. 14. Cyr. Hieros. Catechel. 4. Mystag. Hieron ad Tit. 1. Item panis primitiarum, Exod. 23. ex Irenæo, lib. 4. contra hæreses. c. 32. Item panis sub cinæricius Heliæ. 3. Reg. 19. Eodem sensu per figuram prædixit hoc mysterium Dauid, Psal. 115. dicens, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*; & Psal. 22. *Calix tuus inebrians, quam præclarus est?* vt exponit Hieronym. Epist. 150. ad Edibiã. q. 2. de hoc etiam mysterio interpretatur Cypr. Epist. 63. illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, miscuit vinum, & proposuit mẽsam suam*, & infra, *Venite & commedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*. Denique docet ibidem Cyprianus, panem huius sacramenti indicatum esse in Euangelio in quinq; panibus, ex quibus Christus multitudinẽ, quæ ipsum sequebatur, satiauit. Matt. 14. Vinum autem, in vino ex aqua miraculosè procreato, Ioan. 2.

Secundò fuerunt aliæ figuræ significantes præcipuè effectum, seu rem tantum huius sacramenti, inter quas præcipua fuit manna, vt late interpretantur August. Chrysostom. Cyrill. & Theophil. Ioan. 6. idem Chrysost. homil. 23. in. 1. ad Corint. 6. idem Chrysost. homil. 23. in. 1. ad Corint. qui in verbo illo, *Omnes eandem escam spiritualem mã- D ducauerunt*, intelligit significatum manna, quatenus figura erat huius sacramenti, vt Theophylact. etiam exponit. Et eandem figuram rectè tractat Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 1. & lib. de ijs, qui initiantur. c. 8. &. 9. Origen. homil. 7. in Numeros. Greg. Nissen. libr. de vita Moysis circa medium. Nam primo manna datum est hominibus peregrinantibus in deserto, vt possent ad terram promissam pergere. Secundo, habebat omnem saporis suauitatem, Exodi. 16. Tertio, licet varij varias mensuras colligerent, eandem postea inueniebant, eodem capitul. 16. Exod. Quarto, fuit cibus de cœlo missus, & qui optimè nutriebat, quæ omnia aptissimè significant effectum, & excellentiam huius sacramenti. Ac denique

A sicut manna expositum fuit dubitationi, Psalm. 77. *Nunquid poterit parare mensam in deserto? nunquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo*, & contradictioni, Numer. 21. *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo*, ita hoc sacramentum à principio, dubitationibus & contradictionibus fuit expositum. Ioan. 6. *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum*. Deinde huius sacramenti figura dicitur fuisse, etiam ratione effectus, lignum vitæ, quod erat in paradiso ad conseruandam vitam. Sic etiã interpretantur Sãcti effectum mellis, quo oculi Ionathæ aperti sunt. 1. Reg. 14.

Tertio, aliæ figuræ datæ sunt ad significandam rem contentam, idest, Christum, qui est res sacramentum simul, & hoc modo censentur fuisse figuræ huius sacramenti omnia sacrificia legis B naturæ, & veteris, vt docent Leo Papa, serm. 8. de passione August. libr. 1. contra aduersar. legis & Prophet. capit. 18. & lib. 17. de Ciuitat. capit. 20. omnia enim illa Christum significabãt, præsertim sacrificium expiationis, vt hic dicit Diuus Thomas. Vbi oportet aduertere, plura ex illis sacrificijs immediate significasse sacrificium Christi eruentum, vt indicaui Paul. ad Hebræ. 9. quia vero, cum hoc sacramentum conficitur, simul offertur sactificium, quod memoriale est illius sacrificij, & in vtroque idem est principale offerens, & eadem res oblata, licet modus sit diuersus, ideò dicitur in illis sacrificijs præfiguratum esse hoc sacramentum, quoad rem in illo contentam, quæ res & sacramentum simul. Propter hanc etiam causam in veteri Testamento corpus Christi per panem, & sanguis per vinum significata sunt, vt Hieron. 11. *Mittamus lignum in panem eius*, id est, *crucem in corpus eius*, vt Tertullian. exposuit libro. 4. contra Marcionem, capit. 40. & Lactantius libr. 4. institutionum, capite decimo octauo. Hieronym. & Origines super Hieremiam. Idem Hieronym. dicta Epist. 150. significari dicit verbis illis Iacob. Genes. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad operiendum*, id est, Christum qui est panis vitæ, Ioann. 6. & indumentum fidelium, qui in ipso baptizati sunt ad Galat. 3. sic etiam dicitur Genes. 49. *Lauauit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*: vt enim inquit Cyprian. Epistol. 63. *Quãdo sanguis vuæ dicitur, quid aliud, quam vinum calicis Dominici, & sanguis ostenditur?* Denique significatus est sanguis calicis Christi in sanguine veteris testamenti, quo Moyses post legem latam aspersit populum, dicens. *Hic est sanguis testamenti, quem* D *misit ad vos Deus*. Exod. 24. & ad Hebræ. 9. Vnde Christus, vt in se veritatem impleri ostenderet, eisdem verbis dicit Matthæ. 26. *Hic est sanguis meus noui testamenti*, & Lucæ. 22. *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo*.

Vltimo est insignis figura agni paschalis, in quo omnia dicta tepræsentata sunt, agnus enim significabat Christum, non solum vt hostiam, sed etiam vt cibum, quia agnus ille non tantum immolari, sed etiam comedi præcipiebatur, sanguis verò eius effectum redemptionis Christi, per quem à deuastante Angelo protecti, & à seruitute AEgyptiaca erepti sumus, panis azimus materiam huius sacramenti, vna domus Ecclesiam, quæ hoc sacramento perficitur, & in se, &

Psal. 77. Numer. 21. Ioan. 6. 1. Reg. 14. Leo Papa. Aug. Hierem. 11. Tertul. Lactan. Galat. 3. Genes. 49. Cypr. Exod. 24. Matth. 26. Luca. 22.

cum Christo magis, ac magis vnitur, & ideo in illa sola hæc hostia offerenda est, & distribuendus hic cibus, ne sanctum canibus tribuatur, vt eleganter dixit Cypria. libro. de vnitate Ecclesiæ. Aug. sermone 150. & 181. de tempore capit. 12. & libro. 2. contra literas Petiliani capit. 37. & Gregor. libro 35. moral. capit. 7. aliás. 5. qui eandem figuram optimè explicat homil. 22. in Euágelia, Tertullian. libr. 4. contra Marcionem cap. 40. Leo Papa sermo. 7. de passione Hieronym. Matth. 26. Hesychius in. 23. caput Leuit. D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. ad. 2.

S. Cypr. Aug. Greg. Tertul. Leo. Hieron. Hesichius. D. Thom.

QVÆSTIO LXXIIII.

De materia Eucharistiæ quantum ad speciem, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de materia huius sacramēti. Et primo, de specie materiæ; secundò, de conuersione panis & vini in corpus Christi: tertio de modo existendi corporis Christi in hoc sacramento: quarto, de accidentibus panis & vini, quæ in hoc sacramēto remanent.

¶ *Circa primum quæruntur octo.*

Primò, vtrùm panis & vinum sunt materia huius sacramenti.
Secundo, vtrùm ad materiam huius sacramēti, requiratur determinata quantitas.
Tertio, vtrùm materia huius sacramenti sit panis triticeus.
Quarto, vtrùm sit panis azymus, vel fermētatus.
Quinto, vtrum materia huius sacramēti sit vinum de vite.
Sexto, vtrùm sit admiscenda aqua.
Septimo, vtrùm aqua sit de necessitate huius sacramenti.
Octauo, de quantitate aquæ, quę apponitur.

Post explicatam quæstionem, an sit hoc sacramentum, incipit inquirere. D. Thom. quid sit, & essentiam eius explanare, agens prius de materia, posteà verò de forma huius sacramenti. Priùs verò quam ad has partes specialiter descendamus, expediens visum est, disputationem præmittere, in qua generatim inquiramus, in quo huius sacramenti ratio, & essentia consistat, ita enim facilior erit posteà disputatio de singulis partibus sacramenti.

DISPVTAT. XLII.

De essentia, & partibus huius sacramenti in communi.

Supponimus ad hoc sacramentum conficiendum multa concurrere, scilicet aliquam verborum formam, materiam panis, & vini quę dum conficitur sacramentum, partim transit, scilicet, quoad substantiam panis & vini, & vt sic materia remota, dicitur, partim permanet, scilicet, quoad accidētia, & vt sic materia proxima appellatur. Præterea corpus, & sanguis Christi, quæ sub speciebus cōsecratis cōtinentur; ac deniq; post hæc reperitur vsus huius sacramenti, quæ omnia in sequentibus probanda sunt. Hic solum explicandum est, quomodo hæc componunt hoc sacramentum, seu quid illorum ad essentiam eius cōponendam intrinsece pertineat, nam de omnibus dictis est dubiū, præterquā de materia remota, de qua, cum non maneat, non est inter Catholicos cōtrouersia. Supponendæ sunt etiam hoc loco differentiæ huius sacramenti à reliquis, quas supra disput. 39. sect. 2. latè tradidimus.

SECTIO I.

An species consecratæ sint sacramentū Eucharistiæ, vel de intrinseca ratione eius.

Dvobus modis videtur esse ab aliquibus negatum, species consecratas intrinsece constituere, & esse & essentia sacramenti Eucharistiæ. Primus fuit Vualdensis tomo. 2. de sacramen. c. 21. vbi dicit, in alijs sacramētis solū visibile signū inuisibilē gratiā significans, esse ipsum sacramētū, hic vero sacramētū esse inuisibilem gratiā, per visibile signum proximè significatam, idest, Christum Dominum, quem verba significant, & sub speciebus constituunt: species autem & continēt, & significāt. Vnde cōcludit, species nec ad essentialē constitutionē huius sacramēti pertinere, nec esse sacramētū, nisi per quandam analogiam, quia sunt signo sacramenti, sicut color dicitur sanus quia est signum sanitatis. Fundatur hic autor solum in quibusdam Sanctorum testimonijs, qui hoc sacramentum corpus, & sanguinem Christi appellant, quos partim citauimus. q. præcedent. artic. 4. partim allegabimus infra sectio. 3. vbi verum illorum sensum expendemus. Et confirmari potest hæc opinio, quia species sicut non significant, ita nec efficiunt gratiam sanctificantem, sed solum significant Christum, quem continent. Christus verò ipse est, qui gratiam confert, iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Cum enim humanitas sit instrumentum coniunctum, & præsens, ac proximè adsit, non indiget alio instrumento, species ergo nihil efficiunt, ergo non sunt sacramentum, nec pars sacramenti.

1. Opinio. Vualdensis. — Ioan. 6.

Secundus modus, seu secunda opinio est, species non esse partē sacramenti huius, quia solum forma verborum est totum sacramentum. Hæc sententia tribui solet Caietan. qui supra quæstion. 63. articul. 6. ita loquitur, circa Eucharistiæ sacramentum duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum, quod nihil aliud est, quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiæ, cum ergo consecratio verbis fiat, significat, sola verba esse Eucharistiæ sacramentum. Quæ sententia tribuitur etiam Marsil. in. 4. q. 1. art. 1. & q. 6. art. 2. & videtur illi fauere D. Thom. in 4. d. 8. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. cum dicit, in sacramento Eucharistiæ sanctificationē materiæ esse ipsum sacramētum. Et suaderi potest hæc opinio, quia in hoc sacramento sola sunt sensibile signum, efficax summæ gratiæ, idest, Christi, quem significant, & quodammodo efficiunt, species autem, vt dictum est, nihil efficiunt. Et confirmatur, quia negari non potest, quin verba habeant significationem sacramentalem, ergo vel sunt sacramentū, vel pars sacramenti; non sunt autem pars, quia non habent compartem, cum qua vnum totum constituant, quia successiuum cum permanente non potest cōiungi ad vnum totum constituendum: ergo sunt integrum sacramentum, & non aliud, quā Eucharistia: ergo.

2. Opinio. Caietan. Marsil. D. Thom.

1. Conclusio. Innocent. 3. Trid.

Dicendum vero primò est, solum Christi Domini corpus, ac sanguinem non esse integrum Eucharistiæ sacramentum. Hæc est communis sententia Doctorum, quos statim referam, & colligitur ex Innocent. III. & ex Concil. Tridentin. & ex alijs multis Patribus & decretis, quæ statim ad probandam tertiam conclusionem afferam. Ratio vero clara est, quia de ratione sacramenti est, vt sit per se signum sensibile; Christus autem, vt est in hoc sacramento, non est modo sensibili; ergo per se sumptus non potest esse totum sacramentum, necesse est enim vt in intrinseca essentia sacramenti, aliquod signum, quod sensibus obijci possit, includatur. Vnde, si res aliqua per se insensibilis interdum est partes sacramenti, necesse est, vt cum alia per se sensibili coniungatur, & aliquomodo, saltem per accidens, sentiatur, vt in contritione, & confessione videre licet. Sic igitur corpus Christi, prout est in hoc sacramento, non potest per se se constituere sacramentum, cum seclusis speciebus nullum signum per se sensibile maneat, quod ad constituendum sacramentum sufficiens sit. Vnde apertè repugnat, species habere rationem sacramenti, per analogiam ad Christi corpus, cum potius ipsum corpus per ipsas tantum species aliquomodo scilicet sacramentaliter, sentiatur, species autem per se sensibiles sint, propter quod sancti Patres docent, ipsas species esse sacramentum tantum, corpus autem Christi esse rem, & sacramentum simul.

2. Conclusio. August. Greg. Nis. Ambros.

Dico secūdo, verba consecrationis non sunt Eucharistiæ sacramentum. Communis est conclusio Theologorū, & existimo esse certam, colligiq; ex communi loquendi modo Sanctorum, & Cōciliorum, appellantium species ipsas, sacramentū, vt iā iam videbimus. Præterea dicunt Patres, consecratione perfici sacramentum Eucharistię, non autem consecrationē esse ipsum sacramentū. Aug. lib. 20. contra Faustum. c. 13. *Noster panis, & calix, certa cōsecratione mysticus fit nobis, non nascitur,* & in c. Quia passus. de Consecr. d. 2. *Mysterium,* dicitur, *pacis, & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit.* Greg. Nissen. in. c. Quia corpus, eadem distinct. *Necessarium, erat, vt in die cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis sui consecraret,* & similia habet Ambr. lib. de ijs, qui initiantur. c. 9. & lib. 4. de sacram. c. 4. Ac denique in c. Ergo Berengarius, in suæ hæresis abiuratione iurat ille, se credere, post consecrationem, non solum sacramentum, sed verum corpus & sanguinē Christi Domini nostri in altari manere. Ergo, cum verba transeant, & sacramentum maneat, necesse est sacramentum esse aliquid, præter verba. Nec potest accomodari eorum fuga, qui exponunt manere sacramentum, quia manet Christus, qui est res, & sacramentum simul, quia ibi expresse dicitur manere sacramentum, præter corpus & sanguinē Christi, quæ sunt res & sacramentum simul. Denique Concil. Florent. expresse dixit, per hæc verba hoc confici sacramentum, Trident. sess. 13. c. 1. dicit, post panis & vini consecrationem, Christum Dominum in hoc sacramento contineri, ergo prę ter rem & sacramentum, scilicet Christum, manet sacramentum continens ipsum, non enim ipsum se ipsum continet: vnde id dictum esse ratione specierum, certum est, vt clarius explicatur in c. Firmiter, de sum. Trinit. & fid. Cath. vbi dicitur, Christum contineri in altari, sub speciebus: si ergo verba conficiunt Eucharistiæ sacramentū, & post verba, præter corpus, & sanguinem Christi, manet sacramentum, in quo Christus continetur, non sunt verba ipsum sacramentum. Et confirmatur, quia Eucharistia est sacramentum permanens, quod à fidelibus sumitur, vt animarum cibus, & adoratur & circunfertur, & pro infirmis seruatur, vt Concil. Trident. tradit sess. 13. per multa capita. Verba autem nec permanent, nec sumuntur á fidelibus, nec adorantur, circunferuntur, aut seruantur; ergo illa, per se sola, non possunt esse Eucharistiæ sacramentum, quia non conueniunt illis proprietates rei permanentis, quæ sacramento Eucharistiæ attribuuntur. Et hæc conclusio euidentius constabit ex sequenti. Nec existimo Diuum Thomā, aut aliquem autorem grauem sensisse contrarium, quāquam interdum aliqui minus propriè loqui videātu, quia in re perspicua non existimarunt de vero ipsorum sensu potuisse dubitari. Propriè ergo, & in rigore falsum est asserere, sacramentum Eucharistiæ esse actionem consecrandi, & si alicubi hoc reperitur, interpretandum est, vel de actione, ratione sui termini, vel in sensu causali, scilicet Eucharistiā confici consecratione. Et ita se se exponit aperte D. Thom. illo loco, & infra hac. 3. p. q. 78. artic. & sæpe alias, & idem est sensus Caietani, qui illo loco non tractabat de essentia huius sacramenti, sed de actionibus, quæ in illo interueniunt, scilicet cōsecratione, & sumptione, vt ostenderet, per neutram illarum characterem imprimi, de quo ibi disputabat. Marsil. etiam eodem modo interpretandus est, nam, licet in priori loco obscurius loquatur in posteriori satis apertè varietatem docet.

Conc. Flor. Trident. — Tridentin. — Marsil.

Dico tertio, species consecratas esse Eucharistię sacramentum, seu ad illius constitutionem intrinsecè & essentialiter pertinere. Propono conclusionem hanc sub disiunctione, quia perfecta illius intelligentia pendet ex ijs, quæ dicemus duabus sequentibus quæstionibus ostēdimus, sensum vtriusque partis rectè intellectum eodē reuolui. Conclusio ergo est cōmunis Theologorū, D. Tho. hic art. 1. ad. 2. &. 3. & aliorū in. 4. d. 8. vbi Magister etiā hoc sacramentum dicit esse, *inuisibilis gratiæ visibilē formam.* Vnde concludit, ipsas species esse sacramentum tantum, quod prius docuerat Hugo de S. Victo-

Species consecratæ pertinēt ad essentiam Eucharistiæ. — D. Thom.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Hugo Victor. Altisiodorēs. Alensis. Caietan. Richardus. Viguerius.

ctore libro. 1. de sacramentis part. 8. capit. 7. tenet Altisiod. libr. 4. summæ tractatu. 5. capit. 1. Alensf. 4. part. quæstion. 31. membr. 3. Caietan. quæstion. 75. artic. 1. in fine Richard. articul. 1. Viguerius in summa capit. 16. §. 3. quam Theologorum doctrinam amplexus est Innocent. III. in cap. Cum Marthæ. de celebrat. missar. docens species visibiles esse sacramentum tantum. Et indicatur etiam in capit. Hoc est. de Consecratione. & distinction. 2. quod ex Augustino desumptū est, partim epist. 23. ad Bonifacium, partim alijs locis, & Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. eadem vtitur doctrina, cū docet, commune esse huic sacramento cum cæteris, esse inuisibilis gratiæ visibilem formam. Et cōfirmatur, nam ratione specierum, dicitur corpus Christi contineri in sanctissimo Eucharistiæ sacramentto, eadem sess. capit. 1. & in capitul. Species. de Consecrat. distinction. 8. & sepe alias. Nec enim corpus Christi ratione sui ipsius potest dici contineri in sacramento magis, quam in se ipso: sunt ergo ipsæ species sacramentum, vel certe sacramentum ipsum componunt, vel intrinsece constituūt. Et alia similia argumenta confici possunt ex multis alijs locutionibus de hoc sacramento, quæ in Concilio Tridentin. & in varij decretis, de Consecratione. d. 2. facile reperientur. Ratio vero clara est, quia species visibiles sunt signum sacrum, significant enim Christum, quem continent, significāt autem illum, vt animarum cibum, atq; adeo vt sanctificantem homines, per modum spiritualis nutrimenti, quæ significatio ad rationem sacramenti posset sufficere; tamen præterea significant gratiam, & caritatem, quia significant vnionem in vno corpore Christi mystico, quæ vnio caritate perficitur. Ac denique realiter in se continēt Christum, quod genus quoddam causalitatis est, & fortasse ad efficientiam pertinet, vt infra dicam. Tandem probabile est, efficere etiam gratiam, vt instrumentum physicum Christi, nihil ergo de est speciebus consecratis, quominus possint Eucharistiæ sacramentum componere, seu cōstituere.

Aug. Concil. Trid.

Fundamenta contrariorum destruuntur.

Fundamenta cōtrariarum opinionum ex dictis fere soluta sunt: Vvaldensis enim in æquiuoco laborasse videtur, nā ex eo, quod corpus & sanguis Christi sunt res præcipuæ, ex quibus maxima dignitas huius sacramenti consurgit, existimauit, accidentia comparatione illarum, quasi nihil esse, & ideo analogice esse sacramentum, cum tamen valde diuersum sit agere de rei nobilitate, ac agere de ratione sacramenti, quia cum de ratione sacramenti sit esse signum sensibile, fieri potest, vt in re minus nobili prius & exactius inueniatur ratio sacramenti, si illa per se sensibilis sit, quam in re nobiliori, si non sit per se sensibilis, sed tantum per aliam, vt in præsenti accidit, sicut explicatum est. Patres vero, quos Vvaldensis allegat, licet dicant corpus Christi esse sacramentum, non tamen excludunt species, quomodo autem intelligendi sint, in lectione. 3. dicemus. Ratio vero in fauorem illius sententiæ facta falsum sumit, vt visum est, & idem dicendum est ad rationem factam pro secunda sententia, de qua plura in sequenti sectione dicemus.

(∴)

SECTIO II.

An forma verborum consecrationis sit de essentia huius sacramenti, intrinsecè illud constituens.

Consecratio duobus modis accipi potest. Primo, pro forma verborum, qua hoc sacramentū conficitur. Secūdo pro actione illa mirabili, qua panis in corpus Christi conuertitur. De hac posteriori non est quæstio, quia cōstat illam esse viā ad constituendum hoc sacramentum non tamen pertinere intrinsecè ad ipsam rationem sacramenti, quia non est forma sensibilis, sed potius inuisibilis actio eius, sicut spiritualis actio, qua per formam, verbi gratia, baptismi, efficitur gratia in anima, non est sacramentum, sed potius res sacramenti seu via ad illam. Intelligitur ergo quæstio de ipsa forma verborum, de qua non est cōtrouersia inter Catholicos, quin aliquo modo sit forma huius sacramenti, vt Concilium Florent. tradit & infra. q. 78. latius dicetur. Difficultas vero est, quomodo intelligendum sit, esse formam, scilicet an tanquam formam informantem & constituentem ipsum sacramentum, an vero solum, vt formā extrinsece illud efficientem.

Conc. Flor.

Supponendum secundò est, illa verba non esse integrum aliquod sacramentum, quia neq; est Eucharistia, vt ostendimus, neq; aliud aliquod ab illa distinctū, quanquā Gabr. d. 6. art. 3. dub. 2. contrarium asserere voluerit, licet formidādo. Sed est noua & absurda sententia, qua posita plura essent sacramenta, quam septem, quod Gabriel consequenter cōcedit, quamuis, per reductionem, dicat ad septem omnia reuocari; quod ego supra satis improbabi in disput. 39. & . 1. huius materiæ. Ratio etiā à priori adiungi potest, quia id, quod est integrum sacramentū nouæ legis, est proximū signum efficax gratiæ sanctificantis, quā continet, & confert, vt patet ex generali doctrina de sacramentis nouę legis, hæc autem verba non sunt instituta ad conferēdam gratiā, vnde non possunt immediatè applicari ad sanctificationem hominis, sed solum ad sanctificationem materiæ, & ideo sola illa, ac per se sumpta, non possunt esse integrum sacramentū nouæ legis, sicut sanctificatio Chrismatis, aut benedictio olei, non potest habere integram rationē sacramenti. Et ita melius docuerat idem Gabr. lectione. 35. in canonem, & omnes doctores. dist. 8. Et ex his intelligitur facile ratio dubitandi in proposita quæstione.

Gabriel.

Prima igitur sententia dicit hanc formā, nec esse sacramentum nec partē sacramēti Eucharistiæ. Potest pro hac sentētia referri Sotus in 4. d. 1. art. 1. sed ille generaliter in omnibus sacramētis negat formas esse partes intrinsecas, sed in hoc deceptus est, vt suo loco ostendimus. Nec in alijs est eadem ratio dubitandi, quæ in isto. Tenet igitur proprie hanc sententiā. Scot. d. 8. q. 1. ad 3. quem sequitur Gabr. ibi. q. vnic. in principio, & lect. 38. in can. Victoria in sum. n. 52. Ledesma. q. 14. art. 1. dub. 2 Catherinus Opusc. 2. de verbis, quibus Christus cōsecrauit. Claudius reperit. 4. capitul. 12. & optime omnium Alanus libr. 1. de Eucharistia capit. 3. 4. & 5. Hi dicunt non esse de ratione sacramenti, vt essen-

Sotus. Gabriel. Victoria. Ledesma. Catharinus. Claudius.

essentialiter atque intrinsece constet rebus vt materia, & verbis vt forma, sed solum vt ex rebus & verbis conficiatur, quacunque ratione, quod in hoc sacramento seruatur solum; quia verba sunt necessaria ad conficiendum hoc sacramentum, per modum formæ extrinsece efficientis. Et primo suadetur ex Concil. Florent. quod primum in genere loquens, nō dicit omnia sacramenta cōstare ex materia & forma, sed omnia tribus perfici, materia, forma, & ministro, ex quo solum habetur, illa tria esse necessaria, non vero essentialia, vt de ministro dicere necesse est. Statim vero loquens in specie de hoc sacramento, dicit materiam esse panem & vinum, formam autem verba, constat autem illam materiam non esse intrinsecam, & essentialem sacramento in facto esse, sed solum esse materiam remotam, & quasi terminum à quo necessarium in fieri, ergo eodem modo dici poterit forma sacramenti in fieri, non vero constituens illud intrinsece in facto esse. Vnde inferius idem Concilium dicit, hanc esse formam, *qua hoc conficitur sacramentum*, & eodem modo loquuntur Patres supra citati. Est ergo hæc forma efficiens, non informās hoc sacramentum. Vnde arguitur secundo ex differentia inter hoc sacramentum, & reliqua, quia in alijs forma non efficit sacramentum, sed effectum sacramenti, & ideo potest per se constituere sacramentum; at vero hic forma efficit sacramentum; ergo non formaliter constituit; quia, teste Aristotele, forma informans, & efficiens non coincidunt in eandem numero. Tertio, quia in alijs sacramentis non est aliud esse, quam fieri, & ideo eisdē formis sunt, quibus fiūnt; ad hoc sacramentum, præter fieri habet esse permanens, res autē permanens cōstituitur in suo esse per formam permanentem distinctā ab actione quasi; quia in tali re aliud est esse, aliud fieri. Vnde cōfirmatur, quia, transacta forma, manet in altari integrum sacramentum, & non manet cōpositum ex rebus & verbis; ergo non est hoc compositum, sacramentum; sed illa tantum res, quæ in alteri permanet, & consequenter verba non sunt pars intrinseca sacramenti; antecedens constat ex decretis supra citatis, quæ in hoc fauent huic sententiæ, & in eo etiam, quod simpliciter vocant species sacramentum tātum, nulla facta mentione formæ. Vltima ratio, & tertia differentia est, quia in alijs sacramentis proximè applicatur forma ad sanctificationem fidelium, quod est intrinsecum sacramento nouæ legis, vt enim supra vidimus, debet esse ceremonia ad vsum & sanctificationem fidelium instituta, in hoc autem sacramento forma nō est proxime ad sanctificandos fideles, sed ad sanctificandam materiam, quæ in vsum fidelium posteà futura est, non est ergo pars sacramenti, sicut in Confirmatione, vel Extrema vnctione sanctificatio seu benedictio materiæ, quanuis simpliciter necessaria sit, non est tamen pars, vel forma sacramēti, quia remotè tantum ordinatur ad vsum, & sanctificationem fidelium.

Quod si quis interroget, cum hæc forma sit signum sacrum, si non est sacramentum, vel pars sacramenti, quid sit. Respondet Soto distinction. 8. quæstion. 1. artitul. 1. esse sacramentale quoddam, quod non mihi placet, quia habet effectum maxime supernaturalem, ex institutione diuina est instrumentum efficax, & altioris rationis, quam sint ea, quæ sacramentalia vocantur. Scotus dicit, esse viam ad sacramentum, sed hoc magis conuenit actioni ipsi, quā formæ verborum. Melius ergo dicetur forma extrinseca, & efficiens, vel certe probabiliter dici potest, quod sit actio sacrificandi incruente, nam, vt infra dicam, dum hoc sacramentum conficitur, sacrificium Deo offertur. Et ex hoc dicendi modo accommodatissime explicatur hæc opinio, dixi enim supra, agens de sacramentis in genere, hoc differre inter sacramentum, & sacrificium, quod licet vtrumque sit signum sacrum, tamen sacramentum ordinatur ad vsum, & sanctificationem fidelium, sacrificium vero ad offerendum Deo aliquid sacrum, in singularem cultum eius. Verba ergo consecrationis proxime ordinata sunt, ad conficiendum corpus Christi, & sanguinem separatim ex vi verborum, & hoc modo ad immolandum & offerendum Deo incruente ipsum Christum, in singularem cultum ipsius Dei; & ideo proxime pertinent illa verba ad constituendum sacrificium, & sunt signum sacrum per modum sacrificij, non per modum sacramenti, quia vero id, quod Deo in sacrificium offertur, postea cedit in vsum fidelium, inde fit, vt per hæc verba, & per hanc sacrificationem conficiatur spiritualis cibus, qui sit perfectissimum sacramētum, quo reficiuntur fideles. Ex quo etiam colligitur, posse hæc verba dici formam huius mysterij, quatenus sacrificium est, sacrificium enim cōsistit in fieri, & in actione, & ideo forma eius merito dici potest actio sacrificandi, nam materia, seu quasi materia est res oblata, seu in cultum Dei consecta, seu sacrificata; eadem vero forma, quæ informat sacrificium, efficit sacramentum, quia, vt dictum est, res sacrificata manet in cibum, vsum, & sanctificationem fidelium. Et hoc modo explicata hæc sententia non solum probabilis est, sed etiam valde accommodate explicat hoc mysterium & admirabilem sapientiam, quam in eo constituēdo Christus ostendit.

2. Opinio.

Secunda nihilominus sententia est, verba esse formam intrinsece constituentem hoc sacramentum, hanc videtur tenere Marsil. quæstion. 6. articul. 2. & videtur fauere Diuus Thomas. tum in 4. distinction. 8. quæstion. 1. articul. 1. quæstiunc. 1. tum etiam in tota hac materia, quatenus eodem modo loquitur de forma huius sacramenti, sicut de alijs. Fundamentum autem est illud generale axioma Theologorum, sacramenta nouæ legis constant rebus, & verbis, quod intelligendum videtur de constitutione extrinseca, & essentiali, vt fit in omnibus alijs: nam si in aliquo hoc negatur, poterit facile negari in reliquis, & ita tota hæc doctrina de constitutione sacramentorum redderetur incerta. Sed, vt verum fatear, hoc argumentum non admodum cogit, vt prima ratio præcedentis sententiæ demostrat, nam vbi est specialis ratio, & quasi singularis natura sacramenti, nihil mirum est si in illo fiat singularis exceptio & propria constitutio. Alia ratio adiungi potest, quia hæc verba sunt signum sacrum, & efficax summæ gratiæ, quia vim habent conficiendi Christum in hoc sacramento, & significandi illum, vt est cibus animarum sanctificans; ergo hæc verba sunt sacramentum, vel pars sacramenti, non primum, vt ostensum est, ergo secundum, Sed hæc ratio ex di-

Marsil. D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dictis facilè solui potest, dicendo, hæc verba significare per modum sacrificij, quæ significatio est veluti extrinseca & efficiens in ordine ad sacramentum. Denique ratio esse potest quia, hæc forma habet circa species illum effectum sacramentalem, quem habere potest forma sacramentalis, quia definit, & determinat materiam ad sacramentalem significationem, dici tamen potest determinare effectiue consecrando materiam. Sed ratio est probabilis, vt statim explicabo.

Tertia opinio esse potest, quæ est veluti explicatio præcedentis, non verba, sed quod ex verbis relinquitur, esse formam huius sacramenti, ad modum, quo nonnulli dicunt, vbi, non esse esse superficiem continentem, sed quod ex circunscriptione eius resultat in locato. Sed hæc sententia addit aliquid obscurius, & non saluat modum loquendi Conciliorum, & vix potest non incidere in alterutram ex dictis. Interrogo enim, quid sit illud quod verba relinquunt circa species, & an relinquant effectiuè vel formaliter, si effectiue, illud non potest esse nisi consecratio physica, quæ consistit in separatione specierum à substantia, & conuersione substantiæ in corpus Christi. Et hoc modo iam verba non sunt forma informans, sed efficiens, vt prima opinio dicebat; id autem, quod efficiunt, magis se tenet ex parte materiæ proximæ, quam formæ, at vero formaliter nihil relinquunt verba circa species, nisi fortasse de nominatione extrinsecam, neque enim materiam manere determinatam ad talem significationem, potest esse aliud, quam habitudo rationis, & denominatio extrinseca, & hoc ipsum dicebat secunda opinio, & melius loquebatur, quia Florentinum non dicit, habitudinem rationis esse formam, sed verba ipsa. Item, quia illa habitudo non est quid sensibile, sicut verba. Item quia in alijs sacramentis, licet possit considerari illa habitudo, non tamen dicitur forma, sed verba. Denique, si habitudo illa consideretur ex parte verborum denominantium materiam, non est forma, sed quasi informatio extrinseca verborum, si autem quasi passiue consideretur ex parte specierum, est veluti vnio materiæ ad formam, qualis hic esse potest.

In hac re dicendum est, primam sententiam rectè explicare quidquid in re ipsa efficitur per hanc formam, & modus loquendi: illius certe est expeditus & facilis, & potest optimè substineri. Secunda vero opinio non negat quod in re affirmat prima, sed addit aliquid spectans ad modum loquendi, quod non displicet. Potest vero sic breuiter explicari, quia per hæc verba aliquid physicum & reale fit in materia consecrata, scilicet, vt sub illis speciebus realiter Christus contineatur, & quoad hoc, verba solum sunt forma extrinseca & efficiens, quia verò hic effectus insensibilis est, ideò ex solo illo non intelligitur relinqui materia satis definita ad sensibilem & sacramentalem significationem. Et ideo alia ratione intelligi possunt illa verba sacramentaliter informare illam materiam, quia ex consecratione resultat quædam sacramentalis coniunctio inter talem materiam, & formam, ratione cuius, species determinantur per verba, ad significandum quod continent, & quoad hoc dici possunt sacramentaliter informari per illa: sicut in baptismo ablutio determinatur per verba ad significandum spiritualem ablutionem, & ideo in esse sacramenti talia verba sunt forma talis materiæ, simili ergo ratione in præsenti verba possunt dici informare materiam, & cum illa constituere vnum sacramentum quia vero hęc vnio & informatio non est physica, ideo non oportet vt sic intrinseca & propria, sed per quandam denominationem extrinsecam, & eadem ratione potest intelligi illa materia manere informata & determinata per illam formam, etiam si verba transierint, nam sicut dicitur aliquid formaliter cognitum à cognitione, quæ præterijt, sic etiam species manent determinatæ ad hanc significationem, quandiu moraliter substant illi formæ, substant autem non solum pro tempore, quo verba proferuntur, sed quandiu retinent eandem habitudinem ad illam formam, quæ habitudo non est forma, vt alia opinio dicebat, sed est veluti vnio materiæ cum forma, vnde nos non intelligimus species esse consecratas, & significare vel continere Christum, nisi quatenus intelligimus circa eas fuisse prolata verba formæ, vnde relatio signi, quæ rationis est, intelligi potest fundata in speciebus vt denominatis à tali forma. Et hoc etiam satis est, vt, licet verba transierint, dicatur tamen simpliciter manere sacramentum Eucharistiæ, vt Concilium Tridentinum sæpe in sessione. 13. & tota Ecclesia docent. Primo, quia permanet totus Christus, quod est præcipuum in hoc sacramento. Secundo, quia sicut res successiua dicitur esse, quia aliquid illius est, licet aliquid iam transierit, ita hoc sacramentum, quod ex permanente & successiuo consurgit, dicitur simpliciter esse, quia aliquid illius est, & id, quod in eo præcipuum est, durat. Præsertim tertio, quia in speciebus permanentibus manet tota significatio, verba enim tantum significant, contentum sub illis speciebus esse Christum, & hoc idem permanenter significant species iam consecratæ. Vnde fit vltimo quod, licet verba physice transierint, semper tamen quodammodo informent, vt diximus, illas species, quia illæ non significant nisi vt consecratæ sunt, atque adeo quatenus substant verbis consecrationis, quæ præcesserunt. Neque in ijs rebus requirenda est maior propinquitas vel præsentia.

SECTIO. III.

Vtrùm corpus & sanguis Christi intrinsece & essentialiter pertineant ad huius sacramenti constitutionem.

Supponimus, de essentia huius sacramenti esse, vt in se contineat corpus Christi realiter præsens: hoc enim requirit veritas formæ, & hoc significant species tali forma consecratæ, vt latius infra quæstion. 75. ostendimus, vnde fit, non esse dubium inter Catholicos, quin corpus Christi aliquomodo sit de intrinseca ratione huius sacramenti, saltem in obliquo, vt aiunt, id est, vt terminus illius habitudinis seu vnionis, quam species continentes dicunt ad rem contentam.

tam. Difficultas vero est, an Christus directè & in recto ingrediatur essentiam huius sacramenti, ita vt non tantum species sint sacramentum, sed totum veluti compositum ex corpore & speciebus. Quidam enim doctores negant, corpus Christi pertinere ad constitutionem huius sacramenti hoc posteriori modo, sed species solas esse sacramentum, ita sentit Marsil. in 4. quæstion. 6. art. 2. Vnde quæstion. 1. art. 1. dicit corpus Christi non esse sacramentum, sed annexum sacramento confectionis. Tenet etiam Soto distinction. 1. q. 1. artic. 4. & distinction. 3. q. 1. artic. 1. Et potest primo fundari in Patribus, & Concilijs, quæ in primis, distinguendo, vt vidimus, illa tria, rem tantũ &c. dicunt species esse sacramentum tantum, corpus autem Christi esse rem & sacramentum simul, omnino ergo distinguunt corpus à sacramento, & dicunt sacramentum esse signum corporis, corpus ergo non constituit intrinsecè id, quod est sacramentum tantũ, sicut nec significat se ipsum. Et simile argumentum sumitur ex alia locutione, qua frequenter dicũt corpus Christi contineri sub hoc sacramento. Item etiam ex alia, quæ habetur in dicto capite. Ego Berengarius, vbi dicitur, post consecrationem non solum manere in altari sacramentum, sed etiam corpus Christi. Secundo argumentor ratione, quia inter corpus & species nulla est vera vnio realis & physica, vt infra dicam, nec etiã sacramentalis: ergo ex illis duobus non componitur vnum sacramentum ergo corpus Christi non est de intrinseca ratione huius sacramenti. Antecedens probatur, quia, vt fieret sacramentalis vnio, oporteret alterũ componentium esse materiam, alterum vt formam: sed corpus Christi non potest habere rationem formæ, tum quia est alia forma, tũ etiã quia non est per se sensibilis, neq; habet ex præsam significationem, nec determinat materiã, quæ sunt de ratione formæ: neque etiam potest habere rationem materiæ, tum quia species sunt materia, tum etiam quia materia est quid imperfectum. Tertio, quia si totum illud compositum esset sacramentum, totum illud esset causa gratiæ propria & immediata, ita vt corpus & species simul & proxime attingant effectionem gratiæ, quod & superfluum videtur, & non posse satis intelligi, nam, licet Christus operetur, non tamen vt causa propria, sed vt vniuersalis, quomodo cum alijs sacramentis concurrit, & maiorem hic efficaciam fingere, & superuacaneum est, & sine fundamento.

Dicendum vero est, Eucharistiam non esse solas species sacramentales, sed compositum ex corpore & speciebus, seu corpus Domini sub speciebus contentum, atque adeo corpus & sanguinem Christi intrinsece, & in recto pertinere ad constitutionem huius sacramenti. Sententia hæc satis communis est; tenet illam D. Thom. in 4. distinctio. 8. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula ad 2. vbi aperte dicit, ex speciebus & corpore Domini fieri vnum sacramentum. Idem aperte Bonauentura in expositione literæ. Caiet. infra quæst. 75. artic. 1. in fine. Significat Capreolus distinct. 8. art. 3. ad primum, tenet Victoria in summa numero. 151. Ledesma. 1. part. quarti. quæst. 14. art. 1. in fine Alanus libr. 1. de Eucharistia. capit. 3. 4. & 5. Claudius repetit. 2. cap. 4. repet. 4. cap. 3. vbi dicit, Eucharistiæ sacramentum constare duabus rebus, signo scilicet, & carne Christi Domini; & cap. 12. multa in hãc sententiam affert.

Et probatur primo hæc sententia testimonijs antiquorum Patrum, & Doctorum; & primo in capit. Hoc est. de Consecratione distinctione. 2. dicitur, sacrificium Ecclesiæ duobus constare, *visibili elementorum specie, & invisibili Iesu Domini carne*, quæ verba Gratianus & Algerus citant ex Diuo Augustino: sed in eo huiusmodi verba minime reperiuntur, quanuis epistola. 23. ad Bonifacium aliquid indicet, reperiuntur autem in Lanfranco ex quo illa refert Iuo. 2. part. decreti capit. 9. Damasconus etiam lib. 4. capit. 14. *Quæ compositi sumus*, inquit, *ex dupl. ci natura, datus est nobis cibus, qui est Dominus noster, & sub specie panis nobis proponitur.* Irenæus lib. 4. cap. 34. dicit. *Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cælesti*, quod non propriè intelligitur, propter compositionem Christi, ex duplici natura, quanuis ita exponat Claudius repet. 2. cap. 4. quia illa compositio continet Christo secundum se, Irenæus autem tractat de compositione Eucharistiæ, per rem ergo terrenam intelligit species, per cœlestem autem ipsum Christum, qui dicitur, *panis vitæ, qui de cœlo descendit.* Docuit etiam hanc assertionem Hesychius lib. 6. in Leuiticum, Lãfrancus contra Berengarium à Columna. 11. & Algerus lib. 1. de hoc sacramento c. 5.

Secundo probatur ex alijs sanctorum Patrum locutionibus. Prima sit, nam affirmant hoc sacramentum confici verbis Christi, vt supra vidimus, non conficiuntur autem species sed corpus Christi, vel saltem compositum ex Christo & speciebus. Vnde simul etiam dicunt, id, quod conficitur, esse corpus Christi, vt videre licet in Ambr. 4. de sacrament. c. 5. vbi dicit, *Antequam consecretur panis est, vbi verba Christi accesserint, corpus est Christi*: Et lib. de ijs, qui initiantur c. 9. *Sacramentum* (inquit) *quod accipis, Christi sermone conficitur, & in illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca est, sed spiritualis.* Secunda locutio est, quia dicunt hoc sacramentum esse, *cibum animarum & panem cælestem*, 1. ad Corint. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Panis autem cœlestis non sunt solæ species, sed præcipue corpus Christi, iuxta illud Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, & ideò subdit Paulus supra, qui hunc panem indigne manducat, iudicium sibi manducat, quia non diiudicat corpus Domini. Vnde Iustinus Apolog. 2. in fine, *Hoc alimentum apud nos* (inquit) *vocatur Eucharistia*: quam infra dicit esse carnem & sanguinem Christi. Et Tertull. lib. de resurrectione carni. Caro (inquit) *corpore & sanguine Christi vescitur, & anima saginatur*, & Gregor. in cap. Multi. 1. quæstio. 1. *Celebramus* (inquit) *panem, hoc est, corpus Christi, quando sordidi accedimus ad altare.* Ac denique Tridentinum, sess. 13. capitul. 2. sentit, hoc sacramentum esse cibum illum, & potum, quia à Christo institutus est, vt nos spiritualiter reficiat. Tertia locutio est, quia hoc sacramentum dicitur adorandum esse latria, Tridentin. sess. 13. capitul. 5. & canon. 6. sed hoc potissimum est verum propter corpus Christi, nã species, licet coadorentur cum Christo, tamen tota ratio adorationis, & id, quod per se primo adoratur, est Christus. Quarta sit, quia id, quod est Eucharistiæ sacramentum, dicitur offerri Deo in sacrificium, & è cõtrario, quod oblatum est in sacrificiu, manere in sa-

cra-

Probatur conclusio testimonijs Patrum.
Lanfrancus. Iuo. S. Damas.
Irenæus.
Claudius.
Hesichius.
Algerus.
2. Probatur. Patrum locutionibus.
Prima.
Ambr.
Secunda.
1. Corin. 11.
Ioan. 6.
Iustinus. Tertul.
Greg.
Trid.
Tertia.
Quarta.

Universidad de Deusto Biblioteca

cramento: sed totum hoc est verum propter Christum, qui propterea dicitur esse sacrificium à Tridentino sess. 22. cap. 1. ergo. Ac denique tota Ecclesia eodem modo loquitur, de Eucharistia ac de corpore Christi, vt contento sub speciebus, vtrumque enim dicimur sumere, colere, &c. Vnde Paul. 1. ad Corinth. 11. de hoc sacramento loquens, *Probet autem* (inquit) *se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Vbi eandem Eucharistiam *corpus Domini* appellat, sicut Ioan. 6. dixit Christus, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, Quia panis ille*, (vt August. ait, lib. annotationum in Iob. c. 6.) *Sacramentum est corporis, & sanguinis Domini*. Ex quibus omnibus talis potest ratio concludi. Eucharistia est id, quod à Christo est institutum, vt per modum cibi & potus reficiat nos, vt dixit Tridentinum supra capit. 2. sed cibus hic non sunt species, sed caro Christi sub speciebus, vt ostensum est; ergo.

Aug.

Tertio probatur conclusio, ratione.

Tertio principaliter argumentor ratione, quia ex corpore & speciebus fit aliquo modo vnum; ergo fit vnum sacramentum; antecedens probatur, tum qui infra ostendemus, esse aliquam vnionem inter corpus & species, si non physicam & formalem, saltem effectiuam & sacramentalem; quæ ita explicatur, quia corpus Christi substituitur loco substantiæ panis: vnde, sicut sustantia illa cum suis accidentibus faciebat aliquomodo vnum, media aliqua vnione, ita corpus Christi, licet altiori modo & ratione. Quod etiam colligi potest ex illo verbo formæ, *Hoc est*, nam illud, *hoc*, signat hoc sensibile, tanquam quid vnum. Consequentia vero prima probatur, tum quia nõ potest signari aliud, quod ex corpore & speciebus componatur, nisi sacramentum Eucharistiæ, tũ etiam, quia illud vnũ est vnum signum efficax gratiæ; ergo vnum sacramentum. Antecedens patet, quia illud vnum proponitur tanquam vnus cibus, significans refectionem animæ. Quod recte explicuit Lanfrancus supra colu. 6. dicens. *Ecclesia Christi sic panem in carnem, & vinum credit conuerti in sanguinem, vt tamen salubriter credat, sacramentum esse Dominicæ passionis, diuinæ propitiationis, concordiæ & vnitatis*: & infra, colũna. 13. explicans quendam locum Augustini, inquit, *Sacramentum corporis Christi: quantum ad id spectat, quod in Cruce immolatus est ipse Dominus Christus caro eius est: quam forma panis opertam in sacramento accipimus*. Itaque ipsummet corpus Christi, speciebus panis opertum, signum est sui ipsius, in forma visibili, vt latius infra quæst. 75. dicturi sumus, & eadem ratione signum est refectionis spiritualis, quã in nobis efficit, de qua efficacia dicam statim, soluendo argumenta.

Lanfrancus.

Ad fundamẽta contrariæ sententiæ respondetur.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ, vt variæ Sanctorum locutiones intelligantur, aduertendũ est, licet hoc sacramentum, vt diximus, sit compositum ex corpore Christi & speciebus, tamen aliquid præcipue ei conuenire, ratione corporis, aliquid ratione specierum. Vnde quædam sunt nomina huius sacramenti, quæ præcipue significant corpus & veluti pro illo supponunt; vt est, *panis vitæ, sacrificium, cibus animæ*, & nomen etiam *Eucharistia* videtur esse huiusmodi, & ideo simpliciter vocatur *caro Christi*, vel *sanguis*: Alia vero sunt nomina præcipue sumpta ab speciebus, vt est nomen *sacramenti*, quanuis hoc proprie totum compositum significare posit, & pro illo supponere, vt cum dicimus, *sanctissimum sacramentum*. Iam ergo ad primam locutionem, in qua species dicuntur sacramentum tantum, respondetur, ita vocari, quia ab alijs sumitur significatio sensibilis, quæ quodammodo Christi corpori communicatur: quia ergo hæc significatio in solis speciebus per se primo fundatur, ideo dicuntur sacramentum tantum, nunquam tamen excluditur corpus Christi à compositione huius sacramenti. Sicut etiam in sacramentum pœnitentiæ confessio dici solet sacramentum tantum; quia ratio signi per se sensibilis ex illa sumitur respectu contritionis: & nihilominus non excluditur contritio ab intrinseca compositione illius sacramenti, quod exemplo etiam intelligitur, quomodo eadem res, quæ vt præcisa à signo exteriori, & significata per illud, dicitur res & sacramentum simul, vt coniuncta signo externo, & quasi informans vel sanctificans illud, posit cum illo componere integrum sacramentum. Secunda locutio est, quia corpus Christi dicitur contineri in hoc sacramẽto, quæ vera esse potest tum ratione specierum, tum ratione totius, sicut anima dicetur, esse in corpore & in homine, non tamen dicetur ita propriam corpus Christi esse sub hoc sacramento, sicut sub speciebus. Vnde Tridentinum proprijssime locutum est, dicens, corpus Christi esse in hoc sacramento sub speciebus sensibilibus. Tertia erat ex ea. Ego Berengarius, vbi sermo est contra hæreticum negantem realem Christi præsentiam, & ideo dicentem, post consecrationem in altari manere solum sacramentum, id est, signum Christi, non Christum. Contra hunc ergo dicitur, manere non tantum sacramẽtum, sed etiam Christum, idest, non solum signum sed etiam rem signatam. Vide circa hoc, quæ refert Claudius repetition. 9. capitul. 6. folio. 339. in fine & 340.

Ad primã Sanctorum locutionem.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Solutio primæ rationis contrariæ.

Ad primam rationem respondetur, iam ostensum esse ex corpore & speciebus fieri vnum vnione saltem sacramentali; quomodo autem inter se comparentur corpus & species, & ad illud totum, quod componunt, explicare restat. Quidam dicunt, se habere vt partes integrantes. Sed non placet; quia illa compositio nullam habet proportionem cum hac. Alij comparant cum accidente & subiecto, habitu & vestito, loco & locato, continente & contento, in quibus omnibus est aliqua similitudo, & proportio, non tamen proprietas, seu identitas, & in illis omnibus etiam est quædam similitudo materiæ, & formæ. Primo igitur in forma dici potest ad argumentum, corpus comparari vt formam ad species, tum quia est illis nobilius, tum etiam, quia est veluti virtus illarum, sanctificans illas, vt D. Thom. supra quæstio. 63. art. 1. ad. 2. Ex qua, iuncta solutione ad tertium, colligi potest, sicut humanitas sanctificatur per Verbum illi vnitum, quod hac ratione se habet vt forma eius, ita species sanctificari per realem præsentiam & vnionem corporis Christi, & hac ratione comparari vt formam earum: ac si in sacramento pœnitentiæ diceremus contritionem esse formam confessionis dantem illi vitam & sanctitatem, quanuis tota confessio

sio dolorosa comparetur vt materia ad absolutionem. Secundò dici potest corpus Christi se habere vt materiam, tum, quia in compositione ex accidenti & subiecto, id quod est nobilius, se habet vt materia, in hoc autem cibo substantia eius est corpus Christi, tum etiam, quia in artificialibus sæpe materia est id, quod est nobilius, & quod præcipuã vim confert ad agendum. Sacramenti autem compositio est veluti rei artificialis. Et vtrumque horum est probabile, nam cùm hæc ratio materiæ & formæ solùm ponatur in proportione quadam, sub diuersis considerationibus potest ad diuersa accommodari. Si verò tandem vrgeat aliquis inquirendo, quid principaliùs constituat hoc sacramentum. Respondetur, in ratione signi visibilis principaliùs constituit per species, vt per se constat, & ita ad rationem sacramenti, quæ in ratione signi consistit, magis pertinere species, quanuis ad rei nobilitatem, efficacitatem, & significationem, ac pignus diuini amoris, multò magis corpus Christi conferat.

D. Thom.

Marsilius.

Ad secundam rationem primò certum est, carnem Christi habere in hoc sacramento præcipuam efficientiam sacramentalem, vt D. Thom. quæst. præcedenti docuit, articul. 1. ad. 1. & quæst. 27. de verit. artic. 4. circa finem, & communiter Theologi. distinctio. 8. quanuis enim in contrarium citentur Maior. Gabr. & Marsil. Ego tamen non inuenio loca, vbi hoc negauerint, sed potiùs hoc apertè sentit Marsil. quæstio. 6. artic. 2. & colligi potest ex Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Ratio est, quia caro Christi est instrumentum coniunctum diuinitati, & in hoc sacramẽto adest præcipuè ad sanctificandos fideles, & per modum cibi hanc sanctificationem significat, cur ergo non efficiet? Itaque ex hac parte non procedit argumentum.

Caieta. Ledesma.

De speciebus verò non est res adeò certa, nam Caieta. quæstio. 80. articul. 12. dubio. 2, negat speciebus hanc efficientiam, quem sequitur Ledesma. 1. parte quarti. quæstio. 14. artic. 1. dub. 3. quanuis non satis clarè. Iuxta quam sententiam respondendum est, inde non sequi sacramentum hoc non constitui ex speciebus sensibilibus, quia de ratione sacramenti non est, vt per omnem suam partem gratiam efficiat, sed per vnam aliquã magis præcipuã, & ideò quanquam hoc sacramentum ex corpore Christi, & speciebus componatur, fieri potest, vt tota vis agendi sit in corpore, seu potiùs, vt ipsum corpus comparetur ad species, sicut virtus actiua illarum, vt insinuauit D. Thom. quæstio. præcedenti. artic. 1. ad. 1. vnde sicut aliqui dicunt, verba aliorum sacramentorum, & materiam agere denominatiuè tantùm per virtutem impressam, ita dici poterũt species hic agere solùm per Christum, qui est veluti earum virtus. Hactenùs tamen non inuenio rationem mihi satis probabilem, qua ostendi posit, species non habere propriam influxum & efficaciam gratiæ in hoc sacramento, certum est enim posse à Deo assumi vt instrumentum non minùs, quàm ablutionem in baptismo, vel alias materias in cæteris sacramentis, si autem hoc est posibile, vnde probari potest non factum esse, cùm hoc sacramentum sit dignius cæteris, & species sint vera materia ex qua ipsum componitur? nam quòd Christi corpus adsit, & efficiat, non obstat, quia possunt simul concurrere, quin potiùs iuuare potest, nam ex coniunctione cum ipso Christo perfectiùs recipiẽt species hanc virtutem, vnde Cyprian. ait sermone de cœna Domini. *Cibus hic verus & sincerus per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat*, quo etiam sensu paulò ante dixerat, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum. Confirmatur primò, quia sacramenta nouæ legis efficiunt quod significãt, sed species significant vnionem cum Christo: ergo illam efficiunt, vel perficiunt. Confirmatur secũdò, quia species sunt signa sacramentalia, seu sacramentum tantùm præsens, & commodè applicatum, sed sacramentum tantùm efficit rem sacramenti, ergo. Dicẽtur autem agere species in virtute carnis Christi, quia hanc virtutem accipiunt propterea quòd Christum continent, non quòd hæc virtus sit aliqua res fluens à carne Christi ad species, hoc enim superuacaneũ est, & vix intelligi potest, vt latiùs diximus agendo de sacramentis in genere: sed quòd species, eò quòd continent Christum, eleuentur, vt simul cum ipso gratiam efficiant, in qua actione tam Christi corpus, quàm species concurrunt vt instrumentum, illud vt coniunctum substantialiter principali agenti, hæ verò vt separatum, seu acidẽtaliter vnitum, virtus autem principalis propriè tantùm est in Deo, quodammodò tamẽ dicitur caro Christi principale agens respectu specierum, quia est coniuncta principali agenti, & quia ratione illius eleuantur species, & non è contrario. Et hoc solum voluit docere D. Thom. in illa solutione ad primum. Et hãc sententiam docuit Richard. distinct. 8. ar. 1. quæst. 1. & eam insinuat Bonauentu. in. 2. part. illius distinct. art. 2. quæst. 1. & hanc censeo esse mentẽ D. Thomæ infrà q. 79. art. 1. ad. 2.

S. Cyprian.

Confirmationes.

Ricardus.

S. Bonauẽ.

D. Thom.

Obiectio.

Solutio.

Dices, ergo non aliter caro Christi in hoc sacramento efficit gratiã, quàm cum cæteris, quia etiam cum baptismo concurrit ad effectum eius, &c. Respondetur primũ, nõ esse tam certũ ad effectus aliorũ sacramentorum concurrere proximè, & immediatè humanitatem Christi, sicut est certũ concurrere ad effectum huius sacramenti: quia hic est specialis ratio, cùm hic ipse Christus sit vere sacramentũ, & nõ in alijs, vnde in cæteris, ad summũ, influit per modũ causæ vniuersalis in suo genere, hic verò vt particularis, & propria causa. Rursus in reliquis influxus eius pendet ab ipso, vt existente in cælo, in hoc verò pendet ab ipso, vt realiter hic præsente & quatenus medijs speciebus contingit ipsum suscipientẽ. Præterea etiam probabile est cum alijs sacramentis tantùm concurrere per suam voluntatẽ, hic verò etiam per contactum suæ carnis, & pretiosissimi sanguinis, ita vt species sacramentales subordinentur ipsi in agendo, & vt autori sacramentorum per voluntatem suam influenti, & vt propriæ causæ, seu potiùs concausæ effectiuæ specialis gratiæ sacramentalis huius sacramenti.

SECTIO IIII.

Vtrùm sumptio Eucharistiæ sit sacramentum, vel pars eius.

Hæreticorũ quorundam error.

HAEretici, qui dicunt, Christum nõ esse præsentem in hoc sacramento, nisi quando accipitur, & est in vsu, consequenter dicunt, hoc sacramentum in vsu cõsistere, sicut cætera atque adeò præcipuã partẽ eius esse vsum ipsum. Nos verò supponimus id, quod de fide est, & infrà pro-

Universidad de Deusto Biblioteca

bandum, Chriſtum permanenter eſſe in hoc ſacramento ſtatim poſt conſecrationem. Ex quo conſequenter certum exiſtimo, ante huiuſmodi ſumptionem ſeu vſum, eſſe verum Euchariſtiæ ſacramentum conſtitutum, vt ſuprà ex Concilio Tridentino docuimus, & docuit apertè D. Thom. quæſt. præcedenti, articul. 1. ad 3. conſtituens differentiam inter hoc ſacramentum & reliqua, quòd hoc perficitur in conſecratione materiæ, alia verò in vſu. Iam verò difficultas eſt, quomodò vſus ſe habeat ad rationem ſacramenti.

Tridentin. *D. Thom.*

1. Catholicorũ ſententia.

Prima ſententia eſt, eſſe partem huius ſacramenti, atque adeò ante vſum, vel ſacramentum non eſſe, vel certè non eſſe integrum. Sicut ſacramentum pœnitentiæ conficitur ante ſatisfactionem, & nihilominus ſatisfactio eſt pars ad illius integritatem pertinens. Cuius ſententiæ fuiſſe videtur Aureolus apud Capreolum, in. 4. d 8. art. 1. in argumentis contra primã concluſionẽ, quanuis hic autor ſenſiſſe videatur eſſe partem eſſentialem. Ratio eius eſt, quia ſumptio Euchariſtiæ complet ſignificationẽ, & effectum eius, quia ante ſumptionem, nec gratia confertur, nec perfectè ſignificatur vnio fidelium cum Chriſto, ſed quod ſignificat, & confert gratiã vel eſt ſacramentum, vel pars eſſentialis ſacramenti cũ ergo hæc ſumptio non ſit ſacramẽtum integrũ, erit pars huius ſacramenti.

Aureolus.

2. Sententia. *Gabriel.*

Secunda ſententia negat, ſumptionem Euchariſtiæ eſſe ſacramentum, vel partem ſacramenti Euchariſtiæ, affirmat verò per ſe eſſe ſacramentum ab Euchariſtia diſtinctum, quanuis per reductionem ſub illo numeretur. Ita Gabr. diſtinct. 8. & probatur, quia in hoc vſu concurrunt omnia, quæ ſunt de ratione ſacramenti, nam eſt ceremonia ſacra, & ſenſibilis, & fit ex inſtitutione & præcepto Chriſti, vt patet ex illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationẽ*, & ex illis, *Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis*, &c. Ac deniq; non deeſt ſignificatio, quia, ſi ad fundamentum, ſeu proportionem reſpiciamus, nihil eſt aptius ad ſpiritualem refectionem ſignificandam, quàm ipſa ſenſibilis manducatio, ſi verò ad inſtitutionem, etiam hic inuenimus inſtitutionem Chriſti, quia non aliter imponitur ſacramentũ ad ſignificandum, quàm inſtituendo ceremoniam ſacram, quæ ad ſanctificationem fidelium ordinetur. In ſacramentis autem nouæ legis, vt hæc ſignificatio ſit efficax, requirit promiſsionẽ gratiæ, quã etiam in hoc vſu inuenimus, iuxta illud. *Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum ſanguinẽ, habet vitã æternam.* Quid ergo obſtare poteſt, quominùs hic vſus ſacramentum ſit? Et confirmo. Quia in alijs ſacramentis vſus ipſe eſt ſacramentum, ſolùm, quia concurrunt dictæ conditiones: cur ergo non erit idem in præſenti? Dices, quia ipſa res, quæ ad vſum applicatur, eſt ſacramentum. Sed hoc non videtur obſtare, quia illa duo non repugnant inter ſe, ſicut, ſi chriſma eſſet ſacramentum, vel in eo Chriſtus realiter adeſſet, nihilominùs vnctio chriſmatis, ſi in ea daretur ſanctificatio, ſicut nunc datur, eſſet ſacramẽtum, imò videretur eſſe perfectius, quia eſſet vſus ſacer, & ſignum ſacrum, ſicut nunc eſt, & tantò perfectius, quantò res, qua fieret vnctio, ſanctior eſſet, ergo ſimiliter, &c.

Sumptio Euchariſtiæ nõ eſt ſacramẽtum Euchariſtiæ, nec pars eius. *D. Thom.*

Dicendũ verò primò eſt, ſumptionem ſeu vſum, neque eſſe ſacramentum Euchariſtiæ, nec partem illius. Hæc eſt aperta ſententia D. Thomæ loco ſuprà citato, & infrà, quæſt. 78. artic. 1. ad 2. vbi dicit, ſumptionem eſſe veluti actum ſecundum huius ſacramenti, & hoc modo pertinere ad extrinſecam perfectionem eius, ſicut agere ad perfectionẽ agẽtis. Idem ſentiunt alij Theologi, diſtinctio. 8. præſertim Capreol. & Soto, & Ledeſma, & hoc tempore omnino ita ſentiendum videtur, tum quia Cõcilium Trident. ſeſsio. 13. cap. 3. plurimùm huic ſententiæ fauet, tum etiam propter cauẽdam hæreſim, quæ realem Chriſti præſentiam ſolùm in vſu ponit.

Capreolus. *Soto.* *Ledeſma.* *Trident.*

Probatur autem primò, quia per conſecrationem conficitur ſacramentum Euchariſtiæ, ſed conſecratio perfecta eſt ante vſum, & independens ab illo: ergo. Secundò ex communibus locutionibus de hoc ſacramento: dicitur enim eſſe cibus animæ ſumi à fidelibus, continere corpus Chriſti, & alia huiuſmodi, quæ nullo modo poſſunt ipſi ſumptioni accommodari. Tertiò, Euchariſtiæ ſacramentum à ſolo presbytero integrè cõficitur, at verò ad vſum applicari poteſt etiam à diacono: ſignum ergo eſt, vſum huius ſacramenti nullo modo ad illius conſtitutionem pertinere. Quartò, hic vſus non poteſt eſſe pars eſſentialis, aliàs ante illum non eſſet confectum Euchariſtiæ ſacramentum, quia abſque eſſentiali parte non poteſt res conſiſtere. Nec verò eſt pars integralis, quia neque eſt pars formæ, vt per ſe conſtat, nec materiæ, quia Concilia non vſum panis aut vini, ſed ipſum panem & vinum dicunt eſſe materiam remotam, ratione ſubſtantiæ, ſeu quatenus ſunt materialia elementa, proximam verò ratione ſpecierum continentium Chriſtum.

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.* *4. Ratio.*

Sumptio Euchariſtiæ nõ eſt per ſe ſacramentũ. *Maior.*

Dico ſecundò, Hic vſus ſeu ſumptio Euchariſtiæ nõ eſt per ſe ſacramentum ab alijs diſtinctum. Eſt communis concluſio, ſicut præcedens, quam Maior diſtinctio. 8. quæſtione vnica, more Nominalium, probat, quia ſumptio Euchariſtiæ non diſtinguitur ab Euchariſtia, ergo non poteſt eſſe diſtinctum ſacramentum. At verò pari modo poſſet inferre, hunc vſum eſſe ſacramentum, falſum ergo aſſumit, quia vſus aliquid addit præter rem, qua vtimur, ſcilicet, aliquem motum, contactum, vel operationem ex natura rei diſtinctam ab ipſa re, quæ diſtinctio in alijs ſacramentis ſufficit, vt ablutio, aut vnctio ſit ſacramentum, verbi gratia, & non aqua, aut chriſma. Aliter ergo probatur primò illa generali ratione, quia aliàs ſequeretur in rigore eſſe plura ſacramenta, quàm ſeptem. Secundò, quia ſacramentum nouæ legis, quod in vſu conſiſtit, habet propriam formam, propriumque effectum ab alijs diſtinctum, imò & proprium miniſtrum neceſſariũ de neceſsitate ſacramenti, baptiſmo ſolùm excepto, propter ſingularem illius neceſsitatem, hic verò vſus, nec formam habet, nec effectum ab effectu Euchariſtiæ diſtinctum, vt per ſe conſtat, nec requirit certum miniſtrum de neceſsitate ſacramenti, aut ad effectum præſtandum omnino neceſſarium: ergo. Maior patet, tum inductione, tum etiam, quia ſacramenta per proprias formas, & ſacramentales effectus præcipuè diſtinguuntur. Tertiò explicatur hæc ratio, quia promiſsio gratiæ huius ſacramenti per ſe non eſt facta ſumptioni, vt cauſæ per ſe eius, ſed Euchariſtiæ, id eſt, corpori Chriſti ſub ſpeciebus, ſicut ipſe dixit, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, ipſe ergo eſt, qui per ſe efficit gratiam, ſumptio verò ſolùm eſt conditio neceſſaria, ſeu, ſine qua non: non eſt ergo ſumptio ſacramentum, ſed id, quod ſumitur. Vnde etiam fit, hunc vſum non eſſe ceremoniam ſacram, per ſe impoſitam ad ſignificandum, ſicut nec ad efficiendum gratiam, quia ſicut promiſsio gratiæ non eſt per ſe illi facta, ſed Euchariſtiæ, conſequenter verò redundat, & communicatur ſumptioni, vt conditioni ſine qua non, ita nec per ſe primò eſt inſtituta ad ſignificandum, ſed conſequenter etiam participat ſignificationem magis ex neceſſaria connexione, quàm ex directa impoſitione.

1. & 2. ratio. *3. Ratio.*

Sumptio Euchariſtiæ ſolùm eſt applicatio ſacramenti.

Dico ergo tertiò, Sumptio Euchariſtiæ ſolùm eſt applicatio ſacramenti, ſeu conditio neceſſaria, vt ſacramentum operetur. Hæc concluſio ſequitur ex dictis, quia ſuppoſitis, quæ diximus, nihil aliud eſſe poteſt: propria enim, & per ſe actio ſacramẽti eſt internum, ac ſpirituale caritatis augmẽtum, ad hãc verò actionem neceſſe eſt, vt homini applicetur, eũque ſacramentaliter contingat, hoc autem fit per manducationem, & hoc ſenſu dixit D. Thomas, loco ſuprà citato, vſum pertinere ad extrinſecam perfectionem huius ſacramenti, ſicut agere ſpectat ad perfectionem agentis, ſub illa enim voce, *agere*, incluſit etiam applicationem agentis ad agendum neceſſariam. Fundamenta verò aliarum opinionum ſoluta ſunt ex dictis, præterquàm vltima confirmatio, in qua fit comparatio inter vſum huius ſacramenti & aliorum. Circa quam Ledeſma ſuprà exiſtimat, eandem eſſe rationem de hoc, & de alijs ſacramentis, quia ſicut applicatio Euchariſtiæ (inquit) non eſt Euchariſtia, nec per ſe efficit gratiã, ita nec applicatio baptiſmi eſt baptiſmus, nec per ſe gratiam confert. Sed in hoc valde deceptus eſt, quia conſtat, in baptiſmo, & alijs ſacramentis, quæ conſiſtunt in vſu, applicationem ſacramenti non diſtingui ab vſu ſacramenti. Et ratio eſt, quia vſus rei non poteſt per alium vſum applicari, ſicut nec poteſt actio alia actione fieri, aliàs oporteret in infinitum procedi. Sic igitur, ſicut ablutio eſt baptiſmus ita etiam eſt applicatio baptiſmi, id eſt, inſtrumentalis cauſa gratiæ. Vnde D. Thom. quæſt. præcedenti art. 1. ad 3. conſtituens differentiam inter hoc, & alia ſacramenta, dicit, alia perfici in applicatione materiæ ad hominem ſanctificandum, & Concil. Trident. ſeſsione. 13. capit. 3. eandem differentiam tractans, inquit, *hoc ſacramẽtum perfici ante vſum, reliqua verò tunc accipere vim ſanctificandi, cum illis vtimur.* In ipſo ergo vſu conſiſtit vis, & ratio aliorum ſacramentorum. Vnde ad confirmationem reſpondetur, negando ſimilitudinem, nam in alijs ſacramentis, vſus eſt per ſe primò inſtitutus ad ſignificandũ & ſanctificãdum, ablutio enim ſanctificat, quia per ſe eſt ad hoc impoſita, non quia ipſa aqua ſecundũ ſe virtutem aliquam habeat. In vſu verò huius ſacramenti ſanctificantur fideles, propter virtutem & efficaciam ipſius cibi: vnde alia ſacramenta per ſe inſtituta ſunt, vt fiant, hoc verò vt ſit, & ſumatur in cibum, ſeruetur in viaticum, & vt pignus hæreditatis æternæ habeatur, ac denique, vt in ſacrificiũ offeratur. Ex quibus concludi poteſt primò, quid ſit Euchariſtia, ſi phyſicè eam deſcribere velimus: eſt enim vel ſpecies conſecratæ, corpus & ſanguinem Chriſti continentes, vel è cõtrario eſt corpus & ſanguis Chriſti, vt contenta ſub ſpeciebus conſecratis. Vel denique eſt ſacramentalis cibus, ex corpore & ſanguine Chriſti & ſpeciebus conſtans, quolibet enim horum modorum ſatis explicatur tota eſſentia huius ſacramenti, præſertim quoad materiam, indicatur verò forma, quatenus per illam ſpecies conſecrantur.

Diſcrimen inter vſum Euchariſtiæ & aliorũ ſacramentorũ. *Trident.* *Definitur Euchariſtia phyſicè.*

Euchariſtia ſupponit pro toto compoſito ex Chriſto & ſpeciebus.

Secundò colligitur ex dictis, pro quo ſupponat Euchariſtia, vel ſacramentum Euchariſtiæ abſolutè dictum, quibuſdam enim placet, vt ſupponat pro ſpeciebus, connotando corpus contentum. Alijs è contra, vt ſupponat pro corpore, connotando ſpecies continentes: alijs, quibus ego magis aſſentior, pro toto compoſito, ſeu cibo ſacramentali & ſenſibili. Primò, quia, vt dixi, hoc eſt propriè ſacramentum Euchariſtiæ. Secundò, quia in materia de ſacramentis in genere oſtendi, quodlibet ſacramentum, verbi gratia, baptiſmum, ſupponere pro toto compoſito, ad quod ſignificãdum eſt impoſitum, quanquam in ordine ad formam videatur eſſe ſpecialis ratio in hoc ſacramento, quoad ſuppoſitionem, nam, quia illius forma eſt quodammodò extrinſeca, & realiter ac phyſicè tranſit, & nõ manet, videtur propriè impoſitum nomen huius ſacramẽti, ita vt, iuxta communem vſum, ſupponat pro re permanente, connotando formam. Tertiò, quia in alijs rebus artificialibus ſimilis modus ſuppoſitionis inuenitur: domus enim ſupponit pro toto compoſitio ex fundamentis, parietibus, & tecto, vt ibidem expoſitũ reliquimus. Addendum verò eſt, licèt hæc ſit propria & rigoroſa ſuppoſitio, interdùm Euchariſtiæ nomen accipi pro ſpeciebus ipſis, & ſæpiùs pro corpore Chriſti, quia hæc omnia participant rationem ſacramenti, & ſunt ita inter ſe connexa, vt ſub vno facilè aliud intelligatur.

Quid ſit in Euchariſtia res tantùm ſacramentũ tantùm, res ac ſacramentum ſimul. *Caietan.* *S. Bonauẽ.*

Tertiò conſtat facilè ex dictis, quid in Euchariſtia ſit res tantùm, ſacramentum tantùm, res & ſacramentum ſimul. Res enim tantùm eſt effectus, qui in ſuſcipiente efficitur, qui eſt gratia & caritas, ſeu vnitas corporis Chriſti myſtici, hæc enim omnia idẽ ſunt, vt rectè Caietanus notauit. quæſt. præcedẽti, ar. 1. & priùs Bonauentura, diſtinctione. 8. 2. part. art. 2. quæſt. 1. ad vltimum, eſt enim proprius effectus huius ſacramenti, quod per modum cibi & conuiuij inſtitutum eſt, plures inter ſe coniungere, eoſque vnire tam cum ipſo cibo, quàm cum autore cibi, & conuiuij, vt latiùs in ſequẽtibus, & præſertim quæſt. 79. dicturi ſumus. Res & ſacramentum ſimul eſt corpus Chriſti, quod eſt in ipſa materia, in quo differt ab alijs ſacramentis, in quibus res & ſacramentum ſemper eſt in ſuſcipiente, nam licèt in ſacramento pœnitentiæ, contritio, quæ eſt res & ſacramentum ſimul, ſit in materia, tamen etiam eſt in ſuſcipiente. Vnde intelligitur, quòd ſicut contritio per ſe ſumpta non eſt ſacramentum, ſed vt ſit aliquo modo ſenſibilis per confeſsionem, ita corpus Chriſti per ſe non eſt ſacramentum, ſed vt aliquo modo ſentiri poteſt per ſpecies, res autem dicitur, quatenus ſub illis ſacramentaliter continetur, & ſignificatur. Sacramentum autem tantùm, ſi præciſe ſumatur, ita vt rem ſacramenti nullo modo includat, ſunt ſolæ ſpecies ſenſibiles, ſed hic præciſus cõceptus non eſt de ratione ſacramenti, vt in ſacramẽto pœnitentiæ videre licet; id enim quod eſt ſacramentum tantùm, eſſentialiter includit contritionẽ perfectam vel imperfectam, quæ eſt res & ſacramẽtum ſimul; quia non includit illam vt rem, ſeu vt ſignificatam, ſed ſolùm vt ſignificantem, ſeu vt partem integri ſigni ſenſibilis: ſic igitur in præſenti, ſacramentum tantùm completum & integrum dici poteſt Euchariſtia, quatenus eſt panis cœleſtis, & perfectũ ac cõpletum gratiæ ſpiritualis ſignum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS I.

Vtrùm materia huius sacramenti sit panis & vinum.

4.d.11.q.2.ar.1.q.1.& 2.& 4.contra c.61.& 68. 1.Cor.11. li.5.co.2.& 3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod materia huius sacramenti nõ sit panis & vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet repræsentare passionẽ Christi, quàm sacramẽta veteris legis. Sed carnes animalium, quæ erant materiæ sacramentorum veteris legis, expressius repræsentant passionem Christi, quàm panis & vinum, Ergo materia huius sacramenti magis debet esse carnes animalium, quàm panis & vinum.

¶ 2 Prætereà, Hoc Sacramentum est vbique celebrandũ. Sed in multis terris non invenitur panis triticeus, & in aliquibus non inuenitur vinũ: ergo panis, & vinum non sunt conuenientes materia huius sacramenti.

¶ 3 Prætereà, hoc sacramentum competit sanis & infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur, quòd vinũ non debeat esse materia huius sacramenti.

Alex.1.in ep.ad omnes.orth.à med.Illius tom.2.Cõc.

SED contra est, quod Alexand. Papa dicit; In sacramentorum oblationibus panis tantùm & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.

RESPONDEO dicendum, quòd circa materiam huius sacramenti aliqui multipliciter errauerunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ (vt Aug. dicit in lib. de hæresibus) offerunt panem & caseũ in hoc sacramento, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ouium fuisse celebratas. Alij verò, scilicet Cataphrygæ, & Pepuziani, de infantis sanguine, quẽ de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiã suam conficere perhibentur, miscentes eũ farinæ, panemque inde facientes. Quidam verò, qui dicuntur Aquarij, aquam solã sub specie sobrietatis in hoc sacramento offerunt. Omnes autem hi errores, & similes excluduntur per hoc, quod Christus hoc sacramẽtum sub specie panis & vini instituit vt patet Matth. 26. Vnde panis & vinum sunt materia conueniens huiusmodi sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidẽ, quantum ad vsum huius sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramẽto baptismi ad vsum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis & vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad vsum spiritualis manducationis. Secundò, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est à corpore separatus. Et ideo in hoc sacramento, ꝙ est memoriale Dominicę passionis, seorsum sumitur panis, vt sacramentum corporis, & vinum, vt sacramentum sanguinis. Tertiò, quantum ad effectum consideratum in vno quoque sumentium, quia vt Ambr. dicit super Epistol. ad Corin. hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ & corporis. Et ideò corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini pro salute animæ offertur, sicut dicitur Leui. 17. quòd anima carnis in sanguine est. Quarto, quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis conficitur ex diuersis granis, & vinum fluit ex diuersis vuis, vt dicit glos. super illud 1.Cor.10. Multi vnum corpus sumus, &c.

1.ad Cor.11.super illud, hoc facite quàm sæpè cunque sumetis hoc sacramentũ &c. q.5.

Id habet Beda in hãc ep. & Aug. ep. 54. Possid. in vita.

AD primum ergo dicendum, quod licèt carnales animalium occisorum expressius repræsentent Christi passionem: tamen minus competunt ad communem vsum huius sacramenti, & ad Ecclesiasticam vnitatem significandam.

AD secundum dicendum, quod licèt nõ in omnibus terris nascatur triticum vel vinum: tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius sacramenti. Nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum quia non esset perfectum sacramentum.

AD tertium dicendum, quod vinum in modica quantitate sumptũ, non potest multum ægrotanti nocere. Et tamen, si nocumẽtum timeatur, non est necesse, quod omnes accipientes corpus Christi, etiam accipiant sanguinem, vt infrà dicetur.

4.d.12.q.2.

COMMENTARIVS.

REfutatis erroribus affirmat Diuus Tho. materiam huius sacramenti esse panem & vinũ, quod primò probat ex facto & institutione Christi. Deinde affert optimas coniecturas, nulla tamen expositione indigentes, nam licèt fortasse per se singulæ non concludãt, omnes tamen simul sumptæ satisfaciunt. Nam prima, quæ assumit materiam communi vsui accommodatam fuisse conuenientẽ, quanuis in vtraque specie locum habeat, multò magis de pane satisfacit, quàm de vino, & ideò addunt tertia & quarta ratio, quæ optimè ostendunt cõgruentiam vini potiùs, quàm aquæ, quia est aptius ad significandum sanguinem, & animæ sanctificationem, ac fidelium vnitatem. Secunda verò ratio solùm probat oportuisse duas species distinctas cõsecrari, quibus mors Christi, in qua anima à corpore separata est, distinctiùs significaretur.

In solutione ad primum, redditur optima ratio, ob quam non decuit sacramentum hoc sub specie alicuius animalis institui, quia non erat materia apta ad vsum, neque ad Ecclesiæ vnitatem significandam:

dam: addè, nec fuisse decentem ad munditiam huius sacramenti, in quo etiam ostendi oportebat legalia sacrificia cessasse. In solutione ad 2. & 3. gratuis indicatur difficultas, An liceat interdùm vnam speciem sine alia consecrare, de qua statim dicetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti.

4.d.13.q.2.ar.1.q.3.

AD secundum sic proceditur. Videtur quòd requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati, quã effectus naturæ. Sed sicut dicitur in secundo de anima, omnium naturã cõstantium, positus est terminus & ratio magnitudinis & augmenti. Ergo multò magis in hoc sacramento (quod dicitur Eucharistia, id est bona gratia) requiritur determinata quantitas panis & vini.

11.2.de anim.tex.41 tom.1.

¶ 2 Prætereà, Ministris Ecclesiæ non est à Christo data potestas ad ea, quæ pertinẽt ad irrisionem fidei & sacramentorũ eius secundum illud 2. Corint. 10. Secundùm potestatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem, & nõ in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem, qui venditur in foro, & totum vinum, quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

¶ 3 Prætereà, Si aliquis baptizatur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam baptismi: sed solum aqua illa, qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in hoc sacramẽto superflua quantitas panis, & vini consecrari potest.

SED cõtra est, quòd multum opponitur pauco, & magnũ paruo. Sed nulla est ita parua quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

RESPONDEO dicẽdum, quod quidam dixerunt, quòd sacerdos non posset cõsecrare immensam quantitatem panis aut vini, puta totũ panem, qui vẽditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc nõ videtur esse verũ, quia in omnibus habentibus materiã, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia ferræ est ferrũ, vt sit apta sectioni. Finis autem huius sacramenti est vsus fidelium. Vnde oportet, quod quantitas materiæ huius sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium. Non autem potest esse, quod determinetur per cõparationem ad vsum fidelium, qui nunc occurrunt: alioquin sacerdos paucos parochianos habens, non posset consecrare multas hostias. Vnde relinquitur, quod materia huius sacramẽti determinetur per cõparationem ad vsum fidelium absolute. Numerus autem fideliũ est indeterminatus. Vnde non potest dici, quòd quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata.

AD primum ergo dicendum, quòd cuiuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparationem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorũ vsum ordinatur hoc sacramentum, non est determinatus. Vnde non est simile.

AD secundum dicendum, quòd potestas ministrorũ Ecclesiæ ad duo ordinatur. Primò quidem ad effectum proprium. Secundò, ad finem effectus, secundum autem non tollit primum. Vnde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malũ finem (putà vt irrideat, vel veneficiat) propter intẽtionem mali finis peccat, nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

AD tertium dicendum, quod baptismi sacramentũ perficitur in vsu materiæ & ideò per formam baptismi non plus de aqua sanctificatur, quàm quantũ venit in vsum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Et ideo non est simile.

COMMENTARIVS.

VIdetur D. Thom. supponere nõ requiri certam quantitatem minimam, seu non habere hanc materiam terminum paruitatis. Vnde in argumento sed cõtra hoc sumit vt certum, & in corpore potiùs putãm agit de magnitudine, seu multitudine materiæ, de cens nullum habere terminum magnitudinis, sed in quantacunque quantitate, simpliciter loquendo, posse confici hoc sacramẽtum, quod probat ex fine institutionis, quia hæc materia est propter vsum, & hic vsus non est determinatus, sed potest maiorem & minorem quantitatem requirere, ergo nec materia esse debuit determinata. Sed posset aliquis respõdere, negando vltimam consequentiam, tum, quia, per certam aliquam quantitatem materiæ posset maiori & minori multitudini fidelium satisfieri, singulis maiorẽ vel minorem partem specierum præbẽdo, tum etiã, quia in singulis locis posset certa quantitas limitari, quæ multitudini fidelium, quæ in tali loco inueniri possit, sufficiat. Respondetur, sacramentum hoc nõ debere considerari cõparatione facta ad numerum fidelium, qui in vno, vel alio loco existũt, seu existere possunt, hoc enim est accidentarium & extrinsecum, alias si alicubi conficeretur maior quantitas, quàm ibi posset esse necessaria, non esset valida consecratio, quod erroneum est, debet ergo absolutè referri ad fideles, quorũ numerus simpliciter indefi-

Universidad de Deusto Biblioteca

nitus est, est etiam indifferens portio specierũ, quæ singulis fidelibus dari potest, denique iure diuino non est determinatum, quoties possint fideles hoc sacramento vti, & ideò oportuit quantitatem huius materię ex institutione indefinitam esse, quoad magnitudinem.

In solutione ad primum, nõ oportet D. Thom. ita exponere, vt asserat omnes res naturales, etiam in animatas, ex intrinseca sua natura terminari ad maximum, id enim non affirmat, quanquam, quia ad rem non pertinebat, principium illud generale non explicuerit, sed optimè responderit, quidquid de illo sit, non esse tamen eandem rationem de sacramento, quod cùm res artificialis sit, non ex aliqua naturali forma sed ex institutione habet proprietates fini suo cõsentaneas. Adde, in vniuersum verum esse, materiam cuiuslibet rei naturalis accipere quantitatem determinatam, per comparationẽ ad determinatam formam, quod solùm D. Thom. affirmat, siue hæc determinatio oriatur ex communi ratione specifica formæ, siue aliunde, de quo D. Thom. hic nihil dixit, quia ad disputationem philosophicam pertinet, ex qua constat principium illud Aristotelicum, omnium natura constantium datus est certus terminus magnitudinis, & augmenti, de viuentibus propriè intelligendum esse.

Angelus.

In solutione ad secundum docet D. Thom. consecrationem huius materiæ factam ex malo fine ad irrisionem, vel aliquid huiusmodi esse validã, quia hæc intentio non tollit intentionem verè consecrãdi, quæ doctrina est certissima, sicut certum est malitiam ministri non impedire effectum huius sacramenti, prædicta enim intentio ad malitiam tantùm pertinet, non ad potestatem, vel efficaciã, quæ omnia constant ex doctrina tradita, de sacramentis in genere. Errat ergo vehementer Angelus verbo Eucharistia. 1. numer. 21. qui prædictam D. Thomæ assertionem negare audet.

DISPVTAT. XLIII.

De materia remota Eucharistiæ in communi.

Disputatio 5. de Eucharistia.

QVoniam duplex est materia remota huius sacramenti, tripartita erit de illa disputatio. Primò enim ea, quæ vtrique materiæ cõmunia sunt, disputabimus, posteà de singulis dicemus, quod D. Tho. in ordine articulorũ huius quæstionis obseruauit, nã his duobus articulis docet, quæ vtriq; materiæ communia sunt, in 3. & 4. de materia panis, in alijs quatuor articulis de materia vini tractat.

SECTIO I.

Vtrum Panis, & Vinum, sint propria materia huius sacramenti.

Errores circa materiã Eucharistiæ. S. August. S. Damas.

IN hac re varijs modis erratum est, D. Thomas tres refert errores. Primum eorum, qui conficiebant in pane & caseo, ex Epiphanio hæresi. 49. & ex August. lib. de hæresibus c. 28. Secundũ, Cataphrigarum in pane ex farina & sanguine infantis subacto conficientium, Epiphan suprà, & hæresi. 48. in fine, Aug. c. 26. & 27. Damasc. hæresi. 48. 49. His coniungi possunt Gnostici, & Manichæi, quorũ errores propter modestiam D. Thom. hic prætermisisse videtur, hi enim in semine humano corpus Christi conficiebant, vt ex Gnosticis refert Epiphanius hæresi. 26. vel in pane humano semine consperso, vt de Manichæis refert Aug. cap. 46. Numerari etiã hic possunt Ophitæ, qui, vt idem Aug. refert. c. 17. colubrum alebant iuxta altare, qui per incantationem sacerdotis, sacrificij tempore egrediebatur, & panem lambebat, in quo Eucharistia cõsecrari posset, q. etiam refert Tertull. de præscript. hæreticorum. c. 47. Tertia hæresis à D. Thom. relata est Aquariorum, qui non in panis, sed in materia vini errabant, solam aquam ad sacrificium opponẽdo, vt refert Isidorus lib. 4. Etymolog. ca. 5. & Cyprian. Epist. 63. Clemens Alexand. lib. 2. pædago. c. 2. circa finem, & lib. 1. stromatũ, vbi hos *hæreticos* appellat, quia ab Ecclesiæ regula declinant. Chrysost. homil. 83. in Matth. exponens illa verba, *non bibam à modo de hoc genimine vitis*, vbi dicit Christũ vino vtẽdo post resurrectionem, eorũ perniciosam hæresim destruere voluisse, qui aqua in mysterijs vtũtur. Et hanc hæresim tribuit Ebionitis Epiphã. hæresi 30. Marcianistis in. 42. Taciano & Encraticis in 47. idẽ Theodoretus lib. 1. hæreticorũ fabularũ, Manichæos etiã necesse est in eodẽ errore fuisse versatos, vinum enim abominabantur, teste August. lib. 20. contra Faustum. c. 13. & Leone Papa sermone. 4. quadragesimæ. c. 4. & 5. His adiũgi possunt, qui lac loco vini offerebant, vt refertur in Cõcilio Bracarensi. III. c. 1. vel lac, & mel, vt indicatur in Cõcil. Carthaginẽ. III. c. 24. & dãnatur can. 57. Trullano post sextã synodũ. Ac deniq; qui in sanguine menstruo mulieris cõficiebant, vt de Gnosticis refert Epiphanius hæresi. 26. sed hi omnes errores nullum habent vel apparens fundamentũ, quod dissoluere oporteat.

S. Isidor. S. Cyprian. Clemens Alex. S. Chrysost. S. Epiphan. Theodoret. S. August. S. Leo. Carthagin.

Veritas ergo Catholica est, materiam simpliciter necessariam ad conficiendum corpus Domini esse panem, vinum verò ad sanguinem. Est de fide, quæ fides colligitur primò ex facto Christi Matth. 26. accipiens enim panem consecrauit in illo, & similiter posteà accipiens calicẽ, quod verò in calice illo fuerit vinum, videtur colligi ex verbis, *non bibam à modo ex hoc genimine vitis*, quæ Mattheus & Marcus statim post cõsecrationẽ calicis referunt, & ita esse dicta de illo calice consecrato, indica Chrysost. suprà, & exponit Aug. lib. 3. de consensu Euangelistarũ c. 1. Lucas autẽ c. 22. apertè distinguit duos calices, aliũ communẽ, qui præcessit in cœna legali, & aliũ consecrationis, & refert illa verba ante cõsecrationem, vnde indicat dicta esse de priori calice, vt exponit Hieronym. in Matthæũ, Theophyl. & alij in Lucam. Quidquid verò de hoc sit, Ecclesia tamen semper intellexit vtrumque calicem fuisse vini, quod præter cõtextum Euãgelicum, ex ipsa voce calicis colligi potest, significare enim solet in Scriptura sacra vas continens, vel aptum ad continendum vinum, vel è contrario potum vini in vase contentum. Vnde Psal. 22. *calix tuus inebrians quàm præclarus est*. Ex hoc autem facto Christi colligitur necessitas huius materiæ, quia, vt suprà ostẽdimus in illo facto instituit hoc sacramentum, vnde subdidit, *hoc facite*. Et confirmari potest illis locis veteris testamenti, in quibus sub pane & vino hoc sacramentum præfiguratum est, quæ suprà retuli. Secundò probatur hæc veritas ex definitione Conciliorũ,

Matth. 26. S. Chrysost. S. August. Lucæ 22. S. Hieronym. Theophyl. Psalm. 22.

præter

Conc. Flor. Lateranen. Tridentin. Vvormat. Altisiodor. Matiscone.

præter tria enim suprà citata habetur in Florentino in decret. Eugenij, & in Lateranensi in cap. Firmiter, colligitur ex Tridentino, sessione. 13. 21. & 22. & ex canone. 32. Trullano post sexta synodum & ex Concilio Vvormatiensi. c. 4. Altisiodorensi. cap. 8. Matisconensi. II. c. 4. & ex. c. cùm Marthæ. de celebratione missarum, & alijs, quæ habentur de cõsecratione. d. 2. Tertiò probari hoc potest ex traditione Ecclesiæ, quæ ex Patribus suprà citatis colligi potest, quibus addi potest Hieronym. in. c. vlt. Amos circa finẽ. Theophyl Marci. 14. Ambros. 4. de sacrament. c. 3. vbi figurã Melchisedech accommodat. August. lib. 20. cõtra Faustũ cap. 3. vbi refert, propter hanc cõsuetudinẽ sacrificãdi ex pane & vino Gentiles imposuisse Christianis, quòd Cererem & Liberum colerent; & huc etiã spectat, quod refert Iustinus martyr Apolog. 2. circa finem, & Tertullian. de præsciptionibus hæreticorum. cap. 40. dæmonem in inuidiam huius mysterij, panem & poculum cum quibusdam incãtationibus miscuisse in quibusdam superstitionibus gentilium, quas vocabãt Mitræ mysteria. Hanc denique veritatem docent omnes Patres exponentes factum Christi, tã super Euangelia, quàm super. 1. ad Corint. 11. c.

S. Hierony. Theophil. S. Ambros. S. August. S. Iustinus. Tertullia.

Alexan. Gabriel.

Quartò, quoniam præcipua ratio huius est Christi instituentis voluntas, adducunt Theologi congruentias, vt videre est in D. Tho. hic, & in alijs Doctoribus. d. 9. & sequent. Alex. Alens. 4. part. quæst. 32. membr. 1. art. 1. Gab. lectio. 35. in can. Summa omnium ad tria capita reuocatur. Primò enim suppono, corpus, & sanguinem Christi tradi nobis sub specie sensibili, quia hoc est de ratione sacramenti, & est modus accomodatus homini sensibili, oportuit autem vt esset sub specie aliena, & nõ propria, tum propter exercitium fidei, tum etiam, quia edi & bibi in propria specie, nec esset decens, nec ferè possibile. Secundum caput est, has species accõmodatissimas fuisse panis & vini. Primò, quia sunt facillimæ ad communẽ vsum fidelium. Secundò, quia sunt aptissimæ, vt cum reuerentia, & decentia tractentur. Tertiò, quia sunt accommodatæ ad significandum tam corpus Christi verum, quã mysticũ, tum, quia corpus hominis præcipuè nutritur pane, & vino, tum etiam quia sicut panis ex multis granis conficitur, ita corpus Christi verũ ex purissimis membris, mysticum verò ex multis fidelibus coadunatur, vt notarunt Cyprian. Epistola. 63. & August. tractatu. 26. in Ioan. species autem vini cõstat esse aptissimas ad significãdum sanguinẽ, quia vinũ est calidum & humidum, & ideò maximè auget sanguinem, de quo videri potest Isidor. lib. 20. Etymolog. c. 3. habet etiam proportionem ad significandum corpus mysticũ, quatenus ex multis vuæ granis efficitur. Quartò denique fuit apta hæc materia, vt ex illa incruentum sacrificium conficeretur, & offerretur Deo, tanquam supremo Domino, quoniam panis & vinũ sunt veluti primitiæ creaturarũ, sub quibus in Scriptura sacra omnia bona comprehendi solent. Quam rationem indicauit Ireneus lib. 4. contra hæreses. cap. 32. circa finem. Tertium caput est, quia oportuit vtramque speciem assumi & non alteram tantùm. Primò, vt, dum sub altera corpus, sub altera verò sanguis Christi conficitur, expressiùs illius mors, & disiunctio corporis ab anima significaretur. Secundò, vt esset integrum cõuiuium ex cibo & potu, quo perfecta animæ refectio repræsentatur. Tertiò, vt indicaretur, Christũ perfectè redemisse corpus, & animam, quæ per panem & vinũ repræsentantur. Vnde Ambros. 1. ad Cor. 11. dicit, carnẽ saluatoris pro salute corporis, & sanguinẽ pro anima nostra oblatũ esse, hoc sacramẽto significari. Quartò etiã ad completam rationem sacrificij indicari oportuit per has species Deum esse corporis & animæ supremum Dominũ, & vtrũq; esse in laudem & gloriam ipsius referendum.

S. Cyprian. S. August. S. Isidorus. Ireneus. S. Ambros.

Obiectio.

Contra hanc veritatem nihil video obijci posse, quod difficile sit, solũ ex canone. 3. 4. & 5. Apostolorũ posset nonnullum argumẽtum sumi, ibi enim permittuntur offerri in altari, vuæ, oleum, & incensum, alia verò prohibẽtur. Sed oportet ibi duo distinguere, vnũ, quod offertur in ipso sacrificio à Dño instituto, in quo nihil offerri debet præter id, quod à Domino præceptum est, vt ibidem dicitur, aliud verò, quod per modum ceremoniæ seu cuiusdam sacramentalis offerri dicitur ad altare, & hoc pendet ex institutione Ecclesiæ, & non pertinet ad materiam huius sacramenti, vt per se constat, & de hoc est sermo in posteriori parte illius canonis: agit enim de ijs, quæ in gratiarum actionem, vel pro aliqua benedictione suscipienda, vel ad ornatũ & venerationem sacrificij ad altare accenduntur, cremãtur, aut ad sacerdotes afferuntur.

Solutur.

SECTIO II.

An vtraque species panis & vini, sit de necessitate huius sacramenti, vel tantùm præcepti.

QVæstionem hanc attigit D. Tho. hic, art. 1. ad. 2. & quamuis ad doctrinam de forma huius sacramẽti, & de sacrificio Missę, pertinere posset, tamen necessaria etiã hoc loco est, vt connexionem vtriusq; partis materiæ explicemus. Itẽ, quia vtilis admodùm erit ad multa intelligenda, quæ in sequentibus tractanda sunt. Potest autem in illa attingi aliquid pertinens ad necessitatem huius sacramenti, aliquid verò ad necessitatem præcepti, ne tamen materiam diuidamus, omnia breuiter hoc loco expediamus.

Primùm igitur omnium sumimus ex dictis præcedenti quæstione, hanc duplicem partem materiæ esse necessariam ad integram perfectionem, & significationem huius sacramenti, quod ergo nũc inquiritur, est, an hæc integritas ita necessaria sit, vt non possit vna ex his materijs sine alia consecrari, & potest esse quæstio, vel de necessitate sacramẽti, & potestate simpliciter, vel de necessitate præcepti, & potestate licitè faciendi.

1. Conclus.

Dico ergo primò, vnam ex ijs materijs priùs tẽpore consecrari, quàm aliam, statim enim, ac sacerdos absoluit verba consecrationis panis, adest ibi corpus Christi, antequàm sanguis cõficiatur. Quod rectè docuit Bernard. Epist. 69. ad Guidonẽ, & Innocentius, lib. 4 de officio Missæ, c. 23. & D. Tho. infrà, q. 78. art. 6. & in. 4. distinct. 8. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. vbi ferè reliqui Theologi. Durand. quæst. 3. Palud. q. 3. art. idem D. Thom. distin. 11. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad. 4. & ibi Soto. quest. 1. art. 6. Alens. 4. part. q. 35. memb. 4. art. 1. & colligitur apertè ex consuetudine Ecclesiæ statim enim ac perficitur corporis consecratio, proponitur populo adorãdum, vt habetur in c. Sanè. de Celebrat. Missar. Et ratio colligitur ex Concilio Tridentino ses-

Bernardus. Innocẽtius. D. Thom. Durand. Palud. Soto. Alens. Trident.

Universidad de Deusto Biblioteca

sessione. 13. cap. 3. & can. 4. dicēte, statim post cōsecrationē esse corpus & sanguinē Christi sub speciebus panis & vini, quod respectiuè intelligendū est, scilicet, peracta consecratione panis, statim adesse ibi corpus Christi, &c. Et hoc probat ratio, quam subdit, quæ est primaria & propria huius veritatis, scilicet, quia, antequàm Christus calicem consecraret, dixit, *Hoc est corpus meum*, & verum dixit, ergo iam illud erat corpus Christi: ergo cōsecratur altera materia ex vi veritatis formę priùs tēpore, quàm altera conficiatur, sicut enim significatio vnius formæ nō pēdet ab altera forma, ita neq; veritas & effectus eius, seu consecratio vnius materiæ pēdet essentialiter ab alia, & ita hæc pars est certa de fide.

Obiectio. Obijci verò potest, quia in Extrema vnctione quāuis sint plures partiales formæ & materiæ, nihil tamen conficitur, neque vllus effectus datur, donec omnes partes absoluantur, ergo idem dici potest in proposito, neque erit contra veritatem formæ, quia ex intentione proferētis potest omniū significatio referri ad vltimum instans, in quo omnia consummata sint, sicut in Extrema vnctione fieri necessariò dicendum est. *Solutio.* Respondetur, quidquid sit de antecedenti (quod in quæstionem verti potest, non est tamen huius loci) negādo consequentiam. Primò ac præcipuè, quia hoc pendet ex institutione Christi: Christus autem ita instituit vnum sacramētū, & non aliud, vt cōstat ex traditione Ecclesiæ. Et instari potest argumentum in sacramento Ordinis, nā in singulis Ordinibus aliquis effectus confertur, & per partialem formā, & materiam, quasi partiale sacramentum conficitur. Secundò redditur ratio ex ipsis formis, nam in Extrema vnctione est tātùm forma deprecatiua, & ideò ex vi suæ significationis & veritatis non postulat, vt statim operetur, sed pro eo tempore, pro quo fit deprecatio, secus verò est de forma huius sacramēti, quæ est indicatiua, cuius veritas requirit, vt ita sit, sicut per illam significatur. Tertiò est etiam differentia in effectu, nam in Extrema vnctione effectus est in suscipiente, & est vnus, habens quodammodò connexionē cum omnibus partibus: nā est gratia perfectè remittens omnia peccata per omnes sensus commissa, & auxiliū adiuuans ad omnes difficultates ægritudinis superandas, quod per modū vnius cōfertur. Ac denique, quia licèt interdùm aliquæ reliquiæ peccatorū, aut venialia peccata remitti possint sine alijs, sæpè tamē vnum & idē peccatum potest cōmitti, cooperātibus pluribus sensibus, & ideò, absolutè loquēdo, hic effectus postulat, vt fiat per modū vnius & indiuisibilis, absoluto iā & perfecto sacramento. At verò in præsenti effectus formæ est in ipsa materia, & per se ac necessariò nō est vnius effectus cōnexus cū effectu alterius, quia corpus de se potest esse separatū à sanguine, & è cōtrario, licèt de facto non sit. Ac deniq; cibus potest tēpore antecedere potū.

2. Concl. Dico secundò, non esse de necessitate sacramēti, seu consecrationis vnius partis materiæ, cōsecrationem alterius, sed posse vnam sine altera consecrari, ita vt factum teneat; sequitur apertè ex præcedenti conclusione, & ita eam docēt omnes autores citati. *Bernar.* Et probat D. Bernardus suprà, quia panis consecratur priùs tempore, quàm vinum: ergo quacūque ratione, siue per ignorantiam, siue per obliuionem, & incuriam, siue per malitiam, vna materia sine alia cōsecretur, manebit materia consecrata, ergo non est necessaria connexio inter has duas materias, quæ ad necessitatem simpliciter sacramenti conficiendi pertineat. Patet prima consequentia, quia cōfectio sacramenti non pendet ex futuro effectu, nec præsentia corporis Christi sub speciebus panis, ex futura præsentia sanguinis sub speciebus vini, præsertim cùm de fide sit, vt infrà dicemus, cōseruari species panis consecratas, etiā si cōsumptæ sint species vini.

Dici tamen posset, verum esse, vnum effectū nō pendere ab alio re ipsa, cùm per accidens, ex varijs causis impediri possit, pendere tamen ex intentione operantis, ita vt si minister à principio intēdat, vnam solam speciem, & non aliam conficere, nihil efficiat. Sed hoc vanum est, & præter sensum Ecclesiæ, nam in omni sacramēto, si minister intēdat efficere, quod verba significant, quodq; de se efficere possunt circa materiam subiectam, illa intētio sufficit ad effectū; sed hoc intendit sacerdos, etiā si nō intēda aliam partem conficere, ergo sine vlla dubitatione conficit illam partem, quam intendit. Sicut Episcopus verè confert vnum Ordinem, etiam si intendat nunquam alium conferre.

Obiectio altera. At verò posset aliquis instare, estò hoc verum sit de pane respectu vini, non tamen ita esse è contrario: quia fieri potest, vt consecratio vini essentialiter supponat consecrationem panis, Christus enim hoc ordine cōsecrauit. *Solutio.* Respōdetur, ex hoc Christi exēplo, & ex vsu Ecclesiæ, rectè colligi hunc ordinē esse præceptum, vt notauit Sotus. d. 11. q. 1. art. 6. *Sotus.* quod est etiam rebus ipsis cōsentaneum, quia cibus recto ordine antecedit potum, tamē, quòd hic ordo sit essentialis, omnino falsum est. Quocirca, si sacerdos ex malitia priùs cōsecret vinum, quàm panem, vel solùm vinum, sine dubio factum tenebit, quia, vt ostensum est, vna consecratio non pendet ab alia, ergo multò minùs pendebunt ex ordine. Item ob illā rationem, quòd debita forma prolata super debitam materiam, à ministro necessario, cum sufficiēti intentione, infallibiliter habet effectum. Deniq; quia species vini consecratę conseruari possunt, etiā si species panis omnino non maneant, ergo etiam in fieri non necessariò supponunt illas, de necessitate sacramenti loquendo.

3. Conclus. Dico tertiò, de necessitate præcepti esse, vt vna materia nō cōficiatur sine alia. Ita docet D. Thom. hic ad secundum, & omnes Theologi infrà citādi, *Innocent.* Innocent. lib. 4. de mysterio altaris. c. 23. & habetur in c. Comperimus. de Consecr. d. 2. vbi dicitur, *non posse absque grandi sacrilegio diuidi mysterium*: & vsus Ecclesiæ hoc satis probat. Et ratio est, quia licet vna materia non sit de necessitate alterius, tamē vtraque est de integritate sacrificij: est autē cōtra rationē, diuinū sacrificium mutilare. Vnde facilè soluitur obiectio, quæ fieri potest, scilicet, quia non est de necessitate præcepti sumere vtramque speciem, ergo nec conficere. Primò enim negatur consequētia, quia sumptio non est sacrificiū, sed vsus sacramēti, qui, quoad rem præcipuā, & fortasse etiā quoad totum effectū, integer est in qualibet specie, at verò consecratione perficitur sacrificium, cuius significatio non esset integra nisi in vtraque materia fieret. Vnde dicitur secundò, sumptionem illam, quæ aliquo modo pertinet ad sacrificium, scilicet, quæ ab ipso presbytero offerente fit, etiam requirere integritatem, & vtriusq; speciei communionem, vt infrà suo loco dicetur, & cōstat ex eodē vsu Ecclesiæ, & ex c. Relatum. de Consecr. d. 2.

SE-

SECTIO III.

An ex præcepto diuino vel humano necessarium sit in duplici materia confici hoc sacramentum.

QVoniā diximus, cōcursum vtriusq; materiæ, licèt nō sit de necessitate ipsius cōsecrationis esse tamē de necessitate præcepti, explicare oportet, quale sit hoc præceptū. Prima sententia dicit, hoc tantū esse præceptū Ecclesiasticū. Indicat S. Tho. in 4. d. 11. q. 1. art. 1. quæstiūc. 1. ad 4. *D. Thom.* vbi negat, cōsecrandā esse alterā speciē solam, *tantum quia est contra morem Ecclesiæ*. Tenet etiā Apria. *Adrian. Alensis.* q. 6. de Eucharistia, vbi ex sentētia Alex. Alensis dicit, potius esse relinquendū hoc sacramentum mutilum, & in vna tantū specie cōfectū, quàm sumendū à non ieiuno, vt frequēter accidit, qn̄ sacerdos post sumptionē calicis intelligit fuisse aquā, & nō vinū in calice, tūc enim solus panis cōsecratus fuit: hoc autē nō esset verū, nisi supponeretur, solùm ex præcepto Ecclesiæ teneri sacerdotem ad perficiendam cōsecrationem in vtraque specie, nam si esset diuinum præceptum, præferendum esset alteri præcepto, de non cōmunicando nisi ante cibum & potum, quod Ecclesiasticum est, & minoris momēti. *Maior.* Maior etiam in 4. d. 9. quæst. 3. ad tertium, hanc tenet sententiam, quāuis melius contra Alensem dicat, in prædicto casu magis obligare hoc præceptū, quā aliud de ieiunio, quia licèt vtrūq; Ecclesiasticū sit, illud tamē est grauius. Idē Sūma Tabiena, *Tabiena. Pisana sūma. Nauarrus. Claudius.* verb. Eucharistia 1. nu. 20. & Pisana, verb. Eucharistia 2. §. 12. In eandē sententiā inclinare videtur. Nauarrus cap. 25. nu. 91. vocans hoc præceptū Ecclesiæ, latè Claudius de Sainctes, repet. 10. cap. 3. & alij, qui existimant, per Ecclesiam posse in hoc præcepto dispensari, quos infrà referam.

Fundamentū primæ opinionis. Fundamentū est, nam si hoc præceptū esset diuinū, vel esset extrinsecū institutioni huius sacramēti, & post illā specialiter positū, vel intrinsecè in illa cōtentū. Primū horū non videtur dici posse probabiliter, quia nec tale præceptū scriptū est, nec traditione aliqua probabili cōstare potest. Secundum verò refellitur, primò, quia de institutione huius sacramēti solū habem⁹ factū Christi, qui in vtraq; materia cōfecit, & posteà subdidit illa verba, *Hoc facite*: sed in neutro horū continetur intrinsecè tale præceptū. Et primò de facto Christi patet, quia etiā ibi, nō solū cōfecit vtrāq; materiā, sed etiā ex vtraque omnes circūstantes cōmunicauit, ex quo facto nō colligitur esse præceptū, vel dandi cōmunionē sub vtraq; specie, vel cōmunicandi circumstantes, quando conficitur hoc sacramentū. Secundò, quia multi probabiliter existimant, Christū Lucæ 24. confecisse hoc sacramentum, post resurrectionem, quādo cognitus est à discipulis euntibus in Emaus in fractione panis, & tamen constat, ibi vnam tantùm speciem confecisse, nulla enim fit mentio vini. *Lucæ 24. August. Hesychius. Theophyl. Chrysost. Actor. 27.* Illud verò sentit August. 3. de consen. Euāgelist. c. 25. & Epist. 59. quæst. 8. in fine. Hesychius lib. 2. in Leuit. cap. 9. Theophyl. in Lucam, & significat Chrysost. hom. 27. Imperfecti, in fine, vbi de hoc etiam mysterio interpretari videtur locū Actorum 27. vbi Paulus sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, & cùm fregisset, cœpit manducare, & distribuere. Sed neque etiam ex verbo Christi, *Hoc facite* potest efficax argumentum sumi, quia non potest illud verbum comprehendere omnia, quæ Christus operatus est, & maximè, quia Lucæ 12. & 1. ad Corinth. 11. habemus, Christum, post singulas species consecratas, semel & iterum dixisse verbum illud. *Lucæ 12. 1. Cor. 12.* Vnde potius sumi videtur argumentum, Christum dedisse facultatem singulas species consecrandi, vel simul, vel separatim.

Secundum. Secundò principaliter argumentor, quia, neque ex integritate sacramenti, nec sacrificij, colligi potest tale diuinum præceptum, Primum patet, quia sacramentum potest conseruari, & sumi in vna tantùm specie, & in his non fit contra integritatem sacramenti: ergo idem erit de confectione sacramenti non est enim maior ratio de fieri, quā de ipso esse vel sumptione. Et ratio cōmunis est, quia Christus integer est sub singulis speciebus, & ita est sacramētum integrum, quoad rem præcipuam, & quoad effectum, & fere quoad significationē, quia singulæ species significant totùm Christum & vnionem fidelium, solùm videtur deesse quædam expressior significatio, quæ non videtur sufficiens ad inducēdum illud præceptum, magis in cōsecratione, quàm in conseruatione, vel sumptione. Et hæc ratio videtur ꝓbare etiam alteram partem de sacrificio, quia in vna specie offertur Deo totus Christus, & significatur passio eius, nam hoc ipso, q̄ ex vi verborū cōsecratur corpus sine sanguine, satis indicatur aliquando fudisse suum sanguinem per passionem. Adde, non satis constare, hoc sacramentum necessariò cōficiendum esse sacrificando, posset enim, vt videtur, interdum confici extra sacrificium præcisè, & propter vsum sacramenti, quomodò distinguūt aliqui iure diuino prohibitum esse sacrificiū hoc conficere in vna tantùm specie, non tamen conficere ipsum sacramentum præcisè propter vsum eius.

Marsilius. Tho. Arg. Palud. Caiet. Gabriel. Hosius. Secunda sentētia affirmat, hoc esse necessarium ex præcepto diuino. Ita tenet Marsil. citans Thomam de Argent. in 4. quæst. 6. art. 1. Palud. d. 11. quæst. 1. art. 1. conclus. 3. Caiet. infrà quæst. 80. ar. 12. Gabr. lect. 10. in can. litera D. Hosius in confessione Polon. capit. 40. vbi non solùm dicit esse à Christo præceptum sacerdotibus, vt simul vtrāq; specie in conficiant, sed etiam vt sumant quando sacrificant, quamuis laicis hoc non præceperit. *Syluester. Sotus. D. Thom.* Idem supponit Syluest. Eucharistiæ. 1. q. 5. dum negat, Papam in hoc posse dispensare, in quod etiam inclinat Soto d. 9. q. 1. art. 1. in fine, & fauet hic D. Th. art. 1. & 2. & infrà q. 80. ar. 12. ad 3. vbi sic inquit, *Repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa cōsecratione huius sacramenti, & ideo non debet corpus sine sanguine consecrari*: in quibus verbis attingit fundamētalem rationem huius sententiæ, quæ oritur ex ipsa rei natura, supposita tali institutione, & significatione, quæ videtur sine dubio probabilior, ad quā explicandam & fundandam.

1. Conclus. Dico primò, de iure diuino institutū esse, vt hoc sacramentum nō conficiatur, nisi offerendo Deo sacrificiū incruentum à Christo institutum. Hoc videtur certum ex facto Christi cū verbis adiunctis. *Hoc facite in meam cōmemorationē*. Per quæ, vt Trid. exposuit Sess. 22. cap. 1. præcepit sacerdotibus, vt hoc offerrent in sui memoriā, propter quod Ecclesia in canone Missæ, post consecrationē corporis, & sanguinis, subiungit illa verba, *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*. Est igitur hæc diuina in-

Universidad de Deusto Biblioteca

na institutio, vt cõsecratio huius sacramenti fiat offerendo Deo sacrificium incruentum, quod euidẽtius sequitur, si verum est, ipsam rationem sacrificij in consecratione consistere. In omni tamen sententia existimo, hoc esse certum, cõsecrationẽ non esse separandam à sacrificio, siue dicamus ipsam esse sacrificiũ, siue in illa inchoari, vel per illam proximè operari sacrificium, quod satis etiam docet traditio Ecclesiæ, quæ colligi potest, tum ex multis, quæ cõgeruntur in consecrat. d. 1. tum etiam ex vsu, inauditum enim est, aliter confectum esse hoc sacramentum, quàm offerendo sacrificium Deo, nisi fortasse inter hæreticos, seu Caluinistas. Ratio verò à priori est volũtas Christi instituẽtis explicata, & intellecta ab Ecclesia in illis verbis, *Hoc facite*, vt latiùs tractabitur infrà in materia de sacrificio, vbi rationes & congruentias huius institutionis afferemus. Errant igitur, qui in præsenti quæstione distinguũt dicentes, sacrificando nõ posse cõfici vnã materiã sine alia, ne mutilum sit sacrificium in vna tantùm specie; tamen simpliciter conficiendo sacramẽtum extra sacrificium propter alium vsum ipsius sacramenti, non esse iure diuino prohibitum consecrare vnam materiam sine alia: supponit enim hæc distinctio dari alium modum conficiendi hoc sacramentum, quàm sacrificando, quod erroneum est.

2. Cõclus. Secundò censeo, ex diuina institutione vtramq; speciem seu partẽ materiæ esse de integritate huius sacrificij substantiali. Ita censent Theologi omnes, & videtur traditione haberi, quæ partim ex vsu colligitur, partim ex decretis Conciliorũ, Toletani 7. cap. 2. Tolet. 11. c. 14. in cap. illud. & capit. nihil. 7. q. 1. quibus prouidetur, vt in omni euentu cõsecratio integrè perficiatur, etiam si necessarium sit vt vnus minister perficiat, quod alter inchoauit. Et de consecrat. dist. 2. per duodecim prima capita hoc apertè traditur tanquam à Christo institutum. Idem colligitur ex Concilio Trident. sess. 22. in principio, cuius verba statim referam. Ratio verò seu congruentia est, quia hoc sacrificium est vnica quædam, & expressa repræsentatio sacrificij cruẽti; hæc autem non fit in vna vel altera specie, sed in vtraque simul, vt rectè D. Tho. dixit, illa enim repræsentatio, quæ dicitur fieri per vnam tantũ speciem, solùm est implicita, & quasi ex discursu intelligentis; integra verò & expressa repræsentatio nõ fit, nisi per consecrationem vtriusq; speciei, quia sicut illud sacrificium perfectum nõ fuit sine effusione sanguinis, ita neque hoc erit integrum & perfectum, nisi sacramẽtaliter in eo sanguis effundatur, id est, separatim à corpore consecretur, & è contrario sicut ibi non fuit sanguis effusus, nisi à corpore, nec sacrificium perfectum fuit nisi per mortem corporis, ita neque hoc perfici potest sine corporis consecratione & oblatione. Denique in sacrificio visibili integro & perfecto nec solum corpus, nec solus sanguis Christi, sed vtrumque offerẽdum est, hoc autem non fit per se loquendo, nisi per vtriusque speciei consecrationem, nam q̃ totus Christus sub singulis speciebus contineatur, quasi accidentariũ est, institutio autem respicit quod est per se. Tandem à posteriori hoc explicatur, quia effectus respondens sacrificio vt sic ex opere operato, non confertur, donec vtraque species consecreta sit, quia sicut nostra redemptio non fuit consummata, nisi in morte Christi, ita verisimile est non applicari effectum eius per hoc sacrificium, donec in esse repræsentatiuo, in eo perfecta sit passio, in quo differt effectus sacrificij ab effectu sacramẽti, nam effectus sacramenti datur quàm primum sumitur quælibet species: signum ergo est, sacrificium non esse integrum sine vtriusque speciei consecratione. Est ergo ex institutione diuina vtraque species necessaria ad sacrificij integritatem.

Concilia Toletana. *Tridentinum.*

3. Conclus. Tertiò ex his concludo & assero de iure diuino præceptum esse, vt hoc sacramentum non conficiatur in vna materia sine alia. Hæc conclusio sequitur apertè ex præcedenti, & confirmari potest ex Concilio Tridẽ. sess. 21. cap. 1. dicente laicos & clericos non conficientes non obligari ad vtrâque speciem sumendam, indicans, clericos cõficientes ad hoc teneri ex diuino iure. Clarius sess. 22. in principio dicit, Christum Dominum in nocte cœnæ corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Patri suo obtulisse, & Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepisse; & can. 2. dicit, Christũ illis verbis, *Hoc facite*, instituisse Apostolos sacerdotes & ordinasse, vt ipsi, alijque sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum: & hoc idem indicatur in omnibus decretis suprà citatis, docent enim, necessarium esse, sub vtraque specie conficere, non denuo præcipiẽdo, sed potius explicando id, quod per se & ex iure diuino necessariũ erat. Cuius etiam signum est, nam semper hæc obligatio præfertur omnibus alijs, quæ sunt de iure humano, vt obligationi communicandi ante cibum, & potum, aut non conficiendi, vel communicandi bis eodem die, &c. A posteriori etiam est apud me efficax argumentũ, quia aliàs, stando in solo iure diuino, voluntariũ esset, vnam vel alteram, vel vtrãque speciem conficere; vnde non esset malum, etiã sine vrgente causa, vnam tantùm speciem consecrare: consequens autem à nullo Doctore Catholico conceditur: sequela verò patet, quia si de hac re nõ est præceptum diuinum, per se non erit malum, vno vel alio modo conficere. Vnde confirmatur secundò, quia, secluso hoc præcepto, nõ posset ostendi obligatio, stando in solo iure diuino, consecrandi vnquam sanguinem sub speciebus vini, sed posset Ecclesia facere, vt vel nunquam, vel rarissime cõficerent sacerdotes, nisi in solo pane, quod etiam est euidenter falsum & absurdũ. Ratio verò à priori est suprà tacta, quia de iure diuino & naturali est vt sacrificium offeratur Deo integrũ & perfectũ: sed hæc integritas posita est ex institutione diuina in vtriusque speciei consecratione; ergo, cùm hoc sacramentum confici non possit, nisi in hoc sacrificio, ex iure diuino necessarium est, vt sine vtraq; specie non conficiatur.

Tridentinum.

Soluuntur fundamenta contrariæ opinionis. Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ respondetur, hoc præceptum intrinsecè cõtentũ esse in institutione huius sacrificij & sacramenti, hæc autem institutio ex factis, & verbis Christi colligenda est, non vtcunque illa considerando, sed contemplando etiam materiam subiectum, & adiuncta præcipua traditione & intelligentia Ecclesiæ. *Primum.* Vnde ad priorem partem circa Christi facta respondetur, verum esse, non omnes circunstantias accidentarias, quæ in ea cœna contigerunt, esse præceptas, nihilominus tamen substantiam, & integritatem sacrificij preceptam esse, hæc autem, vt dixi, partim ex ipsis rebus, partim ex traditione discernenda sunt. Ad aliud autem factum Christi in castello Emaus, si tunc verè consecrauit panem, dicendum

cendum est, vel etiam consecrasse vinum, quanuis illius mentio non fiat, vel vsum esse potestate excellentiæ. Probabilius autem est non consecrasse, vt Carthusian. Iansenius, & alij docent, non est enim verisimile communicasse discipulos, non satis dispositos, nec in fide constantes. Item, quia ibi nulla fit mentio consecrationis, neque est signũ eius. Vnde Euseb. Emise. homil. in feriam secundã Paschæ dicit, nunc Christum fecisse solum id, quod facere solebat, cùm inter discipulos suos versabatur. Addit verò D. Thom. in 3. dist. 21. quæst. 2. arti. 4. quæstiuncula. 1. ad 3. & Alens. 3. part. quæst. 22. memb. 2. artic. 1. in fine & Lyra in Lucam, Christum fregisse panem manibus, ac si cultello incidisset, quod non tam affirmant, quàm ab alijs dici testantur: est enim res incerta. Augustinus verò in citatis locis non agit apertè de consecratione, sed de quadam significatione, dicit enim illo facto significatum esse à Christo, eos illuminari à Deo, qui in vnitate Ecclesiæ permanent. Et idem potest dici ad Chrysostomum, quanuis illud opus Chrysostomi non est. Ad aliam partem de illis verbis, *Hoc facite*, respondetur, iam ex dictis cõstare, vnde colligendum sit, quid per illa sit præceptũ, & fortasse semel tantùm sunt à Christo dicta, licèt à Luca per anticipationem posita sint, ante narratã consecrationem vini. Quia tamẽ Paulus bis illa refert, dici potest nihilominus, vnicum latum esse præceptum conficiendi vtramque speciem, quod paulatim, & quasi per partes explicatum est.

Carthusian. Iansenius. Eusebius Emisse. D. Thom. Alens. Lyra. August.

Prima opi. affirmat propositam quæstionem.

Ad vltimam rationem negatur esse eandem rationem de sumptione in vna specie, quia hoc sacramentum non consistit in vsu, & ideò necesse nõ est vt vtraq; species sumatur, præsertim cùm sub singulis totus Christus accipiatur; at verò sacrificium consistit in ipsa consecratione, & ideò eius integritas requirit, vt vtraque species conficiatur, & eadẽ ratione non potest vna species sine alia confici, licèt possit vna sine alia conseruari, quod etiam ad reuerentiam, & dignitatem huius sacramenti pertinet, vt saltem cùm fit, integram & expressam repræsentationem habeat.

SECTIO IIII.

Vtrum sit ita necessaria vtraque materia, vt propter nullam causam liceat in altera sola conficere, etiam ex dispensatione Pontificis.

QVatuor inuenio esse posse sentẽtias de hac re. Prima affirmat posse, & interdũ licere absq; dispẽsatione vel autoritate superioris, interpretãdo præceptũ supra dictũ in aliquo euentu nõ obligare. Ita Adrianus præcedẽti dubio citatus, qui refert Alensem: idẽ Maior. d. 9. q. 3. ad 5. nec multũ dissentit Palud. d. 11. q. 1. nu. 8. Quæ sententia duobus modis potest explicari, & fundari. Primò; quia interdũ hoc præceptũ cõficiendi in duplici specie potest cõcurrere cũ alio, vel diuino, vel humano, ita vt vtrũq; simul seruari nõ possit, v. g. cũ præcepto cõmunicandi in articulo mortis: ergo in eo casu, vel erit liberũ vnũ potius, quàm alterum obseruare, vel certè, pro materiæ qualitate, poterit aliquis prudenter interpretari, aliud potius, quàm hoc esse seruandũ, id est, potius esse consecrandum in vna specie, quàm cõmunionem in articulo mortis omittendã. Secundò potest hoc contingere si interpretemur præceptũ hoc, quod affirmatiuum est, si in aliquo casu seruari non possit sine periculo mortis, vel alio graui, pro tunc non obligare: hoc enim, nõ solũ in humanis, sed etiã in diuinis præceptis interdum cõtingit. Sit exemplũ in præcepto de integritate cõfessionis, quod sine dubio diuinũ est, & tamen interdum licet interpretari prudẽter, in aliquo euẽtu non obligare propter grauem causam similiter satisfactio est pars requisita ad integritatẽ sacramenti pœnitentiæ, & nihilominus potest interdum omitti propter grauem causam.

Adrian. Alens. Maior. Palud.

2. Opinio. Secunda sententia est, autoritate priuata nunquam hoc licere, quia est res grauissima, tamen autoritate Ecclesiæ, & ex dispensatione Pontificis, hoc posse interdum fieri ex publica, & grauissima causa. Refertur pro hac sententia Albertus Magn. lib. de corpore Domini, Tenet Gabriel lectio. 53. in can. dub. 3. Alanus lib. 2. de Eucharistia, capitul. 20. qui tribuit Alensi, tenet etiam Claudius repet. 10. capit. 3. Angel. Eucharistia 1. numero 20. Denique omnes, qui dicunt hoc esse præceptum humanum, consequenter hoc sunt opinaturi, sequitur enim euidenter, imò etiam sequitur, quanuis dispensatio sine sufficienti causa concedatur, nihilominus validam esse. At verò, si supponamus, præceptum esse diuinum, vt dispensatio facta teneat, vt minimum necessaria erit in hac sententia causa grauis, & sufficiens. Quòd autem illa existente, sit in Ecclesia potestas ad dispensandum, fundari potest, nam quanuis ea, quæ pertinent ad substantiam sacramentorum, immutabilia sint, tamen quæ pertinent ad vsum Ecclesiæ dispensationi sunt commissa, vt ea dispenset, prout ad Ecclesiæ bonum expedire iudicauerit: hoc enim necessarium fuit, quia pro diuersitate temporum, & rerum varietate non eadem semper expediunt. Et ita videtur colligi ex Concilio Constantien. sessione 13. & ex Tridenti. sessione 21. capit. 2. sed hæc dispensatio non esset circa substantiam materiæ, sed circa vsum, ergo, &c. Et confirmatur primò, nam sæpe hoc modo dispensat Ecclesia in iure diuino, primò, in voto, secundò, in matrimonio rato, tertiò, in præsenti materia, quanuis de iure diuino sit, vt sacerdos conficiens sumat vtramque speciem, tamen Ecclesia hoc interdum immutat, vt patet in ordinatione sacerdotum, tunc enim consecrant, & non sumunt, nisi vnam speciem. Quartò etiam est de iure diuino communicare in articulo mortis, & tamẽ interdum Ecclesia negat cõmunionem propter iustam causam. Quintò addere possumus in sacramento Confirmationis, de iure diuino esse vt conferatur ab Episcopo, & tamen Pontifex interdũ dispensat vt simplex sacerdos sit minister. Cõfirmatur secũdò, quia Volat. lib. 7. Geographiæ, c. de Saxonibus, refert Innocen. VIII. hanc dispensationem illi genti concessisse, & Onuphrius in Chronico Anni 1490. idem refert, sunt etiam qui asserant Innoc. IIII. dispensasse cum Noruegijs, quia in ea regione, propter nimiam frigiditatem, vinum non conseruatur, sed statim acescit, vt in solo pane possent consecrare. Existimo tamen lapsos esse, qui hoc referunt, quia de Innocen. IIII. nihil huiusmodi in historijs habetur, decepti ergo sunt in numero & nomine Pontificis.

Albertus. Gabriel. Alanus. Claudius. Angelus.

Conc. Constantiense. Tridentinum.

Volaterr. *Onuphrius.*

Tertia

Universidad de Deusto Biblioteca

3. Opinio. Tertia sententia esse potest, quæ cum præcedẽti consentiat, hoc nõ posse fieri autoritate priuata sed Põtificia, non tamen dispensante, quia Papa non potest dispensare in iure diuino, sed interpretante tale ius diuinum, occurrentibus talibus circunstantijs non obligare, habet enim Põtifex in Ecclesia summam autoritatem ad interpretãdum diuinum ius, & fuit hæc potestas necessaria, propter humanarũ rerum varietatem. *Obiectio.* Dices, hanc interpretationem non esse actum iurisdictionis, sed iuris prudentiæ, vel doctrinæ: ergo sicut licet Pontifici, licebit etiã hominibus doctis, obligationem diuini præcepti ita interpretari, præsertim si secludamus humanam prohibitionem, fatemur enim posse Pontificem interpretationem hanc sibi reseruare. *Solutio.* Responderi potest ex D. Thom. 1. 2. quæst. 120. art. 1. ad 3. interpretationem legis in casu dubio ad Principẽ pertinere, præsertim si causa sit grauis & publica, hæc autem omnia concurrunt in præsenti causa.

4. Opinio. Quarta sententia est, quæ absolutè & simpliciter negat, hoc esse vnquam licitum, tam priuata quàm publica autoritate, tam per modum dispensationis, quàm interpretationis, & hæc existimatur esse opinio D. Thomæ, & antiquorum, quanquam illi expressè hoc non dicant, sed solùm simpliciter negẽt licere, nulla facta exceptione. *Syluester. Sotus.* Tenet expressè Syluester suprà, & inclinat Sotus dist. 9. quæst. 1. a. 1. in fine, & ferè alij qui sentiunt hanc esse institutionem diuinam, *Armilla.* summa etiam Armilla verb. Eucharistia numer. 10. dicit, Alexandrum VI. voluisse dispensare & fuisse declaratum non posse, tamen hic autor solùm dicit, Papam non posse dispensare, vt sine vino conficiatur, quod intelligit de calice ita vt conficiatur in aqua, vel in aliquo liquore, quia in essentialibus sacramentorum, vt rectè dicit, non potest Papa dispensare, statim verò refert opinionem asserentem, posse Papam dispensare, vt corpus tantùm conficiatur, vbi non reperitur vinum, quàm solùm dicit esse dubiam.

Vt ergo, quid in hac quæst. probabile videatur, explicemus, suppono, aliud esse formaliter & quasi per se & ex directa intentione conficere in vna tantùm specie, aliud verò quasi materialiter, & per accidens de facto consecrare vnam speciem sine alia. Primum enim requirit, vt sacerdos sciens & videns & ex directa intentione velit conficere, in vna tantùm specie. Secundum autem propriè accidit, quando sacerdos bona intentione cogitat in vtraque specie conficere, & ex accidenti euenit, vt post consecratam speciem panis, vel non possit, vel de facto aliam speciem non conficiat.

1. Cõclusio. Dico ergo primò, interdum accidere posse, vt sine vllo peccato in vna tantùm specie conficiatur hoc sacramentum, non propter dispensationem vel interpretationem præcepti, sed propter impotentiam physicam, vel moralem implendi illud. *Probatio.* Hoc per se constat, quia ex ignorantia in primis, vel inaduertentia inculpabili accidere interdum potest, vt aliquis non ponat vinum in calice, sed aquam, atque ita consecret solam materiam panis, & quanuis, quàm primũ inaduertit defectum, debeat illũ supplere, fieri tamen interdum potest, vt hoc non aduertat, nisi post transactam tanti temporis moram, vt iam non possit moraliter prius sacrificium, perfici. Deinde accidere potest casus, in quo, postquã sacerdos deprehendit nõ esse vinũ in calice, nõ reperiatur aliud vinum, vel certè vt non possit quæri sine magno scandalo, aut sine euidenti periculo vitæ, tunc enim non obligabitur cum tanto detrimento ad quærendum illud, quia non est verisimile, præceptum hoc obligare cum tanto discrimine, præsertim quia in illo casu formaliter & humano modo loquendo, ille sacerdos non consecrat in vna specie, sed permittit, vnam speciem solam manere consecratam, & omittit aliam, quia moraliter non potest illam habere. *Confirmatur.* Et confirmatur à simili, nam sicut tenetur vtramque speciem conficere, ita & sumere in sacrificio, sed ex sententia omnium, si post consecrationem calicis intelligit in eo esse vinum mortiferum, non tenetur illud sumere, etiam si fortasse non possit aliud vinum consecrare: ergo pari ratione, si in dicto casu non potest quærere vinum, sine periculo vitæ, vel sine graui scandalo (quod non est minoris momenti) non tenebitur quærere. *Obiectio.* Dices, ergo si post consecratam hostiam immineret sacerdoti euidens periculum mortis, si detineretur consecrando calicem, posset sine culpa omittere, & consumere hostiam, ac fugere. *Solutio.* Respondetur concedendo id fieri posse, atque hunc esse secundum casum, in quo verum habet conclusio propter rationes factas, scilicet, quia non est verisimile, obligare hoc præceptum cùm tanto discrimine, & quia illa potius est permissio, quàm commissio. Hoc autem intelligendum est per se, & ex vi huius præcepti, id est, si aliunde non sequatur scandalum, vel cõtemptus nostræ religionis, quia tunc posset quidem teneri sacerdos ad consummandum sacrificium, non tam ex præcepto integritatis sacramenti, quàm ex præcepto confitendi fidem, & vitandi scandalum. *Obiectio.* Sed vrgebis, ergo si aliquis comminetur mortem sacerdoti, nisi consecret speciem panis ad communicandum infirmum, absque specie vini: quia vel non reperitur, vel necessitas instat, poterit sacerdos hoc facere sine peccato ad euitandam mortem, *Solutio.* Respondetur, negando consequentiam, quia in hoc casu iam directè committeret contra præceptum diuinum, & quanuis metu mortis, tamen formaliter intenderet mutilum sacrificium facere, quod intrinsecè malum est, & contra præceptum negatiuum, tamen in alijs casibus solùm est vel omissio cuiusdam præcepti, quod, pro eo articulo, censetur non obligare. Vel etiam permissio, quòd sacrificium inchoatum relinquatur, quæ non est intrinsecè mala. Alio denique modo accidere posset, vnam materiam tantùm consecrari, si minister, statim post consecrationem panis, vel loquelam amitteret vel iudicium, sensum, aut vitam, & in his casibus iure statutum est, vt per alium sacerdotem sacrificium perficiatur, quod ius non constat esse diuinum, sed humanum, & sæpe accidere potest, vt hoc ipsum seruari non possit.

2. Conclusio. Dico secundò, formaliter & directè nunquam licet sacerdoti conficere vnam speciem, sine alia, absque dispensatione Pontificis, etiam si quæuis causa grauissima interueniat. In hac conclusione conueniunt ferè omnes autores citati, paucis exceptis, quorum opinio, quod ad hunc punctum attinet, non est practicè probabilis, non solùm tenendo hoc esse præceptum diuinum, sed etiam si existimetur esse Ecclesiasticum. *1. Probatio.* Et primò quòd hoc non liceat propter priuatam aliquam causam, vt verbi gratia, ne aliquis sine viatico moriatur, cõstat, quia hæc res est grauissima, & ad debitum Dei cultum, & sa-

& sacramenti reuerentiam spectãs, & ideò non est tam facilè immutanda, propria autoritate. *1. Confirmatio.* Et confirmatur primò, quia in illo casu non vrget spiritualis necessitas proximi, quia per confessionem, vel alia sacramenta potest illi subueniri, & ipse sua deuotione, & desiderio poterit vtcunque Eucharistiæ defectum compensare. Neq; etiã vrget, necessitas præcepti diuini, quia hoc est affirmatiuũ, quod non obligat, nisi habita copia sacramenti, in eo autem casu, moraliter loquendo, non est huiusmodi copia, præsertim, quia hoc præceptum per se obligat eum, qui suscepturus est sacramentum, non verò obligat ministrum ad conficiendum, nisi hæc obligatio aliunde oriatur ex iustitia, vel charitate: non obligatur autem minister, ex vi harum virtutum ad immutandum debitum consecrandi modum, solùm vt subueniat priuatæ personæ indigenti, imò neque id licitè facere potest, quia maioris momenti est integritas sacrificij, & reuerentia sacramenti, & conformitas cum vniuersali Ecclesiæ consuetudine, quàm illa priuata necessitas vnius personæ. Quòd si fingamus, eundem, qui consecraturus est, communicaturũ esse in articulo necessitatis, in eo distinguenda est duplex illa ratio præcepti, & eodem modo excusabitur. *2. Confirmatio.* Et confirmatur secundò, quia in alijs præceptis Ecclesiasticis, quæ non videtur tanti pondera, est communis sententia Theologorum, vt infrà videbimus, non posse prætermitti propter priuatas necessitates, vt, verbi gratia, propter communicandum ægrotũ extremè indigentem, non licere conficere sine vestibus sacris, neque post sumptum cibum, aut potum: ergo multò minùs hoc licebit facere, omittendo consecrationem alterius speciei, quæ est res multò grauior. Vnde euidentius fit, hoc multò minùs licere, si hoc est præceptum iuris diuini, vt re vera est. Denique multùm refert ad cultum Dei, & reuerentiã huius sacramenti, vt non detur licentia hæc priuatis hominibus, eorumque arbitrio ac prudentiæ relinquatur, quia erit euidens moralis occasio sæpiùs mutilandi hoc sacrificium cum maxima irreuerentia & iniuria tanti mysterij.

2. Probatio. Secundò, quòd nec propter causam communem & publicam hoc liceat, probatur, quia non licet in Ecclesia introducere nouum & inusitatum ritum conficiendi aliquod sacramentum sine publica Ecclesiæ, aut summi Pontificis autoritate, aut vniuersalis Concilij, quod firmum esse non potest sine Pontificis autoritate. Sed, si propter aliquam communem causam alicuius regionis, vel prouinciæ, liceret consecrare vnam tantùm speciem, oporteret id fieri frequenti, publico, ac stabili ritu: ergo non potest hoc licere sine autoritate Pontificis. Minor per se constat, quia, nisi ita fieret, non subueniretur illi communi causæ & necessitati. Vnde, si priuatim, vel ratio fieret, iam non publica causa, sed priuata inspiceretur. Et idem esset, si non semper nec frequenter, sed aliquando & rarò, in tota ciuitate vel prouincia deesset vinum, nam illa non esset censenda publica causa, sed potiùs priuata occasio. Maior verò constat, tum ex iuribus suprà citatis, & alijs omnibus, quæ de hac materia loquuntur, tum etiam, quia alioqui sequi posset magna confusio in Ecclesia, & schismate introduci, & hæc conclusio euidentior fiet ex sequenti.

3. Conclusio, cuius prima pars probatur. Dico ergo tertiò, licèt probabile sit, posse Pontificem in hoc negotio ex publica & communi causa dispensare, tutius tamen, & verius existimo, non posse. Priorem partem probat autoritas plurium Doctorum, quæ satis est, vt rem faciat probabilem, præsertim cùm probabilibus rationibus, & coniecturis vtantur. Dico autem propter communem causam, quia propter priuatam nõ existimo id esse probabile, quia nullus grauis autor hoc dicit, neq; vnquam in Ecclesia factum est, nec potest vlla ratione probabili ostendi, id fieri posse, vt ex dictis facilè colligi potest, & magis ex dicendis constabit, quare si aliter fieret, non solùm esset illicita dispensatio, sed etiam non teneret, quia esset contra diuinum ius, & sine sufficienti causa.

2. Pars probatur. Primò. Posterior pars probatur primò destruendo fundamentum contrariæ sententiæ. Primò quidem, quia, etiam si necessitatem alicuius regionis admittamus, tamen hoc sacramentum non est necessitatis, sed vtilitatis, & ideo simpliciter maius bonum Ecclesiæ est, vt ritus sacrificandi Deo in tota Ecclesia sit vnus, & idem perfectus, & integer, quam vt immutari possit, propter vnius, vel alterius prouinciæ vtilitatem.

Secundò. Deinde, sicut non est moraliter admittendum, regionem aliquam ita carere oleo, vt in illa non possit sacramentum Extremæ vnctionis ministrari, & propter hanc inopiam, necessariam esse aliquam dispensationem; ita non est, quòd admittamus tantam vini penuriam in aliqua regione, vt non possit in ea integrum sacrificium confici, quia potest aliunde facilè asportari, & licèt non conseruetur diu, potest sæpius, ac frequentius portari. Ac denique, quanuis gratis demus, fieri posse, vt propter hanc causam sacrificium hoc minus frequenter alicubi conficiatur, minus inconueniens hoc esset, quàm ritum sacrificandi immutare, ergo moraliter nunquam est necessaria, nec conueniens hæc dispensatio. Vnde, cùm potestas dispensandi moralis sit, & casus morales respiciat, non est cur, propter casum speculatiuum potius & confictum, quàm moralem & verum, talem dispensandi facultatem admittamus.

Tertiò. Tertiò hoc cõfirmat Ecclesiæ vsus, per tot enim annos nunquam talis dispensatio necessaria, aut vtilis existimata est, & nunc experimur in omnibus prouincijs, in quibus est fides, etiam si frigidissimæ sint, integrè confici hoc sacramentum absque tali dispensatione. Illud verò, quod de Innocentio VIII. dicitur, mihi valde suspectum est, primum, quia si res vera esset, cùm non sit admodum antiqua, extarent aliqua eius vestigia, vel aliquis huiusmodi vsus. Secundò, quia, cùm eadem necessitas nunc esse possit in illis regionibus, si propter eam cum illis dispensatum fuisset, durante necessitate, duraret vsus talis dispensationis: certum autem est, nullibi nunc esse talem vsum. Tertiò est simile argumentum, quia, sicut per mille & quadringentos annos, in regionibus illis perfectum est hoc sacramentum sine tali dispensatione, cùm tempore Innocentij VIII. nulla causa occurrerit, non est cur noua dispensatio in re tam graui concessa existimetur. Quartò denique, verba Volaterrani præ se ferunt falsitatem, vel deceptionem; ait enim, Innocentium permisisse, *sine vino calicem sacrificare*, quæ est aperta repugnantia. Et quanuis Onuphrius abstulerit illam particulam, *calicem*, & simpliciter dixerit, *permisisse sine vino sacrificare*, non tamen propterea

maiorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

maiorem facit fidem, quia ipse ex nullo alio, quàm A ex Volaterrano hoc refert. Vnde, licèt referendi modum emendauerit, fidem tamen historiæ non auxit. Adde, hos autores non dicere Pontificem dispensasse, sed permisisse, fieri itaque potuit, vt ali qui ausi fuerint hanc consuetudinem inchoare, & Pontifex dissimulauerit & permiserit, quia tempo rum occasio hoc postulabat.

Quartò. Quartò principalis ratio conclusionis est, quia Ecclesia non potest facere, vt vel hoc sacramentum conficiatur non offerendo sacrificium Deo, vel vt sacrificium non offeratur integrum, & perfectum ex omnibus, quæ ad illius substantiam & essentiam pertinent, cuiusmodi est in hoc sacrificio, quòd in pane & vino perficiatur. Prima pars ex dictis in præcedenti Sectione patet, quia ex institutione diuina hæc consecratio, est sacrificatio, B non potest autem Ecclesia diuinam institutionem mutare, præsertim in modo conficiendi sacramenta & offerendi Deo sacrificium. Secunda verò pars, partim ratione naturali constat, quia ad reuerentiã Dei spectat, vt ei non offeratur sacrificium mutilum & imperfectũ, partim ex principijs fidei, quia non minùs immutabilis, & conformis diuinæ institutioni esse debet sacrificij confectio, quàm sacramenti, cùm vtraque sit ex institutione diuina, sicut in lege veteri non posset vlla ratione dispensari, vt immolatio agni fieret in vitulo, vel ex dimidia parte agni, vel sine aliis substantialibus conditionibus à Deo præscriptis & in lege noua intrinsecè malum esset inchoare sacramentum, vt imperfectum relinqueretur, & sine suo effectu.

Quintò. Quintò potest hoc generali ratione probari, C quia Ecclesia non potest dispensare in ijs, quæ propriè sunt de iure diuino, vt sentiunt Vrbanus & Sozimus Pontifices, in capit. sunt quidam, & in capite. contra statuta, vigesima quinta, quæstione prima, & latiùs traditur in materia de legibus, quia inferior non potest dispensare in lege lata à superiori. Et à posteriori siue ab inconuenienti confirmari potest, quia, si semel admittamus hanc dispensationem propriam in diuino iure, nihil erit firmum & immutabile, nec erit maior ratio, cur possit dispensari in vno magis, quàm in alio, si æqualis causa intercedere videatur, vt, verbi gratia, in præsenti materia sacramentorum, fingi etiam posset in aliqua prouincia non reperiri oleum, vel balsamum (quod suppono de iure diuino esse necessarium ad Confirmationem) posset ergo Ecclesia dispensare, vt Confirmatio, aut Extrema vnctio daretur sine oleo & balsamo. Nec sufficit distinctio de ijs, quæ pertinent ad vsum, vel substantiam sacramenti, quia, si vsus esset institutus tali modo iure diuino, tam immutabilis esset sicut substantia, quia substantia non aliam necessitatem, vel immutabilitatem habet, nisi quam secum affert ius diuinum. Et ideò Ecclesia semper declarauit, non esse de iure diuino, vt laici communicent sub vtraq; specie, quod ad vsum pertinet, vt defenderet, potuisse ipsammet Ecclesiam facere, vt communicarent sub vna tantùm specie. Eo vel maximè, quòd hæc institutio, de qua agimus, non pertinet tantùm ad vsum, sed ad ritum conficiendi sacramentum, & offerendi Deo sacrificium, atque adeò ad substantiam ipsius sacrificij, quæ nõ minùs immutabilis est, quàm substantia sacramentorum.

4. Cõclus. Dico quartò; Etiam per modũ interpretationis, non potest Pontifex declarare, licitum esse aliquan do per se conficere vnam speciem, sine alia. Hæc conclusio ex præcedenti declarari potest. Primò, quia nulla potest occurrere necessitas sufficiens, ad talem interpretationem, sicut neque hactenus occurrit. Secundò, quia non esset bona interpretatio, quæ ipsam institutionem diuinã mutaret, & euerteret, aliàs meliùs diceretur, in eo casu posse interpretari Pontificem, vt, si deficeret vinum vitis, cõficeretur sanguis in vino pomorum, vel in aliquo simili liquore, quo homines talis prouinciæ vterentur loco vini, hic enim nunquam deest. Hæc namque interpretatio videri posset accommodatior, quia sic esset integra repræsentatio sacrificij. Sicut ergo hoc dici non potest, quia est præter ritum à Christo institutum, ita etiam neque aliud. Quocirca maximè animaduertendum est, hoc præceptum non qualecunque esse, sed continens institutionem, & modum sacrificandi præscribens, cui intrinsecè annexum est, vt si fieri non potest, sicut est præscriptum, potius omittatur, quàm alio modo fiat: vt videre est in omnibus similibus præceptis tam nouæ legis, quàm veteris, & ideò non habet solam vim præcepti affirmatiui taliter sacrificandi, sed in hoc includitur negatiuum, non faciendi aliter: sicut in præcepto orandi attentè, includitur negatiuum non orandi, si attentio adhibenda non est. Et confirmatur, quia si hoc præceptum solùm esset interpretãdum per modũ affirmatiui præcepti, quod potest in vno tempore obligare & nõ in alio iuxta occasiones occurrentes, sequeretur non solùm publica potestate, sed etiam sola doctrina, vel scientia posse fieri interdum talem interpretationem, præsertim si nulla in hoc facta esset prohibitio, vt quædam ex argumentis in contrarium factis, consequenter loquendo, probabiliter contendebant. Et posset facilè alijs exemplis, & rationibus ostendi. Intelligendum est ergo hoc ius diuinum, tanquam instituens modum, & ritum sacrificandi Deo, sicut ius diuinum de consecrandis, verbi gratia, sacerdotibus legis nouæ, non solùm continet præceptum, sed etiam instituit modum, & ritum consecrandi illos, qui vel seruandus est, vel si in casu aliquo seruari non potest, non propterea ritus aliusinducẽdus est, sed potiùs ab huiusmodi actione est cessandum, & idem est in cæteris sacramentis: ergo & in ritu sacrificandi. Melius ergo explicatur hoc ius, vt habeat vim præcepti negatiui, in quo non tam facilè locum habet dicta interpretatio, præsertim in his rebus, quæ ex institutione pendent, cũ enim aliquid, quod ex se non habet aliud esse, nisi quod ab institutione accipit, diuino iure instituitur, vt tali modo fiat, hoc ipso prohibetur aliter fieri: q si modo præscripto fieri non possit, potiùs interpretandum est, cessandum esse ab huiusmodi actione, quàm licere aliter facere, quàm institutum est. Sicut, quia ritus Cõfirmandi, vel vngendi infirmus, iure diuino institutus est, vt fiat ex oleo consecrato seu benedicto, si casus occurrat, quo non possit fieri vnctio oleo benedicto, sed cõmuni, non possumus interpretari, posse tunc illo modo fieri, cũ nulla sit talis institutio, sed potius verisimè interpretamur in huiusmodi euentu omittendam esse vnctionẽ, sit ergo in præsenti materia dicendum est.

Solutio rationis primæ opinionis. Et ex his responsum ferè est ad fundamẽta contrariarũ opinionem exemplа enim quædam, quæ afferebantur in prima opinione ad probandũ, posse

Papam

Papã dispẽsare in iure diuino, partim incerta sunt, A vt est illud de matrimonio rato; partim non sunt similia, vel non sunt propriè dispensationes in iure diuino, tollendo obligationem eius, sed versantur circa materiam eius, illam mutando, sicut in voto ius diuinum tantùm est, vt, qui votum habet, illud impleat, & hoc semper manet integrum, tamen, q. ego habeam votum, non est ius diuinum, sed voluntate mea factum est, & in hoc propriè dispensat Põtifex, auferendo vel mutando votum. Et idem proportionaliter est in matrimonio rato, quod quatenus humana voluntate contrahitur, dispensari vel dissolui potest. In alijs verò exemplis nulla omnino intercedit dispensatio, quia quando plures. Ordinati sacerdotes cum Episcopo consecrant, cum illo veluti componunt vnum integrum ministrum vnius tantùm sacrificij, quod ab omnibus conficitur, ad cuius perfectionẽ satis est, quod sub vtraq; specie sumatur à ministro eius in vna tantùm persona, quia ita omnes ministrant, vt quilibet eorum B per se sufficiat, & sit veluti integer minister. Et multò min' intercedit dispẽsatio, quãdo in aliquo casu negatur alicui cõmunio in articulo mortis, sed tunc ægrotus excusatur ab obligatione suscipiendi, & minister Ecclesiæ ab obligatione dandi propter occurrentes circunstantias: vtraque enim illa obligatio nascitur ex præcepto purè affirmatiuo, quod non pro semper obligat.

Addo denique, quanuis Papa possit dispensare aliquando in præcepto aliquo diuino, præcipiente solùm, & obligante ad aliquem actum, non tamen posse immutare ius diuinum instituens ritum sacri ficandi, vel conficiendi sacramentum, præsertim substantialem, & intrinsecum. Vnde nec in hoc potest dispensare, nisi vbi aliàs constet, de ipso iure diuino factam esse aliquam exceptionem, vt de mi- C nistro. Confirmationis suo loco dicitur. Institutio enim diuina, circa ministrum sacramenti Confirmationis, totum hoc continet, scilicet, vt ordinarius minister sit Episcopus, cuius loco possit substitui presbyter, quando Pontifex iudicauerit expedire, cuius signum est, quòd id non fit per modum dispensationis: quia, si Papa vellet substituere diaconum, non posset. Ad exempla verò, quibus secunda opinio vtebatur, ex sacramento confessionis de sumpta, respondetur, non esse similia. Primum quidem, quia sacramentum Pœnitentiæ est maioris necessitatis, quàm Eucharistiæ. Deinde, quia iure diuino solùm formalis integritas est de necessitate sacramenti Pœnitentiæ, materialis verò solùm quatenus ad formalem necessaria est, similiter etiam satisfactio tunc solùm necessaria est, quando æquitas iudicij illam postulat, neque alia ratione est de illius sacramenti integritate, tunc verò omitti non D potest sine aliqua culpa.

Solutionem secundæ opinionis.

Opinio.

SECTIO V.

Vtrum de necessitate huius sacramenti sit, vt materia consecranda sit præsens ministro.

QVæstionem hanc prætermisit hoc loco Diuus Thomas, fortasse quia ex cognitione formæ pendet, tamen, quia conditionem ex parte materiæ necessariam inquirit, & eius cognitio ad sequentes quæstiones necessaria est, ideò breuiter est expedienda.

1. Cõclusio. Primum igitur omnium certum est, in genere loquendo, necessarium esse sensibilem præsentiam huius materiæ, ita docet D. Tho. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. Durand. q. 6. num. 6. & Maior. q. 2. Palud. q. 1. art. 3. Soto d. 9. q. 1. arti. 2. Gabr. dist. 35. in can. Ledesma 1. par. 4. q. 15. arti. 1. Victoria in sum. nu. 58. & omnes Summistæ. Ratio à priori est Christi institutio, quæ, præter traditionem Ecclesiæ, fundatur in verbis formæ, scilicet, quia illa pronomina, *hoc*, vel, *hic*, vel, posita in forma, ex vi suæ significationis, designant rem præsentem aliquo modo sensibus, quæ, ratio supponit verba huius formæ proferri à sacerdote formaliter, & significatiuè, & non tantũ materialiter, ac recitando, quod inf. q. 78. probandũ est. Dices, interdum per illas voces designari rem præsentem intellectui, vel imaginationi tantũ. Respõdetur, quia sacramenta sunt signa sensibilia, ideo non tantũ intellectui, sed etiam aliquo B modo sensibus significant, ac propterea huiusmodi termini, in formis sacramentorũ positi, indicant rẽ aliquo modo sensibiliter præsentem, vt patet in omnibus, quæ habent similes vel æquiualentes terminos, vt *Baptizo te*, *Signo te*, *Per hanc sacram. vnctionem*. Ac deniq; in solo matrimonio fit exceptio quia non habet determinatam formam verborum, sed per modum cuiusdam contractus perficitur, vt alias dicemus. Et confirmatur assertio posita ex vsu & traditione Ecclesiæ, in facto Christi fundata, ille enim circa materiã sibi præsentem verba protulit, & hoc semper Ecclesia obseruauit. Et à posteriori tandem confirmatur, quia aliàs posset sacerdos consecrare totum panem, qui Romæ existit, quod est absurdissimũ. Cõgruentia deniq; addi potest, quia oportet, vt consecratio sit humano modo certa, & ideò opus est, vt feratur in materiam certam, determinatam, ac præsentem.

Ratio dubitandi. Difficultas verò est, quæ, & qualis esse debeat hæc præsentia. Et ratio huiusmodi est, quia præsentia, vt nũc loquimur, dicit ordinẽ ad cognitionem, vel actiuè, vel passiuè, sicut Deus dicitur esse præsens omnibus rebus, quia omnes intuetur, vt dicit D. Tho. 1. part. quæst. 8. artic. 3. & è contrario, res dicuntur esse præsentes nobis, quia in cõspectu nostro sunt, præsentia ergo sensibilis dicit ordinem ad cognitionem sensuum externorum, at verò materia huius sacramenti non requirit huiusmodi præsentiam, ergo non requirit præsentiam sensibilem. Explicatur minor, quia potest consecrari materia, quæ nullo sensu percipiatur, vt cæcus potest consecrare panem, etiam si non tangat vel olfaciat illum. Et similiter hostia aut vinum consecrantur, vase cooperto, vbi nullo sensu percipiũtur, & idẽ est de vna formula, quæ sub alijs existit. Aliunde verò non videtur aliqua sensibilis præsentia sufficiens; nam, licèt panis visu percipiatur, si tamen nimis distet, non poterit consecrari, & Scto censet distantiam ducentorum passuum nimiam esse, quia res ita distans non potest in rigore demonstrari pronomine primæ personæ, *Hoc*, sed tertiæ, *illud*. Et eadem ratione non satis est olfactus perceptio, quæ à longa distantia prouenire potest, & idem est de auditu, quanuis hic sensus vix possit præsenti materiæ accommodari, de tactu verò, & gustu nõ est; quòd dicamus, quia perceptio istorum sensuum non est simpliciter necessaria, quia ergo regulariter dum

Soto.

Universidad de Deusto Biblioteca

dum erit ad definiendam hanc præsentiam? Et augetur difficultas, quia ex verbis formæ non potest certa regula præscribi, nam interdum rem satis distantem his vocibus designamus, vt videntes à longè ciuitatem, dicimus, hæc ciuitas est nobilissima; similiter, de re in arca clausa, dici solet, hoc est argentum: quòd si hoc satis est, possemus totum panem, in aliquo cubiculo clausum, illo pronomine designare, atque adeò consecrare. Idem est de re à tergo existente, imò de re seu persona, quæ proximè antea hic aderat, iamque discessit, de qua per hos terminos in rigore loqui licet, hic est insignis medicus, vel aliquid huiusmodi. Sufficient ne ergo omnes istius modi præsentiæ ad consecrationem, quibusne terminis claudenda est hæc præsentia? Hinc enim oriuntur illæ curiosæ quæstiones, an possit panis à tergo existens consecrari: an inclusus in arca, vel cubiculo, an visus à longè, & similes, quæ non facilè possunt, vna regula comprehendi, quia res est moralis & incerta. Vt autem aliquo modo comprehendatur.

Aduertendum primò est, pronomen, *hoc*, simpliciter & substantiuè dictum, ex vi suæ significationis maiorem præsentiam requirere, quàm cum alteri rei adiungitur, hoc constat ex vsu, & communi modo concipiendi, & in adductis exemplis id facilè videre licet, & ratio adiungi potest, quia cùm hoc pronomen adiectiuè ponitur, per substantiuum definitur ad illam rem indicandam; & hoc ipso non requirit aliam præsentiam, quàm illa res habeat. At verò quando simpliciter, & substantiuè dicitur, *hoc*, vel *hic*, est valde indifferens, & suspensa significatio, & ideò oportet, vt per ipsam rei præsentiam definiatur, & vt quasi nutibus, vel signis ostendatur res, ad quam locutio dirigitur; & ideò in hoc genere loquendo, maior præsentia requiritur, quã in alio, & ita fit in hoc sacramento, in cuius forma pronomen, *hoc*, simpliciter, & substantiuè prolatũ materiam designat. Secundò oportet aduertere, interdum per huiusmodi pronomina designari rem absentem, aut distantem, potius ex discursu intelligentis, & ex antecedentibus & consequentibus, quàm ex vi verborum, quæ designatio dici potest fieri potius ad intellectum, quàm ad sensum, vt patet in exemplis suprà positis, & signum huius rei esse potest, quod de huiusmodi rebus proprius & exactius loqueremur per pronomina, quæ non indicát præsentiam, vt in exemplo posito de ciuitate à longè visa, propriè dicitur, illa est ciuitas, ad quam tendimus, vel quid simile. Interdum verò designatio fit per quandam metaphoram, vt quando, demonstrando domum, loquimur de habitatore, dicẽdo, verbi gratia, hunc hominem esse nobilissimũ, vbi propria designatio facienda esset, per terminos absentiæ potius, quàm præsentiæ. In hac ergo materia obseruandum est, vt proprietas, formæ seruari possit in omni rigore, & quoniã materia est valde moralis, & mutabilis, & ideò sæpè incerta, & ambigua plurimum est obseruandus Ecclesiæ vsus, seruata verborum proprietate, quam signum hoc requirit præsertim in forma practica, & operatiua, quæ maiorem præsentiam materiæ postulat.

1. Conditio. D.Thom. Palud. Soto. Victoria. Ledesma.

Prima ergo conditio huiu[s] præsentiæ esse videtur, vt materia sit aliquomodò coram homine, & non omnino à tergo, ita sentit D.Tho. suprà, & sequuntur Palud. Soto, Victoria, & Ledesma, ac ferè alij, vno excepto Maiore. Et primò hæc sentẽtia est consentanea vsui Ecclesiæ. Secũdò facit proprietas verbi, quia res, quæ nullo modo est coram homine, non potest commodè, & propriè designari pronomine, *hoc*, præsertim simpliciter & substantiuè prolato, vt constat ex communi modo cõcipiendi omnium; nam, si quis interdum aliter loquitur, vel impropriè loqui censetur, vel non ex vi solius vocis, sed ex antecedentibus & consequentibus ad rem talem sermonem dirigit. Dixi autem, vt aliquo modo sit coram homine, quia, licèt nõ sit coram facie, si tamen digito, vel alio simili signo indicetur, videtur per illud fieri sufficiẽter præsens, & satis propriè designari pronomine, *hoc*, quia aliquo modo iam res illa est coram homine, quia homo ad illam ex parte se conuertit, quanquam res hæc, vt minimum, sit valde dubia, quia designatio tunc non videtur fieri ex vi solius vocis, sed ratione alterius signi coniuncti, vnde grauiter peccaret, qui contra vsum Ecclesiæ hoc modo consecrare auderet, & se exponeret periculo nihil faciendi.

2. Conditio. Durandus.

Secunda conditio est, vt non sit nimis distans, etiam si oculis videri possit. Hanc ponunt ferè omnes autores, & præsertim explicat Durandus. Primò, quia res valde distans proprius designatur pronomine, *illud*, quàm, *hoc*. Secundò, quia illa præsentia magis est speculatiua, in ordine ad cognitioné, quàm practica, & in ordine ad operationem, qualis hic requiritur.

Dubium. Palud. Viguerius. Solutio.

Sed quæres primò, quantam oporteat esse hanc propinquitatem, quidam aiunt necessarium esse, vt manibus teneatur, quia ita videtur Christus fecisse. Alij; quibus Paludanus consentire videtur, licèt actualem tactum non exigant, dicunt tamen debere materiam esse ità propinquam, vt tangi possit. Alij, vt Viguerius, dicunt necesse esse, vt verba formæ possint re vera peruenire vsq; ad materiam, & illam contingere. Sed hæc friuola sunt. Et in primis certum est ex vsu Ecclesiæ, non esse necessarium, vt materia actu tangatur, seu in manibus habeatur, cõsecramus enim formulas super altare existẽtes, quãuis in manibus non habeamus. Item verba formæ hoc non requirunt, nec refert, quod Christus ad consecrandum accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, vt dicitur in canone Missæ, & colligitur ex Euangelijs, quia non oportet, vt omnes circunstantiæ, quæ in facto Christi acciderunt, sint essentiales, vel simpliciter necessariæ, vt per se cõstat, imò nec satis certum est, eo tempore, quo Christus protulit verba consecrationis, habuisse panem in manibus, potuit enim prius accipere, & frãgere, & posteà in mensa coram discipulis ponere, dicens, *Accipite & comedite*, ac pòsteà verba consecrationis proferre. Itaque, licèt cõtrarium fortè probabilius sit, non tamen propterea esset ad consecrandum necessarium, cum veritas materiæ, aut formæ id nõ requirat. Et eadem ratione non est necessarium materiam esse ita propinquam, vt à ministro tangi possit, cùm neque ex significatione formæ, neque ex alia probabili ratione id colligi valeat. Deniq; nec necesse est, vt sonus perueniat, aut peruenire possit ad materiam. Primò, quia, neque ex vi significationis verborum hoc est necessarium, vt constat, neq; ob sacramentalem efficientiam, vt ex doctrina de sacramentis in genere suppono. Secũdò, quia ex vsu Ecclesiæ constat contrarium: aliàs si calix coopertus, vel forma sub alijs existens consecrarentur, vel si sacerdos submissè loqueretur, & materia aliquantulum,

tulum, verbi gratia, per duos passus distaret, nihil fieret, quæ plane sunt absurda. Quo circa nulla certa regula præscribi potest, qua hæc propinquitas necessaria definiatur, vnde Durandus, Paludanus, & alij dicunt, solum Christum, qui hoc sacramentum instituit, posse huius præsentiæ certum terminum designare, à nobis vero moraliter diiudicandum esse. Et ideo in praxi obseruandum est, vt pars secura & certa semper eligatur, ita vt dubitari non possit, quin veritas, & proprietas formæ retineatur, quod maxime fiet, vsum Ecclesiæ seruando.

Dubium. 2. Soluitur.

Secundo quęreret aliquis, vtrum oporteat totã distantiam, quæ inter materiam & ministrum esse potest, esse oculis peruiam, ita vt nullum corpus opacum interiectum sit. Et ratio dubitãdi pro vtraque parte supra tacta est, Vnde vix potest etiã in hoc certa regula assignari, sed relinquẽdũ est prudentis arbitrio, & diligenter cauendũ, vt proprietas & veritas formæ seruetur, nam re vera non est simpliciter necessarium, vt tota distantia oculis pateat, quia non videtur dubium, quin panis, vel vinum, velo lineo coopertum consecrari possit, quia hoc non tollit humanam præsentiam, & proprissime potest per illam vocem, *hoc*, designari, seruata eius proprietate & significatione. Nihilominus tamen existimo, consecrari non posse panem post parietem existentem, vt omnes autores docent, quia re vera est humano modo absens; quapropter considerandum videtur, an corpus illud, quod interponitur, solum sit veluti proximum cõtinens, seu cooperiens materiam, quia tunc non videtur tollere sufficientem præsentiam, quia totum illud per modum vnius designatur, secus vero est, si absque vlla huiusmodi habitudine interponatur; tunc enim propriam præsentiam excludit.

Dubium 3. Resolutio dubij.

Tertio quæri potest, an sufficiat, rem esse pręsentem per aliquam partem sui, vt tota possit consecrari, videtur enim hoc sufficere, cum talis res possit proprie pro nomine, *hoc*, designari. In contrarium vero est, quia hoc admisso, posset aliquis simul consecrare infinitam (vt ita dicam) panis vel vini multitudinem; dummodo per superficiẽ vel partem aliquam haberet illam præsentem, eo modo, quo est præsens mare, quando ex littore videtur. Respondetur, in vniuersum, seu physice loquendo, hoc non satis esse, quia proprie, & in rigore non est mihi præsens totus aer, qui est vsque ad cœlum, nec tota aqua maris, etiam si aliquam eius partem videam, quia licet in se corpus illud continuum sit, tamen in ordine ad humanam præsentiam id, nihil refert, vnde tota illa pars, quæ eminus distat, ita est absens, ac si esset res per se separata, oportet ergo vt tota materia, secundum omnes partes consecrabiles, sit aliquo modo practicè & moraliter præsens. Vnde fit, esse valde probabile hanc distantiam, vel præsentiam non esse æqualẽ in omni materia, sed debere esse iuxta proportionem & quantitatem magnitudinis eius. Et ideo difficile semper est certos terminos illius designare, sed ad rem moralem non multum refert, quia nunquam res ad has angustias redigitur, sed maior est semper præsentia, quam in rigore necessaria sit.

SECTIO VI.

Vtrum oporteat materiam cõsecrandam esse certam, & deffinitam.

QVæstio intelligitur de materia certa in indiuiduo, & particulari; hæc autem certitudo seu definitio materiæ ex intentione consecrantis sumenda est, cum enim materia sit panis & vinum, absolute explicare oportet, an necesse sit, consecrationem ex intentione ministri definiri ad hunc panem, & hoc vinum, in quo refertur opinio Maioris distinction. 11. quæstion. 2. negantis, necessariam esse definitam materiam. Sed neque est opinio eius, neque alicuius potest esse.

Maior. Conclusio.

Dicendum est ergo, vt consecratio fiat, necesse esse materiam in particulari definiri per intentionem consecrantis. Ita docent Doctores omnes citati, & citandi. Ratio est, quia actiones circa particularia versantur, vnde, nisi in particulari definiatur materia, nihil est quod cõsecrari possit. Confirmatur, quia intentio operantis debet esse practica, & operatiua: non erit autem huiusmodi, nisi versetur circa determinatam materiam. Confirmatur secundo, quia alias forma non significabit effectum, quia non demonstrabit materiam, quæ consecratur. Tandem in alijs sacramentis quæ consistunt in vsu, quia circa subiectum sanctificandum versantur, necesse est subiectum esse certum, & definitum. Nam si quis intendat baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil facit, ergo similiter.

Corollariũ ex conclusione deductum.

Et hinc sequitur primo, si quis habeat præsentes octo hostias, & intendat consecrare sex tantum, non determinando illas, sed in confuso, nihil efficere; probatur, quia materia illa non est definita. Item, ille non consecrauit omnes, quia hoc non intendit, neque has potius, quam illas, quia non est maior ratio; ergo. Et ita docuit Maior supra, & Durand. distinction. 11. quæstion. 7. Richard. distinction. 10. articul. 7. quæstion. 2. & omnes.

Durandus. Richard. Obiectio.

Dices, posset minister remittere suam intentionem in intentionem Dei, vnde ex voluntate diuina, consecraret potius tunc has, quam illas: sic enim possum offerre sacrificium pro vna anima purgatorij, non determinando illam, sed voluntatem remittendo in electionem diuinam. Et confirmatur primo, quia hoc modo potest minister remittere suam intentionem in intentionem alterius hominis, vt si intẽdat cõsecrare, ex illis octo, sex, quas Petrus definierit, ergo similiter. Confirmatur secundo, quia, si in sacramento Pœnitentiæ sacerdos intendat absoluere, non ab omnibus peccatis, præsertim venialibus, sed à duobus tantum, quanuis, illa in particulari non determinet, sacramentum tenebit.

Solutio.

Respondetur ad argumentum, illum modum intentionis non esse accomodatum hominibus, oporteret enim expectare diuinam reuelationem, vt constaret, quæ materia esset consecrata, & ideo illa intentio est impertinens, & insufficiens. Neque est simile illud de sacrificio, tũ, quia in eo opere Deus est, qui immediate operatur, & remittit pœnas, & ideo optime in eius voluntatem remittitur, vt id faciat prout voluerit, at vero in pręsenti minister est, qui proxime operatur suis

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbis, & ideo oportet vt ipse sua intentione desi A
niat materiam, tum etiam, quia ille effectus est me
re spiritualis, quem non oportet esse notum homi
nibus, hic autem est constitutio sensibilis sacra-
menti ordinati ad vnum hominum. Vnde ad pri-
mam confirmationem respondetur, si intentio re-
feratur in futuram determinationem alterius, ni-
hil fieri; quia effectus sacramenti non potest esse
pendens; si vero referatur in voluntatem, seu de-
terminationem alterius factam, vel faciendam,
prius quã verba proferantur, si adhuc illa sit igno-
ta ministro, præter graue peccatum, existimo
nihil fieri; quia, si determinatio alterius sit occul-
ta, non potest intentio ministri, nec significatio
verborum, prout ab illo proferuntur, ad certum
aliquid referri, & ita nihil poterit designari pro-
mine, *hoc*: si autem illi nota est alterius voluntas, &
illi conformatur, iam habet intentionem satis defi
nitam. Ad aliam confirmationem respondetur, il-
lam intentionem absoluentis non versari circa sa-
cramentum, sed circa effectum, vnde si intendit
conferre hunc sacramentum Pœnitentiæ, illud ne-
cessarium est, & sufficit, vt sacramentum teneat.
Et hoc posito, quanuis ipse velit remittere tãtum
duo peccata venialia, sacramentum remittet om-
nia, si subiectum sit dispositum, quia, vt alias dixi,
intentio ministri non potest impedire effectum, si
alias habeat intentionem efficiendi sacramentum.
At vero in præsenti deficit intentio necessaria cir
ca sacramentum ipsum, quod per consecrationem
materiæ efficitur.

Obiectio. Sed obijciet rursus aliquis. Ergo si sacerdos con
secraret, cogitans tantum se habere vnam hostiam
& post consecrationem inueniat duas, nihil efficit
quia nec ambæ erunt consecratæ, quia hoc non in-
tendebat, neque vna, quia non est maior ratio de C
vna, quam de alia. Respondetur, vtramque esse
consecratam, quia vt dixi in materia de sacramen-
mentis in genere, illa est priuata deceptio, quæ nõ
tollit intentionem debitam, quæ esse debet, & mo
raliter est circa hanc materiam præsentem prout
in re proponitur, secus esset, si præcise vellet mini
ster consecrare hostiam, quam oculis videt, sed
Sylvest. hoc nec fit, nec fieri debet, ita docent autores pau-
lò antea citati, & Sylvest. Euchar. 2. quæstione. 6.
qui etiam addunt, si è contrario minister deferat
ad altare plures hostias consecrandas, & postea in
actuali consecratione tantum recordetur eius, quã
habet in manibus, omnes nihilominus manere con
secratas, quia sufficit intentio virtualis, quod etiã
Angelus. Nauar. docuit Angelus, verbo Eucharistia, numero 17.
& Nauarr. capit. 25. numero 91. Quod moralit-
er, & regulariter intelligendum existimo, dum-
modo omnes illæ hostiæ habeant illam præsen-
tiam, quam iuxta morem Ecclesiæ & debitam in-
Quid sit dicendum de præsentia materiæ calicis. tentionem ministri habere debent, hæc autem es-
se videtur, vt sint super altare sacrificij, id est, su-
per aram, vnde si iuxta illam relinquantur, & pror
sus obliuioni tradantur, regulariter non existima-
rem esse consecratas, & vt minimum, esset res val
de dubia. Et hinc iudicium ferri debet de intentio
ne habenda circa materiam calicis, nam sacerdos in
tendere debet consecrare illud, quod per modum
vnius continui intra calicem existit, vnde si ali-
quæ sint guttæ, vel extra calicem, vel etiam in-
tra, separatæ tamen à toto vino, verisimilius est
non manere consecratas iuxta vsitatam ac debitã
intentionem ministrorum, quod tamen multo cer
tius est de tota materia, quæ extra calicem reperta
fuerit.

Secundo colligunt autores omnes, si sacerdos
confuse intendat, consecrare dimidiam partem ho
stiæ, non signando quam earum, nihil efficere. Et
idem est, si intendat consecrare omnes partes pa-
res aut impares, quia in his omnibus casibus non
determinat materiam; secus vero erit, si determi-
nate vellit consecrare hanc partem hostiæ, & non
illam, nam licet grauiter peccet, hoc modo conse-
crando, est enim illa grauis irreuerentia, quia vix
poterit postea separari pars consecrata à non conse
crata; nihilominus tamen consecratio valida est,
quia illa materia certa est & definita, & re vera est
panis, & continuatio cum alijs partibus non impe
dit essentialiter, sicut etiam post consecrationem
poterit vinum non consecratum consecrato misce B *Durandus. Palud. Maior. Richard. Angelus. Sylvest.*
ri, & non propterea tolleretur consecratio. Et in hoc
conueniunt omnes autores supra citati, Durand.
Palud. Maior. Richard. distin. 11. Ange. Euch. 12
num. 26. Sylu. verbo, Euchar. 2. & alij. Summistæ.
Solum posset hic dubitari de superficie continuan
te partem consecratam cum reliquis non consecra
tis, an maneat sub illa Christus, & ad partem con-
secratam proprie reducenda sit. Sed de hoc dice-
mus infra suo loco; pendet enim ex modo, quo
Christus est sub indiuisibili termino quantitatis,
& ex alijs, quæ de speciebus consecratis infra dicẽ
da sunt.

Ex dictis vero infert vlterius Maior si sacerdos *Maioris illatio.*
intendat consecrare prima partem signatam pro-
portionalem hostiæ; verbi gratia, primam quar-
tam partem, non vero secundam, & in reliqua me
dietate similiter, & sic in infinitum, consecrationẽ
esse validam, quia semper signatur materia certa,
& determinata. Vnde infert, posse per consecratio
nem fieri, vt infinitæ partes proportionales sub
stantiæ maneant inter se substantialiter disiunctæ,
& alia similia absurda inde concludit. Sed errat *Refutatur.*
manifestè, quia illa intentio secum ipsa pugnat, &
contradictionem inuoluit, & tantum abest, vt sit
definita, quod potius est confusissima, cum fera-
tur in infinitam multitudinem, quam nulla mens,
præsertim humana, potest definite demonstrare,
imo qui dicit infinitum, dicit quid indeterminatũ
vnde cum consecrationem quarundam partium
faciat dependentem à consecratione aliarum, seu
à tota intentione, quæ versatur circa totam multi-
tudinem, nihil prorsus efficit, quia illa intentio est
vt dixi insufficiens, & repugnans.

D

SECTIO VII.

Verum materia quæ cõsecrari potest, certum terminum paruitatis habeat.

Sicut Philosophi, agentes de proprietatibus rei
naturalis, distinguunt duos terminos quanti-
tatis, scilicet, magnitudinis, & paruitatis, ita
Theologi in præsenti materia eosdem inquirunt,
vt explicent, quãta sit materia, quæ simul conse-
crari potest. Hic ergo inquirimus, an detur certa
quantitas minima panis, aut vini, qua minor conse
crari non possit.

Suppo-

Supponendum est autem, dupliciter considera- A
ri posse hanc quantitatem panis, scilicet, vel per se
separatam, vel vt coniunctam alijs partibus totius;
in quo dupliciter potest intelligi consecrari pars,
primo, sola ipsa, secundo, simul cum toto. Hoc er-
go posteriori modo, si pars existens in toto, simul
cum toto consecretur, nulla erit adeo modica, vt
minor consecrari non possit, quia, sicut ex Philo-
sophia constat in toto non dari partem minimam,
ita certum est in Theologia, consecrata tota hostia
consecrari omnes, & singulas partes, nec signari
posse quantitatem minimam consecratam, quin
sub quacunque minori totus Christus existat, vt
infra dicetur. Duplex ergo super est dubitatio.
Prima, an panis per se separatus possit in quacunq;
minima quantitate consecrari. Secunda, an pars exi
stens in toto possit in illo consecrari in quacunque
minima quantitate, non consecrato toto pane. Lo
quimur autem, exempli gratia, de pane, nam in om
nibus eadem est ratio de vino, de quo pari ratione
omnia sunt intelligenda.

1. Conclusio. Dico primò, Panis consecrari potest in quacun-
que quantitate minima, quæ humanis sensibus ob-
jici possit; ita sentit Diuus Thomas, hic, & in 4.
distinctione. 11. quæstione. 2. articul. 1. quæstiun-
cul. 3. & ibi Durand. quæstion. 6. Gabriel quæst. 2.
artic. 3. & reliqui fere omnes, Alens. 4. part. quæ-
stion. 34. membr. 1. art. 3. ad secundum, & ratio
est, quia licet quantitas sit minima, tamen panis
est verus, & si potest obijci sensibus, potest per for
mam signari, & potest esse signum sensibile. Paru
tas deinde quantitatis non obstat, quominus sub il
la totus Christus existere possit, vt de facto con-
stat in partibus coniunctis in toto, vel etiam in se-
paratis post consecrationem totius; ergo nihil hic C
deest ad materiæ veritatem. Vnde confirmatur, nã
si, post consecratam totam hostiam, separetur quæ
libet particula minima, sub qua possit conseruari
substantia panis, illa manebit consecrata, totum
Christum in se continens: ergo eadem quantitas
erit sufficiens ad consecrationem, si per verba for-
mæ designari possit. Vnde hæc veritas non pendet
ex quæstione physica, an in his rebus homogeneis
detur minimum, nam si non datur, procedunt ra
tiones factæ, si vero datur minimus panis sensibi-
lis, sufficiet ad consecrationem; minor vero mini-
mo non sufficiet, non ex defectu quantitatis, sed
quia iam non est panis, & hoc non est contra con-
clusionem, quæ procedit, quasi in sensu composi-
to quod sit panis.

Solutio. Sed dicet aliquis, quid, si detur panis in tam par
ua quantitate, vt, licet conseruari possit, non tamẽ D
possit obijci sensibus humanis? Dicunt aliqui, il-
lum per accidens non posse consecrari, quia non
potest videri, tamen per se loquendo posse, ita vt
si diuina virtute fieret, vt sacerdos certo sciret, aut
crederet talem particulam panis esse in patena, pos
set in illo consecratio fieri: quæ opinio solet tribui
Diui Thomæ, quoniam dicit, paruam aut magnã
quantitatem non referre ad consecrationem. Et cõ
firmari hoc potest argumento facto, quia talis
quantitas posset in toto consecrari, & separata
maneret consecrata: ergo eadem ratione posset cõ
secrari per se separata. Alijs magis placet, illam
materiam non esse aptam ad consecrationem,
nec in ea posse perfici, etiam in supra dicto ca-
su, quod tenet Maior dicta distinction. 11. quæ-
stion. 3. Et ratio est, quia supponimus, ob-
iectum esse tam paruum, vt sit extra naturale
obiectum visus humani, etiam si perfectissimus
& acutissimus in sua specie sit, est ergo res il-
la humano modo insensibilis, ergo ex hac par-
te non est sufficiens materia sacramenti, & præ-
terea non potest pronomine, *hoc*, sensibiliter de-
monstrari, ergo etiam ex parte formæ non po-
test in ea confici. Et hæc sententia videtur magis
rationi consentanea, nec Diuus Thomas, aut alij
contrarium sentiunt, sed per se loquuntur de quan *Solutio.*
titate, supposito quod materia maneat sensibilis,
nam eodem modo loquuntur de magnitudine, de
qua idem dicendum est, vt infra videbimus. De
confirmatione autem, quæ difficilis est, dicam in
B frequenti sectione.

2. Conclusio. Dico ergo secundo, Pars panis in toto existens
si per se sola consecretur, confici potest in quacun
que minima quantitate, quæ sensibiliter designari
possit. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti,
tractamus enim quid sit de necessitate sacramenti
non quid liceat, iam enim diximus non licere,
partem in toto consecrare, tamen, si fiat, fa-
ctum tenet; quia illa pars vere est panis, cum
quælibet pars, quantunuis minima, sit vere pa-
nis: ergo, si illa consecretur, factum tenebit,
oportet tamen, vt sensibiliter designari possit,
quia & ratio sacramenti, & propria ratio huius
formæ hoc requirit. Sed est hic aduertendum,
si philosophicam opinionem teneamus, scilicet,
non dari minimum in huiusmodi rebus homo-
geneis, in conclusione hac nullam esse difficul-
tatem, neque oportere limitationem aliquam ad-
hibere. At vero, si teneamus in parte per se exi-
stente, & separata à toto, dari minimum, nonnul-
li censent limitandam esse conclusionem, quia
non putant etiam in toto posse consecrari partem
inexistentem, minorem illa, quæ per se & separa-
ta posset conseruari: quia existimant per consecra-
tionem discontinuari partem consecratam à non
consecrata. Quod tamen fundamentum mihi non
probatur, quia est contra sensum, & nulla est suffi-
ciens ratio eur asseratur; tum etiam, quia per con-
secrationem, non fit alia immutatio in accedenti-
bus, nisi quod separentur à subiecto, & per se exi-
stant. Ex qua non sequitur necessario discontinua-
tio, nec corpus Christi de se magis illam continua
tionem impedit, quã si substãtia panis adesset. Cõ-
firmatur, quia si illæ duæ partes manerent cõtiguæ
& nõ continuæ, ex natura rei, trahendo vnam par
tem, nõ necessario traheretur alia, quia cum mate-
ria illa sit sicca, & arida, partes nõ conglutinantur,
nec sibi cohærent nisi ratione continuationis, vt
experientia docet. Oportebit ergo hic ponere nouũ
aliud miraculum.

Obiectio. Dices, substãtia, quæ manet sub illis accidẽtibus
non est in se continua, nam sub vna parte est sub-
stantia panis, sub alia vero est substantia corporis
Christi, quæ inter se non continuãtur; at vero iux
ta principia philosophiæ, quando substantiæ sunt
diuersæ speciei, & discõtinuæ, etiam quantitas est
discreta. Respodetur, quidquid sit de illo princi-
pio physico, in præsenti non habere locũ, quia illa
pars accidentiũ, quæ separata manet, supplet vicẽ
subiecti, & est sufficiẽter applicata & disposita, vt
eũ altera parte cõtinuetur. Dico igitur in dubita-
tione proposita, etiã si verum esset dari in toto pat

tem aliquam panis, quæ separata ab illo conseruari non posset, nihilominus posse illam solam in toto consecrari, quia reuera panis est, & ibi habet quidquid necessarium est, vt sub illis accidentibus conseruetur substantia panis, sicut si vinum consecratum misceatur non consecrato, etiam si diuidatur in partes, quãtumuis minimas, quæ per se separatæ conseruari nõ possent quandiu tamen vnitæ cum alijs possent sub se retinere substantiam vini, consecrationem etiam retinent, & sanguinem Christi: per diuisionem autem totalem, amitterent consecrationem, seu desineret sub eis esse Christus, quia etiam desineret substantia panis, vel vini, quod obseruandum est, vt infra dicemus.

SECTIO VIII.

Vtrum hæc materia apta sit ad consecrationem, in quauis magna quantitate absque termino.

NOn agimus de materia apta ad conuenientem modum, supponimus enim in hac re, vt sine peccato fiat, seruandum esse vsum Ecclesiæ, & non esse per magnam aliquam quantitatem, consecrandam, quia esset præter finem, & contra reuerentiam debitam huic sacramento, agimus ergo de ijs, quæ necessaria sunt, vt consecratio teneat. Et multo minus pendet hæc quæstio ex physica controuersia, an istæ res: inanimatæ terminentur ad maximum, quam quæstio præcedens tum propter rationem ibi datam, tum etiam, quia indubitatum est, multitudinem panis congregatam ex multis discontinuis non habere terminum cum tamen illa tota vna consecratione confici posit.

1. Opinio. *Maior.* Est ergo prima sententia, dari certum terminũ in quantitate maxima, quæ consecrari potest, ita tenuit Maior distinct. 11. quæst. 1. conclus. 1. quia sphæra actiuitatis verborum habet certum terminum, cum verba sint agens finitum. Sed hæc ratio in diuinis instrumentis nullius est momẽti, vt alias dixi: eandem vero sententiam tenuit *Alensis.* *Bonauen.* *Angelus.* Alensis. q. 34. memb. 1. Bonauent. distinction. 10. articul. 2. quæstion. 4. Angelus Eucharistia, 1. §. 25. ex alio fundamento, quia cum hoc sacramentum ordinetur ad vsum, non videtur data potestas, nisi ad consecrandam quantitatem, vsui fidelium accommodatam, quia hic videtur esse prudens modus institutionis huius sacramenti: nam dare sacerdotibus absolutam potestatem conficiendi, quantamcunque materiam velint, & inutile est, & in grauem iniuriam huius sacramenti cedere posset, & hanc sententiam referens *D. Thom.* D. Thom. opusc. 59. capit. 5. eam probabilem existimat. *2 Opinio.* Secunda sententia absolutè & sine limitatione negat terminum, etiam si in infinitum procedatur, ita videtur opinari Syluester *Syluest.* *Ledesma.* Eucharist. 2. numer. 4. Ledesma, quæst. 11. art. 2. & tribui solet D. Thom. hic, & in. 4. d. 11. quæst. 2. art. 1. quæstiuncul. 3.

Sed distinctione vtendum est; aliud enim est loqui de quantitate panis, per se, & ex parte magnitudinis tantũ; aliud vero ratione præsentiæ necessariæ ad veritatem formæ. Nam aliud est quærere, quanta materia per se, id est, ex vi formæ, & potesta-A tis sacerdotalis consecrari posit; aliud vero est inquirere, an omnis conditio necessaria ad consecrationem applicari posit ad quantamcunque materiæ quantitatem, seu magnitudinem.

1. Conclusio. Dicendum est ergo primo, per se & ex vi formæ, ac potestatis, quæ est in ministro, posse consecrari quamcunque materiam absque vllo termino magnitudinis. Probatur primo, quia ex fide habemus, dedisse Christum sacerdotibus potestatem consecrandi panem, & nulla autoritate, vel traditione, aut alio principio constat, limitasse hanc potestatem ad certum terminum, sed potius simpliciter, & indefinite illam tradidisse, ergo. Et confirmatur, quia panis in tanta quantitate est verus panis, ergo est sufficiens materia subiecta huic potestati, quia fides nihil aliud docet, quam panem esse materiam. Secundo argumentor, B quia hæc determinatio quantitatis non potest sumi ex vsu, vt bene probat hic Diuus Thomas, quia ipse vsus indefinitus est, neque ex forma, quia illa optime potest in quantamcunque materiam cadere; nec ex intentione ministri, quia hæc etiam extendi potest ad omnem magnitudinem; neque ex eo, quod consecratio tantæ materiæ esset inutilis, vel iniuriosa sacramento, quia hoc pertinet ad bonum, vel prauum vsum, qui non impedit substãtiam sacramenti, si cætera necessaria concurrant, vt rectè hic Diuus Thomas. ad. 2. docet, & cum eo cæteri Theologi, & Patres, quos gratianus congerit de consecrat. distinct. 4. *Gratianus.* de qua re late tractauimus supra, agentes de sacramentis in genere, vbi ostendimus, prauam intentionem ministri non impedire veritatem sacramenti, dummodo verè intendat facere sacramentum, etiam si id faciat per C irrisionem, nam hæc intentio in parua, & in magna materia locum habet. Tertio, si coniectura Alẽsis aliquid valeret, etiam probaret, per multas consecrationes, non posse confici nisi certam quantitatem panis, vsui fidelium sufficientem, quod est euidenter falsum, tum, quia de fide certum est, sacerdotem vere conficere, etiam si post primã, aut secũdam consecrationem, vel post quemcunque numerum consecrationũ conficiat, quia valor præsentis sacramenti non pendet ex preterito, nisi quis fortasse dicat, presentem consecrationem non esse validam, nisi vel materia prius consecrata, iam consumpta sit vel præsens, sit ad vsum necessaria, quod est absurdissimum cõtra vim verborum, & totius Ecclesiæ sensum; quia valor sacramenti non pendet ex circunstantijs extrinsecis, & futuro euentu sed ex proprijs principijs, & causis: si ergo adsit ve-D ra materia & forma, & minister cum debita intentione, conficietur sacramentum, etiam si ab eodem vel à diuersis sacerdotibus consecrationes in infinitum multiplicentur, seu repetantur. Constat autẽ per se loquendo, omnem materiam, quæ pluribus consecrationibus confici potest, si tota simul præsens fiat, vnica verborũ prolatione posse etiam cõsecrari, quia tota potest signare pronomine, *hoc*, & aliunde eadem est efficacia in vna verborum prolatione, quę in infinitis nõ igitur potest signari terminus huic materiæ per se, neque ex necessitate vsus, præsertim cum hæc necessitas, & multitudo, vel paucitas communicantium, in infinitum variabilis sit, & ideo ex illa nihil posit certum definiri.

2. Conclusio. Dico secundo, Si magnitudo materiæ tanta esse fin-

gatur, vt non posit tota simul fieri moraliter A præsens, neq; etiam poterit vnica forma cõsecrari. *D. Thom. Durand. Gabriel. Victoria. Sotus. Viguerius. Caietan. Paludan. Richard.* Ita docet D. Tom. opusc. 59. cap. 5. Dur. d. 11. q. 6. Gabr. lect. 35. in can. dub. 2. Victoria in summa n. 57. Sotus dist. 9. arti. 2. Viguerius, cap. 16. § 3. Indicant Caiet. hic. & Palud. ac Richard. dist. 10. art. 7. q. 1. & ita est exponendus D. Thom. hic, vt Caiet. docet. Constat vero conclusio ex supra dictis, quia hæc præsentia est conditio necessaria, vt forma consecrationis locum habere posit. Verum est tamen tamen, casum hunc imaginatione quidem fingi posse, re tamen vera non posse, humano modo loquendo, inueniri. Quis enim fingat tam magnum aceruum panis, aut tantam vini copiam simul congregatam, vt non posit homini præsens fieri? Et ideo D. Thom. merito simpliciter negauit dari terminum magnitudinis in hac materia. *Dubium.*

Solum super est difficultas ex superioribus huc remissa, quia per multas consecrationes posset confici magna materia vini, quæ postea simul sumpta & vnita maneret consecrata, quãuis non posset tota simul præsens fieri sensibus ergo eadẽ ratione posset tota simul cõsecrari. Et idẽ argumẽtũ erat de termino paruitatis, quia pars minima etiam insensibilis, si separetur consecrata manet, posset ergo, etiã hoc modo, consecrari; quia cum hoc sacramentum consistat in facto esse, non est maior materia necessaria ad fieri, quam ad factũ esse. *Secundi sententia. Maior.* Propter hanc difficultatem Maior, d. 11. q. 3. (prout habetur in aliquibus codicibus, in alijs enim deest hæc pars) negat assumptum, affirmans, tã paruas posse esse particulas separatas, vt desinat sub eis esse corpus Christi, quamuis posit adesse substãtia panis. Et potest G hoc suaderi, quia si pars separata est insensibilis, ergo non est visibile signum, ergo non est sacramentum, ergo non manet in ea Christus. Confirmatur primo, quia non est apta ad vsum, & finem huius sacramenti. Confirmatur secundo, quia alias sæpe necesse esset corpus Domini conculcari, & irreuerenter tractari. Vnde consequenter infert, per diuisionem hostiæ consecratæ in minimas particulas, posse omnino desinere ibi adesse corpus Christi. Addit vero, quod si illæ particulæ iterum continuarentur, iterum sub illis speciebus esset corpus Christi, sine noua consecratione, quia non possunt esse eædem numero species, & continuæ, quæ antea continebant corpus Christi, & quod nũc non cõtineant. Sed in primis in hoc vltimo non loquitur consequenter, quia, si corpus Christi desinit esse sub illis accidentibus per diuisionem: ergo incipit sub illis esse alia substantia, eis proportionata, scili-D cet substantia panis: ergo, etiam si postea vniantur illæ particulæ, non poterit sub illo toto esse corpus Christi, nisi per nouam transubstantiationem: ergo & per nouam consecrationem. Nisi fortasse dicat, per solam vnionem [illegible] ministerio factã in virtute primæ consecrationis fieri nouam transubstantiationem, quod inauditum est & absurdissimum. Præterea ipsa sententia Maioris falsa etiã est, nam ex communi sententia omnium doctorũ, quam infra. q. 75. latius probabimus, species consecratæ, siue continuæ maneant, siue diuisæ, tandiu sub se continent corpus Christi, quandiu substantia panis sub eis conseruaretur. *Concil. Trident.* Vnde Concil. Florentin. in decreto Eugenij, & Triden. sess. 13. can. 3. absolute definit manere totum Christum sub

A singulis partibus specierum, separatione facta; cũ ergo absolute loquantur, non licet nobis restringere ad partem maiusculam, vel minimam, dummodo in ea veræ sint species panis. Vnde idem Tridentinum canon. 4. absolute definit. *Si quis dixerit, in particulis consecratis, quæ post communionem manent vel supersunt, non remanere verum Christi corpus: anathema sit.*

Respondetur ergo ad vtramque partem difficultatis, hic esse differentiam inter fieri, & factum esse huius sacramenti: nam, vt fiat, necesse est, totam materiam esse sensibiliter præsentem ministro, & posse sensibus demonstrari, pronomine, *hoc*; accidere autem potest, vt, vel propter nimiam extensionem, vel propter nimiam & insensibilem paruitatem, non posit fieri materia hoc modo præsens, nec capax sit, vt in eam cadat forma; at B vero postquam materia consecrata est, vel per partes, quæ postea coniunguntur & componunt nimis grandem magnitudinem; vel in toto, & postea separatur in quantitate nimis parua, iam non est necessaria prolatio formæ, nec præsentia, vt ibi Christus conseruetur: & ideo, quandiu ibi conseruaretur substantia panis, tandiu conseruatur præsentia corporis Christi. Exẽplum esse potest de anima rationali, quæ per se separata consecrari non posset, seu charactere signari, coniuncta autem corpori, & quodammodo sensibilis effecta consecrari potest, & postea separata consecrationem retinet.

Solutio rationis contrariæ. Ad rationem autem in contrarium respondetur, ad priorem partem de termino magnitudinis satis esse quod singulæ partes potuerint consecrari, vt postea vnitæ posint conseruari. Ad aliam ve-G ro partem de termino paruitatis, similiter dicitur, partem illam minimam, per se quidem non esse sensibilem, esse tamen in toto: & hoc satis esse, vt consecrari in illo posit, & postea consecrata conseruari. Et idem dicitur ad primam confirmationem, nam satis est, vt illa pars in toto posit ad vsum huius sacramenti applicari. Ad secundam confirmationem respondetur, per se loquendo, magis pertinuisse ad stabilitatem & reuerentiam huius sacramenti, vt species consecratæ, dum manent, indelebilem retineant consecrationem, & infallibiliter contineant corpus Christi, alia vero, quæ sunt per accidens, adhibita mediocri diligentia morali caueri possunt, præsertim, quia vix possunt naturaliter particulã minimæ quantitatis separari, vt sint insensibiles, quin statim corrumpantur, vel ex vi ip-D sius diuisionis, vel certe ex actione corporis ambientis.

Dubium. Hic vero inquiri potest, an, si per Dei potentiam eleuaretur oculus ad videndum particulam illam minimam, quæ naturaliter videri non potest, vel maximam illam quantitatem, ad quam oculus pertingere non potest, an (inquam) tunc posset consecrari. *Solutio.* Probabile certe est non posse, quia illa materia per se est insensibilis, & absens sensibus. In contrarium vero est, quia hic, & nunc iam sentitur, & potest tunc signo sensibili designari, nihil ergo deest ad veritatem sacramenti.

(∴)

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS III.

Vtrum requiratur ad materiam huius sacramenti, quod sit panis triticeus.

4.dist.11.q.2. art.2.q.1.& d.19.q.1.ar. 2.q.3.ad.1. & 4.contra c. 68.& 1.Co rin.11.lect.7 in prin.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad materiam huius sacramẽti, quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememoratiuum Dominicæ Passionis; sed magis videtur esse cõsonum Dominicæ Passioni panis hordeaceus, qui est asperior, & de quo etiam Christus, pauit turbas in monte (vt dicitur Ioan.6.) quã panis triticeus. Ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

¶ 2 Præterea, Figura est signum speciei in naturalibus rebus. Sed quædam frumenta sunt, quæ habent similem figuram grano tritici, sicut, far, & spelta; de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad vsum huius sacramenti: ergo panis triticeus non est propria materia huius sacramenti.

¶ 3 Præterea, Permixtio speciem soluit: sed vix inuenitur farina triticea, quę alterius frumenti permixtionẽ non habeat, nisi forte de electis granis studiose fiat. Nõ ergo videtur, quod panis triticeus sit propria materia huius sacramenti.

¶ 4 Præterea, Illud, quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto: quiam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur, quod talis panis non sit propria materia huius sacramenti.

SED contra est, quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat, Ioan. 12. dicens; Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuũ fuerit, ipsum solum manet. Ergo panis frumenti, siue triticeus, est materia huius sacramenti.

Art.1.huius q.& q.66.ar tic.3.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est, * ad vsum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem vsum venit, inter alios autem panes communius homines vtuntur pane triticeo, nam alii panes videntur esse introducti in huius panis defectum. Et ideo Christus creditur in huius panis specie hoc sacramentum instituisse, qui etiam panis magis confortat hominem, & ita conuenientius significat effectum huius sacramenti. Et ideo propria materia huius sacramenti est panis triticeus.

AD primum ergo dicendum, quod panis hordeaceus competit ad significandam, tum duritiem veteris legis, propter duritiẽ panis, tum etiam, quia, vt Augustin. † dicit in libr. 83. quæstionum, hordei medulla, quæ tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramẽtis obtegeretur, vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquã palea cordi eius inhærebat. Hoc autẽ sacramentum pertinet ad suauem iugum Christi, & ad veritatem iam manifestatam, & ad populum spiritualem. Vnde non esset materia conueniens huius sacramenti panis hordeaceus.

Quæst.83.ver ca prima fin.

AD secundum dicendum, quod generans generat sibi simile in specie: fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum quantum ad accidentia, vel propter materiã vel propter debilitatem virtutis generatiuæ. Et ideo, si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus, potest esse materia huius sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similius. Similitudo autem figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem, quã identitatem speciei, sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quod canis & lupus sunt propinquæ speciei, nõ autem eiusdem. Vnde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine grani generari, non potest confici panis, qui sit debita materia huius sacramenti.

AD tertium dicendum, quod modica permixtio non soluit speciem, quia id, quod est modicum, quodam modo absumitur à plurimo, & ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti. Si vero sit magna permixtio (puta ex æquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat. Vnde panis exinde confectus, non erit debita materia huius sacramenti.

AD quartum dicendum, quod aliquando est tanta corruptio, panis, quod soluitur species, panis, sicut cum continuitas soluitur, & sapor, & color, & alia accidẽtia mutantur: vnde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tãta corruptio, quæ speciem soluat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici corpus Christi: sed peccat conficiens propter irreuerentiam sacramenti.

Et quia amidum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus, possit fieri corpus Christi, quanuis quidam contrarium dicant.

AFfirmat D. Thom. panem triticeum necessarium esse huic sacramento conficiendo, non videtur autem rem hanc vt certam definire, sed quia ita (inquit) creditur Christus in huius panis specie sacramẽtum hoc instituisse. Quod duplici coniectura confirmat, vnam sumit ex cõmuni vsu huius panis, quia, scilicet, frequentius homines illo vtuntur, alteram in maiori proportione ad huius sacramenti significationem: quia, scilicet hic panis melior est ad vitam hominis roborandã & conseruandam. In singulis vero argumentis, & solutionibus eorũ, singulas difficultates attingit statim disputandas.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo.

4.dist.11.q.2. art.2.q.1.& dist.12.q.1. art.2.q.3.& dist.13.q.1. art.1.q.1.& dist.18.q.1. art.4.q.1.& dist.19.q.1.art.2.q.1.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus videtur hoc sacramentum instituisse in pane fermẽtato; quia sicut legitur Exod. 12. Iudæi secundum legem incipiebant vti azymis in die Paschæ (quod celebratur decima quarta luna) Christus autem instituit hoc sacramentum in cena, quam celebrauit ante diem festum Paschæ, vt habetur Ioan. 13. Ergo & nos debemus hoc sacramentum celebrare in pane fermentato.

Quæst.73.ver sic. 3.

¶ 2. Præterea, Legalia non sunt obseruanda tempore gratiæ. Sed vti azymis, fuit quędã legalis ceremonia, vt patet Exod. 12. Ergo in hoc sacramento gratiæ non debemus azymis vti.

Glos. super verba.

¶ 3. Præterea, Sicut suprà dictũ est, * Eucharistia est sacramentum caritatis, sicut baptismus fidei, vt supradictum est. Sed fermentum caritatis significatur per fermentum, vt patet in glossa. super illud Matth. 13. Simile est regnum cœlorum fermento, &c. Ergo hoc sacramentum debet confici de pane fermentato.

¶ 4. Præterea azymum & fermentatum sunt accidentia panis, non variantia eius speciem. Sed in materia baptismi nulla discretio adhibetur circa differentiam accidentium aquæ, putà si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo in hoc sacramento aliqua discretio adhiberi non debet, vtrùm panis sit azymus, vel fermentatus.

SED contra est, quod extra de celebratione * missarum, capit. Literas, punitur sacerdos, qui in pane fermentato & sexpho ligneo missarũ solennia celebrare præsumpsit.

In decret. lib. 3. tit. 41. c. 5. literas. & est vltimum illius tituli.

RESPONDEO dicendum, quod circa materiam huius sacramenti duo possunt considerari; scilicet, quid sit necessarium, & quid conueniens. Necessarium quidem est, vt sit panis triticeus (sicut dictum est †) sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus, quia in vtroque confici potest. Conueniens autem est, vt vnusquisque seruet ritum suæ Ecclesiæ in sacramenti celebratione. Superhoc autem sunt diuersæ Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim beatus Greg. in registro, Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine vlla commistione suscepit carnem, sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatũ, pro eo, quod verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Vnde, sicut peccat presbyter in Ecclesia Latinorũ, celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi peruertens Ecclesiæ suæ ritum. Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi, rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramẽtum instituit prima die azymorum (vt habetur Matthæ. 26. & Marc. 14. & Luc. 22.) qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt habetur Exod. 12. Secundo, quia panis est proprie sacramentũ corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) magis quam diuinitatis ipsius, vt infra patebit. * Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius sacramenti, secundum illud, 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. Habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter significationem, quam tangit Gregor. * & in detestationem hæresis Nazareorum, qui legalia Euangelio miscebant.

Art. præced.

Quæst.76.art. 1.

Loco citato in illomet. art.

AD primum ergo dicendum, quod sicut legitur Exod. 12. solennitas Paschalis incipiebat in vespera quartæ decimæ lunæ,

Universidad de Deusto Biblioteca

& tunc Christus post immolationem agni Paschalis hoc sacramentum instituit. Vnde hæc dies à Ioanne dicitur præcedere diem Paschæ, & à tribus alijs Euangelistis dicitur prima dies azymorum, quando fermentatum in domibus Iudæorum non inueniebatur, vt dictum est. * Et de hoc supra notatum est plenius in tractatu Dominicæ Passionis.

In cor. art. q. 46. art. 9. ad arg.

AD secundum dicēdum, quod conficientes ex azymo, non intēdunt ceremonias legis seruare, sed conformare se institutioni Christi. Et ideo non iudaizant, alioquin & celebrantes in pane fermētato iudaizarent, quia Iudæi panes primitiarum fermentatos offerebant.

AD tertium dicēdum, quod fermentum significat caritatem propter aliquem effectum, quia, scilicet, panem facit sapidiorem & maiorem: sed corruptionem significat ex ipsa ratione speciei.

Art. 3. huius q. ad 4. arg.

AD quartum dicendum, quod, quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum (vt dictum est *) ideo magis attenditur circa panem differentia azymi & fermentati, quam circa aquam baptismi, differentia calidi, & frigidi. Posset enim tanta esse corruptio fermenti, quod ex eo non posset confici sacramentum.

COMMENTARIVS.

QVID panis azymus, quidue fermentatus sit, ex linguis Græca, & Latina, & ex vsu conficiendi panem, supponendum est; solet enim quædam massæ portio fieri ex materia decocta, & donec acescat, conseruari, & hæc Græce vocatur zymis, Latine fermentum. Ex qua portione, admista farinæ subactæ, panis cōficitur, qui Latine fermētatus dicitur, græcè (*Zimitys*) quando ergo panis fit ex sola farina, & aqua naturali, absque admixtione fermenti, dicitur azymus, idest, infermentatus, seu sine fermento, quo interdum vtebantur Hebræi iuxta suæ legis ritus, de hoc ergo mouetur præsens quæstio. Ad quam D. Thomas multa respondet. Primum, nō esse de necessitate sacramenti, vt panis sit hoc vel illo modo confectus: quia vtroque modo panis est, & id sufficit. Secundum, in vnaquaque Ecclesia seruandum esse proprium ritum; atq; ita in Ecclesia Græca fermentatum panem in Latina vero azymum, esse de necessitate præcepti. Tertium est, in vtraq; consuetudine posse rationes conuenientiæ inueniri, plures tamen & maiores in vsu panis azymi, pręsertim cum in illo Christus consecrauerit. Cætera, quæ D. Thom. habet in solutionibus argumentorum, clara, solum notandum est, quod in solutione ad 4. dicit, tantum esse posse fermenti corruptionem, vt ex eo non possit confici sacramentum, indiget enim declaratione, quam tradimus disputatione sequenti.

DISPVTAT. XLIIII.

De materia panis, seu remota ex qua conficitur corpus Christi.

Disputat. 6. de Eucharist.

IN superiori disputatione diximus, necessariā esse panem ad conficiendum corpus Christi Domini, nunc superest, vt dicamus cuius naturæ & qualitatis oporteat esse hunc panem; quæ res Theologis est difficilis, quia pendet ex physica cognitione seminum, seu granorum, ex quibus panis confici potest, de qua re frumentaria breuiter attingemus solum quæ necessaria fuerint: deinde legi possunt Plinius, libr. 18. historiæ capitul. 7. & sequentibus & Varro. libro. 1. de rustica capitul. 18. & sequentibus, & Galenus libr. de Elementorum facultatibus, capitul. de tritico. Et alij multi, qui de re rustica, vel de re cibaria scripserunt. Non nihil vero attigit D. Isidor. lib. 17. Etymolog. capit. 3.

Plinius. Varro. Galenus. Isidorus.

SECTIO I.

Ex quo grano oporteat esse confectum panem, vt sit sufficiens materia huius sacramenti.

Quibus ex rebus panis confici soleat.

VT veniamus ad punctum difficultatis, supponendum est, panem ex triplici genere rerum confici solere. Primo, ex fructibus arborum, vt ex castaneis, ficubus, & amigdalis, &c. & apud indos dicitur confici ex radicibus. Secundo, ex leguminibus, vt ex fabis, &c. quę in siliquis aut teguminibus, vel folliculis crassioribus nascuntur. Tertio, ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur, quanquam enim frumēti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ falce metuntur, seu quæ habent culmum, & aristas, & grana, sine siliquis.

Secundo supponendum est, panem factum ex fructibus, vel leguminibus non esse materiam consecrationis, in quo conueniunt omnes Theologi, quia hic non est panis simpliciter, sed secundum quid, nomine enim panis intelligunt homines communiter, quoddam genus cibi, quod adhibetur, tanquam comes aliorum ciborum, & ideo dictum creditur vel à voce Græca (*Man*) quod est omne, quia est veluti generalis cibus, vel à pascendo, quia illo maxime pascuntur homines: vnde in Scriptura sacra solet hac voce omne alimentum hominis significari; at vero panes confecti ex leguminibus, vel fructibus, non habent hunc vsum, vt alijs cibis comites adhibeantur, sed potius ipsi pane comeduntur, & ideo non sunt simpliciter panes, nec materia huius saaramenti; eo vel maxime, quod ij non sunt in communi vsu hominum, sed interdum fiunt, vel ex accidenti propter defectum, vel solum causa voluptatis & deliciarum.

In quo sit difficultas. 1. Opinio.

Tota ergo quęstio reuocatur ad panem frumentaceum, an quælibet species eius sufficiat, vel tantum aliqua vltima, vel sub alterna. Prima enim sen-

Gabriel. Argentina. Albertus. Caietan.

tentia affirmat totum hoc genus sufficere, siue panis triticeus sit, vel hordeaceus, vel similes. Ita docet Gabriel. lect. 35. in can. vbi refert Thomam de Argentina, distinct. 11. quæst. 1. qui simpliciter affirmare non audet, negat tamen posse contrarium satis probari: idem Gabriel ibi quæst. 2. & Albert. ibi art. 7. idem tenuit Caietanus hic, quanquam in Romana impressione, pars illa commentarij expuncta sit. Fundamentum est, quia si ad institutionem huius sacramenti recurramus, solùm legimus, Christum accepisse panem, & in illo confecisse, si ad Ecclesiæ traditionem, solùm docet panem esse materiam, cap. firmiter, de summa Trinit. cap. Cùm Marthæ. de Celebrat. Missar. capit. 1. & sequent. de consecrat. distinct. 2. ergo non licet nobis hanc materiam restringere: sed panis vt sic abstrahit & indifferens est ad omnem panem frumentaceum, & quilibet panis ex frumento confectus dicitur simpliciter panis, siue triticeus sit, siue hordeaceus, &c. Vnde vtroque legimus Christū esse vsum, & præsertim de hordeaceo constat Ioannis 6. & alijs locis; ergo. Et confirmatur, nam in Concilio Carthagin. III. cap. 24. & habetur capit. In sacramento. de Consecrat. distinct. 1. dicitur, in sacramentis nihil aliud esse offerendum, quàm de vuis, & de frumentis, quodlibet ergo frumentum sufficit. Secundò est vehemens coniectura seu congruentia, quia materia sacramenti debet esse certa, si autem dicamus genus frumenti sufficere, erit certissima, si verò requiramus aliquā speciem, verbi gratia, tritici, erit nimis incerta; tum, quia vix potest distingui triticum à non tritico, vt à millio, spelta, & similibus; tum etiam, quia in granis tritici videtur esse diuersitas specifica, & non erit maior ratio admittendi vnam speciem, quàm aliam; si autem omnes admittantur, eadem ratione poterunt omnes species frumenti admitti. Et confirmatur, quia materia huius sacramenti debuit esse cōmunissima, vt in omnibus regionibus facilè posset reperiri, huiusmodi autē est frumentum in genere, at verò triticum multis in regionibus non reperitur, vt de Aethiopia refert Plinius libro 18. capit. 10. & de nouo orbe idem refertur. Tertiam rationem adhibet Caietanus, quia omnis panis, ex quocunque grano confectus sit, est eiusdem speciei, sicut sanguis idem ex diuersis cibis generatur, materia autem huius sacramenti non est granum, sed panis, ergo erit sufficiens ex quocunque frumento fiat.

Conc. Carth. Plinius.

Panis triticeus solum est materia Eucharistiæ. D. Thom. Bonauent. Palud. Scotus. Richardus. Innocent. Catechis. Conc. Floren.

Dicēdum verò est, solum panem triticeum esse sufficientem materiam, ita vt in alio non perficiatur consecratio. Hæc cōnclusio est iam hoc tempore tam certa, vt sine temeritate, & erroris periculo negari non possit. Est communis Theologorum sententia, Diui Thomæ hic, & in 4. contra gent. cap. 69. & in 4. distinct. 11. quæst. 2. artic. 2. ibi Bonauent. 2. part. artic. 1. quæst. 4. Palud. q. 1. art. 4. Scoti quæst. 6. Richard. artic. 1. quæst. 2. Duran. quæst. 4. Innocentius libro 2. de mysterio Missæ. cap. 3. tenentque reliqui omnes recentiores Theologi & omnes Summistæ. Et in Catechismo Pij V. dicitur, esse hanc Apostolicam traditionē. Et probatur vrgentissimè ex Concilio Florent. in Decreto Eugenij, vbi dicitur, materiam huius sacramenti *esse panem triticeum: & vinum de vite.* Respondet Caietanus, illis verbis solùm significari, panē triticeum esse de necessitate præcepti, non verò de necessitate sacramenti, & Alanus libro 1. de Euchar. capit. 11. incertum esse dicit, neque audere se temerè asserere, quo horum modorum intelligendum sit. Ego verò censeo non solum sine temeritate, sed etiam sine dubitatione intelligēdum esse, ibi esse sermonem de necessitate sacramenti, quia aliàs nihil certum relinquitur in materijs sacramentorum. Eadem enim ratione posset aliquis dicere, aquam naturalem esse de necessitate præcepti, non tamen sacramenti: atque ita nihil ibi esset certum, si ergo aliæ materiæ intelliguntur esse de necessitate sacramenti, etiam hæc, eo vel maximè, quòd alia particula, scilicet, *Vinum de vite*, explicat materiam necessariam, necessitate sacramenti, ergo eodem modo est altera particula intelligenda. Denique vbi Concilium illum voluit docere, aliquid esse necessarium ex præcepto, non verò simpliciter, non dixit esse materiam, sed adhibendum esse, vt cùm docere voluit mistionem aquæ esse necessariam, quia hæc nō est de necessitate sacramenti, sed præcepti, mutauit dicendi modum, inquiens, *materiam esse vinum de vite, cui aqua miscenda est.* Secundò probatur, hanc esse institutionem Christi, quæ licèt non vt expressis verbis in Euangeli declarata, colligi tamen potest ex facto Christi, adiuncta Ecclesiæ declaratione, per traditionem, atque obseruationem perpetuam, nam Christus Dominus in pane triticeo confecit, vt omnes admittunt, quia non est verisimile panem azymum, qui ad Paschale festum, & ad esum agni conficiebatur, ex alia materia, quàm triticea, fuisse. Dicit autem Concilium Carthaginense dict. cap. *In sacramento nihil aliud offerendum esse, quam quod Christus Dominus tradidit*, sicut enim tangendo in baptismo suo naturalem aquam, illam ad sacramentum baptismi destinauit, ita accipiendo panem triticeum in manus suas, & illum consecrando, ipsum in materiam huius sacramenti instituit. Sicut etiam, dicendo talia verba, instituit illa, vt essent forma, ex vi sequentium verborum, *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertiò, licèt sub nomine frumēti, seu frumentorum, varia grana interdum comprehendantur, vt suprà dictum est, frequenter tamen nomen frumenti absolutè dictum solum triticum significat, vt colligitur Genes. 44. clariùs Deuterono. 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarum, & fontium, terram frumēti, hordei, ac vinearum*, & subdit infrà, *vbi absque vlla penuria comedas panem tuum.* Similia loca sunt Hierc. 4. & Ioelis 1. Vnde, cùm in veteri Testamento, nomine frumenti adumbratur hoc sacramentum, vt patet Psalm. 80. *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos*, & Psal. 147. *Qui posuit fines tuos in pacem, & adipe frumenti satiat te*, nomine frumenti triticum intelligitur. Vel certè, si frumētum generatim sumatur, adeps frumenti dicitur ipsum triticum, quod in idem redit, & sic etiam intelligit Hierony. locum Hierem. 31. *Confluent ad bona Domini super frumento, vino, & oleo, super frumento*, inquit, *de quo conficitur panis Domini*, & Zachar. 9. *Quid enim bonum eius, aut quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum?* vbi Hieron. *Frumentum*, inquit, *electorum nos intelligimus Dominum Saluatorem, qui in Euangelio dicit, nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Si enim ipse legit & subdit, *De hoc tritico efficitur ille panis, qui de cælo descendit.* Vnde tacitè interpretatur illa Christi verba Ioann. 12. *Nisi*

Alanus. Genes. 44. Hierem. 4. Ioelis. 1. Psalm. 80. Psalm. 147. Hiere. Hiere. 31. Zachar. 9.

granum frumenti, de quo grano tritici esse intelligenda. Et ita ex eodem argumentatur hic Diuus Thomas, quia Christus grano tritici seipsum comparauit. Denique idem Hieronymus circa illa verba Isai. 62. *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis*, Triticum, *inquit*, *ex quo panis cælestis efficitur, illud est, de quo Dominus loquitur, caro mea verè est cibus.* De hoc etiam sacramento multi intelligunt illud Oseæ. 14. *Viuent tritico, & germinabunt quasi vinea, memoriale eius quasi vinum libani.* De quo testimonio videri potest Turrianus libro 2. de Euchar. capit. 33. solet etiam induci illud Psalm. 71. *Erit firmamentum in terra*, nam Hebræa habent, *erit pugillum frumenti, seu, placenta frumenti.* Vnde antiqui Hebræi ibi intellexerunt, prædici sacrificium panis, vt ibi notat Iansenius, & Galatinus libro 10. de arcanis, cap. 4. Quarta coniectura sit, quia solus panis triticeus est panis simpliciter hominibus accommodatus, nam ex hordeo & similibus, nõ tam humanus panis fit, quàm belluinus, quanuis nonnunquam ob necessitatem cogantur homines illum comedere. Et ita in Scriptura, quando panis non est triticeus, additur aliquid, vt hordeaceus, Ioan. 6. & Numer. 5. cùm verò dicitur panis simpliciter, intelligitur triticeus, præsertim si de sacro vsu sermo sit. Est optimũ exemplum ad rem præsentem pertinens, Genes. 14. vbi *Melchisedech obtulit panem & vinum*, omnes enim intelligunt panem illum, triticeum fuisse; vnde Damascenus libro 4. cap. 14. dicit, hoc sacramentum institutum fuisse in eo pane, quo communiter & frequenter homines vescuntur; hic enim est panis simpliciter humanus. Vnde ad hoc confirmandum valent omnia, quibus suprà probauimus, panem esse materiã huius sacramenti, & testimonia Sanctorum ibi citata, & figuræ adductæ; qualis est illa, quia panes propositionis, qui fuerunt figura huius sacramenti, ex simila, id est, ex farina tritici cõficiebantur, Leuit. 24. Exod. 29. ergo. Vltimò congruẽtiæ Diui Thomæ sunt optimæ, quia solus panis triticeus est satis accommodatus ad effectum huius sacramenti significandum: adde, solum illum decuisse excellentiam, & dignitatem huius sacramenti.

1. Corollar. Ex hoc ergo principio sequitur primò, panem confectum ex grano, de quo certum est non esse triticum, certum etiam esse, non esse sufficientem materiam huius sacramenti. Exempla sunt, hordeum, millium, quod à tritico & hordeo distinguitur, Ezech. 4. panicum, oriza, maizium, & si quæ sunt alia grana similia, quæ certissimè nõ sunt triticum, vt colligendum est. Primò ex communi modo loquendi sapientum in hac materia. Secundò ex communi vsu & appellatione hominum nunquam enim hæc grana vocant triticum, neque illis vtuntur ad conficiendum panem hominum, & vsualem, nisi ob defectum tritici. Tertiò ex colore, figura, & alijs proprietatibus & effectibus, & aliquod indicium est, quòd ex his granis nũquam generatur triticum, neque illa ex tritico.

2. Corollar. Secundò sequitur, omnem panem confectum ex grano, quod re vera constat esse triticum, quanuis aliter nominetur esset certam materiam huius sacramenti. Exempla sunt: primum, siligo, ita Diuus Thomas, hic, quem Caietanus, Soto, Syluester, & alij sequuntur, & Plinius libro 18. capit. 8. vocat siliginem delitias tritici, vnde censetur esse, quod nos, *Candeal*, vocamus, & multi existimant esse, quod Græcè dicitur σίλιγα, quanquam hæc vox interdum far, interdum auenam significare dicatur, vnde à Columella appellatur vitium tritici, & eadem ambiguitas fortasse est in voce, *siligo*, quod in his nominibus frumentorum obseruandum est, habent enim sæpè multiplicem significationem, ex qua oritur inter Theolos in hac materia diuersa opinio, cùm in re fortasse non sit diuersitas. Et ita existimo accidisse in proposito exemplo, nã Alensis quæstione 3. memb. 4. & Palud. suprà num. 33. negant, posse confici ex siligine, existimo tamen illa voce significasse auenam, quæ interdum ex tritico per corruptionem generatur, & interdum siligo à Latinis nominatur. Circa mentem autem Diui Thomæ superest hic nonnulla difficultas, propter rationem eius, dicit enim siliginem generari interdum ex tritico, propter malitiam terræ, quod non videtur conuenire siligini, prout à nobis explicata est, quia diximus esse perfectissimum triticum, sed de hoc dicam inferiùs. Secundum exemplum est alica, seu alicastrum, quod Columella libro 2. de re rustica. cap. 6. dicit esse semen trimestre pondere, & bonitate præcipuum, vnde Hispanè dicitur, *Trimesino*, de quo nulla potest esse controuersia, cauenda tamen est æquiuocatio vocis, nam alica, aliam etiam significationem habere potest, vnde Galen. lib. 1. de aliment. facult. dicit esse triticum, vel farris genus, tritico simile, de quo farre statim dicemus, interdum verò hæc vox non granum, sed confectionem quandam significat, vt constat ex Calepino & Plinio lib. 18. cap. 11.

Tertium Corollarium. Tertiò sequitur, quandocũque granum aliquod tale est, vt sit dubium an sit triticum, necne, panem ex illo confectum esse materiam dubiã, quod satis est, vt practicè & moraliter nunquam in illo conficiendum sit, quod sine vlla exceptione docuit Alanus libro 1. de Euchar. cap. 11. neque ego audeo illam adhibere, quia est res grauissima & huic sacramento summa reuerentia debetur: vnde cùm aliàs non sit sacramentum necessitatis simpliciter, nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens ad conficiendum illud nisi in materia certa. Exempla huius rei sunt tria potissima. Primum est spelta, quam Alensis, Palud. & Sotus, indicant esse materiam sufficientem, quod tamen negat Diuus Thomas hic, & in 4. distinct. 11. quæstione 2. artic. 2. quæstiuncula 1. ad tertium. & ibi Richard. & Carthus. Syluest. Angelus, & alij Summistæ. Ego, vt verum fatear, non satis definitè concepi, quid rei subsit huic voci. vt possim iudicare, sit triticum, necne, quia, vox illa, quantum assequi possum, neque est Latina, neque Hispana. Est autem quoddam frumenti genus, quod Latinè, *zea*, dicitur Græcè ζεα, quam vocem exponens Calepinus dicit Hispanè vocari, *Spelta*, ego tamen non agnoui hanc vocem in nostra lingua, zeam autem dicit esse speciem hordei. Diuus autem Hieronymus Ezech. 4. circa illa verba, *sume tibi frumentum, & hordeum, & milium, & vitiam*, notat loco *vitiæ*, Hispanè *aruejas*, Septuaginta vertisse, *olyram*, quod ipse interpretatur, *auenam*, vel, *Secale*, Et addit, Symmachum, & Aquilam vertisse *Zeam.*, quod ipse exponit, id est, far, addens, gentili Italio Pannoniæ sermone vocari, *Speltam*, itaque insinuat Speltam & Zeam idem esse, & non esse trititi genus. Plinius etiam libro 18. cap. 8. Zeam, à tritico distinguit,

Isai. 62. — Oseæ 14. — Turrianus. — Psalm. 71. — Iansenius. — Galatinus. — Ioan. 6. — Numer. 5. — Genes. 14. — Damasc. — Leuit. 24. — Exod. 29. — D. Thom. — Caietanus. — Soto. — Syluest. — Plinius. — Columella. — Alensis. — Palud. — Galenus. — Calepinus. — Plinius. — Alanus. — Alensis. — Paludanus. — Sotus. — D. Thom. — Richard. — Carthusian. — Syluester. — Angelus. — Hieronym. — Galenus.

Galenus item libro 1. de alimentorum facultatibus variè loquitur, Dioscorides etiam libro 2. cap. 80. aliàs 114. distinguit duplicẽ Zeam, aliam simplicem, aliam, quæ geminis putaminibus, grana bina iuncta tenet, & Hispanè vocatur *Ladilla*, & hæc sine dubio non est triticum, sed genus hordei, & iumentorum pabulum. Vnde si hæc sit spelta, non dubito quin non sit materia, de illa verò prima nõ possum ferre iudicium, quia res est mihi ignota.

Secundum exemplum est, far, quod Palud. & Soto putant sufficere, quia credunt esse speciem tritici optimum, quæ Hispanè dicitur, *Scandia*, seu *Scanda*, apud Auctores, & aliqui credunt esse, quod vulgè dicitur *Candeal*, & idem fortasse est, quod Alensis vocauit *Candit*, nam hæc vox non est Latina, neque scio, quid aliud significet. At verò Diuus Thomas, quem Marsilius, Syluester, Angelus, & alij sequuntur, negant far esse materiam, quia non existimant esse triticum. Vnde certum est, hac voce non significasse idem, quod præcedentes autores, nam de re illa dubitari non potest, quin sit verum triticum, fortasse ergo significarunt aliquam aliam speciem grani nobis ignotam, nam & apud nos in Bætica dicitur esse granum, quod dicitur *Scandia*, & non reputatur triticum, sed pabulum iumentorum: in alijs verò locis dicitur esse aliud genus grani distinctum ab hordeo, & à tritico, nullum habens putamen, seu tunicam, & vulgò appellatur, *farro*, quamuis hæc vox interdum apud nos significet etiam farinam hordeaceam, itaque varietas nominum efficit ambiguitatem in rebus; & cùm ipsæ aliàs non satis notæ sint, tota res fit incerta; si tamen loquamur de farre, quod à Latinis dicitur *semen adoreum*, far illud sine dubio ponitur inter species tritici, vt patet ex Plinio libro 18. capit. 8. vbi dicit esse granum durissimum, & firmissimũ, indicans esse perfectum valde, & magni ponderis, & Columella lib. 2. cap. 6. dicit Alicastrũ esse speciem farris.

Tertium exemplum est typha, Hispanè *Centeno*, de quo aliqui putant esse sufficientem materiam. Ita Victoria num. 55. qui dicit, de hoc fuisse locutum D. Thom. nomine siliginis, nam dicit ex grano tritici seminato in malis terris nasci siliginem, quod est verum de typha, non de perfecto tritico, & ita etiam intellexit Diuum Thomam Ledesma, licèt hanc opinionem deserat. Ratio verò huius sententiæ est, quia existimat typham essentialiter esse triticum, imperfectum tamen accidentaliter. Contrariam sententiam tenet Ledesma, & nonnulli Summistæ, qui existimant typham re vera non esse triticum, quia licèt interdum vitio terræ ex illo generetur, illud tamen est per modum corruptionis, sicut interdum etiã ex tritico oritur auena, aut lollium, & posset exponi Diuus Thomas, ne huic sententiæ sit contrarius, vt loquatur de siligine in significatione suprà posita, nam etiam à Latinis dicitur vitium tritici, quia licet candore & sapore præstet, tamen virtute & potestate ad nutriendum à tritici perfectione degenerat, quod potest interdum ex imperfectione terræ, vel frequẽti satione prouenire. Loquendo ergo proprie de *typha*, seu *Centeno*, mihi est materia dubia, quia neque ex figura, colore, aut proprietate mihi satis constat, qualis sit differentia inter illam & triticum, neque ex eo, quod generetur ex tritico, potest alterutrum inferri, quia illa generatio esse potest cũ substantiali, & cum accidentali diuersitate, qualis autem illa sit alijs signis inuestigandum est. Vnde, licèt negatiuè rectè inferatur, illud granum, quod nunquam generatur ex tritico, non esse triticum, tamen affirmatiuè non sequitur, illud, quod generatur ex tritico, esse triticum. Relinquitur ergo dubia hæc materia, & ideo in praxi illa non est vtendum, vt dixi.

4. Corollariũ. Quartò sequitur, quid dicendum sit de pane confecto ex diuersis granis, farinis, aut malsit, distinctione enim opus est, nam si omnia ista sint triticea, licèt sint diuersæ speciei, non refert, cum tota illa materia, & singulæ illius partes sufficiant, si autem mixtio fiat ex alijs frumentis, & maior pars cum notabili excessu sit triticea, censeo potest sufficiens materia, quia in vsu omnium hominum ille panis iudicatur triticeus, aliàs panis confectus ex tritico malè purgato non esset sufficiens, quod est planè falsum. Ratio verò est, quia illa maior pars, adiuncta contusione, seu coctione, censetur alias particulas trahere ad suam speciem, & ita confici mixtum eiusdem rationis cum pane triticeo. Si verò pars triticea sit minor vel etiam æqualis, non erit tota illa materia sufficiens, vt sentit hic Diuus Thomas ad tertium. & Bonauentura distinct. 11. artic. 4. quæst. 4. ad tertium. & ratio est, quia vel fit perfecta mistio, & fit maior pars trahet minorem in suam speciem, vel, si sit æqualis, vtraque corrumpetur, & fiet vnum tertium distinctum, vel solum fit mystio imperfecta per iuxta positionem, & tunc pars illa, quæ fuerit triticea, erit materia & non alia, tamen propter confusionem, tota illa materia non erit in vsu consecrando, legatur Alens. quæst. 32. memb. 4. Maior dist. 11. quæst. 3.

Solutio primi argumenti contrariæ sententiæ. Ad argumenta contrariæ sententiæ solutio patet ex dictis. Ad primum enim iam ostensum est, nomine *frumenti, & panis* simpliciter dicti, intelligi panem triticeum, & ita esse explicatum in Conciliis, & communi consensu, & traditione Ecclesiæ. Ad secundum respondetur, panem triticeum esse satis certam, facilque communem materiam: cuius signum est, quia hactenus practicè & moraliter nunquam ferè dubitatum est in particulari, & in indiuiduo de tali materia, neque alicubi deficit, quia quamuis fortasse in aliqua regione non generetur triticum, facilè asportari potest. Nec refert ad materiam sacramenti, quod grana tritici specie differant, necne, quia sacramenti veritatis pendet ex specifica vnitate materiæ, tantum ergo de illius necessitate est, quod sit panis triticeus. Verisimile tamen est, quod D. Thom. hic ad secundũ. & Bonauent. & Durandus, ac ferè alij Theologi sentiunt, omne triticum esse eiusdem speciei substantialis, quia inter ea non apparet tanta diuersitas accidentiũ aut effectũ, quæ substantialẽ diuersitatem indicet. Ad tertium Caietani respondetur, falsum esse, & incredibile quod assumit, tantam enim diuersitatem experimur inter farinam hordei, verbi gratia, & tritici, & inter panem hordeaceum & triticeum, quanta est inter ipsa grana, vt constat ex qualitatibus, & effectibus, quos experimur; nec est vlla probabilis ratio, ad credendum oppositum, nam cum proxima materia sit specie

Dioscorides. — Victoria. — Ledesma. — Bonauent. — Alensis. — Maior. — Bonauent. — Durandus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cie diuersa, sola contusio non satis est, vt farinæ A
sint eiusdem speciei, cùm illa non sit causa per se,
sed per accidens, aliàs quidquid per talem contu-
sionem generaretur, siue ex frumentis, siue ex pe-
tra, aut exilateribus, aut ex alia quacunq; simili re
fieret, esset eiusdem speciei. Item sequitur, panem
ex granis, vel ex leguminibus confectum esse
eiusdem speciei, quia sanguis inde genitus etiam
esset eiusdem rationis, vnde non est simile exem-
plum sanguinis, quo Caietanus vtitur, quia san-
guis habet principium per se & proximum, ac
eiusdem rationis in viuente, à quo generatur, &
ab eodem materia cibi, quæcunque illa sit, dispo-
nitur ac præparatur ad talem formam, mediis alijs
transmutationibus; at verò farina resultat ex
granis contusis, per modum cuiusdam mistionis,
& ibi contusio solùm se habet, vt conditio sine
qua non, & ideò non satis est, vt, quod resultat, sit
eiusdem speciei, sed potiùs est diuersum iuxta B
qualitatem miscibilium, & idem proportionalis-
ter est de pane, qui media concoctione ex farina,
& aqua conficitur.

SECTIO II.

Vtrùm materia huius sacramenti sit solus panis vsualis ex farina triticea, & naturali aqua confectus.

EXplicuimus veluti remotissimam materiam,
& substantialem, nùc declarare oportet qua- C
litatem eius, seu modum quo confici debeat.

1. Conclusio. Dico ergo primò, de necessitate huius materiæ
esse, vt sit panis ex farina triticea, & sola naturali
aqua coagmentatus, ita Diuus Thomas hic, art. 4.
ad tertium. Palud. distinctione 12. quæstione 1.
num. 33. Richardus art. 2. quæstione 2. Sotus di-
stinctione 9. quæstione 1. artic. 6. ad tertium. An-
gelus, verbo, Eucharistia, 1. num. 7. Syluester quæ-
stione 2. Alanus lib. 2. cap. 11. Ratio est, quia pa-
nis communis & vsualis; quo vtuntur homines, vt
sit veluti comes aliorum ciborum, solùm sit ex ma
teria triticea, & aqua naturali, & vtraque est æquè
necessaria, vt huiusmodi panis conficiat, sed mate-
ria huius sacramenti est panis triticeus, & vsualis,
ergo. Confirmatur, nam propter hanc causam pa-
nis confectus ex farina, lacte, oleo, aut simili liquo-
re non est materia huius sacramenti, quia re vera
non est panis, sed aliud genus massæ, seu placentæ;
idem ergo erit, si farina subacta sit cum aqua ro-
sacea, aut alia simili, intelligi autem debet, sicut
paulò antea dicebamus, scilicet, vt tota
aqua, vel maior pars naturalis sit, nam si parua ali-
qua quantitas misceatur alterius aquæ non muta-
bit substantiam; quia verisimile est conuerti ab
alia maiori parte, præsertim adiuncta coctione,
vnde id non impedit quominus ille panis censeatur
vsualis, & ideò id non erit contra sacramenti
veritatem, esset tamen illicitum id facere, quia est
præter Christi institutionem, & huius materiæ pu-
ritatem. Cùm autem dicimus, requiri solam fari-
nam, & aquam, non excludimus nonnullam salis
admistionem, nam licèt hæc in Ecclesia Latina
fieri non debeat, propterea, quæ infrà dicemus de

illa substantia non habeat rationem panis, nisi con A
iuncta sit talibus accidentibus, vt in alijs exemplis
infrà tractandis necessario dicendum est. Itaque
hæc res Theologica non pendet ex hac quæstione
physica, vt bene dixit Scotus, & fatentur vterque
Soto, & alij Thomistæ. Ex hac verò conclusione
sequitur, amylum crudum (vt ita dicam) non esse
materiam huius sacramenti, quia vt sic, nec est pa-
nis, nec cibus humanus. An verò ex illo cõfici pos-
sit panis, iam dicam.

Dico tertiò, De necessitate materiæ huius sacra-
menti est, vt panis sit solo igni assus, seu coctus, ita
vt si sit oleo, aut butyro frixus, aut aqua elixus, nõ
sufficiat. In hac omnes conueniunt. Et ratio est,
quia alioqui non erit verus & vsualis panis, sed erit
placenta, laganum, pultes, aut quid simile. Vnde
Plinius libro 18. cap. dicit Romanos multo tem-
pore vsos esse pulte, & non pane; distinguit ergo B
vnum ab altero. Neque oportet differentiam esse
specificam, & substantialem, sed satis est, vt ita di-
cam, quod sit vsualis, & artificialis. Non refert au-
tem, quòd panis in furno torreatur, aut sub cine-
ribus, aut intra aliquod vas ferreum, aut fictile affer-
tur, dummodò puro igne coquatur, quia illis mo-
dis non fit mistio alicuius liquoris, neque impedi-
tur vera concoctio, sed solùm est varietas in proxi
mo continente, seu in modo applicandi ignem, &
ideò non impediunt, quin fiat verus panis. Vnde
intelligitur, amylum confectum per modum pul-
tis, seu pulmentarij, prout fit in communi vsu il-
lius, non esse materiam conse erationis, quia non
est panis.

Dico quartò, Necesse est, vt panis dicto modo
confectus in sua substantia, & natura perseueret,
vt in eo consecrari possit, & eadem ratione neces- C
sarium est, vt farina, ex qua conficiedus est panis,
non sit corrupta, sed vt conseruetur in sua natura.
Ita Diuus Thomas hic, & omnes, quia si fiat cor-
ruptio, iam non est panis, sicut acetum non est vi-
num, & ideo non est materia, vt dicemus. Sæpè ve
ro difficile est iudicare, an panis sit substantialiter
corruptus, necne. Et ideò Diuus Thomas hic ad
quartum recte docet, diligenter considerandam
esse mutationem accidentium, coloris, saporis, &
an facilè fiat dissolutio, seu resolutio, quasi in cine-
res, nam illud est maximum corruptionis signũ.
In praxi verò seruandum est, vt, quandocunque
sunt signa corruptionis, non fiat consecratio, pro-
pter reuerentiam tanti sacramenti, quòd maximè
verum est, quãdo tot sunt signa, vt saltem reddãt
materiam dubiam. Dubitari verò solet de pane D
priùs malè cocto, qui posteà per compressionẽ di-
gitorum quasi in massam redigitur. Respondetur,
quod ad vsum pertinet, propter reuerentiam, non
est vtendum huiusmodi, vel alia simili materia, nõ
existimo tamen in rigore illam esse corruptionem
substantialem, quia nulla interuenit actio, quæ ad
illam sufficiens esse videatur. Et per hæc iudican
dum est de similibus casibus.

Vnum verò superest controuersum dubiolum
de pane confecto ex amylo, an sit sufficiens mate-
ria, multi enim affirmant, qui a amylum est mate-
ria triticea, & potest in massam aqua subactam re-
digi, & igne assari, ita Palud. distinct. 11. quæst. 1.
artic. 4. conclus. 5. At verò Diuus Thomas hic ad
quartum, absolutè negat, quod est secutus Scotus
distinct. 11. quæst. 6. Carthus. quæst. 3. dub. vlti-

mo. Victoria nu. 55. Ledesma, Alan⁹, Sylvest. An- *Victoria.*
gelus locis suprà citatis. Ratio est, quia existimãt *Ledesma.*
omnino corrumpi triticum, quando ex illo consi- *Alanus.*
citur amylum, transmutatur enim longè alio di- *Sylvester.*
uerso modo, quam cum ex tritico fit farina, quia *Angelus.*
& diuerso modo contũditur, & illi miscetur aqua,
& posteà lacteus humor colatur, & exsiccatur
deinde vehementi calore solis, hæc autem multi-
plex actio, & transmutatio, ad finem valdè diuer-
sum ordinata, magnam facit coniecturam, materiã
illam, seu massam, quæ dicitur amylum, esse valde
diuersæ rationis a farina triticea, & consequenter,
quamuis ex illa posteà fiat pasta, seu masa, & co-
quatur, illam non esse panem verum, & vsualem,
sed corruptum, & aliud placentæ genus: non ergo
erit materia sufficiens. Et hæc sententia est valde
verisimilis, &, vt minimum, certum est, hanc mate
riam esse valde dubiã, vt dixit Diuus Thomas di- D. Thom.
stinct. 11. q. 1. art. 2. q. 2. ad tertium. Et Soto dist. Soto.
9. quæst. 1. art. 1. & ideo non esset consultum, neq;
securum in illa conficere.

SECTIO III.

Vtrùm panis azymus vel fermentatus sit de necessitate sacramenti.

DIcam simul de necessitate sacramenti, &
præcepti, quia hæc duo Diuus Thomas cõ-
iungit, & vix potest vnum absque alio tra-
ctari. Prima sententia est Græcorum, asserentium, 1. Sententia.
fermentatum panem esse de necessitate huius sa- Græcorũ error
cramenti, ita vt in solo illo, tam licitè, quàm vali- C neus.
dè conficipossit. Qui error incepisse creditur, post
mille & viginti annos à Christi aduẽtu, vt colligi-
tur ex Leone IX. Epistola ad Michaelem Patriar- *Leo IX.*
cham Constantinopolitanum. cap. 5. & ex Ansel. *Anselmus.*
lib. de fermentato, & azymo; Guidone Carmelita, *Guido.*
& Castro, verbo Eucharistia, hæresi. 2. Et hãc sen- *Castro.*
tentiam tenet Euthymius Matthæi 26. Nicepho- *Euthymius.*
rus libro 1. historiæ, capit. 28. & in eodem errore *Nicephorus.*
nunc Græcos perisistere, colligitur ex Hieremia Pa *Hieremias.*
triarcha Constantinopolitano, in lib. responsionũ
ad Lutheranos, cap. 10. vbi negat in azymo fieri
sacramentum. Fundamentum horum est, quia pu-
tant, Christum in fermentato pane consecrasse, di
cunt enim non cœnasse agnum decimaquarta Lu-
na, quando azyma incipiebat, sed Luna decimater
tia, quando fermentum durabat. Confirmatur hæc
sententia, quia panis azymus non est panis simpli-
citer, sed secundùm quid, cuius signum est, quia
non est in communi vsu hominum.

Secunda sententia referri potest, dicens, panem 1. Sententia.
azymum esse necessarium Latinis de necessitate sa
cramenti, fermentatum verò Græcis, ita vt si in al-
tero tentent conficere, nihil faciãt. Ita docuit qui-
dam Hugo, quem refert & sequi videtur Glossa in
cap. Literas. de Celebratione Missarum: sed est
ineptissima sententia & sine fundamento.

Tertia ergo sententia est, neutrum quidem pa-
nem esse Latinis aut Græcis de necessitate sacra-
menti, conuenientiorem tamen, magisque con-
gruentem materiã esse panem fermentatum, quã
azymum. Hanc sequuntur Lutherani & Caluini-
stæ, qui dicunt vsque ad Alexandrum III. Eccle-
sian

Universidad de Deusto Biblioteca

siam fuisse vsam fermẽtato, illum verò Pontificẽ, vt aliquid inusitatum faceret, azymum introduxisse, quam consuetudinem ipsi despicientes, fermentato in suis cœnis dominicis (vt vocant) vtuntur. Primò, quia est magis vsualis, & aptior ad cibandum hominem, & consequenter ad significationem spiritualem huius sacramẽti. Secundò, quia nõ licet nobis vti ceremonia Iudaica, panis autem azymus est Iudaica ceremonia: vnde in VI. Synodo can. 11. Trullano prohibentur fideles, Iudæorũ azyma comedere. Ex quo infertur, iuxta hũc errorem, nõ debuisse, nec potuisse Ecclesiam Latinam præcipere consecrationem in azymo, aut prohibere illam in fermentato. Cur enim prohibeat id, quod magis decet? præsertim, quia celebrando in azymo semper magis videmur imitari Iudæorum ritum. Vnde eademmet Ecclesia Latina non curabit celebrare Pascha semper in Luna 14. ne Iudaicum ritum retinere videretur. Confirmatur, quia panis fermentatus est perfectus panis: ergo nõ magis debuit prohiberi, quã vinum albũ vel nigrũ. *6. Synodum.*

4. Senten. Quarta sententia esse potest, in contrario extremo, panem, scilicet, azymum esse de necessitate sacramenti, ita vt fermentatus non sufficiat. Hanc tribuunt aliqui Armenis. Tamen, quanuis Nicephorus lib. 18. historiæ. cap. 53. referat, eos consecrare in azymo, non tamen dicit, eos hoc facere ea fide, vel opinione, quia putent, hoc esse simpliciter necessarium, sed eo modo, quo facit Ecclesia Latina, vnde nullum inuenio huius erroris assertorẽ. Fundamentum autem eius esse potest, quia Christus cõsecrauit in azymo. Sed est parui momenti, quia inde non fit illam substantiam esse essentialẽ, quia fortasse consecrauit in vino albo, vnde nõ sequitur illud esse ita necessarium, vt nigrum non sufficiat. *Nicephor.*

5. Sentent. Quinta sententia est, panem azymum, quanuis non sit de necessitate sacramenti, omnibus tamen esse de necessitate præcepti, ita vt peccẽt Græci cõsecrãdo in fermẽtato. Ita sentit Scotus distinct. 11. quæst. 6. in fine. Gabriel. lectio. 34. in can. Castro suprà circa finem. Hi solum videntur fundari in traditione Ecclesiæ Romanæ, cui etiam Græci tenentur conformari. Alij verò vidẽtur hoc fundare in iure diuino, fundato in facto Christi, qui in azymo consecrauit. Indicat Angel. Eucha. 1. nu. 6. *Scotus. Gabriel. Castro. Angelus.*

6. Sentent. Sexta sententia est, Latinis esse panem azymũ necessarium necessitate præcepti, Græcis verò liberum esse hoc vel illo vti, ita Palud. dist. 11. quęstione 1. art. 4. conclu. 6. licèt non satis clarè. Fundamentum esse potest, quia Ecclesia Latina imposuit hoc præceptum: ergo Græci possunt si volunt illi conformari, esto non teneantur, quia Ecclesia Romana noluit illos obligare. Et confirmatur, nã cur tenebuntur sequi suæ Ecclesiæ ritum, cũ schismaticus sit? *Palud.*

1. Conclu. Dico primò, tam panis azymus, quam fermentatus, sufficit ad substantiam huius sacramenti. Est de fide, vt constat ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, & ex doctrina Trid. sess. 13. & ex cap. Ad abolendã. de hæreticis, vbi damnantur qui dicũt, Ecclesiam Romanam errare in ritu sacramentorũ. Vnde Leo IX. in dicta Epistola sententiam Græcorum hæreticam vocat. Idem Innocent. lib. 4. de hoc myst. c. 4. & Ansel. dicta Epist. de fermentato & azymo, & D. Tho. hic, & omnes Scholastici. distin. 11. Alens. 4. p. q. 32. & Gabr. dict. lect. 34. Et quidem, quod panis fermentatus sufficiat, omnes Catholici confitentur, & traditione constat, & ratione probabitur statim. *Conc. Floren. Trident. Innocent. Ansel. Alensis. Gabriel.*

De pane autem azymo probatur primò ex facto Christi, celebrauit enim Pascha primo die azymorum, quãdo cæteri Iudæi immolabant, vt constat ex Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. illo autem die iam non licebat vti fermentato, vt constat Exod. 12. Quinimò, quanuis Christus cœnasset. 13. Luna, vt Græci volunt, verisimilius esset in azymo confecisse, vt Innocen. suprà notat, & D. Tho. 4. d. 11. q. 2. ar. 2. quæstiũcula 3. quia, licèt Christus anticipasset tempus, tamẽ seruaturus erat omnes ceremonias illius paschæ: ergo sicut credendum est, vsum esse lactucis agrestibus in illa cœna, ita est credendum vsum esse pane azymo, sicut lege erat præscriptum, quòd etiã notauit Petrus Comestor in historia Euangelica. capit. 149. Dicere autem possent Gręci, in cœna quidem legali vsum esse Christum pane azymo, illa tamen finita statim redijsse ad panem fermentatum, quod nondum erat prohibitum. Sed in primis tam incertum est hoc, quàm est incertum cõsecrasse in vino albo, aut nigro: ergo sicut esse erroneum, alterutrum ex illis vinis præscribere, propter factũ Christi, ita & præscribere panem fermentatum. Ac deinde cùm suprà dixerimus Christũ consecrasse ante inchoatam cœnam vsualem paulò post finitã legalem, verisimile satis est cõsecrasse in pane, & vino, quæ superfuerant ex cœna legali, denique, si ipsi dicunt, anticipasse Christum legalem cœnam, cur non etiam dicent anticipasse tatam ceremoniã illorum dierum, in quibus, post inchoatum azyma, non licebat ad fermentatum redire? *Matth. 26. Lucæ 22. Marc. 14. Exod. 12. D. Thom. Petr. Comest.*

Vltimò probatur ratione vtraque pars conclusionis, quia vterque panis est simpliciter panis, & ita in Scriptura vocatur: de fermentato nos fatemur, de azymo probatur primo ex eisde locis cœnæ, *Accepit panem, &c.* & ex Lucæ 24. vbi duo discipuli dicuntur agnouisse Christum in fractione panis, quem necesse est fuisse azymum, quia illud accidit in secundo vel tertio paschæ die, & tamen in illis septem diebus non poterat iuxta legem inueniri fermẽtũ in domibus Iudæorum. Exod. 12. & 23. vbi Caietanus hoc notat. Marci etiam secũdo, dicitur Dauid comedisse panes propositionis, qui etiam 1. Regum 21. & 22. panes simpliciter vocantur, quos tamen constat azymos fuisse, vt scribit Philo in libro de vita cõtemplatiua, & Ioseph. lib. 3. antiquit. cap. 10. aliàs 9. & colligitur ex Leuit. 2. vbi dicitur, *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiat.* Vnde Theodoret. orat. 10. in Dani. circa illa verba, cap. 10. *Die autem vigesima, &c.* expresse dicit, panis, & fermentatus, & nõ fermentatus vocatur, & idem notarũt ex Scriptura sacra, D. Tho. 4. d. 11. q. 2. art. 2. quæstiun. 3. ad 6. & Alens. 4. p. q. 32. memb. 3. Ratione item probatur, quia vterq; panis conficitur farina triticea, & naturali aqua subacta, & puro igne coquitur, hæc autem tantũ sunt de ratione panis, vterque etiam habet proprium vsum panis, nam licèt vnius vsus sit frequentior quã alterius, quia est delectabilior, & aptior, tamen vtriusq; vsus, est propriè vsus panis, scilicet, vt cũ alijs cibis, tanquã illorum comes adhibeatur. Dices, panis fermẽtatus est corruptus, iuxta illud, *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Respondetur; sensus est, totam massam fermentat, vt habet Græca lectio, non enim substantialiter *Azymum & verè panis probatur. Exod. 12. & 23. Caietanus. Marc. 2. 1. Reg. 21. Philo. Iosephus. Leuit. 2. Theodoret. D. Thom. Alensis.*

ter

ter corrũpit, sed alterat & disponit, vt tali modo fiat. Vnde potiùs, quando debito modo fit ista mistio, massa trahit fermentum (si fortasse substãtialiter differunt) in suam naturam, & ita ex toto illo composito fit verus panis, qui totus est aptus, secundum se ad consecrationem. Quare meritò aduertit D. Th. ne sit nimia mistio fermenti, quia, si massam ita corrumperet, vt non esset accommodata vsui hominum, posset id esse cõtra substantiam sacramenti, & multo magis erit, si solum ipsum fermentum coctum assumatur, nam illud neque est panis, neque homines illo vti possunt.

Ex quo intelligitur, erroneũ etiã esse, dicere alterutrũ panẽ esse simpliciter de necessitate sacramẽti, in hac, vel illa Ecclesia, Græca, aut Latina, nã & ratio facta, & testimonia adducta æque probant de omni Ecclesia, pręter quã, quod erroneum est dicere, sacramẽta habere alias essentias, in vna parte Ecclesiæ, & in alia, aut consuetudinẽ, vel præceptum Ecclesiæ posse immutare, aut essentialiter limitare materias sacramentorum. Vel denique erroneum est dicere, Christũ Dominũ aliã materiã pro Græcis, aliam pro Latinis instituisse. Quæ omnia suprà in materia de sacramentis in genere probata sunt.

2. Conclusio. Dico secundò, conuenientissimè Latinã Ecclesiã pane azymo vsam esse, habet enim hoc maiores congruẽtiæ rationes. Est certa, & probatur primò autoritate Ecclesiæ Romanæ, quæ summa est, & à B. Petro accepisse creditur hanc consuetudinẽ, & continua traditione tenuisse. Quod enim noui hæretici dicunt, hãc esse rem nouã, & introductã ab Alexandro III. impudentissimũ est, & contra omnẽ historiæ veritatẽ, vt constat ex citata Epistol. Leonis IX. & ex Innocen. lib. 4. cap. 4. Secundo probatur ex facto Christi, quẽ ostendimus in azymis consecrasse, eò quòd Luna decimaquarta consecrauerit. Tertia ratio congruentiæ sumitur ex significatione, nam panis azymus significat puritatẽ, & sanctitatẽ corporis Christi, vel puritatẽ, quam habere debent, quia ad hoc sacramentũ accedant, iuxta illud. 1. ad Corinth. 5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Quarta ratio veluti literalis sumitur ex Anselmo, quia panis azimus faciliùs, puriùs, ac decẽtiùs conficitur. Adde etiam ex Diuo Thoma hic ad quartũ, panem azymum magis esse immunem ab omni corruptione. *Leo IX. Innoc. 4. Anselmus.*

3. Conclusio. Dico tertio tã Græcis quã Latinis licere Ecclesiæ suæ consuetudinem obseruare. Hæc conclusio est cõmunis & certa. Docet eã Leo IX. dicta Epistol. c. 29. vbi & Latinorum consuetudinẽ defendit, & subdit, eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem & prudentiam, vt, cum tã extra, quã intra illam multæ sint Græcorum Ecclesiæ, nullam à paterna sua traditione perturbet, sed potiùs eam seruare moneat, & suadeat, quod etiam nunc in Romana Ecclesia obseruari cõspicimus: vnde cõstat, iure diuino neutrũ horũ esse præceptũ, quia solũ Christi factũ non satis est ad inducendum præceptum, nã licèt cõsecrauerit in vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare, neq; ex alio testimonio scripto, aut tradito, potest huiusmodi præceptum colligi, & suprà dicta Romanæ Ecclesiæ consuetudo satis docet, nullum tale esse vniuersale præceptum, non modò diuinum, verum etiam neque humanum. *Leo IX.*

Quarto dicitur, tam Græcos, quã Latinos teneri ad seruandũ suæ Ecclesiæ ritum. Hæc est communis sententia, quæ ita explicanda est, in primis enim sacerdos Latinus in Ecclesia Latina conficiens, tenetur sine dubio in azymo consecrare, nõ solũ propter scandalum, sed etiã, quia Ecclesiæ cõsuetudo obligationem inducit, vnde in cap. Literas de Celebrat. Missa. punitur quidam sacerdos, quod in fermentato consecrasset. Deinde sacerdotes Græci similiter in sua Ecclesia conficientes, debent suæ Ecclesiæ consuetudinẽ obseruare, vt censet D. Tho. & docent Caietanus, Soto, & alij. Et colligitur ex Concilio Florẽtino. Et ratio est, quia Ecclesia Græca in hoc præcise facto non est schismatica, aliud est enim improbare Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, asserendo illam esse cõtra veritatem, & reuerentiam sacramẽti, aliud verò, seruare suã consuetudinem, quam Ecclesia Romana non improbat, nec reprehendit, vt patet ex Concilio Florẽtino supra, & ex Leone Papa in dicta Epist. & ex Innoc. lib. 4. de hoc mysterio. cap. 33. illud enim prius pertinet ad schisma, & ad hæresim, & ideo tenentur omnino Græci illud vitare, hoc vero posterius nõ pertinet ad schisma, sed ad quandam consuetudinem honestam, quam ipsa etiam Ecclesia Latina seruari vult, vt ex dictis patet: ergo tenentur sacerdotes Græci suæ Ecclesiæ consuetudini conformari. *Conc. Flor.*

Illud verò in hac conclusione explicandum superest, an Latinus sacerdos in Ecclesia Græca, vel Græcus in Latina respectiuè in fermẽtato, vel azymo consecrare teneatur: Respondetur, solere in Ecclesia Latina inueniri aliqua monasteria vel Ecclesias Græcorum, in quibus Græcorum ritus seruantur, & similiter possunt inter Græcos inueniri Ecclesiæ Latinæ, in his ergo templis vnusquisque seruare debet suæ Ecclesiæ consuetudinẽ, quia perinde se habet, ac si in propria Ecclesia, Græca vel Latina versaretur, & hoc aperte docet Leo Papa IX. dict. Epist. ad Michaelem. c. 29. & ita etiam habet vsus. Existimo tamen non licere sacerdoti Latino in huiusmodi templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existit, quanuis in eo Græci ritus seruentur à Græcis, in fermentato consecrare; quia illud est quasi speciale priuilegium Græcis concessum. At verò si Latinus sacerdos versetur in Ecclesia Græca, & in proprijs eorum Ecclesijs conficiat, optimè faciet eorum mori, ac consuetudini se conformando iuxta doctrinam Ambrosij ab Augustino recitatam, & probatam Epist. 118. c. 1. Epist. 119. c. 18. & habetur in c. Illa. dist. 12. Intelligo autem, hoc verum esse, siue aliquis diu, & tanquam incola inter Græcos habitet, siue vt hospes ac peregrinus illac pertranseat, de quo posteriori modo potissimum loquuntur Ambrosius & Augustinus, qui in omnibus his humanis consuetudinibus, vt ieiunandi, seruandi festa, & similibus, censent vnũquemque peregrinum debere se ad illius Ecclesiæ consuetudinem conformare, in qua actu versatur. Ex quo videtur vlterius sequi, non solum posse licitè, sed etiam teneri sacerdotem Græcum transeuntẽ per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, peccareque si aliter faciat. Atque ita sentit Ledes. in 4. 1. p. quæst. 15. artic. 4. dub. 2. Sed rigorosa est hæc sententia pro peregrinis, & iter agentibus, tum qui Eugen. Papa in literis Vnionis post sessio. vlt. Concil. Florentini, simpliciter, & sine limitatione dicit, vnumquemque sacerdotem debere conficere *Quando liceat Latino in fermentato, & Græco sacerdoti in azymo consecrare. Ambros. August.*

cere

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere in fermentato, vel azymo iuxta Ecclesiæ suæ consuetudinem, tum etiam, quia Leo I X. dicto c. 29. multùm fauet, imò etiam monet vt vnusquisque iuxta suæ Ecclesiæ ritũ celebrare sinatur, etiã si in alieno solo versetur; tum præterea, quia, licèt non sit certa, est tamen probabilis opinio, eũ, qui per locum aliquem transit, quãuis bene faciat propriã aliquã illius loci cõsuetudinem seruãdo, nõ tamen ad id teneri, per se loquẽdo, & secluso scandalo, vt notauit Glos. in cap. Quæ cõtra. d. 8. Ergo & sacerdos Græcus nõ tenetur mutare suã cõsuetudinẽ, & sequi contrariã propter solam consuetudinẽ loci, per quem transit: secluso autẽ hoc titulo, nullus alius inueniri potest, quo obligetur. Adde, quidquid sit de alijs cõsuetudinibus, hanc, de qua agimus, videri hoc sensu & modò introductã, & ab Ecclesia acceptã, vt vnicuiq; liceat suæ Ecclesiæ ritũ seruare, vbicunq; celebrare permittatur, vt ex adductis decretis cõstat, & ex praxi: nã Romæ ita sæpè fieri vidimus; & certò scimus nostros Latinos sacerdotes peregrinãtes inter Græcos nõ schismaticos, sed Romanæ Ecclesiæ vnitos, in azymo solitos esse celebrare, & meritò sanè ita hæc cõsuetudo est approbata, quia difficillimũ esset, sacerdotẽ in re tã graui obligare ad mutandã antiquã, & patriã cõsuetudinem, solũ propter transitũ per aliã Ecclesiã. Vnde etiã cõfirmatur, nam sacerdos Latinus trãsiens per Ecclesiã Græcã non obligatur mutare Latinam cõsuetudiné, vt omnes fatentur: ergo neq; è contrario Græcus obligandus est, &c. quia titulus consuetudinis par est in vtroque. Nam, licèt Romana Ecclesia, quæ caput est, magis approbet suam consuetudinem, quandoquidẽ illã amplectitur, tamen simpliciter, & quoad obligationẽ, & respectiuè (vt sic dicam) æquè approbat vtramque pro Latinis & Græcis distributione accommoda. Denique, quoad totum alium Missæ ritum non tenetur Græcus transiens per Latinos, neque Latinus transiens per Græcos, mutare illum, vt seruet ceremonias eius loci, in quo celebrat: quia hoc est penè impossibile moraliter loquendo: ergo idem est de hoc ritu. Dico ergo, sine scrupulo posse sacerdotem Græcũ peregrinantem per Ecclesiam Latinã, & Latinum per Græcã, suæ Ecclesiæ ritum seruare cũ consensu & facultate pastorum eius Ecclesiæ, in quo versatur, quam ipsi, si nullum timeant scandalum, præstare possunt, & debent, si nulla rationabilis causa obstet. Secus verò esset, si sacerdos omnino mutasset domicilium: quia tunc iam non esset reputandus sacerdos Græcus, etiã si antea esset, sed Latinus, quia iam factus esset membrum Ecclesiæ Latinæ: & ideò, secluso speciali priuilegio, debet illi se conformare.

Responsio ad fundamenta aliarum opinionum.

Et ex his satis responsum est ad aliarum opinionum fundamenta. Et ad primam quidem, & secundam opinionem nihil denuo dicendum occurrit. Ad tertiam verò dicitur, celebrare in azymo nõ esse iudaicum ritum, quia non est vtiazymo, eo modo, & fine, quo Iudæi vtebantur, neque ex veteris legis obligatione, quod esset propriè seruare Iudaicas ceremonias, alias etiam esset ceremonia Iudaica consecrare in fermentato, quia interdum præcipiebatur Iudæis vti fermentato, & non azymo, vt constat Exod. 7. & 23. & Leuit. 7. & vti aqua in baptismo, dici posset ceremonia Iudaica, quia Iudæi lauacris, variisque baptismatibus vtebantur. Item Græci celebrant semper Pascha Lu-

Exod. 7. 23. Leuit. 7.

na decimaquarta, in quacunque die hebdomadæ occurrat, nulla habita ratione diei Dominicæ, in quo magis videntur accedere ad Iudaicos ritus, & tamen simpliciter non Iudaizant, quia non faciũt ex præcepto legis veteris: ergo nihil est, quod nobis obijciant. Cur autem Ecclesia Latina hãc consuetudinem elegerit, iam dictum est, & forsan ad vitandum errorem Græcorum, quando nulla alia causa superesset, oportuisset præcipere Latinis sacerdotibus, vt prædictam consuetudinem obseruarent. Refert autem D. Thom. dist. 11. q. 2. ar. 2. q. 3. ex Leone P. quòd, imminente hæresi Hebionitarum, qui dicebant cum Euangelio legalia obseruanda, sancti Patres, ne eis consentire viderentur, voluerunt ad tempus ex fermentato confici sacramentum: postea verò, cessante illa hæresi, Ecclesia Romana ad pristinũ morẽ redijt. Et idẽ fere referũt alij Scholastici, nõ tamen designãt quisnã Leo ille fuerit. In margine tamen D. Thomæ notatur Leo I X. & referri dicitur ab Innocentio III. lib. 4. de myster. miss. ca. 4. At Innocentius solum cõmemorat Leonem in epistol. ad Imperatorẽ cõfutasse hæreses Græcorũ, & inter alias, q̃ anathematizare ausi sint eos, *qui sacramenta astruebant ex azymis*. Et idẽ Leo in priori epistola ad Michaelem Constantinop. Episcopũ cap. 5. & in posteriori ad eundẽ, absolutè dicit morem cõsecrandi in azymo incepisse ante mille viginti annos à Passione Dñi: nec dicit vnquã fuisse interruptũ. Et Innocentius ait ecclesiã Romanã ab Apostolis Petro, & Paulo hũc sacrificij cultũ accepisse, *quẽ hactenus inuiolabili cultu seruauit*. De illa ergo Historia mihi nõ constat.

Vnũ verò superest dubiũ, an scilicet, liceat Latino sacerdoti in ecclesia Latina cõsecrare in fermẽtato, propter aliquã occurrẽtẽ necessitatẽ, v. g. ne proximus sine viatico decedat, vel ne totus populus diu sacrificio priuetur. Respõdetur, nulla ratione esse talẽ licẽtiã cõcedẽdã, quia licèt præceptũ, v. g. cõmunicãdi in articulo mortis, sed de iure diuino, & præceptũ cõficiẽdi in azymo sit humanũ, tamẽ illud primũ præceptũ affirmatiuũ est, & ideò non obligat q̃ semper, sed quãdo cõmodè, & cũ debitis circũstãtijs fieri potest. Et ideò posito alio præcepto humano; præscribẽte debitũ cõficiẽdi modũ, cessare potest obligatio alterius præcepti, q̃ aliquo tẽporis articulo, pro quo modus ille nõ potest obseruari, quia expedit, vt in hoc sacramẽto cõficiendo summa reuerentia seruetur, & ideò oportet vt vniuersalis Ecclesiæ cõsuetudo nõ facilè violetur, ne aperiatur via ad tractãdũ indignè hoc sacramẽtũ, & cõtẽnẽdi Ecclesiasticas ceremonias & ritus, sicut cẽsent ferè oẽs de cõsecratione, siue vestibus sacris, & similibus, quę nõ cõtinẽt graviores ritus, quã sit hic de quo agimus, quæ omnia eo veriora sunt, quòd certũ est, hoc sacramẽtũ nõ esse de necessitate salutis, sicut baptismus vel pœnitẽtia. Hic verò casus non pòt moraliter accidere inter Græcos, quia panis fermẽtatus facilius vbiq; inuenitur, quã azymus: si tamẽ fingatur occurrere, secundùs esset eãdẽ regulã sequi, quãquã nõ esset tã certa obligatio, tũ quia maius periculũ est irreuerẽtiæ, superstitionis, & scãdali, in discedẽdo propter priuatas necessitates, vel rationes à cõsuetudine Ecclesiæ capitalis, quã in discedẽdo à cõsuetudine alterius partis, & præsertim sequẽdo cõsuetudinẽ capitis, tum etiã, quia illa obligatio Græcorũ non est tã certa, neque tanta, ac tam solida autoritate firmata.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm vinum vitis sit propria materia huius sacramenti.

Ad. 11. 2. art. 3. q. 1. art. 1. de cõsecr.

AD quintum sic proceditur. Videtur, q̃ non sit propria materia huius sacramenti vinũ vitis. Sicut enim aqua est materia baptismi, ita vinũ est materia huius sacramenti. Sed in qualibet aqua potest fieri baptismus. Ergo in quolibet vino (puta malorum, granatorum, vel mororum, aut huiusmodi, potest confici hoc sacramentũ, præsertim cum in quibusdam terris vites non crescant.

Aeternitas li. 20. Etymo. cap. 3. aceto mel.

¶ 2 Prætereà, Acetum est quædam species vini, quod de vite sumitur, vt Isido. dicit: sed de aceto non potest confici hoc sacramentum. Ergo videtur, quod vinũ vitis non sit propria materia huius sacramenti.

¶ 3 Prætereà, Sicut de vite sumitur vinũ depuratum, ita etiam agresta, & mustũ. Sed de his non videtur posse confici hoc sacramentum, secundum illud, quod in sexta synodo legitur, Didicimus, quod in quibusdã Ecclesijs sacerdotes, sacrificio oblationis cõiungant vuas, & sic simul vtraque populo dispensent: præcipimus igitur, vt nullus sacerdos hoc vlterius faciat. Et Iulius Papa reprehendit quosdam, qui expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerunt. Ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia huius sacramenti.

Ioan. 15. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Iacob. 5. Ioan. 2. Apoc. 14. Genes. 49. Deuter. 32. Esai. 63. Ierem. 31. Ezech. 19. Osee 14. Ioel. 1. Amos 9. Zach. 9. Eccles. 9. Prouer. 31. Psal. 103. Hieron. in Epitaphio Nepotiani. Aug. in Psal. 103. Basil. in Regul. fusius tract. 7. Ambr. in Psal. 118. Serm. 8. Chrysost. in Matth. hom. 26. Damas. lib. 4. de fide cap. 13. Cyprian. lib. de Cœna Domini. Dionys. Areopag. 3. cœlest. hier. cap. 3. Iustin. Martyr. in Apologia. Iren. lib. 5. cap. 33. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2. Tertull. lib. de Corona militis. Hilar. lib. 8. de Trinit. Epiphan. in Ancorato. Basil. in Regul. fusius tract. 7. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 1. Hieron. in Epitaphio Nepotiani. Aug. lib. 83. quæst. quæst. 70

Universidad de Deusto
Biblioteca

14. non legitur obtulisse nisi panem & vinum. Ergo videtur, quod in hoc sacramento non debeat adiungi aqua.

¶ 2 Præterea, Diuersorum sacramentorum diuersæ sunt materiæ. Sed aqua est materia baptismi. Ergo non debet assumi ad materiam huius sacramenti.

¶ 3 Præterea, Panis & vinum sunt materia huius sacramenti. Sed pani nihil adiungitur. Ergo nec vino debet aliquid adiungi.

Alexã. I. in epist. ad omnes fideles à medio illius, to. 1. Cõcil. 1.

SED contra est, quod Alexand. Papa scribit. In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solennia Domino offeruntur, panis tantùm & vinum aqua permistum, in sacrificium offerantur.

Alex. 1. ad epist. ad omnes ortho. à medio illius to. 1. Cõcil.

RESPONDEO dicendum, quod vino, quod offertur in hoc sacramento, debet aqua misceri. Primò quidem propter institutionem: probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permisto, secundùm morem illius terræ, Vnde & Prouerbiorum nono dicitur: Bibite vinum, quod miscui vobis. Secundò, quia hoc conuenit repræsentationi Dominicæ passionis. Vnde dicit Alexand. Papa: Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permistum: quia vtrumque ex latere eius passione fua profluxisse legitur. Tertiò, quia hoc conuenit ad significandum effectum huius sacramenti, qui est vnio populi Christiani ad Christum, quia, vt Iulius Papa dicit, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi: ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quartò, quia hoc competit ad vltimum effectum huius sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Vnde Ambrosius dicit in libr. de sacramentis; Redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.

Habetur de conf. d. 2. c. est omne crimen circa medium.

Libr. 5. de sacra. c. 1. à med. to. 4.

A D primum ergo dicendum, quòd, sicut Ambros. dicit ibidem, sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedech, ita etiam significatũ est per aquam, quæ in eremo fluxit de petra, secundum illud 1. Corinth. 10. Bibebãt autem de spirituali consequente eos petra.

Eod. lib. 5. ad 1. to. 4.

A D secundum dicendum, quod aqua assumitur in baptismo ad vsum ablutionis. In hoc autem sacramento assumitur ad vsum refectionis, secundùm illud Psal. 22. Super aquam refectionis educauit me.

A D tertiũ dicendũ, quod panis ex aqua & farina cõficitur. Et ideo cũ vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit.

ARTICVLVS VII.

Vtrum permistio aquæ sit de necessitate huius sacramenti.

Infr. q. 83. art. 6. ad 3. & 6. & 4. d. 13. q. 1. a. 2. secunda.

AD septimum sic proceditur. Videtur quòd permistio aquæ sit de necessitate huius sacramenti. Dicit enim Cyprian. ad Cæcilium. Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumq; misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi vtrumque, scilicet, farina & aqua, fuerit adunatum. Sed admistio aquæ ad farinam est de necessitate huius sacramenti. Ergo pari ratione admistio aquæ ad vinum.

Ambr. lib. 5. de sacra. c. 1. & 3. to. 4. Cyp. ad Cæcil. epist. 63. to. 1. Concil. 6. ca. 5. Libra. 3. inter sanct. & mart. Innocentium ad confes. c. 2. cap. 7.

¶ 2 Præterea, In passione Domini, cuius hoc sacramentum est memoriale, sicut de latere eius exiuit sanguis, ita & aqua. Sed vinum, quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate huius sacramenti: ergo pari ratione & aqua.

¶ 3 Præterea, Si aqua non esset de necessitate huius sacramẽti, non referret, quęcunque aqua huic sacramẽto apponeretur, & ita posset apponi aqua rosacea, vel quæcunque alia huiusmodi aqua, quod non habet vsus Ecclesiæ. Aqua ergo est de necessitate huius sacramenti.

Lib. 2. epist. 3. inter sanct. & mart.

SED contra est, quod Cypria. dicit. Si aliquis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non obseruauit, vt, scilicet, aquam vino misceret in sacramento, potest simplicitati eius venia cõcedi. Quod non esset, si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum, vel panis. Non ergo aquæ admistio est de necessitate sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quòd iudicium de signo sumendum est ex eo, quod significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem huius sacramenti à fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mistam vino, significatur populus adunatus Christo, vt dictũ est. Sed & hoc ipsum, quod de latere Christi pendentis in cruce aqua profluxit, ad idẽ refertur, quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per passionem Christi. Dictum est autem suprà, quòd hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, vsus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideò consequens est, quòd appositio aquæ non sit de necessitate sacramenti.

quæst. 73. artic. 3. ad primum.

A D primum ergo dicendum, quôd verbum illud Cypriani est intelligendum, secũdum

dum quod dicitur illud esse nõ posse, quod conuenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

A D secundùm dicendum, quòd effusio sanguinis directè pertinebat ad ipsam Christi passionem; est enim naturale corpori humano vulnerato, quòd ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquæ non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectũ passionis, qui est ablutio à peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideò aqua non seorsum offertur à vino in sacramento, sicut vinum offertur seorsum à pane. Sed aqua offertur, vino permista, vt ostendatur, quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de eius necessitate existens, aqua autem secundum quòd adiungitur vino.

AD tertium dicendum, quòd quia admistio aquæ ad vinum nõ est de necessitate sacramenti, non refert, quantum ad sacramenti necessitatem, quæcunque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea. Quanuis, quantum ad conuenientiam sacramenti, peccet, qui aliam aquam miscet, nisi naturalem & veram, quia de latere Christi pendentis in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, ad ostendendum, quod corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus, vt Innocent. III. dicit in quadam decretal. Quia vero admistio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti, vtpote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici sacramẽtum, quia non esset verus panis.

Innocen. lib. 3. inter. ca. 42.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi.

4. d. 11. q. 2. a. 4. q. 1. & 4. d. 12. q. 1. a. 1. q. 1. ad 5.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod oporteat aquam in magna quãtitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita & aqua: vnde dicitur Ioan. 19. Qui vidit, testimonium perhibuit. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramẽto, nisi in magna quantitate poneretur, ergo videtur, quod aqua debet apponi in magna quantitate.

¶ 2 Præterea, Parua aqua multo vino admista corrumpitur. Quod autem corruptum est, iam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua in hoc sacramẽto, & nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

¶ 3 Præterea, Si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens, quod gutta aquæ in totam dolium proijceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit, quod parua quantitas apponatur,

In decre. Ho. 3. tit. 41. c. 6. pernicioſus.

SED contra est, quod extra de celebratione missarum dicitur. Pernicioſus in tuis partibus inoleuit abusus, videlicet, quod in maiori quãtitate de aqua in sacrificio ponitur, quàm de vino, cùm secundùm rationabilem cõsuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendũ.

De celebr. miſſ. 51. cum Marthe. §. quæſtuſti.

RESPONDEO dicendum, quod circa aquam adiunctam vino, sicut Innocent. III. dicit in quadam Decretal. triplex est opinio. Quidam enim dicũt, quod aqua adiuncta vino per se manet, vino conuerso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest, quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est, nisi corpus & sanguis Christi (sicut enim Ambros. dicit in libr. de officijs; Ante benedictionẽ alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur) alioquin non totum adoraretur veneratiõe latriæ. Et ideo alij dixerũt, quod, sicut vinum conuertitur in sanguinẽ, ita aqua conuertitur in aquam quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane. Et ideo, sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinũ in sanguinem. Hoc tutem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quod conuerteretur in uinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua opponere, & præcipue, si vinum sit debile: quia, si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini, non posset perfici sacramentum. Vnde Inlius Papa reprehendit quosdam, qui pannum lineum musto intinctum, per totum annum seruant, & in tempore sacrificij, aqua partem eius lauant, & sic offerunt.

In libr. de his, qui myſterijs initiãtur. ca. 9. à med. to. 4. & habetur de cõſ. d. 2. cap. 40.

Iulius I. ſcribendo epiſc. p Ægyptiũ. Et habetur de cõſ. d. 2. c. cum omne crimen.

A D primum ergo dicendum, quod sufficit ad sacramenti huius significationem, quod sentiatur aqua, cum apponitur vino, non autem oportet, quod sit sensibilis post mistionem.

A D secundum dicendum, quod, si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio. Sed cum aqua in vinũ

Universidad de Deusto Biblioteca

conuertitur, significatur, quod populus Christo incorporatur.

AD tertium dicendum, quod, si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti. Sed oportet aquã vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

DE materia istorum articulorum disputabimus statim, textus enim Diui Thomæ non indiget alio Commentario.

DISPVTAT. XLV.

De materia calicis, seu remota ex qua conficitur sanguis Christi.

VInum esse alteram partem materiæ, ex qua hoc sacramentum cõfici debet, in superioribus ostensum est, nunc solũ superest, vt de qualitate, seu specie eius, & de puritate seu mistione necessaria dicamus. Quoniam verò necessitas præcepti, quæ ad hunc vsum materiæ pertinet, valde est coniuncta cum necessitate sacramenti, ideo de vtraq; dicemus, sicut in præcedẽtibus fecimus.

SECTIO I.

Vtrum vinum vitis seu ex vuis expressum, sit necessaria materia huius sacramenti.

Vinum vit. est necessaria materiæ huius sacramenti.

OMissis erroribus, quos in superioribus satis tetigimus, primum omnium certũ est, materiam huius sacramenti, sine qua sanguis confici non potest, esse vinum vitis. In hac conclusione nulla est controuersia, & colligitur ex facto Christi, adiuncta Ecclesiæ traditione. Quòd enim Christus in hoc vino consecrauerit, communis cõsensus, & traditio est, & indicatur in illo verbo, *Non bibam à modò ex hoc genimine vitis*, quanuis enim diuersas habeat expositiones, tamẽ ex illis satis colligitur, vinum illius cœnæ fuisse vitis, addidit autẽ Christus, *hoc facite*. Vnde in Concil. Aurelia. IIII. cap. 4. dicitur non esse in calice offerendum aliud, quàm quod in mandatis sacratissimis Christus tradidit, quod explicans dicit, esse illud, quod ex fructu vineæ nascitur. Vnde in Cõcil. Floren. expressè definitur, materiam esse vinum vitis, & in canone 3. Apostolorũ, prohibetur offerri sicera, vel aliquid huiusmodi loco vini, & in Concil. Altisiod. cap. 9. non mustum, neque vllum aliud poculũ, extra vinum. Et ratio reddi potest, quia solũ hoc est simpliciter vinum, vt patet ex cõmuni vsu omniũ, præsertim Scripturæ Genes. 9. *Hoc bibit vinum, &c.* Lucæ 7. *Venit filius hominis, & dicũt, Ecce homo vorax & potator vini.* Põderat etiã Cypri. epist. 63. specialiter ea loca, in quibus adũbratur hoc sacramentũ, vt de oblatione panis, & vini Melchisedech, Gen. 14. vbi nomine vini, sine dubio, intelligitur vinũ vitis. Vltimò sunt cõgruentiæ, Prima, quia hoc vinũ, eo q sit calidũ & humidũ, & aptũ ad nutriendũ, & augendũ sanguinẽ, est etiã aptũ ad significãdũ sanguinẽ Christi, qui ppterea nomine vini interdũ significatur in Scriptura. Genes. 49. *Lauabit in vino stolam suam & in sanguine vuæ pallium suum.* & Esai. 63. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari.* Secunda, quia, vt inquit Clemẽs Alexã. secũdo Pædago. c. 2. hoc vinũ simul est nutrimentũ, & medicamentum, & lætificat cor hominis, & ideò aptissimum est ad effectum huius sacramenti significandum.

Concil. Aurelian. — Conci. Florent. — Conc. Altisiod. — Cyprianus. — Genes. 14. — Genes. 49. — Isai. 63. — Clemens Alexan.

Obiectio. Responsio. Aristotel. Richard. Soto.

Dices, hoc vinũ potest esse multiplex, & specie diuersum, vt significat Arist. 4. Metheor. ca. 10. & patet in vino albo & nigro. Respõdetur, Aristotelẽ exponi posse, de diuersitate accidẽtali, vt volũt Richard. d. 11. artic. 3. q. 5. ad 1. & Soto d. 9. q. 1. art. 5. & est verisimile, quia sola illa differẽtia coloris nõ satis indicat substãtialẽ diuersitatẽ cùm aliàs sit maxima in effectibus, & alijs pprietatibus similitudo, vt inter homines etiã videre licet. Secũdò, etiã si sit substãtialis & essentialis diuersitas, ad rẽ Theologicã non refert, satis est, si absolutè & simpliciter vinũ sit, secus verò est de alijs vinis pomorũ, malorũ granatorũ, & similibus quæ nõ solũ specie differũt à vino vitis, sed quodãmodò etiã genere, & nõ sunt vina simpliciter, sed secundùm quid, & idem iudicium est de omnibus alijs liquoribus, qui ex herbis aut alijs fructibus conficiuntur.

Succus vuarum vt sit materia Eucharistiæ, se debet maturus.

Secundò dicendũ est, vt succus, seu liquor vuarum sit sufficiẽs materia. necessarium esse, vt sit maturus, & ex vuis expressus, atque in sua substantia permanens. Ratio est, quia hæc sunt necessaria, vt illud sit vinum simpliciter.

1. Corollarium.

Vnde fit primo, agrestam non esse materiam, vt D. Thomas & omnes docent, & habetur in missali Romano, in defectibus missæ, & ratio est, quia non est vinum, imò euidenter differt ab eo specie physica, quantum ex effectibus & qualitatibus licet colligere, quidquid verò de hoc sit, satis est non esse materiam potabilem per modum vini, sicut suprà proportionaliter de massa dicebamus.

2. Corollarium. Succus vuarum non sepa[ratus] intra vuas consecrari. Caietan. Soto. Richard.

Vnde fit secũdò, succũ vuarum priùs, quã exprimatur, nõ esse materiã, nec posse in ipsis vuis cõsecrari, ita Caiet. & Soto, qui hoc modo exponũt D. Thomam. & idẽ tenet Richard. dist. 11. art. 2. q. 4. & 3. ratio esse potest, quia ille succus, quãdiu est in vua, est cõtinuus alijs partibus, vnde videtur specie differre à musto iam expresso. Sed hoc satis inuentũ est, tum, quia, quidquid sit de cõtinuatione, tamẽ sicut sanguis est in venis, ita idẽ ille liquor, qui posteà est extra vuã, videtur prius formaliter cõtineri intrà illã, cuius signũ est, quia, licèt nõ exprimatur, nec cõprimatur vua, sed tantũ pungatur seu diuidatur folliculũ vuæ, statim distillat illum liquorẽ, qui iam tunc erit sufficiens materia consecrationis. Alia ergo ratio reddi potest, quia quandiu liquor est contentus in vua, nõ est per se præsens: vnde, si dicatur, *hoc est*, vel *hic est sanguis*, in rigore per pronomen illud, non significabitur liquor, sed vua, sed hæc etiã est difficilis ratio, quia, si mustũ includatur in vase vndique clauso, nihilominus est materia cõsecrabilis, & mediãte cõtinente est sufficiẽter præsens, & potest per pronomẽ *hoc* designari. Respõderi tñ posset, illud iam esse per se sensibile, & per accidẽs esse occultũ. & similiter iam esse totũ separatũ, quod proprissimè signari potest per modũ totius, licèt in alio cõtineatur. At verò liquor clausus in vua semper est per modum partis, & per se latens, & quasi insensibilis. Tertia ratio est, quia ille liquor pro illo statu non est in forma potabili; & ideò,

& ideò, nec est vinum, nec materia potus; quod est necessarium in materia calicis seu sanguinis, iuxta illud, *Bibite ex hoc omnes.* Et confirmatur, quia licet mistio aquæ non sit de necessitate huius sacramenti, tamẽ de necessitate materiæ calicis est, vt sit apta ad hanc mistionem, seu vt illi possit aqua misceri: at verò liquor inclusus in vuis non est huiusmodi. Quæ ratio traditur in cap. cùm omne. de consecra. distin. 2. ex Iulio Papa & Concil. Bracar. & Vvormaciens. vbi talis consecratio prohibetur, sicut prohibita fuerat in VI. Synod. can. 28. Trullano, & habetur in cap. didicimus, eadem distinctione. Nõ desunt tamẽ, qui ex prædicta ratione vltima, & ex dictis iuribus colligant, hanc materiam esse quidem prohibitam, non tamen esse omnino inualidam. Hæc verò sententia nullo modo est probãda, quia re vera ille humor in vuis non est materia potabilis, sed pars cibi cuiusdam, & licèt prædicta iura expressè non dicant, hanc materiam esse inualidam, id tamen supponunt, & ideò reprehendunt nõnullos, qui illa vti volebant ad communicandum populum; imò in dicto canone Trullano, non solùm vera consecratio in vuis facta, sed etiam ceremonialis quædam benedictio vuarum fieri prohibetur, aut distribui simul cum corpore Domini, quanuis permittatur, vt vuarum primitiæ in gratiarum actionem offerantur, & separatim benedicantur, & conuenienti tempore distribuantur.

[Conc.] Brac. [Vvo]rmac. [VI.] Synod.

Mustum ex [vuis] expressum ex... suf[ficiens] materia... non conue[niens]...

Tertiò sequitur, mustum ex vuis maturis expressum esse quidem in rigore sufficiẽtem materiã non tamen conuenientem, donec sit purum & satis concoctum. Ita D. Thomas hic, & omnes, vnde in cap. cùm omne crimẽ. de consecratione distin. 2. dicitur, si necesse fuerit posse bottum in calice exprimi, & aqua misceri & ita cõfici. Ratio verò est, quia illud in substantia est vinum, licèt accidentaliter non omnino perfectum, nec putum, quia nondũ separatus est aqueus humor, flos, & fæx, quę per decoctionem vini secerni solent, vt latè Plin. li. 23. à principio. Vnde Arist. 4. Metheor. c. 10. mustum vocat vinum recens, & Isidor. lib. 20. Etymol. c. 3. dicit, esse vinum è lacu statim sublatum. Vnde in Scriptura sacra vinum solet appellari mustũ. Acto. 2. *musto pleni sunt isti.* Isai. 49. *Quasi musto sanguine suo inebriabuntur.* Item ex effectu constat, quia mustum est calidum, inebriat, & ab intrinseco, ac propria vi purificatur, & concoquitur, seque ad perfectum statum reducit, ergo signum est substantialiter esse vinum, quoad vsum verò re vera est materia potabilis, & interdum bibitur, ergo nihil illi deest, quod sit de substantia sacramenti: nam illa permistio, vel imperfectio, quam habet ante plenam decoctionẽ, sufficit quidem, vt peccatum sit in illo cõficere, & quidem ex suo genere graue, tum propter Ecclesię consuetudinem, tum propter indecẽtiam & irreuerentiam, non tamen est simpliciter contra substantiam sacramenti, quandoquidem præcipua substantia illius potus est vinum, sicut si perfectum vinum alijs rebus misceatur, seu condiatur, dummodò substantia vini maneat, sufficiens materia erit, quanuis in illo consecrare non liceat. Referunt verò aliqui, in nonnullis Ecclesijs esse consuetudinem celebrandi aliquo die anni in musto ex vuis in calice expresso. Sed mihi de tali consuetudine non constat, & si alicubi esset, corrigenda esset & tollenda, existimo tamen nullibi esse, præsertim si intelligatur solum illud mustũ assumi pro materia, sed fortasse per modum ceremoniæ in calice habente perfectũ vinum aliquæ vuæ exprimũtur, quod minus habet indecentiæ, quanquam vitandum etiam sit.

Plinius. Aristoteles. Isidorus. Actor. 2. Isai. 49.

Obiectio. Responsio.

Sed obijcies, quia mustum non videtur esse materia potabilis, vnde inter homiues regulariter ad hunc vsum non deseruit. Respondetur, frequẽtius non bibi propter nimiam fortitudinem, & impuritatem, per se tamen aptum esse ad potum.

Dubium. Plinius. Solutio.

Hic verò dubitari potest de illo vino quod dicitur lora, Hispanè aguapie, quia illud non exprimitur ex vuis, sed postquàm iam vuæ sunt expressæ, illis miscetur aliqua quantitas aquæ, ex qua mistione fit huiusmodi vinum, vnde nõ videtur habere substantiam vini, sed aliquam eius similitudinem, vel qualitatem. Atque ideò Plin. lib. 4. ca. 10. dicit non appellari iure vinum, & ita est re vera, frequentius loquendo, hanc non esse materiam: non potest autem hoc generaliter definiri, quia varijs modis fit huiusmodi lora, vt ibidẽ Plinius refert, sed iudicandum de illa erit iuxta maiorẽ, vel minorẽ expressionem vuarum, & quantitatem aquæ, ex quarum rerum mistione hic liquor fit, vt dixi, semper tamẽ erit graue sacrilegium in hac materia cõficere, propter dubium & irreuerentiam.

Acetum nõ est materia Eucharistiæ. Aristot. S. Thomas. Isidorus. Alensis.

Quartò ex dictis concluditur, acetum nõ esse materiam huius sacramẽti, quia fit ex corruptione substãtiali vini, vt ex effectibus colligi potest, & quia non potest iterum in speciem vini redire, & ideò Arist. 8. metaphy. c. 5. text. 14. acetum cõparat cadaueri, & hæc est sententia S. Thomæ & scholasticorum fere omnium: & habetur in missali Romano. Contrarium tamen sentit glossa de consecratione dist. 2. cap. 2. & indicat Innoc. libr. 4. cap. 32. & fauet Isidor. lib. 20. Etymol. cap. 3. vbi acetum numerat inter species vini. Sed si hæc sententia intelligatur propriè de aceto, omnino est falsa, & improbabilis: si verò exponatur cum D. Thoma de vino acido, seu acescente, quod nondũ formam substantialem amisit, illud sufficiens esset materia. Quãuis graue peccatum interdũ possit esse in eo conficere, pro ratione dubij vel irreuerentiæ, vt rectè dicit D. Tho. & Alens. q. 32. memb. 8. Et per hæc iudicandum est de sapa, quæ non est vinum re vera, cuius signũ est, inquit Arist. 4. metheor. cap. 9. & 10 est, quia nõ inebriat, vbi illã vocat vinũ passum seu coctum. Adde, ppriè nõ esse materiã potabilem, sed potius per modum cibi comestibilem. Denique ex his iudicandum etiam est de quocunque alio vino corrupto, seu cocto, semper enim erit iniquum in huiusmodi materia consecrare. An verò sit nulla consecratio, ex finis corruptionis iudicandum est. Et idem iudicium est de omni alio vino, de cuius corruptione dubitari possit, propter nimiam aquæ, vel alterius rei mistionem.

Vinum congelatum nõ esse materiã sacramenti, qui teneãt. Armilla. Ledesma. Alanus.

Solùm dicendum superest de vino congelato, an sufficiens materia sit, aliqui enim negant, vt Armilla verb. Euchar. nu. 19. Ledesma quæst. 15. art. 5. dub. 1. & Alanus lib. 1. de Euchar. ca. 11. Quam sententiã nõnulli moderni sequũtur, & duobus modis fundari potest. Primò, quia, per huiusmodi congelationem vinum substantialiter corrumpitur, cuius signum est, quia perdit colorem, saporem, & similes qualitates, & iuxta hoc fundamentum dicendum consequenter est, si vinum consecratum congeletur, desinere ibi esse sanguinẽ Christi, & si vinum congelatum posteà liquefiat, non esse sufficiẽtem materiam, quia cum corruptum fuerit, non poterit

Universidad de Deusto Biblioteca

terit per solam liquefactionem redire, in quo certè non loquitur consequenter Alanus dicens, esse quidem sacrilegium in illo consecrare, quamuis sit verum vinum. Alio modo potest defendi hæc sententia dicendo, in vino congelato manere quidem vini substantiam, & ideo, si liquefiat, esse sufficientem materiam, tamen, dum congelatum est, non esse aptum consecrationi, quia non habet formam, & rationem potus, sicut gelu aquæ, licèt substantialiter aqua sit, non tamen potest esse materia baptismi, quia non est aptum ad lauandum. Quid vero iuxta hoc fundamentum dicendum esset, de speciebus post consecrationem congelatis satis incertum est, difficile enim est negare permanere ibi Christum, tum, quia tandiu manet Christus sub speciebus, quandiu posset conseruari substantia panis, & vini, tum etiam, quia, si posteà liquefiat, ibi aderit Christus. In contrarium verò est, quia si sub illis speciebus potest Christus manere, cur non poterit etiam consecrari?

Syluest. Angel. Sotus.

Secunda sententia affirmat, esse materiam, tenet Syluest. Eucharistia. 2. q. 10. Angel. verbo missa. nu. 23. Soto. d. 9. quæst. 1. artic. 5. Et hæc sententia mihi magis probatur, vt verò illam explicem, aduerto, aliud esse loqui de vino iam consecrato, & posteà congelato, vel de vino congelato ante consecrationem: & rursus illud considerari potest, vel in illo statu, vel si iterum liquefiat.

Vinũ consecratũ si congeletur retinet consecrationem.

Primò ergo fere certum existimo, vinum consecratum, etiam si congeletur, retinere cõsecrationẽ & sanguinẽ Christi. Hoc videtur supponi in missali Romano, in defectibus missæ, vbi dicitur, si contingat in calice vinum consecratum congelari, debere liquefieri, & consumi tanquam verũ sacramẽtum. Ratio verò est, quia re vera non est substãtialiter corruptum, cuius signum est, quia si posteà liquefiat, habet qualitates & effectus vini, est ergo vinũ, si autem fuisset corruptum, non posset per solam liquefactionem, ad vini naturam redire. Et cõfirmatur à simili, nam oleum, quod nõ videtur esse minus calidum, quàm vinum, nõ corrumpitur per solam congelationem, vt eodem argumẽto conuinci videtur. Deniq; nullum est maius argumentũ, quo ostendatur, aquam non corrumpi congelatione. Addo, vinum, quanuis virtute sit calidũ, tamen formaliter non requirere tantum calorem, præsertim, quia congelatio, non tam ex frigiditate, quàm ex siccitate prouenit: si ergo aqua cùm non sit minus humida, quàm vinum, non corrumpitur propter illã siccitatem, cur dicetur corrumpi vinum?

Vinum congelatũ si liquefiat potest cõsecrari.

Et ex hoc infertur secundò, si vinum congelatum ante consecrationẽ posteà liquefiat, illud posse esse materiam consecrationis. Hoc censeo fere certum, vt patet ex dictis. Vnde addunt autores secundæ sententiæ, nullum esse peccatum, in huiusmodi vino consecrare, quod est valde probabile, quia re vera nullum est dubium, cõsultius tamẽ existimo non consecrare in illo, si fieri potest, vnde si contingat in Missa inuenire congelatum vinum, ante consecrationem, etiam post oblationem, optimum consilium erit mutare, & iterum offerre, ac posteà consecrare.

Vinũ congelatũ esse sufficientẽ materiã huius sacramẽti.

Vnde tertiò concludo, huiusmodi vinum congelatum esse sufficientem materiam, probatur (præter rationem factam, inter referendam primam opinionem) quia illud est vinum vitis, & consequenter per se est materia potabilis, accidẽtarium enim

A est, quòd sub illa dispositione potari non possit, satis vero est, quòd ex se, & ab intrinseco, habeat naturam & formam potabilem, ad quam facilè & ab intrinseco redigi possit, in quo multùm differt à massa, quæ ex se re vera non est panis propriè autem exemplum simile esset in pane iam cocto, qui præ duritie comedi non posset, nisi mollesieret aliquo modo, qui nihilominus esset materia sufficiens consecrationis, quia retinet panis substantiam, & per se manducabilis est. Et confirmatur, ex differentia inter hoc sacramentum, & baptismum, nam hoc non consistit in actuali vsu, sed in materia consecrata, & ideò satis est, quòd illa materia sit vinum, licèt pro tunc non possit applicari, donec liquefiat, at verò baptismus consistit in actuali vsu, & eius materia proxima est ablutio, ad quam non potest applicari gelu, nisi aliquo modo liquefiat, & ideò, B donec in eam formam redigatur, in qua possit lauare, non potest ad conficiendum baptismum deseruire. Adde, vinum congelatum, quanuis non omnino liquefiat, si in minutiores partes redigatur, posse aliquo modo potari, & re vera habere effectum potus, & vini. Nihilominus tamen non credo licere huiusmodi materiam consecrare, propter dubium, est enim contraria sententia vtcunque probabilis.

SECTIO II.

Vtrum necesse sit aquam vino consecrando miscere.

1. Opinio. Bernar. Armachan.

C QVæstio intelligi potest de necessitate sacramenti & præcepti. Prima ergo sententia asseruit, mistionem aquæ esse de necessitate sacramenti, ita vt si merum vinum quis tentet consecrare, nihil efficiat, ita refert Bernard. epistol. 96. & opinatur Armachanus libr. nono. de quæstionibus Armenorum capit. 9. Fundamentum esse potest, quia illa materia, quam Christus instituit, est de necessitate sacramenti, sed vinum aqua mistum, est necessarium ex Christi institutione: ergo est de necessitate sacramenti. Minor probatur primò, quia institutionem colligimus ex facto Christi, inde enim suprà intulimus panis & vini necessitatem ac institutionem, sed Christus confecit in vino aqua misto, vt habet antiqua Ecclesiæ traditio, Iacobus in liturgia, *similiter* (inquit) *postquam cœnauit, accipiens calicem & permiscens ex vino & aqua, &c.* similia verba habet Basil. in liturg. Clemens libro 8. Constitut. capitu. 12. aliàs 17. Ireneus libro D 4. capitu. 57. vbi, *temperamentum calicis* vocat, & libro 5. capit. 2. vocat, *calicem mistum.* Theodoretus dialog. 1. circa medium, *In mysteriorum* (inquit) *traditione corpus panem appellauit, & sanguinem id quod in calice infusum & commistum erat,* idem Damasc. libro 4. capit. 14. Hierony. Marci 14. Aug. 4. de Trinit. capit. 21. referens Cyprian. libro 2. epistola 3. aliàs epist. 63. cuius sanè verba difficilia sunt, dicit enim, *contra diuinum mandatum & institutionem fieri, si aqua vino nõ misceatur,* & infrà subdit, *ita non posse consecrari vinum solum, sicut neque aquam solam, sed vtrumque mistum.* Denique in cano. 32. Trullan. & Concil. Aurelianen. 4. capit. 4. & Concil. African. capit. quarto. & Concil. Carthaginen. 3. capit. 24. præcipitur, *vt in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur: quàm quod ipse, Dominus tradi-*

Basilius. Clemens. Ireneus. Theodor. Damascen. Hieron. Cyprian. 6. Synod. Cõc. Aurel. African. Carthagin.

tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mistum.

2. Sentent.

Secunda sententia extremè contraria negat, aquam esse miscendam vino, atque adeò non solùm non esse necessarium, verùm etiam neque conueniens, neque fortasse licitum. Hunc errorem tribuunt Græcis graues autores, Glossa ordin. 1. Corint. 11. Innocen. lib. 4. de hoc mysterio, capit. 22. Gabr. lect. 35. in canon. Durand. distinct. 11. quæstio. 5. Guid. Carmel. lib. de hæresib. Castro eodem lib. hæres. 7. Præteol. verbo, Græci. Soto distinct. 9. quæst. 1. artic. 6. & Alanus libr. 1. de Eucharistia. capitul. 13. vbi refert ex Nicolao Cauasil. in expositio. Liturg. aliquos Græcos solitos esse nõ ante, sed post consecrationem, aquam calidam vino miscere. Ego verò apud illum in eo lib. cap. 8. lego. consuetudinem Græcorum esse, ante verba consecrationis infundere in sacrum calicem vinũ, & aquã, dicẽdo illa verba. *Et statim exiuit sanguis & aqua,* prout habentur in liturgia Chrysostomi. Aliam autem cõsuetudinẽ de mistione aquæ calidæ refert in cap. 37. tanquam ceremoniam quandam, quæ fieri solebat in vsu, seu communicatione Eucharistiæ, ad significandum Spiritus sancti effectum, qui per illam datur: non ergo videntur Græci hanc mistionem omisisse. Vnde Theophylactus Græcus. Ioan. 19. circa finem, hunc errorem tribuit Armenis, idẽ Nicephorus libro 1. cap. 53. dicit, Armenos non miscere aquam, vt significẽt, Christum vnius tantùm esse naturæ, at vero Græcos illam miscere, propter duarum naturarum significationem. Itaque non videtur dubium, quin Græci aquam vino misceãt, vt etiam ex dicto can. 32. Trullano, & Græcis Patribus allegatis, & statim citãdis, ac deniq; ex Cõcilio Florentino, in decreto Eugenij certissimum est: corrigendi ergo sunt dicti autores, proprium enim errorem Armenorum Græcis simpliciter tribuerunt, vt bene hic Caietanus notauit. Ad hunc verò errorem accessit Caluinus, solùm quia non est in Euangelio expressum, aquam vino esse miscendam, Lutherus verò in formula missæ, *Nondum* (inquit) *mecum constitui, miscenda ne sit aqua vino,* vt refert Sander. lib. 7. visib. Monarch. anno. 1549. Fũdamentum esse potest, quia aqua non est de necessitate sacramenti, cum materia autem sacramenti nihil miscendum est, quod materia non sit, & præsertim in hoc sacramento, vbi materia conuerti debet in sanguinem Christi.

Innocent. Gabriel. Durand. Guido. Castro. Præteol. Sotus. Alanus. Nic. Cauasil. Theophyl. Niceph. Conc. Flor. Sanderus.

Sine aqua potest aliquis de facto consecrare.

Dicendum verò est primò, hanc mistionem non esse ita de necessitate sacramenti, quin si aliquis tẽtet consecrare in solo vino, verè conficiat, & conuertat illud in sanguinem Christi. Est certa & cõmunis conclusio D. Thomæ hic, & omnium Theologorum cum Mag. distinctio. 11. Alens. quæstio. 32. memb. 5. art. 2. & memb. 6. Innocent. lib. 4. capit. 32. & in eam inclinat Bernar. suprà, & colligitur primò ex Concilio Tridẽt. tota sessione 13. vbi agens de hoc sacramento nihil prorsus de aquæ mistione dixit, posteà verò sessione 22. agens de sacrificio solùm dixit, Ecclesiam, hanc mistionẽ præcepisse, indicans eam non esse de necessitate sacramenti, sed esse ritum quendam & ceremoniam sacrificij Missæ. Fauet etiam Concilium Florentinũ, in quo primùm simpliciter dicitur, materiam esse panem, & vinum de vite, posteà verò subiungitur, *cui, scilicet, vino, aqua ante consecrationem misceri debet.* In quo dicendi modo, satis significat, hanc ceremoniam non pertinere ad ipsam substantiam mate-

Magister. Alensis. Innocen. Bernar. Cõc. Trid. Florent.

A riæ sacramenti, & ideò posteà præcepit, vt Armeni sese cum vniuerso orbe conforment: vnde nõ eos reprehendit ac si nihil conficiant, sed solùm, quia ab vniuersali consuetudine discordent; & hoc modo interpretatur etiam D. Thomas hic quoddam dictum Cypriani, in citata epistola, vbi dicit, *eis, qui sine mistione aquæ interdum consecrerunt, posse veniam concedi, quia ex ignorantia fecerunt.* Quibus verbis indicat, eos quidem confecisse, & vere sacrificasse, & ex ignorantia à culpa excusari, vnde ibidem subdit, *si vinum sine aqua consecretur, incipere sanguinem Christi esse sine nobis,* id est, sine significatione nostræ sanctificationis: incipit ergo ibi esse sanguis Christi. Ratio verò à priori est, quia Christus Dominus non instituit hanc ceremoniam, vt essentialem, hoc autem ex Ecclesiæ traditione, & autoritate B habemus, quæ simpliciter docet, vinum esse materiam sufficientem. Vnde in Euangelio, vini tantùm fit mentio in illis verbis, *Non bibam à modo de hoc genimine vitis:* sed vinum purum est simpliciter vinum: ergo in rigore est sufficiens materia: ergo mistio aquæ absolutè non est de necessitate sacramenti; & hoc magis ex tertia conclusione constabit. Præterea congruentia Diui Thomæ est optima, quia mistio aquæ non significat Christum vel sanguinem eius, qui est potissime res huius sacramenti, quæ ex materia fit virtute formæ, sed significat effectum, qui fit in suscipiente per vsum huius sacramenti, scilicet sanctificationem fidelium, vt Cyprianus dixit: sicut ergo vsus, & effectus consequens illum, est quid posterius hoc sacramento, quod in facto esse consistit, ita mistio aquæ, quæ illum significat, essentialis non est.

Obiectio.

C Dices, etiam significat hæc mistio aquam, quæ de latere Christi exiuit, quod videtur pertinere ad primariam significationem huius sacramenti. Et confirmatur, nam Cyprianus inquit, si vinum sine aqua consecretur, signari Christum esse sine nobis, aut nos sine Christo; efficitur ergo falsa significatio sacramenti, quod est contra substantiam eius.

Cyprianus. Solutio.

Respondetur, illam significationem non esse essentialem, quia neque illa aqua naturalis, quæ exiuit de latere Christi, erat simpliciter necessaria in corpore, vel in sanguine eius, neque nunc in calice efficitur ex vi verborum illa aqua, quæ exiuit de latere Christi, sed solùm sanguis, vt patet ex verbis formæ, *Hic est calix sanguinis mei.* Ad Cyprianum verò respondetur, aliud esse significare vnum esse sine alio, aliud vero significare vnum D non significando aliud, illud prius potest significationem efficere falsam: hoc verò posterius per se non reddit significationem falsam, sed aliquam omittit, & ita est in præsenti; nam, qui consecraret vinum sine aqua, non significaret, posse nos saluari sine Christo, aut Christum non effudisse sanguinẽ suum pro nobis, sed significaret, ibi esse sanguinem Christi, aliam significationem omittendo. Secus verò esset, si quis tentaret conficere in sola aqua; nam ille significaret, vt Cyprianus ait, *nos incipere esse sine Christo,* id est, sanctificari sine sanguine Christi. Aliter autem dicitur in sacramento esse sanguis Christi, & aliter dicimus nos ibi esse, ille realiter per conuersionem vini in ipsum, nos tantùm significatione per mistionem aquæ, & ideò cõtra substantiam sacramenti est, significare nos ibi esse sine sanguine Christi, non verò significare sanguinem, non significando nos.

Universidad de Deusto Biblioteca

2. Conclus.

Dico secundo, quamuis aqua non sit de necessitate sacramenti, nihilominus conueniens fuisse eã vino misceri ante consecrationem. Conclusio est de fide, vt constat ex Concil. Trullano, Florentino, Tridentino, & Carthaginen. Aurelian. & Africano suprà citatis, & ex Vvormaciens. capit. 4. Triburiensi capit. 19. Bracharensi III. capit. 1. & ex capit. in quadam. & capit. cùm Marthe. de celebratione Missarum, & ex Iulio I. capit. cùm omne crimen. de consecrat. distinct. secunda. vbi alia decreta referuntur, & ex Alexandro I. epistola 1. decretal. Ac denique hoc ipsum ex vniuersali totius Ecclesiæ consuetudine & traditione habetur, quæ Ecclesiæ consuetudo & traditio potissimum est huius veritatis fundamentum; eamque, præter dicta omnia, ostendunt Iustinus Martyr, Apologia secunda pro Christianis, circa finem, vbi proponit antiquum Christianorum sacrificandi ritum. Ambros. libro quarto de sacramentis capit. quarto. circa finem. Isidor. libr. primo. de offic. ecclesiastic. capit. 18. Augustinus tractat. 120. in Ioannem, vbi agens de aqua, quæ de latere Christi Domini exiuit, inquit, *Aqua illa salutare temperat poculum, aqua illa & lauacrum præstat & potum.* Optimè Paschal. libro de mysterio sanguinis & corporis Christi, capite quarto. & vndecimo. Beda Marci 14. & Lucæ 22. Anselmus Matthæi 26. Bernardus epistola 69. German. Constantinop. in Theoria rerum Ecclesiasticarum, non longè à principio. Samonas Gazensis Episcop. in dialogorum Achmet. Saraceno citatur denique Gregor. Nissen. oratione magna catechetica. capit. 27. cuius pars est apud Euthymium. 2. pars. Panopliæ titul. 21. Rationes, seu congruentiæ sunt huiusmodi. Prima, quia Christus Dominus ita fecisse creditur, vt patet ex Diuo Cypriano suprà, de qua congruentia plura statim dicemus. Secunda, ad repræsentandum aquam, & sanguinem quæ de latere Christi exiuerunt, ex Alexan. Papa & Aug. suprà, & habetur in cap. 1. de consecrat. distinct. 2. Tertia, ad significandum effectum huius sacramenti, qui est vnio Ecclesiæ cum Christo, quia per aquas solent populi significari. Apocal. 17. Quæ ratio est etiam Cypriani suprà, & has omnes attigit Concilium Tridentinum, sess. 22. capit. 7. Quartam addit hic D. Thomas ex Ambros. libr. 5. de sacramen. cap. 1. ad significandam gratiam, quæ est aqua saliens in vitam æternam. Quinta esse potest, quia per aquã & vinum duplex natura Christi significatur, quã tetigit Nicephor. suprà, & ea vtitur Guillel. Durã. lib. 4. rationalis cap. 30. Neq; est omnino reijcienda, eo q; vinum sanguinẽ significet, nihil enim obstat, quin simul posit ad diuinitatem significandam adaptari, quod vt retulimus, factũ est à Græcis, ad errorem Armenorum confutandum. Sexta, quia hoc sacramẽtum dari debuit sub specie cibi & potus, prout sunt in communi vsu: potus autem cõmunis ac temperatus non est tantùm vinũ, sed etiã aqua, sumitur ex Gregor. Nisseno suprà, Clemente Alexan. lib. 2. Pædagog. cap. 2. & est accommodatè intelligenda, ne nimium probet, nam etiã vinum purum potest esse potus communis, & ideò aqua non est simpliciter necessaria, habet tamen cõgruitatem aliquam. Notat denique Cyprianus suprà propter hanc mistionem præfiguratũ esse hoc mysterium, tum in vino, quod Melchisedech obtulit, tum in aqua quæ ex petra fluxit.

Cõc. Trull. Florentinã. Trident. Carthagin. Aurelian. African. Vvormac. Triburien. Brachar. Iustinus. Ambros. Isidorus. August. Pascha. Beda. Anselmus. Bernardus. Germanos. Samonas. Greg. Niss. Apoc. 17. Guillel. Durand. Greg. Niss. Clem. Alexand.

3. Conclus.

Dico tertiò, hanc mistionem non solùm esse conuenientem & licitam, sed etiam necessariam necessitate præcepti, licèt non sacramenti. Est conclusio certa de fide ex Concilio Florẽtino, & Triden. suprà, & ex alijs omnibus suprà allegatis, vt autẽ hæc cõclusio à priori & radicitus explicetur, tria dubia circa illam breuiter explicanda sunt.

Dub. 1.

Primum est, an hoc præceptũ sit iuris diuini, an humani; graues enim autores censent esse de iure diuino. Alens. suprà. Hosius in confes. cap. 14. in initio, & Castro verbo Eucharistia hæres. 7. cui sentẽtiæ multũ fauet Cyprianus suprà, qui absolutè vocat hoc, *diuinum mandatum*, Concil. Afric. & Aurelian. quæ vocãt, *sacratissimum mandatum, & salutaris institutionem*, Cõcil. Carthagin. & Trullan. quæ vocãt, *diuinam Christi traditionem*, Et adiũgi potest cõiectura, quia, nisi Christus præcepisset, non esset ausa Ecclesia miscere aliquid materiæ sacramenti, quod ad perfectionem sacramenti non spectat, in nullo enim sacramento hoc fecisse legimus.

Alens. Hosius. Castro. Cyprian. Cõcil. Afric. Aurelian. Carthagin. Trullan.

Nihilominus contraria sententia, scilicet, hoc præceptũ esse humanum, est communis Doctorũ in 4. dist. 11. Scot. q. 7. in fine. Durand. q. 5. Soto distin. 9. q. 1. ar. 6. paulò ante solutionẽ argumentorũ. Ledesm. q. 15. ar. 7. Gabr. lect. 35. in can. Guill. sup. & fauet multũ Tridentinum dicens, hoc esse ab Ecclesia præceptum. Nam licèt responderi posset, esse simul ab Ecclesia, & à Christo præceptũ, & Cõciliũ dixisse, quod certius est, nõ tñ negasse aliud, aut exclusisse. Nihilominus tñ ille modus loquẽdi nõ solet vsurpari in rebus, quæ sunt iure diuino preceptæ. Adiungi etiam põt Florentinũ q nõ reprehendit Armenos omittentes mistionẽ hãc, eo q; agerent contra diuinum præceptũ, sed quòd à communi Ecclesiæ consuetudine dissentirẽt. Vnde tota ratio huius præcepti videtur in hac consuetudine poni. Deniq; Alexan. Pap. & Concil. Tribur. cap. 19. solùm dicunt, hoc esse traditum à Patribus. Vltimò adiungi potest coniectura, quia si hoc esset diuinum præceptum, vix posset reddi ratio, cur hoc non sit de necessitate sacramenti, quia hæc necessitas solùm oritur ex institutione & præcepto Christi. Vnde in omnibus alijs materijs sacramentum quidquid ex institutione & præcepto Christi necessarium est, est etiam de necessitate sacramenti. Et hæc posterior sententia sequenda videtur. Ex qua consequenter sequitur, hoc præceptum esse per Ecclesiam dispẽsabile. Imò addit Ledesma suprà, vrgente necessitate, posse etiã sine dispensatione hãc mistionem omitti. Quod mihi nõ probatur, quia res est grauior multò, quàm consecrare cum vestibus sacris, vt suprà sæpe in similibus dixi. Quod autem Summus Pontifex dispensare possit simpliciter probabilius est, practicè verò existimo, vix posse occurrere occasionem, & causam rationabilem, vt talis dispensatio licitè concedatur, quia hæc mistio est res facillima, & quæ vbique ac semper sine inconuenienti fieri potest. Quid verò dicendum sit ad fundamenta prioris sententiæ, ex sequentibus dubijs patebit.

Scotus. Durand. Sotus. Ledesma. Gabriel. Guillel. Durand. Conc. Trid. Florent. Conc. Trib.

2. Dub.

Secundum dubium est, à quo fuerit hoc præceptum traditum, quidam enim existimant, Alexandrum I. hunc ritum instituisse, & præcepisse; vnde in vita eius, quam etiam legit breuiarium Romanum, dicitur iussisse aquam vino misceri, propter aquam & sanguinẽ, quæ de latere Christi fluxerũt. Et ita tenet Guillel. Durãd. suprà, & Sotus citat in eandem

eandem sententiam Armacham. Sed non rectè vt existimo, nam cùm ille docuerit hoc esse de necessitate sacramenti, necessariò dicere debuit esse Christi institutionem. Verior tamen sententia est, non fuisse Alexandrum huius præcepti autorem, sed à temporibus Apostolorum hoc præceptum manasse: verisimile quidem est, Alexandrum fuisse primum, qui tradidit scriptum hoc præceptum, ante ipsum tamẽ traditione & vsu habebatur in Ecclesia, vt ex liturgia Iacobi, & ex dicto can. 32. Trullã. ex Tridentino, ex ipso denique Alexandro apertè colligitur: dicit enim se *tradere, quod à Patribus acceperat*, & in alijs locis dicitur, Romanam Ecclesiã hoc ab Apostolis didicisse, ac perpetuò obseruasse.

Dub. 3. Durand. Vuald.

Tertium dubium est, an Christus Dominus consecrauerit in puro vino, vel aqua misto. Durandus enim quæst. 5. rem existimat incertam esse, Vualdensis autem lib. de sacramentalibus tomo. 3. capit. 32. defendit, Christum in puro vino absque mistione aquæ consecrasse, & citat Chrysostomum hom. 83. in Matth. non tamen fideliter, ibi enim Chrysostomus disputat contra Aquarios, & vt probet vinum esse necessarium, contendit, Christum in vino consecrasse, an verò illud fuerit mistum vel purum, nihil dicit, & ita exposuerunt Patres Concilij Trullani in can. suprà citato, hunc locum Chrysostomi, citat deinde Vualdensis Ambrosium Luc. 9. in quo nihil inuenio, affert præterea Hieronymũ Marci, 14. qui potiùs dicit contrarium, refert denique Augustinum seu autorem libri de Eccles. dogmat. cap. 75. qui non negat, Christum adhibuisse aquam, sed, tacito illo facto Christi, refert hãc consuetudinem miscẽdi aquam vino ad Christi passionem, scilicet, quia aqua ex latere eius cum sanguine manauit. Vnde ab autoritate negatiua videtur insinuare, Christum non adhibuisse aquam, quia si hoc exemplum agnosceret, ex illo potiùs consuetudinẽ Ecclesiæ probaret, & hoc modo citari possunt pro hac sententia Alexander Papa in citata epist. & Innocen. III. in cap. In quadam. de Celebratione missarum, & propter hanc rationem tenuit hãc sententiam Pascha. lib. de corpore & sang. Christ. cap. 11. & Rabba. lib. eiusdem tituli cap. 28.

Chrysost. Ambros. Hierony. August.

Verior tamen, & ferè certa sententia est, Christũ consecrasse in vino aqua misto, ita enim docent antiquissimi Patres, quibus in hac re fides adhibenda est, Iacobus in Liturg. Clemens lib. 8. constit. cap. 12. aliàs. 17. Irenæus. Cypria. & alij suprà allegati, & consentiunt ferè omnes Scholastici, & multùm inclinauit in hanc sententiam Tridentinum, & ad illam accomodari solẽt in sensu saltem spirituali verba illa Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum.* Quæ etiam intellexit ita Hebræos Rabbi Samuel. opusc. de aduentu Messiæ. cap. 20. in tomo. 5. Bibliothecæ. & Hieron. de quæstionibus Hebrai. circa lib. 1. Paralipo. cap. 11. dicit, figuram huius mysterij fuisse, quòd vinum aqua mistum in sacrificiũ Domino offerebatur. Ratio reddi potest, quia decebat Christum, vti potu temperatissimo, atque adeò vino misto. Hãc rationẽ reddit Hugo AEtherianus lib. 2. cõtra Græcos cap. 16. Sed Scholasticis nõ est probata, aliàs posset etiã inferri, æqualem vel maiorẽ partem miscuisse aquæ, tũ etiã, quia nihil ad rationẽ temperantiæ pertinebat, vt in tam modico potu, qui non propter corporis refectionẽ, sed propter mysterium sumebatur, aqua adiungeretur. Igitur præter voluntatem Christi, si humanam rationem reddere velimus, nõ est alia, nisi quia fortasse voluit vti vino prout erat in communi vsu, seu prout erat in mensa. Verior tamen est ratio mystica sumpta ex significatione, nam omnes rationes quæ nunc mouent Ecclesiam, multò magis potuerunt Christum mouere. Nec tamen inde fit, hoc esse de necessitate sacramenti, quia non omnia, quæ Christus in cœna fecit, hanc necessitatem habent, imò nec necessitatem præcepti diuini, vt cõstat de pane azymo & alijs similibus. Hinc verò rectè intelligitur, optima ratione potuisse Ecclesiam imitari Christum in hoc facto, etiam si ad necessitatẽ sacramenti non pertineat, & iuxta hanc sententiam explicari possunt Patres, qui hanc vocant Christi traditionem & institutionem, quia scilicet ab illius facto, & exemplo, duxit originem, tanquam à causa (vt ita dicam) exemplari, & ab aqua, quæ ex latere eius manauit, tanquam à causa (vt ita dicam) finali. Quia illud mysterium per hanc mistionem repræsentatur, & hoc modo omnia commodè expediuntur & conciliantur: nam Patres, qui vnam reddunt causam, aliam non excludunt.

Paschas. Rabanus. Iacobus. Clemens. Irenæus. Cyprian. Hieron.

SECTIO III.

Quæ circunstantiæ seruãdæ sint in aqua vino miscenda.

QVatuor inquiri hoc loco possunt. Primum de qualitate seu natura aquæ miscendæ. Secundum, de quantitate. Tertium, de tẽpore. Quartũ deniq; addi potest persona, à qua miscenda est.

Naturalis esse debet aqua, quæ miscetur in sacramento Eucharistiæ. Alensis. Gabriel.

Primò igitur certum est, illam aquam debere esse naturalem seu elementarem: ita D. Thom. hic, art. 7. ad. 3. Alens. 3. par. quæst. 52. in. 3. art. 1. Gab. lect. 35. in Canõ. cæteri Theologi. distinct. 11. Rationes sunt. Prima, Ecclesiæ traditio & cõsuetudõ, secunda, quia Christus hãc aquam miscuit vino, q; consecrauit, tertia, quia hæc sola est accommodata ad significationẽ, tũ quia, cùm Scriptura dicit aquarum nomine significari populos, planè intelligit de naturalibus aquis, tum maximè quia aqua, quæ de latere Christi exiuit, fuit vera & naturalis, vt vox ipsa, qua Euangelista vsus est, in proprietate significat, & definitur in cap. In quadam. de Celebrat. miss. Vnde fit, eo modo esse necessariam aquam naturalem, quo mistio necessaria est, scilicet necessitate præcepti, non sacramenti. Qui verò opinaretur mistionem aquæ esse de necessitate sacramenti, consequenter dicere teneretur, naturalem aquam esse eodem modo necessariam, quia rationes sunt eędẽ. Addẽdum verò est, si quis simul cum naturali aqua adiungeret rosaceam, vel aliquam similem, in parua quantitate, in primis, in omni sententia, illum nihilominùs confecturum sacramentum, quia habet veram ac necessariam materiam. Deinde, non peccaturum contra affirmatiuum præceptum de aqua miscenda, quia hoc non omittit. Tandem, peccaturum grauiter contra negatiuum præceptum, non miscẽdi aliquid in materijs sacramentorum, præter Christi institutionem, & cõsuetudinem Ecclesiæ. Et ex his iudicandum est de qualitate accidentali aquæ, vt quòd sit calida aut frigida, pura, & c. in his enim seruanda est reuerentia sacramenti, & ordinaria con-

Universidad de Deusto Biblioteca

consuetudo Ecclesiæ, & nullus nouus ritus introducendus.

Parua quãtitas aquæ debet misceri.

Secundò, quoad quantitatẽ, docent omnes Theologi debere misceri in parua quantitate, seruata proportione ad quantitatem vini, quæ verò debeat esse hæc proportio, non eodem modo, nec facilè explicatur. Vnum verò est certissimum, aquam non debere esse tantam, vt possit corrumpere vinum, aliàs deficere posset materia necessaria. Vnde etiam fit, non debere apponi in maiori quantitate, quàm vinum, vt habetur in capit. Perniciosus. de Celebrat. missar. Et similiter est certum, non debere esse æqualem, quia licèt in huiusmodi mistionibus, si aliquid vini conseruetur, probabile sit cõsecrationem esse validam, tamen ille modus miscendi aquam, & consecrãdi materiã, est indebitus, & præter vsum Ecclesię, & interdũ potest reddere materiã vel nullam vel dubiam: oportet ergo, vt aqua sit in minori quãtitate, quàm vinũ, in quanta verò proportione debeat esse minor quantitas, vix potest definiri, nam, licèt in Concilio Triburiensi cap. 19. dicatur. *Duæ partes sint vini, tertia aquæ, quia maior est maiestas sanguinis Christi*, tamen Concilium Florent. dicit, miscendum esse *pauxillum aquæ, & aquam modicissimã* quibus verbis multo minorem quãtitatem indicat & hoc etiam videtur Ecclesiæ vsus docere, nec potest certior regula præscribi, quã vt sit aqua in modicissima quantitate. Et ratio adiungi potest, quia certum est, quamlibet guttulam aquæ, dummodò satis sensibilis sit, esse sufficientem, quia illa est vera aqua sensibilis, & ad significationem sufficit. Aliunde verò, quò fuerit minor quantitas, eò certiùs erit, non posse corrumpere vinum, sed potiùs è conuerso ipsam facilè posse conuerti in vinũ, quod fortasse necessarium est, vt debito, & conuenienti modo fiat hæc mistio. Propter quod Guillelmus Durandus libro. 4. sui Rationalis cap. 30. arbitrio prudentis sacerdotis hoc relinquit, dummodò aqua à vino absorberi possit, sed hoc pendet ex dicendis sectione sequente, vbi de illo decreto Concilij Triburiensis plura dicemus.

Conc. Triburiense. *Florentinũ.* *Guillel. Durand.*

Obiectio. Sed dicet aliquis, non esse verisimile, Christum hoc modo miscuisse aquam, sed prout ad temperandum potum vsualem communiter adhiberi solet.

Solutio. Respondetur, hoc rectè solui ex his, quæ suprà dixi, Christum non instituisse hoc sacramentum inter cœnandum cœna vsuali, ac si rem communem & vulgarem ageret, sed ante inchoatam illam, singulari attentione, & reuerentia prout mysterium postulabat. Vnde fit, non oportuisse, vt vteretur in mysterio vino misto, modo vsuali, sed modo mystico, prout nunc in sacrificio fit. Et hoc modo intelligendi sunt Patres, quando vocant hunc calicẽ mistum, seu dilutum & temperatum aqua, loquuntur enim de mystica & significatiua mistione.

Mistio aquæ debet fieri tẽpore sacrificij.

Tertiò, quod ad tempus attinet, certum est primò, faciendam esse hanc mistionem tempore sacrificij, & in ipso sacro calice, itaque non sat erit quòd domi, vel in dolio fiat, quia illa non esset sacra ceremonia, nec sacram haberet significationem. Ita D. Thomas hic ad 3. dicens, debere fieri mistionem in ipsa celebratione sacramenti, idẽ fere Alens. 4. part. quæst. 32. memb. 5. artic. 2. in fine, vbi inquit, grauiter peccare eum, qui miscet aquam, antequãd mysteria vel præparatio ad ea inchoentur. Gab. etiam distinctio. 11. quæstio. 2. dub. 4. Richar. artic. 3. quæstio. 6. qui aduertit aquam debere infundi in calice, iam habente vinum, ad consecrationem deputatum ex intentione ministri, idem Syluest. verbo Euchar. primo. Rursus, vt minimum, necesse est fieri mistionem hanc ante calicis oblationem, ita enim habet vniuersali Ecclesiæ vsus, & grauiter peccaret qui voluntariè hoc omitteret, si tamen ex negligẽtia accidat, & ante consecrationem aduertatur, statim adhiberi debet. Si verò facta iam sit consecratio omittenda est mistio, quia iam cessauit ratio, & tempus præcepti, & significationis, nec est iã aqua sanguini Domini miscenda. De toto autem tempore à principio missæ, vsque ad oblationem nulla est præcepti necessitas. Soto & Syluester magis probare videntur, quòd in initio missæ fiat, quia est maior mora temporis vt aqua in vinum conuertatur. Alẽsis verò dicit in missis solennibus fieri post Euangelium, in priuatis verò solere antea fieri. Contrarium autem à multis seruatur, scilicet, vt in priuatis missis fiat post Euangelium, in solennibus autem antea. In missali tamen Romano dicitur fieri debere post Euangelium, facta hostiæ oblatione, & hic modus est satis tutus, & sufficiens. Denique in hoc, qui secutus fuerit suæ Ecclesiæ consuetudinem, non errabit.

Alens. *Gabriel.* *Richard.* *Syluest.*

Quis facere debeat hanc mistionem. Guillel. Durand.

Circa quartum, quis debeat aquam infundere, Guillel. Duran. dicit capit. 30. solum Presbyterum debere hoc facere, quia solus ipse Christum repræsentat, qui suo sanguine populum redemit. Addit Ledesma quæstio. 15. art. 7. dub. 3. debere esse eundem sacerdotem, qui missæ sacrificium offert, quia aliàs non significaretur quod Ecclesia intendit sed neutrum puto simpliciter esse necessarium, seu præceptum, quia in missali Romano præscribitur, vt in missis solennibus subdiaconus infundat aquã à sacerdote benedictam in calicem, & in hoc sunt diuersæ consuetudines, presertim in missis solennioribus. Vnde in priuatis missis tutũ est seruare quod Ledesma dicit, in solennioribus verò, quod in missali Romano habetur, vel quod tenuerit consuetudo, fieri sine culpa potest.

Ledesma.

SECTIO IIII.

Vtrùm aqua vino mista cõuertatur in sanguinem Domini, & sub hac intentione misceri debeat.

1. Sententia.

PRima sententia dicit, aquam conuerti non in sanguinem, sed in quendam humorem aqueũ, seu phlegma, quod secundùm hanc sententiã de latere Christi Domini exiuit. Fundamentũ eius sententiæ est, quia per mistionem aquæ & vini significantur aqua & sanguis, quæ à latere Christi fluxerunt, in sacramentis autem nouæ legis, id, quod significatur, vi & virtute sacramentorum efficitur. Hanc sententiam refert Innocentius in capite. Cũ Marthæ, & in capite. In quadam. de Celebratione missarum, & illam damnat vt absurdam, erroneam, & Catholicæ veritati contrariam.

Reijcitur. Primò, quia hæreticum est negare, aquã, quæ de latere Christi exiuit, fuisse veram & naturalem aquam, est enim contra vim verborum Euangelij & contra communẽ Sanctorum intelligentiam. Deinde illa aqua, quæ exiuit de corpore Christi, non pertinebat ad veritatem & substantiam illius: aqua enim elementaris

non est de ratione corporis humani. Vnde omnes Sancti docent, supernaturaliter ac miraculosè manasse aquam illam de corpore Christi iam defunctis: ergo illa aqua non manet nunc in glorioso corpore Christi: ergo non est, quòd hæc aqua in illam conuertatur. Prætereà verba formæ non significant talem conuersionem, sed id totum, quod designatur pronomine *Hic*, dicitur esse sanguis: ergo nõ fit alia conuersio per illam formam. Denique licèt sacramenta efficiant quod significant, non tamen omnes ceremoniæ sacræ, quæ illis adiunguntur, similiter efficiunt. Hæc autem solùm est ceremonia quædam sacramentalis, vt dictum est.

2. Sententia.

Secunda sententia est, aquam vino mistam non conuerti, sed manere in propria specie, & natura admistam speciebus vini post consecrationem, ita refert Innocentius III. in dicto capit. Cùm Marthæ. Fundamentum est, quia solum vinum immediate conuertitur in sanguinẽ solum enim illud est materia, & solæ species eius significant sanguinem Christi: ergo aqua non conuertitur immediatè in sanguinem, cùm non sit materia. Dices, conuerti mediatè scilicet, priùs in vinum, & posteà in sanguinem. Sed contra, quia prior conuersio non est ponenda super naturalis & miraculosa: nullum enim est fundamẽtum, neque in forma, neque in institutione: naturalis autem esse non potest, quia naturaliter non conuertitur, nec vinum censetur habere tantam naturalem efficaciam, vt tam subitò aquam in se conuertat, præsertim si tertia pars aquæ misceatur, vt Triburien. Concilium permittit: est ergo hæc mistio solùm imperfecta per iuxta positionem. Et confirmatur, quia fieri à multis dicitur, vt aqua sic vino mista filo lineo, aut medulla iunci, vel alio simili artificio à vino separetur. Quòd si obijcias, nam incõueniens est aquam misceri vino, si non est in sanguinem conuertenda. Respondent, non misceri vt cõuertatur, sed solùm cuiusdam ceremoniæ gratia, & propter quandam significationem, cùm enim hæc mistio non sit ex Christi, sed ex Ecclesiæ institutione, nõ pertinet ad materiam, neq; ad effectum sacramenti, atque adeò neque ad consecrationem, & cõuersionem materiæ, sed solùm est quędam sacramẽtalis ceremonia. Neque ex hoc sequitur aliqua indecentia, vel aliquod incommodum, quia illa aqua re vera non contingit sanguinem Christi, sed solas species.

Refutatur. Magister. Gabriel. Alensis. Soto. Alanus. Innocent. Rabbanus.

Hanc sententiam relinquit Innocentius vt minùs probabilem, & ita est ab omnibus scholasticis reiecta. D. Thoma hic & alijs, cum Magistro. distinctio. 11. Alensi: quæst. 32. memb. 5. Gabr. lect. 35. in canon. Soto distinctio. 6. quæstio. 1. artic. 6. Alan. libro. 1. de Eucharist. capit. 13. qui omnes docent, aquam infundi calici, vt conuertatur in sanguinem, atque ita fieri sæpe, ac frequentissimè, & idem docuit Innocen. lib. 4. cap. 32. Rabban. suprà cap. 4. Et potest hæc sententia autoritate Patrum refutari: dicunt enim aquam vino mistam *consecrari sanctificari, benedici*, quibus verbis significare solent conuersionem. Vnde in Canonibus à Martino Bracaren Episcopo collectis. can. 55. & habetur in cap. Non oportet. de Consecrat. distinctio. 2. dicitur. *Hæc tria, panem, vinum, & aquam, in typum Christi benedici*, & infrà dicitur. *Hæc tria vnum sunt in Christo Iesu*, Cyprianus dicta epistola. 63. dicit, *Calicem Domini, non esse vinum solum, neque aquam solam, sed vtrũque mistum, & hoc esse quod sanctificatur*. Clariùs Damascenus lib. 4. cap. 14. dicens, *Qui fecit omnia, potest ex vino & aqua sanguinem suum conficere*. Ambrosius lib. 4. de sacramentis. capit. 4. in fine. *Vinum & aqua (inquit) in calicem Domini mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis*, & cap. 5. *Ante verba Christi calix est vino & aqua plenus, vbi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur*. Paschas. dicto lib. cap. 11. expressè dicit, non manere aquam, sed verti in sanguinem, idem sentit Alger. lib. 1. cap. 16. circa finem. *Cùm (inquit) vinum pro Christo, & aqua sacrificetur pro populo, & vtrumque vnus sanguis fiat, quid nisi vnitas capitis, & membrorum significatur?* Ratione prætereà argumentor primò, ex veritate formæ, quæ absolutè dicitur. *Hic est calix sanguinis*. Per illud autem pro nomẽ, *Hic*, designatur totus ille potus, & liquor, qui in calice continetur: si ergo non totus ille est sanguis, forma non est simpliciter vera. Nam ad veritatem illius locutionis necesse est, vt id totum, quod designatur, non sit alia substãtia, nisi sanguis Christi, simili enim argumento infrà probabimus, non manere ibi substantiam vini. Secundò totus calix statim post consecrationem proponitur populo adorandus, ergo supponitur, sub omnibus speciebus illius vini misti, non esse aliam substantiam, nisi Christum & sanguinem eius. Tertiò, nam, post consumptionem calicis, sacerdos censetur manere ieiunus, vnde permittitur interdum iterum, atque iterum consecrare, ac sumere, dummodò post species consecratas nihil sumat, ergo signum euidens est, credi ab Ecclesia, totum id, quod est in calice cõsecrato, manere consecratum, aliàs, sumendo species vini, necessariò sumeret sacerdos veram & naturalẽ aquam, & ita non maneret ieiunus. Quartò deniq; quia planè indecens fuisset, & non minùs absurdũ miscere aliquid vino consecrando, vt simul cum vero sanguine Christi Domini in sua substantia & natura permaneret: ergo ex intentione Ecclesiæ misceatur aqua, vt in verum Christi sanguinem conuertẽda, hoc enim non repugnat significationi, sed illã potiùs maximè iuuat, quia meliùs & perfectiùs significatur vnio Ecclesiæ cum Christo: ergo per consecrationẽ re vera perficitur hæc conuersio, aliàs valde eluderetur ac deciperetur Ecclesia in huiusmodi ceremonia.

Cyprian. Damasc. Ambros. Paschas. Algerus.

Dubium.

Difficultas verò superest, vtrùm, vt aqua conuertatur in sanguinẽ Christi Domini, necesse sit priùs conuerti in vinum, vel possit immediatè in sanguinem transire. Et tria in primis sunt, in quibus ferè omnes Theologi consentiunt. Primum, si aqua conuertantur in vinum, quando profertur forma, certissimum esse in sanguinem conuerti, tum quia jam est vinum, & consequenter est materia, tum quia omnia allegata hoc maximè probant. Secundum est, si aqua in debita proportione misceatur, & debito tempore, frequentiùs accidere, vt conuertatur in vinum ante consecrationem. Hoc pendet ex principijs philosophiæ, & explicari potest, tum quia vinum propter caliditatem suam videtur esse maximè actiuum, tùm, quia per mistionem illa aqua in minutissimas partes distribuitur, & à contrario agẽte vndiq; circundatur, & ideò verisimile est, facilè conuerti, vt sentit etiam Arist. 1. de generat. c. vltimo. Tertium & ad vsum pertinẽs est, sacerdotẽ debere aquam miscerẽ ea intẽtione, & modo, vt verisimile sit posse facilè in vinum cõuerti ante consecrationem. Ratio est, quia in sacramentis conficiendis id est eligendũ, quod certius, si autẽ aqua in vinum

num transeat, certum est verti in sanguinem, si autem in sua substantia maneat, vt minimũ est res valde dubia: ergo curare sacerdos debet, vt possit in vinum conuerti, & hoc docent Ecclesiæ consuetudo, & Concilium Florentinum, dum inquit, modicissimam aquam esse miscendam: hæc enim videtur esse illius quantitati ratio potissima. *Conc. Flo.*

Dubium. Controuersia ergo superest, si interdum contingat tempore consecrationis aquam non esse in vinũ conuersam, vtrùm maneat, an immediatè conuertatur in sanguinem.

Ambros. Damascen. Altisiodor. Pet. Soto. Alanus.

In qua re est tertia sententia tunc aquam conuerti in sanguinem. Quæ opinio solet tribui Paschasio, & Algero suprà. Sed illi nihil dicunt de immediata conuersione, sed simpliciter loquuntur, sicut alij Patres, qui eadem ratione videtur huic sententiæ fauere. Præsertim Ambrosius, & Damascenus: indicant enim, aquam manere vsque ad consecrationem, & conuerti, & eodẽ modo referri potest Altisiod. lib. 4. sum. tract. 5. cap. 2. dicit enim, panem transubstantiari in corpus, vinum & aquam in sanguinem, citari etiam potest Petrus Soto, qui lect. 14. de Euchar. sic loquitur, *Neque opus est scrupulose inquirere, vbi aqua apposita maneat, totum enim, quod in calice est, vinum est, & illud conuertitur in sanguinem Christi.* Sed hæc omnia facilè explicari possunt: Ex omnibus scriptoribus Catholicis, solum inuenio Alanum lib. 1. de hoc sacramento. capit. 13. loquẽtem hæc verba. *Probabilius est, quod omnium penè Ecclesiasticorum scriptorum iudicio defenditur, aquam modicè infusam in vini substantiam prorsus desinere, & tamen si id non fieret, sed existeret aqua in varias & abditas vini partes diffusa, facerent nihilominus vnum, non specie, sed permistione, & totum illud, modò vinum prædominantem partem obtineret, conuerteretur in sanguinem Dominicum, idque certa fide tenendum est, vtcunque illud aliud, cum in naturæ obscuritate positum sit, ignoretur.* Sed excessit hic autor præsertim in illo vltimo verbo, quia neque est certa fides, nec admodùm probabilis opinio, vt dicam.

Fundamenta verò potissima huius sentẽtiæ sunt eadem, quæ contra secundam sententiam posuimus quia si necessaria est conuersio aquæ in vinũ, vt fiat transitus in sanguinem, & semper incerta erit talis conuersio, & sæpe erit certum non fieri: vtrumque autem videtur eodem modo impugnari, prædictis rationibus, quibus secunda opinio impugnata est. Sequela, quoad priorem partẽ, per se nota est, quia illa naturalis conuersio est valde incerta, præsertim si iuxta Concilium Triburiense tertia pars aquæ misceatur, vel certè si vinum sit natura sua valde debile, vel nimis densum, ita vt non possit per aquam tã facilè diuidi, ac distribui, vel, si ex accidenti, sit nimis frigidum. Altera pars sequelæ constat, si, verbi gratia, contingat, in calice non fuisse positum vinũ, & posteà instante iam consecratione necessarium sit ponere aquam & vinum, & statim consecrare, nam tunc euidens est, aquam non esse conuersam in vinum, & certè in facto Christi videtur ita accidisse, nam vt ex Euangelijs colligi potest, statim, ac posuit vinum in calice, consecrauit, & dedit discipulis: non ergo expectauit illud tempus conuersionis aquæ in vinum. Adde, totam illam moram, quę est à tempore, quo miscentur vinum & aqua vsque ad consecrationem, esse accidentariam, & præter institutionem huius sacramenti ob ceremonias Ecclesiæ; ergo & conuersio aquæ in vinum, quæ in illa mora fit, est accidẽtaria, & absq; illa fieri potest consecratio totius vini aqua misti. Quòd verò eadem incommoda sequantur in contraria sententia, quæ contra secundam obiecta sunt, facilè patebit discurrendo per singula. Nam in primis non posset adorari totum illud, quod est in calice. Deinde, etiam sacerdos non esset ieiunus. Item pronomen *hic*, vel non designaret totam illam materiam, vel certè forma redderetur falsa, & inefficax. Demum, quia Sancti eodem modo, & eadem certitudine loquuntur de conuersione aquæ ac vini.

Secundò principaliter argumentor ratione, quã indicat Alanus, quia postquã facta est mistio aquæ, quamuis substantialiter minimè sit conuersa in vinũ totum illud censetur vinum per modum vnius potus, vt est in vsu; ergo totum illud est materia apta vt conuertatur. Patet consequentia, tum quia Sancti solùm requirunt vinum aqua mistum, & tamen communi vsu & appellatione illud est propriè vinũ aqua mistum, nam facta conuersione aquæ in vinũ, potiùs videtur esse vinum simplex, tum etiam secundo, quia ad consecrationem corporis tantùm requiritur panis triticeus vsualis, & non alius: vnde etiam si habeat particulam aliquam confectam ex farina hordeacea, nihilominùs tamẽ totum illud simpliciter consecratur: cuius ratio hæc reddi potest, quia est per modum vnius cibi vsualis, ergo similiter. Tum denique tertiò sic argumentor, quia, si Christus dedit nobis vinum aqua mistum, vt sufficientem huius sacramenti materiam, sine causa vel vtilitate voluisset, vt omnino aqua priùs conuerteretur in vinum, quàm in sanguinem, ergo verisimilius est, his non obstantibus, esse contentum vsuali mistione.

Catechis. D. Thom. Innocen. Rabban. Alens. Scotus. Richar. Maior. Palud. Bonauen. Gabriel. Soto.

Nihilominus dicendum censeo, aquam non conuerti in sanguinem, nisi priùs in vinum transmutetur. Primò, quia, vt dicitur in Catechismo Pij V. hæc est sententia omnium Ecclesiasticorum scriptorum, docuit illam Diuus Thomas hîc, & Innocentius. lib. quarto de hoc mysterio. cap. trigesimo secundo. Rabbanus libro de Corpore Domini capite quarto, Alexand. Alensis quarta parte quæstio. trigesima secunda, membro quinto, artic. secũdo & tertio, & reliqui Theologi in quarto, distinctione vndecima, vbi Scotus. quæstio. septima. Richardus. art. secundo quæstio. quinta. Maior quæstio. secunda, Paluda quæstio. prima. arti. septimo. Bonauent. secunda par. distinctio. artic. 1. quæst. tertia, qui aduertit etiam, Christum Dominum nõ consecrasse calicem, donec aqua in vinum fuisset cõuersa. Gabriel. ibi quęstio. 2. & lectio. 35. in cannon. qui dicit esse indubitatam sententiam, quam omnes moderni scriptores amplectuntur, & Soto distinctio. 9. quæstio. 1. artic. 6. dicit, Innocentium III. in cap. Cùm Marthæ de Celebrat. missarum, illam vt certissimam docuisse, tamen re vera Innocentius solùm illam amplectitur vt probabiliorem sententiam, quod non parum mouere debet, vt illam amplectamur, sed illud etiã me maximè mouet, quod cũ Innocẽtius ibi tres referat sententias de hac conuersione aquæ, nullã mentionẽ fecit eius, quæ asserit cõuerti immediatè in sanguinẽ, & idẽ videre licet in omnibus antiquis Scholasticis, quod est manifestũ iudiciũ, antiquorũ omniũ sensum, & quasi indubitatã sententiã fuisse, aquam vel manere in sua substantia, vel conuerti in vinũ, & hoc argumentum in materia sacramentorum est valde efficax.

Secun-

Conc. Flo. Trident. Cyprian.

Secundum huius cõmunis sententiæ fundamentum esse videtur, quia materia consecrationis solũ est vinum, cui aqua miscetur, non vt materia, sed solùm per modum ceremoniæ ad significationẽ quãdam, sola autem materia est, quæ cõuertitur, vt per se constat. Antecedens, præter communem sensum & traditionem scholasticorum, habet nonnullum fundamentum in Scriptura, quæ solius vini meminit. Deinde multùm indicatur in Concilio Florentino, vt suprà aduertebam: nam priùs simpliciter dicitur, vinum esse materiam, posteà additur, illi esse modicissimam aquam miscendam, insinuatur etiã in cap. Firmiter, vbi solùm panis & vinum dicũtur conuerti in corpus & sanguinem Christi, & similiter Trident. sess. 13. can. 2. dicit, panem in corpus, & vinum transire in sanguinẽ: & duntaxat manere species vini, nec mentionem facit aquæ, & specierũ eius, sicut ergo solus panis est materia proximè cõuertibilis in corpus Christi, & licèt fiat ex farina, & aqua, tamen aqua manens in sua substantia, non est capax illius conuersionis, nisi priùs transeat in substantiam panis; ita solum vinum, quod ex æquo ponitur cum pane vt materia huius sacramẽti, est proximè conuertibile in sanguinem, & non aqua, nisi in substantiam vini transeat. Et hoc est, quod Cyprianus suprà citatus ait, *Quando vtrũque miscetur & adunatione confusa sibi inuicem copulantur, tum sacramẽtum spirituale, & cæleste perficitur, sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse sub farina sola, aut aqua sola, nisi vtrũque fuerit adunatum*, vbi significat non magis aquã posse conuerti immediatè in sanguinem, quàm in corpus, sed oportere, vt cum vino coalescat in vnum, quod mistũ dicitur, non quia substãtialiter sit diuersum à vino, sed quia postquàm partem aquæ in se conuertit, temperatũ manet, & qualitatibus aquæ affectum.

[illegible] Obiectio. Solutio.

Tertiò hoc declaratur à posteriori, quia, si aqua ex æquo est materia, ac vinum, reddi non potest ratio, cur, vel non sit æquè necessaria, ac vinum, vel non possit ipsa sola ac pura immediatè conuerti in sanguinem, sicut potest purum vinum. Quod præterea ita declaro, nã si sufficit vinũ mistum per iuxta positionem: ergo etiam si misceatur æqualis, vel maior pars aquæ, nihilominùs totum illud mistum conuertetur in sanguinem, quia re vera est vinum mistũ vsuale, nec reddi potest ratio, cur minor quãtitas possit conuerti, & nõ maior. Dici potest, aquã non posse cõuerti, nisi saltem accidentaliter sit alterata à vino, & receperit accidentia eius. Sed cõtra, nam saltem sequitur, solam aquam, dummodò habeat accidentia vini, etiam si non habeat admistam substantiam eius, posse conuerti, quod est omnino falsum. Sequitur deinde, si contingeret, vinum & aquam ita misceri, vt vtriusq; substantia periret, & fieret vnum aliquid distinctum habens accidentia vini, quod in ordine ad communẽ potũ, vel vsum existimaretur vinũ lymphatum, nihilominùs illud esse materiam, quod est alienum à sana doctrina, & definitione Conciliorum. Imò prætereà sequi videtur, si paululum aquæ rosaceæ misceatur vino & recipiat accidentia eius, licèt in vinum non transeat, posse conuerti in sanguinem Christi, quia etiam totum illud mistum est per modũ vnius potus, & substantia aquæ naturalis, per se sumpta, non est magis materia, quàm substantia aquæ rosaceæ. Et ita nonnulli concedunt hanc sequelam, sed re vera consequens est valde absurdum, & contra omnem antiquitatem. Et confirmatur, nam hac de causa introductũ est in Ecclesia, vt modicissima aqua misceatur, quia re vera existimatũ est, aquam in sua substãtia non esse materiam. Tandẽ cõfirmo, quia si aqua durans in substantia sua, conuerteretur in sanguinẽ Christi, eadem ratione sanguis Christi contineretur, & conseruaretur sub accidentibus aquæ: ergo si cõtingeret species vini acescere, ita vt nõ possent conseruare substantiam vini, species autẽ aquæ integras manere, conseruaretur sanguis Christi sub speciebus aquæ, etiam si desineret esse sub speciebus vini. Et eadem ratione, si illa aqua posset in se conuertere vinum, & proportionalis actio inter ipsas species intercederet, posset in illis conseruari sanguis Christi: ac denique, si quacũq; ratione illæ species aquæ consecratæ separarentur ab speciebus vini, retinerent sub se sanguinem Christi, quod est re vera inconueniens & absurdum: cùm tamen nõ possit satis consequenter dici, propter solam separationem desinere ibi adesse corpus Christi, & substantiam aquæ redire. Signum ergo est, solum vinũ immediatè conuerti in sanguinem Christi.

Argumentorum solutio. Ad primũ. D. Thom.

Argumenta verò contrariæ sententiæ non sunt magni momẽti. Ad primum ergo in primis dicitur vt in plurimum, satis certum, ac verisimile esse, præcedere conuersionem aquæ in vinum, vt suprà probatum est. Et ad illam experientiã, qua dicitur aquã iterum separari posse à vino, responderi potest, vel id solùm contingere, si fiat, antequàm cõuersio perficiatur, vel certè, vt respondet D. Thom. in 4. d. 11. in expositione literæ, id, quod separatur nõ est aqua, sed quidam aqueus humor, cuius signum est, quòd etiam ex puro vino potest extrahi. Deinde dicitur, si interdum contingat consecrationẽ fieri ante conuersionem aquæ in vinum, non sequi aliquod incõmodum, magis quidem decet, vt, si commodè fieri potest, aqua prius in vinum cõuertatur. Et hoc sensu intelligenda sunt & acceptanda, quæ contra secundam opinionem dicta sunt, si tamen aliud accidat interdum, non refert. Ad illud verò de adoratione respondetur, nõ adorare fideles quidquid est in calice, possunt enim interdum esse in calice aliæ res, vt paleæ, &c. adorant ergo id, quod consecratũ est, seu quod sub speciebus vini cõtinetur. Ad aliud de ieiunio respondetur, satis esse, vt probabiliter credatur, aquam esse conuersam in vinum, si tamẽ interdum accideret, certum esse talem conuersionem non esse factam, vt in casu illo, quando instante iam consecratione cognoscitur defectus vini, & tunc apponitur & statim consecratur, tunc (inquã) consultius esset, vt sacerdos se existimaret non ieiunum, neque iterum conficeret, quanquam, si vellet alteri opinioni adhærere, quia totum illud recipitur per modum vnius sacramenti, &, quia cõtraria opinio non est omnino improbabilis, non damnarem illum. Ad aliud de forma seu pronomine, *hic*, respõdeo, idem argumentum fieri posse, si vino sit admista gutta mellis, vel alterius liquoris, vel si intra panem lateat particula casei. Respondetur ergo, ex intentione sacerdotis, seu Ecclesiæ, & Christi, ad quam sacerdos se cõformat, solùm designari, quod sub speciebus vini continetur. Vel certè, sicut hoc dicitur absolutè vinum, licèt particulam aquæ admistam habeat, ita illud idem dicitur sanguis Christi post conuersionem, licet eandem particulã aquę habeat admistam.

Ad

Solutio. 1. Ad secundum argumentũ respondetur, nõ quẽlibet potũ, sed vini tantùm, esse materiam huius sacramenti, vt ostensum est, aliàs si argumentũ illud esset efficax, quicũq; alius liquor esset admistus vino, si tamen cõstitueret vnũ potũ vsualem, tota illa esset materia consecrabilis, quod est apertè falsum. Et argumentũ de pane potius probat contrarium; quando enim aliqua farina hordeacea ita miscetur triticeæ, vt tandem totum, quod cõficitur, sit panis triticeus, & eiusdem rationis, ac substantiæ, tunc totũ consecratur, si verò contingeret, particulam panis hordeacei manere interpositam pani triticeo, substãtialiter tamẽ ab illo distinctam, re vera nõ cõsecraretur. Neq; Sancti dicunt, vinũ vtcunq; mistũ esse materiam, sed vinũ simpliciter, cui dicũt miscẽdam esse aquam, hanc verò dicunt cõuerti in sanguinẽ, quia, saltem mediatè, ita communiter fit, & interdũ etiam dicunt, vinũ mistum aqua conuerti, quia, licèt aqua conuersa sit in vinum, tamen simpliciter vocatur illud, vinum mistum, quia manet affectum, ac temperatum qualitatibus aquæ.

Solutio. 3. Et idem tandem dicitur ad institutionem Christi. Vnde illud argumẽtum retorqueri potest, quia Christus non instituit aquam, vt partem materiæ, cuius signum est, quia non præcepit illam misceri, neq; est verisimile, dedisse potestatem ad conuertẽdam materiã, quã nõ præcepit apponi. Quòd si fortasse alia sententia dicat, potuisse hanc materiã institui vt sufficientẽ, & non vt necessariam, & vt sufficientẽ, tali modo, & nõ alio. Respõdeo, potuisse quidẽ id facere Christũ, sed nõ cõstare id fecisse, quin potiùs contrariũ. Et distinctionẽ illã, de materia sufficienti, & necessaria, inauditã esse in alijs sacramẽtis, præterquàm pœnitentiæ, in quo fuit specialis ratio, in natura rei fundata, vt ibi dicetur.

Et ex his sequitur primò, si post consecrationem contingat, species cõsecratas corrũpere aquam, illã conuerti in solum vinum, & non in sanguinẽ Christi, quia hæc conuersio non fit, nisi per formã, quæ iam habuit totum suum effectum: species autẽ consecratæ virtutem retinent ad generãdum vinũ, ac si substantia adesset, vt ex infrà dicendis cõstabit.

Si post cõsecrationẽ calicis aqua in vinum transeat non fit sãguis Christi.

Secundò sequitur, si contingat aquam cõuerti in vinum, in eodẽ momẽto, in quo perficitur forma consecrationis, & conuertitur vinum in sanguinẽ, in eo casu aquã conuerti in vinum & nõ in sanguinem. Probatur, quia dictum est aquam nõ posse immediatè transire in sanguinẽ, in eo autẽ casu nec immediatè posset, quia neq; in eodẽ momẽto potest fieri duplex conuersio, aliàs in eodem instanti aqua inciperet esse vinũ, per primũ sui esse, & desineret esse vinũ, per primum nõ esse, quæ est aperta implicatio cõtradictionis, neq; post illud instans potest aqua trãsire in sanguinẽ, qa iã actio formæ cessauit.

Si in momẽto consecrationis, aqua conuertatur in vinum nõ transit in sanguinem.

Tertiò difficilius est, quid sit dicendum, si contingat, conuersionem aquæ in vinum fieri, ante finitã formam, tamen post illam inchoatã, & post dictũ pronomen, *hic*, videtur enim probabile tunc cõuerti in sanguinẽ, quia in instanti consecrationis aqua iam est vinum, & tota significatio formæ refertur ad illud instans, vt videbimus. In contrarium autẽ est, quia vt consecratio fiat, oportet materiam esse præsentem, quando illo pronomine designatur: ergo multò magis necesse est, vt iam existat. Sicut in consecratione panis, si quis inciperet proferre formã, antequàm panis esset præsens, vel propinquus, nihil conficeret, quantuis fingamus panem fieri præsentem, antequàm absoluatur formæ: quia, licèt significatio formæ referatur ad vltimum instans, tamen tota est in ordine ad species, quæ præsentes adesse debent, quando tota forma profertur, & hęc ratio videtur mihi vrgentior. Et hactenus de materia remota.

Aqua non vertitur in sanguinem, si quãdo profertur pronomẽ, hic, non est conuersa in vinũ.

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinẽ Christi, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

Et circa hoc quærũtur octo.

Primo, vtrùm in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, an solùm secundùm figuram, vel sicut in signo.

Secundo, vtrùm in hoc sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem.

Tertio, vtrùm substãtia panis, vel vini, post consecrationem huius sacramenti annihiletur, aut in pristinã materiã resoluatur.

Quarto, vtrùm panis posſit conuerti in corpus Christi.

Quinto, vtrùm in hoc sacramento post conuersionem remaneant accidentia panis & vini.

Sexto, vtrùm facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.

Septimo, vtrùm ista cõuersio fiat in instãti.

Octauo, vtrùm hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd in hoc sacramẽto non sit corpus Christi secundùm veritatem, sed solũ secundum figurã, vel sicut in signo. Dicitur enim Ioan. 6. quod cum Dominus dixisset, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. multi ex discipulis eius audientes, dixerunt: Durus est hic sermo, quibus ipse dixit: Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam, quasi diceret, secundùm expositionem August.* super Psalm. 98. Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illũ sanguinẽ quem futuri sunt, qui me crucifigent, sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritaliter intellectum viuificabit vos, caro autem non prodest quicquam.

Sup. 4. dist. 10. art. 1. [illegible] 1. & 4. dist. 10. art. 1. & dist. 11. q. 1. & 4. cõt. c. 61. & 1. Cor. 11. lec. 5. col. 2.

In Psal. 98. [illegible] expositionis, [illegible] refertur de cõse. d. 2. c. 45.

2 Præterea, Dominus dicit Matth. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quod exponens August.† dicit: Donec seculũ finiatur, sursum est Dominus, sed tamẽ & hic nobiscum est veritas Domini: corpus enim in quo resurrexit, in vno loco oportet esse, veritas autẽ eius vbiq; diffusa est. Non ergo secũdùm veritatem est corpus Christi in hoc sacramento, sed solùm sicut in signo.

¶ 3 Præterea, Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis, cũ nec angelo hoc conueniat, eadem enim ratione posset esse vbique. Sed corpus Christi est verũ corpus, & est in cælo. Ergo videtur, quòd non sit secundum veritatem in sacramento altaris, sed solum sicut in signo.

4 Præterea, Sacramenta Ecclesiæ ad vtilitatem fidelium ordinantur. Sed secundùm Greg. in quadam homil. regulus reprehenditur, quod quærebat corporalẽ Christi pręsentiam. Apostoli etiam impediebãtur recipere Spiritum sanctum, propter hoc quod affecti erant ad eius præsentiam corporalẽ, vt August.* dicit super illud Ioan. 16. Si nõ abiero, paracletus non veniet ad vos. Non ergo Christus secundùm præsentiam corporalem est in sacramento altaris.

De regulo habet Greg. hom. 28. in Euã.

Tract. 94. in Ioan. [illegible]

SED cõtra est, quòd Hilar.* dicit in 8. de Trin. de veritate carnis & sanguinis Christi, nõ est relictus ambigẽdi locus: nũc enim & ipsius Domini professione & fide nostra caro eius vere est cibus, & sanguis eius verè est potus. Et Ambros. dicit, 6. de sacramentis. Sicut verus Dei filius est Dominus Iesus Christus, ita vera Christi caro est, quã accipimus, & verus sanguis eius est potus.

Lib. 6. c. 1. [illegible]

RESPONDEO dicendũ, quod verũ corpus Christi & sanguinẽ esse in hoc sacramẽto, neq; sensu neque intellectu deprehẽdi potest, sed sola fide, quæ autoritati diuinæ innititur. Vnde super illud Luc. 22. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus: Non dubites, an hoc verũ sit, sed potiùs suscipe verba Saluatoris in fide, cùm enim sit veritas, non mentitur. Hoc autem conueniens est. Primo quidem perfectioni nouæ legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundùm illud Heb. 10. Vmbrã habens lex futurorũ bonorum, non ipsam rerum imaginem. Et ideo oportuit, vt aliquid plus haberet sacrificiũ nouæ legis à Christo institutum, vt scilicet, contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet (vt Dion. dicit. 3. c. Eccles. Hierar.) est perfectiuũ omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. Secundo hoc competit caritati Christi, ex qua pro salute nostra, corpus verũ nostræ naturæ assumpsit. Et quia maximè proprium amicitiæ est conuiuere amicis (vt Phil. dicit. 9. Ethic.) sui præsentiam corporalem nobis repromittit in præmiũ, dicens Matth. 24. Vbi fuerit corpus, illuc congregabũtur & aquilæ. Interim tamẽ nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis & sanguinis sui, nos sibi coniungit in hoc sacramento, vnde ipse dicit Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde hoc sacramentum est maximæ caritatis signum, & nostræ spei subleuamentum, ex tam familiari coniunctione Christi ad nos. Tertio, hoc cõpetit perfectioni fidei, quæ, sicut est de diuinitate Christi, ita est de eius humanitate, secundùm illud Ioann. 14. Creditis in Deum, & in me credite. Et, quia fides est inuisibilium, sicut diuinitatem sum nobis exhibet Christus inuisibiliter, ita & in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet inuisibili modo. Quæ quidam non attendentes, posuerunt corpus & sanguinem Christi non esse in hoc sacramẽto, nisi sicut in signo, quod est tanquam hæreticum abijciendum, vt pote verbis Christi contrarium. Vnde & Berẽgarius, qui primus huius erroris autor fuerat, postea coactus est suum errorem reuocare, & veritatem fidei confiteri.

Lib. 9. c. 4. & lib. 8. c. 5. tom. 5.

Habetur de consec. d. 2. c. Ego Berẽgarius.

AD primũ ergo dicendũ, quòd ex hac autoritate prædicti hæretici occasionem errãdi sumpserunt, malè verba Aug. intelligẽtes. Cùm enim August. dicit: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, non intẽdit excludere veritatem corporis Christi, sed quod non erat manducandum in hac specie, in qua ab eis videbatur. Per hoc autẽ quod subdit. Sacramentum quod vobis commendaui, spiritualiter intellectu viuificabit vos, non intẽdit, quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundùm mysticam significationem, sed spiritualiter dici, id est, inuisibiliter, & per virtutem Spiritus sancti. Vnde super Ioan. exponens id, quod dicitur: Caro non prodest quicquam, dicit: Sed quo

Præcipue tractatus in fine. cor. In expositione Psal. 98. co. 8.

Vt patet ex verbis præcedentibus locum citat.

quo modo illi intellexerũt, carnem quippe sic intellexerunt manducandam, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, nõ quomodo spiritu vegetatur, accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimũ. Nã si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.

Tract. 27. in Euang. Ioan. inter principium & med. illius. to. 9.

AD secundum dicendum, quòd verbum illud August. & omnia similia sunt intelligenda de corpore Christi, secundùm quòd videtur in propria specie (secundum quod etiam ipse Dominus dicit Matth. 26. Me autem non semper habebitis) inuisibiliter tamen sub speciebus huius sacramenti est, vbicunq; hoc sacramentum perficitur.

Citatum in artic. 1.

AD tertium dicendũ, quòd corpus Christi non est eo modo in hoc sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur, sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Vnde dicimus, quòd corpus Christi est in diuersis altaribus, non sicut in diuersis locis, sed sicut in sacramento. Per quod non intelligimus, quòd Christus sit ibi solùm sicut in signo, licèt sacramentum sit in genere signi, sed intelligimus corpus Christi hic esse (sicut dictũ est) secundum modum proprium.

In corp. ar.

AD quartum dicendum, quòd ratio illa procedit de præsentia corporis Christi, prout est præsens per motũ corporis, id est, prout est in sua specie visibili, nõ autẽ prout est spiritualiter, id est, inuisibili modo & virtute spiritus. Vnde August. dicit super Ioã. Si intellexisti spiritualiter verba Christi de carne sua, spiritus & vita tibi sunt, si intellexisti carnaliter, etiam spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

Tract. 27. in Ioan. parum ante med. to. 9.

COMMENTARIVS.

VEritatem distinguit D. Thomas à solis signis, vmbris, & figuris. Vnde sensus huius tituli est, an hoc sacramentum non tantùm sit signum, & figura, sed re vera corpus ipsum Christi quod in ipso realiter contineatur. Et hoc sensu affirmat, corpus Christi esse in hoc sacramento secundùm veritatem. Quod primùm probat verbis Christi Domini, quæ statim diligentiùs expendenda sunt. Deinde adiungit coniecturas. Prima est comparatione nouæ, & antiquæ legis, comparãtur enim vt vmbra, & veritas, & ideò decuit, vt Christus, qui in veteribus sacramentis in figura continebatur, in lege noua, & in aliquo eius sacramento verè, ac realiter adesset. Quam rationem tetigit Ambro. super ad Hebr. 10. & egregiè Augustin. Epist. 76. ad Casul. & propterea Chrysost. hom. 83. in Matt. dicit, post figuram, Christum adiunxisse veritatẽ, & optimè Tertull. de resurrectione carnis, cap. 20. *Non omnia (inquit) imagines sunt, sed & veritas, non omnia vmbræ, sed & corpora, nam si omnia figura, quid erit illud, cuius est figura?* Ex quibus potest ratio facta confirmari, conferendo hoc Eucharistiæ sacramentum, cum figuris, quibus in veteri lege præsignificatum est: oportet enim, vt illas antecellat, sicut res imaginem, & corpus vmbram, iuxta doctrinam Pauli. 1. ad Corint. 10. ad Galat. 3. & 4. ad Hebre. 10. & ad Coloss. 2. Quam exponit Hieronym. ad Titum. 1. circa illa verba, *Non attendentes Iudaicis fabulis, &c.* at verò parua esset excellentia huius sacramenti comparatione illorum signorum, si tantùm in figura Christum contineret. Quia, si res ad significandum impositæ considerentur, sæpè in lege veteri erant perfectiores, vt agnus, manna, &c. Si significatio, etiam illæ significabant Christum, & quanuis dici possit hoc sacramentum excellere, tum, quia significat Christum vt præsentem, tum etiam, quia expressiùs significat, quàm vetera, & fortasse, quia gratiam confert, tamen hæc omnia nõ adæquant perfectionem, & excellentiam nouæ legis, vt ex modo loquendi Scripturæ & Sanctorum colligitur, nam propter hanc causam Christus comparando hoc sacramentum cum manna, Ioan. 6. dicit, hunc solum esse verũ cibum, quia est caro eius, vt ibi Chrysost. & August. notarũt, & optimè Cyrill. lib. 3. in Ioan. capit. 34. & Ambros. lib. de mysteri. cap. 9. & eodẽ modo Cyprian. serm. de passio. comparans hoc sacramentum cum agno paschali, cit, illum agnum fuisse cõsumptibilem cibum, hoc verò sacramentum esse inconsumptibile. Quam cõparationem prosequitur etiam Leo Papa serm. 7. de Pass. Chrysost. homil. 45. in Ioan. *Si tãtum (inquit) fuit figura, quid ipsa veritas?* idem homil. 61. ad popul. & homil. ad Neophil. vbi tantùm inquit, differre hoc sacramentum à veteri, quantũ sanguis Christi, à sanguine agni paschalis. Et hoc modo explicata hæc ratio D. Thomæ satis probabilis est, &, adiũcta Patrum autoritate, est valde efficax. Aliæ prætereà duæ rationes, fundatæ in ostensione diuinæ caritatis erga nos, & in perfectione nostræ fidei, spei, & caritatis erga Deum, sunt egregiæ, non indigent tamen expositione.

Ambros. August. Chrysost. Tertull. — 1. Cor. 10. Galat. 3. Heb. 10. Coloss. 2. Hieron. — Ioan. 6. Chrysost. August. Cyril. Ambros. Cyprian. — Leo. Chrysost.

DISPVTAT. XLVI.

An sit realis præsentia corporis Christi in hoc sacramento.

HActenus de materia remota huius sacramẽti dictum est, nunc sequitur, vt de ipso sacramento, ac proxima materia eius, dicamus: quia verò corpus, & sanguis Christi non solũ sunt res, & sacramentum, sed etiam intrinsecè continentur in materia eius proxima, & illud componunt, ac sunt veluti substantia eius, ideò optimo ordine sequitur, vt de hac Christi præsentia dicamus, ex hac enim cætera pendent, quæ in hac, & duabus sequentibus quæstionibus Diuus Thomas tractat. De hac verò præsentia, tam multa his temporibus scripta sunt, vt ferè nihil addi possit, præsertim in his, quæ ad eruditionem, & Patrum lectionem pertinent, attingemus igitur solùm illa, quæ ad Scholasticũ institutum satis esse videbuntur. Ac primùm de hac præsentia dicemus, an sit, deinde quid sit, ac tandem quomodò fiat.

SECTIO I.

Vtrùm sit de fide certum, Christum realiter esse præsentem in hoc sacramento?

PRimùm hæresis illa, quæ hanc veritatem negauit, inter Græcos illos pullulare cœpit, qui veritatem carnis in Christo negarunt, vt colligi potest ex Theodoreto dialog. 3. vbi de illis inquit, *Eucharistiam & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiã esse carnẽ Saluatoris nostri Iesu Christi.* Quæ verba refert ex Ignatio, Epist. ad Smyrnenses, in qua nunc non inueniuntur. Deinde, qui negarunt veram vnionem carnis Christi ad Deum, scilicet Nestoriani, consequenter dixerunt, in hoc sacramento non esse carnem diuinam, & viuificatricem. Vnde Vvaldens. tom. 2. capit. 19. illis tribuit, quòd in hoc sacramento negauerint esse carnẽ Christi, licet faterentur adesse carnem alterius sancti hominis, nescio cuius. Verisimilius tamen mihi est, negasse quidem carnem Dei & Verbi, non tamen carnem Christi, quem ipsi dicebant esse sanctum hominem purum, vt colligitur ex Anselmo, quem Vvaldensis refert lib. de corp. & sang. Domini, capit. vltimo. Et hunc fuisse errorem Nestorii constat ex fragmento errorum eius, quod habetur in quarto tomo operum Cyrilli in fine. Vnde licèt Lanfrancus lib. de Eucharist. post medium, referat fuisse quosdam hæreticos, qui dixerunt, in hoc sacramento esse quidem carnẽ hominis, non tamen Christi, sed alterius, vel sancti, vel peccatoris, ego nullum eius erroris autorem, aut vllam mentionem in historijs inuenio. Posteà in eadem Ecclesia Græca Iconomachi videntur hãc præsentiã negasse, vt colligitur ex VII. Synodo, actio. 6. to. 3. in fine, vnde fortè sumpsit occasionẽ Guid. Carmel. vt Armenos faceret huius erroris duces, quod ego verum non existimo, neq; vllo sufficienti fundamento dictum, quia potiùs nec in tota Ecclesia Græca hæc hæresis præualuit, aut nimiùm percrebuit: nam, cùm in alijs rebus ab Ecclesia Latina sæpè dissenserit, in hoc tamẽ dogmate de reali præsentia corporis Christi, Græci & Armeni, tam inter se, quàm cum Ecclesia Latina consentiunt, vt ex liturgijs, & ex antiquis Patribus, ac tandem ex Concilio Florentino apertè constat.

Theodoretus. Ignatius. Vvaldens. Anselm. Lanfrancus. VII. Synod. Guido.

Secundò in Ecclesia Latina, primus, qui apertè hanc hæresim prædicauit, & defendit, fuit Berengarius, vt hic ait Diuus Thomas, & Prateol. & Castro, & Lindan. qui in suo dubitantio, dialogo. 2. eum sacramentariorum omnium parentem vocat, & idem significat Guitmund. qui eo tempore contra Berengarium scripsit lib. de hac veritate. Lanfranc. autem lib. contra Berengarium indicat, quẽdam Ioannem Scot. antea librum scripsisse, hunc errorem continentẽ. Vnde Sander. lib. 7. hæresi. 136. sub annũ. 1548. dicit Berengarium ab illo libro suum errorem hausisse, imò fertur Bertramus vtroque antiquior librũ in huius erroris comprobationẽ scripsisse, qui nunc extat & prohibitus est in indice Romano. Aduertit autem Sanderus, multos suspicari hunc librum ab aliquo sacramentario post Berengarium fuisse scriptum, quia de illo antiquiori tempore nulla in historijs fit mentio talis doctrinæ, aut libri, aut autoris eius. Alanus autem libr. 1. de Euchar. cap. 20. & 21. verum esse putat, hunc Bertramum fuisse ante Berẽgarium, & huius erroris semina in illo libro iecisse, & Paschasium ac Rabbanum contra illũ pugnasse, cæterosque Catholicos Doctores clariùs, & accuratiùs ex illo tempore de hoc sacramẽto scripsisse. Posteà Henriciani, & Petrobrusiani secuti sunt hũc errorem, vt Prateolus refert, & hi quidem dicebant, Christum in cœna verè dedisse corpus suum, & sanguinem discipulis; reliquos verò sacerdotes non habere tam efficacem potestatem, ita refert Sander. lib. 7. hæresi. 142. ex Petro Cluniacens. Epistola contra hos hæreticos. Albigenses prætereà seu Albanenses eandem Christi præsentiam negarunt, vt Antonin. refert. 4. part. Theologali, titul. 11. cap. 7. §. 5. & 3. part. histor. tit. 19. cap. 1. Deinde hæretici dicti Flagellantes, teste Gersone, opusculo cõtra illos, posteà Vvaldenses & Vviclef, vt latè Thomas Vvaldens. tom. 2. de sacrament. Deinde Lutherus, quanquam præsentiam hanc negare ausus non est, se tamen in eum errorem valde propensum ostendit, & veritatẽ Catholicam tot erroribus immiscuit, vt sectatoribus suis realem etiam præsentiam negandi occasionem præbuerit, quod posteà præstitit OEcolampadius, quem secuti sunt Zuinglius, Bulinger. Petrus Martyr, ac denique Caluinus qui occultando errorem, mirum in modum illum auxit; cùm enim negaret, corpus Christi esse realiter, ac substantialiter præsens in hoc sacramento, sed solùm in cælo, nihilominus absolutè concedebat, substantiam, & corpus Christi sumi & mãducari à fidelibus, ineffabili quodam modo, hũc autem modum, solùm per fidem & apprehensionem posteà explicabat, & ita eius error in re nihil à superioribus differt, non enim intelligit, corpus, & sanguinem Christi realiter adesse, & coniungi accidentibus panis, & vini, sed fide, & apprehensione priorum fidelium, dicit, hæc ita copulari, vt dum corporaliter sumuntur symbola, spiritualiter per fidem manducetur Christi caro. Vnde etiam dicit ab impijs accipi tantùm symbola, à pijs verò etiam ipsum corpus Christi & sanguinem. Fundamentum huius erroris præcipuum est, quia, vt putant, & falso interpretantur, verba Scripturæ non cogunt, vt hanc Christi præsentiam credamus, addunt etiam quædam Patrum testimonia & rationes nonnullas, quæ omnia in sequentibus paulatim examinabimus.

Prateolus. Castro. Lindan. Guitmund. Sanderus. Alanus. — S. Antoninus. Gerson.

Veritas ergo Catholica est, Christi corpus & sanguinem verè, realiter, & substantialiter, sub speciebus panis, & vini consecratis, in hoc sacramento cõtineri. Hæc veritas in sequentibus sectionibus, & cõclusionibus latè confirmanda est, nunc solum probatur ex vniuersali Ecclesiæ consensu, & definitione. Primùm enim omnes scriptores Catholici hanc veritatem constanter defendunt, & contrariam doctrinam statim ac pullulare cœpit notarunt, & oppugnarunt, vt Catholicæ veritati contrariam, quod est signum euidens ad discernendam hæresim à Catholica veritate: doctrina enim hæretica nouitatem præ se fert, & initium eius notari potest. Vnde statim ac oritur, sua nouitate Catholicos offendit, & ideò ab eis statim, vt hæretica refutatur: Catholica verò doctrina suam semper antiquitatem retinens, absque contradictione Catholicorum suscipitur, ita tradunt Irenæus libr. 3. contra hæres. cap. 3. Tertullianus de præscript. hæreticorum, & lib. 1. contra Marcio. Epiphan. in Anazepha. & Vincen. Lyrin. in suo libro contra prophanas nouitates, ita verò circa hanc veritatem accidit. Doctrina enim, de reali Christi præsentia in hoc sacramento, semper

Irenæus. Tertull. Epiphan. Vincen. Lyr.

per in Ecclesia suscepta est, nec aliquod eius initium, post Christi, & Apostolorum tempora, inuenietur, nam omnes antiquissimi Patres illam docent, vt videbimus, at vero contrarius error statim, ac pullulare cœpit notatus est, ac impugnatus à Patribus, vt de antiquis Græcis ex Theodoreto citauimus. De Nestorio constare potest ex Cyrillo, & Concilio Ephesino de Iconomachis ex VII. Synodo, & alijs Concilijs, quæ statim referam, & Damasceno, qui tempore Iconomachorum scripsit lib. 4. de fide, capite. 14. & Theophylacto illi æquali, Matthæi. 26. & 1. Corinth. 10. de Berengario, & socijs ex Paschasio, qui, vt diximus, contra Bertramum scripsit, Lanfranco, Guitmundo, Algero, & alijs, qui contra Ioannem Scot. & Berengarium scripserunt, Petro Cluniac. epistola sen. lib. de hoc mysterio, cótra sui téporis hæreticos, Anselmo, Bernardo, qui eundem errorem suis temporibus oppugnarunt, quos Hugo Victor. Magist. sententiarum, & omnes Scholastici imitati sunt, denique vsque ad nostra tempora obseruatum videmus. Antiquiores autem Patres cùm suo tempore contraria hæresis non esset exorta, illá ex professo non impugnarút. Quid verò ipsi de hac veritate senserint, infrà videbimus.

Theodoretus. Cyrillus. Conc. Ephes. Damascenus. Theophyl. Anselmus. Bernardus. Hugo Victor.

Secundò ostenditur hic consensus Ecclesiæ ex Concilijs, &, vt omittam, passim ab eis hoc sacramétum appellari corpus Christi, vt videre licet in Cócilio Niceno canon. 14. alias. 18. & alijs quæ frequéter occurrunt, & notantur à Garetio libro de vera præsentia corporis Christi, clas. 5. afferéa solum ea, in quibus hoc definitum est. Primò in Cócilio Alexandrino cum Cyrillo in Epistola ad Nestor. quæ recipitur, & probatur in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. cùm dictum esset, per mysticam oblationé, nos fieri participes sacræ carnis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, subditur. *Neque enim illam vt carnem communem suscipimus, absit hoc, neque item vt carnem alicuius hominis sanctificati, sed tanquam verè viuificam, ipsiusque Verbi propriam.* Secundò, VII. Synodus, action. 6. tom. 3. in fine, damnat sententiam Iconomachorum, qui Eucharistiam dicebant tantùm esse imaginem, seu figuram Christi, quam sententiam abominandam, & extremam dementiam esse dicit, & traditioni Apostolorum, & omnium Patrum, ac veritati & proprietati verborum Christi contrariá. Tertiò Concilium Verselense (alij Romanum appellant) præsidente Leone IX. Berengarij, & Ioannis Scoti sententiam, & scripta damnauit, vt historiæ referunt; hoc enim Concilium non extat. Quartò idem præstitit Concilium Turonense sub Victore. II. præsidente Ildebrando Cardinale eius legato, qui postea fuit Pontifex Gregorius VII. & eandem veritatem definiuit. Quintò Concilium Rhemens. tépore Nicolai II. contra eandem hæresim congregatum est, in quo Berengarius suam hæresim abiurauit, vt habetur in secundo tomo Conciliorum, & in capite. Ego Berengarius, de Consecratione distinctione 2. Sextò cùm Berengarius in sua abiuratione inconstans fuisset, coactum est Concilium Romanú tempore Gregorij VII. in quo veritas Catholica iterum definita est, & Berengarius etiam iterum resipuit, & confessionem suæ fidei dedit, in qua fertur vsque ad mortem perseuerasse. Legatur Gerson serm. 1. de Cœna Domini, & Sabelicus AEneade. 9. lib. 3. Septimò Concilium Constantiense, sect. 8. & 15. damnauit contrarium errorem in Ioanne Hus, & Ioanne Vvicles, quod posteà Martinus V. confirmauit. Octauò Concilium Lateranense sub Innocent. III, & habetur in capit. Firmiter, de summa Trinitate. Nonò Concilium Viennense sub Clemente V. Clementina vnica de reliquijs & venerat. sanct. Decimò Concilium Florentinum in decreto Eugenij. Vndecimò copiosiùs & distinctiùs, quàm cætera, Tridentinum sess. 13. Duodecimo tandem sunt plura alia Concilia Prouincialia, & Pontificum decreta, quæ referuntur de Consecratione, distinctione 2. & in decretalibus, toto titulo de custodienda Eucharistia, & titulo de celebrat. missar. vbi est insigne capitulum Cùm Marthæ, facit etiam generalis regula, quæ in capit. Ad abolendam, de hæreticis, traditur, vbi damnantur, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini, aliter, quàm Catholica Ecclesia, sentiunt. Quæ omnia ita sufficiunt ad veritatem Catholicam cófirmandam, vt licèt hæreticis daremus, quod falsò assumunt, in Scriptura sacra expressè non contineri, nullum inde præiudicium, nullumque periculum veritati fidei crearetur: ad veritatem enim fidei confirmandam, non solùm Scripturæ sacræ autoritas, sed etiam Ecclesiastica definitio, & traditio sufficit.

Conc. Nic. Garetius. Conc. Alex. VII. Synod. Conc. Versel. Turonense. Rhemense. Romanum. Gerson. Sabelicus. Conc. Const. Lateranense. Viennense. Florentinum. Tridentinum.

Sed quæri hic obiter solet, an sit hæc veritas inter articulos fidei numeranda; multi enim negát: quòd hæc veritas in symbolo fidei contineatur. Alijs verò affirmandum videtur, vt Durand. in 4. distinct. 10. quæstione 1. num. 27. Scot. quæstione 1. Gabr. lect. 85. in Canon. Ledesma 1. part. quarti, quest. 16. artic 1. dubio 2. Soto distinctione 9. quæstione. 2. articulo 2. quia habetur (inquit) expressè in Scriptura sacra. Quæ ratio non sufficit, vt constat; non enim omnia, quæ in Scriptura habentur, inter articulos fidei annumerantur. Ne igitur quæstio de nomine esse videatur, primùm statuamus, quod ad rem pertinet, videlicet, omnes fideles teneri ad hanc veritaté explicité credendam; oportet enim, vt possint se ipsos probare, & corpus Domini dijudicare, vt 1. ad Corinth. 11. dicitur, quod tamen, sine hac fide, præstare non possent, quia sine illa fieri non potest, vt debitus honor, ac reuerentia huic sacraméto tribuatur. Deinde dubium non est, quin hoc mysterium specialem difficultatem habeat, à reliquis distinctam. Vnde propter hanc duplicem causam potest hæc veritas articulus fidei vocari. Addo tamé, quia eius cognitio non exigitur, vt ita dicam, propter solam fidem, seu cognitionem, sed propter vsum, & operationé, & vt huic sacramento conueniens adoratio, & reuerentia exhibeatur, ideo non esse expressè positam in symbolo, ibi enim posita sunt, quæ per se sunt necessaria propter fidei perfectionem, non propter vsum, potest tamen ad illud reuocari, scilicet, ad articulum de omnipotentia Dei, vel de sancta Ecclesia, vt D. Thom. tradit. 2. 2. quæst. 1. art. 8. ad 6.

Durand. Scotus. Gabriel. Ledesma. Soto. 1. Corinth. 11. S. Thom.

SECTIO II.

Vtrùm realis Christi præsentia in hoc sacramento, ex verbis, quibus Christus illud promisit, satis colligatur.

STabilita fide huius præsentiæ ex vniuersali cósensu & definitione Ecclesiæ, ad maiorem eiusdem fidei confirmationem, & hæreticorum cófutationem, oportet huius fidei fundamenta sigillatim ostendere, simulque hæreticorum obiectionibus satisfacere. Vnum autem, ex præcipuis fundamentis, est Scriptura sacra, ex qua, quidquid præsenti instituto deseruire potest, ad duo capita reducitur, alterum est, institutio seu exhibitio huius sacramenti, de qua in sequenti sectione: alterum est promissio, sub qua omnis prædictio seu adumbratio huius sacramenti comprehendi potest.

Dicédum est ergo, probabilius esse ex promissionibus huius sacramenti sufficienter probari posse realem Christi præsentiam, non tamen hoc argumétum esse adeò certum, vt per se solum ad fidem confirmandam sufficiat. Hæc assertio declaratur, & probatur breuiter, discurrendo per loca Scripturæ, in quibus hæ promissiones continétur. Et primùm omnium sumi potest argumentum probabile ex figuris quibus veteri testamento excellentia huius sacramenti indicata est, quas suprà q. 73. in Comméntario, art. 6. explicuimus, & probabilitatem huius argumé ti, circa textum D. Tho. declarauimus. Quibus addi possunt nonnulla verba Prophetarum, in quibus tanta indicatur excellentia huius sacramenti, & sacrificij, vt ad merum panem, & vinum accommodari non possint, huiusmodi sunt verba illa, Malach. 1. *Ab ortu Solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum affertur nomini meo, & sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Quem locum ponderauit Irenæus lib. 4. cont. hæres. capit. 32. & plures alij Patres, quos ibi notat Feuardent. & afferemus eos infrà, agentes de sacrificio; simile argumentum sumi potest ex verbis Zachar. 8. *Bibent & inebriabuntur, quasi vino,* & infrà. *Quid enim bonum eius est, quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinú germinans virgines?* Quod testimonium de lege Euangelica, & hoc sacramento Hieronymus & alij Patres intelligunt, & habet sine dubio magnam energiam, nam si esset nudus panis, & vinum, vix afferri posset probabilis ratio, ob quam præferendum esset, nó solùm omnibus sacramentis veteribus, sed etiam nouis, neque esset, cur in hoc sacrificio, tam magnificus ostenderetur Deus, neque cur tota bonitas, & pulchritudo Ecclesiæ, in eo quodammodò sita esse diceretur. Vnde de hoc etiam sacramento exponuntur mysticè verba illa Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quamuis enim ad literam dicta sint de manna, tamen sicut illud fuit præcipua figura huius sacramenti, ita in illis verbis indicata sunt mirabilia opera, quæ in hoc mysterio Deus operatur. Vnde Ambros. super Psalm. 38. dicit mysteria huius sacramenti fuisse à Prophetis adumbrata.

Malach. 1. Irenæus. Feuardent. Zachar. 8. Hieronymi. Psal. 110. Ambros.

Deinde afferre possumus promissiones noui testamenti, in quo duæ sunt præcipuæ. Altera est Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Quæ verba probabiliter intelligi possunt de præsentia, quam semper se habiturum in Ecclesia sua, per hoc sacramentum, Christus promisit, vt exponit Clemens V. cum Conc. Viennens. in Clementina vnica de reliq. & venerat. Sanct. Innocen. lib. 4. de hoc mysterio cap. 44. Laurent. Iustin. serm. de Euchar. Sed, licèt probabilis sit, & propria expositio, vt notauit etiam Iansen. cap. 149. Cócordiæ, tamen non est efficax, quia sancti Patres ad literam exponunt hunc locum de præsentia diuinitatis, aut de singulari Christi prouidentia erga Ecclesiam. Vnde hæretici huic loco nobis alium opponút, Matth. 26. vbi Christus dixit, *Me autem non semper habebitis,* quod intelligendum (inquiunt) est de præsentia corporali. Respondemus autem, intelligi quidem de præsentia corporali, sed visibili, & per modum quantitatis, vt patet ex verbis antecedentibus. *Pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper, &c.*

Matth. 28. Conc. Vienn. Innocen. Laurent. Iust. Iansenius. Matth. 26.

Præcipua ergo promissio, qua maximè probari potest hæc veritas, facta est à Christo Ioan. 6. quam vt explicemus, supponendum est, certú esse, in principio illius capitis egisse Christum de pane materiali, quo turbas prius saturauerat, propter quam causam turbæ illum sequebantur; inde verò, sumpta occasione, transtulisse sermonem ad spiritualem cibú, dicens; *Operamini non cibum, qui perijt, sed qui permanet in vitam æternam,* per quem cibum intellexisse Christum generatim omne bonú animæ exponút Chrysost. & alij, Augustinus verò tractat. 25. intelligit de Christo, & de manducatione eius per fidem, & ibi subiungit illa celeberrima verba, *Quid paras denté & ventrem? crede & manducasti,* quæ rectè potuit eo loco ponere, quia nondum de hoc sacramento sermonem instituerat. Hinc ergo dissensio orta est, etiam inter catholicos, an reliqua pars capitis, vbi Christus agit de manducando, & bibendo, corpore, & sanguine suo, intelligenda sit per metaphoram de Christo secundum se, & de spirituali manducatione per fidé, an verò de Christo, prout est in hoc sacramento, & de sacramentali manducatione. Quod verò hic posterior sensus verior sit, probatur primò, quia antiqua Concilia in hoc sensu vsa sunt illo loco, vt videre licet in Concilio Ephes. & VII. Synodo præcedente sectione citatis, & ex Concil. Cabilonés. II. cap. 46. & Trid. sess. 13. cap. 1. Vnde quando idé Concil. sess. 21. cap. 1. indicat, liberú esse variè húc locum interpretari, iuxta varias Sanctorum expositiones, intelligendum videtur, vel ita, vt vnus sensus alium non excludat; vel certè, vt iuxta omnes verum sit, non esse illo loco præceptam communionem sub vtraque specie omnibus, & singulis fidelibus. Denique in hoc sensu vtitur Ecclesia illo Euangelio in festo corporis Christi.

Ioan. 6. Chrysost. August. Conc. Ephes. Cabilonens. Trident.

Secundò omnes antiqui Patres ita exposuerunt, ex Latinis sit primus Cyprianus libro primo, ad Quirin. capit. 22. lib. 3. cap. 25. iuncto. 26. clariùs sermone de Cœna Domini, declarans quomodo Christus in illa cœna impleuit, quod hoc loco promiserat, & in expositione Orationis Dominicæ. Secundus, Hilarius 8. de Trinit. colum. 6. vbi ex illis verbis, *Caro mea verè est cibus,* concludit, tam verú esse, nos sumere carnem Christi, quàm Verbum assumpsisse carnem. Tertius, Ambrosius lib. de myster. cap. 8. in fine, lib. 4. de fide. capit. 5. clarissimè 6. lib. de sacrament. cap. 1. Quartus, Hieronymus Matth. 6. circa illa verba, *Panem nostrum quotidianum,* & optimè Ezechiel 18. circa illa, *Panem suum esurienti dederit,* & Epistola 150. ad Edibiam, quæst. 62. & ita est intelligendus difficilis locus eiusdem Hieronymi super ad Ephes. 1. circa illa verba, *In quo habemus redemptionem,* sic enim ait. *Dupliciter sanguis Christi & caro intelligitur, vel spiritualis illa, atque diuina, de qua ipse dixit, caro mea verè est cibus, & nisi manducaueritis carnem filij hominis, vel caro quæ crucifixa est, & qui lancea effusus est sanguis.* Quæ verba exponens Magister distinct. 8. duplex (inquit) est caro Christi, altera cótenta in hoc sacramento, & hæc est caro crucifixa, altera non contenta sed significata, & hæc est corpus mysticú. Sed

Cyprian. Hilarius. Ambros. Hieronym. Magister.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc expositio nec quadrat verbis Hieronymi. nec præsentit testimonio Ioannis, quod tractamus. Distinguit ergo Hieronymus duplicem carnem Christi non re, sed statu, & conditione, vt patet ex subsequentibus verbis sic enim ait, *In ista hanc diuisionem, & in sanctis eius diuersitas carnis, & sanguinis accipitur, vt alia sit caro, quæ visura est salutare Dei, alia quæ regnum Dei nõ possidebit*, sicut ergo eadem caro, propter duplicē statũ mortalem, & immortalem, dicitur duplex, & altera, scilicet immortalis, visura dicitur salutare Dei, altera nempe mortalis regnum Dei possidere non posse, ita eadem caro Christi gloriosa, vel quæ sub speciebus panis in cibum datur, dicitur spiritualis, & diuina, & à se ipsa distinguitur, quatenus in statu passibili crucifixa est. Quintus sit Gregor. lib. 7. moral. cap. 4. Sextus, Leo Papa, serm. 6. de ieiunio septimi mentis, *Dicente* (inquit) *Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & c. scire sacra mensa communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis, hoc enim ore sumitur, quod fide creditur*, quæ vltima verba sunt valde notanda contra Caluin. Septimus, Isidor. lib. de officijs Ecclesiast. capit. de sacrificio. Octauus, Tertull. lib. de Oratione, cap. 6. vbi hunc locum explicat per verba institutionis. Nonus, Prosper lib. de Promiss. & Prædic. Dei, part. 1. cap. 39. & part. 3. cap. etiã 39. Decimus, Bernard. serm. 1. de Pasch. & serm. 1. de Vigil. Natiuit. in fine. Vndecimus, Laurent. Iustinian. lib. de Obedientia, cap. 14. Duodecimus, Hesychius lib. 6. in Leuit. capit. 22. Decimus tertius, Eusebius Emiss. homil. 5. de Paschas. Decimus quartus, Cassiod. in illa verba, Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Decimus quintus, August. quē latius referam, quoniam autores contrariæ sententiæ, eius potissimum autoritate nituntur, igitur lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 1. dicit, ideo Ioannem in cœna non fecisse mentionem Eucharistiæ, quia alio loco prolixum de illa Christi sermonem retulerat, expresse etiam serm. 46. de verbis Domini, & sermon. 2. de verb. Apost. & in libro quæstionum in Leuitic. quæstione 57. in fine, vbi rectè ponderat, in veteri testamento fuisse prohibitum edere sanguinem, in nouo verò, Ioan. 6. præceptum esse bibere sanguinem Christi, in hoc sacrificio. Quod priùs notauerat Cyprianus serm. de Cœna Dominiest autem ponderandum in antiqua lege, non fuisse prohibitum bibere sanguinem in signo, aut in figura, seu per fidem, nam potiùs hoc modo, *bibebant omnes de spirituali consequente eos petra*, vt 1. Corinth. 10. dicitur, prohibebantur igitur bibere realiter, & corporaliter, hoc ergo modo intelligit Augustinus mandatum esse in lege noua sumere sanguinē Christi in signis verò locus Aug. est, Epist. 98. sed difficilis, & ab hæreticis prauè intellectus, *in ipsa* (inquit) *carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, & infrà interpretans de promissione huius cibi locum Ioannis, subdit, Carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt, quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt; Durus est hic sermo, ipsi autem erant duri, non sermo, ille autem instruxit eos, dicens, Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest, spiritualiter intelligite quod locutus sum, & subdit difficilia verba, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, sacramentum aliquod commendaui, spiritualiter intellecta viuificabit vos.* Sed mens Augustini ex prioribus verbis constat, clarè enim dixit, nos manducare eandem carnem, quam de Maria sumpsit, & reiecit falsam intelligentiam de particulis corporis visibilis edendis, ex quo concluſit necesse esse hoc sacramentum visibiliter celebrari, & inuisibiliter intelligi, hoc ergo idem intendit in citatis verbis, quæ eodem modo, quo suprà citata verba Hieronymi, exponenda sunt, scilicet, *Non hoc corpus, quod videtis*, id est, non in propria specie illud manducaturi estis, sed sub aliquo sacramento, quoad hoc spiritualiter intelligendum & credendum, sic enim idē August. lib. 11. cont. Faust. c. 7. dixerat, in Scriptura sacra nominari rem à qualitate seu modo, non à substãtia, vt 1. Cor. 15. Resurget corpus spirituale, sic ergo caro Christi existens in hoc sacramento dicitur spiritualis caro, seu spiritualiter intelligenda. Quod præterea cõfirmari potest ex alio eleganti loco eiusdem August, lib. 2. contra aduersar. legis & Propher. c. 9. vbi hunc locum interpretando, inquit. *Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum, carnem suam manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipimus, licèt horribilus videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Vbi notandũ est verbum illud, *corde & ore*, necesse est enim non solũ de spirituali, sed etiam de corporali & sacramentali sumptione intelligi; & nihilominùs statim subdit locutionem illã, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, esse figuratam, quia videlicet non est intelligẽda de manducatione carnis humanæ, ferino more, & in propria specie, sed modo sacramentali, & sub specie aliena, & eodem modo libro tertio, de Doctrina Christiana, capite decimosexto, dicit, in his verbis contineri tropũ, id est mysteriũ, ne scelus appareat manducare carnem humanam. Præterea lib. 1. de peccat. merit. cap. 20. *Audiamus* (inquit) *Dominum, non quidem de sacramento lauacri, sed de sacramento mensæ suæ, quõ nemo ritè nisi baptizatus accedit, dicentem, Nisi manducaueritis carnem, & c.* Vltimò tandem tractatu. 26. in Ioan. exponens hunc locum, inquit. *Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti, quam multi de altari accipiunt, & moriuntur: videte ergo fratres, panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare portate*, agit ergo de sacramentali manducatione, propter hanc enim ad altare acceditur, non tamen dignè sine spirituali, quia vera fide, & puro corde accedendum est. Vnde infrà subdit, *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubiò nõ manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit illius sanguinẽ, licèt premat dẽtibus sacramẽta corporis & sanguinis Christi.*

Tertiò, Patribus Latinis consentiunt Græci. Primò enim ita exponit Athanas. libro de human. nat. suscept. vbi ait, *nos habere primitias gloriæ, quia in communionem corporis Domini admissi sumus, sicut ipse dixit, Panis, quem ego dabo, caro mea est, spiritus enim viuificans concepta est*, quibus vltimis verbis indicat egregiã expositionem illorum verborum Christi, *Caro non prodest quicquam, verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, quam optimè etiam prosequitur oratione circa illa verba. *Quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, & c.* versus finē. Deniq; in synopsi Scripturarum lib. 4. dicit expressè, Christum hoc loco de mysterijs disseruisse. Secũdus sit Basilius lib. 1. de Bap. parte vltima, & sermone 2. de Bap. c. 3. & in regul. moral reg. 21. c. 1. & 2. Tertius Chrysost. hom. 46. in Ioan.

in Ioan. & homil. 83. in Matth. vbi aduertit, Apostolos non fuisse miratos, quòd illis tradebãtur mysteria, quia iam de illis instructi fuerant hoc loco, idem homil. 11. ad populum. Quartus Epiphanius hæresi. 55. Quintus elegãtissimè Cyrill. Alex. toto lib. 4. in Ioan. & lib. 10. c. 13. & lib. 12. de fide ad Regin. circa finem, sub titulo, *de eo, quòd Christus per paternam virtutem resurrexisse dicitur.* Idem de fide ad Theodos. circa finẽ. Sextus Cyril. Hierosol. catheches. 4. Septimus Damascen. lib. 4. ca. 14. Octauus Theodoretus lib. 4. histor. ca. 10. Nonus Clemens Alexand. lib. 1. de Pædag. c. 6. vbi hanc ponit expositionem, licèt aliam non reijciat, & ex illo loco exponendus est alius obscurus lib. 2. Pædag. ca. 1. vbi sic inquit. *Duplex est sanguis Christi, alter carnalis, quo redẽpti sumus, alter spiritualis quo vncti sumus, & hoc est bibere Iesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini*, illa enim distinctio duplicis sanguinis iam suprà in Hieronymo & August. explicata est. Quod verò sumptionem huius sanguinis per effectũ describit, non excludit sacramentalem vsum, sed indicat hunc sine spirituali non prodesse, quod verba sequentia declarant. *Temperatum enim vinum, ad fidem conuiuia excipit, spiritus autem deducit ad incorruptionẽ, amborum autem temperatura, potus, scilicet, & verbi dicitur Eucharistia, quæ & laudatur, & bona est gratia, & qui per fidẽ eius sunt participes, sanctificantur, & corpore & animo.* Decimus Iustin. martyr. qui expressè ita exponit apolog. 1. pro Christian. in fine. Vndecimus Gregor. Nyssenus homil 8. in Ecclesiast. & li. de perfecta Christia. hominis form. Duodecimus Origen. homil 7. in Numer. vbi eleganter exponit hũc locũ simul cũ illo Pauli ad Corinth. 10. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Omnes eãdem spiritualẽ manducarãt. Antea* (inquit) *in enigmate fuit baptismus in nube, & in mari, nunc autem in specie, regeneratio est in aqua, & Spiritu sancto; tunc in enigmate erat manna cibus, nunc autem in specie, caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dixit, Caro mea vere est cibus.* Decimus tertius Theophil. Alex. in 2. epistola paschali, circa finem in tomo primo Biblior. Decimus quartus Theophyl. in ca. 6. Decimus quintus, Euthym. suo ca. 9. in Ioan. vbi à verbis illis, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, dicit esse sermonem de hoc sacramẽto, & ponderat nõ dixisse, *quem do*, sed, *quem dabo, daturus enim erat in vltima cœna.*

Quartò, omnes ferè scholastici cum Magist. sent. in 4. distinct. 30. hunc sensum ample ctuntur, & plures antiqui, & recentiores scriptores, & expositores Euangelij Ioan. Innocent. lib. 2. de hoc mysterio. cap. 2. 7. 9. 19. & 28. Paschasius lib. de hoc sacramento cap. 9. 10. & 19. & in alio opusculo, seu expositione Dominicæ cœnæ. Lanfrancus contra Berẽgarium, Guitmund. lib. 3. de hoc mysterio, Adelman. in epistola ad Berengarium tomo primo Bibliothecæ. Alger. lib. primo de hoc sacram. cap. 10. 21. & 16. qui bene examinat mentem August. Stephan. Eduens. lib. de sacrament. altar. cap. 17. Vvaldens. tom. secũdo de sacram. cap. 92. Gerson lib. de commun. laic. Rossens. lib. 3. de verit. corp. & sang. Dom. Rupert. D. Thom. Lyran. & alij super Ioan.

Quinto argumentari possumus illo principio generali, quia verba Scripturæ propriè intelligenda sunt, si commodè possint, ex Aug. lib. 3. de doctri. Christ. cap. 10. at verò quidquid in hoc capite dicitur de manducando, & bibendo corpore, & sanguine Christi, sine inconuenientì, & absurditate potest propriè intelligi, & est hic sensus consentaneus Ecclesiæ traditioni, & consonat optimè cum alijs factis, & mysterijs Christi, ergo. Et confirmatur ex Augustino suprà, quia si præceptiua est locutio, & vtilitatem aut beneficentiam iubet, non est figurata, sed illa verba, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, præceptiua sunt: ergo.

Vnde textõ argumentari possumus ex circunstantijs literæ. Primò, Quia vt Euthymius & Adelman. suprà ponderarunt, de futuro dicit, *Panis, quem ego dabo*, quæ verba indicant non loqui de re tãtum, vt obiecto fidei, vel amoris; quia sic erat datus, loquitur ergo promittendo aliquid futurum. Dices, promisit, seu prædixit, se fore dandũ ad passionem, & mortem pro nobis. Sed hoc nõ satisfacit, nam dixit, se daturũ ad manducandum carnem, quam oblaturus erat, pro mũdi vita, loquitur ergo de alia promissione. Secundò, quia apertè loquitur de manducatione corporali, & sensibili, dum comparat manducationem sui corporis cum manducatione manna, quæ sensibilis fuit & propria figura huius sacramenti. Tertiò, tàm aperta fuerunt verba Christi, vt illi, qui eum audiebant, de corporali manducatione illa intelligentes, non autem intelligentes modum, scandalizati fuerint dicentes, *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Christus autẽ nõ solùm nõ se dauit eorũ murmurationem, negando se loqui de manducatione corporali, sed potiùs hoc magis confirmauit, tum addẽdo præceptũ, *Nisi manducaueritis*, tũ promittẽdo esse cum huius sacramenti. *Qui manducat meam carnem*, tum denique concludẽdo, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quæ non videtur esse posse clariora. Vnde confirmatur quartò, quia si Christus solùm ageret de fide in ipsum, nõ esset, cur verbis tam obscuris vteretur, toties verba, *manducandi, & bibendi, cibi, & potus*, repetendo, sine maiori explicatione, præsertim cùm omnes, etiam discipulos suos, turbatos videret. Vnde multiplex illa repetitio, maximè cum tanta asseueratione firmata, *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis, & c.* faciunt vehementem coniecturam, Christum propriè, & non tãtùm per metaphoram fuisse locutum. Quintò est optima coniectura, quã indicauit August. lib. 3. de consen. Euang. cap. 1. quia non est verisimile, Ioannem in tõto suo Euangelio omisisse sermonem de hoc sacramento, ideo ergo in nocte cœnæ prætermisit institutionem, quia hoc loco satis narrauerat promissionem. Alij autem Euangelistæ ostendunt Christum immoleuisse in nocte cœnæ, quod hoc loco promiserat. Vnde ipsa consonantia Scripturarum, & cõcordia facti cum promissione, indicant, verum esse hunc sensum. Tandem vltimò, si hic locus non intelligitur de hoc sacramẽto, nullus est alius in Scriptura, in quo datum sit præceptum de vsu huius sacramenti, nec in quo facta sit promissio gratiæ, tali sacramento; non est autem verisimile, hæc fuisse ab omnibus Euangelistis prætermissa.

Hac ergo firmata expositione ex hoc loco conuinci potest euidenter realis præsentia Christi in hoc sacramẽto. Primò, quia hic panis dicitur à Christo esse is, *qui de cœlo descendit*, & dicitur esse, *sua caro, quæ pro mundi vita datur.* Quæ verba esse propriè intelligenda, suprà factis argumentis probari potest, & alijs, quæ in sequenti sectione conficiemus. Secundò, quia præfert hunc panem manna, tum in miraculo, quo vterq; datus est præter naturæ ordinem;

Universidad de Deusto Biblioteca

tum etiam in vsu, & fructu dicens, *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt*, at illi manducabant Christum in signo, & figura. Tertio, quia ostensum est, Christum hic præcepisse manducationem realem & corporalem, quod ex eo etiam patet, quia ad hanc manducationem, vt conuenienter fiat, requirit fidem, non agit ergo de manducatione per fidem, agit autem de manducatione corporis, & sanguinis sui: quæ non possent verè & realiter manducari, nisi verè & realiter in hoc sacramento continerentur. Quarto, quia discipuli, qui Christum audiebant, ita intellexerunt, & tamen, si Christus non esset mãducandus, nisi in signo, & figura, facillimè poterat Christus eorum errorem, & scandalum auferre: Christus autem nihil huiusmodi significauit, sed indicauit potius, altius quoddam mysterium ibi latere in illis verbis, *Verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt*, & magis in illis. *Hoc vos scandalizat, si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi priùs erat*. Quod dupliciter potest exponi. Primò, vt dicatur, nunc conturbamini, cùm ergo me videritis ascendentem in cælum, tunc intelligetis non esse incredibile quod dico. Secundò, si hoc nunc vobis videtur difficile, quantò apparebit difficilius, posse vos manducare carnem meam, postquàm illam in cælum ascendentem videritis? Itaque apertè visus est confirmare eorum intelligentiam, quoad hoc saltem, quod verè & realiter manducaturi essent carnem eius. Denique omnes Patres citati in hoc sensu hoc testimonium intelligunt, præsertim Hilarius, Leo Papa, Augustinus, Ambrosius, vterque Cyrillus, & Chrysostom. apertiùs loquuntur.

Obiectio.

Sed obijci potest, quia multi viri Catholici negant, hoc loco habuisse Christum sermonẽ de hoc sacramento. Caiet. infrà q. 80. art. vltim. & Ioan. 6. Gabr. lect. 84. in can. Richar. a. 15. Ioan. à Louanio lib. de comunione sub vtraq; specie, Nicol. Cusan. Epist. 7. ad Bohem. Iansen. cap. 59. Concord. Respõdetur, horum sentẽtiam non esse hæreticã, & propterea in assertione in principio posita asserui, ex hoc testimonio, per se sumpto, non sumi argumentum omnino efficax ad conuincẽdos hæreticos; est verò hæc sententia parum certè probabilis, solùmque excusari possunt, quia bona fide illam viam amplexi sunt, vt facilius soluerent argumentum, quod ex hoc capite sumi solet, contra communionem sub vna specie, quod tamen alia ratione facilè expeditur, vt suo loco dicemus.

Caietan. Gabr. Richard. Ioan. à Louan. Nicol. Cus. Iansen. Responsio.

Obiectio.

Sed obijciunt primò, quia Christus, in principio illius concionis, de spirituali manducatione, & de fide in se ipsum apertè loqui videtur. Sed hoc nihil obstat, si Christi consuetudinem attendamus, quæ in viris spiritualibus, & præsertim in concionatoribus frequens esse solet; scilicet, vt à re aliqua sensibili, arrepta occasione, ad spiritualia conuertant sermonem, & ab vno mysterio in aliud; sic Ioan. 4. in colloquio cum Samaritana, ex sensibili aqua, transitum fecit ad aquam viuam, & Lucæ 13. cũ Christo nuntiatum esset, quosdam Galilæos esse à Pilato interfectos, ipse respondit, *Putatis, quia illi præ omnibus peccatores fuerunt?* & inde occasionem sumpsit, pœnitentiam prædicandi: similiter ergo modo in præsenti, ex materiali cibo, transitum fecit ad spiritualem, & priùs in communi disserens de spirituali cibo, vel de se ipso, vt per fidem manducãdo, tandem sermonem suum ad hoc sacramentum deriuauit, & meritò cum sacramentali manducatione spiritualem cõiunxit, vt significaret, illam sine hac prodesse non posse, ex quo facilè soluuntur aliæ obiectiones.

Solutio. Ioan. 4. Luc. 13.

Obiectio.

Secunda ergo est, quia ipsemet Christus dixit, *Caro nõ prodest quicquam, verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt*. Vnde Patres suprà citati dicunt, necessariò in his verbis admittendam esse metaphoram, & figuratam locutionem: ergo ipsa etiã manducatio, & potus spiritualiter possunt intelligi; præsertim cùm in Scriptura sacra frequẽter habeãt hanc significationẽ, vt Eccles. 15. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus*, & cap. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*. Respõdetur, Christũ dixisse illa verba, vt falsam imaginationẽ, ac sensum audientium tolleret, existimabant enim, Christi carnem in propria specie manducandam fuisse, & in hoc sensu dicit, carnem non prodesse quidquam, nam, licèt Augustinus, Cyrillus, & alij exponant carnem puram, & à diuinitate seiunctam non prodesse; magis tamen literæ consentaneũ videtur, quod Cyprianus, & alij dicunt, carnem carnaliter intellectam, id est, vt dilaniandam, & animali modo manducandam, non prodesse, & in idem recidit, quod Chrysost. dixit, carnalem intelligẽtiam infructuosam esse, & in eodem sensu asserit Christus Dominus, verba illa spiritum & vitam in se continere, quia magna mysteria habebant recondita, duo præcipuè, scilicet, carnem suam verè esse cibum, ac verè esse manducandam, non tamen in propria specie, sed altiori & impassibili modo, non ad corporum, sed ad animarum nutritionem, quia caro illa, propter vnionem ad Verbum viuificatrix est animarum. Nec refert, nomen manducationis in alijs locis metaphoricè tantùm sumi, quia non propterea est vbique eodem modo interpretandum, imò potius propriè exponendum est, quando aliud non constat ex materia subiecta, præsertim quando cõmunis Patrum expositio, & Ecclesiæ sensus concordant. Adde præterea, in illis eisdem locis Ecclesiast. suprà citatis, saltem in mystico sensu, adumbratum fuisse hoc mysterium, vt ibidem Iansenius aduertit.

Eccles. 15. Solutio.

Obiectio. Bernard. Hieronym.

Tertiò obijciunt, quia sæpè sancti Patres metaphoricè hunc locum interpretantur, vt videre licet in Bernardo tract. de dilig. Deo non longè à principio, & serm. 3. in Psalm. *Qui habitat*, Hieronym. super Psalm. 146. vbi de Scriptura sacra hunc locũ exponit, Basil. Epistol. 141. Orig. hom. 7. in Leuit. & tract. 26. in Matth. sed præsertim in Augustino, qui sæpe figuratè, & in sensu spirituali totum hoc caput exponit, cuius varia loca iã citauimus, & obiter exposuimus, & alia tractauimus suprà, disput. 2. & videri etiam potest tract. 25. & 26. in Ioann. vbi sæpè dicit Christum manducari per fidem, & in his verbis esse figuram præcipientem passioni Domini communicari, vel vniri corpori eius, quod est Ecclesia, habet etiã illa verba, *quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti*: sic etiã tractat. 55. dicit, *si manducare est refici, quid est bibere nisi viuere?* Respõdetur primò, metaphoricum sensum nunquam excludere literalem; & ideò, licèt Sancti interdum accommodent hunc sermonem, vt cibus sit verbum Dei, aut Scriptura, & manducare sit credere, & intelligere, non intendunt proprietatem literæ excludere: vnde rectè Origen. homil. 16. in numeros circa finem, de hac eadem re agens dicit, *Bibimus sanguinem Christi, & ritu sacramentorum, & cùm sermonẽ eius recipimus*. Secundò quamuis ad literam explicaretur hic locus de Christo, secundùm se, & de mãducatione eius per fidem, & amorem, non esset à sensu literæ, & intentione Christi excludendum hoc sacramentum, probabile enim est interdùm Christum Dominum eodem sermonis contextu, de rebus diuersis disseruisse, vt Matt. 24. multi Sancti exponũt, Christum eisdẽ verbis de Hierosolymitano excidio, & orbis cõsummatione tractasse, & Ioan. 4. in illo verbo, *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo, &c.* Cyprian. lib. 5. Epist. 5. intelligit Baptismi promissionem, alij verò de gratia simpliciter intelligunt: itaq; propter analogiam, vel connexionem rerum, potuit facilè fieri, vt Christus vtriusque intuitu locutus fuerit. Tertiò, interdùm vocant Patres hunc sensum spiritualem, non vt excludant proprietatem, quam nos exposuimus, sed vt significent continere mysterium & sacramẽtum, sicut sæpè diximus: & similiter vocant manducationem spiritualem, non vt excludãt sacramentalem; sed, vel vt excludant sensum merè carnalem, & manducationem carnis in propria specie, non verò vt excludant sacramentalem, vel, vt significent hanc sine spirituali non prodesse, spiritualem verò posse prodesse sine sacramentali, quando hæc adhiberi non potest; vel denique, vt indicẽt fructum huius sacramenti spiritualem esse, non corporalem. Et hinc oriri potuit illud August. *Quid paras dentem & ventrem?* quãuis aliter etiam suprà expositũ sit. Item illud Cypriani, de cœna Dom. *Hæc quoties agimus non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera, panem sanctũ frangimus & partimur*. Hinc etiã sæpe hunc cibum spiritualem vocant Sancti, vt videre licet in Ambrosio lib. de myster. cap. 9. Theophyl. Ioan. 6. Hinc denique sępe ipsum effectũ, seu spiritualem fructum, manducationem vocant, pręsertim Augustinus: si ergo hæc perpendantur, & diuersis locis applicentur, nulla supererit difficultas.

Basil. Origen. August. Responsio.

Matth. 24. Ioan. 4. Cyprian. Ambros. Theophyl.

SECTIO III.

Vtrùm ex verbis quibus Christus instituit, exhibuit hoc sacramentũ, conuinci possit veritas præsentiæ Christi in illo.

TOta difficultas huius sectionis est de illis verbis. *Hoc est corpus meum*; Quæ duobus modis cõsiderari possunt. Primò, vt sunt forma huius sacramenti. Secundo, vt continent assertionem quandam, autoritate Christi confirmatã: hæc enim ratio separari posset à priori, si Christus neque illis verbis consecrasset, neque, vt nos illis consecraremus, instituisset; sub priori ratione agemus infrà de illis, quæst. 78. vbi disputanda erunt scholasticæ quæstiones de vero sensu illius formæ, hic verò de posteriori ratione; quærimus enim verum sensum illius assertionis Christi, quoniam præcipuum fundamentum est, quo nixa Ecclesia, præsentiã Christi in hoc sacramento credit, ac docet. Hæretici ergo negant ex his verbis posse colligi hanc Christi præsentiam, & ideò varias metaphoras aut figuratas expositiones cõfingunt. Ex Catholicis verò solus Caietanus in Commentario huius articuli, qui iussu Pij V. in Romana editione expunctus est, docuit, seclusa Ecclesiæ autoritate verba illa ad veritatem hanc confirmandam non sufficere.

Ex verbis, quæ sunt forma consecrationis conuincitur Christi realis præsentia.

Dicendum verò est, in illis verbis satis apertè docuisse Christum, id, quod in suis manibus habebat, discipulisq; dabat esse suum corpus: vnde ad illorũ verborum veritatem necessarium fuit, verè ac realiter, corpus illud sub speciebus panis contineri, & hoc modo ex illis verbis conuincitur hæc præsentia, sine qua illorum veritas consistere non potest. Tota hæc assertio de fide est, quæ probatur primò ex Concilijs, nam in VII. Synod. Act. 6. tom. 3. expressè refellitur expositio hæreticorũ, de signo corporis hæc verba interpretantium, & ponderatur nõ dixisse Dominũ, *Accipite figuram corporis*, sed, *corpus meũ*, vnde Trident. sess. 13. c. 1. disertis ac grauissimis verbis docet, illa verba propriè, non per tropũ esse intelligenda. Dices, ergo est hæretica Caietani sententia. Respondetur, hæreticum esse, negare in illis verbis contineri hanc veritatem, & hunc fuisse sensum à Christo intentum, & similiter hæreticum esse negare, illa verba sufficientia esse, secũdùm se, ad faciendam certam fidem huius mysterij: quia nullum Scripturæ testimoniũ potest clariùs & certius veritatem aliquam cõfirmare. Nihilominùs tamen non esset hæreticum dicere, quoad nos non sufficere illa verba, nisi accedat Ecclesiæ traditio, & definitio: nam, si quis seclusa Ecclesiæ autoritate, sine pertinacia aliter explicasset illum locum, non esset hæreticus; & ideò Concilium Tridẽtinum semper adiunxit Ecclesiæ sensum, & Patrum traditionem. Hæc tamen doctrina non solùm in hoc testimonio, sed in tota Scriptura locum habet, ideò enim est necessaria in Ecclesia viua regula, quæ spiritum habeat, & autoritatem interpretandi Scripturam. Vnde Caietanus, cùm aliquid peculiare indicat esse in his verbis, malè loquitur, & ideò eius sententia omnino reijcienda est.

VII. Synodus. Trident.

Secundò principaliter probatur hic sensus ex Patribus. Ambros. Hilar. Ansel. Beda, & alijs, exponẽtibus loca Euangeliorum, & Pauli 1. ad Corinth. 11. Præsertim Chrysost. homil. 51. & 83. in Matt. & homil. 60. ad popul. præterea Epiph. *Qui non credit (inquit) esse verũ, sicut ipse dixit, is excidit à gratia & salute*. Prosper. de prædict. & promiss. Dei, part. 2. c. 25. vbi ait, Christum corpus suum portasse in manibus suis, cum dixit, *Hoc est corpus meum*. Origen. tract. 35. in Matt. vbi dicit, hunc panem esse ipsum Verbum, & corpus Verbi, apertiùs homil. 9. in Leuit. circa finem Optimè etiam Hieronym. tom. 3. Epist. 150. ad Edibiam, quæst. 2. Gaudent. Brixiẽ. tract. 2. in Exod. Ambro. 4. de sacramen. c. 3. 4. & 5. Gregor. Nissen. in Orat. magna. catechet. apud Euthym. 2. part. Panopl. titul. 21. Cyril. Hierosoly. Catechesi. 4. mystagog. Damasc. lib. 4. cap. 14. Qui quoniam in ea tempora incidit, in quibus hic contrarius error pullulare incipiebat, non solùm expositionem veram amplectitur, sed contrariam disertè reijcit, quod etiam in Theophylacto obseruare licet, Matth. 26. & Marci. 14. & eodem modo loquitur Euthymius, cap. 64. in Matth. vnde rectè Nicephor. lib. 1. histo. cap. 8. *Cùm verè* (inquit) *Corpus & sanguinem suum esse, quasi fide interposita cõfirmasset, &c.* Est deniq; egregius locus apud August. conc. 1. in Psalm. 33. vbi tractat verba illa, quæ 1. Reg. 21. de Dauid dicta sunt, & vbi nos legimus, *Collabebatur inter manus eorum*, ipse legit, *Et ferebatur in manibus suis*, & subdit, *Quomodo autem hoc in Dauid inuentum sit, secundùm literam, non inuenimus, in Christo autem inuenimus, ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est* corpus

Ambros. Hilarius. Anselm. Beda. Chrysost. Prosper. Origen. Hierony. Gaudent. Ambros. Greg. Nissen. Cyril. Hiero. Damasc. Theophyl. Euthym. Nicephor. August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpus meum, ferebat enim corpus suum in manibus suis. Vbi ponderandum est verbum illud, *secundum literam*, id est, *sine metaphora*, nam per metaphoram nō dubitaret Augustinus, quin possent verba illa de Dauid exponi.

Augustin.

Tertiò probatur hæc veritas, ex illa regula generali tradita ab Augustino 3. de doctr. Christi. c. 7. quòd verba Scripturæ propriè intelligenda sunt, & non per tropum, nisi vbi, vel euidens necessitas, vel Ecclesiæ autoritas aliud docet, quod maximè verū est, quando & materia, de qua est sermo, per se non est apta ad metaphoram, quia nimirū sunt dogmata aut præcepta, in quibus tradēdis maximè est proprietas verborum necessaria, vt aliquid certum ac firmum in Scriptura esse possit, & alioqui neque ex circunstantijs, neque ex alijs locis Scripturæ, neque ex ipsis verbis, & frequentiori vsu eorum talis tropus vel metaphora colligi potest, vt in proposito accidit. Quod probatur discurrendo per singula.

Vnde argumentor quartò, ex materia subiecta, quia, quando Christus hæc verba protulit, instituebat sacramentum, & sacrificium perpetuò in Ecclesia duraturum; cuius vsum statim præcepit dicens. *Hoc facite, &c.* ergo oportebat verbis proprijs hoc explicare, nā sacramenta sunt Ecclesiæ fundamēta, & si per metaphoram traderentur, omnia redderentur incerta, & ideò hoc seruatum reperimus, tā in lege veteri, quàm in noua, in illa enim, licèt plena sit figuris & metaphoris, tamen vbi traduntur ceremoniæ legales, proprijs & clarissimis verbis præcipiuntur; in hac verò quando Christus agēs de Baptismo aquam nominauit, propriam aquam intelligimus, & similiter, cùm dixit, *Quorum remiseritis peccata*, & sic de alijs, & in vniuersum, quando Scriptura tradit dogmata fidei, vel præcepta morum, proprijs verbis loquitur, & si alicubi fortasse vtitur metaphora, vel est tam clara, & patēs, vt sensui proprio æquiualeat, vel adiungit aliquid, quo metaphoram explicet, vel quod in vno loco figuratè dicit, in alio diserтè explicat, vt rectè docuit Tertullianus lib. de resurrectione carnis, cap. 10. 18. & sequentibus, & August. lib. de doctrina Christiana, cap. 6. & 9. & colligitur ex Irenæo lib. 2. cont. hæres. cap. 46. Confirmatur, quia Christus Dominus, instituēdo hoc sacramētum, vltimam suam voluntatem declarauit, iuxta illud. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, at verò in significatione verborum alicuius testamenti non licet à proprietate verborū recedere, nisi vbi manifestum est aliter sensisse testatorem, vt dicitur in l. Non aliter. ff. de legat. 3. Et naturali ratione per se notū videtur: quis enim, si testator sibi domum legasset, imagine vel figura domus contentus esset?

Tertull. Auguste. Irenæus.

Quinta probatio sumi potest ex circunstantijs, quæ solent Scripturæ sensum explicare, vt dixit Augustinus lib. 83. quæstionum in 69. nam sermo metaphoricus vsurpari consueuit, vel gratia occultandi sermonem, vel, quando aliquis pro concione loquitur, gratia amplificandi, seu delectandi: non autem in communi seu familiari sermone, vbi simpliciter inter amicos de rebus agitur, vel inter magistrum & discipulos, vel quando aliquis vult alios instruere, intelligit cupit. In hoc autem Christi sermone hæ circunstantiæ seruatæ sunt; agebat enim familiariter cum discipulis suis, & eos instruebat, vt Ecclesiæ essent magistri, &, cùm iam iam ab eis discessurus esset, testamentum condebat; loquebatur ergo simpliciter ac proprie, ita vt facilè posset intelligi; vnde paulò post dixit illis: *Vos dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, & posteà dixerunt Apostoli illi, *Ecce palam loqueris & proverbium nullum dicis*, ad Apostolos enim Christus dixerat. Luc. 8. *Vobis datum est nosse mysterium Dei, aliis autem in parabolis.* Præsertim, quia, cum Apostoli essent statim communicaturi, oportebat vt bene perciperēt verba Christi, vt cum debita fide, ac reuerentia sacramentū susciperent. Vnde per illa verba etiam proposuit illis hoc mysterium, vt illud crederent, sed ad hæc omnia non erant apta verba metaphorica, sed propria simplicia, ergo sine dubio ita locutus est Christus, præsertim cùm non potuerit in illo verbo esse tropus, nisi valde obscurus, & inusitatus, & Christus nullam eius expositionem vel significationem addiderit: si enim addidisset, non prætermisissent illam omnes Euangelistæ, & Paulus: fuisset enim valde necessaria Ecclesiæ, multumque ad substantiam huius sacramenti pertineret. Adde, vehementem esse coniecturā, Apostolos ita intellexisse verba Christi, quia nihil omnino interrogarunt, solebant enim, quando non intelligebant figuratum sermonem, magistro dicere. *Dissere nobis parabolam istam*: hic autem nihil interrogant, sed statim fidem adhibent, & communicant: ergo.

Luc. 8.

Sextò ex alijs locis Scripturæ non potest colligi aliquam figuram vel tropum in his verbis contineri, sed potius contrarium: quin imò vbi fit mentio huius sacramenti in alijs locis, semper verborum proprietas magis ac magis indicatur, quod perspicere licet in illo loco 1. Corinth. 11. vbi post narratam institutionem subdit Paulus. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diudicans corpus Domini*, vbi planè significat esse verum corpus Domini, & non tantùm signum eius. Propter hanc enim causam, tantam requirit probationem, & dispositionem, tantumque exaggerat peccatum indignè sumendi hoc sacramentum, quia, vt Cyprianus ait lib. de lapsis, *Vt infertur corpori Christi, & ore, ac manibus in Dominum delinquitur*, & eleganter idē prosequitur, tum ibi, tū epist. 11. 75. & optim. è Basil. sermo. 2. de Baptis. cap. 3. & lib. de Baptis. in fine. Chrysost. homil. 85. in Matth. 45. in Ioan. 3. in epistol. ad Ephes. Ambros. ad Hebr. 10. vbi dicit, hoc peccato *conculcari corpus Domini*. Sumitur etiam ex hoc loco nonnullum argumentū, quia Paulus ait, corpus Christi etiam ab indignis sumi, quod verū est non tantùm de peccatoribus, sed etiam de hæreticis: sumitur ergo in ipso sacramento realiter, & non tantum per fidem vel spiritualem fructum: ergo sermo Pauli, & consequenter Christi, est prius de ipsomet corpore Christi. Vnde eodem sensu dixerat. Paul. cap. 10. factionem huius panis, esse commnnicationem seu participationem & distributionem corporis Domini, & calicem esse communicationem sanguinis eis. Quapropter Irenæus lib. 5. cont. hæres. cap. 2. dicit. *Qui negat, nos communicare proprio sanguine Christi, etiam posse negare esse eum demptos vero sanguine Christi. Quia sicut Apostolus dixit, In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, ita dicit, calicem Eucharistiæ esse communicationem sanguinis eius; &, qui per metaphoram vnum sermonem euerserit, poterit etiam alium destruere.* Vnde ex his verbis

1. Cor. 11.

Irenæus.

bis concludit, per hanc communicationem fieri arctissimam coniunctionem inter Christum & nos, accommodans etiam illa verba ad Ephes. 5. *Membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius.* Quam coniunctionem latè declarant, & ex hoc loco confirmant, Chrysost. suprà, & homil. 24. in 1. ad Corinth. Cyrillus libro 10. in Ioan. capite 13. Gregor. Nissen. tractatu circa illa verba, *Exiuit sanguis & aqua*, in quo notanda sunt illa verba, *Pance gutæ sanguinis, totum mundum restaurantes, fiunt hominibus quasi coagulum lactis, illos cogentes, & coniungentes in vnum.*

Ephes. 5. Cyrill. Greg. Nyss.

Septimò ex ipsis verbis declaratur hæc veritas. Et primùm suppono, illo pronomine, *Hoc*, designasse Christum id, quod habebat in manibus, seu coram se, quodque discipulis dabat vt sumerent, vt euidenter patet ex præcedentibus verbis, *Accipite & comedite*: ineptissimum enim est, quod quidam hæretici dixerunt, Christum de se ipso fuisse locutum, suum visibile corpus designando, Christus enim tunc non de hoc agebat, sed de re, quam ad manducandum dabat. Deinde, vt quid tunc asseruisset discipulis quod ipsi videbant? Denique in forma sanguinis nullo modo potest hoc accommodari. Alij verò interpretantur, *Hoc*, id est, *Hic*, ita vt non sit pronomen, sed aduerbium locale. Sed præterquàm quòd hic est voluntarius abusus vocis, quæro, quem locum Christus designauerit, an illum, in quo ipse sedebat? Et hoc eisdem argumentis refellitur, quæ nuper facta sunt, erat enim res prorsus impertinens. An illum, in quo erat panis? Et ita, quod ad præsens attinet, eadem vis manet in verbis, quia etiam hoc modo veritas illius locutionis requirit Christi præsentiam. Alij confingunt, non designasse Christum aliquam rem permanentem, sed actionem illam, quæ tunc agebatur. Sed hoc & per se est incredibile, quomodo enim tota illa actio diceretur corpus Christi? & in factione vltima huius disputationis ex professo refelletur, pertinet enim hæc expositio ad hæresim ibi impugnandam. Alij denique fraudulentiùs dixerunt, vt refert Iansen. capite 59. concordiæ, pronomine, *Hoc*, designasse Christum ipsos Apostolos, seu collegium Apostolicum, quod appellat corpus suum mysticum, vt sensus sit, *Accipite & comedite*, vos enim estis corpus meum. Sed hæc expositio, præterquam quòd est merè voluntaria, & contra omnes Sanctos, & sensum Ecclesiæ, facilè refellitur, tum ex verbo illo, quod Christus subdidit, *Quod pro vobis tradetur*, quod non potest corpori mystico adaptari, tum ex forma sanguinis, quæ nullo modo potest Apostolos referri; tum etiam quia Paul. primæ ad Corinth. 11. apertè exposuit panem cælestem, quem Christus tradidit, esse corpus eius; tum denique, quia iuxta hanc expositionem, non solùm Christi præsentia in hoc sacramento, sed totum ipsum sacramentum prorsus euertitur.

Iansen. Concord. cap. 59.

Secundò suppono, vltimam particulam, *meum*, non possessiuè sumi, sed naturæ proprietatem significare, dixerunt enim quidam hæretici, sensum Christi in illis verbis fuisse, *Accipite & comedite, hoc enim*, id est, hic panis, *est corpus meum*, id est, res à me creata, & cuius ego sum Dominus. Sed est inepta expositio, nam si Christus nudum panem dabat, quæ magnificentia aut excellentia in illo dono apparebat, vt oporteret, tāto verborum apparatu dicere, illud esse suum? Deinde Christus non dixit. Hoc corpus est meum, sed, *Hoc est corpus meum*, &, vt euidentiùs sensus constaret, addidit, *Quod pro vobis tradetur*, loquitur ergo de suo naturali corpore. Ité, in forma sanguinis nullo modo potest pronomen, *meus*, ita torqueri. Alij exponunt verbum illud, *meum*, per communicationem idiomatum, dicūt enim Verbum assumpsisse naturam panis, & ratione illius vnionis, verè appellasse panem corpus suum. Sed contra hunc falsum sensum latè dicturi sumus articulo sequenti, nunc breuiter reijcitur, quia vel illa vnio est hypostatica, vel nō; si hoc posterius dicatur, nulla alia vnio potest sufficere ad veritatē, & proprietatem illius locutionis; subsistantiæ enim naturis & suppositis distinctæ, ac disparatæ, non possunt inuicem verè prædicari, propter coniunctionem accidentalem, vt in dialectica per se constat, & in hoc principio fundat Theologia veritatē Incarnationis. Si prius autē dicatur, & absurdissimum ac hæreticū est, talē vnionem hypostaticam fingere, & non sufficit ad veritatem locutionis Christi; dixit enim, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, at vero corpus panis, etiā si fingatur vnitū hypostaticè Verbo, non est pro nobis traditum, seu crucifixū, neque etiam per communicationem idiomatum, potest substantia panis dici corpus Christi crucifixum pro nobis, & multò minùs poterit vinum appellari sanguis, quia communicatio idiomatum non est inter partes & abstracta. Igitur, *corpus meum*, in illa propositione necessariò significat ipsum corpus naturale Christi. Tertiò tandem addendum est, verbum, *est*, quod coniungit illa duo extrema, secundū propriam significationem requirere, vt id, quod designatur per pronomen, *hoc*, sit id, quod per prædicatū significatur, sic igitur ex proprietate verborum illorum necessariò concluditur, illum cibum, quem Christus dedit Apostolis, fuisse verum corpus eius.

Refutatio dictum.

Sed occurrūt multi hæretici, qui licet inter se differant in modo explicandi, omnes tamen in eo conueniunt, vt transferant hæc verba ad metonimiam & figuratā locutionē, qua iuxta Aug. q. 57. in Leui. res repræsentata solet de signo vel imagine efferri, vt cùm visa imagine Regis, dicimus, hic est rex. Vn de quidam exponūt, *hoc est*, id est, *hoc significat corpus meum*, sicut Genes. 42. dixit Ioseph. *Septem spicæ septem anni sunt*, & Matth. 11. dixit Christus, *Ioānes ipse est Elias*. Alij verò ponunt metaphoram in prædicato, *Hoc est corpus meum*, id est, *hoc est signum corporis mei.* Sed hæc, & similia omnia in idem recidunt, vt ex doctrina Augustini suprà constat, quia etiam si figura ponatur in verbo, in prædicatum transfundi necesse est, nā idem est, *Hoc est*, id est, *hoc significat*, vel, *hoc est significans*, seu, *hoc est signum*, igitur vno & eodē principio refellentur, quia cùm hæ metaphoræ sint contra proprietatem verborum, non sunt ad libitū fingendæ, nisi vbi, vel res est euidentissima, vel necessitas, aut autoritas cogit, aliàs fides nostra nullū firmum fundamentum habere posset in Scriptura sacra. Vnde Nestoriani hæretici, etiam corrumpebant locutiones Scripturæ, in quibus & Deus homo, & homo dicitur Deus, per metaphoram illis explicantes; quia absurdæ & difficillimæ illis videbantur, si propriè intelligerentur; & tamen ex sola proprietate illorum verborum Ecclesia illos conuicit, & condemnauit. Quod argumentum generatim contra hæreticos rectè tractat Tertul. lib. de resurrect. carnis, & hic est vrgentissimū, propter omnia,

Alie explicationes per metaphoram. August.

Genes. 42. Matth. 11.

Tertull.

Confutatio earum.

quæ adducta sunt. Quibus addi potest primò, quòd si Christus Dominus voluisset affirmare id, quod discipulis dabat, esse corpus suũ, nõ potuisse clarioribus verbis id facere, non enim adiũgere debebat. *Hoc est propriè*, seu, *in veritate*, seu quid simile; nõ est enim hic vsitatus loquẽdi modus, satis enim fuit in singulis verbis, quantum fieri potuit explicare proprietatem, nam in subiecto abstinuit à nominando pane, vel alia re, sed simpliciter dixit, *hoc*, vt absolutè designari posset, quod sub illis speciebus cõtinebatur. Deinde vsus est verbo simplicissimo, & substãtiali, *est*, quod inter omnia minùs est aptũ ad metaphoras, & figuras. Ac deniq; in prædicato, nõ cõtentus proprietate verbi, adiunxit explicationem, *Quod pro vobis tradetur*, quæ non conuenit in signum corporis, sed in verum corpus. Secũdò addo, quòd si in illis verbis vllus esset tropus, ille esset obscurissimus, nullum in his verbis, nec in alijs Scripturæ locis habens fundamentum, nec in communi more loquendi, non enim solemus appellare imaginem, aut signum nomine rei significatæ, nisi quando manifestum ac per se nouum supponimus, id, de quo loquimur, esse imaginem, aut aliquid aliud significare, quod autẽ panis significaret corpus Christi, non dum erat Apostolis notum, sed illa futura erat prima institutio talis signi, in prima verò institutione nunquam solet talis metaphora vsurpari, esset enim obscurissima, & magna erroris occasio. Vnde maiori ratione potuisset Christus de agno paschali dicere, *Hoc meum est corpus*, & de baptismo, *Hic est sanguis meus*, vel, *mors*, seu, *sepultura mea*, & de hoc sacramento, *hoc est Ecclesia mea*, vel, *corpus mysticum meum*, quia illud etiam aptissimè significat, ac repræsentat. Tertiò addo, nullum ibi esse verbum talem metaphorã indicans, imò (quod obseruatione dignissimum est) tam tres Euãgelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, quàm Paul. 1. ad Cor. 11. cùm hanc institutionem narrant, licèt in alijs diuerso modo loquantur, cùm veniunt ad hæc verba, diligentissimè illa referunt, cum omni proprietate, & sine vlla fere varietate, & nihil addunt, quod ad eorum explicationem pertineat, supponentes simpliciter esse intelligenda, alioquin in re grauissima, & maximi momenti, occasionem erroris & deceptionis Ecclesiæ tribuissent.

Aliorum hæreticorum interpretatio.

Quod verò alij tandem excogitarunt, vt propositionem inuerterent, & subiectum facerent prædicatum, & prædicatum subiectum, ac si Christus diceret, *corpus meum est hoc*, id est, panis, non materialis, sed spiritualis, sicut Ioannes dicitur Elias, non persona, sed spiritu, hoc (inquam) nihil eorum causam iuuat.

Refellitur.

Primò, quia id, quod assumitur, est planè falsum, quia, vt ostendi, Christus non de se, sed de illa re, quam Apostolis dabat, loquebatur, & ita Paulus apertè exposuit, cibum ipsum, qui fidelibus datur, esse corpus Christi, quod expressiùs ostendunt verba Græca, quæ, aliquantulum mutato ordine verborum, ita habent, *Hoc est corpus meum*, & illæ etiam determinationes, *quod pro vobis tradetur*, &, *qui pro vobis effundetur*, nisi magna vis literæ inferatur, satis ostendunt, *corpus meum*, &, *calix sanguinis mei*, esse illarum propositionum prædicata. Deinde, quia hoc nihil ad præsens institutum refert, nam cùm particularis propositio affirmatiua simpliciter conuerti possit, siue dicas, *hoc est corpus meum*, siue, *corpus meum est hoc*, si proprietatem verborum retineas, eodem modo veritas confirmabitur; si verò per solam figuram, & metaphoram interpreteris, eadem argu-

A menta redibunt, necesse est enim, vt isti hæretici ita exponãt, *corpus meum est hoc*, id est, repræsentatur per hoc, vel nutrit, sicut hoc, aut alio simili modo, qui sensus eisdem argumentis falsus esse conuinci posset. Plures hæreticorum insanias & absurdas interpretationes refert Sãder. lib. 7. de visibil. Monarch. hæresi. 204. sub anno 1949. & impugnat latissimè Rober. Bellarm. loco citato.

Sanderus. Bellarm.

1. Citat.

Vltimò confirmatur hæc expositio, soluẽdo quæ contra eam obijci possunt, primò ergo obstare videtur Paul. 1. ad Cor. 10. vbi dicit, antiquos Patres eandem escam manducasse, & eundem potum nobiscum bibisse: ex illo ergo loco, explicãdus est hic, de quo agimus, scilicet, illam escam, quam Christus dedit, tantùm fuisse figuram, quia sicut antiqui Patres tantùm in figura manducarunt, ita & nos. Hãc obiectionem refert Ruper. Abb. lib. 5. in Ioann. tra- B ctans illa verba. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto.* Et rectè respondet, Paulum non dicere, antiquos Patres eandem escam, vel eundem potum nobiscum manducasse, sed solùm Hebræos ipsos omnes eandem escam manducasse, & eundem potum bibisse, nulla enim est in textu Apostoli particula, qua illa esca, & potus antiquorum referatur ad nostram, seu dicatur esse eadem cum illa de qua Dominus dixit, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*. Neque enim Apostolus potuit esse contrarius Christo dicenti, *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Vnde statim subdit Apostolus, *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, ac si diceret, licèt omnes eãdem escam manducauerint, non tamen in omnibus æquè profuit; confert ergo illos inter se, non nobiscum; C nam respectu nostri posteà dicit, *omnia in figura contingebant illis*, & hic sine dubio est literalis sensus, vt ex ipso textu, & ex Chrysost. Theodor. & alijs expositoribus constat. Addi verò potest, licèt Paulus diceret, antiquos eandem escam spiritualem nobiscum manducasse, id est, Christum, non tamen dicere eodem modo manducasse, illi ergo tantùm per fidem: nos vero & per fidem, & realiter in sacramẽto.

Rupert.

2. Obiectio ex Patribus. Dionys.

Secundò obijci possunt Patres, Dionys. epist. 9. ad Titum habet obscura verba, loquens enim de sacris signis, & tropicis locutionibus ait, *Nec sanctos Angelos ab illis abstinuisse*, & subdit, *Ipsumque Iesum in parabolis: per typicæ mensæ apparatum, deifica mysteria tradere.* Secundo, Hiero. Matth. 26. inquit, *Posquàm typicum Pascha fuerat impletum, assumit panem, & ad verum Pascha transgreditur sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech panem & vinũ offerens fecerat, ipse quoque veritatẽ sui corporis, & sanguinis repræsentaret.* D Tertiò idem Hiero. Marci 14. *Accepit (inquit) Iesus panem, & benedicens fregit, transfigurans corpus suum in panem, quod est Ecclesia præsens, quæ accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formans sanguinem suum in calicem vino, & aqua mistum, vt alio purgemur à vitijs, alio redimamur ab eis.* Quartò, sunt obscura verba Tertullian. lib. de anima. capit. 17. dicentis, non mutasse vinum saporem, *quod in memoriam sanguinis sui Dominus consecrauit*, & difficiliùs lib. 4. cont. Marcio. c. 40. *Panem (inquit) corpus suum fecit, dicens, Hoc est corpus meum, id est, hoc est figura corporis mei.*

Hieronym.

Tertull.

Ad primum respõdetur primò ex alio loco Dionys. de Eccles. Hierar. cap. 3. non obscurè colligi ipsum sensisse hoc sacramentum esse ipsum Christũ, nam ad ipsum sacramẽtum loquens, dicit, *Tu dixisti,*

Hoc facite, & deinde ipsum sacramẽtum inuocat, sicut ipsum Christum, in illo ergo alio loco, cũ *Deifica mysteria* appellat, ipsum Christum sub signis sensibilibus latentem intelligit, & ideò vocat, *typicæ mensæ apparatum*, quia sub signis sensibilibus res diuinæ continentur. Quod verò ibi ait Iesum in parabolis diuina tradidisse, non est necesse, vt ad verba consecrationis referatur, sed ad Christi prædicationem, sunt enim illa duo diuersa, *in parabolis diuina, & per typicæ mensæ apparatum Deifica mysteria tradere.*

Ad primum locum Hieronym. respondetur, verbum illud, *repræsentare*, esse æquiuocum, interdum enim idem est, quod rem significare, interdũ verò idem, quod rem præsentem facere; Hieronymus ergo hoc posteriori modo illo verbo vtitur, vt clarius constat ex eodem Hieronymo, circa illa verba Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum*, vbi cõparans, sicut hic, Melchisedech & Christũ, dicit, illum obtulisse panem, hunc vero corpus & sanguinẽ suum. Responderi potest secundò, etiam si verbum repræsentandi in alio sensu sumatur, non proptereà excludi veritatem, nam Christus dando corpus, dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Vnde consecrãdo corpus, & sanguinem, illius passionem repræsentamus. Quam solutionem sæpe repetemus sectione sequẽti. Tertiò deniq; dicitur, Hieronymum in eo loco non explicare hæc verba formæ metaphoricè sed potiùs dicere, Christum repræsentasse veritatẽ sui corporis: potiùs ergo indicat locutũ fuisse Christum de vero suo corpore, quod in pane repræsentatur sub speciebus panis, illud discipulis tribuẽs. Vnde idem Hieronymus in dicta epist. 150. q. 2. ad Hedib. hæc eadem verba tractans, *Ipse (inquit) Iesus conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Vnde ad aliud eiusdẽ testimonium responderi posset, illos Commentarios in Marcum non esse Hieronymi, vt Marian. Victor. & alij adnotarunt. Deniq; cuiuscunq; sint, sensus mysticos & nõ literales explicant. Dici ergo potest, cùm in hoc sacramento sint plura mysteria, Patres in vno loco explicare quædam, in alio alia, & licèt alicubi aliqua omittant, nõ tamen negant. In Commentarijs igitur in Marcum Hieronymus non tam ex professo omnia exponit, quàm breues quasdam annotatiunculas adhibet, & ideò in illo loco explicuit breuissimè, quomodo in hoc sacramento vnitas corporis mystici repræsentetur, non tamen declarauit literalem sensum verborum Christi; neq; etiam illum exclusit, quanquam, cùm dicit, *Transfigurans corpus suum in panem, & formans sanguinem suum in calicem*, non obscurè indicet conuersionem panis in corpus, & vini in sanguinẽ, licèt & iã explicuerit diuerso modo, quã exponi soleat; propriè enim dicitur panis cõuerti in corpus, vel etiam transfigurari, vt loquitur Ambros. lib. 4. de fide cap. 6. dicens. *Nos autem quotiescunque sacramenta sumimus, quæ, per sacræ orationis mysterium, in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annunciamus*; Hieronymus verò è contrario asserit corpus transfigurari in panem, quia sub forma, & specie panis cibus Ecclesiæ efficitur. Et eodem modo dicit, *Formans sanguinem suum in calicem*, id est, accommodans & adaptans illum sub speciebus vini, vt, tanquam verus potus, possit in calice sumi. Ad primum locũ Tertulliani respondetur, cùm inquit, *non mutasse vinum saporem*, satis indicasse, mutasse substantiam, non accidentia. Quod vero addit, hoc fecisse Christum in memoriam sanguinis sui, id est,

Ambros.

A passionis suæ, omnino verum est, nam hic calix, & est sanguis Christi, inuisibiliter ibi cõtentus, & est memoriale sanguinis visibiliter effusi, sicut Lucas dixit. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, quia scilicet sanguis cõtẽtus in calice, sub speciebus potus, est sacramentum continens diuinam promissionem, sancitam & fundatam in sanguine effuso in passione. In alio verò difficiliori loco, primùm cùm dicit, *panem corpus suum fecit*, satis apertè veritatem transubstantiationis explicuit, quam alijs etiam locis, quæ sectione sequenti referemus, non obscurè docuit, cùm ergo subdit, *Corpus suum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei*, dupliciter explicari potest, primò, vt hoc ipsum sacramẽtum, quod verè est corpus Christi speciebus panis velatũ, vocet figuram, id est, repræsentationem eiusdẽ corporis visibilis, in propria specie existentis; hoc B enim modo interdum loqui Patres ostendemus sectione sequenti; optimè vero intelligitur ex loco Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 5. vbi priùs inquit, *Dicit sacerdos, Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi*, statim vero vim & proprietatem verborum explicans, inquit, *Antequàm consecretur panis est, vbi autẽ verba Christi accesserint, corpus est Christi*, & infrà. *Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus; vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui orbem redemit, ergo videte, quãtis generibus potẽs est sermo Christi vniuersa cõuertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?* Quæ verba non solum ad explicandum Tertullianũ, sed etiam ad veritatem confirmãdam aptissima sunt. Secundò responderi potest, Tertul- C lianum non sacramentum, sed panem vocasse figuram corporis Christi, ita vt particula illa, *id est, figura corporis mei*, non cadat super prædicatum, *corpus meum*, sed supra subiectum, scilicet, *panem*, quem vocat figuram corporis Christi, & hanc figuram dicit effecisse Christum corpus suum, dicendo, *Hoc est corpus meum*, docet enim ibi, in veteri testamẽto, carnẽ Christi, panis nomine metaphoricè significatã fuisse, & panem fuisse figuram corporis Christi. Hanc ergo figuram adimpletam dicit esse in nouo, quando Christus panem, id est, figuram corporis sui, corpus suum fecit. Vnde paulò inferiùs inter alia dicit, *Nunc sanguinem suum in vino cõsecrauit, qui tunc* (id est, in lege veteri) *eum in vino figurauit*, & ita hic locus potiùs confirmat veritatem, & eodem modo loquitur lib. 3. contra Marcio. cap. 19. quibus locis Pamel. hunc sensum eruditè expendit, eodẽ modo exponunt Richard. art. 13. & alij moderni. Et potest D etiam accommodari ad verba Ambrosij, paulo ante citata, cùm enim figuram corporis & sanguinis appellat, de pane & vino ante consecrationem planè loqui videtur, de qua re plura in sequenti sectione dicemus.

Ambros.

Richard.

3. Obiectio ex materia & coniecturis.

Tertia obiectio sumitur ex materia & coniecturis; materia enim erat sacramẽtum quoddam, cuius ratio est, vt sit signũ & figura: ergo forma, seu verba Christi fuerunt verba sacramentalia: ergo sacramẽtaliter tantùm & metaphoricè significare intelligenda sunt: ergo non veritatem, sed signum tantũ significare debent.

Confirm. 1.

Cõfirmatur primò, quia nõ possunt multæ metaphoricæ locutiones in illis verbis vitari, nam in verbis illis. *Hic est calix sanguinis mei*, omnes figuram metonymiæ admittunt, dum conti-

nens

Universidad de Deusto Biblioteca

nens pro contento recipitur. Item dicitur, *Hic calix est nouum testamentum*, cùm tamen non sit, nisi signũ, & confirmatio testamenti. Præterea verbum, *manducandi*, non potest intelligi propriè, si illud quod mãducatur propriè, & non metaphoricè dicatur esse corpus Christi, quia corpus Christi non atteritur dentibus, vt propriè manducari dicatur: ergo necesse est, metaphoram inesse in aliquo illorum verborum, scilicet, aut in verbo, *manducandi*, aut in voce, *corpus*, aut enim id, quod Christus dabat, propriè mãducandũ erat, & sic non poterat esse verũ Christi corpus, aut si hoc erat, non poterat propriè manducari: ergo conuenientiùs dicitur, metaphorã esse in voce, *corporis*, quàm in voce, *manducandi*, vt res sit facilior, & expeditior.

Confirm. 2.

Confirmatur secundò, quia Apostoli ita videntur intellexisse verba illa de signo corporis, & non de vero corpore, aliàs turbati essent, & aliquod signum admirationis, in tanta rei nouitate præstitissent.

Respons. ad argumentum.

Ad præcipuum argumentum respondetur, variè intelligi posse verba Christi fuisse sacramentalia. Primò, vt sacramentalia verba dicantur, id est figurata, quæq; solum metaphoricum sensum habẽt, & hoc modo negatur assumptũ: hoc enim est, de quo est controuersia. Secundò, vt sacramentalia verba dicantur, quæ mysterium aliquod habent reconditum, & hoc modo fateor verba Christi fuisse sacramentalia, non est autem necesse, vt propterea caruerint sensu proprio: nam hoc familiare est verbis diuinis, vt sub sensu proprio altiorem, mysticum, ac reconditum contineant. Tertiò dici possunt proprissimè sacramentalia, verba quibus instituitur, & efficitur sacramentum, & hoc modo fuerunt etiam illa verba sacramentalia, & habentia sacram, & mysticam significationem; tamen hoc etiam sensu necesse non est, vt propria caruerint, nam in hac potiùs illa fundata est, nam ad veritatem sacramẽti potiùs necesse est, vt huiusmodi verba in propria significatione vera sint, vt tandem per eam spiritualẽ effectum significent: & hoc maximè verum est in verbis, quibus sacramentũ simul instituitur, & conficitur, qualia sunt ea, de quibus disputamus, vt constat à simili, nam cùm Christus dixit, *Baptizantes eos*, etiam illa verba fuerunt sacramentalia, & nihilominùs certum est propriè esse intelligenda, alioqui enim nihil de sacramentorum institutione certum haberemus. Adde, proprissimam significationẽ dictorum verborum. *Hoc est corpus meum*, esse maxime sacramentalem, quia significando hoc contentum sub speciebus esse corpus Christi, significant mysterium valde reconditum, & ad sanctificationem nostram ordinatum, & ita hæc verba eminentissima quadã ratione & sacramentalia sunt, & propria.

Ad 1. confir.

Ad primam confirmationem respondetur, vel in illis verbis nullam esse metaphoram, vel esse adeò perspicuam, vt propriæ locutioni æquiualeat, primùm enim de voce *calicis* Titelmanus & alij contẽdunt, sumi pro ipso vase, quod propriè dicitur calix sanguinis, quia sanguinem continet.

Titelman.

Deinde quanuis illa vox significet potum ibi contentum, tamen illa est valde vsitata significatio, licèt sit trãslata, & ex adiunctis verbis, *bibendi*, & *effundendi* fit magis perspicua. Denique Matthæus, & Marcus propriè explicarunt dicendo, *Hic est sanguis*. De altera autẽ voce *testamenti*, breuiter dicitur, proprissimè significare signum seu instrumentum continens seu significans voluntatem testatoris, & ita, quanuis in præsentia significet sacramentum continens, ac confirmans diuinam promissionem, nulla est metaphora, sed proprietas verbi. Denique verbum, *manducandi*, propriè etiam intelligendum est, quia corpus Christi per modum cibi verè traijcitur in stomachũ, per organa oris, & gutturis, & hoc tantùm est de ratione veræ manducationis. Neque enim est necesse, vt ipsum corpus dentibus atteratur, quãuis, sicut dicitur frangi ratione specierum, ita ratione earundem potest dici dentibus atteri. Vel certè, cùm nõ solum corpus, sed totum hoc sacramentum manducari dicatur, satis superque est, vt in speciebus possit dentibus atteri, cùm totum per modum cibi in stomachum traijciatur.

Ad 2. confir.

Ad secundam confirmationem suprà responsum est ex Chrysostomo, Apostolos non fuisse turbatos in hoc mysterio, quia iã de illo fuerãt edocti, Christi enim promissionẽ intellexerãt, & eius cõplementũ auidè expectabãt, credẽdũ etiã est, Christũ illorum mentes illuminasse, vt summa reuerentia tantũ sacramentum susciperent.

4. Obiectio.

Quarta obiectio esse potest, quia, estò demus Christum Dominum propriè esse locutum, ipsumque effecisse magnum miraculum, conuertendo panem in corpus suum, non inde concluditur, nunc esse præsentem in nostro sacramento, nam licèt sacerdotes ea verba repetant in memoriam Christi, non tamen habent eam efficaciam, quam Christus habuit.

Responsio.

Respondetur ex Patribus suprà citatis, præsertim Chrysostomo, Cypriano, & Ambrosio, eundem Christum esse, qui nunc conficit, & tunc confecit hoc sacramentum: minister enim non in sua, sed in Christi persona illa profert verba. Vnde non minùs vera, nec minùs efficacia nunc sunt, quàm in nocte cœnæ fuerunt: nam, sicut ex quo tempore dixit Christus: *Baptizantes eos*, habent ministri eius vim sanctificandi, quia ipse est, qui principaliter baptizat, ita ex quo dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, habent vim efficiendi quod ipse fecit. Vnde suprà ostendimus, Christum Dominũ in eo facto non solùm miraculosè fuisse operatum, sicut quando conuertit aquam in vinum; sed sacramentum instituisse, quod perpetuò in Ecclesia esset duraturum, vt iterum dicemus infrà, agentes de forma huius sacramenti, vbi difficultates alias, ad veritatem huius formæ spectantes, enodabimus.

SECTIO IIII.

Quid antiqui Patres de vera præsentia Christi in hoc sacramento senserint.

HÆretici huius tẽporis summo conatu, vel potiùs summis fraudibus laborarũt, vt errorem suum antiquorum Patrum scriptis reperiri suaderent, & ideò prætermissis locis apertissimis, in quibus veritatem docent, quidquid ab eis minùs explicitè dictum est, corradunt, ac cõgerũt: cum enim antiquis temporibus, hi hæretici nondũ orti essent, Sancti Patres sincerè, & confidenter de hoc mysterio loquebantur, nihil de istorum malitia, ac peruersitate soliciti, qui nunc eorum scriptis malitiosè abutuntur. Hinc verò in magnã Ecclesiæ vtilitatem factum est, vt scriptores Catholici diligẽtissimè sentẽtias Patrum collegerint, eorumque de hoc mysterio veram, ac sinceram fidem euidenter ostenderint. Quapropter ne actum agamus, breuiter caput hoc expediemus, omnino enim prætermittere non fuisset expediens, ne totam hanc disputationem mutilam ac truncam, relinqueremus. Duo ergo breuiter docebimus. Primũ, quomodo ex sententijs Patrum cõfirmanda sit hæc veritas, alterum quomodò exponendum sit, si quid in eis reperiatur, quod illi videatur aduersum, & quædam documenta trademus ad sacrum Sanctorum sensum assequendum.

Alanus.

Circa primum, placet valde distinctio Guillelmi Alani lib. 1. de Euchar. c. 23. quædam esse Patrũ testimonia, quæ simplicia dici possunt, alia, quæ ipse argumentosa vocat: priora sunt illa, quæ simpliciter sacramentum hoc, veritatem corporis & sanguinis Christi appellant, aut in quibus affirmant, nos manducare Christum, aut corpus vel sanguinem eius, & ab horum enumeratione abstinebimus, tum, quòd ea sufficere censemus, quæ inter explicanda Scriptura testimonia indicata sunt, tum etiam, quod pene infinita sunt, & ab hæreticis eodem fere modo, quo testimonia Scripturæ, eludantur: in his verò testimonijs colligendis diligentissimè insudarunt multi, sed præsertim Garetius quatuor prioribus classibus libri de vera præsentia corporis Christi, & Claud. fere totis sex primis repetitionibus, & vtilissimè Robert. Bellar. toto lib. 2. de hoc sacramento. Posteriora, seu argumentosa testimonia sunt, quæ, præter simplicem assertionem veritatis, argumentum continent, quo falsam interpretationem excludant, & hæc persequitur optimè Alanus suprà, & eorum capita breuiter indicabo.

Garetius. Claud. Sainct. Bellarm.

Primum sit eorum Patrũ, qui expressè excludũt solam figurã, huiusmodi sunt Damasc. lib. 4. c. 14. *Non est figura* (inquit) *panis & vinum, absit enim hoc, sed est ipsummet corpus* Ambr. lib. 6. de sacram. c. 1. *Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, nõ quẽadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris, ita vera caro est, sicut ipse dixit, quã accipimus, & verus sanguis est; quem potamus*, & inferiùs, *Fortè dicas, quomodo vera, quia similitudinem video, non video sanguinis veritatem? primò omnium dixi tibi, de sermone Christi, qui operatur, vt possit mutare, & conuertere genera institutæ naturæ*. Expressè etiam ita loquitur Theophy. Matth. 16. Marci 14. Ioan. 6. & Euthy. his locis, & Epiph. ille, qui loquitur in VII. Synodo, Action. 6. tom. 3. in fine.

Damasc. Ambros. Theophyl. Euthym. Epiphan.

Secundum caput continet testimonia his propinqua, quibus Sancti docent, Christum in hoc sacramento, non solùm fide, sed ipsa re nobis cõiungi, & non solùm per voluntatum concordiam, sed etiam per corporum contactum, seu coniũctionem nobis copulari, quo nihil potuit expressiùs dici, ad errorẽ Caluini confutandum, Chrysost. hom. 60. ad populum, *Semetipsum nobis commiscet, non fide tantùm, sed & ipsa re*, & similia habet Hilarius nuper citatus lib. 8. de Trinit. & eleganter Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 13. & 14. & lib. 11. c. 27. inter alia, inquit, *Per mysticã benedictionem corporaliter nobis filius vnitur, vt homo; spiritualiter, vt Deus*, & ita exponit illud ad Ephes. 3. *Concorporeos, & comparticipes*. Alter etiam Cyrill. catech. 4. dicit, hac ratione nos effici Christiferos. Vnde est illud Chrysost. hom. de sancto Philogonio, *præclariùs nobiscum agi, quàm cũ Magis. Illi enim* (inquit) *viderunt Christum: nõ tamen secum tulerunt, nos autem nobiscum ferimus*. Certè, si de sola fide sermo est, etiam illi secum tulerunt.

Chrysost. Hilarius. Cyril. Cyr. Hierosol.

Theo. Ancir.

Vnde etiam est præclarum testimonium Theodoti Ancirani, Orat. de Natiuit. Saluat. habita in Concil. Ephes. tom. 6. Appendice. 5. cap. 2. vbi sic inquit, *Ipse, qui tunc Magos ineffabili pietate traxit, clarã nunc festiuitatem constituit, non iam in præsepe positus, sed in altari, illud nanque præsepe mater factum est huius mensa. Propterea in illo est positus, vt in isto comedatur, & fidelibus fiat salutis cibus.*

Tertiò his sunt consentanea testimonia illa, in quibus Sancti exaggerant caritatem Christi, quia nec pastores oues suas, nec matres filios suis carnibus alunt, sicut Christus nos pascit, neque amantes ita se tradunt, & coniungunt amicis, sicut Christus voluit nobis tradi, & copularitat verò si Christus tãtùm signum nobis tradidisset, commune hoc esset omnibus amantibus, legatur Chrysost. homil. 83. in Matth. 45. in Ioan. 24. in 1. ad Cor. 1. 60. & 61. ad popul. facit illud Aug. Epist. 120. c. 17. *Quidam manducantes in sacramẽto Christum pauperẽ: dedignantur esse pauperes*, & illud in Psalm. 33. *Iudæi de Crucifixo obtenebrati sunt, Christiani verò comedendo crucifixum, illuminantur.*

Chrysost. August.

Quartum caput cõtinere potest ea testimonia, in quibus Patres rationes reddũt, ob quas voluit Christus sub speciebus panis, & vini, & non in propria specie nobiscum manere, & ad manducandum & bibendum dari, scilicet, vt fides probaretur & exerceretur, & vt sine horrore, caro, & sanguis eius, mãducaretur, ac biberetur; manifestè enim, & absque vlla tergiuersatione his locis supponunt, ipsam veram carnem, & sanguinem, nobiscum præsentem adesse in hoc sacramento, vereque ac realiter à nobis sumi, ita verò loquuntur Ambros. Damasc. Theophyl. locis citatis, item Ambros. lib. 4. de sacram. c. 4. Aug. in cap. Verùm sub figura de Consecr. dist. 2. Cyril. apud D. Thom. in catena. Lucæ 22.

Ambros. Damasc. Theophil. August. Cyril.

Quintum caput sit, Sanctorum dicẽtium, in hoc sacramento perficiendo interuenire magnum quoddam miraculum, & diuinæ omnipotentiæ opus: nã, si nulla est realis præsentia Christi, sed sola significatio panis, nullum miraculosum opus ibi interuenit, sed sola extrinseca denominatio, seu impositio ad significandum, optima sunt ad hunc locum confirmandum verba Chrysostomi libr. 3. de sacerdotio. *O miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso tẽporis articulo omniũ manibus pertractatur.* Nullum autem miraculum, aut speciale omnipotentiæ opus, in hoc sacramento interueniret, si totum in figura & signo esset positum. Quod argumẽtum mirificè amplificat Ambros. libro. 4. de sacramentis, capite 4. & lib. de his, qui initiantur, capite nono. & amplius vrgeri potest ex his, quæ dicemus sectione quinta.

Chrysost. August.

Admirabilis tamen est impudentia Caluini, qui (vt refert Claudius repet. 4. capit. 4.) hoc eludit argumentum, confitẽs hoc verè esse admirabile opus omnipotentiæ Dei, posteà verò, rem explicando, diuertens ab existentia Christi in hoc sacramento, & à consecratione ipsius sacramenti ad participationem Christi per fidem, & spiritualem effectum, qui in suscipientibus efficitur, cùm tamẽ omnes Patres miraculum ponant, & opus diuinæ omnipotentiæ in ipsius materiæ consecratione, & in existẽtia corporis Christi in cælo, & in terra, & similibus, vt euidẽter patet ex omnibus adductis, & est optimus locus August. lib. 3. de Trinitate, capit. 4. vbi primùm differen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

differentiam cõstituit inter alia, quæ Christum significant & hoc sacramentum, *Quæ tamen* (inquit) *non dicuntur esse sanguis & corpus Christi, sicut hoc sacramentum*, & subdit, *quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non efficitur tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei.* At verò si hoc sacramentum sola significatione perficeretur, nulla inuisibilis operatio diuini Spiritus in eo conficiendo intervenire tiunt etiam optima verba Iustini Apologia 2. dicentis, *Ea omnipotentia qua Verbum factum est caro, fieri Eucharistiam carnem Verbi.* *Iustinus.*

Vnde sextum caput & euidentissimum sumi potest ex his locis, in quibus Patres dicunt, hoc sacramentum perfici, *per veram conuersionem panis in corpus*, vel, *panem fieri corpus*, vel, *ex pane fieri, vel creari corpus*, & ad persuadendam hanc diuinam operationem, & conuersionem, vtuntur exemplis creationis, & conuersionis aquæ in vinum, & similibus, à quorũ recitatione hic abstinemus, quia disputatione 11. de hac re latissimè acturi sumus. Et his affinia sunt testimonia, in quibus docet, subsistantiam panis non manere post consecrationem, nam ex hoc euidenter infertur præsentia nullus enim etiam ex hæreticis dubitat, quin panis non recedat, nisi propter Christi præsentiam, sed illa testimonia referemus disputatione 10.

Septimum caput confici potest ex illis locis, in quibus Patres laborant, vt fidelibus persuadeant, in hoc mysterio non esse credendum sensibus, sed Christi verbis, & hunc articulum proponunt tanquam creditu difficilimum, & ideo (christi autoritatem & omnipotentiam exaggerant, & magnam fidem requirunt, at verè si hic esset Christus tantùm vt in signo, non esset maior difficultas in hoc sacramento, quàm in baptismo & aliis: ita loquuntur Hilarius, Cyrillus, Damascenus, & Augustinus locis sæpè citatis, & iterum Augustinus sermone. 1. de verbis Apostoli, & libro tertio de Trinitate. capite decimo, optime Chrysostom, homilia 51. & 53. in Matthæũ, & 60. ad populum, & Sãct. Ephrem, lib. de non scrutanda Dei natura capit. 5. vbi sic inquit, *Noli inferre aures curiosiores, & ne si ita curiose rimaris, non tam fidelis reperiaberis, sed curiosus, esto fidelis & innocens, participa immaculato corpore Domini, fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis.* *August. Chrysost. Ephrem.*

Octauum caput præcedenti addi potest ex illis locis, in quibus sancti Patres ex veritate huius mysterij alia mysteria nostræ religionis confirmant, sic Irenæus. lib. 4. c. 34. probat, Christũ esse verum Deũ, quia potuit conuertere panem in corpus suum, & capit. 35. ex eodem mysterio disputat contra negantes resurrectionem Chrysost. hom. 83. in Matth. ex veritate huius sacramenti confutat eos, qui veram Christi carnem negant, eodem modo colligit Leo Papa Epist. 23. vbi grauissimè docet veritatem corporis & sanguinis Christi *inter communis sacramenta fidei, tam vnanimi Ecclesiæ consensu teneri, vt etiam in linguis infantium verfetur.* Hilarius denique lib. 8. de Trinit. ex illo modo, quo Christus medio hoc sacramẽto in nobis est, & nos in ipso, reali quadã, & (vt ipse loquitur) *naturali coniunctione*, explicat, & confirmat, circuminsessionem diuinarum personarum inter se. *Irenæus. Chrysost. Leo. Hilarius.*

Nonum caput addere possumus ex illis locis, in quibus Patres disputant de sacrificio incruento noui testamenti, in quo non solum panem & vinum, A significantia passionem Christi, sed ipsummet corpus, & sanguinem Christi offerri, & incruentè immolari dicunt. De qua re, quoniam inferius suo loco ex professo tractaturi sumus, pauca Sanctorum loca alsignabimus: docet ergo expressè hanc veritatẽ Cyril. Alex. in declaratione anathematis. 11. Augustin. concio. 1. in Psalm. 33. & Psal. 38. *Christus offertur in terris, quando corpus eius offertur.* Chrysost. supra & homil. 17. ad Hebræ. in fine, ante partem moralẽ, & hom. 2. in secundam ad Timoth. vbi dicit eãdem esse rem oblatam in cruce, & in altari, Gregor. Mag. 4. dial. c. 58. Gregor. Nissen. oratione prima in tertium diem Paschæ, Arcano (inquit) *sacrificij modo idẽ est sacerdos, & agnus*, & infrà, *peracto sacrificio corpus suũ & sanguinẽ familiaribus dedit.* Chrysost. & Euthymius dũ exponũt illa verba Ioã. 17. *Pro eis sanctifico me ipsum*, de hoc incruẽto sacrificio, idest, pro eis iã sacrifico me ipsum. Duo verò sunt notãda præcipua testimonia: alterũ est D. Andreæ Apostoli, qui, vt in eius vita, ab Ecclesia recepta legimus, cum à tyrãno ad sacrificãdũ idolis induceretur, respõdit. *Ego quotidie sacrificio Deo agnum immaculatũ, &, ẽ cornes illius agni à populo verè fuerint manducatæ, agnus integer perseverat*, & infrà dixit, *mysterium hoc non nisi fide cõparari posse.* Alterum est Martialis Apostolorum discipuli, Epist. ad Burdegal. c. 3. vbi longa disputatione ostẽdit, eandem rem in hoc sacrificio offerri, quæ in cruce oblata fuit. Quibus addi potest Optatus Mdeuitanus lib. 1. 6. cõtra Parmenian. dicens. *Quid est altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi?* & infrà, *Illi mittere vnus manus*, id est, Christo, *in cruce, à vobis percussus est in altari*, & infrà, *Hoc immane facinus gemunatum est, dũ fragilis vultres, Christi sanguinis portatores.* Testimonium etiam Theodoti Ancirani supra citatum egregium est ad hanc rem cõfirmandam. *Cyrillus. August. Chrysost. Gregor. Nyss. Euthym. Andreas. Martialis. Optatus. Theodoretus.*

Decimum ac postremum caput institui posset ex modo, quo Sancti de hoc sacramento loquuntur, & ex epithetis quibus hoc sacramentum ornant, quæ non nisi propter præsentiam Christi illi adaptari possunt, ex quibus multa retulimus, cũ de nominibus huius sacramenti ageremus, & adiungi potest modus loquendi Concilij Chalcedonen. actio. 5. in damnatione Dioscori. vbi priuari dicitur communione, *Terribilis mysterij*, eodem modo loquitur Dionys. c. 3. de Eccles. Hierarch. & Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, vbi vocat hoc, *horrendũ mysterium*, addi potest Cyprian. sermone de cœna Domini, vbi hunc vocat, *in consumptibilem cibum*, & Martial. suprà, qui vocat *panem vinum*, & Orig. hom. 5. in diuersos, qui vocat *Sanctum & incorruptum cibum, quem cùm homo sumit, Dominus ad ipsum ingreditur.* *Cõc. Chalced. Dionys. Chrysost. Cyprian. Origenes. Ambrosius.*

Contra hanc autem veritatem multa congerunt hæretici, tam ex Patribus Latinis, quàm ex Græcis. Primò tamẽ ac præcipuè de D. Augustini autoritate gloriantur, in quo hęc potissimùm loca videntur difficilia. Primus suprà explicatus est, continetur enim in illis verbis tract. 25. in Ioan. *Quid paras dentẽ & ventrem?* vbi explicuimus illa verba, *non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis.* Secundus est ex lib. 3. de doctr. Christiana. capit. 16. vbi inter figuratas locutiones ponit illam, *Nisi manducaueritis, &c. flagitium* continere videatur, qui etiam suprà sectione. 2. explicatus est. Tertius sit ex narratione Psalm. 3. in principio, vbi dicit. *Dominum adhibuisse ludam ad communionem, in quo corporis & sanguinis sui figurã cõmẽdauit, & tradidit discipulis.* Quartus in lib. cõtra Adimãt. Manich. c. 12. vbi tractans verba Deuter. 12. *Non comedes sanguinem*

animalium, sanguis enim eorum pro anima est. Dicit, ibi signum nomine signati appellari, & subdit. *Non enim dubitabat Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Quintus ex Epistol. 23. vbi cum dixisset, sæpe signa nominibus rerum, quæ significant, appellari, subdit, *Sicut ergo secũdum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ita sacramentum fidei, fides est*, sicut ergo baptismus re vera non est fides, sed signum fidei, ita indicat hoc sacramentum verè non esse corpus Christi, sed secũdum quendam modum, id est, signum eius. Sextus sumi potest ex libr. de Caracismo. capitul. 4. vbi sic inquit, *Cùm mos illud venerit, quod vestrorum non habebit, non iam offeretur sacrificium imaginis agni, sed ipse agnus, &c.* sentit ergo nunc tantum offerri sacrificium imaginis agni. Vltimus denique est ex 11. de Ciuit. cap. 29. & 25. vbi sentit, hæreticos, & schismaticos non manducare verè corpus Christi, sed tantum sacramentum eius, *quia non manducat corpus Christi, qui non est in corpore Christi, quia verè manducare, est in Christo manere, & Christum in ipso.* *Aug. Cypr.*

Secundus est Cyprianus sermone de Cœna Domini in fine dicens. *Hæc quoties agimus non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem Sanctum frangimus, & partimur*, & in sermon. de Vnction. Chrismat. *Dedit* (inquit) *Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium, propriis manibus panem, & vinum, in crucẽ verò manibus militũ, corpus tradidit vulnerandũ, vt in Apostolis sacramentis, corpus tradidit vulnerandũ, vt in Apostolis sacramentis, corpus tradidit vulnerandũ, vt in Apostolis sacramentis

Universidad de Deusto Biblioteca

stere in hoc sacramento, vel incorporaliter, aut inuisibiliter, aut minus proprie, seu figuratiuè, & sic etiã voces, quæ significant Christum esse hic, quodãmodo dicuntur interdum cõtinere figuram, quia, quoad hunc modum, alium sensum habent, quàm secluso hoc mysterio, haberent, & hac sola obseruatione facillimè respõdetur omnibus dictis locutionibus, applicando illam, prout locus aut contextus postularit, vt tamen res sit facilior, oportet tertiã obseruationem præmittere.

3. Fundamen. Tertio obseruandum est, Patres non posse in vno loco omnia dicere, & explicare, si ergo in omnibus locis explicuissent solam rationẽ signi, vel figuræ, & veritatem vbiq; tacuissent, posset ex illis nonnullum sumi argumentum, tamen, cùm in hoc sacramẽto vtrumq; reperiatur, veritas, & figura, quanuis aliquibi vsi fuerint voce, vel appellatione figuræ, nullũ argumentum est, negasse veritatem, quam frequentissimè & euidentissimè alijs locis docuerunt. Præsertim, quia cùm nõdum esset nata hæc hæresis, simpliciter, & sine suspicione calumniæ loquebantur, quod in omni materia est diligentissimè obseruandum, in lectione Sanctorum, vt in simili de Chrysostomo loquens notauit August. lib. 1. cõtra Iulian. cap. 2. his verbis. *Disputanti in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur; tali quæstione nullus pulsabatur, nobis nondum litigantibus, securius loquebatur.* Quæ verba tum ad alios Patres, tum maximè ad Augustinum ipsum in præsenti quæstione accommodare possumus. Addo etiam, Patres in primitiua Ecclesia, consulto, quando agebãt de hoc sacramento, obscurè fuisse locutos, tegendo mysterium propter infideles, & gentiles, & ideò libenter vsos fuisse nominibus symbolicis, vnde Theodoret. dialog. 2. post medium, *non oportet* (inquit) *aperte dicere, est enim verisimile adesse aliquos non initiatos*, & Aug. sermone 1. de verb. Apostoli, & alij cùm loquuntur de hoc sacramento, sæpe interponũt hæc verba, *Nouãt fideles*, vel similia, quibus satis indicant, maius latere mysterium in hoc sacramento, quàm nudam significationem. *Theodor. August.*

Ad loca S. August. respon. Ex his ergo facilè possunt omnia citata testimonia intelligi, maioris tamen claritatis gratia, breuiter per singula discurremus. Primus igitur Augustini locus suprà tractatus est, similiter & secundus. Quibus addendum est, regulam illam, quam loco illo de doctrina Christiana tradit, scilicet, *Quando Scripturæ præceptum videtur flagitium continere, figuratè esse intelligendum*, non esse ita sumẽdã, vt pro vniuscuiusque arbitrio ita liceat interpretari, quando enim Abrahæ præceptum fuit, vt filium occideret, vel Oseæ, vt mulierem fornicariam acciperet, possent quidem hæc homini videri flagitia, & tamẽ non propterea metaphoricè, sed propriè intelligenda sunt. Vnde idem August. lib. 2. cõtra aduers. leg. & Proph. c. 9. *Secundũ fidei regulam* (inquit) *proprietas verborum seruanda est.* Metaphora verò, vel figura solùm ex ipsamet Scriptura, vel ex sano Ecclesiæ sensu, quantum ad vitandum apparẽs flagitium fuerit necessaria, adhibẽda est, & ita in præsenti mysterio rei proprietas retinenda est, figura verò dicitur esse quoad modum, quia Christus non in propria specie, sed sub aliena sumendus est, & ita posset eadem Augustini regula contra hæreticos retorqueri, quia vbi sine flagitio, vel absurditate seruari potest proprietas verborum, retinenda est, sed Christum esse præsentem in hoc sacramento nullum est flagitium, *August.*

nihilque absurditatis cõtinet, sed magnum Dei mysterium ac beneficium: ergo propriè intelligendum est. Adde etiam, interdùm dici, Scripturam figuratè loqui, non quoad verba, sed quoad rem, quia, nimirùm, in re ipsa latet mysterium, non quia sit figura, seu metaphora in verbis, sicut cùm ait Paul. ad Galat. 4. per allegoriam dictã esse, quòd Abrahã duos filios habuit, non excludit fidem historiæ, sed dicit in illa contineri mysterium: sic ergo præsentia Christi in hoc sacramento, licèt vera sit & realis, tamen, quia simul est sacramentalis, & significatiua, ac occulta, ideò etiam figuralis dici potest. *Galat. 4.* Ad tertium ex Psalm. 3 respondetur primùm, Christum dãdo hoc sacramentum dedisse signum corporis sui, non tamen vacuum, sed plenum eodẽ corpore, dedit enim sacramentum sensibile, quod re vera signum est corporis in eo contenti, quod etiam est signum, vel figura sui ipsius, in propria specie existentis, vox enim, *figura*, vt dixi, non semper excludit veritatẽ, sicut ad Hebræos 1. dicitur Filius *figura substantiæ Patris*, non, quia veritate substantiæ careat, sed, quia per illam Patrem repræsentat; sic igitur hoc mysterium dicitur figura Christi, non quia veritate illius careat, sed, quia illum in propria specie, & passionem eius repræsentat. *Hebr. 1.* Quartum testimonium eundem omnino habet sensum. Atque idem iudicium est de quinto: illa enim particula, *secundum quendam modum*, non excludit veritatem præsentiæ, sed excludit naturalem modum existendi, quem solent habere res, cùm absolutè & simpliciter existere dicuntur, sicut ibidem dicit, *quotidie immolari in sacramento secundùm quendam modum*, quia re vera licèt quotidie sacrificetur, non tamen illo modo cruẽto, quem immolatio præ se ferre videtur, qui modus in hoc sacrificio quotidiano repræsentatur, & ita hoc mysterium, & est verum sacrificium, & est sacrificium passionis Christi, secundùm quendam modum, scilicet repræsentatiuum: sic ergo hoc sacramentum, licèt sit verum corpus Christi, dicitur tamen esse illud, secundùm quendam modum, per comparationem ad idem corpus, in propria specie existens, vel, quia est illud repræsentatiuè, repræsentat enim corpus in Cruce pendens, vel quia non illo modo hic existit. Aliter inquit Algerus dicto lib. 1. cap. 5. Augustinũ loqui de ipsis speciebus sacramentalibus, quæ quodammodò dici possunt Christi corpus, quia illud continent ac repræsentant, sicut ibidem ait, baptismum dici fidem, quia illã significat. *Algerus.* Vnde Paschas. Epistola de corp. & sang. Domini, hoc eodem testimonio veritatem cõfirmari dicit, quia sicut baptismus, quanuis dicatur esse fides, secundùm quendam modum, non excludit existentiam fidei in paruulis, sed potiùs significat habere illam aliter, quàm soleant adulti, scilicet, per sacramentum, & non per proprium actum; ita cùm dicitur, hoc sacramentum visibile esse quodammodò corpus, quia illud significat, non excluditur corporis veritas. *Paschasius.* Ad sextũ eadẽ est responsio, quæ ad præcedentia, ibi enim verbis satis perspicuis Augustin. dicit, nos comedere agnum, per noctem huius seculi, & quotidie illum immolare, eiusque sanguinem bibere, cùm ergo vocat *sacrificium imaginis agni*, apertè comparat cum Christo existente in cælo sub propria specie, cuius hoc sacramentum pignus, & imago est: quanuis etiam sit veritas, agnum in se continens. Vltimum testimonium nullam habet difficultatem, loquitur enim de manducatione corporis Christi, quoad effectũ eius, seu

seu quoad vnionem cũ corpore mystico, vt latius infra dicturi sumus, agentes de vsu huius sacramẽti, quæ omnia esse ad mentem August. nulli potest esse dubium, qui attente & ipsa loca, & plura alia, in quibus veritatem catholicam expresse docet, cõsiderauerit. Adduximus multa supra tractantes locum Ioan. 6. & verba institutionis, & in hac sectione, quibus addi possunt testimonia ex tract. 84. in Ioan. *Quæ mensa est potẽtis, nisi vnde sumitur corpus & sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis*, &. 12. contra Faust. cap. 10. *Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto, ab omnibus gentibus respõdetur, Amẽ. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium, eodem sanguine redemptorum*, & cap. 20. *Nũc bibitur, quod de latere Christi manauit*, & libr. 2. de peccator. merit. & remis. capit. 26. vbi panem catechumenorum negat esse corpus Christi, quanuis sit sanctificatus, & aliquomodo sacramentum, atque adeo signum corporis. Tandem ex enarratione in Psalm. 93. *fuderunt pretium suum, vt biberent pretium suum*, loquitur autem de sanguine Christi fuso ab hominibus, & huiusmodi similia passim in Augustino reperientur.

Respondetur ad loca Cypr. Ad Cyprianum respondetur, in priori loco solum agere de dispositione necessaria ad fructum huius sacramenti suscipiendum, quem ait, non ad corpus, sed ad animam præcipuè pertinere. In posteriori autem loco nihil est, quod huic veritati obstet, nisi fortasse, quod sacramentum hoc panem appellet, distinguens illud à corpore in passione tradito. Sed hoc nihil obstat, distinguit enim modũ tradendi in cruce corpus suum, in specie visibili, & in hoc sacramento per modum cibi, & panis, quem infra dicit esse carnem Christi, & sic inquit diuersa nomina ad eandem reduci essentiam, seu eandem rem indicare, & significantia ac significata eisdem vocabulis censeri, quia & caro panis dicitur, eo quòd per species panis significatur, & Eucharistia caro dicitur, quia carnem in se continet, & significat.

Ad Hieronym. & Ambr. Ad Hieronymum & Ambrosium responsio cõstat ex dictis, & ex his, quæ statim dicemus de voce *antitypa*, nam de vero sensu horum Patrum euidenter ex alijs locis constat, vt sæpiùs visum est in superioribus.

Respondetur ad Tertul. Ad Tertullianum, quod in eo difficile poterat videri, supra, tractando verba instituionis, explicatum est. Locus autem citatus ex primo cõtra Marcionem in vno sensu non est nobis contrarius, in alio vero etiam nobis fauet, nam licet fateamur, Christum repræsentasse, idest, significasse corpus suum, vt erat in propria specie, dando hoc sacramentum, non sequitur dedisse nudum signum absque re, idest, sine corpore suo in illo contento. Alio vero modo, vt supra diximus, *repræsentare*, idem est, quod rem præsentem facere, & ita dicitur Christus repræsentasse corpus suum in pane, quia illud sub speciebus panis præsens effecit; & hanc esse Tertullianam phrasim late ostendit Pamelius eo loco, sunt autem quam plurima alia Tertulliani testimonia, in quibus veram & antiquam huius sacramẽti fide ostẽdit, quæ Pamelius cõgerit lib. 4. cõtra Marcionẽ, c. 40. indicabo autẽ vnũ vel alterũ ex apertioribus, lib. igitur de idol. cap. 7. inuehitur in eũ Christianũ, *qui audet eas manus admonere corpori Domini, quæ dæmonijs corpora conferunt*, agit contra illos, qui post idolatriæ lapsum, ad communionem accedere audebant, corpus Domini, prout tunc moris in manibus sumentes. Vnde subdit, *Proh scelus semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt.* Deinde de resurrectione carn. capit. 8. *Caro* (inquit) *corpore, & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Deinde lib. 2. ad vxorem, capit. 5. negat Eucharistiam esse eum panem, qui est in communi vsu hominum.

Ad S. Clemen. Ad Clementem partim ex supra dictis patet, partim ex dicendis. Et Gelasij testimonium (quanquam, vt infra dicam, ille liber nec Gelasij Papæ censeatur neque in autoritate habeatur) rectè exponi potest in actione mysteriorum celebrari imaginem, & similitudinẽ corporis, & sanguinis Christi, pro nobis in passionẽ effusi, quia hoc sacrificiũ vere est repræsentatio illius, hinc autem non excluditur veritas huius sacramenti, vt sæpe dictum est.

Ad S. Greg. Nazian. Ad Gregorium Naziaczenum de illa voce *antitypa*, non est vna omnium sententia, quidam existimant antiquos Patres, præsertim Græcos, vocasse panem, & vinum, *antitypa*, ante consecrationem, quia tunc significant corpus, & sanguinem Domini, in eis consecranda, non vero post consecrationem, ita exponitur Basil. in citato loco VII. Synodi, quam expositionem approbat Damascenus lib. 4. c. 24. & Euthym. super Matth. 26. &, vt supra vidimus, ita videtur loqui Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 5. cum panem & vinum figuram vocat. *Damasc. Euthym. Ambr.* At vero recentiores scriptores rectè considerarunt, expositionem hanc non posse omnibus locis sanctorum Patrum accommodari. Naziã. enim in citato loco reliquias sacramenti, in altari consecratas, antitypa vocat, & Basil. in Liturgia post cõsecrationem ea voce vtitur. Respondet ergo Turrianus circa dictum Clementis locum, antitypa non idem esse, quod signa, seu typi, sed potius significare id, quod signis, seu typis veteribus succedit, quia illam vim habet præpositio illa Græca, *anti*, id est, *Pro*, iuxta quam expositionem, quæ ingeniosa est, hæc vox potius exprimit veritatem huius sacramenti, quia significat, loco antiquarũ vmbrarum, nobis datum esset. *Turrian.* Negari vero nõ potest, quin nonnunquam nomen, *typi*, inueniatur in Patribus, vt ex Hieronymo paulò ante citaui, & idem reperitur apud Chrysostomum hom. 16. in ad Hebræos, & Nazian. Oratione. 17. in fine, vox autem, *typus*, illam expositionem nõ admittit, quare probabile valde existimo, vocẽ, *antitypa*, in eadem significatione vsurpari, loco, scilicet, vocis, *typi*, seu figuræ. *Chrysost. Nazian.* Vnde dicendum est, sicut de alijs vocibus supra diximus, hoc sacramentum esse simul veritatem, & imaginem Christi, in propria specie existentis, ac pro nobis passi. Vel etiam species dici, *antitypa*, quia repræsentant corpus, quod continent; & quòd hic sit sensus Nazianzeni aperte constat ex eadem oratione, vbi dicit Christum Dominum super altare contineri, & ibi adorari, & Oratione. 2. de Paschas. quæ est. 42. *Sine pudore* (inquit) *ac dubitatione corpus ede, & sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris, neque sermonibus, qui sunt de carne fidem abrogans, neque ad eos, qui de passione habentur, impingens.*

Ad Chrysost. Ad loca Chrysostomi vno verbo respondere possumus, omnia illa aliena esse, & suspectæ fidei; de commentarijs enim super Psalmos, omnes eruditi

Universidad de Deusto
Biblioteca

diti sentiunt non esse Chrysostomi, quanuis verba ibi citata supra dictam expositionem admittât, similiter imperfectum opus Matthæi nõ est Chrysostomi & varijs est erroribus refertum, vnde creditur ab hæreticis corruptum, legatur Sixtus Senẽ. lib. 4. Bibliot. & lib. 5. annot. 164.

Sixtus Senen.

Ad Origen.

Ad Origenem idem fere dicendum est, nam in libris indubitatis Origenes habemus firma testimonia veritatis, quæ in superioribus tractata sunt, illa vero quæ ab aduersarijs adducũtur, ex libris incertis sunt. Deinde priora verba exponi possunt facile, sicut superiora, ex hoc enim sacramento probat, in Christo esse veram carnem, cuius hoc sacramentum est sacrum signum, non tamen vacuum, sed ipsam carnem inuisibili modo continens. In posteriori autem loco non videtur esse sermo Origenis de Eucharistia, sed de pane benedicto catechumenorum, de quo Augustinus supra citatus meminit, vel certe, quanuis de Eucharistia loquatur, intelligit tamen esse corpus symbolicum, seu typicũ vel ratione specierum, vel quia corpus illud mirabili aut inuisibili modo ibi continetur. Quod verò de impijs dicit, intelligitur quoad fructum, & spiritualem manducationem, lege Sixtum Senen. libr. 6. annot. 66.

Ad Theodor.

Ad Theodoretum Respondetur, de vera eius sentẽtia ex alijs locis satis cõstare, præsertim, quæs. 17. in Exod. & in hoc eodẽ loco, quem tractamus, paulò superius confitetur credere, in mysterijs se participare corpus & sanguinem Domini. Quod verò posteà subdit de signis manentibus, de sensibilibus accidentibus intelligit, quæ manent in propria entitate, seu natura, quam substantiam vocat, & in priori figura, & forma vt videri, & tangi possint: *intelligitur autem* (inquit) *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint, quæ creduntur.* Quibus verbis euidenter docet veritatem præsentiæ: si quid verò est obscuritatis in his verbis, solum est, quia indicare videtur, manere substãtiam panis; sed de hoc dicemus infra in propria disputatione de hac re; vbi tum ex hoc loco, tum ex Dialogo. 1. ostendemus, eum non sensisse manere panem, quoad substantiam, sed tantum quoad accidentia.

Ad Eusebiũ.

Ad loca Eusebij respondendum est, sicut ad superiora, scilicet in hoc sacramẽto repræsentari mysterium passionis Christi, quam ibi, *dispensationem diuinam* vocat. Eodem modo appellat actionem huius sacramenti imaginem, seu notam corporis Christi, crucifixi, scilicet, & passi pro nobis.

SECTIO V.

Vtrũ ex diuinis miraculis satis possit hæc Christi præsentia comprobari.

Duplex est miraculorum genus.

DOcet D. Thom. supra quæst. 29. art. 1. ad 2. duplex esse miraculorum genus, quædã miracula fiunt, vt credantur, alia vt ad credendum inuent, & sint testimonia credibilitatis. Priora solent esse occulta, quia sunt ad excendã fidem &, ad meritũ eius. Posteriora oportet vt sint publica, & nota, vt ad credendum inducant. Vtrũque autem miraculorum genus in hoc sacramẽto inuentum est, & ex vtroque potest realis præsentia confirmari, sed diuerso modo, vt patebit. Nomine autem miraculi hinc sit in vocæ æquinocatio, intelligimus omnem effectum diuinæ omnipotentiæ, supra omnes leges naturæ factum, siue extraordinarie fiat, siue ex aliqua ordinaria potestate supernaturali hominibus data, comprehedimus etiam singularia aliqua beneficia, specialiter à Deo concessa ob fidem, & reuerentiam huius sacramenti.

Primo igitur, quædam miracula interueniunt in hoc sacramento, quasi per se, vt ipsum videlicet fiat, & hęc proprie instituta sunt, vt credantur. Vtde ex illis nõ potest probari præsentia, nam potius illorum fides in fide realis præsentiæ Christi in sacramento continetur, & è conuerso; & ideo, qui vnum crediderit, necesse est vt aliud credat. Potest tamen valere hic argumentãdi locus, si ex sanctis Patribus ostenderimus, huiusmodi miracula in hoc sacramento conficiendo interuenire. Solent autem numerari à quibusdam decem, ab alijs vndecim, vel duodecim, vel etiam plura miracula, omnia tamen ad quatuor capita reducũtur. Primũ est, quod vnicò verbo, tanta rerum transmutatio fiat, vt notauit Ambrosius, 1. de myst. capit. 9. & sæpe alias, de quo infra disputat. 11. Secũdum est, quod accidentia maneant sine substãtia panis vel vini, & aliud sit, quod visus, gustus, & tactus referunt, aliud, quod re vera existit, vt dixit Cyrill. Hierosolym. cateches. 4. Chrysostomo. hom. 85. in Matth. de quo plura infra disput. 10. Tertium, quod corpus Christi integrum & perfectum cum tota sua quantitate sub minima quantitate panis contineatur; sic enim dixit Epiphanius in Anchorato *Christus vere est in hoc sacramento, cum non sit illi æquale in quãtitate, nec simile in figura.* Sed de hoc latius infra quæstione sequenti disput. 12. Quartum denique, quod idem corpus in diuersis locis existat. Quod miraculum varijs modis explicant Patres, Chrysost. hom. 17. in ad Hæbræ. quod in multis locis offeratur Christus, *hic plenus existens, & illic plenus*, & homil. 83. in Matth. *quod idem se ipsum comedat, suumque sanguinem bibat*, homil. vero 2. ad Popul. & hom. 3. ad Ephes. in hoc ponit miraculũ, quod idem Christus, qui cœlum ascendit, nobiscũ manserit in terra, *Elias* (inquit) *ascendens pallium discipulo dimisit: Filius autem Dei ascendẽs, nobis suam carnem dimisit, sed Elias quidem exutus, Christus autem nobis suam carnem reliquit, & ipsam habens ascendit.* Hieronym. Epist. 150. quæst. 2. *quod idem sit continuo, & conuiuium, comedens & quod comeditur.* August. Psal. 33. *quod idem portet se ipsum in manibus suis.* Item sermone 2. de verbis Apostoli: & in hom. citata à Beda. 1. ad Corin. 10. & Cypr. serm. de cœna Domini, quod idem cibus totus sumatur à multis, & totus à singulis, & semper integer perseueret, quod ex Andræa Apostolo supra etiam retulimus. Bernar. sermone vltimo de cœna Dom. quod idem corpus simul in cœlo & in terris existat, in his autem omnibus nullum esset miraculum, si totum negatium fieret in solo signo, quod enim miraculũ est alicubi esse realiter, & alibi in signo, aut manducari se ipsum in imagine, & sic de alijs.

Secundo, ad comprobandam hanc fidem facta sunt à Deo magna miracula, & concessa insignia, & singularia beneficia, quæ recenset Guimund. lib. 3. de hoc sacrament. ad finem, & Paschas. lib. de corpor. & sanguin. Domin. capit. 14. Garet. 4. & 5.

& 5. Classe sui libri. Breuiter etiam indicabo grauiora Patrum testimonia, in quibus huiusmodi beneficia diuina vel miracula continentur. Ambrosius oratione de fratre suo Satyro, & Nazian. oratione de sorore Gorgoni. diuina beneficia referũt, fide & deuotione huius sacramenti collata. Prosper. in Dimidio temporis capit. 6. refert, puellam à potestate dæmonis liberatam. Gregor. 2. Dialog. capit. 24. refert, Sanctum Benedictum applicuisse corpus Domini cuidam corpori defuncto, quod semel ac iterum ab ipso sepulchro, diuina permissione fuerat expulsum, vt ampliùs non expelleretur, quod & factum est, & lib. 3. capit. 3. refert, Sãctum Agapitum loquendi facultatem cuidam restituisse, datò illi corpore Domini. Ioannes Diaconus in vita eiusdem Gregorij, refert, mutatam esse Eucharistiam in lapidem in ore cuiusdam, qui de illius veritate, cum illam acciperet, dubitauit. Et idem refert Nicephor. lib. 13. hist. capit. 7. accidisse mulieri, quæ hæresi Macedonij infecta ad hoc sacramentum accesit. Idem Sozomenum lib. 8. histor. capit. 5. Alia legi possunt in citatis autoribus solum sunt notanda verba Bernardi, quæ in vita eius lib. 2. capit. 7. leguntur, cum enim ad expellẽdum dæmonem corpus Domini patenæ superpositum, capiti cuiusdam mulieris admouisset dixit, *Adest, inique spiritus, index tuus: adest summa potestas, adest ille, qui pro nostra salute passurus dixit. Nunc princeps huius mũdi eijcietur foras:* & in hac fide præcipiẽs illi exire, coactus est obedire. Huc etiã spectant variæ visiones, & apparitiones quæ de hoc sacramento leguntur, in quibus Christus sub aliqua specie visibili apparuisse dicitur, alterutra ex causa, vt inquit Algerus, lib. 1. de hoc sacramento, cap. 3. scilicet, vel ad confirmandos infirmos in fide, & pro teruos deterrendos; vt in vita S. Malachiæ refert Bernar. & in vita S. Greg. Ioan. Diaconus lib. 2. c. 41. vel vt ipsum amantes, & desiderantes consolatur, vt Paschasius refert lib. de corp. & sang. Domin. c. 14. & plurare ref. Garet. supra.

Dices potuisse Christum præstare hæc beneficia, per hoc sacramentum, etiam si in illo præsens non adesset. Respondetur, non colligi eius præsentiam ex solis operibus, quatenus miraculosa sunt, sed quatenus fiunt ex fide huius præsentiæ, & veritatis, aut directè in eiusdem veritatis testimoniũ & confirmationem; talia enim fuisse prædicta mira cula constat ex prædictis autoribus tam aperte, vt nisi impudentissime in dubium reuocari non possint. Postremo in confirmationem huius veritatis afferre possumus prodigia, quæ in vltionẽ eorũ, qui indigne ad hoc sacramentum accedunt, vel aliàs irreuerentèr eo vsi sunt, Deus est operatus, in primis enim Paul. 1. ad Corin. 10. propter abusum huius sacramenti dicit multos obijsse, variasque ægritudines passos esse. Deinde Cyprianus in lib. de lapsis, varia huiusmodi exempla refert, & signa diuinitus facta, & inter alia notanda sunt illa verba. *Sanctificatum in Domini, sanguine potum, de pollutis visceribus erupit, tãta est potestas Domini, tanta maiestas*, & illa, *Documento vnius ostensum est recedere Dominum, cum negatur, quia dum quidam indigne accederet, cinerem loco Eucharistiæ inuenit.* Optatus vero lib. 2. contra Parmen. refert, quosdam hæreticos Eucharistiam suis canibus proiecisse, canes autem in Dominos suos surrexisse, eosque dilaniasse, veluti vindicantes iniuriã corpori Domini factã.

Obiectio.

Atque hinc obiter soluitur obiectio, quam magni faciunt Gentiles contra hoc sacramentum, quia constat ex historijs, & experientia, tyrãnos ac persecutores Ecclesiæ, sæpe Ecclesias prophanasse, & altaria euertisse, & Eucharistiam etiam conculcasse, & conbusisse, & tamen Christum ibi existentem nunquam se ipsum defendisse, atque aliquod mirum opus in hostium vindictam effecisse, ergo, vel est impotẽs ad hoc faciendũ, quod nos nõ dicemus, aut sine causa credimus illũ ibi ad esse. Olim enim Deus in eos, qui in arcam testamenti iniurio si fuerunt, grauissimè animaduertit, vt legimus. 1. Reg. cap. 5. Quid ergo facturus esset in hoc sacramento, si vere ac realiter in eo contineretur? Respondetur tamen facile ex dictis, quod, licet interdum Deus, iusto iudicio, vel ad probationem, & exercitium fidei suorum seruorum, permiserit, vel templa, vel etiam ipsa sacramenta ab infidelibus indigne tractari, non propterea existimãdum est, Christum ab hoc diuino sacramento abesse, quia, quanuis sacramentum conculcetur, aut comburatur, ipse impassibilis manet, & ob meritum nostræ fidei nõ expedit semper vti miraculis, & signis ad hostes fidei coercendos; sed permittere potius, vt iuxta rerum, ac bellorum varietatem res humano modo succedant, cò vel maxime, quod hoc sacramentum, & maximum miraculum, quod in eo fit, non est ordinatum ad confirmandam, vel persuadendam fidem, sed potius vt sit materia, in qua fides exerceatur; interdum vero, vt diximus, vel ad confirmandos infirmos, vel ad terrẽdos iniquos, vt itur Christus potentia sua, simul ostendẽdo suam præsentiam in hoc sacramento. Ex quo etiam ortum est, quod August. refert. 1. lib. de Ciuit. cap. 4. aliquando hostes debellatores & victores Christianorum; tantam exhibuisse reuerentiã eorum templis, vt fuerint asylum omnium, adilla confugientium, ne vel ipsi, vel eorum bona in hostium potestatem venirent.

1. Reg. 5. *Responsio.*

Aug.

SECTIO VI.

Quid ex antiqua historia & praxi Ecclesiæ, de reali præsentia Christi in hoc sacramento possit colligi.

RAtio difficultatis esse potest, quia in historijs Ecclesiasticis multa legimus facta esse à fidelibus & pastoribus Ecclesiæ, circa vsum huius sacramenti, quæ non videntur profecta ex fide realis præsentiæ Christi in ipso, alias nec conuenientia, nec decentia viderentur. Primum sit, quod olim Eucharistia in manibus communicantium etiam laicorum dabatur, vt constat ex Concil. Toletan. 1. capitul. 14. & habetur. 11. quæstione 1. capitul. Si quis laicus, vbi excommunicatur, qui accipit Eucharistiam, & in Ecclesia non consumit, & ex VI. Synodo can. 101. in Trullo. vbi prohibentur fideles afferre vascula aurea, vel argẽtea, in quibus recipiant Eucharistiam, & per ea communicent, sed manibus proprijs. Idem colligitur ex Epistol. Cornelij Papæ, quam refert Euseb. libr. 6. histor. cap. 35. in fine, & Nicephor. libr. 6. capitul. 3. & ex Epistol. Dionysij Alexan.

Conc. Toleti.

Euseb. Nicephor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam refert idem Nicephor. eodem lib. c.9. & ex verbis Ambrosij, quia refert idem Nicephor. lib. 12.c.41. illum ad Theodosium dixisse. *Quomodo manus extollis quæ cæde iniqua diffluunt? Quomodo etiam diuinum Domini corpus eis excipies? Quomodo sanguinem pretiosum ad os afferes?* Idem refert Thodoretus lib. 5. histor. cap. 17. & lib. 9. Tripart. c. 30. idem aperte constat ex Cyril. Hierosf. Oratione. 5. mystago. & Cypriano. lib. de lapsis, & Aug. lib. 50. hom. in 26. *Quanta* (inquit) *solicitudine obseruamus, vt nihil ex ipso, è nostris manibus in terram cadat?* & serm. 252. de tempore, cùm inquit, *Omnes viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas,* nec sine causa viros nominat, nam hæc consuetudo non videtur in fœminis viguisse, vt iam dicam.

Theodoret. Cyr. Hierof. Cyprian. August.

Secundo ex coniectura, ex eo, quod interdũ per laicos ad infirmos Eucharistia mittebatur, in quo illud factum memoriæ dignum est, quod Dionys. Alexand. refert, in Epist. ad Fabianum Antiochen, apud Euseb. lib. 6. histor. cap. 36. & Nicephor. libr. 6. c. 6. de Serapione sene, qui, cum propter negatã ormentis fidem à participatione sacramentorum arceretur, & morti esset vicinus, puerum ad vocãdum presbyterum misit, qui cum etiam ęgrotaret, *Puero* (inquit) *exiguam partem Eucharistiæ dedit, præcipiens, vt eam madefactam in os senis infunderet, quod puer impleuit.* Quod sane factum non videtur ex ea fide ortum, qua Eucharistia vera Christi caro creditur. Huc pertinet, quod Gregorius narrat hom. 40. in Euangelia, de Sancta Romula, quæ in mortis articulo constituta Eucharistiam petijt à Redempta magistra tua, quam illi Redempta ministrauit.

Dion. Alex. Greg.

Tertio simile est, quod olim in prauitatis domibus Eucharistia seruabatur, vt eam vnusquisque acciperet, vt aperte constat ex Cypriano serm. de lapsis non longe à fine, & clarius de spectaculis, numer. 4. *Dimissus* (inquit) *& gerens secum vt assolet Eucharistiam,* indicat etiam Tertul. libr. 2. ad vxorem in illis verbis, *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciuerit, panem non illum credet esse, qui dicitur,* idem aperte lib. de oratione sub finẽ Basil. in Epistol. ad Cæsarem Patrit. *In Alexandria* (inquit) *& Ægypto vnusquisque de populo habet communionem in domo sua, acceptam à sacerdote sacrificante, & distribuente.* Quod maxime seruatum esse refert, ab his qui in eremis solitariam vitam agebant. Huc etiam spectat, quod refert Hieronymus Epistol. 50. ad Pammach. de Romana consuetudine quotidie communicandi in proprijs, ac priuatis domibus, vt indicat; Et quod dicit Augustin. sermon. 252. de tempor. *Omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi excipiant,* & fortasse huiusmodi linteamen, *dominicale,* dicebatur, atque de eo loquitur Concilium Altisiod. capitul. 42. vbi præcipit, *vt vnaquæque mulier cum communicat, dominicale suum habeat,* nam capitul. 36. dixerat. *Non licere fœminis propria manu accipere Eucharistiam.*

Cyprian. Tertul. Basilius. Hieronym. August. Conc. Altis.

Quarto hoc confirmant, quia priuatim iter agẽtes, vel in via, vel in mari secum Eucharistiam deferebant, vt constat ex Beda in Martyrol. 18. Kalendas Septemb. vbi de Tarsicio acolutho refert, interfectũ esse à paganis in via, eo q; noluisset ostẽdere Eucharistiã, quã secũ portabat, & Ambr. oratione funeb. de fratre suo refert, illũ antequã esset presbyter, secum in naui Eucharistiam portasse.

Beda. Ambros.

A Quinto nõ parũ facere videtur, quod Hieron. Epist. 4. ad Rustic. refert in fine, corpus Dominiin vimineo canistro, sanguinem vero in vitro solere ab Episcopo confici & seruari.

Hieronym.

Sexto, hãc etiam partẽ adiuuat, quod Eusebius refert lib. 5. hist. c. 24. fuisse antiquam consuetudinem, vt Episcopus, quando ad suam ciuitatẽ alius Episcopus veniebat, salutandi gratia, Eucharistiã ad illum mitteret. Hæc enim & similia non est verisimile fuisse in Ecclesia facienda, si Eucharistia verum Christi corpus crederetur.

Quod septimo confirmat illa prisca consuetudo dandi Eucharistiam infantibus, vt dicam latius infra quæstion. 79. & constat ex Cypriano libr. de lapsis, Augustin. lib. 3. de Trinit. capit. 10. & Epistol. 23. in quo illud potissimum notandum est, quod refert Euagrius, lib. 4. Histor. c. 35. de Constantinopolitana consuetudine, vt, si aliquæ particulæ corporis Domini superessent, pueri impuberes, qui Ecclesiam frequentabant, accerserentur, vt eas consumerent.

Cyprian. August. Euagrius.

Dicendum vero est ex antiqua praxi Ecclesiæ, idest, ex summa veneratione, ac religione, qua semper hoc sacramentum in Ecclesia tractatum est, nõ obscure colligi, hanc fidem de reali præsentia Christi in Eucharistia, perpetuam, ac constantem in Ecclesia fuisse. Quod varijs modis ostendi ac declarari potest. Primo, ex adoratione, quam accedentes ad hoc sacramentum illi semper exhibuerunt, *cum timore, & tremore tanquam ad regis corpus accedentes,* vt inquit Clemens lib. 2. Constit. cap. 61. ad quod accommodat Augustin. Epist. 120. capit. 27. illud Psalm. 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* In quem etiam sensum tractat hæc verba concione. 1. super eundem Psalmum. Psalm. verò 58. loquens idem Aug. de carne à Verbo assumpta, in qua in hoc mundo ambulauit, inquit, *Et quia ipsam carnem ad manducandum, ad salutem dedit, nemo illam manducat nisi prius adorauerit.* Sic etiam Chrys. hom. 3. in ad Ephes. *Adora* (inquit) *& manduca,* idẽ hom. 3. & 4. de incõprehen. Dei natura, & in alijs supra citatis. Et huc spectat, quod alijs multis in locis grauissime docet sanctos, scilicet, angelos adstare his mysterijs, illaque admirari ac venerari, vt videre licet lib. 6. de sacerdotio, & hom. de Eucharistia in Encenijs. 31. in acta. 60. ad pop. vnde Gregor. 4. dialog. cap. 58. *Quis fidelium* (inquit) *habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri in illo Iesu Christi mysterio, angelorum choros adesse? &c.* Theodoretus præterea dialog. 2. de his mysterijs loquens, inquit. *Et creduntur & adorantur, quod ea sint, quæ creduntur.* Ad eundem modum loquitur Ambros. libr. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. & alij, quos infra in propria disputatione de cultu huius sacramenti referemus. Nec dici potest adorari Eucharistia solum vt signum, vel imago Christi; tum quia citati patres aperte loquuntur de adoratione Christi secundum se, vñde comparant hanc adorationem cum adoratione Magorum, vt patet ex Chrysostomo homil. 7. in Matth. & cum adoratione Centurionis, ex Origene homil. 5. in diuersos, tum etiam, quia alias non magis adorari posset Christus in hoc sacramento, quam in baptismo, & sancti longe aliter de hoc sacramento, quam de alijs sentiunt. Quare Theodoretus disertè dixit, hæc mysteria adorari, non quia significant, *sed quia ea sunt, quæ creduntur,* tum denique,

Clemens. August. Greg. Theodor. Ambr. Chrysost. Origenes.

A denique, quia non solum adorandam, sed etiam inuocandam dicunt Eucharistiam, Basi. enim lib. de Spiritu Sancto, capit. 27. inuocationẽ Eucharistiæ ponit inter Apostolicas traditiones, & ita in canone missæ oramus ad ipsum sacramentum dicentes. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* & idem fit in omnibus antiquis Liturgijs, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, in quibus illa etiam deprecatio habetur post consecrationem, *Deus propitius esto mihi peccatori,* & illa, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Sic etiam Dionysius cap. 3. Eccles. Hierar. parte. 3. *ò diuinissimum* (inquit) *sacramẽtum, intelligentiæ nostræ oculos tuo lumine comple.* Similia colliguntur ex Gregorio Nazianz. dicta oratione de obitu sororis Gorgoniæ, & alijs Patribus supra citatis; inuocatio autem, & oratio fit ad ipsum Christum, non ad panem, etiam si illum significaret.

Basil. Dionys. Nazian.

Secũdo hoc colligitur ex summa diligentia, quæ semper in Ecclesia adhibita est, vt cum maxima puritate suscipiatur hoc sacramentum, pertinet conscientiæ examen, & præcedens confessio iuxta illud Pauli, *Probet autem se ipsum homo, & sic de illo edat.* Item, quod solum à ieiunis sumatur, & alia de quibus infra. q. 80. Quod vero interdum hoc sacramentum, seu eius reliquiæ infantibus darentur, non fuit profectum ex minori huius sacramenti fide; sed quia fortasse, existente tunc minori numero, & maiori deuotione fidelium, id poterat fieri commodius. Vnde, vt ex August. 3. de Trinit. capit. 10. colligitur, magna cura adhibebatur, vt vnusquisque pro captu suo fideliter, reuerenterque accederet, postmodum vero crescentibus Christianis populis, & deuotione, ac caritate refrigescente illa consuetudo abolita fuit, ob maiorem huius sacramenti reuerentiam, vt quæstio. 80. copiosius dicemus. Illud vero obseruatione dignum est hoc loco, quanta cura semper fuerit adhibita, ne aliqua Eucharistiæ particula in terram decidat, vt videre licet in cap. Si per negligentiam, de consecrat. distinct. 2. vbi grauis imponitur pœna ei, ob cuius negligentiam aliquid in terram decidit. De qua etiam re eleganter loquitur Chrysos. Epist. 1. ad Innocen. exaggerans facinus cuiusdam militis, qui altare vsque ad pauimentum sanguine Domini asperserat. Vnde Tertullianus lib. de coron. milit. cap. 3. *Calicis aut panis nostri* (inquit) *aliquid decuti in terram anxiè patimur;* Origenes homil. 13. in Exod. *Nostis, quid diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, nec cõsecrati muneris aliquid dilabatur, reos enim vos creditis, & recte creditis, si aliquid inde per negligentiam decidat.* Sed præcipuè notandus est locus Cyril. Hierosf. Catechef. 5. dicentis, *Caue, ne quid inde excidat tibi; quod enim amittes, hoc tanquam ex proprio membro amiseris:* & postea describit modũ, quo olim Eucharistia dabatur in manibus, dicens. *Non expansis manibus, neque disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem aliquam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi.* Ex quo intelligitur, consuetudinem illam ex magna reuerẽtia introductam esse, quia videbatur opportunus modus, ne aliquid in terram decideret; postea vero propter maiorem decentiam illa consuetudo est immutata, vt constat ex Concil. Rotom. cap. 2. vbi prohibitum est, ne Eucharistia detur in

Chrysost. Origen. Cyr. Hierosf. Conc. Roto.

manibus communicantium, sed quod ab ipso sacerdote ori infundatur; & in Concilio Altisiod. can. 36. omnibus laicis vniuersaliter prohibetur contactus huius sacramenti.

Concil. Altis.

Tertio hoc constat ex eo, quod propter reuerentiam corporis Christi existentis in hoc sacramento, vt res sanctissima summa religione tractetur, consecrati semper fuerint in Ecclesia sacerdotes, vt infra suo loco videbimus; illud solũ ad præsens spectat, hoc titulo in summa reuerentia habitos esse, *quod Christi corpus suo ore conficiunt,* vt Hieronymus loquitur Epist. ad Heliodorum. Vnde eleganter Gregor. Nazianz oratione. 17. ad ciues timore perculsos, inquit, *Nã tibi præterea supplicis cuiusdam libelli loco canicies hæc offerenda erit, atque annorum numerus diuturnusque & labijs, expers hoc sacerdotium, quod ipsi quoque Angeli puri, purissimi Dei cultores, tã quam ipsorum cultus minimè impar, fortasse veneratione prosequuntur?* & infra, *Mensam hanc tibi offero, ad quam communiter accedimus, salutisque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te deprecationem obeo,* & de eadem re optimè loquitur Chrysost. lib. 6. de sacerdotio. Et hunc locum confirmat templorum & altarium consecratio, vestium, ac sacrorum vasorum benedictio, vniuersus denique cultus religiosus, qui in Ecclesia semper seruatus est. Hæc enim omnia ad Christum in hoc sacramento contentum referuntur, vt Hieron. ait Epist. ad Theophy. Alexand. vbi inquit, propter consortium corporis & sanguinis Domini, hæc omnia magna veneratione coli, & ea contaminare magnum est sacrilegium, vt ait Optatus libr. 6. contra Parmen. Quo circa, licet fortasse initio nascentis Ecclesiæ, propter inopiam fidelium, aut paucitatem ministrorum, & templorum, aut certe propter persecutiones tyrrannorum, permitterentur aliqua in huiusmodi sacramenti administratione, quæ maiestati huius sacramenti minus congruere viderentur, fiebant tamen, vt dixi, & ob necessitatem, & ex magna fide, ac pietate Christianorum, qua exterioris ornatus defectus resarciebatur, postea vero Ecclesia satis fundata, & pace ac facultatibus aucta, incredibile est, quanta diligentia in externo cultu, & reuerentia circa vsum, & ministerium huius sacramenti adhibita sit. Vnde in Concil. Cæsaraug. can. 3. anathema fertur in eos, qui secum Eucharistiam deferunt, & in Ecclesia non consumunt, idẽ significatur in Concil. Tolet. I. cap. 14. in Concil. autem Rhemens. can. 2. prout habetur in cap. Peruenit. de Consecrat. d. prohibetur ne laici deferãt Eucharistiam ad infirmos, sed soli sacerdotes, in necessitate vero id conceditur diacono, ex licentia Presbyteri; in Concil. Carthagin. IIII. cap. 38. Imò in Concil. Rom. II. sub Syluestro, can. 9. prohibentur sacra vasa contingere, etiam lectores & ostiarijs. Atque idem prohibetur sacris virginibus in c. sacratas. 23. d. & in c. In sancta de Consecrat. d. 1. ex Pio. I. Epist. 2. & Sothero Papa, de qua re latius infra.

Hieronym. Nazian. Chrysost. Hieron. Optatus. Conc. Cæsar. Tolet. Rhemens. Carthagin. Roman.

Quarto hoc cõfirmat ceremonia illa de pane benedicto, seu Catechumenorũ, de quo Aug. libr. 2. de peccat. merit. c. 26. *Quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum tamen est, quoniam sacramentũ, id est, sacrũ signũ, est,* Certe si Eucharistia tãtũ esset signum corporis Christi, etiã ille panis posset dici corpus Christi, quia etiã Christum repræsentabat. Alius ergo fuit semper Ecclesiæ sensus; nã, quia cate-

August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

techumeni capaces nō erant veri Christi corporis, dabatur illis veluti quoddā signum, & memoriale Eucharistiæ, vt rē ipsam amplius desiderarent, & expeterent. Quæ ceremonia ad reliquos fideles baptizatos postea extensa est, quādo consuetudo cōmunicandi remitti cœpit. Vnde Pius I. præcepit, vt presbyter particulas panis habeat in vase nitido, easque benedicat, vt qui communicare nollent dominicis ac festis diebus, *eulogiam inde acciperent.* Quod decretum habetur in codice quinque librorum. lib. 2. c. 117. vt refertur in actis Pij. I. tom. 1. Conc. idē habetur in Conc. Nannatensi. c. 9.

Cōc. Nannat.

Quinto optimum indicium huius veritatis est, quod de Missa catechumenorum seruatum esse legimus, permittebantur enim catechumeni adesse vsque ad oblationem, prius vero, quam ad consecrationem peruenirētur, exire iubebantur, vt ex omnibus Liturgijs constat, existimabat enim Ecclesia eos, qui baptismo non essent initiati, ad conspiciendum hoc mysterium non esse satis dispositos, vt notauit D. Thom. infra. q. 80. artic. 4. ad. 4. ex Dionysio cap. 7. Ecclesiastic. Hierar. part. 3. Vnde Augustin. tractat. 10. in Ioan. *Corpus Christi est manna absconditum à catechumenis, quia Iesus adhuc non se credidit illis*, & Beda loco supra citato Martyrologij refert, miraculo confirmasse Deum fidem illius Thar sicij, qui, ne infidelibus Eucharistiā ostēderet, mortem subtinuit; ita enim disparuit postea sacramentum, vt nec inueniri, nec videri ab eis potuerit. Simile factum alterius Episcopi Laurentij refert idē Beda lib. 1. historiæ Anglicanæ, c. 5. Et huc pertinet supra annotata consuetudo Patrum antiquiorum, qui propter infideles ænigmatice & obscurè de hoc mysterio loqui solebant, ne sanctum canibus præbere viderentur.

D. Thom. Dionys. Beda.

C

Sexto ad declarandam hanc veritatē facit, quod licet, vt dictum est, initio nascentis Ecclesiæ, mysterium hoc in fidelibus occultaretur, cùm tamen inter Christianos frequentissimus esset illius vsus, non potuit omnino latere, & celari, quare cam opinionem de nostris cœperunt, quod ad carnes humanas, & ad infantem quendam manducandum congregarentur. Vnde Tertullianus in Apolog. cap. 7. *Dicimur* (inquit) *sceleratissimi, de sacramento infanticidij & pabulo crudo.* Eiusdem calumniæ meminit Euseb. lib. 4. histor. cap. 8. & lib. 5. c. 1. & Iustin. Apolog. 1. ad Anton. in fine, vbi, vt Christianos ad hanc calumnia defenderet, apertis verbis veritatem huius mysterij Gentibus expoſuit. Huc etiam spectat, quod Auerroes Mahumetanus, vt Prateolus refert, verbo, Mahumetus, num. 16. impios nos appellabat, quod Christum Deum nostrū edere diceremus: erat ergo hæc communis vox totius Ecclesiæ. Et per hæc satis responsum est rationibus dubitandi in principio positis.

Tertul. Euseb. Iustinus. Prateolus.

D

SECTIO VII.

Quid posse ratione naturali de hoc mysterio ostendi.

QVatuor inquiri possunt. Primum, an possit probari, hoc mysteriū esse possibile. Secundū an esse conueniens. Tertiū, an esse credibile. Quartum, an ita esse factum. De duobus vltimis punctis nihil dicēdum occurrit, nisi quatenus ex duobus prioribus pendent.

A

Primo itaq; certū est, non posse sola ratione probari, hoc mysteriū esse factū, est enim supernaturale, & pendet ex libera Dei voluntate, quæ non potest sola ratione, sed testimonio fidei cognosci, & ideo in omnibus precedentibus quæstionibus, omnibus medijs, & regulis fidei probauimus hoc esse credendū, vt, suppoſita illa fide, aliquid possimus ratiocinari, Secundo certū est, esse euides, hoc mysteriū esse credibile, quod euidenter probant omnia, quæ in superioribus quæstionibus adducta sunt & iuuabunt etiam ea, quæ de possibilitate & cōuenientia huius mysterij statim dicemus, quāquā in hoc puncto nihil fere sit speciale in hoc mysterio, magis quā in alijs Christianæ religionis, de qua in materia de fide generatim ostēditur, esse euidēter credibilem, & ideo probando mysteriū hoc cōtineri inter ea, quæ fides Christiana proponit, cōcluditur esse euidēter credibile, sicut & cætera: de primo ergo, & secundo puncto breuiter agendū est. Tertio igitur de possibilitate huius mysterij, multi ex hæreticis huius temporis, cū autoritate, & testimonio Scripturæ sacræ & sanctorū Patrū destitue rētur, cōperuenerunt vt dicerent, nō potuisse Deū facere, vt Christ⁹ sit realiter præsens in hoc sacramēto. Et tria potissimū dicunt esse impossibilia, quæ non possunt hoc loco fusè tractari, quia in sequentibus, magis explicato mysterio cōmodiorē locū habēt. Primū est, accidentia manere sine subiecto mutata tota aliqua substātia, in totam aliā substantiā de quo pūcto instituemus duas post sequētem disputationes. Secundū est corpus magnæ quātitatis contineri sub minima quātitate, & non occupare locum, & esse modo indiuisibili, de quo tota q. 76. disputandum est. Tertium est, quod Christus manens in cælo, simul sit in multis & distantibus locis: & de hoc dicam fusè disputatione sequēti, oportet enim priùs intelligere, quid sit hæc præsentia, quam Christus hic habet.

B

Nunc igitur circa hunc punctum solū est dicendum, non posse sola ratione naturali euidenter demonstrāri hoc mysteriū esse possibile, posse tamē euidenter ostēdi, non demōstrari impossibile. Suppoſita præterea fide aliorum mysteriorū, potest ia tis manu duci intellectus, vt videat hoc non esse impossibile. Probatur primū, quia nullum est naturale principium, ex quo euidenter colligi possit, illa tria miracula suprà posita esse possibilia, & licēt admittamus esse euidens Deū esse omnipotentem, non tamē potest ex parte obiecti esse euidēs in illo non esse contradictionem, vt non esse cōtra essentiam & naturam accidentis esse per se, seu cōtra naturam quantitatis, esse in extensam in loco, aut esse in pluribus locis, sicut etiam nō est euidēs, secluſa fide, duo corpora quanta esse posse penetiue in eodem loco, itaq; hæc & huiusmodi, absolutè loquendo, creditā sunt, non demonstrata. Probatur autem altera pars, primū ex principio generali Theologiæ, quod euidenter soluit argumēta, contra mysteria fidei, non tantum (vt aiunt) respōdēdo negatiue argumētis, sed etiam positiue oſtendendo non posse rationem naturalem demōstrare huiusmodi opera esse impossibilia Deo, quia nulla est ratio, quæ probet esse contra essentiam accidentis, verbigratia, separari à subiecto, & per le cōseruari; imò ratio naturalis optimè intelligit posse naturam

C

D

naturam accidentis consistere in aptitudine, & nō in actuali dependētia, & idē proportionaliter est de quantitate, quod euidentius fiet inferius soluendo argumenta. Et hinc concluditur tertia pars propoſita. Primo ratione generali, quia credimus Deum esse omnipotentem, & aliunde non videmus in his operibus apertam contradictionem, imo nec ratio nem illius admodum probabilem, sed solum esse intelligimus suprà naturas rerū: ergo sit valde veri simile, hæc omnia esse possibilia Deo. Vnde Patres omnes suprà citati ſola Dei omnipotentia contenti sunt, ad persuadēdum, hoc mysterium esse possibile, *quia non erit impossibile apud eum omne verbum.* Deinde admirabilius est, substantialem naturam integram separāri à propria subsistentia, quam accidens à subiecto, & naturam creatam existere in Verbo increato, quam corpus existens in cœlo, existere simul in terra, & Verbum diuinum constitui sub humanitate, & cum illa componere vnam personam, quam corpus Christi sub accidentibus claudi, & ad hunc modum argumentari possumus ex alijs mysterijs fidei, vt tractando in dictis locis singula puncta indicabimus.

A

B

Quarto circa conuenientiam delirant magis hæretici, contendunt enim, esto sit possibilis hæc præsentia, esse tamen hominibus inutilem, & potius perniciosam, & Christo Domino iniuriosam. Primum, quia quid quid vtilitatis potest ex hoc sacramento ad homines manare cum hac præsentia, potest sine illa operante Deo, per signa ab ipso instituta, & concurrente homine per suam fidem, quæ ratio operandi est sacramentis magis consentanea. Secundum patet, quia oportet, *quæ sursum sunt quæ sursum, non quæ super terram*, ad Colos. 3. ergo oportuit Christum tantum esse in cælo, quo nostræ cogitationes ascenderent: perniciosum ergo esset nobis cum illo realiter præsente in terra versari, nam propterea ipse dixit, *Expedit vobis, vt ego vadam.* Ioan. 16. Denique indignum existimant, Christum iam immortalem, & impassibilem dentibus atteri, os, & stomachum mortalis hominis ingredi, moueri, & stomachum mortalis hominis ingredi, moueri, & conculcari, & similia pati, quæ nos de illo in sacramento dicimus. Similia tamen obijciebant Pagani contra Incarnationis mysterium, videbatur enim illis indignum, quod Deus caro fieret, & passionibus, ac morti subderetur, & hominibus videbatur inutile, quia poterat Deus alio modo conferre eis omnia bona, quæ nos dicimus ex Incarnatione prouenire. Quibus Sancti Patres respondent, nihil esse in illo mysterio, quod nō maximè Deum deceat quia illis passionibus nihil læditur, vel immutatur diuina maiestas, & aliunde bonitatem suam, potentiam, &c. maximè manifestat, & nobis illo modo, & maiora bona, & excellentiora, atque altiori modo confert, sic ergo in præsenti prædictis hæreticis respondemus.

C

D

Dicendum ergo est, posse ratione naturali ostendi, hoc mysterium fuisse valde conueniens, & diuinæ bonitati, ac hominum vtilitati maximè consentaneum. Ad hanc veritatem probandam afferri possunt rationes omnes, quibus hoc ipsum de mysterio Incarnationis ostendi solet; est enim hoc sacramentum, quasi complementum quoddam illius mysterij, vt Chrysostomus dixit. Breuiter tamen declarātur primo, quia ad diuinam bonitatem pertinet, vt omnibus modis sese communicet: ergo sicut fuit per se conueniens, vt tam diuinitatem suam humanæ naturæ communicaret, ita fuit conueniens humanitatem illam, & totum illud beneficium, ac mysterium alio admirabili modo reliquis hominibus communicari, ipsi sicut humana Christi natura ineffabili modo in Verbo existit, & Verbum in ipsa, ita, qui suscipit hoc sacramentum, singulari etiam modo in Christo manet, & Christus in illo, sicut ipse dixit Ioan. 6.

A

Ioan. 6.

Secundo fuit opus diuina sapientia dignum, in vno sacramento, veluti summam, & compendium facere omnium suorum mirabilium, omniumque donorum suorum, ac beneficiorum præsertim illorum, quæ per verbi Incarnationem nobis contulit: nam in primis, sicut in mysterio Incarnationis humana natura proprio suppoſito caruit, ita hic accidentia priuantur subiecto suo, & sicut ibi Verbum sub humanitate latuit factum homo, vt nos redimeret, ita Verbum Incarnatum, sub accidentibus panis continetur, factū cibus, & panis cœlestis animarum, vt eas reficiat. Vnde, sicut per Incarnationem factum est, vt Verbum in humanitate assumpta sit in tempore genitum, & iniurijs temporis, ac hominum expoſitum, ipso Verbo in se impassibili, & immutabili, permanente, ita Verbum incarnatum, quatenus sub hoc sacramento continetur, quotidie conficitur, & in loco bumili interdum iacet, & à prauis hominibus iniurijs afficitur, ipso nihilominus Verbo, eiusque humanitate gloriosa, impassibili, ac immutabili manente. Denique, sicut per Incarnationis mysterium, Christus in vtero B. Virginis spiritualis cibus animarum effectus est, & per omnes actiones, & passiones suas vitam eis cō patauit, ita per hoc sacramentum nobis, re ipsa, donatur in cibum, vt vere, ac propriè illū intra nos sumentes, suæ redēptionis fructum, hoc est immortalem vitam animæ, & corporis ab ipso participare possimus; nam *qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

B

Tertia ratio sumenda est ex attributo omnipotētiæ diuinæ, nā si omnia miracula, quæ in hoc sacramento intercenerunt, consideremus, illud fuisse conuenientissimum reperiemus, vt esset veluti cōsummatio, & perfectio omnium diuinorum operū, & ideo Ioannes Euangelista initio narrationis Dominicæ cœnæ præmittit illa verba, *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manu*, in illa enim rerū immutatione, quam Christus in hoc mysterio fecit, hāc suam omnipotentiam, & dominium in omnem creaturam satis ostendit, nam & substantias transmutat, & accidentibus alium existendi modū tribuit, & corporis molē, ad similitudinem spiritualis substātiæ præsentem efficit, idemq; corpus in varijs locis cōstituit, & alia similia operatur, quibus se vniuersæ naturæ dominum declarat. Quæ quidem omnia mira Dei opera neq; infecta relinqui decuit, neq; opportunius, quam in hoc mysterio (quod, vt dicebā, summa est diuinorum mirabilium) fieri potuerunt. Addit Innocent. lib. 4. de hoc mysterio. c. 44. sicuti diuina natura tribus modis in creaturis existit, scilicet, per naturam, per gratiā, & vnionē, hypostaticam, ita decuisse, vt humana Christi natura triplicem modū existendi participaueriť, scilicet personaliter in Verbo, visibiliter in cœlo, sacramentaliter in altari; vel aliter, naturaliter in corpore mortali, & passibili, per gratiam & gloriā in cœlo, & sacramentaliter in hoc mysterio. Illud deni-

Innocent.

Universidad de Deusto Biblioteca

que mirum in modum, hoc diuinæ potentiæ opus exaggerat, quod non semel, aut iterum, sed quotidie hæc omnia operatur, quodque hominibus dederit potestatem verbo suo hæc omnia efficiendi.

Quarta ratio facile sumi potest ex alijs diuinis attributis, liberalitatis, misericordiæ, & quodammodo etiam iustitiæ: non, quia talis cibus nobis ex iustitia, vllo modo, deberetur, sed, quia nos debemus Deo, vt fidem, & obedientiam, incredulitate & digno vsu huius cibi ostendamus. Vel certe, vt dixit Innocentius supra, maxime decuit, vt sicut per cibum homo victus fuerat, ac mortalis effectus ita per cibum ad vitam immortalem restitueretur nullus autem cibus aptior, ac potentior ad hunc effectum tribuendum esse poterat, quam ille, qui de cœlo descendit, & dat vitam mũdo. Quapropter sicut de illo cibo dictum est, *In quacunque die comederis ex eo morte morieris*, ita è cõtrario de hoc est scriptum. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Vnde etiam apparet infinita Dei erga homines liberalitas: cum enim immortalis vita non nisi per Christum posit nobis communicari, modum excogitauit, quo illi realiter & ineffabiliter coniũgamur, vt ab ipso fonte vitam haurire posimus, vt vel hac ratione se se paratisimũ ad eam nobis præstandam ostenderet, in quo etiam singulare specimen sui amoris erga homines dedit, quod solo pane significante suum corpus non præstitisset, vt statim declarabimus.

Quintã rationem addere possumus, quia mysterium hoc ad omnium virtutum incrementũ, & perfectionem obtinẽdam, varijs modis, ac rationibus fuit conuenientissimum. Primo, propter excellentem gratiam, quæ in illo confertur, quam propter Christi præsentiã, abũdantiorẽ, & copiosiorẽ esse decuisse, dubitari nõ potest. Deinde propter illã rationẽ generalem, quam Chrys. citatis locis attigit, cuius sunt illa verba. *Tanquam leones igitur ignem spirantes à mensa illa recedamus, facti diabolo terribiles*. Decet enim eos, qui tali cibo nutriũtur, insigni vitæ sanctitate, & puritate esse cõspicuos. Denique, si per singulas virtutes discurramus, innumeras occasiones, & rationes eas, perfectè exercendi, in hoc mysterio inueniemus, sed præcipue in illis, quæ Deum ipsum attingunt, vt sunt Theologicæ, & inter morales religio.

Augetur fides. Sextam igitur sumamus rationem ex virtute fidei, principio enim in hoc perdifficili mysterio nostra fides mirabiliter exercetur, & crescit, inter opera enim diuinæ omnipotentiæ, quæ præter ordinẽ naturæ, fiunt (Incarnationis opere excepto) creditu difficillimum censetur. Primò, quia non vnum, sed plura miracula complectitur. Secundo, quia non semel, sed iterum, atque iterum, & quasi ordinaria lege conficitur. Tertiò, quia non solum immediate ab ipso Deo, sed ab homine eius ministro per supernaturalem potestatem ei communicatam fit. Denique (quod ad fidei exercitium multum refert) quia quotidie sensibus obijcitur, & repugnantibus sensibus frequentissime captiuamus intellectum in obsequium Christi. Deinde præter illum vsum fidei, qui in hoc mysterio credendo consistit, fuit hoc etiam aptisimum ad exercendã fidem, circa alia fidei mysteria, ad nostram præsertim redemptionem pertinentia, dicente Christo, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*. Nam, licet hæretici contendant, solum signum, &

A figuram ad huiusmodi commemorationem satis fuisse, nullus tamen, qui rem attentè ac prudenter considerauerit, negare potest, longe altiori consideratione, & maiori affectu innouari in nobis Christi & passionis eius memoriam, si ex fidẽ realis præsentiæ eius, quam si ex solis figuris & nudis signis, moueamus. Præsertim quia, vt supra dicebamus quodammodo in hoc mysterio videmus fieri circa Christum inuisibiliter hic contentum, quę circa eũdem in propria specie, facta esse credimus quia sicut caro factus ingressus est vterum Beatissimæ Virginis, ita per hoc mysterium vere, ac realiter intrat corpora nostra; & sicut vere credimus iacuisse in præsepio, ita vere illum in altari existentem conspicimus, & ad hunc modum cætera Christi mysteria ad viuum hic repræsentantur, præter eam significationem passionis, & mortis eius, quæ fit, cum sanguis separatim à corpore consecratur.

B Igitur ad fidei exercitiũ fuit valde cõueniens hoc mysterium, atque adeò etiam in ratione signi & memorialis est longe excellentius hoc sacramentum, habens Christum realiter præsentem, quam in vmbra tantum. De hac ratione legi possunt, quæ scribit eleganter Algerus lib. 2. de hoc sacramento. capit. 3. & quæ attingunt Cypr. in serm. de Cœna Dñi, Euseb. hom. 1. de Paschate. Aug. tractat. 47. in Ioan. & alia, quæ supra citauimus in Cõmentario articuli, explicantes rationem D. Thom. *Algerus. Cyprianus. Euseb. August.*

Augetur spes. Septima ratio sumitur ex virtute spei; nullũ enim potuit esse, post diuinam Incarnationem, Dei donum, ac beneficium, ad spem roborandam; & augẽdam accõmodatius, tũ, quia in pignus futuræ gloriæ res infiniti valoris nobis datur, tũ etiã quia, dũ in hac vita mortali tam liberalem erga nos Deum

C experimur, tamq; propensum, vt nos secum intime coniungat, maxime excitamur ad sperandum perfectiorẽ vnionẽ in vita beata futuram, vt enim rectè dixit Algerus lib. 2. c. 3. *Quem vere Christus se ipsum daturus est sanctis ad gloriã, tam vere modo ad omnem gratiã dat se ipsum Ecclesiæ suæ*. Et hinc etiã augetur spes, quia hoc cibo roboramur, & cõtra hostes armamur, & facilius possumus omnem seruilem timorẽ abijcere, & fiduciam de victoria reportanda concipere, nã sicut dæmonum præsentiam horremus, quanuis illos non videamus, & è cõtrario bonorum angelorũ præsentia & custodia, quam nobis adesse credimus (licet illam non videamus) vires assumimus, ita multo magis hac Christi præsentia, licet inuisibili, firmiter tamẽ credita, mirum in modum fiducia nostra augetur, & animus ad beatitudinẽ obtinendã erigitur. Præsertim, quia dum

D Christũ secundum humanitatem etiam præsentẽ esse credimus, maiori quadam familiaritate eũ alloquimus, ac frequẽti⁹, & maiori eũ fiducia oramus. Nec vero ex hac præsentia impeditur animus ne sursum ascẽdat ad Christũ in cœlis existẽtẽ, sed potius maxime accẽditur, vt eũ videre desideret, quẽ sub panis specie nunc habet præsentem, & latentem.

Crescit caritas erga Deũ. Octaua ratio petitur ex virtute caritatis, quatenus erga Deum, & Christũ versatur, quoniam nihil magis ad amandũ excitat, quam amoris significatio, quam in hoc mysterio maximã nobis Christus exhibuit, vt enim Ioannes ait c. 13. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, tunc enim summum amoris signum illis prebuit; tum se ipsum in cibum illis præbẽdo, tum etiam, summo amore & desiderio illum præstando, iuxta illud, *Ioan. 13.*

Desi-

Desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscũ, quod non tam de legali, quã de hoc vero Pascha multi intelligendũ existimãt, cum Tertul. lib. 4. contra Marcio. c. 40. Ac præterea, quia, vt Chrysostomus sæpè perpendit, plus quã maternũ amorẽ erga homines indicauit: matres enim interdum filios suos alijs tradunt nutriendos, Christus autem suis carnibus filios suos alit, & quos suo sanguine redemit ac spiritualiter genuit, eosdẽ suo cruore nutrit, ac pascit. Deinde maximũ amicitiæ signum in hoc ostẽdit, quod amor non solũ præsentiã sed etiam summã, quoad potest, coniunctionem exoptat, & efficit: Christus autem per hoc mysterium, & nobiscum manere voluit, & nobis intimè coniungi, non solũ affectu, sed etiam rẽ ipsa, vt, nimirũ, hæc posterior vnio priorem, quæ per spiritualẽ affectũ est, accẽderet ac inflammaret. Vnde eadem nocte, qua hoc mysteriũ Christus instituit, orabat ad Pa‑trẽ. *Vt omnes vnũ sint: sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnũ, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnũ*. Ioan. 17. Vnde elegãter Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corint. dicit, Christũ Dominũ ob nimium erga nos amorem, non solũm a nobis videri, sed etiam tangi, & desiderio sui omnes implere voluisse. Et hãc rationem confirmant omnia, quæ de supernaturali vnione, quæ per hoc mysterium fit inter nos, & Christum, Sancti scripserunt, quæ superius attigimus, & infrà q. 79. latius afferemus. *Ioan. 17. Chrysost.*

Nona ratio sumenda est ex eadem virtute caritatis, vt inter proximos intercedit, ideo enim voluit Christus, vt omnes eodem numero cibo alerentur, vt in ipso tanquam in centro omnes coniungeremur, & sicut ipse dilexit nos, ita nos inuicem diligeremus, tanquam mẽbra eiusdẽ corporis, quæ eodem pane vescuntur. vt Paulus dicit. 1. ad Corin. 10. & ad hanc vnitatem significandam, se ipsum dedit in cibũ, sub speciebus earum rerũ, quæ ex multis granis in vnum cõfluentibus coalescũt, vt Cyprianus & Augustinus, & alij Patres in superioribus citati notarũt. Hinc etiã Paulus, citato loco ad Cor. Eph. 5 hoc maximè argumẽto inducit fideles ad animorum cõcordiã, & vnitatem, quia, scilicet, eodẽ Christi corpore omnes aluntur, & ideò etiã in Ecclesia communio huius sacramenti fuit semper signum Ecclesiasticæ vnitatis & concordiæ, ac propterea *symbolum pacis, & vnitatis*, vocatur ab Augustino. tract. 26. in Ioan. Accedit ad hanc & præcedentẽ rationem confirmandã, quod hoc sacramentũ per se institutum est ad caritatem nutriendam, ac perficiendam. *1. Corin. 10. Ephes. 5. August.*

Decima ratio ex virtute religionis petenda est, nã inprimis ac singulari Christi præsentia maximẽ extollitur, & commẽdatur Christiana religio. *Nulla enim est, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis*. Fuit etiã hoc valde accõmodatum humanæ fragilitati, ac conditioni: cùm enim homo sit sensibilis, maximè excitatur sensibilibus rebus. Propter quod dixit August. Contra Faustum. *Omnium hominũ religionem aliquibus signis, & ceremonijs sensibilibus congregari*, quod in Christiana etiam religione seruatum est, eius tamen excellẽtia, tũ in eo posita est, quòd illa signa, quibus vtitur nõ sint falsa, sed vera, nec vacua, sed plena gratia & virtute; tum maximè in eo, quod ipsemet autor sacramentorum in hoc perfectissimo my-

A sterio verè ac realiter continetur, cui latriæ cultus absque vllo periculo, aut superstitione potest, & debet exhiberi. Hinc Cyprianus de Cœna Domini. *Sacramẽto visibili diuina se infudit essentia, vt esset religio circa Sacramenta deuotio*. Vnde etiam factum est, vt perfectissimus actus religionis, qui in sacrificandi cultu consistit in religione Christiana infinitam quandã perfectionem, & excellentiã habeat: nam offerimus Deo in sacrificium, & gratiarũ actionem, rẽ infiniti valoris & dignitatis, est enim hæc infinita Dei bonitas, & liberalitas, vt suis in nos collatis donis, velit à nobis vicissim honorari. Ex quo vlteriùs effectum est, vt perfectissimus Dei cultus cum summa nostra vtilitate coniunctus fuerit: nã dum Christũ in hoc sacramento accipimus, & summũ cultum exhibemus Deo, & maxima dona præcipimus, ipsumque sumere, est pro beneficijs acceptis maximas gratias eidem re-

B ferre, iuxta illud. *Quid retribuã Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi; Calicem salutaris accipiam*. *Cyprian.*

Vndecima ratio colligi potest ex D. Thom. 4. contra gent. c. 61. & nititur in eadem perfectione Christianæ religionis & status Ecclesiæ in lege gratiæ: oportuit enim, præter illud sacramentum, quod ad spiritualem regenerationem fuerat institutũ, esse in ecclesia aliud sacramentum sensibile, quo fideles spiritualiter nutrirentur, vt enim Chrysost. ait homil. 83. in Matth. & 60. ad popul. & Damasc. lib. 4. c. 14. si incorporei essemus, incorporalia dona nobis sufficerent, tamẽ quia anima corpori cõiuncta est, opportuit, vt sensibili modo nutriretur. Est autẽ hæc differentia inter generationẽ & nutritionem, quod in generatione nõ est necesse, generantem substantialiter coniungi genito, sed

C tantum virtute. At verò in nutritione necesse est, cibũ intimè, realiter, & corporaliter coniungi viuenti, & ideò licèt Christus sit, qui per baptismũ principaliter nos regenerat, non oportuit ipsum realiter adesse præsentẽ baptismo, at verò in hoc sacramento, quod per modum nutrimenti datur, oportuit ipsum adesse, ac realiter nobis cõiungi, & intrà nos sumi, tãquã perfectissimũ animarũ cibũ, & hanc rationẽ illustrant egregiè, quę Chrysostomus citatis locis disputat de bono pastore, qui gregem suum sua carne, & sanguine alit. *S. Thom. Chrysost. Damasc.*

Duodecima ratio adiungi posset ex simili discursu circa virtutes alias morales, quarũ insignia exempla, & motiua in hoc sacramento relucẽt, vt, verbi gratia, humilitatis, quam in hoc mysterio Christus ad nos descendens, ac sese nobis accomo-

D dans, satis commendat, vt latè, & eleganter notauit August. Psalm. 33. dicens, *Nisi humilis esset, seq; humiliasset Dominus Iesus, cum nec manducare; nec bibere potuissemus*, & D. Thom. Opusc. 63. cap. 2. par. 3. Diuinam humilitatem exaggerans dicit, *Eadem humilitas incomprehensibilem Dominum maiestatis cogit, frequẽter venire sub specie panis, ad consolationẽ fideliũ in sacramento*. Et eodem modo possumus in hoc mysterio diuinam patientiam contẽplari. Nam in hoc sacramento sæpè ab inimicis suis se contrectari & suscipi permittit, apparet etiam diuina munificentia, quia, vt D. Thom. citato loco dicit *Deus pater corpus & sanguinẽ vnigeniti dilecti filij sui, Domini nostri Iesu Christi, sub specie panis & vini, ad delectabilem refectionẽ animarum tam continuè ministrauit, in quo totum, quod ipse est, & habet cum Spiritu sancto, in summo dedit*, vt ipse fusiùs explicat. Et ad hunc *August. S. Thom.*

Universidad de Deusto Biblioteca

modum poterit quiuis facilè de alijs virtutibus ratiocinari.

Ex his igitur omnibus satis responsum est hæreticis dicentibus, mysteriū hoc esse aut nobis inutile, aut Deo indignū: errant enim vehementer, nō intelligētes quid Deo dignū, nobis verò vtile sit, Et similia obijci solent à paganis, contra mysteriū Incarnationis, Passionis, & mortis Christi, quia hæc indigna Deo iudicant. Quibus respondemus illis passionibus nihil diuinam maiestatē lædi, sed amorē suū, sapientiā bonitatē, & omnipotentiam manifestare; & ideò nihil in illis esse, quod non maximè Deū deceat. Sic ergo in præsenti dicimus, quidquid in hoc sacramento circa species sacramētales cōtingat, illæsū, & impassibile manere Christi corpus, & aliūde omnia prędicta attributa eius in hoc opere egregiè manifestari; & ideò nihil in hoc mysterio esse, quod ipsum nō maximè deceat. Quod ad nostram verò vtilitatem spectat, iam satis ostensum est, quot vtilitates ex hoc sacramēto nobis proueniant, quas licèt Deus possit alijs modis in nobis efficere, nullus tamen excogitari potuit aptior, aut Deo dignior.

SECTIO VIII.

Vtrùm Christus sit permanenter in hoc sacramento post consecrationem, vel tantùm in vsu.

QVI admittunt realem pręsentiam in hoc sacramento, duplicitær circa quæstionē hanc errarunt, quidam enim dicūt, humanitatem Christi vbique esse ratione Incarnationis; & hi consequenter aiunt, non habere hic specialem præsentiam ratione huius sacramenti, sed eodem modo ad esse antè, & post consecrationem licèt post consecrationem, aliter significetur, quā anteà. Sed hic error non est hoc loco impugnādus pertinet enim ad materiam de Incarnatione, vbi fundamentum illud de vbiquitate hæreticum esse ostendi, & huic etiam mysterio contrarium. Nam inde fit per verba cōsecrationis nihil fieri, nec magis hoc, quod sub speciebus latet, esse corp⁹ Christi, quā lignum, vel quamlibet rem aliam, nisi fortè, quoad significationem, & ideò Conciliū Tridentinum sess. 13. c. 1. attentè dixit, corpus Christi hic esse post cōsecrationē; & omnes Patres suprà citati, ante consecrationē dicunt esse nudū panem, posteà verò incipere esse corpus Christi.

Conc. Trid.

Omisso ergo hoc errore, alia hæresis horum tēporum est, Christū non esse in hoc sacramēto permanenter, neque antè, neque statim post consecrationem, sed solū in ipso vsu, quando ad communicandum sumitur: vnde colligunt Eucharistiā, neque consecrandā esse nisi statim sit consumenda, neque seruandam esse in altari, neque circungestandam, neque adorandam, saltem ante vsum. Huius hæresis autor dicitur esse Bucerus, cui Lutheranos omnes, imò & Lutherum ipsum fidem adhibuisse referunt; Richar. ar. 13. Hosius lib. 1. cont. Brēt. Castr. verbo, Eucharistia, hęresi. 12. Coclęus libro 3. miscelanearū, tract. 8. & 9. vbi latè refert huius erroris originem. Sanderus etiam lib. 7. de visibili monar. hæresi. 105. an. 1555. refert in conuentu Vvitembergensi anno. 1537. subscripsisse in hunc errorem omnia capita Lutheranę & Zuinglianæ doctrinæ. Lindanus in 4. indice hæres. tribuit etiam hunc errorem. Nestorio, citans Epist. Cyrill. Alexandr. ad Colosyr. alios plures huius hæresis fautores refert Bellarminus. libr. 4. à principio, vbi per sex capita latè hunc refellit errorem.

Richard. Hosius. Castro. Coclæus. Sanderus. Lindanus. Bellarm.

Fundamentum huius hæresis solum esse potest quia sacramentū hoc est institutum propter vsum vt patet ex illis verbis. *Accipite, & comedite*, ergo tātū cōsistit in vsu, sicut cætera sacramēta: sed Christus tantū est præsens, quando est sacramentum: ergo. Et confirmatur, quia cætera sacramenta sunt quędam actiones sacræ, extra quas elementa non sunt nisi elementa: ergo idem dicēdum est de hoc sacramento, si autem hoc sacramentum solū est in vsu, & actione, Christus erit in illo tantùm in vsu, quia tantùm est in illo, dum est sacramentum.

Dicendum verò est primò, corpus Christi fieri præsens in hoc sacramento, finita cōsecratione ante vsum. Hęc cōclusio est de fide, quā infrà q. 78. iterum necessariò tractaturi sumus, agentes de forma, nunc breuiter probatur primò, ex verbis institutionis: nā, vt rectè Concilium Tridēt. ponderauit, priùs quā Apostoli Eucharistiā de manu Domini suscepissent, ipse dixit, *Hoc est corpus meum*: ergo veritas illorum verborum requirit præsentiā Christi ante vsum: Christ⁹ enim nō dixit, hoc erit corpus meū, nec apposuit conditionem, *si sumatur* sed absolutè, & de præsenti dixit, *Hoc est corpus meum*: est autem verbum eius verū, & efficax. Vnde Bucerus ad tuendū suū errorem verba formæ peruertit, & ita explicat, *Hoc est corpus meum*, idest, hæc actio exhibet corpus meū, sed hæc non est expositio, sed voluntaria corruptio verborū contra eorum proprietatem, & significationem, & contra totius Ecclesiæ sensum, & omnium Patrum expositionem: sic igitur argumentum cōcluditur. Aut veritas & proprietas verborum retinenda est, aut non; si non, omnino tollēda est, præsentia, quia nullum relinquitur fundamentū ad rem difficilimam credendā; si verò primum secūdum fidem Catholicā faciendū est: ergo statim consummatis verbis præsentia credenda est, quia hoc requirit veritas, & proprietas verborum. Hinc Irenæus lib. 5. c. 2. *Quando mistus calix* (inquit) *& fractus panis suscipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi*. Idē Chrysost. hom. de proditio. Iudæ Ambros. lib. de myster. cap. 9. Adelman. Epist. ad Bereng. & multi alij comparant efficatiam dictorum verborum cum efficatia illorum, *Fiat lux, &c.* Confirmari potest ex Paulo 1. ad Corin. 10. dicente, *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est*; Sentit ergo calicem benedictum, seu cōsecratū, sanguinē Christi cōtinere; & infrà. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est*; ille ergo panis diuinus, qui distribuitur, & datur fidelibus, corpus Christi est, non igitur fit in ipso vsu, sed potiùs esse supponitur. Secundò, hæc est sententia omniū sanctorū Patrū dicentiū, sacerdotes Domini, ore suo, & verbo Christi, conficere hoc sacramentū, & panem in corpus mutare, quos infrà disput. 12. & iterum q. 78. fusè sum alaturus, & ideo nunc solū, prætercitatos referā Eusebiū Emiss. homil. 5. de Paschate dicentem, *Sacerdos verbo suo secreta potestate conuertit*, & Gregor. Niss. libro de Sancto Baptismate, circa principium, dicentem. *Panis est initio communis, sed vbi mysterium sacrificauerit, corpus Christi dicitur, & est; & eodem modo vinū, cū sit re exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationē, quæ à Spiritu sancto procedit, sanguis est Christi.* Idem oratione catechet. *Hic panis per verbum Dei sanctificatur, & in corpus mutatur, statim, vt dictum est à Verbo, Hoc est corpus meū.* Tertiò probatur rationibus. Prima, & præcipua sumitur ex institutione quia Christus non dedit hanc virtutem vsui, sed verbis, vt ex eorum veritate, & doctrina Ecclesiæ constat. Secundò, quia vix potest explicari probabili ratione, quādo, & quomodo incipiat esse præsens in vsu; quæro enim an sit in tēpore, vel in aliquo instanti tātùm. Item, an quādiu est in ore, vel in gutture, vel quādiu applicatur à sacerdote; quid quid enim dicas, nulla ratione, aut fundamēto fulciri potest. Vnde argumentor tertiò, quia natura cibi est, vt sit res permanens, & vt prius sit, quàm comedatur, vnde in conuiuio priùs præparātur, & apponuntur cibi, quam sumantur; & ita Patres, vbi de sacramento hoc disputant, aliud dicunt esse, conficere hoc sacramentū, aliud destribuere. Vnde Dionys. de Eccles. Hierar. cap. 3. p. 3. circa finē, de ministro huius sacramenti loquens dicit, *Postulare vt tanto ministerio dignus fiat, & vt sacramenta sancta conficiat, & castè distribuat.* Quartò hoc sacramentum, licèt sit propter vsum, non tamen est ipse vsus, sed est materia qua vtendū est, & ideò supponitur vsui; ac deinde, licèt ad vsum non tamē solū est institutum ad vsum sumendi, sed etiā vt offeratur in sacrificiū, & ideò priùs, quàm sumatur, adest Christus, quando immolatur. Quintò à posteriori est ratio ex vsu Ecclesiæ, quæ priùs, quam hoc sacramentum distribuatur, adorandū proponit fidelibus: quam esse Apostolicam traditionē constat ex Liturgijs, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, & ex Clemente & alijs, quos referemus infrà agentes de forma, nunc satis sint verba Dionysij, de Ecclesiast. Hierar. c. 3. par. 2. *Pōtifex sacrosancta, & augustissima mysteria conficit, & quæ antea laudauerat veneranda opera atque abdita signis, in conspectu agit, diuinaque munera venerenter ostendens, ad sacram illorum communionem, & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent, hortatur.* In quibus verbis illud etiā obseruare licet, aliud esse conficere mysteria, aliud sumere, vel distribuere, & illud præcedere, hoc vero subsequi, statim verò post confectum sacramentum, coli priùs, quam sumatur. Vltimò fundamentum hæreticorum ex dictis expeditum est, quia, vt dixi, licèt hoc sacramentum sit propter vsum, non tamen est ipse vsus, in quo differt ab alijs sacramentis. Quæ differentia ex traditione Ecclesiæ, & ex proprijs naturis sacramentorum, & ex formis eorum colligenda est: forma enim baptismi, verbi gratia, actionem & vsum indicat, *Ego te baptizo*, forma autem huius sacramenti non indicat vsum, sed præsentiam Christi sub speciebus consecratis, *Hoc est corpus meum.*

Conc. Trid. Irenæus. Euseb. Emiss. Greg. Nyss.

2. Conclusio.

Dico secundo, corpus Christi sub speciebus permanet; & durat post absolutū sacrificiū, etiā si à fidelibus nō consumatur. Est de fide, sequitur enim euidenter ex præcedenti, & ex veritate verborū, vt infra exponā, & ita est definita in Trid. can. 4. & 6. Probatur prætereà ex praxi & traditione Ecclesiæ. Primo enim fuit perpetua consuetudo seruandi hostiā consecratā in Ecclesia, tū ob fideliū consolationē, & ad cultū & adorationē. tum maxime vt subueniatur infirmis, ne in extremo periculo priuentur viatico, vt significatur in Concilio Niceno, c. 12. & 13. clariùs in cap. Presbyter. & c. Qui bene. de Consecrat. distinct. 2. & Concilijs, Vvorcarmaciens. & Arelaten. & Concilio Lateranensi, sub Innocent. III. c. 19. & 20. & in decretalibus extat titulus de diligētia adhibenda in custodia Eucharistiæ, & ad hoc cōfirmādū multa sumi possunt ex his, quæ de praxi Ecclesiæ circa hoc sacramentū diximus suprà sect. 5. præsertim, quæ ex Ambr. oratione de fratre suo Satyro, & ex Greg. Nazianz. oratione de sorore sua Gorgonia adduximus. Quibus addi potest Clemēs Papa Epist. 1. ad Iacobū fratrē Dñi, vbi dicit, vnū ex præcipuis clericorū muneribus esse, vt corporis Domini particulas, quę cōmunicantibus super sunt, obseruent & in lib. 8. const. c. 10. *Postquam omnes sumpserunt* (inquit) *accipiunt Diaconi reliquias, & portant in Pastophoria, idest, in thalamum*, ita enim vocat sacrarium, in quo sponsus animarum collocatur. Optima sunt etiam verba Cyrill. Epist. ad Colosyr. quæ referam statim conclusione sequenti. Prætereà Amphylochius in vita Basilij refert, illū fuisse solitum seruare Eucharistiā in aurea colūba, quæ ante altare pendebat, & in fine vitæ obtulisse sacrificiū, & quandam partē Eucharistiæ reseruasse, vt eā in viaticum sumeret; sunt etiam in Ecclesiasticis historijs multa exempla, & miracula: quibus hæc veritas euidenter confirmatur, quale est illud apud Gregor. Turonens. lib. 1. de gloria mart. cap. 86. de Diacono, qui, cùm portaret pyxidem corpus Domini continentem, hostia consecrata exire visa est, & ab altari volare, quoniam Diaconus ille impurus erat, & libidini deditus. Similia videri possunt in Beda lib. 4. Histo. Angelic. cap. 24. & in vita Bernard. lib. 1. cap. 11. & alia plura ad hanc veritatem confirmandam afferunt citati autores, & Claudius repet. 4. cap. 12. Vltimò probatur ratione, quia hoc sacramentum non consistit in vsu, sed habet esse permanens: ergo, licèt non sumatur permanebit sacramentum: ergo etiam in eo durabit Christi præsentia, quæ tandiu durat, quandiu ipsum sacramentū. Cōfirmatur cōgruētijs adductis sectione præcedēti, quæ hîc ferè accōmodari possunt omnes, decuit enim vt Ecclesia Christi posset habere sposum suū secū præsentē, non tantū in figura, vt olim Synagoga, nec apertè & clarè vt beati, sed occultè ac tectè, verè tamen & realiter.

Vvormatiens. Arelatense. Lateranense. Clement. Cyril. Amphyloch. Greg. Turon. Beda. Bernardi. Claudius.

Dicendum est tertiò, tandiu cōseruari Christū præsentem sub speciebus, quandiu species illæ ita permanent, vt sub eis posset substantia panis vel vini conseruari. Hęc conclusio colligitur ferè ex omnibus Theologis, & Catholicis scriptoribus, Diuo Tho. in 4. d. 9. q. 4. art. 2. quæstiunc. 1. & infra q. 76. ar. 6. q. 77. art. 4. q. 80. art. 3. Alens. 4. part. q. 45. memb. 1. art. 2. Durād. d. 9. q. 3. ad. 1. & d. 12. q. 3. & ibi Richard. art. 2. q. 2. & d. 9. art. 1. q. 1. & ibi Palud. q. 1. & dist. 12. quæst. 5. & ibi Scot. q. 6. Maior quæst. 4. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 3. & lect. 84. in can. Capreol. dist. 13. quæst. 1. artic. 3. & recentioribus omnibus. Et in primis, quod corruptis speciebus desinat sub eis esse Christus, nullus dubitat, licet nonnulli id malè explicent, vt infra quæstione. 76. videbimus. Et ratio est, quia nec cōsecrantur, nec habent rationem sacramēti, nisi species panis & vini. Quod vero Christus sit ibi, quandiu illæ durant, probatur primo ex verbo Christi, *Hoc est corpus meum*, habet enim firmam, & stabilem verita-

D. Thom. Alensis. Durandus. Richard. Palud. Scotus. Maior. Gabriel. Capreol.

S. Cyrillus.
Turrianus.

veritatem: ergo quandiu hoc sensibile, seu contẽtum sub his speciebus sensibilibus, signari potest tandiu verè dicitur esse corpus Christi, ex vi, & efficacia eiusdem verbi. Vnde Cyril. Alex. epist. ad Colosir. apud Turrian. lib. 4. pro epistolis pontificijs c. 19. *Insaniunt* (inquit) *qui dicunt, mysticã benedictionem non ita valere ad consecrationem, vt remaneant reliquiæ eius benedictionis in alterũ diem: nõ enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus mutatur, quin potius virtus benedictionis, & viuifica gratia perpetua est in eo.* Ex quibus verbis plures huius veritatis confirmationes colligi possunt. Prima est tacta suprà q. 63. a. 5. quia species consecratæ, quãdiu durant, consecratæ permanent, ergo continent corpus Christi. Secunda, quia illę species manẽt, quasi informatæ, & ad significandum determinatæ à præcedenti forma: ergo quandiu durant, significationem retinent, efficaciam, & veritatem: ergo retinent corpus Christi. Tertia, quia hæc præsentia, & quasi coniunctio Christi cum speciebus, est veluti quodam donum gratuitum Dei, quod ex parte Christi, aut Dei non aufertur, si in altero extremo non sit mutatio: si cum hac ratione vnio hypostatica, vel vnio per gratiam, aut gloriã, immutabiles sunt, si ex parte alterius extremi, seu hominis non ponatur impedimẽtũ. Quarta, quia Christus peracta, cõsecratione permanẽter maneat sub speciebꝰ: ergo quandiu manẽt species, durat præsentia Christi. Patet consequentia, quia, nulla alia lege, vel ratione, potest definiri tẽpus, quo illa præsentia duret; si enim durantibus speciebus recedit Christus, vel hoc facit pro arbitratu, absque vlla certa lege, seu promissione, & hoc esset magnum ecclesię incommodum, aliàs nũquam possemus esse certi, an duret Christus in hostia cõsecrata, vel iam recesserit. Si autem in hoc est aliqua certa lex, & promissio, nulla certè alia excogitari potest certior, & Ecclesiæ sensui magis consentanea. Ex quibus sequitur primo, errasse hęreticos, asserentes, quando aliquis indignè accedit ad hoc sacramentum, statim Christũ recedere, & substantiam panis redire antequã comedatur, est enim hæc aperta hæresis, & cõtra Paul. 1. ad Cor. 11. dicentẽ, *Qui indignè manducat & bibit*, &c, & in ipsa prima institutione dãnata est hæc hæresis, nã in illa manducauit Iudas corpus Christi, Vt suprà diximus ex sanctis Patribus & plura de hac re dicemus infrà q. 80. agentes de vsu, legite contra hunc errorem Guitmund. lib. 1. de hoc sacramento.

1. Corint. 11

Guitmundus

Sequitur secundò, falsam esse sententiam eorũ, qui dixerunt recedere corpus Christi, si in lutum cadant species, vel si pollutis manibus attingãtur de quibus in sequentibus dicturi sumus latiùs.

Falsum est Christum recedere ab hoc sacramento, ante quàm alterentur seu corrumpantur species.

Sequitur tertiò, errare eos, qui dixerunt, durare Christum sub speciebus, donec sumãtur, statim verò, ac sumuntur, recedere, antequã alterentur, seu corrumpantur, ita docuit gloss. in c. Tribus gradibus, de consecrat. distinct. 2. & in c. Non iste, ibidẽ & indicant Hugo Victor. lib. 2. de sacram. p. 8. c. 13. & Innocen. lib. 4. de hoc myst. capit. 15. sed hi duo autores explicari quodammodò possũt vt infrà in fine quæst. 76. dicã, illius verò glossæ sententia nimis falsa est, & pias aures offendit. Primũ enim est contra mentem omnium Catholicorum, qui suscipientes Christum, tandiu existimant illũ intra se retinere, quandiu conuersio, vel immutatio panis durare potuisset, & ideò diligentiùs stu-

Hugo Victor.

A dent eo tempore se colligere, & orationi vacare. Vnde Clemens Pap. epist. 2. *Qui residua corporis, quæ in altari relicta sunt, cõsumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conueniant, ne sanctæ portioni commisceant communem cibũ.* Confirmatur ex ca. Si quis de Consecrat. distinct. 2. vbi imponitur pœna ei, qui propter ebrietatem euomuerit Eucharistiam, vnde ex vsu Ecclesiæ, si contingat euomi ab infirmo adoratur, & habetur vt verum sacramentum. Præterea, quia si corpus Christi, in pyxide existens, durãtibus speciebus, non recedit, cur discedet existens intra hominem, cùm hac præcipue de causa ibi permaneat, vt quodammodo cum homine corporaliter, & familiariter coniũgatur, vt Cyrillus, Hilarius, & alij Patres loquuntur? Confirmatur, quia alias aperitur via, vt aliquis dicat, Christum re vera non ingredi corpora nostra, sed recedere, cum primum species ad os perueniũt: quod si hoc B est hæreticum, quia Christus dixit, *carnem suam manducari*, ita illud est omnino falsum, quia, sicut cibus, qui manducatur, intrat corpus manducantis, ita in eo manet, donec conuertatur, vnde Christus etiam dixit, *Qui manducat meã carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Denique ante alterationem specierum non succedit ibi alia substantia, ergo non recedit substantia Christi, antecedens patet, quia nec panis redit ex omnium sententia, vt infrà videbimus, nec ad aliam substantiã sunt dispositiones sufficientes: consequentia verò probatur quia species non manẽt vacuæ, prædicta ergo regula certa & inuiolabilis retinẽda est, alioquin non possunt similes errores facilè vitari.

S. Clemens.

C

DISPVTAT. XLVII.

De eadem præsentia Christi in hoc sacramento. Quid sit.

DE hac re pauca dicunt Theologi, eã enim ex professo non disputant, sed attingunt tantũ, dum de transubstantiatione disserunt, existimo tamẽ, nõ parũ lucis posse huic materiæ afferri, si exactè, quid hęc præsentia sit, intelligatur, & quomodò ad præsentiã corporis Christi in propria specie comparetur: illud ergo prius in hac disputatione diligẽter explicare curabo, & inquirere, tam, rem, quã modum loquendi, qui ex illa cõsequitur, declarando; de altera verò comparatione sequentem disputationem instituam.

D

SECTIO I.

An hæc præsentia sit aliquid reale, & intrinsecum corpori Christi, & ab eo aliquo modo distinctum.

Præsentia Christi in Eu… [illegible] … verè realis [illegible]

OMissis opinionibus, quoniam eas in sequentibus attingemus breuiùs & commodiùs, dicendum est primo, præsentiam hanc esse rem aliquam veram, seu modum realem in rerum natura existentem. Hanc conclusionem existimo esse certissimam, & communẽ Theolog. dist. 10. & 11. vbi Scot. distinctiùs eã attingit, d. 10. q. 1. & d. 11. q. 3. ar. 2. & vt probetur,

suppono verba Concilij Trident. sess. 13. A can. 1. definientis Christum esse sub speciebus, *verè realiter, ac substantialiter.* Quibus verbis intendit docere totam rem totamque substantiam verè ac propriè existere (vt ita dicam) intra species, & esse intimè propinquã, seu indistãtẽ ab illis. Et hoc esse debet fundamẽtũ totius huius disputationis, & hoc ipsum confirmãt omnia, quæ in præcedẽti disputatione tractata sunt. Ex hoc ergo cõcludo primò, Christũ esse sic realiter præsentẽ speciebus est effectus realis in rerũ natura: ergo præsentia ipsa est aliquid reale. Patet cõsequẽtia, quia per præsentiã fit formaliter pręsens realiter, antecedẽs patet, tũ ex sententijs Patrũ asserentiũ, esse insigne opus diuinæ omnipotentiæ Christũ fieri hic præsentẽ; tũ etiã, quia si non est realis effectus, nihil erit, nisi fortasse aliqua significatio, vel metaphora. Et confirmatur primò, quia ratione huius præsentiæ verè ac realiter Christus à nobis sumitur, & intra nos existit: sed hæc & similia aliquid reale sunt, alioquin incidemus in hæresim Caluini dicentis sola fide apprehẽdi. Cõfirmatur secũdò, quia hęc pręsentia est fundamentũ veræ relationis realis, propinquitatis & distãtię, Christus enim existẽs in altari realiter est nobis propinquior, quã ante cõsecrationẽ, ergo necesse est hãc præsentiã aliquid rei esse.

Hæc præsentia dicit aliquid aliud præter substãtiam corporis Christi.

Dico secũdò, Hæc præsentia realis, præter ipsam substantiam corporis Christi, dicit aliquid intrinsecè illam afficiẽs; explicatur & probatur, quia corpus Christi esse pręsens in hoc sacramẽto in primis requirit, vt substantia corporis Christi ibi adsit, & cõtineatur quod per se notũ est in fide: hoc enim sensu probauimus hactenus Christi præsentiam. Deinde, illum adesse ibi aliquid est, quod ante consecrationẽ non erat & nõ est denominatio extrinseca in ipso corpore Christi, quia, cũ ante consecrationem non esset Christus nisi tantum in cælo, intelligi non potest, vt denuo fiat realiter præsens terræ, & propinquus rebus, à quibus antea distabat illis nõ mutatis, per solam extrinsecã denominationem, absque aliquo nouo modo reali in ipso corpore Christi. Confirmatur, quia nulla est forma realis extrinseca, à qua possit hæc denominatio peruenire. Dices, posse sumi ab speciebus, absq; alio modo inhærente corpori Christi, sicut Verbum diuinum denominatur homo, ab humanitate illi vnita sine nouo modo in ipso Verbo existente. Respondeo, posse quidem Christi corpus denominari ab speciebus contentum, vel aliquo modo vnitum illis, & quodãmodò etiam panem sacramentalẽ, tamen hæ denominationes supponunt Christũ realiter præsentẽ sub speciebus; quæ præsentia nõ potest esse tantũ denominatio extrinseca ab illis, sed requirit nouum modũ existendi in ipso corpore, nam ante consecrationem, Christus non erat præsens loco, vel spatio, in quo sunt species; vel speciebus ipsis: & ideò non possunt species tribuere formaliter corpori Christi, vt sit præsens, nisi ipsum corpus in se aliter se habeat; alioquin manẽs in solo cælo posset denominari extrinsecè præsens ab speciebus, vt in exemplo adducto, si Verbũ diuinum ante incarnationem non esset vbique impossibile fuisset realiter cõiungi humanitati in vtero B. Virginis, nisi prius intelligeremus, acquirere ibi modum præsentiæ, quo fieret ab humanitate indistans, licèt modus vnionis nihil illi posteà superadderet, nunc autem non indiguit noua præsentia, quia per suam immẽsitatẽ est vbique præsens. Aliter etiam explicatur, nam si vera esset fictio hæreticorum dicẽtium, Christi humanitatẽ esse vbiq;, tunc verissimum esset, non oportere, vt per consecrationem adderetur corpori Christi aliqua præsentia, vel modus intrinsecus, sed sola denominatio, vel vnio specierum, ipsa tamen vbiquitas esset realis & intrinsecus modus in ipsa Christi humanitate, nam ratione illius esset veluti diffusa realiter per omnes res; & intimè in illis, supposita ergo fidei veritate, quòd ante consecrationem humanitas nõ est vbique, nec realiter intra species, aut indistãs ab illis necesse est, vt hæc præsentia, quam per consecrationem acquirit, sit aliquid intrinsecè afficiens, aut denominans ipsum corpus Christi.

B Dico tertiò, Hæc præsentia est aliquid ex natura rei distinctum à substantia corporis Christi, & ab omnibus accidentibus, quæ in cælo habet. Probatur, quia neque ex vi substantiæ, neque ex vi omnium illorum accidentium fit realiter præsens, aut indistans, ab speciebus illis immutatis manentibus; secundùm præsentiam realem, seu localem quod tamen habet ex vi huius præsentiæ. Secundò hæc præsentia acquiritur corpori Christi, per per nouam actionem realem: ergo necesse est, vt aliquid addat ex natura rei distinctum. Simile argumentum est quia hæc præsentia potest amitti, integra manente substantia corporis Christi, & omnibus accidentibus, quæ habet in cælo, & tũc aliquid reale amittitur inhærens corpori Christi; ergo necesse est, esse aliquid ex natura rei distinctum ab ijs, quæ manent in illo. Qui enim intelligi potest, vnum realiter separari ab alio, & per actionem realẽ posse illi addi, absque aliqua distinctione, quæ in re ipsa sit; C Vnde simili argumento concludimus subsistentiam distingui ex natura rei à natura, & vnionem humanitatis ab ipsa humanitate, & motum localem, à mobili, & figuram à quantitate, & sic de alijs modis. Vna sola superest difficultas, quia hinc sequitur, corpus Christi mutari cum consecratur, quod Diuus Thomas & Theologi negare videntur. Sed de hac re propria quæstio est inferiùs instituenda: nunc breuiter dico, non mutari mutatione, qua aliquid deperdat, sed qua aliquid tantum acquirat.

Hæc præsentia solum est modus corporis Christi.

Dico quartò, hæc præsentia non est res omnino realiter distincta à corpore Christi, sed solum modus eius. Probatur primò, quia non est necessaria alia distinctio, imò neque intelligi potest, rem fieri præsentem præsentia entitatiua, per aliam rẽ à se distinctam, vt inductione facta in rebus omnibus, facilè videri potest. Et ratio non est alia, D nisi quia hæc præsentia est tam intima, & propria cuiusque rei, vt maiorem distinctionem non patiatur: sicut ergo figura, propter eandem causam, non potest intelligi realiter distincta à quantitate: ita neque hæc præsentia à re præsenti, quia non aliter fit præsens, quàm exhibendo se ipsam. Deinde ita declaro, quia, vt ex metaphysica constat, nullum prædicamentum affert per se entitatem suam, distinctam ab omnibus reliquis, nisi substantia, quantitas, aut qualitas; reliqua autem omnia sunt modi istorum, hæc autem præsentia non est substantia, quatenus à substantia corporis distinguitur, vt per se manifestũ est, an verò sit modus substãtialis infrà dicam; hic enim

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non refert; quia, licèt esset huiusmodi, non esset res omnino distincta à substãtia, sed modus: quòd autem non sit etiam quantitas, per se notum est nam potiùs est insellectu difficilimum, quomodo quantitas secum admittat hanc præsentiam, vt ex sequentibus constabit. Denique hanc præsentiam non esse qualitatem aliquam cõstat, & ex effectu formali eius quia solùm facit, corpus esse hic, vel alibi, hic autem non est effectus qualitatis, tũ præterea, quia omnis qualitas, quæcunque illa esse fingatur, est indifferens ad hanc præsentiã & potest illam mutare, & nunc esse hic & posteà alibi, quod repugnat formali præsentiæ vt sic. Tandem hæc præsentia adquiri potest, sine alteratione corporis per solam, quasi localem mutationem, nõ est ergo qualitas, atque adeò neque entitas omnino realiter à corpore distincta, sed tantum modus eius.

SECTIO. II.

Quid propriè in specie sua, & cuius prædicamenti sit hæc præsentia.

Sunt qui dicãt hunc modũesse substãtialẽ. D. Thom. Conc Trid.

PRima opinio esse potest, hanc præsentiam reuocari ad prædicamentum substantiæ, nõ vt substantiam integram, neque vt partem, sed vt modum substantialem. Quam opinionem aliqui tribuunt D. Thomæ, eò quod quæstione sequenti artic. 3. & 4. dixerit corpus Christi esse hic per modum substantiæ, & eodem modo citari potest Concilium Trident. quia dixit corpus Christi esse hic substantialiter. Et deinde explicari potest quia corpus Christi fit hic per transubstantiationem: ergo adquirit aliquid substantiale; & nõ adquirit, nisi hunc modum, ergo. Denique corpus Christi succedit hic loco substantiæ panis, & supplet vicem eius, substando accidentibus sine imperfectione: sed hoc totum est munus substantiæ, substare enim accidentibus proprius modus substantiæ esse videtur: erit ergo modus substantialis.

Alij esse relationem. Scotus.

Secunda sententia esse potest, hanc præsentiam esse relationem, ita significat Scotus. d. 10. q. 1. art. 1. & d. 11. q. 1. art. 1. 2. & 3. Vbi hanc præsentiam vocat respectum extrinsecus aduenientem, quẽ solum dicit fieri in corpore per actionem consecrandi. Sed vt videbimus. Scotus solum differt in modo loquendi. Alia via tenet hanc sententiam

Durandus.

Durand. d. 11. q. 1. vbi dicit hanc solùm esse præsentiam ordinis, & ita illam ponit solùm in quadam relationẽ ordinis corporis Christi ad species, ratione cuius, ita se illis exhibet, vt sine sui mutatione, possit in illis, aut per illas, aut vbicunque illę fuerint, operari; sicut aliàs dixit, angelum esse in loco, vel vbique per præsentiam ordinis, aut Christi animam descendisse ad inferos solùm per eandẽ præsentiam. Prætereà Caiet. q. 79. art. 6. sentit, esse sacramentale corporis Christi relatiuũ esse, tribui etiam solet hæc opinio Capreol. d. 10. q. 1. ar. 3. ad 5. Dur. cont. 2. concl. sed immeritò, vt videbimus.

Caietan.

Tertia sententia esse potest, hanc præsentiam esse actionem corporis Christi circa species, quas effectiuè sustinet, vt per se sint, sicut spiritualis substantia dicitur esse præsens corpori per actionem, vel operationẽ, quã circa illud exibet, & eius præsentia nihil aliud esse videtur, quàm eius actio, vel operatio; sic ergo existimari potest in præsenti, quia Christus est præsens speciebus modo indiui-

Alij esse actionem qua Christus sustinet species vt per se sint.

sibili, & quasi spirituali & angelico cùm non sit modo quantitatiuo, sed totus in toto, & totus in qualibet parte.

Prima sẽtẽtia. Præsentia hæc non est modus substantialis.

Dicendum est primò, hanc præsentiã nõ addere corpori Christi modum aliquem substantialem quia ad prædicamentũ substantiæ reuocari posit. Hec conclusio est cõmunis Scholasticorũ, vt existimo omnes enim fatentur, quidquid est in hoc sacramento, præter substantiã Christi, quod pertinet ad modum existẽdi hic, esse accidẽs in corpore Christi. Dicũt verò quidam, esse accidẽs prædicabile, seu in modo prædicationis, nõ verò prædicamentale, seu in essentia sua. Hoc autẽ est contra sensum Theologorũ, vt constabit facilè legẽti eorum scripta, & ex his quæ tã hic quã infrà disputãtes de transubstantiatione, afferemus. Et ratione patet quę primò sumi potest ex ratione modi substãtialis, est enim de ratione huius modi, vt ad cõpositionem, seu ad complementũ substãtiæ intrinsecè pertineat, quia si substantia est in suo genere omnino integrè completa, & cõstituta omnis modus illi adueniens est prorsus extra rationem substãtię, quod potest inductione facta facilè suaderi. Vnio enim, verbigratia, formæ cũ materia modus substantialis est, quia intrinsecè concurrit ad compositionẽ naturæ, substantia similiter est modus substãtialis, quia intrinsecè pertinet ad cõstitutionẽ personæ; vnde in humanitate Christi, vt vnio esset substãtialis modus, necessariũ fuit, vt illa mediãte fieret alius modus cõpositionis personæ: è cõtrario verò extensio, verbi gratia, localis, & omnis alius modus similis non est substantialis, quia iam nõ pertinet ad constitutionem sustantiæ in suo genere, est ergo illud de necessitate, & essentia talis modi. Et ratio est per se nota, quia, nisi modus sit huiusmodi, non est cur magis pertineat ad substãtiam; quam omnes modi aliorum prædicamentorũ, loquor enim de modo pertinẽte ad substantiã in facto esse, vt abstineam ab ipso fieri, vel productione substãtiali quã etiã multi vocant substãtiam modũ. Quod, si verũ est, etiã id habet, quatenus aliquo modo cõstituit substantiam, seu adillã terminatur. Sed hæc disputatio nunc nostra nõ refert, quia hic modus præsentiæ nõ est fieri substãtiæ, sed afficit substantiã in facto esse. Quod autẽ modus sic afficiẽs substãtiam nõ pertineat aliquo modo ad cõplementum, vt substantialis esse probatur, quia corpus Christi tã plenè cõstitutum, & integrũ substantialiter est in cælo, sine hac præsentia, sicut in sacramento. Item, in nulla alia re solã præsentia pertinet ad complementum substantiæ eius (de rebus creatis loquor) vt patet in præsentia angeli, & in præsentia, quam corpus Christi habet in cælo. Denique ipsum nomẽ præsentiæ hoc denotat, quòd non cõstituit rẽ existentẽ, sed rem, quæ iam existit, facit præsentẽ loqualiter, vel quasi localiter, vt ita dicã. Secũdò probatur cõclusio, quia tria possunt intelligi in corpore substantiæ, primũ est, quod est intimè in illis, & realiter indistãs ab illis. Et de hoc manifestũ est nõ pertinere ad modũ, id est pertinentẽ ad prædicamentum substantiæ, sicut patet à simili in angelo, & in quantitate, cuius præsentia non pertinet ad quantitatẽ, sed ad vbi. Item, quia hæc præsentia, quoad hoc, per mutationẽ quasi localẽ mutatur, sine substãtiali mutatione, vt statim explicabitur, etiã in corpore Christi, quando in hoc sacramento

mento eleuatur, aut circunfertur secundum, quod in hoc sacramento intelligitur, est quidam indiuisibilis modus existendi corporis Christi, quia est totum in toris, & totum in qualibet parte speciẽrum. Et hoc non magis potest esse modus substãtialis, quàm præcedens, quia hæc in re nõ sunt duo, sed tantùm conceptu, per modũ generiæ, & specificæ rationis, illa enim ratio præsentiæ, communis est ad indiuisibilem & diuisibilem præsentiam, & in corpore Christi, prout hic existit, illa præsentia constituta est in specie præsentiæ indiuisibilis, quam specificationem infrà sum latiùs explicaturus: si ergo præsentia illius corporis non est substãtialis modus, neque talis præsentia substãtialis modus erit, sicut in angelo præsentia indiuisibilis, quã habet in loco, non est modus substantialis, tũ, quia nullo modo constituit substantiam angeli, tũ etiã, quia hic modus facilè transmutatur, cum tamẽ angelus substantialiter immutabilis sit. Vnde, ad hoc magis explicandum, aduertendum est, duo posse in angelo considerari. Vnum est, esse substantialiter indiuisibilem. Et hic modus est substãtialis, & essentialis in angelo. Alterum est, esse in loco, seu præsentem modo indiuisibili. Et hoc est accidentale, & amitti potest, vel mutari per motum localem sicut è contrario in substantia corporea esse substãtialiter extensam in se, est modus substantialis, & immutabilis; esse autem extẽsam in loco, seu in præsentia ad locũ, est accidentale; corpus autẽ Christi in hoc sacramento, non participat indiuisibilitatem substantialem angeli, nèc caret substantiali extensione, hoc enim contradictionẽ implicat, quia substantialis extensio, est de intrinseco conceptu substantiæ materialis, vt infrà dicam: participat ergo solùm modum indiuisibilis præsentiæ, qui accidẽtalis est in proprio subiecto, scilicet. in substantia spirituali: ergo multò magis in inferiori, à quo participatur, proprietates enim connaturales superioris naturæ, non participãtur ab inferiori, nisi medio accidente, præsertim si talis proprietas accidentalis sit. Confirmatur, quia etiam quantitas Christi participat hunc modum præsentiæ, & tamen non participat modũ substantialẽ. Denique hic modus ponitur directè modo existendi in loco diuisibiliter, sed accidentaliter; ergo est accidentalis, sicut ille, sunt enim eiusdem ordinis. Tertiò considerari potest in corpore Christi modus vnionis ad species sacramentales. Et hic videri posset substantialis; si cut in anima rationali informante corpus, quanuis præsentia ipsa quasi localis, non sit modus substantialis, tamen modus vnionis ad corpus est substãtialis. Sed neque hoc dici potest in præsenti; tũ, quia in corpore Christi re vera nullus est talis modus vnionis, qui sit aliquid in ipso, præter præsentiam & actionẽ, per quã talis præsentia fit, quæ non potest magis esse substantialis, quàm ipsa præsentia, tũ prætereà, quia, etiam si admitteremus talem modũ vnionis, ille non potest esse substantialis: vtrumq; verò ostendam sectione sequenti. Nec D. Thomas in 1. senten. citatus huic cõtradicit assertioni: aliud enim est Christum esse hic per modum substantiæ aliud est esse per substautialẽ modum, hoc enim posterius est fallum; vt ostensum est, priùs tamẽ est verum: tantum enim significat modum illum, quãuis accidẽtalis sit, esse tamen proportionatũ substãtiæ secũdũ rationem suam, seu efficere illam modo accommodato substãtiæ vt sic, nõ prout natura quã-

Prima sẽtẽtia. Præsentia hæc non est modus substantialis.

titatis requirit, sicut angelus est præsens per modũ substantiæ, non autem per substantialem modum. Et idem dici potest de illo termino, *substantialiter*, quo vsum est Concilium Tridentinum, quanuis propria mens Concilij solùm fuerit, dicere, totam substantiam Christi verè esse hic præsentem. Cætera quæ in illa prima opinione, dicebãtur, nullius sunt momenti, vt ex dicendis patebit.

1 Concl. Hæc præsentia non est proprie relatio prædicamentalis.

Dico secundò, Hæc præsentia non est proprie relatio prædicamentalis, seu secundum esse, ita docuit Capreol. in 4. d. 10. q. 1. ad argumẽta Aureoli, cõtra 1. cõclus. & Caiet. fortasse non cõtradicit, sed intendit, quod in vltima conclusione dicam, Scotus etiam in re non dissentit, sed solùm in modo loquendi, ille enim omnes modos absolutos, qui per aliquam habitudinem à nobis explicantur, extrinsecos respectus vocat vt modũ vnionis humanitatis cum Verbo, & vbi quantitatis, quibus exemplis hic vtitur. Probatur autem conclusio, quia hæc in primis non potest esse relatio rationis, quia ostensum est, hanc præsentiã esse aliquid reale. Deinde nec potest esse relatio realis, primò quia est fundamentum relationum realium propinquitatis, & distantiæ, quæ sine mutatione terminorum resultant in corpore Christi, facta in eo hac præsentia: illa autem nullum habet fundamentum, ex quo resultet, sed potiùs per se fieri potest propria actione seu mutatione, vt etiam Scotus concedit, & ex sequentibus constabit. Rursus non habet terminũ reale, à quo essentialiter pendeat, nã maximè ab speciebus at verò, licet de facto, destructis his speciebus, corpus Christi amittat hãc præsentiam, tamen non est id essentiale, posset enim Deus, destructis speciebus, immutatũ conseruare tempus Christi, vel sub alijs speciebus, vel sub nullis: nulla enim repugnantia vel contradictio in hoc intelligitur, sicut videre licet in duobus corporibus, si diuina potentia intimè sibi inuicem præsentia per penetrationẽ conijctuantur. Ité, in præsentia, quã angelus habet in cælo, & in omni alia simili: licet enim, quoad relationẽ mutuam (quã ego, ad tolendã æquiuocationẽ, voco relationem intimæ propinquitatis) manere non possit vnum sine alio, tamẽ, quoad intrinsecũ modũ præsentiæ, quẽ res habet, quandiu nõ mutatur, seu quẽ intrinsecè acquirit, quando mutatur localiter, nunquam vna respẽdet ab alia, cui est propinqua: ergo hæc præsentia nullam habet proprietatem vere relationis realis. Et cõfirmari potest exẽplo præsentiæ quantitatis, & præsentiæ angelicæ, quæ sine dubio relationes verè dici neutiquã possunt. Neque contra hanc conclusionem aliquid in secunda sententia asserebatur, quod responsionẽ postulet. Quod autem Durandus dicebat de præsentia ordinis, non solùm fallum, sed erroneum est, sicut exempla, quæ adducit de censu ad inferos, per solam præsentiam ordinis, & de vbiquitate angelorum, erronea sunt, vt ex proprijs locis constat in præsenti verò destruit Durand, veritatem realis præsentiæ, & realem sumptionis corporis Christi in hoc sacramento, qui illa præsentia ordinis, tantùm requirit præsentiam secundũ virtutem & efficatiam, non secundùm reientitatem & substantiam, Vnde si corpus Christi existens tantum cælo per essentiam & substantiam suam, haberet sufficienter virtutem applicatam ad operãdum in terra vel in quolibet corpore distãte, sine sui mutatione, diceretur illo modo, esse præsens omnibus rebus

Sententia Durãdi erronea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus præsentia ordinis; ergo si tantũ hoc modo exi- A
stit in hoc sacramento, nõ est verum, esse in eo substantialiter, & re vera indistans ab speciebus, per entitatem suam; sed satis erit, quod habeat applicatam virtutem; quomodo probabile valde est, esse etiam in baptismo, & in alijs sacramentis, quia, vt prà dixi, probabile est, in omnibus, & cum omnibus immediatè operari: illa ergo sententia Durandi in hoc sensu hæretica esset; si autẽ quolibet alio modo eam interpretetur, procedẽt rationes factæ.

Hæc præsentia non est actio Christi circa species.

Dico tertiò, Hæc præsentia non est actio aliqua corporis Christi circa species. Probatur, nã interrogo, quænam actio sit; dicunt aliqui, esse actionẽ, qua Christus eleuat species velut in actu primo, vt sint proximum instrumentũ gratiæ. Sed hæc tantùm sunt voces, quia illa nulla actio est circa species, quia, si est actio, aliquid operatur; Christus autem nihil operatur in speciebus, quo in actu primo B
eleuentur; quia, vt suprà de sacramentis in genere dixi, hæc instrumenta nullum virtutem inhærentem recipiunt, quæ si per modum actus primi, dicuntur ergo species esse eleuatæ, solùm, quia præsentem continent Christum, ratione cuius habent paratum concursum proportionatum ad efficiendam gratiam. Alij dicunt, hanc actionem esse, qua corpus Christi effectiuè sustentat accidentia, vt per se sint, & hæc actio est posibilis & probabilis, vt dicam dubio sequenti, tamen est incerta, cùm tamen præsentia certissima sit, quod est aliquod indicium, actionem non esse præsentiam ipsam. Deinde certum mihi est, talem actionem non esse necessariam ad præsentiam, quia licèt Deus conseruet species separatas, medio corpore Christi, tamẽ posset, se ipso, immediatè conseruare, corpore Christi immutato manente, hoc enim non repugnat, cùm intellectus optimè concipiat duas res sibi inuicem præsentes, seu intimè propinquas, sine mutua actione, ergo signum est, præsentiam non esse actionem. Prætereà illa actio, si est, non est subiectiuè in corpore Christi, sed in speciebus, est enim per modum actionis transeuntis, quæ identificatur cum termino, ostendimus autem suprà, præsentiam hanc esse in ipso corpore Christi, non igitur est actio ab illo fluens. Denique hæc præsentia fit virtute, & efficacia verborum, actio autem corporis Christi circa species non fit per actionem verborum, tum, quia ad actionem nõ est alia actio, tum etiam, quia priùs intelliguntur verba habere suum effectum, & terminũ suæ actionis, & posteà subsequi, si quæ est actio inter corpus & species; actio ergo non est præsentia.

Obiectio.

Objicies, quia corpus Christi est hic præsens, ratione conuersionis panis in ipsum, vt Diuus Thomas art. sequenti, & sæpe alias loquitur; ergo conuersio est ratio huius præsentiæ: at vero conuersio est actio; ergo. Confirmatur, quia substantia nõ est præsens alicubi, nisi aut per quãtitatem, aut per actionem, sed corpus Christi, non est hic præsens, ratione quantitatis, quia nõ est quantitatiuè, ergo. D

Responsio. Scotus.

Respondetur ad argumentum, cum Scoto. d. 10. quæstio. 2. conuersionem esse veluti viam ad hanc præsentiam, siue per se primo, siue secundario ad illam terminetur, de quo postea, non est tamen ipsa formalis præsentia in facto esse, & argumẽtum clarum est, quia conuersio in instanti transit, præsentia autem permanet. Et hoc argumentũ obiter etiã declarat, hanc præsentiam non esse passionem ali-

Hæc præsentia non est passio aliqua.

quam, in corpore Christi receptam, sed terminum illius actionis, quæ fit circa corpus Christi in hoc sacramento, siue illi actioni proprie respõdeat passio, siue non; & siue sit terminus primarius, siue cõsequens, præsentia enim, vt ex ipsis terminis elarum est, non dicit aliquid consistens in fieri, sed id quod permanet & factum est. Ad confirmationem absolutè respondeo, negando assumptionem, tamen ob maiorem claritatem, quando aliqua substãtia dicitur esse alicubi, duplex respectus potest importari. Primus qui solet dici transcedentalis, qui consistit in dicto modo præsentiæ, & hoc sensu negaui illud antecedens, quia substantia, nõ per actionem, sed per se ipsam, & modum sibi intrinsecum est, vbicunque est, sicut quantitas per se ipsam & modum suum est, vbi est præsens, quanuis extrinseco corpore nõ circunscribatur, vt in vltima sphæra videre licet. Alio tamẽ modo dicitur res esse alicubi, ideſt, in aliquo corpore extrinseco, quod contingit, vel à quo circũdatur. Et hoc modo dicitur vna res esse in alia media quãtitate; &, quãdo deest quantitas, dicitur metaphoricè esse in alia, vel contingere aliã, media actione, & hoc sensu dici posset corpus Christi esse aliquomodo in speciebus, per actionem, qua illas sustentat, de qua inferius dicemus, núc enim solum agimus de propria, & intrinseca præsentia.

Præsentia hæc reducitur ad prædicamentum vbi.

Dico, quarto. Hęc præsentia est modus realis corporis Christi, qui ad prædicamentum vbi reducitur, quia maximam proportionem habet cum illo modo, quo res est alicubi, ita D. Thom. in. 4. d. 10. quæst. 1. artic. 3. q. 1. ad 1. Capreol. ibi. d. 10. q. 1 artic. 3. ad argumenta contra primam conclusionẽ. Ferrar. 4. cont. gent. c. 63. & idem supponunt omnes autores, qui ratione huius modi, simpliciter dicũt Christũ esse in pluribus locis. Hugo Victor. lib. 2. de sacramen. p. 8. cap. 11. Bonauen. d. 11. ar tic. 1. q. 1. 2. &. 3. Dur. q. 1. Scot. d. 11. q. 1. & 2. Pa lud. q. 1. Maior. q. 4. Gab. q. 3. & lect. 43. & 46. in Can. Alanus lib. 1. de Euchar. c. 38. nec solũ Scholastici, sed etiam sancti Patres ita loquuntur, vt videre licet in Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corint. homil. 16. in ad Hebræos, & alijs, quos dispur. præcedenti sect. 4. citaui. Quin etiam fauet Concilium Trid. sess. 13. c. 1. dicẽs. *Neq; hæc inter se repugnãt vt Christus in cælo asideat, iuxta modũ existẽdi naturalẽ, & vt multis alijs in locis sacramentaliter præsens, sua substantia nobis adsit.* Ratione probatur primo, ex dictis, quia cũ hic modus realis sit, oportet ad prædicamẽtum aliquod reuocari, sed ad nullum aliud pertinere potest, vt de sex primis aperte ostendimus, & de tribus alijs, situ, quando, & habitu est per se clarum, quia situs supponit vbi quantitatiuũ & est modus eius: quando verò, quia vel est tempus extrinsecum, vel est intrinseca duratio, quæ supponit rem, quæ durat, & ita etiam hic duratio præsentiæ supponit præsentiam. Habitus verò est res extrinseca, quanquam respectu speciẽrum sit cum eo aliqua proportio, vt statim dicam. Tantùm ergo superest prędicamentum vbi. Quòd verò cum eo habeat conuenientiam, ita declaro, quia in corpore existẽte in loco, prẽter superficiem ambientem, est modus præsentiæ corporis, vt replentis hoc spatium, qui modus manet, mutatis seu fluentibus superficiebus ambientibus, si corpus non mutetur; & corrumpitur, mutato corpore, etiam si superficies ambiens eadem sit, & in vltima sphæra, quæ

quæ non circunscribitur corpore, optimè intelligitur hic præsentiæ modus, ita ergo in Christi corpore intelligimus, intimè adesse præsens speciebus, & spatio earum, quod ipsæ replent, hic ergo modus similitudinem habet cum modo locali, quã quam differat à modo proprio quantitatis, quod illa est tota in toto, & pars in parte spatij, Christus autem est totus in toto, & in singulis partibus, vt infrà dicemus. Explicari prætereà potest, quia in substantia panis duo considerari possunt, alterum est substantia ipsa, alterum est modus præsentiæ localis, quem sub speciebus habet, nam, licèt per quantitatem dicatur esse in loco, ita, vt repleat & corporaliter occupet illum, tamen propriam præsentiam per se ipsam habet, eamque retinere posset, per diuinam potentiam, destructa quantitate, ipsa substantia in cæteris omnibus immutata manente, & cum eadem propinquitate, vel distantia ad centrum, vel polos: sic ergo in substantia corporis Christi, quæ substantiæ panis succedit præter rationem substantiæ, similis modus considerandus est, & eodem modo explicari potest hæc præsentia, per similitudinẽ seu proportionem cum præsentia angeli, ad corpus vel spatium in quo existit. Et confirmatur, quia hic modus est fundamentum relationis distantiæ, & propinquitatis, hoc autem in corporibus fundamentum pertinet ad prædicamentum vbi. Deinde hic modus amitti, & acquiri potest per mutationem, saltem rei substantia, & omni qualitate, & quãtitate, quod etiam accidit corporibus in mutatione loci, ergo.

Sed occurrebant hoc loco varię difficultates. Prima, an, ratione huius præsentiæ, posit Christus dici esse in loco. Secunda, an circunscriptiuè, vel definitiuè. Tertia, quomodo hæc presentia posit simul esse in corpore Christi, cum præsentia, quam habet in cælo? Sed priores duas difficultates tractat D. Thomas. q. sequenti. Tertia verò coniũcta est cum illis, & ideo commodiùs agemus de omnibus post sect. 1. disputationis sequentis, intellecta priùs specifica ratione huius præsentiæ, quam ibi explicabo, lege interim Capreolum. d. 10. q. 1. ar. 2. & 3. in argum. Dur. & Aureol. contra primã conclusionem.

Dico tandem vltimò in hac quæstione, esse sacramentale corporis Christi in hoc sacramẽto, præter hanc præsentiam, connotare habitudinem aliquam ad species, sub quibus continetur. Hanc conclusionem sumo ex D. Thom. q. sequẽti art. 7. Et potest explicari, quia, quando sub speciebus mutat locum vel circunsertur, re vera, mutat illum intrinsecũ modum præsentiæ, quem hactenus explicuimus, quia alibi est, quàm antea, & substantialiter replet diuersum spatium, & mutat relationes propinquitatis & distantiæ, sine mutatione terminorum, & tamẽ nõ censetur mutare simpliciter esse sacramentale, quia retinet habitudinem ad easdem species, sicut enim manet idem sacramentum, & ex vi eiusdem consecrationis, ita & idem esse sacramentale: ergo signũ est, hoc esse sacramentale non consistere in solo illo modo intrinseco, sed quasi formaliter connotare talem habitudinem ad has species. Quæ etiam habitudo variari potest, immutato manente modo intrinseco præsentiæ, posset enim Deus mutare has species, & alias loco illarum substituere, corpore Christi eodem modo manente, & tunc mutaretur habitudo ad species vel denominatio ab illis prouenies, & non per absolutam mutationem Christi, sed per mutationem alterius, scilicet, specierum, atque adeò sine variatione modi intrinseci præsentiæ. Quæ autem sit hæc habitudo ad species, potest diuersis modis explicari. Primò ex Augustino. 5. de Trinit. c. 10. vt sit habitudo signati ad signũ, quia ratio sacramenti in significatione consistit, & Christus semper per eiusdem speciei significatur, quandiu sub illis, & cum illis dicit habitudinem ad eundem effectum sacramentum; sed hæc significatio solùm addit relationem fundatam in prædicto reali modo præsentiæ corporis, & continetiæ speciei. Secundò Capreolus & Ferrara suprà explicant per comparationẽ ad prædicamentũ habitus, ad quod dicunt reuocari hoc esse sacramentale, quantum ad hanc habitudinem, quia sicut habitus est quid extrinsecum, & quodammodo continet hominem vestitũ, ita species respectu corporis Christi quasi extrinsecè continent, & denominant illud. Tertiò explicari potest per relationẽ intimæ propinquitatis, nam licèt præsentia non sit relatio, tamẽ ex illa consequitur, si adsit terminus cum proportionata præsentia, hoc igitur esse sacramentale corporis Christi præter intrinsecã præsentiam, requirit relationẽ ad species sibi etiã præsentes. Quarto etiam explicari potest hæc habitudo cõsistere in vera & reali vnione inter corpus Christi, & species, de quo modo, quia lõgã habet cõtrouersiã, sect. seq. instituemus. Ex his obiter colligitur, hoc esse sacramẽtale, prout includit hæc omnia, nõ fieri per se primò per aliquã actionẽ, sed fieri fundamentũ præsentiæ, inde verò resultare alias relationes, vel denominationes.

Differentia quæst inter præsentiam & propinquitatem ad species, explicatur.

Solùm posset aliquis quærere, quare modus præsentiæ, qui consideratur in ordine ad locum, vel spatium specierum, dicitur esse absolutus, & intrinsecus corpori Christi, modus autẽ præsentiæ, & propinquitatis intimæ ad species dicitur tantùm esse relatio, vel denominatio extrinseca. Respondetur, interrogationem hanc communem esse, tam corporibus quàm angelis, & rebus omnibus, quæ sibi inuicem sunt præsentes. Ratio ergo breuiter est, quia præsentia rerum inter se supponit modum existendi rei secundũ se, & in illo fundatur, & ex illo resultat, & ideo, nisi res quæ sibi sunt præsentes, aliud genus vnionis inter se habeant, ex vi solius præsentiæ, solùm dicunt talem modum relationis. Et signum à posteriori est, quia mutari potest per solam mutationem alterius extremi, & similiter acquiri, at verò alius modus præsentiæ, qui consideratur in ordine ad spatium, non habet aliũ, in quo fundetur, vel ex quo resultet, nec terminũ realem, à quo pendeat, & ideò est modus absolutus, & intrinsecus illius rei, quam afficit, & ex genere suo per solam propriam mutationem sui subiecti acquiri & amitti potest.

SECTIO III.

Virùm hæc præsentia includat realem, ac veram vnionem corporis Christi ad species sacramentales.

PRæsentia vnius rei ad aliã ex vi, ac præcisa ratione sua, solùm requirit indistantiam, & perfectam propinquitatem talium rerum inter se & hanc præsentiã hactenus explicuimus, quid sit: quoniam certum est, hanc saltem conuenire corpori Christi, respectu specierum sacramentalium, nunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo inquirendum superest, an præter hanc præsentiam intercedat vnio: quanquam enim omnis vnio præsentiam requirat vnibilium inter se, non tamẽ è conuerso, omnia, quæ sunt sibi præsentia, sunt inter se vnita.

1. Sententia est dari veram vnionẽ inter Christum & speciei sacramẽtales.

In qua re prima sententia referri potest, affirmãs in hoc sacramento esse veram vnionem inter Christum & species, ineffabilem tamen, & incomprehẽsibilem. Ita videtur sentire D. Thomas in 4. d. 11. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad. 1. vbi exponit Damasc. lib. 4. de fide c. 14. dicentem, *Deum coniunxisse diuinitatem suam pani & vino, & fecisse ea corpus & sanguinẽ suum*, intelligẽdum esse, quantum ad species, quibus Christi corpus diuinitati vnitum modo ineffabili coniungitur. Vnde Caietanus hic dicit, hunc modũ vnionis esse ineffabilem, & à Concil. Lateran. vocari, *continentis & contenti*. & q. 76. art. 6. dicit, inter corpus & species intercedere nexum à solo Deo factum, quod non potest intelligi, nisi de vnione formali, quia vnio effectiua de qua posteà dicã, nõ potest à solo Deo immediatè fieri, implicat enim repugnantiam, vtitur autẽ Caietanus ibi quibusdam rationibus parũ efficacibus, quas propterea omitto. In eadem sententia videtur esse Aureolus apud Capreol. d. 10. q. 1. in argumentis contra. 1. conclusionem, & idẽ Capreol. ibi q. 3. ad 1. Scoti contra. 2. cõclusionẽ. Palud. q. 3. & vterq; dicit, corpus Christi licèt non sit vnitum speciebus, sicut potẽtia actui, vniri tamen, tanquam id, quod subiecto accidentiũ succedit, & inseparabiliter illis coniungitur vera vnione, quæ imperfectionem excludit, sic etiam Sotus ibi quæst. 1. art. 6. dicit, corpus Christi aliquo nexu sub speciebus contineri, idem sentit distinct. 9. q. 1. artic. 1. ad. 1. & 4. Scoti, & latissimè artic. 4. post recitatã. 3. & 4. opinionẽ, vbi, præter præsentiã localẽ, requirit vnionẽ, vt corpus Christi contineatur sub speciebus, eo modo, quo continebatur substantia seclusa inhærentia; idẽ sentit Ledes. 1. part. 4. quæst. 6. artic. 1. dub. 4. & art. 4. dub. 5. qui præter præsentiam, requirit aliũ modum. Richar. art. 13. pag. 260. §. *Intelligitur autem*, dicit, *Ex corpore & speciebus constituitur vnum sacramentum, non solum vt ex signo & signato, sed modo nobis ineffabili, & incomprehẽsibili*, & infrà dicit, *Inuimus coniungi corpus Christi speciebus, quàm priùs vniretur substantia panis, nõ solùm ex Dei voluntate, sed ex ipso modo, quo ibi existit*, idem ar. 14. pag. 301. In eadẽ sententia est Alanus lib. 1. cap. 34. 35. 36. 37. vbi, licèt affirmare non audeat, se tamen valde propensum ostendit, vt hypostaticam vnionem inter species & Christi corpus concedat. Bellarminus. lib. 3. de Eucharist. capit. 18. & sequẽ. Ioan. Hessels. lib. de corpo. Christi. fol. 181. dicit, corpus Christi arctiùs coniungi accidentibus, quã angelus corpori assumpto coniungatur, idem sentit Claudius repetit. 5. cap. 5. quatenus dicit, corpus Christi supplere vicẽ subiecti, & repet. 9. cap. 6. fol. 139. pagin. 2. dicit, esse vnionem artissimã nõ inhærentiæ, nec hypostaticam, sed sacramẽtalem. Fundamenta huius sententiæ varia afferuntur, vt, verbi gratia, quia ex corpore Christi & speciebus fit vnum sacramentũ, ergo oportet vt intercedat vera vnio. Sed hoc & similia non habent difficultatẽ, quia, vt constat, ad compositionem sacramenti nõ requiritur vnio physica inter componentia, sed satis est propinquitas seu præsentia cũ mutua relatione, quia sacramentũ non est vnũ per se, nec physicum, sed artificiale. Duo igitur sunt, quæ nonnullã difficultatẽ habent: primũ est, quia nisi intercedat vnio inter corpus, & species, fieri nõ potest, vt corpus Christi inde excludat formaliter substantiã panis, per intrinsecã incompossibilitatẽ, sola enim præsentia realis non est formaliter incompossibilis cum substantia, nec cũ existentia eius, nec cũ vnione quam cũ suis accidentibus habet, est enim ibi substantia corporis Christi indiuisibiliter, & per modũ substantiæ: hoc autẽ modo nõ repugnat quòd sit intimè præsens quantitati panis; consequens autẽ est falsum, quia aliàs non posset esse vera conuersio substantiæ panis in corpus Christi, quia duo termini, nisi formaliter inter se repugnent, nõ possunt, ex vi eiusdem actionis, seu cõuersionis, vnus in aliũ conuerti. Secundum fundamentum sumitur ex quadam veluti cõmunicatione idiomatũ inter species & corpus Christi, nã, visis, tactis, fractis, aut motis speciebus, dicitur corpus Christi videri, tangi, frangi, moueri; ergo nascitur hoc ex aliqua vnione, sicut ex simili cõmunicatione inter humanitatem & Verbum colligunt sancti Patres vnioné inter illas: vnde comparant sæpe hanc compositionem ex carne Christi & accidentibus panis, cum illa vnione ex carne & Verbo, vt refert latè Claudius repetit. 8. capite. 4. & hoc maximè conuincit communicatio in motu: nam, motis speciebus, mouetur per accidens corpus Christi, quod non posset ex natura rei consequi, nisi vera & realis coniunctio inter ea intercederet, simile argumentum sumi potest ex eo, quòd, corruptis speciebus, statim desinit esse ibi corpus Christi, quia amittit vnionem, sicut desineret substantia panis, cui corpus succesit, vt significauit D. Thomas, quæstio. 77. articul. 4. dicens, *Corpus Christi desinere esse hic, corruptis speciebus: quia succedit substantia panis*. Item, ex vi huius vnionis, accidẽtia separata habẽt vim efficiendi quidquid possent facere cõiuncta suæ substãtiæ, vt ait Bonauen. dist. 11. art. 1. q. 3. Deniq; ratione huius vnionis, verè, ac propriè designatur corpus Christi, dicẽdo. *Hoc est corpus*, quia illud pronomen propriè non designat, nisi quod realiter continetur, & coniungitur cum his accidentibus sensibilibus.

Secunda sententia negat omnem vnionem realem inter Christum & species, præter inseparabilẽ præsentiam ex pacto diuino, ita sentit Scotus. dist. 10. quæst. 6. Gab. ibi. ar. 2. concl. 10. & lect. 47. in can. vbi dicit, At Okam. Idem, Maior. distinct. 10. q. 6. & Thomas de Argent. q. 1. art. vltimo, Petrus de Aliac. q. 5. art. 2. quatenus dicunt, corpus Christi moueri motis speciebus, ex voluntate, & ex pacto Dei, & eadem est sententia Nominalium, vt videbimus infrà q. 76. qui consequenter aiũt, Christum contineri sub speciebus, tãquam sub signo infallibiliter repræsentante Christum ibi præsentem, hæc autẽ significatio fundatur in impositione Christi, non autem in vnione physica & reali. Fundamẽtum huius sententiæ fuisse videtur, quia hoc satis est ad omnia, quæ de hoc mysterio fides docet, intelligenda, quia, sicut vnitas, & esse sacramẽti nõ oportet, vt dicat necessariò aliquid physicum, præter ea quæ ad significandum imponuntur, ita neque vnio sacramentalis requirit propriam, & physicam vnionem, sed solum eam propinquitatem, quæ ad significationem, & effectum sacramenti sufficiens fuerit ergo alia vnio superflua est, & non satis intelligi potest.

Mihi videtur distinctione vtendũ: alia est enim vnio intrinseca, quam vocamus formalem, & est illa, in qua duo extrema ita coniunguntur physicè, vt propriè, ac realiter componant vnum, quæ compositio semper requirit in vtroque, vel altero extremo intrinsecum, & realem modum vnionis, essentialiter dependentem ab altero extremo, cum quo est compositio, seu à toto composito, quatenus, ipso destructo, non potest ille modus conseruari, sicut è conuerso, posito illo modo vnionis, necesse est vt compositum resultet, quæ omnia ex metaphysica suppono, & ex his, quæ traduntur in materia de incarnatione. Præter hanc verò vnionem, potest intelligi alia, quam voco effectiuam, & erit, quando duo ita sunt sibi intimè præsentia, vt ex efficientia, quam habet vnum circa alterum, non possint separari, ac si dicamus ferrum esse realiter coniunctum magneti, non solùm propinquitate locali, sed vnione effectiua, quia magnes effectiuè illud trahit & continet, ne à se separatur.

Inter Christum & species non est vnio formalis physica.

Dico ergo primò, inter corpus Christi & species non intercedit formalis vnio seu compositio physica, ex qua resultet vnum physicum compositum, tanquam ex duabus partibus, seu extremis verè cõponentibus. Hæc conclusio 5 quanuis ab autoribus distinctè, & expresse non ponatur, tamen sub eisdẽ terminis contrarium doceri non video, imò nec ferè tractari, indicatur verò à Capreol. dist. 10. quæst. 1. art. 3. Ferrar. 4. cont. gen. c. 63. quatenus dicunt, accidentia cõparari ad corpus Christi, per modum habitus, & rei extrinsecè adiacentis seu continentis idem indicant autores, qui hanc vnionem, per solã efficientiam explicant, vt infrà referam. Potest in eandem sententiam afferri Algerus lib. 1. de hoc sacramento, dicẽs. *In sacramento, ne dicamus panis formã Christo impersonatam, quia mansura in Christi corpore non est*. Vbi nomine formæ panis accidentia intelligit, & ideò dicit inferius, illã formam esse mysticã, respectu Christi non impersonatam, id est, non ipsius personæ vnitã. Hoc etiam videtur asseruisse Glossa ordin. 1. ad Cor. 11. his verbis. *Quæ remanent de priori substãtia accidentia, scilicet, color, & sapor, & cætera nec corpus Christi assumunt, nec in eo fundãtur*. Et probatur primò, quia talis vnio nec accidentalis esse potest, nec substantialis: ergo nulla: sicut enim non est medium inter substãtiam & accidens, ita neque in ter vnionem accidentalem & substãtialem. Nisi forte vnionem accidentalem & substãtialem dicat, esse quasi mistam, & substantialem ex parte vnius extremi, accidentalem verò ex parte alterius. Quod facilè refelli potest, quia vt vnio sit substantialis, non satis est, id, quod vnitur, esse substantiam, sed oportet, modum ipsum vnionis esse substantialem, & consequenter necesse est, terminum integrum actionis vnitiuæ esse substantiam, quia de ratione modi vnionis substantialis est, vt ad constitutionem, seu complementum substantiæ pertineat: at verò si ex parte vnius extremi vnio est accidentalis, nõ potest in alio extremo modus vnionis esse substantialis, nec potest tota coniunctio ad substantialem terminum referri. Et hæc eadem ratio concludit, non posse totam hanc vnionem esse substantialem; tum, quia, cùm aliud extremum sit accidens, non ordinatur tota vnio ad componendã vnam substantiam, neq; vnum ens per se, tum etiã quia modus vnionis in altero extremorum est accidentalis, tum denique quia vnio illa non est in natura, nec in hypostasi, vel subsistentia, aut existentia, nec in hypostasi, vel subsistentia, aut existentia substantiali, vt ex dicendis constabit, præter hæc autem non datur aliud genus substantialis vnionis, vt cõstat ex doctrina de incarnatione, & metaphysica, quia non est aliud genus realis compositionis in substantia.

Nec accidentalis physica.

Superest, vt alteram partem probemus, nempe, hanc vnionem non posse esse accidentalem, quod sic ostendo, quia in omni vnione reali accidentis & subiecti, seu quasi subiecti, necesse est, vt componẽtia se se aliquo modo afficiant, & vnum sit aliquo modo actus alterius, saltem ad imitationem formalis, & materialis causæ: tam intrinsecũ enim est hoc omni vnioni, saltem ex parte alterius extremi, vt etiam inter Verbum diuinum & humanitatem non intelligamus veram & realem vnionem, nisi hoc modo illam explicando: sed inter corpus Christi & species non intercedit huiusmodi habitudo, seu cõiunctio, vt constat. Primò ex parte specierum, quia illæ nihil in se habent, in quo pendeant à corpore Christi tanquam ab intrinseco actu, seu termine: quia vel illud esset ipsa accidentis essentia, & hoc nõ, vt est per se notum, quia conceptus essentiæ est primus in re maximèque immutabilis, vel esset existentia, & hoc etiam dici non potest, quia, vt aliàs latè probaui, nulla res potest per alienam existentiã quin potiùs nec per entitatem à se distinctam, existere, vt omittam certissimum esse, accidentia panis non existere formaliter per existentiam corporis Christi, aliàs quædam hypostatica vnio ibi interueniret, quod non est probabile, nullus enim Catholicorum id ausus est asserere. Eadem ratione probatur, accidentia hæc non habere subsistentiam à corpore Christi, quia in corpore Christi nõ est alia subsistentia nisi diuina, vt ergo illa accidentia subsisterent formaliter per subsistentiam corporis Christi, oporteret illa hypostaticè vniri subsistentiæ Verbi diuini, quod asserere plus quàm temerarium esset, quia esset nouum, & inauditum mysterium sine fundamentò, auctoritate assertum, præterquam, quòd agens de mysterio incarnationis ostendi, accidens non esse capax vnionis hypostaticæ, quia nõ est aptum, vt per se subsistat, in accidentibus ergo nullus realis effectus intelligi potest, qui ex tali vnione ad corpus Christi in eis resultet. Et eodem discursu excludi potest eadem vnio ex parte corporis Christi, quod rationes sequentes clariùs demonstrabunt.

Secunda ratio sit, quia, vbi est vera vnio, est etiã in vtroque vel altero extremorum realis modus vnionis, vt dictum est, sed neque in speciebus, neq; in corpore Christi fingi potest hic modus vnionis. Quod in primis de speciebus probatur, quia, facta consecratione, species per se existunt, vel per solam negationem actualis inhærentiæ, vt Scotus & alij volunt, vel per modum absolutum, & positiuũ per se existendi subsistentiæ similem, & cum actuali inhærentia incompossibilem. Sed neuter modus existendi ex his, est modus vnionis accidentiũ ad corpus Christi, vt de negatione inhærẽdi est per se notum, & de modo per se existendi est euidens, quia est modus omnino absolutus, vt subsistentia, & independens ab altero vt ab intrinseco termino. Cuius euidens signum est, quia possunt conseruari species consecratæ, per se existentes absque corpore Christi. Denique ipsa vox per se existendi indicat, rem, quæ sic existit, non inniti alteri, atque adeò illum modum sic existendi per se, non requirere vnionem ad alterum: at verò in accidentibus separatis

Universidad de Deusto Biblioteca

tis nullus alius positiuus modus hactenus excogitatus est, præter illum, qui requiritur, vt per se existant, imo talis modus oppositus esset modo existēdi per se, oporteret enim, vt per illum accidentia essent aliquo modo in corpore Christi, seu niterentur illi, ad similitudinē illius modi, quo humanitas existere dicitur in Verbo, & niti illi: vnde, sicut ille modus excludit ab humanitate modum per se existendi, ita hic ab accidentibus. Quod ita confirmo, quia modus vnionis vnius rei ad alteram, oportet vt ad illam terminetur, vel vt ad formam, vel vt ad materiam, vel vt ad terminum, seu sustētaculū alterius, nam sine aliqua huiusmodi habitudine nec concipi potest modus vnionis, nec præter illas aliæ possunt excogitari, cum omnia rerum genera sub illis membris comprehendantur: sed in accidentibus non potest esse modus vnionis, qui ad corpus Christi, vt ad formam terminetur, vt est per se notum, neque vt ad materiam, seu subiectum, aliàs inhærerent, illi, quod est absurdissimum, & contra principia fidei, quia alias neque ipsa essent per se, sed afficerent corpus Christi, ipsumque quantum, rotūdum, &c. denominarent. Tandem, quòd non terminetur hæc vnio ad corpus Christi, vt ad sustentans, vel terminans accidentia, ita ostendi potest, quia, si hic modus vnionis in aliquo accidenti intelligi potest maximè in quantitate panis, quia illa est, quæ propriè separatur à substantia, & per se existit: sed in ea non potest intelligi hæc habitudo. Quod ita ostendo; nam tria possunt intelligi in quantitate; primum, essentia eius, & ratione eius non potest dicere hanc habitudinem ad corpus Christi, quia illa essentia est immutabilis. Item, quia essentialis habitudo quantitatis est habitudo cuiusdā formæ, ostensum est autem, quantitatem non respicere corpus Christi, nec vniri illi per modum formæ. Secundum est, extensio ipsius quantitatis. Et de hac euidētius est, non posse terminari à corpore Christi, nam si sit extensio secundùm se, essentialiter postulat proprios, & intrinsecos terminos sui generis; si sit extēsio in ordine ad locum, nullum alium intrinsecum terminum requirit, præter talem modum existendi in loco. Tertium est, existentia quantitatis. Et de hac etiam probatur primò, quia iam existentia quātitatis inniteretur alteri, & consequenter non propriè & verè per se existeret, sicut humanitas, quia vnitur Verbo, vt termino sustentanti, nō per se existit. Secundo, quia nihil potest esse terminus existētiæ alterius, & non per modum subiecti, nisi ratione subsistentiæ: ergo illa vnio quantitatis esset immediatè ad subsistentiam corporis Christi, quæ est diuina: ergo esset quædam vnio hypostatica, quod nullus Catholicus admittit. Tertiò, quia omnis res, quæ hoc modo vnitur alteri, dat illi aliquam denominationem tali formæ, vel naturæ proportionatā, & ita Verbum verè dicitur homo ab humanitate vnita, & in vniuersum in omni alia vnione idem inuenitur, quòd ex partibus, seu extremis componētibus oritur denominatio, vel eorum inter se, vel saltem respectu compositi: in præsenti autē nihil huiusmodi fingi potest, quia corpus Christi nullā physicam, ac propriam denominationem accipit à quātitate panis. Nisi fortasse quis dicat, denominari Christum contentum, vel compositum ex Christo & speciebus denominari sacramentum, vel aliquid huiusmodi. Sed hæc leuia sunt, quia huiusmodi denominationes, ex genere suo, realem vnionem non requirūt: vnitas enim sacramenti, ex quacunq; morali, seu artificiali compositione resultat, si aiungatur impositio ad significandum. Ratio etiam continentis & contenti per se sola non sufficit, nec huiusmodi vnionem requirit.

Secundò ex dictis facilè concluditur, nec in corpore Christi posse talē modum excogitari. Primò quia, si non est in accidentibus, cur erit in corpore Christi, cùm accidentia non minùs, imo magis mutabilia sint, quàm corpus Christi? nō est ergo ratio, cur vnio fiat magis per mutationem corporis Christi, quàm accidentium. Secundò quia corpus Christi non vnitur accidentibus, vt per se ipsum, quasi formaliter, aut materialiter, seu terminatiuè conferat aliquem effectum realem, vt ostensum est, & eisdem rationibus conuincitur, non vniri, vt ab illis aliquid accipiat, aliquo ex prædictis modis: vnde neque illa afficit, neque ab eis afficitur, nec cum illis componit aliquod compositum physicum verè vnum. Tertiò quia res, quæ habet modum vnionis ad alterum, vel communicat illi suum esse, vel in illo habet suum esse, sicut humanitas in Verbo: vel denique ab illo accipit esse, quasi formaliter: sed corpus Christi nec communicat suum esse accidentibus, neque habet suum esse in illis, vel ab illis, ergo. Vltimò ille modus in corpore Christi non potest esse substantialis, vt, quæ adduximus in prima ratione conuincunt. Et præterea, quia, cùm Christus sit substantia ex omni parte cōpleta, non ex pax noui modi substātialis. Deinde quis dicat, modum vnionis substātiæ cū accidēte esse substantialē, cū accidēs ad cōplementū substantiæ pertinere nō possit? Tū deniq; quia aliàs differret Christ⁹ in sacramēto à se ipso in cælo substantialiter, saltē in modo existēdi, quod nullus dicet. Nec verò potest esse hic modus accidētalis in corpore Christi interrogo enim, ad quod prædicamentū pertineat, vel reducatur? nā suppono ex cōmuni ratione vnionis, nō esse relationem secundùm esse, ad aliud autē prędicamentū reuocari non potest, nam maximè ad quantitatem: omnis enim modus vnionis cum accidente reducitur ad illud prædicamentum accidentis, cum quo fit vnio: hîc autem, si quę est vnio cū corpore Christi, proximè cum quantitate fit: ergo ad illam maximè reuocabitur. Sed hoc etiam minimè posse dici videtur, quia corpus Christi non vnitur quantitati, vt danti esse quantū: ergo nec vt habenti propriam prædicamentalem rationē: ergo non potest hic intercedere modus vnionis ad quantitatē pertinēs, est ergo inintelligibilis talis vnio, & compositum ex ea resultans. Tertia ratio confici potest ex parte termini integri qui resultare debet ex omni vnione huiusmodi, quia neque illud est vna substantia, neq; aliquo compositū accidentale, quia neque est vnū quale, neque vnum quantū, aut quid simile, neque omnino habet vnū esse reale: dicere autē, esse vnū sacramentum, non satis est, vt suprà ostendi.

Replica. Ad hæc verò omnia dici potest, concludere quidem, illam vnionē à nobis non posse intelligi, neque explicari, neque esse similē alicui earum, quas cognoscimus, non tamen directè, & positiuè concludere, esse impossibile: potest enim Deus facere vnionem alterius ordinis, licèt à nobis non concipiatur. *Solutio.* Respondetur primò, si res esset de fide, & ab hominibus doctis aliud dici non posset, admittendū esse huiusmodi responsionis genus, at verò nec fides docet talem vnionem, neque est admodùm consentanea

nea principijs fidei, vt ex existentia per se accidentiū declaratum est, & ex alio capite iam declarabo: cur ergo reuocabimur ad has angustias, & difficiliora reddemus mysteria fidei? Secundò sancti Patres agētes de vnione incarnationis, quæ difficilior, & omnium altissima est, non ita respōdebant infidelibus, sed curabant explicare quæ sit illa vnio, primò dicentes, esse substantialē, quia ad substantiā terminatur. Deinde distinxerūt vnionē in natura, & in subsistentia, & dicentes, illā nō esse vnionem in natura, cōcluserunt, esse in subsistentia, indicātes, vnionem illā, quæ in nullo genere rerū inuenitur, discurrēdo per omnia, cōmentitiam esse, & impossibilē. Ex quo vlteriùs intulerūt Theologi, impossibile esse inueniri vnionē substantialē inter duas naturas substātiales, & cōpletas vt sic, id est, nisi vniātur in vna persona, & è contrario, non posse personā personæ substantialiter vniri, quia nō potest ex duabus naturis completis vna natura, neq; ex duabus personis vna persona resultare; ac deniq; quia non potest esse vnio substantialis, ex qua nō resultet vna substantia: sic ergo nos concludimus, non posse esse veram vnionem realem, ex qua non resultet vna aliqua res, nec verā vnionē intrinsecā, ac formalem ex substantia & accidenti, ex qua non resultet vnū in aliquo genere accidentis. Et ita tandem concludimus, non solū negatiuè non intelligi talē vnionē, sed etiā positiuè intelligi implicare, & ideò non esse possibilē, quia dicitur esse vera vnio realis, in quam nec ratio nec modus, nec terminus talis vnionis conuenire potest. Loquor autē semper de intrinseca ac formali vnione, vt terminorum æquiuocationem excludam, solet enim interdum vocari vnio accidentalis, quæ solùm est per contactum, vel extrinsecam habitudinem, vt est inter vestem, & rem vestitam, locum, & locatum, calamū, & manum, & similes, quæ re vera non sunt propriè vniones, & cōpositiones, de quibus agimus, sed solū propinquitates quædā, seu habitudinēs aliquæ, vel extrinsecæ denominationes.

Euasio impugnatur. Vnde excluditur aliorū euasio, qui dicunt, hic intercedere vnionē, qualis esse solet inter causam principalem, & instrumentū coniunctum, nam ratio instrumenti, per se sumpta, solùm requirit contactum habitudinem, vel concomitantiam quandam, non autē propriā vnionē physicam, nisi id, quod est instrumentum, secundū suū esse, priùs vniatur ad cōponendū vnum ens cum altero, quod esse dicitur principalis causa, sicut manus dicitur instrumentū coniunctum hominis, vnitur tamen illi ad componendū vnum corpus, & corpus dicitur coniunctū instrumentum animæ, cum qua tamen vnitur ad cōponendam vnā naturam; & humanitas est organū coniunctum Verbi, cum quo priùs vnitur ad componendam vnam personam: ac deniq; calor dicitur esse instrumentum coniunctū ignis, cui priùs vnitur ad existendum in ipso, & cōponendū vnū calidū, itaq; ratio instrumenti non facit vnionem propriam, sed interdū cōsequitur ex vnione, vnde, quādo non supponitur vnio in esse, ex qua cōsequatur, solùm intercedere potest inter instrumentū, & causam, extrinseca, vel effectiua aliqua cōiunctio, vt est inter baculum, & manū, & inter angelum, & corpus assumptum, quæ tamen instrumenta interdum dicuntur separata, quia sunt supposita distincta à principalibus causis, quamuis, alio modo, dicantur coniuncta, quatenus indigent actuali vsu, seu influxu principalis causæ: & vterq; modus potest accomodari speciebus, respectu corporis Christi, quia, licet nō sint suppositum, tamē, quatenus per se existūt, habent se ad modum suppositi distincti, indigent tamen actuali vsu, & influxu corporis Christi præsentis intimè, vt efficiant gratiam.

Probabile est inter Christū & species intercedere vinculum reale per efficientiam. Dico secundò, Probabile est inter Christū & species intercedere reale vinculum per efficientiam, & quasi attractionem vnius ad alterum. Hæc assertio est consentanea omnibus Theologis in prima sententia citatis: cùm enim specialem vnionem hic esse affirment, & illa non possit esse formalis, videntur saltem intelligendi de effectiua, quæ satis etiam est ad eorum dicta interpretanda, imò nonnulli eorum ita disertè exposuerunt, vt Claud. de Sainct. repet. 9. c. 6. fol. 114. pag. 2. vbi ita August. exponit. Palac. in 4. d. 11. disput. 1. post. 2. cōcl. Guillel. etiā Parisiens. tract. de Euchar. §. 1. fol. 14. dicit, corpus Christi sustētare accidentia, sine inhærētia, quod nō videtur posse, nisi de efficiētia, intelligi, cū hic nō intercedat hypostatica vnio. *Claudius. Palacios. Guil. Paris.* Secūdò vt ratione hoc ostēdamus, duo declarāda sunt. Primū est, hoc genus vinculi esse possibile, alterū ita esse de facto.

Probatur vnionē effectiuā inter corpus Christi, & species sacramētales esse possibilem. Primum ita declaro, nā species consecratæ effectiuè conseruātur, sine subiecto, singulari & supernaturali actione Dei, qua supplet subiecti defectū: ergo potest Deus hunc effectum seu actionem efficere per Christi corpus, tanquam per instrumentū, cōstat enim ex doctrina tradita suprà in materia de sacramentis in genere, & de incarnatione, Deū posse vti creatura vt instrumēto ad actionē supernaturalē. Eadem autē ratio est de hac, quę de cæteris. Nisi fortasse quis dicat, actionē hanc, qua species separatæ conseruantur, esse creationi simul, quatenus est actio absq; subiecto, sicut conseruatio animæ separatæ est veluti quædā continuata creatio; & si Deus produceret actū separatū, esset vera creatio. Respōdetur, etiā si hoc verū sit, non repugnare, creaturā esse huius actionis instrumentū, vt prædictis locis ostēdi. Deinde præter hanc actionē, quæ ad existentiā accidentis terminatur, potest in accidenti separato intelligi modus per se subsistēdi, qui propria actione fit, quæ non est creationi similis, sed versatur circa entitatē ipsius accidentis, vt in subiecto, huius ergo actionis poterit esse instrumentū corpus Christi. Deniq; præter existentiā, & modū existendi, est in accidenti localis præsentia, quæ fieri, & cōseruari potest per actionē ad localē mutationem pertinentē; & hanc etiā actionē potest efficere corpus Christi, veluti trahendo ad se accidētia, ita vt secundū præsentiā realem ab ipso separari nō possit, sicut magnes ad se trahit ferrū, & tractū quasi cōtinet sibi præsens, & cōiunctū: hæc ergo actio potest sine dubio cōmunicari corpori Christi. Eodē autem genere argumentādi, seu ratiocinādi ostēdi potest, species posse effectiuè quasi attrahere ad se corpus Christi & conseruare realem præsentiam & indistantiam cum ipsis, quod exemplo magnetis suprà explicui, & eisdem rationibus facilè ostendi potest, & ex dicendis etiam constabit.

Probatur illam esse de facto. Secūdò ergo probatur ita esse de facto, argumentis factis in principio huius sectionis: nā ad veritatē omniū ferè locutionū, quæ sunt de hoc sacramento hæc vnio, & sufficiēs, & necessaria videtur. Primò enim dicitur corpus Christi supplere vicē substantiæ panis, seclusa inhærentia, quod verissimū erit, si corpus Christi effectiuè sustineat accidentia, quæ

panis materialiter sustinebat. Secūdò rectè dicētur species instrumentū coniūctum corporis Christi, quia ab illo sustinētur, & quasi omnipotenti manu tenētur: vnde supernaturalē vim, seu concursum ad operandū accipiūt. Tertiò dicūtur species cōtinere corpus Christi in c. Firmiter de sum. Trinit. quod hac etiā ratione proprissimè intelligitur, quia nō solū respectu nostri illud quasi circundāt, sed etiā efficacia sua intrà se continēt, ita vt ab illis separari nō possit, in quo etiā magis saluatur similitudo accidētiū, respectu propriæ substantiæ. Quartò corruptis accidētibus, amittit corpus Christi sacramentalem præsentiā, cuius rei optima & intrinseca ratio redditur, si verū est, illā, ab efficacia accidentiū pendere, quod magis cōsentaneū est, quā totam huius rei causam in extrinsecū Dei pactū, & voluntatē reuocare: in quo etiā magis seruatur proportio accidētis cū substantia. Vnde etiā, fit, vt hæc accidētia aptissimè significēt corpus Christi, quod cōtinēt, eiusque præsentiā, quā efficiūt, vt in hoc etiā seruetur vniuersalis lex sacramentorū nouæ legis, efficere, nimirū, quod significāt. Quintò cōstat, motis accidētibus, moueri corpus Christi, quod vel reuocandum etiā est in solū pactū diuinū, & ita nō tā mouebitur vel trahetur corpus Christi, tractis speciebus, quā ipse se ipsum mouebit, vt comitetur species vel certè necessaria est hæc vis in speciebus, qua ad se trahāt corpus Christi, nihil huic motioni resistens, sicut si magnes habeat ferrū sibi cōiunctū, qui magnetē attraxerit, ferrū etiā secū feret: cōueniētius autē est, vt dixi, omnes huiusmodi effectus in proximas causas reuocare, quā in solā Dei ordinatione. Nec verò ad hunc postremū effectū satis est, q̄ corpus Christi habeat efficientiā circa species, cōseruādo illas, quia ex hac præcisa efficientia, nō sequitur q̄ propter intrinsecā cōnexionē Christus moueatur motis speciebus, sicut in exēplo magnetis & ferri cōstet. Nā, licet quis moueat ferrū, non propterea secū attrahet magnetē, & idem esse existimo in corpore assumpto ab angelo, quia, licèt illo corpore moto, videatur, nostro modo cōcipiendi, & loquēdi more, per accidens moueri angelus, tamen, re vera, nō mouetur ex vi motus corporis, sed potiùs ipse se mouet, vt corpus comitetur: quia nihil ipse patitur à corpore, nec propriè ab illo cōtinetur, sed ipse potiùs illud continet, ac mouet: ita ergo esset in præsenti, si accidētia in corpus Christi prædictā efficaciā nō haberent. Et ratio est, quia causa vt sic, nō pendet à subiecto, circa quod operatur, & ideò, licèt illud remoueatur, ipsa nō necessariò trahetur ex vitalis motus, si nō habet cū illo coniūctionē aliam: necessariū ergo est hāc ponere. Sextò tandē hoc declaratur, quia, vt suprà ostendimus, esse sacramētale corporis Christi, præter intrinsecū modū præsentię includit inseparabilē quandā habitudinem & coiūnctionē ad species, ita, vt inseparabilis præsentia mutua corporis & specierū sit de ratione huius sacramēti, ergo oportuit, hāc coniunctionē fieri per intrinsecū vinculū, quoad fieri posset, nam licèt cōsistere possit, loquendo de absoluta Dei potentia, ex solo pacto extrinseco, & efficacia diuinæ volūtatis, tamen meliùs dicitur fieri per causas secundas, quādo commodè fieri potest, hoc enim, & diuinę prouidentiæ magis est consentaneum, & ad maiorem huius sacramenti perfectionem, & efficaciā pertinet. Et per hæc satis responsum est rationibus in principio factis, nam de alijs locutionibus, quæ ibi attinguntur, dicemus plura in sectione sequenti.

Prima difficultas circa prædicta.

Sed supersunt nōnullæ difficultates, circa posteriorē assertionē. Prima est, quia, vel hæc cōiunctio effectiua, est de intrinseca ratione, & vnitate huius sacramēti, vel non: si non, superfluè & sine causa ponitur, quia sola illa vnio hic asserēda est, quæ ad ipsius sacramenti cōstitutionē pertinet. Si autē dicatur primū, sequitur primò, hoc sacramentū non cōfici per actionē verborū, quia vnio effectiua nō potest fieri per actionē, quasi extrinsecam alterius, sed per mutuam actionē extremorū, quæ inter se vniūtur, vt in præsenti vniantur corpus & species per actionem corporis in species, & specierū in corpus: illæ autem actiones non possunt fieri per actionem verborum, repugnat enim vnā actionem per aliam fieri, tum, quia hoc ipso quod actio est fieri termini intrinsecè, & essentialiter est fieri sui ipsius, tū etiā, quia aliàs procederetur in infinitum. Ex quo sequitur secundò, hoc sacramentum non confici, & constitui in primo instanti, in quo terminatur prolatio verborum, patet sequela, quia in eo instāti fit actio verborum, per quam efficitur tota consecratio, ergo tunc verba efficiunt præsentiam corporis Christi sub speciebus, separando illas à proprio subiecto & per se constituendo, ergo in eo instanti non est vnio effectiua, ergo non est integrè sacramentum constitutum.

Solutio probabilis.

Respondere potest primò, non esse inconueniens in eodē instanti, in quo verba efficiunt consecrationem, efficere simul corpus, & species inter se, vel eūdē terminum efficiendo per actiones diuersas, vel certè, quòd verba priùs natura attingant substātiā corporis Christi, quàm præsentiam, illa verò substātia, quasi producta vi verborum, statim efficiat separationem specierum à substantia panis, è contrario verò species efficiant præsentiam corporis Christi secum. Hæc responsio est probabilis, sed mihi nō omnino placet. Primò, quia non videtur negādum quin virtute verborū fiat præsentia corporis Christi sub speciebus, tum quia hoc significant verba, *Hoc est, &c.* tum etiam, quia actio verborum in corpus Christi, vel formaliter terminatur ad solam præsentiam, vel certè taliter fit, vt necessariò contingat ipsam præsentiam, vt disput. 51. latiùs dicā. Et similiter negandum non est, quin verba effectiuè expellant substantiam panis, & consequenter separent accidentia, aliàs non fieret conuersio virtute verborum. Deinde non rectè dicitur, corpus & species simul cū verbis efficere eosdem terminos, quia vel efficerent, vt causæ, seu instrumēta totalia, & hoc superfluum est, & sine fundamento dictum, quia corpus, & species non possunt inter se habere actionē, nisi vt actio verborum iam ad illa intelligitur terminata, ad quid ergo ipsa efficient illud idē, quod virtute verborum factum inueniunt? hoc enim esset ingens miraculum, quod meritò videbitur impossibile; &, vt minimum, est valde superfluum. Vel intelligentur corpus & species efficere cum verbis vt instrumenta partialia. Et hoc etiam dici nō potest: tū, quia tota consecratio fit virtute verborū, vt infrà videbimus, tū etiam, quia cū corpus, & species non possint efficere, nisi vt cōsecrata, seu confecta per verba, non possunt coefficere ipsi actioni, vt fit, terminus enim nō potest esse actionis principium.

Solutio vera primæ difficultatis.

Dicendum ergo videtur, in eo primo instāti nō esse mutuam effectionem inter corpus, & species, est enim hæc notanda differentia inter vnionem formalem,

malem, & effectiuam, quòd vnio formalis consistit in aliquo modo intrinseco vtrique, vel alteri extremorum, qui, quantum est ex modo existēdi, quem habet, potest esse terminus actionis vnitiuæ. At verò vnio effectiua solùm consistit in actione, cuius terminus non est aliquis modus vnionis, præter existentiam, & præsentiam mutuam extremorum inter se. Vnde hæc vnio, quatenus est actio extremorum inter se, non potest esse terminus alterius actionis, vt argumentum suprà factum rectè concludit: quia ergo in instanti, quo finiuntur verba, non est nisi actio verborum, & terminus eius, ideò non intercedit tunc mutua actio inter corpus, & species. Quapropter consequenter negandum est, huiusmodi actionem esse de intrinseca constitutione huius sacramenti: sed solum id, quod per illam fieri seu cōseruari potest, quod in eo instanti perfectum est ex efficacia verborum, posteà verò, id est, immediatè post illud instans, incipit conseruari per efficaciam extremorum inter se, quod non pertinet quidē ad rationem sacramenti, quia non in fieri, sed in facto esse consistit, pertinet tamen ad perfectionem eius, vt per intrinsecam efficaciam suam intercedat intima quædam, & indissolubilis coniunctio inter ea, ex quibus coalescit, & hanc habet in primo instanti, ex virtute formæ, sub qua pro illo instanti totum sacramentum existit, post illud verò instans perseuerat illa coniūctio, per mutuā actionem extremorum inter se, quam efficiunt, veluti per virtutem relictam à forma ex vi consecrationis.

Aliter explicari posset, quamuis res eodem reuoluatur, esse de ratione huius sacramenti, vt hoc vinculum inter Christum, & species fit per actionem propriam & intrinsecam ipsius sacramenti, seu alicuius partis eius, & ideò in primo instanti consecrationis immediatè fieri virtute formæ, posteà verò conseruari mutuò ab ipsis rebus, quæ sacramentum componunt, quasi ex virtute in eis relicta, ratione formæ, & consecrationis.

Secunda difficultas circa prædicta.

Secunda difficultas est, quomodò species & corpus Christi possint inter se inuicem agere, & in eodem genere causæ efficientis, alterum ab altero mutuò pendere, quia causa efficiēs supponitur ad actionem, tam secundū existentiā, quā secundū omnes conditiones ad agendū requisitas, ergo, vt corpus Christi agat in species, supponitur existens, & præsens hic, quia in hoc sacramento Christus non agit, nisi vt existens hic, & è conuerso, vt species agant in corpus Christi, supponuntur esse, & tali modo esse, scilicet, non inhærentes, sed subsistentes, tum, quia, vt alibi latiùs probaui, priùs natura res existit, & subsistit, quàm operetur, tū etiā quia species nihil agūt, nisi vt consecratæ, & à substantia separatę loquendo de actione sacramentali & supernaturali ergo vel species non possunt in hoc modo existendi, dependere à corpore Christi, sibi præsente, vel, si pendent, non possunt ipsæ aliquid efficere circa corpus Christi, quia iam in illo supponitur, quidquid per illas effici posset. Dices fortasse, supponi ibi Christū constitutum, & species separatas in illo instanti verborum. Sed hoc non satisfacit, quia illa actio, qua Christus cōseruat species, supponit ipsum sub speciebus: ergo vt sic, non potest pēdere ab speciebus. Vnde D. Thomas infrà. q. 76. artic. 6. ad. 3. disertè negat, Christum pendere ab speciebus: est enim eadem ratio de conseruatione, & de prima effectione, quia conseruatio supponit principium agēdi, non vt præextitit in tempore, vel instāti immediatè præcedenti, sed vt priùs natura, pro eodem instanti, in quo agit, conseruando. Aliter dici posset, ad hanc vnionem effectiuam non oportere, vt sit ista efficientia reciproca, sed satis esse ex parte alterius extremi, vt, verbi gratia, quòd Christi corpus effectiuè sustentet species, quāuis nihil efficiant circa corpus Christi, vel è contrariò. Sed hoc etiam mihi non placet, quia, vt videbimus, si quæ sunt coniecturæ, quæ probant hanc vnionem effectiuam, non minùs procedunt ex parte vnius, quàm alterius extremi, fortasse magis vrgent ex parte specierum, cum tamen non videatur corpori Christi neganda hæc efficientia, quæ ad perfectionem pertinet. Adhuc dici posset aliter, non repugnare, de potentia absoluta aliqua duo à se mutuo pendere in genere causæ effectiuæ. Sed hoc, vel re vera est falsum, vt argumentū factū probat; vel, si aliquo modo est possibile, supponit multa miracula, nō necessaria, de quibus modo agendum non est. Respondetur ergo, in ordine ad diuersa, non esse inconueniens, esse mutuam efficientiam inter aliqua duo, nam & habitus efficit actum, & actus habitum intendit, sic igitur declarari potest in præsenti hæc mutua, efficientia, nam, in primis, vt verisimilius suppono, species non attingere seu conseruare effectiuè ipsam substantiā corporis Christi, vt infrà dicemus, non est tamen necesse, vt species eandem efficientiā habeant, quia magis expediens fuit, vt ipsæ, quatenus consecratæ & separatæ sunt, pendeant & sustententur à corpore Christi, & ideo ordine naturę supponunt corpus Christi subsistens independenter ab ipsis: sic igitur corpus Christi potest per suam substantiam, & entitatem, quæ ab accidentibus panis non pendet, efficere in eadem accidentia, & conseruare illa, tum in existentia, tum in modo existendi, tum etiā in præsentia, at vero species possunt efficere circa corpus Christi præsentiam, seu coniunctionem, aut attractionem ad se, quia non est necesse, quod illa actio corporis Christi circa species supponat hāc præsentiam, vt conditionem necessariam ad agēdum: hæc enim conditio, vt suprà ostendimus, in diuinis instrumentis non necessario supponitur, imo interdū fit actio sine tali præsentia, in præsenti vero, quamuis actio non fiat, nisi à corpore Christi præsente, illa tamen præsentia concomitanter, seu consequenter se habet, non vero vt principium, seu conditio simpliciter necessaria, quæ ad actionem supponatur sic enim ille modus præsentiæ corporis Christi potest immediate pendere à substātia eius: ergo & mediātibus speciebus, quia est eadem ratio, quoad hoc quoniam efficientia illius præsentiæ supponit substantiam, non tamen præsentiam ipsam.

Obiectio.

Sed dices tandem, quomodo possunt species ad se trahere corpus Christi? oportebit enim, vt illæ qualitatem aliquam imprimant. Respondetur primum, si ea qualitas solum est, veluti impetus motioni accommodatus, non esse magnum inconueniēs illam admittere, quia non est qualitas corruptiua, nec maiorem imperfectionem affert, quàm ipse motus, vel præsentia localis. Secundo tamen dicitur, non esse hanc qualitatem necessariam, potest enim effectio proxime ad ipsam præsentiam terminari, sicut Deus solus potest illam efficere, sine impressione qualitatis, & sicut fortasse angelus mouet cęlum sine impressione alicuius impetus, hic enim necessarius est, quando vis agentis nō potest proximè at-

Solutio.

Universidad de Deusto Biblioteca

tingere effectum, alioquin sicut potest impetus im mediatè efficere motum, ita & vis agentis, si sit satis propinqua, & proportionata.

Ad fundamenta secundæ sententiæ ex dictis patet responsio. Ad fundamenta vero primæ opinionis nunc breuiter dicitur, neq; ad veram rationē cōuersionis, neq; ad aliquid aliud, esse necessariā maiorē vnionē inter Christum, & species, quàm à nobis explicata est. Reliqua vero, quæ ibi attinguntur, partim in sequenti sectione, partim in sua disputatione de transubstantiatione tractabuntur.

SECTIO IIII.

Quæ denominationes, & quasi idiomatū communicationes consequatur corpus Christi ex hac præsentia.

Proponūtur variæ rationes, quæ in Eucharistia reperiuntur sub quibus varia prædicata illi tribuuntur.

HAEc quęstio proponitur, ad explicandū modum loquendi in hac materia, qui in huiusmodi mysterijs est cognitu necessarius, tū ad exactius intelligendam rem ipsam, tūm ad vitandos errores. Aduertendum ergo est, cum Christus sit in hoc sacramento verè, realiter, & substantialiter, quædam posse de illo hic existente absolute, & simpliciter dici ratione suæ substantiæ, quædam vero ratione modi existendi hic, quædam propter cōiunctionem ad species, & propter relationes, quæ inde consequuntur, quædam denique, ratione ipsarum specierum: quæ duplicia esse possunt, alia, quæ re vera cōueniūt corpori, quāuis medijs speciebus, alia, quæ re vera solū speciebus insunt, denominant tamen corpus, veluti per quandam idiomatum cōmunicationem, quorum omnium exempla in sequentibus proponam. Similis ferè distinctio intelligi potest in ipsis speciebus, manent enim in hoc sacramento accidentia panis, alio tamen modo, vnde quædam de illis possunt dici propter id, quod sunt quædam propter modum existendi, quem habent, quædam propter id, quod continent, vel repræsentant, quædam denique propter eam substantiam, quam antea continebant, & ex natura sua postulabant. Hic præsertim agimus de locutionibus, pertinentibus ad corpus Christi, de quibus nonnullas regulas trademus, nam quæ ad species pertinent, pendent ex his, quæ de absentia substantiæ panis in sequenti disputatione dicturi sumus, indicabimus tamen modum applicandi dictas regulas, quia fere est eadē proportio, supposita fidei veritate. Primo ergo dicemus de Christo, posteà de especiebus. Circa Christum autem ea, quæ ad absolutas prædicationes pertinent, faciliora sunt.

Omnia prædicata absoluta, quæ Christo secundum se conueniunt, de illo dicūtur vt est in Eucharistia

Vnde dico primo, Omnia prædicata essentialia, seu substātialia, & accidētalia omnino absoluta, quę Christo secūdum se cōueniunt, dicūtur de eo, prout est in hoc sacramento. Aduertēdum est, aliud esse, aliquod prædicatum dici de Christo hic existente, aliud vero conuenire illi, prout hic existit. Primū est verum de omni prædicato conueniente Christo quacunq; ratione, quia solum denotat, eam formā conuenire subiecto hic existenti, non vero conuenire hic, seu formā ipsam esse in illo, prout est hic, & hoc modo de Christo in sacramento existente vere dicitur esse in cælo, & esse in loco, naturali modo &c. quia est idem omnino Christus, at vero in po-

A steriori modo prædicationis denotatur prædicatū, quod dicitur de Christo, prout est hic, seu forma, quæ per tale prædicatū significatur, esse hic præsentē, &, hoc sensu, intelligitur cōclusio, quæ iā est certa, quàm certum est totam Christi substātiam, & omnia accidentia absoluta, & connaturalia illi, esse in hoc sacramento, de quo dicēdum est infrà. q. 76. & ita Christus, prout est hic, verè, ac proprie dicitur homo, Deus, sapiens, pulcher, & similia.

Dico secundo, Prædicata, quæ significant modū existendi, si respiciant localem modum, nō possunt dici de Christo, prout est in hoc sacramento, si vero significent modū sacramētalē, vere de illo affirmātur. Itaq; poterit dici Christus esse hic, substātialiter, & realiter, quia hæc solum denotāt præsentiā realem, & poterit item dici esse hic indiuisibiliter totus in toto & in singulis partibus: quia hæc & si- B milia indicant verum modum sacramentalis præsentiæ, non poterit autē dici esse hic, extensus, aut circūscriptus, quia non habet hic talem modū existendi, &, eodē sensu, non poterit dici esse localiter hic, an vero, in alio sensu, dici possit, infra. q. 76. dicemus, vbi de hoc, & de alijs modis, inquirendū est. Hæc vero prædicatio, *est hic corporaliter*, æquiuoca est, nam, si solū significaret veram præsentiā corporis, vera est, sicut propter essentiā substantiæ, dicitur, esse substantialiter, si vero illud *corporaliter* dicat modū propriū existendi corporis in loco, negāda est, & hoc modo dicunt interdū Sancti, non sumi hic Christū carnaliter, sed altiori modo, vt disputatione pręcedenti, sect. 2. & 9. tractatum est, & idē iudicium est de hac voce, *naturaliter*, absolute C enim est hic Christus supernaturali modo, atq; ita supernaturaliter. Interdum vero dicunt Sancti, vere, ac naturaliter hic esse, & à nobis sumi, vt explicent, realem eius naturam hic adesse, vt idem sit naturaliter, quod vere, ac realiter.

Ea etiā quæ indicāt vnionem aliquā Christi ad species dicuntur de illo hic existētibus.

Dico tertiò, Prædicata quædam, quæ indicant vnionem aliquam Christi ad species, per modum continentiæ, seu mutuæ realis præsentiæ, verè ac propriè dicūtur de Christo vt hic existēte. Sic dicitur Christus cōtineri sub speciebus, & similia: & ratio est, quia verè intercedit aliqua vnio, saltē per effectionē, & inseparabilē, ac intimam præsentiā: ergo ab hac potest redundare aliqua denominatio ad Christum ex speciebus, si enim ex loco circunscribente denominatur corpus locatum, seu cōtentū, & ex habitu vestitum, quid mirum, quòd Christus sub speciebus existens aliquā proportionatam denominationem ab eis sumat. D

In quo difficultas consistat ostenditur.

His positis quæ clariora sunt, difficultas est, de quibusdā pdicatis, quæ significāt mutationē, vel aliquid simile in accidentibus, quomodò dici possint de corpore Christi, quasi per cōmunicationē idiomatū, huiusmodi sunt, frāgi moueri, tangi videri & similia, de quibus duplex pōt esse opinio.

1. Senten. Vvalden. Cano. Richar. Soto. Alanus.

Prima, quæ sine vlla distinctione affirmat, has locutiones verè ac ꝓpriè dici de corpore Christi, ita docere visus est Vvaldē. tom. 1. de sacram, cap. 53. & sequentib. & tom. 3. de sacramentalibus capit. 41. & 42. eum secutus est Cano lib. 5. de locis cap. vltimo. ad vltimum. & in eandē sententiā inclinant Richard. art. 14. pagin. 301. & Soto dist. 10. q. 2. art. 7. idem etiā sentit Alan. libr. 1. de Euchar. ca. 37. qui nimius videtur in ea opinione tuēda. Fundamentum eorum esse potuit, quia Sācti Patres hæc omnia differenter prædicant de corpore Chri-

Chrysost. Cyril. Gregor. Theophyl. Algerus. Clemens. Actor. 2. Luc. 22. 1. ad Corin. 10.

Christi, scilicet videri, contrectari, frangi, ac dentibus atteri, vt videre licet in Chrysost. homil. 45. in Ioan. & 24. & 46. in primā ad Corin. 83. in Matth. & 16. ad Populum, Cyrill. 12. in Ioan. cap. 58. Gregor. homil. 22. in Euang. Theophyl. & alijs expositoribus. 1. ad Corint. 11. circa illud verbum, *Quod pro vobis frangitur*. Alger. lib. 1. de hoc sacramento. cap. 18. vbi in eandem sententiam Augustinum refert, & fauet verbum Clementis in Epistola. 1. habetur in cap. Tribus. de Consecration. distinct. 2. vbi appellat, *fragmenta corporis Domini*, deniq. Actorum. 2. Lucæ. 22. primæ ad Corinth. 10. videtur vsurpari illa locutio, *Panis quem frangimus*. Tandem (quod difficilius est) Berengarius in sua professione fidei coactus est confiteri, *corpus Christi vere esse in altari, frangi, & sensibilibus manibus sacerdotum contrectari, ac dentibus atteri*, si dei autē professio & hæresis abiuratio proprijs sermonibus fieri debet.

2. Sentent. Durandus. Caietan.

Secunda sententia est, quæ è contrario, sine distinctione dicit has omnes locutiones esse improprias, metaphoricas, & solum per quandam extrinsecam denominationem dici de corpore Christi. Quæ sententia merito tribui potest Durand. in 4. distinct. 10. quæst. 3. quatenus negat, eas etiam voces, quæ mutationem localem significant, propriè, ac vere dici de Christo in hoc sacramento, quia re vera (inquit) in se non mutatur, etiam per accidens sed solum denominatione extrinseca. Et fundatur in eo errore, quem supra ex eodem retulimus, scilicet, Christum non esse hic præsentem nisi sola præsentia ordinis, vnde citato loco negat, hic vere, & realiter contineri, vnde consequenter etiam negat, vere, & realiter moueri, in quo cum illo sentit Caietan. infra. q. 76. ar. 6. non quidē ex illo erroneo fundamento, sed ex alio falso metaphysico principio, existimat enim, angelos, & quālibet substantiā nō existentem in loco quantitatiue, non mutare locū per mutationem intrinsecam sibi in hærentem, sed per denominationem extrinsecam.

Distinctione tamen opus est, in hoc enim sacramento quædam ita fiunt circa species, vt ex eis consequēter fiat, seu transeat aliqua mutatio ad corpus Christi, in seipso, quædam vero ita fiunt circa species, vt in eis tantum versentur, & non transeant ad corpus Christi in se, exempla postea subijciam.

Ea quæ circa species ita fiunt vt vere ac propriè trāseat aliquid ad corpus Domini, cum omni proprietate de illo dicuntur.

Dico ergo quarto in hac sectione, prædicata prioris generis, quatenus significare possunt mutationē aliquam vere, ac proprie factam in corpore Christi, cum omni proprietate de illo dicuntur. Ratio est clara, quia vnaquæque res proprie denominatur à mutatione in ipsa facta seu recepta, etiam si contingat ex mutatione alterius redūdare. Exempla sunt primum in terminis significantibus mutationē localem, verissime enim, ac propissime dicitur corpus Christi eleuari, circunferri, & propterea etiam dicitur proprie manducari, quia hæc vox mutationem localem indicat: solum est obseruandum, quod sicut præsentia realis corporis Christi, licet non sit proprium vbi quantitatiuum, significatur tamen terminis localibus, vt esse hic, & ibi, quia non habemus alias voces, quibus veritatem illius præsentiæ significemus, ita hanc mutationem, licet nō sit proprius motus physicus quantitatiuus, significamus vocibus indicantibus motum localem, quia non habemus alias, quibus declaremus, hanc veram, realē & successiuam mutationē, quæ fit in corpore Christi, & hoc modo dicimus huiusmodi locutiones es-

Petr. Soto. Scotus. Ricard. Capreol. Maior. Argentina. Marsilius. Gabriel. D. Thom. Conc. Trid.

A se proprias, vt rectè notauit Petrus Soto, lect. 6. de Eucharistia. & est communis Theologorum sententia in 4. distin. 10. vbi Scot. quæst. 5. & 6. Richard. art. 4. quæst. 1. Palud. & Capreol. quæst. 3. Maior. quæst. 6. Argent. quæst. 2. art. vltimo, Marsil. q. 7. art. 3. conclus. 4. Gabr. lect. 46. in cano. & alij, quos statim referam, & sine dubio, est aperta sententia D. Thomæ. quæst. sequenti. articul. 6. vbi dicit, Christum moueri per accidens, motis speciebus, ad eum modum, quo mouetur anima, moto homine, & in vniuersum, motis nobis, mouentur ea, quæ sunt in nobis, & contra Durandum sufficiens argumentum est, quod ex falso, & erroneo fundamento procedit: definitum est enim. capit. Firmiter, & in Triden. sess. 13. quod autem in aliquo continetur, vel mouetur moto illo, vel desinit sub illo contineri. Contra Caietanum vero fieri possunt argumenta omnia, quæ de angelis fiunt, & in vniuersum fie- B ri possunt de omni eo, quod mutat præsentiam realem, & consequenter propinquitatem, vel distantiā ostendimus enim, hanc præsentiam esse aliquid reale in re præsenti, ergo non potest mutari, sine vera mutatione ipsius rei. Deinde mutata præsentia, mutantur relationes, & non propter mutationes terminorum, vt suppono; ergo propter mutationem ipsius subiecti, seu fundamenti, quod in illo est. Tandem, in ipsa voce est repugnantia, cum dicitur aliquid mutari, per solam extrinsecam denominationem, alias Deus mutaretur, cum creat, & Verbum cum est vnitum humanitati. Et ratio est, quia mutatio proprie est actus mobilis, seu subiecti, & ideo nihil proprie, ac vere dicitur mutari, nisi quod est subiectum motus, vel secundum se totum, vel secūdum partem. Neque Durandus & Caietanus con- C tra hoc objiciunt aliquid, quod difficultatem faciat, vt ex infrà probandis, seu tractandis constabit. Solum est aduertendum, hoc exemplum debere intelligi, quando species mutant locum, ita vt nouum aliquem locum acquirant: quia si motu circulari intrà omnino idem spatium moueantur, probabile est, tunc corpus Christi Domini non mutari, vt multi, ex citatis autoribus docēt, præsertim Maior. quæst. 9. quia ibi tantum fit mutatio loci specierum secundum partes, in quibus totus Christus existit, & ideo necesse non est, in ipso fieri motum. Quæ ratio rectè probat, talem motum non esse necessarium, & ideo verisimile est, non fieri: non esset tamen difficile defendere, etiam in illo modo posse Christi corpus moueri, quia posset mutare partiales modos præsentiæ, sed non est, quod in hoc immoremur. Secundum exemplum est, in desitione D huius præsentiæ corporis Christi, corruptis speciebus, hoc enim proprie & vere dicitur: quia vere fit in Christo aliqua mutatio amissiua illius præsentiæ cum enim illa aliquid reale sit in corpore Christi, illa amissa aliter se habet corpus Christi, quam antea: ergo mutatum est. Propter hæreticos vero, qui hoc sacramentum blasphemant, caute loquendum est, quanuis enim proprie dicatur corpus Christi amittere præsentiam, seu desinere esse hic, non tamen absolute dicendum est desinere esse, nec corrumpi nec digeri, seu mutari in substantiam aliti, quia hęc significant corruptionem substantialem. Vnde etiā fit, eas transmutationes, quæ fieri solent circa materiā panis, post curruptionem panis, & accidentium eius, nullo modo posse denominare Christi corpus cum post corruptionem specierum, iam præsens nō

Universidad de Deusto
Biblioteca

adsit, & omnis hæc denominatio supponat hâc præ-
sentiam, de qua re legite Vvaldensem tam. 2. capit.
65. & Claudium repetitione. 5. cap. 3.

Vvaldensis. Claudius.

Aduerbia localia simpliciter possunt de Christo dici.

Atq; hinc sequitur primo, quid dicendum sit de aduerbijs localibus, vt esse hic, vel alibi, vel in plu-
ribus locis, simpliciter enim ita loqui possumus, quia non habemus alia verba, quibus hanc præsen-
tiam significemus, & quia illæ voces non necessario significant modum existendi alicubi circunscriptiue, seu cum locali extensione quantitatis, sic enim etiam dicimus, esse hic, vel alibi. Deniq; ita loquun-
tur Sancti, & Theologi, quos supra retuli, & eodem modo dicimus etiam, Christum contineri sub spe-
ciebus, ineludit in tabernaculo, habitare in Eccle-
sia, & similia.

Similiter & nomina significantia propinquitatem, vel distantiam.

Secundo colligitur, nomina significantia relationem propinquitatis, vel distantiæ proprie ac ve-
re dici de corpore Christi per intrinsecam denomi-
nationem. Hoc per se clarum est, quia, cum rea-
lis præsentia sit verus modus corporis Christi, est sufficiens fundamentum huius relationis, imo ex intrinseca ratione harum denominationum ne-
cesse est, illas proprias esse, & intrinsecas, saltem ratione fundamenti; vnde si alias sit res capax re-
lationis realis, non est cur illa non consurgat. So-
lum est in relationibus, quæ significant distan-
tiam, cauenda æquiuocatio quædam, in verbo enim distandi, includitur negatio præsentia ad rem alteram, seu ad alium locum, cum autem Christus propter hanc præsentiam in vno loco, non priuetur præsentia in alijs locis, ideo licet sit propinquus terræ, non distare dicetur à cælo, & eadem ratione non dicitur proprie distare à se ipso, quia non potest à se ipso separari; quan-
uis modus existendi, quem habet in cælo, po-
test, distare à modo, quem habet in sacramento, & è contrario.

Tertio colligitur, propter has denominatio-
nes, non esse necessariam vnionem formalem, quia quod vnum muretur ad motum alterius, non semper prouenit ex vnione formali, sed ex qua-
cunque connexione etiam effectiua oriri potest, vt ex se constat, & similiter, quod aliquid amit-
tatur, deficiente altero, indicat quidem necessa-
riam dependentiam, non tamen necessario for-
malem vnionem. Vnde quod ex illo exemplo colligit Henricus, quodlib. 1. quæst. 5. species esse corpori Christi rationem formalem existendi hic, si proprie, & in rigore sumatur, non est verum, vt ex dictis constat.

Henricus.

Quæ fiunt circa species, & nõ ponũt mutationem in Christo, non proprie dicuntur de illo.

Dico quinto, Quæ sunt circa species, & non po-
nunt aliquam mutationem in ipso corpore Christi, neque attingunt ipsum in se, nó proprie illud deno-
minant, sed interdum nullo modo, interdum vero solum per aliquam metaphoram, vel extrinsecam denominationem. Ratio primæ partis est, quia, cum corpus non sit proprie vnitũ speciebus, vnio-
ne formali, si ipsum non pertingit forma deno-
minans, non est cur ipsum proprie denominet pro-
pter solas species, quod aperte confirmabunt exem-
pla secundæ, & tertiæ partis. Probatur ergo secun-
da pars, quia licet species calefiant, vel alterentur, non dicitur corpus Christi alterari, sicut in capitu-
lo. In quadam, de Celebration. missar. dicitur non
madefieri, etiam si madefiant species panis, cum mit-
tuntur in calicem. Et cõfirmatur, quia corpus Chri-
sti non denominarur quantum, rotundum, aut al-

A bum, ab ipsis speciebus panis, sub quibus ipsum ma-
net, ergo nec denominabitur calidum â calore in eis
existente, siue antiquo, siue de nouo facto, ergo nec
denominabitur calefieri. Et confirmatur secundo,
quia actiones procedẽtes ab speciebus non tribuun-
tur corpori, aut sanguini Christi, vt non dicitur san-
guis frigefacere, etiam, si species frigidissimæ sint,
& hæc exempla ostendunt, non intercedere forma-
lem vnionem, nec denominationes alias in illa fun-
dari, alias istæ etiam denominationes ex illa oriren-
tur; esset enim æqualis ratio, sicut etiam videmus
fieri in mysterio incarnationis, dicitur enim Verbũ
ratione humanitatis vnitum, & ambulare, & mori
& calefieri, &c.

Exempla tertiæ partis cõclusionis sunt, primum
de fractione, quod enim corpus Christi frangi, ali-
quo modo, dicatur, probant adducta in prima sentẽ-
B tia, quod vero illa locutio metaphorica sit, & non
propria, colligitur ex D. Thoma infra. quæst. 77.
art. 7. in corp. & ad 3. vbi dicit, Christum proprie
dici maduerari, non sic autem frangi, sed tantum ra-
tione specierum, in qua doctrina, & differẽtia con-
firmat vtramque conclusionem nostram, idem op-
time docet in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 3. quæstiun
cula. 1. ad 1. & ibi Bonauent. artic. 3. quæst. 1. Alẽs.
q. 420. memb. 1. Gabr. lect. 80. in canon. Victor. in
sum. nu. 69. & Petrus Soto dicta lect. 6. & bene In-
nocent. lib. 4. cap. 9. & 10. vbi aduertit, Berenga-
rium hæreticum coactum esse vti in sua confessio-
ne, nomine contrectationis, fractionis, quia ipse an-
tea dolose fatebatur hæc fieri circa corpus Christi
sed postea explicabat, id est, in signo corporis Chri-
C sti, & ideo compulsus est fateri, fieri non circa nu-
dum signum, et enim hoc sensu dictum est, fieri circa
corpus, id est, circa sacramentum, quod vere, &
realiter continet corpus. Ratione patet, quia fra-
ctio proprie, & in rigore significat diuisionem, &
discontinuationem partium, quam constat non fieri
in partibus corporis Christi. Ratio autem meta-
phoræ esse potuit, vel, vt per illam locutionem ma-
gis declaretur realis præsentia; vel, quia fractio nun
quam fit sine motu locali, & ita, cum sit fractio, cor
pus Christi vere mouetur, & ita aliquid participat
de fractione, vel quia fractio ad distributionem or
dinatur, præsertim quando est ad vsum, vt est illa
de qua fit mentio in Scriptura, corpus autem Chri-
sti proprie distribuitur, & ita sumi potuit fractio
pro distributione, vel certe quia cum franguntur
species, ipsa præsentia corporis Christi, quæ ante a
D tantum erat vna in actu, & plures in potentia, per
fractionem fit plures in actu, & ita, quodammo-
do, diuiditur, quod Soto supra notauit. Deni-
que, quia hæc locutio metaphorica est, interdum
simpliciter negatur, ne ad ipsum Christi corpus re
ferri videatur, & ita dicit Ecclesia, *Nulla rei fit scissu-
ra, sola signi fit fractura, Et, non confractus, non diuisus, integer accipitur*, de quo legatur Guitmun. lib. 1. de
hoc sacramento, parum à principio, & Vvalden. to-
2. c. 39. & Roffen. li. 2. contra Oecolampad. c. 34.

D. Thom.

Bonauent. Alensis. Gabriel. Victorin. Petr. Soto. Innocent.

Guitmund. Vvaldens. Roffens.

Secundum exemplum huic simile est de contac-
tu, seu contrectatione sensibili corporis Christi.
nam proprius contactus solum est inter res exten-
sas in ordine ad locum, quarum extrema sunt si-
mul, & hoc modo non potest in hoc sacramento
esse verus ac proprius contactus circa corpus Chri
sti, quin potius neque ipsæ species ipsum propriè
tangunt, vt rectè dixit Henric. quodlibet. 1. quæ-

stione. 5. & Richard. distin. 10. artic. 4. quæst. 1. &
Capreol. quæst. 1. ad 3. contra primam conclusio-
nem. & insinuauit Altisiodor. lib. 4. tract. 5. ca. 4.
dicens, quòd species tantùm assistũt corpori Chri
sti, & velant ipsum: quia tamen, vt suprà diximus,
quodammodo comparantur species ad corpus, si-
cut habitus ad rem vestitam, quemadmodum dici
mur tangere hominem: tangendo eius vestem, ita
dicimur quodammodo tangere Christum tangen
do species, & præsertim vsurpatur hæc locutio ad
explicandam magis realem præsentiam, vt latè
Claud. repet. 5. cap. 3.

Vvalden. Claudius.

Tertium exemplum est simile de mistione, dici
tur enim corpus Christi misceri sanguini, vt in ca-
none dicimus, *Fiat commistio corporis & sanguinis.*
Propriè autem mistio per iuxta positionem vide-
tur includere duo; & diuisionem miscibilium in
partes, & contactũ partium inter se. Quę duo pos-
sunt interuenire inter species vini, & panis nõ autẽ
inter ipsum corpus, & sanguinẽ: hæc autem dicun
tur inter se misceri, quatenus ex vi verborum con
secrationis, sub partibus specierũ panis, est corpus;
& sub partibus specierum vini, est sanguis, & illæ
miscentur inter se, & ita quodãmodo fit mistio in
ter corpus & sanguinem, secundum præsentiam sa
cramẽtalem. Vltimò dicitur corpus Christi videri
per species, nõ quidẽ propriè, & in se, hoc enim mo
do Christi corpus est hic inuisibile, ꝓpter quod in-
terdũ inuisibile vocatur ab Aug. in ca. nos autẽ. &
c. hoc corpus, de consec. d. 2. Et sic etiã dicũt Sãcti
in hoc sacramẽto, aliud videri; aliud credi, Ambr.
lib. de myst. c. 9. & Cyril. Hierosolym. cateches. 4.
dicitur ergo videri, sicut dẽ cõtactu dixi, ad expli
candã magis realẽ præsentiã, dicuntur enim inter-
dum videri quæ solùm in proximo cõtinente, vel
per accidens sub aliquo signo, in quo realiter conti
nẽtur, percipiũtur visu, quomodo interdũ in Scri-
ptura dicũtur videri Angeli, in corporibus assum-
ptis, ad hunc ergo modum dicitur videri corpus
Christi sub speciebus, & sic etiam interdũ dicitur
visibiliter sumi, et est apud Aug. serm. 1. de verbis
Apostoli: legatur D. Th. infrà q. 76. ar. 7. Hugo de
S. Vict. lib. 2. de sacram. p. 8. c. 7. Rabba. lib. de cor
po. & sanguin. Dom. c. 26. Claud. repet. 4. c. 6.

Augustin. D. Thom. Ambros. Cyrillus. Vvalden. Claudius.

Atq; hinc facilè patet responsio ad fundamenta
vtriusq; opinionis, & præsertim ad illã interroga-
tionẽ, si hæ locutiones sint metaphoricæ: cur Be-
garius in sui erroris abiuratione, illis vti coactus sit,
cũ fidei professio verbis maximè proprijs fieri de-
beat. Respõdetur enim primò, id factum esse quia
metaphora illorũ verborum est satis perspicua, &
aliũde est aptissima ad explicãdã verã Christi præ
sentiã. Deinde ex Innoc. suprà c. 10. quia ille hære
ticus fatebatur hæc fieri circa corpus Christi in sa-
cramẽto, dolosè tñ, intelligebat enim fieri solũ in
signo, sub quo negabat, verè Christũ cõtineri, &
ideò cõpulsus est cõfiteri realiter fieri circa Christũ
id est: circa sacramentum, in quo Christus realiter
continetur, nam, quia sacramentum hoc cõstat ex
corpore Christi, & speciebus, ideò, quæ fiunt in il-
lo ratione specierum, dicuntur quodammodò fie-
ri circa corpus Christi.

Innocent. Berengarius.

Ex his verò sequitur, has locutiões, cũ metapho
ricæ sint, nõ esse admodũ extendẽdas, nec præter
vsum Sanctorum, ne alicui fortasse erroris occasio
detur, ꝓpter quod vitamus eas, vel locutiones vel
denominationes ab accidẽtibus sumptas, quæ indi

A care possũt, talia accidẽtia Christo inhærere, ideò
nõ dicimus, corpus Christi esse rotãdũ, aut albũ, ca
lefieri, aut frigefieri, alteratis speciebus, & eadẽ ra-
tione nõ dicitur obdurari corpus Christi, aut ace-
scere sanguis, licèt hæc fiãt circa species. Et hæc e-
tiã exẽpla cõfirmãt, priores denominationes non
esse ꝓprias, nec fundatas in vera, ac formali vnio-
ne inter Christũ & species, alioquin eadẽ ratio es-
set de omnibus prædictis. Et hinc obiter etiã intel
ligitur, an hæ locutiões sint admittẽdæ, *hoc album*,
vel, *hoc rotundum est corpus Christi*, de quibus latè a-
git Vvald. 2. de sacram. c. 52. vbi simpliciter & in
rigore falsas esse existimat, quia illud subiectum,
album, vel *rotundum*, in rigore supponit ꝓ subiecto
illorũ accidentiũ, & illud no est corpus Christi, si-
cut etiã, hæc est in rigore falsa, *hoc quãtum est corpus
Christi*, quia hoc quantũ supponit ꝓ hæc extẽsa,
B & hæc quidẽ est dialectica ꝓprietas locutionis, si
sola ꝓprietas illorũ terminorũ cõnotatiuorũ atten
datur, tamen, si illud pronomen, *hoc*, extrahat
subiectum ad illam rigorosam significationem, &
significet conuentum sub hoc albo, vel quanto,
verus erit sermo, & idem iudicium est de his, *hoc
sensibile est corpus Christi*. E contrario verò, an cor-
pus Christi, pruut est hic, possit dici sensibile, vel
tangibile propriè, & non metaphoricè, distinctione
opus est; nam, si illa verba significet proprieta-
tem corporis, secundum se, vera sunt propositio-
nes, si autem modum existendi, erunt falsæ, quo
sensu dixit Augustinus in capitul. nos autem. de
consecratione distinctione secunda. *Sumere nos in* *Augustin.*
*sacramento res insensibiles, carnem, & sanguinem Do-
mini.* Corpus ergo Christi, quod hic est, visibile
C est & tangibile, non est tamen propriè visibile, vt
est hic, quanuis metaphoricè dicatur ratione spe-
cierum visibiliter sumi, vt Augustin. serm. 2. de ver-
bis Apostoli loquitur.

Dico sextò. Quæ conueniunt corpori Chri-
sti secundùm se, non possunt dici de speciebus, ni-
si valde metaphoricè & impropriè, eo modo, quo
nomen rei significatæ tribuitur signo. Ratio est
clara, quia corpus Christi est res omnino distin-
cta ab speciebus, neque ita illis vnitur, vt sua at-
tributa illis communicet. Iuxta hanc conclusio-
nem interpretantur multi, quod alibi dixit Augu-
stinus, *Sacramentum corporis Christi, quodammodo
dici corpus Christi.*

Dico septimò. Quæ conueniunt pani præcisè
ratione suæ substantiæ, non dicuntur propriè de
hoc sacramento, sed vel nullo modo, vel per me-
taphoram. Ratio est, quia hic non adest substan-
tia. Vnde fit, vt hoc sacramentum non possit di-
ci absolutè, & simpliciter panis, sed vel metapho-
ricè, quia ex pane confectum est, vel, quia sub ac-
cidentibus panis datur, vel cum addito, signifi-
cationem eleuante, vt cùm dicitur, *panis viuus, qui
de cœlo descendit.*

Dico vltimò. Denominationes, quæ conse-
quuntur actionem mutuam inter Christum, &
species, propriè de ipsis dicuntur seruata propor-
tione. Ratio est, quia, vt diximus, vera actio
inter ipsa intercedit, vnde propriè dicitur Chri-
stus sustentare species, si effectionem significet,
& eodem sensu dicuntur species continere Chri-
stum, & eadem ratio est, de relationibus conse-
quentibus actionem, seu mutuam realem præ-
sentiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTAT. XLVIII.

De comparatione vtriusque præsentiæ, sacramentalis, & naturalis corporis Christi.

DOcet Catholica fides, Christum Dominum simul existere in hoc sacramento, & in cælo, & in nocte cœnæ simul extitisse in cœnaculo, modo sibi connaturali & visibili cum discipulis suis, & post consecrationem, sub speciebus panis, modo sacramentali.

Ad explicandam ergo propriam rationem, & differentiam sacramentalis præsentiæ, de qua nobis sermo est, oportet illam cum naturali, seu quantitatiua præsentia conferre, vt ex vtriusque collatione essentiæ, & propria definitio prædictæ sacramentalis præsentiæ magis constet: & multa principia explicentur, quæ ad soluendas plures difficultates in hoc mysterio occurrentes plurimum conferent. Possunt autem hæ præsentiæ comparari, aut in vnitate, & distinctione; aut in dependentia vnius ab alia, aut in oppositione, & repugnantia, aut demum in concomitantia quadam, de quibus sigillatim dicemus.

SECTIO I.

Vtrùm sacramentalis præsentiæ corporis Christi specie differat à naturali seu quantitatiua.

Expendantur variæ conuenientiæ inter præsentias naturalē & sacramentalem Christi.

SEnsus huius quæstionis satis constat ex præmissa terminorum expositione, vtautem ratio difficultatis aperiatur, nonnullæ conuenientiæ, & differentiæ harum præsentiarum præoculis ponendæ sunt. Primò itaque conueniunt, quia vtraque est intrinsecus, & realis modus corporis Christi, sicut, de sacramentali præsentia, disput. præced. probatum est, de quantitatiua verò constat ex philosophicis principijs, quæ in 4. Physicor. traduntur. Secundò conueniunt, nam vtraque harum præsentiarum potest esse formalis, ac per se terminus alicuius mutationis: nam præsentia naturalis est terminus motus localis intrinsecus, & maximè proprius, vt constat ex physicis, præsentia verò sacramentalis, cum sit modus corpori adueniens, & non necessario consequens existentiam eius, constat, fieri posse per aliquam mutationem, vel propriam, vel impropriè dictam, prout comprehendit omnem actionem nouam, vt latiùs infrà tamen disputari, de transubstantiatione tractantes. Tertiò conueniunt, quia vtraq; harum præsentiarum est fundamentum propinquitatis, & distantiæ, vt per se manifestum est in quantitatiua præsentia; de sacramentali verò & in superioribus declaratum est, & videtur res certa ex principijs fidei: non enim nunc contendimus, an hæc propinquiras, vel distantia sit vera relatio, realis prædicamentalis: nihil enim ad mysterium fidei explicandum spectat: sed agimus de reali propinquitate, quæ per modum relationis facilius intelligitur, & explicatur, vel per negationem quandam indistantiæ, atque hoc modo constat ex doctrina fidei, Christi corpus per sacramentalem præsentiam fieri indistans ab speciebus panis, & consequenter fieri propinquum alijs corporibus, quibus ipsæ species panis propinquè sunt.

Differentia plures inter eosdem proponuntur.

Differunt autem hæ præsentiæ primò, quia corpus quantum, naturali modo existens in loco, ita occupat spatium, quod replet, vt ab illo necessariò excludat omnem aliam quantitatem, naturali modo extensam & existentem in loco: hac enim ratione, quando vnum corpus ingreditur aliquem locum, inde expellit corpus ibi præexistens, neque naturaliter fieri potest, vt sibi penetrentur; at verò in sacramentali præsentia non ita contingit nam per illam ita fit Christus præsens, vbi fuerat substantia panis & vini, vt ab illo loco non excludat totam panis, & vini quantitatem; sed relinquat eam cum eadem extensione, & loci occupatione, quam antea habebat. Hoc enim modo docet fides, peracta consecratione, esse Christum præsentem intimè quantitati panis, & vini, secundum omnes eorum dimensiones, sicut antea erat eorum substantia. Præsentia ergo sacramentalis Christi non est incomposibilis in eodem loco vel spatio cum naturali præsentia alterius corporis quanti.

Secundo differunt, quia per naturalem præsentiam corpus extenditur in ordine ad locum, ita vt totum sit in toto, & pars in parte: quia, sicut totum corpus excludit totum aliud corpus ab eodem loco, quia cum illo penetrari non potest; ita pars corporis excludit à suo partiali loco aliam eiusdem corporis partem: quia etiam earum quantitates partiales penetrari non possunt, supposito, quòd nulla fiat mutatio in raritate, aut densitate, at verò per sacramentalem præsentiam ita fit præsens Christi corpus, vt nullam recipiat extensionem, aut commensurationem in ordine ad quantitatem panis, vel alterius corporis, cui fit præsens. Supponimus enim ex fide. Christum esse totum sub speciebus panis; & vini, & sub singulis partibus earum, vt infra quæst. 76. latiùs probandum est. Vnde fit, partes corporis Christi, sic præsentes, non se excludere mutuò ab eodem spatio, nam, vbi vna est, ibi sunt omnes aliæ, & consequenter fit, non habere eas extensionem in ordine ad spatium seu locum, cui sunt præsentes. Et hæc differentia sequitur ex priori; nam, si tota quantitas corporis Christi non excludit ab eodem spatio quantitatem panis, multò minùs necesse est, vt quantitas vnius partis corporis Christi excludat reliquarum partium quantitatem.

Atque hinc oritur tertia differentia, nam præsentia quantitatiua duplicem habet extensionem, vnam ex parte subiecti, quia partialiter vna est præsentia manus, alia pedis, alia capitis, &c. aliam in ordine ad spatium, seu per commensurationem partium corporis præsentis ad partes spatij, veri, vel imaginarij, cui est præsens: quia singulæ partes sunt in diuersis partibus spatij: at verò sacramentalis præsentia corporis Christi, quantùm ex parte subiecti diuisibilitatem quandam, & extensionem habeat: quia est tali subiecto proportionata; alia enim est partialis præsentia in manu, alia in pede, alia in capite, &c. quia in rigore, & de potentia absoluta loquendo, posset manere vna sine alia, in quo differt hæc præsentia à præsentia substantiæ angelicæ, quæ ex parte subiecti omnino est

no est indiuisibilis: eo quòd subiectum non habeat partes; nihilominus tamen per comparationem ad spatium, hæc sacramentalis præsentia non est intrinsecè diuisibilis: quia præsentia totius corporis, & omnium partium eius non habet necessariam habitudinem ad diuersas partes spatij, neque ad spatiũ diuisibile: quia, vt diximus, vbi per hanc præsentiam constituitur vna pars corporis, ibi ponitur totum corpus: quia in ordine ad spatium pars nõ est extra partem, sed omnes esse possunt etiam in indiuisibili: est ergo hæc præsentia, sub hac ratione, suo modo indiuisibilis.

Dices, Etiam in ordine ad spatium est hæc præsentia diuisibilis: alia enim est partialis præsentia, quàm habet corpus Christi in vna parte specierum sacramentalium, ab ea, quam habet in alia parte specierum: cuius signum manifestum est, quia potest vna pars ab alia separari, consumpta, vel separata parte speciei. Respondetur. Ideò dixi, per se, & intrinsecè, quia huiusmodi latitudo talis præsentiæ, non est simpliciter necessaria, cùm presentia totius corporis saluari possit in ordine ad indiuisibile spatiũ; & quia, ex vi talis præsentiæ, partes rei præsentis non dicunt habitudinem ad diuersas partes spatij, & in hoc consistit propria differentia, quã constituimus inter sacramentalem, & naturalē præsentiam corporis quanti; huic autẽ differẽtiæ, seu proprietati non repugnat, q. eadem præsentia possit habere diuisibilitatẽ aliquam in ordine ad spatiũ, non per cõmensurationem partiũ corporis, ad partes spatij, sed quasi per reduplicationẽ eiusdem corporis in pluribus partibus spatij, vt probat argumẽtum factũ; quæ diuisibilitas etiam in præsentia substantiæ angelicæ reperiri potest, vt per se constat.

Ex his ergo oritur ratio dubitandi in proposita quæstione, an scilicet, prædictæ differẽtiæ sint sufficientia signa essentialis diuersitatis inter has præsentias, vel tantùm accidentalis. Videtur enim omnia, quæ dicta sunt, saluari posse de potentia Dei absoluta per solam accidentalem variationem, vel repetitionem naturalis, & quantitatiuæ præsentiæ: non est ergo, quòd fingamus nouum quẽdam modum præsentiæ differentis in specie, qui vix poterit mẽte concipi, aut intelligi. Antecedens declaratur, nã omnes differentiæ assignatæ solùm in hoc fundantur, quòd Christi corpus est totum in toto, & in qualibet parte spatij: sed hoc fieri potest per naturalem præsentiam quantitatis partium omniũ eiusdem corporis se se inuicem penetrãtium in eodem spatio: ergo nihil aliud necessarium est: nam, quando Deus ponit duo corpora penetratiuè in eodem loco, non dat illis nouum modum præsentiæ localis; sed conseruando potius naturales præsentias, quæ naturaliter simul esse non possent, facit, vt actu non se excludant ab eodem loco: sicut, si cõseruaret duas qualitates contrarias in eodem subiecto, nõ tolleret, nec mutaret positiuos effectus formales earum, sed impediret tantùm repugnantiã: atque ad eundem modum, vt Deus constituat quadrupedale corpus in bipedali spatio, non est necesse, vt mutet naturalem modum præsentiæ, sed solùm, vt faciat, dimidiam partem illius corporis cum altera parte æquali penetrari, & eodem modo poterit totum illud corpus in spatio pedali constituti, & in dimidia parte illius, & in qualibet minori parte, etiam si in infinitum minuatur: ergo per solam penetrationem partium, & per quantitatiuam præsentiam, quasi repetitam, & multiplicatam in toto corpore, & in omnibus partibus eius, in ordine ad omnes partes spatij potest optimè fieri prædictus effectus existentiæ totius corporis in toto, & in singulis partibus spatij. Atque ita videntur nõnulli Scholastici hoc mysterium explicare, præsertim Soto in 4. dist. 10. q. 1. arti. 4. post argumenta Ochami, & Gabriel lect. 43. in Canonem. *Soto. Gabriel.*

Præsentia sacramentalis Christi in Eucharistia differt essentialiter à præsentia naturali.

Nihilominus dicendum est, sacramentalem præsentiam corporis Christi in Eucharistia esse modũ quendam supernaturalem, essentialiter, & specificè diuersum, à modo præsentiæ, quem quantitas habet in loco, quando illud replet, & occupat, modo sibi connaturali. Hanc conclusionem sumo ex communi doctrina Theologorum in quarto, distinctione 10. docentium (vt infrà videbimus) quantitatem corporis Christi priuari in hoc sacramento extensione in ordine ad locum, quæ extensio nihil aliud est, quàm præsentia naturalis illius propria, & quantitatiua: at verò, si præsentia corporis Christi in sacramento non esset diuersæ rationis à præsentia naturali quantitatis, esset vera extensio in ordine ad locum: non ergo careret corpus Christi in sacramento tali extensione, sed potius haberet illam sæpius repetitam, & multiplicatam, & sic posset esse totum in toto, & in qualibet parte spatij, seu sacramentalium specierum. Deinde significat hanc sententiam Diuus Thomas, tota quæstione sequente, dum docet, hanc præsentiam non esse per modum quantitatis, sed per modum substantiæ; esseque adeò supernaturalem, vt non possit etiam ab intellectu angelico naturaliter videri, quomodò dicunt alij autores, hanc præsentiam, nõ solùm esse supra naturam, sed etiam supra intellectum. Altisiodor. lib. 4. sum. tract 5. c. 4. Alensis 4. par. q. 40. mẽb. 3. artic. 4. Bonauẽt. in 4. distin. 10. articul. primo, quæstione prima. At verò, si modus huius præsentiæ non esset diuersæ rationis, & speciei, à modo naturalis præsentiæ quantitatis, re vera non esset supernaturalis, sed solùm multiplicatio, & penetratio talium præsentiarum in eodem corpore; & in omnibus partibus eius esset supernaturalis, in fieri potius (vt sic dicam) quàm in aliqua re facta. Vnde neque per se esset angelo inuisibilis, quia quælibet præsentia naturalis, & consequenter quælibet multitudo earum, potest ab angelo naturaliter cognosci; sicut quando duo corpora penetratiuè sunt in eodem loco, potest vtrumque, eorumque præsentia mutua, & intima ab angelo naturaliter cognosci. Præterea ratione sic argumentor ex principijs positis: quia naturalis præsentia quantitatis essentialiter includit extensionem partium in ordine ad locum: sed præsentia sacramentalis corporis Christi non includit hanc extensionem: ergo essentialiter differunt. Maior constat ex philosophia, & ex ipsis terminis: nam, licèt extensio in ordine ad locum non sit de essentia quantitatis, tamen est de essentia illius præsentiæ localis, quæ naturaliter debetur quantitati: & est etiam passio eiusdem formaliter & essentialiter sunt vna & eadem passio. Minor autem, & est cõmune axioma Theologorum, vt dixi, & declaratur tribus modis. Primo, quia si illa præsentia includeret in ratione sua extensionem in ordine ad locum: partes etiam corporis Christi, ex vi & natura talis præsentiæ, se se mutuò excluderẽt ab eodem loco, & præsentia totius corporis Christi naturaliter pugnaret cum

D. Thom. Altisiod. Alensis. Bonauent.

cum quantitate panis, eamque à suo loco expelleret, nisi speciali miraculo diuinitus impediretur: hæc autem omnia sunt absurda, & præter finem, & ratione huius mysterij. Secundo, quia si illa præsentia haberet extensionem in ordine ad locũ, ex vi vnius tantùm præsentiæ esset corpus Christi totum in vno integro loco, & pars in parte eius. Vnde, vt omnes partes corporis essent in singulis partibus spatij, necessariũ esset, vt per iteratam seu repetitam præsentiam, & extensionem, vna pars constituatur, vbi est alia, ita vt, si per vnam præsentiam localem intelligitur, caput corporis Christi esse in suprema parte specierum sacramentalium, & pes in infima, per aliam præsentiam intelligantur è contrario pedes esse in superiori parte, & caput in inferiori, atque in hunc modum in infinitum variari, & multiplicari, & penetrari præsentias, donec partes omnes corporis in omnibus partibus loci coincidant: hoc enim totum necessariò sequitur ex alio dicendi modo, vel potius præsupponitur ad eã partium penetrationem, quam illa sentẽtia fingit: consequens autem videtur valde absurdum; tum, quia iuxta hanc rationem explicandi præsentiam Christi in sacramento, necesse esset intelligere in corpore Christi varios situs & positiones valde indecentes: nam secundùm vnam præsentiam esset rectus, secundùm aliam verò inuersus omnino, & similia incredibilia sunt; tum etiam, quia oporteret, has præsentias esse multitudine infinitas, vt possẽt singulæ partes corporis in singulas partes spatij cadere: nam hæ partes in infinitum diuidi possunt: vnde fit, vt situs corporis intrà idẽ spatiũ possint in infinitum variari, vt per se constat: vt ergo omnes partes corporis per huiusmodi iteratã præsentiam adsint omnibus spatij partibus, necessarium esset, tales præsentias simul esse actu infinitas, quod est, re vera, incõueniens: nam illæ præsentiæ essent in re ipsa distinctæ, & possent à Deo separari, atq; vna sine alijs conseruari, quia per accidens, & ex sola Dei voluntate multiplicãtur. Tertio hic modus præsentiæ, & omnis hæc præsentiarum multiplicatio non esset satis, vt totum Christi corpus & omnes eius partes constituerentur in quolibet puncto indiuisibili hostiæ, cùm tamen hoc necessarium sit ad huius mysterij veritatem, vt infrà ostendemus. Sequela patet, quia per quantitatiuam præsentiam, includentem extensionem in ordine ad locum, non cadit, seu respondet in puncto spatij, nisi punctum indiuisibile corporis existentis in spatio: ergo etiam si illæ præsentiæ varientur & multiplicentur cum eadem extẽsione, nunquam partes corporis erunt in indiuisibili puncto spatii, sed ad summum, varia indiuisibilia corporis Christi puncta erunt, & quasi se penetrabunt in eodem puncto hostiæ consecratæ, atque ita non, vbicunque est aliquid corporis Christi, ibi est totum Christi corpus, quod est valde absurdum.

Vltimò vix potest intelligi, corpus grãdioris quantitatis, retinens extensionem aliquam in ordine ad locum, absque vlla condensatione constitui in minori loco, sine imperfectione magna, & quasi confusione, seu complicatione totius corporis, & partium eius, quod abhorret mens cogitare in corpore Christi: non est ergo hæc præsentia hoc infimo modo cogitanda; sed altiori, magisque abstracto ab huiusmodi materialibus imperfectionibus: nam, quòd hoc magis deceat tale mysterium, per se notum est; quòd verò nullam inuoluat repugnãtiam, ex dicendis constabit.

Illatio 1. *D. Thom.* Ex hoc autem infero primò, cum D. Tho. in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 4. quæstiũc. 3. ad 2. & 3. hanc præsentiam sacramentalem esse participationem quandam præsentiæ localis, quam habent spirituales substantiæ in locis suis; non, quod omnino sint eiusdem rationis, differunt enim ex parte subiectorum, quibus accommodantur; nam præsentia angelica realiter spiritualis est, & indiuisibilis ex parte subiecti: hæc verò præsentia corporis Christi est materialis, & diuisibilis ex subiecto: sed quòd hæc præsentia imitetur illã in hoc, quod ex natura sua fit absque extensione sui subiecti in ordine ad locum, totumque illud indiuisibiliter constituit in loco, seu spatio secundùm comparationem corporis ad spatium, & in hoc consistit propria ratio huius præsentiæ, & essentialis differentiæ eius à quantitatiua præsentia naturali, vt declaratum est.

2. Illatio. Secundò infero ex dictis, hanc præsentiam non solùm differre à naturali præsentia quãtitatiua, sed etiam ab illa naturali præsentia, quã materialis substantia habet, sub quãtitate sua. Supponendo enim substantiam materialem, & quãtitatem esse res omnino distinctas, consequenter etiam statuendũ est, quanquam simul sint, & se se cõmitẽtur, habere tamen præsentias, reipsa, distinctas, quia vniuscuiusque rei præsentia est intrinsecus modus eius: vnde & separari, re ipsa, possunt: sicut nunc, quando substantia panis desinit esse, manente quantitate, non solùm perit substãtia panis, sed etiã præsentia eius, seruatur autem quantitas cum sua præsentia; & è contrario posset Deus destruere quãtitatem panis, & præsentiam eius, conseruata substantia, in eadem præsentia, & reali propinquitate, & distantia ad res alias: nulla enim in hoc inuoluitur repugnantia, vt latiùs philosophi docent, & in sequentibus etiam attingemus: habet ergo substantia materialis, sub quantitate, suam propriam realem præsentiam localem. Inferimus ergo ex dictis, sacramentalem præsentiam corporis Christi, etiam esse diuersæ rationis ab hac præsentia substantiæ materialis: quia hæc præsentia connaturalis materiali substantiæ per se non habet indiuisibilitatem aliquam, etiam in ordine ad spatium: nam licèt, separata quantitate à substantia per potentiam Dei, possent omnes partes substantiæ in eodem indiuisibili puncto collocari: quia ablata quantitate, non necessariò se expellerent ab eodem spatio, cùm hic effectus à quantitate naturaliter proueniat: tamen hoc accidentarium esset, & non simpliciter necessariũ: quia etiam posset talis substantia constans ex partibus substantialibus entitatiuè distinctis habere illas præsentes spatio diuisibili, ita vt tota substantia esset in toto, & pars in parte spatij: quia hoc ipso, quòd plures entitatiuè sunt, nõ est necessarium, vt, vbi vna est, sit alia: sicut duo angeli, licèt quantitatem non habeant, tamen, quia distincti sunt, possunt etiam diuersis locis esse præsentes: sic igitur præsentia hæc naturalis substantiæ materiali, ex natura sua constituit subiectum suum præsens, cum extensione quadam, ita, vt sit totum in toto, & pars in parte, at verò sacramentalis præsentia, natura sua, potius postulat, vt totum subiectum suum faciat indiuisibiliter præsens, ita, vt ibi sit totum, vbi fuerit pars eius, & consequenter totum sit præsens in toto, & totum in singulis partibus spatij ad modum præ-

sentiæ

sentiæ spiritualis, cuius hæc est participatio, vt dictum est.

Deinde potest hæc differentia aliter exponi, nam substantia materialis, ex vi præsentia, sibi connaturalis, & adæquatæ, nunquam potest esse tota in toto spatio, & tota in qualibet parte eius: nam, si sit coniuncta quantitati, coextenditur illi, & cõmensuratur, vt per se constat, si verò fingatur talis substantia, sine quantitate, aut omnes eius partes entitatiuæ cõfluerent ad eundem punctum (vt quidam putant esse necessarium, & non solùm credimus esse possibile) & tunc tota quidem substantia & omnes eius partes essent præsentes in eodem loco, non tamen esset tota in qualibet parte; quia spatium, seu locus non haberet partes, cùm indiuisibilis esse supponatur; si autem talis substantia maneret præsens spatio diuisibili, & extenso (prout etiam credimus esse possibile) tunc tota substantia esset præsens toti, & pars parti: quia hæc substantia non est nata, natura sua, ad existendum, veluti replicata in pluribus locis integris, vel partialibus; & ideò, si habet præsentiam ad spatium diuisibile & extensum, per diuersas partes suas est præsens diuersis partibus spatij & si habet compositionem partium in ordine ad spatium, necessariò habet etiam compositionem ex parte subiecti, & secundum diuersas partes eius ad diuersas partes spatij comparatas; at verò sacramentalis præsentia ex natura sua apta est constituere subiectum totum in toto spatio, & totum in qualibet parte eius. Vnde quando respicit spatium indiuisibile, habet quidẽ compositionem, & diuisibilitatem quandam ex parte eius, non tamen iuxta extensionem partium subiecti; sed altiori modo, scilicet, per quandam repetitam præsentiã totius subiecti in omnibus partibus spatij. Vnde etiam fit, vt hæc naturalis præsentia materialis substantiæ non pugnet cum naturali præsentia quantitatis, sed potius ex natura rei coniuncta sit cum illa, vt diximus, præsentia autẽ sacramentalis, ex natura sua, excludit quantitatiuam, seu naturalem præsentiam quantitatis: quia impedit extensionem eius in ordine ad locum. Sunt ergo hæ præsentiæ ex natura sua valde diuersæ; atque ita constat, sacramentalem præsentiam esse prorsus supernaturalem, nec posse esse connaturalem alicui corpori, seu quantitati; sicut non possunt spirituales proprietates esse connaturales materialibus substantijs, vt tales sunt.

Tertiò ex dictis infertur resolutio dubij suprà tacti, an hæc præsentia sacramentalis dicenda sit localis, nec ne. Quod potest magis ad quæstionem de nomine, quàm de re spectare: nam, si per localem præsentiam intelligamus proprium locum, seu vbi physicum, constat, hanc præsentiam non esse localem: quia huiusmodi vbi, si sit intrinsecum, nihil aliud est, quàm præsentia quantitatiua, connaturalis corpori quanto, quam diximus esse diuersæ rationis à præsentia sacramentali; atque hoc modo dici solet, Christum non esse in hoc sacramento localiter præsentem; & eodem sensu dicit interdum *August.* Augustinus Christũ tantùm habere vnam præsentiam localem 20. contra Faustum, cap. vndecimo. *D. Thom.* Sic etiam Diuus Thomas, infra quæstione sequente, articulo quinto, negat, Christum esse in hoc sacramento, tanquam in loco: quia, neque habet intrinsecum vbi physicum, vt declaratum est; neque etiam habet proprium locum extrinsecum ambientem: nam, vel ille esset ipsa quantitas, seu species panis: & hoc non, quia Christus non est in illis speciebus, per modum locati extrinsecus circundati, sed per modum substantiæ, intimè sub eis existentis; vel esset extrinseca superficies, ambiens species panis, & hæc nõ comparatur ad corpus Christi per propriam eius quantitatem, sed per alienam, sibi non inhærentem; & ideo nõ est propriè locus eius: sic igitur in hac proprietate & rigore stando, neque hæc præsentia localis est, neque ratione illius dicitur Christus hic esse localiter. At verò, si per localem præsentiam intelligamus quamlibet realem, & substantialem præsentiam ratione cuius res hic adest, potius, quàm alibi; sic huiusmodi præsentia, localis est, ad eum modum, quo præsentia angeli, existentis in suo loco, localis est: nam huiusmodi denominatio non connotat aliquem modum physicum, seu quantitatiuum occupandi spatium, sed modum substantialem, aut entitatiuum, ratione cuius fit, vt spatium illud, cui res dicitur esse præsens, non sit omnino vacuum, sed tali re, vel substantia plenum, & hoc modo loquuntur sæpe Patres, quos præcedentibus disputationibus retulimus, de hac sacramentali Christi præsentia dicentes, ratione illius Christum esse hic, & esse potius in hoc loco, quàm in alio. Atque hoc sensu dici etiam potest, Christum esse hic, aliquo modo, localiter vt rectè notauit Alensis quarta parte, quæstione quadragesima, membr. 3. artic. 7. *Alensis.* & explicatur facilè per proportionem ad locum angelorũ, nã si consideremus id, quòd est quasi intrinsecum vbi, habet hic Christus suam realem præsentiam, quæ est intrinsecus modus corporis eius: si autem (iuxta multorum sententiam) consideremus extrinsecum locum, qui respectu Angeli, est aliquòd corpus, cui virtutem suam, seu operationem applicat, sic species ipsæ sacramentales dici poterunt quasi angelicus locus corporis Christi; quia, & in eis mirabiliter operatur, vt inferius dicemus, & ibi habet speciali modo applicatam virtutem suam, vt per eas species nostram salutem operetur.

Atq; hinc etiam obiter expeditur aliud dubiũ, scilicet, an corpus Christi, ratione huius præsentiæ, sit capax relationis realis propinquitatis, vel ad ipsas species, vel ad locum specierum, vel ad alia corpora: *Capreol.* Capreolus enim in quarto, distinctione decima, quæstione tertia, ad quartum Durandi, dubius est, *Palud.* Palud. verò, ibidem, quæstione tertia, in partem affirmantem magis inclinat: ego verò nullam rationem dubitandi inuenio, si supponamus, relationem propinquitatis fundatam in præsentia quantitatiua, aut in qualibet alia creata, esse realem, quod hic disputandum non est, sed solùm dicendũ, eandem esse rationem de hac præsentia, & de reliquis creatis: nam etiam hæc sacramentalis præsentia, est finita, & potest esse terminus alicuius mutationis, & ratione illius potest res magis vel minus ab alijs realiter distare, vt in principio huius disputationis diximus.

1. Difficultas cõtra supradicta. Superest, vt quibusdã obiectionibus & difficultatibus satisfaciamus, quæ licèt inferius quæstione septuagesima sexta, tractari possent, hic verò sunt necessariæ, vbi rei essentiam, & possibilitatem huius præsentiæ consideramus. Videtur ergo impossibile, vt corpus quantum recipiat talem modũ præsentiæ, qualem nos descripsimus, quia huiusmodi corpus essentialiter est diuisibile, & extensum: ergo non

go non

go non poteſt indiuiſibiliter conſtitui in rerum natura, ſicut è contrario, quia ſpiritus eſt intrinſecè indiuiſibilis, non poteſt diuiſibiliter, & extenſè in loco conſtitui.

Secunda. Secundo non poteſt quantitas concipi in rerum natura ſine figura, quia eſt intrinſecus terminus eius: rurſus neque figura intelligi poteſt ſine extẽſione, in ordine ad locum, quia ex illa cõſurgit: vnde per mutationem eius mutatur, & cõſequenter, omnino ablata extenſione locali, omnino etiam auferetur figura: ſicut ergo hoc eſt impoſsibile manẽte quantitate, ita etiam illud: ergo impoſsibile eſt, intelligere in corpore quanto præſentiam omnino excludentem localem extenſionem: ergo differentia à nobis aſsignata eſt etiam impoſsibilis.

Tertia. Tertiò, ſi corpus diuiſibile eſſet indiuiſibiliter in loco, poſſet diuidi in omnem ſuam partem, quod tamen eſt impoſsibile: ſequela patet, nam, cùm in ſe maneat intrinſecè diuiſibile, poterit à Deo diuidi: cùm verò indiuiſibiliter exiſtat, non eſt maior ratio, cur ex vna parte potius, quàm ex alia diuidatur: diuidetur ergo in omnem partem.

Quarta. Quartò, quia, ſi humanum corpus eſſet indiuiſibiliter in loco, modo à nobis explicato, non magis diſtaret vna pars ab alia, quàm reliquæ, id eſt, manus à capite, verbi gratia, quàm humerus: conſequens eſt falſum: ergo. Sequela patet, quia omnes partes æquè eſſent præſentes, etiam indiuiſibili puncto ſeu ſpatio: ergo & inter ſe æquè diſtabunt: falſitas autem conſequentis probatur: quia hoc eſſet contra naturalem compoſitionem talis corporis: deſtrueretur enim debita organizatio eius, quæ intrinſecè requirit talem ordinem, ſcilicet, vt talis pars mediet inter alias; & conſequenter vt extremæ partes magis inter ſe diſtent, quàm ab ea, quæ interiacet.

Quinta. Quintò, quia ex modo, quo explicuimus hanc Chriſti præſentiam, ſequitur, illam eſſe compoſitam ex infinitis præſentijs perfectis, & diuiſibilibus, ac æqualibus ex parte ſubiecti: hoc autem compoſitionis genus vix poteſt mente concipi. Sequela declaratur, nam corpus Chriſti totũ eſt præſens, quaſi cõtinuè, ſpeciebus, ſeu quãtitati vnius hoſtiæ, & omnibus partibus, lineis, ac punctis eius: ergo & ex parte corporis Chriſti neceſſe eſt, intelligere vnã præſentiã quaſi continuã, & diffuſam per totã hoſtiæ quantitatem, & ex parte ipſius hoſtiæ in ſingulis partibus, & pũctis eius, neceſſe eſt, intelligere integrã præſentiã totius corporis Chriſti diuiſibilẽ ex parte eius, quã, neceſſe etiã eſt, in infinitum multiplicari, ſicut partes proportionales ſpecierum quantitatis, vel pũcta eas cõtinuãtia infinita ſunt: cõſtabit ergò illa integra præſentia corporis Chriſti ex illis præſentijs infinitis æqualibus, & diuiſibilibus ex parte ſubiecti; adeòque integris, & perfectis, vt poſsit vnaquæque illarum per ſe eſſe ab alijs ſeparata: poſſet enim corpus Chriſti totum conſeruari præſens in qualibet parte minima ſpecierum per ſe ſola, imò & in quolibet puncto. Vltimò obijci poteſt Auguſtinus Epiſt. 57. ad Dardanũ, dicẽs, *Spatia tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, neque erunt*, ſentit ergo non poſſe intelligi corpus exiſtens, & nullum ſpatium occupans. *Auguſt.*

Quorundam reſponſio refertur & refellitur. His & ſimilibus argumentis conuincuntur hæretici, qui negant, eſſe poſsibilẽ hanc Chriſti præſentiam, nonnulli verò ex Catholicis negãt, hanc præſentiam conuenire quantitati corporis Chriſti, de qua procedunt argumenta facta, ſed ſoli ſubſtãtiæ, quam dicunt eſſe in hoc ſacramento ſine quantitate, vt opinatur Durandus, & idem ex parte ſentiũt Nominales, quanuis diuerſo modo, & ex diuerſis principijs, cum quibus diſputandum eſt infrà quæſtione 76. eſt enim hæc Durandi ſententia pluſquã falſa, vt ibi videbim⁹. Alij vero ex Catholicis, quãuis negare nõ audeant, quantitatem corporis Chriſti eſſe in Eucharistia, & præſentem fieri per ſacramentalem præſentiam; tamẽ, vt effugiant argumẽta facta, dicunt, quantitatem illam non tribuere corpori Chriſti effectum ſuum formalem, ſed ſolùm eſſe illi intimè præſentem. Quia non repugnat (inquiunt) accidens eſſe intimè coniunctum ſubiecto, quaſi in actu primo, & non exercere in illo cauſalitatem formalem, quæ eſt veluti actus ſecũdus, qui ſuſpendi poteſt, ſaltem per ſuſpenſionem diuini cõcurſus. Ita refert Ledeſma in prima parte quarti, quæſtione 17. artic. 3. Hæc tamen ſententia intellecta de proprio, & primo effectu formali quantitatis, de quo re vera loquitur, & omnino falſa eſt, & inutilis ad difficultates poſitas expediendas. Prior pars probatur, quia, non ſolùm certum eſt, quantitatem corporis Chriſti in hoc ſacramento eſſe, ſed etiam eſt æquè certum, corpus Chriſti in ſacramento eſſe quantum, atque adeò quantitate affectum, & informatum; imò ideò certum eſt, quantitatem in ſacramento eſſe: quia neceſſe eſt dicere, corpus Chriſti ibi eſſe quantum, vt poſsit eſſe figuratum, organicũ, & pulchrum. Quod ita declaratur, nam, vel quantitas corporis Chriſti inhæret illi exiſtenti in ſacramento, vel nõ, ſi ineſt: ergo neceſſe eſt, vt in illo habeat ſuum effectum formalem: quia non ineſt, niſi vt forma. Vnde talis inhæſio includit in ſuo intrinſeco, & eſſentiali conceptu vnionem per modum formæ cum dependentia à ſubiecto, in genere cauſæ materialis: vnde ex vtroque reſultat vnum compoſitũ ex ſubiecto ſeu potentia, & actu formali. Vnde in hoc ſenſu implicat contradictionem, accidens actu inhærens ſubiecto priuari omni effectu formali ſuo, conſeruata actuali inhæſione: nec maior Dei concurſus requiritur ad effectum formalem, quàm ad actualem inhæſionem in ſubiecto. Si autem quantitas illa non inhæret corpori Chriſti, erit tantùm concomitanter præſens, quod licèt non ſit impoſsibile, eſt tamen impertinens, & ex nullis principijs fidei colligi poteſt, quia quantitas hic non adeſt, niſi vt afficit corpus, & illud neceſſariò comitatur ratione naturalis vnionis, quã cum illo habet, quæ eſt per inhærentiam, & informationem: ablata ergo hac vnione, nullũ eſt principium ad aſſerendum, adeſſe hic quantitatem corporis Chriſti. Denique probatur poſterior pars, ſcilicet, hanc ſententiam eſſe inutilem ad argumenta ſoluenda: quia licet demus, quantitatem poſſe priuari ſuo effectu formali, reſpectu ſubſtantiæ, tamen cum ipſa quantitas intrinſecè, & per ſe ipſam quanta ſit, non poteſt priuari intrinſeca partium compoſitione, & extenſione: quia in eã conſiſtit propria entitas eius, & in ea procedere poſſunt omnia ferè argumẽta facta, imò aliqua eorum, præſertim quintum, accommodari poſſunt ad ſubſtantiam ipſam materialem, etiam quantitate priuatam.

Reſponſio altera communis examinatur. Alia reſponſio ſatis vulgaris eſſe ſolet, duplicem extenſionem conuenire corpori ratione quantitatis; vnam, ratione ipſarum partium in ſe, ſeu inter ſe, alteram in loco, ſeu in ordine ad locum, & priorem

rem

rem eſſe proprium effectum formalem quantitatis inſeparabilem ab illa, poſteriorem verò eſſe veluti proprietatem, vel paſsionem conſequentem, quæ impediri poteſt. Vnde exiſtimant, ſolui poſſe facilè argumenta facta; quia ſolùm procedunt in corpore quanto habente extenſionem in ordine ad locum. Sed, vt omittam, nonnulla ex argumentis factis, præſertim quintum, procedere de corpore, quocunque modo, extenſo, etiam in ordine ad ſe, prædicta diſtinctio, quanuis rectè explicata fortaſſe vera ſit, tamen difficultate non caret. Interrogo enim, quid ſit, quantitatem extendere partes ſubſtantiæ in ordine ad ſe; aut enim eſt, facere, vnã partem ſubſtantiæ non eſſe aliam entitatiuè, & formaliter; & hoc non poteſt pertinere ad effectum formalem quantitatis, ſed potius ordine naturæ præſupponitur; vt quantitas materiali ſubſtantiæ poſsit inhærere. Primò quidem, quia vniuerſim nulla entitas, ſiue ſit tota, ſiue pars poteſt ab alia entitatiuè, ſeu realiter diſtingui per aliam entitatẽ, tanquam per cauſam formalem diſtinctionis, ſed per ſe ipſam: nam vnaquæque res, per id, quod eſt, ab alia diſtinguitur: nam diſtinctio ſupra entitates eorum quæ diſtinguuntur, ſolùm addit negationem. Secundò, quia entitas ſubiecti ſubſtantialis, ordine naturæ, prior eſt, quàm accidens illi inhærens: ergo eſt etiam prior, quàm quantitas: ergo, vel illa entitas, prout ſic præſuppoſita, eſt indiuiſibilis entitatiuè, & hoc non, quia aliàs non poſſet extendi entitatiuè per quantitatem ſuperuenientem: quomodo enim poſſet quantitas multiplicare partes entitatis in re ſecundùm ſe indiuiſibili entitatiuè? Vel illa entitas ſecundùm ſe, & prout ſupponitur quantitati, eſt entitatiuè diuiſibilis in partes ſubſtantialiter diſtinctas; & ita non poterit talis extenſio partium ſecundùm ſe, & in entitate ſua eſſe effectus formalis quantitatis, quia quantitas in nullo genere cauſæ, etiam materialis, vel efficiẽtis poteſt ſupponere ſecundùm ordinem naturæ effectum ſuum formalem; nec ſubiectum ipſum quantitatis, quoad entitatem ſuam, eſt effectus formalis quantitatis, ſed quantum ad aliquid additum ſuæ entitati: diſtinctio autem entitatiua partium nihil addit ſupra entitatem earum, præter negationem, vt dictum eſt. Tertiò à poſteriori declaratur, quia, ſi Deus, deſtructa quantitate, conſeruaret materialem ſubſtantiam corporis humani, entitas materiæ, quæ nunc eſt in manu maneret entitatiuè diſtincta ab entitate materiæ, quæ eſt in pede, vel in capite: implicat enim, entitates prius diſtinctas, & realiter manentes, coaleſcere in vnam indiuiſibilem entitatem nam, quanuis poſsint poni ſimul in vno puncto, vel indiuiſibili ſpatij, tamen vna non poteſt eſſe alia, cùm ſint entitates diſtinctæ. In hoc ergo ſenſu non poteſt eſſe effectus formalis quantitatis, facere partem ſubſtantiæ extra partem eſſe in ordine ad ſe. Vnde vlterius colligi videtur, ſi extenſio partium, vel quòd vna ſit extra aliam, eſt effectus formalis quantitatis, ſolum poſſe id eſſe, in ordine ad locum, vel ſpatium. Probatur, quia hoc non poteſt intelligi abſolutè, & in ſe, vt demonſtratum eſt, neque etiam in ordine ad aliquod ſubiectum, quia partes materiæ, quæ per quantitatem extenduntur, non ſunt in ſubiecto, ſed potius ipſæ ſunt primum ſubiectum, ergò erit in ordine ad ſpatium, vel locum, quia nihil aliud excogitari poteſt: erit ergo primarius effectus formalis quantitatis facere, vt vna pars ſubſtantiæ ſit extra locum, ſeu ſpatium alterius; & ita deſtruitur communis illa diſtinctio, & obiectiones: factæ ſuã vim retinent. Nec refert, quod quidam dicunt, quantitatem extendere partes ſubſtantiæ, non entitatiuè, ſed quantitatiuè: nam hoc vel eodem reuoluitur, vel in ſolis verbis conſiſtit, & idem per idem explicat: interrogabo enim, quid ſit extendere, quantitatiuè, & quicquid reſpondeatur, procedent, ſine dubio, argumenta facta.

Communis ſententia explicatur & aſsignatur vera ſolutio difficultatũ. Igitur, non impugnando, ſed explicando potius communem ſententiam, dicendum exiſtimo, materialem ſubſtantiam, non habere à quantitate intrinſecè, ac formaliter entitatiuam extenſionem, ſeu diſtinctionem, & coniunctionem ſuarum partium ſubſtantialium, ſed eam habere per intrinſecam ſuam entitatem, vt argumenta facta concludunt. Habet autem ſubſtantia à quantitate hanc corpoream molem, quam nos per effectus explicamus, & per ordinem ad locum, & ad ſenſus noſtros. Primum itaque habet hæc ſubſtantia à quantitate ita occupare locum, vt vna pars excludat aliam ab eodem ſpatio, & conſequenter, vt inter ſe localiter diſtent, & ſimiliter inde habet ſubſtantia corporea, vt aliã ſimilem ab eodem loco excludat, & impenetrabilis ſit, & alteri corpori reſiſtat, quandiu non diuiditur, & loco pellitur. Poſſunt autem hæc omnia dupliciter intelligi in ſubſtantia quanta; primò aptitudine tantùm, ſeu potentia proxima. Secundò in actu exercito, vt ſic dicam. Priori modo pertinent ad primarium effectum quantitatis, inſeparabilem ab illa, etiam per diuinam potentiam, nam hoc ipſo, quòd corpus eſt quantum, aptum eſt, natura ſua, ſic occupare ſpatium: vnde conſequuntur cætera, quæ numerauimus, nec poteſt priuari hac naturali aptitudine, retenta quantitate: neque è contrario poteſt intelligi ſubſtantia habere hanc aptitudinem, niſi prout eſt affecta quantitate, & ratione illius. Poſteriori autem modo non pertinent hæc ad primarium effectum formalem quantitatis, ſed ſunt veluti proprietates naturales conſequentes, quæ proinde impediri poſſunt, conſeruata quantitate. Et iuxta hæc duo membra explicari poteſt communis diſtinctio de extenſione in ordine ad ſe, vel in ordine ad locum: nam prior illa aptitudinalis diſpoſitio dici poteſt extenſio quædam corporis, ſecundùm ſe: quia ratione illius aptum eſt occupare ſpatium extenſum, & ſemper in ſe retinet illam extenſionem, ſeu diſpoſitionem, quandiu retinet quantitatem, ſiue actu, ita occupet locum, ſiue non: poſterior verò dici poteſt extenſio in ordine ad locum: quia conſideratur ſecundùm actualem modum, quo corpus occupat ſpatium extenſum per commenſurationem, ſeu extenſionem partium reſpectu illius.

Reſpondetur in communi ad omnes difficultates propoſitas. Argumenta ergo facta procedunt de corpore quanto, actu occupante locum, modo extenſo, proprio, & connaturali quantitati: corpus autem Chriſti in hoc ſacramento, quanuis, re vera, quantum ſit, & in ſe ita diſpoſitum, vt, ſuæ naturæ relictum, locum eſſet prædicto modo occupaturũ, ac repleturum; diuina tamen virtute recipit altiorem modum præſentiæ, impediturque, ne, modo ſibi cõnaturali & extenſo, ſpatium repleat. Hoc autem eſſe poſsibile, quanquàm directè demonſtrari non poſſit, quia eſt valde ſupernaturale myſteriũ, ſatis tamẽ eſt, quòd non demonſtretur impoſsibile, nec poſsit

vlla

Universidad de Deusto
Biblioteca

vlla ratio ad impossibile probãdum afferri, quæ nõ possit sufficienter dissolui, vt ex dicendis cõstabit: neque enim amplius in mysterijs fidei exigendum est. Deinde ratione sola naturali vtẽdo, afferre possumus coniecturas, quibus hoc fiet, aliquo modo, credibile. Prima, quia actu occupare locũ est quid distinctum ab esse quantum: vnde & ab Aristotele in diuersis prædicamentis constituuntur, & illud prius mutari põt, altero immutato manente quoad intrinsecum esse quantitatis. Vnde hoc esse quantum comparatur ad localem præsentiam, vt principium, & vt prius ad posterius: quid ergo mirum, quòd possit Deus, id, quod est prius, sine posteriori conseruare? Secundò addit Scotus, quòd corpus quantum, conseruata eadem quantitate, potest priuari hoc, & illo loco, seu spatio, & quocunque sigillatim, seu determinatè sumpto, quanuis confusè necessariò sit in aliquo loco: ergo nõ est, quòd per potentiam Dei absolutam aliquid amplius non possit fieri, atq; adeò q. possit corpus quantum priuari extensa, seu quantitatiua loci repletione. Quam rationem aliqui Theologi impugnãt, & posset facilè fieri, si, vt ratio efficax, adduceretur: sed non ita sumẽda est, sed vt suadens, & manu ducens intellectum ad ita iudicandum, quandiu demonstrata non fuerit implicatio contradictionis. Atque eodem sensu potest afferri tertia coniectura: quia experimur, media cõdensatione naturaliter fieri, vt corpus, quod prius erat extensum per grande spatium, & totum illud quantitatiuè replebat, postea contineatur in breuissimo spatio nulla deperdita quantitate, vt est opinio pbabilior: quid ergo mirũ, q. possit Deus, absq; cõdensatione media cõstituere corpus grandioris quantitatis sub minori, vel etiam in spatio nõ extenso, & sine vlla actuali extensione locali.

Præter has coniecturas possumus alias sumere ex alijs principijs fidei pro his, qui illa recipiunt. Prima est, quia Deus constituit duo corpora quãta intra eundem locum penetrãdo illa, vt cõstat ex mysterijs natiuitatis, & resurrectionis Christi, & superiori tomo latè tractatum est contra Durandũ: ergo è contrario poterit etiam Deus conseruare corpus quãtum in rerum natura, absque actuali modo connaturali occupandi locum. Probatur cõsequentia, quia, sicut est proprietas corporis quãti occupare locum, ita etiam non admittere aliud corpus in eodem loco. Secunda similis est, quia tam intrinsecum est subsitãciali naturæ proprium subsistere, & accidentali formæ proprium inhærere, sicut corpori quanto occupare locum, sed potest Deus conseruare naturam substantialem sine propria subsistentia, & formam accidentalem sine propria inhærentia: ergo & quantitatem sine propria & cõnaturali præsentia. Tertiam coniecturam addere possumus ex illis verbis Christi. Matth. 19. *Matth. 19.* *Facilius est camelũ per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*, & infra, *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Quæ verba ita exponũt, Hilar. Hieron. Chrysost. Orige. & alij in illum locum, & Aug. epist. 89. q. 4. vt ex eis colligant, posse Deum cõstituere corpus cuiuslibet magnitudinis in quouis minimo loco, tota corporis mole conseruata: vtrũq; enim membrum illorum verborum in sensu composito (vt sic dicam) intelligendum est, nimirum, diuitem, retinendo diuitias, difficilè saluari, id tamen esse possibile per diuinam gratiam, sicut fieri naturaliter non potest, vt camelus habens tantam corporis molem per foramen acus pertranseat, id tamen esse possibile per potentiam Dei. Vnde idem Aug. lib. de spiritu & litera. c. 1. & 5. hoc exẽplo vtitur, vt probet multa Deo esse possibilia, quæ naturam superant, & Greg. Nazian. orat. 36. *tilud*, inquit, *impossibile dicitur, quod natura quidem est impossibile, Deo autem volenti possibile quo in genere illud est, eundem hominem vis nasci nõ posse & acu camelum admitti? quid enim prohibet, quominus hæc fiant, si Dei voluntas ita tulerit?* Ex his ergo ita concluditur ratio, naturalis proprietas quantitatis, non solùm est occupare locum, sed etiam occupare locum sibi æqualem & coextensum, & nihilominus facere potest Deus, vt magnum corpus nõ occupet locum æqualem, sed multò minorem, vt ex adducto testimonio constat: ergo, eadem ratione, potest facere, vt simpliciter non occupet locum, sed altiori modo præsens fiat. *Hilar. Hieronym. Chrysost. Origenes. August.* *Nazianz.*

Superest sigillatim respondere ad obiectiones factas. Ad primam respondent aliqui Theologi, quãuis cõrpus purè creatum sit incapax modi existẽdi in loco indiuisibiliter, tamẽ corpus Christi factum esse capax illius modi propter vnionem ad Verbũ. Ita significat Alens. 4. part. q. 40. memb. 3. artic. 3. Sed meritò impugnatur à D. Thom. in 4. d. 10. q. 1. art. 1. si de propria capacitate intelligatur: quia hypostatica vnio nihil ad hoc confert per se, actor maliter, nec naturã corporis quãti immutat: posset ergo Deus hunc existendi modum corpori nõ vni to sibi hypostaticè communicare: quia nulla esset maior repugnãtia: potest autem intelligi in corpore Christi maior quædam congruentia, vt in eo potius, quàm in alio hoc mysterium perfectum sit ratiõe vnionis, sicut alia supernaturalia dona illi sunt communicata propter eandẽ vnionem, & forsan de hac congruentia locutus est Alensis. Alij respondent, quantitatem corporis Christi esse capacem huius modi: quia non est hic per se primò, sed cõcomitanter ad substantiam, & ita est ad modum eius. Quæ ratio existimatur esse D. Tho. infrà q. 72. Sed non est hæc mens eius, vt ibi exponam, neq; etiam est ratio necessaria aut sufficiens; tum, quia etiam in prima creatione materialis substantiæ quantitas cõsequitur substantiã, & tamen secũ affert naturalem modum, quem substantiæ cõmunicat, tũ etiã, quia, licèt per se primò facere hic Deus præsentem quantitatem aliquam, vel simul cum substantia, vel per se separatam, posset Deus illi tribuere modum existendi in loco indiuisibiliter: quianõ esset maior repugnantia, quàm nunc sit in corpore Christi. Ex parte igitur quãtitatis ratio sumenda est ex dictis, scilicet, quia essentia quãtitatis solùm est esse naturæ sua diuisibilem, & ex se postulare extensionẽ in loco, & hoc inseparabile est ab illa: at verò actu occupare locũ diuisibiliter, nõ est illi essentiale sed est veluti effectus quidã, quẽ non repugnat ab illa separari per diuinã virtutem & omnipotentiã, quæ est prima radix & causa huius mysterij: de quo tractãs Concilium Trident. sess. 13. c. 1. inquit, *Corpus Christi esse sacramentaliter præsens, ea existendi ratione, quæ etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cognitione per fidem illustrata, assequi possumus*, & Chrysost. hom. 83. in Matth. *Credamus*, inquit, *Deo, neq; repugnemus, etiã si sensui vel cogitationi videtur absurdum*, & Damas. li. 4. c. 14. *Hoc*, inquit, *Deus Damasc. operatur supra omnem sermonem, & intellectum.* Hoc etiam modo dixit Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 3. *Verbum Cyrill.* *Ad singulas obiectiones respondet primum.* *Alensis.* *S. Thom.* *Trident.* *Chrysol.*

La Ca-

ta Capharnaitarum. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandũ, esse verba infidelium, diuinæ omnipotentiæ detrahentium. Vnde rectè dixit Hugo de S. Vict. lib. 2. de sacram. par. 8. c. 4. *Quæris, quomodo? Cogita facientem, quia omnipotens est, & non est mirabile.* Ac deniq;, eodẽ sensu, dixit Innoc. libr. 4. de hoc myst. c. 9. *Credere inbemur, discutere prohibemur*, scilicet, discussione impugnante veritatẽ, & diuinã omnipotentiam in dubium reuocante. Negatur ergo hoc esse impossibile, aut esse contra intrinsecam naturam & essentiam quantitatis. Neq; est similis aut par ratio in exemplo ibi adducto de re indiuisibili respectu modi existendi in loco extenso extẽse, & diuisibiliter. Et ratio differentiæ est, quia extẽsio rei, in ordine ad locum, supponit necessariò extensionẽ rei in se, quoad distinctionem partium, & ideò repugnat, esse diuisibiliter in loco, quod in se est indiuisibile: quomodò enim habebit partes in loco, ita vt vna sit in vna parte loci, & alia in alia, quod in se nõ habet partes. Itaq; sicut esse in loco, supponit esse, ita esse diuisibiliter extensum in loco, supponit esse in se diuisibile, & cõstans partibus & ideo sine hoc, quod prius est, repugnat esse illud quod est posterius, & ab illo essentialiter pendet: sicut in vniuersum nõ potest esse modus sine re, cuius est modus, à qua pendet essentialiter. At verò è cõtrario, rem extensam in se, esse etiã extensam in loco, est quid posterius, à quo illud prius essentialiter non pendet; & ideò facilè intelligi potest, q. licèt res habeat in se partes, non habeat illas loco distantes, sed omnino simul. Non est ergo similis ratio, quin potius ex illo exemplo posset sumi alia cõiectura ad veritatem fidei confirmandã: nam substantia indiuisibilis potest naturaliter esse præsens spatio, & loco diuisibili, modo spirituali, & indiuisibili: ergo mirum non est, quod per diuinam potentiam posit corpus diuisibile totum constitui & fieri præsens loco indiuisibili, modo etiam indiuisibili ac supernaturali. *Ad secundum.*

Ad secundam de figura, varia respondent Theologi, præsertim Nominales, quæ hic referre & impugnare superuacaneum duco, præsertim cũ attingenda inferius sint. q. 76. Dico igitur iuxta distinctionem datam, in se, vel in ordine ad locum, duplicem etiam figurã intelligi posse in corpore, v. g. humano. Vna dici potest organica, quæ prouenit ex intrinseca compositione quantitatis, alia dici potest situalis aut localis: nam sicut quãtitatiua præsentia corporis in spatio est quidam modus habens suam propriam extensionem, ita in ea intelligi potest propria figura. Vnde hæc intrinsecè pendet ab extensione in loco, & solùm mediante illa conuenit quantitati: prior verò intrinsecè pendet ex quãtitate secundùm se & ratione extensionis ac cõpositionis, quam in se habet, prius quàm intelligatur locum occupare: Christus ergo in hoc sacramento habet hanc intrinsecam figuram: non verò alteram extrinsecam seu situalẽ. Quæ doctrina declaratur in primis exemplo, nam manus extensa vel plicata diuersam figuram habet in ordine ad locũ, quãuis semper eandem figuram organicam retineat: atq; idem ferè videre licèt in corpore hominis stantis, vel sedentis. Ratione deinde declaratur, quia figura circularis, v. g. est illa, cuius extrema æquè distant à centro, pupilla ergo oculi, quanuis in loco non sit, adhuc intelligitur esse circularis: quia partes quantitatis eius ita sunt in se compositæ, vt tanta quantitas sit in vna parte, sicut in alia, à cẽtro vsq; ad vltimã lineam earum: atq; idem proportione seruata de cæteris partibus: rectè ergo mente concipitur, posse corpus retinere suam intrinsecã, & organicam figuram, quanuis nullã habeat situalem. Hinc etiam facilè intelligitur, argumentum factum procedere de figura situali, non de organica illa enim est, quæ ratione solius motus localis mutari potest: hæc autem minimè, per se loquendo: quod ideò addo, quia per accidens cuntingere potest ex motu locali sequi alterationẽ, & ex alteratione condensationem, vel rarefactionem aliquam, & consequenter mutationem intrinsecæ & organicæ figuræ. Deniq; intelligitur ex dictis, etiam si Christus in cælo staret, aut sederet, in hoc sacramento nõ habere eas figuras, seu positiones, quæ intrinsecè dependent ab vbi phy sico & quantitatiuo. Addunt verò Bonauen. in 4. d. 10. & Vict. in sum. nu. 64. quãuis Christus in hoc sacramento non habeat positionẽ, seu figuram partium in ordine ad locum; piè tamẽ posse à fidelibus cogitari seu apprehendi sub figura Crucifixi, vel alia simili: quia quælibet pars corporis Christi est in qualibet parte hostiæ. Quod intelligendum est de simplici, & veluti de apprehensione præcisiua, non de compositiua, affirmant huiusmodi figuram de corpore Christi sub sacramento existente. *Bonauent. Victoria.*

Ad tertiam de diuisione, Maior in 4. d. 10. concedit vtramque sequelam; scilicet, & Christi corpus posse diuidi in hoc sacramento, & cõsequenter fieri, vt in omnem suam partem diuidatur. Soto verò ibidem arti. 4. vt euitet hoc posterius consequens, quod, re vera, absurdum est, & impossibile, negat etiam prius, nimirum, posse diuidi corpus Christi prout in hoc sacramento existit: quia non est corpus diuisibile, etiam de potentia Dei absoluta; nisi sit actu extensum in ordine ad locũ. Sed quanquã hoc verũ sit; loquendo de materiali illa diuisione, quæ fit, v. g. cultello, vel alio simili corpore interposito inter partes alterius continui: nam ad huiusmodi diuisionem necessarium est, vt corpus, quo fit diuisio, expellat aliquam partem alterius corporis à suo loco, quod fieri nõ posset, nisi vtrumq; corpus esset quantitatiuè in loco, nihilominus tamen, generalius ac formalius loquendo de diuisione, vt dicit solùm separationem vnius partis ab alia, seu discontinuationẽ partium inter se, nulla est repugnantia, quòd Deus diuidat corpus sacramentaliter existens, vel annihilando quasdã partes corporis eius, & conseruãdo alias, vel destruendo tantùm terminos, quibus continuantur, & conseruando illas terminis proprijs terminatas, & simul in eodẽ spatio existentes, in hoc enim nulla est repugnãtia, & alio qui illa partium compositio, vel vnio cõuenit corpori quanto secundum se, & non ratione localis extensionis: ergo ratione illius poterit etiam diuidi, quanuis non sit localiter extensum. Deniq; ad omnem extensionem sequitur propria diuisibilitas: sicut ergo corpus manet in se extensum, quanuis nõ sit extensum in loco, ita manet aliquo modo diuisibile, neq; inde sequitur diuisio in omnem partem: quia posset facilè destrui terminus cõtinuans quasdam partes, & nõ terminus continuans alias; neque ad hoc oporter aliam rationem quærere, præter voluntatem, & potentiam diuinam. *Soto.* *Ad tertiam. Maior.*

Ad quartam de distãtia partium, Nominales cõcedũt, sin corpore Christi existente in Eucharistia, tam. *Ad quartam.*

non

non magis distare pedem à capite, quàm collũ. Ita Ocham & Aliaco in 4.q.4. Soto verò, Ledesma, & alij hoc grauiter reprehendunt: quia putant, sequi confusioné magnam in corpore Christi, & destrui organizationem eius. Vnde Maior in 4.q.3. hanc sententiã sequens, rectè distinguit duplicem distãtiam, vna dici potest quantitatiua, altera localis seu situalis prior sequitur ex intrinseca extẽsione, quã quãtitas habet in se, & consistit in hoc, q; inter partes tanta quantitas intercedat, & cum tanta densitate, vel raritate, quanta sufficit ex natura rei ad occupandum tantum spatium: posterior verò consistit in hoc, q; partes actu occupent partes spatij ita inter se distantes. Loquendo ergo de priori distãtia, sic partes corporis Christi non æquè inter se distãt, magis enim distat pes à capite, quàm collum: nam collum illi immediatè copulatur: pes verò minimè, sed inter ipsum, & caput intercedit tota quantitas corporis; at verò tractando de posteriori distantia, sic verò est, partes corporis Christi æquè inter se distare: quia omnes sunt indiuisibiliter præsentes eidem spatio, propter quod rectè dixit Hilarius, *vbi est pars, ibi est totum*. cap. Vbi pars. de consecr. dist. 2.

Ocham. Aliaco. Soto. Ledesma. Maior. Hilarius.

Ad quintã. Ad quintam de compositione vnius præsentiæ ex infinitis partibus, seu cõponentibus, cõcedendũ est totum id, quod infertur, & sufficienter in obiectione probatur: hac enim de causa dixit D. Tho. in 4.d.10.q.1.art.3.q.3.ad 1. esse Christum in hostia semel in actu, & infinities in potentia: nam primum est verum, propter vnam præsentiam, quasi continuè diffusam per totum spatiũ, quod species sacramentales occupant, secundum autem est verũ propter integram præsentiam totius corporis Christi in qualibet parte, & quouis punctis specierũ sacramentalium: neque ex huiusmodi compositione sequitur aliquod absurdum, aut aliquod infinitũ in actu, propterea q; in singulis punctis hostiæ intelligimus esse integras presentias totius corporis Christi in se diuisibiles, & inter se æquales, ex quibus altera præsentia adæquata componitur: quia oportet ibi distinguere duas extensiones, seu diuisibilitates talis præsentiæ, quæ sunt diuersarum rationum. Vna est ex parte subiecti, altera ex parte spatij, vt suprà dictum est: præsentia ergo, quá corpus Christi habet in singulis partibus hostiæ, licèt ex parte subiecti sit diuisibilis, tamen in ordine ad spatium, seu pũctum, comparatur indiuisibiliter, & sub hac ratione componit, & continuat alteram præsentiã totalem, & integram, quasi continuè diffusam, & extensam per totam hostiam, & ideò non cõsurgit ex illis presentia actu infinita in aliqua extensione; quia non componunt illam prout diuisibiles sunt, sed prout sunt indiuisibiles. Vnde secundũ eam extensionẽ, quam hæc præsentia habet per totum spatium hostiæ, non inueniuntur in ea infinitæ partes æquales & non cõmunicantes. Potest huius rei aliquale exemplum in naturalibus reperiri, in extensione scilicet caloris per subiectum, adiuncta intensione eiusdem in singulis partibus & punctis subiecti: nã in singulis partibus, & punctis est aliquid caloris diuisibile secũdùm intensionem, quod potest etiam esse æquale, si calor sit æquè intensus in omnibus partibus subiecti, & nihilominùs ex illis omnibus nullum infinitum resultat, quia quãtitates illæ intensionis & extensionis sunt diuersarum rationum, & illi gradus caloris, qui intelligũtur esse in singulis punctis subiecti, non concurrunt ad cõponendam quantitatem extensiuam caloris, nisi prout in eo genere sunt indiuisibiles.

D. Thom.

Ad sextam. Ad sextam ex autoritate August. respondetur, locutum esse secundùm naturalem causam rerum, non in ordine ad diuinam potentiam.

SECTIO II.

Vtrum sacramentalis præsentia essentialiter pendeat à naturali, vel illam necessariò supponat.

VT intelligatur quæstionis titulus, & tollatur æquiuocatio, in qua videtur laborasse Caietanus infrà citandus, supponendũ est, aliud esse loqui de esse naturali corporis Christi, aliud de naturali præsentia, seu existentia in loco: sunt enim hæc duo ex natura rei distincta, & separabilia, quando enim corpus localiter mouetur, mutatur naturalis præsentia, nõ tamen mutatur ipsum esse naturale corporis, quod nõ est aliud, quã ipsamet substantia corporis quãtitate affecta, vltra quã addit naturalis præsentia talem modũ occupãdi locum, corpori quanto connaturalem. Hic ergo non mouemus quæstionem de esse naturali corporis Christi: nam extra controuersiam est, omnem præsentiam, tam naturalem, quàm sacramentalẽ essentialiter pendere à corpore, quod fit præsens, & ab existentia seu actuali entitate illius, tanquã à subiecto, quod modificat: est enim præsentia modus rei præsentis: id autem, quod tantùm est modus alicuius rei, nõ potest esse sine re, quam modificat: quia non est res per se distincta, secum ferens proprium entitatem: hac enim ratione non potest intelligi figura, sine re figurata, nec sessio, sine sedente, nec vnio, sine re vnita, & similiter neq; præsentia, sine re præsente; hoc ergo sensu certũ est, præsentiã sacramentalẽ corporis Christi necessariò supponere naturale esse, seu existere Corporis Christi, & ab illo, vt á subiecto, essentialiter pendere; neq; oppositum vnquã docuit Scotus, quicquid illi falsò Caietanus imponat. Comparamus ergo in hac quæstione vnam præsentiam ad aliam, & inquirimus, an corpus Christi, vt recipere posit sacramentalẽ præsentiam necessariò alicubi habere debeat naturalẽ præsentiam, seu modum existendi in loco, ita vt illa præsentia ab hac necessariò pendeat.

Prima sentẽtia affirmat, quam defendit Caiet. infrà q.76.art.2. quanquã in discursu quæstionis & probationibus ad alium sensum à nobis indicatum diuertat. Idem sentire visus est Altisiodorensis lib. 4. sum. tract.5.c.5.q.6. dum ait, existentiã Christi extra sacramentũ cõparari ad existentiam in sacramẽto, sicut primam ad secundam, & ideò, illa ablata hanc etiã auferri. Ex quibus verbis sic potest formari ratio, nam, si destrueretur existentia corporis Christi extra sacramentũ, destrueretur etiam in sacramẽto: ergo signum est, hanc præsentiam pendere ab illa: nam, si non penderet, manere posset, illa destructa: antecedens est cõmunis sententia Theologorum, & sequitur ex alio principio, q; si corpus Christi extra sacramentum exanimaretur, intra sacramentum etiam fieret exanime; propterea q; anima tantùm est in hoc sacramento per concomitantiam, ratione naturalis vnionis, quam extra sacramentum habet cum corpore. Vnde potest hoc cõfirmari

firmari ex alio principio fidei, quòd corpus Christi tale ponitur in hoc sacramento, quale est extra sacramentum, scilicet, pasibile, vel impasibile, viuum, &c. ergo signum est, sacramentalem præsentiam habere originem, & dependentiã à præsentia naturali.

Secunda sententia negat, esse huiusmodi dependentiam, vel naturalem connexionem inter has præsentias. Ita tenent in 4. dist. 10. Scotus q.4. Maior q.7. Soto q.1. art.2. & dist. 8.a.5. Ledesm. q.14.a.5. & q.16.art.4.dub.6. Gabr. lect.47. in Canon. Et fundari potest primò à contrario, quia naturalis præsentia non pendet à sacramentali; quia nullam habet connexionem cum illa, vt in omnibus nobis patet, & in corpore Christi ante institutionem huius sacramenti, & post diem iudicij; & nunc etiã contingere posset, manere corpus Christi cum præsentia naturali, sine sacramentali, si omnes hostiæ consecratæ eodẽ tempore consumerentur: ergo & è conuerso sacramentalis præsentia non pendet à naturali, neque illam necessariò supponit, probatur consequentia, nã intercedit eadem ratio: ideò enim naturalis præsentia non pendet à sacramentali; quia nullam habet habitudinem ad illam, neque in vllo genere causæ est effectus illius; sed idem est de præsentia sacramentali respectu naturalis: quia hæc non est causa illius, nec conditio necessaria in aliquo genere causæ, vt illa sit: sunt enim diuersorum ordinum, & vna non respicit aliam, vt subiectum, sed vtraque immediatè respicit ipsum corpus: sunt ergo disparatæ, nullamque inter se habent connexionem, sed, ad summum, possunt cõcomitanter se habere in eodem subiecto per diuinã potentiam, sicut duæ præsentiæ sacramentales, vel duæ naturales, de qua re paulò inferiùs disputaturi sumus. Et hanc sententiam simpliciter veram esse existimo, vt tamen rem totam accuratiùs explicemus, aduertendum est, dupliciter intelligi posse, sacramẽtalem præsentiam pẽdere à naturali; primò essentialiter & intrinsecè, ad eum modum, quo relatio pendet à termino, vel modus à re, cuius est modus, &c. alio modo extrinsecè tãquam ab efficiẽte principio, vel à conditione necessaria, quæ ad aliquam extrinsecam causalitatem reuocetur.

Præsentia sacramentalis non pendet essentialiter à naturali.

Dico primò, Sacramentalis præsentia non pendet à naturali, dependentia intrinseca, seu formali, & essentiali. Probatur sufficienter fundamento secundæ opinionis, Quod vltrà declaratur primò, quia hæc præsentia nullam habet habitudinem intrinsecam ad illam, sed est respectu illius omnino absoluta: non est ergo vnde ab illa intrinsecè, & essentialiter pendeat. Secundò, quia comparando has duas præsentias inter se, potiùs in modo suo dicunt repugnantiam, nam vna dicit extensionem in ordine ad locum, alia indiuisibilitatem. Dices, quanuis hæc argumenta probent, hanc præsentiam non pendere ab illa ex immediata habitudine sui, posse tamẽ pendere ratione subiecti; vel, quia corpus Christi, quod est subiectũ præsentiæ sacramẽtalis, essentialiter pendet à se ipso alibi existẽte naturali modo; vel certè quia pendet, non à se, sed à naturali præsentia, quam alibi habet: vnde fit, vt sacramentalis præsentia, quæ à suo subiecto pendet, necessariò etiam pendeat ab alia præsentia naturali, sine qua tale subiectum esse non potest. Sed neutrum horum dici potest probabiliter; primùm enim corpus Christi, vt in sacramento existens, non potest intrinsecè & essentialiter pendere à se ipso, vt existente in cælo: nam est vnum & idem, habens eandem essentiam æquè absolutam in vno loco, atque in alio. Vnde corpus Christi, vt existens in Eucharistia, non magis dicit habitudinem ad se, vt existens in cælo, quàm è contrario, sicut existens in vna hostia consecrata non dicit habitudinẽ ad se, vt existens in alia; & idem esse si vnũ corpus modo quantitatiuo existeret simul in duobus locis. Deinde non potest corpus Christi secundùm suam substantiam & existentiam pendere ab vlla præsentia locali, siue sacramentali, siue naturali; nam illa extrinsecùs tantùm illi potest aduenire per diuinam potentiam & efficaciam: hæc vero, licèt ex natura rei intrinsecùs illi conueniat, non tamen vt intrinseca causa eius, neque vt terminus alicuius habitudinis essentialis & intrinsecæ, sed vt proprietas vel effectus manans ab ipsa, media quantitate. Vnde, ad summùm, fit, aptitudinem quandam radicalem, ad sic existendum in loco, esse essentialem tali corpori quanto, non verò depẽdentiam aliquam ab ipsamet præsentia naturali. Vnde superiùs ex hoc ferè principio probabamus, posse Deum alicubi conseruare corpus, absque actuali extensione in ordine ad locũ; & eadem ratione concluditur, posse illud conseruare realiter existens, etiamsi nullibi habeat actualem extensionem in loco: quia, non magis est necessariũ, vt alicubi eam habeat, quàm vbicunque existit: nulla enim ratio huius maioris necessitatis fingi aut excogitari potest: ergo potest existere corpus quantũ in rerum natura, sine vlla præsentia naturali: non solùm ergo non habet ab illa essentialem dependentiam, verùm nec connexionem simpliciter necessariam, in ordine ad potentiam Dei absolutam: multò ergo minùs sacramentalis, & supernaturalis præsentia habet huiusmodi dependentiam vel connexionem cum naturali, vel immediatè, vel mediante subiecto suo. Neque verò fingi etiam potest, sacramentalem præsentiam intrinsecè, & essentialiter pendere à suo subiecto, vt existente alibi naturali modo: hoc enim gratis, & sine vllo fundamento esset confictũ: quia hic modus sacramentalis præsentiæ, sufficienter terminatur in ipso corpore Christi prout hic sub speciebus sacramentalibus existente: nam illud vt sic afficit, & in illo vt sic excipitur, & cõseruatur: quod ergo alibi alio modo existat, accidentarium est huic præsentiæ, quæ re vera non dicit habitudinem ad illud sub tali ratione.

Atque hinc satis concluditur, quod in superioribus iterum tactum est, potuisse hoc mysterium Eucharistiæ perfici à Deo, priùs quàm Christi corpus in propria specie existens conciperetur, aut incarnaretur, licèt oppositum significet Palud. in 4. dist. 8. quæst.1. artic.3. & Caietanus suprà. Probatur ex dictis quia potest corpus Christi existere sacramentaliter, etiam si nullibi existat naturaliter: ergo potuit etiam primò produci, & vniri Verbo sub speciebus sacramentalibus, etiam si antea nullo modo existeret: quia eadem est ratio de prima productione, & de quacunque existentia, siue conseruatione. Item, quia corpus Christi cum præsentia sacramentali non pendet ex præsentia naturali eiusdem corporis, neque ab ipso corpore vt alibi naturaliter existente: ergo posset Deus, infinita sua efficacia, efficere corpus Christi sub speciebus panis, etiam si alibi non præextitisset. Sed obijcit Caietanus; nam tunc esset præsentia, sine re præsente; & relatio, sine fundamento; seu modus, sine subiecto; quæ sunt impossibilia. Probatur sequela: quia præsentia sacramentalis non addit suprà existentiam corporis Christi in propria

Palud. Caiet. Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

specie, nisi relationem, seu modum præsentiæ: ergo, A si potest esse hic modus sine illa existentia in propria specie, erit tunc præsentia sine re præsente, &c. Semper tamen versatur Caietanus in eadem æquiuocatione: quia non distinguit inter corpus Christi existens, & corpus Christi existens in propria specie, cùm tamen hæc distincta sint aliquo modo: illud enim prius abstractius est: corpus enim Christi existens in rerum natura præscindit à modo existendi in propria specie, vel sub alienâ. Vnde, sicut corpus Christi, prout in cœlo, est verè existens, ita prout in sacramento, est verè existens, etiam si ibi tantùm esse supponatur, & non alibi. Quocirca falsum est, præsentiam sacramentalem addere modum supra corpus Christi existens in propria specie: hoc enim significat, supponere illum modum existendi in propria specie, & addere alium, quod esse falsum ostendimus: nam illi duo modi existendi non habent inter se intrinsecum ordinem, & quoad hoc dici possunt diiparati. Propriè ergo dicendum est, præsentiam sacramentalem addere modum supra corpus Christi existens vt sic: sicut etiam præsentia naturalis addit modum supra corpus Christi existens, solúmque differunt, quòd hic modus est naturalis, ille verò supra naturam. Ac propterea non sequitur, in prædicto casu, dari præsentiam, sine re præsente; aut relationem seu modum, sine fundamento: quia nunquam est præsentia sacramentalis, sine corpore Christi existente, non alibi, sed ibi sub speciebus sacramentalibus, & ipsummet ibi est res præsens, & fundamentum, seu potiùs subiectum talis modi seu relationis. Quocirca, licèt hæc præsentia sacramentalis non addat supra substantiam, & quantitatem corporis Christi, nisi modum, tamen sub speciebus sacramentalibus non est tantùm ipse modus, sed corpus ipsum Christi realiter existens; tali modo affectum; & hoc ipsum esset sub speciebus, etiam si alibi non existeret; tunc autem necessariò esset substantialiter produci corpus Christi sub sacramento: hoc autem nullum est inconueniens, vt per se constat, & à fortiori patebit ex his, quæ infrà de trãsub stantiatione dicemus.

Solutio.

Corpus Christi potest conseruari in Eucharistia, etsi alibi omnino esse desinat.

Secundò infertur consequenter ex dictis, posse conseruari corpus Christi in sacramento, etiam si extra illud omnino esse desinat; quod suprà Scotus docuit, & sequitur manifestè ex principijs positis: quia non est maior connexio vel dependentia in conseruatione, quàm in prima effectione: si ergo potuit in principio fieri corpus Christi in sacramento, & non extrà, poterit etiam postea conseruari. Patet etiam à contrario, prout suprà in simili argumentabamur: nam Christus nunc existens in sacramento, & in cœlo, desinit esse in sacramento, quin desinat in cœlo; & existens in multis hostijs desinit in vna, quin desinat in alia; & si vnum corpus posset existere in pluribus locis quantitatiuè, posset definere in vno loco, & non in alio; & è conuerso: quia, nec necessarium esset inchoatum miraculum perpetuò conseruari, nec esset maior ratio de vno loco, quàm de alio: ergo similiter simul existens in cœlo, & in sacramento, licèt ibi, & omnino extra sacramentum esse desineret, posset in sacramento conseruari: quia non est inter hæc maior dependentia aut connexio, per se, & intrinsecè, vt ostensum est.

Responsio ad fundamentũ primæ sententiæ.

Contra hanc autem illationem maximè procedit fundamentum primæ sententiæ, ad quod conse- quenter concedendum est assumptum in sano sensu intellectum, scilicet non necessariò destrui corpus Christi in sacramento, si extrà destruatur. Sed, quod ad modum loquendi attinet, aduertendum est, in eo casu, quo Christi corpus conseruaretur in sacramento, & non extra, non posse propriè dici destrui simpliciter seu annihilari corpus Christi, quia supponitur absolutè conseruari substantialiter, & in existentia reali: solùm ergo amitteret vnam præsentiam localem, quod fieri posset per localem mutationem priuatiuam, sicut quando, abscissa manu, ibi desinit esse anima, non annihilatur ibi, nec propriè destruitur, sed amittit partialem modum præsentiæ, seu informationis; & idem est de angelo, qui priùs bipedalis spatio præsens aderat, & postea dimidiam partem reliquit, & in alia sola manet: non enim in altera destruitur, seu annihilatur, sed localiter tantùm mutatur priuatiua mutatione. Quòd si quis contendat, conseruari corpus Christi extra sacramentum per actionem substantialem, distinctam ab ea, qua in sacramento conseruatur: & consequenter non posse extra sacramentum desinere, nisi per suspensionem illius substantialis actionis, quæ ad annihilandum sufficeret, dicendum est (hoc gratis concesso) illam suspensionem actionis conseruatiuæ per se sufficere ad annihilationem, si terminus eius alibi non conseruetur: tamen, quia iam supponitur alibi conseruari, ideò non potest dici annihilari, quia terminus eius nõ transit simpliciter in nihilum, vt multi etiam nunc dicunt, quando corpus Christi sub speciebus sacramentalibus conseruari desinit, de quare sæpiùs redibit sermo in disputationibus sequentibus de transubstantiatione.

Obiectio.

Solutio.

Ad argumentum autem, quod vlteriùs vrgebatur in fundamento illius primæ sententiæ, scilicet, quia sequitur pari ratione posse separari animam à corpore Christi extra sacramentum, & non in sacramento, atque adeo posse idem corpus esse mortuum in propria specie, & viuum sub speciebus sacramentalibus, quod videtur inuoluere contradictionem. Ad hoc, inquam, Scotus negat suprà sequelam; nam ex hoc, quòd Christi corpus simpliciter esse desinat extra sacramentum, & non intrà: nulla contradictio, vel repugnantia sequitur, sed solum, quòd corpus Christi sit in vno loco & non in duobus, seu quòd habeat vnum modum tantùm existendi & non duos; quod nullum est inconueniens: ex hoc verò, quòd extra sacramentum animam amittat, & intrà, sacramentum retineat, sequitur prædicta contradictio, quòd simul viuat, & non viuat. Sed quanquam fortasse ex natura rei, seu iuxta modum prouidentiæ magis rebus naturalem, ita sit dicendum; atq; id etiam suadeat naturalis cõmitantia, quam in hoc sacramento esse confitemur, vt infrà dicemus; nihilominùs tamen respectu diuinæ potentiæ, non arbitror implicare contradictionem, quòd, separata anima à corpore extra sacramentum, in illo non separetur, vt sentit Palacios, qui aliqs refert in 4. distinct. 8. disp. 4. & infrà latiùs dicturi sumus. Et breuiter declaratur: quia eadem materia in diuersis locis existens potest diuersis formis informari, sicut eadem quantitas in diuersis locis existens potest affici diuersis modis, & in vno esse extensa in ordine ad locum, & non in alio. Itẽ, quia, cùm materia & forma sint res distinctæ, potest materia poni in diuersis locis & non forma: sicut Durandus

Palacios.

randus dixit, materiam corporis Christi in sacramẽto esse, non verò quãtitatem: quod, licèt sit falsum, nemo tamen dicet implicare contradictionem. Tandem, nam quæ est contradictio, quæ sequitur? Dices, hoc corpus esse viuum, & non esse viuum. Sed respondetur, has contradictorias non esse simul veras: nam negatiua falsa est: quia, vt corpus dicatur non viuere, oportet, vt nullibi viuat; vt autem dicatur viuere, satis est, quòd alicubi viuat: quia affirmatio solùm facit sensum particularem; negatio verò simpliciter omne destruit; & facit sensum vniuersalem: solùm ergo potest inferri, quòd idem corpus hic non viuat, quanuis alibi viuat; & hæc non magis est contradictio, quàm, quòd hic currat, & alibi quiescat; vel hic stet, & alibi sedeat: sed de hoc, vt dixi, infrà latiùs. Atque hæc sint satis de intrinseca dependentia. A

Probabile est, in fide præsentiam Christi in sacramento pendere à naturali aliquo modo.

Dico secundò, quanuis præsentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia ex natura rei non pendeat à naturali modo existendi alibi, tamen nũc de facto probabile est, aliquo modo pendere ab illo in genere causæ efficientis. Prior pars constat, tum ex dictis; tum quia, cùm hæc præsentia sit supernaturalis, ex natura sua non habet aliam causam, à qua pendeat, præter solum Deum, cui omnis creatura subijcitur secundùm obedientialem potentiam: igitur nec substantia creata, nec quantitas, nec naturalis præsentia eius possunt ex natura rei aliquid efficere ad præsentiam sacramentalem. At verò, sicut potest Deus res aliis efficere per instrumenta creata, ita etiam potest efficere hanc præsentiam per huiusmodi instrumentum: quia nulla est hic specialis repugnãtia: sic igitur potest diuinum Verbum vti suo corpore assumpto, & alibi naturaliter existente, vt organo, vel instrumento coniuncto ad efficiendum eiusdem corporis præsentiam in Eucharistia: quia etiã in hoc nulla est specialis in repugnantia: nam etiam naturaliter potest angelus vno partiali loco existens efficere præsentiam suæ substantiæ in alia parte loci, retenta priori. Et idem contingit in anima, quando per augmentationem, cuius ipsa est principium efficiens, ad nouas partes informandas quodammodo extenditur. Quid ergo mirum, quòd de potentia absoluta posit Deus efficere per corpus Christi iam existens in eo loco præsentiã eiusdẽ corporis in sacramento? Ratio autem est clara, quia illud corpus, quantum est de se, potest esse aptum instrumentum ad quemcunque supernaturalem effectum; & aliunde supponitur iam præexistens; & hic effectus huius præsentiæ non habet aliunde repugnantiam cum existentia eiusdem corporis; neque cũ præsentia eius in alio loco, vt nunc supponimus: ergo ex nullo capite est repugnantia. B

Atque hinc probata manet posterior conclusionis pars, supposito alio principio probabili, suprà posito in materia de sacramentis in genere, Christum Dominum ita esse autorem sacramentorum omniũ per humanitatem suam, vt non modò ea instituerit, sed etiam cum omnibus illis actu concurrat per eandem humanitatem ad effectus eorum; ita vt ipsa humanitas sit quasi principale, & vniuersale instrumentum coniunctum, sacramenta verò sint instrumenta separata, & particularia: nam ex his principijs rectè concluditur, Christum per humanitatem in cœlo existentem actu concurrere in omni consecratione Eucharistiæ cum verbis formæ ad efficiendam sui corporis sacramentalem præsentiam in Eucharistia, C quod clariùs patuit in nocte cœnæ, vbi ipsemet Christus visibiliter mensæ accumbens se ipsum præsentem fecit sub speciebus panis & vini, quæ consecrauit. Hoc ergo modo intelligitur facilè præsentia sacramentalis pendere à naturali, non ex necessitate intrinseca, sed ex Dei arbitrio volentis vti hoc instrumento ad talem præsentiam efficiendam. Vnde dupliciter hoc fieri potuit: primò, secundùm emanationem per se vnius præsentiæ ab alia, ita, vt ipsamet præsentia naturalis intelligatur per se influere vt instrumentũ in sacramentalem; quod fieri quidem potuit; nihil tamen est, quod nos cogat ad credendum, ita factum esse; nec per se est admodùm verisimile. Secundo ergo modo fieri potuit, quòd vna præsentia pendeat ab alia, tanquam à conditione necessaria, ita vt sacramentalis præsentia per se propriè fiat à corpore Christi præexistente; conditio autem necessaria sit, vt modo naturali in propria specie præexistat; atque hoc satis est ad discursum factum, & ad intentam conclusionem. Neque enim dici potest, quòd, licèt supponatur existens alibi, non tamen modo naturali, sed sacramentali; hoc enim falsum est; tum quia præsentia sacramentalis in alio loco est merè accidentalis, & contingens; tum etiam, quia Christus non concurrit cum omnibus sacramentis, vt sacramentum est, seu prout in hoc sacramento cõtinetur, sed vt naturali modo existit: hæc ergo præsentia supponitur vt conditio necessaria ad effectionem huius sacramenti. Aliqui verò addunt, etiam posse hic intercedere dependentiam quodammodò in genere causæ exemplaris: quia, nimirum, corpus Christi tale constitui debet in sacramento quoad cõditiones intrinsecas & independentes a loco, quale extra sacramentum in propria specie existit; quod mihi non omnino displicet; quanuis hoc causalitatis genus metaphoricum potiùs seu morale, quàm proprium & physicum, esse videatur: vride intercedere non potest ex sola natura rei, sed solùm ex diuino pacto ac institutione; ac denique magis pertinet ad concomitantiam, quàm ad dependentiam, vt latiùs dicemus sect. 5. & 6. Et ita omnino satisfactũ est fundamento primæ sententiæ quoad vltimam partem eius. Fundamentum autem secundæ sententiæ nihil vrget contra hanc conclusionem: quia solùm procedit de dependentia intrinseca & in ordine ad potentiam absolutam: conclusio verò loquitur de dependentia extrinseca secundùm institutionem factam. D

Ex dictis expeditur obiter vulgare dubium, an, si nunc Christus non existeret homo in rerum natura, per verba consecrationis posset verè confici hoc sacramentum ex vi præsentis institutionis, & corpus Christi fieri præsens sacramentaliter in Eucharistia. Palacios enim suprà refert Scotũ in 4. d. 10. q. 4. affirmantem; tamen Scotus ibi præcipuè loquitur non de extrinseca dependentia; nec de institutione, quæ facta est, sed de intrinseca dependentia & essentiali; & de connexione necessaria vtriusque præsentiæ; quanquam interdùm videatur fermonem extendere etiam in prædicto sensu; si tamen in suis principijs consequenter loquatur, non potest ita sentire; nã ipse tenet, verba consecrationis nullam habere vim productiuam corporis Christi, etiam de se, sed tantùm adductiuam, si autem corpus Christi alibi non esset, non posset adduci, nec etiam posset produci virtute verborum iuxta dictam sententiam: ergo non posset fieri sacramentaliter præsens; quia, vt su-

Palacios. Scotus.

Universidad de Deusto Biblioteca

prædictum est, hæc præsentia esse non potest sine reali & substantiali existentia corporis Christi; aut præexistente, aut denuò producta; & ita esset, re vera, consequenter dicendum, quanquam fundamentum illud solidum non sit, vt dicemus de transubstantiatione disputantes. Palacios ergo suprà negat in prædicto casu posse fieri sacramentalem præsentiam ex vi præsentis institutionis, & virtutis, quam verba de facto habent: & reddit rationem, quia verba nunc tantùm habent virtutem conuertendi panem in corpus Christi, & ideo virtus eorum necessariò supponit, vt corpus, in quod fit conuersio, præexistat: alioquin non essent verba tantùm conuersiua, sed etiam productiua. Sed hæc ratio per se sumpta non cogit: quia virtutem aliquam esse conuersiuam, non excludit, quòd sit etiam productiua, quantum est de se, sed potiùs id videtur includere, & prætereà addere habitudinem ad positiuum terminum, ex quo fiat actio: posset autem rectè intelligi conuersio panis in corpus Christi, etiam si corpus antea non præexisteret: ergo ex hoc capite nihil obstaret, quominùs hæc conuersio fieret per hæc verba ex vi præsentis institutionis. *Responsio.* Aliunde ergo videtur mihi, verba de facto non habere hanc virtutem: quia nimirùm habent illam dependentem in agendo ab humanitate Christi præexistente, vt ab instrumento coniuncto & principali respectu omnium actionum, & effectuum sacramentalium. Vnde, sicut causa particularis nihil ageret, non existente vniuersali, à qua pendet in agendo, nec calamus sine manu; ita nec verba sacramentalia sine Christi humanitate. Quod, cùm generaliter, & consequenter ita dicendum sit in omnibus formis sacramentorum, prout de facto sunt institutæ, multò specialiori ratione verum habet in verbis consecrationis; tum quia maximè proferuntur & verificantur in persona Christi loquentis, vt infra quæst. 78. art. 1. dicam; tum etiam, quia relatiuum illud, *meum*, manifestè refert corpus Christi præexistens: quanquam hæc postrema ratio non omnino conuincat, vt ex materia de transubstantiatione constabit.

Licèt Christus nõ esset viuus, reciperet præsentiam sacramentalem ex forma de facto instituta. Ledesm.

Ex hac verò resolutione intulerunt aliqui, si corpus Christi extra sacramentum non existeret viuũ, non posse virtute verborum, vt de facto instituta sunt, recipere sacramentalem præsentiam. Quod tenuit Gloss. in cap. Timorem de Cons. distinct. 2. & probabile existimat Ledesm. q. 17. art. 1. dub. 5. qui tamen non vtuntur fundamento à nobis insinuato, sed alijs, scilicet, vel quia verba videntur designare corpus viuum, quale erat, cùm primò prolata sunt; vel quia, cùm corpus Christi in Eucharistia sit viuificans, non potest esse nisi viuum, vel quia Christus non contulit potestatem ministris ad consecrãdum, nisi pro eo tempore, quo suum corpus iam esset suscitatum, & viuificatum; vel denique addere possumus, quia concursus, quem corpus Christi conferre debet ad efficiendam suammet sacramentalem præsentiam, pendet ex vita eius. Sed hæc sententia falsa est, & communi doctrinæ Theologorum contraria. *Tridentinum.* Primumque fundamentum eius repugnat communi doctrinæ, probatæ in Concilio Tridentino quòd in hoc sacramento non est viuum corpus Christi ex vi verborum, sed per concomitantiam: ergo verba vi sua non significant corpus viuum. Secundum etiam fundamentum futile est: quia corpus Christi, etiam exanime, erat viuificatiuum animarum: quia hoc non habet ex vnione ad animam, sed ex vnione ad Verbũ, quã semper retinuit. Adde, illud esse quid posterius; ideòque ex illo non pẽdere efficaciam verborum. Tertium item fundamentum temerè assertũ est, nam Christus in nocte Cœnæ simpliciter dixit, *Hoc facite*, & illis verbis dedit ministris hanc potestatem: ergo temerè limitatur ad tempus, post resurrectionem Christi, contra communem doctrinam, vt patet ex Tridentino sess. 22. Quartum item fundamentum, licèt minùs improbabile sit (quia sacramentorum efficacia videtur pẽdere ab humanitate Christi; humanitas autem includit vnionem animæ & corporis) tamen hoc est valde debile: quia etiam anima vel corpus inter se separata, & Verbo vnita, possunt ad huiusmodi efficaciam sufficere. Quocirca verissima est sententia communis, in prædicto casu, verbi gratia, in triduo, fuisse corpus Christi capax sacramentalis præsentiæ; & tam in ipso Christo, quam in verbis fuisse sufficientem virtutem, ad illam efficiendam, ex vi præsentis institutionis, vt D. Thom. infrà quæst. 76. art. 1. & 2. & quæst. 81. art. 4. & reliqui omnes docent, *D. Thomas.* quia nihil deest ad hunc effectum, nam, & in ministro esset character sacerdotalis, sicut fuit in Apostolis, ex quo Christus dixit, *Hoc facite*: & verba sufficienter significabant, & verificari poterant de corpore Christi, prout tunc erat, & erant efficacia ex vi institutionis, si aliunde non erat impedimentum: nullum autem erat; quia ex parte Christi, vt dictum est, erat sufficiens instrumentum coniunctum ad huiusmodi efficientiam. *Dubium.* An verò Christus tunc concurreret per corpus exanime, vel per animam, problema esse potest; nam vtrumque fuit possibile; *Responsio.* magis tamen videtur hoc animæ tribuendum: nam illa maximè videtur retinere virtutem efficiendi miracula; illuminandi angelos, efficiendi gratiam, &c. sicut, si in triduo daretur baptismus, sine dubio esset verum sacramentum, & gratiam daret; ad quam, si necessarius est specialis humanitatis Christi concursus, tunc certè per animam dandus videretur. Idem ergo in præsenti dicendum est. Propter quod Petrus Soto lect. 5. de Euchar. sententiam hanc ex principijs fidei colligi affirmat. *Petrus Soto.*

Dubium. Sed quæret tandem aliquis, an nunc de facto idẽ dicendum sit de conseruatione corporis Christi sub speciebus sacramentalibus, quòd, scilicet, si Christus sub propria specie esse desineret, etiam in sacramento amitteret sacramentalem præsentiam. Videtur enim, non esse eandem rationem de conseruatione, & de prima effectione, vt patet discurrendo per omnes rationes supra adductas; primùm enim, etiam si demus fieri Christum præsentem sub speciebus per actionem adductiuam; & ideo necessariò alibi supponi, vt adduci posit; tamen, postquàm semel adductus est, non est necesse; vt alibi præsens duret, ad hoc, vt altera præsentia sacramentalis conseruetur: similiter, licèt demus, hanc actionem ita esse conuersiuam, vt nullo modo, etiam de se sit productiua; & ideò dicatur necessariò supponere in alio loco corpus, quod terminare debet conuersionem, tamen, postquàm semel est facta conuersio, iam non est, cur duret illa dependentia. Tandẽ, quanuis hæc præsentia in fieri pendeat ex Christi humanitate alibi existente in propria specie, tamen, postquàm facta est, non pendet in conseruari; sicut neque pendet à verbis sacramentalibus, per quæ facta est: nam Christus Dominus in his effectibus nihil iam operatur, nisi medijs sacramentis. Sicut etiam gratia

gratia baptismalis in fieri pendet à baptismo; & consequenter à Christi humanitate; tamẽ, finito baptismo, posteà in conseruari tantùm pendet à Deo: sic ergo in præsenti dicendum est de effectu verborum consecrationis, qui est præsentia sacramentalis Christi. Et hic discursus, ac dicendi modus, est, re vera, valde probabilis, iuxta quem dicendum est, ex vi dependentiæ, seu causalitatis effectiuæ non esse amissurum Christum præsentiam sacramentalem, etiam si naturalem, vel quantitatiuam prorsus amitteret. Nihilominùs tamen ex alio capite id affirmari posset, scilicet ratione causalitatis exemplaris suprà explicatæ, quam, probabile est, hic intercedere ex institutione diuina; vel certè (quod idem est) ratione concomitantiæ, de qua fusiùs dicendum est in fine huius disputationis, vbi quæstiũculas alias huc spectãtes expediemus: quia, licèt non sint omnino necessariæ, non tamen possunt prorsus omitti, tum propter materiæ complementum; tum etiam, quia non sunt omnino inutiles ad mysterium declarandum. Addo denique, facilè etiam posse defendi, præsentiam sacramentalem corporis Christi perpetuò pendere in conseruari ab actuali influxu humanitatis Christi existentis in cælo: quod si ita est, facilè consequitur, ablato illo principio influẽte, auferẽdũ esse hunc effectũ sacramẽtalis præsentiæ; & eadẽ ratione explicari posset, quomodò, ablata vita à corpore Christi extra sacramentum, consequenter auferenda esset in sacramento: scilicet, quia, vt in sacramento existens, pendet ab influxu sui ipsius, naturali modo existentis; & sic de alijs proprietatibus. Et hanc quidem viam nõ existimo impossibilem, sed incertam, & nouam: nam Theologi nunquam rem hanc declarant per rationem dependentiæ, sed concomitantiæ tantùm, de qua statim dicturi sumus.

SECTIO. III.

Vtrùm sacramentalis præsentia & naturalis simul possint eidem corpori conuenire ex natura rei; & consequẽter, an per hanc præsentiam res definiatur loco.

DIximus non esse necessarium, has duas præsentias simul inesse eidem corpori, etiam si alterutra insit; sequitur explicandum, an possint in eodem corpore coniungi, vel iuxta naturam rei, quod hic expediendum est, vel per potentiã Dei absolutam, quod dicetur sectione sequente. Posset autem præsens quæstio, seu comparatio extendi, & ad naturales præsentias seu quantitatiuas inter se, & ad sacramentales inter se: an scilicet plures earum ex natura rei possint eidem corpori inesse; & (quod propositum est) ad præsentiam sacramentalem cum locali.

Prima autem cõparatio nihil difficultatis habet, nam per se clarum est, nullum corpus posse ex natura rei simul occupare nisi vnum locum sibi adæquatum, & vnica præsentia connaturali: quia per finitã quantitatem ad vnum finitur; ac terminatur locum, eique commensuratur: hæc enim est naturalis proprietas quantitatis.

In secunda comparatione est satis verisimile, suppositis principijs fidei, huiusmodi sacramentalẽ præsentiam ex natura sua posse simul multiplicari in eodem corpore in ordine ad diuersa spatia; non tamen est omnino certum, sed dubium. *mentaliter habere sine nouo miraculo plures præsentias sacramẽtales.* Prior pars declaratur; nam, licèt hic modus præsentiæ, supernaturalis sit corpori, habet tamen ipse suam propriam essentialem rationem, quæ potest dici propria eius natura; ratione cuius habere etiam potest proprietates naturales, non quidem corpori secundùm se, sed ipsi modo præsentiæ, seu corpori vt affecto tali modo, sicut lumen gloriæ, quanuis supernaturale sit intellectui humano, habet tamen suam propriam essentiam & naturam, ratione cuius visio illi est connaturalis, vel etiam intellectui, vt informato tali lumine. Hoc igitur modo connaturale est huic præsentiæ sacramẽtali facere corpus, cui inest, esse præsens totum in toto, & totum in qualibet parte: quia ex vi suæ speciei, & essentiæ habet hanc indiuisibilitatem, & inextensionem secundùm comparationem subiecti sui ad spatium, cui sit præsens: nam hac ratione dicebamus suprà, præsentiam hanc sacramentalem specie differre à quantitatiua seu naturali. Atque hinc vlteriùs probabile fit, huic præsentiæ ex natura eius non repugnare, quominùs in eodem corpore multiplicetur in ordine ad diuersa & separata spatia: primò quidem, quia, sicut nunc de facto corpus Christi in vna hostia est totum in toto, & totum in qualibet spatij parte: ita etiam de facto, totum est simul præsens in multis & distantissimis spatijs: ergo, sicut dicimus, illud primum esse connaturale huic præsentiæ, ita dicendum est de hoc secundo: quia nulla est repugnantia, quin sit aliquis modus, cui possit hoc esse connaturale; & alioqui per se expedit, vt mysterium hoc, quod lege ordinaria ac stabili ita duraturum erat, iuxta rerum naturas, quoad fieri posset, & paucioribus miraculis perficiendum institueretur. Secundò quia, si est connaturale huic præsentiæ, vt in vno spatio continuo tota præsentia subiecti sit in toto spatio, & tota in qualibet parte: ergo iam ibi est tota in duobus locis partialibus, cõponentibus vnũ: ergo eadem ratione esse poterit in duobus totalibus & discontinuis: patet consequentia, quia hoc ferè nihil addit difficultatis: nec continuitas spatij videtur quicquam conferre ad rationem indiuisibilis præsentiæ. Tertia ratio huic non dissimilis esse potest, quia hæc præsentia, neque ex ratione formali sua, neque ex subiecto terminatur ad aliquod spatiũ determinatæ magnitudinis: sed potest subiectũ suũ facere præsens in maiori, & in minori spatio in infinitum: ita vt, considerata vi, & natura huius præsentiæ, posset illo modo corpus Christi fieri præsens vniuerso orbi: ergo multò magis poterit fieri simul præsens in duabus partibus distantibus: nam certè videtur hoc minùs miraculosum, minùsque difficile. Antecedens quoad primam partem declaratur; nam per hanc præsentiam non coextenditur corpus spatio, sed iterum atque iterum quasi replicatur corpus in qualibet parte, vel termino spatij; & ideo ex vi talis modi præsentiæ nulla est ratio, cur ad hunc potiùs, quàm ad alium terminum spatij limitetur. Altera verò pars antecedentis declaratur, nam angelus, qui habet proportionalem modũ præsentiæ, quia est totus in toto, & totus in qualibet parte, licèt ex parte modi non sibi determinet certam loci magnitudinem, tamen ex parte subiecti illam determinat: quia ille modus præsentiæ est connaturalis tali subiecto, & commensuratur perfectioni eius; & ideò perfectior angelus ex natura sua potest maiori

Universidad de Deusto
Biblioteca

spatio fieri præsens, quàm minùs perfectus; non est autem ita in præsenti: quia corpus, quod sit sacramentaliter præsens, natura sua non est aptũ ad hanc præsentiam; & ita neque ex natura sua postulat terminum illius; sed est capax illius solùm secundũ potentiam obedientialem, secundùm quam nullum habet terminum, sed tantum potest recipere, quantum Deus potest in ipso facere, seu quantum non implicat fieri; & ideò neque ex hac parte potest terminus huius præsentiæ assignari; & eadem ratione cõcludi potest, hanc præsentiam, neque ex se, neque ex subiecto ad vnum spatium terminari.

Oppositum etiam esse probabile ostenditur.

Ex his ergo satis declarata est prior pars assertionis, nihilominùs explicatur altera: quia hoc ipsum, scilicet, præsentias multiplicari in eodem subiecto discretè, & absque vlla cõtinuatione ex parte spatij addit per se nouam difficultatem ratione cuius potest hoc non esse connaturale huic præsentiæ, etiam si alioqui posit esse tota in toto, & tota in qualibet parte quasi continuè: ergo ex hoc principio non satis concluditur, alterum esse connaturale. Antecedens patet primò, in anima, vel angelo: nam anima potest informare vnum integrum corpus, ita vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte: non tamen simul potest informare duo corpora discreta, etiam si simul sumpta non sint grandioris quantitatis, quàm illud vnum. Angelus item simul esse potest naturaliter præsens in grandi spatio continuo, totus in toto, & totus in qualibet parte eius; & tamen iuxta sententiam magis receptam non potest simul naturaliter esse præsens pluribus spatijs multò minoribus omnino distantibus, ac discretis. Quòd si ad fontem perfectionum omnium recurramus, Deus ipse naturali sua immensitate est præsens rebus omnibus quasi continuè, & omnibus imaginarijs spatijs, nec potest habere hanc præsentiam quasi discretam, ita vt sit in rebus inter se distantibus, & nõ in locis, seu spatijs interiectis: cùm ergo omnis præsentia participatio sit diuinæ præsentiæ & immensitatis; verisimile est, non posse saltem ex natura rei non crescere in eodem subiecto, nisi per modum vnius continuæ præsentiæ. Tandem nõnulla ratio addi potest, quia, quando eadem res sit præsens in locis distantibus quocunque modo, & qualicunque præsentia, quodammodò eadem manens multiplicatur, & quasi à se ipsa seiungitur; quod specialem habet difficultatẽ: quanquam ergo ex illa proprietate existendi totum in toto, & totũ in qualibet parte, quam admittimus esse connaturalem huic præsentiæ, probabiliter colligatur altera existendi in pluribus locis, non tamen euidenter, & certò; & ideò res est satis dubia, an hoc sit connaturale huic præsentiæ. Sicut etiam è contrario ex eo, quòd Christus in hoc sacramento sit præsens multis hostijs, non potest ex vi solius rationis efficaciter concludi, posse in vna hostia esse totum in tota, & totum in qualibet parte modo sacramentali, à nobis explicato: quia, cùm sumitur, Christum esse in multis hostijs, vel intelligitur esse in eis prædicto sacramentali modo, & supponitur probandum, vel intelligitur præcisè de reali præsentia, quæcumque illa sit, & sic est quidem probabilis illatio, vnum miraculũ ex altero colligendo, non tamen est simpliciter necessaria: nam, quòd corpus quantum indiuisibiliter in loco constituatur, maiorem quandam difficultatem habere videtur, saltem ex hoc capite, quòd hoc maximè videtur repugnare cum natura, vel intima proprietate quantitatis. De his ergo rebus vix potest à nobis iudicium ferri secundùm naturas earum, sed ratio eorum, quæ circa illas facta esse credimus, sumenda est ex potentia facientis, de qua dicemus sectione sequente.

Præsentia naturalis & sacramentalis vni corpori simul conuenire, naturaliter repugnat.

Atque hinc ferè constat, quid dicendum sit de tertia comparatione sacramentalis præsentiæ cum naturali, de qua est quæstio proposita: quanquam enim hæ præsentiæ sint diuersorum ordinum, & altera earum omnino sit supra corporis naturam, & ideò vix possint prædicto modo comparari; nihilominùs dicendum simpliciter videtur, ex natura rei non posse has præsentias in eodem subiecto coniungi. Probatur, quia in primis non potest hoc esse connaturale ex parte subiecti; tum quia illud natura sua nõ est capax præsentiæ sacramentalis solius: ergo neque illius simul cum locali; tum etiam, quia hoc ipso, quòd corpus finitum est, præter naturã eius est, vt sit realiter præsens extra locum sibi adæquatum. Deinde non potest hoc esse connaturale ex parte præsentiæ quantitatiuæ; tum, propter rationem indicatam, scilicet, quia ratione illius sit, vt corpus circunscribatur loco, & consequenter naturaliter non sit extra illũ; tum etiam, quia actualis extensio in loco ex natura rei pugnat cum indiuisibilitate. Vnde tandem colligitur, hoc non posse esse connaturale ex parte præsentiæ sacramentalis, tum, propter rationem factam, quia, cùm hic modus includat inextensionẽ in ordine ad locum, natura sua videtur pugnare cum alio modo; tum etiam, quia, cùm faciat subiectũ præsens in spatio distincto, videtur etiam hoc ipso pugnare cum alia adæquata præsentia; etiam si distinctæ rationis sit: quia re vera constituit subiectum in distincto, seu maiori spatio, quàm naturaliter esse possit; & hoc etiam confirmant ea, quæ in secunda comparatione adduximus.

Dubium.

Vltimò ex dictis definiri potest dubium suprà tactum de hac præsentia corporis Christi in Eucharistia, an ratione illius dicendũ sit, corpus Christi, esse ibi definitiuè, nec ne: nã Theologi variè loquuntur. Quidam affirmant esse Christum in qualibet hostia definitiuè. Ita significat Gab. in 4. d. 10. q. vnica art. 2. concl. 7. & idẽ videtur sentire Palud. ibi. q. 3. a. 2. licèt prima facie videatur docere cõtrariũ: ait enim, propriè non esse definitiuè corpus Christi in vna hostia; quia simul est in alijs; subiungit tamen, quod si vna tantùm esset hostia consecrata, in illa esset definitiuè. Probari autẽ potest hæc opinio; si iuxta dicta in secunda comparatione teneamus, ex natura rei vnam præsentiã sacramentalem non admittere alias omnino distinctas in eodem subiecto: nam hinc sequitur, ex vi vnius præsentiæ definiri, & determinari corpus Christi, vt sit hic & non alibi, quantum est ex natura talis præsentiæ: hoc autem sufficit, vt dicatur esse ibi definitiuè, etiam si de facto sit in alijs locis per diuinam potentiam: nam hoc non immutat propriam rationem vniuscuiusque præsentiæ. Sicut corpus Christi nunc est in cælo definitiuè, quia ex vi illius præsentiæ non potest naturaliter esse alibi: quanuis de facto etiam sit alibi per diuinam potẽtiam & altiori modo: imò quanuis simul esset alibi etiam modo quantitatiuo, nihilominùs ibi esset definitiuè, & circunscriptiuè: quia ex natura rei illo tantùm loco circunscribi poterat & contineri. Dicet fortasse aliquis, quanuis ex vi talis præsentiæ non possit Christus esse alibi, id est, in alio loco omnino distincto, posse tamen esse in maiori spatio; & ideò nõ esse definitiuè, vbi nunc est. Sed contrà primò, quia ex

Respondetur aliqui Christũ esse definitiuè in qualibet hostia.

modo, quo incipit esse in hac hostia, scilicet per conuersionem panis in ipsum, non potest esse in maiori spatio, quàm occupet quantitas panis. Secũdò, quia inde, ad summùm, potest concludi, nõ esse Christũ ibi definitiuè adæquatè, non tamen, quòd nullo modo, saltem inadæquatè, sicut, quando angelus est in loco inadæquato tantùm, re vera, est ibi definitiuè, quãuis inadæquatè. Tertiò, quia ex vi huius præsentiæ potest Christus moueri localiter: non mouetur autẽ, nisi quod definitur loco. Quartò, quia illa præsentia est aliquis modus existendi in loco, vt suprà dictum est, & non circunscriptiuè: ergo saltem definitiuè. Alij verò Theologi negant Christum, ex vi huius præsentiæ, esse definitiuè in sacramẽto, quod sentit D. Tho. q. sequẽte, a. 1. Alens. 4. p. q. 40. mẽb. 3. a. 6. §. 1. Aegid. tract. de Euchar. propos. 3. 4. & 5. Soto & alij dist. 10. Et probari potest; quia Christi corpus, ex vi huius præsentiæ non est in loco: ergo neq; est in loco definitiuè. Ité, ita est in vna hostia, vt sit etiam in alijs: ergo in nulla est definitiuè. Sed tota hæc dissensio videtur esse magis de modo loquendi, quam de re, vt hæ rationes ostendũt; mihi tamen simpliciter videtur proprius ac verius dici, Christũ, ex vi huius præsentiæ, non esse definitiuè in loco; non tamen censeo faciendam esse vim in illa particula, *esse in loco*: quia, vt suprà dixi, si strictè sumatur pro loco physico, sic nulla est quæstio: quia hoc modo etiam angelus non est in loco definitiuè, neq; vllo modo: latius ergo sumenda est, prout dicit esse realiter præsens alicubi; quomodò verè Christus ibi est, ratione huius præsentiæ, vbi species consecratæ existũt; & adhuc hoc modo negamus ibi esse definitiuè, ad quod explicandum vis facienda est in propria significatione huius verbi, *definitiuè*. Duobus enim modis sumi potest, primo, vt includit negationẽ actualis præsentiæ in alio loco; in quo sensu vti videtur hac vocẽ Palud. & alij, sicut multi etiã autores vtuntur hac voce, *circunscriptiuè*, vt dicã q. sequente, sed non est proprius, vt patet ex his, quæ circa primã opinionẽ dicta sunt; & tamen constat, etiam in hoc sensu Christũ in nulla hostia consecrata esse definitiuè: quia simul est, & in alijs, & in cælo. Secũdo accipi potest illa vox, vt includit negationẽ aptitudinis, seu potestatis existendi simul in alio seu in maiori loco; potestatis, inquam, intrinsecæ & connaturalis, per quam intrinseca rei natura mensuranda, & denominanda est, non per extrinsecã Dei potentiam. Et hoc, re vera, est necessariũ, vt res propriè dicatur esse definitiuè in loco; & ideò Christus ex vi huius præsentię nõ potest propriè dici esse definitiuè in loco: vel quia ex vi vnius præsentiæ sacramentalis nõ potest simul habere alias discretas, etiã eiusdem ordinis ex natura rei, vt suprà probabiliter dicebamus, vel certè quia huiusmodi præsentia, neque ex ratione formali sua, neq; ex parte subiecti habet terminũ magnitudinis, vt suprà etiam est ostensum: nã, quod loco definitur, ita clauditur terminis illius loci, vt iuxta rei naturã extra illos esse nõ possit, vt ex vi illius vocis cõstat; & ideò Deus nõ definitur loco: quia eius immẽsitas nullis terminis clauditur: sic ergo præsentia hæc, quia, natura sua, nullo certo termino finitur, non potest ratione illius res propriè loco definiri, neq; adæquate; quia nunquã habet adæquatũ terminum; neq; inadæquatè: quia nunquã talis præsentia est pars, vt dicit habitudinẽ ad præsentiã adæquatã, & definitiuã in illo ordine. Vnde facilè patet rẽsponsio ad argumẽta primæ opinionis. Ad primũ respondetur, solùm probare, hanc præsentiam de facto esse finitã ad quantitatẽ panis, vel vini; non verò quòd ex natura sua sit præsentia definitiua: quia posset fieri per conuersionem ex maiori, & maiori quantitate panis, in maiori, & maiori spatio in infinitum. Ad secundũ respõdetur, nõ esse simile de angelo: quia, licèt interdùm nõ sit in loco adæquato, tamen est in parte eius, & ideò potest aliquo modo dici esse tunc definitiuè inadæquatè: nõ sic autem Christus, vt dictum est: quia nunquã hæc præsentia est pars adæquatæ præsentiæ in illo genere. Ad tertium respondetur, solùm probare, q; actu semper sit Christus in loco finito ratione huius præsentiæ; nam hoc satis est, vt secundùm illã posit mutationem recipere. Ad quartũ respondetur, hũc modum essendi in loco, nec definitiuè, nec circunscriptiuè dici posse; neq; enim necesse est, vt sub his mẽbris omnes modi essendi in loco contineãtur; vt patet in Deo, qui neutro illorum modorũ in loco est, sed immensè, ad quam perfectionẽ nõ attingit etiã hæc præsentia: quia neque est, neq; esse potest actu infinita: est autem quædam singularis participatio eius: quia, quantum in se est, potest in infinitum augeri, vt eleganter tractat Algerus lib. 1. de Euchar. c. 14. Est ergo hæc præsentia altioris ordinis, & non mẽsuratur ex incapacitate naturali creaturæ, sed ex obedientiali sub omnipotentia Dei: & ideò non habet speciale nomẽ impositum; dicatur ergo hic modus essendi in loco sacramentaliter.

Solutio argumentorum opinionis.

SECTIO. IIII.

Vtrùm de potentia absoluta plures & distinctæ præsentiæ reales in spatijs distantibus possint eidẽ corpori conuenire.

Quibus modis accipit possit quæstio.

IN hac quæstione possunt illæ tres cõparationes tractari, quæ in præcedẽte: potest enim esse quæstio prima de pluribus præsentijs sacramentalibus; secunda, de pluribus, vna naturali, & alia vel alijs sacramẽtalibus; tertia, de pluribus naturalibus, seu quantitatiuis. Prima, & secunda sunt propriè Theologicæ, & solùm cum hæreticis est nobis controuersia. Tertia etiam à philosophis tractari solet, sed imperfectè, & ex principijs alienis; & ideò hic prætermitti nõ potest, præsertim quia hæretici magnam vim in ea faciunt, & ex opinione Catholicorũ veritatem Catholicã impugnant. Hæretici ergo absolutè negant, esse possibile, idem corpus simul esse in duobus locis quocunq; genere præsentiæ; & ideò negant realem præsentiam Christi in sacramẽto Eucharistiæ: quia, cùm de fide certum sit, Christi corpus esse realiter præsens in cælo, impossibile putãt, quòd simul sit in aliqua hostia consecrata, nedum in multis, ac penè infinitis. Probant autem suam sententiã ex verbis Angeli, Matth. 28. *Iesum, qui Crucifixus est, quæritis? non est hic: surrexit enim*: quæ causalis collectio non esset bona, si potuisset Christus simul esse in alio loco, & in sepulchro. Secundò afferunt Patres negantes, idẽ corpus posse esse simul in duobus locis, quod videtur præcipuè docere Aug. ep. 3. & 57. & 10. c. 11. & magis ex professo Anselm. in Monolog. c. 20. Tertiò argumentatur ad hominẽ, quia Catholici docent, non posse idem corpus esse modo naturali & quantitatiuo in multis locis: ergo multò minùs esse potest modo quãtitatiuo, seu naturali, & sacramentali: nam in hoc posteriori miraculo includuntur

Negant hæretici corpus esse posse in duobus locis formal.

Augustin. Anselm.

Universidad de Deusto Biblioteca

duntur omnes difficultates & repugnantiæ,quæ in priori excogitari poſſunt,& prætereà additur ſpecialis difficultas in hoc,q. corpus ſit in vno loco extenſum,& in alio inextenſum:antecedens probant ex his,quæ adducemus in ſequenti opinione.

Ex catholicis quidā negant, duas præſentias quantitatiuas eidē corpori poſſe ſimul conuenire de potentia abſoluta Dei.
D. Thom. D. Bona. Capreol. Palac. Durand. Heruæus. Carth. Soto. Ledeſm.

Eſt ergo altera Catholicorum ſententia negantium, duas præſentias quantitatiuas adæquatas & diſcontinuas poſſe ſimul eidem corpori conuenire, etiam de potentia Dei abſoluta,quanuis de alijs præſentijs ſacramentalibus,vel ſolis,vel cum vna naturali id negare non poſsint,propter Catholicam fidē oppoſitum docentem.Hanc ſententiam indicat D. Tho.hic ad 3.& expreſsè quodlib.3.art. 2. & in 4.d.10.q.1.art.1.& d.44.q.1.art.2.quæſtiunc.3.ad 4.vbi etiam Bonauent.art.de dote ſubtilitatis q.1. Capreol.d.10.q.1.art.3. Palud.q.1. Durand.q.1. nu.30.& 31.& q.4.nu.8.& d.44.q.6.ad 1.Sed hic autor in hac materia grauiter fallitur:quia,dum ait, præſentiā ſacramentalem ſolùm eſſe præſentiam ordinis,ferè negat,eſſe verā præſentiā realem.Et eandem ſententiā tenet Henric.quodlib.6.q.32. Godof.quolib.13.q.4.AEgid.quodlib.1.q.1.quodli.2.q.17.& Theorē.3.de Euchariſtia.Heruæ.quodl.11.q.13.Ferrar.4.cont. gent.c.68. Carth.in 4.d.13.q.3.dub.1.ac deniq; Soto,qui in 4. phyſ.cōtrariū docuerat,hic ſubdubitat,magiſq; in hanc partē propēdet d.9.q.1.art.1.ad 3.& d.10.q.1.art.5.& eodē modo ſentit Ledeſma q.16.ar.1. Fundamēta huius ſententiæ commodiùs poſteà proponentur, oſtendendo eadem adduci poſſe contra Catholicam fidem,& vix poſſe differentiam probabilem aſsignari.

Idem corpus ſimul poteſt eſſe in duplici loco diſtanti per diuerſas præſentias ſacramentales.

Dico primò.Idem corpus poteſt ſimul eſſe præſens locis diſtantibus præſentia ſacramentali indiuiſibili.Concluſio eſt de fide,quæ ſufficienter probatur ex myſterio Euchariſtiæ;& ex his,quæ in ſuperioribus adducta ſunt ad probandam realem præſentiā Chriſti in hoc ſacramēto:nā inde credimus, Chriſtum eſſe realiter præſentē in omnibus hoſtijs, quæ in varijs,& diſtantibus Eccleſiæ locis cōſecrantur:non eſt ergo hæc præſentia ad vnum locū coarctanda,vt ſenſus & traditio Eccleſiæ ſatis probant; & illa verba Chriſti;& factum ipſum primæ inſtitutionis:nam Chriſtus eodem tempore communicauit Apoſtolos: vnde ſimul erat præſens in omnibus particulis panis,quas ſingulis tribuit;quòd autē hoc non implicet contradictionem, ex ſola ratione naturali non poteſt euidenter probari : poſſunt tamen facilè ſolui argumenta, quæ afferri poſſunt ad probandū hoc eſſe impoſsibile,vt infrà videbimus, poſſunt etiam adduci nonnullæ coniecturæ,quas in tertia concluſione afferemus de præſentia quantitatiua,quæ eandem vel maiorem vim habent in hac ſacramentali.Tandē probare poſſumus ex alio myſterio huius ſacramenti,quod ſuprà oſtendimus,nō implicare contradictionem,ſcilicet, Chriſtum ex vi huius præſentiæ eſſe totum in toto , & totum in qualibet parte ſpecierū ſacramētalium,ante diuiſionem earum:ergo etiam poſt diuiſionem poteſt manere totus in quauis parte diuiſa:quia nulla fere maior eſt difficultas:ergo etiam ſi illæ partes diuiſæ loco ſeparentur,manebit Chriſtus ſub qualibet earū; & ita erit ſimul in locis diſtantibus. Patet conſequētia eadē ratione,quia etiam in hoc nihil fere eſt maioris difficultatis,&,ſi quid eſt , facilè vinci poteſt per diuinam potentiam:quia nullā nouam contradictionem inducit: imò videtur quid conſequens ad prius miraculū.Atq; ex hac concluſione ſequitur, cōiungi ſimul in eodem corpore Chriſti diſtinctas præſentias ſacramētales in ordine ad diuerſa ſpatia, quæ occupant variæ ſacramentales ſpecies, quod,licèt non ſit tam apertè de fide,mihi tamen eſt indubitata veritas,quæ neceſſariò conſequitur ex principij,fidei,quod rectè vidit Palud.in 4.d.10.q.3.ar.3.nu.22.quia hæ præſentiæ ſunt modi ita diſtincti in corpore Chriſti,vt vnus corrumpi poſsit,alio manente,& è contrario,&,vt ſecundùm vnū poſsit Chriſtus moueri,& ſecundùm alterum non moueri:ergo neceſſe eſt,illos eſſe modos,re ipſa , numero ſaltem diſtinctos;ſicut ſunt duæ præſentiæ,quæ ſucceſsiuè fiunt in corpore Chriſti.

Idem corpus etiam ſimul in loco diſtanti poteſt eſſe in vno ſacramentaliter, in alio naturaliter.

Dico ſecundò.Non eſt impoſsibile, idem corpus eſſe ſimul in diuerſis locis diſtantibus,in vno naturali,& quantitatiuo modo,& in alio vel alijs ſacramentaliter. Hæc concluſio eſt etiam de fide,eodemque modo probatur ex hoc myſterio : quia de fide eſt,Chriſtum in nocte cœnæ propter ſacramentalem præſentiam, quam ſub ſpeciebus panis habere cœpit,non amiſiſſe viſibilem,nec naturalem modū exiſtendi in loco,per quem erat præſens in propria ſpecie diſcipulis ſuis,Et eodem modo de fide certū eſt,nunc exiſtere in cælo in propria ſpecie , quanuis ſimul ſit in terra in ſacramento : habet ergo ſimul vtramque præſentiam,quas à fortiori conſtat ex ſuprà dictis eſſe in re ipſa diſtinctas:cùm nō ſolùm numero,ſed etiam ſpecie differant, & multò magis in vna fiat mutatio,altera immutata manente. Poteſt etiam concluſio hæc probari ex præcedente : quia re vera nullā maiorem repugnantiam intellectus in hoc concipit,quòd Chriſtus ſit hic ſacramentaliter, & in cælo quantitatiuè,quā in hoc,q. ſit hic,& Romæ ſacramentaliter:nam tam verè & realiter adeſt præſens per ſacramentalem præſentiā,ſicut per quātitatiuā:quòd autē vna præſentia pateat ſenſibus & non alia,aut q. vna coextendatur ſpatio , & repleat illud materiali modo,alia verò modo altiori,non auget difficultatem vel repugnantiam in hoc miraculo,ſed potiùs in altero:quia tunc priuatur corpus in vtroque loco naturali modo exiſtendi in loco,iuxta hanc verò concluſionem ſolùm caret illo in altero loco. Quocirca omnes rationes & congruentiæ, ac argumentorū ſolutiones,quæ afferri poſſunt pro concluſione præcedente,& fient in ſequente , eodē modo valent ad hanc concluſionem confirmandā: denique illa eſt ſufficiens ratio:quia ex hoc , quòd corpus quantum , & alicubi extenſum in ordine ad locum alibi ponatur ſine tali extenſione cum ſacramentali præſentia , nihil fit directè repugnans eſſentiæ quantitatis,aut modo propriè occupandi ſpatium,quem alicubi addit : nam horum ratio ſolùm in hoc conſiſtit,quòd tale corpus conſtet partibus quantitatiuè diſtinctis,& per eas occupet aliquod ſpatium cum cōmēſuratione ad illud,diuerſas illius partes ſuis etiam diſtinctis partibus occupādo : ſed nihil horum deſtruitur ex hoc,quòd tale corpus ſimul ponatur alibi,ſine huiuſmodi locali extēſione: ergo ex hoc capite iſtud non repugnat , neque ex vllo alio oſtendi poteſt,vt facilè conſtabit reſpondendo obiectionibus:non eſt ergo hoc impoſsibile; neque extra diuinæ omnipotentiæ obiectum.

Idē corpus poteſt per Dei potentiā duo loca occupare quātitatiuè, & diſtantia.

Dico tertiò.Non eſt impoſsibile,idem corpus ſimul conſtitui in duobus locis diſtātibus,& in vtroque,modo naturali & quantitatiuo. Hanc ſententiā tenet Hugo de Sanct.Vict.lib.2.de ſacram p.8.c.

Hugo Vict.

11.vbi tamen non tā accuratè,& ſcholaſticè diſtinguit de modo exiſtendi in loco,ſed ſimpliciter docet,idem corpus per diuinam potentiam poſſe eſſe in multis locis ; quomodo loquuntur etiam plures Sancti,tractantes de præſentia reali in hoc ſacramento,quos ſuprà retulimus. Diſtinctiùs & formaliùs docuerunt hanc ſententiam Alex.Alenſ.4.p.q.11.artic.1.§.vlt.aliàs quæſt.44.membr.7.Scotus in 4.diſtinct.10.per multas quæſtiones,præſertim in 2. Richard.art.2.quæſt.2. Maior quæſt.1 Gabr.q.1.art.2.& lect.46.in Can. Marſil.in 4.quæſt.7.art.3.dub.2.Ocham q.4.Aliacus quæſt.5.art.2. Adam.q.5.artic.3.Aureol.apud Capreol.diſt.10.q.1. Palacios d.11.diſp.1.Ruard.quanuis ſubdubitans art.15.contra Luth.Alan.lib.1.de hoc ſacr.c.38. Claudius de Sainctes repet.4.de Euchar.cap.4.& 7. Bellarm.lib.3.de Euchar.cap.3.& 4.& ferè communiter reliqui,& moderni ſcriptores Theologi,qui hoc tēpore ſcripſerunt,præſertim contra hæreticos. Eſt enim hæc opinio non ſolùm aptior ad reſpondendū hæreticis,& veritatem Catholicam tuendam ; ſed etiam iudicio meo,tam neceſſariò , tamque euidenter cōſequens illam,vt mirabile ſemper mihi viſum fuerit,contrariam ſententiam grauiſsimis Theologis perſuaderi potuiſſe.

Alex. Scot. Richard. Maior. Gabriel. Marſil. Ocham. Aliacus. Adam. Aureolus. Palacios. Ruard. Alanus. Claudius. Bellarm.

Probatur ergo concluſio, primò ratione nuper facta:quia,quòd idem corpus alicubi exiſtens quantitatiuo modo,alibi ſimul eodem modo ponatur,non eſt contra intrinſecam rationem quantitatis : neque eſt contra rationem intrinſecam illius naturalis modi exiſtendi in loco, quem corpus quantum in vno loco habere ſupponitur:ergo ſimpliciter non repugnat : conſequentia probatur,quia à priori nullū aliud principium , ſeu caput repugnantiæ excogitari poteſt:inconuenientia verò,quæ à poſteriori inferri poſſe videntur, facilè inferiùs diſſoluentur. Maior autem per ſe videtur nota ex ſuprà dictis:quia ratio integra quantitatis prior eſt quàm extenſio eius in ordine ad locum:ergo,ſicut hac ratione dicimus , priuari huiuſmodi extenſione non eſſe contra rationem quantitatis,ita dicendum eſt,recipere vnicam vel plures extenſiones huiuſmodi, non eſſe contra rationem quantitatis:quia hoc etiam eſt quid potiùs ſicut illud,& certè minùs diſſonans naturæ quantitatis: quatenus minùs videtur à natura vniuſcuiuſque rei alienum,recipere duplicatas(vt ſic dicā) proprietates naturales,quam omnibus priuari: ſicut magis violentum eſt terræ priuari motu deorſum, quàm duplo intenſiùs moueri,quā naturaliter poſſit:ac denique , ſi ſolùm res ipſa attentè conſideretur,facilè intellectus concipit,quantitatem ex hoc, quod in multis locis ponatur,nihil eorum amittere,quæ ad rationem ſuam,ſuumque effectum formalem intrinſecè pertinent.

Obiectio.

Dices,quantitatē ex ſe reddere corpus aptum,vt in vno tantum loco extēdatur;vnde,ſi in multis ſimul extenſiuè ponatur , vel mutabitur,vel augebitur effectus formalis quātitatis non mutata forma , vel recipiet corpus plures actus,ſine capacitate ad illos,ſed ad vnum tantùm: vtrumq; autem horum impoſsibile eſt.

Solutio.

Sed hoc nullius momenti eſt:laboratur enim in æquiuoco, non diſtinguendo capacitatem naturalem,ab obediētiali,nec capacitatem ad plures actus diuiſim,aut copulatim ſumptos:per quantitatem enim redditur corpus naturaliter capax vnius tantùm extenſionis in loco:non quidem determinatè,ſed confuſè: quia poteſt hanc vel illam extenſionem recipere in hoc,vel illo,aut quouis alio ſpatio;atq; ita diſiūctim,ſeu diuiſiuè capax naturaliter eſt plurium extenſionū; & quanuis ſimul tantùm poſsit naturaliter vnum recipere,tamen ſucceſsiuè poteſt habere plures. Vnde fit,vt cum hac capacitate naturali cōiūcta eſſe poſsit capacitas obediētialis, vt ſupernaturaliter poſsit recipere ſimul & coniunctim ea,quæ naturaliter tātùm poterat ſucceſsiuè,aut diſiūctim habere ; & ita in hoc non fit contra capacitatem ſimpliciter quātitatis,ſed ſuprà naturalem capacitatem eius ; neque augetur aut immutatur formalis effectus eius : quia cum illo intrinſecè coniuncta eſt hæc obediētialis capacitas. Quæ doctrina non eſt hic ſpecialiter inuēta,ſed neceſſariò eſt generaliter ab omnibus admittenda in rebus omnibus,quæ habent potētiam obedientialem ad aliquos actus vel effectus;vt in ſuperficie recipiente ſimul per potentiam Dei albedinem & nigredinem intenſas,quas ſolùm poterat naturaliter recipere ſucceſsiuè; & in intellectu recipiente viſionē Dei,& in præſente materia,in corpore quāto recipiente ſimul,cū præſentia quātitatiua vnius loci,præſentiam ſacramentalem in alio,cuius nō erat naturaliter capax.

Supereſt probanda altera pars antecedentis, ſeu minor propoſitio in principali argumēto aſſumpta, ſcilicet,hoc etiam nō repugnare cum intrinſeca ratione modi exiſtēdi quantitatiuè in vno loco,quod facilè etiam patet ratione ſuprà indicata:nam ratio huius modi ſolùm in hoc cōſiſtit,vt corpus quantū ita ſit præſens ſpatio , vt ex vi modi, quo illud replet,habeat extenſionē partiū in illo,ita vt vna aliā excludat à ſuo partiali loco:ſed hoc totum integrū manet,etiam ſi corpus ſi exiſtens in hoc loco , alibi in alio ſpatio ſimili modo cōſtituatur:quia per hoc non amittit extenſionem in alio loco , nec aliquid aliud,quod intrinſecè illi adueniat : imò hoc ipſum eſt,quod hęc ſentētia affirmat;eſſe poſsibile,ſcilicet, multiplicari huiuſmodi præſentiæ modū,alia ſimili præſentia integra,& immutata manente.

Obiectio.

Sed obijciunt,intrinſecam rationē huiuſmodi præſentiæ nō ſatis explicari per totū illud poſitiuū,quod nos propoſuimus,ſed includere etiā negatiuum , ſcilicet,q. corpus ita claudatur terminis illius loci,quem occupat,vt extra illos non ſit:vnde hoc ipſo,q. alibi eſſe ponitur,directè fit aliquid repugnans priori modo exiſtēdi in loco,& rationi eius:quod ſic etiā patet; nam eſſe in loco quantitatiuè idem eſt,quod eſſe in loco circūſcriptiuè;ſed de ratione eius , quod circūſcribitur,eſt,vt non ſit extra terminos circunſcribētis,vt ex ipſa voce patet;& ideò etiam id , quod circūſcribitur,dicitur definiri loco.

Solutio.

Sed hęc obiectio, aut facit vim in ſolis verbis,aut petit principium,& ipſum ſumit,quod probādū eſt.Si enim affirmat,& ſumit,de ratione modi exiſtendi in vno loco quantitatiuè eſſe , vt illudmet corpus non ſit extra illū locū,vel actu non habeat aliam rationem ſimilē,petit principium:vnde enim hoc probatur,aut probari poteſt?nam,conſiderata tota intrinſeca natura,& ratione poſitiua illius modi,ex illa non ſequitur intrinſecè hæc negatio,præſertim in ordine ab abſolutam Dei potentiam:vnde enim conſtat hæc connexio,aut quo modo colligi poteſt?cùm totū illud poſitiuum ſatis intelligatur ſine tali negatione,vt declaratū eſt;ſi verò ſolùm affirmat & ſumit,de ratione illius modi tantùm eſſe,facere rem præſentē prædicto modo in vno ſpatio:hoc quidem veriſsimum eſt,tamen ex eo ſolùm ſequitur,vnam rem,vel vnū

Universidad de Deusto Biblioteca

modum præsentiæ tantùm esse in vno loco; & ad summùm, etiam sequitur, naturaliter vnius modi talis præsentiæ esse capacem: non verò inde inferri potest, non posse eandem rem per plures modos similes esse in pluribus locis, aut per potentiã Dei non posse illos modos recipere. Quòd si tandem fiat vis in illa voce, *circunscriptiuè*, dico, illam vocẽ rectè explicatã solùm dicere naturalẽ terminationẽ & adæquationem locati ad locum, quo circũscribitur. Vnde ex vi illius vocis solùm significatur, rem, quæ circũscribitur loco, naturaliter solùm esse, ac posse esse in illo, cui significato non repugnat, quod supernaturaliter sit extra illũ. Quòd si quis tãdẽ pertinaciter cõtendat, illa voce significari, id, quod est circunscriptiuè in loco, de facto non esse, nec posse esse alibi, etiam per diuinam potẽtiã. Primùm, hoc dato, nego idem esse, esse quãtitatiuè in loco, & circunscriptiuè: quia in hoc posteriori additur quædã negatio, quæ non est de ratione prioris. Vnde, illa suppositione facta, rectè sequitur, Deum non posse vnum corpus ponere circũscriptiuè in multis locis: quia hoc nihil aliud est, quàm dicere, Deũ nõ posse facere, vt idem corpus simul sit intrã vnũ tãtùm locum, & in multis, quod friuolum valde est; & impertinens ad nostram assertionem. Deinde verò dicitur, illam vocis significationẽ falso esse; & gratis dõfictã ad implicãdã & cõfundẽdã quæstionẽ. Alioqui eodẽ modo dicere posset aliquis, de ratione essendi in loco circunscriptiuè esse, vt corpus, quod ita est in aliquo loco, in alio esse nõ possit, etiã definitiuè seu sacramentaliter. Secũdò principaliter suaderi potest cõclusio naturalibus exemplis: nam angelus (idẽ est de anima) potest virtute naturali esse totus in toto aliquo loco, & totus in qualibet parte: quid ergo mirum, quòd Deus virtute supernaturali aliquid simile possit operari in corpore, constituendo totum illud in diuersis locis? Quod si dicas, angelũ solùm posse esse illo modo in spatio cõtinuo, non verò in discretis. Respondetur, illud esse incertũ, & sub opinione: nã multi opinantur, posse angelũ virtute sua esse in locis distinctis, qui adæquatam virtutẽ angeli non excedant: extra controuersiam autem esse debet, aliquid maius dandũ esse diuinæ potentiæ, presertim cùm ex sola locorum discõtinuatione nulla appareat specialis implicatio contradictionis, vt sæpe in superioribus dictũ est: quia, vt rectè Augustinus ait lib. de cura pro mortuis agẽda c. 16. & 17. *Alij sunt humanarũ limites rerũ, alia diuinarũ signa virtutũ; alia sunt, quæ naturaliter; alia, quæ mirabiliter fiunt.* Ex quo principio pro cõperto ibidẽ habet, posse animas Sanctorum simul esse in cælo, & in terra, quando hic aliquid mirabiliter operãtur; quãuis dubitat, an de facto ita fiat. Vnde etiã cõcluditur posse Deũ cõstituere angelũ in locis distantibus, etiã si singula eorũ adæquata sint: quia, licèt hoc excedat naturalẽ virtutem angelicã, non tamen est, cur superet diuinã potentiã. Et hoc etiam satis persuadet mysteriũ Eucharistiæ, in quo præsentia, quæ multiplicatur, est indiuisibilis, & similis angelicæ & per tot spatia extẽditur, vt immẽse excedant spatium, quod naturaliter potest Christi corpus occupare: ergo idẽ posset facere Deus circa angelicã substãtiã, dãdo ei plures præsentias distinctas & distantes, ita vt singulæ earũ essent connaturales, collectio autẽ, vel multitudo esset præter naturalis: ergo eodẽ modo posset dare corpori plures præsentias cõnaturales in modo & ratione earũ, quanuis collectio earũ supernaturali modo fiat.

Exemplis naturalibus confirmatur conclusio.

Probatur hæc vltima cõsequentia: nã, quòd res sit spiritualis vel materialis, & præsentia naturalis sit indiuisibilis vel diuisibilis, videtur valde materiale, & impertinens ad inferendã implicationẽ contradictionis, quia etiã res spiritualis suo definitur loco, & extra spatiũ adæquatũ naturaliter esse nõ potest, &, quãdo ita constituitur, quodãmodò à se diuidi videtur, & simul habet relationẽ distãtiæ & propinquitatis ad eãdẽ res, & potest hic moueri, & alibi quiescere. Deniq; habet plures adæquatas præsentias, quàm naturaliter possit; ergo, formaliter rẽ cõsiderãdo, eadẽ est difficultas, & quòd corpus suum locum occupet modo materiali & sensibili, nullã inducit specialem cõtradictionẽ.

Item exemplis supernaturalibus.

Tertiò argumentari possumus ex alijs supernaturalibus exemplis, & omissis Trinitatis, & Incarnationis mysterijs, quia illud factũ non est, neque sub operibus Dei cadit, hoc verò, licèt sit factum, & excellentius, tamen videtur esse alterius ordinis, & ideò non posse ab illo proprium argumentum proportionale, seu à simili sumi; possumus autẽ hinc aliquo modo argumentari, iuxta opinionem D. Tho. asserentis posse Deum eandẽ humanam naturã hypostaticẽ ponere in multis personis: quod multò sanẽ videtur difficilius, quàm idẽ corpus poni in duobus locis. Vnde aliud etiã potest confici argumentum, nam potest Deus facere, vt eadem accidentalis forma inhæreat multis subiectis: non est enim hoc difficilius, quàm eãdẽ substantialẽ naturã vniri multis personis. Item potest facere, vt idẽ effectus simul pendeat à pluribus causis totalibus, vt probabilior est opinio, & è contrario, vt eadem causa simul producat plures effectus adæquatos virtuti suæ: quia non est hoc difficilius, quàm supernaturalem effectum producere: ergo poterit etiam vnum corpus in diuersis locis ponere: tenet autem proportio argumenti in hoc, quòd in omnibus illis exemplis, aut res afficitur simul pluribus modis, cùm ex natura sua tantùm vnius sit capax; aut aliquid amplius agit, vel patitur supernaturaliter, quam possit naturaliter. In hoc autem opere, de quo disputamus, nullũ aliud mirabile reperitur, nisi alterutrum ex his. Fortius tamen argumentum sumemus ex aliquo supernaturali effectu, quem constet, Deũ effecisse; huiusmodi autem est penetratio duorum corporum: nã Deus facit, duo corpora in vno loco adæquato esse: ergo potest idem corpus constituere in diuersis locis adæquatis: probatur consequentia; quia sicut naturaliter vnũ corpus tãtùm est in vno loco, ita etiam naturaliter in vno loco tantũ est vnũ corpus. Respondet D. Thom. negando consequentiam, quia de ratione vnius duo (inquit) sunt; primum, esse indiuisum in se; secũdum, esse diuisum à quolibet alio; & primum est magis intrinsecũ, quã secundum; quando autem duo corpora ponũtur in vno loco, solùm fit, vt inter se nõ sint diuisa, si autẽ idem poneretur in duobus locis, diuideretur à se ipso, & ita in hoc magis fit cõtra rationem vnius, quã in illo. Sed hæc responsio probari certè non potest; primò, quia, si esset solida, re vera idem probaret de qualibet præsentia reali, etiam sacramentali: nam, licèt corpus per hanc præsentiam non repleat spatiũ quantitatiuo modo, tamen verè & propriè per illã est in terra eadem res, quæ est in cælo; & hic caret modo, quem ibi habet: ergo etiã dicetur distare, seu diuidi à se ipsa. Deinde, inquiro, in quo sit vis illius rationis; nam si sit sermo de propria diuisione, vel indiuisione entitatiua, sicut repugnat, vnam entitatem manentem vnam esse diuisam in duas, ita æquè repugnat duas entitates manentes duas esse vnam indiuisam: quia, licèt fieri possit, vt ex duabus entitatibus fiat vna composita; tamen duæ, vt sic, non possunt esse vna simplex entitas: est ergo quoad hoc, æqualis repugnantia. Si autem solùm sit sermo de diuisione & indiuisione quoad locum, prout re vera esse debet, quia nunc tantùm de loco tractamus, sic rem esse vel non esse diuisam quoad locum, nihil refert ad rationem vnius, quæ ex ipsa rei vnitate vel quantitate consurgit, non ex modo existendi in loco. Vnde, sicut duo corpora existentia in eodem loco, non propterea fiunt vnum corpus, imò neque habent vnum & eundem locum intrinsecum præsentiæ localis; ita neque vnum corpus existens in duobus locis esset diuisum in multa corpora, sed haberet tantùm diuersos modos præsentiæ localis: nihil ergo in hoc fieret contra rationem vnius; atque ita in sua vi manet consequentia facta: quia, sicut quantitas natura sua terminatur vno loco, ita expellit aliud corpus ab eodem loco: ergo, sicut Deus vnam difficultatem superat, ita potest vincere aliam.

Euasio.

Improbatur.

Aliter respondet Bonauentura, negando etiam consequentiam, & rationem differentiæ addit: nam, quòd vnum corpus quantum in vno tantùm loco existere possit, ex eo prouenit, quòd finitum est: Deus autem non potest facere, quin sit finitum: imò (vt supponimus) Deus non aufert quantitatem eius, & ideò non potest illud nisi in vno loco constituere: quòd autem duo corpora in vno loco naturaliter esse non possint, ex eo prouenit, quòd habent molem, quam Deus potest quantitati auferre; & ideò facere etiam potest, vt duo corpora sint in eodem loco. Sed hæc responsio non est magis solutio, quàm præcedens; & à ratione posteriori incipiendo, interrogo, quid nomine molis intelligat: nam, si per molem intelligamus ipsam quantitatis extensionem in se, ratione cuius natura sua postulat diuersum spatium, quod repleat, aut vna pars respectu aliarum, aut vnum corpus respectu alterius; hoc modo verum est, ideò duo corpora natura sua apta esse se se expellere ab vno loco, quia habent molem: quanquam id actu non faciant sine actuali extensione in loco: falsum autem est, quantitatem posse priuari mole in hoc sensu: quia sic habere molem est intrinseca ratio quantitatis, & ad eius primarium effectum formalem pertinet, vt suprà ostẽsum est; & multò magis falsum est, corpora se penetrantia priuari huiusmodi mole, vt à fortiori patebit ex dicendis. Si autem per molem intelligamus actualem in loco extensionem (nam præter hæc duo nihil aliud excogitari potest) sic verum est, posse quantitatem priuari huiusmodi mole; falsum autem, hinc prouenire, quòd penetratio corporum sit possibilis: nam corpora, quæ Deus ponit penetratiuè in eodem loco, non priuantur proprijs extensionibus in ordine ad locum, vt constat de corpore Christi & Virgineo, quando in partu se se penetrarunt, & de eodem Christi corpore & de lapide sepulchri in Resurrectione. Imò, vt sit propria penetratio, necessariò supponitur, vtrumque corpus esse extensiuè in loco; & nihilominùs diuinitus fieri vt non se impediant; & ideò corpus Christi non propriè se penetrat cum speciebus panis: quia non est ibi extensiuè, sed altiori modo. Vnde retorqueri potest argumentum hoc modo; nam, licèt impenetratio corporum ex mole quantitatis proueniat naturaliter, nihilominùs, non ablata mole, Deus facit corpora penetrari: ergo, licèt naturalis limitatio ad vnũ locum ex eo proueniat, quòd quantitas finita est, poterit Deus, non ablato, neque mutato quantitatis termino, idem corpus in pluribus locis constituere. Vnde, si altera pars rationis Bonauenturæ efficax esset, eadem probaretur, non posse Deum eleuare creaturam ad aliquid agendum præter virtutem suam finitam: quia eam limitationem in agendo habet ex eo, quòd finita est, quod Deus nõ tollit: probaretur etiã, angelum vel animam non posse constitui à Deo extra sphæram finitæ perfectioni eius adæquatam: imò etiam sequeretur, non posse Deum ponere corpus Christi sacramentaliter extra locum, quem habet in cælo: quia etiam ille locus est adæquatus quantitati finitæ corporis Christi, ex qua prouenit vt naturaliter limitetur ad illam præsentiam. Quocircà, vt res finita, quæ natura sua limitatur ad certam præsentiã vel spatium, supernaturaliter possit recipere simul aliam præsentiam eiusdem rationis, vel alterius; non oportet, vt infinita fiat, vel, vt quantitas eius augeatur, sed solùm vt eadem res cum tota sua quantitate finita, iterum, atque iterum quasi replicetur, & plures modos existendi recipiat.

Quartò principaliter argumentari possumus ex veritate huius mysterij, & ex præcedentibus cõclusionibus, nam potuit Deus corpori habenti quantitatiuam & naturalem præsentiam, dare alibi præsentiam realem & supernaturalem & alterius ordinis: ergo potuisset etiam dare aliam naturalem & eiusdem ordinis: probatur consequentia, quia nulla potest maior repugnantia assignari, vt euidentiùs statim patebit in solutionibus argumentorum; & nunc breuiter declaratur. Primò quia præsentia hęc supernaturalis, tam vera & realis præsentia est, sicut naturalis. Vnde æquè potest esse fundamentum propinquitatis, & distantiæ realis: hoc autem est, quod per se videtur pertinere ad repugnantiam, quæ inter duas præsentias reales intercedere videtur: nõ enim tantùm repugnant, quia duæ similes, & eiusdem rationis sunt, sed ex hoc præcise, & maxime, quòd duę distinctæ, & reales sunt in vna omnino, eademq; re: quæ tota difficultas versatur inter naturalem, & realem præsentiam. Et prætereà augetur ex eo, quòd sacramentalis præsentia pugnare videtur cum naturali conditione quantitatis. Item ex eo, quòd illæ duæ præsentiæ videntur habere cõditiones repugnantes, extensionem, & inextensionẽ in loco. Vnde nõ solũ videntur hæc esse æquè possibilia, verùm etiã hoc, de quo agimus, esse multò facilius ac possibilius. Secundò ostendi potest illa consequentia, excludendo omnes rationes differentiæ, quæ inter hæc duo miracula possunt assignari: sed hoc meliùs etiam fiet in solutionibus argumentorum. Tertiò tandem per se videtur incredibile, potuisse Christũ realiter adesse in sacramento visibili inuisibiliter, & tamen nõ posse ibi se ostendere visibiliter, si velit, nisi cælum deserat. Atque hic afferri etiam possent variæ Christi apparitionis in terra, quæ post ascensionem eius factæ sunt per veram, ac realem sensibilem præsentiam, vt multi existimant, cùm tamen probabile etiã sit, tunc cælestem locum non deseruisse; propter quod plures ex citatis autoribus, non solùm existimant, hoc esse possibile, sed etiam de facto Christum sæpiùs fuisse in pluribus locis in propria & visibili specie, de qua re videri possunt, quæ superiori tomo dixi disp. 51. sect. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solutio primi argumenti fit pro prima sententia, ab hæreticis.

Reliquum est, vt argumentis in oppositum satisfaciamus. Et primum expediamus ea, quæ ex hæreticis adduximus. Ad primum ex verbis Angeli, *Non est hic, surrexit enim*, respondetur primo, verba non continere propriam argumentationem, sed simplicem narrationem eorum, quæ gesta erant; præsertim quia Angelus loquebatur mulieribus, iuxta mentē earum, quæ Christum mortuum in sepulchro quærebant, cùm tamen iam omnino viueret. Vnde secundò dicitur, etiam ex vi consequentiæ illam esse optimam, loquendo familiari sermone humano, in quo, non quid Deus possit facere, sed quid sit consequēs ex ijs rebus consideramus. Tertiò, Angelus nō ita intulit, est alibi: ergo non est hic, sed ita, surrexit; ergo non est hic, quæ illatio est formalior: quia reluget non solùm significat incipere alibi viuere, sed quòd illud idem corpus, quod hic mortuum iacebat, hinc viuum egressum fuerit; & ita ex vi illius verbi non solùm significatur esse alibi, sed etiam nō manere ibi. Ad secundum ex testimonijs Patrum, iam suprà dictum est, Augustinum loqui iuxta naturas rerum, non autem explicare, quid Deus possit, vel non possit. Anselmus verò in citato loco non definiendo, sed argumentando procedit. Vnde capit. 22. fatetur, discursum prius à se factum nihil concludere; addit verò ibi, in creaturis, quæ loci spatium non excedunt, verum esse, non posse vnam simul esse in pluribus locis; quod rectè intelligitur, considerata naturali virtute earum: nam secundùm hanc loci spatium non excedunt. Ad tertium primum dicimus, non esse, quòd hæretici Catholicorum autoritate abutantur: nam hi solùm negant, corpus esse posse in pluribus locis quantitatiuè; quia circa hoc nihil est expressè reuelatum; & ex principijs philosophicis, & ex nonnullis differentijs inter huiusmodi opus, & aliud mysterium nobis reuelatum, ita eis probabiliter seu apparenter visum est; nunquam tamen ipsi ausi fuissent, propter physicas apparentes rationes veritatem reuelatam negare, quod hæretici faciunt. Deinde dicimus, Catholicos autores eam opinionem sequentes deceptos in ea re fuisse, & infirmis rationibus, quibus suam sententiam probare conati sunt, præter intentionem suam, veritatem fidei impugnasse; quibus ante omnia obijcimus verba illa Augustini. 22. de Ciuit. capit. 12. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possit ô vanitas!* Deinde sigillatim est huiusmodi rationibus satisfaciendū; in quo duo præstāda sunt, primum est, ferè omnes eodem modo procedere de præsentia sacramentali, & de quantitatiua: secundum, contra neutram earum quicquam concludere.

Ad 1. argum. Catholicorum pro ead.

Prima ergo ratio Catholicorum apud D. Thomam est, quia, si vnum corpus posset esse in duobus locis, eadem ratione posset esse in multis, & in toto vniuerso, & vbique; quod affirmare, ait D. Thom. hæreticum est: quia esse vbique est ita proprium Dei, vt ex hac proprietate sufficienter probent Sancti, Filij & Spiritus sancti diuinitatem; vt patet ex

S. Augustin. S. Fulgen. S. Ambros. S. Basil.

Augustin. lib. 6. contra Maximinū capit. 11. & Fulgentio lib. 1. ad Trasimund. capit. 17. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto. cap. 7. & Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 22. Sed hæc ratio apparentius conuerti potest contra mysterium Eucharistiæ: nam, si corpus Christi sacramentaliter potest esse præsens multis locis: ergo omnibus: ergo vbique; si autem de fide est, creaturam non posse esse vbique, non solùm est secundùm præsentiam quantitatiuam, sed etiam secundùm quamcunque præsentiam realem, etiam indiuisibilem, & angelicam: nam etiam de re spirituali creata erit de fide non posse esse vbique: alioqui ex illa proprietate non colligeretur diuinitas Filij, & Spiritus sancti. Addo deinde, multò apparentius sequi hanc vbiquitatem in præsentia sacramentali, quam in locali; quia, quod propriè est vbique, debet esse totum in omni loco, quod non necessario haberet corpus extensum in loco, quanuis esset replicatum per omnia loca: quia in singulis eorum non esset totum in omnibus partibus loci, & maximè in indiuisibilibus punctis; at verò si per sacramentalem præsentiam corpus esset in omnibus spatijs, magis propriè corpus esset vbique: quia totum esset in omnibus partibus, & in omnibus indiuisibilibus. Respondeo igitur, rectè posse facere Deum, vt idem corpus sit præsens extenso vel inextenso modo omnibus rebus & spatijs creatis, & cuicunque loco maiori, & maiori, etiam si in infinitum assignentur: nego tamen inde sequi, creaturam esse immensam; tum quia ad immensitatem nō satis est rem esse actu præsentem omnibus rebus creatis, seu spatijs realibus, sed necessarium est, esse actu præsentem omnibus spatijs imaginarijs, quod à nobis meliùs ita explicatur, oportere, scilicet, rem ita esse in se dispositam per suam præsentiā, vt sine sui mutatione possit esse præsens omnibus rebus, seu spatijs creabilibus, etiā si in infinitum crescant, seu multiplicentur; ad quod necesse est, vt talis præsentia sit in se actu infinita; & hæc est, quæ nomine immensitatis significatur, & est propria Dei, & non potest cōmunicari creaturæ. Neq; oppositū sequitur ex prædictis mysterijs: quia, licèt sequatur, posse Deū ponere idē corpus in pluribus, & in pluribus locis in infinitū, aut ponere illud realiter præsens in maiori & maiori spatio in infinitum, non sequitur, posse illi conferre præsentiā actu infinitam, vel præsentias multitudine infinitas: quia ab infinito in potentia, seu syncategorematicè ad infinitum in actu, seu categorematice nulla est consecutio, vt per se constat. Tandē addo, licèt hoc, quod dixi, probabilius sit, scilicet non posse Deum facere huiusmodi infinitum in actu in præsentia seu præsentijs eiusdem corporis propter generalia principia seu inconuenientia de infinito, non tamen esse de fide, sicut non est de fide, non posse Deum facere alia infinita creata in actu; neque tunc illa præsentia creata esset propriè immensitas, eò quia non esset propria tas connaturalis talis rei, seu corporis, sed extrinsecùs participata, vel quia non esset omnino necessariò & immutabiliter ei conueniens, quæ sunt de ratione propriæ immensitatis, & huiusmodi est immensitas Filij, & Spiritus sancti; ex qua rectè colligitur, ipsos esse Deum. Simile quid dici solet de æternitate per essentiam, & participata.

Ad secundum.

Secunda ratio etiam D. Thomæ est, quia, si idem corpus esset in duobus locis, vnum corpus esset in se diuisum, quod est contra rationem vnius. Sed iam suprà ostendimus, & rationem hanc eodem modo posse obijci contra sacramentalē præsentiā, & nihil cōtra alterutrā cōcludere: quia ex duplici locali præsentia eiusdē rei non sequitur eandem rem in se esse diuisam, sed præsentias inter se diuisas, & distinctas inesse eidem rei: hoc autē nullo modo est contra rationem vnius ex parte subiecti, sed ex parte modi: nos autē non dicimus modū esse vnum, sed duos in vno subiecto: & eodē modo soluēdum est, quod alij obijciunt, quòd idem à se ipso distaret: hoc enim nō sequitur de eodē secundùm idē, sed secūdùm distincta vbi, seu distinctas præsentias; & ita nullum est inconueniens, imò distantia propriè non est secūdùm entitatem, sed secundum locum; & ita, vbi sunt loca diuersa, ratione illorum intelligi potest distātia, quāuis res locata eadem sit.

Ad tertium.

Tertia ratio est, quia sequitur hæc implicatio, nimirùm, quòd res sit extra aliquod spatium, quia est in alio loco, & quòd non sit extra illud, quia in illo est circunscriptiuè. Sed de hac etiam ratione suprà ostensum est, eodem modo applicari posse cōtra præsentiam sacramentalem corporis Christi, ratione cuius est extra locum, quem in cælo occupat, in quo tamen est circunscriptiuè, & consequenter definitiuè. Responsum etiam est, illam negationem simpliciter sumptam non esse de ratione circunscriptionis, neque ex illa necessariò sequi in ordine ad omnipotentiam Dei, sed solùm secundum naturalem capacitatē corporis, seu creaturæ.

Ad quartum.

Quarta ratio suprà est ex Bonauētura tacta; quia quantitas occupat locum quasi formaliter & est finita: ergo omnino limitata ad vnum locum replendū: ergo manente quantitate eodem modo finita nō potest plura replere. Et confirmatur, quia non potest quantitas esse extensa in ordine ad locum, nisi sit extensa in ordine ad se: ergo nec potest esse bis extensa in ordine ad locum, nisi sit bis extensa in se: sed hoc posterius non potest conuenire vni, & eide quātitati: ergo neq; prius. Ad hanc verò rationem in superioribus etiam demonstratum est, quomodo etiā deficiat in Eucharistiæ mysterio, & in alijs operibus omnipotentiæ Dei; & pro omnibus responsum est, finitam quidem quantitatem, naturalia esse limitatam, tamen suprà naturam suam iterari posse in diuersis spatijs, & in eis recipere plures modos extensionis in ordine ad locum, atque hoc satis esse, vt pluribus in ordine ad locum simul replear, quàm naturaliter possit. Vnde ad confirmationem negatur consequentia, quia extensio in se est proprium fundamentum, & radicalis ratio formalis extensionis in ordine ad locū, & quasi ratio formalis subiectum illius modi existendi in loco; & ideo nullus talis modus esse potest sine tali fundamento: quia non potest res habere partes in loco, nisi priùs ipsa constans ex partibus intelligatur: illo autem fundamento semel supposito iam res est capax extensionis in ordine ad locum vnius aut plurium secundùm capacitatem naturalem, vel obedientialē, vt suprà declaratum est: quia postquàm res habet partes in se, nihil repugnat, quòd eas habeat in diuersis partibus diuersorum locorum, sicut substantia Angeli non potest intelligi existens tota alicubi, nisi præintelligatur habens suam substantiam; qua suppositata per eam sit capax, vt non tantùm semel sit tota alicubi, sed etiam, vt naturaliter sit tota in toto, & tota in quālibet parte, supernaturaliter verò etiam in pluribus locis adæquatis.

Ad quintum.

Quinta ratio, quia alioqui posset idem corpus bis poni in eodem loco, quod vix potest mente concipi; sequela patet, quia, si potest simul habere duas præsentias inter se distantes, cur non etiam indistantes? Respondetur in primis, fieri posse idem argumentū de præsentia sacramentali; &, quod in ea fuerit responsum, dicetur in alia. Deinde, Maior suprà negat sequelam, fortasse, quia præsentia sumit vnitatem, & distinctionem ex ordine ad patium, quod occupat, & ideo in ordine ad diuersa spatia facilè intelli-

gi possunt diuersæ præsentiæ, etiam si subiectū idem sit; si autem subiectum sit idem, & respectu eiusdem spatij, non videtur esse posse nisi vna, & eadem præsentia. Sed hæc ratio in primis non procedit in præsentijs diuersarum rationum, quia illæ secundum se distinguuntur: poterit ergo in eodem spatio idē corpus esse semel quantitatiuè, & iterum sacramentaliter, vt si Christus appareret intrà hostiā extensus & in propria specie, conseruata sacramentali præsentia, quam antea habebat; deinde non procedit illa ratio in præsentijs totalibus quantitatiuis, si secundùm diuersas partes respiciant diuersa spatia partialia, vt si idem homo semel sit rectus in vno spatio, & iterum contrario modo, seu inuersis partibus: quia iam est habitudo aliquo modo diuersa ad spatium, vt patet in motu circulari, in quo fere hoc tantùm modo fit loci mutatio. Denique absolutè verum non est, in eodem subiecto non posse esse præsentias numero diuersas in ordine ad idem omnino spatium: nam successiuè cōstat naturaliter id accidere: supponō enim, corpus, quod recuperat omnino eundem locum, seu spatium, quod prius amiserat, non recuperare eundē numero modum præsentiæ: nam idem numero nunquam redit per naturam, quod autem causæ naturales successiuè facere possunt. Deus, qui in agendo à tempore non pendet, potest facere simul, & ideò probabilius existimo posse Deum, bis, & pluries constituere eidem corpus in eodem loco circundante, seu in eodem spatio multiplicando in illo modos præsentiæ numero distinctos, non aliunde, quàm ex se ipsis, seu ex suis modalibus entitatibus.

Reijcitur.

Ad sextum.

Sexta ratio esse solet, quia nō potest idem corpus esse in diuersis temporibus: ergo neque in diuersis locis. Hanc rationem non inuenio a ud Catholicos autores, sed eam aliqui referunt ex hæreticis, & re vera æquè procedit contra mysterium Eucharistiæ, vt per se constat. Est autem frigidissima ratio: aut enim est sermo de tempore extrinseco, aut de intrinseca vniuscuiusque rei duratione. Rursus, tempus extrinsecum multiplicari potest vno modo, iuxta probabilem opinionem, in diuersis subiectis, seu motibus; & hoc modo, sicut duo tempora possunt simul esse seu currere, ita potest vna res esse simul in multis temporibus, seu illis commensurari; alio modo multiplicari potest hoc tempus secundùm diuersas partes eiusdem subiecti, seu motus; quomodò multiplicantur dies, & anni; & hoc modo non potest eadem res simul esse in diuersis temporibus: quia talia tempora ipsa inter se non possunt esse simul; eò quòd in suo proprio conceptu includunt successionem, in quo est aperta differentia inter tempus, & locum, eo tamen modo, quo illa tempora habent esse, scilicet, vnum post aliud, potest eadem res permanens secūdùm eandem omnino durationem in eis esse, seu illis coexistere. At, si loquamur de durātione intrinseca illi (vt opinor) non potest in eadem re secundùm idem esse multiplicari: quia non est modus extrinsecus rei superadditus, sicut præsentia localis, sed ipsamet rei entitas seu existentia, solúmque ratione ab ea distinguitur.

Ad septimum.

Septima ratio, quia sequitur, idem corpus quantū esse æquale corpori maiori, & minori, & consequenter æquale, & inæquale eidem; quod manifestam repugnantiam inuoluit: sequela probatur; quia corpus quantitatiuè existens in loco, est æquale loco, teste Aristotele: ergo, si est in duobus locis, est æquale vtrique loco simul: ergo est etiam maius quolibet illorum

Universidad de Deusto Biblioteca

illorum locorum per se, vel è contrario vterque locus simul erit maior, quàm locatum. Atque hæc ratio inter omnes nonnullis philosophis maximè placet: quia hæc non potest ita apperenter accommodari mysterio Eucharistiæ: quia secundùm illum modum præsentiæ non est commensuratio inter locum, & locatum. Sed, re vera, etiam hæc ratio est valde friuola, &, omisso mysterio Eucharistiæ, manifestè retorqueri potest ex alio miraculo penetrationis duorum corporum in eodem loco: nam, sicut locatum est æquale loco, ita locus locato: est enim relatio mutua: ergo, quando duo corpora sunt penetratiuè in loco, locus est æqualis vtriq; illorũ, & vtrũq; illorum simul æquatur loco: quia simul commensuratur illi, & tamẽ vtrũq; simul est maius, quã quodlibet illorũ per se: ergo idẽ locus est æqualis maiori & minori locato, scilicet vnicuiq; illorũ corporum per se, & vtriq; simul. Constat autem, hanc argumẽtandi rationem esse sophisticã. Quod aliter in hunc modum declaratur, fingamus enim duo corpora sepenetrantia in eodẽ loco; vnũ & idem corpus intrà se continere, vt v. g. duo vasa omnino æqualia & eiusdem figuræ penetratiuè existentia in eodem loco eandem aquam continere, seu circundare; quo posito necesse est, fateri, vnum corpus esse in duobus locis materialibus, id est, sumendo locum tantùm pro superficie extrinseca continente; & tunc redit idem argumentum, nam illud locatum æquale est illis duobus locis: nam hæc æqualitas potissimùm intercedit secundùm superficies continentem & contentam: ergo erit idem locatum æquale singulis locis, atq; vtriq; simul. Quòd si dicatur, facta tali penetratione, vnũ corpus esse æquale duobus, quia sunt per modum vnius, & non occupant maiorem locũ, quàm vnum eorũ tantùm, vel (quod idem est) esse æquale vtrique quoad extensionem in loco; hoc ipsum declarat prioris argumenti fallaciam: nam eodẽ modo vnũ corpus existens in duobus locis est æquale illis quoad extensionem in loco, seu quia est in illis per modum pluriũ, seu per plures extensiones in loco; & ideò tantum spatiũ occupat, quantum duo corpora æqualia. Ratio autẽ à priori huius deceptionis est; quia non distinguitur duplex extensio quantitatis, altera in se, altera in ordine ad locum; neque duplex æqualitas, quæ in eis potest fundari. Nam secundùm eã extensionẽ seu dimensionem, quã habet quantitas secundùm se, non potest eadem quantitas eodem modo in se disposita secundùm condensationem vel raritatẽ, esse æqualis maiori & minori quãtitati, & duabus quantitatibus æqualibus simul sumptis: quia, sicut hæc extensio consistit in hoc, quod inter talia extrema tanta quantitas mediet in vno corpore, sicut in alio; & à posteriori à nobis explicatur per naturalem aptitudinem ad occupandum locum quantitatiuum; ita æqualitas secundùm hanc eandem extensionem consistit in aptitudine ad occupandum æqualem locum, seu spatium; & quia hæc aptitudo tantùm est vnica, ideò non potest, nisi vnam relationem æqualitatis, vel inæqualitatis respectu eiusdem fundare. Atq; ita etiã, si vnum corpus sit in duobus locis, non erit secundùm hanc extensionem æquale vtrique simul sumpto: quia nũquam est aptum ex natura sua occupare tantum locum, quãtum duo corpora simul sumpta: qua ratione non potest verè dici, quantitatem hostiæ esse æqualem quantitati corporis Christi: quia hæc de se potens est occupare maiorẽ locum, quantis actu non occupet in Eucharistia; & eadem ratione duo corpora penetratiuè existentia in eodem loco, simul sumpta non sunt æqualia illi, sed maiora: quia natura sua apta sunt ad occupandum maiorem locum. Alia verò æqualitas, vel inæqualitas considerari potest secundùm extensionem in ordine ad locum; & hoc modo potest corpus idem, existens in duobus locis, esse æquale singulis, per singulas extensiones, quas in illis habet, & vtrique simul per ambas etiam simul: quia hæc æqualitas nihil aliud est, quàm relatio fundata in hoc, quòd idem corpus tantum spatij occupet, quantum duo: sicut è contrario, si duo corpora penetratiuè ponantur in eodem loco, est similis æqualitas: quia non plus spatij occupant, quàm vnum: hæc autem nulla inducunt inconuenientia, sed explicant tantùm ipsa mysteria, & supernaturalia opera, quæ dicimus esse possibilia. Sicut etiam ex natura rei satis magnum inconueniens videri potest, quòd duo corpora quanta non sint inter se æqualia neque inæqualia, quod tamen factum est in mysterio Eucharistiæ, secundùm extensionem ad locum, quia, sicut corpus Christi ibi est, sine tali extensione, ita etiam sine relationibus, quæ in ea fundãtur: sic igitur è conuerso corpus recipiens plures extẽsiones locales in diuersis spatijs, potest in hoc æquari pluribus locis, & tunc non secundum idem est æquale vni, & multis, aut maiori, vel minori quãtitati, sed secundum vnam, vel plures extensiones locales. Atque hinc facilè soluuntur alia incommoda, quæ hinc inferri solent, scilicet, quòd sequatur, idem corpus posse esse æquale sibi ipsi; & consequenter posse circundare & continere se ipsum, & vlteriùs posse esse sibi continuum, vel contiguum. Sed hæc omnia nullam habent difficultatem: quia æqualitas in eodem secundùm diuersas extensiones nihil habet incommodi, similiter si corpus idem potest esse in diuersis locis distantibus, etiam in propinquis, & ideò nullum est inconueniens, quòd extrema eius sint simul, & consequenter, quòd secundùm diuersas, vel etiam secundùm eandem superficiem, bis existentem in eodem indiuisibili spatio, se ipsum circundet, vel contingat, aut, si Deus etiã velit, nihil repugnat, quòd secundùm diuersas partes eadem quantitas sibi ipsi continuetur ablatis superficiebus terminantibus, & data vna communi, vt si Deus poneret eũdem hominem supra se ipsum, posset Deus facere, vt non solùm pedes essent super caput, sed etiam, vt continuarentur illi.

Ad 8. Ledes.

Vltima ratio sumi solet ab incõuenientibus, quæ ex actionibus & passionibus oriuntur: quam latè prosequitur, & in ea magnã facit vim Ledesma hic: quia sequitur, inquit, quod idem homo simul possit viuere, & mori, calefieri, & frigefieri, & (quod obscurius est) peccare in vno loco, & mereri in alio, & in vno amare Deum, & in alio odisse, esse fidelis in vno, & in alio hæreticus. Quòd si obijcias, quia eadem incõmoda inferri possunt in mysterio Eucharistiæ, respondetur, non esse eandem rationem: quia corpus in loco extensum, est expositum his mutationibus, & passionibus: corpus autem sacramentaliter existens, est incapax illarum. Sed hoc non satis consideratè dictum est, primò quidem, quia res existens modo sacramentali est capax saltem spiritualium actionum animæ: ergo in illa poterunt saltem illa incommoda sequi, quòd in vno loco amet, in alio odio habeat, in vno credat, in alio discredat. Deinde, quanuis res existens modo sacramentali, vt sic,

sit, sic incapax materialium alterationum & passionum; tamen, si alibi existit quantitatiuè, ibi poterit pati, aut interfici, sicut potuit Christus in nocte cœnæ, etiam si aliàs præsens conseruaretur: tunc ergo eodem modo possunt inferri illa incommoda, quòd in propria specie pateretur, & non in sacramento; & hic viueret, ibi interficeretur. Hæc ergo & similia æquè procedunt contra fidei mysteriũ; quæ non tam illud impugnant, quàm postulant, vt declaremus, quomodò in his omnibus sentiendum, & loquendum sit; seu quid in his omnibus consequatur, supposito mysterio, quod in duabus sequentibus sectionibus præstabimus.

SECTIO. V.

Vtrùm res habens duas præsentias, easdem proprietates vtrobique necessariò habeat.

HAE proprietates quædam sunt, quæ intrinsecam habitudinem dicunt ad præsentiã realem, seu localẽ, vt stare, sedere, localiter moueri, aut quiescere, & similes: quædã verò sunt, quæ per se non pendent à loco, vel præsentia reali, quas omnino absolutas à loco vocabimus, vt sunt omnia prædicata essentialia & substantialia, vel qualitates, vt esse album, vel nigrum, vel aliquid simile. De prioribus nulla est controuersia; quia hoc ipso, quòd corpus in diuersis locis constituitur, habet aliquam varietatem in ipsis proprietatibus; nam in primis necesse est, vt modus ille præsentiæ, qui est in vno loco, non sit in alio, neque è conuerso: quia vnaquæque præsentia ita respicit spatiũ illud, quod replet, vel cui adest, vt extra illud esse nõ possit, sed statim corrumpatur, vel mutetur, vt satis ostenditur in motu locali, per quem amittitur, vel acquiritur vbi, & modus præsentiæ, solùm quia eadem res mutat spatium, quod replet: hoc enim est magis per se, & intrinsecum, quàm mutare circundantem superficiẽ, vt patet in vltima sphæra mobili, si nulla alia supra illam existeret; atque in hoc fundatur immutabilitas loci physici, de qua philosophi cum Aristotele tractant in 4. Physicorũ: cuius primaria ratio sumenda est ex natura talis modi, quæ intrinsecè & ex se postulat hanc immutabilitatem, & inuariabilem habitudinem ad talem locum seu spatiũ: hinc ergo fit, vt ea, quæ intrinsecè fundantur in his modis præsentiæ, variari possint in diuersis locis, vt sunt quiescere, moueri, &c. quod est per se notum, & euidenter conuincitur in mysterio Eucharistiæ.

Difficultas est de alijs proprietatibus absolutis; de quibus vlteriùs distinguimus, interdũ præcedere, & adhærere corpori, vt in loco existenti, priùs quàm alibi constituatur, vt nunc contingit in corpore Christi: interdũ verò accidere potest, vt postquam res est in pluribus locis, in altero eorum nouã proprietatem seu formam acquirat, de hoc posteriori modo dicam sectione sequente: hic solùm disputamus de prioribus formis, ex quibus quædam esse possunt intrinsecæ & connexæ cum natura talis rei, seu corporis: quædam verò possunt esse extrinsecùs seu per accidens adiunctæ: rursus corpus ipsum potest, aut simul poni in duobus locis, aut priùs in vno & posteà in alio: idque, aut per actionem adductiuam, aut per aliam actionem substantialẽ, de se productiuam, vt posteà dicam.

His positis, tres videntur esse opiniones; prima simpliciter & sine vlla distinctione affirmat, esse necessarium, vt res existens in duobus locis, in vtroque habeat omnes proprietates absolutas, quas habes in quolibet eorum. Quod videtur sentire Scot. in 4. distinctione 10 quæstione 4. quia repugnat, prędicata priuatiuè opposita, seu contradictoriè eidem rei simul conuenire; si autem idem corpus in vno loco haberet proprietatem seu formam, quam non habet in alio, idem esset, verbi gratia, simul cæcus & videns, aut videns & non videns. Hæc enim satis videntur dicere, loci diuersitatem impedire oppositionem priuatiuam seu contradictoriam: quia hæ proprietates conueniunt rei absolutè & secundùm se, abstrahendo à loco: ergo de illa vt sic prædicantur, vel negantur: ergo nihil ad contradictionem refert, quòd in vno vel alio loco prædicentur, aut negentur. Præsertim (ait Scotus) quia respectus extrinsecùs adueniens non potest variare absolutas prædicationes: præsentiæ autem diuersæ solum sunt quidam respectus extrinsecus aduenientes: ergo non variant huiusmodi prædicationes. Secunda opinio est extremè contraria, non solum de potentia absoluta, sed etiam ex natura rei posse idem corpus, existens in duobus locis, habere in vno aliqua accidentia huiusmodi, quæ non habet in alio. Ita indicat Alens. 4. part. quæst. 44. membr. 7. Latiùs Maior in 4. distinct. 10. quæst. 4. Ocham quæst. 4. Fauet Innocent. lib. 4. de hoc myst. cap. 12. & Hugo Victor. lib. 2. de sacram. part. 8. c. 3. quatenus sentit, corpus Christi, in nocte Cœnæ, nõ fuisse sub speciebus panis mortale, sicut erat in propria specie: sed gloriosum, & impassibile. Ratio autẽ solùm est, quam suprà indicabamus, quia ex hoc nõ sequitur contradictio, qua seclusa, nulla est talis repugnantia specialis.

Tertia opinio media est, de potentia absoluta rectè posse fieri, vt idem corpus habeat quasdam proprietates in vno loco, & non in alio propter rationẽ dictam: tamen ex natura rei omnes proprietates huiusmodi comitari idem corpus vbicũque sit. Ita tenet Marsil. in 4. q. 7. art. 3. Soto dist. 10. q. 1. artic. 5. Gabr. q. 1. art. 2. & lect. 46. in Can. qui opinionem Scoti ita interpretantur, ex quæst. 2. illius in prædicta dist. 10. tamen quæstionibus sequentibus aliquid ampliùs sentit, vt dixi, & hoc etiam vt minimũ sentit D. Tho. q. 81. art. 4. Fauet etiam Concil. Tridẽt. sess. 13. approbans communem doctrinã, quòd quędam existunt in hoc sacramento per concomitantiam tantum, de qua dicturi sumus, quæst. 76. ex ea enim sequi videtur, habiturum Christum in hoc sacramento omnes proprietates, quas habet extra sacramentum, quæ non pendent ex hac, vel illa præsentia, idque per naturalem concomitantiam, quæ in prædicta connexione fundari videtur. Et hæc opinio simpliciter mihi placet; ad eam verò exactiùs explicandam.

Dico primò. Simpliciter non repugnat, de potentia absoluta, idem corpus habere aliquam proprietatem vel formam in vno loco, quã non habet in alio, dummodò talis forma, vel proprietas à parte rei distinguatur à tali corpore, & alioqui sit ab ipso separabilis. Hæc posterior pars per se nota est, quia nisi huiuscemodi sit proprietas, neque in vno tantùm loco existens corpus poterit esse sine tali proprietate: quia supponitur inseparabilis, seu indistincta ab illo: oportet

oportet ergo supponere, absolutè loquendo, separabilem esse, quod habere non poterit, nisi aliquo etiam modo sit à parte rei ab illo distincta. Hoc igitur posito, probatur prior pars, primò, argumento sumpto ex ipsamet locali præsentia, quæ est modus quidam ipsius corporis ex natura rei ab ipso distinctus, & separabilis. Vnde fit, vt corpus Christi, v.g. quamuis in sacramento habeat totam substantiam & quātitatem, quam habet in cælo, nihilominùs possit, nō ibi habere illum modum præsentiæ, quem habet in cælo; & è contrario non habere in cælo modū, quem in Eucharistia habet: ergo non implicat contradictionem, idem fieri in quacunque alia proprietate absoluta æquè distincta ac separabili. Probatur consequentia, quia, quoad possibilitatem, eadem est ratio, quamuis non sit eadem quoad necessitatem; quid est, in illis modis localibus, non solùm possibile, sed etiam necessarium est, vt non simul constituantur in omnibus locis propter rationem specialem suprà dictam, quia ab intrinseco habent talem determinationem & immutabilitatem, quæ necessitas non est in alijs proprietatibus sic absolutis à loco; tamen ex necessitate illarum colligitur possibilitas in alijs; tum, quia eadem contradictio esse videtur in his, & in alijs; vel si in his non est, neque in alijs erit; tum etiam, quia neque ex identitate subiecti, neque ex distinctione vel indistinctione proprietatum potest colligi maior repugnantia. Confirmatur aliò exemplo, nam anima rationalis vnita capiti, vel manui, non habet in hoc loco, vbi est manus, illum modum vnionis, quem habet in capite, quia hic modus pendet intrinsecè ab illo subiecto, cum quo fit vnum, & ideò esse non potest, nisi vbi est illud; & tamen isti modi vnionis per se non pendent à præsentia locali, vt constat: quia, quamuis totus locus mutetur, semper seruatur idem modus vnionis, seu informationis: ergo etiam in his modis, qui per se à loco nō pendent, potest eadem omnino res habere vnum modū in vno loco, quem non habet in alio. Quòd si hoc naturaliter possibile est, & contingit in re spirituali, & in ordine ad modos & loca partialia, mirum nō est, quòd de potentia Dei absoluta hoc non repugnet in re corporea, in ordine ad integra loca omnino diuersa. Secundò sumi potest argumentum ex diuersis tēporibus ad loca diuersa: nam idem corpus existens in temporibus diuersis potest in vno habere proprietatem huiusmodi, quam nō habet in alio: ergo idem erit in pluribus locis. Patet consequentia, quia, sicut potest separari in vno tempore, & non in alio, ita in vno loco, & non alio. Fateor esse differentiam, quia, quando separatur in vno tempore, omnino separatur à tali subiecto actu existente; quando verò separatur in vno loco tantùm, non omnino separatur à subiecto, vt actu existente, sed tantùm vt existente hic. Veruntamen hæc differentia non obstat rationi factæ: quia similitudo seu proportio non in hoc ponitur, sed in hoc solùm, quòd, sicut subiectum potest in vno tempore durare, in quo nō durat proprietas, quia est distincta & separabilis; ita etiam subiectum potest poni in vno loco, in quo non ponatur proprietas: quia est distincta, & separabilis. Tertiò est optima ratio suprà facta, quia hoc non inuoluit contradictionem, vt exempla suprà adducta declarāt, & suprà etiam sect. 3. dictum est: quia, si contradictio propriè, & simpliciter fiat: (& idem est de priuatiua oppositione) semper altera pars est falsa, scilicet, quæ absolutè negat proprietatem conuenientē rei in alio loco: si verò fiat cū loci determinatione, sic non est contradictio, quæ esse debet eiusdem de eodem secundùm idem. Neque contra hoc obstat replica Scoti, scilicet, quòd hæc prædicata abstrahunt à loco: duobus enim modis hoc potest intelligi; primò, quòd hæ proprietates per se non pendent à loco, & hoc est verum, secundo, quòd non requirant præsentiam localem proportionatam præsentiæ subiecti, vt illi inhæreant, & hoc est falsum, quia ante omnia oportet, vt sint simul loco, & indistantia, & ex hoc capite prouenit, vt non sit contradictio, rem esse hic albam, & non Romæ: quia, licèt subiectum sit vtrobique præsens, potest albedo non habere vtramque præsentiam, sed vnam tantùm: quia, cùm sit res absoluta, & ex natura rei distincta, potest multiplicari in subiecto, & non in forma; & per hoc satis responsum est ad totum fundamentum primæ opinionis.

2. Conclusio de potentia ordinaria vbicunq; ponatur aliquod corpus, ponuntur etiā eius proprietates connaturales & intrinsecæ.

Dico secundò, proprietas intrinsecæ, & connaturales tali rei seu corpori de potentia ordinaria, seu iuxta naturam suam, necessariò insunt rei, vbicunque existat. Hoc probat argumentum tertiæ opinionis sumptum ex concomitantia, quæ in hoc sacramento reperitur. Et ratio est primò, quia istæ proprietates consequuntur rem necessaria quadam connexione, seu dimanatione: ergo, sine nouo miraculo non potest res alicubi esse sine illis. Secundò, quia nō potest res naturaliter existere sine his proprietatibus; neque ex natura rei satis est, quòd in loco distante illas habeat, quia vnaquæque forma ibi solùm habet suum formalem effectum, vbi præsens existit: sicut etiam, vt accidens alicubi naturaliter existat, non satis est, quòd alibi inhæreat subiecto, sed necesse est, vt, vbicunque existit, ibi sit in subiecto; idem ergo erit in alia quacunque proprietate, seu naturali existendi modo.

Si tale corpus per actionem adductiuam ponatur in alio loco ab eo in quo præexistebat, necessariò habet ibi suas proprietates de potentia ordinaria.

Dico tertiò. Si corpus priùs existens alicubi, postea ponatur simul in alio loco solùm per actionem adductiuam, ex natura rei affert secum omnes suas proprietates, quas in priori loco habebat; atq; ita secundùm potentiam ordinariam necessariò habebit easdem proprietates in vtroque loco. Probatur, quia hæ proprietates, etiam si accidentariæ sint, tamē supponūtur realiter inhærētes, & vnitæ; & alioqui sunt independentes in suo esse à tali loco: ergo, sicut Aristoteles dixit, motis nobis moueri ea, quæ sunt in nobis, ita nos dicere possumus, adducto illo corpore in alium locum, adduci ea, quæ sunt in ipso propter realem vnionem, quę non dissoluitur propter talem mutationem. Et confirmatur, nam, quando motio adductiua talis est, vt auferat rem ab vno loco, & transferat in alium, tunc necessariò transfert illam cum huiusmodi proprietatibus omnibus, vt per se constat: ergo idem erit, etiam si per adductionē non priuetur res priori loco: quia ratio concomitantiæ, quæ est connexio, eadem est: cuius rei nōnullum naturale vestigium esse potest in substantia angeli, quādo ex inadæquata parte sui loci, se extendit suo modo ad vlteriores partes; nam secum defert suas potentias, & actus, & quicquid in se habet, præter partialē modum præsentiæ.

Si tamen simul in duplici loco ponatur, non habet cum illis [illegible] quasi necessariam connexionem.

Dico quartò. Si idē corpus simul ponatur in pluribus locis, aut, si per actiones substantiales diuersas in eis cōstituantur; etiam si altera earū priùs existat, quàm alia; fere ex voluntate Dei pendet, q; in vtroque loco habeat, vel non habeat easdem qualitates seu proprietates extrinsecas, seu accidentales; magis tamen

tamen congruum, & naturis rerum magis consentaneum esse videtur, vt easdem vtrobiq; recipiat. Probatur primo, quia hæ proprietas neq; ex ipsa intrinsece sequuntur, neque ei sunt debitæ ex natura rei, vt supponitur: ergo, quando res fit, vt aliquā habeat ex his proprietatibus, necessaria est noua actio, quæ nō solum est distincta ab actione, qua fit subiectum, sed etiam nullam habet connexionem cum illa: ergo, quod de facto coniungantur, ex voluntate, & concursu extrinseci agentis pendet: ergo similiter, quod coniungātur in vno loco, & nō in alijs, vel quod actio accidentalis coniungatur cū vna actione substantiali, & non cum alia, pendet ex volūtate Dei, qui ex supernaturaliter operatur. Dices, quamuis hæc proprietas absolute non sit debita, tamen ex suppositione, quod inest, seu datur in vno loco, debetur in alio. Respondetur, hoc declarare vtcumq; alteram partem conclusionis: nam hoc debitum non potest esse omnino intrinsecum & cōnaturale: quia ista proprietas intrinseca & cōnaturalis non est, & ideò non tollit, quin pendeat ex Dei voluntate: videtur autem esse debitū quoddam congruitatis: est enim magis consentaneum naturis rerum, vt cum identitate subiecti identitas proprietatum seruetur, quantum fieri possit. Item quia non est naturæ rei consentaneū, vt idem subiectum habeat contrarias formas, etiam in diuersis locis: ergo neque vt habeat simul formam & priuationem eius. Tandem hoc etiam persuadet communis doctrina supra data de concomitantia, quæ in hoc sacramento intercedit, vt latius quæst. 78. dicturi sumus.

SECTIO VI.

Vtrum mutatio facta in aliquo corpore necessario fiat in omnibus locis, in quibus illud existit.

Constat ex dictis, quæstionem hanc non tractari de mutatione locali: quia, cum hæc nihil aliud sit, quam effectio præsentiæ, seu ipsamet præsentia, aut vbi in fieri, sicut vna præsentia est in vno loco, & nō in alio, ita potest fieri vel mutari in vno loco, & non in alio; & ita Christus mutat præsentiam in sacramento, & non in cælo, & suo modo anima in manu, & non in capite: imo, licet contingat simul moueri in duobus locis, vt mouetur Christus in duabus hostijs, non est idem motus vtrobique, sed diuersus: quia ad distinctam præsentiam terminatur. Est ergo quæstio de alijs mutationibus, in qua suppositis, quæ præcedente sectionē dicta sunt, nulla videtur esse difficultas in ordine ad diuinā potentiam: quia huiusmodi mutatio superueniens rei existenti in loco, semper terminatur ad aliquid ex natura rei distinctum & separabile à subiecto: diximus autem, terminum ipsum posse esse in subiecto in vno loco, & nō in alio quia quoad hoc non est minor repugnantia in mutatione, quam in ipso termino. Solum ergo superest inquirendum, quid ex natura rei consequatur; & hoc ipsum est, quod de Eucharistia inquiri solet an si Christus extra sacramentum calefieret, vel doleret, easdem mutationes in sacramento pateretur.

1. Sententia. D. Thom. Scot. Altisiod. Ægid. Petr. Sot. Innocen.

In qua re D. Thom. q. 76. art. 1. & q. 81. art. 4. simpliciter affirmat, considerando præcisè in his mutationibus id, quod est absolutum à motu locali; idē què sentit Scot. d. 10. q. 2. & 4. & frequentius ibi Theologi, & Altisiod. lib. 4. sum. tract. 5. c. 5. q. 6. AEgid. Theorē. 46. de Euchar. Petr. Sot. lect. 6. de Euch. & fauet Innoc. lib. 4. de hoc myst. c. 6. Fūdamentū esse potest, quia subiectū mutationis idem est, & mutatio, quæ in eo fit, non pendet à loco.

2. Sententia. Hugo victor. Alensis. Maior. Palacios. Ledesm. Ruard.

Secunda vero sententia negat, hoc sequi ex natura rei, indicat Hugo Vict. & Alex. Alēs. citati sect. præcedente. Tenet Maior. d. 10. q. 5. Palac. d. 11. q. 1. Ledesm. q. 16. art. 1. dub. 3. Ruard. art. 15. Fūdamenta afferemus postea.

Agens naturale mutans corpus in vno loco non mutat in alio, ex vi sua virtutis.

Dico ergo primo. Ex sola virtute agentis naturalis mutatio facta in vno loco non fit in alijs locis distantibus, in quibus idem corpus existit. Hæc cōclusio probabitur melius, descendendo ad specificas mutationes, & per eas sigillatim discurrendo. Hæc ergo mutatio potest esse, aut per actionē trāseuntem, aut per immanentem; & prior potest ad tria capita reuocari, quæ sunt alteratio, augmentatio propria, vel impropria, & generatio, sub posteriori verò membra continentur omnes actus sensuum externorū, & internorum, intellectus, appetitus, & voluntatis. Probatur ergo primo de alteratione, quia, si corpus existat hic & Romæ, & hic calefiat ab igne, ex virtute illius agentis nō potest illa calefactio Romæ fieri: quia ignis nō habet virtutem naturalem ad agendum, nisi intra suam sphęram: non ergo potest calefactionem, seu calorem Romam transmittere.

Euasio.

Dices, quamuis agens per se consideratum non habeat hanc virtutem; nihilominus illum effectum sequi ex necessitate materię quia, quod actioni huius agētis hic subijcitur, idē omnino est Romæ.

Impugnatur.

Sed contra primo, quia hic effectus, quod hic calor adsit Romæ, est nouus effectus realis: ergo necessario esse debet ab aliqua causa efficiente, quæ habeat vim effectricem illius, sed hanc non habet ignis ex se, neq; identitas subiecti eam illi confert: ergo. Secūdo ex illa actione sequetur, quod ille calor habeat duas præsentias reales, vnam hic, alteram Romæ: sed hic est effectus valde supernaturalis: ergo non potest illum efficere ignis virtute sua, etiam si subiectum sit idē in vtroque loco. Quin potius, si ad agendum illum calorē in illo subiecto in vno loco, omnino necessarium esset, illum efficere in vtroque loco, potius dicendum esset, ignem non posse omnino efficere illum calorē, sola virtute naturali etiam in vno loco, quā posse in vtroq; quia facilius est, virtutem naturalem impediri ab agendo, quam eleuari ex sola conditione materialis subiecti ad agendum aliquid supra totam naturæ virtutem. Quod autem nec hoc sit necessarium dicere, probatur tertio ex motu locali; nam supposita existentia eiusdem corporis in duobus locis, potes agēs virtute naturali illud mouere localiter in vno loco, quāuis non possit illum, & eundem motum transferre in alterum locum: ergo similiter poterit calefacere illud in vno loco, quamuis non possit calefactionem illam mittere in alium locum: signum est enim, solam identitatem subiecti nō sufficere, vt mutatio in eo facta in vno loco transeat in aliū, si aliunde obstet aliquod impedimentum; hoc autem impedimētū in mutatione locali prouenit nō solū ex defectu virtutis actiuæ, sed etiam ex ratione ipsius mutationis, & termini eius: in alteratione autem sufficienter prouenit ex defectu virtutis agentis. Quarto & vltimo est specialis ratio in hoc mysterio, vt calefactio fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cta in corpore Christi, existentis. v.g. in cœnaculo, nõ posset virtute agentis naturalis trãsire in idẽ corpus sub speciebus panis existẽs: quia oporteret, eiderem illum recipere modum sacramentalem existendi sub speciebus, totũq; existere in toto, & totum in qualibet parte, & puncto; hoc autem neq; ab agente, naturali virtute, neq; ex vi materialis alterationis fieri potest; quia ille modus sacramentalis, supernaturalis est, & altioris ordinis. Et confirmatur, nã propter hanc maxime causam non potest corpus Christi, vt in hoc sacramẽto existit, immediate pati ab agente naturali: ergo nec mediate, id est, media alteratione facta in eodẽ corpore in eõdẽ loco: nã effectus idẽ futurus est sub sacramento, siue immediate, siue mediate fieri dicatur; præsertim, quia semper requirit propriam, & immediatã actionem, per quam fiat.

Secundo probatur cõclusio in motibus ad quãticatem, quos sub nomine augmẽtationis propriè vel impropriè dictæ, ad quam diminutio reducitur, complexi sumus: potest enim hic motus triplex intelligi. Primus est, per modum continuationis, vel diuisionis, vt cum aqua aquæ infunditur, vel ab aqua separatur, & de hoc constat, non necessario consequi ex vno loco ad aliũ: quia fit per motum localem, vel ipsius corporis, vel alterius, quod interponitur inter partes eius: ostensum est autem mutationem localem nõ transferri ex vno loco in alium. Vnde, si eadem aqua esset hic & Romæ in duplici vase, posset hic effundi, & in vase hic existente diminui; & non Romæ. Et eadem ratione, quanuis perforarentur manus Christi in cruce ex vi talis agentis naturalis non perforarentur in Eucharistia: quia per se ac formaliter solum est quædam diuisio continui, motu locali facta; ac simili modo, quanuis in propria specie effunderet sanguinẽ, non egrederetur hic sanguis ex corpore, prout in Eucharistia existeret: quia illa effusio solum erat mutatio localis, quæ non necessario transit in aliũ locum, præsertim facta modo extenso, & quantitatiuo, cuius non est capax corpus sacramẽtaliter existens: maneret ergo sanguis in sacramẽto intra corpus, & cõtinuus reliquo sanguini, sicut erat antea, quia nulla esset facta in eo mutatio; & quia, cum sit res liquida, manens intra venas cum alio sanguine, nõ potest, vt videtur, non manere cõtinua. Aliud genus huius mutationis esse potest cõdensatio & rarefactio, sed de hoc est eadem ratio, quæ de alteratione & mutatione locali: quia in se ac formaliter re vera est alteratio quædam: habet autem adiunctam mutationẽ localẽ, interdum antecedentem, interdum consequentem. Tertius motus ad quantitatem est propria augmentatio & diminutio, & de hoc est mihi res euidentior, quod factus corpore in vno loco non necessario fiat in alio; aut factus in corpore Christi extra sacramentum, nõ necessario fiat in sacramẽto, quanuis contradicat Scot. d. 10. q. 6. Probaturautẽ, quia hoc augmentum nõ fit sine cõiunctione extrinseci corporis, scilicet, nutrimenti, seu materiæ eius: sed potest esse corpus in duobus locis, & nutrimentum tãtum in vno: ergo applicabitur nutrimentum viuenti in vno loco, & non in alio; ergo continuabitur illi in vno loco, & non in alio. Respondet Scotus, tunc necessario fieri, vt materia & quantitas cibi in alterum etiam locum transferantur. Sed hoc, vt Maior notauit, incredibile est, præsertim ex virtute sola agentium naturalium, primo, quia ibi nullum est agẽs, quod habeat tantam virtutem. Secundo, quia illa mutatio materiæ, seu corporis quanti in alium locum distantem subita & instantanea, sine transitu per medium, est, vt multis videtur, impossibilis, vel saltẽ, vt verius est, difficillima, & valde supernaturalis: à quo ergo agẽte naturali vt sicut fieri potest. Tertio, quia, si ignis existẽs hic & Romæ, hic generet ignem ex stupa, non sibi illum continuando, nemo dicet, ignem illum denuo genitum, statim incipere esse hic, & Romæ; quia stupa, ex qua genitus est; vt supponitur, non erat Romæ, neq; est alia causa, vel ratio, à qua illuc sit translatus; ergo eadẽ ratione, quanuis ignis ille genitus continuaretur generanti, nõ propterea inciperet esse Romæ: quia vt ostendimus, continuatio, quæ in vno loco fit, non necessario fit in alio: sic igitur posset ignis ille periuxta positionem augeri in vno loco & non in alio: ergo eadẽ ratione posset viuens per intussusceptionem: quia re vera est fere eadem ratio. Quarto accedit specialis difficultas in hoc mysterio, si corpus Christi augeretur extra sacramentũ: quia oporteret, illam partem materiæ & quantitatis addi tã, modum sacramentalem accipere, sicut dictum est de alteratione: nam eodem modo hic applicari potest ratio ibi posita.

Tertio probatur conclusio in integra substantiali mutatione, qualis est. v.g. corruptio: de generatione enim nihil est, quod dicamus: quia, si supponitur corpus iam existens in multis locis, clarũ est, virtute naturali, de qua nunc agimus, non posse alibi generari: nam de virtute supernaturali infra dicemus, agentes de transubstantiatione. Quod ergo corruptio vel mors possit euenire idem corpori in vno loco, & non in alio, probatur primo ex dictis, quia eadem fere ratio est de corruptione, ac de diminutione, in qua interuenit partialis corruptio. Secundo, quia sæpe corruptio fit ex diuisione continui, semperq; per actionem præuiam, vtraque autem harum mutationum potest fieri in vno loco, & non in alio. Tertio, naturali exemplo animæ, quæ in vno loco est vnita vni parti materiæ, & non alteri, cui est tantum vnita in alio loco. Vnde fit, vt possit separari, & amittere vnionẽ in vno loco, & non in alio: ergo eadem ratione posset diuina virtute esse in vno loco vnita vni corpori, & in alio alteri; & tũc, licet separaretur ab vno per actionem alicuius agentis naturalis, non propterea necessario separaretur ab alio: ergo pari ratione è cõuerso posset materia in vno loco esse vnita, & non in alio; & tunc, quanuis ab vna forma separaretur in vno loco, nõ separaretur ab alia in alio. Ac tandem fere eadem ratione concluditur, quod si in duobus locis sit vnita eidẽ formæ, possit in vno ab ea separari, virtute agẽtis naturalis, & alteri vniri, & non in alio, nam est fere eadem ratio, suppositis præsertim, quæ dicta sunt de alteratione: nulla est enim hic specialis repugnantia nã quod eadem materia in diuersis locis sit sub diuersis formis, simpliciter non repugnat, vt rectè notauit Gabr. lect. 47. in can. cõtra Scotũ, carpensillũ, q. non cõsequẽter fuerit locutus: nã in. 4. d. 10. q. 1. concedit, q. licet corpus Christi viuũ, & animatũ fuerit, ante incarnationẽ, in Eucharistia, potuisse in propria specie ex puris sanguinibus Virginis subsistãtialiter cõcipi: ad hoc autẽ necessariũ fuisset, vt prius eadem materia esset informata anima Christi Eucharisti- & for-

& formæ sanguinis in vtero Virginis, vt ex illa posset Christus cõcipi & generari, neq; in hoc, re vera, est vlla implicatio cõtradictionis. Quo fit, vt, si causæ naturalis applicẽtur corpori in vno loco, & non in alio, possint illud corrũpere, & aliud ex illo generare in vno loco, & nõ in alio. Dices, estõ non implicet contradictionẽ, eandẽ materiã esse simul sub diuersis formis; tamen naturaliter saltẽ hoc repugnat; siue materia sit in vno loco, siue in multis, vbiq; enim eandẽ capacitatẽ habet, & eandẽ numero potentiã, quæ vnica forma repletur: ergo si idẽ numero corpus existit in duobus locis ex eadẽ numero forma & materia cõpositũ, non potest virtute alicuius agẽtis naturalis corrũpi in vno loco, & non in alio. Probatur cõsequentia; quia non potest expellere formã in vno loco, nisi introducẽdo aliã non potest autẽ introducere aliã, quãdiu in alio loco manet prior formain eadẽ materia: alias naturaliter maneret materia sub duabus formis. Atq; idẽ argumẽtũ fieri potest de alteratione, quia idẽ subiectũ nõ est capax contrariarũ formarũ: ergo etiã in diuersis locis positũ, nõ potest eas recipere: quia capacitas subiecti nõ augetur propter locorũ multitudinem: ergo non potest in vno loco calefieri, quin expellatur frigiditas ab illo subiecto, non in vno loco tantum, sed in quolibet: ergo necesse est, vt calor etiam ex vi talis calefactionis incipiat esse in omnibus locis, in quibus est subiectum. Ad primam partem aliqui, propter illud argumentum, cõcedunt, nõ posse agens naturale in vno loco tantũ existens corrũpere aliud cõpositũ existens in pluribus locis: quia non potest omnino expellere formã ab illa materia, vbicunq; est: eo quod nõ possit actionẽ suam extendere ad distantẽ locũ, & ideo etiam non posse expellere illam formã in loco propinquo; propter rationem factã: quia non potest illa forma expelli hic, nisi vbiq; & omnino expellatur: quia alioquin agẽs naturale introduceret aliam formã. Sed hæc opinio creditu difficilis est, scilicet stupã in medio ignis positam non esse cõburendã solum ex eo, quod sit in alio loco distante vel separato ab igne, aut Christũ Dominum non potuisse in Cruce interfici, si in triduo esset in sacramento viuus. Ratione item argumentor: quia, sicut non potest naturale agẽs actionẽ suam transmittere in corpus illud, prout in loco distante existit, ita idẽ corpus alibi existens non potest resistere virtuti talis agentis: ergo, si agens habet virtutem ad superandum, & corrumpendũ illud corpus, in loco propinquo tantum existens, poterit corrumpere illud etiam si alibi existat. Aliter ergo dici potest in eo casu, agens naturale posse corrumpere immediatè tale corpus, prout est ibi propinquũ, consequenter tamen, & ex necessitate materiæ expelli formã ab illa etiam in loco distãte, ne materia maneat sub diuersis formis. Quòd si obijcias, quia nõ potest agẽs introducere suam formam in loco distante; respondeo, potest, vel propter, hanc causam materiam deficere esse simpliciter, & annihilari in loco distante: quia nec potest retinere propriam formam prioremcum alibi aliã recipiat, nec potest ibi recipere aliam formam, per quam cõseruetur. Vel certe magis philosophice dicendum esset, Deũ tunc supplere defectum agentis naturalis, & introducturum ibi formam in materia, per quam ibi posit cõseruari. Aliter dici posset è cõtrario, in eo casu agẽs naturale posse disponere corpus sibi propinquum vsque ad corruptionem, ita vt forma substantialis expellatur ex defectu dispositionis conseruantis, non posse tamen ex virtute naturali introducere suam formam, solũ quia in eodem subiecto est alia forma incompossibilis, quam nõ potest simpliciter expellere; ideoq; oporteret, vt, aut Deus supleat defectum agentis ad introducendam talẽ formã, aut, quod materia simpliciter desinat esse ob defectum formæ. Sed neuter horum modorum mihi probatur, nã in primis quod in eis dicitur, Deũ supplere defectum agentis, nõ pertinet ad hanc cõclusionem, sed ad sequentem; nec saluat, quod naturale agens sola naturali virtute possit corrumpere corpus existens in duobus locis; vel sibi simile ex illo generare. Deinde ratio supra facta, quod illud passum propter solam existentiam in loco distãte non possit magis resistere agenti sibi propinquo in alio loco, quam si ibi tãtũ esset: hæc (inquã) ratio conuincit, non solum posse expellere formã repugnantem; sed etiam posse introducere sibi similem in illa materia. Quod etiam confirmatur, nã si potest expellere aliam formã, necesse est, vt possit introducere dispositiones repugnãtes: de quibus tamen eadem ratio est, ac de ipsa forma, vt probat argumentum factum de alteratione. Quod autem è contrario possit huiusmodi agens naturali virtute expellere contrariam formam in loco distante, & ibi non introducere suam, nõ videtur consequẽter dici, tum quia eadem est difficultas, quomodo virtute naturali agit in distans, siue ad corrumpendum, siue ad generandum, tum maximè quia vna forma non expellitur, nisi ratione alterius, quæ introducitur: ergo, si ex sola identitate materiæ necessario sequitur expulsio in vtroq; loco, sequetur etiam introductio, &, si recurramus ad dispositiones præuias, de eisdem fiet proportionale argumẽtum; quod etiam in eis non fit immutatio, seu remissio in aliquo loco, nisi quatenus in eodem fit alteratio ad contrariam formam. Vltimo tandẽ hæc omnia videntur satis impugnari exemplo supra adducto de alijs contrarijs, seu oppositis, quæ immediate consequuntur motum localem, vel etiam alterationem aliquam, vt sunt; esse densum & rarum sedere, & stare, quæ nec se impediunt in diuersis locis, nec vnum eorum, prout in loco distãte existit, impedit vitutem agentis in alio. Quocirca dici potest vltimo, quod, licet absolute & simpliciter, nullaq; facta suppositione, materia eadem non possit recipere varias formas virtute agentis naturalis; tamen facta suppositione, quod sit in multis locis, & quod Deus relinquat naturalia agẽtia operari præcisè virtute sua, consequenter sequi, vt eadem materia possit à varijs agentibus naturalibus varias formas recipere: quia eadem materia in tantum nõ potest plures formas simul recipere, in quantum ipsæ formæ inter se formaliter pugnãt: potẽtia enim passiua subiecti de se indifferens est ad recipiendã quamcunque formam alteri non repugnãtem: formæ autem, vt actu sibi repugnent, & vt vna expellat aliam, vendicant, vt non solum circa idem subiectum versentur, sed etiam in eodem loco. Nam vel hæc repugnantia est effectiua, vel formalis. Si effectiua, constat requirere loci approximationem quia agens & patiens debent esse simul, vel saltẽ intra certam spherã. Si formalis, vt verius est, multo magis requirit intimam præsentiam localem; nam hic effectus priuatiuus expellendi aliam formam,

Improbatur.

Vera solutio.

mam, est secundarius, & supponit positiuum effectum informandi: hic autem effectus fieri non potest, nisi forma intime præsens sit in loco, vbi est materia: ergo repugnātia formalis inter formas, solum est respectu eiusdem subiecti, & loci, vbi altera forma præsens adest: quod ergo vna materia existens in diuersis locis habeat varias formas, nō est contra naturalem repugnantiam harum formarū, & ideo mirum nō est, quod talis effectus sequi possit ex actione plurium agentium naturalium, supposito priori miraculo, per quod ablata fuit prima radix repugnantiæ. Neq; hoc est admirabilius, quā quod idē corpus possit naturaliter moueri & quiescere, sedere & stare, dēsari & rarefieri, supposito priori miraculo. Atq; hęc omnia applicari possunt ad quamcunq; alterationem, & ad qualitates cōtrarias (actus vitales excipio, de quibus statim) quę inter se non pugnant actu, nisi sint sufficienter propinquæ, vt vna alteri formaliter resistat, quod nō habent nisi sint in eodem loco, & circa subiectum idem versentur.

Quarto loco explicanda est conclusio posita in actibus vitalibus, inter quos & alias mutationes hæc est differentia, quod intrinsece manant ab eadem potentia, in qua recipiuntur, & ideo de eis est specialis difficultas: nam hoc ipso, quod idē homo, v.g. est in diuersis locis, est in vtroq; loco agens & patiens huiusmodi actus, & æquè sibi propinquū: quia est omnino idem; & ideo quicquid in hoc genere agit & recipit in vno loco, videtur necessario agere & recipere in alio: hic enim cessat difficultas posita in alijs generibus, scilicet, quod non possint transmittere actiones suas ad loca distantia. Sicut, si idem ignis, & idem lignum essent simul hic, & Romæ, & æquè sibi propinqua, tunc necessario sequeretur calefactio in vtroq; loco. Quæ quidem ratio conuincere quidem videtur in aliquibus actibus, sed non in omnibus. Distinctione ergo opus est, nam quidam sunt actus immanentes, qui pendent, non tantum à potentia, sed etiam ad obiectis loco propinquis, & actu immutantibus ipsas potētias, vt sunt actus sensuum externorum, & in his habet etiam cōclusio posita locū, quod actus. v.g. visionis hoc loco factus non necessario sit in alio realiter præsens: quia pendet ab obiecto præsente: obiectum autem, quod hic est præsens, non est alibi: item species causata ab obiecto hic, non est alibi, propter rationem supra factam, quia non potest transmittere suam actionem in distans: ergo virtus actiua visionis nō est in alio loco: quia ipsa species est partialis virtus: ergo neq; actus erit necessario in vtroq; loco ex vi naturalis virtutis actiuæ. Alij vero sunt actus, qui non pēdent ab aliquo obiecto, vel agente extrinseco localiter applicato, vt sunt actus interiores, memoriæ intellectus, voluntatis & appetitus, & in his verisimile est, necessario fieri in vtroq; loco, vbi idem homo existit, propter rationem factam, ad quam tamen supponendum est totam virtutem actiuam talium actuum per se necessariam ad eos efficiendos esse in vtroque loco. Quod in voluntate, & appetitu semper accidit: quia iuxta probabilem sententiam tota actiua virtus est in ipsis potentijs, obiectum autem non effectiue, sed finaliter, & metaphorice mouet, non localiter applicatum, sed per cognitionem ex sympathia potentiarum, quæ in eadem anima radicantur. In intellectu autem & phantasia necessarium esset, vt species impressa in vtroq; loco fieret, quod quidem fortasse naturaliter nō fieret in speciebus comparatis per sensus externos, maximè, si verum est, effectiue causari ab ipsis, vel ab exteriori sensatione in interiori sensu, & à phantasmate in intellectu: nam, si fortasse species intelligibilis solum fit ab intellectu agente, phantasma autem solum requiritur per modum exemplaris per sympathiam etiam potentiarum; sic probabile est, speciem intelligibilem resultare in vtroq; loco: quanuis obiectū sensibile in vno tantum loco applicetur: quia virtus per se actiua, & receptiua ipsius speciei, est eadē in vtroq; loco, & in vtroque sufficienter excitatur seu mouetur à phantasmate per modum exemplaris, & per sympathiam potentiarum, quæ à distantia loci non pendet, vt iam dicam.

Actus contrarios non posse esse naturaliter in eadem potentia existenti in duplici loco probabile est.

Atque hinc probabile fit, in huiusmodi actibus vitalibus non posse esse duos actus contrarios odij & amori, assensus, & dissensus, in eadem potentia, tum, quia talis actus naturaliter semper est in vtroque loco, tum etiam, quia huiusmodi actus non solum pendet à potentia, vt à subiecto recipiente, sed etiam vt à principio agente: eadem autem potētia non habet vim naturalem ad efficiendum simul actus contrarios: in quo multum differt virtus actiua, à passiua: nam hæc indifferens est, vt ab agente recipiat iuxta virtutem eius, dummodo formæ inter se non pugnent, illa vero est ab intrinseco limitata in sua virtute, quæ non crescit propter existentiam in pluribus locis. Dices, has rationes, ad summum, procedere secundum potentiam naturalem: supernaturaliter autem videtur sequi, posse esse simul in diuersis locis: quia supernaturaliter potest virtus actiua confortari, & quilibet actus in vno loco tantum constitui. Quod videtur concedere Gab. in 4. d. 10. art. 3. dub. 3. non tantum in homine existente in diuersis locis, sed etiam in eodem, quod frequens est apud Nominales. Ego autem suppono, inter actus vitales contrarios esse tantam repugnantiam, vt etiam per potentiam Dei absolutam non possint esse in eodem subiecto & loco simul: quia sese omnino destruunt ex parte obiecti, vnus enim destruit obiectum alterius. Vnde fit vt cum aliæ qualitates contrariæ simul esse possint in gradibus remissis, hoc repugnet naturaliter actibus vitalibus contrarijs. Vnde probabilius etiā censeo, non posse huiusmodi actus contrarios esse simul in eodē subiecto etiam in diuersis locis: quia, licet cōcedā, posse Deū ponere vnū ex his actibus in vno loco, & non in alio, vbi esset idem subiectū tamen inde impediret actū sibi contrarium in eodem subiecto, etiam in alio loco, non per intrinsecam informationē & incomposibilitatem formarum, ad quam esset necessaria presentia localis, sicut in alijs contrarijs, sed ex parte obiecti destruendo illud per sympathiam eiusdem animæ, seu potentiæ existentis in vno loco ad se ipsam vt existētem in alio loco nam, sicut eadem anima apprehēdens aliquid per imaginationē excitatur ad amādū per appetitum, quanuis illi actus imaginandi, & appetendi non sint in eodem loco corporis, solum quia radicantur in eadem anima, & intime ab illa fluunt, ita opinor, quod si idem homo hic & Romæ esse intelligatur, quāuis hic tantum haberet actum imaginationis, vel intellectus, quo aliquid apprehenderet vt bonum per illum sufficienter excitaretur, vt posset illud Romæ appetere, quia illa sympathia poten-

potentiarum non pendet ex loco, sed ex identitate animæ in qua illæ potentiæ & actus radicantur: est enim eadem ratio & proportio. Vnde vlterius, sicut mutata apprehensione intellectus, vel imaginationis, necesse est mutari actum appetitus: quia mutatur obiectum, ita in prædicto casu hoc ipso, quod homo alicubi iudicet, hoc esse falsum, destruitur in eodem intellectu veritas respectu illius obiecti; & ita destruitur obiectum respectu assensus contrarij: & idem est de omnibus similibus contrarijs. Quæ tandem sympathia, & correspondentia actionū vitalium sic potest explicari: quia, si ego nunc Romæ simul existerem, quanuis non haberem hic realiter præsentem sensibilem visionē, quam haberem Romę; nihilominus hic possem narrare, quæ Romæ geruntur: vnde quodāmodo dici possem hinc videre, quod satis est, vt hinc possem narrare: quia ad hoc non est necessaria propinquitas seu identitas loci: quia nunc etiam lingua loquitur, quæ oculus videt: quia ab eadem mouetur anima, quanuis loco distent, quod idem esset, etiā si fingatur homo tantæ magnitudinis, vt lōge amplius inter se distarent. Huiusmodi ergo consonantia est ex parte obiectorum in reliquis actibus vitalibus.

Vltimo addēdum est in hac materia, quanuis agētia naturalia per se non sufficiant ad immutandum eodem modo corpus in diuersis locis existens, magis tamen congruum, & consentaneum naturis rerū videri, vt, supposito priori miraculo, Deus suppleat defectum causarum naturalium, præbeatque concursum sufficientem, vt talis immutatio eodē modo in omnibus locis fiat. Hæc est consentanea D. Thomæ, & alijs autoribus citatis in prima sententia; & idem sentit Alensis, qui rationem indicat, quia alias magna confusio & perturbatio rerum sequeretur, quæ non decet ordinem diuinæ sapientiæ. Item, quia alioqui multa sequerentur, præter naturalem ordinem rerum, vt quod eadem materia sit sub diuersis formis, &c. quæ omnia euitantur posito huiusmodi concursu, consentaneo priori miraculo. Preterea in hoc mysterio necessarium est hoc dicere, supposita communi doctrina, quod corpus Christi in hoc sacramento, eadem per concomitantiā habeat, quæ extra sacramentū recipit, quod hic speciali ratione necesse est fieri, singulari concursu Dei, propter sacramentalem modum supernaturalem, vt sæpè suprà indicatum est. Ad quod ita instituēdum fuit etiam hic specialis ratio tum propter excellentiam, & maiestatem corporis Christi, tum etiam, quia hoc sacramentū est memoriale, & signum eiusdem corporis in propria specie existentis: & ideo decuit, vt eodem modo esset in hoc sacramento, quo extra, quoad omnia absoluta, quæ à loco non pendent.

Alensis.

Atque hinc expeditur dubium supra huc remissum, si corpus Christi extra sacramentum corrumperetur, vsque ad resolutionem in elementa, ita vt iam nullo modo maneret corpus humanum, an tunc desineret esse omnino in sacramento. Scotus enim in 4. d. 10. q. 6. affirmat, & recte in vno sensu. Dico autem, hypothesim esse impossibilem: supposita institutione facta in hoc sacramento, & statu illius corporis, quem ipsa supponit. Vnde ex illa hypothesi impossibili videtur sequi duo contradictoria: nā ex vi præsentis institutionis absolute & sine vlla conditione verū est, tandiu corpus Christi cōseruari sub speciebus, quādiu illæ possunt substantiā panis cōseruare, & ex hoc principio Christus semper ibi manebit, quicquid extra sacramētū circa corpus eius fieri fingatur: aliunde vero, quia iuxta eandē institutionē corpus in sacramento debet esse substantialiter conforme sibi ipsi extra sacramentū; &, quia in sacramento esse non potest, nisi corpus humanū, quod significāt verba formæ ideo etiā sequitur in eo casu corpus Christi nō mansurū sub sacramēto: & hoc simpliciter verū est: alia autē promissio, q. Christi corpus tandio durat sub speciebus quādiu species ipsæ durāt, inuoluit cōditionē, quod Christi corpus in propria specie perseueret, & duret in ratione corporis humani; quod, quia perpetuo ita futurum est ex absoluta lege & promissione diuina, ideo alia etiam promissio transit in absolutā simpliciter; & alia conditionalis procedit ex hypothesi imposibili, supposita institutione, paout facta est.

Scotus.

ARTICVLVS II.

Vtrum in hoc sacramento remaneat substātia panis & vini post consecrationē.

Inf. ar. 6. cor. & q. 77. ar. 1 & 5. & 4. d. 11. q. 1. ar. 1 q. 1. & dist. 12 q. 1. ar. 1. q. 3 & 4. cōtra. c. 63. in prin. & quodl. 7. ar. 9 & quo. 9. a. 5 ad 3. & 1. cor. 11. lect. 4 col. 6. & lect. 9. col 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in hoc sacramēto remaneat substantia panis & vini post consecrationem. Dicit enim Damas. in 4. lib. Quia consuetudo est hominibus comedere panem, & vinum bibere, coniugauit Deus diuinitatem, & fecit ea corpus & sanguinem suum, & ita panis communicationis nō panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Sed coniugatio est rerum actu existentium. Ergo panis & vinum simul sunt in hoc sacramento cum corpore & sanguine Christi.

Li. 4. c. 14. in med. trac. 26. in Ioan. inter mediū. & fin. 10. 9. colligitur ex libr. 4. c. 4. & lib. 6. c. 1. tom. 4. refertur de consec. d. 2. c. Omnia.

¶ 2. Præterea, Inter Ecclesiæ sacramenta debet esse conformitas. Sed in alijs sacramētis, substantia materiæ manet, sicut in baptismo substantia aquæ, & in Confirmatione substantia chrismatis. Ergo & in hoc sacramento substantia panis & vini manet.

¶ 3. Præterea, Panis & vinum assumuntur in hoc sacramento, in quantum significant Ecclesiasticam vnitatem, prout vnus panis fit ex multis granis, & vnum vinum ex multis racemis, vt August. dicit in lib.. de Symbolo. Sed hoc pertinet ad ipsam substantiā panis & vini ergo substantia panis & vini remanet in hoc sacramento.

SED contra est, quod Ambr. dicit in libro. de sacram. Licet figura panis & vini videatur, tamē nihil aliud, quā caro Christi & sanguis post consecrationem credēda sunt.

RESPONDEO dicendum, quod quidam posuerunt post cōsecrationem, substātiam panis & vini in hoc sacramento remanere. Sed hæc positio stare non potest. Primo quidē, quia per hanc positionem tollitur veritas huius sacramenti, ad quam perti

net, vt verum corpus Christi in hoc sacramento existat, quod quidem ibi non est ante consecrationē. Nō autem aliquid potest esse alicubi vbi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum, sicut in domo aliqua de nouo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem. Primo quidem quia sequeretur, quod desineret esse in cœlo, non enim quod localiter mouetur peruenit de nouo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hic dici non potest. Tertio, quia impossibile est, quod vnus motus eiusdē corporis localiter moti terminetur simul ad diuersa loca, cū tamē in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramēto simul esse incipiat, & ideo relinquitur, quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de nouo in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantię panis in ipsum. Quod autem conuertitur in aliquid, facta conuersione non manet. Vnde relinquitur, quod salua veritate huius sacramēti, substantia panis post consecrationē remanere non possit. Secundo, quia hæc positio contrariantur formæ huius sacramēti, in qua dicitur, hoc est corpus meū, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potius esset dicendum, hic est corpus meum. Tertio, quia contrariatur venerationi huius sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari. Quarto, quia contrariatur ritui Ecclesiæ, secundum quē post corporalem cibum non licet sumere corpus Christi, cum tamen potest vnam hostiam consecratam liceat sumere aliam. Vnde hæc positio vitanda est tanquam hæretica.

AD primum ergo dicendum, quod Deus coniugauit diuinitatem suam, idest, diuinā virtutem, pani & vino, non vt remaneant in hoc sacramento, sed vt faciat inde corpus & sanguinem suum.

AD secundum dicendum, quod in alijs sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc sacramento. Et ideo in alijs sacramentis manet substantia materiæ, non autē in isto.

q. 87. art. 3. & 4. AD tertium dicendum, quod species, quę remanent in hoc sacramento (vt infra dicetur) sufficiunt ad significationem huius sacramenti, nam per accidentia cognoscitur ratio substantiæ.

COMMENTARIVS.

Conclusio D. Thomæ est fine gratiæ. NEGAD D. Thom. manere in hoc sacramento substantiam panis & vini. Quæ assertio, certa, & facilis est. Rationes tamē quibus Diuus Thomas illam probat, magnam habent difficultatem: quia verò singulæ fere singulas quæstiones requirunt, in sequente disputatione commodius disputabuntur. Solutiones autem argumentorum sunt faciles. De testimonio vero Damasceni, quod in solutione ad 1. explicatur, dicemus in sequentibus.

DISPVTAT. XLIX.

De absentia panis & vini ab hoc sacramento.

Disp. 11. de Eucharistia. POstquā diximus de præsentia corporis Christi, quæ est veluti terminus ad quem cōsecrationis huius sacramenti, antequam modum, quo hæc præsentia fit, & transubstantiationis explicemus, oportet dicere de absentia panis, quæ est veluti terminus à quo eiusdem consecrationis, intellecto enim vtroque termino, facilius erit transitum vnius ad alium contemplari, loquar autē semper, breuitatis gratia, de substantia panis: quia in omnibus eadem ratio est de substantia vini.

SECTIO I.

Vtrum de potentia absoluta potuerit Christus fieri hic realiter præsens manente substantia panis.

Sensus quæstionis exponitur. PRæmittimus hanc quæstionem, quoniam valde confert ad explicādam rationem, propter quam negamus manere in hoc sacramēto substantiam panis: agimus autem de possibili absolute & simpliciter, ac sine respectu ad determinata verba, per quæ fiat consecratio, salua eorum veritate: de hoc enim sect. sequente dicturi sumus: hic vero generaliter inquirimus de quocūq; modo actionis diuinæ, & de quocūque instrumēto, quo Deus vti velit, aut si malit sine illo operari. Denique suppono, sermonem esse præcise de præsentia, non de vnione corporis Christi cum accidentibus panis, quæ, & est in certa, & per se non pertinet ad doctrinam fidei; quanquam de illa etiam nonnihil obiter attingemus. Ratio itaque dubitandi est, quia D. *D. Thom.* Thom. hic ex sola præsentia corporis Christi colligit absentiam substantiæ panis; quæ collectio nulla esset, si cum præsentia Christi simul esse posset substantia panis. Et eodem modo procedit in 4. d. 11. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 1. in corpore, & ad 3. & 4. contr. gent. capit. 63. Quibus locis, hac ratione vtitur, non potest aliquid incipere esse alicubi, nisi aut per motum localem, aut per conuersionem alterius in ipsum: ergo nec corpus Christi incipere potest esse in hoc sacramento, nisi alterutro ex his modis: sed non potest incipere per motum localem. Primo, quia necessario desineret esse in cœlo. Secundo, quia necessario transiret per omnia loca media. Tertio, quia non potest simul incipere

pere esse in diuersis locis, cum vnus motus ad vnū locum terminetur: ergo necessario incipit in hoc sacramento per cōuersionem panis in ipsum; quod autem in aliud conuertitur, desinit esse: ergo.

Propter hæc antiqui discipuli D. Thom. asseruerunt, fieri non potuisse de potētia absoluta, vt corpus Christi haberet sub accidentibus realem præsentiam sacramentalem, quam nunc habet, manente sub eisdem substantia panis, & quidam eorum omnem præsentiam negant fuisse possibilem. Alij licet lateantur, potuisse Deum facere aliquam, non tamen eiusdem rationis cum illa, quæ nunc est. Ita sentit Herue. in 4. d. 10. q. 1. ar. 1. Palud. d. 11. q. 1. art. 1. & 2. Capr. q. 1. art. 3. ad 3. Scoti. cont. 1. conclus. qui secundam adhibet rationem; quia, si corpus Christi (inquit) fieret hic præsens, sine conuersione panis in ipsum, vel haberet præsentiam per suam quantitatem, vel per suam substantiam, vel per vtramque; non primum, nec tertium, alias esset corpus Christi hic quantitatiuè; & consequenter non posset esse in pluribus locis, neque etiam secūdum; quia substantia materialis, vt abstrahit à quātitate, non potest fundare genus aliquod præsentiæ: quia, si abstrahit à quātitate, abstrahit ab actione: ergo ab omni contactu quantitatiuo & virtuali: ergo ab omni præsentia. Idē videtur sentire Ferrar. 4. cont. gent. c. 63. qui tertiam indicat rationē quia impossibile est, relationem esse sine suo fundamēto: sed relatio præsentiæ, quam Christus nūc habet, fundatur in conuersione panis in ipsum: ergo. Eiusdem opinionis videtur fuisse Marsil. in 4. q. 8. art. 1. conc. 4. & Bonauent. d. 11. art. 1. q. 1. & clarius. q. 3. Ex quibus sumitur quarta ratio, quia impossibile est, aliquid incipere esse, vbi antea nō erat, sine sui mutatione, vel mutatione alterius in ipsum: sed Christus non incipit esse hic per sui mutationem: ergo necessaria omnino fuit mutatio in substantia panis. Tandem in hanc sententiam inclinare videtur Alan. lib. 1. c. 35.

Dico tamen primo, potuisse Deum facere verè & realiter præsentem Christum intra panem, conseruata, imo & immutata manente substantia panis. Hæc est communior sententia Theologorum in 4. distinction. 10. Scot. quæst. 1. 5. Quantum ad istud, & latius, distinct. 11. quæst. 3. Durand. q. 1. Richard. art. 1. quæst. 1. Gab. Mai. & aliorum, & ex Thomistis eam tenet Caiet. hic, Soto. dist. 9. q. 2. art. 2. Ledesm. q. 16. art. 2. & tandem idem dicit Ferrar. supra ad 4. Scot. contra. 2. dictum Diui Thomæ. Antequam vero hanc conclusionem probem.

Dico secundo potuisse Deum dare hanc præsentiam corpori Christi omnino eiusdem rationis cū illa quam nunc habet, & cum omnibus intrinsecis conditionibus eius, idest, vt illam haberet, non amittendo eam, quam habet in cœlo, & vt per eam esset totum in toto, & totum in qualibet parte panis, & cum intima & inseparabili distantia ab ipso, ablata solum ea actione, qua accidentia separantur à subiecto, vel etiam cum illa, si Deus vellet simul conseruare præsentem substantiam panis non vnitam accidentibus. Ita sentiunt prædicti Doctores, licet non tam distincte mentem suam declarent, videtur tamen res adeo clara, vt nulla appareat dubitandi ratio. Primo, quia nulla intercedit contradictio. Quod ita ostendo, quia nec ratione ipsarum rerum, seu terminorum, idest, corporis Christi, & substantiæ panis; nec ratione modi, seu actionis vel mutationis, per quam debet hic constitui corpus Christi, intercedit hæc repugnantia: ergo re vera nulla est. Prior pars videtur per se euidens; primò; quia etiam quantitatiuo modo non repugnat, vnum corpus fieri intime præsens alteri, conseruata illius substantia. Secundo, quia hic de facto quantitas corporis Christi fit intime præsens quantitati panis, illa manente & conseruata, neque est ex parte ipsarum rerum repugnātia: ergo multo minus est inter substantias, si solas ipsas, & earū præsentias intimas consideremus. Tertio, quia hic est substantia corporis Christi per modum substātiæ indiuisibiliter præsens: huiusmodi autem præsentia indiuisibilis substantiæ non repugnat, nec excludit formaliter præsentiam alterius substantiæ ab eodem loco, seu spatio: hac enim ratione substantia Angeli potest esse præsens intime in quauis alia substantia, & materialis substantia, si priuaretur quantitate, non excluderet aliam substantiā, ex loco, vbi ipsa est: quia hoc est, quod potissime facit quantitas naturæ suæ relicta. Quibus rationibus conuincor ad dicendum, non solum de potentia Dei absoluta, sed etiam ex natura rei, si solum consideremus vim præsentiæ, & formalem incompossibilitatem, abstrahēdo ab efficacia & veritate verborum, præsentiam corporis Christi non expellere formaliter substantiam panis physica expulsione, de quo latius dicam disputatione sequente. Aliud mēbrū, scilicet, hoc non repugnare, ex parte vię seu mutationis, probatur primo in genere quia vt recte notauit Scotus, duæ partiales mutationes possunt hic intelligi, alia priuatiua, qua substantia panis trāsit ab esse, ad nō esse; alia positiua, qua corpus Christi ex nō præsente fit præsens: sed istæ nō sunt essentialiter cōnexæ, nec termini vnus cū terminis alterius: ergo possunt separari: ergo corpus Christi non necessario fit hic ex substantia panis, quia solum hic terminus à quo est simpliciter necessarius in tali mutatione. Deinde magis in particulari: quia repugnantia constituebatur in hoc, q. si substantia panis non desinit, nulla est actio, vel mutatio, per quam hic fiat corpus Christi; ostendā duos modos esse possibiles; &, quoniam ad disputationem de transubstantiatione multum conferēt eos diligenter explicabo.

Manente substantia panis posset Christus illi intime adesse per actionem substantialem. Dico ergo tertio, potuisse Christum fieri substātialiter præsentem intra panem per actionem substantialem per se primo terminatam ad substantiā corporis Christi per modum creationis, vel conseruationis, ad quam talis præsentia consequatur. Probatur, nam, si Christi corpus alibi non existeret, posset creari à Deo cum noua præsentia locali absque alterius rei desitione: ergo etiam posset creari hic intra substantiam panis, cum hac præsentia sacramentali, absque desitione substantię panis: quia neque ex parte termini à quo, neque ex parte termini ad quem, neque ex formali repugnantia substantiarum esset contradictio, vt ostensum est, ergo, etiam si corpus Christi alibi existat, poterit per simile genus actionis fieri præsens intra substantiam panis. Probo consequentiam, quia eadem res potest duplici actione produci, aut conseruari: vnde, licet supponatur existens alicubi vna actione, potest alibi idem esse recipere per aliam actionem, quæ de se esset sufficiens rei productio, si non supponeretur existens; tunc autē non denominabitur mi-

Universidad de Deusto Biblioteca

productio, quia hæc vox cõnotat ordinẽ ad terminũ à quo, qui sit priuatio, seu negatio simpliciter existentiæ termini ad quẽ: quia produci significat adduci de non esse simpliciter ad esse; sed denominatur quasi conseruatio: quia conseruatio est influxus eiusdẽ esse, quod antea erat, & hoc conuenit illi actioni. Nec refert, quod cõseruatio proprissime est eadẽ actio cũ productione, quatenus permanet & durat influendo idẽ esse, quod in primo instante produxit, vt constat ex D. Thom. 1. p. q. 104. art. 1. ad 4. quia etiã potest per nouam actionẽ conseruari id, quod per alteram actionẽ fuerat productum, vt si lumen productum ab vna lucerna conseruaretur ab alia; & in hoc mysterio conseruaret Deus quantitatem separatã, alia actione ab illa, qua antea fuerat producta; at vero, sicut fieri potest, etiã naturaliter, vt res cõseruetur per distinctã actionẽ, à productione cessante priori actione, ita, saltẽ supernaturaliter, fieri potest, vt cõseruetur per nouam actionem absque cessatione prioris.

D. Thom.

Idem effectus à duabus causis totalibus simul potest produci supernaturaliter.

Quoniam vero ex hoc principio pendent, non solum ratio facta, sed multa etiam dicenda de transubstantiatione, oportet illud fundare ac declarare. Primo igitur ponendum est ex philosophia, fieri posse diuina virtute, vt idẽ effectus simul à duabus causis totalibus producatur: dicuntur autem causæ totales, quando vnaquæque actu efficit actione sufficiente ad totum producendum, quas non repugnat fieri simul; quia vna non destruit aliã, neque aliunde est specialis repugnantia, aut implicatio contradictionis, vt suo loco ostendimus.

Hoc autẽ fieri debet duabus actionibus diuersis ac sufficientibus sigillatim.

Hinc fit secundo, vt effectus fiat à duabus causis totalibus, necessarium esse, vt fiat duabus actionibus diuersis: quia, si causa est totalis, necesse est, vt dixi, actionem esse per se sufficientem ad effectum ita vt quamuis alia & melior tolleretur, ex vi talis agentis & actionis fieret effectus tam perfectus & integer, sicut ab vtraque producebatur: nam, si causa non sit huiusmodi, non erit totalis, sed partialis cum indigeat consortio, & adiutorio alterius: ergo necesse est talem causam agere actione propria & integra, distincta ab actione totali alterius causæ. Patet consequentia, tum quia actio dicit habitudinem intrinsecam ad agens, & ita ab illo pendet, vt inuariato agente, non possit variari actio, vt supra agentes de instrumentis declarauimus; tum etiam quia vna destructa potest manere alia, & è contrario: quia potest vnum agens cessare ab agẽdo, alio perseuerante in actione, & idem omnino esse in effectum influente: hoc autem ipso, quod agens cessat ab agendo, perit eius actio: quia, si antea agebat & nunc non agit, necesse est, aliquam mutationem esse factam, vel in causa, vel in effectu, vel in actione: sed non in causa, quæ per transeuntem actionẽ non mutatur; & præsertim quia suppono cessare ab actione per suspensionem diuini concursus: neque in effectu, vt est res facta, quia suppono, integre conseruari ab alia causa totali: ergo in actione: ergo potest vna actio desinere, manẽte alia, & è cõuerso, sunt ergo distinctæ.

Vnus effectus potest duplici actione totali conseruari.

Ex quo vlterius concludo, sicut potest vna res ab initio productionis suæ fieri à duobus agentibus duplici actione totali, ita, licet in principio producta sit vna actione, posse deinceps duplici actione conseruari; nam si duæ illæ actiones possunt simul fieri & durare, cur non poterit vna post aliam incipere, & postea simul durare? Præterea naturaliter fieri potest, vt res producta per vnam actionem, per aliam conseruetur, cessante priori: cur ergo fieri non poterit per potentiam absolutam Dei vt res producta per vnam actionem incipiat similiter conseruari per aliam actionem, non cessante priori? Nã, si quæ esset repugnantia, maximè, quia illæ duæ actiones simul durarent: sed in hoc nõ est: quia possent simul à principio durare, vt ostensum est. *Obiectio.* Dices, quomodo potest intelligi noua actio, si nihil nouum facit in termino? actio enim non est sine termino: ergo neque noua actio sine nouo termino. *Solutio.* Respondetur, idem quæri posse, quando eadem omnino res incipit cõseruari per nouam actionem, desinente priori: vt ergo actio sit noua, satis est quod eadem res incipiat habere nouam dependentiam, quam antea non habebat, etiam si nouũ esse non recipiat, sed illud ipsum per influxum alterius causæ: & hoc sensu falsum est, nihil fieri in termino per illam actionem, si fieri late sumatur, vt extendatur ad conseruationem, & alium quemcunque influxum.

Res in vno loco producta, potest in alio simul poni per actionem terminatam ad eius substantiam.

Quarto hinc colligo, posse rem factam & existentem in vno loco, de nouo in alio cõstitui per actionem nouam terminatam ad substantiale esse ipsius rei conseruatæ in tali loco. Probatur, quia eadem res potest conseruari duplici actione, vt dictum est: ergo, cum possit simul poni in diuersis locis (vt suppono) poterit in vno conseruari per vnam actionem, & in alio per aliam. Probatur consequentia, quia, cum duæ actiones, & inter se, & à termino ex natura rei distinguantur: poterit per vnam earum res fieri, & conseruari in vno loco, & per aliã in alio.

Obiectio. Dices, talis actio per se primo terminatur ad substantiam vt sic abstrahendo ab hoc vel illo loco: ergo necessario terminatur ad illam, vbicũque est: ergo, etiã si res sit in duobus locis, vel in vtroque fiet, aut conseruabitur substantialiter per eandem actionem, vel si ponatur duplex actio, vtraque terminabitur ad rem secundum se. Et confirmatur, non posse esse nisi vnam; alias posset Deus, etiam in eodem loco conseruare vnam rem duabus actionibus distinctis, & totalibus. *Solutio.* Respondetur ad argumentum, primo distinguendo antecedens: nam actio substantialis potest dici abstrahere ab hoc, vel illo loco, quia de se non postulat potius hunc, quam alium; & hoc sensu transeat antecedens, quia non est ad rem; alio modo potest dici abstrahere: quia, cum sit actio, non magis est præsens in hoc loco, quam in alio; & hoc sensu est falsum, quia actio seu passio, aut denominatio seu dependentia habet etiam suam præsentiam, & necessario alicubi fit, & tantum ponit effectum, vbi ipsa fit: non est autem necesse, vt dixi actionem esse in pluribus locis etiam si in illis sit res facta: quia potest esse in illis, non vt est per illam actionem solam, sed vt est, vel conseruatur per plures: igitur in hoc modo productionis nulla est repugnantia. *Secundo.* Secundo, admisso antecedẽti in priori sensu, nulla est consequentia, nam, licet actio terminetur ad substantiam; & ideò necessarium sit ibi esse substantiam, vbi substantialiter est actio, per quam conseruatur: quia, vt suppono, actio idẽtice est in ipso termino, & in illa entitate ratio essentialis, & prorsus inseparabilis est illa, quæ constituit terminum in suo esse reali, seu substantiali, ac denique quia non potest actio influere in terminũ, nisi vbi ipsa est;

non tamen è cõtrariò necesse est; vt vbicũque est res facta per aliquam actionem, ibi sit omnis actio, per quam fit, vel conseruatur. Cum enim actio sit veluti modus rei, ad quam terminatur, & ex natura rei ab ea distinctus, nihil obstat, quominus alicubi sit realis res, vbi non est illa actio, sed alia, per quam eadem res fit, & cõseruatur: vt enim suprà ostendimus potest res in vno loco carere aliquo modo existendi, quo non caret in alio, quãdo modus ex natura rei ab ea distinguitur. Quæ omnia apertè confirmantur in ordine ad tempus, seu durationem; quia licèt, quando durat actio, duret terminus per illam factus; tamen è contrario fieri potest, vt cessante actione conseruante, res nihilominus duret, & conseruetur per aliam actionem, vt patet in lumine producto ab vna lucerna, & cõseruato, ab alia, ergo, sicut hæc possunt tempore separari, ita & loco.

Ad cõfirmationem respondetur, concedẽdo sequelam: nam sicut Deus potest efficere eundem effectum per duas causas secundas totales; ita posset se solo eundem effectum facere per duas actiones totales: quia, quod potest facere per causas secundas efficientes, potest se solo præstare. *Obiectio.* Dices, quando concurrunt duæ causæ secundæ habent actiones, vnde distinguantur: at verò respectu ipsius solius Dei minimè. *Solutio.* Respondeo, ad hoc sufficere eminentiam diuinæ virtutis, quæ efficaciã habet ad agendum pluribus actionibus inter se se distinctis. Sicut potest Deus creare rem vnam vna actione, & annihilare illam, ac posteà eam reproducere alia actione distincta: quia ad agendum hac vel illa actione non determinatur à loco, tempore, vel circunstantijs, sed à sua libera voluntate. Addo, ad præsentem difficultatem non referre hoc, sed satis esse, quod in vno loco possit res immediatè cõseruari à solo Deo, in alio vero fieri, seu cõseruari medio instrumento creato. nam hoc satis est, vt oporteat actiones esse distinctas, vt tractando de actione sacramẽtorũ in genere latiùs diximus.

Vltimò ex his colligitur primus modus, quo fieri potuit præsens hæc substantia corporis Christi absque desitione substantiæ panis, scilicet per modum productionis, seu conseruationis substantialis hic factę de nouo, ex qua non sequitur desitio panis, nam cum istæ sint duæ veluti mutationes partiales, altera priuatiua altera positiua, circa res omnino distinctas, potest per diuinam potentiam vna ab alia separari. Nec existimo, D. Thomã hoc negasse, sed sub conuersione hanc actionem comprehendisse, quia re vera, propria, ac substantialis conuersio nõ est, sine huiusmodi actione, vt infrà ostendam, imò hæc actio est potissima, quæ in conuersione intercedit; sicut si Deus introduceret formam ignis in ligno, efficiendo, vt forma ligni nõ recederet, illa actio, quamuis tunc non cõuerteret lignum in ignem, tamen de se esset conuersiua, & ita nomine conuersionis comprehenderetur: sic igitur in præsenti intelligi potest D. Thom. quomodo autem cum hac expositione consonent cætera quæ docet, dicam in sequentibus.

Conclusio. Dico quartò, de potentia Dei absoluta potuisse fieri præsens corpus Christi in hoc sacramento, cõseruata substantia panis, per actionẽ, seu mutationem accidentalem, scilicet, per actionẽ adductiuã seu mutatiuam, quasi localem, id est per quam tantum acquiratur illa præsentia realis, per quã Christus dicitur esse hic. Quod ostendo primò, quia hæc præsentia realis, quam habet corpus Christi in hoc sacramento, est modus realis & accidentalis ipsius corporis, habens similitudinem, seu proportionem cum vbi: sed hic modus est per se primò producibilis per actionem per se, & formaliter ad ipsum terminatam, sicut suprà etiam dixi, & constat à simili de motu locali, & eius termino: imò etiam patet in mutatione locali, quæ quotidie fit in corpore Christi iam existente sub speciebus: ergo potuisset à principio hic constitui per similem mutationem, non excludendo substantiam panis, quia cum illa non habet necessariam aut formalẽ repugnantiam, vt patet ex dictis in prima conclusione. Secundo specialius id probatur, excludendo difficultates, quæ hinc sequi videbantur: quia, si aliquid obstaret, maximè quod Christus acquirit hanc præsentiam non amittendo illam, quã habet in cœlo: sed hoc non obstat, vt patet euidentibus exemplis naturalibus: angelus enim existens in loco inadæquato acquirit de nouo præsentiam in alia parte loci, non amittendo priorem: vnde intelligitur, dari posse mutationem localem acquirẽdi locum absque mutatione amittendi locum; similiter anima hominis per nutritionem acquirit nouam præsentiam, & vnionem partialem, non amittendo priorem. Ratio à priori est, quia, quod mobile deserat vnum locum, quando alium acquirit, ex eo tantum prouenit, quod non potest esse simul in diuersis locis: nam, si possit, non erunt termini inter se repugnantes, & ideo ad vnum acquirendum non erit necessarium, alium deserere, vt patet in dictis exemplis de angelo & anima: sed in nostro proposito hæc præsentia sacramentalis non repugnat cum locali, quæ est in cœlo, nec cum alia sacramentali, quæ est in alio loco, in ordine ad diuinam potentiam: ergo potest fieri per mutationem localẽ per se terminatam ad illam præsentiam in corpore Christi, absque amissione alterius præsentiæ, vel vbi: nam, cum hi termini non habeant inter se repugnantiam, acquisitio vnius non repugnabit cũ conseruatione alterius. Et confirmatur, nam supposito, quod possit Deus ponere vnum corpus in duobus locis quantitatiue, poterit etiam corpus, quod iam est in vno loco, constituere in alio, solũ de nouo faciendo in illo illud nouum vbi, quod alibi acquirit absq; alia actione productiua substantiæ: potest enim per eandem vtrobique conseruari, ponendo illam in vtroque loco, vbi ponitur terminus, sicut necessario dicẽdum est in angelo, aut anima existente in toto, & in qualibet parte, & in eodẽ angelo, & in quouis corpore, quando localiter mouetur; eadem enim actione substantiali conseruatur à Deo; quæ, prout est in termino, sequitur illum, quocunque ierit, & similiter desinit esse in alio loco, quia corpus illum amittit: si autem res ipsa posset in vtroq; loco manere, etiam actio substantialis in vtroque constitueretur, sola ergo mutatio localis, per diuinã potẽtiã facta, sufficeret ad acquirendũ locũ illum, non perdendo priorẽ: quia illi duo termini in ordine ad diuinã potẽtiam nõ repugnãt: vnde illa mutatio nõ esset propriè inter terminos positiuos, scilicet, ex vno loco ad aliũ, sed inter priuatiuos, scilicet, ex nõ esse ibi, ad esse ibi: ergo similiter in pręsẽte mysterio fieri poterat, quia specifica præsentiæ diuersitas nihil refert, cũ eadẽ sit ratio & proportio inter mutationes & terminos.

Universidad de Deusto Biblioteca

Dices. Potest asignari differentia, quia fortasse nõ potest corpus Christi eadem actione substantiali hic conseruari, qua conseruatur in cælo, sicut potest corpus in duobus locis quãtitatiuè existẽs.

Solutio. Respõdeo hoc esse per accidens ad præsentẽ quæstionem, & ideò nõ esse hic examinãdum; quod tamen præstabimus infrà, tractantes de transubstantiatione; nam ad præsentẽ difficultatem sufficit, quod præcedat, etiam si fingamus, Christũ esse in cælo eo modo, quo est in sacramento, vel per eandem substantialem actionem.

Obiectio. Solutio. Neque obstat huic mutationi, quod per eam acquiratur locus distans sine transitu per medium: nam hoc totum potest cadere sub diuinam potentiam: imò multi censent angelum id posse facere naturaliter: quid ergo mirũ, quod posit Deus idẽ facere in corporibus; Pręsertim quia cũ in hac mutatione nõ deseratur vnus locus ad acquirendũ alium, nõ est propriè trãsitus B à loco in locũ, in quo videtur requiri transitus per medium, sed est quasi simplex productio noui loci siue nouæ præsentiæ in subiecto præexistente, ad quam non est necessarius transitus per medium cum nõ cõparetur ad priorem terminũ tanquã ad terminum à quo. Dices; Comparatur tanquam ad subiectũ, quod inde adducitur; & ideò videtur, debere adduci per medium. Respõdetur diuinam virtute nõ esse ad hoc alligatã cũ in alio modo nõ sit repugnãtia, vel implicatio quia non fieret tunc mutatio successiua, sed simplex, ac momẽtanea acquisitio vnius præsentiæ sine amissione alterius.

Altera obiectio cum sua solutione. Denique nõ obstat, quod corpus Christi simul acquirat multas ex his præsentijs: hinc enim solũ fit, debere etiam ibi intercedere mutationes distinctas, pro diuersitate terminorum, cum quibus idẽtificantur: omnes tamen esse poterunt eiusdem rationis, scilicet, per modũ mutationis localis acquisitiuæ: sicut enim non repugnat, idem corpus habere simul multas præsentias huiusmodi, ita non repugnabit illas simul acquirere.

Vnde tandẽ cõcludo, per hoc genus mutationis potuisse hic poni corpus Christi, sine desitione substantiæ panis: quia neque ex formali ratione talis mutationis essentialiter requiritur illa desitio, cũ mutatio localis per se non transmutet substantias, neque ex ipsarum rerum incõposibilitate necessario sequitur: ostensum est enim: non esse inter eas formalem repugnantiam, præsertim in ordine ad diuinam potentiam.

Responsio ad rationem & autoritatem D. Thomæ. Ad rationem D. Thomæ quatenus cõtra nostrã sententiam fieri potest, iã responsum est. Ad autoritatem eius fateor, difficilè responderi posse nõ negando illã: quia si dicamus, locutũ esse de proprio, D ac naturale motu locali, ac de propria cõuersione, non video, quomodo sufficienter numeret omnes modos posibiles, quibus præsentia corporis Christi fieri poterat; & cõsequenter quomodo rectè cõcludat; si verò cũ Caietano, & Soto dicamus, locutum esse de absoluta potentia, & non de ordinaria non videtur vitari difficultas, nã, cũ hoc mysteriũ per absolutam Dei potentiam factũ sit, si nõ ostenditur omnis alius modus imposibilis de potentia absoluta quomodo potest concludi, alium modũ esse necessarium. Item cur dicemus, vnum modũ magis quam alium esse de potentia ordinaria, vel absoluta, nisi quia Christus voluit hoc modo prius facere, quam illo: nam secundum se omnes sunt supernaturales, & miraculosi, & si Christus elegis- A set aliũ expositis à nobis, ille certè diceretur posibilis secundũ legem ordinariam. Nihilominus tamen hæc expositio D. Thom. necessariò est admittenda; nam ferè in omnibus articulis, & quęstionibus sequentibus similibus rationibus vtitur, quæ necessariò ita explicandæ sunt, vt videbimus: sensus ergo illius in tota hac materia fuit, primũ vt in tota hac materia nullum miraculum admittamus, quod in verbis, quibus conficitur, nõ necessariò cõtineatur, & inferatur ex illis, ac deinde, quoad fieri posit pauciora multiplicentur miracula. In præsenti ergo supponit ipse Deũ nõ facere nouas rerũ creationes, & ideò rectè sumit, rem, quę alicubi nõ est, solum posse ibi constitui per actionem localem vel conuersionem: quia in rebus non inueniuntur alij modi, & cum alter illorum hic sufficiat, nõ oportet addere noua miracula, comparando autem B illos duos modos inter se, iudicauit D. Tho. plura multiplicari miracula, si ponatur, hoc fieri per mutationem localem, quod est probabile, examinabitur autem amplius disputatione sequente.

Ad secundam rationem Capreoli respõdeo esse nullius momenti, quia corpus Christi nunc de facto est hic præsens per suã substantiã, & per suam quantitatẽ, nõ quantitatiuè, sed cõcomitantẽ substantiã, & imitantẽ illã in modo præsentiæ: ipsa tamen præsentia rè vera inest in ipsa substãtia, & quãtitate: in vtraque tamẽ immediatè, & hoc sensu dico, esse præsentem per suam substantiam, & quãtitatẽ, quanuis primariò adsit substãtia, & consequẽter quantitas. Ratio autẽ formalis existẽdi hic est ille intrinsecus modus præsentiæ, qui, licèt insit quantitati, non tamen est quantitatiuus, quia non est connaturalis quantitati, sed supernatura- C lis hoc autem totum dici posset, etiam si cum præsentia Christi maneret substantia panis. Cum autem dicit, substantiam secundum se abstrahere à quantitate, & consequenter ab actione, & consequenter à præsentia, malè infert in vtraque consequentia, tũ quia substantia spiritualis per se est capax præsentiæ, etiam, si nihil agat: substantia autẽ materialis, quanuis naturaliter illã nõ habeat, nisi per quantitatem, tamen supernaturaliter potest illam recipere per se, & immediatè, vel cũ quantitate, vel sine illa, pro Dei arbitrio, tũ etiã, quia substantia materialis abstrahens à quantitate naturaliter non sit capax actionis, tamẽ supernaturaliter potest illã habere, vt nunc de facto habet corpus Christi sub speciebus, & posset habere, etiã si ibi maneret substantia, si aliũde ex parte actionis, vel termini non ponatur aliquid repugnans.

D Ad tertiũ Ferrariensis, quod est infirmius, respondetur, relationẽ præsentiæ nõ fundari in cõuersione, quæ in instante fit, & trãsit, quæq; nõ tantũ includit præsentiæ acquisitionẽ, sed etiã desitionem alterius rei, quæ desitio per accidẽs se habet ad hãc relationẽ, quę per se & immediatè solũ fundatur in modo existendi corporis Christi, qui nunc fit, vel resultat per conuersionem. Vnde, si ille idem modus per aliud genus actionis, vel mutationis fieret eandem relationem fundaret, ostensum autẽ est, eundem modum præsentiæ posse fieri sine conuersione, sicut in corporibus fundamentũ relationis propinquitatis est ipsum vbi, quod vero tale vbi per se acquisitum sit per motum localem, vel consecutum per creationẽ, vel generationẽ, nihil refert ad relationem illam.

Ad

Ad quartum Bonauenturæ, & aliorum respondetur, corpus Christi incipere esse hic sine mutatione, qua perdat aliquid eorum, quæ habet in cælo, non tamen sine mutatione, qua acquirat aliquid in sacramento; & hanc mutationem posset separare Deus à mutatione substantiæ panis, vt dictum est.

SECTIO II.

Vtrùm de facto desinat substantia panis sub speciebus, post consecrationem.

OMnes hæretici, qui negarunt præsentiam corporis Christi, affirmarunt, substantiã panis manere; sed & Berengarius, postquam realem Christi præsentiam cõfiteri coactus est, in alium incidit errorem, vt Christum simul cum substantia panis esse diceret; ita colligitur ex Guitmundo libr. 1. de hoc myster. in principio, & fortasse cum in prioribus Cõcilijs coactus esset præsentiam Christi fateri posteà in Concil. Romano sub Gregor. VII. etiam conuersionem substãtialem confiteri compulsus est, vt notat Vvaldẽs. tom. 2. capitul. 45. & Laurent. Sur. 3. tomo Conciliorum, in fine Concilij Romani, sub Nicol. II. In quo errore aduertẽdum est, dupliciter affirmari potuisse. Primò, vt sit sensus, corpus Christi esse simul cum substantia panis solum secundum intimam præsentiam, & aliquam accidentalem habitudinem. Secundò, vt non solum sint simul, sed etiam substantia panis sit ibi hypostaticè vnita Christo non constat autem, quo sensu Berẽgarius eum asseruit: magis tamen videtur priorem sensum tenuisse; quem ferunt, secutum esse Valerianum illum ad quem Anselmus scripsit epistolas de fermentato & azymo, & de differentia sacramentorum, vt refert Vvaldens. suprà capitul. 65. Et eundem errorem tenuit Ioann. Hus. vt colligi potest ex Concilio Constant. sesio. 15. Lutherus etiam, quem multi ex suis sunt secuti, hanc hæresim excitauit. Fundamentum horum esse potuit, quia ad veritatem verborum Christi. *Hoc est corpus meum*, & *Caro mea verè est cibus*, & similium, satis est, Christum esse præsentem, quanuis substantia panis adsit: ergo non est, cur hoc negetur. Patet consequentia, quia non sunt miracula sine necesitate multiplicanda: hic autem nulla est necesitas; cum ostensum sit, potuisse vtranque substantiam simul manere. Nec ad mysterium, neque etiam ad finem mysterij, vel vtilitatis eius, nam sola præsentia Christi ad omnia sufficit. Et confirmatur primò, quia in Scriptura sępe hoc sacramentum vocatur panis. Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; manet ergo panis, qui dicitur caro propter intimã coniũctionem & penetrationem, sicut ferrum ignitum solet vocari ignis. Quo exemplo vtitur Damasc. lib. 4. de Fide cap. 14. sic actorum. 2. 1. ad Corint. 10. *Panis quem frangimus*, & cap. 11. *Sic de pane illo edat*. Matth. 6. dicitur, *Panis quotidianus*, vt exponunt Cypr. de oratione Dominica; & Aug. lib. 2. de serm. Domini. cap. 12. & Damasc. suprà Confirmatur secundò testimonijs Patrum, in quibus tria sunt, quę videntur difficultatem habere. Primum est Gelas. lib. 1. contr. Eutychetem, in fine. *Sacramenta*, inquit, *Corporis & sanguinis Christi* A *diuina res est, & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, & vini*. Alterum est Chrys. Epist. ad Cęsari. monach. vbi inquit. *Post consecrationem liberari panem ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione Dominici corporis, etiã si natura panis in ipso permaneat*. Tertium est Theodoret. dialog. 1. non lõgè à principio *Symbola & signa, quæ videntur, nomine corporis, & sanguinis honorauit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adijciens*. Et alia verba similia ex dialog. 2. tractauimus suprà disput. 8. sect. 4.

Secundus error affirmat, manere naturam substantialem panis, non autem eius suppositum, sed illam naturam hypostaticè vniri Christo. Huius autorem fuisse Ioan. quedam Parisiensem refert Vvaldens. suprà, & sunt, qui existiment, Rupertũ Abbatem fuisse huius sententiæ autorem: quia in lib. de diuinis officijs, qui illi tribuuntur, li. 2. c. 9. inuenitur hic error: autor autem illius operis, licèt B priùs ignoratus fuerit, & posteà existimatus fuerit fuisse Valeram, vt patet ex Vvaldens. suprà cap. 47. & 93. tamen re vera fuit Rupertus, vt constat ex Tritemio, & ex communi omnium consensu; in prædicto autem capite habentur eadem verba, quæ Vvald. Valerano tribuit; & licèt ipse Valeranum referat in sensu primi erroris, tamen verba Ruperti potiùs videntur hunc posteriorem indicare. Addę, quod eodẽ li. 2. c. 2. sic inquit. Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc, quod de altari; & hoc, quod acceptum est de vtero Virginis: quia videlicet vnum idemque Verbum sursum est in carne, & hic in pane. Circa quæ verba aduertendum est, hunc errorem tribus modis potuisse affirmari. Primò, quod hic sit caro Christi, & illi immediatè C vniatur hypostaticè panis substantia, Verbo autem media carne: & hoc modo videtur asseruisse hunc errorem. Ioannis Parisienses Secundò, quod hic sit caro Christi; panis verò natura non vniatur illi immediatè; sed Verbo; & ita maneant inter se vnitæ hypostaticè; & hunc sensum à nemine explicatum inuenio, licèt insinuetur à Ruperto in aliquibus locis citandis. Tertiò, quod caro Christi humana, re vera, non sit hic, sed, sola natura panis assumpta hypostaticè à Verbo; ratione cuius vnionis dicatur corpus Christi; & hũc sensum videtur indicare Rupertus in citatis verbis, & in alijs, quæ subiungit, *Vnitas Verbi vnitatem efficit sacrificij, similiter enim vnũ Verbum, & olim carnem de Maria Virgine sumpsit, & nunc de altari salutarem hostiam accipit*; & in dicto. ca. 9. *Verbum, quod humanam acceperat naturam, idem in car* D *ne manens, panis & vini accipiebat substantiam, vita media panẽ est cum carne, & vinum cũ suo iungebat sanguine*. Vbi sentit, panem & carnem Christi vniri inter se medio Verbo. Idem li. 5. in Ioan. circa illa verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, Sicut Verbum, caro factum est, nõ mutatum in carnem, ita Verbum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panẽ; sed assumendo, & in vnitatẽ personæ suæ transferendo panem*; & lib. 2. in Exod. c. 10. *Totum attribuatis operationi Spiritus sancti, cuius effectus non est destruere, vel corrumpere substantiam, quam in suos vsus assumit, sed substantiæ bono permanenti: quod erat, inuisibiliter adijcere, quod non erat, sicut naturam humanam non destruxit, quando eam assumpsit, sic substantiam panis, & vini, secundum exteriorem speciem, quinque sensibus subiectã non mutat aut destruit, cũ eidem Verbo in vnitatem corporis eiusdem, quod in cruce pependit, &*

sanguin

sanguinis quem de latere suo fudit, ista coniungit. Picus etiam Mirand. in Apolog. quæst. 6. quamuis absolutè hunc errorem non defendat, existimat tamen non repugnare Scripturis, &, abstrahendo à Concilijs, & Patribus, esse sufficientem ad omnia, quæ Scriptura dicit de hoc mysterio; & hoc videtur esse fundamentum potissimum huius sententiæ: quia veritas illorum verborum, *Hoc est corpus meum* proprissimè saluatur hoc modo. Et confirmatur, quia Sancti patres in hunc modum videntur explicare interdum hoc mysterium: Eusebius Emiss. homil. 5. de Pasch. Ambr. lib. 4. de sacram. c. 4. Iustin. Appolog. 2. *Sicut per Verbum Dei caro factum Iesus Christus carnem & sanguinem pro salute nostra habuit sic etiā per verbū precationis sacratā, ab ipso alimoniā illius Incarnati Iesu carnē, & sanguinē esse didicimus.* Difficili9 Damas. lib. 4. c. 14. *Quoniā ita refert hominum vsus, atque consuetudo, vt panem edant, vinūque & aquam bibant, idcirco diuinitatem suam cum ipsis coniunxit, eaque corpus & sanguinem suum fecit.* Alia refert Claudius, repetition. 8. capitul. 4. Rursus confirmatur, quia inter Christum & panem est idiomatum communicatio: ipse enim Christus dicitur panis, & panis dicitur caro Christi: ex hac autem communicatione hypostaticam vnionem in mysterio Incarnationis colligimus.

Picus Mirandulanus. Ambrosius. Iustinus. Damasc. Claudius.

Substantia panis & vini non est in Eucharistia vnita Verbo diuino. Durand. Palud.

Dicendum est primò, panis substātiam non manere in hoc sacramēto vnitam hypostaticè verbo Dei. Hæc conclusio est de fide, quam testimonijs statim cōfirmabimus. Rationibus vero latè illā cōfirmat Duran. dist. 10. quæstion. 1. Palud. d. 11. q. 2. Probatur tamen breuiter, quia, vel illa vnio facta esset immediatè inter substantialem naturam panis, & Verbum; aut inter corpus Christi, & naturam panis: at neutrum dici potest. Probatur prior pars primò: quia aliàs ita esset Verbum impanatū, sicut fuit incarnatū, quod est absurdissimum, & inauditum in Scripturis & Patribus. Quis enim dicat Verbum tam verè ac propriè esse panem, sicut est homo? & cùm in natura humana semel tantùm incarnatum fuerit, in natura panis, quotidie impanari? Secundò, interrogo, ad quid ponatur hæc hypostatica vnio inter panē & Verbum? Dices, vt sit vera illa locutio, *Hoc est corpus meum*; nam ibi designatur panis, vnde necesse est, vt adsit, vt autem illi cōuenire possit tale prædicatum, necessarium est esse vnitum Verbo. Sed contrà, quia, si propter hanc solum vnionem esset vera locutio, *Hoc est corpus meum*: ergo ex vi illorum verborum nō esset hic realiter præsens corpus humanū Christi: nam si illud, *Hoc*, designat panem, qui dicitur corpus Christi, propter hāc vnionem; eodem modo dici posset, etiam si corpus humanum Christi hic non adesset: consequens autem est hæreticum, vt suprà ostensum est, & repugnat verbis à Christo subiunctis, *Quod pro vobis tradetur*, quia etiam si panis fuisset assumptus, non posset dici corpus, quod pro nobis traditum est in cruce, Nisi fortasse aliquis dicat, illud verbum, *tradetur*, non esse referendum ad passionem, sed ad ipsam sacramentalem distributionem. Quod posset quidem accommodari Lucæ dicenti, *Quod pro vobis datur*. Sed nihilominus prior sensus est verior, magisq; à Christo intentus, vt ex ipso mysterio, & ex omnibus Patribus constat, Atque ex verbis illis Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: nā propter solam vnionem in eodem supposito non posset panis appellari caro; sicut non potest corpus Christi appellari anima. Ac prætereà ex verbis calicis; *Hic est sanguis meus*, euidentius hoc cōstat, nā, licèt vinum esset hypostaticè vnitum Verbo, non posset dici sanguis Christi propter solam vnionē; sicut caput Christi non potest dici pes, vel manus eius, licèt omnia sint immediatè vnita Verbo quia hæ voces, quæ significant partes, non supponunt pro supposito, in quo fit idiomatum communicatio. Et eâdem ratione, licèt verbum assumeret duas naturas, angelicam, verbi gratia, & humanā; non posset vna de alia prædicari, licèt inter concretæ esset communicatio idiomatum: ergo ad veritatem illorum verborum necessaria est realis præsentia sanguinis, & corporis. Quod si dicas, esse quidē hæc realiter præsentia simul tamen vnita pani in eadem persona hoc facilè excluditur, tum ratione facta de vnione hypostatica, tum, quia tollitur hoc modo omnis ratio transubstantiationis, & conuersionis contra doctrinam Ecclesiæ; tum etiam, quia ex illo errore sequitur, ad veritatem horum verborum præcisè, *Hoc est corpus meum*, non esse necessariam realem præsentiam corporis Christi, quod est contra fidem. Quo circa ille sensus explicatus iuxta dictum errorem omnino est falsus atque confictus, imo in rigore nō est verus propter solā vnionem hypostaticam vtriusque naturæ in Verbo Dei; vt partim ex dictis constat, & ex dicendis circa secundam conclusionem magis declarabitur.

Posterior pars, scilicet nō potuisse substantiam panis vniri hypostaticè Verbo diuino medio corpore Christi, probatur primò rationibus illis generalibus, quia alia vnio hypostatica prçter Incarnationem inaudita est; tum quia hoc modo tollitur conuersio & transubstantiatio, tum etiam, quia neque illa vnio satis esset, vt panis diceretur corpus Christi, aut vinum sanguis. Secundò, speciali ac propria ratione: quia vnio hypostatica non fit in natura, sed in persona, seu subsistentia: in Christo autem homine, abstracta seu præcisa substātia Verbi nulla manet subsistentia in humana natura, sed sola natura: ergo non potest fieri vnio hypostatica immediatè in tali natura, seu in corpore, aut in partibus eius; sed, si aliqua fit, necesse est, vt immediatè fiat in subsistentia Verbi tanquam in termino vnionis, vt prior dicendi modus afferebat, qui improbatus est.

2. Conclusio. Magister. Concil. Rom. Vvaldens. Surius. Concil. Lateran.

Dico secundo, substantia panis, vel suppositum eius nullo modo manet in hoc sacramento. Hanc conclusionem docuerunt omnes scholastici cum Diuo Thom. hîc & Magi. in 4. dist. 10. & 11. quæ etiam est ab Ecclesia definita de fide primum in Concilijs congregatis contra Berengarium, de quibus suprà dictum est, Solum est in eis considerandū, in prioribus Concilijs non fuisse hoc tam apertè declaratum; quia Berengarius nondū mentē suam, & errorē hūc satis prodiderat; posteà vero ad retractandum hunc errorē coactus est in Concil. Romano sub Gregor. VII. conuersionem substantialē expressè confiteri, vt notarunt Vvaldens. tom. 2. de sacram. c. 43. Surius 3. tom. Concil. in Scholion ad Cōcil. Rom. sub Nicol. II. Apertius hāc tradidit veritatē Cōcil. Latera. sub Innoc. III. & habetur in c. Firmiter, de Sum. Trinit. & fide Cath. Deinde in Cōstantiensi sess. 8. vbi dānantur errores Vviclef. dicentis, manere in Eucharistia substantiam panis & vini, & accidentia panis non

non esse sine subiecto. Refert etiam Ioan. Coclæus in histor. Hussitarum li. 1. anno. 1413. fuisse congregatum Concil. Romanum contra Ioan. Hus; & eosdem errores in eo fuisse damnatos. Idem tradit Concil. Florent. in Literis vnionis, & Trid. sess. 13. c. 4. & can. 2. Secundò probatur hæc veritas ex Sanctis Patribus: omnes enim, qui nomine conuersionis, transmutationis, vel transubstantiationis, vsi sunt, hanc veritatem supponunt: citabimus autem illos disputatione sequente. Expressiora vero testimonia sunt sequentia. Primum Irenæi lib. 4. c. 34. *Qui est antea panis, percipiens inuocationē Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & cælesti*: id est, ex corpore Christi; & accidentibus panis. Secundò, Iustinus Apol. 2. in fine, *Non vt vulgarem panem, & communem poculum hæc sumimus*; & infrà dicit hæc mutari per verbum precationis. Tertio, Cyrillus Hierosol. Cathec. 3. mystag. *Hoc sciens, ac pro certissimo habens; panem hunc, qui videtur, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat.* Quartò, Chrysost. hom. de Euchar. in encænijs. *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi, in se cessum vadit? absit, ne sic cogites*, &c. quibus euidenter hanc veritatem confirmat. Quintò, Greg. Nissenus lib. de Sancto baptismo non longè ab initio. *Panis iste panis est in initio communis, sed vbi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi dicitur, & est.* Eusebius Emissen. hom. 1. de Paschat. *Antequam consecrentur, substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi, corpus, & sanguis eius est; nec dubitet quisquam nutu potentiæ, & præsentiæ maiestatis, in Dominici corporis transire posse naturā cum ipsum hominem videat artificio cælestis misericordiæ Christi corpus effectum.* Septimò Ambr. de sacram. c. 4. *Panis hic, panis est ante verba sacramentorum, sed vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*, & lib. de myst. c. 9. *Probemus igitur, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione ipsa natura mutatur.* Et in c. Omnia de Consecr. d. 2. ex Ambr. hæc verba referuntur, *Licet: figura panis & vini, hic sit nihil tamen aliud, quam corpus Christi & sanguis post consecrationem credendum est.* Quæ licèt non ad verbum, in sentētia sumpta sunt ex lib. 4. de sacrā. c. 4. & 5. & lib. 6. c. 1. Octauò, August. in c. Vtru sub figura, de consecratione, distinction. 2. *Fideliter fatemur, ante consecrationē panem esse, & vinum, quod natura formauit, post consecrationem vero carnem Christi, & sanguinem esse, quod benedictio consecrauit.* Et sermon. 18. de verbis Domini. *Ante verba Christi, quod offertur panis dicitur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur*; & ibidem ait vocari hūc panem, *non communem, sed super substantialem*. Sunt etiam optima verba Augustini, quæ refert, & se vidisse testatur Vvaldensis tomo. 2. de sacrament. c. 83. ex tractatu Augustin. de corpore & sanguine Domini. *Nec dubitare debet aliquis, quod panis & vinum mutantur in veram substantiam Christi, ita vt non remaneat substantia panis vel vini.* Nonò, Remig. Psalm. 21. *Panis, inquit, & vinum à Christiana veritate dicuntur, non quod naturam panis, & vini post consecrationem retineant, sed quod nutriant.* Decimò, Beda libr. de myster. Missæ. *Ibi forma panis videtur, vbi substantia panis non est.* Vndecimò, Bernard. de Cœna Domini. *Hostia, quam vides, iam non est panis, sed caro mea; similiter liquor iste, quem vides, iam non est vinum, sed sanguis meus; quemadmodum illic species cernuntur, quarum res, vel substantiæ ibi non esse creduntur, sic res veraciter, & substātialiter creduntur, quarum species non cernuntur.* Denique Petrus Cluniac. cont. Petrobrusianos dicit reseruari species panis, & vini; *Vt appareant in ipso sacramento panis, & vinum, quod non est, & lateant oculos carnis caro, & sanguis, quod est.* Vnde Claud. rep. 9. Ruard ar. 14. Alan. lib. 2. ca. 34. Bellarm. lib. 3. cap. 18. & sequentibus.

Greg. Nissen. Eusebius. Petrus Cluniacensis. Claudius. Ruard. Alanus. Bellarm. D. Thom.

Tertio, fundamentū huius fidei sumitur à grauioribus Theologis ex verbis Christi, *hoc est corpus meum*, vt videre licet in D. Thom. hîc & in 5. cont. gent. c. 63. & in 4. distinct. 11. q. 1. & alijs Theologis ibi, vno vel alio exceptis, & in alijs recentioribus, & ab omnibus ita explicatur: quia si maneret panis, finita consecratione, non posset verè dici, Hoc, quod in manibus habetur *esse corpus Christi*, sed solū dicere potuisset Christus, Hic est corpus meum; illud enim pronomē, *hoc*, quod substantiale est, præsertim substantiuè sumptum, non potest per aduerbium locale explicari: quia nō esset expositio, sed corruptio, propriæ significationis vocis: nō ergo designat locum, sed substantiā presentem, & sub accidentibus contentā: ergo, si ibi maneret substantia panis, ex vi suæ significationis designaret illā: ergo redderetur tota propositio falsa, quia falsum est dicere, panem esse corpus Christi, sola enim intima præsentia nō satis est vt vnum possit de alio idēticè prędicari. Quando enim Christus exiuit de vtero vel de sepulchro, intimè erat præsens cū lapide, quando in illo erat penetratiuè; & tamē nō poterat verè dici, signato lapide, Hoc est corpus Christi: ergo etiam si intercederet aliqua vnio, si illa nō esset hypostatica, nō satis esset ad veritatem, & proprietatem illius sermonis, vt anima non dicitur corpus, nec, signato corpore verè dici potest, hoc est anima, etiā si intimè sit illi præsens & vnita: quia si nō sit idētitas inter prædicatum, & subiectum, saltē in supposito, pro quo vtrumque supponit, non potest verè vnum prędicari de alio, vt in dialectica est principium per se notum, & in Theologia fides mysterij Incarnationis hoc principio potissimū nititur; & multa etiā, quæ ad mysteriū Trinitatis spectat; & de hoc mysterio idē ostensum est suprà disputatione 8. vbi exclusimus metaphoras, ac improprias interpretationes, ad quas etiam hoc loco hæretici recurrunt, in quibus refellendis, quia eiusdem rationis sunt, ampliùs immorari non expedit.

Scotus. Durand. Palud.

Sed hæc ratio non conuincit Scotū in 4. dist. 11. quæst. 3. nec Durand. q. 1. num. 14. nec Palud. q. 2. num. 24. dicūt enim, quamuis sub speciebus maneret substantia panis, dūmodo cū illa simul adesset substantia corporis Christi, verè ac propriè potuisse à Christo dici, *Hoc est corpus meum*, quia posset per illud pronomē designari id, quod speciebus continetur; & illud re vera esset corpus Christi, quamuis etiam esset substātia panis. Quod si dicas, facta illa hypothesi, non solum corpus esset contētum sub speciebus, sed etiā aggregatum ex corpore & substantia panis hoc autem totum aggregatum non posse vere dici corpus Christi. Respōdebunt, non oportere, vt hoc pronomine demonstretur totum id, quod sub sensibilibus accidentibus continetur, sed ex intentione loquentis posse, salua omni proprietate, & veritate verborū, quando res plures sub eisdem accidentibus continentur,

tur, definiri, ac determinari pronomen illud ad designandam vnam, & non aliam rem, præsertim quando ea res, quæ signatur, est præcipua, & maioris æstimationis, sicut signato marsupio, verè dicimus, hoc est aurum, quanuis aliquid argenti ibi etiam inclusum sit. Adde quando substantia vna intra aliam continetur rectè designari pronomina, *hoc*, etiam si sola substantia continens per sua accidentia sensibus objiciatur, vt prædictis exemplis constat. Posse autem hic maneri substãtia panis, & intra illam contineri corpus Christi, atque ita in ea, seu per eam designari. Sed horum autorum sententia, & multum fauet huius temporis hæreticis, & nullo modo defendi potest: nam Concil. Trident. sessione 13. capite 4. expresse probauit prædictum fundamentum, & verborum Christi expositionem dicens. *Quoniam Christus redemptor noster, corpus suum id quod sub speciebus panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, conuersionem fieri totius substantiæ panis, &c.* Quibus verbis apertè docet, ex veritate verborum Christi collegisse Ecclesiam desitionem substantiæ panis: ergo ex veritate verborum, prout ab Ecclesia intellecta sunt, colligitur absentia substantiæ panis. Et confirmatur, quia, si nec sola præsentia sacramentalis corporis Christi, nec veritas verborum eius absentiam panis postularet gratis & sine fundamento videretur hoc assertum ac persuasum Ecclesiæ. Dici tamen potest. Ecclesiam non fundari in veritate verborum secundum omnem sensum, quem habere possunt per se, & nudè sumpta, sed secundum illum sensum, quem Ecclesia intellexit. Sed licèt hoc sit probabile, nihilominus verissimum etiam est, Ecclesiam interpretatam esse illa verba in sensu maximè proprio, quem verba præ se ferunt. Vt autem intelligatur vis huius rationis, & satisfiat obiectionibus, supponendum in primis est, illud pronomen, *hoc*, applicari posse, vel ad rem, quæ natura sua, aut ex arte, & vsu aliam continet, & tunc in propria significatione designare posse substantiã contentam sub alia substantia, vt patet in exemplo adducto de marsupio, & idem est de dolio, cũ dicimus; hoc est vinum, vel oleum, interdùm verò applicatur rei, seu substantiæ, quæ non est apta continere aliam, vt est, verbi gratia, triticum, & res similis; & tunc ex vi & proprietate sua designat illam substantiam, quæ proximè sub illis accidentibus continetur, neque potest aliam designare sermonis proprietate, ac veritate retẽta: quia, vt suprà diximus pronomen, *hoc*, prout in hac forma vsurpatur, est signum sensibile demonstrans rem ad sensum, & non indicat directè & propriè ipsa accidentia (nisi fortasse prædicatum interdum hoc requirat) sed demonstrat substantiam materialem, sub accidentibus latentem, ac proximè sub illis contentam. Vnde quando talis substantia de se non est apta ad continendam aliam, nec accidentia nata sunt continere talem substantiam, ex vi illius vocis designatur illa substãtia, quæ sub talibus accidentibus continetur: cùm ergo panis de se non sit res apta nata ad continendam aliam, neque in hunc vsum assumi soleat, si sub accidentibus illius adest substantia panis, illa demonstratur ex vi & proprietate talis pronominis. Et declaratur, nam si quis in pomo aurum includeret; & deinde diceret hoc est aurum; in proprio & simplici sermone non censeretur verum dicere: quia cùm pomum non sit de se res apta, nec vsurpata ad continendam aliam absolutè censeretur demonstrare id quod proximè sub accidentibus pomi cõtinetur; simile autem est in præsente.

Trident. Scot. & aliorum sententia de inefficatia verborum cõsecrationis ad conuertendum panem in Christum expungitur.

Enasio.

Impugnatur.

Dices hoc argumento probaretur, non posse vllo modo designari in proprietate sermonis corpus Christi sub ratione substantiæ contentæ sub his accidentibus: quia illud pronomen natura & vi sua designat substantiam, quæ sit proprium subiectum illorum accidentium, hæc enim est vsitata significatio, & intelligentia illius vocis. Respondetur, hinc potius confirmari, quod intendimus: quandiu enim sub illis accidentibus substantia panis, continetur non potest excludi à propria & vsitata significatione, ac demonstratione illius pronominis; postquàm vero illa in aliam conuertitur, quæ vice illius sub eisdem accidentibus subest, iam non substantia panis, sed illa quæ loco illius substituitur, illo signo proprissimè demonstratur, quia nihil aliud est, quod ibi iam demonstrari possit. Denique confirmatur, quia, cùm pronomen, *hoc*, substantiam ipsam sub accidentibus præsentem ostendat, & non locum, vel partem eius (nisi admittatur magna improprietas, & æquiuocatio) de se cadit in totam substantiam sub accidentibus contentam, ac totam illam demonstrat & ideò, qui, demonstrato ligno, diceret, hoc est materia prima falsum in rigore diceret, quia, licet ibi sit materia tamen illud totum, quod ibi continetur, non est materia, si autem Deus, ablata forma, sub illis accidentibus conseruaret solam materiam, iam verè diceretur; hoc est materia, quia, licèt illa accidentia de se non sint nata illam solam continere, tamen hic, & nunc, iam de facto nihil aliud continent; ita ergo dicendum est in præsente. Denique, licèt demus hæc omnia per se non sufficere ad conuincendum intellectum, tamen vt suprà dicebam, nemo negare potest, quin hic sensus sit proprior, & simplicior: Ecclesia autem ab Spiritu sancto edocta, intellexit, Christum Dominum in hoc sincero ac proprio sensu fuisse locutum: & non sine mysterio fuisse vsum illis pronominibus ad suam substantiam sub accidentibus designandam accommodatis. Huic rationi addi possunt congruentiæ. Prima, quia non expediebat ad significationem huius sacramenti ibi manere substantiam panis cum corpore Christi: necessarium enim erat, vt substantia ibi manens per sua accidentia primariò significaretur: decuit autem, solum Christum significari, ita vt quærenti, quid hoc sit, simpliciter respondeatur, esse corpus Christi, non panem. Secundò hoc decuit propter adorationem, vt simpliciter, & absolutè exhiberi posset, sine vlla occasione, & periculo erroris, & idololatriæ, vt rectè Diuus Thomas exposuit. Tertiò, vt hoc modo mysterium hoc esset admirabilius, magisque declararet diuinam potentiam, ac denique, vt Christi caro, quasi substituta loco substantiæ panis, quodam modo magis proprio fieret panis, ac cibus noster iuxta illud. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, & ex his omnibus intelligitur, doctrinam datam procedere, tam de tota substantia panis, quam de singulis partibus integrantibus illius: quia, quando consecratur tota hostia, singulæ partes cõsecrantur, & transmutantur in corpus Christi, quod

Replica.

Responsio.

totũ sub singulis partibus specierũ existit.

Ad fundamentum igitur primi erroris, negatur, veritatem verborum Christi propriè ac simpliciter posse subsistere, si substantia panis sub speciebus manere dicatur, vt declaratum est. Ad primam confirmationem primò iam responsum est, materialem panem non posse verè ac propriè dici corpus Christi, neque ad hoc sufficere intimam præsentiam, neque Damascen. ad hoc vtitur exẽplo carbonis igniti; sed ad declarandum, hunc cælestem panem esse corpus Christi diuinitati vnitum. Vnde dicitur secundò, hoc sacramentum interdum vocari panem (vt suprà etiam, cùm de nominibus eius ageremus, notauimus) primò, quia ex pane confectus est, & speciem, & figuram sensibilem panis refert, & panis vsum retinet: cibat enim hominem, & nutrit. Ita Remig. suprà. & in scriptura sæpè res quæ fit per conuersionem, ac mutationem alterius in ipsam, appellatur nomine rei conuersæ, vt Ioan. 2. *Cum vidisset Architriclinus aquam vinum factam*, vbi ipsum vinum adhuc aqua appellatur: sic etiam Exod. 7. Virga Aaron in serpentem conuersa, virga appellatur; & Genes. 2. Dixit Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Secundò vocatur panis, quia in Scriptura sacra omnis cibus, præsertim si sit solidus, ac perfectus, hoc nomine solet appellari, quomodo manna, quod fuit potissima figura huius mysterij; panis vocatur Psalm. 77. & Sap. 16. quanquam non absolutè panis, sed cum addito panis angelorũ dicatur; quod etiam in hoc sacramento obseruandum esse suprà annotauimus, quandocunque enim vocatur panis aliquid additur, quod excellentiam huius panis indicet. Vnde dicitur tertiò, ipsum Christum, qui sub specie panis datur, vocari panem vitæ, cælestẽ & super substantialem, vt notarunt Cyprian. August. & Damasc. suprà relati. Vnde Damasc. *Cibus* (inquit) *panis ipse vitæ hoc est, Dominus noster Iesus Christus*, & similia habet Ambros. 5. de sacrament. cap. 4. & in cap. Omnia, de Consecr. distinct. 2. dicens. *Panem ipsum, quem sumimus in mysterio, illum vtique intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in vtero Virginis, & igne passionis coctus in ara crucis*. Vnde eleganter Hieronymus super ad Tit. 2. declarans verbum Græcum, ἐπιούσιον, interpretatur, id est, præcipuum, egregium, peculiarem, videlicet, qui de cælo descendens ait. *Ego sum panis vitæ qui de cælo descendi*, & similia habet Ezech. 18. circa illa verba, *Panem suum esurienti dedit*. Denique Christus ipse Ioan. 6. videtur satis apertè ita exposuisse, tum in citatis verbis, quæ ponderauit Hieronym. tum in illis. *Panis quem ego dabo caro mea est*, Vnde Paul. 1. ad Corint. 10. *Panis, quem frangimus*, id est, quem sacrificamus, & distribuimus, *nonne communicatio corporis Christi est*.

Sed vrgent hæretici, quia Euangelistæ dicunt, *Cœnantibus eis, accepit eis panem, & benedixit ac fregit, dedique discipulis suis*. Vbi quatuor ponunt verba; *accepit, benedixit, fregit, dedit*; sed tria priora referuntur ad verum ac materialem panem: ergo & vltimum. Respondetur primùm, si verbum, *benedixit*, consecrationem significet, falsum esse assumptum sed sensum esse accepit panem, consecrauit, id est, in corpus suum mutauit, & tunc fregit ac dedit. Deinde, si concedamus, benedictionem illam non esse consecrationem, sed aliquid præuium, & similiter fractionem illam factam esse circa materialem panem dicendum est, verbum illud, *dedit*, positũ esse per anticipationem: priùs enim dixit; *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*: Vnde idem sensus redit, scilicet, dedit panem, non qualis antea erat, sed consecratum, & ad sacramentalem vsum paratum, sicut Gene. 18. dicitur de Abrahain, *Tulit vitulum, deditque puero, & coxit illum, & posuit coram eis*: vbi constat, non fuisse omninò eundem vitulum, quem tulerat, & quem posuit coram eis, sed substantialiter mutatum; tum, quia per modum vnius, & vna velut continuata actione illa omnia fiebant, & circa eandem rem secundum externam speciem; ideò etiam eadẽ continuata serie verborum narrantur.

Ad fundamentum primi erroris responsio.

Ioan. 2.

Exod. 7. Genes. 2.

Psal. 77. Sap. 16.

Damasc. Ambros.

Ioan. 6.

1. Cor. 10.

Genes. 18.

Ad secundam confirmationem, ex testimonijs Patrum; primum erat ex Gelasio, ad quod primũ dicitur verisimilius esse, istum librum non esse Gelasij Papæ, quod aliqui inde coniectant, quia in Cõcil. Chalce. cùm multa alia ex Patribus contra Eutychetem referantur, nulla in eo fit mentio eius libri Gelasij, Sed melius sumerent coniecturam ex eo, quod autor illius libri scribens contra Euthychetem, nullam fecit mentionem Concilij Calcedonensis: fuit enim Gelas. post illius Concilij tempora; vnde non poterat opus eius à Concilio allegari: si autem Gelasius Papa, esset autor illius libri, non est verisimile, prætermissurum autoritatem Concilij Ephesini, & Chalcedonensis, ac Leonis Papæ, à quibus ille error potissimè damnatus est. Accedit in eo libro, multum laudari Eusebium Cæsariensem, cuius opera Gelasius Papa inter apochrypha recensuit. Denique Theodor. qui antiquior est Gelasio Pap. in dialogo, cõtra Euthych. multa ex illo libello sumpsisse videtur: & ideo verisimile est autorem illius libri fuisse Gelasium Cæsariensem Græcum Scriptorem, cuius meminit Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiæ. Ita opinatur Cano. lib. 6. de locis, capit. vlti. ad 9. & Claud. repet. 8. capit. 4. Secundò tamen hic exponi possunt illa verba, vt autor Biblioth. Sanct. annotauit, non desinere naturam panis quoad proprietates, & effectus panis: quia eodem modo nutrit, sicut antea: quæ expositio eò faciliùs admitti potest, quod in alijs verbis ibi indicat, transmutationem panis in corpus Christi, dum dicit, *Panem & vinum in diuina transire*. Ad verba secundo loco ibi citata ex Chrysostom. eadem expositio accommodari potest, præsertim cùm constet, Chrysostomum alijs locis veram de transubstantiatione doctrinam docuisse, vt homil. 83. in Matth. & sæpe alibi; vera tamen responsio est, illum Ioannem Cõstantinopolitanum, cui illa epistola tribuitur, non fuisse Chrysost. sed quendam alium, vt latè ostendit Claud. suprà, & latiùs Turrian. lib. 1. de Eucha. cap. 13. Ad. 3. ex Theodoret. optimè quadrat expositio data, cùm inquit, *Non naturam mutans*, scilicèt, quoad externam speciem & sensibile: verè enim illa, quæ manent, sunt accidentia panis, quanuis non in pane maneant, sed sub illis positũ sit Corpus Christi: vnde ibidem ait, *Non esse attendendum ad naturam eorum quæ videntur, sed credendum mutationi, quæ hic fit ex gratia*.

Hieron. Cano. Claudius.

Arrianus.

Ad fundamentum secundi erroris, primũ quod ad Rupertũ attinet, Robertus Bell. Sotum reprehendit, quod Rupertum excusare voluerit ab errore: non solum enim putat, non posse excusari ab errore, sed etiã fuisse primũ autorẽ erroris de impanatione

Ad fundamentum secundi erroris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bellarmi. etc.

panatione per hypostaticam vnionem. Ego verò nec inuenio, vbi Soto eum excusauerit, nã potius in eo loco, quem ipse citat, scilicet in 4. dist. 9. q. 2. art. 2. illi tribuit hunc errorem. Deinde censeo, nõ fore reprehensione dignum eum, qui varia huius autoris dicta obseruando, eũ piè interpretari studuerit: sunt enim in prædictis eius locis multa, quę indicare possunt, illum non habuisse erroneũ sensum: primò & præcipuè, quia sæpè vtitur nomine conuersionis, maximè loan. 6. vbi sæpiùs & verisimè, & elegantissimè explicat hoc mysterium, & tractans illa verba. *Patrem meum dat vobis panem de cœlo verum* dicit. *Panem in veram substantiam corporis Christi diuina virtute conuerti.* Quod verò non loquatur de pane, quod fiat corpus Christi ratione vnionis, patet, tum, quia idem dicit, de vino, scilicet, verti in sanguinem, quod per solam vnionẽ non potsit esse verum; tum etiam quia dicit, illud corpus esse ipsum, & quod de cælo descendit, & sumptum est ex Virgine, quia Christus dixit, *Hoc est corpus, quod pro vobis tradetur*, quod etiam non potest verificari de corpore panis ratione vnionis vt nos etiam suprà argumentabamur. Præterà ibidem dicit, hæreticos decipi, eò quòd panis, & vinum nihil de externa specie mutarint; propter quod putant non esse verè facta corpus, & sanguinem Domini, & subdit, *Crede, quia panis iste sensibilis, & vinum, quamuis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierunt, & in illum cibum potumque conuersi sunt, qui angelorum vitlus est.* Denique tractans eadem verba, Panis, quem ego dabo, caro mea est, inquit, *Panem, vt vitam det æternam, in carnem suam transmutari*, nomina autem conuersionis, & transmutationis non videntur cum hypostatica vnione quadrare: nunquam enim ille dixit, humanitatem esse conuersam in diuinitatem propter hypostaticam vnionem: videtur ergo posse piè explicari, suppositis prædictis eiusdem autoris verbis, & coniecturis, si distinguamus in pane, substantiam, & speciem sensibilem; & intelligamus, Christum esse factum panem non materialem, sed panem vitæ, assumendo panem, non quoad substantiam, sed quoad speciem sensibilem, quã sibi aliquo modo vnuit. Vnde in citato loco Exod. apertè dicit, *Panem secundum exteriorem speciem, quæ sensibus subijcitur, non mutari*, quod inferiùs explicans dicit, panem non esse mutatum in carnis saporem, nec vinum in sanguinis horrorem. Denique non minus expressa videntur verba Theod. & tamen piè exponimus propter alias eiusdem sententias: cur ego non poterit idem fieri in Ruperto; Postremò, si alicui videntur tam expressa verba Ruperti, vt expositionem non patiantur, non immoror: potuit enim errare; si tamẽ errauit, à culpa, & pertinacia excusatur: quia nondum erat res tam apertè explicata & definita quo ad hanc partem de absentia substantiæ panis, nam præsentiam corporis Christi ille nunquam negauit; & hoc ipsum aliquid de Theod. respondent: vnius enim, vel alterius Doctoris lapsus, non potest Catholicæ veritati præiudicare.

Præter missa ergo autoritate Ruperti, ad rationem factam negatur proprietatem, ac veritatem verborum Christi requirere hypostaticam vnionem panis, vel cum ea sola saluari posse, vt probatum est. Ad sanctos verò Patres comparantes hoc sacramentum cum mysterio Incarnationis respondeo, eos vti illa comparatione, vel vt vnum opus admirabile, ac diuinum credibile faciant per aliud mirabilius, & diuinius: vel, vt per quandam proportionem, & analogiam vnum per aliud explicent: intercedit enim quædam analogia: quia Christus aliquo modo coniungitur accidentibus panis, & ratione illorũ denominatur panis. Quod verò non intendat docere vnionem esse similem, & eiusdem rationis, constat, quia docent, Christum non esse materialem panem, qno corpus reficitur, sed cælestem ac diuinum, reficientem animas: tenet ergo illa similitudo solùm in hoc, quòd sicut in Christo sunt duæ naturæ, ex quibus constat ità in Eucharistia sunt duæ res, scilicet, corpus Christi, & species panis; ex quibus aliquo modo inter se coniunctis hic diuinus panis, & Eucharistiæ sacramentum coalescit, vt suprà disp. 4. ex Irenæo, Augustin. & alijs Patribus comprobauimus, essentiam huius sacramenti declarando, & nonnulla etiam adduximus disp. 10. sect. 3. explicando vnionem, quæ inter Christi corpus & species sacramentales intercedit.

Dubium.

Sed queret aliquis (estò ita sit, substantiam panis non manere sub speciebus cum corpore Christi) an sit de fide certum non manere in rerum natura: posset enim alibi manere cum accidentibus alijs, vel si nõ tota substantia, saltem materia eius sub forma aeris, vel alia simili; & hoc satis esset ad veritatem verborum Christi: non est ergo vnde sit de fide certum, substantiam illam omnino ac substantialiter desinere, præsertim, quia, vt infrà videbimus Scotus & alij censent, hoc satis esse ad conuersionem, & transubstantiationem, scilicet, vt substantia expellatur, ne sub his accidentibus maneat, & alia loco illius inducatur, siue substantialiter vna fiat, & alia desinat, siue non. Respondeo nihilominùs, certum omnino esse substãtiam panis & vini substantialiter desinere esse, in qua sententia omnes Theologi conueniunt, ita explicantes hoc mysterium: Patres etiam, & Concilia in hoc sensu docent, fieri conuersionem substantialem; & ipsa ratio conuersionis substantialis hoc requirit, vt infrà videbimus. Ratio verò est ferè eadem, scilicet, quia veritas verborum Christi hoc requirit, si non fingantur noua miracula, quæ sine ratione & autoritate temerè fingenda non sunt: non potest enim tota substantia materialis priuari quantitate, & omnibus accidentibus suis, quin naturaliter desinat esse substantialiter; quia ergo hic substantia panis expellitur, ne sub suis accidentibus maneat, pro comperto habuit Ecclesia ab Spiritu Sancto edocta, simpliciter non manere in rerum natura, quod præsertim certissimum est de tota substantia: quid verò de materia sentiendum sit, in sequenti sectione dicam.

Scotus.

Solutio.

SECTIO III.

Utrùm aliqua pars physica substantiæ panis, & vini maneat sub speciebus consecratis.

IN superiori sectione ostensum est, non manere suppositum, neque integram naturam panis & vini, nunc viuendũ superest de partibus naturæ, materia, scilicet, & forma: posteà verò dicemus de existentia & subsistentia. & de gradibus communibus & genericis: nã de his omnibus, etiam inter Catholicos, nonnulla sententiarum diuersitas reperta est. De partibus verò integrantibus non oportet moueri quæstionem: nam eadem est de illis ratio quę de tota substantia: quia singulæ earum in totum Christum conuertuntur: vnde de singulis verificantur verba, *Hoc est corpus meum*: in singulis ergo substantia panis & vini conuertitur. Igitur circa partes essentiales est prima opinio post consecrationem manere formam panis, vt D. Tho. infrà refert, art. 2. & sunt qui hanc opinionem tribuant Scoto dist. 11. q. 6. Maior q. 1, Gabr. q. 2. & lect. 25. in Canonem, eo q; sentiant formam, qua panis constituitur in esse panis esse accidentalem, ex quo sequi videtur illam formam manere post consecrationem, sicut manent cætera accidentia: sed hi autores non dicunt manere formam substãtialem illius rei substantiæ, quæ est panis: quocirca, nec autorem aliquem inuenio, qui hanc sententiam defenderit, nec rationem qua niti potuerit.

Secundus error est, manere materiam panis, quæ sit subiectũ accidentium & totius conuersionis. Hæc fuit antiqua sententia, vt refert Bonau. d. 11. arti. 1. q. 2. & Scot. q. 3. artic. 2. & tribuitur AEgid. Theorem. 1. & 2. Sed præcipuus eius defensor fuit Durãd. d. 11. q. 3. qui potissimum motus est, vt mysterium conuersionis panis in corpus Christi faceret intelligibile: est enim propria conuersio, quando subiectum manet idem sub vtroq; termino. Et confirmat, quia Patres explicant, hanc conuersionem per illam, quæ fiebat in alimento, quando Christus conuertebat illud in corpus suum, vt constat ex Damasce. lib. 4. c. 14. & Theophil. loan. 6. Vbi propterea conuersionẽ hanc transformationem appellant; & similiter comparant hanc conuersionem cum alijs conuersionibus formalibus, vt aquæ in vinum, virgæ in serpentem, &c. vt patet in Ambros. lib. de myster. cap. 9. Cyril. Hierosol. Catech. 4. mystag. Greg. Nissen. in orat. Catech. & alijs infrà citandis.

Dubium.

Principio statuendum est fidei fundamentum, ex quo cætera omnia definienda sunt, scilicet, post consecrationẽ tantùm manere accidentia panis, sub quibus Christus continetur. Hæc propositio sub his terminis iam est de fide: priora enim Concilia, præsertim Romanum contra Bereng. coactum, & Lateranen. sub Innocen. III. in cap. firmiter. de ium. Trini. & fid. Cath. & Constant. sess. 8. & 15. & Florent. in decreto Eugen. solùm definierant, substantiam conuerti, posteà verò additum est, totam substantiam conuerti: sic enim Trident. sess. 13. cap. 4. docet, totã substantiam panis conuerti in corpus, & totam substantiam vini in sanguinem Christi: non enim sine mysterio addit Concil. particulam, *totum*, vt nimirũ significaret, quicquid substantiæ est in pane totum id conuerti, quod magis explicans can. 2. dixit, mysterium hoc perficiri per conuersionem totius substãtiæ panis & vini, & addit, *manentibus duntaxat speciebus panis*, vbi accidentia species vocat, iuxta vsitatũ Theologorũ morem. Vnde Concil. Colonienſe, par. 7. cap. 15. rectissimè dixit, *quid enim panis, vinique species, nisi species sacramentales, & accidentia sine subiecto?* & similiter in cap. omnia. de cõsecrat. dist. 2. ex Ambr. dicitur, *post consecrationem nihil aliud manere, nisi accidentia panis, & corpus Domini.* Ratio autem huius veritatis petenda est ex institutione, voluntate, & verbis Christi, vt in sequentibus magis explicabimus, afferendo congruentias huius institutionis.

Et hoc supposito, dico secundò, post consecrationem non manere formam substantialem panis, & vini. Est certa secundum fidem, & ita in ea conueniũt omnes Theologi cum D. Thom. hic art. 6. & in 4. dist. 11. vbi Bonauen. art. 1. q. 1. Rich. art. 1. q. 2. & reliqui. Hugo Vict. lib. 2. p. 8. cap. 9. Innoc. lib. 4. de hoc myst. cap. 8. & 19. & probatur ex principio posito, quia forma substantialis non est accidens, sed secundum fidem, post consecrationem non manet, nisi accidentia: ergo. Et confirmatur primò, quia aliàs non esset transubstantiatio integra: quia non esset conuersio totius substantiæ, sed alterius tantũ partis. Confirmatur secundò, quia vel illa forma maneret in materia; & ita non maneret illa forma, sed totus panis, vel separata; & hoc fieret, vel quia esset naturale tali formæ, & hoc dici non potest, aliàs illa forma esset immaterialis, vel ex speciali miraculo, & hoc etiam dici non potest: quia nullum habet fundamentum, neq; in forma huius sacramenti, neque in alia ratione, vel autoritate, neq; vtile aut conueniẽs est huic mysterio: accidentia enim cõseruantur; quia sensibus percipiuntur: & ita deseruiunt ad occultandum mysterium, & conseruandam fidem Christi, at verò substantialis forma, cùm omnino insensibilis sit, non potest ad rationem sacramenti deseruire; & cùm ipla ex natura sua indigeat materia sustentãte, non magis potest per se esse, vel rationem subiecti subsite, quàm quãtitas: ergo nulla ratione manet; & iuxta hunc discursum interpretandæ sunt rationes, quas D. Thom. affert infrà art. 6.

2. Cõclus. *Post consecrationem non manent forma substantialis panis & vini.* S. Thom. Richar. Hugo. Innocent.

Sed quæres, quid, si aliquis negaret, formam panis esse substãtialem, & ideo affirmaret, manere formam panis, nũquid in fide erraret? Thomistæ enim videntur eam sententiam, vt erroneam damnare, vt videre licet in Caiet. hic art. 6. Soto dist. 9. q. 2. arti. 6. Ledesma. q. 16. art. 6. & eodem ferè modo loquitur Bellarm. lib. 3. cap. 11. & 14. Respondeo, dupliciter posse intelligi illam assertionẽ; primò, si iuxta antiquam philosophorum errorem, quia arbitrantur, panem & vinum & huiusmodi res alias non constitui, & distingui per formas substantiales, sed solum per accidentia, quibus substat vnum & idem subiectum, siue illud appelletur materia prima, siue simplex quædam substantia cõpleta; & hoc sensu inuenio Greg. de Valentia lib. 2. de transubst. cap. 7. explicantem in hunc modum sententiam Ruperti locis in superiori Sectione citatis, vt dicat, asseruisse Rupertum, non mutari in consecratione naturam & essentiam panis: quia non mutantur accidentia, quibus formaliter constituitur in esse panis. Sed nõ video, quid cum mouerit ad hoc tribuendum Ruperto: quia in locis ibi citatis nullum habet fundamentum, & ipse non citat locũ alium; neq; ego inuenire potui, vbi Rupertus neget, formas substantiales, aut veram transmutationem substantialium rerum naturalium. Itaque hæc sententia non est Ruperti; & illam asserere plus esset quàm temerarium: nam præter apertum errorem in philosophia, pugnat cum multis principijs fidei. Quapropter certũ est, aliquam formam substantialem hic transmutari. Alio ergo sensu negare quis posset, illam esse formã substantialem propriam panis, sed cõmunem massæ ac pultibus, & alijs id genus proprium verò constitutium panis vt sic, esse accidẽs aliquod, quia panis vt sic non dicit solùm rem naturalem, seu substan-

Caiet. Soto. Ledesma. Bellar.

Valentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tialem, sed artificialem, quæ forma accidentali com A
pletur, atque hoc sensu, etiam si sola accidentia maneant, posset quis dicere, formam panis manere: sicut posset dici manere formã domus cõseruata quã titate cum eadem figura, etiam si tota substantia lignorum, ac lapidum periret, & hoc sensu in re nihil est periculi; pendet enim ex re philosophica valde dubia: nam fides solùm docet, totam substãtiam panis, quæ est sub illis accidentibus, converti & desine re esse, an verò illa substantia vt sic sit panis, vel tantùm vt affecta aliquo accidente, nihil de hoc docet fides, qui tamen sic opinaretur, dicere deberet manere formam artificialem panis, non tamen formam absolutè, nam per formam panis iam omnes intelligunt formam illius substantiæ, quæ est panis, & similiter probabilius est, panem substantialiter differre à massa, vt suprà diximus.

Responsio.

5. Conclu. Posit conseratione nũ manet materia panis & oppositũ est error in fide. Palud. Caiet. Soto.

Dico secundò. Post consecrationem non manere materiam panis. Concluf. est de fide, & sententia B
Durãdi error in fide reputatur à grauissimis Theologis, Palud. Caie. Soto, & alijs, & vt ego existimo, etiã tẽpore Durãdi erat hæresis: quia tunc etiã erat de fide trãsubstantiari panem in corpus Christi ex definitione Concil. Later. sub Innocẽ. III. & ex traditione Sanctorum, quanquam ipse hæreticus non fuerit, quia sine contumacia id asseruit, & cũ subiectione ad Ecclesiam: addunt verò aliqui, etiam hoc non fuisse de fide, quia adhuc in philosophia nõ est certũ, materiã esse partẽ quidditatis substãtiæ materialis: sed hoc nihil iuuat; quia, quicquid sit de quiditate sub hac voce, tamen omnino indubitatũ est, materiam esse partem substantiæ, & substantialiter componere panem: qui ergo dicit totam substãtiã, materiam etiam includit. Sed Concil. Triden. apertius hoc declarauit addendo particulam exclusiuã, & dicendo, *duntaxat manere accidentia*, euidens autẽ est materiam non esse accidens. Præterea argumentor ratione, quia, si materia panis manet, vel manet informata aliqua forma, vel non, posterius nec Durand. dicit, nec in alicuius mentem venire potuit: quæram enim rursus, an in illa materia maneant subiectiuè accidentia panis: & hoc dici non potest sine hæresi; quia de fide est, accidentia manere sine subiecto, & præterea est contra veritatem formæ: quia proximè contentum sub his accidentibus non esset corpus Christi, sed materia panis, vel maneret illa materia sine accidentibus panis, & sine vlla forma substãtiali, & hoc esset nouum, & inusitatum miraculum, impertinens omnino ad hoc sacramentum, & sine vllo fundamento, vel manet illa materia informata aliqua forma substantiali; & hoc dici non potest: quia, neque illa esse potest forma panis, alioqui maneret panis, neque alia quæcunque, præter D
animã Christi; quia, præterquàm quòd esset impertinens, & sine vllo fundamento, non minus certum est, non manere sub illis accidentibus substantiam cuiuscunque alterius rei, quàm panis, vt patet, tum ex necessitate formæ, tum ex separatione accidẽtiũ ab omni subiecto. Deniq; non potest illa forma esse anima Christi (quæ est sententia Durandi) primò, quia iam non esset transubstãtiatio, sed transformatio per veram corruptionem panis, & generationẽ noui corporis, vel saltẽ nouæ partis corporis Christi, quod & contra Ecclesiæ traditionem, & definitionem est, & per se absurdissimũ: quid enim ingenius & absurdius, quàm existimare, gloriosam animam, & impossibile corpus Christi esse nunc in cõ-

tinuã resolutione partium materialium; Quotiescũ- C
que enim consecratur sacramentum, anima Christi incipiet informare nouã materiam, & quoties species sacramentales corrumpuntur, corrũpetur pars corporis anima Christi informati: alioqui oporteret nunc Christi animam informare penè infinitũ materiæ molem: vnde rursus fit, ex vero corpore Christi generari vermes per veram corruptionem eius, vel partis illius: quæ omnia Durand. non ducit incõmoda, cùm sine absurdissima. Quin potius ait, etiam post Christi resurrectionẽ, accidisse, vt cùm Christus comedebat, alimentum conuerteretur in substantiam corporis glorioſi, non necessitatẽ, sed potestate; & voluntate: sed in hoc etiam valde errat; nam, licèt Christus verè comederit post resurrectionem, ad veritatem corporis viuentis demonstrandam, non tamen in substantiam Christi cibus ille conuersus est, de quo super. tom. dictum est.

Secundò quæro à Durando, Vtrùm anima Christi in Eucharistia simul informet corpus, quòd habet in cælo, & materiam panis, vel solam panis materiam, ita vt sub illis speciebus corpus ipsum Christi, quod est in cælo, non contineatur: si hoc posterius dicat, est planè hæreticum, vt patet ex verbis Christi, *Quod pro vobis tradetur*, &, *Qui pro vobis effundetur*, quæ suprà contra impanatores adduximus, & omnia, quæ ibi dicta sunt, ad hoc improbandũ sufficiunt ostendunt enim, illud idem corpus, quod in cælo est, quodq; in Cruce pependit, esse sub speciebus sacramentalibus: si verò primum dicat, ponit quoddam miraculum, quod nec in verbis Christi habet fundamẽtum (nam ipse solùm dixit, hoc esse corpus suum, quod crucifigendum erat pro nobis) neque in aliqua autoritate vel ratione, & sine vlla prorsus necessitate: quia, vel negare debet conuersionem in ipsum Christi corpus, quod pro nobis traditum est, quod etiam est hæreticum, vel ad illam explicandam nihil confert hoc aliud corpus ex materia panis de nouo productum: & præterea ponit quid monstruosum, & non minus absurdum, quàm sit impanatio, quod rectè notauit Alan. lib. 1. c. 35. oportebit enim, vt Christus in sacramento, vel habeat duo corpora, vel vnum maius, quàm habeat in cælo, neque fundamentũ Durandi alicuius est momenti, vt ex dictis patet, & latius disp. sequẽte. Exẽpla verò, quibus Sancti vtuntur, non afferuntur, vt in omnibus sint similia, imò, quia nullum huiusmodi inueniri potest, varia vsurpant, vel hanc esse veram & realem conuersionem, vel posse Deum supernaturales conuersiones efficere, vel vt declarent; hic esse per conuersionem verum ac proprium corpus Christi. Quòd verò hæc conuersio alterius rationis sit ab omnibus conuersionibus naturalibus, varijs nominibus, ac rationibus declarant, vt sequẽte disputatione videbimus.

Alan.

Sed dicet aliquis, non esse de fide, esse, vel non esse materiam in rebus: quomodo ergo potest esse de fide, hic non manere materiam? Respondetur, per se & directè esse de fide, hic non manere partẽculam aliquam panis, quicquid illa substantia sit, vt de posita materia in rebus, vt necessariò in lumine naturæ ponenda est, sequitur, iuxta principia fidei, non posse manere materiam.

Obiectio. Responsio.

Dices tandem, quid si aliquis confiteretur, materiam panis non manere sub accidẽtibus panis; negaret tamen substantialiter desinere esse, sed manere, verbi gratia, in aere circunstante sub forma eius; contra

Obiectio alterius.

Alij.

contra hoc enim non procedunt rationes factæ, neque ex verbis formæ potest aliud colligi. Respondetur, hunc non esse tam clarum errorem in fide, esse tamen valde temerarium id asserere contra omniũ Scholasticorum doctrinam, & contra id, quod videntur docere Patres, & Concilia, & præterea, quia eadem ratione posset quis dicere, conseruari in rerum natura totam substantiam panis, tamen alio in loco, & sub alijs accidentibus, quod est contra veritatem conuersionis & transubstantiationis, vt infrà ostendam, ac præterea est nouum genus miraculi, sine fundamento: substantia enim panis separata à suis accidentibus naturaliter esse desinit. Rursus materia illius, cùm nõ disponatur ad aliam formam, non potest naturaliter illam recipere: ergo ex hoc mysterio necessariò sequitur substantialis desitio totius substantiæ, & materiæ eius, si non fingantur temerè noua miracula. B

Alij manere accidentia.

SECTIO IIII.

Vtrum post consecrationẽ maneat aliquis realis modus, seu gradus, vel entitas metaphysica substantiæ panis.

Substantiam panis manere ex Eucharistia dicit aliquis

DVas, seu tres falsas sententias circa hanc quæstionem reperio. Prima est, manere post consecrationem subsistentiam panis, destructa natura integra eius. Ita sensit Godof. quodl. 8. q. 16. vt refert Palud. distin. 12. q. 3. & Picus Mirand. in Apolog. quæst. 9. defendit, hanc sententiam esse possibilem, nihil affirmando. Fundamentum est, quia subsistentia est distincta à natura: ergo potest conseruari sine illa. Rursus, tantùm illud definit in pane, quod conuertitur in corpus Christi: sed in corpus Christi non potest conuerti subsistentia, sed sola natura: quia in Christo sola natura humana est creata, subsistentia verò est increata, in quam non potest fieri conuersio: ergo conuertitur natura, & manet subsistentia, quæ deseruiet, vt per illam subsistant accidentia. C

Secunda opinio esse potest, manere existentiam substantialem panis, quam hoc tempore moderni aliqui Thomistæ defendunt. Et fundari potest, supponendo duo principia metaphysica; primum est, existentiam esse realitatem omnino distinctam, ex quo colligunt, posse conseruari sine essentia, sicut è contrario in humanitate Christi existimant conseruatam esse essentiam sine existentia propria. Vnde applicari potest fundamentum factum pro prima sententia quia in Christo Domino solùm est essentia creata & non existentia: quia conuertio solùm fieri potest in id, quod creatum est: quod autem nõ conuertitur ex pane, manet post consecrationem: ergo manet existentia panis. Secundum principium est, accidentia non habere proprias existentias, sed existere eodem esse, quo existit substantia, in qua sunt: ex quo fit, necessariam hic esse existentiam panis, vt per illam existant accidentia, quæ manent: quia, vt D. Thom. docet infrà, quæst. 77. existunt per idem esse, quod antea habebant. D

Tertia opinio negat, manere aliquid substantiæ Panis sub eadem differentia specifica, sub qua antea erat. Affirmat tamen, hanc individuam entitatem, vel substantiam, quæ antea erat panis, per cõuersionem fieri corpus Christi, & ita manere.

Hanc sententiam insinuat Henric. quodlib. 9. q. 9. & quodl. 11. q. 4. præcipuè tamen tribui solet Caieta. qui multum illam insinuat infrà art. 3. circa solutionem ad 3. vbi sæpe repetit, manere, quod erat panis, & explicat, illud relatiuum, *quod*, referre substantiam, & veram realitatem, quæ manet, & est corpus Christi, & infrà concludit, pronomẽ, *hoc*, in verbis consecrationis designare hanc substantiã, quæ est panis, non sub esse panis, sed absolutè, & illam dicit esse corpus Christi in fine prolationis verborum: similia fere habet in artic. 4. vbi in primo dubio dicit, id, quod erat panis, per conuersionem fieri id, quod est corpus Christi, & in fine dicit, illud relatiuum, *quod*, referre eandem substantiam, & hanc sententiam Caietan. & modum loquendi eius approbat Richard. arti. 14. circa princip. V Valens. etiam interdũ videtur ita loqui tom. 2. de sacra. c. 4. 8. 68. 69. imò & D. Tho. in 4. distin. 11. q. 1. art. 2. ad 1. dicit; in hac conuersione terminũ à quo, scilicet, substantiam panis, conuerti in terminum ad quem, scilicet, corpus Christi, *non vt sit sub ipso, sed vt sit ipsummet*. Adducit etiam Caieta. locutiones Ambr. 4. de sacr. ca. 4. & 5. vbi sic inquit, *Si tanta vis fuit in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius erit, vt sint, quæ erant, & in aliud eommutentur?* Sæpè etiã Patres, vt disput. sequẽte videbimus, dicunt, panem fieri corpus Christi, & in cap. ego Berengarius, dicitur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post cõsecrationem esse corpus, & sanguinem Christi. Quæ verba non possunt in alio sensu vera esse. Fundamentum verò huius sententiæ esse potest; quia, nisi saltem hoc modo substantia, seu entitas panis maneret in corpore Christi, nulla esset conuersio, sed annihilatio potius panis. Et confirmari potest ex D. Thom. infrà q. 77. art. 5. & in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. vbi dicit, non posse reproduci panem conuersum in corpus Christi, nisi per cõuersionem corporis Christi in ipsum. Quod non potest esse verum, nisi quia entitas, & substantia panis manet aliquo modo in corpore Christi in quo absorbetur, & imbibitur: quia, si substantia panis omnino desijsset, quid impediret; quominus Deus posset illam iterum producere, absque mutatione corporis Christi?

Alij, manere eandem substantiã, quæ antea erat panis factam per conuersionẽ corpus Christi. Henricus. Caiet.

Richard. Vualden. S. Thomas.

Ambr.

Dico primò, in hoc sacramento non manere substantiam, seu suppositalitatem panis. Probatur primò ex verbis Concil. Trident. nã hæc substantia non est accidens: dixit autem Concilium, manere duntaxat accidentia. Deinde, quia, si substantia dicitur manere, vt terminet, & subsistere faciat accidentia, illud in primis nõ est necessarium: quia nõ oportet, vt accidentia illa subsistant propria subsistẽtia substantiali. Deinde non est possibile, tam ex parte accidentium, quam ex parte substantiæ creatæ. Primum patet, quia si accidentia terminarentur, & subsisterent tali subsistentia, oporteret fieri nouum miraculum vnionis cuiusdam hypostaticæ inter quantitatem panis, & subsistentiam panis: nam, sine hac vnione noua, non potest intelligi quantitas illa subsistens tali subsistentia magis post consecrationem, quàm antea: prius enim non erat quantitas vnita subsistentiæ immediatè, sed rei subsistenti ratione naturæ, & propterea non subsistebat, sed inhærebat: ergo, si postea subsistit, & terminatur noua subsistẽ-

Trident. 1. Concil. Non manet substantia.

Constan.

tia, oportet, vt noua vnio, quasi hypostatica, facta sit at verò accidens nō est capax talis vnionis, vt in materia de Incarnatione diximus, ostendendo, hac de causa accidens non esse immediatè assumptibile à Verbo, & licèt non esset omnino impossibile, esset vanum, & superfluum, tantū & tam nouum miraculum sine fundamento affirmare. Secundum patet, quia iuxta veriorem sententiam subsistentia est modus naturæ, & non res, omnino realiter ab illa distincta: quando autem duo se habent tanquā res & modus, licèt res possit manere, sine modo, non tamen modus, sine re: quia non affert secum entitatē propriam, sed ex intrinseca ratione sua identificatur rei, cuius est modus, vt agēdo de subsistentia, latiùs in materia de Incarnatione declarauimus.

Ad fundamenta primæ opinionis respōsio. Neque contra hanc conclusionem obstat fundamentum primæ opinionis: iam enim ostensum est, non obstante distinctione subsistentiæ à natura, nō posse subsistētiam manere destructa natura; & quāuis posset, in præsente mysterio nō esset necessariū. Ad aliam verò confirmationem, scilicet, subsistentiam panis, non posse conuerti in subsistentiam corporis Christi, quæ increata est, & ideò manere, negatur consequentia primò, quia facere potest Deus, vt suppositum integrum conuertatur in naturam alterius corporis. Deinde, quia sicut subsistentia corporis Christi est in hoc sacramento, non ex vi conuersionis, sed per concomitantiam, ita intelligi potest, subsistentiam panis desinere esse non ex vi conuersionis, formaliter loquendo, sed per concomitantiā, scilicet, quia ipsa natura panis desinit esse, sine qua non potest manere subsistentia panis.

2. Cōclusio. Non manere existentiam panis. Dico secundò, post consecrationem non manere existentiam substantialem panis. Hæc conclusio est omnium Theologorum, præter eos, quos suprà cōmemorauimus. Probatur primò ex principijs fidei: vnum est, quòd tota substantia panis conuertatur; nomine verò totius substantiæ nō intelligitur essentia abstracta, & præcisa ab existētia, sed intelligitur substantia completa, prout erat in rerū natura, quæ maximè existentiam includit, tanquā propriū & intrinsecū actum constituentem hanc entitatē in esse actualis entitatis: imò, sicut productio, ita & conuersio potissimum fit ratione existentiæ, vt alibi latius tractatum est. Alterum est, post consecrationē duntaxat manere accidentia, vt Concil. Trid. dixit; existentia autem substantiæ panis non est accidens, vt omnes, quotquot sunt philosophi, docent, & est per se euidens; quia, vel est ipsamet entitas substantiæ, vt substantia actualis est, vel intrinsecus actus sub ea ratione illam constituens. *Euasio.* Respondet tamen quidam autor ad hanc Concilij definitionem, quòd qui ad pauca respiciunt, facilè hallucinantur, si enim (inquit) sophisticus argumentator attenderet, eo ipso, quòd Concilium definit, accidentia manere, definire etiam, manere cum existentia, videret, consequentiam sui argumenti nullam esse: quia dictio exclusiua non excludit à concomitantibus: vnde non excludit existentiam: ad fidei autem mysterium nihil refert, quòd illa existentia sit res distincta à substantia, nec ne. *Impugnatur.* Sed, si quis attentè consideret, facilè, vt existimo, intelliget, hanc fugam non eneruare vim testimonij Concilij Trident. verum est enim, illud non excludere existentiam accidentium, quòd tamen non excludat existentiam substātiæ, falsum est. Quòd si licet alicui dicere, existentiā substantiæ non excludi: quia est connexa cum existentia accidentis, pari ratione posset alius assumere licentiam dicendi, manere illam rem, quæ est forma panis: quia posset in metaphysica opinari, formam esse ipsam existentiam rei, vel omnium proprietatum eius; & Durandus posset confingere, materiā esse existentiam quantitatis, & ideò manere. Deinde consequenter posset quis opinari, manere substantiam panis, quod prorsus falsum est; & tamē necessariò sequitur, loquendo magis probabiliter, & consequenter in illa sententia, quæ necessariò supponit, existentiam esse rem distinctam à substantia, & separabilem ab illa: qui autem hoc sentiunt, probabilius & consequentius dicunt, existentiam substantialem esse ipsam subsistentiam. Vnde vlterius ex illo principio posset quis opinari in materia de Incarnatione, manere in humanitate Christi subsistentiā creatam, non vt per illam subsistat humanitas, sed vt per eam existant accidentia, & cùm Concilia negant, manere subsistentiam in humanitate Christi, posset esse licentia explicandi, non manere vt sic, id est, vt respicit humanitatem, & terminat illam, manere autem, vt respicit accidentia. Denique non deberent hi autores negare, manere in humanitate Christi existentiam substantialem creatam, saltem vt per eam existant accidentia, nisi velint dicere, etiam accidentia humanitatis existere per existentiam increatam Verbi, atque adeò tam immediatè esse vnita Verbo, sicut animam & corpus; quod inauditum est, & improbabiles Concil. ergo, Tridentinum, absolutè excludendo quicquid substantiale est, satis significauit, nullum substantialem actum esse necessarium, vt accidentia existant, & conseruentur.

Secundò principaliter probatur conclusio ex metaphysicis principijs. Primum enim, quod substantia pereat, & maneat existentia eius, impossibile est; cùm nihil aliud sit perire, quā amittere esse existentiæ: nā esse essentiæ immutabile est, nisi ratione existentiæ. *Euasio.* Dicent: substantiam amittere esse, non quia ipsum esse in se destruatur, sed quia desinat actuare hāc naturā, vel substantiā. *Impugnatur.* Sed hæc respōsio fingit, substantiam esse veluti subiectum existentiæ hanc vero esse actum realiter distinctum ab illa, quod in prima philosophia, & in materia de Incarnatione ꝓbaui esse impossibile: quia actualitas existentię est ita intima rei, prout est vera, realis, & actualis entitas, vt nullo modo discerni possint tanquam actus, & potentia receptiua: quia separata existentia, etiā per intellectum, solùm intelligitur manere potētia obiectiua: nā, si intelligitur manere aliquid actuens, illud est existens, sed de hoc latiùs dictis locis: vnde ex hoc principio falsum est fundamentum, quo nitebatur illa sententia, scilicet, accidentia realiter distincta à substantia, realiter existere per ipsam existentiam substantiæ: quia in vniuersum impossibile est, quòd aliqua entitas existat per entitatem à se realiter distinctam. Sed non solùm posito hoc principio sed etiam admisso, quòd existētia sit res distincta ab essentia, est falsum illud fundamentum: quia supposita illa distinctione, existentia comparatur ad essentiam, vt actus ad potentiam: sicut ergo essentiæ substantiæ, & accidentis sunt diuersarum rationum, & ordinum, ita requirunt actus, re ipsa, distinctos: loquor enim de accidentibus, quæ realiter à substantia distinguuntur. Vel aliter comparatur essentia ad existentiam, sicut principium, vel radix ad actum, vel terminum ab illa manantem; aut sicut principiū for-

formale, ad effectum formalem, quasi secundarium: ergo, si principia sunt omnino diuersa, erunt etiam diuersæ existentiæ. Denique existentia substantiæ est existentia simpliciter, & natura sua postulat intrinsecum terminum subsistentiæ: existentia autem accidentis natura sua est imperfecta, & postulat per modum termini vnionem ad alterum, à quo sustētetur: sunt ergo distinctæ, vt apertè docuit D. Thō. in his articulis, & in tota hac quæstione, & suprà quæst. 17. artic. 2. & 4. contra gent. cap. 14. & sæpè aliàs, & Caietan. de ente & essent. capit. 7. & Paul. Sontin. 7. metaph. quæst. 5. & Scotus in 2. distinct. 12. quæst. 1. *D. Thom. Caietan. Soncinas. Scotus.*

Bañes 1. p. q. 4. art. 2. dub. 2. Sed quæres, qua certitudine tenenda sit hæc conclusio: nam Dominicus Bañes, cùm in priori editione primæ partis simpliciter docuisset, existentiam substantialem panis manere, vt per eam existant accidentia panis, in posteriori ita illam retractauit, vt tamen probabiliter posse sustineri dicat, solū quia probabile est, accidentia non habere existentiā præter existentiam substantiæ; & dicit, se consuluisse Theologos doctissimos, qui ita censuerint. Ego verò, cùm multum de hac re cogitauerim, nunquam in eam sentētiam adduci potui, vt crederē eam opinionē esse probabilē, imò nec tolerabilē in Theologia: & cū plures etiā, eosq; doctissimos de hac re cōsuluerim, neminem aliter sentientē inueni: quin potius legi apud Picum Mirand. in citato loco, cū ipse de hac re Romæ quæstionem mouisset, à pluribus Theologis iudicatū esse, nō posse sine errore defendi, manere in hoc sacramento existentiā substantialem, quibus ipse contradicere non est ausus, loquendo de mysterio, prout factum est; licèt contenderit potuisse aliter fieri. *Mirand.* Deinde, etiam in metaphysica illa opinio, quòd accidētia realiter à substantia distincta non habeant propriam existentiam, re vera, non est probabilis: quia nec ratione firma vtitur, neque habet autorē grauē: nam, licèt fortasse Sotus in philosophia id interdū insinuauerit, non tamen rem ex professo disputans & examinās; & posteà in 4. d. 10. tota. q. 2. contrariū apertè supponit. *Sotus.* Ac deniq; quāuis illa opinio esset probabilis, non tamen omne id, quod ex metaphysica opinione ꝓbabili colligitur, est in Theologia probabile, alioqui etiā dici posset, esse probabile, manere materiā in hoc sacramento, quia manet quantitas, & probabile est, materiā esse eandem rem cū quantitate, vel formam panis manere; quia opinio est, formā illā esse accidentalē, quod tamen simpliciter dānatur à Thomistis, vt alienū à doctrina fidei, & facile esset, similia exempla afferre, quæ docent, qn̄ ex opinione metaphysica sequi videtur aliquid in Theologia, quod doctrina fidei non est cōsentaneū, sed videtur aduersum, aut quærendā esse probabilē viam ad vitandum tale consequens; & negandā cōsecutionē, vel si hæc inueniri non potest, illud esse sufficiens argumentū ad iudicandū, illam opinionē metaphysicā esse improbabilē potius, quàm è cōuerso: Theologia enim, quæ suprema sapientia est, iudicat de inferioribus doctrinis, & illas corrigit, nō è contrario. Quocirca idē iudiciū ferendū est in præsente controuersia: nā, si ex illo principio metaphysico vitari nullo modo potest, quin sequatur, existentiam substantialem manere in hoc sacramento, hoc est sufficiens argumentū, vt illud iudicetur improbabile, si tamen quis mordicus vellet illud defendere, potius debet negare consequentiam, & dicere, naturaliter quidem accidentia existere illo modo, tamen ablata substātia, Deū illis conferre nouam existentiam, qua existant, & licèt prædictus autor dicat, eum desipere, qui ita sentit, & mihi quidem absolutè loquendo idem videatur, supposito tamen illo alio errore, existimo fore, vt hoc modo minus desipiat.

3. Conclu. Dico tertiò, Post consecrationem non manet eadem numero entitas, vel substantia, quæ fuit panis, sub esse corporis Christi. *D. Thom.* Hæc est aperta sententia D. Tho. hic, & art. 3. ad 3. & art. 4. & 8. vbi negat, in transmutatione, quæ fit in hoc sacramento, manere aliquid commune vtrique termino, præter accidentia panis & vini: & idem in 4. d. 11. quæst. 1. artic. 4. & eam latè defendit Soto d. 9. q. 2. arti. 4. Ledesm. q. 16. arti. 4. qui contrariā sententiā Caiet. tribuunt, & eā impugnant: *Soto. Ledesm.* sed fortasse Caieta. licèt in modo loquendi minus propriè & cautè loquatur, tamen in re non sentit contra hanc conclusionem, vt apertius explicabo in comm. art. 4. D. Tho. vbi Caiet. nōnulla dicit, quæ non possunt vera esse, nisi supposita hac sententia, præsertim illud, scilicet, quòd possit à Deo reproduci idē numero panis, absq; conuersione corporis Christi in ipsum, quod etiā docet Capreol. in 4. d. 11. q. 1. arti. 3. ad 1. Scoti contra 2. cōclu. & Ferr. 4. cōtra gēt. cap. 63. *Capreol. Ferrar.* qui proinde possunt pro hac sententia afferri: nam apertè supponūt totalem distinctionem numericā inter corpus Christi, & panem, etiam vt sunt hæ substantiæ, seu entitates: non ergo manet hæc entitas panis in corpore Christi. Probatur autem primò ex principijs fidei; sequitur enim ex illa sententia primò, non totam substantiam panis conuerti: quia, quod manet, non conuertitur, dicitur autem manere illa substantia, prout hæc substantia vel entitas est. Sequitur secundò, non manere dūtaxat accidentia panis: quia hæc entitas vel substantia panis non est accidens, & manere dicitur. Sequitur tertiò, non esse omnino idem corpus Christi, quod est in cælo, & quod est in sacramento, quoad entitatem vel substātiam suam, quod est cōtra fidem, patet sequela; quia corpus, quod est in sacramento, est illa entitas vel substātia, quæ fuit panis; corpus autem, quod est in cælo, nō est illa substantia, neq; illa entitas, quia non est creatū ex illa. Quin potius sequitur quartò, hæc corpora saltem numero distingui: quod ita declaro; quia ante consecrationem hæc entitas panis distinguebatur numero à corpore Christi, quod est in cælo, & tamē post consecrationem dicitur manere eadem numero entitas, vel substantia sub esse corporis Christi in sacramento; ergo corpus Christi, prout est in sacramento, est res, & substantia numero distincta ab eodem corpore prout est in cælo: non enim potest manere eadem numero entitas, & non distingui numero seu realiter ab eo, à quo per se ipsam distinguebatur. Quin potius cùm per conuersionem dicatur hæc entitas, vel substantia mutare specificationem suam, & ita ex pane transire ad esse corporis Christi, necesse est, vt illud esse corporis Christi quasi indiuiduetur per hanc substantiam, quam contrahit. Vlteriusque sequitur quintò, sub diuersis speciebus sacramentalibus multò magis esse corpora Christi numero distincta: quia sub illis erant panes numero distincti, non solùm in esse panis, sed etiam in esse huius entitatis & substantiæ: vnde, posita fide, ꝙ in omnibus his sacramentis est idem corpus Christi, sequitur vlterius non solùm idem corpus Christi esse in pluribus locis, sed etiam esse plures entitates rea-

Universidad de Deusto Biblioteca

liter inter se distinctas: quòd est mysterium quodãmodò maius mysterio Trinitatis: quia vna res finita erit idem realiter cum innumeris rebus absolutis & infinitis, quæ antea inter se tam essentia, quàm supposito distinguebantur.

Secundò principaliter probatur cõclusio ex principijs metaphysicis. Primò, quia non potest, mutata essentia rei, manere eadem numero entitas: quia per illam constituitur in esse huius entitatis: sed hæc entitas, vel substantia, quæ est panis, essentialiter est panis: non enim constituitur hæc entitas per sola prædicata transcendentalia, seu generica, sed per propria & specifica: ergo. Secundum principium, quod ex hoc colligitur, est, non posse fieri trãsmutationẽ realem inter differentias specificas, manẽte eodem indiuiduo generis sub illis, tanquã subiecto manente sub vtroq; termino: vt, quòd ex leone fiat equus, manente eodem indiuiduo animalis: quia hæc compositio est metaphysica, & extrema nõ realiter, sed ratione formali tantũ distinguuntur: ergo fieri nõ potest, vt maneat hæc entitas, vel eadẽ numero substantia, quæ fuit panis, sub esse corporis Christi: q; si non manet eadem numero entitas, vel substantia, vt sic, nihil omnino manet de substantia, & entitate panis; neq; vt erat panis, neq; vt erat hæc substãtia, aut hoc ens; nam indiuiduum substantiæ, vel entis, quod sub illis accidentibus incipit, omnino est numero distinctum. Tandem confirmatur: quia si hic fieret transmutatio solùm in his, quæ sunt propria panis, & non in his, quæ sunt communia, etiam si substantialia sint, consequenter dicẽdum esset, manere materiam, vt materia prima est, & eandem formam sub communi ratione formæ.

Responsio, ad fundamẽtum 3. sententiæ. Ad fundamentum tertiæ sententiæ nõ potest exactè responderi vsq; ad sequentẽ disputationẽ, vbi explicabimus, quomodò panis non annihilatur, sed verè cõuertitur in corpus Christi, & explicabimus locutiones inter terminos huius conuersionis, docẽdo cum D. Thom. hic art. 4. & q. 78. arti. 5. panẽ nõ propriè fieri corpus, sed ex pane corpus. Confirmatio verò ibi adducta potius contrarium persuadet, nam certum est, posse Deum, conseruato corpore Christi in sacramento, iterum producere seu creare eandem substantiam panis, quæ transubstãtiata fuerat, vt docent Caietan. Capreol. & Ferrar. locis citatis signum est ergo, illam entitatem panis non manere propriè in corpore Christi, nec realiter, nec formaliter, sed solùm esse conuersam in illud; & ideo dicitur id, quod erat panis, esse nunc corpus Christi sumendo vagè illud relatiuum, *quod*, quantum ad rationem contenti sub speciebus, sub quibus corpus Christi quasi loco panis constituitur, & quodãmodò illius officium subit; ac propter eandem causam dici potest, secundùm naturæ ordinem non posse eandem numero substantiam panis redire, nisi per conuersionem corporis Christi in ipsam: quia deberet redire sub eisdem numero accidentibus; & ita explicant D. Thom. prædicti autores, & de eadem re iterum dicemus in sequentibus.

ARTICVLVS III.

Vtrũ substantia panis, vel vini post consecrationẽ huius sacramenti annihiletur.

4. d. 11. q. 1. art. 2. & 4. cõt. c. 63. & quodl. 5. art. 11. & quodl. 9. art. 5. ad 3. & 1. corp. 12. lect. 5. col. Art. præcedẽ.

AD tertiũ sic proceditur. Videtur, q substantia panis, post cõsecrationẽ huius sacramenti, annihiletur aut in pristinã materiã resoluatur. Quod enim est aliquid corporale, oportet alicubi esse. Sed substantia panis, quæ est quidã corporale nõ manet in hoc sacramẽto (vt dictũ est*) nec etiam est dare aliquẽ locũ vbi sit, ergo nõ est aliquid post consecrationem. Igitur, aut est annihilata, aut in præiacentem materiam resoluta.

¶ 2 Præterea, Illud quod est terminus à quo in qualibet mutatione non remanet, nisi fortè in potentia materiæ, sicut cum ex aere fit ignis, forma aeris non manet, nisi in potentia materiæ, & similiter quando ex albo fit nigrum. Sed in hoc sacramento substantia panis, aut vini se habet sicut terminus à quo, corpus autem vel sanguis Christi, sicut terminus ad quem, dicit enim Ambros. in libr. de offic. Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur. Ergo facta consecratione, substantia panis, vel vini non manet, nisi fortè resoluta in suam materiam.

In libro de his, qui mysterijs initiantur. ca. 9. à med. lib. 4. refertur de consec. d. 2. c. ante.

¶ 3 Præterea, Oportet alterum cõtradictorium esse verum. Sed hæc est falsa, facta consecratione, substantia panis, vel vini est aliquid. Ergo hæc est vera, substantia panis, vel vini est nihil.

SED cõtra est, quod August. dicit in lib. 83. quæstionum. Deus non est causa tendendi in non esse. Sed hoc sacramentum diuina virtute perficitur. Ergo in hoc sacramento non annihilatur substantia panis, aut vini.

Li. 83. quæ. q. 21. in medio to. 4.

RESPONDEO dicendũ, quòd quia substantia panis, vel vini non manet in hoc sacramento, quidam imposibile reputãtes, quod substantia panis vel vini in corpus, vel sanguinem Christi conuertatur, posuerunt quòd per consecrationem substantia panis, vel vini, vel resoluitur in præiacentem materiam, vel quod annihilatur. Præiacens autem materia, in quã corpora mixta resolui possunt, sunt quatuor elementa. Non enim potest resolutio fieri in materiã primam, ita q sine forma existat, quia materia sine forma esse nõ potest. Cùm autẽ post cõsecrationẽ, nihil sub speciebus sacramenti remaneat, nisi corpus & sanguis Christi, oportebit dicere, quod elementa, in quæ resoluta est substãtia panis vel vini, inde discedant per motũ localem, quod sensu perciperetur. Similiter etiã substantia panis vel vini manet vsq; ad vltimũ instans cõsecrationis. In vltimo autẽ instanti cõsecrationis ibi est in substãtia corporis vel sanguinis Christi, sicut in vltimo instanti generationis iam inest forma. Vnde nõ erit dare aliquod instãs, in quo sit ibi præiacens materia. Non enim potest dici, q paulatim substantia panis vel vini resoluatur in

præiacentem materiam, vel successiuè egrediatur de loco specierũ, quia si hoc inciperet fieri in vltimo instanti suæ consecrationis, simul sub aliqua parte hostiæ esset corpus Christi cũ substantia panis, quod est contra prædicta. Si verò hoc accipiat fieri ante cõsecrationẽ, erit dare aliquod tẽpus, in quo sub aliqua parte hostiæ neq; erit substantia panis, neque erit corpus Christi, quod est incõueniens, & hoc ipsimet perpendisse videtur. Vnde posuerũt aliud sub disiunctione, scilicet, q vel annihiletur, vel in præiacentẽ materiam resoluatur. Sed nec hoc potest esse, quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum, quæ quidem cõuersio tollitur, posita vel annihilatione substãtiæ panis, vel resolutione in præiacentem materiam. Similiter etiam non est dare, vnde talis resolutio, vel annihilatio in hoc sacramento causetur, cum effectus sacramenti significetur per formam, neutrũ autem horum significatur per hæc verba formæ, hoc est corpus meum. Vnde patet, prædictam positionem esse falsam.

In arti. præced.

AD primum ergo dicendum, quòd substãtia panis vel vini facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi. Non tamen sequitur, quòd annihiletur, conuertitur enim in corpus Christi. Sicut non sequitur. Si aer, ex quo generatus est ignis, nõ fit ibi vel alibi, q sit annihilatus.

AD secundum dicendum, quòd forma, quæ est terminus à quo, non conuertitur in aliam formam, sed vna forma succedit alteri in subiecto, & ideo prima forma non remanet, nisi in potentia materiæ. Sed hic substantia panis conuertitur in corpus Christi, vt suprà dictum est. Vnde ratio non sequitur.

In cor. art. præc.

AD tertium dicendũ, quod licet post consecrationem hæc sit falsa, substantia panis est aliquid, id tamen, in quod substantia panis est conuersa, est aliquid. Et ideo substantia panis non est annihilata.

COMMENTARIVS.

Christiani D. Thom. Prima est, panem in Eucharistia nõ annihilari. Secunda, nõ resolui in præiacentem materiam.

RESpondet D. Thom. duabus assertionibus. Prima est, panem non annihilari, quia verba formæ tantùm efficiunt, q significat: non significant autem annihilationem, sed conuersionem panis in corpus Christi, cui annihilatio repugnat: quia terminus annihilationis est non esse simpliciter, terminus autem conuersionis est aliud esse. Altera est, panem non resolui in præiacentem materiam, quam eadem fere ratione confirmat, quia videlicet verba formæ, neque significant hanc resolutionem in præiacentem materiam, sed solùm conuersionem in corpus Christi; ex qua non modò nõ sequitur illa resolutio, sed etiam cum illa stare non potest, quod longo discursu D. Thom. declarat, cuius litera satis est perspicua. Solùm est tam in hoc, quàm in alijs articulis huius materiæ obseruandum, quod & Caiet. infrà notauit quæstione 77. artic. 5. non esse mentem D. Thom. docere, esse simpliciter imposibilia, vel contradictionem implicantia, quæ assumit, sed sensum illius esse, in hoc mysterio non esse sine fundamento fingenda, vel multiplicanda miracula, sed ea solum asserenda, quæ ex verbis seu significatione formæ, supposita fide, & interpretatione Ecclesiæ, necessario consequuntur; & ideo omnia, quæ huiusmodi non sunt, & naturali virtute fieri non possunt, dicuntur in hac materia imposibilia, quamuis absolutam contradictionem non implicent, & ita facilè exponi possunt multa, quæ tam in hoc articulo, quàm in alijs huius materiæ dicuntur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum panis posit conuerti in corpus Christi.

Infr. art. 6. cor. & art. 8. cor. & ad 3. & 4. dis. 11. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 1. & qõ. 3. ad 3. & ar. 3. q. 1. per to. & 4. cõt. c. 63. & quod li. 5. ar. 11. Et opusc. 2. cap. 8. & 1. co. 11. lect. 4. cor. 6. & lec. 5. col. 3. Lib. 3. tex. 6. tom. 2. In c. de substan. to. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur, q panis non posit conuerti in corpus Christi, conuersio enim quædam mutatio est. Sed in omni mutatione oportet esse aliquod subiectum, quod prius est in potentia, & posteà est in actu, vt enim dicitur 3. Physic.* motus est actus existentis in potentia. Non est autem dare aliquod subiectũ substantiæ panis & corporis Christi, quia de ratione substantiæ est, quòd sit non in subiecto, vt dicitur in prædicamentis.* Non ergo potest esse, q tota substantia panis conuertatur in corpus Christi.

¶ 2 Præterea, Forma illius, in quod aliquid conuertitur, de nouo incipit esse in materia eius, quod in ipsum conuertitur, sicut cùm aer conuertitur in ignem prius non existentem, forma ignis incipit de nouo esse in materia aeris, & similiter cum cibus conuertitur in hominem prius non existentem, forma hominis incipit esse de nouo in materia cibi. Si ergo panis cõuertitur in corpus Christi, necesse est, q forma corporis Christi de nouo incipiat esse in materia panis, quod est falsum. Non ergo panis conuertitur in substantiam corporis Christi.

¶ 3 Præterea, Ea quæ sunt secundũ se diuersa, nunquam vnum eorum fit alterũ, sicut albedo nunquã fit nigredo, sed subiectũ albedinis fit subiectũ nigredinis, vt dicitur in 1. Physic.* Sed sicut duæ formæ cõtrariæ sunt secundũ se diuersæ (vtpote principia formalis differẽtiæ existentes) ita duæ materiæ signatæ sunt secũdũ se diuersæ, vtpote existentes principia materialis distinctiõis. Ergo nõ potest esse, q hæc materia panis fiat hæc materia, qua indiuiduatur corpus Christi. Et ita nõ potest esse, q substantia huius panis conuer-

Lib. 1. tex. 42. & seq. tom. 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

uertatur in substantiam corporis Christi.

SED contra est, quod Euseb. Emiss. dicit. Nouum tibi, & impossibile esse non debet, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia conuertuntur.

Ex hom. 10. Refertur de consec. d. 2. cap. 35. Quia corpus assumptum.

RESPONDEO dicendū, φ sicut suprà dictum est *, cùm in hoc sacramento sit verum corpus Christi, nec incipiat ibi esse de nouo per motum localem, cùm etiam nec corpus Christi sit ibi, sicut in loco (vt ex dictis patet) necesse est dicere, quòd incipiat ibi esse per conuersionem substantiæ panis in ipsum, Hæc tamen conuersio non est similis conuersionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta. Vnde Ambros. dicit in libr. de sacramentis. Liquet, φ, præter naturę ordinem, Virgo generauit, & hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est, quid ergo quæris naturæ ordinē in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus IESVS partus ex Virgine? Et super illud Ioan. 6. Verba, quæ ego locutus sum vobis (scilicet, de hoc sacramento) spiritus & vita sunt. dicit * Chrysost. id est, spiritualia sunt, nihil habentia carnale, neq; consequentiam naturalem, sed eruta sunt ab omni tali necessitate, quæ in terra, & à legibus, quæ hic positæ sunt. Manifestū est enim quòd omne agens agit in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu, cùm sit determinati generis, & speciei, & ideo cuiuslibet agētis creati actio fertur super aliquem determinatum actum, determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali, est per eius formam. Vnde nullū agens naturale, seu creatum, potest agere, nisi ad immutationem formæ, & propter hoc omnis conuersio, quæ fit secundum leges naturæ, est formalis. Sed Deus est actus infinitus (vt in prima parte habitū est †) vnde eius actio se extendit ad totam naturā entis. Non igitur solū potest perficere conuersionē formalem, vt scilicet diuersæ formæ sibi in eodē subiecto succedant, sed conuersionem totius entis, vt scilicet, tota substātia huius conuertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc sacramento, nam tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini, in totam substantiam sanguinis Christi. Vnde hæc conuersio non est formalis, sed substātialis, nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transsubstantiatio.

In med. ar. 1. huius q.

Art. 2. huius quæst.

In li. de his, qui mysterijs initiantur. c. 9. parum à med. tom. 4.

Homil. 46. in Ioan. non multum ante med. tom. 3.

Quæst. 7. art. 1. & q. 25. arti. 2.

AD primum ergo dicendum, quod obiectio procedit de mutatione formali, quia formæ proprium est in materia, vel subiecto esse. Non autem habet locum in cōuersione totius substantiæ. Vnde cùm hæc cōuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, est, sicut in subiecto, in vtraq; substantia, sicut ordo & numerus.

In corpo. & art. 5.

AD secundum dicendum, quòd illa obiectio procedit de cōuersione formali, seu mutatione, quia oportet, sicut dictum est, formam esse in materia, vel subiecto. Non autē habet locum in conuersione totius substantiæ, cuius non est accipere aliquod subiectū.

AD tertium dicendum, quòd virtute agētis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti (quod habet actionem in totum ens) potest talis conuersio fieri, quia vtrique formæ & vtrique materiæ est communis natura entis, & id, quod est entitatis in vna, potest actor entis conuertere in id, quod est entitatis, in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.

COMMENTARIVS.

Conclusio D. Tho. panem conuerti in corpus Christi.

QVanuis de potestate sit quæstio, mens tamen D. Thom. est inquirere, an re vera in hoc sacramento talis conuersio fiat: vnde respondet, non solùm possibilem, sed etiam necessariam esse hanc conuersionem, vt Christus hic esse incipiat, sine mutatione locali, quam conclusionem colligit ex principijs positis in artic. secundo. Deinde verò declarat, hanc conuersionem esse supra omnem naturæ ordinem: quia virtute agentis naturalis solùm potest fieri conuersio formalis, quæ fit per successionem formarum in eodem subiecto: quia naturale agens (inquit) cùm sit finitum, & habeat determinatum esse per formam suam, solum agit ad immutationem formæ, id est, solùm potest agere ex præsupposito subiecto, & ideò tantùm potest conuertere & immutare, aliquid inducendo, & expellendo formam à subiecto: in hac autem conuersione fit transmutatio totius substantiæ in totam substantiam, nullo manente communi subiecto, & ideò supernaturalis est, & singularem rationem habet, & speciali nomine transubstantiatio dicitur, ac denique à solo agente virtutis infinitæ fieri potest.

Obiectio contra D. Tho.

In solutione ad 1. & 2. videri potest D. Thom. docere contraria, nam in priori dixit, conuersionem hanc fieri in vtraque substantia, panis, scilicet, & corporis Christi tanquam in subiecto, in posteriori verò simpliciter negat, hanc conuersionem habere subiectum. Dicendum verò est, mentem D. Thom. esse, hanc conuersionem, prout est effectio quædam, vel transitus vnius substantiæ in aliam, non habere proprium subiectum, ex quo fiat, vel quod maneat sub vtroque termino, vt eleganter explicat infrà artic. 8. Cùm ergo in hac solutione ad primum dicit, conuersionem esse in terminis tanquam in subiecto, non loquitur de ipsa conuersione propriè, & ratione sui, sed ratione ordinis & successionis substantiarum, quam connotat, vel includit: verba enim enim illius sunt. *Cùm hæc conuersio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum*

Solutio.

rum vna conuertitur in alteram, est in vtraque substantia, sicut in subiecto, sicut ordo & numerus. Nō ergo formaliter ipsa cōuersio, sed ordo illam consequens dicitur esse in vtraque substantia. Dices, substātia panis nō manet in instante cōuersionis: quomodò ergo potest esse subiectum ordinis? Respōdetur, hic ordo & successio, cùm sit inter ens, & non eos, solū est relatio rationis, fundata in quadā denominatione extrinseca, cuius relationis & denominationis rectè intelligitur esse quasi subiectum id, quod præterijt, vt constat in omnibus rebus, quæ inter se habent ordinem prioris, & posterioris, in successione temporis, & in terminis, à quo, & ad quem, omnis mutationis, seu conuersionis. Circa solutionem ad 3. habet Caiet. longum commentarium; breuiter tamen duo in ea solutione explicat D. Tho. Primum est, cur possit Deus totum ens omnino in aliud cōmutare, & conuertere, quod non possunt agentia creata, & rationem inquit esse, quia ratio entis vtrique termino est cōmunis, & Deus est autor totius entis: sicut ergo omne ens obedit Deo, tam ad agēdum, quàm ad patiendū omne id, quod non inuoluit contradictionem, quia subditur Deo, vt autori; ita (inquit D. Thom.) potest Deus omnino cōuertere vnum ens in aliud, quia est vtriusq; autor: vnde constat, D. Thom. loqui de ente creato: constat etiam, rationem eius communē esse omni supernaturali transmutationi, & non solius transubstantiationis propriam: quia re vera non poterat aliam magis propriam afferre. Secundò indicat D. Tho. modum huius conuersionis, dicens, posse autorem entis conuertere id, quod est in vna re, id, quod est in altera, sublato eo, per quod distinguūtur, in quo verbo fundare videtur Caiet. sententiam suprà tractatam: sensus tamen D. Thom. non est obscurus: solùm enim dicit, totam entitatem vnius rei posse cō uerti in aliam, sublatis proprijs prædicatis rei conuersæ, & manentibus in re, ad quam fit conuersio, prædicatis communibus vtriq; termino, nō quidē eisdem numero (nunquam enim id D. Tho. excogitauit) sed gradu, aut genere, quod eodem fere modo accidit in conuersione formali, solùmque est differentia, quia in ea manet idem numero subiectum commune, quod non manet in hac conuersione, & Caiet. etiam certè non videtur ab hac expositione alienus: dicit enim, hanc conuersionem nō esse intelligendam per abstractionem, vel separationem vnius gradus, vel rationis formalis ab alia, scilicet, superioris ab inferiori, ita vt intelligatur manere gradus superior, & fieri conuersio in inferiorem: sic enim (inquit) non conuerteretur tota substantia, non ergo intelligit manere eādem rem numero secundùm gradum superiorem: aliàs non posset fieri cōuersio, nisi prædicto modo. Vnde inferiùs subdit, panem secundùm specificam rationem ita conuerti, vt neque in se, neque in suo simili maneat: secundum rationem autem, in qua communicat cum alia re, manere non in se ipso (sic enim, inquit, non conuerteretur) sed in sibi simili, & propterea dicitur saluari formalis ratio eius: non ergo videtur Caietan. malè sensisse de re ipsa, nonnullas verò locutiones habet, quæ omnino vitandæ videntur: dicit enim, *post conuersionem panis entitas cōuersa, entitas quædam est*, quod D. Thom. nusquam dixit, sed potiùs substantiam, vel entitatem panis post conuersionē non esse aliquid, quia iam transit in aliam entitatē. Alia propositio Caiet. est. *Res conuersa ita saluatur secundùm communia, vt eorum prædicationem suscipiat.* Quod non video, quomodò possit esse verum, quia sicut panis non est panis, ita neque substantia, neq; ens: ergo non ita seruantur prædicata communia, vt de re conuersa dici possint, sed vt dici possint de re, in quam fit conuersio, & fortasse hoc dicere voluit Caietanus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in hoc sacramento remaneant accidētia panis & vini, post conuersionem.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod in hoc sacramento nō remaneat accidētia panis, & vini. Remoto enim priori remouetur & posterius. Sed substātia est naturaliter prior accidente, vt probatur 7. Metaphys. Cum igitur, facta consecratione, non remaneat substantia panis in hoc sacramento, videtur, quòd non possint remanere accidentia eius.

Sup. art. 2. ad 3. & inf. q. 76. art. 1. ad 3. & 4. d. 12. q. 1. ar. 1. q. 2. Et d. 12. q. 1. art. 1. q. 2. & 1. Corin. 11. lect. 5. col. 2. & fi. & col. 6.

Li. 7. tex. 4 tom. 3.

¶ 2 Præterea, In sacramēto veritatis nō debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de substantia. Videtur ergo, quod decipiatur humanum iudiciū: si remanentibus accidentibus, substantia panis nō remaneat. Non ergo hoc est conueniēs huic sacramento.

3 Præterea, Quanuis fides nostra non sit subiecta rationi, non tamen est contra rationem, sed suprà ipsam, vt in principio huius operis dictum est. Sed ratio nostra habet ortum à sensu, ergo fides nostra non debet esse contra sensum. Est autem contra sensum, dū sensus iudicat esse panem, & fides credit esse substantiam corporis Christi. Nō ergo hoc est conueniens huic sacramento, quod accidentia panis subiecta sensibus maneant, & substantia panis non maneat.

2. 2. q. 10. art. 1. ad 1.

4 Præterea, Illud, quod manet conuersione facta, videtur esse subiectum mutationis. Si ergo accidētia panis manent conuersione facta, videtur, quod ipsa accidētia sint conuersionis subiectum, quod est impossibile, nam accidentis nō est accidens. Nō ergo in hoc sacramento debent remanere accidētia panis & vini.

SED contra est, quod Augu. dicit in lib. senten. Prosperi. Nos in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem, honoramus.

Refertur de cōsec. d. 2. c. Nos autem.

RESPONDEO dicendū, quòd sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis & vini remanere. Quod quidem rationabiliter per diuinam prouidentiam fit. Primò quidem, quia non est consuetū hominibus,

Universidad de Deusto Biblioteca

nibus,sed horribile,carnem hominis comedere,& sanguinem bibere. Et ideò proponũtur nobis caro & sanguis Christi sumẽda sub speciebus illorum,quæ frequentius in vsum hominis veniũt,scilicet,panis,& vini. Secũdò,ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur,si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. Tertiò,vt dum inuisibiliter corpus & sanguinem Domini nostri sumimus,hoc proficiat ad meritum fidei.

In propos. 1. habetur hic liber inter opera. Arist. to. 3.

AD primum ergo dicendum, quòd sicut dicitur in lib. de causis, effectus plus dependet à causa prima, quam à causa secunda. Et ideò virtute Dei,qui est causa prima omniũ fieri potest,vt remaneant posteriora prioribus sublatis.

B

AD secundum dicendum, quòd in hoc sacramento nulla est deceptio, sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia quæ sensibus dijudicantur: intellectus autem, cuius est proprium obiectum substantia (vt dicitur in 3. de anima) per fidem à deceptione præseruatur.

Lib.3. tex. 26.to.2.

Et sic patet responsio ad tertium. Nam fides non est contra sensum, sed est de eo, ad quod sensus non attingit.

AD quartum dicendum, quod hæc conuersio non propriè habet subiectum, vt dictum est,sed tamen accidentia,quę remanẽt habent aliquam similitudinem subiecti.

Art.4. huius q.ad.1. & 2.

C

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo nihil circa corpus eius occurrit notandum:quia tam assertio, quàm congruentię D.Thom.sunt satis perspicuæ. In solutione autem ad primum rationẽ indicat, ob quam potest accidens à substantia separari,quam infrà.q.77.artic.1.ex professo disput. In solut. verò ad 2. & 3. agit de cognitione substantiæ,quæ ex sensibilibus speciebus consecratis acquiri potest,de qua re dicemus commodiùs infrà.q.77.disp.16.sect.1.

ARTICVLVS VI.

Vtrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramẽto forma substãtialis panis.

Inf.q.77. ar.1.& 6. cor.& 4.d. 11.q.1.ar. 1.q.3.& d.12.q.1. art.2.q.3. cor.& quol. 9.art.5.ad 3.& 1.cor. 11.lect.4. f. Art.præc. Lib.2. tex. 4.& 6.to. 3.

D

AD sextum sic proceditur. Videtur, ꝙ facta cõsecratione,remaneat in hoc sacramẽto forma substãtialis panis. Dictum est enim,quod facta consecratione,remanent accidentia. Sed cum panis sit quoddam artificiale,etiã forma eius est accidens. Ergo remanet facta consecratione.

¶ 2 Præterea, Forma corporis Christi est anima dicitur enim in 2.de anim. ꝙ anima est actus corporis physici, potẽtia vitã habentis. Sed nõ potest dici ꝙ forma substãtialis panis conuertatur in animam. Ergo videtur, quod remaneat facta consecratione.

A

¶ 3 Præterea, Propria operatio rei sequitur formam substantialẽ eius. Sed illud, ꝙ remanet in hoc sacramento,nutrit, & omnẽ operationẽ facit,quam faceret panis existens. Ergo forma substãtialis panis remanet in hoc sacramento,facta consecratione.

SED contra, Forma substantialis panis est de substantia panis. Sed substantia panis conuertitur in corpus Christi, sicut dictum est. Ergo forma substantialis panis non manet.

Art.2.& 4.huius q.

RESPONDEO dicendũ, quòd quidã posuerunt,quòd facta consecratione non solùm remanent accidentia panis, sed etiã forma substãtialis eius. Sed hoc esse nõ potest. Primò quidem,quia si forma substãtialis panis remaneret,nihil de pane cõuerteretur in corpus Christi,nisi sola materia. Et ita sequeretur, ꝙ non conuerteretur in corpus Christi totum,sed in eius materiam,quod repugnat formæ sacramenti,qua dicitur, hoc est corpus meum. Secũdo,quia si forma substantialis panis remaneret,aut remaneret in materia,aut à materia separata. Primũ autẽ esse nõ potest, quia si remaneret in materia panis,tunc tota substantia panis remaneret, quod est cõtra prædicta. In alia autẽ materia remanere nõ posset:quia propria forma nõ est nisi in propria materia. Si autem remaneret à materia separata,iam esset forma intelligibilis actu,& etiam intelligens:nam omnes formę à materia separatæ sunt tales. Tertiò esset inconueniens huic sacramento. Nã accidẽtia panis in hoc sacramento remanẽt, vt sub eis videatur corpus Christi, non autẽ sub propria specie,sicut supra dictum est. Et ideo dicendum est,quod forma substãtialis panis non remanet.

Ar.2. huius quæst. *Art.præc.*

AD primum ergo dicendùm, quòd nihil prohibet arte fieri aliquid, cuius forma non est accidens,sed forma substantialis: sicut arte possunt produci ranæ & serpentes,talem enim formam non producit ars virtute propria,sed virtute naturalium principiorum. Et hoc modo producit formam substantialẽ panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina & aqua confectam.

AD secundum dicẽdum, quòd anima est forma corporis,dans ei totum ordinem esse perfecti,scilicet,esse,& esse corporeum, & esse animatum,& sic de alijs. Cõuertitur igitur forma panis in formam corporis Christi,secundùm quod dat esse corporeum,non autem secundùm quod dat esse animatum tali anima.

AD tertium dicẽdum, quod operationũ panis,quædam consequũtur ipsum ratione accidẽtium,sicut immutare sensum. Et tales ope-

A

operationes inueniuntur in speciebus panis post consecrationem,propter illa accidẽtia quæ remanent. Quædam autẽ operationes consequuntur panem, vel ratione materiæ, sicut,quòd conuertatur in aliquid, vel ratione formæ substantialis,sicut est operatio cõsequẽs speciem eius,putà quòd cõfirmat cor hominis. Et tales operationes inueniũtur in hoc sacramento,non propter formã, vel materiã,quæ remaneat,sed quia miraculose cõferũtur ipsis accidentibus,vt infrà dicetur.

COMMENTARIVS.

B

HIc articulus ex secundo expeditus erat,tamẽ D.Thom.illum mouit propter specialẽ errorem impugnandum,quem in illo refert: negat ergo manere formam substantialem panis,& tres rationes affert,quarum prima solùm in probabili proportione fundatur:quia, cùm tota substantia in totam substantiam conuertatur, necesse est materiam in materiã,& formam in formam conuerti,de qua proportione infrà dicemus.

Secunda ratio est difficilis:infert D.Thom.si maneret forma panis à materia separata, illam fore intelligibilem actu,& intelligentem,quod tamen nõ sequitur,si illa forma non ex natura sua, sed per diuinã omni potentiã separata maneat,sed, vt suprà dixi, D.Thom.his rationibus cõtentus est,probando hoc nõ posse fieri iuxta rerũ naturas:nam supponit,non esse asserenda miracula, quæ nec in verbis formæ fundamentum habent,neq; mysterio deseruiunt,& ad hoc inducit tertiam rationẽ, quæ optimè probat,inutilem esse futurã huiusmodi formæ separationem,& miraculosam conseruationem. In solutione ad.2.& 3.aliqua dicit,quæ pertinẽt ad explicandum terminum conuersionis, & operationis accidentium, quæ separata manent, quæ non possunt vsque ad quæst.76.& 77.rectè explicari.

C

ARTICVLVS. VII.

Vtrum ista conuersio fiat in instanti.

[illegible]

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd ista conuersio non fiat in instanti,sed sit successiua. In hac enim cõuersione prius est substãtia panis,& posteà substantia corporis Christi. Nõ ergo vtrumq; est in eodem instanti,sed in duobus instantibus. Sed inter quælibet duo instantia est tẽpus medium. Ergo oportet, quòd hæc conuersio fiat secundùm successionem temporis,quod est inter vltimum instans, quo ibi est panis,& primum instans, quo ibi est corpus Christi.

D

¶ 2 Præterea,In omni conuersione est fieri,& factum esse. Sed hæc duo nõ sunt simul,quia,quod fit,non est, quod autẽ factũ est iam est. Ergo in hac cõuersione est prius & posterius,& ita oportet,quòd non sit instantanea,sed successiua.

¶ 3 Præterea,Ambros.dicit in lib. de sacramen.quòd istud sacramẽtum Christi sermone conficitur. Sed sermo Christi successiuè profertur. Ergo hæc conuersio fit successiuè.

Lib.4.c.4. parũ. à principio.to.4.

SED contra est, quòd hæc conuersio perficitur virtute infinita, cuius est subitò operari.

RESPONDEO dicendum,quòd aliqua mutatio est instãtanea triplici ratione. Vno quidem modo ex parte formę,quæ est terminus mutationis. Si enim sit aliqua forma,quæ recipiat magis & minus, successiuè acquiritur subiecto, sicut sanitas. Et ideò, quia forma substantialis non recipit magis & minùs,inde est,quòd subitò fit eius introductio in materia. Alio modo ex parte subiecti,quod quandoq; successiuè præparatur ad susceptionẽ formæ, & ideò aqua successiuè calefit. Quando verò ipsum subiectũ est in vltima dispositione ad formam, subitò recipit ipsam,sicut diaphanum subitò illuminatur. Tertio modo ex parte agentis, quod est infinitæ virtutis. Vnde statim potest materiã ad formã disponere,sicut dicitur Marci.7.quod,cùm Christus dixisset: Ephetha, quod est adaperire,statim apertę sunt aures hominis,& solutũ est vinculũ linguæ eius. Ex his tribus rationibus hæc conuersio est instantanea, Primò quidem, quia substantia corporis Christi,ad quã terminatur ista cõuersio,non suscipit magis,neque minùs. Secundò,quia in hac conuersione non est aliquod subiectũ,quod successiuè pręparetur. Tertiò,quia agitur Dei virtute infinita.

AD primum ergo dicendum, quòd quidam non simpliciter concedunt,quòd inter quælibet duo instantia sit tempus medium. Dicunt enim,quòd hoc habet locum in duobus instantibus, quæ referuntur ad eundem motum, non autem in duobus instantibus, quæ referũtur ad diuersa,vnde inter instãs, quod mensurat finem quietis,& aliud instãs quod mensurat principium motus, nõ est tẽpus mediũ. Sed in hoc decipiuntur,quia vnitas temporis & instãtis,vel etiam pluralitas eorum,non accipitur secundùm quoscunq; motus,sed secundùm primum motum cæli, qui est mensura omnis motus & quietis. Et ideò alij hoc concedunt in tempore, quod mensurat motum dependentẽ ex motu cæli. Sunt autem quidam motus ex motu cæli non dependentes,nec ab eo mensurati,sicut in prima parte dictum est de motibus angelorum:vnde inter duo instãtia, illis motibus respondentia, non est tempus mediũ. Sed hoc non habet locũ in proposito, quia quamuis ista conuersio secundum se non habeat

1.p.q.53. artic.3.

beat

Universidad de Deusto
Biblioteca

beat ordinem ad motum cæli, cõsequitur tamen prolationem verborum, quam necesse est motu cæli mensurari. Et ideò necesse est inter quælibet duo instantia, circa istam cõuersionem signata, esse tempus mediũ. Quidam ergo dicunt, quòd instans, in quo vltimò est panis, & instãs in quo primò est corpus Christi, sunt quidem duo per comparationem ad mensurata, sed sunt vnum per cõparationem ad tempus mensurans, sicut cũ duæ lineæ se contingunt, sunt duo pũcta ex parte duarum linearum, vnum autem punctum ex parte loci continentis. Sed hoc nõ est simile, quia instans & tempus, particularibus motibus non est mensura intrinseca, sicut linea & punctus corporibus, sed solùm extrinseca, sicut corporibus locus. Vnde alij dicunt, q̃ est idem instans re, sed aliud ratione. Sed secundum hoc sequeretur, quòd realiter opposita essent simul, nã diuersitas rationis non variat aliquid ex parte rei. Et ideò dicendum est, quòd hæc conuersio (sicut dictum est) perficitur per verba Christi, quæ à sacerdote proferuntur, ita quòd vltimum instans prolationis verborum, est primum instans in quo est in sacramento corpus Christi, in toto autem tẽpore præcedẽte est ibi substantia panis, cuius temporis nõ est accipere aliquod instans, proximè precedens vltimum quia tempus nõ componitur ex instantibus consequenter se habentibus, vt probatur. 6. Phys. Et ideò est quidem dare primũ instans, in quo est corpus Christi: non est autem dare vltimum instans, in quo fit substantia panis, sed est dare vltimum tẽpus. Et idẽ est in mutationibus naturalibus, vt patet per philos. in. 8. Phys.

Lect. art.

Li. 6. Phys. à prin. lib. per 10. tex. tom. 2.

Lib. 8. tex. 72. tom. 2.

AD secundum dicendum, quòd in mutationibus instantaneis simul est fieri, & factũ esse. Sicut simul est illuminari & illuminatũ esse. Dicitur enim in talibus factum esse, secundùm quòd iam est, fieri autem, secundũ quòd ante non fuit.

In solu. ad. 1. in ſto. a.

AD tertium dicendum, quòd ista conuersio (sicut dictum est) fit in vltimo instanti prolationis verborum, tunc enim cõpletur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis. Et ideo non sequitur, quòd ista conuersio sit successiua.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi.

4. d. 11. q. 3. ar. 4.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd hæc sit falsa, ex pane fit corpus Christi. Omne enim id, ex quo fit aliquid, est id, quod fit illud, sed non conuertitur: dicimus enim, quod ex albo fit nigrum, & quòd album fit nigrum, & licèt dicamus, qnod homo fiat niger, non tamen dicimus, quòd ex homine fiat nigrum, vt patet in 1. Phys. Si ergo verum est, quod ex pane fiat corpus Christi, verum erit dicere, quod panis fiat corpus Christi. Quod videtur esse falsum, quia panis nõ est subiectũ factionis, sed magis est terminus. Ergo non verè dicitur, quod ex pane fiat corpus Christi.

Lib. 3. tex. 5.

¶ 2 Præterea, Fieri terminatur ad esse, vel ad factum esse, sed hæc nunquã est vera, panis est corpus Christi, vel panis est factus corpus Christi, vel etiam, panis erit corpus Christi. Ergo videtur, quòd nec etiam hæc sit vera, ex pane fit corpus Christi.

¶ 3 Præterea, Omne id, ex quo fit aliquid, conuertitur in id, quod fit ex eo. Sed hæc videtur esse falsa, panis conuertitur in corpus Christi, quia hæc conuersio videtur esse miraculosior, quàm creatio mũdi, in qua tamen non dicitur, quod non ens conuertitur in ens, Ergo videtur, quòd etiam hæc sit falsa ex pane fit corpus Christi.

¶ 4 Præterea, illud, ex quo fit aliquid, potest esse illud: sed hæc est falsa, panis potest esse corpus Christi. Ergo & hæc est falsa, ex pane fit corpus Christi.

Lib. 4. de circa prin. tom. 4.

SED contra est, quòd Ambros. dicit in lib. de sacramentis. Vbi accedit consecratio de pane fit corpus Christi.

RESPONDEO dicendum, quòd hæc conuersio panis in corpus Christi, quantũ ab aliquid, connenit cum creatione, & cum transmutatione naturali, & quantum ad aliquid, differt ab vtroq;. Est enim commune his tribus ordo terminorum, scilicet, vt post hoc sit hoc (in creatione enim est esse post non esse, in hoc sacramento, corpus Christi post substantiam panis, in trãsmutatione naturali, album post nigrum, vel ignis post aerem) & quòd prædicti termini nõ sint simul. Conuenit autem conuersio: de qua nunc loquimur, cum creatione, quia in neutra earũ est aliquod commune subiectum vtriq; extremorum, cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali. Conuenit verò hæc conuersio cum transmutatione naturali in duobus, licèt non similiter. Primò quidẽ, quia in vtraq; vnum extremorũ transit in aliud (sicut panis in corpus Christi, & aer in ignem) non autem nõ ens conuertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit vtrobique, nã in hoc sacramento tota substantia panis trãsit in totum corpus Christi, sed in trãsmutatione naturali materia vnius suscipit formã alterius, priori forma depositа. Secũdò conueniunt in hoc, quòd vtrobiq; remanet aliquid

quid idem, quod non accidit in creatione. Differenter tamen, nam in transmutatione naturali remanet eadem materia, vel subiectum, in hoc autem sacramento remanẽt eadem accidentia. Et ex his potest accipi, qualiter differenter in talibus loqui debeamus. Quia enim in nullo prædictorum trium extrema sunt simul, ideo in nullo eorũ potest vnum extremum de alio prædicari per verbum substantiuum præsentis temporis, non enim dicimus, non ens est ens, vel panis est corpus Christi, vel aer est ignis, vel album est nigrum. Propter ordinẽ verò extremorum possumus vti in omnibus hac præpositione, ex, quæ ordinem designat, possumus enim vere & propriè dicere, quòd ex nõ ente fit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aere ignis, vel ex albo nigrum. Quia verò in creatione vnum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione vti verbo conuersionis, vt dicamus, quòd non ens conuertitur in ens. Quo tamẽ verbo vti possumus in hoc sacramento, sicut & in trãsmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramẽto tota substantia in totam substantiam mutatur, propter hoc hæc conuersio propriè transubstantiatio vocatur. Rursus, quia huius conuersionis nõ est accipere aliquod subiectum, ea quæ verificantur in conuersione naturali ratione subiecti, non sunt concedẽda in hac conuersione. Et primò quidem manifestum est, quòd potentia ad oppositum, consequitur subiectum, ratione cuius dicimus, quòd album potest esse nigrum, & aer potest esse ignis, licet hæc non sit ita propria, sicut prima. Nam subiectũ albi (in quo est potentia ad nigredinem) est tota substantia albi, non enim albedo est pars eius subiectum autem formæ aeris, est pars eius: vnde cum dicitur, aer potest esse ignis, verificatur ratione partis per synecdochen. Sed in hac conuersione, & similiter in creatione quia nullum est subiectum, nõ dicitur, quòd vnum extremum possit esse aliud, sicut, q̃ non ens possit esse ens, vel quòd panis possit esse corpus Christi. Et eãdem ratione nõ potest propriè dici, quòd de non ente fiat ens, vel quòd de pane fiat corpus Christi, quia hæc præpositio, de, designat causam cõ substantialem, quæ quidem consubstantialitas extremorum in transmutationibus naturalibus attenditur penes conuenientiam in subiecto. Et simili ratione non conceditur, quòd panis erit corpus Christi, vel q̃ fiat corpus Christi, sicut neque conceditur in creatione, quòd non ens erit ens, vel quòd non ens fiat ens, quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, putà, cũ dicimus, quòd albũ fit nigrum, vel album erit nigrũ. Quia tamen in hoc sacramento, facta conuersione aliquid idem manet, scilicet, accidentia panis (vt suprà dictum est) secundùm quandam similitudinem aliquæ harum locutionum possunt cõcedi, scilicet, quòd panis fit corpus Christi, vel panis erit corpus Christi, vel de pane fit corpus Christi, vt nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in vniuersali, hoc, quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius cõtinetur substantia panis, & postea corpus Christi.

Art. 2. huius quæst.

AD primum ergo dicendum, quòd illud, ex quo aliquid fit, quandoque quidem importat simul subiectum cum vno extremorum trãsmutationis, sicut cum dicitur, ex albo fit nigrum, & sic etiam dici potest, hoc fit illud, id est, album fit nigrum. Quandoq; verò importat solum oppositum vel extremum, sicut cum dicitur, ex mane fit dies, & sic non cõceditur, quod hoc fiat illud, id est, quòd mane fiat dies. Et ita etiam in proposito, licet propriè dicatur, quòd ex pane fiat corpus Christi, non tamen proprie dicitur, quòd panis fiat corpus Christi, nisi secundũ quandam similitudinem, vt dictum est.

In corp. ar.

AD secundum dicendum, quòd illud ex quo fit aliquid; quandoq; erit illud, propter subiectũ, quòd importatur. Et ideo, cũ huius conuersionis non sit aliquod subiectũ non est similis ratio.

AD tertium dicendum, quòd in hac conuersione sunt plura difficiliora, quã in creatione, in qua hoc solum difficile est, quòd aliquid fit ex nihilo, quod tamen pertinet ad proprium modum productionis primæ causæ, quæ nihil aliud præsupponit. Sed in hac conuersione non solum est difficile, quòd hoc totum conuertitur in illud totum, ita quòd nihil prioris remaneat (quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causæ) sed etiam habet hoc dificile, quòd accidentia remaneant, corrupta substantia, & multa alia, de quibus in sequentibus agetur. Tamen verbum conuersionis recipitur in hoc sacramento, nõ autẽ in creatione, sicut dictum est.

Quæst. 77.

In corp.

AD quartum dicendum, quòd, sicut dictum est, potentia pertinet ad subiectum, quod non est accipere in hac conuersione. Et ideò non conceditur, quòd panis possit esse corpus Christi: non enim hæc cõuersio fit per potentiam passiuam creaturæ, sed per solam potentiam actiuam creatoris.

Hic

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIc explicat D. Thom. modum loquendi de hac conuersione, de quo dicemus sectione penultima sequentis disputationis explicata priùs ipsa re.

DISPVTATIO. I.

De transitu seu conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quæ transubstantiatio dicitur.

IN superioribus disputationibus explicatum est, quid in consecratione huius sacramenti fiat, nũc exponendũ est, quomodo, & per quam actionẽ seu mutationem fiat, diximus enim, in hac cõsecratione esse successionẽ quandam duarum substantiarum, quarum altera desinit esse, & habet rationem termini à quo, altera verò incipit esse sub speciebus, & habet rationem termini, ad quẽ principaliter tẽdit cõsecratio termini, ad quẽ principaliter tendit cõsecratio; videndũ ergo superest, qualis sit hęc successio, seu trãsitus: quæ res Theologis omnibus difficillima visa est, quia, & omnino supernaturalis est, & nullam similem habet in natura. Quoniã verò tota pẽdet ex doctrina fidei, primùm statuemus quid de hac cõuersione fides doceat, deinde, vt fidei doctrinã declaremus, proponemus ea, quæ sunt de ratione veræ conuersionis, ac posteà singula in hoc mysterio inuestigabimus, ac tandem, quomodò de hac conuersione loquendum sit docebimus.

SECTIO I.

An sacramentum Eucharistiæ perficiatur per veram conuersionem, & transubstantiationem.

Lutheranorũ & Caluinistarũ hæresis circa trãsubstantiationem.

PRimò hæretici, qui, vel negãt præsentiã Christi, vel affirmant præsentiã substantiæ panis, conuersionem tollunt, & in hoc inter se conueniunt Lutherani & Caluinistæ, & alij suprà relati, qui omnes in transubstantiationis nomen inuehuntur, illud appellantes nouum, barbarum, & portentosum. Secundò, qui negant, manere substantiã panis, concedunt tamen aliquid illius manere, admittunt quidem conuersionem, transubstantiationem tamen euertunt, licèt fortasse nomen transubstantiationis retineant, sed de his erroribus, & de eorũ fundamentis nihil noui dicendum occurrit, quia non habent noua fundamenta, sed ex falsis principijs consequenter pullulant.

1. Conclus. Eucharistia cõficitur per veram conuersionẽ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: & est de fide.

Dico ergo primò. Sacramentum Eucharistiæ cõficitur per veram conuersionẽ panis & vini in corpus & sanguinẽ Christi. Hęc assertio est de fide, nã licèt sub his verbis nõ habeatur in Scriptura, eã tamẽ docet Ecclesia ab Apostolis edocta, docens simul, ita esse intelligenda verba formæ, & in vero sensu eorum hanc veritatem contineri. Hinc Concil. Florentinum dixit, *Substantia panis in corpus, substantia vini in sanguinẽ cõuertitur*, fusiùs Tridentinũ sessio. 13. c. 4. dicens, *Quoniam Christus corpus suum, id quod sub speciebus panis offerebat, vere esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuo Sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, cõuersionẽ fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius.* Hãc verò esse Ecclesiasticã traditionẽ, vt Cõcil. dixit, constat ex antiquissimis Patribus: nomine enim *conuersionis* vtitur Ambros. lib. 4. de sacra. c. 5. & li. 6. c. 1. & lib. de Mysterijs. c. 9. vtitur nomine *transmutationis*, quod perinde est. Idẽ Cyprian. serm. de Cœna Domini, in illo verbo, *Non effigies, sed natura mutatus*. Idẽ Damasc. li. 4. c. 14. Chrysost. homil. de proditione Iudæ, & homil. 83. in Matth. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. mystag. & Cyrill. Alex. in epist. ad Colositium, apud D. Tho. in Catena Lucæ. 22. Greg. Nisse. orat. Cateches. c. 37. Hesych. lib. 6. in Leuit. c. 22. Orig. 8. contra Celsum, dicit, *Panem fieri corpus sanctum per precationem*. Quod etiã dixit Tertull. lib. 4. contra Martionẽ. c. 40. quod magis propriè dixit August. in c. Verum sub figura de Consecra. d. 2. Corpus & sanguinem Christi virtute Spiritus sancti ex panis & vini substantia effici, & Gaudẽt. Brixiens. tract. 2. in Exod. *De pane efficis corpus, & de vino sanguinem*. & infrà, *Ne terrenum putes: quod cæleste effectum est per eum, qui transit in illum: efficit illud corpus suum, & sanguinem*. Sic Euseb. Emiss. homil. 5. de paschate dixit, *Sacerdotem visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis Christi secreto apotestate cõuertere*. Et ibidem ait, *Panẽ transire in naturã Dominici corporis*, & eadẽ voce, *transitus*, vsus est Remigius. 1. ad Corin. 10. Anselm. verò epistola de corpore & sanguine Domini, *Migrare*, dicit, *panem, in corpus*. Fulbertus verò epistola ad Bereng. dixit, *transfunde*, Algerus dixit, *trajici*: & *transferri* in li. de hoc sacramẽto. Theop. Matth. 23. & Marci. 14. & *conuerti* dixit, & *transelementari*, & Ioan. 6. dixit, *transformari*, & similia verba sæpè habet Rupertus lib. 5. in Ioannẽ, & plures loquendi formulas antiquissimas, quæ hanc conuersionem apertè indicant, referam in progressu huius disputationis, quæ adduximus etiam disp. præced. sect. 2. hanc veritatem cõfirmant, & ex veritate ibi tradita, petenda est ratio huius conclusionis. Nam ad veritatẽ verborum Christi necesse est, vt in fine illorũ contentum sub speciebus iam non sit panis, sed corpus Christi: ergo necesse est, vt panis desierit, & vice illius corpus Christi successerit, ergo facta est conuersio vnius in aliud. Probatio huius vltimæ consequentiæ pendet ex omnibus dicẽdis in hac disputatione: nam ex hac ratione nascitur aliud dubium, scilicet, an possint verba Christi esse vera absque vera conuersione.

Ambros. Cyprian. Damascen. Chrysost. Cyrill. Hier. Cyrill. Alex. Greg. Nyss. Hesychius. Origen. Tertullian. August. Gaudentius. Euseb. Emis. Remigius. Anselmus. Fulbertus. Algerus. Theophyl. Rupertus.

2. Cõclusio. Præsentia veræ transubstantiationis.

Dico secundò, Sacramẽtũ Eucharistiæ cõfici per verã transubstantiationẽ panis in corpus, & vini in sanguinẽ Christi. Hęc cõclusio nõ cõtinet rẽ distinctam à præcedẽte, sed solũ ponitur ad explicandã vocẽ, qua vsum est Concil. Lateran. sub Innocent. III. c. 1. vbi sub hac voce fidẽ huius sacramẽti credẽdã proponit, & c. 3. anathematizat eos, qui aliter sentiũt, & eandẽ rẽ probauit Cõcil. Flor. in Decreto Eugenij, quãuis nõ omnino sub eadẽ voce, sed illis verbis. *Substantia panis in corpus Christi: & substantia vini in sanguinem conuertitur*. Clarius Trident. suprà dixit, *Quæ conuersio cõuenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata*, & cã. 4. *Quam conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationẽ appellat*. Ratio verò huius cõclusionis est eadẽ, quæ præcedentis, quòd ad rem attinet, quia hic commutatur tota substãtia in totam, quod singulare est huic conuersioni: habet ergo propriã, & spe-

Florent. Trident.

& specificam rationem, distinctam ab alijs cõuersionibus ex præsuppositis subiecto: hanc ergo rationẽ illa voce significamus. Quod verò attinet ad nomẽ ratio est, quia, cùm hic trancat tota substãtia in totam substantiam, quod in nulla alia conuersione accidit, nullum erat nomen conuersiones alias significans, quod propriam rationem huius conuersionis indicaret: quapropter necessariũ fuit, nouum excogitare nomẽ, quod illam explicaret; tum, vt simpliciter possemus de hoc mysterio loqui; tum, ad notãdos, & cauendos nouos errores circa hoc mysterium insurgentes. Quocirca, licèt antiqui Patres vsi fuerint variis nominibus, vt vidimus inter expli candum hoc mysterium, omnia tamen illa, vel generalia sunt, vt nomen, *conuersionis, mutationis, transitus, & migrationis*, vel accidentariæ mutationi magis sunt accommodata, vt nomen *transfigurationis*, & si quæ sunt similia: solum illud nomen, *transelementationis*, quo vsus est Theophylactus, magis accedere videtur ad proprietatem mysterij explicandam: quia significat mutationem vsque ad prima elementa, etiam vsque ad materiam primam: tamen illa vox, & durior est, & non satis accommodata significare enim potest conuersionem vnius elementi in aliud, vel resolutionem mistí in elementa, at verò transubstantiatio propriſsimè & accommodatiſsimè significat transitum seu conuersionem totius substantię in totam substantiam. Neq; est nouum in Ecclesia ad confutandas hæreses, & explicanda mysteria, noua inuenire nomina, quæ res antiquas propriè significent, & veritatem Catholicam satis exprimant, & sic olim inuentum est. *Omoysios*, seu consubstantialis, & nomen, *Theotocos*, Dei para, sic etiam Euãgelistã mutationem Christi in externo splendore, & specie, tranfigurationem vocauit: eodem ergo Spiritu ducta Ecclesia, mutationem substantiarum transubstantiationem appellauit.

Cyrill. Gabriel.

Ex hac fidei doctrina colligitur primò, corrigẽdos esse Scholasticos, qui hanc doctrinam de conuersione hac, seu de transubstantiatione non admodum antiquam esse dixerunt, inter quos sunt Scotus. distinct. 10. quæst. 1. §. Quantum ergo ad istud argumentum. & distinct. 11. quæst. 3. & Gab. lect. 41. in Canon. constat enim ex dictis, & ex definitione Concilij Trident. & ex Concil. Romano sub Gregorio VII. suprà relato, rem ipsam antiquissimam esse, ac perpetuò in Ecclesia creditam, quãuis fortasse superioribus temporibus non fuerit tam aperte explicata, sicut modò est.

Secundò infero, si quis confiteatur præsentiam corporis Christi, & absentiam panis, neget tamẽ veram conuersionem vnius in aliud, in hæresim labi: quia Ecclesia Catholica non solùm duo priora, sed etiam hoc tertium definit ac docet, sicut in miraculo facto à Christo Ioan. 2. non solum de fide est, in illis hydrijs priùs fuisse aquã impositam, & posteà inuentum illic fuisse vinum, sed etiam est de fide, aquam conuersam esse in vinum, si quis tamen contendat rem totam, vocem trãsubstantiationis abijceret, vt ineptam & barbaram in re ipsa, non existimo esse hæreticum: quia vsus vocis per se nõ pertinet ad obiectum fidei, esset tamen valde temerarius, & scandalosas, ac pias aures offenderet, ac denique in externo foro habendus esset vehementer de hæresi suspectus.

SECTIO II.

Quæ sint ad veram conuersionem, & trã substantiationem necessaria.

HAEC quæstio magna ex parte philosophica est, absq; illius tamen cognitione non potest explicari hoc mysterium, nec reddi ratio veritatis traditæ. Supponẽdũ verò in primis est quid nomine conuersionis significetur, significat enim hæc vox transitum vnius rei in aliam, vt constat ex communi conceptione hominum: ex hac autẽ communi conceptione intulerunt aliqui, conuersionem tãtum esse relationẽ talium rerum, seu terminorum inter se, & adducunt D. Tho. hic art. 4. ad 1. dicentem, conuersionem substantialem importare ordinem substantiarum. Sed hoc, si de propria relatione intelligitur, verum esse nõ potest, vt ostẽdemus: potiùs igitur ex prædicta vocis significatione sumendum primò est, ad conuersionẽ necessariũ esse, vt sit inter duas res positiuas, quarum altera habeat rationem termini à quo, & altera ad quẽ, quia ab vna fit transitus in aliũ, quod videre licet in omni conuersione, si inductio fiat. Et cõfirmatur, quia in hoc distinguitur conuersio à simplici productione, in qua non sequitur alterius desitio, vel corruptio, & à simplici desitione & corruptione, quæ non terminatur ad alterius rei productionem: creatio enim non est cõuersio, neq; etiam annihilatio, neq; illuminatio, vel obtenebratio, est autẽ propria cõuersio, quãdo ex calido fit frigidũ, &c. Dices, motus localis fit inter terminos positiuos, & tamẽ non est cõuersio, quia vnũ vbi nõ conuertitur in aliud. Respondetur primò, non diximus omnẽ transitum inter terminos positiuos esse conuersionem, sed è contrario, omnẽ cõuersionẽ esse inter terminos positiuos. Deinde illa etiam mutatio potest dici cõuersio, non loci in locum, aut vbi in vbi, quia, vt D. Th. docet, conuersio nõ est inter formas, sed inter cõposita aut concreta: non enim conuertitur albedo in nigredinem, sed album in nigrum, & similiter in præsenti ex sedente fit stans, & ex existente in loco superiori fit existens in loco inferiori.

Cũuersio nõ est relatio.

Obiectio.

Responsio.

Sed potest rursus obijci, quia generatio ignis est propria conuersio, & tamẽ, si res attentè consideretur, non fit ex termino positiuo, sed priuatiuo: quia priùs natura expellitur forma ligni per dispositiones præcedẽtes, & ita, cùm fit ipsa generatio substãtialis, iã non fit propriè ex ligno, sed ex non igne. Propter hoc dicũt aliqui, naturalẽ cõuersionẽ, præsertim substantialẽ, nõ esse propriã conuersionẽ, & in hoc superari à supernaturali conuersione, quæ sub hoc fit, & sine alteratione præuia, vt quãdo Christus cõuertit aquã in vinũ, vel Deus fœminã in statuã salis: nã ibi propriè fit trãsitus à substãtia in substantiã. Sed in primis in hoc nulla est differẽtia, quę ad rẽ spectet: nã istæ supernaturales cõuersiones in exemplũ adductæ verè sunt cõuersiones formales, & non differunt à naturali cõuersione in substãtia, sed in modo, vt D. Th. docuit in 2. d. 18. q. 1. art. 3 ad. 4. & in 4. d. 17. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 1. modus autem ille solùm est, quod subito & immediatè fit, quod ab agẽte naturali, non nisi paulatim, & interdùm fortasse per multas transmutationes fieri posset, tamen sicut in naturali conuersione præcedunt dispositiones, quæ priùs incipiunt, & in instãte generationis cõsummantur, ita in hac supernaturali

Obiectio.

Aliquorum euasio.

Impugnatur

S. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rali conuersione formali, in ipsomet instante cōuer-
sionis subitò fiunt integræ dispositiones, quæ natu
ra etiam antecedunt formam substantialem, & eo-
dem modo dici possunt expellere contrariam: ergo
re vera nulla est differentia, quod illæ dispositio-
nes priùs fuerint inchoatæ, nec ne, nihil refert ad
veritatem & proprietatem conuersionis substantia
lis, quæ in momento fit. Et confirmatur, quia pro-
prisimè dicitur, viuens conuertere alimentum in
substantiam suam. Respondetur ergo, etiam si di-
1. Respon. spositiones aliquo modo dicantur in suo genere ex
pellere formam, propriè tamen vnam formam sub-
stantialem expellere aliam formaliter, & ex vi ge-
nerationis vnius sequi corruptionē alterius: & hoc
satis esse ad veram conuersionem. Et addo vlteriùs
etiam si lignum corrumperetur per solam alteratio
nem, quæ extrinsece tantum ad generationem ter-
minaretur, illud fore sufficiens ad veram conuersio
nem: quia simpliciter illa res fieret ex termino posi
tiuo, aliquo modo sibi repugnante, & talis termi-
nus non desineret esse, nisi ex illo alius fieret, quod
satis est ad conuersionem, vt magis ex dicendis con
stabit.

Secunda conditio necessaria ad conuersionē est,
vt vnus terminus, ex quo fit conuersio, aliquo mo-
do desinat esse, & alius, ad quem fit conuersio, ali-
quo modo fiat, seu incipiat esse. Hæc etiam assertio
communis est, & fere per se nota ex significatione
vocis, patet enim prior pars: quia, quod conuertitur
transit in aliud: ergo necesse est, vt aliquo modo de
sinat esse. Item in omni mutatione terminus à quo
desinit: sed res, quæ conuertitur, habet in hoc tran-
situ rationem termini à quo: ergo necesse est, vt ali
quo modo esse desinat. Denique, si nullo modo es-
se desineret, nullo modo mutaretur, nec propriè,
nec impropriè sed maneret, sicut antea: ergo nulla
esset ratio, ob quā, ex tali re diceretur fieri alia, ma-
gis, quā ex alijs rebus, quæ immutatæ etiā manent.
Altera pars de termino ad quē fere eisdē modis pro
bari potest: quia cōuersio, vt dixi, nō est pura corru
ptio vel desitio, sed includit positiuū transitū, vel
effectionem aliquam positiuam: ergo necesse est, vt
per eam aliquid fiat in re, ad quā conuersio tendit:
nam impossibile est, intelligere positiuum influxū
causæ efficientis, quin illi respondeat aliquo modo
fieri, & factum esse in aliqua re. Secundò, quia hoc
inuenitur in omni termino ad quem cuiuscunque
alterius mutationis: ergo & in hoc. Tertiò quia, si
ille terminus eodem modo se haberet, sicut antea,
non esset ratio, propter quam alia res diceretur in
eum conuersa, magis, quam in res alias: quia talis de
nominatio nullum habet in re fundamentum, sed
gratis esset conficta. Quod ita ostendo, & declaro,
quia, cum res aliqua dicitur esse terminus, in quem
alia est conuersa, vel hæc denominatio est intrinse-
ca tali termino, & sic necesse est sumi ab aliqua re in
ipso existente, quæ in illo fiat noua, vel nouo mo-
do, cùm denominatio sit noua, & quæ antea non
erat, sed ex conuersione prouenerit: ergo quoad
hoc necesse est, talem terminum esse aliquo modo
de nouo factum, vel illa denominatio est per se ex-
trinseca, & tunc vlterius interrogo, an sumatur à
forma reali positiua, licèt extrinseca, de qua forma
vlteriùs inquiram, vbi sit, & quæ sit, & an facta sit
de nouo, & nihil poterit in his omnibus responderi
probabiliter, &, quicquid dicatur, talis forma, vel
compositū, in quo illa fuerit, erit potiùs terminus

A conuersionis, quàm res alia, quæ dicitur extrinsecè
denominari: quia realis effectio non tendit per se ad
extrinsecam denominationem: vel sumitur extrin-
seca hæc denominatio solū à desitione alterius ter-
mini, & hoc etiam dici non potest, quia illa desitio
est quid priuatiuum, à quo non potest sumi denomi
natio positiua, esse autem terminum ad quem con-
uersionis est aliquid positiuum, neque etiam intelli
gi potest, quæ alia denominatio, etiam priuatiua
redundet in terminum ad quem ex sola desitione
termini à quo, quandoquidem ille nulla re priuatur
propter desitionem alterius.

Dicunt aliqui, posse vnam rem conuerti in aliam *Gabr.*
solum, quia desinit in illam: ita vt desitio vnius non
terminetur simpliciter ad non esse, sed ad aliam rē:
potest autem hoc modo terminari (inquiūt) ad aliā
rem, quæ antea existebat, etiam si in illa nihil de no
B uo ponatur, nec nouum esse, nec nouus modus, nec *Caietan.*
noua dependētia. Cuius sententiæ videtur esse Caie. *Scotus.*
sup. q. 2. art. 1. & Scot. in 4. d. 10. q. 1. artic. 2. & in
quodlib. 10. Ille enim, etiam in hoc sacramento, vi-
detur distinguere actionem conuersiuam ab addu
ctiua, & priorem explicare videtur dicto modo, &
ita eum intelligunt discipuli eius, vnde inferunt,
posse fieri actionem conuersiuam panis in corpus
Christi manente corpore in cælo, & eodem modo,
quo antea, si actioni conuersiuæ non coniungatur
adductiua, & consequenter Caiet. concedere vide-
tur posse aliquid conuerti in Deum. Sed hæc ratio, *Impugnatur*
& prædicta ratione facta, & suismet illationibus sa-
tis confutatur: interrogo enim, quid sit, desitionem
vnius rei terminari ad aliam, si in illa, nec rem, nec
C dependentiam nouam ponit: illud enim terminari
non poterit esse aliquid intrinsecū in illo termino
ad quem, quia in illo nihil ponit de nouo, si autem
est aliquid extrinsecum, illud esse non potest, nisi
sola priuatio, quæ non potest denominare talē ter-
minum, cùm non priuet illum, neque extrinseco ali
quo, neque intrinseco. Deinde, illud, quod in termi
no ad quem, supponitur actioni, quatenus supponi
tur, nō est terminus: quia vt sic nullo modo fit, sed
potiùs vt sic se habet ad modum subiecti: ergo, si
actio conuersiua terminatur ad rem præexistentem
illa quatenus præexistens nō poterit esse terminus:
ergo oportet vt sit terminus, quatenus aliquid de
nouo, vel nouo modo in illa fit: non potest enim es
se terminus actionis realis, solum quatenus de no-
uo extrinsecè denominatur, quia necesse est, vt
actio realis positiua habeat realem, & intrinsecum
D terminum, qui per illam fiat, à quo poterit resulta-
re denominatio extrinseca: patet antecedens argu-
mento facto: quia actio est realis influxus causæ effi
cientis, cui respondet realis effectus, nā, si datur fa-
cere, illi respondet fieri, & fieri respondet factū es- *Alia eua-*
se. Nec valet distinctio aliorum de actione conuer- *sio etiam refu-*
siua, vel non conuersiua, quia actio cōuersiua, si est *tatur.*
vera actio, vt re vera est, & statim etiam probabi-
mus, necesse est vt illi conueniat id, quod est de es-
sentia actionis realis vt sic. Præterea, si corpus Chri
sti, verbi gratia, in cælo, post desitionem panis, eo-
dem modo prorsus se habet quo corpus Virginis,
quare panis magis conuersus est in illud, quàm in
corpus Virginis? certe, neque ex parte corporis, ne-
que ex parte panis, reddi potest ratio. Sed dicere
possunt, quia ex intentione agentis, hæc desitio pa
nis terminatur ad corpus Christi, & non ad corpus
Virginis. Sed quid refert intentio agentis, aut qua-
lis

lis illa esse potest, si in re nihil operatur? hic verò ni
hil operatur, quia non ponit maiorem habitudinē
in hac desitione respectus vnius corporis, quā re-
spectu alterius: quia neque ipsa desitio in se aliter
se habet, cùm sit mera negatio, vel priuatio, neque
ipsum corpus aliter etiam se habet, vt prædicta sen
tentia supponit. Denique, quod aliqua creatura
possit conuerti in Deum, est satis falsum & absur-
dum, & contra D. Tho. in illa q. ar. 2. & fere con-
tra omnes Doctores, vt posteà videbimus.

Tertiò ex prædictis colligitur, in omni reali cō-
uersione necessariā esse, vt minimùm, vnam realē
actionē, & duas partiales mutationes, vel quasi mu
tationes: hoc totū manifestū est in omni conuersio
ne formali, tam naturali, quā supernaturali; quod
autē hoc sit simpliciter de necessitate cōuersionis
realis vt sit, facilè potest ex dictis probari. Et pri-
mū patet prior pars de actione, quia, vt dicebā, con
uersio differt à mera desitione, vel corruptione: er
go cōuersio non fit per solam suspensionē influxus
causæ agentis: quia ex hac desitione præcisè nō se-
quitur, nisi pura desitio, vel corruptio: ergo requi-
rit conuersio positiuū influxū causæ agentis: ergo
requirit actionem. Quod præterea tā notū videtur
ex terminis, vt superfluum sit illud probare: quia
conuersio passiua sine conuersione actiua, nec men
te concipi potest, & minus intelligi potest conuer
sio actiua sine reali actione. Dixi autē, vt minimū,
quia in dubiū verti potest, an necessariū sit, actio-
nem hanc esse vnam tantùm, vel possint interdum
esse plures, quasi partiales, & inter se connexæ: in
cōuersionibus enim formalibus vna actio sufficit,
per quam fit terminus ad quem; & consequenter
expellitur etiam formaliter terminus à quo; & hoc
fortasse inuenitur in omni alia actione, tam natu-
rali, quàm supernaturali extra hoc mysterium: hic
verò habet specialem difficultatem, quā infrà tra-
ctabimus, quia pendet ex dicendis.

Altera pars cōclusionis de duplici mutatione sa
tis patet ex dictis, quia in cōuersione sunt duo ter-
mini, & vnus transit aliquo modo de esse ad non
esse: fit ergo in illo mutatio priuatiua; de hoc null9
dubitat, quia, quod conuertitur, quatenus cōuerti-
tur, non manet, vt suprà dixit D. Tho. art. 2. & ex
ipsa voce est per se notū; alter verò terminus, scili-
cet, ad quē, aliquo modo fit, seu transit de non esse
ad esse, vt probaui; ergo ex parte illius est mutatio
positiua: dixi autē, vel quasi mutationes, quia iux-
ta Physicā proprietatem mutatio præsupponit sub
iectū, & hoc modo est quidem necessaria mutatio
in omni conuersione formali: quia in ea fit solū mu
tatio ratione formæ, manente eodem subiecto sub
vtroque termino: nō potest autē hoc esse de ratio-
ne conuersionis, vt sic, quia potest dari conuersio,
quæ nō fit ex subiecto, latiùs ergo potest dici mu-
tatio omnis inceptio, vel desitio rei: quia, quod in-
cipit, aut desinit, aliter se habet, quā antea: & hoc
sensu diximus, necessariā esse in omni conuersione
duplicem mutationem, vel quasi mutationē. Atq;
hinc cōstat, conuersionē nō posse dici relationē, si
propriè loquamur: quia cōuersio actiua est actio, vt
ostensum est: cōuersio autē passiua, prout se tenet
ex parte termini, nō potest esse sola relatio prædi-
camētalis, vt iā etiā ostēdimus, sed necessariò esse
debet dependētia, vel fieri vnius termini cum desi
tione alterius, & cōfirmatur, quia, si est relatio, vel
est inter terminos conuersionis inter se, vel inter

A terminū ad quē, seu positiuum terminū conuersio-
nis, & ipsum agens, primū dici non potest: quia il-
la relatio tantū potest esse relatio rationis, quæ est
inter ens, & nō ens, quis autē dicat, realem conuer-
sionē esse tantū relationē rationis? Præterea, quan-
uis fingatur esse relatio realis, necessariū esset an-
tecedere fundamētum eius, ex quo consequeretur:
nō est autem aliud, nisi ipsa conuersio, & idem ar-
gumentū fieri potest in alio mēbro, si dicatur hæc
relatio esse inter terminū conuersionis, & causam
agentē: quia etiā oportet, talē relationē fundari in
ipsa emanatione talis termini ab agente, siue illa
emanatio dicat aliquā depēdentiā ex natura rei di
stinctā ab ipso termino, siue essentialiter in formali
ratione eius inclusam, hoc enim ad præsentē quæ-
stionem nō pertinet, dūmodo intelligamus, hanc
conuersionē passiuam nō consistere propriè in illa
B relatione, sed in fundamento eius, concurrentibus
alijs conditionibus, statim declarandis.

Sed occurrit in hac cōditione grauis difficultas, *Dubium.*
an oporteat in cōuersione substantiali hanc dupli-
cē mutationem esse substātialem ex parte vtriusq;
termini, vel alterius: sunt enim in hoc variæ senten
tiæ. Quidā enim existimant, requiri mutationem
substantialē ex parte rei cōuersæ, nō verò ex parte
eius, in quam fit cōuersio. Ita videtur sentire Ochā *Ochamus.*
in 4. q. 6. dub. 3. quē aliqui recentiores sequuntur,
fundari solū in nomine conuersionis, quod potissi-
mē significare videtur habitudinē termini à quo,
qui, dū cōuertitur, nō manet, sed præsertim vide-
tur inuētus hic dicendi modus ad explicandū hoc
mysteriū, in quo nulla substantialis mutatio fieri
videtur in termino ad quē, cùm tamen hic fiat cō-
uersio substātialis. Sed nihilominùs hæc sententia
C mihi nō probatur: primò quidē, quia neque ad hoc
mysteriū explicandū est necessaria; vt infrà osten-
dā, neq; in aliqua alia conuersione naturali, aut su-
pernaturali habet fundamentū: semper enim con-
uersio substantialis ad aliquā substantiam termina
tur, vel ad aliquod esse substantiale, quod de nouo
acquiratur, saltem respectu totius compositi, quod
dico propter generationem hominis, vel propter
conuersionem alimenti in hominis substantiam: in
qua, licèt non fiant de nouo essentiales partes, ex
quibus constat terminus ad quem talis conuersio-
nis, vniuntur tamen substantialiter, & ita de nouo
fit aliqua substantia. Et declaratur, nam, si finge-
remus per alterationem fieri corruptionem sub-
stantiarum, & tamen formæ substantiali non suc-
cedere aliam substantialem formam, sed solùm
qualitatem aliquam conseruantem materiam, nul-
D lus diceret esse conuersionem substantialem, sed
solam corruptionem, sicut opinati sunt multi, po-
nentes formam corporeitatis, & asserentes, inter-
dum manere materiam cum sola illa, ablata specifi-
ca forma. Secundò, quia in conuersione considerari
potest, vel actio, quæ dici potest conuersio actiua,
vel passio, siue passiua conuersio; si de actione sit
sermo, illa necessariò est accidentaria, quando ter-
minus ad quem est accidens, quia actio totam
suam rationem & entitatem habet ex termino ad
quem: si verò loquamur de conuersione passiua,
illa, vt dicebam, constat ex duplici mutatione, quæ
partim fit in termino à quo, partim in termino ad
quem: si ergo illa, quæ est in termino ad quem,
est accidentalis, licèt illa, quæ fit in termino à
quo, sit aliquo modo substantialis, cur tota con-

uersio dicetur substantialis? cùm acquisitio termini ad quem sit per se intenta, desitio verò termini à quo sit per accidens consecuta; cumque illa mutatio, quæ est ad termiuum ad quem, sit positiua, altera sit tantùm priuatiua; ac denique, cùm omnis alia mutatio suam rationem præcipuè sumat ex termino ad quem. Et confirmatur; nam quis dicat fore conuersionem substantialem, si substantia panis conuerteretur in solam quantitatẽ corporis Christi; fore verò accidentalem, si quantitas conuerteretur in materiam, seu substãtiam? Ratio autẽ fundata solum in nomine conuersionis, non videtur esse vllius momenti: quia cõuersio vtramq; habitu dinem significat, nec magis importat destructionem vnius termini, quàm alterius effectionem, & cõtrarium gratis & sine fundamento assumitur.

Falsum est etiam quod requiratur ex parte termini ad quem.

Propter has ergo rationes potest esse secundus dicendi modus, ad conuersionem substantialẽ per se requiri, vt in termiuo ad quem fiat mutatio, seu inceptio substantialis, siue in termino à quo fiat, siue non, & hoc videri potest verisimilius: quia terminus ad quem est præcipuus, & per se intẽtus. Sed nihilominùs etiam hoc nõ placet; quia neque hoc deseruit ad præsens mysterium, in quo clarior est mutatio substantialis in termino à quo, quã in termino ad quẽ, neque afferri poterit aliud genus cõuersionis substantialis, in quo hoc reperiatur. Deinde quia conuersio, licèt respiciat terminũ ad quem per se & directè, inuoluit tamen terminum à quo, & ex vtriusque mutatione, quodãmodo cõponitur, & ideò sicut substãtia ex substantijs componitur, ita hæc conuersio, si substãtialis sit, ex mutationibus substantialibus componi debet, & nomen ipsum conuersionis substantialis significare videtur, substantiam esse, quæ conuertitur: vnde si ex accidentali termino fieret res substantialis, esset quidem illa substantialis productio, non tamen propriè substantialis conuersio.

Sententia Scoti est, quod nõ sit de ratione conuersionis substantialis, actio, vel mutatio substantialis. Scotus. Otham. Ferrara.

Teria ergo sententia esse potest, de ratione conuersionis substantialis esse, vt substantia succedat substantiæ non per inceptionẽ, vel desitionem, aut mutationem substantialem earũ, sed per hoc solũ, quod inter eas fiat talis transmutatio, vt altera vice alterius substituatur. Ita sentit Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2. §. Quantũ ergo ad istum articulum, & indicat etiã Ocham suprà dub. 6. & Ferr. 4. cont. Gent. c. 63. cũ enim D. Tho. dixisset, conuersionẽ substantialem esse substantialẽ successionem, ipse exponit, esse successionẽ vnius substãtiæ post aliã; iuxta quam sententiã, vt magis intelligatur, si Deus ita transmutaret duos panes inter se, vt substantiã huius sub accidentibus illius, & è cõuerso substantiã illius sub accidentibus huius poneret, esset mutua conuersio substãtialis vnius in alterũ. Quòd si obijcias, quia ibi nihil substantiale fit, nec deperditur. Respondent, hanc nõ dici conuersionẽ substantialem à termino acquisito, vel perdito, sed à rebus vel substantijs, inter quas fit transmutatio, quia nimirũ sunt substantiæ, & aliqui addunt, mutari tunc substantiã in officio substantiæ, quod est sustentare accidentia, & hoc satis esse, vt cõuersio sit substantialis, & hic modus dicendi præsertim inuentus est propter hoc mysteriũ, in quo non videtur posse inueniri terminus substantialis, vt ex dubio quarto constabit. Ex quo infert consequenter Scotus, ad conuersionem substantialem, quæ hic fit, per se non requiri, vt substantia panis simpliciter desinat esse, sed solùm vt fiat extra hæc accidentia; an verò inde sequatur desitio simpliciter, aliunde petendum esse. Potest autem hæc Scoti sententia apparenter confirmari ex Cõcil. Trid. sessio. 13. c. 4. dicente. Qm̃ Christus, corpus suum, id quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasũ semper in Ecclesia Dei fuit, per consecrationem panis & vini, cõuersionẽ fieri, &c. Ex quibus verbis sic argumentor, ex sola veritate verborum Christi colligitur vera cõuersio, vt apertè docet Concilium: sed ad veritatem verborum Christi satis est, quod substantia corporis Christi in fine prolationis verborum sit sub accidentibus, & substantia panis iam ibi non sit: ergo hoc præcisè sufficit ad veram conuersionem: possunt autem illa duo fieri per solam successionem substantiarum sub illis accidentibus, quacunque ratione facta sit, id est, sine substantia panis in nihilum redacta sit, siue alibi cõseruata, & similiter, siue Christi corpus ibi fuerit productũ, siue aliunde adductũ.

Trident.

Refutatur dicta sententia.

Hæc tamen sententia mihi etiam displicet, quia, nisi abutamur vocibus, illa nõ est conuersio substãtialis, sed cõmutatio substantiarũ, quod nõ satis est ad conuersionẽ substantialẽ; aliàs, quandocunque vna substantia alteri succedit solũ in loco, aut situ, aut alio accidentali munere, conuersio fieret substantialis, quod est contra cõmunẽ sensum omniũ, & contra rationẽ: quia, cũ dicitur conuersio substãtialis, illa differentia, substantialis, dicit speciem, nõ subiectũ conuersionis, sicut cũ dicitur mutatio localis; at verò quando cõmutatio est inter substantias in re accidentalis, licèt subiectum conuersionis sit substantia, tamen species conuersionis non est substantialis, vt si Christus mutaret aquam in vinum inuisibiliter transferendo in alium locũ substantiam aquæ, & inde adducendo vinum, & illud constituendo in loco aquæ, nullus diceret esse conuersionem substantialem. Vnde August. lib. 18. de Ciuitate. c. 18. hanc assignat differentiã inter conuersiones miraculosas ac veras, quas Deus facit, & apparentes, quæ fiũt à dæmone, quod illæ fiũt per veram, & substantialem rerum conuersionem: hæ verò per solam inuisibilem translocationem, quam merito negat esse verã conuersionẽ. Tota autem trãsmutatio, quæ in hac opinione asseritur, re vera nõ est nisi translocatio quædã, illud autẽ, quod addebatur de officio substãtiæ, nihil iuuat, quia totũ illud officium accidentale est, vt constat ex Dialectica, & infrà etiã dicam. Vnde in illo casu de trãsmutatione inter duos panes cõmutatio non fit, nisi ex vno cõposito accidentali in aliud, quæ tota fieri posset per mutationẽ accidentiũ, vt, si Deus primò faceret aliquã substantiã omnibus suis accidẽtibus, mutaretur compositũ accidentale, & substantia ipsa mutaret modum substandi accidentibus, & tamen ibi sine dubio nulla fieret mutatio substantialis; in prædicta autem trãsmutatione duarum substantiarum sub accidẽtibus, re vera, nihil aliud fit nam, quod hæc transmutatio fiat mutando substãtias, secundùm præsentiam, vel mutando accidentia, non excedit hoc rationem accidentalis mutationis: vnde non propterea erit mutatio substantialis. Addo, hoc etiam nõ posse applicari ad præsens mysterium: quia corpus Christi, ex vi conuersionis præcisè, non participat illum modum substandi accidentibus, vt in præcedentibus tactum est, & dicemus iterum statim dub. 4.

Ad

Ad obiectionem in fauorem Scoti factam respõdetur.

Ad obiectionem in fauorem Scoti factam respõ detur, duobus modis colligi posse ex veritate verborum formæ huius sacramenti, fieri hanc conuersionem substantialem. Primò, quia nulla alia ratione, etiam per potentiam Dei absolutam, possunt verba illa fieri vera, nisi intercedente vera, propria que substantiali conuersione, & hic sensus non est intentus à Concilio. Quis enim dicat, Concil. Trident. docuisse, aut ad suam doctrinam tradendam supposuisse, quancunque substantiarum commutationem esse veram conuersionem substantialem? aut fieri non posse à Deo, nisi per eiusmodi conuersionem? hoc enim totum pendet ex principijs metaphysicis, & philosophicis, & ad fidei doctrinam non est simpliciter necessarium. Secundo modo intelligendum est, ex veritate verborum collegisse Ecclesiam, hic fieri conuersionem vnius substantiæ in aliam; quia ab Spiritu sancto, & Apostolis, Patrumque traditione edocta intellexit, Deũ effeciisse hoc mysterium (sicut cætera aliquo modo similia perficere solet) modo sibi maximè proprio, & conuenienti, ipsisque rebus, ac verborum significationi maximè accommodato: hic autem modus est, vt fiat per cõuersionem propriam, ac substãtialem, vt in sequentibus latiùs exponemus. Dices, ergo illatio, quam Cõcilium facit ex veritate verborum, non procedit simpliciter, sed ex aliqua suppositione, scilicet, quòd hic Deus operetur modo maximè connaturali, & conueniente, & quòd hic modus, scilicet, per conuersionem, talis sit. Respõdeo, nullo modo posse illationem illam tenere, nisi aliquod principiũ sopponatur, in quo illa fundetur, vt in priori sensu supponebatur illud principium; vbicunque fit commutatio substantiarum sub eisdem accidentibus, est vera conuersio substãtialis; vel illud; verba formæ non poterant de absoluta potentia Dei verificari, nisi per veram conuersionem: quia ergo non est verisimile, docuisse Concilium, Ecclesiam fundasse doctrinam suam de conuersione in solis his principijs metaphysicis, quæ valde infirma sunt, & dubia; ideò nos dicimus, non fundari illam illationem in sola ratione physica, sed in traditione Ecclesiæ, quæ non solùm naturali discursu, sed diuinitus illustrata, intellexit, quia Christus in sensu proprio, & vero dixit, hoc esse corpus suum, ideò, illud dicendo, effecisse simul conuersionem vnius substantiæ in aliam. An verò ita illud effecerit, quia erat simpliciter necessarium, vel quia erat conuenientius, vel connaturalius, de hoc Ecclesia nihil dixit, quia nihil ad fidem pertinebat, sed Theologorũ disputationi reliquit. Aliter ergo dici posset, Ecclesiam solũ docuisse: hîc fieri cõmutationem substantiarũ, quæ omnino necessariò sequitur ex veritate verborum, hancq; vocasse conuersionem: quia hæc vox in propria significatione quamcunq; rerum cõmutationẽ significare potest. An verò ibi intercedat substantialis actio, vel mutatio physica, & propria, de hoc non oporter, Concilium aliquid definiuisse, quia ad fidem nihil referebat, & ita, licèt hanc commutationem vocauerit conuersionem, & transubstantiationem, nunquam tamen appellauit substantialem conuersionem, & posset aliquis dicere, esse conuersionem substãtiarum non substantialem, quia illa vox significat subiectum, hæc verò intrinsecam differentiam, & proprium ac formalem terminum conuersionis, & hoc modo nos loquimur de conuersione substantiali. An verò cũ hoc rigore & proprietate in hoc mysterio interueniat, hactenus dictum non est, dicetur autem inferiùs.

In substantiali cõuersione terminus à quo, & ad quẽ aliquam debent subire mutationem substãtialem. S. Thom. Bonauent.

Dicẽdũ est ergo, ad verã conuersionẽ substãtialem requiri, vt ex parte vtriusque termini fiat aliqua mutatio, vel desitio, aut inceptio, aut denique noua aliqua dependentia substantialis, id est, ad ipsum esse substantiale aliquo modo terminata. Hæc conclusionem colligo ex D. Tho. tota hac quæst. ab art. 2. & Bonau. in 4. dist. 10. art. 1. quæst. 1. & ex alijs multis, quos referam statim dub. 4. & huius rei probatio satis constat ex dictis contra alias sententias; neque est in hoc alia difficultas, nisi illa, quæ est in explicando, quomodò hæc cõditio possit habere locum in hoc mysterio.

Horum terminorum mutationes inter se aliqualiter cõnecti debent.

Quarta principalis cõditio necessaria ad conuersionẽ est, vt terminus à quo, & ad quem, seu mutatio vnius & alterius habeant inter se aliquã connexionẽ seu ordinẽ, ita vt vna ex altera aliquo modo sequatur. In hoc etiam videntur omnes conuenire. Et ratio est clara, quia, nisi sit habitudo inter res illas, inter quas dicitur esse conuersio, non habebũt rationem termini à quo, & ad quẽ: illa autem habitudo debet in aliqua cõnexione fundari, aliàs solũ quasi ex accidẽte cõtingeret, vt, quando vnũ desinit, alterũ incipiat, quod non satis est ad rationem conuersionis. Præterea cõuersio dicit aliquid quodãmodo cõpositũ ex mutatione vtriusque extremi, vt dictum est: ergo oportet, vt illæ mutationes sint aliquo modo vnitæ; quæ vnio nõ potest intelligi, nisi ratione alicuius connexionis, aut habitudinis per se inter illas: alioquin solũ essent, veluti aggregatũ quoddã per accidens duarum simplicium mutationũ, vt, si in eodem instãti, in quo aer, verbi gratia, fit calidus, amittat lucem, non est conuersio, licèt sit aggregatio duarũ mutationum, vnius productiuæ alicuius rei, & alterius destructiuæ. Tãdem tertiò patet inductione in omnibus conuersionibus naturalibus; agens enim naturale nõ conuertit vnum in aliud, nisi ex præsupposito subiecto, in quod inducit formam, & expellit aliã, quæ expulsio, atque adeò conuersio nõ est, nisi quia ex natura rei sequitur ex tali actione, & idem videre licet in conuersionibus supernaturalibus, vt aquæ in vinũ; & mulieris in statuam salis, & similibus; quæ formales sunt, &, licèt quoad modum sint supernaturales, tamen quoad substantiam terminorũ sunt naturales, & ideo facilè intelliguntur imitari conuersiones naturales quoad hãc conditionem, quæ sequitur ex repugnantia terminorum. Habet tamen hæc conditio in hoc mysterio singularem difficultatem, qui erit secundus punctus, in hac disputatione explicandus.

Hi termini, tertium aliquod, circa quod versentur, requirũt. Scotus. Ledesm. Durand.

Quinta cõditio est, vt, præter terminos, à quo, & ad quẽ, sit aliquod tertiũ cõmune vtrique termino, circa quod & termini formales sibi succedant, & aliquo modo repugnẽ, ac deniq; fiat tota cõuersio. Ita colligitur ex D. Tho. hic præsertim art. 5. & 4. cont. gent. c. 63. & idem sentit Soto. d. 9. q. 2. art. 2. ad 3. Ledesm. q. 16. art. 2. ad 11. Scoti, & ar. 4. dub. 3. & 4. Durand. dist. 11. q. 2. & probatur primò inductione; nam in conuersione formali manet materia, seu subiectum commune, siue conuersio naturaliter fiat, siue supernaturaliter, & in conuersione locali, si intelligatur conuersio fieri inter duo locata, quatenus vnum excluditur, & aliud introducitur, manet locus aliquo modo com-

Universidad de Deusto Biblioteca

munis; si verò fiat inter diuersa loca, necesse est, vt fiat in eodem subiecto. Denique etiam in hoc mysterio sunt accidentia panis aliquo modo cõmunia vtrique termino, sub quibus fit conuersio. Ratio verò reddi potest, quia connexio, repugnantia, aut ordo per se inter terminos conuersionis nõ potest conuenienter intelligi, nisi ratione alicuius rei cõmunis vtrique, in qua, vel sub qua vnus introducitur, & expellitur alius & quoniam in hac conuersione fere nulla est difficultas, quæ ad hoc mysterium pertineat, & ad præcedentes non reuocetur, idcirco solùm est notanda differentia inter conuersionem formalem, & hanc sacramentalem, quòd in formali id, quod est commune vtrique termino, est subiectum seu receptaculum formæ, & est pars integri termini, quem cum forma componit; at verò in hac conuersione, id, quod est commune, scilicet, accidentia, nec sunt subiectum talis conuersionis, nec pars integri termini: quia conuersio propria non fit ex composito accidentali ad compositum accidentale, sed ex substantia ad substantiã, vt Concilium Trident. cum antiquis Patribus loquitur: accidentia verò non componunt substantiam, nec sunt partes eius. Vnde fit, quod ad modũ loquendi spectat, vt in conuersione formali minimè dicatur forma conuerti in formam, vt Diuus Thomas hic annotauit, licèt forma succedat formæ in materia, sed dicitur compositum conuerti in cõpositum; quia terminus integer, qui propriè fit vel desinet est cõpositũ, at verò hic propriè substãtia ipsa cõdistincta ab illo tertio, quod manet, id est, ab accidentibus, est, quæ cõuertitur, & similiter substantia est quæ per se intenditur, & quæ suo modo fit per se per hanc cõuersionem.

Quidquid est de ratione conuersionis, est item de ratione transubstantiationis.

Vltimò constat ex dictis, ea omnia, quæ sunt necessaria ad veram conuersionem, requiri etiam ad veram transubstantiationem, & præter ea necessarium esse, vt in tota substantia fiat commutatio, & conuersio in aliam substantiam. Primum constat, quoniam transubstantiatio sub conuersione continetur, tanquam sub genere: omnia autẽ, quæ sunt de ratione generis, sunt de ratione speciei. Secundum verò patet, quia hæc conuersio differt ab omnibus alijs in eo, quod est conuersio totius substantiæ, vt nomen ipsum præ se fert, & Concilia explicarunt.

SECTIO III.

An in hac conuersione intercedat vera, & realis actio, quæ circa corpus Christi versetur.

Explicatis omnibus, quæ sunt de ratione veræ conuersionis, oportet, vt sigillatim inquiramus, quo modo illa omnia in hac cõuersione reperiantur: quoniam verò diximus in omni conuersione in primis necessariã esse actionem agẽtis, à qua omnis transmutatio quodammodò incipit, ideò primum omniũ de hac re quæstionẽ instituimus: nõ defuerunt enim, qui negarent, in hac conuersione intercedere actionem aliquam, sed solam relationem ordinis Christi ad species, qui occasionẽ sumere potuerũt ex verbis D.Th. ar. 4. ad 1. dicẽtis, hãc conuersionẽ substantialẽ importare ordinẽ substãtiarũ, quarũ vna cõuertitur in aliã. Itẽ in ar. 4. ad 1. & ar. 8. vbi dicit, trãsubstãtiationẽ similẽ esse creationi in hoc, quòd nõ fit ex subiecto, at verò creatio iuxta doctrinã D. Thom. quia nõ fit ex subiecto, nihil ponit in creatura, præter relationẽ. Præterea in 4. d. 11. q. 1. ar. 3. quæstiũc. 1. ad 1. ponit differẽtiã inter hãc, & trãsmutationẽ naturalẽ, quòd in naturali intercedit actus imperfectus, inter subiectũ, & vltimũ ac perfectũ terminũ: *trãsmutatio autẽ huius cõuersionis* (inquit) *nõ ponit aliquẽ actũ imperfectũ, sed solũ successionem quandam perfectorũ, non solùm actuũ, sed rerũ subsistentium*: ac posteà explicat, hãc successionẽ esse relationẽ ordinis, quã dicit secũdũ rẽ esse in pane, qui mutatur, in corpore autẽ Christi tantũ secũdũ rationẽ: quia immutatũ manet. Et hęc potest esse ratio fundamẽtalis huius sententiæ: quia corpus Christi nõ mutatur: nõ enim incipit hic esse per sui mutationẽ; sed per mutationẽ panis in ipsum: ergo nõ est necessaria aliqua actio, quæ ad illud aliquo modo tẽdat. Cõfirmatur, quia, vel talis actio esset in corpore Christi, & hoc non, quia nõ mutatur; vel in pane, & hoc nõ, quia in instante cõuersionis iã nõ est panis; neq; verò in accidentibus esse potest, quia neq; illa sunt subiectum cõuersionis, neq; posset actio in illis recepta circa corpus Christi versari: ergo nulla est talis actio.

Varij huius quæstionis sensus explicantur.

In hac quęstione possunt multa includi, quę oportet distinguere, ne in æquiuoco laborem. Primũ est, an in hoc mysterio necessariò interueniat aliqua actio, quæ versetur circa corpus Christi, aut illud aliquo modo attingat. Secũdũ, an hæc actio sit in ipso corpore Christi, vel in aliqua alia re creata, vel tantũ in ipso Deo: est enim hæc valde distincta quæstio à priori: cõstat enim, creationẽ esse solius Dei, cũ sit actus vltimus potẽtiæ actiuæ, cũque per illã aliquid fiat, & tamẽ in quæstione versatur, an hæc actio sit in Deo, vel in creatura. Tertiũ, quod in quæstionẽ vocari potest, est, supponẽdo interuenire hic aliquã actionẽ, an illa sit trãsubstantiatio, vel intrinseca illi, an verò solũ sit præuia, & antecedẽs ipsam trãsubstãtiationẽ, atq; illam inducẽs: & hæc quæstio videtur mihi de nomine, suppositis his, quæ de conuersione in genere dicta sunt, vt statim explicabo. Ex his ergo quæstionibus prima est hoc loco præcipuè intenta, quia ad explicandum mysterium maximè pertinet, breuiter tamen reliquas attingemus.

In hac conuersione datur aliqua vera actio, qua corpus Christi sub panis speciebus constituatur.

Dico ergo primò, in hac cõuersione necessariam esse aliquam actionem realem, qua corpus Christi sub speciebus panis constituatur, & hoc sensu dicimus, actionem hanc versari circa corpus Christi. Hanc conclusionem existimo prorsus certam, si ipsi termini intelligantur, supposita ipsius mysterij veritate: & ita in ea cõsentiũt omnes Theologi, vt sectione sequẽte referã. Probatur primò ex omnibus Patribus loquẽtibus de hoc mysterio: dicũt enim, Christũ, quãdo cõsecrauit, effecisse, quod dixit & panẽ effecisse corpus suũ, & Christũ cõstitui sub speciebus, esse opus diuinæ omnipotẽtiæ, & similia multa, quæ videbimus sectione sequẽte, & necessariò includũt actionem realem: quid enim est actio, nisi effectio? aut quomodò potest diuina omnipotẽtia operari, sine actione, seu operatione? Confirmatur exemplo creationis, incarnationis, aut alterius miraculosæ cõuersionis, quibus exemplis vtuntur Patres ad hanc rem illustrãdã, & in illis omnibus, quatenus sunt à Deo, vt à causa efficiẽte, necessariò interuenit aliqua actio, quę sit veluti actus vltimus omnipotẽtiæ diuinæ: ergo similiter in proposito. Vltimò est ratio à priori, quia Christum Dominũ esse sub accidentibus panis & vini, est aliquis effectus realis, qui anteà non erat, & in ipso corpore Christi existens: ergo necesse est, vt sit per aliquam actionem factus: antecedens satis probatum & declaratum fuit suprà disput. 9. consequentia verò constat primò inductione in omnibus alijs effectibus, tam naturalibus, quàm supernaturalibus: vbicunque enim est nouus effectus, noua actio necessaria est. Deinde, quia, si res nunc est, & antea non erat: ergo est effecta; ergo per influxum causæ agentis: ergo per actionem, quia nomine actionis nihil aliud intelligimus, quàm actualem influxum causæ agentis.

Posset tamen respõdere aliquis, verum quidem esse, poni corpus Christi sub speciebus per aliquam actionem, non tamen per actionẽ, quæ circa ipsum corpus Christi versetur, sed circa panem, conuertẽdo ipsum in corpus Christi, seu expellendo ipsum. Sed hoc nullo modo potest consistere: quia panem expelli, seu desinere esse, est terminus à quo, & priuatiuus: ergo circa illum per se non versatur actio positiua, quæ essentialiter respicit terminum positiuum, quem efficit, seu ad quem tendit. Deinde, quanuis intelligi possit positiua actio circa accidẽtia panis, separans illa à substantia, & ita consequenter expellens substantiam, tamen per totam illam actionem, vt sic, non fit, vt corpus Christi sit sub speciebus, posset enim tota illa actio fieri sine hoc termino, vel certè cum alio termino, si Deus vellet, expulsa substantia panis, ponere sub illis accidentibus aliam substantiam; & non corpus Christi. Vnde confirmatur ratio facta, nam Christũ constitui sub speciebus est nouus effectus in rerum natura, & non sequitur ex alio effectu: nullus enim talis fingi potest, cùm ex desitione panis non cõsequatur: quinimò si aliqua est consecutio, potiùs desitio panis sequitur ex introductione corporis Christi, quàm è cõtrario: ergo necessaria est actio, quæ versetur circa ipsum corpus Christi.

Actio illa non est prolatio verborum consecrationis.

Et hinc tandem infertur, hanc actionem nõ esse prolationem verborum consecrationis, vt colligitur ex D. Thom. inf. quæst. 78. art. 4. & est per se notum; quia prolatio illorum verborum est actio per se sensibilis, & naturalis: hæc autem actio conuersiua est supernaturalis, & insensibilis: vnde illa actio antecedit istam: quia actio, qua proferuntur verba, ad verba ipsa terminatur, vt sunt sonus quidam, habẽs aliquod esse factum; at verò verba ipsa prolata per hanc actionem sunt instrumentum ad efficiendam transubstantiationem; cùm tamen nõ sint instrumentum ad productionẽ sui ipsius: sunt ergo hæ actiones distinctæ, quod rectè explicatur in formis aliorum sacramentorum, quatenus gratiã efficiunt: actio enim productiua gratiæ distincta est à prolatione formæ, cùm sit actio supernaturalis, pendens ab ipsa forma prolata, tanquam ab instrumento diuino: huic enim actioni correspondet in forma huius sacramenti actio conuersiua panis in corpus Christi. Tandem tota actio, quæ est prolatio verborum, reperitur in non sacerdote, vel in sacerdote proferente verba, absque intentione consecrandi; & non est actio illa consecratiua, quæ terminatur seu versatur circa corpus Christi: ergo sunt valde distinctæ. Neque in tota hac doctrina rationem dubitandi inuenio, aut nouam difficultatem, cui respondere necessarium sit.

Talis actio nõ est in Deo propriè, sed in effectu.

Dico secundò. Hæc actio non est in ipso Deo propriè, sed est aliquid creatum in ipso effectu, per quod pendet à sua causa. Hęc conclusio communis est creationi, & alijs actionibus Dei ad extrà; & ideò non est hoc loco latiùs probanda: sufficit ergo illa ratio, quòd actio nihil aliud est, quàm emanatio effectus ab agente, vt sic; sed hæc emanatio est in effectu. Confirmatur in præsenti, quia hæc actio est à verbis, vt ab instrumento: ergo necesse est, vt sit creatum quid. De qua re iterum occurret sermo sect. 5. & inf. quæst. 76.

Transubstantiatio, vt & reliquæ actiones, vt passiua, & vt actiua potest considerari.

Dico tertiò. Sicut in omni effectu distinguitur productio actiua, & passiua, & in omni conuersione conuersio actiua, & passiua, ita in transubstantiatione distinguenda est transubstãtiatio actiua, & passiua: quia in ea reperitur agens efficiens illã, cuius effectio dicetur transubstantiatio actiua; ex parte verò effectus reperitur conuersio vnius rei in aliam; & hæc optimè dicitur transubstantiatio passiua: illa igitur actio intrinseca est transubstantiationi actiuæ, vt ex terminis constat, & inducit transubstantiationem passiuam, sicut actio inducit passionem. An verò illa actio sit tota transubstantiatio actiua, vel cum illa requiratur alia actio, dicam posteà sect. 6. & sequentibus. Addendum verò est, etiam transubstantiationem passiuè intellectam non consistere propriè in sola relatione prædicamẽtali, sed in dependentia effectus à causa, quę est per modum cuiusdam fieri: quia, si est actio positiua, aliquid per eam fit, & ideo necesse est, vt illi respondeat fieri, quasi passiuum: ergo transubstantiatio quasi passiua primariò consistit in hac depẽdentia, seu fieri vnius termini, cum desitione, aut ex desitione alterius. Et confirmatur, quia in hoc effectu intelligi potest relatio inter ipsos terminos, & hæc non habet rationem conuersionis realis; tum, quia est tantùm relatio rationis, tum, quia ipsius relationis oportet esse aliquod fundamentũ; & illud non est, nisi ipsa conuersio: potest etiam intelligi relatio ipsius termini facti ad causam agẽtem; & hæc etiam supponit, vt fundamentũ, emanationem, & dependentiam talis termini à tali causa, siue illa dependentia sit ex natura rei distincta ab ipso termino, siue non: de hoc enim nunc non agimus, nec ad rem præsentem attinet: illa ergo emanatio, & dependentia est prior relatione: in illa ergo per se primò consistit conuersio passiua: nam intellecta præcisè tali emanatione cum desitione alterius termini, intelligitur facta conuersio; ante intellectum omnem aliam relationẽ, & in hoc etiã nullam inuenio difficultatem, quam soluam, nisi fortasse sit quæstio de nomine, dependentiã ipsam appellando relationem.

Ratio dubij proponitur.

Ad rationem dubitandi in principio positam respondetur, falso niti fundamento: nam re vera in corpore Christi fit aliqua mutatio per hoc mysterium, vt posteà latiùs dicturi sumus.

SECTIO IIII.

Qualis sit hæc actio, & quis terminus formalis eius.

Ratio dubij est, quia formalis terminus actionis, videtur esse id, quod de nouo fit in effectu; in corpore autẽ Christi nihil fit de nouo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi præsentia realis sub speciebus: illa ergo erit formalis terminus actionis huius: ergo tota actio erit accidentalis quædam mutatio. In contrarium verò est, quia actio accidentalis, & quæ solum est quasi localis quædam motio, seu noui loci acquisitio, nõ satis est ad conuersionem realem, & transubstantiationem.

Terminũ huius actionis esse præsentiam Christi dixerunt aliqui. Scotus.

Propter hanc difficultatem Theologi in explicãda hac actione, & terminõ eius valde diuisi sunt. Prima sententia est, huius actionis terminum esse præsentiam corporis Christi; & actionem ipsam esse adductiuam huius corporis ad hunc locum. Hæc opinio tribuitur Scoto in 4. dist. 10. quæst. 1. §. Quantum ergo ad istud argumẽtum. & dist. 11. q. 3. §. Quantum ergo ad istum articulum. & q. 4. & in quodlib. q. 10. Verum est, sententiam Scoti esse obscuriorem: distinguit enim ille duplicem actionem, alteram conuersiuam, quam dicit terminari ad substantiam corporis Christi secundũ se, nulla facta in illo mutatione, neq; in aliquo modo, seu dependentia eius, alteram adductiuã, terminatam ad præsentiam; non tamẽ satis explicat, an hæ duæ actiones modò de facto concurrant ad cõuersionẽ; an verò sint duo modi distincti cõuersionis seu transubstantiationis possibilis; vnus, quo incipiat esse substantia, quæ antea simpliciter nõ erat, ad quem dicat esse necessariam actionẽ substantialem, quæ ad substantiam ipsam terminetur: alius, quo substantia, alibi existẽs, hic fiat præsens, & huiusmodi esse dicat, qui de facto est institutus, & in eo ponat solam actionẽ adductiuam, cuius formalis terminus est præsentia; adæquatus verò est substãtia præsens sub speciebus. Sed omissa nunc priori actione conuersiua, non est dubiũ, quin iuxta hanc sententiam posterior sufficiat ad consecrationem efficiendam, prout de facto fit, & ita sequũtur omnes Scotistæ in 4. d. 10. & 11. Tartaret. ibi. q. 4. & quodlib. 10. q. 1. §. Et si dicas. Leuchet. in 4. d. 11. q. 4. art. 2. §. Vlteriùs quantum ad istum articulũ. & §. Contra ista. Guillel. de Rubio. q. 1. art. 3. & multi ex Nominalibus, vt Maior. q. 1. Franciscus Mayron. q. penul. Ochã. q. 6. Petrus de Aliaco. q. 6. Eandem sententiam indicat Palud. d. 11. q. 3. ar. 2. nu. 14. vbi dicit, terminũ huius actionis esse modum corporis Christi in altari; & infrà dicit, panem non cõuerti in corpus Christi secũdùm esse intrinsecum ei additum, sed in modũ essendi eius in sacramento. Quæ verba refert, & approbat Capreol. ibi ad secundum Duran. cont. 2. cõcl. Item Ledes. q. 16. artic. 2. ad 9. Scoti, & art. 4. dub. 3. ad 5. dicit enim ad cõuersionẽ solũ requiri successionem substantiarũ, & nouũ modũ essendi in substantia, quę alteri succedit. Ex alijs verò Theologis fauẽt huic sententiæ Alens. q. 34. memb. 3. ar. 1. & 2. Bonau. d. 10. ar. 2. q. 1. Marsil. q. 8. ar. 2. cõcl. 7. & 8. dicũt enim, per hanc actionẽ nõ fieri, quod non erat, sed quod alicubi erat, poni alibi. Item per consecrationẽ corpus Christi nõ accipere esse, sed accipere esse hic. Nec multũ discordat D. Thom. q. 78. ar. 5. dicens, per consecrationem nõ fieri, vt corpus Christi sit corpus Christi: iam enim hoc antea erat, sed fieri, vt cõtentum sub his speciebus sit corpus Christi. Deniq; Moderni scribentes contra hæreticos libenter hanc sententiam amplectuntur, quia facilitatem quandam præ se fert, vt videre licet in Ioan. Hessels. lib. de corpore Christi fol. 177. & fol. 213. Claud. rep. 7. ca. 6. Guillel. Paris. tract. de Euchar.

Tartare. Leuchetus. Rubionus. Maior. Mayron. Ocham. Aliaco. Palud. Capreol. Ledes. Alens. Bonauent. Marsilius. D. Thom. Ioan. Hessels. Claudius.

§. 1. paulò ante finem. Bellar. lib. 2. de Euchar. cap. 18. Fundamentum est, quod in principio quæstionis est indicatum. Præterea, quia hoc satis est ad veritatem verborũ, quia; si Christus verè fiat præsens sub speciebus, nihil ampliùs ex hac parte requiritur: ergo nihil aliud est ponendum: patet consequentia; quia, vt Tridentinum docuit, tota hæc actio & conuersio solùm excogitata est, quatenus in verbis Christi fundamẽtum habet, & ad eorum veritatem est necessaria, ad quod, sine dubio, satis esse videtur, quòd corpus Christi adducatur sub speciebus, & inde expellatur substantia panis. Ad rationem verò dubitandi in contrarium positam respondebit hæc opinio, ad essentiam transubstantiationis satis esse conuersionem, seu successionem substantiarum sub eisdem accidentibus, siue hæc vocetur conuersio substantialis, siue tantùm conuersio substantiarum: neutrum enim potest ex Cõcilijs definiri: colligi: solùm enim dicunt, substantiam conuerti in substantiam, quod potest esse verum, non ratione termini formalis de nouo producti, sed ratione termini adæquati, qui necessariò debet includere substantiam, quæ loco alterius substituatur; quod etiam ipsum nomen transubstantiationis præ se ferre videtur; quia illa particula, *trans*, de se transitum significat, vt patet in his verbis, *transferre, transmutare, transuadare*, vnde applicata substantijs, vt fit per eam vocem, *transubstantiatio*, significat transitum vnius substantiæ in aliam, qui veram rationem substantiæ obtinebit, siue substantia producatur de nouo, siue adducatur. ¶ Ex quo tandem fit, vt iuxta hanc opinionem, *transubstantiatio*, denominata sit non à termino formali; sed à materiali, seu subiecto, circa quod fit terminus formalis, sicut lapidare: quemadmodum enim, si intelligeremus accidentia panis esse vacua omni substantia, & posteà sub illis introduci substantiã aliquam, dici posset hoc sensibile substãtiari illa actione; ita quando fit sub illis mutatio substantiarum, potest dici transubstantiatio, quæ sententia sic explicata non est omnino improbabilis.

Secunda sententia dicit, formalem terminum huius actionis esse vnionem corporis Christi ad species sacramentales, quam vnionem dicit esse substantialem modũ in ipso corpore Christi, quo supplet vicem substantiæ panis, & sustentat accidentia, eodem modo, quo substantia panis, seclusa inhærentia. Ita sentit Soto. d. 9. q. 2. art. 2. ad 2. Scoti vbi dicit per consecrationem fieri corpus Christi præsens, sed taliter contentum sub speciebus; qualiter panis cõtinebatur, seclusa inhærentia, & hoc existimat, satis esse ad trãsubstãtiationẽ, idẽ latiùs, art. 4. §. Igitur conuertendo. Idem Palacios in 4. dist. 11. disp. 1. Indicat Ledesma. q. 16. art. 1. dub. vlt. & Capreol. dist. 11. ad 1. & 3. Scoti contr. 1. concl. & ad 1. Durandi, cont. 2. & argum. Scoti, Durandi, & Aureoli contr. 3. concl. & Claud. rep. 4. cap. 4. & rep. 5. & 3. rep. 7. cap. 6. Sed clarissimè omnium docuit hoc Alan. lib. 1. cap. 34. 35. 36. & 37. fauet D. Tho. infrà quæst. 78. art. 5. in verbis suprà citatis, per verba consecrationis non fieri, vt corpus Christi sit corpus Christi; iam enim hoc antea erat; sed fieri, vt contentum sub speciebus sit corpus Christi: ergo sentit, terminum huius actionis solùm esse contineri, vel vniri corpus Christi speciebus. Et quidẽ, si supponamus, dari hãc vnionem corporis Christi ad species, videtur satis cõsequenter

Soto. Palac. Ledes. Capreol. Claudius. Alan. S. Thom.

quenter loqui hæc opinio: quia necesse est, vnionẽ hanc fieri per aliquã actionẽ: ergo fit per illã actionem, qua conficitur hoc sacramentum: quia cum hoc sacramentum componatur ex corpore Christi, & speciebus; intrinsece includit hanc vnionem ergo necesse est, illam fieri per actionem, qua conficitur hoc sacramentum: ergo fit per transubstantiationem: quia per transubstantiationem intelligimus confici sacramentum Eucharistiæ: ergo formalis terminus actionis transubstantiantis est hic modus vnionis. Quod explicatur exemplo incarnationis: ibi enim distinguimus actionem, qua fit incarnatio, & terminum formalem eius, qui est modus vnionis humanitatis ad Verbum, ex qua resultat hic Deus homo, qui est integer terminus illius actionis, quæ substantialis est, quia modus ille est substantialis; & in generatione hominis, actio, qua exembrione fit homo, est substantialis conuersio, & tamen per eam formaliter non fit de nouo, nisi modus vnionis animæ ad corpus, vnde resultat homo: si igiturhìc fiet modus vnionis corporis Christi ad species, vnde resultat hoc sacramentum: quanquam enim, supposita hac sententia, intelligi posit modus vnionis tam ex parte specierũ quam ex parte corporis Christi, & ideo necessaria sit actio, qua vterq; fiat, vel resultet tamen, consequenter in ea loquendo, dicendum est, actionem hanc, vt est transubstantiatio actiua, directe versari circa corpus, vniendo illud speciebus, vt etiam verba ipsa formæ præ se ferunt, *Hoc est corpus meum*, & ideo talem actionẽ proprie formaliter terminari ad hunc modũ vnionis, vt est in corpore Christi.

Improbatur prædicta opinio.

Vt vero necesse non sit iterum ad hanc opinionem redire, quæ, vt à præcedente distinguitur, mihi non videtur fere probabilis, primum necesse est vt præter hanc actionem vnitiuam, quam fingit, ponat actionem adductiuam, & terminũ eius, prout Præcedens sententia asserebat: quia, quandocunque res aliqua alteri vnitur, vbi antea non erat, necesse est, vt, vel ibi fiat denuo & producatur, vel vt aliũde illuc adducatur. Exemplis res constat, nam quãdo anima rationalis vnitur materiæ, quia non eadẽ actione, qua vnitur, fit, necesse est, vt alia actionẽ prius natura ibi fiat, & creetur, & in resurrectione, quia de nouo non creatur, necesse est, vt ad eũ locum, in quo vnienda est corpori, afferatur. Ratio est, quia vnio requirit præsentiam vniendorũ, & actio vnitiua vt sic non facit illam: præ requirit ergo illam, vt etiam in exemplo incarnationis constat: nam incarnatio actio solum facit vnionem inter humanitatem & Verbũ & ideo supponit actionem, quia fit ipsa humanitas, seu anima & corpus, per quam consequenter fit, vt sit præsens Verbo, quod propter immensitatem vbiq; est præsens, & hoc modo intelliguntur illa extrema apta, & satis applicata ad vnionem: cum ergo iuxta hanc sententiam corpus Christi nullo modo fiat, aut producatur per consecrationem, & ante illam non sit præsens, vbi sunt species panis, non potest illis vniri, nisi prius illuc adducatur: ergo necessario hæc sententia supponere debet totam actionem, & terminum quem prima sententia ponebat. Secundo, id quod addit hæc opinio, vel procedit ex falso fundamento, vel non potest consistere; nec ad mysterium explicandum conferre. Probatur, quia; si supponat vnionem formalem inter corpus, & species (vt videtur) falsum supponit, vt suprà probatum est; &

Improbatur prædicta opinio.

præterea, licet hanc admittamus vnionem, & illam concedamus esse terminum transubstantiationis, non assequitur, quod intẽdit, scilicet assignare terminum substãtialem huius actionis, quia hæc vnio non potest esse substantialis modus, sed accidentalis, vt suprà probauimus, sicut substãtiam actu substare accidentibus, non potest in ea esse modus substantialis, quando quidem ad accidens terminatur & ad componendum ens per accidens; & non substantiale, ordinatur. Adde, quod illa opinio asserit, vniri corpus Christi accidentibus eode modo, quo substantia panis, seclusa inhærentia; apertam implicare contradictionem, quia ille modus consisteret in hoc, quod substantia vniatur accidentibus per modum subiecti, & in genere causæ materialis repugnat ergo auferri hoc genus causalitatis, & remanere eundem modum vnionis; excluso autem hoc modo vnionis, qui sit per modum causæ materialis, nullus alius intelligi potest superesse, nisi per efficientiam, vt suprà ostensum est.

Quorundam aliorum placita improbantur.

Non desunt autem, qui, licet solam vnionẽ effectiuam in hoc sacramento admittant, nihilominus illã dicant terminũ formalem huius actionis: quia per illam datur corpori Christi, vt suppleat officiũ substantiæ panis; quod non facit, nisi sustentando accidentia, sub quibus continetur, etiam si effectiue solum illa sustineat. Sed hic dicendi modus defendi non potest: quia vnio effectiua non fit, nisi per actionem, vt suprà declaratum est: actio verò non potest esse formalis terminus alterius actionis, quia essentialiter includit, vt se ipsa fiat, dum per illam terminum fit, alioquin procederetur in infinitum. Nec dici potest, illam actionẽ vnitiuã vocari terminum alterius actionis, non quia per se primo ad illam terminetur, sed quia consequatur terminũ alterius actionis, sicut dici solet generatio, terminus alterationis, vel illuminatio, terminus motus solis. Hoc (inquam) dici non potest primo, quia interrogo, quis sit ille alius terminus, ex quo sequitur hæc actio, & ille potius erit terminus formalis huius actionis. Secundo, quia nulla est hic necessaria cõsecutio nã illa vnio effectiua, si est, nõ ideo est, quia sit necessaria simpliciter, sed ex ordinatione diuina propter maiorem perfectionẽ: ergo absq; tali vnione, manebit integra actio, & formalis terminus eius. Quidam dicunt, hanc actionem esse debitam corpori Christi ex vi modi, quo hic existit. Sed hoc infra erit latius examinandũ: nunc enim ad præsentem quæstionẽ non multum refert quia, etiam si id demus, nõ est satis, vt illa actio dicatur formalis terminus actionis transubstantiatiuæ, & multo minus sufficiet, vt dicatur terminus substãtialis. Tertio, quia suprà ostendi, hãc vnionẽ effectiuam, prout est actio corporis Christi & specierum, non inchoari intrinsece in instante consecrationis & trãsubstãtiationis, sed immediate post illud, & tñ in illo instante intrinsece est terminus illius actionis transubstantiatiuæ, ergo. Quarto, quia vno effectiua includit actionẽ corporis Christi circa species, & è contrario: ergo, vel dicitur esse terminus huius actionis, prout est actio corporis Christi circa species, & hoc dici nõ potest, quia illa actio non est in corpore Christi, nec in eo ponit aliquid, sed in speciebus, & præterea tota est accidentalis, vel est actio specierum circa corpus Christi, & hoc etiam dici non potest quia illa actio non est, nisi conseruatio præsentiæ localis, quę

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam est accidentalis: imo solũ est conseruatio termini facti per adductionem. Quinto, hæc vnio effectiua proximè est à corpore Christi, & ab speciebus; at verò actio transubstantiatiua, & terminus eius immediate sit virtute verborũ: ergo illa vnio non est terminus illius actionis.

Alij illius actionis terminũ Christi corpus esse asseuerãt, quod multiplicitèr explicãt. Prima explicatio confutatur.

Tertia ergo principalis sententia est, proprium ac formalem terminũ huius vnionis esse ipsam substantiam corporis Christi: quia vero tota illa substantia præexistit ante consecrationem: ideo difficile visum fuit explicare, quomodo posit esse terminus nouæ actionis: vnde orti sunt varij modi explicandi hanc sententiã, quos oportet referre antequam autores afferamus. Primus est, substantiam corporis Christi secundũ se præexistere, per hanc vero actionem fieri, quatenus supplet officiũ substantiæ panis: sed hic modus non differt à secũdo modo explicandi primam sententiam nuper improbato: in quo enim potest dici, corpus Christi supplere munus substantiæ panis, nisi quia fortasse sustentat accidentia, & continetur sub illis? ostẽsum est autem, totum hoc non pertinere ad terminum formalem huius actionis.

2. Reijcitur.

Alter modus est, substantiam corporis Christi considerari posse, vel secundum se, & hoc modo præexistere, & non esse terminum huius actionis, vel prout id, quod erat panis, nunc incipit esse corpus Christi, & hoc modo non præexistere, sed fieri per actionem hanc conuersiuam; & hunc modũ indicat Enri. Caiet. & Richar. disp. superiori. sect. 4. citati. Vnde Caiet. hic art. 4. dicit, substantiam panis, vt conuersam, seu id, quod erat panis, aliquo modo pertinere ad terminum ad quem huius actionis: sed hic modus, vel incidit in errorem supra improbatum, disp. præced. sect. 4. vel in opinionem Scoti: nam, si ille terminus, *id quod erat panis*, designet aliquam rem indiuiduam, & substantialem, quæ prius fuerit panis; & postea fiat corpus Christi: deuoluitur in priorem errorem, & destruit hanc transubstantiationem in verum corpus Christi: quia ponit terminum à quo manere aliquo modo in substantia sua, ex quo fit, non posse conuerti in verum corpus Christi, vt supra satis probatum est si vero, *id quod erat panis*, non designet aliquam rẽ indiuiduã, & substantialem, quæ maneat sub vtroque termino, sed quasi singulare vagum in ordine ad species, scilicet, sub ratione continenti sub illis, quomodo explicandas esse similes locutiones, vt veræ sint, docuit D. Thom. hic, art. 4. & in 4. d. 11. q. 1. artic. 5. quæstiunc. 1. ad 1. Si, inquam, hoc modo exponatur hæc opinio, non differt ab opinione Scoti: quia in re solum dicit, substantiam corporis Christi vt contentam sub speciebus esse adæquatum terminum huius actionis, & consequenter formalem terminum eius, solum esse, Christum cõtineri sub speciebus loco panis: hoc autem totum est accidentale, & in re nihil addit, nisi præsentiã realem sub speciebus: sed hoc ipsum confusius explicatur coniungendo terminum, ad quem, cum termino, à quo, cum enim dicitur, per hanc actionem fieri, vt id, quod erat panis, sit substantia corporis Christi, nihil aliud dicitur, quam fieri, vt contẽtum sub speciebus, sit corpus Christi, cum antea esset substantia panis, non autem explicatur, quid per hoc fiat in corpore Christi præter rationem cõtenti sub speciebus, quæ in illo non ponit, nisi præsentiam realem.

Enr. Caiet. Richar.

3. Modus explicandi.

Tertia explicatio est, substãtiam corporis Christi esse terminus huius actionis, quatenus in eam est conuersus panis: dicitur autem panis conuersus in illud corpus, non quia illud de nouo fiat, vel cõseruetur, neque quia aliquid etiã additum sit, sed solũ quia desitio panis terminatur in ipsum absque illius mutatione. Quod si inquiras, quid sit, desitionem panis terminari in ipsum corpus; quidam respondent, substantiam panis imbibi, & quasi absorberi in substantiam corporis Christi: hanc enim vim habet actio conuersiua, Alij vero dicunt, hoc mysterium esse ininuestigabile, & nõ esse amplius inquirendum: Et hanc sententiam videntur supponere Theologi, qui putant conuersionem hanc fieri sine vlla mutatione in corpore Christi, vt videtur loqui D. Thomas. in tota hac quæstione, & alij, quos referam sectione sequente, & multi existimant, Scotum non dissentire ab hac sentẽtia, quia licet ponat actionem adductiuam; videtur simul ponere aliam priorem conuersiuam, quæ terminetur ad corpus Christi, solum priori modo. Et ita illũ exponunt Tartaret. d. 10. art. 1. q. 1. & Angles in 4. part. 1. q. 5. de Euchar. Sed hæc explicatio videtur mente concipi non posse, propter ea, quæ sect. 1. tractaui: quia, si ex vi huius actionis substantia corporis nullo modo aliter se habet, quam antea, impossibile est, conuersionem panis terminari ad ipsam, vt ibi late probaui, & patet breuiter, quia si in Christi corpore nihil reale denuo positũ est, totum id, quod de illo denuo dicitur, est denominatio extrinseca, de qua nec explicari potest, in quo fundetur, vel à qua forma oriatur, vel quomodo terminet actionem. Secundo, estò admittamus hanc denominationem, & Christum, vt sic denominatum, esse terminum huius actionis, necessario fit formalem terminum non esse substantiam, sed aliquid accidentarium. Probatur, quia substantia corporis Christi secundum se negatur esse terminus huius actionis: quia hoc modo supponitur actioni; sed hæc ratio procedit de omni modo seu actione reali, ac substantiali: quia secundum omnẽ illum supponitur actioni iuxta hanc sententiam: ergo sub nulla ratione substantiali est terminus huius actionis. Rursus dicitur substantia Christi esse terminus, solum quatenus in eam est conuersus panis, seu in quantum desitio panis terminatur ad ipsam: ergo terminus formalis huius actionis non est vllo modo substantia Christi, sed solum illa denominatio, qua substantia corporis Christi dicitur esse id, in quod cõuersus est panis, seu forma, à qua prouenit illa denominatio, cui substantia corporis Christi supponitur vt subiectum, cui accidit, & omnino extrinseca est talis denominatio: ergo iuxta hanc sententiam formalis terminus est aliquid accidentarium, eo modo, quo extrinseca denominatio potest dici accidentalis, vt si quis diceret, terminum visionis Dei esse ipsum Deum vt visum; non assignaret pro termino formali aliquam substantiam; & si quis fingeret terminum calefactionis esse corpus, vt ad illũ terminatur calefactio, ita tamen vt calefactio nihil in ipso corpore poneret, præterquam quod repugnantia diceret, vt sect. 2. probaui, tamen nõ assignaret pro termino formali calefactionis ipsum corpus, sed denominationem aliã. Tertio, quia, si ex vi talis modi conuersionis substãtia corporis Christi nullo modo se habet aliter, quam prius: ergo ex vi illius non cõstitueretur sub-

Tartaret. Angles. Explicatus.

substãtia corporis Christi sub speciebꝰ panis: quia talis conuersio eodẽ modo potest fieri iuxta hanc sententiam in corpus Christi in solo cælo manens; & ideo Scotus, ponens talem conuersionem, addidit actionem adductiuam: ergo illa couersio prorsus est inutilis ad hoc mysterium, & ad veritatem verborum Christi, nam illa sola facta non satis erit ad verborum veritatem, & quanuis illa fiat, ex illa vt sic non sequitur necessario adductio, sed per se, & quasi noua omnino causalitate facienda est; quod si hæc fiat, illa sufficiet ad veritatem verborũ sine tali cõuersione: ergo impertinens est talis modus conuersionis, etiam si esset possibilis.

Explicatio

Quartus modus explicandi hãc sententiam est, formalem terminũ huius actionis esse substantiam corporis Christi, non quia nũc de facto hæc actio influat esse substãtiale in illud corpus, sed quia de se efficax sic ad illud influendum, si alibi non existeret, & hoc satis est vt hæc actio dicatur nũc trã substantiatio, sicut absolutio sacramentalis simpliciter est absolutio, etiam quando actu non cõfert gratiam, & remissionem peccati. Hãc opinionem indicat Soto. d. 9. q. 2. art. 4. in solutio. arg. quanquã illi non omnino acquiescat. In hoc autem dicendi modo magna esse potest æquiuocatio: potest enim explicari iuxta ea, quæ dicemus in vltima sententia, vel si aliter intelligatur, nihil in eo dicitur, quod ad rẽ pertineat, aliud enim est loqui de virtute verborum, quæ significat actum primum aliud de actione, quæ significat actum secundum, hic non agimus de virtute, sed de actione: quia actualis consecratio, & transubstantiatio nõ solũ requirit virtutem, sed actionẽ, & de hac actione inquirimus, quẽ terminum habeat. Quod autem hæc opinio dicit, ad summum, accommodari potest virtuti, non actioni. Quod patet primò ex exẽplo, quo vtitur, nã si interdum absolutio sacramẽtalis est in formis, & non habet effectum gratiæ, & remissionis peccati, licet de se virtutem habeat ad efficiendam gratiam, tamẽ hic & nunc, quãdo est informis, sicut non habet effectum gratiæ, ita neque actionem. Secundò, ex ipsa re, quia, loquendo de actione, implicat dicere esse aptã ad influendum in aliquem terminum, & non actu influere: quia actio non dicit actum primum, sed secundum nec posse agere, sed agere: ergo si actio est non solũ in potẽtia, sed etiam in actu, necesse est, vt actu influat in terminum: quia in hoc actuali influxu consistit essentia eius. Confirmatur, & explicatur quia aut verba consecrationis nunc actu influunt in substaniam corporis Christi, aut non. Si primũ male ergo negatur ab hac opinione; & hoc inquirimus, quomodo fiat. Si secundum; ergo nunc de facto verba non habent actionem, quę ad substantiã corporis Christi terminetur; ergo, si hæc actio est necessaria ad transubstantiationem, nunc de facto non fit transubstantiatio per verba: estò concedamus, in illis esse virtutem ad faciendam illam, si esset necessarium; vel, si hæc actio non est necessaria ad transubstantiationẽ, sine causa fingitur illa virtus in verbis, cum talis actio neque ad transubstantiationem necessaria sit, neq; per verba sit vnquã efficienda. Vnde oritur tertia ratio, quòd falso fingatur talis virtus sine actione: nam hæc virtus, si est non est naturalis, sed obedientialis & instrumẽtalis, vt per se constat, virtus autem obedientialis in instrumento diuino præter naturalem entitatẽ ipsius instrumenti non addit, nisi diuinam eleuationem, seu auxiliũ proportionatum illi actioni. Verba igitur consecrationis non eleuantur, vt instrumentum nisi ad actionem, quam actu efficiũt, & sine causa finguntur habere paratum diuinum auxilium ad actionem, quam nunquam effectura sunt, neque secundum ordinariam legem possunt efficere, præsertim cum supra ostenderimus, hæc verba, sicut & omnia alia sacramenta, pendere in sua actione ab existentia humanitatis Christi, & influxu eius. Quarto ita rem totam declaro & cõfirmo; nam, ponita illa hypotesi, quod Christi humanitas alibi nõ existeret, vel hæc verba efficerẽt substantiam corporis Christi per actionem, quam nunc habent, vel per nouam aliam: si primũ, ergo non tantum sunt factiua, sed actu faciũt illam substãtiam, si secũdum, rursus interrogo, an illa actio sit necessaria ad transubstantiationem, vel non: si est necessaria: ergo sine illa non fit transubstantiatio: ergo nunc de facto non fit, si nõ est necessaria: ergo falso dicuntur verba habere virtutem ad hãc actionem, cum verba tantum habeant virtutẽ ad transubstantiandum. Et ex his facilè patet ad exẽplum prædictæ sentẽtiæ: actio enim effectiua gratiæ non est necessaria ad constituendũ sacramentũ pœnitentiæ: sed potius manet ab illo iam constituto, & ideò, quãdo impeditur effectus propter obicem cessat actio manente sacramento, quod de se dicitur habere virtutem ad illam actionem, quia ad illam est institutum, & de facto illam habet, si nõ ponatur obex: at vero in præsenti actio, de qua agimus, est simpliciter necessaria ad constituendũ hoc sacramentum: & ex parte materiæ impediri non potest, si sit verus panis & ex parte ministri, ac verborum concurrant omnia necessaria.

Modus quintus explicandi hanc sentẽtiã exponitur

Quintus ergo modus explicandi hanc sentẽtiã est, substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis: quia verba consecrationis re vera influũt de facto ipsum esse substãtiale in corpus Christi, & consequenter habent veram actionem substantiale, quæ nunc dicitur esse per modum conseruationis, quia aliunde suppouitur eadem res, alibi antea existens, & in hunc modum posset illa actio dici esse sufficiens productio termini, si alibi non esset; nunc verò de facto solum habere rationem conseruationis iuxta, dicta suprà disp. præced. sect. 1. vbi latè ostendi hunc modum actionis esse possibilem. Quod vero de facto ita fiat, docuit in terminis Gab. d. 11. q. 1. ar. 3. dub. 2. & lect. 40. in Can. Deinde necesse est, vt Diuus Thomas hoc senserit quanuis aperte non explicuerit, nam suprà art. 2. & fere in tota hac q. & sequẽte negat, Christi corpus incipere esse in hoc sacramẽto per mutationẽ localem negat ergo, fieri præsens per actionem adductiuam, quia illa re vera non est, nisi quædã mutatio localis, cùm per se primò tantũ terminetur ad præsentiam quæ vt diximus, ad prædicamentũ vbi pertinet; excluſa autem actione adductiua, nõ superest, nisi prædicta substantialis actio, vt declaratum est, & hoc modo citari etiam possunt pro hac sententia Altisiodorensis lib. 4 sum. tractatu. 5. c. 2. Richard. in 4. distinct. 11. artic. 1. quæst. 1. Palud. q. 1. art. 1. & alij, qui negant, actionem hãc esse similẽ acquisitioni notii loci. Deinde alia etiã ratione necesse est vt D. Thom. in hac sit opinione, quia negant actionem hanc esse ex præsuppositio subiecto, & in hoc dicit esse similem creationi;

Gabriel.

Altisiodor. Richard. Palud.

Universidad de Deusto
Biblioteca

at vero, si actio hæc esset adductiua, esset ex præsupposito subiecto: ergo non est adductiua, sed potius de se productiua, seu conseruatiua corporis Christi, quod hic fit præsens: quia vt ex dictis patet nō potest fingi aliud probabile medium. Illud verò, quod hic assumitur, docuit D. Thom. hic art. cūl. 8. in corpore, & ad 2. & in 4. distinction. 11. artic. 2. quæst. 1. Idem Bonauentur. distinct. 10. ar. 2. quæstion. 1. Alēs. 4. part. quæst. 34. mēbr. 3. art. 1. Henric. quodlib. 9. quæst. 9. Referri etiam possunt, qui dicunt panem conuerti in corpus Christi quod antea existebat vt Bonauen. in 4. d. 11. art. 1. quæst. 1. in fine, & quæst. 3. vbi expresse dicit, terminum finalem huius couuersionis non esse aliquid de nouo factum, sed prius existens, quod etiā sentit Marsil. q. 8. artic. 1. conclas. 2. cuiusdam incidentis dubij, & in fine quæstionis in solut. ad secundum, & 4. In quibus autoribus, & in alijs etiā B aduertendum est, dicere quidem eos, nihil denuo fieri in corpore Christi præter modum præsentiæ sub speciebus, non tamen dicere hunc modum esse formalem terminum cōuersionis, sed ipsummet corpus seu substātiam Christi. Quin potius Capr. d. 11. ad 2. Durandi cont. 2. concl. approbat sententiam quādā Paludani, *dummodo intelligatur*, inquit, *terminum huius couersionis non esse solum respectum, aut modum, sed substantiam sub modo essendi*, quod clarius explicat in solutione ad 1. Scoti cōtra 1. cōcl. dicens: *sicut generatio per se primò terminatur ad substantiam consequenter verò ad proprietates, & locum substantiæ genitæ sita actionem hanc per se primò terminari ad substantiam corporis Christi, consequenter verò ad præsentiam illius sub speciebus*; idem dicit Ferrar. 4. cōt. gent. c. 63. circa 2. dictum D. Thom. & ad 3. Scoti. Denique omnes qui absolutè dicunt, hanc C actionem esse substantialem, & terminum eius esse substantiam, possunt pro hac sententia referri, quia illud non potest aliter probabiliter explicari: docuit verò hoc apertè D. Thom. hic art. 3. in corpore & ad 3. art. 4. vbi in hoc, docet, conuersionē hanc conuenire cum conuersione formali; differre tamen quia ibi formalis terminus est forma; hic verò tota substantia. Idem docet Altisiodor. supra Alens. quæst. 38. memb. 4. Albert. d. 11. & ibi Richard. art. 1. quæst. 1. & 2. Palud. quæst. 2. num. 1.

D. Thomas. Bonauent. Alensis. Henricus. Marsilius.

Capreol.

Ferrar.

Altisiod. Alensis. Albertus. Richard. Palud.

Probatur ex modo loquendi Sanctorum Patrum.

Cyprian.

Secundò principaliter ostendo, hunc dicendi modum esse valde consentaneū antiquis Patribus. Primò, quia vbique explicant hoc mysterium per verba quę effectionem substautialem, & actionem ad substantiam terminatā indicāt. Cyprian. serm. de cœna Domini dixit, *Panem in carnem, & vinum in sanguinem mutari*, & infrà *Panis ille non effigie, sed natura mutatur, omnipotentia Dei factus est caro*, & clarius inferiùs. *Qui vsque hodie* (de Christo loquitur) *Deo aptissimum & sanctissimum corpus suum creat & sanctificat, & benedicit, & pie sumentibus diuidit.* vbi alludit ad illa verba canonis Missæ. *Hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, benedicis, & præstas nobis*, inquit. Ambr. lib. 4. de sacram. c. 4. *Panis iste panis erat ante quam verba sacramentorum, vbi aduenerit consecratio, de pane fit corpus Christi*, & infrà, *Ergo dicitis, quod ex pane fiat corpus Christi.* Aug. c. Vtrū sub figura. de consec. d. 2. dicit. *Per spiritum sanctum potenter creari, & ex substantia panis effici.* Damasc. lib. 4. cap. 14. *Panem & vinum, carnem & sanguinem suum fecit.* Gaudent. tractatu. 2. in Exod. *De pane efficit corpus.* Adelman. Epistola ad Berengar. *Christus per hos sacerdotes, corpus & sanguinem suum creat.* Nota sunt etiam illa verba Hieronymi, quæ infrà agētes de forma latius tractabimus. *Sacerdotes ore suo corpus Christi conficiunt.* Vnde Bessar. libr. de verb. consecration. *Tota* (inquit) *Trinitas, hoc corpus altaris creat.* Quæ sane verba omnia non loci acquisitionem, sed substantialem actionem & mutationem indicant. Secundò, aliquando ex parte termini ad quem hoc distinctius explicāt. Euseb. Emisen. homil. 5. de Pascha te dixit. *Creaturas in Dominici corporis transire naturam*, non dixit in præsentiā sed in naturam; & simile est quod infrà subdit *Visibiles creaturas conuerti in substātiam corporis Christi.* Quo loco etiam notanda sunt verba Cōcilij Trid. dicentis. *Substantiam mutari in substantiam.* Tertiò, semper vtuntur sancti exemplis conuersionū substantialium ad hoc mysterium explicandum Ambros. suprà vtitur exemplo virgæ conuersæ in colubrum. Cyrill. Hieros. catech. 4. & Cyprian. Epi. 63. vtuntur exemplo conuersionis aquę in vinum Augustī. apud Vvaldens. tom. 2. cap. 83. Conuersione vxoris Loth in statuam salis. Irenæus lib. 4. c. 34. alias affert transmutationes naturales: *Num per verbum* (inquit) *Dei lignum fert fructum, & semen emortuum transit prius in herbam, deinde in spicam, tandem in plenum fructum?* Deniq; Damascen. & Ansel. suprà explicant per connersionem alimenti in substantiam viuentis, & specialiter Gre. Nissen. orat. Catechet. cap. 37. & Theophyl. Ioan. 6. exemplū ponit in illa conuersione panis in corpus Christi, quæ fiebat in eius nutritione vel augmento. Quæ fere omnia congerit Innocent. lib. 4. de hoc mysterio cap. 7.

Ambros.

Augustī.

Damasc. Gaudentius. Adelman.

Hieronym.

Cassianus.

Euseb. Emis.

Tridentinum

Cyrill. Hieros. Cyprianus. Vvaldens. Irenæus. Damasc.

Ansel. Greg. Nissen. Theophyl.

Tertiò principaliter persuadetur hæc sententia rationibus. Prima & præcipua est, quia per solam actionem adductiuam re vera non explicatur vera conuersio substantialis & transubstantiatio, sed solum translocatio quædam, vt suprà, sect. 2. explicatum reliquimus, est autem de fide, hanc esse veram conuersionem: & valde consentaneū fidei est asserere, esse substantiarū cōuersionē, nā re vera nō mē *transubstantiationis*, hoc præfert: & idē significat satis cōuersio substātiæ in substātiā, vt loquūtur Concilia: quando enim vna substantia solum succedit loco alterius, non potest proprie dici vna conuerti in aliam: ergo hoc mysterium non satis explicatur per solam adductionem, sed nō potest præter adductionem excogitari alia actio substantialis, nisi prout in hac vltima sententia explicatur, vt constat quia euidenter refutauimus omnes alios modos, qui vel dici, vel fingi possunt. Quod verò hic modus possibilis sit, suprà disputat. præcedente, sect. 1. satis probatum est. Tandem, quod hic sufficiat ad veram actionem transubstātiationis probatur: quia hoc modo interuenit hic actio influens verum esse substantiale in terminum ad quem, quæ ex ratione & specie sua sufficiens esset ad rem producendam, etiam si alibi non esset ergo hoc satis superque est ad transmutationem substātialem, nam ea quæ sunt per accidens, non mutant specificam naturam rei.

Conformes rationibus.

Secundò potest probabiliter suaderi: hanc actionem esse necessariam: quia sola actio substantialis, qua christi corpus conseruatur in cælo, non videtur sufficiens ad conseruandum illud, prout est in sacramento: quia hic existit modo præternaturali corpori: vnaquæque autem res, vt conseruetur in ne

ne modo naturali, maiorē influxum requirit à cau A sa agēte: quia necesse est, vt causa efficiens suppleat efficacia sua defectum naturalis modi, si autem mutatur influxus causæ agentis, mutatur actio. Exemplo res declaratur, nam quando accidens existit extra subiectum, necesse est, vt distincta actione conseruetur, ab illa, qua cōseruabatur in subiecto: quia ex diuerso modo existendi, necessario sequitur diuersitas actionis, quæ suppleat defectum subiecti, vt latius. q. 77. dicemus. Deinde, si Deus conseruat materiam sine forma, vel substantiam materialem sine quantitate vel alijs dispositionibus accidentarijs, necesse est, vt mutet actionem conseruatiuam quia per efficientiam oportet, vt suppleat defectū formæ, vel dispositionum, sine quibus non posset materia vel substantia naturaliter conseruari. Vnde, si vno loco conseruaret eandem materiam, vel B substātiam naturali modo; in alio verò sine forma, vel dispūtationibus naturalibus, necessarium esset vt diuersis actionibus in illis diuersis locis illas cō seruaret: cùm ergo substantia corporis Christi, tali modo supernaturali, sit in sacramento, vt cum illo naturaliter esse nō possit, videtur verisimile, actionem, quia hic conseruatur ipsa substantia, esse diuersæ rationis, ab ea, qua cōseruatur in cœlo. Quod præterea hoc modo explicari, & confirmari potest: nā illamet actio seu dependentia substantialis corporis Christi in cœlo ex natura sua postulat extensionem in ordine ad locum: ita vt, sicut terminus eius ex natura sua postulat esse totus in toto, & pars in parte; ita illa actio seu dependentia natura sua postulet similem extensionem partium, proportionatam suo termino: at vero actio substātialis, qua hic constituitur seu conseruatur substantia corporis Christi, ex se est quodammodo indiuisibilis, constituens totum suum terminum, vbicunque est aliquid eius. Vnde fit, vt etiam ipsa quantitas, consequens talem terminum, sic substantialiter effectū, C ammittat suum naturalem existendi modum, & accommodetur suo obiecto, sic effecto: ergo talis actio est diuersę rationis ab alia, quę est in cœlo. Sed, quamuis hic discursus sit probabilis, quia re vera nō satis percipitur actio merè accidentalis, & localis, per quam substantia materialis præexistens sub quantitate præcisè, ac secundum se adducatur ad alium locum, vt in eo existat, modo substantiali & indiuisibili, & ratione illius adducatur quantitas, ac similem essendi modum recipiat, & facilius intelligitur hoc fieri per modum nouæ cuiusdā actionis substantialis, & quasi productionis illius nouæ subitantiæ, sub altiori ratione existendi, ad quam cōsequātur cæteræ proprietates, tali modo existē di accōmodatæ, quamuis (inquam) hic discursus nō D nullam apparentiam habeat, non tñ satis ostendit necessitatem huius actionis: actio enim, per quam agēs influit in effectū, tunc necessario variatur, variato modo existendi talis effectus, quando modus est de intrinseca ratione illius actionis seu dependentiæ effectus, à causa, vt contingit in exemplo accidentis in subiecto, vel extra subiectum conseruati. Nam actio illa, qua accidēs fit ex subiecto, essentialiter pendet ab illo; & ideò, vt fiat extra subiectum, longe diuersam actionem & altiorem vim agendi requirit, at vero quando modus existendi ipsius rei factæ non est de intrinseca ratione actionis, seu dependentiæ illius rei à sua causa efficiente sed aliquid omnino posterius, quanquam ille modus existendi variertur, & ablato modo naturali, tribuatur rei modus supernaturalis, non propterea erit necessaria alia actio terminata ad existentiam rei, sed satis erit, adiungere actionem, qua supernaturalis modus fiat, & impediatur naturalis, vt videtur fieri in mysterio Incarnationis, & eadem ratio videtur esse in præsenti, & modus præsentiæ non est de intrinseca ratione actionis magis quam termini, sed est proprietas accidentario consequens, & ideo, vt mutetur hic modus; non videtur simpliciter necessarium, mutari actionem terminatam ad substantiam rei, sed adiungere aliā qua fiat modus supernaturalis, & naturalis impediatur.

Tertio igitur argumentor, retorquendo argumentum Scoti, quod erat, quia verba sufficienter B verificantur per actionem adductiuam, contra quę est, quia sufficienter melius ac proprius verificantur per actionem productiuam, vel quasi productiuam: ergo, licet concedamus, vtrumque modum esse possibilem, nō recte ipse infert fieri priori modo. Quod autem potius inferendum sit, fieri posteriori modo, declaratur in primis, quia omnes mutationes miraculosæ, quas à Deo factas legimus possent quoad omnia, quæ sensibiliter fiūt, saluari per transmutationem localem, vt, verbi gratia, in conuersione aquæ in vinum si aqua præexistens alibi esset translata & vinum aliunde insensibiliter adductum, id satis esset, vt Christus suppleret defectum vini, & nihilominus fatemur, & verissimum ac certissimum est, illud factum esse per conuersionem substantiæ, & idē est de omnibus similibus conuersionibus, vt supra annotaui ex Aug. 18. de Ciuit. c. 18. distinguente in hoc veras Dei conuersiones ab apparentibus dæmonis: ergo idem dicendū est de hac conuersione, quam perfectissimo modo fieri oportet. Quod si quis dicat, de illo miraculo nuptiarum, dictum esse ab Euangelista. *Vt vidit Architriclinus aquam vinum factam*, & inde sumptam esse conuersionem, hoc ipsum confirmat intentionē nostram: quia, si præcisè consideremus verba Christi, scilicet, *Haurite nunc*, &c. & effectum sensibilē, scilicet, vbi erat aqua, inuentum esse vinum, ex hoc præcisè non poterat euidenter constare, an esset factum per adductionem, vel per conuersionem, & nihilominus Euangelista in illis verbis, *aquam vinum factam*, intelligitur explicasse, factum esse miraculum per conuersionem. Sed eodem modo explicat Ecclesia, panem fieri corpus, seu ex pane fieri corpus per veram conuersionem substantiæ in substantiam: ergo. Et ratio vtriusque reddi potest, vel quia propria, & intrinseca transmutatio, facta in rei substantia, veluti ex natura sua postulat, vt substantialimodo fiat, & non per localem additionem; vel quia hic modus operandi, præter quā quod est ipsis verbis magis accommodatus, est etiam magis consentaneus diuinæ omnipotentiæ. Quod item à simili confirmatur, quia etiam desitio panis, quæ in hoc mysterio fit, si diuinam omnipotentiam attendamus, non fuit necessario substantialis: poterat enim Deus, saluā veritate illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, illam substantiam extra locum suorum accidentium conseruare vel nudam, vel sub alijs accidentibus, vel certe saltem quoad materiam, constituendo illam sub alia forma, & nihilominus de facto interuenit in hoc mysterio desitio totius substantiæ panis: quia hoc magis

Ang.

C

Obiecto.

Responsio.

magis est consentaneum ipsis rebus, supposito mysterio: cur ergo non eodem modo philosophabimur de termino ad quem.

Vnde sumitur secunda coniectura, quia hic modus ex suo genere est nobilior, & perfectior; &, si aliunde consideretur rei difficultas, non est minus difficile intellectu, quod in substātia materiali prę existēte modo quantitatiuo, & naturali, per actionem merè localem adducatur per se primo ipsa substantia, vt condistincta à quātitate, vt in alio loco existat, modo indiuisibili, & ratione illius adductionis adducatur quātitas ad similem modum præsentiæ, ergo facilius intelligitur fieri ex vi alicuius actionis substantialis, qua substantia secundum se fiat, & consequenter recipiat talem modum existēdi; & inde consequantur aliæ proprietates cum simili existendi modo. Deinde difficile est ad intelligendum, quomodo verba operentur independēter ab existētia corporis Christi in cęlo, illud inde adducēdo, & tñ nihil imprimendo in illo, vt ibi est neq; respiciendo illud, vt sic, tanquam subiectum actionis suæ, si tamen actio est productiua ipsius substantiæ, facile intelligitur nō pēdere ab ipsa, vt alibi existente, formaliter loquendo, sed terminari ad illam, vt ad proprium terminum, non quatenus ibi existit, sed secundum se, seu quatenus existit in sacramento. Tertio, est magis accommodatum verbis consecrationis. *Hoc est corpus meum*, quæ non localiter, vt ita dicam, sed substantialiter significāt: vnde non indicant aliquid huc adduci, sed per modum substantiæ hoc, quod significatur, esse corpus Christi, nec significant aliquid efficere circa corpus Christi, vt est in cęlo, sed circa hunc panem transmutādo illum in corpus Christi: ergo hic modus actionis magis est accommodatus modo significādi horum verborū, quam adductio sola, & hoc videntur indicare Sancti Patres, quando negant, Christum venire de cęlo, vt sub speciebus panis cōstituatur, sed hoc fieri per conuersionem panis in ipsum: in quo genere obseruatione digna sunt verba Ecclesiæ Orientalis in censura doctrinæ Lutheranorum nuper ad eos missæ. c. 10. *Ecclesiæ sanctæ iudicium est, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi virtute Spiritu sancti transire ac immutari, non quod Christus descendat de cælo, vt in Eucharistia præsens adsit, sed quod per transmutationem, & transitionem panis in ipsum, corpus fiat præsens.* Quæ verba fere sumpta sunt ex Damasceno lib. 4. de fide. c. 14.

Damascenus.

Obiectio.

Sed, vt hoc amplius explicetur, instare possumus in fauorem Scoti: nam hæc actio substātialis sic explicata, sola non sufficit ad conficiendum hoc mysteriū, sine alia adductiua, illa vero sufficit sine hac ergo illa tantum est ponēda. Antecedens explicatur, quia substantia corporis Christi secundū se nō constituit hoc sacramētum, sed vt præsens sub speciebus: illa vero actio substantialis attingit substantiam secūdum se, non vero præsentiam: est ergo necessaria alia actio, per quam fiat præsentia, si autem hæc sola fiat, substantia Christi erit præsens in sacramento, quod satis erit, vt illud sit constitutū. Respondetur, posita illa actione substantiali, nullā esse necessariam actionem adductiuam, imo neque proprie actionem aliam, sicut, quando creatum fuit cęlum, ex vi talis actionis consequenter positum est in totali loco, vel spatio, absque adductione, vt per se constat: nam adductio connotat rem adductam alibi præexistere: illa ergo præsentia localis intelligi potest, vel resultare ex substantia, prout nūc pducta: vel certe (quod clarius est) sicut in re facta intelligitur esse talis pręsentia, ita & in actione, seu dependentia, quæ hic nunc fit, & non alibi. Vnde sicut per illam actionem, secundum se consideratā resultat esse substantiale, ita ex præsentia eius consequitur, vt terminus eius hic potius quā alibi fiat, ita vt præsentia actionis sit quasi fieri præsentiæ termini; & ita nulla multiplicatur actio, sed illud solum asseritur, quod in omni actione necessarium est, scilicet, vt alicubi fiat. Addo præterea, sacramētū Eucharistiæ non constare ex sola præsentia, sed ex substātia corporis Christi præsente, & ideo verba non solum habere vim ad efficiendam præsentiam, sed etiam ad efficiēdam substantiam præsentem debito modo, & ordine, scilicet, primario substantiam, & consequenter præsentiam. Quod ita vlterius declaro contra Scotum, quia negari non potest, quin, si hic est substantia corporis Christi, hic etiam sit actio, vel dependentia, per quam conseruatur substantialiter existens in rerum natura, præsertim cum Scotus fateatur, existentiam corporis in hoc sacramento non pēdere intrinsece, ac formaliter ab existentia eiusdem corporis in alio loco ergo prout est hic, sufficienter cōseruatur actione propria, conseruante substantiam: hæc autē actio intelligi potest, hic adesse, vel concomitanter adducta cum termino, hic facto præsente per solam actionem adductiuam, vel è contrario, quod ipsa actio conseruatiua per se primo hic fiat, & præsentia sit modus eius, qui consequenter resultet in termino. Sed hic posterior modus est magis proprius ad saluandam conuersionem substantialem: ergo ille potius est asserendus, & posset defendi, etiam si illa actio substantialis, qua hic conseruatur corpus Christi, sit omnino eadem, qua conseruatur in cælo, hic reperita, & quasi de nouo facta. Sed magis hoc necessarium est, si supponamus, quod quæst. 78. probandum est, verba consecrationis efficere physice & actiuè, quicquid est in hoc sacramento: nam ex hoc necessario sequitur, actionem illam esse diuersam: quia, vt diximus agentes de sacramentis in genere, actio, quæ fit ab agente principali solo, vel mediante aliquo instrumento, necessario est distincta.

Responsio.

Difficultates aliquot circa dicta tanguntur.

Super sunt tamen circa doctrinam traditam nōnullæ difficultates: nam, si Christus hic constituitur per actionē terminatam ad substantiam, & de se productiuā, sequitur, verba habere vim ad ponēdū hic corpus Christi, etiā si alibi non existeret: cōsequēs est falsum: ergo. Sequela patet, quia actio de se productiua ponit suum terminum, etiam si alibi non sit. Item, quia si hæc actio necessario supponit corpus alibi, & tale illud ponit sub speciebus, quale est in propria specie, idest, viuens hic, si alibi viuat, vel exanime, si alibi sit mortuum, signum est, non hic illud producere, sed aliūde adducere: minor vero patet tum ex dictis supra disp. 10. tum etiam ex verbis formæ, *Hoc est corpus meum*, quæ manifeste supponunt præexistentiam illius corporis, tū denique, quia si per verba fieret corpus in sacramento alibi non præexistens, vel fieret mortuū, vel viuū; neutrū dici potest, quia de se ad neutrū terminum sunt determinata: sed nūc possūt efficere aut mortuū, aut viuum, prout in re extiterit: in eo autem casu non esset, à quo determinarentur. Ex quo etiā sumitur coniectura; quia cum hæc verba ad constituendum

Christum in sacramento supponant illū extra sacramentum, vt etiam sumitur ex pronomine illo, *Hoc est corpus meum*, cumq; tale constituā corpus in sacramento, quale est extra sacramentū, argumento est, non efficere corpus in sacramento, sed afferre tantum. Respondetur breuiter, negando sequelam: potest enim dupliciter intelligi, hāc actionem pendere à corpore Christi extra sacramētum: vno modo intrinsece, & quasi à subiecto propter imperfectionem ipsius actionis, si formaliter tendat ad efficiendum accidens, & ideo supponit corpus, circa quod versetur. Alio modo potest intelligi pendere extrinsece, vel propter institutionem diuinam, vel certe propter dependentiam in genere causæ efficientis: quanuis ergo actio substātialis non pendeat, nec supponat corpus Christi priori ratione, potest tamen pendere & supponere illud posteriori modo; quia eadem actio secūdum speciem, seu rationem formalē potest fieri per hoc vel illud instrumentum, ita vt diuersitas instrumētorū materialis sit, & non causet essentialē diuersitatē in actione: hoc igitur modo pendet, vt supra dixi, actio, qua fit hoc sacramentū à corpore Christi in propria specie existente, & ideo illa actio esse non potest secundū præsentem institutionem, si corpus illud in propria specie non existat. Ad argumentum ergo negatur sequela, propter rationem dictā. Et similiter ad confirmationem negatur illa coniectura: potest enim illa necessitas oriri ex alio capite, quod non deroget perfectioni huius actionis, & ratione transubstantiationis.

Alia difficultas.

Sed ex hac solutione oritur alia difficultas: nam sequitur, idem corpus substantialiter efficere, seu conseruare se ipsum; & substantialiter actionem pēdere effectiuè à suo termino: hoc autē videtur valde absurdum, & contra prima philosophiæ principia; quia si idem posset efficere se ipsum, esset ante quam fieret, nec possent ex effectibus inferi existētiæ causarum efficientium. Respōdetur, impossibile esse, idem efficere, seu conseruare se ipsum secundum primam rationem existendi, vel secundū primam dependentiam, vel primum influxum causæ efficientis, per quam sufficienter constituitur vel conseruatur in rerum natura; & hoc est, quod demonstrant principia philosophiæ: quia causa efficiens supponitur existens & independens à suo effectu, quomodo dixit D. Thom. infra. q. 78. ar. 4. ad 2. non potuisse corpus Christi, vel aliquid ab illo procedens, esse instrumentum ad suam primam formationem ex matre, & eodem modo est efficax ratio argumentandi ab effectibus ad causas efficiētes; at vero, si, postquam res semel sufficienter existit per actionem & influxū totalem vnius causæ, per aliam actionem distinctam, quasi iterum fiat, seu conseruetur, nullum est inconueniens, quod eadem res, vt iam facta, possit esse instrumentum ad hanc actionem: quia iam cessat tota ratio, quæ obstare videbatur, cum res illa supponatur existens ante talem actionem, & aliūde possit Deus vti quacunque re, vt istrumento, ad omnem subsequentē actionem, quia ad hoc est potentia obedientialis in creatura, & aliunde nulla est contradictio, & ita fit in præsenti mysterio, propter quod dixerunt alij Patres supra citati, Christum Dominum quotidie corpus suum creare.

Aliæ difficultates hic erant de hac actione, an sit creatio nunc. Item, an per illam fiat materia sola corporis Christi, vel forma vel sola vnio seu compositum. Item, an per illam fiat etiam vnio hypostatica. Ex quibus prima difficultas tractabitur cō mode dubio sequente, aliæ vero pertinent ad quæstionem 76.

SECTIO V.

Vtrùm hæc actio sit mutatio in corpore Christi.

Quidā volūt actionem transsubstantiationis nō esse mutationem in Christi corpore sed in pane. alij vero esse mutationem corporis Christi.

Ratio dubitādi est, quia Christus Dominus, cum sit in statu gloriæ & impassibili, non mutatur vllo modo ab eo statu: ergo incipit esse in hoc sacramento, sine sui mutatione: ergo actio, per quam hic constituitur, non est vera mutatio eius. Atque ita videntur loqui, & sentire antiqui Theologi, qui etiam hinc colligunt necessariā mutationem panis: quia oportet, nouum mysteriū fieri per mutationem in aliquo factam, & non per mutatiouem factam in corpore Christi: ergo saltem per mutationem panis in ipsum. Ita sentit D. Thom. hic, præsertim art. 4. ad 1. & 2. & in 4. d. 11. quæst. 1. art. 3. questiuncul. 1. in corpore, & ad. 3. Vbi Capreol. idem docet ex doctrina D. Thom. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. & in eius defensione Bonauent. distinct. 10. artic. 1. q. 1. ad 1. & Richard. distinct. 11. articul. 1. quæst. 5. & 6. Alens. 4. part. quæst. 34. memb. 3. Marsil. quæst. 8. art. 1. Soto distinction. 9. quæst. 2. art. 4. paulò ante solutiones argumentorum. Alij vero absolute affirmant, actionē hanc fieri per mutationem corporis Christi. Ita loquitur Scotus, distinct. 10. quæst. 1. §. Quātum ergo ad istud argumentū, & infra solut. ad 1. Palud. quæst. 3. num. 14. & 15. & 16. Capreo. quæst. 3. ad 4. & 5. Durand. cont. 2. concl. Gabr. art. 2. concl. 8. & lect. 40. in Canon Ocham. in 4. q. 6. & quodlibet. 6. q. 4. qui absolute vocat hanc mutationem localem, quomodo etiam loquitur Gab. lect. 46. in Can. & fere eodem modo loquuntur Nominales omnes.

D. Thomas. Capreol. Bonauent. Richard. Alensis. Marsilius. Sotus. Scotus. Palud. Capreol. Durand. Gabr. Ocham.

Hæc quæstio, suppositis his, quæ in superiori dicta sunt, facile expediri potest: oportet enim distinguere, quid per se primo fiat per hāc actionē: quid vero secundario consequatur. Itē oportet recolere quod supradictum est, mutationē posse sumi proprie, & in rigore, vt dicit passionē denuo factā circa præsuppositū subiectum, vel generaliter, vt dicit quamcunque rei inceptionē, vel desitionē, vel nouum modum se habēdi. Deniq; in superioribus etiam notauimus, mutationem posse fieri, amittendo, vel solum acquirendo.

Primo ergo certum est, hic non posse esse quæstionē de mutatione, qua corpꝰ Christi, put est in cælo, aliquid amittat eorū, quæ ibi habet: quia certū de fide est, in hoc sensu non fieri per mutationē corporis Christi: quia, vt in hoc sacramento constituatur, nec deserit illū locū, neq; aliquid aliud, qđ ibi habeat. Et hic potest esse vnus sensus autorum, quos in principio citaui, & hoc etiam solum probat ratio dubitandi ibi posita.

Certū est per transubstantiationem fieri aliquam mutationem latè sumptā in corpore Christi.

Secundo etiā est certū, per hanc actionē fieri aliquā mutationē latè sumptā in corpore Christi: quia ex vi illius aliter se habet, quā prius, primo quidē, & per se, quia in suo esse substantiali habet aliquā dependentiā, quā antea non habebat: quia per nouum

uum influxũ cauſæ agentis recipit idẽ eſſe ſubſtantiale: ſecundario vero, & conſequenter, quia acquirit nouã præſentiam realẽ, quam antea non habebat, vt in ſuperioribus explicatũ eſt. Nec vero ad hanc mutationem ſufficit mutatio in panẽ: primo quidem, quia, ſi ſit ſermo de ſubſtantia panis, mutatio, vel quaſi mutatio, quæ in illa fit, eſt priuatiua ſeu negatiua, & terminatur ad non eſſe: ergo ab illa vt ſic, non poteſt Chriſtus denominari mutatus, & poſitiuè aliter ſe habens, quam antea; ſi vero ſit ſermo de accidentibus panis, licet admitteremus, in illis factam eſſe mutationem poſitiuam, tamen, neque ab illa corpus poteſt denominari mutatum, cũ longe ſit diuerſus terminus mutationis, reſultans in corpore Chriſti, ac in accidentibus panis, vt ex ſupradictis conſtat: nã illa præſentia, quæ eſt in corpore Chriſti, eſt quid diſtinctum ab omni modo accidentium: non poteſt ergo totum hoc myſteriũ perfici per ſolam mutationem accidentium. Secundo, quia oſtenſum eſt, de nouo non ſolum eſſe in corpore Chriſti denominationem aliquam extrinſecam, aut propriam relationem: ergo non poteſt fieri per ſolam mutationem alterius in ipſum. Quinimo, ſi præciſe loquamur de eo, quod fit in corpore Chriſti, vt id fieret, non eſſet neceſſaria mutatio alterius in Chriſtum: quia poſſet hic fieri, vel conſeruari ſubſtãtia corporis Chriſti: & præſentia eius abſq; mutatione vlla facta in ſubſtantia, vel accidẽtibus panis, vt ex ſupra dictis ſatis patet.

Non eſt mutatio propriè dicta illa actio ſubſtantialis tranſubſtantiationis.

Tertio ergo addendum eſt, actionem hanc ſubſtantialẽ, per quam hic fit, ſeu conſeruatur corpus Chriſti, non eſſe mutationem proprie dictam, ſed ſolum actionem ſeu dependentiam quandã. Hunc etiam ſenſum fortaſſe intendunt primi autores ſupra citati, & ſequitur ex dictis: quia propria mutatio fit ex præſuppoſito ſubiecto: hæc autem actio non fit ex ſubiecto: nam licet fiat ex pane, non tñ tanquã ex ſubiecto, ſed tanquam ex termino à quo vnde ſubſtantia panis nullo modo eſt ſubiectũ huius actionis: ergo. Et confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 45. dicente, creationem non eſſe mutationem: quia non fit ex præſuppoſito ſubiecto: hic vero ar. 8. dicit, hanc actionẽ in hoc eſſe ſimilẽ creationi, quia non fit ex præſuppoſito ſubiecto, ergo eſt in hoc etiam illis ſimilis: quia non eſt proprie mutatio.

Imo nec altera illa quæ eſt acquiſitio præſentiæ localis.

Quarto denique hinc concluditur, acquiſitionẽ præſentiæ, quæ conſequenter hic fit, non eſſe propriè mutationem localem, ſed acquiſitionem ſimplicem, concomitantem alteram actionem. Et explicatur exẽplo: nam, quando res creatur, cõſequenter acquirit aliquẽ locũ, vel præſentiã: quæ acquiſitio non dicitur proprie mutatio localis: quia non per ſe fit, ſed concomitanter, & quia non proprie facit, vt res aliter exiſtat in loco, quam antea, ſed ſimpliciter cõſtituit rem in loco, ſed ad eundẽ modum ſe habet hæc actio ex vi ſua: quia vt dictũ eſt, per ſe primo facit ſubſtantiam, reliqua conſequenter; & ita de ſe facit hanc præſentiam, ac ſi corpus Chriſti alibi nõ præexiſteret: ergo. Et cõfirmatur, nam propter hanc cauſam antiquiores & grauiores Theologi negant, Chriſtum conſtitui in hoc ſacramento per mutationem localem, vt videre eſt in D. Thom. q. ſequente. art. 6. Alex. Alenſ. 4. p. q. 58. membr. 4. artic. 4. Capreol. & Palud. d. 10. quæſtion. 3. & alijs autoribus ibi: qui negare non poſſunt, hic fieri acquiſitionem localis præſentiæ, negant tamen eſſe proprie mutationem localẽ: quia non per ſe fit, ſed concomitanter ad actionem ſubſtantialem.

Alenſ. Capreol. Palud.

Vna tantũ circa hæc ſupereſt difficultas, præſertim circa tertiam concluſionem: nam ex illa ſequi videtur, actionem illam, per quam hic fit corpus Chriſti, eſſe creationem: quia eſt actio ex vi ſolius cauſæ efficientis ſine concurſu cauſæ materialis, in quo conſiſtit eſſentia actionis creatiuæ: quæ propterea dicitur eſſe ex nihilo: quia fit ab agente ex nullo ſubiecto. Nec ſatis eſt, ſi quis dicat, non eſſe creationẽ, quia terminus eius nõ fit omnino de nouo, ſed quaſi conſeruatur, tum, quia actio conſeruatiua, quæ terminatur ad totum ens, re vera in ſubſtantia ſua eſt creatio, & ſolum denominatur conſeruatio, vt denotetur, non incipere de nouo, ſed permanere, & durare, quæ antea inceperat, tũ etiã, quia huic actioni per ſe, & formaliter conſideratæ accidẽtarium eſt, quod terminus eius alibi præexiſtat, vt ex dictis conſtat: ergo illa de ſe, & in ſubſtantia ſua erit vera creatio, quamuis nunc denominetur potius conſeruatio, propter terminũ præexiſtentem. Neque etiam ſatisfacit, ſi quis reſpondeat non eſſe creationem; quia fit ex pane, aut vino, quę ſunt aliquid, cũ tamen creatio debeat eſſe ex nihilo: tum, quia illa particula, ex, quando creatio dicitur ex nihilo, ſolum dicit habitudinem cauſæ materialis, id eſt, ex nullo ſubiecto: hic autem ſignificat habitudinem tantum termini à quo: ergo illud non repugnat creationi: tum etiam, quia, vt ſupra dixi tota hæc actio de potentia abſoluta potuiſſet fieri, conſeruata ſubſtantia panis: tunc ergo nõ fieret ex pane ergo illud nunc non eſt eſſentiale huic actioni: alias non eſſet ſeparabile, etiam de potentia Dei abſoluta, ſolum ergo dicitur fieri ex pane nunc, quia ex ordinatione diuina non fit hęc actio ſine deſitione panis; ordinatio autem diuina non mutat naturam rei; ergo eiuſdem rationis eſt hæc actio, cuius eſſet ſi non deſineret ſubſtantia panis: tunc autem eſſet creatio, quia fieret ex nihilo, & tã quam ex ſubiecto, & tanquam ex termino à quo ergo & nunc eſt vera creatio: conſequens autem videtur falſum, in primis, quia D. Thom. hic ar. 8. dicit actionem hanc eſſe ſimilem creationi, diſtinctam tamen ab illa. Vnde Sancti Patres, arguentes tanquã à maiori ad minus, ex creatione colligunt, hanc actionem eſſe poſſibilem, ſentiunt ergo eſſe diſtinctã, & minoris virtutis, quam ſit creatio. Aſſumptum patet ex Ambroſio libr. 4. de ſacram. c. 4. & Innocent. lib. 4. de hoc myſt. c. 7. & eodẽ modo loquũtur Scholaſtici. Alenſ. q. 34. mẽb. 3. Bon. Richard. Capreol. & Palud. Marſil. & Soto locis paulò ante citatis. Et confirmatur, quia deſitio panis nõ eſt annihilatio: ergo nec confectio corporis Chriſti erit creatio.

Ambroſ. Innocent. Alenſ. Bonau.

Ad hanc difficultatem primo reſponderi ſolet, actionem hanc non eſſe creationem: quia non attingit corpus Chriſti in quantum ens: ſeu ſecundũ totam rationem entis, quam in ſe habet, ſed ſolum in quantum corpus: quia per hanc actionem, nec fit materia, nec forma, ſed ſolum vnio earum inter ſe: hoc enim ſatis eſt, vt illa actio ſit ſubſtantialis, & conſequenter ſufficit ad ſaluandam rationem tranſubſtantiationis. Sed hæc reſponſio mihi non probatur, & in primis repugnat illi D. Tho. tum quia dicit, actionem tranſubſtantiatiuam non præſupponere ſubiectum: illa autẽ actio explicata iſto modo ſupponit materiam, vt ſubiectum, circa quod verſatur; tum etiam, quia dicit, in hac conuerſione materiam tranſire in materiam; & formam in formam, & totum in totum: aperte ergo ſentit, tã materiam, quam formam fieri: ſeu attingi per hanc actionem. Secundo ratio tranſubſtãtiationis hoc poſtulat, quia illa actio explicata dicto modo, vt non ſit creatio, erit generatio quædam ſubſtantialis: ergo non eſt tranſitus in totam ſubſtantiam ſimpliciter: ſicut è contrario, ſi ex parte termini à quo eſſet deſitio panis per ſeparationem formæ à materia, manente tamen in rerum natura ipſa materia, eſſet corruptio quædam totius compoſiti, non tamen ſufficiens deſitio ad tranſubſtantiationem. Tertio, quia ad intelligendum illum modum actionis ſunt multiplicandæ multę actionis valde miraculoſæ: non poteſt enim illa vnio inter materiam & formam corporis Chriſti fieri virtute verborũ, niſi ſub ſpeciebus: quia extra illas nihil operantur illa verba: ergo neceſſe eſt, illam materiam, & formam præſupponi ſub ſpeciebus ad illam vnionem: quia, vt ſupra dixi, non poſſunt aliqua vniri intime, niſi vbi ſunt præſentia: ergo, vel fiunt ibi ſubſtantialiter eadem virtute verborum, & habetur intentum, vel adducũtur alia priori actione diſtincta, & ita iam multiplicãtur actiones, & additur nouum miraculum: quia partes, alibi vnitę, inde adducuntur, ſine vnione, vt ſola vnio ſubſtantialiter alibi fiat. Et præterea inquiro, an illa adductio fiat virtute verborum, vel non: ſi non, ergo verba non efficiunt totum id, quod neceſſarium eſt ad ſuam veritatem, quod eſt contra eorum efficaciam, ſi vero fit eorum virtute, procedunt argumenta ſupra facta contra actionem adductiuam: nam illa probant, verba hic operari, quicquid operantur, ſine dependentia intrinſeca, & formali à corpore Chriſti alibi exiſtente, tanquam à ſubiecto vel termino à quo.

Impugnatur.

Vera reſponſio eſſe creationem, ſed non per modum creationis.

Alia ergo reſponſio eſſe poteſt, concedendo illam actionem eſſe creationem. Patres enim ſupra citati ſic illam vocant, & nullum ex hoc videtur ſequi inconueniens: ſed in hoc oportet non diſcedere à communi modo loquẽdi omnium: licet fortaſſe in re non ſit diuerſitas: quia re vera hic influxus ſubſtãtialis habet in ſubſtantia ſua, quicquid habet influxus creatiuus, vt argumenta in principio facta probant, tamen in hoc myſterio non fit per modum creationis, non ſolum quia non fit res omnino de nouo, ſed per modũ conſeruationis, ſed præcipuè, quia fit per modum conuerſionis vnius in aliud, ita vt ex vi illius modi, quo fit hic corpus Chriſti à tali agente, requiratur res aliqua poſitiua ex qua fiat, & ſub qua fiat, ita vt verba non habeãt virtutem ad efficiendum alio modo illud corpus, & ex hac parte virtus eorum deficit à ratione virtutis creatiuæ, eſtque inferior, quia eſt magis limitata, & eadem ratione actio ipſa nõ appellatur creatio, ſed conſeruatio, vel tranſubſtantiatio: quia de ratione creationis eſt, vt nullo modo ſupponat rem poſitiuam, ex qua, vel circa quam, aut ſub qua fiat ſed ſolũ, ac præciſè cauſam agentem. An vero hoc cauſet diuerſitatẽ eſſentialẽ in ipſis actionibus poſitiuis præciſè conſideratis, autores nihil dicunt, & fortaſſe non eſt talis diuerſitas; oportet tamen cautè loqui & explicare propriam vniuſcuiuſque rationem modo prædicto.

Obiectio.

Sed hic tandem vrgebit aliquis, quia, ſi hæc actio eſt ſine ſubiecto vllo modo, cũ ſit prior natura ſuo termino, non poteſt eſſe in illo, neq; extra ipſam cauſam agentem fieri. Reſpõdeo, eandem difficultatẽ eſſe de creatione, propter quam multi putant, actionem creatiuam non eſſe extra Deum, ſed iuxta noſtram ſententiam non poteſt hoc in præſenti accommodari. Exiſtimamus enim, illam actionem eſſe à verbis, & non à ſolo Deo; non poteſt autem eſſe ſubiectiuè in verbis, vt per ſe conſtat, quia, vt ſupra oſtendi, eſt actio diſtincta à prolatione verborũ, & eſt omnino trãſiens reſpectu illorum: neque etiam poteſt eſſe in Deo, quia actio exiſtens in Deo non poteſt eſſentialiter pendere à verbis, & præterea in vniuerſum non ſatisfacit hæc reſponſio: quia eadem difficultas eſt de dependentia veluti paſſiua creaturæ à Deo, quam dubiũ non eſt eſſe in ipſa creatura. Propter quod alij dicunt, hanc dependentiam ita eſſe in creatura, vt nullo modo, etiam ex natura rei, ab ea diſtinguatur, ſed ſit formaliter, & eſſentialiter ipſa creatura, quod tamen præſenti difficultati accommodari nõ poteſt: quia conſtat, hanc dependentiam non eſſe eſſentialẽ corpori Chriſti; quia ſine illa exiſtebat antea, & hoc quidẽ argumentũ conuincit, aliã etiam dependentiam, quam habet in cœlo, non eſſe eſſentialẽ: quia ſine illa poſſet conſeruari per ſolam dependentiã, quam habet in ſacramento hoc medijs verbis. Et idem argumentũ fieri poteſt in accidentibus, quæ vna actione, & dependentia conſeruantur in ſubiecto: alia vero diſtincta extra ſubiectum: hinc enim euidenter fit, neutram illarum dependentiarum eſſe eſſentialem illi formæ, verbi gratia, quãtitati, & idem argumentum fieri poteſt in creatura, quæ diuerſis modis, & actionibus fieri poteſt, vel conſeruari.

Reſponſio.

Reſpondetur ergo, hanc actionem, dependentiam, ſeu fieri eſſe extra cauſam agentem, non proprie tanquam in ſubiecto, ſed identicè, vt in re, cũ qua identificatur: eſt enim quaſi modus ſeu via ad terminum, in quo manet: vnde hæc via, quatenus præintelligitur termino, non præintelligitur in ſubiecto, ſed veluti in ſe, quaſi via quædam ſubſtantialis, & quodammodo fieri per ſe, ſeu in ſe; & hoc nullum habet incommodum: quia ſatis eſt, quod in eodem inſtanti illud met fieri identificetur cum re facta: imo in hoc differt hæc actio à propria & rigoroſa mutatione.

Obiectio.

Dices, ſi illa actio eſt prior natura, quam terminus, & vt ſic eſt accidens, quia nõ eſt ſubſtantia, & videtur eſſe propriè de prædicamento actionis: ergo vt ſic oportet vt ſit in aliquo ſubiecto: quomodo ergo intelligi poteſt prior natura, & abſq; ſubiecto?

Reſponſio.

Reſpondetur primum, non oportere, actionem, ſeu dependentiam illam intelligi per modum accidentis, ſed per modum cuiuſdam ſubſtantialis viæ ad ſubſtantiam, quæ reducitur ad prædicamẽtum ſubſtantiæ, ſicut de motu dicit Ariſtoteles in Poſtpræd. quatenus via quædam eſt, reduci ad prædicamentum ſui termini. Secundo, ſi quis velit illã conſtituere in prædicamento actionis, dicat, non oportere in illo priori illam concipere, vt in aliquo ſubiecto, ſed vt ab aliquo agente, & quod habet eſſe ita diminutum, vt in eodẽ inſtante requirat ſubſtantialem terminum, cui per identitatem coniungatur. Quæ reſponſio eſt probabilis, ſed altera eſt verior. An vero de actione generatiua eodẽ modo loquendũ ſit, non eſt hoc loco differendum.

SEC-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO VI.

Verùm panis esse desinat ex vi actionis, qua corpus Christi ponitur sub speciebus, vel ex vi alterius.

EXplicato termino ad quem huius actionis, & modo effectionis eius, sequitur, vt explicemus terminum à quo, & modum desitionis illius, & in hoc vltimo est tota difficultas: nam de re ipsa, quæ desinit, iam supradictum est, esse totam substantiam panis, & vini, quæ omnino substantialiter esse desinit in rerũ natura. De modo ergo est prima sententia, eadem omnino actione, qua corpus Christi Domini sub speciebus constituitur ex pelli, atq; desinere esse substantiam panis. Ita sentit Caiet. hic artit. 4. & Soto. d. 9. q. 2. art. 4. Ledesma. 1. p. 4. q. 16. art. 4. Fundamentum esse potest, quia de ratione veræ conuersionis est, vt ex vi effectionis termini ad quẽ, expellatur aut destruatur terminus à quo, & consequenter, vt eadem actione, qua vnus fit, alius destruatur, vt videre licet in ductiuè in omnibus conuersionibus extra hanc: ergo. Et confirmatur primo, quia, si per hanc actionem non destruitur panis, ergo per nullam aliam: ergo per solam suspensionem influxus causæ agentis conseruantis; ergo annihilatur: quia annihilatio nihil aliud est, quam desitio toralis per suspensionẽ influxus. Confirmatur secundo, quia cõcilia, & sancti ex præsentia corporis Christi colligunt absentiam panis: intelligũr ergo, introductionem vnius esse formalem expulsionem alterius, & consequenter eadem actione fieri.

1. Sententia.

Caietan. Soius. Ledesm.

A

B

Secunda sententia extremè contraria est, panis substantiam non desinere esse per illam actionem qua efficitur corpus Christi, neque per vllam aliã positiuam, sed solum ex pacto, & voluntate Dei, qui statuit non conseruare panis substantiam, statim ac corpus Christi sub accidentibus panis constituetur. Ita sentit Scotus in 4. d. 11. q. 4. quem ibi sequuntur Scotistæ, & Maior. quæst. 1. Gabr. q. vnica, & lect. 40 & 41. in Canon. Ocham in 4. q. 6. dub. 7. Angel. Euch. 1. num. 31. Fundamentũ est, quia nulla res desinit esse primo per actionẽ positiuã: omnis enim positiua actio per se tendit ad dandũ aliquod esse; ad destruendũ autẽ, seu ad tollendum esse, non, nisi ex accidente, & consequẽter quatenus vnum esse alteri repugnat; quod docuit etiã D. Tho. 1. p. q. 104. art. 3. ad 1. sed in præsenti esse corporis Christi non repugnat cũ substãtia panis, nec fingi potest aliqua alia res, quæ ponat esse terminus actionis positiuæ, quæ cum illa substãtia repugnet; ergo nulla est actio positiua, per quã illa substantia expelli ponat: ergo solum potest desinere, quia non conseruatur à causa agente. Inter has tamen sententias media via tenenda est.

2. Sententia.

Scotus. Maior. Gabr. Ocham. Angelus.

C

D

Dico ergo primo. Probabilius est, panis substantiam desinere esse ex vi alicuius actionis positiuæ. Ita sentit D. Tho. in his articulis, & clarius in 4. d. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiun. 1. ad 6. & d. 8. q. 2. art. 3 ad 5. Capreol. d. 1. ad argumenta Scot. contr. 3. concl. Et hæc conclusio probabitur à priori statim declarando, qualis esse possit hæc actio; nunc solum probatur, quia ad veritatem verborum necesse est, vt substantia panis excludatur, vt in superioribus probatum est: sed hæc verba habent efficaciam ad veritatem efficiendam, quam significant: ergo possunt effectiuè expellere substantiã panis: ergo possunt expellere ex vi alicuius actionis realis: patet consequentia, quia, si illa substantia non expellitur per actionem, quicquid verba efficiant, nondestruetur, sed ad summum, intelligi poterit, desinere esse illam substãtiam, quia Deus suspẽdit influxum ad præsentiam talis actionis, non quia actio hoc requirat ex natura sua, sed quia ex institutione diuina ita ordinatum est. Ex quo etiã sequitur non posse ita propriè saluari rationem cõuersionis, nec satis explicari, cur illa substantia non annihiletur.

Probabilius est panè desinere ex vi actionis positiuæ. D. Thomas. Capreol.

Dico secundo, Substantia panis non destruitur per eandẽ omnino actionem, qua introducitur corpus Christi sub speciebus, sed per aliam distinctã. Hæc conclusio sumitur ex Diuus Thomas. & Capreol. citatis locis, quatenus dicunt, verba cõsecrationis non attingere effectiuè introductionem corporis Christi sub speciebus in se, ac per se, sed solum quasi dispositiuè, quatenus effectiue expellunt substãtiam panis: quicquid enim sit de veritate huius dicti, quod infra, quæstion. 88. examinandum est, in illo tamen euidenter supponitur conclusio posita, quia non solum censetur actio distincta, qua introducitur corpus Christi, & qua expellitur substantia panis, sed etiam hæc posterior censetur esse talis, vt posit per se, ac immediatè fieri per instrumentum, scilicet, per verba; prior verò minime. Ratio verò conclusionis sumenda est, partim ex dictis supra, disputat. 9. sectio. 3. partim ex dictis disputat. præcedent. sectio. 1. substantia enim panis, & substantia corporis Christi inter se nõ repugnant formaliter & intrinsece propria physica repugnantia, ergo actio effectiua vnius, non est physice ac intrinsece destructiua alterius. Patet cõsequentia ex fundamento posito in opinione secunda, quod actio non tẽdit ad destruendum, sed id facit tantum consequenter, quatenus termini inter se repugnant: antecedens verò declaratur, quia si illæ duæ substantiæ absolutè considerentur, sine ordine ad aliquod tertium, nullam repugnantiam habent in suo esse: quia hoc modo nulla substantia alteri substantiæ repugnat; vt ergo intelligantur repugnare, necesse est, vt sumantur in ordine ad aliquod tertium, quod in præsenti esse non potest, nisi, vel spatium, seu locus, in quo sunt species sacramentales, nam ibi introducitur corpus Christi, & expellitur substantia panis; vel sunt ipsemet species sacramentales: neutrum autem dici potest. Primum de loco seu spatio cõstat ex dictis: quia præsentia localis corporis Christi in hoc sacramento talis est, vt sit modo indiuisibili, & consequenter, vt non expellat inde aliam substantiam ex natura sua, imo neque aliam quantitatem, vt de facto fit. Quod si quis fingat, potuisse à Deo fieri talem modum præsentiæ, qui ex natura sua repugnet cum præsentia substantiæ materialis, non vero cum præsentia quantitatis, neque cum præsentia alterius substantiæ spiritualis; mihi quidem & voluntarie dictum videtur, & nulla ratione concipi, aut explicari posse. Nam, si ille modus est indiuisibilis ex se, cur excludet aliam substantiam? Item vna pars substantiæ corporis Christi non excludit aliam ab eadem omnino spatio, licet vtraque materialis sit. Item substantia materialis solum ratione quantitatis habet repugnantiam localem cum quacunq; alia re: ergo, si corpus Christi sic præsens non repugnat quantitati panis, nõ repugnabit substantiæ, Alterum membrum de speciebus sacramẽtalibus probatur: quia, secluſa præsentia, nõ possunt duæ substantiæ repugnare in ordine ad accidentia, nisi propter aliquam vnionem cum illis, quia, videlicet, vnio vnius expellit vnionem alterius: sed hoc dici non potest in præsente, tum quia ostensum est in superioribus, corpus Christi non habere vnionẽ formalem cum accidentibus panis: vnio autem effectiua non satis est, quia etiam demonstratum est, illam non esse formalem terminum transubstantiationis, tum quia licèt daremus esse aliquam vnionẽ formalem inter corpus Christi & species panis, illa non esset talis, quæ formaliter dissolueret vnionem inter illa accidentia, & substantiam panis: quia per talem vnionem, accidentia illa non constituerẽtur per se: ergo neque ex vi illius separarentur à subiecto: ergo ex vi illius non expelleretur substantia panis ab illis accidentibus: quia non expellitur, nisi quando accidentia separantur ab illa, & per se cõstituuntur. Dici tamen potest, repugnare his accidentibus habere simul duas vniones, quanuis diuersarũ rationum, alteram cum corpore Christi, alteram cũ substantia panis, & ideo, facta vna, ex natura rei dissolui aliam. Quæ responsio, vt verum fatear, nõ potest satis impugnari, quanuis nec admitti etiam debeat, quia, cùm illa vnio, quæ superaddi dicitur, supernaturalis sit, solùm conuenit subiecto secundùm capacitatem obedientiam: ergo, si ex modo suo & effectu formali non habet directam repugnantiam & oppositionem cum alia vnione naturali, propter solam multitudinem non repugnabunt, quod verò ad rem pertinet, est, quia nulla fingi potest talis vnio.

Repugnat.

Impugnatur.

Sed adhuc possunt duo alij modi excogitari, quibus substantia corporis Christi per se ipsam, & ratione suæ præsentiæ dicatur formaliter expellere substantiam panis. Prior est, si dicamus, substantiæ corporis Christi sic præsenti sub accidẽtibus ex natura, & conditione illius præsentiæ debitum esse, vt alia substantia sub illis accidentibus non conseruetur. Quod si ita est, satis erit ad expulsionem formalem: quia non alia ratione calor expellit formaliter frigus, nisi quia posito calore in subiecto illi debetur, vt frigus ibi non conseruetur: illud autem ita esse verisimile fit ex communi ratione subiecti & accidentis: nam vni accidenti vnum tantũ subiectum debetur: vnde hoc ipso, quòd vnum loco alterius constituitur, debitum est, vt aliud excludatur. Hic modus potest quidem facilè sustineri, quia, cùm non omnino nobis constet, qualis sit, cuiusuè naturæ hæc præsentia corporis Christi in hoc sacramento, non est etiam euidens, quid illi ex natura eius debitum sit. Mihi tamen, quantum ex his, quę cognoscimus, philosopharilicet, videtur ille modus voluntarius: quia nullum habemus fundamentum ad asserendum, hoc esse debitũ illi præsentiæ, quia ratio præsentiæ substantialis hoc non postulat, vt ostensum est. Quod verò dicitur, hanc substantiam substitui loco alterius subiecti, si formaliter, & proprièdè ratione subiecti intelligatur, falsum est, quia corpus Christi non est subiectum accidentium panis, si latè, & improprie de supplente vicem subiecti in quocunque genere causæ, iam non erit sermo de exclusione formali, sed de effectiua: quia corpus

Repugnat.

Impugnatur.

A Christi non supplet vicem subiecti formaliter, sed effectiuè, & per illam effectionem non potest formaliter excludere substantiam panis, vt per se constat, & in sequente conclusione commodiùs dicetur. Denique, licèt verum sit, quando vnum expellit aliud formaliter, intercedere illud naturale debitum non conseruandi vnum simul cum alio, tamen hoc ipsum debitum supponit naturalem repugnantiam, vel contrarietatem inter ea, quæ se se mutuò excludunt. Ostensum est autem, hic non reperiri hanc repugnantiam, vel saltem nullum esse fundamentum ad affirmandam illam: illud ergo, quod de hoc debito dicitur, gratis & voluntariè dictum videtur.

Euasiones.

Alter modus posset excogitari, scilicet, quanuis illa duo ex natura rei formaliter non repugnent, tamen diuina virtute fieri, vt se se formaliter excludant: nam, sicut è contrario facere potest Deus, vt quæ ex natura rei formaliter repugnãt, & se excludunt, actu non se excludant, ita è contrario videtur fieri posse, vt, quæ non se excludunt formaliter ex natura rei, se excludant formaliter ex obedientia Dei. Cur enim potest Deus eleuare aliquid ad destruendum aliud effectiuè per potentiam obedientialem, & non poterit idem facere formaliter? Respondetur, hoc inuoluere cõtradictionem, si sermo sit de vera expulsione formali. Potest quidẽ Deus facere, vt, posito hoc, infallibili lege aliud tollatur, etiam sine alia actione, vel causalitate positiua ex parte alterius: sed hoc non satis est ad intrinsecam formalem expulsionem, de qua loquimur: nam de alia, quæ est ex lege, vel pacto Dei, nulla potest esse quæstio. Tamen, quòd ea, quæ ex natura sua non repugnant, nouam repugnantiam formalem & intrinsecam habeant per solam potentiam obedientialem, id intelligi non potest: quia hæc repugnantia solùm oriri potest ex positiuo effectu formali: hic autem crescere non potest, nec mutari per potentiam obedientialem, non mutata, neque aucta forma, & ideò non est simile de efficientia, nam potest eleuari res ad efficiendum aliquid, quod ex natura sua facere non poterat, & ex illa actione potest naturaliter & intrinsecè sequi destructio alterius, at verò forma non potest eleuari ad dandum nouum effectũ formalem per potentiam obedientialem, & ideò neque ad nouam expulsionem alterius maximè quia hic loquimur, supposito eodẽ effectu, vel quasi effectu formali præsentiæ corporis Christi, stante autem eadem actione positiua, vel productiua vnius, non potest ex illa sequi destructio alicuius, quæ ex natura sua, & intrinsecè non sequatur, alias erit solùm ex pacto Dei. Denique non est simile aliud, quod adducebatur, quia nulla est repugnãtia, quòd Deus alicui non cõferat actu, quod ex natura sua illi debitum est, quia per hoc non mutatur rei natura, sed solùm nõ expletur, seu satiatur in omnibus; tamen, quòd alicui intrinsecè & ex vi suæ entitatis fiat de nouo debitum id, quod ex natura rei debitum non erat, non mutata rei entitate seu natura, id concipi non potest: quia hoc debitum nihil aliud est, quàm intrinseca cõditio, vel propertio talis rei, vel naturæ cum tali actu: non est ergo possibilis ille modus formalis repugnantiæ.

Refellitur.

Dico tertiò, substantia panis expellitur per realem actionem, qua accidentia ab illa separãtur, & per se constituuntur. Hæc conclusio sumitur ex D. Tho. & Capreolo locis citatis, & à sufficiente enumera-

Substantia panis desinit esse per realem actionẽ

Universidad de Deusto Biblioteca

qua accidentia ab illa separantur.

tione, Duo verò sunt in illa explicanda. Primum est, qualis sit hæc actio, & quis terminus eius per se: nam separatio vnius ab alio, videtur tantùm consistere in carentia vnionis, quæ non potest esse terminus actionis positiuæ. Duobus tamen modis potest explicari hæc actio. Primo, quia accidentia panis, quando à subiecto separantur, non solum priuantur inhærentia, sed etiam accipiunt positiuum modum per se existendi: hæc igitur actio per se primò efficit in his accidentibus huiusmodi modum, qui formaliter repugnat cum actuali inhærentia, & vnione accidentium in subiecto, quia vnus modus includit negationem alterius, & ideò ex vi huius actionis separantur hæc accidentia à suo subiecto, & hic modus est facilis, solùm habet difficultatem, quia supponit sententiam de illo modo positiuo, quę nō est certa, satis verò est, quod sit probabilis, & fortasse est probabilior, vt videbimus infrà. q. 77. Secundus modus explicandi hanc sentētiam est, quòd terminetur solùm ad conseruandam entitatem ipsorū accidentium absolutè & sine dependentia à subiecto per modum creationis, etiam si illis nullum positiuū modum superaddat, & in hoc modo explicandi non est dubium, quin talis actio interueniat de facto, vt infrà etiam. q. 77. demōstrabimus. Difficile verò est, quomodò hæc actio præcise sumpta repugnet formaliter actuali inhærentiæ, & vnioni accidentium cum subiecto, & excludat illam, quia solùm terminatur ad entitatem formæ, conseruando illam alia actione, & alio modo, quàm antea conseruaretur, rectè autem intelligi potest, quod maneat sub priori modo, & conseruetur priori actione qua in subiecto conseruabatur, & simul etiam cōseruetur actione superaddita: quia, vt suprà diximꝰ non repugnat, eandem rem simul conseruari duplici actione totali, præsertim quando naturalis est, & aliàs naturaliter additur. Maximè, quia non desunt qui existiment, nunc de facto accidentia conseruari seu fieri à Deo per actionem creatiuam, & ab agēte naturali simul per actionem eductiuam. Sed hoc vltimum mihi improbabile est, illud verò prius est probabile supernaturaliter loquendo: dici tamen potest, satis esse, ex natura rei eandem rem non esse capacem illius duplicis actionis, vt vna posita ex natura rei cesset alia. Sed neque hoc planè satisfacit. Primò quidem, quia illa actio conseruatiua accidentium per se, & sine dependentiā à subiecto, cùm non sit connaturalis accidenti, sed tantùm per diuinam potentiam, non potest dici illa posita, deberi accidēti, vt priuetur naturali modo conseruationis suæ, sicut, licèt infundatur homini scientia infusa, nō ideò debitum est, vt priuetur naturali, & idem est de omni perfectione naturali, & supernaturali, quando inter eas non est formalis repugnantia, quæ inter prædictas minimè videtur esse, si in terminis earum non inueniantur modi repugnātes. Adde, modum vnionis inhærentiæ esse quid distinctum ab entitate accidentis, qui non conseruatur per aliam actionem, qua conseruatur accidens independenter à subiecto. Nec verò est, cur per illam destruatur, si per illam nihil fit repugnans illi vnioni, etiā si per illam fiat ipsa entitas accidentis alio modo nō pendente ab vnione. Denique, estò verum sit, videri superfluam actionem conseruatiuam accidentis, sine dependentia à subiecto, si accidens adhuc manet vnitum subiecto, tamen inde non tam fit, vnā actionem excludi per aliam formaliter, quàm supponere destructum subiectum, & ideò adiungi talem actionem, ne accidentia simul pereant. Prior ergo modus videtur solidior, quanuis, cui posterior placuerit, poterit illum sustinere.

Quomodo remotis accidentibus substantia naturaliter desinat esse, exponitur.

Alterum explicandum in hac tertia conclusione erat, quomodò, separatis accidentibus à substantia, statim illa ex natura rei naturaliter desinat esse. Quod per principia philosophiæ declarandum est, vel quia, remotis accidentibus, tolluntur dispositiones necessariæ ad conseruandam vnionem formæ substantialis cum materia, & ideò statim soluitur illa vnio, & consequenter desinit esse forma substātialis, quæ à materia pendebat, vel quia hæc actio non est talis, vt per eam non introducatur alio dispositio, vel forma in materiam, consequenter etiā fit desitio ipsius materiæ, quæ, sine forma, naturaliter esse non potest, vel certè, quia etiam est naturale materiæ, vt, sine quantitate, conseruari non possit: per hanc autem actionem priuatur omni quantitate. Potest autem hoc explicari, vel per modum dependentiæ, quia, scilicet, materia pendet aliquo modo, vel in aliquo genere causæ à forma, vel quantitate sua, vel per naturalem quandam connexionē, & connaturale debitum: quia, videlicet, ita postulat materia naturalem modum existendi cum quantitate, & forma, vt, si omnino illo priuetur, non debeatur illi conseruatio naturalis sub alio existendi modo: quomodò dici potest, animam naturaliter esse non posse sine intellectu & voluntate, ita vt, si illis priuetur, naturaliter etiam postulet priuari esse suo, & conseruatione in rerum natura. Ex his ergo satis constat, quomodò possit tota substantia panis desinere per actionem positiuam, & solutū est fundamentū secundæ sententiæ. Ad fundamētum ergo primæ cum prima cōfirmatione dicemus fusiùs duabus sectionibus sequentibus. Ad secundam verò confirmationem dicitur: nunquam Concilia, aut Patres, ex sola pręsentia corporis Christi per se sumpta colligere desitionem panis, sed ex veritate verborum, vt apertè constat ex Tridētino. Vnde rectè colligitur, vtrumq; fieri ex efficacia verborum, non verò fieri eadem indiuisibili actione.

Obiectio.

Sed dicunt aliqui, etiam si verum sit, necessariā esse specialem actionem ad expellendam substantiā panis, distinctam ab ea, qua fit hic corpus Christi, tamē illam actionem ex natura rei sequi, posita altera actione, seu termino eius, id est, ex corpore Christi hic præsente, & ideò dici posse, ex vi prioris actionis, per quam constituitur hic corpus Christi, destrui substantiam panis; non primario, sed consecutione quadam, non merè formali, sed effectiua.

Solutio.

Sed hoc, licèt videatur piè excogitatum ad inueniēdum aliquem modum, quo omnia, quæ sunt necessaria ad transubstantiationem, dicantur esse connexa in vna actione: tamen, re vera, non est fundatum, nec potest illius sufficiens ratio reddi. Quo enim fundamento dicitur, ex corpore Christi hic præsente naturaliter sequi hanc actionem destructiuam panis? nam illa actio, neque est naturalis corpori secundum se, vt est per se notum, quia est mirabilis actio & supernaturalis, neque etiam est naturalis præsentiæ sacramentali, quia illa præsentia per se non est magis actiua, quàm alia præsentia localis. Præterea, illa actio cōseruatiua accidentium sine subiecto, est per modū cuiusdam creationis, quomodo ergo dici potest, manere naturaliter ex corpore Christi, aut illi esse naturaliter debita, ex eo solùm, quòd ita sacra-

sacramentaliter existit? Denique, nulla virtus excogitari potest in illo corpore, cui sit connaturalis illa actio, sed est solùm instrumentalis, per potētiam obedientialem eleuata iuxta diuinum beneplacitum & institutionem. Vnde verius fortasse est, in primo instante consecrationis non esse illam actionem à corpore Christi, sed à solis verbis: non est ergo necessaria naturalis connexio physica inter has actiones, sed tota est ex diuina institutione & lege, quam ex veritate verborum, prout ab Ecclesia intellecta sunt, colligimus.

SECTIO VII.

Vtrùm substantia panis annihiletur.

Qui dicant in Eucharistia panē annihilari. Gabriel. Maior. Ocham. Angel. Durand. Albert. Ledesm.

HAEc quæstio ex precedente expediēda est, qui enim negant, panē desinere per actionē positiuā, cōsequenter non verentur concedere, substantiam panis annihilari. Ita Gab. d. 11. q. 1. & in can. lect. 40. & 41. Maior etiam. d. 11. q. 1. Ocham in. 4. q. 6. dub. 7. Ang. verb. Euch. 1. nu. 31. quos etiam. q. præcedente citauimus. Tribuitur etiam Scoto. d. 11. q. 4. sed ille, licèt in re non differat, tamen modum loquendi vitare conatur, & fortasse tota quæstio est de modo loquendi. Duran. item idem sentit, supponendo, materiam panis desinere: nam in eius sententia non fit annihilatio, sed corruptio panis. Hanc verò opinionem probabiliorem existimat Albertus. d. 10. art. 6. Fundamētum huius opinionis esse potest primò, quia substantia panis omnino desinit esse, nihilo illius manente, & nō desinit ex vi alicuius actionis positiuæ, per quā destruatur, sed per solam suspensionem diuini concursus, quo cōseruabatur: ergo annihilatur. Maior de fide est: minor supponitur ab his autoribus ex rationibus factis in præcedente sectione: consequētia verò patet, quia neq; ex parte termini, neque ex parte modi, aliquid ibi deest ad rationem annihilationis. Respondet Ledesm. q. 16. art. 4. ex parte termini deficere aliquid ad annihilationem, quia manēt accidentia, sicut è cōtrario, si Deus destruat omnia accidētia per suspensionē influxus, conseruādo substantiam, non annihilabuntur, solū quia manet substantia. Sed hæc responsio nō satisfacit, quia accidentia sunt extrinseca substantiæ vnde nō mutant modū productionis, vel desitionis eius. Quocirca, si Deus nunc produceret integram substantiam panis sub accidētibus præexistentibus, illa nihilominùs esset creatio, quia esset productio substātiæ ex nihilo: ergo è contrariò desitio substantiæ, quanuis maneant accidentia, erit annihilatio. Quapropter non est eadem ratio in exemplo adducto, quia accidens pendet à substantia, tāquam à subiecto, de cuius potentia educitur, & ideò, quando destruitur, illa non est annihilatio, sed corruptio accidentalis compositi, manēte subiecto, tanquā materia, ex qua educitur accidens, at verò substantia per se est, & non in accidentibus: vnde, quando tota desinit esse per suspensionem influxus, quo ab efficiēte causa conseruabatur tale esse, illa per se primò est desitio totius substantiæ, nullo manente subiecto, & ideò est proprissimè annihilatio, cuius signum etiā est, quia ex vi talis desitionis ex natura rei omnia accidentia desinerent, quod autem miraculose conseruentur, non mutat prioris desitionis modū. Confirmatur, & explicatur, quia annihilatio propriè opponitur creationi: sed omnis productio rei absq; præsupposito subiecto, est creatio, quanuis cōtingat, accidens vel formā supponi, vt patet, si post creatam animam Deus crearet materiam, vniendo illam animę præexistenti, vel (sicut infrà dicemus) nunc de facto in hoc sacramento, quando in illo desinit esse corpus Christi, Deus creat materiam, & ponit illā sub quantitate præexistente: ergo desitio rei vsq; ad primū subiectum, seu quæ nullum subiectū, vel potentiam passiuam relinquit in re, quæ desinit esse, est annihilatio. Vnde confirmatur secūdò, quia substantia conseruatur à Deo per actionē creatiuam: ergo desinit per suspēsionem illius actionis: ergo per annihilationē: nā, sicut corruptio opponitur generationi, seu conseruationi formæ in subiecto, ita annihilatio creationi: nihil enim aliud esse videtur, quā suspensio influxus de se creatiui.

Prædicta sētentia nō est improbabilis. Soto.

Hanc sententiam sic explicatam nō existimo dignam censura aliqua, vel nota, imò neque esse omnino improbabilem, & valde miror, quam ob causam Dominicus Soto. d. 9. q. 2. a. 4. ante solutionē argumentorū dixerit, annihilationis opinionē minimè citra errorem sustineri posse: cū enim hæc sit opinio grauiū, & Catholicorū Doctorū, & habeat probabilia fundamenta, & probabiliter saluet omnia, quæ docet fides, nō video, quo fundamēto, aut ratione possit ita notari. Præsertim cū Innoc. lib. 4. de hoc myst. c. 20. hanc attingēs opinionē, eam probabilē censeat. Dicet fortasse, annihilationis nomē & rationē pugnare cū ratione, & nomine conuersionis: at prædicti autores facilè hoc negabūt: quia, licèt totus trāsitus panis in corpus Christi, vt includit duas mutationes, & plures terminos, nō possit dici annihilatio: quia altera illarum mutationū tendit ad terminū positiuū, tamen altera mutatio præcise sumpta, quæ fit in substantia panis, seu termino à quo, potest iuxta hanc sentētiam dici annihilatio: quia est transitus in nihilum: non enim repugnat, eandem substātiam omnino desinere esse, & vt sic annihilari, & illi succedere aliam substantiam, & vt sic conuerti, sicut in transmutatione rerū naturaliū eadē res simul corrūpitur, & conuertitur in aliam: quia & desinit esse substantialiter per separationē formæ à materia, & illi formæ succedit alia forma in eadē materia: vnde, licèt totus ille trāsitus vnius rei in aliā non sit corruptio, sed conuersio, tamē altera mutatio præcise sumpta, quæ fit in termino à quo, est corruptio. Sic ergo existimat hæc opinio dici posse in præsente conuersione.

Verior tamē sentētia docet panē nō annihilari. Magister. Albert. Bonauent. Richar. Capreol. Palud. Scotus. Innocent. Alens. Altisiod. Hugo. Henric. AEgid.

Nihilominùs tamen verior sentētia est, panē nō annihilari. Ita docet D. Th. hic & grauiores Theologi cū Magist. in 4. d. 11. Alberto, Bonau. Richa. Capreol. Palud. & inclinat etiam Scotus. q. 4. & Innocent. paulò ante citatus. Tenet Alens. 4. p. q. 38. memb. 3. Altisiodor. lib. 4. sum. tracta. 5. c. 2. Hugo Victor. lib. 2. de sacr. part. 8. c. 9. Henric. quodlib. 9. q. 9. quodlib. 11. q. 4. AEgid. Theorem. 1. & . 34. de Eucharist. Rationes autem variæ reddūtur, propter quas hæc desitio non est dicēda annihilatio, & quidē, qui dicūt, substantiam panis, vel aliquid eius aliquo modo manere, facilè se expediunt, dicentes, non annihilari, quia non omnino desinit esse. Sed hæc ratio supponit fundamētum erroneum, & ideò ad reddendā rationem, statuendum in primis est, illā substantiā ita desinere, vt nihil omnino illius maneat. Quocircà post cōuersionē ita iam nō est, ac si esset annihilata, vel ac si nulla substantia sub accidē-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus panis illi succedisset. Deniq; post cõuersionẽ verè posset à Deo iterũ creari, & cõsequenter ex nihilo produci, ita ergo desijt esse, ac si esset annihilata, quãtum attinet ad negationẽ existẽdi. Quod autem hoc nõ satis sit ad propriam annihilationem in genere ostendi potest, quia ad annihilationẽ nõ tantùm attendendũ est, ad quid tandem terminetur rei desitio, sed etiam qualis fuerit modus mutationis seu desitionis rei, sicut in corruptione naturali, etiã forma ita tranijt in non esse, vt post corruptionẽ verè sit nihil, cuius signũ etiam esse potest, quia posset à Deo iterum creari ex nihilo, & tamẽ nõ dicitur annihilari propter modũ desitionis, quia ad corruptionẽ compositi desinit esse, manẽte subiecto, de cuius potentia est reducta: sic ergo in præsente, quamuis post transubstantiationem tam substãtia panis verè sit nihil, non sequitur necessariò esse annihilatam, si aliunde ex modo desitionis potest sufficiẽs ratio reddi, in quo est difficultas.

Similiter secunda. Secundò dicũt aliqui, panem non annihilari, quia ita tranijt in substantiam corporis Christi, vt in illa veluti imbibatur, & absorbeatur. Sed, vt supra dixi hæc tantùm sunt verba, quibus nihil rei subest: quia in corpore Christi nihil manet substantiæ panis, sed solũ quædã habitudo rationis ad illã, quatenus illi succedit sub eisdem accidentibus, qui respectus rationis non refert ad tollendam annihilationẽ, nisi aliquid aliud addatur. Tertiò, alij affirmant, panem *Item tertia.* non annihilari, quia non omni modò desinit esse, quia manet in potentia obedientiali corporis Christi sub speciebus. Ita Palud. in 4. dist. 11. q. 3. art. *Palud. Capreol.* 2. nu. 23. & ibi Capreol. ad 1. Scoti contra 2. conc. Sed hanc sententiã improbat Ferra. 4. cont. gent. c. 63. & meritò. Quia, vel intelligitur manere panis in potentia obedientiali actiua Corporis Christi, & hoc non est ad rem, quia virtus actiua est omnino extrinseca rei, quæ desinit esse: vnde non impedit, quominùs annihiletur, vel nõ sit, vt, licèt Deus annihilaret cælũ, nihilominùs maneret in potẽtia actiua Dei, & in potentia obedientiali actiua, cuiuscunque instrumenti diuini. Vel intelligitur de potẽtia obedientiali passiua, & hoc modo est falsum: quia totus panis, qui desijt esse etiam secũdùm materiã non potest educi de potentia passiua corporis Christi: quia repugnat, materiam primã recipi in potentia passiua, vel vocatur potentia obediẽtialis quælibet ratio termini à quo positiui, ita vt dicatur panis manere in potẽtia obedientiali corporis Christi, solũ quia ex illo produci potest, tanquam ex termino positiuo cõuersionis. Et hæc in primis improprissimè dicitur potentia obedientialis, deinde, etiam si Deus annihilet cælum, manet illo modo in potentia obediẽtiali terræ, quia per cõuersionem terræ in ipsum potest reproduci. Deinde, quãuis admittamus cũ D. Tho. q. 77. art. 5. & in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. illã numero substantiã panis, cui succesit corpus Christi sub speciebus, non posse modo accommodato naturis rerum reproduci, nisi per cõuersionẽ corporis Christi in ipsam: quia debet produci sub eisdem dimensionibus, & propter hanc rationẽ dicatur specialiter manere in potentia obediẽtiali corporis Christi, adhuc in hoc sensu per illum obscurũ & impropriũ loquendi modũ non explicatur alia ratio, propter quam panis non annihiletur, nisi quia illi succedit substãtia corporis Christi sub illis eisdem speciebus, quam rationem ipsi improbãt in Scoto. Quòd autem eorũ verba nihil aliud in re contineant, probatur, quia Christus non cõtinet panem in potentia obedientiali propriã, vt probatum est, sed solùm est terminus, qui loco alterius introducitur, & excludendus dicitur, vt iterum ibi fiat substantia, quæ desierat.

Quarto recit. Quartò ergo alij dicunt, panem non annihilari, solùm quia ex intentione agẽtis vocẽ illa mutatio ordinatur ad esse termini ponendi sub illis speciebus, omnis enim mutatio sumit suam rationẽ, & denominationẽ à termino ad quẽ. Ita Ferr. supra, & Scoto nõ displicet hæc ratio, neq; est omnino contẽnenda: habet tamen nonnullã difficultatem: quia, licèt illa ratione rectè explicetur, totam cõuersionẽ nõ esse annihilationem, tamen, quòd illa pars huius mutationis, quæ est desitio panis, non sit annihilatio, solùm, quia ordinatur ad introductionem alterius rei nõ videtur satis persuadere illa ratio: sicut in generatione hominis antecedit ordine naturæ creatio animæ, quæ ad illã generationem ordinatur, & nihilominùs vera creatio est, quia est productio ex nihilo: ergo similiter, si hæc desitio panis sit in nihilo quatenus ad præsentiã corporis Christi ordinetur, erit annihilatio. Et hoc maximè vrget, si illa desitio solũ est per suspensionem diuini concursus, & introductio corporis Christi est per actionẽ omnino distinctã, non habens vllã connexionẽ realẽ & physicam cũ alia desitione, vt, si Deus statueret in instante, quo homo moritur, & generatur cadauer, suspendere illũ concursum, quo rationalem animã in esse conseruat, illa esset vera annihilatio animæ, quãuis inde simul fieret cũ productione alterius rei. Nihilominus tamẽ responderi potest, hæc exempla nõ esse similia, quia in illis creatio vel desitio animæ non cõponit vnam integrã cõuersionem cum alijs mutationibus, sed est quid antecedẽs, vel cõsequẽs conuersionẽ, & ad illam quodãmodo vltimatè terminatur, & ideò nõ habet rationẽ annihilationis: annihilatio enim dicit mutationẽ quasi integrã & & totalẽ, quæ omnino desinit in nõ esse. Vnde hoc ipso, q; ordinatur ad cõuersionẽ positiuã, & illã quodãmodo cõponit, deficit à ratione annihilationis.

Vltima ratio. Quinta ratio, quæ mihi videtur præcipua, reddi potest, quia panis nõ desinit per merã suspensionẽ cõcursus Dei, sed ex vi actionis positiuæ & physicæ, quã suprà explicauimus. Est enim contra rationẽ annihilationis, vt per positiuã actionẽ fiat, seu cõsequatur, vt sentit D. Tho. 1. p. q. 104. art. 3. ad 3. & Scot. in 4. d. 11. q. 4. in vltimis verbis. Ratio verò est, quia actio positiua necessario terminatur ad positiuum terminũ, & si ex illa sequitur desitio alicuius rei, non potest omnino destrui totũ id, quod per se supponitur ad talem actionẽ, & ideo non potest habere rationem annihilationis. Et explicatur hæc ratio, quia omnis actio realis, vel est in subiecto, vel sine subiecto, si est in subiecto, non destruit illud, præsertim si loquamur de actione substantiali, cuius subiectum sit materia, & eadem ratio est de omni actione, cuius subiectum est res simplex, quæ destrui non potest per actionem in se receptã: quia actio, præsertim momentanea, non destruit aliquid, nisi in instante, quo existit: ergo, si in illo instãte est in subiecto, necesse est, vt in eodem instante existat subiectũ, ergo impossibile est, per illam actionẽ destrui subiectũ: ergo illa actio non potest esse destructio totalis illius rei, quã per se supponit: vnde nõ erit vera annihilatio: talis ergo actio non potest esse annihilatio, si vero actio sit sine subiecto,

D. Thom. Scotus.

to, illa terminatur ad rẽ non receptã in subiecto, & consequẽter ex sola sua vi & efficacia non infert totalẽ desitionem alicuius rei, quia per actionem non destruitur alia res, nisi in quantũ est incõpossibilis cũ termino talis actionis, si autem actio & termini eius non respiciunt aliquod subiectum, non habebunt repugnantiã in existentia cum alia re: quia duæ res vt sic absolutè consideratæ non repugnãt simpliciter, nisi in ordine ad aliquod tertiũ, quod sit subiectum, vel quasi subiectũ, & ideò inter substãtias vt sic, id est, quatenus subsistentes sunt, nõ est contrarietas nec oppositio, qua vna, hoc ipso q; est, destruat aliam, nè sit in rerum natura: imo neq; contrariæ qualitates hoc modo inter se pugnant, nisi in ordine ad idem subiectũ: ergo ex actione, quæ nullo modo respicit subiectum, non potest intrinsecè sequi vllo modo destructio alterius rei.

Confirmatur Et confirmatur hæc ratio, applicando illam præsenti mysterio: desinit enim substantia panis per actionem, qua separantur accidentia ab illa: ergo ex vi actionis per se primò non destruitur substantia, vt totum quoddam est, sed destruitur compositum ex illa substantia & accidentibus, & consequẽter illa substantia desinit omnino esse, non tamen propriè annihilatur: quia nõ desinit, vt totũ quoddam per se, sed vt quædam pars illius compositi, manente alio extremo in rerum natura, quod est veluti subiectum illius actionis, præsertim, si actio illa efficit in quantitate modus per se existendi, formaliter repugnantem actuali inhærentiæ: nam explicata hoc modo illa actio optimè dicitur, versari in quantitate, tanquam in subiecto. At verò si sequamur alium dicendi modum, quòd quantitas solùm conseruatur per actionem independentem à subiecto, & ex vi illius separatur ab illo, non poterit dici propriè quantitas subiectum talis actionis, sed solum terminus: quia illa actio solùm fit per modum creationis, quod videtur obstare discursui facto, & ideò suprà existimaui hunc modum dicendi dubiũ & difficilem. Dici tamen potest, huiusmodi agendi modum solùm posse esse causam desitionis alterius rei, quando ex illo sequitur dissolutio alicuius compositi, cuius alterum extremum componẽs ex vi illius dissolutionis desinit esse, & tunc eandem vim retinet ratio: quia necesse est, alterum extremũ manere conseruatum per talem actionem: vnde fit, vt illa non sit annihilatio. Et iuxta hanc rationem potest explicari, & accommodari alia ratio, quæ dari solet, scilicet, panem ex ratione nõ annihilari, quia aliquid eius manet, nimirùm accidentia. Hæc enim ratio, si solùm ex parte termini, qui desinit esse, consideretur, apparebit insufficiens: quia accidẽtia sunt valdè extrinseca substantiæ, & ideò substantia potest per se creari sine accidentibus, vel sub accidentibus præexistentibus, & ideò videtur etiam posse annihilari, si per se primò desina esse, etiam si accidentia eius aliàs conseruentur in esse. At verò explicata ratio hæc ex parte modi actionis, seu desitionis, est probabilis, & coincidit cum præcedente, scilicet, hanc non esse annihilationem, quia fit ex vi cuiusdam actionis conseruantis accidẽtia per se existentia, & consequenter destruentis substantiam, non per se primo, vt totum quoddam est, sed vt cõponebat vnum cum accidentibus, quæ manent.

Sed instabit aliquis, quia, licèt verum sit, ex hac actione immediatè sequi dissolutionem illius compositi, tandem verò fit totalis destructio substantiæ panis, ita vt nihil illius maneat. Respondetur, iam hoc pertinere ad quæstionem de nomine: in omni enim vera, vel etiam probabili sententia, supponi debet, substantiam panis ita desinere, vt nihil illius maneat: vnde post conuersionem illa substãtia omnino non est, ac si esset annihilata, vel ac si nihil sub accidentibus illi succesisset: quia, re vera, post conuersionem illa substantia est omnino nihil, cuius euidens signum est, quia posset iterum à Deo creari ex nihilo, si ergo propter hanc solam causam dicatur annihilatio, erit quæstio de nomine: impropria tamen erit locutio: quia ad rationem annihilationis non tantùm est attendendum, ad quid tandẽ terminetur rei desitio, sed etiam qualis fuerit modus mutationis vel desitionis, sicut in corruptione rei naturalis, forma tandem ad hoc terminatur, vt omnino sit nihil, cuius etiam signum est, quia potest ex nihilo creari, & nihilominùs non annihilatur, quia solùm desinit ad dissolutionem compositi: ergo idem etiam erit in præsenti dicendum. Et hinc colligitur differentia inter corruptionẽ & annihilationem: nam, quia illa opponitur generationi quæ fit per vnionem formæ cum materia, quæ est subiectum illius actionis, ideo potest proximè ac necessario sequi corruptio ex generatione: at verò annihilatio propriè opponitur creationi, & dicit destructionem entis in quantum ens, seu quatenus habet esse per creationem: creatio autem non versatur circa subiectum, & ideò esse rei, quatenus ab illa pẽdet, non potest destrui per actionem illi esse repugnantẽ, ac propterea non potest sequi annihilatio ex actione positiua, sicut sequitur corruptio. Et ex his satisfactum est rationi dubitandi initio huius sectionis positæ.

Obiectio 4a Sed obijciet aliquis, quia sequitur, panem non fore annihilandum, etiam si corpus Christi illi non succederet: patet sequela, quia etiam tunc desineret substantia, non per suspensionem influxus, sed per actionem positiuam, ex qua per accidens sequitur destructio illius: cõsequens autem videtur falsum, tum quia ferè omnes contrarium sentiunt, dum dicunt, illam non esse annihilationem: quia est cõuersio in substantiam corporis Christi, tũ etiam, quia si illa non est conuersio, neque est annihilatio, neque corruptio, quid tandem erit, vel quomodo appellabitur illa desitio? Tandem, quia, si intelligere mus, per alterationem expelli formam substantialẽ à materia, & illi nõ succedere aliam, & propter hãc causam materiam omnino desinere esse, fateremur illam annihilari, licèt illa desitio per accidens consecuta sit. Respondetur, concedendo, etiam in eo casu, illam non esse propriè, & in rigore annihilationem: quia, vt dixi, annihilatio est desitio totius entis secundùm se, per hanc autem actionem non desinit substantia quasi per se, vt est quoddam totum, sed quatenùs componit vnum cum accidentibus, ex quo tandem sequitur, vt omnino non sit. Neque est inconueniens, quòd illa desitio sit innominata: nam etiam actio, qua separantur accidentia à subiecto, & per se constituuntur, innominata est, & nũc etiam non habet proprium nomen: quia nomen cõuersionis non significat illam partialem mutationẽ priuatiuam, sed transitum vnius rei in aliam: illa autem mutatio generali nomine vocatur desitio substãtiæ, sicut in motu locali defectus, v. g. significat transitum à superiori ad inferiorem locum, in quo includitur amissio vnius loci, & acquisitio alterius,

Respondetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ sunt partiales mutationes, proprijs nominibus carentes. Addi præterea potest, etiam in eo casu deficere ex alio capite rationem annihilationis: quia illa actio separatiua accidentium à subiecto quodammodo ad hoc terminatur natura sua, vt sub illis alia substantia introducatur: nam, cùm accidentia sint propter substantiam, cõnaturale illis est, vt nõ sint vacua omni substantia, atque adeò, vt, si aliquando separentur, non propter se tantùm separẽtur, sed vt altiori modo alteram substantiam contineant: illiq; deseruiant: hoc igitur modo illa actio ordinatur ad conuersionem, & ideò desitio, quæ per illam fit, nõ est annihilatio, etiam si per accidens non consummetur cõuersio. Neque est simile illud aliud de materia, tum, quia ibi totalis fieret desitio, ita vt nihil omnino maneret, tum, quia ex hoc ipso sequitur, illud non posse fieri ex vi alicuius actionis, quæ sit in instante desitionis materiæ: quia oporteret, talem actionẽ recipi in subiecto, quod esset impossibile, si ea in illo instãte materia nõ esset, neq; esset aliquod accidẽs separatum, vt supponitur; deberet ergo fieri per solam suspensionem diuini influxus.

SECTIO VIII.

An prædicta actio & desitio substantiæ panis ad rationem conuersionis & trãsubstantiationis sufficiant.

Ratio dubij. RAtio dubitãdi potest esse duplex. Prima est, quia hæc actio non est substantialis, sed accidentalis, cùm solùm versetur circa accidẽtia, quibus præbet modum per se essendi. Altera & maior dubitatio est, quia hæc actio non est ex natura rei connexa cum actione effectiua præsentiæ corporis Christi: quia vna nõ sequitur necessariò ex alia, nec terminus vnius ex termino alterius: suprà enim ostendimus, posse hic constitui substantiã corporis Christi manẽte substantia panis, & eadem ratione posset Deus conseruare per se accidentia excludendo substantiã panis non introducendo corpus Christi, neq; aliquod aliud: vnde tandem videtur hic nõ fieri vnum ex alio, sed vnum post aliud, quod nõ satis est ad rationem conuersionis.

Propter hanc difficultatem dixerũt aliqui Theologi, ad rationem conuersionis non esse necessariã connexionem inter amissionẽ vnius termini, & effectionẽ alterius, ita vt ex sola rei natura vnum ex alio sequatur, sed satis esse, q; ex lege & pacto Dei cõnectantur. Ita sentit Scotus in quodl. q. 10. Gab. lect. 40. in can. Maior. in. 4. dist. 11. q. 1. Guill. de Rub. q. 1. art. 3. Palac. disp. 2. in fine, & idẽ sentit Capr. ibi, citans varia loca D. Tho. q. 1. art. 1. conc. 3. Ferrar. 4. cõtr. gen. c. 63. Ledes. 1. p. 4. q. 16. dub. 3. in fin. Quòd si obijcias, quia diuina lex, seu ordinatio non mutat rerũ naturas, & ideò, si vnius incepto, & alterius desitio nõ habẽt ex se connexionẽ sufficientẽ ad conuersionem, etiam si Deus statuat, non facere vnã absq; alia, non propterea fore merã conuersionem. Respondere poterunt primò, in naturalibus rebus, quæ naturis rerum coaptantur, id verũ esse, tamẽ supernaturales, & miraculosas mutationes, quæ solùm ex omnipotentia agentis mensurantur, non habere aliã naturam, neq; aliam legem nisi quã Deus statui, & ideò, quia hoc opus est omnino supernaturale, & Deus statuit, vt non fieret, nisi transmutãdo vnã rẽ in aliã, id satis esse, vt hæc actio censeatur vera cõuersio, etsi ex pluribus actionibus non habentibus inter se naturalem connexionem componatur. Vel secundò dicere poterunt, hanc conuersionem non esse omnino physicam & naturalem, sed sacramentalem & artificialẽ, & ideò mirum non esse quòd actio, per quam fit, nõ sit simpliciter vna, sed ex multis partialibus constans per artificialem compositionem, sicut est ædificatio domus, & similes, & ad hanc satis est connexio illarũ duarum mutationum ex pacto, seu institutione diuina. Quod ita potest explicari, quia, quòd sacramẽta physicè causent, non est vndequaque certum, & quanuis supponatur, causare physicè aliquos effectus, nihilominùs necessario fatemur, aliquos etiam causare tantùm moraliter, quando, vel effectus ipse talis est, vt physicè causari non possit, vel quando alia ratio sufficiens occurrit ad impediendam causalitatem physicam: sic igitur in præsente mysterio actiones, & mutationes, quibus fit præsens corpus Christi, & accidentia panis per se constituuntur, & à substantia separantur, & ipsa substãtia excluditur ac desinit esse, efficiuntur physicè, quia in rebus ipsis nulla est repugnantia, at verò cõnexio inter has actiones non est physica: quia inter terminos earũ nulla est repugnantia intrinseca, & formalis: nam, cùm non sit conuersio formalis & totalis, termini non respiciunt subiectum aliquod, nec tertium aliquod, sub quo formaliter repugnent: solũ ergo est connexio sacramentalis, & quasi artificialis ex institutione diuina, quæ sufficit, & cõsentanea est termino huius conuersionis, qui non est vnum simpliciter, sed artificiale includens corpus Christi & species, quod etiam sufficit ad propriſsimam veritatẽ verborum formæ, & rerum omnium, quæ Concilia & Patres de hac cõuersione docent. Et hic modus dicẽdi sic explicatus nõ est certè improbabilis. Ad maiorem tamen magisq; propriam huius rei explicationem duo addenda videntur.

Explicatur & probatur relata sent.

Primò igitur addi potest, non esse de ratione cõuersionis simpliciter dictæ, vt illæ mutationes inter se necessariò connexæ sint propter formalem termi norum repugnantiam, sed satis esse, vt vna ad alterã ordinetur, & propter illã fiat ex intentione agẽtis naturis rerum magis consentanea: quia nulla est ratio, quæ probet, aliud esse de ratione cõuersionis: nam, licèt in omnibus cõuersionibus formalibus id fortasse reperiatur propter specialem rationem talis conuersionis; quæ fit circa idem subiectũ, nõ est tamen, cur hoc attribuamus omni conuersioni vt sic: quia vbi est singularis modus conuersionis, ibi etiã potest esse alia ratio vinculi, seu ordinis inter mutationes, ex quibus constat conuersio, vt in transloca tione, quæ nõ fit circa idem subiectum propriè, sed inter diuersa corpora respectu eiusdem spatij, seu continẽtis, inuenitur quodammodò alius modus transmutationis: nam vnum corpus expellit aliud non tantum formaliter, sed etiam effectiuè, & fortasse priùs effectiuè, quã formaliter; vnde alia actione, & mutatione recedit vnum & alia introducitur aliud: interdùm enim angelus. v. g. omittit vnũ partialem locum, vt alterum acquirat, quæ potest dici vera conuersio, seu commutatio locorum, quanuis fortasse illa loca non repugnẽt simul eidem angelo suppono enim, esse inadæquata. Denique ratio est, quia tota hæc connexio harum mutationum solũ existimatur necessaria, ne illæ videantur cõcurrere quasi per accidens, sed habeant inter se aliquod vinculũ, & vnionem: sed ad hoc satis est, vt sint per se ordinatæ, & vna ad aliam tẽdat. Quod autẽ in hac conuersione hoc reperiatur, ita explicari potest, nã in primis actio, qua excluditur substãtia panis, ad introductionẽ corporis Christi ordinatur, propter quod non malè dixit Soto. d. 9. q. 2. art. 4. post recitatã quartam opinionẽ, expulsionẽ illius substantię esse quasi modũ ad introductionẽ alterius, & in idẽ fere redit, quod dicit Ferrar. 4. cont. Gen. c. 63. circa tertiũ dictũ D. Tho. illam expulsionẽ esse dispositionẽ ad aliam introductionẽ. Et suprà declarauì, hoc habere aliquod fundamentum in ipsis naturis rerum, ne accidẽtia maneant vacua omni substãtia, & aliunde consentaneũ etiam est, vt sub eisdẽ accidentibus non contineantur duæ substãtiæ corporales, & integræ: vnde, cùm hic introducitur substãtia corporis Christi, vt sub illis accidẽtibus cõtineatur, & per illa ita significetur, vt simpliciter & absolutè hoc sensibile possit dici esse corpus Christi, & non aliud quid, valde consentaneum, & quasi debitum huic mysterio est, vt ad introductionem corporis Christi expellatur alia substantia, vel, vt hæc expulsio ad illam introductionem ordinetur.

Secundò adiungi potest, ad rationem cõuersionis nõ oportere, vt effectio vnius termini, & destructio alterius coniungantur, propter formalem repugnãtiam terminorũ secũdum se, sed satis esse, vt ratione agentis sint necessariò coniuncta. v. g. si ignis non posset producere ignem ex ligno, nisi corrũpendo illud, non propter formalem repugnantiã formarum substantialium, sed propter solas dispositiones præcisè sumptas: quia videlicet non potest introducere formã ignis, nisi mediis dispositionibus destruentibus dispositiones ligni, & consequenter expellentibus formã ligni, hoc præcisè consideratũ sufficiet, vt ignis dicatur conuertere vnũ in aliud, quia simpliciter vnum expellit, & introducit aliud & eius virtus determinata est ad agendum hoc ordine, & modo, siue hoc oriatur ex causalitate formali, siue ex dispositiua, vel effectiua, & siue id fiat vna simplici actione, siue duabus subordinatis: cur enim sicut conuersio est composita ex duplici mutatione, non poterit inter dùm componi ex duplici actione subordinata, & connexa, saltem in ordine ad talem causam, quæ non potest aliter producere talem effectũ? Ad hunc ergo modũ intelligi potest in præsenti, verba non habere vim ad agendũ vnum terminũ, nisi expellendo aliũ; & quia non potest expelli, nisi per aliam actionem, ideò non posse vnam efficere, nisi veluti præmittendo aliam, seu in ordine ad aliam, & ideò meritò dici, virtutem verborũ esse conuersiuã, & nõ agere, nisi conuertẽdo, quod totum fundatur quidem in significatione verborũ & consequenter in diuina lege, tanquam in prima radice, proximè tamẽ fundatur in virtute verborũ: quia, sicut, posita institutione, verbare vera habẽt virtutẽ ad agendum, quod significãt, ita in illa virtute connectuntur necessariò illæ duæ actiones, vel mutationes, quod satis est ad rationem cõuersionis: nam, sicut illa est virtus actiua physica, ita etiam est virtus conuersiua non naturalis, sed obediẽtialis, cuius ratio non ex pura rerum natura, sed ex modo quo ad agendum assumitur, & ex auxiliis, seu modo concursus, quem habere potest secundùm legẽ ordinariam, sumenda est.

Et hinc obiter colligitur primò, quã ratione existimata fuerit necessaria conuersio ad conficiendũ hoc mysteriũ, prout nunc à Christo institutũ est: tota enim hæc necessitas fundata est in necessitate verborũ, cui eorũ efficacia est accommodata: sunt enim verba practica, quæ virtutem habent, vt se se vera efficiãt in simplicissima significatione sua, & ad hoc fuit necessaria conuersio substãtialis, vel simpliciter, vel iuxta modũ agendi perfectiorẽ, & magis accommodatum, vt explicatum est.

Solutio. 1. rationis dubitandi.

Secundò colligitur responsio ad primam difficultatem positam: nã ad rationem cõuersionis substantialis ex parte termini à quo satis est, quòd desitio eius sit substãtialis, siue sequatur proximè ex actione substantiali, siue ex accidentali: hoc enim non refert: quia illa actio formaliter, & intrinsecè non est de conceptu substantialis cõuersionis, sed sola cessatio: potest autem substantia desinere esse per actionẽ accidentalẽ, quatenùs ab accidẽtibus pẽdere, vel cũ eis necessariã cõnexionẽ habere potest: quia, vt res desinat esse, non est necessaria specialis actio præter eã, qua destruitur aliud, à quo ipsa pendet: quia desitio, vt sic, non fit per actionẽ, sed potiùs per carentiã actionis: secus verò est de productione & effectione substãtiæ, quia illa fieri nõ potest per actionẽ accidentalẽ: quia requirit actionẽ, quæ directè tẽdat ad dandum esse substantiale.

Tertiò infertur, si Deus de potentia absoluta efficeret corpus Christi præsens sub accidẽtibus panis, conseruando simul substantiã panis, illam actionẽ tunc non fore conuersionẽ, vt per se cõstat, quia nõ fieret ex termino positiuo destructo, nihilominùs tamẽ illa actio, quoad totam positiuam rationem suã, eiusdem esset rationis cũ actione, quæ nunc fit circa corpus Christi, quia ad eundẽ terminũ, eodem modo, & ex eodẽ termino à quo priuatiuo tenderet: actio autem vt sic ex his principijs sumit rationem suam, quod etiam in naturalibus actionibus & conuersionibus videre licèt: conuersio enim vltra rationem productionis solũ addit respectũ & ordinẽ ad terminum à quo positiuũ, qui non est de necessitate actionis vt sic, sed interdùm necessariò coniungitur ex parte materiæ, circa quam versatur actio, vt calefactio, si fiat in subiecto carẽte omni frigore, est simplex actio, non conuersio, si verò fiat ex subiecto frigido, erit conuersio frigiditio calidũ, & tamẽ illa actio positiua, tendẽs ad calorẽ, eiusdem rationis est, cùm inter eosdem intrinsecos terminos, & eodẽ modo versetur. Idem ergo, & maioris ratione esset in præsente mysterio in prædicto casu: quia solũ deesset ruinatio termini à quo, & etiã illa actio per quam terminus ille nunc excluditur. Quocirca cũ autores interdùm ex præsentia corporis Christi in hoc sacramento colligunt conuersionẽ, intelligendi sunt, vel supposita veritate verborum, & efficẽtia illis accommodata, vel iuxta modum actionis, vel mutationis magis accõmodatum naturis rerũ, vt sæpè explicatum est.

Quarto sequitur, totã hanc conuersionẽ vno instante ac momẽto perfici, ita vt primũ esse corporis Christi sub speciebus, sit primũ non esse substantię panis, & primũ esse per se existentiæ accidentiũ, & separationis eorũ à subiecto: in his enim omnibus non potest esse successio: quia non priùs cõsecratur vna pars materiæ, quã alia, nec priùs, etiã per instãs introducitur corpus Christi, quã expellatur panis, vel è contrario, quia in nullo momento, aut accidẽtia sunt vacua vtraq; substantia, aut vtraq; simul

sub se continent: vnde vehementer errant, qui, corpus Christi incipere ibi per primū sui esse, substantiam autē panis desinere per vltimū sui esse, dicunt: nā, si loquuntur propriè, & in ordine ad eandē mensuram, & ad idem indiuisibile instans nostri temporis, sequitur in aliqua duratione reali simul esse sub accidētibus substātiam panis, & corpus Christi, q̄ est erroneū. Quòd si inquiras, quod sit illud instās, respondet D. Tho. ar. 7. & cū illo ceteri Theologi, d. 11. esse illud, in quo sensus verborum cōsummatur, sicut in genere dictū suprà est de formis sacramentorum: est enim eadem ratio. Solet verò hic referri *Altisiod.* Altisiod. lib. 4. sum. tract. 5. c. 2. quòd dicat, hanc conuersionem non in instante, sed successiuè perfici: si tamen attentè legatur, hoc non affirmat, nec ab aliquo probabiliter affirmari potest.

Quinto sequitur ex dictis, hanc conuersionē omni ex parte esse supernaturalē, scilicet, ex parte actionū, quæ in ea interueniunt, & ex parte terminorū, qui per illas fiunt. Denique ex parte agentis; quia per materialia verba fit à Deo tam admirabilis trāsmutatio. Et propter has causas Sancti suprà citati hoc opus valde exaggerant, tanquam vnum ex maximis omnipotentiæ Dei.

S. Thom. Gabriel. Bonauen. Alensis. Innocen. Solet verò à Theologis quæri, quod sit maius opus, creationis, aut Incarnationis, aut transubstantiationis, quod ex parte attigit hic D. Tho. art. 8. ad 3. & latiùs in 4. d. 11. q. 1. Gab. ibi art. 3. Bonauen. d. 10. art. 1. q. 1. ad 2. Alens. q. 34. memb. 3. & Innocen. lib. 4. de hoc myst. c. 7. Sed, quod ad Incarnationē attinet, nō est dubiū, quin sit maius opus, nisi fortasse quatenùs in hoc mysterio ipsa Incarnatio quodāmodò iterū fit, de quo dicemus. q. sequēte, nā, licèt demus, ita esse, tamē illud est solū cōcomitanter, & præter rationem transubstantiationis, vt sic. De creatione autem iam in superioribus dictū est, & D. Thom. suprà fatetur, in hoc mysterio esse plura mirabiliora, magisq; naturas rerum superantia, quā in creatione.

Dub. alterum. Albert. Carthag. Caietan. Deniq; solet quæri, an hoc opus dicendū sit propriè miraculū: aliqui enim Theologi negare videntur, vt videre licet in Alber. d. 11. a. 3. & Carth. ibi q. 1. & ratio est, quia, q̄ cōsuetū est, & quasi ordinaria lege statutū, nō est miraculū, vt docuit etiā Cai. q. 105. ar. 8. quia miraculū dicitur, quasi admirationē inducens, quod autē ordinaria lege, & cōsuetudine fit, nō efficit admirationē, & ideò iustificatio impij nō est miraculū. Alij verò existimāt, hanc cōuersionē dicendā esse miraculosam, quibus fauet D. Tho. 2. 2. q. 1. arti. 8. ad. 6. Et ratio est, quia hoc opus nō solū est admirabile, sed etiā est cōpendium quoddam admirabiliū operum Dei: vnde de se natū est causare maximam admirationē, licèt per accidens fortasse in fidelibus, vel propter consuetudinē, vel quod non satis attentè rē considerant, hunc effectum non habeat. *Solutio.* Sed hæc controuersia est de modo loquendi: res enim de se satis constat.

SECTIO IX.

Quomodo loquendum sit de hac cōuersione, siue transitu vnius rei in aliam.

HAEc quæstio mouetur à Theologis propter varios modos loquendi Sanctorū Patrū, eamq; optimè expediuit D. Tho. in ar. 8. cuius doctrina ad tres breues regulas reducitur. Prima est, Propositiones significantes successionē terminorum, seu trāsitum vnius in aliū, esse veras, & proprias, huiusmodi sunt, *ex pane fit corpus*, quia illa particula, *ex*, latissimè patet, & non necessariò dicit habitudinem causæ, vel principij, sed successionis, vel termini à quo: vnde dicimus, *cœlum fieri ex nihilo*, &, *ex nocte diem*. Similes sunt illæ locutiones, *panis conuertitur in corpus*, seu, *transit in corpus*, & hæ locutiones sunt valde vsitatę inter Sanctos Patres, vt cōstat ex adductis sect. 1. huius disputationis. Et ratio etiam est ex dictis manifesta, quia illis verbis nihil aliud significatur, quam habitudo & successio terminorum inter se: sed hæc habitudo & successio re vera interuenit inter substātiam panis, & corpus Christi: ergo locutiones illæ, quæ hoc significant, veræ ac propriæ sunt.

Secunda regula est, Propositiones, quæ denotāt subiectum substantiale, seu materialem causam cōmunem vtrique termino, impropriæ sunt, & in rigore falsæ. Vnde, si alicubi inuētæ fuerint in probatis autoribus, piè explicandæ sunt. Ratio regulæ clara est, quia in hac conuersione nullum est subiectū commune vtriq; termino: ergo propositiones, quæ illud supponunt, nituntur falso fundamēto: sunt ergo falsæ. Primum exemplū sit in hac propositione, *De pane fit caro Christi*, nam illa particula, *de*, in rigore significat consubstantialitatem, atq; ita in illa locutione significatur, aliquam materiā, vel substantiā panis transire in corpus Christi, vel communicari corpori Christi. Ita sumitur ex communi doctrina Theologorū, in. 1. d. 16. & in 3. d. 4. & D. Tho. in 1. p. q. 41. ar. 3. & hac 3. p. q. 32. ar. 2. Nihilominùs tamē reperitur illa locutio apud Ambros. 4. de sacram. c. 4. dicentē, *Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*, & eodem modo loquuntur nonnulli ex suprà citatis, qui non vtuntur illa particula in tanto rigore, sed in sensu primæ regulæ, ita vt idem sit dicere, *de pane*, quod, *ex pane*. *Ambros.* Secūdum exemplū est, *Panis fit caro, & vinum fit sanguis*, quæ quidē in formali conuersione verificantur ratione subiecti cōmunis, & quidem in conuersione accidētali sunt proprisimæ: quia manet idem suppositū sub vtroque termino, & sic dicimus, calidū fieri frigidum, tamen in conuersione substantiali, etiā formali, vidētur minùs propriæ: quia non manet idem suppositum cōmune. Nihilominùs tamē habent aliquod veritatis fundamentum, quia manet eadem materia communis, atq; hoc modo dicitur Ioan. 2. *Cum vidisset aquam vinum factam*, ergo in conuersione totali, vbi non est commune subiectum, in rigore non est propria, nec vera illa locutio. Potest autem altero è duobus modis explicari. Prior est, vt non tam panis dicatur fieri corpus, quàm corpus fieri panis, nō quidē sumēdo panem specificè pro tali cibo materiali, sed pro cibo reficiente hominē, & præsertim pro illo cibo, qui sub forma panis datur. Quomodò 1. ad Corin. 11. *Quotiescunq; manducabitis panem hunc &c.* & multæ locutiones, quæ sunt Ioan. 6. possunt in hunc modum explicari, & in VII. Synodo act. 6. tom. 3. circa finem dicitur, *vere non consiteri, diuinū corpus, panem fieri*. *1. Cor. 11. Ioan. 6. VII. Synod.* Sic etiā Amb. lib. 5. de sacra. c. 4. *Non iste panis est* (inquit) *qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, quia animæ nostræ substantiā fulcit*. *Ambros.* Sic Cyp. serm. de Cœn. Domini. *Ipse enim & panis, & caro, & sanguis, idem cibus, & substantia, & vita factus est Ecclesiæ suæ*. *Cyprian.* Secūda explicatio est iuxta sensum primæ regulæ, vt, scilicet, verbum illud explicetur trāsitiuè, scilicet, *Panis fit corpus*, id est, *trāsit in corpus*. Si-

Damasc. Sicut Damas. lib. 4. de fid. c. 14. dicit, *Panis ipse, ac vinum in corpus & sanguinem Dei commutantur*: nā verbū facere valde cōmune est, & ad significandā quācunque similē habitudinem inter terminos cōuersionis extendi potest: sic exponēdus est August. citatus à Beda 1. ad Corint. 11. & habetur in cap. nō omnis. de consecr. d. 2. cùm ait: *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi*. Sic etiam exponi potest Cyrill. Catech. 4. & alij statim citandi. *Cyrillus.*

Tertia regula sit fere præcedenti similis. Propositiones in quibus id, quod erat ante cōsecrationem, affirmatur de corpore Christi, & generatim, quæ significant aliquid commune vtrique termino manere, vt veræ sint, non debent sumi pro re aliqua, vel substantia indiuidua, sed abstractiuè pro re contenta sub accidentibus panis, aut vini. Sic exponēda est hæc locutio. *Panis, & vinum post consecrationem sunt verum corpus & sanguis Christi*, quæ habetur in c. ego Bereng. de cōsec. d. 2. & apud Damas. lib. 4. de fide. ca. 14. *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione*. Et illa, *Panis fit corpus, & vinum sanguis consecratione*, & similes reperiētur apud Innoc. lib. 4. de hoc mysterio. c. 6. & apud alios Patres suprà citatos. *Damasc. Innoc.* Ratio ergo prioris partis huius regulæ est, quia præter accidētia nulla res indiuidua manet communis vtrique termino; ipsa autem accidentia in recto, & propriè de nullo terminorum prædicantur: non enim quātitas dici potest esse id, quod erat panis: ergo istæ locutiones non possunt esse veræ, si subiectum earum supponat pro re aliqua singulari communi vtrique termino. Et hinc facilè patet altera pars regulæ: quia termini huius conuersionis inter se conueniunt in ratione contenti sub his speciebus: ergo, vt locutio illa sit vera, oportet, vt subiectum præcisè supponat pro contento; & hoc modo sunt veræ, quamuis non admodum propriæ, quia illud subiectum in rigore priorem modum supponēdi indicat: vsurpatur tamen ad indicandā proprietatem veræ conuersionis, scilicet, q̄ in ea maneat aliquid commune vtrique termino, quæ prædicto modo in hac conuersione saluatur, vt in superioribus explicatum est; & tota hæc doctrina in his regulis contenta, facilis est, & communem Theologorū in 4. d. 11. vbi etiā videri pōt D. Th. q. 1. art. 4. & Bonauē. ar. 1. q. 6. Scotus q. 3. Albert. art. 6. Alens. 4. p. q. 39. mēb. 2. & 3. Gab. lect. 49. Soto d. 9. q. 2. ar. 8. *S. Thom. Bonauen. Scotus. Albertus. Alensis. Gabriel. Soto.*

SECTIO X.

Vtrum quodlibet possit conuerti in quodlibet.

HActenus explicuim' mysteriū Eucharistiæ, nunc ad cōplementū doctrinæ generaliter dicendum est, an possit hæc conuersio alio modo fieri, & in vniuersum an possit quælibet res in aliam conuerti. Theologi enim absolutè, & sine distinctione affirmant; indicat D. Tho. hic art. 4. ad 3. dicens, Deum propter infinitā virtutē, quā habet supra omne ens, posse totum ens in aliud totū conuertere hoc ipso, q̄ in ratione entis conueniunt. Quæ ratio inter quælibet entia procedit, sentit ergo D. Thom. diuina virtute posse quodlibet cōuerti in quodlibet, & ita exponit, & latè defendit Caie. ibi, & Soto d. 9. q. 2. artic. 4. in fine: tenet Scotus. d. 11. q. 1. arti. 2. q. 2. in princip. & quodlib. q. 10. Idē sentit Rich. d. 10. art. 3. q. 1. Palud. d. 11. q. 3. nu. 3. Capreol. art. 3. ad 2. Durand. cont. 2. concl. Maior q. 1. art. 3. Guill. Rub. q. 3. art. 3. Gab. q. 2. & lect. 40. in Cano. *Palud. Capreol. Maior. Gabriel. Bellar.* Quam sententiam debere esse fidelibus indubitatam lib. 3. de Euch. c. 13. dicit Bellar. Sed nō existimo posse quæstionem hanc ita generatim sumptam commodè definiri, & explicari.

Vt ergo res tota intelligatur, distinguenda sunt varia genera rerum, & conuersionum: sunt enim in rebus substantiæ, & accidentia, & inter substantias quædam sunt compositæ ex materia & forma; aliæ simplices, & integræ, vt angeli & partiales, vt materia, & forma. Accidentia verò considerari possunt, vel per se, vt sunt quædam entia simplicia, & completa, vel vt cum subiecto vnum aliquid cōponunt. Rursus conuersio vna est formalis, quæ fit per successionem diuersarum formarum in eodē subiecto: altera intelligi potest materialis, vt si vnum compositum conuertatur in aliud ex parte materiæ, seu subiecti, manēte eadem forma: altera esse potest totalis ex parte vtriusq; extremi, quæ intelligi potest, vel inter simplicia entia integra inter se, vel inter ens simplex, & compositum substātiale, vel etiam accidentale. Altera deniq; conuersio esse potest totalis ex parte tantùm alterius extremi, vt si tota aliqua substantia conuertatur in materiam, vel formam alterius; & in his omnibus potest esse magna varietas, materialis potius, quàm formalis.

Dico ergo primò. Conuersio formalis, vel materialis propriè esse non potest inter res simplices, neque inter rem simplicem & compositam. Probatur ex definitione conuersionis formalis; est enim illa, quæ fit inter duas res, ratione formarum, manente eodem subiecto, vel materia communi vtriq; ergo hæc conuersio essentialiter postulat in vtroq; extremo compositionem ex materia seu subiecto, & forma, proportionatam conuersioni. Cōfirmatur, etiā si vterq; terminus sit simplex per modum integræ substantiæ, aut per modum materiæ, non poterit informare subiectum, & ita non poterit esse terminus huius cōuersionis: si autem intelligatur esse res simplex per modum formæ separatę à materia, vel naturaliter, vt est anima rationalis, vel diuina virtute, vt si Deus conseruaret aliam formam per se existentē, & tunc, si illa forma iterum vniatur materiæ, excludendo ab illa aliam formam, fit quidem conuersio, non inter res simplices, sed inter composita, ad quæ per se primò terminatur actio, vel corruptio: ergo nunquam huiusmodi corruptio fieri potest, si alter terminus est omnino simplex. Et hic discursus eadem proportione procedit in cōuersione, quam materialem vocabimus.

Obiectio. Sed contra, fingamus materiam sine forma, & angelum illi præsentem, seu vnitum illi, vt motorem: hoc posito Deus posset conuertere illum angelū in animam rationalem vniendo illam materiæ, vel in animam equi: ergo illa esset conuersio formalis, & tamen fit ex re simplici in compositam. *Solutio.* Respondetur, si talem modum cōuersionis admittamus, illam non esse propriè conuersionem formalē, sed potius esse transubstantiationē angeli in animam, cum qua coniungitur simplex productio alterius compositi, quod quidem rectè dicitur, si anima illa sit rationalis, quæ prius natura fit, quàm vniatur, & distincta actione; at verò in alijs formis materialibus, quæ nec prius, nec alia actione fiunt, quàm vniantur, nō videtur hoc habere locum, cùm ex parte termini, ad quem terminatur conuersio, tantùm fit vna actio,

Universidad de Deusto Biblioteca

quæ non ad formam, sed ad compositum per se primò terminatur; & ideò videtur tunc illa conuersio quasi mista ex transubstantiatione & conuersione formali. Et fortasse verius est, illam non fore veram, & propriè conuersionem, vt amplius ex dicendis constabit.

Dico secundò. Vt fieri posſit conuersio formalis inter res aliquas compositas, etiam de potentia Dei absoluta, duas conditiones concurrere necesse est. Prima, vt vna forma ita cum alia pugnet aliquo modo, vt ad introductionem vnius altera excludatur. Secunda est, vt subiectum sit capax vtriusq; formæ, saltem capacitate obedientiali. Probatur primò exemplis: nam licèt cælum constet materia & forma, si tamen illa materia non est capax formæ ignis, aut è contrario, si forma ignis nullo modo potest conferre in illa materia suum effectum formalem, non posset cælum conuerti in ignem; & idem est de compositis accidentalibus: nam album vt sic non potest cõuerti in iustum aut sapiens, quia subiectum albedinis proprium non est capax sapientiæ, aut iustitiæ. Et eisdem exemplis declaratur altera conditio, nam quia albedo nullum ordinem habet cum sapientia aut iustitia, non potest compositum ex vna talium formarum in compositum ex alia conuerti. Et similiter, si fingamus, nullam esse formam, aut modum positiuum, ex quo sequatur desitio luminis, non poterit lucidum vt sic per conuersionem in aliud destrui, sed tantùm per simplicem corruptionẽ, ratio verò vtriusq; partis est, quia huiusmodi conuersio per se fit inter composita, quorum vnum desinit, & aliud per cõuersionem fit ergo, vt locum habeat talis conuersio, necesse est, vt posſit fieri compositio ex subiecto seu materia & forma, ad quam introducendam alia expellitur: ergo ad hanc conuersionem necessariò supponẽdum est subiectum, quod vnam formam amittat, & sit capax alterius: concurrentibus autem his duabus conditionibus fieri potest hæc conuersio inter quascunque res, cùm neque in subiecto, neque in terminis sit repugnantia.

Dico tertiò, Vt conuersio materialis seu ex parte subiecti fieri posſit, duæ etiam conditiones necessariæ sunt. Prima est, vt fiat inter composita ex subiecto & forma realiter distincta. Altera est, vt forma, sub qua fit conuersio, apta sit afficere subiectũ vtrũque, & consequenter, vt vtrunque subiectum sit capax talis formæ. Ratio verò primæ conditionis est, quia, si forma non sit res distincta, sed tantùm modus, non poterit, conseruatio tali modo, seu forma, destrui subiectum, quia essentialis ratio illius entitatis est ipsa ratio subiecti, & ideò non potest conseruari illa entitas, destructa ratione subiecti: non conseruata autem illa entitate, non potest cõseruari modus eius: quia per se non habet propriam entitatem, in qua conseruetur; & hac ratione non potest istud subiectum conuerti in aliud sub eadem numero substantia, vna natura alteri succedente: quia destructa natura, non potest conseruari subsistentia, quæ tantùm est modus eius: & eadem ratione non potest hic globus conuerti in alium, succedentibus sibi quantitatibus sub eadem numero figura. Ratio verò alterius conditionis est eadem, quæ præcedentis conclusionis, quia etiam terminus istius conuersionis est compositum ex forma manente, & subiecto isti succedente: ergo necesse est, vt forma posſit vniri vtrique subiecto, & consequenter vt vtrumque subiectum sit capax formæ: quia sine vnione inter ipsa non fiet compositum: si autem forma non sit apta ad informandum subiectum, vel hoc non sit capax eius, non poterit inter ea formalis vnio intercedere: suppono enim ex tractatis disput. 47. non posse interuenire aliud genus vnionis, & ex dictis hac disput. sect. 4. sumo, solam vnionem effectiuam nihil referre ad terminum huius conuersionis, tum quia non facit veram cõuersionem, tum etiam, quia consistit in actione, quæ non potest esse terminus actionis: requiritur ergo illa duplex conditio ad hoc genus conuersionis, illis verò concurrentibus, poterit fieri à Deo hæc conuersio inter quascunque res: quia nulla est repugnantia ex parte alicuius termini, nec aliunde, vt patebit facilè applicando conditiones omnes conuersionis suprà expositas.

Dubium. *Respons.*

Sed quæres, an hæc conuersio sit transsubstantiatio. Respondeo primò, si fit conuersio ex parte solius materiæ: quia, v.g. sub eadem forma vna materia alteri succedit, & ita ex vno composito fit aliud, illa non erit transubstantiatio: quia non erit conuersio totius substantiæ, si verò sit commutatio totius substantiæ in totam substantiam sub eisdem accidẽtibus, distinctione opus est, quia varijs modis potest hoc accidere. Primò, per solam adductionẽ totius substantiæ, & quasi localem expulsionem alterius. Secundo, per vnius adductionem, & desitionẽ alterius substantialem. Tertio è contrario per productionem vnius, & solam localem expulsionem alterius, & hos tres modos existimo non sufficere ad transubstantiationem, vt suprà dixi. Quarto intelligi potest, hoc fieri per substantialem, totalemq; desitionem vnius substantiæ, & effectionem alterius, & hæc erit vera transubstantiatio, siue cum illa actione coniungatur actio vniens ipsam substantiã cum accidentibus, siue non: vtroque enim modo fieri potest, & neuter transubstãtiationi repugnat.

Solùm est aduertendum, huiusmodi conuersionem totius substantiæ, nõ esse propriè cõuersionem materialem, de qua nunc lõquimur: quia conuersio materialis propriè dicta est, quæ per se primò fit in compositum ex parte tantũ materiæ, quatenus est pars illius compositi: in suprà dicta verò conuersione totali per se primò fit tota substantia: vnio verò, vel compositio illius cum accidentibus, est accidentalis, & extrinseca, siue consequatur, siue non.

4. Conclus.

Dico ergo quartò. Qualibet res existens sub accidentibus realiter à se distinctis, si ab illis in suo esse pendeat, potest conuerti in aliam, quæ loco illius sub eisdem accidentibus constituatur ac fiat. Hæc conclusio in primis probatur exemplo præsentis mysterij, quia nulla maior repugnantia in qualibet alia re ostendi potest, siue substantias materiales inter se comparemus, siue spirituales inter se, siue materialem & spiritualem, siue spiritualem & materialem, quod omnium difficillimum est. Explico breuiter singula: primum enim membrum de substantijs materialibus facile est; quia est prorsus eadem ratio in omnibus alijs, quæ in pane & vino, & corpore ac sanguine Christ. Vnde obiter colligo, eadem proportione posse vnam quantitatem conuerti in aliam diuina virtute, v.g. sub eadem albedine, vt ex eisdem principijs constat.

Secundum membrum est difficilius, quia substãtiæ spirituales vix habent accidentia, quæ ab illis posſint separari: nihilominus tamen, ponendo, intellectum, & voluntatem distingui re ipsa à substãtia angeli, probabile fit posse ab illa separari, & consequen-

sequenter posse aliam substantiam spiritualem sub illis accidentibus constitui, vel per modum subiecti, vel per intimam præsentiam cum vnione aliqua effectiua; simili sacramentali.

Tertium membrum facilius est, supposito mysterio Eucharistiæ: quia, sicut loco substantiæ panis fit sub accidentibus substantia corporis Christi per veram actionem conuersiuam, ita fieri potest quælibet substantia angelica, quæ realem præsentiam, & similem vnionem habeat cum illis accidentibus: nulla est enim maior repugnantia: nam, licèt corpus Christi materiale sit, tamen hic fit, & constituitur ad modum rei spiritualis.

Quartum membrum propterea difficillimũ est, quia non solùm pendet ex separatione accidentium spiritualium à substantia spirituali, sed etiam ex eo, quòd non apparet, quomodò sub accidentibus spiritualibus substantia materialis constitui posſit. Nihilominùs tamen multi existimant, hanc conuersionem spiritus in corpus non implicare apertam contradictionem: quia sub accidẽtibus angelicis potest etiam constitui substantia materialis, vel per modũ subiecti, vt quidam volunt, vel saltem per intimam præsentiam, & aliquem modum vnionis effectiuæ, quanquam hæc non sit essentialis conuersioni, sed eam consequatur. Ex quibus facilè patet, idem iudicium esse (sicut in primo membro dixi) de accidentibus, quæ sub alijs à se realiter distinctis existunt: nam sub illis commutari seu conuerti possunt. Quæ omnia eodem modo intelligi, & applicari possunt ad conuersionem, vel accidentium inter se, vel accidentis in substantiam, vel substantiæ in accidentia, dummodo transitus fieri posſit sub aliqua re vtriq; termino communi: est enim eadem ratio, vt facilè consideranti patebit.

Dico quinto. Si aliqua res omnino destratur, ita vt nihil illius maneat, id est, nec substantia, nec accidens aliquod, non potest propriè in aliam conuerti. Declaratur, ne forte disputemus de modo loquẽdi: potest enim Deus aliquam substantiam cum omnibus accidentibus eius destruere, & loco illius aliam constituere, de quo nullus potest dubitare: quòd verò hoc non sufficiat ad propriam rationem conuersionis, sed solùm sit ibi annihilatio vnius substãtiæ, & creatio alterius, sintq; substãtiæ sibi succedentes ex voluntate diuina, patet ex suprà dictis, quia nulla alia connexio vel ordo inuenitur inter duas illas mutationes, vel quasi mutationes, neque desitio illa sequitur ex vi alterius actionis, ac denique non sibi succedunt illæ duæ res in aliquo tertio, in quo aliquo modo sibi repugnent.

Dices, si in eodem corpore continente Deus omnino mutaret corpus contentum in aliud, illud posset sufficere ad rationem conuersionis, etiam si nulla alia res maneret communis vtriq; termino, vt verbi gratia, si Deus in loco vnius cæli, verbi gratia, octauæ sphæræ produceret aliud corpus cæleste, ex natura rei necessaria esset expulsio corporis cælestis, quod nunc ibi est, & consequenter sequeretur desitio substantialis illius, quia nõ posset per solam motionem localem discedere, quia non posset penetrare alios cælos, neque illos diuidere, vt transiret: ergo hoc satis esset ad conuersionem, quandoquidem ex vi productionis vnius, sequitur desitio alterius. Respondetur, introductionem vnius corporis in aliquem locum per se & ratione formali non sufficere ad conuersionem, sed ad translocationem: quia ex vi illius solùm sequitur localis mutatio in alio corpore. Quòd si fortasse ob alia corpora interiacentia, & impedientia, non posſit corpus extra locum suum moueri, non poterit substantialiter destrui ab alio corpore ibi introducto, præsertim, si illud, quod antea erat, sit incorruptibile, ita vt neque diuidi, neque comminui posſit, sed potiùs impedire, ne aliud illuc introducatur. Vnde, si Deus velit aliud corpus ibi creare absque penetratione, oportebit, vt prius, saltem natura, suspẽdat influxum, quo conseruabat aliud corpus, vt desinat esse, & cedat alteri corpori ibi creando.

Replica.

Sed contra, quia esto hæc omnia vera sint, vt re vera esse videntur, illud satis erit ad rationem conuersionis, quia non est de ratione conuersionis, vt ex vi productionis vnius termini desinat alius, vt agens, prout potuerit, destruat vnum, & faciat aliũ, præsertim si ad talem actionẽ, prout hic & nunc fit, necessaria sit talis desitio.

Soluitur.

Respõdetur, explicando hoc modo has mutationes, & earum conuersionem, saluari, aliqualiter rationem conuersionis, tamen eo modo, quo ibi est conuersio, manere sub vtroque termino aliquid cõmune vtrique, quod licèt non sit propriè accidens illis inhærens, est tamen per modum accidentis, quatenus circundat, & continet vtrumque nam ex hac circunscriptione oritur repugnantia, & consequenter connexio inter inceptionem vnius, & desitionẽ alterius.

Altera replica.

Sed vrgebis, fingamus, illam cõuersionem non fieri circa aliquod corpus continent, vel circundans, sed solùm in eodem spatio, vt si Deus totum hunc mundum subitò transmutaret in alium cõstantem alia materia, & alijs corporibus, ac substantijs.

Responsio.

Respondetur, illam non fore propriam conuersionem, sed annihilationem vnius, & creationem alterius, quia solo Dei arbitrio simul coniungerẽtur, & si viderentur habere aliquod vestigium conuersionis, solùm est, quatenus aliquo modo concipiuntur illi termini cum habitudine ad idem spatium.

Scotus. *Durand.*

Et hinc obiter colligo, nõ posse vnã rem in alterã conuerti, quin res, in quam fit conuersio, succedat in præsentia rei conuersæ, ita vt ibi fiat præsens, vbi alia erat, quanquam Scotus. d. 10. q. 1. & Duran. d. 11. contrarium sentiant, dicentes, quando cõuersio fit in rem præexistentem, potius trahi rem conuersam ad locum & conditionem eius, in quam conuertitur. Exemplum ponit Durand. in alimento, quod vt conuertatur in substantiam aliti, trahitur vbi alitum est. Sed non satis perpẽderunt & considerarũt; nam Patres omnes, vt magis explicarent præsentiã Christi, vsi sunt nomine conuersionis: supponẽtes, si panis conuertitur in substantiam Christi, necessarium fore, vt Christus fiat præsens, vbi erat panis.

Richar. *Capreol.* *Gabriel.* *Maior.* *Palacios.* *Ferrar.* *S. Thom.*

Quod rectè etiã docuerũt Scholastici. d. 11. Rich. art. 1. q. 12. ad 2. Capr. ad 5. Scoti contra. 5. conclu. Gabr. q. 1. ar. 2. Maior. q. 1. Palacios disp. 1. cõcl. 2. Ferrar. 4. cõt. gent. c. 63. & eodẽ sensu dixit D. Th. & docent omnes discipuli eius, conuersionem esse rationem huius præsentiæ: quia est quasi via, ex qua necessariò sequitur talis præsentia, vt in superioribus explicatũ est. Prætereà, quod Scotus dicit, posse fieri conuersionem: panis existẽtis in terra in corpus Christi existens in cælo prout ibi est, nulla mutatione in eo facta, nec mente concipi potest, cùm nihil omnino resultet in illo termino, nec sit aliqua successio, aut vera habitudo realis inter illas res.

Deinde exemplum, quo vtitur Durandus, nõ est ad rem, vel potius cõfirmat, quod intendimus: quia viuens

viuens conuertit alimentũ in se, non vt præexistens est, sed prout nouã partem acquirit, secundũ quã re vera acquirit partialẽ præsentiã ibi, vbi erat materia alimenti, in instante, in quo fit illa partialis conuersio. Ratio deniq; est, quia cõuersio propriè, vt suprà dictũ est, non fit in rem, vt præexistit, sed vt terminat conuersionẽ, & cõsequẽter vt recipit aliquo modo esse per illam, & quoniã cõuersio debet fieri circa aliquod cõmune vtriq; termino, in quo sibi repugnant, ideò necesse est, vt respectu illius, sibi succedant in reali præsentia. *Obiectio.* Dices, fieri posse, vt in instãte cõuersionis res illa, circa quã fit conuersio, in aliũ locũ trãsferatur. v.g. si species panis, quæ dum proferuntur verba hic sunt, in instante, quo perficitur cõsecratio, diuina virtute ponantur alibi, tunc nihilominus erit vera cõuersio, & tamen corpus Christi non succedet ibi, vbi fuit panis. *Solutio.* Respõdetur primò, illud fieri non posse naturaliter, deinde in eo casu, quasi materialiter variari præsentiam: nam formaliter Christus succedit sub eisdem speciebus, sub quibus erat panis, & ita ibi fit præsens, vbi adesset substãtia panis, si tũc maneret; & hoc per se pertinet ad rationẽ cõuersionis, & ita est intelligendũ, quod diximus. ¶ Ex his dico sexto, quamlibet creaturam posse in aliã cõuerti, nõ quidem omni genere cõuersionis, sed vno aut altero, vnicuiq; rei accõmodato pro earũ diuersitate. Hæc assertio constat ex dictis. *August.* Solũ potest obijci August. lib. 6. super Genes. ad literã. c. 9. & 12. & lib. de Immortalitate animæ. cap. 15. & 16. & *Boetius.* Boetius lib. de duabus naturis, qui negãt, corpus posse conuerti in animam, vel in spiritũ. Sed hi Patres loquuntur de conuersione naturali cuicunq; rei, vel certè disputant de eo genere conuersionis, in quo ex vna substantia fit altera, non solùm vt ex termino à quo, sed vt ex subiecto vel parte, quæ maneat in termino conuersionis.

Vltimò addo, omnia hæc quæ de rerum conuersionibus diximus, intelligẽda esse inter res creatas: nam inter Deum & creaturam nulla potest esse conuersio: quia, nec Deus potest conuerti in creaturã, vt est per se euidens, quia non potest mutari, nec desinere esse, vt rectè docuit S.Tho. suprà q. 2. art. 1. & 4. cõtr. Gẽt. c. 31. & Vvald. tom. 2. de sacram. ca. 20. nec creatura potest conuerti in Deum, vt cõmunior Theologorũ sentẽtia docet in 4. d. 11. Palud. q. 1. nu. 16. Capr. ad 2. Scoti cõt. 3. concl. Scotus q. 2. & quodl. 8. art. 1. & 2. Gab. q. 2. art. 1. & lect. 40. in cano. Henric. quodli. 11. q. 4. Sotus d. 9. q. 2. arti. 4. Ledes. q. 16. art. 4. dub. 5. Ratio verò est clara ex suprà dictis, quia in termino ad quẽ conuersionis necessariò fit aliquis modus mutationis, inceptionis, aut nouæ depẽdẽtiæ: quia sola denominatio extrinseca non sufficit: illa verò omnia Deo repugnant, vt rectè etiam docuit D. Tho. sup. q. 2. art. 1. vbi hoc explicuimus. Confirmatur primò, quia Deus nõ potest succedere substantiæ desinenti esse, ratione nouæ præsentiæ: quia ante omnem creaturæ mutationem est vbique præsens: nec ratione noui modi existẽdi ipsius Dei: quia repugnat immutabilitati ei*, nec ratione nouæ vnionis alterius ad ipsum, quia illa vnio non potest esse nisi hypostatica; & tũc non fieret conuersio secundum se, sed in assumpta natura: hic autem loquimur de conuersione in Deum secundum propriam entitatem increatam, vt si Deus assumeret naturam, quæ prius existebat in propria persona, posset quodammodo dici persona creata conuerti in diuinam: propriè tamen formalis terminus illius conuersionis esset vnio illius naturæ ad personam diuinam: nam ex subsistente in se fieret vnita; & ita illa esset quasi conuersio formalis; quia in eadem humanitate succederet modus vnionis modo substantiæ; & ita conuersio propriè nõ esset in personam diuinam secundum se: posset tamen Deus succedere quodammodo substãtiæ creatæ in officio sustentandi accidentia per efficientiam, vt si destructa substantia panis, cõseruaret Deus se solo accidentia eius: sed hoc non satis est, vt dicatur panis conuerti in Deum: quia nullo modo se habet, vt terminus actionis seu conuersionis, sed solùm vt principium efficiens illam mutationem: aliàs etiam nunc panis trãsubstantiaretur in diuinitatem: quia illa est principalis causa effectiuè sustentans accidentia, sine subiecto. Contra hanc verò partem opinatus est Caieta. suprà. q. 2. arti. 1. & Maior d. 11. q. 1. quia, sicut potest Deus assumere corpus, teste Aug. 3. de Trinit. c. 12. vel fieri homo sine sui mutatiõe, ita existimant, posse esse terminũ conuersionis siue sui mutatione. Sed non est simile: quia Deus dicitur assumere corpus vel per solam efficientiam, vel quia terminat vnionem corporis ad ipsum, quod facere potest, sine sui mutatione, per mutationẽ alterius; at verò non potest esse terminus actionis realis, quia includit intrinsecam dependentiam talis termini ab agente per actionem illam, quæ dependentia repugnat Deo.

S.Thom. Vvaldens. Palud. Capreol. Scotus. Gabriel. Henricus. Sotus. Ledesma. Caiet. Maior.

QVÆSTIO LXXVI.

De modo, quo Christus est in hoc Sacramento, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de modo, quo Christus existit in hoc sacramento.

¶ *Et circa hoc quæruntur octo.*

Primò, vtrùm totus Christus sit sub hoc sacramento.

Secundò, vtrùm totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti.

Tertio, vtrùm totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

Quarto, vtrùm dimensiones corporis Christi totæ sint in hoc sacramento.

Quinto, vtrùm corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.

Sexto, vtrum corpus Christi moueatur ad motum hostiæ, vel calicis post consecrationem.

Septimo, vtrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato.

Octauo, vtrum verum corpus Christi remaneat in hoc sacramento, quando miraculose apparet sub specie pueri, vel carnis.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrum totus Christus contineatur sub hoc sacramento.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non totus Christus contineatur sub hoc sacramento: Christus enim incipit esse in hoc sacramento per cõuersionem panis & vini, sicut dictũ est. Sed manifestum est, quod panis & vinũ non possunt cõuerti, neque in diuinitatẽ Christi, neq; in eius animã. Cũ ergo Christus existat ex tribus substantijs, scilicet diuinitate, anima, & corpore (vt suprà habitum est) videtur, quod totus Christus non sit sub hoc sacramento.

¶ 2 Præterea, Christus est in hoc sacramẽto, secundũ quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo & potu consistit, sicut suprà dictum est. Sed Dominus dicit Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ergo solũ caro, & sanguis Christi continentur in hoc sacramẽto. Sunt autẽ multę aliæ partes corporis Christi, putà, nerui, ossa, & alia huiusmodi. Non ergo totus Christus continetur sub hoc sacramento.

¶ 3 Præterea, Corpus maioris quantitatis, non potest totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Sed mensura panis & vini consecrati est multò minor, quàm propria mensura corporis Christi. Non potest ergo esse, quòd totus Christus sub hoc sacramento contineatur.

SED contra est, quod Ambros. dicit in lib. de offic. in illo sacramento Christus est.

RESPONDEO dicendũ, quod omnino necesse est confiteri secundũ fidem Catholicam, quòd totus Christus sit in hoc sacramento. Sciendum tamen, quòd aliquid Christi est in hoc sacramẽto dupliciter. Vno modo, quasi ex vi sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus huius sacramenti id, in quod directè conuertitur substantia panis & vini præexistens, prout significatur per verba formæ, quæ sunt effectiua in hoc sacramento: sicut & in cæteris mutationibus putà cùm dicitur, hoc est corpus meum, vel, hic est sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud, quod realiter est coniunctum ei, in quod prædicta conuersio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, vbicunque est vnum realiter, oportet & aliud esse. Sola enim operatione animæ discernuntur, quæ realiter sunt coniuncta.

AD primum ergo dicendum, quòd quia conuersio panis & vini nõ terminatur ad diuinitatem, vel animam Christi, consequens est, quod diuinitas, vel anima Christi non sit in hoc sacramento ex vi sacramenti, sed ex reali concomitãtia. Quia enim diuinitas corpus assumptum nunquam deposuit, vbicunque est corpus Christi, necesse est & eius diuinitatem esse: & ideo in hoc sacramento necesse est esse diuinitatem Christi cõcomitantem eius corpus. Vnde in Symbol. Ephesino legitur: Participes efficimur corporis & sanguinis Christi, non vt communem carnem percipiẽtes, nec viri sanctificati & Verbo coniuncti secundùm dignitatis vnitatem, sed verè viuificatricẽ, & ipsius Verbi propriã factã. Anima verò realiter separata fuit à corpore, vt suprà dictũ est. Et ideo, si in illo triduo mortis fuisset hoc sacramentũ celebratum, non fuisset ibi anima Christi, nec ex vi sacramenti, nec ex reali concomitantia. Sed quia Christus resurgens ex mortuis, iam nõ moritur (vt dicitur ad Rom. 6.) anima eius semper est realiter corpori eius vnita. Et ideo in hoc sacramento corpus quidẽ Christi est ex vi sacramenti, anima autem Christi ex reali concomitantia.

Habetur in cõcil. Ephes. 1. in episto. ad Nestoriũ à medio illius. Et refertur de consec. d. 2. c. necessaria. Quæst. 50. artic. 1. 3. & 4.

AD secundum dicendũ, quod ex vi sacramẽti sub hoc sacramento continetur, quantum ad species panis, non solùm caro, sed totum corpus Christi, scilicet, ossa, nerui, & alia huiusmodi. Et hoc apparet ex forma huius sacramenti, in qua non dicitur, hæc est caro mea: sed, hoc est corpus meum. Et ideo cum Dominus dixit Ioannis 6. Caro mea vere est cibus, caro ponitur ibi pro toto corpore, quia secundùm consuetudinem humanam videtur esse magis manducationi accommodata, prout, scilicet, homines carnibus animalium vescuntur communiter, non autem ossibus, vel alijs huiusmodi.

AD tertium dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) facta conuersione panis in corpus Christi, vel vini in sanguinem, accidentia vtriusque manẽt. Ex quo patet, quòd dimensiones panis vel vini non conuertuntur in dimensiones corporis Christi, sed substantia in substantiam. Et sic substantia corporis Christi, vel sanguinis, est sub hoc sacramento ex vi sacramenti, non autem dimensiones corporis, vel sanguinis Christi. Vnde patet, quod corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, & non per modum quantitatis. Propria autem totalitas substãtiæ cõtinetur indifferenter in parua, vel magna quantitate, sicut tota natura aeris in magno, vel paruo aere, & tota natura hominis in magno, vel paruo homine. Vnde & tota substantia corporis & sanguinis Christi continetur in hoc

Quæst. 75. artic. 5.

Universidad de Deusto Biblioteca

hoc ſacramento poſt conſecrationem, ſicut ante conſecrationem continebatur ibi tota ſubſtantia panis & vini.

COMMENTARIVS.

Senſus art. SEnſus tituli huius articuli (vt à ſequente diſtinguatur) eſt, an ſub toto ſacramento, ſiue ſub ſingulis ſpeciebus, ſiue ſub vtraque ſimul ſumpta contineatur totus Chriſtus, id eſt, perſona eius, & integra humanitas, quæ corpus, animam, & quidquid eſt de veritate humanæ naturæ cōplectitur. Hoc ergo ſenſu affirmat D. Thomas totum Chriſtum eſſe in hoc ſacramēto: quod hac ratione oſtendit; nam in hoc ſacramento eſt corpus, & ſanguis Chriſti, nam hoc ſaltem neceſſarium eſt ad verborū formæ veritatem: ergo etiam in hoc ſacramēto ſunt cætera omnia, quæ corpori, & ſanguini Chriſti in re ipſa coniuncta ſunt, vt ſunt anima & diuinitas, & alia ex quibus totus Deus homo conſtat: vnde obiter colligit D. Thom. quanquam in hoc ſacramēto ſit totus Chriſtus, nō tamen eodem modo fieri, ſeu poni in ipſo: ſed quædam ex vi verborum, alia per concomitantiam: quæ omnia in ſequente diſputatione copioſius ſunt explicanda.

Vis rationis D. Tho. exponitur. Nunc verò propoſitio illa, in qua illatio, & totus ferè diſcurſus D. Thomæ nititur, declaranda eſt, ſcilicet, ſi aliqua duo ſunt realiter coniuncta, vbicunque eſt vnum realiter, oportet & aliud eſſe. Videtur enim hoc principium repugnare his, quæ à nobis fuſè tractata ſunt diſp. 48. Et adhuc difficilior eſt alia propoſitio, qua præcedentem probat D. Tho. ſcilicet, quia ſola operatione animæ diſtinguuntur, quæ realiter coniuncta ſunt. Contra hanc ergo rationē

Durandus. obijcit Duran. in 4. diſtin. 10. q. 2. Quia licèt illud principium verū ſit in his rebus quæ localiter ſunt alicubi, non tamen, in his, quæ tantùm ſunt per habitudinem ordinis, ſicut eſt angelus in corpore: nā inde fit, vt poſsit habere præſentiā ad vnū & aliud corpus, quanuis ipſa corpora inter ſe ſimilem præſentiæ habitudinem non habeant. Sed hæc obiectio Durandi nullius eſt momenti, procedit enim ex falſo errore, exiſtimat etenim, præſentiam hanc ſacramentalem corporis Chriſti ſolùm eſſe per habitudinem, neſcio quam, extrinſecam, & operatiuam, & non eſſe tam veram, propriam & realem, ac eſt præſentia ſenſibilis ſeu quantitatiua, quod, vt ſuprà dixi, eſt cōtra fidei veritatem, quam Diuus Thomas ſupponit, & ideò colligit concomitantiam præſentiæ ex coniunctione ſeu vnione rerū inter ſe. Nam, ſi huiuſmodi res inter ſe vnitæ habent concomitantiam in loco ſenſibili, & quantitatiuo, non id prouenit ex modo præſentiæ, ſed ſimpliciter ex veritate præſentiæ realis, quæ includit intimam propinquitatem, & indiſtantiam rerum inter ſe vnitarum.

Difficultas cōtra illam. Maior difficultas eſt, quam nuper inſinuabamus, quia, vt ꝓpoſitio à D. Thoma aſſumpta aliquā vim habeat, videtur intelligenda etiam de potentia Dei abſoluta, per quam hoc myſteriū factum eſt, & ita ad hoc tendere videtur probatio eius: at verò ſuprà oſtendimus, illud principium non eſſe verum in ordine ad potentiam Dei abſolutam. Deinde falſum eſt, quæ realiter ſunt coniuncta, ſola operatione animæ diſcerni, aliud enim eſt eſſe idem, aliud eſſe realiter vnita; materia enim & forma, quanuis realiter vnita ſint, non ſunt idem, ſed re ipſa diſtinguuntur, & non ſola animæ operatione, ex quo in ſuperioribus concludebamus, conſeruata vnione earum in vno loco, poſſe vnam earum in altero loco poni, ſine alia. Tandem inductione etiam hoc oſtendi poteſt, nam anima & caput realiter ſunt vnita; & tamē in re ipſa ita diſcernuntur, vt alicubi ſit anima vbi non eſt caput, ſimiliter humanitas Chriſti realiter eſt vnita Verbo, & tamen non, vbicunque eſt Verbum, ibi eſt humanitas; nam Verbum eſt vbiq;, non humanitas; & in triduo anima & corpus erant realiter vnita Verbo, & tamen Verbum erat in inferno, & non corpus: & ſimiliter Verbum erat in ſepulchro & non anima.

Solutio Caietani. Reſpondet Caietanum, propoſitionem D. Thom. intelligendam eſſe, non de quacunque habitudine coniunctorum, ſed de habitudine continentis, & contenti: ſi enim ex duobus realiter coniunctis vnum alicubi continetur, neceſſe eſt contineri & reliquum.

Impugnatur. Sed hæc diſtinctio & reſponſio Caietani data eſt ab ipſo ad obiectionē Durandi, vnde per habitudinem continentis nihil aliud ſignificare videtur, quàm habitudinem ſeu modum veræ & propriæ præſentiæ realis. Vel ſi aliud ſignificat, nec ipſe explicuit quid illud ſit, nec à nobis intelligitur, quid addat continentia ſupra realem præſentiam, niſi denominationem extrinſecam aut efficientiam aliquam, quæ non poteſt maiorem concomitantiam requirere inter res vnitas, quàm præſentia; neque D. Thom. illud poſuit in propoſitione ſua, ſeu voluntariè additum eſt. Nec denique deſeruit propoſito: quia Chriſtus non aliter continetur ſub ſpeciebus, quàm ratione præſentiæ realis, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: quòd ſi per illam continentiam, nihil aliud, quàm realis præſentia, ſignificetur, non ſoluuntur argumenta facta, quæ de quicunque reali præſentia proceditur, vt patet ex eiſdē exemplis: quia anima continetur in pede & in manu, & tamen ibi non continetur caput. Quòd ſi dicas, continentiam non dicere quamcunque præſentiam, ſed adæquatam, ſicque non contineri animam in pede, quia non eſt in illo adæquatè; contra hoc eſt, quia hoc modo eneruatur totus diſcurſus, & petitur principium; nam pari ratione dicam, corpus Chriſti non contineri ſub ſpeciebus, quia non eſt adæquatè ſub illis, cùm ſit etiam in cælo; & ideò nō oporteret, vt ibi ſit anima, licèt ibi ſit corpus.

Solutio vera. Aliter ergo reſponderi poteſt, in primis Diuum Thomam loqui non ſimpliciter de potentia abſoluta, ſed de ordinaria: quia, licèt hoc ſacramentum per omnipotentiam Dei factum ſit, ſupponit tamen, Deum in eo non facere plura miracula, quàm neceſſaria ſint ad perfectionem ſacramenti. Rurſus propter exempla adducta addendum neceſſariò eſt, priorem propoſitionem intelligi de his, quæ adæquata vnione realiter vniuntur, neque in hoc petitur principium, ſicut paulò antea obijciebam: quia hic non eſt ſermo de adæquata præſentia, ſicut in priori reſponſione, ſed de adæquata vnione, quæ à præſentia diſtincta eſt; & ex adæquata vnione dicimus inferri neceſſariam concomitantiam in mutua præſentia rerum vnitarum, quando verò vnio non eſt adæquata, concomitantia non eſt mutua, ſed ſolùm ex parte inferioris extremi, vt in dictis exemplis, vbicunque eſt humanitas, ibi eſt Verbum, quanuis non è contrario, & vbi eſt caput, ibi eſt anima, licèt non è conuerſo. Vnio autem adæquata dicetur, quando vnum reſpicit aliud, vt adæquatum terminum ſuæ habitudinis, & è conuerſo, vel quia aliquo

quo modo habent inter ſe mutuam dependentiam; & hoc modo corpus organicū adæquatè vnitur animæ, non verò anima capiti, vel alicui parti eius, nec humanitas Verbo, quia, licèt pendeat ab ipſo, non tamen è contrario. Atq; hæc reſponſio eſt ſatis probabilis, tamen vlterius addi poteſt (& colligitur etiam ex dictis) propoſitionē D. Tho. intelligendā eſſe de his, quæ realiter coniuncta ſunt, & coniuncta permanent, nec priuantur vnione vel cōiunctione, vt alicubi conſtituātur; ſic enim impoſsibile eſt, quę realiter coniuncta ſunt, loco ſeparari, niſi priuentur vnione, ſaltem alicubi: ſupponit autem D. Thom. ex fide, corpus Chriſti ita nunc eſſe cōiunctum animæ, vt nunquam, & nullibi priuari poſsit hac vnione, quia ſemper & vbique eſt viuum & immortale: & ſimiliter ſupponit, illud corpus ita eſſe vnitum diuinitati, vt nullibi priuari poſsit illa vnione; quia vbicunque eſt, eſt corpus diuinum, ac deificū, quod patet ex ſolutione ad 1. ex qua hæc interpretatio facilè ſumi poteſt. Atque in hoc ſenſu prior propoſitio vera erit, etiam de potētia abſoluta, quia fieri non poteſt, vt res realiter alteri cōiuncta, vt ſic; id eſt, retinens & ſecum deferens hunc modū vnionis, ſit, vbi non eſt alia, cui vnitur: quia talis coniunctio intrinſecè requirit intimam præſentiam alterius rei, cui fit coniunctio, & ab illa omnino pendet, & ſic non procedunt inſtantiæ adductæ, vt per ſe conſtat, quia Verbum nō habet modum vnionis ad humanitatem, quo priuari poſsit, ſed tota vnio eſt ex parte humanitatis, & ideo, vbicunq; eſt humanitas, ibi eſt Verbum, quia ibi eſt vnio, non tamen, vbicūque eſt Verbum, ibi eſt humanitas, quia non neceſſario ibi eſt vnio anima verò, licèt habeat vnionem ad corpus & ad ſingulas partes eius, tamen, quia illa vnio reſpectu ſingularum partium non eſt totalis, ideo, non vbicunque eſt anima, ibi eſt vnio ad ſingulas partes. Vnde fit, vt poſsit eſſe anima alicubi ſine vnione ad hanc vel illam partem corporis, & cōſequenter quod alicubi ſit anima, vbi non ſit caput, vel pes, &c. Tandem hinc facilè intelligitur ſenſus poſterioris propoſitionis D. Thomæ: non enim eſt ſenſus, quæ realiter coniunguntur, ſola ratione diſtingui, hoc enim tam apertè falſum eſt, vt non potuerit in D. Thomæ mentem cadere, ſed eſt ſenſus, quæ realiter coniuncta ſunt, ſola operatione animæ ſeparari, præſcindi, aut cogitari vnum eorum alicubi, ac ſi ibi aliud non exiſteret.

De ſolutione ad primum ſatis dictum eſt, quid verò ſit in hoc ſacramento ex vi verborum, quid autē per concomitantiam, quod in illa, & in ſolutione ad 2. tangitur, in ſequente diſputatione tractandū eſt: quod verò tangitur in ſolutione ad 3. de modo exiſtendi Chriſti in hoc ſacramento per modū ſubſtantiæ, partim in ſuperioribus eſt dictum, partim dicetur in diſputatione 52.

ARTICVLVS II.

Vtrum totus Chriſtus contineatur ſub vtraque ſpecie huius ſacramenti.

[illegible] q. 78. ad 2. q. 79. ar. ad 3. q. 80. ar. ad 3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, ꝙ nō ſub vtraq; ſpecie huius ſacramēti totus Chriſtus contineatur. Hoc enim ſacramentum ad ſalutem fidelium ordinatur, nō virtute ſpecierum, ſed virtute eius quod ſub ſpeciebus continetur, quia ſpecies erant etiam ante conſecrationem, ex qua eſt virtus huius ſacramenti. Si ergo nihil cōtinetur ſub vna ſpecie, quod non cōtineatur ſub alia, ſed totus Chriſtus continetur ſub vtraq; videtur, quod altera illarum ſuperfluat in ſacramento.

& 4. d. 11. q. 2. arti. 1. qō. 1. ad 2. Et ioan. 6. lect. 7. c. 2. & 1. Cor. 11. lect. 6. cor. 2.

¶ 2 Præterea, dictum eſt, quòd ſub nomine carnis omnes aliæ partes corporis continentur ſicut oſſa, nerui, & alia huiuſmodi. *Arti. præceden.* Sed ſanguis eſt vna partium humani corporis: ſicut patet per Ariſtotelem in libr. de anima. *Lib. 3. de generat. animalium ca. 2. tom. 4.* Si ergo ſanguis Chriſti continetur ſub ſpecie panis, ſicut continentur ibi aliæ partes corporis, nō deberet ſeorſum ſanguis cōſecrari, ſicut neque ſeorſum conſecratur aliqua alia pars corporis.

¶ 3 Præterea, Quod iam factum eſt, iterum fieri nō poteſt. Sed corpus Chriſti iam incipit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationem panis. Ergo non poteſt eſſe, quod de nouo incipiat eſſe per conſecrationem vini. Et ita ſub ſpecie vini non continebitur corpus Chriſti & per conſequēs nec totus Chriſtus. Nō ergo ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur.

SED contra eſt, quòd 1. Corinth. 11. Super illud. Et calicem, dicit gloſſ. quod ſub vtraque ſpecie, ſcilicet, panis, & vini, idem ſumitur. Et ita videtur ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus eſſe. *Glo. ord. ſuper illud. Accipite & manducate.*

RESPONDEO dicendum, certiſsimè tenendum eſſe, quod ſub vtraque ſpecie ſacramenti totus eſt Chriſtus, aliter tamen & aliter. Nam ſub ſpeciebus panis, eſt quidem corpus Chriſti ex vi ſacramenti, ſanguis autem ex reali concomitantia, ſicut ſuprà dictum eſt de anima & diuinitate Chriſti. Sub ſpeciebus vero vini, eſt quidem ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti, corpus autem Chriſti ex reali concomitantia, ſicut anima & diuinitas, eo quod nunc ſanguis Chriſti non eſt ab eius corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſsionis & mortis. *Artic. præced. ad 1.* Vnde ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum celebratum ſub ſpeciebus panis, fuiſſet corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpeciebus vini, ſanguis ſine corpore, ſicut erat in rei veritate.

AD primū ergo dicendū, ꝙ quāuis totus Chriſtus ſit ſub vtraq; ſpecie, non tñ fruſtra. Nā primo quidē hoc valet ad repræſentandā paſsionem Chriſti, in qua ſeorſum fuit ſanguis à corpore ſeparatus. Vnde & in forma conſecrationis ſanguinis, fit mentio de eius effuſione. Secundo, hoc eſt conueniens vſui huius ſacramenti, vt ſeorſum exhibeatur fidelibus corpus Chriſti in cibum, & ſanguis in potum. Tertio, quantum ad effectum,

Universidad de Deusto Biblioteca

Quæst. 74. artic. 1.

ctum, secundum, quod suprà dictum est, ꝙ corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ.

AD secundũ dicendũ, ꝙ in passione Christi (cuius hoc sacramentum est memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab inuicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exodi 12. Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc sacramento seorsum cõsecratur sanguis à corpore, nõ autem aliqua alia pars ab alia.

In corpo. artic.

AD tertium dicendum, ꝙ sicut dictũ est, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per cõsecrationem vini, non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

COMMENTARIVS.

IVxta dicta in præcedente articulo hic titulus intelligendus est de vtraque specie, nõ collectiuè, sed distributiuè, ita vt resolutio sit, totum Christum esse sub singulis speciebus panis, & vini: & ita est facilis tota doctrina corporis articuli, quæ fundatur in eodem principio posito præcedente articulo: vnde nihil circa hanc literam occurrit notandum præter ea, quæ de re ipsa disputanda sunt.

Ex argumentis D. Thomæ solùm secundũ nonnullam habet difficultatẽ: sic enim colligit; sanguis est pars integralis corporis humani: sed aliæ partes humani corporis non consecrantur separatim à toto corpore: ergo nec sanguis debet ita cõsecrari: patet consequentia, quia, ita continetur sanguis sub speciebus panis, sicut aliæ partes. Respondet autem negãdo consequentiam, eò quòd in sanguine specialis ratio intercedat: quoniam sanguis separatus fuit, & à corpore effusus; aliæ verò partes non fuerunt à corpore Christi separatæ: ad repræsentandam autem hanc separationẽ, prout conueniens fuit ad expressiorem passionis Christi significationẽ, sanguis seorsum à corpore consecratur. Quæ responsio optima est ad satisfaciendum priori parti argumenti, & præcipuæ intentioni eius: adhuc tamen soluẽda superest altera pars difficultatis, quæ in vltima probatione insinuatur, scilicet, ꝙ sanguis eodem modo sit sub speciebus panis, quo aliæ partes, scilicet, ex vi verborũ, nam ex vi illorum est totum corpus cum suis partibus constans. Responderi tamen potest, negando consequentiam, quia non est eodem modo pars: aliæ enim sunt partes in actu, sanguis verò tantùm in potentia. Sed nõ placet mihi hæc responsio: nam, si partes actu dicantur, quæ anima informantur, nihil ad præsens refert: quia ipsamet anima non est hic ex vi verborum, si verò dicantur, quæ actu componunt, & constituunt corpus, etiã sanguis potest dici actu pars. Et confirmatur, nam hac ratione Verbum diuinum assumendo corpus humanum, assumpsit etiam sanguinem: quia assumpsit totum, & quicquid est de veritate, & integritate eius. Aliter ergo respondet D. Tho. hic, quanuis implicitè & subobscurè, sicut sanguis seorsim à corpore consecratur, quia ab illo fuit effusus & separatus, ita etiam è cõtrario corpus ex vi verborum non consecrari, vt constans ex sanguine, sed præcisè vt est quid separabile ab ipso, & vt sic non includit sanguinem, vt partem sui; est enim sanguis pars non corporis humani vtcunque, sed viui: corpus autem humanum vt sic, & vt consecratur ex vi verborum, præscindit, seu abstrahit à mortuo & viuo; & ideò sanguis non est sub speciebus panis ex vi verborum; & idem est de alijs humoribus, qui cum sanguine fluunt, & miscentur, secus verò de alijs partibus solidis, quæ sunt de integritate corporis humani, in quocunque statu existat.

DISPVTATIO. LI.

De his, quæ sunt sub singulis speciebus Eucharistiæ.

Disput. 11. de Eucharistia.

CVm dictum sit, Christũ sub speciebus panis & vini realiter contineri, Christusque plura includat, diuinitatem scilicet, & humanitatem, quæ anima & corpore, eiusq; partibus constat, & accidentibus etiam ornata est, videndũ superest, an hæc omnia sint realiter præsentia in hoc sacramẽto, & quo titulo, ac ratione. Duplex enim distingui solet, scilicet, vis verborum, & concomitantia rerũ; ita vt duobus modis possit aliquid esse præsens in hoc sacramẽto, scilicet, aut ex vi verborum, aut per concomitantiam. Dicemus ergo primùm absolutè, quid hic sit præsens: deinde quid ex vi verborũ, ac tandem quid per concomitantiam.

SECTIO I.

Vtrum tota Christi substantia sit sub singulis speciebus Eucharistia.

SOlet hoc loco adduci error Nestorij negantis, hic adesse totum Christum: sed ille quidẽ, cum Christũ à Deo personaliter separaret, cõsequenter censere debuit, in hoc sacramento nullo modo esse veram diuinitatẽ; circa humanitatem verò nihil inuenio in hoc specialiter errasse, carnẽ à sanguine, aut corpus ab anima in hoc sacramento separando. Fuerũt verò alij hæretici, dicti Intinctores, prout refert Vualdens. tom. 2. c. 87. qui panis species tinctas speciebus vini ad cõplementũ cõmunionis dabant; vnde existimasse creduntur, sanguinẽ non esse sub speciebus panis, illa verò consuetudo damnata est à Iulio I. in c. cùm omne crimen. de cõsecr. d. 2. Hinc etiã Alan. lib. 1. de Euchar. c. 41. hũc errorẽ tribuit hæreticis existimãtibus necessariã esse cõmunionẽ sub vtraq; specie: videntur enim in hunc errorẽ incidere, quia nõ credunt, sub singulis speciebus esse totum Christũ. Sed hæc collectio incerta est, nam ex alijs causis moueri potuerunt. Denique Lutherum fuisse huius erroris magistrũ, refert Eckius homil. 32. de sacram. cumq; aliquos Lutheranos nunc sequi refert Bellar. libr. 4. de Euchar. c. 21. Caluinum etiã & alios, qui negant realem Christi præsentiam, eodem modo loqui necesse est: quia, si Christus hic tantùm est, vt in signo, id tantùm erit sub singulis speciebus, quod per illas significatur.

Vualdens. Alanus. Eckius. Bellarm.

Dicendũ verò est, totũ Christũ, totamq; substãtiam eius esse in hoc sacramento, & sub singulis speciebus eius. Est de fide, & primò colligi potest ex verbis Christi, Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, &c.* & infrà, *Qui manducat me, viuet propter me*: ergo sub speciebus panis totus Christus continetur, & mãducatur; & eodem modo loquũtur Sancti Patres, agentes de hoc sacramento, prout manducatur in panẽ, vel prout permanet in altari, absq; speciebus vini, sic loquitur Aug. serm. 2. de verbis Apostoli, vbi ait, eundem Christum, qui in cælo sedet, esse in altari; & Amb. lib. de Myster. c. 9. *In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi*, & lib. 5. de sacramen. c. 3. *Venisti ad altare, accepisti corpus Christi; audi dicentem sanctum Dauid; & ille in spiritu hæc mysteria prævidebat, & lætabatur, & nihil sibi ab esse dicebat.* Similiaq; sumi possunt ex Dionys. capitul. 3. de Eccles. Hierar. & Nazianz. oration. de Sancta Gorgonia, & Cyrillo Hierosolym. Catechef. 4. vbi hac de causa dicit, Christianos, manducando corpus Christi, fieri Christiferos. Hoc etiam cõfirmant illa verba, quibus ex vsu Ecclesiæ vtuntur fideles ante cõmunionem, *Domine non sum dignus, &c.* vt obseruauit etiam Origen. hom. 6. in diuersos. Dices, etiam Christus dicitur iacuisse in sepulchro, quanuis ibi non esset sanguis, neque anima. Respondetur, non esse locutiones nude & abstractè considerãdas, sed iuxta intentionem loquentium: & omnibus circũstantijs pensatis: sic autem constat, Christum locutum fuisse de se ipso viuente, & perfecto Deo ac homine, cum dixit, *Qui manducat me, &c.* vnde ibidem ait, *Panis Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo*, & iterum, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*, dici enim potest panis viuus, quia in eo datur caro eius non mortua, sed viua, & de cælo descẽdisse dicitur, propter diuinum suppositum. Atque idẽ est sensus Sãctorũ Patrũ, dicũt enim, Christũ ita esse hic, sicut in cælo, itaq; illũ sub speciebus panis existentẽ alloquũtur, & ad eũ orationes fundũt, ac si in ꝑpria specie videretur. Accedit, quod ex illa locutione, etiã in sensu minus proprie sumpta, saltẽ concluditur, diuinum Christi suppositum esse sub speciebus panis simul cum corpore, quod ex eo est, quod in propria specie ei vnitur, nunquã que ab eo separatur; pari ergo ratione concludetur non esse hic corpus sine anima & sanguine, aut è conuerso propter realem coniunctionem, quam in re ipsa habent. Vnde hic optime accommodari potest illud. 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*, soluit enim quicunq; alicubi separat aut humanitatem à diuinitate, aut corpus à sanguine. Secundo principaliter probatur conclusio definitione & traditione Ecclesiæ, nam in Conc. Constant. sess. 13. & Basil. sess. 30. dicitur veritas hæc firmissime & sine dubitatione tenenda; quæ traditur etiam in Florent. in decreto Eugenij, & definitur in Trid. sess. 13. c. 3. & canone. 1. & 3. & ses. 21. c. 3. & habetur etiam in c. Qui manducat. c. Singuli. c. Vbi pars c. Inuitat, & alijs, de Consec. d. 2. eamque explicuit Aug. in hom. quam refert Bed. 1. ad Corin. 10. & Euseb. Emissen. hom. 5. de Paschate; & alios infra referemus, qui non solũ sub singulis speciebus, sed etiam sub singularũ partibus dicunt Christum totum contineri. Tractando etiam de communione sub vna specie afferemus alios dicentes; ideo vnam speciem sufficere laicis, quia sub ea totus Christus continetur. Tertio probatur ratione D. Thomæ, quę iã satis explicata est: nullo enim modo, decuit, gloriosum & diuinum Christi corpus, alicubi esse exanime, aut sine vnione ad Verbum: præsertim cum in hoc sacramento sit ad homines spiritualiter viuificandos, quam vim habet caro illa ex vnione ad Verbum, vt Conc. Ephes. dixit. Adde deniq;, non esse cõsentaneum naturis rerum, vt corpus alicubi viuum, alibi sit ab anima separatum, neque quod corpus animatũ sit exangue. Sunt ergo sub qualibet specie essentiales partes humanitatis Christi, sunt etiã inter se vnitæ, quia ad hoc etiam necessarium est, vt sit ibi totus Christus sunt prçterea partes omnes substantialiter integrãtes corpus Christi eo modo coniunctæ, qui ad perficiendum corpus humanum necessarius est: quia corpus Christi non est mutilũ, nec mõstrosum, sed pulchrum & ornatum; & ideo capillos etiam habet, & barbam, quia hæc etiam pertinent ad integritatem, & intrinsecum ornamentum humani corporis: sunt denique cum sanguine reliqui humores quia omnes sunt de veritate corporis humani, ideoque in glorioso corpore existũt. De aere vero, qui intra corpus humanum, etiam gloriosum includitur, & aliquas partes porosas vel concauas replet, vt locutione deseruiat, dubitari potest, an sit etiam in hoc sacramento, cum per se non pertineat ad corporis compositionem, & aliquo hic non sit necessarius, vel ad replendum aliquod vacuum, vel ad loquendum: quia Christi corpus, prout est hic, nec loqui potest, nec per spatium quantitatiue extenditur. Nihilominus contrarium videtur probabilius & in vniuersum omnem substãtiam, quæ est intra corpus Christi gloriosum, præsentem fieri in hoc sacramento: quia aliquo modo est de necessitate & perfectione humani corporis: Christi autem corpus hic est omni ex parte perfectum, & sufficiens ad omnes actiones, quanuis ratione modi existendi illas non exequatur. Secus vero dicendum est de alijs rebus mere extrinsece & accidentaliter adiunctis, quales fuerunt in nocte cœnæ vestes, quæ nullo modo componunt humanum corpus, sed adiacent extrinsecus: item saliua, cibus indigestus, & excrementa, quæ tũc fortasse erãt in corpore Christi omnino per accidens: nam ad compositionem, & perfectionem corporis Christi non pertinebant, quod notarunt Soto in 4. distinct. 10. quæst. 1. artic. 2. Ledesm. quæst. 17. art. 2.

Totus Christus sub singulis speciebus Eucharistiæ. 1. Probatur ex patribus. Origenes. 1. Ioan. 4. 2. Probatio ex definitione & traditione Eccles. Concil. Cõstan. Basilien. Florent. Trid. Aug. Euseb. Conc. Ephes. Soto. Ledesma.

SECTIO II.

Vtrum in Eucharistia sit quantitas corporis Christi cum reliquis accidẽtibus.

IN præcedente sectione diximus de tota substãtia, & omnibus partibus eius, hic dicendum est de omnibus accidẽtibus, quam rem attingit D. Tho. infra art. 4. sed eam anteponimus, vt institutum ordinem obseruemus, & plures quæstiones inter se fere connexas facilius expediamus. Punctus autem controuersiæ versatur circa quantitatem, & alia accidentia, quæ ratione illius, vel per ipsam, substantiæ corporeæ insunt: nam de accidentibus spiritualibus nulla est difficultas, quin sint in hoc sacramento; quia nec locum occupant, neque ab illo pendent, neque ab extrinseco agente, sed ipsa Christi anima, ad cuius perfectionem pertinent, ac proinde illam comitantur, vbicunque existit. De quãtitate vero est prima opinio, negans esse præsentẽ in Eucharistia quantitatem corporis Christi, sed solã ac nudam substantiã materiæ anima informatã. Ita docet Durã. in 4. d. 10. q. 2. & probabile cẽsent Maior. q. 2. Gab. ar. 2. concl. 2. & lect. 43. in Can. Ocham. in 4. q. 4. & tract. de Euch. c. 29. Est autẽ

1. Opinio negans in Eucharistia esse Christi quantitatẽ. Durand. Maior. Gabr. Ocham.

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnum discrimẽ inter hos autores, nam Duran. A distinguit realiter quantitatem à substantia, & putat, in sacramento poni realitatem substantiæ, sine re, & forma quantitatis: quia putat primarium effectum formalem quantitatis esse ipsam extensionem in loco, seu quantitatiuam occupationem, & impenetrabilitatem; propter quod existimat implicare contradictionẽ substantiã quantitate affectã, vel non occupare locum, vel in eodẽ loco cum alia quantitate penetrari. Vnde vlterius infert, nullam qualitatẽ, seu proprium accidens absolutum, à materiali substãtia realiter distinctũ, illiq; media quãtitate inhærens esse in hoc sacramento, qualia sunt color, calor, & similia. At vero Ocham, & Nominales non censent, quatitatem esse vnam rem à substantia & alijs accidẽtibus distinctam, sed esse vel ipsam substantiam, vel modum eius, ita vt substantiam esse quantam nihil aliud sit, quam habere hãc extensionem localem, ratione cuius corpus habet molem sensibilem & naturaliter impenetrabilem, ex quo principio colligunt, substantiam carentem hac extensione non esse actu quantam, sed potentia tantũ: quia caret illo modo actuali, quo fit quanta, & ita consequenter loquuntur de corpore Christi, quod in hoc sacramento extensione caret, quam quam interdum dicant, identice habere hic rem illam; quæ est quantitas, non tamen formaliter, quantitatem, cuius rationem in illo modo & extensione ponũt: de qualitatibus vero aliter sentiunt: quia putant, eas habere proprias quantitates distinctas à substantia & quantitate eius: vnde dicunt, esse in hoc sacramẽto sine proprijs quãtitatibus: sic enim sunt modo accommodato; vt inhærere possint substantiæ, tanquam immediato subiecto suo. Et hic modus Nominalium, licet in eo, quod supponit, magis falsus sit, tamen opinio Durandi, quod ad præsens attinet, multo est periculosior, grauioréq; errorem continet. Nominales enim solum dicunt, carere corpus Christi aliquo modo, quẽ habet in cælo, quod in aliquo sensu omnes dicunt, vt videbimus; vnde solum in modo loquẽdi videtur differre à communi sententia, vocando illum modum quantitatem; Durandus vero dicit, carere corpus Christi in sacramento aliqua forma reali proprija & accidentaria; & quod difficilius est, dicit carere omnibus qualitatibus proprijs, & connaturalibus. Solet autem hoc loco referri alia opinio, & tribui AEgidio, & Carthusiano, scilicet esse in Eucharistia quantitatem corporis Christi, non tamen constituere illum quantum. Verum, neque illi autores hanc sententiam docent, vt constat ex Carthus. in 4.d.10.q.1.& 3. vbi AEgid. etiam refert, neq; in re ipsa potest habere aliquam probabilitatis speciẽ nisi fortasse sit abusus terminorum, ipsum esse extensum in loco vocando esse quantum, seu effectũ formalem quantitatis, vt facile patere potest ex dictis supra, disput. 48.

Carthusian. Ægidius.

Corpus Christi habet in Eucharistia suã quantitatem. D. Thom. Bonauent. Richard. Paludan. Maior.

Dicendum ergo est, corpus Christi in Eucharistia habere ibi præsentem suam quantitatem, qua afficitur, & vere quantum ibi constituitur. Est cõmunis sententia, tenet D. Tho. hic, art. 4. & in 4.d. 10.q.1.art.2.quæstiunc.3. Bonau. art.1.q.2. Richar.ar.1.q.2. Palud.q.2. Scot.q.1.5. Defecundo Maior.q.3. Heruæus.q.1.art.3. Sotus.q.1.art.4. Alens.4.p.q.40.mẽb.3.ar.4. Altisiod.lib.4. summę, tract.5.c.4. Marsin 4.q.7.art.1. Ledes.q.17. ar.4. Enric.quodl.1.q.5. AEgid.quodlib.1.q.4. quodl.2.q.17.& Theor.10.& 33. de Euchar. Ferrar.4.cont.gent.c.64.atq; idẽ docuit Iunoc.lib. 4. de Myster. Euchar.c.8. Probatur autem in hũc modum, quia vel præcedimus in opinione negãte, quantitatẽ distingui realiter à re quãta, vel in alia, quæ affirmat, esse rem prorsus distinctam à substãtia, & materia primatin vtraq; autem sententia, necessario dicendum est, Christi corpus habere hic suam quantitatem: ergo. Probatur prior pars contra Nominales, qui re vera non loquũtur consequẽter: confundunt enim ipsum vbi intrinsecum cum quantitate: quia nihil aliud dicunt esse quantitatẽ, quam ipsam in loco extensionem, seu actualem loci occupationẽ, quæ non distinguitur ab ipso vbi: hoc autem esse per se falsum, constat: quia per omnem loci mutationem, mutatur vbi intrinsecum, & extensio in loco, saltem hæc numero in indiuiduo, & tamen non mutatur quãtitas in indiuiduo ergo non sunt omnino idem, sed quantitas & esse quantum est aliquid prius, quam actualis repletio loci, quod naturaliter sub esse succesiue varijs vbicationibus, seu extensionibus in loco, & ad illas cõparatur, vt potentia ad actum, seu vt actus primus ad secundum. Quod si fortasse hoc totum concedant, inquiram vlterius, an illud esse quantũ, quod supponitur, & permanet sub varijs vbicationibus, sit ex natura rei distinctum à substantia, necne. Si non est distinctum, est inseparabile ab illa; & consequenter necesse est, vt corpus Christi in sacramento habeat illud esse quantum. Si vero distinguitur aut tãquam res à re, & hoc ipsi negant, aut tanquã modus, & tunc non habẽt Nominales aliquod fundamentum, quo talem modum magis distinguãt ex natura rei modaliter à substãtia, quã proprie & in rigore realiter, vt rem à re; & ita re vera solum ipsi explicant modum aliqualiter distinctum & separabilem secundum extensionem localem. Deinde, estò admittamus hunc modum ex natura rei distinctum, nullum est fundamentum ad negãdum, corpus Christi in sacramento secum afferre talem modum: quia non est modus pendens à loco, sed prior omni loco, idemq; permanens variatis locis, & alioqui est magis intrinsece coniunctus corpori Christi, quã alia accidentia vel qualitates eius, quas ipsi Nominales concedunt comitari in sacramento corpus Christi. Quod si fortasse dicant, hunc modum posse quidem manere sine hac vel illa extensione ad locum, non vero simpliciter sine vlla extensione, hoc iam remouetur ad quæstionem de possibili, quæ cum Durando communis est, & fuse est à nobis in superioribus tractata, disput. quadragesima octaua, vbi ostendimus, posse quantitatem per potentiam Dei absolutam priuari omni actuali extensione in ordine ad locum. Nec Nominales in prædicto sensu hoc negant, sed quia non admittunt rem aliquam, vel realem modum inter substãtiam, & actualem extensionem in loco. Vnde necesse est, vt vel fateantur, substantiam per se ipsam formaliter esse quantam, & consequenter corpus etiam Christi in sacramento esse quantum, vel certé formaliter fieri quantam per ipsam actualem extẽsionem in loco, & consequenter quantitatem nihil aliud esse, quam actualem ipsam extensionem, & hac mutata, mutari etiam quantitatem, quo nihil absurdius dici potest.

Procedendo autem in alia sententia; ponente quan-

Hermann. Soto. Alensis. Altisiod. Marsil. Ledesm. Enricus. Ægidius. Ferrar. Impugnatur. Nominales.

Impugnatur. Quod.

quantitatem realiter distinctam à materia, fit argumentum contra Durandum ex D. Thoma supra artic. 1. Quia substantia corporis Christi ita est realiter coniuncta suæ quantitati, vt ab ea nullatenus vsquam separetur: ergo, vbicunque est substantia, ibi est quantitas: ergo etiam in sacramento. Respodet Durandus, negando secundam consequentiam, quia Christus non est in sacramento localiter, sed tantum secundum præsentiam ordinis, & ideo quamuis substantia eius, & quantitas nusquam localiter separentur, separari possunt secundũ præsentiam sacramentalem; quia potest substantia habere quandam habitudinem, & ordinem ad hoc sacramentum, quem non habet quantitas. Sed hæc responsio Durandi, & ex alio errore procedit, & sane in ea non consequenter loquitur. Primum patet, quia talem ponit præsentiam ordinis, vt videatur destruere veritatem realis præsentiæ, qua substantia corporis Christi intime sit cotenta sub speciebus panis, & ab illis realiter indistans. Secundu patet, quia, si hæc præsentia sacramentalis solum esset cuiusdam ordinis, & habitudinis extrinsecæ, facillimum intellectu esset, Christi corpus non solum habere illam habitudinem ratione substantiæ sed etiam ratione quantitatis. Supposita autem sana doctrina de veritate, ac proprietate huius præsentiæ realis sacramentalis, consequenter iuxta contrariam sententiam concedendum esset, substantiam corporis Christi, licet in cælo sit realiter vnita quantitati, tamen prout est in sacramento, esse separatam ab illa: quia ibi càret illa, & vnione ad illam: hoc autem, quanuis secundum potẽtiam Dei absoluaam non sit impossibile, tamen concedere, ita factum esse, est valde absurdum. Primo, quia in superioribus ostensum est, non esse impossibile esse hic corpus quantum, quanuis non sit in loco extensum, & alioqui magis est decens, magisque conueniens, vt materia secum deferat suam quantitatem, suamque vnionem cum illa vbique retineat: non est ergo, cur negetur, ita factum esse. Secundo quia alias eadem ratione dicetur, esse in sacramento corpus sine anima, quia etiam hoc non est impossibile, neque est maius inconueniens, materiam corporis Christi carere alicubi anima, quam quantitate, quæ est passio magis intrinseca, & ex natura rei inseparabilem vnionem habens cum illa. Atque idem fere argumentum fieri potest de subsistentia diuina, quia non est in illa maior ratio concomitantiæ. Fortiusque fiet argumẽtum de sanguine, quod nimirum, lequatur, non esse sub speciebus panis, quia multo minus vinculum habet cum corpore, quam intrinseca eius quantitas. Quod si Durandus semel fateatur, animam Christi sub speciebus panis informare materiam, etiam si ibi nec quantitate, neque qualitate in temperamento sit disposita, multo facilius concedere posset, & deberet, informare materiam corporis, etiam si non habeat coniunctam materiam sanguinis: quia sanguinis coniunctio in corpore viuo solum requiritur ad debitam & connaturalem talis corporis dispositionem. Ac denique, si de sua præsentia ordinis Durandus consequenter loqueretur, dicere etiam facile posset, sanguinem ad species vini habere habitudinem ordinis, quam non habet corpus, & è contrario corpus ad species panis; atq; ita in sententia Durandi fere omnis concomitantia destruitur. Tertio (& hoc argumentum etiam procedit contra Nominales) sequitur ex dicta sententia, in corpore Christi, prout est in sacramento, nullam esse organicarum partium distinctionem, & illud compositum ex anima & materia nuda quantitate, vel nullas habere partes, vt multi putant, vel, quanuis habeat entitatiuas, vt verius est, omnes illas esse quasi homogeneas & omnino similes: quia, seclusa quantitate, & proprietatibus, quæ necessario illam supponunt, non potest intelligi in corpore diuersitas partium organicarum. Quod quidem in opinione Durandi, negantis etiam qualitatum temperamentum, est per se euidens; ponendo autem cum Nominalibus in illo corpore qualitates, posset intelligi in partibus aliqua diuersitas ex vario temperamento qualitatum, non tamen sufficiens; quia in primis non posset intelligi diuersa figura, vel ipsi fatentur; est autem hæc vna ex dispositionibus necessarijs ad organizationem, & ad functiones vitales. Deinde non posset intelligi densitas, & raritas, neque duities, cum tamen, sine his, non possit satis intelligi organizatio vitalis; neque distinctio propria inter os & carnem, &c. Ponere autem corpus Christi in sacramento ita confusum & homogeneum, absurdissimum est tum, quia anima non est apta ad informandum huiusmodi corpus, neque ipsum est capax vitæ, sicut nec vitalium actionum; tum etiam, quia tale corpus careret omni pulchritudine, & esset valde monstrosum; tum maxime, quia hoc pugnat cum proprietate illorum verborum Christi, *Caro meâ vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; quia vera caro non est sine tali temperamento, & tali densitate, & dispositione, neque aliter potest distinguí ab ossa, & alijs membris, vt diximus.

Atq; ex his probationibus intelligi potest, conclusionem positã, non solũ procedere de quantitate, sed etiam de modis quantitatis absolutis & independentibus à loco, & intrinsecis ac connaturalibus corpori humano, & membris eius, vt sunt talis densitas vel raritas, aut figura, &c. Item de qualitatibus similiter connaturalibus humano corpori in specie, & in tali indiuiduo, vt ex rationibus factis satis patet. Item de his omnibus, non in abstracto tantum (vt sic dicam) sed in concreto, seu quoad realem vnionem & informationem corporis Christi, ita vt rei, prout existenti in Eucharistia, suos esse actus formales cõferant: nam ad hoc ponuntur hæc omnia in sacramento, vt rationes factæ ostendũt, & alioqui impertinenter & sine causa ibi esse dicerentur.

Dubium.

Sed inquires, qua certitudine tenenda sit hæc doctrina, prout à nobis explicata est, & qua censura reijcienda sit contraria. Aliqui enim sententiam Durandi hæresis damnãt. Sed non inuenio expressam contra illam definitionem, nec testimonium Scripturæ irrefragabile: imo nec quod omnino euidenter ex principijs reuelatis conuinci possit: nam fere omnes rationes factæ ex aliquibus philosophicis principijs pendent, veris quidem: ac fere certis, non tamen omnino euidentibus, & ideo nimia mihi videtur hæc hæresis censura; non tamen omnino displicet censura Alexandri Alensis, qui erroneam illam vocat; & saltem videtur mihi temeraria: quia & est contra torrentem Doctorum, & sine vlla necessitate, vel vrgente fundamento admittit in hoc sacramento multa indecen-

Soluitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia, & absurda, parumque cõsentanea modo loquẽ di Scripturæ, Conciliorum, & Sãctorum Patrum, qui vbique docẽt esse hic corpus Christi, quale est in cælo; aut quale erat in nocte cœnæ iuxta verba Christi, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*: quia, nec tradi potest corpus non affectum quantitate, nec effunditur sanguis, nisi liquidus, & consequẽter tali modo quãtitatis, & talibus dispositionibus temperatus. Est ergo hæc doctrina Theologice, certa, quanuis non de fide.

Quæritur. Sed quæret aliquis vltimo, an hæc doctrina ad reliqua etiam extrinseca accidentia extendẽda sit. Respondetur, non vniuersaliter, neque cum æquali certitudinẽ: itaq; inter hæc accidentia, & est præsentia localis, & accidentia quæ ab ea intrinsece pẽdent, vt sunt motus localis, relationes propinquitatis & distantiæ, &c. & hæc non comitantur corpus Christi in hoc sacramento; non enim habet hic præsentiam, quam habet in cælo, tum, quia præsentia non transfertur de loco ad locum, vt supra dictũ est, tum, quia hoc specialiter repugnat illi præsentiæ extensiæ & diuisibili respectu indiuisibilis præsentiæ huius sacramẽti; & hoc docuit D. Tho. infra art. 5. ad 3. Alia vero sunt accidentia in depẽdentia quidem à loco, tamen merè contingenter euenientia, vt est nunc in cælo species visibilis ad actus videndi hoc vel illud obiectum, vel in terra aliquis calor, vel frigus, & de his Maior. d. 10. q. 5. negat esse in hoc sacramento: quia pendent ab extrinseca causa, quæ alibi est propinqua & non hic, quæ opinio non est ita improbabilis, sicut opinio Durandi, vel Nominalium: quia hoc non est contra connaturalem dispositionem, & perfectionem corporis Christi, neque contra communes locutiones Scripturæ & Sanctorum. Nihilominus probabilior est contraria sententia, quam D. Tho. insinuat dicto art. 5. ad 3. quam cæteri autores cõmuniter sequi videntur, quia etiam hic habet locũ realis concomitantia, & nihil est, quod illam impediat, præsertim, cum in superioribus ostensum sit, magis cõnaturale esse corpori in duobus locis existenti, vt in vtroque loco habeat, quicquid in altero eorum denuo recipit, de qua re videnda sunt, & ad hunc locum applicãda, quæ supra disputat. 48. de hac re tractata sunt.

SECTIO III.

Vtrum corpus & sanguis Christi sint sub speciebus sacramentalibus ex vi verborum, vel per concomitantiam.

LVtherus, vt referunt Ruardus articul. 15. & Coelæus libr. 1. Miscellanea rum capit. 9. irrisit hanc distinctionẽ de ijs quæ existunt in hoc sacramento, ex vi verborum, & de ijs, quæ existunt per concomitantiam, quam omnes scholastici recipiunt, eam vero approbauit Concilium Tridentinum sessione. 13. capitul. 3. non quod modum illum loquendi tanquam de fide certum definire intendat, sed rem solam: hæc enim est, quæ directe ad doctrinam fidei pertinet, scilicet, totum Christum sub singulis speciebus contineri; & ita hoc solum tradit sub anathemate, Canon. 1. & 3. Quia vero hæc fides optimè explicatur per illum duplicem modum constituendi aliquid in hoc sacramento; ideo Concilium, ad declarandum mysterium, ea distinctione vsum est. Quo circa, licet non sit aperta hæresis illam negare, est tamen ingens temeritas, & magnus error; præsertim cum ex principijs fidei non obscure colligatur, vt ex dicendis constabit. Id ergo dicitur poni ex vi verborum in Eucharistia; cuius præsentia ad verborum veritatem necessaria est, seu (quod perinde est) quod præcise per verba significatur: nam tam veritas, quam efficacia, significationi respondet: verba enim efficiunt conuersionem, quam vere significant: vnde etiam dici potest esse ex vi verborum id, quod per se terminat conuersionem; quod quomodo intelligendum sit, postea trademus. Vnde è contrario per concomitantiam dicitur esse, quidquid in hoc sacramento ponitur, non quia sit simpliciter necessarium ad veritatem verborum, sed quia habet realẽ vnionem cum eo, quod necessarium est ad verborum veritatem: an vero id, quod tantum est per concomitantiam, nihilominus etiam fiat per verborum efficaciam, dicemus postea.

Hac explicata distinctione dicendum est primo sub speciebus panis esse corpus Christi Domini ex vi verborum. Conclusio est de fide, definita in Cõcilio Tridentino supra, & ab omnibus Catholicis Doctoribus recepta, & satis per se clara, supposita veritate huius mysterij: quia verba formæ, quia consecratur panis, nihil aliud immediatius significant, vel ad suam veritatem requirunt. Difficultas autem est in explicando, quid complectatur ea vox, *Corpus Christi*, includere enim potest materiam, formam, & accidentia, & de forma quidem, & accidentibus dicemus duabus sectionibus sequẽtibus. Hic igitur circa materiam certum in primis videtur, totam illam materiam, quæ in nocte cœnæ, quando Christus instituit hoc sacramenti mconstituebat seu integrabat corpus eius, eẽ pisse esse ex vi verborum sub speciebus panis, & hoc euincit illa particula, *meum*, nam illa determinat significationẽ ad illam materiam, quæ tunc erat Christi, dicitur autem fuisse Christi, quia corpus eius tunc componebat. Vnde obiter primo colligitur, corpus, quod hic est ex vi verborum, non dicere materiam in communi, vt abstrahit ab hac vel illa indiuidua materia, nec dicere solum communem illum gradum corporis, quod est sub alterum genus prædicamenti substantiæ, vt sentire visus est Picus Mirandulanus in Apologia. quæst. 6. quia non quælibet materia, sed hæc tantum indiuidua, Christi corpus composuit, & similiter corpus in illa generalitate sumptum non petit hanc determinatam, & indiuiduã materiam, quam petit corpus Christi, quod hic est ex vi verborũ. Et ratio adhiberi potest, quia hæc sunt verba practica: & operatiua, & ideo oportet, vt tam ex sua significatione quam ex intẽtione operantis, indiuiduum corpus significent, saltem ex parte materiæ: quia omnis actio circa singulare versatur. Vnde vlterius colligitur, non tãtum partem aliquam, sed materiam omnium partium organicarum, quæ tũc erant in corpore Christi, cepisse esse sub speciebus panis ex vi verborum; ita docet D. Thom. hic artic. 1. ad 2. & re-

& reliqui Doctores in 4. d. 10. & Alex. Alensis. 4. p. q. 38. mẽb. 5. Gab. lect. 42. is canõ. & AEgidius Theorem. 30. de Eucharist. qui non solum docent materiam harum partium, sed etiam ipsamet partes organicas fuisse in sacramento ex vi verborum quod nos supra insinuauimus contra Durand. & Nominales: tum, quia illa particula, *meum*, determinat corpus humanum: corpus autem humanum intrinsece requirit, vt sit organicũ; tum etiam, quia propria carõ non intelligitur, sine organizatione: est autem sub speciebus panis ex vi verborum propria, & vera caro, iuxta illud, *Caro mea vere est cibus*, &c. Et ideo Sancti indifferenter dicunt, conuerti panem virtute verborum in corpus, vel carnem Christi. Vnde est illud Ambros. 4. de sacrament. capitul. 4. *De pane fit caro Christi.* Et Cyprian. fermon. de cœna Domini dicit, Christum conficisse his verbis, *Hæc est caro mea*, intelligens, carnẽ (à parte totum significando) interdum totum corpus hominis indicare, iuxta illud, *Caro mea requiescet in spe*: atque adeo, tam propriam carnis partem, quam cæteras, quæ totum corpus componunt, ex vi talium verborum sub speciebus panis constitui. Dices, aliquæ sunt partes, quarum licet vna vel altera à corpore separetur, nihilominus permanebit verum corpus humanum: vt digitus, aut brachiũ, &c. ergo sine illis vera essent illa verba, *Hoc est corpus meum*; ergo illæ non erunt hic ex vi verborum iuxta definitionem supra datam. Respondetur, negando consequentiam: quia corpus Christi proferentis illa verba non erat mutilum, sed perfecte integrum & ideo tale corpus significatur, & determinatur per illa verba, *Corpus meum*: hæ autem partes omnes necessariæ sunt in corpore humano integro & perfecto: omnes ergo conferunt ad perfectã & integram veritatem illorum verborum: sunt igitur omnes ex vi verborum, & ad omnes per se terminatur cõuersio, non sigillatim, sed vt omnes cõponunt vnum totum perfectum. Dices vlterius, licet hæ partes requirantur in corpore viuo, non tamen in mortuo: hic autem non est corpus viuum ex vi verborum: ergo neque illæ partes. Respõdetur, negando simpliciter maiorẽ, quia corpus etiã mortuum, prout suo modo humanum est, suam requirit partium integritatem, ne truncũ sit, vel mutilum: illæ ergo partes, quæ sunt de integritate huius corporis perfecti in vtroq; statu, vitæ, aut mortis, dicuntur hic esse ex vi verborum, nam, vt supponimus, corpus hic præscindit à mortuo & viuo, & huiusmodi videtur esse partes solidæ taliæ vero quæ dici possunt partes fluidæ, vt sunt humores, nõ pertinent ad corpus exanime; sed tantũ ad corpus viuũ, ad cuius naturalem consistentiam requirunt & ideo necesse non est, huiusmodi partes esse sub speciebus panis ex vi verborũ, vt infrà dicetur. Sed qui tandẽ dicendũ est de præputio corporis Christi, quod in ipso non erat, quando primum dixit, *Hoc est corpus meum*, ergo tunc non fuit re ipsa positũ in sacramento sub speciebus panis: ergo nec nũc ponetur ex vi verborum, sed, ad summũ, per cõcomitantiã: quia tunc exercuerunt verba Christi totãvim suam. Nihilominus contrarium videtur probabilius, scilicet, præputium Christi, seu materiam eius nunc poni sub sacramẽto ex vi verborũ: quia re vera pertinet ad integritatem illius corporis, & est de substantia eius, & ita etiã in prima consecratione futurũ fuisset, si tunc corpori nõ deesset: quia re vera, claditur sub perfecta corporis significatione. Quo circa, sicut interdum ponitur aliquid in hoc sacramento per concomitantiã, quanuis veritas verborum id non requirat, quia in re ipsa est coniunctũ corpori Christi, ita è contrario interdũ aliquid, quod fieri potest ex vi verborum, non fit quia in re ipsa deest corpori Christi in propria specie existẽti: quia iuxta institutionẽ tale corpus ponitur in sacramento, quare in se est.

Sanguis Christi ex vi verborum est sub speciebus vini.

Dico secundo, Sanguis Christi Dñi est sub speciebus vini ex vi verborum. Hæc conclusio eodẽ modo tractanda est, quo præcedens: est enim eadẽ definitio Concilij, & eadem cõmunis doctrina, eadẽq; ratio, vt per se cõstat. Quid vero nomine sanguinis significetur, quoad formã & accidentia, dicetur postea, quoad materiam vero dicendũ est, sanguinem, qui ex vi verborum est in calice, constare debere ex illa singulari materia, ex qua fuit totus sanguis, quẽ Christus in corpore suo habuit in nocte cœnæ, vt satis declarãt illa verba, *Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur*. Sed ex his eisdem verbis sumpserunt aliqui occasionẽ dicendi, non totũ sanguinem corporis Christi cœnantis eum discipulis esse hic ex vi verborum, sed solum illum, quem in passione effudit; credunt enim, aliam sanguinis copiam remansisse in venis, vel in iecore, qui non consecraretur in triduo: quia non fuerat in passione effusus, verba enim Christi limitata fuerunt ad illum sanguinẽ: ergo nec nũc cõsecratur ex vi verborũ. Imo fortasse neq, vllo modo nunc consecratur: nã in corpore Christi glorioso: nam creditur esse omnino idem. Sed quanquam hæc vera sint, etiã existimo verum, in nocte cœnæ fuisse ex vi verborum sub speciebus vini totum sanguinem, qui tunc erat in corpore Christi: quia essentialia verba formæ sunt hæc, *Hic est sanguis meus*, & Concil. Trid. absolutè docuit, sanguinẽ Christi: fuisse in calice ex vi verborũ: hæc autẽ indefinita significatio æquiualet vniuersali: neq; est verisimile, Christũ intentione sua potius vnã partem sanguinis assignasse, quã aliã, cum verba totũ significẽt. Neq; obstant verba illa, *Qui pro vobis effundetur*, tũ, quia pium est, & valde probabile, Christum totum suũ sanguinem in passione effudisse: cuius testes sunt aqua & sanguis, quæ de latere eius fluxerunt, tum etiam, quia (quicquid de hoc sit) illa pertitula non est de essentia formæ, vt infrà dicã, neq; addita est ad limitandã quantitatẽ sanguinis consecrandi, sed ad cõmendandũ valorẽ, & efficaciam huius sanguinis, & indicandũ finem, propter quem illa consecratio fit, scilicet in memoriam nostræ redemptionis, quæ effusione illius sanguinis peracta est. Exẽplo res declaratur, nam cum consecretur oleum ad infirmos vngendos, quanuis in ipsa benedictione fæpe fiat mentio huius finis, non ideo tantum illa pars olei benedicta creditur, qua postea perficitur vnctio, sed simpliciter totũ oleũ: sic igitur Christus totũ sanguinẽ suũ simpliciter cõsecrauit: quia illo nos erat redẽpturus, siue illum postea totũ effude-

rit, siue non. Quapropter, si in triduo vinum consecraretur, totus sanguis, tam qui effusus est etiam si esset per varia loca dispersus, quam si quis in corpore mansit, in calice esset sub speciebus vini, nunc vero consecratur totus, qui est in corpore glorioso, qui non est, cur censeatur minoris quantitatis, quam fuit in nocte cœnę, quia licet non requiratur per modum alimenti, tamen corpus gloriosum est purius ab omnibus excremētis, & loca illa, quæ excrementa occupabant, plena sunt sanguine, & purissimis humoribus.

Dubium.

Sed quæres obiter, an hic sanguis sit ex vi verborum, per modum vnius continui sub speciebus vini, & est ratio dubij, quia contingit extra sacramētum illum sanguinem esse discontinuum, & per varia loca dispersum, ita autem est in sacramento, sicut extra, vt sæpe dictum est: esset ergo tunc sanguis in sacramento discontinuus & diuisus: ergo vis verborum non requirit illam vnitatem & continuitatem. Respondetur esse hoc probabile, neq; aliquod inconueniens ex illo sequi; nihilominus tamen posse contrarium facilè defendi: nam hic sanguis sine dubio per modum vnius per formam significatur, atq; ita etiam cōficitur. Vnde, si vlterius addamus, ex vi verborū fieri, vt totus ille sanguis sub speciebus sit sibi coniunctus, & loco indistans probabile etiam fit, debere esse continuū, quia res liquidæ, & eiusdem rationis, & loco indistantes, statim continuantur: diuisio autem illa, quæ interdū reperiri potest inter partes sanguinis, præcise oritur ex distantia locali, & ideo necesse non est, vt sanguis, qui est in sacramento, in hoc imitetur modum existendi, quem idem sanguis habet extra sacramentum, vt patet ex doctrina supra tradita de proprietatibus rei in pluribus locis existentis.

Solnitur.

3. Conclusio. nec corpus sub speciebus vini, nec sanguis sub panis speciebus est ex vi verborum, est tamen per cōcomitantiā.

Dico tertio, corpus non est sub specie vini, nec sanguis sub specie panis ex vi verborum, sunt tamen per concomitantiam. Prior pars negatiua nō ponitur expresse à Conc. Trid. nisi quatenus ex altera affirmatiua inferri potest, eam tamen docent communiter Theologi cum Magistro in 4.d. 10. D.Tho. hic, Alens. 4. par. quæst. 38. memb. 5. Bonau. d. 11. art. 1. q. 4. Mars. q. 8. art. 2. & Gab. lect. 42. in Canonem. Et patet ex terminorum expositione supra data: quia neq; verba consecrationis panis quicquam de sanguine dicunt, neque verba calicis aliquid de corpore. Vnde in triduo illorum veritas integra, & efficax esset sine præsentia sanguinis sub specie panis, &c. ergo. Et confirmatur ex fine talis institutionis, qui est expressa repræsentatio mortis Christi: vt enim effusio sanguinis, & separatio animæ à corpore expresśius repræsentaretur, voluit Christus, corpus & sanguinem ex vi verborum seorsim consecrari: nam, quia re ipsa separari iam non poterant: quoniam Christus resurgens à mortuis iam non moritur, saltem in modo, & vi cōsecrationis decuit separationem repræsentari. Quapropter non videtur mihi probabile, quod Scoto visum est in 4.d. 10.q. 4. ad secūdum, scilicet, esse sanguinem in hostia ex vi verborum: non quidem vt terminum integrum consecrationis, sicut est in calice, sed vt partem integri termini, nam sanguis est pars corporis. Sed ad hoc iam responsum est in Cōmen. art. 1. & in hac ipsa sectione, circa conclusionē primam sanguinē non esse partem corporis, prout est in hostia ex vi verborū: quia sanguis solius corporis viui pars est: hic autē non est viuū ex vi verborū. Vnde facile etiā constat, idem dicendū esse de alijs humoribus, & de spiritibus vitalibus, hæc enim sub neutra specie sunt ex vi verborum, quia non sunt partes corporis aut sanguinis vt sic: vnde nec sunt per se necessaria ad veritatē vtriusque formæ.

Magister. Alens. Bonau. Marsil. Gabr.

Scoti dictum. reijcitur.

Altera pars conclusionis quoad rem ipsam de fide certa est: vt constat ex Concilio Trid. & ex hactenus tractatis, ostendimus enim, totum Christū esse sub singulis speciebus: est ergo corpus in calice, & sanguis in hostia. Vnde ad hoc probandum interdum sanguis miraculosè ab hostia manauit, vt referunt Vincētius in speculo historiali lib. 30. c. 24. & Alens. 4. part. quæst. 53. membr. 1. & propter eandem causam dicuntur fideles sumere sanguinem sub speciebus panis, iuxta illud Oseæ. 14. vt legunt septuaginta interpretes. *Bibēt, & inebriabuntur frumento, & florebunt quasi vinea; & memoriale eius, quasi vinum Libani.* Modus autem loquendi seu explicandi hanc rem concluditur ex dictis, nā sanguis est in hostia, & corpus in calice, & non ex vi verborum, vt ostensum est: ergo per concomitantiam. Rogabis, qualis sit hæc concomitantia, vel in qua reali conexione fundetur: nulla enim realis vnio inter corpus & sanguinem intercedere videtur, sed tantum localis cōtinentia: est enim sanguis in corpore, tanquam in vase: hæc autem cōiunctio sola non satis esse videtur ad concomitantiam sacramentalem. Respondetur, si vera esset opinio dicens sanguinem informari anima, facilis esset responsio, oporteret enim sanguinem aliqua ex parte esse continuum cæteris partibus, & ita esset facilis concomitantia: tamen, quia illa opinio falsa est, dicendum aliter est, concomitantiam non consistere in naturali dependentia, quam corpus viuum & sanguis habeant inter se, ratione cuius postulent, vt sint inter se connexa & commista, quia neque corpus in naturali statu suo potest conseruari sine sanguine; neque sanguis extra corpus conseruari potest incorruptus, neque in proprio & cōnaturali statu: vnde mutuo se fouent, & iuuant; vel per effectionem, vel alijs modis. Vnde fatemur localem continentiam per se solam non sufficere: nā, si in triduo pars aliqua sanguinis intra corpus remansisset, & fieret consecratio, nulla esset concomitantia, vt sentit D.Thom. hic, artic. 2. quia tunc non esset inter illa prædicta naturalis connexio: sicut supra etiā de corpore & vestibus dicebamus.

Vincent. Alens. Oseæ. 14.

Dubium.

Solnitur.

SECTIO. IIII.

Vtrum ex vi verborum sit in hoc sacramento aliqua forma substantialis.

Quæstio hæc tractari solet specialiter de corpore Christi, prout sub speciebus panis continetur, fortasse quia illa species, & prior est, & notior, ac vsu frequētior: & ita etiā à nobis prius differetur, & deinde ad sanguinem facile applicabitur resolutio, quia quæstio, re vera, cōmunis est vtrique speciei, vt à nobis proposita est.

Prima opinio negat in Eucharistia esse ...

Prima itaque opinio negat, aliquam formam substantialem esse hic ex vi verborum, sed solam materiam primam: tenet Gabr. lect. 42. in Canon. & in 4. distinct. 11. quæst. articul. 1. Marsil. q. 8. art. 2. in fine. Ægidius, Theorem. 38. 29. & 30. Maior. distinct.

d. 10. q. 5. in princ. citatur etiā Palud. q. 3. art. 3. n. 32. sed immerito. Fundamentū, quia corpus cum forma panis non significat compositum, sed alterā partem physicam compositi, illo modo, quo dicitur homo cōstare ex corpore & anima; vel quo Aristoteles dixit, animam esse *actum corporis physici, organici*, ergo ex vi illius formæ solū illud corpus fit in sacramento, quod est pars physica, & essentialis humanitatis: hoc autem nullam includit formam, sed solam materiam. Assumptum declaratur primò quia hoc satis est ad proprisśimam significationē illius formæ. Secundo colligi potest ex illa particula, *meum*, quæ non proprie indicat totum compositum sub aliquo præciso gradu metaphysico, sed propriè partem aut rem physicam, vt si quis dicat; hoc est animal meum, propriè designabit aliquod animal, quod posśidet, non tamen proprie se ipsum præciso gradu animalis; sed potius diceret; ego sum hoc animal: Christus ergo, dicendo, *Hoc est corpus meum*, designauit partem physicam humanitatis, quæ est materia. Tertio, quia in triduo fuit materia corporis Christi sine vlla forma substantiali, vt prædicti autores putāt: ergo, si tunc fieret cōsecratio, sola materia esset sub speciebus panis, & in illa saluaretur tota veritas, & efficacia formæ: ergo sola illa est ex vi verborū. Quod si quis dicat, assumptum esse falsum; respondetur, vim argumenti non hinc dependere: quia, saltem conditionalis est vera, quod, si materia corporis Christi ita permansisset, consecratio etiam prædicto modo fieret quod satis est ad vim verborum explicandā. Quarto, quia nulla forma substantialis potest hic esse ex vi verborum: quia neque anima, quia non est hic corpus viuum ex vi verborum, nec forma cadaueris: quia etiam nō est mortuum ex vi verborū, nec aliqua forma physica, communis vtrique; quia nulla est: nec forma cōmunis abstractè seu logice secūdum aliquem gradum metaphysicum: quia (vt supra dicebamus contra Mirandulanum) communis gradus nō potest esse terminus actionis realis, qualis significari debet per verba huius formæ, quæ practica sunt, & intendi ab operante seu consecrāte. Quod tandem confirmatur, quia alias ex vi horū verborū non esset semper idem numero corpus sub his speciebus contra vim illius vocis *meum*, quę designat singulare, & indiuiduum corpus.

Secunda opinio ex vi verborū ponit formam corporeitatis. Scotus. Richard. Ocham. Enricus.

Secunda opinio est, esse hic ex vi verborum formam corporeitatis, vt loquuntur Scotus d. 10. q. 4. d. 11. q. 3. ar. 2. Richar. ar. 2. q. 2. Ocham. in 4. q. 6. vel formam mixti, vt loquitur Enricus quodlib. 3. q. 6. & 8. quodlib. 9. q. 8. & 9. qui eis fundamentis niti debent, quibus præcedens opinio: addendo *corpus*, in prædicta forma panis non significare tantum corpus quantitatiuum, sed substantiale, quod non solam materiam includit, sed etiam formam constituentem illud sub ratione corporis: huiusmodi autem forma iuxta hanc opinionem est specialis forma physica, distincta ab anima, quæ sola (secundum Scotum) mansit in corpore Christi in triduo. Quo circa, qui opinaretur, partes organicas distingui partialibus formis substantialibus, distinctis ab anima, & prioribus, ac independentibus ab illa, consequēter diceret, etiā illas esse hic ex vi verborum; atq; idem censerent de formis elementorū qui existimant, eas esse formaliter in misto. Ego verò suppono has omnes opiniones phylosophicas esse falsas, quibus sublatis, nullus in Theologia relinquitur locus huic secundæ sententiæ; & ideo nihil amplius de illa dicam: quia non est hic locus latius examinandi & improbandi illa philosophica fundamenta: procedemus ergo supponendo, tantum esse in humano corpore vnam formam substātialem, quæ est anima.

Responsio.

Tertia dicit ex vi verborū esse ibi animā vt anima est. Heruæi.

Hinc ergo orta est tertia opinio affirmans, esse hic ex vi verborum animam, vt anima est. Quę tribuitur Heruæo opusculo de pluralitate formarum ad argum. 143. qui dicit quidē, hic esse animā propter vnionem ad verbum, non tamen esse hic viuificantem & informantem corpus. In quo sensu est opinio falsa & impertinens; primo quia, si non informat corpus, adhuc super est quæstio, an ex vi verborum sit aliqua forma informans, vel sola materia. Secundo, quia, si nō informat, est impertinēs ad veritatem verborum: nō ergo erit hic ex vi verborum; vnio enim ad Verbū ad hoc non satis est, quia ipsamet vnio ad Verbum, non est ex vi verborum, sed per cōcomitantiam, vt infra dicetur: imo talis vnio neque ad cōcomitantiam sufficeret, quia non, vbicunque est Verbum, ibi est anima, & ideo in triduo, licet anima esset vnita Verbo, non propterea fuit per concomitantiam in sepulchro, vbi erat corpus, etiam vnitum Verbo. Vt ergo hæc opinio aliquid ad rem afferret, dicere deberet, hic esse ex vi verborum corpus Christi viuum, & ideo eodem etiam modo esse animā. Potest autē assumptū suaderi primo, quia cum Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, suum corpus designauit, prout tunc erat ergo, sicut tunc erat viuum, ita significatur, & cōficitur ex vi illorum verborum. Secundo, quia significatio illorum verborum debet esse vniuoca & particularis, vt posśit esse efficax, & practica: ergo debet determinate significare corpus viuum: nam si disiunctim significaret corpus viuum, vel mortuum, haberet significationem ęquiuocam, nam teste Aristotele, caro, os, & similia æquiuoce dicuntur de corpore viuo, & mortuo. Tertio, quia in c. In quadam de Celeb. missar. dicitur corpus Christi esse humanum, quia informatur anima: *corpus*, autem in illa forma significat corpus humanum, & in hac significatione prolatum fuit hoc verbū à Christo, non ergo potest in alia proferri. Quod si obijciatur, quia iuxta hæc non posset hæc forma in triduo vere proferri, nec quicquam efficere. Respondendum consequenter est, vel concedendo totum vt supra ex quadam Glossa retulimus, vel certe dicendum esset, quod etiam tunc verba efficerēt corpus Christi viuum, sicut illud significant, quia cū non sint tantum adductiua, sed etiam effectiua, nō semper illud efficiunt, quale in propria specie existit, sed quale illa significant.

Quarta dicit esse ibi animā vt dat esse corporeū præcisè.

Quarta sententia est, hic esse ex vi verborum formam substantialem, vt præcisè dantem esse corporeum, nō quod talis forma in re ipsa sit physice distincta à forma specifica, sed quod sit ipsamet forma specifica; quæ à parte rei fuerit in tali corpore, nō secundū propriā rationē suā, sed secundū præcisam rationē, qua constituit corpus. Quo circa si in corpore Christi in propria specie existente, fuerit anima rationalis, illa erit in hoc sacramento ex vi verborum, nō tamen vt anima est, sed vt est forma corporis. Hæc est opinio D. Thomæ, præcedente. q. art. 6. ad 2. sed non eodem modo illam Tomistę interpretantur: quidā enim dicunt, *corpus*, in forma consecrationis supponere tantū pro materia cono-

Soto. Ledesma. Palacios.

tare autem animam, vt dat esse corporeum. Ita Soto distinction. 10. quæstion. 1. art. 1. Ledesm. quæstion. 17. artic. 1. dubitat. 4. Palacios distinctio. 8. disput. 4. conclus. 4. qui refert Auerroem in paraphrasi Metaphys. Sed hic modus loquẽdi mihi nõ videtur necessarius, nec D. Thomæ consentaneus: hic enim 1. part. quæstion. 76. artic. 4. ad. 1. simpliciter dicit, corpus per animam constitui in esse corporis, sicut in esse viuentis: nemo autem dicet, viuens supponere pro materia connotando animam: ratio autem est, quia compositum ex materia, & forma substantiali, vt sic, est per se vnũ; quod per modum absolutum significatur per vocem corporis; sicut per vocem viuentis, aut animalis: sicut ergo hæ voces non supponunt pro materia prima cõnotando formam, sed pro subsistente in tali natura composita ex materia & forma sub tali gradu, ita corpus non supponit pro materia, connotando animam, vt dantem esse corporeum, sed pro natura corporea, id est, composita ex materia, & forma dante esse corporeum. Quo circa sine causa æquiparant prædicti autores in hac suppositione corpus cum albo: alioqui, sicut hęc est vera locutio, album est homo, vel nix, ita etiam hæc esset vera, corpus est materia, & pura potentia, quod est præter communem loquendi modum: dicitur enim corpus materiale, non materia ipsa. Ratio autem differentiæ est, quia compositio ex subiecto & albedine est accidentalis, & illa forma aduenit supposito constituto, quod in illa subsistit; & ideo pro illo tantũ supponit vox, *album*, *corpus*, vero dicit cõpositum per se vnum & substantiale, cuius forma non aduenit supposito constituto, sed ex illa cum materia resultat: quod proinde nõ in sola forma, vel materia subsistit, se in tota natura ipsius compositi; & propterea etiam *album*, est terminus connotatiuus, de formali significans albedinem & connotans subiectũ, *corpus*, vero est terminus absolutus, adæquate significans naturam corpoream. Vnde si corpus non sumatur per modum partis, sed in vi concreti, & per modum totius, illique tribuendum sit aliquod formale significatũ, illud certe non erit forma physica substantialis, dans esse corporeum, sed integra natura metaphysica, cõstans ex materia, & forma substantiali vt sic: sicut *homo* de formali significat, non animam rationalem, sed humanitatem. Tandem hoc plane constat in forma calicis: quis enim dicat, sanguinem ibi supponere pro materia prima & non pro subsistente in tali natura composita ex materia & forma sanguinis? ergo idem æquali vel maiori ratione dicendum est de corpore in forma consecrationis panis. Aliter ergo explicatur hæc sententia, scilicet, directe, & ex vi verborum esse hic corpus substantiale, quatenus dicit compositũ ex materia & forma substantiali dante esse corporeum, & ita illã defendum Caiet. circa dictam solut. ad. 3. D. Tho. Palud. in 4. d. 11. q. 3. circa finẽ, Capr. d. 10. q. 2. art. 5. ad argumẽta Scoti cõtra primã concl. & mihi videtur vera sententia, quã vt sigillatim probem, sequentes conclusiones subijcio.

Caiet. Palud. Capreol.

In Eucharistia est forma substantialis & non pura materia ex vi verborum.

Prima sit, In hoc sacramento est forma substãtialis, & non sola materia ex vi verborum. Probatur ex propria significatione verborum: corpus enim substantiale, vt dictũ est, nõ est sola materia, sed cõpositum aliquo modo ex materia & forma. Quod apertius declaratur ex forma sanguis: nullus enim dicet sanguinẽ esse solã materiam, aut posse intelligi sine propria forma substantiali: ergo eadem ratione corpus includit suam formã: est enim par ratio: quia corpus illud est humanũ, & includit carnẽ, & ossa, &c. & ideo ex vi verborum est hic caro supra dicebamus; non magis autem potest intelligi caro, quã sanguis sine forma substãtiali. Deniq; sola materia non sufficit ad veritatẽ verborũ, ergo non sola est ex vi verborũ: antecedens patet, tum, quia materia non est corpus, vt ostẽsum est, tũ etiã quia hic esse nõ potest corpus Christi, nisi aut mortuũ, aut viuũ: in neutro autẽ statu includit solã materiam, vt de corpore viuo est per se notum, & de mortuo ostẽsum late est in superiori tomo: corpus enim Christi mortuũ naturali modo extitit, excepta vnione hypostatica: materia autẽ non potest naturaliter existere sine omni forma: ergo id etiam ꝙ cõmune est corpori humano, viuo ac mortuo, scilicet, quod sit constans ex materia & forma substantiali aliquo modo organica, est hic ex vi verborũ. Vnde oritur duplex confirmatio: quia in hoc sacramẽto fit propria transsubstantiatio: ergo ex vi verborũ non terminatur ad solam materiam, sed ad compositum substantiale: ergo non solum materia sed tale compositum est hic ex vi verborũ. Secunda confirmatio est, quia terminus actionis, quã verba ex vi sua efficiunt, esse debet aliquid: quod naturaliter possit existere ex vi suæ substantiæ; sed nõ est huiusmodi sola materia: ergo non sola illa fit ex vi verborum.

Anima vt anima est non est determinate in hoc sacramento ex vi verborum Triden.

Secunda conclusio, Anima, vt anima est, non est hic definitè ac determinate ex vi verborũ. Hęc cõclusio videtur certior, quam præcedens: nam Concil. Trident. sess. 13. c. 3. disserte docet, animam esse sub vtraq; specie per concomitãtiam. Et satis cõcluditur illa ratione: quia corpus Christi nõ est hic viuum ex vi verborum, tum, quia alias etiam sanguis esset in hostia ex vi verborum, quia corpus viuum includit sanguinem, vt partem sui, consequens autem est contra Concilium Trid. tum etiã quia in forma nulla fit mentio viui, aut mortui, sed corporis, quod vt sic ab vtroq; statu præscindit. Neque illa particula, *meum* aut tota forma prolata à Christo viuente, determinat significationem ad corpus viuum: sed solum ad corpus proprium, de quo tanquam de vno eodem ipsemet homo viuens loqui potest, præscindendo ab illius vita aut morte. Nã, sicut Christus dixit, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, potuisset addere, sepelietur, & resurget, sicut Psal. 19. dicitur in persona Christi. *Caro mea requiescet in spe.* Et ita Sancti loquuntur de hoc sacramento dicentes, illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pependit in Cruce, iacuit in sepulchro, & gloriosum resurrexit: Ambr. 4. de sacram. cap. 4. & 6. Aug. citatus à Beda. 1. ad Corint. 10. Paschasius, & alij; corpus ergo illud, quod Christus appellauit suum: indifferens est ad mortuum, & viuum: solum que dicit proprium corpus humanum. Tandem hoc conuincit illa ratio de consecratione facta in triduo virtute horum verborum. Euasiones enim supra datæ probabiles non sunt. Prima namque in superioribus reiecta est: ostendimus etenim tunc re vera potuisse corpus consecrari: & hic addi potest, quod de illo corpore iacente in sepulchro verissime dicitur, *Hoc est corpus Christi*, & anima Christi spiritualiter, vel sensibiliter per aliquod corpus loquens, vere dicere posset, *Hoc est corpus meum*, sig-

Ambros. Aug. Paschas.

signando idem corpus, quod iacebat in sepulchro: ergo eadem ratione potuisset tunc sacerdos verè dicere in persona Christi super panem, *Hoc est corpus meum*, intendendo illũ conuertere in illud corpus, quod verè dici poterat corpus Christi. Et idẽ etiam est manifestum in sanguine: nam sanguis effusus verè & propriè dicitur sanguis Christi, & ab ipso verè vocaretur, sanguis meus. Quod si de sanguine admittitur, tunc potuisse consecrari separatum à corpore, nõ potest vlla verisimilitudine negari de corpore à sanguine separato. Altera verò responsio, quòd tunc fieret corpus Christi viuum, & non tale, quale erat in propria specie, præter quàm, quòd repugnat torrenti Doctorum, in multas incidit difficultates, quas non poterit explicare: quale enim esset illud corpus, gloriosum ne, an mortale? neutrũ dici potest cũ fundamẽto: sanguis itẽ vel cõsecraretur tũc corruptus qualis statim est extra corpus, vel in ea naturali dispositione, quã habet in corpore? si enim primũ dicatur, nõ cõsequẽter proceditur, si autẽ dicatur secũdũ, dicẽdũ consequenter esset, tunc etiam futurum fuisse corpus sub speciebus vini, atque ita euertitur tota concomitantiæ ratio. Ac tandem, si corpus Christi in propria specie existens non sit quasi mensura & exemplar eiusdem existẽtis in sacramẽto, nihil certum dici potest de proprietatibus & conditionibus, quas huiusmodi corpus in sacramento habet: nam, vt dixi, ratio concomitantiæ tollitur, & alioqui vis verborum indifferens manet ad multa huiusmodi: ergo necessariò dicendum est, tale fuisse consecrandum corpus in triduo, quale tunc erat in propria specie; & consequenter vim & veritatem verborum non requirere corpus viuum.

Ex vi verborum est in Eucharistia forma substantialis quatenus sufficit constituere corpus organicum humanum.

Tertia igitur conclusio sit, ex vi verborum esse hic formam substantialem, quatenus sufficiens est ad constituendum corpus organicum humanum, quæ, licèt secundùm hanc rationem præscindat à propria ratione animæ, vel formæ cadaueris, tamẽ in re semper est anima, vel forma cadaueris. Tota hæc conclusio consequitur ex duabus præcedentibus, & probationibus earum, & ex alijs rationibus contra alias sententias adductis, & iuxta illam existimo declarandam esse Diui Thomæ mentem: cũ enim dicit, formam panis conuerti in formam corporis Christi secũdùm quod dat esse corporeum, non oportet intelligi de esse corporeo communissimo, quia re vera non tantùm est hic ex vi verborum corpus vt sic (quod alij nobis obijciunt, ac si id diceremus) sed est corpus, vt tale aliquo modo, scilicet, vt organicum, & prætereà non vt organicum in communi, sed tali organizatione, scilicet, humana: quia hic est ex vi verborum corpus humanum: ergo etiam est hic ex vi verborum forma substantialis, non vt est forma corporeitatis præcisè: quia vt sic abstrahit ab organica vel non organica, neque vt est forma organica præcisè: quia vt sic abstrahit ab humana, vel non humana; erit ergo forma corporis organici humani vt sic, quæ ex vi sui conceptus præscindit ab anima & forma cadaueris humani: vtraque enim requirit aliquam organizationem propriam & accommodatam corpori humano. Duplex enim in hoc corpore intelligitur organizatio. Vna perfecta & connaturalis, altera imperfecta & in via corruptionis, vt cõstat ex Aristotele 1. de Gener. text. 37. & inter vtramq; concipi potest propria Conuenientia, non tantùm ratione accidentium, sed etiam ratione formæ substantialis, quæ si indiuisibilis sit, vt est anima, est (vt ita dicam) eminenter etherogenea; si autem est diuisibilis, vt forma cadaueris, erit formaliter etherogenea, constans ex partibus aliquo modo diuersis, iuxta diuersum temperamentum, quod in diuersis partibus materiæ requirit: sic igitur corpus humanum, proprijs membris constans, potest concipi vt abstrahentes quidem à viuo & mortuo, nõ tamen vt commune cuicunque corpori, sed solùm vt humano: ergo, vt sic, includit formam corporis; non quamcunque, sed talem, quæ habeat formaliter vel eminenter humanam organizationem, seu illam in membris corporis requirat. Et ideò, vt in superioribus dicebamus, forma cinerum, etiam in eadem numero materia recepta, non sufficeret ad verificandam formam huius sacramenti: si enim corpus Christi per impossibile in cineres fuisset redactum, non constitueretur in sacramento sub illa dispositione, neque illius præsentia ad verborum veritatem satis fuisset, quanquam illa forma etiam esset forma dans esse corporeum. Et idem argumentum fieri potest de formis elementorum, & alijs similibus: necessario ergo illd esse corporeum determinandum est ad esse humanum, iuxta modum explicatum. Atque hinc satis patet vltima conclusionis pars: formam, scilicet, quæ hic est ex vi verborum, secundùm propriam quidem rationem præscindere à ratione animæ: quia potest saluari in forma cadaueris, & è conuerso: tamen in re semper esse, aut animam, aut formam cadaueris: quia corpus propriè humanum tantùm potest altera ex his formis constare, quod magis declarabitur, soluendo argumenta aliarum opinionum, vbi expediemus difficultatem hinc emergentem, scilicet, quomodo verba attingant effectionem huiusmodi formæ.

Ad argumenta primæ opinionis responsio.

Ad primum igitur argumentum pro prima opinione negatur, solam materiam sufficere ad propriam significationem, & veritatem verborũ consecrationis: quia, vt dictum est, sola materia nõ est corpus, nisi includat formam, saltẽ sub aliquo gradu seu consideratione: itaque ita etiã à multis explicatur definitio animæ, quod ad hunc locum nõ spectat. Ad secundum respondetur, concedendo; corpus suum designasse Christum sub ratione partis, non tamen inde fit, designasse solam materiã; sed vt includit formam, præscindendo à ratione animæ, vt anima est. Dico autem significari hoc modo corpus Christi per modum partis: quia in re, sola materia est vna pars Physica, & tota forma est altera, quæ vnam et realiter & indiuisibiliter, & constituit corpus, & tale corpus, à nobis tamen præscinditur, & significatur, ac si essent in re formæ distinctæ: & ideò ita nũc significamus corpus per modum partis, ac si verè forma corporeitatis esset distincta ab anima, vt Scotus putauit: hic autem modus significandi sufficit ad proprietatem illius locutionis, *Hoc est corpus meum*. Ad tertiũ iam dictum est, in triduo non fuisse materiam corporis Christi sine forma, & ex hypothesi constat etiam ex dictis, illam conditionalem esse falsam, videlicet, si ita tũc existeret materia Christi sine forma, de illa sufficienter verificari verba formæ. Quocirca, posita illa hypothesi, idem dicẽdum esset, quod suprà dicebamus de eo casu, in quo corpus Christi in cineres esset redactum: quòd, scilicet, talis suppo

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitio repugnat institutioni, quæ simpliciter facta est ex certa præsuppositione, quòd verum ac proprium Christi corpus non erat defuturum in rerũ natura, & sub propria specie existens: vnde, cùm illa suppositio sit impossibilis in sensu composito, in eodem possunt ex ea contradictoria inferri, scilicet, &, quod fieret consecratio propter institutionem, & quod non fieret, quia non est in rerum natura verum Christi corpus. Vel, si quis velit simpliciter admittere, quòd tunc fieret consecratio ex sola materia, consequenter diceret, futuram tunc fuisse imperfectam & mutilam, qualis esset, si fingeretur corpus Christi carens brachio, aut simili parte.

Dubium primũ circa quartum argumentum primæ opinionis.

Quartum argumentum petit nonnulla dubia. Primum est, an efficientia verborum attingat formam substantialem, quæ de facto ponitur in hoc sacramento: duplex enim excogitari potest modus dicendi. Primus est, verba attingere & efficere solam materiam, Deum autem supplere inefficaciam verborum, introducendo formam. Probatur, quia verba non possunt efficere formam secundũ propriam specificam rationem eius, alioquin anima, vt anima, esset ex vi, & efficacia verborum: ergo nullo modo possunt illã efficere. Dices ex Diuo Thoma suprà, formam panis conuerti in animam vt forma corporis est, non vt anima est, & ita etiam verba per suam virtutem & actionem attingere animam sub vna ratione, & non sub alia. Sed hoc non videtur posse intelligi, tum quia forma in se & physicè sumpta indiuisibiliter est eadem, nec gradus ille genericus distinguitur in re ab specifico: ergo nõ potest intelligi, actionem realem & physicam, qualis est actio verborum, attingere vnum & non aliud; tum etiam propter rationem in argumento factam, quia actiones terminantur ad res singulares, prout in re ipsa existunt; in re autem non existit ratio generica, nisi media specifica. Confirmatur primo hic modus dicendi, quia alia, quæ hic sunt per concomitantiam, vel non fiunt speciali actione, vt diuinitas, vel si indigent speciali actione, fit à Deo, & non à verbis; vt infrà dicetur: ergo idem dicendum est in præsente de anima, vt anima. Confirmatur secundò, nam, si in triduo consecratus esset panis, ibi fuisset corpus sine anima: si autem ille panis consecratus vsque ad diem resurrectionis conseruaretur, inciperet esse anima sub illis speciebus, vt est communis doctrina Diui Thom. infrà quæst. 81. & Doctorum in 4. distinct. 10. vbi Scotus quæst. 4. Capreol. quæst. 2. art. 3. Gabriel. lect. 42. in Canon. tunc autem non inciperet esse anima per actionem verborum, quæ iã non essent: ergo per actionem Dei ergo idẽ nunc dici potest. Nihilominùs alter dicendi modus verior mihi videtur, scilicet eam formam corporis Christi, quæ in sacramento ponitur, ibi fieri, seu adduci ex efficacia verborum, à quibus fit vna completa actio conuersiua, quæ completæ terminatur ad corpus Christi constans ex materia & tali forma; ita tenet Capreolus suprà ad argumenta Aureoli, & Scoti contra primam conclusionem, & idem videntur sentire reliqui Thomistæ, Caietan. præcedente quæst. art. 5. & 6. Hispalensis in 4. distin. 10. quæstione 1. artic. 4. ad secundum Aureoli & Scoti, & Soto quæst. 1. art. 1. ad primum. Et probatur conuertendo rationem prioris sententiæ: nam hic est forma substantialis ex vi verborum, vt ostensum

Scotus. Capreol. Gabriel.

est: ergo fit in sacramento per efficaciam, & actionem verborum, quia verba sacramentorũ efficiũt, quod significant: quod autem est in sacramento ex vi verborum, est ex propria significatione verborum: ergo ex efficacia, & actione eorum, sed non potest actio terminari ad formam sub ratione communi, &, non sub specificat: ergo terminatur ad totam formam physicam, prout in re est. Secundò, quia verba perficiũt totam transubstantiationem actione suæ: sed transubstantiatio non terminatur ad materiam solam; neque ad compositum sub gradu generico tantùm, sed ad corpus Christi, prout in re ipsa cõstituitur sub speciebus panis: quia actiones physicæ terminantur ad res ipsas singulares, & physicas prout in se existunt, præsertim actio transubstantiatiua, quæ postulat, vt sit à tota substantia in totam substantiam. Quocirca ad rem intelligendam, & soluendum contrarium fundamentũ, oportet distinguere, ex D. Thom. infrà quæst. 81. artic. 2. ad tertium. Aliud esse poni in sacramento aliquid ex vi verborũ, aliud verò poni per efficientiam verborũ: hoc enim latiùs patet, quã illud: nã ex vi verborum solũ dicitur esse illud, quod præcisè necessarium est ad veritatem verborum: per efficientiam autẽ est omne illud, quod à parte rei identicè coniunctum est cum veritate verborum, seu cum eo, quod ad illam est necessarium: Christus enim dedit virtutem verbis ad perficiendam veritatem, quam significant, & consequenter ad efficiendum omne id, sine quo res significata fieri nõ potest: quia ergo verba solùm significant corpus ratione quadam de se indifferente, ideò sub ea ratione tantùm dicitur esse in sacramento ex vi verborum, tamen, quia in re fieri non potest, nisi secũdum rationem specificam, ideò virtus actiua verborum ad illam etiam extenditur, prout in re fuerit necessarium, non ex parte significationis verborum, sed ex parte ipsius termini. Ad fundamentum ergo prioris modi negatur assumptum, & ad probationem negatur sequela, quia, vt dictum est, aliquid est ex actione verborum, quod non est ex vi verborum: quia non est absolutè necessarium ad veritatem eorum, sed solùm ex suppositione, quòd Christi corpus in propria specie taliter existit. Et ad hunc modum exponẽdum censeo D. Thomã, cùm dicit, conuerti formam panis in animam, non vt animam, sed vt formam corporis, scilicet, quantum est ex necessitate verborum secundùm se, non secundùm id, quod ex parte rei est necessariũ. Vnde ad primam confirmationem respondetur, non oportere, omnia, quæ sunt hic per concomitantiã, fieri eodem modo, &, quicquid de alijs sit, tamen, quando id, quod dicitur esse per concomitantiam, in re non distinguitur ab eo, quod est ex vi verborum, necesse est etiam fieri per actionem verborũ. Ad secundam confirmationem respondetur, in eo casu, animam poni sub speciebus panis diuina virtute, tamen ratione verborum præcedentium, quæ tunc non effecerunt animam, quia, quoad hoc, fuerunt quasi impedita, quia anima non erat in corpore Christi in propria specie: virtus autem verborũ ex institutione limitata est ad agendum talem formam, qualem corpus Christi habuerit in propria specie: inde autem non recte infertur, nunc verba non habere virtutem ad efficiendam animam, sed potiùs contrarium potest inde inferri. Sicut dicitur de effectu sacramenti, qui datur, recedente fictione,

ctione, quod non fit tunc ab ipso sacramento, quia iam non existit; datur tamen ratione illius, quia ipsum per se erat causaturũ talem effectum, si subiectum non esset impeditum.

Secundò petitur in dicto argumento, quomodo forma secundùm gradum abstractum & communem possit esse hic ex vi verborum, aut quomodo actio verborum determinetur ad talem formam in specie & in diuiduo efficiendam, cùm significatio practica, & actio physica debeant versari circa singularia. Respondetur, virtutem verborum consideratam velut in actu primo, & potentialiter (vt sic dicam; habere quasi pro adequato subiecto corpus humanum, id est, constans ex materia & forma sufficiente ad constituendum corpus humanũ, & secundũ hanc adequatã habitudinẽ consideranda esse formã; quæ hic dicitur esse ex vi verborũ, & hoc modo nullũ est incõueniens, virtutem verborum terminari ad aliquid abstractũ & communẽ: nam hoc in omnibus fere potentijs & virtutibus reperitur, præsertim in his, quæ sunt indifferentes ad plures effectus, vel obiecta inadæquata, quæ comprehenduntur sub aliqua ratione communi & abstracta, quæ dicitur esse adæquata tali virtuti, vel præsentiæ. At verò in actu secũdo semper actio verborum determinatur ad agendam hanc vel illã formam in particulari sicut aliæ virtutes vniuersales in particulari semper efficiunt hunc actum, effectum. Hæc aut autem determinatio in præsente sumenda est ex statu, seu forma, quã in propria specie habet corpus Christi, & radicaliter oritur ex institutione, per quam data est virtus verbis ad tale corpus efficiendum, quale in re ipsa extiterit: proximè verò sumi poterit ex intentione operantis, quæ debet esse institutioni conformis, & semper talis est sub aliqua saltem ratione vniuersali, quanuis interdum ex errore priuato alia esse videatur.

Dubium 3.

Tertiò petitur in eodem argumento, an corpus, quod per hæc verba sub sacramento constituit potest, semper sit idem numero, vel etiam specie: nam ex his, quæ diximus, consequi videtur, non semper esse idem numero, neque specie, quia non semper eadem specifica forma constituitur: vnde vlteriùs fit consequens, transubstantiationem, quæ per hæc verba fieri potest, non esse semper eiusdem rationis ex parte termini ad quem: nam in triduo haberet terminum specie distinctum ab eo, quẽ nunc habet: erit ergo transubstantiatio diuersa, sicut esset transubstantiatio facta in lignum, vel aurum, & sicut est diuersa creatio equi, & leonis ex parte terminorum, quanuis in modo conueniant. Respõdetur ex prædictis autoribus, præsertim Capreolo, & Hispalensi, esse quidem idem numero corpus, quod sub speciebus panis per actionem verborum constitui potest in quocunque statu, eo modo quo est idem numero corpus Christi mortuum & viuum: est autem huiusmodi corpus idem ex parte suppositi, materiæ & quantitatis, non autẽ ex parte formæ, vt latiùs dixi in superiori tomo: hoc autem sufficit, vt humano modo de illo loquamur, tanquam de eodẽ numero, quanuis in rigore physico re vera non sit idem numero compositum ex parte formæ. Atque eodem modo concedendum est, corpus Christi in triduo, & viuum, specie differre ex parte formæ, & consequenter transubstantiationem in vtroque statu factam ex parte termini, ad quem conuersio terminatur, esse diuersam: neque ex hoc sequitur vllum inconueniens, quia cum hac distinctione saluatur veritas verborum in vtroque statu, vt declaratum est.

Ad argumenta tertiæ opinionis responsio.

Et ex his patet etiam responsio ad argumenta tertiæ opinionis. Ad primum enim iam declaratum est, quo modo, licèt Christus viuens illa verba protulerit, *Hoc est corpus meum*, non propterea in particulari locutus fuerit de suo corpore viuo, vt sic, quia verba, quæ protulit, ex præcisa sua significatione indifferentia sunt ad corpus viuũ & mortuum indicandum, & vtrumque potuit Christus appellare suum, vt explicuimus. Vnde patet etiam responsio ad secundum: non est enim necesse, propriam æquiuocationem in hac forma admittere: quia, licèt oculus, caro, &c. secundùm proprias & specificas rationes æquiuocè talia dicantur in corpore viuo & mortuo, quo sensu locutus est Aristoteles 2. de anima, & Diuus Thomas 1. part. quæst. 76. artic. 8. nihilominus tamen in vtroque corpore, vt constat ex tali materia, & forma, quæ sufficit ad rationem corporis humani vt sic, potest intelligi ali qua ratio communis, sub qua sit vniuoca significatio huius vocis. Ad tertium verò, ex cap. in quodam. de Celebrat. Miss. respondetur, ibi non dici, animam vt sic esse de veritate, aut necessitate corporis humani, vt sic, neque corpus Christi esse humanum, quia anima informatur, sed potiùs è contrario, animam non fuisse viuificaturam illud corpus, nisi esset humanum, Christumque esse verum hominem, quia anima & humano corpore constat.

Aristot. D. Thom.

Secundò, ex prædictis facile est definire, quid dicendum sit de forma substantiali sanguinis, quæ per verba consecrationis constituitur sub speciebus vini: nam eodem modo & proportione explicanda res est. Si enim verum est, sanguinem informari anima, distingui suo modo potest sanguis veluti viuens à mortuo, qui dici potest veluti cadauer sanguinis, quos necesse est secũdùm proprias rationes specificè differre: conueniunt tamen sub communi ratione sanguinis humani: vterq; enim absolutè, & simpliciter sanguis humanus dicitur. Sic igitur ex vi verborum erit hic substantialis forma constitutiua sanguinis humani vt sic, tamẽ in particulari semper erit, aut anima, aut forma sanguinis effusi iuxta statum, quem sanguis ipse in propria specie habuerit, sicut dictum est de corpore. Supponendo autem, sanguinem non informari anima, duobus modi procedi potest: Ptimo, sustinendo, sanguinem, quandiu verus sanguis est, sem per retinere eandem specie formam, siue in corpore, siue extra corpus sit. Vnde fit consequens, illam formam poni in hoc sacramento ex vi verborum: quia illa determinatè est iuxta hanc opinionem de ratione sanguinis, quem verba significant. Alter modus, & fortasse probabilior, est, sanguinẽ, quanuis non informetur anima, nihilominus distinctã formam habere, quando est intrà corpus viuentis in sua naturali dispositione, & postquam est effusus, præsertim post aliquam moram, & post immutatam naturalem dispositionem, quam in corpore viuentis habet, & iuxta hanc sententiam eodẽ modo philosophandum est, ac si sanguis informaretur anima: quia est omnino eadem proportio. Atque hinc facilè soluitur obiectio, quæ hic fieri posset, scilicet, quòd si ex vi verborum tantùm forma sub-

Valentia. Capreol. Hispalensis.

Univerſidad de Deusto Biblioteca

ſubſtantialis, vt dat eſſe corporeum, non eſſet alia forma ex vi verborum ſub ſpeciebus vini, quam ſub ſpeciebus panis: quia ſub vtriſque eſt forma, vt dat eſſe corporeum. Reſpondetur autem negando ſequelam, quia, vt diximus, non eſt hoc intelligendum de forma, vt dante eſſe corporeum in communi, ſed in ratione corporis humani, vel ſanguinis humani: hæc autem forma, etiam ſub hac præciſa ratione, non eſt eiuſdem rationis in corpore & in ſanguine, & ideò non ſequitur eandem formam eſſe ex vi vtrorumque verborũ ſub vtraque ſpecie.

Tertiò iuxta principia poſita expediri facilè poteſt dubitatio facta in ſuperioribus, ſcilicet, per quam actionem ponatur ſanguis ſub ſpeciebus panis, & corpus ſub ſpeciebus vini, an, ſcilicet, per actionem conuerſiuam, quæ ipſis verbis fit, vel per aliam, quam Deus coniungat cum actione verborum. Dicendum eſt enim, ſicut ſanguis eſt in re ipſa ſubſtantia diſtincta à corpore, quanuis habeat rationem partis reſpectu totius viuentis, ita neceſſariam eſſe diſtinctam actionem, ſaltem partialem, per quam ſanguis fiat ſub ſpeciebus panis, & corpus ſub ſpeciebus vini; præſertim, cùm non tantùm materia, ſed etiam forma hæc duo diſtinguantur. Simpliciter tamen & abſolutè, ſicut corpus viuum hominis vna dicitur ſubſtantia conſtans corpore & ſanguine, ita vna eſt actio totalis & integra, qua totum hoc ſub ſpeciebus panis, aut vini conſtituitur: atque ita probabilius exiſtimo, totum hoc fieri per efficiẽtiam ipſorum verborum, & per actionem tranſubſtantiatiuam, nam, licèt ex vi verborum, quibus conſecratur corpus, abſolutè loquendo, non ſit neceſſarius ſanguis, tamen, quando in re ipſa neceſſarium eſt, corpus, quod fit per verba, eſſe animatum, & viuens, iuxta Chriſti inſtitutionem, ex eadem habent verba efficaciam ad efficiendum quicquid eſt de neceſsitate corporis animati, & viui, iuxta modum explicatum de forma ſubſtantiali, qui ſimiliter applicandus eſt ad efficientiam corporis ſub ſpeciebus vini: nam in his omnibus eſt eadem proportionalis ratio. Legatur Innocent. libro 4. de hoc Myſt. c. 19. Alenſ. & Scotus, locis ſuprà citatis, qui videntur alium ſequi dicendi modum, ſed, quod diximus, videtur probabilius, quanuis non ſit tam certum, ſicut quod de anima diximus: quia non eſt inter corpus & ſanguinem illa identitas, quæ eſt inter formam ſecundùm communem vel ſpecificam rationem conceptam; & ita in præſente concomitantia non eſt tanta neceſsitas ſicut in illa: eſt autem magna congruentia: quia non repugnat, inſtitutionem factam fuiſſe illo modo, & alioqui expediebat verba habere illam virtutem & efficaciam, vt ſimpliciter poſſent terminum ſuum, prout in re ipſa neceſſarium eſſet, ſub ſpeciebus ſacramentalibus conſtituere: & ita poteſt hoc dici neceſſarium ad neceſsitatem verborum, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione.

Innocent. Alenſ. Scotus.

Dub. alterũ.

Vltimò expeditur obiter ex dictis aliud dubiũ, quando, ſcilicet, panis conuertitur in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem, an materia conuertatur in materiam, & forma in formam, vel ſimpliciter totum in totum: nam Diuus Thomas quodlib. 5. articulo 11. ad primum, negat partem eſſentialem conuerti in partem, ſed ſimpliciter totum in totum: idem Alenſ. 4. part. quæſt. 10. membr. 5. articulo 3. §. 6. latè Soto diſtinctione 9. quæſtione 2. articulo 5. circa finem. Ledeſma quæſtione 16. articulo 4. dub. 2. & videtur fuiſſe ſententia Innocentij, libro 4. de hoc Myſter. capitulo 8. Ratio eſſe poteſt, quia vnica actione introducitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & expellitur ſubſtantia panis: ergo ſimpliciter totum conuertitur in totum, neque eſt vlla ſpecialis ratio, propter quam materia potiùs dicatur conuerti in materiam, quã in formam, vel è contrario. Nihilominùs idem Diuus Thomas quæſtione præcedenti, articulo 4. ad tertium, & articulo 6. ad ſecundum ſentit, ita totum conuerti in totum, vt materia conuertatur in materiam, & forma in formam: idem in 4. diſtinctione 11. quæſtione 1. articulo 1. & Scotus quæſtione 3. circa finem. Palud. quæſtione 1. articulo 1. quæſtione 3. articulo 2. Capreol. quæſtione vnica. articulo 3. ad primum. Durandi contra primam concluſionem. Richardus articulo 1. quæſtione 2. Marſilius quæſtione 8. articulo 2. & Henricus quodlib. 9. quæſtione 9. Et vidētur fundari ſolùm in quadam debita proportione: quia totum non conuertitur in partem, nec pars in totum: ergo totum in totum, & pars in partem: ergo materia in materiam, & forma in formam. Sed hæc diſſenſio videtur eſſe de modo loquendi: nam actio, qua introducitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus, cùm ſit accommodata ſuo termino adæquato, non poteſt eſſe omnino ſimplex, cùm terminus ipſe ſimplex non ſit; prout ergo illa actio vna eſt, qua per ſe primò fit totum; rectè dicitur totum conuerti in totum; quia verò ad integram tranſubſtantiationem non ſatis eſt, integram ſubſtantiam introduci, niſi etiam integra ſubſtantia expellatur, & conſequenter materia eius & forma, ſi ex eis conſtat; vt alterius materia & forma introducatur, & ideò ſatis etiam accommodatè dicitur, materiam conuerti in materiam, & formam in formam: neque in hoc modo locutionis aliquod inconueniens inuenio.

D.Thom. Alenſ. Soto. Ledeſm. Innocent. Reſolutio D.Thom. Scotus. Palud. Capreol. Durand. Richard. Marſil. Henricus.

SECTIO V.

Vtrùm quantitas & accidentia humanitatis Chriſti ſint in hoc ſacramento ex vi verborum, vel per concomitantiam.

Dubii ratio explicatur.

RAtio dubitãdi eſt, quia ex vi verborum eſt in hoc ſacramento corpus organicum, vt ex Diuo Thoma, & alijs ſuprà docuimus: ſed corpus organicum in ſuo intrinſeco conceptu & ratione includit quantitatem, & alia accidentia: ergo hæc ſunt ex vi verborũ. Minor probatur, quia corpus organicum in ſuo conceptu includit membrorum diſtinctionem in figura, denſitate, & raritate, atque adeò in quãtitate & magnitudine; quo argumento ſuprà concludebamus contra Durandum, hæc omnia fieri præſentia in hoc ſacramento: eodem igitur, ſeruata proportione, concluditur debere eſſe ex vi verborum. Confirmatur & explicatur, nam, ſi Chriſtus dixiſſet, *hoc eſt corpus quantum meum*, ſine dubio quantitas hic fieret ex vi verborum: quia in ipſis verbis expreſsè contineretur: ſed

ſed quanuis non ita explicitè, implicitè ſaltem idẽ continetur in illis verbis: quia, qui dicit corpus humanum, & etherogeneum, dicit corpus quantum: imò loquendo familiariter, & iuxta communem vſum, prout Chriſtus locutus eſt, nomine corporis non intelligunt homines nudam ſubſtantiam, ſed habentem molem, & quantitatem, præſertim cùm addiderit Chriſtus illa verba, *Quod pro vobis traditur*, non enim tradi, aut pati poterat corpus, niſi quantum.

In hac re Gabriel & nominales locis citatis in præcedente ſectione propter difficultatem tactam ſentire videntur, hæc accidentia eſſe ex vi verborum in hoc ſacramento, qui non de omnibus accidentibus, ſed de his tantùm, quæ videntur eſſe de ratione corporis, aut ſanguinis humani vt ſic, loquuntur. Aliter verò Ægidius Theorem. 28. & ſequentibus, licèt neget, quantitatem eſſe hic ex vi verborum, affirmat tamen, modum quantitatis eſſe ex vi verborum, quia ſaltem ille modus eſt de ratione corporis etherogenei, licèt non ſit quantitas ipſa. Sed difficile eſt intelligere, quid appellet modum quantitatis: nullus enim modus quantitatis intelligitur, niſi per modum extenſionis, aut ſecundùm ſe, aut in ordine ad locum: ſed in præſente non poteſt eſſe ſermo de extenſione in ordine ad locum: quia hæc, nec ex vi verborum, neque per concomitantiam conuenit corpori, vt in hoc ſacramento exiſtenti, neque eſt vllo modo de ratione corporis humani, ſeu organici: extenſio autem in ordine ad ſe eſt effectus formalis quantitatis, modo in ſuperioribus explicato: ergo repugnat, hunc modum conuenire corpori in ſacramento exiſtenti ex vi verborum, & non quantitatem ipſam, quia effectus formalis conuenire nõ poteſt, niſi mediante forma. Quod ſi fortè ſit ſermo de extenſione entitatiua ipſius materiæ, illa nõ eſt modus quantitatis, neque eſt accidens aliquod, ſed eſt modus ſubſtantialis, ſeu ipſamet naturalis entitas materialis ſubſtantiæ, niſi fortè vocetur modus quantitatis, quia à nobis concipitur per habitudinem quandam, ſeu analogiam & proportionem ad quantitatem: quæ erit impropria locutio, non eſt tamen contendendũ de vocibus, quando res conſtant.

Dicendum eſt igitur, quantitatem, & reliqua accidentia, quæ quantitatem conſequuntur, vel diſponunt materiam ad hanc formam, eſſe in hoc ſacramento per concomitantiam, & non ex vi verborum. Ita docet Sanctus Thomas hic articul. 4. quem ſequuntur ibi omnes Thomiſtæ, Caietanus, Soto, Ledeſma, & communiter Doctores in 4. diſtinctione 10. Et ratio Diui Thomæ eſt optima, quia tranſubſtantiatio, quæ fit virtute verborum, non terminatur ad quantitatem, vel alia accidentia, ſed ad ſolam ſubſtantiam: ergo non ſunt hic accidentia ex vi verborum, ſed ſola ſubſtantia: ſunt ergo per concomitantiam: hæc vltima conſequentia eſt per ſe nota: quia ſuprà oſtenſum eſt, hic eſſe quantitatem & accidentia, & præterea etiam oſtenſum eſt, quicquid hic adeſt, altero ex dictis duobus modis fieri. Primum autem antecedens probatur à Diuo Thoma ex termino à quo: quia, ſcilicet, quod conuertitur eſt ſola ſubſtantia panis, & non quantitas: ergo trãſit per ſe in ſubſtantiam, & non in quantitatem. Deinde optimè confirmatur verbis Concilij Tridētini, ſeſſ. 13. cap. 4. vbi *Sancta Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius: quæ conuerſio propriè tranſubſtantiatio appellatur.* Ex quibus verbis alia etiã ratio deſumitur ex natura talis actionis, quæ, cùm ſubſtantialis ſit, ſolùm ad ſubſtantialem terminũ per ſe terminatur. Prima deniq; conſequẽtia declaratur, & probatur in hũc modũ: diximus enĩ in ſuperiorib⁹, aliud eſſe fieri aliquid in ſacramẽto per efficaciã verborum, aliud ex vi ſignificationis verborũ: licèt autẽ nõ omne id, quod in ſacramento fit per efficientiam verborum, ſit etiam ex vi ſignificationis eorum, tamen è contrario, quicquid eſt ex vi verborum, neceſſe eſt, vt per ſe fiat ex efficientia verborum: quia potiſsima & primaria virtus verborum eſt ad efficiendum id, quod per ſe primò ſignificant: ergo quicquid eſt ex vi verborum, eſt etiam ex primaria efficientia verborum: ergo è contrario accidentia, quæ hic non ſunt ex primaria efficientia verborum, non poſſunt eſſe ex vi verborum. Quæ ratio vniuerſaliter concludit de omnibus accidentibus: quia tranſubſtantiatio ad nullum accidẽs per ſe terminatur, ſed ad ſolam ſubſtantiam.

Tridentin.

Dubium.

Sed quæres, quis nam ſit hic concomitãtiæ modus, & per quam actionem ponatur hic quantitas, vel quodlibet accidens. Reſpondetur non eſſe in omnibus eandem radicem, & conſequenter, neque eundem concomitantiæ modum: quantitas enim, & alia accidentia, quæ ſunt intrinſecè connaturalia huic ſubſtantiæ, ponuntur in hoc ſacramento, non ſolùm, quia inſunt in tali ſubſtantia, quatenus in propria ſpecie exiſtit, ſed etiam quia quodammodo per ſe conueniunt huic ſubſtantiæ, & intrinſecè illam comitantur. Quo fit, vt talia accidentia, quanuis non per ſe fiant per actionem tranſubſtantiatiuam, concomitanter tamen & ſecundario fieri cenſeantur: quia naturaliter reſultant ex primario termino illius actionis: ſicut per creationem animæ dicuntur concreari intellectus & voluntas, vel quantitas per materiæ creationem. Alia verò ſunt accidentia, quæ ſolùm ponuntur per concomitantiam in hoc ſacramento, quia realiter inhærent in eodem corpore, vel anima extra ſacramentũ, quãuis non ſint intrinſeca, ſed merè contingentia ſeu accidẽtaria: hæc autem eſſe poſſunt duplicia, quædam per efficientiam intrinſecam ipſius animæ Chriſti, vt ſunt actus vitales eius; viſio, amor, &c. & hæc fiunt in hoc ſacramento per eandem actionem ab anima Chriſti, per quam fiunt in cælo: alia verò ſunt omnino ab extrinſeco agente, vt ſunt habitus infuſi, dotes gloriæ, ſpecies intentionales ſenſuum externorũ, & hæc non videntur fieri in hoc ſacramento, niſi per ſpecialem Dei actionem: quia hæc concomitantia eſt magis extrinſeca, vt in ſuperioribus declarum eſt, præſertim in hac diſputatione, ſectione 2. & ſuprà diſputat. 48. An verò ad hanc ipſam actionem verba inſtrumentaliter concurrant, incerta res eſt; nam, licèt id ſit poſsibile, tamen ex ſola inſtitutione non ſatis colligitur, an ita fiat: de quo iterum redibit ſermo ſectione ſequente.

Solutio.

Reſponſio ad rationem dubitandi.

Ad rationem dubitandi in principio poſitã duo dici poſſunt. Vnum eſt, duplicem diſtingui poſſe organizationem, vnã ſubſtantialẽ, & alterẽ merè quantitatiuam & priorẽ eſſe hic ex vi verborũ, nõ autem

Universidad de Deusto Biblioteca

autem quantitatiuam, ſubſtantialis autem organizatio, quæ obſcurior eſt, explicari poteſt ex parte formæ & ex parte materiæ, & quidẽ ex parte formæ, ſi illa ſit diuiſibilis & extenſa per partes in partibus materiæ, conſiſtit in hoc, quòd non omnes partes talis formæ ſunt omnino eiuſdem rationis, ſed particulariter diuerſæ, nam inde prouenit, quod in diuerſis partibus materiæ diuerſas diſpoſitiones requirat: ſi autem forma ſit indiuiſibilis, vt anima rationalis, ſolùm virtute & eminenter continet huiuſmodi organizationem, quæ per ordinẽ etiam ad diſpoſitiones à nobis explicatur, quatenus diuerſas illas requirit in diuerſis materiæ partibus. Ex parte autem materiæ intelligi aliquo modo poteſt hæc organizatio, quia maior multitudo materiæ intelligitur eſſe in vna parte, quã in alia, quæ diuerſitas poteſt in illa ſubſtãtia intelligi, etiã præciſa quantitate. Quanuis enim hæc varietas ex natura rei comitetur quantitatem, & quodammodò per illam fiat; nihilominùs, ſi intelligeremus corpus animalis priuari quantitate, & ſubſtantiam in reliquis manere immutatam, maneret plus materiæ in oſſe, quàm in carne: maiorque vnio inter manum & digitum, quam inter digitos inter ſe, & ſic de alijs partibus. Poteſt enim hoc explicari iuxta opinionem aſſerentem, non manere eandem quantitatem in genito & corrupto, ſed fieri reſolutionem vſque ad materiam primam: tunc enim in inſtanti generationis materia ſecundùm ſe, & præciſa omni quantitate, præintelligitur formæ, &, abſolutè loquendo, priùs natura forma ingreditur materiam, quàm quantitas, quæ iuxta hanc opinionem ex forma reſultat: materia autem ſic præintellecta non eſt vniformis ſecundùm omnes partes, ſed neceſſe eſt, vt alium modum præintelligatur habere in vna parte, quàm in alia, nam inde eſt, vt aliter informetur in vna parte, quàm in alia, vel ſi forma eſt diuiſibilis, vt aliã partem recipiat vna pars materiæ, & aliam alia, & inde etiam fit, vt variæ diſpoſitiones in materiæ partibus conſequantur, proportionatæ his, quæ immediatè præceſſerunt. Hic modus dicendi eſt probabilis, ſed in primis eſt valdè obſcurus, quia illa diuerſitas in ſola ſubſtantia non ſatis concipitur in quo cõſiſtat, ſecluſa quantitate, niſi fortaſſe in modo præſeutiæ, quæ eſt valde extrinſeca & per accidens. Deinde non videtur omnino ſatisfacere, quia organizatio debita corpori humano non tantùm eſt illa ſubſtantialis, ſed etiam accidentalis, vt ſuprà dicebamus contra Durandum. Et ideò vlterius addendũ eſt ſecundò, concedendo, quantitatem, & accidentia eſſe de ratione corporis organici, vt organicum eſt, non tamen eſſe de ſubſtantia illius corporis ſimpliciter, ſed eſſe proprietatem vel diſpoſitionem debitam tali ſubſtantiæ; & ideò non oportere, vt hic ſint ex vi verborum; quia verba per ſe ac formaliter ſolam ſubſtantiam ſignificant, ſicut illam tantùm per ſe primò efficiunt, quaſi concomitanter verò poſſunt dici ſignificare etiam accidentia, quatenus illa ſunt neceſſaria tali corpori, vt eſſe poſsit in rerum natura cum tali eſſe ſubſtantiali. Quapropter, quanuis hæc accidentia intrinſeca propriè non dicantur hic adeſſe ex vi verborum, dici tamen poſſunt neceſsitate quadam conſequi ex veritate & proprietate talium verborum. Vnde hæc concomitantia quodammodo maior eſt, quàm concomitantia animæ, vt anima eſt, quãuis aliunde videatur eſſe minor, nimirùm, quia eſt minor identitas inter quantitatem, & ſubſtantiam, quam ſit inter animam, vt animam, & vt dat eſſe corporeum. Dico autem, ex alio capite concomitantiam quantitatis videri maiorem, quia non ex ſuppoſitione aliqua, ſed ſimpliciter ex intrinſeca natura, & neceſsitate corporis humani vt ſic, ſit, vt quantitas conſequatur ad actionem verborum; anima verò, vt anima, non concomitatur ex neceſsitate ſimpliciter, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quod in propria ſpecie tale corpus animatum exiſtit.

SECTIO VI.

Vtrùm Verbum, diuinitas, aut aliæ perſonæ ſint in Euchariſtia ex vi verborum, vel per concomitantiam.

HAEc quæſtio præcipuè tractãda eſt de Verbo diuino, nã ex illius deciſione facilè reliqua conſtabunt. Eſt ergo in primis certũ de fide, eſſe diuinum Verbum in Euchariſtia ſpeciali modo, quod colligitur ex Concilio Tridentino. ſeſsio. 13. can. 1. definiente, eſſe hic corpus & ſanguinem Chriſti, vnà cum anima & diuinitate, non enim poteſt hic eſſe diuinitas ſpeciali modo, niſi ratione ipſius Verbi, ſicut non eſt vnita diuinitas humanitati, niſi ratione Verbi; tandẽ de fide eſt, in Euchariſtia eſſe totum Chriſtum, vt ſuprà oſtẽſum eſt, ſed totus Chriſtus dicit Verbum ſubſiſtens in natura diuina & humana: ergo totum hoc præſens eſt in hoc ſacramento. Vnde eodem modo certum eſt, corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento vnitum Verbo, ſeu (quod idem eſt) eſſe hic, nõ tantùm ſubſtantiam corporis & ſanguinis, ſed etiam vnionem ipſam hypoſtaticam quam ad Verbum habet, quod colligit hic Diuus Thomas ex Concilio Epheſino in quadam Epiſtola ad Neſtor. dicente, *Nos accipere in Euchariſtia carnem Chriſti, nõ vt communem, neque vt alicuius viri ſancti carnem, ſed vt verè viuificatricem, & ipſius Verbi propriam factam*: eſt ergo in Euchariſtia caro Chriſti, vt propria Verbi effecta eſt: ſed eſt facta propria Verbi per vnionem: eſt ergo in hoc ſacramento vt vnita Verbo: ergo eſt etiam hic ipſa vnio. Item eſt hic caro Chriſti, vt viuificatrix: ſed eſt viuificatrix ratione vnionis: ergo eſt hic vt vnita. Tandem ratio declarata in art. 1. hoc conuincit: quia caro Chriſti eſt realiter, & inſeparabiliter vnita Verbo: ergo, ſicut nunquam eſt, niſi vnita, ita etiam nuſquam eſt, niſi vnita: ergo, vbicunque eſt, habet vnionem ad Verbũ: fuiſſet enim, non ſolùm indecens, & indecorum, verũ etiam magnum miraculum & minimè neceſſariũ, (vt omittã, an ſit poſsibile) vt idem corpus in vno loco eſſet vnitum Verbo, & in alio careret vnione, & conſequenter in proprio ſuppoſito exiſteret: ergo dicendum eſt, habere hoc corpus in ſacramento eandem vnionem ad Verbum, quam habet in cælo. Et propter hanc cauſam dicitur eſſe hic Verbum ſpeciali modo, quia ad illud terminatur hæc vnio: Verbum enim diuinum, cùm ſit immenſum, non poteſt in ſe nouam realem præſentiam alicubi acquirere; & ideo non dicitur eſſe ſpecialiter in hoc ſacramẽto, quia in eo nouum modum exiſtẽdi

Trident. Verbum diuinum eſſe ſpeciali modo in Euchariſtia multis probatur.

ſibi intrinſecum acquirat: ergo ſolùm propter rationem extrinſecam, ſeu propter nouum titulum, ſcilicet, quia in hoc ſacramento eſt, vt terminus humanitatis, ſeu corporis, quod in ipſo ſacramento exiſtit ipſi vnitum: ergo tam Verbum, quàm vnio ad Verbum, ſunt in hoc ſacramento.

...umenta ...proba- ...ſibi ex ...rborum.

Supereſt explicemus, quomodo hic eſſe incipiant, & primùm de vnione: nam inde facilè conſtabit, quid dicendum ſit de Verbo. Primò ergo videri poteſt, vnionem illam debere hic eſſe ex vi verborum, quia hoc requirit vis illius verbi, *corpus meum*, nam Verbum diuinum eſt, quod loquitur & dicit, hoc eſſe corpus ſuũ, non eſt autem ſuum, niſi propter vnionem: ergo perinde eſt ac ſi dicat, hoc eſſe corpus ſibi vnitum: ergo ex vi talium verborum, neceſſe eſt, vt hic ſit corpus vnitum: ergo vt ſit vnio ipſa. Secundò, corpus propriè ſignificat naturam corpoream ſubſiſtentem: ſupponit autẽ pro ſubſiſtente in natura corporea; ergo ex vi verborũ eſt hic corpus ſubſiſtens, & non ſubſiſtentia propria: ergo ſubſiſtentia Verbi: ſed corpus non ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi, niſi mediante vnione: ergo oportet, vt etiam vnio ſit hic ex vi verborũ. Tertio ex parte termini à quo non ſolùm conuertitur ex vi verborum natura ſubſtantialis panis, ſed etiam ſubſiſtentia panis: ergo etiam ex parte termini ad quem non ſolùm eſt hic aliqua natura, ſed etiam aliquid ſubſiſtens: nam terminus ad quem proportionaliter reſpondet termino à quo, & ipſamet ratio totalis tranſubſtãtiationis, & perfectæ ſubſtantialis actionis, requirit in completo termino ad quem rem ſubſiſtentem vt ſic. Ac denique vis etiã fieri poteſt in illa particula, *hoc*, nã, vt infrà dicetur, deſignat id, quod ſub his accidentibus continetur: vnde ex vi ſua ſubſtantiuè ſumitur, & aliquid ſub his accidentibus ſubſiſtens deſignat: ergo ex vi illius neceſſe eſt, vt ſit hic corpus Chriſti ſubſiſtens: ergo vnitum ad ſubſiſtendum in Verbo diuino: quia non eſt ſubſiſtens propria ſubſiſtentia. Et ad hoc confirmandum etiam poſſent induci verba Concil. Epheſini ſuprà citata, & rationes ex illis deſumptæ.

Rationes, qui... oppoſitum ...uadetur.

In contrariũ autem videtur, nõ poſſe hic vnionem eſſe ex vi verborum, ſed tantùm per concomitantiam. Primò quidem, quia, ſi vnio eſſet ex vi verborum, etiam Verbum eſſet ex vi verborum: conſequens eſt falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela videtur euidens, tum, quia vnio non poteſt eſſe ſine termino vnionis, vbi ergo vnio eſt ex vi verborum, etiam terminus eius, qui eſt Verbum, tum etiam, quia, ſi vnio hic eſt, ſolùm eſt, quia eſt nexus inter corpus & Verbum, ex quibus reſultat hoc mirabiliter compoſitum ex hac natura corporea & Verbo: ergo hoc compoſitum erit hic per ſe primò ex vi verborum, nam hic eſt terminus adæquatus illius actionis, per quã fit vnio: ergo vtrumq; componentium erit hic ex vi verborum: ergo verbum erit ex vi verborum. Falſitas autem conſequentis oſtendi poteſt primò ex Concil. Trid. ſeſs. 13. c. 3. vbi inter ea, quæ ſunt per concomitantiã in hoc ſacramento, videntur ponere diuinitatẽ: neq; eſt, quòd aliquis vim faciat in diuinitatis voce, quæ naturã, non ſuppoſitũ, ſignificat, ac ſi Conciliũ ſentiat, naturam diuinã eſſe hic per concomitantiã, non tamen Verbũ ipſum: nam hoc videtur eſſe præter mentẽ Concilij, ſed ſub diuinitate comprehendit Verbũ, quod idẽ eſt cum illa, tum, quia nullam aliã mentionẽ Verbi facit, cũ tamen ibi numeret omnia ſubſtantialia, quæ ſunt in Chriſto, & inde concludat, totũ Chriſtum eſſe in hoc ſacramento: ergo neceſſe eſt, vt ſuppoſitũ diuinũ ſub diuinitate includat: alioqui nõ ſufficienter omnia numeraſſet, nec doctrinã tradidiſſet. Tum, quia aliàs dictúrum erat, diuinitatẽ eſſe hic concomitanter, ratione Verbi; non autẽ reddit hanc rationem, ſed *propter admirabilem*, inquit, *illam eius cũ corpore & anima hypoſtaticam vnionẽ*: quæ ratio propria eſt Verbi, ad quod per ſe terminatur illa vnio, quin potiùs in prædictis verbis indicat Conciliũ, ipſammet vnionẽ eſſe hic per concomitantiam. Secundò conſtat falſitas eiuſdẽ conſequentis ex communi ſententia Doctorũ aſſerentium, Verbum eſſe hic tantũ per concomitantiã, vt patet ex D. Tho. hic art. 1. ad 1. & Innoc. lib. 4. de hoc Myſterio. c. 19. Marſil. in 4. quæſt. 8. art. 2. Durand. d. 10. q. 2. & alijs Doctoribus cõmuniter ibi, & d. 11. Tertiò, quia Verbum diuinum non poteſt eſſe terminus per ſe actionis verborum ſacramentalium, ſeu conuerſinis: ergo nõ poteſt hic poni ex vi verborum. Antecedens patet, quia nihil poteſt in diuinitatem conuerti: & conſequenter neque in Verbum diuinum, quod eſt ipſa diuinitas, & æquè immutabile: conſequentia verò probatur, quia vt ſuprà oſtenſum eſt, quicquid eſt ex vi verborum, eſt etiam ex actione verborum. Dicet aliquis, ſatis eſſe conuerſionem terminari formaliter ad naturam corporis, vt vnitam Verbo: ita vt, ſicut intelligimus materiam panis cõuerti in materiam corporis, & formã in animam, vt dãrem eſſe corpoream, ita intelligamus, ſubſiſtentiam panis conuerti in vnionem corporis ad Verbum, non verò eſt neceſſe, ipſum Verbum fieri per talem actionem, ſicut per actionem, qua generatur homo, fit vnio formę ad materiam, cùm tamen per illam actionem non fiat materia. Hoc autem videtur ſatis, vt dicatur, Verbum hic eſſe ex vi verborum, quia Verbũ eſſe hic, vt dixi, non eſt acquirere nouam præſentiam, vel aliquid intrinſecum ſibi; ſed eſt acquirere nouam rationẽ exiſtendi hic, quæ in ipſo, vt eſt hic, ſolùm addit relationem rationis & denominationem extrinſecam terminantis humanitatem: hanc autem denominationem acquirit ex vi verborum, ſi verba vi ſua ponunt hic corpus vnitum: hoc ergo erit ſatis, vt Verbum dicatur hic eſſe ex vi Verborum. Sed contra, quia, licèt Verbum non acquirat de nouo præſentiam realem in hoc ſacramento, illa tamen præſentia ſimpliciter neceſſaria eſt, vt Verbum verè ſit in hoc ſacramento: verba autem non poſſunt ex vi ſua hanc præſentiam efficere: ergo non poſſunt, ſimpliciter loquendo, virtute ſua ponere hic diuinum Verbum.

Innocent. Marſil. Durand.

...dent.

In hac re, quanuis rationes in vtramque partem factæ non conuincant, ſimpliciter dicendum cenſeo primò, vnionem corporis Chriſti ad Verbum uon poni in hoc ſacramento ex vi verborum, ſed per concomitantiam. Ratio eſt, non quia ſit impoſsibile, illam vnionem fieri ex vi verborum, ſeu per actionem verborum, vt multi exiſtimant; nam, ſi Chriſtus per hæc verba voluiſſet conſecrare, *Hoc eſt corpus Verbo* Dei *hic vnitum*, aut per hæc, *Hoc eſt Chriſtus*, aut per alia ſimilia, ex vi taliũ verborum eſſet in ſacramento, non ſolùm corpus, vel humanitas, ſed etiam vnio corporis vel humanitatis ad Verbũ, ſeu totus Chriſtus: hoc enim formaliter

Vnio corporis Chriſti ad Verbum, in hoc ſacramento tantùm eſt per cõcomitantiam.

Universidad de Deusto Biblioteca

liter verba significarent, & consequenter idē efficerent per actionē suā: neq; enim repugnat, actionem diuini instrumenti attingere hanc vnionem, vt latiùs dixi in primo tomo huius tertiæ partis. Ratio ergo solùm est, quia verba, quibus de facto Christus cōsecrauit, formaliter nō significāt vnionem ad Verbū: nam, licèt fingamus, corpus in sacramento non habere vnionē ad Verbū, verè posset Christus de illo dicere, *Hoc est corpus meum*: quia illud relatiuū, *meum*, in rigore solùm denotat identitatem illius corporis cum corpore, quod ratione vnionis est corpus Verbi, non verò denotat, corpus illud habere talem vnionem, vbicunque existit, neque hoc requiritur in rigore ad veritatem talium verborum: ergo, si ita sit, vt verè sit, est solùm propter concomitantiam suprà explicatam.

Verbum diuinū est specialiter in hoc sacramento tantùm per concomitantiam.

Secundò consequenter dicendū est cum Theologis suprà citatis, Verbum diuinū esse hic per concomitantiam, non ex vi verborum. Hæc conclusio non est etiam ita probāda, ac si oppositū repugnaret, vt ratio superiùs facta in contrariū procedere videtur, quæ propterea mihi non placet, nam in pædictis casibus, si Christus consecrasset his verbis, *Ego sum hoc*, vel, *Hoc est Christus*, ex vi talium verborum id, quod demonstraretur sub speciebus, esset Deus homo; ergo ex vi talium verborū esset Verbū sub speciebus sacramentalibus. Neque ad hoc esset necessarium, vt realis præsentia de nouo fieret in Verbo, sed solū, quòd Verbum nouo modo ibi esse inciperet per præsentiā corporis, seu humanitatis sibi vnitæ, sicut in instanti incarnationis cœpit Verbum nouo modo esse in vtero Virginis, & nūc etiam dicitur Verbum per concomitantiam existere sub speciebus sacramentalibus, non quia nouam præsentiam accipiat, etiam per concomitātiam, sed solū per nouam rationem existendi, quæ in illo solùm addit denominationem quandam, vt rectè suprà dicebatur: posset autem hoc ipsum, quod nunc est per concomitantiam, esse ex vi aliquorū verborū, vt ostensum est: ergo ad hoc non est necessarium, vt ipsa realis præsentia Verbi de nouo fiat. Et ratio à priori est, quia, licèt hæc præsentia re vera sit necessaria, tñ ex se supponitur ex naturali immensitate Verbi, & ideò non oportet, quòd verba vi sua illam efficiant, sed solùm quòd addant quicquid ex parte corporis, vel humanitatis deest. Aliter ergo probanda est hæc cōclusio ex præcedente: nam verba non possunt ex vi sua efficere, vt Verbum incipiat nouo modo esse sub speciebus ex parte ipsius Verbi; debent ergo id efficere ex parte humanitatis: constat autē, ex parte humanitatis id non efficere, quia non efficiunt vnionem, vt ostensum est: quia proxima ratio, ob quam Verbum dici potest hic esse nouo modo, est ipsa vnio: ergo nullo modo verba hoc efficiunt ex vi sua: ergo solùm per concomitantiam. Et confirmatur, quia ex vi formalis & præcisæ significationis verborum, non est necesse, vt id, quod est sub accidentibus panis, sit Deus; quia verba hoc non significant: ergo non est ibi diuina persona ex vi verborum.

Responsio ad argumenta prioris opinionis.

Ad primam autem rationem pro priori opinione iam satis dictum est. Ad secundam autem, & tertiam duobus modis respōderi potest. Prior est, corpus, quod sub speciebus panis ponitur ex vi verborum, non esse subsistēs, vt ea voce significatur, sed tantùm esse partem quandam substātialem naturæ subsistentis: corpus enim pars est humanitatis: verè enim dicitur humanitas ex corpore & anima componi, & tamen humanitas, vt sic, non includit subsistētiam, & anima etiam, licèt in re subsistat, tamen vt significatur hac voce, *anima*, non significatur vt subsistens, sed tantùm vt pars. Vnde, si per possibile vel impossibile, corpus & anima Christi dimitterentur à Verbo, & sine noua subsistentia conseruarentur, nihilominùs essent verum corpus, & anima: ergo in significato corporis, vt sic, non includitur subsistentia: ergo ex vi verborum formæ nulla subsistentia, nec propria, neque aliena, ponitur in hoc sacramento. Et, quanuis concedamus, in re ipsa nunquam esse posse naturā corporis sine aliqua subsistentia, non inde fit, subsistētiam formaliter significari, aut fieri ex vi verborū, sed solùm necessariò comitari veritatē, & efficientiam eorum. Et confirmatur, quia corpus Christi verè & propriè dicitur conceptum ex Virgine, quanuis nō habuerit subsistentiā ex vi illius actionis, per quam conceptum est, sed per aliam, qua vnitum est Verbo, quæ in eodem instanti simul fuit cum altera; & similiter anima Verbi creata dicitur in primo instanti per actionem creatiuam, & tamen per illam non fuit subsistens, nec vnita Verbo; sic ergo, quanuis per actionem transubstantiatiuam, quæ fit virtute verborum, fiat hic corpus Christi, non est necesse vt ex vi illius fiat subsistens, sed per aliam actionem concomitantē. Hæc responsio est probabilis, præsertim in forma consecrationis panis; quia vox, *corpus*, admittit illā significationē partis essentialis, præscindēdo à subsistentia; sed nihilominùs adhuc ingerit difficultatem aliud argumentum sumptū ex particula, *hoc*, quæ, licèt possit dici demōstrare hoc ens, vel hoc côtentum, tamen re vera demonstrat illud, per modum subsistentis; indicat enim hunc cibū, seu hoc edulium, quod subsistens est, & vt tale demonstratur. Deinde in forma calicis sanguis re vera videtur significare rem subsistentē: sicut vinū, aqua, & alia huiusmodi. Quocirca, persistēdo in hac responsione, nō esset negandū per has formas significari res subsistentes, sed dicendum esset, nō significari formaliter subsistentiā earum, sed substantiā, seu substantialem naturā, sicut homo, licèt significet rem subsistentē, non tamen significat de formali subsistentiam, sed humanitatē, & hoc satis est, vt actio verborum non terminetur formaliter & per se ad subsistentiā, sed solū ad substantiam corporis, ex qua consequitur subsistentia naturalis, vel eam comitatur vnio ad diuinam subsistentiā. Alter dicendi modus esse posset, concedendo, ex vi verborum fieri hic corpus subsistens, non tamen subsistentia Verbi aut connaturali corpori, sed præcisè: quia, licèt in re semper debeat esse subsistens altero ex prædictis modis, tamen neuter eorum est determinatè necessarius ex vi verborum: nam idem numero corpus potest subsistere, & subsistentia creata, & increata, sicut suprà dicebamus de forma corporis vt sic; quòd licèt sub hac præcisione sit hic ex vi verborum, nihilominùs, vt anima est, est tantùm per concomitantiam: sic ergo dici poterit de subsistentia, scilicet, quòd, licèt sub hac præcisa ratione ex vi verborum requiratur; nihilominùs subsistentia diuina, vt talis est, solùm sit hic per concomitantiam: sicut B. Virgo, concipiendo

do hunc hominem, necessariò concepit rem subsistentem; quòd verò hac subsistentia subsistat, scilicet, diuina, fuit quasi cōcomitans, & non ex vi Virgineę conceptionis. Atque hæc responsio est etiam probabilis, & facilè defendi potest, quanuis non inuenio aliquem Theologorum hoc asserentē in subsistentia, sicut in anima.

…ratur … quam …nem po… Ver. …vnio …ficatica … Euchari…

Ex his autem duobus respōdendi modis colligere licet, per quam actionem ponatur sub speciebus sacramentalibus vnio corporis, vel sanguinis ad Verbum, & cōsequenter Verbum ipsum: hæc enim duo in præsente idem sunt: nam Verbum solùm ratione vnionis dicitur hic nouo modo existere. Necesse est igitur, vnionem hic fieri per actionem diuersam ab illa actione, qua hic fit substātia corporis, vel sanguinis: quia sicut actio creatiua animę seu humanitatis, secundum substantiam supponitur actioni vnitiuæ: quia substantia ipsa supponitur vnioni; ita actio cōuersiua, quæ est ad substantiam corporis & sanguinis, distincta est ab actione, qua fit vnio eorum in sacramēto: nam etiam hic substantia supponitur vnioni; & non necessariò ex illa resultat; & ideò necessaria est actio specialis, qua hic fiat, seu ponatur: siue talis actio sit eadem cum actione, qua Deus conseruat hanc vnionem humanitatis in cælo, iterum posita in sacramento; siue sit alia distincta, quod ad præsentem quæstionem nihil refert, & incertum est. Atq; eodem modo est incertū, an hæc actio, qua fit vnio in sacramento, sit hic per efficientiam verborū; an non: vtrumque enim est possibile, & neutrum colligi potest ex principijs certis. Quanuis iuxta priorē modū respondendi suprà positum probabile sit, fieri à solo Deo: quia est per meram cōcomitantiā valde extrinsecā: iuxta posteriorē autem modū videtur probabile satis, debere fieri per verba, quia est magis intrinseca concomitantia, & saltem secūdum communem rationem necessaria ad perfectam verborum veritatem, quod explicandum est ad modū suprà dictum de forma substantiali.

Dubium.

Secundò potest obiter ex dictis expediri dubiū, quod attigit Innoc. dicto lib. 4. de hoc myst. ca. 19. an per comunicationem idiomatum possit dici panis transubstantiari in Verbum, vel Christus consecrari, sicut dicitur manducari vel in altari offerri: non enim offertur Christus, nisi quatenus consecratur: per consecrationem enim offertur: si autē Christus offertur, & consecratur, etiam Verbum: nam, quod de Christo dicitur, per communicationē idiomatum dici potest etiam de Deo. Vnde in oblatione cruenta, quæ facta est in cruce, sicut oblatus est Christus, ita & Deus, & Verbum: ergo similiter in hac incruenta: nam ex parte rei oblatæ non est minus digna & infinita, quā illa: sicut ergo ibi Deus mortuus est, ita hic est consecratus, & māducatus: sic Cyrill. lib. 4. in Ioan. ca. 18. & lib. 11. c. 23. dicit, in Eucharistia nos suscipere filium Dei, & Theodoret. dialog. 2. citans Ignatium, & explicans Canonē vndecimum Concilij Ephesini, dicit, nos suscipere carnem Verbi, seu potius carnem Verbum, & eodē ferè modo loquitur Theophilactus Ioan. 6. & Hilarius lib. 8. de Trinit. Et hinc vlterius sequi videtur, concedendum esse, panem transubstantiari in Verbum, quia consecrari dicitur aliquid, aut tanquā terminus, à quo; & hoc modo non dicitur de Christo, nec de Verbo, sed de pane, aut vino, aut tanquā terminus ad quem: ergo nō potest, nisi hoc modo dici de Verbo: ergo, si Verbum cōsecratur, est terminus in quem transit panis. In contrarium verò est, quia per hanc actionem transubstantiatiuam re vera non fit Verbum, nec talis actio vllo modo terminatur in ipsum: non ergo potest propriè panis dici conuerti in Verbum. Item panis solùm dicitur cōuerti in id, quod hic fit ex vi verborum: sed Verbum nō fit hic ex vi verborum: ergo. Præterea, ratione partis propriè & in rigore nō est communicatio idiomatum; & ideò non dicitur Verbum esse caput, aut sanguis, sed hic corpus significatur per modum partis, vt dictum est: ergo. Tandem, licèt anima Christi fuerit creata, & in eodem instanti assumpta, non tamen dicitur Verbū creari, vel quia anima est pars, vel quia illa creatio non attingit vnionem, sed ad illam præsupponitur: ergo similiter in præsente. In hoc dubio Marsil. in 4. q. 8. art. 2. censet illas locutiones nō esse admittendas; ego tamen nullum incōueniens in eis reperio: sed videntur à Patribus vsitatæ, & consentaneæ principijs positis in materia de incarnatione; sicut enim Deus dicitur conceptus ex Virgine, quia corpus, seu humanitas, eodem instanti, quo ex Virgine procreata fuerunt, assumpta sunt à Verbo diuino, quanquam actione distincta, ita dici potest Verbum in hoc sacramento cōsecrari: quia caro Christi, quæ hic conficitur, non terminat actionem verborum, vt in se subsistēs, sed in Verbo: nam eodem instanti, in quo incipit esse sub speciebus, incipit esse vnita Verbo. Patet consequentia à paritate rationis: quia vtraque est actio substātialis, quæ per se tendit ad rem subsistentem, & ideò illam propriè denominat: præsertim quia nihil includit repugnans Verbo diuino secundum se, sicut creatio. Eo vel maximè, q; licèt ex vi verborum nō significetur totus Christus, tamen de facto semper totus Christus cōstituitur sub speciebus per actionem verborum; & ideò rectè dicitur cōsecrari: quia hoc nihil aliud est, quā per actionem verborū in sacramento cōstitui: quod autem de Christo simpliciter dicitur, potest etiam dici de Verbo. Atque hoc; certius & notius est de illis denominationibus, quæ supponunt consecrationem iam factam, vt sunt manducari, moueri, &c.

Marsil.

Solutio dubij.

Tertiò ex dictis constat, quid sit dicēdum de diuinitate, prout significat propriè naturam diuinā ratione distinctam à Verbo. Dicēdum est enim, esse speciali modo in hoc sacramento, vt est certum ex definitione Concilij Tridentini dicentis, diuinitatē hic esse ratione admirabilis vnionis inter ipsam, & humanitatem: nam licèt dixerimus, sub diuinitate Verbum comprehendi, non excludenda est, neque excludi potest ipsa natura, quæ proprissimè diuinitatis voce significatur. Et ex re ipsa sumitur clara ratio; quia Verbum diuinum intimè, & essentialiter includit diuinitatem. Item quia Christus dicit subsistens in duplici natura, diuina & humana. Itē, quia licèt per vnionē hypostaticā proximè diuina natura vnita sit subsistentiæ diuinæ: hinc tamē simul ac necessario effectū est, vt duæ naturæ vnitæ sint in vna subsistētia Verbi: nō ergo potest hic esse totus Christus, & Verbū ratione vnionis, quin sit etiam ipsa diuinitas. Vnde etiam cōcluditur, nō esse hic ex vi verborum, sed per concomitantiam mediatam secundum rationem, ad eum modū, quo vnio hypostatica dicitur terminata immediatè ad subsistentiā relatiuam, & consequenter ad naturam absolutam: sic enim concomitantia, quæ in hac vnione fundatur, proximè & immediatè est respectu Verbi, consequenter verò respectu diuinæ naturæ.

Trident.

Universidad de Deusto Biblioteca

Pater & Spiritus sanct⁹ sunt per concomitātiam in Eucharistia, sed non sicut Verbū.

Quartò & vltimò constat ex dictis, quid dicendum sit de Patre & Spiritu sancto, an, scilicet, speciali titulo & ratione adsint in hoc sacramento hoc enim dubium expediendum est ex alio principio posito in primo tomo, tractatu de Incarnatione: videlicet, quamuis vnio hypostatica nullo modo terminata sit ad Patrem, vel Spiritum sanctum, nihilominus ratione illius effectum esse, vt Pater, & Spiritus sanctus speciali modo ac titulo sint in Christi humanitate, vel quia in ea singulariter operantur, vel quia necessariò ibi adsunt, vbi adest diuinitas: cùm ergo præsens concomitantia tota fundetur in hypostatica vnione, prædicto modo & ratione extendi potest ad has personas, & nulla alia via. Vnde nec verba habent vllam vim, vt speciali modo hic eas constituant, nec per sacramentales species significantur, nec ab actionibus sacramentalibus denominantur, non enim Pater offertur, aut Spiritus sanctus manducatur: quia hæ personæ non sunt vnitæ humanitati per modum suppositi, licèt propter naturalem connexionem, quam habent cum persona Verbi, mediante diuina natura, necessariò sint, vbi est illa, non tamen terminando eandem vnionem, in qua prædicta denominationes fundantur. Quocirca, licet Pater, & Spiritus sanctus ob rationem superius factam dici poßint esse hic per concomitantiam, aliter tamen, quàm Verbum & diuinitas: nam Verbum est immediatè tanquam proprium suppositum humanitatis, diuinitas verò secundum rationē quidem mediatè, secundum rem autem immediatè, quia est idem cum Verbo, & in illo verè est humanitati vnita: Pater autem & Spiritus sanctus omnino mediatè, etiam secundum rem: realiter enim distinguuntur à Verbo, & ideò cùm humanitate non habent vnionem realem, sed solùm intimam præsentiam, ratione iam dicta.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini.

4. d. 10. ar. 3. qō. 3. & d. 12. q. 1. arti. 3. q. 2. ad 3. & 4. tex. cap. 67. Et quodlib. 4. artic. 8. corp. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur, ꝙ nō sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini. Species enim illæ diuidi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum prædictarū, sequeretur quòd infinities esset in hoc sacramento, quod est inconueniens, nam infinitum repugnat nō solum naturæ, sed etiam gratiæ.

¶ 2 Præterea, Corpus Christi cùm sit organicum, habet partes determinatè distantes, est enim de ratione organici corporis determinata distantia singularum partium ab inuicem, sicut oculi ab oculo, & oculi ab aure. Sed hoc non posset esse, si sub qualibet parte specierum esset totus Christus: oporteret enim ꝙ sub qualibet parte esset qualibet pars, & ita vbi esset vna pars, esset & alia, Non ergo potest esse, quòd totus Christus sit sub qualibet parte hostiæ, vel vini contenti in calice.

¶ 3 Præterea, Corpus Christi semper veram retinet corporis naturam, nec vnquā mutatur in spiritum. Sed de ratione corporis est, vt sit quantitas positionem habens, vt patet in Prædicamentis. Sed ad rationem huius quantitatis pertinet, quod diuersæ partes in diuersis partibus loci existant. Non ergo potest esse (vt videtur) ꝙ totus Christus sit sub qualibet parte specierum.

In c. de quātitate.

SED contra est, quòd Augustin. dicit in quodam sermone, Singuli accipiunt Christū Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.

Refertur de consecr. d. 2. c. singuli.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut ex suprà dictis patet, quia in hoc sacramento substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiua ex vi realis cōcomitantiæ, ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, per modum quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensiua alicuius corporis est sub quantitate dimensiua loci. Manifestum est autem, quòd natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter, siue sint dimēsiones actu diuisæ (sicut cum aer diuiditur, vel panis secatur) vel etiam si sint actu indiuisæ, diuisibiles verò potentia. Et ideò manifestū est, quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, & non solùm, cùm frangitur, sicut quidam dicunt, ponentes exemplum de imagine, quæ apparet in speculo, quæ apparet vna in speculo integro, in speculo autem fracto, apparent singulæ in singulis partibus. Quod quidem non est omnino simile, quia multiplicatio huiusmodi imaginum accidit in speculo fracto propter diuersas reflexiones ad diuersas partes speculi, hic autem non est nisi vna consecratio, propter quam corpus Christi est in hoc sacramento.

Arti. 1. huius q. & ar. præc.

AD primum ergo dicendum, quòd numerus sequitur diuisionem. Et ideo, quādiu quantitas manet indiuisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus proprijs, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, & per consequens, neque infinities, sed toties, in quot partes diuiditur.

AD secundum dicendum, quòd illa determinata distantia partium in corpore organico, fundatur super quantitate dimensiua ipsius: ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensiuā. Et ideo quia conuersio substantiæ panis, directè terminatur ad substantiam corporis Christi, secūdum cuius modum propriè & directè est in hoc sacramēto corpus Christi, talis distantia partiū est quidē in ipso corpore Christi vero, sed nō secundū hanc distantiā cōparatur ad hoc sacramentū, sed secundū modum suæ substantiæ, sicut dictum est.

In corp. ar.

AD tertium dicendum, quòd ratio illa procedit de natura corporis, quam habet secundum quantitatem dimensiuam. Dictum est autem, ꝙ corpus Christi comparatur ad hoc sacramētū, nō ratione quātitatis dimēsiuæ, sed ratione suæ substātiæ, sicut dictū est.

In corp. & ar. huius quæst. in corp. art.

DE materia huius articuli multa dicta sunt in superioribus disputatione 48. vbi præcipuè tractauimus omnia, quæ in solutionibus argumentorum tangit D. Thom. cætera exponemus disputatione sequente.

DISPVTATIO LII.

De his quæ sunt sub singulis partibus specierum panis & vini.

DIximus, totum Christum esse sub singulis speciebus panis & vini: quia verò ipsæ species extensæ sunt, & partes habent, ideo necesse est, vt de ipsis etiā dicamus: quia verò hæ partes specierum esse possunt, vel diuisæ, vt sunt partes hostiæ post fractionē, vel continuæ, vt ante fractionem, quando aliquo indiuisibili termino copulantur, ideo dicemus prius de partibus diuisis, quia in eis res est clara, deinde de continuis, ac tandem de ipsis indiuisibilibus terminis quantitatis.

Disputatio [illegible] de Eucharistia.

SECTIO I.

An totus Christus sit sub singulis partibus specierum, post earum diuisionem.

HAEc quæstio videri potest superflua, suppositis his, quæ in præcedente disputatione dicta sunt: ostendimus enim, totum Christū esse sub singulis speciebus sacramentalibus panis, & vini: quod de singulis indiuiduis harum specierum necessariò intelligendum est: quia nec Christus esse potest sub speciebus in communi seu abstractè sumptis, neq; est maior ratio de vno earum indiuiduo, quàm de alio: est ergo sub omnibus: sed hoc ipso, ꝙ partes specierum sunt actu diuisæ, iam non sunt partes, sed tot sunt indiuidua, quot per diuisionem resultant: ergo nullus est locus quæstioni propositæ: cōstat enim ex superiori resolutione ita debere esse Christū sub his partib⁹ diuisis, quēadmodū est sub singulis indiuiduis specierum sacramentalium.

Vt ergo quæstionis ratio & difficultas aperiatur, aduertendum est, tribus modis accidere posse, species sacramentales panis & vini esse actu diuisas, primò ante cōsecrationem, & in consecratione ipsa, ita vt distinctis etiam consecrationibus, seu verborum prolationibus consecratæ fuerint, quomodò sunt distinctæ duæ hostiæ in distinctis sacrificijs cōsecratæ, & de his potißimum intelligitur doctrina tradita in præcedente disputatione, & de eis maximè procedit ratio dubitandi hic facta. Et accedit alia, quòd per quamlibet formam totum Christi corpus, vel sanguis indicatur.

Secundo modo cōtingit, species esse actu diuisas ante consecrationem, atque etiam, dum consecrantur, in ipsa tamen consecratione vnica forma consecrari, vt quando sacerdos vnica verborum prolatione plures hostias, vel plures calices consecrat, & de his potest iam esse nonnulla maior dubitandi ratio: quia in hoc casu magis videntur hæ species partes vnius sacramenti, quàm in priori: nam licèt, ea cōsideratione, qua in superioribus dicebamus, totū Eucharistiæ sacramētum esse vnū tantū possint quælibet hostiæ actu diuisæ & seorsim consecratæ dici partes vnius sacramenti, tamen secundum se singulæ species illarum sunt integræ & totales, quantum in præsenti materia esse possunt: at verò in hoc posteriori casu magis videntur partes vnius sacramenti, quia vnita forma informantur. Vnde etiam fit, vt per eam formam semel tantùm indicetur, seu significetur totus Christus, vt sub illis omnibus speciebus contentus; & ideo maior esse potest dubitandi ratio, an sub omnibus illis speciebus simul sumptis totus Christus simul actu contineatur, vel toties, quot sunt species actu diuisæ. Nihilominus in hoc etiam casu certißima est resolutio superius tradita totum, scilicet, Christū esse sub huiusmodi speciebus singulis, vt à fortiori constabit ex his, quæ in tertio puncto dicemus. Et declaratur breuiter, quia sub singulis speciebus actu diuisis est aliquid corporis Christi: ergo est totus Christus: antecedens constat, quia illæ omnes species manent consecratæ, vt de fide constat: ex vsu Ecclesiæ, & ex facto Christi, qui vnica verborum prolatione totum consecrauit panem, quem discipulis distribuit, & vt supra vidimus, prius panem ipsum in frusta diuisit, vel si prius consecrauit, & posteà diuisit, à fortiori idem inferri potest, vt iam dicam: ergo sub omnibus illis speciebus sic consecratis non manet substantia panis, sed corpus Christi. Consequentia verò probatur, tum ex dictis de præsentia sacramentali corporis Christi, quæ natura sua, ita est indiuisibilis, vt ibi totum constituat, vbi partem, tum ex dictis de concomitātia, quia non potest corpus Christi esse in frusta diuisum, saltem propter incorruptibilitatem suam, & realem partium vnionem; tum denique, quia nō est maior ratio, cur vna pars corporis sit sub his speciebus, quàm alia: est ergo totum corpus sub singulis. Neq; contra hoc obstat ratio dubitandi posita; tum quia, licèt huiusmodi hostiæ, seu species distinctæ per eandem formam consecrentur, tamen quatenus discontinuæ sunt, & panis sub eis existēs erat quoddam totum, dici possunt integra quædam indiuidua specierum sacramentalium, saltem physicè, & ideo necesse est, sub illis totum Christum contineri; tum etiam, quia, licèt verum sit, illas esse partes vnius sacramenti, hoc ipsum est, quod cōtendimus, adesse totum Christum in partibus actu diuisis. Neque etiam refert, ꝙ per vnicam formam semel tantùm in tota materia totus Christus designari videa

Universidad de Deusto Biblioteca

tur quia ex vi talis formæ manent singulæ hostiæ consecratæ, & ideo de singulis tota forma verificatur: quia per totam illam, & per efficientiam eius cõsecrantur. Vnde fit, vt pronomen, *hoc*, quanuis totã illam materiam demonstret per modum vnius cibi; tamẽ ex Christi institutione & debita ministri intẽtione non solùm designet totam collectionem, sed etiam quamlibet partem eius, ita vt illa sit, veluti indiuisibilis forma, tota in toto, & tota in singulis partibus suo modo existens, & veritatem habẽs, vt magis ex sequentibus patebit.

Diuisa hostia post consecrationem in singulis partibus manet Christus.

Tertio modo cõtingit, species esse actu diuisas solũ post cõsecrationẽ, vt quando vna hostia cõtinua, vel vnus calix prius cõsecratur, & posteà frangitur, seu distribuitur in plures, & tũc adhuc videtur esse maior dubitãdi ratio, quia illæ species ex vi prioris consecrationis, nõ fuerũt species totales & integræ, & ideo ex principijs positis disputatione pręcedẽte non satis videtur colligi in singulis earũ esse totum Christũ. Nihilominus de fide etiã certũ est, sub singulis partibus huiusmodi totũ Christũ contineri. Hoc enim sensu definit hanc veritatẽ Concil. Trid. sess. 13. can. 3. dicẽs, sub vnaquaq; specie, & sub singulis cuiusq; speciei partibus, separatione facta, totũ Christũ cõtineri, quod prius docuerat Cõcil. Florent. in decreto Eugenij, & habetur etiã in cap. singuli, quod hic citat D. Th. in argumẽto. Sed cõtra, ex Augustino, est autẽ Ambrosij, vel Hieronymi, vel incerti autoris, vt in decreto Gregoriano notatur. Vbi alia decreta referũtur c. qui mãducat. c. vbi pars. vbi Hilarius Papa, dicit figurã huius mysterij præcessisse in manna, de quo dicitur, *Qui plus collegerat, nõ habuit amplius, neque qui minus parauerat, habuit minus: non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis.* Vnde Basil. in epist. ad Cæsareã Patritiã. *Idem est*, inquit; *virtute, siue vnam partem quis accipiat, siue plures*, & Euseb. Emissen. homil. 5. de paschate. *Eucharistiæ sancta perceptio non in quantitate, sed in virtute consistit: nam corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto*, & alia congerit Canisius in Catechismo, titul. de Euch. §. 8. Ratio verò est, quia post huiusmodi diuisionẽ & separationẽ factã, aut Christus desinit omnino esse sub illis partibꝰ diuisis, aut pars corporis eius sub vna specie, & pars sub alia, aut totus Christus sub singulis: primum & secundum dici non possunt: ergo necessariò dicendum est tertium. Probatur prima pars minoris, primò ex facto Christi iuxta probabilẽ opinionẽ asserentẽ, prius cõsecrasse, posteà fregisse, quod saltẽ in speciebus calicis, videtur omnino certũ: nõ enim duodecim calices cõsecrauit; nec in eodẽ calice toties cõsecrationẽ repetiuit, sed vnica cõsecratione eã quãtitatem vini in vno calice cõsecrauit, quę omnibus sufficeret, quibus propterea dixit, *Accipite & diuidite inter vos*: singuli ergo sumẽdo partẽ specierũ à reliquis partibus diuidebãt, & tamẽ verũ Christi sanguinẽ sumebãt: ergo per diuisionẽ nõ amittant species cõsecrationẽ sed sub eis diuisis corpus & sanguis Christi manẽt. Hoc etiam confirmat vsus Ecclesiæ, nã in primis in Missa frangitur hostia, & nihilominus post fractionẽ quælibet pars cõsecrata manet: alioqui Sacerdos posteà non acciperet corpus Christi, similiter solet frangi hostia ad cõmunicãdos fideles: reliquiæ etiã, seu minimæ particulæ, quæ interdũ ab hostia consecrata cadũt, & separãtur, magna veneratione seruãtur, aut sumuntur, tanquam Christi corpus cõtinentes. De qua re multa in superioribus ex antiqua traditione adduximus. Ratio denique est, quia dum consecratur hostia integra, omnes eius partes etiam consecrantur: neque enim posset consecrari totum, non consecratis partibus integrantibus ipsum, vt per se constat: sed per solam diuisionem non amittunt partes consecrationem; tum, quia, si in initio ipsius consecrationis diuisio iam facta fuisset, non impediret, quominus fieret omnium illarũ consecratio; ergo nec posteà impedire potest, quominus conseruetur: tum etiam, quia si sub illis accidentibus esset substantia panis, licèt fieret diuisio, sub singulis partibus diuisis conseruaretur panis substantia: ergo etiam conseruatur corpus Christi. Patet consequentia ex quodam principio suprà posito, & probato disputatione 46. tandiu corpus Christi sub speciebus consecratis manere, quandiu sub eisdem naturaliter posset substantia panis conseruari. Altera autẽ pars minoris facilè probari potest ex dictis in secundo puncto: quia, nec corpus Christi potest esse in partes diuisum, neque etiam posset reddi ratio ob quam magis vna pars esset sub vna parte speciei, quàm alia, quod euidentius constabit ex sectione sequente: hoc enim pendet ex his, quæ ibi dicemus, ita enim manet Christus in partibus diuisis specierum, sicut antea erat in eisdem coniunctis.

Trident. *Florent.* *Basilius.* *Euse. Emis.* *Canisius.*

Dubium.

Solùm potest hic oriri dubium, si pars aliqua specierum tam minima separaretur, vt sub ea non posset naturaliter substantia panis & vini conseruari. Quæ res pendet ex alia philosophica quæstione, an huiusmodi entia naturalia homogenea terminẽtur ad minimum: nam supposita opinione hoc affirmante, rectè dicetur consequenter, sub tali particula non manere Christi corpus: neque hoc repugnat superius dictis, quia illa particula propriè non esset pars specierum panis: supponendo autem, vt fortasse verius est, non dari terminum minimum in huiusmodi rebus. Maior in 4. d. 11. q. 3. adhuc docet posse separari tam minimã particulam specierum, vt sub ea nõ possit conseruari corpus Christi, quanuis posset cõseruari substãtia panis, vt, verbi gratia, si tam sit minima, vt nullo sensu percipi possit. Sed hæc sentẽtia est falsa, & præter generalem doctrinã fidei, seu quædam exceptio eius sine fundamento: nam illud de perceptione sensus, est valde per accidens: nam satis est, quòd illa res sit per se, & natura sua sensibilis, de qua re dictum est suprà disp. 43. sect. 7.

Maior.

SECTIO II.

Vtrum sit totus Christus sub singulis partibus inter se continuis.

1. Sententia. *Altisiod.*

PRima opinio est, in vna hostia integra semel tantùm esse totum Christum, & partibus hostiæ, nõ totũ corpus, sed partes eius respõdere. Tribuitur Altisiodorẽsi lib. 4. summæ tract. 5. c. 4. sed excusari posset, quia solùm dicit, ante fractionẽ per se esse Christum in toto, & nõ in partibus, post fractionem verò per se etiam esse sub singulis partibus diuisis. Hanc verò opinionem planè supponit Albertus in 4. d. 13. art. 11. nõ enim ꝓbat, ante diuisionem non esse totum Christum sub singulis partibus specierum, sed id potius supponit, & rationem inquirit, cur post diuisionẽ sit totus in singulis partibus, & non affert aliam rationem, nisi quia ante di-

uisionem solùm significatur Christus per species cõtinuas per modum vnius cibi, & ideo semel tantùm est sub illis, post diuisionẽ verò significatur vt plures cibi, & ideo oportet, vt pluries etiam sit sub talibus speciebus. Confirmari hoc potest, quia hoc satis est ad veritatem formæ, & ad omnem doctrinã fidei: non enim sine causa Concilia suprà citata addunt illam particulã, *separatione facta*; & alioqui hoc modo fit hoc mysterium facilius, & intelligibilius: quia non cogimur dicere corpus quantum esse totum in toto, & totum in qualibet parte absque vlla extensione in ordine ad locum, quod in hoc mysterio est difficillimum intellectu.

2. Sententia. *Alens. Bonauen. Gabr.*

Secunda sententia est, ante diuisionem esse Christum in toto, & totum in singulis partibus, quæ tantam habent quantitatem, vt si separarentur à toto, posset in eis conseruari substantia panis, in illis verò partibus minimis semel tantum esse Christũ totum in toto, & partem in parte minore minima separabili. Tribuitur Alexã. Alens. 4. p. q. 40. memb. 3. art. 5. & Bonauen. in 4. d. 10. art. 1. q. 1. ad argumẽta, Gab. lect. 80. in Can. dub. 2. in fine: qui dicũt, totum Christi corpus non esse infinities in hoc sacramẽto, sed in aliquo numero finito: quia minima, ex quibus cõstat tota hostia, sunt in aliquo numero finito. Et ita hæc opinio in eo, in quo cũ præcedente cõuenit, habet idẽ fundamentũ: nam excusat prædictum incõueniens, & non admittit, corpus absolutè esse totũ in toto, & in qualibet parte: neq; ꝙ sit omnino inextẽsum in loco. Quoad id verò, in quo hæc sententia differt à præcedente, fundari potest, quia in ea parte, sub qua totus Christus potest post separationem conseruari, est etiam totus ante separationem: quia separatio non mutat consecrationem, vt dicemus: sed potest totus conseruari in parte minima separata: ergo. Et hinc etiam potest altera pars probari, quia sub ea parte, sub qua non potest totus Christus conseruari post separationem, neque etiam est totus ante separationem propter eandem rationem. Et præterea, quia ibi non potest esse substãtia panis per modum totius: ergo neq; etiam est, cur ibi sit totus Christus. Sed hæc sententia in eo, in quo à præcedente differt, supponit falsam philosophicam sententiam de minimo naturali in homogeneis: & adhuc, illa supposita, nõ est verisimilis, tum quia illa minima possunt infinitis modis designari, præsertim in pane & vino, quæ homogenea sunt: quia illa minima inter se communicant in partibus, quæ omnes sunt eiusdẽ rationis. Vnde nõ potest assignari ratio, cur totus Christus sit potius in hoc minimo, quã in illo, seu in tot minimis designatis hoc modo, potius quàm alio, tum maximè, quia quãdo diuiditur hostia, possunt diuidi illa minima, quia pars minimi cõseruari potest alijs vnita: imò semper necesse est, vt aliquod minimũ diuidatur secundũ aliquam designationẽ. Finge etiam hostiam cõstare tribus, aut quinque minimis, & diuidi posteà in partes æquales: conseruabitur ergo posteà corpus Christi in tota illa quantitate ex minimo & dimidio constante, quia in tota illa substantia panis cõseruaretur: si ergo in vno minimo est semel totũ Christi corpus, quomodò erit sub alia dimidia parte minimi. Itaque hæc posterior opinio incidit in omnes difficultates prioris opinionis, & auget præterea multas, quibus satisfacere non potest: nam contingere sæpè potest, vt fractio hostię fiat, diuidendo illa minima in quibus iuxta hãc opinionem corpus Christi est totum in toto, & pars in parte: quare necesse erit, aut post diuisionem Christi corpus secundum aliquam partem esse sub aliqua parte specierum absque integritate & coniunctione aliarum partium suarum, vel certè ratione diuisionis mutare totum modum existendi, quem in illis minimis habebat; & adhuc hoc non satis erit, quotiescunque hostia, quæ manet integra, non constat præcisè ex tot minimis, sed prætereà includit aliquam quantitatem minorem minima: quia dici nõ poterit, quomodò in illa sit corpus Christi. Supposita ergo aliqua extensione corporis Christi sub speciebus consecratis, minus verisimiliter loquitur hæc sententia, quàm præcedens.

Christus in quibuslibet partibus hostiæ cõsecratæ quantũuis exiguis, totus existit.

Dicendum verò est, ante diuisionem specierum sacramentalium totum Christum esse in tota quantitate, & totum sub singulis partibus, quantumuis minimis, & eiusdem quantitatis. Hæc est sententia communis Theologorum: tenet D. Thom. hic, Scotus, Richar. Palud. Maior, & alij in 4. d. 10. Marsil. q. 7. art. 1. Henric. quodlib. 1. q. 5. Ægid. quodl. 1. q. 4. Heruæus quodl. 1. art. 3. Gab. lect. 43. in can. & idẽ sentit Hugo Victor. lib. 2. de sacram. p. 8. c. 11. Innoc. lib. 4. de hoc myster. c. 8. Fauet Conci. Trid. nam licèt can. 3. addat particulam illam, *separatione facta*, tamen c. 3. vbi eandem tradit doctrinã, illam omittit, simpliciterq; dicit, *Totus & integer Christus sub panis specie, & sub qualibet ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Fauent deniq; varia decreta citata ex d. 2. de cõsecr. in quibus hæc veritas absolutè, & sine prædicta limitatione docetur: & præsertim prædictũ cap. vbi pars, ibi enim generatim dicitur, totum Christi corpus adesse, vbi est pars eius: sed ante diuisionem sub qualibet parte specierum est aliqua pars corporis Christi: ergo ibidem est totum Christi corpus.

S. Thom. Scotus. Richard. Palud. Maior. Marsil. Henricus. Ægidius. Heruæus. Gabriel. Hugo. Triden. Scotus.

Rationes autem huius veritatis variæ tradũtur. Prima potest sumi ex dictis suprà disputatione 48. quia Christum existere hoc modo in sacramento, non est impossibile, vt ibi ostensum est: quia extensio in ordine ad locum est omnino extra rationem quantitatis, & posterior illa, atque adeo separabilis ab illa: de quo latè Scotus distinct. 10. quæst. 1. vbi varias rationes congerit, quæ hoc, ad summum, suadent; non tamen hoc sufficit ad inferendum quod intendimus: quia etiam fuit possibilis alius modus, quem prima sententia docet, vt ex dictis in eadem disputatione constare potest. Et ideo addendum vlterius est, hoc non solùm esse possibile, sed etiã decentius, magisque consentaneum principijs fidei. Hoc autem probatur, quia aliàs Christus esset extẽsus in ordine ad locum sub minori, & homogenea quantitate; hoc autem fieri non potuit conueniente ac decente modo: ergo. Sequela per se constat ex declaratione aliarum opinionum, quia nihil aliud est esse extensum in ordine ad locum, quàm habere totam quantitatem in tota quantitate loci, & partẽ in parte: minor verò probatur, quia, si magna quantitas corporis est sub minima quantitate specierum, necesse est, quòd aliquæ partes corporis Christi sint per condensationem aut penetrationem ad eundem locum redactæ, licèt aliæ inter se loco distent: quia aliàs impossibile esset, maiorem quantitatem in minimo spatio collocari: sed solùm in adæquato, quod natura sua apta est occupare: non enim alia dè causa illud naturaliter occupat, nisi quia tot partibus æqualibus constat, & quælibet earum nata est occupare tantum locum distinctum à loco alterius;

Universidad de Deusto
Biblioteca

si ergo totum hoc integrè seruatur, impossibile est, grande corpus ad minus spatium reduci: necesse est ergo, vt partes aliquæ illius corporis, vel condensentur, vel in eodem spatio penetrentur. Primum autè horum, scilicet, condensatio; repugnat incorruptibilitati corporis Christi, & naturali disputationi eius: secundum autem etiam includit imperfectionem; nam cogitur contraria opinio admittere id, quod vitare intendebat, nimirum, quòd partes corporis quanti inter se loco non distent, & alioqui hoc ipsum fieri dicit modo maximè materiali & imperfecto. Atque idem argumentum fieri potest, si ponamus, fieri consecrationem vnius panis maioris quantitatis, quã sit corpus Christi: vt enim corpus Christi totam illam quantitatem occupet per vnam tantùm præsentiam extensam, necesse est, aut corpus ipsum Christi rarefieri in se, aut aliquas partes eius constitui in pluribus locis partialibus, & sibi adæquatis: aliter enim concipi non potest. Accedit, q cùm species panis sint homogeneæ, & nullam habeant determinatam figuram, sed possint esse, vel circulares, vel angulares, &c. corpus autem Christi sit eterogeneum, & determinatæ figuræ, fieri nõ potest, vt secundum commensurationem & extensionem localem adæquatè sibi respondeant, nisi corpus Christi, seu aliquæ partes eius in se mutẽtur, & indecente modo constituantur, vt possit totum ad figuram circularem adæquatè redigi, aut, vt possit plures angulos panis implere, & alia huiusmodi. Possunt etiam hic afferri incommoda suprà illata de varijs positionibus corporis physici in ordine ad locum, & de sitibus indecentibus, &c. Denique si hoc dicatur, nulla potest reddi ratio, cur vna pars corporis Christi sit potius in hac parte specierum, quam in alia, aut cur partes quædam corporis inter se penetrentur, & non aliæ, sed totum reuocandum erit ad Christi beneplacitum.

Secunda ratio principalis sumi potest ex dictis sectione præcedente; nam post diuisionem Christus totus est in singulis partibus: ergo ita erat ante diuisionem: sed, licèt diuisio procedat in infinitũ, semper totus Christus erit in quibuscunque partibus diuisit: ergo etiam ante diuisionem totus Christus est in singulis partibus, quæ in infinitum diuidi possunt: probatur vtraque consequentia, quia sola separatio non mutat consecrationem, nec constituit corpus Christi, vel aliquam partem eius, vbi anteà non erat. Atque idem argumentum è contrario fieri potest de continuitate: nam contingit, duas species cõsecratas in duplici calice, in vno coniungi & copulari; prius autem erat totus Christus in singulis illis speciebus: ergo & posteà, nam propter solam continuationem non amittit Christus præsentiam, quam antea habebat, nec mutat illam. Respõdere quis potest, separationem esse conditionem, sine qua non, vt Christus habeat repetitam præsentiam in speciebus; sed hoc est merè gratis & voluntariè dictum: nulla enim ratio huius necessitatis afferri potest. Quod præterea in hunc modum declaratur, nam sumpra hostia integra, potest Sacerdos solam dimidiam eius partem consecrare, vt suprà dictum est: tunc ergo esset totus Christus in illa dimidia parte: ergo, vt sit totus Christus in aliqua parte hostiæ, nõ oportet, vt sit actu diuisa. Rursus posset idem Sacerdos alteram partem denuo consecrare: ergo etiam in illa esset totum corpus Christi: quia hoc etiam exigit veritas formæ: esset ergo totus Christus in singulis illarum partium, quanuis continuis. Idemque argumentum de quibuscunque alijs partibus fieri potest: quia, quod per plures consecrationes intelligitur fieri posse circa eandem materiam continuam, intelligendum est fieri posse per vnam: quia tam efficax est vna forma cadens in totam aliquam materiam, sicut plures, vt patet in pluribus hostijs diuisis, quæ tam efficaciter & integrè vna forma consecrantur, sicut multis, vt ex dictis in præcedente sectione constat.

Vnde adiungi potest tertia ratio, fundata in vero sensu verborum formæ, & ex modo conuersionis, quæ ex efficacia eorum fit ex pane & vino, quæ est materia remota in se homogenea, & eiusdem rationis in omnibus suis partibus. Verba enim æquè cadunt in totam hanc materiam, & in quamlibet partem eius, & vi sua conuertunt illam in corpus Christi: ergo æquè cõuertunt illam totam, & quamlibet partem eius in totum corpus Christi: ergo est totũ corpus Christi in tota illa materia, & in qualibet parte eius. Maior declaratur, nam, quando profero, *Hoc est corpus, &c.* per illud pronomen æquè designo totam hanc quantitatem panis, vt continentem corpus Christi, nec magis designo vnam partem vt cõtinentem caput, quàm pedes, & sic de cæteris partibus: hoc ergo appello, indifferẽter designare totum & partes. Hinc autem probatur prima consequentia (cætera enim omnia clara sunt) primò, quia non est maior ratio, cur vna pars substantiæ panis conuerta tur in hanc partem corporis Christi potius, quàm in aliam, verbi gratia, in caput potius, quàm in pedes, &c. Neque hoc potest ex intẽtione ministri determinari, vt per se manifestum est: absurdum est autem expectare semper, vt à Deo determinetur, cùm effectus sacramentorũ ex institutione certi debeãt esse & definiti. Secundò, quia sacramentorum effectus significationi respõdent, ac proportionati sunt; species autem sacramentales significant Christum, quem continent, & quælibet pars speciei sic indifferenter significat quamlibet partẽ corporis Christi, seu Christum ipsum, qui est panis vitæ: ergo indifferenter continent quamlibet partem, vel potius totũ corpus Christi: atque idem argumentũ fieri potest ex parte formæ, vt dicebam: nam illud pronomen, *Hoc*, indifferenter indicat totam hostiam, & partem eius, sicut, qui profert eandem formam super plures hostias, indifferenter indicat singulas, & earum aggregatum: sicut ergo quoad hoc est eadem ratio de partibus hostiæ continuis, vel disiunctis, ita etiam quoad hoc, vt Christus sit in toto, & in qualibet parte, tam continua, quàm disiuncta.

Quarto loco addi potest ratio, qua hic D. Thomas vsus est, eamq; Scotus, Gabriel, Ocham, & Aureol. impugnãt, defendunt autem Capreolus d. 10. q. 2. & ibi Sotus, & Caiet. & Ferra. 4. contra gent. c. 67. hic, eiusque expositionem ex commentario huc remisi, quæ ex ratione proximè præcedente pendet. Est autẽ hæc summa rationis D. Thomæ. In Eucharistia est per se, & ex vi verborum substantia corporis Christi, quantitas verò solùm ex reali concomitantia: ergo totum Christi corpus est in hoc sacramento ad eum modum, quo substantia est sub dimensionibus quantitatis, & non ad eum modum, quo dimensiones quantitatis sunt in loco: sed natura substantiæ tota est sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte suarũ dimensionũ: tota enim natura panis est sub qualibet parte specierum panis: ergo totum

Capreol. Sotus. Caietan. Ferrarie.

tum Christi corpus est ad eundem modum sub dimensionibus panis tam continuis, quàm diuisis: est ergo totum sub qualibet parte earum. In quo discursu duplex præcipua difficultas occurrit. Prima est circa illã consequentiã, substantia est hic ex vi verborum, quantitas per concomitantiam: ergo Christi corpus est hic per modum substantiæ, & nõ per modum quantitatis: hæc enim consequentia, nec à D. Thoma probatur, nec per se nota est ex parte materiæ, & si ad syllogisticam formam reuocetur, fundata est in hoc principio, quòd quicquid est in hoc sacramento per concomitantiam, non est secundum proprium modum, sed ad modum alterius, quod ex vi verborum est; quod tamen videtur falsum, vt patet inductione, nam Verbum hic est per concomitãtiam, & tamen non propterea est ad modum substãtiæ corporeæ, & è contrario substantia corporis est ex vi verborum, & tamen non est naturali modo, sed in Verbo. Item anima est per concomitantiã, & nihilominus est secundum modum suum, scilicet, spirituali modo. Item ratione patet, quia quantitatẽ esse per concomitantiam, nihil aliud est, quàm naturaliter resultare seu comitari substantiam corporis Christi, ad quam per se terminatur conuersio, quæ sit virtute verborum: sed hinc non sequitur, debere quantitatem priuari suo effectu formali, aut proprietate cõnaturali, vt patet in simili forma: nam etiam in creatione substantia corporis, vel materia per se terminat creationem, quantitas autem etiam fit ibi per concomitantiam: concreatur enim, & resultat ex materia, seu tota substantia corporea. Ac tandem quanuis hic esset quantitas ex vi verborum, vt si cõsecratio fieret his verbis, *Hoc est corpus meum, sua quãtitate affectum*, nihilominus posset corpus Christi esse totum in toto, & totum in qualibet parte per cõuersionem factam virtute talium verborum: nõ est enim dubium, quin posset esse hæc Christi institutio, imò hæc esset magis accõmodata mysterio, & significationi specierum, & ipsius formæ: è contrario verò, quanuis quantitas sit per cõcomitantiam, & transubstãtiatio fiat per eadẽ verba, per quæ nũc fit, potuisset corpus Christi nõ esse hic totum in toto, & in qualibet parte, sed cum aliqua extensione, prout altera opinio affirmat: illud enim, quanuis de facto ita non sit, tamen non implicat contradictionem, sed ex institutione pendet: ergo principium illud, quòd quantitas hic sit per concomitantiam, insufficiens est, & impertinens ad inferendum, totum Christi corpus esse in qualibet parte.

Secunda difficultas est circa posteriorem partem rationis D. Thomæ, de modo existendi substantiæ sub dimensionibus: fit enim transitus æquiuocus à natura substantiæ ad substantiæ entitatem, quæ valde diuersa sunt: sub quantitate enim substantiæ materialis, & sub qualibet parte eius dici potest esse tota natura, seu essentia talis substantiæ, & adhuc hoc non videtur vniuersaliter verum, sed tantùm in substantijs homogeneis: sic enim quælibet pars panis est panis, & pars vini est vinum, & ideò dicitur tota natura talis substantiæ esse sub qualibet parte dimẽsionum: in eterogeneis autem non ita est: non enim pars quælibet hominis est homo: loquendo autem de entitate substantiæ, etiam in homogeneis, nõ ita contingit, quòd tota entitas substantiæ sit sub qualibet parte dimensionum, vt planè constat in pane: nam, licèt pars dimensionum eius corrumpatur, nõ corrumpitur tota substãtia panis, quoad entitatem eius, quanuis corrumpatur aliquid eius: non ergo tota entitas eius erat sub qualibet parte dimensionũ: neque hic modus existendi est connaturalis aut debitus substantiæ, hoc solo q, substantia est, sed substantia spiritualis hoc habet ex se, quia spiritualis est, & partibus caret: materialis autem, quatenus materialis est, non postulat talem modum existendi, sed potius postulat natura sua, vt non sit tota entitas eius, vbi est pars eius, quanuis ad hunc effectum obtinendum postulet etiam quantitatem: in præsente autem corpus Christi, in quod fit conuersio, non succedit substantiæ spirituali, sed materiali substantiæ panis, cuius entitas non tota erat in qualibet parte dimensionum, neque hunc modum existendi natura sua postulabat: ergo licèt corpus Christi illi succedat, non erit tota entitas eius sub qualibet parte dimensionum panis.

Omittò alia argumẽta, quæ prædicti discipuli D. Tho. referunt, & solutiones eorũ. Et respondeo breuiter, rationem D. Thomæ non esse sumendum, vt absolutè & per se demonstratiuam: in his enim mysterijs, quæ ex voluntate, & omnipotentia Dei pendent, huiusmodi rationes petendæ non sunt: est ergo conuenientissima ratio ad explicandam institutionem, quæ facta est, & rationẽ eius. Ad hoc ergo sumitur illud principium, quantitatem esse hic per concomitantiam, & non ex vi verborum; non quia hoc sit simpliciter necessarium, vt totũ Christi corpus sub qualibet parte specierum constituatur, nec quia hoc ex illo necessariò consequatur, sed quia illo supposito, facilius intelligitur, quantitatem accõmodari substantiæ, & non è conuerso, & ita facilè patet responsio ad priorem difficultatem. Circa posteriorem verò explicare oportet, quid sit, esse per modum substantiæ; argumenta enim supponunt, hunc modum esse modum præsentiæ localis, quem substantia ex natura sua postulat: sed non est hic sensus D. Thomæ; & ideò difficultas procedit ex falso fundamento. Corpus igitur Christi esse hic per modum substantiæ, nihil aliud est, quàm recipere modum præsentiæ, proportionatũ naturæ substantiali panis: nam, quia corpus Christi succedit substantiæ panis, & natura panis talis est, vt æquè sit tota in toto, & tota in qualibet parte suarum dimensionum, ideò rectè D. Thom. colligit, totam substãtiam corporis Christi debere esse sub qualibet parte dimensionum panis: quia substãtia Christi incipit esse hic ex vi conuersionis panis in ipsam, quam verba ita efficiunt, vt absolutè indicent totũ corpus, & nihil aliud requirant, quàm panem, vt ex illo Christi corpus efficiãt. Nulla est ergo æquiuocatio in discursu D. Thomæ: non enim est necesse, vt tota entitas panis sit sub qualibet parte suarum dimensionum, sed solùm, vt tota nrtura panis sub illa sit; quia conuersio in totum corpus Christi per se non requirit tantam entitatem panis, sed simpliciter panem; quem cùm verba reperiant sub qualibet parte dimensionum, ibi totum Christi corpus constituunt, quod absolutè & indifferenter indicãt. Igitur (vnico verbo) corpus Christi esse per modum substantiæ est, esse ad illum modum, quo natura substantialis præexistens sub illis dimensionibus erat. Quòd autem Christi corpus hunc modum habeat, colligendum est ex modo conuersionis, quem ipsa verba indicãt; est enim magis consentaneus significationi eorum, & ipsius materiæ, vt in superioribus declaratũ est. Quòd verò quantitas ipsius corporis Christi non

impediat talem modũ existendi ipsius corporis sub speciebus panis, sed potius induat: & participet illũ, optimè declarat D. Thomas ex eo, ꝙ verba per se primò, & ex institutione sua ad hoc tendunt, vt substantiam corporis Christi loco substantiæ panis, & modo accommodato naturæ illius, sub eius speciebus constituant, quantitatem autem solùm concomitanter ponunt, & ideo, si naturalis, ac proprius modus quantitatis, repugnat cum modo sacramẽtali, quem verba requirunt in substãtia corporis Christi, non debet substantia propter quantitatem hoc modo priuari, sed potius è contrario naturalis modus quantitatis impediri debet propter substãtiam. Quocirca, licèt necessarium non sit, vt id, quod est in hoc sacramento per cõcomitantiam, suo naturali modo priuetur, erit tamen hoc necessarium, quando modus connaturalis rei impugnat cum sacramentali modo, quem verborum forma, seu actio transubstantiandi in suo primario termino requirit; neque hinc explicatur melius fundamentum rationis Diui Thomæ, magisque declaratur, & expeditur prior difficultas.

Sed quæres, quàm sit certa sententia & assertio à nobis confirmata. Bonauentura suprà solùm dicit esse probabiliorem, & vtiliorem ad fidem defendẽdam. Alensis autem dicit esse veram & sanã doctrinam: sed hi duo autores non loquuntur de existentia totius corporis Christi in omnibus partibus hostiæ simpliciter, sed in qualibet parte minima: quo sensu, vt dixi, eorum opinio, non solùm nõ est vera & sana doctrina, sed inter omnes opiniones est minus probabilis: alij ergo existimant sententiam à nobis cõfirmatam esse de fide, vt Ledesma hic q. 17. artic. 3. dub. 4. & Palacios in 4. d. 10. disp. 1. concl. 1. Sed argumẽta, quæ proferunt, vel solùm probãt de partibus actu diuisis, vel, ad summũ, cõuincunt esse conclusionem valde conformẽ principijs fidei. Itaque non existimo, tam esse tam certam, vt cõtraria sit hæresis: non enim sine causa Concilia, Florent. & Triden. in propria & expressa fidei definitione addiderunt illam particulam, *separatione facta*, sed illam planè addidisse videtur, vt à definitione fidei abstinerent seu, vt definitionem suam limitarent. Vnde non placet etiam, quod Soto dixit, tam certum esse, totum Christum esse sub qualiber parte specierum ante diuisionem sicut post, nam oppositum colligitur ex prædictis Cõcilijs & ex antiquis Theologis, qui non censuerunt contrariam sententiam hæreticam, post quorum tempora non est expresse dãnata vt hæretica, neque contraria de fide definita: est ergo conclusio nostra Theologicè tam certa, vt cõtraria sit, vel erronea, vel errori proxima, vt hoc ꝓbãt omnia, quæ adduximus, & Conc. Trid. doctrina.

Ledesma. Palacios. Florent. Trident. Sotus.

Respõsio ad arg. primæ & secundæ sententiæ.

Ad fundamenta ergo primæ sententiæ respondetur; & in primis ad rationẽ Alberti, ꝙ licèt per species continuas repræsentetur Christus per modum vnius cibi, non tamen repræsentatur, & extensus, sed potius vt indifferenter existens in toto, & in partibus: neq; enim vnitas cibi repugnat huic modo præsentiæ; sicut etiã corporis humani vnitas seu continuitas indicat vnam animam, non tamen propterea indicat illã, vt extẽsam: potest enim esse vna & tota in toto, & tota in qualibet parte. Ad confirmationẽ negatur, alium modum sufficere, aut aptiorem esse ad doctrinam fidei declarandam, vt satis à nobis demonstratum est. Ad fundamenta secundæ opinionis ferè eadem est responsio, præterquàm ad

A illud inconueniens, ꝙ corpus Christi esset infinities repetitum in eadem hostia, responsum est enim in superioribus cum D. Thoma in 4. d. 10. q. 1. arti. 3. quæstiunc. 3. ad 1. Christum semel esse in actu sub tota quantitate specierum, in potentia verò esse infinities in singulis partibus, quod nullum est inconueniens, quia sicut partes continui sunt infinitæ, ita possunt esse & partiales pręsentiæ, vt patet etiam in anima, quatenus tota in qualibet parte corporis existit: vocatur autẽ hæc infinitas in potentia, nõ quia Christus totus non sit re vera actu præsens singulis partibus, sed quia partiales illæ præsentiæ, licèt sint totales ex parte subiecti, sunt partiales ex parte spatij seu quantitatis panis, & actu sunt inter se vnitæ, vnamque integram præsentiam componunt. Et fortasse Alexander, Bonauentura, & Gabriel in re non dissentiunt, sed in modo loquendi: nam Gabriel B cõcedit esse Christum in hostia infinities syncategorematicè; & alij dicunt, præsentias Christi in hostia tantùm esse finitas in potentia, quia per diuisionem specierum solùm possunt fieri præsentiæ in actu plures, vsque ad certum numerum finitum, scilicet vsq; ad tot minima, quot sunt in hostia: quia, si vlterius procedat diuisio, non conseruabitur ibi præsentia corporis Christi in minoribus partibus, aut in maiori numero præsentiarum: non tamen negant hi autores, quandiu illæ minores partes sunt in toto, in eis esse totum Christum, & consequenter, saltẽ per designationem, negare non possunt, quin in illis sit totus Christus infinities in potentia, & hoc satis est ad mysterij veritatem: & in hoc sensu illa opinio Alensis in Theologia non continet errorem, sed solùm pendet ex falso philosophico principio de C termino quantitatis quoad minimum in rebus homogeneis, quod nos non admittimus. Ex quo etiam facilè respondetur ad vltimam rationem illius secundæ opinionis, negatur enim esse in pane aliquã partem, sub qua ab alijs diuisa non possit substantia panis, & consequenter præsentia etiam Christi, conseruari: tamen, hoc etiam dato, negatur consequentia, quia licèt illæ partes per se non sufficiant, vt in eis separatis sit totus Christus, vel tota entitas panis, tamen quando sunt in toto, sicut sufficiũt, vt in eis sit tota natura seu essentia panis, ita etiam, vt sit in eis totus Christus: quia propter modum conuersionis, & propter altiorem modum præsentiæ, quem habet, non potest esse præsens secundum partem, sed secundum se totum: sicut in corpore humano est aliqua pars minima, in qua separata non potest anima conseruari, tamen quandiu illa est in toto, necesse est, vt tota anima in illa sit propter modum D entitatis, seu præsentiæ, quem habet: sic ergo de corpore Christi philosophandum est.

SECTIO III.

Utrum totum Christi corpus sit in terminis, seu punctis indiuisibilibus specierum panis.

1. Opinio negat. Albert. Scotus. Richard. Ægidius.

PRima sententia negat, quam consequenter tenet Albertus in 4. d. 13. art. 10. ex autoribus verò, qui tenent, Christum esse in singulis partibus cõtinuis, tenẽt hoc Scotus d. 10. q. 9. d. 11. q. 4. paulò ante solutiones argumẽtorũ, Richard. d. 10. art. 6. q. 2. AEgid. Theorem. 11. & 20. de Euchar.

Duobus autem modis potest hæc opinio fundari, & defendi. Primo, si negentur hæc puncta indiuisibilia esse aliquid positiuum in rerum natura existẽs affirmando, præter partium quantitatẽ solùm addere negationem quandam: hoc enim supposito, manifestum est, nec totum Christi corpus, neque aliquid eius, esse sub huiusmodi punctis: nam Christus solum est, vbi aliquid substantiæ panis fuit, vel saltem vbi manet aliquid quantitatis panis: si ergo pũctũ nihil est quantitatis panis, sed potiùs dicit negationem partium eius, non erit ibi Christus, sed potiùs erit etiam negatio corporis Christi. Sed, quãuis in hoc discursu quoad illationem rectè procedatur, tamen fundamentum, vt existimo est in philosophia valde falsum: nam, licèt hæc puncta dicantur esse in potentia, & non in actu, id est ad eum modum, quo partes vnitæ dicuntur esse in potentia in continuo, & nõ in actu, in quibus locutionibus termini illi, *in potentia, & in actu*, sumuntur in ordine ad actualem diuisionem, non in ordine ad actualem existentiam, ita vt esse in potentia, non excludat esse actu in rerum natura, sed excludat esse actu diuisum, & separatum à toto, licèt ergo puncta hoc modo dicantur esse entia in potentia: quia nec separata sunt à toto, nec naturaliter separari possunt, tamẽ negari non potest, quin in ipso toto aliquid entitatis habeant, qua totum ipsum aliquo modo componũt partes eius terminando, aut copulando. Hoc ergo principio supposito, potest aliter citata opinio fundari. Primò, quia videtur impossibile, corpus in se extensum, & magnæ molis cum tota sua organizatione, quantitate, & figura in puncto collocari. Secundò, quia substantia panis non erat in puncto, cũ naturaliter extensa sit: corpus autem Christi solùm succedit, vbi substantia panis erat. Tertiò, quia aliàs posset Sacerdos solum indiuisibile consecrare, vt verbi gratia, si intendat consecrare solam vltimam superficiem, quæ sensibus immediatè obijcitur, aut punctum, in quo hostia perfectè sphærica tangit planum, & similia, quæ videntur absurda. Quartò, quia aliàs, quoties frangitur hostia, sicut corrumpitur vna linea, vel superficies continuans, & resultãt duæ terminantes: ita Christi corpus amitteret præsentiam, quam habebat in priori superficie, & acquireret duplicem similem in duabus superficiebus, quod repugnare videtur superiùs dictis: quia propter solam separationem, nec præsentia mutatur, nec noua fieri potest, nisi per consecrationis verba. Et argumentum simile fieri potest, quando è contrario species consecratæ, priùs diuisæ, continuari incipiunt.

Totum Christi corpus est in indiuisibilibus, quantitatem terminantibus, & continuantibus. Capreolus. Sotus.

Dicendum nihilominùs est, totũ Christi corpus & sanguinem intrinsecè, ac realiter esse in omnibus terminis & punctis specierum sacramentalium, nõ quidẽ per se primò, & adæquatè, sed necessaria quadã consecutione. Ita docuit Capreol. in 4. d 10. q. 4. artic. 3. ad. 2. Scoti, contra 1. concl. & Soto. in 4. d. 49. q. 4. art. 6. ad argumẽtum Durandi, vbi dicit nõ licere Theologo hoc negare. Et declaratur primò exẽplo angeli, vel animę, quo D. Thomas & alij autores in hac materia vtuntur, qui proinde videntur idẽ sentire, quamuis distinctè non explicent. Angelus itaq; cùm præsens adest loco, totus in toto, & in qualibet parte continua quadam pręsentia, necesse est, vt sit etiã totus intrinsecè præsens in singulis pũctis illius spatij, seu loci continui: quia intelligi nõ potest, præsentiam angeli esse in se cõtinuã,

A & vnitam, nisi simili modo respõdeat omnibus partibus, & terminis alterius extremi: sic ergo in præsenti non potest corpus Christi esse continuè præsens toti quantitati panis, nisi aliquid etiã corporis Christi sit intrinsecè & realiter præsens omnibus terminis & punctis illius quantitatis: vbi autẽ est aliquid corporis Christi, ibi est totum corpus, vt sæpe dictũ est. Respõderi potest ex Richardo suprà, dupliciter posse aliquid esse præsens puncto: vno modo intrinsecè, quia est sub illo, vt ita dicã, quasi penetratiuè, & hoc modo non est necesse, id, quod est totũ in singulis partibus, esse etiam totum in punctis, quia nec partes ipsæ hoc modo contingũt puncta. Alio modo potest id cõtingere extrinsecè, quia immediatè ante adest, seu cõtingit punctũ, sicut partes lineæ, quæ immediatè cõtinuantur pũcto, possunt dici esse præsentes illi, & eodem modo corpus B Christi potest dici esse præsens omnibus punctis: quia, sicut indiuisibile additum non facit maius, ita nõ causat distantiã, & ideò, quod est præsens parti immediatæ, potest dici esse præsens pũcto. Sed hoc nõ satisfacit, tũ, quia in adducto exẽplo de angelo, nõ satis est, angelũ esse illo extrinseco modo in singulis pũctis, sed etiã intrinsecè per intimam præsentiã, tum etiã, quia hoc est omnino necessarium, vt ipsa præsentia totius corporis Christi sub speciebus panis sit in se continua, & vnita: habet enim illa extẽsionem quandam, & compositionem partium ex parte spatij, vt suprà dictũ est: oportet ergo, vt partes illæ aliquo communi termino copulẽtur, qui terminus ex parte spatij necessariò futurus est indiuisibilis, alioqui non esset terminus, sed partibus C constaret: ergo ille necessariò respondet & est intimè præsens alicui termino seu puncto specierũ sacramẽtalium: habet ergo ibi Christus intimam & indiuisibilem præsentiã, & cõsequẽter totus ipse ibi adest. Confirmatur ac declaratur: quia, nisi partes ipsius præsentiæ intelligantur sic vnitæ, necesse est, illam præsentiã esse diuisam in omnẽ suã partẽ, quod omnino repugnat: & ideò æquè repugnat, esse totum Christi corpus præsens in omnibus partibus specierum, & non esse intimè in omnibus punctis earũ.

Secundò declaratur exemplo durationis: nam si duratio angeli sine vlla interruptione coexistit tẽpori nostro continuo, necesse est, vt tota sit non solùm in omnibus partibus nostri temporis, sed etiã in instãtibus eius, nec potest mente concipi, quòd duratio angeli coexistat omnibus partibus eius, & non etiam instantibus, aut, si alicui nõ coexistit, necesse est, vt saltẽ in illo interrumpatur duratio, ita D vt in illo verũ sit dicere, angelũ non esse: idẽ ergo est in præsentia locali: est enim omnino eadem proportio quoad hoc, quòd, sicut duratio angeli sine interruptione perseuerat, quandiũ tẽpus cõtinuè discurrit, ita corpus Christi, seu pręsentia eius cõtinuè diffunditur per totam quantitatem continuam specierũ panis. Atq; hoc ipsum ex solutionibus argumentorum magis constabit.

Respõdetur ad argumenta 1. opinionis.

Ad primam ergo rationem alterius opinionis negatur, esse impossibile, corpus quantum in indiuisibili puncto collocari, quin potiùs impossibile est, Christi corpus esse totum in toto, & in qualibet parte absque propria penetratione & extensione in ordine ad locum, quin sit etiam in punctis, seu terminis, quibus partes specierum sacramentalium continuãtur: quomodò autem hoc possibile sit, superiùs in disput. 48. fuse tractatum est. Ad secundũ argu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentũ respondetur, potiùs illo concludi contrariũ nam, si quantitas corporis, vt sit continua, indiget his terminis indiuisibilibus, necesse est, vt in ipsa substantia seu materia, aliqua indiuisibilia substantialia illis proportionata respondeant, vt declarari potest applicando rationem factam, quia substantia materiæ existens sub quantitate, adæquatè est illi coextensa, & altera alteri ad inuicem est intimè, & continuè præsens: ergo necesse est, vt, vbicunque est aliquid quantitatis, qualecunque illud sit, aliquid etiã materiæ proportionatè respondeat. Et confirmatur primò, quia, præcisa quantitate, posset intelligi & cõseruari substantia materiæ, in qua, vt suprà dixi, necessariò manerent omnes partes entitatiuæ, quæ antea præfuissent: quia illæ, cùm sint distinctæ, non possunt in eadem coalescere indiuisibilem entitatẽ: manerẽt ergo partes entitatiuè distinctæ, & non inter se omnino diuisæ (quia non est posibile, manere continuum diuisum in omnem suam partem) ergo vnitæ proprijs substantialibus terminis, quia illa vnio non esset per modum actus & potentiæ, sed per modũ integritatis entitatiuæ, proportionatæ integritati quantitatis. Cõfirmatur secundò, quia cũ quãtitas secundum se totam sit accidens substantiæ, necesse est, vt ex parte substantiæ correspondeat aliquid substãtialiter & entitatiuè indiuisibile, quod sit proportionatum subiectum indiuisibilium quãtitatis: sicut è contrario, quia albedo continuè extẽditur, & subiectatur in superficie, necesse est, vt indiuisibilibus quantitatiuis ipsius superficiei respondeãt in albedine aliqua indiuisibilia talis qualitatis, quæ in alijs recipi posint. Hoc ergo principio supposito, sequitur, aliquod indiuisibile materiæ panis præfuisse sub indiuisibilibus terminis quantitatis eius, & consequẽter aliquod etiam indiuisibile formæ substantialis panis: quia talis forma extensa est, & continuè diffusa per totã materiam, quia nihil in materia intelligi potest, quod in pura potẽtia maneat sine substãtiali actu proportionato: præfuit ergo aliquid substantiale panis sub indiuisibilibus terminis quãtitatis, quod post factã transubstantiationem non manet, sed illi termini quantitatis sine proprio subiecto relinquuntur: ergo succedit sub illis corpus Christi, in quod conuertitur illud indiuisibile substantiæ panis, quod sub eis erat, quidquid illud sit, siue illud vocetur substantia, siue initiũ aut terminus substãtiæ: hoc enim spectat ad modũ loquẽdi, & ad præsens institutũ parũ refert hoc vel illo modo loqui: nã, si panis vocetur, apertè sequitur conuertendũ fuisse in corpus Christi, si autẽ solùm appelletur terminus substantialis panis, dicẽdũ est, consecutione quadam, & quasi per concomitantiam, conuerti in corpus Christi: quia nec possunt partes omnes substantiæ panis conuerti sine suis terminis substantialibus, nec potest huiusmodi terminus conuerti in aliquid corporis Christi, quin ibi adsit totum. Ad tertium posset aliquis concedere sequelam, quia nihil contradictionis in eo casu inuoluitur. Quòd si fortasse videtur esse incõueniẽs, etiam casus ibi excogitatus est moraliter impossibilis, & satis indecens. Meliùs verò negatur simpliciter sequela, quia, vt dixi, Christus non est per se in his indiuisibilibus, sed quasi per concomitantiam, & ideò ablato eo, quod est per se, necesse est, quod concomitatur, auferri: sicut enim substantia materialis intrinsecè postulat suam extensionem, & non habet indiuisibilia, nisi propter integritatem, & cõtinuitatem in ipsa extensione: ita hæc Christi præsentia intrinsecè & per se postulat extensionem in speciebus panis, in indiuisibilibus autẽ tãtùm est propter integritatem ipsius præsentiæ: quapropter in solis illis esse non potest, saltem secũdùm præsentem institutionem. Ad quartum respondetur, nullũ esse inconueniens, mutata separatione seu continuatione specierum, sicut mutantur termini ipsarũ specierum, ita etiã mutari, aliquo modo, præsentiam Christi quoad terminos suos: quia hoc intrinsecè, & ex natura rei sequitur ex illa separatione, vel continuatione, neque hoc est propriè mutare præsentiã, sed præsentiæ terminum, & ita hoc non repugnat superiùs dictis, vbi agebamus de præsentia simpliciter, vel per se, quæ absolutè non pendet à continuitate, vel diuisione specierum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod nõ tota quãtitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento. Dictum est enim, quod totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ cõsecratæ. Sed nulla quantitas dimensiua tota cõtinetur in aliquo toto, & in qualibet parte eius. Ergo est impossibile, quod tota quãtitas dimensiua corporis Christi contineatur in hoc sacramento.

[*4. d. 10. ar. 2. q. 3. & 4. & d. 13. q. 1. art. 2. q. 1. corp. 4. & cõ. c. 63. 64. & 67. Et quo. 7. ar. 8. cor. Art. præc.*]

¶ 2 Præterea, Impossibile est, duas quãtitates dimensiuas esse simul, etiam si vna sit separata, & alia in corpore naturali, vt patet per Philos. in 3. Metaph. Sed in hoc sacramento remanet quantitas dimensiua panis, vt sensu apparet. Non ergo est ibi quantitas dimensiua corporis Christi. [*Li. 3. tex. 9.*]

3 Præterea, si duæ quantitates dimẽsiuæ inæquales iuxta se ponantur, maior extenditur vltra minorem. Sed quãtitas dimensiua corporis Christi, est multò maior, quã quantitas dimensiua hostiæ consecratæ, secundũ omnẽ dimensionẽ. Si ergo in hoc sacramẽto sit quantitas dimensiua corporis Christi cũ quãtitate dimensiua hostiæ, quantitas dimẽsiua corporis Christi extendetur vltra quãtitatem hostiæ, quæ tamen non est sine substantia corporis Christi. Ergo substãtia corporis Christi erit in hoc sacramento, etiam præter species panis. Quod est inconueniẽs cũ substãtia corporis Christi non sit in hoc sacramento, nisi per consecrationem panis, vt dictũ est. Impossibile ergo videtur, quòd tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc sacramento. [*Art. 1. huius q.*]

SED contra est, quòd quantitas dimensiua corporis alicuius, non separatur secundũ esse à substantia eius. Sed in hoc sacramento

est tota substãtia corporis Christi, vt suprà habitum est. Ergo tota quantitas dimẽsiua corporis Christi est in hoc sacramento. [*Art. præce.*]

RESPONDEO dicendũ, quòd (sicut suprà dictum est) dupliciter aliquid Christi est in hoc sacramẽto. Vno modo ex vi sacramenti, alio modo ex reali cõcomitantia. Ex vi quidem sacramenti, quantitas dimensiua corporis Christi non est in hoc sacramẽto. Ex vi enim sacramenti est in hoc sacramẽto illud, in quod directè cõuersio terminatur. Conuersio autem, quæ fit in hoc sacramẽto, directè terminatur ad substantiam corporis Christi, non autẽ ad dimẽsiones eius. Quod patet ex hoc, quòd quãtitas dimẽsiua panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamẽ substantia corporis Christi realiter nõ diuiditur à sua quãtitate dimensiua, & ab alijs accidẽtibus, inde est, quòd ex vi realis concomitantiæ, est in hoc sacrmento tota quantitas dimẽsiua corporis Christi, & omnia accidentia eius. [*Ar. 1. huius quæst. 1.*]

AD primum ergo dicẽdum, quòd modus essendi cuiuslibet rei determinatur secundũ id, quod est ei per se, nõ autem secundùm id quod est ei per accidens, sicut corpus est in visu, secundùm quod est album, nõ autẽ secundùm quod est dulce, licèt idẽ corpus sit album, & dulce. Vnde & dulcedo est in visu secundùm modum albedinis, non secũdùm modum dulcedinis. Quia igitur ex vi huius sacramenti est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiua eius est ibi concomitanter, & quasi per accidens, ideò quantitas dimensiua corporis Christi est in hoc sacramento, non secundum proprium modum (vt scilicet sit tota in toto, & singulæ partes in singulis partibus) sed per modum substantiæ, cuius natura est tota in toto, & tota in qualibet parte.

AD secundum dicendum, quod duæ quãtitates dimensiuæ nõ possunt naturaliter simul esse in eodem: ita quòd vtraq; sit ibi secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ. In hoc autem sacramento quantitas dimensiua panis est secundum propriũ modum, scilicet, secundum commensurationem quandam, non autem quantitas dimensiua corporis Christi, sed est ibi per modum substantiæ, vt dictum est. [*In corp. ar. & art. 1.*]

AD tertium dicendum, quòd quantitas dimensiua corporis Christi nõ est in hoc sacramento secundũ modũ cõmensurationis, qui est proprius quãtitati, ad quẽ pertinet, quòd maior quãtitas extẽdatur vltra minorem, sed est ibi per modum iam dictum. [*In corp. ar.*]

¶ Hic articulus explicatus est disputatione præcedente, sect. 2. & 3.

ARTICVLVS V.

Vtrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco.

AD quintũ sic proceditur. Videtur, quòd corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco, Esse enim in aliquo definitiuè, vel circũscriptiuè, est pars eius quod est esse in loco. Sed corpus Christi videtur esse definitiuè in hoc sacramento (quia ità est, vbi sunt species panis vel vini, quòd nõ est in alio loco altaris) videtur etiam ibi esse circunscriptiuè: quia ita continetur superficie hostiæ consecratæ, quod nec excedit, nec exceditur. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento, sicut in loco.

[*Inf. arti. 6. cor. & ad 1. & 4. d. 10. art. 1. ad 5. 6. 7. & 8. & art. 3. q. 2. ad 1. & 4. cõ. c. 64. fin. Et quo. 1. art. 22. ad 2.*]

¶ 2 Præterea, Locus specierũ panis non est vacuus (natura enim non patitur vacuũ) nec est ibi substãtia panis, vt suprà habitum est, sed est ibi solũ corpus Christi. Ergo corpus Christi replet locũ illũ. Sed omne, quod replet locũ aliquẽ, est in eo localiter. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter. [*Quæst. præc. art. 1. 2. & 5.*]

¶ 3 Præterea, Sicut dictũ est, in hoc sacramento est corpus Christi cũ sua quãtitate dimensiua, & cum omnibus suis accidentibus. Sed esse in loco, est accidens corporis: vnde & ibi connumeratur inter nouem genera accidentium. Ergo corpus Christi est in hoc sacramento localiter. [*Art. præce. & 3. huius quæst.*]

SED contra est, quòd oportet locum & locatum esse æqualia, vt patet per Philos. in 4. Phys. Sed locus, vbi est hoc sacramentum est multò minor, quam corpus Christi. Ergo corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco. [*Lib. 4. Physic. tex. 30. tom. 2.*]

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut iam dictum est) corpus Christi nõ est in hoc sacramento secundum proprium modũ quantitatis dimensiuæ, sed magis secundum modum substantiæ. Omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quãtitatis dimensiuæ, in quantum, scilicet, commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensiuam. Vnde relinquitur, quòd corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ: eo, scilicet, modo, quo substantia continetur à dimensionibus. Succedit enim substãtia corporis Christi in hoc sacramento substantiæ panis: vnde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi, non tamẽ substantia corporis Christi est subiectum illarum dimẽsionum, sicut erat substãtia panis. Et ideò substãtia panis, ratione suarum dimensionum localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum illum medianti-

Universidad de Deusto Biblioteca

diantibus proprijs dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illū mediantibus dimensionibus alienis, ita ꝙ è conuerso dimensiones propriæ corporis Christi cōparātur ad locū illū mediante substantia, quod est contra rationem corporis locati. Vnde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter.

AD primum ergo dicēdum, quòd corpus Christi non est in hoc sacramento definitiuè, quia sic non esset alibi, quā in hoc altari, vbi conficitur hoc sacramentū, cùm tamē sit & in cęlo in propria specie, & in multis alijs altaribus sub specie sacramēti. Similiter etiā patet, quòd non est in hoc sacramento circūscriptiuè: quia non est ibi secundū commensurationem propriæ quantitatis: vt dictum est. Quòd autem non est extra superficiem sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc, ꝙ sit ibi definitiuè, vel circunscriptiuè, sed ad hoc, quòd incepit ibi esse per consecrationem & conuersionem panis, & vini, vt suprà dictum est.

Ar. 3. & 4. huius q.

Quæs. præc. art. 3. & 4.

AD secundum dicendum, quòd locus ille in quo est corpus Christi, nō est vacuus, neque tamē propriè est repletus substātia corporis Christi, quæ nō est ibi localiter, sicut dictum est. Sed est repletus speciebus sacramentorum: quæ hebent replere locum, vel propter naturam dimēsionum, vel saltē miraculosè, sicut & miraculosè subsistunt per modum substantiæ.

In corp. ar.

AD tertium dicendum, quòd accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento (sicut suprà dictum est) secundum realem concomitantiam. Et ideò illa accidentia corporis Christi, sunt in hoc sacramēto, quæ sunt ei intrinseca. Esse autem in loco, est accidēs per comparationem ad extrinsecum continens. Et ideò nō oportet, quòd Christus sit in hoc sacramento, sicut in loco.

Art. præc.

COMMENTARIVS.

Materia huius articuli fusè tractata est suprà disp. 47. & 48. vbi declarauimus, hic non posse esse quæstionem de re, sed de modo loquendi. Sumit itaque D. Thom. hic, *esse in loco* in rigore physico, prout dicit commensurationem inter locum & locatum in ratione continentis & contenti, & hoc sensu negat in primis, corpus Christi esse sub quantitate panis tanquam in loco, quod est verissimum, quia corpus Christi non est sub illis speciebus modo quantitatiuo, neque ab eis continetur secundùm extrinsecum contactum vltimæ superficiei, quomodò solet locus continere locatum, sed est intimè in omnibus illis, & omnibus earum partibus per mirabilem quandam substantialem præsentiam, quod D. Thom. appellat esse in eis per modū subbantiæ: quia (vt suprà declaratum est) corpus Christi succedit sub speciebus substantiæ panis, quæ non erat sub eis, vt in loco, sed per modum substantiæ: quanuis enim quantitas sit suæ substantiæ fundamentalis ratio existendi in loco, non tamen est locus eius, vt per se cōstat, sed est prior: vnde substantia cùm mouetur, secum defert suā quantitatem, non autem suum locum. Hinc verò addit secundò D. Thomas, Christum non esse in loco ipsarum superficierum, mediātibus ipsis, ne videatur in omnibus esse similitudo inter substantiam panis, & corpus Christi, quod illi succedit: intercedit enim differentia, quia substantia panis, quanuis non sit sub sua quantitate, vt in loco, tamen, illa mediante, dicitur esse in loco ambiente, vel cōtinente quātitatem suam: quia est proprium subiectum illius quantitatis, & per illam habet propriam extensionem & dimensionem: corpus autem Christi nō est sub quantitate panis, vt subiectum eius, nec per illam extēditur, & ideò nec ratione illius dici potest esse in loco eiusdem quantitatis. Atq; hinc vlteriùs in solutione ad. 1. negat, corpus Christi esse hic circunscriptiuè aut definitiuè, quod etiam verissimū est, vt prædicto loco declarauimus, nō solùm sumēdo existentiam in loco in rigore prædicto, sed etiā latiùs ea voce vtendo pro quacunque vera & reali præsentia, quo modo loquimur, cùm dicimus, Christū esse hic, hoc enim modo negari nō potest, quin possit Christus esse hic localiter alio excellentiori, & quodammodò spirituali modo, qui non est propriè definitiuus, aut circunscriptiuus, sed sacramentalis, vt ibidem declaratum est.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento.

AD sextum sic proceditur. Videtur, ꝙ corpus Christi sit mobiliter in hoc sacramento. Dicit enim Phil. 2. Top. ꝙ motis nobis, mouētur ea, quæ in nobis sunt. Quod quidem est verum, etiam de spirituali substantia animæ. Sed Christus est in hoc sacramento, vt suprà habitum est. Ergo mouetur ad motum ipsius.

4. d. 10. ar. 3. q. 4. & opusc. 11. artic. 3. 4. Lib. 2. c. 5. in declaratione 24. arti. tom. 1.

¶ 2 Præterea, Veritas debet respōdere figuræ. Sed de agno Paschali, qui erat figura huius sacramēti, nō remanebat quicquā vsque mane, sicut præcipitur Exo. 12. Ergo neque etiam si hoc sacramentū reseruetur in crastinū, erit ibi corpus Christi. Et ita non est immobiliter in hoc sacramento.

Art. 1. huius quæst.

¶ 3 Præterea, Si corpus Christi remaneat sub hoc sacramēto etiā in crastino, pari ratione remanebit & per totū sequēs tēpus: non enim potest dici, ꝙ desinat ibi esse, cessantibus speciebus: quia esse corporis Christi nō dependet à speciebus illis. Non autē remanet sub hoc sacramēto Christus per totū tēpus futurū. Videtur ergo, ꝙ statim in crastino, vel post modicū tempus desinat esse sub hoc sacramento. Et ita videtur, quòd Christus mobiliter sit in hoc sacramento.

Sed contra. Impossibile est idē esse motū & quietū: quia sic contradictoria verificarētur de eodē. Sed corpus Christi in cęlo quietum

residet. Non ergo est mobiliter in hoc sacramento.

Respondeo dicendum, ꝙ cum aliquid est vnum subiecto, & multiplex secundū esse, nihil prohibet secundū aliquid moueri, & secundum aliquid immobile permanere: sicut corpori est aliud, esse albū, & aliud, esse magnū: vnde potest moueri secundū albedinē, & permanere immobile secundū magnitudinē. Christo autē non est idem, esse secundū se, & esse sub hoc sacramento: quia per hoc quòd dicimus, ipsum esse sub hoc sacramēto significatur quædā habitudo eius ad hoc sacramētum. Secundùm igitur hoc esse nō mouetur Christus per se secundū locum, sed solū per accidens: quia Christus nō est in hoc sacramēto, sicut in loco, sicut prædictū est. Quod autem non est in loco, non mouetur per se in loco, sed solū ad motū eius, in quo est. Similiter autē neq; per se mouetur secūdū esse, quod habet in hoc sacramento, quacūq; alia mutatione: putà, quantū ad hoc, ꝙ desinat esse sub hoc sacramento, quia illud, quod de se habet esse indeficiēs, non potest esse deficiendi principiū, sed alio deficiente hoc desinit esse in eo, sicut Deus, cuius esse est indeficiens & immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc, quòd creatura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo, cùm Christus habeat de se esse indeficiēs, & incorruptibile, non desinit esse sub sacramento: neque per hoc, quòd ipsum desinat esse, neq; etiam per motum localē sui (vt ex dictis patet) sed solum per hoc, quòd species huius sacramenti desinunt esse. Vnde patet, quòd Christus, per se loquēdo, immobiliter est in hoc sacramento.

Art. præc.

Art. præc.

AD primum ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de motu per accidēs, quo ad motum nostri mouentur ea, quæ in nobis sunt. Aliter tamen ea, quæ per se possunt esse in loco, sicut corpora, & aliter ea, quæ per se non possunt esse in loco, sicut formæ, & spirituales substantiæ. Ad quem modū potest reduci, quòd dicimus Christum moueri per accidēs secundū esse, quod habet in hoc sacramento, in quo non est, sicut in loco.

AD secundum dicendum, quòd hac ratione moti videntur fuisse quidam, ponētes, ꝙ corpus Christi non remanet sub hoc sacramēto, si in crastinum reseruetur. Cōtra quos Cyrillus dicit. Insaniunt quidam dicentes, mysticam benedictionē cessare à sanctificatione, si quæ eius reliquiæ remāserint in diē subsequentem, non enim mutatur sacratum corpus Christi, sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia, iugis in eo est. Sicut etiā omnes aliæ consecratione immobiliter manent, permanentibus rebus consecratis, propter quod non iterantur. Veritas autem licèt figuræ respondeat, tamen figura non potest eam adæquare.

AD tertiū dicendum, quòd corpus Christi remanet in hoc sacramento, nō solum in crastino, sed etiā in futuro, quousq; species sacramentales manent. Quibus cessantibus desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species, per quem modum Deus desinit esse dominus creaturæ desinentis.

COMMENTARIVS.

De duplici genere mutationis mentionē facit D. Thomas in articulo, scilicet, de mutatione locali, & de mutatione, qua desinit esse corpus Christi præsens in hoc sacramento, & de vtraq; dicit duo. Primum est, nō posse corpus Christi per se mutari huiusmodi mutationibus, de locali probat, quia Christi corpus, vt est in sacramento, nō est per se in loco: ergo nec per se potest mutare locum. Quæ ratio probat quidem de motu physico propriè sumpto, nō tamen de mutatione proportionata præsentiæ, quam hic habet, quæ esset etiā mutatio localis ad eū modū, quo motus localis in angelo reperitur: cur ergo nō poterit corpus Christi secundùm hanc mutationem per se moueri, sicut angelus per se mouetur localiter? Respondetur, hanc mutationem non esse simpliciter impossibilem, vt argumentum probat, D. Thomā autem loqui iuxta præsentem institutionem: ita enim corpus Christi nunc habet hanc præsentiam in se, vt illam habeat quasi alligatam speciebus, à quibus in hac præsentia suo modo pendet, & ab eis cōtinetur, & cum eis vnum quodāmodò cōponit, & ideò, quoad hūc motum, non est de illo corpore iudicandū, sicut de re spirituali per se separata à corpore, sed vt de re cōiuncta quantitati, sicut erat substantia panis, quæ cōuersa fuit in corpus Christi, & ideò rectè dicitur, corpus Christi, vt est in sacramēto, non posse per se localiter mutari. Atq; hinc probat D. Thom. eandē conclusionē de altera mutatione: quia Christus non potest desinere esse sub speciebus per motū localē, qui per se fiat in ipso, vt dictū est: nec per desitionē simpliciter, quæ in ipso immediatè contingat: quia corpus Christi est de se indeficiens & incorruptibile: ergo nullo modo potest per se desinere esse sub speciebus, ita vt hæc desitio ab ipso corpore Christi incipiat (vt sic dicā) & non ab speciebus, quod est certissimum de lege, & iuxta præsentem institutionem: nam de potentia absoluta rectè posset fieri, vt facilè ex dictis patet, & constabit ampliùs ex sequētibus disputationibus.

Christū nō moueri per se in Eucharistia, sed per accidēs docet S. Th.

Secūdò ait D. Thomas, posse corpus Christi per accidēs mutari vtroq; genere mutationis: quia mutatis localiter speciebus, mutatur etiā corpus Christi, & corruptis etiam speciebus, desinit ibi esse corpus Christi. Est autem aduertendum, dupliciter posse explicari hanc mutationem per accidens. Primò vt tota mutatio inhæreat in solis speciebus, corpus autē Christi solū extrinsecè ab ea denominetur. Secūdò vt mutatio primò quidē fiat in speciebꝰ, inde autē resultet in corpus Christi, & ideò dicatur per acci-

Universidad de Deusto Biblioteca

accidens illi conuenire, quanuis in ipso re vera fiat, & suo modo ei inhæreat. Caietanus ergo priori modo explicat D. Thom. quia existimat, res, quæ non sunt quantitatiuè in loco, solùm illo modo mutari. Sed, vt omittam, hanc sententiã esse in se falsam, & impossibilẽ, sine vllo fundamẽto eã tribuit D. Thomæ. Primò, quia D. Tho. absolutè dicit, Christi corpus per accidens mutari, quod non posset dici propter solã extrinsecã denominationẽ: quia mutari nõ est, aliter denominari, sed aliter se habere, seu esse, quã priùs, & ideò Deus, quanuis desinat esse in creatura, illa corrupta, nõ mutatur, nec per se, nec per accidens: quia totũ illud est sola extrinseca denominatio in Deo. Secũdò, quia aliàs posset corpus Christi per accidens mutari, nõ solũ mutatione locali, sed alteratione, & alia simili, quia calefactis speciebus sacramentalibus, per denominationẽ extrinsecam posset etiã dici corpus Christi calefieri, esset enim eadẽ ratio, quod tamen est falsum, vt constat ex suprà tractatis disput. 47. sect. 4. & ideò non immeritò D. Thom. aliarũ mutationum hic mentionẽ non fecit: quia nec per se, nec per accidẽs possunt verè conuenire corpori Christi, vt ibidem tactum est, & disputatione sequente dicetur: cùm ergo has mutationes affirmat illi conuenire, non loquitur secũdum solam denominationẽ extrinsecã, sed alio modo dicto. Tertiò, quia aliàs idẽ corpus Christi, secundùm idem esse, quod habet in cælo, posset dici per accidens mutari, quia non repugnat, idem secundũ idem esse intrinsecum manere immutatum, & extrinsecùs aliter denominari: consequens autẽ est contra mentem D. Thom. non enim sine causa in principio corporis articuli præmisit illam distinctionem, quòd, quando in eodem subiecto est duplex esse, nõ repugnat secundũ vnũ mutari, & non secundũ aliud, & loquitur de esse proprio & inhærẽte, vt sunt esse albũ, & nigrũ, in quibus ponit exẽplum, & nõ de extrinseca denomatione tãtùm. Sub quo principio sumit, corpus Christi habere aliud esse in cælo, & aliud in sacramento, quod non de esse substantiali, sed de locali, seu præsentiali (vt sic dicam) intelligendum est, vt per se constat. Atque ita cõcludit, quanuis non mutetur secũdùm esse quod habet in cælo, posse mutari, quanuis per accidens, secũdùm esse, quod habet in sacramẽto: agit ergo de mutatione intrinseca & propria, quanuis ex alia resultante. Tandẽ in solutione ad primum id manifestè declarat, nam dicit, hunc motum per accidens esse similem illi, quo mouetur anima moto corpore vel quo, motis nobis, mouentur ea, quæ sunt in nobis: constat autem, mutationem in his non esse solã extrinsecam denominationem. Atque ita intellexisse videntur Diuum Thomã Capreol. & Palud. in 4. distinct. 10. quæst. 3. Sed obijci potest pro Caietani sententia argumentum, Sed contra. D. Thom. sic enim argumentatur, Impossibile est idem moueri & quiescere, sed corpus Christi quiescit in cælo: ergo non potest moueri in sacramẽto: hæc enim ratio absolutè cõcludit de motu propriè afficiente ipsum corpus, siue per se in illo fiat, siue per accidẽs resultet. Secundò, quia D. Thom. circa finem corporis articuli, ad explicandam mutationem, quæ fit in corpore Christi, cùm desinit esse in hoc sacramẽto, vtitur exemplo Dei desinentis esse in creatura per mutationẽ eius: constat autem desitionẽ hanc in Deo, solùm esse denominationẽ extrinsecã. Ad primum respondetur, in primis argumentum, Sed contra, apud D. Thom. non esse semper efficax, & præsertim hic constat, D. Thom. in principio art. tacitè soluisse, aut explicasse argumentũ illud dicẽtẽ, secundùm idem esse non posse idem simul quiescere & moueri, posse tamen secundũ diuersa esse: igitur argumento illo solùm cõcluditur, corpus Christi, vt est in sacramento, non esse mobile proprio locali motu opposito illi quieti, seu locali esse, quod habet in cælo, & hoc verum est de tali motu tã per se, quàm per accidens: non autem procedit argumẽtum de mutatione opposita quieti sacramentali (vt sic dicam) nam secundùm hanc rationem non quiescit corpus Christi, quando mutari dicitur per accidens, modo superiùs declarato. Ad secundum respõdetur, exempla non esse applicanda nisi secundùm id, in quo afferuntur: quia non semper sunt in omnibus similia. D. Thom. autem solùm affert illud exẽplum quoad hoc, quòd, sicut desitio Dei in creatura nõ potest incipere à desitione Dei, cuius esse est indeficiens, ita nec desitio corporis Christi sub speciebus incipit ab ipso, & in hoc est aliqualis similitudo, in alijs verò neq; est, neque esse potest.

Capreol. Palud.

In solutione ad secundum & tertium tangit D. Thomas quæstionem, quandiu præsentia corporis Christi sub speciebus duret, quę in superioribus tractata est, disput. 46. sect. 8.

ARTICVLVS VII.

Vtrum corpus Christi, prout est in hoc sacramento, possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato.

AD septimum sic proceditur. Videtur quòd corpus Christi, prout est in hoc sacramẽto, possit videri ab aliquo oculo, saltẽ glorificato. Oculus enim noster impeditur à visione corporis Christi in hoc sacramento existentis, propter species sacramentales ipsum circumuelantes. Sed oculus glorificatus non potest ab aliquo impediri, quin corpora quælibet videat, prout sunt. Ergo oculus glorificatus potest videre corpus Christi, prout est in hoc sacramento.

Inf. art. 8. co. & 4. & 10. ar. 2. ad 2. & 3. ad 7. & art. 4. q. 1. per in. & 4. ar. 1. & in expo. lib. ad. 1. 3. & 4.

¶ 2 Prætereà, Corpora gloriosa Sanctorũ erunt cõfigurata corpori claritatis Christi: vt dicitur Phil. 3. Sed oculus Christi videt se ipsum, prout est in hoc sacramẽto. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus potest ipsum videre.

¶ 3 Prætereà, Sãcti in resurrectione erũt ęquales angelis: vt dicitur Luc. 20. Sed angeli vidẽt corpus Christi, prout est in hoc sacramẽto: quia etiã dęmones inueniũtur huic sacramẽto reuerentiã exhibere: & ipsum timere. Ergo pari ratione oculus glorificatus potest Christum videre, prout est in hoc sacramento.

SED contra, Nihil idem existẽs, potest simul ab eodem videri in diuersis speciebus. Sed oculus glorificatus semper videt Christum, prout est in sua specie, secundùm illud Isai.

Isai. 33. Regem in decore suo videbũt. Ergo videtur, quod nõ videat Christũ, prout est sub specie huius sacramenti.

RESPONDEO dicendum, quòd duplex est oculus, scilicet corporalis propriè dictus, & intellectualis, qui per similitudinẽ dicitur: à nullo autẽ oculo corporali corpus Christi potest videri, prout est in hoc sacramento. Primo quidẽ, quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium. Accidentia autẽ corporis Christi sunt in hoc sacramento mediante substantia, ita, scilicet, quòd accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem, neque ad hoc sacramentum, neque ad corpora, quæ ipsum circunstant. Et ideò non possunt immutare medium, vt sic ab aliquo corporali oculo videri possint. Secundò, quia, sicut suprà dictum est, corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ. Substantia autem inquantum huiusmodi, nõ est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, sed nec etiã imaginationi, sed soli intellectui, cuius obiectũ est quod quid est, vt dicitur in 3. de anima. Et ideò propriè loquẽdo, corpus Christi secundũ modũ essendi, quem habet in hoc sacramento, neq; sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis. Percipitur autem diuersimodè à diuersis intellectibus. Quia enim modus essendi, quo Christus est in hoc sacramẽto, est penitus supernaturalis, à supernaturali intellectu, scilicet diuino, secundùm se visibilis est, & per cõsequẽs ab intellectu beato, vel angeli, vel hominis, qui secũdũ participatã claritatẽ diuini intellectus videt ea, quæ supernaturalia sunt, per visionẽ diuinæ essentiæ: ab intellectu autem hominis viatoris nõ potest conspici nisi per fidem, sicut & cætera supernaturalia. Sed nec etiã intellectus angelicus secundùm sua naturalia sufficit ad hoc intuẽdũ. Vnde dæmones nõ possunt videre per intellectũ Christũ in hoc sacramẽto nisi per fidẽ, cui non voluntariè assentiũt sed ad eã euidentia signorum conuincuntur: prout dicitur. Iac. 2. Quòd dæmones credũt & contremiscunt.

Art. 1. huius q. ad 3.

Lib. 3. de anima text. & Quæst. 2.

AD primum ergo dicendũ, quòd oculus noster corporeus per species sacramentales impeditur à visione corporis Christi sub eis existentis, non solum per modũ tegumẽti, sicut impedimur videre id, quod est velatũ quocunq; corporali velamine: sed quia corpus Christi non habet habitudinem ad medium, quod circunstat hoc sacramẽtum, mediantibus proprijs accidentibus, sed mediãtibus speciebus sacramentalibus.

AD secundum dicendum, quòd oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentẽ: non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectũ. Nec tamen est simile de alio oculo glorioso: quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus.

AD tertium dicendum, quòd angelus bonus, vel malus non potest aliquid videre oculo corporeo, sed solũ oculo intellectuali. Vnde non est similis ratio, vt ex dictis patet.

In corp. art.

COMMENTARIVS.

QVanuis in titulo articuli secundùm verborum proprietatẽ solùm videatur proponi quæstio de visu corporeo, tamẽ D. Th. in corpore articuli extendit sermonem ad visum intellectualem. Vnde duplici assertione respõdet. Prima est, non posse corpus Christi, prout est in hoc sacramento, videri aliquo oculo corporeo. Quam duabus rationibus probat. Prima est, quia corpus Christi, prout est in hoc sacramento, nõ potest multiplicare species per mediũ: ergo nõ potest imprimere speciem in oculo: ergo non potest videri: consequentiæ notæ sunt, antecedens probatur, quia corpus nõ multiplicat species, nisi per accidẽtia sua: sed corpus Christi, prout est in sacramento, non potest per sua accidentia immutare medium: ergo. Probatur minor, quia accidẽtia corporis Christi non habẽt immediatam habitudinẽ ad hoc sacramentum neq; ad corpora, quæ ipsum circunstant: quia non sunt in sacramento, nisi mediante substantia. Et in in solutione ad primũ magis hoc explicat, dicẽs, ipsum corpus Christi non habere habitudinem ad mediũ, quod circunstat hoc sacramentum, mediantibus proprijs accidentibus, sed mediantibus speciebus sacramẽtalibus. Secũda ratio est, quia Christus est in sacramento per modũ substantiæ: substantia autẽ nõ est visibilis oculo corporeo, scilicet, per se, ita vt, aut per propriam speciem illũ immutet, aut sit proprius ac per se terminus, in quem visio tendat: ergo nec modus, quo Christus est in hoc sacramento, videri potest oculo corporeo: ergo nec ipsum corpus Christi, prout est in hoc sacrramento, videri potest. Tertia ratio videtur insinuari in solutione ad primũ, quòd corpus Christi hic videri nõ potest, quia tegitur speciebus panis, sicut imago, quandiu latet sub aliquo velo, videri nõ potest. Omnes tamẽ hæ rationes patiuntur difficultatem, & (cõtrario ordine incipiendo) tertia quidẽ ratio non approbatur à D. Thoma, sed potiùs reijcitur: ita enim accipienda sunt illa verba solutionis ad primum. *Non solum per modum tegumenti, sed quia, &c.* id est, non quòd sola illa ratio tegumenti sufficiat ad impediendam visionem, sed quia ipsum corpus, prout est hic, visibile non est: quòd enim sola quantitas panis nõ sufficiat tegere corpus Christi, constat, quia corpus Christi non est tantùm in profundo panis (vt sic dicam) sed in ipsa etiam superficie, quomodò ergo potest tegi ab illa, cùm illa non interponatur inter oculum & corpus Christi? sicut, si imago esset penetratiuè in eodem loco, in quo est velum, non posset ab illo occultari, sed, ad summum, posset perturbari

Christũ non posse videri oculo corporeo, prout est in Eucharistia, probat D. Th.

Universidad de Deusto Biblioteca

bari visio, & quodammodò oculus confundi, quia vtrumque corpus simul species sui simul multiplicaret.

In secunda verò ratione est nonnulla difficultas, primò quidem, quia Diuus Thomas videtur transgredi à metaphorica locutione ad propriam: nam, quòd Christi corpus dicatur hic esse per modũ substantiæ, solùm videtur esse quædam metaphorica locutio, & accommodata proportio, nam, re vera, modus, quem hic habet corpus Christi, non est substantia, sed accidens, neq; est proprius alicuius substantiæ: quomodò ergo ex eo, quòd substantia nõ est visibilis, infert Diuus Thomas, neque hunc modum esse visibilem? Secundò, quanuis demus, probasse D. Thomam, illum modum non esse visibilẽ non rectè infert, corpus ipsum nõ esse visibile: posset enim videri, non viso modo, cùm ex natura rei distinguantur: sicut in solutione ad secundum, dicit idem Diuus Thomas, oculum Christi in sacramento videre se ipsum, quãuis non videat modum quo est in sacramento. Ad primũ respondetur, D. Thom. non intellexisse modũ hunc corporis Christi in sacramento esse substantiam, sed esse talem, qui per se conuenire potest substantiæ secundùm se, & vt præscindit ab accidẽtibus corporalibus, & ideò dicit esse per modum substantiæ, & hinc rectè infert, quòd, si substantia ipsa, vt abstracta ab accidentibus corporalibus, non est visibilis, neque etiã per accidentia corporalia est in se ipsa visibilis, etiã hic modus non erit in se, & propriè visibilis: ergo est argumentum quasi proportionale, & satis efficax, quod ad hoc principium reuocãdum est, quòd talis modus est supra naturam omnis accidentis visibilis, & alterius rationis ac ordinis. Ad secundum responderi potest, D. Thomam semper posuisse cõclusionem cum illa reduplicatiua, corpus Christi, prout est hic, videri non potest: de corpore autem ipso absolutè nihil dicit in litera articuli, tamen in solutione ad secundum planè explicat conclusionẽ etiam de ipso corpore absolutè & simpliciter, & ideò dicendum est, respectu visionis corporalis nõ posse separari corpus à modo, & ideò, si modus est inuisibilis, etiam ipsum corpus in sacramento est inuisibile, cuius rationẽ posteà in disputatione tractabimus. Vbi etiam examinabimus, quomodò intelligendum sit id quod ex solutione ad secundum afferebatur, oculum, scilicet, Christi in sacramento videre se ipsum: propriè enim ac per se loquẽdo fortasse verum non est, sed, ad summum, per concomitantiam: sensus autem D. Thomæ quoad hoc meliùs cum re ipsa explicabitur. Maior difficultas esse videtur in prima ratione, quid enim refert, quòd accidentia corporis Christi sint hîc mediante substantia, vt non posint medium immutare? nam illa mediatio solùm esse potest in causalitate, seu in fieri, quatenus accidentia hic fiunt per concomitantiam cum substantia corporis Christi, tamen ita fiunt, vt ipsa re vera hic sint tam propriè sicut ipsa substantia. Vnde in facto esse dici possunt immediatè hic esse per propriam præsentiam: ergo illa mediatio nihil obstare potest, quominùs talia accidentia possint medium immutare, sicut etiam anima, vt anima est, mediante corpore, & omnia accidentia existunt mediante substantia, vel quantitate, quod nõ impedit actiones eorum. Deinde obscurũ est, quid sit, accidentia corporis Christi, aut corpus Christi medijs suis accidẽtibus non habere habitudinẽ im-

A mediatã ad mediũ, quod species sacramẽtales circũstat: quæ est enim hæc habitudo? aut enim est habitudo agẽtis ad passum, & sic petitur principiũ; aut est habitudo propinquitatis & indistãtiæ, & sic falsum est, quod assumitur, nã accidẽtia corporis Christi re vera habent immediatam habitudinem præsentiæ ad circunstantia corpora. Respondetur, propriã causam & radicẽ, ob quam hæc accidentia non sunt actiua propriarum specierum visibilium, esse, quia non sunt hic modo naturali, & quantitatiuo, vt infrà dicemus, & hoc ipsum circunscripsit D. Thomas illis verbis declarando causam, ob quã illa accidentia habent talem existendi modũ, scilicet, quia sunt mediante substantia corporis Christi, ꝙ ex vi conuersionis, per quam hic ponitur, est hic per modũ substantiæ: itaq; sola mediatio causalitatis nõ sufficeret ad impediendam actionem, vt probat argumentum, sed illa mediatio, qua trahuntur B accidentia ad supernaturalẽ modũ existendi ipsius substãtiæ. Et hoc ipsum significare voluit D. Tho. addens. *Ita quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem ad corpus circunstans*: quę verba nõ intelligũtur de habitudine agentis & passi, nec de communi habitudine præsentiæ, vt ratio etiam facta probat, sed de habitudine coextensionis, seu commensurationis, aut continentiæ, seu cõtactus quantitatiui, quæ est conditio necessaria ad physicam actionem.

Asserit [illegible] esse visibile ab intellectu.

Secunda assertio D. Thomæ est, corpus Christi, vt est in hoc sacramento, esse visibile ab intellectu diuino, & ab intellectu creato supernaturaliter eleuato per visionem beatam, non tamen ab intellectu creato virtute naturali. Prima pars relinquitur à C D. Tho. vt per se nota Secunda etiam satis clara est solùm est aduertendum, licèt D. Thom. addat illã particulam, *per visionem diuinæ essentiæ*, non tamẽ esse restringendam conclusionem ad solam illam formaliter: ac si præsentia corporis Christi in hoc sacramento solùm posit videri in Verbo per ipsam formalem visionẽ Verbi: est enim hoc falsum, & sine fundamento: nam etiam potest videri in proprio genere per species & lumen infusa, sicut alia supernaturalia entia: non enim hic modus præsentiæ magis supernaturalis est, aut infinitus. Item, quia virtus diuini intellectus ad videndam hanc præsentiam sufficienter participari potest per claritatem, & speciẽ supernaturalem, proportionatam, & accommodatam tali rei. D. Thom. ergo, vel, gratia illustrioris exempli, visionis beatæ meminit, vel, cùm dicit, *per* D *visionem*, intelligit, vel formaliter, vel causaliter: omnis enim scientia per se infusa supernaturalium rerum censetur, saltem secundùm legem ordinariam, esse propria beatorum, & causari aliquo modo ex visione Dei. Tertia pars conclusionis, vt probata relinquitur à D. Thoma ex eo, quod modus existendi Christi in sacramento, est penitus supernaturalis quod autem huiusmodi est, cognosci nõ potest ab intellectu creato virtute naturali: de qua re fusiùs statim est disputandum.

DISPVTATIO. LIII.

De his, quæ Christus agere potest, aut pati, prout est in hoc sacramento.

Disputatio decima quinta de Eucharistia.

POstquàm tractauimus, an sit, & quid sit præsentia sacramentalis Christi, & quibus rebus, & quomodò conueniat, sequebatur dicendũ de

de proprietatibus, quæ illam consequuntur; hæ autem nullæ sunt præter relationes quasdam propinquitatis vel distantiæ, aut similes, de quibus in superioribus actum est, nihilque addendum occurrit: solùm igitur superest dicendum de actionibus & passionibus, quæ possunt Christo Domino conuenire ratione huius præsentiæ, seu mediante illa: complectimur autem non solùm transeuntes actiones, sed etiam immanentes, nec solùm propriã mutationem seu receptionem, sed etiam denominationes illis similes ex extrinseca actione immanente prouenientes, vt esse visum, cognitum, &c. vt hoc modo disputemus omnia, quæ Diuus Thomas in his duobus vltimis articulis attigit.

SECTIO I.

Vtrùm corpus Christi, prout est in hoc sacramento, posit localiter moueri.

VT à quæstione de modo loquendi abstineamus, supponendum in primis est, hic non esse sermonem de motu propriè physico, qui requirit extensionem secundùm partes subiecti in ordine ad spatiũ, & terminatur ad vbi quantitatiuum, seu circunscriptiuum, constat enim, corpus Christi non esse hic mobile hoc genere motus, cùm hic non habeat illum extensionis seu locationis modum: agimus ergo de motu proportionato sacramentali præsentiæ, quem possumus etiã sacramentalem, & quasi immaterialem appellare. De quo omnes conueniunt, posse corpus Christi aliquo modo hic mutari, quomodo autem, vel à quo, id à nobis explicandum est. Nam de modo Caietanus hic ait, solùm dici mutari per denominationem extrinsecam propter mutationem, quæ fit in speciebus: de motore autem Scotus distinctione 10. & Gabriel. lect. 47. in Canonem existimant, à nemine posse moueri nisi à Deo, vel à se ipso, neque per se, neque medijs speciebus: quia, tractis, seu motis speciebus, non necessariò trahitur, vel mouetur Christi corpus virtute naturali. Quo fit, vt, iuxta hanc opinionem, non posit Christi corpus per accidens moueri, etiam ab ipso Deo, quia nulla est inter species & Christum colligatio, sufficiens ad hoc genus motus, poterit ergo tantùm per se moueri ab habente superiorem virtutem.

Caietan. Scotus. Gabriel.

Aliorum verò sententia, & communio est, corpus Christi, vt est hic, à nemine posse per se moueri, nisi fortasse à Deo miraculosè: per accidens autem posse moueri à quocunque agente, qui virtutem habeat ad mouendas localiter sacramentales species. Hæc videtur esse sententia Diui Thomæ hic, quem sequuntur Paludan. & Capreol. distinct. 10. quæstione 5. Richard. artic. 4. quæstione 1. Gabriel quæstione vnica, articulo 3. dubio 4. Marsil. quæstione 7.

Palud. Capreol. Richard. Gabriel. Marsil.

1. Conclusio.

Dico primò. Corpus Christi existens in hoc sacramento mutari potest secundùm localem præsentiam mutatione propria, & in ipsomet corpore Christi recepta. Hæc conclusio quoad mentem Diui Thomæ probata est in commentario articuli sexti, quo ad rem verò ipsam probata est suprà disputatione quadragesima septima, sectione quarta,

A quod hic repetere non est necesse.

Dico secundò. Corpus Christi, prout est in sacramento, potest per se moueri localiter à Deo. Loquor de potentia absoluta; nam iuxta legem statutam suppono, corpus Christi nunquam separari ab speciebus, nec moueri, nisi motis illis: si autem Deus vellet in hac lege dispensare, posset transferrẽ corpus Christi in alium locum, relinquendo ibi species, vel constituendo Christi corpus sub alijs accidentibus, vel sub nullis: quia in his omnibus nulla est contradictio, neque repugnantia. Posset etiam simul quidem mouere totum sacramẽtum, vt ex Christi corpore & speciebus sacramentalibus constat, imprimendo tamen primò ac per se motum in corpus Christi, & efficiendo, vt ipsum corpus concomitanter & per accidens secum traheret species: nam in hoc etiam nulla est difficultas, supposita vnione, quam suprà diximus esse inter B ter corpus Christi, & species: neque in hac conclusione inuenio difficultatem vllam, nec Theologũ apertè contradicentem. *2. Conclusio.*

Dico tertiò, Corpus Christi, vt est in hoc sacramento, non posse naturaliter moueri localiter ab intrinseco à propria anima, & interna virtute motiua naturali, neque per se, neque per accidens. Loquor de naturali virtute, quia, si anima Christi consideretur, vt instrumentum Verbi, & operetur per virtutem miraculorum effectricem, potest suum corpus in hoc sacramento existens primariò mouere, vel deferendo species, vel secum illas deferendo: quia sicut non repugnat, hoc fieri à Deo, vt principali operante, ita neque à creatura, vt instrumento eius: quia non est in hoc maior repugnantia, quàm in alijs supernaturalibus effectibus, in quo genere communicata est Christi hu- C manitati omnipotentia quædam instrumentalis, vt in primo tomo huius tertiæ partis dictum est. Quocirca, licèt nunquam fuerit Christus vsus hac potestate priori modo, id est, deferendo species, & non corrumpendo, nec transmutando illas: quia hoc neque ab hominibus videri poterat, neque sciri, nisi per reuelationem, neque ad fidei confirmationem vtile esse poterat, cùm non posset sensibus percipi: nec fortasse expediens, quia magis necessarium est, statutam legem, de reali præsentia Christi, durantibus speciebus, esse omnino infallibilem, & immutabilem; nihilominùs tamen existimo alio posteriori modo, scilicet, deferendo secum species, interdùm fuisse Christum vsum hac potestate. Legimus enim interdùm hostiam consecratam nullo deferente sua sponte fuisse motam, vel ad aliquem iustum & Dei amicum, vt communicare posset, vt de Sancta Catherina Senensi, & D de alijs fertur; & legi potest Sozomenus libro 6. Hist. capit. 29. vel vt infidelium iniuriam euitaret, & pertinaciam confunderet. Quanquam enim dicere quis posset, in his casibus moueri species consecratas ab Angelis, tamen etiam potuit Christi corpus interno impetu ferri, secumque species deferre. Quòd autem hoc fieri non posit naturali animæ virtute, probatur; quia nõ potest anima mouere corpus suum, nisi per membra organica, quibus non potest vti, vt in hoc sacramento sunt: quia naturalis motus horum membrorũ requirit extensionem eorũ in loco, ita vt in diuersis locis partialibus existant, & vnum impellat aliud; membra autem corporis Christi nõ existũt hoc modo in hoc sacra-

3. Conclusio.

sacramento. Dices, hanc rationem solùm procedere de motu progressiuo, aut ei simili, in quo necesse est, vnam partem prius moueri, quàm aliam, & aliquam quiescere, vt aliæ moueantur; non autem in motu simplici, aut impulsiuo (vt ita dicam) qui vno impetu, fit ad quem non est necessaria illa extensio organorum in loco, sed sola vis imprimens impulsum, seu motum. Respondetur, non posse animam mouere corpus suum hoc genere motus: duobus enim tantùm modis potest à nobis hic motus intelligi, scilicet, aut per aliquem vehementem contactum physicum, aut per imperium efficax alicuius voluntatis habentis huiusmodi virtutem motiuam sibi subordinatam. Primus autem modus non habet locum in toto corpore humano respectu sui ipsius, quia non potest idem corpus, secundùm se totum, se ipsum contingere, vt per se constat: quia contactus supponit distinctionem, vel saltem existentiam quantitatiuam in loco, & multiplicationem illius: & ideò, quāuis secundùm diuersas partes possit aliquo modo anima impellere corpus suum, vt per saltum, tamē ad hoc ipsum necessaria est extensio partium in loco, & aliquod genus contactus physici, vel partium inter se, vel cum corpore circunstante, & ideò huiusmodi motus non potest habere locum in corpore sacramentaliter tantùm existente. Secundus etiam modus mouendi est præter virtutem naturalem animæ informantis corpus: non enim potest anima solo imperio voluntatis, vel appetitus totum suum corpus transferre ab vno loco in alium, ita vt nec moueat vnam partem, mediante alia, sed totum per se primò; nec corpus ad illum motum concurrat, sed tantùm passiuè recipiendo illum: tota verò efficientia sit in anima: quanuis enim huiusmodi genus motus repugnantiam non inuoluat, vt aliqui putant, & supernaturaliter communicetur corporibus gloriosis, vt præcedente tomo dixi, tamen ipsa experientia docet, excedere naturalem animæ virtutem. Constat igitur, non posse corpus Christi, vt est in sacramēto, se ipsum per se mouere virtute naturali, & inde à fortiori fit, neque per accidens posse: quia multò minùs potest mouere ipsas species sacramentales: quas, nec physicè contingere potest, vt ex suprà dictis patet, neque ad nutum voluntatis mouere, loquendo de virtute naturali: vtrumque enim per se satis clarum est.

Corpus Christi in Eucharistia existēs nō potest per se moueri ab aliquo agēte extrinseco naturali.

Dico quartò, Corpus Christi, vt est in sacramento, non potest naturaliter per se moueri ab aliqua virtute naturali seu agente extrinseco, id est, primario illi imprimendo motum, & non per species. Hac conclusio de agentibus corporalibus est per se manifesta, quia hæc non possunt mouere alia corpora, nisi, aut trahendo, quod faciunt (vt creditur) præuia aliqua alteratione, & impressione alicuius qualitatis, aut impellendo, quod faciunt per contactum physicum: neutro autem modo possunt mouere corpus Christi immediatè & per se, quia, neque illud possunt tangere, vt sæpè dictum est, neque alterare, vt sectione sequente dicam. De virtute autem motiua Angelorum potest esse nonnulla dubitatio; quia illi possunt mouere corpus, sine physico contactu, per virtualem, medio voluntatis imperio, nec solùm corpora, sed etiam spiritus sic mouere possunt: cur ergo nō poterunt mouere etiam corpus Christi hic, si supernaturali virtute non resistat? Nihilominùs etiam de Angelica virtute videtur probabilior conclusio posita, quia dupliciter intelligi potest Christū hic mutari, primò, purè priuatiuè, amittendo præsentiam, quam hic habet, & nullam aliam acquirendo, & hoc non potest fieri ab Angelo: quia huiusmodi mutationis genus non potest fieri per actionem positiuam: quia necesse est, vt omnis positiua actio tendat ad aliquem terminum positiuum, quod est contra rationem mutationis purè priuatiuæ: solùm ergo potest fieri per ablationem cōcursus, vel alicuius causæ conseruantis: Angelus autem nullum influxum habet in hanc præsentiam corporis Christi, quem auferre possit: nec aliquam causam afferre potest, à qua illa præsentia pendeat, nisi fortasse species sacramentales: à quibus si mutatio incipiat: nam non per se fiet in corpore Christi, vt nunc loquimur. Alio modo potest fieri hæc mutatio, scilicet, efficiendo in corpore Christi aliam præsentiā incompossibilem huic, & sic mutando illud: sed neque ad hoc habet Angelus naturalem virtutem: quia illa præsentia est supernaturalis huic corpori: ergo nō potest fieri ab Angelo naturali virtute. Dices, quāuis hic modus præsentiæ sit supernaturalis corpori Christi, & ideò nō possit Angelus illum efficere in corpore Christi, nisi in eo præsupponatus, tamē postquam Christi corpus supponitur ita existens, non videtur adeò supernaturale, vel difficile, illud corpus transferre ab vno loco in alium, mutando habitudinem ad spatium, & propinquitatem, vel distantiam ad alia corpora. Respondetur, Si huiusmodi præsentia, secundùm speciem suam, superat naturalem virtutem angelicam, in quolibet indiuiduo superabit: quia, & tota species clauditur in quolibet indiuiduo, & actio per se primò circa indiuiduum versatur: sicut ergo Angelus non potest virtute naturali cōferre corpori primam sacramētalem præsentiam, ita neque corpori iam habenti vnam præsentiam sacramentalem potest dare alteram, vt priorem auferat: quia non est minùs supernaturalis secunda, quàm prima, &, quod prima præcesserit, nihil refert: quia nec dedit corpori naturalem aptitudinem ad similem præsentiæ modum, neque auxit virtutem causæ agentis, nec minuit perfectionem, aut difficultatem effectus: nam ipsamet præsentia prior appetit suam conseruationem, & suo modo resistit formaliter alteri præsentiæ sibi incompossibili: excedit ergo hic effectus naturalem virtutem etiam Angelorum.

Obiectio. *Responsio.*

Potest per accidens moueri christus ab eo qui localiter potest mouere sacramentales species.

Dico vltimò, Supposita institutione huius sacramenti, prout facta est, potest corpus Christi per accidens moueri ab eo, qui potest species consecratas secundùm locum mutare. Hoc sæpe est in superioribus tactum: quia alias, nec sacerdos posset eleuare corpus Christi, nec nos manducaremus illud. Ratio autem conclusionis reddenda est ex vnione suprà posita inter corpus Christi, & species sacramentales: communicatur enim diuinitus his speciebus virtus trahendi, & coniungendi sibi corpus Christi, & consequenter conseruandi sacramentalem præsentiam eius, & efficiendi aliam similem, quod in superioribus probatum est, hinc autem fit, vt motis speciebus, prout naturaliter moueri possunt ab agente naturali, illæ secum deferāt corpus Christi; quod propterea dicitur per accidens moueri ab eo, qui mouet species: quia, licet, re vera, fiat mutatio in ipso corpore Christi, illa per se

se & immediatè fit ab instrumentaria virtute specierum, ab alio autem non, nisi remotè, & per accidens. Seclusa autē hac virtute, & connexione inter species, & corp⁹ Christi, impossibile esset, agēs aliquod creatū mouere corpus Christi, etiā per accidens: quia nulla esset ratio, cur Christi corpus comitaretur motum specierū, si cum eis non esset dicto modo coniunctum; tum etiam, quia, quomodocunque Christus dicatur moueri, per se aut per accidens, necesse est, vt mutet præsentiam, & quòd vnam amittat, & alteram acquirat: ergo necesse est, vt aliqua virtute fiat talis præsentia: non potest autem fieri à naturali virtute per se, vt probatum est, nec per accidens, nisi sit aliqua alia causa, quæ per se illam efficiat: cuius actio resultet ex naturali motione alterius agentis naturalis: hæc autem causa non potest esse, nisi species sacramentales, vt per se notum est. Ex quo discursu vlteriùs concludo, ad huiusmodi mutationem per accidens corporis Christi, vt fieri possit ab agente naturali, non sufficere formalem vnionem inter ipsum & species, nō solùm quia illa fortasse est impossibilis, vt suprà dixi, sed etiam, quia licèt admitteretur, illa sola esset insufficiens ad hunc effectum sine vnione effectiua. Quia, quantumuis corpus Christi, & species dicantur esse formaliter vnita, semper tamen manent distincta, habentque præsentias omnino diuersarum rationum: nam in speciebus est quantitatiua, & naturalis, & in corpore Christi est inextensa, & supernaturalis: ergo, vt hoc compositum ex corpore, & speciebus possit moueri, necesse est, vt in mouente sit virtus actiua vtriusque præsentiæ, quam non habet agens creatum naturali virtute: ergo, si in ipsis speciebus non esset virtus actiua in corpus ad trahendum illud, non posset extrinsecum agens mouere totum hoc compositum ex corpore & speciebus: quare consequenter potiùs dicendum esset, non posse mouere ipsas species; quia, nec posset dissoluere vnionem, nec cum speciebus trahere corpus Christi: est ergo necessaria hæc effectiua vnio. Et ideò dixi in conclusione, supponendam esse institutionem, & vnionem inter corpus & species, qualem factam esse censemus.

Obiectio.

Dices, etiam supposita hac vnione effectiua, non sequi ex illa, corpus Christi posse naturaliter moueri, sed potiùs sequi, ipsas species non posse naturaliter moueri ab agente naturali: quia illamet & coniunctio est sufficiens ad resistendum illi, & quia ex motione naturali non potest necessario sequi supernaturalis mutatio, & quasi attractio corporis Christi. Vel certè alia ratione videri hoc potest suprà virtutem naturalis motoris; quia quantitas est hic separata à substantia, & ideò non videtur naturaliter capax mutationis localis ab agente physico naturali, magis quàm esset sola substantia sine quantitate existens.

Responsio.

Respondetur ad priorem partem, negando assumptum; quia nec ex parte corporis Christi, nec ex parte specierum, est in hoc aliqua resistentia: supposita namque prædicta institutione, species necessitate quadam simili agentibus naturalibus semper trahunt ad se corpus Christi, & agunt seu conseruant præsentiam eius: cui actioni corpus Christi non resistit, sed per obedientialem potentiam eam cum indifferentia recipit: & consequenter, quando mouentur species, neque ipsæ resistunt illi motui ratione prædictæ actionis, quia non priuantur illa, & virtus earum indifferens est ad hanc numero præsentiam, vel aliam similem efficiendam, nec corpus etiam Christi resistit speciebus, vt dictum etiam est, nec motori earum: quia, cùm hic non existat modo quantitatiuo, nec ratione ponderis aut grauitatis, neque alio titulo potest resistere. Neque mirum est, quod ex naturali motione per accidens sequatur aliqua naturalis actio, tanquam à causa applicante: sic enim species sacramentales applicatæ ad hanc, vel illam animam, diuersam numero gratiam in illis efficiunt: atque ita in præsente applicatæ per motum localem ad hunc, vel illum locum, seu ad hoc vel illud spatium, consequenter efficiunt hanc vel illud spatium, consequenter efficiunt hanc vel illam numero præsentiam in corpore Christi. Ad posteriorem partem respondetur ex Diuo Thoma hoc articulo 5. ad secundum, quantitatem separatam à substantia hoc ipso, quod miraculosè subsistit, naturaliter replere locum, in quo est, & ideò naturaliter etiam posse impelli & moueri: quia naturaliter resistit alteri corpori in eodem loco, & naturaliter etiam posse trahi, sicut potest etiam tangi & alterari. Et ideò non est simile de substantia carēte quantitate: quia illa non ita repleret locum, vt posset tangi, aut alterari.

SECTIO II.

Vtrùm corpus Christi, prout est in hoc sacramento, aliquam aliam actionem physicam efficere possit, vel recipere.

Non agimus de Christi corpore glorioso, quod propter dotes gloriæ inalterabile est, & impassibile propria passione corrupti; sed agimus de Christi corpore solùm secundùm suam præcisam naturam considerato, & sub speciebus sacramentalibus constituto, prout in nocte cœna fuit. De quo potest tractari hæc quæstio in ordine ad absolutam Dei potētiam: & sic etiam non habet difficultatem: quia Deus in actione sua non pendet à loco, tempore, aut modo existendi. Vnde sine difficultate posset qualitatem quamcunque imprimere in corpus Christi, simul illam efficiendo, & modum sacramentaliter existendi illi præbendo; & eadem ratione posset Christi corpus corrumpere, & in illa materia aliam formam introducere, vel etiā posset illo corpore vti, vt instrumēto ad quamcunque actionem efficiendam circa alia corpora: sicut nunc illo vtitur ad sanctificādas animas eorum, qui illo vescuntur: & iuxta aliquorum sententiam, etiā in eorum corpora aliquam actionē habet, vt, vel ad statum gloriæ, vel ad virtutem operandam, melius illa disponat: in quo saltem certum est nullam esse repugnantiam: quia Deus non requirit in instrumento suo extensionem in loco. Omissa ergo quæstione de diuina potentia, præsens disputatio solùm est de naturali virtute. In qua est prima sententia generatim affirmans posse naturalia agentia alterare, & immutare Christi corpus in hoc sacramento existens, ipsumque similiter posse extrinseca corpora propinqua alterare per calorem suum, frigiditatem, & similes qualitates. Ita sentiunt Nominales. Ocham in 4. quæstione 4. Aliaco quæstione 5, articulo 2. Maior distinctione

1. Sententia affirmat. *Ocham.*

Aliaco. Maior. Gabriel.

ctione 10. quæſtione 5. Gabriel. lect. 45. in Canonem. Ratio eſt, quia Chriſti corpus non ſit incapax harum actionum, vel paſsionum propter modum exiſtendi in ſacramento: ſed nihil eſt aliud, quod poſsit hanc actionem vel paſsionem impedire: ergo. Probatur maior, quia localis præſentia reſpectu actionum & paſsionum ſolùm requiritur, vt conditio neceſſaria, vt agens & paſſum ſint propinqua: ſed, quod huiuſmodi præſentia ſit ſacramentalis, non impedit hanc propinquitatem, ſed illam quodammodò auget: nam, dum tota res conſtituitur in qualibet parte, & in quolibet puncto loci, tota ſecundùm omnem ſuam partem eſt propinquior agenti vel paſſo: ergo non eſt cur hic modus præſentiæ actionem vel paſsionem impediat: ſicut, ſi duo corpora eſſent in eodem loco penetratiuè, ille exiſtendi modus mutuam inter ea actionem non impediret, ſed augeret potiùs: ignis enim velociùs combureret lignum ſecum intimè penetratum, quàm in ſuperficie tantùm applicatum, atque eadem ratione poſſent illa duo corpora ſimul agere in aliud ſibi propinquum, & ab eodem pati, ſi ſufficiens virtus agendi in illo eſſet: idem ergo dicunt hi autores de corpore Chriſti, præſertim cùm exiſtiment, ſacramentalem eius exiſtendi modum ſolùm in quadam omnium ſuarum partium penetratione conſiſtere. Dices, accidentia panis poſſe impedire huiuſmodi actionem vel paſsionem naturalem. Sed hoc nullius momenti eſt, tum, quia ipſamet accidentia ſunt capacia huius actionis & paſsionis, vt quæſt. 77. dicetur; tum etiam, quia corpus Chriſti æquè eſt præſens, ſeu propinquum circunſtantibus corporibus, ac ipſæ ſacramentales ſpecies.

2. Sententia negat. D. Thom. Scotus. Richardus. Palud. Carthuſ. Aegid.

Secunda ſententia extremè contraria negat, Chriſti corpus ſacrametali modo exiſtens, eſſe naturaliter capax huiuſmodi actionũ, & paſsionum. Ita ſentit D. Thomas hic, & infrà quæſtione 81. articulo 4. Scotus in 4. diſtinctione 10. quæſt. 9. Richardus articulo 5. quæſtione 2. Palud. quæſt. 4. Capreol. quæſtione 4. articulo 3. ad argumentũ Scoti contra primam concluſionem, vbi plura Diui Thomæ teſtimonia congerit. Carthuſ. quæſt. 4. Marſ. quæſtione 8. articulo 3. Aegidius Theorem. 46. de Euch. & omnes moderni: qui non afferunt aliud fundamentum, niſi quia modus exiſtendi in loco quantitatiuus & connaturalis corporibus eſt neceſſaria conditio ad huiuſmodi actiones & paſſiones: quia hæc naturalia agentia agunt per contactum. Et hæc ſententia mihi probatur, non videtur tamen æquè certa de actionibus, ſicut de paſsionibus.

Chriſti corpus in Euchariſtia pati non poteſt ab agentibus extrinſecis naturali virtute operantibus.

Dico ergo primò, corpus Chriſti, vt in Euchariſtia exiſtit, nihil pati poſſe ab extrinſecis agẽtibus, ſola naturali virtute operantibus. Probatur primò ex fundamento adducto, quod eſt probabile. Secunda ratio etiam probabilis adiungi ſolet, quia corpora non patiuntur naturaliter, niſi per quantitatem, ſicut è contrario agentia naturalia nõ agũt immediatè in ſubſtantiam, ſed in quantitatem: ſed corpus, prout in hoc ſacramento exiſtit, ſupplet vicem ſubſtantiæ panis, & ideò quantitas eius eſt etiam hic per modum ſubſtantiæ: vnde tantũ media quantitate panis actionibus externorum agentium ſubijcitur: ergo illa ſolùm poſſunt agere in hoc ſacramentum ratione quantitatis panis, non verò in corpus Chriſti, & in quantitatem eius im- **A** mediatè & ſecundùm ſe. Tertia verò ratio eſt, quæ mihi videtur potiſsima, & maximè rem declarans: nam huiuſmodi actio naturalis agentis, cùm ſit tranſiens, recipitur in paſſo, ſicut & terminus eius: omne autem quod recipitur, ad modum recipientis accommodatur; vt ergo talis actio poſſet recipi in corpore Chriſti, deberet recipi per modum eius, ita vt, ſicut ipſum eſt indiuiſibiliter præſens, & totum in qualibet parte, ita actio vel qualitas, quæ in eo fieret, acciperet ſimilem indiuiſibilem præſentiæ modum, & tota eſſet præſens in qualibet parte ſpatij ſeu ſpecierum ſacramentaliũ: ſed nullum agens naturale poteſt efficere actionem ſuam vel terminum eius cum tali modo exiſtendi: nam, ſicut corpus natura ſua poſtulat modum exiſtendi in loco extenſo, ita etiam qualitates, & paſsiones eius, &, ſicut hic modus ſacramentalis eſt ſupernaturalis corpori, ita & qualitatibus **B** & actionibus eius: agentia autem naturalia, nihil ſupernaturale efficere poſſunt virtute naturali: ergo non poſſunt efficere actionem, paſsionem, aut qualitatem cum tali modo: ergo abſolutè non poſſunt hæc efficere in corpore Chriſti in Euchariſtia exiſtente. Patet conſequentia, quia nõ poſſunt hæc fieri in corpore Chriſti ſine tali modo. Quæ ratio eadem ferè eſt cum illa, qua probauimus ſect. præced. non poſſe agens naturale mouere localiter corpus Chriſti, vt eſt in hoc ſacramẽto: & propter eandem dicebamus in ſuperioribus, qualitatem factã in corpore Chriſti in propria ſpecie exiſtente non poſſe per concomitantiam poni in hoc ſacramento ex ſola virtute agentium naturalium. Atque hinc vlteriùs ſequitur, inter heterogeneas partes corporis Chriſti, prout in hoc ſacramento exiſtunt, nõ poſſe eſſe mutuam actionẽ & paſsionẽ: quia om- **C** nes hic ſunt indiuiſibili modo, ſicut totũ: vnde & qualitates earum eodem modo exiſtunt, & ſi de nouo recipiantur, ad eundẽ modum recipi debent: & ideò, ſicut non poſſunt recipi in toto per virtutẽ naturalis agentis, ita neque in parte: igitur neque vna pars poteſt pati ab alia: eſt enim eadem ratio, cùm partes ipſæ etiam operaturæ ſint per ſolam naturalem virtutem. Atque hinc vlteriùs fit, corpus Chriſti, vt eſt hic, non poſſe nutriri, augeri, aut minui, tum, quia hæc non fiunt naturaliter ſine alteratione partium corporis Chriſti: oſtenſum eſt autem non poſſe alterari; tum etiam, quia non poteſt illi applicari nutrimentum per intuſſumptionem, prout ad vitalem nutritionẽ neceſſariũ eſt, &, quãuis fingamus, nutrimentum diuinitus applicari, oporteret exiſtere modo indiuiſibili, ſicut exiſtit corpus Chriſti: alioqui non poſſet eſſe intrà illud: **D** ſic autem applicatum non magis pati poſſet, quam ipſũmet corpus Chriſti: nõ poſſet ergo alterari, diſtribui, aut in corpus Chriſti conuerti: non poteſt ergo corpus Chriſti, vt eſt hic, naturaliter nutriri, & conſequẽter neque augeri, quia auctio intrinſecè requirit nutritionẽ; nec minui, quia diminutio requirit propriarũ partiũ alterationẽ. Vnde tandẽ fit, non poſſe Chriſti corpus, prout eſt hic, corrũpi ſeu interfici: quia, neque ab intrinſeco corrumpi poteſt, cum inter partes eius nulla poſsit eſſe actio, neque ab extrinſeco per alterationem: quia eſt illius incapax; nec per diuiſionem ſeu partium ſectionẽ: quia hæc nõ fit naturaliter, niſi per motũ localem, vel interpoſitionem alterius corporis, quæ neceſſariò ſupponit extenſionem in loco: præter hoc autem

tem modos nullus eſt alius, quo humanum corpus corrumpi poſsit. Et fortaſſe hoc ſenſu dixit Hugo de Sancto Victor. quem in ſuperioribus citaui, in nocte cœnæ fuiſſe corpus Chriſti in ſacramento impaſsibile: nam potuit hoc dici non propter dotem gloriæ, quam Chriſti corpus tunc nõ habuit, ſed propter modum exiſtendi, vt declaratum eſt. **A**

…bile eſt, … non … habere … trãſeũ…, vt eſt in …

Dico ſecundò. Probabile eſt, Chriſti corpus, vt eſt in hoc ſacramento, non poſſe naturaliter habere actionem tranſeuntem in extrinſecum corpus, quanquam hoc magis ſit dubium. Ratio meæ dubitationis oritur ex differentia inter agens & patiens: actio enim trãſiẽs & paſsio recipitur in paſſo, non verò in agente: vnde fit, vt neceſſariò recipiatur ad modum patientis, & conſequenter, vt participet modum exiſtendi eius: non eſt autẽ neceſſe, vt induat modum exiſtendi agentis: quia nõ eſt in illo, ſed ab illo: ab eo autem, qui exiſtit modo ſpirituali, poteſt manare actio corporalis extenſoque modo recepta in paſſo, quia, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. **B** Quanuis ergo corpus Chriſti ſit ſupernaturali modo in Euchariſtia, poſſet ab illo prodire actio non recipiens illum modum: ergo ex hac parte non repugnat, huiuſmodi actionem fluere à corpore Chriſti: hæc autem erat potiſsima repugnantia in ipſa paſsione: nam altera ratio de receptione paſsionis media quantitate, non habet hic locum: quia immediata ratio agendi non eſt quantitas, ſed qualitas aliqua: alia verò ratio de contactu quantitatiuo non videtur admodum vrgens: nam hic contactus non eſt per ſe ſimpliciter neceſſarius, ſed ſolùm, ſuppoſita imperfectione modi exiſtendi in loco, quem habent corpora: abſolutè tamen ſufficit virtualis contactus cum ſufficiente propinquitate per realem præſentiam, vt patet in agente ſprituali. **C** Igitur, quòd agens naturale nunc debeat eſſe extenſum, quanquam ex natura rei neceſſarium ſit, non tamen ex neceſsitate ipſius actionis, ſeu virtutis actiuæ, vt ſic, ſed ex neceſsitate materiæ, ratione cuius non poteſt corpus naturale alio modo naturaliter exiſtere. Hæc igitur eſt dubitandi ratio, quæ certè oſtendit, & prædictas rationes in præſente non conuincere, & rationem Nominaliũ quoad hanc partem eſſe probabilem. Nihilominùs probatur concluſio, primò, quia in re incerta non eſt recedendum à communi ſententia, quam grauiores Theologi ſequuntur. Secundò, quia de facto conſtat experientia, corpus Chriſti non alterare ſpecies ſacramentales ſub quibus eſt, nec corpus tangentis, aut recipientis ipſum, nõ eſt autem hoc tribuendum ſoli Chriſti voluntati, aut ſpeciali miraculo, ſi, ſuppoſito priori myſterio, poteſt huius **D** effectus probabilis & naturalis ratio reddi; non enim facilè ſunt multiplicanda miracula. Tertiò, quia probabile eſt, ſicut corpus, & qualitas naturalis, natura ſua poſtulant extenſum modum occupandi locum, vt exiſtere poſsint, ita eundem modum poſtulare, vt naturaliter agere poſsint: quia modus agendi conſequitur modum eſſendi; & quia materiale agens & patiens debent eſſe proportionata, & quia actio ipſa, cùm ſit materialis & extenſa, videtur eam conditionem poſtulare in agente proportionato, & eiuſdem ordinis.

SECTIO III.

Vtrùm Chriſtus prout eſt in hoc ſacramento, poſsit virtute naturali actus immanentes exercere.

Variæ opiniones circa hanc quæſtionem.

Diſtinguamus tres ordines horum actuum, ſcilicet, ſenſuũ externorum, internorũ cum appetitu ſenſitiuo, intellectus cũ voluntate: & ſupponamus, non eſſe hic ſermonem per concomitantiam, ſed per directum & primariũ vſum harum potentiarũ in hoc ſacramento. De ſenſibus ergo exterioribus Nominales citati ſectione, præcedẽte conſequẽter concedũt, poſſe hic Chriſtũ videre, audire, &c. quia, ſi ab alijs agentibus pati poteſt, multò faciliùs poterit recipere ab obiectis ſen- **B** ſibilibus intẽtionales ſpecies, &, ſi in alia agere poteſt, etiam actione materiali, multò magis poterit agere in ſeipſum actione, quodãmodo immateriali, qualis eſt ſenſatio. Alij verò conſequẽter etiã negãt, poſſe Chriſtũ in hoc ſacramento exercere huiuſmodi actus, & ſunt nõnulli, qui, etiã de potẽtia Dei abſoluta, negẽt id fieri poſſe: quia fieri nõ poteſt, vt corpus inextẽſum in loco videatur ab alijs: ergo etiam fieri non poteſt, vt ipſum alia videat.

Naturaliter nõ poteſt Chriſtus exercere actus ſenſuum externorũ, vt eſt in ſacramẽto Euchariſtiæ. Aegidius. Henric. Antoni.

Dico tamen primò, Chriſtus, vt eſt in hoc ſacramento, nõ poteſt naturaliter exercere actus ſenſuũ externorum. Ita tenet D. Thom. & alij autores, & præterea Aegidius Theorem. 16. Hẽric. quodlib. 5. q. 6. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 13. Et probatur duplici via iuxta principia poſita. Prima via eſt ex parte ſpecierũ, quia non poſſunt ſenſus Chriſti hic exiſtentis recipere has ſpecies ab obiectis externis: **C** ſine illis autem nõ poſſunt actus elicere, vt ſupponitur ex libris de Anima. Aſſumptum patet, quia pati nõ poteſt ab extrinſecis agẽtibus, vt oſtẽſum eſt: eadẽ autem ratio eſt de his ſpeciebus: quia etiã illæ natura ſua petunt extẽſionem in ordine ad locum: vnde etiã modus exiſtendi in hoc ſacramẽto eſt illis ſupernaturalis: vnde fieri nõ poteſt naturaliter ab obiectis. Secũda ratio ſumitur ex parte ipſorũ actuũ, idq; duplici titulo, ſcilicet, quia etiam hic actus eſt materialis & extenſus natura ſua: hic autẽ recipitur in corpore Chriſti modo indiuiſibili, & ſupernaturali; & præterea, quia hic actus eſt effectiuè ab ipſomet ſenſu, qui etiam eſt potentia materialis & extenſa. Vnde natura ſua requirit modum extenſum & diuiſibilem vt operari poſsit: de qua ratione plura ſtatim. Atque ex his rationibus fit, Chriſti oculum in hoc ſacramento, ſicut nõ poteſt alia videre, ita nec poſſe ſe ipſum, nec ſuum cor- **D** pus; & idem eſt de tactu & de quolibet alio ſenſu: nam rationes factæ eodem modo hic procedunt: quia, etiã reſpectu proprij corporis, non eſt aptus oculus hic exiſtẽs, vt immutetur per ſpeciẽ, neque efficiat actũ, neq; etiã vt tribuat illi modũ ſupernaturalem exiſtendi. Addi etiam poſſet alia ratio ex parte obiecti, de qua dicam ſectione ſequẽte. Alias verò addunt Henricus & Scotus ſumptas ex principijs perſpectiuæ, quæ in eis videri poſſunt.

Supernaturaliter poteſt Chriſtus in Euchariſtia externorũ ſenſuum actus elicere.

Dico ſecundò. De potentia abſoluta nihil repugnat, quominus ſenſus Chriſti externi hic exerceãt ſuas operationes, neque eſt improbabile id facere nunc circa obiecta propinqua. Nam primò ſuprà diximus veriſimilius eſſe habere hic Chriſtũ per concomitantiam ſpecies, & actus ſenſuum externorum

Universidad de Deusto Biblioteca

quos habet in cælo: sicut ergo hic recipit species distantium obiectorum, eorum scilicet, quæ in cælo quantitatiuo modo existens videt, ita posset recipere species propinquorum obiectorum, vel Deo per se illas conferente, vel eleuante obiecta ad efficiendas illas: in neutro enim horum est maior repugnantia, & vterque modus sufficeret ad sentiendũ per tales species, quantum est ex parte earum, etiã si Christus alibi non esset quantitatiuo modo, vel si ibi non reciperet tales species: id enim impertinens est ad operãdum hic per species hic receptas. Rursus eadem ratione posset Deus eleuare virtutẽ actiuam oculi, vel ad agendũ, sine extensione connaturali, vel ad efficiendum actum, dando illi modum indiuisibilem, & supernaturalem existendi: nam in hoc nulla est etiam repugnantia maior in actu hic directè facto, quã in actu, qui ponitur hic per concomitantiam: quia etiam ille fit à potentia, vt est hic, & similiter in ea recipitur, & in ea habet suum effectum formalem: nam in hoc etiam nulla potest esse difficultas, cùm talis potentia & actus ex natura sua sint ad hoc proportionata, & alioqui supponantur etiam hic habere diuina virtute proportionatum modum existendi indiuisibilem & sacramentalem: nulla ergo est repugnantia, aut difficultas, propter quam hoc fieri non posit, si alioqui obiectum ipsum per se sit sensibile, vt supponimus: nam interdum propter conditionem aliquam poterit esse insensibile; & tunc aliud erit iudicium ferendum, vt dicemus sectione sequenti.

Eodem modo loquendum est de sensibus interioribus ac de externis dictum est.

Atque ex his constat, quid dicendum sit de sensibus interioribus, & appetitu sentiente: nã de potentia absoluta idem dicendum est, vt facilè constat ex dictis: de naturali autem potentia aliqui existimant non esse eandem rationem de his sensibus, quæ de externis, saltem quoad eos actus exercendos, ad quos iam habent sufficientes species, seu phantasmata: quia in eis non pendent ab extrinsecis agentibus. Dico tamen, etiam si interior sensus Christi in hoc sacramento sit phantasmatibus, seu speciebus in actu primo constitutus, non posse naturaliter illis vti, neque actum secundum elicere: quia, licèt in sensu interiori, non procedat prior ratio facta de sensibus exterioribus, tamen posterior eandem vim habet: quia etiam actus secundus sensus interioris (& quoad hoc idem est de appetitu) est materialis, & naturaliter fieri non potest, nisi & à principio materiali & extenso, & cum modo etiam existendi quantitatiuo & extenso, & consequenter etiam in subiecto, eodem modo existente: quæ omnia deficiunt, supposita sacramentali existentia corporis Christi in sacramento.

Euasio aliquorum.

Respondent aliqui, hoc ipso, quòd interior sensus cum suis speciebus existit sacramentali modo, habere virtutem ad efficiendum actum sibi proportionatũ, & eodem modo existentem: quia ratione suæ naturę, & entitatis potest actus entitatem elicere: ratione autem modi existendi potest actui similem modũ communicare.

Impugnatur.

Sed hoc non rectè dictum est, primò quidem, quia suprà dictum est, materialem potentiam requirere extensionem in loco, vt posit suammet virtutem naturalem exercere, & per modum indiuisibiliter existendi in sacramento impediri, ne hoc etiam posit: ergo similiter sensus interior ratione modi existendi impeditur, ne possit vti naturali virtute actiua: ergo hac ratione neque actum quoad entitatem potest efficere. Secundò, quia hic modus præsentiæ non est actiuus sui similis, sicut vbi non est ratio agendi aliud vbi, sed, ad summum, est conditio, sine qua non: ergo modus præsentiæ sacramentalis, quem habet potentia, non dat ei virtutem ad efficiendum similẽ modum in actu. Eò vel maximè, quod hic modus, cũ sit supernaturalis, solùm inest rei materiali per potentiam obedientialem; & ideò à solo Deo, vel à creatura, vt instrumento Dei, fieri potest. Confirmatur tandem, quia aliàs corpus Christi hic existẽs posset calefacere naturaliter aliud corpus simili modo existens & sibi propinquum, vel ab illo calefieri, quod satis absurdum est, vt à fortiori constat ex dictis. Sequela patet, quia eadem proportione dici posset, calorem vnius corporis ratione suæ entitatis posse efficere similem calorem in alio corpore quoad entitatem illius; ratione verò modi supernaturalis, quem ipse habet, posse efficere alium calorem simili modo existentem: sicut ergo hoc falsum est & impossibile, ita id, de quo nunc agimus.

Idem iudi[illegible] est quoad h[illegible] de intell[illegible] & volunt[illegible] si non sup[illegible] natur ali[illegible] aliud mira[illegible] lum.

Vltimò constat ex dictis, quid dicendum sit de intellectu: nam in primis intellectus humanus coniunctus corpori, sacramentali modo existenti, vt sic non posset naturaliter nouas species acquirere: quia naturaliter solũ potest illas acquirere per sensus, corpus autem illud non posset vti sensibus, vt dictum est. Deinde præcisè vt sic existens, & secluso omni alio miraculo, seu supernaturali priuilegio, non posset vti speciebus priùs acquisitis; quia intellectus non potest naturaliter intelligere, neque vti speciebus, quas in memoria retinet, nisi cum conuersione ad phantasmata, id est, nisi simul phantasia cooperetur cum intellectu, vt experientia docet, & scientia de anima: ostensum est autem, in eo statu non posse esse vsum phantasmatum: ergo neque intelligibilia recipi: loquor autem de speciebus acquisitis: quia, si intellectus habeat species aliquas per se infusas, cum lumine seu auxilio proportionato, rectè potest illis vti sine conuersione ad phantasmata; & ideò bene posset illis vti Christus Dominus in hoc sacramento, sine nouo miraculo: quia ex parte ipsius intellectus, vel actus eius, nulla est repugnantia: nam, cùm sint supernaturales, naturale illis est, esse modo indiuisibili totum in toto, & totum in qualibet parte: vnde neque intellectus caret ex hac parte modo connaturali ad operandum, nec actus indiget aliquo modo supernaturali, vt de nouo fiat, etiam in sacramento. Atque idem dicendum est quoad naturales actus, & vsum specierum acquisitarum, si supponatur, animam informantem corpus aliunde habere supernaturalem vim ad intelligendas quascunque res, & quocunque modo, sine cõuersione ad phantasmata, vt censentur habere omnes animæ, quæ gloriosa corpora informant; & ideò dixit in principio, secluso omni alio miraculo, vel priuilegio supernaturali. Locutus sum etiã de intellectu, vt præcisè existente in sacramento: nã, si simul alibi existat naturali modo, vt nunc existit Christus, & extitit in nocte cœnæ; tũc, quia in propria specie potest cõuerti ad phantasmata, id satis erit, vt in sacramento posit exercere actus intellectus cum conuersione ad phantasmata in propria specie, idque non solùm quia illa conuersio ad phantasmata erit etiam per concomitantiam in sacramento, sed etiam si non esset, vel, priùs natura quàm

quàm sit, propter radicationem harum potentiarũ in eadem anima, & sympathiam earum, quæ sufficit ad prædictam conuersionẽ ad phantasmata sufficiẽtem ad intellectionem: nam distantia vel propinquitas localis ipsorũ actuum videtur nimis accidentaria ad hunc effectum: sicut varijs exemplis ostẽdi potest, quę superiùs dispu. 48. tractauimus.

SECTIO IIII.

Vtrùm corpus Christi, prout est in Eucharistia, posit naturaliter videri oculo corporeo.

Dictum est de omni genere actionis, & passionis, seu receptionis propriæ, superest dicendũ de passiuis denominationibus, quæ ad corpus Christi pertinent ratione actuum immanentiũ, qui circa illud versantur. In qua re non est difficultas de actibus appetitus: quia hi, neque immediatè pendent ab aliqua efficientia, seu impressione obiecti, neque repræsentant obiecta ipsa, sed solùm sunt veluti quidam motus in obiecta, supposita eorum cognitione: & ideò non est dubiũ, quin posit Christus amari & diligi prout est in sacramento, si eius cognitio supponatur: tota ergo difficultas versatur circa cognitionem; quæ hic tractabitur de sensitiua, in sequente verò sectione de intellectiua. In cognitione autẽ sensitiua omittendi sunt quatuor sensus exteriores: quia, cùm ex suprà dictis constet, Christum, vt hic est, non posse loqui, certum etiam est non posse audiri; in alijs verò tribus sensibus multiplicatio specierum non fit sine materiali contactu & actione, quam corpus Christi hic exercere non potest. Et, si aliquando possunt species huiusmodi tantùm intentionaliter multiplicari, vt in odoratu, eadem ferè ratio erit de illo, quæ de visu; & ideò de hoc sensu ferè omnes Theologi tractant præsentem quæstionem, ex cuius resolutione facilè etiam constabit, quid sit de interiori sensu dicendum.

1. Sententia.

Prima itaque sentẽtia affirmat, Christi corpus, vt hic existens, & cũ suo modo sacramentali, posse naturaliter videri oculo corporeo: diuinitus tamẽ nunc impediri propter fidem. Ita tenent Nominales citati sectione 3. eisdem locis. Fundátur, quia, vel ad videndũ non requiruntur species, vel Christi corpus potest illas efficere, sicut de quacunque alia actione transeunte ipsi opinantur, ergo in oculo sufficienter propinquo Eucharistiæ sufficiens erit virtus naturalis ad videndum ibi corpus Christi: ergo poterit videri: quia nihil est, quod posit exercitium illius virtutis impedire; quia neque ex parte ipsius oculi, neque ex parte medij potest aliquid huiusmodi asignari, vt per se constat. Neque ex parte sacramentaliũ specierum, vt suprà in commentario art. 7. ostensum est. Nec denique ex parte ipsius corporis Christi: nam, si quid esset, maximè modus ipse existendi: nihil enim aliud fingi potest: modus autem ille, licèt fortasse posit esse in causa, vt visio minus sit clara & distincta: nõ verò potest omnino illam impedire: quia solùm efficit, vt omnes partes corporis sint æquè propinquæ visui, & per eandem lineã, & non per vnã tantũ, sed per infinitas, prout Christus infinities in potentia existit totus in infinitis partibus: ex quo fit, vt æqualiter, & varijs modis multiplicẽtur species ab omnibus partibus corporis, quod non potest non parere aliquam confusionem in visione, ita vt non videatur Christus distinctè secundũ suam figurã, & organizationem; nõ tamẽ omnino impeditur specierum multiplicatio: & idò saltem videri poterit per modum cuiusdam obiecti lucidi. Sicut, si duo homines essent penetratiuè in eodem loco, nõ impediretur eorum visio, sed solùm, ne tam distinctè, & clarè vnusquisque videretur.

2. Sententia.

Secunda sententia est, naturaliter non posse videri corpus Christi in hoc sacramento, miraculosè tamen posse: ita sentit D. Thom. in 4. distinct. 10. quæst. 1. artic. 4. quæstiuncula 1. vbi loquitur de oculo glorificato, & negat ordinariè videre corp⁹ Christi in sacramento, per miraculũ autem posse: idem d. 11. quæst. 3. art. 1. ad 4. atque idem potest sumi ex hoc art. 7. ad 2. vbi D. Thom. ait, oculum Christi videre se ipsum sub sacramento existentẽ: & idẽ dicit in priori loco citato ex 4. ad 2. non est autem maior ratio de Christi oculo, quã de quocũque alio miraculosè eleuato. Vnde etiam Alens. 4. part. quæst. 40. memb. 3. ar. 8. §. 2. dicit B. Virginẽ speciali priuilegio videre hic corpus Christi; & de oculo Christi tenet idem Marsil. in 4. quæst. 7. art. 1. ad 4. & generaliter tenet eãdem opinionem Bonauent. d. 10. q. vltim. Scotus q. 9. VValdens. tom. 2. de sacramentis cap. 65. Vict. in sum. nu. 70. Soto, & omnes recentiores Thomistæ. Fundamentũ huius opinionis quoad priorem partem de potentia naturali sumẽdum est ex duabus sectionibus proximè præcedentibus, quoad posteriorem verò de potentia supernaturali, solum est, quia nulla est implicatio contradictionis, cùm Deus posit speciem & sufficientem vim actiuam dare oculo, & alioqui Christi corpus sit obiectum visibile, cùm sit coloratum, & lucidum.

D. Thom. Alens. Marsil. Bonauent. Scotus. VValden. Victoria. Soto.

3. Sententia.

Tertia opinio negat hoc posse fieri, etiam de potentia absoluta. Tenent Palud. & Capreol. distin. 10. q. vltim. Hispalens. ibi q. 1. ar. 3. ad sextũ, contra 5. conclu. Richar. art. 5. q. 2. fundamentũ esse debet, quia corpus Christi vt est hic, non est obiectum visibile. Hi tamen autores omnes non distinguunt inter corpus Christi, & modum existendi in sacramento, quod nobis videtur in primis distinguendum, vt distinctiùs quęstioni respondeamus: aliud enim est quærere, an corpus Christi cum modo sacramẽtali videri posit oculo corporali, aliud est, an, quanuis modus ipse sit inuisibilis, corpus tamen ipsum præcisè & secundùm se videri posit, non viso modo.

Palud. Capreol. Deza. Richard.

Modus existẽdi sacramẽtaliter, videri non potest oculis corporeis, etiam de potẽtia absoluta.

Dico ergo primò, Modus, quo hic existit corpus Christi, omninò inuisibilis est oculo corporali, non solùm ex natura rei, sed etiam de potentia Dei absoluta. Explicatur & probatur conclusio. Quia tribus modis potest aliqua res dici visibilis; vno modo, per accidẽs, sicut dicitur visibilis substantia materialis, & de hoc nõ est hic sermo, tum, quia esse aliquid isto modo visibile, est valde impropriũ: nã visus re vera nõ attingit, nec in se concipit, aut sibi repræsentat rem, quã solùm per accidens videre dicitur, sed videt formam, quæ cum tali re coniuncta est, seu quæ in tali re subiectatur; quia tamen videt per modum vnius, dicitur per accidens videre subiectum ipsum, aut aliam formam in illo inhærentem, aut hic attigit D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

art. 4. ad primum, hic autem modus sacramentalis non comparatur ad formam visibilem, vt subiectū eius: vnde hac ratione non potest per accidens videri: an verò videri per accidens possit vt forma simul coniuncta in eodem subiecto, coincidit cum alio mēbro quæstionis positæ, an possit videri corpus habens talem modum existendi, viso eius colore, & non viso ipso modo in se ipso. Secundo modo dicitur res proprisimè visibilis per se primò, tanquam proprium obiectum visus, vt lux, vel color, & hoc modo certum est, hunc modum nō esse natura sua visibilem: quia neque est color, neque lux: præter lucem autem aut colorem, nihil potest per se visum immutare. Quo fit, vt nec de potentia absoluta fieri possit, vt visus per se primò ac propriè in hunc modum feratur, vel ab eo immutetur, tanquam à proprio obiecto: quia omnino repugnat, vt huiusmodi vitales potentiæ extra sua obiecta adæquata ferantur: hic autem modus præsentiæ non continetur sub obiecto adæquato visus: quia, vt dictum est, & per se constat, neque est lux, nec per se lucidum, aut coloratum, sec est quidam modus per se conueniens substantiæ, vt sic, & concomitanter potens conuenire tam quantitati, quàm cuilibet qualitati. Tertio modo quasi medio potest aliquid esse visibile, nec omnino peraccidens, nec per se primò, sed per se secundò, tanquā sensibile commune; quo modo videtur motus, aut quies, aut magnitudo rei, &c. & ad hunc ordinem reuocanda est quantitatiua præsentia corporis visibilis, siue sub quantitate rei comprehendatur, siue (quod verisimilius videtur) ad motū & quietem reuocetur: nam hæc præsentia nihil aliud est, quàm ipsum vbi, à quo ferè non distinguitur motus localis, nisi vt fieri & factum esse, seu tanquam quædam successio diuersorum vbi; quies autem secundùm id positiuum, quod in ea esse potest per se visibile, nihil aliud est, quàm idem vbi perseuerans, quod nec videri potest nisi mediante colore, vel luce, nec omnino per accidens videtur, sed per se visu percipitur, vt experientia ipsa docet; videmus enim, hominē esse hic præsentē; & sedere, aut stare, moueri, aut quiescere, quæ in se videri non possent, nisi videretur etiam per se ipsa præsentia. De hoc igitur genere visionis, seu visibilitatis maximé apparere posset, esse visibilem modum præsentiæ sacramentalis, saltē quatenus modificat ipsum colorem, vel lucem corporis Christi: quòd autem neque hoc modo sit naturaliter visibilis, per se notum videtur, quia hic modus, neque est connaturalis coloris, neque color; sic effectus aptus est ad suas naturales actiones præstandas, & hoc à fortiori ex dicendis constabit. Quòd autem nec de potentia absoluta possit hic modus sic videri, probatur ratione proportionali suprà facta; quia sicut nō potest visus ferri ad per se primò videndum aliquid, quod omnino sit extra latitudinem proprij obiecti adæquati, ita non potest eleuari ad videndum per se secundò aliquid, quod omnino est extra latitudinem communis sensibilis: sed huiusmodi est modus præsentiæ sacramentalis, quæ sub nullo sensibili communi continetur; cum sit alterius ordinis à quātitate, & ab omni vbi quantitatiuo: imo hoc ipso, quòd hic modus est per se indiuisibilis, est etiam per se insensibilis, & extra ordinem rerum sensibilium: vnde per se potest conuenire substantiæ, vt substantia est: imò secundùm genus suum soli spirituali substantiæ, natura sua conuenit, diuinitusque communicatur substantiæ materiali, & consequenter accidentibus eius. Atque hęc ratio apud me etiam concludit, hunc modum existendi corporis Christi, seu corpus ipsum, vt tali modo affectum, non posse cadere secundùm proprium conceptum, vel secundùm propriam imaginem, aut repræsentationem in sensum internū, seu phantasiam, non solùm naturaliter, verùm nec supernaturaliter. Primum est per se euidens, quia nō magis potest formare imaginatio, qualis sit hic modus, quàm qualis sit substantia in se, vel qualis sit Angelus, vel præsentia eius. Secundum autem patet proportionali ratione suprà facta, quia hic modus est extra latitudinem obiecti adæquati imaginationis, vel sensus interioris. Item propter hanc causam non potest eleuari imaginatio ad formandū proprium idolum substantię vel Angeli, prout in se est: hic autem modus est quadam ratione eiusdem ordinis, cùm ex sua essentia solùm possit esse connaturalis substantiæ spirituali: ergo, &c.

Non potest Christus naturaliter videri vt in Eucharistia est.

Dico secundò, Naturaliter non potest videri corpus Christi in Eucharistia existens, præciso modo; imò probabile est, etiam de potentia absoluta id repugnare: prima pars est mihi certa, & satis clara. Primò, quia dictum est suprà, corpus Christi sic existens, nullam posse naturaliter habere transeuntem actionem: non igitur poterit sui speciem visibilem in medio, vel in oculo imprimere: non est ergo sic naturaliter visibile. Secundò euidentiùs, quia hoc ipsum, scilicet, videri obiectum non visa eius præsentia seu modo præsentiæ, est omnino præter naturas rerum, iuxtà quas non potest oculus videre suū sensibile proprium, nisi prout in re est affectum suis sensibilibus communibus, vt actus tali extensione vel præsentia. Maximè, quia nō potest sensibilis oculus videre, nisi per modum intuitionis: intuitiua autem cognitio, præsertim sensitiua, tendit in rem prout existentem, & secundùm omnes conditiones existentiæ: intelligi ergo non potest, quòd talis intuitio ita naturaliter tendat in rem, vt præscindat ab intrinseco modo realis præsentiæ. Atque hinc declaratur posterior pars conclusionis: nam, si oculus à Deo eleuatus videt corpus Christi, vel videt illud sub speciebus, vel abstrahendo ab omni loco & præsentia: neutrum autem horum dici potest: ergo. Probatur prima pars minoris, quia; si videtur corpus Christi sub speciebus, ergo formaliter & per se videtur, vt sub eis præsens: ergo videtur præsentia, quam sub illis habet: quia hæc est formalis ratio existendi ibi: nō potest autem per se videri aliquod quasi concretum, quin simul per se videatur forma, qua formaliter constituitur. Item, quia Christus sub speciebus nō videtur vt extensus: ergo non videtur pars eius sub parte specierum, & totus in totis: ergo videtur totus sub singulis partibus: ergo necesse est, vt modus præsentiæ videatur. Dices, diuinitus posse fieri vt videatur ibi, quasi extensus. Respondetur, aliud esse loqui de apparente visione, aliud de propria & vera visione, quæ repræsentat rem, prout re vera est in se: hoc enim loco de hac posteriori visione disputamus, hoc autem modo impossibile est, videri corpus Christi in sacramēto, & videri quasi extensum: quia, cū in se nō habeat talem extensionis modū, iam non videretur prout est in se: priori autem modo nihil repugnaret Deum imprimere in oculo speciem corporis Christi, per quā videretur, ac si esset presens & extēsum in tali distātia, vt notauit D. Thom. in 4. dist. 10. quæst. 1. ar. 4. quæstiuncul. 2. nam species visibilis non ita pendet ab obiecto, quin possit Deus per se solum illam efficere, & conseruare in oculo, neque actus visionis ita pendet ex vera præsentia & existentia obiecti, quin fieri possit ab oculo informato specie, etiam si obiectum in re ipsa non existat, cuius vestigium habemus etiam in naturalibus, in visione colorum apparentium in nubibus ex refractione lucis, & in speculo in quo videtur apparere obiectum per species in eo reflexas, ac si ibi esset, vel ipsummet, vel imago eius depicta, de quo genere visionis multa scribunt Scotus hic. distinct. 10. quæs. 5. & 9. & Durand. in prologo sententiarum quæstion. 3. Gab. quæst. 1. art. 3. dub. vltimo: sed nihil referunt ad præsentem quæstionem: quia vt dixi, nō agimus de apparēte visione, sed de vera, & quæ in obiecto, prout in reexistit, vere fundetur. Dices cum totum Christi corpus sit in singulis partibus specierum, fieri poterit, vt totum illud corpus, nō prout in singulis partibus existit, sed tantū prout est in toto, efficiat speciē sui ita vt prout est in vna parte specierum, efficiat per vnam partem, verbi gratia, per caput, & vt est in alia parte, per aliā, verbi gratia manum, & sic de alijs: atq; ita fiet, vt totū videatur, quasi extensum. Respondetur, argumentum procedere, ac si Christus existeret in sacramēto per partium penetrationem cum extensione aliqua, non autem ita est, sed existit altiori modo, & indiuisibili, vt suprà dixi: & ideo fieri nullo modo potest, vt videatur cū extensione, si videtur prout est in re: quare, etiam si fingatur, tantum partes corporis videri in partibus specierum, semper videbuntur, vt indiuisibili modo existentes, nunquam ergo videbitur totum vt extensum ex vi talis visionis.

D. Thom. Scotus. Durand. Gabr.

Superest probanda alia pars propositionis assumpte, scilicet per hanc visionem nō posse videri corpus Christi abstrahēdo ab speciebus, seu à loco specierū, quia videtur repugnare materiali sensui hoc modo abstrahere in actione & cognitione sua, primo, quia alias posset etiam eleuari ad videndum colorem in communi, abstrahendo ab hoc & illo individuo coloris. Secūdo, quia actus videndi intrinsece est visio intuitiua, aut per modū intuitionis: de ratione autem huiusmodi cognitionis est, vt tē dat in rem vt actualiter existentē, & sub cōditionibus existētēdi. Tertio: quia videtur impossibilis ille modus abstractionis: necesse est enim vt videatur corpus Christi, aut extensum: aut inextensum: neque inter hæc videtur posse dari medium, cum immediatā contradictionem includere videantur: nā licet dici possit, respectu ipsius rei includere huiusmodi immediatā contradictionē, & nihilominus respectu mentis posse considerationem vtrumq; præscindi, & rem solam considerari, nihilominus in potentia visiua, quæ valde materialis est, non videtur posse reperiri hoc mediū: quia ille modus præscindendi est valde spiritualis, & excedens capacitatē & obiectum oculi materialis. Dices, extensio in loco, seu præsentia realis, non est ratio, sed tantū conditio necessaria obiecti visibilis: ergo poterit Deus facere vt obiectū sine tali cōditione videatur. Aut è cōtrario, quia color corporis Christi de facto est affectus tali modo præsentiæ sacramentalis, & ad hoc eleuatur per diuinam potentiam; eadem ratione poterit eleuari oculus ad videdum colorem sic affectum: nam hoc ipso, quod ille est modus coloris, etiam si supernaturalis sit, videtur comprehendi sub latitudine communis sensibilis, seu visibilis quia est aliquid ipsius coloris: nec refert, quod sit quid supernaturale: quia diuina virtute potest potētia eleuari ad obiectum supernaturale, quādo illud comprehēditur aliquo modo sub naturali obiecto talis potentiæ; vt de intellectu constat. Propter has cōiecturas & similes, quę facile excogitari possunt, dixi tantum, hāc partē esse probabilem: quia implicatio contradictionis nō est tam aperta, quin possit aliquis cōtrariū opinari. Nihilominus, quod diximus, verisimilius videtur, & ad priorem partē respondeo, præsentiam obiecti non esse tantum cōditionem per accidens requisitam in obiecto visus sed esse obiectum per se visibile, tanquam sensibile commune, quod separabile nō est à sensibili proprio in actuali visione intuitiua, præsertim materiali & sensibili. Ad aliam partem respondetur; præsentiam sacramentalem nullo modo contineri sub obiecto sensibili, proprio vel communi: non enim præsentia, vt sic sed satis; ideſt extensa & quantitatiua est vnum ex sensibilibus communibus obiecti visibilis; & ideo sacramentalis præsentia, quæ indiuisibilis est, nullo modo sub hoc obiecto continetur. Nec refert, quod possit esse supernaturalis modus coloris: quia non omnis modus coloris est per se visibilis, vt patet de intēsione & similibus. Atq; hinc tandem constat, quid sit quoad hoc dicēdum de sensu interiori, seu imaginatione: quia in illa facile intelligi potest, formari idōlum corporis Christi, præscindendo à modo sacramentali, sed tunc non cognoscetur Christus in sacramēto, nec prout est in sacramento, sed tantum cognitione quadam abstractiua, ad quā impertinens est existentia Christi in sacramento, & ideo simpliciter dicendum est Christum in sacramento nullo sensu, etiam interiori, apprehendi posse, sed solum fingi aliquo modo quantitatiuo & extenso.

Responsio ad fundamenta primæ opinionis.

Ad fundamentum primæ opinionis respondetur ex supra dictis: supponit enim falsum quoad omnes partes, scilicet, vel quod species intentionales non requirantur ad videndum, vel quod illæ naturaliter fieri possint à corpore inextenso in ordine ad locum, aut quod præsentare possint talem modum existendi, aut corpus ipsum præscindēdo ab omni præsentia, & situ. Ad fundamentum secūdæ sententiæ negatur, corpus Christi tali modo existens esse obiectū visibile: neque enim satis est, quod sit coloratum, nisi existat modo accommodato visioni. Ad Diuum Thomam autem ibi citatum solum respondeo, in hac tertia parte nūquam illam sententiam docuisse. Solum indiget explicatione, quod hic dicit, oculum Christi videre seipsum sub sacramento: Capreol. enim dist. 10. quæst. 4. ad. 7. contra primam conclusionem, & Caietanus hic exponunt, oculum Christi videre se, non per se, sed per accidens, quod diuerso modo explicant: Caietan. enim ait, oculum Christi ita videre se, vt statim intellectus videat modum: sed hoc est gratis dictum, quia hoc non est videri per oculum Christum in sacramento, sed per intellectū. Et præterea, quia ostensum est, non posse oculum videre se in sacramēto non videndo modum, quia quoad

Capreol. Caiet.

hoc non est alia ratio de oculo ipsius Christi, quã de quolibet alio. Capreolus vero ait, videre Christum in hoc sacramento quædam corporalia signa quæ sunt testimonia præsentiæ eius, & sumpsit occasionem ex D. Thoma. tum à simili ex. 1. p. q. 12. articul. 3. ad 2. vbi hac ratione dicit, oculum beati quodammodo videre Deum, tum ex alia antiqua lectioni huius loci, quæ sic habet, *Oculus Christi videt se ipsum in sacramento, quantum pertinet ad intellectum*. Sed hæc etiam expositio est gratis conficta: nihil enim fingi potest, quid ibi videat oculus corporalis Christi, quod sit signum præsentiæ sacramentalis eius: neque enim videt absentiam substantiæ panis, nec subsistentiã accidentium, neque aliquem alium sensibilem effectum supernaturalem: quia re vera nullus est; & si esset, posset æquè videri ab alio oculo glorificato, & tamen Diuus Thomas plane constituit differentiam inter Christum & alios beatos. Adde veram lectionem non habere particulam illam, *Quantum pertinet ad intellectum*, nec congrue posse coniungi cum cætero contextu, nec cum intentione Diui Thomæ, qui aperte solum loquitur de corporali visione. Vera ergo responsio est, cum D. Thomas dicit, Christũ in sacramento videre se ipsum, illud, *in sacramento*, non esse coniungendum cũ obiecto visionis, quod significatur illa particula, *se ipsum*, sed cum oculo vidente, qui etiam sub sacraméto habet visionem sui ipsius non prout in sacramento est, sed prout in propria specie existit. Habet autem hic illam visionem, non per se primo hic elicitam, sed per concomitantiam: nam quia in cælo habet visionem sui, illa visio in sacramento per concomitantiam ponitur. Et ideo merito dixit Diuus Thomas, per hãc visionem videre oculum Christi se ipsum, non tamen modum, quo in sacramento existit: quod nõ ideo dictum est, quia oculus Christi videat se, vel corpus suum præcise, & abstrahendo ab omni modo præsentiæ localis: hoc enim diximus fieri non posse in corporali oculo: intelligendum ergo est, ideo oculum Christi videre se, non tamen modum sacramentalem, quia, videt se præsentem in cælo, & extensum in loco, prout ibi existit. Atq; hinc etiã optimè intelligitur ratio differentiæ, inter oculum Christi, & aliorum beatorũ: nam, *Christi oculus* (inquit) *videt se in sacramẽto, quia ibi est*, oculi vero aliorum beatorum non vident Christum in sacramento, quia ibi non sunt: quæ ratio aperte declarat, illã particulam, *in sacramento*, referendam esse ad oculum vidétem, non ad obiectum visum: sic enim ratio est efficax, & alio sensu esset impertinens: nam si obiectum esset in sacraméto videndum, & esset visibile ab aliquo oculo corporali, quid referre, quod oculi beatorum non essent in sacramento, vt illud videre nõ possent (cum necesse non sit, oculum videntem esse in eodem loco, vbi est obiectũ visum: igitur non est sermo de obiecto viso in sacramento, sed de oculo vidente in sacramento, seu (ad tollendam æquiuocationem) ex sacramento. Ratio autem huius necessario sumenda est ex concomitantia, vt dixi: nam, quia oculus Christi simul est extra, & in sacramento, ideo per concomitantiam habet in sacramento actum visionis, quem habet extra: oculi autem aliorum beatorum, licet sint extra sacramentum, non tamen intra illud: & ideo non habet in eis locum concomitantiæ ratio, & hanc expositionem significauit etiam D. Thom. in 4. distin. 10. q. 2. artic. 2. quæstiunc. 1. & 2. ad 3. AEgidius Theorem. 16. & 17.

SECTIO V.

Vtrum Christus, prout est in hoc sacramento, possit cognosci ab intellectu creato.

PRincipio supponendum est, non esse sermonem de cognitione fidei, quæ obscura est, & alterius testimonio nititur, nam per se cõstat posse hoc mystrium cognosci per fidem, non solũ diuinam & supernaturalem, sed etiam humanam, & naturalem, si quis velit ex humano tantum testimonio id credere. Imo non tantum fide volũtaria sed etiam fide coacta, seu necessitate intellectum, potest interdum naturaliter credi hoc mysterium præsertim ab angelo, secundum illud Iacobi, *Dæmones credunt, & contremiscunt*, sicut enim in alijs mysterijs fidei, euidentibus signis & miraculis, ac testimonijs cogũtur dæmones credere vera esse, quę fides docet, ita etiam in hoc mysterio, vt in hoc artic. 7. expresse docuit D. Thom. imo addit Bonauent. d. 10. q. vlt. ad 1. quem imitatur Vvaldensis. tom. 2. de sacram. c. 62. aliquando etiam intellectũ humanum, & sensibus coniunctum certis indicijs cognoscere, esse ibi corpus Christi. Quod idem, si solum intelligatur iuxta generalem doctrinã, qua probabile est, aliquos Sanctos, visis miraculis Christi habuisse euidentia in testificante mysteriorum fidei, non habet hic aliquid speciale: si vero intelligatur, aliquos cõsequi huiusmodi cognitioné per indicia aliqua, aut effectus, quos in ipsius sacramenti vsu experiuntur, in hoc sensu suspecta est illa doctrina, & plena periculi, nisi cautè intelligatur: quę enim sunt huiusmodi indicia præsentiæ Christi? sensibilia enim nulla sunt, & si quæ interdum sunt possent à dæmone causari; spiritualia vero in ipsomet sacramento nulla etiam excogitari possunt, in suscipiente vero interdum sunt aliqui boni motus quos posset Christus causare, etiam si in sacraméto realiter præsens nõ adesset, simpliciter ergo ex his effectibus nulla haberi potest rei euidentia, supposita tamen certa fide realis præsentiæ Christi, ex huiusmodi effectibus, adiunctis etiam Spiritus sancti donis sapientiæ & intellectus: fit hæc veritas ita euidenter credibilis, vt intellectus ferè non indigeat motione voluntatis ad illam credendam: quia ipsa experiẽtia & affectu ita inducitur intellectus, vt necessitati quodammodo videatur ad assentiendum: quanuis, re vera, nõ sit necessitas simpliciter, sed magna quædam promptitudo & facilitas.

Bonauent. Vvalden.

Secundo supponendum est, non esse difficultatem vllam de cognitione supernaturali euidente ac per se infusa: nam, vt in commentario diximus, duobus modis potest Deus infundere scientiam huius mysterij. Primo, per visionem beatam, quo modo nõ solum potest, sed etiam credibili est, omnes beatos videre in Verbo hoc mysterium, quanquam Gabriel lectio. 45. in Canonem in fine hic lemitet ad eos tantum, qui in via huius mysterij fidem habuerunt: sed mihi verisimilius est, hũc esse vnum ex effectibus diuinæ prouidentiæ, qui

Christus in eucharistia existens cognosci [illegible] supernaturali [illegible] est, [illegible] beatis [illegible] bus videtur. Gabriel.

ex generali perfectione status beatifici omnibus beatis patet in Verbo: magis enim hoc pertinet ad perfectionem illius status, quam videre genera & species rerum naturaliũ, quod omnibus beatis cõmune est: neque est credibile, omnes fere, qui in lege gratiæ saluantur, etiam si infimi ordinis sint, videre hoc mysterium in Verbo, angelos vero, & omnes antiquos Patres, etiam si sanctissimi fuerint, non videre illud, solum quia in via expressam eius reuelationem non habuerunt: sed de hoc latius alibi. Secundo modo potest supernaturaliter infundi scientia huius mysterij, infundendo speciem propriam, repræsentantem Christum in sacramento, & modum existendi, quem ibi habet, & modum, quo accidentia existunt; & vinculum, si quod est, inter Christum & accidentia panis, & dando lumẽ & auxilium vsui talis speciei accommodatum, & in hoc etiam genere scientiæ nulla est repugnantia: imo in 1. tom. ostendi, Christi animam habere illam, idemque piè credendum est de Beat. Virgine in statu gloriæ, de alijs autẽ beatis res est incerta, & hæc vocari potest sciẽtia perfecta in proprio genere.

Tertius tamen modus excogitari posset huius scientiæ infusæ, imperfectæ tamen in illo ordine, & per effectus: quę appellatur à dialecticis scientia, quia. Et quidem, si sunt aliqui supernaturales effectus, qui necessariam habeant connexionem cum hac reali præsentia Christi in sacramento, non est dubium, quin illa scientia sit possibilis: ergo tamen non satis capio, qui sint vel esse possint tales effectus, & ideo existimo, saltem de facto, nullus fieri à corpore Christi, vt est in sacramento, qui non possent fieri ab eodem, sine tali præsentia sacramentali; nisi forte quis dicat, ipsummet dependentiæ modum, quo nunc fluit sacramentalis gratia à corpore Christi, ita pendere essentialiter ab hac præsentia, vt quanuis ipsa gratia posset aliter fieri, non tamen ille modus dependentiæ, & ideo, cognito illo modo dependentiæ, prout in se est, ex illo posse à posteriori cognosci præsentiam Christi.

Sed hoc, licet acutum videatur, non tamen solidum: quia, licèt fortasse ille modus dependentiæ essentialiter pendeat à corpore Christi, non tamen à præsentia sacramentali: illa enim non est ratio agendi, etiam instrumentalis, sed solùm est cõditio requisita, non tam ex natura rei, quàm ex institutione diuina, Vnde, licèt illa dependentia dicat habitudinem ad corpus Christi, essentialiter tamen fortè nõ respicit illud, vt propinquum vel distans, & multò minùs, vt existés in hoc vel illo spatio. Ac denique licèt dicat habitudinem ad instrumẽtum creatum, fortasse ex vi rationis specificæ talis dependentiæ, non magis respicit hoc instrumentum, quàm aliud. Itaque nullum effectũ inuenio, ex quo possit hæc scientia à posteriori infundi. Vnde, seclusa euidentia in testificante, nullam existimo esse posse de hoc mysterio mere abstractiuam, & per extrinseca signa, secluso proprio lumine, & speciei ipsius mysterij. Et hæc de supernaturali cognitione.

Christus vt in eucharistia est, non potest cognosci euidenter lumine naturali.

Tertiò, de naturali cognitione supponendum est, id, quod à fortiori sequitur ex dictis, non posse Christi corpus in sacramento existens euidenter cognosci lumine naturali, cognitione abstractiua per signa vel effectus, quod quidem in intellectu humano corpori coniuncto per se notum est: accipit enim cognitionem per sensus; nullus est autem sensibilis effectus, qui ex præsentia corporis Christi in sacramento oriatur, ex quo, vel ipsamet præsentia, vel existẽtia ipsius corporis, vel absentia panis, vel subsistentia accidentium, probabiliter colligi possit, nedum euidenter. Quæ ratio, eadem proportione, potest ad intellectum separatum, seu angelicum applicari: quia similiter nullus est insensibilis, seu spiritualis effectus, ex quo in huiusmodi cognitionem deueniri possit.

Dubium.

Solum posset aliquis dubitare: quia angelus videt euidentia naturali, non esse substantiam panis sub accidentibus eius: ergo & videt accidentia esse sine subiecto, quod inde necessario sequitur, & ex eodem effectu potest satis manifeste elicere, ibi adesse corpus Christi. Primum antecedens patet ex Aristotele. 2. de anima dicente, visum, qui naturaliter cognoscit præsentiam lucis, percipere etiam tenebras, quod eadẽ proportione applicari potest ad omnem potentiam & obiectum, præsertim ad intellectum, qui per actum positiuũ potest aliquo modo cognoscere priuationem: intellectus ergo angelicus, qui naturaliter videt præsentiam substãtiæ, quando adest, videt etiam absentiam eius quãdo non adest, non solum per priuationem actus idest, quia caret intuitione eius (sicut contingit in corporali visu) sed etiam, quia per positiuum actũ cognoscit, ideo à se non videri, quia ibi non est: nã sibi est euidens, quod si adesset posset illam videre neque aliter cognoscit angelus absentiam aliarum substantiarum, quando corrumpuntur, nisi quia non videt illas in rerum natura existentes.

1. Solutio.

Respõdetur primum. Licet hoc concederemus de absentia panis, non esset magnum inconueniens: quia, licet illa carentia supernaturali modo fiat in hoc sacramento, tamen in se, & in facto esse (vt sic dicã) non est aliquid supernaturale, sed aliquid merè naturale: quia solum est negatio cuiusdam entis naturalis, sicut è contrario, licet Deus supernaturali modo produceret angelum per transubstantiationem vel hominem per resurrectionem, postea naturaliter posset videri, vt actu existens: idẽ ergo est proportionaliter de desitione. Vnde cõsequenter etiã nullum erit inconueniens, angelum cognoscere accidentia panis existere, & carere actuali inhærentia ad substantiã: nam vtrumq; hoc naturalis ordinis est: illud positiuũ, scilicet, ipsa actualis entitas accidentium, hoc priuatiuũ cuiusdam formæ, seu modi naturalis, qualis est actualis inhærentia accidentis. Quod, si hæc accidentia separata habẽt modum positiuum subsistendi, illum nõ oportet cognosci ab angelo: quia neque habet naturalem speciem eius, neque ex alijs effectibus sufficienter manifestatur: quia potest Deus varijs modis conseruare hæc accidentia sine actuali inhærentia ab substantia panis. Vnde etiam fit, multo minus hinc consequi, cognoscere angelum ex his effectibus præsentiam corporis Christi sub illis speciebus seclusa alia fide: quia hoc non sequitur immediate ex absentia panis: cum possit Deus illa accidentia conseruare omni substantia carentia.

Secundò dicitur, etiam ipsam absentiam substãtiæ panis, vel vini non esse satis euidentem angelo euidentia naturali: quia, quanuis sit euidens non videri ab ipso, tamen non est euidens, ideo non videri, quia non est, posset enim illa non videre, quia diuinitus

Universidad de Deusto Biblioteca

uinitus impediretur:poteſt ergo merito dubitare; vnde ſibi proueniat quod ſubſtantiã panis ibi non videat,an,quia non eſt;vel quia Deus ſecum non cõcurrat:neutrum ergo horum poteſt definite ac euidẽter iudicare.Vnde quoad hoc magna eſt differentia inter poſitiuam productionem ſubſtantiæ naturalis modo ſupernaturali,& deſitionem: nam productio habet terminum poſitiuum,qui per propriam ſpeciem & imaginem poteſt euidenter,& directè in ſe videri:carentia vero nõ videtur in ſe directe poſitiue:ſed per formalem vel virtualem diſcurſum,inferendo rem non eſſe,quia non videtur quæ illatio non ſemper eſt euidens:quando illa carentia cognitionis poteſt habere aliam cauſam eiuſdem rationis & ordinis.Vnde non eſt eadem ratio de omni alia abſentia ſubſtantiæ,quæ fit per naturalem deſitionem , ſeu corruptionem: quia ibi videri poſsũt cauſæ & principia corruptionis:& alioqui nulla videntur principia, ſeu naturales cauſæ, quę ad exiſtentiã talis ſubſtantiæ ſufficiant;&ideo euidens eſt,talem ſubſtantiam non eſſe:quia, licet poſſet cõtingere,vt aliter res ſe haberet,Deo ſupernaturali virtute impediente,vel immutante ordinem rerum naturalium,tamen hoc non tollit naturalem euidentiam,quando nullum eſt principium, vel fundamentum in natura ad ſuſpicandum , vel iudicandum,ibi interuenire aliquem ſupernaturalem effectum:at vero in præſente nullum apparere poteſt principium deſitionis huius ſubſtantiæ:imo aliunde videntur euidenter adeſſe ſufficientes diſpoſitiones,& cauſæ ad conſeruandam illam ſubſtãtiam,nullumque adeſſe principium ſufficiens naturale deſitionis eius.Vnde,fit euidens,illam non defuiſſe naturaliter,& conſequenter etiã eſt euidens carentiam intuitionis eius,non eſſe ſine aliqua ſupernaturali cauſa vel myſterio,& ideo non poteſt definite ſciri naturaliter,quo modo ſupernaturalis cauſa id effecerit;cum poſsit varijs modis illud pręſtare . Et hæc de cognitione per extrinſecos effectus.

Supereſt præcipua quæſtio de cognitione rei directa per propriam ſpeciẽ & naturale lumen,quodcunque illud ſit:poteſt autem de duobus dubitari quæ ſectione præcedente diſtinximus,ſcilicet,vel de præſentia corporis Chriſti ſub ſacramento, vel tãtum de exiſtẽtia eius in rerum natura:ſunt enim hæ duæ quæſtiones valde diuerſæ.Prima eſt,an angelus,verbi gratia,per ſpecies ſuas naturales poſsit naturaliter videre corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis,intuendo illud ibi.Circa quam multi affirmant,poſſe angelum virtute naturali cognoſcere euidenter & in ſe hoc myſterium,intuendo corpus Chriſti ſub ſpeciebus,& modũ exiſtendi, quẽ ibi habet.Ita tenet Scot.in 4.d.10.q. 8. Maior. q. 5.Palac. diſput. 3.concl.7.Ocham.in 4.q.5.Gab. lect.45.in can.AEgidius Theorem.16. Fundamẽtum huius ſententiæ eſt: quia nihil eſt in corpore Chriſti,prout eſt in Euchariſtia,quod latere poſsit naturalem virtutem angeli,præter modum exiſtẽdi:ſed hic non:ergo.Probatur minor primo, quia ille modus eſt res quædam finita:ergo non eſt, cur neceſſario excedat in ratione intelligibilis naturalẽ virtutem intellectiuã angeli.Secundo,quia,ſi quid obſtaret,maxime,quia ſupernaturaliter fit:ſed hoc non refert:quia etiam duo corpora ſe penetrantia in eodem loco ſupernaturaliter ita conſtituuntur, & tamen poſtquam ita ſunt,poſſunt ab angelo virtute naturali videri:ita vero ſe habent omnes partes corporis Chriſti hic,vt ſupra vidimus ex horũ autorum ſententia.Tertio,addũt hi autores, nihil creatum eſſe ſimpliciter ſupernaturale, ſed tãtum reſpectiue,ſcilicet;reſpectu huius vel illius naturæ vt in præſente modus hic exiſtendi,quanuis ſit ſupra naturam corporis,tamen abſolute non eſt quid ſupernaturale:quia non eſt ſupra naturam angeli: non ergo repugnabit ab angelo naturaliter cognoſci.Præſertim quia,ſecundum Scotum,angelus accipit ſpecies à rebus:poterit ergo accipere etiam à corpore Chriſti ſic exiſtente.Tandem maxime videtur vrgere argumentum de Chriſti anima:modus enim exiſtendi,quem in ſacramento habet,nõ eſt illi ſupernaturalis:quia naturale illi eſt,eſſe totã in toto,& in qualibet parte: ergo poterit angelus intueri animam Chriſti hic ergo & vnionem eius ad corpus:ergo & corpus ipſum,quaſi per concomitantiam,vt ſic dicam.

Quorundam opinio.

Scotus. Maior. Palacios. Ocham. Gabr. Ægidius.

Nihilominus dicendum eſt , non poſſe intellectum creatum virtute naturali videre modum exiſtendi,quem corpus Chriſti habet in ſacramento, & cõſequenter neque intueri corpus Chriſti,vt eſt ſub ſpeciebus , ſeu cognoſcere clare,quod ibi ſit: hæc enim omnia ſunt inter ſe cõnexa:quia ille modus eſſentialiter nihil aliud eſt,quã præſentia,quã hic habet,quæ præſentia eſt ratio exiſtendi hic, & ideo,niſi modus ipſe in ſe videatur,non poteſt clare videri corpus ſub ſpeciebus exiſtere.Hanc ergo concluſionem tenet D.Tho.hic,& Bonau.in 4.d. 10.q.vlt.Rich.ar.5.q.1.Durã.q.4. & Thomiſtæ omnes.Palud.Capr.Heruæ.Soto.Caiet. & Enric. quodl.11.q.12.Antonin.3.p.tit.13.c.6.§.13.Et probatur primo,ſupponendo,intellectum corpori coniunctum non poſſe accipere ſpecies à corpore Chriſti,vt hic exiſtit,vt ex ſupradictis patet,quia non poteſt recipere ſpecies,niſi per ſenſus : ſenſus autem non poſſunt immutari à corpore Chriſti,vt eſt hic:intellectum autem ſeparatum,non accipere ſpecies à rebus,ſed habere illas congenitas:& conſequenter ſolum poſſe naturaliter cognoſcere ea, quorũ habet naturales ſpecies congenitas,ſeu quorum ſpecies ei debentur ex natura rei,quod ſuppono ex prima parte.Tunc ſic, intellectus angelicus (& idem eſt de quolibet creato)non habet ex natura ſua ſpeciem illius modi,quo Chriſtus exiſtit in ſacramento:quia talis ſpecies non debetur ei ex natura rei:ergo non poteſt illum naturaliter cognoſcere:antecedẽs patet primo,quia ille modus eſt ſupernaturalis ſimpliciter,vt ſupra oſtẽſum eſt:nõ enim pertinet ad naturalem ordinem:angelo autẽ ſolum debentur ſpecies rerum pertinentium ad ordinem naturæ.Secundo,quia angelus,aut cognoſcit accidentia per ſpecies ipſius ſubſtantię,ſeu ſubiecti,aut per diſtinctas & proprias ſpecies : priori modo non cognoſcit hanc præſentiam ſacramentalem per ſpeciem corporis Chriſti naturalem,quia talis modus non habet coniuntionẽ naturalem cũ corpore Chriſti,ſed potius ex natura rei videtur illi repugnare,maxime comparando hũc modum ad quantitatem ipſam.Poſterior autem modus cognoſcendi accidens per propriam ſpeciem diſtinctam ab ſpecie ſubiecti,vel non eſt connaturalis angelo,vt multi putant,vel,ad ſummum,pertinet ad naturalem ordinem intelligendi,quando accidens tale eſt,vt conueniat ſubiecto ſecundum naturalẽ capacitatem eius,ita vt ex illo,& accidente reſul-

tet

Creatus intellectus naturali virtute nec modum,quem in Euchariſtia habet Chriſti corpus, nec corpus ſum ibi eſſe cognoſcere poteſt.

D.Thom. Bonauent. Richard. Durand. Palud. Capreol. Heruæ. Soto. Caiet. Enric. Anton.

tet,vnum compoſitum naturale pertinens ad naturæ ordinem.Tertio,quia ea,quæ poteſt angelus naturaliter intueri,quando exiſtunt,poteſt etiam naturaliter cognoſcere eſſe poſsibilia,antequã exiſtant,cognoſcendo eorum eſſentiam & naturã per proprias eorum ſpecies:ſed non poteſt angelus cognoſcere hoc myſterium eſſe poſsibile nec ſcire rationem & eſſentiam huius præſentiæ ſacramentalis,priuſquam fiat:quod ſi Deus decreuiſſet , nunquam hoc myſterium facere,fortaſſe nunquam aſcendiſſet in cogitationem angeli illud eſſe poſsibile:vnde Sancti Patres illud vocant ineffabile,& ſupra omnem intellectum.

Inſtas.

Dici autem poſſet,dupliciter poſſe angelum cognoſcere hunc modum;primo per ſpeciem quantitatis,quia per illã videtur quantitas corporis Chriſti exiſtens,& non cum proprio modo : ergo cum alio illi repugnante:ſunt enim hi duo modi immediate oppoſiti,nec poteſt vnus,niſi per alium, excludi.Sed in primis adhuc incertum eſt,an per illã ſpeciem videatur quantitas exiſtẽs ex vi ſolius exiſtentiæ,quam habet in ſacramento.Deinde illo dato,non recte infertur ex negatione poſitiuum , id eſt,ex eo,quod angelus non videat modum extẽſum,videre modũ indiuiſibilem,vt patere poteſt ex dictis ſectione præcedente,& conſtat etiam in humanitate Chriſti,quæ naturaliter videbatur exiſtens ab angelo;& in ea non videbatur modus propriæ ſubſiſtentiæ,& non propterea videbatur modus vnionis ad aliam ſubſiſtentiam,cum tamẽ duo illi modi,etiam ſint immediate oppoſiti , & vnus non niſi per alium excludatur.Et ratio eſt,quia licet reſpectu ipſius rei ita ſit,tamen reſpectu cognitionis poteſt per ſolam abſtractionem,ſeu præciſionem,vnum cognoſci ſine alio,ſicut paulò antea dicebamus interdum poſſe modum, ſeu proprietatẽ alicuius rei latere,ſeu non cognoſci,non quia in re non ſit,ſed quia cognitio ad illam non extendatur vel ex defectu virtutis,vel ex alio impedimento. Quocirca,cum hic modus ſit aliquid poſitiuum,& alterius ordinis à quantitate corporea,non eſt veriſimile,poſſe videri per ſolam ſpeciem naturalem quantitas abſq; alio principio . Secundo ergo modo dici poſſet,hunc modum præſentiæ conuenire in communi ratione ſua cum modo ſubſtantiæ ſpiritualis , quæ tota eſt in toto , & tota in qualibet parte,cuius angelus habet propriã ſpeciem;& hoc ſatis eſſe,vt angelus vtendo ſimul illa ſpecie, & ſpecie corporis poſsit cognoſcere illũ modum , vt exiſtentem in corpore.Sicut,ſi Deus poneret formam cæli in materia ignis,vel formam ignis in materia cæli:quanuis angelus non habeat vnam ſpeciem naturalem,repræſentantem illud compoſitum:coniungendo tamẽ ſpecies partium,& ſimul illis vtendo,poſſet illud cognoſcere:ſed in primis valde dubito de veritate exempli:quia , ſicut totũ non dicit tantum partes,ſed præterea vnionem earum,ita ad cognoſcendum totum,non ſatis eſt habere ſpecies partium,niſi adſit ſpecies,qua vnio earum repræſentetur:vnio autem inter materiam cęli,& formam ignis per nullam ſpeciem naturalem repræſentatur:præterea in præſente eſt ſpecialis ratio,nam hic modus præſentiæ in corpore Chriſti, licet ſecundum quandam communem rationem videatur conuenire cum ſpirituali modò angelorum,tamen re ipſa,in ſpecifica ratione eſt valde diuerſus:quia,re vera,eſt materialis,& habet extenſionẽ quãdo ex parte ſubiect,quãuis habeat in extenſionẽ in habitudine omniũ partiũ ad idẽ ſpatiũ ac tandẽ illud compoſitũ ex corpore & tali modo eſt omnino præter ordinẽ naturæ:vnde nec per vnã,nec per plures ſpecies naturales repræſentatur.

Reijcitur.

Alia Euaſio.

Reijcitur.

Reſponſio ad argumenta propoſita.

Ad fundamenta ergo reſpondetur.Ad primum negando conſequentiã,quia licet res ſit finita, hoc ipſo,quod ad ordinem naturæ non pertinet , ſatis eſt,vt excedat naturalem virtutem intellectiuam angeli.Dices,hactenus probatum non eſſe , hunc modum non poſſe cognoſci ab angelo ex defectu virtutis intellectiuæ ſed ex defectu ſpecierũ,quod videtur valde diuerſum:nam:licet demus huiuſmodi ſpeciem non eſſe angelo naturaliter debitam tamen,ſi illi detur,naturali virtute poterit illa vti ad cognoſcendum talem modum:non ergo deeſt illi virtus intellectualis propriè loquendo.Reſpondetur,hunc eſſe alium modum dicendi,& reſpondendi alijs fortaſſe probabilem;mihi tamen non probatur,nec videtur conſequenter dictum: quia, vt philoſophus ait,omni potentiæ paſſiuę naturali reſpondet potentia actiua naturalis;vnde ſi angelus haberet naturalem virtutem ad cognoſcẽdum hunc effectũ,deberet reſpondere illi aliquod principium naturale,quo poſſet capacitas eius naturalis in actum reduci,& conſequenter illi eſſet debita ſpecies , tanquam actus primus,& propriũ principium,quo poſſet comparare actum ſecundum: dico ergo,ſicut ſpecies eſt ſupernaturalis angelo, ita etiam requireret lumen intellectuale ſuperioris ordinis,quo poſſet tali ſpecie vti,vt latius in genere tractaui in primo tomo diſputando de ſcientia beata,& infuſa animæ Chriſti.Ad ſecundum reſpõdetur;hunc modum,non ſolum eſſe ſupernaturalem in modo,quo fit,ſed in ſe,& in facto eſſe:neq; eſt ſimile de penetratione corporum,vt ſepe dixi. Ad tertium reſpondetur,illud dogma eſſe falſum, ſunt enim multæ res ſimpliciter ſupernaturales, & hic modus ſecundum propriam ſpeciem ſuam nulli rei poteſt eſſe connaturalis:quia,neq; corporibus,vt per ſe conſtat,neque ſpiritibus,quia vt dixi eſt longè diuerſæ rationis à naturali modo illorũ.Ad vltimum de anima,probabile valde eſt poſſe angelum vel animam ſeparatam,videre animam Chriſti exiſtentem ſub ſpeciebus ſacramentalibus quoad ſubſtantiam eius,exiſtentiam,& localẽ pręſentiam , non tamen inde fit, poſſe videre corpus: quia ſũt res diſtinctæ,& nihil repugnat videri vnã non viſa alia,ſi in vna eſt impedimentum , & non in alia:de vnione vero ad corpus probabilius eſt non poſſe videri naturaliter,vel quia nõ poteſt videri non viſo corpore,vel certe, quia illa vnio ex natura ſua coextenditur corpori:vnde etiam reſpectu illius modus ille exiſtendi totam in toto,& in qualibet parte,eſt ſupernaturalis , & ideo ratione talis modi videri non poteſt prout eſt in ſacramento,nec repugnat videri animam cum ſua pręſentia locali,non viſa vnione:quia ſunt ex natura rei diſtinctæ ſicut humanitas Chriſti videtur exiſtens & præſens,non viſa vnione eius ad Verbũ,vt paulo antea dicebamus.

Dubium.

Hinc vero oritur ſecunda quæſtio ſupra propoſita,videlicet,ſi fingeremus,Chriſti corpus nõ exiſtere alibi in rerum natura,niſi in ſacramento,vtrũ angelus per naturalẽ ſpeciẽ,quam habet corporis Chriſti,poſsit naturaliter cognoſcere illud corpus exiſtere in rerũ natura,eſtò non poſsit cognoſcere

vbi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi, vel quomodo existat: autores enim nō tam distinctè hoc disputant, multi tamen ex citatis pro nostra sententia absolutè videntur negare omnē cognitionē corporis Christi ex vi talis existētiæ, & potest suaderi: quia visio rei existentis per propriam speciē non potest esse nisi intuitiua: visio autem intuitiua non satis concipitur, nisi res alicubi præsens videatur; quia hæc est cōditio maximè intrinseca & inseparabilis à productione, & existentia rei: non enim potest res produci, nisi alicubi producatur, & vt supra dicebā, cū cognitio intuitiua tendat ad naturalē existentiā vt sic, non videtur posse naturaliter separari à conditionibus necessarijs ad existendum.

1. Sententia.

Nihilominùs Caietan. hic art. 7. ad primum Scoti, sentit posse angelum per species & lumen naturale cognoscere existentiam corporis Christi, quā uis non videat modum, quem in sacramento habet idem significat AEgid. Theorem. 29. & potest declarari exemplo incarnationis, quo sæpe vsi sumus: nam dæmon videt Christi humanitatem existentem, præscindendo à modo subsistentiæ, vel vnionis: ergo eadem ratione posset videre corpus Christi existens, præscindendo à modo præsentiæ probatur consequētia: quia naturæ substātiali actu existenti tam intrinsecus est ex natura rei modus subsistentiæ sicut modus præsentiæ ipsimet substātiæ, vel quantitati, imo quodammodo videtur magis intrinsecus, quia est substantialis, & ad complementum substantiæ pertinens; & aliunde etiam tam necessarium est vt natura substantialis habeat alterū ex his duobus modis, subsistentiæ, vel vnionis, sicut est necessarium, corpus quantum habere hanc vel illam præsentiam: est ergo eadem ratio. Neque enim refert, si dicatur, præsentiam esse modum absolutum, & independentem ab alio vt subiecto, & termino, præterquā ab ipso corpore quāto; & ideo necessarium esse simul cum illo cognosci: modum autem autem vnionis esse quodammodo respectiuum, & dependere à Verbo, sine quo videri non potest: hæc enim differentia, quanuis quoad aliquid vera sit, parum referre videtur ad præsentem causam. Tum quia licet modus vnionis terminetur ad Verbum, potest fortasse videri, non viso Verbo intuitiuè, sed tantum abstractiue, sub ratione personæ terminantis illum modum vnionis. Tum etiam quia, licet concedamus, hoc titulo esse minus cognoscibilem modum vnionis virtute naturali, nobis satis est, quod etiam ratione supernaturalitatis, vt sic, cognosci non possit: & hæc ratio sufficit, vt possit videri natura existens, non viso vnionis modo: sed eadem ratio locum habet in modo præsentiæ sacramentalis: quia supernaturalis etiam est: est ergo eadem ratio; tum denique, quia argumentum illud ostendit, ex parte obiecti non esse repugnantiam, quominus naturaliter videatur existentia alicuius rei, non viso modo eius, siue absolutus sit, vt est subsistentia, siue respectiuus, vt vnio: ergo, si ex parte potentiæ est sufficiēs principiū ad videndū existentiā, & non modū, nō repugnabit, videri vnū non viso alio, siue ille modus sit absolutus, siue respectiuus, imo siue naturalis sit, siue supernaturalis, vel etiā si in re ipsa desit, siue non: nā etiā in natura habente propriā subsistentiā posset Deus facere, vt angelus videret existentiā talis naturæ, & non subsistentiā; vel non dādo speciē magis repræsentantē, vel non magis concurrēdo. Arq; hinc sumitur ratio à priori huius sententiæ, quia existētia & modus præsentiæ sunt ex natura rei distincta, & existentia est secundum se prior, & alioqui ex parte angeli est sufficiens principiū naturale ad cognoscendā existentiā, scilicet, species propria illius corporis, & naturale lumen, & non habet principium ad cognoscēdum modū præsentiæ, ergo potest naturaliter cognoscere substantiā, & existentiam talis corporis & quantitatē eius independenter à modo præsentiæ. Et cōfirmatur, quia intellectui, cū sit spiritualis potentia, non repugnat præscindere rem à modo, & existentiam à præsentia locali, siue illa cognitio vocetur simpliciter intuitiua, siue secundum quid: quia terminatur ad existentiam, vt actu exercitam, & secundū quid abstractiua, quia præscindit ab aliqua conditione existentiæ.

2. Sententia. Caiet.

Ægidius.

Approbatur & explicatur secunda pars.

Atq; hæc posterior opinio videtur efficacioribus niti fundamentis, & difficultatibus omnibus satisfacere. Solum addo, quādo corpus Christi existit, non solum in sacramento, sed etiam extrā modo naturali, & quantitatiuo, angelum per speciem eius naturaliter videre illud in propria specie existēs: quia rotum illud obiectum cadit sub illam speciem & proprium actum eius: vnde non posset tūc angelus lumine naturali per illam speciem cognoscere, corpus Christi alibi existere, quasi iteratum seu repetitum: quia in hac multiplicatione præsentiæ nō multiplicatur existentia substantiæ, vel quātitatis, sed est prorsus eadem: ergo angelus per naturalem speciem illius corporis, quatenus repræsentat existentiam eius, non potest cognoscere illam existentiam vt replicatam, seu per modum pluriū, sed præcisè vt vnā: rursum per illam speciem, quatenus repræsentare potest præsentiam localem, nō repræsentatur, nisi vna præsentia, scilicet, naturalis, nō autem sacramentalis, nec per illam, nec per aliam speciem, vt supponimus, ergo nullo modo potest angelus naturaliter cognoscere, corpus Christi esse in rerū natura, quasi bis existens, quod prius dicit, bis præsens, & consequenter, si alicubi videt illud præsens, scilicet, vbi est modo naturali, non potest naturaliter percipere, an alibi existat. Et hac ratione, loquendo de facto, nullus angelus potest lumine naturæ cognoscere existentiā corporis Christi, rationis sacramentalis præsentiæ, quia semper potest videre aliud in propria specie existens, si autem fingeremus, corpus Christi omnino amittere naturalem, seu quātitatiuam præsentiam, conseruata sacramentalis: tunc posset angelus per alium actum percipere, corpus Christi adhuc manere existens in rerum natura, quanuis ipse non videat, vbi sit.

DISPVTATIO LIIII.

De modo, quo Christus desinit esse sub speciebus sacramentalibus.

Disputatio 10. de Eucha. tertia.

DIsputationem hanc breuissimè attigit. D. Thom. in hoc ar. 6. cæteriq; Theologi per pauca de illa disputant, habet tamen non parum difficultatis: & ideo diligentius examinanda est, optimeque in hunc locum cadit, est enim hoc fere postremum, quod de hac Christi præsentia desiderari potest.

SEC-

SECTIO I.

An corpus Christi, cum in Eucharistia esse desinit, mutetur; acquirendo aliquid, vel amittendo.

Opinio.

PRima sententia esse potest, corpus Christi in huiusmodi desitione nullo modo mutari, sed mutationē totam fieri circa species, & ab ea denominari corpus Christi, desinēs esse sub speciebus. Hæc opinio tribuitur D. Thomæ hic, sed iam ostendimus, non esse hanc eius mentem: indicant eam Alens. 1. p. q. 45. memb. 1. artic. 2. Marsi. in 4. q. 7. ar. 1. ad. 6. Ledes. q. 17. ar. 6. dub. 5. & 6. & clarius Caiet. hic ar. 6. Fundamētum esse potest, quia ad illam denominationem sufficit mutatio facta in speciebus, sicut sufficit in Deo, vt dicatur desinere esse in creatura; & alioqui est hoc magis consentaneum perfectioni corporis Christi, quod impassibile est, & immutabile. Et confirmatur, quia non potest explicari, qualis sit hoc mutationis genus.

Fundat.

Secunda sententia est extremè cōtraria, scilicet, corpus Christi ex vi huius desitionis mutari quadam mutatione substantiali ex genere suo: quia ex vi huius desitionis amittit, non solum præsentiam localem, sed esse simpliciter, si alibi non existeret, quod est per accidens ad intrinsecam rationē talis mutationis: ratio autem huius est, quia corpus Christi ex vi huius desitionis non transfertur in alium locum: ergo ita desinit esse hic, quod, si alibi non esset, simpliciter desineret esse: ergo talis desitio ex se, est desitio existentiæ substantialis: quia repugnat substantiam manere & non alicubi existere. Et confirmatur ex supradictis de conuersione & effectione huius sacramenti, diximus enim, hic poni corpus Christi per substantialem actionē quæ, re vera, dat substantiale esse, & denuo daret, si alibi non esset, quod ei accidentarium est: ergo eodem proportionali modo philosophandum est de desitione: quia resolutio compositioni opponitur cum proportione debita, & ita illud esse amittit corpus Christi per desitionem in hoc sacramento, quod per effectionem eius acquisierat, quātum erat ex vi actionis.

2 Opinio.

Tertia sententia est, Christum desinere esse sub speciebus per mutationem localem, qua ex hoc sacramento in alium locum transfertur, scilicet in cælum. Quo fit, vt hæ mutatio non sit tantum priuatiua; sed acquisitiua alicuius loci. Tribuitur Marsi. d. q. 7. art. 2. sed falsò. Ledes. etiam tribuit Canonistis, quia interdum dicunt, Christum auolare in cælum, vt patet ex Glossa in c. Tribus gradibus de cons. d. 2. sed illa locutio recte potest per metaphorā intelligi, vt auolare dicatur in cælum, quia ibi tantum manet, sicut è contrario dicit interdum Gregorius aperiri cælos, & Christum descendere, quādo Eucharistia consecratur. Non defuere tamē moderni Theologi, qui hanc sententiam publice defenderint, ac docuerint, qui consequenter aiebant, Christum ex sacramento ascendere in cælum motu continuo, habereque præsentiam in cælo toties repetitam, quoties Eucharistia consumpta est post institutionem eius. Fundamentum est fere idem, q. seūdæ sententiæ, licet diuerso modo: quia nisi corpus Christi hoc modo mutetur, necesse est fateri, illud substantialiter mutari, quantum est ex vi huius mutationis, & consequenter, vel annihilari, vel conuerti in corpus humanum, aut aliam substantiā vtrumque autem est valdè absurdum: sequela probatur argumentis seūdæ opinionis. Et declaratur præterea in hunc modum: quia in Eucharistia non solum est præsentia, sed est substantia corporis, vt subiectum præsentiæ: ergo, si per hanc desitionem perditur præsentia, & corpus non alio transfertur non solum destruitur præsentia, sed ipsa etiam substantia.

3 Opinio.

Dico primo, Corpus Christi non desinere esse sub speciebus sine aliqua mutatione facta in ipso. Probatur primo, quia præsentia realis est aliquid in corpore Christi, vt in proprio subiecto, quod intrinsecè afficit: sed amittit hanc præsentiam: ergo amittit aliquē realem modum se intrinsecè afficiēntem; ergo aliter se habet: quā prius ergo mutatur. Secundo hac seu proportionali ratione supra ostēdimus Christi corpus non poni in sacramento, sine aliqua mutatione in ipso facta, qua aliquid acquirit, quod antea non habebat: sed similiter amittit hic aliquid, quod antea habebat: ergo mutatur. Tertio, Christi corpus de potentia absoluta posset desinere esse præsens sub speciebus sacramētalibus nulla facta mutatione in ipsis speciebus, neque succedente ibi aliqua alia subitantia; nulla enim in hoc potest excogitari implicatio contradictionis: sed tunc desineret esse per sui mutationem: quia non esset facta mutatio in alio, à quo posset denominari ergo & nunc mutatur. Probatur consequētia, quia re vera, idem nunc amittit, quod tunc amitteret, & nihil minus: & in hoc consistit ratio mutationis. Quod autem cum hac coniungatur, vel non coniungatur mutatio specierum, accidentarium est, pendens ex institutione diuina: vnde non variat rationem mutationis in ipso corpore Christi. Quarto, à priori patet, quia in corpore Christi mutatur relatio propinquitatis vel distantiæ ad alia corpora, nulla facta mutatione in terminis: ergo oportet vt mutatio fiat in ipso fundamēto, & corpore Christi, quia mutatio in solis speciebus non satis est, cū quia per se ac formaliter non est necessaria, vt ostēdi, tum etiam, quia sola non sufficit, vt patet, si corruptis, vel mutatis speciebus, adhuc vellet Deus conseruare præsentiam corporis Christi, vt sine controuersia facere posset. Quinto declaratur ex eo, quia anima rationalis, quando abscinditur pars corporis, & ibi esse desinit, nam illa desitio non fit sine aliqua mutatione facta in anima, per quam amittit partialem vnionem, & præsentiam: ergo simili modo philosophandum est de corpore Christi. Vltimo declaratur ex differentia, quæ est inter Deū desinentem esse in creatura illa destructa, & corpus Christi desinens esse sub speciebus: nam licet Deus desinat esse in creatura, non tamen desinit esse ibi, vbi erat creatura: hoc enim conuenit Deo ratione immensitatis, quæ est immutabilis in ipso, quod ex relationibus distātiæ, vel propinquitatis à posteriori intelligitur, nā omnes creaturæ eandē retinet habitudinē propinquitatis ad Deū, præter illā, quæ desinit esse, cui si aliqua succesisit, tam intime est coniuncta Deo, vel Deus in ipsa, sicut quę anteceserit: si autē nulla illi succesit (vtpote quę annihilata fingitur) ita manet Deus in se dispositus, vt sine sui mutatione, possit esse in creatura, quotiescunque ibi fiat: qua ratione dicitur Deus mane-

Aliqua mutatio est in Christi corpore desinente esse sacramentaliter

re

Universidad de Deusto
Biblioteca

re in illo spatio imaginario, quod creatura replebat. Atque hinc etiam est, vt non possit Deus desinere esse in creatura, nisi illa mutetur, etiam præcisa per intellectum ratione causalitatis, & præcise considerata immensitate: ratione cuius impossibile est, quin Deus maneat, vbicunque manet creatura: hæc autem omnia longe diuerso modo contingunt in corpore Christi: quia non solum desinit esse in speciebus, sed etiam desinit esse ibi, vbi erant species, seu (quod idem est) desinit esse in re genita ex speciebus; &, si illæ iterum ibi reproducerentur, non inciperet esse in illis ex vi prioris præsentiæ, sed necessaria esset noua consecratio; & ideo, & mutantur relationes in ipso corpore Christi, & vt ibi esse desinat, non sufficit (ex natura rei loquendo, & seclusa institutione) nec simpliciter necessaria est specierum mutatio, vt ostendit: est ergo necessaria mutatio in ipso corpore Christi; & ita obiter satisfactum est fundamento primæ sententiæ.

Christus nihil acquirit per hanc mutationem.

Dico secundo, Christus per hanc mutationem nihil omnino acquirit, sed amittit tantum præsentiam sacramentalem: est itaque hæc mutatio priuatiua tantùm, non acquisitiua: hoc videntur supponere Theologi omnes; distinctè verò id attigit Palud. distinctione 9. quæstion. 1. Maior. distinctio. 10. q. 6. dubitat. vltim. Marsil. quæst. 7. ar. 1. in fine. Gabr. lectio. 84. in Canon. Ledesma dicto dubio 5. Et patet rationibus factis sectione præced. omnes enim probant, Christum amittere aliquid per hanc mutationē, non autē acquirere. Deinde nihil probabiliter cogitari, aut affirmari potest, quod, re vera, acquirat; & quoniam de rebus omnium prædicamentorum, præter vbi, id est per sē notum, & à nemine contrarium est affirmatū, ideò de solo vbi probatur primo. Quia, si Christus cū desinit esse sub speciebus sacramentalibus acquirit aliud vbi, vel illud est proprium, & quantitatiuum vel est eiusdem rationis cum præsentia sacramentali, ita vt in illo sit totus in toto, & totus in qualibet parte modo indiuisibili. Hoc posterius est omnino alienum à doctrina fidei, quæ sicut tantum docet, Christum esse hoc modo sub speciebus panis, & vini, ita implicitè & virtute negat, alibi habere huiusmodi genus præsentiæ: aliàs etiā posset quis fingere, vel Christum manere cum eodem modo existendi, vbi erāt species panis, simul cum alia re ibi genita: quia non est maior ratio ad fingēdum, manere alibi cum illo modo existendi, quam ibi; & similia deliramenta facile fingi possent. Quapropter in huiusmodi rebus doctrina fidei, quæ aliquod singulare affirmat, habet vim exclusiuā. Si autē dicatur primum, scilicet, Christum hinc transferri in alium locum, vbi connaturali seu quantitatiuo modo existat, inquiram rursus, quis nam sit ille locus, an cælestis, quem nunc habet, vel aliquis alius. Ad quod in primis nihil potest cum fundamento responderi: quia, quicquid dicatur, nec ratione probari, nec testimonio vllo confirmari poterit. Deinde potest facile impugnari, nā si quis gratis affirmet, illum locū esse distinctum ab illo loco cælesti, quē Christus occupauit per ascensionem suam, sequitur, nunc esse actu Christum circunscriptiue seu quātitatiuè in pluribus locis, imo in tot locis, quot fuerunt consecrationes Eucharistiæ factæ post ascensionem eius in cælum: nam quia ratione dicitur semel fuisse translatum in locum diuersum, eadem

Palud. Marsil. Gabriel. Ledesm.

rationem dicēdum erit, semper ita fieri. Si vero alia pars eligatur, eodem modo inquiri poterit, an in illo loco existat modo diuerso, seu sitibus diuersis; & hoc habet fere idem inconueniens, & præterea non potuerunt non sequi indecentissimi situs in corpore Christi, vt cuilibet rectè cogitanti facile patebit. An vero existat prorsus eodem modo & situ, & adhuc inquiram, an in illo habeat plura vbi, seu plures præsentias omnino similes in specie, & in habitudine ad spatium, numero tamen diuersas. Et hoc est quodammodo maius miraculum, quàm simul esse circunscriptiue in pluribus locis; & spatijs distinctis, vt patet ex supra tractatis disp. 48. Et præterea est miraculum prorsus inutile, & sine fundamento. Aut tandem dicitur, cum ad cælum peruenit, ibi postea manere in eodem situ, & cum eodem vbi, quod antea habebat; & hoc nihil prorsus est, sed videtur contradictio: nam inde concluditur, per hanc desitionem nihil denuo acquirere, quod intēdimus: solum enim retinet idē vbi, quod ante consecrationem habebat: quomodo ergo dicitur illuc translatus ex sacramento? Itē, quia in vllo vbi cælesti nulla est facta mutatio iuxta hāc responsionē: ergo non est terminus ad quem alicuius mutationis, nisi forte quis dicat, in illo vbi cælesti additas esse plures dependentias, quod est prorsus impertinens: quia neq; aliquid confert ad amittendam sacramentalem præsentiam, quod vbi cæleste fiat per vnā, vel plures actiones; neque ad aliquid aliud id vtile est, neq; talis miraculi est aliquod fundamentū, aut vestigiū, sicut de alijs dictū est. Adde præterea, similē discursum fieri posse ex parte ipsius motus, seu transitus ab vno loco in alium: nam vel est discretus, sine transitu per mediū, & hoc modo, re vera, nullus est transitus: quia in instanti, in quo primū desinit esse Christus sub speciebus sacramentalibus, Christus non est in medio, vt nunc responsum est: neque etiam in vltimo termino habet nouum vbi, vt precedente discursu conclusum est: ergo nullus est transitus: vel est motus continuus per medium, & tunc inquiro, quomodo Christus est in medio, postquam desinit esse sub speciebus: quia nec potest esse modo sacramentali, nec quantitatiuo, vt patebit applicādo priorem discursum factū. Præterea ex termino ad quem posset discursus fieri non admodum diuersus: nam, cum in termino ad quem sit Christus totus in toto, & totus in qualibet parte, & aliquādo sit in vna hostia cōtinua, aliquādo in diuersis, vel propinquis, vel loco distātibus, inquiri poterit, an amittendo has omnes præsentias habeat semper eandē mutationē acquisitiuā, vel diuersam: quod sit semper eadem, nō videtur dici posse propter rationes factas in primo discursu, & quia termini à quib⁹ sunt valde distincti, & interdum distantes, & nullam habent cōnexionem necessariā cū aliquo termino positiuo: sit vero dicantur esse diuersæ, non poterit dici, an ex singulis hostijs, siue distātibus, siue propinquis discedat per distinctas mutationes positiuas, nec ne, vel si ex singulis hostijs, cur nō ex singulis partib⁹ eiusdem hostiæ, aut si ex diuisis partibus, cur nō ex coniunctis, cum in vtrisq; æquè sit totus Christus, aut si ex singulis etiam coniunctis, quomodo non procederetur in infinitum, itaq; nihil solidum, nihil firmum affirmari posset. Ac deniq; de nocte cœnæ, quando Christus nondum erat in cælo, inquiram, quo transiuit, quando, consumptis speciebus panis

per

per calorem naturalem, desijt esse sub illis: nihil enim video, quod responderi possit, quod non malè sonet in fide: nam quis audeat cogitare, nedum dicere, Christum, quando à Iudæis tenebatur, & cruci tradebatur, alibi simul fuisse?

Tertia hæc conclusio est priuatiua loci.

Dico ergo tertiò, hanc mutationem tantùm esse priuatiuam loci mutationē, seu, quasi localem. Hæc conclusio sequitur ex dictis, & partim etiam suadetur argumētis secūdæ sententiæ: nam præter Sanctorum omnium, & Theologorum mentem est dicere, fieri in corpore Christi mutationē aliquā substantialem; neq; id videtur decens, & consentaneū dignitati illius corporis, etiam si non dicatur reipsa amittere aliquid substantiale, sed solum quantū est ex parte definitionis: relinquitur ergo tantùm esse mutationem localem: nam de alijs mutationū generibus nulla est dubitandi ratio: ostensum est autē non esse mutationem positiuam: erit ergo tantùm mutatio localis priuatiua. Deinde (vt simul soluamus fundamenta secundæ & certiæ opinionis) constat, hanc mutationē non esse impossibilem, & esse sufficientem ad hoc mysterium. Primū patet exemplis naturalibus: nam angelus existens in loco adæquato potest relinquere partem eius, & in alia parte manere, nihil de nouo acquirēdo, & tūc sit in eo aliqua mutatio: nam aliter se habet, quàm prius, & tamen illa nō potest esse nisi mutatio localis, qua amittitur, & non acquiritur aliquid loci, idemq; erit, si fortasse angelus simul esse potest in partialibus locis distantibus, nam potest vnū omittere, & in alio solo manere. Idem etiam est de anima, quæ vnā partem corporis amittit: nam, re vera, aliquo modo mutatur, cùm aliter se habeat, quàm prius, & tamen nihil acquirit, sed perdit: quanquam (quia anima non amittit tantùm præsentiam localem, sed etiam partialem vnionē, quæ modus substantialis est) ex hac parte dici illa potest substantialis mutatio, tamē puræ priuatiua. Alterum membrum assumptum patet: quia omnes rationes, quibus suprà probauimus, mutationem hic fieri in corpore Christi, non probant de alia mutatione: ergo hæc sufficit. Item, quia Christus, vt existit in hoc sacramēto, non pendet ab speciebus, nisi quoad præsentiam, non verò quoad substantiæ conseruationem, vt supra dictum est. neque in eo aliquid aliud permanent, quod fuerit de nouo per cōsecrationem ei additū: ergo nihil aliud amittitur per desitionē, sed amissio præsentiæ est quædā localis mutatio purè priuatiua, vel quasi localis (ne sit quæstio de nomine iuxta superiùs explicata) ergo.

Dubitandi ratio.

Solùm superest respōdere, quid fieret in eo casu, si Christus non esset in propria specie, sed tantū sub vna hostia, & ibi esse desineret. Ledesma non malè respōdet, hypothesim esse impossibilē iuxta præsentem institutionem, & ideò casu posito, petēda esset alia institutio, quæ talis esset, qualem Deus vellet. Addit verò Marsilius ex vi talis desitionis non desituram Christum in rerum natura, sed in aliquo loco: in quo tamen, vel quomodo; fortasse penderet ex ipsius Christi arbitrio, qui fortasse tunc necessario eligeret alium locum, quod est etiam rebus ipsis naturalibus & exemplis suprà adductis consentaneum: nam, quando angelus existit in duobus locis partialibus, facilè potest vnum dimittere per mutationem purè priuatiuam; si tamen sit in vno tantùm, non potest totum illum dimittere, quin acquirat alium, quia non potest seipsum in nihilum redigere: sic ergo in præsenti philosophandum est.

SECTIO. II.

Vtrùm Christo desinente esse sub speciebus sacramentalibus semper aliqua substantia succedat.

Quorundam placitum.

NOnnulli autores docuerunt, recedere corpus Christi ab speciebus sacramentalibus, etiā si in eis nulla mutatio facta sit, quæ ad introductionē nouæ substantiæ possit esse sufficies: quod duobus modis assertum est: primo, semper ita fieri, quotiescunq; homo accedit ad sumendū hoc sacramentum: quia statim ac species ore sumētis attinguntur, vel saltem statim ac in stomachum traijciuntur priùs, quàm alterētur, Christus recedit. Ita sentit Gloss. c. Tribus gradibus. de Consecrat. d. 2. nec cēset improbabile Bonau. in 4. d. 13. art. 2. q. 2. saltem, finita manducatione, ante specierum alterationē, & fauet Hugo de Sāct. Vict. lib. 2. de sacram. p. 8. c. 13. Innoc. lib. 4. de hoc mysterio. c. 15. citantur etiā Ambro. lib. 1. de sacram. c. 4. & Aug. serm. 28. de Verbis Dñi, quia dicunt, *Panis iste non est ille, qui vadis in corpus, sed ille, qui animæ nostræ substantiā fouet.* Secundus modus asserendi hāc sententiā est, hoc non esse regulare, sed in aliquibus casibus ita fieri, quando videretur indecēs, corpus Christi manere sub speciebus; etiam si nō sit in eis facta alteratio sufficiens ad panis, vel vini corruptionem, vt quando hostia consecrata in locum immundū projicitur, aut quando à mure comeditur; & in hūc modum magis inclinat Bonaucnt. suprà, & Glossa. 1. ad Corinth. 11. & Vvaldensis tom. 2. de sacramentis. c. 60. qui solùm videtur in quadam pietate fundari iuxta hoc ergo dicēdi modos videtur planè sequi, deferere Christum interdùm sacramētales species, etiam si nulla substantia in eis succedat, quanquam non defuerunt, qui dicerent, Deum tunc esse eis creare substantiam panis & vini, vel eandem numero, quæ anteà fuerat, reproducere, quod probabile iudicat Mag. st. d. 13. & Innocen. lib. 4. c. 11.

Vvaldenſe.

Magiſt. Innocen.

Nūquam ſpecies deſeruntur à Chriſto niſi ſuccedente aliqua ſubſtantia.

Dico primo, nūquam corpus Christi deserere sacramentales species, nisi, quādo ibi succedit alia substantia in qua subiectetur quantitas, quæ manet, sit que sit eadem omnino, siue alia similis. Hæc est certe communis sententia Theologorum, quam significat D. Thom. hic art. 7. infrà. quæst. 80. art. 3. clariùs in 4. distinct. 9. quæst. 1. art. 2. quæst. unicula 2. & ibi Albertus art. 5. Alens. 4. part. q. 45. memb. 1. art. 2. Palud. distinct. 12. quæstio. 1. Durand. quæst. 3. Richard. artic. 1. q. 2. Sect. q. 6. Capreol. distinct. 13. q. 1. artic. 3. Gabriel. distinct. 12. q. 1. art. 3. dub. 2. & 3. & lect. 84. in Canon. dub. 1. Probatur, quia suprà disputat. 46. sect. vlt. ostendimus, tandiu Christum manere sub speciebus consecratis, quādiu ibi maneret substantia panis: sed substantia panis ibi maneret, quandiu alia forma substantialis ibi non introduceretur, seu alia substantia generaretur: quia substantia panis aut vini naturaliter non desinit, nisi per corruptionem: nulla autem substantia corrūpitur, nisi eius corruptio sit alterius generatio: ergo non recedit substantia Christi, nisi ibi succedat alia substantia. Secundò, quia, vel in accidentibus consecratis fit alteratio sufficiens ad corruptionem panis, vel non; si fit, ex vi illius aliqua alia substantia generabitur, non minùs,

D. Thom. Albert. Alenſ. Paludan. Durand. Richard. Scotus. Gabriel. Capreol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm si ibi adesset substãtia panis, vt quæstione sequente ostendemus, experiétiaque ipsa docet: quia necessarium hoc fuit ad fidei nostræ confirmationem: si autem non fit prædicta alteratio, non desineret ibi substantia panis: ergo, nec recedit substantia Christi. Tertiò, quandiu accidentia sunt sine subiecto, sub illis est Christus: ergo, quando recedit, oportet, vel accidentia annihilari, quod nunquam fit, vel succedere substantiã, in qua subiecten tur: antecedens probatur, quia suprà dictum est, accidentia conseruari, sine subiecto, ab ipso corpore Christi. Item quia, quandiu accidentia separata durant, manent etiam consecrata: quandiu autem consecrationem retinent, significant Christum præsentem, & sub se contentum ex vi significationis formæ, qua consecrata fuerunt, quæ significatio semper est vera, & ideò iuxta communem sensum Ecclesiæ per in de est dicere, accidentia esse sine subiecto, & Christum sub illis esse: quia hæc duo censentur semper esse connexa.

Christo recedenti ab hoc sacramento semper succedit alia substantia à substantia panis & vini.

Dicò secũdo, Christo recedenti ab hoc sacramento nunquam succedit substantia panis & vini, sed semper aliqua alia. Ita D. Thom. quæst. 77. artic. 5. Et colligitur ex dictis autoribus, & eisdem principijs: primò, quia Christus non hinc recedit, donec talis fiat alteratio in accidentibus, quæ ad corrumpendum panem, vel vinum sufficeret: ergo non potest ibi succedere alia substantia panis, aut vini: patet consequentia: quia alteratio corrumpés substantiam panis non disponit ad alterius panis generationem; sunt enim hæc opposita: sed ad aliam substantiam generandam, cui sunt connaturalia talia accidentia: illa ergo succedet corpori Christi: nunquã enim introducitur hic substantia, nisi quæ ex natura rei est accommodata accidentibus. Secundò, si substantia panis interdùm succedit, vel esset eadem numero, vel diuersa: non eadem, vt D. Thom. suprà ait, quia non posset eadem numero substantia panis redire, nisi per conuersionem corporis Christi in ipsam, quæ est impossibilis: quæ ratio est difficillima, quia illa conuersio, nec necessaria, nec impossibilis videtur, de qua re dicam in commentario illius articuli; nunc sufficiens ratio sit, quòd re productio eiusdem numero substantiæ est speciale miraculum, quod in hoc sacramento fingendum non est, nisi vbi necessitas cogat, quæ hic nulla est: nam, vt infrà ostendemus, productio substãtiæ, quæ succedit corpori Christi, à naturali agente aliquo modo fieri potest. Denique, facta alteratione necessaria, non manent eadem numero accidentia, quæ ad priorem substantiam conseruãdam erant requisita: non ergo redibit eadem numero; neque etiam alia numero distincta, quia substantiæ solo numero distinctæ non ita inuicem alterãtur, vt vna aliam corrumpat. Vnde per corruptionem vnius nunquam disponitur materia ad generationem alterius, intrà eandem speciem. Solùm possunt duo casus excogitari. Vnus est, in quo videtur succedere eadem numero substantia, scilicet, si panis consecratus in pultes redigeretur: tunc enim non maneret ibi Christus: quia sub tali materia consecrari non potest: ergo nec conseruari: neque illa immutatio sufficeret ad corrumpendam substantiam panis, quæ antea erat: quia ibi solùm mutatur forma & vsus panis, non substantia: quod satis est, vt ibi non ponit fieri consecratio, vt suprà diximus: redibit ergo tũc eadem numero substantia panis. Alter casus est, in quo redire videtur substãtia vini, numero, aut specie diuersa, vt si species vini albi consecratæ corrũpantur à vino rubeo non consecrato, generabitur sub eis substantia vini aut numero, aut specie distincta. Ad primum respondetur, si supponamus, immutationem talem esse, quæ non sufficeret ad corrumpendam substantiam panis præexistentem, non desinere sub eis esse corpus Christi: quia illa immutatio solùm esset per mistionem quandam accidentalem facta per iuxtapositionem, & diuisionem in minimas particulas: diximus autem suprà manere Christum in speciebus panis, etiam diuisis in particulas adeò paruas, vt sentiri non possint. Quocirca, sicut minima & insensibilis particula in principio non posset sufficere ad consecrationẽ faciendã, quia non posset sensibiliter demonstrari per formã, & tamen, postquã consecrata est, retinet corpus Christi, donec sufficienter immutetur vsq; ad corruptionẽ panis, ita in proposito casu dicendum erit, illam materiam in pultes redactam nõ sufficere in principio ad consecrationem: quia non proponitur ibi forma cibi apti vt comedatur: postquàm verò consecrata semel fuit, permanere ibi corpus Christi, donec alterur sufficienter vsq; ad corruptionem panis. Ad alterũ casum dicendũ est, diuersas esse philosophorum opiniones de differẽtia inter vinum album, & rubrum: si ergo non differũt specie substantiali, sed accidentibus tantùm, dicendum est, nunquam vinum album à rubro substantialiter transmutari, sed tantùm in accidentibus alsimilari; & tũc, licèt species vini albi consecrati ita alterẽtur à vino rubro, non desinit sub eis esse corpus Christi: quia nec desinere substantia vini, & ita non oportebit, vt aliqua substantia succedat numero distincta. Si verò hæc vini specie differunt, poterit rubrum corrumpere substantialiter album, & generare sibi simile, & tunc concedendum est, in prædicto casu succedere corpori Christi substantiam vini specie distinctam: conclusio autem posita intelligenda erit de substãtia panis & vini eiusdem omnino rationis specificæ cum illa, ex qua facta est consecratio.

Solutio.

Probatur secundò.

Dubium.

Tertiò principaliter probatur vtraq; conclusio, excludendo illos casus, quos fingebat prior sententia: nam in primis dicere, statim, ac species consecratæ, sunt intrà os sumentis, recedere Christum, hæreticum est, contra veritatem illorum verborũ, Accipite & manducate, hoc est, &c. & illorum. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c. nam comedere, & bibere non significant, intrà os sumere, sed intrà corpus trajicere: si ergo Christus statim recederet, nec comedi posset, nec bibi: de qua re latiùs dicetur infrà quæstio. 80. vbi ostendemus, etiam in quibusdam hæreticis fuisse damnatum, quòd de solis peccatoribus assererent, non sumere corpus Christi: sed recedere statim ac ore suo species attingerent. Rursus, quod Christus recedat statim ac species deglutiuntur, antequàm alterentur, nullo fundamento assertum est, & est contra generale principium suprà demonstratum, & est contra propriam rationem cibi, quod non transmutatur, nisi per actionem ipsius sumentis. Alij verò speciales casus ficti sunt ex falsa quadam pietate: quia, quamuis in eis permaneat corpus Christi sub speciebus, nihil indignum patitur, cùm sit hic modo impassibili, nec magis lædatur ex his, quæ circa species fiunt, quàm Verbum diuinum ex his, quæ humanitas eius passa est.

Tertiò probatur conclusio ex refutatione fundamẽti oppositæ sententiæ.

negare rem, quàm modum loquendi, vt, v.g. quando hostia consecrata comeditur à mure, negant, comedi corpus Christi, non quia ibi non sit, sed quia illa, vt aiunt, non est sacramentalis sumptio: sed in hoc etiam sine causa timuerunt: quia denominationes, quæ tantùm indicant motum localem vel terminũ eius, propriè tribuũtur corpori Christi, à quocunque fiant: huiusmodi autẽ est illa, quæ, re vera, est sacramẽti comestio, quicquid sit de nomine sacramẽtalis sumptionis, de quo posteà suo loco dicemꝰ.

SECTIO III.

An hæc substantiarum successio sit conuersio, vel transubstantiatio.

RAtio dubitãdi est, quia est trãsitus totius substantiæ in totam substantiam sub eodem sensibili, nihil ergo deest: quia nec deest terminus ad quem, cùm fiat productio totius substantiæ: nec terminus à quo, cùm tota aliqua substantia recedat: neq; aliquid commune vtrique termino, quia species accidentales sunt communes, nec connexio inter vnius termini introductionem, & expulsionem alterius; quia hæc etiam reperitur, saltem ex pacto Dei: quia non potest aliter mutari corpus Christi, vt ostensum est: quod est aliquo modo in ipsis rebus fundatum, tum ex parte accidentium, ne vacua maneant, sicut, adueniente Christo, recedit substantia panis, ne duplicem substantiam contineant, tum ex parte agentis, quod, expellendo accidẽtia, disponit ad alterius substantiæ introductionem: hæc autem connexionis ratio sufficit ad rationem conuersionis: quia necesse non est, vt semper sit per formalem incomposibilitatem terminorum, vt suprà visum est. Propter hæc aliqui moderni ausi sunt concedere, corpus Christi conuerti, & transubstantiari in nostram substantiam, quando illud communicamus. Quæ sententia confirmari potest ex alia, à multis Theologis recepta, posse, scilicet, corpus Christi, vt est in sacramento, conuerti in aliquã substantiam, etiam si in cœlo maneat; quod alij dicunt posse conuerti secundũ esse sacramentale, quòd hic habet, etiam si non conuertatur secundùm esse simpliciter, quod habet in rerũ natura. Ita Palud. in 4. d. 11. q. 3. nu. 23. Capreol. q. 1. art. 3. ad 1. Scoti, & ad 1. & 7. Durãdi, cõtra 2. concl. Caiet. hic q. 75. art. 4. ad 3. Duãndi, & infrà q. 77. art. 5. nõ apparet autem, quo alio modo possit conuerti corpus Christi in aliam substantiam sibi succedentem, quàm nunc fiat. Nihilominùs dicendum est, in huiusmodi substantiarum sucessione non fieri transubstantiationẽ, neq; vllam propriã conuersionẽ. Hæc conclus. probari in primis potest autoritate negatiua omnium Theologorũ: nullus enim eorum, vel antiquorũ Patrum, talem conuersionem agnouit: in re autẽ adeò graui, non est tutum, nouum aliquid introducere, præsertim, quia cõcedendũ consequẽter esset, Christi corpus cõuerti in corpus sumentis, seu in carnẽ, aut vermẽ, quæ per se pias aures offendunt, & aliena sunt à modo loquẽdi sanctorũ Patrum, quin potiùs dicunt, Christũ nos in se cõuertere, quàm ipsum in nos conuerti. Imò addit D. Tho. q. sequẽte art. 5. & in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiũcula 4. & ibi Richard. art. 2. q. 2. impossibile esse, corpus Christi in aliud conuerti, quod saltẽ est verum de potentia ordinaria, & secundùm virtutẽ agentium naturalium, supposita Christi impassibilitate, & modo, quo in hoc sacramento existit. Ratio autẽ huius veritatis reddi potest, primò ex parte accidentiũ, supposita opinione, quæ negat, eandem numero quantitatem, & cætera accidentia manere in genito, quæ fuerant in corrupto: nam, si hoc verum est, nihil manet cõmune, sub quo fiat cõuersio: quæ tamen ratio nititur fundamẽto minùs probabili, vt ego existimo. Addi verò potest, quamuis maneat quantitas eisdẽ qualitatibus affecta, id tamen esse modo quodam accidentario ad rationẽ conuersionis: nõ enim ideò manet, vt sub illa fiat cõuersio, neq; quia actio, quæ ibi interuenit, per se hoc requirat, sed quia hoc est consentaneũ naturæ eius: quia supponitur in materia prima subiectari, & ideò, q. eadẽ quantitas maneat admodũ accidentariũ videtur ad rationẽ cõuersionis.

Quidã dicũt Christi corpus trãsubstantiari in nostrã substantiam, cã definit esse in sacramẽto.

Opposita sententia tenenda est.

D. Thom. Richard.

Secũda ratio sumi potest ex parte termini à quo: quia ex vi modi, quo Christus hic desinit, nõ mutatur substantialiter, sed localiter tantũ: ergo hic non interuenit conuersio totius substãtiæ. Hæc verò ratio duobus modis solui posse videtur; primus est, dicẽdo, ad conuersionẽ sufficere, terminũ ad quẽ esse substantialẽ, nã ab hoc termino omnis actio & conuersio speciẽ sumit. Etenim, si iuxta opinionẽ Scoti ad trãsubstantiationẽ sufficit accidentalis & localis mutatio, seu actio adductiua ex parte termini ad quẽ, multò magis sufficiet in termino à quo mutatio amissiua præsentiæ sacramẽtalis, quia magis necessarius est terminus ad quẽ; aut certè, si hoc nõ sufficit ad propriã transubstantiationẽ, saltem sufficere poterit ad aliquod genus propriæ cõuersionis, siue illa substãtialis dicatur, siue inista ex accidẽtali, & substantiali. Sed hæc respõsio non satisfacit; primò quidem, quia conuersio, vt conuersio, intrinsecam dicit habitudinẽ ad terminum à quo, & ad quẽ, vt suprà dictũ est; & ideò, si substantia aliqua non trãsit in aliam secundùm esse substantiale, non potest cõuersio substantialis intelligi. Deinde, quia illa mutatio amissiua loci, seu præsentiæ per se clauditur intra suos terminos, qui sunt præsentia, quæ amittitur, & carentia eius, vel alia ei incõpossibilis: nullo ergo modo ordinatur ad productionẽ alicuius substantiæ, neq; est pars alicuius conuersionis. Vnde, quòd ibi succedat alia substantia, accidentariũ est, posse tq; fieri, aut per meram creationẽ, aut per aliã mutationem localem adductiuã, & hìc fit per physicam quandam generationem, supposita materiæ creatione, vt infrà dicetur.

Impugnatur.

Altera respõsio.

Secunda respõsio esse potest, ex parte termini à quo aliquid substantiale deperdi, scilicet, vel speciale dependentiam substantialem corporis Christi, iuxta opinionem asserentem necessariam esse specialem actionem substantialem ad conseruandũ Christi corpus in sacramẽto propter specialem modum existendi, quem ibi habet; vel certè amitti modũ aliquẽ substantialem, quem (iuxta aliquorum opinionem) acquirit corpus Christi per transubstãtiationem, quod satis erit ad conuersionem substãtialem, sicut, quando homo moritur, fit vera cõuersio formalis in cadauer, quamuis partes essentiales hominis solùm substantialem modum vnionis amittant. Sed hæc respõsio supponit etiam falsas opiniones, quæ à nobis in superioribus reiecta sunt: & præterea, vt vera fiat cõuersio substantialis, necesse est, vt ex vi alicuius actionis tendentis aliquo modo ad substantialem terminum, destruatur in termino à quo illud esse, qui aliud succedit: hic autem non ita

Impugnatur.

Universidad de Deusto Biblioteca

fit: quia actio, quæ hic interuenit, ſolū eſt alteratio quædam naturales, tendens ad generationem alicuius rei, & ad hoc expellens diſpoſitiones panis conſeruatiuas. Vnde natura ſua non ordinatur, niſi ad formalem conuerſionem, quæ eſſe poteſt inter panem, & aliã ſubſtantiam: non autem ad conuerſionem corporis Chriſti in aliquid aliud: quia neque ex natura ſua id habet, neque ex inſtitutione diuina, neque per illam aliquid fit, quod per ſe ſufficiat ad deſtruendum illud eſſe, quod Chriſtus habet in ſacramento, qualecunque illud ſit: nec per illam diſſoluitur aliquod compoſitum phyſicum, ad cuius diſſolutionẽ corpus Chriſti neceſſariò deſinere eſſe: non ergo fit mutatio hic per modum cõuerſionis, ſed ad præſentiam rei, quæ generatur, Chriſtus voluntariè diſcedit, iuxta legem & inſtitutionem ab eo ſtatutam.

Vnde poteſt tertia ratio formari ex parte termini ad quem, qui, ſi materialiter (vt ſic dicam) conſideretur, non eſt determinatæ rationis, ſeu ſpeciei, ſed, pro diuerſitate agẽtium, & alterationum poteſt eſſe quælibet res ex pane & vino generabilis; ſi autem conſideretur formaliter vt producibilis eſt, ſic propriè terminat generationem ſubſtantialem, quæ ſolùm pertinet ad conuerſionem formalem, qua non poteſt hic corpus Chriſti conuerti, vt per ſe notum eſt: ſi autem conſideretur productio materiæ primæ quæ priùs natura ad hanc generationem ſubintroducitur, quæ per nullam conuerſionem fit, ſed per creationem, vt infrà dicetur: nullus eſt ergo hîc terminus ad quem, qui fiat per conuerſionem corporis Chriſti in ipſum.

Quartò, inter mutationes, & actiones, quę hic interueniunt, nulla eſt connexio, nec ſubordinatio ad conuerſionem neceſſaria, ſed ſunt omnino diuerſarum rationum & ordinum, & vnaquæque eſt in ſuo genere completa, ſolumque ex Chriſti arbitrio, & inſtitutione ita coniunguntur, vt, quotieſcunq; ab agente naturali talis mutatio fiat, ipſe ſuam ſacramentalem præſentiam deſerat, vt declarari breuiter poteſt: hæc enim omnia hoc ordine hîc interueniunt; ſcilicet, alteratio ſpecierum vſque ad talẽ gradum, quæ naturaliter fit virtute agentis naturalis, creatio materiæ, vnio eius cum præexiſtente quãtitate & accidentibus, eductio formæ ſeu generatio compoſiti, & amiſsio præſentiæ corporis Chriſti, in quibus facilè perſpici poteſt, quaſdam eſſe ſupernaturales, alias naturales, quaſdam accidentales, alias ſubſtantiales; & inter eas nullum eſſe per ſe ordinẽ, neque intercedere ibi aliquam virtutem actiuã, cui illæ omnes ſubordinentur; ſed ſolùm ex voluntate diuina coniungi, partim ad occultandum fidei myſterium, partim ad ſupplendum naturæ defectum: non eſt igitur in hoc tranſitu ſeu ſucceſsione ſubſtantiarum vera conuerſio, ſed ſolùm plurium mutationum, & actionum aggregatio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quando in hoc ſacramento apparet miraculoſè caro vel puer, ſit ibi verè corpus Chriſti.

4. d. 10. art. 2. q. 1. ad 3. & art. 4. q. 2. & 3. Et opuſcul. 58. cap. 11.

AD octauum ſic proceditur. Videtur, quod quando in hoc ſacramento miraculoſè apparet caro vel puer, nõ ſit ibi verè corpus Chriſti. Corpus enim Chriſti deſinit eſſe ſub ſacramento, quando deſinũt eſſe ſpecies ſacramẽtales: vt dictum eſt. Sed quando apparet caro vel puer, deſinunt eſſe ſpecies ſacramentales. Ergo non eſt ibi verè Corpus Chriſti.

Art. præc. ad 3. argum.

¶2. Præterea, Vbicunque eſt corpus Chriſti, vel eſt ibi ſub ſpecie ꝓpria, vel ſpecie ſacramẽti. Sed quãdo tales apparitiones fiunt, manifeſtum eſt, quod nõ eſt ibi Chriſtus ſub ſpecie propria (quia in hoc ſacramẽto totus Chriſtus cõtinetur, qui permanet integer in forma, qua aſcendit in cœlũ: cùm tamen id, quod miraculoſè apparet in hoc ſacramẽto, quandoq; videatur, vt quædam parua caro, quandoq; autẽ, vt paruus puer) manifeſtum eſt etiam, ꝙ non eſt ibi ſub ſpecie ſacramẽti, quæ eſt ſpecies panis vel vini. Ergo videtur, quòd corpus Chriſti nullo modo ſit ibi.

¶3. Præterea, Corpus Chriſti incipit eſſe in hoc ſacramento per conſecrationẽ & conuerſionem, vt ſuprà dictum eſt. Sed caro & ſanguis miraculoſè apparens, non ſunt conſecrata, nec cõuerſa in verum corpus & ſanguinem Chriſti. Non ergo ſub his ſpeciebus eſt corpus vel ſanguis Chriſti.

Quæſt. 75. art. 2.

SED contra eſt, quòd tali apparitione facta, eadem reuerentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primò exhibebatur. Quod quidem non fieret, ſi verè non eſſet ibi Chriſtus, cui reuerentiam latriæ exhibemus. Ergo etiam tali apparitione facta, Chriſtus eſt ſub hoc ſacramento.

RESPONDEO dicẽdum, ꝙ dupliciter contingit talis apparitio, qua quãdoque in hoc ſacramento miraculoſè videtur caro, aut ſanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte vidẽtium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſſè viderent exteriùs carnẽ, vel ſanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte ſacramẽti. Et hoc quidẽ videtur contingere, quando vni videtur ſub ſpecie carnis vel pueri, alijs tamen videtur, ſicut & priùs, ſub ſpecie panis: vel quando eidem ad horam videtur ſub ſpecie carnis, vel pueri, & poſtmodum ſub ſpecie panis. Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionẽ, ſicut accidit in Magorum præſtigijs, quia talis ſpecies diuinitus formatur in oculo, ad aliquã veritatem figurandam, ad hoc, ſcilicet, quòd manifeſtetur verè corpus Chriſti eſſe ſub hoc ſacramẽto, ſicut etiam Chriſtus, abſque deceptione, apparuit diſcipulis eũtibus in Emaus. Dicit enim Augu. in lib. de quæſt. Euangeliſt. quòd cùm fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte ſacramenti, manifeſtum eſt, quòd nõ deſinit Chriſtus eſſe ſub hoc ſacramento, tali apparitione facta. Quandoque verò contingit talis apparitio, non per ſolam immutationem videntium, ſed ſpecie, quæ videtur, realiter exteriùs exiſtẽte. Et hoc quidem videtur eſſe, quando ſub tali ſpecie ab omnibus videtur, & non ad horam: ſed per longum tempus ita permanet. Et in hoc caſu quidam dicunt, ꝙ eſt propria ſpecies corporis Chriſti: nec obſtat, quòd quandoque non videtur ibi totus Chriſtus, ſed aliqua pars carnis, vel etiam videtur, non in ſpecie iuuenili, ſed in effigie puerili: quia in poteſtate corporis glorioſi eſt, quòd videatur ab oculo non glorificato, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem, & in effigio vel propria, vel aliena: vt infrà dicetur. Sed hoc videtur eſſe inconueniens, primò quidem, quia corpus Chriſti non poteſt in propria ſpecie videri, niſi in vno loco, in quo definitiuè continetur. Vnde cùm videatur in propria ſpecie, & adoretur in cœlis, ſub propria ſpecie, non videtur in hoc ſacramento.

Lib. 2. quæſt. vlt. non procul à princip. tom. 4.

Non abſolutè præcontur, ſed vide ſup. lib. 2. ... q. 2. art.

Secũdò quia corpus glorioſum, quod apparet, vt vult, poſt apparitionem cùm voluerit diſparet, ſicut dicitur. Luc. vlt. quòd Dominus ex oculis diſcipulorum euanuit. Hoc autem, quod ſub ſpecie carnis in hoc ſacramento apparet, diu permanet; quinimò legitur quandoque eſſe incluſum, & multorum epiſcoporum conſilio in pyxide reſeruatũ, quod nefas eſſet de Chriſto ſentire ſecũdum propriam ſpeciẽ. Et ideò dicendũ eſt, quòd manentibus dimenſionibus, quæ priùs fuerant, fit miraculoſè quædã immutatio circa alia accidentia (putà figuram & colorem, & alia huiuſmodi) vt videatur caro, vel ſanguis, aut etiam puer. Et, ſicut priùs dictũ eſt, hoc non eſt deceptio, quia fit in figuram cuiuſdã veritatis, ſcilicet, ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quòd in ſacramento eſt verè corpus & ſanguis Chriſti. Et ſic patet, quòd remanentibus dimẽſionibus, quæ ſunt fundamenta aliorum accidentium, vt infrà dicetur, remanet verè corpus Chriſti in hoc ſacramento.

In ipſo met. art. ...

Quæſt. ſequen. art. 2.

AD primum ergo dicendum, quòd facta tali apparitione ſpecies ſacramentales quandoque quidem totaliter remanent in ſe ipſis, & quandoque autem ſecundùm id, quod eſt principale in eis: vt dictum eſt.

In corp. art.

AD ſecundum dicendum, quod in huiuſmodi apparitionibus (ſicut dictum eſt) non videtur propria ſpecies Chriſti, ſed ſpecies miraculoſè formata, vel in oculis intuentium, vel etiam in ipſis ſacramentalibus dimenſionibus, vt dictum eſt.

Ibidem.

AD tertium dicendum, quod dimenſiones panis & vini conſecrati manent, immutatione circa eas miraculoſè facta, quantum ad alia accidentia, vt dictum eſt.

Quæſt. 75. art. 3. & 6.

COMMENTARIVS.

DVplicem ſenſum facere poſſunt verba huius tituli. Vnus eſt, an in his apparitionibus, id quod exteriùs videtur, ſit verũ Chriſti corpus. Alius eſt, an facta huiuſmodi apparitione ſub ſpeciebus ſic immutatis maneat adhuc Chriſti corpus. Et hunc poſteriorem ſenſum videtur maximè intendere D. Thom. quanquam, illi reſpondendo, alteri etiam obiter ſatisfacere videatur. Vt igitur quæſtioni reſpõdeat, diſtinguit duplicem modum harum apparitionum: nam interdùm fiunt ſine immutatione ſpecierum ſacramentalium per ſolá immutationem vel impreſsionem ſenſibilium ſpecierum factam in ſenſu videntis; aliquando verò fiunt per veram mutationem ſpecierum ſacramẽtalium. Qua diſtinctione ſuppoſita, tria reſpondet. Primũ eſt, quando apparitiones fiunt primo modo, corpus Chriſti manere ſub ſpeciebus, &, re vera, non videri in propria ſpecie, quod eſt clariſsimũ, nec noua indiget probatione. Secũdò ait, in ſecundo modo apparitionum id, quod videtur, non eſſe verum corpus Chriſti: quia non poteſt eſſe in propria ſpecie ſimul in cœlo, & in hoc ſacramento: maximè quia id, quod ſic apparet ſæpè diu permanet eodem modo clauſum in pyxide: quod nefas, inquit, eſſet de corpore Chriſti ſentire. Tertiò ait tunc nihilominùs manere corpus Chriſti ſub ſpeciebus: quia illa immutatio ſolum fit in qualitatibus, manente eadem quantitate circa quam fiunt, ſeu in qua fundantur: manentibus autem dimẽſionibus permanet etiã corpus Chriſti in hoc ſacramẽto. Hæc eſt ſumma doctrinæ D. Thomæ, quæ magna indiget examinatione, & expoſitione quam commodiùs t1rademus diſput. ſequente.

DISPVTATIO. LV.

De apparentibus mutationibus, quæ in Euchariſtia contingunt.

DIximus de veris mutationibus, quæ communi & ordinaria lege in hoc ſacramento, & Chriſti corpore fieri ſolẽt optimo ergo ordine ſequitur, vt dicamus de his, quæ ſenſibus apparent, & extraordinariè fiũt; & primùm videbimus, quot modis accidãt, deinde quomodò corpus Chriſti attingant; ac denique quid in huiuſmodi euentibus agendum ſit.

Diſpu. 17. de Euchariſtia.

SECTIO I.

Quot modis fieri ſoleant huiuſmodi mutationes, quæ in Euchariſtiæ apparent.

PRimùm omnium ſtatuendum eſt, negari non poſſe, quin ſæpius huiuſmodi mutationes contigerint, quia non ſolùm eas referunt graues autores, Paſchaſius lib. de Euch. c. 14. Guitmundus lib. 3. de eodem ſacramento, Garecius Claſſe. 6. verùm etiam adhuc extant, & oculis conſpiciũtur veſtigia

Paſchaſ. Guitmund. Garecius.

Universidad de Deusto Biblioteca

stigia harum mutationum, quæ ante multos annos miraculosè factæ sunt, vt, in Hispania, Darocæ, & Abulæ, & alijs locis. Secundò obseruat Paschasius suprà, huiusmodi apparitiones, quando à Deo procedunt, frequentiùs ordinari ad confirmandam fidem de reali præsentia Christi in hoc sacramento, quod nō semper eodem modo fit, vt statim dicam: nam interdùm sunt ad cōfundendum infideles, & præsertim huius veritatis impugnatores, aliquando ad terrendos peccatores, qui indignè accedunt nonnunquam ad confirmādos debiles, ac infirmos in fide, sæpè verò ad amicos consolandos, ac recreādos. Quocirca ad discernendum, an visio, quæ apparet diuina sit, vel illusio dæmonis, aut tātùm propriæ imaginationis debilitas, prudenter considerandus est, & fructus visionis, & dispositio vidētis, & alij effectus, seu circunstantiæ occurrentes.

Santaren.

Tertiò, cùm dictum sit, has immutationes fieri ad confirmandam fidem de præsentia Christi, oportet obseruare, interdùm apparitionem fieri in testimonium præsentiæ, non, quæ tunc duret, sed quæ præcessit, huiusmodi autē sunt illæ, quas ex Cypriano, Nicephoro, & alijs suprà retulimus disp. 46. videlicet, Eucharistiam interdùm versam esse in lapidem in ore indignè sumentis, interdùm in cineres, & similia, & tunc dubitari nō potest, quin desinat Christi corpus esse sub speciebus sacramentalibus, subitoque virtute diuina verè generari ibi rem illā, quę apparet, & tam veram ac realem, tantamque mutationem fieri in accidentibus panis, vt iam sub eis esse non posit substātia panis, sed lapidis, aut alterius similis, quæ apparet. Hoc enim Deo facile est, estq; magis consentaneum fini talium mutationū, scilicet, ad confundēdum peccatorem, & significandū, Christum ab eo fugere propter infidelitatem, vel impuritatem eius. Idem etiā indicat modus harum mutationum: sunt enim permanētes, neq; ampliùs species sacramentales apparent, vt anteà erant, neq; sub aliarum rerum specie: atque ita sentit Cyprian. in lib. de lapsis, nec D. Thom. cōtrarium hîc sentit: quia in his mutationibus nunquam apparet Christus, vel caro Christi, sed potiùs res adeò diuersæ, & à natura carnis & omnis cibi alienæ, vt, vel hac ipsa tanta mutatione, satis significetur, Christū discessisse. Aliæ igitur mutationes fiunt ad significādam actualem Christi præsentiam; de alijs verò incertū esse potest, cuiusmodi sunt eæ, de quibus D. Tho. propriè loquitur, & à nobis dicetur.

Cyprian.

Est igitur circa hæc obseruandùm quartò, multiplex posse esse visibile signum, quo inuisibilis præsentia corporis Christi confirmatur; possunt verò ad duo capita reuocari. Vnū est, quādo hoc fit cum visibili præsentia Christi, aut carnis vel sanguinis eius, vt quando circa species sacramentales apparet splendor, vel audiuntur angeli laudātes, vel adorantes Dominum, vt legimus apud Cyprianum lib. de lapsis, & apud Chrysostomū lib. 6. de Sacerdotio: huc etiam pertinet, quòd ipsæmet species consecratæ aliquādo visæ sunt suo impulsu moueri, vt quando ab infidelibus proiectæ sunt in ignē, & ipsę absque vlla læsione sursum motæ sunt: itē huc spectat, quòd interdùm cōculcatæ, & lapidibus contusæ integræ, & quasi intactæ permanserūt: item quòd aliquando ita patenæ adhæserunt, vt, nec frangi, nec diuelli potuerint, propter indispositionem indignè accedētis. Atq; in hoc toto posteriori genere mutationum nulla potest esse dubitandi ratio, quin sub

Cyprian. S. Chrysost.

A illis speciebus Christus permaneat: quia nulla in eis facta est alteratio, nec mutatio, quę ad corruptionem panis sufficeret: estq; hoc magis consentaneū fini talium miraculorum, in quorum confirmationem sæpè cōtingit, species sic immutatas, verbi gratia, patenæ adhærentes longo tempore conseruari. Quo etiam fit, vt temporis successione posit tanta corruptio fieri, vt ibi iam non maneat corpus Christi; & nihilominùs conseruari semper potest cum reuerentia id, quod exteriùs permanet, quasi in monumentum & testimonium prioris miraculi, & ob reuerentiam sacramenti, quod ibi præcessit. Solū igitur supersunt immutationes, quæ fiunt cū apparente ostensione Christi, aut corporis vel sanguinis eius. De quibus solis non sine causa D. Thom. quæstionem proposuit; & illarum varia exēpla referūt autores citati, & Amphylochius in vita Basilij refert, quendam Hebræū solitum fuisse videre, quen- B dam infantem ad comedendum dari ijs, quibus hoc sacramentum dabatur.

Amphyl.

Quintò obseruanda est distinctio à D. Tho. data, quòd huiusmodi visio interdùm fit per immutationem obiecti, interdùm per immutationem solius potētiæ, aut organi, seu medij. Adhibet autem D. Tho. duplex signum ad hoc discernendum; primū est, si eodem tempore vni vel alteri apparet talis immutatio; alij verò solùm vident speciem panis, sicut anteà; tunc enim signum est, immutationem illam non esse factam in obiecto, nam si esset, omnibus eodem modo ostenderetur, nisi nouum adderetur miraculum, quod non est sine causa fingendum, aut dicendum. Secundum signum est, si immutatio breui tempore duret, & species consecratæ iterum statim videātur absq; vllam mutatione, sicut in principio erant; quod signum minùs certum aliquibus videtur: quia facilè fieri potest, vt, re vera, sit immutatio C facta in obiecto, quod posteà iterum ad propriā formam redeat; & ita aliquando accidisse referunt Gabriel. lect. 41. in Canon. & Palacios d. 10. disp. vlt. circa finem. Sed nihilominùs signū à D. Thom. datum est moraliter satis verisimile: quia facilius est ita fieri, & quando ex alijs coniecturis aliud nō constiterit, ita certè existimandum est: quia in omnibus his rebus, quæ miraculosè apparent, id semper iudicandum est fieri, quod facilius est, magisque cōsentaneum apparentibus signis, & ad finem ipsius apparitionis est sufficiens. Dices; ergo omnes apparitiones, quæ hoc modo fiunt, virtute dæmonis efficiuntur: quia sunt deceptoriæ; solùm enim sunt quædā sensuum illusiones. Respondetur ex D. Thom. hîc & August. lib. 2. quæstionum Euangelicarū, & lib. D contra mendacium, cap. 9. negando sequelam: quia in huiusmodi apparitionibus nullum miscetur mendacium: quia, licet in obiecto non fiat id, quod sensui apparet, tamen ea immutatio, quæ in sensu fit ad aliquam veritatē significādam ordinatur: *nam quando simulatio*, (inquit Aug.) *ad aliquid verum significandum refertur, non est mendacium.* Adde posse huiusmodi apparitionem fieri per aliquam immutationem obiectiuam factam in medio, ad eum modum, quo fiunt in nubibus apparentes colores, & tunc nulla est deceptio ex parte agentis, seclusa intentione decipiendi, vt non decipit pictor, qui tam perfectè depingit imaginem, aut florem, vt alteri verā rem esse appareat. Deinde verò dicitur, verum esse huiusmodi apparitiones posse sæpe fieri virtute dęmonis & ideò necessariam esse spirituum discretionem, ad

Gabriel. Palacius.

Obiectio.

Solutio August.

quam,

quam, vt, dixi, multa cōsiderare necesse est, &, quod præcipuum est, orationibus ad Deum, & prudentiū consilio vti: quin potiùs interdùm possunt accidere ex vehemente imaginatione, aut læsione, vel debilitate phantasiæ: de quo rectè videri potest Alexād. Alens. 4. p. q. 53. memb. 4. art. 3. De hoc igitur toto genere apparitionum nihil dicendum relinquitur, quod ad præsentem materiam pertineat: quia manifestum est, non obstantibus his visionibus, Christū Dominum manere eodem modo præsentē sub speciebus sacramentalibus: quia, vt supponitur, nulla est in eis facta mutatio; & similiter certum est, non videri veram carnem aut sanguinem Christi: cùm id, quod apparet, non sit in obiecto, sed solùm appareat esse propter immutationem factam in sensu. Solùm igitur superest dicendum de alio genere harū apparitionum, quæ fiunt per veram, & realem mutationem factam in speciebus sacramētalibus: nam, quòd aliquando ita fiant, nemo dubitat, præsertim, quando duæ illæ conditiones concurrunt, scilicet, & quòd omnibus videntibus eodē modo apparent species sacramentales; & quòd diu ita permanent: quid ergo tunc appareat, quæ verò mutatio in talibus speciebus fiat, superest explicandum.

SECTIO II.

Vtrùm vera Christi caro aut sanguis aliquando in Eucharistia videatur.

1. Opinio.

Alex. Gabriel. Palacios.

PRima sententia affirmat, quoties per realē immutationem specierum apparet videri Christus sub specie pueri, aut carnis, vel sanguinis, re vera videri Christum; ita opinatur Alens. 4. p. q. 53. memb. 4. ar. 3. Gabr. lect. 51. in Canon. Palac. d. 10. disput. vlt. circa finem, qui præcipuè hoc affirmat, quando species apparens breui tempore durat: omnes tamen modestè, & magna cum dubitatione loquuntur. Fundari potuerunt, quia in primis hoc non est impossibile: quia, vt diximus, potest idē corpus simul esse, & consequenter videri simul in duobus locis: item potest corpus gloriosum, sese, prout voluerit, humanis sensibus manifestare in maiori, vel minori quantitate, & secundùm vnam partem, & non secūdùm aliam, quod maximè verum est in corpore Christi, qui quandam omnipotentiam participat circa corpus suum: potest ergo, vel retinens sacramentalem præsentiam, vel illam mutans, si voluerit, incipere esse in Eucharistia modo quantitatiuo, ostendēdo humano visui partē, & non totum, aut sub hac vel illa figura, sicut se ostendit Magdalenæ, aut discipulis euntibus in Emaus. Deinde, si modus hic est posibilis, videtur etiam conuenientior, quia hæc ostensio fit in veritatis testimonium, aut in singularem fauorem, & solatium alicuius iusti: veritas autem confirmanda est veris, & non tātùm apparētibus, indicijs aut signis: iusto etiam nō erit vera consolatio rem tantùm apparentem, & nō veram Christi carnem, videre: imò videtur ei creari quoddam idololatriæ periculum, nam adorabit, vt carnem Christi, quæ verè non est.

In miraculosis apparitionibus ... carnis vel ... in Eucharistia ... verū cor-

Dicendum est tamen primò, in huiusmodi apparitionibus non videri Christum Dominum in se, nec carnem eius, & sanguinem. Ita D. Tho. hîc, & communiter Theologi in 4. d. 10. Richard. art. 5. quæst. 2. Durand. Paludan. & Carthus. quæstio. 4. Marsil. quæst. 7. art. 3. dub. 5. Antonin. 3. p. tit. 13.

A cap. 6. §. 14. AEgid. Theor. 23. & omnes Thomistæ. Et colligitur ex Paschasio & Guitmundo suprà, Lanfranco lib. de hoc sacram. circa medium. Et probatur, quia, vel hæc immutatio diu permanet, ita vt caro, aut sanguis Christi semper ibi videri, diuq; in pixide conseruari videatur, aut citò transit, & sacramentales species eodem modo, sicut anteà, apparent: quando priori modo fit, *nefas est credere*, dixit D. Tho. illud, quod apparet, & pyxide clauditur, esse carnē Christi in propria specie existentē, & re vera non est verisimile, quia, & est valde indecens, & non necessarium: primum patet, quia tangi facilè potest, & contrectari ab hominibus: imò experientia docet, diuturnitate temporis mutari, & tabescere id, quod caro aut sanguis esse videbatur, quod nō potest vlla ratione carni Christi attribui. Vnde Alensis, & Gabriel concedunt, non esse verā B carnē Christi, quando in ea talis mutatio fit: aiunt tamen, tunc esse signum, priorem apparitionē non esse factā virtute Dei, sed dæmonis: sed hoc gratis est dictum, & cōtra plures antiquas traditiones: nā multis in locis referuntur aliqua miracula huiusmodi, quæ, & ex ratione, ob quam facta sunt, & ex affectibus eorū, vera esse non dubitantur, & tamē in eis prædictus effectus apertè conspicitur. Deinde, quæ est ratio, ob quam hoc semper demoni tribuatur: cùm in hoc nulla sit intrinseca malitia, nullaue deceptio. Vnde facilè probatur altera pars suprà assumpta, scilicet, hoc non esse necessarium, quia neque ad vitandam deceptionem, vt à simili patet ex dictis in fine sectionis præcedentis, neque ad commouendos animos aut mentes fidelium; quia, si id tantùm, quod in sensibus fit, consideretur, eundem effectum parit in anima, siue obiectū sensibile tale C sit in se, quale apparet, siue non: si autem consideretur fides animæ, quæ his signis excitatur, hęc nō indiget illa sensibili pręsentia carnis Christi. Quòd si sit sermo de his apparitionibus, quæ breui tempore durant, habent etiam in eis locum rationes factæ, & præterea probabilissimum est, non fieri tunc vllam immutationē in obiecto. Deinde, quis, facilè credat, quando visus est sanguis ab hostia fluere, illum esse sanguinem Christi, & in terram, vel linteum cadere, & similiter, quādo calix visus est repleri Christi sanguine, ibi esse verum sanguinem Christi extra venas corporis, ita vt, & tangi, & bibi posit. Et simile est, quando apparet, quasi frustum carnis, q; illa sit vera caro Christi: nam per se se apparent indecentiæ, siue multo, siue breui tempore durent; & nulla est necesitas tot multiplicandi miracula.

pus, nec sanguis Christi apparet.

S. Thom. Richard. Durand. Paludan. Carthus. Marsil. Antonin. AEgid.

Secundò dicendum est in huiusmodi apparitio- D nibus id, quod videtur, non solùm non esse carnem & sanguinem Christi in propria specie, verùm etiā non esse veram carnem aut verum sanguinem, sed colore tantùm & figura eum referre. Probatur ferè eodem discursu, nam hoc satis est ad ea omnia saluāda, quæ apparet, & ad omne id, quod per hæc intenditur, & non multiplicātur miracula sine causa. Deinde, quia nec probabiliter cogitari potest, q; illa sit caro humana; alterius autem animalis non est decens. Tandem, quia, si res tota citò transit, nō est in obiecto necessaria mutatio, vt sæpè dictum est: si autem diu permanet, non est ad hoc apta vera caro, quæ citò corrumperetur, nisi speciali miraculo conseruaretur: satis ergo est, vt ibi obijciciatur aliquid affectū colore & figura carnis. Rogabis, vbi inhæreant illa accidentia carnis, quæ ibi apparent AEgidius

Nec vera caro, vel sanguis in talibus apparitionibus cōspicitur.

Dubium.

Universidad de Deusto Biblioteca

dius respondet, species sacramentales conuerti in dimensiones carnis: sed hoc est impertinens, quia, si sit sermo de quãtitate, eiusdem rationis est in pane & carne: non est ergo necessaria talis conuersio, vt omittã, an, propriè loquendo, sit possibilis. Richar. dicit illa accidentia inhærere in quodã corpore circundante species sacramentales: sed hoc est negare, quod supponimus, scilicet, immutationem fieri in speciebus; & deinde hoc non est verisimile, quãdo id, quod apparet, est eiusdem figuræ & quantitatis cum speciebus sacramentalibus. D. Thom. ergo ait, illum colorem adhærere ipsismet speciebus sacramentalibus, quod est facillimum, & sufficiẽs, quando, vt dicebam, quod apparet, est eiusdem figuræ & magnitudinis, cuius erant sacramentales species, aut, si est in maiori magnitudine, nõ est tãta, quin per rarefactionẽ specierum fieri potuerit; quando verò multò maius est augmentum, necessariò dicendum est, aut immutationem simul factã esse in corpore circunstante, aut certè sacramentales species fuisse corruptas iuxta ea, quæ sectione sequente dicemus.

Solutio.

Ad fundamenta opposita opinionis.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respõsum iam est, hic nullam interuenire deceptionem: negari enim non potest, in omni opinione, quin res aliter appareat, quàm sit: apparet enim caro separata à cæteris partibus corporis, & sanguis ac si esset in vase extra venas, & tamen neutrum in re ita est: sit ergo hic aliquid, quasi in externa imagine, sine deceptione, imò ad veritatis confirmationẽ, ad quod sufficit, quòd ibi interuenit aliquod opus diuinitus factum, quanuis non fiat vbi vera caro, aut sanguis; & idem sufficit ad quemlibet alium effectum, vt iam dixi: adoratio verò, quæ ibi fit, non sistit in eo, quod sensibiliter apparet, sed per illud trãsit ad verum Christi corpus, aut in sacramento latens, aut in propria specie existens.

SECTIO III.

Vtrùm Christi caro & sanguis maneant sacramentaliter sub speciebus, in quibus sensibiliter apparent.

1. Sententia. Christi carnẽ, & sanguinem non manere quãdo sub speciebus illa visibiliter apparent.

Durand. Palacios.

Secũda extremè opposita.

S. Thom.

Palud. Capreol.

DVæ sunt sententiæ extremè cõtrariæ; prima absolutè negat, manere in sacramento corpus Christi post prædictam immutationẽ. Ita tenet Durand. dicta q. 4. num. 10. Fundamentũ eius est, quia sub speciebus sic immutatis nõ potest substantia panis conseruari: nam sub accidentibus carnis non potest manere substantia panis, & idem ferè sentit Palacios suprà, quanuis addat, si talis mutatio non sit facta in tota hostia, sed in parte, simpliciter dicendum esse, manere ibi corpus Christi, saltem ratione alterius partis, quæ immutata permansit. Secunda opinio est, Christum manere sub speciebus sacramentalibus, quanuis facta sit mutatio in qualitatibus, dũmodò eadem quãtitas perseueret. Hæc videtur esse opinio Diui Thomæ hic, & in 4. distinct. 10. quæst. 1. artic. 4. quæstiuncula 2. quem ita interpretantur & defendunt Paludan. distinct. 12. quæst. 5. & Capreol. quæst. 1. ad argumenta contra secundam conclusionem, & ex parte consentit Caietan. hic; addit verò, tunc manere species in eadem quantitate, quando manent eiusdem magnitudinis, quando verò multùm augentur, vt quãdo calix, in quo erat modicum vinum, sanguine plenus apparet, tunc inquit, immutatã esse quantitatem, & ideò non manere ibi Christum. De qua posteriori parte posteà dicetur. Fundamentum huius sententiæ est, quia quantitas est primum fundamentum specierum panis, & ideò, quandiu illa manet, Christi etiam præsentia conseruatur.

1. Conclusio. Si mutatio est tanta, vt non patiatur ibi formam panis, non manet etiam Christi præsentia. S. Thom.

Dicendùm verò est primò, Quotiescunque fit tanta immutatio in qualitatibus harum specierum, vt sub eis non possit conseruari substantia panis & vini, non manet sub eis Christus, siue maneat eadẽ quantitas, siue non. Hoc principium positum est à nobis in superioribus, & est expressè D. Thom. q. 77. art. 4. & illud probat Palacios suprà, & alij autores in superioribus citati; hic autẽ solùm proponitur ad refellendã sententiã. Palud. & Capreoli, prout ab eis intelligi videtur: aut enim procedimus in opinione asserente, quãtitatem esse in toto cõposito, & destrui ac mutari illo corrupto aut in opinione contraria: neutro autem modo potest opinio hęc constãter defendi. Probatur prior pars, nam, si quãtitas est in toto composito, & cum illo destruitur: ergo: facta alteratione sufficiente ad corrumpendũ substantiale compositum panis & vini, destruetur quãtitas; ergo, supposita institutione huius sacramenti, implicat in adiecto, dicere facta mutatione in qualitatibus necessarijs ad conseruandã substantiam panis, manere quantitatem panis: quia iam non maneret substantia panis: vnde absolutè concluditur, non posse manere corpus Christi, quia solũ tandiu manet, quandiu maneret substantia panis, vt suprà probatum est, & facilè patet, quia hæc alteratio est sufficiens dispositio ad alterius substantiæ generationẽ: ergo, re vera, generatur, quia ex speciebus sacramentalibus ita fit alterius rei generatio, sicut fieret ex vero pane: ergo non potest iã manere substantia corporis Christi; & cõsequenter cõcludi potest iuxta opinionẽ, in qua procedimus, nõ manere quãtitatem panis: quia cum noua substãtia congenita fuit noua quantitas, & antiqua ex consequenti destructa est. Posterior pars assumptæ propositionis patet, nam, si quantitas est in materia prima, & manet in genito eadem, quæ erat in corrupto, non potest esse necessaria trãsmutatio seu desitio quantitatis panis, vt desinat hic esse corpus Christi, aliàs nunquã esse desineret: quia iuxta hanc opinionem quãtitas nõ corrũpitur, sed manet semper coęua materiæ: quia nec per se corrumpi potest à contrario, quia illud non habet; nec per accidẽs ad corruptionem subiecti, cùm non sit in composito corruptibili, sed in materia incorruptibili; & eadem ratione in hoc mysterio, postquàm generatur aliquid ex speciebus panis, manebit eadem quantitas, quæ fuerat in pane, in re genita, vt infrà latiùs dicetur: ergo iuxta hanc etiam opinionem dici nullo modo potest, mutatis qualitatibus, propter solam quantitatem conseruari Christi præsentiã. Nec refert, quòd quãtitas sit fundamentum accidentium panis: solùm enim dicitur fundamentum, quia est subiectũ eorũ, non quia per se sufficiat ad panis substantiam cõseruandam, & cõsequenter neq; ad conseruandã præsentiam corporis Christi, nam sola quantitas non est signum sensibile panis & vini, sed vt est talibus qualitatibus affecta, & consequenter neque est sufficiens signum sub se continens corpus & sanguinem Christi. Atque ita concluditur generalis ratio cõclusionis: quia, facta prædicta immutatione qualitatum,

litatum, non maneret substantia panis, sed generaretur alia: ergo nec manet corpus Christi, sed generatur alia substantia; siue maneat eadem quantitas, siue non: sicut eadem ratione, si duæ qualitates in tali gradu, simul essent necessariæ ad conseruandam substantiam panis, & vna corrumperetur infra illum gradum, quanuis alia maneret, desineret ibi esse corpus Christi: quia per similem alterationem corrumperetur substantia panis: sicut ergo non sufficit, quòd maneat vna qualitas sine alia necessaria: ita nõ satis est, quòd maneat eadem quantitas sine necessarijs qualitatibus. Respondet Aegidius Theorem. 23. hoc quidem esse regulare, & secundùm legem ordinariam ita fieri, tamen in his apparitionibus dispensari, vt Christus conseruetur sub quantitate, sine qualitatibus necessarijs ad conseruandam substantiam panis. Sed, qui affirmat dispensationem in diuina lege, oportet, vt illam ostendat aut probet, aliàs temerè loquitur; deinde ex hoc sequeretur, Christum manere sacramentaliter sub quodam signo ab ipso non instituto. Item alia accidentia, præterquàm panis & vini, manere sine subiecto, & alia, quæ inaudita sunt. Quo modo autem exponendus sit D. Thom hic, statim dicam.

Hoc itaque posito principio, solùm superest examinare, an ad prędictas apparitiones necessaria sit tanta qualitatum immutatio, vt sub eis non possit substantia panis conseruari: quod à nobis certè difficilè diiudicari potest, nam, licèt nos per accidentia cognoscamus substantiam, & per accidentium mutationem, substantialem transmutationem factã esse coniectemus, difficile tamen est, præsertim in his rebus inanimatis, discernere, quando accidentalis transmutatio sit tãta, vt substantialem etiã secũ habeat cõiunctam: vtendo tamẽ cõiectura, verisimilius videtur, regulariter nõ fieri in his apparitionibus tantã mutationẽ accidentium panis, quæ ad substantiam corrũpendam sufficiat: vnde consequenter fit, manere hic corpus Christi sacramentaliter post prædictam apparitionẽ, vt D. Tho. hic sentit. Probatur, quia mutatio in accidentibus cõmunibus non sufficit ad corrũpendam substãtiam, nisi fiat in proprijs: sed hic præcipua immutatio fit in accidẽtibus communibus, vt sunt color, qui potest esse diuersus in indiuiduis eiusdem speciei; & in eodẽ facilius mutari potest, quanuis non omnino dissoluatur temperamentum primarum qualitatum, ad conseruãdam substantiam necessarium, vt tractat Soto. d. 10. quæstione 1. articulo. 8. vbi refert, etiam per artem id sæpe fieri, & idem facile est in figuræ mutatione; & hæc duo ferè sufficiunt, vt appareat caro, sanguis, & similia: accidentia autem magis intrinseca & propria sunt odor & sapor, quæ non necessariò mutantur propter has apparitiones; & multò minùs è conuerso sentiuntur ibi similes proprietates carnis aut sanguinis: huiusmodi etiam est tanta condensatio: nam re vera ob nimiam rarefactionem corrumperetur substantia: sed hæc regulariter non intercedit, præcipuè quando apparent species in eadẽ magnitudine, quod fortasse intellexit D. Thomas hic, cùm dixit manere easdem dimensiones, scilicet, cum eadem densitate, & consequenter cum temperamento ad illam necessario: ita enim exponendus est, ne sibi contrarius videatur: quam expositionem Caietanus etiam sua distinctione, & exceptione indicat, cuius sententia quoad casum illum, seu exceptionem, scilicet, quando immutatio apparet facta in multò maiori magnitudine, quàm erant species, probabilis est; & ideò dixi, regulariter, seu frequenter: quia non repugnat aliquando aliter accidere, vt in eo casu: quia videtur nimia rarefactio in speciebus fieri: quanuis (vt suprà dicebã) etiam posset dici, in eo casu non rarefieri species, quæ, si tangantur, videntur sentiri æquè densæ, sed ex corpore circunstante adiungi partem aliquam eisdem coloribus affectam, vt illa magnitudo appareat, & consequenter manere Christum sub speciebus, non verò in reliqua parte corporis circunstantis. Præterea hoc modo sunt hæc apparitiones proportionatæ fini earum: nam, vel fiunt ad confirmandam fidem præsentiæ corporis Christi, & ita conueniens est, vt illa duret; vel ad solatium alicuius iusti, quod nõ esset solidum, si Christus discederet quoad veram præsentiam sacramentalem: solùmque appareret secundùm sensibilem repræsentationem. Tãdem huic sententiæ sic expositæ videtur consentanea Ecclesiæ cõsuetudo, quæ hostias consecratas immutatas in colore carneo, aut sanguineo diu conseruat, & veneratur, vt verum Eucharistiæ sacramentum.

Dices, hoc nimium probare: quia interdùm tam diuturno tempore conseruantur, vt in eis non possit subtantia panis conseruari sine corruptione. Respondetur, Fortasse interdùm diuinitus conseruantur sicut aliæ Sanctorum reliquię, maximè quando eodem modo, & eiusdem omnino coloris semper apparent: fortasse etiam substantia panis, si ab extrinsecis corrumpentibus multùm actiuis reseruetur, lõgo tempore durare potest: non est denique negandum, aliquando posse diuturnitate temporis apparere sufficientia signa corruptionis; quod obseruandum est, vt iam tũc non adhibeatur veneratio, quæ corpori Christi ibi existenti dari solebat, sed quæ dari potest signo, seu vestigio corporis Christi, quod ibi fuit.

SECTIO IIII.

Quid agendum sit, quando apparẽt huiusmodi mutationes in Eucharistia.

PRimò inquiri potest, quid sit agendum quoad adorationem talium specierum, & hoc iam est sufficienter explicatum, & ferè eandem doctrinam habet Caietanus hic.

Species circa quas fiunt prædictæ mutationes esse conseruandas. S. Thomas.

Secũdò inquiri potest, quid sit agendum quoad vsum; & dicendum est, non esse consumendas, sed conseruandas in loco decente & sacro, quãdiu sunt sub tali forma. Ita D. Thom. hic, & infrà quæstione 82. articulo. 4. ad. 3. & in. 4. distinctione. 10. quæst. 1. artic. 4. quæstiuncula. 3. & cæteri Theologi. Et vsus Ecclesiæ id confirmat & ratio; quia sub illa forma non possunt sine horrore sumi; & quia tunc non proponuntur sub specie cibi humani, nempe panis & vini, sub quibus tantùm Christus sumi voluit, vt argumentatur D. Thom. ex capit. De hac. de Consecratione, distinctione secunda. Fateor tamen, rationes has non concludere, hoc esse propriè & rigorosè præceptum, seu prohibitum: quia posset esse minister, qui nullum haberet horrorem, nec desunt ibi omnino species panis & vini, vt probatum est, sub quibus Christus sumatur: Christus autem nunquam prohibuit sumere corpus suum propter solam huiusmodi mutationem: neque etiam est vllũ expres-

Universidad de Deusto Biblioteca

expressum Ecclesiasticum præceptum: nihilominùs tamen seruanda est Ecclesiæ consuetudo, à qua non licet facilè discedere, præsertim quia hoc conferre potest ad maiorem fructum, & æstimationem talis miraculi, & maiorem sacramenti reuerentiam, & ad vitandum omne periculum horroris & vomitus, &c. Dixi autem, quandiu sunt sub tali forma: quia si ad priorem redeant, tunc consumi possunt: quia cessant rationes factæ, & est probabile, non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis: qua ratione colligit D. Thom. si immutatio appareat vni, & non alteri, posse species consumi: quia non est facta in illis: idem autem est, etiam si sit facta, & postea cesset, & nudæ species panis ac vini appareant: sicque refert Paschasius suprà accidisse cuidam viro sancto, qui, cùm similem visionem vidisset, rogauit Deum, vt ad formam sacramenti rediret, quod posset consumere: atque ita factum est, & similia legi possunt apud Guitmundum & Gareciū suprà, & Petrum Diaconum in vita Gregorij.

Guitmund. Garecius. Pet. Diacon.

Vltimò quæri potest, quid aget Sacerdos, si post perfectam consecrationem vtriusque speciei talis accedat immutatio. Respondetur, si in aliqua parte nihil est immutatum, illud consumi potest, & satis erit ad perfectionem illius sacrificij; si autem nihil consumi potest corporis & sanguinis, dicunt quidam esse necessarium ex præcepto consecrare iterum & consumere alias species. Ita Antoninus ex Alberto. 3. parte, titul. 10. capit. 6. §. 14. quia est præceptum diuinum, vt Sacerdos consumat sacrificium, & videtur fauere D. Thom. supra. Nihilominùs verius est, hoc non esse præceptum, sed consilium, & ita esse exponendum Diuum Thomam censent Paladan. & Caietan. Soto distinctione. 13. quæstione. 1. articul. 4. Syluester, verbo, Eucharistia 3. in fine. Victoria in summa, numero. 70. & ratio est, quia in eo casu non potest impleri illud præceptum in inchoato sacrificio, seu in speciebus consecratis: denuo verò consecrare alias, non esset prius sacrificium consummare, sed aliud inchoare, quod ex vi prioris consecrationis præceptum non est, prout nunc loquimur: nam aliunde, & per accidēs posset tunc occurrere aliud præceptum, vt verbi gratia, audiendi Missam, vel quid simile: de quo hic non agimus; & fortasse probabilius est, etiam ex illis præceptis non oriri talem obligationem, maximè, si verum est, cōsumptionem specierum non esse de substantia sacrificij, vt infrà dicemus.

Antonin. Albert. Soto. Syluest. Victoria.

QVAESTIO LXXVII.

De remanentibus in sacramento accidentibus, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandū est de accidētibus in hoc sacramento.

¶ *Et circa hoc quæruntur octo.*

Primò, vtrum accidentia, quæ remanēt, sint sine subiecto.

Secundò, vtrum quantitas dimensiua sit subiectum aliorum accidentium.

Tertiò, vtrùm huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum.

Quartò, vtrùm possint corrumpi.

Quintò, vtrùm ex eis possit aliquid generari.

Sextò, vtrùm possint nutrire.

Septimò, de fractione panis consecrati.

Octauò, vtrùm vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accidentia remaneant sine subiecto in hoc sacramento.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod accidētia non remaneant in hoc sacramento sine subiecto. Nihil enim inordinatum, aut fallax debet esse in hoc sacramento veritatis. Sed accidentia esse sine subiecto, est contra rerum ordinem, quem Deus naturæ indidit: videtur etiam ad quandam fallaciam pertinere, cùm accidentia naturaliter sint signa naturæ subiecti. Ergo in hoc sacramento non sunt accidentia sine subiecto.

Suprà q. 75. ar. 5. Et 1. 4. 47. art. 4. Et 4. d. 12. q. 1. ar. 1. & 4. cōtr. c. 63. & 65. Et quol. 3. ar. 1. Et quol. 4. artic. 5. Et opusc. 2. c. 8. & 1. Cor. 11. lect. 3.

¶ 2 Præterea, Fieri non potest, etiam miraculosè, quòd definitio rei ab ea separetur, vel quòd vni rei conueniat definitio alterius rei (putà, quòd homo manens homo, sit animal irrationale) ad hoc enim sequeretur, contradictoria esse simul: hoc enim, quod significat nomen rei, est definitio, vt dicitur in 4. Metaphys. Sed ad definitionem accidentis pertinet, quòd sit in subiecto: ad definitionē verò substantiæ, quod per se subsistat, non in subiecto. Non ergo potest miraculosè fieri, quòd in hoc sacramento sint accidentia sine subiecto.

Lib. 4. Metaph. tex. 28.

¶ 3 Præterea, Accidens indiuiduatur ex subiecto. Si ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto, non erunt indiuidua, sed vniuersalia: quod patet esse falsum, quia sic non essent sensibilia, sed intelligibilia tantùm.

¶ 4 Præterea, Accidentia per consecrationē huius sacramenti, non adipiscuntur aliquā compositionem. Sed ante consecrationē non erant composita, neque ex materia & forma, neque ex quo est, & quod est. Ergo etiam post consecrationem non sunt composita altero horum modorum, quod est inconueniens: quia sic essent simpliciora, quàm angeli: cùm tamen hæc accidentia sint sensibilia. Non ergo accidentia remanent in hoc sacramento sine subiecto.

SED contra est, quòd Gregor. * dicit in homilia Paschali, quòd species sacramentales sunt illarum rerum vocabula, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini. Et ita, cùm non remaneat substantia panis & vini, videtur, quod huiusmodi species remaneant sine subiecto.

Refertur de consecr. d. 2. Species

RESPONDEO dicendum, quòd accidentia panis & vini, quæ sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt, sicut in subiecto, in substantia panis & vini, quæ non manet (vt suprà habitum est) neque etiam in forma substantiali, quæ non manet & si remaneret, subiectum esse nō posset, vt patet per Boetium in libro de Trinitate. Manifestum est etiam, quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis & sanguinis Christi, sicut in subiecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici: neque etiam est possibile, quòd corpus Christi gloriosum, & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates.

Quæst. 75. ar. 3. & 6. In lib. de Trin. ant. med.

Dicunt autem quidam, quod sunt, sicut in subiecto, in aere circunstante. Sed nec hoc esse potest. Primò quidem, quia aer non est huiusmodi accidentium susceptiuus. Secundò, quia huiusmodi accidentia non sunt, vbi est aer: quinimò ad motum harum specierum aer depellitur. Tertiò, quia accidentia non transeunt de subiecto in subiectum: vt, scilicet, idem accidens numero, quod primò fuit in vno subiecto, postmodum fiat in alio: accidens enim numerum accipit à subiecto; vnde non potest esse, quod idem numero manens, sit quandoq; in hoc, quandoque in illo subiecto. Quartò, quia cùm aer non spolietur accidentibus proprijs, simul haberet accidentia propria, & aliena. Nec potest dici, quòd hoc fiat miraculosè virtute consecrationis, quia verba consecrationis hoc nō significant: quæ tamen non efficiunt, nisi suum significatum. Et ideò relinquitur, quòd accidentia in hoc sacramento, manent sine subiecto. Quod quidem virtute diuina fieri potest. Cùm enim effectus magis dependeat à causa prima, quàm à causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conseruare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conseruabatur in esse, sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis: sicut humanum corpus formauit in vtero Virginis, sine virili semine.

AD primum ergo dicendum, quòd nihil prohibet, aliquid esse ordinatum secundùm communem legem naturæ, cuius tamen contrarium est ordinatum secūdùm speciale priuilegium gratiæ: vt patet in resuscitatione mortuorum, & in illuminatione cæcorum: prout etiam in rebus humanis quædam aliquibus conceduntur ex speciali priuilegio, præter legem communem. Et ita etiam, licèt sit secundum communem naturæ ordinem, quòd accidens sit in subiecto, ex speciali tamen ratione, secundùm ordinem gratiæ accidentia sunt in hoc sacramēto sine subiecto, propter rationes suprà inductas.

AD secundum dicendum, quòd, cùm ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse, non potest esse essentia substantiæ, vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ, ens per se sine subiecto: nec definitio accidentis, ens in subiecto: sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse, non in subiecto: quidditati autem, siue essentiæ accidentis competit habere esse in subiecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus, quòd ex vi suę essentiæ non sint in subiecto, sed ex diuina virtute sustentante. Et ideò nō desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subiectum, quæ semper manet in ijs, non actualis inhærentia: nec competit eis definitio substantiæ.

In corp. artic.

AD tertium dicendum, quòd huiusmodi accidentia acquisierunt esse indiuiduum in substantia panis & vini, qua conuersa in corpus & sanguinem Christi, remanent virtute diuina accidentia in illo esse indiuiduato, quod priùs habebant. Vnde sunt singularia & sensibilia.

AD quartum dicendum, quòd accidentia huiusmodi, manente substantia panis & vini, nō habebant ipsa esse, nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea: sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia, quæ remanent, habent esse; vnde sunt cōposita ex esse, & quod est (sicut in prima parte de Angelis dictum est) & cum hoc habent compositionem partium quantitatiuarum.

1. par. q. 50. art. 2. & 3.

COMMENTARIVS.

CIrca titulum articuli aduertendum est, non esse sermonem de singulis accidentibus, sed de tota collectione, seu aggregato, aut composito accidentium panis & vini, quæ post consecrationem manent: atque hoc sensu facilis est responsio articuli, manere, scilicet, hæc accidentia sine subiecto; quia manent sine propria substantia, quamuis non singula eorum careant proprio inhæsionis modo, vt in sequente articulo D. Thom. docet. Nisi quis velit potiùs de subiecto distinguere: aliud est enim subiectum proximum, cui accidens immediatè inhæret, de quo procedunt, quæ diximus, aliud verò est subiectum remotum, id est, suppositum, quod ex natura rei omnia accidentia sustentat, siue illi immediatè inhæreant, siue quædam medijs alijs, & hoc

& hoc modo omnia, & singula accidentia carent huiusmodi subiecto. Vtrumque autem horum sufficienter ostensum est ex illo principio fidei, substantiam, scilicet, panis & vini sub eis non manere: D. Thom. autem, ad magis confirmandum veritatem, discurrit per alia subiecta, quæ fingi possent, & singula excludit. Vnum est, forma substantialis panis, de qua eadem est ratio, quæ de tota substantia: quia similiter non manet, & quoad hoc idem est de materia panis. Addit verò Diuus Thomas, quòd licèt forma maneret, non posset esse subiectum accidentium, quod satis est, si ex natura rei intelligatur, & sine nouo miraculo, quod fingere non est necesse, quanquam etiam de potentia absoluta facilè posset defendi, hoc non esse posibile: quia, & in forma materiali deest intrinseca capacitas pasiua, & receptiua accidentium, & in ipsis accidentibus deest intrinseca habitudo ad tale subiectum, & formalis aptitudo ad illud informandum: sed non libet in hac disputatione, quę præsenti mysterio nihil deseruit, ampliùs immorari. Aliud subiectum, quod fingi posset, est corpus ipsum Christi, quod etiam Diuus Tho. excludit, tū ex generali ratiōe humani corporis, quod huiusmodi accidentibus affici non potest, tum ex speciali ratione corporis gloriosi, quod impasibile est, & alterari non potest: vtrumque autem horum intelligendum est iuxta connaturalem conditionē, seu statum talis corporis: quia, re vera, illud non implicat contradictionem, esset tamen valde præternaturale, & indecens, ac mōstrosum corpori humano, præsertim glorioso; & ideò nullo modo est tribuendū corpori Christi. Addo tamē, specialē repugnātiā inuoluere, vt Christi corp⁹ hic existat modo indiuisibili, & inuisibili, & tamen, quòd illi inhæreat quātitas panis, occupans locū modo extenso & diuisibili. Tertium subiectum excogitari posset, corpus, quod species sacramentales circunstat (de alijs enim, quæ remotiùs distāt, nō potest hoc fingi, vel à fortiori illa excluduntur, illo excluso) hoc ergo excludit D. Thomas quatuor facillimis rationibus, quæ in eo legi possunt: nā ipsemet explicat, eis non probari, hoc esse simpliciter imposibile in ordine ad diuinam potentiam: sed fieri non posse sine alio extraordinario miraculo, quod neq; ex forma talis sacramenti colligi potest, nec gratis fingendū est: cùm sacramenti forma solùm efficiat id, quod significat, quod est valde notandum ad explicandas similes rationes Diui Thomæ in tota hac materia. Obseruandum verò existimo circa secundam ex his rationibus, omnino repugnare, etiam de potentia absoluta, quantitatem panis inhærere aeri circūstāti, suppositis his, quæ credimus, & visu experimur de his accidentibus: credimus enim, neque substantiam aeris, neque vllam aliam, præter corpus Christi esse intimè intrà quantitatem panis, quasi penetratiuè, seu realiter ibi præsens secūdùm totam profunditatem suam: nam, sicut ex veritate formæ sacramenti huius excluditur substantia panis aut vini, ita & quælibet alia peregrina substantia, præter corpus Christi: quantitas autem inhærere nulli potest substātiæ, nisi intimè illi sit præsens, sicut nec forma materiæ; quia hoc intrinsecè includitur in huiusmodi compositione. Rursus experimur, quantitatem hostiæ consecratæ solùm esse contiguam aeri circunstanti illam, & ideò facilè experimur moueri, eumque diuidere, & à suo loco pellere, quod facere non potest forma in subiecto, in quo inhæret: relinquitur ergo, nullum esse subiectum, in quo talia accidentia inesse posint.

Vltimò verò probat D. Thom. diuina virtute posse ita conseruari: quia potest Deus causalitatem subiecti supplere. Sed obijci potest, quia quantitas maximè pendet à subiecto, vt à causa materiali, quicquid sit de dependentia in genere causæ efficientis: Deus autem, licèt supplere posit efficientiam causarum secundarum; non tamen causalitatem materialem, sicut nec formalem, quæ intrinsecæ sunt. Respondetur, Deum non posse supplere causalitatem materialem, vel formalem, quæ consistit in intrinseca compositione ex subiecto & forma: quia hoc, & imperfectionem includit, & repugnantiam inuoluit: potest autem Deus supplere causalitatem quandam, quæ consistit in extrinseco influxu, seu adhæsione vnius ad alium: prioris generis est causalitas materiæ & formæ respectu compositi, quod sine illis neque intelligi potest: quia aliàs esset compositum, quia supponitur esse; & non esset, quia deessent componentia: posterioris autem generis est mutua causalitas, quam adinuicem habent inter se materia & forma: nam neutra alterā componit, & vtraque aliquo modo pendet ex consortio alterius, quod Deus supplere potest per vim actiuam & creatiuam: quia neque in Deo hoc ponit imperfectionem, sed supponit potiùs perfectionem; neque in rebus ipsis est repugnantia: quod de accidentibus respectu subiecti, de quibus nunc est sermo probat D. Tho. soluendo argumenta, quibus apparens repugnantia ostendi posset.

Solutio ad primum est facilis: indicatur verò in ea, esse contra naturam accidentis, quòd sit sine subiecto, intelligendum est autem esse supra naturam, aut præter ordinariam legem naturæ, aut esse quendam modum existendi, contrarium illi, quem natura sua postulat, aut denique esse cōtra naturā, quòd talis modus sit ei connaturalis, nisi naturale vocetur creaturæ, quidquid Deus circa illam operatur, vt Augustinus loquitur. 26. contra Faustum, ca. 3. vbi etiam addit, posse Deum dici agere contra naturam, quando agit contra vsitatū cursum naturæ, propriè verò dicitur agere præter, vel suprà naturā. *Augustin.*

Secundum argumentum D. Thom. est propriū, & vulgare in hac materia: quia est contra essentiam accidentis esse sine subiecto: quia eius esse est inesse, propter quod dixit Arist. 1. Physi. text. 39. *Affectus esse inseparabiles, & absurdam esse mētem, quæ ea quærit, quæ fieri nequeunt*, scilicet, accidentium separationē. *Aristot.* At communis ac facilis responsio est, aptitudine inesse pertinere ad essentiam accidentis, non tamen actu inesse: sed hunc esse modum comitantem talem essentiam: sicut in substantia non est de essentia eius subsistentia, sed modus substantiæ: de qua solutione videri potest Scotus in 4. distin. 12. vbi latè conatur ostendere, nō esse de essentia accidentis actu inhærere, cùm habeat entitatem absolutam distinctā ab entitate substantiæ, quarum vna non est de essentia alterius, saltem intrinsecè, sed, ad summum, vt terminus alicuius transcendentalis habitudinis: est ergo hoc satis probabile, etiam in ratione naturali, præter fidei certitudinem, &, quanuis non sit omnino euidens, tamen manifestisimum est, non posse contrarium demonstrari. *Scotus.* Arist. verò locutus est ex natura rei: sic enim accidentia sunt inseparabilia: indigent enim naturaliter concursu subiecti, vt conseruentur: & in idem recidit, quod D. Tho. in solutione

tione dicit, scilicet, esse in subiecto, non esse de essentia accidentis, sed esse talem naturam cui competat esse in subiecto, quantum est ex se, seu, quòd ex vi sua non possit sine subiecto conseruari.

In solutione ad tertium explicat D. Thom. quomodò posint accidentia indiuiduata conseruari sine subiecto, cùm ab illo indiuiduentur; & dicit, rationem esse, quia iam acquisierunt indiuiduationē in tali subiecto, in quo posteà conseruantur: non est autem dubium, quin à principio potuerint creari eadem indiuidua accidentia, sine tali subiecto: dicūtur autem habere tūc aptitudinalem habitudinē ad tale subiectū, & inde indiuiduari. Veritas autē est, intrinsecè vnumquodque accidens esse tale indiuiduum ex vi suæ entitatis, & per illam distingui ab alio simili in specie, etiam si contingat habere habitudinem ad idem numero subiectum, eique inhærere, saltem successiuè, respectu verò naturalium agentium dicitur accidens indiuiduari à subiecto, non solo, sed talibus circunstantijs applicato, neque intrinsecè, & in facto esse, sed extrinsecè, & in fieri, quia, scilicet, à tali subiecto, & circunstantijs determinatur hoc agens naturale ad efficiendum hoc indiuiduum potiùs, quàm aliud; Deus autem non indiget extrinseco determinante; & ideò potest, quando, & quomodò voluerit, quodlibet indiuiduū producere; & ita potest creare indiuidua accidentia extra subiectum, & similiter conseruare: non nego tamen, esse probabile, hoc accidens numero tantùm dicere habitudinem ad hoc numero subiectum, quanuis è contrario nō omne accidens, quod dicit habitudinem ad idem subiectum, sit idem numero, nec dubitari posse videtur, quin posit De⁹ simul & eodem loco creare duo accidentia numero distincta habentia ordinem ad idem numero subiectum; sed de hoc aliàs.

Solutio ad quartum cautè legenda est, & intelligenda: cùm enim ait D. Thom. accidentia in subiecto non habere esse, non intendit negare propriam & accidentalem existentiam accidentium: id enim esset improbabile: sed solùm docet, huiusmodi existentiam non conuenire accidēti, vt ei, quod habet esse, sed esse talem, quæ indigit sustētante, quod propriè dicitur (ait Diuus Thomas) habere tale esse per talem formam, vbi clarè concedit, formam accidentalem afferre esse secum, & conferre illud tali subiecto. Vnde, cùm subdit, accidentia post consecrationem habere esse, non intelligit acquirere nouam existentiam, vt apertè constat ex eodem, artic. sequēte, sed solùm nouum modum habendi illam, ratione cuius dicuntur aliqualiter subsistere, & esse composita ex esse, & quod est: quod magis in disputatione explicabimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc sacramento quantitas dimensiua panis, vel vini, sit aliorum accidentium subiectum.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd in hoc sacramento quantitas dimensiua panis vel vini nō sit aliorum accidentium subiectum. Subiectum enim accidentis non est accidens, nulla enim forma potest esse subiectum, cùm subijci pertineat ad proprietatem materiæ. Sed quantitas dimensiua est quoddam accidens. Ergo quantitas dimensiua non potest esse subiectum aliorum accidentium. *in. 11. le. 4. co. 5. in fin.*

¶ 2 Præterea, Sicut quantitas indiuiduatur ex substantia, ita etiam & alia accidentia. Si ergo quantitas dimensiua panis aut vini remanet indiuiduata secundùm esse prius habitum, in quo cōseruatur, pari ratione & alia accidentia remanent indiuiduata secundum esse, quod priùs habebant in substantia. Non ergo sunt in qnantitate dimēsiua, sicut in subiecto, cùm omne accidens indiuiduetur per suum subiectum.

¶ 3 Præterea, Inter alia accidentia panis & vini, quæ remanent, deprehenduntur etiā sensu rarum & densum, quæ non possunt esse in quantitate dimensiua præter materiam existente, quia rarum est, quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus, densum autem, quod habet multum de materia sub paruis dimensionibus, vt dicitur 4. Phys. Non ergo videtur, quòd quantitas dimensiua posit esse subiectum accidentium, quæ remanent in hoc sacramento. *Lib. 4. text. 84. com. 2.*

¶ 4 Præterea, Quantitas à subiecto separata, videtur esse quātitas mathematica, quæ nō est subiectum qualitatum sensibilium. Cū ergo accidentia, quæ remanent in hoc sacramento, sint sensibilia, videtur, quòd non posint esse in hoc sacramento, sicut in subiecto, in quantitate dimensiua panis & vini remanente post consecrationem.

SED contra est, quòd qualitates non sunt diuisibiles, nisi per accidens, scilicet, ratione subiecti. Diuiduntur autem qualitates remanentes in hoc sacramento, per diuisionē quātitatis dimensiuæ, sicut patet ad sensum. Ergo quantitas dimensiua est subiectum accidētium, quæ remanent in hoc sacramento.

RESPONDEO dicendum, quòd necesse est dicere, accidentia alia, quæ remanēt in hoc sacramento, esse, sicut in subiecto, in quantitate dimensiua panis, vel vini remanēte. Primò quidem per hoc, quòd ad sensum apparet aliquid quātum esse ibi coloratum, & alijs accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur, Secundò, quia prima dispositio materiæ est quantitas dimensiua, vnde & Plato posuit primas differentias materiæ, magnum & paruum. Et quia primū subiectum est materia, consequens est, quòd omnia alia accidentia referantur ad subiectum, mediante quantitate dimensiua (sicut & primum subiectum coloris dicitur esse superficies) ratione cuius quidam posuerunt, dimensiones esse substantias corporum: vt dicitur *Apud Arist. lib. 1. Meta. tex. 6. & 7.*

in

Lib. 1. text. 10. & sequẽ. tom. 3.

in primo Metaphys. Et quia subtracto subiecto, remanet accidentia secundũ esse, quod prius habebant, consequens est, quòd omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensiuam. Tertiò, quia cùm subiectum sit principium indiuiduationis accidentium, oportet id, quod ponitur aliquorũ accidentium subiectum, esse aliquo modo indiuiduationis principium. Quantitas autem dimensiua est quoddam indiuiduationis principium. Est enim de ratione indiuidui, quòd non possit in pluribus esse. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, quia nõ est natum esse in aliquo, & hoc modo formæ immateriales, separatæ, per se subsistentes, sunt etiam per se ipsas indiuiduæ. Alio modo ex eo, quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus: sicut hæc albedo, quæ est in hoc corpore.

Quantum igitur ad primum, materia est indiuiduationis principium omnibus formis inhærentibus, quia cum huiusmodi formæ, quantum est de se, sint natæ in aliquo esse, sicut in subiecto, ex quo aliqua earũ recipitur in materia, quæ non est in alio, ideò nec forma ipsa sic existens potest in alio esse.

Quantum autem ad secundum, dicendum est, quòd indiuiduationis principium est quantitas dimensiua. Ex hoc enim aliquid est natum esse in vno solo, quòd illud est in se indiuisum, & diuisum ab omnibus alijs. Diuisio autem accidit substantiæ, ratione quantitatis: vt dicitur in 1. Physicor. Et ideò ipsa quantitas dimensiua est quoddam indiuiduationis principium huiusmodi formis in quantum, scilicet, diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ. Vnde & ipsa quantitas dimensiua secundùm se habet quandam indiuiduationem: ita quòd possumus imaginari plures lineas separatas eiusdem speciei, differentes positione, quæ cadit in ratione huius quantitatis: cõuenit enim dimensioni, quòd sit quantitas positionẽ habens. Et ideò potiùs quantitas dimensiua potest esse subiectum aliorum accidentium, quàm è conuerso.

Lib. 1. phys. tex. 15. to. 2.

AD primum ergo dicendum, quòd accidens per se nõ potest esse subiectum alterius accidentis, quia per se non est. Secundùm verò quòd est in alio, vnum accidens dicitur esse subiectum alterius, in quantum vnum accidens recipitur in subiecto, alio mediante, sicut superficies dicitur esse subiectũ coloris. Vnde, quando accidenti datur diuinitus, vt per se sit potest etiam per se alterius accidentis subiectum esse.

AD secundum dicendum, quod alia accidentia, etiam secundùm quòd erant in substantia panis, indiuiduabantur, mediãte quãtitate dimensiua, sicut dictum est. Et ideò potius quãtitas dimensiua est subiectum aliorum accidentium remanentium in hoc sacramento, quàm è conuerso.

AD tertium dicendum, quòd rarum & densum sunt quædam qualitates consequẽtes corpora, ex hoc quòd habent multum vel parum de materia sub dimensionibus, sicut etiam omnia alia accidentia consequuntur ex principijs substantiæ. Et ideò, sicut subtracta substantia, diuina virtute conseruantur alia accidentia, ita subtracta materia, diuina virtute conseruantur qualitates materiam consequentes, sicut rarum, & densum,

In corpore.

AD quartum dicendum, quòd quantitas mathematica non abstrahit à materia intelligibili, sed à materia sensibili, vt dicitur 7. Metaphys. Dicitur autem materia sensibilis ex hoc, quòd subijcitur sensibilibus qualitatibus. Et ideò manifestum est, quòd quantitas dimensiua, quæ remanet in hoc sacramento sine subiecto, non est quantitas mathematica.

Lib. 7. c. 5. tex. 5.

COMMENTARIVS.

Quantitatem in Eucharistia esse subiectum reliquorum accidentium sensit D. Thom.

RESpondet Diuus Thomas quãtitatem panis vel vini esse subiectum aliorum accidentium, quæ remanent. Quæ assertio supponit duo principia; vnũ est, quantitatẽ substantiæ esse specialẽ formã realiter ab illa distinctã, quæ separari & cõseruari possit, sine illa: de quo hic D. Tho. nihil dicit, sed tacitè illud supponit, quod & nobis faciẽdũ est, ne rebus philosophicis implicemur. Secũdũ principiũ est, quantitatem esse primam materiæ dispositionem, qua mediate recipit alias formas accidentales, ita vt proximè illi inhæreãt, sicut color in superficie, vt ipsa experientia videtur ostendere: & potest etiam declarari, quia per eandem substantiæ quantitatem extenduntur aliæ qualitates, & omnes, quantitatiuas dimensiones recipiunt, & hoc non fit, quia informentur quantitate: ergo erit è contrario, quia illæ immediatã inhæreãt quantitati. Ex his ergo optimè concludit Diuus Thomas in ratione secunda, ablato subiecto primario, seu fundamentali accidentium, quod est substantia, solùm mutari quantitatem quoad existendi modum, reliqua verò eodem modo manere in quantitate fundata: quia nullam aliam mutationem necesse est fieri ad veritatem huius mysterij. Et hoc confirmat in prima ratione satis probabili, & sensibili experientia, qua videmus manere ibi quoddam quantum coloratum, &c. Tertiam verò rationem adhibet valde metaphysicam, quam pertractare non est necesse: inuoluit enim longam disputationem de principio indiuiduationis ad hoc loco satis alienam. Neque in solutionibus argumentorum aliquid declarandum occurrit.

DIS-

DISPVTATIO. LVI.

De modo existendi accidentium panis & vini post consecrationem.

Disp. 18. de Eucharistia.

DIximus in superioribus, hoc Eucharistiæ sacramentum ex parte materiæ duobus constare, corpore, scilicet, & sanguine Christi realiter præsente, de quo hactenus dictum est; & accidentibus panis, & vini, de quibus subinde dicẽdum sequitur. Duo autem in illis consideranda occurrunt; vnum est eorum esse; aliud, quo modo agant, & patiantur: illud prius declarabimus in hac disputatione; posterius verò in sequente.

SECTIO I.

Quæ accidentia panis & vini post consecrationem maneant sine substantia.

Trident.

Aliaco.

SVpponimus vt certum, manere aliqua accidentia panis & vini consecratione peracta, quod non solùm fide certum est, vt patet ex Cõcilio Tridentino, sessione decima tertia, canone secundo, sed etiam sensibus est manifestum, quanquam non defuerit vnus Petrus de Aliaco, qui dixerit, sensibus nõ satis iudicari, an illa sint vera, vel apparẽtia, posseque probabiliter negari; quod si verum est, nullum planè iudiciũ ob sensuum experimentũ potest esse certũ, etiã in obiectis proprijs ac per se ipsorum sensuũ, quo nihil potest dici absurdius: ad hãc ergo certitudinẽ satis est, vt naturaliter sit euidens ibi non posse esse deceptionem, & alioqui nullum sit fundamentum ad fingendum miraculũ, præsertim, cùm illud fingere cõtra fidẽ sit, & contra veritatem sensibilis sacramenti. Atque hinc vlteriùs colligitur, hæc accidentia, quæ in hoc sacramento videntur, esse eadem numero, quæ in pane & vino præfuerunt: de quo minùs certum existimari potest sensuum iudicium: quia non minori sensuum apparentia seu experimento videntur manere eadem numero accidentia in corpore mortuo, quæ immediatè antea fuerant in viuo, & tamen multis philosophis visum est, non esse eadem: nihilominùs in præsenti res est euidentior; quia neq; in ipsis, neque in subiecto eorũ facta est aliqua naturalis mutatio, quæ sensibus, aut ratione naturali discerni possit, & est etiã res certa in doctrina fidei, vt patet ex Concil. Trident. loco nuper citato, Florẽt. in decreto Eugenij, Constantiensi sess. 8. Lateran. in capit. Firmiter. de Sum. Trini. & ex communi traditione Sanctorum, quos suprà retuli tractando de reali præsentia Christi in Eucharistia, & aliorum, qui referuntur de consecrat. d. 2. cap. Quia corpus. capit. Quia passus, ca. Fortè. cap. Sanguis. capit. Hoc est. ca. Vtrùm sub figura. Omnes enim docent, sub eisdem accidẽtibus corpus & sanguinem Christi contineri, sub quibus priùs substantia panis & vini continebatur. Idemq; docet Hugo de Sanct. Vict. 2. de sacram. part. 8. cap. 7. D. Tho. hic, & suprà q. 75. articul. 5. & optimè. 4. contr. Gent. ca. 63. Alens. 4. par. q. 40. Gab. lect. 44. in Can. & reliqui Theologi in 4. d. 12. Ratio verò seu cõgruẽtia huius est, quia in primis, ad rationem sacramẽti necessariũ fuit, vt sub signo sensibili Christus sumeretur. Secundò, quia oportuit Christũ manere sub aliena specie, vt fides conseruaretur & exerceretur, proprijs sensibus diuinam autoritatem præferẽdo, propter quod sacramẽtum hoc, quasi per antonomasiam, dictũ est *mysterium fidei, quia in eo aliud videtur, & aliud traditur*, vt dicitur in cap. Cũ Marthæ. de Celebratione Missarum. Vnde, & vtile hoc fuit, vt hoc mysterium infidelibus esset occultũ: itẽ fuit necessariũ ad conuenientẽ vsum fideliũ, tum in ratione sacramẽti, vt posset manducari, & bibi; tum in ratione sacrificij, vt posset in altari offerri, & incruentè immolari. Ad hæc autem omnia sufficiunt, & aptiora sunt eadem numero accidentia, quæ in pane & vino extiterunt; & faciliùs fuit, illa eadem conseruari, quàm, illis destructis, alia omnino similia sine subiecto creari; fuit etiã hoc magis expediens ad veritatem cõuersionis, vt aliquid vtriq; termino cõmune maneret: ac deniq; ipsa verba formæ hoc indicant; & ad suam veritatem requirunt, vt per pronomen, *Hoc*, possit aliquod indiuiduum sensibile designari, quod in principio & termino prolationis idẽ sit, saltem per habitudinem ad eadem numero accidẽtia. Atq; hinc vlteriùs cõcludo, & sumo vt certũ, manere post consecrationẽ eadẽ numero accidẽtia, nõ solùm quoad essentiã, sed etiã quoad existentiã, vel quia existentia (iuxta veram sententiam) nihil est, nisi actualis entitas rei: vnde fieri non potest, vt maneat eadem numero entitas essentiæ realis & actualis sub diuersis existentijs, vt in primo tomo de Incarnatione latè tractaui, vel, etiam si demus, distingui in re ipsa existẽtiam ab essentia actuali, posseque variari existentiam in eadem numero essentia, nihilominus hic nulla est necessitas, nec ratio probabilis ad hoc asserendum, & multiplicanda miracula; quia non magis pendet à subiecto existentia cõnaturalis accidenti, quàm essentia: vnde nulla est ratio, cur vna maneat, & non alia; & alioqui, saltem ex natura rei, vt essentia accidentis, & cuiuscũque formæ conseruetur eadem in indiuiduo, & in entitate sua, necesse est, vt eandem existentiam retineat: manẽt ergo eadem numero accidentia quoad essentiam, & existentiam. Ex his autem, quæ diximus, non probatur, omnia accidentia panis & vini post consecrationem manere, sed solũ aliqua, præsertim ea, quæ externis sensibus per se percipi possunt; & ideo explicandum superest, quid in hoc certò tenendum sit. Soto enim in 4. dist. 9. quæst. 2. articul. quinto. censet esse errorem, negare, quòd maneant omnia accidentia panis & vini, etiam propriæ passiones: nam, licẽt Concilia indefinitè dicant, manere accidentia, seu (vt ipsa loquuntur) species panis & vini, tamen in huiusmodi locutionibus, quæ doctrinales sunt, indefinita æquiualet vniuersali. In cõtrarium verò est ratio nuper facta: item, quia multi existimãt, esse aliquas proprias passiones ita intrinsecas, vt non possint à subiecto separari; & quædam esse accidentia, quæ à substantia non distinguũtur, vt res omnino distinctæ, sed tantum, vt modi; qui etiam manere non possunt, destructo subiecto.

Florent. Concilium. Constant. Lateran. Hugo. S. Thom. Alensis. Gabriel.

1. Conclusio.

Dicẽdum est ergo primò, certum esse, ablata substantia panis & vini post consecrationem, manere omnia accidentia, quæ per se possunt sensibus percipi, hoc probant, vt dixi, omnia, quæ ex Concilijs & Patribus adduximus, & experientia ipsa, quæ necessaria fuit, vt mysterium fidei esset occultũ: quia, si aliquod accidens per se sensibile non maneret: ergo posset hoc naturaliter cognosci quadam naturali, seu morali euidentia: nam, si ante consecrationem

sentiretur,

sentiretur, verbi gratia, odor vini, & statim post verba consecrationis prolata nō sentiretur, esset humano modo euidens fuisse ablatum: ergo eodē modo esset euidens, ad præsentiam illorum verborum aliquam realem mutationem ibi esse factam: ergo mysterium consecrationis aliquo modo experimento cognosceretur. Quæ ratio potest eodem modo fieri in obiecto cuiuscunque sensus; imò & in communibus sensibilibus, vt figura &c. nam de ijs etiam satis euidenter iudicat sensus, præcipuè quando sunt satis applicata, & nullum intercedit impedimētum. Sed an sit eadem certitudo & euidentia de quantitate. Respondeo, loquendo in communi, esse eandē: quia hoc modo quantitas est vnum ex per se sensibilibus communibus: vnde euidenter percipimus manere aliquid extensum, habens molem, loco impenetrabile, & hoc vocamus quantum, & consequēter habens quantitatem: an verò illa quantitas sit aliqua res distincta à qualitatibus ipsis, & consequēter, an sit quantitas substantiæ, vel accidentium tantum, quę manēt, nō potest sensibus percipi, neq; in hoc est aliquid de fide certū, sed in opinione Theologorū versatur: est autē, vt in Commentario dixi, probabilius, vnā esse quantitatē substantiæ, & qualitatū omniū in ea existētium, quæ est res ab omnibus illis distincta, quā necesse fuit in hoc sacramēto manere, tū, vt omnes qualitates haberēt corpoream molem, qua possent occupare locum, tangi, videri, &c. tum, vt retinerent in se coniunctionem aliquā, naturalemque vnionem. Denique, vt essent loco impenetrabiles: nam hoc, re vera, habent ab huiusmodi quantitate: nam, si hoc per sese haberent, nulla posset naturalis ratio reddi, ob quam duæ albedines in duabus hostijs consecratis existentes essent inter se loco impenetrabiles, & tamen calor, & color, sapor, & odor, in eadem hostia possent in eodem loco penetrari: cùm sint tam corporeæ & extēsæ quatuor qualitates, sicut duæ albedines: quæ ratio applicari facilè potest ad ostendendum, non habere accidentia quantitatem suam distinctam à quantitate substantiæ; & consequenter illam esse vnum accidens realiter ab omnibus illis distinctum.

2. Conclusio. Dico secundo. Non est certum manere post consecrationem alia accidentia panis & vini præter prædicta per se sensibilia: probabilius tamē videtur, manere omnia, quæ habent entitatem propriam distinctam ab entitate substātiæ. Probatur prior pars, quia Concilia aut Patres non potuerunt habere aliquod certum fundamentum, præsertim Theologicū, ad id definiendum in eo sensu: ergo nō sunt in eo sensu intelligenda: antecedens patet, quia ad occultandum mysterium fidei nihil aliud est necessarium: neque vllo experimento aliud constare potest: neque etiā sunt alia principia, ex quibus colligi possit. Vnde ipso modo loquendi hoc insinuarunt Concilia: nam hac ratione videntur appellasse hæc accidentia panis & vini, species sacramentales, scilicet, vel quia per species sensibiles percipi possunt, vel quia in externa specie eo modo substantiam referunt, quo sensibus percipi potest. *Obiectio.* Dices; fides docet, in hoc mysterio fieri solam transubstantiationem, per quam sola substantia desinit: ergo ex hoc principio satis certò colligi potest, nullum accidens desinere. *Solutio.* Respondetur, negando consequentiam: nam, licèt eo vi transubstantiationis per se non desinat, nisi substantia, quod tamen cùm illa concomitāter desinat aliquod accidens, nō repugnat transubstantiationi: nā quoad hoc non videtur major ratio de termino à quo, quàm de termino ad quem: nam transubstantiatio, ita est ad substantiam, sicut ex substantia; & tamen huic rationi non repugnat, quòd cum illo termino ad quem concomitanter veniat accidentia: ergo similiter non repugnabit, quòd concomitanter recedant, seu esse desinant cum termino à quo, saltē aliqua, si in eis est specialis ratio aut difficultas.

Obiectio. Aliter obijci potest, quia sunt in pane & vino quædam proprietates occultæ, quæ, licèt non sint per se sensibiles, sunt tamen principia sensibilium dispositionum, quibus corruptio & generatio fit: ergo necesse est has manere: alioqui non essent æquè actiua sensibiliter accidentia, quæ manent; atq; ita posset mysterium hoc sensibili experimento aliquo modo cognosci. *Solutio.* Respondetur, hāc esse probabilem rationem, quæ iuuat ad posteriorem partem conclusionis probandam: non esse tamen certam: quia certum non est dari huiusmodi proprietates occultas: *Claudius.* id enim præter alios philosophos negat Claudius de Sainctes repetit. 8. c. 2. quia temperamentum primarum qualitatum sufficit ad huiusmodi actiones: fortasse tamen probabilius est, huiusmodi proprietates esse admittendas: vinum enim vehementius calefacit, quàm solus formalis calor ipsius vini posse videatur calefacere: eis verò admissis, necessariò fatendum est, manere in hoc sacramento; & prima cōclusio intelligenda erit de accidentibus per se sensibilibus formaliter vel eminenter: nam, quod ad præsens attinet, eadem est vtrorumq; ratio, eademq; necessitas, vt ratio facta probat.

Nihilominùs posterior pars conclusionis est conformis doctrinæ Conciliorum, Sanctorum, & Theologorum, eamq; latè probat Ferrar. 4. cont. gent. ca. 65. *Ferrar.* Et probatur in hunc modum: quia omnia hæc accidentia, aut sunt quantitas, aut qualitates materiales, aut modi aliqui accidentales, qui cum quantitate, aut qualitate realiter identificantur, vt sunt vbi quantitatiuum, figura, relationes aliquæ, & alia huiusmodi: sed ostensum est; quantitatem manere, & de quibusdam qualitatibus, id est certū, vt dixi, est autem ferè eadem ratio de omnibus, eum, quia omnes inhærent proximè quantitati: vnde, illa conseruata, conseruant eandem inhærentiam, qua possunt in esse conseruari: tum etiam quia ostensum est, manere omnes qualitates formaliter per se sensibiles, & omnes etiā proprietates occultas, quæ possunt esse principia similium qualitatum: at verò præter has qualitates, nullæ aliæ videntur posse excogitari in pane aut vino. *Obiectio.* Denique, quanuis aliæ esse fingantur, non erit difficilius, illas conseruari, quàm cæteras, neq; erit vlla specialis ratio, cur potiùs destruantur. Dices, fortasse esse proprias quasdam passiones magis intimè pendentes à substantia. *Solutio.* Sed hoc gratis dictum est: quia tam intrinseca proprietas materiæ, seu corporis est quantitas, quàm esse potest vlla qualitas respectu panis & vini, & similiter connaturales & intrisecæ proprietates habent eandem naturalem vnionem & dimanationem, quā possunt aliæ qualitates habere: ergo eadem est omnium ratio. Tādem relationes, aut alij modi accidentales, cùm fundentur in quantitate, vel qualitate, eisque solis proximè adhæreant, non solùm manere possunt, sed etiam necessariò manent, manentibus quantitate & qualitatibus, nisi speciali actione corrūpātur, quod est extrinsecum & per accidens ad transubstantiationem, quam solam hic consideramus. Loquimur autem

autem de modis accidentalibus proprijs, qui ad aliquod ex prædicamentis pertinent: nam loquendo de modo inhęrentiæ, hic manere nō potest, vt infrà dicam, saltē in quantitate, quia essentialiter est modus vnionis, de cuius intrinseca ratione est, vt pendeat à termino talis vnionis, qui in præsenti est substantia, & ideò, illa ablata, non potest manere quantitatis inhærentia.

3. Concl. Dico tertiò. Si qui sunt in substantia modi accidentales, qui non sunt res omnino ab illa diuersæ, sed tantùm modi ex natura rei distincti, hi non manent post consecrationem in hoc sacramento, huiusmodi esse possunt modus pręsentiæ, modus vnionis materiæ ad quantitatem, & aliquæ relationes: de quibus omnibus ita sentiunt Scot. Duran. Gab. & alij dicta dist. 12. *Scotus. Durand. Gabr.* nam, licèt diuersis vtantur vocibus, scilicet, relationum transcendentalium, aut prædicamentalium, aut respectuum extrinsecùs aduenientium, vel modorū, illis tamē omnibus eandē rem significant: ratio autem omniū esse debet: quia huiusmodi accidentia conseruari non possunt, destructa substantia. Sed in huius rei reddenda ratione laborant prædicti autores: quia etiam de his accidentibus dici potest, essentiam eorum non esse actu inesse, sed aptitudine, & consequenter posse conseruari sine subiecto. Dico tamen non esse eandem rationem de his, & de reliquis: nam cætera accidentia aut ex propria ratione sua secum afferunt propriā entitatem, & realitatem, in qua possunt conseruari, vt sunt quantitas & qualitas: aut sunt modi huius entitatis, quæ est quantitas vel qualitas, in qua sufficienter conseruari possunt: hi autem modi, de quibus agimus, ex proprio conceptu non afferunt propriam entitatem, & ideò essentialiter requirunt entitatem, quam immediatè afficiant, vt cōseruari possint: illa autem entitas est substantia, quæ, cùm includat in sua essentiali ratione, quòd sit substantia, nullo modo conseruari potest, ratione substātiæ destructa. Est enim hoc metaphysicum principiū obseruandum in omni re, quæ varijs modis affici potest ex natura rei ab illa distinctis, dari vnam rationem essentialem, & inuariabilem, sine qua talis res conseruari non potest, quanuis in cæteris rationibus & modis possit esse varietas. Ex quo fit, vt res illa manere possit in rerum natura cum sua ratione formali essentiali sine alijs rationibus modificantibus ipsam, non possit autem manere sub ratione alicuius modi, sine primaria ratione essentiali tali entitati, & consequenter fit, vt nec modus possit manere sine tali re, quam modificat: quia cùm per se non cōstituat propriam entitatem, essentialiter pendet ab entitate sui subiecti, &, cùm sit tantùm modus, non inhæret per alium modum, sed per se ipsum vnitur: vnde fit, vt in suo cōceptu includat actualem vnionem, & non tantùm aptitudinalem.

SECTIO. II.

Quæ nam mutatio fiat in quantitate, vt possit sine subiecto conseruari.

AD explicandum modum, quo sacramētales species sine substantia existunt, à quantitate incipimus, quæ est cęterorū fundamentum: nam de illa certius est, sine subiecto manere: quia in nulla substantia esse potest, vt in art. 1. D. Thom. satis probatum est, neq; est aliud accidens quantitate prius, in quo ipsa subijci possit, vt per se constat ex philosophia, nec denique inter substantiam & accidēs aliquod mediū excogitari potest, quod sit quātitatis subiectum. Quocirca, cùm de fide sit, accidētia in hoc sacramento manere sine subiecto, vt vniuersa Ecclesia sentit, & Cōcilia citata definiūt, q. saltem de tota collectione accidentium verum esse necesse est, vt suprà diximus, maximè verificādum est de illo accidente, quod est primū, & reliquorum fundamentum, quod est quantitas: cùm ergo certū sit, quātitatē sine subiecto manere in eadem entitate numero quoad essentiā, & existētiam, vt dictū est suprà; explicandū superest, quę mutatio in ea sit necessaria, vt ita conseruetur, id est, qua re priuetur, aut quid ei addatur, aut in fieri, quoad actionem & dependentiam, per quam sic constituitur, & conseruatur, aut in facto esse, quoad modū per se existēdi. *Difficultas grauis circa quātitatē separatam à substantia.*

1. Opinio circa illam. Prima sententia esse potest, nullam prorsus in ea mutationem intrinsecam fieri, neque priuatiuā, neque positiuā, neque in fieri, neque in facto esse, sed solùm destrui subiectum, & inde quasi per extrinsecam denominationem dici manere per se sine subiecto: qui modus dicendi plures partes includit, quas omnes simul nō inuenio apud aliquem autorem, & ideò oportet sigillatim de eis dicere. Primò itaque negat hæc opinio, priuari quantitatem aliquo reali modo, quem in subiecto suo habet: quia in subiecto nihil habet, nisi entitatem suam, id est, essentiam, & existentiam, quā Deus conseruat, non conseruādo subiectum: sicut posset cōseruare tectū domus immutatū, destruendo fundamenta, & parietes, & tūc nihil positiuum auferret à tecto, sed solùm per destructionem aliorum diceretur conseruare tectum quasi per se sine fundamētis, quibus nitatur. Dices, priuari quantitatem inhærentia. Sed cōtra, nā etiam in prædicto exemplo posset dici tectum priuari cōtactu, & sustentatione: sicut autem his verbis non significatur aliqua res intrinseca, qua tectum priuetur, sed denominatio, &, ad summùm, quędā extrinseca causalitas: ita per illud verbū, *inhærentia*, nulla res denotatur intrinseca quantitati, sed cum existentia eius connotatur subiectū illam sustentans & cōseruans: dicitur ergo auferri inhærentia, ablato subiecto, non quia à quantitate tollatur aliquid præter subiectum, sed quia illa denominatio, seu connotatio tollitur, id est, quia illa existentia iam nō conseruatur ab eodem subiecto, in quo priùs nitebatur.

Secundò negat hæc opinio addi quantitati à subiecto separatæ modū aliquē positiuum, quo per se existat, sed à sola negatione subiecti sic denominari. Hoc opinatur Scot. d. 12. q. 1. & 6. inclinant Rich. artic. 1. q. 2. Palud. q. 1. & tertia. Marsil. q. 9. art. 4. ad. 4. indicat etiam Soto. d. 10. q. 2. ar. 2. impugnat enim Caiet. cōtrarium sentiētem. *Scotus. Richar. Palud. Marsi. Soto.* Et D. Thom. hic, cùm solùm dicat accidētia conseruari sine subiecto diuina virtute sustentante, nullum alium positiuū modū ponere videtur. Et probatur, quia hic modus positiuus, nec facilè intelligi potest, neq; est necessarius: nā ex præciso cōceptu negationis subiecti, & inhærentiæ satis denominatur accidens esse per se: non est ergo superflue multiplicādus hic modus: sicut anima rationalis, cū separatur à corpore per solam negationem vnionis, seu informationis, dicitur per se esse, seu separata: nam, licet aliqui censeāt illi addi positiuum modum subsistendi, tamen Scotus illū negat, & saltem probabilius est, illum non accipere ratione separationis, sed eūdem habere etiam in corpore: quia natura sua est res subsistēs: ac deni

Universidad de Deusto Biblioteca

A que, licèt antea illo modo careret, & posteà ex separatione resultaret, illud esset ex speciali ratione: quia anima natura sua conseruatur separata, & ideò positiuè subsistit, & quasi se ipsam sustinet: quātitas autem nō est nata ex se sic existere, sed tantùm virtute agētis extrinseci separata durat, & ideò nullū intrinsecum modum requirit, sed solum extrinsecū influxum causæ agentis. Possumus autem in fauorem huius sententiæ argumentari: nam hic positiuus modus in quantitate videtur impossibilis: quia si talis modus adderetur quantitati, necessariò futurus esset accidentalis: sed huiusmodi esse nō potest: ergo. Maior patet, tum ex principio fidei: quia in accidētibus Eucharistiæ nihil substantiale manet, nec denuo ponitur præter Christum, tum etiam, quia, cùm quātitas sit accidens, non est capax modi substantialis: neque è contrario substantialis modus separabilis est à substantia, quā adæquatè respicit, nō **B** vt res distincta, sed vt modus tantùm, vt à fortiori patet ex dictis in fine sectionis præcedentis. Minor autem patet, quia nullum potest esse accidens, cui ex natura sua repugnet inesse subiecto: est enim hoc contra essentiam accidentis: huic autem modo intrinsecè repugnat inhærere: quia, cùm sit modus per se existendi, habet quasi formalem effectum, directè & immediatè actuali inhærentię contrarium: sicut è conuerso actuali inhærentiæ repugnat, vt per se sit.

Tertiò negat hæc opinio mutari in quantitate actionem seu dependentiam, per quam in esse cōseruabatur, quod duobus modis defendi potest, primo, cōiungendo hanc partem simul cum præcedētibus: vt, si concludatur, nullā in quātitate fieri mu **C** tationē, & in hoc sensu fundari debet, quia Deus eadē omnino actione, qua conseruat quantitatem in subiecto, potest illam conseruare sine subiecto, solū continuando eandem actionem, seu influxū: ergo nihil aliud est necessarium. Antecedens declaratur, altero è duobus modis: prior est, quia quantitas, præsertim si est in materia prima, non conseruatur ab illa effectiuè, sed tantùm materialiter: ergo solus diuinus influxus sufficiens est in genere causæ efficientis ad conseruandam quantitatem: suppono enim, nullam aliam causam secundam efficientem per se interuenire in hac actione: ergo, si Deus illummet influxum conseruat, sufficiet ad quantitatē sine subiecto conseruandam: miraculumq; solùm in hoc cōsistet, quòd ille influxus non est quantitati debitus, nisi in subiecto, Deus autem vult illum, etiā extra **D** subiectum, dare: & iuxta hunc modum nulla mutatio actionis, seu dependentiæ hic interuenit, nec positiua, nec negatiua. Alio modo declaratur ab aliquibus illud antecedēs: nā in omni re creata est intrinseca & essentialis depēdentia à Deo, per quā solam potest sufficienter è nihilo educi: quia est vera creatio, & per eandem solam potest similiter in esse conseruari: quantitas ergo, cùm sit forma creata, habet hanc dependentiam essentialem à Deo, etiā cū inhæret subiecto: quanuis præter eam habeat aliam dependentiam non essentialem, per quam educitur de potentia subiecti, seu conseruatur dependenter ab illo: ergo, cùm separatur à subiecto, sufficienter conseruari potest per priorem dependentiam essentialem absq; vlla noua actione: vnde iuxta hūc modum hic quidem non interuenit positiua mutatio, seu additio noui influxus, sed intercedit priuatiua mutatio, seu ablatio illius actionis, qua conseruabatùr quantitas dependenter à materia, quasi per continuatā eductionē ex illa: repugnat enim esse actionem eductiuam, vbi non est subiectum. Vnde tandem fit (quod mirabile est) minori influxu, seu paucioribus actionibus conseruari quantitatē sine subiecto, quàm in illo.

Alter verò principalis modus negandi specialem actionem nouam, qua conseruetur quantitas separata, insinuatur à Caietano hic: supponit tamen principiū contrarium quoad secūdam partem suprà tractatam, scilicet, quantitati separatæ addi positiuum modum, quo per se existat, quo addito, dicit, naturali modo posse quantitatem cōseruari, sicut anteà conseruabatur in subiecto per idem genus actionis & dependentię, quia modus ille supplet vicem subiecti, & dat quandam substantialem vim quantita **B** ti, & ideò quanuis supernaturaliter accipiat illū existendi modum, tamen illo posito (ait Caietanus) naturaliter conseruatur.

Quantitas subiecto separata priuatur modo positiuo reali & intrinseco.

Dico primò, quantitatem separatam priuari positiuo reali, & intrinseco modo, quem in subiecto habebat, qui appellatur actualis inhęrentia, seu modus vnionis. In hac conclusione videntur consentire autores citati in secunda parte præcedentis opinionis, & alij statim citandi: quia hæc inhærentia vel vnio non est in quantitate sola denominatio à subiecto, sed internus modus eius: quod sic patet: quia in omni composito ex partibus, seu actu, & potentia realiter distinctis præter entitates partium, seu componētium, vnio est aliquid reale distinctum ab illis, & in vtroq; vel altero eorum intrinsecè existens: ergo idem dicēdum est in hoc composito ex materia, & **C** quantitate: ergo talis modus vnionis, vt minimū, esse debet intrinsecus quantitati, siue alius correspōdeat in materia, siue non: ergo necesse est, quantitatem, cùm separatur à subiecto, priuari hoc intrinseco modo. Primum antecedens cū prima consequētia probatur: quia est omnium eadem ratio: positis enim in rerū natura materia & anima, Verbo & humanitate, quantitate & substantia, non resultat cōpositum, nisi aliquid aliud addatur, nimirùm quòd illa sint vnita: ergo hoc addit aliquid præter vnibilia, quod non potest esse, nisi in illis, vel aliquo illorum. Nec potest dici, solùm addi intimā pręsentiā, & indistantiam eorū inter se: nam existente huiusmodi præsentia potest nō esse vnio, vt euidēter patet in Verbo & humanitate, & in angelo intimè existente in corpore, & eodem modo posset Deus ponere animam intimè præsentem corpori, & non in **D** formantem illud: & hoc discursu in materia de Incarnatione probatum est, vnionem hypostaticā esse aliquid ex natura rei distinctum à Verbo, & humanitate, & necessariò esse in humanitate, cùm nō posit esse in Verbo.

Iam ergo probatur secūda consequentia: quia, si modus vnionis inter materiam & quantitatem nō est in materia prima, seu substātia, necesse est, vt sit in quantitate: suppono enim hanc vnionem nō posse esse aliquam rem, seu formam habentem propriā entitatem omnino realiter distinctam ab vtroque componente, seu vnibili, sed tantùm posse esse modum quendam illorum, vel alterius eorum, tū, quia est superuacaneum addere nouam entitatem, cùm modus hic sufficiat ad discursum factum, tum etiā, quia ad vniendam illam formam requireretur alia vnio, cùm enim esset entitas distincta, esset separabilis ab vtroque extremorum, tum denique quia aliàs non

A non immediatè vnirentur talia vnibilia inter se, sed in illo tertio, quod in præsente dici nō potest, quia quantitas & substantia immediatè vniuntur, sicut actus & potētia: de qua re legi possunt quæ de vnione humanitatis ad Verbū diximus in primo tomo: nam quoad hoc habent in præsente eādem proportionem. Si verò quis cōtendat, vnionem hanc esse intrinsecum modum in subiecto ipso seu materia: estò hoc ita sit, non proptereà negari potest consequenter, etiā ex parte quantitatis esse modū ipsi intrinsecū, tum, quia, nō repugnat vniones quasi partiales esse in vtroq; cōponēte, quādo vtrūq; mutabile est: hac enim sola ratione in Verbo diuino negatur partialis vnio: quia immutabile est, & noui modi incapax: hic autem vtrūq; componentiū est mutabile, neq; est maior ratio, cur in materia hic modus sit intrinsecus, quàm in quantitate, tum etiam, **B** quia quantitas magis pēdet à substantia, quā è conuerso: ergo hæc vnio, quæ est cū depēdētia, & ideò inhęrētia dicitur, magis esse debet in forma, quę pēdet, quā in subiecto, à quo pēdet. Deniq; quia vnio formæ ad subiectū fit per actionē magis intrinsecā ipsi formæ, quā subiecto: hic autem quātitas est forma accidentalis substantiæ: est ergo illi intrinsecus modus vnionis, seu inhærentia ad substantiam.

Atque hinc euidens relinquitur vltima illatio: quia implicat contradictionē, destructo altero vnibilium, manere vnionem: destructa ergo substantia non manet in quantitate vnio, quam cum illa habebat: quid autem hic modus sit, non spectat ad hūc locum explicare, nam commune est omnibus accidētibus, imò, & omnibus vnionibus, & ideò, vt su **C** prà dixi, quæ de vnione ad Verbum tractaui, applicari possunt ad reliquas, proportione seruata: ostendi autem, hunc modū nō esse relationem secūdùm esse, sed modum absolutum, quanuis per modū relationis explicari soleat, propter dependētiam, quā habet, non solùm à subiecto, sed etiam ab altero extremo, cum quo fit vnio, propter quod fortasse ab Scoto vocatur relatio extrinsecùs aduenients. Qui tamē sine causa dicit, hanc inhærentiā quantitatis pertinere ad prædicamentum passionis: passio enim consistit in fieri, seu in actuali mutatione subiectis: hæc autem inhærentia habet esse permanens & in facto esse: & ad illud potiùs terminatur actio, seu passio vnitiua, quanuis in accidentibus, quæ connaturali modo fiunt, hæc actio non sit distincta ab illa, qua fit ipsamet entitas formæ, quæ vnitur: hic ergo inhærētiæ modus, prout est in quātitate, ad prædicamentū quātitatis reuocatur, quia spectat ad for **D** malē causalitatem, & idem est, proportione seruata, in cæteris accidentibus: in communi verò ad nullū prædicamentū spectat, sed est veluti transcendens, quod pluribus prædicamētis commune est. Ad fundamentum autem contrariæ partis præcedentis opinionis iam responsum est, falsum esse, quod sine probatione assumit: exemplum autem illud de parietibus & tecto non est simile, tum, quia ibi non est formalis & intrinseca vnio, sed localis tantùm propinquitas; & contactus, tum etiam, quia ibi nō est propria causalitas intrinseca, sed solùm resistentia quædam, qua vnū impedit aliud, ne à suo loco illud depellat: quod si est aliqua causalitas effectiua, tantū erit respectu illius vbi, in quo tectum detinetur, & hanc necesse est mutari, mutato sustentante, & per alterius efficientiam suppleri.

Probabile est quantitatē separatam recipere modum positiuū quo per se existat.

Dico secundo, Probabile est, quantitatē, quæ separata conseruatur, positiuè mutari recipiendo modū per se essendi actuali inhærentiæ repugnantem. Hanc conclusionem dico tantùm esse probabilem, quia demonstrari non potest, & opinio Scoti non difficilè posset defendi: hæc tamen mihi magis probatur, quia videtur esse opinio D. Thomæ art. 1. ad 4. dicit enim, in quātitate separata esse nouam compositionem ex esse, & quod est, vbi nō loquitur de cōpositione ex esse & essentia, quia hæc etiam erat in quantitate inhærente: item quia indicat, hanc cōpositionem aduenire ipsi existentiæ: non potest autē intelligi compositio, nisi addatur aliquid, quod cum præexistente compositionem faciat. Vnde art. 2. ad primum, dicit, diuinitus dati accidentibus, vt per se sint, & in 4. d. 12. q. 1. art. 1. quæstiuncul. 3. dicit dari quantitati, vt per se subsistat, & ita explicāt & defendunt Caiet. hic, Ferrar. 4. contra gent. **B** ca. 66. Ruard. ar. 14. pag. 295. Rationes, quas Caietan. adducit, sunt ad explicandam necessitatem, & vtilitatem huius positiui modi ex effectibus eius, & omnes huc tendunt, quòd posito hoc modo, quātitas naturaliter conseruabitur separata: sine hoc autē modo erit violenter. Rursus, posito hoc modo, absq; nouo miraculo poterit sustentare reliqua accidētia, & noua recipere, & vicē materiæ subire, vt pati possit & transmutari, præsertim in raritate & dēsitate, quæ intrinsecam habitudinem dicunt ad materiam. Deniq;, posito hoc modo, potest quantitas esse principium non tantùm vt quo, sed vt quod: quia iam non tātum erit quo aliquid est, sed etiā id quod est: secluso autē hoc modo, nō possent hæc fieri sine multis miraculis. Deinde adhibet Caiet. va **C** ria exēpla, quibus hoc explicet & suadeat, quæ vel magis obscura, vel minus certa sunt, quàm id, de quo agimus, & ideò illa omitto.

D. Thom.

Caietan. Ferrar. Ruard.

Vt autē huius conclusionis sensus, & vis rationis intelligatur, aduertēdum est, duobus modis posse intelligi, addi aliquid quantitati separatæ, vt per se sit: primo, vt id, quod additur, sit res aliqua ex se habens propriam entitatē realiter à quantitate distinctam; secundo, vt solum sit quidam modus ex natura rei, seu formaliter distinctus à quantitate, non tamen addens propriam entitatem omnino realiter distinctam: prior sensus tribuitur Henric. quodlib. 4. q. 7. 16. & 36. & quodlib. 8. q. 36. sed, re vera, id nō docet: Caiet. verò, quanuis non distinctè sic explicet suam sententiam, tamen indicat illam, tū in discursu & rationibus suis: dicit enim, hanc entitatem supplere vicē materiæ, & esse quasi instrumē **D** tum eius, sicut semen aut calor est instrumentū substantiæ, licèt in alio genere; tum etiā, quia suprà dixit, subsistentiam naturæ substantialis esse entitatem omnino realiter distinctam ab illa: videtur autem hic cum eadem proportione loqui. Ego verò non loquor in hoc sensu in conclusione posita, nec mihi videtur verisimilis: quia nulla est necessitas tālis entitatis: omnia enim, quæ Caietan. accumulat, in quocunque sensu non admodum vrgent, in hoc verò nihil omnino suadent: nam quantitas propriè non est principium agendi, nisi quatenus sustentat qualitates, quæ sunt principia agendi: non ergo magis indiget hac entitate ad hoc munus agendi, quā ad illud sustentandi: ad sustentandum autem solū necesse est, vt ipsa quantitas in sua entitate & existentia conseruetur: nam, quacunque ratione id fiat, naturaliter, & sine nouo miraculo sequitur, vt sustentet reliqua accidentia, quia quantitas per suam enti-

Universidad de Deusto Biblioteca

entitatem recipit,& in se habet inhærentia reliquã accidentia:ergo hoc ipso, quòd entitas quantitatis cõseruatur,conseruabit in se reliqua accidentia sibi inhærentia,quod est sustentare illa, & per eandem entitatem suam similiter conseruatam poterit alterari,seu transmutari secundùm hæc accidentia:quia idem potest esse principium recipiẽdi in fieri, quod est principium recipiendi, seu sustinendi formã in facto esse,ad quam terminatur illud fieri: omnes autem transmutationes, quæ in quantitate separata fiunt,terminantur ad qualitates,quæ in illa recipiũtur:nam ad formam substantialem ipsa propriè nõ transmutatur,vt inferiùs dicam.

Igitur ad hæc omnia non magis indiget quantitas illa entitate,quàm ad existendũ separata : ergo ex illis omnibus non potest probari necessitas talis entitatis:neque etiam probatur ex sola conseruatione quantitatis separatæ in existentia sua:nã sine tali entitate facilè concipitur quantitas existens per influxum Dei sine subiecto.Imò non facilè intelligitur,quomodò entitas illa deseruire possit ad sustentandam quantitatẽ:inquiro enim,an illa sit substantia, vel accidens : primum dici non potest secundùm fidem : quia in speciebus consecratis nulla est substantia,præter Christum:hæc autem entitas,cùm per se dicatur afferre propriam realitatem distinctam à cæteris,si substãtialis est, erit vera substantia,& cùm materialis sit,erit,aut materia , aut forma,aut compositum:si autem dicatur esse accidens,erit vera ac propria accidentalis forma , cum dicatur habere propriam entitatem: potiùs ergo indigebit ipsa alio sustentante,quàm sustentare possit quantitatem:redibitque de illa quæstio , quomodò per se sit,atque ita poterit in infinitum procedi:itẽ orietur quæstio,in quo genere causæ sustentet illa entitas quantitatem: nam,si id faciat in ratione subiecti,seu materialis causæ,erit quantitas inhærens, & non per se;si in ratione efficientis , est impertinens,nam ad hoc sufficit virtus diuina, vt principalis, & virtus verborum,seu corporis Christi, vt instrumentalis : si verò solùm est in ratione termini, impertinens etiam est res sic distincta , sed sufficit intrinsecus modus,sicut aliàs dictum est de subsistentia substantiali.

Tandem illa entitas,cùm materialis sit,debet esse extensa , & corpoream molem habere : ergo necesse est, vt per quantitatem illã habeat:ergo oportet , vt,vel quantitas illi inhæreat, quod omnino falsum est,vel illa inhæreat quantitati , quod huic positioni repugnat,cùm dicatur ipsa sustentare quãtitatem. Conclusio ergo posita à nobis est in posteriori sensu,&,quanuis etiam in illo non satis probetur illis coniecturis Caietani , vt ostendi potest applicando discursum factum, est tamen per se facilis,& valde credibilis,primò ex proportione ad subsistentiam substantiæ:est enim illa realis modus positiuus,quo natura substantialis terminatur , vt per se sit:cùm ergo hic quantitas separetur,vt per se sit verisimile est,illi dari realem modum proportionatum:nam,per se esse,non dicit tantùm priuationẽ, aliàs vix posset probari,subsistentiam esse plus quã priuationem. Secundò , quia hi modi non distincti realiter à rebus,sed tantùm ex natura rei , facilè in eis resultant,quando priuantur alijs contrarijs modis,imò sæpe experimur,non auferri vnum ex his modis,præsertim connaturalem,nisi addito alio opposito,nec facilè intelligimus posse aliter fieri , sic enim aufertur ab humanitate Christi modus subsistentiæ,posito in illa modo vnionis ad Verbum,& à quantitate corporis Christi aufertur modus extẽsionis in ordine ad locum,posito modo indiuisibiliter existendi in loco:sicut etiam in naturalibus non aufertur à corpore quãto vnũ vbi,nisi detur aliud, neque à corpore sedente,vel stante aufertur talis situs,nisi detur alius,& à linea recta non aufertur rectitudo,nisi detur obliquitas,vel similis modus:sic ergo,cùm à quantitate auferatur inhærentia , quæ est modus positiuus connaturalis illi, verisimile est dari illi alium modum immediatè oppositum, quo per se sit.

Tertiò hoc maximè declaratur in his modis,qui sunt veluti vltimi termini illius rei,quam afficiunt nam ablato vno,statim resultat alius, ne res sine termino maneat:sic diuisa linea, & ablato puncto continuante,resultant alij terminantes, & hac ratione non potest quantitas priuari vna figura,quin aliam recipiat:quia figura est quasi terminus quantitatis: sic etiam subsistentia est terminus existentiæ substantialis,& ideò non aufertur , nisi addito alio termino,media vnione: è contrario verò inhærentia suo modo est connaturalis terminus existentiæ accidentalis,& ideò non aufertur,nisi addito alio termino opposito , quem vocamus modum per se essendi. Tandem,quicquid sit,an hoc sit simpliciter necessarium in ordine ad potentiam Dei absolutã, negari nõ potest,quin sit possibilis: quæ est enim repugnantia? nam quæ suprà insinuabatur in fauorem Scoti,scilicet,quòd repugnet , modum accidentalẽ carere naturali ordine ad subiectum , re vera nulla est,tum quia statim ostendemus, necessariò esse cõcedendum in quantitate separata alium modum habentem huiusmodi naturam,tum etiam,quia , licèt hic modus non possit esse connaturalis formæ accidentali,supernaturaliter tamen potest ei aduenire: quia Deus potest facere,vt accidens aliqualiter participet modũ existendi substantiæ per quendã modũ,qui formaliter (vt sic dicã) similitudinem habeat cũ substantiali modo:materialiter autẽ & entitatiuè sit accidentalis,ad quod satis est , quod afficiat & terminet entitatẽ accidentalẽ,quanuis aliud subiectũ nõ respiciat. Quòd si hic modus est possibilis,negari nõ potest,quin perfectiori ratione separetur quãtitas affecta illo modo,quã per solã negationẽ inhærentiæ,quia ille modus aliquid perfectionis affert,imò maioris perfectionis videtur,quàm inhærẽtia,propter maiorem cũ substantia similitudinẽ. Atq; hoc sensu fiet probabiles cõiecturæ Caiet. præsertim illa,quòd quantitas sic terminata, minùs violenter erit,magisque connaturali modo,meliusque disposita ad actiones & passiones,nec solũ erit actu nõ inhærens subiecto,sed etiã erit incapax inhæsionis ex vi talis modi existẽdi,quẽ habet , in quo intelligitur differre ab anima separata,nam hæc,licèt careat actuali informatione,nõ tamẽ habet positiuũ modũ repugnantẽ informationi: vnde quoad id incõpleta manet,& quasi interminata & violenter, quantitas verò separata recipit modum incompossibilem inhærentiæ,vt secũdùm eũ statum terminata maneat,& in statu quasi cõnaturali,supposito miraculo. Deniq; hic modus necessarius est, vt possit quantitas per positiuam actionem separari à substantia,quod suprà diximus conuenientiùs dici, ad vitandam in hoc mysterio substantiæ annihilationem,meliusque rationem conuersionis, & transubstantia-

stantiationis explicandam. Argumenta verò facta in fauorem opinionis Scoti in his,quæ diximus, soluta sunt.

Quãtitate à subiecto separata,mutatur actio qua illa in subiecto conseruabatur.

Dico tertiò, Cùm quãtitas à substantia separatur necesse est actionem mutari,qua conseruatur à Deo ita vt cesset actio,qua priùs in substantia conseruatur,& per nouam aliam in se conseruetur . Ad hanc conclusionem probandam suppono primò, quantitatem,& omnem formam , quæ in subiecto, & dependenter à subiecto à Deo conseruatur, vnica tantùm actione conseruari: vanũ est enim plures actiones cõseruatiuas totales fingere, cùm vna sufficiat. Inauditum etiam est,formam , quæ educitur de potẽtia subiecti,simul per aliam actionem verè ac propriè creari: hoc enim modo fieri ex natura sua proprium est animæ rationalis : alioqui,sicut hæc conseruatur separata,ita aliæ naturaliter conseruarẽtur: quia,licèt cessaret actio cõseruatiua ex subiecto , nõ tamen conseruatiua per modum creationis: quę per se sufficere dicitur,& nõ est cur pẽdeat ab alia actione,cùm tantùm concomitanter se habeant. Quod autem dicebatur de dependentia essentiali, intellectum de vnica & determinata dependentia actuali per modum creationis,falsum omnino est , vt suprà etiã attigi tractando de sacramentis in genere. Secundò suppono,actionem qua conseruatur quantitas depẽdenter à subiecto,vel extra subiectum,tãtùm inter se differre,quantum differunt generatio seu eductio formæ de potentia materiæ , & creatio eius: ita enim inter se comparantur actiones conseruatiuæ,sicut productiuæ inter se : nam conseruatio per se & in eodẽ ordine nihil aliud est , quàm actio productiua durans: sed productio quantitatis extra subiectũ esset creatio,quia esset productio ex nihilo: productio verò quantitatis in, & ex subiecto,nõ est creatio sed eductio talis formæ de potentia subiecti,alterationi,seu potiùs augmentationi similis: sunt ergo illæ actiones inter se omnino diuersæ: ergo eadẽ diuersitas est inter actionẽ , qua quantitas conseruatur separata,vel depẽdenter à subiecto: nã illa est ad modũ creationis,hæc ad modũ eductionis,cùm quãtitas ex natura sua à materia pendeat. Ex his ergo manifestè concluditur assertio posita, nã,ablata materia,necesse est,tolli actionem, qua in ea quantitas cõseruabatur, tum , quia per illam solũ conseruabatur quantitas dependenter à materia,tũ etiam,quia illamet actio essentialiter pendebat à cõcursu materiæ: in hoc enim differt ab actione creatiua,neq; ad hanc actionem potest quicquam cõferre modus per se essendi datus quantitati,tum,quia ille nullo modo habet vicem causæ materialis respectu talis actionis,tum etiam,quia ille modus ordine naturæ supponit existentiam quantitatis, vt possit illam terminare,& consequẽter,etiã supponit actionem,per quam conseruatur: nõ est ergo illa actio eadem,quæ antea erat cũ cõcursum materiæ : oportet ergo,vt sit alia per modum creationis, quæ , nec fit ex subiecto,nec sit quãtitati cõnaturalis. Atq; ita facilè intelligitur,quomodò Deus suppleat causalitatẽ subiecti per nouã actionẽ altioris ordinis: intelligitur etiã,hanc actionẽ esse aliquid ex natura rei distinctũ à quantitate ipsa,cùm possit illi aduenire,& ab illa separari: est ergo modus eius , de quo negari non potest,quin nullam dicat habitudinem ad subiectum,sed solũ ad terminũ , qui est quantitas ipsa: quia actio creatiua intrinsecè & essentialiter postulat independentiam à materiali causa.

SECTIO III.

Vtrum alia accidentia panis & vini, quæ cum quantitate manent post consecrationem, mutent existendi modum.

QVæstio intelligitur de qualitatibus, quæ proprias entitates habent,nam de relationibus & alijs modis nulla est difficultas,quin in suis fundamentis maneãt. De qualitatibus ergo Nominales consequenter dicunt , omnes mutare existendi modum , & manere per se separatas: quia negant,esse vnam aliquã quantitatem substantiæ,quæ maneat,in qua reliqua accidentia possint inhærere,& non est vlla ratio,ob quã vna qualitas magis in alia sit,quã è cõtrario. Ita Ochã tract. de Euchar.c.28.& in 4.q.7.Aliaco.q.5.Maior. d. 12.q.2.Gabr.lect.44.in Canon. At verò Marsil. in 4.q.9.art.2.admittens,propriam quantitatẽ à substantia distinctã,negat,qualitates manẽtes in ea inhærere,fortasse,quia existimauit,etiã cùm hæ omnes sunt in subiecto,neutrã alteri inhærere: quia nihil potest substare,nisi quod subsistat,vt Arist. indicat.4.metaphys.tex.14.& patet,quia nullũ afferri potest signum huius inhæsionis: nam,sicut quantitas est alba,ita albedo est quanta: ergo vel mutuò sibi inhærent,quod est impossibile,vel neutra alteri, cùm sit æqua ratio: solùm ergo,quia in eodem subiecto vniuntur,mutuò se denominant . Atq; hinc necessariò sequitur,qualitates omnes mutare existẽdi modum: quia amittunt inhærentiam,quã in substantia habebant: vnde concludit Marsilius, acquirere modum per se essendi. Posset autem alius fingere,quòd,licèt ex natura rei non inhæreant quantitati,posteà verò diuinitus fit,vt inhæreant: ita vt nõ mutent inhærentiã in per se existentiam, sed vnam inhærentiam in aliam,vt maneant magis vnita & colligata quantitati,& vt hæc subeat vicem materiæ,possitq; alterationibus subesse.

Ocham. Aliaco. Maior. Gabr. Marsil. Arist. Marsil.

Qualitates panis & vini post consecrationẽ quãtitati vnitæ manent.

Dico primò, qualitates panis & vini post cõsecrationem inhærere quantitati. Ita D. Thom. hic & in 4.d.12.vbi Bonauent. art.1.q.3,ar.2.q.3.Richar. art.1.q.2.Scotus q.2.&.6.Durand.q.1. Palud. q. 3.Capr. Soto,& alij moderni. Alens.4.p.q.40.mẽbr.1.& 2.Henric.quodlib.8.quæst. 17 . AEgid. Theorem.45.Ferrara.4.contra gentes, capit . 65. Probatur primò,quia necesse est, sacramentales species manere inter se vnitas: aliàs solùm haberent inter se intimam præsentiam,& quasi penetrationem: vnde ex natura rei non moueretur vel traheretur calor, verbi gratia,mota albedine , aut è contrario: quia nõ habent inter se colligationem, sed qualitates non vniuntur inter se immediatè, quia nec possunt vniri per modum actus & potentiæ propter rationem Nominalium : quia non est maior ratio de vna,quã de alia,& quia neutra respectu alterius habet rationem subiecti,aut formæ,neque inter eas fingi potest aliud genus immediatæ vnionis,vt ex his quæ dicemus,à fortiori constabit: ergo oportet , vt in aliquo tertio vniantur: ergo in quantitate : quia nullũ potest cogitari aliud aptius,magisq; proportionatum: nam non potest esse substãtia,vt ex principijs fidei constat,nec qualitas,cùm sit eadem omnium ratio: ergo quantitas, nam de cæteris prædicamentis nulla potest esse suspicio: ergo vniuntur in illa tanquam formæ in subiecto , quia, scilicet, om-

Bonauen. Richar. Scotus. Durand. Palud. Capreol. Sotus. Alens. Henricus. Ægidius. Ferrar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes inhærent illi: probatur hæc vltima consequẽtia: quia, si omnes qualitates in quãtitate vniũtur, necesse est, vt singulæ qualitates immediatè vniãtur cũ quãtitate ipsa: nõ potest autẽ inter eas aliud genus vnionis excogitari, nisi formæ & subiecti: nam effectiua vnio nulla est, nisi miraculosè sine fundamẽto fingatur: neq; etiã alia vnio formalis: quia nullũ aliud cõpositionis genus inter se habere possunt, vt facilè etiam patebit, accommodando hic discursum suprà factũ de vnione inter corpus Christi & species. Secundò probatur, quia necesse est, qualitates esse in aliquo subiecto: aliàs non possent species consecratæ naturaliter alterari, vel calor intendi nisi per actionẽ creatiuã: vnde nec calor & frigus inter se pugnarẽt, nec quantacũq; vnius intẽsio, alterius remissionẽ causaret: quia formaliter solũ inter se repugnant in ordine ad idem subiectum: sed non possunt esse in alio, nisi in quantitate: ergo.

Obiectio. Dices, eodem argumẽto probaretur, quantitatẽ esse in subiecto, quia aliàs nõ posset naturaliter rarefieri, aut cõdensari: quod cõsequenter concedit Scotus. d. 12. q. 4. quia putat per rarefactionẽ acquiri nouã quantitatẽ: Caietan. verò hic admittens idem fundamentũ conatur nihilominus defendere, quantitatẽ separatã posse naturaliter rarefieri; sed mihi nõ sunt intelligibilia, quæ dicit: negatur ergo consequẽtia ex D. Tho. hic art. 2. ad tertiũ, sed potiùs sequitur, raritatẽ & densitatem esse in quantitate, vt in subiecto: nã quantitatẽ rarefieri, non est acquirere quantitatẽ, sed modũ quendam, qui est qualitas, seu dispositio illius, vt ex philosophia suppono.

Scotus. *Solutio.*

Tertiò argumentor, retorquendo rationem factã pro Marsilio, quia experimur, albedinem, existentẽ in speciebus consecratis esse ita extensam in loco, vt penetrari nõ possit ab alio corpore: ergo hoc habet ratione quantitatis: ergo, vel quia quantitas est in ipsa, vt in subiecto, quod nullus dicet, quia quantitas est propinquior materiæ, magisque participat rationẽ potentiæ receptiuæ, quàm qualitas, quæ formam cõsequitur, vel quia ipsa est in quãtitate, vt in subiecto, quod intendimus: quia nõ potest excogitari alius modus, quo id fiat: quia sola cõcomitantia in præsentia locali, non sufficeret ad illũ effectum: nam posset pelli quantitas, & penetrari qualitas, si tantùm concomitanter ibi essent: imò nec qualitas posset habere extensionẽ in ordine ad locum, nisi quia inhæret subiecto habenti talem extensionem, simileq; argumentum sumitur ex eo, quòd superficies est, & videtur alba; nisi enim afficeretur albedine, nõ posset in ea talis effectus esse, aut apparere: quia sola cõcomitantia nõ sufficit, alioqui etiam aliæ qualitates inter se afficerẽtur aliquo modo, propter solam concomitantiam.

Inhærentia qualitatũ in quãtitate post cõsecrationẽ eadem quæ ante perseuerat.

Dico secundò, Hæc inhærentia qualitatũ in quãtitate in speciebus consecratis non est ex speciali miraculo, sed quia ante consecrationem erat, & per illam non tollitur, sed manet. Ita docent consequenter prædicti autores: potestque à posteriori probari argumento, præcedente conclusione facto: nam experientia ibi adducta, præsertim vltima, æquè procedit de his accidentibus in subiecto existentibus, & potest ita declarari: quia aliter vniuntur in eodẽ subiecto superficies, & albedo, quàm albedo & calor: sed albedo & calor, licèt nõ vniantur immediatè inter se, vniuntur tamẽ in vno tertio, scilicet, subiecto: ergo albedo & superficies magis debẽt inter se vniri, quã in illo tertio: ergo immediatè, & consequẽter vt potentia & actus. Maior probatur illa experiẽtia, q; calor propter solam vnionẽ, quã habet in subiecto cũ albedine, nõ fit per se visibilis, sed tantùm per accidens: superficies verò fit aliquo modo per se visibilis, vt sensibile cõmune, saltẽ secundum extensionem, quam causat in ipsa albedine: ergo est inter hæc maior vnio, ratione cuius proprietates suas aliquo modo sibi inuicem communicant.

Secundò solet ratio à priori reddi: quia hæ qualitates non recipiuntur, nisi in materia, seu subiecto extenso: ergo recipiuntur media quantitate: ergo recipiũtur proximè in ipsa: hæc verò secunda consequẽtia, vt existimo, nõ est formalis: nã ex vi antecedentis solũ sequitur, quãtitatem esse dispositionem præuiam, seu mediũ, quo, prout fortasse est respectu substantialis formæ, non verò sequitur esse mediũ quod, sicut nõ est respectu formæ substãtialis. Addendũ ergo est, quantitatẽ in materia esse præuiã cæteris accidentibus, & alioqui esse proportionatã illis vt in ea recipiãtur: accidẽs enim potest esse proportionatũ subiectũ proximũ respectu alterius accidẽtis: sic enim potẽtiæ animales & rationales sunt subiectũ proximũ suorũ actuũ, & habituum: quia sunt ex suo genere potẽtiæ passiuæ & proportionatæ talibus formis: sic ergo quantitas est tanquã potẽtia passiua respectu qualitatũ corporaliũ, est enim in hoc similis materiæ primæ, cuius est proprietas, esse aptã, vt afficiatur his accidentibus: sicut experientia etiam monstratũ est, & ipsæ etiã qualitates, cùm sint materiales, aptissimè recipiuntur in quantitate, vt ab illa recipiant corporeã molẽ & extẽsionẽ. Tandẽ hoc etiã cõfirmatur ex mysterio Eucharistiæ, quod hoc modo facilius intelligitur: nam, si qualitas ex natura sua non esset forma quantitatis, fortasse nec supernaturaliter posset eleuari ad informandã illam, quia forma non habet effectum formalem extra adæquatum subiectum suum: qua ratione non potest vna qualitas informare aliã, ad quam non dicit naturalẽ habitudinem, vt albedo calorem aut intellectio voluntatem. Dices, nulla substantia potest alteri inhærere: ergo nullũ accidẽs potest alteri substare. Respõdetur vt primũ subiectũ aptum de se ad sustentandũ accidens tanquã primarium fundamentum, sic conceditur consequẽtia, & hoc modo est propriũ substantiæ substare accidẽtibus, & de eodẽ dixit Aristoteles, accidens non accidere accidenti, scilicet, nisi in ordine ad aliquod subiectum vtriq; cõmune, & eodem sensu dici solet sola substantia subiectum quod, accidens verò subiectũ quo, quanuis in quantũ accidens verè inhæret accidenti, dici potest vnum esse subiectũ quod alterius vt intellectus suorum actuum, & quantitas qualitatum, & hoc modo substare, neq; est proprium substantiæ, nec excedit naturam accidentis.

Nulla mutatio per cõsecrationẽ in qualitatibus panis & vini.

Dico tertiò, per cõsecrationem nulla fit mutatio in qualitatibus, ex pane & vino remanentibus. Probatur, quia non mutant inhærentiam, & consequẽter non acquirunt modum per se: ergo nulla in eis fit mutatio. Dices, amittere vnionem, quam cũ substãtia habebãt. Respõdeo. Immediatè nullam habebant, sed media quantitate, & ideò in se non mutantur, sed in quantitate: sicut, si humanitas desineret esse vnita Verbo, accidentia eius non mutarent modum existendi: quanuis dicerẽtur desinere esse vnita Verbo media humanitate, quia solùm per illam vniebantur Verbo: hoc autem intelligendum est, quiantũ ad modũ vnionis: nã quantũ ad modũ dependentiæ effectiuæ, si aliquæ proprietates panis & vini effectiuè pendent in conseruari à forma substãtiali, ablata illa, necesse est, dependẽtiam illã ab alio agente suppleri, & cõsequenter dependentiam mutari: & eadem ratione, destructa substantia, & cõseruata quantitate, naturaliter & sine nouo miraculo conseruãtur accidentia, quæ effectiuè, à substantia non pendebant: quia nõ habebant immediatã vnionem cum illa: sicut etiam posteà similia accidẽtia naturaliter recipiuntur in quantitate, vt, verbi gratia cùm species calefiunt: at verò accidentia, quæ pendebant effectiuè à substantia, non conseruantur naturaliter, nisi Deus efficientiam suppleat.

Dubium. *Ægid.* *Heruæus.*

Obiter verò hic inquiri solet, an supernaturaliter possint qualitates per se conseruari separatæ, nõ solùm à substantia, sed etiam à quãtitate: aliqui enim negant hoc esse possibile, vt Ægid. Theorem. 36. & sequentibus, Heruæus quodlib. 11. quæst. 19. & videtur esse opinio D. Thom. quodlib. 7. art. 10. quia qualitas (inquiunt) separata, neque esset indiuidua, neq; haberet, quo distingueretur ab alijs, sicut habet quantitas, quæ ex se, & natura sua est principium distinctionis, vt hic ait D. Thom. articul. 2. Vnde. 1. par. quæstion. 50. artic. 4. dicit, si albedo esset separata, non posset secundùm numerum multiplicari. Mihi tamen hæc opinio est incredibilis, prę sertim suppositis mysterijs fidei; & ita contrarium docent reliqui Theologi citati concl. 1. & specialiter Capreol. d. 12. q. 1. Marsil. quæst. 9. Ferrar. 4. cõtra gentes. cap. 65. Soto d. 10. q. 2. ar. 2. Ledesma. quæst. 18. artic. 2. & ratio est, quia, si quantitas conseruatur à Deo, cur non potest qualitas? neq; enim magis est de essentia qualitatis actu inhærere quantitati, quàm sit de essentia quantitatis actu inhærere materiæ. Illud vero, quod de indiuiduatione dicebatur, valde friuolum est: quia meliùs potest vna qualitas per suam entitatem numero & realiter distingui ab alia, quàm vna quantitas ab alia: quia qualitas magis habet de actualitate, actus autẽ est, qui distinguit: vnde improbabile est, quod Capreolus & Ferrara significant, posse quidẽ albedinem sic separatã conseruari, illã tamen nõ fore indiuiduam, & quia impossibile est, aliquid realiter existere, & nõ esse singulare, & indiuiduum, & specialiter repugnat, eandem qualitatem, quæ priùs inhærebat, posteà separatam conseruari, & tamen non esse indiuiduam sicut antea erat, cùm eandem entitatem retineat, eò vel maximè, quòd, licèt non sit in subiecto, retinet habitudinem ad subiectum, per quã potest intelligi indiuidua, sicut de anima rationali ipsi docent. D. Tho. autem in prima parte (quicquid sit de illo quodlibeto) non loquitur solùm de separatione actualis existentiæ formæ à materia, sed de omnimoda abstractione, quæ abstrahat formã etiã ab habitudinem ad materiã, qualis esse non potest in albedine, neq; in indiuiduo, neque in specie, sed reperitur in angelis, de quibus alia quæstio est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm species, quæ remanent in hoc sacramento, possint immutare aliquid extrinsecum.

d. 12. q. art. 2. q. p. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd species, quæ remanẽt in hoc sacramẽto, non possint immutare aliquid extrinsecum. Probatur enim. 7. physi. quòd formæ, quæ sunt in materia, fiunt à formis, quæ sunt in materia, nõ autem à formis, quæ sunt sine materia; eò quòd simile agit in sibi simile. Sed species sacramentales sunt species sine materia, quia remanẽt sine subiecto, vt ex dictis patet. Non ergo possunt immutare materiam exteriorem, inducendo aliquam formam. *a. 1. huius q.*

¶ 2 Præterea, Cessante actione principalis agentis, necesse est, quòd cesset actio instrumenti, sicut quiescente fabro, nõ mouetur martellus. Sed omnes formæ accidentales agunt instrumentaliter in virtute formæ substantialis, tanquam principalis agentis. Cùm ergo in hoc sacramento non remaneat forma substantialis panis & vini (sicut suprà habitum est) videtur, quòd formæ accidentales remanentes, agere nõ possint ad immutationem exterioris materiæ. *q. 75. ar. 2. & 6.*

¶ 3 Præterea, Nihil agit vltra suam speciem, quia effectus non potest esse potior causa. Sed species sacramẽtales omnes sunt accidentia. Non ergo possunt exteriorem materiam immutare, ad minus ad formam substantialem.

SED contra est, quòd, si non possent immutare exteriora corpora, non possent sentiri. Sentitur enim aliquid per hoc, quòd immutatur sensus à sensibili, vt dicitur. 2. de anima. *Lib. 2. tex. 51. 74. 121. & 2.*

RESPONDEO dicendum, quòd quia vnũ quodq; agit, in quantũ est ens actu consequẽs est, quòd vnumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere. Quia igitur secundùm prædicta, speciebus sacramẽtalibus datum est diuina virtute, vt remaneant in suo esse, quod habebant, substantia panis & vini existẽte, consequens est, quòd etiam remaneãt in suo agere, & ideò omnẽ actionem, quã poterant agere, substantia panis & vini existẽte, possunt etiam agere, substantia panis & vini transeunte in corpus & sanguinem Christi. Vnde non est dubium, quòd possunt immutare exteriora corpora. *ar. 1. huius q. ad. 3.*

AD primum ergo dicendum, quòd species sacramentales, licèt sint formæ sine materia existentes, retinent tamen idem esse, quod habebant priùs in materia. Et ideò secundùm suum esse assimilantur formis, quæ sunt in materia.

AD secundum dicendum, quòd ita actio formæ accidentalis depẽdet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis depẽdet ab esse substantiæ. Et ideò, sicut diuina virtute datur speciebus sacramentalibus, vt possint esse sine substantia, ita datur eis, vt possint agere sine forma substãtiali, virtute

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei, à quo, sicut à primo agente, dependet A omnis actio formæ, & substantialis & accidentalis.

AD tertium dicẽdum, quòd immutatio, quæ est ad formam substantialem, non fit à forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis, quę agũt in virtute formæ substantialis. Hæc autem virtus instrumentalis conseruatur in speciebus sacramentalibus diuina virtute, sicut & prius erat. Et ideò possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter. Per quem modum aliquid potest agere vltra suam speciem, non quasi virtute propria, sed virtute principalis agentis.

COMMENTARIVS.

Cõclusio D. Thom. est, species sepa ratas posse habere omnes actiones quas haberent in subiecto.

RESpondet D. Thomas, species separatas posse habere omnẽ actionem, quam in substantijs panis & vini habere possent, & ratio eius est, quia retinent idem esse, subintelligendum verò est retinere illud cum modo suo naturali ad actionem physicam accommodato: nã etiam corpus Christi habet ibi suum esse, & tamen non potest naturaliter habere omnem actionem suam: quia non habet illud modo accommodato ad agendum: hoc autem non distinctè explicuit D. Thom. quia per se facile erat ex præcedentibus articulis: quantitas enim nõ est principium agendi, sed sustentat qualitates, quæ sunt actionum principia: qualitates autem, vt diximus, non mutant existendi modum: &, quãuis mutarent quoad inhærentiam, ita vt per se essent, hoc C nõ posset impedire actionem, tum, quia modus per se existendi est satis accommodatus ad agendum, tum quia in humanitate Christi nihil impedit eius actiones, quòd non in se subsistat, sed in Verbo. Vltimò, conclusio intelligenda est de illis actionibus, quarum principia adæquata sunt accidentia: nam, si quæ est actio, ad quam præter concursum accidentis requiratur immediatus concursus formæ substãtialis, aliter erit de illa philosophandum, vt in sequẽte disputatione dicemus, vbi explicabimus solutiones ad secundum, & tertium, in quibus hoc D. Thom. tetigit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm species sacramentales possint D *corrumpi.*

Inf. q. 5. co. Et. 4. d. 12 q. 1. a. 2. q. 3. Et. 4. con tra. c. 66. q. 7 c. ar. 2. & 6.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd species sacramentales corrumpi non possint. Corruptio enim accidit per separationem formæ à materia. Sed materia panis non remanet in hoc sacramento, sicut ex suprà dictis patet. Ergo huiusmodi species non possunt corrumpi.

2 Præterea, Nulla forma corrumpitur ni si per accidens, corrupto subiecto, vnde formæ per se subsistentes, incorruptibiles sunt sicut patet in substantijs spiritualibus. Sed species sacramentales sunt formæ sine subiecto, ergo corrumpi non possunt.

3 Præterea, Si corrumpũtur, aut hoc erit ẽ naturaliter, aut miraculosè. Sed non naturaliter, quia non est ibi assignare aliquod corruptionis subiectum, quod maneat corruptione terminata: similiter etiam nec miraculosè, quia miracula, quæ sunt in hoc sacramento, fiunt virtute consecrationis, per quã species sacramentales conseruantur: non est autem idem causa conseruationis & corruptionis. Ergo nullo modo species sacramentales corrumpi possunt.

SED contra est, quòd sensu deprehenditur, hostias consecratas putrefieri & corrumpi.

B RESPONDEO dicendum, quòd corruptio est motus ex esse in non esse. Dictũ est autem suprà, quod species sacramẽtales retinent idem esse, quod prius habebãt, substantia panis & vini existente. Et ideo, sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantia panis & vini existente: ita etiam potest corrumpi, illa substantia abeũte. Poterant autem huiusmodi accidentia primò corrumpi dupliciter: vno modo per se alio modo per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, & augmentum, vel diminutionem quantitatis. Nõ quidem per modum augmenti, vel diminutionis, qui inuenitur in solis corporibus animatis (qualia nõ sunt substantia panis & vini) sed per additionem, vel diuisionem. Nam sicut dicitur. 3. Metaph. per diuisionem vna dimensio corrũpitur, & fiunt duæ, per additionẽ autem è conuerso, ex duabus fit vna. Et per hunc modũ manifestè possunt corrũpi huiusmodi accidentia post consecrationem, quia & ipsa quantitas dimensiua remanẽs, potest diuisionem & additionem susciperе: & cùm sit subiectum qualitatum sensibiliũ (sicut dictum est) potest etiam esse subiectũ alterationis earum, putà, si alteretur color, aut sapor panis aut vini. Alio modo poterat corrumpi per accidens, per corruptionem subiecti, & hoc modo possunt corrũpi etiã post consecrationem. Quanuis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse, quod habebant huiusmodi accidẽtia in subiecto, quod quidem est proprium, & conforme subiecto. Et ideò huiusmodi esse potest corrumpi à contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis vel vini, quæ etiã non corrumpebatur, nisi præcedente alteratione circa accidentia.

Distinguendum tamen est inter vtrumq; modum harum prædictarum corruptionũ: quia cùm corpus Christi & sanguis succedãt in hoc sacramento substantiæ panis & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium quæ

quæ non sufficisset ad corruptionem panis A & vini, propter talem immutationem non desinit corpus & sanguis Christi esse sub hoc sacramento, siue fiat immutatio ex parte qualitatis (putà, cum modicum immutatur color aut sapor panis vel vini) siue ex parte quantitatis, sicut cùm diuiditur panis, aut vinum in tales partes, quòd adhuc in eis possit saluari natura panis aut vini.

Si verò fiat tanta immutatio, quod fuisset corrupta substantia panis & vini, non remanent corpus & sanguis Christi sub hoc sacramento. Et hoc, siue ex parte qualitatum, sicut cùm ita immutatur color & sapor & aliæ B qualitates panis & vini, quòd nullo modo posset compati naturam panis aut vini, siue etiam ex parte quantitatis, putà, si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt iam non remaneat species panis vel vini.

AD primum ergo dicendum, quod ad corruptionem per se pertinet, quod auferat esse rei, vnde in quantum esse alicuius formæ est in materia, consequens est, quod per corruptionem separatur forma à materia. Si verò huiusmodi esse nõ esset in materia, simile tamẽ ei, quod est in materia, posset per corruptionem auferri, etiam materia nõ existente sicut accidit in hoc sacramento, vt ex dictis C patet.

AD secundũ dicendum, quod species sacramẽtales, licèt sint formæ nõ in materia habẽt tamen esse, quod prius in materia habebant.

AD tertium dicendum, quod corruptio illarum specierum non est miraculosa, sed naturalis. Præsupponit tamẽ miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet, quod illæ species sacramentales retineant esse sine subiecto, quod prius habebant in subiecto, si cut & cæcus miraculosè illuminatus, naturaliter videt.

COMMENTARIVS.

TITVLVS art. dũobus modis intelligi potest, primo indefinitè, vtrum aliquæ species sacramentales, & sic est facilis, nam sufficienter intelligitur quoad qualitates, & hic sensus videtur consentaneus his, quæ D. Tho. docet in art. 5. & 8. in quibus significat, quantitatem non corrumpi. Secundo potest intelligi titulus vniuersaliter de omnibus speciebus, & hunc sensum videtur indicare D. Thom. in progressu articuli; est autem difficilior propter quãtitatem: abstrahamus ergo ab vtroque sensu, & intelligamus hanc quæstionem ad eum modum, quo quæstio præcedentis art. definita est, an, scilicet ita possint, corrumpi accidentia separata, sicut poterant coniuncta; & hoc sensu intelligetur quæstio vniuersaliter de omnibus accidentibus. Huic autem sensui consentanea est responsio Diui Thomæ, scilicet, ita posse esse horũ accidentium dẽstrui sine substantia, sicut in substantia poterat: quã

A explicat D. Thom. Distinguendo duplicem modũ corruptionis, per se, & per accidens, & vtrumq; conclusioni applicando. De corruptione autẽ per se nulla est difficultas, neque in qualitatibus, quæ per alterationem, fiunt & corrumpuntur, quæ alteratio hic fieri potest media quãtitate, vt subiecto, nec; in quã titate ipsa in eo sensu, quæ D. Tho. explicat scilicet, non de propria corruptione, sed de diuisione solum, per quã continuũ, vt sic potest dici corrupi; si enim quantitas separata diuisibilis per se est, non minus, quã dũ erat coniuncta. At verò de corruptione per accidẽs, quæ est ad corruptionẽ subiecti, difficilius intelligitur cõclusio, tam in qualitatibus, quã in quãtitate: in illis quidem, quia non habent aliud subiectũ, nisi quantitatem: ergo non possunt per accidens corrumpi, nisi corrupta quantitate: hæc autẽ corrũpi non potest: vt suprà significatũ est: vnde in quãtitate separata est difficilior hic modus corruptionis B quia illa non habet subiectũ: non ergo potest corrupi ad destructionem subiecti. Vnde vlterius est specialis difficultas circa rationẽ D. Thom. scilicet, hæc accidentia posse per accidens corrumpi, quia, licèt nõ maneat subiectum, manet tamen idem esse accidẽtiũ: hoc enim nõ satis esse videtur: quia hoc genus corruptionis nõ oritur tantũ ex ipso esse, vt sic, sed ex dependentia illius à subiecto: ergo ablata hac dependentia non poterit illud esse corrumpi illo genere corruptionis.

Respondetur, dicendum D. Tho. partim in philosophico principio, partim in Theologico fundari, supponit itaque ex philosophia, accidentia per accidens corrumpi ad corruptionẽ substantiæ, quod absolutè verum est, non descendendo ad omnia & singula accidẽtia, de quo hic D. Tho. nihil dicit. Deinde sumit ex Theologia, quanuis in Eucharistia non sic substantia panis, Christi tamen corpus ita substituit loco illius, vt tandiu conseruetur sub accidentibus, quandiu substantia panis conseruaretur, & ẽ cõtrario ita desinant accidentia, ablata præsentia corporis Christi, sicut desinerent, ablata substantia: atque hinc rectè cõcludit non minùs corrumpi posse hic accidentia per accidens, quã corrũperentur, præsente substantia: quia retinent idem esse, & quodãmodò eandem dependentiam: quia, licèt non sit omnino eiusdem rationis, est tamẽ eiusdem proportionis quoad hoc, quod ablato corpore Christi, illa accidentia destruuntur, quæ destrueretur, ablata substãtia panis. Vnde hãc corruptionẽ per accidẽs non est necesse intelligi de ea, quæ est ad corruptionẽ subiecti proprie & in rigore sumpti, sed, aut de tali subiecti proprie & in rigore sumpti, sed, aut de tali subiecto, aut de eo, quod aliquo modo supplet vicẽ illius; & ita est sufficienter responsum ad omnes difficultates tactas. Quæ verò accidẽtia hoc modo corrũpantur, an omnia, vel aliqua, hic D. Thomas dicere nõ explicat: dicemus tamen disputatione sequẽte, post sequentium articulorum explicationem, in quibus aliquid D. Thom. insinuat, & hæc sufficiant etiam de solutionibus argumẽneorum.

ARTICVLVS V.

Vtrũ ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari.

Inf. q. 8. ad secũd. Et. d. 4. 12. 1. ar. 2.

AD quintũ sic proceditur, Videtur, q ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim generatur, ex aliquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

4.d. 11. 4. contra. c. 66 Er. qual. 9. ar. 5. ad. 3. Er. 1. co. 11 lect. 4. fin.

qua materia generatur, ex nihilò enim nihil generatur, quanuis ex nihilo fiat aliquid per creationem. Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia, nisi corporis Christi, quod est incorruptibile. Ergo videtur, quòd ex speciebus sacramẽtalibus nihil possit generari.

¶ 2. Præterea, Ea quæ non sunt vnius generis, nòn possunt ex se inuicem fieri; non enim ex albedine fit linea. Sed accidens, & substantiam differunt genere. Cùm ergo species sacramentales sint accidentia, videtur, quòd ex eis non possit aliqua substantia generari.

¶ 3. Præterea, Si ex eis generetur aliqua substantia corporea, illa substantia non erit sine accidente. Si ergo ex speciebus sacramẽtalibus generetur aliqua substãtia corporea, oportet, quòd ex accidẽte generetur substãtia & accidens, duo, scilicet, ex vno, quod est impossibile. Ergo impossibile est, quòd ex speciebus sacramentalibus aliqua substantia corporea generetur.

SED contra est, quod ad sensum videri potest, ex speciebus sacramẽtalibus aliquid generari; vel cineres, si comburantur, vel vermes, si putrefiãt, vel pulueres, si cõteruntur.

Lib. 1. tex. 37. tom. 3.

RESPONDEO dicẽdũ, quod eũ corruptio vnius sit generatio alterius, vt dicitur in primo de generatione, necesse est, quod ex speciebus sacramentalibus, aliquid generetur, cum corrumpantur vt dictum est. Nõ enim sic corrumpũtur, vt omnino dispereãt, quasi in nihilum redigãtur, sed manifestè aliquid sensibile eis succedit. Quo modo autẽ ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestũ est enim, quod ex corpore & sanguine Christi, quæ ibi veraciter sunt: non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. Si autẽ substantia panis, aut vini remaneret in hoc sacramento, vel eorũ materia, facilè esset assignare, quòd ex eis generatur illud sensibile, quod succedit, vt quidã posuerunt. Sed hoc est falsum, vt suprà habitũ est. Et ideò quidã dixerunt, quod ea, quæ generãtur, non fiunt ex speciebus sacramẽtalibus, sed ex aere circunstante. Quod quidem multipliciter apparet esse impossibile. Primò, quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum & corruptũ apparet. Nulla autẽ alteratio vel corruptio prius apparuit in aere circunstante, vnde ex eo vermes, vel cineres nõ generãtur. Secundò, quia natura aeris nõ est talis, q̃ ex eo per tales alterationes talia generentur. Tertiò, quia potest contingere, in magna quantitate hostias cõsecratas cõburi, vel putrefieri, nec esset possibile tantum de corpore terreno ex aere generari, nisi magna & valde sensibili inspissatione aeris facta. Quartò, quia idẽ potest accidere corporibus solidis circunstantibus (putà, ferro aut lapidibus) quæ integra remanẽt post prædictorũ generationẽ. Vnde hæc positio stare non potest: quia cõtrariatur ei, q̃ ad sensum apparet. Et ideò alij dixerunt, quod reddit substãtia panis & vini in ipsa corruptione specierũ & sic ex substantia panis & vini redeunte, generantur cineres, aut vermes: aut aliquid huiusmodi. Sed hæc positio videtur esse impossibilis. Primo quidem, quia si substãtia panis & vini, conuersa est in corpus & sanguinem Christi (vt supra habitum est) nõ potest substantia panis aut vini redire, nisi corpore aut sanguine Christi iterũ cõuerso in substantiã panis vel vini, quod est impossibile, sicut si aer sit conuersus in ignem, non potest aer redire, nisi iterum ignis conuertatur in aerẽ. Si verò substantia panis aut vini sit annihilata, non potest iterum redire, quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero, nisi forte dicatur redire prædicta substantia, quia Deus de nouo creat aliam nouam substantiã loco primæ. Secundò videtur hoc esse impossibile, quia non est dare, quando substantia panis redeat. Manifestum est enim ex suprà dictis, quòd manentibus speciebus panis & vini manet corpus & sanguis Christi, quæ non sunt simul cum substantia panis & vini in hoc sacramento, secundum præhabita. Vnde substantia panis & vini non potest redire, speciebus sacramentalibus manentibus. Similiter etiam nec eis cessantibus, quia iam substantia panis & vini esset sine proprijs accidẽtibus, q̃ est impossibile, nisi fortè dicatur, quod in ipso vltimo instanti corruptionis specierum reddit: non quidem substantia panis & vini (quia illud idem instans est, in quo primo habent esse substantiæ generatæ ex speciebus) sed materia panis & vini, quæ magis de nouo creata diceretur, quam rediẽs, propriè loquendo. Et secundũ hoc posset sustineri prædicta positio. Verũ quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculosè aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione: ex qua non est quòd materia creetur, vel redeat, meliùs vicetur dicẽdũ, quod in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensiuæ panis, & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ, & ideò ex consequenti datur prædictæ quãtitati dimẽsiuæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideò quicquid posse generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiua panis vel vini, nõ quidẽ

A

B

C

D

q. 75. ar. 4.

Ar. c. 1. tex. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80.

Universidad de Deusto
Biblioteca

culose vim, & proprietaté substantiæ, & in 4.d.12. q.1.art.2.quæstiunc.4.dicit sicut datur quantitati vt subsistant, ita etiam dari, vt subijciatur alteri formæ. Præterea idem D.Tho.4.cont.Gent.c.66.expressè reprobat opinionem dicenté, accidentia miraculose conuerti in substantiam: vnde cócludit sola accidentia ad generationem substantialem sufficere. Nihilominus alij Thomistæ alium sensum adhibent, nimirum quantitatem panis in instanti generationis, re vera, non manere, neq; per se ipsam subijci formæ substantiali, aut substátialiter componere substantiam genitam: sed in illo instanti cóuerti in materiam quantá, ex qua proximè fit generatio; & ideo dici, quantitatem accipere vim substantiæ; quia accipit vim tráseundi in substantiam, nó quod ipsa accipiat vim actiuam huiusmodi conuersionis: hoc enim est impassibile, cú ipsa sit terminus à quo eiusdé cóuersionis, & desinat esse per illá: sed quod ex vi institutionis sequatur hæc cóuersio & quantitati datum sit, vt, media conuersione, suppleat absentiá materiæ ita exposuit D.Tho. Capreol. in 4. d.12.ad arguméta contra.3.conclu.qué secuti sunt Caiet. Soto & alij, qui potissimú moti sunt hac ratione, quia hæc opinio in priori sensu est incredibilis: ná si litera D.Tho. sincerè inspiciatur, aliquantulú violenta videtur: fauét tamen illi vltima verba art. in solutione ad 3. cú enim D.Tho. dixisset, manere quantitatem in propria natura, & accipere proprietatem substantiæ, subdit, *Et ideo potest transire in vtrunque, id est, in substantiam & dimensionem*: nam verbú, *transire*, conuersionem significat; & ita póderauit Capreol. quanquá si consideretur argumentum, & cum illo coniungatur solutio, magis videtur significare productionem seu eductionem formæ substantialis & accidentalis ex vna quantitate: de hac enim re argumétum procedebat, & in solutione explicatur, quomodo hoc fiat, supposito priori miraculo. Et similé æquiuocationem habent verba sequentis articuli in corpore, & ad 2. vbi D.Tho. ait, species sacramentales conuerti in substantiá, & species rerum, quæ ex eis generantur: tamen in quarto loco supra citato, præsertim in solutionibus argumentorum, videtur apertius huic sensui fauere. Quapropter satis obscura est in hac re mens D.Tho. nec video, quomodo posit satisfieri omnibus difficultatibus in priori expositione positis: vnde in 4. sententiarú præsertim solutione ad 4. hunc posteriorem sensum indicat, in hac vero tertia parte magis in priorem inclinat: de re vero ipsa in disputatione sequente dicemus.

Capreol. Caiet. Soto.

ARTICVLVS VI.

Vtrú species sacramétales possint nutrire.

4.di. 12. q. 1. ar. 2. q. 5 & 4. contra ca. 66. Et 1. Cor. 11. lect. 4. fi. Li. 5. de sacra. c. 4. in me. to. 4.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod species sacramentales non possint nutrire. Dicit enim Ambros. in lib de sacramentis. Nó iste panis est, qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animę nostrę substantiam fulcit: sed omne, quod nutrit, vadit in corpus, ergo panis iste non nutrit. Et eadem ratio est de vino.

¶2. Præterea, Sicut dicitur 2. de Generatione, ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus. Species autem sacramentales sunt accidentia ex quibus homo nó constat, nó enim accidés est pars substantiæ. Ergo videtur quod species sacramentales nutrire non posint.

Lib. 2. text. 50. tom. 2.

¶3. Præterea, Philosophus. 2. de anima dicit quod alimentum nutrit, prout est substátia quædam, auget autem, prout est aliquid quantum. Sed species sacramentales nó sunt substantia. Ergo non possunt nutrire.

Li. 2. text. 47. tom. 2.

SED cótra est, quod Apost. 1. Corint. 11. loquens de hoc sacramento, dicit, Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Vbi dicit gloss. quod notat illos, qui post celebrationé sacri mysterij & consecrationem panis & vini, suas oblationes vendicabant, & alijs non cómunicantes, soli sumebant, ita vt inde etiá inebriarentur. Quod quidem non posset cótingere, si sacramentales species non nutrirent. Ergo species sacramentales nutriunt.

Glo. ord. ibi.

RESPONDEO dicendum, quod hæc quæstio difficultaté non habet, præcedenti quæstione soluta. Ex hoc enim (vt dicitur. 2. de anima) cibus nutrit, quod conuertitur in substantiam nutriti. Dictum autem est, quod species sacramentales possunt cóuerti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur. Per eandem autem rationem possunt cóuerti in corpus humanum, per quam possunt conuerti in cineres, vel in vermes, & ideo manifestú est, quod nutriunt. Quod autem quidam dicunt, quod non verè nutriunt, quasi in corpus humanum conuertantur, sed reficiunt, & cófortant quadam sensuum immutatione (sicut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini) ad sensum patet esse falsum. Talis enim refectio non diu sufficit homini, cuius corpus propter continuam deperditionem restauratione indiget, & tamen homo diu sustentari posset, si hostias & vinum consecratum sumeret in magna quantitate. Similiter etiam non potest stare, quod quidam dicunt quòd species sacramentales nutriunt propter formam substantialem panis & vini, quæ remanet: tum, quia non remanet, vt suprà habitum est, tum quia non est actus formæ nutrire, sed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti recedente forma nutrimenti. Vnde dicitur in 2. de anima, quod nutrimentum in principio est disimile, in fine autem simile.

Lib. 2. de anima. text. 45. & 46. tom. 2. Ar. præ.

q. 75. art. 2.

Lib. 2. de anim. text. 4. tom. 2.

AD primum ergo dicendum, quod facta consecratione dupliciter potest dici panis in hoc sacramento esse. Vno modo ipse species panis; quæ retinent nomen prioris substantiæ, vt Grego dicit in homil. Paschali. Alio modo potest dici panis ipsum corpus Christi, quod est panis mysticus de cælo descendens. Ambros. ergo cum dicit, quod iste panis non transit in corpus, accipit

Refertur de consec. d. 2. c. Species. Loc. ci. in art.

accipit panem secundo modo, quia, scilicet, corpus Christi non conuertitur in corpus hominis, sed reficit mentem eius, non tamen loquitur de pane primo modo dicto.

AD secundum dicendum, quòd species sacramentales, etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea conuertuntur, sicut dictum est.

In cor. art.

AD tertium dicendum, quòd species sacramentales, quanuis non sint substantia, habét tamé virtuté substátiæ, sicut dictú est.

Ibidem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm species sacramentales frangantur in hoc sacramento.

4. d. 10. ar. 4. d. 1. & 4. 12. q. 1. ar. 3. q. 1. et 2. & 4. ca. 67. & op. 2. ar. 8. & 1. ca. 11. lect. 3. ca. 6. Lib. 3. in summa. 3. ca. 2. ante med.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod species sacramentales non frangantur in hoc sacramento. Dicit enim Phil. 4. Meteor. quod corpora dicuntur frangibilia propter determinatam dispositionem pororum, quod non potest attribui sacramentalibus speciebus. Ergo sacramentales species non possunt frangi.

¶2 Præterea, Fractionem sequitur sonus, Sed species sacramentales non sunt sonabiles. Dicit enim Philosoph. 2. de anima, quod sonabile est corpus durum, habens superficiem lenem. Ergo species sacramétales non franguntur.

Lib. 2. ex te. 77. & 78.

¶3. Præterea, Eiusdem videtur esse manducari, frangi, & masticari. Sed verum corpus Christi est quod manducatur, secundum illud Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meú sanguinem: ergo corpus Christi est, quod frangitur & masticatur. Vnde in confessione Berengarij dicitur, Consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & corde & ore profiteor, panam & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, verum corpus & sanguinem Christi esse, & in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Non ergo fractio debet attribui sacramentalibus speciebus.

De cóse. d. 2. c. Ego Berengarius.

SED contra est, quod fractio fit per diuisionem quanti. Sed nullum quantum ibi diuiditur nisi species sacramentales, quia neque corpus Christi, quod est incorruptibile, neque substantia panis, quæ non manet neque substantia vini. Ergo species sacramétales franguntur.

RESPONDEO dicendum, quòd apud antiquos circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod non erat in hoc sacramento fractio secundum rei veritatem, sed solum secundum aspectum intuétium. Sed hoc non potest stare, quia in hoc sacramento veritatis sensus non decipitur circa ea, quorum iudicium ad ipsum pertinet, inter quæ est fractio, per quam ex vno fiunt multa: quæ quidem sunt sensibilia communia: vt patet in libro de anima. Vnde alij dixerunt, quòd erat quidem ibi vera fractio sine subiecto existente. Sed hoc etiam sensui contradicit. Apparet enim in hoc sacramento aliquid quantum, prius vnum existens, posteà in multa partitum, quod quidé opportet esse subiectum fractionis. Non autem potest dici, quòd ipsum corpus Christi verum frangatur; primo quidem quia est incorruptibile & impassibile. Secundò, quia est totum sub qualibet parte (vt supra habitum est) quod quidem est contra rationem eius, quod frágitur. Vnde relinquitur, quod fractio sit, sicut in subiecto, in quantitate dimensiua panis, sicut & alia accidentia. Et sicut species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, ita fractio huiusmodi specierum est sacramentum Dominicæ passionis, quæ fuit in corpore Christi vero.

Lib. 2. tex. 64. & 33. tom. 2.

q. 76. ar. 3.

AD primum ergo dicendum, quod sicut in speciebus sacramentalibus remanet rarú & densum (vt supra dictum est) ita etiam remanet ibi porositas, & per consequens frangibilitas.

ar. 2. huius q. ad 3.

AD secundum dicendum, quòd densitaté sequitur duritia. Et ideò, ex quo in speciebus sacramentalibus remanet désitas, consequés est, quod remaneat ibi duritia, & per consequens sonabilitas,

AD tertium dicendum, quòd illud, quod manducatur in propria specie, ipsum & frangitur & masticatur in sua specie. Corpus autem Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali. Vnde & super illud Ioan. 6. Caro non prodest quicquam, dicit August. Hoc est intelligendum secundú illos, qui carnaliter intelligebát: carné quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur. Et ideò ipsum corpus Christi nó frágitur, nisi secundú specié sacramentalé. Et hoc modo intelligéda est cófessio Berégarij vt fractio & attritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi.

Tract. 27. in Ioan. inter prin. & me. to. 9.

Posita in arg. 3.

COMMENTARIVS.

QVæstio huius articuli, quátum ad rem spectat non habet difficultatem, nam res est sensibus nota: nam cú species sacramentales continuæ sint, & extensæ in se, & in ordine ad locum, facile possunt discótinuari, & hoc est frangi: dicútur autè esse subiectum fractionis, quia sunt subiectum motus, quo fractio fit, & terminantur terminis, qui inde resultant. Quod verò spectat ad denominationé respectu corporis Christi, tractatum est supra disputatione. 10. de Eucharistia, seu 43. sect. 4. vbi solutionem ad 3. huius articuli explicatam reliquimus.

ARTIC-

Universidad de Deusto Biblioteca

ARTICVLVS VIII.

Vtrũ aliquis liquor poſsit vino conſecrato commiſceri.

4. diſt. 12. q. 1. ar. 2. q. 6. & quo. 10. ar. 3.

AD octauum ſic proceditur. Videtur, ꝙ vino conſecrato non poſsit aliquis liquor miſceri. Omne enim, quod permiſcetur alicui, recipit qualitatem ipſius. Sed nullus liquor poteſt recipere qualitatem ſacramentalium ſpecierum, quia accidentia illa ſunt ſine ſubiecto, vt dictum eſt. Ergo videtur quod nullus liquor poſsit permiſceri ſpeciebus ſacramentalibus vini. (ar 1. huius q.)

¶ 2 Præterea, Si aliquis liquor permiſceatur illis ſpeciebus, oportet, quod ex his fiat aliquid vnũ. Sed non poteſt fieri aliquid vnum, neque ex liquore (qui eſt ſubſtantia) & ſpeciebus ſacramentalibus, quæ ſunt accidentia, neque ex liquore & ſanguine Chriſti qui ratione ſuæ incorruptibilitatis, neque additionem recipit, neque diminutionem. Ergo nullus liquor poteſt admiſceri vino conſecrato.

¶ 3 Præterea, Si aliquis liquor admiſceatur vino cõſecrato, videtur quod etiã ipſum efficiatur conſecratum, ſicut aqua, quæ admiſcetur aquæ benedictæ, efficitur benedicta. Sed vinũ conſecratũ eſt vere ſanguis Chriſti. Ergo etiam liquor permiſtus eſſet ſanguis Chriſti. Et ita aliquid fieret ſanguis Chriſti aliter, quam per conſecrationẽ, quod eſt inconueniens. Non ergo vino conſecrato poteſt aliquis liquor permiſceri.

¶ 4 Præterea, Si duorum vnũ totaliter corrumpatur, non erit miſtio, vt dicitur in 1. de generatione. Sed ad permiſtionem cuiuſcunque liquoris, videtur corrũpi totalis ſpecies ſacramentalis vini, ita quod ſub ea deſinat eſſe ſanguis Chriſti, tum quia magnũ & paruum ſunt differentiæ quãtitatis, & diuerſificant ipſam, ſicut album, & nigrum, colorem; tum etiam quia liquor permiſtus, cũ nõ habeat obſtaculum, videtur vndique diffundi per totum, & ita deſinit ibi eſſe ſanguis Chriſti, qui non eſt ibi ſimul cum alia ſubſtãtia. Non ergo aliquis liquor poteſt permiſceri vino conſecrato. (Li. 1. à tex. 82. vſque ad 90. tom. 2.)

SED contra eſt, quod ad ſenſum patet, alium liquorem vino permiſceri poſſe poſt conſecrationem, ſicut & ante.

RESPONDEO dicendum, quod iſtius quæſtionis veritas manifeſta eſt ex præmiſſis. Dictum eſt enim ſupra, quod ſpecies in hoc ſacramento remanentes, ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modum eſſendi ſubſtantiæ, ita etiam conſequuntur modum agendi & patiendi, vt, ſcilicet agere & pati poſsint, quicquid ageret, vel pateretur ſubſtantia, ſi ibi præſens exiſteret. Manifeſtum eſt autem, quòd ſi eſſet ibi ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri. Huius tamen permiſtionis diuerſus eſſet effectus, & ſecundum formam liquoris, & ſecundũ quãtitatẽ. Si enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſet diffundi per totum vinum, totum fieret permiſtũ. Quod autem eſt commiſtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt, ſed vtrunque trãſit in quoddam tertium ex his compoſitum. Vnde ſequeretur quod vinum prius exiſtens, nõ remaneret, ſed ſi liquor permiſtus eſſet alterius ſpeciei (puta, ſi permiſceretur aqua) ſolueretur ſpecies vini & eſſet liquor alterius ſpeciei, ſi autem eſſet eiuſdem ſpeciei liquor adiũctus (puta ſi vinum permiſceretur vino) remaneret quidem eadem ſpecies, ſed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diuerſitas accidentium, puta, ſi vnum vinum eſſet album, & aliud rubeum. Si vero liquor adiunctus, eſſet tam parue quantitatis, quod non poſſet perfundi per totum, non fieret totum vinum permiſtum, ſed aliqua pars eius. Quæ quidem non remaneret eadem numero propter permiſtionem extraneæ materiæ, remaneret tamen eadem ſpecie, non ſolum, ſi paruus liquor permiſtus, eſſet eiuſdem ſpeciei, ſed etiam ſi eſſet alterius ſpeciei, quia gutta aquæ multo vino permiſta, tranſit in ſpeciem vini, vt dicitur 1. de generatione. Manifeſtum eſt autem ex prædictis, quod corpus & ſanguis Chriſti remanet in hoc ſacramento, quandiu illæ ſpecies manent eædem numero: conſecratur enim hic panis, & hoc vinum. Vnde ſi fiat tanta permiſtio liquoris cuiuſcunque, quod pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permiſtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti. Si vero fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quod non poſſit diffundi per totum, ſed vſque ad aliquam partem ſpecierum, deſinet eſſe ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia. (ar. 1. q. 2. huius. q. — Li. 1. tom. 34. 59. & 88. tom. 2. Ar. 4. huius q. & q. 74. ar. 6. ad.)

AD primum ergo dicendum, quod Innocen. III. dicit in quadam Decret. quod ipſa accidentia vinum appoſitum videntur afficere, quia ſi aqua fuerit appoſita, vini ſaporem aſſumit: contingit igitur, accidentia mutare ſubiectum, ſicut & ſubiectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur. Hoc tamen non eſt ſic intelligendum, quaſi idem numero accidens, quod prius fuit in vino ante conſecrationem, poſtmodum fiat in vino appoſito, ſed talis permutatio fit per actionem. Nam accidentia vini remanentia, retinent actionem ſubſtantiæ ſecundum prædictas & ita immutando, afficiunt liquorem appoſitum. (In decret. 3. tit. ... Cum ... 5. ...)

AD ſecundum dicendum, quòd liquor appoſitus vino conſecrato, nullo modo miſcetur ſubſtantiæ ſanguinis Chriſti, miſcetur tamen ſpeciebus ſacramentalibus. Ita tamen quòd permiſtione facta, corrumpuntur prædictæ ſpecies, vel in toto, vel in parte, ſecundum modum, quo ſuprà dictum eſt, ꝙ ex ſpeciebus illis poteſt aliquid generari. Et ſi quidem corrumpantur in toto, nulla iam remanet quæſtio, quia iam totum erit vniforme. Si autem corrumpantur in parte, erit quidem vna dimenſio ſecundum continuitatem quantitatis, non tamen vna ſecundum modum eſſendi, quia vna pars eius erit ſine ſubiecto, alia erit in ſubiecto, ſicut ſi aliquod corpus conſtituatur ex duobus metallis, erit vnum corpus ſecundum rationem quantitatis, non tamen vnum ſecũdum ſpeciem materiæ. (Ibid.)

AD tertium dicendum, quòd ſicut Innocent. III. dicit in Decretali prædicta, ſi poſt conſecrationem calicis aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non tranſit in ſanguinem, neque ſanguini commiſcetur, ſed accidentibus prioris vini commiſtum, corpori, quod ſub eis latet, vndique circunfunditur, non madidans circunfuſum. Quod quidem intelligendum eſt, quando non fit tanta permiſtio liquoris extranei, quòd ſanguis Chriſti deſinat eſſe ſub toto, tunc enim dicitur vndique circunfundi, nõ quia tangat ſanguinem Chriſti ſecundum eius proprias dimenſiones, ſed ſecundum dimenſiones ſacramentales, ſub quibus continetur. Nec eſt ſimile de aqua benedicta, quia illa benedictio nullam immutationem facit circa ſubſtantiã aquæ, ſicut facit conſecratio vini. (Loco citat. in ſolu. 3. arg.)

AD quartum dicendũ, quòd quidam poſuerunt, quòd quantumcunque parua fiat extranei liquoris permiſtio, ſubſtantia ſanguinis Chriſti deſinit eſſe ſub toto, & hoc ratione inducta. * Quæ tamen non cogit, quia magnum & paruum diuerſificant quantitatem dimenſiuam, non quantum ad eius eſſentiam, ſed quantum ad determinationem menſuræ. Similiter etiam liquor appoſitus adeò poteſt eſſe paruus, quòd ſua paruitate impediatur, ne diffundatur per totum, & non ſolis dimenſionibus, quæ licèt ſint ſine ſubiecto, tamen obſtant alteri liquori, ſicut & ſubſtantia, ſi ibi adeſſet, ſecundum ea, quæ præmiſſa ſunt. (In argum.)

DISPVTATIO. LVII.

De his, quæ poſſunt ſpecies ſacramentales agere & pati.

Diſp. decimanona de Eucharistia.

QVoniam materia huius diſputationis philoſophica valde eſt, eam breuiter expedire curabimus, primòque dicemus de actione tam intentionali, quàm materiali, poſteà de paſsione tam accidentali, quàm ſubſtantiali.

SECTIO I.

Vtrum ſpecies ſacramentales poſsint conſecratæ efficere, quicquid poterant non conſecratæ.

Species conſecratæ poſſunt facere omnẽ actionem intentionalem, quam nõ conſecratæ efficere poſſunt.

DIco primò. Poſſunt ſpecies conſecratæ efficere omnem actionem intentionalem, quã antea poterant. Ita D. Thom. hic & ſupra. q. 75. art. 5. & omnes Theologi. Et patet experientia, quæ neceſſaria fuit ad occultãdum myſterium, & fidem conſeruandam. Ratio vero iam eſt facta in commentarijs, quia tota ratio agendi huiuſmodi actionem eſt accidentalis forma, quæ eadem, eodemque modo perſeuerat; quòd autem quantitas per ſe ſit, vel in ſubiecto, nihil refert ad hanc actionem, præſertim quia ipſa nõ imprimit ſpeciem ſui, ſed modificat qualitates per ſe primò ſenſibiles eodem modo quo antea. Atque hinc expeditur prolixa diſputatio, quam Soto perſequitur. d. 9. q. 2. art. 5. de notitijs ſenſitiuis & intellectiuis, quas ſpecies ſacramentales poſſunt in nobis efficere: vbi contendit, poſſe tam in ſenſu, quam in intellectu, cauſare non ſolum notitiam accidentis, ſed etiam ſubſtantiæ. Dicendũ autem eſt idem omnino poſſe efficere in quacunque potentia poſt conſecrationem, quod antea poterãt quia per ſe nihil aliud poſſunt, quam efficere ſpecies in ſenſibus externis, in quo eandem vim ſemper habent, vt dixi. Vnde fit, has ſpecies non poſſe per ſe cauſare notitiam ſubſtantiæ, ſed accidentis per modum cuiuſdam cõcreti, vt huius albi, aut rubei: quia etiam ante conſecrationem non habebant maiorem vim, vt rectè docet D. Thom. ſuprà. q. 75. ar. 5. & 1. part. q. 57. art. 1. ad 2. & 1. 2. q. 31. & ideo omnes philoſophi docent ſubſtantiam non ſentiri per ſe, ſed tantum per accidens, vnde euidẽs eſt ſenſum nõ poſſe diſcernere clare & in ſe præſentiam vel abſentiam ſubſtantiæ ſub eiſdem accidentibus: quia eadẽ notitia de hoc obiecto ſenſibili formatur in ſenſu externo, quæ idem, & eodem modo repræſentat ſiue adſit ſubſtantia, ſiue non. Quo tandem fit, idem proportionaliter eſſe dicendum de ſimplici notitia apprehẽſiua, quę per exteriores ſenſus in interioribus, vel intellectu cauſatur: quia etiam illa præciſè ſumpta non repræſentat ſubſtantiam in ſe ipſa, ſed tantum hoc quantum, vel hoc album: inde verò intellectus per diſcurſum colligit ſub his accidentibus eſſe aliquod ſubiectum, quòd illa ſuſtentat, & ad hunc modum peruenit, ad aliqualem ſubſtantiæ notitiam, ſaltem connotatiuam, quam aliqui intuitiuam vocant propter præſentiam accidentium, alij abſtractiuam, quia non eſt propria rei, vt in ſe eſt. Quomodocunque autẽ vocetur, ſpecies ſacramentales ita ad illam concurrunt, & miniſtrant, quantum eſt ex ſe, ac ſi non eſſent

Universidad de Deusto Biblioteca

essent consecratæ, vt in homine infideli videre licet, nam in fideli fides corrigit discursum, vt non indicet, ibi esse substantiam. seu (quod idem est) non concipiat substantiam tanquam ibi existentem. Et hinc etiam explicatur facilè, quo modo in hoc sacramento nulla sit deceptio, etiam si maneant species, sine substantia, quam significare, & referre videntur: dicendum est enim illas de se eandem offerre sensibus notitiam, in quo neminem decipiunt (vt sic dicam) ꝙ autē homo inde discurrēs decipiatur: per accidēs est, & fide potest eam deceptionē præuenire.

Species consecratæ possunt efficere omnem accidentalem alterationem, quam ante consecrationem.

Dico secundò. Species cōsecratæ possunt efficere omnem accidentalem alterationem, quam antea poterant. Est etiam communis, & habet idem fundamentum, quia tota ratio agendi in huiusmodi alteratione est aliqua qualitas, quantitas verò per se non concurrit, sed solùm vt sustentās qualitatem. Quòd si interdum ad actionem aliquam videtur per se concurrere, vt ad imprimendum impetum, ad diuidendum aliquid, vel suo loco pellendum, id non facit absque qualitatibus, quibus est affecta, vt sunt siccitas, duricies, grauitas, & si quid ipsa per se iuuat, ētiam separata potest idem conferre; quia nō id facit per inhærentiam, sed per entitatem suam, quæ manet. Nec refert, ꝙ hæ actiones tribuātur quantitati: nam, vt significauit D. Th. in 4. dist. 12. q. 1. arti. 1. quæstiuncul. 3. & Caiet. hic, & alij, illud solùm est secundum quandam denominationem, qua actiones dicuntur esse subsistentium: quantitas enim hic suo modo subsistit in his accidentibus; & ideo ita dicitur calefacere, sicut aqua calida, in qua tota ratio calefaciendi est calor.

Species cōsecratæ possunt substātiam corrūpere & generare.

Dico tertiò. Species consecratæ possunt substantiam corrūpere & generare. Est etiam cōmunis, & sequitur ex præcedentibus: nam hæc accidentia possunt alterare substantiam: ergo possunt in ea alteratione eousq; procedere, vt illam corrumpant. Patet consequentia, quia eadem est ratio de initio, & progressu alterationis: imò, cæteri paribus, ac per se loquendo, quo in eadem parte alteratio magis ac magis intensiuè procedit, eo facilius agens in ea progreditur: quia semper est minor resistentia in passo, & plura sunt, quæ iuuant ipsum agens: ergo possūt hæc accidentia alterando disponere substantiam ad corruptionē vnius, & generationem alterius. Et cōfirmatur, quia hoc etiam fuit necessariū, vt hoc mysterium magis esset occultum: verum est, minorem hic esse necessitatē, quia sensus minùs percipit ipsius substantiæ transmutationem, præsertim ꝙ panis nō videtur adeò actiuus, vt possit generare sibi similē, & quanuis vinum hoc possit, tamen sensus nunquā satis percipit, an perueniat alteratio ad corruptionē substantialem, maximè, cùm semper antecedat imperfecta mistio, qua confunduntur partes vtriusq; miscibilis, ita vt sensu non discernantur. Denique, estò sit necessariū, hanc generationem consequi ex alteratione sensibili, quadam naturali consecutione: eo ꝙ non possit assignari gradus, in quo cesset alteratio, veluti sponte sua, & sine impedimento, & priusquàm agens agat, quātum potest: nihilominus tamen, non est necessarium, vt sequatur ex virtute specierum: sed ex virtute alicuius agentis superioris, supplentis earum defectum: sæpe enim ita contingit in physicis alterationibus & generationibus.

Quæsitum.

Vnde hoc loco quæri solet, qua virtute efficiant accidentia consecrata formam substantialem: nam non videntur habere sufficientem vim naturalem, cùm sint imperfectiora. Quæ dubitatio pendet ex celebri quæstione physica, quomodò accidentia attingant ad productionem substantiæ: qui enim opinantur, eductionem formæ substantialis immediatè fieri à forma accidentali, vt est virtus substantiæ, ita tamen, vt quanuis substantia præsens sit, immediatè nihil influat per substantialem formam, facilè & cōsequenter dicunt, eodem modo operari nunc species consecratas: quia qualitas manens est eadem virtus substantiæ, & absentia substantiæ non minuit actionem: quia, cùm est præsens, non auget illam, sed tantùm cōseruat, & sustentat qualitates, quod supplet Deus in hoc sacramento: & hæc videtur esse D. Thomæ sententia hic, art. 3. ad 3. quam Caiet. sequitur, & Capreol. in 4. d. 12. q. vnica. Palud. q. 4. Richard. art. 5. q. 2. Ferrar. 4. cont. gent. c. 66. Soto, & recentiores. Alij existimant, accidentia, vel solū attingere dispositionem vltimam, eductionem autē formæ substantialis solùm fieri, vel à forma substantiali simili, vel à superiori principio, vel certè, si accidentia aliquid immediatè influunt in substantialem formam, sola tamen non sufficere, quacunq; ratione considerentur, nisi forma substantialis actu iuuet, & immediatè etiam influat. Et hi consequenter dicūt, accidentia quidem consecrata conferre ad generationem substantialem, totum influxū, quem darent substantiæ coniuncta, tamen, quia ille non sufficit, necessarium esse, vt Deus suppleat illam efficacitatē, quam substātia præsens conferret. Ita procedit Scotus dist. 12. q. 1. Durand. q. 2. Bonauent. arti. 2. q. 3. Ocham q. 7. Alens. 4. p. q. 40. memb. 1. art. Gabriel. lect. 45. in Canonem, qui dicit, accidentia concurrere partialiter, & Deum supplere reliquum. Et hoc tenet etiam Richard. art. 14. pag. 295. nec censetur ab hac sententia alienus D. Thom. hic, artic. 3. ad 2. dum ait, accidentia consecrata efficere formam substantialem virtute Dei, quod imitatus etiam est Paluda. dicta quęst. 4. Neq; in hoc ponitur aliquod nouum miraculū: sed est naturalis modus concurrendi primæ causæ, qui debetur ex suppositiōe prioris miraculi: nā, vt suprà dicebā, sæpè id naturalibus corruptionibus, & generationibus id accidit, ꝙ agēs proximū possit alterare & corrumpere, non verò per se solum substantialem formam efficere, & tunc naturalis ordo postulat, vt id suppleatur per influxum causarum vniuersalium, præsertim primæ.

S. Thom. Caiet. Capreol. Palud. Richard. Ferrara. Soto.

Scotus. Durand. Bonauent. Ocham. Alens. Gabriel. Richard. Palud.

Difficultas specialis soluitur.

Et iuxta hæc expedienda est specialis difficultas hic occurrens, quando contingit species vini frigefieri, v. g. præter naturalem vim & dispositionem, posteà verò remoto agente, & suæ naturæ relictas se reducere ad pristinum calorem connaturalē substantiæ vini, à quo principio fiat illa alteratio: quia naturaliter est ab intrinseca forma substantiali per naturalem resultantiā. Nam quod quidam respondent fieri à generante, non satisfacit, quia oportet assignare immediatum principium agēdi, siue actio tribuatur generanti, siue non, quod magis pertinet ad verborū denominationē, quàm ad rem. Nec potest dici, principiū illud esse qualitatem ipsam, quæ intenditur: quia in proprio subiecto nunquam qualitas remissa est vis actiua suæ intensionis. Neq; etiam satis est dicere, hanc reductionem fieri ab alia qualitate virtuali seu proprietate occulta: nam hæc etiam remitti potest, vt experimento constat in vino; quādo ad corruptionē tendit, vnde de illa redibit quæstio. Dicendum ergo est, in eo casu, quando omnes qualitates remissæ sunt, & reducenda est ad pristinum

num statum illa, quæ immediatam habet dimanationē à forma, necessarium esse, vt Deus suppleat efficientiam formæ: quia connaturale principium illius actionis ibi deest, deficiente forma.

SECTIO II.

Vtrum species consecratæ possint mutari, aut corrumpi.

Species consecratæ ab agente naturali alterari possunt.

DE motu locali nulla potest esse quæstio: quia species hæ ita sunt in loco, & illū occupant, ac si ibi esset substantia; & ideo ita etiam moueri possunt, vt re ipsa experimur. Secundo certū est, huiusmodi species posse alterari virtute naturalis agentis, quanuis Nominales, qui negant, qualitates, quæ in his speciebus manent, inhærere quantitati, sed per se esse, consequenter negare debeant posse naturaliter intendi & remitti, & ideò necessarium illis sit multiplicare miracula: nam experiētia constat, has species calefieri, &c. si ergo id non potest fieri virtute agentis naturalis, oportet, vt supernaturaliter à Deo fiat ad mysterium occultandum: at verò, suppositis, quæ diximus, has scilicet, qualitates eodem modo inhærere quantitati, quo ante consecrationem inhærebant, facile intelligitur, posse ab agente naturali in eadem quantitate intendi, vel denuo produci: quia ex parte quantitatis est sufficiens potentia passiua, ex qua educātur: quia immediate in illa recipiuntur, & ab illa pēdent, & in suo esse conseruātur: ergo fieri etiā possunt ex illa, quia nihil aliud est educi de potentia subiecti, quam in illo fieri cum dependentia in fieri & in esse ab illo. Tertiò de motu augmentationis, vel diminutionis ipsius quantitatis res est etiam facillima, si augmentum & diminutionem à productione & corruptione separemus: tribus enim modis intelligi potest, quantitatem panis & vini augeri, aut diminui, primo per rarefactionem, vel cōdensationē, & de hoc iam in superioribus diximus, hoc non esse proprium augmentum, vel diminutionem quantitatis, quia per hunc modum nulla pars quātitatis additur, vel demittitur, sed solū mutatur qualitas, seu quidam modus ipsius quantitatis: vnde fit, vt nouis etiam terminis terminetur, & maiorem vel minorem locum occupet, vt disputatione præcedente sect. 3. attigimus. Secundò, per diuisionem, vel additionem, seu nouam continuationem, & hoc modo etiam est per se notum, species sacramentales posse diuidi, atque ita diminui, propriæ vero continuatio seu additio non tam facile fit, præsertim in speciebus panis, propter earū duritiem & siccitatem: nam ea, quæ liquida sunt, vt vinum, facilius continuantur: quia tamen hoc naturaliter nō fit sine mistione, de qua est specialis difficultas, tractabimus illā in vltima sectione huius disputationis. Tertio modo fit diminutio per corruptionē alicuius partis, de qua eadem est ratio quæ de corruptione totius; augmētū autem huic corruptione contrarium, non fit nisi per mistionē de qua infra, vt dixi.

Item augmentari vel diminui.

Solum ergo superest hic dicēdum de corruptione, an locum habeat in quantitate cōsecrata, in qua quæstione existimo, diuerso modo esse procedendum, iuxta diuersa principia philosophica de subiecto, & natura quātitatis. Est enim opinio satis cōmunis, quātitatē inesse toti cōposito, & ita esse per accidens corruptibilē ad corruptionē eius, & nouā aliā cum re genita cōproduci; & iuxta hanc opinionē consequenter hic dicendū est, facta in his speciebus alteratione sufficiēte ad corruptionē panis quātitatē corrūpi per accidens, non quia de facto pereat ad corruptionē subiecti, quod non habet, sed quia ex natura rei ita desineret, si subiectū adesset: hic autē, supposito mysterio, seruatur naturalis ordo in reliquis omnibus, quoad fieri potest. Itē quia corrūpitur ad desitionē præsentiæ corporis Christi, quod loco propriæ substantiæ quantitatē conseruabat. Deniq; quia in termino illius alterationis substantia noua succedit, secū afferens quantitatē nouā, quæ aliā secū non admittit, & ideo necesse est, præexistentem perire, & hæc censetur esse sententia D. Tho. hic ar. 4. quā sequuntur Caiet. hic, & Capr. d. 12. q. 1. & Palud. q. 4. Carth. q. 2. Rich. ar. 2. q. 2. ar. 4. q. 1. Scot. q. 5. Durand. q. 2. AEgid. Theor. 43. & 44. Sot, & omnes Thomistæ. Est autem differentia inter hos autores primum in causa huius corruptionis; Scotus enim & Durandus dicunt corrūpi solum ex pacto Dei, qui statuit illam non cōseruare, nisi sub talibus accidētibus; & ideo suspendit influxum facta illa alteratione, quia aliūde nulla potest reddi causa hui⁹ corruptionis: quia cū hæc quantitas sit primum subiectū alterationū, quæ hic fiunt, non magis potest per illas destrui ex natura rei, quam materia prima per generationem seu corruptionem substantialem, præsertim quia quantitas de se independens est à qualitatibus, & est æquè indifferens & quasi in potentia neutra ad quascunque qualitates, & hoc sane est satis consequenter dictū, si supponatur corpus Christi, vt est sub hac quantitate, nullo modo concurrere ad conseruandam illam per se existentem. At verò supponendo Christi corpus non subiectiuè, sed effectiuè supplere vicem substantiæ, & conseruare quantitatem, facile videtur sicut, remoto sole, destruitur lumen aëris, quod in suo esse à præsentia solis pendebat, ita ablata sacramentali præsentia corporis Christi, perire quantitatem: quæ ab illo, vt à principio conseruante pendebat: hoc tamen totum necessario reuocandū est ad institutionē & pactū diuinū: quo statuit Deus, nō conseruare ibi præsentiā Christi, nisi sub dispositionibus panis & vini. Secundo est differentia circa modum seu qualitatē huius desitionis: nā quidā dicunt annihilari quantitatē, vt Ocham. in 4. q. 7. quia desinit solū ex defectu causæ effectiuæ conseruantis: sed illa conseruatio erat per actionem de se creatiuam, vt supradictum est: ergo illa suspensio, seu carentia actionis, est annihilatio. Itē, quia illa desitio omnino sistit in non esse, & in nihilum: neque est ibi vlla actio positiua tendēs ad aliquod esse, ex quo sequatur huiusmodi nō esse: hoc autem solum est de ratione annihilationis. Multi verò ex Thomistis dicunt, desinere quātitatem per cōuersionem in materiam, quæ ibi succedit: sed, quicquid sit de hoc modo loquendi, de quo dicam sectione sequente, certum est, talem conuersionem non posse fieri virtute agentis naturalis, prout ipsi affirmare videntur: quia in illa conuersione nullum est subiectum, circa quod versari possit naturalis actio, neque etiam terminus ad quem illius conuersionis potest à naturali agente fieri: meliùs tamen potest hæc desitio vocari cor-

D. Thom. Caiet. Capreol. Palud. Carth. Richard. Scotus. Ægid. Soto.

Universidad de Deusto Biblioteca

ruptio per accidens, prout D. Tho. loqui videtur, si ad quantitatem eius sententia extendatur, propter rationes factas.

Vltimo verò aliter philosophandum est iuxta opinionem aliam, quæ affirmat, quantitatem in sola materia recipi, & ab ea sola pendere in genere causæ materialis, ideoq; manere eandē numero in genito & corrupto; esseq; ingenerabilem & incorruptibilem, sicut est materia, & cū ea sola concreari posse, & coannihilari, si materia annihiletur: nā iuxta hanc opinionem dicendum est, quantitatem specierum sacramentalium non corrumpi, etiam si alteratio fiat vsq; ad corruptionē panis: primò quidem quia si substantia adesset, quantitas non corrūperetur per illam alterationem: ergo nec nūc destruitur, patet consequētia, quia vt dixi, in hoc mysterio, suppositis his, quæ per se ad ipsum pertinēt, in reliquis, quoad fieri potest, naturalis ordo seruatur. Secundo, quia sicut substantiæ panis succesit corpus Christi conseruans quantitatem, ita præsentiæ corporis Christi succedit aliqua materia, cui potest illa quantitas vniri, & naturaliter conseruari: ergo non destruitur, sed in ea conseruatur: quia hoc est magis consentaneum naturis rerū. Tertiò, quia iuxta illam philosophicam opinionem de quātitate reliquæ etiam qualitates, quibus disponitur materia ad introductionem nouæ formæ, non pereunt, sed manent in re genita: ergo etiam hic, quādo generatur aliquid ex speciebus consecratis, manent dispositiones in re de nouo genita: ergo multò magis quantitas, quæ est subiectum earum, & hanc sententiam tenet Alen. 4. p. q. 40. membr. 2. art. 4. §. 1. & Enric. quodl. 8. q. 36. Ferrar. 4. cont. gent. cap. 66. tenet quidem manere quantitatem, quanuis non ex prædicto fundamento, sed quia supernaturaliter subit vicem materiæ, de quo statim & videtur fauere huic opinioni Diuus Thom. hic art. 5. & in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. Et fundamentum illud philosophicum mihi semper probabilius visum est, ex quo in Theologia etiam hæc opinio est magis consequens, & facilius omnes difficultates expedit.

Alensis. Enric. Ferrar.

SECTIO III.

Vtrùm speciebus cōsecratis possit aliqua substantia generari, vel nutriri.

PRima sententia negat, ex his speciebus fieri generationem, vel nutritionē: quia deest materia ex qua fiant; vnde ad experientias apparentes dicit hæc opinio, id, quod generari videtur, re vera non esse id, quod apparet, vel si est miraculosè creari à Deo: dicit etiam, hominē posse confortari odore, vel alteratione earum specierū, nō verò propriè nutriri. Ita sentit Alger. libr. 2. de hoc sacram. c. 1. Guitmun. lib. 2. de hoc myster. & Vvalden. tom. 2. de sacr. c. 62. qui addunt, non decere, hominē his specieb⁹ nutriri: quia oporteret aliquid etiam earum in secessum mitti. Hæc verò opinio antiquata iā est, & vt improbabilis omnino ab scholis reiecta: quia omnino præter rationem est, experientias negare: constat enim, ex hostijs cōsecratis vermes generari, & non minus comburi, quam nō cōsecratas: in quibus effectibus non est tantū externa species, seu apparentia: quia hi effectus sunt permanentes, & eodem semper modo fiunt. Item, si Deus est autor eorum, tam facilè potest illos verè efficere, sicut fingere; & alioqui est magis consentaneum ad veritatem mysterij occultādam: si verò naturale agens eos efficit; non potest eos fingere, aut simulare, & hoc posterùs est magis rationi consentaneū: quia nō sunt hic plura miracula fingenda, quam sint necessaria: nō est autem necessarium, vt solus Deus totum effectū operetur, vt videbimus. Atq; eadem experientia sumi potest ex nutritione, nam, si homo integrum panem consecratum comedat, non solum confortabitur, sed etiam nutrietur & saturabitur eodem modo, quo id assequeretur pane non consecrato.

Alger. Guitmun. Vvalden.

Secundò, hac relicta sententia, circa difficultatē, quę autores eius mouit, scilicet, ex qua materia fiat hæc mutatio, est alia opinio docens, nullam esse necessariam materiam, sed solam quantitatem sufficere, vt substet formæ substantiali aduenienti, siue de potentia eius educatur, siue per nutritionem vniatur. Hæc, vt dixi, videtur esse opinio D. Thomæ hic, quā ita exponit, & sequitur Ferrar. dicto c. 66. & eā tenet Enric. quodl. 8. q. 36. & Viguer. in summa vers. 9. de Euch. & Ruar. ar. 14. Soto etiam & Ledesm. citant AEgid. Theor. 44. & 45. Dionys. autem Carth. d. 12. q. 2. oppositum illi tribuit. Fūdamētum non est aliud, nisi quia hoc sufficit, & est magis consentaneū, vt ex vi prioris consecrationis reliqua fiant naturali modo, sine nouis miraculis.

Ferrar. Enric. Viguer. Ruard. Soto. Ledesm. Ægid. Carth. Oppositum…

Hæc verò opinio mihi videtur omnino falsa & incredibilis: dicendum est ergo solam quantitatē non sufficere, sed necessariam esse aliquam materiā ex qua hæc generatio fiat: ita docēt omnes autores statim citandi. Et probatur prior pars, primo, quia forma substantialis nō potest habere suum effectū formalem circa aliquod accidens, cum quo non habet proportionē, neq; habitudinē: aliàs posset etiā vna forma informare aliā, vel qualitatē aliquā. Secundò, quia inter quantitatem & formā non potest esse substantialis vnio, tum, quia, cū quantitas sit accidens, vnio etiā illius vel cū illa, necessario est accidentalis, & compositū ex illa non potest esse substantiale, nec potest esse ignis, aut caro, vel quid simile, quia de rationi essentiali huius compositi est substantialis materia, propter quod dixit Arist. 1. Physicorum, impossibile esse substantiam componi ex non substantijs. Et confirmatur, nam impossibile est, qualitatem eleuari, vt formaliter suppleat vicem formæ substantialis, & substātialiter aliquid componat: ergo similiter est impossibile, vt quantitas eleuetur ad proprium munus materiæ, & substantialem causalitatem eius. Tertio, etiam si daremus, hoc esse possibile, tamen illo posito, sequūtur multò plura miracula, quod tamen vitari intenditur. Probatur, quia in primis eductio formę substātialis de potentia quantitatis, non posset fieri ab agente naturali, propria virtute: quia quantitas non est in potentia naturali ad huiusmodi formā, quicquid sit de obedientiali, sicut non potest agens naturale virtute sua educere formā ignis de materia cæli, quia non est in potentia naturali ad illā, supposita opinione, q̄ sit alterius rationis à materia generabilium. Item, quia aliàs etiā nunc ignis educeret formam ignis ex quantitate ligni, eamque ipsi vniret: quia eandem capacitatem habet hæc quantitas & est propinquior igni.

Arist.

Fortasse dicetur, in quātitate ex sola natura rei, seu

seu secundum se sumpta, non esse capacitatem naturalem ad huiusmodi formam, & actionē seu passionem: at vero in quantitate eleuata, quæ per consecrationem accepit vim substantiæ, esse huiusmodi capacitatem, & ideo supposito illo miraculo agens naturale posse naturaliter ex illa educere formam. Sed hoc in primis intelligi non potest: quia quantitati per consecrationem nihil additum est, neque immutatum, præter existendi modum: tamen in entitate sua eadem omnino est: at verò capacitatis passiua non est in quantitate, ratione modi essendi, sed ratione suæ entitatis: ergo, si antea non habebat capacitatem naturalem, nec postea habebit: quæ est enim illa eleuatio, aut quæ vis materiæ? Si enim diceretur, esse in potentia obedientiali, & ratione consecrationis manere quasi in potentia proxima, fortasse non esset tam euidens contradictio; quanuis re vera, etiam hoc sit falsum propter argumenta priora; tamen quod res, quæ non habet capacitatem naturalem ex se, incipiat habere illam, non mutando entitatem vel naturam, intelligi non potest, sicut in causis agentibus repugnat, quod non habet naturalem virtutem agendi, incipere habere illam per solam suam entitatem, sine sui mutatione: imô nec posset agere per potentiam obedientialem, nisi hæc intime innata in ipsa re præsupponeretur. Adde, etiam, hoc posito, non vitari inconueniens illatum, scilicet, quod maiora miracula multiplicētur: nam re vera maius est hoc quam quod creetur materia, vel quodcunq; simile & præterea durabit quātitas per se existēs, & sine subiecto, non solum quandiu durat hoc sacramentum, sed etiam in omnibus rebus, quæ ex illa generantur, & quanuis plurimæ transmutationes in illa fierent, semper ita maneret: quia non est maior ratio de vna generatione, quam de reliquis: ac deinde tota materia prima, quæ ab institutione huius sacramenti vsq; nunc transubstantiata est, deficiet in orbe, & loco illius sola quantitas erit substituta vnde fiet, vt magna pars naturalium rerum iā non constet materia & forma, sed quantitate & forma: quæ nec substantialia entia erunt, neque accidentalia, sed monstra quædam naturæ.

Vnde etiam contingere posset, vt illa quantitas per varias trāsmutationes informaretur alia forma panis & consecraretur: quomodò ergo tunc fieret transubstantiatio? quia si totum compositum transmutaretur, non maneret quantitas, si sola forma, non esset transubstantiatio. Dicendum ergo esset, ex tali pane non posse fieri consecrationem, quod, re vera, non malè diceretur: quia ille non esset panis, cum non constaret ex principijs essentialibus panis, sed tunc idem consequenter dicendum esset de quacunque re genita ex huiusmodi speciebus, quod re vera non sit substantia illa, quæ apparet, sed semisubstantia, vt sic dicam. Vnde, si contingeret, hominem longo tempore solis speciebus consecratis nutriri, successu temporis, aut totum, aut ferè totum substātiale corpus amitteret, maneretque anima solam quantitatem informans: & similia monstra possunt facilè excogitari, & maximū omnium est dicere, hæc omnia naturaliter sequi ex priori miraculo solius consecrationis. Necessario ergo dicendum est, in instanti, quo huiusmodi generationes fiunt ex speciebus consecratis, aliquam veram, & substantialem materiam ibi existere ex qua fiant.

Sed quænam est hæc materia? Circa hoc fuit tertia opinio antiqua, esse aliquam antea præexistentē in aliquo corpore, & tūc denuo poni sub speciebus sacramentalibus in illo instāti generationis. Et quidam dixerunt, esse quandam partē materiæ ipsius corporis Christi, vt refert Algerus supra, quod maximè videbatur dici posse, si vera esset sentētia Durandi, quod materia panis manet in corpore Christi: sed hic est error in fide; quia Christi corpus nūc est incorruptibile, & impassibile. Vnde non potest partem materiæ acquirere, & multò minùs perdere. Vnde Durandus, qui primum temere dixit, non est ausus dicere secundum. Alij verò dixerunt, illā materiam esse corporis circunstantis, vel alterius similis, quam optimè impugnat D. Thom. hic, vt in commentario articuli quinti vidimus: quibus addere possumus, quando hostia consecrata in ignem iniecta comburitur, ibi totum corpus circunstans habere rationem agentis, & non patientis: non potest ergo aliquid generare ex suamet materia. Solum posset quis fingere, Deum aliunde sumere materiam ex aliquo corpore, & in eodem instanti illam sub speciebus sacramentalibus constituere at vero, licet hic modus non sit impossibilis Deo, non est tamen aptus, neque conueniens præsenti mysterio, primum, quia oporteret alteram rem rē in alio loco diuinitus corrumpi: non enim constituenda est eadem materia in duobus locis sub duabus formis. Secundò necesse esset, materiam illam in instanti, & miraculoso modo transferri ab alio loco in locum specierum. Tertiò cōsequenter etiā dicendum esset, deesse in his generabilibus rebus totam materiam, quæ hactenus per cōsecrationem transubstantiata est, quod magnum videtur incōueniens. Quartò denique oporteret, aut duplicem quantitatem destrui, vt vna fieret in re genita ex speciebus consecratis, iuxta opinionem asserentem quantitatem corrumpi ad corruptionem substantiæ, aut iuxta contrariam sententiam oporteret, vel duas quantitates manere in eadem materia, quod est satis absurdum, vel alteram sine causa naturali à solo Deo corrumpi. Vnde etiam fieret, tantam quātitatem deesse nunc in hoc orbe generabilium rerū, quanta fuit in toto pane & vino simul sumptis, quæ hactenùs cōsecrata sunt, nulla æqualis magnitudinis alteri succedente, quæ sine dubio esset magna diminutio huius inferioris vniuersi corporei. Dicendum est igitur (quod omnes Theologi citādi sentiunt) in instanti generationis, quæ fit ex speciebus consecratis, prius natura, quam talis generatio fiat, poni sub illis speciebus quandam materiam primam, quæ immediatè ante illud instans in rerū natura non existebat: hoc enim necessario ex dictis concluditur: ostensum est enim, aliquam materiā primam esse necessariam sub illis speciebus, seu in loco earū, quia ibi fit generatio. Rursus ostensum est, illam nō fuisse præexistententem, neq; ibi neq; alibi, in illo proximo tempore, quo fiebat alteratio quo ve Christi præsentia durabat: ergo necesse est ibi de nouo fieri.

Rursus deinde inquirēdum superest, an hęc materia sit eadem numero, quæ prius fuit sub talibus speciebus, & transubstantiata est, vel alia D. Thomas enim hic significat, non esse eandem numero: quia idem numero reproduci est nouum miraculum, quod nō est ponendum sine necessitate. Mihi tamen (quanuis res sit in certa) verisimilimum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse eandem numero, & in hoc sensu intelligendâ existin o quorundam veterum sententiam dicentium, redire substantiam panis, vt ex ea fiat generatio, quod tenuit Alexand. Alensis 4. parte, quæst. 40. membr. 2. artic. 4. & Bonauentura distinctione 12. artic. 1. quæst. 1. & Innocent. libr. 4. de hoc mysterio capit. 11. non est enim verisimile, eos locutos esse de tota substantia panis, tum quia hoc sensu est res valde improbabilis, vt Diuus Thomas cõuincit in articulo, tum etiam quia ad talem generationem impertinens est, quod redeat forma panis, cùm potiùs illâ corrũpi necesse sit. At verò, quòd eadem materia redeat, cõiectura esse potest, primò respectu naturæ vniuersalis, quia sic nulla fiet propter hoc mysteriũ mutatio in materia rerum generabilium, & corruptibilium, sed eadem semper durabit. Secundò respectu naturæ particularis, quia manet eadem quantitas numero: cui connaturale est esse in hac materia, eique inniti. Tandem respectu Dei, æquè facile est, eandem materiam facere, sicut diuersam: vnde nõ est maius miraculum, nec propriè est nouum: quia congruente quadam necessitate connexum est cum ipso mysterio.

Alensis. Bonau. Innoc.

Vlteriùs autem interrogandũ supereſt, per quã actionem fiat hæc materia: Thomistæ enim, vt aliquo modo Diuum Thomam interpretentur, contendunt fieri per conuersionem, vt in commẽtario artic. 5. citaui, quod tenet etiam Paludan. distinct. 12. quæstione. 2. Heruæus, quæst. 1. art. 3. & Hispal. quæst. 1. notab. 4. quia addit, non solam materiam, sed totum compositum fieri per conuersionẽ quãtitatis in ipsum, quod est improbabile, & sine fundamento, vt à fortiori patebit ex dicendis, & refutatur etiã à D. Thom. ex professo. 4. contra gent. c. 66. Alij dicunt, illam materiam congenerari, ita loquitur Soto supra, Reliqui vero autores citati dicunt; iterum creari, seu per creationem reproduci, Scot. d. 22. q. 5. Duran. q. 2. Maior. q. 4. Marsil. q. 8. ar. 4. Gab. lect. 45. in Canon. Aegid. Theorem. 44. & 45. & alij communiter. Et hoc sine dubio verius est; primo quidem, quia existimo, quantitatẽ panis non desinere esse per hãc generationem, sed manere in re genitam: non ergo conuertitur. Secundo, quia etsi non maneat, negari non potest, quin sit ibi necessaria noua actio, generatione prior ordine naturæ, per quam hæc materia fiat: quia educitur de non esse ad esse, prius quã ex illa fiat generatio: hæc autem actio non est ex præsupposito subiecto; quia quantitas non est subiectum prius, vt per se constat: est ergo creatio. Neq; est vlla ratio, ob quam appelletur conuersio, etiã si desinat esse quãtitas: quia neq; ibi relinquitur aliquid cõmune, circa quod fiat conuersio, & quia rationes omnes, quibus supra probatum est, corpus Christi non cõueniri in talem materiam, idem probant de quantitate: quia non est maior connexio inter actionem, qua producitur materia, & desitionem quantitatis, quã sit inter illam actionem, & desitionem, vel absentiam corporis Christi. Tandem, si ratio couersionis aliquid in reipsa addit creationi, illud est magis miraculosum, quam sola creatio, nec potest pio habiliter dici naturaliter sequi ex priori miraculo. Quod autem post alterationem sub illis accidentibus fiat creatio materiæ, est maximè connaturale, supposito priori mysterio, & indigentiã, quæ ex illo nascitur in rebus ipsis naturalibus ad suas generationes & corruptiones: sicut in generatione hominis naturale est, vt Deus creet animam post sufficientem alterationem in materia dispositã, Atque hinc etiam constat, quam sit falsum dicere, materiam congenerari quoad entitatem suam, de qua agimus; nam quoad vnionem id dici posset, sicut anima rationalis quoad vnionem dici potest congenerari, non verò secundum se, quod magis patebit ex sequente puncto.

Palud. Hernæns. Deza.

Soto. Scotus. Durand. Maior. Marsil. Gabriel. Ægid.

Adhuc enim inquirendum supereſt, à quo agẽte fiat hæc materia. Richard. enim d. 12. art. 2. q. 2. dicit fieri ab agente naturali ex possibilitate materiæ, quæ ibi manſit. Quod friuolum valde est, quia illa possibilitas nihil est, nisi potentia obiectiua: vnde non excludit creationem; quæ nõ potest fieri ab agente naturali: nam potentia subiectiua repugnat materiæ primæ, cum ipsa sit primum subiectum, stat imque inquiremus, an hæc possibilitas sit substantia, vel accidens; primum esse nõ potest, tum, quia repugnat mysterio, quod aliqua substantia mãserit, tum quia necesse est, vt sit materia, aut forma aut compositum: si vero est accidens, quomodo potest esse subiectum, ex quo fiat materia? Soto d. 10. q. 2. art. 6. (& significat etiam Hispalensis supra) dicit, materiam illam comproduci ab agente naturali, idque naturaliter, supposito primo miraculo. Sed, si loquantur propriè de virtute naturali, dicunt rem plane impossibilem: quia prius miraculũ nõ dedit virtutem naturalem igni, aut simili agenti ad producendum aliquid ex nullo subiecto, cùm potiùs tota necessitas huius materiæ sit, vt possit naturale agens ex subiecto aliquo formã substantialem educere: si autem non loquantur de virtute connaturali ipsi agenti secundum se, sed potiùs ipsi mysterio, ita vt ratione illius debitus sit naturali agenti cõcursus, quo possit materiam producere, hoc gratis & sine fundamẽto dicitur: nam licèt hic modus agendi non sit impossibilis, tamen necesse est, vt in eo concurrat naturalis causa solũ vt instrumentum Dei, & non qualecunq; sed creationis, quod omnium difficillimum esse censetur, hoc autem est magnum miraculum, quod non est fundatum in consecratione: quia non oportet, vt agens creet materiam, etiam si à Deo creanda sit, nõ est ergo afferendum hoc miraculum sine maiori fundamẽto, vt etiã Sotus fatetur: fit ergo hæc actio à solo Deo abiq; vllo instrumento separato; probabile tñ est, humanitatẽ Christi ad illã concurrere vt instrumentum coniunctum: de qua re nonnulla dixi in primo tomo ad quæst. 13. D. Thomæ.

Richard. Soto. Scotus.

Vltimo inquiri potest, quomodò ex hac materia possit naturale agens educere formã, & aliquid generare. Et ratio dubitandi est, quia illa materia de nouo creatur à Deo in eodem instante, in quo fit generatio: agens autẽ naturale nõ potest tam subito illam disponere, nec sine dispositione prius a potest naturaliter formã ex illa educere. Propter hãc enim rationem Scot. q. 6. & alij ex citatis autoribus existimant, agens naturale non concurrere ibi ad generationem substantialem, nec solam materiam primam creari tunc à Deo, sed totam substantiam compositam, cui debita sunt illa accidẽtia. Sed im merito ita opinãtur. Iuxta nostram ergo sententiã qua credimus, manere eandem quãtitatem in genito & corrupto, dicendum est, præter actionem creatiuam materiæ, de qua iam diximus, duas alias hic esse considerandas actiones. Vna est, qua species sacramentales, seu quantitas panis præexistẽs vnitur materiæ, hic enim est nouus effectus realis, qui specialem causalitatem requirit: potest autem intelligi fieri altero è duobus modis; prior est per naturalem resultantiam ex intrinseca natura ipsius materiæ & quantitatis: nam cum in illo instanti desinat ibi esse corpus Christi, consequenter desinit esse in quantitate modus ille per se existendi, quem habebat separatus; & aliunde materia prima in eodem instante fit per creationem intime præsens tali quãtitati, & ideo ablato iam omni impedimento, ex naturali propensione & inclinatione, quam ad inuicẽ habent, propria virtute copulantur & vniuntur & hic modus subtilis est, & probabilis. Alter vero modus facilior est, vt à Deo speciali actione vniantur, nam actio pure vnitiua, & non eductiua quantitatis de potentia materiæ, non est naturalis; vnde non potest resultare ex sola natura materiæ & quãtitatis, neq; ab aliquo agente naturali fieri: si verò (vt probabile est) actio vnitiua, quæ ibi interuenit est eiusdem rationis cum eductiua, seu cum, qua naturaliter conseruatur quantitas in materia, illa non potest esse à quantitate, quia respectu illius non supponitur prius natura existẽs, neq; etiam esse potest ab aliquo extrinseco agente naturali: quia præsupponitur alterationi eius, & quia, iuxta hanc opinionem, quam prosequimur, quantitas naturaliter solum fit per concreationem cum materia, & similiter conseruantur: fit ergo prædicta vnio per actionem Dei, quæ supposito mysterio, dici potest naturalis: quia debetur materiæ sic creatæ sub illa quantitate: sicut debetur illi cõcreatio quãtitatis, si non supponeretur quãtitas existẽs. Altera actio, quæ hic interuenit, est eductio formæ substantialis rei genitæ, verbi gratia, vermis, aut vnio animæ rationalis in nutritione hominis, & hæc naturali virtute fit ab agente naturali, quod est facillimum, suppositis quæ diximus, nam facta vnione quantitatis ad illã materiam, manet etiã dispositа per qualitates, quæ in illa inhærebant, & media quantitate, illi coniuncta manẽt, & ab eodem agente introductæ fuerãt, & ideo nullum est impedimentum, quominus idẽ agens suam formam introducat. Atque idem facile defendi potest, iuxta opinionem asserentem, fieri resolutionem vsque ad materiam primam, iuxta quam consequenter dicendum est, in omni naturali corruptione & generatione manere materiã primam spoliatam quãtitate & qualitatibus omnibus quæ immediate ante illud instãs in illa præcesserũt & nihilominus dicitur manere dispositа, vt agens hanc formam in illa introducat, vel positiuè per habitudinem, nescio quam, ad totam alterationẽ præcedentem, & dispositiones, quæ immediatè antecesserunt; vel negatiuè, quia per hoc, quod manet non repugnans, neque indispositа, agens potens est ad agendum in illa, quãtum potest, in vno instanti, & consequenter ad introducẽdam formã substantialem cum vltima dispositione eius. Ad eundem autem modum loquendum est in hoc mysterio iuxta hanc sententiam, vel quod Deus introducit materiam, vbi præfuit quantitas cum eadem figillatione & habitudine, ac si illa quantitas toto tempore antecedente inhæsisset materiæ, vel certe creari tunc materiam nudam & non repugnãtem, in quam proinde operatur agens tota virtute formam substantialem introducendo.

Scotus.

SECTIO IIII.

Vtrùm species sacramentales possint misceri, & tunc desinat ibi sanguis Christi.

HAEc quæstio proponitur propter difficilẽ doctrinã D. Thom. in ar. 8. & melius facilisque explicabitur in speciebus vinì: nam regulariter solum illæ possunt propriè miscer i, eò quod liquidæ sint. Dupliciter autem solent liquores misceri, primo imperfectè per diuisionem in minutissimas partes, earumque localem interpositionem, & nonnullam alterationem mutuam, quæ ad substantialem corruptionem non peruenit. Secundò fieri potest cum transmutatione substãtiali, vel vnius misc ibilium in alterum, quod prædominatur quæ potius est corruptio vnius, & generatio, vel aggeneratio, seu accretio alterius: quam mistio; vel cum transmutatione vtriusque in vnum tertium, si debita proportione misceantur; & hanc vocauit propriam mistionem Aristot. 1. de gener. tex. 88. & libr. 2. text. 48.

Aristot.

Secundo suppono, inter liquores eiusdem speciei solùm posse fieri imperfectam mistionẽ, quia vnus nõ potest corrumpere alium substantialiter, nec per diuisionem in minimas particulas, nec per nimiam alterationẽ. Prior pars probatur, vel quia in his rebus homogeneis non datur nimiũ, vel certè: quia, licèt detur minimum existens, non autem inexistens; in præsente autem, quamuis diuisio fiat in minutissimas partes, illæ non manent per se separatæ, sed statim vniuntur aliis partibus eiusdẽ speciei, cum quibus miscẽtur, vt patet, cùm vna aqua alteri infunditur: nam quomodocunq; partes se se diuidant, & interponant, nulla fit corruptio: nã eadem facilitate, qua diuiduntur, vniũtur. Posterior autem pars de alteratione patet, quia nulla res corrumpit alteram suæ speciei: vt in alia specie aliam producat, cùm omne agens tendat ad producendũ sibi simile: neque etiam corrumpit illam, vt in eadẽ specie producat aliud individuum: quia agens non intendit individualem similitudinem, quam consequi non potest, sed specificam, quę iam præsupponebatur. Dices, hoc solùm procedere, quando res sunt similes in substãtia & accidẽtibus, vt sunt duo vina alba; nõ verò, quando licèt sint similia in substãtia, sunt dissimilia in accidẽtibus, vt sunt vinũ album & rubrũ: tũc enim videtur posse vnũ, aliud corrumpere, vt producat aliud sibi simile, non tãtum in substantia, sed etiã in accidentibus. Sed hoc nõ videtur rectè dici, nã, cũ tota dissimilitudo tũc sit in accidentibus, satis erit, quod possit vnũ accidentaliter aliud immutare, vt illud sibi reddat omnino simile: quę immutatio ad alterius substantialẽ corruptionem non erit sufficiens: quia, cũ substantiæ sint omnino similes & homogeneæ, accidentia vnius sufficiunt ad conseruandam formam substãtialem alterius, & ẽ cõuerso: de quo latiùs in philosophia, ex cuius principijs adiũctis Theologicis sutprà positis præsens quæstio definienda est.

Species vini consecratæ possunt misceri vino eiusdem

Omissis ergo opinionibus, dico primò. Species vini consecrati possunt misceri cum alio liquore eiusdem vel alterius speciei tantum imperfectè, & tunc nõ desinit sub eis esse sanguis Christi. Proba-

Universidad de Deusto Biblioteca

Species, & tūc nō desinit sanguis esse sub eis.

tur prima pars experientia, & ratione, quia hæ ſpecies ſunt facile diuiſibiles, & penetrabiles, & quia ex eis fieri poteſt, quicquid ex vino fiebat: quia ita ſe gerit quantitas affecta illis accidentibus, ac ſi eſſet ſubſtantia, & ideo nihil obſtat, quod ſecundum Ariſtotelem accidens non poſsit miſceri ſubſtātiæ quia tunc non miſcetur quantitas per modum accidentis, ſed per modum ſubſtātiæ, tanquā per ſe exiſtens; & hinc patet ſecunda pars, quia ſemper hæc miſtio in principio pro aliquo tempore eſt imperfecta, quādo alteratio nō potuit vſq; ad corruptionē ſubſtantialē perducere. Et inde etiā cōcluditur pars vltima, nā quandiu alteratio non eſt tāta, quæ ad corruptionem vini ſufficiat, manet ibi ſanguis Chriſti, vt ſupra probatum eſt: ſed, quādiu miſtio eſt imperfecta, alteratio eſt huiuſmodi: ergo manet ibi ſanguis Chriſti. Dices, ergo miſcetur ſanguis Chriſti alteri liquori. Reſpondetur, propriè loquēdo non miſceri, vt hic dicit D. Thom. art. 8. ad 2. quia miſtio non tātum dicit mutationem localem ſed etiam diuiſionem, interpoſitionem, & alterationem partium, quæ non fiūt in corpore Chriſti: vnde, ſi alicubi reperiatur illa locutio, eſt metaphorica, & per extrinſecam quandam denominationem ſicut dicitur frangi corpus Chriſti, iuxta ſupra dicta diſputatione 48. ſect. .

Obiectio. *Solutio.*

Si ſpecies vini cōſecratæ perfectè miſceantur cum liquore ſpecie diſtincto, non manet ibi ſanguis Chriſti. D. Thom. Durand. Palud. Richard. Capreol. *Dubium.* *Solutio.*

Dico ſecundò. Species conſecratæ perfectè miſceri poſſunt cum liquore ſpecie diſtincto, & tunc non manet ſub eis ſanguis Chriſti. Ita D. Tho. dicto ar. 8. & in 4. d. 12. vbi Duran. q. 3. Palud. q. 5. Richar. ar. 4. q. 1. Capr. d. 13. q. 1. ad argumenta cōtra ſecundam concluſionem, & prior pars conſtat ex dictis, quia facta miſtione imperfecta cum liquore ſpecie diſtincto poteſt tanta alteratio fieri in ſpeciebus conſecratis, quanta ſufficeret ad vinum corrumpendum, & ad aliam rem generandam, iuxta dicta ſectione præcedente: ergo tunc fiet generatio ſeu miſtio perfecta. Et inde etiam concluditur vltima pars, quia iam tunc non manſiſſet ibi ſubſtantia vini: ergo nec manet ſanguis Chriſti. Rogabis, quid fiet, ſi in huiuſmodi miſtione cum liquore ſpecie diſtincto (verbi gratia, cum aqua) virtus actiua ſpecierum ſacramentalium prædominetur, & aquam corrumpat? Dicunt aliqui totam illā manere conſecratam, & conuerſam in ſpecies vini: quia, ſi in principio ante conſecrationem facta fuiſſet illa alteratio, poſtea per verba tota illa materia conſecraretur: ergo idē poſteà fiet virtute prioris conſecrationis, ſicut ſi pars aquæ nō benedictæ cum alia benedicta miſceatur, tota manet benedicta c. Quod in dubijs. de Conſecr. Eccl. vel altaris. Nihilominus dicendum eſt, tunc quidē ex illa particula extranea, quæ miſcetur, generari vinum, iuxta dicta in prima ſectione huius diſputationis: ſub illius tamen accidētibus non eſſe ſanguinem Chriſti: quia præcedentia verba conſecrationis tantum potuerunt conſecrare materiam ſibi pręſentem: hæc autem materia, nec tunc erat præſens, imo neque erat materia, quia non erat vinū: ſpecies autem conſecratæ non poſſunt poſteà alias ſpecies conſecrare: quia nō eſt eis data hæc vis, ſed tantū verbis conſecrationis. Neq; eſt ſimile de aqua benedicta: quia eius conſecratio ſolū eſt per quandā extrinſecam denominationem ab Eccleſia inſtitutam, quæ voluit, eam extendi, & ad partes poſtea admiſtas, ſeu voluit eam fieri ſolū per contactum ſeu admiſtiorē cum alia aqua benedicta: hæc autem conſecratio fit per realē tranſmutationē, & ſupernaturalē actionem, ad quam efficiendam ſolis verbis virtus & efficacia data eſt.

Sub ſpeciebus cōſecratis miſti vino non conſecrato manet ſanguis Christi. Scotus. Bonau. Alenſ. Innoc. Soto. Ledeſ. Victor.

Dico tertiò, Quando ſpecies conſecratæ miſcentur vino non conſecrato, ſub eis ſemper manet ſanguis Chriſti. Eſt communis ſententia, quam tenēt Duran. Richar. & Palud paulò antea citati, Scot. d. 12. q. 4. Bonau. art. 2. q. 1. & ſignificat Alenſ. 4. p. 40. mēb. 2. art. 3. & Innoc. libr. 4. de hoc myſter. c. 31. & idem in re ſentiunt recentiores Thomiſtæ, Soto, Ledeſ. hic, & victor. in ſum. n. 64. & colligitur ex c. Cū Marthæ. de Celeb. Miſſ. vbi in. §. Quęſiuiſti, dicitur, Si poſt calicis conſecrationem aliud vinum mittatur in calicem, non tranſire in ſanguinem, ſed commiſtum manere cum ſpeciebus conſecratis. Supponit verò hæc concluſio, omnia vina eſſe eiuſdē ſpeciei, & ea, quæ ſunt eiuſdē ſpeciei non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tātū tranſmutari & conſequenter tantum poſſe interſe imperfectè miſceri: vnde concluditur ratio, nā ſpecies cōſecratæ, tantū imperfectè miſcentur vino nō cōſecrato: quia nō magis alterantur, quā ſi ibi eſſet ſubſtātia vini: ſed, quandiu miſtio eſt imperfecta, ibi manet ſanguis Chriſti, vt dictū eſt in prima concluſione, quia ibi etiā maneret ſubſtantia vini: ergo quandocunq; fit miſtio inter ſpecies cōſecratas & aliud vinū, non amittitur conſecratio, etiā ſi minima quantitas maiori miſceatur, & longo tēpore duret. Sed obſtat autoritas D. Thom. qui contrariū docere videtur hic, & in 4. d. 12. art. 2. quæſtiunc. prima, & quodlib. 10. artic. 3. Exponi tamen poteſt, primò, quòd tantum loquatur vinis diſtinctæ qualitatis, inter quæ eſt alteratio. Sed re vera D. Thom. abſolutè loquitur, & non fundatur in ratione alterationis, ſed ſolum, quia per diuiſionem fit diſtinctū indiuiduū, & ideo dicit deſinere ibi eſſe Chriſtum. Quæ ratio æquè procedit in vinis eiuſdem qualitatis, imo etiam procedit in diuiſione hoſtiæ, vel calicis: quia etiam tunc fiunt duo indiuidua, & ita nō manebit primum, quod conſecratum erat: ergo nō manebit Chriſtus ſub partibus diuiſis, quod eſt cōtra fidem: ſicut ergo hic dicuntur fieri plura indiuidua quoad terminos quantitatis, non tamē quoad ſubſtantiam, quę eadem manet ſub eis diuiſis, quæ erat ſub coniunctis; & ideo ſub vtriuſque manet Chriſtus, ita dicendum eſt de miſtione ſpecierum. Adde etiam, in vinis diſtinctæ qualitatis non eſſe veram illam ſententiam: quia, vt dixit, nō fit inter ea alteratio, vſq; ad corruptionem ſubſtantialem. Aliter ergo Victoria & Soto dicunt, ſententiam D. Thom. intelligi, quando ſpecies conſecratæ per miſtionem diuiduntur in partes minores minimis. Sed hoc etiam reiectū eſt, quia illæ partes minores non manerent per ſe ſeparatæ, ſed vnitæ alteri vino, cum quo miſcentur: ergo ſub eis conſeruaretur vinum: ergo & ſanguis Chriſti. Reſpondent alij, poſſe vinum, cui miſcentur ſpecies, eſſe adeò craſſum, vt non poſsint ſpecies diuiſæ ſtatim illi continuari; & in hoc caſu loqui D. Thomam. Sed hoc eſt planè voluntarium, & præterea rectè Soto notauit in eo caſu, ſi non poteſt fieri cōtinuatio, multò minùs poſſe fieri tātam diuiſionem ſpecierum, quæ ad corruptionem ſufficiat, pręſertim quia hæc omnia ſupponunt opinionem valde incertam, quòd vinum terminetur ad minimum. Quocirca nullam expoſitionem, quæ mihi ſatisfacit, inuenio, nec ratio eius quicquam cōuincit, vt probatum eſt, ratio autem

autē concluſionis videtur conuincens, & ideo hæc opinio magis probatur.

Sed quæres: quid fiet de illo vino nōn conſecrato: finge enim in magno dolio vini non conſerati apponi paucam quantitatem ſpecierum cōſecratarum. Aliqui affirmant, illud exiſtimandum & habendum, vt vinum commune. Ita ſentiunt Palud. Soto. Sed mihi certe non probatur, quia eſt contra reuerentiam debitam ſpeciebus cōſecratis: & ideo exiſtimo, ſeparandum, & ad ſacros vſus reſeruandū quia, vt Richardus dixit, totum manet quodāmodo benedictum, ratione contactus, & licet nō fiat contactus in omnibus, & ſingulis partibus: tamen propter periculum & dubium prædicta diligētia adhibenda eſt.

QVAEST. LXXVIII.

De forma ſacramenti Euchariſtię in ſex articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de forma huius ſacramenti.

¶ *Et circa hoc quæruntur ſex.*

Primò, quæ ſit forma huius ſacramenti.
Secundò, vtrū ſit conueniens forma conſecrationis panis.
Tertiò, vtrum ſit conueniens forma conſecrationis ſanguinis.
Quarto, de virtute vtriuſque formæ.
Quintò, de veritate locutionis.
Sextò, de cōparatione vnius formæ ad aliā.

ARTICVLVS I.

Vtrum hæc ſit forma huius ſacramēti, hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei.

In 4. d. 8. q. 2. ar. 1. q. 2. & 3.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod hæc non ſit forma huius ſacramēti, hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei. Illa enim verba videntur pertinere ad formam huius ſacramenti, quibus Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem conſecrauit. Sed Chriſtus ante benedixit panem acceptum, & poſteà dixit: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum (vt habetur Matth. 26.) & ſimiliter fecit de calice. Ergo prædicta verba non ſunt forma huius ſacramenti.

Refertur de conſec. d. 2. c. ... corpus ... ptum.

¶ 2 Præterea, Euſebius Emiſſenus dicit, quod inuiſibilis ſacerdos, viſibilis creaturas in ſuum corpus conuertit, dicens: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Ergo totum hoc videtur pertinere ad formā huius ſacramenti. Et eadem ratio eſt de verbis pertinentibus ad ſanguinem.

¶ 3 Præterea, In forma baptiſmi exprimitur perſona miniſtri, & actus eius, cū dicitur: Ego te baptizo. Sed in pręmiſsis verbis nulla fit mentio de perſona miniſtri, nec de actu eius. Ergo non eſt cōueniens forma ſacramenti.

¶ 4 Præterea, Forma ſacramenti ſufficit ad perfectionem ſacramenti, vnde ſacramentum baptiſmi quandoq; perfici poteſt ſolis verbis formæ prolatis, omnibus alijs pręter miſsis. Si ergo prædicta verba, ſunt forma huius ſacramenti, videtur, quòd aliquando poſsit hoc ſacramētum perfici his ſolis verbis prolatis, & omnibus alijs prætermiſsis, quæ in miſſa dicuntur. Quod tamē videtur eſſe falſum, quia vbi verba alia prætermitterentur, prædicta verba acciperentur ex perſona ſacerdotis proferentis, in cuius corpus & ſanguinem panis & vinum non conuertūtur. Nō ergo prædicta verba ſunt forma huius ſacramenti.

In arg. 1. poſta. *Ibidem.*

SED contra eſt quòd Ambr. dicit in lib. de ſacramentis: Cōſecratio fit verbis, & ſermonibus Domini Ieſu: nā per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi autem venitur, vt conficiatur venerabile ſacramentum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos vtitur, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum.

Li. 4. c. 4. paulò à prin. to. 4.

RESPONDEO dicendum, quòd hoc ſacramentum ab alijs ſacramentis differt in duobus, primo quidem, quantum ad hoc, quòd hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ: alia verò ſacramenta perficiuntur in vſu materiæ cōſecratæ. Secundo, quia in alijs ſacramentis conſecratio materiæ cōſiſtit ſolum in quadam benedictione, ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quandā ſpiritualem virtutē, quæ per miniſtrum, qui eſt inſtrumentum animatū, poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere. Sed in hoc ſacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa conuerſione ſubſtantiæ, quæ à ſolo Deo perfici poteſt. Vnde miniſter in hoc ſacramento perficiēdo non habet alium actum, niſi prolationem verborū. Et quia forma debet eſſe conueniēs rei, ideò forma huius ſacramenti differt à formis aliorum ſacramentorum in duobus, primo quidem, quia formæ aliorū ſacramētorum importāt vſum materiæ, putà baptizationem, vel conſignationem: ſed forma huius ſacramenti importat ſolam cōſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtātiatione conſiſtit: putà, cū dicitur, hoc eſt corpus meū, vel, hic eſt calix ſanguinis mei. Se-

cundo, quia formæ aliorum ſacramentorũ proferũtur ex perſona miniſtri, ſiue per modum exercentis actũ: ſicut cum dicitur. Ego te baptizo, vel Ego te cõfirmo: ſiue per modũ imperantis, ſicut in ſacramento Ordinis dicitur: Accipe poteſtatem, &c. ſiue per modum deprecantis; ſicut cum in ſacramento Extremæ vnctionis dicitur: Per iſtã vnctionem, & noſtram intercesſionem, &c. Sed forma huius ſacramenti profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquentis, vt detur intelligi, quod miniſter in perfectione huius ſacramenti nihil agit, niſi quod profert verba Chriſti.

AD primum ergo dicendum, quod circa hoc eſt multiplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod Chriſtus, qui habebat poteſtatem excellentiæ in ſacramentis, abſque omni forma verborum hoc ſaramentum perfecit, & poſteà verba protulit, ſub quibus alij poſtmodum conſecrarent. Quod videntur ſonare verba Innocent. III. dicentis. Sanè dici poteſt, quod Chriſtus virtute diuina cõfecit, & poſteà formã expreſsit, ſub qua poſteri benedicerent. Sed contra hoc expreſſe ſunt verba Euangelij, in quibus dicitur, ꝙ Chriſtus benedixit, quæ quidẽ benedictio aliquibus verbis facta eſt. Vnde prædicta verba Innocen. ſunt opinatiuè magis dicta, quàm determinatiue. Quidam autem dixerũt, quòd benedictio illa facta eſt quibuſdã alijs verbis, nobis ignotis. Sed nec hoc ſtare poteſt, quia benedictio conſecrationis nũc perficitur per recitationem eorum, quæ tũc acta ſunt. Vnde, ſi tunc per hęc verba nõ eſt facta conſecratio nec modo fieret. Et ideo alij dixerunt, ꝙ illa benedictio eiſdem etiã verbis facta eſt, quib⁹ modo fit, ſed Chriſtus ea bis protulit. Primo quidem ſecretè ad cõſecrandum, ſecundo manifeſtè ad inſtruendum. Sed nec hoc ſtare poteſt, quia ſacerdos cõſecrat, proferẽs hæc verba, non vt à Chriſto in occulta benedictione dicta, ſed vt publice prolata. Vnde, cum non habeant vim huiuſmodi verba, niſi ex Chriſti prolatione videtur, quo etiã Chriſtus manifeſte ea proferens conſecrauerit. Et ideo alij dixerunt, quod Euangeliſtæ non ſemper eundẽ ordinem in recitando ſeruauerunt, quo res ſunt geſtæ, vt patet per Auguſt. in lib. de cõſenſu Euangeliſtarum. Vnde intelligẽdum eſt, ordinem rei geſtæ ſic exprimi poſſe: Accipiens panem benedixit, dicens, hoc eſt corpus meum, & deinde fregit, & dedit diſcipulis ſuis. Sed idem ſenſus haberi poteſt etiam verbis Euangelij non mutatis, nam hoc participium, dicens, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea, quæ

Id habet in li. 4. de ſacro altaris myſterio c. 6. circa fin.

Lib. 2. colligitur ex c. 30. & 31. & 44. tomo. 4.

præcedunt. Non autem oportet, quod hæc concomitantia intelligatur ſolum reſpectu vltimi verbi prolati, quaſi Chriſtus tunc iſta verba protulerit, quando dedit diſcipulis ſuis. Sed poteſt intelligi concomitantia reſpectu totius precedentis, vt ſit ſenſus, dũ benediceret, frãgeret, & daret diſcipulis ſuis hæc verba dixit: Accipite, &c.

AD ſecundum dicẽdum, quod in his verbis: Accipite & comedite, intelligitur vſus materię conſecratæ: qui non eſt de neceſsitate huius ſacramẽti (vt ſuprà habitum eſt) & ideo nec hæc verba ſunt de ſubſtantia formæ. Quia tamen ad quãdam perfectionem ſacramenti pertinet materiæ conſecratæ vſus (ſicut operatio non eſt prima, ſed ſecunda perfectio rei) ideo per omnia iſta verba exprimitur tota perfectio huius ſacramenti. Et hoc modo Euſebius intellexit, his verbis confici ſacramẽtum, quantum ad primã, & ſecundam perfectionem ipſius.

q. 74. art.

Loco citato arg.

AD tertiũ dicẽdum, ꝙ in ſacramento baptiſmi miniſter aliquem actum exercet circa vſum materię, qui eſt de eſſentia ſacramẽti, quod non eſt in hoc ſacramento. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

AD quartum dicendum, quoc quidam dixerunt, hoc ſacramentum perfini non poſſe prædictis verbis prolatis, & alijs prætermiſsis, præcipue quæ ſunt in canone miſſæ. Sed hoc patet eſſe falſum, tũ ex verbis Ambroſ. ſupra inductis, tum etiam, quia Canon miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundum omnia tempora, ſed diuerſa ſunt à diuerſis appoſita. Vnde dicendum eſt, quod ſi ſacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficeindi hoc ſacramentum, perficeretur hoc ſacramentum, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiam ſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Grauiter tamen peccaret ſacerdos ſic conficiens hoc ſacramentum, vtpote ritum Eccleſiæ non ſecuans. Nec eſt ſimile de baptiſmo, quod eſt ſacramentum neceſsitas, defectum autem huius ſacramẽti poteſt ſupplere ſpiritualis manducatio, ſicut Auguſtinus dicit.

In arg. Sed contra.

COMMENTARIVS.

DIſputaturus D. Thom. de forma Euchariſtię ex generica conuenientia ſacramentorum ſupponit, hoc ſacramentum habere formã, ex differentia vero inter hoc ſacramentum & reliqua propriam eius formæ rationem colligit. Dicit ergo primo, formam huius ſacramẽti debuiſſe materiæ conſecrationem ſignificare. Probatur, quia forma ordinatur ad cõpl[e]ndum & conſtituendum ſacra-

Concluſio D. Thom. forma Euchariſtiæ materiam conſe[crat].

ſacramentum: ſed hoc ſacramentum perficitur in cõſecratione materiæ: ergo debuit forma hanc cõſecrationẽ ſignificare. Vnaquæq; enim forma debet ſignificare, quod facit, in quo differt hæc forma à formis reliquorum ſacramentorum: nam alia in vſu conſiſtunt; vnde illorum formæ non conſecrationem materiæ ſignificant, ſed illius vſum. Dices, interdum non ſignificant vſum, nec conſecrationem materię, ſed effectum aliquem, qui fit in ſuſcipiente, vt in Pœnitentia, *Ego te abſoluo*, in Ordine, *Accipe poteſtatem, &c.* in Matrimonio, *Accipio te in meum*, vel, *in meam*: in alijs enim tribus apertũ eſt, formam ſignificare vſum materiæ. Reſpondetur, hoc ipſum in prædictis etiam materijs quodammodo reperiri: nam, cum in Pœnitentia materia remota ſint peccata, proxima verò cõfeſsio peccatorũ, quæ eſt veluti quædam iudicialis confeſsio, proprius illius vſus eſſe videtur, vt iuxta ipſius qualitatem & merita, condemnetur reus, vel abſoluatur; & hoc illa forma ſignificat. Et in ſacramento Ordinis interior poteſtas datur per aliquod ſignũ, ſeu inſtrumentum poteſtatis exteriùs exhibitum; & hoc totum ſignificant verba formæ: vnde vſum materiæ ſignificant, quæ in illo ſacramento eſt traditio, ſeu contactus talis inſtrumenti. Denique in matrimonio, cùm materia ſit mutua traditio corporum, & forma ſignificet acceptionem illius traditionis, ſignificat vſum materiæ, qualis in talem materiam cadere poteſt.

Addit deinde D. Thom. in alijs ſacramentis formã proferri in perſona miniſtri exercẽtis aliquem actum; in hoc verò formã proferri in perſona Chriſti, vt ſignificetur, in hoc ſacramento miniſtrum nihil agere, niſi verba Chriſti proferre. Quæ differẽtia explicatu difficilis eſt; primò, quia in alijs etiã ſacramentis miniſter profert formam in perſona Chriſti; vt enim inquit Auguſt. ſuper Ioann. *Cùm Petrus baptizat, Chriſtus eſt qui baptizat*; & ſimiliter quando Sacerdos abſoluit, in perſona Chriſti abſoluit. Secunda ratio difficultatis eſt, nam, ſicut in alijs ſacramentis miniſter profert verba à Chriſto inſtituta, & prolata, & per illa efficit effectum verborum, ita in hoc ſacramento: ergo nulla eſt differentia; nam, quòd in alijs ſacramentis miniſter non ſolùm proferat formam, ſed etiam applicat materiam, & impertinens eſt ad hanc differentiã, & non vniuerſale, cùm hoc in Pœnitentia non ſeruetur. Reſpondetur ad priorem partem, dupliciter poſſe aliquem loqui in perſona alterius, primò, vt miniſtrum eius ad operandum poteſtate ab ipſo data, ita vt ratione huius poteſtatis verba de ipſa perſona miniſtri veritatem habeant; & hoc modo loquitur miniſter aliorum ſacramentorum in perſona Chriſti, non excludendo propriam, vt cùm dicit, *Ego te baptizo; Ego te abſoluo*. Secundò loquitur aliquis in perſona alterius, præciſè, vt repræſentans illum, ita vt tota veritas verborum, non ad perſonam miniſtri, ſed eius, in cuius perſona loquitur, referẽda ſit: ſic enim aiebat Angelus in perſo Dei, *Ego ſum Deus*; & hoc modo loquitur miniſter huius ſacramenti in perſona Chriſti, cùm dicit, *Hoc eſt corpus meum*. Quæ doctrina ſupponit, miniſtrum, nõ tantùm materialiter, ſed formaliter etiam proferre illa verba, quod infrà diſputandum eſt. Hinc ad alterã partem difficultatis reſpondetur; verum eſt enim, in modo inſtrumentaliter operandi non eſſe differentiam inter miniſtrum huius ſacramẽti, & alio-

Formam Euchariſtiæ proferri à ſacerdote in perſona Chriſti, nõ ſicut in alijs ſacramentis, ex opinione S. Thom.

Obiectio.

Solutio.

rum, vt probat obiectio. Differentia ergo intenta à Diuo Thoma eſt, vel quòd in hoc ſacramẽto miniſter ita profert verba, quæ Chriſtus protulit, vt illud ipſum tantùm ſignificet, quod Chriſtus ſignificauit; in alijs verò profert verba, tanquã propria, ſignificans actionem propriam, quam ipſe exercet. Quæ differentia ſupponit aliam, nam hic interuenit ſpecialis actio circa materiam, quæ, licèt ſit à miniſtro, vt inſtrumẽnto, principaliter tamen eſt à Deo, iuxta doctrinam D. Thom. infrà art. 4. ad 1. in alijs verò ſacramentis, ſi quæ eſt actio miniſtri circa materiam, ab illo eſt, vt à principali agente, quia ſolùm eſt actio quædam exterior, & quia verba miniſtri ſignificant hanc actionẽ, ideò non tantùm loquitur miniſter, vt proferens verba Chriſti, ſed etiam in propria perſona, vt ſignificãs actionem propriam.

Ex hac tota doctrina concluſio à Diuo Thoma intenta, eſſe vident, formam huius ſacramenti, ita debuiſſet ſignificare conſecrationem materiæ, vt in perſona Chriſti proferatur, & verificetur; vtrũque autem fit illis verbis, *Hoc eſt corpus meum, &c.* & ideò eſt hæc conuenientiſsima forma.

DISPVTAT. LVIII.

De forma ſacramẽti Euchariſtiæ in communi.

IN hoc ſacramento, ſicut eſt duplex materia, ita & eſt duplex forma partialis; & ideò ſicut diſputantes de materia, priùs quæ cõmunia ſunt vtrique parti, poſteà vnicuique propria, tractauimus; ita nunc agentes de forma, eandem methodum obſeruabimus. Dicemus ergo primò de hac forma in communi, deinde de forma panis, poſteà de forma calicis.

Diſput. 20. de Euchariſtia.

SECTIO I.

Quibus verbis Chriſtus Dominus conſecrauerit.

QVoniã veritas huius formæ ex facto Chriſti Domini potiſsimùm ſumenda eſt, ideò à quæſtione hac diſputationem iſtam exordimus: quam attigit D. Thom. hic, in ſolutione ad primũ, vbi tres de illas ſententias refert. Prima negat, Chriſtum conſecraſſe aliquibus verbis, ſed ſola voluntate, & tactu, vel alio ſigno externo, prout voluit, vtens ſua excellentiæ poteſtate. Ita Innocent. lib. 4. de hoc myſterio, cap. 6. Idem Innocent. & Archidiaconus in cap. Qui ſceleratè. de Conſec. d. 2. Guilliel. Durand. in rationali lib. 4. c. 44. nu. 15. citantur etiam Gotfred. Mayronius, & alij. Eraſm. annot. in c. 14. Marci, & 1. ad Corinth. 11. Catherin. opuſcul. de hac re in Concil. Trident. edito. Quam ſententiam cenſent probabilem Gabr. lect. 36. & 48. in Can. Armach. lib. 9. de quæſt. Armen. c. 5. Petrus Aliain. 4. quæſt. 5. qui falſó illã tribuit Scoto. Fundamentum huius ſentẽtiæ fuiſſe videtur, quia, quando Chriſtus protulit illa verba, iam conſecrauerat, vt patet ex contextu Euangeliſtarum. *Accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, dediſque* diſci-

1. Sententia.

Innocent.

Archid.

Durand.

Eraſm.

Cather.

Gabr.

Armach.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

discipulis suis, dicens, Accipite, & manducate, hoc est corpus meum: ergo priùs benedixit, quàm consecrauerit; sed illa benedictio ex communi sententia fuit consecratio: ergo. Quod argumentum maximè vrget in contextu Marci, vbi priùs dicitur, Apostolos bibisse sanguinem, quàm Christus dixerit illa verba, *Hic est sanguis meus*. Et confirmari solet, quia hæc verba, *Hoc est corpus meum*, vt vera sint, supponunt consecrationem factam; tum, quia Christus præmisit, *Accipite & comedite*, quæ verba supponūt iam habuisse in manibus cibum, quem ad comedēdum dabat, tum, quia si iam non fuisset factum ex pane corpus, sed efficiendum esset per verba, non dixisset Christus, *hoc est*, sed, *hoc fit corpus meum*. Maximè cùm aliàs pronomen illud, *hoc*, nihil posset significare, de quo verè diceretur, esse corpus Christi. Quòd si dicas, idem argumentum fieri posse in consecratione, quæ nunc fit à Sacerdote. Respondet Innocentius, non esse eandem rationem; quia nunc profertur recitatiuè tantùm, & materialiter.

2. Sententia.

Secunda opinio conuenit cum præcedēte, dum negat, Christum prædictis verbis consecrasse, differt tamen, quia affirmat consecrasse alijs. Fundamentum esse potest, quia prima opinio non probauit, Christum sine vllis verbis consecrasse, sed tantùm non consecrasse illis, *Hoc est, &c.* Aliunde verò, vt argumentatur D. Thom. verbum illud, *benedixit*, ex propria significatione requirit, vt benedictio aliquibus verbis fiat; fuit autem illa benedictio consecratio, vt dictum est. Confirmatur ex Iustino Apol. 2. in fine, vbi priùs dicit, consecrationē fieri per verbum precationis, & gratiarū actionis, posteà verò subdit, Christum Dominum, sumpto pane, actisque gratijs, dixisse, *Hoc est corpus meum*: sentit ergo priùs alijs verbis consecrasse.

Iustinus.

3. Sententia.

Tertia sententia est, Christum consecrasse illis verbis, *Hoc est corpus meum*, ita tamen, vt bis ea protulerit, semel secretò, antequam panē acciperet, daretque discipulis suis, iterum publicè, vt Euangelista refert. Vnde fit iuxta hanc sententiam, nō consecrasse Christum illis verbis, prout ab ipso prolata sunt. Et in hoc conuenit hæc sententia cum præcedentibus, propter primum fundamentum primæ sententiæ, differt tamen à prima, & conuenit cum secunda, dum dicit, Christum aliquibus verbis consecrasse, propter ipsius secundæ sententiæ fundamentum; sed differt ab hac secunda, quia affirmat, Christum non alijs verbis, sed eisdem consecrasse. Et quidem, quod ad hoc attinet, fundamentum huius sententiæ esse potest, vel quia nulla alia verba possunt esse commodiora, vel quia alia sine vllo, aut Scripturæ, aut rationis fundamento, fingerentur: vel denique, quia oportuit, vt ea forma Christus vteretur, quam erat Ecclesiæ traditurus. Vnde, quando dixit Apostolis, *Hoc est corpus meum*, ac posteà, *Hoc facite in meam commemorationem* illis manifestauit, & quod ipse fecerat, & quod illos facturos statuerat.

Christus consecrauit semel proferendo verba, Hoc est corpus meum.
D. Thom.
Magister.

Dicendum est tamen, Christū consecrasse prædictis verbis semel prolatis, prout ab Euangelistis referuntur. Hæc ita certa est, meo iudicio, vt contraria non possit absque temeritate defendi; est cōmunis Theologorum cum D. Thom. hic, & Magistro dist. 8. quos latiùs referam sectione sequente. Eandem docent omnes expositores Euangeliorū, quique hoc tempore contra Lutheranos scribunt. Probatur primò authoritate Ecclesiæ, quæ in Canone Missæ, in verbis illis, *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum*, planè significat, Christum illis verbis prædicto modo prolatis consecrasse: simul enim Sacerdos, factum Christi & refert, ac repræsentat, & imitatur: Concilium item Florent. dicit, formam huius sacramēti esse verba, *quibus Christus confecit*, vel (vt alia exemplaria habent) *quibus Saluator confecit hoc sacramentum*, & in cap. Cū Marthæ. de celebr. Miss. dicitur, *Christus formam huius sacramēti expressisse, cùm panem & vinum in suum corpus, & sanguinem transsubstantiauit.* Denique Trident. sess. 13. cap. 1. *Christus* (inquit) *in cœna hoc sacramentum instituit, cùm post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem; disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Si ergo tunc instituit, tunc etiam consecrauit: quia non aliter instituit, quàm efficiendo consecrationem ritu, & verbis, quibus nos posteà vti voluit, vt illis verbis declarauit, *Hoc facite in meam cōmemorationem*, quod statim indicauit idem Concil. cap. 3. & 4. sentiens, illorum verborum prolationem fuisse panis & vini consecrationem.

Concil. Flo.
Trident.

Secundò principaliter probatur antiquorum Patrum traditione. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 4. *Acceptum panem corpus suum illud fecit*, Hoc est corpus meum, *dicendo*, & libro de Oratione, cap. 6. *Corpus eius in pane censetur*, Hoc est corpus meum. Cyprianus serm. de Cœna Domini. *Ante verba illa, cibus communis erat, sed ex quo à Domino dictum est, Hoc est corpus meum, &c.* Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 4. & 5. & libro de his, qui initiātur, cap. 9. Eusebius Emissenus homil. 5. de Paschate, & habetur in cap. Quia corpus, de consecratione, distinctione 2. Augustinus apud Bedam. 1. ad Corinth. 10. & in cap. Vtrùm sub figura de consecratione, distinctione 2. Autor homil. de corpore & sanguine Christi, quæ habetur inter opera Hieronym, tom. 9. *Christus* (inquit) *verbo suo panem sua potestate conuertit, dicens, Accipite, &c.* Omnium apertissimè, & elegantissimè Chrysostomus homilia 1. de prodit. Iudæ. & homilia 2. in Epistola 2. ad Timotheum, & homilia 83. in Matthæum, & homilia 60. ad Pop. quibus locis inter alia dicit, Sacerdotes nunc eisdem verbis conficere, quibus Christus, proferendo illa in persona illius, factoque suo factum illius repræsentādo: quare, vt imago respondeat prototypo, necesse est dicere, Christum ita consecrasse, sicut nunc repræsentatur, & in Canone Missæ refertur.

Tertul.
Cyprian.
Ambros.
Emissen.
Chrysost.

Tertiò probatur, nam omnes aliæ opiniones loquuntur sine fundamento Scripturæ, traditionis, aut Ecclesiæ: nam ex Euangelio non potest colligi alius modus cōsecrationis, quàm per illa verba, &, qui alium modum fingit, omnino diuinat. Nec minùs voluntariè, & sine fundamento dicitur, Christum dixisse bis illa verba, præsertim cūm non fuerit necessarium, nam semel dicta, erant satis efficacia, & ad nostram instructionem sufficientia, vt ex sequentibus sectionibus euidentiùs constabit, in quibus satisfiet etiam fundamētis aliarum opinionum. Quartò accedit congruentia, quia decuit, vt verba illa ex Christi facto solennem ritum huius sacramenti continente vim transsubstantiandi acciperent, Item, oportuit, vt verba priùs ab ipso Christi prolata haberent efficaciam, quam posteà habi-

tura

tura erant, cùm in eius persona dicerentur. Denique, docuit, vt sacramentum hoc, quod omnium diuinissimum est, atque sanctissimum, primùm omnium ab ipso Christo proprio ac sacramentali ritu conficeretur; & hoc etiam sumi potest ex ratione sacrificij: decuit enim, vt Christus primus omniū illud incruenter offerret, ac conficeret eo modo, quo in Ecclesia, & conficiendū, & offerendū erat.

SECTIO II.

Vtrùm benedictio Christi, & gratiarum actio, fuerit ipsa consecratio.

QVoniam opinio diuersitas, quæ in præcedente sectione tractata est, ex ordine verborum, quibus Euangelistæ Christi factum referunt, & ex varia intelligētia benedictionis Christi, & gratiarū actionis, orta est, ideò, quò cuncta enucleatiùs intelligantur, res hæc diligenter explicanda est.

1. Opinio.
D. Thom.
Durand.
Marsil.
Gabriel.
Bessarion.
Hugo Card.
Remigius.
Brunus.
Lyran.
Cyril.

Prima igitur opinio asserit, gratiarum actionem & consecrationem idem esse. Diuus Thomas hic ad primum. Durandus distinctione 8. quæst. 2. ad tertium. Marsil. quæst. 6. artic. 1. Gabr. lect. 36. in Canon. Bessaron titul. de verbis consecrationis. Et probatur primò hæc sententia ex Catechismo Pij Quinti, titul. de Eucharist. post medium, & ex sacræ Scripturæ expositoribus illam sequuntur Hugo Cardin. Marci 14. Remigius 1. ad Corinth. 10. Brunus, & Lyran. capit. 11. Ac primùm consecrationem appellari nomine benedictionis suaderi potest ex Paul. ibi. capit. 10. vbi calicis consecrationē, benedictionem appellat, dicens, *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Quare Cyrillus Epist. 10. ad Nestorium consecrationem vocat, *mysticam benedictionem*; & libro 4. in Ioann. capit. 17. & libro 10. capit. 13. ipsummet sacramentum, *benedictionem mysticam*, appellat; & libro 9. capitul. 17. & 19. eodem sensu dicit, Iudam benedictionem spreuisse, quam dæmon timuit. Sic etiam Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinth. *Cùm benedictionem*, inquit, *dico, Eucharistiam dico*: & Ambrosius libro de ijs, qui initiantur, cap. 9. *Hic est panis, quem benedictio consecrauit: maior est vis benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Et adiungi potest coniectura, quia in sacra Scriptura benedictio non solam deprecationem significat, sed etiam sanctificationem, vel effectionem, vel collationem alicuius boni, vt dicitur Deus benedixisse creaturas, quādo eis vim ad suam propagationem dedit; dicitur etiam benedixisse Abraham, quando illum ditauit, vel sanctificauit: ergo, si illa benedictio Christi ad panem referatur, rectè intelligitur facta per sanctificationem panis. Et confirmatur, nam Euangelistæ illius benedictionis meminerunt, non autem benedictionis, qua, vel agnus Paschalis, vel alij communes cibi benedici solebāt: ergo signum est, aunotasse illam benedictionem, vt singularem, atque adeò vt sacramentalem & consecratiuam; & non tantùm esse locutos de communi, & ceremoniali seu deprecatiua benedictione. Deinde, quòd hæc eadem benedictio seu consecratio, sit etiam gratiarum actio, colligi potest ex Iustino Mart. apol. 2. in fine, Irænæo libr. 4. cap. 57. qui dicunt, hoc sacramentum confici gratiarum actione. Vnde Cyprianus Epistola 63. dicit, *Christum accepto calice benedixisse* (cùm tamen Euangelistæ dicant, *gratias egisse*) significās vtrumque idem esse; & similiter Hieronymus 1. ad Corinth. 11. exponit. *Gratias egit*, id est, *benedixit*. Et potest hoc confirmari ex vsu Scripturæ sacræ; primò his locis Euangeliorum; quia Euangelistæ indifferenter loquuntur, & vtuntur verbo benedicendi, & gratias agendi: Marcus enim & Matthæus in consecratione corporis, vtuntur verbo, *Eylogeo*, in consecratione autem calicis verbo, *Eycharisteo*, Vnde Chrysostomus homilia 83. in Matth. verbum, *Eylogeo*, per gratiarum actionem explicat. Idē Euthymius capitul. 64. in Matth. Theoph. Matth. 26. Origenes tract. 35. in Matth. Præterea ex alijs etiam locis hoc idem colligitur. Matthæus enim capit. 15. dicit, Christum gratias egisse super septem panes & duos pisces. Et tamen Marcus cap. 8. circa panes vtitur verbo, *Eycharisteo*, circa pisces verò verbo *Eylogeo*, Paulus item 1. ad Corinth. 14. sic inquit. *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? quoniam, quid dicas, nescit: quoniam tu quidem bene gratias agis, sed alter non bene ædificatur.* Vbi apertè, quod in priori versu dictum erat, benedicere, in posteriori vocatur, gratias agere: vnde in priori est verbum *Eylogeo*, in posteriori, *Eycharisteo*, &, vbi vulgata habet, *super tuam benedictionem*, Græca habet, *super tuam Eucharistiam*: sunt ergo idem benedictio, & gratiarum actio, &, si benedictio est consecratio, etiam erit gratiarum actio. Confirmari potest, quia hæc consecratio, est quædam sacrificatio: sed hoc sacrificium est laudis, & gratiarum actionis: ergo rectè ipsa consecratio dici potest, quædam gratiarum actio.

Cypr.
Ambros.
Iustinus.
Irenæus.
Cyprianus.
Hierony.
Chrysost.
Euthym.
Theophyl.
Origenes.

Soluitur obiectio cōtra prædictam sententiam facta.

Quod si contra hanc sententiam obijciatur, quia Euangelistæ dicunt, Christum priùs benedixisse panē; posteà verò protulisse illa verba, *Hoc est corpus meum*; respondetur primùm, Euangelistas in ea narratione seruasse ordinem, non quo res factæ sunt, sed quo meliùs & commodiùs poterant explicari; nam, cùm in aliquo contextu multa verba cōiunguntur, ad rem breuiter & concisè explicandā, si aliquid addendum est vni verbo, quod alijs non conuenit, ne rumpatur filum orationis, non fit additio in medio, sed in fine: quia facile intelligi potest, cui verbo debeat accommodari, quod sæpe in Euangelijs fieri, docet Augustinus libro 2. de consensu Euangelistarum capit. 30. 31. & 44. Sic ergo in præsente, cùm coniungantur illa quatuor verba, *Accepit Iesus panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis*, in fine facta est illa additio, *Dicens*, *Hoc est corpus meum*: quæ cum verbo, *benedixit*, quod per anticipationem priùs positum fuerat, construenda est, vt sensus sit, *benedixit, dicens, Hoc est corpus meum.* Ex quo sensu potiùs colligitur, benedictionem illam fuisse consecrationem. Et potest hic sensus confirmari, quia apertum est, in illa narratione Euangelistarum aliqua per anticipationē dicta esse: est enim certum, priùs consecrasse, quàm sacramentū Apostolis porrexerit, cùm tamen priùs Euangelistæ dicant, porrexisse, posteà referant verba consecrationis. Deinde Marcus priùs dicit, Apostolos bibisse calicem, posteà verò refert verba consecrationis, cū tamen hæc præcessisse dubium non sit, tum ex alijs Euangelistis, tum ex re ipsa: quia saltem per instru-

August.

ctionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

actionem oportuit Apostolos priùs audire, quid illud esset, quàm sumerent.

2. Opinio. Secunda opinio est, benedictionem illam, & gratiarum actionem fuisse distincta à consecratione, non verò inter se. Ita Bonauent. distinctione 8. articulo 2. quæstione 3. ad primum. Soto distinctione 13. quæstione 1. artic. 2. ad primum. Armach. libro 9. de quæst. Armen. cap. 5. & inter expositores Euangel. Beda, Marc. 14. Gloss. ordin. Caietanus, & Titelm. Matth. 26. Iansen. capit. 131. Concordiæ. Cuius sententiæ posterior pars, scilicet, gratiarum actionem & benedictionē inter se non esse distinctas, satis sumitur ex præcedētis rationibus, atque testimonijs: quòd verò illæ à consecratione distinguantur, in sequentibus opinionibus meliùs confirmabitur.

Bonauent. Soto. Armach. Beda. Caietan. Titelm. Iansen.

3. Opinio. Tertia igitur opinio esse potest, benedictionē & consecrationem non esse distinctas, vt asserebat prima sententia cum suis fundamentis, sed gratiarum actionem à consecratione distingui. Indicat Alanus libro 1. de Euchar. cap. 23. concludit enim in fine, benedictionem nihil aliud fuisse, quàm consecrationem, cùm in principio dixisset, gratiarum actionem præparatorium quid fuisse ad operationi tanti mysterij, neque fuisse nudam laudem, sed simul, aut inuocationem aliquam, aut orationem, complexam esse. Explicatur ex alijs Christi factis: solebat enim, operaturus aliquid magnum, præmittere gratiarum actionē, vt Ioan. 6. Matth. 15. multiplicaturus panes, & Ioan. 11. Lazarum suscitaturus. Potest etiam hac sententia suaderi ex proprietate verbi, agendi gratias, & benedicendi, vel consecrandi: consecratio enim propriè refertur ad panem, vt per se constat, benedictio autem, licèt interdùm sit idem, quod gratiarum actio, tamen ex propria significatione latiùs patet; &, prout ab Euangelistis hæ voces vsurpantur, videtur ab illa esse diuersa. Quod ita declaro, nam benedicere, idē esse videtur, quod imprecari, vel impertiri aliquod bonum alicui. Vnde, relatum ad diuersas res vel personas, varia significat: nam, si Deus est, qui benedicit, significat efficacem benedictionem, qua bonum aliquod impertitur: si verò homo benedicit rei inferiori, significat deprecationem alicuius boni; & hic vsus est frequentissimus in Scriptura, vt patet Genes. 27. 47. & sæpè aliàs. Vnde, quia Christus simul Deus est & homo, cùm dicitur benedictionem impertiri rei inferiori, potest vtrumque sensum reddere, verbi gratia, Lucæ 9. & Marci 8. dicitur, benedixisse panibus, quod potest intelligi, vel precatione præuia, vel potestate, qua illos multiplicauit. Si verò homo est, qui benedicit, & benedictio ad Deum refertur, propriè significat laudem Dei, vel gratiarum actionem, vel quancunque grati animi significationem, vt patet, tum ex frequente vsu Scripturæ sacræ, Genes. 24. Exodi 13. Deutero. 8. *Vt, cùm comederis, & saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*: tum etiam, quia homo non potest aliaratione Deum benedicere, quàm, aut bona eius prædicando, aut beneficia eius recognoscendo, aut gloriam & honorem eius optando. Sic igitur benedictio ad Deum relata, idem esse potest cum gratiarum actione, relata tamen ad creaturā, præsertim irrationalem, non potest esse gratiarum actio, vt per se constat. Iam verò in præsenti mysterio benedictio illa Christi, non in Deum, sed in panem cecidit, vt patet, tum ex illis verbis, *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis*: quæ omnia ad panem referuntur: tum etiam ex Paulo 1. ad Corinth. 10. dicente, *Calix, cui benedicimus, &c.* ergo illa benedictio nō fuit gratiarum actio: ergo, si benedictio fuit consecratio, vt dictū est, necessariò concluditur, gratiarum actionem ab illa distingui.

Genes. 27. & 47. Luc. 9. Marc. 8. Genes. 24. Exod. 13. Deuter. 8. Ioan. 6. Matth. 15. Ioan. 11. Alan.

1. Cor. 10.

4. Opinio. Quarta opinio est, tria ista esse inter se distincta, quæ mihi valde prob, bailis ac verisimilis esse videtur.

1. Conclu. Sed, vt explicem, Dico primò, benedictionem fuisse aliquid distinctum à consecratione, & veluti præparationem quandam ad illam. Hanc partem eligo cum autoribus suprà citatis, præsertim propter Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. dicens, *Redemptorem nostrum hoc sacramētum in cœna instituisse, cùm post panis, & vinique benedictionem, se, suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Ergo teste Concilio, protulit Christus verba cōsecrationis post benedictionem: ergo fuit illa benedictio aliquid diuersum à consecratione. Secundò hoc confirmo ex Canone Missæ, & ex omnibus liturgijs: ante consecrationem enim sem per benedictio aliqua ceremonialis præmittitur, quæ est veluti præparatio ad consecrationem, & fieri solet simul, cùm profertur verbum, *benedixit*. Tertiò, hæc interpretatio consentanea est narrationi Euangelistarum, & propriæ significationi illius verbi, & facilimè, ac sine vlla figura explicat contextum, & nullum habet incommodum, neq; vllam difficultatem: cur ergo retinenda non est? Denique per se verisimile est, Christum Dominū ante operationem tanti mysterij præparasse animos discipulorum, illosque eleuasse præmittendo insignem aliquam orationem, & inuocationem, sicut alijs locis suprà adductis fecisse legimus, & ex dicendis amplius constabit.

Trident. 1. Concil.

2. Concl. Dico secundo. Probabilius videtur, gratiarum actionem fuisse distinctam à consecratione. Hoc rectè probant; quæ in tertia sententia adducta sunt, & videtur communior Patrum sententia. Anselm. Matth. 16. & 1. ad Corinth. 10. apertè dicit, gratiarum actionem præmissam fuisse ante consecrationem. Idem Theophyl. & Euthymius capitulo 64. in Matth. Beda, Lucæ 22. & Iustinus dicta Apolog. 2. in fine. disertè, inquit, *Christum actis gratijs dixisse, accipite, & comedite, hoc est corpus meū.* Chrysostomus etiam homil. 83. in Matthæum, & 28. in 1. ad Corinth. dicit, illam gratiarum actionem fuisse actum gratitudinis ad Deum pro beneficijs suæ humanitati collatis, vel etiam pro laboribus, seu doloribus pro ipso susceptis. Vnde etiam formatur ratio, nam illa gratiarum actio propriè refertur ad Deum; consecratio verò ad panem, sunt ergo actiones distinctæ.

Anselm. Theophyl. Euthym. Beda. Iustinus. Chrysost.

3. Concl. Dico tertiò. Benedictio panis, & gratiarū actio secundùm proprias rationes & significationes distinctæ fuerunt, quanuis simul, & ferè vna & eadē actione perfectæ fuerint. Ratio prioris partis suprà tacta est in tertia opinione, quia gratiarū actio secundùm propriam rationem refertur ad Deum, benedictio autem (de qua Euangelistæ loquuntur) ad panem. Vltima verò pars, & simul tota conclusio explicatur, quia vno orationis contextu simul, & gratiæ Deo agi possent, & bonum aliquod creaturæ postulari: quæ oratio sub priori ratione erit gratiarum

gratiarum actio, sub posteriori verò benedictio illius rei, cui bonum deprecamur. Exemplum est Genesis 24. vbi Melchisedech benedicens Abrahæ dixit, *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Alterum exemplum est apud Paulum 1. ad Timotheum 4. vbi agens de cibis, quos creauit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione, inquit, *Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione recipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Denique Ioannis 11. vnico verbo videtur Christus coniunxisse gratiarum actionem & imprecationem, dicens, *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Sic igitur in præsente mysterio, vt Anselmus suprà notat, videtur benedixisse, grarias agendo Patri, & gratias egisse, benedicendo panem: quia simul & vnica oratione, & gratias egit, & perfectionem tanti mysterij deprecatus est. Quod videtur significasse Ecclesia in Canon. Missæ, cùm dicit, *Qui pridie, quàm paterentur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit*; & posteà ante calicis consecrationem, *Item tibi gratias agens, benedixit*, quibus verbis non obscurè significatur, & gratiarum actionem antecessisse consecrationem, & cum illa coniunctam fuisse panis benedictionem: quia illa gratiarum actio, non nudam laudem, sed etiam orationem seu inuocationem aliquam continebat. Quod etiam confirmari potest ex vsu Græcorum, qui in sua Anaphora, id est, diuiniori Missæ parte, dicunt, Christum, cùm gratias egit, & in cælum aspexit, simul sumpsisse panem, & eleuasse, ac ostendisse Deo Patri, vt nomen Domini, ac Spiritus sancti virtutem super eum inuocaret, & ita benedictione adhibuisse ad propositorum donorum commutationem postulandam, & ita Nicephorus lib. 1. historiæ, cap. 28. dicit, Christum benedixisse panem per gratiarum actionem, & sanctificationem.

Nicephorus.

Sed obseruandum hoc loco est, cauendos esse hæreticos huius temporis, qui hac sententia abutuntur: ita enim distinguunt hanc benedictionem, & gratiarum actionem à consecratione, vt dicant, nihil aliud fuisse, quàm communem benedictionem, quæ ad vsualem cœnam & cibos communes adhiberi solet, quod ideò confingunt, vt dicant, Christum per verba consecrationis nullum admirabile opus effecisse, propter quod illam benedictionem & gratiarum actionem præmiserit, in quo manifestè errant, & contra omnium Patrum, & Ecclesiæ interpretationem; & contra vim verborum Euangelij: ideo enim fit specialis mentio huius benedictionis & gratiarum actionis, quia etiam ipsa fuit singularis, continens singularem inuocationem, & præparationem ad diuinum & mirabile mysterium; & ideò singulari ritu & modo facta dicitur, scilicet, sigillatim circa panem & vinum; & assumendo prius illa in manibus, & eleuando oculos in cælum: quæ omnia indicant, illam non fuisse vulgarem benedictionem; quia illa in principio tantum cœnæ fieri solet, & non circa singulos cibos, neque ritu ita solenni, ac tanto verborum apparatu.

Ex his etiam facilè intelligi potest, quare consecratio interdùm à Patribus vocetur benedictio, vel gratiarum actio. Potest enim ita vocari, non quia nulla gratiarum actio, vel benedictio distincta illam antecedat: contrarium enim obseruari videmus in communi ritu Ecclesiæ, de quo Sancti suprà citati potissimum loquuntur, sed quia interdùm actio sacramentalis à circunstantijs nomen accipit, sicut confirmatio appellatur interdùm *manus impositio*: & præterea, quia tota illa præcedens inuocatio an sanctificationem panis ordinatur, quæ suo etiam modo est benedictio efficax, & operatiua.

De ordine verborum, benedixit, fregit, dedit.

Vltimò ex dictis rectè intelligitur, illa quatuor verba, quæ ab Euangelistis ponuntur circa panem, videlicet, *Accepit, benedixit, fregit, dedit*, eundem ordinem in re tenuisse, quem habent in ipsa narratione, quanquam non omnia antecedere potuerint prolationem verborum consecrationis: nam priùs consecrauit, quàm daret panem: licèt enim, vt rectè dixit Diuus Thomas, simul potuerunt dare, & verba consecrationis proferre, id tamen verum est, morali, non metaphysica concomitantia: quia, scilicet, simul cœpit porrigere, & quasi offerre panem, ac verba proferre: secundùm Physicam autem durationem verius est, priùs absoluisse verba consecrationis, quàm panem vel vinum dederit, vt expressè docet Trident. sessione 13. capitulo 3. Nec verò timendum est, quod objicit Sotus, ne, videlicet, multitudine actionum Christus impediretur: nam perfectissima attentione poterat simul has actiones omnes exercere. Hoc ergo sensu planè, facilèque exponitur, quod dictum est, *Accepit, benedixit, fregit, dedit*, dicens, *accipite, &c.*

D. Thom. Trident. Sotus.

Quanquam de illo verbo, *fregit*, controuersia sit, num fuerit positum per anticipationem. Volunt enim aliqui fractionem factam esse post consecrationem, & consequenter ibi esse anticipationem, quia Ecclesiæ vsus ita habet, & illa fractio mystica videtur, & significatiua, sicut nunc est; & ideò videtur facta circa corpus Christi. Contra quud objicit Sotus, quia esset periculum, ne in fractione aliquæ particulæ dilaberentur. Sed hoc leue est: id enim Christus facilè vitare posset, vel ita frangendo vt nec minutæ partes laberentur, vel frangendo super patinam, & posteà reliquias consumendo: idem enim periculum excogitari posset, etiam si fractio antecessisset, quia totus panis, qui erat in patina, consecratus fuit, & verisimile est, ibi fuisse micas, vel ex quocunque contactu facile cadere potuisse.

Sotus.

Nihilominus Bonauentura & alij suprà citati existimant, fractionem antecessisse, quia illa figuralis non fuit, sed vsualis, & licèt hoc sit etiam incertum, est tamen valdè probabile, & indicatur à Clemente Papa, libro 8. Constit. capit. 12. & ordo contextus valdè fauet: vbi autem nulla ratio cogit, non oportet illum immutare, præsertim cùm ab Euangelistis, & Paulo tanta consensione obseruatus sit. Itaque postquam Christus accepit & benedixit panem, illum in partes sufficientes distribuit, & in patina accommodatè posuit, ac porrexit discipulis suis, dicens verba consecrationis, quibus finitis, singuli partem suam acceperunt, & communicarunt.

Bonauent. Clem.

SECTIO

SECTIO III.

An illa verba, quibus Christus consecrauit, sint forma, qua hoc sacramentum in Ecclesia perficitur.

Nomine *formæ* intelligimus verba illa, quibus fit præsens corpus Christi in hoc sacramento in omni consecratione, quæ à ministris Christi fit, iuxta eius institutionem. Primum igitur quidam hæretici negarunt, ad conficiendum hoc sacramentũ requiri determinata verba, in quem errorem referri possunt Ophitæ, qui nõ vtebantur vllis verbis, sed incantationibus quibusdam, vt videre est apud August. hæresi 17. Hæretici etiam huius temporis, vel non vtuntur verbis, vel, si quæ recitant, id quidem faciunt propter instructionem, non verò propter consecrationem, qui non solùm de hoc, sed etiam de reliquis sacramentis ita sentiunt. Legatur Ruard. artic. 14. Hosius lib. 1. contra Brentium, & in confess. cap. 39. Clitouæus lib. 1. Antiluter. cap. 19. Claud. repet. 7. cap. 5. Secundò alij hæretici, Christi verbis prætermissis alias formas consecrandi confinxerunt. Pauperes de Lugduno septies recitata oratione dominica, & quibusdam alijs precationibus, panem & vinum benedicebant, vt testes sunt Guido Carmelita de hæresib. capit. 9. & Prateolus verb. Pauperes de Lugduno, nu. 12. Quanquam Castro verb. Eucha. hæres. 3. & Claud. repet. 7. c. 5. eos liberent ab hac nota, quia nec Aeneas Syluius in histor. Bohæmor. cap. 25. nec D. Antonin. 4. p. histor. tit. 11. cap. 7. nec Directorium Inquisitorum. 2. p. q. 14. qui accuratè referunt horum hominum errores, huius mentionem fecerunt. Refert item Claudius, Anabaptistas solitos esse consecrare his verbis, *Accipe, ede, memento Domini*. Hosius verò lib. 1. contra Brentium, & idem Claud. referunt, quosdã nouatores mutasse verba cõsecrationis in hæc, *Hic est panis meus*. Alios verò, prætermissis essentialibus verbis solùm dicere, *Accipite, comedite, hoc facite in meam commemorationem*. Alios legere caput sextũ Ioãnis. Alios cap. 11. 1. ad Corinth. Alios hoc relinquere ministrorũ arbitrio, prout magis ad ædificationem fidelium expedire censuerint. Quibus non parum fauet Erasmus, qui 1. ad Corinth. 11. exoptat, vt in sacra Scriptura nobis esset expressum, quibus verbis Christus consecrauit, quibusq; nos consecrare oporteat. Antiquorum verò hæreticorum deliramenta videri possunt in Irenæo libro 1. contra hæreses, cap. 9. Epiph. hæres. 34.

Varij hæreticorum errores circa formam cõsecrationis. August. Ruardus. Hosius. Clitouæus. Claudius. Guid. Prateol. Castro. Syluius. Antonin.

Tertia sententia esse potest, illa verba, quibus Christus consecrauit, esse necessaria, non tamen sufficere, nisi quædam alia addantur. Quod varijs modis affirmari potest; primo, de quibus verbis Euangelistarum, quæ à Christo dicta nõ sunt, & ab Ecclesia in sacrificio referuntur, *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* Secundo de quibusdam verbis, quæ ab ipso Christo dicta sunt, etsi illis non consecrauerit, vt sunt illa. *Accipite & comedite*, vel, *bibite*, & illa, *Hoc facite in meam commemorationem*. Et de hoc duplici capite sequentibus disputationibus dicendũ est. Tertiò intelligitur hæc sententia de quibusdã precationibus, quæ post illa verba adduntur ab Ecclesia. Ita sentiunt quidam Græci, Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ, cap. 29. & 30. Marcus Episcopus Ephesinus lib. de verbis consecrationis. Hieremias Patriarcha Constantin. in censura Lutheranæ doctrinæ, capit. 10. Hi dicunt, non confici hoc sacramentum statim ac verba Christi proferuntur, sed post quasdam orationes Ecclesiæ. Fundantur, quia in Liturgia Iacobi post prædicta verba precatur Deum Sacerdos, vt mittat Spiritũ sanctum super dona sancta proposita, vt superueniens sancta & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi, & calicem huic pretiosum sanguinem Christi, & posteà gratias agit Deo, quòd hæc dona perficere, sanctificare, & in odorem suauitatis acceptare dignatus est. Ergo hæc oratio supponit, ante hanc Spiritus sancti inuocationem, consecrationem non esse factam, etiam si verba Christi recitata sint. Idem argumentum sumi potest ex Clement. libr. 8. Constit. cap. 12. aliàs. 17. Et præsertim videtur hoc confirmari ex Basilio; nam post illa verba, *Hoc est corpus meum*; vocat panem & vinum *antytipa corporis & sanguinis Christi*. Dixit autem Damascenus lib. 4. c. 14. & Epiphan. in 7. synod. act. 6. tom. 3. hæc dicta esse *antytipa* à Basilio ante consecrationem, non posteà. Tandem hinc ortum videtur, quod antiqui Patres dicunt, consecrationem perfici inuocatione Spiritus sancti, precatione, vel oratione. Vnde nunc etiam orat Ecclesia in Canone Missæ, vt hoc sacramentum fiat corpus & sanguis Christi, & in abiuratione Berengarij sub Gregorio VII. hæc verba leguntur. *Ego Berengarius corde credo, & ore profiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba Redemptoris, substantialiter conuerti*. Sic etiam Cyril. Hierosol. Catechef. 3. ad hoc alludere visus est, cùm dixit, *Post Spiritus sancti inuocationem panem, illum non esse panem communem*. Et Ambrosius 4. de fide ad Gratian. capit. 5. *per sacræ orationis mysterium* dicit *transfigurari panem in corpus*. Iustin. Apol. 2. in fine. *Mystica*, inquit, *prece*. Irenæus lib. 4. capit. 32. *Inuocatione Dei*. Heronymus Epist. 85. ad Euagrium. *Ad quorum preces Christi corpus conficitur*. Similia habet Augustinus lib. 3. de Trinit. capit. 4. & Epist. 59. ad 5. quæstionem. Difficilia sunt verba Procli Episcopi Cõstantin. opusc. de traditione Missæ. *Per has preces Spiritus sancti aduentum expectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificio panem, & vinum aquæ permistum, ipsum illud corpus & sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi efficiat*. Nec dissimilia sunt verba Samonæ Gazensis Episcopi, in disceptatione de corpore & sanguine Christi. *Sacerdos panem super mensam sanctam deponit, & comprecando inuocatione sancta, Spiritus sanctus descendit, & panem in corpus Domini commutat*. Cùmque sibi obiecisset, quòd Christus non indiguit precatione, respondet, Christũ, vtpotè Deum, statim ac dixit, *Hoc est corpus meum*. conuertisse panem in suum corpus, Sacerdotes autem, qui tantùm ministri sunt eius, indigere precatione.

Alij errores circa efficaciã verborum. Cabasilas. Marcus. Hieremias. Clement. Basilius. Damasc. Epiphan. Cyril. Ambros. Iustin. Irene. Hieronym. August. Proclus. Samonas.

Dicendum verò est primò, hoc sacramentum solis verbis à Sacerdote prolatis confici, ita vt verba in omni proprietate & rigore sumpta sint ad hũc effectum necessaria. Est certa conclusio ex definitione Concil. Florent. vbi dicit verba esse formam qua conficitur hoc sacramentum: vtitur autẽ propriè nomine verborum, sicut in baptismo, Confirmatione, & alijs similibus sacramentis, & ita vniuersa Ecclesia intelligit, & est antiqua traditio Sanctorum Patrum. Vnde Irenæus libro 5. capitul. 2. *Quando mistus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi*. Et Gregorius Nissenus in sermo. Catechet. capit. 37. dicit, *panem in corpus mutari per verbum Dei*. Hieronymus Epistola 1. ad Heliod. *Sacerdotes*, inquit, *proprio ore corpus Domini conficiunt*: quæ verba habẽtur etiam in Epistola 1. Pontiani Papæ, & apud Damascenum Epistola 3. ad Stephanum. capit. 9. & Fœlicẽ II. Epist. 1. in principio. Ratio à priori sumenda est ex Christi institutione, quæ ex illius facto, quo verbis consecrauit, & verbis, quæ adiunxit, *Hoc facite*, & Ecclesiæ declaratione satis constat. Congruentia verò sumi potest primò ex generali ratione sacramentorum nouæ legis, quæ habere oportuit expressam significationem, verba autem expressiùs significant, quàm res. Secundò, quia verba sunt aptum instrumentum sensibile, vt, sicut ipse dixit, & factum est, ita minister in persona eius loquẽdo operetur, sicut Ambrosius dixit.

Eucharistia solis verbis Sacerdotis conficitur, & non alijs. Floren.

Dico secundò. Verba, quibus hoc sacramentum conficitur, sunt certa, & præscripta. Est de fide ex eodem Concilio Florent. Indicatur etiam in Trident. sessione 13. Probatur ex doctrina sacramentorum in genere: requiruntur enim in omnibus sacramentis formæ certæ & determinatæ, nõ tantùm propter instructionem, sed etiam propter consecrationem, & institutionem sacramenti. Optimum est testimonium Augustini 2. contra Faustum. *Panis noster & calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, proinde quod non ita fit, quamuis sit panis, & calix, non sacramentum est religionis, sed alimentum refectionis, nisi quòd benedicimus, & gratias agimus Domino in omni munere suo*. Origenes Matthæi 15. *Non materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest, &c.* Et hoc sensu sæpè inquiũt Patres hoc sacramentum confici, *verbis cælestibus, verbis Dei, verbis Christi*, quorum statim testimonia referam. Rationes sunt eædem, quæ præcedentis conclusionis. Prima, quia Christus ita fecit, faciendoque præcepit & instituit. Secunda, quia oportuit, verba sacramentorum esse certa & præscripta, tum, propter certiorẽ, & expressiorem significationem; tum, propter maiorem effectus certitudinem. Quæ ratio in hoc sacramento maxime locum habet, nam, cùm præsentia Christi per verba fiat, vt de illa certi esse possimus, oportuit, verba esse definita, ac certa, vt, illis prolatis, certum esse possit, Christi corpus adesse. Intelligenda est autem hæc conclusio de certis verbis, non quoad materialem sonum, sed quoad sensum & significationem, iuxta doctrinam de sacramentis in genere, quæ in sequentibus magis explicabitur, magisque ad præsentem formam accõmodabitur. Hinc cõnstat delirium esse hæreticorum, hoc sacramentum confici legendo Epistolam aliquam, aut partem Euangelij. Tum, quia antiquior est ritus consecrationis, quàm, vel Epistolæ Pauli, vel Ioannis Euangelium. Tum, quia sæpè hæc non leguntur, vel certè à Diacono, vel Subdiacono. Demum, quia in Euangelio Ioannis, nec habetur institutio huius sacramenti, nec forma, sed promissio duntaxat. In Epistola autem ad Corinthios narratur institutio huius sacramenti, quæ ex tali narratione non pendet, sed eadem esset, quanuis Paulus illam Epistolam nunquam scripsisset.

Consecratio. verba certa, & præscripta. Florent. Trident. August. Origen.

Dico tertiò. Verba sufficientia, & necessaria ad hoc sacramentum conficiendum sunt illa, quibus Christus illud confecit. Est de fide ex eisdem Conciliis, Florentino dicẽte, *Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit*, vel (vt alia exemplaria habent) *confecit sacramentum*, Trident. sessione 13. cap. 3. & colligitur ex cap. Cùm Marthæ. de Celebratione Missæ, vbi dicitur, *Christum, conficiendo hoc sacramentum, expressisse formam, qua hoc sacramentum conficitur*: vnde in cap. Vtrum sub figura. de Consecratione. distin. 2. *Credendum est* (inquit Augustinus, vel Paschasius) *quòd verbis Christi sacramenta conficiantur, cuius enim potentia creãtur priùs, eius vtique verbo ad melius procreantur. Reliqua omnia, quæ Sacerdos dicit, aut Cleri chorus cantat, nihil aliud, quàm laudes, & gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes, & fidelium petitiones: vnde Sacerdos dicit priùs Euangelistarum verba, assumens. Qui pridie, quàm pateretur, &c. porrò deinceps sunt verba Dei potestate, & omni efficientia plena, Accipite & manducate. Hoc est corpus meum: in hoc ergo corpus illud creatur.* Sic etiam Augustinus sermone 18. de verbis Domini, *Ante verba Christi, panis dicitur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis, sed corpus appellatur.* Clariùs Ambrosius 4. de sacrament. capitu. 4. *Quomodo potest, quod panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur cuius verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua, quæ dicuntur, laus Deo defertur, &c. Vbi venitur, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi: ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Idem repetit capit. 5. & lib. de ijs, qui initiantur, cap. 9. & lib. de Benedict. patriarch. capit. 9. Chrysostomus hom. 2. in 2. ad Timotheũ, in fine, inquit, *Sicut verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem est.* Et homilia de proditione Iudæ, *Hoc est*, inquit, *corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur.* Et Cyprianus sermone de Cœna Domini. *Ex quo à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem; hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit.* Sic etiam Hesychius lib. 6. in Leuit. cap. 22. *Per virtutem Christi, & verborum à Deo prolatorum*, dicit, *sacrificari ea, quæ in altari proferuntur.* Similia sumi possunt ex Iustino Apolog. 2. & Cyrill. Hierosol. Catech. 4. & alijs suprà citatis. Ratio est eadẽ, quæ præcedentium conclusionum. Prima, quia Christus, postquàm suis verbis confecit, dixit, *Hoc facite*. Respondent hæretici, non dixisse, Hoc dicite, sed, *Hoc facite*, id est, cõsecrate. Sed contra, quia ipsum loqui, est quoddam operari: ergo etiam illud potest comprehendi sub illo verbo, *Hoc facite*. Deinde, licèt verùm sit, illis verbis præcepisse, vt consecrarent, tamen etiam præcepit modum: quia aliàs non posset illis constare, quomodo consecraturi essent: non præcepit autem alium modum, nisi quem ipse exercuit. Vnde egregiè Damasc. lib. 4. cap. 14. *Dixit Deus, Hoc est corpus meũ, & hic est sanguis meus, &, hoc facite in meam commemorationem, atq; omnipotenti eius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur, (his enim verbis vsus est, donec veniat) ac pluuia huic nouæ segeti per consecrationem existit, sancti Spiritus vi mundans.* Denique, cùm præcepit ritum baptizãdi, non

Verba consecrationis eadẽ sunt, quibus Christus confecit. Florent. Trident. August. Ambros. Chrysost. Cyprian. Hesychius. Iustinus. Cyrillus. Damasc.

non dixit, *Dicite, Ego te baptizo in nomine Patris*, sed solū, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* ergo, sicut ex materia subiecta, & Apostolica traditione intellexit Ecclesia, illis verbis præscriptam fuisse formā & rituū baptizādi, ita maiori ratione in præsente, ex facto Christi, & subiunctis eius verbis, *Hoc facite*, intelligimus, præscriptum esse ritum consecrandi. Et confirmatur, quia alioqui incertum reliquisset Christus, quomodo facienda esset consecratio. Vnde inutile esset præceptum consecrandi, si modum non docuisset: ergo necessariò dicendū est, vtrumq; verbis illis intendisse. Secundò est congruentia, quia Sacerdos cōficit in persona Christi, vt dicit Concil. Flor. & explicabimus sect. sequen. ergo nulla verba aptiora sunt ad conficiendū, quā illa, quibus Christus confecit. Præterea, quia, cùm hoc sacramentum sit admirabilius, & maximè declarans Christi omnipotētiam, maximè etiam decuit, vt verbis eiusdē Christi conficeretur: & ideò de nullo sacramento legimus, quòd illud simul instituerit, & fecerit, seu quod conficiendo, illud instituerit, nisi de hoc. Vnde neque alia verba instituit, nisi illa, per quæ confecit. Quòd si, cū baptizatus est, vt Patres dicunt, vim regeneratiuā contulit aquis, multò magis, cū consecrauit, verbis, quæ tunc protulit, largitus est consecrandi vim.

Prima illatio ex dictis.

Ex his sequitur primò, ad consecrandū non esse necessarium totū canonem Missæ, loquendo de necessitate sacramenti, nā de Ecclesiastico præcepto posteà dicemus. Patet, quia nec Christus totū Canonem dixit, cū consecrauit, nec in Ecclesia semper fuit in vsu totus Canō, neque eodē modo. Nā, licèt ab initio nascētis Ecclesiæ aliquid eius inchoatum fuerit, tamen non semper integrè ac perfectè fuit præscriptus, sed temporis successu auctus est, partimque mutatus, vt constat ex antiquis liturgijs, & Dionys. cap. 3. Eccl. Hierar. & Iustin. Apolog. 1. & Clem. lib. 8. constitut. c. 12. & 17. Quinimò addit Gregor. lib. 7. Registri. epist. 63. tempore Apostolorum, solam orationem Dominicā adiungi solitam verbis consecrationis. De qua re videri potest Gabr. lect. 5. in Canon. & Guill. Durand. lib. 4. Ration. cap. 34.

Dionys. Iustin. Clem. Grego. Gabriel. Durand. Secunda.

Secundò sequitur, non omnia verba & orationes, quæ in Missa proferuntur, ante verba, quibus Christus consecrauit, esse simpliciter necessaria ad conficiendum hoc sacramentum, siue sint verba Ecclesiæ, vt illa. *Communicantes, & memoriam venerantes, &c.* siue Euangelistarum, vt illa, *Simili modo postquàm cænatum est, &c.* Patet eisdem rationibus, quia verba Ecclesiæ non semper adhibita sunt, nec Ecclesia potest instituere aliquid necessariū. Vnde de Dionys. Clem. Ambros. & alij Patres suprà citati apertè docent, orationes omnes, quæ antecedūt verba Christi, esse (vt ita dicam) ceremoniales, & præuias, nō verò simpliciter necessarias. Et ex eisdem Patribus & rationibus constat altera pars de verbis Euangelistarum, & Pauli, quia Christus ad consecrandum non dixit illa, sed fecit id, quod per ea refertur: ostensum est autem, sola verba Christi esse sufficientia ad consecrandum. Et confirmatur, nam antequam Euangelistæ, & Paulus, scriberent similia verba, fiebat in Ecclesia consecratio, & tamen non recitabantur ea verba. Tandem, quod significatur per illa verba, non est essentiale, nec necessarium ad conficiendum hoc sacramentū, non enim est necesse, vt sacerdos accipiat panem in manu, neque vt præmittat aliam benedictionem, nec gratiarum actionem: ergo nec verba ipsa erunt simpliciter necessaria. Contra hanc partem referri solet opinio Scoti, quam tractabimus disputatione sequente in principio.

Tertia.

Tertiò sequitur, nec verba, nec orationes, quæ adiungūtur post verba Christi, esse necessaria simpliciter ad consecrandū. Hoc est iam omnino certum de fide, & primùm constat ex principio posito, quòd hoc sacramentum conficitur verbis Christi, vt Concil. Florent. dixit, & Sancti suprà citati: ergo tantùm verba Saluatoris sunt necessaria. Cōfirmatur primò, quia statim, ac Christus dixit hoc esse suum corpus, vel sanguinem, cœpit esse verū, quod dixit, & consecratio perfecta fuit, vt docuit Trident. sess. 13. c. 4. & statim subiungit, *Hoc facite in meam commemorationem*; quæ verba sine dubio nō sunt necessaria ad consecrationem, cùm supponant factam: ergo multò minùs quælibet alia necessaria erunt. Patet consequentia, quia implendo verbum illud Christi, *Hoc facite*, sufficienter fit consecratio. Sed fortasse pro Græcis aliquis dicet, Christum ante illa verba panem benedixisse, quā benedictionem probabile est, vt suprà vidimus, fuisse orationem, siue deprecationem aliquā præuiam, qua tanti mysterij sanctificationem à Patre postulauit: sic igitur dicet, ex facto Christi colligi, aliquam orationem, vel deprecationem esse necessariam, quanuis fortasse necessarium non sit, vt fiat his verbis, aut illis: nam idem est substantialis sensus, vt in varijs liturgijs videre licet. Vnde etiam Catherinus opusc. de verbis consecrationis circa finem existimat, deprecationem esse necessariam; quanuis interdum anteponi possit, interdū postponi alijs verbis Christi. Et consequenter sentit, quando consecratio anteponitur, vt nunc fit in Ecclesia Latina, statim post verba Christi, incipere ipsum esse in sacramento, si verò postponatur, non incipere donec fiat deprecatio, in quo grauissimè errat, vt dicam statim.

Trident. Catherin.

Cæterùm hæc Græcorum fuga facilè refellitur; tùm, quia valdè incertum est, fuerit ne Christi benedictio oratio præuia à consecratione distincta, & qualis fuerit: verba autem ad consecrationem necessaria, certa esse oportet, tum etiam, quia estò admittamus illam orationem, nullo fundamento dicitur, necessariam esse, cùm adhiberi potuerit solùm propter exemplum, vt miraculi magnitudinem commēdaret, vt Ioan. 11. & aliàs sæpe facere solebat. Præsertim, quia non omnia, quæ tunc fecit Christus, de necessitate consecrationis sunt, aliàs omnino necessarium erat sumere panem in manus, leuare oculos, gratias agere, & similia: ergo ex traditione Ecclesiæ, & præcisa verborum significatione ac veritate est discernendum, quid sit simpliciter necessarium: Ecclesia autem nunquam indicauit, aliam deprecationem esse necessariā, cùm nec semper illam adhibuerit, nec semper eodem modo illa vsa fuerit, neque eodem tempore. Vnde secundò confirmatur, quia, sicut in facto Christi, ita etiam nunc in consecratione, quæ fit per ministros Christi, statim post illa verba, *Hoc est corpus meum*, nullo superaddito, est Christus præsens sub speciebus panis: ergo illa verba necessaria non sunt. Antecedens de fide est, & satis constat ex vsu Ecclesiæ, non statim, illis verbis finitis, Christi corpus adorandum populo proponitur. Respōdet Catherinus, in Ecclesia Latina ita fieri; quia iam præcesserat deprecatio, quod temere & sine fundamento dictum est; tum, quia Ecclesia & Patres non tribuūt efficaciā deprecationi præcedēti, sed verbis Christi, tū etiam, quia nullus Catholicorum censet, aliquam orationem ex his, quæ præcedūt in Canone Missæ ante verba Christi, esse ita necessariam, vt si fortasse, vel obliione, vel malitia, mutetur, cōsecratio non teneat, quia non est defectus essentialis, sed ceremonialis duntaxat. Præterea, quia etiam in Ecclesia Græca creditum est, adesse Christum post ipsius verba, etiam si deprecatio posteà subijceretur, quod rectè probat Bessarion lib. de verbis consecrationis, quia etiam ex vsu antiquorum Græcorū statim ac verba Christi super oblata proferebantur, populo adoranda proponebantur quod ex antiquis liturgijs colligere licet, præsertim Basilij, & Chrysost. in quibus statim post illa verba, *Hoc est corpus meum*, ostenditur populo corpus Christi, & populus respondet, *Amen*, quasi huic veritati cōsentiens: nam, vt rectè dicit Leo Papa serm. 6. de ieiunio septimi mēsis, *Frustra ab illis respondetur, Amen, qui non credunt adesse verè corpus & sanguinis Domini.* Vnde in Missa Aethiopum post verba cōsecrationis dicit populus, *Amen, amen, amen, credimus & confidimus, te laudamus Deus noster, hoc vere corpus tuū est*, & similia repetunt post verba calicis. Denique Græci in Flor. sess. 25. hanc veritatem confessi sunt: nam ex eorum antiquis Patribus, Chrysost. Damas. Cyril. & alijs euidenter colligitur. Vltimò confirmatur hæc veritas, quia in omni sacramento verba formæ sufficiūt ad effectum ipsius formæ, neque indigent alia precatione adiuncta, vt constat ex doctrina de sacramentis in genere, & de baptismo specialiter docuit August. lib. 6. de baptism. cap. 25. & est eadē ratio de reliquis; nā, licèt in extrema vnctione requiratur oratio deprecatiua, tamen illa non est adiuncta formæ, sed est ipsa forma sic à Christo instituta propter specialē rationē illius sacramēti; deprecatio autē ab Ecclesia adiuncta nunquā requiritur ad efficaciam formæ: ergo multò minùs requiritur in hoc sacramento. Probatur consequentia, non solum à paritate rationis, sed etiam ex maiori nobilitate huius sacramēti, & quia in eo speciali modo operatur minister in persona Christi, & vtitur verbis eius repræsentās illum. Item, quia aliàs valde ambigua, & indeterminata esset hæc forma, & efficacia eius. Vnde enim cōstaret, quando esset facta oratio, vel deprecatio necessaria; Deniq; veritas illorum verborum valde esset incerta; neque ex illa satis posset conuinci infallibilis Christi præsentia: quia sæpè non fieret, si non esset facta sufficiens deprecatio, & tūc esset falsa forma. Vel, si dicatur esse quasi suspensa, donec fiat precatio, eadem ratione poterit dicere alius hæreticus, esse suspensam vsque ad vsum, vel ad aliud tempus, pro vniuscuiusque placito. Vnde (vt hoc obiter dicamus) propter hanc rationem inter alias non oportet, formam huius sacramenti esse deprecatiuā, quia cùm talis forma non significet, ita esse, vel futurum esse, quod postulatur, ex modo suo non indicat infallibilem effectum, quanuis aliunde possit esse infallibilis ex pacto diuino. Oportuit autem, formam huius sacramenti, ita significare Christi præsentiam, vt ex veritate eius infallibilis esset talis præsentia.

Ioan. 11. Bessarion. Leo. Florent. August.

Fundamentum tertiæ opinionis soluitur varie.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ (reliquę enim nullum habent) sunt qui existiment, vt refert supra Besarion, orationes positas esse olim ante verba cōsecrationis, nūc autem ordinē liturgiarum inuersum esse. Quæ responsio inuenta est ad vitandam argumenti vim, sed nulla coniectura nititur, quin potiùs Græci in Concil. Florent. concesserunt, se illum ritum seruare, quem à Patribus acceperant, & German. Constantinopol. coætaneus Damasceno, in Theoria rerum Eccles. illas preces ponit post consecrationem. Denique apud Clementem eodem ordine collocantur. Quapropter variæ adhibentur à Bassarione, & ab alijs responsiones. Prima, vt illa deprecatio non tamen intelligatur in sensu deprecatorio, quàm gratulatorio, quemadmodū cùm oramus, vt Deus ab angelis laudetur, & vt sit infinitè beatus ac gloriosus. Cui responsioni addi potest, voluisse Patres hac oratione explicare simul, & Spiritū sanctum esse autorem huius doni, & affectum suū, quo vehementer exoptant illud: & ideo per modum deprecationis illam orationem protulisse.

Prima. Damasc. Clemens.

Secundò.

Secundò additur, eos non petere, vt denuo conficiatur sacramentum, sed vt permaneat, & conseruetur Christus in illo, non quia necessaria existimetur oratio, vel quia dubitetur, an illa præsentia Christi sub speciebus duratura sit, sed solùm ad explicandū affectum, quasi per exaggerationem quādam, sicut etiam nunc ante consecrationem petit Ecclesia, vt fiat corpus Christi, & vt illa oblatio benedicta, adscripta, & rata habeatur, non quia formidet de effectu verborum neque quia existimet, illam orationē esse necessariam, sed vt fateatur, autorem illius operis esse Spiritum sanctum, simulque affectum suum explicet: ad hunc ergo modum potest explicari oratio post consecrationem facta. Sicut Marci. 15. mulieri, cui sanitatem contulerat, dixit Christus, *Vade in pace, & esto sana à plaga tua*, vbi non concedit nouū beneficium, sed ostendit beneplacitum suum, vt sanitate sibi concessa fruatur: ita ergo potuit Ecclesia, illa oratione diuinū hoc beneplacitum postulare. Quæ responsio placuit Gentiano Herueto in præfatione ad lib. Nicolai Cabasilæ.

Tertia.

Tertiò, intelligendo orationem illam deprecatoriè, & per illam postulari consecrationē, dicunt aliqui, quanuis posteriùs tempore fiat, tamen referri ad ipsummet tempus consecrationis, nam, licèt hæc successiuè fiant, quia non potest homo simul omnia explicare; tamen ita geruntur, vt ad idem instans cōsecrationis referantur; quomodo Gabriel. lect. 54. in Can. exponit illam orationem canonis Missæ; *Fiat commistio & consecratio*, sed illa oratio alium habet sensum, vt statim dicemus, &, vt verum fatear, hæc tertia expositio captu est difficilis.

Gabriel. Quarta.

Quartò ergo, & præcipuè exponitur illa deprecatio, vt per illam non postuletur consecratio corporis Christi veri, sed mystici, id est, nō petitur, vt fiat sacramentum, sed vt ita fiat, vt illis proficiat, qui ad illud adorandum, vel suscipiendum accedunt. Et hanc responsionem dederunt Patris Græci in Concil. Florent. & patet ex ipsis verbis; apud Clementē enim dicitur, *Vt ostendat panem hunc corpus Christi*, nō dicit, *vt faciat*, sed, *vt ostendat*, scilicet in effectu; & ideò concludit, *vt, qui eum participauerint, in pietate firmentur.* Sic etiam Basil. *Orat venire Spiritum sanctū super nos, & super proposita munera, & benedicere ea; & sanctificare, & ostēdere corpus Christi; nos autē de vno pane & calice participātes coadunet inuicē, &c.* Chrysost. sic inquit. *Fac panem istum pretiosum corpus Filij tui, &, quod est in calice isto, pretiosum sanguinem, vt fiat cōmunicantibus in emundationē animæ.* Hic est ergo scopus il-

Clemens. Basil. Chrysost.

Universidad de Deusto Biblioteca

Iacobus. larum omnium orationū. Vnde Iacobus sit inquit. *Ne propter me, & peccata mea repudies populum tuum benigne Domine, miserere nostri Domine, & mitte super nos & super hæc dona Spiritum sanctum tuum*, & concludit, *Vt fiat nobis ex ijs sumētibus in remissionem peccatorum.* Et in eundem sensum dicebatur antea in Canone Missæ illa oratio. *Fiat commistio & consecratio corporis, & sanguinis tui accipientibus nobis in vitam æternam:* quæ ad tollendam ambiguitatem mutata est in hūc modum. *Hæc commistio, & consecratio corporis & sanguinis Domini, fiat accipientibus nobis in vitam æternā.*

Ad Patres, qui dicunt, cōsecrationem perfici precatione, vel gratiarū actione, primùm dicitur, sæpe significari per has voces totū Missæ officiū, in quo fit corporis & sanguinis Domini cōsecratio: solent enim sæpe Sancti appellare sacramentū, vel effectionem sacramenti à ceremonijs, quæ in illo peraguntur: quando vero oportet distinguere Ecclesiasticas preces à verbis consecrationis, satis distinctè & expressè id faciunt, vt vidimus. Deinde ipsamet consecratio in actu exercito (vt sic dicam) est quædā inuocatio Spiritus sancti, & deprecatio: nā, quia ex promissione & institutione Christi, Spiritus sanctus assistit his verbis ad perficiendam consecrationē, ideò minister huius sacramenti profert illa verba, nixus in virtute Spiritus sancti, & ideo implicitè inuocat illum, quod quia cōmune est omnibus formis sacramentorum, ideo hoc eodem modo de omnibus Sancti loquuntur. Quòd autē cōsecratio sit etiā gratiarū actio, iam in superioribus dictum est, nā hoc est sacrificiū laudis, & gratiarum actionis, quod ipsa cōsecratione perficitur, & offertur. Alij deniq; Patres iuxta doctrinam traditam exponendi sunt; q̄ si interdū videntur requirere preces Ecclesiæ, exponendū est, ex quadam congruitate & decentia; tum, vt minister sacramenti fateatur indignitatem & infirmitatem suam, tum etiam, vt populus ad deuotionē excitetur; de loco autem Damasceni ibi citato, in superioribus dictū est, etiam post consecrationem vocatā esse à Patribus *antitypon*, quādo autem Damascenus ibi citat Basiliū, fortasse nō meminit huius loci liturgiæ, vel in oratione, qua ipse vtebatur, non erat verbum, *antitypon*. Nam quod ipse nō dubitauerit, quin statim post verba Christi perficiatur consecratio, ex alijs eius verbis manifestè ostensum est.

SECTIO. IIII.

Vtrùm forma huius sacramenti proferatur à ministro, recitando, vel etiam significando.

1. Sententia. Innocen. Durand. Maior. Glossa. Ocham. Mirand. Gabr. Ledesm.

PRima sententia est, ministrum recitare, quid Christus dixerit, atque adeò in verbis ministri non oportere aliam veritatem quærere, nisi solùm quod Christus talia verba protulerit. Ita Innocen. lib. 4. de hoc myst. c. 17. Durā. in 4. d. 8. q. 2. ad 1. Maior ibi ad 2. Glos. in c. Timore. de cōsecr. d. 2. Ocham quodlib. 2. q. 1. Cath. opusc. quibus verbis Christus consecrauerit, & Picus Mirand. in Apol. q. 10. Et hāc opinionē satis probabilem esse existimant Gab. lect. 48. in Canon. Ledes. q. 19. ar. 5. Fundamentum est, quia Sacerdos non potest significatiuè verè dicere, *Hoc est corpus meum*, quia illud nullo modo est corpus Sacerdotis. Dices, illud, *meum*, referri ad Christum, in cuius persona Sacerdos loquitur, sicut, cùm angelus in persona Dei dicebat, *Ego sum Deus*. Sed contrà, quia ex ipso modo, quo Sacerdos loquitur, ostendit se non agere personam alterius, sed referre, quæ alter locutus est: sic enim inquit, *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem, fregit, deditque discipulis suis, dicens, Hoc est corpus meum*: ergo apertè refert, quid alter dixit. Et deinde (vt Durandus ponderauit) subiungit verbum de futuro. *Qui pro vobis effundetur*, vel, *quod pro vobis tradetur*, vt Græci addunt, quæ verba nunc formaliter prolata falsa essent: quia iam nunc non est effundendus sanguis Christi: est ergo tota illa materialis tātum recitatio.

2. Sententia. Secunda sententia extremè contraria est, Sacerdotem, etiam si priora verba Canonis, vsque ad illud verbū, *dicens*, tantùm recitando proferat, tamen, quādo verba consecrationis profert, iam nullo modo recitando, sed significādo loqui. Ita Marsil. q. 6. art. 1. 2. p. dub. 6. in fine. Gab. d. lect. 48. Fundamentum est, quia repugnat, eadē verba simul materialiter, & formaliter proferri; tum, quia non potest idē homo simul in propria, & in aliena persona eisdem verbis loqui; tū etiam, quia illi duo modi proferēdi requirūt diuersam & æquiuocā significationem in verbis, vt in præsente, si Sacerdos refert, quid Christus dixerit, verba Christi designabunt illas numero species panis, quæ fuerunt in manibus Christi, si verò formaliter & significatiuè loquitur, designabunt species, quæ sunt in manibus ipsius Sacerdotis: repugnat ergo simul coniungi illos duos modos in eodem sermone. *Marsil. Gabriel.*

3. Sententia. Bonauent. Ægid. Soto. Tertia opinio est, Sacerdotem materialiter & formaliter dicere verba cōsecrationis. Indicat D. Tho. hic art. 5. expressiùs tenet Bonauent. dist. 8. 2. part. art. 1. quæst. 1. Aegidius Theorem. 42. Clariùs Soto dist. 11. quæst. 1. art. 5. qui tamen videtur distinguere inter proferre materialiter, & proferre recitatiuè: ait enim Sacerdotem proferre hæc verba, & significatiuè & recitatiuè, non tamen materialiter, & subdit, D. Thomā non reprobare dictum Innocentij, quatenus dicit accipi hæc verba recitatiuè, sed quatenus dicit accipi materialiter. Quæ verba alicui videri poterunt inuoluere repugnantiam; sed nō ita est, si termini intelligantur: quia Soto accipit illud, materialiter, quasi priuatiuè, ita vt idē sit, quod recitatiuè absque vlla præsente significatione. Omissis autem verbis, vt rem exponamus, considerādum est, aliud esse loqui de his verbis, prout nunc dicuntur à Sacerdotibus in canone Missæ, & aliud prout necessarium est ea proferri ad sacramentum conficiendum.

Verba quibus consecrauit Christus Dominus, recitat sacerdos. Dico ergo primò, nūc de facto Sacerdos ita profert verba consecrationis, vt referat ac recitet, quid Christus dixerit. Hæc est euidēs ex ipso cōtextu Canonis Missæ, *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens, Accipite & comedite; hoc est corpus meum.* Vbi in tribus primis verbis refert Sacerdos, quid Christus fecerit, in verbo autem illo, *dicens*, refert, quid dixerit: vnde illa duo verba, *Accipite, & comedite*, recitatiuè proferuntur: ergo idem est de immediatè sequētibus, *Hoc est corpus meum*, cur enim contra omnium conceptionem dicemus subitò præscindi, ac prætermitti historiæ recitationem. Et confirmatur primò ex illa particula, *enim*, nam, si illa non sumitur recitatiuè, incongruè, & absq; vllo sensu adiūgitur; quia, prout hic & nunc profertur, nihil formaliter significare potest, cùm reddat causam præcedentium verborum, quæ solū recitādo fuerūt prolata. Confirmatur secūdò, quia, vt verus sit totus ille sermo Sacerdotis, necesse est, vt Christus protulerit illa verba, *Hoc est enim corpus meum*: quia, re vera, & sacerdos hoc affirmare intendit, & qui audiunt, ita intelligunt: ergo re vera est recitatio.

Consecrationis verba non recitatiuè tantum, sed significatiuè simul à sacerdote proferuntur. Dico secūdò, verba cōsecrationis nō tantùm recitādo, sed formaliter etiā significādo proferūtur à Sacerdote. Hāc cōclusionē, præter autores suprà citatos in 2. & 3. opinione, tenet Alex. Alens. 4. p. q. 33. mēb. 3. ar. 2. §. 1. Richa. d. 8. ar. 3. q. 1. vbi idē sentit Scot. q. 2. Palud. Capreol. & alij. Ochā quodlib. 2. q. vlt. *Alexand. Richar. Scot. Palud. Capreol. Ocham.* Ratio D. Thom. est, quia, si verba nō proferrētur formaliter, nō applicarētur ad materiā præsentē, & ita nō perficeretur sacramentū. Quā rationem impugnāt Richard⁹ & alij, quia potuisset Christus instituere, vt verba solū materialiter prolata haberēt vim sacramētalē, & ita possent applicari ad materiā per intētionē ministri, supposita institutione. Tamē D. Thomas nō loquitur de potētia Dei absoluta, sed, supposita ordinaria lege gratiæ, & hoc modo est ratio solida: quia sacramēta efficiūt, q̄d significant: ergo, vt verba efficiāt consecrationē præsentis materiæ, oportet, vt illā significēt, vel è cōtrario, si illā nō significant, nec etiā efficiūt, & hic est sensus rationis D. Tho. Et ampliùs explicatur, quia, si illa verba solū materialiter proferrētur, ex veritate illorū nō posset colligi, hoc, quod nūc est in manibus Sacerdotis, esse verū corpus Christi, quia illa hoc nō significant. Dices, colligi hoc ex veritate verborū Christi, nā ipse formaliter illa protulit. Contra, quia ex illis solū colligitur id, quod fuit in manib⁹ Christi, fuisse corpus eius, quia verba Christi formaliter sumpta solū illud significabant. Dices, ex facto Christi colligi, idē fieri in manibus Sacerdotis, quia ipse Christus dixit, *Hoc facite in meā cōmemorationē*: sed certè, si Sacerdos tantū recitat Verba Christi, & veritas verborū, vt à Sacerdote proferūtur, nō requirit præsentiam realē, valde eneruātur huius fidei fundamēta, dū ad solā facti Christi similitudinē reuocātur: nā posset aliquis dicere similitudinē tantū esse in externa ceremonia & recitatione verborū, nō in efficacia, & potētia: multò ergo cōgruentiùs dicitur, accipi verba formaliter. *Trident.* Vnde Cōciliū Tridēt. cū ex veritate verborū colligit præsentiā, &c, cùm dicit, quędā esse hic ex vi verborū, nō loquitur tātū de verbis, vt à Christo prolata sūt, sed etiā vt à Sacerdote proferūtur. Sācti præterea propter hāc causam dicūt, Sacerdotē loqui in persona Christi, vt virtute verborū cōficiat. *Chrysost.* Sic Chrysost. homil. 83. in Matth. & homil. 2. in 2. ad Thimoth. eūdē esse dicit, qui nūc consecrat, quiq; per os Sacerdotis eadem verba pronūtiat: *Ambros.* sic etiā Ambr. 4. de sacra. c. 4. *Quādo peruenit*, inquit *Sacerdos ad cōficiendū sacramentū, iā non suis, sed vtitur sermonibus Christi.* Et confirmatur primò à posteriori, quia aliàs ex vi talis formæ nō esset necessaria præsentia materiæ, quia, si sacerdos nō profert significatiuè: ergo per pronomē, *hoc*, nō designat aliquid, sed solū refert, quid Christus dixerit, & designauerit. Cōfirmatur secūdò, quia aliàs formaliter ac propriè nō vteremur nūc ea forma, qua Christus vsus est, sed solū in materiali sono verborum: quia Christus vsus est illis verbis, vt sunt propositio significās verū, vel falsum; nos verò materialiter tantū illa sumimus, vt extremū cuiusdā propositionis, in qua affirmamus, Christū illa dixisse. Confirmatur tertiò, quia in omnibus alijs sacramētis nouæ legis verba formaliter proferūt: ergo maiori ratione, & altiori modo, id debuit seruari in hoc sacramēto, quod excellētius est. Hoc verò ex sequēte cōclusione ampli⁹ cōstabit.

De necessitate cōsecrationis est quòd verba significatiuè proferantur, nō verò quod recitentur. Dico tertiò, de necessitate cōsecrationis est, quod hæc verba formaliter proferantur, nō verò q̄ recitetur, Christum ea protulisse. Hæc posterior pars probari facilè potest, quia, si Sacerdos nulla alia proferat verba, nisi sola illa, quibus corpus conficitur, sufficient ad consecrationē: sed, si sola illa proferat, nō referet, Christū illa dixisse: quia nō cōficit propositionem, qua id affirmet: ergo recitatio illa, seu materialis prolatio, nō est de necessitate sacramēti. Dicet aliquis fortasse, ex intentione ministri possunt tunc materialiter tantū proferri, vt, si nō intēdat aliquid affirmare, sed solùm proferre verba similia ijs, quæ Christus protulit. Respōdetur, & hanc intentionē vix esse possibilē, si minister, re vera, intēdit præsentē panē cōsecrare, & estò sit possibilis, constat nulla ratione esse necessariam. Quod præterea explicatur, probando simul, formalem significationem esse necessariam, quia necesse est, vt sacerdos intendat conficere præsentē panē: ergo necesse est, vt hoc ipsum intendat, cùm dicit, *Hoc est, &c.* quod est, formaliter verba illa proferre. Patet consequentia, quia nō potest aliter hūc panē conficere, & transmutare in corpus Christi, nisi hoc significando per verba, quę profert: quia in sacramentis nouę legis nō sunt separabilia illa duo, scilicet, proferre ad efficiēdum, & ad significandum: imò hoc secundū est quasi fundamentum alterius, & magis essentiale sacramento, vt sic.

Obiectio. Dices; ergo, qui priorem opinionē sequitur, cū intēdat verba illa materialiter tantùm proferre, non cōficiet. *Solutio.* Respondetur, aliud esse opinari, aliud intendere; licèt ergo quis opinetur, illa verba materialiter proferre, tamen re ipsa intendit, ea proferre, prout Christi instituit: vnde, licèt quis ex priuato errore intenderet materialiter proferre, tamē quia semper habet intentionē faciendi, prout Christus instituit, necessariò habet implicitā intentionem proferendi verba formaliter, & significatiuè, nec prior intētio hanc posteriorē excludit, sed hæc potiùs illam corrigit. *Obiectio altera.* Dices, quid, si expressa intentione excluderet formalem significationem verborū, ita vt omnino nolit, aliquid verbis illis affirmare. *Solutio.* Respōdetur, dū modo semper retineat generalem intentionem, existimans ob priuatū errorē, vnā non esse cōtrariā alteri, verè cōficiet, quia semper submittet particularē intentionē, quæ materialis est, alteri vniuersali, quæ est veluti formalis, & nō procedēs ab aliquo errore, sed ex absoluta volūtate cōficiendi sacramētū; & ideò est omnino efficax: malè autem faceret minister habendo illā intentionē, & abutēdo sua priuata opinione, præsertim, cū, vel nihil, vel parū probabilis sit; q̄ si adeò esset temerarius, vt directè excluderet generalem intentionē, si suæ priuatæ repugnaret, id est, si intenderet non proferre verba formaliter, etiā si ex Christi institutione ita proferēda sint, tūc nihil cōficeret, quia nō habet debitā intētionē, scilicet, formaliter loquēdi, & proferēdi verba, quæ aliqua ratione necessaria est; sed hic modus intētionis nō potest moraliter accidere, quin potiùs existimo, quidquid speculatiuè opinentur ministri huius sacramēti, practicè tamē nullū esse, qui, cum incipit proferre formā, *Hoc est corpus meū*, nō intendat demōstrare id, quod in manibus, vel coram oculis habet; atque ita formaliter, & significatiuè loqui.

Ad fundamēta primæ opinionis responsio. Ad fundamēta primæ opinionis iā responsum est, illud pronomen, *meum*, non referre sacerdotem, sed Chri-

Universidad de Deusto Biblioteca

Christũ, in cuius persona minister loquitur. Ad primã verò replicã in contrariũ respondetur, illã probare, sacerdoté etiã loqui recitatiuè, nõ verò nõ loqui significatiuè. Ad secundũ Durandi prima expositio est, verba hæc, *qui pro vobis effundetur*, nõ significare effusioné cruentã, quæ facta est in passione, sed incruẽtã, quæ fit in sacramẽto. Vt sensus sit, *qui pro vobis effundetur*, id est, ad bibendũ dabitur separatim à corpore ex vi verborũ, vel certè, vt referatur ad effectũ, quia, cũ sanguine Christi abluamur, quãdo illũ suscipimus, meritò pro nobis effundi dici potest: quę expositio indicatur de cõsec. d. 2. cap. Si quotiescunque. ex Ambr. lib. 4. de sacr. c. vlt. & eã videtur probare Cano. 12. de locis. c. 12. Meliùs Iansen. c. 131. cõcord. dicit, effundi in sacramẽto, nõ esse dari ad bibendũ, seu in nobis infundi, hoc enim modo nõ effunditur, sed de se supponit potiùs peccata remissa. Igitur effundi in sacramẽto, est offerri & libari Deo in sacrificiũ, cui expositioni fauet, quòd in Græcis codicibus de præsente legitur, *effunditur*, & præsertim apud Lucã, non solũ dicitur sanguis effundi, sed calix, quod propriè indicat effusioné sacramentalé. Et ita etiã de præsente legitur in 7. Synodo. actio. 6. tom. 3. in fine; legisse etiã ita videtur, Theoph. Euthy. & alij Græci. Secũda expositio, quæ cõmunior est sine dubio, magisq; literalis est, Christũ fuisse locutũ de cruenta effusione, quæ, quia iã proximè instabat, de præsente etiã significari potuit, quãquã rectè Vulgatus interpres ad exprimẽdũ sensum magis literalé, de futuro verterit, & ita legũt & exponũt, nõ modò Latini Patres, sed etiã Græci, Basil. Damasc. Chrys. superiùs citati, & Scholastici, prȩsertim D. Tho. ar. 3. sequẽt. Hac ergo expositione supposita, ad Durãdi argumentũ responderi potest primò, sicut loquitur Sacerdos in persona Christi, ita sua intentione fieri præsenté illi tẽpori, in quo Christus illa verba protulit: atq; ita illa verba de futuro referri ad tẽpus, pro quo dicta fuerunt; sicut nũc interdũ orat Ecclesia. *Veni Domine & noli tardare.* Sed hoc non placet, quia est sensus valde metaphoricus, & solùm est verus per quandã repræsentationé, & multùm potest derogare veritati huius sacramenti: nã similiter posset quis dicere, illa verba, *Hoc est corpus meum*, non referri ad præsens tẽpus, sed ad illud, pro quo Christus illa protulit. Veriùs ergo dicitur, illa verba de futuro non esse de essentia formæ, & ideò nõ proferri formaliter, sed materialiter tãtùm: sicut enim verba, quæ proximè præcedunt, *Accipite & comedite*, quia non sunt de essentia, proferuntur tantùm materialiter, & immediatè post illa Sacerdos induit personã Christi, & iam nõ tantum recitatiuè, sed formaliter loquitur, ita, finitis essentialibus verbis formę, deponit personã Christi, quia iã expleuit munus, quod sub ea ratione exercebat, & materialiter tantũ sensum, recitationéq; prosequitur. Neque est incõueniẽs in eodẽ cõtextu orationis, quædã verba intermedia significatiuè proferri, cùm antecedẽtia & subsequẽtia solùm proferantur materialiter: quia tota illa oratio cõtinua vnũ integrũ sensum reddit: quia omnia verba recitatiuè proferũtur; quædã tamẽ ex illis sumi possunt vltra hũc sensum significatiuè, propter mysteriũ, quod operãtur, & hos nullã parit cõfusioné, vel æquiuocationé: quia ratio ipsius mysterij, & intẽtio sacerdotis exterioribus signis indicata vtrũq; sensum facilè admittit.

Ambros. Cano. Iansen. 7. Synod. Theophyl. Euthym. S. Thom.

Vnde ad fundamentũ secũdę opinionis negatur, esse impossibile, idẽ verbũ proferri recitatiuè & significatiuè, quãdo vtrũq; potest cadere sub intentioné loquentis, & accõmodari verbis, vt, si quis dicat, Christus docuit orare, dicẽs, *Pater noster*, &c. potest simul recitare factũ Christi & orare; & ita secundũ diuersos respectus potest loqui in persona aliena, & in propria; in propria, quatenus verba alterius refert; in aliena quatenus personã alterius induit, & repræsentat, vt, si Regiũ consiliũ hoc modo sententiã proferat his vel similibus verbis. *Nobis iniunctum est, vt sententiã feramus, dicẽtes*, Ego Rex in hac causa dico, &c. Aliud exẽplũ est, si quis ita loquatur, *Aristoteles dixit, quod ego etiã dico*, Mũdus fuit ab æterno, ille simul recitatiuè proferret illa verba, mundus fuit ab æterno, & significatiuè; nã sic loquẽdo hæretic' esset. Hoc ergo nõ est impossibile, & ita in proposito fit ex intentione Sacerdotis, qui intendit, & verba Christi referre, & circa materiã sibi præsentẽ significare, & facere effectũ similẽ illi, quẽ Christus effecit, & significauit. Dices, illũ duplicẽ sensum rectè cõiungi, quãdo in vtroq; verba habẽt eandẽ omnino significationẽ, vt seruatur in omnibus allatis exẽplis: hic verò habet specialẽ difficultatẽ, propter pronomen illud, *hoc*, quod aliud demõstrat in ore Christi, aliud in ore Sacerdotis. Respõdetur, satis esse, verba esse eadẽ, & eiusdẽ formalis significationis, & demõstrare idẽ proportionaliter, scilicet, corpus Christi, vt cõtentũ sub speciebus prȩsentibus respectiuè. Vnde non repugnat, sacerdoté simul, & eodem verbo referre, Christum dixisse, *hoc*, quod sibi erat præsens, esse corpus suũ, & simul affirmare, hoc, quod sibi est præsens, esse corpus Christi, præsertim quia illa verba, *Hoc est corpus meum*, cõsiderari possunt, vel, vt continuata cũ præcedentibus, vel præcisè, & absolutè, ac si sola dicerẽtur; & priori modo tenẽt materialiter, posteriori verò formaliter.

SECTIO V.

Quomodò sint vera, verba formæ, siquidẽ non supponunt consecrationem factam.

HAnc quæstionem attigit D. Thom. ar. 5. sed quia cõmunis est vtriq; formæ, & ad earũ intelligentiã necessaria, necesse est illã hoc loco expedire. Ratio igitur diffilcultatis est, quia verbũ, *est*, indicatiui modi, coniũgit extrema pro tẽpore in quo profertur: ergo, si in illo instãti nõ est facta cõsecratio, nõ erit vera illa propositio: ergo, vt sit vera, oportet, vt, cũ incipit proferri, supponatur cõsecratio facta. Maior patet: quia copula de præsente non indicat tempus præteritum, vel futurum, sed illud, pro quo profertur. Vnde non videtur satisfacere communis responsio, scilicet, ad veritatem illius propositionis satis esse, quòd in primo non esse verborum, ita sit, sicut per illam significatur, quia illud instãs nõ est præsens, sed futurũ respectu talis locutionis. Et patet exemplo, nam, si quis diceret, *Hoc est album*, de re, quæ erat alba, quãdo copula prolata est, verum diceret, etiam si contingeret, in fine verborum rem illam iam non esse albã: è contrario verò, si tempore, quo propositio proferebatur, non erat alba, licèt in fine esset, propositio esset falsa: quia iam tunc propositio, nec est, nec significat. Propter hanc difficultatem dixerunt quidam Theologi, propositionem illam nudè & ex vi verborum

1. Sententia.

rum consideratã esse falsam, ex intentione tamẽ proferentis habuisse veritatem, quia retulit significationem illius verbi, *est*, ad illud instans, in quo iam propositio non erat. Ita sentire videtur Scot. in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 3. §. Aliter ergo, & Gab. lect. 48. in Canon. litera R. Marsil. in 4. q. 6. art. 1. Maior. d. 8. quæst. vnica.

Scotus. Gabr. Marsil. Maior.

Reijcitur.

Hæc verò sententia, vt proposita est, nullo modo probari potest: nam verba illa Christi in omni rigore, & proprietate, vera esse oportet: quia, si locutio nõ sit vera in propria verborum significatione, quã habẽt ex institutione sua, & communi vsu, non fiet vera propter solã intentionẽ loquentis: quid enim refert intẽtio, nisi verbis ipsis verus sensus exprimatur: & fortasse Scotus & Gab. non aliter censuerũt, vt explicabimus.

2. Sententia. Richar.

Secunda opinio dicit, illam locutionem esse veram: quia sensus illius est, *hoc est, vel proximè futurum est, corpus meum*. Ita Richar. d. 8. art. 3. quæst. 1. ad 5. Sed etiam displicet, tum quia verbum, *est*, in rigore non significat illam disiunctionem, sed tantùm de præsente; tum maximè, quia iuxta illam interpretationem non potest ex veritate verborum colligi, Christum esse præsentem in hoc sacramento in fine prolationis verborum, quod est contra Concilium Triden. Sequela patet, quia illud membrum disiunctionis, *vel proximè futurũ est*, latiùs potest ampliare.

Reijcitur.

3. Sententia.

Tertia sententia est, illam locutionem esse verã, quia in primo non esse illius, ita est, sicut per illam significatur, licèt antea non fuerit, & hoc satis esse in omni rigore & proprietate ad veritatem cuiuscũque propositionis de præsente, quia tota significatio huiusmodi propositionis refertur ad instans, quod est terminus prolationis eius: quia ante illud non est completa, cùm pẽdeat ex prolatione omniũ dictionum sic coniunctarum: vnde ante illud instãs significatio est, quasi inchoata, & incompleta, & suspensa, vt exemplis facilè declarari potest, vt, si quis dicat, *Adam est mortuus*, verum dicit, & tamẽ illa propositio non potest esse vera, cùm profertur copula, nam potiùs, si ibi sistatur, erit falsa: quia significabit, Adam esse: est ergo significatio, & veritas suspensa, donec absoluatur prædicatum: & idem est, in præsente, nam cùm dixit Christus, *Hoc est corpus*, adhuc erat suspensa significatio: quia posset adiungere aliã determinationem, scilicet, *Petri*, vel, *Pauli*, ergo, donec absoluit, *meum*, suspensa erat significatio: cõpletur ergo in primo nõ esse verborũ. Ita Ochã quodlib. 2. q. vlt. & quodl. 30. q. 11. Quæ opinio, quod ad rem Theologicam pertinet, veritatem continet, sed modus explicandi displicet. Primùm, quia aliud est, significationem propositionis compleri in fine prolationis eius, & tunc incipere esse verã vel falsam; aliud verò est, totã significationé propositionis & copulæ referendã esse ad illud instans; primũ enim est verissimũ & rectè explicatũ; quia, vt Aristot. dicit, primo de interpret. copula significat cõpositionẽ, quã sine extremis nõ est intelligere: secundũ verò non est vniuersaliter verũ, quia nõ semper vniuntur extrema pro illo instanti, sed pro alio tẽpore, vt in propositionibus de prȩterito, aut de futuro planè constat, & in propositionibus de præsente patebit ex dicendis. Deinde non placet, quòd illud instans vocetur, primũ nõ esse propositionis: quia cum propositio in illo instanti incipiat esse vera, oportet, vt in eo aliquo modo sit.

Reijcitur etiã Ocham.

Quocirca, vt rẽ breuiter explicemus, suppono primò, instans, in quo cõsummatur sensus propositionis, esse aliquo modo intrinsecũ ipsi ppositioni, ita vt in illo verè sit, imò potiùs sit primũ, in quo incipit esse absoluta propositio. Ita D. Th. hic. ar. 4. ad 3. & ar. 5. ad. 5. & in 4. d. 8. q. 1. art. 3. ad. 6. & 7. & Caie. hic. Et probatur argumento facto quia propositio in eo instãti incipit esse vera, vel falsa: quia veritas indiuisibiliter cõsurgit ex tota significatione & vnione extremorũ: ergo in illo instante est, seu incipit esse propositio. Patet consequẽtia; tũ: quia nõ est propositio, donec verũ vel falsum significet; tũ etiã, quia veritas inest propositioni, vt subiecto: prȩtereà magis physicè hoc declaratur, quia propositio vocalis, de qua loquimur, est sonus dearticulatus, qui licet successiuè causetur ex motu labiorũ, & linguæ, tamẽ in instante terminatur, ita vt tantus sonus, vt sic, incipiat esse instante, sicut tantus calor, vel tantus ignis, & in vniuersum terminus tantæ quãtitatis, qui in instante perficitur: propositio autem tunc primò existit, cùm tantus sonus articulatus est; in quo instante adhuc ille sonus durat, & habet esse: ergo etiam propositio in illo instante realiter existit. Quod tandẽ confirmatur ex effectibus, quia in eo instãte mouet intellectũ, illiq; obijcitur, vt propriũ eius conceptum formet: quia tunc primò complet è significat: sed hę sunt proprietates rei existẽtis: ergo in illo instãti realiter existit propositio. Denique supra agẽtes de sacramentis in genere ostẽdimus, formas sacramentorũ, quæ sunt propositiones quædã, habere esse in instanti, quo consummantur. Vnde facitè soluitur obiectio, si quis dicat, res successiuas incipere per vltimũ non esse, & desinere per primum non esse. Dicendũ est enim, illud esse verũ in rebus, quæ consistunt in continua quadã successione: esse autẽ propositionis non esse huiusmodi, sed potiùs incipere, quando successio terminatur, præsertim quia sonus, licèt successiuè fiat, & citò transeat, non tamen omnino in successione consistit, sed potest interdùm habere plures partes simul durantes.

Instãs consummatiuum sensus propositionis, intrinsecũ est ipsi propositioni. D. Thom. Caietan.

Secundò suppono, verbũ, *est*, indicare tẽpus præsens: quia tamẽ tẽpus non est præsens secundùm aliquam partẽ diuisibilẽ, nisi ratione instantis, ideò ad illius verbi significationẽ, & ad veritatẽ propositionis ex tali verbo cõpositæ, satis est vnũ instans: quia quod in instãte est, verè ac propriè esse dicitur. Quapropter ad veritatẽ huiusmodi propositionis de Indicatiuo, nõ est necesse, vt significatum eius pro aliquo tẽpore successiuo existat, nisi interdũ specialis significatio verbi, aut prædicati hoc requirat, generatim tamẽ loquendo, satis est, quòd in aliquo instante sit: nam licèt huiusmodi propositio successiuè & in tempore à nobis proferatur: quia non possumus, nisi per motum loqui; tamen per hanc successiuam locutionem explicare possumus id, quod in instante fit, aut existit. Quod autem oporteat esse hoc instãs, pro quo veritas propositionis de prȩsente metienda est, non facilè explicatur, nec videtur posse in omnibus verbis, seu ppositionibus eodem modo declarari: quia, licèt omniũ propositionũ veritas in instante terminante propositioné esse incipiat; non tamen semper ab illo instante mẽsuratur. Nam in primis verba significãtia motũ, qui successiuè fit, non possunt nisi tẽpore mensurari. Deinde quædã sunt verba, quæ, dum proferũtur, propriè verificantur, vt in hac propositione, *ego loquor*, quæ, dum profertur, quasi per se ipsam vera est: alia autẽ sunt verba, quorũ veritas mensurari non potest pro

Verbum, est, indicat tẽpus præsens, & ad eius veritatẽ satis est vnũ instans.

De varijs modis, quibus verificatur verbum, est.

Universidad de Deusto Biblioteca

tépore, vel instante, quo proferuntur, sed pro immediatè antecedente, vel sequente, iuxta intentionem loquẽtis, vt in hac propositione; *ego taceo*, nam, cum quis illam profert, tacere non potest. Vnde sensum eius esse oportet; *hactenus tacui*, vel, *iam tacere incipio*, & idem iudicium est de his, *ego dormio, ego bibo*, & similibus, quæ significant actum, vel priuationem locutioni repugnantem; imò ex accõmodatione vsus solet hic sermo ad alia verba extendi, vt, si dicas, *ego venio*, id est, *statim ibo*, Alia deniq; sunt verba, quorũ veritas pro vno instanti existit, vel existere potest, vt sunt illa, quę non significant motũ, sed vel actionem instantaneam, vel existentiam rei permanentis; & in his existimo, in omni proprietate, & rigore sermonis, sufficere quodlibet instans eorũ, quæ coexistunt prolationi propositionis, vt ex illo posit veritas propositionis mensurari: quia nullum tẽpus potest ab homine magis præsens designari, & ad illam præsentiã sufficit vnum instans, siue illud sit cõtinuatiuũ, siue terminatiuum propositionis, & fortasse etiam initiatiuũ sufficit: quia, si res existit, cùm homo incipit loqui, vel dum loquitur, satis propriè affirmare potest, rem illã esse. Quocirca, sicut in propositione indefinita, & termino cõmuni constante, vt vera sit, satis est, vt verificetur ꝑ vno singulari, quodcunq; illud sit ita, vt hæc propositio indicantis modi de præsente sit vera, sufficit vnũ instans prolationis, quodcunq; illud sit; & intrà hanc latitudinẽ potest valere intentio proferentis, vt ad vnũ vel ad aliud instans dirigat sui sermonis significationem; peæsertim, quia vltimũ instans propositionis aliquo modo pendet ex intentione proferentis, quatenùs potest addere predicato vnã, vel alterã determinationẽ, à quibus pendeat sermonis veritas, quæ nulla est, donec extrema propositionis sint integrè prolata: quia (vt rectè Caietanus dixit) sunt veluti suspensa; quatenùs sunt partes talis compositionis; statim verò, ac prædicatũ omnino absoluitur, incipit propositio suam veritatẽ, vel falsitatẽ habere. Quæ doctrina generalis esse mihi videtur, tã ad propositiones speculatiuas, quàm ad practicas, seu operatiuas, quanquam multi Theologi inter eas diuersitatẽ cõstituant; ꝙ propositiones practicæ verificentur pro vltimo instante, speculatiuę verò pro instãte, in quo incipiunt proferri: quia, cùm tantùm explicent mẽtis conceptionẽ, supponunt iam rem conceptã esse. Ita videre licet in Palud. d.8. q.3. ar.1. conclu.3. Capreol. ibi ad 1. cõtr.1. cõcl. Ferr. 4. cõt. gẽt. c.63. in fine; sed quod dixi, est magis consentaneum D. Thomæ citatis locis, & ita sentiunt Caiet. Soto, & alij; & ex discursu facto satis patet, & in præsente mysterio declarari potest: nam, si eodẽ tẽpore, quo Sacerdos dicit, *Hoc est corpus meũ*, dicat laic⁹, *Hoc est corpus Christi*, quanuis sermo vnius sit operatiuus; alterius verò solùm speculatiuus, seu ostẽsiuus, vterq; tamẽ verus est: quia in instante, in quo vtraque propositio absoluitur, habet conformitatẽ cum re, quã significat: solùm est differentia, ꝙ quando locutio est operatiua, ipsa facit suã veritatem, non verò quando est tantùm ostensiua. Vnde etiam fit, vt, quãdo locutio est operatiua, seu conuersiua, necessariò referat suã veritatem totam ad vltimum instans, quia in eo operatur, & non antea; quando verò locutio est speculatiua, de se non determinatur ad illud instans, sed est indifferens, vt pro ratione rei significatæ in vno, vel alio instante verificetur, & hoc sensu accipienda sunt, quæ Caietan. hic docet, & eadem ferè sentit Gabr. & Sotus non contradicit; & candem doctrinam videtur amplecti Carth. d.10. quæst.5. Ledesma. quæst.19. art.5. dub. vlt.

Palud. Capreol. Ferrra.

Gabriel. Sotus. Carthus. Ledesm.

Ex his ergo facillimè explicari potest, quo sensu locutio illa Christi vera esse potuerit: nã in primis ad eius veritatẽ necessariũ fuit, vt saltem in vltimo instante prolationis ita esset, sicut per illã significabatur. Deinde cõstat etiam ex dictis, hoc satis fuisse ad illius propositionis veritatẽ; imò nõ potuisse aliter propositionẽ illã verificari, quia erat locutio practica & conuersiua. Dices, quid, si Deus in illo instãte impediret conuersionẽ? Dicũt aliqui, etiam tunc futurã propositionẽ veram, quia sensus est. *Hoc est corpus Christi ex vi verborum, si aliunde non impediatur*; sicut est etiam vera propositio, *Ego te absoluo*, etiãsi propter impedimentũ non maneat pœnitens absolutus. Sed illa hypothesis cõtradictionem inuoluit, supposita Christi locutione, & institutione: quia sicut impossibile est, Christum mentiri, ita impossibile est, ipso dicente, *Hoc est corpus meum*, Deum impedire conuersionẽ, vel ad illam non concurrere. Vnde ego existimo, posita illa hypothesi, propositionẽ tunc esse falsam: quia sensus illius nõ est vllo modo cõditionatus, sed omnino absolutus, simpliciter significans, hoc ita esse, & similiter institutio, & efficacia horum verborum est simpliciter absoluta, & infallibilis, si à debito ministro, debita intentione, & super debitam materiam proferantur.

SECTIO VI.

An prædicta Christi verba ratione suæ veritatis hoc mysterium perficiant.

EX dictis sectione præcedẽte dubiũ inter Theologos controuersum oritur, an illa verba efficiant conuersionẽ, vt vera. Et est ratio dubij, quia, si efficiũt cõuersionẽ, priùs natura sunt, quàm corpus Christi sit sub speciebus, cùm priùs natura efficiãt: ergo efficiunt priùs natura, quàm sint vera: quia non sunt vera, donec Christus intelligatur sub speciebus: quia veritas cõsistit in cõformitate ad rẽ significatam: vnde non potest esse prior natura, quàm illa, sicut non potest esse relatio prior natura, quàm terminus. In contrarium verò est, quia, si verba non efficiunt vt vera, efficiunt vt falsa: patet sequela, quia efficiunt, quatenus significant: ergo priùs natura significant, quàm efficiant: ergo in illo priori naturæ significant verè vel falsò: quia necesse est significationem terminari ad rem significatã: ergo, vel terminatur ad illam, vt est in re, & sic erit vera; vel non, & ita erit falsa.

Primus modus dicendi refellitur.

Ad hanc difficultatem aliqui dicunt, veba non priùs natura significare, aut esse vera, vel falsa, quã efficiant; quia significatio, cùm sit tantùm extrinseca denominatio in verbis, non potest esse ratio agẽdi, & ideò, quanuis verba, quę significant, efficiant, non tamen efficiunt, quatenùs significant; ac proptereà, quanuis verba, quantum ad realem entitatem suam priùs natura sint, quàm efficiant, non tamen priùs natura significant: quia significatio concomitanter se habet ad efficientiam, non causaliter. Sed hæc responsio fugit potiùs, quàm declarat difficultatem: quia, licèt verba non efficiant physicè per significationem, sed per suam entitatem, significatio tamen est aliquo modo conditio ex parte diuinæ institu-

institutionis prauia, & necessaria ad illam causalitatem: est enim conditio, sine qua Deus non vteretur verbis, vt instrumento. Hoc ergo modo dicendum est, verba priùs natura significare, quàm efficere. Et confirmatur primò, quia sacramentum priùs natura est sacramentum, quàm efficiat: ergo priùs natura est signnm: ergo, cùm hæc verba sint sacramentalia, priùs natura significant, quàm efficiant. Confirmatur etiam ex distinctione communi Theologorum, & Concil. Trident. quædam in hoc sacramento fieri ex vi verborum, quædam per concomitantiam: quæ distinctionis membra ex significatione verborum distinguũtur: ergo ordine naturæ supponitur significatio ad efficientiam, & est velut ratio & mẽsura eius. Dicunt aliqui, has rationes procedere de significatione in actu primo, non verò in actu secundo. Sed non video, quomodo posit hæc distinctio præsenti instituto accõmodari: quia, supposita institutione verborum, & debita eorum prolatione, non apparet, quomodò in eis posit distingui significatio in actu primo, & secundo, nisi actus secundus vocetur actualis motio alicuius intellectus ad congnoscendam rem significatam. Sed hæc est impertinens, quia neque est necessaria ad rationem sacramenti, neque ad efficientiam: significatio ergo, de qua loquimur, tantùm consistit in aptitudine, quam res habet ex impositione ad repræsentandum aliquid: non est ergo in ea distinctio actus primi, & secundi.

Secundus modus dicendi impugnatur. Soto.

Secundò ergo Soto suprà respondet, conuersionem panis & veritatem verborum adinuicem esse priorem & posteriorem in diuersis generibus causarum; nam conuersio, inquit, est prior in genere causæ materialis; veritas autem est prior in genere causæ efficientis; & exemplum ponit in apertione fenestre, & ingressu aeris. Sed hæc doctrina, & generaliter obscura est, & illo exẽplo non bene explicatur, nã licèt impulsus aeris sit prior in genere causæ efficientis, quàm apertio fenestræ; tamen ingressus aeris non est propriè prior in illo genere. Ac deniq; quicquid sit de alijs materijs, in præsente non bene accommodatur, neque expedit difficultatem positam: quia, cùm veritas consistat in adæquatione ad rem, non potest esse causa efficiens sui termini, nec prior naturã illo in aliquo genere causæ: quia relatio nullo modo potest esse prior natura suo termino. Dicunt aliqui, cùm veritas sit relatio rationis, nihil obstare, quominus intelligatur priùs natura, quàm terminus eius. Sed hoc dici nõ potest de propositione significãte existentiam rei actualem, & præsentem, quia veritas eius consistit in adequatione ad illam, vt existentem; & ad hoc nihil refert, ꝙ veritas sit relatio rationis, vel realis. Et his rationibus confutatur opinio, quam indicat Capreolus suprà, ad. 1. cont. 5. cõcl. scilicet, verba illa, vt vera, esse causam existentiæ Christi in sacramento, & ita etiã vt vera esse priùs natura, & in nullo genere esse posteriora, etiam vt vera: quia res significata nullo modo est causa veritatis propositionis: & hoc vltimum docuit etiam Ledesma suprà. Sed non videtur esse consentaneum Aristoteli dicenti, ex eo, quòd res est, vel non est, propositionem esse veram, vel falsam, sicuti enim posito fundamento & termino resultat relatio, ita, posita propositione, & re significata resultat veritas per illam: ergo &c.

Capreol.

Ledes.

Tertius modus dicendi

Tertio Caietanus distinguit veritatem speculatiuam, & practicam, & dicit, verba illa vtrãq; habere veritatem, tamen, vt sunt vera practicè, esse causam præsentiæ Christi, & hanc veritatem antecedere natura suum obiectum, quia est causa illius; tamen vesic, seu in illo priori naturæ non esse vera speculatiuè, sed hanc veritatem resultare posteriùs natura, posito effectu. Sed in hac opinione non est facile ad explicandum, quid sit veritas illa practica in huiusmodi verbis: quia illa verba, licèt significẽt aliquid, quod non erit sine operatione eorum, non tamen significant modo practico, neq; aliter, quàm significarent ante institutionem, à qua nunc habent efficaciam: veritas autẽ fundatur in significatione, & modo significationis: ergo in illis verbis nulla est veritas practica, nisi fortasse ipsa efficatia verborum dicatur veritas practica, quæ magis erit veritas in causando, quàm in significando. Et confirmatur, quia si est veritas, debet consistere in conformitate ad rem significatam, sed illa verba, vt priora natura, nullam conformitatẽ habent: ergo neque veritatem. Minor patet, quia in illo priori non intelligitur esse terminus, quẽ respicit ipsa conformitas. Confirmatur deniq;, quia (quidquid sit de veritate practica) interrogo, an verba efficiant, prout vera speculatiuè, nec ne; & redit difficultas in principio tacta: quia illa verba efficiunt, quatenus significant, non tantum practicè, sed etiam speculatiuè: ergo quatenus verè, vel falsò significant.

reijcitur. Caietan.

Sententia Scoti proponitur. Scot.

Quartò, Sotus loco suprà citato dicit, verba non efficere, vt vera: quia ex efficientia eorũ resultat eorum veritas: imò indicat, totã significationẽ propositionis priùs duratione esse, quàm illius veritatem eo modo, quo instans est duratione posterius tẽpore, quod ipsum immediatè antecedit: quia ipse existimat, significationẽ ꝓpositionis perfici in tẽpore, veritatẽ autem eius incipere esse in primo non esse propositionis. Hoc tamẽ vltimũ ipse solùm dubitãdo proponit; tamen iuxta ea, quæ suprà diximus, stare nõ potest; tũ, quia suprà ostẽdimus, illud instans, in quo propositio incipit esse vera, nõ esse extrinsecũ, sed in illo propositionẽ intrinsecè durare, & cõsummari significationẽ eius; tum etiam, quia, si admittamus, totã propositionẽ, & significationẽ eius cõsummatã esse in tẽpore antecedẽte necesse est, vt dicamus, in eodem fuisse verã vel falsam: quia, vel significatum eius referebatur ad tempus, pro quo ipsamet propositio proferebatur, & sic necesse est, vt pro eodem tempore habuerit conformitatem, vel difformitatem ad rem significatã, & consequenter, vt fuerit vera, vel falsa: vel referebatur ad instans, quo terminatur ipsa propositio, & redit fere idem argumẽtum: quia si in eo instãte ita res est, sicut per propositionẽ significatur, propositio fuit vera, si verò res ita non est, fuit falsa. Vnde nũquam fuit veritas vel falsitas suspensa, sed determinata ad alterutram partem, sicut in propositionibus de futuro, licèt earum significatio referatur ad futurũ tempus, nihilominus earum veritas & falsitas non est suspensa, seu indifferens, sed determinata iuxta exigentiam obiecti.

Ex parte probatur. Durand. Carthus. S.Thom.

Prior verò pars huius sententiæ probabilis est, quam videtur etiã sequi Duran. d.8. q.2. & Carth. q.5. & fauere videtur D.Th. hic ar.5. ad 3. Et potest ita explicari, nam significatio propositionis significantis existentiam rei, non pendet ab existentia rei significatæ, veritas autem pendet ab existentia rei significatæ. Vtrũque facilè patet ex Dialectica, quia propositio ex vi suæ impositionis significat, siue ita sit,

sit, siue non sit, quod per illam significatur: indeque oritur, quod Dialectici dicunt, eandem propositionem posse esse veram, & falsam, successiuè: veritas autem non conuenit propositioni ex vi solius impositionis, sed requirit prætereà cõformitatem cum re significata.

Ex quo principio sequitur primò, posse propositionem vt significatem intelligi priùs natura, quam existat res significata, quia tam impositio, quàm significatio eius est independens ab illa re, & fieri potest, vt res ipsa dependeat in aliquo genere causæ à propositione significante.

Sequitur secundò, posse propositionem priùs natura significare, quã vera, vel falsa esse intelligatur: quia est magis independens in significãdo; & quia comparatur ad veritatem, vt subiectum ad proprietatem, vel sicut vniuersale, seu indifferẽs, ad particulare, seu determinatum. Neq; contra hoc procedit ratio in principio facta; tum quia significatio, vt sic, terminatur ad rem secundùm se, abstrahendo à conformitate vel difformitate rei significatæ: tum etiã, quia prioritas naturæ solùm est prioritas dependentiæ: vnde non rectè colligitur, in aliquo instanti vel signo propositionem significare, in quo non sit vera vel falsa; sed solùm potest inferri, aliquid pendere à significatione propositionis, quod non dependeat à veritate; & ab aliquo pendere veritatem, à quo non pendeat significatio, ac denique veritatem resultare à significatione & effectu eius, quę omnia vera sũt, & absque difficultate.

Sequitur tertiò, illam Christi propositionem, *Hoc est corpus meum*, efficere pręsentiam Christi, non quia vera est, sed vt vera sit; & consequenter, licèt priùs natura significet, quàm efficiat, non tamen priùs natura est vera: efficit enim rẽ, quam significat; & ex illo effectu resultat conformitas in ipsa ad rem significatam, & quia hoc totum est in illo eodem instante, hoc sufficit ad illius veritatem: quod apertè docuit D. Thom. suprà, & Scotus, Duran. Carth. locis citatis; & explicatur exemplo, nam, si calor in instanti faciat calorem, consequẽter facit, vt resultet similitudo inter calores, non tamẽ facit calorem, quatenùs similis est, licèt ex efficiẽtia resultet similitudo.

Addo deniq; vltimò, hæc omnia rectè procedere de propria veritate speculatiua, seu enunciatiua. Quod verò Caietanus addit de veritate practica, nõ omnino reijciendum est, sed dici potest hæc forma efficere, quia vera practicè est: quia illa propositio efficaciam habet infallibilem, vt suam veritatem efficiat, ratione cuius potest aliquo modo dici vera practicè: quia veritas consistere videtur in conformitate ad intentionem & potestatem loquẽtis: vnde potest esse prior, quàm conformitas ad rem significatam, vt cùm quis dicit, hoc à me fiet, intentione faciendi, practicè verum dicit, licèt fortasse cum re significata non sit conformitas speculatiua: quia de facto futura non est, & quamuis de facto contingat habere vtramq; cõformitatem, tamen potest vna præintelligi naturâ prior, & independentior altera. Sic igitur illa verba Christi possunt dici vera practicè etiam priùs natura, quam efficiant, quia erant conformia intentioni loquentis, à qua priùs natura prodeunt, quàm efficiant, & vt sic sunt vera, quia prodeunt ab intentione efficaci, & cum sufficiente virtute ad suam veritatem efficiendam, & ita possunt dici efficere, quia vera practicè sunt. In his igitur formarum verbis primò intelligitur materialis verborum sonus, deinde significatio, posteà conformitas cum intentione & potestate loquentis, quæ est veritas practica, ex hac subinde subsequitur efficientia, & consequenter præsentia corporis Christi, ac tandem speculatiua veritas, quæ consurgit, posito illo effectu, qui est terminus conformitatis.

SECTIO VII.

Quid designetur in forma per pronomen, hoc, *vel*, hic.

De sensu harum formarum diximus multa suprà disputatio. 46. agentes de reali præsentia corporis Christi in hoc sacramento: vbi conclusimus, illo pronomine, *hoc*, designasse Christum id, quod habebat in manibus, & discipulis tradebat, in quo Catholici omnes conueniunt, dissentiunt tamen in explicando in particulari, quid illud sit, an substantia panis, an accidentia, an corpus Christi, an aliquid commune.

Prima sententia. Primus modus explicandi hanc sententiam. Bonauent. Ocham. Vvaldens.

Prima sententia est, pronomen, *hoc*, designare panem. Quod varijs modis exponitur, primo, vt re vera, designet panem, quatenùs in sua substantia adhuc permanet; totam autem propositionem non esse substantiuè, sed transitiuè interpretandam, scilicet, *hoc est corpus*, id est, transit in corpus, seu ex hoc fit corpus. Ita Bonau. dist. 8. part. 2. & idem ferè docet Ocham. in 4. d. 8. & Holcot. q. 3. insinuat etiã Vvaldens. tom. 2. ca. 50. in fine. Sed hæc opinio nullo modo à Catholicis sustinenda est: corrumpit enim propriam significationem verbi, *est*, quod si semel permittatur, nulla est vis in huiusmodi verbis ad probandam realem præsentiam corporis Christi, vt ex suprà dictis patet. Item probari non poterit, substãtiã panis hic nõ manere; quia, sicut ipsi exponũt, *hoc*, id est, panis, trãsit in corpus, ita hęreticus poterit exponere, *hoc*, id est, panis, retinet, vel repræsentat corpus. Prætereà illud pronomẽ, *hoc*, positũ in recto, & substantiuè sumptum, non rectè accõmodatur ad rem præsentem, prout est nota sensibus & per se patet, vt, signato Petro, non rectè dicitur, *hoc est doctor* vel quid simile, sed, *hic*, quia illud pronomen, *hoc*, sic vsurpatum designat rem sub conceptu valde cõfuso & vniuersali, sub quo nõ rectè designatur res, quæ sensibus claré & distinctè nota est: ergo non designauit Christus illo pronomine panem: quia est res masculini generis, & per se nota sensibus.

Secundus modus explicandi superiorem sententiam.

Secundus modus explicandi est, illud pronomen designare substantiam panis, non vt est in se, sed vt est conuersa in corpus Christi, in termino prolationis verborum. Ita referũt antiqui Theologi. Sed hoc nihil est dictu: quia in instanti conuersionis non est panis, sed corpus Christi, & panis vt conuersus, nihil est, nisi corpus Christi.

Tertius modus explicandi prædictam sententiam impugnatur.

Tertius modus est, pronomen, *hoc*, designare substantiam panis, non vt panis est, sed vt hæc substantia, vel hoc ens. Sed hæc explicatio supponit falsam sententiam, suprà improbatam, quòd eadem res vel substantia, quæ priùs erat panis, sit posteà corpus Christi: nullo ergo modo illud pronomen potest designare panis substantiam, cùm illa nõ possit verè dici, esse corpus Christi, nisi metaphoricè explicãdo significationem verbi, *est*, quod secundùm rectam fidem fieri nõ potest.

2. Sententia.

Secunda principalis opinio est, pronomen, *hoc*, designare accidentia, seu species panis: quia illud pronomen designat rem sensibilem, quæ est eo tempore, quo fit designatio, & manet, quando perficitur significatio verborum: in hoc autem mysterio nihil est in principio prolationis verborum, & permaneat in fine præter accidẽtia. Hæc opinio tribuitur D. Thom. hic art. 1. Ruard. art. 13. Sed longè alia est D. Thomæ sententia, vt videbimus. Hæc verò opinio, si intelligat, sola accidentia propriè & in recto designari, eadem ratione reijcitur, qua præcedens: oportet enim, vt corrũpat propriam significationem verbi, *est*, quia accidentia panis non sunt corpus Christi: exponetur ergo, *hoc est*, id est, hoc continet corpus Christi: quod est dare ansam sacramentarijs, vt expleient, *hoc est*, id est, hoc significat corpus Christi. Si verò hæc opinio intelligat, designari accidentia non in recto, sed in obliquo, verum quidem dicit, sed non explicat difficultatem, scilicet, quid sit illud, quod sub accidentibus in recto designetur.

D. Thom. Ruard.

3. Sententia.

Tertia sententia dicit, pronomen, *hoc*, designare corpus Christi: quæ varijs modis intelligitur. Primo, vt intelligatur corpus Christi, prout est in se, & in propria specie, quem sensum indicat Ocham, quodl. 2. q. vlt. clariùs Maior dist. 8. q. vnica, in solutione 1. argumenti dub. 4. qui dicit, posse demonstrari corpus Christi prout est in cælo, intendendo, quòd prolatis verbis incipiat esse sub hostia hac. Sed hic sensus nullo modo potest adaptari verbis, quia verba non dicunt, hoc esse, vel incipere esse sub his accidẽtibus, sed, hoc esse corpus meum. Vnde suprà contra hæreticos argumentabamur, si pronomen, *hoc*, demonstraret corpus, vt est in propria specie, locutionem hanc fore valde friuolam, quia solùm indicaret rem per se notam & claram, scilicet, corpus Christi esse corpus Christi, & nihil pertinentem ad rem, de qua Christus agebat, cùm sacramentum panis & vini discipulis distribuebat: vnde iuxta illam expositionem, nec præsentia corporis Christi, nec transmutatio panis ex vi verborũ significaretur. Addo denique, cùm corpus Christi, prout nunc est in propria specie, sit absens, nõ posse propriè designari pronomine, *hoc*.

Ocham.

4. Sententia.

Quarta ergo opinio sit, demonstrari illo pronomine, *hoc*, corpus Christi prout est sub accidentibus panis in termino prolationis verborum. Ita sentiũt. Alens. q. 33. memb. 3. art. 2. §. 1. Maior suprà, Marsil. in 4. q. 6. art. 1. dub. 7. Gabr. lect. 48. & 52. in Canone. Richard. d. 8. art. 3. q. 1. Angel. verb. Euchar. 1. Ex quibus autoribus Alensis & Maior dicũt, designari corpus Christi, vt significatum per accidentia panis, vt sensus sit, *hoc, quod significatur his accidentibus est corpus meum*. Sed accuratè hoc interpretandum est, quia absolutè dictum continere potest sensum hæreticum: quia posset corpus Christi significari per accidentia panis, etiã si non esset pręsens, & verum esset dicere, quod significatur per hæc accidentia, est corpus Christi: sed hi autores Catholicè explicant, demonstrari corpus vt significatum per accidentia, tanquam realiter præsens, & contentum sub illis; & in idem ferè reddit, quod Marsilius & alij exponunt, sensum verborũ esse, *hoc, in quod panis conuertitur, est corpus Christi*, nõ formaliter sub ratione termini cõuersionis: hoc enim gratis & sine fundamento diceretur, sed materialiter; quia, scilicet, demonstratur corpus Christi. Fundamentũ autem huius opinionis sic explicatæ est, quia in propositionibus practicis & effectiuis, subiectum, si sit aliquod pronomen demonstratiuum, demonstrare solet ipsum prædicatum: sed talia sunt verba consecrationis: ergo in eis subiectum, *hoc*, demonstrat prædicatũ, quod est corpus Christi. Maior patet, primùm exemplis, si quis discribendo circulum dicat, *hic est circulus*, vel si Christus ad conuertendã aquã in vinũ diceret, *hoc est vinum*, vel si Deus daret virtutem his verbis, *hic est angelus*, ad producẽdum angelum: in his enim intelligitur subiectum demõstrare prædicatũ. Ratio est, quia in hoc genere locutionis est veluti suspensa significatio, & demonstratio subiecti, donec absoluta sit propositio: includit enim quãdam necessariam habitudinẽ ad prædicatum ipsum. Optimum exemplum esset, si Christus consecrasset his verbis: *hoc corpus meum vobis trado*, non conficiendo conuersionem vsq; ad vltimũ instans verborũ, quod non fuit impossibile; & tunc rectè intelligitur, subiectum demonstratum fuisse corpus Christi, quanuis non adsit, donec absoluãtur verba, vel, si transmutando propositionem diceret, *corpus meũ est hoc*, vel sicut in Græcis exemplaribus legimus 1. ad Corinth. 11. *Hoc meum est corpus*, vbi particula, *meum*, licèt priùs proferatur, ad corpus refertur: ergo necesse est totam significationem extremorum esse suspensam, donec absoluatur propositio, & ita nihil obstat, quominùs demõstratio subiecti ad prædicatum ipsum referatur: sicut in hac propositione; *pater respicit filium*, subiectum perfectè percipi nequit sine prædicato. Cõtra hanc verò sententiã obijci solet, tũ, quòd iuxta illam interpretationẽ propositio esset identica. Tũ etiam, quia per hãc formã nõ fit, vt corpus Christi sit corpus Christi: ergo neque hoc significatur: quia forma significat quod dicit: ergo in illo subiecto non demonstratur corpus Christi. Tũ deniq;, quia in propositionibus, in quibus subiectũ demõstrat prædicatũ, si res significata nõ supponatur toti propositioni, poterit quidẽ demõstrari ad intellectũ, nõ tamẽ ad sensum: quia sensui nõ ostẽditur, nisi, quod iã est præsens, & existit: hic autẽ fit demõstratio ad sensum: ergo, cũ corpus Christi nõ adsit, quãdo pronomẽ, *hoc*, profertur, nõ poterit per illud demõstrari.

Alens. Maior. Marsil. Gabriel. Richard. Angel.

Dissoluuntur fundamenta prædicta sententia.

Sed hæc satis probabiliter dissolui possunt. Primò enim non magis sequitur, hanc propositionẽ esse identicã, quàm omnem aliam, in qua subiectum demonstrat prædicatũ, vt in hac, *Hic est filius meus dilectus*; quia, vt propositio non sit identica, satis est, rem eandem magis confusè demonstrari per subiectũ, quàm per prędicatum. Ad secũdùm respondetur, per actionem substãtialem, præsertim quæ non fit ex præsupposito subiecto, nõ fieri propriè, vt vnum sit aliud, sed fieri vt aliquid sit; & ita in præsente nõ fit, vt corpus Christi sit corpus Christi, sed vt corpus Christi sit sub speciebus. Quocirca, licèt per verba significetur id, quod fit, non tamen eo modo, quo fit: significatur enim cõplexè, & attribuendo vnũ alteri: fit autem actione simplici: qua corpus Christi sub speciebus cõstituitur: ac propterea, licèt subiectũ demonstret prædicatum, non ideò in illa propositione significatur, corpus Christi fieri corpus Christi, sed significatur, corpus Christi esse, quod per actionẽ cõuersiuam fit, sicut in illo exẽplo, si per hæc verba, *Hic est angelus*, fieret angelus non propterea significaretur, angelum fieri angelũ, sed angelum esse, qui fit. Ex quo obiter optima reddi potest ratio, ob quã in hac forma meliùs dictũ est, *hoc est*, quã, *hoc fit corpus meum*, quia, cùm dicitur aliquid fieri tale, significa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur tendẽtia vnius rei ad aliam, & distinctio aliqua inter rem & terminũ, ad quẽ tẽdit; at verò cùm dicitur, hoc esse tale, non significatur talis habitudo, seu distinctio. Ad tertium respõderi potest, vt fiat demonstratio ad sensum, satis esse, rem, quæ demõstratur, fieri sensibiliter præsentem in fine prolationis verborum, vt, cũ Christus dixit, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem*; nõ videtur tantũ facta demonstratio ad intellectum, sed etiam ad sensum, quia demonstratum est præceptum, quod auditui statim obiectum est. Et potest etiam addi, inchoari quidem significationem per demonstrationem factã intellectui, terminari verò ad demõstrationem factam sensu, quod in omni sententia videtur necessario dicendum, saltem secundùm ordinem naturæ, vt, scilicet, hæc verba prius natura demonstrent ad intellectũ, quàm ad sensum: quia verba hoc faciunt, quod significant; id autem significant, quod designant, illud ergo designant, quod faciũt, priùs ergo natura designãt, quã efficiãt: quia priùs natura significant, quàm efficiant, vt suprà dictũ est: ergo illa designatio, vt ordine naturæ antecedit, fit ad intellectum, cùm nondum sit res facta præsens sensibus. Et hæc sententia sic explicata & defensa est valde probabilis, & absque vllo inconueniente.

5. Sententia. Quinta tamen sententia est, illo pronomine formaliter ac per se primò designari aliquid commune substantiæ panis ac corpori Christi; commune (inquam) non secundùm rem; illud enim nullum esse potest, vt suprà contra Caietanum disputatum est, sed secundùm rationẽ, seu denominationem, nimirùm, sub ratione contenti sub his accidentibus, ita vt sensus sit, hoc, quod sub his accidentibus continetur, & corpus meũ. Ita sentit Guitmũd. lib. 2. de hoc mysterio in fine, & videtur esse sententia D. Tho. hic art. 5. & in 4. d. 8. q. 2. art. 1. ad 1. q. 4. ad 1. Scoti q. 2. art. 3. Durãd. q. 2. ad 1. Capreol. art. 3. ad 1. Scoti, contra primam cõclu. & ad argumẽta. cõt. 5. concl. Palud. q. 3. & aliorũ ibi. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 5. §. & 4. Ferrar. 4. cõt. g. c. 63. Caiet. to. 2. opusc. tractat. 2. c. 7. Iãsenij. c. 131. Concord. Soto d. 11. q. 1. art. 1. Altisiod. lib. 4. tract. 5. c. 2 AEgid. Theorem. 42. Victor. in sum. n. 75. Ledelm. q. 19. art. 5. & eãdem sequitur Bellarm. lib. 1. de Eucha. 11. & Richard. & multi alij ex autoribus citatis in præcedente sententia non multũ ab hac discrepant. Fundamentũ huius sententiæ est, quia iuxta hanc explicationem, & veritas illius propositionis est facillima, & accommodatissima propriæ significationi verborum, & valde apta ad explicandã conuersionem, quæ per hæc verba significatur, & efficitur. Explico singula; quia pronomẽ, *hoc*, substantiuè sumptum, demõstrat substantiã, quæ mediis accidentibus sensibus obijcitur, vt constat ex vsu vocis: in illis autẽ verbis Christi, pronomen, *hoc*, substantiuè sumitur, cùm locũ habeat integri subiecti in propositione illa: ergo designat, seu demõstrat in confuso ens, siue substantiam contentam sub illis speciebus. Dices, rationẽ hanc non posse accommodari formæ calicis, vbi pronomen, non substantiuè, sed adiectiuè sumitur, cũ dicitur, *Hic calix nouum testamentum est*. Respondetur, apud Matthæũ & Marcum in textu Græco non legi, *hic est*, sed, *Hoc est sanguis meus noui testamenti*, & ita fuisse vertendũ cẽset Iansen. c. 131. Concordiæ, & refert Cyprian. Epist. 63. ita legentẽ. Refertur etiam Iustinus Mart. apol 2. in fin. Latinus tamẽ interpres vulgatus in masculino vertit, *Hic est*, & ita legunt antiqui Patres omnes & vniuersa Ecclesia, vt videre licet in omnibus liturgijs, quæ in lib. 4. Biblioth. referuntur; & apud Cyprian. & Iust. citatis locis ita etiã habent emendatiores codices. Et potest reddere eundẽ sensum: nam etiam pronomen masculini generis potest substãtiuè accipi, vt apud Matt. c. 17. *Hic est filius meus dilectus*; & Exodi 16. vbi interrogantibus Hebræis, *Quid est hoc?* Respondit Moyses, *Hic est panis, qui de cælo descendit*. Quod si hæc adiectiuè interpretemur, subintelligẽdo aliquid, verbi gratia, hic homo, vel hic cibus, eodem modo interpretabimur terminos huius formæ, vt cùm dicitur, *Hic est sanguis*, subintelligi poterit, hic potus, vel hic calix, sicut expressiùs habent Lucas & Paulus. Et eadem ratione in forma panis subintelligi potest, cùm dicitur, *hoc est corpus*, hoc edulium, vel hoc ens contentum sub his speciebus, & ita redit idem sensus, quem hæc opinio & ratio facta intendunt, quia semper subintelligitur demonstrari aliquid sub ratione communi ipsi pani & corpori Christi, vino ac sanguini, nimirùm, sub ratione cibi, vel potus, edulij aut calicis, vel entis sub his speciebus contenti.

Deinde hinc patet, hanc interpretationẽ esse accõmodatam propriæ significationi verborũ: quia, & pronomẽ, *hoc*, statim ac profertur, demõstrat id, quod præsens est sensibus: ergo demonstat contentum sub his accidentibus, quæ præsupponuntur, & subijciũtur sensibus, & demõstrat illud sub ratione confusa, scilicet, contenti sub speciebus, quæ ratio tunc etiam præsupponitur existens, licèt non in eadem re indiuidua, & materiali, in qua permanet in termino prolationis verborum: propositio tamẽ est vera ac propria; quia nõ designatur hæc res materialis sub propria ratione, sed simpliciter aut formaliter sub ratione cõtenti sub speciebus, quod in fine prolationis est corpus Christi. Dices, imò videtur pronomẽ, *hoc*, designare subsantiam illam, quæ tũc est sub accidentibus, quando ipsum profertur: quia illa est tunc præsens, & pronomen, *hoc*, demonstrat rem præsentem, imò propriè videtur demonstrare hoc sensibile, in quo includitur substantia, quatenus vnum concretum cum accidentibus componit. Et augetur difficultas, quia pronomen, *hoc*, ex propria impositione tãtùm designat substantiam, cui hæc accidentia inhærent, quæ solùm est substãtia panis. Respondetur ex doctrina tradita præcedẽte sectione, pronomen, *hoc*, posse cõsiderari, vel per se, vt est simplex quidam terminus habens significationem incomplexam, & hoc modo significatio eius est vaga & multiplex, & quasi æquiuocata: cũ enim signo, *hoc*, ibi sistendo, ex vi talis vocis possum designare, vel solum accidens, vel solum substantiuum, vel cõpositum ex vtroq;. Quapropter, dum profertur talis propositio, suspẽsa est significatio illius termini, donec absoluta propositione determinetur. Secundo ergo potest cõsiderari significatio huius vocis, quatenus est extremũ alicuius propositionis, & cõponit vnum integrum significatum eius, quod non est, donec absoluatur ꝓpositio, quia, vt Aristoteles dixit, propositio significat aliquid, quod siue extremis non est intelligere; & hoc modo significatio talis termini non est integra, donec absoluatur ꝓpositio. Ad difficultatẽ ergo ꝓpositam respõdetur illud pronomẽ, *hoc*, non designare substantiã panis, cùm primũ profertur, cùm tũc habeat, quasi suspensam, & indeterminatam, significationem suam tantùm ergo

Guitmund. D. Thom. Soto. Durand. Capreol. Palud. Antonin. Ferra. Caietan. Iansen. Scotus. Altisiod. Ægidius. Victoria. Bellarm. Ledesma. Richard.

Obiectio.

Soluitur.

ergo designat hoc sensibile seu contentũ sub specie bus, quacunq; ratione sub illis existat, in fine tamen prolationis determinatu ratione prædicati ad significandum, vel supponendũ pro re contenta sub accidentibus, cui tale prædicatum possit conuenire.

Et hinc deniq; ostenditur, hãc interpretationem esse aptam ad significandam conuersionẽ, quæ per hæc verba fit. Primùm, quia per hæc verba hoc effi citur, scilicèt, vt contentũ sub speciebus sit corpus Christi. Deinde, quia, cùm in omni conuersione requiratur aliquid vtriq; termino commune, hoc apte significatum est per subiectum huius propositionis. Vna tantùm videtur superesse difficultas in hac sententia, quia iuxta prædictã interpretationẽ hæc propositio, *Hoc est corpus meũ*, non est singulari, sed indefinita, æquiualens huic, contẽtum sub his speciebus, est corpus meum: cõsequens est contra proprietatẽ pronominis demõstratiui, *hoc*, quod, sicut significat singulare rem, ita & singularem propositionem cõstituit, præsertim, cùm fit demonstratio ad sensum. Soto respõdet, interdùm per hæc pronomina non demonstrari rem indiuiduam, sed cõmunẽ, vt cùm quis dicit, *hæc herba nascitur in horto meo*, illud pronomen non significat hãc numero herbã, sed herbam huic similem. Quod exemplum videtur accomodatum, saltem ad probandũ, huiusmodi pronomen demonstratiuum non semper demonstrare directè, & quasi in recto rem singularem & præsentem, sed satis esse, ꝙ demonstret aliquid cum habitudine ad rem singularẽ præsentem, vt in prædicto exemplo demõstratur herba, quatenus est similis huic, quæ sensibus obijcitur. Et ita in præsente ex parte contenti, vt sic, est quasi indefinita propositio; tamẽ ex parte specierum, in ordine ad quas fit demonstratio sensibilis, est singularis: quia demonstratur contentum sub his numero speciebus, vnde sub formali ratione contenti potest quodam modo dici idem numero designari: quia est eadem numero forma, sub qua continetur.

Difficultas.

Dubitatur.

Vltimæ sententiæ approbatur, penultima verò probabilis iudicatur.

Hæ duæ vltimæ sentẽtiæ sunt probabiles, & magis in modo loquendi, quàm re ipsa differunt: vltima verò simpliciter probanda est: quia constat, pronomẽ, *hoc*, non significare corpus Christi secũdùm propriam rationem eius, licèt in prolationis verborũ termino supponat pro illo tantùm, & de illo verificetur prædicatum. Constat insuper, in principio prolationis pronomen, *hoc*, neq; demõstrare definitè ac determinatè corpus Christi, neq; omnino carere significatione, seu demonstratione aliqua: quia statim demonstrat aliquo modo accidentia, seu aliquid habens cõnexionem seu habitudinem ad illa, quod optimè explicatur sub ratione cõtenti sub illis: ergo distinctè nunquam designat corpus Christi, materialiter autem demonstrat illud in eo instãte, in quo absoluitur significatio verborum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit conueniens forma cõsecrationis panis, Hoc est corpus meũ.

1. & 4. 84. art. 3. cor. Et 4. d. 8. q. 2. art. 1. q. 1. & 2. & art. 4. q. 3. & 1. col. 11. lec. 5. col. 4.

Lib. 4. ca. 4. non procul à princ. tom. 4.

¶2. Præterea, Ambros. dicit in lib. de sacramentis, Sermo Christi hoc cõficit sacramentum, quis sermo Christi? hic, quo facta sunt omnia, iussit Dominus & facta sunt cæli & terra. Ergo & forma huius sacramenti conuenientior esset per verbum imperatiuum, vt diceretur, hoc fit corpus meum.

¶3. Præterea, Per subiectum huius locutionis importatur illud, quod cõuertitur, sicut per prædicatum importatur conuersionis terminus. Sed sicut est determinatum id in quod fit conuersio (non enim fit cõuersio, nisi in corpus Christi) ita est determinatum id, quod conuertitur, non enim conuertitur in corpus Christi, nisi panis. Ergo sicut ex parte prædicati ponitur nomen, ita ex parte subiecti debet poni nomẽ, vt dicatur, hic panis est corpus meum.

¶4. Præterea, Sicut id, in quod terminatur conuersio, est determinatæ naturæ (quia est corpus) ita etiam est determinatæ personæ. Ergo sicut ad determinandam naturam, dicitur corpus, ita ad determinandam personam, deberet dici, hoc est corpus Christi.

¶5. Præterea, In verbis formæ non debet poni aliquid, quod non sit de substãtia eius, Inconuenienter ergo additur in quibusdam libris hæc coniunctio, enim, quæ non est de substantia formæ.

SED contra est, quòd Dominus hac forma in cõsecrãdo est vsus, vt patet Matt. 26.

RESPONDEO dicendum, quòd hæc est conueniens forma consecrationis panis. Dictum est enim, quod hæc consecratio consistit in conuersione substantiæ panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id, quod in sacramento effi citur. Vnde & forma cõsecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus Christi. In qua tria cõsiderantur, scilicet, ipsa cõuersio, & terminus à quo, & terminus ad quẽ. Cõuersio autẽ potest cõsiderari dupliciter. Vno modo, vt in fieri; alio modo, vt in facto esse. Nõ autẽ debuit significari cõuersio in hac forma, vt in fieri, sed vt in facto esse. Primò quidem, quia hæc cõuersio nõ est successiua (vt suprà dictum est) sed instãtanea. In huiusmodi autem mutationibus fieri nõ est nisi factũ esse. Secũdò, quia ita se habent formæ sacramentales ad significandũ effectum sacramẽti, sicut se habent formæ artificiales ad repræsentandum effectũ artis.

Art. præced.

q. 75. art. 7.

Forma

Universidad de Deusto Biblioteca

Forma autẽ artificialis, est similitudo vltimi effectus, in quẽ fertur intentio artificis, sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ędificationis autem per cõsequens. Vnde & in hac forma debet exprimi conuersio, vt in facto esse, ad quod fertur intentio. Et quia ipsa conuersio exprimitur in hac forma, vt in facto esse, necesse est, ꝙ extrema conuersionis significentur, vt se habent in facto esse conuersionis. Tunc autẽ terminus ad quem habet propriã naturam suæ substantiæ, sed terminus à quo, non manet secundum suam substantiam, sed solum secundũ accidẽtia, quibus sensui subiacet, & ad sensum determinari potest. Vnde cõuenienter terminus cõuersionis à quo, exprimitur per pronomen demõstratiuum relatum ad accidentia sensibilia, quæ manẽt: terminus autem ad quẽ, exprimitur per nomen significans naturã eius, in quod fit conuersio. Quod quidem est totũ corpus Christi, & non sola caro eius, vt dictum est. Vnde hæc forma est conuenientissima, hoc est corpus meum.

Quæst. 76. articu. 1. ad 2.

AD primum ergo dicendum, quòd fieri non est vltimus effectus huius consecrationis, sed factum esse, vt dictum est. Et ideò hoc potiũ exprimi debet in forma.

In cor. art.

AD secundum dicendum, quòd sermo Dei operatus est in creatione rerũ, qui etiã operatur in hac consecratione, aliter tamen & aliter. Nã hic operatur effectiuè & sacramentaliter, id est, secundùm vim significationis. Et ideo oportet in hoc sermone significari vltimũ effectũ consecrationis per verbũ substantiuum indicatiui modi & præsentis temporis. Sed in creatione rerũ operatus est solùm effectiuè, quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ. Et ideo in creatione rerum exprimitur sermo diuinus per verbum imperatiui modi, secũdum illud Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux.

AD tertium dicendum, quòd terminus à quo in ipso facto esse conuersionis, non retinet naturam suæ substantiæ, sicut terminus ad quem, & ideò non est simile.

AD quartũ dicendũ, ꝙ per hoc pronomẽ, meũ, quod includit demonstrationẽ primæ personæ (quæ est persona loquẽtis) sufficienter exprimitur persona Christi, ex cuius persona hæc proferuntur, vt dictum est.

Art. præced. & art. 1.

AD quintum dicendum, quod hæc coniunctio, enim, apponitur in hac forma secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, à Beato Petro Apostolo deriuatã, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia. Et ideò nõ est de forma, sicut nec verba pręcedentia formam.

COMMENTARIVS.

DEclarat D. Thomas, hæc verba esse aptissima ad significandam conuersionem panis in corpus Christi. Primò, quia non debuit significari vt in fieri, sed vt iam facta, quoniam fit in instãti, & non priùs fit, quàm sit facta. Quod intelligendum est, ordine temporis, non naturæ, & ideo addit secũdum causam, scilicet, quia forma artis, vt sit perfecta, repræsentat opus, quale esse debet in termino actionis, non quale est in fieri: quod, seruata proportione, expediens fuit, seruari in forma huius sacramenti. Dices; cur ergo non seruatur in formis aliorum sacramẽtorum, quæ etiam in instante operantur, & etiam significant suos effectus, vt in fieri, *Ego te absoluo, Ego te baptizo*. Respondeo ex D. Tho. art. 1. ad 3. & in 4. d. 8. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. & Gabr. lect. 83. in Can. in alijs sacramentis materiam consistere in vsu, & in fieri: quia ergo formæ accomodatur materiæ, necesse est, vt significet per modum actionis, vel passionis; at verò hæc forma cadit in rem permanentem, & eã consecrat consecratione durabili & permanẽte, & ideò accommodatissimè significat per modum rei iam existentis. Ex quo vlteriùs D. Tho. infert, debuisse per hanc formam significari extrema conuersionis, prout sunt in termino, in quo fit, & facta est cõuersio, atq; ita terminus ad quem conuersionis optimè explicatur per vocem significantem naturam eius; quia in eo stante verè & realiter adest corpus Christi sub accidentibus: terminus autem à quo, scilicet, panis, quia non manet secundùm substantiam, sed secundùm accidentia, ideo non debuit significari per nomen significans naturã eius, sed per pronomen demonstratiuum, *referens* (inquit D. Tho.) *accidentia sensibilia, quæ manẽt*. Quo vltimo verbo nõ intendit docere pronomen, *hoc*, demonstrare sola accidentia, sed cum ordine ad hæc accidentia designari quasi in confuso id, quod sub eis latet & continetur; & per ea sensibus obijcitur, atq; ita est perspicuus textus D. Thomæ: solutiones autem argumentorum non indigent expositione.

Sententia D. Thom. verba consecrationis esse aptissima ad significandam conuersionem panis in Christi corpus.

Gabriel.

DISPVTAT. LIX.

De forma consecrationis panis.

SVppositis, quæ in superiori disputatione dicta sunt, duo solùm declarãda super sunt. Primum est, quæ verba sint precisè de essentia huius formæ. Alterũ, quæ sit eius ꝓpria ratio & significatio.

Disput. [illegible] Eucharistiæ.

SECTIO I.

An solùm hæ quatuor voces, Hoc est corpus meum, *sint de necessitate & essentia huius formæ.*

QVòd hęc quatuor sint de essentia est certũ, & extra controuersiã ex dictis in disputatione præcedente, quia hæc potissimũ significant effectum huius formæ, & Christus Dñs his præsertim consecrauit; & ideò ab omnibus Euãgelistis, qui describunt institutionẽ huius sacramenti, & Paul. 1. Corin. 11. hæc summa diligentia obseruata sunt absq; variatione vlla, quod etiam fit in omnibus liturgijs, & in Canone Missæ: quæstio ergo superest, an præter hæc sit aliquid aliud essẽtiale, & potest esse controuersia de antecedẽtibus, vel de consequentibus, vel denique de interpositis.

Quatuor verba, Hoc est corpus meum, sunt de essentia consecrationis panis.

1. Sententia.

Prima igitur sententia est, aliqua verba antecedentia esse de necessitate huius sacramẽti; & quidã dicunt, omnia illa, *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* esse necessaria. Scotus d. 8. q. 2. art. 2. Angel. verb. Eucharist. nu. 24. Scotus tamen non dicit, hæc omnia esse de essentia formæ, sed existimat esse necessaria, vt forma possit significatiuè proferri in persona Christi: quia, nisi minister illa verba præmittat, nõ poterit constare, an in propria vel aliena persona loquatur. Sed hæc sententia, hoc modo explicata, est certè improbabilis. Primò, quia suprà ostensum est, omnia illa, quæ non sunt verba Christi, non esse de necessitate huius sacramenti: omnia autem illa verba, *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* nõ sunt verba Christi: ergo. Deinde, quia per illa verba non indicat Sacerdos, se induere personam Christi, cùm tunc non vtatur verbis eius, sed potiùs referat, quid ipse fecit, vtens verbis Euangelistarum. Ac deniq;, quia, ꝙ minister loquatur in persona Christi, non pendet ex antecedentibus verbis, sed ex intentione, quam postulat veritas verborum, quæ profert. Vnde hoc ipso, ꝙ illa verba profert, vt vera necesse est, vt in persona Christi loquatur: quia aliàs non possent esse vera. Sicut Angelus repræsentans Deum simpliciter loquitur, *Ego sum Deus*, & Concilium Regium loquitur maiestate regia induens personam Regis in actu exercito (vt ita dicam) quamuis non præmiserit alia verba, quibus in actu signato declarauerit, se loqui in persona Regis. Quod euidenter patet in sacramento pœnitẽtiæ, vbi minister absolutè dicit, *Ego te absoluo*, vbi vt minister Dei loquitur, & necessariũ non est, vt verba aliqua præmittat, quibus hoc significet, & idem ferè est de alijs sacramentis. De illis ergo verbis, quæ non sunt Christi, nulla potest esse contentio. De illis autem duobus. *Accipite, & comedite*, quæ sunt Christi, nonnihil potest esse dubitationis: quia nonnulli ex Sanctis citatis, omnibus his dicunt confici sacramentum Ambros. 4. de sacrament. c. 5. *Ante consecrationem panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi*: explicans autem hæc verba, subdit, *Audi dicentẽ, Accipite & edite, hoc est corpus meum*. Et eodem modo videtur loqui Eusebius Emissen. suprà, & alij, & in Cõcil. Florent. sess. 25. sub finem legimus. *De panis autem transmutatione Latinis quærentibus, cur Græci post hæc Dominica verba, Accipite, & mãducate, hoc est corpus meum, quibus profectò verbis sacramentum confici creditur, hac etiã vtuntur oratione. Et fac panem hunc, &c.* & infrà responderunt Græci, se firmiter credere, verbis illis dominicis sacramentum confici.

Scotus. Angelus.

Improbatur.

Ambros.

Emissen. Florent.

2. Sententia.

Secunda sententia est Græcorum dicentiũ, esse de essentia illud verbũ, *quod pro vobis tradetur*, seu, *traditur*, vel, *frãgitur*. In omnibus enim liturgijs additur hoc verbum aliquo ex his modis. Iacobus *Quod pro vobis frãgitur, & datur in remissionẽ peccatorũ*. Basil. *Quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorũ*. Idem Clem. lib. 8. const. c. 17. Damasc. lib. 4. de fide. c. 14. Chrysost. *Quod pro vobis tradetur in remissionẽ peccatorũ*. Et Ambr. 4. de sacrament. dicit. *Quod pro vobis confringetur*. Et habẽt Græci fundamẽtum in Luca & Paulo: Lucas enim de præsente addit, *Quod pro vobis datur*, vel, vt Ambr. & alij legũt, *Quod pro vobis frangitur*. Paul. verò 1. ad Corinth. 11. etiã addit eãdem particulam, quæ en Græco legitur per participiũ præsentis: Chrysostomus verò & Theodoretus de futuro legũt, *Quod pro vobis tradetur*: sicut Vulgata legit, & Durand. d. 8. q. 2. refert, se vidisse eadem verba in liturgia Basilij: ergo hæc particula vno vel altero modo necessaria est, quandoquidem illa Christus est vsus, & videtur esse determinatio prædicati, & pars eiusdem propositionis, illa autem varietas non refert, quia nõ est essentialis: facilè enim potest eundem sensum reddere, sicut in præcedent. disputatione dicebamus de verbis, quæ adduntur in forma sanguinis. Vnde Alex. Pap. Epistola 1. c. 4. ait. *Christum nos docuisse conficere hoc sacramentum, cùm, accepto pane, dixit, Accipite, & manducate: hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Et cõfirmatur secundò, nam saltem videtur necessarium propter rectam rationem, hanc particulam addere: quia, illa posita, nullum sequitur incommodum, & tollitur periculũ: illa verò ablata, est periculum nihil faciendi, si fortasse est necessaria: cur ergo Latina Ecclesia non elegit tutiorem partem?

Clement. Damasc. Chrysost. Ambros.

Durand.

Alex. Papa.

3. Sententia.

Tertia sententia esse potest, præter illas quatuor voces, esse necessariam particulã, *enim*, quæ illis interponitur: quę sentẽtia necessario sequitur ex alia, quæ asserit, antecedentia verba esse necessaria: quia coniungit propositionem hanc cum pręcedentibus verbis, & illa addita, vel mutata, multùm variatur locutionis sensus: posita enim hac particula, sensus fit causalis, qui in rigore plura requirit ad veritatẽ propositionis, quã si fiat simplex assertio. Vnde absolutè, & in omni opinione concludi potest, hanc particulam esse necessariam: nõ enim addidisset Ecclesia vocem variantem sensum propositionis, nisi existimasset esse necessariam. Et confirmatur: nam Ecclesia in Canone Missę refert, illam dixisse Christum: ergo censenda est necessaria. Tandem, quia, cum interponatur verbis formæ, componit illam, & cum illa concurrit ad effectum eius: ergo.

Dicendum tamen est primò. Verba antecedentia illud pronomen, *hoc*, etiam si sint à Christo prolata, non sunt de necessitate huius sacramenti. Est communis sententia Theologorum cum D. Tho. hic, & in 4. distinct. 8. Vbi bene Durãd. q. 2. Richard. art. 3. q. 1. Alens. q. 33. memb. 3. art. 1. Gabr. lect. 38. in Can. Bessar opusc. de verbis Consecrat. sub finẽ, & reliqui omnes; & Patres statim citandi. Ratio verò est: quia illa duo verba, *Accipite, & comedite*; de quibus est controuersia, nec sunt per se necessaria tanquam de essentia formæ, neq; per accidens, vt necessaria conditio ex parte ministri. Hoc posteriùs satis probatum est contra Scotum. Et prætereà patet, quia illa verba solùm recitãtur nũc materialiter à Sacerdote, & ideò solũ cadũt in illã numero actionem, quam Christus exercuit, & de illa tãtùm verificantur: ergo nulla est ratio, cur sint conditio necessaria ad præsentem actionẽ ministri. Illud verò prius probatur; quia qualis sit essentia formæ, ex institutione Christi petendum est, qualis autem fuerit Christi institutio, ex Scriptura sacra, aut ex Ecclesiæ traditione, præcipuè est sumendum, aut aliqua ratione coniectandum: ex nullo autem capite istorum potest ostendi, illa verba esse de essentia, sed potiùs contrarium: ergo. Declaratur minor propositio, quia licèt Matthæus, & Paulus referant, Christum dixisse illa verba, *Accipite, & comedite*, tamen Marcus alterum omittit, & solùm ponit verbum, *Sumite*, Lucas verò vtrũque omittit: sic enim ait,

Verba antecedentia pronomen, hoc, *nõ sunt de necessitate Eucharistiæ.*

Durand. *Richard.* *Alens.* Gabr. *Bessar.*

ait. Et, *accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens. Hoc est corpus meum*: ergo signum est hæc verba non esse essentialia: quia credibile est, singulos Euangelistas integrè narrasse institutionem, quoad ea, quæ essentialia sunt. Adde, Ecclesiam in Canone Missæ addere verbum, quod omnes Euangelistæ omiserunt, scilicet, *Accipite, & comedite ex hoc omnes.* Secundò idem probatur ex traditione & autoritate Ecclesiæ, quam quia latiùs referam statim, nunc sufficiat Concilium Florentinum, quod sic loquitur; *Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquẽs hoc conficit sacramentũ.* Sentit ergo Cõcilium solùm illa verba esse formam, quæ proferuntur à sacerdote in persona Christi: sed illa verba, *Accipite, & comedite*, non proferuntur in persona Christi, sed tantùm materialiter, & recitatiuè: aliàs non essent vera: ergo. Tertiò, est optima ratio D. Thomæ, quia hæc verba non significant aliquid intrinsecum, vel essentiale huic sacramẽto, sed aliquid posterius, & extrinsecum, id est, non significant cõsecrationem, & præsentiam Christi, sed vsum & distributionem, quæ non est de necessitate huius sacramenti, vt suprà dictum est: ergo illa duo verba non sunt de essentia formæ. Vnde contraria sententia occasionem præbet hæreticis, qui dicunt, hoc sacramentum non confici, nisi in vsu.

Verba prolata post illud pronomen, meum, non sunt de necessitate huius sacramenti.

Dico secundò, Verba, quæ consequuntur post illud pronomen, *meum*, non sunt de necessitate huius sacramẽti. Est de fide, probatur ex vsu Ecclesię Romanæ, quæ sine illis verbis consecrat corpus Christi: si autem illa verba essent de necessitate, intolerabilem errorem Ecclesia committeret: careret enim vera consecratione, veroq; Eucharistiæ sacramento, quod asserere hæreticũ est. Cap. Ad abolẽdã. de hęret. Secũdò, Matthæus & Marcus illa verba omittunt, & tamẽ credendum est, vnumquemq; Euangelistam sufficienter narrasse institutionem. Ponamus enim, quod verum est, Matthæum ante Lucã scripsisse, & Ecclesiam consecrasse iuxta formam à Matthæo traditã, sine dubio sufficienter consecrasset: imo ex hoc principio existimo ortũ esse, vt Ecclesia Latina illa verba inter consecrandum omiserit. Nam vsus consecrationis prior fuit in consuetudine Ecclesiæ, quàm Euangeliũ esset scriptũ. Quocirca, sicut Matthæus & Marcus illa verba sola referunt, ita D. Petrus Ecclesiæ Romanæ solùm tradidit ad consecrãdum, verba illa, *Hoc est corpus meũ*: & ideò illa sola semper habita sunt, vt essentialia, & sufficientia ad consecrãdum. Tertiò, accedit ratio, quia illa verba, *Hoc est corpus meum*, sine sequentibus sufficienter significant realem præsentiam corporis Christi, & conuersionem panis in ipsum: ergo sufficienter illam efficiunt: ergo illa sola sunt de necessitate formæ. Et hinc concluditur, non solùm non esse de necessitate sacramenti, sed nec etiam de necessitate præcepti: vtrũq; enim confirmat vsus Ecclesiæ, & ratio; quia nullum tale extat præceptũ diuinum, cùm neq; in Scriptura habeatur, neq; traditione cõstet. Quod autem neq; Ecclesiasticum sit, per se notum est. Et hinc à fortiori cõstat, illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, non esse necessaria; tum, quia Ecclesia illa omittit, &, quãuis similia proferat, id tamen facit post calicis consecrationem, postquàm hostia populo adoranda proposita est; tum etiam, quia Matthæus & Marcus illa non ponunt immediatè post consecrationem corporis, de qua nunc agimus. Tum deniq;, quia illa verba non significat effectum formæ huius sacramẽti, sed potestatem ac præceptum consecrandi hoc sacramentum, illudque in sacrificium offerendi.

Dubium aliquot enodatur.

Quæri vero potest, esto illa particula, *quod pro vobis tradetur*, non sit necessaria, cùm tamen constet, Christũ illam dixisse, an rectè faciant Græci addẽdo particulam illam. Respondetur, per se non esse malum, illam addere, quia neq; est cõtra vllum præceptum, neq; aliunde intrinsecè malum. Est tamen malũ, illam addere, vt necessariam, & dãnare eos, qui illam nõ addunt: quia hæc existimatio seu intentio continet errorem in fide. Sed quæres rursum, an Græci addẽtes illam particulam, vt necessariam, verè conficiant: videntur enim velle introducere errorem, & formam, quam Christus non instituit, quod derogat veritati sacramenti. Respõdetur tamẽ, eos ritè cõficere, quia vera forma vtũtur à Christo instituta; & id, quod addunt, non corrumpit verũ sensum illius formæ; & ideò, licèt illud addãt, vt necessarium, & errorem inducant, non tamen agunt contra veritatem sacramenti. Rursus tamen quæri potest, an quando illa particula coniungitur cum forma, vel in consecratione Græcorum, vel in ipsamet consecratione Christi, dici possit de substantia formæ, vel concurrere sacramentaliter ad effectum formæ. De hoc dicam disp. sequent. sect. 1. quia quod hoc eadem est ratio de hac, & de forma calicis.

Particula, enim, non est de essentia huius formæ. — Trident.

Dico tertiò, Particula, *enim*, nõ est de essentia huius formæ, & consequenter nec de necessitate sacramenti. Ita D. Thom. hic ad 4. Alex. suprà, reliqui Theologi distinct. 8. & 11. Probatur, quia, licèt illa particula, *enim*, à Christo Dño dicta fuerit, vt ex Can. Missæ colligitur, in quo nullus error est, vt traditur in Concil. Trid. sess. 22. c. 4. & can. 6. & ideò credendum sit, ex traditione Apostolorum additã esse, vt colligitur ex cap. Cùm Marthæ. de Celebrat. Miss. tamen, cùm Euangelistæ & Paulus illam prætermiserint; non leue indiciũ est, non esse necessariam. Secundò, quia illa particula nullo modo confert ad significandum effectum formæ: ergo neque ad illum efficiendum: sacramenta enim id efficiũt, quod significant: ergo non est pars formæ. Tertiò, quia illa non dicitur à Sacerdote significatiuè, sed tantũ recitatiuè & materialiter: quia illa reddit causam rei, quæ significatur per præcedẽtia verba: vnde, cùm præcedentia nõ dicantur, nisi materialiter, nec particula, *enim*, potest aliter dici: ergo hac ratione non est pars formæ. Rursus, quatenus causaliter coniungit verba sequentia cum præcedẽtibus, reddit causam illorum verborum, *Accipite, & comedite*, quæ significant vsum huius sacramẽti: reddit ergo rationem huiusmodi vsus: ergo, sicut vsus nõ est de necessitate materiæ, vel sacramenti, ita nec particula, *enim*, quæ indicat rationem talis vsus, erit de necessitate formæ, vel sacramenti. Ex quo vlteriùs colligo, hanc particulam nõ esse de integritate formæ, cùm nõ significet formalem eius significationem. Ita significat D. Thom. hic & distinct. 8. quæst. 2. artic. 1. quæstiuncula 1. ad secundum, vnde etiam fit, non concurrere ad effectum formæ, vt notauit Soto distinct. 11. q. 1. ar. 3. quia effectus solùm fit à forma. Item, quia illa particula nõ magis concurrit, quàm verba præcedentia, *Accipite, & comedite*, propter quæ solùm hæc particula additur, & sine quibus congruè addi non posset.

Particula, enim, non est de integritate formæ. — Soto.

Dubium.

Sed quæres, an saltem sit præceptum Ecclesiasticum

cum addere illam. Respondetur, affirmando ex cõmuni omnium sententia, qui dicunt, peccatum esse, illam particulam omittere, contra perpetuã, ac vniuersalem Ecclesiæ cõsuetudinem. Vnde Richard. d. 8. art. 3. q. 1. absolutè dicit, hoc esse peccatũ. Vict. in sum. nu. 74. dicit esse malum. Petrus Soto lect. 2. de Eucharist. dicit, esse addẽdam ex præcepto, & esse peccatum non parui faciendum illam omittere, non tamen explicant esse mortale. Id verò affirmant expressè Gab. d. 8. q. 3. Holcot. in 4. d. 3. citatur etiam Angel. verb. Eucharist. 1. §. 22. Gerson in Floreto. c. de Eucharist. & aliqui ex Summistis, at vero Marsil. in 4. q. 6. art. 1. par. 2. dub. 3. solùm dicit esse mortale, si ex contemptu omittatur; clariùs Ledesma dicit non esse mortale, secluso contẽptu; *quia materia*, inquit, *leuis est*. Imò addit Soto in 4. d. 1. q. 1. art. 8. etiam si ex contemptu omittatur, nõ esse certum, esse mortale; quia etiam contemptus potest esse veniale peccatum ex leuitate materiæ. Mihi verò hæc materia non adeò videtur leuis esse, nam licèt particula, *enim*, leuissima sit; illa tamẽ addita vel subtracta, sermonis sensus multũ variatur, quod in re tam graui non adeò videtur exigui momenti; & ideò, quamuis excusarem à culpa mortali eum, qui ex negligentia, vel inaduertentia culpabili eam omitteret, non tamen eum, qui ex contẽptu: quia talis contemptus, & Ecclesiæ, & eius institutis iniuriosus est. Posset verò timeri huiusmodi contẽptus in eo, qui sciens, & aduertens, eam pro libito prætermitteret.

Richar. Victor. Soto. Gabr. Holcot. Angelus. Gerson. Marsil. Ledesma. Soto. Soluitur.

Sola illa quatuor verba, hoc est corpus meum, sunt de essentia formæ sacramentalis. — Chrysost. Damasc.

Vltimò ex his concludo, solas illas quatuor voces, *Hoc est corpus meum*, esse de essentia, necessitate, & forma huius sacramẽti, ita vt si quis illas solas debita intentione proferat super debitam materiam, sine dubio perficiat sacramentum, licèt peccet ex alio capite, quia id facit Ecclesiæ vsu prætermisso. Ita D. Tho. Alex. Bonauen. & alij Theologi suprà citati, & Chrysost. hom. de proditione Iudæ, dicens: *Hoc est corpus meum, hoc verbũ res propositas trãsmutat.* Damasc. lib. 4. c. 14. *Dixit Deus, Hoc est corpus meum, & donec ipse veniat, hoc efficitur, &c.* Et cætera, quæ suprà adducta sunt ex Patribus, qui dicũt, hoc sacramentum confici verbis Christi, quæ ipsius præsentiam significant, & licèt aliqui eorum non ponant hæc præcisa verba, sed alia etiam, vel antecedentia, vel sequentia; non ideò existimant, omnia esse necessaria, sed propter maiorem quandam perfectionem, vt D. Thomas dixit de illis verbis, *Accipite, & comedite*: nam, quia hoc sacramentum ordinatur ad vsum, ideò ad quandam significationẽ magis expressam pertinet, quòd hoc etiam inter consecrandum significetur, non tamen propterea sunt illa verba necessaria. Neq; oportet aliam probationẽ adiungere: nam hæc conclusio sequitur euidẽter ex præcedentibus. Vnde in Missalibus Romanis hæc sola verba maioribus characteribus describũtur: nec refert, quòd particula, *enim*, eodem modo scribatur: quia id fit, quoniam alijs est interposita in eadẽ propositione, non quod sit æquè necessaria. Rursus, licèt in alijs verbis committantur defectus aliqui, dummodò in his non fiant, sine dubitatione creditur perfecta consecratio, & ideò statim corpus Domini populo ad adorãdum proponitur: ergo certũ est, hæc verba sufficere, etiam si præcisè proferãtur; & improbabile prorsus est hoc ampliùs in dubium reuocare.

Responsio ad fundamẽta aliarum opinionum. — Capreol. Ledesma.

Ad fundamenta ergo aliarum opinionum respõsum est, præsertim ad fundamenta primæ, & tertiæ. Addit Capreol. distinct. 8. quæst. 1. art. 3. ad 6. Durandi contra 2. conclus. quem sequitur Ledesma, quæst. 19. art. 1. dub. 2. Christum non dixisse illa verba, *quod pro vobis tradetur*, immediatè post cõsecrationẽ corporis, sed ante, vel postea, quod fieri quidem potuit, & non repugnat Euangelio; quia non est necesse, omnia fieri eodem ordine, quo narrantur. Sed vnde ipsi hoc collegerint, non video: Lucas enim & Paulus omnia describũt in contextu, & illud relatiuum, *quod*, indicat immediatam consecutionem, sicut in verbis illis, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Quòd verò alij Euangelistæ verbum illud præmiserint, nullum indiciũ est, non esse dictum à Christo eodem ordine, quo ab alijs narratur. Est autem certum, non dictum fuisse à Christo vt essentiale, &, vt sæpe dictum est; & notarunt Richard. distinct. 8. art. 3. quæst. 2. ad 1. & Marsil. quæst. 6. artic. 1. verisimile est, nullũ Euangelistarum, qui institutionem narrarit, verbũ aliquod essentiale prætermisisse. Addi ergo potuit, tum ad magis exprimendam corporis veritatem, tũ ad passionem commemorationem: cur autem Ecclesia Latina verbum illud omittat, iam explicatum est: indubitata enim fide tenet, illa verba sufficere, quod vsu eorum voluit comprobare; & satis existimauit determinationem similem adiungere in forma calicis, in cuius cõsecratione repræsentatio passionis Christi consummatur.

Richard. Marsil.

SECTIO II.

An singula verba huius formæ ita sint apta & conuenienter tradita, vt mutari nullo modo possint.

Quoniam verisimile est, in singulis verbis, quibus tantum sacramentum conficitur, mysterium latere, singulorum rationem reddere necesse est; ex quo etiam constabit, quomodò possit interdũ loco vnius aliud substitui.

Primò igitur in subiecto illius propositionis positum est pronomen, *hoc*, quod veluti indefinitè significat: quia, cùm his verbis significanda esset cõuersio panis in corpus, oportuit in subiecto eius aliquid poni, quod ad demonstrandum panem vel corpus de se esset indifferens: nam si à principio nominaretur panis, in fine esset falsa propositio, & contraria veritati sacramenti: quia panis non est corpus Christi, si autem à principio expressè ac definitè nominaretur corpus Christi, & locutio esset impropria, & identica, & non tam significaret conuersionem panis in corpus, quàm identitatem ipsius corporis secum, ac denique omnino esset prætermissus in hac significatione terminus à quo. Oportuit ergo subiectum illud esse aliquo modò indifferens, & commune vtrique termino, vt in fine prolationis per prædicatũ determinaretur ad supponẽdum pro termino ad quem: hoc autem fieri non potuit commodiùs per aliam vocem, quàm per pronomem demonstratiuum. Quia, licèt per aliam orationem, aut circumlocutionem hoc posset explicari; non tamen aliquo simplici ac præciso termino ita proprio; & aliunde fuit aptissimus ad demonstrandam præsentiam materiæ subiectæ, quod in practica

practica, & efficaci prolatione verborum necessarium fuit.

Si quis loco pronominis, hoc, ponat, illud, nihil efficiet, secus si poneret, istud.

Vnde infero, si quis loco pronominis, *hoc*, dicat, *illud*, non solùm malè facturum, sed etiam nihil effecturum; quia non retinet idem significatũ formæ: quia pronomen, *illud*, ex vi suæ significationis non demonstrat materiam præsentem; vnde in tali mutatione prætermittitur res valde necessaria, & practica significatio huius formæ. De hoc verò pronomine, *istud*, non videtur eadem ratio, vt notauit Soto suprà, distinct. 1. quæst. 1. art. 8. quia interdùm vsurpatur ad demonstrandam rem præsentem, vt ex vsu Latinæ linguæ constat. Si quis vero huic particulæ adiungeret aliquid aliud, respiciendum esset ad sensum, an maneat idem, nec ne. Nam, si diceret, *hoc contentum sub his speciebus est corpus Christi*; verus sensus maneret; & ideo forma esset valida; si autem diceret, *hoc, quod est panis*, vel, *hic panis est corpus Christi*, nihil efficeret: quia mutaretur sensus; & hæc proportione quadam accommodanda sunt ad omnia idiomata iuxta, regulas suprà traditas de sacramentis in genere.

Soto.

Si loco: hoc, *constituatur,* hic, *aduerbiũ nihil efficietur, si verò ponatur,* hic, *pronomẽ, peccabitur, attamẽ conficietur sacramẽtum.*

Secundò colligitur, quid dicendum sit, si quis mutet pronomen, *hoc*, in, *hic*; duplici enim sensũ id fieri posset. Primo, vt illud, *hic*, sit aduerbium locale; & hoc modo constat, mutationem nõ solùm esse iniquam, sed etiam esse contra substantiam sacramenti: quia facit, vt forma non significet conuersionem substantialem. Si autem vox, *hic*, sit pronomen, in primis peccatum esset, talem mutationem facere; tum, quia est in re graui, & contra consuetudinem, tum etiam quia, vt minimùm, redderet sensum dubium, probabilius tamen censeo, illam non esse mutationem substantialem. Primò, quia potest illud pronomen substantialiter sumi, vel sub illo intelligi cibus: hæc autem forma; *hic cibus est corpus meum*; est sufficiẽtissimá; sicut & hæc etiam; *Hæc res est corpus meum*. Præterea quia, si in aliquo idiomate, corpus esset masculini generis, non est dubiũ, quin illud pronomen posset mutari in masculinum: ergo etiam si in lingua Latina, illa mutatio faciat compositionem legibus Grammaticæ repugnantem; tamen, si in communi modo loquendi reddat eundem sensus, non est contra substantiam sacramenti, sicut si diceretur, *corpus meus*, vt in forma baptismi, *In nomine Patria, Filia, &c.* & in forma pœnitentiæ, *Absoluo tibi*. Dubitari verò solet, an si fieret hæc mutatio, *Ecce corpus meum*, esset substantialis mutatio, videtur enim esse idem sensus: nam illud, *ecce*, æquiualet pronomini & verbo. Probabile fortasse est hoc, nõ est tamen dubium, quin esset peccatum, talem mutationẽ facere, & mihi est valde verisimile, esse mutationem substãtialem, quia, vt minimũ, mutatur explicita significatio implicitam. Deinde illa locutio non videtur significare conuersionem, sicut alia.

Dubiũ quoddã soluitur.

In forma Eucharistiæ aptissimè collocatur verbũ, est.

Dico secundò, aptissimè positum esse in hac forma verbũ substantiuum, *est*; hoc rectè declarat D. Thom. in artic. duplici ratione ibi explicata, quibus adiungi potest, nullum aliud verbum potuisse poni salua proprietate ac veritate verborũ: nam, vel tale verbum significare effectionem, vel transitũ vnius in aliud: reliqua enim non possunt esse accõmodata, vt per se notum est: sed neq; etiam illa duo sunt apta. Patet, quia, si diceretur, *hoc fit corpus*, vel pronomen, *hoc*, demonstraret panem; & sic in proprietate verborum propositio esset falsa, quia panis non fit corpus, sed ex pane fit corpus, vel demõstraret corpus Christi; & hoc etiam dici non posset, quia corpus Christi non fit corpus Christ; vel deniq; demõstraret contentum sub speciebus, vt sic, & hoc modo locutio adhuc non esset satis propria: quia esse contentum est veluti accidentaria denominatio respectu corporis Christi; & ideò non potest propriè dici contentum fieri corpus, sed potiùs è contrariò corpus fieri contentũ; sicut propriè corpus fit albũ autem, ꝓpriè non fit corpus. Deniq; in actione substantiali, præsertim quæ non fit ex præsupposito, subiecto nunquã ꝓpriè dicitur vnũ fieri aliud. Præterea, si diceretur, hoc transit in corpus meum, seu alio æquiualente verbo, esset quidem propria locutio, sed oporteret, pronomen, *hoc*, designare panem, qui est terminus à quo, & nullo modo terminũ ad quem; & præterea oporteret addere particlam, *in*: ac deniq; adhuc esset imperfecta significatio: quia, cùm transitus vel conuersio paulatim fieri soleat, non satis significaretur, an simul cum verbis perficiatur conuersio. Oportuit ergo verbum illud, non transitum, sed existentiam termini ad quem, per identitatem inter subiectum, & prædicatum significare, vt rectè dixit Alex. Alens. q. 33. memb. 3. articul. 2. §. 2. Bonauent. distinct. 8. 2. part. art. 2. q. 1. Dices, sicut in baptismo, vel Pœnitentia, hæc est accommodata forma, *Ego te baptizo, Ego te absoluo*; ita ita hic posset esse optima forma, *Ego te consecro*, vel, *consecro hunc panem in corpus meum*: quia, sicut hic sanctificatur materia per actionum ministri, ita ibi sanctificatur subiectum per actionem eiusdem. Respõdetur, potuisse Christum hoc modo instituere hoc sacramentum, si voluisset, sed non esset forma tam propria, tã præcisa, breuis, ac substãtialis: quia enim hæc conuersio substantialis est, & in instante fit, & per eam sacramentum permanens & durabile efficitur, non potuerunt hæc omnia cõmodiùs per aliud verbum significari, quàm per verbum, *est*.

Alens. Bonauent.

Ex his intelligitur primò, quomodò verba hæc significent conuersionem, vt passim Theologi dicant, & videre est in D. Tho. Alens. Bonauent. Richar. & alijs, tã hic, quã præced. sect. citatis; nõ autẽ est intelligendum, verba hæc significare conuersionẽ expressè & formaliter; quia cõuersio dicit actionem, seu trãsitum; & nullum est verbum in forma, quod hoc formaliter significet: intelligendum ergo est, significare virtualiter, & quasi in actu exercito: nã affirmando, hoc esse aliud, quàm anteà erat: virtute affirmatur, factam esse conuersionem vnius in aliud, & hic est sensus Concilij Trid. sess. 13. c. 4.

Trident. Probabile esse, si verbũ, est, mutetur in aliud, nihil effici.

Secũdò sequitur, si verbũ *est*, mutetur in quodcũque aliud, in primis graue esse peccatũ, quia est res valde grauis; & deinde verisimile esse, talẽ mutationẽ esse substantialẽ, ideoq; nõ fieri sacramẽtũ: quia, necessariò sensus formæ substantialiter variatur.

Vnde vltimò infero, falsam esse sententiã asserentem, ablato verbo, *est*, posse fieri consecrationem, si quis dicat hoc modo; *Accipite, & comedite hoc corpus meum*. Imò non defuerunt hæretici, qui dicerent, Christum hoc modo cõsecrasse, quibus fauet Erasmus 1. ad Corint. 11. dicẽs, in Græcis codicibus ita legi apud Paulũ, & non cũ verbo, *est*. Sed falsum in primis est, in Græcis codicibus deesse illud verbũ, *est*, vt cuius erudito facilè constare potest. Deinde erroneum est dicere, Christum consecrasse illo modo, & non affirmando, *Hoc est, &c.* vt constat ex omnibus tractatis disp. præced. Præterea ea sententia fa-

Erasmus.

tia fauet hæreticis dicentibus, Christũ esse hic tantùm in vsu; & ideò illa forma est sine dubio insufficiens: quia illud verbum, *Accipite & comedite*, nõ pertinet ad formam cõsecrationis, & significat aliquid, quod non est de illius necessitate: vnde mutat sensum formæ substantialis.

Rectè positum esse in hac forma nomen illud, corpus.

Dico tertiò rectè positum esse in hac forma nomen, *corpus*. Primùm enim, quia ad repræsentandam passionem, voluit Christus corpus & sanguinem seorsum consecrare; ideò non est vsus nomine significante totum, sed solùm corpus à quo sanguis separatus est & effusus: magis autem est vsus nomine corporis, quam carnis, quia caro propriè condistinguitur ab ossibus & neruis; *corpus*, verò totũ heterogeneum corpus complectitur; item non sola caro, sed totum corpus pro nobis est passum. Deniq; hoc sacramentum etiam significat vnitatem corporis mystici, quod ex diuersis ordinibus, quasi partibus heterogeneis constat. Ita docent Theologi suprà citati. Sed quid si fiat mutatio nominis corporis in nomen carnis, erit ne mutatio substãtialis? Cyprian. quidem serm. de Cœna Domini dicit, Christum cõsecrasse his verbis, *Hæc est caro mea*: sentit ergo verba esse æquiualẽtia: nã etiã Christus Ioan. 6. dicit, *Caro mea verè est cibus*, & Ecclesia canit, *Verbo carnem efficit*. Ac denique in Scriptura per eam vocẽ significatur, vel totus homo, vt Ioan. 1. *Verbũ caro factum est*, vel totum corpus hominis, Psalm. 1. *Caro mea requiescet in spe*. At verò Scholastici censent illã esse mutationem substantialem, vt Alens. dicta q. 33. membr. 3. artic. 3. & Gabr. lectio. 38. in Canon. quia in rigore & proprietate sermonis voces ille nõ sunt synonimæ: ergo ex vi verborum non reddũt eundem sensum: ergo est mutatio substantialis. Et cõfirmatur primò quia illa vox, *caro*, in propria significatione sua non explicat adæquatum terminum huius conuersionis, qui ex vi verborum hic ponitur: ergo non est sufficiens. Neque enim satis est, quod interdùm per synecdochen caro sumatur pro toto homine, vel corpore: quia in forma hac vis & proprietas verborum seruanda est; alioqui etiam dici posset, illo verbo significari totam Christi humanitatem, quia corpus, vel caro, per eandem figurã sinecdochen totum significare solet. Et hæc sententia mihi videtur multùm probabilis, & saltem certũ est, illam formam fore valde dubiam; & grauiter peccaturum qui eam fecerit mutationem: Christus autem Dominus Ioan. 6. hoc sacramentum vocauit carnem suam, quia tunc nõ tradebat verba formæ, sed potiùs tractabat de vsu huius sacramenti, & in ordine ad vsum rectè explicatur nomine carnis, quia homines carne vesci solent.

Alens. Gabriel.

Ex quo tandem concluditur, hanc mutationem, *hæc est substantia mea*, multò esse maiorem magisque substantialem, quia terminus ille non significat id quod virtute verborum conficitur, sed est valde cõmunis, ita vt ratione totius, vel ratione sanguinis, aut animæ, vel alterius partis dici potuisset. Et per hæc iudicandum est de similibus.

[Par]ticula, [me]um, ap[tissi]mè posi[ta] in [for]ma Eu[chari]stia.

Dico quartò, particulam illam, *meum*, quæ est determinatio prędicati, aptissimè adiunctam esse; quia non potuit prædicatum illud, *corpus*, indeterminatum relinqui: aliàs, naque ex vi verborũ fieret pręsentia corporis Christi, neque alia cõuersio: quia de pane verè dici posset, *Hoc est corpus*. Quia verò Christus fuit primus qui confecit hoc sacramentum; & illud conficiendo instituit, non potuit commodiùs verba ad suum corpus determinare, quàm per pronomen, *meum*, decuit etiam, vt Sacerdotes hoc modo conficerent potiùs, quam dicendo, *Hoc est corpus Christi*, vt ex ipso modo loquendi constaret, eos, nõ in propria, sed in Christi persona loqui, quod maximè congruebat dignitati ac maiestati huius sacramenti. Quæres, quid? si Sacerdos diceret, *Hoc est corpus Christi*. Respondetur primùm, grauissimè peccare, mutandò verba Christi, & ab Ecclesiæ consuetudine discedendo. Item, si illa verba coniungeret cum præcedentibus verbis Canonis, in rigore falsum diceret, vt colligitur ex D. Thom. in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. quæstiun. 4. ad 4. quia Christus non dixit illa verba. Deinde existimo, illam formam non fore sufficientem, quia licèt videatur, eandem rem significare, tamen in modo significationis longè est diuersa, cùm ad eius veritatem necesse sit, Sacerdotem loqui in persona Christi, ad aliam verò satis sit, loqui in propria. Cætera, quæ de huius formæ mutatione dici possunt, videri poterunt in Alexand. Alens. 4. par. quæst. 33. memb. 3. art. 3. Gab. lect. 38. in Canon. & in ijs, quæ de sacramentis in genere dicta sunt.

Dubium.

Soluitur.

D. Thom.

ARTICVLVS *III.*

Vtrũ hæc sit cõueniens forma cõsecrationis vini, hic est calix sanguis mei, &c

AD tertiũ sic proceditur. Videtur, ꝙ hæc non sit conueniens forma consecrationis vini, hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem pecatorum. Sicut enim panis conuertitur in corpus Christi ex vi consecrationis, ita & vinũ in sanguinem Christi, sicut ex prædictis patet*. Sed in forma consecrationis panis, ponitur in recto corpus Christi, nec aliquid aliud additur. Inconuenienter ergo in hac forma ponitur sanguis Christi in obliquo, & additur calix in recto, cum dicitur, hic est calix sanguinis mei.

4. d. 8. q. 2. art. 2. q. 2. & 3. Et 1. co. 11. lc. 6. co. 3. 4. & 5.

q. 76. art. 1. & 2.

¶ 2. Præterea, Non sunt maioris efficaciæ verba, quæ proferuntur in consecratione panis, quàm ea, quæ proferuntur in cõsecratione vini, cum vtraque sint verba Christi. Sed statim dicto, hoc est corpus meum, est perfecta cõsecratio panis. Ergo statim cum dictũ est, hic est calix sanguinis mei, est perfecta consecratio sanguinis, & ita ea, quæ sequuntur, non videntur esse de substantia formæ, præsertim cum pertineant ad proprietates huius sacramenti.

¶ 3. Præterea, Testamentum nouum pertinere videtur ad internam inspirationem, vt patet ex hoc, quod Apostolus ad Hebr. 8. introducit verba, quæ habentur Hierem. 31. Consummabo super domum Israel testamẽtum nouum, dando leges meas in mẽtem eorum. Sacramentorum autem exterius visibi-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter agitur, Inconuenienter ergo in forma A sacramenti dicitur, noui testamenti.

¶ 4. Præterea, Nouum dicitur aliquid ex eo, quòd est propriè principiū sui esse; æternum autem non habet principium sui esse. Ergo inconuenienter dicitur, noui & æterni quia videtur contradictionem implicare.

¶ 5. Præterea, Occasiones erroris sunt hominibus subtrahendæ, secundùm illud Isaiæ 57. Auferte offendicula de via populi mei. Sed quiddam errauerunt, æstimātes mysticè solum esse corpùs & sanguinem Christi in hoc sacramento. Ergo in hac forma inconuenienter ponitur mysterium fidei.

Quæst. 73. ar. 1. ad. 3. ¶ 6. Præterea, Suprà dictum est, quòd sicut baptismus est sacramentum fidei, ita Eucharistia est sacramentum caritatis. Ergo in B hac forma magis debet poni caritas, quàm fides.

¶ 7. Præterea, Totum hoc sacramentum, & quantum ad corpus, & quātum ad sanguinem, est memoriale Dominicæ passionis, secundum illud 1. Corinth. 11. Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annūtiabitis. Non ergo magis debuit in forma consecrationis sanguinis fieri mentio de passione Christi, & eius fructu, quàm in forma consecrationis corporis, præsertim cùm Luc. 22. Dominus dixerit, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Quæst. 48. & 49. ar. 1. ¶ 8. Præterea. Passio Christi (vt supra habitum est) ad sufficientiam posuit omnibus, quātū verò ad efficatiā, profuit multis. Debuit ergo dici: Qui effundetur pro omnibus aut pro multis, sine hoc, quòd adderetur, pro vobis. C

¶ 9. Præterea. Verba, quibus hoc sacramētum conficitur, efficaciam habent ex institutione Christi. Sed nullus Euangelista recitat Christum hæc omnia verba dixisse. Ergo hæc non est conueniens forma consecrationis vini.

De celebr. missarū. c. cūMatthæ. SED contra est, quòd Ecclesia ab Apostolis instructa, vtitur hac forma in consecratione vini. D

RESPONDEO dicendum, quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidā enim dixerunt, quod de substātia formæ huius est hoc solum, quod dicitur, hic est calix sanguinis mei, non autem ea, quæ sequūtur. Sed hoc videtur inconueniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est sanguinis Christi: vnde pertinet ad integritatem eiusdem locutionis. Et propter hoc sunt alij, qui melius dicunt, quòd omnia sequentia sunt de substantia formæ vsq; ad hoc, quod posteà sequitur: Hoc quotiescunque feceritis, quod pertinet ad vsum huius sacramenti: vnde non est de substantia formę. Et inde est, quod sacerdos eodem ritu & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Lucæ etiam. 22. interponuntur verba sequētia verbis præmissis, cùm dicitur: Hic calix nouū testamentum est in meo sanguine. Dicendū est ergo, quod omnia prędicta verba sunt de substantia formæ. Sed per prima verba, cū diritur, hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem: eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc sacramento. Quæ quidem ad tria ordinatur. Primò quidem & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundùm illud Hebræ. 10. Habentes fiduciam in introitu Sanctorū in sanguine Christi. Et ad hoc designandum dicitur, noui & æterni testamenti. Secundò ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem, secundùm illud Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorē per fidem in sanguine ipsius, vt sit ipse iustus & iustificās eum, qui ex fide est IESV Christi, & quantum ad hoc subditur, mysterium fidei, Tertiò autem ad remouēdum impedimenta vtriusque prædictorum, scilicet, peccata, secundum illud Hebræ. 9. Sanguis Christi emundabit conscientiam nostrā ab operibus mortuis, id est, à peccatis. Et quantum ad hoc subditur: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Posita in arg. 1. Art. præc.

AD primum ergo dicendum, quòd cùm dicitur, hic est calix sanguinis mei, est locutio figuratiua. Et potest dupliciter intelligi. Vno modo secundùm metonymiam, qua ponitur continens pro contento, vt sit sensus: Hic est sanguis meus contentus in calice, de quo fit hic mentio, quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur, in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis, & ideò oportuit hoc designari per vas huic vsui accommodatum. Alio modo potest intelligi secūdùm metaphorā, prout per calicem similitudinariè intelligitur passio Christi, quæ ad similitudinem calicis inebriat, secundùm illud Threnor. 3. Repleuit me amaritudinibus: inebriauit me absynthio, Vnde & ipse Dominus passionem suā calicē nominat, Math. 26. dicens: Transeat à me calix iste. Vt sic sensus, hic est calix passionis meæ de qua fit mentio in sanguine seorsum à corpore cōsecrato, quia separatio sanguinis à corpore fuit per passionem.

AD secundum dicendum, quod quia (vt dictum

Inter. art. 2. q. 76. a. 1. ad. 1. dictum est) sanguis seorsum cōsecratus, expresse passionem Christi repræsentat, ideò potiùs in cōsecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quòd est passionis subiectū. Quod etiam designatur in hoc, quod Dominus dicit: Quod pro vobis tradetur, quasi diceret: Quod pro vobis passioni subijcietur. A

AD tertium dicendum, quod testamentū est dispositio hæreditatis. Hæreditatem autem cælestem disposuit Deus hominibus dādam per virtutem sanguinis IESV Christi, quia, vt dicitur Hebræ. 9. Vbi est testamētū mors necesse est intercedat testatoris. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus. Primò quidē in figura, quod pertinet ad vetus testamentum. Et ideò Apostolus ibidem concludit. Vnde nec primum testamentum sine sanguine dedicatū eſt. Quod patet ex hoc, quod sicut dicitur Exod. 24. Lecto omni mandato legis à Mose, omnem populū aspersit, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Secundo autem est exhibitus in rei veritate, quod pertinet ad nouum testamentum. Et hoc est quod Apostolus ibidem præmittit dicens: Ideò noui testamenti mediator est Christus vt morte intercedēte, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Dicitur ergo hic sanguis noui testamenti, quia iam non in figura, sed in veritate exhibetur, vnde subditur, qui pro vobis effundetur. Interna autem inspiratio ex huius sanguinis virtute procedit, secundū quod passione Christi iustificamur. B C

AD quartum dicendū, quòd hoc testamētum est nouum ratione exhibitionis. Dicitur autem æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hęreditatis, quę per hoc testamentū disponitur. Ipsa etiam persona Christi, cuius sanguine testamentū disponitur, est æterna.

AD quintum dicendum, quòd mysteriū hic ponitur non quidem ad excludendam rei veritatem, sed ad ostendendam occultationem, quia & ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc sacramento, & ipsa passio Christi occultè fuit figurata in veteri testamento. D

AD sextum dicendum quod dicitur mysterium fidei, quasi fidei obiectū, quia quod sanguis Christi secundùm veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur: ipsa etiā Christi passio per fidē iustificat. Baptismus autem dicitur sacramentum fidei, quia est quædam fidei protestatio hoc autem est sacramentum caritatis, quasi figuratiuum & effectiuum.

AD septimum dicendum, quòd (sicut dictum est) sanguis seorsum cōsecratur à corpore, expressius repræsentat passionē Christi. Et ideò potiùs in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi & fructu ipsius, quam in consecratione corporis. A

In solut. ad 1. & lotis ibi citatis.

AD octauum dicendum, quod sanguis passionis Christi, non solum habet efficaciā in Iudæis electis, quibus exhibitus est sanguis veteris testamenti, sed etiam in gentilibus: nec solùm in sacerdotibus, qui hoc conficiunt sacramentum, vel alijs, qui sumunt, sed etiā in illis, pro quibus offertur. Et ideò signāter dicit, pro vobis Iudæis, & pro multis, scilicet, Gentilibus: vel, pro vobis māducantibus, & pro multis pro quibus offertur.

AD nonum dicendum, quòd Euangelistæ non intendebāt tradere formas sacramentorum, quas in primitiua Ecclesia oportebat esse occultas, vt dicit Dionys. in fine Eccle- siast. Hierarch. sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamen hæc omnia ferè verba ex diuersis Scripturę locis accipi possunt. Nam ꝙ dicitur, hic est calix, habetur Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. Matth. autem 26. dicitur, hic est sanguis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quod autem additur, eterni, & iterum, mysterium fidei, ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit, secundum illud 1. Corinth. 11. Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis.

c. 7. Eccles. hierar. p. 3. inter med. & fin.

COMMENTARIVS.

De sentens. S. Thomæ verba quæ sunt à pronomine, hic, vsq; ad hæc quotiescunq; & esse de substantia formæ calicis.

DVo præstat D. Thom. in hoc articulo. Primò docet, de substantia huius formæ non tātum esse illa verba, *Hic est calix sanguinis mei* sed etiam sequentia vsque ad illud exclusiuè, *Hæc quotiescunque feceritis*. Deinde explicat significationē & rationē singulorū verborū; & hæc posterior pars articuli est perspicua, in priori verò obscurum est, quid inrelligat D. Thomas per substantiam formæ. Recentiores quidam Thomistæ distinguentes inter essentiam & substantiam formæ dicunt, Diuū Thomam non loqui de essentia, sed de substantia: vocant autem de essentia id, sine quo effectus formæ non potest subsistere; atque ideò, quod est simpliciter necessarium ad sacramentum; de substantia autem vocant, quod ex institutione Christi requiritur ad integritatem & effectum formæ, quanquam, si desit, non propterea sacramentum sit nullum. Ita exponunt Diuū Thom. Soto, Ledesma, & alij. Nec propter aliam causam ita eum interpretātur, nisi quia rem ipsam non valent alio modo defendere. Sed, quicquid sit de veritate ipsius rei, tamen hæc Diui Thomæ interpretatio est valde aliena ab eius mente, vt constat, tum ex antiquorum Thomistarum expositione, tum ex alijs locis Diui Thomæ: vbicunque enim agit de formis sacramētorum, id vocat de substantia formæ, quod est de

Interpretatio aliquorū Thomistarum reijcitur.

Universidad de Deusto Biblioteca

eſſentia eius, vt patet ſuprà quæſtione. 60. artic. 8. Vbi in communi de forma ſacramenti ſic inquit, *Si diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum, & ideo non perficitur ſacramentum*, & ad eundem modũ loquitur quæſtione ſexageſima ſexta, & ſæpè aliàs. Tum etiam ex hoc eodem articulo, non ſolùm in corpore, ſed etiam in argumento ſecundo, cum ſolutione. Vbi declarat, priora verba ſine ſequentibus non habere efficaciam; & in ſolutione ad nouum, vbi dicit, Euangeliſtas non tradidiſſe formas ſacramentorum, indicans, illa præcedentia verba ſine ſequentibus nõ eſſe formam ſacramenti. Senſus ergo Diui Thomæ eſt, omnia illa verba eſſe de eſſentia & neceſſitate ſimpliciter huius ſacramenti, quod clarè etiam explicuit in quarto, diſtinctione octaua, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, quæſtiuncula prima, vnde abſolutè dicit, omnia illa verba eſſe de forma. Et ad tertium ait, omnia illa, quæ per illas particulas ſignificãtur eſſe eſſentialia ſanguini Chriſti: prout in hoc ſacramento conficitur, id eſt, prout effuſo in paſsione pro nobis, & lect. 6. in capit. 11. 1. ad Corinth. expreſſè dicit, hæc omnia verba eſſe de neceſsitate formæ; & illis omnibus conſecrationem perfici, nec ſufficere ſola ea, quæ à Paulo, vel Euangeliſtis referuntur: eſt ergo hæc aperta mens Diui Thomæ, veritatem autem & rationes eius poſteà examinabimus.

DISPVTAT. LX.

De forma conſecrationis ſanguinis.

Diſp. 22. de Euchariſtia

PRimùm omnium nonnulla ſupponenda ſunt, quæ eiuſdem rationis ſunt cum tractatis in diſputatione præcedente, Vnum eſt, verba illa antecedentia, quæ in canone legũtur, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, vſque ad illa, *Hic eſt enim*, &c. non eſſe de neceſsitate ſacramenti: nã quædam ſunt verba Euangeliſtæ, de quibus diſputatione decima nona dictum eſt; illa verò, quæ ſunt Chriſti, ſcilicet, *Accipite & bibite*, eandem rationem habent quam ſimilia, quæ dicuntur circa corpus; de quibus diſputatione præcedente diximus. Alterum eſt, particulam, *enim*, non eſſe de eſſentia, quanuis Mathæus referat Chriſtum illam dixiſſe, propter eaſdem rationes tractatas diſputatione præcedente. Vltimum denique eſt illud verbum, *hoc facite*, ſiue id, *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei, &c.* & omnia, quæ poſteà ſequuntur non eſſe eſſentialia, vt ſatis etiam conſtat ex dictis. Tria ergo illa explicãda ſuperſunt. Primò, quę verba ſint eſsẽtialia. Deinde quę ſit eorũ ratio. Tertiò, quare illis adiũcta ſint aliqua nõ eſſentialia.

SECTIO. I.

Vtrùm hæc ſola verba, Hic eſt calix ſanguinis mei, *vel*, hic eſt ſanguis meus, *ſit de eſſentia huius ſacramenti.*

QVòd hæc ſint eſſentialia, certa fides eſt: eſt enim eadem de his ratio, quæ de illis, *Hoc eſt enim corpus meum*: quia ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem, quod ampliùs explicabitur ſectione ſequente, præſens ergo controuerſia eſt de verbis ſequentibus. *Noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.*

1. Sententia

De quibus prima ſententia eſt, hæc omnia eſſe de ſubſtantia & eſſentia huius ſacramenti. Hæc eſt opinio D. Thomæ, vt explicuimus & ita eam interpretantur & defendunt Capreol. diſt. 8. q. 1. artic. 3. ad argum. contra. 3. concluſ. Palud. q. 3. Heruæus diſt. 10. q. 2. Anton. 3. part. titul. 13. c. 15. §. 4. Sylueſt. verbo. Euchariſt. 1. q. 6. Armil. verbo, Euchariſt. n. 14. Viguer. in inſt. c. 16. Petrus Soto lect. 2. de Euchar. vbi hanc dicit eſſe certam ſententiam & tutã, eandẽ tenet Gerſon, Alphab. 26. in fine; & inſinuatur ab Innocẽt. lib. 4. de hoc myſt. c. 5. dicẽte, Eccleſiam accepiſſe ab Apoſtolis hanc verborũ formam, Apoſtolos autẽ à Chriſto. Fundamẽta pro hac ſentẽtia tria inſinuantur à D. Tho. Primum eſt, quia Luc. 22. hæc poſteriora verba interponuntur prioribus: ſic enim dicitur, *Hic calix nouũ teſtamentum eſt in meo ſanguine*: ergo ſignum eſt omnia eſſe eſſentialia. Secũdum eſt, ex conſuetudine Eccleſiæ, quia, ſcilicet, Sacerdos eodem ritu & modo, tenendo calicem in manibus, hæc omnia verba profert, & ideò omnia eiſdem characteribus ſingulariter deſcribũtur. Cui adiungi poteſt, quod in Concil. Florent. in decreto Eugenij in fine, omnia illa verba ponuntur in forma ſanguinis, vt refert Barth. Mirãda in ſua ſumma (in tomis enim Conciliorum non inueniũtur tres clauſulæ, quas ibi Miranda addit, neſcio ex quo codice) Concil. item Colonienſ. part. 7. c. 14. & in Enchiridio Chriſtian. inſtit. tit. de ſacrament. Euchariſtiæ, omnia hæc verba poſuit in forma, & ſubiunxit, *Reliqua, quæ dicuntur, vel ad vſum ſacramenti pertinent vel laudes, vel gratiarum actiones ſunt, vel certè obſecrationes & fidelium petitiones; tam autem apertus eſt Chriſti ſermo, quo hoc ſacramentum conficitur, vt planè inſani ſint: qui eum deprauare contendunt*. Sẽtit ergo, illa verba eſſe eſſentialia, ac omnibus his confici ſacramentũ. Ac denique in Catech. Pij Quinti, omnia illa verba dicuntur eſſe forma huius ſacramenti. Vnde eiuſdem Pij Quinti opera commentarius Caietani circa hũc artic. in quo Diui Thomæ opinionem deſerebat, expunctus eſt.

S. Thom. Capreol. Palud. Heruæus. Antonin. Sylueſt. Viguer. Pet. Soto. Gerſon. Innocent. Miranda. Colonienſe Concilium.

Tertiò inſinuat Diuus Thomas rationẽ; quia tota illa eſt vna integra propoſitio, & omnia illa verba. *Noui & æterni teſtamenti. &c.* ſunt determinatio prædicati; & ideò, donec illa omnia finiantur, non eſt abſoluta propoſitio: ergo omnia illa pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis: ſunt ergo de eſſentia. Et confirmatur primò, quia illa verba determinant ſacramentalem ſignificationem; nam, quia hoc ſacramentum eſt repræſentatio paſsionis Chriſti, debuit hoc exprimi in forma; & ideò oportuit illam determinationem in forma ponere; magis autẽ adhibita eſt in forma ſanguinis, quàm corporis: quia & in paſsione ſanguis eſt ſeparatus à corpore, & in conſecratione ſanguinis, ſeparata à conſecratione corporis cõſummatur hæc repræſentatio. Cõfirmatur ſecũdò, quia per illã determinationem, *qui pro vobis effundetur*, ſignificatur, eſſe ſacrificium, quod in conſecratione ſanguinis perficitur: eſt ergo illa determinatio eſſentialis. Et hæc opinio eſt valde probabilis, & magnæ autoritatis, cui Scotus diſtinctione 8. quæſt. 2. articul. 2. contradicere non eſt auſus, ſed rem dubiam reliquit; quanquam eo loco multa etiam, quæ certa ſunt in dubium reuocet; & eodẽ modo dubitat Gabriel diſtinctione 9. quæſtione 1. & lect.

[illegible] Scotus. Gabriel.

& lectio. 53. in Canon. Angelus, & Roſſel. Euchariſt. 1. & Nicol. de Nirſe tractat. 6. de Euchariſt. quæſtione. 1.

2. Sententia

Secunda opinio principalis, & extremè contraria, eſt, ſola illa verba, *Hic eſt ſanguis meus*, vel æquiualentia, eſſe eſſentialia, ſubſtantialia, ac neceſſaria, atque adeò in ſolis illis eſſe vim effectricem huius ſacramẽti. Hæc eſt communior antiquorum Sholaſticorum cum Magiſtro in 4. diſtinctio. 8. Bonauent. 2. parte, articulo 1. quæſtio. 2. ad 1. Maior. quęſt. vnica, Aliaco. quæſt. 5. Aureol. apud Capreol. ibi, Carthuſ. quæſtione 2. licèt cum formidine, & eodem modo Marſil. quæſt. 6. artic. 1. Alenſ. quæſt. 33. membr. 4. artic. 1. & 3. ad 3. Henric. quodlib. 9. quæſt. 10. Albert. lib. de ſacrific. Miſſ. capit. vltim. quem refert Gabriel ſuprà Caietan. hic, Vict. in ſumma, num. 74. qui dicit illa poſteriora verba eſſe de perfectione formæ, ſicut pronomen, *Ego*, in forma baptiſmi; & in hac ſententia inclinat Innocent. libr. 4. cap. 6. & 17. dũ ait, *Sacerdotem his verbis cõficere, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus*. Probatur primò hæc ſentẽtia ex Scriptura, quia, vt in ſuperioribus ſæpè dictum eſt, veriſimile eſt, Euangeliſtas retuliſſe omnia verba eſſentialia ad conſecrationem, tam in forma ſanguinis, quàm corporis: ſed ſinguli Euangeliſtæ omittunt aliqua ex prædictis verbis, & quædam in nullo eorum reperiuntur: ergo non ſunt de neceſsitate ſacramenti. Maior conſtat, quia ſinguli Euangeliſtæ narrant factum & inſtitutionem Chriſti, & vnuſquiſque eorum ſubdit, Chriſtum dixiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem*: neceſſarium ergo videtur vt ſinguli narrẽt inſtitutionem, ſaltem quoad eſſentialia: conſtat autem, omnes omiſiſſe illam particulã, *myſterium fidei*, &, *æterni*, Matthæus item & Lucas particulam, *pro vobis*, omiſerunt, Marcus, *in remiſsionem peccatorum*. Paulus denique ex omnibus illis verbis ſolum illud, *noui teſtamenti*, retinet, reliqua prætermittit. Vnde hæc ratio de omnibus illis verbis procedit, præterquàm de illo, *noui teſtamenti*, quod à nullo prætermiſſum eſt; tamen à paritate rationis ſumi poteſt argumentum: quia illud verbum non magis ſignificat ſubſtantiam ſacramenti, quàm reliqua, ſed ſignificat potiùs effectum, vel vſum.

Magiſt. Bonauent. Maior. Aliaco. Aureol. Carthuſ. Marſil. Henric. Albert. Caiet. Victoria. Innocent.

Euaſio.

Ad hoc argumentum reſpondet Diuus Thomas hic, & Scholaſtici, Euangeliſtas non aſſumpſiſſe onus tradendi formas ſubſtantiales ſacramentorum, ſed ſolùm narrandi, & texendi hiſtoriam; & ideò non eſſe neceſſarium, vt omnium verborum eſſentialiũ mentionem fecerint.

Impugnatur

Sed profectò non videtur hoc ſatisfacere: quia licèt verum ſit, primariò voluiſſe narrare hiſtoriam, tamen, cùm ipſa hiſtoria contineat ſacramenti inſtitutionem, & præceptum celebrandi illud, cùmque ipſi mentionem faciant illius præcepti. *Hoc facite*, credibilius eſt, integrè, ſaltem quoad eſſentialia, narraſſe, quid faciẽdum ſit; quod ſatis videtur inſinuare Paulus illo verbo. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Dices, hac ratione poſſe concludi, illam particulam, *calix*, non eſſe de eſſentia; quia Marcus illius non meminit, ſed tantùm dixit, *Hic eſt ſanguis meus*. Reſpondeò, verũ eſſe illam materialiter ſumptam non eſſe neceſſariã, ſed ſolùm quoad ſenſum: vnde, quia in re idem eſt, *ſanguis*, &, *calix ſanguinis*, quidquid horum dicatur, ſufficit, quantum ad ſacramenti neceſsitatem pertinet; & ideò Euangeliſtæ vtroque modo hoc referunt; ita vt incertum eſſe videatur, quomodò Chriſtus ſit locutus.

Secundum & vrgentiſsimum argumentum pro hac ſententia ſumitur ex Eccleſiæ conſuetudine, & autoritate: quanquam enim Eccleſia Romana omnia illa verba eodem tenore proponat: quia in eis contineri formam certiſsimum eſt, tamen inde non fit, Eccleſiam Romanam ſentire, illa omnia eſſe de neceſsitate formæ: nam particula, *enim*, eodem modo proponitur, & profertur; cùm tamen certiſsimum ſit, non eſſe de ſubſtantia formæ. Sed, quod caput eſt, omnes liturgiæ antiquæ Græcorum omittunt particulam, *æterni*, & *myſterium fidei*, vt videre licet in Iacobo, Baſilio, & Chryſoſtomo, & eandem particulam, *myſterium fidei*, omittit Concilium Colonienſe, part. 7. capit. 14. AEthyopes verò in ſua Miſſa, cuius autor dicitur fuiſſe Matthæus, hac forma vtuntur, *Hic eſt calix ſanguinis mei: qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum*: in qua, præter duas dictas particulas, omittitur etiam, *noui teſtamenti*. Præterea apud Clementem libro 8. Conſtit. capit. 12. aliàs 17. habentur hæc verba notanda. *In qua nocte tradebatur, cum accepiſſet panem ſanctis manibus ſuis, ſuſtuliſſetque oculos ad te Deum ſuum ac patrem, ac fregiſſet, dedit diſcipulis ſuis dicens, Hoc eſt myſterium noui teſtamenti, accipite ex eo, & comedite; hoc eſt corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſsionem peccatorum. Similiter & calicem, dicens, Bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*. Ex quo contextu in primis colligitur, verba illa, *myſterium fidei, & noui teſtamenti*, non eſſe partem alicuius formæ, ſed præambula, ſicut illa, *Accipite & comedite*. Deinde colligitur, illa verba, *qui pro vobis effundetur*, non magis eſſe neceſſaria in forma ſanguinis, quàm illa, *quod pro vobis tradetur*, ſit neceſſaria in forma corporis.

Colonienſ. Concilium. Clement.

Ad hæc reſpondet Capreolus, Deum diſpenſaſſe cum illis Eccleſijs, in quibus illæ particulæ omiſſæ ſunt. Sed hoc, qua facilitate dicitur, eàdem reijciendum eſt: eſt enim voluntarium, atque ridiculum; nullum enim fundamentum habet; neque vnquam talis diſpenſatio viſa eſt, quæ eſſentialem ritum ſacramenti in diuerſis Eccleſijs mutet: alioqui meliùs diceretur à principio fuiſſe diuerſas formas diuerſis Eccleſijs traditas, quod tamen abſurdiſsimum eſſet, & erroneum. Paludanus igitur aliter reſpondet, in omnibus his liturgijs, & Eccleſijs, formas eſſe inſufficientes: vnde concedit, Græcos illis ſolis vtentes non conficere. Sed eſt pluſquàm temeraria ſententia cõtra vniuerſalẽ traditionem, quæ illas liturgias recipit & probat, vt videre eſt in ſexta Synodo. Deinde, ille fuiſſet intolerabilis error in magna parte vniuerſalis Eccleſiæ, quẽ Eccleſia Romana minimè permittere debuiſſet: nunquã autem Eccleſia Romana reprehendit, vel notauit Græcos de hoc errore, quin potiùs in Concilio Florentino, ſeſsione vltima, in fine apertè ſupponitur, Græcos ritè conficere corpus & ſanguinem Domini, formis quibus ipſi vtũtur, & ab eis ſolùm quęritur, cur poſt illas formas addant rationes, quibus videntur conſecrationem poſtulare, Græcique reſponderunt, ſe firmiter credere, illis verbis confici ſacramẽtum, quod Latinis ſummè placuit, neque vllam aliam controuerſiam de forma habuerunt cum Græcis, ſed ſolũ circa materiam de azymo, & de miſtione aquæ. Propter quod Eugenius in literis vnionis nulla verba poſuit, ſed generatim dixit, hoc ſacramentum confici verbis Saluatoris. Et confirmatur tandem, quia ex vſu Eccleſiæ Latinæ, omittentis

Universidad de Deusto
Biblioteca

in forma corporis particulam illam, *quod pro vobis tradetur*, rectè concludimus, illam particulam non esse de essentia: ergo similiter ex vsu aliarum Ecclesiarum ab Ecclesia Romana tolerato, si non æquali, magna saltem certitudine, censendum est, illa verba, quæ à multis Ecclesijs omittuntur in forma sanguinis, non esse de essentia, sed sola illa, quæ ab omnibus Ecclesijs proferuntur.

Ambros. Rectiò argumentari possumus Patrum autoritate. Ambrosius 4. de sacramentis, capite 5. tantùm ponit hæc verba, *Accipite & bibite: hic est enim sanguis meus.* Euseb. Emissen. in capit. Quia corpus, de Consecratione, Distinctione 2. dicit, Christum convertisse vinum in sanguinem suum, dicendo, *Hic est sanguis meus.* Cyprian. serm. de Cœna Domini. *Ex quo à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea,* &, *Hic est sanguis meus, quotiscunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste, & calix, benedictione solenni sacratus, ad vitorius hominis vitam, salutemque proficit.* Similiter Iustinus Apolog. 2. in fine, sicut ponit solà illa verba, *Hoc est corpus meum*, ita & illa sola, *Hic est sanguis meus.* Chrysostom. autem homil. de proditione Iudæ in consecratione corporis, horum meminit verborum, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et similiter in consecratione sanguinis tantùm dicit, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*: satis indicans, non magis necessariam esse determinationem in vna forma, quàm in alia: vnde inferiùs vim facit in solis illis verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Et eodem modo procedit Damascen. libro 4. capit. 15. vbi priùs dixit, Christum consecrasse, dicendo, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur; hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur*: posteà verò indicans, quæ sunt verba essentialia, inquit, *Sicut Deus, dicendo, Fiat lux, fecit lucem: ita dicendo, Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, perfecit hoc sacramentum; &, quoniam dixit: hoc facite, omnipotente eius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur.*

Cyprian. *Iustinus.* *Chrysost.* *Damasc.*

Quartò argumentor ratione, quæ, licèt ex se sola non sufficiat in re, quæ ex diuina institutione & voluntate pendet, tamen, suppositâ sufficienter autoritate allata, magnum pondus habere potest. Præcipua ergo ratio sit: quia verba sacramentorum efficiunt, quod significant; sed hæc verba sola, *Hic est sanguis meus*, vel, *hic est calix sanguinis mei*, significant conuersionem, ergo illam efficiunt: ergo illa sola sunt essentialia. Et confirmatur, quia in primo instante, quo hæc verba absoluuntur, constituunt propositionem integram, & non possunt esse falsa, neque quando à Christo prolata sunt, neque quando in persona eius ritè proferuntur: ergo in primo instante efficiunt: ergo, quidquid posteà profertur, non est essentiale, cùm non sit necessarium ad veritatem sacramenti. Respondeti poterit, verba sacramentorum efficere sacramentaliter, & prout instituta sunt: verba autem huius formæ non esse instituta ad significandam conuersionem in sanguinem Christi absolutè, sed vt effusum, aut confirmantem nouum testamentum; & ideò, donec completa est tota hæc significatio, nihil efficere. Vnde ad confirmationem consequenter dicetur, verba illa, *Hic est calix sanguinis mei*, vt in hac forma proferuntur, non continere propositionem integram, sed inchoatam? quia omnia, quæ suquuntur, sunt determinatio & pars prædicati; & ideò donec consummetur propositio, non esse significationem veram; necesse est, sicut in forma baptismi, licèt quis dicat, *Ego te baptizo*, nondùm significabit verum aut saltem sacramentaliter, donec perficiat formam, & dicat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: quia totum hoc est pars illius propositionis sacramentalis. Et confirmatur tota hæc responsio, quia non repugnabat, Christum instituere hanc formam hoc modo, vt per se notum videtur; &, si tunc obijceretur ratio facta, necessariò soluenda esset prædicto modo; ergo signum est, non esse efficacem.

Sed ad hæc omnia iam dictum est, rem, quæ pendet ex sola Christi institutione, non posse sola ratione conuinci, neque in hoc sensu afferri rationem prædictam, sed solùm vt coniecturam, & congruentiam: nam in sacramentis verba, quæ sufficienter significant effectum proprium ac primarium, solent etiam instituì, vt sufficientia ad talem effectum efficiendum, constituendumque sacramentum; quòd si interdùm sit aliqua additio, est propter aliquam specialem causam, vt in forma Baptismi, & Confirmationis, additur inuocatio Trinitatis, quia sunt ianua, & professio fidei: hic autem illa verba sufficienter significant effectum, & nulla est ratio sufficiens, vt fieret illa additio tanquam necessaria ad veritatem sacramenti, vt patet, quia illa verba, *nouiet æterni testamenti*, significant aliquid accidentarium, & extrinsecum, quod consequenter se habet, & non sit propriè per illa verba: ergo non sunt hæc essentialia. Simili enim ratione probauit Diuus Thomas suprà, illa verba, *Accipite & comedite*, non esse de essentia; quia significant vsum, qui est posterior, & extrinsecus. Et idem ferè argumentum fieri potest de illis verbis, *qui pro vobis effundetur*. Sed de illis præterea est speciale argumentum; quia illa, vt suprà dixi, non dicuntur formaliter à Sacerdote, sed referuntur materialiter, aliàs enim non esset vera, quia iam nunc non est effundendus sanguis: verba autem formæ essentialia dicuntur significatiuè & formaliter à Sacerdote. Quòd si dicantur proferri formaliter, & intelligi de effusione sacramentali, præterquàm quòd sensus non est ita proprius, redit argumentum factum, quòd hoc modo non significant, nisi vsum vel effectum, quem sacramentum confert suscipienti, quæ sunt extrinseca.

Tandem, non videtur contemnenda illa coniectura; quia in forma corporis, determinatio illa, *quod pro vobis tradetur*, non est de substantia formæ, vel quia sumitur materialiter, vel quia non significat de nouo aliquid substantiale, sed solum vsum vel effectum: ergo idem erit in forma sanguinis; quia re vera in illo verbo, *Hic est sanguis meus*, includitur, quòd ille sit sanguis noui testamenti, & effusus in remissionem peccatorum: ergo, quidquid posteà additur, non est substantiale, propter eadem causas.

3. Sententia.

Inter has opiniones extremas, inuenio tres alias medias, quæ licèt, mea sententia, parum sint probabiles, tamen, vt veritas magis constet, commemorandæ sunt. Tertia ergo opinio affirmat, præter illi verba, *Hic est sanguis meus*, esse essentiale verbum illud, *noui testamenti*, non verò cætera omnia. Ita sentit Armachanus lib. 9. de quæstionibus Armenorũ

Armach. menorum, capite 3. & 4. & aliqui addiderunt, etiam illud verbum, *mysterium fidei*, esse de essentia, vt referunt Marsilius quæstione 6. articulo. 1. 2. parte illius, & Gabriel lect. 53. in Canon. Sed hoc posterius, non video, quo fundamento niti possit, cùm omnes rationes factæ pro secunda sententia æquè contra hoc procedant. Opinio autem Armachani aliquo modo fundari potest in consensione Euangelistarum omnium, & Pauli: omnes enim illud verbum commemorant, & subiungunt, Christum dixisse, *Hoc facite.* Præterea, hic magis vrget argumentum illud Diui Thomæ, quòd Lucas interponit illud verbum, dicens, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Vnde Tertulianus libro 4. contra Marcion. capit. 40. cùm dixisset, Christum corpus suum confecisse, dicendo, *Hoc est corpus meum* subdit, *Sic & calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignauit.* Sed hæc sententia non loquitur constanter, nec expedit difficultates propositas in secunda, licèt vnam vel alteram euitet; præcipua tamen est, quod non omnes Ecclesiæ, aut liturgiæ particulam illam, *noui testamenti*, adiungunt, vt vidimus: secluſa autem traditione Ecclesiæ, nulla est ratio sufficiens, ob quam illa particula censeatur essentialis: nec enim satis est, quod omnes Euangelistæ illius meminerint: quia non omnia, quæ ipsi narrant, dixisse Christum, sunt de essentia, sed illa sola, quę proprium sacramenti effectum significant; & ex vsu & traditione Ecclesiæ colligũtur esse essentialia. Illud autẽ verbũ, *noui testamenti*, neq; pertinet ad significandũ effectũ, neq; ex cõmuni vsu & cõsensu Ecclesiæ cõstat, esse essẽtiale.

Tertull. *Reijcitur.*

Quarta sententia est quorundam, qui dixerunt, illa verba postrema, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, esse essentialia; verba autem intermedia non esse essentialia, sed proferri ad explicandum magis mysterium; scribi autem, & dico eodem tenore, & ritu, solum quia interponuntur in medio, sicut particula, *enim*, Quòd ergo hæc non sint essentialia, probat hæc opinio argumentis secundæ sententiæ. Quòd autem postrema verba essentialia sint, probat, quia hoc mysterium est sacrificium incruentum, quod est commemoratio, & repræsentatio cruenti sacrificij: ergo de necessitate formæ illius est, quòd in ea fiat expressa mentio effusionis sanguinis Christi, quod per illam particulam fit, & ideò omnes Euangelistæ illam scribunt. Sed hæc etiam opinio, & leue habet fundamentum, & inconstanter procedit; quia, si fundamenta secundæ opinionis efficaciter probant verba intermedia non esse essentialia, idem necessariò concludunt de posterioribus verbis: eodem enim modo de illis procedunt, præsertim illud, quòd non solùm Paulus illa omisit, & Euangelistæ aliqua prætermittunt, sed etiam multæ Ecclesiæ sine illis consecrant, vt patet ex liturgijs suprà adductis, & ex verbis Clementis, & ex alijs citatis. Adde, quod, si hæc verba essent essentialia, non interposuisset Ecclesia tot verba non essentialia. Neque est simile de particula, *enim*, quia, & breuissima est, & ad historiam narrandam necessaria. Præterea, cur magis hæc additio seu determinatio censenda est necessaria in sanguine, quàm in corpore, vt suprà argumentabamur? Denique nullus Scholasticorum hac distinctione vsus est, affirmans quædam ex his verbis necessaria esse, & non alia.

Tertullia. *Reijcitur.*

5. Sententia.

Quinta ergo opinio est quorundam recentium Thomistarum, qui coniuncti argumentis secundæ sententiæ concedunt, nulla esse verba essentialia, neque de necessitate simpliciter huius sacramenti, præter illa, *Hic est sanguis meus*, seu, *Hic est calix sanguinis mei*; Nihilominùs tamen addunt, verba sequentia esse de integritate & substantia formę; quia ex institutione Christi omnia dicenda sunt, vt forma sit integra, &, quando dicuntur, ad consecrationem concurrunt, quæ non perficitur; donec illa omnia absoluantur, si minister debita intentione conficiat, intendendo, scilicet, agere; prout Christus instituit, vel fecit. Non sunt tamen hæc verba simpliciter necessaria; quia, licèt, non proferantur, & minister velit solis alijs conficere, tenebit consecratio, quanuis malè faciet. Quod ita declaratur; quia, quando omnia illa verba proferuntur, sunt per modum vnius integræ propositionis, cuius veritas non subsistit, donec tota proferatur; & ideò tunc omnia sunt de integritate formæ; & effectus non fit vsque ad vltimum instans prolationis omnium: quia vsque ad illud est quasi pendens, & suspensa significatio; cuius signum est; quia, si post illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, aliquis adderet hanc determinationem, *pro angelis effusi*, vel quid simile, redderetur falsa propositio, & nihil conficeretur: ergo neque est absolutus sensus, neque fit effectus, donec absoluatur tota determinatio prędicati. At verò, quando solùm proferuntur illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, illa est perfecta oratio, cuius sensus absoluitur in fine eius; & ideò tunc fit effectus, atque ita fit, vt illa forma per se possit esse sufficiens; & consequenter, vt alia verba non sint simpliciter necessaria & essentialia, quanuis substantialia sint. Quod non esse nouum, exemplis declaratur, nam particula, *enim*, & particula, *calix*, substantialis est, & tamen non est simpliciter necessaria. Secundò, ait Soto, dum profertur in hac forma pronomen, *meum*, vltima particula potest breuiori, prolixiori sono proferri, & tamen, cùm prolixius profertur, totus sonus est de substantia, & concurrit ad effectum, licèt dimidia pars eius sufficeret ad essentiam. Tertiò, in forma Baptismi, vel Pœnitentiæ, pronomen, *Ego*, non est de essentia; & tamen, cùm profertur, de substantia est, & concurrit ad effectum. Quartò, quando baptismus fit trina mersione, omnes sunt de substantia, licèt non de essentia. Et clariùs in sacramento Pœnitentiæ, confessio vnius peccati venialis esset sufficiens ad essentiam in eo, qui non habet conscientiam mortalis, & tamen, si fiat confessio plurium venialium, tota erit de substantia, & integritate sacramenti. Hanc opinionem sic explicatam defendunt Soto, Ledesma, & alij, qui potissimùm moti sunt ad ita dicendum, ne viderentur Diui Thomæ contradicere.

Soto. Ledesma. *Reijcitur prædicta opinio.*

Sed hæc opinio in primis aliena est à mente Diui Thomæ, vt in comment. ostendi, & ita non assequitur, quod intendit. Secundò, fingit quid nouũ & inauditum in formis sacramentorum sine vllo fundamento, vt ex responsione ad eius fundamenta patebit. Tertiò, si verum est, vt, re vera, est, & ipsi fatentur, illa verba non esse de essentia, neque de necessitate formæ, consequenter etiam dicendum est, non esse ex institutione aut præcepto Christi, vt adiungantur; vel coniungantur verbis formæ, in quo autores prædicti non loquuntur consequenter. Pa-

tet quia Ecclesiarum vsus, & autoritas quæ docent hæc non esse essentialia, docent, non esse præcepta à Christo quia ius diuinum est immutabile. Neque est credibile magnam partem Ecclesiæ, & grauissimos Patres ignorasse hoc ius diuinum, aut Ecclesiã Romanam hunc errorem tolerasse. Adde si hoc esset diuinum præceptum, gratis negari, esse de essentia formæ: quia in nulla forma alicuius sacramenti inuenitur aliquid ex præcepto Christi dicendum, quod non sit essentiale, quia non aliter instituit Christus essentiam sacramenti, quàm præcipiendo, vt ita fieret: ergo non dicuntur hæc verba ex præcepto Christi: ergo neque ex institutione: quæ enim hic potest esse institutio, si non est præceptum? Nisi quis fortasse dicat, instituisse Christum, vt hæc verba dici possint, & veluti consilium dedisse vt dicantur, quasi ad melius esse, quod est gratis dictum, & sine exemplo aut fundamento: neque ad rem præsentẽ pertinet, vt ostendam. Præterea hoc modo omnes ceremoniæ sacramentorum ab Ecclesia institutæ possunt dici esse ex institutione Christi, quia Christus instituit vt possint fieri, & est melius. Itẽ, cur etiã illa additio, *quod pro vobis tradetur*, non dicetur ex institutione Christi? & in vtraque forma, verba illa, *Accipite & comedite*, vel, *bibite*? & sic de alijs: ergo ratione institutionis, vel præcepti Christi, nõ possunt hæc verba dici de substantia, & integritate formæ. Quartò, nec ratione efficientiæ, quia si verum est, Christum nec instituisse, nec præcepisse, vt hæc verba dicerentur, necessarium est, dicere (si verba consecrationis Calicis debita intentione proferantur) illa verba nihil efficere. Probatur primò, quia, si Christus non præcepit, vt illa verba dicerentur, neque ea instituit, vt sacramentalia, nullam illis contulit virtutem agendi: vnde ergo habent illam? quia verba non possunt habere efficaciam, nisi ex institutione Christi: neque Ecclesia potest illam conferre, neque credibile est, quod efficacia verborum ex solo vsu humano pendeat, nec denique Christus hanc efficaciam contulit, nisi illis verbis, quæ ad sacramentaliter significandum instituit.

Vnde argumentor secundò, quia, supposita Christi institutione verba sacramentorum agunt per modum naturæ, & ideo agentes de sacramentis in genere diximus, non esse in potestate ministri, applicando materiam & formam sufficientem cum intentione sacramentum conficiendi, suspendere effectum sacramenti, etiam si maxime velit & intendat nihil efficere vsque ad tale tempus: ergo si illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sunt sufficientia, & cadunt super debitam materiam debita intentione non potest voluntas ministri, aut Ecclesiæ vsus impedire, quin, illis finitis, consecratio perficiatur. Tertio, si sola additio facta post prædicatum simplicis propositionis satis est, vt dicamus, effectum non fieri, donec additio illa finiatur, sequitur primò, Christum Dominum non consecrasse corpus illis solis verbis, *Hoc est corpus meum*, nec commutasse panem in corpus, donec absoluit verba sequentia, *quod pro vobis tradetur*, & consequenter sequitur, omnia illa esse de substantia illius consecrationis consequens autem videtur satis absurdum: aliàs Ecclesia Latina non conficeret eisdem verbis, quibus Christus, neque proferret omnia substantialia verba, quæ ipse protulit. Sequitur etiam, additionem illam, qua vtitur Ecclesia Græca, esse de substantia illius formæ, & de eius integritate, & consequenter Ecclesiam Latinam habere mutilam formam corporis, saltem quoad substantialem integritatem eius, quod non est mediocre absurdum. Dices, non sufficere, quòd Christus addiderit determinationem aliquam, sed, quòd addiderit, cum intentione suspendendi significationem, & effectionem sacramentalem, vsque ad finem totius prolationis, & hãc intentionem habuisse in verbis calicis, non autem in verbis corporis. Sed, quàm hoc voluntariè, & sine fundamento, dicatur, per se notum est. Ac præterea, si ita esset, sine causa negaretur, omnia illa verba esse essentialia ac simpliciter necessaria, quia si Christus ea intentione ea protulit, aut illis confecit, & statim subdit, *hoc facite*; quomodo illa verba non sunt essentialia; & de necessitate præcepti diuini? Rursus, quis dicat, Græcos alijs, vel paucioribus verbis consecrasse, quàm Christum? Ac denique quis credat, Christũ, omnibus illis verbis consecrando, omnia instituisse, & omnibus dedisse virtutem ad efficiendam consecrationem, simulque voluisse, aut permisisse, vt pauciora verba sufficerent, cùm huius rei nullum sit exemplum, nullum testimonium, nulla ve ratio sufficiens? Et confirmatur, nam pari ratione posset quis dicere, quanuis Christus instituerit ad baptizandum, illa verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nihilominùs, si aliquis hæc sola proferat, *Ego te baptizo*, illa sola sufficere: quia tunc constituunt integram propositionem quæ videtur baptismi effectum significare. Vel è contrario posset alius dicere in forma absolutionis, esse substantialem illam additionem, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quæ vsu communi adhiberi solet, & non perfici effectum, donec illa absoluatur: quia est quasi suspensa integra significatio totius propositionis. Et eadem ratione, si quis in forma calicis addere hæc verba, *Hic est sanguis meus infiniti valoris*, vel quid simile, non fieret consecratio, donec illa determinatio absolueretur, & ita possunt illa verba dici substantialia, quod satis absurdum est. Quòd si quis dicat, hæc exempla non esse similia: quia huiusmodi additiones nõ sunt ex verbis Christi; hoc sanè nihil refert, quia verba non sunt de substãtia formæ, quia sunt à Christo dicta, sed quia sunt à Christo instituta, vt per ea fiat consecratio, deinde, licèt exempla adducta per se non conuincant, sunt tamen efficacia ad refellendũ fundamentũ contrariæ sententiæ, quia omnis determinatio prædicati, vndecunque sumpta sit, potest dici suspendere significationem propositionis, & mutare veritatẽ eius. Nã si quis diceret, *Hic est sanguis meus veteris testamenti*, aut *Verbo non vnitus*, tota propositio falsa redderetur: ergo, si hoc satis est ad suspendendam efficaciã, id fiet, etiam si additio sumpta nõ sit ex verbis Christi: nullus autem, vt existimo, hoc concedet: aliàs fieret effectus, postquàm verba Christi omnino non existunt, per aliquod aliud voluntariè additum.

Illa verba, Hic est calix sanguinis mei, vel æquiualentia, sunt de essentia formæ, & de substantia eius.

Quocirca dicendum est in hac quæstione primò, sola illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel æquiualentia, esse de essentia, necessitate, ac substantia huius formæ, & in illis solis esse totam efficaciam; atque adeò in vltimo instante prolationis eorum perfici transubstantiationem vini. Hæc omnia conuincunt rationes factę pro secunda sententia, & contra tres vltimas. Neque fundamenta primæ opinionis noua indigent solutione, quia ostensum est, neque ex Scriptura, neq; ex Ecclesiæ vsu aliud haberi. Ratio verò sumpta ex determinatione prædicati, qua etiam nitebatur vltima opinio, manifestis exemplis reiecta est, eò vel maximè, quòd huiusmodi additio non semper suspendit significationem aut veritatem proximè præcedentis propositionis simplicis, sed interdùm est per modum alterius partis formaliter, aut virtute componẽtis vnam hypotheticam propositionem, & tunc non suspenditur veritas, & hoc sensu intelligendum est, dixisse Christum, *Hoc est corpus meum*, & posteà subiunxisse, *quod pro vobis tradetur*, simpliciter affirmando primum, & quasi cõpulando secundum, & idẽ omnino dicendũ est de verbis calicis, quæ, prout nunc proferuntur à Sacerdotibus, minorem difficultatem habent: quia illa additio, *qui pro vobis effundetur*, solũ materialiter refertur, & ideò non suspendit veritatẽ formæ essentialis, quæ formaliter profertur. Et hoc argumentũ etiam probat, illa verba, neque esse essentialia, neq; substantialia, propriè loquẽdo. Neq; exempla, quibus vltima opinio vtebatur ad distinguenda verba essentialia à substantialibus, sunt ad rem, nam pronomen, *Ego*, in forma baptismi, neq; essentiale est, neq; substantiale, teste D. Tho. suprà. q. 66. art. 5. ad. 3. *S. Thom.* Nomen autem *calicis*, quatenus concurrit ad significationẽ essentialem, essentiale est, neq; potest sine illo perfici cõsecratio, nisi quatenus mutari potest in æquiualens, quod commune est omnium formarum verbis. Secundum autem exemplum Soti non est ad rem, cùm primùm enim perficitur sensus formæ, perficitur etiam consecratio, siue vltima syllaba breuiùs, siue diutiùs protrahatur, & idẽ est in ablutione baptismi, cùm primùm enim est sufficiens ablutio, si forma integra sit prolata, perficitur sacramentum, &, quidquid posteà fit, nõ est de substantia sacramenti, nisi sit quæstio de nomine. Denique exemplum de confessione non est ad rem, quia materia sacramenti Penitentiæ non est definita ad hæc vel illa peccata, sed est simpliciter confessio, vel omnium mortalium, quæ fuerint in conscientia pœnitentis, vel venialium, quæ pœnitens clauibus subijcere voluerit, & ideò quoad hoc definire tantam vel talem materiam, pendet partim ex conscientia, partim ex voluntate pœnitentis, at verò forma sacramenti est certa, & definita ex institutione Christi.

Reliqua verba, quæ, post pronomen, mei, sequuntur, sunt de necessitate præcepti Ecclesiastici.

Addo verò vltimò, de necessitate præcepti Ecclesiastici esse, præsertim in Latina Ecclesia, vt omnia illa verba proferantur in consecratione sanguinis. Hæc est communis sententia, quæ probari potest, vel quia in re aliquo modo dubia, eligenda est via certior, cùm sine incommodo possit fieri, vel certè, quia in re adeò graui, Ecclesiæ consuetudo & traditio habet vim præcepti, & iuxta hanc assertionem conantur aliqui exponere D. Thom. quòd solùm intellexerit, illa verba esse de necessitate præcepti, & quodammodò de substantia formæ nõ formaliter, sed materialiter, quatenùs relatiuè proferuntur, & necessaria sunt ad narrãdum integrè verba Christi, Sed est dura expositio, & præter mentẽ D. Thom. vt in Commentario articuli dixi. Quocirca non existimo, iniuriam fieri D. Thomæ, si propter multarum Ecclesiarum, & Liturgiarum autoritatem ab eius opinione discedamus, quam sine dubio ipse mutasset, si vel prædictas liturgias, vel aliarum Ecclesiarum vsum agnouisset. Quod enim nõ agnouerit, signum est, quòd nullam earum mentionem in articulo faciat. Vnde, cùm alijs argumentis vtcunque satisfaciat, de hoc nihil dicit, nec inuenio, quid probabiliter responderi posset.

SECTIO II.

Vtrùm hæc verba, Hic est calix sanguinis mei, *sint essentialia & immutabilia.*

Diximus, hanc formam esse simpliciter necessariam, superest, vt singulorum verborum eius rationem & immutabilitatem explicemus. Ex his autem quinq; verbis tria sunt eiusdem rationis cũ similibus verbis cõsecrationis formæ panis, scilicet, pronomen, *hic*, quod, vt suprà diximus, potuisset in neutro poni, quanuis nunc propter consuetudinem Ecclesiæ peccatum esset, talem mutationem facere, item verbum, *est*, & pronomẽ, *mei*. Hæc igitur explicata sunt ex dictis in præcedente disputatione.

Certũ est posse loco horũ verborũ, calix sanguinis, poni tãtùm verbũ, sanguis.

Solùm ergo exponenda sunt illa verba, *calix sanguinis*, & primò dubium non est, quin loco illorum poni posset sola vox, *sanguis*, in recto, dicendo, *Hic est sanguis meus*, sicut Matthæus & Marcus dixerũt: quia his verbis sufficienter significatur conuersio vini in sanguinem Christi, & in sensu alijs æquiualente, vt iam dicam. Quocirca non immeritò dubitari potest, cur Ecclesia Latina prætermissis verbis Matthæi & Marci, quæ clariora erant, & sine figuris ac metaphoris, elegerit potiùs vti verbis illis abscuris, ac metaphoram continentibus. Videtur enim meliùs fuisse vti verbis proprijs, tum propter maiorem claritatem, & vniformitatem inter vtramque formam; tum, ne hinc sumerent occasionem hæretici metaphoricè interpretandi cætera verba harum formarum. Sed in primis sufficit Romanæ Ecclesiæ autoritas, vt credamus, conuenientissimũ fuisse, vti his verbis: deinde Paulus & Lucas nomen *calicis* posuerunt, & verisimile est, Petrum huiusmodi verba Romanæ Ecclesiæ tradidisse. Et congruẽtia adiungi potest, quia illa vox propriè significat sanguinem, vt potabilem, & ita in voce, *sanguinis*, nulla est metaphora, & accommodatè significatur, prout est sub altera specie huius sacramenti. Deinde vox, *calix*, quanuis metonimicè possit exponi, vt accipiatur pro re contenta in calice, vt idem sit *calix sanguinis*, quod *potus sanguinis*, seu *sanguis in calice contentus*, tamen hæc acceptio tam est vsitata & frequens, vt omnino clara sit, & propriæ significationi æquiualeat, & hæc est communis expositio Theologorum cum D. Thom. hic, & in 4. distin. 8. vbi Bonauent. 2. part. articul. 1. quæst. 2. Richar. artic. 3. quæst. 2. ad 5. Palud. quæst. 1. Gabr. lect. 52. in Canon. Antonin. 3. part. titul. 13. capit. 5. §. 4. Cauendum verò est, quod aliqui dicunt, calicem quidem sumi metonymicè pro contento, non tamen pro sanguine, sed pro vino, vt sensus sit. *Hoc est vinum sanguinis*, id est, quod conuertitur in sanguinem. Nam hoc modo esset impropria, & in rigore falsa locutio in termino prolationis eius, esset enim affirmatiua propositio, de subiecto non supponente: quia tunc non est vinum, quod conuertendum est in sanguinem, sed tantùm est sanguis, in

S. Thom. Bonauen. Richard. Palud. Gabriel. Antonin.

quem conuersum est vinum. Vel, vt esset vera locutio, fatendum esset, tunc non esse factam conuersionem, quod falsum est. Item, verba in proprietate sumpta non habent illam significationem, sed voluntariè sic exponuntur. Probabile autem est, quod dixit Titelmannus in expositione Canonis, *calicem* propriè sumi pro vase ipso, vt sensus sit, *Hoc est vas sanguinis mei*, id est, *continens meum sanguinem*. Quæ expositio quoad sensum coincidit cum prima illa, tamen prima est magis vsitata, & accommodata modo loquendi. Sicut, cùm dixit Christus. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ, &c.* non est sensus, qui dederit vas continens aquam: non enim oportet dare ipsum vas ad obtinendum illud præmium, sed aquã contentam in vase. Addit verò D. Thomas, quem alij sequuntur, retentum esse nomen calicis ad metaphoricè significandam passionem, quæ per separatam vini consecrationem significatur. Quia nomine calicis solet in Scriptura passio significari, vt constat Matth. 20. & Ioan. 6. quæ tamen metaphora ita intelligenda est, vt non excludatur alia significatio immediata, & quasi propria, & cum illa coniungantur.

Titelm.

Sed quæres, an nunc liceat mutare illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, in hæc, *Hic est sanguis meus*: constat enim, hanc non esse mutationem substantialem, tum quia multi Patres eam formam tradũt, tum etiam, quia apertissimè significat consecrationem, & in re eundem habet sensum: vnde videri potest licita hæc mutatio; tum, quia fere nulla est, tũ etiam, quia verisimile est, Christum fuisse hac forma vsum, vt ex Matthæo & Marco colligi potest. Nihilominùs tamen in Ecclesia Latina non existimo, posse fieri hanc mutationem sine graui peccato, vt Soto, & alij affirmant, non solùm propter scandalum, sed etiam propter Ecclesiæ consuetudinem & traditionem, à qua non licet in re tam graui discordare. At verò, si in Ecclesia Græca, vel alia regione esset consuetudo vtendi illis verbis, sine vllo peccato posset obseruari. De Christi autem facto non satis constat, an ipse vsus fuerit vno, vel altero dicendi modo: quia in sacra Scriptura vterque habetur. Quanquam enim ipse alterutro tantùm dicendi modo vsus fuerit, tamen, cùm idem sit sensus, salua historiæ veritate, potuit illius factum vtroque modo referri: verisimile autem est, vsum fuisse voce *calicis*, quia præter Lucam & Paulum, traditio Apostolica hoc magis indicat.

Graue peccatum est mutare verba, Hic est calix, &c. *in hæc,* Hic est sanguis meus, *licèt nulla sit substantialis mutatio.*

Tandem quæres, si mutatio fiat in illa verba Lucæ, *Hic est calix nouum testamẽtum in sanguine meo*, vel vt Paulus dixit, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*. Aliquibus enim videtur hæc mutatio substantialis, & illa verba non sufficere: quia non videntur significare conuersionem, neque in illis videtur affirmari de hoc contento in calice, quòd sit sanguis Christi, sed quòd sit testamẽtum, quod videtur esse quid extrinsecum & metaphoricum. Nihilominùs censeo verius esse, illam mutationem non esse substantialem, sed formam à Luca & Paulo positam, esse in rigore sufficientem: quia, vt sæpè dixi, verisimilius est, quemlibet Euangelistam, & Paulum, retulisse ritum essentialem, præsertim cùm Paulus dicat, se referre traditionem, quam qui seruauerit, verum sacramentum conficiet, iuxta illud. *Hoc facite in meam commemorationem.* Item quia, re vera, sensus illorum verborum est idem in substantia, etsi aliquid accidentarium addatur: affirmatur enim in illa propositione, hunc calicem est sanguinem Christi, quo nouum testamentum stabilitum est, & confirmatum. Addo verò, graue esse peccatum, illam mutationem facere, tum, propter rationes nuper factas, tum propter nonnullum periculum, tum denique, quia licèt Euangelista referendo historiam, interponat illam particulam, *testamentum*, inter essentialia verba, quia magis refert modo historico, quàm rituali, tamen in ritu sacrificandi non licet mutare ordinem, & contextum verborum essentialium, quem Ecclesia seruat.

Dubium.

Solutio.

SECTIO. III.

Vtrùm Ecclesia conuenienter addiderit huic formæ aliquas particulas.

RAtio dubitandi esse potest, quia non omnia illa verba habentur in Euangelio. Item quia vt diximus, non omnia sunt essentialia: ergo non debuerunt coniungi cum forma essentiali, & præsertim sub eodem tenore & ritu.

Dicendum verò est primò, omnia illa verba esse prolata à Christo. Hæc est communis sententia, & mihi certa, etsi illam in dubium reuocet Palacios, distinction. 8. quæstione. 1. Tenet D. Thom. hic, Alens. 4. parte quæstione. 33. articulo 1. Bonauent. Scotus. Paludan. & reliqui Doctores, distinctione. 8. & ferè omnes Theologi citati in sectione secunda, Guillelmus. Durand. lib. 4. Ration. capitul. 41. & idem significat, licèt nõ expresse affirmet, Innocent. in capitul. Cùm Marthæ. de Celebr. Miss. Vbi inquit, licèt non omnia illa verba ab Euangelistis referantur, referri tamen fere omnia, & cætera traditione constare, esse dicta à Christo. Quod etiam confirmat Canon Missæ illis verbis. *Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic est calix, &c.* vbi omnia verba subsequentia referuntur, vt dicta à Christo. Hoc igitur certum est, an verò dicta fuerint eo ordine, quo in Canone proferuntur, non est certum: quia neque scriptum est, neque traditum, neque oportet, vt, quæ referuntur, eodem ordine gesta sint. Vnde & Euangelistæ in ordine referendi hæc & alia verba varij sunt, & Clemens Papa loco supra citato alio ordine indicat fuisse dicta: ergo hoc ad veritatem & substantiam mysterij non refert.

Omnia verba, quæ in calicis consecratione prolata in Ecclesia, Christo Domino in eadem consecratione sunt prolata. *Palacios. D. Thom. Alens. Bonauent. Scotus. Palud. Durand.*

Dico secundò, illa omnia verba cõuenienter fuisse coniuncta in forma consecrationis. Est etiam certa conclusio, quæ primò sufficienter probatur ex vsu Ecclesiæ. Secundò, in formis aliorum sacramentorum interdum aliquid adiungitur ad maiorem ornatum, vel expressiorem significationem, vt in in forma absolutionis adiungi solet inuocatio Trinitatis, & similiter in forma Extremæ vnctionis addũtur aliquæ particulæ. Tertiò, quia illa omnia sunt verba Christi, & magis explicant effectũ, dignitatem, & excellentiam huius sacramenti, & sacrificij vt rectè hic explicat D. Thom. in solutionibus argumentorum, & Alensis suprà, art. 4. Et declaratur breuiter discurrendo per singula verba.

Omnia hæc verba sunt conuenienter posita in forma consecrationis.

Alens.

Prima ergo particula est, *Noui & æterni testamenti*, quæ dupliciter exponi potest. Primò, hunc esse sanguinem Christi, quo nouum testamentum firmatum est: quia vt dicitur ad Hebr. 9. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta, & ideo Noui testamenti mediator est: vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Secunda expositio colligitur ex eisdẽ verbis Pauli: testamentum enim nouum dicitur promissio æternę hæreditatis, iuxta illud, *Noui testamenti mediator est, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternę hæreditatis.* Nam in testamento veteri, quatenus tale erat, præcipuè fiebãt temporales promissiones: in nouo autem factum est nouum quoddam promissionis genus, & ideo nouum testamentum dicitur, quia homines interiùs renouat. Dicitur autem æternum, & quia æterna bona promittit & quia hoc testamentum, & sacrificium sanguinis Christi, quo firmatum est, vsque ad finem sæculi durabit, neque illi alia lex, aut sacrificij genus succedet, & propterea hic sanguis dicitur esse noui testamenti, quia hoc sacrificium proprium est nouæ legis, & non est sanguis hircorum, aut vitulorum, sicut erat in sacrificijs veteris legis.

Singulorum explicantur verba additorum forma calicis. Heb. 9.

Secunda particula est, *Mysterium fidei*. In qua primùm indicatur, hoc sacramẽtum esse vnum ex mysterijs fidei maximè reconditis & abditis, in quo aliud videtur, aliud sub speciebus latet. Vnde hæc particula additur in fine consecrationis totius sacramenti, ad altitudinem huius sacramenti explicandam, vel certè, quia in consecratione sanguinis expressiùs repræsentatur passio Christi, quæ est maximum mysterium à sæculis absconditum, & in omnibus veteribus sacrificijs præfiguratum: in hoc verò, quoad rem oblatam, verè ac realiter contentũ, quoad ipsam verò effusionẽ sanguinis, mirabiliter repræsentatum.

Tertia particula est, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. De quibus verbis nonnulla sunt in superioribus dicta, an, scilicet, legendum sit, *effunditur*, vel, *effundetur*, & an explicãdum sit de effusione cruenta in passione, vel de sacramentali. Et diximus, proprium & literalẽ sensum esse de reali effusione facta in passione: quo posito, difficiles sunt illæ particulæ. *Qui pro vobis, & pro multis*. Et communis expositio esse videtur, per illas non explicari sufficientiam, sed efficaciam passionis Christi, & ideò dicitur, *pro vobis*, scilicet, qui præsentes estis, *& pro multis*, id est, pro alijs etiã electis, & prædestinatis. Ita exponũt Palud. Richar. & alij, & habetur hæc expositio in Catechismo Pij V. & ratio adiungi potest, quia hoc sacrificium incruentum, institutum est ad applicandum meritũ & valorem passionis Christi: applicatio autem magis pertinet ad efficaciam quàm ad sufficientiam, & ideò illa potiùs per hæc verba significata est. Sed contra hoc obstare potest, quia, si illa particula, *pro vobis*, refertur ad præsentes Apostolos, inter eos erat Iudas reprobus: ergo non potest significare efficaciam, sed sufficientiam. Et ideò alij ita concedunt, quibus fauent Chrysost. & Theophylact. dũ ita exponunt, *pro vobis*, scilicet, discipulis meis, qui præsentes estis, &, *pro multis*, id est, pro alijs omnibus: nam omnes etiam multi sunt. Vel aliter cũ D. Thom. *pro vobis*, id est, pro sacerdotibus, qui offerunt, *& pro multis*, id est, pro laicis omnibus, pro quibus offertur. Vel aliter, *pro vobis*, id est, Iudæis, ex quibus Apostoli erant, *& pro multis*, id est, pro gentibus, ex quibus maiori ex parte erat Ecclesia congreganda. Quæ omnes expositiones accommodari possunt, siue intelligamus, hic esse sermonem de effusione sanguinis Christi, quoad sufficientiam, quod est valde probabile, siue, quoad efficaciam tãtùm, quod frequentiùs Scholastici docent. Et defendi etiam potest, dicendo, illud, *pro vobis*, non supponere pro omnibus Apostolis præsentibus, sed pro electis, quibus, re vera, sanguis Christi profuturus erat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm prædictis verbis formarũ insit aliqua vis creata, effectiua cõsecrationis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod prædictis verbis formarum nõ insit aliqua vis creata, effectiua consecrationis. Dicit enim Damascen. in 4. libr. Sola virtute Spiritus sancti fit conuersio panis in corpus Christi, sed virtus Spiritus sancti est virtus increata. Ergo nulla virtute creata horum verborum conficitur hoc sacramentum.

Inf. art. 5. cor. Et 4. d. 1. q. 1. art. 4. q. 2. & d. 8. q. 2. ar. 3 & d. 10. in expos. lit. ad 6. & 7.
Ar. 2. & 3. li. 4. ortho. fid. c. 14. circa medium.

2 Præterea, Opera miraculosa non fiũt aliqua virtute creata, sed sola virtute diuina, vt in prima parte habitum est. Sed conuersio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, est opus non minus miraculosum, quàm creatio rerum, vel etiam formatio corporis Christi in vtero virginali, quæ quidem nulla virtute creata fieri potuerunt. Ergo neque hoc sacramentum consecratur aliqua virtute creata dictorum verborum.

1. p. q. 110 art. 4.

3 Preterea, Prædicta verba non sunt simplicia, sed ex multis composita, nec simul, sed successiuè proferuntur. Conuersio autem prædicta (vt suprà dictum est) fit in instanti, vnde oportet, quòd fiat per simplicem virtutem. Non ergo fit per virtutem horum verborum.

Posita in artic. 2. & 3. in arg. 1.
q. 75. ar. 7.

Sed contra est, quòd Ambros. dicit in libro de Sacramentis. Si tanta est vis in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ nõ erant, quantò magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur. Et sic, quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post cõsecrationem, quia sermo Christi in aliud creaturam mutat.

Lib. 4. c. 4. ante mediũ tom. 4.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, nullam virtutem creatam esse, nec in prædictis verbis ad transubstantiationẽ faciendam, nec etiam in alijs sacramentorũ formis, vel etiam in ipsis sacramentis ad inducendos sacramentorum effectus. Quod (sicut suprà habitum est) & dictis Sanctorum repugnat, & derogat dignitati sacramentorum nouæ legis. Vnde, cùm hoc sacramentum sit præ ceteris dignius (sicut suprà dictum est) consequens est, quod in

Art. 2. & 3. positis in argu. 1.
q. 62. art. 1 2. 3. 4.
q. 65. ar. 3.

q.62.ar.1. & 4.

in verbis formalibus huius sacramenti sit quædam virtus creata ad conuersionem huius sacramenti faciendam: instrumentalis tamen, sicut & in alijs sacramentis, sicut suprà dictum est. Cùm enim hæc verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem à Christo, sicut & cætera eius facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem, vt suprà dictum est.

q.62.ar.4.

AD primum ergo dicendum, quòd cùm dicitur, sola virtute Spiritus sancti panē in corpus Christi conuerti, non excluditur virtus instrumentalis, quæ est in formæ huius sacramenti, sicut cùm dicitur solus faber facit cultellum, non excluditur virtus martelli.

AD secundum dicendum, quòd opera miraculosa, nulla creatura potest facere, quasi agens principale, potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanauit leprosum. Et per hunc modum verba Christi conuertūt panem in corpus Christi. Quod quidem fieri non potuit in cōceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur, vt aliquid à corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad ipsius corporis formationem. In creatione etiam non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari, vnde non est simile.

Posita in articulo 2. & 3. in argu. 1.

AD tertium dicendum, quòd prædicta verba, quibus fit consecratio, sacramentaliter operantur. Vnde vis conuersiua, quæ est in formis horum sacramentorum, consequitur significationem, quæ in prolatione vltimæ dictionis terminatur. Et ideò in vltimo instanti prolationis verborum, prædicta verba consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia. Et hęc virtus est simplex ratione simplicis significati, licèt in ipsis verbis exteriùs prolatis, sit quædam compositio.

COMMENTARIVS.

Sētentia D. Tho. inesse verbis virtutem effectiuam consecrationis.

HAEC quæstio dupliciter intelligi potest, primò de vi verborum, an sit res aliqua, vel qualitas, superaddita ipsis. Secundò absolutè de virtute efficiente verborum, id est, an vere & realiter efficiat. Priorem sensum indicare videntur verba tituli articuli, posterior autem est verus, & in eo intelligenda est resolutio D. Thom. affirmantis, esse in his verbis virtutem effectiuam consecrationis, idem enim censet D. Thom. de hac forma, quod de omnibus alijs sacramentis nouæ legis, & de formis eorum, de quibus in superioribus explicuimus, quid D. Thomas censuerit.

In solutione ad secundum duo notanda sunt. Primum est, quod D. Thom. ait, non potuisse in conceptione Christi aliquid concurrere ad ipsius Christi formationem. Duo enim in illa conceptione intelligi possunt; primum est dispositio & organizatio, vsque ad animæ introductionem, secundum est vnio ad Verbum. Primum licèt quoad modum miraculosè factum sit, quoad terminum verò totum fuit naturale, & ita fieri potest, vt aliqua causa secunda effectiuè ad illud concurrerit, non quidem, vt instrumentum eiusdem corporis Christi, sed, vel vt causa secunda, quæ aliquid in eo instante operari poterat, saltem dispositiuè, vel vt instrumentum à Deo eleuatum. Secundum, scilicet, vnio ad Verbum, fieri non potuit à causa secunda propriè, existimo tamen non repugnare fieri à creatura, vt ab instrumento Dei, nec D. Thom. hoc loco id negat, sed solùm, potuisse creaturam, vt instrumentum humanitatis Christi, concurrere ad conceptionem & formationem corporis sui: fieri enim non potest, vt aliqua res concurrat ad suam absolutam, seu primariam productionem, vt etiam in superioribus dictum est. Secundò est in eadem solutione aduertendum, D. Thomam obiter attingere differentiam inter instrumentum transubstantiationis, & creationis: quia in creatione, inquit, nihil extrinsecum supponitur, ad quod possit actio instrumenti terminari seu in quo possit versari, sicut in transubstantiatione supponitur panis. Quæ verba obscurissima esse videntur, quia actio instrumenti propriè & per se non terminatur ad extremum, quod desinit esse, quod propriè est terminus à quo, sed ad extremū, quod incipit esse, quod est terminus ad quem, qui etiam in creatione reperitur. Quòd verò in transubstantiatione supponatur materia, ex qua tāquam ex termino à quo, fiat aliud non videtur referre, vt sit possibile instrumentum transubstantiationis, non verò creationis: quia illa materia, quæ supponitur in transubstantiatione, nō est subiectum illius actionis, per quam fit terminus ad quem, sed illa actio est similis creationi sine subiecto, vt suprà disputatum est. Quocirca existimo non posse assignari rationem sufficientem differentiæ, nisi negando, instrumentum transubstantiationis attingere proprium terminum transubstantiationis, & actionem per quam fit, de qua re dicemus statim, disp. sequente.

In solution. ad 3. docet D. Thom. verba sacramentorum efficere in vltimo instanti prolationis, quæ res in materia sacramentorum in genere disputata est.

ARTICVLVS V.

Vtrùm prædictæ locutiones sint veræ.

4. d. 8. q. 2. ar. 1. q. 4.

AD quintum sic proceditur. Videtur quòd prædictæ locutiones non sint veræ. Cùm enim dicitur, hoc est corpus meum, ly, hoc, est demonstratiuum substantiæ. Sed secundùm prædicta, quando profertur hoc pronomen, hoc, adhuc est ibi substantia panis, quia transubstantiatio fit in vltimo instanti prolationis verborum. Sed hæc est falsa, panis est corpus Christi, ergo & hæc est falsa, hoc est corpus meum. *Artic. 2.*

¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Hoc pronomen, hoc facit demōstrationem ad sensum. Sed species sensibiles, quæ sunt in hoc sacramento, neq; sunt ipsum corpus Christi, neq; accidentia corporis Christi. Ergo hæc locutio nō potest esse vera, hoc est corpus meum.

Art. præce.

¶ 3 Præterea, Hæc verba (sicut dictum est) sua significatione efficiunt conuersionē panis in corpus Christi. Sed causa effectiua præintelligitur effectui. Ergo significatio horum verborum præintelligitur conuersioni panis in corpus Christi. Sed ante conuersionem hęc est falsa, hoc est corpus meū. Ergo simpliciter est iudicandum, quòd sit falsa. Et eadē ratio est de hac locutione, hic est calix sanguinis mei, &c.

Sed contra est, quòd hæc verba proferuntur ex persona Christi, qui de se dicit, Ioan. 14. Ego sum veritas.

Tract. 80. in Ioan. à med. to. 9.

Respondeò dicendum, quòd circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quòd in hac locutione, hoc est corpus meum, hæc dictio, hoc, importat demonstrationem vt conceptam, & non vt exercitam quia tota ista locutio sumitur materialiter, cùm recitatiuè proferatur. Recitat enim sacerdos, Christum dixisse, hoc est corpus meum. Sed hoc stare non potest, quia secundùm hoc verba hæc non applicarentur ad materiam corporalem præsentem, & ita nō perficeretur sacramentum: dicit enim August. super Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et pręterea ex hoc totaliter non euitatur difficultas huius quæstionis, quia eædem rationes manent circa primam prolationem, qua Christus hæc verba protulit, quare manifestum est, quòd nō materialiter, sed significatiue sumebantur, & ideò dicendum est, quòd etiam quando proferuntur à sacerdote, significatiuè, & nō tantùm materialiter, sumuntur. Nec obstat, quod sacerdos ea recitatiuè profert, quasi à Christo dicta, quia propter infinitam virtutem Christi, sicut ex cōtactu carnis suæ, vis regeneratiua peruenit non solum ad illas aquas quæ Christum tetigerunt, sed ad omnes vbique terrarum, per omnia futura secula: ita etiam ex prolatione ipsius Christi, hæc verba virtutem consecratiuam sunt cōsecuta, à quocunque sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialiter proferret. Et ideò alij dixerunt, quòd hæc dictio, hoc, in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum, vt sit sensus hoc est corpus meum, id est, siginificatum per hoc, est corpus meum. Sed nec hoc stare potest, quia cùm in sacramentis hoc efficiatur, quod significatur, non fieret per hanc formam, vt corpus Christi sit in hoc sacramento secundùm veritatem, sed solùm sicut in signo, quod est hæreticum, vt suprà dictum est. Et ideò alij dixerunt, quòd hæc dictio, hoc, facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur hæc demonstratio non pro illo instanti locutionis, quo profertur hæc dictio, sed pro vltimo instanti locutionis, sicut cùm aliquis dicit, nunc taceo, hoc aduerbium, nunc, facit demonstrationem pro instanti immediatè sequenti locutionem, est enim sensus, statim his verbis dictis, taceo. Sed nec hoc stare potest, quia secundùm hoc, huius locutionis esset sensus, corpus meum est corpus meum. Quod prædicta locutio non facit, quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum, vnde nec hoc prædicta locutio significat. Et ideò aliter dicendum est, quod, sicut prædictum est, hæc locutio habet virtutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi. Et ideò comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significatiuam, & non factiuam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei, conceptioni intellectus nostri speculatiui, quæ est accepta à rebus, nam voces sunt signa intellectuum secundum Philosophum. Et ideò sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas huius locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam, sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hæc autem coeuersio non fit successiuè, sed in instanti, sicut dictum est. Et ideò oportet quidem intelligere prædictam locutionem, secundum vltimum instans prolationis verborum, non tamen ita quòd præsupponatur ex parte subiecti id quod est terminus conuersionis, scilicet, quod corpus Christi sit corpus Christi, neque etiam illud, quod fuit ante conuersionem, scilicet panis, sed id quod communiter se habet quātum ad vtrūque scilicet, cōtentum in generali sub, istis speciebus. Non enim faciunt hæc verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quòd panis sit corpus Christi, sed quòd contentū sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideò signanter non dicit Dominus, hic panis est corpus meum, quod esset secundum intellectum secundæ opinionis: neque, hoc corpus meū est corpus meum, quod esset secundum intellectum tertiæ opinionis, sed in generali, hoc est corpus meum, nullo nomine apposito à parte subiecti, sed solo pronomine; quod significat substantiam in communi,

q.75.ar.1. — *In isto art. in arg. 3. & art. praeced. ad. 3.* — *Li. 1. periher. 1. libro. 1.* — *ar. 2. huius q. & q. 75. tract. 7.*

ni,ſine qualitate,id eſt, forma determinata.

A D primum ergo dicendum, quòd hæc dictio, hoc, demonſtrat ſubſtantiam, ſed abſque determinatione propriæ naturæ, ſicut dictum eſt.

In corp.art.

A D ſecundum dicendum,quòd hoc pronomen, hoc, non demonſtrat ipſa accidentia, ſed ſubſtantiam, ſub accidentibus contentam, quæ primò fuit panis, & poſteà eſt corpus Chriſti. Quod licèt non informetur his accidentibus,tamen ſub eis continetur.

A D tertium dicendum, quòd ſignificatio huius locutionis præintelligitur rei ſignificatæ ordine naturæ, ſicut cauſa naturaliter eſt prior effectu. Non tamen ordine temporis,quia hæc cauſa ſimul habet ſecum ſuum effectum.Et hoc ſufficit ad veritatem locutionis.

COMMENTARIVS.

MAteria huius articuli ſuperiùs diſputatio 58.tractata à nobis eſt,quia eſt communis vtrique formæ huius ſacramenti, & ibi explicuimus etiam hunc articulũ. In quo D. Thom. primùm reijcit opiniones aſſerentes, vel verba harum formarum proferri tantùm materialiter, vel pronomen, *hoc*,demonſtrare id, quod ſignificatur per panem, vel demonſtrare corpus Chriſti abſolutè & ſimpliciter:ac tandem concludit, locutiones eſſe veras & effectiuas ſuæ veritatis,& in eis pronomen demonſtrare contentum ſub ſpeciebus, quæ omnia in ſuperioribus explicata ſunt, & iuxta ſuprà dicta intelligenda ſunt,quæ D. Thom. dicit in ſolutio.ad. 1.demonſtrari,ſcilicet,per pronomẽ, *hoc*,ſubſtantiam ſub accidentibus contentam, quæ primò fuit panis,poſteà corpus Chriſti, non enim eſt intelligendum,ſignare rem aliquam communẽ, nec ſolam rationem communẽ,ſed rem ſingularem ſub ratione communi, & ita quoad hanc rationem communem dicitur ſubſtantia cõtenta priùs fuiſſe panis,deinde corpus Chriſti,non verò quoad rem, quæ in termino actionis demonſtratur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum forma conſecrationis panis conſequatur ſuum effectum,antequàm perficiatur forma conſecrationis vini.

4.d.8.q.2. ar.4.q.2. & d.11.q. 2.ar.1.q.1 ad 4.Et.1. co.11.le.6. co,1.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, ꝙ forma conſecrationis panis non conſequatur ſuum effectum, quouſque perficiatur forma conſecrationis vini. Sicut enim per conſecrationem panis incipit eſſe corpus Chriſti ſub hoc ſacramento, ita per conſecrationem vini incipit eſſe ſanguis. Si ergo verba conſecrationis panis haberent ſuum effectum ante conſecrationem vini, ſequeretur, quòd in hoc ſacramento inciperet eſſe corpus Chriſti ſine ſanguine, quod eſt inconueniens.

Alias exanguc.

¶ 2 Præterea. Vnum ſacramentum, vnum habet complementum, vnde licèt in baptiſmo ſint tres immerſiones, non tamen prima immerſio conſequitur ſuum effectum quouſque tertia fuerit terminata. Sed totum hoc ſacramentum eſt vnum, vt ſuprà dictum eſt. Ergo verba, quibus conſecratur panis, non conſequuntur ſuum effectum ſine verbis ſacramentalibus, quibus conſecratur vinum.

q.73.ar.1.

¶ 3 Præterea, In ipſa forma conſecrationis panis,ſunt plura verba, quorum prima non conſequuntur effectum, niſi prolato vltimo,, ſicut dictum eſt. Ergo pari ratione, nec verba,quibus conſecratur corpus Chriſti,habent effectum,niſi prolatis verbis,quibus ſanguis Chriſti conſecratur.

ar.4. ... q.ad.1.

SED contra eſt,quòd ſtatim dictis verbis conſecrationis panis, hoſtia conſecrata proponitur populo adoranda. Quod non fieret, ſi non eſſet ibi corpus Chriſti, quia ſic ad idololatriam pertineret. Ergo verba conſecrationis panis ſuum effectum conſequuntur,antequàm proferantur verba conſecrationis vini.

Reſpondeo dicendum, quòd quidam Doctores dixerunt,quòd hæ duæ formæ, ſcilicet,conſecrationis panis & vini, ſe inuicem expectant in agendo,ita, ſcilicet,quod prima non perficit ſuum effectum, antequàm proferatur ſecunda.Sed hoc ſtare nõ poteſt quia(ſicut dictum eſt)ad veritatem huius locutionis, hoc eſt corpus meum, requiritur præter verbum præſentis temporis, quòd res ſignificata ſimul tempore ſit cum ipſa ſignificatione locutionis,alioquin ſi in futurum expectaretur res ſignificata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem verbum præſentis,ita, ſcilicet, quòd non diceretur,hoc eſt corpus meum,ſed hoc erit corpus meum. Significatio autem huius locutionis completur ſtatim, completa locutione horum verborum, & ideò oportet rem ſignificatam ſtatim adeſſe. Quæ quidem eſt effectus huius ſacramenti: alioquin locutio non eſſet vera. Eſt etiam hæc poſitio contra ritum Eccleſiæ, quæ ſtatim poſt prolationem verborum, corpus Chriſti adorat. Vnde dicendum eſt, quòd prima forma nõ expectat ſecundam in agendo,ſed ſtatim habet ſuum effectum.

ar.2. & 3 huius.

A D primum ergo dicendum, quòd ex hac ratione videntur fuiſſe decepti, qui prædictam poſitionem poſuerunt. Vnde intelligendum eſt, quòd facta conſecratione panis, eſt quidem corpus Chriſti ibi ex vi ſacramenti, & ſanguis ex reali concomitantia:ſed poſtmodum per conſecratianem vini,fit ibi è conuerſo ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti:corpus autem ex reali concomitantia.Ita,quòd totus Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie,ſicut ſuprà dictum eſt.

Poſitio ... tio corp.

q.76.ar.1. & 2.

A D ſecundum dicendum, quòd hoc ſacramentum eſt vnum perfectione (ſicut ſuprà dictum eſt) inquantum, ſcilicet, conſtituitur ex duobus, ſcilicet, cibo & potu, quorum vtrumque per ſe habet ſuam perfectionem. Sed tres immerſiones baptiſmi ordinantur ad vnum ſimplicem effectum. Et ideò non eſt ſimile.

q.73.ar.2.

AD tertium dicendum,quòd diuerſa verba,quæ ſunt in forma conſecrationis panis, conſtituunt veritatem vnius locutionis, non autem verba diuerſarum formarum.Et ideò non eſt ſimile.

LItera D.Thom.eſt perſpicua, res verò ipſa ſatis diſputata eſt ſuprà diſputatio.45. cùm de materia remota huius ſacramenti ageremus.

DISPVTATIO. LXI.

De cauſa efficiente ſacramenti Euchariſtiæ & efficacia formæ,ac miniſtri.

Diſputatio negſ... tie de Euchariſtia.

EXplicuimus hactenùs inſtitutionem, & eſſentiam huius ſacramenti,ſuper eſt, vt de cauſis & effectibus eius dicamus. Ex cauſis autem ſola efficiens proxima explicanda ſupereſt: materialis enim & formalis ſimul cum eſſentia ſacramenti explicatæ ſunt: finalis verò partim declarata eſt in ſuperioribus, vbi rationes huius inſtitutionis & præſentiæ Chriſti reddidimus,partim explicabitur ſimul cum effectu,cum quo ferè coincidit. De cauſa autem efficiente principali,quæ eſt Deus, & de organo illi coniuncto, quod eſt Chriſti humanitas, nihil ſupereſt dicendum præter ea, quæ ſuprà dicta ſunt de ſacramentis in genere,& de depẽdentia corporis Chriſti,prout eſt in hoc ſacramento,à ſe ipſo, prout eſt in propria ſpecie. Solùm ergo ſupereſt dicamus de verbis ſacramentalibus, quæ ſunt veluti proxima cauſa efficiens huius ſacramẽti, quod optimè in hunc locum cadit, vt poſt explicatam huius formæ ſubſtantiam,eiuſdem efficaciam declaremus.Eſt enim ſingulare in hoc ſacramento, vt eadem verba quæ ſunt forma eius,ſint principiũ conſecrationis materiæ,qua hoc ſacramentum perficitur,& ita etiam ſimul explicabimus, & cauſam ſacramenti,& effectũ formæ eiuſdem ſacramẽti, qui omnino diſtinctus eſt ab effectu,qui poſteà fit à ſacramento,quando ad vſum applicatur: cùm autem in verbis nihil ſupernaturale fiat, non eſt neceſſe ſpecialem eorum cauſam explicare: nõ habeât enim aliam præter eam,quam habere ſolent verba humana. Quia verò hæc verba, non à quolibet homine prolata,ſed iuxta Chriſti inſtitutionem ſunt verba ſacramentalia,& efficacia ad efficiendum ſacramentum,ideò ad explicandam exactè hanc efficientiam neceſſe eſt nõnulla attingere de miniſtro,à quo neceſſe eſt,hæc verba proferri,vt efficacia ſint.Nam, licèt D.Thom.infrà quæſtione.82.de miniſtro diſputet,tamen hoc loco pauca ex illis attingemus, quæ ad ſubſtantiam declarandam videbuntur neceſſaria,reliqua verò, quæ pertinẽt ad miniſtrũ ſacrificij vt ſic,vel ad partẽ moralẽ,& præcepta, quæ in miniſtrũ cadũt,inferiùs ſuo ordine tractabũtur.

SECTIO I.

Vtrùm verba conſecrationis ſint cauſa phyſicæ præſentiæ corporis Chriſti in hoc ſacramento.

DIximus in ſuperioribus, duas actiones concurrere ad efficiendum hoc ſacramentu, alteram circa corpus Chriſti, vt hic eſſe incipiat,alteram circa accidentia,ſeu circa panẽ,vt hinc expellatur. Vt ergo diſtinctè explicemus efficaciã horum verborum,de vtraque actione ſigillatim dicemus.Et ſuppono,nullum Catholicum dubitare, quin verba aliquo modo efficiant totum hunc effectum:quia,illis prolatis,infallibiliter fit effectus,vnde,quaſi applicant virtutem diuinam ad illum efficiendum. Quæſtio ergo eſt de propria efficientia phyſica,& quidem Theologi, qui negant cæteris ſacramentis efficientiam gratiæ,maiori ratione negabunt his verbis hanc efficaciã:quia,vel eſt maior vel certè æqualis ratio,vt videbimus.In hac præterea ſententia videtur eſſe D.Thom.in 4. diſtinct. 1.quæſtio. 1.articul.4.quæſtiunc. 1.ad 6.vbi diſtinguit duo in tranſubſtantiatione,& terminũ à quo, & ad quem,& dicit,quanuis verba attingant receſſum à termino à quo,non tamen acceſſum ad terminum ad quem,& diſtinct.8.quæſt.2.articul.3.ad. 5.dicit,totam actionem verborũ verſari circa ſubſtantiam panis,non tamen attingere terminum ad quem. Quam ſententiam ſequitur Capreol.eadem diſtinct.1.q.1.ad.1.Aureoli contra.3.conclu. & diſtinct.8.articul.3.ad.3.Scoti cont.3.concl. Bonauent.etiam diſtin.10.articul. 1.quæſt.3.negat,verba efficere corpus Chriſti hic.Idem Gabr.lect.47. in Can.Abul.Matth.17.quęſt.119.Cather.opuſc. 1.de ver.conſecrat.in fine,& alij recẽtiores,& poſſunt pro hac ſententia adduci nonnulla Sanctorum teſtimonia.Damaſ.libr.4.cap.14.ſoli Spiritui Sancto tribuit actionem hanc,qua Chriſti corpus conficitur,& comparat cum conceptione Verbi Dei ex Virgine:nam ſicut ibi ad præſentiam verborũ,quibus B. Virgo conſenſum ſuum expreſsit, Spiritus Sanctus corpus Chriſti condidit.Ita hic, prolatis à ſacerdote verbis,Spiritus Sanctus corpus Chriſti cõſecrat.Chryſoſt.homil.2.de prodit.Iudæ. *Sacerdotis ore verba proferuntur: ſed Dei virtute conſecrantur & gratiam*,& homil.83.in Matth. *Non ſunt humanæ virtutis opera,qui tunc in illa cœna confecit, ipſe quoque nunc operatur:ipſe perficit,miniſtrorum nos ordinem tenemus,qui verò hæc ſanctificat: & tranſmutat, ipſe eſt*. Et infrà. *Nõ enim illã Chriſtus,hanc homo quiſque facit, ſed vtramq; ipſe Chriſtus*. Amb.lib.4.de ſacr.c.4. priùs dicit, *Hoc ſacramentum confici ſermone Domini Ieſu*:ſtatim verò inquirens, *quis ſit hic ſermo*,reſpondet, *eſſe illum,quo creata ſunt omnia*. Sẽtit ergo, ſolo diuino imperio & voluntate confici hoc ſacramẽtum.Ratione poteſt confirmari primò,quia hoc ſufficit ad veritatem verborum & huius ſacramenti, & non eſt neceſſe,multiplicare miracula, & difficultates ſine neceſsitate. Secundò, quia, vt ſuprà dictum eſt, actio,qua hic fit corpus Chriſti,eſt ſine ſubiecto,& ſimilis

S. Thom.
Capreol.
Bonauent.
Gabriel.
Abul.
Catherin.
Chryſoſt.
Ambroſ.

Universidad de Deusto Biblioteca

similis creationi, non ergo potest per verba fieri, magis quàm creatio. Tertiò, quia, si verba concurrerent effectiuè, etiam humanitas Christi haberet similem efficientiam, quia verba sunt veluti instrumentum ipsius humanitatis: ergo humanitas efficeret se ipsam, quod videtur apertè repugnare.

Verba sua virtute efficiunt cõuersionem & cõsecrationẽ. Florent. Trident. Damasc.

Dico primò, verba virtute sua perficere conuersionem & consecrationem. Hæc est sentẽtia Theologorum, quos statim referam. Et fauent Concil. Florentin. & Trident. sessione. 13. cap. 3. quæ hoc modo loquuntur. Neque aliter loquuntur antiqui Patres; Damascenus enim suprà ita tribuit hãc actionem Spiritui sancto, vt simul dicat, verba Christi esse efficacia, & similiter Chrysostomus dicit, his verbis confici hoc sacramentum, & ibidem comparat & æquat efficientiam horum verborum cum efficientia aquæ baptismi: ibidem etiam expresse dicit, Christũ in nocte cœnæ effecisse hoc mysteriũ, & nunc etiam efficere ver verba ministrorum, qui in persona Christi loquuntur. Manifestior est sentẽtia Ambrosij, qui sæpe repetit, sermonẽ Christi esse efficacem; & quanuis comparet hoc verbum cum verbo Dei, quo creauit mundum; non tamen excludit efficaciam verbi sensibilis, sed potiùs illo exemplo declarat, omne Christi verbum esse efficax, & habere vim operandi. August. 2. cont. Faust. cap. 3. *Panis*, inquit, *certa consecratione mysticus fit nobis*. Præterea suprà disp. 58. cùm ageremus de verbis formæ multas similes Sanctorum locutiones retulimus, & alias disp. 2. tractantes de actione, qua hic constituitur corpus Christi. Quæ omnes fundamẽtum habent in verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*. Nam illud verbum tantundem valet, ac si diceret, *Consecrate, offerte, sumite, distribuite*, vt Sancti omnes exponunt, vt eleganter tractat Paschas. lib. de hoc sacram. ca. 15. ergo ministri huius sacramenti verè faciunt consecrationem, non autem faciunt, nisi per verba: ergo verba efficiunt consecrationem, & conuersionem panis in corpus Christi. Tandem simpliciter est de fide, sacramenta nouæ Legis esse causas gratiæ, & efficere, quod significant: ergo proportionali modo idem absolutè dicendum est de forma huius sacramenti, efficere, nimirũ, quod significat, & consequenter efficere consecrationem, & cõuersionem panis in corpus, & vini in sanguinem.

August.

Paschas.

Probabile est physicè verba concurrere ad prædictũ effectum.

Dico secundò. Probabilius est, hæc verba propriè per se, ac physicè concurrere ad hunc consecrationis effectum. Ita sentit D. Thom. hic, & Alex. 4. par. quæst. 34. memb. 1. art. 2. Alber. d. 8. art. 6. Caiet. Soto, & reliqui, qui sacramenta constituunt causas physicas. Et confirmari potest hæc cõclusio ex omnibus dictis in genere de efficacia sacramentorum: quia, si in alijs sacramentis verba sunt operatiua, cur non in hoc, quod est omnium maximum ac nobilissimum? Neque enim in eo est maior repugnantia, quia, vt ibidem diximus, non repugnat dari instrumentum creationis, vt etiam conuincit sacramentorum efficientia. Neque operis excellentia aut difficultas sufficit, vt hoc negetur: quin, si in re non est repugnantia, potiùs propter hanc causam ita asserendum est: præsertim cùm in hoc sensu prius ac perfectiùs verba Scripturæ & Sanctorum intelligantur. Præterea in priori tomo latè ostendimus, humanitatem Christi, quando miracula operabatur, facto aut verbo suo propriè ac physicè ipsa effecisse: ergo eadem, vel maiori ratione, quando

A Christus in nocte cœnæ confecit hoc sacramentum propriè ac physicè illud est operatus. Dicunt autẽ Sancti, eandem efficaciam habere hoc verbum, quoties in persona eius, & ex præcepto illius profertur: ergo.

Verba physicè efficiunt corpus Christi in hoc sacramento.

Dico tertiò, hæc verba physicè efficere corpus Christi, seu præsentiam eius in hoc sacramẽto. Hæc conclusio est conformis citatis autoribts, & videtur sequi ex duabus præcedentibus. Primò, quia verba efficiunt totum, quod significant, significãt autem realem præsentiam corporis Christi. Secundò, quia aliàs non efficient transubstantiationem, neque conuersionem: quia, quod non attingit terminum ad quem alicuius actionis, non potest efficere talem actionem. Quomodò enim verba conuertent panem in corpus Christi, si efficacitate sua nõ possunt illud attingere? Respondent Capreolus

Capreol. Eusseb.

B & alij, sicut sacramenta dicuntur efficere gratiam, nõ quia illam attingant, sed quia efficiũt characterem, vel ornatum quendam, qui est dispositio ad gratiam, ita dici hæc verba efficere conuersionem, & transubstantiationem, quia efficiunt quandam dispositionem ad illam, expellendo substantiam panis, licèt non attingant ipsum corpus Christi. Sed primò exemplum, quod adducitur de ornatu, falsum est & improbabile, & licèt verum esset, sicut verum est, in quibusdam sacramentis dari characterem, tamen sola efficientia illius non satis esset, vt sacramenta dicerentur efficere gratiam, si illam non attingerẽt: quæ omnia suprà probata sunt, cùm ageremus de sacramentis in genere. Præterea, si verba non attingunt corpus Christi, quod directè ac pro

Impugnatur.

C priè significant, gratis dicitur, attingere accidentia panis, vel excludere substantiam, cùm hoc etiam supernaturale sit, & eandem difficultatem habeat vt infrà videbimus. Tandem, nulla est in hoc specialis repugnantia, aut difficultas. Nam, quæ adduci potest de creatione, seu de actione sine subiecto, à me facilè expeditur: quia existimo, non repugnare dari instrumentum creationis: neque aliter puto posse hanc sententiam sustineri, suppositis his, quæ suprà de transubstantiatione diximus. Nam, si quis diceret transubstantiationem fieri per solam actionem adductiuam, posset aliquam rationem differentiæ assignare: quanquam aliunde posset vrgere difficultas, ex parte actionis præuiæ instrumenti, quia, vel necessaria est, vt instrumentum possit eleuari, vel non, Si non, poterit ergo creatura esse instrumentũ creationis, quia solum ponitur repugnantia in defe-

D ctu actionis præuiæ, si verò illa est necessaria, nihil hic poterunt efficere verba, quia non habent actionem præuiam. Respondent aliqui, habere verba significationem propriam, & hanc satis esse per modum actionis præuiæ. Sed hoc nihil refert, quia significatio tantùm est quid rationis, vel quædam extrinseca denominatio, & idem dici posset de instrumento creationis. Alij verò dicunt, verba habere actionem præuiam, quia possunt species intentionales multiplicare in auditu. Sed refellitur eodem modo, tum, quia hæc actio est impertinens, non enim versatur circa panem, neque circa corpus Christi: tũ etiam, quia idem potest dici de instrumẽto creationis, Et idem est de aliorum responsione, qui dicunt ipsam prolationem verborum esse actionem præuiam ministri: nam, quidquid sit de hoc modo loquendi, idem dici potest de creatione. Censeo igitur, in instrumentis diuinis non esse necessariam actionem

actionem præuiam, atque adeò posse vsque ad creationem extendi. A

Alia verò specialis difficultas de modo, quo Christus alibi existens concurrit ad effectionem seu consecrationem sui corporis, in alio loco suprà disput. 12. tractata est, & expedita; supposita enim existentia rei per actionem totalem, & independentem ab ipsa; non implicat contradictionem, posse per aliam actionem conseruare se ipsam, vt ibi latiùs explicuimus. Quibus nunc solùm addendũ occurrit, ferè idem necessariò dicendum esse in opinione eorum, qui dicunt, verba tantùm esse causam moralem, seu conditionem, sine qua non: quia negari non potest, quin hæc causalitas verborum, qualiscunque illa sit, supponat existentiam Christi in propria specie; quia ab illius meritis, & institutione manat: ergo Christus, vt realiter præexistẽs & operans, est causa suæ existentiæ in hoc sacra- B mento: ergo eadem ratione potest esse causa physica: quia in hoc genere causalitatis non est alia repugnantia nisi præexistencia. Dices, ad consecrationem, prout nunc fit, nõ præsupponi Christum, vt præexistentem in hoc instante ex vi talis causalitatis, & per se; sed supponi tantùm præextitisse aliquando. Sed contra vrgeo difficultatem in ipsa nocte cœnæ, quando ipsemet Christus protulit verba consecrationis; tunc enim pro eodem tempore necessaria erat existentia humanitatis Christi, quæ consecrationem ordine naturæ antecederet: quia verba physicè pendebant ab illa, & ita consecratio, licèt dicatur, moraliter tantùm fieri à verbis, præsupponit tamen physicam causalitatem humanitatis in verba ipsa; & hoc satis est, vt humanitas præsupponatur ante verba ipsa, & ante consecrationem, etiam pro illo instante, in quo fit: quia pro C illo verbum consecratorium physicè ab humanitate Christi pendebat: ergo in omni sententia actio, qua fit hic corpus Christi, supponit existentiam eiusdem corporis per aliam, actionem totalem, & consequenter non repugnat actionem consecratiuam ab eodem corpore vt præexistente oriri.

D. Thom. Alens.

Sed inquiri potest, per quid agant verba, Diuus Thomas hic significat, agere per qualitatem ipsis inditam, vt sit illis virtus agendi: idem dist. 8. q. 2. artic. 3. Alens. q. 34. memb. 2. & 2. Sed in materia Incarnatione, & de sacramentis in genere satis multa diximus cõtra hanc qualitatem, quæ omnia hic applicari possunt. D. Thomas autem exponi potest, sicut à Caietano exponitur, quòd in ipsis verbis est virtus, non quæ sit qualitas distincta, sed quòd sit potentia obedientialis ipsorum verborũ eleuata, & sufficienter concursu ad agendum ap- D plicata, vt dictis locis latè declarauimus.

SECTIO II.

Utrùm verba, physicè efficiendo, expellant substantiam panis.

Ratio dubitandi esse potest, quia verba non possunt effectiuè expellere substantiam, directè ac per se operando in ipsam substantiam panis: quia, cum illa substantia desinat esse, non potest esse terminus per se alicuius actionis, neq; etiã possunt effectiuè expellere consequenter, & introducendo corpus Christi: quia illi termini non sunt

A formaliter repugnãtes, vt suprà diximus: causa autem effectiuè introducens rem aliquam, non expellit effectiuè aliam, nisi quatenus illæ duæ res sunt formaliter inter se repugnantes: neque etiam possunt illã expellere per actionem, quæ versetur circa accidentia panis: quia illa, vel est actio in subiecto, & sic supponit substantiam; vnde non potest esse destructiua illius; vel est actio extra subiectũ; & ita erit per modũ creationis, quæ repugnat instrumento creato. Et præterea non apparet, quomodo talis actio ita repugnet substantiæ, vt destruat illam.

1. Sententia Scotus.

In hac re Scotus, & alij, qui dicunt, substantiam panis annihilari, consequenter negare tenẽtur, verba posse expellere substantiam panis per propriam ac physicam efficientiam: quia non existimãt, panem desinere ex vi alicuius actionis, aut rei incompossibilis ipsi; sed ex solo pacto Dei. Aliorum ve- B rò opinio est, verba quidẽ expellere effectiuè substantiam, non per actionem, quæ versetur circa accidentia panis, sed per operationem, quæ est suprà substantiam panis. Ita sentit D. Thom. in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 5. vbi dicit, verba consecrationis non esse causam eorum, quæ sunt in termino ad quem, neque, quòd accidentia sint sine subiecto; habere tamen operationem supra substantiam panis, quæ inde expellitur. Idem Capreolus ibi.

2. Sententia D. Thom.

Capreol.

Substantia panis effectiuè expellitur à verbis. Albert.

Dicendum verò est primo, verba effectiuè expellere substãtiam panis. Hæc concl. est D. Thom. Capr. & aliorum, quos retuli sect. præcedente, præsertim Alberti in 4. distinct. 8. Et probanda est ex principijs positis in sectio. præcedente. Primò, quia verba efficiunt conuersionem, vt Sancti docẽt, sed conuersio includit vtriusque termini mutationẽ, & transitum ab vno in alium: ergo. Secundò, quia C verba efficiunt, quod significant; &, cum sint practicè vera, efficiunt quidquid necessarium est ad suam veritatẽ: sed significãt, hoc esse corpus Christi, & ad suam veritatẽ requirunt, vt nulla alia substantia sub his accidentibus contineatur: ergo hoc totum efficiunt. Tertio, quia hæc efficientia non repugnat, vt iam declarabimus.

Substantia panis expellitur per verã actionem realem.

Dico secundo, Nõ possunt verba expellere substantiam effectiuè, nisi per aliquam actionem realẽ, ex qua necessario & ex natura rei sequatur desitio substantiæ panis. Probatur, quia dupliciter potest causa efficiens rem aliquam destruere; primò, priuatiuè, seu negatiuè, suspendendo influxum, quo illa res conseruabatur in esse. Et hic modus, quanuis ad causam efficientem pertineat, tamen non tã est per efficientiam, quàm per negationem efficientiæ, & in præsente locum non habet; quia, cùm substan- D tia panis non pendeat effectiuè à verbis, non potest desinere esse per suspensionem influxus verborũ, quia nullos erat. Alio ergo modo potest causa efficiens destruere aliquam rem, per actionem, scilicet, positiuam. Nec inter hos duos modos potest inueniri medium, cùm contradictoriè distinguantur: ergo, excluso priori modo à verbis consecrationis, si effectiuè expellunt, necesse est, vt id faciant posteriori modo, id est, per actionem positiuam, quam ex natura rei consequatur desitio substantiæ: quia, si non sequitur ex natura rei, re vera, non sequitur ex vi talis causæ propriè ac physicè efficientis, sed solùm ex pacto & lege Dei suspendentis influxum ad præsentiam eius.

Hæc actio expulsiua substã

Dico tertiò, Hæc actio verborum, per quam expellitur substantia panis, non est alia, nisi illa, per quam

Universidad de Deusto Biblioteca

tiæ panis, est illa eadem qua accidentia per se cōstituūtur.

quam talia accidentia per se constituuntur; illa verò est sufficiens. Ita videtur sentire D. Tho. hic, & mutasse sententiam, quam in 4. docuerat, & ita significant Soto, Ledesm. & alij. Et probatur prior pars, quia in primis non potest esse actio, quæ ad substantiam, vel præsentiā corporis Christi terminatur, vt argumētum in principio factum probat, suppositis ijs, quæ de transubstātiatione diximus. Neque etiā potest esse actio, quæ in ipsa substātia panis versetur, quia hæc actio non est, nisi in ipso instante cōsecrationis, quod instans est primū non esse substantiæ panis, & primum esse huius actionis: ergo non potest hæc actio in illa substantia recipi, aut circa illam versari. Aut enim esset circa illam, vt subiectū, & hoc non, cùm iam non sit illa substātia, quando incipit esse hæc actio. Vel vt terminum proprium, & hoc etiam dici non potest, quia ille terminus non est res positiua, sed desitio & carentia substantiæ; hæc autem non potest esse terminus actionis positiuæ, cū quo positiua actio idem est realiter, & ad quam per se primò tendit: vnde repugnat, talem actionem directè versari circa terminū quem destruit. Relinquitur ergo à sufficiente partium enumeratione, hanc actionem debere circa accidentia panis versari: quia ibi non potest alius positiuus terminus excogitari: sed per eā actionē non fit sola entitas eorum: quia non est cū illa incompossibilis substātia panis: fit igitur in eis modus ille, per quem talia accidentia per se constituuntur.

Soto. Ledesma.

Capreol. Euasio. Reijcitur.

Respondet Capreolus, actionē hanc esse illam, per quam accidentia separātur à subiecto, nō verò eam, per quam per se constituuntur. Sed hæc duo inter se repugnant, quia separatio duarum rerum dupliciter fieri potest, primò destruendo omnino alteram ipsarū, sicut destruitur substantia, & hoc non potest per se primò fieri per actionem positiuam, sed necesse est, vt per eam fiat aliquis terminus, ex quo talis destructio sequatur, quem hic inquirimus. Alio modo fieri potest, dissoluēdo modum vnionis, sicut hic fit ex parte accidentium, & de hoc redit eadem ratio, quia, cum hæc dissolutio vnionis sit quædā priuatio, & quasi corruptio modi vnionis, non potest esse primò & per se terminus actionis positiuæ: neque potest effectiuè fieri, nisi quatenus sequitur ex tali termino, si verò verba effectiuè separant accidentia à substantia panis, priuant illa actuali inhærētia, quæ est modus vnionis ad substantiam: ergo faciunt in illis aliquid repugnās actuali inherentiæ, quod nihil est, nisi esse per se: ergo non rectè dicitur, verba effectiuè separare accidentia, & non efficere, vt per se sint.

Dubium.

Sed statim hic se se insinuat difficultas, quia hoc esse per se accidentium, est etiā priuatio quædam, vnde redire potest eadem ratio facta.

Solutio.

Sed de hac difficultate suprà, disputat. 56. diximus, hunc modum per se esse positiuum, quod argumento facto potest confirmari retorquendo illud: nam, si ille nō est positiuus modus, vix intelligi potest, quomodo verba separent accidētia à substātia. Scio, dici posse; verba incipere conseruare accidentia per actionē indepēdentem à subiecto, & creationi similem, & hunc modum dependētiæ ex natura rei repugnare cum actuali inhærentia, vt iam in superioribus insinuauimus, vbi hoc diximus esse probabile; quanuis nec ita satisfaciat, neque, etiam si admittatur, necesse est alterum modum excludi: nā vtrūque possunt verba circa hæc accidentia efficere.

SECTIO III.

A quo proferri debeant verba consecrationis, vt efficacia sint.

CErtum in primis est, horum verborum efficientiam esse infallibilem, si rite proferantur: quia effectus sacramentorum diuina promissione, & virtute nituntur, & ideò de se infallibiles sunt: efficacia autem horum verborum sacramentalis est, & in diuino illo verbo fundatur, *Hoc facite*. Solùm ergo inquiri potest, quid necessarium sit, vt hæc verba ritè proferantur, & consequenter quæ conditiones sint necessariæ, vt infallibiliter habeant effectum. Possunt autem hæ conditiones asignari, aut ex parte ipsorum verborū, aut ex parte materiæ, cui applicantur, aut ex parte proferentis seu ministri. Ex priori capite nulla conditio necessaria est præter eas, quas agētes de forma tractauimus: solùm enim necesse est, vt essentialia verba integrè, & sine substātiali mutatione, vel corruptione proferantur: hoc enim huic sacramento cum reliquis commune est. Ex secundo similiter capite nihil addendum occurrit ijs, quæ de materia remota huius sacramenti diximus. Si enim illa sit substantia panis, aut vini debitæ applicata, seu præsens, ac certa & definita, nihil aliud ex parte illius necessarium est, vt effectu, verborū sit infallibilis. In quo notanda est differentia inter hanc & alias formas sacramentales; aliæ enim operantur suū effectū simul cū materia sacramenti in subiecto, & ex subiecto, scilicet, homine suscipiēte sacramentū. Vnde fit, vt effect⁹ posit impediri ex obice, seu indispositione hominis suscipiētis; & ideò in alijs formis sacramētorū cōditio est necessaria ex parte subiecti, vt habeāt effectū, vt, scilicet, suscipiēs nō ponat obicem, at verò forma huius sacramenti non operatur in homine recipiente sacramentum, sed in ipsa materia, seu circa ipsam, & ex ipsa tanquam ex termino à quo, quæ materia nō potest ponere obicem; & ideò, vt effectus sit infallibilis, nulla specialis conditio ex parte materiæ necessaria est.

Guitmund.

Canendus tamen hic est error quorundam hæreticorum, qui, vt refert Guitmūd. lib. 1. & 3. de hoc sacram. dixerunt, quando materia, quæ ad consecrandum assumitur, danda est indignis, verba non habere suum effectū circa illam. Hæc enim sententia hæretica est, & ex hæretico fundamento procedit, scilicet, indignos, & peccatores, non verè manducare corpus Christi, quod infrà refellemus. Et, ex illo prætereà errore sequitur alius, scilicet, iniquos sacerdotes non conficere, quia conficiunt, vt ipsi sumant. Prætereà, quia aliàs nunquam esset certa, etiā humano modo, consecratio huius sacramenti: penderet enim ex futuro euentu; cui, scilicet, danda esset hostia, digno, vel indigno, quod solus Deus præscientia sua posset discernere: non ergo posset à nobis adorari hostia consecrata, neque iudicari, sub qua esset Christus. Denique in alijs sacramentis vera substantia sacramenti consistit, etiam si indignis tribuantur; ergo multò magis hæc verba operabuntur circa materiam huius sacramenti, etiam si posteà indignis applicandum sit: quia hæc applicatio extrinseca est huic sacramento, & quid posterius: ergo ex hac parte nulla cōditio necessaria est, vt effectus formæ sit infallibilis.

Superest

Superest ergo, vt dicamus de tertio capite, simulque explicemus, quæ sint necessaria in ministro huius sacramenti: hæc enim duo disputatione coniuncta sunt, vt suprà insinuaui.

Verba, vt sint efficacia, proferri debent à ministro rite consecrato & ordinato.

Dico primò, Vt hæc verba sint efficacia, necesse est, vt à Sacerdote cōsecrato, & rite ordinato proferantur. Hoc est de fide, vt constat ex communi consensu & traditione Ecclesiæ, & Conciliorū definitione. Niceno. 1. cap. 14. Lateran. in cap. Firmiter. Florent. in Decret. Eugen. Tridentin. sess. 22. & 24. Et idem docent omnes Patres citati tam in hac disputatione, sectione 1. quā disputat. 20. sect. 4. & 5. Vbicunque enim agunt de efficacia verborum Christi, simul cū verbis sacerdotalem dignitatem & potestatem coniungunt, & exaggerant, vt latiùs, quàm cæteri, prosequitur Chrysost. libris de Sacerdotio præsertim. 3. Vnde Hieron. ex hoc maximè dignitatem Sacerdotum commēdat, *quod ore suo Christi corpus conficiunt*. Hinc etiam Clem. lib. 2. Const. cap. 28. aliàs. 31. dicit, *laicum, qui sine Sacerdote tentat sacrificare, vel offerre, nihil facere*. Et Cyprian. Epist. 77. solis Sacerdotibus tribuit sacrificare & offerre, & Isidor. in cap. Perlectis. dist. 25. Hæc autem fidei traditio fundata est in verbis Lucæ 22. *Hoc facite*, quibus inter alia hoc præcipuè Apostolis Christus præcepit, vt cōsecrarent; & offerrent. hoc enim ipse præcipuè egerat; præcipiendo autē, potestatem ad consecrandum dedit, quia, nisi potestatē daret, rem imposibilem præciperet. Vnde fit, nō omnibus id præcepisse, sed quibus potestatem dedit; neq; omnibus potestatem dedisse, sed quibus ipse dixit, *Hoc facite*, quod nō dixit, nisi Apostolis, & in eorum personis illorum successoribus in sacerdotali dignitate, qui non sunt, nisi qui ab illis ritè ordinati sunt, & potestatē acceperunt. Vnde Iustin. Marty. apologia 2. *Apostoli*, inquit, *in suis scriptis, quæ vocantur Euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt, sumptoque pane, actisque gratijs, dixisse, Hoc facite*. Et eodem modo exponit factū & verba Christi Clemens libr. 8. Constit. c. vlt. & ita semper intellexit vniuersa Ecclesia ab Apostolis edocta. Et hæc est ratio à priori huius veritatis, vt notauit D. Thom. q. 82. artic. 1. Nam hæc potestas nō est naturalis homini, sed supernaturalis; vt per se constat, oportet ergo, vt sit à Christo concessa: nullibi autem data est omnibus hominibus, aut omnibus fidelibus & baptizatis, sed solis Ecclesiæ pastoribus. Congruentia verò est; tum, quia ad tantùm & tale ministerium oportebat, ministros esse singulari modo consecratos, & sanctificatos; tum etiam, quia, vt Paulus inquit ad Hebr. 9. munus sacerdotale non est omnibus hominibus commune, sed eis, qui specialiter à Deo assumuntur, & pro hominibus constituuntur in his, quæ sunt ad Deum.

Conc. Nicen. Lateran. Floren. Trident. — Chrysost. Hieron. — Clemens. — Cyprian. Isidorus. — Iustin. — Clemens. — Hebr. 9.

Contra hanc autem veritatem multa obijciunt hæretici, contendentes omnes Christianos esse sacerdotes, & habere potestatem ad conficiendum hoc sacramentum, quanuis ea vti non debeant, nisi à Republica, vel communitate ad hoc ministeriū designati sint. Sed contra hanc hæresim dicemus inferiùs agentes de sacrameto Ordinis; interim videantur, qui contra hæreticos Lutheranos his temporibus scripserunt. Ruard. artic. 17 Roffens. articul. 13. Bellarmin. lib. 4. de Eucharist. cap. 16. Itē VValdens. libro 2. de sacrament. capit. 7. & 28. Legi etiam potest Epiphan. hæresi. 78. & 79. vbi refert, & improbat hæresim dicentiū, mulieres posse conficere, seu offerre.

Ruard. Roffens. Bellarm. VValdens.

Sed quæres, an saltem in casu necessitatis, vel ex aliqua dispensatione, posit ab alio, quàm à Sacerdote, hoc sacramentum confici. Respondetur, non posse; quod etiam de fide, certum est, quia Concilia non tantùm definiunt, Sacerdotem esse ministrum ordinarium consecrationis, sed etiam necessarium. Et idem docet Ecclesiæ vsus, ac traditio: nunquā enim in Ecclesia aliter visum est fieri propter vllam necessitatem aut dispensationem. Legimus quidem in articulo necessitatis interdū esse Eucharistiam ministratam à laico, vel diacono, sed quæ priùs esset à Sacerdote consecrata; quia, cùm sacramentum semel factum permaneat, in vsu & applicatione non potest essentialiter pendere à conditione, vel qualitate applicantis, sed solùm illa erit necessaria, vt rectè ac debitè fiat, vt explicabimus latiùs infrà, tractantes de præceptis huius sacramenti ad ministros pertinētibus. Non legimus autem propter vllam necessitatem consecratā esse Eucharistiam ab alio, quàm ab eo, qui sit Sacerdos. Sed potiùs legimus, vrgentibus necessitatibus, magna diligentia curatum esse à pastoribus Ecclesiæ, vt Christiana plebs non careret Sacerdotibus, ne simul etiam etiam hoc sacramēto priuaretur, vt ex antiquis historijs refert Robertus Bellarminus suprà. Ratio verò est eadem, quia potestas ad hoc sacramentum conficiēdum est supernaturalis, & datur in consecratione Sacerdotis, sine potestate autem non potest actio exerceri. Congruentia autē est, quia, cū hoc sacramentū non sit necessitatis simpliciter, non oportuit, vt propter alicuius necessitatem, eius consecratio alijs, quàm sacerdotibus, committi posset. Et confirmatur, nam, licèt Pœnitentia sit magis necessarium sacramentū, nihilominùs non potest in necessitate ab alio, quàm à Sacerdote confici: ergo.

Obiectio.

Sed contra, sicut est dictū Apostolis. *Hoc facite*, ita est eis dictum, *Ite, baptizate*; sed in casu necessitatis possunt alij, quam Sacerdotes baptizare: ergo. Respondetur, negādo consequentiam. Ratio suprà data est; cùm de baptismo ageremus: propria enim potestas consecrandi datur in Ordinatione, vt cōstat ex forma & materia sacramenti Ordinis: potestas autē baptizandi non propriè tunc datur, sed ius. Ratio verò est propter maiorem necessitatem sacramenti baptismi; & à priori, est institutio Christi, quā traditio manifestauit.

Verba vt efficiant proferenda sunt cū debita intētione consecrandi.

Dico secundò, Vt verba formæ huius operētur, necesse est, vt proferantur à ministro cū debita intentione faciendi sacramētum, seu, quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit. Hæc Cōclusio est de fide, & probanda est ex fundamētis adductis in materia de sacramentis in genere: multa verò, quæ ad illam explicandam hic tractari possent, petēda sunt, vel ex disputatione de materia remota, vbi declarauimus, quomodo minister dirigere debeat intentionē ad certā & definitā materiā; vel ex disputatione de forma; vbi exposuimus, quomodo intēdere debeat proferre verba formaliter, & non materialiter tantùm. Solùm est hoc loco addendum ex Gabriel. lectio. 52. in Canon. circa finem, quosdam asseruisse, si quis sacerdos ignoret verum sensum horum verborum, eum ex intētionis defectu non verè consecrare: quia ille accōmodat suam intentionem sensui verborum, quem putat esse verum: vnde, si in sensū formæ errat, consequenter

quenter deficiet in vera & necessaria intentione; quam opinionẽ ipse tribuit Alexandro Alens. Sed tamen Alensis 4. part. quæst. 53. membr. 4. art. 2. solùm dicit, ex negligentia Sacerdotis posse interdum frustrari effectum verborum; & huiusmodi negligentiam esse peccatum mortale, nõ verò explicat, qualis sit hæc negligentia. Quocirca dicendum est, vt etiam Gabriel dicit, ignorantiam Sacerdotis, imò quamcunque intentionem erroneã priuatam ac particularem, non impedire effectum verborum, dummodo integrè proferantur, & ex generali intentione faciendi, quod Christus instituit, quia hæc intẽtio corrigit quamcunque aliam particularem, quæ solùm materialiter se habet; altera verò est quasi formalis, vt latiùs dictum est de sacramentis in genere.

Nõ necessario requiritur ad verborum efficaciam quod proferantur ab homine sancto & fideli.
Trident.

Vltimo addendum est, vt hæc verba sint efficacia, non esse necessarium, vt proferantur ab homine sancto, aut fideli, sed satis esse, quod characterẽ sacerdotalem habeat, reliquæ enim conditiones accidentariæ sunt, & characterem sacerdotalem non delent: est enim indelebilis, ex Tridentin. sess. 7. & sess. 23. cap. 4. character autem manens est sufficiẽs potestas. ita docet Diuus Thomas infrà quæst. 82. art. 5. 7. & 8. Et est conclusio de fide ex ijs, quæ tradita sunt suprà, in simili quæstione de sacramentis in genere.

Dubiũ, an hæretici Ordinati rite, conficiant Eucharistiam.
Innocent.
Gregor.

Occurrit tamẽ hic specialis difficultas ibi omissa, ex nonnullis decretis ac testimonijs Pontificũ & Sanctorũ, qui de hæreticis & schismaticis specialiter docere videntur, eos non posse conficere consecrationem. Vnde Innocent. Epist. 18. & 22. *Solum baptisma*, inquit, *illis ratum esse permittimus*, Gregor. libro 4. Epist. 5. cap. 49. & habetur in cap. Accedens. 50. distinct. idem indicat specialiter de degradatis, vt ibi Glossa affirmat, & 1. quæst. 1. in multis decretis consecrationes hæreticorum, & schismaticorum irritæ dicuntur, vt ibidem significat Gratianus post cap. Manus. cap. Dictum est, & cap. Quod quidam. Fauet etiam Augustinus 2. cõtra Creic. Gram. cap. 13. vbi ait, *Extra Ecclesiam nõ esse verum sacrificium, nec verum Sacerdotium*, Hieronym. Aggæi. 2. & Osææ. 7. vbi dicit, *panem hæreticorum esse pollutum*; & Sophon. 3. *Sacerdotes, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam; & necessariam esse tantùm solennem orationem, & non sacerdotum merita*. Propter quæ Magister in 4. distinct. 13. dicit, hæreticos vel schismaticos, qui extra Ecclesiã existunt, etiam si sint rite ordinati, & debita intentione verba proferant, non conficere. Sed est erronea sententia, quam meritò reiecerunt cæteri omnes Theologi ibi. Est enim contra manifesta principia fidei. Ex quibus constat, verum Sacerdotem propter hæresim, vel aliquam pœnam, aut censuram Ecclesiæ, neque amittere characterem, neque esse incapacem illius, vt constat ex Trident. sess. 7. Can. 9. Propter quod Sacerdotes, qui ab hæresi ad Ecclesiam redeunt, non iterum ordinantur, vt constat ex VII. Synodo act. 1. & habetur in cap. Conuenientibus. 1. quæst. 7. & ex Vrbano Papa, in cap. Ordinationes. 9. quæst. 1. & constat ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, vt latè tractat Hieronym. dialog. contra Luciferian. & Augustin. lib. 2. contra Parmen. capit. 13. Sed per characterem sacerdotalem datur potestas ad conficiendum corpus Christi: ergo, si is, qui habet huiusmodi characterem, ritè proferat verba essentialia super debitam materiam, infallibiliter conficiet sacramentum: quia, vt rectè dixit Nicolaus Papa, ad Consulta Bulgar. cap. 71. *Non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, sacramenta diuina polluere.* Capitul. Sciscitantibus. 15. quæstione 8. capitul. Christus, capitul. Non nocet. cum multis alijs. 1. quæstione 1. Cùm ergo canones interdum dicunt, ordinationes hæreticorũ esse irritas, intelligendi sunt, vel quoad debitum vsum: quia Ecclesia eos suspẽdit, & prohibet, ne ad sacerdotalia munera admittantur: quanquam eorũ actus, qui iurisdictionẽ non requirunt, irritare non posit, qui sensus planè colligitur ex Vrbano Papa in dicto capitul. Ordinationes, & ex Innocentio Epistola 22. & ex Concilio Niceno 1. can. 8. vbi Episcopi, qui reuertuntur à Nouati hæresi, in sua dignitate admittuntur, & idem dicunt prædicti Pontifices, fieri posse in alijs, si, vel bona fide ordinati sint, vel ratio sufficiens, aut necesitas id requirat. Interdum verò possunt hi canones exponi de ordinationibus, quæ non fiunt debito ac essentiali ritu: nam consecrationes factæ à ministris sic ordinatis, omnino irritæ sunt, & huiusmodi sunt ordinationes, quæ nunc fiunt à ministris Lutheranorum, & Caluinistarum. Quid verò dicendum sit de ministro huius sacramenti, vt sacrificiũ est, dicemus infrà in proprio loco.

Augus.
Hieron.
Magist.
Respondetur posse si velint.
Trident.
August.

SECTIO IIII.

Vtrùm plures formæ poßint efficere consecrationem eiusdem materiæ, simul, aut succeßiuè.

HAEC quæstio tractatur de ministro à Diuo Thoma infrà quæstion. 2. articul. 3. eius verò difficultas præcipuè consistit in efficacia, ac veritate verborum, & communis ferè est cæteris sacramentis, & ita disputata est superiùs, cùm de baptismo ageremus: hoc verò loco tractatur à Theologis occasione cuiusdam consuetudinis Ecclesiæ, quæ in Romana, & in multis alijs obseruatur; olim enim Cardinales simul cũ Papa concelebrare solebant, & consecrare eandem hostiam; & nunc idem faciunt Sacerdotes nouiter Ordinati cum Episcopo Ordinante: nam omnes simul verba consecrationis proferunt super eandem materiam. Dupliciter ergo tractari potest hæc quæstio; primò de posibili, scilicet, quid in hoc modo consecrationis fieri posit. Secundò de facto, scilicet, quid in prædicta consuetudine fiat.

Non possunt concurrere plures ministri ad consecrandum, si vnusquisque partem formæ proferat.

Prior pars definiri breuiter potest ex dictis suprà de baptismo. Primò enim certum est, nõ posse plures ministros concurrere ad consecrandũ hoc sacramentum, vt causas partiales ex parte formæ, ita vt vnus proferat partem formæ, alius aliam partem; quia tunc neuter eorũ proferret formam; neque ex verbis diuersorum hominum vna forma componi potest, vt prædicto loco latiùs probatum est. Dico autẽ, ex parte formæ, quia ex parte materia fieri potest, vt vnus consecret partem vnius hostiæ, alius verò reliquam partem, si vterque certam ac definitam partẽ sua intentione designet, vt suprà diximus, agẽtes de materia; tũc verò illi non sunt propriè causæ partiales: quia vnusquisque suã consecrationem, vt integra causa, perficit; sed ex parte materiæ accidentarium est, quod species consecratæ sint continuæ inter se: & ideò ex hac parte quælibet earum consecrationum videtur esse partialis respectu eiusdem hostiæ.

Non possunt plures sacerdotes hostiã consecrare, si alter prius altero absoluat verba formæ.

Dico secundò, Etiam si duo sacerdotes integrè proferant formam, & vnusquisque habeat intentionem consecrandi, si tamen alter eorũ priùs tempore absoluat formam, quàm alius, non possunt illæ duæ formæ efficere consecrationem eiusdem materiæ, sed altera tantùm. Ita sentiunt Durand. Caietan. Richard. Soto, Ledesma, & alij infrà citandi. Quorum sententia mihi verissima videtur, quanuis nonnulli ex antiquioribus contradicere videatur. Ratio est, quia integra forma consecrandi cadens super debitam materiam, cùm primùm perficitur, constituit, seu conficit sacramentũ, ergo forma postea superueniens nihil potest efficere. Patet consequentia, tum quia iam inuenit factum; tum etiam, quia iam non cadit super debitam materiam: quia materia consecrationis non est res priùs consecrata, sed panis vel vinum. Antecedens verò declaratur; quia, quando sacerdotes hoc modo proferunt formas, vel vterque eorum habet intentionem absolutam consecrandi independenter ab alio, & tũc sine vlla dubitatione, qui primò absoluit, cõsecrat; quia ibi concurrunt omnia necessaria ad conficiendum sacramentum: vel vterque habet intẽtionem non conficiendi sine alio. Et hoc varijs modis potest contingere, primò, vt vterque velit partialiter concurrere, & nullo modo esse causa integra consecrationis, & hæc intentio fortasse in vniuersum est contra substantiam sacramenti: quia Christus hoc non instituit, sed vniuscuiusque sacerdotis verba voluit esse causam integram & sufficientem, sicut in simili de baptismo diximus; aut saltem est contra substantiam sacramenti hoc intendere, quando formæ non in eodem instante absoluuntur, sed altera priùs tempore, quam altera: quia præter institutionem Christi, & contra veritatem huius formæ, est, vt non efficiat, cum primum eius significatio absoluitur: quia illius veritas cũ illius efficacia coniuncta est, & ab illa quodammodo pendet. Et eadẽ ratione est contra Christi institutionem, vt vna forma non faciat sine concursu alterius, quæ præcesit: igitur ministri, qui hoc modo intenderent conficere, nihil efficerent. Alio modo posset vnus sacerdos intendere non consecrare sine alio, intentione quasi conditionata, ita vt vnusquisque intẽdat conficere, si alius itã absoluit verba, & nõ aliàs; & tunc is, qui primò absoluit, nõ conficit, quia tantùm habet conditionatã intentionem, & conditio impleta non fuit, quando absoluta fuit forma; & ideò neque tunc fecit sacramentum ex defectu intẽtionis, neque posteà, quia iam forma euanuit, vt latiùs dictum est in materia de sacramẽtis in genere; ille verò, qui posteriùs absoluit, conficit; quia, licèt habuerit conditionatam intentionem, tamen conditio iam erat impleta, & ita conditio transit in absolutum: ergo, quicquid Sacerdotes intendãt facere, non possunt plures formæ, quæ successiuè, & non in eodem instante consummantur, eandem consecrationem efficere. Neque hic locum habet distinctio vulgaris de simultate metaphysica, aut morali; quia verba in eodem mataphysico, seu physico instante, in quo absoluuntur, consecrationem perficiunt, neque eorũ efficientia suspendi potest per minimum, vel breuissimum tempus: quia hoc esset contra eorum veritatẽ: ergo nihil referr, quòd alia verba censeantur simul moraliter absolui, si, re vera, intercedit, vel breuissimum, tempus inter vltimum instans vnius & alterius formæ: quia iam inueniunt factum, quicquid facere poterant, & cadunt in materiam iam consecratam. Confirmatur, tam conclusio, quam totus hic discursus, quia, si duæ formæ, quarum vna priùs absoluitur, quàm alia, possent eiusdem materiæ consecrationem efficere, etiam vnus minister posset duabus formis bis repetitis succesiuè eiusdem materiæ consecrationem efficere, proferendo proximè & immediatè vnam post aliam; & per intentionem suspendendo efficientiam prioris, donec posterior absoluatur: consequens est absurdissimum, & contra omnium communem consensum: sequela autem à paritate rationis facillimè probari potest.

Si plures formæ simul absoluantur, omnes efficiunt sacramentum.

Dico tertiò, Si duæ formæ simul & in eodẽ instante absoluantur, vtraque efficit consecrationẽ, etiam si in eandem materiam cadant. Hæc est communis sententia; probatur, quia supponimus, vtrãque proferri à debito ministro suprà debitam materiam, & debita intentione: ergo vel vtraque efficit, vel neutra: quia non est maior ratio de vna, quàm de alia: at non est dicendum, neutram efficere, quia ibi concurrunt omnia necessaria ad sacramentum, & nihil est contra substantiam eius: ergo vtraque efficit. Quæres, an singulæ efficiant, vt causæ totales, vel partiales, id est, an efficiant vna sola actione dependente ab vtraque, vel duabus, quarum vnaquæq; integra sit, & à sua forma pendeat.

Dubium.

Respondetur, vtrumque modum esse posibilẽ, & incertum esse, quomodo fiat. Videtur autẽ magis consentaneũ institutioni & veritati verborum, vt vnaquæq; forma suã integrã actione efficiat, ac si alia non concurreret: quanuis aliàs videatur rerum naturis magis consentaneum, vt causæ, quæ per se singulæ efficerent, si simul applicentur ad vnum & eundem indiuisibilem effectum, nõ agant duabus veluti superfluis actionibus, sed vna.

Solutio.

Difficultas; vtrùm sit bona consuetudo consecrãdi plures in eadẽ materia, quã Ecclesia Romana in sacerdotum ordinatione seruat.

Ex his definiẽda est altera pars quæstionis, quid de facto fiat in prædicta Ecclesiæ consuetudine. Et ratio difficultatis est, quia, humano modo loquendo, non possunt omnes illæ formæ in eodem instãte physico absolui, ex quo videtur sequi, illam consuetudinem esse contra rectam rationem, quia exposita est multis periculis. Primò, vt Episcopus, qui est principaliter sacrificans, nihil conficiat. Secũdò, vt à multis proferantur verba super materiã cõsecratam, vel tertiò, vt multi inaniter ac frustra verba proferant, nihil efficiẽdo. Propter hæc quidam non verentur hanc consuetudinem improbare, quia, licèt Romana Ecclesia, vt particularis quædam Ecclesia, illam seruet, tamen non obseruatur in vniuersa Ecclesia, vt de Moguntina Gabr. refert. Ita ferè sentit Durand. distinct. 13. quæst. 3. & in eadem sententia citatur Albertus in sum. Pisan. verb. Euchar. 3. & in eandem inclinat Gabr. lect. 6. in Can. Angel. Eucharist. 2. §. 3. nec multũ repugnant Soto dist. 13. q. 1. art. 3. & Palac. quæst. 4. sed nullo modo sentiendum est, illam consuetudinem esse malam, simpliciter loquendo: id enim valdè esset temerarium; tum, propter Ecclesiæ Romanæ autoritatem à multis Pontificibus approbatam, tum, quia quàm plures aliæ Ecclesiæ eandem consuetudinem obseruant.

Quidam negant.
Gabr.
Durand.
Albert.
Angel.
Soto.
Palacios.

Universidad de Deusto Biblioteca

Alij explicant modū quo debet fieri.

Alij ergo Theologi, vt hác consuetudinem defendant, dicunt, omnes Sacerdotes, qui cú Episcopo proferunt verba, debere illa proferre cū intentione consecrandi, ita tamé, vt referant intentioné suā ad illud instans, in quo Episcopus absoluit verba consecrationis, in quo omnes consecrant, siue priùs, siue posteriùs verba absoluant. Hæc fuit sententia Innocentij, lib.4. de hoc myster. cap.25. qué D. Tho. hic sequi videtur, quæst.82. art.2. Alens. quæst.36. membr.8. Palud. distinct.3. quæst.4. Soto, Ledesma, & alij Thomistæ. Victor. in sum. nu. 88. Syluest. Eucharist.2. quæstione 13. & alij feré summistæ. Sed hæc sententia nó videtur posse consistere cum his, quæ suprà diximus. Quia dupliciter potest explicari intentio horum Sacerdotum, primò, vt sit absoluta, vt illam explicant Palud. & alij, & hoc modo est impossibilis, quia si Sacerdotes habent intentionem consecrandi, & priùs absoluunt verba, quàm Episcopus, non possunt eorum efficaciam suspendere, vt ostensum est, neque hoc est in potestate totius Ecclesiæ. Sicut, si quis vellet suspendere actionem verborum consecrationis formæ panis, donec proferat formam sanguinis, non posset: vel, si duo conuenirent ad consecrādas duas hostias, singuli singulas, ita tamen vt neuter conficeret, donec alius absolueret, nihilominùs fieret cōsecratio absolutis verbis; & in omni sacraméto, absoluta materia, & forma, non potest vniuersa Ecclesia retardare effectum eius, sicut nec potest impedire illum, si ex parte subiecti & materiæ non est impedimentum. Respondet Paludanus suprà, in hoc speciali casu, Dei dispésatione fieri, vt virtus præcedentium verborum conseruetur in aere, donec omnes formæ absoluātur, & tunc omnium virtus simul operetur. Sed hæc, vt rectè dixit Durandus, ridicula sunt, & sine fundamento conficta; eò vel maximè, quòd virtus verborum non est res aliqua, præter verba, &, quamuis esset aliqua qualitas, illa non posset sine nouo miraculo conseruari trāseuntibus verbis, aut de subiecto in subiectum migrare. Deinde, si hoc modo fieret, non oporteret diligentiā adhibere, vt omnes cum Episcopo proferrent, vel saltem curandum potiùs esset, vt omnes ante Episcopum absoluerent verba, quandoquidem dicuntur non esse operatiua priùsquam Episcopus absoluat, verba auté Episcopi expectatura sunt reliquos, at verò vsus Ecclesiæ non ita habet, sed adhibet potiùs diligentiam, vt, vel omnes simul absoluant, vel saltem nullus ante Episcopum. Alio modo explicari potest hæc intentio, vt sit conditionata, vt, verbi gratia, quòd Sacerdotes consecrantes cū Episcopo, intendāt consecrare sub hac conditione, si Episcopus iam absoluit verba, & ita videtur explicare hanc sententiam Victor. nu. 88. Sed hinc necessariò sequitur iuxta dicta, vt nec illi consecrēt, qui priùs tempore, neque illi, qui posteriùs, quàm Episcopus, verba absoluunt, sed ad summum illi, qui in eodem physico instante cum illo verba perficiunt, quod paucissimas continget; & ita non euitantur omnia suprà dicta incommoda, nam intentio conficiendi sacramentum sub conditione, quæ moraliter ferè semper impediet efficaciam formæ sacramentalis, vitiosa est, & præter rationem, quin potiùs vti intentione conditionata, & non absoluta, sine necessitate vrgente, etiam, & meritò, videtur esse contra debitum modum conficiendi sacramentum.

Innocent. Alens. Palud. Soto. Ledesm. Victoria. Syluest. Reijciuntur.

Sed dicunt aliqui, in eo casu omnes Sacerdotes cum Episcopo quasi componere vnum integrū ministrū; & ideo eum primò conficere, qui primò absoluit verba, quicunque ille sit, omnes tamen dici referre intentionem suam ad vnū instans: quia omnes intendūt simul absoluere verba, quocirca si aliquando accidit, quòd vnus priùs absoluat, quàm alius, est præter intentioné, & ita, moraliter loquédo, est per accidens; & quicquid inde sequitur, vt, verbi gratia, quòd vnus consecret corpus solum, alius solū sanguinem, & alius, scilicèt, Episcopus, sumat vtramque speciem, qui fortasse neutrā confecit. Hæc, inquā, & similia, non reputantur incommoda, tum, quia sunt per accidens, tum etiā, quia omnes concurrunt per modum vnius ministri integri, qui simpliciter facit totum, quamuis per diuersa verba, & ora veluti personalia. Sed hic dicendi modus mihi displicet, quia re vera est inconueniés, vt Episcopus, qui est principalis offerens, & sacrificans, non conficiat, & reliqua omnia, quæ consequuntur, re vera, sunt magna incommoda, neque possunt dici moraliter per accidens, & præter intentionem, cùm voluntariè adhibeatur intentio, quæ moraliter impleri non potest. Prætereà illa collectio ministrorum, seu potiùs ille minister collectus ex multis personis, est præter institutionem Christi, & præter veritaté verborum, quæ ab vnaquaque persona integrè proferuntur.

Aliorum modus hanc consuetudinē defendendi refertur, & reijcitur.

Aliorum ergo sententia est, solùm Episcopum proferre verba formaliter, & cum intentione consecrandi; alios verò materialiter illa referre in signum potestatis sibi concessæ, & in memoriam illius cœnæ, in qua Christus cum Apostolis cœnauit, eisque eandé potestaté concessit. Ita sentit Richar. d.13. ar.2. q.1. Caiet. q.82. ar.2. Ang. verb. Eucharistiæ. d.2. §.3. & ex antiquo Pontificali Romano referuntur verba, quibus hoc indicatur, scilicet, *Ordinati omnia dicant, ac si celebrarent.* Ratio est, quia hoc modo tolluntur omnia incommoda; & sufficit ad intentionem & consuetudinem Ecclesiæ. Et confirmatur, quia illi non communicāt sub vtraq; specie: ergo non communicant, vt sacrificantes: ergo non sacrificant, & consequenter non conficiūt. Sed obstat, quia in Pontificali Romano admonetur Episcopus, vt altè & paulatim dicat verba, vt alij possint simul cū illo dicere; & omnes adhibent diligentiam, vt, quoad fieri possit, simul absoluāt: ergo ex modo ipsius consuetudinis videtur colligi, omnes proferre verba ad consecrandum. Prætereà in consecratione Episcopi, plures Episcopi simul proferunt verba, & Caietanus fatetur, omnes proferre formaliter, & ad consecrandum; cùm tamen ex Pontificali Romano non possit hoc magis colligi de his Episcopis, quàm de illis sacerdotibus; & incommoda ferè sunt eadem, si rectè ponderentur. Et idem argumentum est de consuetudine, quam Innocentius suprà refert, vsitatum fuisse aliquando in Ecclesia Romana, vt interdùm Cardinales simul cum Pontifice consecrarent. Ad hæc verò dici potest in hac opinione, adhiberi in hac ceremonia huiusmodi modum & diligentiam, quia non satis constat in particulari, qua intentione debeant proferri verba, & ideò securiorem partem eligunt, quoad fieri possit.

Richard. Caietan. Angel.

Quocirca in hac re, quæ valde lubrica est, mihi placet consilium Caietani, vt, scilicet, hi sacerdotes intendant proferre verba meliori modo, quo possunt:

possunt: huiusmodi autem esse existimo, in primis, vt nullo modo præsumant præuenire Episcopum in consecrando; quia re vera hoc est magnū incommodum, & contra intentionem Ecclesiæ, vt rationes factæ probant; deinde habeant intentioné conditionatā, vt Victoria aiebat, seu potiùs disiunctā, vel consecrandi simul cum Episcopo, si possunt, sin minùs, tantùm materialiter verba proferendi, & ita euitantur incōmodo omnia, quæ inferebantur.

SECTIO V.

An hæc virtus actiua principaliùs sit in verbis, quàm in ministro.

[...] opinio.

HOc dubium moueo propter nonnullos ex antiquis Theologis, qui illud tractant, & definiunt, hanc virtutem esse in verbis & in ministro; simpliciter tamen principaliùs esse in ministro, tum, quia est similior principalia agéti; tum etiam, quia eius virtus est permanens; & ad plures effectus extenditur, secundùm quid verò principaliùs esse in verbis, quia propinquiùs attingunt effectum. Ita Alex. quæstione 54. membr.2. quem sequitur Diuus Thomas distin. 8. quæst. 2. artic.3. ad nonum. Richard. artic.3. quæst.3. Ne tamen fortasse sit quæstio de nomine, oportet, nōnulla supponere, quæ ad rem pertinent. Primū est, virtutem verborum non esse qualitatem illis super additam. Secundum est, characterem sacerdotis, qui videtur esse virtus ministri, licèt sit qualitas physica illi inhærens, non tamen habere proprium & immediatum influxum physicum, vel in verba, cum in illis nihil fiat, vel in effectum verborum, seu consecrationem, cùm hæc immediatè sit tantū ab ipsis verbis, vt etiam prædicti autores docét; & D. Thom. hic quæst.78. art.1. qui etiam docet, sacerdotem non habere aliam immediatam actioné in consecratione, nisi prolationem verborum, neque per aliam actionem aut influxum influere in consecrationem, nisi per verba, & eorum actioné. Quod prætereà confirmari potest testimonijs Sanctorum Patrum dicétium, Sacerdotes proprio ore conficere hoc sacramentum per verba Christi. Ac denique, quia omnis alius influxus superuacaneus est, & sine fundamento confictus, vt latiùs generatim dixi in materia de charactere, vbi propter hanc causam docui, characterem non esse potentiā physicam, cùm non habeat influxum physicū immediatum, vt ostensum est, neque remotum aut mediatum, quia hic supponit semper aliquem immediatum, in quo fundetur. Quo modo enim potest intelligi, efficaciam alicuius potentiæ mediaté redundare in aliquid, nisi immediatè quippiā aliud attingat? at probatum est, characterem non habere influxum seu actionem immediatam, cùm illam non habeat, neque in verba, neque in effectum verborum, & nihil aliud sit, in quod possit immediatè agere: ergo neque mediatè aliquid physicè agit: ergo non est potentia physica, sed moralis, seu potiùs signum, seu quasi sigillum pacti diuini, quo statuit, & promittit, semper concurrere cum verbis Sacerdotis ad effectum consecrationis.

Alex. D. Thom. Richard.

Virtus consecratiua radicaliter solùm est in ministro, formaliter in verbis.

His ergo de re ipsa suppositis, necessariò dicendum videtur in præsente quæstione, virtutem instrumentalem ac physicam, qua fit consecratio, intrinsecè ac realiter esse tantùm in verbis, vel potiùs esse ipsa verba, vt dictum est, & ita cessat comparatio, quia hæc supponit hanc virtuté in vtroq; cōparationis extremo, nos auté dicimus esse in altero, at verò secundùm quandam rationem seu denominationé potest dici hæc virtus principaliùs esse in ministro, radicaliter, & quasi potestatiuè; tum, quia ipse est, qui operatur per verba; tum, quia ab intentione eius pendet virtus verborum; & ita illi data est potestas consecrandi, & vtendi illo instrumento, cùm voluerit; tum etiam, quia illi debitus est concursus ad sic operandum; verbis autem nō, nisi quatenus sunt ab illo, & ab eius intentione procedunt; neque hac in re inuenio difficultatem aliquam, quæ explicatione indigeat, & iuxta hæc exponenda sunt, quæ Diuus Thomas docet infrà, quæstione 82. articulo 1. ad primum.

DISPVTAT. LXII.

De suscipientibus hoc sacramentum, & de varijs modis sumendi illud.

EXplicatis causis huius sacramenti, priùsquā ad eius effectus accedamus, oportet de suscipiente, quod est subiectum, in quo sacramentum hoc operatur, nonnulla dicamus, simulque dicemus de vsu, non vt in præceptū cadit, sed prout per illum applicatur sacramentum ad operandum: quanquam enim singulare sit in hoc sacramento, quòd vsus eius ab illius substantia distinguatur, tamen, vt suprà disputat.42. dixi, habet se huiusmodi vsus tanquā applicatio agentis ad passum: quia ergo hæc applicatio antecedit effectum, respectu cuius suscipiens est causa materialis, optimè disputatio hæc in hunc locum cadit.

Disputat. 24. de Eucharistia.

SECTIO I.

Quid sit, & quot modis fiat sumptio huius sacramenti.

HAEC quæstio disputatur à D. Tho. q.80. ar.1. & alijs Theologis, dist.9. vbi omnes cum Hilario lib.8. Trinit. Raban. libro de Corp. & sang. Domini c.26. & August. varijs locis, quæ referuntur de Consecrat. dist.2. cap. Quid est. cap. Qui manducat. cap. Qui discordat, & alijs, distinguunt duplicem vsum huius sacraméti in sacramentalem & spiritualem. Quam partitioné hæretici huius temporis reijciunt, quia erant in fundamento de reali Christi præsentia in hoc sacramé to, & ita solam spirituale Christi manducationem per fidem agnoscunt. Illam tamen diuisioné probauit Concilium Trid. sess.13. c.8. sess.22. c.6. & sacramentalis manducatio euidenter colligitur ex facto Christi in institutione huius sacramenti, & ex verbis eius, Ioan.6. vt in superioribus ostensum est; & ex Paulo 1. ad Corinth.11. Vt tamen hæc diuisio, eiusque membra explicētur, oportet priùs singula alijs modis subdiuidere.

Eucharistia sumi potest spiritualiter, vel sacramentaliter. Hilarius. Raban. August. Trident. Ioan. 6. 1. Cor. 11.

Secundò ergo spiritualis sumptio diuidi potest in spiritualem tantùm, & in spiritualem & sacramentalem

Spiritualis sumptio facta

Universidad de Deusto
Biblioteca

mẽti huius est per votum vel desiderium or tum ex viua fide.
Alens.

mentalem simul. Priori modo spiritualis sumptio
proprijsimè sumpta est, quæ fit per votũ seu desi-
derium huius sacramẽti, vt ex Concilio Trident.
sess. 13. colligitur, & ex vsu omnium Theologo-
rũ, & præter citatos rectè tractat Alens. quæst. 43.
memb. 3. Quia, vt verè ac propriè dicatur spiritua-
lis vsu sacramenti, oportet, vt ad ipsam Eucharistiã
formaliter terminetur: cùm autem non terminetur
per actum corporis, sed per actũ animæ, nullus est
actus, qui hanc denominationem possit suscipere,
nisi desiderium, & propositum: quia in actibus hu
manis solum propositum, vel desiderium efficax
censetur aliquo modo actui externo æquivalere,
quando hic exerceri non potest. Est autẽ observan
dum ex Concilio Trident. sess. 13. c. 8. non omne
desiderium, seu propositum huius sacramenti cen-
seri spiritualem sumptionem eius, sed solum illud,
quod ex fide viua proficiscitur: quia hæc non tan-
tũ dicitur sumptio spiritualis, quia spirituali actu
seu modo fit, sed præcipuè, quia parit fructum spi-
ritualem maioris vnionis cũ Christo: hũc verò fru
ctũ non habet, nisi ex caritate oriatur. Quocirca, si
quis in peccato existẽs desideret Eucharistiã sume
re, ita vt in obiecto illius desiderij coniũgat vsum
sacramenti cũ statu, quem tũc habet, id est, si desi-
deret sumere in eo statu, non solũ non spiritualiter
manducabit, sed etiam grauiter peccabit. Si verò
non ita componat obiectum, sed desideret sumere
in meliori statu; actus quidẽ non erit malus, tamẽ
non perueniet ad rationem spiritualis sumptionis
propter rationem dictam, nisi fortasse appelletur
sumptio spiritualis mortua, & secundũ quid. De-
nique sciendũ est, hoc desiderium seu votum habe
ri posse vel explicitè, vel implicitè, sicut in baptis-
mo, & in alijs sacramentis contingit: nã vtroq; mo
do potest desiderium ad hoc sacramentum termi-
nari; vel in se & in particulari, vel in alio, & in com
muni, vt desiderando seruare omnia mãdata Chri
sti, vel omnibus modis vniri Christo. Vnde obiter
colligitur, hanc sumptionem spiritualem solũ ha-
bere locum in lege Euangelica propriè, quia, sicut,
in illa solũ, institutum est hoc sacramentum, ita &
omnis eius vsus. Itaque illa spiritualis manducatio
August. antiquorũ Patrum, quam latè explicat August. tra
ctat. 26. in Ioan. ex illo 1. ad Corinth. 10. *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, non est pro-
priè spiritualis manducatio huius sacramenti: quia
illi sanè non desiderabant sumere hoc sacramentũ,
sed est figurata & materialis manducatio: nã, quia
illi desiderabant Christum in illis sacramẽtis præfi
guratum, illum spiritualiter manducasse dicũtur:
& similiter omnis vnio cum Christo, vel deside-
rium Christi, solet dici spiritualis sumptio huius sa
cramenti, largè tamen ac materialiter, quia Chri-
stus est res huius sacramenti, vt suprà disput. 1. latè
dictum est. Vnde tandem colligi potest multiplex
diuisio spiritualis manducationis, sed illa est præci
puè notanda ad tollendam æquiuocationem, quòd
alia est spiritualis mãducatio Christi absolutè, alia
verò Christi in hoc sacramento, seu ipsius Euchari-
stiæ, quam suprà indicaui, iuxta quæst. 73. & opti-
Palud. mè eam tractat Palud. distinct. 9. disputat. 2. Prior
enim fit per fidem, & caritatem, & absolutè termi
natur ad Christum secundùm se, & ideò omni tem
pore fuit necessaria; posterior verò terminatur
propriè ad hoc sacramentum, & ad vsum eius, est-
que propriè ad vsum eius, vt dixi.

A Sed quæri potest circa hanc sumptionem purè spiritualem, an habeat fructum præter omne meritum operantis: hæretici enim nostri temporis dicunt, non esse minus fructuosam, quàm si cum sacramentali coniuncta sit, vt refert Hosius libro 1. contra Prolegomena Brentij. Qui error dãnatur in Trident. sess. 13. cap. & Canon. 8. & à D. Thoma refellitur quæst. 80. art. 1. ad tertium. Quæ cen
sura intelligenda est fieri in eos, qui negant sumptionẽ sacramentalem aliquid addere merito operantis: nam hæc est aperta hæresis contra efficaciã sacramentorum. Aliter verò posset quis opinari, sacramentum esse adeò efficax, vt non solùm re ipsa susceptum, sed etiam solo animo & desiderio applicatum, habeat sacramentalem efficaciam: & nõ est tam aperta hæresis, quia non defuerunt Catholici, qui dicerent, hoc sacramentũ hoc modo operari, saltem in extrema necessitate, quia ægrotus
B non potest sacramẽtaliter sumere, præsertim quãdo petit, adorat, ac veneratur sacramentum, vt ré-
ferunt Soto distinctione 12. quæstione 2. articu-
lo 1. Ledesma quæstione 12. articulo 4. Alij verò dixerunt, sacramentum operari quidẽ hoc modo gratiam aliquam maiorem, quam respondeat merito operantis, non tamen tantam, quantã conferret sacramentaliter sumptum, nec tã propriè ex opere operato, quia non per efficientiam physicã; & ita sentit Ledesma. Sed hæc omnia sunt falsa & improbabilia, & apertè contra D. Tho. suprà, Alen sem. quæst. 41. membr. 3. art. 3. & contra rationẽ, quia promissio effectus sacramentalis non est facta desiderio, sed manducationi. Itẽ, quia, si quis priùs desideret sacramentum, & postea re ipsa sumat, nõ minorem effectum sacramentalem recipiet in re, quàm si antea nõ desiderasset, si cætera sint paria: ergo signũ est, sacramentum nihil priùs contulisse, ratione desiderij; alioquin idem samentũ plures con ferret effectus eiusdem rationis ex opere operato. Ex quo vlteriùs inferri potest, si quis post susceptum sacramentum gaudeat, & delectetur in consi deratione sumptionis, inde etiam nouum obtinere effectum ex opere operato: quia non est minùs efficax sacramentum susceptum, quàm suscipiendũ, neque actus minùs bonus, gaudium, quàm desiderium, de qua re plura diximus in simili quæstione agentes de baptismo. Quocirca, quando Tridentinum suprà dicit, *illos, qui vero cælestem panem edunt, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentire*, non est intelligendũ de fructu ex opere operato, sed ex merito operantis, qui dicitur fructus hu' sacramenti, vel obiectiuè, quia ex illius desiderio & amore percipitur, vel generali quadã ratione, quatenus omnis vnio per gratiam dicitur
D effectus huius sacramenti; quia est effectus Christi, qui in hoc sacramento continetur.

Dubia, vtrum sumptio spiritualis sacramentalis habeat fructũ præter meritum operantis. Hosius. Trident.

Soto. Ledes.

Tertiò rursus diuiditur sacramentalis sumptio in sacramentalem tantùm, & spiritualem & sacramentalem simul, & ita perficitur trimembris diuisio, quã tradit Trident. dicto cap. 8. & intelligitur bimembris, quam posuit D. Tho. hic art. 1. qui in hoc sensu locutus videtur. Vt verò explicetur diuisio, oportet aduertere, sumptionẽ sacramẽtalem omnino sumi interdum materialiter, pro quacunque sumptione sacramenti, etiã si fiat sine propria cognitione eius, vt quæ fit à bruto animali, vel ab homine existimante, hostiam non esse consecratam; & de hac manducatione in hoc loco non est

sermo: quia vt dixit D. Thomas, est velut is per ac-
A cidens: vnde impropriſsimè dicitur vſus sacramen
ti, vt sacramentum est: interdum verò contingere
potest, vt sacramentum hoc sumatur intentione &
cognitione, tamen ab homine incapace effectus il-
lius, vt quando sumitur ab homine non regenera-
to per baptiſmum; & hæc etiam sumptio censetur
materialis: quia per illam non applicatur sacramen
tum, vt sacramentum est, subiecto sibi proportio-
nato. Sacramentalis ergo sumptio propriè ac for-
maliter dicitur, realis manducatio sacramenti Eu-
charistiæ, cum aliqua intentione sumendi illud in
subiecto capaci, & proportionato. Nam, sicut in
alijs sacramentis, quæ consistunt in vſu, capacitas
& intentio sumentis sunt de necessitate sacramen
ti, ita hic sunt de necessitate sumptionis sacramen-
talis propriè dictæ, & sicut in alijs sacramentis in
adultis requiritur propria intentio formalis, vel
virtualis, explicita, vel implicita: in paruulis verò
sufficit intentio Ecclesiæ, ita etiam hic, vt inferiùs
dicemus. Hæc igitur sacramentalis sumptio, si fiat
sine fructu spirituali, dicitur sacramentalis tantum
si verò fiat cum fructu, dicitur etiam spiritualis, siue
ita determinetur ab effectu, siue ab statu, & dis-
positione, cum qua fit. Quocirca, sicut potest ma
nere sacramentum sine effectu, vel debita dispo-
sitione, ita potest esse in præsenti sumptio sacramen
talis tantũ, sine spirituali. Hic verò inquiri poterat
de sumptione, qua Christus se ipsum communica-
uit, an dicenda sit sacramentalis tantum; vel simul
spiritualis: sed de hoc dicetur infrà.

Ex quibus vltimò concluditur, sacramentum
hoc perfectius applicari, quam reliqua, quæ in exte
C riori vſu alicuius elementi consistunt: in alijs enim
applicatio fit per solum externum contactum: hic
verò fit per internam sumptionem & vitalem ac-
tionem, & quodammodò per gustum, qui est sen
sus perfectior, quam tactus & ita applicatio est pro
portionata sacramento, quod perfectus est, & per
Durand. modum cibi sumitur, vt latius tractat Durandus
d. 9. q. 1.

SECTIO II.

Vtrum soli homines possint hoc sacramẽ tum manducare.

Homo potest Eucharistiam manducare.

HAEc quæstio per se est facilis, & fere in su-
perioribus exposita; & ideò breuissimè ex
D pediri potest. Primò ergo certũ est, homi-
nes posse hoc sacramentum manducare, nomine sa
cramenti non solum species intelligẽdo, de quibus
experiẽtia notum est, sed etiam corpus Christi, de
quo dicitur, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*,
&c. quia ad hoc est institutum hoc sacramentum,
vt ab homine manducetur Christus Dominus, &
per hoc sacramentum in nobis sit, & nos in ipso, vt
hinc excluditur error dicẽtium, discedere corpus
Christi, statim ac ori admouetur, qui bis in superio
Creaturæ homine superiores possunt Eucharistiam manducare. ribus impugnatus est.

Secundò est certum, hoc sacramentum non pos
se sumi à creaturis homine superioribus: hæ enim
non sunt nisi angeli; angeli autem non habent cor
pora, vt corporaliter manducare possint. Dices,
posse assumere corpora, & in eis manducare,

A Respondetur, etiam in assumptis corporibus non
propriè mãducare, quia motus ille, prout est in cor
pore, nõ est vitalis actio: illa ergo nõ esset propriè
sumptio sacramenti, sed quædam alia mutatio loca
lis. Loquimur autem de sumptione sacramẽtali, nã
spiritualiter interdum dicuntur angeli manduca-
re Christũ, quatenus ei per caritatẽ vniuntur: quan
quam neq; hoc modo possint spiritualiter sumere
hoc sacramentum propriè loquendo, quia cum nõ
sint capaces sacramenti, non possunt habere votũ,
aut desiderium eius.

Tertio est certum, inferiores creaturas homine, *Creaturæ homine inferiores sacramentaliter propriè sumere nequeunt Eucharistiam.*
vel omnino non posse, vel saltem non propriè & sa
cramentaliter posse sumere hoc sacramentum. Pa-
tet, quia quæ non viuunt, nullo modo possunt su-
mere, cum non possint comedere, & hinc fit, cor-
B pus hominis mortuum iam non esse capax huius
sacramenti, quę autem viuũt, & comedere possunt
licet materialiter valeant species sacramentales, &
consequenter corpus Christi, mãducare: vt in su
perioribus disputat. 55. traditum est, non tamen
formaliter, seu sacramentaliter, vt ex præcedente
sectione constat. Quocirca sententia quorun-
dam Catholicorum, qui absolutè negant, bru-
ta mãducare corpus Christi, vt Vvaldens. to-
mo. 2. capit. 60. & aliorum, vel omnino reijcienda *Vvald.*
est, vel piè explicanda. Nam certum est, spe-
cies sacramentales posse à mure manducari, &
comedi, sicut alium panem, vt experientia con-
stat; & in hoc fingere aliquod miraculum est va-
num, & sine fundamento. Deinde etiam est
certum, corpus Christi non discedere: sed in-
trare, quo intrant species: quia, cum manduca-
tio solum importet motum localem, propriè
conuenire potest, & denominare corpus Chri-
sti, iuxta principia suprà posita, & hoc sensu erro-
neum esset negare, bruta manducare corpus Chri-
sti, saltem materialiter. Piè verò exponi possunt il
li autores, quòd hoc negent, solum quia illa sumptio
formaliter & ex intentione sumentis non est sacra
mentalis.

SECTIO III.

Vtrùm omnes homines adulti possint re cipere hoc sacramentum.

EX ijs hominibus, quidam sunt baptizati, alij
non, quidam iusti, vel re ipsa, vel inexisti-
matione, & conscientia sua, cum dispositio-
ne aliqua ad iustitiam sufficiente; alij sunt peccato-
res, id est, qui in statu peccati permanent, nec satis
disponuntur, vt ab illo mundẽtur, etiam per sacra
mentum: ita enim nunc hac voce vtemur. Rursus
ex parte sumptionis distinguere possumus sacra-
mentalem tantum ab ea, quæ simul spiritualis est.

Eucharistia potest sumi sacramentaliter tantum, à peccatore homine. Vvalden. Castro. Origen.
Dico primo, homines peccatores accipere pos-
sunt Eucharistiam sacramentaliter, non verò spi-
ritualiter. Hæc posterior pars constat ex dictis
de effectu: prior verò pars est de fide. Circa quam
aliqui olim errauerunt, vt suprà disput. 17. & 23.
annotauimus, & videre licet in Vvaldensi tomo. 2.
capit. 60. Castro verb. Eucharist. hæresi. 11. Cui
errori videtur fauere Origen. Matthæ. 15. circa
id, *Non quod intrat per os*, vbi inquit, *malos non acci-*

pere Verbum incarnatum, nisi exponatur de sumptione spirituali, sicut exponenda sunt alia Sanctorum testimonia, quæ statim indicabimus. Sed conclusio posita est de fide, vt constat ex 1. ad Corinth. 11. *Qui autem manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ridicula enim est interpretatio hæreticorum dicentiũ, manducare indignè, qui manducat externa signa, & ineptum se præbet ad manducandum corpus; Paulus enim expresse dicit, manducare indigne totum sacramentum, non dijudicando illud, nec se disponendo iuxta dignitatem eius, & ita exponũt Chrysostom. Ambros. Ansel. Diuus Thomas denique omnes Græci & Latini. Præterea Chrysosto. homili 83. in Matth. 45. in Ioann. Origenes homil. 2. in Psalm. 37. Hieronym. Malachiæ. 1. & alij Sancti, qui hanc veritatem docent, hoc eodem testimonio nituntur. August. lib. 1. cont. Crescon. capit. 25. in fine. libr. 2. cont. literas Petil. capit. 47. & epistol. 120. capit. 27. & libr. 5. de bapt. capit. 8. *Corpus*, inquit, *Domini, & sanguis Domini erat illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat & bibit indigne, &c.* Et hinc Cyprian. sermon. de Cœna Domini, inquit, *In sceleratum os panis sanctificans introiuit:* hinc etiam Hieronym. libr. 2. cont. Iouinian. versus finem. *Æqualiter*, inquit, *Omnes Corpus Christi accipimus; quanquam pro accipientium meritis diuersum fiat, quod vnum est.* Hinc denique Ecclesia canit, *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus.* Ratio sumenda est ex illo principio suprà posito, corpus Christi manere sub speciebus, quandiu species panis manent, nam hinc manifeste sequitur, peccatores, dum sumunt species, sumere corpus Christi. Deinde cætera sacramenta rata sunt, etiam cum ab iniquis suscipiuntur, si nihil essentiale illis desit: ergo & hoc ratum permanet, etiã si ab iniquo sumatur: quia propter hanc causam nihil essentiale illi deest. Præterea hoc sacramentum ratum est, etiam si ab iniquo Sacerdote fiat: ergo eadem ratione ratum durabit, cum ab illo sumitur. Ad hæc, aliàs daretur occasio erroris supra impugnati, Eucharistiam verè non confici, quando ab iniquo sumenda est, & ita penderet consecratio à futuro euentu, & omnia essent ambigua, & incerta, nec posset aliquis certiùs credere, se accipere Christum, quam se esse iustum. Certum ergo est, omnes, quantumuis peccatores, reuera, accipere corpus Domini sacramentaliter, quod, tam de baptizatis, quam de non baptizatis, verum est aliquo modo, propter principium supra positum; quanquam sit aliquod discrimen in formalitate sumptionis, vt sic dicam; & in aptitudine seu capacitate respectu sumptionis spiritualis iuxta dicta in prima sectio. & quæ statim subjiciam. Quocirca, si apud Augustinum, vel alium Patrem interdum reperiatur, peccatores non sumere rem huius sacramenti, seu non verè illud sumere, intelligendi sunt, & de re tantum sacramenti, quæ est gratia & de spirituali sumptione seu fructuosa, & quæ animam reficiat, & ita intelligendus est Augustin. tractat. 28. & 59. in Ioan. & sermo. 2. de verbis Apostoli & libr. 21. de Ciuit. cap. 25. & sæpe aliàs.

Chrysost. Origen. Hieronym. Aug. Cypr. Aug.

Omnes homines adulti, baptizati, & iusti possunt sumere Eu[...] sacra[...]mentaliter & spiritualiter per se loquendo.

Dico secundo, Omnes homines adulti, baptizati, & iusti, possunt recipere hoc sacramentum sacramentaliter & spiritualiter: loquimur per se, seclusis alijs impedimentis corporis; & ita est conclusio certa, & per se clara: quia, quod pertinet ad sumptionem sacramentalem, à fortiori constat ex dictis de peccatoribus, & ex dictis supra de permanenti duratione Christi sub speciebus: quod vero pertinet ad spiritualem sumptionem, constabit ex dicendis infra de effectibus. Solum potest esse difficultas de amentibus seu phreneticis: sed hæc facile expeditur ex dictis, & dicendis sectione sequente. Nam, si sint amentes perpetui, non reputantur adulti, sed tanquam infantes; si autem prius habuerunt rationis vsum, de illis iudicandum est iuxta illum statum, in quo inuenti sunt, quando iudicium rationis amiserunt. Vnde, si tunc erant iusti, habebant virtualem huius sacramenti voluntatem, & ita sunt capaces illius. An vero expediat illis conferre, alia quæstio est, infra tractãda cum D. Thom. q. 80. art. 9.

Dubium. Marsil.

Vnica tantum superest dubitatio de hominibus iustis non baptizatis, vt sunt catechumeni, an formaliter & propriè sint capaces sacramentalis & spiritualis sumptionis huius sacramenti. Nam Mars. in 4. quæstion. 6. articul. 2. dicit, in casu necessitatis posse catechumenum suscipere hoc sacramentum; vnde sentit, tunc eum recepturum proprissime sacramentaliter, & spiritualiter hoc sacramentum; alioquin non posset sine graui peccato illud sumere. Et huic sententiæ videtur fauere Innocent. in capit. Veniens. de baptismo, expresse enim dicit, Eucharistiam sumi posse à non baptizatis.

Innoc.

Homines [...] non baptiz[...] non possunt [...] mere sacra[...] taliter Eu[...]ristiam.

Sed hæc sententia singularis est, & aliena à principijs receptis ab omnibus Theologis: baptismus enim est ianua sacramentorum, & Ecclesiæ, & per illum recipit homo characterem, qui est potentia ad recipienda sacramenta, & effectus eorum: qui ergo non habet hunc characterem, non est capax alicuius sacramentalis effectus, & consequenter neque sumptionis propriè sacramentalis vel spiritualis. Quocirca, sicut, qui caret charactere Ordinis, quantumuis sit iustus, non potest conficere hoc sacramentum: quia ille character est veluti potentia actiua illius effectus, ita neque, qui caret baptismali charactere, est capax huius sacramenti prædicto modo: quia ille character est quasi potentia passiua cæterorum sacramentorum. Ac denique, sicut homo non genitus seu productus, non est capax cibi & nutrimenti, ita neque homo non regeneratus per baptismum est capax huius sacramentalis cibi: quanquam ergo hi catechumeni, quatenus comedere possunt, possint etiam velut materialiter sumere hoc sacramentum, non tamen proprie sacramentaliter, idest, cum ordine ad spiritualem sumptionem. Innocentius autem in dicto capitul. Veniens, non scripsit illa verba, docendo, sed disputando; vnde ex resolutione totius capitis potius nostra sententia confirmatur: concludit enim ante baptismum, sacramenta cætera non esse valida. Deinde intelligi potest de sumptione merè materiali ac infructuosa sicut ibidem ait, ante baptismum esse homines capaces coniugij, quod est verum materialiter in ratione contractus, non autem formaliter in ratione sacramenti.

SECTIO IIII.

Vtrum infantes poßint hoc sacramentũ suscipere.

Omittamus in primis sumptionem pure corporalem seu materialem; quia certum est, si possint comedere, posse etiam hoc modo sumere: omittamus præterea sumptionem pure spiritualem, quæ fit per propositum seu desideriũ, quia huius paruuli non sunt capaces: vnde licet dicantur interdum ab Augustino, & Diuo Thoma, spiritualiter manducare hoc sacramentum, late ac metaphoricè intelligendum est, vel quia per baptismũ spiritualiter vniuntur Christo & corpori eius, vel quia per habitualem iustitiam, quam in baptismo recipiunt, censentur appetere perfectam vnionem cum Christo, & habere eius ad hoc sacramentum, & voluti voluntatem sumendi illud, vt notarunt Caietan. quæstion. 73. articul. 3. Palacios, distinction. 9. disputat. 2. Omittamus rursus paruulos non baptizatos, de quibus eadem ratio est, quæ de adultis: est igitur quæstio de baptizatis infantibus, sub quibus perpetuò amentes comprehenduntur, & de sumptione proprie sacramentali & spirituali simul, seu quæ propter spiritualem fiat.

Caiet. Palac.

1. Sentent. Maior. Petr. Soto. Cather. Domi. Soto. Alensis. Gabriel. Palud.

Primaa sententia est, infantes non esse capaces huius sacramẽti. Tenet Maior. d. 9. q. 1. ad 1. Petr. Soto lect. 8. de Eucharist. Cather. opusc. de Commun. paruul. & Dominicus Soto in hanc partem est propensus, vide illum: potest tribui Caiet quæstion sequente, qui ad effectum huius sacramenti requirit actualem denominationem, cuius paruuli non sunt capaces. In hanc sententiam inclinat Alé. quæst. 49. memb. 5. Gab. d. 9. q. 2. art. 3. dubit. 4. & Palud. q. 4. in fine. Sed hi solum dicunt, non esse dandam Eucharistiam paruulis. Fundamentum prædictæ sententiæ est, quia hoc sacramentum est cibus spiritualis: ergo est accõmodatum ijs solummodo, qui possunt actus spiritualis vitæ exercere, quod paruuli non possunt. Et confirmatur ex illo 1. ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, &c. ergo, qui se probare non potest nec de illo pane edere potest. Confirmatur deniq; ex vsu Ecclesiæ, quæ non dat paruulis hoc sacramẽtum; datura autem esset, si existimaret, illis futurũ esse vtile.

2. Senten. Soto. Ledesm. Victoria. Cordu. Alens. Ruard. Osius.

Secunda sententia est, infantes esse capaces huius sacramenti propriè ac spiritualiter. Tenet Sot. d. 2. q. 1. art. 9. Ledesm. q. 21. art. 9. dub. 5. Vict. n. 84. Cordub. lib. 1. q. 8. Alens. lib. 2. de Euch. c. 37. insinuant Ruard. ar. 15. Hosius in Confes. c. 40. Fundamentum esse potest, quia sacramentum confert gratiam non ponentibus obicem: sed hi paruuli nõ ponunt obicem, & corporaliter verè manducant, vt suppono, vel, si sint tam paruuli, vt manducare non possint, saltem possunt bibere: ergo, si manducent, vel bibant, recipient effectum, & consequenter manducabunt proprie ac spiritualiter. Secundo ex vsu Ecclesiæ, qui est interpres institutionis Christi: constat enim fuisse consuetudinem in multis Græcis, & Latinis Ecclesijs, vt Eucharistia daretur infantibus ante vsum rationis, id approbantibus sanctissimis pariter & doctissimis Episcopis, vt cõstat ex Dionys. capit. 2. de Eccles. Hierar. p. 2. & 3. nam, licet D. Thom. q. 80. art. 9. cum interpretetur loqui solum de adultis, tamen ibi Dionys. in communi loquitur de baptizatis, quibus dicit, solitam fuisse dari Eucharistiam statim post baptismum & sacram vnctionem, quod etiam refert Iustin. apol. 2. in fine. Cyprian. lib. 1. Epist. 3. Amb. lib. de myster. cap. 8. Præterea idem Dionys. cap. 7. p. 3. sub finem, nullam videtur expositionem admittere: sic enim ait. *Illud vero, quod pueri quoque, qui nondum possunt intelligere diuina, sacri baptismatis, alissimorumq; communis sacrosanctæ signorum participes fiant, videtur quidem prophanis irridendum.* Et infra, *Tradit autem puero sancta mysteria Pontifex, vt nutriatur in ipsis, neque vitam aliam habeat, nisi hanc, quæ diuina inspiciat semper, & quæ huiusmodi sancta communione proficiat.* Præterea Cyp. lib. de lapsis narrat miraculũ, quod accidit in puella, cui cum datum esset sacramentũ, illud traijcere non potuit: quia idolothyta prius manducauerat, & aperte supponit, illam nõ habuisse vsum rationis, neque peccasse in illo facto. Cuius etiam videtur meminisse Aug. epist. 23. ad Bonif. qui etiam epist. 107. apertè dicit, infantes Eucharistiam manducasse, idẽ significat lib. 4. de Trinit. c. 10. & clarè lib. de Eccles. dogmat. c. 52. Omitto alia testimonia, quę afferri possent ex lib. contra Pelag. quia illa possunt facilè exponi de manducatione spirituali, seu metaphorica, quę fit per baptismũ. Ad hæc, est optimus locus apud Clement. libro. 8. Cons. c. 20. vbi dicit, pueros solitos esse communicare cum plebe: pueri enim propriè appellari videntur, qui nondum ratione vtuntur; & eadem cõsuetudo insinuatur in Concil. Tolet. 11. c. 11. cum dicitur, eũ, qui ob infirmitatem, necessitatem, mentis incapacitatem, vel infantiam, susceptã Eucharistiam euomuerit, puniendum nõ esse: supponit ergo solere infantes sumere Eucharistiam: nõ potest ergo negari hæc consuetudo: quanuis in tota Ecclesia suscepta non fuerit, nec fortasse fuerit ad modũ frequẽs & generalis, cùm maior illius mẽtio apud veteres non reperiaur. Illa verò consuetudo prudẽs fuit eo tempore, quod aperte colligitur ex Concilio Trid. sess. 2. cap. 4. dicente, eos Patres pro sui tẽporis ratione probabilẽ causam sui facti habuisse. Quamobrem admittendum non est, illos Patres non tam consuetudinem illam seruasse, quàm tolerasse, quia non poterant plebi resistere: hoc enim, & repugnat Concilio, & in se inuoluit repugnantiam: quia hæc ipsa tolerantia supponit consuetudinem. Reuocemus ergo rem ad primam originem, quando illa consuetudo introduci cœpta est: non est enim verisimile, quod cœperit introduci propter plebis perturbationem & seditionẽ: nulla enim huius rei mẽtio in veterum monumentis habetur, imò Dionys. dicit solos prophanos irridere solitos illum morem. Addo, non debuisse Sanctos Patres, consuetudinem illam non solùm permittere, sed etiam obseruare & exequi propter populi tumultum, si sancta & licita non esset, non esset autem honestum dare sacramentum infantibus, nisi formaliter & spiritualiter essent capaces illius, & fructus eius. Respondent aliqui, potuisse dari solum vt propter Christi præsentiam & contactum, quodammodò sanctificarentur, & contra dæmonum insidias munirentur. Sed hoc non placet, tùm quia sacramentum per se est dandum propter suum primarium effectum, & non alias, tum etiam, quia, vel

Dionys. Iust. Cypr. Ambros. Aug. Clemen. Conc. Tolet. Triden.

ille

ille effectus erat ex opere operato; & sic, qua ratione vnus admittitur, potest admitti alius, vel solum propter impetrationem, vel alio modo; & ad hoc non erat necessaria manducatio, sed sufficere poterat, vel oratio, vel, ad summum, extrinsecus contactus, vel præsentia in templo, vbi adest Christus, vel quid simile; tum denique, quia, si id esset verũ, potuisset etiam dari catechumenis, quod nunquã in Ecclesia factum esse ligimus. Alij tandem dicũt veteres Patres introduxisse illam consuetudinem: quia, vel existimabant, vel dubitabant, an sacramẽtalis manducatio Eucharistiæ esset paruulis necessaria ad salutem, vt latè tractat Claud. repet. 6. c. 7. Sed hæc ratio primo supponit, illam consuetudinẽ de se non fuisse rationabilem, sed solum ob ignorantiam, quod non est consentaneum Concil. Trident. Deinde ex illamet existimatione sequitur, illos credidisse, hoc sacramentum esse fructuosum paruulis: cur enim arbitrarentur esse necessarium, quod non existimabant esse fructuosum? Non videtur ergo dubium, quin iudicauerint, Eucharistiam dare gratiam infantibus, & ideo illis eam dedisse; quod apertis ferè verbis docet Dionysius supra. Tertio est ratio à priori, quia in illis habet locũ promissio Christi, *Qui manducat me, viuet propter me, & in me manent, & ego in eo.* Dices, paruulos non posse manducare spiritualiter. Sed in primis hæc verba Christi de corporali manducatione intelliguntur, & propter illam promittitur spiritualis: hoc autem modo pueri possunt spiritualiter manducare. Deinde spiritualis manducatio actualis, non est necessaria, habitualis autem etiam in pueris locum habet. Deniqua sacramentum Confirmationis dat suum effectum paruulo; cur ergo nõ etiam Eucharistia? quia infans non minus potest nutriri, quã augeri, nec pro eo tẽpore magis indiget auxilio, vt fidem profiteatur, aut hostibus fidei resistat, quã deuotione & dulcedine Eucharistiæ: neutrius enim est capax pro illo statu. Simile argumentum fieri potest de sacramento Ordinis, quod iuxta probabilẽ sententiam datum paruulis, ratum est.

Claudius.

Infantes capaces sunt Eucharistiæ sumendæ, proprie ac spiritualiter.

Quocirca hæc posterior sentẽtia est sine dubio probabilior habet enim maius autoritatis põdus, & rationis. Vnde ad fundamentũ alterius respondetur hunc cibũ nutrire conuertendo alitũ in se, & ideò, vt suũ effectum conferat, satis est, vt ab eo, qui viuit spirituali vita, comedi posit. Paulus autem in citato loco de adultis loquitur; de infantibus autẽ satis est, quod Ecclesia illos probet, si post baptismum velit illis Eucharistiam conferre.

Ob rationabiles causas Ecclesia nunc denegat paruulis Eucharistiam

Quòd vero Ecclesia hoc nunc nõ faciat, non est, quia paruuli sunt incapaces, sed quia hoc nunc magis expedit ad decentiam & reuerentiam sacramẽti, quæ aliquali vtilitatis paruulorum præferenda est. In principio enim Ecclesiæ, quando minor erat fidelium numerus, facilius poterant vitari incommoda, quibus illa consuetudo exposita est: postmodum vero, crescentem numero fidelium, & prę sertim, cum refrigescente caritate, minori cura ac diligentia sacramenta administrarentur, no potuerunt huiusmodi pericula alia ratione conuenienter vitari; & ideo merito Ecclesia contrariam consuetudinem amplexa est: de qua re iterum redibit sermo, cum de præcepto communionis agemus.

QVAEST. LXXIX.

De effectibus sacramenti Eucharistiæ, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de effectibus huius sacramenti.

¶ *Et circa hoc quæruntur octo.*

Primò, vtrum hoc sacramentum conferat gratiam.

Secundo, vtrũ effectus huius sacramenti sit adeptio gloriæ.

Tertio, vtrum effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis.

Quartò, vtrum per hoc sacramentum remittatur peccatum veniale.

Quintò, vtrum per hoc sacramentum tota pœna peccati remittatur.

Sextò, vtrum hoc sacramentum homines præseruet à peccatis futuris.

Septimò, vtrum hoc sacramentum prosit alijs quam sumentibus.

Octauò, de impedimento effectus huius sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per hoc sacramẽtum conferatur gratia.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum non conferatur gratia. Hoc enim sacramẽtum est nutrimentum spirituale. Nutrimentum autem non datur, nisi viuenti. Cum ergo vita spiritualis sit per gratiam, non competit hoc sacramentum nisi habenti gratiam. Nõ ergo per hoc sacramentum cõfertur gratia, vt primò habeatur: similiter etiã nec ad hoc quod augeatur, quia augmentum spirituale pertinet ad sacramentum Confirmationis, vt dictum est. Non ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

Inf. ar. 4. in tra & 4. ad 1. 2. q. 2. art. 3. & 1. ad 2.

q. 72. art. 1. & 7.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum confertur, vt quædam spiritualis refectio. Sed refectio spiritualis magis videtur pertinere ad vsum gratiæ, quam ad gratiæ collationem. Ergo videtur, quod per hoc sacramentũ gratia non conferatur.

q. 74. art. 1. & 76. art. 2. ad 2. 3. 2. q. 110. art. 4.

¶ 3 Præterea, Sicut supra dictum est, in hoc sacramento corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animæ. Sed corpus non est subiectum gratiæ, sed anima, vt in secunda parte, habitum est. Ergo ad minus, quantum ad corpus, per hoc sacramentum gratia non confertur.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Sed vita spiritualis est per gratiam. Ergo per hoc sacramentum gratia confertur.

Respondeo dicendum, quod effectus huius sacramenti debet considerari, primo quidem, & principaliter ex eo, quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus. Qui sicut in mundum visibiliter veniens cõtulit mundo vitam gratiæ (secundum illud Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christũ facta est) ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, secundũ illud Ioan. 6. Qui mãducat me, viuet propter me. Vnde & Cyril. dicit, Viuificatiuũ Dei Verbum, vniens se ipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam, decebat enim cũ nostris quodammodo vniri corporibus per sacram eius carnem & pretiosum sanguinẽ, quæ accipimus in benedictionem viuificatiuam in pane & vino. Secundo consideratur ex eo, quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi, sicut supra dictum est. Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Vnde super illud, Ioan. 19. Continuo exiuit sanguis & aqua dicit Chrysost. Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem, vt ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. Vnde & ipse Dominus dicit, Matthæ. 26. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertiò cõsideratur effectus huius sacramenti ex modo, quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi & potus. Et ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalẽ (quod scilicet, sustentat, auget reparat, & delectat) hoc totum facit hoc sacramentum quantũ ad vitam spiritualem. Vnde Ambros. dicit in lib. de sacramẽtis. Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et Chrysost. dicit super Ioan. Præstat se nobis desiderantibus, & palpare, & comedere, & amplecti. Vnde & ipse Dominus dicit, Ioa. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quarto cõsideratur effectus huius sacramẽti ex speciebus, in quibus traditur hoc sacramentum. Vnde August. ibidem dicit, Dominus noster corpus, & sanguinem suum in eis rebus cõmendabit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis: nanque aliud, scilicet, panis, ex multis granis in vnum constat, aliud, scilicet vinum in vnum ex multis acinis confluit. Et ideo ipse alibi dicit, super Ioan. O sacramentum pietatis, ò signum vnitatis, ò vinculum caritatis. Et quia Christus, & eius passio, est causa gratię & spiritualis refectio, & caritas sine gratia esse non potest: ex omnibus præmissis manifestum est, quod hoc sacramentum gratiã confert.

Lib. 4. in Ioa. c. 16. & 14.

q. 76. a. 2. ad 1. & 3. & q. 74. art. 1.

ho. 84. in Ioa. circa me. to. 3.

Lib. 5. c. 4. in me. to. 4

ho. 45. in Ioa. à med. illius to. 3.

Tract. 26. in Ioa. nõ multũ à fi. to. 9.

Tract. 26. in Ioan. inter. fi. & med. illius tom. 9.

AD primũ ergo dicendum, quod hoc sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per se ipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiæ, sicut paruuli, sicut supra dictũest. Vnde ex efficacia virtutis ipsius est, quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam cõsequatur, per quam spiritualiter viuificetur. Restat igitur, vt cũ ipsum sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen, quam per sacramentum Confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem sacramentum augetur gratia: & perficitur spiritualis vita, ad hoc, quod homo in se ipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum.

q. 73. art.

AD secundum dicendum, quod hoc sacramentum confert gratiam spiritualiter cum virtute caritatis. Vnde Damas. cõparat hoc sacramentum carboni, quẽ Isaias vidit, Isai. 6. Carbo enim lignum simplex non est, sed vnitum igni, ita & panis communionis non simplex panis est, sed vnitus diuinitati. Sicut Gregor. dicit in homil. Pentecos. Amor Dei non est otiosus: magna enim operatur, si est. Et ideo per hoc sacramentum, quantũ est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud. 2. Corinth. 5. Caritas Christi vrget nos. Et inde est, quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc quod anima spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, secundum illud Cãt. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.

Lib. 4. ortho. fi. c. 14. à me.

ho. 30. in Eua. nõ lõge à prin.

AD tertium dicendum, quod, quia sacramenta operantur salutem, quam significant ideo secundum quandam assimilationem dicitur, quod in hoc sacramento corpus offertur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quanuis vtrũq; ad salutẽ vtriusq; operetur, cũ sub vtroq; totus sit Christus: vt supra dictũest. Et licet corpus nõ sit immediatũ subiectũ gratiæ, ex anima tamen redũdat

q. 76. art. 1. & 2.

dat effectus gratiæ ad corpus, dum in præsenti membra nostra exhibemus arma iustitiæ Deo (vt habetur Romano. 6.) & in futuro corpus nostrum sortietur in corruptionem, & gloriam animę.

COMMENTARIVS.

Titulus huius articuli de gratia sanctificante, quæ à caritate non separatur, intelligendus est, vt ex communi vsu huius vocis, maximè in præsenti materia, & ex fine corporis articuli satis cōstat. Quoniam vero gratia sanctificans in primam & secundam diuidi solet, seu in eam, quæ datur, cum primo infunditur, vel in augmentum eius, in præsenti quæstione abstractè & præcisè sumitur gratia pro quocūque gradu eius. Et hoc sensu respondet D. Thom. sacramentum Eucharistiæ dare gratiam dignè sumentibus. Quam assertionē probat quatuor optimis rationibus, quæ supponūt quidem institutionem & promissionem Christi, ex qua tota hæc efficacia pendet: declarant autem, quam fuerit conueniens hæc efficacia, quamque accomodata & quasi connaturalis huic sacramento, tam ratione rei contentæ, quam ratione rei repræsentatæ, quam denique ratione signorum sensibilium, sub quibus hoc sacramentum perficitur, ad vsumq; applicatur. Prima ergo ratio, & secunda in hoc fundantur, quod Christus hic cōtentus, & passio eius in hoc mysterio repræsentata, est primum atque efficacissimum principium gratiæ. Contra quas rationes obijci potest, quia, si efficaces sunt, ex eis concludi potest, hoc sacramentum per se & directè conferre gratiam primam, quia Christus in hunc mundum veniens, huiusmodi primam gratiam contulit hominibus per passionem suam; ergo etiam sacramentaliter veniens eandem gratiam conferet. Item, simili ratione probaretur, hoc mysterium non tantum dare gratiam, vt sacramentū est, sed etiam, vt est sacrificium: quia repræsentatio passionis potissimum fit in hoc mysterio, vt sacrificium est. Respondetur, his rationibus, vt dixi, solum probari, esse in hoc sacramento, quantum est ex parte rei contentę & repræsentatæ, sufficientem rationem, & fundamētum, vt illi data sit efficacia ad spiritualem vitam hominibus conferendā: quia vero Christus & passio eius est (vt sic dicam) generalis fons gratiarum omniū, non potest ex hoc solo fundamento colligi, & definiri modus gratiæ, quę per hoc sacramentū datur. Neq; hoc D. Thom. intendit. Sed consideranda vlterius est specialis ratio huius sacramēti, in quo non venit Christus ad nos redimēdos, sicut in propria specie venit, sed ad nos spiritualiter reficiendos & nutriendos, & ideo non oportet, vt sacramentaliter veniens conferat primā gratiā per se loquendo, vt statim ar. 3. idē D. Tho. declarat. Quid verò de effectu sacrificij dicendum sit, infra tractabitur, nunc breuiter negatur sequela, loquēdo proprie de effectu gratiæ ex opere operato, quia, nec passio Christi per se operatur gratiā huiusmodi, donec applicetur; non applicatur autē quoad hunc effectum per sacrificium vt sic, sed per ipsum sacramētū. Atq; ex his manet exposita tertia ratio, quæ fundatur in ratione cibi, sub qua hoc sacramentum datur; & optima est ad explicandam proportionem, quæ est inter hoc sacramentum, & effectum proprium eius, qui est nutritio spiritualis vitæ, & ita hac potissimum ratione vtuntur Cōcilium Florentinum & Tridentinum. Et hæc congruentia optimę confirmatur quarta ratione, fundata in propria natura specierum panis & vini, quę sunt res, quæ ex plurimorū granorum vnione, seu cōiunctione coalescunt. De qua re nonnulla ex August. & Cypr. suprà adduximus, cum ageremus de materia remota huius sacramenti.

Concl. S. Thomæ, Eucharistiam dare gratiam dignè sumentibus.

Obiectio.

Solutio.

In solutione ad 1. indicat Diuus Thomas quæstionem, an conclusio posita, de prima vel secunda gratia intelligenda sit, & significat de vtraque veram esse: nam hoc (inquit) sacramentum realiter sumptum per se confert gratiæ augmentum, & perficit spiritualem vitam, quam supponit. Primā autem gratiam non ita confert per se loquendo, quia supponit illam; tamen de se efficax est illius: imò nulla prima gratia datur, nisi ex voto huius sacramenti, quod ad efficaciam illius maximè attinet. Hæc in summa Diuus Thomas. In qua doctrina id, quod vltimo loco dicitur, maximam difficultatem habet: quia ex eo sequi videtur, hoc sacramentum esse per se institutum ad dandam primam gratiam, esseque medium ad salutem necessariū, quod in superioribus improbatum est. Sed, vt in superioribus etiam significaui, in huiusmodi locutionibus de hoc sacramento cauenda est maximè æquiuocatio, quam hic etiā Caietanus rectè declarauit: aliud est enim loqui de hoc sacramento, ratione rei in ipso contentæ, & omnium quæ illi secundum se conueniunt, aliud vero secundum propriam rationem & vsum huius sacramenti. Priori modo attribuuntur huic sacramento, quæ Christo Domino secundum se conueniunt, & hoc modo rectè dicitur, esse de se efficax primæ gratiæ, & ab illo manare omnem gratiam, & omnem primam gratiam dari aliquo modo per votum huius sacramenti, idest, per affectum ad Christum, & desiderium vnionis cum ipso, tamen hoc sensu & modo non loquimur formaliter de hoc sacramento, sed materialiter, vel (vt ita dicam) per quandam communicationem idiomatum: nam, quæ hoc sacramentū est corpus Christi, ideo, quæ conueniunt corpori Christi, dicuntur de hoc sacramento, non tamen ratione proprię institutionis, nec ratione vsus sacramentalis eius, sed tantum ratione rei contentæ, seu inclusæ. Alio autem modo conuenit per se huic sacramento, conferre augmentum gratiæ: quia est vitalis cibus hominum spiritualiter viuentium, vt partim hic, partim art. 3. D. Tomas explicuit bene Durand. in 4. distinctio. 9. quæstio. 4. ad 1. & huiusmodi effectus proprie & formaliter tribuitur huic sacramento, nam est proprius effectus sacramentalis eius: sic autem nec prima gratia per se loquendo, neque effectus gratiæ aliorum sacramentorum tribui potest huic sacramento, aut voto eius secundum propriū vsum sacramentalem illius; & hoc modo procedūt quæ supra tradidimus, tractando de necessitate huius sacramenti. Dices, ergo æquiuocè loquitur D. Thom. de hoc sacramento in hac solutione. Respondetur, non esse proprie æquiuocationem, sed virtualem quandam argumentationem: nam ex efficacia Christi hic contenti secundum se, colligit Diuus Thomas efficaciam sacramentalem eiusdē Christi, quatenus hic sacramentaliter continetur ac sumitur: nam, cum ex se habeat virtutem ad omnem gratiam conferendam, rectè colligitur, mul-

Quaratione intelligendus D. Thomas dicens, Eucharistiam conferre primam gratiam.

tò

tò magis habere virtutem ad conferendam per sacramentalem vsum huius sacramenti gratiam tali signo & vsui accommodatam. De differentia autem, quam D. Thom. ponit inter effectum sacramenti Eucharistię & Confirmationis, satis est dictum supra.

Effectus Eucharistia.

In solutione ad secundum addit D. Thom. hoc sacramentum non solum perficere habitus gratiæ & caritatis, sed etiam actualem gratiam, & spiritus delectationem ac suauitatem dare: quod non aliter probat, nisi quia amor Dei magna operatur, si adest; & ideò, cum hoc sacramentum perficiat caritatem, de se etiam excitabit ad actualem amorē. Quæ ratio, si efficax est, idem probat de omnibus sacramentis, quæ virtutem habent ad gratiam & caritatem augendam, nisi dicamus, esse in hoc specialem rationem; tum, quia per se primò institutū est ad caritatem nutriendam & augendam; tum etiam, quia, cùm detur per modum cibi & potus, ex propria sua ratione postulat, vt spiritualem delectationem & fructum afferat; & hoc insinuauit D. Thomas in fine solutionis, accomodans verba illa Canticor. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.*

In solutione ad. 3. addit D. Thom. hunc effectū gratiæ, quem Eucharistia habet in anima, aliquo modo in corpus redundare, vel in hac vita, in qua corpus efficitur organum animæ ad opera iustitiæ perficienda; vel in futura, in qua corpus gloriam animæ participat; de qua re propriam disputationem statim instituemus.

ARTICVLVS *II.*

Vtrùm effectus huius sacramēti sit adeptio gloriæ.

Inf. q. 80. ar. 1. ad 1. & Ioan. 6.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod effectus huius sacramenti non sit adeptio gloriæ, effectus enim proportionatur suæ causæ. Sed hoc sacramentum competit viatoribus, vnde & viaticum dicitur. Cum igitur viatores nondum sint capaces gloriæ, videtur, quod hoc sacramentū non causet adeptionem gloriæ.

¶ 2 Prætereà, Posita causa sufficienti, ponitur effectus. Sed multi accipiūt hoc sacramentum, qui nunquam peruenient ad gloriam, vt patet per August. 21. de Ciuit. Dei. Non ergo hoc sacramentum est causa adeptionis gloriæ.

Li. 21. c. 25. in fi. tom. 5.

¶ 3 Prætereà, Maius non efficitur à minori, quia nihil agit vltra suā speciē. Sed minus est, accipere Christum sub specie aliena, quod fit in hoc sacramento, quam frui eo in specie propria, quod pertinet ad gloriam. Ergo hoc sacramentum non causat adeptionem gloriæ.

SED contra est, quod dicitur Ioan. 6. Si quis māducauerit ex hoc pane, viuet in ęternum. Sed vita æterna est vita gloriæ. Ergo effectus huius sacramenti est adeptio gloriæ.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento potest considerari, & id, ex quo habet effectum, scilicet, ipse Christus contentus, & passio eius repræsentata, & id, per quod habet effectum, scilicet, vsus sacramenti, & species eius. Et quantum ad vtrumq; competit huic sacramento, quod causet adeptionē vitæ æternæ. Nam ipse Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ, secundum illud Hebr. 9. Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis. Vnde & in forma huius sacramēti dicitur, Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti. Similiter etiam refectio cibi spiritualis, & vnitas significata per species panis & vini, habentur quidē in præsenti, sed imperfectè, perfectè autem in statu gloriæ. Vnde August. dicit super illud, Ioan. 6. Caro mea verè est cibus; Cum cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, neq; sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi est cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta.

Tract. 26. in Euan. nō multum remote à fin. tom. 6.

AD primum ergo dicendum, quod sicut passio Christi, in cuius virtute hoc sacramētum operatur, est quidē causa sufficiens glorię, non tamen ita, quod statim per ipsam introducamur in gloriā, sed oportet, vt prius simul compatiamur, vt posteà simul glorificemur (sicut dicitur Roma. 8.) ita hoc sacramētum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perueniendi ad gloriam, & ideo viaticū dicitur. In cuius figuram legitur. 3. Reg. 19. quod Elias comedit & bibit, & ambulabit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Oreb.

AD secundum dicendum, quod sicut passio Christi non habet suum effectum in his, qui se ad eā non habent, vt debent: ita & per hoc sacramentū non adipiscuntur gloriam, qui indecenter ipsum suscipiunt. Vnde August. dicit super Ioan. exponens illa verba: Aliud est sacramentum, & aliud virtus sacramenti. Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altarę apportate. Vnde non est mirum, si illi, qui innocentiam non seruant, effectum huius sacramenti non consequuntur.

Tract. 26. in Ioa. parum à med. to. 9. & glo. ord. super illud 1. Cor. 11. Probet.

AD tertium dicendum, quod hoc, quod Christus sub aliena specie sumitur, pertinet ad rationem sacramenti, quod instrumenta-

liter,

Universidad de Deusto Biblioteca

q.77.art.3. ad 3. argum. liter agit. Nihil autem prohibet, causam instrumentalem producere potiorem effectũ vt ex supra dictis patet.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo, si res attente consideretur, non declaratur nouus effectus huius sacramenti distinctus ab eo, qui articulo præcedente positus est, & ab illo, quem artic. 6. D. Thomas docet, constat enim, sacramentum hoc non conferre gloriam immediate, & in se ipsa, cum effectus immediatus sacraméti in hac vita perficiatur, gloria vero in futura vita danda reseruetur: solũ ergo adeptio gloriæ potest tribui huic sacramento in semine & radice, vel quia cõferendo gratiã dat ius ad gloriam, quod suo modo commune est omnibus sacramentis, vel quia non solũ dat gratiã, sed etiã dat speciale auxiliũ ad perseuerandũ in illa, vt dicitur art. 6. gratiæ enim vsq; in finẽ cõseruatæ debetur gloria; & ideò specialiter hic effectus huic sacramento tribuitur; & ita sunt faciles rationes D. Tho. & solutiones argumentorum. In quarum prima satis apertè prædictum sensum D. Thom. exponit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm effectus huius sacramenti sit remißio peccati mortalis.

4.d.9.ar.3. q.2.cor.&c. d.12.q.2.ar.2.q.2.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis: dicitur enim in quadã Collecta, Sit hoc sacramentũ ablutio scelerum. Sed scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo per hoc sacramentum peccata mortalia abluuntur.

¶2. Prætereà, Hoc sacramentum agit in virtute passionis Christi, sicut & baptismus. Sed per baptismũ dimittuntur peccata mortalia, vt supra dictum est. (q.69.ar.1.) Ergo & per hoc sacramentũ, præsertim, cũ in forma huius sacraméti dicatur; Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

¶3. Prætereà; Per hoc sacramentum gratia confertur, vt dictũ est. (ar.1.huius q.) Sed per gratiã iustificatur homo à peccatis mortalibus, secũdũ illud Rom. 3. Iustificati gratis per gratiã ipsius. Ergo per hoc sacramentũ remittuntur peccata mortalia.

SED contra est, quòd dicitur. 1. Corin. 11. Qui manducat & bibit indigne, iudiciũ sibi manducat & bibit. Dicit autẽ Glos. ibidẽ, (Glos. interlinear. ibi.) quòd ille manducat & bibit indignè, qui in crimine est, vel irreuerenter tractat, & talis manducat, & bibit sibi iudicium, idest, dãnationem. Ergo ille, qui est in peccato mortali, per hoc, quod accipit hoc sacramentum magis accumulat sibi peccatum, quã remissionem sui peccati consequatur.

RESPONDEO dicendum, quod virtus huius sacramenti potest considerari dupliciter. Vno modo secundùm se, & sic hoc sacramentum habet virtutẽ ad remittendũ quæcunq; peccata ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum.

Alio modo potest considerari per cõparationẽ ad eũ, qui recipit hoc sacramẽtũ, put in eo inuenitur, vel nõ inuenitur impedimẽtum percipiendi huius sacraméti effectum. Quicunq; autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectũ huius sacramenti, eo quod non est conueniẽs susceptor huius sacramẽti, tũ quia non viuit spiritualiter, & ita non debet spirituale nutrimẽtũ suscipere, quod non est nisi viuentis: tũ quia non potest vniri Christo (quod fit per hoc sacramentum) dũ est in affectu peccãdi mortaliter. Et ideo vt dicitur in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus, (Ca. 53. [illegible] à princ. [illegible] inter opera Augus.) si mens in actu peccãdi est, grauatur magis Eucharistiæ perceptione, quam purificetur. Vnde hoc sacramentũ in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, nõ operatur remissionẽ peccati. Potest tñ hoc sacramentũ operari remissionẽ peccati dupliciter. Vno modo non perceptũ actu, sed voto: sicut cũ quis primo iustificatur à peccato. Alio modo etiam perceptũ ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiã, & affectum non habet. Forte enim primò non fuit sufficienter cõtritus: sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quæ cõtritionẽ perficiet, & remissionem peccati.

AD primũ ergo dicendũ, quod petimus, vt hoc sacramentũ sit ablutio scelerum, vel eorũ, quorũ conscientiam non habemus (secundũ illud Psal. 18. Ab occultis meis munda me Domine) vel, vt cõtritio in nobis perficiatur ad scelerũ remissionem; vel etiã, vt nobis robur detur ad scelera vitanda.

AD secundũ dicendũ, quod baptismus est spiritualis generatio, quę est mutatio de nõ esse spirituali in esse spirituale, & datur per modum ablutionis. Et ideo, quãtum ad vtrũque, non inconuenienter accedit ad baptismum, qui habẽt conscientiam peccati mortalis. Sed per hoc sacramentum homo sumit in se Christum per modum spiritualis nutrimẽti, quod non cõpetit mortuo in peccatis. Et ideo non est similis ratio.

AD tertium dicẽdum, quod gratia est sufficiens causa remissionis peccati mortalis, non tamen actu remittit peccatum mortale nisi cum primo datur peccatori. Sic autẽ nõ datur in hoc sacramento. Vnde ratio non sequitur.

COM-

COMMENTARIVS.

Decl. D. Tho. per Eucharistiã nõ remitti peccatũ mortale ei, qui accedit cum conscientia talis peccati.

PRæcipua assertio D. Thom. in hoc artic. est, hoc sacramentum non remittere peccatũ mortale ei, qui ad illud suscipiendum accedit cum conscientia peccati mortalis. Ad intelligendum autẽ sensum D. Thom oportet declarare, quid sit accedere cũ consciẽtia peccati mortalis. Aliqui enim existimant, accedere cum cõscientia mortalis peccati, nihil aliud esse, quã accedere cũ affectu actuali, vel virtuali ad peccatum mortale. Quæ expositio fundari potest in textu D. Thomæ: nã probat prædictam conclusionẽ hac ratione: *Quia non potest vniri Christo (quod fit per hoc sacramentum) qui est in affectu peccandi mortaliter; & ideò, vt dicitur in lib. de Eccles. Dog. si mens in actu peccandi est, grauatur magis Eucharistiæ perceptione, quã purificetur.* Vnde concludit; *Hoc sacramentũ in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, nõ operatur remissionẽ peccati:* ergo iuxta mẽtem D. Tho. idem sunt accedere cũ conscientia, & cum affecti peccati; vel saltem vnum aliud includit: aliqui non rectè argumentantur. Nihilominùs dicendum est, aliud esse, accedere cũ cõsciẽtia, aliud cũ affectu peccati, (Aliud esse accedere cũ conscientia peccati, aliud cum affectu ad peccatum.) vt rectè docuit Caiet. hic; & expressè colligitur ex solutione ad 2. vbi D. Tho. dicit, posse aliquẽ accedere ad baptismũ, habentẽ conscientiã peccati mortalis; & tamen non indignè accedere, nec ponere obicẽ: impossibile autẽ est, accedere cũ affectu ad peccatum mortale, & nõ indignẽ accedere: imo, si quis habet conscientiã peccati mortalis, non satis est, vt nõ habeat affectũ ad tale peccatũ, sed necesse est, vt accedat cũ aliqua detestatione eius, vt nõ ponat obicem baptismi sacramẽto, vt in superioribus demõstratum est cõtra Caietanũ, qui etiã hic oppositum indicat: ergo habere cõscientiã peccati iuxta mentẽ D. Thomæ nõ est habere effectũ peccati, sed est accedere cum scientia & cognitione proprij peccati mortalis priùs cõmissi, & adhuc perseuerãtis quoad maculã & reatum in anima ob defectũ doloris seu detestationis sufficientis ad expulsionẽ eius, quo modo accedit cum consciẽtia peccati, etiam ille, qui accedit cum attritione cognita, quia accedit iudicãs se adhuc esse in peccato. Et cõfirmatur hæc expositio primò, ex vi, & proprietate ipsius nominis *conscientiæ*, quod nõ affectũ, sed scientiam & dictamen practicum significat. Secũdo, quia hoc modo est vera & facilis differẽtia, quã D. Thom. ponit inter baptismũ & Eucharistiam, quæ alia ratione intelligi nõ posset, scilicet, quòd Eucharistia interdũ potest hominẽ iustificare, dũmodo cõscientiã & affectũ peccati excludat; baptismus autẽ vt iustificet, nõ necesse est, vt excludat cõscientiam, sed satis est, quòd affectum peccati excludat, nõ tãtum negatiuè, sed etiã cõtrariè per aliqualẽ detestationẽ, vt dixi. Tertiò, quia D. Thomas in prima ratione probat suã assertionẽ: quia nõ est conueniens susceptor huius sacraméti, qui spiritualiter nõ viuit: non viuit autẽ spiritualiter quicunq; habet cõscientiam peccati mortalis, quanuis nõ habeat affectum eius. Tandẽ, id expressè exposuit D. Th. infra q. 80. art. 4. ad 5. vbi, vt aliquis dicatur accedere sine cõscientia peccati, non solum requirit, vt accedat sine affectu, aut cũ aliquali detestatione peccati, sed etiam vt accedat cum inculpabili ignorantia sui peccati, existimans, quod verè contritus accedit.

Neq; contra hanc expositionẽ obstat modus loquẽdi D. Tho. in secũda ratione: supponit enim ex priori ratione, eum, qui ad hoc sacramẽtum accedit cũ cõscientia peccati mortalis, hoc ipso accedere cũ actuali affectu peccati: quia in eo ipso, quòd ita vult accedere, actualiter peccat; & ideò in præsente materia confundit illa duo, accedere cum conscientia, & cũ affectu, peccati. Ex hac ergo expositione sequitur, iuxta mentẽ D. Thomæ, nullum, qui in peccato mortali existit, cõsequi illius remissionẽ per hoc sacramentum, si absq; illius cõtritione accedat, aut vera, aut saltẽ inuincibiliter existimata. Addit verò D. Thomas, in fine art. posteriorẽ conclusionẽ, posse interdùm per hoc sacramentum remitti peccatum mortale, si quis reuerenter illud sumat in statu peccati mortalis, de quo nõ satis in re ipsa conteritur, quamuis (inculpabiliter tamen) existimet, se esse contritum; *tunc enim*, inquit, *consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Vbi nõ est intelligẽdum, cõtritionem intrinsecè perfici per mutationẽ ipsius actus, quæ in eodẽ instante fieri non potest, sed per infusionẽ habitus gratiæ, vel charitatis, vt in superioribus dictum est. Hanc verò cõclusionem D. Thomas nõ probat, quia supponit, faciliè posse à simili probari ex dictis in art. 1. & in hoc eodẽ articulo, in quo D. Thomas repetit distinctionẽ ibi declaratã de hoc sacramẽto secundùm se, seu ratione rei cõtentæ in ipso: ratione cuius ait esse ex se sufficiẽs ad remittẽda omnia peccata, & illa de facto remittere in voto susceptum, quæ omnia necessario intelligenda sunt iuxta sensum ibi declaratum scilicet, quòd tribuãtur huic sacramẽto per cõmunicationẽ, idiomatum, ratione Christi in ipso contenti. Hinc verò satis probabiliter colligitur, cùm Christus secundùm se sit efficax ad remittendum peccatum, etiã in hoc sacramento habere eandem efficaciam, si ex parte suscipientis non sit impedimentũ; cuiusmodi nullum est in eo, qui absque cõscientia, & cum detestatione peccati, reuerenter communicat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm per hoc sacramentum remittantur peccata venialia.

Inf q.87. ar. 3. corp. & 4. d 12. q. 2. ar 1. q. 1. cor & ar. 2. q. 1. per totum.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentũ non remittantur peccata venialia. Hoc enim sacramẽtum, vt August. dicit super Ioan. (Tract. 29. in Ioan. à me. [illegible] 9. Et refertur de Conse. d. 2. ca. Hoc sacramentum.) est sacramẽtum caritatis. Sed venialia peccata nõ contrariantur caritati: vt in secunda parte habitum est. (1.2. q. 88. art. 1. & 2.) Cùm ergo cõtrarium tollatur per suum contrarium, videtur, quòd peccata venialia per hoc sacramentũ non remittantur.

¶2. Prætereà, Si peccata venialia per hoc sacramentum remittuntur, qua ratione remittitur vnum, remittũtur & omnia. Sed nõ videtur, quòd omnia remittãtur, quia sic frequenter aliquis esset absq; omni peccato veniali, contra id, quod dicitur 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Non ergo per hoc sacramentum remittitur aliquod peccatum veniale.

¶3. Prætereà, Contraria mutuò se expellunt. Sed peccata venialia non prohibent à

Universidad de Deusto Biblioteca

perceptione huius ſacramēti, dicit enim Auguſt. ſuper illud Ioan. 6. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, Innocentiam, inquit, ad altare apportate, peccata, etſi ſint quotidiana, non ſint mortifera. Ergo neque peccata venialia per hoc ſacramentum tolluntur.

Tract. 16. in Ioan. parũ à me. to. 9.

SED contra eſt, quod Innoc. III. dicit, quòd hoc ſacramentum venialia delet, & cauet mortalia.

In lib. 4. de ſacro myſterio altaris. c. 44. ante med.

RESPONDEO dicendũ, quòd in hoc ſacramento duo poſſunt cōſiderari, ſcilicet, ipſum ſacramentum, & res ſacramenti. Et ex vtroque apparet, quòd hoc ſacramentum habet virtutem ad remiſsionem venialium peccatorum. Nam hoc ſacramētum ſumitur ſub B ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autē cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per actionē caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem caritatis, vt in ſecunda parte habitum eſt. Et ideò competit huic ſacramento, vt remittat peccata venialia. Vnde & Ambroſ. dicit in libro de ſacramētis, quòd iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem huius ſacramenti eſt caritas, non ſolùm quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, per quod peccata venialia ſoluuntur. Vnde manifeſtum C eſt, quòd virtute huius ſacramenti remittuntur peccata venialia.

2. 2. q. 24. artic. 10.

Lib. 5. c. 4. à med. to. 4.

AD primum ergo dicendum, quòd peccata venialia, etſi non contrariantur caritati, quantum ad habitum, contrariantur tamē ei, quantum ad feruorē actùs, qui excitatur per hoc ſacramentum, ratione cuius peccata venialia tolluntur.

AD ſecundum dicendum, quòd illud verbum non eſt intelligendum, quin aliqua hora poſsit homo eſſe abſque omni reatu peccati venialis, ſed quia vitam iſtam Sancti nō D ducunt ſine peccatis venialibus.

AD tertium dicendũ, quòd maior eſt virtus caritatis, cuius eſt hoc ſacramentum, quã venialium peccatorum. Nam caritas tollit per ſuum actum peccata venialia, quæ tamen non poſſunt totaliter impedire actum caritatis. Et eadem ratio eſt de hoc ſacramento.

COMMENTARIVS.

Concluſio D. Tho. Euchariſtiam remittere peccata venialia.

AFfirmat Diuus Thomas, Euchariſtiam remittere venialia peccata, & aſsignans duplicem rationem huius veritatis, duplicem modum inſinuat, quo fieri poteſt hic effectus. Vnus eſt, immediatè conferendo ex opere operato remiſ- A ſionem peccati venialis, abſque mutatione actualis diſpoſitionis in homine exiſtētis; ſicut articulo præcedente dicebamus, interdùm remitti peccatũ mortale per hoc ſacramentum. Secundus modus eſſe poteſt mediatus, nimirùm, ſi ratione ſacramenti fiat actualis immutatio in homine, qua perficiatur talis actus caritatis, quo expellãtur venialia peccata. D. Thom. ergo vtrumq; modum docere videtur. Et primum probat in prima ratione ex ipſo ſigno ſenſibili talis ſacramenti, quod in cibo & potu confertur: nam proprium eſt cibi inſtaurare, quod per actionem caloris deperditur: per calorem autem fomitis quodammodò imminuitur virtus caritatis, non in ſe ipſa, ſed propter adiuncta impedimenta venialium peccatorum: hæc ergo tolluntur virtute huius ſpiritualis cibi, & potus. Secundum autē modum probat ſecunda ratione, quia hoc ſacramētum habet ex ſe vim excitandi actualem feruorem cari- B tatis; & ideò hoc etiam modo poteſt tollere venialia peccata. Et iuxta hæc facilis eſt ſolutio ad 1. vbi D. Thomas ait, peccata venialia impedire feruorem caritatis, qui excitatur per hoc ſacramentum; & ideò per illud tolluntur: hæc enim verba poſſunt ad vtrumq; dictum ſenſum accommodari, ſcilicet, quòd hoc ſacramentum tollit peccata venialia, excitando feruentem actum caritatis illis repugnãtem, vel è contrario, quod remittit peccata venialia, vt ipſa caritas expedita ſit ad feruenter operandum. Vnde falſò aliqui tribuunt Diui Thomæ, quòd aſſerat per hoc ſacramentum non remitti peccatum veniale, niſi mediante actu caritatis formaliter illi repugnante: hoc enim Diuus Thomas nunquam dixit, neque verum eſt, vt in diſputatione ſequente oſtendetur.

In ſolutione ad ſecundum Diuus Thomas in di- C cat, per hoc ſacramentum nō remitti aliquod peccatum veniale, quin remittantur omnia: hoc enim in argumento ſumpſerat, & id tacitè concedit: nam propterea reſpondet, poſſe hominem aliqua hora eſſe ſine vllo peccato veniali, quamuis non poſsit totam vitam ſine venialibus peccatis tranſigere. Sed non eſt hoc intelligēdum vniuerſaliter, ſed permiſſiuè tantùm, itaque poteſt hoc ſacramētum remittere omnia venialia, & hoc intendit Diuus Thomas in reſponſione ſua: non eſt tamen neceſſe, vt, quandocunque aliqua remittit, remittat omnia; quia poteſt homo obicem ponere quorundam remiſsioni, & non aliorum, vt latiùs in materia de Pœnitentia dicturi ſumus.

Explicatur ſolutio ad 2.

D

ARTICVLVS V.

Vtrùm per hoc ſacramentum tota pœna peccati remittatur.

AD quintum ſic proceditur. Videtur, quòd per hoc ſacramentũ tota pœna peccati remittatur. Homo enim per hoc ſacramētum ſuſcipit in ſe effectum paſſionis Chriſti (vt dictũ eſt) ſicut & per baptiſmum. Sed per baptiſmum percipit homo remiſsionem omnis pœnæ, virtute paſsionis Chriſti, qui ſufficienter ſatisfecit pro omnibus peccatis, vt ex ſuprà dictis patet. Ergo videtur,

4. d. 12. q. 2. art. 1. q. 1. ad 3. & d. 15. q. 1. art. 1. q. 3. art. 1. & 2.

q. 69. art. 2.

videtur, quòd per hoc ſacramentum homini remittatur totus reatus pœnæ.

¶2. Prætereà, Alexander Papa dicit, Nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti. Sed per ſacrificia veteris legis, homo ſatisfaciebat pro peccatis ſuis, dicitur enim Leuit. 4. & 5. Si peccauerit homo, offeret hoc, vel illud pro peccato ſuo, & remittetur ei. Ergo multò magis hoc ſacramentũ valet ad remiſsionem omnis pœnæ.

Alexan. I. in epiſt. ad omnes orthod. poſt med. illius.

¶3. Prætereà; Cōſtat, quòd per hoc ſacramentum aliquid de reatu pœnæ dimittitur, vnde & in ſatiſfactionem, aliquibus iniungitur, quòd pro ſe Miſſas faciant celebrari. Sed qua ratione vna pars pœnæ dimittitur, eadē ratione & alia: cũ virtus Chriſti, quæ in hoc ſacramento continetur, ſit infinita. Ergo videtur, quòd per hoc ſacramentum tota pœna tollatur.

SED contra eſt, quòd ſecundùm hoc nō eſſet homini alia pœna iniungēda, ſicut nec baptizato iniungitur.

RESPONDEO dicendum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentũ. Sed rationē ſacrificij habet, in quantum offertur, rationem autem ſacramenti, in quantum ſumitur. Et ideò effectũ ſacramenti habet in eo, qui ſumit, effectum autē ſacrificij in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Si igitur conſideretur vt ſacramentũ, C habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex vi ſacramēti, alio modo, quaſi ex quadam concomittantia, ſicut & circa continentiam ſacramenti dictũ eſt. Ex vi quidē ſacramenti directè habet illũ effectum, ad quē eſt inſtitutũ. Non eſt autē inſtitutum ad ſatisfaciēdum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per vnionē ad Chriſtũ & ad mēbra eius, ſicut & nutrimentum vnitur nutrito. Sed quia hæc vnitas fit per caritatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſsionē, non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ, inde eſt, quòd ex conſequenti per quãdam concomittantiã ad principalem effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecun D dùm modum ſuæ deuotionis, & feruoris. In quantũ verò eſt ſacrificium, habet vim ſatiſfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde Dñs dicit, Luc. 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, ꝙ plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quãtitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiã offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ deuotionis, & nō pro tota pœna.

Q. 76. art. 1. & 2.

AD primum ergo dicendum, quòd ſacramentũ baptiſmi directè ordinatur ad remiſ- A ſionem pœnæ, & culpæ, non autem Euchariſtia; quia baptiſmus datur homini, quaſi commorienti Chriſto; Euchariſtia autem, quaſi nutriendo & perficiendo per Chriſtũ. Vnde non eſt ſimilis ratio.

AD ſecundum dicendum, quòd alia ſacrificia & oblationes non operabãtur remiſsionem totius pœnæ, neq; quantũ ad quantitatem oblati, ſicut hoc ſacrificium; neq; quantũ ad deuotionem hominis, ex qua contingit, quòd etiam hic non tollitur tota pœna.

AD tertium dicendum, quòd hoc, quòd tollitur pars pœnæ, & non tota pœna per hoc ſacramentum, non contingit ex defectu virtutis Chriſti, ſed ex defectu deuotionis B humanæ.

COMMENTARIVS.

SVmma doctrinæ D. Thom. in hoc articulo eſt, Euchariſtiam, vt ſacramentum eſt, nō remittere pœnam directè, & ex opere operato, ſed ſolũ indirectè & concomitanter, quatenus excitat actum caritatis, per quem remittitur hæc pœna, non ſemper tota, ſed iuxta quãlitatem & feruorem ipſius caritatis: at verò in quantum ſacrificium eſt, *remittit* (inquit) *pœnam offerentibus, vel pro quibus offertur, non tamen ſemper totam, ſed iuxta eorum deuotionem, & diſpoſitionem.* Quæ poſterior pars ſolùm eſt hic aduertenda, & notanda: nam inferiùs in materialia de ſacrificio ex profeſſo diſputanda eſt, vbi examinabuntur etiam, quæ hic Caietanus notat. C Circa priorem verò partem ſolum eſt aduertendũ, longè diuerſo modo loqui Diuum Thomam hic de hoc effectu remittendi pœnam, quàm præcedenti articulo locutus fuerat de remiſsione venialis culpæ: ibi enim ſimpliciter docuit, hoc ſacramentum remittere venialia peccata directè & ex opere operato: hîc autem ſimpliciter hoc negat: quia ſolùm mediante actu hominis communicantis fieri putat huiuſmodi remiſsionem. Ratio autem differentiæ reddi poteſt, & ab ipſo etiam Diuo Thoma indicatur: quia quælibet culpa, etiam venialis, repugnat aliquo modo perfectioni amicitiæ, & vnionis caritatis; & ideò ſacramentũ hoc, quod ad hanc vnionem perficiendam inſtitutum eſt, quamlibet culpam directè & virtute ſua deſtruit: reatus autem temporalis pœnæ non eſt contra perfectionem cari- D tatis; & ideò non ita directè tollitur per hoc ſacramentũ, ſed ſolũ per quandã concomitantiã, medio actu caritatis, quàm in ſumēte excitat, vt dictũ eſt.

Cōcluſio D. Tho. non remitti directè pœnã per Euchariſtiam ex opere operato, ſed indirectè, & nõ totam, ſed iuxta qualitatē & feruorem caritatis.

Ratio concluſionis declaratur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per hoc ſacramentum præſeruetur homo à peccatis futuris.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur, quòd per hoc ſacramentum non præſeruetur homo à peccatis futuris. Multi enim dignè ſumentes hoc ſacramentũ poſteà in peccatum caduat. Quod non accide- ret,

4. d. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 1. & d. 45. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret,si hoc sacramentum præseruaret à peccá A tis futuris. Nõ ergo effectus huius sacramenti est,à peccatis futuris præseruare.

Art. 4. huius q. ad 3. ¶2. Præterea, Eucharistia est sacramentum caritatis, vt suprà dictum est. Sed caritas non videtur præseruare à peccatis, quia semel habita potest amitti per peccatum, vt

2.2.q.24. ar tic.11. in secunda parte habitum est. Ergo videtur, quòd nec hoc sacramentum præseruet hominem à peccato.

¶3. Præterea, Origo peccati in nobis est lex peccati, quæ est in membris nostris, vt patet per Apostol. Roma. 7. Sed mitigatio fomitis, qui est lex peccati, non ponitur effe ctus huius sacramenti, sed magis baptismi. B Ergo præseruare à peccatis futuris, non est effectus huius sacramenti.

SED contra est, quòd Dominus dicit Ioan.6. Hic est panis de cœlo descendẽs, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Quod quidem manifestum est non intelligi de morte corporali. Ergo intelligitur, quod hoc sacramentum præseruet à morte spirituali, quæ est per peccatum.

RESPONDEO dicendum, quòd peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Vnde hoc modo præseruatur aliquis à peccato futuro, quo præseruatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Vno modo, in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiua: & sic præseruatur à morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc q̃ munitur contra exteriores impugnationes, & sic præseruatur per arma, quib⁹ munitur corpus. Vtroque autem modo hoc sacramentum præseruat à peccato. Nam primo quidem per hoc quòd Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquã spiritualis cibus & spiritualis medicina, secũdum illud Psal. 103. Panis cor hominis cõfirmat.

Tract. 26. in Ioann. à med. tom. 9. & Augustin. dicit super Ioan. Securus accede, panis est, non venenum. Alio modo, in quãtum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, repellit omnẽ

Hom. 45. in Ioan. à me. illius to. 3. D dæmonum impugnationem. Vnde Chrysosto. dicit super Ioan. Vt leones flammã spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.

AD primum ergo dicendum, quod effectus huius sacramenti recipitur in homine secundùm hominis conditionem, sicut contingit de qualibet causa actiua, quòd eius effectus recipitur in materia secundùm modũ materia. Homo autem in statu viæ est huius cõditionis, quòd liberum arbitrium eius potest flecti in bonum & malũ. Vnde licet hoc sacramentum, quantum est de se habeat virtutem præseruatiuam à peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.

AD secundum dicendum, quòd etiam caritas, quantum est in se, præseruat hominem à peccato, secundùm illud Roman. 13. Dilectio proximi malum non operatur. Sed ex mutabilitate liberi arbitrij contingit, q̃ aliquis post habitam caritatem peccat, sicut & post susceptionem huius sacramenti.

AD tertium dicendum, quòd licèt hoc sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget caritatem; quia, sicut Augustin. dicit in lib. 83. quæstionum, augmentum caritatis est diminutio cupiditatis. Directè autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præseruatur homo à peccato.

Quæst. 36. ad 10 a prin. co. 4.

Litera D. Thom. satis clara est, rem autem ipsam posteà disputabimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hoc sacramẽtum prosit alijs, quàm sumentibus.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quòd hoc sacramentum non prosit nisi sumenti. Hoc enim sacramentum est C vnius generis cum alijs sacramentis, vt pote alijs condiuisum, sed alia sacramenta nõ prosunt nisi sumentibus, sicut effectum baptismi non suscipit, nisi baptizatus. Ergo nec hoc sacramentum prodest alijs, nisi sumentibus.

Supr. q. 73. art. 3. ad 6. & præsertim q. 79. art. 5. corp. & 4. d. 12. q. 3. art. 2. q. 2. ad 4. & d. 45. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3. & Ioan. 6. lect. 6. &.

¶2. Præterea, Effectus huius sacramẽti est adeptio gratiæ, & gloriæ, & remissio culpæ, ad minus, venialis. Si ergo hoc sacramentum haberet effectum in alijs, quàm in sumentibus, posset contingere, quòd aliquis adipiscetur gratiam, & gloriam, & remissionẽ culpæ, absque actione & passione propria, alio sumente vel offerente hoc sacramentum.

In lib. de anima, & eius origine. ca. 9. in. 7. D ¶3. Præterea, Multiplicata causa, multiplicatur effectus. Si ergo hoc sacramentum prodesset alijs, quàm sumẽtibus, sequeretur, quòd magis prodesset alicui, si multi sumerent hoc sacramentum, multis hostijs in vna Missa consecratis. Quod non habet Ecclesiæ consuetudo, vt, scilicet, multi communicẽt pro alicuius salute. Non ergo videtur, quòd hoc sacramentum prosit, nisi sumenti.

SED contra est, quòd in celebratione huius sacramenti fit pro multis alijs deprecatio. Quod frustrà fieret, nisi hoc sacramentum alijs prodesset. Hoc ergo sacramentum non solùm sumentibus prodest.

RE-

3.q.5. huius q.ad. RESPONDEO dicendum, quòd (sicut priùs dictum est) hoc sacramentũ non solùm est sacramentum, sed etiam est sacrificium. In quantũ enim in hoc sacramento repræsentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo (vt dicitur Ephes. 5.) habet rationem sacrificij, in quantum vero in hoc sacramento traditur inuisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti. Sic ergo hoc sacramentum, sumentibus quidem prodest, & per modum sacramenti, & per modum sacrificij, quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in canone Missæ: Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Sed alijs, qui non sumunt, prodest per modum sacrificij, in quãtum pro salute eorum offertur. Vnde & in Canone Missæ dicitur, Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ. Et vtrumq; modum proficiendi Dominus expressit, dicẽs, Matth. 26. & Luc. 22. Qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis, scilicet, alijs, effundetur in remissionem peccatorum.

AD primum ergo dicendum, quòd hoc sacramentum præ alijs habet, quod est sacrificium, & ideò non est similis ratio.

AD secundum, dicendum quod sicut passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ, sed effectum non habet, nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem & caritatem, ita & hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem & caritatem. Vnde &

In lib. de anim. & eius origine. ca. 9. in. 7. Augustin. dicit ad Renatum: Quis offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt mẽbra Christi? Vnde & in Canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam illis tamen prodest plus vel minùs, secundùm modũ deuotionis eorum. D

AD tertium dicendum, quòd sumptio pertinet ad rationem sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem sacrificij. Et ideò ex hoc, quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit alijs aliquod iuuamentum. Similiter etiam ex hoc, quòd sacerdos plures hostias cõsecrat in vna Missa, non multiplicatur effectus huius sacramenti, quia non est nisi vnum sacrificium.

Nihil enim plus est virtutis in multis hostijs consecratis, quàm in vna, cùm sub omnibus, & sub vna non sit nisi totus Christus. Vnde nec si aliquis simul in vna Missa multas hostias cõsecratas sumat, participabit maiorẽ effectũ sacramẽti. In pluribus vero Missis multiplicatur sacrificij oblatio. Et ideò multiplicatur effectus sacrificij & sacramẽti.

COMMENTARIVS.

Cõclusio. Eucharistiam vt sacramentum, Ioannem posse sumentibus, vt sacrificium vero, etiam non sumentibus.

DOctrina huius artic. maximè spectat ad materiam de sacrificio: & ideò in proprium locum illam remittemus: nam de Eucharistia, quatenus sacramentum est, simpliciter docet Diuus Thomas, solis prodesse sumentibus, quod ex opere operato intelligendum est, vt latius in disputatione dicemus: de eadem verò Eucharistia, quatenus sacri B ficium est, dicit prodesse offerẽtibus, & pro quibus offertur, etiam si non sumant, quod solum probat ex vsu Ecclesiæ: quia etiam pro alijs non sumentibus offertur hoc sacrificium, vt constat ex canone Missæ, & iuxta hæc explicat illa verba Christi, Luc. 22. *Qui pro vobis & pro multis effundetur*: de quibus suprà disputatione 60. satis dictum est. Cæterà, quæ Diuus Thomas docet, tam in corpore articuli, quàm in solutionibus argumentorum, valde notanda sunt pro his, quæ infrà dicemus de essentia & effectibus huius sacrificij: nam ferè omnia ipse insinuat, quanuis breuissimis verbis, quæ ibi commodiùs expendemus, & ponderabimus. Luc. 22.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm per veniale peccatum impediatur effectus huius sacramenti.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd per veniale peccatum non impediatur effectus huius sacramenti. Dicit enim Augustin. super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerũt manna, &c. Panem cæleſtem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata, etsi sunt quotidiana, non sint mortifera. Ex quo patet, quòd venialia peccata, quæ quotidiana dicuntur, spiritualem manducationem non impediunt. Sed spiritualiter manducantes, effectum huius sacramenti percipiunt. Ergo peccata venialia non impediunt effectum huius sacramenti.

4. dist. 12. q. 2. art. 1. q. 3. & ar. 2. q. 1. ad 2. Tract. 26 in Ioan. post me. tom. 9. & habetur de consecr. d. 2. cap. 64.

¶2. Præterea, Hoc sacramentum non est minoris virtutis, quàm baptismus. Sed effectum baptismi (sicut suprà dictum est) impedit sola fictio, ad quã non pertinent peccata venialia: quia, sicut Sapient. 1. dicitur, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Qui tamen per peccata venialia non fugatur. Ergo neque effectum huius sacramenti impediunt peccata venialia. q. 69. art. 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

¶3 Præterea, Nihil quod remouetur per actionem alicuius causæ, potest impedire eius effectum. Sed peccata venialia tolluntur per hoc sacramentum. Ergo non impediunt eius effectum.

Lib. 4. ortho. fid. cap. 14. à med. SED contra est, quod Damasc. dicit in 4. lib. Ignis eius, quod in nobis est desiderij, assumens eam quæ ex carbone, id est, ex hoc sacramento est, ignitionem, comburet pecca, & illuminabit corda nostra, vt participatione diuini ignis, igniamur & deificemur. Sed ignis nostri desiderij vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt feruorem caritatis, vt in secunda parte habitum est. Ergo peccata venialia impediunt effectum huius sacramenti. *1. 2. q. 81. ar. 4. & 2. 2. q. 24. art. 10.*

RESPONDEO dicendum, quòd peccata venialia dupliciter accipi possunt. Vno modo, prout sunt præterita, alio modo, prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti. Potest enim contingere, quòd aliquis post multa peccata venialia commissa, deuotè accedat ad hoc sacramentum, & plenariè huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed in parte: dictum est enim, quòd effectus huius sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel caritatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. *Art. 1. & 2. huius quæst.* Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per peccata ta venialia mente distractus. Non autem litur augmentum habitualis gratiæ vel caritatis.

AD primum ergo dicendum, quòd ille, qui cum actu venialis peccati ad hoc sacramentum accedit, habitualiter quidẽ manducat spiritualiter, sed non actualiter. Et ideò habitualem effectum huius sacramenti percipit, non autem actualem.

AD secundum dicendum, quòd baptismus non ita ordinatur ad actualem effectum, id est, feruorem caritatis, sicut hoc sacramentum. Nam baptismus est spiritualis regeneratio, per quam acquiritur prima perfectio, quæ est habitus, vel forma. Hoc autem sacramentum est spiritualis manducatio; quæ habet actualem delectationem.

AD tertium dicendum, quòd illa ratio procedit de venialibus præteritis, quæ per hoc sacramentum tolluntur.

(·:·)

COMMENTARIVS.

RESpondet Diuus Thomas, peccata venialia præterita, seu in habitu solo manentia per se nullum effectum huius sacramẽti impedire: actualiũ verò venialia peccata, id est, quæ quis actu committit, vel quibus distractus est, cum actu cõmunicat, impedire quidem effectum actualis deuotionis; non autem effectum augmenti gratiæ, vel caritatis; cuius rationem significat in solutione ad 1. quia, qui sic recipit hoc sacramentum, habitualiter quidem spiritualiter manducat, non tamẽ actualiter. Vnde in solutione ad tertium, etiam indicat, veniale peccatum habituale non impedire remissionem sui ipsius; actuale autem impedire sui remissionem: quia repugnat peccatum tolli, dum actu committitur: alioqui simul esset, & nõ esset: vnde, cùm dicitur, peccatum veniale habituale non impedire sui remissionem, necessariò intelligendum est, non de peccato sic existente in eodem instante, in quo datur effectus sacramenti: nam hoc eandem repugnantiã inuoluit, sed de peccato immediatè antea existente: quodque in eodem etiam instante duraret, nisi per sacramentum auferretur.

Cõclusio, peccata venialia præterita non impedire; actualia verò impedire effectum deuotionis, non gratiæ communicationis.

DSPVTAT. LXIII.

De effectibus, quos hoc sacramentum Eucharistiæ efficit in anima.

POstquàm de essentia huius sacramenti, & de omnibus causis eius disputatũ est, ad absoluendam priorem partem huius tractationis, quæ veluti speculatiuam cognitionem huius sacramenti continet, solùm superest, vt de effectibus eius dicamus. Possunt autem hi effectus in anima, & in corpore intelligi: dicemus ergo priùs de effectibus animæ, qui plures ac certiores sunt; deinde, quidnam corpori conferat hoc sacramentum, explicabimus. Et, quoniam effectus sacramenti coniunctus est cũ dispositione suscipiẽtis, simul de illa dicemus, non quatenus sub præceptum cadere potest, hoc enim ad moralem partem spectat, sed quatenus ad effectũ sacramenti potest esse necessaria. *Disput. 25. de Eucharist.*

SECTIO I.

Vtrùm hoc sacramentum conferat gratiã sanctificantem, vel augmentum eius.

PRimus error fuit, hunc cibũ nec prodesse quicquã, nec obesse. Ita senserunt Messaliani, vt refert Theodor. lib. 4. hist. c. 10. & lib. 7. Tripar. c. 11. Huic errori fauet Orig. in id Matt. 15. *Nõ quod intrat per os,* &c. nisi piè exponatur. Prateol. etiam & Castro hũc errorẽ Armenis tribuũt, dicẽtibus, hoc sacramentũ prodesse corpori, non animæ. Et hæretici huius tẽporis idẽ sentiunt de hoc sacramento, quod de baptismo, tãtùm, scilicèt, prodesse, vt obiectum excitans fidem, quod posset etiam facere panis non consecratus, si ad aliquid significãdum imponeretur. Vnde admiratione dignum est, quòd hi hæretici alium errorem extremè cõtrarium posteà confinxerint, tribuentes huic sacramento, quòd peccata mortalia, etiam sine vlla pœnitentia, possit remittere, de quo dicemus latiùs sect. sequente.

Errores circa præsentem quæst. Theodor. Origen. Prateol. Castro.

Dico

Eucharistia per se confert gratiæ augmẽtum. Dico primò, hoc sacramentũ per se; & ex propria institutione cõferre gratiæ augmentũ, vt magis ac magis hominem cum Christo vniat. Hæc conclusio est de fide, vt docent Scholastici omnes, D. Th. hic & Magist. d. 9. & 12. Innoc. li. 4. de hoc myst. c. 44 Alẽs. 4. p. q. 41. Mars. in 4. q. 6. ar. 4. Gab. lect. 85. in Can. Anton. 3. p. tit. 14. c. 12. Et omnes recentiores, qui contra hæreticos scribunt, Ruard. ar. 15. Clitoueus, li. 2. de hoc sacram. c. 8. Hosi. in cõfes. c. 39. & 40. Claud. repet. 6. c. 12. Petr. Soto lect. 11. de Euchar. Canis. in Catech. tit. de Euch. §. 9. Torrens. in cõfes. Aug. c. 6. de Euch. §. 10. & 11. Bellar. li. 4. de Euch. c. 17. Et ꝓbatur primò, quia hoc sacramentũ cõfert gratiã ex opere operato: ergo per se maximè cõfert gratiæ augmẽtũ. Antecedẽs cõstat primò ex duobus principijs fidei, nimirũ, omnia sacramenta nouæ Legis cõferre gratiã, & Eucharistiã esse sacramentũ nouæ Legis. Secundò ex Ioan. 6. *Qui mãducat me, viuet propter me, &, Qui mãducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ in me manet, & ego in eo,* &, *Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternũ.* Quã Christi promissionẽ ita intelligũt Patres. Vnde in Conc. Ephes. in epist. Cyrill. ad Nestoriũ sic dicitur. *Ad mysticã benedictionem accedimus & sanctificamur, participes facti pretiosi corporis & sanguinis Christi.* Et infrà, *Manducamus carnẽ Christi, vt verè viuificatricem, & ipsius Verbi propriã factã.* Et Basil. ser. 1. de Baptis. c. 13. *Qui per baptismũ regeneratus est, participatione diuinorũ mysteriorũ deinceps nutriri debet.* Similia habet serm. 14. de Pass. Domini, & Cyril. li. 4. in Ioan. c. 16. & optimè omnium Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, & hom. 45. in Ioan. & hom. 85. in Matt. *Maiori,* inquit, *desiderio, quasi lactentes pueri gratiam Spiritus sugamus: vnus sit nobis dolor, vna mæstitia, si hoc alimento spirituali priuamur.* Optimè etiã Cyprian. serm. de Cœn. Dom. dicẽs. *Panis hic per speciem & sacramentũ nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat:* significans, præter opus suscipiẽtis, hoc sacramẽtum tactu suo sanctificare animã, sicut Matt. 9. ad tactum fœminæ dixit Christus, *Ego sensi virtutem ex me exijsse,* & plura alia in sequẽtibus referemus. Tertiò definitur hæc veritas, & explicatur hic effectus in Cõc. Florẽt. in Decreto Eugenij, & Trident. ita explicãte suprà citata verba Ioã. sess. 15. c. 2. Et idẽ habetur in Cõc. Viennens. sub Clemẽ. V. & habetur in Clem. vnica de reliq. & venerat. Sanct. Et colligitur etiã ex Conc. Later. sub Innoc. III. quod habetur in cap. Firmiter: de Sum. Trin. & fid. Cath. & ex cap. Cũ Marthę de celeb. Miss. Quartò adiungitur ratio, quia hoc sacramentũ institutum est per modũ cibi & potus, iuxta illud, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus* Ioã. 6. & illud. *Accipite, manducate, & bibite:* sed propria ratio cibi est, vt cõferatur ad nutrimentum & augmẽtum viuentis, ergo hic cibus datur ad nutrimentum, & augmentũ spiritualis vitæ. In quo est notanda differentia inter cibum corporalẽ, & hunc spiritualem, quod ille non semper auget, quando nutrit: quia viuens non semper est in statu augmenti, etsi nutriri possit: quia non semper plus acquirit, quam perdat, at verò in hoc sacramento idem est nutrire & augere gratiam, quia gratia nunquam remittitur, & vbicunque est nutritio, seu additio sine remissione, necesse est fieri augmentum.

D. Thom. Magist. Alens. Marsil. Gabriel. Anton. Ruard. Clitou. Hosius. Claudius. Petr. Sot. Canis. Torrens. Bellarm. Cyril. Basil. Cyril. Chrysost. Cyprian. Matth. 9. Florent. Trident. Viennens. Ioan. 6.

Obiectio. Dices, augere gratiã, est cõmunis effectus sacramentorum nouæ Legis, eorum prę sertim, quæ instituta nõ sunt ad remittẽdum mortale peccatũ: ergo in hoc nihil habet proprij Eucharistia. Cõfirmatur, quia etiam sacramentum Cõfirmationis ordinatur ad augendã spiritualem vitã. *Solutio.* Sed in primis nos hactenus non dicimus, hunc esse proprium effectum Eucharistiæ, sed solùm, esse effectum eius. Deinde etiam in hoc habet aliquid proprium Eucharistia: quia reliqua sacramenta viuorum nõ ordinatur per se primò & directè ad nutriendam caritatem propter solã maiorẽ perfectionem eius, maiorẽq; vnionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia, & aliquod augmentum gratiæ; at verò hoc sacramẽtum per se primò ordinatur ad perficiendam vnionem cum Christo, & cum corpore eius, iuxta illud 1. ad Corint. 10. *Vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus:* qui effectus, vt in superioribus sæpè notauimus, ex Aug. & Cypriano, in ipsis speciebus sacramentalibus significatur, quæ ex pluribus rebus in vnam coalescentibus conficiũtur. Et propter hanc etiam causam dicunt Patres, reliquos cibos conuerti in substantiam alici, cui similes redduntur; hunc verò cibum in se se conuertere hominem se manducãtem; quia illum sanctiorẽ ac puriorem reddit, sibiq; similiorem ac magis vnitum. Et hinc etiam patet ad confirmationem; nam etiam sacramentum Cõfirmationis datur ad determinatum effectum, vt suprà tractantes de illo sacramento latiùs diximus, & attigit etiam D. Tho. hic, art. 1. ad 1. & latiùs Alens. 4. part. quæst. 41. memb. 1. *S. Thom. Alens.*

Eucharistia non est per se primo instituta ad conferendam primam gratiam & remittendũ peccatum mortale. Dico secundò, Hoc sacramentum nõ est per se institutum ad cõferendum primã gratiã, nec remittẽdum mortale peccatum, simul hæc duo coniungo quia ita sunt in re coniuncta, vt vel certè cõstituant vnicũ effectum gratiæ, vel per modum vnius, & ab eisdem causis prodeãt, vt ex materia de iustificatione cõstat. Hæc ergo cõclusio cõmunis est Theologorum in 4. d. 9. & 12. Scoti, Durãd. Rich. Palud. Marsi. q. 6. ar. 4. & eãdem tenet D. Th. hîc ar. 3. Innocen. li. 4. de hoc myst. c. 44. Et latè probata est supra disp. 2. de hoc sacramento. Nunc breuiter cõfirmatur, nã Conc. Trid. sess. 13. c. 2. dicit, hoc sacramentum præseruare à mortalibus, & remittere venialia satis ergo apertè significat, non esse per se institutum ad remittẽdum mortale: vnde enumerãs alios effectus huius sacramenti; istius nunquã meminit & eodem fere modo loquitur Cõcil. Florent. & alia infrà referenda. *Scot. Durand. Richard. Palud. Marsil. Innocen. Trident. Florent.* Secundò cõfirmatur ex Ecclesiæ consuetudine, consueuit enim nunquã præbere hoc sacramẽtum nisi eis, quos existimat mundatos esse à peccato per baptismum, vel pœnitentiam; & prohibet dari publicis pœnitentibus, donec absoluãtur, Conc. Nicen. can. 12. & Conc. Ancyran. c. 4 & 5. de qua re frequẽs sermo est apud Cyprianum in epistolis eius; ergo nunquã Ecclesia sensit, Eucharistiã esse remedium per se institutum ad tollendũ mortale peccatũ. *Ancyran. Nicenum.* Vnde argumentor tertiò, quia sacramentum nõ supponit effectum, ad quem dãdum per se primò est institutum: sed Eucharistia, vt possit suũ effectum præstare, per se supponit hominem iustũ, vt sect. sequente demõstrabimus: ergo. Quartò, cibus nõ ordinatur de se ad viuificandũ, seu suscitãdum mortuum, sed ad nutriẽdum, vel cõfortandũ hominẽ iã viuũ: atqui hoc sacramẽtum est institutũ per modũ cibi & potus: ergo. Reliqua videantur citato loco, quia ea hoc repetere necesse non est.

1. Obiectio ex forma calicis. Sed cõtra hãc concl. obijci possunt in primis verba formæ calicis, *Qui pro vobis effundetur in remissionẽ peccatorum:* & verba illa Ioan. 6. *Hic est panis qui dat vi*

tam mundo. Ex quibus formari potest hæc ratio, fundata etiam in testimonio Cōcil. Ephes. suprà citato: quia in hoc sacramēto sumitur Christus, qui peccata remittit; & tactu suo viuificat mortuos: ergo, sicut hoc sacramentum per se & ex sua institutione Christū continet; ita per se & ex sua institutione habet virtutem dādi vitā gratiæ, & remittendi peccata mortalia. Secundò obijci potest Conc. Floren. dicens, hoc sacramentum incorporare nos Christo, & Triden. suprà can. 5. dicens, *Si quis dixerit, vel præcipuū fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorū, vel ex eo nō alios effectus prouenire, anathema sit:* supponit ergo, hoc sacramentū habere hūc effectum, quā uis nō solum, nec precipuum. Tertio obijci possunt frequētes Patrū locutiones, Chrys. ho. 83. in Matt. comparans hoc sacramentū cum veteri agno, *Si hoc,* inquit, *remissionem peccatorum facit, sicut certè facit, superuacaneum illud omnino est.* Et ho. 45. in Ioan. *Hic nostrarum animarum salus est, hoc lauatur anima, hoc ornatur.* Ambr. lib. de bened. Patriar. c. 9. *Panis hic remissio peccatorū est,* & serm. 15. in Psal. 118. *Accedat,* inquit, *ad illud poculum, quo inebriatur affectus fidelium, & lætitiam induat de remissione peccati.* Cypr. serm. de Cœna Dom. *Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum,* & infrà, *In huius præsentia non superuacuè mendicant lachrymæ veniā, nec vnquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam,* & epist. 63. dicit, *hoc sacramēto fieri, vt mæstum pectus ac triste quod priùs peccatis ingentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitiā resoluatur.* Damas. lib. 4. c. 14. *Iis, qui sacramētum hoc per fidem dignè suscipiūt, in peccatorum remissionē, & vitam æternā animiq; & corporis præsidium cedit, omne incōmodum propulsat, eamq; vim habet, vt spurcitiā omnē abstergat, neq; in quibus sumus peccatis cōsideret; sed ægrotos curat, collisos redintegrat, &, sicut pastor bonus, qui animā suam pro ouibus suis posuit, ab omni nos erigit casu.* Similia sunt apud Cyril. li. 4. in Ioā. c. 16. & 17. & Aug. c. cū omne crimen de Cōsec. d. 2. & plura statim. Quartò, nō repugnat, eandē rē esse cibū, & pharmacū: ergo hoc sacramentū potest per se ex vi suæ institutionis vtrāq; rationem habere: quia licèt peccatū mortale sit mors animæ, quatenus tollit vitā gratiæ, tamē quatenus nō statim affert vltimā & desperatā mortē, nec tollit omnē motum spiritualis vitæ, dicitur animæ infirmitas, quę vt sic potest per pharmacū repelli. Vnde Ecclesia & Sancti vtrāq; rationē & denominationē huic sacramento attribuūt: in Missa enim orat Ecclesia, vt hoc sacramentū, *sit fortitudo fragilium, & ablutio scelerū,* & in omnibus liturgijs habentur similes orationes. Vnde Ignatius epist. 14. ad Ephes. in fin, *Frangētes,* inquit, *panem, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotū, vitamq; in Deo conciliāns per Iesum Christū, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Chryso. ho. 4. in Matt. *Omnis morbus hoc remedio extinguitur,* Cypria. dicto serm. de Cœna. *Panis hic ad totius hominis vitam salutemq;, proficit, simul medicamentum, & holocaustū, ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens;* & infrà tribuit huic sacramento vim nutriendi, & viuificandi, dicens. *Panis propter nutrimenti cōgruentiam; sanguis propter viuificationis efficientiam.* Et infrà. *Vt penetrans omnia huius medicamēti virtus sanaret, quidquid morbi carni vel spiritui, veteris vitæ adlinierat corruptela.* Aug. sermo. 28. de verbis Dom. *Qui vulnus habet, medicinam requirat: vulnus est quia sub peccato sumus, medicina est cælestis & venerabile sacramentum,* eodem modo loquitur Ambr. 1. ad Corinth. 11. & Cyril. 4. in Ioannem, c. 17.

(Margin: Conc. Ephes. — 2. Ex cōcilijs. — Florent. — Triden. — 3. Ex patrib. — Chrysost. — Ambros. — Cypr. — Damas. — Cyril. — Aug. — 4. Ex ratione — Ignatius. — Chrysost. — Aug. — Ambros. — Cyril.)

Ad primā obiectionē respōdetur, verba illa formę nō significare, bibi sanguinem remissionem peccatorū, sed fuisse effusum in remissionem peccatorū: nunc verò offerri & cōsecrari, vt fructus illius passionis nobis applicetur. Deinde ex illis verbis, ad summum, habetur, hoc mysterium, quatenus sacrificiū est cōsecrari & offerri in remissionem peccatorum: quomodò autem hoc possit fieri per sacrificium, infrà suo loco dicemus. Ad testimoniū ex Ioan. 6. dici potest, in illis verbis, *Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo,* nōdum Christum locutum esse de hoc sacramento, sed absolutè de se ipso sub metaphora panis: sed quia in sequentibus habentur verba de hoc sacramento ferè æquiualentia, dicendum est, hoc sacramentū dare vitam eo modò, quo cibus, scilicet, conseruando & nutriēdo illam. Vnde Cypria. suprà, *Sicut panis communis vita est corporis, ita supersubstantialis, vita est animæ.* Addæ, interdùm etiam reparare vitam, quamuis non per se, & ex propria institutione, vt iam dicam.

(Margin: Ad 1. Responsio.)

Ad secundum, Concilium Floren. vt etiam in superioribus dixi, manifestè declarat, se loqui de augmento gratiæ. Tridentinum generaliter loquitur de remissione peccatorum, abstrahendo à mortalibus, vel venialibus, de quibus priùs iam explicuerat, quid circa illa hoc sacramentum operaretur.

(Margin: Ad Concilia.)

Ad tertium ex Patribus respondetur primò, Sāctos in cōmuni loqui de hoc mysterio, vt sacramentum, & vt sacrificium est, & ita dicere, valere ad remissionem vel emundationem peccatorum; loqui etiam generatim abstrahendo à mortalibus, vel venialibus peccatis, sub quibus pœnas etiam peccatorum cōprehendunt. Vnde intelligi possunt, vel de remissione venialium quoad culpam, vel de remissione mortalium, quoad reatum pœnæ temporalis, vel etiam quoad culpam, vel mediatè tātùm, & per modū impetrationis boni motus, scilicet, contritionis, qua tollatur peccatum mortale; vel immediatè quidem & ex opere operato, non tamen per se, sed ex accidente, vt posteà exponemus. Deniq; hoc sacramentum dicitur esse medicina contra peccata; quia adiuuat, & præseruat, ne committantur. Quibus modis D. Th. hic, art. 3. ad 1. explicat illam orationem Ecclesiæ, *Sit ablutio scelerum.*

(Margin: Ad Patres.)

Vnde ad quartum respondetur, hoc sacramentū posse quidem dici medicinam & pharmacum, vel leuiores morbos curans, vel præseruās à grauioribus, vel imbecillitatem ex eis relictā, aut alios defectus expellens. Non oportuit autem, vt etiam esset medicina instituta ad remittendum mortale peccatum, quia & decuit, illud supponi absolute & simpliciter remissum; & esse alia remedia necessaria ac per se sufficientia ad illū effectū. Vnde, licèt in Christo secundùm se sit virtus ad omnes illos effectus, noluit tamen per se ipsum, quatenus est sub hoc sacramento, applicari, nisi ad effectus institutioni huius sacramenti consentaneos.

(Margin: Ad rationem.)

Dico tertiò, Interdùm hoc sacramentum cōfert gratiā primam, & peccatum mortale delet. Hæc est sententia D. Tho. hic, & q. 80. ar. 4. ad. 5. & in 4. d. 9. q. 1. ar. 3. quæstiūc. 2. & d. 12. q. 1. ar. 3. Palud. d. 9. q. 1. n. 14. Rich. ar. 2. q. 1. & d. 12. ar. 5. q. 1. Indicat Scot. d. 9. q. vnic. Alens. q. 46. mēb. 3. ar. 2. in fin. dicit enim, *Quādoq; gratia collata in hoc sacramēto vult nō vnitum;* quę verba pbat Gab. lect. 8. in Can. qui in eādem sententiam inclinat lect. 85. Tenet etiā Anto. 3. p. tit. 14. c. 12. §. 6. Syluest. verb. Eucharistia. Victoria

(Margin: Interdū Eucharistia cōfert gratiam primam & delet peccatum. — D. Thom. — Palud. — Richard. — Scotus. — Alensis. — Gabriel. — Anton. — Sylvest.)

Victor. in sum. nu. 76. Vega lib. 9. in Trident. ca. 34. Claud. repet. 6. c. 10. Bellar. lib. 4. c. 19. Pet. Sot. lect. 12. de Euch. Iansen. in Concor. Euang. c. 131. Palac. in 4. d. 9. disp. 4. Ledesm. hic. q. 20. art. 3. & plures alij, quos in sect. sequente referam. Et possunt in fauorem huius sententiæ referri omnia, quæ ex Patribus attulimus in obiectionibus factis contra præcedentem assertionem: quia, licèt hoc sacramentum non sit per se primò institutum ad remittenda peccata mortalia, tamen propter excellētiam rei, quam in se continet, verisimile est, posse etiam viuificare mortuos, quando illi nō omnino obsistunt spirituali vitæ, sicut caro Christi tactu suo mortuos viuificabat: hoc enim exemplo ad hanc rem vtitur Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 14. & in eodem sensu possunt accommodari reliqua dicta Patrum. Ratio verò sumi potest primò ex generali ratione sacramenti nouæ legis: definiunt enim Concilia, omnia hæc sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem: ergo per se & ex vi generica sacramenti nouæ legis conuenit omnibus sacramētis nouæ legis, vt faciant ex attrito contritum: quia omnia sunt instituta ad conferendam gratiam. Sed hoc fundamentum valde infirmum mihi videtur: quia sacramenta hæc non habent vim conferendi gratiam, nisi ex Christi institutione. Christus autem non fecit aliquam institutionem sacramenti in communi, sed singulorum specierum, scilicet, Baptismi, Confirmationis, Pœnitētiæ, Eucharistiæ, & aliorum; ergo conferre gratiam non conuenit singulis sacramentis ratione generis, sed ratione suæ speciei, & propriæ institutionis: quia verò singula instituta sunt ad aliquam gratiam conferendam, inde fit, quòd conferre gratiam, omnibus cōmune sit, eo modo, quo gratia abstrahit à prima vel secunda, prout loquitur D. Tho. hic, art. 1. eodē enim sensu loquuntur Concilia, cùm dicunt, sacramenta nouæ legis conferre gratiam. Quocirca non existimo (quicquid alij dicant) posse conclusionem hanc certo fundamento probari: nam sine vlla dubitatione res pendet ex Christi voluntate & institutione, quæ in hac parte nō est nobis manifestata certa aliqua autoritate, neque ex reuelatis potest certa ratione colligi. Solùm ergo est coniectura, quia, cū ipse instituerit sacramenta, vt sint organa, per quæ illius merita nobis applicentur, & gratia cōferatur: verisimile est, etiam instituisse, vt eam conferāt omnibus, qui impedimentum non ponunt, & sunt dispositi ad illam suscipiendam: fieri autem potest, vt aliquis carens gratia accedat bona fide, & cum sufficiēte dispositione ad gratiam: ergo probabilius est, eum consequi gratiam in sacramenti susceptione. Huic autem generali rationi, quæ cōmunis est omnibus sacramentis, adiungi potest alia suprà indicata ex propria ratione huius sacramenti, in quo Christus ipse continetur, qui est fons vitæ; & ideò verisimile est, habere efficaciam ad vitam spiritualem conferendam, saltem quando homo non est omnino indispositus, & bona fide accedit, vt iā explicabimus.

(Margin: Vega. — Claud. — Bellarm. — Pet. Soto. — Iansen. — Palac. — Ledesm. — Cyrill.)

Contra hanc verò conclusionem sentiunt multi & grauis Theologi, Gabr. in 4. d. 9. q. 2. ar. 2. cōt. 1. Indicat ibi Bonauent. ar. 2. q. 3. vbi dicit, eū, qui accedit dignè secundùm probabilem existimationē, non peccare, neque gratiam consequi. Idem sentit d. 12. ar. 4. q. 4. Idē Alens. q. 41. memb. 3. & ar. 1. ad vltim. qui tamen dicit, licèt tunc sacramentum non conferat gratiam, piè credi posse, Deum illam conferre, vel donū aliquod, quo homo se ad illam præparet. In eadē opinione est Maior. d. 9. q. 1. qui, non solum ait, eum, qui sine gratia accedit ad hoc sacramentum, non consequi illam, sed etiam semper peccare mortaliter. Sed hoc posterius est falsum, & improbabile, de quo sectione sequente dicam. Hi verò autores fundantur, vel in generali ratione sacramentorum omnium, quia existimant, nullum facere hominem ex attrito contritum; quia peccatum remitti non potest sine vera cōtritione; vel certè, quia putant hoc non facere, nisi ea sacramenta, quæ dicūtur mortuorum: alia enim, cùm hanc vim non habeant ex propria institutione, non est, vnde talem efficatiam habeāt. Sed primum est omnino falsum, vt constat ex dictis de baptismo, de Pœnitentia verò suo loco dicitur. Secundum verò solùm probat, sacramenta viuorum per se, & iuxta propriam dispositionem, quam secundùm propriam institutionem requirunt, hoc non facere, vt latiùs diximus, agentes de sacramentis in genere: quocirca vtrumque in sua institutione includūt, & quòd per se hoc non efficiant, neque ad hunc finem suscipiantur, & quòd ex accidente id possint præstare, intercedente bona fide, aut aliqua dispositione sufficiente. Tertiò verò obijci potest ratio, fundata in propria natura huius sacramenti, quia cibus nunquā resuscitat mortuum, neque per se, neque per accidens. Respondetur tamen, id verum esse de cibo materiali, qui conuertitur in substantiam aliti: secus verò esse de illo, qui alitum in se conuertit. Nam, cùm talis cibus sit efficax, poterit in se conuertere hominem etiā mortuum, si alioqui non resistat, nec obicem ponat, præsertim, cùm non sit ita mortuus, quin possit aliquem actum vitæ exercere, & manducare cibum, non tantùm corporaliter & materialiter, sed etiam aliquo modo spritualiter, suscipiendo illum fide, reuerentia, & dispositione debita.

(Margin: Oppositū multis placere ostenditur. — Gabr. — Bonauent. — Alens. — Maior.)

SECTIO II.

Quam dispositionem requirat hoc sacramentum in suscipiente, vt primam gratiam conferat.

IN hac re hæretici dicunt, nullam esse necessariā dispositionem, nisi fidem; imò addit Luterus, neminem esse meliùs dispositū ad suscipiendū hoc sacramentum, quàm eum, qui habet conscientiā peccatis grauatam ac perturbatam, dummodò credat, sibi non imputari peccata per Christum; quam fidem, dicunt ipsi, excitare hoc sacramentum; & hunc solum esse effectum eius. Sed missum faciam hunc errorem, quia alijs in locis magis proprijs impugnatus est suprà in tractatu de sacramentis in genere, & in materia de iustificatione: videri etiam possunt Bellarm. lib. 4. de hoc myst. c. 17. Claud. repe. 10. c. 2. &, quæ dicemus, etiam sufficient ad eiusdem erroris improbationē. Inter Catholicos ergo est prima sententia affirmans, eū, qui bona fide accedit sine actuali conscientia peccati mortalis, imò probabiliter existimans, se accedere in gratia, ex ignorantia inculpabili, per hoc sacramentum iustificari, etiam si nullā aliam dispositionem habeat. Ita sentit Duran. d. 9. q. 4. Palu. q. 2. Anton. 3. p. ti. 12. c. 6. §. 7. Fūdamētū esse potest, quia sacramenta dant gratiam non ponētibus obicem: sed ille, qui sic accedit, non ponit obicem,

(Margin: Lutheri hæresis. — Bellarm. — Claud. — 1. Catholicorū opinio. — Durand. — Paludan. — Antonin.)

Universidad de Deusto Biblioteca

Soto. Ledeſm. Catherin.

cem, cùm non peccet ſic accedendo: ergo iuſtificatur: poſſuntque pro hac ſententia citari Soto, diſt. 11. quæſt. 1, art. 4. & Ledeſma hic, & Cather. 1. ad Corinth. 11 quatenùs non agnoſcunt in hoc ſacramento acceſſum medium abſque peccato, vel gratia: ſed exiſtimant, omnem eum, qui non peccat mortaliter, cùm ſumit hoc ſacramentum, iuſtificari.

Maior.

Maior etiam diſt. 9. quæſt. 1. alia via negat ſtatum medium: quia, vel is (inquit) qui accedit ad hoc ſacramentum, facit, quod in ſe eſt, vt accedat in gratia, & ſic iuſtificatur ante ſacramenti vſum, & accedit iuſtus; vel non facit, quod in ſe eſt, & ſic peccat mortaliter, accedendo.

2. Opinio.

Secunda opinio dicit, ad conſequendam primam gratiam in hoc ſacramento, ſufficere attritionem, etiam ſi homo habeat conſcientiam peccati mortalis non remiſsi. Cuius ſententiæ fundamentum poteſt duobus modis explicari. Primò, quòd hoc ſacramentum ſit per ſe inſtitutum ad remiſsionem peccati mortalis, ſimul cum ſacramento Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, ſeruato hoc ordine, vt Baptiſmus præcedat, vel etiam Pœnitentia, ſi peccatum mortale eſt poſt baptiſmum commiſſum, ita tamen, vt effectus tribuatur ex voto huius ſacramenti. Vnde fit, ſi contingat, alterum illorum ſacramentorum non conferre primam gratiam, per hoc dari poſſe, etiam ſi homini conſtet prior defectus, dummodò de peccato doleat, ſaltem vera attritione. Sed hoc fundamētum in primis non poteſt habere locum reſpectu baptiſmi, quia, ſi quis non eſt baptizatus, nō eſt capax effectus huius ſacramenti, vt ſuprà dixi, ſi autē eſt baptizatus, vel in baptiſmo eſt iuſtificatus, & ita nō habet locū quæſtio reſpectu eorum peccatorum, quæ antea commiſit; vel non iuſtificatur in baptiſmo; & tunc, vel peccauit in ipſa fictione, aut poſteà; & ſic iam eſt in ſtatu, in quo indiget ſacramento pœnitētiæ, iuxta ſuprà tradita de baptiſmo; vel ſolū habet peccata ante baptiſmum commiſſa, & tunc ſi de illis dolet per attritionem, etiam cognitam, iuſtificabitur ante ſuſceptionem Euchariſtiæ ex vi prioris baptiſmi: ergo reſpectu baptiſmi præciſè nunquam poteſt dari caſus, in quo Euchariſtia deleat peccata, quæ per baptiſmum delenda fuere cum ſola attritione cognita. Atque idem diſcurſus, proportione ſeruata, fieri poteſt in ſacramento pœnitentiæ, ſi in re ipſa priùs ſuſceptum ſit, quàm Euchariſtia, & poſt illud nullum nouum peccatum mortale commiſſum ſit. Solùm ergo poteſt hoc habere locum in eo caſu in quo aliquis habet conſcientiam peccati mortalis, & confiteri non valet, quia caret copia confeſſoris; & adhuc in eo caſu prædictum fundamentum valde improbabile eſt, quia ſuprà ſatis demonſtratum eſt, hoc ſacramentum non eſſe per ſe inſtitutum ad remittēda peccata mortalia. Aliter ergo fundatur hæc opinio, quia, vel attritio eſt ſufficiens diſpoſitio, vt homo iuſtificetur per hoc ſacramentum, vel non; ſi non: etiam ſi exiſtimetur contritio, non ſequetur effectus: quia ea exiſtimatio non auget diſpoſitionē; & ita hoc ſacramentum nunquam conferet primam gratiam: ſi autem attritio eſt ſufficiens diſpoſitio, etiam ſi cognita ſit, ſufficiet: quia falſa exiſtimatio non confert ad effectum ſacramenti. Dices, teneri hominem ad accedendum cum contritione; & ideò neceſſe eſſe, vt ſaltem exiſtimet, impleuiſſe ſe hoc præceptum, nec aliunde ponat obicem gratiæ. Sed contrà, nam in primis non conſtat de tali præcepto: quia, licèt confeſsio præcepta ſit ante cōmunionem, tamen, eum, qui non poteſt cōfiteri, teneri conteri, nullibi præceptum eſt. Deinde nec videtur neceſſarium: quia, ſi demus, hominē iuſtificari cum ſola attritione, & ſacramento; quando conſummatur vſus ſacramenti, iam eſt iuſtus; & ita non facit irreuerentiam ſacramento: ergo ex ſola natura rei, & dignitate ſacramenti non poteſt colligi, quòd ſit maior diſpoſitio ſub præcepto; ſed neque de ſpeciali præcepto poſitiuo conſtat: ergo. Et confirmatur, nam præceptum præmittendi cōfeſsionem ante communionem diuinum eſt; & tamē in eo caſu, in quo id fieri non poſſet, non eſt illa diſpoſitio neceſſaria ad effectum ſacramenti; ergo, etſi demus, contritionem eſſe præceptam, ſi tamen quis non poſsit habere illam propter vehementem aliquam paſsionem, vel prauū habitum, poterit excuſari, & in illo erit attritio, ſufficiens diſpoſitio. Tandem, demus hominem ignorare inuincibiliter illud præceptum, & bona fide accedere cū attritione cognita, probabiliter putantē id ſibi licere; ille non peccat accedēdo: ergo, ſi attritio aliàs eſt ſufficiens diſpoſitio, iuſtificabitur.

Vera ac ſupernaturalis attritio peccati commiſsi requiritur, vt Euchariſtia recepta conferat primam gratiam.

Dico tamen primò, vt hoc ſacramentum cōferat primam gratiam, neceſſariam eſſe veram ac ſupernaturalē attritionem peccati commiſsi. Itaque nō ſatis eſt ignorantia, ſeu obliuio inculpabilis peccati; ſi, re vera, illud habet homo, & non deteſtatur illud: nec ſatis eſt, deteſtari imperfecto actu merè naturali, & ex humano motiuo. Hæc cōcluſio probata latiùs eſt ſuprà in materia de baptiſmo: nam, quę ibi diximus, fortiùs & efficaciùs probāt de hoc ſacramēto, quod non ita eſt inſtitutum ad delendum peccatum ſicut baptiſmus. Et fundamentum breuiter eſt, quia pœnitentia infuſa de peccato commiſſo, & in re ipſa habita, etiam in lege gratiæ, eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad remiſsionem peccati mortalis, quæ neceſsitas non eſt ablata per ſacramentorum inſtitutionem ſed potius hæc diſpoſitio neceſſaria eſt, vt obex tollatur: hæc autem pœnitentia eſſe non poteſt, niſi vel contritio, vel ſupernaturalis attritio, quæ ex motiuo ſupernaturali procedat, & in omnia peccata cōmiſſa cadat, quod fundamentum in materia de pœnitētia latiùs probādum eſt. Pręterea his probatur, quæ de baptiſmo diximus.

Requiritur vltra bona fides qua putet accedēs ſe eſſe in gratia.

Dico ſecundò, vt hoc ſacramentum conferat primam gratiam, non ſatis eſt prædicta attritio, niſi accedat ſimul bona fides, quæ per ſe loquendo, in hoc conſiſtit, vt quis ignoret ſtatum ſuum, & exiſtimet ſe in gratia accedere; ac denique non habeat conſciētiam peccati mortalis, de quo non exiſtimet ſufficiētem ſe pœnitentiam egiſſe. Hanc concluſionem exiſtimo certam; contrariam verò, neque eſſe probabilem, neque ſine temeritate poſſe affirmari. Primò enim omnes Theologi ita docent, & neminem ex ſcriptoribus legi, qui contrarium doceret. Id patet ex D. Thom. hic, art. 3. vbi hoc explicatū eſt, & ex Alenſ. Bonauent. Grabr. locis citatis in fine præcedētis ſectionis, quia à fortiori hoc docent, cùm requirant contritionem. Autores item citati hic in prima ſententia magis requirunt hanc bonam fidem, quā ipſam attritionem. Omnes denique, qui dicūt, hoc ſacramentum interdùm conferre primam gratiam, hanc primam conditionem requirunt, vt videre eſt in ſuprà citatis, & in Adriano q. 1. de Euchar. Caiet. hic. Gab. lect. 85. in Cā. Soto. d. 12. q. 1. art. 4. qui dicit, hanc eſſe D. Thomæ ſententiam & omnium. Patres etiam omnes hanc primam conditionem requirunt, vt quis dignè accedat ad hoc ſacramentum; & tunc

Adrian. Caietan. Gabriel. Soto.

tunc maximè explicant, hominem indignè accedere, cùm accedit cum cōſcientia peccati mortalis. Vnde concluditur ratio in hunc modum, qui indignè ſumit Euchariſtiam, non iuſtificatur: ſed, qui ſumit cum ſola attritione cognita, indignè ſumit: ergo nō iuſtificatur. Maior eſt de fide ex illo 1. ad Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans, &c.* Minor colligitur ex eodem loco 1. ad Corint. 11. *Probet autem ſe ipſum homo*; vbi non agit de probatione fidei, ſed de probatione morum, vt conſtat ex cōtextu; *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*, vbi non infidelitatem, ſed vitia reprehendit. Et hæc eſt expoſitio omnium Sāctorū: omnes enim (vt etiam Concilium Trid. notauit) colligunt ex hoc loco, debere hominem, priùs quàm accedat ad hoc ſacramētum, examinare ſuam conſciētiam, *vt puro corde* (ſicut Chryſoſt. dixit hom. 51. in Matth.) *accedat*. Et ita etiam exponunt idem Chryſoſt. Theodor. & omnes expoſitores ibi. Idem colligitur ex eodem Chryſoſ. hom. 83. in Matth. *Adeat nullus crudelis, nullus immiſericors, nullus impurus quouis modo*; & infrà. *Dæmoniaco peior eſt, qui peccati ſibi conſcius accedit*: & ibidē ſic loquitur ad Sacerdotes. *Non parua vobis imminet pœna, ſi quē aliqua improbitate teneri ſcientes, ei huius menſæ participationē permittatis*: quantò ergo magis delinquet is, qui non aliū permittit, ſed ipſemet accedit cum tali conſcientia? Similia habet idem Chryſoſt. homil. 45. in Ioannem, *Si purè acceſſeris, ad ſalutē acceſſiſti, ſi in praua cōſcientia, ad pœnā & ſupplicīū*. Idē latè & eleganter in 1. ad Corint. & hom. 21. & 60. ad populū Damaſc. lib. 4. ca. 14. *Summo cum metu, & pura conſcientia*. Baſil. ſerm. 1. de Baptiſ. p. 3. *Purus ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*: & lib. 2. c. 3. & in reg. cōpend. explic. in 172. Cyril. lib. 3. in Ioā. c. 37. *Oportet, omnibus viribus à peccato mūdari, &, rectè viuendi iactis fundamentis, magna cū fiducia ad ſumendā vitam cōcurrere*. Iuſtin. Apol. 2. in fine. Diony. c. 3. de Eccleſ. Hierar. p. 3. in principio, & fine. Orig. Matth. 15. circa id, *Non quod intrat per os*. Aug. ſerm. 2. de tēp. & lib. de Eccleſiaſt. dogm. c. 53. & tract. 26. in Ioā. *Innocētiam ad altare portate*. Ambr. lib. 6. in Lucā. c. 9. *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi qui fuerit antea ſanatus; & illi, qui vocantur ad cœnā, prius vocatione ſanantur*, & infrà: *Vbique igitur myſterij ordo ſeruatur, vt priùs per remiſsionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſt alimonia mēſæ cæleſtis exuberet*. Et lib. 7. in ca. 15. Lucæ, ponderat in parabola de filio prodigo, priùs patrem dediſſe filio ſtolā gratiæ, poſteà ad epulas vituli ſaginati illū introduxiſſe, *vt carnem Domini ſpirituali opimam virtute per gratiā ſacramēti myſteriorum conſortio reſtitutus epuletur. Nemo enim, niſi timuerit Deū, niſi ſignaculum ſpirituale cuſtodierit, vel receperit, ſacramētis debet intereſſe cæleſtibus. Quæ* videtur Ambroſ. mutuaſſe ex Tertull. lib. de Pudicitia. c. 9. vbi circa eandem parabolam ſic loquitur. *Recordatur patris Dei, ad eum redit, veſtem priſtinam recipit, ſtatū, ſcilicet, eum, quē Adam tranſgreſſus amiſerat, annulum quoq; accipit, quo fidei pactionem interrogatus obſignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis veſcitur.* Greg. lib. 2. in 1. Reg. cap. 1. circa illa verba, *Repleti prius pro panibus ſe locauerunt. Salutem, inquit, non percipiunt in comeſtione ſalutaris hoſtiæ, qui ea, quibus ſe repleuerant, flagitia portant in mente*; & infrà ponderans dicta verba Pauli, *Probet autem ſeipſum homo. Quid eſt, inquit, hoc loco ſe probare, niſi, euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ad Dominicam menſam, & puram exhibere?* Idem ferè Heſych. lib. 7. in Leuit. cap. 16. Ac denique Cyprian. lib. 3. epiſt. 14. explicans, quid ſit indignè ſumere, inquit, *Id eſt, nondum pœnitentia acta, nondum facta exomologeſi*; idem Epiſt. 15. & 16. & lib. de lapſis.

Chryſoſt. Damaſc. Baſil. Cyrill. Iuſtin. Dionyſ. Origen. Auguſ. Ambroſ. Tertull. Gregor. Heſych. Cyprian.

Ex quibus omnibus cōſtat, iuxta cōmunē Patrū doctrinā, debere hominē, vt dignè accedat ad hoc ſacramentum, purum à peccato mortali accedere: ergo, qui cognoſcit, ſe eſſe in peccato mortali, indignè accedit, & conſequenter non recipit effectum ſacramenti. Nec poſſunt hi Patres exponi, vt loquantur de eo, qui, non ſolùm ſe agnoſcit in peccato, ſed etiam permanet in affectu peccati; quia, vt probaui exponendo articul. Diui Thomæ, non dicitur aliquis habere conſcientiam peccati mortalis, ſolùm quando eſt in affectu peccati, ſed quandocunque ſcit, ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, & in eo ſtatu permanet: ſicut aliàs etiam docent Sancti & Theologi peccare mortaliter Sacerdotem, qui cum conſcientia peccati mortalis miniſtrat ſacramentum, quod non poteſt intelligi de eo, qui eſt in affectu peccati: aliàs, qui miniſtraret ſacramentum in ſtatu peccati cum attritione cognita, non peccaret mortaliter, quod abſurdiſsimum eſt. Deinde, quia requirunt hominem purū, & mundum, & in ſtatu gratiæ, vt ex eorum verbis ſatis cōſtat, & plura ad hoc probandum afferemus infrà agentes de præcepto.

Tertiò hoc ipſum probatur ex generali ratione illorum ſacramentorum, quæ dicuntur ſacramēta viuorum, & ad peccatum mortale tollendū per ſe non ordinantur: omnia enim illa requirunt, vt homo in gratia accedat ad ſacramētum, vt ſuprà ſuo loco probatum eſt: quia ſancta ſanctè tractanda ſunt: ſi enim ad dandum ſacramentum requiritur gratia in miniſtrante, cur non magis in ſuſcipiente, quando tale ſacramentum inſtitutum non eſt, vt mortuos viuificet? Et confirmatur, quia aliàs ad omnia ſacramenta liceret accedere cum attritione cognita; & omnia iuſtificarent hominem ſic accedentem: conſequens inauditum eſt & abſurdiſsimum, nam in re morali & graui magnam licētiam præbet hominibus ſine fundamento, & præter naturam & inſtitutionem taliū ſacramentorum: cùm enim hoc ex voluntate Chriſti pendeat; & nulla autoritate probari poſsit, hanc fuiſſe eius voluntatem; & ex fine proprio talium ſacramentorum hoc colligi non poſsit; neque ex reuerentia, quæ ſacramentis, & rebus ſacris debetur, valde temere dicitur, hoc eſſe licitum, vel fructuoſum: ſi ergo hoc generaliter de omnibus affirmari nō poteſt; neque de hoc in particulari poterit, cum ſit etiā ſacramentū viuorū, & ſanctius reliquis. Vnde argumentor quartò ex propria ratione huius ſacramētis, oſtēſum enim eſt, hoc ſacramentū nō eſſe per ſe inſtitutum ad delendum mortale peccatum, ſed ad nutriendam caritatem: ergo contra rationem propriā huius ſacramenti eſt, quod recipiatur, vt deleat peccatum, & primam caritatem conferat, per ſe, & ex directa intentione recipientis: ergo ſimiliter eſt cōtra rationem huius ſacramēti, & contra diſpoſitionem ei debitam, vt recipiatur in ſtatu peccati mortalis, & cum conſcientia eius. Quod etiam confirmat ratio ſuprà tacta, ſcilicet, cibum naturâ ſua præſupponere vitam, quam poſsit nutrire & augere: hoc autem ſacramentum inſtitutum eſt per modum cibi ad animam nutriendam: ergo ex ratione ſuæ inſtitutionis præſupponere debet ſpiritualem vitam, quæ eſt per gratiam & caritatem: ergo accedere ad hoc ſacramē-

tum

Universidad de Deusto Biblioteca

tum ex certa scientia sine gratia & caritate, est graue peccatum directè pugnãs cum fine & institutione eius. Addo vltimò, esse etiam contra dignitatem tanti sacramenti, ad quod dignè suscipiendum angelica puritas meritò posset requiri: ergo mirum non est, quòd ab homine peccatore exigatur, vt quod in se est, faciat, vt in gratia & absque peccato accedat; & hac ratione, vt infrà videbimus, præcipitur huiusmodi peccatori, vt, si potest, confessionem præmittat, scilicet, vt priùs se ad gratiã disponat via & modo certiori: ergo multò magis eidem præcipitur, vt, quando confiteri non potest, alia via, scilicet, per cõtritionem, in statu gratiæ constitui procuret: ergo quando, sciens & videns, hoc non implet, indignè accedit, & obicem ponit, & effectum sacramenti recipere non potest.

Potest quis in Eucharistiæ receptione, nec mortaliter peccare, nec gratiam consequi.

Ex his infero, posse interdùm dari statum mediũ in recipiente hoc sacramentum, id est, vt in ipsa receptione, nec mortaliter peccet, nec fructum gratiæ consequatur, quod rectè docuerunt Bonauen. Gab. Marsil. Adrian. & Caiet. locis citatis. Patet, quia potest homo existens in peccato mortali accedere ad hoc sacramentum recipiendum, non solùm sine contritione, sed etiam sine vera attritione absque noua culpa: ergo in illo dabitur prædictus medius status: quia, nec peccat mortaliter, vt supponitur, nec recipit gratiam: quia nullam habet sufficientem dispositionem, iuxta dicta in prima conclusione. Antecedens patet primò, si fingamus aliquem accedere cũ probabili aut inculpabili existimatione contritionis, qui non solùm contritus non sit, verùm etiam nec supernaturaliter attritus; hoc enim impossibile non est. Deinde accidere etiam potest, vt aliqui, sit naturaliter oblitus mortalis peccati priùs commissi, vel quòd ex naturali inaduertentia non existimet, se esse in malo statu, sed bona fide accedat; aut etiã contingere potest, vt credat esse veniale peccatum; quod, re vera, fuit mortale: nam, licèt aliqui ex dictis autoribus significent, illam ignorantiam non posse esse ita inuincibilem, vt excuset; & regulariter fortasse ita sit, maximè quando illa ignorãtia est iuris; nihilominùs absolutè non repugnat, interdùm hanc ignorantiam excusare; tum, quia potest esse ignorantia facti proueniens ex naturali obliuione, vt, verbi gratia, qui existimat iurasse verum sine necessitate, & tamen iurauit falsum sine sufficiẽte diligẽtia, de qua posteà naturaliter non cogitat. Tum etiã, quia sæpè accidit, vt ignorantia, quæ respectu vnius actus immediatè ab ea procedentis non excusat, respectu alterius actus remotè seu mediatè resultantis excuset, vel potiùs sit sufficiẽs excusationis occasio: quia, trãsactã priori culpa, commissa ex tali ignorãtia, iam homo facilè obliuiscitur, aut non aduertit ad præcedentem culpam, vel effectus eius: ita ergo potest facilè in præsente accidere. Tandem, alius casus excogitari potest, in quo accidat hic medius accessus, scilicet, si aliquis ex ignorantia probabili putet se non peccare accedendo ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sine affectu eius, vel etiam cum attritione illius, quam se habere existimat probabiliter, cùm tamen in re illam non habeat: hic enim & à culpa excusaretur propter ignorantiam, & effectu priuaretur propter dispositionis defectum. Addit verò Gabr. lect. 8. in Canon. citans Durandũ in 4. dist. 10. q. 10. quæ non extat, & Gerson. tract. de poll. noct. cõsid. 1. in prædictis casibus, præsertim, qui ex obliuione prouenire possunt, virtute sacramẽti fieri, vt homo veniat in cognitionem, seu memoriam peccatorum, vt sic possit ad gratiam disponi. Sed hoc non habet fundamentũ, quia nullibi est promissio talis cognitionis, vel memoriæ; nec talis effectus deseruire potest ad fructũ gratiæ per sacramentum suscipiendum: quia, vel illa memoria peccati datur ante sacramentum susceptum, & sic iam non datur ratione sacramenti; vel post sacramentum susceptum, & sic iam non deseruiet ad fructum gratiæ suscipiendum. Dices, dari in ipso instãte, in quo finitur susceptio sacramenti, seu in quo danda esset gratia, si homo esset dispositus. Sed hoc in primis non est satis, vt ipsa susceptio sacramenti fiat cum debita dispositione: quia in eo instante iam est finita communio; & deinde non est morale, vt in eo instante peccata reuocentur in memoriã, & debita dispositio statim concipiatur; & experientia ipsa docet, non ita fieri: alioqui, quoties homo bona fide actuali accedit, adhibita morali diligentia, vt peccatorum suorum recordetur, si neque tunc, neque in ipsa communione, neque post illam, talia peccata in memoriam veniant, poterit esse securus & certus, quòd nulla habeat peccata, quorum non habuerit sufficientem dolorem, quod tamen falsum est.

Gabriel. Durand. Gerson.

Dub. vtrum in eo medio statu homo accedat dignè vel indignè. Talis homo in eo statu in re accedit indignè, in existimatione dignè.

Sed quæres, an in eo statu medio homo accedat dignè, vel indignè, nam si indignè, peccat; si dignè, non carebit gratia. Similes interrogatio est, an ponat obicem, vel non ponat; nam, si ponit, peccat; si non ponit, consequitur effectum. Item (vt Maior interrogat) vel facit, quod in se est, quantum probabiliter existimat, se debere facere; & sic iustificabitur; vel non facit, & sic non excusabitur à peccato; quia talis ignorantia non potest dici inuincibilis. Respondetur, huiusmod hominem in re accedere indignè; & ideò non consequi effectum; tamen in existimatione sua accedere dignè, & ideò excusari à peccato. Similiter dicitur, in re ipsa ponere, vel potiùs non tollere obicem, scilicet, peccatum commissum, nullo modo detestatum; & ideo non consequi effectum; tamen in existimatione sua probabili non ponere obicem. Similiter dicendum est, illum nominem in re non facere, quod in se est, quanuis probabiliter existimet facere; & ideò, licèt excusetur à nouo peccato, non tamen iustificatur: quia ad hoc nõ satis est probabilis existimatio medij necessarij, nisi re ipsa tale medium verè applicetur, prout potest, ac necessarium est. Et per hæc responsum est ad fundamentum primæ opinionis.

Ad fundamenta 1. & 2. sententiæ responsio.

Ad fundamentum secundæ opinionis respondetur, attritionem quidem de se esse sufficientem dispositionem ad effectum sacramenti suscipiendum, per se tamen non esse sufficientem dispositionem ad dignum vsum huius sacramenti; & ideò, probabilẽ existimationem contritionis posse conferre ad excusandam culpam & obicem indignæ sumptionis. Vnde autem constet, necessarium esse statum gratiæ ad dignam sumptionem huius sacramenti, iam declaratum est; & plura dicemus infrà, agẽtes de præceptis huius sacramenti. Nec coniectura ibi adducta est alicuius momenti, quia ipsa institutio & ratio huius sacramenti postulat, vt iustificatio supponatur, & non expectetur per ipsum sacramentum. Casus autem ille, qui in confirmatione ponitur, de homine qui cõtritionem habere non possit, admittendus non est: quia semper est in potestate hominis de peccatis conteri cum diuina gratia. Vnde, si ex sua malitia, vel fragilitate, non vult conari ad contritionem habendam,

dam, potiùs debet à communione abstinere, quàm sic accedere. Ad vltimum verò casum de homine, qui probabili fide & ignorantia putat sufficere ad dignam sumptionem attritionem cognitam, dicendum est, illum, re vera, cõsecuturum primam gratiã per hoc sacramentum: quia illa ignorantia etiam excusat à peccato, & obice indignæ sumptionis: dictũ est autem, attritionem esse sufficientem dispositionẽ ad effectum sacramenti, quacunque ratione aliunde obex non ponatur: hoc tamen est per accidens ratione ignorantiæ iuris; & ideò in secunda conclusione addidi particulam, *per se*, ad excludendam hanc ignorantiam, quanuis dici possit illa attritio æquiualere attritioni existimatæ contritioni: quia existimatur sufficiens dispositio tam ad gratiam, quàm ad dignũ vsum sacramenti.

SECTIO III.

Quæ dispositio necessaria sit ad augmentum gratiæ per Eucharistiam consequendum.

Ex dictis in præcedenti sectione constat, in primis necessariam esse habitualis gratiæ dispositionem, vt hoc sacramentum conferat interioris gratiæ effectum; & ex re ipsa constat, non posse habitualem gratiã augeri, nisi existere supponatur: sicut autem, quælibet gratia, quantumuis minima, efficit hominem simpliciter iustũ, & augeri potest, ita quælibet in hoc genere sufficit, vt hoc sacramentum suum effectum conferre possit, quanquam de facto, vt minimùm, requiratur gratia baptismalis, vel qualis in principio infunditur, vel saltem qualis per pœnitentiam reparari potest. Nihil autem obstabit, quòd hæc gratia coniuncta sit cum vitiorum habitibus, aut cum venialibus culpis habitualibus, aut cum quocunque temporalis pœnæ reatu: quia hæc omnia non impediunt, quominùs homo verè viuat spirituali vita, & in ea nutriri & augeri possit. De hac ergo dispositione habituali nihil super est dicendũ, sed quæstio superest de actuali; an, scilicet, aliqua necessaria sit, vt per Eucharistiam gratia augeatur; potest autem esse quæstio de duplici dispositione: vnã vocare possumus priuatiuam, quæ est carentia omnis venialis culpæ: alterã positiuam, quæ sit aliquis actus deuotionis seu honoris.

1. Sententia.

Prima itaque sententia est, vt Eucharistia suũ proprium effectum conferat, necessariam esse positiuam dispositionem actualis deuotionis, quæ simul adsit in ipsa sumptione: carentiam autem venialis peccati non esse per se necessariam, sed solùm quatenus tale peccatum actualem deuotionem impedire potest. Ita sentit D. Thom. in 4. d. 12. q. 2. art. 1. quæstiũc. 3. Alens. 4. p. q. 41. memb. 3. ar. 2. Antõ. 2. p. tit. 13. c. 6. §. 8. Bona. d. 14. art. 2. q. 1. Durã. q. 4. ad. 2. Palud. q. 1. ar. 2. & d. 4. q. 5. Syluest. verb. Eucha. in fine Caiet. hic, & Petrus Soto lect. 12. de Euchar. Fundamentũ huius opinionis non potest sumi ex sola natura rei: nam, cùm tractemus de effectu ex opere operato, cõstat ex natura rei non pendere ex merito operantis, neque ex actu eius, nisi quatenus necessarius esse potest ad tollendum obicem peccati: petendum ergo est ex Christi voluntate & institutione, quæ fundari in primis potest in Sanctorum locutionibus: vbicunque enim de hoc sacramento loquuntur, magnã deuotionẽ requirũt, vt patet ex Basil. lib. 1. de Baptis. c. vlt. & in Reg. breu. in. 172. & ex alijs statim citãdis. Secũdò potest ratione fundari, tum in dignitate & maiestate tanti sacramenti, quod, cùm sit infinitæ excellentiæ, meritò ab homine postulat actualem reuerentiam, cùm ad illud sumendum accedit; tum in fine eiusdem sacramẽti, qui est nutritio caritatis, ratione cuius non solùm habitum, sed exercitium eius requirit: quia amicitia multis actibus maximè fouetur & crescit: tum denique in materia & modo, quo sacramentum hoc applicatur ad vsum, scilicet, per modum nutrimenti: cibus enim non nutrit, nisi medio actu ipsius viuentis: ergo, vt hoc sacramentũ spiritualiter nutriat, congruum est, vt aliquis actus sumentis concurrat. Tertiò argumẽtatur Caietanus ab effectu: quia multi Sacerdotes in statu gratiæ quotidie communicant, quos necesse esset, magnum cumulum gratiæ, & caritatis comparare, si nihil aliud ad effectum huiusmodi esset necessariũ: at verò experientia ferè constat, eos non consequi tale caritatis augmentum: quia, si illud haberent, darent aliquod indicium eius, aut aliquo modo in virtute proficerent: quia caritas non est otiosa, vbi est, ergo.

S. Thom. Alens. Antonin. Bonauen. Durand. Paludan. Syluest. Caietan. &c.

Basil.

2. Sententia.

Secunda sententia extremè contraria est, vt Eucharistia conferat suum proprium effectum, necessarium per se esse, vt homo in ipsa, seu cum ipsa sumptione sacramenti actualiter non peccet, etiam venialiter; non verò esse necessariam aliam dispositionem actualem positiuam, nisi quatenùs necessaria esse potest ad actuale peccatum veniale vitandum: nam, si quis voluntariè accedat distractus, aut sine vllo bono motu seu dispositione, non potest ab aliqua veniali culpa irreuerentiæ excusari; & hac ratione poterit effectus impediri. Ita Mars. in. 4. q. 6. ar. 4. circa finẽ. Fundari potest, quia aliàs fieri posset, vt homo simul cresceret in gratia & venialiter peccare: imò, vt per ipsummet actum venialis peccati in gratia cresceret: nam ipsemet actus sumendi sacramentum potest esse veniale peccatum ex defectu finis, vel alterius circũstantiæ debitæ: quæ ratio communis est omnibus sacramentis. Secundò, potest ad hanc sentẽtiam applicari ferè totum fundamentum primæ sententiæ, seruata proportione. Tertiò videtur huic sententiæ fauere Aug. de Eccles. dogm. c. 53. tract. 26. in Ioan.

Marsil.

August.

3. Sententia.

Ex his posset tertia opinio elici, affirmans, vtrumque esse directè & per se necessarium ad effectum sacramenti, scilicet, carentiam omnis actualis peccati, & actualem deuotionem. Quam sententiam non inuenio apud vllum autorem. Posset tamen fundari rationibus vtriusque sententiæ simul applicatis: quæ non solùm inter se non repugnant, verum potiùs eandem vim, & proportionalem efficaciam habent: ita vt, si vnum illorum propter eas rationes affirmãdũ sit, consequenter etiã alterũ asserendũ videatur.

4. Sententia.

Quarta nihilominùs & vera sententia est, neutrã harum dispositionum esse per se necessariam ad augmentum gratiæ per Eucharistiæ sumptionem consequendam. Quæ sigillatim & per partes probãda est.

Veniale peccatum actu concomitãs sumptionem Eucharistiæ non impedit eius effectum.

Dico ergo primò, Peccatum veniale actu concomitans sumptionem huius sacramenti, non impedit gratię & caritatis augmẽtum. Ita D. Th. hic, art. 8. Alens. dicta. q. 41. memb. 1 art. 1. vbi dicit, hoc sacramentum, non quidem remittere illud peccatum veniale, cuius actualem affectum homo habet dum cõmunicat, remittere autem alia venialia peccata non obstante illo affectu; eadem autem ratio est de augmento gratiæ, quæ de remissione aliorum venialiũ.

S. Thom.

Eandem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alenſ. Gabriel. Adrian. Soto. Ledeſm. Victoria. Corduba. Conc. Trid.

Eandem aſſertionem tenet Gab.lect.85. in Canon. Adrian.q.1.de Euch.Soto d.12.q.2.ar.8. Ledeſ.q.20.art.1.dub.4.& art.8.Vict.in ſum.nu.66. Cord. lib.1.quæſt.Theol.q.8.Et poteſt vtcũque confirmari ex Conc.Trid.ſeſſ.13.c.7. vbi ad effectũ huius ſacramenti ſolùm requirit pœnitentiam & confeſsionem peccati mortalis: & ita explicat verba Pauli.1. ad Corint.11. *Probet autem ſe ipſum homo.* Ratio eſt, quia, vel is, qui accedit ad hoc ſacramentum in gratia cum peccato veniali, dignè accedit, vel indignè. Si dignè; ergo recipit effectum ſacramenti: quia iam non ponit obicem. Si indignè: ergo iam non tãtùm venialiter, ſed etiam mortaliter peccat, quando ita ſuſcipit ſacramentum. Dicetur fortaſſe, illum accedere dignè habitualiter; indignè autem actualiter per culpam tantùm venialem; & hoc ſatis eſſe, vt gratiã non accipiat, & ponat obicem, etiam ſi de nouo mortaliter non peccet: quia, licèt ſe ipſum priuet aliquo augmento gratiæ, nec ſacramento, neq; alicui grauẽ irrogat iniuriam. Sed hæc euaſio refutatur primò: quia gratis & ſine fundamento dicitur, peccatũ veniale poſſe per ſe impedire augmentum gratiæ, præſtandum ab alia cauſa ſufficiente & actualiter applicata: quia peccatum veniale hoc non habet ex ſe, & ex natura ſua, neque ſpecialiter hoc habet in hoc ſacramento ex ſingulari inſtitutione Chriſti. Primũ patet, quia peccatum veniale in cæteris ſacramentis hoc non impedit, vt omnes fatentur, neq; in augmẽto ex opera operantis, ſi homo ſimul cũ actu ſimpliciter bono & meritorio habeat concomitanter aliquam culpam venialẽ. Et ratio à priori eſt, quia peccatum veniale nõ pugnat cum gratia habituali; neque cum quocunq; augmento eius in facto eſſe: ergo neque etiam in fieri, ſi aliunde poſsit ſimul applicari cauſa ſufficiens. Peccatum enim mortale ideò ex ſe eſt obex effectui gratiæ ſacramenti, quia ex natura ſua non poteſt ſimul eſſe cum illa: ergo è contrario, ſi peccatum veniale ex natura ſua ſimul eſſe poteſt cum quocunque augmento gratiæ habitualis, ex ſe non erit obex reſpectu talis effectus. Secundum autem, id eſt, quòd hoc non habeat in hoc ſacramento ex ſpeciali Chriſti inſtitutione, probatur; tum, quia nullo fundamento conſtat de tali inſtitutione, neq; ex Scriptura, neque ex Patribus; & ideò non eſt aſſerendum ſine ſufficiente fundamento aliquid extraordinarium & nouum in re tam grauj; tum etiam, quia talis inſtitutio non fuiſſet conueniens, neq; fragilitati hominum accomodata: veniale enim peccatum leuis res eſt, & facilè ab homine committitur; & ideò non eſt veriſimile, voluiſſe Chriſtum, vt tantum fructum huius ſacramenti impediat. Secundò, ſi peccatum veniale eſſet obex, magis certè conſequenter diceretur, accedere ad hoc ſacramentum cum tali diſpoſitione, eſſe peccatum mortale, & indignam ſumptionem huius ſacramenti: quia accipere ſacramentum, ponendo obice principali effectui ſacramenti, eſt grauis irreuerentia, & abuſus ipſius ſacramenti.

Euaſio.

Refutatur.

Vnde poſſet aliquis aliter ſubterfugere principalem rationem factam, eligendo alteram partem, ſcilicet, eum, qui accedit cum veniali peccato, indignè accedere, & mortaliter peccare; nihilominùs tamen hoc totum tribui peccato veniali, quia illud eſt prima cauſa & totalis huius impedimenti, & grauioris lapſus, qui ex illo ſequitur. Sed hoc in primis eſt cõtra mentem omnium autorum, qui de hac materia ſcripſerunt; deinde eſt per ſe improbabile: nam inquiro, in quo conſiſtat illud peccatum mortale; aut enim in hoc, quòd ponitur obex effectui ſacramẽti; & hoc nõ; nam, vel talis obex eſt ipſum veniale peccatum, vel mortale: primum ſufficienter improbatũ eſt; ſecundum pugnat cum ipſa reſponſione, quia, ſi peccatum mortale eſt obex; nõ ideò mortaliter peccatur, quia ponitur obex; ſed potiùs ideò ponitur obex, quia mortaliter peccatur: oportet ergo aliam priorem rationem aſsignari, propter quam mortaliter peccetur. Aut ergo in eo acceſſu mortaliter peccatur, propter iniuriam, quæ fit ſacramẽto, venialiter peccando, dum ipſum actualiter contingitur, & ſumitur. Et hoc non, quia talis iniuria ſacramenti leuis eſt, ſicut peccatum ipſum veniale leue eſt: nã iniuria ipſius Dei poteſt eſſe leuis ex leuitate materiæ: ergo etiam iniuria ſacramenti: accedere autem cum peccato veniali, leuis materiã eſt: ergo ſolum peccatum veniale non poteſt eſſe ratio talis peccati mortalis; & conſequenter impediri non poteſt augmentum gratiæ per hoc ſacramentum conferendum. Vnde infero, idem dicendum eſſe, etiam ſi ſumptio ipſa ſacramenti peccaminoſa ſit ex aliqua leui negligentia ſeu culpa, quia eodem modo tunc procedit dicta ratio, quòd tale peccatum veniale non eſt obex repugnans effectui gratiæ: neque etiam poteſt tollere vim, & efficaciam ipſi ſacramẽto ſeu vſui eius: quia, licèt ille actus, vt eſt ab homine, denominetur malus, & vt ſic non ſit fructuoſus ex merito operantis, tamen de ſe bonus eſt, & poteſt eſſe inſtrumentum Dei, ſeu (in præſente materia) applicatio ſacramenti, quod ſemper eſt eiuſdem ſanctitatis, & efficacitatis ad dandam gratiam cuicunque non ponenti obicem.

Dico ſecundò, Nulla actualis diſpoſitio neceſſaria eſt, vt hoc ſacramentum conferat augmentum gratiæ & caritatis. Ita ſentiũt Vict. Soto, & alij recentiores, qui non putant hoc eſſe alienum à mente D. Thomæ. Et probatur, nã in primis, ſi homo ſit prorſus incapax talis actualis diſpoſitionis, vt contingit in infantibus, amentibus, aut phreneticis, carentia talis diſpoſitionis non poteſt in eis impedire hunc effectum: aliàs omnino irrationabile eſſet, eis dare hoc ſacramentum: quid enim magis contra rationem, quàm dare ſacramentum ei, qui eſt incapax effectus eius? conſequens autem omnino falſum eſt; vt præcedente diſputatione oſtendimus; & dicemus iterum cum Diuo Thoma, circa quæſtionẽ 80. Vlteriùs igitur hinc addo, etiam ſi homo ſit ſui compos, & rationis vſum habeat; ſi tamẽ in ipſa actuali ſumptione ſacramenti, quaſi naturalem obliuionem patiatur ex diſtractione omnino inuoluntaria; & ideò careat actuali diſpoſitione, non propterea priuari hoc fructu ſacramenti: quia tunc non eſt magis in poteſtate talis hominis talis diſpoſitio, quàm ſi non haberet libertatem: ergo, ſi in alijs actus ille non eſt neceſſarius propter impotentiam, etiam in huiuſmodi homine non erit neceſſarius, nec carentia eius poteſt dici obex, cùm non ſit aliquid voluntarium, & humanum: quod ſi non eſt obex, ſacramentum habebit ſuum effectum: quia infallibile eſt, ſacramenta dare gratiam non ponentibus obicem: quia non conferunt illam per actum operantis, ſed per ſe ipſa. Atque hinc tandem concluditur, idem eſſe dicendum, etiam ſi carentia talis diſpoſitionis actualis voluntaria ſit, vt probari facilè poteſt, coniungẽdo omnia, quæ diximus: quia aut illa carẽtia eſt obex, præciſè propter priuationem actus; & hoc non, vt ex dictis

Actualis diſpoſitio non requiritur, vt Euchariſtia conferat ſuam proprium gratiam.

ex dictis in primo & ſecundo puncto conſtat; aut propter culpam, quæ eſt in voluntaria carentia; & hoc etiam non, quia talis culpa non eſt mortalis, ſecluſo contemptu, ex omnium ſententiæ: quia non eſt grauis irreuerentia: culpa autem venialis non eſt obex, vt in prima concluſione oſtenſum eſt.

Secundò principaliter probatur concluſio, quia hæc actualis diſpoſitio non eſt ex natura rei neceſſaria ad effectum huius ſacramenti, neque etiam ex inſtitutione Chriſti: ergo nullo modo. Maior euidẽs eſt; tum, quia tota efficacia huius ſacramenti non poteſt ex ſola rei natura definiri, ſed pendet ex inſtitutione, tam quoad ſuum eſſe, quàm quoad quantitatẽ effectus, & quoad modũ; tum etiã, quia augmentũ habitualis gratiæ & caritatis fieri poteſt ſine vllo actu: ergo, conſiderando tantùm naturam rei, etiam poteſt fieri per hoc ſacramentum, ſine vlla diſpoſitione. Minor verò probatur, nã, vbi eſt talis inſtitutio? In Scriptura enim non habetur, nam Chriſtus ſolùm dixit, *Qui manducat me, viuet propter me*; Paulus autem explicuit, hoc eſſe intelligendum de manducante dignè: declarat autem eum dignè mãducare, qui priùs probat ſe ipſum, & ſic de pane illo edit; addit verò Concilium Trident. ex doctrina Patrum, illam probationem in hoc conſiſtere, *Vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſsione ad ſacram Euchariſtiã accedere debeat*, in quibus omnibus nulla eſt mentio actualis diſpoſitionis; cùm tamen illa probatio ſui ad dignam manducationem ſufficiat, per quã vita comparatur. Neque aliud inſtitutionis genus ab aliquo Concilio, aut Pontifice, aut ab aliquo Sanctorum Patrum traditur: nam, licèt omnes hortẽtur ad accedendum ad hoc ſacramentum cum magna reuerentia, & deuotione; nullus tamen docuit, actualem diſpoſitionem neceſſariò debere ſimul concurrere cum ipſa ſumptione, vt illa dignè vel fructuoſè fiat. Ac deniq; nulla eſt ſufficiens ratio, vel congruẽtia, ad coniectandum, voluiſſe Chriſtum, pios & iuſtos homines ad has anguſtias redigere: quia facillimum eſt homini, ita diſtrahi, vt nullã actualem attentionem, vel deuotionem habet, aut omnino ſine culpa, aut certè ex leui culpa, quæ non ſatis eſt ad impediendum fructum ſacramenti.

Et confirmo, ac inquiro, quænam ſit iſta actualis diſpoſitio, quę ex Chriſti inſtitutione neceſſaria eſt. Aut enim in intellectu eſt neceſſaria actualis fines huius myſterij: & hoc dici non poteſt, nam ſi quis, dum communicat, ſolùm cogitet de Deo, vt illi gratias agat; vel de Chriſti amore, vt eum redamet; aut de propriis peccatis, vt de eis doleat, quodcunq; horum, vel quiduis aliud ſimile ſatis erit ex parte intellectus, non ſolùm ad fructuoſam, ſed etiam ad deuotam, & reuerentem ſumptionẽ: & eadem ratione ex parte voluntatis nõ poteſt determinari certus actus, qui neceſſarius ſit, vt ex ſimili diſcurſu facilè conſtare poteſt. Dicere autem, in cõmuni ſaltem requiri, vt accedatur cum aliqua attentione, & bono affectu ad res diuinas, in tantum eſſe poteſt verum, in quantum omnes actus ſacri hoc modo exercendi ſunt, vt debitè, & pro dignitate, & cũ maiori vtilitate fiant. Quòd autem hoc ſit ſimpliciter neceſſarium ad effectum ſacramenti ex opere operato, nec ex cõmuni ratione actus ſacri colligi poteſt, vt in cæteris ſacramentis conſtat, nec ex ſpeciali ratione huius ſacramenti, quod de ſe, & ex peculiari inſtitutione ad ſer-

uorem caritatis excitat. Vnde, ſi aliqua actualis diſpoſitio eſſet neceſſaria, illa deberet eſſe per propriũ actum caritatis: cùm ergo id neceſſarium non ſit, ſignum eſt, nullam actualem diſpoſitionem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad effectum, quanuis ſit valde vtilis. Vnde confirmatur vltimò, quia, ſi peccator, exiſtimans ſe eſſe contritum, accedat ad hoc ſacramentum cum ſola attritione actuali, iuſtificabitur, iuxta dicta in præcedentibus; ergo, qui accedit in ſtatu gratiæ, etiam ſi non habeat actualem diſpoſitionem, cõſequetur augmentum. Patet conſequentia, quia dignius cõmunicat iſte, quàm ille; & quia meliùs diſpoſitus eſt iuſtus per ſolam iuſtitiam ad augmẽtum eius, quàm peccator attritus per attritionem ad ipſam iuſtitiam conſequendam, cæteris paribus ex parte ſumptionis ſacramenti. Quod ampliùs in hunc modum declaratur, nam ſola attritio, vt ſic, ſolùm eſt diſpoſitio, vt per peccatum non ponatur obex effectui ſacramẽti; nam ad ipſam quidem ſumptionẽ, non eſt ſufficiens diſpoſitio; & ideò requiritur ignorantia excuſans defectum diſpoſitionis; & nihilominùs hoc eſt ſatis ad effectum ſacramenti, quia non ponitur obex: ergo multò magis ſufficiet gratia, quę non ſolum tollit obicem, ſed etiam diſponit ad dignam ſumptionem, ſaltem quantum ex præcepti rigore neceſſarium eſt. Ac deniq; in peccatore communicante non ſolùm attritio actualiter concurrens in ſumptione ſacramenti, ſed etiam, quæ præceſsit, & moraliter manet, ſufficit, vt in ipſa ſumptione ſacramenti remittatur peccatũ: ergo multò magis in homine iuſto, vt fructum ex communione percipiat, ſufficiet præcedens deuotio, aut pia voluntas cõmunicandi, vel aliquid ſimile. Atq; hinc tandem cõcluditur, in homine iuſto communicante non dari ſtatum medium, ita vt nec iuſtitiam communicando amittat, neque in illa creſcat: quia, ſi iuſtus permanet, dignè communicauit, & obicem non poſuit: ergo in gratia creuit: nam hic effectus per ſe oritur ex hoc ſacramento. Vnde moraliter loquendo ſemper ita fiet: nam, ſi homo priùs erat iuſtus, non eſt cur iuſtitiam communicando amittat, niſi propter extrinſecas cauſas, vt ſi illi prohibitum ſit cõmunicare, vel tali tempore, vel tali loco, vel à tali perſona, vel tali modo; aut, ſi quacunque ratione ob conſcientiam erroneã putet, ſe peccare communicando, & nihilominùs accedat: aut deniq; ſi ex aliquo contẽptu gratii ad hunc panem, tanquam ad communem cibum, accedat. In quibus caſibus priùs, quàm homo accedat, & re ipſa communicet, per voluntatem ſic communicãdi peccauit mortaliter, & gratiã amiſit; & ideò vix fieri poteſt, quin ille, qui in ipſamet ſacramentali communione iuſtus inuenitur, iuſtior euadat, dũmodò circa aliam materiam non habeat in eòdem inſtante prauam aliquam cogitationem, & deliberatum conſenſum, quod eſt valde per accidens ad ea, de quibus nunc agimus.

Ad fundamẽta 1. opinionis reſpõſio.

Ad fundamenta primæ opinionis reſpõdetur, nullum eſſe probabile veſtigium talis inſtitutionis: Baſilius enim & reliqui Sancti nihil aliud docent, quã quod à nobis explicatum eſt. Ad ſecundũ verò reſpõdetur, Chriſtum non ſolũ reſpexiſſe ad dignitatem huius ſacramenti, ſed etiã ad hominis fragilitatẽ; & ideò propter dignitatẽ ſacramẽti voluit, hominẽ accedere cũ iuſtitia; propter hominis verò fragilitatem, deuotionẽ actualem requiſiuit ſolummodò vt vtiliorẽ & magis fructuoſam, non vt neceſſariam, & hoc eſt magis conſentaneũ fini huius ſacramenti,

Universidad de Deusto Biblioteca

menti,quod non tantū ad actualē caritatē, sed etiā ad habitualē augēdā per se primò ordinatur. Vnde, vt hoc modo spiritualiter nutriat hominē,satis est ipsamet sacramētalis sumptio,quæ suo modo actus est spiritualis vitæ:eò vel maximè, quòd in alimēto corporali nutritio fit per actionē viuentis circa alimentū:hic autē nutritio fit in actione cibi circa alitū; & ideò non est tā necessaria actio ex parte sumētis. Ad tertium respōdetur, illā experientiā nullius esse momenti:quia habitus infusi, & eorū augmentū,nō possunt experientia cognosci: quia per se ac formaliter nec mortificāt passiones,nec excludunt vitiorū habitus,nec venialia peccata impediūt;& ideò fieri potest,vt homo, qui per sacramēti frequentiam multùm in gratia crescit,in ratione viuendi & exercēdi virtutes non admodùm mutetur: quanquam si huiusmodi homo diu in gratia perseuerat; & omnia mortalia peccata euitat, satis in hoc effectu manifestatur frequentis communionis efficacia.

Ad fundamēta 2. sententiæ. Ad primū & secundū fundamentū secundæ sententiæ,iam est responsum ex dictis. Ad tertiū ex Augustino,respondetur, in priori loco nostrā confirmare sententiā,quia solū requirit,vt mēs sine affectu peccandi sit,& vt(si priùs peccauit) sufficientē sui peccati pœnitentiā præmittat;in secūdo autē loco nihil aliud requirit ad spiritualiter manducandū, nisi vt innocentiam ad altare portemus; & præcedentium peccatorum pœnitentiam præmittamus. Hæc autē intelligenda sunt cum debita proportione; nam de peccato mortali sunt simpliciter necessaria,de venialibus autē sunt vtilia,& ad vitandam omnem culpam, etiam venialem,suo modo necessaria,non tamen ad omnem fructum sacramenti recipiendum.

SECTIO. IIII.

Quando conferat Eucharistia hunc gratiæ effectum in ipsa sumptione.

ANtequàm de alijs effectibus huius sacramenti tractemus, oportet declarare tempus & modum,quo sacramentum hoc,prædictum gratiæ effectum conferat;nam simul etiam explicabitur, quantus sit hic effectus in singulis communicantibus,& an in omnibus sit æqualis. Possunt autem quatuor tempora in præsente distingui. Primū ante sumptionem sacramentalem Eucharistiæ. Secundum tempus est ipsius sumptionis seu manducationis. Tertium est, post manducationem,quandiu præsentia Christi durat in homine. Quartum est,postquàm, transmutatis speciebus, iam Christi præsentia cessauit. De primo ergo tempore nihil est in præsente dicendum:quia illud nec confert, nec sufficit ad effectum ex opere operato per hoc sacramentum recipiendum:nam,licèt hæretici dicāt,Eucharistiam, antequàm manducetur, posse excitare fidem,& sic conferre suum effectum;tamen certum est,effectum huius sacramenti non in eo consistere, sed in vera infusione gratiæ, quæ non est promissa, nisi manducantibus sacramentum, Ioan. 6. *Ioan. 6.* Vnde,licèt aliqui Catholici interdum significent, effectum huius sacramenti dari per votum ipsius, ante sacramentalem manducationem eius, tamen hoc non est intelligendum de proprio effectu ex opere operato,sed formaliter de simili effectu gratiæ, vel augmenti caritatis, vt sæpè in superioribus dictum est: quoad hoc enim eadem est ratio de omnibus sacramentis. Hic ergo dicendum est de secūdo tempore, posteà verò de reliquis.

Effectus Eucharistiæ confertur sumenti in ipsa sumptione. Principiò igitur conueniunt autores omnes, hūc gratiæ effectum conferri non ponenti obicem in ipsa sumptione. Primò quidem, quia manducanti facta est promissio, vt dixi: ergo in manducatione datur. Secundò, quia neque ante manducationem datur,vt probaui; aliàs daretur per quemlibet contactum,aut per visionem Eucharistiæ, neque esset necessaria sumptio ad effectum; quæ omnia sunt absurda. Neque post sumptionem aliquid est, quod expectetur:quia sanè iam homo manducauit, &, licèt statim moreretur, vel non posset alterare, seu digerere species, consequeretur effectum. Tertiò, quia alia sacramenta dant suum effectum in vsu; ergo & hoc,cùm applicatur ad vsum: applicatur autem per manducationem. Quia verò manducatio in quodā motu successiuo consistit, difficultas est, an in toto illo,aut in qua parte,aut instanti eius detur hic effectus. Ratio autem dubitandi est, quia non potest dari in toto motu,nam gratia sacramentalis vno instāte perficitur; quæ ratio etiam probat de quaslibet parte illius motus. Neque etiam potest dari in instāte initiatiuo, quia cùm illud sit vltimum non esse, nondùm in illo manducatio facta est: neque etiam dari potest in aliquo instante continuatiuo,tū, quia nullum est primum, & de cæteris non est maior ratio de vno,quàm de alio;tum etiam,quia in nullo illorum est perfecta manducatio. Nec denique in instante terminatiuo,tum,quia in illo iam non est mā ducatio; tum maximè, quia nullum potest signari primū instans,in quo Christus sit manducatus:quia Christus est in toto,& in qualibet parte specierum: sed non datur prima pars specierum,quæ manducata sit: ergo nec datur primum instans in quo Christus manducatus sit: ergo nec potest dari primus aut certus terminus manducationis, in quo detur hæc gratia.

Maior. Circa hanc difficultatem Maior in 4. dist. 9. q. 1. duos dicendi modos excogitauit; ad quos examinādos supponendum est ex tractatis suprà de sacramētis in genere,& ex communi sententia,hoc sacramētum maiorem gratiam conferre homini meliùs disposito non solùm ex opere operantis, vt significāt *Victoria. Ledesm. S. Thom. Alens.* Victoria in sum. nu. 76. de Eucharist. & Ledes. in 4. par. 1. q. 22. art. 4. sed etiam ex opere operato, vt docet D. Thom. q. 69. art. 8. Alens. 4. p. q. 21. memb. 5. & alij Doctores in 4. dist. 4. quos suprà retuli, & referunt ac sequuntur Corduba libro. 2. quæst. Theol. *Cordub. Soto.* q. 3. Soto dist. 6. q. 1. art. 6. & fauet multùm Concil. Trid. sess. 6. vt citato loco de sacramentis in genere annotaui;vbi etiam ostendi, hanc esse conuenientiorem rationem institutionis,magisque accommodatam ad humanos mores, & ad modum efficiendi cuiuscunque causæ, quæ,cæteris paribus,magis operatur;in passum meliùs dispositum. Hoc ergo supposito,primus modus dicendi Maioris est,hoc sacramentum dare suum effectum in instante manducationis,in quo inuenit hominem meliùs dispositum. *1. Modus dicendi reijcitur.* Sed hic modus est voluntariè confictus, & non satisfacit. Primò,quia ante omnia necesse est, vt sufficiens manducatio;seu applicatio sacramēti facta sit, quia ante illam,etiam si homo sit optimè dispositus, multoque meliùs, quàm in ipsa sumptione futurus sit,non recipiet effectum: quia nondum recipit sacramentum;si autem iam supponitur sacramentum suffi-

sufficienter applicatum,& homo est ita dispositus, vt non ponat obicem,non expectabit sacramentū meliorem dispositionem futuram,sed statim dabit suum effectum. Primò,quia agit ad modum causæ naturalis. Secundò,quia omnia sacramenta conferunt effectus suos statim ac applicantur ad vsum, qui vsus de se est certus & determinatus independenter à futura dispositione sumentis. Tertiò quia effectus sacramenti non debet pendere ex præscientia Dei de futura meliori dispositione sumētis,alioqui ex simili præscientia futuri obicis posset impediri effectus. Tandem hic modus non est vniuersalis,quia sæpissimè accidere potest,vt toto illo tempore sit vniformis dispositio sumentis, quid ergo tunc dicendum erit?

2. Modus dicendi Maioris. Secūdus modus dicēdi huius autoris est, hoc sacramentū conferre gratiam successiuè toto tempore sumptionis. Quem modum impugnat Soto duabus rationibus. Prima est suprà tacta inter arguendum:quia gratia datur in instanti. Secunda quia alia sacramenta conferunt effectus suos in instante. Hæ tamen rationes non videntur conuincere: quia,licèt productio formæ sit instantanea, intensio & augmentum potest esse in tempore propter applicationem agentis,vel alias occasiones, vt planè constat in productione & intēsione lucis, & idē accidere potest in augmento gratiæ,quod fit per cōtinuum meritum operantis:nam, cùm meritum sit sufficiens causa talis augmenti,si meritum cōtinuè maius est,vel propter perseuerantiam in eodē actu, vel propter continuam intensionem maiorem eiusdem actus,etiam maius augmentum eiusdem gratiæ erit continuum, cùm ergo effectus per se huius sacramenti sit augmentum gratiæ & caritatis; ex parte talis effectus non repugnabit successiuè dari, si ex parte ipsius causæ aliqua sufficiens ratio talis successionis assignetur. In quo(vt de secunda ratione dicamus)non est eadem ratio huius, & aliorum sacramentorum:alia enim successiuè fiunt & transeunt,& in instante, in quo consummantur, conferūt effectū,& quia ampliùs non sunt,actionem continuare nō possunt:quia tantùm sunt in vsu,& tūc simpliciter esse incipiunt,quādo vsus perficitur, & statim etiam desinunt, & ideò nō possunt agere in tempore:at verò hoc sacramentum est permanens, & factum supponitur ante vsum: applicatur autem ad agendum per ipsum vsum,& totum integrū permanet toto tempore manducationis & vsus; & in qualibet parte & instanti illius temporis,& ideò ex hoc etiam capite non repugnabit,quin toto illo tēpore agat. Rationem autem huius successionis nullam aliam Maior assignat,nisi quia Christus ita statuit,dare,scilicet,gratiam in tota manducatione huius sacramenti,iuxta illud, *Qui manducat me, viuet propter me*:quia nō est maior ratio de vna parte, vel instante manducationis,quàm de alijs. *Absolute reijcitur modus prædictus.* Vnde sentit hunc modum efficientiæ successiuæ esse vniuersalem in hoc sacramento,qualitercunque sit subiectū dispositum. Sed hæc sententia sic explicata mihi omnino displicet. Primò quidem, quia nullo sufficiente fundamento nititur,nam,quòd Christus promiserit gratiam manducantibus hoc sacramētum, nullum argumentum est,dādam esse gratiam toto tempore māducationis,sicut,quod promittitur fieri in hac hora,non necessariò intelligitur continuè efficiendum per totam horam,sed intra illam, siue in toto,siue in parte,siue in instante illius fiat. Secūdò,quando causa est efficax,& subiectum æquè dispositum applicatur sufficienter, statim agit quantū potest;& ideò tunc non est successio: sed Christus instituit hoc sacramentum,sicut & cætera, conferendo illi virtutem & modum causandi maximè proportionatū perfectioribus causis:ergo irrationabiliter hic fingitur successio in actione ex sola volūtate Christi,si in rebus ipsis nullum est fundamentum,vel ratio talis successionis:sæpe autem nullum est huiusmodi fundamentum,quia sacramentū semper est idem,& æquè efficax, totumque sufficienter applicatur in quacunque parte vel instante manducationis,nec per successiuā manducationem magis ac magis applicatur: quia totum est in quolibet puncto illius:ergo,si alioqui subiectum sit æquè dispositum,nulla erit ratio successionis. Tertiò, necesse est assignare aliquod instans manducationis, in quo incipiat fieri huiusmodi effectus, vt per se constat:inquiro ergo,an in illo instante incipiat tantū extrinsecè actio sacramenti per vltimum non esse, vel intrinsecè per primum sui esse. Si hoc secundum dicatur,necesse est etiam dicere, simul quoque tūc fieri aliquem gradum gratiæ, vel aliquam partem, qua verè augeatur gratia præexistens: ergo gratis dicitur,posteà continuari illam actionem, & ampliùs augeri effectum,si subiectum non est ampliùs dispositum. Si verò dicatur primum, non videtur posse generaliter defendi,quia interdum datur prima gratia per hanc manducationem,quæ semper in instanti,& nō successiuè fit: & præterea explicare deberet hic autor,quod sit illud instans manducationis,in quo incipit actio sacramenti: in hoc enim versatur præcipua ratio huius difficultatis,quā ipse in vtroque dicendi modo inexplicatam reliquit. Tandem sequitur ex hac opinione,eum,qui hostiā maioris quantitatis recipit,cæteris paribus, recipere maiorem effectum,quia tunc manducatio lōgiori tēpore durat:ergo,si toto illo tēpore durat actio, magis augebitur gratia;& idem erit de illo, qui lētiùs accipit cibum & potum. Respondet Maior negando sequelam,quia illa actio,quanuis maiori tempore duret,nō fit æquè intense,quia Deus (inquit) certum eundemq; gradum gratiæ statuit dare per quācunq; manducationem Eucharistiæ. Vnde,siue manducatio breuiori,siue longiori tempore duret, ita Deus accommodat velocitatem vel tarditatem actionis suæ,vt in fine vtriusq; manducationis idē gradus effectus sit. Sed hæc respōsio impugnata est ex dictis,tum quia est voluntaria, tum etiam quia effectus & actio sacramenti,vt sæpè dixi,esse debet determinata,& non pendens ex accidentarijs euētibus,præsertim corporalibus,nihilque ad effectum sacramenti pertinentibus,vt sunt quantitas hostiæ, vel difficultas traijciendi illam.

Aliquis terminus debet dari indiuisibiliter diuidens manducationem à non manducatione. Vt ergo rem totam aperiamus,supponēdum est, necessariò assignandum esse aliquem terminum indiuisibilem diuidentem manducationem à nō māducatione antecedente,qui terminus non solùm in tempore (quod manifestum est) sed etiam in ipsis partibus, seu organis humani corporis intercedit: nam, cùm manducatio consistat in transitu cibi per guttur ad stomachum,quādiu cibus est in ore, nondum manducatur propriè,quia nondum traijcitur:quando verò iam ad stomachum peruenit,iam etiam non manducatur,quia iam traiectus est: ergo necesse est intercedere aliquem terminum indiuisibilem, quem Deus vel angelus nouit, & nos men-

te concipimus, diuidentem totum spatium quasi externum in quo cibus non manducatur ab interno spatio gutturis, per quod dum cibus actu & intrinsecè transit, tunc propriè & intrinsecè manducatur. Vnde etiam necesse est, in duratione, & successione temporis assignare aliquod instans, in quo cibus peruenit ad prædictum terminum, quod instans diuidit non manducationem à manducatione tãquam finis vnius, & initium alterius, nam vsque ad illud instans nondum cibus manducatur: quia nondum ab ore traijcitur: tunc autem incipit extrinsecus terminus mãducationis: quia immediatè post illud traijcietur. Quo etiam fit: vt in illo instante incipiat sacramentalis actio huius sacri cibi: quia ante illud certum est non inchoari, cùm ante illud instans non manducetur. Quomodò autem in illo instante incipiat, aut fiat hic effectus, id explicandum relinquitur.

Eucharistia simul & nõ successiuè cõfert suum effectum.

Circa quod dicendũ in primis videtur, sacramẽtum Eucharistiæ conferre totum suum effectum simul & non successiuè, si ex parte subiecti nulla sit ratio successionis, ob successiuum augmentum dispositionis. Hæc conclusio, quoad priorem partẽ, est communis, vt ex autoribus citatis & citandi cõstat, quam sufficienter probant, quæ cõtra Paludanum adduximus, præsertim illa ratio, causa efficax simul producit totum effectum suum, quãdo nec in passo, nec ex parte effectus est repugnantia, hoc autẽ sacramentum est causa de se efficax, & gratia de se producibilis est in instante in quocunque gradu, cùm sit qualitas permanens, & maximè cùm nõ habeat proprium contrarium positiuum. Denique ex parte subiecti supponitur eadem dispositio, seu indifferentia. Propter quod addidi posteriorem cõclusionis partem: nam, si ex parte subiecti sit aliqua varietas, non repugnabit, vt censeo, effectum sacramenti successiuè augeri, vel successione continua, vel discreta: hæc autem varietas non est considerãda in materiali seu corporali applicationem sacramenti secundùm pauciores vel plures partes specierũ, vt Maior existimasse videtur: hoc enim nihil refert, quia, cùm totus Christus, totũq; sacramentum hoc sit in qualibet parte, quælibet applicatio de se sufficit ad totum effectum, si cætera sint paria. Igitur varietas, quæ ad rem pertinet, consideranda est in dispotione recipientis: nam cùm hoc sacramentum det maiorem gratiam meliùs disposito, si subiectũ circa finẽ manducationis sit meliùs dispositũ, quàm in initio, maiorem gratiam recipiet, quam si non fuisset magis dispositum, illam autem gratiam non recipiet simul, sed successiuè, ergo. Maior patet primò, quia totum tempus manducationis est tempus aptum, vt conferatur gratia: ergo datur iuxta perfectissimam dispositionem concurrentẽ in quacunque parte manducationis. Secundò, quia, si contingeret peccatorem in initio manducationis non esse sufficienter contritum & in progressu manducationis perficere contritionem suam, non priuaretur effectu sacramenti: quia absolutè loquendo iam dignè manducat, & non ponit obicem sacramento in ipso vsu eius: ergo maiori ratione, qui in principio fuit dispositus, & in fine magis perfecit dispositionem suam, non priuabitur maior fructu respondente maiori dispositioni. Tandem, hoc à fortiori cõstabit ex his, quæ dicemus sequẽtibus sectionibus, vbi ostendemus, quãdo cõmunio fit per plures sumptiones partiales & discretas, augeri effectum per secundã, si aucta est dispositio subiecti, nam, si hoc verum est, idem erit in præsente, nam quòd species sint continuæ, vel discretæ, valde accidentariũ est & per accidens ad propriam rationem & efficaciam huius sacramenti. Minor autem propositio, nimirũ, quòd huiusmodi augmẽtum talis effectus debeat necessariò fieri successiuè, probatur facilè, quia cum in principio manducationis sacramenti subiectum sit dispositũ & sine obice, statim recipiet aliquã gratiam proportionatam suæ dispositioni, quia nihil est quod impediat, vt probatum satis est contra primũ modũ dicendi Maioris: sed posteà sequente tempore, vt suppono, augetur dispositio, & cum illa effectus: ergo priùs tẽpore fit vna pars huius effectus, quàm alia: hoc autem ipsum est fieri successiuè. Atq; hinc etiam constat, hanc successionem interdũ esse posse continuam, interdum verò discretã, vt si dispositio continuè augeatur, continuè etiã augebitur effectus propter rationem factã, quæ eadem proportione applicanda est. Potest autem dispositio continuè augeri duobus modis. Vnus est per continuam intensionem maiorẽ eiusdem actus, possunt enim vitales actus continuè augeri, sicut aliæ qualitates. Alius modus est solùm per continuam durationem eiusdem omnino actus: nam, licèt talis actus non fiat melior physicè, tamen propter maiorẽ perseuerantiam, seu continuationẽ illius, fit dispositio moraliter melior, vt cõstat ex. 1. 2. q. 18. nam qui toto illo tempore, quandiu sacramentum traijcit, in actu amoris Dei vt quatuor perseuerat, digniori certè & laudabiliori modo manducat, quàm qui in initio tantùm manducationis similem actum habuit, & statim ab illo destitit: ergo ille maius recipiet augmentum caritatis: ergo illud augmentum continua successione fiet in illo tẽpore, quia, & est eadem ratio de toto illo tempore, & in toto illo continuè crescit dispositio. Nec tamẽ sequitur, hoc augmentum fore infinitum, quia ipsius etiam dispositionis augmentum finitum est moraliter, & fit per partes proportionales tempori correspondentes, vt latiùs alibi dictum est de merito per continuationem actus. Per discretam autem successionem potest hoc augmentum fieri, si priùs in vno instãte communicans habeat vnum actum; & posteà in alio instante habeat aliquem æqualem, vel maiorem, in tempore autem medio cesset ab operando, vt facilè constabit applicando doctrinam datam: iuxta quam etiam intelligendum est hoc augmentum non esse conferendum iuxta æqualitatem ad singulos actus, sed iuxta proportionem & excessum vnius ad alium, vel physicum ratione maioris intensionis, vel moralem ratione multiplicationis plurium actuum. Neque contra hunc modum successiuæ actionis video rationem aut difficultatem alicuius momenti, quanuis aliquibus difficilis videatur: si quæ tamen hic potest esse difficultas, statim explicabitur, & qua ratione posset etiam contrarium defendi.

Probabile est Eucharistiam nõ cõferre suum effectum in primo aliquo instanti nostri temporis.

Dico secundò, quanuis hoc sacramentum simul conferat totum effectum suum, probabile nihilominùs est, non conferre illum in primo aliquo instante nostri temporis, sed solùm in intrinseca duratione indiuisibili coexistente alicui tempori nostro, & non alicui primo instanti. Declaratur, quia dictum est, dari vnum terminum indiuisibilem diuidentẽ spatium per quod fit manducatio, ab alio, in quo non fit, & consequenter dari etiam vnum instans, in quo

in quo cibus peruenit ad illum terminum, quod est vltimum non esse manducationis: ergo necesse est dicere, in illo instante nondum esse effectum sacramenti: quia sacramentum non agit, donec manducetur: sed tunc non manducatur: ergo neque tunc agit, & eadem ratione concluditur, acturũ esse immediatè post illud instans, quia immediatè post illud iam manducatur: ergo in ordine ad nostrum tẽpus incipit agere hoc sacramentum per vltimũ non esse actionis, seu effectus. Et confirmatur, nam post illud instans nõ potest assignari aliquod, in quo primò agat hoc sacramentum: quia, quolibet signato, præcessit aliqua manducationis pars sufficiens ad actionem: ergo, vel per nullam partem manducationis fit actio, & ita nũquam fiet, vel ante quãlibet signatam iam facta est: quia non est maior ratio de vna quàm de alia: tantùm ergo incipit extrinsecè in ordine ad nostrum tempus. Quòd verò in intrinseca duratione sua sit indiuisibilis, patet, quia intrinsecè est tota simul, & non pars post partem, vt in prima conclusione ostensum est: neque repugnat, durationem in se indiuisibilem incipere coexistendo successiuè tempori nostro: sicut non repugnat eodẽ modo esse, quia tota coexistit toti tempori, & tota etiam est in qualibet parte, vel instante intrinseco nostri temporis, quod commune est alijs rebus permanentibus, & indiuisibiliter incipientibus, post instans nostri temporis, vt constat ex philosophiã.

Obiectio.

Solùm potest hic obstare, quia necessariò fatendum est, illam actionem sacramenti durare pro aliquo tẽpore nostro: non potest autem certum tempus assignari pro quo duret: quia quocunque signato minus sufficit, solùm autem videtur durare tempore necessario ad effectũ: quia aliud superfluum est & gratis confictum.

Solutio.

Respondetur, concedendo primam sequelam, & consequenter necessariò esse determinãdum aliquod certum tempus nostrum, pro quo duret illa actio: quia oportet illud tempus esse finitum, & inter duo instantia clausum: ergo certũ & determinatum: hæc autem determinatio altero tantùm è duobus modis videtur posse intelligi. Primo, quòd illa actio duret toto tempore manducationis sacramenti, non per modum nouæ productionis continuæ, vt dicebat Maior, sed per modũ conseruationis: quia non est maior ratio de vna parte, quàm de alia, & quia toto illo tempore adest eadem causa cum eodem genere applicationis. Secundò dici potest, necessarium fuisse, vt Christus in sua institutione determinauerit suo arbitrio & voluntate, quanto tempore duratura esset talis actio: quia non poterit alia ratione determinari.

Probabile est hanc actionem fieri in instanti nostri temporis.

Dico tertiò, probabiliter etiã defendi posse, hũc effectum fieri in instante etiam nostri tẽporis: hoc suadet opinio Theologorum, qui frequentiùs ita sentire videtur. Itẽ obiectio nuper facta cõtra præcedentem conclusionem, nã responsiones datæ non omnino satisfaciunt, & saltem suadent, si per momentaneam omnino actione satis potest hæc efficiẽtia intelligi, superfluam esse illam diuturnã, vel voluntariam conseruationem eiusdem actionis. Denique hoc per se loquendo est magis connaturale rei permanenti. Modus autem declarandi instans, in quo fit hæc actio, potest esse triplex.

1. Modus explicandi conclusionem.

Primus est, vt hic effectus fiat in illo primo instante, in quo cibus peruenit ad illum terminum diuidentem spatium internum, per quod fit manducatio, ab externo. Solum potest contra hoc obstare ratio facta in secunda conclusione, quia in illo instante, nondum manducatur Christus, quia nondum manducatur panis hæc enim denominatio non redundat in corpus, nisi medijs speciebus panis: corpus autem Christi, nõ confert gratiam, nisi manducatum. Dici verò potest, quia totum corpus Christi est in qualibet parte specierum, & in qualibet superficie, vel puncto earum, ideo, cum primum peruenit ad prædictum terminum, dare gratiam sacramentalem, quia, cùm ille terminus sit continuans interiorem partem gutturis cum exteriori, est intrinsecus veri que earum, & ideò iam totus Christus dici potest sufficienter, & intrinsecè applicatus ad illum effectum. Quod ita potest commodè explicari, nam quando cibus materialis manducatur, quãuis, cùm primùm attingit illum terminum, nondum traijciatur, nec manducetur, quasi materialiter quoad motum localem, tamen quoad aliquam vim agendi vel patiendi, tunc incipit esse sufficienter applicatus, ita vt, vel tunc primò attrahi possit, vel alterari ab interiori virtute nutritiua, cùm antea non posset, nam hæc applicatio in instante perficitur, & ita formaliter, & quoad vim agendi, vel patiendi dici posset manducatio intrinsecè incipere: sic igitur in eodem instante incipiet spiritualis nutritio, quæ fit per hoc sacramentum, & incipiet simul tota: quia hæc nutritio est ab ipso cibo, & non ab homine, qui nutritur, verus autem cibus est ipse Christus, qui totus iam tunc est applicatus.

2. Modus explicandi conclusionem.

Secundus modus esse potest, non incipere hanc actionem, donec species sacramentales incipiãt deglutiris, ita vt non solùm attingant, sed etiam pertransire incipiant prædictum terminum, à quo incipit propria manducatio. Quia verò in illa manducatione seu transitu sunt infinita instantia, ad assignandum vnum, in quo, & manducatio duret, seu continuetur, & fiat effectus, dici potest, illum non esse vltimum, quia in eo iam non est, nec continuatur mãducatio, sed esse vnum aliquod intermedium, illud, videlicet, in quo maxima pars specierum deuorata est: quia tunc iam videtur manducatio virtute perfecta, quoniam illa pars, quæ traiecta est, sufficiens est suo pondere alias secum trahere. Sed hic modus videtur valde incertus, & voluntariè excogitatus. Item fortasse non semper potest dari punctum, vel instans primum, in quo pars maior specierum manducata sit: sed dabitur instans, in quo medietas specierum primùm sit traiecta, & immediatè post illud transibit maior pars: vnde, sicut non datur maxima pars post medietatem, ita nec dabitur primũ instans, in quo aliquid maius medietate manducatum sit. Denique inde fieret, propter solam specierum magnitudinem differri effectum, cæteris paribus, quod non videtur rationabile. Item possunt inferri alia incommoda, quæ in tertio modo proponam.

3. Modus explicandi conclusionem.

Tertius modus est, effectum non dari vsque ad illud primum instans, in quo tota hostia, seu formula manducata est, seu in quo stomacum attigit, & finitur motus manducationis. Et ratio reddi potest, quia non censetur manducatio, & vsus sacramenti perfectus vsque ad illud instans: promissio autem facta est manducationi, scilicet, perfectæ: antea enim Christus manducatus non est: quia Christus in illa hostia habet vnam presentiã totalẽ & ideò, donec secundùm totam illam præsentiam transierit ab ore vsque ad stomachum, nõ dabit ef-

Universidad de Deusto Biblioteca

fectum. Quòd si hic modus verus est, cessant omnia suprà dicta de successiua actione huius sacramẽti in manducatione ipsa, quia iam non potest esse varia dispositio in subiecto manducante, sed tota erit consummata in illo instãte. Sed hic modus hoc sensu explicatus, est valde rigorosus, & plures continet difficultates, quas statim attingam, sed illa est maximè propria, quòd in illo instante iam Christus non manducatur, sed manducatus est: Christus autem non tantùm promisit gratiam ei, qui se mãducauit, sed manducanti se. Quod ita declaro. Finge hominem, qui sacramentales species reuerenter accepit, & ab ore traiecit, mori priùs, quàm species ad stomachum perueniant, ille iuxta prædictam sententiam periret sine effectu sacramenti: quia perijt ante perfectum vsum eius, & ante illud instans, in quo daturum erat suum effectum: consequens autem videtur contra Christi promissionem, *Qui manducat me, viuet propter me*: nam de illo homine verum fuit dicere, hic dignè manducat Christum.

Et ideò posset hic modus leniri & aliter declarari, dicendo, non expectari tantum temporis, vt detur effectus, sed solùm, quòd tota sacramentalis formula, seu buccella pertranseat suprà dictum terminum, in quo incipit manducatio, ita vt illud instans in quo vltima superficies sacramenti attingit intrinsecè terminum illum, sit illud, in quo datur effectus quia iam totum sacramentum & manducatur, & intrinsecè manducatum est, & hoc sensu est hic modus aliquantulùm probabilior, & in eo locum habent, quæ suprà dicta sunt de successione actionis, quia post illud instans superest magna pars manducationis, in qua potest dispositio subiecti perfici. Sed etiã in hoc sensu sunt difficultates. Primò enim etiam hic habet locum illa difficultas, quòd magnitudo specierũ retardaret effectum cæteris paribus. Secunda est, quòd sola etiam continuitas speciei retardaret effectum. Finge enim, aliquem accipere hostiam in plures partes diuisam, priùs vnam, & postea aliam, tunc post traiectionem primæ particulæ statim daretur effectus, & tamen si mãducasset hostiam integram, quanuis traiecisset partem continuam æqualem vel maiorem alteri diuisæ, non statim acciperet effectum iuxta hanc sententiam, donec totam hostiam traijciat: ergo per solam continuationem retardaretur effectus, vel omnino etiã impediretur, si cõtingeret, hominem mori in eo instante: consequens autem est valde absurdum: quia continuitas vel diuisio specierum est valde accidẽtaria ad vsum, & fructum huius sacramenti, cùm æquè adsit Christus in partibus continuis, & diuisis, & æquè sit vnum sacramentum, & vna communio, vt ex sequente sectione constabit. Et hæc ratio conuincit de quacunque particula specierum, quantunuis minima, vel separata, vel designata in toto continuo. Item, quia vtroque modo verum est dicere, hunc hominem iam manducare totum Christum, quanuis non manducauerit totam quantitatem specierum, promissio autem gratiæ facta est manducanti Christum. Quocirca tota hæc res videtur incerta, & Christi Domini sapientiæ & arbitrio remittenda, omnibus tamen pensatis, ex tribus his modis primus videtur minora habere incommoda, satisque probabiliter explicari per analogiã ad materialem nutrititionem, magisque commendare efficaciam huius sacramenti, Christique in gratia communicanda largitatem.

SECTIO V.

Vtrùm plures species sacramentales eiusdem rationis successiuè manducatæ cõferant vnum, & eundem effectum, & quando illum tribuant.

QVæ in præcedente sectione diximus, procedunt de vnica manducatione Eucharistiæ, tam morali, quàm physica, contingit autem sæpè idem sacramẽtum per partes, ita vt priùs tempore manducetur vna pars specierum, & illa manducatione finita, alia tempore posterior fiat, quæ, licèt sit alia physicè, non tamen moraliter vt suprà diximus agentes de vnitate huius sacramẽti: nam, si communiones sint moraliter etiã distinctæ, nõ est dubium, quin in singulis dentur diuersi effectus. Sed quando cõmunio est vna moraliter, & fit prædicto modo per partes, difficultas est tam de effectu, quàm de tempore in quo datur. Agimus autem nunc de partibus specierum eiusdem rationis, quales sunt species panis inter se collatæ, vel species vini inter se, partes autem diuersarum rationũ erunt species panis & vini inter se comparatæ, de quibus in sequente sectione est dicendum.

Ratio autẽ difficultatis est, quia vel effectus datur per partes in singulis sumptionibus, & hoc nõ; quia, vel in singulis partialibus sumptionibus daretur tãtus effectus, quantus in vna earum daretur, si sola fieret per modum totius, vel minor. Primũ dici non potest, quia aliàs per illas sumptiones darentur plures effectus integri non minùs, quàm si illæ essent plures cõmuniones moraliter distinctę, quod est planè absurdum. Secundum etiam dici non potest, quia vna illarum sumptionum non potest impedire aliam, quominùs in ea totus effectus detur, qui dandus esset, si sola illa fieret. Aut hic effectus datur simul totus in vna ex his sumptionibus, & hoc etiam est difficile, quia, si hic effectus datur in prima sumptione partiali, cur sequentes sunt priuatæ omni effectu? si verò datur in secunda, aut vltima, si plures sint: cur prima sumptio priuanda est effectu, quem haberet si sola fieret?

Idē consequitur effectus per vnam communionem siue sumantur hostiæ totæ simul per se, vel successiuè. S. Thomas.

In hac re primò statuendum est, in huiusmodi cõmunione, cæteris paribus, ex parte sumentis non dari maiorem gratiæ effectum, quàm si tota cõmunio simul physicè fieret, vel in vna forma cõtinua specierum. Hoc sumitur ex D. Thoma hic art. 7. ad tertium, vbi dicit, *si aliquis simul in vna Missa multas hostias consecratas sumat, non participabit maiorem effectum sacramenti*, & rationem reddit, *quia non plus virtutis est in multis hostijs consecratis, quã in vna, cùm sub omnibus & sub vna non sit nisi totus Christus.* Loquitur autem sine dubio de simultate morali, & non tantùm de physica, quia hæc est impertinens; & quia vix contingit, plures hostias simul manducari eodem physico tempore. Et confirmatur prætereà quia, vel illa est duplex communio moraliter, vel vna. Non primum, quia aliàs illicita esset talis communio, quia non licet bis eodem die communicare: est ergo vna communio, vt latiùs etiam citato loco dictum est: ergo vnus datur effectus per se ac integer & totalis. Confirmatur secundò, quia aliàs fructuosius esset Sacerdotibus sumere partes hostiæ fractæ successiuè vnã post aliam, quàm simul vtrãque,

que, quod est vanum, & dictu superstitiosum.

Eucharistiæ effectus datur totus simul per se loquendo.

Dico secundò. Hic effectus non datur per partes in singulis sumptionibus, sed simul totus per se loquendo: hoc conuincit ratio dubitandi in principio facta, & à fortiori sequitur ex dictis sectione pręcedente: nam, quando species sunt continuæ, effectus datur simul totus, per se loquẽdo: ergo idem erit, etiam si species sint discõtinuæ, vel in ipsa sumptione discontinuentur, vt si quis vno haustu continuo bibat totum calicem, vel pluribus, id impertinens est, vt effectus detur simul, aut per partes, quia vt sæpè dixi, continuitas vel discretio specierum non variat effectum, & hæc assertio magis patebit ex sequenti. Dico autem, per se loquendo, quia ex dispositione subiecti potest esse aliqua successio, iuxta dicta in præcedente sectione, vt statim etiam explicabitur.

Hic effectus datur in prima sumptione partiali.

Dico tertiò, hũc effectum dari in prima sumptione partiali, & in primo instante eius iuxta modum, quem elegimus præcedente sectione. Priorem partem probat sufficienter ratio dubitãdi in principio posita, addendo, quod sæpè dixi, effectum sacramẽti non debere pendere à futuro & contingente euẽtu, quòd enim post primam illam sumptionem partialem futura sit alia, contingens est, & accidentarium: non ergo inde pendere debet effectus, qui sine dubio daretur in prima sumptione, si illa esset sola. Confirmatur, & declaratur: nam fingamus, Sacerdotem successiuè sumentem partes hostiæ fractæ mori, sumpta prima, antequàm possit sumere secundam: nunquid priuaretur effectu sacramenti? Non quidem. Nam, si voluntariè decreuisset sumere solã illam partem, consequeretur effectum: ergo multò magis, si ob impotentiam solam illam sumat: datur ergo effectus in prima partiali sumptione. Nec recurrendum est ad præscientiam Dei de partiali sumptione futura: nam hoc est impertinens ad effectum sacramenti, vt differatur, vel statim detur. Et confirmatur, quia in prima sumptione est manducatus totus Christus, & ita in illa iam habet locum promissio gratiæ. Et ad hunc modũ applicari possunt omnes rationes factæ in sectione præcedente. Quibus etiam probanda est posterior pars conclusionis quia eadem est ratio de communione vna moraliter, vel etiam physicè, & de speciebus continuis vel discretis: nam quacunque ratione totus Christus primùm manducatur, vel applicatur, confert effectum. Item, quia non potest assignari aliud tempus, vel instans primæ sumptionis partialis, in quo dari potest hic effectus.

Obiectio.

Sed contrà, quia in sacramento Extremæ vnctionis non datur effectus vsque ad vltimam vnctionẽ, vt suo loco dicetur, & docet Diuus Thomas in additionibus quæst. 30. artic. 1. ad. 3. ergo similiter in præsente. Item, quia hæc communio est, moraliter loquendo, vna, constans ex multis communionibus, ergo recipit complementum suum in vltima quæ est tanquam forma totius: ergo vsque ad illam non datur effectus: quia hic non datur vsque ad completum vsum sacramenti. Tandem, quia aliàs per secundam & tertiam huius sacramenti sumptionem nihil prorsus fieret, cùm tamen vtraque hæc sacramenti sumptio sit tam vera manducatio Eucharistiæ, sicut prima.

Solutio.

Respondetur ad primum argumentum, id verum esse, si loquamur de vltima vnctione essentiali sacramento, & ideò non est omnino, quoad hoc, similis ratio, quia vsque ad illam vltimam vnctionem sacramento essentialem non est ipsum Extremæ vnctionis sacramentum, in præsenti autem totum Eucharistiæ sacramẽtum est à principio, vt suprà abundè satis declaratum est. Ad secũdum autem, quod obijciebatur, dicimus, id esse verum, loquendo de tota sumptione quoad species sacramentales, non verò quoad manducationem ipsius Christi, in quo est tota virtus huius sacramenti & totus est in toto, & totus in singulis partibus, & ideò non oportet expectare complementum totius manducationis, quantum ad species visibiles, vt à fortiori patet ex dictis præcedente sectione. Ad tertium respondetur, illud nullum esse inconueniens: nam hæ sumptiones, licèt physicè distinctæ sint, nõ sunt tamen considerandæ, vt integræ communiones, seu vsus sacramenti, sed vt integrantes vnã cõmunionem moralem, per quam vnus datur effectus quem non est necesse dari per totam illam per se primò, seu per omnes partes eius, sicut cætera sacramẽta, quæ consistunt in vsu, non agunt per omnes partes, sed per vltimum terminum, in quo consummãtur: hoc autem sacramentum è contrariò, quia factum supponitur, & statim in initio totum applicatur, ideò in ipso etiam initio manducationis operatur. Vnde, sicut in manducatione, quæ vnico continuo motu fit, circa easdem species continuas, vel simul sumptas, non est inconueniens, quòd in posterioribus partibus manducationis nihil noui fiat, sed effectus tribuitur toti, ratione partis: ita in manducatione, quæ fit per partiales motus discretos, nullũ est inconueniens in posterioribus sumptionibus nihil noui fieri: quia etiam ex illis omnibus fit vnum totum, quod per partẽ suo modo operatur: & quia in hoc continuitas, vel discretio nihil refert, vt sæpe dictum est.

Addo tamen, hæc esse intelligenda & limitanda iuxta doctrinam datam in præcedente sectione, id est, per se loquendo, & quantum est ex parte sacramenti, existẽteque eadem dispositione ex parte subiecti: nã, si hæc varietur, seu perficiatur, fieri potest, vt aliqua gratia detur in posteriori sumptione partiali, quæ non est data in priori. Vnde, si contingat sacerdotem successiuè sumentem partes hostiæ, dũ sumit priorem partem, habere obicem, seu non esse attritum, cùm verò sumit partem posteriorẽ, iam esse dispositum & contritũ, recipiet effectum gratiæ in secũda sumptione partiali, quem non sumpsit in prima. Probatur, quia ille iam manducat corpus Christi Domini dignè: ergo recipiet effectum. Itẽ quia dictum est, virtutem conferendi gratiam ita applicari per manducationem, vt æquè applicetur per totam, & per quálibet partem eius, quia semper applicatur totus Christus, sed in vna parte huius sumptionis applicatur hæc virtus subiecto rectè disposito: ergo cõfert effectum. Itẽ, quia, si prior sumptio non præcessisset, sequens daret effectum subiecto disposito: sed, quòd prior præcesserit, non impedit, quia peccatũ, quod in ea commissum est, per pœnitentiam etiam deleri potest. Tandẽ, in cæteris sacramentis, quanuis in principio ablutionis, verbi gratia, vel prolationis verborum, homo sit indispositus, si in instante, in quo perficitur sacramentum, iã est dispositus, recipit effectum: ergo erit idẽ in præsente: nã, quoad hoc, est eadem ratio: quia hoc sacramentum, licèt totum sit in priori sumptione, est etiam totum cum eadem virtute in posteriori.

Ex quo vlteriùs fit, si in priori sumptione sub-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iectũ fuit digne dispositum, tamen remissè, recipere tunc effectum proportionatum tali dispositioni: si tamen in secunda sumptione habeat intensiorem seu perfectiorem dispositionem, augeri etiam, seu intendi sacramenti effectum: probatur, quia est eadem proportio hominis indispositi nũc ad se ipsum posteà dispositum; & hominis nunc remisse dispositi ad se ipsum posteà intensè dispositum: nam, & in priori casu nulla data sit gratia, in posteriori autem data sit aliqua, quanuis remissa, non refert, quia gratia danda per sacramentum, non est absolute determinata, sed iuxta dispositionem recipientis: sed in priori sumptione sacramentum non egit, quantum potest facere in subiecto intensè disposito: ergo illud, quod defuit, operabitur in secunda sumptione, quando subiectum iam sic est dispositum. Patet consequentia, quia adhuc durat tota virtus sacramenti, & sufficiens applicatio eius ad agendum. Quod ita secundò declaratur & probatur, quia ex omnibus illis partialibus sumptionibus coalescit vna integra communio: ergo in illa datur effectus proportionatus optimæ dispositioni, quam subiectum habet in illa communione, tum, quia de illo homine sic communicante verum est dicere, non solùm quòd dignè communicat, sed etiam, quod tam dignè, seu cum tanta perfectione communicat, tum etiam, quia virtus sacramenti, & applicatio eius ad operandum, in tota communione durat, & in singulis partibus eius: sed optima dispositio huius subiecti communicantis, non est tantùm remissa, sed etiam intensa: ergo effectus datur, non solùm proportionatus priori, sed etiam posteriori. Præterea, si in prima sumptione ad fuisset intensior dispositio, datus fuisset intensior effectus: ergo, si adest in secunda, ratione illius intenderetur inchoatus effectus. Denique cætera argumẽta hic possunt applicari, scilicet, quòd, si prior sumptio non præcessisset, aut in illa nullus fuisset datus effectus, posteà daretur iuxta dispositionem intensam. Item, quòd in alijs sacramentis, licèt in principio dispositio sit remissa, si in termino sit intensa, datur gratia proportionata illi: idem est ergo in præsente. Nec video difficultatem alicuius momenti, quæ contra hanc doctrinam obijci possit.

SECTIO VI.

Virùm per species sacramentales diuersarum rationum, vt sunt panis, & vini, detur idẽ effectus gratiæ, & quando.

DVplex potest esse sensus huius quæstionis, vnus est, comparando singulas species inter se, vt sensus sit, an, si duo communicẽt, vnus in sola specie panis, alius in sola specie vini, æqualem & omnino eiusdem rationis effectum recipiant, cæteris paribus ex parte sumentium. Alter sensus est, comparando sumptionem vtriusque speciei ad sumptionem vnius tantùm, siue panis, siue vini, quo sensu coincidit quæstio cum illa celebri, an, cæteris paribus, plus gratiæ detur communicantibus sub duabus speciebus, quàm sub vna & in hoc posteriori sensu tractatur quæstio ab omnibus autoribus, in priori autem vix ab aliquo attingitur. Censeo tamen, posteriorem multùm à priori pendere, & ideò hunc priùs esse tractandum, ac explicandum.

Circa priorem ergo partem quæstionis aduertendum est, aliud esse loqui de gratia habituali absolutè, aliud vero formaliter de illa, vt sacramentalis est: nam, licèt hæc non addat ipsi gratiæ habituali aliquam rem intrinsecam, vel nouum aliquem habitum, addit tamen respectum ad speciale aliquod munus, propter quod datur illa gratia habitualis; vel ad aliquem specialem actum, cum proprio & peculiari auxilio actuali: quomodò, licèt omnia sacramenta conferant gratiam habitualem eiusdem rationis, tamen diuersa sacramenta dicuntur dare gratias sacramentales formaliter diuersas, & interdùm per duas partes vnius integri sacramenti contingit, dari diuersas gratias sacramentales, vt per Diaconatum, & Sacerdotium. Vtrumque igitur explicare necesse est circa has partes huius sacramenti.

Dico ergo primò. Sumptio cuiuscunque speciei huius sacramenti, etiam, si per se sola sumatur, est sufficiens ad dandam aliquam gratiam habitualem & sacramẽtalem. Est certa, & indubitata hæc conclusio, nam de specie panis certa fides est, vt constat ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, atque etiam ex verbis Christi Domini, dicentis, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* De specie autem vini, quanuis non sint verba Christi adeò expressa, est autem omnino eadem ratio, vt omnes Catholici Doctores, de hac materia scribentes, tanquam certum, supponere videntur, sed maxima è omnium huic sententiæ fauet Concilium Tridentinum, sess. 21. cap. 1. vbi docet, laicos, & Clericos non conficientes, non teneri ad communicandum sub vtraque specie, *neque vllo pacto, salua fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat.* Est enim considerandum Concilium non sine causa, nec nominasse, nec determinatè locutum fuisse de specie panis, quanuis de illa esset tota cum hæreticis controuersia, sed indefinitè dixisse *alterius speciei*, vt significaret, eỹdem esse rationem de qualibet earum vt quæuis per se sufficere censenda sit, & consequẽter quamlibet per se posse gratiam ad salutem sufficientem dare. Et eodem sensu c. 3 subdit, licèt Christus sub duabus speciebus hoc sacramentum instituerit, *fatendum tamen etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi.* Vbi illa particula, *altera*, in eodem sensu necessariò est intelligenda, scilicet, vt indifferenter de qualibet specie certa sit, quia de fide est, sub singulis speciebus esse totum Christum, & hanc doctrinam fidei intendit tradere Concilium. Vnde in eodem sensu vlteriùs sic concludit. *Ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam solam specie accipiunt*: ergo sicut hoc verum est de accipientibus vnam tantum speciem panis, ita etiam de accipientibus vnam tantùm speciem vini: nam verba Concilij, licèt indefinita, doctrinalia sunt, & vtrique speciei communia. Secundò sumitur hæc sententia ex omnibus Patribus qui quoad effectum gratiæ conferendum, eodẽ modo loquuntur de calice, quo de pane. Vnde Amb. 4. de sacram. ca. 6. lib. 5. cap. 5. dicit, bibendo sanguinẽ inebriari hominem spiritualiter, eique peccata remittit, & Cypr. lib. 1. epist. 63. dicit, subesse martyrium priùs esse dandum sanguinem Domini, vt vires

Sumptio cuiuscunque speciei huius Sacramẽti est sufficiens ad dandam gratiam habitualem & sacramẽtalem.

Ambros.

Cyprian.

res accipiat ad effundendum pro ipso sanguinem. Tertiò interdum vsitatum fuit in Ecclesia aliquibus dare solam speciem vini, vt infrà dicemus, agentes de præcepto: ergo supponebatur, vt certũ, per illam dari gratiam. Quartò illa species est verum sacramentum, vnde significationem habet sacramentalem: quia etiam sumptio vini significat refectionem animi, spiritualem cordis lætitiam, caritatis feruorem, & vnionem membrorum Christi in vno corpore, inter se, & cum capite, & ideò notarunt Cyprian. & Augustin. sicut panis est vnum quid, consurgens ex multis granis tritici, ita vinum esse vnum quid, consurgens ex multis granis vuæ: ergo & hæc species, etiam per se sumpta, habet efficaciã sacramentalem, nam sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant. Vltimo hæc efficientia cõuenit his speciebus propter rem, quam continent: sed æquè continetur totus Christus sub speciebus vini, sicut sub speciebus panis: ergo æquè datur gratia per illas. Atque hoc modo facilè intelligitur facta promissio, Ioan. 6. sumptioni Christi sub specie bus vini, sicut sub speciebus panis: nam verba illa, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*, non copulatim tantum, sed copulatiuè, sunt intelligenda, ita vt de singulis membris diuisim, & distributiuè veritatem habeant, vt patet ex ratione, quâ Christus subdit, *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Vtrúque enim horum non solùm collectiuè, sed etiam diuisiuè, & distributiuè verũ est: sicut etiam illud, quod superiùs Christus dixerat, *Qui veniet ad me, non esuriet, & qui credit in me, nõ sitiet vnquam*: igitur vtrique speciei per se & sigillatim facta est promissio. Nec refert, quod nunquam Christus dixerit similia verba separatim de calice, sicut de pane, tum, quia satis poterat ex vno aliud intelligi, tum etiam, quia id accidere tunc potuit, vel quoniam sermo de ea re fuit, occasione miraculi de quinque panibus, vel quia de manna inciderat sermo, quod manducatum fuit, non potatum, tum denique, quia fortasse Christus præsignificare voluit, vsum panis futurum esse frequentiorem, & cõmuni populo Ecclesiæ aptiorem.

Per sumptionem vnius speciei æqualem conferri gratiam, ac per sumptionem alterius ceteris paribus.

Dico secundò, per sumptionẽ vnius speciei æqualem conferri gratiam habitualem, ac per sumptionem alterius, cæteris paribus. Hæc conclusio, vt existimo, sequitur apertè ex præcedente, quia nulla est ratio, cur vni speciei tribuatur maior effectus gratiæ, quàm alteri: quia promissio est eadem, & eisdẽ verbis, dignitas rei contenta similiter eadem, significatio etiam æqualis est: nullo ergo fundamẽto dici potest, maiorem gratiam conferri per vnam speciem, quàm per aliam. Vnde Concil. Trident. æquè de vtraque definit, eum qui vnam tãtùm earum sumit, nulla gratia ad salutẽ necessaria priuari, quod intellectum de necessitate simpliciter est certissimum, quia hæc necessitas in præsente solũ esse potest necessitas præceptiostendemus autem inferiùs præceptum communionis sufficienter impleri, stãdo in solo iure diuino, sumpta quacunque specie sacramenti, si autem intelligamus illa verba Concilij de necessitate morali, seu ad melius esse, profectò qua ratione hoc sacramentum ab eodem Concilio dicitur antidotũ præseruans à mortalibus, & à Cõcil. Alexand. auxilium opportunum, sine quo vix potest homo in gratia conseruari, eadem ratione id ipsum dici potuit de specie vini per se sumpta: & quidem de specie panis probatur, quia aliàs Ecclesia non satis prouideret fidelibus laicis, dando illis sclã panis speciem. De specie autem vini sumitur argumentum à paritate rationis, & ex ratione, quã Cõcil. Trident. vt præcipuum fundamentum, posuit, quando dixit, sub singulis speciebus cõtineri totũ Christum, *Omnium gratiarũ fontem*, vt intelligamus sub quacunq; specie hunc fontem sumamus, posse nos ex illo hautire omnem gratiam ad salutem, vel necessariam, vel perutilem ac sufficientem.

Non cõferri per vnã speciem gratia sacramẽtalis, distincta formaliter ab ea, quæ per aliã datur.

Augustin.

Cyprian.

Dico ergo tertiò, per vnam harum specierũ non conferri gratiam aliquam sacramentalem formaliter diuersam ab ea, quæ per aliam datur. Hæc etiam sequitur ex præcedentibus, & eisdem fundamẽtis ostendi potest. Primo ex verbis Christi, quæ æqualem promissionem continent: sunt autem accuratè notanda verba illa. Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum: nam, vt Augustin. notat, venire ad Christum, & credere in illum idem sunt: nam fide viua ad Christum accedimus, & tamen huic actui tribuitur, satiare famen, & extinguere sitim spiritualem, vt intelligamus (ait Augustin. tract. 25. in Ioann.) in spiritualibus non esse aliud, famem, quàm sitim, neque alijs bonis, seu gratijs depelli quod etiam notauit idem Augustin. exponens verba Psalm. 103: *Panis cor hominis confirmat*: & significat Cyprian. serm. de Cœna Domini, & colligitur ex illo Ecclesiastic. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, & ex verbis Christi Matthæ. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*: nam, si eadem est materia famis & sitis spiritualis, scilicet, sapientia, vel iustitia, idem etiã erũt potus & cibus spiritualis: idem ergo erit appetitus vtriusque, siue nomine famis, siue potus metaphoricè significetur. Cum igitur hæ duæ species panis & vini ad satiandam famẽ, & extingendam sitim spirituales referantur, ad eundem etiam sacramentalẽ effectum instituæ sunt, quanuis sub diuerso signo semper repræsentetur.

In quo etiam adiungere possumus, quanuis hæ partes, quoad res sensibiles & materialia signa diuersæ sint, tamẽ quoad rationem & modum significandi formaliter etiam conuenire: quia significant per modum vnionis, vel vnius rei coalescentis ex multis granis, vel nutrimenti, quod per vnionem conjungitur, & vnitur sumentibus: ergo conueniunt etiã formaliter in effectu. Præterea, eandem rem sub se continent, & applicant, Christum, scilicet, omniũ gratiarum fontem: ergo omnis gratia quæ per vnã datur, potest dari per aliam: quia virtus conferendi gratiam potissimùm est in re contenta. Præterea, si sacramentales gratiæ harum specierum essent distinctæ, aut esset propter habitudinem ad distincta munera (& hoc non, quia vtraque ordinatur ad nutriendam caritatem, & consequenter ad accendendum feruorem eius, & efficiendam vnionem cum Christo) aut esset propter habitudinem ad diuersa auxilia (& hoc etiam non, quia vtraque species cõfert auxilia eiusdem rationis, æqualia & ad eundem finem ordinata, & ideò, quælibet earum, vt dicebã sufficienter adiuuat hominem ad perseuerandum in vita gratiæ alioqui, si aliquod auxilium daretur per vnam speciem, quod non per aliam, nunquam posset auxiliũ illud obtineri ex opere operato, per alteram speciem, quacunque deuotione & frequentia receptam. Atque ita ex hac parte nunquam pos-

set satis subueniri spirituali hominis necessitati, qui omnibus his auxilijs indiget ad finem caritatis nutriendæ & conseruandæ. Addo denique, non posse facilè cogitari, aut explicari, qualis sit hic effectus formaliter diuersus, aut quodnam auxilium detur per vnam speciem, quod non possit dari per aliam: nam si quis, verbi gratia, fingat, per sumptionem panis confirmari spiritualiter cor, per sumptionem autem vini lætificari, hoc nihil rem explicat: quia his verbis metaphoricis eadē res significatur: quia eadem caritas est, qua, & confirmatur cor, & in Domino lætificatur, ergo.

Obiectio. Sed contra, quia hæ duæ species sunt partes æthe rogeneæ eiusdem sacramenti: sunt ergo diuersarum rationum: ergo conferunt effectus diuersarū rationum. Confirmatur primò, quia ita contingit in alijs sacramentis, cōstantibus ex huiusmodi partibus integrantibus, vt sunt in sacramento Ordinis distincti Ordines, & in pœnitentia, cōfessio, verbi gratia, & satisfactio. Confirmatur secundò, ex Ambros. 1. ad Corinth. 11. dicente, carnem Domini esse propter salutē corporis, sanguinem propter salutē animæ. *Ambros.* *Solutio.* Respondetur ad argumentum, has species esse diuersarum rationum quoad res ad significandum impositas, nō verò quoad significationem, vel rem significatam, vt declaratum est, & ideò non est necesse, vt habeant effectus diuersarum rationum: sicut in baptismo, verbi gratia, ablutio, & verba, sunt diuersarum rationum prædicto modo, & in Pœnitentia confessio, & contritio, tamen in ratione signi habent eandē significationem: sicut etiā in actionibus moralibus, scriptura & verbum sunt diuersa instrumenta significantia, non tamen formaliter diuersa in significatione, & ideò, si de eis æquè constet, æqualem vim habent, & ratio est, quia efficacia sacramēti correspondet significationi, magis, quā rei significanti materialiter cōsideratæ, & ideò si est eadē formalis significatio, non est cur effectus sit formaliter diuersus. Ad primā confirmationē respondetur, non esse similia exempla, quæ afferūtur nam diuersi Ordines sacri ordinātur & ad diuersos fines & ad munera distincta, & ita etiam habent significationes diuersarum rationum: satisfactio verò directè solùm significat remissionem pœnæ temporalis, cùm tamen confessio vel absolutio significēt per se remissionem culpæ, an verò per satisfactionē sacramentalem aliqua specialis gratia cōferatur, suo loco tractandum est. Ad secundam confirmationē respondet hîc D. Thom. ar. 1. ad. 3. illud esse dictū ab Ambrosio per quādam accommodationem: alioqui enim certum est, corpus Domini sub specie panis maximè operari ad salutem animæ.

Dubiū, vtrū cōmunicanti sub vtraque specie, plus gratia conferatur quā cōmunicanti sub vna. 1. Sentētia affirmat.

Ex dictis in priori parte huius sectionis, facilè intelligitur ratio dubitādi circa posteriorē partem suprà positam. Videtur enim ex dictis sequi, maiorē gratiam dari per sumptionem duarum specierum, quàm vnius tantùm, quia vtriq; per se & sigillatim ratione sui promissa est gratia, vt in priori parte ex verbis Christi demonstratum est: ergo, siue vna harum specierum separatim ab altera sumatur, siue cōiuncta cum altera, semper confert propriam gratiā sibi promissam: quia neque vna impedit alteram, neque è contrario, neque promissio alicui earum facta est sub ea conditione, vt separatim, & non coniunctim cum altera sumatur: ergo per sumptiones singularum specierum, cæteris paribus, dabitur duplò maior gratia, quàm per sumptionē vnius tantùm.

A Secundò, quia effectus sacramenti correspondere ei debet secundùm id, quod ex vi propria in se continet: nam hoc est in eo per se, reliqua per accidens, sed, licèt nunc totus Christus sit per concomitantiā sub singulis speciebus, tamen ex vi verborum sub vna est caro, & non sanguis, in altera verò è contrario: ergo ex vi verborum plus continēt duæ species quàm vna: ergo plus etiam operātur. Vnde, si in triduo vtraque species simul sumeretur, plus efficeret, quàm vna tantùm, propter dictam rationem: ergo etiam nunc ita fit, quia promissio est eadem, neque augetur, aut minuitur effectus propter res per concomitatiam contentas: alioqui nunc per vnam speciem plus gratiæ daretur, quàm in triduo per duas: quia cōtinet animam Christi, quam in triduo ambę species non continerent. Tertiò, vtraque species simul sumpta perfectiorem significat effectū, quàm B alterutra tantùm: ergo & confert. Patet consequētia, quia in sacramentis nouæ legis efficacia adæquata est significationi, quia efficiūt, quod significant. Antecedens verò probatur, quia sumptio vtriusq; speciei repræsentat integrum conuiuium, & ita significat perfectam animæ refectionem, quā vna species sola non significat. Item, per vtramque speciē significatur expressiùs ac distinctiùs passio Christi quàm per alteram tātùm. Quartò, quia si eadē gratia, quæ daretur, sumpta vna specie, datur sumptis ambabus, vel illa datur, dum manducatur panis, vel dum bibitur calix, vel partim per vnam speciē, partim per aliam, nihil autē horum potest, aut sine difficultate, aut satis probabiliter dici, vt patebit facilè applicando argumenta præcedentibus sectionibus C tacta. Propter hæc fuit multorum Catholicorū opinio, plus gratiæ dari per duas species, quam per vnā tantū. Quam viri graues referūt tenuisse plures ex Patribus, qui Concilio Tridentino affuerunt; & ideò idem Concil. sess. 21. c. 3. cautè dixisse fideles eò quòd communicent sub vnā tantum specie, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari: & tribuitur hæc opinio Bonauentur & alijs autoribus, qui, re vera, hoc non sentiunt, vt statim ostendam. Eam verò tenet Alexan. Alens. 4. par. q. 32. memb. 1. ar. 2. alias. q. 11. art. vltim. §. 3. & ex modernis Casalius lib. 2. de Cœna, & calice Domini, & afferri solet in fauorem huius sententiæ Clem. VI. qui in quadam Bulla ad Regē Galliæ, anni. 1341. ei concedit vt communicet sub vtraq; specie ad gratiæ augmētum. *Trident. Bonauent. Alens. Casalius. Clemens.* Hæretici etiam, qui nullum effectum huius sacramenti agnoscunt, nisi excitationem fidei, conse- D quenter dicent, hūc effectum meliùs fieri per duas species, quàm per vnam. Sed hoc iam satis reiectum est. Sed & illi hæretici, qui damnant Ecclesiæ cōsuetudinem communicandi laicos sub vna tantū specie libenter hanc sententiam amplectūtur, vt exaggerent malè facere Ecclesiam, priuando laicos illo gratiæ augmento. Sed non est, quòd hac Catholicorum sententia suū tueantur errorem, quia etiam si hæc sententia vera esset, nō malè fecisset Ecclesia nec priuasset fideles aliquo fructu, quē ipsi nō possent facili diligentia compensare: nam, cū hæc maior gratia solum distinguatur, quasi materialiter & numericè, frequentiùs communicando sub vna specie posset comparari: vnde, cùm alioqui illa gratia, vt danda per speciem vini, nō sit simpliciter necessaria ad salutē, nulla eius fit iniuria, nullōq; subeūt detrimentum. Sicut per duas communiones maior gratia datur, quàm per vnam tantùm; & nihilomi-

nus

nùs meritò prohibuit Ecclesia bis eodem die communicare propter reuerentiam sacramenti. Hæc ergo opinio nullum errorem in fide cōtinet, sed probabilis est, vt fatentur etiam multi ex autoribus iā citatis.

2. Sententia negans, per se loquendo, dari maiorem gratiam sumenti vtramque speciem quam sumenti vnam tantum.

Nihilominùs dicēdum est non dari, per se loquēdo, ac cæteris paribus ex parte sumētis, maiorē gratiā per sumptionem vtriusque speciei, quàm alterius tantùm. Hæc est sententia D. Thom. infrà, q. 80. ar. 12. ad 3. vbi dicit, laicos communicantes in vna tantū specie nō pati aliquod detrimentū: quia totus Christus sub quacunque specie continetur. Clarius opusc. 58. c. 29. dicit sanguinem Christi à laicis sumptum sub specie panis, esse eis tam vtilem, tamque dulcem, sicut Sacerdotibus sub specie vini. Idem tenet Bonauent. in 4. distinction. 11. 2. p. ar. 1. quæst. 2. vbi dicit, sumpta vna specie, sumi totū B sacramentū quoad efficiētiam; eodem modo loquitur Richard. ibi art. 4. q. 6. Expressius Gab. lectio. 84. in Can. Latissimè Caietan. infrà, q. 80. artic. 12. Soto distinct. 12. quæst. 1. ar. 12. Ruard. art. 15. & Roffens. art. 16. contra Luther. Pet. Soto, lectio. 10. de Eucharist. Castro verb. Eucharist. hæresi vltim. Canisius. §. 4. de Euchar. Claud. rep. 6. de Eucharist. cap. 5. Bellarmin. lib. 4. de Euchar. cap. 23. Alan. lib. 1. de Eucharist. cap. 39. Et alij communiter, qui his temporibus contra Lutheranos scripserunt; & quidam ex eis existimant, rem iam esse indubitatam post Concil. Triden. sess. 21. & Cōstāt. sess. 13. Sed ex his nulla maior certitudo huius opinionis colligitur, quàm antea erat; quia solū approbant, & definiunt sanctā esse cōsuetudinem Ecclesiæ, communicandi laicos sub vna tantū specie, quæ veritas independens est à prædictis opinionibus, tum, propter rationem suprà allatam; tum, quia, licet fideles priuarentur aliquo fructu gratiæ id fieri posset propter reuerentiam sacramēti, sicut de facto nunc priuantur infantes. Et quanuis prædicta Concilia in confirmationem suæ doctrinæ inter alia afferant quod totus Christus æquè continetur sub vna specie, ac sub vtraque, non tamen dicunt, æquè etiam agere: imò Concil. Tridentin. quod de effectu gratiæ locutū est, limitationē addit de gratia necessaria ad salutem, vt ab opinionibus abstineret, sicut suprà notaui. Ruardus autē refert, Cōcil. Basiliense concessisse Bohemis communionem sub vtraque specie, dummodo hos articulos confiterētur. Primus est cōmunionem sub vtraq; specie non esse præceptam. Secūdus, communionem sub vna specie non esse prohibitam. Tertius, non plus sumi sub duabus speciebus, quam sub vna. Quartus sub vna specie sumi corpus & sanguinem Christi. Ex quibus tertius videtur intelligendus de effectu; nā quartus est de re cōtenta. Vnde distingui non possent, nisi in tertio sermo esset de effectu: asserit ergo in illo articulo Conciliū, non plus gratiæ accipi ex cōmunione duarū specierū, quā vnius. Sed neq; hoc testimonium cogit, nō solū quia hoc Conciliū certam autoritatem non habet, & maximè in hac parte, quæ nec doctrinam fidei continet, neque in actis eius Concilij nunc extat; sed etiam, quia hæc dicta expositio, neque est necessaria, neq; ad modū consentanea citatis verbis: nam verbum sumēdi in tertio & quarto articulo in eadē significatione interpretandum videtur, nimirū de sumptione sacramenti, prout necessariò sumitur in quarto articulo, & hæc est propria significatio illius vocis iuxta cō-

D. Thom. Bonauent. Richard. Gabriel. Caiet. Soto. Ruard. Roffens. Pet. Soto. Castro. Canisius. Claud. Bellarm. Alan.

A munem vsum, nec necesse est, illos articulos aliter distingui, quàm quia vnus est veluti conclusio alterius, & magis explicitè proponit, quod in alio implicitè continetur: nam etiam primus & secundus articulus in re ferè idem sunt; & solùm prædicto modo distinguuntur.

Conclusio ergo posita non potest certa aliqua autoritate probari; & ideò non est certa, sed solùm probabilior, magisq; rationabilis opinio: nā, cū hæc res pendeat ex Christi intentione, seclusa autoritate, qua de Christi voluntate certò cōstet, nō potest sola ratione hæc veritas conuinci: quia nullum est principiū fidei, ex quo possit necessariò concludi. Quod verò hoc sit verisimiliùs, probari potest ex illo principio, totū Christū esse sub singulis speciebus, ex quo Concil. Triden. concludit, fideles communicātes in vna specie, nulla gratia necessaria ad B salutem priuari: quia Christus ibi cōtentus est fons gratiarū omnium: ergo eadē rationē possumus nos simpliciter concludere, nullū effectum gratiæ dari per duas species, qui non detur per vnā: quia etiam Christus est fons, & præcipua causa totius gratiæ, quæ per has species datur. *Obiectio.* Dices, sub duabus speciebus bis contineri Christum; in vna autem semel tātùm; & ideò per eas bis conferre gratiam, semel autem tantùm per vnā, & ideo, si per vnā speciem datur vnus gradus gratiæ, per duas dari duos. Sed cōtra, nā etiā sub duabus hostijs bis continetur Christus: ergo, si successiuè sumātur eo modo, quo vna hostia & calix dabit sub eis Christus duas gratiæ portiones: hoc autem est falsum, vt suprà vidimus quia illa materialis diuisio est per accidēs, & moraliter est vna cōmunio: sed in præsenti etiā duæ spe- C cies sunt veluti duę partes materiales, quarū sumptio est tantùm vna moralis cōmunio Christi; ergo est de illis eadem ratio. Vrgebis, multiplicationem hostiarum esse omnino per accidens: quia sunt partes eiusdem omnino rationis, quibus accidit, esse cōtinuas, vel discretas, duas verò species, cùm sint diuersarum rationum, per se postulare distinctionem seu discretionem, & multiplicationem sumptionis, & ideò non esse eandem rationē. *Solutio.* Sed cōtra, nā tota hæc diuersitas est valde accidentaria, & impertinēs ad multiplicandos effectus duarum specierum: quia in primis ostensum iàm est, duas species solùm materialiter distingui, non in re cōtenta absolutè & simpliciter, neque in effectu significato, neque in virtute agendi, quæ æqualis est in quacunque parte, & in toto etiam ex vtraque speciē composito: ergo non D est, vnde multiplicētur effectus seu portiones: nam sola multiplicatio materialium instrumentorum ad hoc non sufficit, vt patet in ablutione & verbis baptismi, vel in pluribus baptismis, si contingat, eundē hominem à pluribus baptizari, quia propter sola instrumenta non crescit virtus agendi, & consequēter neque effectus. Secunda ratio aliter confici potest; quāuis fortasse in re in eandem coincidat, quia vnum sacramentum, quanuis ex multis partibus cōstet, si ad vnum finem, & formalem effectū ordinatur, vnum etiam habet adæquatum, & quasi indiuisibilē effectum, ad quem totum suo modo concurrit, aut per se primò, aut per aliquid sui, modo, scilicet, accommodato suæ naturæ, & applicationi: sed Eucharistia, vt constans ex duabus speciebus, est tātùm vnum integrum sacramentum, ordinatum ad eundem finem & formalem effectum vnionis cum Christo, & feruoris caritatis: ergo habet vnum tan

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum & indiuisibilem effectũ gratiæ. Minor quoad omnes partes probata est in superioribus, maior vero certissima etiam est, vt patet inductione in omnibus sacramentis, & ex dictis etiam in prima parte huius sectionis: quia vnum sacramentum huiusmodi vnam habet significationem adæquatam fini, & formali effectui, ad quem ordinatur, ergo absolutè vnum etiam habet effectum adæquatum gratiæ quasi materialem, seu indiuidualem.

Obiectio. Dices, totum quidem sacramentum vnum habere adæquatum effectum, tamẽ non totum illud dari sumpta vna tãtum specie. Sed in primis hoc excludit ratione sæpe facta, quia virtus, perfectio, & significatio huius sacramẽti talis est, vt æque sit tota in toto & in singulis partibus propter præsentiã totius Christi in illis. Deinde ad hanc euasionẽ excludendam, dixi, huiusmodi effectum esse quodãmodo indiuisibilẽ: quia nõ datur per partes, sed simul totus, quàm primum sacramentũ est sufficiẽter applicatum: quando ergo Sacerdos sumit duas

Solutio. species, non recipit duas partes gratiæ; vnam, dum sumit hostiam, aliam, dum sumit calicem, vt ex eis censeatur consurgere adæquatus effectus sacramenti, sed simul recipit totum effectum: ergo idem totus effectus recipitur (cæteris paribus) quandocũque tale sacramentum recipitur, siue in vna, siue in multis speciebus sumatur. Præsertim quia in hoc sacramẽto iuxta modũ eius suprà explicatũ effectus totius sacramenti datur in initio applicationis eius ergo idem totalis effectus tunc datur, siue sumptio posteà cõsummanda sit in solo pane, siue in solo cæce, siue in vtroq;, quia, vt sæpe dixi, effectus sacramenti, & quantitas eius non pendẽt ex futuro euẽtu. Atque hæc sententia magis explicata & confirmata manebit ex argumentorum solutionibus.

Ad fundamẽta primæ sententiæ. *Ad primum* Ad primum respondetur, eandem omnino esse promissionem, quæ facta est huic sacramẽto totiꝰ, & singulis speciebus eius; & ideò æquè impleri in quocunque dignè sumente Christum in hoc sacramento, siue sumat totum sacramentũ quoad signũ sensibile siue alteram speciem tãtùm, quia, sicut tota perfectio sacramẽti est in toto, & in qualibet parte, ita promissio vna est, quæ æquè cadit in totum, & in quamlibet partẽ, quo sensu intelligenda sunt illa verba, *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Et ideò dicunt Sancti tanquam virtutem esse in singulis partibus huius sacramenti, quantam in toto, vt suprà citati disp. 51. sect. 1. & 2. & optimam est testimonium

Paschasius. Paschasij lib. de corp. Christi. c. 14. vbi comparans hoc sacramentum cum manna, inquit. *Si ergo in figura vnicum alimentum omnia præstabat quanto magis ipsum Christi corpus sanguine plenum, vnica specie sumptum, omnia perficiet?* Quando ergo duæ species simul sumuntur, neutra priuatur effectu sibi promisso, neque vna impedit alteram, neq; alicui diximus promissionem factam esse sub conditione alterius; sed vna promissio vtrique facta intelligitur in toto, seu ratione totius, & hæc adimpletur; & ideò neque augetur, nec multiplicatur effectus.

Ad secundũ Ad secundum respondetur, nihil ad effectum referre, quod aliquis Christi ex vi verbotum seu per concomitantiam sub specie bus contineatur; sed satis esse, quod totus Christus ibi contineatur; nam, licèt respectu præciæ significationis & veritatis verborũ, reliqua, quæ comitantur, videãtur ibi esse per accidens, non tamen respectu institutionis, aut intentionis instituentis, qui per se intendit, ac voluit totus esse sub singulis speciebus; & ideò promissio gratiæ, facta huic sacramento, æquè cadit in omne id quod totum Christum continet: vnde eodem modo dixit Christus, *Qui mandducat meam carnem, &c.* & *Qui mandũcat me*, Quid verò dicendũ esset in illo casu de triduo ibi propisito. Claud. repet. 10. c. 3. sentit minorẽ gratiã tunc fuisse dandã per vnam speciẽ, quã per duas, imò & minorem tũc fuisse dandam per vtrãque speciẽ, quàm nunc per vnam; & fundatur in hoc, quòd tunc redemptio nõ erat consummata. Sed hoc fundamẽtum parui momenti est: quia, re vera, redemptio consummata est in morte; tum etiam, quia sufficiebat mors præuisa ad dandum æqualem effectum, sicut credendũ est fuisse datum in baptismo, ante, & post mortẽ Christi, & per Eucharistiã Apostolis in nocte cœnæ, & posteà: quia institutio vna est, & vna promissio: nec est, cur multiplex fingatur pro diuersis temporibus, eo vel maximè, quod pro illo tempore triduꝰ nullus erat futurus vsus Eucharistiæ; & ideò nõ est verisimile, specialem effectũ pro illo tempore Christum instituisse. Et hoc argumentum videtur concludere, nihil firmum, aut certum dici posse de illo casu; quia, cũ nunquã esset in reponendus, nihil pro illo Christus statuit, tamẽ, si coniectare licet, quid facturus fuisset Christus, si dãdus aliquãdo esset ille casus, videtur verisimile, quod in argumẽto sumitur, minorẽ gratiam fuisse dandã in vna specie, quàm in duabus; & potest sumi argumentum à cõtrario ex Cõcil. Trid. nã, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis; si ergo causa, cur detur totus effectus in vna specie, est, quia ibi continetur totus Christus; vbi non cõtineretur totus, non daretur totus effectus. Neque hoc etiã si admittatur, obstabit nostræ conclusioni; quia tũc oporteret id fieri ex noua aliqua institutione: nunc autem iudicium ferendũ est iuxta præsentẽ institutionem. Quocirca, cũ præsens institutio generalis sit, omniaq; tempora comprehendat à nocte cœnæ, siue in aliquo futurus fuerit vsus huius sacramẽti, siue non (hoc enim est per accidens) probabilius dicitur, etiam in triduo, dandũ fuisse æqualem effectum per vnã speciem. Primò quidẽ, quia ita est à principio simpliciter, & sine exceptione institutũ. Secundò, quia aliàs, vt suprà argumẽtabar, eriã nũc daretur plus gratiæ per vnam speciem, quàm tunc per duas propter animam, quæ ibi continetur. Tertiò, quia licèt in triduo non esset corpus Christi sub singulis speciebus, quantum ad naturã humanam seu partes eius, esset tamen totus quantũ ad diuinũ suppositum: quomodò verũ est, totũ Christum iacuisse in sepulchro & descendisse ad inferos; tota autem dignitas, & efficatia huius sacramẽti est ex infinito suppposito: caro enim Christi nõ est efficax nisi vt diuina est, vt dixit Cyrill. libr. 4. in Ioan. c. 14. & 17. & sanguis eius est infinitum pretiũ propter vnionem ad Verbum; & ideò etiã propter dignitatem eiusdem suppositi non minueretur effectus. Neque contra hoc obstat ratio suprà facta, vel, quia potest ad prædictum sensum accommodari, vel certè, quia causa ibi sumpta non est adæquata, sed est clarior & certior, præsertim quoad nos.

Ad tertium respondet Caietanus ex ipsius. Ad tertium respondet Caietanus concedẽdo, in vtraque specie esse perfectionem significationẽ, & negando consequentiam de efficientia; quod dicit, esse speciale in hoc sacramento; quia in eo visibile signum

signum non est gratiæ instrumentũ, sed solus Christus. Sed hæc responsio primò assumit falsum: nã suprà ostendimus in principio huius materiæ, species sensibiles huius sacramenti esse instrumentum gratiæ, non minus quam in cæteris, nec esse rationem vllam, cur hac perfectione priuentur. Deinde nõ videtur in multum referre ad argumenti solutionem

Vera propõnitur. nam quicquid sit de effectione physica, negari non potest, quin species moraliter concurrant, applicando Christum verũ cibum: ergo dabit Christus effectum significationi specierum accõmodatum. Respõdetur ergo, posse nos loqui de significatione, aut ex parte rei significatæ, aut ex modo tantũ significandi; priori modo non est perfectior significatio in duabus speciebus, quã in vna: quia vtraq; significat animæ refectionem & vnionem, quæ eadem est significata in singulis, & in iambabus speciebus simul; in modo verò significãdi est perfectior, & expressior modus in duabus speciebus, quàm in vna; & hoc sensu est verum antecedens ibi assumptum,

Cyprian. nec aliud concludunt probationes ibi adductæ. Illo autem sic concesso, negatur consequentia: quia ad perfectionem effectus sacramentalis attendenda est perfectio significationis ex parte rei significatæ, nõ tamen ex solo modo significandi: quia sacramẽta efficiunt quod significant, non prout significãt nec modus significandi est conditio necessaria ad agẽdũ sed significatio ipsa, sicut baptismi effectus expressiùs significatur per trinam mersionem, quã per vnam, vt tractat Cyprian. lib. 4. Epist. 7. & expressiùs per formã, quã per materiam, vt D. Tho. suprà docuit, & tamen non propterea datur perfectior effectus per vnũ, quã per aliud. Adde, expressam illam significationẽ, quæ in consecratione separata duplicis speciei reperitur ad repræsentandam separationem animæ Christi à suo corpore, vel effusionẽ sanguinis in passione magis pertinere ad rationẽ sacrificij, quã sacramenti, & ideò ad summũ illa ratione concludi posse, effectum sacrificij vt sic non dari per consecrationẽ vnius speciei, sed vtriusque, de quà re inferiùs disputaturi sumus.

Ad quartũ. Quartum argumentũ petit, cũ sumitur vtraque species, quando detur effectus; quidã enim aiũt, dari post sumptum calicẽ; quia tũc cõsummatur sumptio sacramẽti. Ita Claud. repet. 10. cap. 3. Alij dari in sumptione hostiæ; seu primæ speciei, Soto dist. 13. q. 1. art. 12. Palacios, quæst. 5. cõcl. 7. Ledesm. 2. part. 4. q. 31. art. 2. Alij putant esse problema, vt idẽ Ledesm, 1. par. 4. q. 21. ar. 12. dub. 3. & Bellarmin. lib. 4. de Eucharist. c. 23. Mihi verò secundus modus dicendi verus videtur, qui probãdus & explicandus eodẽ modo est, quo suprà id fecimus circa duplicem partialem sumptionẽ hostiæ diuersæ, aut duplicem haustũ eiusdẽ calicis: nã non aliter iudicandum est de duplici specie, quã de duabus partibus eiusdẽ speciei, vt rationes supra factæ probãt. Vnde si Sacerdos cũ sumit hostiã est dispositus, statim accipit fructum gratiæ, vt patet, quia iam dignè accipit corpus Christi. Itẽ, quia, si acciperet illam speciem sine intentione sumendi aliã (vt in die Parasceues) statim accipiperet totum effectum, non expectato calice: ergo idẽ erit, etiã si habeat intentionem sumendi aliam speciem: quia illa intentio neque abstulit virtutem sacramento neque potuit, obicẽ in cõmunicãte, nec eũ fecit deterioris cõditionis, vt ei differatur effectus, vnde etiã posset accidere, vt interdum eo priuaretur, si contingeret, vel ipsum mori, vel calicem prorsus effundi ante sumptionem eius, nam dicere, in his euentibus Deũ specialiter præuenire ex præscientia futuri euẽtus, est præter legem sacramentorum, vt sæpe dictum est: datur ergo effectus, statim in sumptione corporis quod si dispositio subiecti nullo modo creseat, per sumptionem calicis nullus nouus effectus dabitur. Nec propterea priuatur sacramentum suo effectu: quia illud non est sacramentum per se distinctum à priori, sed ex vtroque vnum componitur, cui tribuitur effectus, operatur enim totum illud, per aliquid sui, cum primum potest. Neq; etiam est inutilis illa sumptio calicis; tum, quia, etiam si non sit vtilis sumenti ex opere operato, pertinet ad perfectionem sacrificij, per quandam integritatem sacramẽti, & ad diuinum cultum, & hoc satis est, & inde etiam resultare potest fructus ex opere operantis.

Adde, ex accidẽte posse etiam conferre ad aliquem fructum ex opere operato: nam, si communicans melius sit dispositus in sumptione calicis, quã fuit in sumptione hostiæ, augebitur in illo effectus cum debita proportione, vel si contingat in sumptione hostiæ habere peccatũ mortale non satis detestatũ, & ante sumptionẽ calicis dolore perfici, vt iam gratiæ consequatur, quam prius non obtinuerat, quia iam digne communicat, & bibit sanguinem Christi, vt latius sectione præcedente dictum est.

SECTIO. VII.

Virum Eucharistia conferat aliquem esse ctum gratiæ post sumptionem, quandiu Christi præsentia durat.

Quidam affirmant, quandiu Christus est intra corpus sumentis, in illum continuè gratiam infundere. Caiet. Gabriel. Maior. Palud. Ruard. Ioan. 9.

HAnc quæstionem propono propter celebrẽ opinionem, quæ tribui solet Caiet. q. 79. art. 1. eam tamen prius docuit Gab. si attẽte legatur lectio. 85. in Can. & Maior in 4. d. 9. q. 1. argument. 5. & Palud. in 4. d. 17. quæst. 8. num. 30. & eã posteà secutus est Ruard. art. 15. Hi enim autores affirmant, quandiu Christus præsens est intra corpus eius, qui digne communicauit, gratiam continuè in illum influere, accommodantes illud Ioan. 9. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Cõgruẽtiæ pro hac sententia esse possunt (neque enim habet firmiora fundamẽta.) Prima, quia hoc sacramẽtum institutum est per modum cibi, vnde concludit. Concil. Florent. quos effectus operatur in corpore cibus materialis, eos secundum proportionem operari in anima hoc sacramentum: pari ergo modo concludere possumus, etiam in modo & diuturnitate operationis imitari hoc sacramentum materialem cibum: sed cibus materialis non tantum operatur, dum sumitur, sed, quandiu durat in stomacho, nutrit & cõfortat, ergo idem censendũ est de hoc sacramento. Secunda, nam cur dicemus tunc ibi esse Christum quasi otiosum, cum habeat vim sanctificandi, & passum satis proportionatum, & applicatum? Dicunt aliqui, excitare tunc hominẽ ad deuotionem. Sed contra, quia si confert hunc effectum ex opere operato, tanquam sacramẽtalem, semper hic effectus supponit effectũ cõmunis gratiæ sanctificantis; ergo influet illam: si verò ille effectus non sit, vt sacramentalis, non est certus & infallibilis, sed gratis asseritur. Hanc verò opinionẽ gra

uiter

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qualiter ab aliis reprehendantur. Soto. Ledesma. Victoria. D. Thom.

uiter reprehendunt recẽtiores Thomistæ, Soto.d. 11.q.2.ar.1.Ledesma.q.20.art.1.Victor. in sum. nu.76.& putant, esse contra D.Thom.q.80.art.8. ad.6.dicentem; Maxima deuotio requiritur in ipsa sumptione huius sacramenti: quia tũc perficitur sacramenti effectus. Rationes etiam afferũt varias. Summa omnium est, quia hoc sacramentum cõfert gratiam per manducationem & potum, quatenùs consistunt in vsu sumentis; posteà enim tantùm sequitur digestio specierum, quæ non est actio humana, sed merè naturalis & physica, quæ nihil refert ad effectũ sacramenti, nam solus ille contactus, qui permanet inter species, & hominem, non satis est ad effectũ: alioqui etiam si fingamus, Eucharistiam poni intrà corpus hominis absque manducatione, id satis esset, vt conferret effectum; vel è contrario, dicere quis posset, effectum inchoari à primo contactu, quo in ore recipit homo Eucharistiã, vel labijs illam contingit. Inferunturpræterea ex hac sententia varia incommoda. Primum, iustificari hominẽ per hoc sacramentum, qui indignè manducauit illud, si, durante Christi præsentia, satis de peccato suo doluit. Secundum, si dignè accepit augeri gratiam, continuè longo aliquo tẽpore. Tertiũ, peccare hominem mortaliter non solũ indignè sumẽdo sed etiã indignè Christũ intrà se retinendo, id est, perseuerando in peccato toto eo tẽpore: quo Christus in ipso adest; quia in toto illo ponit obicem sacramento; & Christum retinet in vase immundo; tenebiturergo pro toto eo tẽpore conteri, seu tollere obicem. Quartum, quia sequitur per se vtilius esse, cæteris paribus, cõmunicare in maiori speciem quantitate, vt plus darent in stomacho; vt ita Christus maiorem gratiam conferat; & hinc sequũtur superstitiones illæ Inquisitorũ iudicio meritò punitæ in his Sacerdotibus, qui suis deuotis plures formas tribuunt. Imò etiam sequitur, solũ ob debiliorem vim digerendi species fieri, vt consequatur homo maiorem gratiæ fructum.

Autores prædictæ opinionis non esse tam acerbè reprehensione dignos ostenditur.

In hac re mihi in primis videtur, prædictam opinionem non esse tanta reprehensione dignã, quia certum est, potuisse Christum Dominum hoc modo, & sub hac lege instituere hoc sacramentũ: quia nullam inuoluit repugnantiã, necindecẽtiam; imò speciem quandã benignitatis & pietatis præse fert: non constat autem, Christum non ita instituisse, nec à prædictis autoribus probatur: imò, si aliquo apparente argumẽto id probari potest, ab eis prætermittitur. Illud autem est, quia promissio gratiæ solùm videtur facta huius sacramenti mãducationi iuxta illud, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Hoc autem non multũ suadet, nã gratia ibi promittitur mãducanti, & bibenti, nõ ratione manducationis, sed ratione cibi manducati: nam mãducatio ipsa non est ratio agendi, sed conditio per modum applicationis: applicatio autem, non tãtum solet esse vtilis ad effectum, quandiu est in fieri, sed etiãratione sui termini, quandiu ille durat: rectè ergo posset illa promissio sic declarari; ita vt sub manducatione terminus eius, seu cibus vt manducatus, quatenùs sic durat, comprehendatur. Et eodẽ modo possumus D. Thom. interpretari, præterquã quòd illo loco obiter tantum loquitur, & ita affirmat vnũ, quod certum est, & aliud quod est incertum, nõ negat. Ratio autem Soti nõ cogit, sed potiùs videtur petere principium. Assumit enim, hoc sacramẽtum cõferre gratiam in sola manducatione, aut in libero vsu sumentis, quod est contradictorium eius, quod cõtraria sententia affirmat, scilicet non tantùm in mãducatione prout dicit motum, sed in termino eius gratiam dare. Nec refert quod eo tẽpore iã ex parte hominis non sit actio corporalis libera circa sacramẽtum: sed physica, & naturalis digestio, quia tũc non datur gratia propter actionem ipsius hominis sed propter sacramentum & præsentiam eius, non qualemcũque, sed vt terminantem manducationẽ, & constituentem Christum in ratione cibi manducati, vt explicatum est iuxta vim promissionis; & ideò non est similis ratio de quolibet cõtactu antecedente mãducationem; nec de alia præsentia, quæ miraculosè fieri posset intrà corpus sine manducatione. Alia verò incommoda, quę inferũtur, vel incommoda non sunt; vel non inferuntur, si res ipsa, prout debet, explicetur; de quo statim dicemus.

Non augetur gratiam in sumente Eucharistiam quandiu species sacramentales durant in corpore, si positum non proficiatur.

Dico secundò si eo tempore, quo Christi præsentia durat, priusquàm transmutentur sacramentales species dispositio hominis non perficiatur, nullum gratiæ augmentum ei confertur. Hæc cõclusio sequitur à fortiori ex dictis in præcedentibus sectionibus, nam si in ipsismet sumptionibus partialibus nõ augetur gratia, nõ aucta dispositione sumentis, multò minùs augebitur per solam durationem præsentiæ sacramentalis: quia certius est, gratiã cõferri in manducatione, quàm posteà. Secundò, quia si præsentia Christi manducati potest interdum conferre ad effectum gratiæ, solùm est, quatenùs cum ipso motu manducationis complet vnum integrũ vsum sacramenti, tanquã ia trinsecus terminus eius sed per vnum vsum, seu per vnam communionem vnus tantùm effectus datur, qui simul totus fit, si ex parte subiecti sit eadem dispositio, vt suprà ostẽsum est: ergo. Tertiò, hoc probant duo inconuenientia suprà illata, scilicet secundum & vltimum: nam, re vera, ostendunt institutionem eo sensu sensu explicatam non fore ita conuenientem: cur enim homini, qui postactualem communionẽ statim distrahitur, vel dormit esset gratia cõtinuè augẽda, quãdiu Christi præsentia durat? præsertim cũ hæc duratio præsentiæ posset esse maior tantùm casu, vel propter accidentales causas, vt suprà dicebamus.

Probabile est augeri gratiam sacramentalẽ quandiu Christus durat in corpore, si ille magis ac magis se disponat.

Dico tertio, Si eo tẽpore quo Christus est realiter præsens intra hominẽ, ipse homo sese magis ac magis disponat, valde probabile est augeri in illo sacramentalẽ gratiæ effectum. Hoc sensu videtur loquti Maior & Gab. & Caiet. Et suadetur satis coniecturis adductis inter referendam primã opinionẽ, & circa primã conclusionẽ in defensionem eius. Et vrgeri potest ampliùs illa ratio, quòd promissio gratiæ præcipuè sit facta huic sacramento propter Christum manducatũ, iuxta illud, *Qui manducat me, viuet propter me*, & illud, *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Vbi Augustinus tract. 26. inquit. *Manducare Christum est: illum manentem in se habere*: & potest fieri etiã cõiectura ex manducatione materiali, quando enim illa dicitur necessaria ad vitã, nõ præcipuè tribuitur ipsi mãducationi, vt significat actualẽ motũ sed præcipuè ratione termini: ergo hoc etiã sensu rectè intelligitur promissio facta huic sacramẽto: ita vt cũ dicitur, *Qui manducat hunc panem viuet*, non intelligatur dictũ solũ ratione motus mãducationis, sed etiam ratione ipsius panis mãducati, quatenus in manducante manet: ergo toto illo tempore est

Augustinus.

est hic panis efficax gratiæ, si in sumente inueniat dispositionem. Præterea, videtur hic modus institutionis aptissimus ad excitãdos homines ad deuotionẽm, & reuerentiam exhibendam huic sacramẽto, saltem eo tempore, quo in ipsis permanet: nam hoc amiori cura & diligentia præstabunt, si spem habeant maioris fructus tunc videtur tempus illud magis accommodatum, vt homo interiùs se totum colligat, & ad fructum ex hoc cibo hauriendum disponat, nã illo breui tempore, quo est occupatus circa sumptionem exteriorẽ, non potest circa interiores actus, tã attentè versari. Est etiã ex parte ipsius sacramenti hic modus institutionis valde conueniẽs, tũ, vt maiorem habeat efficaciam; tum etiã vt intelligamus, totam efficaciam tribuendam esse ipsi sacramento: nã manducatio solum est applicatio causæ, & ideò, si, dum applicatur, operatur, etiã applicatum manẽs potens esse debet ad operandũ, quantum est de se si subiectum sit dispositum.

Ad fundamentum. Secũda opinionis responsio.

Denique contra hanc sententiam sic expositam, nihil vrgent obiectiones contrariæ opinionis, nam ad D. Thom. & rationem responsum iã est: ad incõmoda verò facilè dicitur, primum, non solùm non esse inconueniens, sed etiam maximè dignũ Christi benignitate & efficacia in redimẽdo & saluãdo homine, nam, si ad hunc finem venit in hominem per hoc sacramentum, vt illũ sibi vniat, & in itinere veniens (vt sic dicam) non inuenit illum dispositũ, antequã verò discedat, homo se conuertit ac disponit, cur nõ operabitur in illo effectũ, propter quem ad eum sacramentaliter venit? Est etiam hoc valde accommodatum humanæ fragilitati, & ad spẽ eius erigendã aptissimum, vt per se manifestũ est. Secundum etiam prædicto modo intellectum non est inconueniens, sed potiùs conuenientissimũ nam si toto illo tempore continuè augeatur dispositionis perfectio, & consequenter gratia, ex opere operantis, quod inconueniens esse potest, vt etiam augeatur ex opere operato? Item, cũ homo hũc panẽ comedat, vt ex illo spiritualiter nutriatur, si toto illo tẽpore circa panem illum vitaliter operatur, vt ex illo fructum capiat, quid mirũ, quod talis nutritio continuè toto illo tempore fiat? Ad tertiũ cõcedo, per se loquendo esse in homine illam obligationem: neque in hoc ostenditur vlla ratio absurdi vel inconuenientis; nam, si statim post communionem, quando homo est certus adhuc in se Christũ habere, mortaliter peccet, sine dubio grauem iniuriam Christo facit, & specialem malitiã inde cõtrahit: ergo, qui illo etiam tẽpore perseuerat in peccato mortali, per se loquẽdo, in hoc specialiter peccat. Hoc autẽ peccatum non est distinctũ ab ipsa indigna sumptione, sed est idemmet factum grauius ex hac circunstantia: dico autem, per se, quia ob inaduertentiã facilè potest homo excusari ab hac malitia, præsertim cum sit valde incertum tempus, pro quo durat sacramentalis Christi præsentia. Adde etiam, hanc opinionem nõ esse certam, & ideò propter ignorantiã, vel contrarium opinionẽ probabilem interuenire posse prædictam excusationẽ. Ad quartum, negatur simpliciter sequela; nã iuxta nostram sententiam effectus nõ augetur præcisè propter diuturniorem præsentiam; sed propter meliorem dispositionẽ recipientis. Vnde si tota illa dispositio in vno instãte haberetur, simul totus obtineretur effectus: ergo ibi sit successio, & duratio, est per accidẽs ex defectu dispositionis; & ideò nõ sequitur ex hac sententia, superstitiosè, & introducendo ritus ab Ecclesiæ consuetudine alienos, curãdum esse, vt præsentia Christi in homine magis duret, sed potiùs sequitur, magnam diligentiam esse adhibendã, vt homo perfectiùs se disponat: reliqua enim per accidens sunt, vt constat etiam ex dictis de successiua sumptione, continua, vel discreta.

SECTIO VIII.

Vtrùm hoc sacramentum habeat effectum gratiæ post transactam sumptionem & præsentiam Christi, scilicet recedente fictione.

CErtum est, si tempore suptionis homo recepit totum gratiæ effectum quem per hoc sacramentũ accipere potest, nihil superesse quod posteà fiat, loquendo de effectu gratiæ habitualis, prout nunc loquimur. Vnde in hoc eadem est ratio huius sacramenti, & cæterorũ: nam per se loquẽdo omnia causant gratiã, quãdo applicantur ad vsum non verò posteà, nisi forte per accidens, si contingat priùs effectũ impediri, propter obicem, posteà verò fieri, remoto obice. Solùm igitur in hoc sensu potest præsens quæstio tractari, an in eo, qui fictè Eucharistiam accepit, posteà recedente fictione incipiat habere effectũ, etiã si mãducatio & præsentia sacramentalis Christi omnino trãsactæ iam sint. Quam quæstionem superius attigimus disputatione 8. sectione 3. Vnde hic pauca addenda occurrũt.

Quorundam opinio.

Pet. Soto.

Quidam ergo sentiunt, Eucharistiam habere effectum, recedente fictione, quod in particulari, & in specie de hoc sacramento pauci affirmant, sed solũ hi, qui generaliter hoc tribuunt omnibus sacramẽtis, vt Petrus Soto lectio. 4. de baptism. & lectio. vltim. de satisfactio. & alij, quos prædicto loco citaui. Vnde potest argumentum sumi; nam, si cætera sacramenta hoc habent, cur nõ etiam hoc, quod, sicut est cæteris dignius, ita debet esse efficacius?

Caiet.

Aliter Caietan. hic, articulo 1. quæstio. 79. sub distinctione videtur respondere; hoc enim sacramentum per se dat augmentum gratiæ; per accidens autem contingit, vt interdùm det etiam primam gratiam: quantum ad augmentum igitur ait, hoc sacramentum habere effectum, recedẽte fictione, seu impedimento, quodcunque illud sit, nam iuxta suam opinionem, si quis tempore actualis manducationis distractus est, & sine actuali dispositione: nõ recipit augmentum; si tamen posteà se disponat, consequetur (inquit) illud augmentum, quod non aliter probat, nisi, quia, licet priùs nõ receperit in actu illud augmentum, recepit, inquit, habitualiter, seu clariùs, recepit ius, vt posteà, remoto obice, detur. At verò quantum ad primam gratiam sentit, nõ dari posteà remoto obice, si ille durauit toto tẽpore sumptionis, cõprehendendo totam durationẽ præsentiæ Christi: quia si quis, inquit, tẽpore sumptionis, nõ resuscitatur ad vitã, non apparet, quare deinceps ex virtute huius sacramẽti resuscitabitur. Sed hæc ratio non est magni momenti: quia facilè potest reddi ratio; quia priùs non fuit dispositus, & posteà se disposuit, sicut ipse necessariò esset respõsurus in priori membro, si eadẽ interrogatio ab eo fieret. Vnde nulla etiam videtur sufficiens reddi ratio differentiæ inter illa duo membra: nam licèt verum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum sit, hoc sacramentum per se conferre augmentum gratiæ, per accidens autem primam gratiam; cur tamen, sicut recedente fictione, habet effectū augmenti eodem modo, scilicet, per lesnō habebit etiam effectum primæ gratiæ eodem modo, scilicet per accidens cùm vterque modus sit ex opere operato, & ratione sacramenti suscepti posse cōparari ius ad vnum, sicut ad aliud. Deniq; alia sacramenta viuorum, quæ habent effectum, recedente fictione vt Confirmatio, & Extrema vnctio, sicut dāt augmentū gratiæ, recedente fictione, ita & primā gratiam, seruata proportione, quanuis per accidēs illā conferant: imo, re vera, solū primam gratiā conferunt recedēte fictione: quia respectu solius augmēti nunquā ponitur fictio, vt in superioribus dictū est: ergo in præsente, vel vtraque gratia datur, recedente fictione, vel neutra quod sine dubio verius est.

Eucharistiā nō conferre iuā effectū recedēte fictione, si præsentia Christi desinit in sumente.

Dicēdum est ergo, hoc sacramentum non habere effectum recedente fictione, si iā omnino desijt sumptio, & præsentia Christi in sumente; quod tenet D. Thom. in 4. d. 4. q. 3. artic. 2. quæstiūcula 3. ad 3. & ibi Durand. q. 4. Maior. q. 2. Bonauent. ar. 2. q. 3. ad penul. & d. 12. 2. part. ar. 1. q. 2. ad vltim. & ibi Palud. q. 4. Alēſ. 4. par. q. 10. mēbr. 7. ar. 3. 6. 11. memb. 8. art. 3. §. 1. Soto dist. 6. q. 1. art. 8. dilūctione. 11. quæstione 2. artic. 1. Medina Cod. de Pœnit. tract. 2. q. 46. de pœnit. extra gratiam impleta. Sylueſt. verb. Baptiſm. 4. num. 12. Cano. relect. de Pœnitent. part. 1. Cordub. libr. 1. q. Theolog. quæſt. 1. Fundamentum potest in hunc modū explicari: quia, si autoritatem spectemus; nulla est, vnde aliud colligi possit nullum enim Sanctorum hoc docuit: imo Paulus de indigne communicante dixit iudicium sibi manducare & bibere: nunquā autem dixit talem communionem, postea esse posse illi vtilem. Si autem coniecturis vtendum est, non est considerandā solùm excellētia & perfectio sacramenti, sed etiam reuerentia illi debita, & necesitas aliqua huiusmodi efficaciæ recedēte fictione: in cęteris enim sacramentis oritur hęc necesitas ex eo, quòd, vel iterari non possunt, aut simpliciter aut pro aliquo statu; vel quia sunt ad salutem mēdia necessaria: hoc autem sacramentum, & frequentissimè iterari potest, & effectus eius non est simpliciter ad salutem necessarius: ergo nulla est necesitas, ob quam habeat effectum, recedente fictione: magis autem spectat ad reuerentiam tanti sacramēti, vt omnes intelligant, si ficti, aut non satis dispositi ad illud accedant, non solùm fructu, se etiam ipe fructus ex tali communione priuari. Et confirmatur specialiter contra Caietan. nam si is, qui priuatur augmento gratiæ propter actualem distractionem; postea illud recipit, quando aduertit, & se disponit: ergo similiter, qui accesit cum remissa dispositione, si post omino transactam sumptionem, intensiorem actum habeat, recipit etiam intensiorem effectum sacramenti, ob præcedentem communionem, quod dicere ridiculum est; sic enim posset in infinitum procedi, & quotidie recipere possemus gratiam ex opere operato, propter omnes communiones in vita factas, si vnum actum deuotionis eligeremus omnibus superioribus intensiorem: sequela autem patet à paritate rationis, seu potius à fortiori, quia, sicut prior potuit obicem toti effectui per carentiam totius dispositionis, ita posterior potuit obicem intenso effectui propter carentiam intensæ dispositionis: ergo, quādo illam adiunxerit, supplebitur illi, quicquid de perfectione effectus ei defuit: quod enim aliquem effectum receperit per remissam dispositionem, non propterea fit peioris conditionis, vt non possit id, in quo defecit, resarcire. Et confirmatur, nam supposita opinione Caietani, si is, qui nullam dispositionem habuit postea per intensum actum se disponat, recipiet effectum intensæ dispositioni proportionatum: ergo multò magis, qui remissam dispositionem habuit, si postea intensiorem addat, recipiet, quicquid effectus sibi defuit: sicut ergo hoc falsum est, ita & primum. Posset quidem responderi, iuxta probabilem opinionem supra tractatam de baptismo, dispositione. 28. sect. 4. quandocunque datur gratia, recedente fictione, dari minimam gratiam, & non iuxta perfectionem dispositionis, per quam fictio tollitur; & ideo, quando nihil gratiæ datum est ex defectu dispositionis, aliquid postea recuperari, habita dispositione: quando vero aliqua gratia in principio comparata est, nihil esse, quod postea redeat per ablationem fictionis, seu obicis. Sed licet illa opinio sit valde probabilis; supponendo (quod verum est) solam carentiam actualis deuotionis non esse obicem, sed peccatum aliquod non detestatum, tamen supponendo (vt Caietanus supponit) solam carentiam actualis dispositionis impedire gratiam sacramenti; & hanc restitui, habita tali dispositione, idem consequenter dicendum esset de intentione dispositionis, quod de tota dispositione, cum debita proportione. Verius ergo est, nunquam augmentum gratiæ dari per hoc sacramentum, seu ratione illius, postquam omnino esse desijt, seu transactum est: idemque esse dicendum de prima gratia, non solùm, quia per accidens datur per hoc sacramentum, sed etiam propter alias rationes suprà adductas.

Obiectio.

Sed contrà, nam gratia semel habita per hoc sacramentum, & postea per peccatum perdita, per pœnitentiam reparatur: ergo etiam gratia per peccatum impedita in susceptione huius sacramenti per pœnitentiam restituetur. Respondetur negando consequentiam; quia gratia semel habita, re ipsa iam fuit applicata propter merita Christi; & ideò est de se perpetua, & dat ius ad gloriam cum effectu obtinendam, si homo in gratia decesserit, vt latius dicturi sumus in materia de Pœnitentia: at vero, quando gratia fuit à principio impedita, nunquam homo acquisiuit dominium eius, nec ius ad perpetuitatem eius, & gloriæ illi correspondentis, si in gratia decesserit: quia merita Christi non fuerunt ei re ipsa applicata. Quocirca longè alia est ratio reuiuiscentiæ meritorum, quæ fundatur in lege & promissione, sub qua meremur de condigno apud Deum, alia verò efficatiæ sacramenti, recedente fictione, qua colligenda est ex propria natura, & institutione sacramenti; quod in hoc sacramento fieri nullo modo potest. Neque certè est verisimile, perditum Sacerdotem, qui quotidiè indignè communicat, per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ, consequi omnem gratiam, quam ex opere operato obtinuisset, si dignè communicasset.

Saluatio.

SEC-

SECTIO XI.

Vtrùm Eucharistia det aliquem effectum gratiæ actualis, & quando illum conferat.

QVAE hactenùs diximus, ad habitualem gratiam & virtutes ac dona, quæ illam cōsequuntur, pertinent, reliquum est, vt de gratia actuali pauca dicamus; de qua est specialis ratio difficultatis: quia hæc gratia consistit in actibus nostris: qui ex nostra libertate pendent: ergo non potest infallibiliter dari per hoc sacramentum. Itē, quia alioquī experiemur in nobis gratiam istam, quod tamen non ita est. Denique, quia nullibi facta est huic sacramento, magis, quàm cęteris, huius gratiæ promissio.

Eucharistia de se est efficax ad excitandam deuotionem & feruorē. D. Thom. Ioan. 6. Florentin.

Nihilominùs dico primò, hoc sacramentum de se efficax esse ad excitādam animi deuotionem & caritatis feruorē cum speciali spiritus suauitate ac dulcedine. Et hęc est gratia quędam actualis, quam confert hoc sacramentum: quę est sentētia D. Thomhic articul. 1. ad 2. & communis Scholasticorum. Et potest ex Scriptura, & Patribus ita colligi: nam Ioann. 6. de hoc sacramento dicitur, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: vnde colligit Concilium Florentinum, hunc cibum spiritualiter

Clemēt. V.

conferre eos effectus, quos corporalis cibus confert manerialiter: quorum vnus est, oblectare viuē tem, & vires confortare; & Clemen. V. cum Concilio Vienensi, de reliquijs & venerat. Sanctor. *In hoc*, inquit, *sacramento habetur omne delectamentum,*

Ambros.

& omnis saporis suauitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur. Sic etiam Ambros. sermon. 15. in Psalm. 118. dicit, *hoc sacramentum inebriare affectus fidelium, vt curam sęculi huius, metum mortis, solicitudinemque deponant*; & ad hoc probandum nonnulla ex Scripturis congerit libr. de myster. capitul. 8. & plura Cyprian. Epistola. 63. & sermon. de Cœna Domini, &

Cyprian.

Ecclesia accommodat illud Genes. 49. *Pinguis est panis eius & præbebit delitias Regibus.* Vnde etiam est illa locutio Tertulliani. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* libr. de resurrection. carnis, capitul. 8. Denique accommoda

Tertull.

ri solent verba illa Psalm. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est; tu vero perfecisti eam, animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; hęc enim, & multa alia similia, quæ de manna scripta sunt, rectè huic sacramento attribuuntur, cū constet, manna fuisse vnā ex potissimis figuris huius sacramenti. Ex his ergo satis probabiliter, & sensui Ecclesiæ cōformiter, intelligimus. Christum ex vi institutionis promisisse hunc effectum huic sacramento: hic autem effectus requirit actualem gratiam: quia spiritualis dulcedo non est sine animæ attentione, & affectione actuali. Est autem hic effectus maximè conueniens fini huius sacramenti, quod ordinatum est ad nutriendam, & fouendam diuinam amicitiam, quod potissimùm fit feruentioribus actibus amoris ac deuotionis. Tandem, vt Tridentinū dixit, Christus in hoc sacramento diuitias amoris sui erga homines veluti effudit: ergo etiam debet in eo existens, eosdem homines ad sui amorem vicissim & pecculiari modo excitare.

Psalm. 67.

A Dico secundò. Sacramentum hoc confert etiam ex opere operato actuale Dei auxilium, & fauorē ad peccata vitanda, & tentationes superandas. Ita sentit D. Thom. hic, artic. 3. ad 1. & artic. 4. citans Innocent. lib. 4. de hoc myst. cap. 44. & significat Concil. Trident. sess. 13. capite 2. dicens, hoc sacramētum esse institutum, vt antidotum, quo à mortalibus peccatis præseruemur, & à venialibus liberemur: & colligi potest ex verbis illis Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: adiuncta expositione Cyrilli suprà tractata declarantis hæc verba de vitę spirtualis conseruatione, ad quam sacramētum hoc est medium adeò vtile, vt possit dici moraliter necessariū; quam indicauit etiā Cyprian. in exposit. orationis Dom. dicēs, *vt manifestum est, eos viuere, qui corpus eius attingunt*, & *Eucharistiam iure communicationis accipiunt; ita contra timendum est & orandum, ne, dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, cōminante ipso, & dicente Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Sentit igitur, hoc sacramentum esse adeò efficax, ad vitam gratiæ conseruandam, vt, qui ab illo abstinent, in magno periculo illam amittendi versentur. Propter quod fortasse dixit idem Cyprianus Epist. 54. *non esse idoneū ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit & accendit.* Vnde ad hoc propositum accommodari solet illud Psalm. 22. *Parasti in cōspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Vnde Bernar. sermon. de Cœna Domini. Hoc *sacramentum* (inquit) *minuit sensum in minimis, & in grauioribus tollit omnino cōsensum* & plura similia legi possunt in Chrysost. homil. 51. in Math. 45. in Ioan. & 24. in 1. ad Corinth. & in Cyrillo lib. 3. in Ioā. c. 37. & alijs, quos disputatione sequente, quæst. 3. referam; & suprà etiam agentes de necesitate huius sacramenti nonnulla adduximus. Quod autem hic effectus non fiat, nisi per auxilia actualia, constat: qui, quodammodo pertinet ad donum perseuerantiæ: est enim quædam inchoatio, vel participatio eius: certū est autem ex materia de gratia, donum perseuerantiæ dari per auxilia actualia: per eadē ergo fit hic effectus. Sub auxilijs autem actualibus comprehendimus etiā rationem diuinæ prouidentiæ, qua ita gubernat, & protegit hominem, vt, vel illum à tentationibus liberet, vel ad eas superandas vires præbeat: siue hoc faciat per illuminationes intellectus, siue per

D varios voluntatis motus, siue remouendo exteriores occasiones peccandi, siue allijs modis.

Eucharistia confert etiā actuale auxilium ad peccata vitanda. S. Thom. Innocent. Trident. Ioan. 6. Cyrill. Cyprian. Chrysost. Cyrill.

Ad rationes dubitandi respōsio.

Vt autem rationibus dubitandi satisfaciamus, aduertendum est primò, hæc auxilia actualia, quædam esse omnino præuenientia liberum consensum, de quibus non procedit difficultas tacta: quia etiam si requirant hi actus consensum vitalem nostrarum potentiarum; nihilominus potest tota illa motio, quæ speciali modo fit à Deo, tribui sacramento: quia ratione illius datur, siue sacramentum ad talem effectum physicè concurrat, siue tantum moraliter, de quo satis est in superioribus dictum. Hinc vero fit, vt etiam consensus liber, qui postea in voluntate sequitur, sicut est effectus gratię Dei, ita etiam sit effectus huius sacramenti, non quidem solius, sed concurrente simul libertate voluntatis, excitatæ tamen, & adiutæ per auxilium datum ratione ipsius sacramenti. Nec refert; quod effectus

Universidad de Deusto Biblioteca

ctus hic non sit infallibilis absolutè, quia ad effectum sacramenti satis est, quòd ex parte illius sit infallibilis, si ex parte recipientis dispositio, vel conditio necessaria adhibeatur. Sicut autem ad effectū habitualis gratiæ necessaria dispositio est, vt non ponatur obex, ita ad hunc effectum gratiæ actualis necessaria dispositio erit, vt liberum arbitrium non resistat, sed gratiæ cooperetur. Dices, hoc, ad summum, est verū de gratia cooperante ad actualē consensum liberum, non verò de excitante, nam hæc, vt dixi, non pendet ex consensu libertatis, sed antecedit illum: si ergo hæc gratia est effectus sacramentalis, erit infallibilis: hoc autem non ita esse videtur, vt experientia ostendit. Circa hoc est secundò aduertēdum, cùm hic effectus gratiæ actualis excitantis non sit propter se, sed propter aliud, scilicet, propter actus supernaturales liberos, & humanos, non semper dari statim, quando recipitur sacramentum, sed tempore opportuno: quia tunc est vtilis, vel moraliter necessarius, vel ad vitandū peccatum, vel ad feruorem caritatis; & ideò si infallibiliter illa referatur ad tempus sumptionis sacramenti, non est necesse, vt omnis effectus sacramentalis sit infallibilis pro eo tempore, etiam si ex parte hominis nullus sit obex, vt constat ex doctrina generali suprà data de sacramentis; si autem infallibilitas referatur ad tempus opportunum, sic effectus est infallibilis, quia pro eo tempore est promissus, oportet autem, vt homo dignè receperit Eucharistiam (quia, vt dixi, in hoc sacramento non reuiuiscit effectus, si cum obice susceptum fuit) & quòd posteà homo prædicto tempore opportuno non se reddat indignum huius effectus per aliquod peccatum, aut aliam causam impediētem talem motionem Dei. Vnde fit, nullum argumentum posse ex experientia sumi ad iudicandum an hic effectus sit infallibilis, nec ne; tum; quia non potest homini satis constare, an dignè susceperit sacramentum; tum etiam, quia nescit, an posteà ponat obicem, vel impedimentum aliquod: ignorat etiam, quando sit illud tempus commodum & opportunum. Deinde non raro hoc auxilium gratiæ consistit in aliquo effectu diuinæ prouidentiæ, quē homo sæpè non aduertit, sæpè etiam comprehendere non potest. Ac denique, quando hoc auxiliū consistit in actu vitali ipsius hominis, quanuis possit illum in se experiri, non tamen potest satis dijudicare, qualis sit ille actus: neque vnde veniat, aut quò vadat; & ideò multò minùs experiri potest, an, quando sentit in se talem motionem, illa sit effectus huius sacramenti, necne: quando verò illam motionem in se non sentit, an id proueniat ex impedimento aliquo, vel, quia tunc non est illi expediens. Et ideò non est, cur conscientiæ timoratæ, & quæ moralem diligentiam adhibent, vt dignè accedant ad hoc sacramentum, contristentur, aut nimiùm timeant, si fortasse, dum communicant, nec feruorem illum caritatis, nec dulcedinem ac suauitatem illam sentiant, quam dicimus esse effectum huius sacramenti: quia quanuis dignè communicent, possunt non recipere hunc fructum, vel quia fortasse tunc illis non expedit; præsertim quatenùs interdum redundat in inferiorem appetitum, vel quia etiam sine peccato graui potest hic effectus impediri: quia homo negligenter accedit, aut quia naturaliter distractus est.

SECTIO X.

Vtrùm Eucharistia remittat venialia peccata, & temporales pœnas eam dignè sumentibus.

Peccata venialia remittuntur ex opere operato per Eucharistiam.

Magist. S.Thom. Bonauent. Innocen. Conc.Colon. Ambros. August. Gregor. Bernard. Chrysost. Cyrill. Trident.

De peccatis venialibus vera est sententia D. Thom. quam suprà in commentarijs explicauimus, ex opere operato remitti per hoc sacramentum, quam etiam docuit Magister in. 4. dist. 12. & ibi D.Thom. ar. 2. quæstiunc. 1. Bonauent. 2. part. ar. 5. q. 2. & reliqui Theologi, & Innocen. lib. 4. de hoc myst. cap. 44. & optimè Concil. Coloniense, & Catechis. Pij V. dū tractat de hoc sacramēto; & sumitur etiam ex Patribus. Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 6. & August. cap. Vtrùm sub figura, & Gregor. in capit. Quid sit sanguis de Cōsecrat. distinct. 2. Bernardus dicto serm. de Cœna Dom. cuius verba sectione præcedente citaui, cum Chrysost. & Cyril. & alios referam disputatione sequente, sectione prima, & fauet Conc. Trident. sessione 13. cap. 2. dum aliter loquitur de hoc sacramento, respectu venialium peccatorum, & mortalium: dicit enim *liberare nos à venialibus, præseruare autem à mortalibus*; sentit igitur, à venialibus non solùm præseruare, sed etiam ab eis iam commissis nos liberare: quod facere nō potest, nisi remittēdo illa. Ratio à priori petēda est ex institutione, quam omnia adducta probant; quàm verò sit congrua hæc institutio, quàmq; consentanea perfectioni ac fini huius sacramenti, & per se satis notum est, & optimè à D. Thom. in artic. explicatur.

Dubium de dispositione requisita ad hunc effectum. *Solutio.*

Sed quæres, quænam dispositio necessaria est ex parte sumentis, vt Eucharistia conferat hunc effectum. Respondetur in primis, non esse necessariam talem ac tantam dispositionem actualem, quæ per se sufficeret ad veniale peccatum tollēdum per formalē repugnantiam, aut cōdignam satisfactionem, qualis esset feruens actus caritatis, aut formalis detestatio talis peccati propter Deum. Nam, si tam perfecta dispositio esset necessaria, per illam esset ablatum peccatū veniale; & ideò sacramentum nunquam hunc effectum cōferret ex opere operato, nisi fortè mediatè & remotè, quatenus auxiliū ad talem actum datur per sacramentum; & tunc iam ille actus non esset dispositio ad sacramentū, sed potiùs effectus eius; & adhuc ille modus non est sufficiens, vt dixi circa literā D.Tho. ex mente eius; sic enim illa remissio, quasi per accidēs tantùm, esset ab hoc sacramento; cùm tamē finis & perfectio eius per se & directè requirat huiusmodi effectum. Adde, sacramentum hoc tollere peccatū mortale sine actuali dispositione, quæ per se sola sufficiat ad expellendum illud: multò ergo magis poterit venialia peccata ita tollere, cùm magis per se sit ad illa remittenda institutum: eò vel maximè, quod hic effectus cōmunis est alijs sacramentis, vt in superioribus tactū est; & latiùs dicetur in materia de Pœnitētia: ergo perfectiùs & propriùs conuenit huic sacramento, cuius est, debiles confortare, & languores sanare, vt D.Thom. ait, opusc. 59. cap. 5. Ad hunc ergo effectum duo tantum videntur necessaria ex parte sumentis; vnum, vt sit in statu gratiæ, & propter dignam sumptionem sacramenti, & quia nō potest veniale peccatum sine mortali remitti; aliud est, vt nō

inueniat

inueniat actualem affectum talis peccati, vt suprà dictum est: præter hæc autem nihil aliud est necessariū: sed infundendo suā gratiā sacramentalem, simul Eucharistia delet venialia, & hoc est propriè illa tollere ex opere operato, & sic distinguitur hic effectus à præcedente; alias confunduntur.

Non dimitti pœna temporalis ex opere operato per Eucharistiam.

Vnde vlteriùs de remissione temporalis pœnæ concluditur, non dari per Eucharistiam ex opere operato, vt ex mēte D.Tho. supra explicuimus, & ex differentia, quam ponit inter remissionem culpæ venialis, & pœnæ temporalis: nam illa simpliciter tollitur per hoc sacramentū: hæc vero non, sed iuxta valorem actus ipsius hominis. Et propterea neque Scriptura, nequæ Concilia aut Patres huius effectus meminerunt, quod satis est, vt sine fundamento non asseratur, præsertim, cum neque ex augmento gratiæ colligi possit, vt per se constat, neque ex fine huius sacramenti, quia reatus pœnę nō includit malitiam moralem impedientem feruorē caritatis. Adde, Eucharistiam, quatenus sacrificium est, per se ordinatam esse ad remissionem pœnæ temporalis, & ideo necesse non fuisse, vt sub ratione etiam sacramenti ad eundem effectum ordinaretur.

Atque hinc tandem concluditur, Eucharistiam, vt sacramentum est (nam de sacrificio postea dicemus) non habere effectum aliquem ex opere operato, nisi in solis sumentibus: nam, si aliquem habere posset, maxime effectum remissionis pœnæ temporalis: sed hunc non habet etiam in ipsis sumentibus: multo ergo minus poterit eundem habere in alijs: ergo neq; vllum alium. Maior & vltima consequentia patent, tum ex generali doctrina supra data de sacramentis: tū etiam inductione: quia costat, gratiā sanctificantē, & omnia dona, quæ ad illam pertinent, & remissionē culpæ, non posse alijs donari, etiā quando comparantur ex merito operantis, nedum quando ex opere operato: quia semper dantur ad propriam sanctificationem, vel operantis, vel recipientis sacramentum; & ita promissio gratiæ, semper respicit solū recipientē, iuxta illud, *Qui manducat me, viuet propter me*, &, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, & *in me manet, & ego in eo*, effectus autem non excedit promissionem. Vnde etiam ipsum sacramentum in vsu & applicatione sua solū significat sanctificationē ipsius sumentis, maxime in hoc sacramento, quod datur per modum cibi, qui solum manducanti prodest. Adde, etiam si hoc sacramentum remitteret pænam temporalem sumenti, nihilominus, vt sacramentum est non posse ex voluntate suscipientis effectum illum alteri communicare: quia omnis effectus, quicunque ille sit, datur suscipienti, vt proprium eius beneficium ac priuilegium, & ita fit in Baptismo, Penitentia, & alijs sacramentis: nec contrarium docuit Diuus Thomas in 4. distinct. 45. quæstion. 2. articul. 3. quæstiunc. 1. ad 3. nam ibi non agit de ratione sacramenti, sed sacrificij, hic autem apertius distinguens, & loquens de hoc sacramēto, vt sacramentum est, negat habere effectum in alio, præter quam in sumente, & idem docet super cap. 6. Ioan. lect. 6.

Obiectio.

Dices, interdum fideles non solum pij, sed etiā docti, pro alijs communicāt, & pro animabus Purgatorij, quibus talis communio, si ad remissionem pœnæ prodesse non potest, nullum fructum afferre valet. Vnde impertinens esset, & superstitiosa talis relatio, vel oblatio communionis pro anima Purgatorij. Respondetur, ideo dixi, *ex opere operato*, nā alijs modis actus communicandi pro alijs oblatus illis prodesse potest, est enim actus religionis, vnde ex opere operātis de se est satisfactorius corā Deo, & ita potest pro alio offerri quoad satisfactionem ex opere operantis, & illi prodesse per modum suffragij. Deinde est etiam actus meritorius, & ita etiam potest alijs prodesse per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis. In quo cēsetur hoc sacramentum habere specialem efficaciā, vel, quia cum excitet ad feruorem caritatis, ex hac parte habere potest ille actus maiorem congruitatem ad meritum, & impetrationem: vel quia propter realē Christi præsentiam & coniunctionē, familiarius & feruentius solet tunc ad illum & per illum oratio fundi, vt D.Tho. citato loco notauit.

Solutio.

DISPVTAT. LXIIII.

De effectu quem sacramentum Eucharistiæ habet in corpore.

Disp. 16. de Eucharistia.

Postquam dictum est de effectibus animæ, superest, vt inquiramus, an etiam in corpore habeat sacramentum hoc aliquos effectus, & primò dicemus de tempore huius vitæ, deindè de statu glorioso resurrectionis, ex quibus tandem quæstionem illam his temporibus controuersam definiemus de vnione corporali, inter Christum in hoc sacramento existentem, & corpus hominis manducantis illum.

SECTIO I.

Vtrum sacramētum Eucharistiæ in corpore suscipientis aliquid efficiat.

1. Sententia.

Dvo possunt esse dicendi modi extremè contrarij. Prior est, hoc sacramentum efficere in corpore quasdam qualitates, per quas corpus Christi dicitur vniri corpori nostro, sicut in anima efficit gratiam, per quam Spiritus diuinos spiritui nostro coniungitur. Quod si inquiras, quænam sint istæ qualitates; responderi potest, esse participationes quasdam dotium gloriæ, per quas quodāmodò caro nostra disponitur ad immortalitatem, quæ est effectus huius sacramenti, vt posteà dicemus, ita vt, sicut gratia est semen, & pignus beatitudines animæ, ita hæ qualitates sint pignora quædam gloriæ corporis. Huius sententiæ nō inuenio autorem, aliqui verò ex recentioribus conati sunt eam defendere, & in hunc modum explicare vnionem corporalem, quam Sancti aliqui fieri asserunt per dignā communionem huius sacramēti, & hoc est præcipuum huius sentētiæ fundamētū. Quod ita potest cōfirmari, nā hoc sacramētū aliquid ampliùs cōferre debet corpori dignè communicātis, quàm eius, qui indignè communicat, quia aliter illi coniungitur: sed nihil est quod conferat nisi huiusmodi qualitates: ergo.

2. Sententia.

Turrecrem. Martinez.

Posterior sententia est, hoc sacramentum nihil omnino efficere in corpore, sed solū in anima, quā docuit Turrecremata in cap. In Christo Pater. de Consec. dist. 2. & Petrus Martinez in Epist. Iudæ,

loco

Universidad de Deusto Biblioteca

loco. 23. & sumi potest ex D. Thom. hac. q. art. 1. ad 3. dum ait, hoc sacramentum non operari in corpus, nisi quatenus effectus gratiæ in corpus redundat, cùm membra nostra exhibemus arma iustitiæ Dei. Et fauent sancti, qui negant, hoc sacramentũ esse institutum, vt corporalem effectum conferat, sed spiritualem tantùm, vt videtur loqui Cyprian. serm. de Cœn. Dom. Damasc. lib. 4. de fide c. 14. & Cyril. Hierosol. catech. 4. mystag. Fũdamentũ verò huius sententiæ est, quia omnes promissiones à Christo factæ suscipientibus hoc sacramentũ, sunt spirituales & si aliquę pertinẽt ad corpus, respiciunt vitam futurã non præsentẽ, vt Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Sed inter has sententias media via tenenda est.

Cyp. Damasc. Cyril.

Ioan. 6.

Eucharistia nõ efficit in corpore qualitates supernaturales.

Dico ergo primò. Hoc sacramentum non efficit in corpore qualitates aliquas supernaturales, per quas illud ad gloriã disponat, seu corpori Christi conforme efficiat. Hanc conclusionem existimo ita certam, vt contraria opinio non probabilis, sed noua temeritas iudicanda sit, nam, licèt antiqui Theologi doctrinam hanc expressè non doceant, tamen cũ harum qualitatum nullam mentionem fecerint, pro comperto habuerũt illas non dari, neq; aliquo probabili fundamento fingi posse, quia neque vlla extat de hoc effectu promissio, vt cõstat, neq; enim in Euangelio Ioan. c. 6. aut alibi, est scripta; neque ab Ecclesia, vel Patribus est tradita. Neq; etiã est vlla necessitas vel vtilitas huius effectus, quidquid sit de possibilitate eius, hæc enim nõ est satis, vt affirmemus absque alio fundamento de facto conferri, quia non omnia, quæ supernaturaliter & miraculosè in homine fieri possunt, per hoc sacramentum fiunt. Assumptum verò ita declaratur, quia illæ qualitates fingi possunt, vel immediatè in corpore seu materia, vel in potentijs animæ, quæ in corpore inhęrent, si priori modo ponãtur, vt prior opinio sentire videtur sunt prorsus inutiles, quia neq; in hac vita deseruiunt ad opera virtutis, quia nõ sunt operatiuæ, neq; ad pulchritudinem vel ornatũ corporis, quia neque visu, neque alio corporis sensu percipi possunt. Rursus, neq; ad perfectionem vitæ futuræ quicquã conferre possunt, quia, corrupto corpore per mortem, ipsæ etiã corrũpentur, in quo magna est differentia inter eas & gratiã, quæ est in anima, nã hæc est perpetua, & ita est in hac vita semen vel pignus gloriæ, vt eadẽ perseuerans in beatitudine consummetur. Quod de his corporeis qualitatibus dici non potest, nisi quis fingat, post mortem conseruari in cadauere, & in vermibus, & in quacũque re alia, quæ ex illa materia generetur, quod per se satis absurdum est & incredibile. Si autẽ hæ qualitates dicantur infundi in potentijs animæ sensitiuæ, oportet vt sint aut species aliquæ, aut virtutes infusæ. Et, quod ad species attinet; si aliquæ infunderentur, experimento cognosci possent, & eadem ratione posset quis fingere imaginarias visiones seu phantasmata, quæ ratione huius sacramenti tribuerentur. Atq; idẽ argumentũ est de habitibus infusis per accidens, nã hi, si sint studiosi, moderãtur passiones, & excludunt vitiorum habitus, qui tamen non tolluntur per solum vsus huius sacramẽti, sine exercitio virtutis. Deniq; illa ratio his omnibus effectibus cõmunis est, quod nimirũ non infunduntur per accidẽs, nisi miraculosè, aut per modum gratiæ gratis datæ, & neutet modus agendi est attribuendus sacramentis, nisi de promissione constet. De virtutibus autem per se infusis, si quæ fortasse sunt in appetitu sensitiuo, nihil est, quod dicamus, quia huiusmodi effectus non est à gratia gratum faciente distinctus, sed sub illa cõtinetur.

Eucharistia habet aliquã efficaciam in corpore dignè suscipientis.

Dico secundò, hoc sacramentum habere aliquã efficaciam in corpore dignè suscipientis, moderando fomitem peccati, & alios bonos affectus in sensitiuo appetitu excitando, vt promptiùs ac iucundiùs homo virtutẽ operetur. Hæc assertio colligitur ex communi modo loquẽdi Theologorum & Patrũ dicentium hoc sacramentum ardorem concupiscẽtiæ extinguere, fomitem minuere, deuotionem augere. Sic ferè loquitur D. Thom. hic art. 1. ad. 3. & art. 6. ad 3. & opusc. 58. c. 21. & opusc. 59. c. 6. Richar. in 4. dist. 9. artic. 1. q. 2. Gabr. lect. 83. in can. Soto dist. 11. quæst. 2. art. 5. Gerson. ser. 9. super Magnificat. Et ex Patribus Cyril. Hierosf. Catech. 4. mystag. *Animam* (inquit) *& corpus sanctificat.* Damas. lib. 4. c. 14. *Cedit* (inquit) *in animæ & corporis præsidium*, & infrà, *Corpus & sanguis Christi est ad animæ & corporis nostri incolumitatem tendens*, Chrys. hom. 4. in Matthæum. *Quonam* (inquit) *modo ab hac tã noxia peste liberabitur:* (disputat de passione iræ) *si illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes serpentesq; mortificat. Et quodnã, inquies, istud est poculum, quod eam vim habeat? Pretiosus, scilicet, Christi, sanguis, si cum fiducia sumatur*, idem hom. 51. in Matth. & 45. in Ioan. Cyril. lib. 3. in Ioan. c. 37. & lib. 4. c. 17. *Sedat, cum in nobis manet, Christus sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationem animæ extinguit.* Multa similia habet Cyprian. in serm. de Cœn. Dom. sic etiã Gregor. Nissen. orat. Cathech. c. 37. hoc sacramentum vocat, *salutare medicamentum prauas nostri corporis affectiones corrigens*, & eodem modo, dixit Bernardus serm. de Cœn. Dom. *Hoc sacramentum minuit sensum in minimis*, & Ambros. serm. 15. in Psalm. 118. Hoc sacramento ait, *inebriari affectus fidelium, vt curas seculi huius, metum mortis, solicitudineq; deponãt.* Atq; in hunc fere modum de hoc sacramento exponit Hier. Zachar. 9. verba illa, *Et vinum germinans virgines*, & ideo in Catechismo Pij. V. dicitur, *Hoc sacramentum sensum libidinis cohibere.* Atq; idẽ late tradit Concil. Colon. fo. 78. cuius optima sunt verba, sed vitandæ prolixitatis causa ea omitto.

S. Thom. Richard. Gabr. Sotus. Gerson. Cyril. Damascen. Chrysost. Cyril. Cypr. Niss. Ambros. Hieronym. Conc. Colon.

Ratione declaratur, quia dupliciter hic effectus intelligi potest. Primo, solum indirectè, quia, dum augetur caritas, concupiscẽtia minuitur, & hunc modũ indicat S. Tho. quem Soto sequitur. Et hic modus est verus, non tamen sufficiens ad veritatẽ assertionis positæ, quia nõ requirit efficientiam aliquam circa corpus. Alter ergo modus est directè per actionem aliquam circa ipsum corpus, qui etiã varijs modis intelligi potest. Primo, per redundantiã ex affectibus voluntatis, ita tamen, vt ea redundantia sit intẽta ex propria institutione huius sacramenti, ex cuius efficacia tales affectus excitãtur in volũtate, vt ex eis redũdet in appetitũ moderatio concupiscentiæ, & omnis terrenæ voluptatis. Secũdo intelligi potest, per actionẽ propriam circa imaginationẽ vel appetitũ, qua excitentur phantasmata, & humores, vel spiritus animales ita cõmoueantur, prout ad huiusmodi affectus necessarium, vel magis accõmodatũ est. Et hi duo modi sunt faciles, & vix inter se distinguuntur, & ad quandã gratiã excitantem pertinent. Tertius verò modus addi

di potest, nimirum, per alterationem corporis, seu temperamenti eius. Nam, quia modus fomitis & concupiscentiæ multum pendet ex temperamẽto & materiali actione, seu alteratione eius, intelligi potest, hoc sacramentum habere hanc vim moderandi hoc tẽperamentũ, remittendo, verbi gratia, nimiũ calorẽ, atq; hoc modo paulatim ardorem libidinis extinguẽdo, siue hoc fiat immediate ab ipso sacramento, modo supernaturali, siue applicãdo aliquam causam naturalem, ex qua talis effectus sequatur. Sicut extrema vnctio, altero ex prædictis modis, salutem corporis confert. Et iuxta piam aliquorum opinionem idem interdum efficit hoc sacramentum, si ad salutẽ animæ expediat; & aliquãdo præstat corporis robur, ad opera virtutis exercenda necessariũ, vt significat Lauren. Iustin. ser. de Euch. Claud. repe. 6. c. 10. Et hic modus est pius quidẽ & probabilis, sed incertus. Illud autem certius affirmari potest, ratione huius sacramenti cõferri hanc fomitis moderationẽ per specialia Dei auxilia, & extrinsecã prouidentiã seu gubernationẽ, per quæ fit primum, vt in homine excitẽtur cogitationes & affectus ad eum finem valde accõmodati, deinde, vt tollantur omnes occasiones extrinsecæ, quæ prauos motus in homine mouere, possũt, & illæ potiùs offerantur, quæ omnem temperantiã ac moderationẽ afferant. Deniq; vt arceantur dæmones, ne fomitis incendiũ augeant, vt Chrys. dicit, hom. 45. in Ioan. His ergo modis sacramẽtum hoc, vel physice, vel certè moraliter, corpus ipsum moderatur, & ad operandum virtutem, ac vitandũ malum magis habile, magisq; dispositum reddit. Et hinc sumi potest propria ratio huius effectus, quia hoc sacramentum institutum est, vt antidotũ ad præseruandũ hominẽ à malis, vt supra dictum est. Vnde, quia fomes peccati est veluti prim⁹ fons & origo peccatorũ, nõ potest suauius, neque efficacius sacramentũ hoc hominem à malis præseruare, quã fomitẽ ipsum mitigando, & ad operandũ bonũ, hominẽ confortando. Merito ergo huiusmodi effectus huic sacramento tribuitur. Et ex his expedita sunt fundamẽta aliarũ opinionũ; nam quæ prima afferebat, & parũ sunt vrgentia, & ad summum confirmant hanc posteriorem conclusionẽ, contra quam non procedunt, quæ adducta sunt in secũda sententia, quia totus hic effectus, quem in corpore fieri dixim⁹, ad spiritualẽ fructũ ordinatur, & hac ratione spiritualis dici potest, & inter auxilia gratię, quibus homo præseruatur à malis, cõprehendi.

Lauren. Iust. Claud. Chrys.

SECTIO II.

Vtrum resurrectio vel gloria corporis sit specialis effectus huius sacramenti.

Ratio dubitãdi est, quia de hoc effectu fit specialis promissio sumentibus hoc sacramẽtũ Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, &, *Qui manducat me, viuet propter me.* Et, *Qui manducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ, habet vitã æternã, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die:* Est ergo hic effectus specialiter promissus huic sacramento, ergo aliquã propriã & specialem causalitatẽ circa illum habet. Propter quam fortasse causam Concil. Nissenũ, hoc sacramentũ vocauit, *symbolum resurrectionis*, & Ignat. Epist. 14. ad Ephes. vocat, *pharmacum immortalitatis*, Cyril. vero lib. 4. in Ioã. c. 16. vocat, *Cibum nutrientẽ ad immortalitatẽ, & vitam æternã* latius explicat. c. 14. & lib. 10. c. 13. vnde Chry. li. 6. de sacerdotio dicit, *animas eorum, qui hoc sacramentum in fine vitæ susceperint, ab Angelis propter assumptum illud sacrum, hinc rectà in cælum deduci, eorum verò corpora satellitum more, stipantibus Angelis, custodiri in vitã æternam.* Greg. autẽ Niss. dict. orat. catech. c. 37. addit, *Corpus nostrum nõ posse cõsequi immortalitatẽ, nisi huic corpori immortali Christi fuerit coniunctũ*, & similia fere habet Cyp. ser. de Cœn. Dom. & Tertul. lib. de resurrect. car. Ac deniq; Iren. lib. 4. cõt. hæres. c. 34. ad probandã futuram resurrectionem, ex vsu huius sacramenti argumentum sumit, *Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitã, quæ à corpore Dñi & sanguine alitur?* & infra, *Quemadmodum qui est à terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non cõmunis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus existens, terrena, & cælesti, ita & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam nõ sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Atq; similem sententiam habet lib. 5. c. 2.

Ioan. 6. Conc. Niss. Ignat. Cyril. Claud. Chrysost. Greg. Niss. Cyp. Tertul. Irenæus.

In contrariũ autẽ est, quia gloria corporis respõdet gloriæ animæ, sicut beatitudo animæ respõdet gratiæ, & caritati, & sicut hoc sacramentum neq; habet, neq; habere potest, aliã efficaciam circa gloriam animæ, præter eam, quam habet circa gratiam & caritatem, ita neq; aliter potest efficere gloriam corporis, quam gloriam animæ. Vnde concluditur de primo ad vltimum, hoc sacramentum nõ aliter conferre immortalẽ vitã corporis, quam nutriẽdo & conseruando gratiam & caritatem, quæ in virtute & in semine omnia illa cõtinent, iuxta illud Ioã. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Ioan. 4.

Hæresis circa præsentem quæstionem.

In hac re plures possunt excogitari modi dicẽdi. Primus est, immortalem vitã corporis ita esse promissam huic sacramento, vt certum ac simpliciter infallibile sit, eum, qui semel communicat, æternã vitam esse consecuturum, atq; ita senserunt aliqui, quorum sententiam crimine hæreseos dãnat Aug. 21. de Ciuit. c. 25. quia, vt rectè docuit D. Th. hic q. 79. ar. 6. ad 1. & 2. hoc sacramentum non aufert possibilitatem peccandi, neq; suscipientem statim in gratia confirmat, vt ipsa etiam experientia euidentius est, quam vt probatione indigeat. Rursus non confert infallibiliter pœnitentiam finalem ei, qui semel cõmunicauit, vbi enim est de hac re lex, aut promissio? Et ipso rerum euentu, & experientia, est etiam hoc fere euidens, eadẽq; est cõmunis traditio, & sensus totius Ecclesiæ. Promissio ergo vitæ æternæ facta huic sacramento, intelligitur sicut promissiones aliæ de effectibus sacramentorũ, quæ includunt sub intellectam conditionem, scilicet, si per hominem non steterit, vel si, non ponat obicem, seu quantum est ex parte sacramenti.

1. Sententia.

Prima sentẽtia excogitari põt, asserẽs ratione huius sacramẽti cõferendã esse corporib⁹ aliquã specialẽ perfectionẽ gloriæ & immortalitatis, ita vt in hoc futura sit aliqua differẽtia inter eos, qui in hac vita participes facti sunt huius sacramenti & alios, qui hoc beneficio nõ sunt potiti, nã illi afficientur singulari aliqua pulchritudine, vel aliqua alia qualitate, ad eũ modũ, quo martyrio vel castitati respõdet singularis aureola. Sed hæc sentẽtia, si quemadmodũ põt pie cogitari, ita posset autoritate aliqua fundari, existimari posset probabilis, quia verò nullũ habet fundamẽtũ, relinquẽda est, nã in Scriptura sacra, quod ad præsens attinet, tãtũ promittitur huic sacramento vitę immortalitas, quę cõmu-

Universidad de Deusto Biblioteca

nis est omnibus beatis. Nec Sancti Patres explicant specialem aliquam dotem vel aureolam, vel aliquid simile specialiter conferendũ corporibus eorũ, qui in hac vita vsi sunt hoc sacramento, sed, ad summũ dicunt, illa corpora, quę coniungũtur corpori Christi, per hoc sacramentũ, participatura gloriã, & immortalitatem illius, quam etiã participabunt omnia viua mẽbra eius, iuxta illud. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

2. Sentent. Secunda sentẽtia esse potest, resurrectionẽ & vitã corporis immortalẽ non aliter esse effectũ huius sacramenti, nisi quatenus sequitur ex effectibus gratiæ, quos in hac vita cõfert, sicut ratio in principio facta suadebat. Hoc põt explicari dupliciter. Primo ratione generali, quia dãdo gratiã, dat ius ad vitã æternã animæ, & corporis. Sed hoc nõ videtur esse satis ad satisfaciẽdũ omnibus testimonijs in principio adductis, quia hoc cõmune est omnibus sacramẽtis, & præcipue Baptismo & Pœnitẽtię, hæc enim per se cõferũt primã gratiã, atq; adeo primũ ius ad gloriã, quæ reliqua sacramẽta augẽt & corroborant. Secundo ergo id explicatur ratione speciali, quia hoc sacramẽtũ datũ specialiter est ad perseuerãdũ in gratia, & vt in fortitudine huius cibi peruenire possimus vsq; ad montẽ Dei. 3. Reg. 19. & hac ratione adeptio glorię, & consequẽter vitæ æternæ, põt specialiter attribui huic sacramẽto, sicut in statu innocẽtię immortalitas vitę tribuebatur cibo ligni vitæ, & efficaciæ illius. Atq; in hũc modũ recte etiã intelligitur differẽtia, quã Christus cõstituit Ioan. 6. inter manna & panẽ hũc in illis verbis. *Patres vestri manducauerũt manna, & mortui sunt, qui mãducat hunc panẽ, viuet in æternũ.* Nã, quod attinet ad præsentẽ vitã, neuter ex his cibis præseruat à corporali morte, quod vero pertinet ad vitã, quã post resurrectionẽ speramus, manna de se nullo modo illã præstabat, quia de se nihil ad spiritualẽ vitam cõferebat, hic autẽ panis, cõseruãdo nũc spiritualẽ vitam, cõfert seu iuuat ad obtinendam immortalẽ vitam corporis, quæ spirituali vitæ animæ respondet. Et hæc sententia est valde probabilis, sed iuxta illam nullũ hinc habemus specialem effectũ huius sacramenti diuersum ab illis, quos supra posuimus. *(Ioan. 6.)*

3. Sententia. Tertium ergo modum addere possumus, resurrectionem & immortalitatem corporis esse specialem effectum huius sacramenti, quia, licet ratione illius non conferatur corpori aliquod donũ, quod ratione gratiæ, vel gloriæ animæ, nõ debeatur, dabitur tamen proprio & speciali titulo, scilicet, propter specialẽ coniunctionẽ cũ Christo factam per hoc sacramentũ. *Eius possibilitas probatur.* Et in primis hunc modũ esse possibilem facile declaratur, tũ ratione generali, quia non repugnat, eandem rem pluribus titulis promitti & deberi, tum etiam exemplis, nam Christo debebatur corporis resurrectio & gloria & ratione vnionis, & propter gratiam & gloriam animæ, & nihilominus, speciali titulo, fecit sibi debitã illam gloriã per sua merita. Deinde, hunc modũ fuisse cõgruentẽ, ita declaratur, quia ad augendã nostrã spem, & deuotionẽ, ac reuerentiã ad hoc sacramentũ, decuit, Christũ specialiter promittere immortalitatẽ corporibus, quæ corpori Christi per illud cõiunguntur. Itẽ, vt significaretur efficacia viuificæ carnis Christi, quę futura est proxima causa nostrę resurrectionis, & vitæ immortalis. Propter quod dixit Cyril. dict. lib. 10. in Ioan. c. 13. & lib. 11. c. 17. *(Cyril.)* *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad immortalitatẽ & vitã perpetuam traduci, nisi naturalis vitæ corpus illi coniungeretur*, vbi verbũ illud, *non poterat*, non significat necessitatẽ, seu impossibilitatẽ simpliciter, sed congruentiã & maximã decẽtiã, vel etiam necessitatẽ quandã, supposita diuina ordinatione: sic enim necessariũ fuit, carnẽ humanã Verbo diuino, quod est fons vitæ, coniungi, vt per illã mors vinceretur, & corpora nostra immortalitatẽ acquireret. Et ideo etiã decuit, corpora nostra carni Christi cõiungi per hoc sacramentũ, tanquã principio, & origini suæ immortalitatis, & consequẽter etiam decuit, vt hoc speciali titulo debeatur immortalitas huiusmodi corporibus. Denique hæc specialis promissio videtur satis indicari locis citatis in principio huius sectionis. Et fortasse hac de causa dicitur hoc sacramentum datum, *vt pignus fælicitatis & gloriæ*, vt dicit Trid. sess. 13. capi. 2. Et Chry. ho. 45. in Ioa. vbi sic facit Christũ loquẽtẽ: *(Trid. Chrys.)* *Ego autẽ mea carne alo, quos genui, me eis exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimã de futuris spem præbeo. Qui in hanc vita ita se nobis exhibet: multo magis in futura.* Hic ergo modus explicandi hunc effectũ pius est & probabilis, in quo non occurrit difficultas aliqua explicanda, quia, re vera, non continet nouum effectũ, sed solum nouum modum promittendi, seu nouũ titulum, & rationem conferendi eundem effectum, vnde fit, eos, qui non suscipiunt hoc sacramẽtum, vel, qui ante institutionem eius vixerunt, nõ priuari aliqua perfectione gloriæ animæ, vel corporis, si alias perfectione gratiæ & caritatis nõ sint inferiores: sed solum priuari illo speciali titulo, quia, scilicet, non dabitur eis gloria propter specialẽ promissionem factã huic sacramento, quod parũ, vel nihil refert ad perfectionem gloriæ, quanquam fortasse aliquod accidentale gaudiũ possit inde accrescere his, qui huius sacramenti participes fuerint. Vnde tãdem colligo, si hic posterior modus verus est solum habere locũ in his, qui re ipsa hoc sacramentum suscipiunt, non vero in alijs, etiam si voto & desiderio illud suscipiant: quia ille specialis titulus fundatur in sacramentali & reali cõiunctione inter Christũ, & eum, qui digne cõmunicat. Vnde hic effectus sub hac ratione est propriè sacramẽtalis, qui non solet conferri per solũ votũ, vel desideriũ sacramenti, sicut etiã alij effectus gratiæ, qui per hoc sacramentum conferuntur ex opere operato, non dantur eis, qui tantum spiritualiter & in voto hoc sacramentum recipiunt, nisi etiam sacramentaliter cõmunicẽt. Sic ergo in præsenti dicẽdũ est de hoc effectu gloriæ sub hoc titulo dato, nam sub ea ratione est veluti effectus ex opere operato huius sacramenti. Ex quo fit, cõmunionem huius sacramẽti non solum in voto, sed etiam in re, esse medium necessarium ad obtinendũ hunc effectum sub hoc titulo, quanquam non sit necessarium absolute, ad obtinendam ipsam gloriam, vel immortalitatem, vt in superioribus latius dictum est.

SECTIO III.

Vtrum per susceptionem huius sacramenti fiat aliqua vnio realis inter corpus Christi, & corpus suscipientis.

HAEc sola quæstio superest de effectibus huius sacramenti, de qua, licet in Sancti Patribus nonnulla vestigia reperiantur, tamẽ ab

Scholasticis ex professo disputata non est, propter causam inferius explicandam. His autem temporibus accuratius disputatur, nam multi viri Catholici in odium hæresis, negantis veram præsentiam Christi in hoc sacramento, simpliciter docent in sumptione huius sacramenti, fieri vnionẽ inter corpus Christi & suscipientis, quam, realem, naturalẽ substantialem, atq; etiam corporalem, interdũ vocant. *(1. Sentent. Chrys.)* Qui potissimum fundantur in nonnullis sanctorum Patrum locutionibus, Chrysost. hom. 88. in Matth. sic ait, *Nos secum, vt ita dicam, in vnam massam reduxit, neque id fide solum, sed re ipsa nos suum corpus efficit.* Et hom. 45. in Ioan. *Vt non solum per dilectionem, sed re ipsa, in illam carnem conuertamur, per cibum hunc efficitur, quem nobis largitus est*, & hom. 55. ad pop. *Manduca me, dixi, bibe me, te sursum habeo, & deorsum tibi connector, non satis est tibi, quod tus primitias sursum habeo: hoc nõ tuum satiat desiderium, & deorsum rursum descendo, nec simpliciter tibi commisceor, sed connector, manducor, paulatim attenuor, vt magna fiat cõmistio, temperies, & vnio, nam quæ vniuntur in proprijs permanent terminis: ego vero tecum contexor, nolo deinceps esset quicquam interualli, vnum vtrumq; esse volo.* Atq; similes locutiones habet homil. 60. & 61. ad pop. *(Cyril.)* Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. c. 17. *Qui manducat* (inquit) *carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manent, & ego in illo, sicuti enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum cõmisceat necesse est, ita si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso & ipse in Christo inueniatur.* Apertius ac fusius libr. 10. cap. 13. *Non negamus, recta nos fide, caritateque sincera, Christo spiritualiter coniungi, sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitabit, Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes vnum corpus sumus in Christo, omnes enim vno pane participamus. An fortassis putat aduersarius Christi, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cũ in nobis fiat, non ne corporaliter facit, communicatione carnis Christi, Christũ in nobis habitare? Cur enim mẽbra fideliũ, mẽbra sunt Christi?* Et infra, *Considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali*, & postea subiungit exemplum ceræ liquefactæ superius positum, & lib. 11. cap. 26. *Considerandum* (inquit) *est, si ad vnitatem consensus & voluntatis, naturalem etiam inuenire possumus, per quam nos inter nos, & omnes Deo colligemur, fortassis enim etiam corporali vnione coniungimur*, & inferius subdit, *Quod autem corporalis hæc vnio ad Christum participatione carnis eius acquiratur, ipse rursus paulus, de mysterio pietatis disserens, testatur; dicens esse gentes cohæredes & incorporales, & comparticipes promissionis in Christo*, & cap. 27. *Corporaliter filius per benedictionem mysticam nobis, vt homo, vnitur, spiritualiter autem, vt Deus.* Fuse etiam de hac re loquitur Irenæus lib. 5. contra hæreses, capit. 2. dicens, *Quando mistus calix & fractus panis percipit verbũ Dei fit Eucharistia corporis, & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia, quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius est, quẽadmodum & Beatus Apostolus ait, in ea, quæ est ad ephesios, epistola: quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, non de spirituali aliquo & inuisibili homine dicens hæc; spiritus enim neque ossa, neque carnes habet, sed de ea dispositione, quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur, & de pane, qui est corpus eius, augetur.* Quæ omnia, & alia quæ ibi subiungit, corporalem vnionem significant, & ideo lib. 4. cap. 34. *Offerimus* inquit, *ei quæ sunt eius, communicationem, & vnitatem prædicãtes carnis & spiritus*, sic etiam Gregor. Nissen. orat. catec. cap. 37. *(Greg. Niss.)* *Sicut parum fermenti sibi assimilat totam conspersionem, ita corpus à Deo morte affectum, cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat, & transfert.* Damas. lib. 4. cap. 14. agens de hoc sacramento, inquit, *(Damas.)* *Per illud purgati, corpori Domini ipsiusque spiritui vnimur, ac Christi corpus efficimur.* Ex Latinis Leo Papa, Epist. 23. & habetur de Consecratione, distinctione. 2. c. In quibus, *(Leo.)* *In illa* (inquit) *mystica distributione spiritualis alimoniæ hoc sumitur, vt accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.* Ac similia habet Augustin. in capit. Christus passus. de Consec. distinct. 2. *(August.)* *Humana* (inquit) *caro, quæ erat peccato obnoxia, & ideo mortua, carni eius mundæ vnita & incorporata, vnumque cum illo effecta, viuit de spiritu eius, sicut viuit corpus de spiritu suo.* Cui consonat illud libr. 7. Confess. capit. 10. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Insignior vero locus est apud Hilarium lib. 8. de Trinit. & habetur in cap. In Christo Pater. *(Hilarius.)* de Cõsecrat. distin. 2. vbi, vt probet inter diuinas personas esse non tantum vnionem per consensionem voluntatis, sed etiam vnitatem naturalem argumentum sumit ab hoc sacramento, dicens. *Interrogo, vtrum per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis, si enim vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo Pater, & Christus in nobis est.* Propter has ergo, & similes patrũ locutiones, multi autores simpliciter concedendum existimant, fieri corporalem vnionem inter nos & Christum per hoc sacramentum, quomodo videtur loqui Alge. lib. 1. de hoc sacramento. c. 3. & Guitmund. libr. 3. de veritate Eucharistiæ, tractans prædictum Hilarij testimonium. Et Vvald. tom. 2. de sacram. c. 24. 59. & 95. & Turrecrem. in c. In Christo Pater. de Consecratio. distinction. 2. qui citat Albertum in tractat. de corpor. & sanguin. Domini Roffen. lib. 4. contra Oecolampad. capit. 21. & sequentibus, & libr. 5. in principio, Richard. articul. 13. Osius in Confession. Polon. capit. 42. Claud. de Sainctes repet. 5. c. 1. & 2. Turrian. lib. 1. de Euchar. c. 8. & 9. & lib. 2. c. 5. 6. & 7. Bellar. lib. 1. de Euch. c. 12. & lib. 2. c. 12. Alan. lib. 1. de hoc sacramento. c. 8. & latius c. 28. Ians. in cõcordia Euan. c. 59. Tolet. Ioã. 6. annot. 29. & c. 17. annot. 13. Deniq; recẽtiores omnes, qui de hoc sacramento cont. hæreticos scribunt, hoc fere modo loquuntur. Quo autem sensu asseratur hæc vnio ab his autoribus, & quomodo explicetur, inferius dicam. *(Alger. Guitmund. & Vvald. Turrecrem. Roffens. Richard. Osius. Claud. Turrian. Bellarm. Alan. Iansen. Toletus.)*

2. Senten. Nihilominus hæc sententia multis Theologis visa est improbabilis, & aliena à dignitate & maiestate huius sacramenti, quod, non propter corporalẽ con-

Universidad de Deusto Biblioteca

coniunctionem, ſed propter ſpiritualem, inſtitutum eſt, dicente Chriſto, quando hoc ſacramentũ promiſsit, *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*. Vnde Cyprian. ſerm. de Cœna Dom. *Fidei noſtræ* (inquit) *infirmitas edocetur viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quam ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri*, & infra, *Sicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita ſacramento viſibilis ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia, vt eſſet religione circa ſacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus ſacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus ad participationẽ ſpiritus, nõ quod vſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed vſque ad ſocietatem germaniſſimam eius hæc vnitas perueniſſet*, & infra, *Noſtra & ipſius coniunctio, nec miſcet perſonas, neque vnit ſubſtantias ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates*. Damaſc. etiam lib. 4. capit 14. poſt verba ſuperiùs citata ſubiungit, *Hoc ſacramentum appellari communionem, quia per illud cum Chriſto commercium habemus, ac carnem ipſius & diuinitatem percipimus, atq; adeo nos inter nos communicamus, atq; copulamur, quoniam enim ex vno pane participamus, omnes vnum Chriſti corpus & vnus ſanguis, & alij aliorum membra efficimur, Chriſtique concorporei exiſtimus*. Infra vero hanc vnionem declarans, addit, *Nam, ſi omnino hoc affert iſtud ſacramentum, vt & Chriſto, & alij alijs vniamur, non eſt dubium, quin omnibus, qui nobiſcum illud percipiunt, animo ac voluntate copulemur, ex voluntate quippe coniunctio hæc exiſtit, non autem circa animi noſtri ſententiam, omnes enim (vt Apoſtoli verbis vtar) vnum corpus ſumus, quoniam ex vno pane participamus*. Quibus verbis ſatis explicat Damaſc. hanc vnionẽ ſolum eſſe effectiuam & ſpiritualem. Nec diſsimilia ſunt quæ tradit Cyril. Hieroſoly. catech. 4. myſtag. cum dicit. *Sumpto corpore & ſanguine Chriſti efficis nos cõparticipes corporis & ſanguinis* (*Chriſtophoros minometha*,) & addit, *ſic Chriſtophori erimus, cum eius corpus & ſanguinem in mẽbra noſtra receperimus, atque ita, vt Beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ conſortes efficiamur*. Vbi, præter ſacramentalem ſuſceptionem, non agnoſcit aliam vnionem, præter ſpiritualem, quæ fit per gratiam. Accedit, quod nec D. Thomas, neque vllus Scholaſticorum, qui exacte, & cum proprietate, effectus huius ſacramenti explicarunt, mentionem vllam huius vnionis corporalis fecerunt, quæ ſit effectus huius ſacramẽti. Quod ideo addo, quia diſtinguunt, & merito, effectum huius ſacramenti ab vſu ſeu manducatione eius, effectus enim ſupponit vſum tanquam rationem, ſeu conditionem neceſſariam, vt effectus fiat. Vnde, licet vſus poſsit dici conſiſtere, vel fieri per quãdam vnionem corporalem, ſeu potius per materialẽ, cõtactum, inter nos & Chriſtum, medijs ſpeciebus, tamen poſt huiuſmodi vſum nullum agnoſcunt effectum huius ſacramenti, qui poſsit dici corporalis aut realis vnio.

Cypr.

Damaſc.

Ratione etiam poteſt hæc ſententia confirmari, quia, vt ſupra dixi in ſimili, agens de eſſentia huius ſacramenti, hic non poteſt intelligi vnio realis & phyſica, niſi vel formalis, ſeu per modum compoſitionis, vel effectiua per influxum alicuius effectus, neutra autem poteſt in preſenti habere locũ. De priori patet, quia neq; ex corpore Chriſti & noſtro fit vnũ corpus, vera & reali vnitate, quia neq; vniuntur ad cõponendã vnam naturã: neq; vnam perſonã: neq; habent realẽ modũ vnionis vnius ad alterũ, nec deniq; fit aliqua corporalis trãſmutatio alterius in alterũ, quæ omnia ſunt per ſe euidentia, nec ſine temeritate negari poſſunt, nulla ergo excogitari poteſt phyſica vnio formalis. De poſteriori vero ſeu effectiua, eſt in primis argumentũ, quia probabile eſt, quod S. Thomas indicat, hoc ſacramentum nihil directè influere in corpus, ſecluſo autẽ influxu reali, nulla eſt vnio effectiua. Deinde, etiã ſi demus, agere directe in corpus, non quælibet effectio ſufficit ad vnionem effectiuam, nam, licet ſol illuminet aërẽ, nõ propterea dicitur illi vniri, oportet ergo, vt effectio talis ſit, vt per eam vna res aliam ad ſe trahat, & ſibi præſentem vel ſecum coniunctam habeat, hoc autem ſacramentum non habet huiuſmodi actionem in corpus noſtrum, ſed ſi quid agit, id ſolum pertinet ad diminutionem fomitis, aut quid ſimile, vt ſupra dictum eſt, quin potius, ſi talis effectus ſit per hoc ſacramentum, non neceſſe eſt fieri eo tempore, quo præſentia Chriſti durat in ſuſcipiente, ſed tempore opportuno, nam hic effectus non datur per modum habitus, ſed per modũ auxilij, vel ſpecialis cuſtodiæ, & prouidentiæ diuinæ: huiuſmodi autem effectus (vt ſupra dictũ eſt tã in hoc, quam in cæteris ſacramentis) non ſemper dantur in ipſo vſu, ſed tempore opportuno ergo propter ſolũ hunc effectũ dici non poteſt, quòd intercedat hic vnio effectiua. Atq; hinc ſumi põt alia confirmatio huius ſententiæ, quia, ſi aliqua eſt hic coporalis vnio, vel illa durat ſolũ quãdiu Chriſti præſentia durat ſub ſpeciebus, vel etiam poſtea, hoc poſterius dici non poteſt, qualis enim corporalis vnio fingi poteſt inter me, & Chriſtum exiſtentem in cælo; aut quæ alia manere poteſt poſt communionem & ſacramentalem Chriſti præſentiam tranſactã, quæ antea nõ eſſet, ſi erat eadem fides & caritas ad Chriſtum. Si autem dicatur primum, id eſt contra mentem Sanctorum, quos prior ſententia in ſuum fauorem afferebat, illi enim dicũt, vnionem, quæ inter nos & Chriſtum fit per ſuſceptionem huius ſacramenti, eſſe illam, qua totum Eccleſiæ corpus Chriſto vt capiti cõiungitur, & qua nos efficimur mẽbra eius, quin etiam dicunt, hãc vnionem non ſolum perfici inter nos & Chriſtum, ſed etiam inter noſmetipſos, qui ſumus membra eius, quatenus inter nos coniungimur, & vnimur. Item teſtimonia Pauli, quibus ijdem Sancti confirmant ſuam ſententiã, non loquuntur de vnione tranſeunte (vt ſic dicam) cum ſpeciebus ſacramentalibus, ſed permanente, & durabili, cuiuſmodi eſt illud. 1. ad Corin. 10. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus*, vbi ex vnitate panis colligit, vnum eſſe corpus, quia ille panis eſt Chriſtus, qui hanc in ſuo corpore efficit vnitatem, illa vero vnitas non durat ſolum, quandiu panis ille manducatur, vel quandiu ſacramentaliter permanet in nobis. Et ſimile eſt illud ad Epheſ. 5. *Membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius*, quæ verba de hoc myſterio interpretantur dicti ſancti, præſertim Iren. qui etiã comparant hanc vnionem cum illa, quæ eſt inter virum & vxorem, qua efficiuntur vna caro, de qua Paulus ibidem ait, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, quæ vnio non durat ſolum eo tempore, quo eſt inter coniuges corporum coniũctio, ſed illo actu quodammodo perficitur, permanet autem poſtea: idem ergo eſt, ſi exemplũ analogiæ aliquid valet in hoc myſterio. Quod ſi hoc tandẽ concedatur, videtur aperte cõcludi, hanc vnionem nõ eſſe cor-

1. Corin. 10.

Epheſ. 5.

Irenæus.

corporalem, ſed ſpiritualem tantum & myſticam, quia nulla eſt alia, quæ duret inter nos & Chriſtũ, tranſactis, ſeu corruptis ſacramentalibus ſpeciebus. Vltimo confirmari poteſt hæc ſententia, quia ſi fit corporalis vnio inter noſtrum corpus, & hoc ſacramentum, diſtincta ab ipſa ſuſceptione, & quantitatiuo contactu, vel illa fit cum toto corpore, & omnibus partibus hominis cõmunicantis, vel tantum cum illa parte, ad quam ſacramẽtales ſpecies perueniunt, neutrum horum poteſt dici probabiliter. Non quidẽ primum, quia realis & corporalis vnio ſupponit mutuam præſentiam realem, ſeu propinquitatem, & indiſtantiam eorũ, quæ vnienda ſunt: non etiam ſecundum, tum, quia non eſt maior ratio de illa parte, quã de alia, præſertim de illis, quas ſacramentum tangit, cum mãducatur, & maximè cum probabile ſit, effectum ſacramenti dari in ipſomet motu manducationis, cum primum deglutiũtur ſpecies, tum etiam, quia illa vnio non poteſt fingi per modum continuationis quantitatis, nec per efficientiam ſacramentalem circa illam partem corporis magis, quam circa alias. Fertur, Cardinalem Mendoza Burgenſem in libro, quem de hac vnione ſcripſit, quem præ manibus habere non potui, docuiſſe, Chriſtum ſacramentaliter manducatum non ſolum fieri realiter præſentem in loco, quem ſacramentales ſpecies poſſent naturaliter occupare ſed quodammodo diffundi per totum corpus hominis, vt toti illi & omnibus partibus eius realiter vniatur, ſeſeque illi immiſceat. Verum hæc cogitatio non ſolum improbabilis, & abſurda eſt, ſed etiã pluſquam temeraria, quia vel dicẽdum eſſet, Chriſtum ex vi communionis huius ſacramẽti eſſe realiter præſentem, etiam vbi non ſunt præſentes ſpecies ſacramentales; & hoc eſt contra receptam, & ſanam doctrinam, qua docemur, Chriſtum contineri ſub ſpeciebus, vt eas comitetur, & per illas ſuo modo in loco conſtituatur, & ſacramentaliter duret, quandiu ille durauerint. Vel oportebit dicere, ipſas ſpecies diffundi per totum corpus hominis, & penetrari cum omnibus partibus eius, quo nihil abſurdius poteſt excogitari, magiſque alienum à cõmuni ſenſu omnium Theologorum, & totius Eccleſiæ; & eſt fingere miraculum inutile, & ſine fundamento, nam de hoc ſacramento ſcriptum eſt manducandũ eſſe & bibendum, quod ſi per determinatas vias, & partes corporis, illa vero diffuſio, & penetratio, aliena eſt à veritate manducationis, non eſt ergo neceſſaria ad effectũ, ſeu vnionẽ, quã efficit hoc ſacramentum.

Euidentia quæſtionis.

Tota hæc cõtrouerſia, quanuis à multis magna contentione diſputetur, videtur magis in verbis, quam in re aliqua verſari, ſi certa fidei principia ſtabiliantur, præſertim tria, vel quatuor. Primum eſt, in vſu huius ſacramenti nos non tantum ſuſcipere Chriſtum in figura, aut per fidem, ſed vere ac realiter per os corporeum. Hoc conſtat ex dictis ſupra de præſentia reali Chriſti in hoc ſacramento, & hoc eſt, quod potiſsimum intendunt docere aliqui ex ſanctis in priori ſententia citatis, & hanc vocãt corporalẽ vnionẽ, quia eſt vere corporalis ſumptio dicitur etiam naturalis, vt diſtinguitur contra vmbratilem, aut per ſolam figuram, vel ſignum, & ſic de alijs nominibus. Hæc vero vnio, vt dixi, quantũ ad hoc, non eſt effectus ſacramenti huius, ſed potius vſus eius, prout in vſu includitur motus manducationis, & phyſicus terminus eius, nam per illũ motum deſcẽdunt ſpecies, & ſub illis Chriſtus vſque ad certum locum ſtomachi, vnde hæc vnio, quoad hoc, cõmunis eſt peccatoribus indignè mãducantibus ſacramentaliter corpus Chriſti, quanuis nullum effectum illis conferat. Ac denique in hoc ſolum conſiſtit naturalis illa vnitas Chriſti in nobis, de qua Hilarius loco citato loquitur, nam illa vnitas naturalis nihil aliud eſt, quam quod vna & eadem caro Chriſti vera ac naturalis, verè etiam ac realiter ſit in nobis per prædictam realem præſentiam ac manducationem. Secundò exiſtimo omnino certum, præter hanc propinquitatem, vel contactum inter corpus noſtrum, & Chriſti, medijs ſpeciebus ſacramentalibus, non interuenire materialem aliquam vnionem phyſicã ac veram; & hoc exiſtimo conuincere argumenta ſecundæ ſententiæ. Neque aliquis ex autoribus, qui in priori citãtur, cõtrariũ dicere auſus eſt, ſed omnes diſertè explicant non eſſe hoc ſenſu concipiendam hãc vnionem. Tertiò eſt certum, illam vnionem, quæ in ipſo vſu fit per contactum ad ſpecies, non fieri immediatè in omnibus partibus corporis communicantis, ſed ſolũ in determinata parte, ad quam ſpecies ſacramentales perueniunt; hoc etiam ſatis probatũ eſt. Quartò eſt certum ex hac ſacramentali manducatione & corporali receptione carnis Chriſti, ſequi in his qui dignè illam ſumunt, ſpiritualẽ vnionem cum Chriſto, ſeu perfectionem eius, & omnes effectus ſuprà numeratos, qui omnes ad perfectionem huius vnionis tendũt, & ideò ſpirituales ſunt, vt in ſuperioribus diximus. Et hæc ſunt, quæ ad rẽ ipſam explicandam ſpectant.

Ex quibus infero, nullam vnionem realem fieri per hoc ſacramentum, quæ aliquid in re ipſa addat vltra condignam ſacramentalem receptionem huius ſacramenti, & ſpirituales eius effectus ſuprà numeratos. Et hoc ſenſu veriſsima eſt ſecunda ſententia ſuprà poſita, quæ ex omnibus adductis ſufficiẽter cõuincitur, oſtenſum eſt enim, præter ſacramẽtalem receptionem corporis Chriſti, & ſpirituales effectus ab illa manãtes, nihil aliud in toto hoc myſterio, & eius participatione, interuenire.

Ratione ſacramentalis vnionis Chriſti cum ſumente, ſimul cũ ſpirituali vnione, dicitur Chriſtus magis vniri nobis quam ratione alterius ſigillatim ſumptæ.

Nihilominùs addo vltimò, ratione ſacramẽtalis vnitionis ſpirituali coniunctæ, poſſe dici Chriſtũ nobis vniri magis, quàm per ſolam ſpiritalem vnionem, vel ſacramentalem ſolam. Hoc addo, vt explicem locutiones Sanctorum, & aliorum recentiorũ autorum, quas in eodẽ ſenſu, paucis quidem verbis diſtinctiùs tamen, quam cæteri, explicuit Franciſcus Toletus loco ſuprà citato. Et declaratur breuiter; quia, quãdo Chriſtus dignè ſumitur, realiter cõiungitur ſuſcipienti, quia verè ac propriè, intrà ipſum cõſtituitur, & quaſi quodã corporali amplexu apprehẽditur. Ex quo fit, vt quandiu Chriſtus ibi adeſt, quãtum eſt ex ſacramentali virtute eius, excitet ſuſcipientẽ, vt diligat, & affectu etiam complectatur eum, quẽ corporaliter habet preſentem. Ac rurſus ex eadẽ corporali ſumptione, & quaſi permiſtione, vt Sancti loquuntur, relinquitur (etiã poſt tranſactã realem Chriſti præſentiam) moralis quędam habitudo inter Chriſtum & ſuſcipientẽ, nam ratione illius contactus, ſpeciali titulo, cenſetur hic eſſe quaſi aliquid Chriſti, & Chriſtum habere ſpecialem curã nõ ſolũ animæ, ſed etiam corporis eius vt illud ſanctificet, ſuæque gloriæ particeps faciat quæ habitudo non manet in eo, qui indignè communicauit, quia obicem poſuit effectui ſacramẽti; pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

propterea, licet dentibus premat sacramentum, & realiter Christum intra se susciṗiat, non tamen dicitur hoc speciali modo vniri Christo, nec in eo manere, & Christus in ipso, vt ponderant Aug. & D. Tho. in hæc verba Ioan. 6. & idem Aug. serm. 1. de verbis Dñi, neq; etiã manet illo modo, & sub illo titulo in eo, qui nunquã cõmunicauit, etiã si spiritualiter Christo coniunctus sit, vt infra dicam. Igitur, consideratis omnibus, quæ in hoc mysterio, & in vsu & effectu eius, interueniunt, rectè explicantur per modum specialis vnionis sumptio carnis Christi & effectus illius. Neq; alium sensum potuerunt intendere Patres citati, quia nullus alius est probabilis, nec doctrinæ fidei consentaneus. Quod si inquiras, qualis sit dicenda hæc vnio; multi dicunt, posse vocari substantialem, quia est inter substantias, & corporalem, quia est inter corpora. Sed primum non placet, quia inter substãtias potest esse vnio accidentalis, & quia valde improprie dicitur, esse substantialẽ vnionẽ inter Christũ & Ecclesiam, vel inter virum & vxorem. Secundum etiam non omnino probatur, quia inter Christum & Ioannem Baptistã, verbi gratia, vel alios iustos, qui fuerunt ante hoc sacramentũ, est aliqua vnio, quæ tantum est spiritualis, licet non tantum sit inter animas, sed etiã inter corpora: sicut enim possunt corpora spiritu informari, ita & spirituali nexu seu affectu vniri. Nihilominꝰ tñ in bono sensu potest hæc vnio corporalis dici, quia quodammodo fundatur in illa corporali permistione, seu susceptione sacramenti; maxime tamẽ spiritualis est, quia & præcipuũ vinculũ est eius spirituale, & ipsa corporalis susceptio debet etiã spiritualiter fieri, idest, sanctè & dignè, vt hæc vnio fiat. Vnde etiã dici potest hæc vnio realis, & naturalis, sensu supra exposito, scilicet, vt excludantur sola signa, & figuræ & vnio, quæ est per solam apprehensionem fidei, aut effectus. Propriè vero potest hæc vnio vocari mystica, seu moralis, fundata aliquo modo in corporali vinculo, seu mistione, huiusmodi enim est vnitas illa, quæ est inter coniuges, per quam explicant hanc vnionem prædicti Patres, & indicat etiam Augustinus lib. 2. contra aduersarium legis, & prophetarum cap. 9.

Ang.

Alan.

Vnde non placet, quod Alanus & alij ex citatis autoribus dicunt, quando, re ipsa, non potest susciṗi hoc sacramentum, ad perficiendum hanc vnionem, sufficere, quod sacramentum hoc in voto susciṗiatur, quia hoc satis est, vt homo fiat viuũ Christi mẽbrum, & vniatur illi, & corpori eius, quod est Ecclesia, hoc (inquam) non placet, quia illa vnio est mere spiritualis, & non fundatur in reali coniũctione corporis Christi cum nostro; & ideò nõ potest vocari corporalis, & naturalis, quia per votum sacramenti non est corpus Christi verè, ac naturaliter intra nostrum; quare illa vnio non est propriè effectus sacramentalis huius sacramenti; qui, vt sæpe dixi, non datur ex solo voto, sed ex reali vsu. Quod sic facile ex dictis explicatur, quia ille specialis titulus, quo caro nostra manet sub protectione Christi, quia carni eius commista fuit, & illa moralis habitudo, quæ ex hoc contactu relinquitur, nõ intelligitur esse in eo, qui solo voto Christũ susciṗit. Sicut igitur sacramentales effectus proprij huius sacramenti, quatenus tales sunt, non dantur, nisi per realẽ vsum eius, ita neque ista vnio aliter perficitur, quia, re vera per hanc vnionẽ nihil aliud exA plicatur, quã ipsa realis susceptio sacramẽti cũ suis effectibus. Quod etiã explicari potest illo exẽplo matrimonij, quia vir & vxor proprie, & perfectè non efficiuntur vna caro, donec, re ipsa carnaliter cõmisceantur, vt latius in materia de matrimonio tractatur. Quod si quis dicat, etiã per solũ vinculũ matrimonij fieri aliquo modo vnam carnem, quia accipiunt ius ad cõmistionẽ carnalẽ, præterquã q̃ improprie dicitur, quia illud vinculum non est carnale, sed morale tamen, illo admisso, & ad præsentẽ materiam illud applicando, talis seu proportionalis vnio inter nos & Christum non fit per hoc sacramentum, sed per baptismum per quem accipimus ius ad corporalem vnionem, quæ fit in hoc sacramento. Ex quo tãdem infero, quod, licet ex hac vnione optime, & à fortiori colligitur vnitas corporis mystici cũ Christo & mẽbrorum eius inter se, quomodo videtur argumentari Paulus. 1. ad Corint. 10. iuxta Sanctorum interpretationem supra traditam, quam ibi Haymo latius explicat, & attingit Theodor. tam ibi, quã ad Ephes. 5. non tamen è contrario necessaria est hæc sacramentalis, vel corporalis vnio ad vnionẽ mysticã Ecclesiæ, & mẽbrorũ eius cũ Christo & inter se, quia ad hãc sufficit vnio omnino spiritualis, quia includit, & speciali modo causat, realis, & condigna susceptio huius sacramenti, addit vero aliquid pertinens ad specialem gratiam sacramẽtalem, quod simpliciter necessarium non est, ad constituendũ membrũ Christi viuũ, corpori eius specialiter coniunctum, vt cõstat de omnibus iustis, qui ante institutionem huius sacramenti fuerunt, atque etiã de illis, qui sine reali vsu huius sacramenti salui facti sunt, & maxime, si nec baptismũ, re ipsa, susceperunt. Et hæc sint satis de locutione potius mystica, quã omnino propria & rigorosa.

B

C

D

DISPVTAT. LXV.

De adoratione huic sacramento debita.

Disputatio sexta de Eucharistia.

HActenus dõctrinam speculatiuam ad hoc sacramentum pertinentem persecuti sumus, reliquum est, vt partem moralem aggrediamur, quæ versabitur circa actus, quos nos circa hoc sacramentum exercere possumus, aut debemus propria enim materia moralis doctrinæ sunt actus humani, hoc autẽ sacramentũ, vt sæpe diximus, prius in suo esse cõstituitur, quã ad vsum applicetur. Vnde fit, vt duobus modis possimus nos circa illud operari: ptior est, exercendo aliquos actus circa ipsum sacramentũ, prout in se existit ante vsum; posterior est vtendo ipso sacramento, & hunc posteriorem modum prosecutus est D. Tho. tota q. 80. priore vero prætermisit, propter hanc fortasse causam, quia ille modus operandi non potest esse, nisi per aliquos actus religionis seu cultus, de quibus non videbatur hic necessaria specialis disputatio, quia, suppositis principijs generalibus de adoratione, Christo Dño, & rebus sacris debita, supra q. 25 traditis, & suppositа veritate realis præsentiæ Christi in hoc sacramento nihil noui de hac re, superesse videbatur. Nihilominus tamen ad huius materiæ complementum, necessarium est, hanc breuem disputationem præmittere, tum, vt hæreticis huius tẽporis satisfaciamus, tum, vt generalia principia ad præsentem materiam distinctius applicemus.

SEC-

SECTIO I.

Vtrùm licitum, vel præceptum sit, Eucharistiam adorare.

Hæreses circa præsentiã quæ-dam.

HAEretici, qui negant realem Christi præsentiam, idololatriæ scelus esse dicunt, cultum aliquem huic sacramẽto tribuere, præsertim latriæ. Nonnulli etiam negant, etiam si Christus in eo adsit, esse adorandum, quia non est adorandus, nisi vbi ipse vult adorari, nunquam tamen nos docuit; vt in Eucharistia eũ adoremus, nec legimus Apostolos in nocte cœnæ panem aut calicem, quem Christus eis porrexit, adorasse. Alij verò ex hæreticis solùm negant, hoc sacramentũ ante vsum debere adorari, quia negãt præsentiã Christi in illo esse permanentem, sed tantũ in ipso vsu, atque ita damnant cultum, quem Ecclesia præbet huic sacramento, vel in Missa, quando statim post cõsecrationem eleuatur, & populo adorandũ proponitur, vel quando in processionibus circungestatur, & colitur; vel quando eidem in pyxide conseruato reuerentia exhibetur. Vltima sententia esse potest, mente discernendum esse Christum à sensibili signo, & Christum quidem adorandum esse, non tamen sacramentum, quia species illæ sunt res creatæ, & inanimis, & consequenter incapaces adorationis; neque enim satis est, vt Christus sub illis sit, quia etiam Deus est in anima tanquam in templo suo, & tamen adoratur Deus, & non anima.

A

B

Christus adorandus est in Eucharistia, si cum sit in propria specie videatur. Trident.

Dico primo, Christum in hoc sacramento existentem non minori veneratione, ac cultu dignũ esse, quàm si in propria specie clarè, & sensibiliter ibi conspiceretur. Hæc assertio est de fide, quam definit Concil. Trident. sess. 13. cap. 5. & can. 6. & in eius confirmationem adducit, Christum esse in terris adoratũ, & ab Angelis, ad Hebr. 1. & ab hominibus, Matth. 2. & 28. Lucæ 24. & Ioan. 6. atque etiam in cælis, Apocal. 5. & 7. subdit autem Concilium, eãdem esse rationem de Christo existente in hoc sacramento, quia eadem est eius excellentia, eadem maiestas. Differentia autem in modo existendi naturali, vel sacramentali, sensibili aut insensibili, nihil refert, quia adoratio non nititur sensibus, sed fide, alioquin nec Deus ipse esset adorãdus, quia non clarè à nobis videtur, sed tantùm creditur. Nam, quòd hæretici aiunt, Christum non esse adorandum, nisi vbi ipse vult adorari, si intelligãt, necessarium esse, vt Dei voluntas speciali præcepto, aut reuelatione nobis manifestata sit, vanum est, & contra omnem Scripturam, & rationem: Magi enim vbi habuerunt speciale præceptum, vel reuelationem, vt Christum in præsepe adorarent, nisi vbi intellexerunt, & crediderunt ipsum esse Deũ, ac Regem suum? Et idem est dicendum de cæco, qui à Christo illuminatus procidit, & adorauit ipsum, & de Cæteris similibus. Et ratio generalis est, quia ex diuina & naturali lege tenemus, Deum colere, & sancta sanctè tractare: ergo, posita fide ac reuelatione, Christum verũ Deum, ac summe sanctum, hic adesse, non est noua reuelatio necessaria, vt adorandus sit. Quapropter merito Sancti omnes ex reali præsentia Christi colligunt adorationem, & è conuerso nos suprà à posteriori argumentantes ex perfecta adoratione & latria, quæ Christo in hoc sacramento tribuitur, illius realem præsentiam

C

D

probauimus; vbi multa ex sanctis Patribus adduximus, quibus addi possunt Chrysost. homil. 61. ad populum 83. in Matth. 24. in 1. ad Corinth. Cyrill. Hierosol. catech. 5. myst. ag. *Accede* (inquit) *pronus, adorationis in modum, & venerationis*, & Damascenus lib. 4. capit. 14. dicens: *Veneramur ipsum, tum animæ, tum corporis puritate.* Idem Eusebius Emisse. homil. 5. de pascha te. Et Augustin. de consecra. dist. 2. cap. *Nos autem* (inquit) *in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem, & sanguinem honoramus*, & in concione 1. super Psalm. 21. tractans illi verbo; *adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Et confirmatur ex antiquo ritu & consuetudine Ecclesiæ eleuandi hostiam statim post consecrationem, nam licèt ea ceremonia mystica etiã habeat significationem, vel moralem; potest enim significare vel eleuationem Christi in cruce, vel resurrectionem, aut ascensionem eius, vt significat Concil. Ephesin. in Epist. ad Nestorium. & Augustin. serm. 18. de verbis Apost. potest item significare internum cultum, & eleuationem mentis ad Deum, quomodo etiam in lege veteri oblata eleuabantur super altare, coram Deo. Exod. 23. Leuit. 8. num. 5. licet hæc (inquam) vera sint, tamen propria & literalis ratio huius actionis est, vt populus fidelis, qui credit, statim post consecrationem Christum hic adesse, ipsum adoret, vt constat ex omnibus Liturgijs, & ex Dionys. de Eccles. Hierar. cap. 3. part. 2. *Pontifex* (inquit) *augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, in apertum agit, diuina munera reuerenter ostendens*, & Basil. libro de Spiritu sancto, cap. 27. *Inuocationis verba, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum inscripto nobis reliquit?* Vbi docet esse traditionem non scriptam, non solùm venerandi, sed etiam orandi & inuocandi Christum in Eucharistia, quando à sacerdote eleuatur. Et ad hanc consuetudinem alludit Chrysostomus homil. 36. in 1. ad Corinth. homil. 3. ad Ephes. homil. 61. ad populum, cùm ait, *Cùm vela videris retrahi, tunc superne calum aperiri cogita*, pluraque alia de hac eleuatione, & adoratione eruditè congerit Durand. lib. 2. de ritib. Eccles. cap. 40. Huc etiam spectat, quod Sancti dicunt, ad verba consecrationis cælos aperiri, & Angelorum multitudinem ad Christum adorandum descendere, vt videre est in Gregor. 4. Dialog. cap. 58. Chrysostom. lib. 6. de sacerdotio. Ambrosi. circa id Lucæ 1. *Apparuit ei Angelus.* Augustin. lib. de corpore Christi, vt Magister citat in 4. distinct. 13. Innocent. lib. 2. de hoc myst. capit. 24. & lib. 5. cap. 6. denique idem confirmat alia traditio Ecclesiæ, quam præ manibus habemus, eiusque initium ignoramus, quòd scilicet, omnes, qui communicaturi sunt, priùs adorent Christum in hoc sacramento, quod factum semper legimus in omnibus Liturgijs, Iacobi, Basilij, & Chrysost. & apud Augustin. & alios Patres suprà citatos. Neque oportet, vt rationem aliam huius assertionis adiungamus, quoniam à Concilio Tridentino satis explicata est.

Chryſoſt.

Damaſc.

Emiſſen.

Auguſt.

Conci. Epheſ.

Auguſt.

Dionyſ.

Baſilius.

Chryſoſt.

Durand.

Gregor.

Chryſoſt.

Ambroſ.

Auguſt.

Innoc.

Dico secundò, Non solùm Christus sub speciebus existens, sed etiam totum sacramentum visibile, vt ex Christo & speciebus constat, vnico latriæ actu adorãdum est. Conclusio est certissima, quæ in primis probatur ex vsu Ecclesiæ, quæ absolutè totum sacramentum adorat, vnde etiam canit, *Tantum ergo sacramentum veneremur cernui.* Et Concil.

Latriæ cultus, non solùm Christo, sed etiam toti sacramento, vt ex Christo & speciebus constat

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiat, deferendus esit. Conc. Vien. Alexan. Cyprian.

Viennense in Clemen. vna ca de reliquijs & vener. Sanct. inter alia, inquit, *O adorandum, ac venerandum excellentissimum sacramentum*, & Triden. nõ sub nomine Christi, sed sacramenti docet, adorandum esse hoc sanctissimum sacramentum, & Alexand. Papa Epistol. 1. capit. 4. sub nomine oblationis loquens de hoc sacramento, dicit. *Pura mente sumendam esse, atque ab omnibus venerandam, & sicut potior est ceteris, ita potiùs excoli, & venerari debere.* Optimè Cyprianus sermone de Cœna Domini. *Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni ad sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus.* Et Eusebius Emissen. homil. 5. de paschate, *Vt coleretur* (inquit) *per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.* Augustinus Epistol. 118. sermo. 28. de verbis Apost. hoc vocat *cæleste ac venerabile sacramentum*, & 20. contra Faust. cap. 13. vocat hoc, *sacramentum religionis, cui longè diuersus cultus debetur, quàm communi pani aut vino.* Item Ambrosius 4. de sacrament. capit. 4. *De cælo* (inquit) *ista sacramenta venerunt*, &c. Et similia multa legi possunt in Patribus suprà citatis, quæ Gabriel & alij per synechdochen interpretantur, per sacramentum intelligendo Christum, qui est res, & sacramentũ; quia est id quod est præcipuum in hoc sacramento, sed, cum possint propriè & simpliciter verificari, non oportet ad metaphoras recurrere, præsertim cùm ex illo metaphorico sensu facilè colligi possit, quod intendimus. Ratio ergo huius assertionis, partim ex dictis de substantia huius sacramenti, partim ex principijs de adoratione, sumenda est; diximus enim hoc sacramentum esse vnum quid, ex Christo & speciebus coalescens, ergo hoc totũ sacramentum potest vno actu adorari, quo primò & per se adoretur Christus, qui est vnicum suppositum huius sacramenti, ad quod per se tendit adoratio, coadorentur autem species, tanquam Christo coniunctæ, & cum illo vnum componẽtes. Quod exemplis declaratur; diximus enim in materia de adoratione, quando adoratur persona Imperatoris, coadorari thronum, vel purpurã eius; imò per vestem vel calceum adorari personam, quia, licèt intentio adorantis priùs tendat in personam, tamẽ actio adorandi, præsertim externa, sæpe immediatiùs versatur circa vestem, quam de osculãdo, personam veneratur, maior autem coniunctio, vel habitudo, est in hoc sacramento inter Christum & species, quæ sunt veluti thronus, in quo Christus continetur, seu quasi vestimentum, quo tegi voluit. Quæ ratio locupletari potest ex multis, quę de venerando tactu, & osculatione Eucharistiæ cum reuerentia & timore, tractat Chrysostomus homilia 5. in Matth. 45. in Ioann. 24. in 1. ad Corinth.

Emissen.

August.

Ambros.

Chrysost.

Gregor. Nazian. Oratione de sorore Gorgonia, Petrus Chrysol. sermone 33. & 34. & alia videri possunt apud Claud. repet. 9. cap. 6. vbi ad tuendã hanc conclusionem fingit, species non habere diuersam existentiam ab existentia corporis & sanguinis Domini. Sed hoc falsum est, vt ex superioribus constat, si in rigore intelligatur, & non est necessarium, quia ad prædictam coadorationẽ specierum sufficit vnio accidentalis, seu sacramentalis suprà explicata, vt ex adductis exemplis, à fortiori probari potest. Neque existimo, prædictũ autorem in metaphysico rigore esse locutum, sed dixisse, species non habere rliam existentiam, quia nõ habent aliud suppositum, à quo sustententur, præter Christum.

Nazian. Pet. Chrysol. Claudius.

Dico tertio, hoc sacramentum non tantùm interiori, sed etiam exteriori & visibili cultu, esse adorandum. Hæc assertio est æquè certa ac præcedentes, & sequitur ex illis. Et ratio sumi potest primò, ex parte rei quæ adoratur, quæ quodãmodo eõstat ex re sensibili & insensibili: nã, licèt Deus, qui omnino spiritualis est, possit nõ solũ spiritu, sed etiam corpore adorari: tamẽ maiori quadã ratione, ac proportione id conuincitur, quando res, quæ adoratur, habet aliquo modo speciem visibilem, & interiùs latentem excellentiam inuisibilem. Secundò, ex parte hominum adorantium, qui animo & corpore constant, & ideo & animi & corporis actibus colere debent hoc sacramentum. Tertiò hoc constat ex vsu & traditione Ecclesiæ, de qua legi possunt citati Patres, præsertim Chrysostom. homil. 7. 19. & 52. in Matth. & 21. in Acta. & 24. in 1. ad Corinth. Cyrill. Hierosolym. Cateches. 5. mystag. & Dionys. cap. 3. de cæleit. Hierarch. Iacob. Basil. Chrysostom. in Lyturgijs, & quæ piè satis ordinat Honorius III. in cap. Sanè. de Celebratione Missar. Vbi Sacerdotibus mandat, vt Eucharistiam *honorificè tractent, & plebem doceant, vt, cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, reuerenter inclinet, idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum.* Et posteà præcipit, quo cultu & honore deferenda sit Eucharistia ad infirmos. Hoc vero obseruandum est, quod in materia de adoratione diximus, actiones, vel gestus corporis, quibus exterior hic cultus deferri solet, de se indifferentes esse, & ex intentione interna vel impositione, aut communi vsu pendere. Hoc ergo est etiam in præsenti externa adoratione obseruandum, nam pro varietate consuetudinum diuersi sunt ritus colendi hoc sacramentum, ad cauendam autem superstitionem, & indecentiam, publicè seruanda est vniuscuiusq; Ecclesiæ consuetudo, secretè verò vnusquisque illis actibus vti potest, qui & nullo modo indecentes sint, & ad humilitatem & reuerentiam ostendendam, & vnicuique ad deuotionem excitãdam accommodati videantur.

Chrysost. Cyrill. Dionys.

2. Reg. 6.

3. Reg. 8.

Et ex hac cõclusione colligitur, laudabilem esse Ecclesiæ consuetudinem, quæ hoc diuinum sacramentum publicè interdum proponit, vel circunfert per vias, & loca publica cum solenni pompa, cultu, ac veneratione. Ita docet ac definit Concilium Tridentinum sessione 13. capit. 5. & Can. 6. vbi huius cõsuetudinis optimas rationes insinuat, prima, *Vt Christiani homines singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum*, cuius rei, & figuram, & exemplum habemus 2. Regum 6. & 7. vbi Dauid ludebat coram arca Domini, quando totus populus solenni pompa illam circunducebat. Et simile prorsus exemplum habemus in tertio libro Regum, capit. 8. Secundò ait Concilium, *hoc diuino beneficio, mortis Christi victoriam, & triumphum repræsentari* indicans, quando Ecclesia Catholica publica deuotione ac lætitia hoc admirabile sacramentum Eucharistiæ colit ac veneratur, gaudere & quasi triũphalem diẽ agere pro gloriosa victoria, quã Christus Dominus de inimicis reportauit. Tertiò inquit, *oportuisse victricem veritatem, de mendacio & hæresi triumphum agere, vt eius aduersarij in conspectu tanti splenderis, & in tanta vniuersa Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fractis tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando respipiscant.* De qua re optima figura legi potest Iosue 6.

Laudabilis vsus Ecclesiæ proponendi & circunferendi publicè Eucharistiam. Trident.

Secundò ex dictis facilè intelligi potest, quomodo hæc adoratio in præceptum cadere possit. Hactenus enim solũ explicatũ est, quàm sit sancta, & laude digna. Duplex ergo præceptum hic intelligi potest, negatiuum, scilicet, & affirmatiuum. Negatiuo præcepto prohibemur iniuriã aliquam aut irreuerentiã huic sacramento irrogare, & hoc præceptum naturale est, & diuinum, nã intrinsecè malum est, rem honore dignam irreuerenter tractare, hoc autẽ præceptũ explicatur in particulari in multis decretis iuris canonici, quæ prohibent, aliquid indecens agere circa hoc sacramentum; vel immediatè, vt effundendo, vel proijciẽdo in terram, vel ita incautè custodiẽdo, vt vel corrumpi possit, vel à muribus comedi, vel ab hostibus fidei conculcari; vel mediatè, vt irreuerenter tractando, vel immũdè, vasa, aut vestes, & res alias ad cultum huius sacramenti deputatas, de qua re legi possunt multa, quæ habentur extra. de Celebr. Missar. & de custodien. Eucharist. & de consecra. distinct. 1. & 2. præsertim in capit. Si per negligentiam. & capit. Si quis per ebrietatem. & cap. Qui non bene, in quibus nonnullę pœnæ imponũtur his, qui aliquid negligenter vel irreuerenter egerint contra hoc sacramentum, quæ nec ferè sunt in vsu, neque incurruntur ex obligatione, donec à superiori imponantur, cuius prudenti arbitrio commissa fere iam est huiusmodi pœna, vt Diuus Thom. infrà significat quæst. 83. art. 6. ad septimum.

Iosue 6. Omnes tenentur præcepto ad tractandam Eucharistiam irreuerenter.

S. Thom. Præceptum affirmatiuum est de honore alicui Eucharistiæ exhibendo.

Affirmatiuum præceptum erit, exhibendi interdum honorem aliquem huic sacramento. De quo præcepto non est dubium, quin sit nobis impositum, consequitur etiam ex natura rei, ex institutione huius sacramenti, quod nobis datum est, vt illud tractemus, & eo vtamur, hinc enim fit, vt pro illius dignitate & maiestate tractandum sit. Ex quo facile intelligere licèt, quando obliget hoc præceptum, cùm enim affirmatiuum sit, licèt semper obliget, non tamen pro semper, sed tempore opportuno. Illud autem præscribi potest. Primò in generali, quandocunque talis occurrit occasio exhibendi honorem, vt eam prætermittere sit quidã virtualis contemptus, & moraliter existimetur irreuerentia quædam, & non pura negatio, sed priuatio seu omissio, aut ablatio honoris debiti, quod humano exemplo explicari potest: quia, licèt non teneamur semper Regem honorare, tamen si præsens nobis fiat, vel cum eo loqui velimus, & nullam ei reuerentiam exhibeamus, meritò censebitur inhonoratio quædam: multò ergo maiori ratione quippiam simile in hoc sacramento reperitur, vt omittam rationem scandali, quæ semper adiungetur, si publicè in huiusmodi opportunitate adoratio omittatur; imò si frequenter id fiat, suspicionem posset alicuius infidelitatis vel erroris generare. Secundò ex hoc generali principio possumus in speciali aliqua tempora designare; primum ac præcipuum est, quando accedimus ad sacrificandum, vt est per se manifestum; tum, quia ille est perfectissimus actus exterior religionis, & supremus Dei cultus; tum etiam, quia illa actio est maximè sacra, quæ circa hoc sacramentum exerceri potest. Secundum, simile huic, est, quandocunque fideles

ad communicandum accedunt, vt rationes factæ, & Ecclesiæ consuetudo probant. Tertiũ est, quando hoc sacramentum ab Ecclesia proponitur adorandum, vt quando eleuatur in Missa, vt significatur in dicto cap. Sanè de celebratione Missar. ex quo colligitur, hanc esse Ecclesiæ intentionem. Et ratio facta idem probat, quia tunc est tempus maximè opportunum. Quartum esse potest, si sacramentum nobis occurrat, aut præsens fiat, vt in eodem capitulo significatur, & idem erit in omnibus similibus. Addendum verò est, secluso formali contemptu, & scandalo, huiusmodi omissionem per negligentiam aliquam, nõ esse mortale peccatum, regulariter loquendo, propter materiæ leuitatem. Et interdum nulla erit culpa, si vel propter naturalem inaduertentiam, vel ob vrgentem necessitatem inuoluntaria censeatur.

SECTIO II.

Vtrùm hoc sacramentum debeat absolutè adorari.

Dvplex potest esse huius quæstionis sensus; prior erit, si absolutam adorationem à respectiua distinguamus, quæ distinctio consideratur ex parte obiecti, prout secundùm se adoratione dignum est, vt latiùs exposuimus in primo tomo huius tertiæ partis de adoratione tractãtes. Posterior sensus erit, si absolutam adorationem sumamus, prout distinguitur à conditionata, quæ distinctio consideratur ex parte adorãtis, seu ex modo, quo res adoranda ei proponitur, seu ab ipso cognoscitur: & hic posterior sensus est præcipuè intentus hoc loco; nam prior expeditus fere est ex dictis in sectione præcedenti, adiunctis generalibus principijs de adoratione. Tamen, vt doctrina sit clarior, pauca adijciemus.

Eucharistia simpliciter est adoranda latria absoluta & perfecta.

In priori ergo sensu dicendum est, simpliciter hoc sacramentum adorandum esse, adoratione latriæ absoluta & perfecta, qua per se adoretur Christus, coadoretur autem species. Probatur, quia hoc sacramentum in re est vnum constans ex Christo & speciebus, ergo eadem adoratione est adorandum, qua ipsemet Christus; & ipsæ species sunt adorandæ, sicut vestis vel thronus Christi, vt explicatum iam est, neque frequenti & communi vsu aliter debent adorari species consecratæ per se, & tanquã tota materia adorationis, sicut nec per se adoratur humanitas Christi, sed coadoratur Verbo; quia, sicut humanitas, re ipsa, est coniuncta Verbo, neque ab ipso vnquam separatur, nec suppositum per se constituit, ita species cõsecratæ, quandiu consecrationem retinent, & dignæ sunt adoratione, non separantur à Christo, cui sacramẽtaliter cõiunguntur, in quo est magna differentia inter has species, & alia sacramentalia signa, vel alias res sacras, quæ respectiuè adorantur, & re ipsa, ac suppositõ, & loco à Christo separantur, vt crux, imago, & similes, quæ facilè possunt separatim adorari, vt tota materia adorationis respectiuæ, seu propter rationem extrinsecam, à qua, re ipsa, disiunctæ sunt. Et ideò, vt aliquando possint vno actu coadorari simul, cum ipsa re principaliter & absolutè adorata, oportet vt mente, vel apprehensione cum illa coniun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

coniungantur. At verò in his speciebus sacramentalibus è contrario, nam re ipsa semper sunt coniunctæ Christo, semperque per modum vnius simul cum illo obijciuntur, ideò regulariter, & iuxta ordinarium modum, nunquam per se nec distincto actu adorantur, sed coadorantur illo met actu absoluto, quo adoratur Christus. Dico autem, regulariter & iuxta ordinarium modum: quia, si quis velit mente distinguere, quæ in re coniuncta sunt (sicut aliàs diximus de Christi humanitate) poterit solas species adorare, tanquam rem quandam sacram, & ex coniunctione ad Christum sanctificatam, talis verò adoratio non poterit esse absoluta, nec latria primaria & perfecta, quia illæ species nō habent in se excellentiam increatam, propter quā sint huiusmodi adoratione digna: sed erit adoratio respectiua & secundaria latria, qualis est adoratio imaginis, quando hoc modo, & separatim à prototypo adoratur. Quia etiā veneratione digna sint cætera sacramenta, seu sacra signa, ex VII. Synodo multis in locis colligi potest, & ex Dionys. capit. 3. de Eccles. hierar. & Augustinus lib. de catech. rudib. cap. 26. & Damasc. oratione de imaginibus. Et hæc de priori parte.

Dionys. August. Damasc.

Circa posteriorem sensum difficultas est, an, cū adoramus hoc sacramentum, necesse sit, méte concipere conditionem aliquam, scilicet, si rite est consecratum; an verò possimus absolutè & sine conditione adorare. Et ratio dubitandi est, quia licèt sit certum, sub speciebus consecratis adesse Christū, tamen non est certum, has species esse rite consecratas, ergo nō est certum, adesse Christum: ergo hoc, quod proponitur adorandum, nō est absolutè adorandum, sed sub conditione, ne fortasse cōtingat, substantiam panis, vt Deum, adorari, quod periculum non est in sola speculatione, sed videtur esse morale, quia multæ sunt causæ, propter quas hoc potest accidere, vt si sacerdos non sit baptizatus, vel non habeat intentionem, vel non sit rite Ordinatus, quod pendet ex multis alijs causis, in quibus fere in infinitum progredi possumus, & ex parte materiæ sæpe accidit defectus, præsertim in calice, aquā loco vini infundendo. Vnde S. Bonauent. in 3. distinct. 24. artic. 1. quæst. 1. ad vltimum, sic inquit, *Omnis fidelis rectè adorans hostiam consecratam, adorat sub ea conditione, si perfecta sunt circa ipsam ea, quæ ad consecrationem sunt necessaria, secundùm diuinam institutionem, & sic nunquam decipitur, nec errat.* Alens. etiam 3. p. q. 30. membr. 3. art. 1. §. 3. requirit conditionem tacitam, vel expressam.

Bonauent.

Alens. Secunda, esse adorādam sine conditione aliqua, per se loquendo.

Dicendum verò est, per se loquendo, ac seclusis specialibus circunstantijs per accidens occurrentibus, absolutè adorandum esse hoc sacramentum, nulla in actu apposita conditione. Ita sentit Diuus Thomas in 3. distinct. 9. quæst. 1. art. 2. quæst. 6. ad 2. vbi solùm dicit, nō requiri conditionem explicitam, sed satis esse, quòd habitu retineatur, habitu autem illam retinere nihil aliud esse videtur, nisi mente & animo habere intentionem adorandi verum Christum, verumque sacramentum, & non exhibendi adorationē, nisi cum hac prudenti existimatione. In eadem sententia est Richard. in 3. d. 24. q. 3. ad 2. vbi inquit, *Licèt fides credat, Christum esse sub speciebus, sub conditione, si omnia sunt facta, quæ ad consecrandum sunt necessaria, tamen ad adorandum non oportere, vt fideles hanc conditionem adhibeant in actuali cogitatione.* Idem Gabriel lect. 50. in

D. Thom.

Richard.

Gabriel.

Canon. vbi explicat Alensem, & Bonauenturam, quòd solùm loquātur de habituali intentione. Idē tenet Marsil. in 3. quæst. 8. art. 2. dub. 5. & communiter Summistæ verbo Adoratio. Et probatur primò, quia, vt homo simpliciter & absolutè operetur, sufficit moralis certitudo, non enim debet maior ab homine exigi. Alioqui nec parentes possemus absolutè venerari, quia non nisi fide quadam humana eos vt parentes recognoscimus. Nec sacerdos posset absoluere, intentione absoluta, sed sub conditione, si es baptizatus, & sic de alijs: in præsenti autem materia seu actione est moralis certitudo, quæ nascitur ex vno principio de fide, & alio humano modo certo, nam, licèt pendeat ex multis conditionibus, tamen omnes sunt faciles, & regulariter non deficiunt. Secundò argumentor, nam is, qui sic adorat, totam intentionem suam & rationem adorandi ponit in vera Christi dignitate & excellentia, vnde & simpliciter vult, solùm verum Christum adorare, & habitu retinet hanc voluntatem, nimirùm, quòd si sciret, illum esse nudū panem, non adoraret, quæ habitualis, seu implicita intentio virtute continetur in illa intentione adorandi, quæ tota nititur in vera Christi diuinitate, tanquam in adæquato motiuo, ergo hæc satis est, vt verè ac formaliter nulla committatur idolatria, etiam si contingeret, falsum fuisse adorationis obiectum, quia illa deceptio materialis est, formaliter verò tota adoratio refertur in Christum. Tertiò probatur conclusio ex consuetudine omnium fidelium, qui simpliciter ita adorant, & aliud ab eis exigere, esset, & inutile, & vanis scrupulis, ac superstitionibus expositum. Vnde colligo, hunc adorationis modum non solùm esse licitum, sed etiam expedientem, & omnino seruandum, neque enim est prudentiæ consentaneum, ibi trepidare, vbi non est, nec probabilis ratio timendi, neque vtilitas, sed potiùs periculum, ne ex hac conditione, & dubitatione, animi deuotio minuatur. Vnde aliquibus videtur, non solùm non expedire, verū etiam nonnullum peccatum esse, talem conditionem sine speciali causa vel necessitate ponere, quia est actus otiosus, & impertinens scrupulus. Certum est tamen, per se loquendo, non esse graue peccatum, quia nec continet errorem, nec temerarium iudicium, aut suspicionem de facto, sed solùm de possibili, neque grauem irreuerentiam, aut nocumentum infert, vnde si bona fide, & intentione fieret, facilè etiam posset à veniali culpa excusari, semper tamen consulendum, & cauendū est, ne ita fiat.

Marsil.

Dixi autem, per se loquendo, & seclusis specialibus circunstantijs, quia, si ex accidenti occurrat aliqua probabilis ratio dubitādi de veritate sacramēti, vel ex parte materiæ, vel ex parte ministri, quæ talis sit, vt prudenter considerata sufficiat ad formandum vehemens dubium, vel suspendendū assensum, tunc non est adorandum sacramentum, sine explicita conditione, propter rationem superiùs factam, vt, scilicet, excludatur omne periculū adorandi purum panem, aut vinum: sicut quando alicui apparet, vel apparere videtur Christus in reuelatione aliqua, quando res est dubia, non est absolutè adoratio exhibenda, donec de veritate reuelationis, moralis certitudo habeatur. Item, quia operatio humana, vt prudens sit, debet excludere morale dubiū, & niti in morali certitudine, quoad fieri

fieri possit: in prædicto autem casu non potest haberi moralis certitudo ad exhibendam absolutam adorationem, posita autem conditione, practicè tollitur omne periculum, & omne dubium; ergo in eo casu adhibenda est.

Iohiam.

Sed quæret aliquis, si contingat, quando aliquis prudenter & absolutè adorat hostiam, re vera, nō esse consecratam, an ille actus sit vera latria, verèque procedat à virtute religionis, videtur enim nō esse, quia ille actus in re ipsa non terminatur ad Christum, nec ad Deum: ergo non est vera latria, neque actus religionis. Item, quia repugnat, fidei subesse falsum: ergo & religioni infusæ, quæ à fide mouetur ad Eucharistiam adorandam. Respondetur nihilominùs, illum actum esse moraliter bonum & honestum, quia procedit ex motiuo honesto, & per prudentiam regulatur, vt suppono: vnde fit, esse latriam & actum religionis, quia non est alia virtus, ad quam pertineat, & quia proficiscitur ex motiuo, & honestate religionis, atque eadem ratione esse potest à virtute infusa, si procedat ex motiuo supernaturali seu conformitate ad supernaturalem regulam. Sicut, quando quis dat eleemosynam homini petenti nomine Christi, ex misericordia infusa operatur, si prudenter existimat, illum esse pauperem, quamuis speculatiuè decipi contingat. In quo est magna differentia inter fidem, & virtutem moralem, quia fidei veritas est speculatiua, & consistit in conformitate intellectus ad rem, virtus autem moralis immediatè regulatur per prudentiam, cuius veritas est practica, & versatur circa iudicium de re faciendā, secundùm præsentes circunstantias, quod iudicium practicè potest esse verum, quamuis aliqua falsitas speculatiua in materiali persona, seu obiecto, misceatur.

Salutio.

QVAEST. LXXX.

De vsu, seu sumptione huius sacramenti in communi, in duodecim articulos diuisa.

Deinde considerandum est de vsu, siue sumptione huius sacramenti.

Et primò quidem in communi, secundò, quomodo Christo est vsus hoc sacramento.

¶ *Circa primum quæruntur duodecim.*

Primo, vtrùm sint duo modi manducandi hoc sacramentum, scilicet, sacramentaliter, & spiritualiter.

Secundò, vtrùm soli homini conueniat māducare spiritualiter hoc sacramentum,

Tertiò, vtrùm solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter.

Quartò, vtrùm peccator manducans sacramentaliter, peccet.

Quintò, de quantitate huius peccati.

Sextò, vtrum peccator accedens ad hoc sacramentum sit repellendus.

Septimò, vtrùm nocturna pollutio impediat hominem à sumptione huius sacramenti.

Octauò, vtrùm sit solùm à ieiunis sumendū.

Nonò, vtrum sit exhibendum non habentibus vsum rationis.

Decimò, vtrùm sit quotidie sumendum.

Vndecimò, vtrùm liceat omnino abstinere.

Duodecimò, vtrum liceat percipere corpus sine sanguine.

ARTICVLVS I.

Vtrùm distingui debeant duo modi manducandi corpus Christi.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant distingui duo modi manducandi corpus Christi, scilicet, sacramentaliter & spiritualiter. Sicut enim baptismus est spiritualis regeneratio, (secundùm illud Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c.) ita etiam hoc sacramentum est spirituali cibus, vnde Dominus de hoc sacramēto loquens, dicit Ioann. 6. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed circa baptismum non distinguitur duplex modus sumendi, scilicet, sacramentalis, & spiritualis. Ergo neque circa hoc sacramentum debet hæc distinctio adhiberi.

Infr. ar. 2. & 3. cor. & 4. d. 9. art. 1. q. 1. ad 2. & q. 3. per totum. Et lo. 6. le. 7. col. 1. et 2. 1. Cor. 1. le. 7. c. 3. fi. Et opus. 58. c. 17. 18. 19. & 20.

¶ 2 Præterea, Ea, quorum vnum est propter alterum, non debent ab inuicem diuidi, quia vnum est ab alio speciem trahit. Sed sacramentalis manducatio ordinatur ad spiritualem, sicut ad finem. Non ergo debet sacramentalis manducatio contra spiritualem diuidi.

¶ 3 Præterea, Ea, quorum vnum non potest esse sine altero, non debent contra se diuidi. Sed videtur, quòd nullus posit manducare spiritualiter, nisi etiā sacramēt aliter manducet, alioquin antiqui Patres hoc sacramentum spiritualiter manducassent, frustra etiam esset sacramentalis manducatio corporis Christi, si sine ea spiritualis esse posset. Non igitur conuenienter distinguitur circa hoc sacramentum duplex manducatio, scilicet, sacramentalis, & spiritualis.

SED contra est, quod super illud 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indigne, &c. dicit Glos. Duos dicimus esse modos mandu-

Glos. ordin. ibid.

manducandi, vnum sacramētalem, & alium spiritualem.

RESPONDEO dicendum, quod in sumptione huius sacramenti duo sunt considerāda, scilicet, ipsum sacramētum, & effectus ipsius, de quorum vtroque iā suprà dictum est. *Quæst. præced.* Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum est, quādo aliquis ita hoc sacramētum suscipit, quod percipit eius effectum: contingit autem quandoque (sicut suprà dictum est) *Quæst. præc. artic. 3. 7. & 8.* quod aliquis impeditur à percipiendo effectu huius sacramenti. Et talis sumptio huius sacramenti est imperfecta. Sicut igitur perfectum contra imperfectum diuiditur: ita sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum sine effectu ipsius, diuiditur contra spiritualem manducationem, per quam quis percipit effectum huius sacramenti, quo spiritualiter homo Christo coniungitur per fidem & caritatem.

AD primū ergo dicendū, ꝙ etiā circa baptismū, & alia huiusmodi sacramēta, similis distinctio adhibetur. Nā quidam suscipiunt tantū sacramentū, quidā verò sacramentū, & rem sacramenti. In hoc tamen differunt, quia, cū alia sacramenta perficiantur in vsu materiæ, percipere sacramentum, est ipsa perfectio sacramenti, hoc autem sacramentum perficitur in consecratione materiæ, & ideo vterque vsus est consequēs hoc sacramētum. In baptismo etiam, & in alijs sacramentis characterem imprimentibus, illi, qui accipiunt sacramentū, recipiunt aliquē spiritualem effectum, scilicet, characterē, quod non accidit in hoc sacramento. Et ideò magis in hoc sacramento distinguitur vsus sacramentalis à spirituali, quàm in baptismo.

AD secundū dicendū, quòd sacramētalis manducatio, quæ pertingit ad spirituale, nō diuiditur cōtra spirituale, sed includitur ab ea. Sed illa sacramētalis māducatio cōtra spirituale diuiditur quę effectū nō cōsequitur: sicut imperfectū, quod nō pertingit ad perfectionē speciei, diuiditur contra perfectū.

AD tertium dicendum, quod (sicut suprà dictum est) *q. 66. ar. 11. q. 68. ar. 2. q. 73. ar. 3.* effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramētum habeat in voto, quanuis non accipiat in re. Et ideò, sicut aliqui baptizantur baptismo flaminis propter desiderium baptismi, antequàm baptizētur baptismo aquæ: ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramētum, antequam sacramentaliter sumant. Sed hoc cōtingit dupliciter. Vno modo propter desiderium sumendi ipsum sacramentum, & hoc modo dicuntur baptizari & manducare spiritualiter, & non sacramentaliter, illi qui desiderāt sumere hæc sacramenta iam instituta. Alio modo propter figuram: sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 10. quod antiqui Patres baptizati sunt in nube, & in mari, & quod spiritualem escam manducauerunt, & spiritualem potum biberunt. Nec tamē frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenius inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quam solùm desiderium: sicut suprà circa baptismum dictum est. *q. 69. art. 4. ad 2.*

COMMENTARIVS.

QVoniam hoc sacramentum id habet singulare vt in eo vsus à sacramento distinguatur, ideò Diuus Thomas postquam de sacramento ipso; & causis, atque effectibus eius, copiosè disseruit, specialem tractationem de illius vsu aggreditur. Dixi autē in superioribus, hunc vsum dupliciter considerari posse, primò secundùm se, & quoad substātiam suam. Secundò in ordine ad præceptum, seu obligationem moralem. Priori modo tractatur à Diuo Thoma in tribus primis articulis huius quæstionis, posteriori verò modo in reliquis. Considerandum tamē vlteriùs est, quanuis his vsus non sit de substantia sacramēti, sed potiùs sit posterior illa, esse tamē priorem, quàm effectus, quem ex opere operato sacramenrum confert, nam per vsum applicatur sacramentum ad efficiendum, & propter hanc causam nos in superioribus, ante disputandum de effectu, disputationem speculatiuā de hac sumptione sacramenti præmisimus, vbi diximus, quid illa sit, & quot modis, & in quo subiecto fieri posit, atq; ita ibi explicatum reliquimus, quidquid Diuus Thomas in his tribus articulis tradit. Solum igitur circa literam huius articuli addendum occurrit, distinctionem à Diuo Thoma datam dupliciter explicari posse, primò, vt diuidat sumptionem huius sacramenti in communi, in sacramentalem tantùm, & sacramentalem & spiritualem simul, qui sensus videtur indicari in corpore articuli, vbi dicitur, has duas sumptiones distingui, vt perfectam, & imperfectam. Perfecta autem dicitur, in qua & sacramentum & effectus illius sumitur. Et in solutione ad secundum, dicitur, spiritualem manducationem includere sacramentalem, sed iuxta hūc sensum diuisio est diminuta, nā omittitur sumptio per solùm desiderium, quæ spiritualis manducatio vocatur hic à Diuo Thoma hic ad tertium, & artic. sequenti, vnde non est hic sensus ab eo intentus. *Conclusio D. Tho. Eucharistiam sumi spiritualiter & sacramentaliter.* Secundus ergo sensus est, vt sumptio huius sacramenti diuidatur in sacramentalem tantùm, & spiritualem, & quòd sub hoc secundo mēbro comprehendatur ea, quæ est spiritualis tantùm, & spiritualis & sacramentalis simul. Et hoc modo sumptio spiritualis dicitur includere sacramentalem perfectam, vt commune includit particulare, dicitur etiam perfectior, non quòd semper compararetur ad illam, vt totum ad partem, sed vt spirituale ad materiale; iuxta hunc verò sensum, qui spiritualiter manducat hoc sacramentum, non semper recipit sacramentalem effectum eius, sed dicitur recipere effectum, quia recipit gratiam, seu vnionem cum Christo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere.

Art. 11. & 4. d. 9. ar. 1. q. 3. et 5. [illegible] co. 11. [illegible] 7. co. 3.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non solius hominis sit hoc sacramentum spiritualiter sumere, sed etiam Angelorum. Quia super illud Psalm. 77. Panem Angelorum manducauit homo, dicit Gloss. id est corpus Christi, qui est verus cibus Angelorū. Sed hoc nō esset, si Angeli spiritualiter Christū non manducarēt. Ergo Angeli spiritualiter Christū māducāt.

¶ 2 Præterea, Aug. dicit super Ioā. *Tract. 26. in Ioan. to. 9.* Hunc cibū & potū, societatē vult intelligi corporis, & membrorū suorū, quod est Ecclesia in prædestinatis. Sed ad istā societatē nō solū pertinent homines, sed etiā sancti Angeli. Ergo sancti Angeli spiritualiter manducāt.

¶ 3 Præterea, Aug. in lib. de verbis Dñi dicit. Spiritualiter māducādus est Christus, quoniā ipse dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meū sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed hoc conuenit nō solū hominibus, sed etiā sanctis Angelis, in quibus per caritatē est Christus, & ipsi in eo. Ergo videtur, quòd spiritualiter manducare, non solùm sit hominum, sed etiam Angelorum.

SED contra est, quod August. dicit super Ioan. *Tract. 15. in Ioan. parum post med. tom. 9. refertur de consec. d. 2. c. Panem de altari.* Panem de altari spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate. Sed Angelorum non est accedere ad altare tanquam aliquid inde sumpturi. Ergo Angelorum non est spiritualiter manducare.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc sacramēto continetur ipse Christus, nō quidem in specie propria, sed in specie sacramenti. Dupliciter ergo cōtingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Vno modo, prout in sua specie consistit. Et hoc modo Angeli manducāt spiritualiter ipsum Christum, in quantum ei vniuntur fruitione caritatis perfectæ, & visione manifesta (quē panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christū, prout est sub speciebus huius sacramenti, in quantum, scilicet, aliquis credit in Christum, cū desiderio sumendi hoc sacramētum. Et hoc non solū est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter māducare hoc sacramentum, quod non competit Angelis. Et ideò licèt Angeli spiritualiter manducēt Christum, nōn tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum.

AD primū ergo dicendū, quod sumptio Christi sub hoc sacramento ordinatur, ad fruitionem patriæ, sicut ad finem, eo modo, quo Angeli eo fruūtur. Et quia ea, quæ sunt ad finē, deriuantur à fine, inde est, quod ista manducatio Christi, quā cū sumimus sub sacramento, quodāmodo deriuetur ab illa manducatione, qua Angeli fruuntur Christo in patria. Et ideò dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primo & principaliter est Angelorum, qui eo fruūtur in specie propria: secūdario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

AD secundum dicendum, quòd ad societatem corporis mystici pertinent quidem, homines & Angeli, sed homines per fidem, Angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo, & in ænigmate. Et ideò, propriè loquendo, non Angelis, sed hominibus conuenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

AD tertium dicēdum, quod Christus manet in hominibus secundùm præsentem statum per fidem, sed in Angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideò non est simile, sicut dictum est. *In sol. præced. arg. 1. et 2. in in isto art.*

COMMENTARIVS.

DIuus Thomas solū mouet hanc quæstionē propter Angelos, nam de inferioribus creaturis, vt per se euidens ac manifestū supponit, non esse capaces spiritualis manducationis huius sacramenti. *Cōcl. D. Tho. angelos nō appetere vnionē cū Christo per sumptionem Eucharistiæ.* De Angelis verò videbatur posse esse dubium, quia voluntate possunt Christo coniungi, vnde videntur posse desiderare ac appetere vnionem cū Christo, in qua consistit spiritualis māducatio huius sacramenti. Respōdet autē D. Tho. Angelos, quanuis affectu vniātur Christo secundū se, non tamē appetere manducationē eius, prout est sub speciebus sacramētalibus: quia, cū sint incorporei, nō sunt capaces huius manducationis, & ideò, licet spiritualiter manducēt Christū, nō tamē hoc sacramentū, & in hunc modū explicat D. Tho. in solut. ad 1. illud Psal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*, vt, scilicet, Christus dicatur panē Angelorū, quia illū spiritualiter manducāt, qui sensus spiritualis est, ad literam enim de māna ibi est sermo, qui dicitur, *panis cæli, & panis Angelorum*, quia & supernè descēdit, & per Angelos est subministratus, vt ex contextu cōstat, & ibi exponunt Basil. Theodor. Arnobius, & alij. *Obiectio.* Sed dicet aliquis, quāuis Angeli nō desiderēt efficaci desiderio sumere hoc sacramentū, tamē simplici quadā complacētia ita ad illud affici, vt virtute saltem intelligantur habere affectum quasi conditionalē sumendi illud, si possent, sicut dicunt interdū Patres, Angelis ita placere passiones pro Christo susceptas, vt quodāmodo inuideant hominibus, quod illarū sint capaces ad spiritualem manducationē huius sacramēti, homines enim, quando non possunt sacramentaliter accipere hoc sacramentū, nō aliter sumunt illud spiritualiter, quàm per similē affectum, tunc enim nō possunt habere actū efficacem, sed simplicem tantùm, seu conditionalem. Et confirmatur, nam ante institutionem huius sacramenti, non erant homines capaces illius, & tamen dicuntur illud mandu-

casse

Universidad de Deusto
Biblioteca

casse spiritualiter per fidē, & desideriū explicitum, vel implicitū, ergo idem dici potest de Angelis, nā quòd incapacitas oriatur ex parte subiecti, vel ex parte sacramenti, nihil ad rē præsentē referre videtur. Respōdetur ad argumentū, non oportere fingere in Angelis illū modū desiderij conditionalis, quia neq; eorū naturæ est accōmodatū, neq; etiam eorū statui, quia non per fidē ambulāt, sed per speciē, & ideò nihil appetunt, nisi quod eorum statui est accommodatum, & ita Diuus Thomas magis hoc fundat in statu gloriæ, quàm in conditione spirituali Angelicæ naturæ, vnde illius conclusio, non solùm de Angelis, sed etiam de hominibus beatis vera est, etiam si animo & corpore sint gloriosi: secus verò est de viatoribus, qui secundum præsentem statum capaces sunt huius sacramenti, & absolutè possunt ac tenentur illud accipere, & ideò fide saltem, & proposito illi debent vniri, si ex accidenti contingat, non posse actione corporis illud manducare, hoc autem propositum, in affectu appetentis de se efficax est, licèt in re nō possit esse per modum absolutæ voluntatis, ob impedimentum in obiecto propositum. Et hinc ad confirmationem facilè est differentiam assignare inter beatos, & viatores fideles, qui præcesserunt institutionem huius sacramenti, quanquam de ijs etiam non constat propriè ac formaliter manducasse spiritualiter hoc sacramentum, sed tantùm metaphoricè & in figura, vt Diuus Thomas dixit articulo præcedenti ad tertium. Non tamen repugnat, aliquos perfectiores, qui habuerunt fidem explicitam huius mysterij, habuisse etiam quædā desideria fruendi tanto beneficio, quæ potest dici spiritualis manducatio huius sacramenti, quæ vtilis esse potuit illis hominibus, & accommodata eorum statui ad meritum, & ad excitandum affectum erga Christum, quamuis non esset simpliciter ad salutem necessaria.

Solutio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solus homo iustus posit Christum sacramentaliter manducare.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod nullus possit manducare Christū sacramentaliter nisi homo iustus. Dicit enim August. in lib. de remed. pœnit. Vt quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti: credere enim in eum, hoc est panem viuū manducare. Sed peccator non credit in eum, quia nō habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum, vt in secunda parte habitum est. Ergo peccator nō potest manducare hoc sacramentum, quod est panis viuus.

3.d.9.art.2.q.1.& 2.& ar.3.q.2.c.fi. Et d.12.q.1.art.2.q.2.co. Tract.25.in Io. parum ante med. tomo 9. refertur de consec.d.2.c. Vt quid paras. 2.2.q.4.artic.5 1.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentū maximè dicitur esse sacramentū caritatis, vt suprà dictum est. Sed sicut infideles priuantur fide: ita omnes peccatores priuātur caritate. Infideles autem nō videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum, cū in forma hui⁹ sacramēti dicatur mysteriū fidei. Ergo pari ratione, neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

q.præced.art.4.ad 5.arg.

¶ 3 Præterea, Peccator magis est abominabilis Deo, quàm creatura irrationalis: dicitur enim in Psalm. 48. de homine peccatore. Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumētis insipiētibus, & similis factus est illis. Sed animal brutum (putà, mus, aut canis) nō potest sumere hoc sacramentum, sicut etiam non potest sumere sacramentū baptismi. Ergo videtur, quod pari ratione, neq; peccatores hoc sacramentum manducent.

SED contra est, quod super illud Ioā. 6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, dicit Augustin. Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apostol. Iudicium sibi manducat & bibit. Sed non moriuntur sumēdo, nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solùm iusti.

Tract. 26. in Io. parum à medio, super illud: Ego sum panis viuus. 6.

RESPONDEO dicendum, quòd circa hoc quidam antiqui errauerunt, dicentes, quòd corpus Christi nec etiam sacramentaliter à peccatoribus sumitur, sed quàm citò labijs peccatoris contingitur, tam citò sub speciebus sacramentalibus desinit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneū, derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet (sicut suprà dictum est) quod manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse nō desinat. Species autem manēt, quādiu substantia panis maneret, si ibi adesset, vt suprà dictum est. Manifestum est autem, quod substantia panis, assumpta à peccatore, non statim esse desinit, sed manet quandiu per calorem naturalē digeratur. Vnde tādiu corpus Christi sub specieb⁹ sacramētalibus manet à peccatoribus sumptis. Vnde dicendū est, quòd peccator sacramētaliter corpus Christi manducare potest, & non solum iustus.

q.76.ar.6.3.& q.77.artic.8.

q.77.artic. & 8. & eiusdem q.

AD primum ergo dicendum, quòd verba illa, & similia, sunt intelligenda de spirituali manducatione, quæ peccatoribus nō conuenit. Et ideò ex prauo intellectu horū verborum videtur prædictus error processisse, dum nescierunt, distinguere inter corporalem & spiritualem manducationem.

AD secundum dicendum, quod, etiam si infidelis sumat species sacramētales, corpus Christi sub sacramento sumit. Vnde manducat Christū sacramentaliter, si ly, sacramentaliter, determinat verbum ex parte manducati; si autem ex parte manducantis; tunc propriè loquendo, non manducat sacramentaliter: quia non vtitur eo, quod accipit, vt sacramento, sed vt simplici cibo: nisi fortè infidelis intenderet recipere illud, quod Ecclesia confert, licèt non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacramentum.

AD tertium dicendum, quòd etiam si mus, vel canis, hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quandiu species illæ manent: hoc est, quandiu substantia panis maneret; sicut etiam si proijceretur in lutum. Nec hoc vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit à peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis, præsertim cùm mus aut canis, non tangat ipsum corpus Christi, secundùm propriam speciē, sed solum secundùm species sacramentales. Quidam autem dixerunt, quòd statim, cùm sacramentum tangitur à mure, vel cane, desinit ibi esse corpus Christi. Quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut suprà dictum est.

In corp. art.

Nec tamen dicendum est, quòd animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet: quia non est natum vti eo, vt sacramēto. Vnde non sacramentaliter, sed per accidens, corpus Christi manducat, sicut manducaret ille, qui sumeret hostiam consecratam, nesciens, eā esse consecratā. Et quia id, quod est per accidens, non cadit in diuisione alicuius generis: ideò hic modus manducandi corpus Christi, non ponitur tertius, præter sacramentalem, & spiritualem.

COMMENTARIVS.

Cōcl. D. Th. Quādiu durāt species & Christus sub illis, sumi potest à quocunq; accedente ad illum.

QVatuor quæstiones tractat D. Tho. in hoc articulo. Prima, an peccatores fideles manducēt sacramentaliter corpus Christi. Secunda, in solutione ad. 1. an peccatores etiam infidelis illud manducent; & eadem quæstio procedit, quādo cum que homo comedit hostiā consecratam, existimans esse purum panem. Tertia, in solutione ad. 3. an brutum animal comedens species consecratas, comedat etiam corpus Christi. Quarta, in eadem solutione, an corpus Christi maneat in loco immundo, si in illum sacramentum proijciatur. Ad quæ omnia ex vno eodemque principio respondet, scilicet, Christum manere sub speciebus quandiu species consecratæ durant. Ex hoc etiam sequitur affirmatiua responsio ad omnes quæstiones propositas, quamuis ex parte suscipientium sit quædam diuersitas, nam, qui habet cognitionem & fidem huius sacramenti, perse & ex intentione suscipit sacramentum, & ideò dicitur sacramentaliter manducare corpus Christi, tam ex parte rei sumptæ, quàm ex parte sumentis, qui autem caret & fide & cognitione, ex parte sua seu intentione non recipit sacramentum, & ideò per accidens dicitur manducare corpus Christi, ex vi & necessitate rei manducatæ, quæ omnia & per se sunt facilia, & in superioribus latiùs tractata sunt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, non peccet. Nō enim est maioris dignitatis Christus sub specie sacramenti, quam sub specie propria. Sed peccatores tangentes corpus Christi sub specie propria, non peccabant, quin etiam veniam peccatorum consequebantur, sicut legitur Luc. 7. de muliere peccatrice, & Matth. 14. dicitur. Quicunque tetigerunt fimbriam vestimenti eius, salui facti sunt. Ergo non peccant, sed magis salutem consequuntur, sacramentum corporis Christi sumendo.

Inf.d.7.&.8 cor.& 4.d.9 ar.3.q.1.& 2.& ar.4.q.2.cor. Et 1.Cor.11.lec.7.co.2.

¶ 2 Præterea, hoc sacramētū, sicut & alia, est quædā spiritualis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutē: secundū illud Matt. 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habētibus. Infirmi autem, vel malè habentes spiritualiter, sunt peccatores. + Ergo hoc sacramentum absque culpa sumere possunt.

Al. Ergo sacramentū corporaliter, absque culpa sumi potest.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum cùm in se Christū contineat, est de maximis bonis. Maxima autem bona (secundū Aug. in libr. de lib. arbit.) sunt, quibus nullus malè potest vti. Nullus autem peccat, nisi per abusum alicuius rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacramentum peccat.

Li.1.ca.18. non longè à prin. tom.1.

¶ 4 Præterea, sicut hoc sacramentū sentitur gustu, & tactu, ita & visu. Si ergo peccator ex eo, quòd sumit hoc sacramētum, peccet, videtur etiam, quòd peccaret videndo. Quod patet esse falsum, cum Ecclesia omnibus hoc sacramentum videndum & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat ex hoc, quòd manducat hoc sacramentum.

¶ 5 Præterea, Contingit quandoq;, quòd aliquis peccator non habet conscientiam sui peccati, nec tamen talis peccare videtur, corpus Christi sumendo: quia secundùm hoc omnes peccarent, qui sumunt, quasi periculo se exponentes, cùm Apostolus dicat. 1. Corinth. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Non ergo videtur, quòd peccatori cedat in culpam, si hoc sacramentum sumat.

SED contra est, quòd Apostolus dicit 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudiciū sibi manducat & bibit, id est, cōdēnationem. Dicit autem Glossa ibidem, quòd indignè manducat & bibit, qui in crimine est, vel irreuerenter tractat. Ergo, qui est in peccato mortali, si hoc sacramentum accipiat, damnationem acquirit, mortaliter peccans.

RE-

q.73. art. 6.

RESPONDEO dicendum, ꝙ in hoc sacramento, sicut in alijs, id quod est sacramentum, est signum eius, quod est res sacramenti. Duplex autem est res huius sacramenti, sicut suprà dictum est. Vna quidem, quæ est significata & contenta, scilicet, ipse Christus, alia autem est significata & non contenta, scilicet, corpus Christi misticum, quod est societas Sanctorum. Quicunque ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo vnitum, & membris eius incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicunq; cũ peccato mortali hoc sacramentũ sumit, falsitatẽ in hoc sacramẽto cõmittit, & ideò incurrit sacrilegium, tanquã sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.

AD primum ergo dicendum, ꝙ Christus in propria specie apparens, non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis vnionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento. Et ideò peccatores eum in propria specie tangentes, non incurrebant crimen falsitatis circa diuina, sicut peccatores sumentes hoc sacramentum. Et prętereà Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati, & ideo conuenienter se peccatoribus tangendum exibebat. Sed remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, secundum illud Ioanne 20. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, scilicet, in corde tuo, vt Aug. exponit. Et ideò peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur à contactu huius sacramenti.

Tract. 121. in Ioan. à medio illius inunitur 10. 9.

AD secundum dicendum, ꝙ nõ quælibet medicina competit secundùm quemlibet statum infirmitatis. Nam medicina, quæ datur iam liberatis à febre ad confortationem, noceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem sacramentum est medicina confortatiua, quæ non debet dari, nisi liberatis à peccato.

AD tertium dicendum, quòd maxima bona intelligit August. virtutes animæ, quibus nullus male vtitur, quasi principijs mali vsus. Vtitur tamen eis aliquis male, quasi obiectis mali vsus: vt patet in his, qui de virtutibus superbiũt. Ita & hoc sacramẽtũ, quãtum est ex se, nõ est principiũ mali vsus, sed obiectum. Vnde Augustin. dicit: multi indignè accipiũt corpus Christi, per quod docemur, quam cauendum sit male accipere bonum.

Loco in art. citato.

Tract. 62. in Ioan. circa prin. & trac.

Ecce enim per bonum factum est malum, dũ male accipitur bonum: sicut è contra Apostolo per malum factum est bonum, cum bene accepit malum, scilicet, cùm stimulum Satanæ patienter portauit.

6. ad c. 1. lib. tom. 9. de ciu. d. 3. c. 66.

AD quartum dicendum, quòd per visum non accipitur ipsum corpus Christi, sed solum sacramentum eius, quia, scilicet, nõ pertingit visus, ad substantiam corporis Christi, sed solum ad species sacramentales, vt suprà dictum est. Sed ille, qui manducat, non solùm sumit species sacramentales, sed etiã ipsum Christum, qui est sub eis. Et ideò à visione corporis Christi nullus prohibetur, qui sit sacramẽtum Christi consecutus, scilicet, baptismum. Non baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem huius sacramenti, vt patet per Diony. in lib. Eccles. hier. Sed ad manducationem non sunt admittendi, nisi soli illi, qui non solùm sacramentaliter, sed etiam realiter sunt Christo cõiũcti.

q.76. art. 7.

cap. 7. Eccles. hier. par. 3. paulo à princ.

AD quintum dicendum, quod hoc, quod non habeat aliquis conscientiam sui peccati, potest cõtingere dupliciter. Vno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam iuris, quæ non excusat, reputat non esse peccatũ, quod est peccatũ (putà, si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale (vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, cõtra id, quod Apostolus dicit. 1. Cor. 11. Probet autẽ se ipsum homo, & sic de pane illo edat: & calice bibat. Et sic nihilominus peccat peccator, sumens corpus Christi, licèt non habeat conscientiã peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sine culpa ipsius: putà, cùm doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest, vtrum sit verè contritus. Sufficit enim, si in se signa contritionis inueniat, putà, si doleat de prętcritis, & proponat cauere de futuris. Si verò ignorat hoc, quod fecit, esse actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excusat (putà, si accessit ad non suam, quam credebat esse suam) non est ex hoc dicendus peccator. Similiter etiam, si totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad eius deletionem generalis contritio, vt infra dicetur. Vnde iam non est dicendus peccator.

COMMENTARIVS.

Non est ... morte ... ius.

Conclusio D. Thomæ esse peccatũ mortale sumere Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis.

RESponsio D. Thomæ est, esse peccatum mortale sumere hoc sacramentum cum conscientia mortalis peccati. Quam probare posset ex communi ratione sacramentorum, eorum præsertim, quæ dicuntur sacramenta viuorum, nam, cùm sint vasa gratiæ, & ad augendam gratiã per se instituta, non nisi ab homine existẽte in gratia suscipi debẽt

debent, vt supra dictum est. Quæ generalis ratio maiorem vim habet in hoc sacramento, qui ipse fons gratiæ in eo continetur, qui est res maximè sancta, & ideò sanctiùs, quã cętera sacramẽta, tractari debet. Quam rationem attigit Paul. primæ ad Cor. 11. in illis verbis, *Qui autem manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini*, vt articulo sequenti ad. 2. D. Thomas notauit. In hoc verò articulo vsus est D. Thomas ratione desumpta ex propria significatione huius sacramenti, significat enim hoc sacramentum vnionem & amicitiã sumẽtis cũ Christo, & mẽbris eius, quia autem est in peccato non habet hanc vnionem, ergo, quantum in se est, falsam reddit significationem huius sacramenti, quæ est grauis irreuerẽtia & sacrilegium. Et propter hoc, vt articulo sequenti. ad 2. D. Thomas notat, cõparatur hoc peccatum cum peccato Iudæ, qui osculo tradidit Christum, nam vterque Christo in propria eius persona præbet falsum amicitiæ signum.

1. Cor. 11.

Obiectio.

Dicet aliquis, hãc rationem rectè probare de peccatore accedẽte cum affectu peccati & animo perseuerandi in Christi inimicitia, nõ verò de illo, qui, licèt conscientiam mortalis peccati habeat, accedit tamen attritus, & cum desiderio comparandi amicitiam Christi per ipsum sacramentum, de hoc enim dici non potest, quòd falsum signum præbeat, quia ipsum signum est practicum & efficax, vt suam possit veritatem efficere. Sed in primis, quòd mens D. Thomæ fuerit, absolutè loqui de peccatore communicante cum conscientia peccati mortalis, constat. Primò, ex generalibus verbis conclusionis. *Quicunque cum peccato mortali hoc sacramentum sumit*, & similia sunt, quæ refert in argumento, sed contrà, ex Glossa primæ ad Corinth. 11. *Indignè manducat & bibit, qui in crimine est.* Item ex solution. ad 2. vbi differentiam constituit inter hoc sacramentum, & baptismum & pœnitentiam, *Nam illa*, inquit, *sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati*, & ideò (vt significat) dari possunt antequàm tollatur febris peccati; *hoc autem sacramentum* (inquit) *est medicina confortatiua, quæ non debet dari, nisi liberatis à peccato.* Prætereà in solutione ad quintum, requirit signa contritionis, & ignorantiam inculpabilem peccati, vt quis dignè accedat. Denique, vt difficultati propositæ respondeamus, ratio, prout à D. Thoma traditur, hoc etiã probat, nõ enim dicit, *Quicunque hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se Christo vniri*. Sed dicit, *hoc ipso significat se esse Christo vnitum*; & ideò, nisi accedat Christo vnitus, falsa est significatio, quod ita potest explicari, quia hoc sacramentum significat spiritualem vitam per modum cibi, & ideò non significat illam vt faciendam per hoc sacramentum, sed vt nutriendam. Quod etiam confirmari potest ex dictis suprà de institutione, & de effectu per se huius sacramenti.

Solutio.

Difficultas circa solutio. D. Thomæ ad 1.

Solutio ad primũ D. Thomæ nonnullã difficultatẽ continet, quia videtur cõfundere seu idẽ iudiciũ ferre de tactu, & de sumptione huius sacramenti, & vtrũq; æquè peccati dãnare, si in peccato fiat, quod tamẽ difficile creditu est; docebimus enim infra agẽtes de obligationibus ministrorũ dispẽsantium hoc sacramẽtum, per se & ex suo genere nõ esse mortale peccatũ tangere, vel deosculari hoc sacramẽtum in peccato mortali. Quòd autẽ D. Thom. id sentire videatur, patet, nã argumentũ eius erat, peccatores tãgentes corpus Christi in propria specie non peccabant, ergo nec qui sumũt sub speciebus sacramentalibus. Cui argumento respondet, negando consequentiam, & reddit duas rationes differentiæ. Prior est, quia in propria specie non exhibebat se Christus tangendum in signum spiritualis vnionis ad ipsum, quomodo nunc se præbet sumendum sub speciebus sacramentalibus. Posterior est, quia Christus in propria specie gerebat carnem in similitudinem carnis peccati, & ideò conuenienter se exhibebat tangendum peccatoribus, absque eorum culpa, sed, remota similitudine carnis peccati, per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit à Magdalena, quæ defectum fidei patiebatur. Vnde concludit, *Et ideo peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christũ, repelluntur à contactu huius sacramenti.* In quibus verbis apertẽ transfert sermonem à sumptione ad cõtactum, & ideò de vtroque iudicat. Et augetur difficultas, quia non videtur cõuenienter assignata differentia inter Christũ in carne passibili, vel glorioso. Primò, quia, sicut ante resurrectionem non repellebantur peccatores à Christi cõtactu, nec in eo peccabant, si ex fide & reuerentia vel beneuolẽtia aliqua procedebat, ita etiã post resurrectionem: Thomas enim, qui nondũ credebat, ab ipso Christo inuitatus est, vt se tãgeret, vt ipso tactu curaretur, Ioan. 20. & Lucas refert c. 24. dixisse Christũ ad discipulos, qui nõdũ credebãt, *Palpate, & videte.* Expositio verò, quã D. Tho. hic affert verborũ Christi ad Magdalenã, *Noli me tangere*, non est literalis, vt in præcedẽte tomo latè ostendi. Et verisimilius videtur, Magdalenã tunc, quamuis imperfecta esset in fide, nõ tamen simpliciter caruisse fide caritate formata, & maximè in eo momento, in quo Christũ tangere voluit, iã enim ipsum agnouerat, & crediderat. Accedit prætereà ratio desumpta ex priore ratione D. Tho. quia sicut in cõtactu carnis Christi passibilis, facto à peccatore, nõ erat falsa significatio pertinẽs ad diuina, ita nec in contactu Christi gloriosi; ergo si propter hanc causam illud non erat peccatũ mortale, etiã neq; hoc. Et hæc ratio etiã procedit de cõtactu huius sacramenti seclusa sumptione, quia in solo illo nõ est etiã falsa significatio. Dicetur fortasse, adæquatã rationẽ huius peccati nõ sumi ex falsa significatione, sed etiã ex dignitate, & sanctitate humanitatis Christi, quam audere in statu peccati mortalis contrectare, temeritas magna & sacrilegiũ est, vt in principio huius cõmentarij ex Paulo notabamus. Veruntamẽ si hæc ratio verum sumit, sequitur per se loquendo, etiam in statu vitæ mortalis, fuisse graue peccatũ, Christũ contingere in statu peccati, nisi per ignorantiã, vel bonã fidẽ peccatores excusemus, qui hoc facere audebãt: hoc autẽ nec D. Tho. cõcedit, neq; vllus Doctor. Sequela patet, quia tanta erat dignitas, & sanctitas humanitatis Christi in statu vitæ mortalis, quãta nũc est, gloria enim corporis parum illi addidit, neque maiori honore aut reuerẽtia dignum illum effecit.

Oppositum tamẽ probatur.

Ioan. 20.

Luca 24.

In hac difficultate quidã cõtendũt, diuersam esse rationẽ, quoad cõtactũ, de quo agimus, de Christo Dño in statu passibili, vel impassibili, nã in priori, inquiũt, nullũ fuit peccatũ, per se loquẽdo, ad illius pedes cõtingẽdo accedere in statu peccati. Tũ quia in eo statu exhibebat se Christus veluti medicũ, qui ad curãda, & delẽda peccata veniebat: tũ etiã, quia mutãdo, vt sic dicã, habitũ, & maiestatẽ suã, ac gloriã occultãdo, quodãmodò prębebat alijs facultatẽ vt ad se accederẽt. At verò in statu gloriæ nõ habẽt lo-

Universidad de Deusto Biblioteca

cũ rationes prædictæ, & ideò, cõsiderata dignitate Christi, dicũt, per se loquẽdo nõnullã fuisse culpã eũ cõtingere in statu peccati. Et idẽ iudiciũ faciũt de hoc sacramẽto, in quo Christus est cũ tota sua gloria & maiestate, quæ licèt occultetur sẽsibus, nõ tamẽ fidei, & hic nõ tã se exhibet vt medicũ peccatorũ, quã vt cibũ viuẽtiũ. Quæ doctrina præ se fert quãdã pietatẽ, & probabilis est & satis cõsentanea ijs, quæ D. Tho. docet in hac solutione. Sed in primis mihi certum videtur, seclusa sumptione huius sacramenti, & ministeriali dispensatione, ac secluso etiã cõtemptu, in solo contactu huius sacramenti, per se loquendo, nõ interuenire mortalẽ culpam, ex hoc solo capite, quòd in mortali peccato fiat. Quæ est communis sententia, quam infrà in citato loco latiùs probabo, quanquam, si peccator aduertat statum suum, nonnulla irreuerentia videatur, sic attingere hoc sacramentum, ex illo principio, quod sancta sanctè tractãda sunt. Atque idem iudico de Christo in propria specie, etiam post statum gloriæ, quia non video graue peccatum in eo actu, etiam si peccator illum tangeret, præsertim si ex bono affectu, & cum reuerentia est illum accederet, vt ab eo sanaretur, vel illuminaretur, quia in hoc nulla fieret grauis irreuerentia, vel iniuria personæ Christi. Neque in hoc fere video differentiam inter Christum in statu passibili, vel impassibili, vt ratio suprà facta satis probat, & non refert, quòd maiestas Christi esset magis occulta in statu passibili, quia, licèt esset occulta sensibus, non tamen fidei, vt supponimus, nam aliàs posset ignorantia excusare, hic autem consideramus rem secundùm se. Deinde, in vtroque statu poterat peccator accedere ad Christum, vt ad medicum, & cum timore ac reuerentia, & ita in vtroque posset excusari à culpa. Quòd si aliter accederet ex negligentia vel irreuerentia, in vtroque non fieret sine culpa, nulla ergo videtur esse differentia, nisi quòd in statu passibili faciliùs poterant homines excusari propter ignorantiam, vel inaduertentiam. Quocirca prior ratio D. Thomæ videtur solidior, quæ differentiam meritò assignat inter contactum, & sacramentalem sumptionem. Cui etiam addere possumus, hunc modum contingendi Christum per sumptionem, illum nobis intimè coniungendo, esse lõgè alterius rationis, & maiorem quandam familiaritatem & amicitiam præ se ferat, & ideò ex hoc etiam capite multò grauius est, eum sumere in peccato mortali, quàm contingere. Vt, si respectu Christi in propria specie comparemus eum modum, quo B. Virgo Christum intrà se habuit, ac cùm tetigit exteriori cõtactu corpus eius, ille prior longè est nobilior, & altiorem multò ac sanctiorem dispositionem requirit. Ad hũc ergo modum in præsenti dicendum est, proportione seruata. Atque huc etiam spectat differentia, quã D. Tho. in solut. ad. 4. assignat inter visionẽ & sumptionem huius sacramẽti, nam visus inquit pertingit ad solas species, & ideò nõ est peccatum, etiam si in statu peccati fiat, qui autem sumit sacramentum, sumit etiam ipsum Christum, hæc enim differẽtia etiã versatur inter sumptionẽ, & exteriorem tactũ, quia etiã tactus attingit solas species, quãuis, quia immediatiùs ac propriꝰ attingit, quã visus, ideò in illo maior cautio, & reuerẽtia adhibẽda est, quã in solo visu.

Impugnatur.

Solutio ad quintum multa continet, quæ expositione indigent proligiori, & ideo commodiùs tradẽtur disputatione sequenti, & nonnulla diximus suprà, agentes de effectibus huius sacramenti.

ARTICVLVS V.

Vtrùm accedere ad hoc sacramentum cũ consciẽtia peccati, sit grauissimum omnium peccatorum.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd accedere ad hoc sacramentum cum conscientia peccati, sit grauissimum omnium peccatorum. Dicit enim Apostolus. 1. Corinth. 11. Quicunque manducauerit panem & biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Glos. ibidem. Hoc est, ac si Christum occideret, punietur. Sed peccatum Christum occidentium, videtur fuisse grauissimum. Ergo & hoc peccatum, quòd aliquis cum conscientia peccati ad mensam Christi accedit, videtur esse grauissimum.

4.d.9.a.3.q.3. Ecc.1.Co.10.lec.5.q.3.

Glo. interlin. ibi in fine.

¶ 2 Præterea, Hier. dicit in quadã Epistola: Quid tibi cum fœminis, quia ad altare cũ Deo fabularis? dic sacerdos, dic clerice, qualiter eisdem labijs filium Dei oscularis, quibus osculatus es labia meritricis? Cum Iuda, osculo filium hominis tradis. Et sic videtur fornicator ad mensam Christi accedens, peccare, sicut Iudas peccauit, cuius peccatum fuit grauissimum. Sed multa alia peccata sunt grauiora, quã peccatum fornicationis, & præcipuè peccatũ infidelitatis. Ergo cuiuslibet peccatoris ad mensam Christi accedentis peccatũ est grauissimum.

¶ 3 Præterea, Magis est abominabilis Deo immũditia spiritualis, quàm corporalis. Sed siquis proijceret corpus Christi in lutũ, vel sterquilinium, grauissimum reputaretur eius peccatum. Ergo grauius peccat, si ipsum sumat cum peccato, quod est immunditia spiritualis. Ergo hoc peccatũ est grauissimum.

SED contra est, quòd super illud Ioã. 15. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. dicit Aug. hoc intelligẽdum esse de peccato infidelitatis, quo tenẽtur cũcta peccata. Et ita videtur, hoc peccatum non esse grauissimum, sed magis peccatum infidelitatis.

Trac. 89. in Ioã. circa med. & prin. 90.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut in 2. parte dictum est) dupliciter aliquo peccatum potest dici grauius alio. Vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidẽ secundum rationem suæ speciei, quæ attenditur ex parte obiecti. Et secundũ hoc, quantò id, cõtra quod peccatur, est maius, tãtò peccatum est grauius. Et quia diuinitas Christi est maior humanitate ipsius, & ipsa humanitas potior, quàm sacramenta humanitatis, inde est, quòd grauissima peccata sunt, quæ cõmittuntur in ipsam diuinitatem: sicut est peccatum infidelitatis & blasphemiæ. Secundariò autem sunt grauia peccata, quæ cõmittũtur in humanitatem Christi. Vnde & Matth. 12. dicitur: Qui dixerit verbum cõtra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbũ contra Spiritũ sanctũ, nõ remittetur ei, neq; in hoc seculo, neque in futuro. Tertio autem loco sunt peccata, quæ committuntur contra sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi. Et post hæc sunt alia peccata cõtra puras creaturas. Per accidens autẽ vnum peccatũ est grauiꝰ alio ex parte peccãtis, putà, peccatũ, quod est ex ignorantia, vel infirmitate, est leuius peccato, quod est ex cõtẽptu, vel ex certa scientia. Et eadem ratio est de alijs circũstantijs. Et secundũ hoc, istud peccatũ in quibusdã potest esse grauius, sicut in his, qui ex actuali contẽptu, cum conscientia peccati, ad hoc sacramentũ accedunt; in quibusdam vero minùs graue: putà, in his, qui ex quodã timore, ne deprehendantur in peccato, cũ conscientia peccati ad hoc sacramentũ accedunt. Sic ergo patet, quòd hoc peccatũ est multis alijs grauius secundùm suam speciem, non tamen est omnium grauissimum.

1.2.q.73.a.6. & 2.2.q.73.ar.3.

AD primum ergo dicendum, quòd peccatum indignè sumentium hoc sacramentum, comparatur peccato occidẽtium Christum, secundùm similitudinem (quia vtrumq; committitur contra corpus Christi) non tamen secundùm criminis quantitatem. Peccatum enim occidentium Christum, fuit multò grauius. Primò quidem, quia illud peccatũ fuit contra corpus Christi in specie propria: hoc autem peccatum est cõtra corpus Christi, in specie sacramenti. Secundò, quia illud peccatum processit ex intẽtione nocẽdi Christo, non autem hoc peccatum.

AD secundum dicendum, quòd fornicator accipiens corpus Christi, comparatur Iudæ Christum osculãti, quantum ad similitudinem criminis (quia vterque ex signo caritatis Christum offendit) non tamen quantum ad criminis quantitatem, sicut etiam priùs dictum est. Hæc tamen criminis similitudo nõ minùs competit alijs peccatoribus, quàm fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur contra caritatem Christi, cuius signum est hoc sacramentum, & tantò magis, quantò peccata sunt grauiora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem huius sacramenti, in quantum, scilicet, per hoc peccatum spiritus maximè carni subijcitur, & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc sacramento. Plus tamen põderat impedimentum ipsius caritatis, quàm feruoris eius. Vnde & peccatum infidelitatis, quod funditus separat hominem ab Ecclesiæ vnitate, simpliciter loquẽdo, maximè hominem ineptum reddit ad susceptionem huius sacramenti, quod est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, vt suprà dictum est. Vnde & grauius peccat infidelis, accipiens hoc sacramentum, quàm fidelis peccator, & magis contemnit Christum, secundum quod est sub hoc sacramento, præsertim si non credat, Christum verè sub hoc sacramento esse, quia, quantum est in se, diminuit sanctitatem huius sacramenti, & virtutem Christi operantis in hoc sacramento, quod est contemnere ipsum sacramentum in se ipso. Fidelis autẽ, qui cum conscientia peccati sumit, contemnit hoc sacramentum, non in se ipso, sed quãtum ad vsum, indignè accipiẽs. Vnde & Apostolus. 1. Corinth. 11. assignans rationem huius peccati, dicit: Non dijudicans corpus Domini, id est, non discernens ipsum ab alijs cibis, quod maximè facit ille, qui non credit, Christum esse sub hoc sacramento.

In sol. præced.

q. 79. art. 1. & q. 73. a. 4.

AD tertium dicendũ, quòd ille, qui proijceret hoc sacramentum in lutum, multò grauius peccaret, quàm ille, qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit. Primò quidẽ, quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento, quod non intendit peccator, indignè corpus Christi accipiens. Secundò, quia homo peccator est capax gratię, vnde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramẽtum, quàm quæcunque alia irrationalis creatura. Vnde maximè inordinatè vteretur hoc sacramento, qui proijceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui proijceret in lutum conculcandum.

LItera D. Thomæ est perspicua, de re autem ipsa dicemus sequenti disputatione.

DISPVTAT. LXVI.

De spirituali dispositione necessaria ex præcepto ad suscipiendum hoc sacramentum.

INcipimus disputare de præceptis pertinentibus ad vsum huius sacramenti. In quo duæ interueniũt personæ, ad quas possunt hæc præcepta pertinere, nimirum, suscipiens, & dispensans sacramentum: de quibus suo ordine dicendum est. Primò, de suscipientibus cũ D. Tho. in hac quæstione, posteà de dantibus cum D. Tho. infrà q. 82. Rursus in ipso vsu duo, vel tria, possunt considerari, scilicet, modus eius ex parte suscipientis, quò spectat, vt cũ hac dispositione vel illa sumat, vel exercitium eius, scilicet, quòd interdũ sumat, vel modus eius ex parte sacramenti, scilicet, quòd in vna, vel duabus speciebus sumatur. Et circa hæc omnia possunt versari diuersa præcepta, de quibus, ordine proposito, dicemus, sequẽtes

Disp. 28. de Eucharistia.

Universidad de Deusto Biblioteca

tes ordinem articulorum D. Tho. In hac ergo disputatione agimus de præcepto præscribente modum in spirituali dispositione necessaria ad dignam sumptionem huius sacramenti, quod potest explicari, vel per modum præcepti negatiui, scilicet, vt nemo communicet in peccato mortali, vel affirmatiui mãdantis potiùs specificationem actus, vt sic dicam, quàm exercitium, scilicet, vt hoc sacramentum in gratia recipiatur, hoc enim præcepto non mãdatur exercitium actus, sed vt, si fiat, tali modo fiat.

SECTIO I.

Vtrùm sit peccatum mortale recipere hoc sacramentum in peccato mortali, sine vlla dispositione.

Absq; baptismo nullus est capax Eucharistiæ.

SVppono, primam ac maximè necessariam dispositionem ad dignam manducationem huius sacramẽti esse characterem baptismalẽ, sine quo nullus, quantumuis iustus, seu contritus, potest dignè suscipere hoc sacramentum, quia non est capax effectus eius, vt supra dictum est: quia baptismus est ianua ad cætera sacramenta; vnde, qui non est baptizatus, non solùm dici potest indispositus, sed etiam incapax sumptionis huius sacramenti, quoad significationẽ & effectũ sacramentalẽ: nã, sicut, qui nõ est genitus, nutriri non potest, ita qui nõ est regeneratus in Christo, non est capax alimenti eius, & ex hac parte fictè sumit, & falsam reddit significationẽ huius sacramenti, si, non regeneratus, illo nutriri velit, etiam si alioqui peccator non sit.

Hæreses circa hãc quæstionẽ. Roffens. Bellarm.

Igitur quæstio superest de dispositione necessaria in homine baptizato, in quo hæretici huius tẽporis (vt referunt Roffensis art. 15. Bellarm. & alij) non solùm dispositionem gratiæ non requirunt, verũ potiùs afferunt, quò magis eius conscientia peccatorũ onere grauatur, eò meliùs esse dispositum ad hoc sacramentum recipiendum, dũ modò firmiter credat, ea peccata sibi non esse imputanda propter Christũ, quia hoc sacramentũ non solũ est cibus animæ, sed etiã medicamentũ; vt autẽ dicitur Matth. 9. *Nõ sani egent medico, sed qui male habẽt.* Hi verò hæretici errãt in primis in generali doctrina de iustificatione, & remissione peccatorũ, dũ existimant, peccata nõ tolli, sed solũ non imputari, idq; non per veram pœnitentiam, sed per solam fidem. Deinde specialiter errant in effectu, fine, & institutione huius sacramenti; putant enim, esse institutum ad tollenda peccata mortalia, idque solùm excitando fidẽ, de quibus in superioribus satis dictum est. His ergo omissis.

Qui accedit ad Eucharistiam sine dispositione ad gratiã, & cũ cõscientia peccati mortalis lethaliter peccat. 1. Cor. 11.

Dico primò, Accedere ad hoc sacramentum cum consciẽtia peccati mortalis, & sine dispositione sufficiẽti ad gratiam, est peccatũ mortale. Cõclusio est absolutè de fide, licèt in modo explicãdi illã possit esse inter Catholicos diuersitas, vt sect. 3. videbimus. Probatur autem conclusio ex illo Paul. 1. ad Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Vbi sermo est de probatione morum per recognitionem, seu examinationem conscientiæ, vt suprà ostendimus, agentes de dispositione necessaria ad effectum huius sacramenti; vnde ille dicitur indignè sumere, qui accedit cum praua conscientia. Manducare autem sibi iudicium, est, nouã culpam ex tali manducatione cõtrahere. Atque ita exponit hunc locũ Conc. Trid. sess. 13. c. 7. & significat Origen. hom. 5. in diuersos, vbi tractans illa verba Cẽturionis. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum,* inquit, *Quando manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur, & tu ergo humilians temet ipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, vbi enim in indignum ingreditur, ibi ad iudiciũ ingreditur accipienti.* Clariùs homil. 2. in Psal. 37. prope finem, *Communicare,* inquit, *non times corpus Christi, accedens ad Eucharistiam quasi mundus ac purus, quasi nihil in te sit indigni, & in his omnibus putas, quòd effugies iudicium Dei, non recordaris illud, quod scriptũ est? Quia propterea in vobis multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi? Quare multi infirmi? Quoniam non se ipsos diiudicant, neque se ipsos examinant, neque intelligunt, quid est accedere ad tanta sacramenta, patiuntur hoc, quod febricitantes pati solent, cùm sanorum cibos præsumunt, sibimet ipsis inferentes exitium.* Eandem veritatem ex eisdem verbis Pauli colligit Cyril. Alex. lib. 13. in Leuit. nõ longè à fine, & Cypr. lib. de lapsis, circa mediũ, vbi adiungit illa verba Leuit. 22. *Omnis mundus manducauit carnem, & anima quæcunque manducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia ipsius super ipsam est, peribit anima illa de populo suo.* Et illud 1. ad Corint. 10. *Non potestis calicẽ Domini bibere, & calicem dæmoniorum, &c.* Atq; de eadem re eleganter loquitur in serm. de cœn. Dom. Hierony. Marci 3. *Turbæ,* inquit, *quæ impediunt panem manducare, peccata, & vitia sunt, quia, qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit, nõ diiudicãs corpus Domini.* Et Isidor. lib. de summo bono. c. 24. *Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & cõmunicare non desinunt, putantes, se tali cõmunione mũdari, discant, nihil ad emundationem sibi proficere, dicẽte Propheta. Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? & Apostol. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ac deniq; Clemẽs Pap. lib. 7. cõstit. c. 37. *Si quis,* inquit, *sanctus est, accedat, si non est, curet, vt fiat per Dei misericordiã,* & similis admonitio habetur in antiquis liturgij. Multaq; similia diximꝰ supra in citato loco dẽ dispositione necessaria ad effectũ huius sacramenti. Ratio verò huius cõclusionis satis explicata est in comment. ar. 4. & indicatur à Paul. alio verbo, *Nõ diiudicãs corpus Dñi.* In quo magna iniuria fit Christo, non discernendo inter ipsum & vulgares cibos. Indicatur etiã à Cõcil. Trid. *quia sancta,* inquit, *sanctè tractãda sunt,* multò ergo magis illud sacramentũ, quod est omniũ sanctissimum. Vnde intelligimus, huiusmodi præceptũ non accedendi ad hoc sacramentũ in peccato mortali, nõ esse positiuũ, vel Ecclesiasticũ, vel etiam diuinum, si propriè loquamur, sed naturale, id est, intrinsecè, & ex natura rei consequens ex institutione, dignitate, & significatione huius sacramenti, quemadmodum diximus agentes de sacramẽtis in genere, nam illo omnia hic à fortiori locum habent.

Trident. Origen. Cyrill. Cyprian. Hieron. Isidorus. Clement.

Obiectio.

Sed obijcies, Interdũ potest homo obligari ad suscipiendũ hoc sacramentũ, quando moraliter loquẽdo nõ potest se ad gratiam disponere, vt si sit publicus cõcubinarius, vel habeat diuturnũ ac vehemens odiũ inimici, quod deponere nõ possit; & maximè si copia confessoris careat, & contritionis gradũ non valeat attingere; nec deniq; absolutum propositum nõ peccandi de cætero cõcipiat, quod nõ solùm ad cõtritionẽ, sed ad verã etiã attritionẽ est necessariũ. Addamus ad difficultatem explicandam, Deum ei negare

negare auxilium ad dolendum de peccato, atq; ipsi peccatori constare, se esse à Deo desertum; tunc ille non peccaret, accedendo ad hoc sacramentum sine dispositione, quam non potest habere, ergo non est per se malum in peccato accedere.

Solutio.

Respondetur ad priorem partem, neminem esse posse in rebus agendis ita perplexum, vt ex duobus malis moralibus, alterum simpliciter eligere cogatur. Vnde in præsenti casu, si quis, re vera, obligatur hoc sacramentũ accipere, non erit illi impossibile, ita se disponere, vt dignè accipiat: quòd si hoc fortasse sit illi valde difficile, tenebitur cum diuina gratia eam difficultatẽ superare, quæ non illi deerit, si, quod in se est, facit. Quòd si tanta sit difficultas, vt moraliter censeatur quædam impossibilitas, interdum esse poterit sufficiens ratio ad excusandum hominem, ne pro eo tẽpore communicare teneatur, sed differat, donec paulatim eam difficultatem vincere, ac dignè se disponere valeat; illa verò duo, scilicet, obligatio communicandi, & impossibilitas dignè communicandi, nõ possunt simul ac pro eodẽ tempore absolutè & simpliciter coniungi. Quod circa ad alteram partem, quæ fingitur de homine destituto à Deo, in primis negãdum est, illud fieri à Deo in hac vita. Deinde, eo casu argumẽtãdi grã admisso; respõdeo, nõ teneri hominẽ illum ad hoc sacramentũ suscipiendũ, nec posse licitè communicare, peccaret enim, sic communicando, eodem genere sacrilegij, quo nunc peccat quilibet peccator indignè communicans, quia, licèt ille homo non posset dignè communicare, posset tamen vitare actum, ne illum faceret sine debita circunstantia, & honestate, ad quod obligatur ex vi huius præcepti, de quo agimus, quod, vt suprà dixi, negatiuum est, vel saltem negationem includit, nõ communicandi in statu mortalis peccati.

Obiectio.

Dices; ergo, si quis prohibeatur non communicare, sicut nũc excommunicatus prohibetur, & communicet, duo peccata committit, alterum, quia exercet actum prohibitum, alterum, quia indignè cõmunicat, non enim potest huiusmodi homo non indignè communicare, quandoquidẽ ipsamet cõmunione aliud præceptũ violat, & peccat (suppono enim illum nullam habere ignorantiã, quæ ab eiusmodi peccato eum excuset.)

Solutio.

Respondetur, cõcedendo ibi esse duas causas seu rationes malitiæ; an verò ex illis oriantur duæ malitiæ specie distinctæ, vel tantũ efficiant vnã grauiorẽ, speculatiuè controuerti potest, sed res est parui momenti; quanuis posterior pars videatur verisimilior, quia totus ille est vnus actus eidem honestati religionis contrarius, cui plures circunstantiæ necessariæ desunt, quia non solùm fit, quando non debet, sed etiam quomodo non debet fieri, quod augmentum ad eandem speciem pertinet, vt si quis comedat tempore prohibito, & in qualitate & quantitate prohibita. Sed quiquid sit de speculatiua quæstione, practicè tamẽ & in ordine ad confessionem, existimo, eam circũstantiam esse talem, quæ aperiẽda sit, quia plurimũ aggrauat, ac meritò variare potest morale iudicium. Hic verò occurrebat alia difficultas, an tangere hoc sacramentum in peccato mortali, sit peccatum mortale, sed eam commodius tractabimus infrà, disputantes de dispensatione huius sacramenti.

Concl. Recipere Eucharistiam in peccato veniali non [illegible]

Dico secundò. Recipere hoc sacramẽtum in peccato veniali, vel etiã peccãdo venialiter in ipsa sumptione, non est ex eo capite peccatum mortale. Hæc est communis sententia. Et ratio est, quia nec circa hoc est speciale præceptũ positiuũ, neq; ex sola natura rei potest colligi tale peccatum, quia hæc non est grauis iniuria vel irreuerentia, quia per peccatũ veniale nõ ponitur impedimentũ principali & quasi essentiali effectui sacramẽti, cùm tale peccatũ nõ excludat caritatẽ, ergo nõ cõmittitur grauis fictio aut simulatio, ergo nec peccatũ graue. Et confirmatur, quia alioqui nõ possunt ad hoc sacramentũ accedere nisi sanctissimi viri, quis enim est, qui non meritò timere possit, non solùm, ne in peccato veniali sit, sed etiã ne in ipsa sumptione venialiter peccet, vel ex vana aliqua intentione, vel ex negligenti distractione, aut alia simili causa? Et cõfirmatur ex capitulo. Si nõ sunt tanta. de cõsecr. d. 2. vbi ex sentẽtia Hilarij sic dicitur, *Si non sunt tanta peccata, vt excõmunicetur quis, & non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare,* & in ca. Si quotiescũq;, dicitur ex sententia Ambrosij. *Qui semper pecco, debeo semper accipere medicinam.*

est ex eo solũ capite mortale.

Dubiũ, an sit veniale sic accedere.

Sed quæres, an saltẽ sit veniale peccatũ in ea dispositione sumere hoc sacramentũ. Maior. d. 9. q. 1. ad 1. absolutè negat, quãquã est, inquit, bene impudẽs, qui cũ proposito venialiter peccãdi cõmunicat. Richar. etiã ibi art. 2. q. 1. ad. 2. simpliciter docet, nõ peccare, qui cũ veniali peccato communicat. Idẽ Adrian. q. 1. de cõfessio. Soto. d. 12. q. 1. a. 4. licèt sit dubius, tamẽ in hãc sẽtẽtiã est magis propẽsus.

Aliqui negãt.

In cõtrarium verò est, quia illa videtur aliqualis irreuerẽtia, maximè si peccatũ veniale, vel propositum eius in ipsomet actu cõmunionis cõmittatur, vel habeatur. Et cõfirmatur ex Anselmo. 1. ad Corin. 11. dicẽte. *Indignè accedit, qui vel aliquod graue peccatũ, vel multa leuia commisit, & non est cõfessus.* Quod, cùm nõ possit intelligi secundùm æqualitatẽ, necesse est, vt saltem secundũ quandã proportionem intelligatur, nã qui graue peccatum cõmisit, indignè accedit mortaliter peccãdo, qui autẽ multa venialia, indignè etiã saltem venialiter. Confirmatur, secundò ex verbis Aug. lib. de Ecclesiast. dogmatibus. c. 53. quæ referuntur in cap. Quotidie. de Consecr. d. 2. vbi cùm dixisset, *Si adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideò quanuis quis peccato mordeatur, peccãdi non habeat de cætero voluntatẽ, & communicaturus satisfaciat lachrymis.* &c. subdit inferiùs, *sed hoc de illo dico, quẽ capitalia & mortalia peccata non grauant.* Sentit ergo Augustinus vel potius Gennadius, quòd recipere Eucharistiã sine pœnitẽtia venialium peccatorũ, grauet conscientiam, erit ergo, vt minimùm, peccatum veniale.

Aliqui affirmant.

Si peccatũ veniale sit velut circunstantia communionis, est peccatũ veniale sic communicare.

Dicẽdũ in primis videtur, si peccatũ veniale sit aliquomodo circũstãtia ipsiꝰ actus cõmunicãdi, peccatũ esse veniale sic cõmunicare; vt v.g. si quis cõmunicet propter ostentationẽ, seu vanã gloriã, vel certè si actu sit in ipso peccato veniali, vt in vana aliqua cogitatione, aut delectatione, & ea ratione accedat distractus, & sine debita attẽtione & deuotione. Ratio est, quia si actus nõ habeat circũstantias debitas, est aliquo modo malus, ergo, vt minimũ, erit peccatũ veniale. An verò tũc impediatur effectus ex opere operato, suprà tractatũ est. Deinde, si quis cõsuetudinẽ habeat cõmittẽdi multa venialia peccata, vel certè cõscientiã sentit eorũ multitudine oneratã, & ideò ad spiritualia tractãda tepidã, & quodãmodò indispositã, nõ videtur, posse excusari à culpa veniali, si sine vllo dolore aut proposito emendandi vitã ad Eucharistiã accedat. Et hoc saltẽ probat ratio in contrariũ facta, quia ille est aliquo modo indignus,

& nõ ſatis dijudicat corpus Dñi, & ponit obicẽ aliquibus effectibus huius ſacramenti non contemnẽdis, quales ſũt, remiſsio venialiũ peccatorũ, & actualis feruor caritatis; ac deniq;, quod caput eſt, non poteſt omnino excuſari actio illa ab irreuerentia cõtra hoc ſacramẽtũ. Præterea Anſelmus & Auguſtinus hoc, ad minimũ, ſentiũt, & in hunc modũ explicari poſſunt, quãuis in rigore plus dicere videãtur, præſertim Anſelmus, nã Auguſtinus exponi poſſet, cũ inquit, *hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant*, q̃ nõ diſtinguat illa à venialibus, ſed ab eo ſtatu cõſciẽtiæ, quę licèt mortali peccato mordeatur, tamen eorũ multitudine nõ grauatur, nec obruitur, huic enim homini dat licentiã Auguſtinus frequenter cõmunicandi, præmiſſa cõfeſsione, illi verò minimè, niſi poſt diuturnã pœnitentiã, etiam publicã, ſi peccatoris ſtatus publicus fuerit. Deniq; extra prædictos caſus, ſi quis fortaſſe habeat peccatũ veniale in habitu, licèt ſine dolore eius, & propoſito emendæ ad Euchariſtiã accedat, vel quia non recordatur, vel quia ob humanã aliquã fragilitatem, non poteſt voluntatẽ auertere ab illo leui affectu, nõ exiſtimo, peccare venialiter ſic communicando, ſi alioqui procuret cũ timore, reuerentia, & deuotione accedere. Et quod hoc placet prior Theologorũ ſententia. Et ratio eſt, quia tunc illa culpa venialis non eſt circunſtantia illius actus, neq; ab homine fragili exigenda eſt ſumma diligentia, vel perfectiſsima diſpoſitio.

Accedens ad Euchariſtiam cũ vno vel altero peccato habituali veniali, non peccat, etiam venialiter.

Nulla actualis diſpoſitio requiritur ad ſumendã Euchariſtiam ex præcepto rigoroſo, præter gratiam habitualem.

Ex dictis in hac ſectione obiter colligimus, præter diſpoſitionẽ gratiæ habitualis, nullã actualẽ requiri ex rigoroſo præcepto ad dignam ſũptionẽ huius ſacramenti, ita vt illius omiſsio peccatũ mortale ſit. In quo conueniunt omnes Theologi, & à fortiori patet ex eo, quod ſupra diximus, ad effectum huius ſacramẽti nullã actualẽ diſpoſitionẽ requiri. Ad vitandũ autem peccatum veniale, illa interior attentio, ac reuerentia neceſſaria eſt, quam ex natura ſua talis actus ſacer, ac religioſus poſtulat, vt conuenienti modo fiat. Excuſabitur tamen homo ab huiuſmodi culpa veniali, ſi fortaſſe ex naturali tantùm diſtractione huiuſmodi attentionem omittat, quia tunc nec voluntaria eſt, nec humana.

SECTIO II.

Quàm graue peccatũ ſit indigna ſuſceptio huius ſacramenti in peccato mortali.

CVm conſtet ex dictis, peccatũ hoc ex genere ſuo mortale eſſe, inquirere poſſumus grauitatem eius, vel genericam, vel ſpecificam, vel numericam ſeu indiuidualem.

Euchariſtiam in mortali ſuſcipere, ſacrilegium eſt.

Dico primò, peccatũ hoc habere grauitatem ſacrilegij virtuti religionis contrariam. Sic Hierony. epiſt. 22. ad Euſtochium in quoſdam inuehitur, qui indignè communicabant. *Ebrietati ſacrilegium copulãtes aiunt, abſit, vt ego me à ſanguine Domini abſtineam.* Et ratio eſt; quia hoc ſacramentum eſt res maximè ſacra, cui ex virtute religionis proprius cultus & reuerentia debetur, nam ſicut Chriſti adoratio ad religionem ſpectat, ita & huius ſacramenti veneratio. Ergo iniuria, quæ illi fit, contraria eſt religioni, atq; adeò ſacrilegium.

Non tamen eſt tam graue peccatum ſicut hæreſis, deſperatio, aut odium Dei.

Hinc ſequitur primò, hoc peccatũ ex ſuo genere nõ eſſe tã graue, ſicut illa, quæ ſunt contra virtutes Theologales, vt ſunt odiũ Dei, hæreſis, deſperatio, nã, vt rectè fiat cõparatio, debet maximũ peccatũ cũ maximo cõferri, alioqui nihil certũ affirmari poteſt. In eo verò ſenſu ratio eſt clara, quia peccatũ, quod priuat maiori honeſtate, ex ſuo genere grauius eſt. Item, quia illæ virtutes ſunt perfectiores religione, quia immediatiùs Deum attingunt, ergo eadem ratione vitia illis contraria ſunt grauiora.

Grauius tamen eſt ijs, quæ ſunt contra virtutes morales.

Secundo ſequitur, hoc peccatum ex ſuo genere grauius eſſe, quam ea, quæ ſunt contraria virtutibus moralibus religione inferioribus. Quod eiſdem rationibus oſtendi poteſt, nam priuat perfectiori honeſtate, & immediatiùs attingit Deum, vel res diuinas. Cum verò dicimus, peccatum hoc eſſe ex ſuo genere grauius, intelligendum eſt propriè de genere, id eſt, quantum eſt ex vi ſuæ rationis genericæ: hoc enim immediatè conuincitur rationibus factis. An verò etiam in ſpecie ſit grauius quocunq; alio peccato contra proximum, vel contra aliquã virtutem moralẽ, paulo inferius dicemus.

Peccatum hoc non eſt omnium quæ religioni opponuntur, maximum in ſpecie ſua.

Dico ſecundo. Hoc peccatum in ſpecie ſua nõ eſt maximũ omniũ, quæ religioni opponũtur, ſed in 3. gradu, ſeu ordine conſtitui poteſt. Ita colligitur ex D. Tho. qui ſupponit, quod ex. 1. 2. ſatis clarum eſt, contra eãdem virtutem poſſe committi peccata ſpecie diuerſa, quia ab eodem medio varijs modis recedi poteſt, inter peccata ergo, quę religioni opponuntur, primum gradum tenẽt illa, quæ ſunt cõtra Deũ ſecundum ſe, ſeu contra diuinitatem eius, quia, quò excellentior eſt diuinitas cæteris rebus, eò iniuria illi facta grauior eſt. Et huiuſmodi eſt blaſphemia, periurium, & in hoc ordine annumerari ſolet peccatum contra Spiritum ſanctum, quod Chriſti teſtimonio grauiſsimum eſt. In. 2. gradu ſunt peccata cõtra humanitatem Chriſti vt in propria ſpecie exiſtit, quia illa proximè coniuncta eſt Deo, & maior eſt iniuria & irreuerentia, maiuſque poteſt inferri nocumentum, quando in propria ſpecie offenditur, ac læditur. Tertium ergo ordinem conſtituit peccatũ ſacrilegij cõtra hoc ſacramẽtũ, quia in ipſo realiter Chriſtus cõtinetur, quãuis ſub aliena ſpecie. Vnde inter oẽs alias res ſacras, hoc ſacramẽtũ maximè ſacrũ ac diuinũ eſt, ergo iniuria & ſacrilegiũ contra illud factũ maximũ eſt, poſt alia enumerata. Additur ex D. Tho. hic, in hoc tertio ordine, poſſe eſſe varia ſacrilegia, quæ videntur ſpecie diuerſa, inter quæ indigna ſumptio, vel cõmunicatio, nõ habet ſummã grauitatẽ, maius enim peccatũ eſt, vt D. Thom. hic docet, art. 5. ad 3. proijcere hoc ſacramẽtũ canibus ad mãducãdũ, vel in lutũ ad cõculcãdũ illud, quod ex terminis ipſis videtur manifeſtũ, nam præ ſe fert maiorẽ horrorẽ & iniuriã, & indicat animum magis auerſum, magiſq; Chriſto iniurioſum. Et præterea id explicat D. Tho. optima cõiectura, quia peccator licèt ſit indiſpoſitus ad vnionẽ cũ Chriſto, quia peccator eſt, tamẽ de ſe eſt capax illius, quia homo eſt, at verò brutũ eſt omnino incapax, & ideò maior eſt improportio, maiorque abuſus in illis actionibus.

Dubiũ. an hoc peccatum ſit grauius ijs, quæ opponuntur virtutibus moralibus. Aliqui affirmant. Gabriel. Pet. Soto.

Ex hac verò aſſertione ſic expoſita oritur dubitatio ſuprà tacta, an hoc peccatũ ex ſpecie ſua ſit grauius homicidio, quod eſt cõtra iuſtitiã, aut adulterio, quod iuſtitiæ & tẽperãtiæ repugnat, vel omnibus peccatis cõtra naturã, cõtrarijs caſtitati, & idẽ inquiri poteſt de cæteris, oppoſitis virtutibus moralibus. Quidã enim Theologi ita exiſtimãt, vt Gabr. lect. 77. in cã. & Pet. Soto lect. 12. de Eucha. Ledeſ. in 4. 5. par. q. 21. ar. 5. Sot. d. 12. q. 1. ar. 5. qui dicit, homicidium quidem eſſe grauius, quàm indigna ſum-

Ledeſma.

ſumptio huius ſacramenti ex fragilitate commiſſa; nihilominùs tamẽ indignã ſumptionẽ ex ſpecie ſua eſſe grauiorem, quia ſi ex contemptu fiat, grauius peccatũ eſt. Quæ ratio non admodùm probat, quia, vt comparatio rectè fiat, debent æquales circunſtãtiæ ex parte operantis adhiberi. Huic verò ſentẽtiæ fauent Patres, qui adeò exaggerant hoc peccatum, vt cum peccato crucifigentium Chriſtum, & Iudæ, qui eum vendidit, comparent illud, Chryſoſt. hom. 45. in Ioã. 61. ad populum Remig. Matt. 26. & Beda Marci 14. circa illa verba, *per quẽ filius hominis tradetur*. Anſel. & Theodor. 1. ad Corin. 11. Hæc verò ſententia non placuit Durãdo, diſtinct. 9. q. 4. & idẽ ſentit Palud. q. 2. ar. 6. Primò, quia nõ habet illa opinio ſufficiens fundamentũ, nam in primis prædicti Patres, vt etiam D. Thomas notat, non ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm quandam proportionẽ, & imitationem, locuti ſunt, quia ſicut Iudas oſculo tradidit Chriſtum indignis hominibus ac inimicis eius, ita peccator cõmunicando indignè, veluti quodã oſculo Chriſtum tradit homini indigno, eiuſque inimico. Et ſicut crucifixores Chriſti, ſanguinem Chriſti fuderunt in ſuam pernitiem, ita etiam peccator quodammodò ſanguinem Chriſti fundit in ſuũ magnum detrimentum, quando illum indignè ſumit. Ex hac vero analogia non poteſt inferri, vel hoc peccatum eſſe æquale illis, vel eſſe maius omnibus ſupra enumeratis. Rurſus neque ex ratione ſacrilegij poteſt concludi hæc maior grauitas ſpecifica, quia ſub grauiori genere poteſt ſine dubio contineri ſpecies aliqua moralis minùs grauis, quàm ſit alia ſub inferiori genere contenta, maius enim peccatum eſt peccatum contra naturam, quam furtum, licet illud ſit ſub genere intemperantiæ, hoc vero ſub genere iniuſtitiæ, quod grauius eſt, & ſimiliter grauius eſt homicidium, quàm oratio inattenta, licet hæc ſit ſub genere ſacrilegij. Et in phyſicis ſpeciebus eſt etiam probabile, id poſſe accidere. Ratio verò eſt, quia, licèt obiectum virtutis cõtrariæ, ſecundùm ſe ſit nobilius, tamen modus attingendi illud poteſt eſſe inferior ac leuior. Deniq;, quòd ita ſit in præſenti, poteſt in hunc modum exponi, nam homicidium infert magnum nocumentum proximo, & irreparabile, indigna verò cõmunicatio, quãuis ſit Chriſto iniurioſa, re tamen ipſa, non infert ei nocumentum. Ergo, licèt Chriſtus abſolutè ſit nobiliùs obiectum, quàm alius proximus, nihilominùs hæc eius iniuria poteſt ex ſpecie ſua eſſe leuius peccatum, quàm homicidium. Quæ omnia, vt minimũ, faciunt controuerſiam banc ſatis dubiam ſpeculatiuè, nec videò, poſſe eſſe certa principia ad illam decidendam, ſi verum eſt illud principium, quod poſterior ſententia aſſumit, poſſe peccatum ſub inferiori genere contentum, ſecundùm ſpecificam rationem ſuam eſſe grauius, de quo dubitari etiam poſſet, ſed hæc res ad 1. 2. ſpectat. Et ideò nunc ſatis ſit dicere, practicè loquendo, ferè ſemper illa peccata homicidij eſſe grauiora, vel propter maius nocumẽtum, vel quia maiorem deformitatem & rectæ rationis euerſionem præ ſe ferunt.

Chryſoſt. Remigius. Beda. Theodor. Aliqui negãt. Durand. Palud.

Grauius peccatum regulariter eſt homicidium, quàm ſumptio indigna huius ſacramenti.

Obiectio. Auguſt.

Supereſt verò obiectio contra aſſertionem poſitam ex Auguſt. lib. 50. homiliarũ, homilia 26. & habetur in cap. Interrogo. 1. q. 1. vbi dicit, non eſſe minus peccatum, indignè audire verbum Dei, quã indignè communicare, *quia non minus eſt*, inquit, *verbum Dei, quam corpus Chriſti*, quod ferè eiſdẽ verbis prius dixerat Origen. hom. 13. in Exod. vbi ait, nõ eſſe minorem culpam, negligere verbum Dei, quam corpus Chriſti, ſed negligere verbum Dei, aut negligenter, & ſine fructu illud audire, non eſt peccatum adeò graue, ergo neque indignè communicare.

Origen.

Solutio.

Reſpõdetur in primis hæc videri dicta per quãdam hyperbolẽ & exaggerationem, & aliquo prudenti moderamine eſſe temperãda. Nam ſi propriè ſit ſermo de verbo Dei formaliter, id eſt, de prædicatione, ſeu doctrina diuina, non poteſt ſecundum æqualitatem intelligi, cum dicitur, verbum Dei nõ eſſe minus, quam corpus Chriſti, ſed ſecundũ quandam habitudinem, & reſpectum ad diuinam perſonam, ac ſi diceremus, non eſſe minus verbũ Regis, quam corpus Regis, vel ſicut dicimus, non eſſe minus venerandam imaginem Regis, vel alium, qui tegit perſonam eius, quam ipſum Regem: ſi verò loquamur de verbo Dei obiectiue, ſic ſecundùm veram æqualitatem non eſt minus verbum Dei, quam corpus Chriſti, quia res, quę hoc verbo prædicatur, non eſt minus digna, atq; hoc modo negligere verbum Dei, poteſt eſſe grauiſsimum peccatum, quia ſub hoc genere comprehendi poteſt cõtemptus fidei, & ipſius Dei, qui per verbum eius prædicatur. Affert præterea huiuſmodi peccatum ex ſe grauiſſimum nocumentum, quia verbũ Dei eſt veluti organum, & inſtrumẽtum, quo Deus potiſsimùm vtitur ad humanam ſalutem, & ideò illud cõtemnere, vel negligenter, atque indignè ſuſcipere, non minora damna creare poteſt, quam indignè cõmunicare.

Peccatum hoc in particulari grauius & leuius eſſe poteſt quàm alia peccata virtutibus alijs oppoſita.

Tertiò, de grauitate huius peccati in indiuiduo dicendum eſt, ex varijs atque inæqualibus circunſtantijs fieri poſſe, vt interdùm ſit grauius, interdũ verò leuius, quàm alia peccata perfectioribus vel minus perfectis virtutibus oppoſita. Hæc concluſio non indiget probatione, nam hoc fere commune eſt omnibus peccatis.

Dubium.

Duo verò quæ circa illam docet D. Thomas, in dubitationem afferri poſſunt. Primũ eſt, an accedere ad hoc ſacramentum cum grauioribus culpis, ſit ſemper, ex ſe grauius peccatum. Aliquibus enim videtur, non ſemper ita eſſe, ſi peccata non ſint eiuſdem ordinis, quia maius malum eſt accedere cũ peccatis carnalibus, quam cum ſpiritualibus, etiam ſi hæc grauiora ſint. Quod ſentit Alenſ. 4. part. q. 46. mẽb. 4. & 5. vbi varijs vtitur diſtinctionibus, quas referre & examinare operoſum eſſet, & parum vtile. Paſchaſius etiam lib. de hoc ſacramento, periculoſius dicit eſſe luxurioſis, ad hoc ſacramentum accedere, quam alijs peccatoribus. Quod verum exiſtimo, propter maius periculum incidendi in prauã ac deteſtabilem conſuetudinem, & contemnendi paulatim. Nihilominùs tamen per ſe loquendo, vera eſt regula, quam D. Tho. ſtatuit, grauius peccare, qui in peiori ſtatu & cum grauioribus culpis accedit, quia eſt indignior, tum etiam, quia maius impedimentum ponit effectui huius ſacramenti, maioremque fictionem ſimulat, cum ſimpliciter magis ſit à Chriſto ſeparatus. Ratione verò ſcandali, vel alterius circunſtantiæ, accidere poteſt è cõuerſo, vt grauius peccet, accedendo ad hoc ſacramentum, qui minora habet peccata.

Alenſ. Paſchaſ.

Grauius peccatum eſt accedere ad Euchariſtiam cum grauioribus peccatis, quam cum leuioribus, per ſe loquendo.

Dubiũ alterũ.

Secunda dubitatio eſt, quis grauiùs peccet, fidelis peccator, vel infidelis, vel hæreticus. Quidã exiſtimant plus peccare fidelẽ peccatorẽ, vt Palu. 4. d. q. 2. & Carthuſ. q. 4. dicẽs, infidelẽ eſſe indigniorẽ, non tamen indigniùs accedere, quia fidelis operatur contra veritatem, & dignitatem ſacramenti ſi-

Palud. Carthuſ.

Universidad de Deusto Biblioteca

bi cognitam, infidelis vero contra ignoratam. D. Thomas autē generaliter dicit grauius peccare infidelem, quia peccat contra ipsum sacramentum, & vsum eius, cum tamen fidelis solum peccet contra vsum. Quæ ratio solum videtur probare, infidelem grauius peccare sua infidelitate, qua negat veritatē sacramenti, quàm fidelem indigna sumptione. Cū tamen hic non comparemus infidelitatem cum sacrilegio, sed præcisè sacrilegium infidelis cum sacrilegio fidelis. Dico tamen, etiam in hoc sensu, esse veram sententiam D. Thomæ, moraliter loquendo ac per se, quia status infidelis simpliciter est peior & indignior, q autem aliqua ignorantia excusari possit, est, per accidens, & interdum accidere potest, vt nō intercedat, vt, si sit hæreticus circa alia mysteria, non verò circa hoc: interdùm verò talis esse potest, & tam crassa, vt fere nihil excuset. Atque ita per se magis aggrauat indignus infidelitatis status. Dico autem, moraliter considerando, ex genere, seu ex obiecto, ipsos status, nam in indiuiduo fieri posset, vt sit tanta malitia, tantaque multitudo, & acerbitas peccatorum hominis fidelis, vt simpliciter indignior sit, quàm infidelis, & tunc iuxta responsionem datam præcedenti dubio negandum non est, illum grauiùs peccaturum, sic accedendo.

Moraliter loquendo, grauius peccat infidelis accedēs ad Eucharistiam, quàm fidelis.

SECTIO III.

Virùm habent conscientiam peccati mortalis teneatur confessionem præmittere ante vsum huius sacramenti.

Trident.

Post decretum Concilij Trident. sess. 13. c. 7. & can. 11. non potest in dubium reuocari, an huiusmodi præceptum omnibus fidelibus impositum sit, quia in illis decretis expressè continetur, & certissimum est, habere Concilium potestatem ad huiusmodi præceptum imponendum, etiam si anteà latum non fuisset. Quanquam, si tale præceptum à Concilio esset de nouo latū, dubitari posset, an obligaret omnes, & vbique, & an excusarentur aliqui, ex defectu promulgationis, vel acceptationis, vt posteà dicemus. Hic ergo præcipuè inquiritur, quale, quamq; antiquum sit hoc præceptum. In qua re duas reperio sententias extremè contrarias. Prior affirmat esse præceptum iuris diuini naturalis, ex ipsa institutione sacramentorum intrinsecè consecutum, ita sentit Syluest. verb. Eucharist. 2. q. 2. & inclinat Petrus Soto lect. 12. de Eucharistia; & fauet Bonauen. distinct. 12. dub. 1. circa literam, & distinct. 16. dub. 12. circa literam, qui autores videntur hoc præceptum fundare in sola dignitate, & significatione huius sacramenti. Alij verò videntur hoc fundare non in solo hoc sacramēto, sed in institutione eius simul cum institutione sacramenti pœnitentiæ, vt interdùm significat Scotus locis citandis; & inferiùs, refellendo hanc sententiam, meliùs explicabimus.

1. Sententia. Syluest. Petr. Sot. Bonauent.

2. Sententia.

Secunda sententia est, hoc præceptum esse positiuum Ecclesiasticum, quæ duobus modis asserta est, quidam enim dixerunt, tale præceptum nō esse nouum, nec Pontificio aut Conciliari decreto scriptū, vel introductum, sed Apostolica traditione, & perpetua Ecclesiæ cōsuetudine obseruatum. Ita opinatur Medina Cod. de confess. q. 17. quem recentiores aliqui secuti sunt, vt Palacios in 4. distinct. 9. q. 10. ad 1. & indicat Nauarrus de pœniten. distin. 5. in princip. circa tertiā partem Glossæ num. 32. sentit enim, hoc præceptum ortum esse ex consuetudine Ecclesiæ, idē in sum. c. 21. n. 49. Alij verò (quod minùs tolerabile est) dixerunt, hoc præceptum esse nouum ac recens in Ecclesia, quæ sententia tribui solet Richardo, Paludano, & Adriano, q negauerint, vsque ad sua tempora fuisse in Ecclesia tale præceptum, sed non apertè id negant, vt videbimus. Primus ergo autor huius sententiæ videtur fuisse inter Theologos Caietanus hic, & in proprio quodā opusculo de hac re, & in sum. verb. Communio, & super 1. ad Corinth. 11. Eum secutus est Armilla, verbo, Communio. §. vltimo, & eiusdem sententiæ fuit Abbas in cap. de homine, de celebrat. missa. Fūdamentū est, quia ad satisfaciendum iuri diuino naturali satis est, quod homo accedat in gratia satis ergo erit, quod per contritionem ad illam se disponat, sicut etiam hoc sufficit ad ministrāda sacramenta ex officio, vel ad recipienda alia sacramenta viuorum. Positiuum autem diuinum ius ostendi non potest, neq; scriptum, neq; traditum, quin potiùs verba illa Pauli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, significant, solùm esse necessarium, vt vnusquisque suam conscientiam examinet, & interiùs se disponat, ac de seipso iudicium ferat, ita enim exponere videtur Chrysost. homil. 28. in illam epistolam dicens, *Non præcepit, vt alter alteri probetur, sed ipse sibi sine traductione, faciens iudiciū, & sine teste redargutionem*, quem imitatus Theophylact. inquit, *Non aliū tibi iudicem attribuo, sed te ipsum tibi ipsi commendo, iudica igitur, & explora conscientiam tuā, & sic accede.* Patres etiam omnes citati sectione prima, licet pœnitentiam requirant, nullam tamen confessionis faciunt mentionem. Et hinc vlteriùs colligi videtur, hoc præceptum non fuisse in Ecclesia tempore horum Patrum, nō potest autem ostendi, vbi fuerit posteà latum ante Conciliū Tridentinum, ergo non est fundamentum ad asserendum anteà fuisse.

Medina. Palacios. Nauar. Richard. Palud. Adrian. Caietan. Armilla. Abbas. Chrysost. Theoph.

Dico primò, semper fuisse in Ecclesia præceptum præmittēdi confessionem ante communionem, interueniēte cōscientia peccati mortalis, post Baptismum commissi. Ita docuit fere verbis apertis Concil. Trident. dicens, *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariā esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacrā Eucharistiam accedere debeat.* Vbi apertè docet, non ipsum hanc necessitatem Ecclesiæ imposuisse, sed in Ecclesia semper fuisse. Probari autem primò potest ex cōmuni consensu Theologorum, apertè id docet D. Thom. 4. distinct. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 4. & quodlib. 1. art. 11. & ad Corint. 11. lect. 7. Scot. in 4. distinct. 9. q. vnica, vbi rationem adducit, quia non tantùm Deo, sed etiā Ecclesiæ satisfacere oportet, priusquàm recipiat sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Quæ est bona congruentia, vt latū sit præceptum, non tamen per se sola sufficit ad fundandū illud. Idem Scotus distinct. 17. art. 2. inter alia tempora, in quibus homines obligantur ad confessionem, ponit illud, in quo suscipienda est Eucharistia, idem Gabr. ibi. quæst. 1. & lect. 7. in can. Durand. distinct. 7. q. 4. & distinct. 17. q. 10. Richar. distin. 9. art. 2. q. 2. qui tamen distinct. 17. art. 3. q. 6. videtur hoc limitare, de quo posteà dicam, tenet etiam Maior. distinct. 17. quæst. 2. Anton. 3. part. tit. 14. cap.

Sēper fuit in Ecclesia prædictum præceptum. Trident. S. Thomas. Scot. Gabr. Durand. Richard. Maior. Anton. Bonauent.

5. p. 19. §. 3. & idem supponunt Bonauen. & alij citati in prima opinione. Qui omnes non referunt, aliquem antiquorum sensisse contrarium, quod est signum cōmunis consensionis valde receptæ. Palud. verò, distinct. 17. quæst. 2. & Adrian. quæst. 3. de confessione, tam ad alia sacramenta, quàm ad Eucharistiam, dicunt præmittendam esse confessionem, quanquam significent, non esse peccatum mortale, illam omittere, si adsit contritio, in quo videntur primæ sententiæ fauere, quia nihil speciale dicunt de hoc sacramento.

Palud. Adrian.

Secundò potest hæc veritas colligi ex Cypriano, qui in suis epistolis vehementer inuehitur in eos peccatores, qui ante actam pœnitentiam, & ante reconciliationem Ecclesiæ ad communionem accedunt: imò & sacerdotes ipsos reprehendit, qui peccatores ad communionem facilè admittunt, ante perfectam satisfactionē, vt videre licet in epist. 10. 11. 12. 14. 18. lib. de lapsis, & alijs locis frequēter. Atq; idem sentit Aug. epist. 118. cap. 3. dicit enim, eum, qui conscientia peccati mortalis grauatur, nō suo, sed sacerdotis arbitrio, debere ad hoc sacramētū accedere, vel ab eo abstinere. Et autor lib. de Ecclesi. dogm. c. 53. sic inquit, *Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari debere*; & loquitur de eo, qui habet conscientiam mortalis peccati, &c, vt declaret, esse præceptum, subdit, *Si vult nō ad iudicium & cōdemnationem Eucharistiam percipere.* Optimū verò testimonium est Leonis Papæ, epist. 91. c. 2. vbi sic inquit, *Mediator Dei & hominū hanc præpositis Ecclesiæ dedit potestatem, vt & confitentibus actionem pænitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum, ad ianuam reconciliationis admitterent.* De quo testimonio plura dicā in sequēti assertione, citari etiam potest Chrysost. hom. 10. in Matth. sed ille locus obscurior est, sic enim inquit, *Tempus confessionis, tam ijs, qui baptismo loti sunt, quàm prophanis, incumbit; illis, vt ad gratiā restituti possint ad diuina mysteria accedere, ijs, vt loti & mundi per Baptismum, possint communicare,* vbi non potest loqui de sacramentali confessione, quæ locum non habet in ijs, qui Baptismo loti non sunt, loquitur ergo vel de confessione interiori, vel de illa exteriori confessione, qua vnusquisque se peccatorem agnoscit, & ideo medicina ad tollenda peccata instituta vti cupit, nisi dicamus, eum generatim de confessione esse locutum, & intellexisse, singulis membris eum confessionis modum esse accommodandum, qui in vnoquoque potest locum habere. Quæ expositio in verbis ipsis videtur habere aliquod fundamentum, nam ijs, qui baptizati sunt, confessionem, dicit esse necessariam, vt per eam ad gratiam restituātur: prophanis verò, vt per Baptismum mundentur, aliter ergo in illis, quàm in his, confessionem requirit; & de eadem re legi potest idem Chrysost. homil. 60. & 61. ad populum.

Cyprian. August. Leo. Chrysost.

Tertiò fundatur præcipuè hæc sententia in Ecclesiæ consuetudine, vt Concil. Trident. dixit, huius autem consuetudinis optimum indicium est, cōsensus frequēs antiquorum Patrum & Doctorum. Deinde, signum etiam huius traditionis est, quia semper in Ecclesia obseruatum fuit, vt peccatores non priùs ad communionem admitterentur, quàm iudicio Ecclesiæ condignam satisfactionem facerent, & Ecclesiæ reconciliarentur, vt patet ex Concilio Niceno, can. 11. 12. & ex Concil. Ancyrano, cap. 4. & sequentibus, & Concilio Elibertino in pluribus canonibus. Et confirmari hoc solet ex historia Philippi Imperatoris, qui primus Christianus fuit, & à Pontifice ad participationem cum alijs fidelibus ante confessionem admissus non fuit, vt referunt Eusebius lib. 6. histor. cap. 27. & Nicephor. lib. 5. cap. 25. At verò si necessarium non esset, ad cōmunionem confessionem præmittere, & absolutionem accipere, non essent hi peccatores à communione separandi.

Conc. Nicen. Ancyran. Elibertin. Euseb. Nicephor.

Dico secundò, Hoc præceptum præmittendi cōfessionem ante cōmunionem non potest satis colligi, ex solo naturali iure, etiam supposita institutione vtriusque sacramenti, confessionis, & communionis, nā, si hæc nō supponantur, nullus erit quæstioni locus, cùm confessionis vsus ex se & absolutè non sit de iure naturali. Probatur ergo conclusio, quia tribus modis colligi potest hoc præceptum ex prædicta institutione præcisè sumpta, nullus autem eorum est sufficiens, primus est, ex dignitate & sanctitate huius sacramenti, nam, cùm sit omnium sanctissimum, & ipsum sanctitatis fontem in se contineat, vi, & naturâ sua exigit ab homine summam diligentiam moralem, vt sanctè, atque adeò in statu gratiæ, ad illud accedat, & similiter requirit, vt moralem dubitationem, quæ in hoc esse potest, conueniēti etiam & morali modo conetur excludere. Sed medium ad hæc omnia maximè accommodatū est confessio, quia iustificatio per solam contritionem multo est difficilior, multoque magis incerta: ergo ex natura rei est confessio necessaria ad dignū vsum huius sacramēti, supposita illius vtilitate, sicut nūc tenetur sacerdos ex naturali lege caritatis, subuenire per confessionem peccatori extremè indigenti, quia, licèt per contritionem saluari possit, illud est valde difficile & incertum, quæ obligatio ex sola rei natura nulla esset, si nullum esset sacramentum confessionis, supposita verò eius institutione, ex natura rei consequitur, absq; alia lege positiua: sic ergo videtur dicendum in præsenti. Nec sequitur, idē esse dicendum de cæteris sacramētis, quia, cùm hoc sit singularis excellentiæ & dignitatis, ipsa ratio dictat, in illius vsu maiorem ac singularem diligentiā esse adhibendam, vt cum debita dispositione fiat. Qui discursus est quidem probabilis, & optimè declarat congruentiam huius præcepti, non tamen videtur per se solum sufficiens ad præceptum fundandum. Ratio est, quia ex vi solius iuris naturalis, solū præcipimur sancta sanctè tractare, & ad sacramentū non accedere fictè; ergo, si per contritionē hoc præstet homo, atque de hoc sit moraliter certus, eo modo, quo per humanas cōiecturas esse potest, id satis erit, vt naturali obligationi satisfaciat, quia in rebus agendis, regulariter ac moraliter loquendo, non tenetur homo adhibere summam diligentiam ac certitudinem, sed probabilem & humanam; dico autē, regulariter, quia in periculo dānationis perpetuæ, quod in articulo mortis occurrit, propter rei magnitudinem, & propter periculum maximi detrimēti, quod non tantùm in conscientia & existimatione, sed in re ipsa existit, est peculiaris ratio, vt debeat homo, quoad possit, omnem dubitationē excludere. Quæ ratio nō ita procedit in præsenti, quia, si homo accedat cum probabili conscientiæ existimatione, quanuis in re ipsa decipiatur, nullum in re ipsa sequetur irreparabile detrimentum, nec propria & formalis iniuria sacramenti. Secundò à signo euidētiùs ostenditur, non esse hoc proprium fundamentum

Hoc præceptū esse de naturali iure, non potest probari, etiam supposita institutione sacramentorum.

Universidad de Deusto Biblioteca

tum huius præcepti, nam contingere potest, quòd aliquis sit certior de sua contritione, quàm aliùs de attritione sua, & de sanctificatione per sacramentū, & nihilominùs ille tenetur confessionem præmittere, alter verò per illam dispositionē suæ obligationi satisfecit, & non tenetur ad contritionem procurandam, vel alium dolorem, dummodò probabiliter credat, se esse attritum, & rite confessum; quinimò, etiam si alicui per reuelationem constaret, sibi esse per contritionem remissum peccatum, nihilominùs teneretur confessionem præmittere, ergò signum est, hoc præceptum non fundari in certitudine procuranda de statu gratiæ. *Obiectio.* Dices, ergo etiam si alicui constaret, post confessionem factā nō fuisse sanctificatum, non teneretur ampliùs se disponere ad hoc sacramentū. *Solutio.* Respondetur, negando sequelam, nam, vel reuelatur illi, confessionem fuisse inualidam, & tunc debet iterum confiteri, quia re vera non fuit sacramentaliter confessus; vel validā, informem tamen, & sine effectu, & tunc non tenetur quidem iterum confiteri, tenebitur tamen disponi, vt priùs gratiam consequatur, quàm ad hoc sacramentum accedat, quia hoc ex naturali lege est necessarium, vt dictum est.

Secundus modus colligendi hanc obligationem sumitur ex significatione huius sacramēti, est enim signum vnionis Ecclesiæ visibilis cum suo capite Christo, & mēbrorum eius inter se, ergo ex vi suæ significationis & institutionis postulat, vt, qui ad illud accedit, sit Christo coniunctus, nō tantùm interiùs & inuisibiliter, sed etiam exteriùs per sacramentum visibile; atque etiam, vt non solùm sit recōciliatus Deo inuisibiliter, sed etiam Ecclesiæ visibiliter, quod fit per confessionis sacramētum. Quæ ratio facta etiam est ad explicandam aliam cōgruentiam huius præcepti, nō verò sola sufficit ad fundādum illud; primò, quia sæpe aliquis est in peccato mortali interiori, aut occulto, qui, quoad exteriorē vnionem, eodem modo est Ecclesiæ cōiunctus, quo alia membra viua. Secundò, quia per contritionē, & signa exteriora eius, Ecclesiæ exhibita censeri potest peccator coniungi Deo & Ecclesiæ satis visibiliter, sicut quando sacerdos ministrat aliquod sacramentum, licèt se gerat, vt publicus Ecclesiæ minister, satisfacit suæ obligationi, si confessionem præmittat, vel merè exteriùs, vel etiā interiùs, exhibendo signa eius, prout ratio, vel status eius id postulauerit. Quomodò etiam dixit Christus Matth. 5. *Si offers munus tuū ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, vade & reconciliare priùs fratri tuo.*

Tertius modus est, vt hoc præceptum colligatur ex institutione vtriusq; sacramenti, communionis & confessionis, cum potestate clauium data Ecclesiæ & sacerdotibus eius, hęc enim potestas clauium, quæ est supra corpus Christi mysticum, deriuatur ex potestate supra corpus Christi verum, ad quod tanquam ad finem ordinatur. Data enim est hęc potestas ad disponēdos fideles, vt dignè, ac cōuenienter possint verum Christi corpus accipere, ergo ad hanc potestatem clauium pertinet, vel dignos admittere, vel indignos repellere, vt Leo Papa loco suprà citato significat, & habetur in ca. Multiplex. de Pœnit. distinct. 1. ergo non possunt fideles peccatores dignè ad hoc sacramentum accedere, nisi priùs huic potestati clauium se submittant, vt per eam dijudicentur. Quæ ratio aliam continet congruentiam huius præcepti; sed, nisi illud aliunde latum esse ostendatur, non posset ex hac sola institutione colligi, quia ex institutione Eucharistiæ & potestate clauium, vt in sacramento pœnitētiæ exercetur, non sequitur necessarius ordo vel connexio, inter vsum vnius & alterius sacramenti. Tum, quia illa potestas per se & absolutè data est ad remissionē peccatorum. Tum etiam, quia, licèt fateamur, datā esse propter hoc sacramentum, vt meliùs & faciliùs disponantur homines ad illud suscipiendum, tamē ex hoc præcisè non potest colligi necessitas, sed vtilitas, scilicet, vt qui voluerint, possint faciliùs & meliùs se disponere.

Hoc præceptum est diuinum positiuum à Christo Domino traditum.

Dico tertiò, hoc præceptum præmittendi confessionem ante communionē esse diuinū positiuū, à Christo Domino specialiter latum, & Apostolis, & per eos Ecclesiæ traditum. Hanc conclusionē indicant antiqui Theologi, quatenus designando tēpora, pro quibus obligatur homo ad cōfessionem, sine Ecclesiæ determinatione, vnum esse dicunt, si suscipienda sit Eucharistia, sentiunt ergo, hoc tempus esse iure diuino determinatum per hoc præceptum, de quo agimus. Apertiùs hoc docent recentiores, Soto in 4. distinct. 12. q. 1. art. 4. Alter Soto lect. 12. de Eucharistia, Cano relect. de pænit. p. 5. Castro verbo Eucharistia hæresi. 10. Corduba, li. 1. quæstionum Theologicarum. quæst. 16. Couar. qui alios refert in cap. Alma mater. par. 1. §. 1. nu. 7. Et primò ex antiquis Patribus hoc indicant Cyprian. qui in citatis epistolis sentit, nisi ita fiat, contra diuinam legem fieri. Et Leo Papa dicta epist. qui sentit, ex Christi ordinatione manare, vt peccatores per sacerdotum iudicium ad hoc sacramentum admittantur, quod tamen non posset esse necessariū, secluso hoc præcepto, vt dictum est. Secundò plurimùm fauet huic assertioni Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. vbi tractans ad rem præsentem verba Pauli. *Probet autem se ipsum homo*, dicit, in eis contineri præceptū, sic enim inquit, *Quare communicare volenti reuocandum est in memoriā eius præceptum. Probet autem se ipsum homo.* In quibus verbis videri potest ambiguum, an hoc vocet præceptum Apostoli, vel Christi, quia vtriusque mentionem fecerat. Tamen sine dubio intelligendū est illud relatiuum, *eius* nō referre Apostolum, sed Dominū, cuius mētio immediatè pręcesserat, & ex ipso etiā Paulo colligi potest, qui ante omnia illa, quæ de hoc sacramento tradit, præmittit illa verba. *Ego enim accepta Domino, quod & tradidi vobis*, & posteà cætera persequitur, inter quæ hoc præceptum continetur, proponit ergo illud tāquam à Christo traditum, nam si præceptū aliquod à se latum proposuisset, vtique distinxisset illud, sicut in eadē epist. cap. 7. fecerat. Addit vlteriùs Conciliū. *Ecclesiastica consuetudo declarat, vt nemo sibi conscius alicuius criminis sine præuiā confessione accedat.* Quæ verba Concilij varijs modis intelligi possunt primùm, vt docere voluerit, atque exponere, Paulum esse locutum de probatione per confessionem. Sed hic sensus difficilis creditu est. Tum, quia verba Pauli generalia sunt, tum etiam, quia ratio illa, quā subdit illis verbis, *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*, satis indicat, eū non agere de obligatione orta ex speciali præcepto præmittendi confessionem, sed ex generali lege dignè, & sanctè tractandi, quæ sancta sunt, ergo in illis etiam verbis, *Probet se ipsum homo*, generatim etiam loquitur Apostolus & præcipit, vt homo debitam

Soto. Pet. Soto. Cano. Corduba. Couar. Cyprian. Tridem.

bitam diligentiam adhibeat. Alio igitur sensu declaranda sunt verba Concilij, scilicet, quamuis verba Apostoli ex se generalia sint, tamen Ecclesiasticā consuetudinē declarasse, eam probationem, ac diligentiam per confessionem esse faciendam, interueniente culpa mortali. Sed hæc ipsa Ecclesiæ declaratio dupliciter interpretari potest, primùm, quod Ecclesiastica consuetudo introduxerit, ac determinauerit eā probationem, quæ de se indifferens erat, ad obligationem faciendi illam per confessionem, quo sensu erunt vera Concilij verba, etiam si hoc præceptum Ecclesiasticū esset, sicut dicere possumus, Ecclesiasticam consuetudinem declarasse, sacerdotes alendos esse decimis, aut ieiunia esse seruanda tali modo & tempore. Tamen hic sensus non videtur ita proprius, nec à Concilio intentus, aliàs potiùs dixisset, Ecclesiasticam consuetudinem hoc introduxisse aut determinasse, vnde, cùm tantùm dixit, *declarat*, indicare voluit, hoc ius nō esse introductum ab Ecclesia, sed perpetuò obseruatum, & hoc declarasse Ecclesiasticā consuetudinē. Qui sensus præter vim & proprietatem verborum, inde etiam confirmari potest, quia solet Concilium quando præceptum est Ecclesiasticum, illud explicare, sicut sess. 22. c. 7. fecit de præcepto miscendi aquam vino in sacrificio, hic autem diligenter abstinuit ab omni verbo, quod posset solum Ecclesiasticum præceptū indicare. *August.* Confirmatur, nam iuxta regulam August. lib. 4. de Baptismo. c. 24. indicium iuris diuini est, quando aliquid ab vniuersa Ecclesia obseruatur, quod neque ab aliquo Pontifice, neque à Concilio, præceptum est, sed initium eius ignoratur, ac perpetuò in Ecclesia obseruatū est; sed huiusmodi est hæc consuetudo de qua agimus, vt Concilium significat, & ex dictis non obscurè colligitur. Denique talis est hæc lex, vt semper ac in omni ætate, & tēpore vtilis futura esset Ecclesiæ, imò & videtur esse talis, vt Papa in ea dispensare non possit. Poterit quidem interpretari, an in tali opportunitate obliget, nec ne, tamen, supposita obligatione, non potest in ea dispensare; neque hoc vnquam visum est in Ecclesia. Hæc ergo omnia simul sumpta sufficientia indicia sunt diuini iuris.

Dubium.

Sed quæres, quo certitudinis gradu hæc veritas tenenda sit, quid ve Tridentinum Concil. sanxerit, quando in can. 11. sess. 13. imponitur excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam, in eos, qui prædicauerint, docuerint, aut defenderint, non esse necessarium, præmittere confessionem ante cōmunionem. Nam vel solùm loquitur de ijs, qui negant hoc esse necessarium potest decretum eiusdem Concilij, & in hoc sensu res videtur adeò clara, vt appareat superflua, nam cùm Concilium dixisset, *Sancta synodus statuit, declarat, ac decernit*, nemo sine aperto errore potest negare, post illud decretum, hoc esse necessarium, quia esset contra verba eius, aut etiam contra potestatem eius. Vel illis verbis Conciliū docet, vt teneamus ac doceamus, hoc semper fuisse necessarium, & hoc etiam est nimiùm extendere illā pœnam, quæ non videtur extendenda, sed coarctanda. Primùm, quia in Concilio nullum est verbū de præterito, scilicet, necessarium semper fuisse, sed de præsenti, *necessarium esse*, deinde, quia non sine mysterio in illo canone posuit illa duo verba, *statuit ac declarat*, cùm tamen in cap. 7. vbi non tradit præceptum, sed doctrinam, solùm vsum fuisset verbo declarandi. Denique, cùm ad mores non fuerit necessarium, non videtur verisimile voluisse Concilium Scholasticam cōtrouersiam dirimere, aut alterutrā opinionem damnare. Quocirca in hac mente Concilij explicanda autores, qui post illud scripserunt, varij esse videntur, quidam enim dicunt, illam pœnam latam esse in eos, qui sententiam Caietani nunc defendere auderent, quam propterea dicunt, nunc esse in fide erroneam, ita sentit Canus suprà, & Catherinus lib. 5. contra Caiet. & Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, annot. 261. Alijs autē placet, posteriorem expositionem Cōcilij esse veriorem, in quam partem inclinat Petrus Soto suprà, & Victoria in summa nu. 77. Mihi videtur, directam intentionem Concilij fuisse, simpliciter pœnam illam imponere in eos, qui ausi fuerint quocunq; titulo, vel, quæsito colore, negare obligationem præmittendi confessionem ante communionem. Vnde si quis diceret, hoc non esse alicubi necessarium, vel, quia ibi non est promulgatum Concilium, vel, quia non est receptum, contra intentionem Concilij ageret, & prædictam pœnam incurreret, vt existimo, quia illa est veluti definitio quædam, pertinens ad doctrinā, quæ in Ecclesia tenenda est, & docenda, & est vniuersalis absque vlla limitatione; & Concilium non fundat illam in præcepto à se lato, sed in necessitate, quam Ecclesiæ consuetudo declarat, vt in cap. 7. dixerat, & ideò simul vtitur verbo statuendi, & declarandi, quia & statuit nouum præceptum, & declarat antiquum, & ideò absolutè decernit, hoc esse necessarium. Quo fit, vt cōsequenter Concilium reijciat Caietani sententiam, quia nō potest aliter consistere vniuersalis obligatio, & necessitas, quam Concilium statuit, nisi fundetur in antiquo præcepto, & non tantùm in nouo. Quapropter plus esset quàm temerarium, nunc defendere Caietani opinionem, non tamen incurreret excommunicationem à Concilio latam, qui ita sentiret, donec aliquem actum exerceret eorum, quos Conciliū numerat, qui sunt docere, prædicare, pertinaciter asserere, aut publicè defendere, non esse necessarium confiteri ante communionem. Admittendo autem hoc vniuersale, & antiquum præceptum, an illud sit iuris humani, vel diuini, mera opinio est, nostramque sententiam solùm vt probabiliorem, & magis piam defendimus.

Canus. Catherinus. Sixtus. Petr. Sot. Victor.

Quod attinet ad fundamentum secundæ sententiæ, iam explicuimus, vnde hoc præceptum colligamus, & quomodò verba Pauli intelligenda sint: nā licèt confessionem expressè non requirat, tamen sub verbis eius optimè intelligi potest, nam in confessione optimè homo probat seipsum, suamq; conscientiam examinat, & consuetudo Ecclesiæ declarauit, ita esse intelligendam illam probationem, vt Concilium dixit. Ex quo etiam nos adiungimus, eandem consuetudinem declarare, sanctos Patres, quando pœnitentiam ad communionem requirunt, intelligendos esse de pænitentia sacramentali propria Christianorum. Et similiter dicimus, Chrysostomum non excludere iudicium cōfessionis, quod non est tam humanum, quàm diuinum, & in eo solus reus est accusator & testis, solùm ergo excludit aliam manifestationem, vel publicationem delicti, vt latiùs in materia de cōfessione dicturi sumus, vbi etiam tractabimus aliud dubium, quod hic accurrebat, an committat duo peccata, qui sine præuia præuia confessione communicat, cum conscientia mortalis peccati, pendet enim ex alijs ibi tractādis, & ideò illud remittimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO IIII.

Quibus de causis liceat communicare sine præuia confessione post peccatũ mortale commissum.

DVo sunt certa, primum est, interdum licere ei, qui peccauit mortaliter, sine præuia confessione Eucharistiam accipere. In hoc enim conueniunt omnes Theologi citati, & idem significat Concilium Trident. Ratio verò est, quia hoc præceptum, vt diximus, positiuũ est, præcepta autẽ positiua non obligant semper in omni casu cũ quouis discrimine, præsertim si hoc præceptum consideretur, vt affirmatiuum præcipiens actum confessionis, natura cuius est, vt obliget semper, non tamẽ pro semper, & ideò tales possunt occurrere circunstantiæ, vt pro tunc non obliget, si verò consideretur vt negatiuum, non prohibet rem intrinsecè malam, sed potiùs facit malã quia prohibitam, & ideò etiã fieri potest, vt excusetur ille obligatio, & tollatur talis malitia. Secundo est certum, duas debere circunstantias vel conditiones concurrere, vt hoc liceat, quas Concilium Tridentinum, his verbis posuit, *necessitate vrgente, & modo desit copia confessoris.* Et ratio est, quia præceptum diuinum obligat, vbi impleri potest, ergo vbi nulla est necessitas agendi aliter, quàm præceptum est, omnino seruandum est præceptum, quia seruari potest: sed vbi non occurrunt illi duo, nulla est necessitas, quia si est copia confessoris, potest præmitti confessio, si autem non est copia confessoris, & nulla est necessitas communicandi, poterit omitti communio, ne aliter, quam præceptum est, fiat; ergo, vt possit licitè comunio fieri sine confessione, primùm omnium necessarium est, vt sit aliqua necessitas communicandi, & deinde, vt ex defectu confessoris non possit præmitti cõfessio. Dices, Possunt aliæ causæ occurrere ex parte pœnitentis, ob quas non possit confiteri, vt verbi gratia, si loqui non possit, vel non in eo idiomate quo possit intelligi. Respondetur, omnes has comprehendi à Doctoribus sub inopia confessoris, quia qui non potest loqui, ita vt possit intelligi, ex parte sua confiteri potest, deest tamen illi confessor, qui illum intelligat, supponimus enim, confessorẽ nullã signa posse percipere, vnde nunquam pœnitens ex parte sua confiteri non potest, nisi quia fortasse sensum & vsum rationis amisit, & tunc nõ est iudicandus secundùm præsentem statum, sed iuxta præcedentem, in quo signa contritionis dare debuit, vt postea possit cõmunicare, & tunc censetur habuisse inopiam confessoris. Itaq; omnis huiusmodi impotentia confitendi ad hanc inopiam confessoris reuocatur. Ex his ergo duo alia declarãda superiunt, primum, quando dicendus sit aliquis carere copia confessoris, secundum, quæ necessitas sufficiat ad communicandum tunc sine confessione.

Circa primum ab autoribus varij casus recensentur, quos breuiter attingere necesse est. Primus est, si quis habeat præsentẽ sacerdotem, cui potest quidem integrè & legitimè confiteri, de propinquo verò alium expectat, cui solet deuotiùs confiteri. Hanc causam sufficientem existimant ad differendã confessionem, etiam si communicare, vel sacrum facere necesse sit, Richard. in 4. distinct. 17. art. 3. q. 6. & inclinat Syluest. Eucharistia 3. q. 14. & Armilla verbo Cõmunio in fine, & aliqui summistæ, & specialiter summa Rosellã dicẽs, posse religiosum quãuis confiteri valeat sacerdoti laico, differre confessionem & facere sacrum, vt more suo intrà religionem confiteatur, & vt aliquam suæ religionis infamiam excuset. Sed hæc doctrina, præsertim vt à Richardo est tradita, nec secura, nec practicè probabilis mihi videtur, præcipuè post Concilium Trident. & ita sentiunt posteriores autores, Soto, Cano, Couar. Nauar. Corduba, & priùs docuerat Syluest. confessio. 1. §. 21. & probatur, quia non potest verè dici in eo casu deesse copiam confessoris, cùm præsto sit aliquis sufficiens, absq; morali incõmodo gratis. Item, ille sufficeret vt teneretur aliquis ei confiteri ad seruandum præceptũ annuæ cõfessionis, si alius intrà debitum tempus non expectaretur, cur ergo non erit sufficiès, vt teneatur quis hoc præceptum diuinum seruare? Præterea, quia si huiusmodi peccator vult confiteri alteri sacerdoti, cui cum maiori fructu & deuotione confiteri solet, poterit hoc postea facere si velit, & præsentem confessionem non omittere, sicut si quis speraret, se maiori fructu & deuotione communicaturũ in Pentecoste, quàm in Paschate, nõ propterea posset differre, sed deberet tempore præscripto præceptũ implere, & postea, si vellet, posset iterum communicare, vt ea maiori deuotione fruatur. Neq; quoad hãc doctrinam differentiam inuenio inter religiosum & laicum, quia vt vtrumque æquè obligat diuinũ præceptum, & laicus sacerdos potest esse sufficiens minister ad confessionem religiosi audiendã sine vllo morali incommodo, vel religiosi, vel religionis, per se loquendo. Tum, quia perionalis lapsus religiosi, per se non est infamia religionis, quod autem sit alia infamia ipsius religiosi, non refert, quia est intrinsecè annexa confessioni; tum etiam, vbi est seruandum confessionis sigillum, moraliter non existimatur infamia grauis, quando excusat non potest, sola autem verecundia, vel difficultas, quæ sentiri tunc potest, non excusat.

Richard.

Sylvest. Armill.

Soto. Nauar. Cano. Couar. Corduh.

Secundus casus assignari solet, quando est absens proprius sacerdos, & necesse est alieno confiteri; tũc enim, cùm id non possit facere pœnitens, nisi ex priuilegio, nõ videtur obligari ad vtendũ illo, sed posse ius cõmune seruare, quo præcisè cõsiderato ac seruato, talis homo non habet copiã confessoris. Hæc sententia etiam est falsa, vt rectè Corduba notauit, quia tunc absolutè, & sine incommodo, potest præceptum diuinũ impleri, cur ergo non est seruandũ? aut quid refert, q. confessor, qui adest, sit ordinarius vel extraordinarius, si reuera iurisdictionem habet? diuinum enim ius non requirit hunc vel illum ministrum, sed solùm illum, cui homo rectè, & rite cõfiteri possit. Præterea, fundamentum, quod in eo casu supponitur, scilicet, non teneri aliquẽ ad implendum præceptum, vtendo priuilegio, ita vniuersè & indistinctè iumptum, falsum est, vt patet, nam tenetur quis in die festo audire missam in loco interdicto, si priuilegiũ habet. Et similiter, qui haberet priuilegiũ cõfessandi in fermẽtato, si nõ haberet azymũ teneretur eo priuilegio vti, vel in die festo, ne omnino sacrũ omitteret, si non possit aliter audire illud, vel, vt communicaret in Paschate, aut in mortis periculo. Ac denique in præsenti casu, qui non posset aliter implere præceptum annuæ confessionis, nisi vtendo facultate, quam haberet eligendi confessorem, teneretur ea vti, quia potest

potest commodè implere præceptum; & hoc non est grauamen, aut onus, si recta ratione pẽsetur, sed commodum & vtilitas magna. Itaq;, quando ex priuilegio resultat, vt aliquis habeat materiam, seu potestatem moralem, & facilitatem ad præceptum implendum, tũc præceptũ obligat, quia solùm requirit potestatẽ, vndecũq; illa orta sit, sicut obligatur homo ad dandã eleemosynã, si diuitias habet, siue dono, siue alio titulo, vel priuilegio illas cõparauerit.

Tertius, magisq; receptus, casus est, quando peccator timet, eum sacerdotem, qui solus adest, qui possit confessionem audire, non obseruaturũ sigillum, aut aliam grauem iniuriam sibi illaturum, audita confessione, quia tunc illa est causa sufficiens ad tacendũ peccatum in cõfessione, salua eius integritate formali, vt suo loco dicetur, ergo in præsenti etiam erit sufficiens causa ad excusandum à confessione. Ita Syluest. verbo Confessio 1. §. 21. & alij cõmuniter. Et est vera sententia, si rectè explicetur. Dupliciter enim hoc accidere potest. Primò, vt homo tantùm habeat illud peccatum mortale, ex cuius cõfessione timet illud graue detrimentum, & tunc sine dubio potest confessionem omittere, quia non habet, moraliter loquendo, copiam confessoris. Solùm est in praxi obseruandum, vt reuera tale periculum intercedat, & non sit confictum; nam, cùm homo ex se sit propẽsus ad tacendum huiusmodi peccata propter difficultatem, facilè fingit hæc pericula, vbi non sunt. Secundò fieri potest, vt homo habeat alia peccata mortalia, ex quorũ confessione nullum timet detrimentum, simul cũ alio, in quo solo est periculum, & tunc, priùs quàm communicet, tenetur confessionem facere omnium peccatorũ mortalium, illud solum tacendo, quod sine illo incommodo graui confiteri non potest. Ita sentit Maior in 4. d. 17. q. 5. & Nau. in sum. c. 7. n. 6. Et ratio est, quia ex vi huius præcepti tenetur quis confiteri omnia peccata mortalia, antequàm Eucharistiam accipiat; ergo, quanuis non possit omnia, tenetur ea confiteri, quæ potest; maximè, cùm possit integrã confessionem formalem tũc facere. Dices, ergo, cũ quis habet vnum solũ peccatum mortale, ex cuius confessione timet periculũ, tenebitur cõfiteri de venialibus, vt indirectè saltẽ absoluatur de illo mortali, & fiat ex attrito contritus, si necesse sit, & ita securiùs accedat; nã etiam tunc potest illo modo facere cõfessionem formaliter integrã. Respõdetur, posse quidem, si velit, & alia necessaria cõcurrant, de quibus suo loco dicemus, non tamen teneri ex vi præcepti, de quo agimus, quia illo solũ obligatur homo ad confessionem omniũ peccatorum mortaliũ præmittendam, vnde, cùm tunc nõ possit confiteri peccatum mortale, non obligatur; quia, vt diximus, nõ tenetur homo ad hanc confessionem, vt sic certior de dispositione sua, sed præcisè, vt peccata sua subijciat clauibus Ecclesiæ, & eorum absolutionem directè recipiat. Dixi autem, ex vi huius præcepti, quia si accideret, huiusmodi peccatorem non existimare, se esse contritum, sed tantùm attritum, teneretur non communicare, nisi vel ad probabilem existimationem suæ contritionis peruenire, vel priùs sacramentum cõfessionis, eo modo quo posset, acciperet, vt per illud iustificaretur. Ea tamen obligatio tunc non oriretur ex hoc præcepto, sed ex naturali ac diuina lege, sanctè tractandi, quæ sancta sunt, vt sequenti sectione latiùs explicabimus.

Quartus casus est præcedenti similis, quãdo, scilicet, homo habet peccatũ reseruatũ superiori, & nõ potest illum adire, nec facultatẽ petere, quia tũc necessitate vrgẽte, potest cõmunicare sine cõfessione: ita tenet summa Armilla, verbo Cõmunio. §. 28. citãs Adrianũ, & Palud. & significat Soto hic, & Victoria in sum. n. 79. Videtur tamẽ eadẽ limitatio adhibẽda, quæ in præcedẽti casu posita est, scilicet, vt præcedat, quãdo pœnitens non habet aliud peccatum mortale, nisi reseruatũ; nam, si aliud habeat, ratione illius videtur teneri ad cõfessionem præmittẽdam, cũ onere, & proposito cõparendi postea coram superiori, quoad casum reseruatũ, eo modo, quo explicabimus infrà, de cõfessione tractãtes. Et ita sentit Soto in. 4. d. 17. q. 2. ar. 5. Verũ est tamẽ, nõ esse omnino eãdem rationẽ de hoc casu, & de præcedẽti, nam in illo, cũ homo taceat peccatũ, quod sine incõmodo cõfiteri nõ potest, sine vllo grauamine potest reliqua peccata cõfiteri. At verò in præsenti, si cõfitetur peccatũ, nõ reseruatũ, tenetur, iuxta cõmunem doctrinã; simul cõfiteri reseruatũ, etiã si tãtùm indirectè posit de illo absolui, & postea tenetur iterum idẽ peccatum superiori confiteri; vnde, si tenetur cõfessionem præmittere, cõsequenter obligatur ad cõfitẽdum bis idem peccatum mortale, quod est onus graue, ergo propter hoc onus vitandum excusari tunc poterit à præmittenda cõfessione. Atq; eadem difficultas est, si quis habeat solum casum reseruatum, & facultatẽ, vt possit illum inferiori sacerdoti cõfiteri, & ab eo absolui cũ onere, & obligatione cõparendi coram superiore, an tunc teneatur vti illa facultate, si necessitas communicandi occurrat. Videtur enim nõ teneri cum tanto onere, vt explicatum est. Propter quam rationẽ prior sententia simpliciter & sine illa limitatione intellecta nõ videtur improbabilis: nihilominùs posterior securior est, & omnino consulenda, & in rigore videtur probabilior, quia illud grauamẽ fere nullius momẽti est, vt excusare sufficiat ab obligatione huius diuini præcepti. Item, quia propter illã causam non excusaretur aliquis ab obligatione implendi præceptum de annua cõfessione, quando casum reseruatum habet, & nõ potest superiorem adire, potest autem confiteri inferiori, & ab illo absolui, cũ onere comparendi. Item, alias posset quis eo prætextu multis annis nõ cõfiteri, & sæpiùs cõmunicare sine cõfessione, quia habet casum reseruatum, à quo non potest directè & simpliciter absolui ab inferiori, sine onere comparendi coram superiori, quem toto illo tempore adire non potest, consequens autem est satis absurdum, ergo.

Ex his igitur, & similibus casibus, qui excogitari possunt, colligitur moralis ac generalis regula, quæ in hoc pũcto assignari potest, scilicet, tunc cẽsendũ esse, aliquẽ nõ habere copiã confessoris, quãdo non adest sacerdos, habens iurisdictionem super peccata mortalia, vel super aliquod ex ijs, quorũ conscientiam habet is, qui cõmunicaturus est, vel certè quãdo, etsi sacerdos adsit, tamẽ homo nõ potest illi confiteri sine graui dãno & periculo: regula patet ex dictis. Statim verò inquiret aliquis, quãtum, & quale debeat esse hoc damnum vel periculum, sed de hoc dicemus latè infrà, agentes de integritate cõfessionis, quãquam vix possit aliud dici, quã moraliter & prudenter esse pensandum. Atq; idem respondendũ est, si quis interroget, quantum debeat distare confessor, vt dicatur non esse præsens, potest enim per leucam, aut magis vel minùs distare, & non potest eadem regula pro omnibus tradi, nam vnus facilè confi-

Quæsitis aliquot satis fit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conficit iter vnius leuæ, alter magna difficultate. Item, vnus potest ire sine nota, vel scandalo, alter maximè. Rursus, idem potest ire semel, vel iterum, non tamen sæpiùs & frequenter, cum tamen frequenter peccare cõtingat, sunt igitur omnia prudenter considerãda, & iuxta diuersitatem locorũ, & personarũ, iudicium ferendũ est. Et hæc de priori parte.

Circa posteriorem, quanta esse debeat necessitas communicandi, in generali est certum, debere esse grauem, quia res satis grauis est, prætermittere exe cutionem cuiusdam præcepti diuini, & in materia tam grauí. Vnde licere non potest sine graui causa. In particulari verò difficile est iudicare, quando necessitas sit grauis, pendet enim multum ex circunstantijs, & ideò pendet ex prudenti arbitrio, vtile tamen erit singulares aliquas cautas proponere, ex quibus facilius possit in similibus ferri iudicium.

Cause aliquot excusantes eũ qui suscipit hac sacramentum à præmittenda confessione.

Prima.

Secunda.

Prima ergo & indubitata necessitas est, periculũ mortis eius, qui communicaturus est, vt si ipse sit sacerdos, vel certè, si sit laicus, & hostia sit consecrata, & non adsit sacerdos, sed solus diaconus, qui ministret. Ratio est clara, quia hæc est necessitas, & magna, & maximè propria. Secunda non dissimilis est, necessitas alterius in periculo mortis existentis, vt si oporteat facere sacrum ad consecrandum, & communicandum illum, quod merito est ab omnibus receptum, quia necessitas alterius grauis est, & spiritualis, & propter vnionem & obligationem caritatis, vt propria reputanda est.

Tertia.

Tertia ab omnibus etiam recepta est, si non possit quis cõmunionem omittere sine graui infamia, quæ moraliter graue damnum existimatur, & non est verisimile, præceptum positiuum cum tanto rigore ac detrimento obligare. Tenetur autem vnusquisque animaduertere, an possit alia via infamiam vitare, probabilem aliam excusationem causando, nam quando id fieri potest, cessat causa & necessitas communicandi.

Quarta.

Quarta etiam communis est, si sequatur scandalum, missam vel communionem omittendo, quia scandalum ex obligatione caritatis vitãdum est, affert enim magnum & spirituale nocumentum. Est autem obseruandum, aliud esse scandalum, aliud verò populi quandam admirationem; hæc enim posterior (quidquid aliqui summistæ dicant) non est sufficiens causa ad communicandum sine confessione, ne alij admirentur, videntes, eum consuetam communionem omittere, sola enim admiratio non affert hac in parte aliquid nocumenti, neque est res magni momenti, nisi simul cum illa vel scandalum, vel infamia coniuncta sit, quod tamen, mortaliter loquendo, sæpe accidere solet. Ex hac enim admiratione solet vulgus, & leues homines, occasionem facilè sumere, aut iudicandi de aliquo temere, aut de eo murmurandi, & consequenter infamandi proximum; quando ergo huiusmodi periculum meritò timetur, est causa iusta, & sufficiens. Ita Corduba, qui alios refert in summa Hispana, quæst. 142.

Quinta.

Quinta, & grauis causa est, necessitas absoluendi incohoatum sacrificiũ, vt si quis, incepta iam missa, recordetur, se commisisse peccatum mortale, & nõ esse confessum, vel certè, si (quod humanum est) in ipsomet actu sacrificij illud omittat, vel interiori odio, vel praui consensu, aut dubitatione circa fidem. Et quidem, si hæc memoria, vel necessitas post consecrationem superueniat, sine controuersia, & limitatione dicendum est, progrediendũ esse ad communionem sine confessione, cum sola interiori pœnitentia, propter integritatem & perfectionem sacrificij; quæres grauissima est, & maximè necessaria. Quinimò, licèt facilè, & sine vllo scandalo, possit sacerdotem ad altare vocare, & confiteri, nec teneatur, nec debet id facere, quia non decet, sacrificiũ iam substantialiter inchoatum interrumpere, nisi fortè tanta esset necessitas, vt non speraret, posse se ad contritionem sine confessione peruenire, tunc enim ex duobus incõmodis minus esset eligendum.

Dubium.

Difficultas verò est, si hæc memoria vel necessitas, post inchoatam quidem missam, ante consecrationem tamen, eueniat; nã in hoc autores varij sunt.

Soluitur.

Breuiter tamen dicendum videtur in primis, si sacerdos recordetur in altari, antequàm missam inchoet, debere confessionem præmittere, etiam si oporteat exui vestibus sacris, vt sacerdotem habeat. Ita sentit Scotus in 4. distinct. 9. q. 1. & alij, quos refert. Et ratio est, quia cùm sacra actio non sit inchoata, nulla est rationabilis causa communicandi sine confessione, ex vi huius causæ seu capitis, nam si aliunde futurum sit scandalum, vel infamia, iam erit alia necessitatis ratio, quod in omnibus sequentibus obseruãdum est, ne id semper admonere opus sit. At verò, si memoria peccati vel necessitas occurrat; iam inchoata missa, & facilè, & sine incommodo possit ad altare vocari confessor, faciendum est, & præmittenda confessio. Ita Bonauentura in 4. distinct. 13. & in expositione literæ circa principiũ. Syluester verbo, Eucharistia. 2. q. 7. Et ratio est, quia illa prior pars missæ est extrinseca sacrificio, & ideò sine indecentia interrumpi potest, ex causa rationabili, sicut fieri solet per concionem, aut populi orationem. Si autem non potest ad altare vocari confessor, non tenetur sacerdos inde discedere, & missam inchoatam relinquere, ita sentit Bonauentura suprà dicta distinct. 13. & Soto ibi, quæst. 2. art. 6. Victor. in sum. num. 79. Nauar. cap. 21. num. 49. Clariùs cap. 25. num 76. & est aperta doctrina D. Tho. infrà quæst. 83. art. 6. ad 2. vbi, cùm tres casus enumeraſſet, scilicet, quando sacerdos ante consecrationem recordatur, se esse excommunicatum, vel non esse ieiunum, vel non esse confessum peccatum mortale, dicit tutius esse, inceptã missam relinquere si sine scãdalo potest, maximè in casu manducationis, & excommunicationis, vbi, cùm dicit *tutius*, sentit hoc non esse præceptum, sed consilium, cùm verò addit, maximè in duobus primis casibus, sentit in tertio, de quo nunc agimus, esse magis liberum, seu æquè tutum, missam absoluere, quàm si etiam sit liberum, missam relinquere, si sine scandalo possit. Ratio verò vtriusque partis est, quia cùm illa prior pars non sit de substantia sacrificij, nõ est per se malum, illam inchoatã relinquere sine sacrificio, præsertim ex aliqua honesta causa. Aliunde verò, quia illa simul sit cum sacrificio ex institutione Ecclesiæ per modum vnius actionis sacræ, ideò in dicto casu potest absolui, postquàm semel est inchoato.

Sexta.

Sexta causa quodammodo præcedenti similis assignari solet, quãdo aliquis recordatur peccati mortalis non confessi, postquàm iam est altari admotus ad communicandum, quia iam tunc est quodammodò inchoata actio sacra communicandi, & ideò non decet recedere donec perficiatur, sicut esset indecens, postquàm aliquis sedet ad mensam Principis, discedere ante conuiuium peractum, ita Victoria suprà. Sed si intelligatur, hãc causam per se sumptam esse sufficientem, seclusa omni ratione scandali vel infamiæ, est difficilis doctrina, & quæ licentiam nimis amplam præbere videtur; quia illa inde centia moraliter nulla est, vel est tam parui momenti, vt propter grauiorem causam contemnenda videatur, nam multò maior est irreuerentia, adesse conuiuio sine digna præparatione. Et ideò alij autores semper adiungunt, hoc licere, quando homo non potest retrocedere sine aliquo scandalo vel nota, vt videre licet in Corduba suprà, & Armilla verbo Communio, numero. 28. & in Rosella. §. 26. Et hoc quidem securius est, quando reuera nulla est incommoditas, & homo potest facile communionem differre. Nihilominùs tamen moraliter & practicè loquendo, quando communio fit publicè, & coram alijs, sine scrupulo fieri potest, quod Victoria docet, præsertim si iam sacerdos incipit actionem sacram, vt si ad hunc finem communicãdi alium, consecrauit formulam, vel pyxidem è suo loco eduxit, nam tunc aliqua est indecentia, & moraliter nunquam deest aliqua nota, vel obmurmuratio. Non est autem consulendum, vt in eo casu is qui communicare vult, confiteatur sacerdoti ministranti sacramentum, quia nec locus est aptus ad hoc munus, & minùs decet, & aliunde maiorem admirationem alijs ingerit.

Dubium.

Sed huius occasione quæri potest, si quis ante communionem confessionem præmisit formaliter integram eorum omnium, quæ memoriæ occurrerunt, postea verò recordetur alicuius peccati non confessi, an per te loquendo teneatur illud confiteri, priusquàm communicet, vel satis sit propositũ cõficẽdi illud suo tẽpore. Videtur enim hoc sufficere, quia ille iam impleuit præceptum præmittendi confessionem ante communionem, ergo ex vi huius præcepti iam tunc ad nihil amplius tenetur. Aliunde verò peccatum illud iam est remissum per absolutionem sacerdotis, saltem indirectè, ergo neque propter dignam dispositionem necessarium est, statim præmittere confessionem. Nihilominùs dicendum est, ex vi huius præcepti teneri hominẽ in eo casu ad confitendum illud peccatum mortale priusquam communicet, per se loquendo, & seclusis circunstantijs, quæ excusare possint. Ita sentiũt, vel supponunt potiùs, autores omnes suprà citati. Et ratio est, quia hoc præceptum, de quo agimus, non tantùm obligat ad confitendum ante communionem; sed simpliciter ad cõfitendum omnia mortalia peccata, & ad subijciendum ea clauibus Ecclesiæ, priùsquàm ad communionem accedatur. Eadẽ enim Ecclesiæ consuetudo, quæ hoc præceptum declarauit, hunc esse illius sensum explicauit, & omnia, quæ suprà adduximus ad hoc præceptum probandum, hoc confirmant. In prædicto autem casu, licèt ille homo sacramentum confessionis susceperit, tamen absolutè non subiecit omnia peccata sua clauibus Ecclesiæ, quòd verò illud peccatum fuerit indirectè ablatum per absolutionem, non magis refert, quam si per solam contritionem esset remissum, quia non magis est latum de illo iudicium in sacramentali fore pœnitentiæ.

Vltima causa.

Vltima causa, seu ratio necessitatis est, quando sacerdos tenetur ex officio facere sacrum, vt frequenter accidit in parochis plebicolis, & hanc necessitatem maximè indicauit Concilium Tridentinum. Addit verò Soto, eam satis esse, vt possit hoc bis aut ter fieri, non verò sæpiùs. Quod frequenter fortasse ita est, non tam ex parte ipsius necessitatis, quàm ex parte absentiæ confessoris, quæ moraliter censebitur sufficiens pro vno vel alio die, non autem pro pluribus, nam in tanto tempore poterit contingere confessor, etiam si aliquantulum distet. Nihilominùs tamen moralis illa regula non potest esse generalis, quia fieri potest, vt inopia cõfessoris pluribus diebus duret, & hoc est per se in hac necessitate considerandum, quia si verè non est copia confessoris per multos dies, omnibus illis potest fieri sacrum sine confessione præmissa, propter dictam causam. Meritò autem aduertunt Doctores, huiusmodi Parochos versari in magno periculo, si hinc occasionem summant faciliùs peccãdi, & ideo si frequentiùs illis accidat hæc necessitas, debent etiam cum maiori labore, & dispendio confessorẽ quærere.

Dubium.

Sed quæret aliquis, quando sacerdos non tenetur ex officio facere sacrum, vt alij audiant, tamen nõ est alius à quo audire possit, an sit hæc sufficiens ratio ad dicendum sacrum sine confessione præmissa, ne alij sacrum amittant in die festo: videtur enim hæc sufficiens causa, scilicet, propter vitandum proximi peccatum. Sed cõtrarium videtur verius, per se loquendo, seu quãtum est ex vi huius causæ, quia re vera id non est tunc necessarium ad peccatum proximi vitandum, nam etiam si huiusmodi sacerdos tunc non faciat sacrum, alij non peccabunt, nõ audiendo; quia nullus est à quo possint audire, ergo, cùm aliàs sacerdos non habeat obligationem, nulla est ratio sufficiens, quæ illum cogat ad faciendum sacrum sine confessione, sola autem vtilitas vel consolatio aliorum non videtur causa sufficiẽs, alioquin multò magis id liceret propter solum proprium fructum, vel consolationem. Atque ex hac ratione colligitur, eam licentiam, quæ parochis datur in hoc negotio, intelligendam esse solùm pro illis diebus, in quibus ex officio tenentur ad sacrũ faciendum, siue sint dies festi, siue nõ, nam in vtrisque potest parochus teneri ad sacrum faciendum, quia verò non tenetur in omnibus & singulis diebus ferialibus, ideò, quando obligatio non vrget, & commodè excusari potest, debet non facere sacrum absque præmissa cõfessione. Dixi autem, per se, & præcisè ex hac causa, nam si adiungatur scandalum, vel infamia, vt facilè potest moraliter contingere, iudicandum est iuxta superius dicta.

Difficultas.

Maior difficultas est, quando obligatio audiendi sacrum cadit in ipsum sacerdotẽ, an propter implendam illam possit sacrum facere, ac similis quæstio, est si occurrat obligatio communicãdi in Paschate, & sit commoditas communicandi, nõ autem confitendi. Hanc necessitatem sufficere existimant Paludan. in 4. distinct. 9. quæst. 4. concl. 10. & Syluester suprà. Ratio esse potest, quia tunc potest homo commodè implere Ecclesiasticum præceptum, quod per se tunc obligat, & alioqui non fit contra diuinum præceptum, propter impotẽtiam exequẽdi illud. Alij verò sentiunt, illam causam per se iolam non sufficere, nisi infamia vel scandalum adiũgatur, Anton. 3. part. titul. 13. capit. 6. §. 7. Soto, & Corduba suprà, & Archidiaconus, quem Syluester citat, & ratio est, quia tunc ecclesiasticum præceptum non potest impleri conuenienti modo, ergo excusatur homo ab oblatione seu transgressione illius ergo cessante obligatione alterius præcepti, nulla superest sufficiens causa communicandi. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

hęc posteriùs sententia mihi simpliciter magis probatur, quia lex Ecclesiastica, quæ præcipit communionem, non intendit obligare, nisi quando debito modo seruari potest, & præsertim requirit seu postulat ordinem, & præparationem per confessionē, vt colligitur ex capitulo. Omnis vtriusque sexus, de pœnitēt. & remiss. Et idem facilius credi potest de præcepto audiendi sacrum, quod per se nō obligat ad sacrum faciendum, quanuis autem obligare possit eum, qui aliter audire non potest, tamen non cum tanto rigore, vt propter hanc causam sit sacrū faciendum, etiam sine confessione præmissa, nam hoc præceptum non est adeò graue, & propter leuiores causas cessare solet eius obligatio. Et hæc pars est sine dubio securior & regulariter consulenda, quia minus habet periculi & spiritualis incommodi. Nihilominus prior est etiam probabilis, & potest quis in praxi illam sequi, si velit; & præsertim, si multo tempore communione, vel missæ sacrificio ob eandem causam priuandus sit.

Alij casus adiungi solent à quibusdam summistis vt videre licet in Syluestr. Armilla, Tabiena, Rossella, & alijs, qui non tam sunt necessitatis, quā cōmoditatis, vt, verbi gratia, si quis habeat consuetudinē frequenter cōmunicandi, & necesse sit illā interrumpere, vel, si ita se sentiat dispositū, & ad cōmunionem affectum, vt probabiliter speret magnū fructum se consecuturum ex communione, vel si occurrat dies solennissimus, vt dies natalis Domini, vel si necesse sit, sacrum facere pro anima purgatorij, quæ suffragijs indigete probabiliter existimatur. Sed hi casus & alij similes mihi non videntur sufficientem causam continere, nam cùm Tridentinum dicat, *necessitate vrgente*, non sola commoditas spectanda est, sed vera necessitas.

SECTIO V.

Vtrùm, quando non potest præmitti confessio mortalis peccati, sit necessaria contritio.

RAtio dubitādi est, quia eo casu, quo quis cōfiteri non potest, sufficit ad effectū sacramēti huius, vt attritionem habeat, vt in superioribus pictum est, ergo non est necesse, vt habeat contritionem. Patet consequentia primò, quia, seclusa speciali lege positiua, ad suscipiendum dignè sacramentum satis est recipere illud sine obice, atque adeò cum dispositione sufficiente ad effectum sacramenti, Secundò, quia si homo est attritus, per sacramentum sanctificabitur, ergo in ipsa communione erit sanctus, ergo sanctè sumet, ergo ad nihil aliud tenetur. Tertiò, quia si maiorem obligationem habet, inquiro quo iure. Non enim naturali, quia hoc tantum obligat ad dignè & sanctè tractandū, quæ sancta sunt, hoc autem præstat ille homo, vt declaratum est. Non positiuo, diuino, vel Ecclesiastico, quia hoc tantum inuenitur de præmittenda cōfessione, in quo nō continetur obligatio specialis præmittendi contritionem, quando non est locus confessioni. Sicut qui tenetur confiteri in Quadragesima, si non possit non propterea tenetur cōteri, nisi alia occurrat causa, quæ obliguet. Et ratio in presenti adiungi potest, nam, licet confessio præcipiatur ante communionem, vt hō mo accedat ad hoc sacramentum iam iustificatus, tamen hæc est finis, nō materia præceptiergo cum in præsenti non possit fieri confessio, quæ est materia præcepti huius, ex vi illius non obligatur homo, vt per contritionem prius iustificetur, quam ad hoc sacramentum accedat ergo nullo iure obligatur. Quārō possumus ab incommodis argumentari, quia sæpe sacerdos (qui ex officio tenetur sacrum facere, cum confiteri non possit) vel esset perplexus, vel ad rem difficilimam cogeretur, nempe ad habendam veram contritionem, quod aliquibus difficillimum est, vel propter consuetudinem peccandi, vel propter speciales occasiones, vt sunt inueteratum odium, immoderata quędam affectio. Quæ difficultas multò erit maior, si fingamus, necessitatem reperiri occurrere, & statim esse communicandum, vt sic in ipso mat sacro, facta iam consecratione, animaduertat sacerdos statum suum.

De hac quæstione nulla fere controuersia inueniuntur inter scriptores, non defuerunt tamen Theologi recentiores, qui ausi fuerint docere, sufficere in eo casu attritionem, etiam si cognita sit, quia existimatio contritionis per se nihil refert, vel ad effectū sacramenti, vel ad dignam dispositionem, sed solū potest excusare à peccato seu transgressione præceptis de habenda contritione, si illud esset impositum; hic autem nullum inuenitur tale præceptum, & ideò non est necessaria illa existimatio contritionis, vt dignè accedatis, qui attritionem habet. Ad quam sententiam fundandam adducunt præter rationes factas, sacramentum hoc per se institutum esse ad dandam gratiam primam, & consequenter ad remittendum mortale peccatum, tamen cum quod á ordine ad confessionem, quæ (si fieri potest) antecedere debet, quando ergo id fieri nō potest, imitari potest hoc sacramentum cætera, quæ per se instituta sunt ad dandam gratiam primam: si ergo illa dignè recipiuntur cum attritione cognita, ita & hoc sacramentum in prædicto casu.

Dicendum verò est, cum, qui habet conscientiā peccati mortalis, & confiteri non potest, teneri ad habendam priùs contritionem, quam ad hoc sacramentum accedat. Atque adeò nunquam dignè accedere, nisi probabiliter & inculpabiliter existimet sibi esse peccatum per cōtritionem remissum. Hæc assertio tam certa est, vt contraria nec probabilis sit, nec sine temeritate defendi posse videatur. Primò enim in hac veritate consentiunt omnes Theologi sect. 3. & 4. citati, nemine discrepante nisi Caietanus, & qui cum eo negant necessitatem confessionis, vt certam supponunt necessitatem contritionis, & quia hæc satis est, vt homo constituatur in gratia, colligunt, confessionem non esse necessariam. Eodem modo opinantur, qui præceptū confessionis præmittendæ admittunt, Ecclesiasticum tamen, non diuinum; vt videre licet in Medina, & Cord. de confess. quæst. 17. Alij verò, qui præceptum diuinum confessionis agnoscunt, à fortiori docent esse necessarium accedere sine conscientia peccati mortalis, quod aperte docet D. Thom. in his articulis, qui autem solam attritionem habet cogniram, cum conscientia peccati mortalis accedit, quia conscientia non dicit effectum, sed scientiam talis status, ille autem qui sic est dispositus, scit se adhuc esse in peccato mortali. Idem expressè docent Soto, & Cano locis citatis, & Hosius in con-

confessione, capitul. 43. & multi alij, quos refert Cord. lib. 1. q. Theolog. q. 17.

Cordub. Protatur Patrum autoritate. Basil.

Secundo, Patres antiqui eodem modo loquūtur vt constat ex his, quos in prima sectione huius disputationis retuli, & præterea videri potest Basil. li. 2. de Baptis. c. 3. vbi argumentum sumens ex præceptis veteris legis, in quibus exterminantur de populo, qui immundi accedūt ad legalia, inquit. *Quid dicendum de eo, qui in tantum, ac tam vitale mysterium temerarius est?* & post multa concludit. *Quanto magis, qui cum in peccato sit, corpus Domini contingere audet, grauius sibi accersit iudicium. Mādemus itaq; nos ab omni inquinamento.* Auguſt. ſerm. 252. de tempore. *Vnusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, prius studeat eam emundare: aliàs potiùs se debet excommunicare: & ab altari remouere, quam aliter accedere.* & adducit illud Matth. 5. *Vade & prius reconciliare fratri tuo:* & illud Matth. 22. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.* Paſchaſius libr. de hoc sacrament. capit. 22. tractans ad hoc propositum figuram de agno paschali, post multa concludit. *Patet igitur quod nisi desiderio cælestis patriæ, ad superna, vbi Christus est in dextera Patris fide plenissima, spe certa, & caritate non ficta, festinus transeat, de carnibus agni iure non comedit: quia legem in hoc violat.* Eandem doctrinam tradit optime Algerus lib. 1. de hoc sacramento, capit. 10. 11. & 12. & Caſianus collatione. 22. c. 5.

Auguſt. Paſchaſ. Algerus. Caſianus. Idem autoritate. Con. Trid.

Tertio plurimum fauet huic sententiæ Concil. Tridentin. sess. 13. capit. 7. primum in illis verbis, *Si non decet ad sacras functiones quempiam accedere nisi sancte: certe, quo magis sanctitas & diuinitas cælestis huius sacramenti viro Christiano compertæ est, eo diligentius cauere ille debet, ne absque magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Ex quibus verbis duplex argumentum cōfici potest, primum, quod vel ad nullum sacramentum digne suscipiendum necessaria sit contritio, sed sufficiat semper attritio cognita, quod est dictu absurdissimum, & in auditum in Theologia, vel si ad aliquod necessaria est, maxime ad istud, quod est sanctius reliquis, vt Concilium argumentatur. Alterum est, quia peccator, qui sine confessione & sine contritione accedit simpliciter sine sanctitate accedit, at Concilium negat hoc licere, & ideo subdit sequentia verba. *Præsertim, cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus, Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi mādūcat, non dijudicans corpus Domini.* Præterea fauent multum huic sententiæ illa verba, quæ inferius Cōcilium subdit, *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* In quo dicendi modo aperte significat, ablata necessitate confessionis, contritionem ex se veluti ex natura rei esse necessariam. Et hoc quasi indubitatum ac certum apud omnes supponere videtur, & ideo addit, confessionem esse necessariā ex speciali præcepto, quia de hoc poterat esse cōtroversia. Vnde, cum exceptionem subdit de casu necessitatis, aperte supponit, tunc saltē esse necessariū quod prius dixerat, scilicet, vt qui sic accedit, *contritus sibi esse videatur.*

Con. Trid.

Quarto argumētor ratione, quia si neq; à Christo, neq; ab Ecclesia, datū esse præceptū positiuū præmittendi confessionē ante cōmunionē, ex ipsa rei

Idem probatur ratione.

natura, seu ex naturali lege consequente institutionē tanti sacramenti, necessariū esset, præmittere cōtritionem: sed lex illa positiua confessionis non abstulit naturalem obligationem, & in eo casu, quo non potest præmitti confessio, reducitur res ad eū statū, in quo esset ex natura rei, ergo hinc ex diuino præcepto naturali tenetur peccator cōteri, priusquā cōmunicet. Dices, hoc argumento probaretur teneri hominē conteri ante cōmunionē, etiā si confiteatur, quia lex positiua non abstulit naturalem, consequens autem est aperte falsum; nam qui est attritus, & confessus, satis digne accedit ad hoc sacramentū. Respondetur, non esse simile, quia licet lex positiua non auferat naturale, tamen efficacia sacramenti aufert necessitatem, vel vt ita dicā, materiam necessariam contritionis, quæ ideo ante cōmunionem præmittenda erat, vt peccatum expelleret, quod facit sacramētum vi sua, & ideo dicitur facere hominem ex attrito contritum, & attritio cōiuncta sacramēto æquiualet contritioni, & ideo per illam impletur obligatio naturalis sanctè accedendi ad hoc sacramentum, non minus, quam per contritionem. Secus verò est, quando nullum interuenit sacramentum, quia tunc contritio est necessaria dispositio ad gratiam, & ad expellendum peccatum, & nullum aliud adhibetur medium, quod supleat hunc effectum, & ideo semper manet eadem materia, atq; adeo eadē necessitas, & obligatio naturalis præcepti.

Obiectio. Solutio.

Solum superest, vt ostendamus, hoc esse præceptum diuinū naturale, quod probatur primo, quia considerata dignitate, & significatione huius sacramenti, ex vi illius oritur obligatio non sumendi illud nisi in statu gratiæ, & cōsequenter ad exhibendum aliquod medium, per quod in eo statu constituamur, priusquam ad Eucharistiam accedamus, ergo hæc obligatio ex ipsa rei natura oritur. Antecedens satis est à nobis declaratum in Comm. art. 4. D. Tho. Et confirmari potest inductione supra indicata in omnibus sacramētis viuorum, quæ per se requirunt statum gratiæ, vt digne ad ea accedatur in quo differunt à sacramentis, quæ vocantur mortuorum, quæ, cum per se sint instituta ad dandam primam gratiam, & expellendum peccatum, ex natura sua non prærequirunt vitam gratiæ, sed solum dispositionem sufficientem ad eam per sacramentum acquirendam. Ad vero sacramenta viuorum, cum instituta non sint ad dandam primā gratiam, non possunt digne recipi per se, & ex intentione, non possunt digne recipi ad hunc effectum, & ideo ex natura rei prærequirūt gratiā, vt digne sumantur, tum quia sancta debent sanctè tractari, tum etiam, quia eorum proprij effectus statū gratiæ præsupponunt, vtraq; vero causa maiorē vim habet in hoc sacramento, quia & est sanctius reliquis, vt diximus, ponderando verba Concil. Triden. & proprius eius effectus est per modum nutritionis & augmenti, & ideo per modū cibi & conuiuij tribuitur, cibus autem & nutrimentum ex se vitam præsupponunt. Secundo confirmatur, quia sacerdos administraturus hoc sacramētū, si conscientiā habeat peccati mortalis, tenetur conteri, priusquam administrandum accedat, nec satis erit habere attritionem, ergo multo magis tenebitur hoc facere, qui cōmunicaturus est, quia magis est recipere, quam ministrare sacramētum; & ideo iure diuino recipiens obligatur ad præmittendam confessionem, si potest, non tamen qui ministrat, si

Euasio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sit ipse communicaturus. Respondeti potest, A esse diuersam rationem, quia minister non sit ex attrito contritus, dando sacramentum suscipiens verò fieri potest ex attritio contritus. Sed hæc fuga petit principium, hoc enim ante omnia negamus, scilicet, eum, qui accedit cum sola attritione cogni ta, fieri ex attrito contritum, quia ponit obicem, & peccat mortaliter, sic accedendo, quia per se, & ex certa scientia indignè accedit. Quinimò etiam de illo qui bona fide accedit cum sola attritione, putans se esse contritum, est valde incertum, an per sa cramentum iustificetur, & omnes Doctores, qui probabiliter hoc affirmant, requirunt ilam bonam fidem, quia tale sacramentum nunquam est per se & ex intentione recipiédum ad illum effectum, ergo, sicut administrandum sacramétum debet supponi gratia & contritio, ita recipiendum illud.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ negatur, at B tritionem per se sufficere cum hoc sacramento; nisi intercedat bona fides, quæ à peccato excusét, & ita expediuntur facilè tria prima argumenta, quæ ita procedunt, ac si diceremus, hanc obligationem prę mittendi cótritionem in eo casu oriri ex præcepto positiuo præmittendi confessionem, quod tamen falsum est, quia non hinc oritur hæc obligatio, sed ex ipso iure naturali, vt declarauimus. Nã, qui cum sola attritione recipit hoc sacramétum, non sanctè, sed indignè recipit illud, quia accedit in prauo statu & reuera manducat illud in peccato mortali, nam priùs manducat illud in peccato mortali, nam priùs manducat sacramentum, quàm ab illo possit recipe re effectũ in termino enim mãducationis dãdus esset effectus, & ideò, si scies & vides hoc faciat, pec catum cómittet, per quod ponit obicé sacramento C qui verò accedit bona fide, excusatur ab hoc pecca to, & ideò nõ ponit obicé, & recipere potest effectũ.

Ex hac verò respõsione colligitur, quod si quis cum attritione cognita communicaret ex inuinci bili ignorantia, putans hoc sibi licere, & contrariã opinionem esse securam, illum etiam excusari à pec cato propter ignorãtiam, & ideò fieri posse, vt per sacramentum iustificaretur, ex quo non colligitur, per se & ex natura rei sufficere attritionem, vt dis positionem condignam. Aliud enim est, attritionem esse sufficientem dispositionem, vt possit tolli peccatum per sacramentum, si aliúde non ponatur nouum impedimentum. Aliud verò, quod attritio per se sit sufficiens, & cõdigna dispositio ad tale sa cramentum suscipiendũ. Primũ enim est probabile, Vt suprà dictum est, secundum autem minimè, quia ad dispositionem condignam sacramenti non solùm est considerandum, quid satis sit absolutè lo quendo, vt possit tolli peccatum, sed multò magis, D quid debeatur dignitati talis sacramenti, & quid sit consentaneum fini & institutioni eius, atq; adeo quid, per se loquendo, supponat gratia sacramenta lis talis sacramenti.

Ad quartum respondetur, omnia illa incommo da nullius esse momenti, eandem enim obiici pos sunt in parocho, qui ex officio tenetur ministrare sacramentum, & quando non potest, aut non vult confiteri, etiam si habeat conscientiã peccati mor talis, tenetur saltem conteri, nulla ergo est perplexi tas in prædictis casibus, quia semper est facultas cũ diuina gratia ad habendam contritionem, & vincẽ dam difficultatem, si quæ occurrit, nam hæc difficultas, quæ oritur ex praua consuetudine, aut alia si mili occasione, reuera est eadem in attritione vera, si res attentè consideretur, nam tota hæc difficultas posita est in proposito absoluto & efficaci non pec candi de cætero; quod tam ad veram attritionẽ, quàm ad contritionem, necessarium est, si autem il lud propositum semel concipiatur, facillimum erit eleuare mentem ad quodcunque motiuum perfe ctũ, atq; ita ex vera contritione peccatũ deresta.

Ad illud verò, quod prior opinio subijciebat, hoc sacramentum esse per se institutum ad dandam pri mam gratiam, & tollendum peccatum mortale, re spondetur in primis, assumptum esse falsum, & pa rum vel nihil probabile, vt suprà ostendi. Deinde, qui illud admittit, ne in maiorem errorem incidat, consequenter dicere debet, hoc sacramentum non esse institutum ad illum effectum, vt propriam & particularem causam eius, sed solum, vt cum aliis sa cramentis, quæ ad hoc sunt specialiter instituta, ali quo modo concurrat, saltem vt in voto susceptum, & ideò nunquam debet per se, & ex intentione ap plicari ad illum effectum, nisi per sacramentum, vel cum sacramento pœnitentiæ, aut in re ipsa applica tum, aut saltem in voto per contritionem.

SECTIO VI.

Vtrùm, qui sine confessione præmissa communicat post conscientiam peccati mortalis, teneatur ex iure diuino statim cõfiteri quam primum possit.

MVlti & graues autores videntur sentire, in eo casu teneri hominem ad cõfitendũ post communionem, cùm primum com modè possit. Ita sentit Glossa recepta à canonistis in capitulo, De homine, extrà de celebrat. missar. dicit enim, eum, qui ob inopiam confessoris accedit cum sola contritione, teneri ad habendum pro positum confitendi cùm primùm possit, non tenetur autem ad hoc propositum, nisi haberet obli gationem confitendi statim, quia ad contritionem solum est necessarium propositum cõfitendi tẽpo re debito. Atque eodem modo loquuntur ex recen tioribus Soto, Cano, Couarruu. & alij locis suprà ci tatis, & apertiùs Scotus in 4. dist. 9. quæst. vnica ad 2. dicit, in eo casu posse differri confessionem, donec occurrat opportunitas confitendi. Et ratio esse potest; quia præceptũ obligabat ad cõfitendũ ante communionem, ergo, cum hoc factum non fuerit, perseuerat illa obligatio, & veluti semper instat & vrget, donec impleatur. Et confirmatur, quia consuetudo fideliũ ita videtur interpretari hoc præceptum, omnes enim qui accedunt absque confessione præmissa, cum timore accedũt, & pro ponunt illico confiteri, cum primum poterint.

Dupliciter accidere potest, vt quis communicet sine confessione, primo sine causa & excusatione, sed cum graui culpa. Secundo, ob veram necessita tem & sine culpa. Dico ergo primo, qui indigne cõmunicauit sine confessione, non tenetur postea hoc titulo statim confiteri, sed solum tempore alias debito. Dico, hoc titulo, quia si sit iterum communicaturus, propter eam causam, vel aliam similem poterit teneri, sed non de hoc agimus, sed præcisè de obligatione relicta ratione præcedentis commu nio-

Confutatur

Fundamenta contrariæ opinionis diluuntur.

Ex dictis prima illatio.

Quorundã opinio.

Soto. Cano. Couarr. Scot.

nionis, & ita est euidens assertio, primò, exemplis A nam si sacerdos minister sacramentum in peccato mortali non tenetur postea hoc titulo statim con teri, quanuis debuisset priùs cõteri, quàm ministra re sacramentum, & omittendo peccauerit, & in vni versum, qui omisit actum, ad quem tenebatur in ta li occasione vel opportunitate, licèt tunc peccaue rit omittendo, transacta illa occasione, non tenetur postea excercere actum. Et hinc sumenda est ratio à priori huius veritatis, quia si hoc præceptum con sideretur, vt affirmatiuum, nõ obligas pro semper, sed pro determinatis temporibus, extra quæ non obligat, etiam si contingat pro aliquo tempore de bito nõ impleri, nam præcepta affirmatiua nõ obli gant per modum restitutionis ad faciendum actũ tempore debito omissum: aliàs, qui omisit sacrum in die festo, deberet statim in die sequenti audire: si autem hoc præceptum consideretur vt negatiuũ, sic non obligat postea ad aliquem actum, sed solũ ad non communicandum iterum sine præuia con fessione; si non sit iterum communicaturus, ex vi prædicti præcepti diuini non tenetur statim confi teri. Secundò hinc sequitur, idem dicendum esse de illo, qui bona conscientia & ob necessitatem, confessionem prætermisit ante communionem, sci licet, ex vi iuris diuini non teneri ad statim confi tendum. Ita docuit Nauarr. in summa, capitul. 2. numero. 10. Et patet à fortiori ex præcedenti, nam si is qui peccando comunicauit sine confessione præmissa, non tenetur statim confiteri, cur obliga bitur is, qui sine peccato id fecit? Præterea exem plis declarari potest, nam si quis obligatus fuit ad confessionem faciendam ratione periculi mortis, & id facere omisit ob inopiam confessoris, transa cta occasione non tenetur statim cõfiteri, postquã periculum euasit, idem est de illo, qui omisit sacrũ C sine culpa tempore debito propter absentiam sacer dotis, quia non tenetur postea audire, cùm primũ possit. Denique, ratio generalis est, quia præcepta affirmatiua non obligant pro semper, sed pro cer tis temporibus & opportunitatibus, quibus transa ctis cessat eorũ obligatio, siue tunc impleta fuerint siue non, cum culpa, vel sine illa, hoc autem præce ptũ, de quo agimus, est affirmatiuũ, & solũ præci pit confessionem, vt dispositionẽ ad cõmunionem seu ratione Eucharistiæ sumendæ, & ideò transa cta illa opportunitate seu necessitate cessat obliga tio, & idẽ reperitur in omni præcepto, quod aliquid præcipit solũ vt dispositionem ad aliud, nam cessan te illo actu, ad quem ordinatur dispositio, cessat ra tio dispositionis vt sic, & ita etiam cessat materia seu obiectum talis præcepti, & ideò nullius momẽ D ti est illa ratio, quod obligatio præcepti, quia non fuit impleta, semper maneat & vrgeat; nõ est enim hoc necessarium, quando mutata est occasio, & cõ sequenter pertransijt proprium tempus, pro quo obligat præceptum.

Tertiò hinc concluditur, ad communicandum dignè sine præmissa confessione, confessoris inopia non esse necessarium speciale propositum confiten di statim nacta occasione; sed solũ illud propositũ confitendi, quod ad cõtritionem necessarium est. Ita sentit D. Thom. infrà quæst. 87. artic. 6. ad 2. vbi solùm requirit propositum confitendi, & satisfaciendi. Et ratio est clara ex dictis, quia ille non tenetur statim confiteri post communionẽ, ergo nec tenetur proponere id facere, ergo tale propositum neque est necessarium necessitate præcepti, neque sub aliqua ratione medij, quia ad habendam cõtri tionem satis est propositum cõfitendi tempore debi to. Neque ex vsu fidelium aliud colligi potest: si verò aliqui Doctores aliter locuti sunt, exponendi sunt, docuisse id, quod est melius & securius, non verò, quod est simpliciter necessarium ac sufficiẽs.

SECTIO VII.

Vtrùm qui post conscientiã peccati mortalis communicat sine confessione, iure Ecclesiastico teneatur confiteri, cùm primùm potest.

HAEc dubitatio proponitur ad explicandũ B ius latum à Concilio Tridentin. sess. 3. cap. 7. in illis verbis, *Quod si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur.* Nam ex horum tenore verborum constat, in eis contineri præceptũ, & ita sunt ab om nibus Doctoribus intellecta. Rursus ex materia cõ stat esse rem grauem, atque ita præceptum hoc obli gare sub mortali. Deniqueex dictis colligitur, hoc præceptum esse Ecclesiasticũ; ostendimus enim ex solo iure naturali aut diuino nõ posse colligi huius modi obligationẽ, atque ex modo loquẽdi ipsius Cõcilij non obscurè idem colligitur, nam de priori generali præcepto confitendi ante communionem dicit, Ecclesiæ cõsuetudinem illud declarasse, quod nõ affirmat de hoc præcepto, sed solũ illud statuit; est ergo præceptum Ecclesiasticum, non antiquũ, sed de nouo ab ipso Concilio latum, quia ante illud nec scriptum nec traditum, nec consuetudine in tro ductum reperitur. Ex quo tandem fit, eos qui obli gantur hoc præcepto, ita teneri in eo casu ad habẽ dum propositum confitendi, quã primùm possint, sicut tenentur habere propositum seruandi alia pre cepta, quia hoc est vnum ex præceptis, & non est maior ratio de illo, quàm de alijs; supersunt verò nonnulla circa hoc præceptum declaranda.

Primum est, an hoc præceptum obliget solos sa- Dubium.
cerdotes, vel etiam laicos. Nauar. c. 2. num. 10. affir mat obligare omnes, quia si Concilium interroga retur de laicis, idem dixisset, cum sit eadem omniũ ratio: quòd ergo in illis verbis positum sit nomen sacerdotum, ex accidenti vel casu accidisse videtur forte, quia hæc necessitas frequentius in sacerdo tibus contingit. Dico tamen, hoc præceptum non obligare laicos, sed solos sacerdotes. Probatur, quia in explicanda lege positiua standum est verbis, ne que obligatio eius amplius est extendenda, quàm verba legis in proprietate intellecta requirant. Di cere autẽ, verba Concilij casu cecidisse seu irrepisse præsertim in re tã graui, & in lege ferẽda, obsurdis simum est, & temeritate non vacat; cũ ergo Conci lium nominet sacerdotes, de illis est propriè ac præ cisè intelligendũ. Quod autem Nauarr. dicit, Con- Præceptum
ciliũ interrogatum, fuisse respõsurum idem de lai prædictũ so-
cis, primum nihil refert, nam sicut non peccat quis los obligat
in eis, quæ esset facturus, si tentaretur, sed in ijs, quę sacerdotes.
facit, ita non obligat superior per ea quæ præcipe ret si animaduerteret, vel si ei daretur occasio, sed per ea quæ præcipit. Deinde, illud est omnino incer tũ, quis enim hoc ei reuelauit? aut qua certa ratio-

Qui post cõ scientiã pec cati lethalis nõ præmissa cõfessione cõ municat, iure Ecclesia stico tenetur confiteri cũ primũ potest

Universidad de Deusto Biblioteca

ne id colligi potest? præsertim, cùm argumentum à simili in materia præceptorum inualidū sit. Addo, posse sufficientem rrtionē differentiæ assignari, tū quia ad celebrandum maior quædam reuerētia ac præparatio requiritur, tum etiam, quia eo ipso, quod hæc necessitas frequentiùs accidit sacerdotibus, merito hac obligatione præueniuntur, ne facilè assuescant, confessionē prætermittere. Ex qua resolutione sequitur, sacerdotem, qui cōmunicat more laicorū, non obligari hac lege, tū quia ille nō se gerit tūc vt sacerdos, sed vt laicus, & ideò solùm communibus legibus laicorū astringi videtur, tū etiam, quia ille tunc non celebraa, Conciliū autem solùm loquitur de sacerdote celebrante. Sed quæres, an sit idem dicendū de sacerdote faciente officiū in die Parsceues, ille enim neque cōsecrat neq; sacrificat, vnde non videtur propriè celebrare. Et idem quæri potest de illo, cōsecrationem peccauit mortaliter, & statim cōmunicat pręmissa cōtritione. Item de illo, qui assumitur ad complendū & cōsummandū sacrificiū ab alio inchoatum, quem fortasse contingit mori statim post consecrationem. Respondetur in huiusmodi casibus obligare hoc præceptū, quia satis est, ꝙ sacerdos soléni ritu Ecclesiæ, & vt minister publicus, consummet sacrificiū seu sacramentū, nam hæc actio est propriè sacerdotis, & sub nomine celebrationis meritò cōprehēditur, iuxta cōmunē vsum, & sensum huius vocis.

Sacerdos qui ob obliuionē ante cōmunionē nō est confessus prædicto iure nō tenetur, cum primum postea possit, confiteri.

Secundò explicādum est, an obliget hoc præceptum eū sacerdotē, qui solū propter obliuionem celebrat absque confessione præmissa. Videtur enim eum obligare, tum propter paritatem rationis, tum etiam, quia illa est quædā humana necessitas, ergo verè dici potest talis sacerdos celebrare sine cōfessione propter vrgentem necessitatem; ergo obligatur verbis illius legis, Nihilominùs probabilius existimo, hunc casum non cōprehēdi sub hac lege, si verba eius exactè pensentur, tū quia, qui est oblitus, propriè non habet conscientiā sui peccati pro eo tempore, nam conscientia dicit actum. Conciliū autem apertè loquitur de sacerdote celebrante cū conscientia peccati. Præterea obliuio non propriè dicitur vrgens necessitas, de qua Concilium loquitur. Denique addi potest ratio, nam qui bona fide accedit oblitus, iuxta conscientiam suā nihil omittit, neque formaliter, neque materialiter, quod iure diuino præceptum est, sed excusatur eo modo, quo in omni ferè humana actione interuenire potest excusatio. Et ideò non oportuit, vt in huiusmodi casu aliquid speciale Concilium disponeret, nouum onus & obligationē imponendo, secus verò est in eo qui sciens, & videns, confessionem omittit ob causam vrgentem. Animaduertendum autem est, hoc procedere, quando obliuio durat, donec sacramentum sumptum sit, nam, si quis ex obliuione accedat ad celebrandum, & in ipsa actione ante sumptionem sacramenti recordaretur sui peccati, & nihilominus sacramentum sumeret sine confessione, iuxta doctrinam traditam præcedenti sectione, in eo casu obligatur hac lege, quia manifestè comprehenditur verbis eius, tunc enim communicat sine confessione propter vrgentem necessitatem, & cum conscientia peccati. Sed quid? si priùs esset confessus, & tunc recordaretur vnius peccati in confessione obliti. Respondetur etiam teneri ex vi huius legis, quia iuxta suprà dicta tenebatur illud confiteri ante communionem ex diuino præcepto, & solum illud omittit sine peccato ob necessitatem vrgentem: ergo quoad hoc comprehenditur sub lege à Concilio lata.

Tertiò declarandum est, an sacerdos, qui sine necessitate ob malitiam celebrat absque confessione præmissa, hac lege comprehēdatur: videtur enim obligatus multò maiori ratione: nam, si obligatur is qui non peccauit, omittendo confessionem, cur non multò magis obligabitur is, qui, peccando, eā omisit? Nihilominus dicendum est, huiusmodi hominem non comprehendi hac lege, quia Conciliū solum lopuitur de illo, qui necessitate vrgente hoc facit, lex autem positiua solùm obligat, prout lata est, & argumentum à paritate rationis in hac materia est inefficax. Deinde reddi potest ratio diuersitatis, nam hoc præceptum inter alias causas videtur impositum ad tollendam occasionem fingendi necussitatem celebrandi sine præuia confessione, vel differendi nimiùm confessionem. Cū enim sit sacerdoti imposita obligatio cōfitēdi, statim post celebrationem, si anteà nō potuit, ac bona fide omisit, multò magis erit solicitus quilibet timoratus sacerdos de præmittenda confessione, antequàm celebret, hæc autem ratio non procedit in ijs, qui sine titulo necessitatis in peccato celebrant, & ideò nō oportuit nouam obligationē vel laqueū eis imponere, quia ipso diuino iure satis obligātur ad præmittendam confessionem, antequam celebrent.

SECTIO VIII.

Vtrùm qui peccauit mortaliter, etiam si contritus sit & confessus, teneatur aliquo tēporis spatio communionē differre.

SOlent nonnulli præcedenti nocte mortaliter peccare, & statim die sequenti cōfessione præmissa sacrum facere vel communicare, inquirimus igitur, an hoc liceat, quia nō desunt graues autores, qui dicunt esse peccatum mortale. Ita sensit Nouar. in sum. Hispana, cap. 21. num. 50. & de Pœnitentia. d. 6. c. 1. & Couar. in Clem. Si furiosus p. 3. nu. 7. vbi dicit, esse impiū negare, peccare mortaliter eum sacerdotem, qui post fornicationē præcedenti noctæ commissam sequenti die celebrat, etiam si contritus sit & confessus, & in hanc sentētiam videtur inclinare Marsilius in 4. q. 6. art. 4. & Gerson de præparat. ad Miss. consider. 8. & Alph. 37. lit. vlt. Tribuitur etiam D. Thom. hic, art. 7. qui dicit, pollutionem nocturnam, quæ ex peccato mortali oritur, ex necessitate impedire communionem. Et eodem modo citari potest Gregorius, qui ad interrogationem primam August. dicit oportere, vt per diem à cōmunione abstineat, qui ex praua cognitione pollutus est, Fundamentum solùm esse potest, quia videtur hæc esse magna indecentia & irreuerentia.

Nauar. Couarr.

Marsil. Gerson.

Nihilominùs dicendum est, per se loquendo, nullum esse peccatum, paulò post commissum peccatū mortale communicare præmissa cōfessione debita. Hæc est sententia D. Thom. hic, art. 7. ad 4. vbi dicit, solum peccatum mortale durans in anima impedire ex necessitate communionē huius sacramenti, atque in hunc modū explicat doctrinā in corpore articuli traditā, Clariùs d. 9. art. 4. quæstiunc. 3. ad

Peccatum mortale patrat, paulo post aliud admissum præmissa confessione cōmunicat. D. Thom.

2. dicit,

2. dicit consulendum esse ei qui peccauit mortaliter, vt non statim accedat ad communionem, etiā si confessus sit nisi magna necessitas vrgeat, vbi cū dicit consulendum esse, planè sentit non esse præceptum, atque idem sentit ibi Paludanus. q. 3. Maior. q. 2. Gab. lect. 10. in Canon. Adrian. q. 4. de Eucharistia. Syluest. verbo, Eucharist. 3. q. 10. Caieta. verbo, Cōmunio, Corduba lib. 1. q. 7. qui in specie loquitur de illo, qui nocte proxima vel fornicatus est, vel mortaliter pollutus, atq; idem tandem docuit Nauar. in summa, c. 21. num. 51. Ratione probatur, quia in primis nulla est lex positiua, humana vel diuina, quæ hanc obligationē imponat, nec generatim de omni peccato, neq; specialiier de aliquo vt Couarr. & Nauarr. fatētur. Et patet quia talis lex nec scripta est, nec tradita. Deinde ex sola ratione naturali colligi nō potest, quia, licèt tempus breue intercedat, potest talis esse hominis cōuersio, vt nō solū sanctus sit sed etiam sanctior & deuotior, quā antea esset, ergo dilatio temporis per se non est necessaria. Propter quod Paulus. 1. ad Corinth. 11. solū dixit, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, id est, si post probationē nullū in se agnoscit mortale peccatum, vt omnes exponunt. Quod vero addit, *Qui enim manducat indignè*, omnes etiam intelligunt, id est, cū conscientia mortalis peccati, ergo si peccatum mortale iam non est in anima, neq; in conscientia, per se non impedit, etiam si ante breue tempus præcesserit. Et confirmatur primò, nam talis homo est capax effectus huius sacramenti, nā cū iam viuat, nutriri etiā potest, ergo potest illud sine peccato sumere. Confirmatur secūdò, quia nō potest certa aliqua ratione definiri, quanto tempore necesse sit abstinere, nam quod aliqui dicunt de tēpore vnius diei naturalis, gratis confictū est sine fundamento. Confirmatur tertiò ex vsu, quo constat, viros etiam doctos & timoratæ cōscientiæ sine scrupulo celebrare eadem die post confessionē, etiā si aliquid humanum antea passi sint. Et præsertim, quando peccatum, quod intercessit, magis est spirituale, vel internum. Vnde neq; in omni genere peccatorū sine discrimine possumus verisimili fundamento omnes homines obligare ad hanc cōmunionis dilationē, neq; etiam possumus probabilem rationem reddere, cur hoc cēseatur necessariū in quibusdam peccatis, & non in alijs, quia licet in quibusdā videatur esse maior indecentia, tamen id quod necessariò ac essentialiter impedit, scilicet, carentia diuinæ amicitiæ, eiusdē rationis est in omnibus. Tandē, olim erat consuetudo in Ecclesia quotidie communicandi, & tamen non est verisimile, neminē eorū qui quotidie communicabant, solitū esse aliquādo mortaliter peccare, ergo necesse erat vt multi communicarent eodē die, quo mortaliter peccauerant, mutato tamen affectu, & deleto mortali peccato. Et ita August. cum dicit, se nec laudare, nec vituperare eū, qui quotidie cōmunicat, solū ab eo requirit, vt cōscientia peccati mortalis nō grauetur vt videre licet Epist. 118. & de Ecclesiast. dogmat. c. 53. & in cap. Quotidie. de Consecrat. distinct. 2.

Palud. Maior. Adria. Syluest. Caiet. Cordub. Nauar.

Dixi autē, per se loquēdo, quia ex accidenti posset esse hoc peccatum graue. Primò, ratione scandali aliorum, si peccatū sit publicū & maximè si sit in cōsuetudine, quæ alijs nota sit. Secundò, ratione contemptus seu ratione proprij scandali (vt sic dicam) vt si homo ea occasione acquirit facilitatem peccandi, & non adhibet medicinam moraliter necessariam, vt se se contineat, quāquam ex hoc solo capite rarò vel nunquam erit culpa mortalis. Facilius committi posset propter periculum communicādi sine vera detestatione peccati, & proposito emendæ quia peccatum recens non tam facilè odio habetur, & ideò periculosius est hoc in peccatis carnalibus, quæ vehementius adhærent, magisq; hominem alliciunt & excæcant.

Ex quo infero, frequentiùs consulendum esse, vt post mortale peccatum cōmissum, etiā si videatur homo satis esse dispositus aliquo tempore abstineat à communione, saltem per diem, vt sese magis colligat animumq; suū magis à peccato abstrahat. Et hęc videtur esse mens. D. Greg. & D. Tho. locis citatis, & autores pro nostra sententia citati hoc consilium approbant, imò Caietanus & Adrianus sentiunt, non solum esse consilium, sed etiam semper esse aliquod peccatum veniale, non interponere huiusmodi tēpus, præsertim si peccatū, quod præcessit carnale fuit, tum quia est nonnulla indecentia, tum etiā, quia semper huiusmodi homo accedet sine conuenienti præparatione ac deuotione, & hoc fortasse, moraliter loquendo, ita frequētiùs accidit, non tam propter præcedens peccatum quam propter præsentem distractionem, vel alium similem effectum, qui ex illo relinquitur, at vero intrinsece & ex obiecto, non est intrinseca malitia in huiusmodi actu, etiam leuis, ex sola breuitate tēporis interpositi inter peccatum & communionem. Et ideo, si ex cæteris circūstantijs præsentibus honestetur actus, poterit nullum esse peccatum. Et si specialis necessitas, vel obligatio celebrandi vrgeat, non solum non erit peccatum, sed etiam erit melius, vel aliquando etiam necessarium, vt rectè D. Thom. supra docuit. Atq; ex his satis respōsum est ad fundamenta prioris sententiæ.

Illatum ex cōclusione.

D. Thom. D. Greg.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti.

AD sextum sic proceditur. Videtur, ꝙ sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti. Nō enim est faciendū contra Christi præceptū, propter vitandum scandalum, vel infamiā alicuius. Sed Dominus pręcepit Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus. Maximè autem datur sanctum canibus, cùm hoc sacramentum peccatoribus exhibetur. Ergo, neque propter vitandum scandalū, neque propter vitandam infamiam alicuius, debet hoc sacramentum peccatori petenti dari.

Infr. q. 81. a. 2. cor. & ad 2. & 4. d. 9. art. 5. q. 1. per tot. & q. 2. cor. Et quol. 5. art. 12.

¶ 2 Præterea, De duobus malis minus malum est eligendum. Sed minus malū esse videtur, si peccator infametur, vel etiā si ei hostia nō consecrata detur, quàm si sumēs corpus Christi, mortaliter peccet. Videtur ergo hoc potius esse eligendum, ꝙ vel infametur peccator petēs corpus Christi, vel etiā, quod detur ei hostia non consecrata.

¶ 3 Præterea, Corpus Christi interdū da

In decret. 2. q. 4. c. 24. Sæpe cõtingit. tur suspectis de crimine ad corũ manifestationem: legitur enim in Decret. 2. q. 4. Sæpe contingit vt in monasterijs monachorum furta perpetrentur, idcirco statuimus, vt, quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo ex præsentibus fratribus, & sic expleta Missa, omnes cõmunicentur in hæc verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationẽ; & infrà. (Cap. 27.) Si Episcopo, aut presbytero aliquod maleficiũ fuerit imputatũ, pro singulis Missam celebrare debet, & communicare, & de singulis sibi imputatis, innocẽtẽ se ostendere. Sed peccatores occultos non oportet manifestari, quia, si frontẽ verecundiæ abiecerint, liberios peccabunt, vt Augustinus dicit in lib. de verbis Domini. Ergo peccatoribus occultis non est corpus Christi dandum, etiam si petant.

(Refertur de consec. d. 2. c. Non prohibeat, to. 9.) SED contrà est, quòd super illud Psalm. 21. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, dicit August. Nõ prohibeat dispensator pingues terræ, id est, peccatores, mensam Domini manducare.

RESPONDEO dicendum, quòd circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti, quidã verò manifesti, scilicet, per euidentiam, facti, sicut publici vsurarij, aut publici raptores: vel etiam per aliquod iudicium Ecclesiasticum, vel seculare. Manifestis ergo peccatoribus nõ debet etiã petẽtibus, sacra cõmunio dari. Vnde Cypr. (Lib. 1. ep. 10. in prin.) scribit ad quendam. Pro dilectione tua cõsulendũ me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, quia apud vos cõstitutus ad hũc in artis suæ dedecore perseuerat, an talibus sacra cõmunio cũ cæteris Christianis debeat dari: puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ cõgruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tã turpi & infami contagione fœdetur. Si verò non sunt manifesti peccatores, sed occulti: nõ potest eis petẽtibus sacra cõmunio denegari. Cum enim quilibet Christianus ex hoc ipso, quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mẽsam, nõ potest eis ius suũ tolli nisi pro aliqua causa manifesta. Vnde semper illud. 1. Corinth. 5. Si is, qui frater nominatur inter vos, &c. (In lib. de medicina pæni. c. 3. in med. tomo. 9.) dicit Gloss. Aug. Nos à cõmunione quenquã prohibere non possumus, nisi aut spõte cõfessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel seculari nominatũ, atq; cõuictũ. Potest tamẽ sacerdos, qui est cõscius criminis occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedat, antequã de peccatis pœniteat, & Ecclesiæ reconcilientur. Nam post pœnitentiam & reconciliationẽ

A etiã publicis peccatoribus nõ est cõmunio denegãda, præcipue in articulo mortis. Vnde in Concilio Carthaginensi legitur: (In Cõc. Carthag. can. 35.) Scænicis, atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel apostatis conuersis ad Deum, reconciliatio non negetur.

AD primum ergo dicendum, quod sancta prohibentur dari canibus, id est, peccatoribus manifestis. Sed occulta non possunt publicè puniri, sed sunt diuino iudicio reseruanda.

AD secundum dicendum, quod licèt peius sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi: quàm infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi, peius est peccare mortaliter, infamando iniustè peccatorem occultũ, quàm quod ille B mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale commitere, vt alium liberet à peccato. (In q. 42. in 4.) Vnde August. dicit in lib. Q. super Genes. periculosissime admittitur hæc compẽsatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat. Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quã indignè ad mensam Domini accedere. (In Psalm. 98. circa med. expositioni. Ioan. 8.) Hostia tamen nõ consecrata nullo modo debet dari loco cõsecratæ, quia sacerdos hoc faciens, quãtũ in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse hostiã cõsecratã, siue alios præsentes, siue etiã ipsum sumentem, quia, vt Aug. dicit, nemo carnem Christi manducat, C nisi prius adoret, vnde extra de celebratione missarum. cap. De homine. (In Decr. li. 5. tit. 41. ca. 7. in fin.) dicitur: Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerat irreuerenter ad illud, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare.

AD tertium dicẽdum, quod decreta illa sunt abrogata per cõtraria documẽta Romanorum Põtificum. (Refertur de 2. q. 5. c. 20. Consuluisti.) Dicit enim Stephanus Papa Ferri cãdentis, vel aque feruentis examinatione, cõfessionem extorqueri à quolibet sacri canones non cõcedunt. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione, D publicata delicta cõmissa sunt regimini nostro iudicare, occulta verò, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. Etidem habetur extra de purgationibus. cap. Ex tuarum. In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio, vnde sine peccato fieri non possunt. (In Decr. li. 5. tit. 34. ca. 8. Ex tuarum.) Et grauius videretur, si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Vnde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.

Materia huius articuli pertinet potiùs ad obligationes ministrorũ, de quibus posteà dicturi sumus, quàm ad obligationes communicantiũ, de quibus nunc agimus. Tamen à D. Tho. hoc loco inserta est, quoniam cõnexionẽ quãdam habet cum præcepto dignè cõmunicandi, de quo hactenus disputatum est. Igitur, ne inuertamus ordinem à D. Tho. seruatum, eam hoc loco expediemus, & disputãdo de ipsa re, simul declarabimus D. Tho. contextum & doctrinã, nã circa literæ explicationem nulla specialis difficultas occurrit.

DISPVTAT. LXXVII.

De obligatione repellendi indignos ab vsu huius sacramenti.

(Disp. 29. de Eucharistia.) PRimùm omnium explicabimus generale præceptum, & quale illud sit: quoniam verò illud latissimum est, & varios casus morales complectitur, trademus posteà quædã generalia principia, seu regulas quasdam, quibus explicemus, quomodò huiusmodi præceptum seruandum sit.

SECTIO I.

Vtrùm teneãtur ministri huius sacramenti non dare illud homini existẽti in peccato mortali.

(Ministri Eucharistiæ denegare debent illam in peccato mortali existentibus. S. Thom. Alexand. Albert. Bonauent. Richard. Palud. Gabriel. Antonin. Durand. Nauar.) REspondetur, certũ esse, habere ministros huius sacramẽti hanc obligationem simpliciter & absolute loquendo. Ita docet D. Thom. in hoc art. Alex. Alens. 4. p. q. 48. Albert. in 4. d. 13. artic. 17. Reliqui Doctores. d. 9. Bonauen. art. 2. q. 4. Richar. art. 5. q. 2. Palud. q. 4. Duran. q. 5. Gabr. q. 2. D. Antoninus. 3. p. tit. 14. c. 12. Nauar. in sum. c. 21. n. 55. & in. c. Sacerdos. de Pœnitẽ. d. 2. n. 101. Syluest. verbo, Eucharistia. 3. reliqui Summistę. Ratio est, quia Sacerdos tenetur non dare sanctum canibus, & nõ tractare indignè tantum sacramentum ergo tenetur, per se loquendo, non dare illud homini indigno. Et cõfirmatur, quia in cæteris sacramentis hoc seruare tenetur, vt in superioribus dictũ est, ergo multò magis in hoc, quod est cæteris dignius.

(Illatio.) Ex quibus sequitur primò, hãc obligationem oriri ex ipsa lege naturali ac diuina, supposita tali sacramenti institutione, & potestate ac munere commisso sacerdotibus. Primò quidẽ, quia hoc ipso, quòd facti sunt dispensatores mysteriorum Dei, tenẽtur esse fideles dispensatores, & prudenti ac conuenienti modo tantum sacramentum dispensare. Secundò quia obligatio exhibendi reuerentiam huic sacramento, & dignè illud tractandi, naturalis est, ex intrinseca ipsius sacramenti dignitate orta; ad hanc verò pertinet obligatio non dandi sacramentũ hoc indignis: sicut non proijcere illud in locum immundum, & similia. Tertiò addi potest, naturalem obligationem esse non cooperandi alterius peccato, qui autem dat sacramentum indigno, cùm posit illud vitare, peccato eius cooperatur.

(Illatio.) Secundò sequitur, hoc præceptum tunc maximè obligare, quando sacerdos potest commodè, & sine inconuenienti, negare hoc sacramentum peccatori, A etiam si ipse petat, nã, si obligatio illa est diuina & naturalis, tunc maximè vrgebit, & seruãda erit, quãdo sine vllo inconuenienti seruari potest. (Obiectio.) Dices, hoc ipso, quòd peccator petit, non posse illi negari sine inconueniente morali: nam ille habet ius petẽdi ratione characteris baptismalis: ergo, si illi denegetur negabitur illi ius suum, non seruato iustitiæ ordine hoc autem videtur esse graue morale incommodũ. (Solutio.) Respondetur, negando assumptum, nam peccator, dum est in eo statu, per se loquendo, re vera nõ habet ius ad petendum hoc sacramentum: quia nõ habet ius ad sacrilegum vsum eius: ergo nec ad petitionem sacrilegã, & Christo iniuriosam: solus enim character baptismalis non dat tale ius, neque in aliqua alia re fundari potest. Quod ita declaratur, & confirmatur, nam baptismus, sicut dat characterem B qui est veluti potestas ad suscipiendum sacramentum, ita dat gratiam ad dignè suscipiendum: ergo re ipsa non dat ius ad aliter suscipiẽdum: ergo, amissa gratia per peccatum mortale, non manet in peccatore ius verum ac reale ad petendum hoc sacramentum, donec per claues Ecclesiæ, vel in ordine ad illas, ad priorem statum restituatur.

(Non petens Eucharistiã peccator inuitari à sacerdote non debet.) Tertiò sequitur, si peccator non petat Eucharistiam, nunquam licere Sacerdoti inuitare illum ad communicandum, quandiu in eo statu perseuerat. Potest quidem consulere illi, vt pœnitentiam agat, & communicet, tamen inuitare eum, quem scit nõ egisse pœnitentiam, vt in eo statu cõmunicet, per se malum est; tum, quia in eo casu potest facilè & sine incommodo non dare sacramentum peccatori; tum etiam, quia illud esset, non solùm cooperari, C sed etiam inducere ad malum. (Obiectio.) Dices, Christus Dominus generaliter dicens omnibus discipulis, *Comedite, seu, bibite ex eo omnes*, inuitauit Iudã ad communicandum, quando ipse non petebat. (1. Solutio reijcitur.) Responderi potest, Christum Dominum, non solùm fuisse dispẽsatorem, sed etiam supremum dominum: imò fuisse ipsummet, qui dabatur in cibum: cuique iniuria fieri poterat indignè communicando, atque ita iuri suo cedere potuisse. Sed hoc non rectè dicitur, quia non est dubium, quin Iudas grauissimè peccauerit, indignè communicando: erat enim hoc intrinsecè malum, & contra reuerentiam Christo, & rebus sacris debitam: non potuit autem Christus illum ad peccandum inducere. (2. Itidem.) Aliter dicitur, Christum naturali & humana scientia, qua in suis operationibus vti tenebatur, non cognouisse occultum Iudæ peccatum, & ideò, licèt illud cognosceret per superiorem D scientiam, non debuisse ex necessitate illa vti, vt Iudam cum alijs ad communicandum non inuitaret. Sed neque hoc satisfacit, quia falsum est, Christum in suis actionibus solùm naturali scientia, & non supernaturali, vti debuisse: sæpè enim illi necessarium erat, vti supernaturali cognitione, præsertim ad exercendas supernaturales actiones, & vitãdum quicquid illis poterat esse contrarium. Quocirca, si actio illa fuisset inductio Iudæ ad peccandum, quacunque via ac ratione hoc illi constaret, debuisset actionem illam vitare. (Vera solutio.) Dicendum est ergo, Christũ non induxisse Iudam ad peccandum, sed permisisse illius peccatum, suoque iure vsum fuisse: instituit enim sacramentum eo tempore ac modo, quo secũdùm ordinem diuinæ prouidentiæ magis expediebat, nec debuit propter Iudam differre. Rursus, nõ induxit Iudam, vt in eo prauo statu cõmunicaret, sed omnem diligentiam adhibuit, vt eum dispone-

Universidad de Deusto Biblioteca

ret, ac cor eius immutaret: vnde ex parte sua, neque induxit ad malum, neque aliquid gessit dignitati huius sacramenti contrarium: aliunde verò Iudas ibi assistens, vt bonis communibus cum cæteris Apostolis frueretur, virtualiter petebat, & à communi conuiuio excludi nolebat, & ideò non debuit Christus Dominus eum excludere; vt iterum in sequentibus dicemus.

Dubium. Sed quæret aliquis, an Sacerdos, vel Diaconus communicans se ipsum in peccato mortali, duo peccata committat. Videtur enim ex dictis sequi pars affirmans, quia ille violat duo præcepta valde distincta: alterum de receptione sacramenti cum dispositione digna, quod omnibus fidelibus commune est, alterum de fideli, & prudente dispensatione, quod specialiter ad ministros pertinet: quę duo pręcepta tantùm inter se differunt, quantùm differũt inter se, dare, & recipere. Et confirmatur, nam, si sacerdos det peccatori hoc sacramentum, dans & recipiens duo peccata committunt specie distincta: nam aliud consistit in recipiendo indignè, aliud in dispensando infideliter: sed, quando Sacerdos peccator communicat se ipsum, vtraque ratio peccati ibi reperitur: quòd autem persona sit eadem, nõ impedit, quominùs peccata sint distincta: ergo. In contrarium verò est, quia tota illa actio & receptio est per modum vnius actus moralis, cui multæ circunstantiæ desunt ad honestatem eius: ergo est vnum peccatum: nam defectus plurium circunstantiarum in vno actu nõ sufficiunt ad multiplicanda peccata: sicut Sacerdos celebrans in peccato mortali, non est dicendus plura peccata committere in vna continuata actione sacrificandi, quãuis in ea intercedat consecratio, dispensatio, & sumptio huius sacramenti: quia omnia hęc fiunt per modum vnius actionis moralis, ad eandem virtutem religionis pertinentis.

Solutio. Nihilominùs dicendum videtur, ibi reperiri plures malitias, secundùm moralem speciem diuersas, vt rationes priùs factæ probãt: quia moraliter aliud est agere, aliud recipere, & diuersas requirunt circunstantias: vnde illa coniunctio in eadem persona vel entitate physica, aut in eadem, vel propinqua temporis duratione, non tollit malitiarum diuersitatem. Quapropter in ordine ad confessionem non est dubium, quin necessarium sit, vtrumque aperire non enim satis esset dicere dispensasse sacramẽtum in peccato mortali, vt est per se notum, nec etiam sufficeret dicere communicasse in peccato mortali: quia non explicaretur tota essentialis malitia, sed oportebit dicere, vel celebrasse in peccato mortali, quia in hoc omnia includũtur, vel si extra sacrificiũ se ipsum communicauit, oportebit illud explicare propter rationem factam, & præterea, quia in peccato mortali dispensauit tantum sacramentum, quod est nouum malitiæ genus, vt posteà dicemus.

Dubium. Vltimò quæri potest, quando obliget hoc præceptum, cùm enim negatiuum esse videatur, scilicet, non dandi sacramentum indignè, videtur obligare semper, & pro semper, & consequenter, cùm sit præceptum naturale, semper erit intrinsecè malum contra illud agere, cùm tamen constet, aliquando esse licitum dare hoc sacramentum peccatori. Quare dicendum est, hoc præceptum non esse simpliciter negatiuum, sed reducendum esse ad affirmatiuum, prudenter & fideliter dispensandi hoc sacramentum: quod quidem formaliter sumptũ (vt sic dicam) semper seruandum est, quotiescunq; hoc sacramentum dispensatur: & hinc fit, vt, si commodè possit, debeat indigno denegari, non tamen, ꝙ semper denegari debeat cum quocunque incommodo, & sine vlla exceptione, quod declarandum superest in sectionibus sequentibus.

SECTIO II.

Vtrùm publico peccatori petenti Eucharistiam, semper sit deneganda.

Respondetur, si peccator publicus sit, siue publicè, siue occultè Eucharistiam petat, illi esse denegandam. In hac regula conueniũt autores omnes, quos nunc non refero: quia in sequentibus sectionibus cõmodiùs id fiet. Probatur autẽ primò ex Patribus: Chrysost. homil. 83. in Matth. sic ad sacerdotes loquitur. *Non parua vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis: sanguis enim Christi de manibus vestris exquiretur*, subdit verò inferiùs, *Non de ignotis, sed de notis, id disputo*, & rursus. *Hæc de notis & manifestis disputata sunt*, Similia repetit homil. 60. ad popul. & in id Psalm. 49. *Cum adulteris portionem tuam ponebas*. Eandem doctrinã iuculcat sępè Cyprianus, grauissimè reprehendens eos sacerdotes, qui peccatores post publicum lapsum ante publicam pœnitentiã, & satisfactionem ad cõmunionem admittunt: vt videre licet Epistol. 10. 27. & sequẽtibus. Pręterea idem tradit Augustinus lib. 50. homiliarum in vltim. cap. 12. & habetur in capit. Multi. 2. quæst. 1. vbi solùm loquitur de his peccatoribus publicis, qui de crimine conuicti sunt: sed est eadem ratio de omnibus illis, quorum peccatum ita est publicum, vt nulla possit tergiuersatione celari, vt constat ex capit. Tua nos, & capi. Quæsitũ. de cohabitatione clericorum & mulierum, de qua re dicemus plura infrà, sectione. 5.

Chrysost. *Cyprian.* *August.*

Secundò ex hac generali regula oritur, vt omnes publici peccatores, quales sunt vsurarij, meretrices, & similes, in iure præcipiantur à communione repelli, vt constat ex Clemente lib. 8. Constitut. cap. 32. & ex Concil. Arelatensi. 1. cap. 4. & 5. & ex Cypriano Epist. 61. quibus locis varij status horum hominum recensentur, vt sunt histriones, theatrici, agitatores, & alij: de quibus sigillatim & copiosè disputat Alens. 4. p. quæst. 48. Sed nõ oportet in hoc immorari, quia inter hos omnes tantùm est materialis quædam diuersitas: & ideò solùm est considerandum (quod benè notauit Glossa de Consecratione, distinctione secunda) an publica actio, quã exercent, ex se, & ex obiecto suo talis sit, vt sine peccato mortali exerceri non possit, vel, si ex obiecto nõ sit huiusmodi, an saltem ex modo, quo fit, publicũ ac manifestum sit; non fieri sine peccato mortali quando enim alterutro ex his modis exercẽt actionẽ prauã, isti expelluntur à cõmunione, & nõ aliàs; quia tũc solùm sunt publici peccatores. Ratio autẽ tam generalis regulæ, quàm huius consectarij, est primò, quia hi peccatores, neq; re ipsa, neque externa specie habent ius petendi sacramentum, quãdoquidẽ eorũ status manifestus est, & alioquin ius diuinum petit, vt ipsis non detur. Deinde potest illis negari sine vllo incommodo, quia nec sequitur infamia

Peccatores publici iure à communione repelli præcipiuntur. *Conc. Arel.* *Cyprian.* *Alens.*

famia eorum: nam hæc potiùs supponitur, cùm eorum peccatum sit publicum, neque etiam sequitur scandalum: maius enim esset, si huiusmodi hominibus sacramẽtum daretur. Sequebatur autem statim explicandum, quæ infamia requiratur, vt peccatum censeatur publicum, sed hoc explicabitur meliùs sectio. 5.

Inquiri autem potest hoc loco, quæ pœnitentia vel satisfactio ex parte horum hominum necessaria sit, vt possint ad communionem admitti. Respondetur, si occultè petant, satis esse, quòd occultè egerint pœnitentiam, seu confessi fuerint, & quòd Sacerdoti & alijs, si fortasse adsint, hoc constet. Ratio est clara, quia coram Deo hic iam est dispositus, & apud homines non indiget maiori manifestatione, seu dispositione, quàm sit necessaria ad tollendum scandalum: ad hoc autem satis est, quòd non sit magis publica communio, quàm pœnitentia. Hoc autem moraliter potiùs, quàm physicè, intelligendum est: parum enim refert, quòd communio, quando fit, sit occulta, si paulò post futurũ est publicum, illum peccatorem esse ad communionem admissum, & ideò illam communionem occultam appellamus, quæ, & occultè fit, & non est posteà publicè diuulganda. Secundò, si publicè petat pro ratione peccati, seu status, necesse est, vt publicam satisfactionem exhibeat, vel saltem, vt eius dispositio acconuersio, publica, & manifesta sit vt colligitur ex capit, Si peccauerit. 2. quæstione. 1. & capit. Scænicis. de Consecratione, distinctione secunda. Et ratio est, quia hoc est necessarium, & sufficit ad tollendum scandalum, & vt sacramẽtum coram Deo, & hominibus dignè tractetur. Addo verò, si peccator publicus sit in articulo mortis, satis esse, vt, pro temporis opportunitate, & necessitate, vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat: quia tunc temporis, propter periculum & vrgentem necessitatem, non est maior diligentia exigenda, quã commodè exhiberi possit: & alioqui de quolibet fideli præsumendum est, in eo articulo facere, quod potest, vt se se bene disponat.

SECTIO III.

Vtrùm peccatori occulto occultè petẽti Eucharistiam, deneganda sit.

Occulto peccatori occultè petẽti Eucharistiam, deneganda est.

Respondetur, teneri Sacerdotem ad negandã communionem peccatori occulto, si occultè petat. Ita sentiunt omnes Doctores, sectione prima citati, & pręterea Alensis. 4. parte, quæstione 49. m ẽbro quinto. Victoria in summa, numero. 80. & Conciliũ Vasense, cap. 8. & habetur. 6. q. 2. cap. Si tamẽ, vbi dicitur, debere Episcopum, qui nouit, aliquem esse peccatorem, si solus ipse hoc nouit, secretè eum monere, corrigere, & communione priuare. Et ratio colligitur ex generali regula suprà posita, quia ille peccator re vera non habet ius petẽdi, nec etiam in externo foro, seu apparentia, quia occultè petit: vnde fit, vt sine vllo incõmodo possit illi denegari: quia, nec sequitur infamia, nec scandalum, cùm totum negotium occultè transigatur: ergo omnino illi debet negari.

Alensis, Victoria, Conc. Vasen.

Soti limitatio. Hanc verò communem doctrinam limitat Sotus dist. 12. quęst. 1. art. 6. vt procedat in his sacerdotibus, qui non tenentur ex officio ministrare hoc sacramentum: non verò in Parochis, qui ex officio tenentur: & ratio differentiæ est, quia peccator nõ habet ius petendi sacramentum à sacerdote, qui non tenetur illud ministrare, & ideò huiusmodi sacerdos non facit illi iniuriam, denegando, ac proinde negare tenetur, cùm possit. At verò habet peccator ius petendi à suo parocho, qui ex iustitia tenetur illi ministrare, & ideò, quamuis indignè petat, & occultè, non potest parochus sua propria autoritate priuare illum iure suo, donec iuridicè priuetur. Sicut, qui alteri debet mutuatam pecuniam, nõ potest eam priuata autoritate illi denegare, licèt sciat malè petere, & ad prauos vsus. Et existimat Soto, hanc esse sententiam Diui Thomæ. Sed, neq; est D. Thomę, nec aliorum autorum, nec vera: Diuus Thomas enim in hoc articulo nullam distinctionem huiusmodi tradit: imò in hoc artic. in solutione ad primũ insinuat contrarium, dum ait, peccatorem occultũ non posse publicè priuari hoc sacramento: addens enim, *publice*, absolutè sentit, occultè priuari posse. Præterea cõtra Sotum vrget decretũ adductũ ex Cõcilio Vasensi, quia nõ loquitur de sacerdote simplici, sed de Episcopo & Pastore. Tertiò sumere possumus argumentũ ex capit. Ad autores. de temporibus ordinandorum: vbi dicitur, religiosos non esse ordinandos contra voluntatem suorum superiorũ: quia ipsi norunt secreta delicta eorum, propter quæ fortasse ordinari non expedit: ergo potest superior & pastor propter occultum delictum denegare aliquid, quod fieri non expedit, quando sine scandalo, & infamia negari potest. Quartò ostensum est, peccatorem in re ipsa non habere ius ad petendam communionem in eo statu: ergo & è contrario pastor re vera non tenetur ex iustitia dare pro illo statu: ergo tenetur denegare. Et cõfirmatur, nam publico peccatori publicè petenti denegare tenetur, vt diximus: ergo & occulto peccatori occultè petẽti: quia est eadem ratio: nam si expectare oportet iudiciarium ordinem, vt peccator priuari posset sacramento, in vtroque casu expectandus esset. Tandẽ, etiam si aliquo esset ius peccatoris, maius est ius sacramenti (vt sic dicam) seu Christi, vt dignè tractetur, nec ipsi fiat iniuria, & pastor Ecclesiæ non minùs tenetur ex officio suo seruare hoc ius illæsum, quàm illud: ergo, per se loquendo, & quando non interueniunt extrinseca incommoda, potiùs est cõsulendum dignitati & reuerentiæ sacramenti, quã iuri peccatoris. Quocirca hæc dispensatio, vel denegatio sacramenti non est consideranda, vt actio iudicialis: vel inflictiua pœnæ, sed solùm, vt prudens ac fidelis administratio sacramenti; & ideò non pẽdet ex testibus, aut probationibus, sed solùm ex ea scientia, & cognitione, quæ prudenti existimatione secundùm occurrentes circunstantias iudicatur sufficiẽs, vt sine incommodo possit, & debeat negari sacramentum. Quæ doctrina nõ solùm in hoc sacramento, sed in omnibus locum habet.

Improbatur.

Grauis difficultas. Sed est dubium graue, vtrùm sacerdos, qui per solã confessionem cognouit peccatum, possit negare hoc sacramentũ, quando pœnitens ab ipso petit tam occultè, vt nullus alius adsit, nã, si aliquis alius sit præsens, certum est, nõ posse negare propter sciẽtiam confessionis: quia respectu illius esset confessionis reuelatio; quæ tamen nulla esse videtur, quando à solo sacerdote sacramentum petit: & ideò in hac re valde inter se dissentiunt graues autores. *1. Opinio.* Prima ergo opinio est, Sacerdotem non posse vti scientia

tia confessionis ad negandum Eucharistiam peccatori, etiam si occultissimè petat, ita refert, & approbare videtur Gabr. in dist. 9. quæst. 2. art. 3. dub. 1. & idem sentit Palud. ibi. quæst. 2. conclus. 3. dicit enim, non posse negari Eucharistiã propter peccatum in confessione cognitum, posse tamen inde sumi occasionem ad negandam illam alio prætextu. Clariùs hoc docet Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 12. §. 2. Adrian. quodlib. 3. q. 3. Syluest. verbo, Eucharist. 3. q. 5. Nauarr. in summa, cap. 21. num. 55. Citatur pro hac sentẽtia cap. Si sacerdos. de offic. ordin. vbi dicitur, neminem esse à communione remouẽdum propter peccatum in confessione cognitum. Sed huius textus decisio nihil hanc sententiam iuuat, quia non simpliciter negat Pontifex, posse sacerdotẽ remouere alium à communione, propter peccatũ in confessione cognitum, sed verba eius sunt, *Non potest cum nominatim remoueri*: illa autem particula, *nominatim*, idem valet, quòd publicè, seu nomine eius coram alijs expresso, vt Gloss. ibi notat. Ratio autẽ illius textus potest ad hanc sententiam confirmandam afferri, scilicet, quia confessor non scit peccatum, vt homo, sed, vt Deus: ergo non potest vti illa scientia ad negandum alteri ius suum, quod habet in exteriori & humano foro: ergo nec potest vti illa ad negandam Eucharistiam homini petenti. Secundò potest ratio aliter explicari, quia sigillũ confessionis obligat, nõ solùm respectu aliorũ, sed etiã respectu ipsiusmet pœnitẽtis: id est, nõ solũ tenetur confessor non reuelare alijs peccatum in confessione auditum, sed etiam tenetur, non loqui de ipso extra confessionem cum ipso pœnitente contra voluntatem eius, nec exprobrare, aut obijcere illi crimen in confessione auditum, ergo, sicut tenetur non negare Eucharistiam coram alijs, quia tunc reuelaret alijs peccatum eius: ita etiam tenetur non negare, etiam si solus sit, & occultè petat: quia tunc saltem ipsi pœnitenti obijcit, & facto ipso reprehendit extra confessionem crimen in confessione cognitũ. Tertiò afferri potest generalis ratio, quia fieret onerosa confessio, si posset sacerdos vti illius scientia ad hunc effectum.

Gabr. Palud. Antonin. Adrian. Syluest. Nauar.

2. Opinio.

Secunda sententia est, non solùm posse, sed etiam debere, Sacerdotem negare Eucharistiam peccatori in prædicto casu. Ita D. Tho. in 4. distinctione. 9. quæstione. 1. articul. 5. quæstiuncula. 1. vbi Durã. quæstione. 6. dicit, omnes in hoc concordare, citantur etiam Bonauent. ibi, art. 2. quæstione. 4. Maior quæstione. 4. Richard. articul. 3. quæstione. 1. Sed, quanuis hi autores generaliter doceant, peccatori occulto posse negari occultè Eucharistiam absque vlla exceptione, non tamen loquuntur in speciali de scientia confessionis, quanquam Maior aliquid insinuaret. Apertiùs docuit hanc sententiam Alexan. Alens. 4. par. quæst. 49. membr. 1. Angel. verbo, Eucharistia. 3. §. 20. Tabiena, verbo, Communio. §. 53. Victoria in summa, numero. 86. Ledesma. 1. par. 4. quæstione. 11. artic. 6. dubio. 3. Afferri solet pro hac sententia capitulũ Placuit. 6. quæst. 2. vbi dicitur, posse Episcopum propter peccatũ in confessione cognitum, negare communionem secretè, non tamen publicè. Sed ille textus non potest de sacramentali confessione intelligi, nam loquitur in eo casu, in quo Episcopus dicit, reum sibi fuisse confessum tale crimen: constat autem, hoc nullo modo habere posse locum in sacramentali confessione. Fundamentum igitur huius sententiæ esse debet, quia negare communionem peccatori in eo casu, est actus consentaneus potestati clauium, & aliàs nullo modo est contra sigillum: ergo est actus licitus: ergo est etiam debitus: maior patet, quia potestas clauium, inter alios effectus, ad hoc data est, vt, qui illam habet, dignos admittat, & indignos à communione repellat: ergo Sacerdos, negans sacramentum, vtitur potestate clauium & iure sibi concesso. Minor in primis declaratur exemplo. Nam, si Sacerdos per confessionem sciret, pœnitentem habere propositum occidendi ipsummet confessorem, & illius ensem seu gladium haberet apud se depositum, quanuis posteà pœnitens illum peteret, posset denegare, & in hoc nullus ferè autor dubitat.

D. Thom. Durand. Bonauen. Maio. Richard. Alens. Angel. Tabien. Victoria. Ledesm.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, exemplum non esse simile, tũ, quia ius vitæ custodiendæ est maius & strictius, tũ etiam, quia nocumentum inde secutum esset irreparabilius. Sed hoc nihil refert, quia non vtimur illo exemplo, vt argumentemur à simili, sed solùm, vt explicemus, illum actum negandi aliquid extra cõfessionem ex scientia in confessione comparata, nõ esse reuelationem sigilli: nam, si esset, neque pro tuenda vita liceret: ergo similiter in præsenti ille actus non esset reuelatio sigilli. Deinde ratione declaratur eadem minor: quia, licèt confessor dicatur scire peccatũ, vt Deus, quia scit, vt minister Dei, & ad iudicandum de illo vice ipsius Dei in sacramentali foro: nihilominùs, negari non potest, quin illa scientia sit in homine, & quòd hoc sensu sit humana, & consequenter, quòd possit homo illa vti ad suas actiones dirigendas, quando sine alterius iniuria, infamia, aut scandalo, illa vti potest: quia tunc nulla re vera intercedit reuelatio sigilli: ita verò est in præsente casu: quia neque apud alios sequitur infamatio (supponimus enim, nullum alium adesse) neque ipsi pœnitenti fit iniuria: quia re vera nullum habet ius ad petendum sacramentum, neque aliud graue incommodum ei sequitur: nam, si fortasse aliquis pudor inde oritur, illud non est nocumentum alicuius momenti, neque graue onus, aut irrationabile vel iniuriosum, præsertim, quia necesse non est, vt Sacerdos directè obijciat homini peccatum confessum, aut in memoriam illud reuocet: potest enim negare sacramentum, nulla alia ratione reddita, nisi quia tunc commodè non potest. Vnde Paludanus suprà de sacerdote, qui ex officio nõ tenetur dare sacramentum concedit posse illud negare in prædicto casu, solùm quia habet sufficientem rationem se excusandi, nulla facta mentione peccati, scilicet, quia non tenetur. Non erit autem difficile Parocho, seu cuilibet sacerdoti, qui ex officio aliàs teneatur, similem excusationem inuenire, scilicet, quia tunc commodè non potest. Nec refert quòd illa videatur virtualis quædam obiurgatio, eò quòd, licèt sacerdos non exprimat causam, ipse tamen pœnitens, moraliter loquendo, satis eam intelligit, tum quia hoc magis consistit in discursu pœnitentis, quàm in actione Sacerdotis: tum etiam quia, si aliquod est ibi incommodum, non sacerdoti, qui vtitur iure suo, seu pœnitenti imputandum est, qui se immiscet actioni sacræ, & petit rem iniquam & sacrilegam, sicut dicendum necessariò est in alio casu, quando denegatur ensis aut gladius, propter vitam custodiendam. Atque ex his probata relinquitur prima consequentia principalis argumẽti, quia, seclusa fractione sigilli, nulla alia malitia potest

Solutio.

potest in hoc casu excogitari; quandoquidem, neque illa actio est iniuriosa, neque ex illa sequitur scãdalum, vel infamia: ergo, si denegando tunc sacramentum, non frangitur sigillum, sanctè ac licitè denegatur. Vnde facilè etiam probatur secunda consequentia, scilicet, quòd si hoc licet, sit etiam debitum, ex quodam principio suprà posito, quòd, si Sacerdos commodè & sine impedimento potest negare sacramentum peccatori, ratione sui muneris & officij, tenetur id procurare: sed in præsenti potest licitè, & sine inconueniente: ergo.

Vltima opinio approbatur.

Inter has sentẽtias hæc posterior mihi magis probatur, speculatiuè rem considerando: habet enim solidius fundamentum: practicè verò loquẽdo, vix potest occurrere occasio vtendi illa: si verò aliquando occurrat, in primis est prudenter obseruandum, an certò constet Sacerdoti de malo statu pœnitentis: nam, si sit inter pœnitentem & confessorem opinionum diuersitas, non est pœnitens à communione repellendus: quia re vera non est satis conuictus de crimine. Quocirca ex hoc capite illa cognitio peccati, & praui status pœnitentis sufficiet ad negandam ei communionem, quæ satis est ad negandam iustè absolutionem. Præter hoc verò cauendũ est omne scandalum, atque omnis infamia, omnisq; criminis, seu reuelationis suspicio, quæ omnia vt dixi, vix possunt moraliter cõcurrere, & ideò, regulariter loquendo, necessarium ex extra confessionem peccatum agnoscere.

Dubium.

Sed inquires, quando peccatum cognoscitur extra confessionem, qualis, & quàm certa debeat esse hæc cognitio. Respondetur, si peccator statum suũ agnoscat, ac fateatur, id sine dubio satis esse. Deinde, si Sacerdos vidit crimen, & certò scit peccatorem non esse confessum, quanuis adhibere non possit testes, quibus ipsum cõuincat de crimine, potest ei communionem negare, etiam si delictum suum neget: quia hæc non est propriè punitio, quæ iudiciarium ordinem, & probationem delicti requirat: sed est prudens administratio sacramenti, & virtualis quædam correctio secreta & paterna, ad quam non semper expectanda est probatio delicti; neque ipsius peccatoris confessio, quia non est actio publica & iudiciaria, sed priuata & occulta, quæ vix potest alio modo exerceri: sufficit ergo, quòd quacunque via sufficienter de delicto constet. Vnde idem dicendum est, si per testimonia fide digna sacerdoti constet de prauo hominis statu, quanuis nolint testes se prodere ad peccatorem cõuincendũ. Quã verò occulta esse oporteat, delictum & petitionẽ sacramenti, vt possit iustè denegari, inferiùs dicemus in sectione vltima.

SECTIO IIII.

Virùm peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam, deneganda sit.

Occulto peccatori cuius peccatum latet, publicè petenti Eucharistiã denegari nullatenus debere. Concil. Afri. Valẽ.

RESpondetur, non posse Sacerdotẽ sine graui peccato, negare Eucharistiam peccatori publicè petẽti illam, quando peccatum eius occultum est. In hac assertione conueniunt ferè omnes Theologi superiùs citati, & colligitur ex Concil. Valensi. 1. c. 8. & ex Concil. Africano, ca. 99. & 100. quæ habentur in c. Si tantum. & in c. Placuit. 6. q. 2. in quibus cauetur, vt Episcopus, qui alienum peccatũ nouit, quod probare nõ potest, neminẽ ea de causa publicè à communione repellat. Atque idẽ significatur in cap. Si sacerdos. de officio ordinarij. Vbi Pontifex adducit exemplum Christi Domini, qui in publica dispensatione huius sacramenti illud non denegauit Iudæ, cuius peccatum occultũ erat. Rationes ad hanc veritatem confirmandam plures à Theologis afferuntur, quia difficile est propriam & adæquatam inuenire.

1. Ratio probandæ conclusionis.

Prima ratio est, quia negare tunc sacramentum peccatori, esset infamare illum, quod est intrinsecè malum. Hac ratione vtuntur Alens. & Bonauent. & D. Thom. cum alijs in 4. habet tamen difficultatẽ, primò, quia ibi interuenit perplexitas quædam, quia, vel infamandus est proximus, vel sacramentũ dandũ est indigno, quod fieri nõ potest sine Christi iniuria: ergo ex his duobus malis potiùs est eligenda infamatio proximi, quã iniuria Christi, probatur consequẽtia primò, quia ex duobus malis minus est eligendum: inter illa autem duo minus est proximi infamatio. Secũdò, quia, nec Christus, nec sacerdos, sed solus peccator, qui iniquè se ingerit, est causa huius perplexitatis & incommodi: ergo ratio iustitiæ postulat, vt ipse solus damnum & detrimentum sentiat, & non Christus. Quapropter illa infamatio tunc non est intrinsecè mala, tum, quia non est formalis, sed materialis, quia non est per se intẽta, sed quasi permissa: tum etiam, quia talis peccator non tam infamatur à sacerdote, quàm ipse se ipsum infamat, qui sacerdotem quodam modo cogit, vt ipsum manifestet.

2. Ratio.

Propter hanc difficultatem addi potest secunda ratio, ob quam in ea perplexitate potiùs videtur dãda communio peccatori, quàm neganda: quia, si negetur, est certum, atque infallibile infamiæ detrimẽtum; si autem detur sacramentum, non est ita certum sacrilegium indignæ communionis: quia fieri potest, vt peccator subitò mutetur interiùs, & conuertatur, ac se ita disponat, vt dignè communicet. Et hac ratione vtuntur etiam prædicti autores. Sed non videtur magis satisfacere, quàm præcedẽs. Primò, quia sæpe potest euidenter constare euidentia morali, illum, qui petit sacramentum, peccare grauiter sic petendo, & communicando, vt si constet certò, esse excommunicatum, & non absolutũ, vel peccasse mortaliter, & non esse confessum: tũ enim nõ potest præsumi bona dispositio: quia ad illam non sufficit interior pœnitentia sine exteriori confessione.

Obiectio.

Dices, quanuis hoc verum sit, per se loquendo, tamen per accidens posse sufficere interiorẽ dispositionem, atque ita posse accidere in præsente casu: nam postquàm peccator publicè accessit ad sacramentum, in ipso momento, in quo Sacerdos proximè accedit ad tribuendum illud, potest interiùs dolere, & se disponere, & excusari à confessione, eò quòd iam non potest se se remouere atque abstinere sine scandalo & infamia.

Solutio.

Respõdetur in primis, posse accidere, vt sine vllo scandalo, vel infamia, possit remoueri. Deinde in rebus moralibus non est quærenda metaphysica euidentia, sed sufficit moralis certitudo, qualis est in præsente casu, & præsertim, quando nullum est signũ contritionis, nec probabile motiuum, vt præsumatur. Denique eodẽ modo posset dici, non esse certam & infallibilem infamiam peccatoris, etiam si illi publicè denegetur sacramẽtum, quia sperari potest, alios, qui adsunt, existimaturos, & credituros eum, non propter peccatũ sed

sed propter alias causas, aut rationes excludi. Quòd si hoc dici non potest probabiliter, quia, moraliter loquendo, fieri potest, vt nulla sit probabilis ratio ad hoc sperandum, eodem modo sæpe etiam fieri posse, vt nulla sit probabilis ratio ad sperandam vel præsumendam conuenientem peccatoris dispositionem.

3. Ratio. Tertia ratio additur à prædictis autoribus, scilicet, nō esse negandum sacramentū occulto peccatori, publicè petenti Eucharistiā, propter vitandum scandalū, quod moraliter loquendo sequi necesse est. Sed hæc etiā ratio in primis est per accidens, & extrinseca, & ideo nō videtur per se sufficiēs ad generalē doctrinā. Deinde, aut est sermo de scandalo improprio, quod nihil aliud est, quā admiratio quædā, vel rumor, qui in huiusmodi euētibus oriri solet & hoc nō videtur esse graue incōmodum, nec res tāti momenti, vt propterea irrogāda sit iniuria sacramento: vel est sermo de scandalo propriè dicto, vt significat occasionē ruinæ, & peccati; & hoc sensu nō videtur sequi scandalū necessariò ex prędicto casu: quod enim est peccatū, cuius moralis occasio tūc præbetur? Aut enim est iudiciū temerarium, & murmuratio aduersus sacerdotē, q. propter odium, vel iniustā causam, neget sacramentū homini petēti: hoc autem facilè vitari potest, tum quia tanta potest esse autoritas, talisq; vita Sacerdotis, vt moraliter existimandū sit, eum iustè, & sanctè egisse, tum etiā, quia sæpè potest Sacerdos rationē sui facti reddere, ostendēdo, illū esse peccatorē, & indignū tanto sacramento. Aut illud scandalū in hoc cōsistit, q. populus iudicabit, eū hominem, cui negatur sacramētum, esse illo indignū, & in statu peccati: hoc autē nullū scandalum est, quia illud nō est peccatum, cùm non sit iudiciū temerarium: mouētur enim ad iudicandū ex graui facto, & autoritate sacerdotis: nō est ergo illud scandalū, sed infamatio peccatoris de qua iam dictum est. Nullum autem aliud peccati genus habet moralem connexionem cum illo actu vt propter illud, scandalum timeri posit.

4. Ratio. Quarta ratio, ac sola illa traditur à D. Thom. in hoc artic. quem interpretamur, scilicet, quia peccator occultus habet ius petendi publicè Eucharistiā: non potest autem priuari hoc iure, donec de suo crimine sufficienter conuincatur; sicut non potest puniri peccator, nisi conuictus de crimine; sed non cēsetur conuinci peccator de crimine, nisi, vel eius peccatum notorium sit, & publicum per infamiā publicam, vel sufficientibus testimonijs iuridicè cōuictus sit. Sed hæc ratio non minorem patitur difficultatem, quia peccator, quandiu in eo statu est, nullum habet ius ad petendum hoc sacramentum, vt suprà probatum est: ergo neque ad petendū publicè habet aliquod ius: patet consequentia, quia non est actio minùs sacrilega & iniuriosa Christo, publica, quā occulta petitio: ergo, quanuis illi negetur, nullo priuabitur iure, neque illa negatio habet rationem pœnæ, sed prudentis administrationis sacramenti, vt suprà dixi.

Adæquata ratio conclusionis. Posui has rationes, & difficultates circa illis occurrentes, non vt eas reijcerem, aut impugnarem: sed ad indicandum, ex illis omnibus esse conficiendam adæquatam rationem cōclusionis, quæ in hūc modum explicari potest, scilicet, ad commune bonum, & conuenientem Ecclesiæ, vel cuiusque Reipublicæ gubernationem pertinere, vt communia bona, quæ publicè dispēsanda ac distribuenda sunt, A iuxta merita & dignitatem singularum personarū à publico ministro ad hoc munus à Republica, vel Principe Reipublicæ, destinato, dispensentur, non iuxta priuatā scientiā ipsius ministri, sed per publicā & notoriè: huiusmodi autem est dispensatio huius sacramenti, vt per se constat: ergo, quando publicè fit, non est regulanda per scientiam priuatam sed publicam; quod non habet locum in occulta petitione: quia tunc non fit per modum publicæ dispēsationis, sed occultæ ac priuatæ actionis. Maior propositio videtur esse morale quoddam principium, ferè ex ipsis terminis notum, & ad illud declarandū ac suadendū deseruire possunt rationes suprà adductæ: quia, nisi hæc regula in prædicta publica dispensatione seruetur, talis dispensandi modus moraliter loquendo erit expositus multis scandalis, perturbationibus, & iniurijs: quāquam autem scandaB lum non sit prima ratio malitiæ huius actionis, tamen, quando moraliter ac frequenter coniunctum est cum tali modo operandi, est vehemens signum in eo nō seruari debitum ordinem: neque esse communi bono conuenientem. Et confirmatur ac declaratur, quia, nisi prædicta regula seruaretur, possent facilè ministri publici infamare, quos vellēt, & peccatum, vel indignitatem fingere, vbi nō esset. Et è cōtrario possent fideles sæpe formidare, & timere, ne à ministris huius sacramēti infamarentur. Et hac ratione, quanuis peccator absolute nō habeat ius ad petendū hoc sacramentū, tamē quilibet fidelis habet ius, vt si publicè petat, nō repellatur, nisi debito modo, id est, ex pulica manifestatione, & scientia sui peccati: propter quod dixit rectè D. Tho. in. 4. C d. q. 1. art. 5. per peccatū mortale amitti ius petendi hoc sacramentū: oportere tamen, vt in facie Ecclesiæ amittatur, scilicet, vt in eadem facie Ecclesiæ, id est, publicè denegari posit. Tandē explicatur, & confirmatur hoc, illo cōmuni exēplo de iudice, qui tenetur iudicare secundū allegata, & probata, etiam contra priuatam scientiam, solùm ob simile principium, quia ad commune bonū necessariū est, vt illa publica actio reguletur publica scientia, non priuata: quoniam, si aliter fieret, esset res exposita infinitis iniurijs & scandalis. Quāuis autē dispēsatio, de qua agimus, nō sit iudicialis actio, tamen, quādo est publica, in hoc cōuenit cum sententia iudicis, quòd est actus publicæ potestatis, & communis gubernationis, & ideò in ea locum habet eadem ratio, quæ in sententia iudicis inuenitur.

1. Difficul. impugnatio. Possunt autem contra hanc veritatē multa obijci. D Primum, quia actus dandi Eucharistiam homini indigno est intrinsecè malus, quia est cooperari ad malum: ergo non potest esse licitus, etiam, si peccator publicè petat: quia tunc etiam est cooperari ad indignam susceptionem: esset enim agere contra propriam conscientiam: quia Sacerdos iudicat illū indignū. Et confirmatur, quia proijcere Eucharistiam in ignem, aut in locū immundū, est ita intrinsecè malum, vt nulla ratione posit esse licitum: ergo similiter. Secundò argumētor à simili, quia peccator occultus, qui mihi ensem custodiendum tradit, si publice illum petat, & mihi constet, petere illum, vt se, vel aliū occidat, possum, & debeo, negare illi gladiū, etiam si necesse sit prauum eius animū manifestare, vt maius damnum minori vitetur: ergo eadē ratione in præsente casu licebit negare Eucharistiam, etiam si necesse sit infamare peccatorē. Tertio argumentor, quia potest esse aliquis modus quo;

quo, & sacramentum nō detur peccatori, & omnia incommoda vitentur: ergo ille seruandus est: antecedens patet, quia potest Sacerdos dare huiusmodi homini hostiam non consecratam, absque vllo incommodo: nam, si aliquod esset, maximè periculum idololatriæ [illegible]: sed hoc etiam vitare potest sacerdos, si in manu habeat hostiam consecratā quādiu adorandam illam proponit, posteà verò secretè illam mutet, quādo manum admouet ori peccatoris, vt illi sacramentū tribuere videatur. Quarta denique obiectio est, quia, licèt admittantur omnia, quæ dicta sunt, ad summū, videntur procedere in eo sacerdote, qui ex officio tenetur, Eucharistiā ministrare: quia ille est velut publicus minister ad hoc munus deputatus: non tamen videntur habere locum in alijs sacerdotibus, qui ex officio ad hoc non tenentur: quia illi, nec sunt ad hoc munus deB putati; nec peccator habet ius vllum petendi ab illis Eucharistiam: vnde ipsi semper possunt habere cōmodam excusationem sine manifestatione delicti, vel alio publico incommodo.

1. Propugnatio impugnationi primæ respondens. Ad primam difficultatem respōdetur, actionem dandi Eucharistiam homini indigno nō semper esse intrinsecè malam, sed tunc solùm, quando ipse, qui dat sacramentum, est aliquo modo causa indignæ susceptionis, vel, quando commodè, vel debito modo exercendo munus suum, potest illam vitare, & non facit. Ac denique, quando illi constat, eum, qui petit, esse indignum, ea scientia, ac modo, quo opus est, at verò quando moraliter vitare non potest actionem dandi, quia praua dispositio petentis non est illo modo cognita, quo opus est, tunc actio dandi non est mala ex parte dantis, & intentio eius est bona, quanuis ex parte recipientis receptio sit mala, quod nullo modo imputatur danti: quia nullo modo est causa, quòd alius indignè sumat, neque cum actione eius est per se ac necessariò coniuncta indigna susceptio. Quamobrem ibi nulla est cooperatio ad malum, sed sola permisio, quæ moraliter vitari nō potest, nā, qui dat sacramentū, solùm cooperatur, vt hic homo sumat, nō tamen, vt indignè sumat: posset enim si vellet, dignè sumere: quanuis autem Sacerdoti constet, hic & nunc indignè sumpturū, tamen, quia nō potest id vitare, ideò, neq; tenetur, neq; illa censetur cooperatio, sed permisio. Atq; eadem ratione nō operatur Sacerdos tunc cōtra conscientiam: quia dictamen conscientiæ tunc nō est regulandum per scientiam priuatā, & quasi speculatiuam, quòd is, qui petit, est indignus & peccator, sed per scientiam practicā, qua homo considerat, quid hic & nunc agere oporteat, concurrentibus his circunstantijs, scilicet, occulta malitia huius hominis cum publica petitione sacramenti: tūc enim verū dictamen conscientiæ est, dandum esse hic & nunc sacramentum huic homini. Ad confirmationem autem in illo primo argumento factam respondetur, non esse similem rationem de proijciēda Eucharistia in locum immundū: quia illa actio de se est determinata ad malum, & ex proprio obiecto habet deformitatem, per se loquendo: secus verò est de actione dandi Eucharistiam homini.

1. Obiectio. prima solutio improbatur. In secundo argumento soluendo varij sunt autores suprà citati: Alensis enim & Bonauen. negāt, in casu seu exemplo ibi adducto, licere negare gladiū domino petenti, & potiùs esse permittēdum homicidiū, quàm occultum delictum manifestandum. Sed hoc est creditu difficile. Et ideò Sotus cū alijs, A admisso illo exemplo, negat cōsequētiā, & similitudinē. Cuius rei possunt variæ rationes differētiæ assignari. Prima, quòd sæpè est maior obligatio subueniēdi proximo in corporalibus detrimentis, quàm in spiritualibus: quia, cum hæc non committuntur sine propria voluntate, sæpius est minor necessitas incurrēdi illa, & ideò minùs etiā necessarium est alterius auxiliū ad vitāda illa. Secūdò, quia dānū mortis in exēplo adducto re vera vitatur, negādo gladiū homini petenti illū ad homicidium perpetrandum: peccatum verò, quod est præcipuū animæ detrimentum, non vitatur negādo sacramentū peccatori petenti: quia per voluntatē sumēdi iam est peccatum cōmissum, & solū vitatur actus exterior, qui per se non addit malitiā. Tertiò, quia illud damnū corporis est irreparabile: damnū verò animæ reparari potest, moraliter loquēdo. Et hæ quidē differenB tiæ satisfaciunt, cōsiderando indignā sumptionē sacramenti, solùm vt est spirituale quoddam detrimētum ipsius peccatoris petentis Eucharistiam; at verò cōsiderando illā sumptionē, vt est quædā irreuerētia, & iniuria sacramenti, & quasi detrimentū quoddam ipsiusmet Christi, sic non videntur satisfacere, quia magis vitanda est vel minima iniuria Christi, quā magnū detrimentū alterius proximi. Respondetur tamen, etiam quoad hanc partem posse accōmodari rationes prædictas, quia ipsemet Christus vult, vt aliquæ eius iniuriæ potiùs permittantur, quàm indebito modo ac ordine caueatur. Itē, quia *Secūda solutio explicatur & approbatur.* præcipua iniuria, quæ consistit in affectu peccati, vitari ab altero nō potest. Ac denique, quia, licet in ratione iniuriæ illa magna sit, tamen in ratione detriC menti, nō propriè infertur Christo, nec est damnū irreparabile. Accedit, quòd actio reddendi gladiū est actio omnino priuata, & ideò iuxta occurrētes circunstantias per priuatam scientiam regulanda est: at verò dispensatio sacramenti est actio publica, & communis, ac propterea, vt diximus, publicam scientiam requirit.

3. Obiectionis impugnatur prima solutio. Circa tertiam obiectionē nonnulli Theologi asserūt, mediū illud dandi hostiā nō consecratā pro cōsecrata licitū esse, quod sumi potest ex Altissiodorensi, lib. 5. Sum. trac. 5. c. 5. q. 4. vbi, quāuis expressè nō loquatur de re, quā nos tractamus, agit tamen de alia ferè omnino simili. Dicit enim, si cōtingat, hominē esse in articulo mortis, & indigere viatico, & nullam esse reseruatā hostiam cōsecratā ex negligētia Parochi, tūc ad vitandū scandalum licere dare hostiā nō consecratā pro cōsecrata. Sed hæc senD tentia improbabilis & intolerabilis est, vt ex dicendis cōstabit. Alij distinctione vtuntur; nā duobus modis posset hoc fieri. Primò, ignorante homine, qui cōmunicaturus est, & existimāte sibi dari verū sacramentū, cùm tamē sacerdos solùm det hostiā nō cōsecratā. Secūdò fieri potest ex conuentione inter Sacerdotē & peccatorē. Si priori modo fiat, omnes fere autores docent esse illicitum, & videtur res certa. Primo, quia datur manifesta occasio idololatriæ, nemo enim communicat, nisi priùs adoret, imo ipsa susceptio sacramenti est quidam religionis cultus. Nec refert, quod illa sit materialis idololatria præter conscientiam & intentionem adorantis, quia etiam est per se malum, vt aliquis sciens & prudens, proponat alteri adorandā creaturam cultu diuino, & mentiatur esse Deū, quod re vera non est est enim hoc mendacium perniciosum, & valde iniuriosum Deo. Addo, in hoc medio nullum vitari pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum, nec formalem (vt sic dicam) Christi iniuriam, quia ille peccator illa conscientia & existimatione panem accipiens, nō minùs peccat, quàm, si verum reciperet sacramentum. At verò, si fiat posteriori modo, scilicet, ex conuentione inter dantē & accipientem, dicunt aliqui autores hoc medium esse licitum, quia vitātur omnia incommoda, nimirùm indigna susceptio sacramenti, tam vera, quàm existimata, & periculum idololatriæ respectu peccatoris: nā, cùm iam ipse sciat, quid sibi detur, nō adorabit, respectu verò aliorum, qui adsunt, facilè vitabitur idem periculum, modo suprà inter argumentandum proposito. Quæ sententia placuit Bonauē. in 4. d. 9. & Alber. Mag. d. 13. aric. 20. & Adrian. quodlib. 3. art. 3. Sed, quòd neque hoc posteriori modo hoc sit licitum, sentit D. Thom. hic ad 2. & in 4. d. 9. art. 5. Alens. 4. p. q. 49. memb. 6. art. 2. Palud. Durand. Richar. Maior, & Sotus locis suprà citatis. Et mihi videtur verior sententia, & moraliter B ac in praxi aliter fieri non posse, quæ colligitur ex Innocent. III. in cap. De homine. de celebr. Missar. vbi ad hoc propositū dixit, *Falsa sunt abijcienda remedia, quæ veris sunt periculis grauiora.* Et ratio est fere eadem. Primò, quia illa est perniciosa fictio, quia vel verbis, vel gestu, & facto ipso affirmat Sacerdos esse Christum, ac verum Deum, quod re vera non est. Secundò, quia nō potest vitari, moraliter loquēdo, exterior idololatria, respectu quidem ipsius hominis, qui communicat, quia, vt suprà dicebam, ipsa met sumptio tali modo facta, est actus religionis, & cultus, respectu verò aliorum, qui, etiam si oculis nō videant, adorant id, quod alteri datur ad communicandum, nullatenus ergo huiusmodi medio vti licet.

D. Thom. Alens. Palud. Duran. Richard. Soto. Maior. Innocen.

In quarta obiectione inquirebatur, an doctrina C suprà data pertineat ad omnes sacerdotes, vel ad solos illos, qui ex officio tenentur sacramentum ministrare, nam aliqui autores hoc posteriori modo illā limitant, licèt in hoc sit quædam varietas: quidam enim dicunt, Sacerdotem (qui ex officio non tenetur) posse ministrare sacramentum peccatori occulto, etiam si publicè petat, non tamen ad hoc teneri. Ita sentit Caiet. Alij verò dicunt, etiam teneri: quia, cùm licitè possit, consequens est, vt etiā teneatur, propter reuerentiam debitam sacramēto, &, quia iure naturæ tenetur non dare sacramentum indigno, si commodè possit, satis autem cōmodè potest, qui potest licitè, atq; ita sentiūt Durā. Palud. & Maior. Aliorum verò opinio est, doctrinam datam generalem esse, ita vt, nec simplex Sacerdos licitè possit negare Eucharistiam peccatori occulto publicè petēti. Ita sentiūt Sotus & Ledesma, qui in eo fundātur D quòd etiam hic Sacerdos tenetur vitare scandalum & infamiam proximi. Mihi videtur distinctione vtendum, nam, si peccator occultus petat ab huiusmodi sacerdote sacramentum, antequam in altari sit publicè expositus ad dispensandum illud, Sacerdos potest licitè illud denegare, quia facilem habet excusationem, cum non teneatur. Vnde fit, vt, moraliter loquendo, nec infamet proximū, nec vllam scandali occasionem præbeat. Item, quia tunc nullā exercet actionem publicam, ad quam exercendam scientia publica necessaria sit. Vnde infero in eo casu non solùm posse licitè, sed etiam teneri ad negandum sacramentum propter rationem superfactā. At verò, si sacerdos iam sit publicè expositus, & actu dispensans sacramentum ijs, qui ad illud suscipiendum accedunt, tunc, si inter eos accedat peccator occultus, non potest repellere, quod satis confirmat Christi exemplum. Et ratio est, quia tunc iam subit ille Sacerdos munus publici ministri & dispēsatoris, & ita in eo locum habet ratio suprà facta, & aliæ rationes sumptæ ex scādalo, seu infamia, prout à nobis explicatæ sunt.

SECTIO V.

Quis sit censendus in præsente materia peccator publicus vel occultus.

HAEc materia valde necessaria est ad intelligenda omnia, quæ in superioribus sectionibus tradita sunt, tractaturq; satis prolixè, non verò admodùm distinctè, ab autoribus suprà citatis. Ex quibus distinguendi in primis sunt varij gradus occulti, & publici. Primò enim dicitur occultus peccator, qui vel à solo Sacerdote cognoscitur, vel certè ab vno, vel altero, nulla tamen infamia, vel publico rumore laborat. Secundò dici potest peccator occultus, quia certa scientia eius crimen vni vel alteri notum est, tamē apud alteros est publica suspicio, aut rumor, & aliqua infamia inde orta, & hoc solet dici delictum occultum, sed famosum. Tertiò fieri potest, vt delictū notum, aut manifestum sit tribus vel quatuor, & tunc adhuc censetur retinere gradum delicti occulti, vocatur autē probabile. Quartò est peccatum publicum euidentia facti pluribus nota. Dissentiunt autem autores in explicando, quæ multitudo hominum necessaria sit, vt delictum cēseatur hoc modo publicū. Adriā. q. penult. de Euch. cum Panorm. & alijs, requirit numerum decem hominum, qui a hic numerus necessarius est ad constituendum populum, seu parochiam. Syluest. autem verb. Notorius. §. 4. quē sequitur Nauar. in summa cap. 25. nu. 73. existimat satis esse numerum sex hominū, quia satis est, vt sciatur à maiori parte populi: numerus autem senarius est maior pars numeri denarij, qui ad populum constituendum sufficit. Sotus verò, omissis his regulis, dicit, prudentiæ sacerdotis esse hoc relinquendum quia reliqua omnia incerta sunt & parum fundata, & vix possunt præsenti instituto accommodari. D. Thom. autem in hac materia solum illud delictum vocauit absolutè publicum & notorium, quod nulla tergiuersatione potest cælari, quod sumpsit ex capit. Quæsitum, & cap. Tua nos de cohabit. Cleric. & mulierum. Quintò tandem dicitur aliquid notorium euidentia iuris, quando iuridicè aliquis conuictus est de crimine per propriam confessionem, vel per sententiam & declarationem iudicis.

Adrian. Panor. Syluest. Nauar. Soto. D. Thom.

His positis, Doctores citati absolutè docent, vt Eucharistia possit negari peccatori publicè petenti, necessarium esse, vt peccatum sit publicum, vel iuridicè, vel tam publica notitia facti, quæ iuridicæ manifestationi æquiualeat, quod solùm contingit, quando tam publicum est delictum, vt nulla tergiuersatione possit cælari, nec D. Thom. hic aliam assignat regulam, nec alij Doctores generatim aliam tradunt, quanuis in ea explicanda, & applicanda in particulari, multum inter se dissentiant, quod molestum esset, atque inutile referre. Breui enim distinctione vtendum esse censeo, nam peccator potest dici publicus, vel respectiuè, vel absolutè, respectiuè

Varij gradus occulti & publici peccati.

nè voco, id est comparatione facta ad modum, quo petit sacramentum, quia, videlicet, tam publicum est peccatū eius, quàm petitio sacramenti, vt quando illi, in quorum præsentia petit sacramentum, norunt delictum, quod aliàs est absolutè occultum, quia duobus tantùm, vel tribus notum est. Absolutè autem publicum voco, quod est multis cognitum notitia iuris, vel facti, cum qua notitia stare potest, vt illi, in quorum præsentia sacramentū petitur, ignorent delictum.

1. Concl.

Dico ergo primò, vt sacramentum negari possit peccatori, satis est, quòd eius peccatum sit publicum respectiuè, quanuis sliàs respectu aliarum actionum sit absolutè occultum; itaque satis est, vt illi, in quorum præsentia petitur sacramentum, norint delictum. Ratio est, quia hæc notitia sufficit, vt sine infamia, scandalo, vel alio incommodo, possit negari sacramentum: ergo non est, cur B ad hanc actionem maior facti euidentia, vel cognitio requiratur. Secundò, quia oportet cum debita proportione loqui de publico delicto, & de publica petitione: quia, si tunc vocatur delictum occultum, etiam petitio sacramenti vocatur occulta, quia tantùm sit coram paucis, qui delictum sciunt: ergo negandum est sacramentum ex alio principio suprà posito, quòd occulto peccatori occultè petenti Eucharistiam, non est danda: ergo, siue vno, siue alio modo loquamur, idem est, siue tunc vocemus petitionem occultam, siue peccatorem publicum respectiuè, res tamen eodem reuoluitur, scilicet, quòd in eo casu neganda sit Eucharistia, quandocunque petitur coram eis tantùm, qui delictum nouerūt. Dices, esse periculum, ne illi statim referant alijs, huic homini esse negatum sacramentum, propter peccatū eius, C atque ita illum infament. Respondetur, eodem modo possunt illum infamare, manifestando peccatum eius, & maius periculum est, si in publicum proferant, quòd indignè communicauit, & quòd sacerdos dedit sacramentum peccatori, sibi & alijs adstantibus cognito: ergo ex eo, quòd sacerdos in eo casu neget sacramentum, nullum accrescit periculum infamiæ.

Obiectio. Solutio. 2. Concl. D. Thom.

Dico secundò, quando vel omnes, vel aliqui eorum, qui adsunt petitioni sacramenti, ignorant delictum peccatoris, non potest negari sacramentum, nisi aliàs delictum sit publicum per euidentiam iuris, aut facti, quæ illi æquiualeat. Ita censeo esse intelligendam sententiam Diui Thomæ, & communem. Et ratio est, quia tunc delictum est occultum respectiuè, id est, respectu eorum, qui vident sacramentum ab hoc homine postulari: ergo si etiam sit occultum absolutè, nullo modo est publicum: ergo nullum est ius ad negandum sacramentum, nec negari poterit sine periculo scandali, aut infamiæ, cùm ille peccator, neque absolutè infamatus sit, neque respectu eorum hominū, qui adsunt. Et hac ratione notāt autores, non satis esse, quod delictum sit probabile, vt videre licet in Richardo in 4. distinctione 9. artic. 3. quæstione 1. Gabriel quæst. 2. Nauar. cap. 21. num. 55. quia sola probabilitas delicti nō facit illud publicum, nec tollit ius in foro Ecclesiæ, donec talis probatio in iudicio fiat; atque ita sit iam delictum publicum notitia iuris, vt colligitur ex cap. Tua nos de cohabit. cleric. & mulier. D

Richard. Gabr. Nauar. 3. Concl.

Dico tertiò, si delictum sit absolutè publicum altero è duobus modis suprà positis, scilicet, euidentia iuris, vel facti, id satis est, vt sacramentum negari debeat, etiam si peccatum non sit notum illis, in quorum præsentia sacramentum petitur. Hoc colligitur ex Diuo Thoma, qui sine restrictione locutus est, & Soto etiam generatim hoc docuit. Et ratio est, quia per illam publicam notitiam amittit peccator ius petendi hoc sacramentum publice & in foro Ecclesiæ: quod autem hæ personæ, quæ huic facto adsunt, illud peccatum ignorent, est per accidens, & ideo peccatori nullum inde ius oritur. Et confirmatur primò, quia tunc nulla sequi possunt moralia incommoda, quia ille peccator iam est publicè infamis, & ideo nullius momenti esse censetur, quòd denuo infametur apud aliquos, qui adsunt petitioni sacramenti & peccatum ignorabant; & hoc ipsum imputandū est ipsi peccatori, qui, cùm sit in peccato publico, audet ad sacramentum accedere, & eadem ratione non sequitur scandalum, quia, si res est adeò nota, facilè poterit ijs, qui adsunt, satisfieri. Et confirmatur secundò, quia quando sic est delictum publicum, morale est, vt paulò post deueniat in eorum notitiam, qui nunc ipsum ignorant: vnde, si tali peccatori sacramentum detur coram eis, moraliter etiam consequetur, vt posteà intelligant, illum indignè communicasse, & sacerdotem dedisse illi sacramentum, cognoscendo statum eius, quod verget in maius scandalum. Et hæc quidem in genere vera sunt, & (vt ego existimo) nullam habent exceptionem, quando delictum est notorium iuridicè, siue petitio fiat in eodem loco, siue in alio. Quòd enim quidam existimant, quanuis non sit contra iustitiam, negare publicè sacramentum peccatori iuridicè alicubi infamato, esse tamen contra caritatem negare in illo loco, vbi non est infamatus, propter illam vulgarem doctrinam, quòd ex caritate non licet manifestare crimē, propter quod aliquis punitus est in aliquo loco, infamando illum in alio, vbi ignoratur eius crimen. Hoc (inquam) non mihi non mihi probatur, nec censeo regulam illam communem conuenienter hic applicari: nam, licet catitas obliget ad non infamandum in vno loco peccatorem, alibi iuridicè infamatum sine causa rationabili, aut ad vitandum aliquod malum, cuius ipse peccator sit causa; tamen, si huiusmodi infamationis iusta aliqua, & rationabilis causa intercedat, cessabit obligatio caritatis, supposito, quòd peccator per sententiam iudicis omne ius iustitiæ amiserit: ita verò est in præsente, quia peccator, cuius crimen est iuridicè publicum, omne ius iustitiæ amisit, & alioqui iniquè se ingerit, & est causa grauissimi sacrilegij: nō ergo obligauit tunc caritas ad tuendam famam eius. De alio verò genere infamiæ, quod est per euidentiam facti, illud solùm supererat explicandum, quando sit censendum delictum sufficienter publicum, ac nulla tergiuersatione cælari posse. In qua re veram esse iudico sententiam Soti, videlicet ex solo numero personarum non posse vniuersalem regulam tradi, sed prudentia opus esse, vt pensata qualitate loci delicti, & personarum, quæ illud norunt, iudicetur, an sit sufficienter publicum, necne.

D. Thom. Soto.

(***)

SECTIO VI.

Utrùm hoc sacramentum dandũ sit hominibus de crimine aliquo suspectis.

DVobus modis intelligi potest, dari Eucharistiam homini suspecto de crimine. Primo, ad probationem seu purgationem delicti, secundo, ad vsum sacramenti, & effectum eius, & de vtroque modo breuiter dicendum est.

Circa primũ cõmunis doctrina est, nunquã licere dari alicui Eucharistiã in probationem, seu purgationem suspicionis criminis. Ita D. Thom. hic ad 3. & in 4. d. 9. vbi reliqui Theologi, & Alens. 4. part. q. 49. memb. 2. art. 2. Summistæ, verb. Eucharistia, Glossa, & Doctores iuris canonici, in c. Sæpe contingit. 2. q. 4. Et ratio est, quia hoc fine dare, & sumere sacramentum, est tentare Deum: nã est petere ab eo, vt aliquo extraordinario signo manifestet hominis delictũ, quod est superstitiosum: cur enim hoc facturus est Deus, cũ, nec promiserit, nec necessariũ sit? aut, cur homo, qui suscipit sacramentũ, existimabitur innocens & immunis à delicto, solũ quia Deus nihil miraculosum, & inusitatũ in ipso operatur? vana quidẽ est, & sine fundamento, talis existimatio. Et ideo huiusmodi probationis modus reprobatus est in iure. c. Ex tuarum, & reliquis de purgat. canon. & de purgat. vulg. & in c. Cõsuluisti. & c. Minas. 2. q. 5. de qua re latiùs agitur 2. 2. q. 95. ar. 8. neque obstat, quod in Lege veteri fiebat similis ꝓbatio in lege Zelotipiæ. Num. 5. nã illud factum est iussu Dei, qui promisit, exhibiturum se in eo euentu aliquod signum, quo veritas manifestaretur, & ideò postulare tale signum, non erat tentare Deum, sed erat consentaneum voluntati & promissioni eius: secus verò est, vbi nulla intercedit talis promissio.

Dubium. Superest verò in hac cõmuni doctrina difficultas ex c. Si Episcopo. & c. Sæpe contingit. 2. q. 5. quæ sumpta sunt ex Concil. VVormatiensi c. 10. *Solutio.* & 15. vbi approbatur hic modus probationis in cap. Nobilis homo, quod Gratianus in eadẽ quæstione citat ex Concilio Triburiensi approbatur per ferrum candens, vel per aquam feruentẽ; quod decretum citat etiã Burch. lib. 16. sui decret. cap. 19. & ex eodem Concil. cap. 10. vbi non reperio, neque expressè in toto illo Concilio, quamuis in capit. 22. aliquid significetur. Respondetur ad priora decreta, duobus modis posse suscipi Eucharistiam ad purgandam suspicionem delicti. Primò in sensu explicato, scilicet, vt si homo sit nocens, Deus id ostendat aliquo signo, verbi gratia, occidendo illum, aut alio simili, aut illæsum seruando, si sit innocens; & ita videtur intellexisse D. Tho. illa decreta, quæ dicit, fuisse per posteriora Concilia retractata, quod fuit modestè dicere, illud Concilium errasse: potuit enim errare, cum Prouinciale fuerit, & paucorum Episcoporum. Alio modo potest intelligi hæc probatio per modum iuramenti in testimonium veritatis, & hoc sensu intellexit illa decreta idem D. Thom. in 4. distinct. 9. quæst. 1. articu. 5. quæstiuncula 2. ad secundum. Gabriel quæst. 2. artic. 3. dub. 5. Maior quæstione 4. in argum. contra 5. conclus. Adrianus quodlib. 3. ar. 3. Alens. suprà, qui omnes docent, ex natura rei hoc non esse intrinsecè malum, quia non est tentare Deum, sed solùm est graue quoddam iuramentum. Dices, esse quendam abusum sacramenti, & occasionem indignè illud sumendi, vt aliquis se innocentem ostendat, cùm non sit. Respondetur, per se non esse abusum, cùm ille finis non sit malus, neque à rebus sacris alienus: nam iuramentum etiam est res sacra, & tamen illo vtimur ad confirmandam veritatem, & purgãdum delictum; quapropter exigere ab aliquo iuramentum ad hunc finem, non est per se malum, quamuis fortasse multi inde sumant occasionem ad committendũ periurium: quia hæc occasio non est data, sed accepta: imò ait Diuus Thomas, hunc modum posse esse vtilem ad perseuerandum hominem à peccato: nã si intelligat se daturum testimonium suæ conscientiæ illo grauissimo modo, peccare timebit. Nihilominùs tamen sentiunt ijdem autores, hunc modũ probationis seu iuramenti esse iure positiuo prohibitum. Ego verò non inuenio hoc ius scriptum: nã iura priùs citata non loquuntur de hoc modo probationis, sed de priori, in quo tentatur Deus. Quapropter non auderem hunc iuramenti modum semper damnare: consulerem tamen non vti illo, & præsertim non exigere illum: quia re vera non est consentaneus reuerentiæ debitæ huic sacramento, & expositis multis sacrilegijs, præsertim quando ab alio exigitur; atque ita ipso vsu & consuetudine videtur omnino abrogatus hic iurandi modus; qui maximè est illicitus, & inutilis, quando is, à quo purgatio exigitur, nõ tenetur delictum suum manifestare; & ideò grauiter peccat maritus, qui ad hoc interdum cogit vxorem, vt se à suspicione adulterij purget; peccant etiam Prælati, & superiores, qui hoc modo volunt occulta delicta inquirere: quia non habent ius hoc præcipiendi, aut eo modo inquirendi delictum. At verò, si quis voluntate sua, sine alterius coactione, hoc medio communicandi vtitur, ad astruendam & confirmandam suam innocentiam, id, neque per se malum est; neque omnino inusitatum: sic enim fecisse legimus Gregor. VII. Ponti. coram Henric. IIII. in probationem suæ innocentiæ, & inuitasse illum ad communicandum, & simile testimonium suæ conscientiæ reddendum; eum autem non fuisse ausum sumere, vt refert Lambertus, in Histor. rerum Germaniæ.

Greg. VII. Henric. 4. Lambert.

D. Thom. Gabr. Maior. Adrianus. Alexand.

Circa posteriorem partẽ Sotus absolutè docet, non posse negari hoc sacramentum alicui propter solam criminis suspicionem. Sed distinctione opus est, quam significauit Glossa in capite. Dixit Dominus. Vbi distinguit triplicem suspicionem, temerariam, probabilem, violentam. De prima certum est, non sufficere ad negandum sacramentum: quia talis suspicio nullo probabili fundamento nititur: vnde non est rationabilis, sed potiùs iniusta. De secunda etiam est dicendum, non sufficere ad negandum sacramentum: tum enim dicitur suspicio probabilis, quando intercedit sufficiens ratio ad generandum dubium, non verò ad iudicandũ simpliciter de peccato alterius; in casu autem dubij melior est conditio possidentis, &, quando aliquis non sufficienter probatur malus, præsumẽdus est bonus: ergo, cùm homo habeat ius ad sacramentum, non debet propter solam prædictam suspicionem vel dubitationem illo priuari. Dices, etiam potest sacramẽtum dici possidere ius suum, vt dignè tractetur. Respondetur, quando sacramentũ datur homini

[illegible] ... denegetur ... per Eucharistiam.

homini sic suspecto, non fit contra hoc ius ex parte dantis; quòd si fortasse suscipiens indignè illud tractet, cùm hoc lateat, non potest danti imputari; & ideò non potest hac sola de causa alterum priuare iure suo, de quo ibi constat, non autem de peccato eius. Tertia suspicio, quæ, scilicet, violenta est, & probabili ratione deponi non potest, sufficit ad negandum sacramentum, iuxta communẽ Theologorum doctrinam in 4. distinct. 9. vbi D. Thomas quæst. 1. artic. 5. quæstiunc. 2. Richard. art. 3. quæst. 7. Gabr. quæst. 2. articul. 3. dub. 2. Alens. 4. part. quæst. 49. memb. 2. artic. 1. Antonin. 3. part. tit. 14. cap. 12. §. 2. Et ratio est, quia violenta suspicio nititur talibus signis, & indicijs, quæ, licèt non faciant euidentiam rei in se, faciunt tamen moralem probabilitatem, & sufficiunt ad probabile iudicium ferendum, quando in contrarium nihil est, quod excuset, aut suspicionem eleuet: ergo sufficit etiam ad negandum sacramentum. Hæc verò doctrina intelligenda est iuxta principia suprà posita: nam, si suspicio sit publica, sufficiet ad negandũ sacramentum publicè; si verò sit priuata & occulta, sufficiet ad negandum sacramentum occultè, non tamen publicè. Aliqui verò limitant hanc doctrinam, vt non procedat in articulo mortis: nam, si in illo homo, de quo talis suspicio habetur, neget delictum, & alioqui præbeat signa bonæ dispositionis, non videtur illi negandum sacramentum, tum propter periculum, tum quia illæ circunstantiæ videntur maximi ponderis ad deponẽdam suspicionem. Quæ doctrina mihi non displicet, quia est pia, & non tam est limitatio, quàm declaratio communis sententiæ; nam, vt diximus, in eo casu signa occurrunt, quæ suspicionem eneruant.

D. Thom. Richard. Gabr. Alens. Antonin.

ARTICVLVS VII.

Utrùm nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius sacramenti.

2. 2. q. 154. art. 4. q. 5. & ... q. 28. ...

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod nocturna pollutio nõ impediat aliquem à sumptione corporis Christi. Nullus enim impeditur à sumptione corporis Christi, nisi propter peccatum. Sed nocturna pollutio accidit sine peccato: dicit enim Augustinus 12. super Gen. ad literam, ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cùm expressa fuerit in visione somniantis, vt inter illam, & veram coniunctionem corporum non discernatur, continuò mouetur caro, & sequitur, quod eum motum sequi solet, cùm hoc tam sine peccato fiat, quàm sine peccato à vigilantibus dicitur, quod, vt diceretur, proculdubio cogitatum est. Ergo nocturna pollutio non impedit hominem ab huius sacramenti sumptione.

Lib. 12. c. 15. ... tom. 3.

¶ 2 Prætereà, Gregorius dicit in epistol. ad Augustinum Episcopum Anglorum: Si quis sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed tantum procreandorum liberorum gratia vtitur, ille profectò, siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo corporis Dominici mysterio, suo est iudicio relinquendus, quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Ex quo patet, quod carnalis pollutio, etiam vigilantis, si sit sine peccato, non prohibet hominẽ à sumptione corporis Christi. Multò igitur minus prohibet nocturna pollutio dormientis.

Lib. 12. Registri ad interrogationem Aug. c. 10. non lon-gè à fin. & habetur 33. q. c. 7. post med.

¶ 3 Prætereà, Nocturna pollutio videtur solam immunditiam corporalem habere. Sed aliæ immunditiæ corporales, quæ secundum legem impediebant ab ingressu sanctorum, in noua lege non impediunt à sumptione huius sacramenti, sicut de muliere pariente, vel menstruata, vel fluxum sanguinis patiente, scribit beatus Gregorius August. Anglorum Episcopo. Ergo videtur, quòd neque etiam nocturna pollutio impediat hominem à sumptione huius sacramenti.

Loco nunc dicto parum ante med. ca. 10.

¶ 4 Prætereà, Peccatum veniale non impedit hominem à sumptione huius sacramẽti, sed nec etiam peccatum mortale post pœnitentiam. Sed dato, quòd nocturna pollutio proueneri t ex aliquo peccato præcedẽti (siue crapulæ, siue turpium cogitationum) plerũque tale peccatum est veniale: & si aliquando sit mortale, potest cõtingere, quod de mane pœnitet, & peccatum suum confitetur. Ergo videtur, quòd non debeat impediri à sumptione huius sacramenti.

¶ 5 Prætereà, Grauius peccatum est homicidij, quàm fornicationis. Sed si aliquis de nocte somniet se homicidium perpetrare; aut furtum, aut quodcunque aliud peccatum, non propter hoc impeditur à sumptione corporis Christi. Ergo videtur, ꝙ multo minus fornicatio somniata cum pollutione subsequente, impediat à sumptione huius sacramenti.

SED contrà est, quod Leuit. 15. dicitur: Vir, de quo egreditur semen coitus, immundus erit vsque ad vesperũ. Sed immundis nõ patet aditus ad sacramenta. Ergo videtur, quod propter pollutionem nocturnam aliquis impediatur à sumptione huius sacramenti, quod est maximum sacramentum.

RESPONDEO dicendum, quòd circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari. Vnũ quidem, ratione cuius ex necessitate impedit hominem à sumptione huius sacramenti. Aliud autem, ratione cuius non ex necssitate impedit hominem ab huiusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia. Ex necessitate quidem impedit hominnm ab huius sacramẽti

Universidad de Deusto
Biblioteca

perceptione solum peccatum mortale. Et quanuis nocturna ipsa pollutio secundùm se considerata, peccatum mortale esse non posit, nihilominus tamen ratione suæ causæ, quandoque habet peccatum mortale annexum. Et ideò consideranda est causa pollutionis nocturnæ. Quandoque enim prouenit à causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusione, qui, sicut in 4.111.ar.3. prima parte habitum est, phantasmata commouere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque verò prouenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet, ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa B intrinseca corporali, vel ex superfluitate, siue debilitate naturæ, siue etiam ex superfluitate cibi, vel potus. Quælibet autem harum trium causarum potest, & sine peccato, & cum peccato veniali; vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem huius sacramenti, ita, scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis & sanguinis Domini. Si verò sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque prouenit ex præcedente negligentia præparationis ad deuotionem, quæ potest esse & mortale & Aliàs deuotionem & orationem. veniale peccatum. Quandoque verò prouenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem à sumptione huius sacramenti. Vnde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionẽ semper in festis, in quibus erat communicãdum, seniores, comperto, quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreuerũt, quod propter hoc à communione non cessaret: & ita cessauit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lasciuæ, quandoque possunt esse omnino sine peccato, putà, cum aliquis causa lectionis, vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentia & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ. Ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex autoritate Augustini suprà inducta. Quandoque verò præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia, & delectatione: & si adsit cõsensus, erit peccatum mortale, si autem desit, erit venia. Similiter etiam, & causa corporalis, quãdoque est sine peccato, putà, cum est ex infirmitate naturæ. Vnde & quidam, etiam in vigilando, absque peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiam si sit ex superfluitate naturæ, sicut enim contingit, sanguinem fluere absque peccato, ita & semen, quod

In argu. 1.

A est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum. Quandoquidem verò est cum peccato, putà, cùm prouenit ex superfluitate cibi, vel potus, & hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale, licèt frequẽtiùs peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quàm circa sumptionem cibi & potus. Vnde & Gregor. scribens August. Anglorum Episcopo dicit, cessandum esse à communione, quando ex turpibus cogitationibus prouenit, non autem quando prouenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, vtrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem huius sacramenti. Ex quadã verò congruentia impedit quantum ad duo, quorum vnum semper accidit, scilicet, quædã fœditas corporalis, cum qua, propter reuerentiã sacramenti, non decet ad altare accedere (vnde & volentes tangere aliquid sacrum, manus lauant) nisi fortè talis immunditia sit perpetua, vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi. Aliud autem est euagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè, quando cũ turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate prouenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, putà, vt Gregor. dicit, cũ fortasse, aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.

Li. 1. de gest. Anglor. c. 28. & ind. 9. c. 19. prima & prim.

Loco citato in dicta addit. reg. 11. lib. c. 13.

A D primum ergo dicendum, quod ex necessitate quidem non impeditur homo à sumptione huius sacramenti, nisi propter peccatum mortale, sed ex quadam conuenientia potest homo impediri propter alias causas, sicut dictum est.

In Corp.artic.

A D secundum dicendum, quod coitus coniugalis, si sit sine peccato (putà, si fiat causa prolis generandæ, vel causa reddendi debitum) non alia ratione impedit sumptionem huius sacramenti, nisi sicut dictum est de pollutione nocturna, quæ accidit sine peccato, scilicet, propter immunditiam corporalem & mentis distractionem. Ratione cuius Hier. dicit super Matth. Si panes propositionis ab his, qui vxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de cælo descendit, nõ potest ab his, qui coniugalibus paulò ante hæsere cõplexibus, violari, atque contingi: non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi fumus, vacare à carnalibus operibus debeamus. Sed quia hoc secundum congruitatem, & non secun-

In Cor.ar.

Referuntur 3.d. 9.4.q.1.Solu.

Lib.tertio in 4. & habetur 33.q.4. ca. ex præcepto.

Lect.regestri de cæremon. mod.

secundum necessitatem est intelligendum, A gerer, posita illa causa, non sequi pollutionem in Gregorius dicit, quod talis est suo iudicio relinquendus. Si verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere (vt ibidem Gregorius subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum.

A D tertium dicendum, quod sicut Gregorius dicit in epistola suprà dicta ad August. Anglorum Episcopum, in veteri Testamento aliqui polluti dicebantur figuraliter, quod populus nouæ legis spiritualiter intelligit. Vnde huiusmodi corporales immunditiæ, si sint perpetuæ, vel diuturnæ, non impediunt sumptionem huius sacramenti salutaris, sicut impediebant accessum B ad sacramẽta figuralia. Si verò citò transeat (sicut immunditia pollutionis nocturnæ) ex quadam congruentia impediunt sumptionem huius sacramenti, per illum diem, quo hoc accidit. Vnde & Deuteronom. 23. dicitur. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua.

A D quartum dicendum, quod licet per contritionem & confessionẽ auferatur reatus culpæ, non tamen auferatur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consecuta. C

A D quintum dicendum, quod somnium homicidij non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam distractionem mentis, sicut fornicatio somniata propter delectationis intentionem. Si tamen somnium homicidij prouenit ex causa, quæ est peccatum, præsertim mortale, impedit à sumptione huius sacramenti, ratione suæ causæ.

COMMENTARIVS.

NOtandum est, in pollutione duo posse cõsiderari, primum est fœditas, vel macula corporalis, quam ipsa secum portat. Secundum est culpa, vel causa, ex qua procedit, quæ D interdum est peccarum mortale, interdum veniale, interdum verò nullum. Et quidem, quando ex peccato mortali oritur, eadẽ ratio est de illa, quæ de cæteris peccatis; nam post talem pollutionem non licet sumere sacrametum, vt Diuus Thomas docet in corpore articuli, nisi præmissa debita pœnitentia, vt ipse limitat, ac declarat in solutione ad quartum: nam si prioris peccati debita pœnitentia fiat, iam eadem ratio erit de illa pollutione, & de quacunque alia, quæ sequitur ex causa inculpabili. Vnde intelligitur, hoc impedimentum sub hac ratione culpæ non prouenire propriè ex ipsa externa pollutione, quam aliquis in somno patitur, sed ex peccato, vnde pollutio orta est: quia in illo est tota ratio culpæ, quæ impedit. Quare si continmortalis committatur, quia tota ratio huius impedimenti necessariò prouenit ex generali ac cõmuni ratione peccati mortalis, non ex modo eius. Et ità D. Thom. varia exempla ponit, quæ ex dictis facilè intelligentur: nam vtrumque modum peccandi continent, &, pro eorum diuersitate, facilè possunt singulis accommodari. Illud solum videri potest difficile, quod D. Tho. ait, in pollutione, quæ prouenit ex illusione dæmonũ, interdũ præcedere peccatũ mortale, si illusio dæmonũ prouenit ex præcedenti negligẽtia præparationis ad deuotionem, quæ potest esse, & mortale, & veniale peccatũ. Vix enim reperiri potest, quãdo, & quomodo huiusmodi negligẽtia sit peccatũ mortale: quia neq; ex se, aut ex obiecto suo videtur habere hanc malitiam; neq; etiã ex pollutione secuta: supponim⁹ enim nõ esse intentam. Quapropter nisi hæc negligẽtia habeat coniunctũ morale periculũ, cõsensus in ipsam pollutionẽ, vel in aliquod aliud peccatũ mortale, nõ potest in hac negligentia inueniri mortalis lapsus. Atq; hinc satis expositа est quoad hanc partẽ literæ mẽs D. Thom. Solet autẽ hac occasione hic disputari, quando actus, qui est causa pollutionis, sit ex hoc capite peccatũ mortale. Item quãdo causa fuit peccatũ, an pollutio ipsa, quæ in somnis accidit, dicenda sit peccatum, vel tantum effectus peccati: sed hæc aliena sunt ab hoc loco, habent autem eum proprium in 1. 2. in materia de peccatis, & in 2. 2. quæst. 154. art. 5. Videri etiã possunt D. Thom. opusc. 64. & quæst. 28. de veritate. art. 3. & in 4. d. 9. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. vbi late Paludan. Major. Rich. Bonauent. Duran. & Gab. ibi, & d. 17. & lect. 10. in Can. Alexan. Alens. 4. p. q. 47. membr. 1. Adr. q. 4. de Euch. Cai. in 2. 2. suprà. & opusc. 27. q. 16. Gerson. alphabeto 37. & opusc. de præpar. ad Miss. cõsider. 8. Ant. 2. p. tit. 6. c. 5. Turrecrem. d. 6. Decreti. c. 1. Sotus in 4. d. 12. q. 1. ar. 7. Cord. lib. 1. q. 7. & lib. 2. q. 23. Nau. in Sum. c. 16. n. 6. & 8. & c. 21. n. 51. Vict. in sum. nu. 72. & seliqui Sũmistæ verb. Pollu. & verb. Euch. vel cõ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munio. Omissa ergo culpa, ex qua pollutio manare A
potest, de qua satis dictū est propria quæstione, so
lū superest de impedimento, quod ad cōmunicandum potest afferre ipsa exterior pollutio ratione corporalis maculæ, & hoc sensu dicit secundò Diuus Thomas ipsam per se non impedire ex necessitate, seclusa culpa mortali, impedire tamen ex congruitate & decentia, tum propter fœditatem corporis, tum propter distractionem mentis, quæ inde oriri solet, quod in fine articuli limitat, nisi propter occurrentem rationabilem causam aliud expedire iudicetur, de quo dicemus plura disputatione sequente.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm cibus, vel potus præassumptus impediat sumptionem huius sacramenti. B

Inf. ar. 9. cor. Et 2. 2. quæst. 174. ar. 6. ad 2. Et 4. d. 8. q. 1. ar. 1. q. 1. & 2. Et 1. co. 11. dect. 4. in 4.

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd cibus vel potus præassumptus non impediat sumptionem huius sacramenti. Hoc enim sacramentum est à Domino institutum in cœna. Sed Dominus postquam cœnauit, hoc sacramentum discipulis suis tradidit, sicut patet Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Ergo videtur, quod etiam post alios cibos assumptos nos debeamus sumere hoc sacramentum.

¶ 2 Præterea 1. Corint. 11. dicitur: Cum conuenitis ad manducandum, scilicet corpus Domini, inuicem expectate, si quis autem esurit, domi manducet. Et ita videtur, quod postquam aliquis domi manducauerit, possit in Ecclesia corpus Christi manducare. C

In Concil. 3. Cartag. can. 29. & habetur de consec. d. 1. c. Sacramenta altaris.

¶ 3 Præterea, In Concil. Carthagin. legitur, & habetur de conse. distinct. 1. Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo cœna Domini celebratur. Ergo saltem illa die aliquis potest corpus Christi post alios cibos sumere.

¶ 4 Præterea, Sumptio aquæ, vel medicinæ, vel alterius cibi, vel potus in minima quantitate, vel reliquarum cibi in ore manentium, neque ieiunium Ecclesiæ soluit, neque sobrietatem tollit, quæ exigitur ad hoc quod aliquis reuerenter sumat hoc sacramentum. Ergo per prædicta non impeditur aliquis à sumptione huius sacramenti. D

¶ 5 Præterea, Quidam de nocte prosunda comedunt, aut bibunt, & fortè totam noctem insomnem ducentes, de mane percipiunt sacra mysteria nondum plenè digesti. Minus autem impediretur sobrietas hominis, si in mane parum comederet, & posteà circa nonam sumeret hoc sacramentum, cum etiam sit quandoque maior distantia temporis. Ergo videtur, quod talis cibi præassumptio non impediat hominem ab hoc sacramento.

¶ 6 Præterea, Non minor reuerentia debetur huic sacramento iam sumpto, quàm ante sumptionem. Sed sumpto sacramento licet cibum, aut potum sumere. Ergo & ante sumptionem.

Epist. 118. 6. ante med. tom. 2.

SED contrà est, quod Augustinus dicit in lib. responsionum ad Ianuarium, Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, priùs in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi.

RESPONDEO dicendum, quòd aliquid impedit sumptionem huius sacramenti dupliciter. Vno modo secundùm se: sicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad significatum huius sacramenti, vt suprà dictum est. Alio modo propter prohibitionem Ecclesiæ. Et sic impeditur aliquis à sumptione huius sacramenti post cibum & potum assumptum, triplici ratione. Primò quidem, sicut Augustinus dicit, honorem huius sacramenti, vt, scilicet, in os hominis intret, nondum aliquo cibo, vel potu infectum.

Ar. praced. ar. 4. huius.

Epist. 118. 6. ante med. tom. 2.

Secundò propter significationem, vt, scilicet, detur intelligi, quod Christus (qui est res huius sacramenti) & caritas eius, debet primò fundari in cordibus nostris, secundum illud Matthæi 6. Quærite primū regnum Dei. Tertiò, propter periculum vomitus & ebrietatis: quæ quandoque contingunt, ex hoc quod homines inordinatè cibis vtuntur, sicut & Apostolus dicit 1. Corinth. 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communicandi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne sine cōmunione decedant: quia necessitas legem non habet. Vnde dicitur de conf. distinct. 2. Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur.

De consec. d. 2. c. Presbyter.

AD primum ergo dicendum, quòd sicut Augustinus in eodem lib. dicit: Neque, quia post cibos Dominus dedit, propterea pranfi, aut cœnati fratres ad hoc sacramentum accipiendū conuenire debent, aut mensis suis miscere: sicut faciebant quos Apostolus arguit & emēdat. Namque Saluator, quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorū. Et ideò non præcepit, quod deinceps tali ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesia dispositurus erat, seruaret hunc modum.

Epist. 118. 6. in med. tom. 2.

AD

Tertul. inter opera. ibi collat.

AD secundum dicendum, quòd illud verbum in Gloss. sic exponitur: Si quis Esurit, & impatiens non vult expectare alios, māducet domi cibos suos, id est, pane terreno pascatur, nec post Eucharistiam sumat.

AD tertium dicendum, quod capitulum illud loquitur secundùm consuetudinem aliquando apud aliquos obseruatam, vt in repræsentationē Dominicæ cœnæ illo die à non ieiunis corpus Christi sumeretur. Sed nunc hoc abrogatum est, nam sicut Augustinus in lib. prædicto dicit, per vniuersum orbem mos iste seruatur, vt, scilicet, corpus Christi à ieiunis sumatur.

Epist. 118. 6. ante med. tom. 2.

2. 2. q. 147. ar. 6. ad 2. ar contrarium.

Ad quartum dicendum, quòd (sicut in secunda parte habitum est) duplex est ieiunium. Primum est ieiunium naturæ, quod importat priuationem cuiuscunque præassumpti, per modum cibi vel potus, & tale ieiunium requiritur ad hoc sacramentum propter prædicta. Et ideò, neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcunque parua quantitate, licet hoc sacramentum accipere. Nec refert, vtrùm aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se, aut cum alijs, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. Reliquiæ tamen cibi, remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti, quia non traijciuntur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Et eadem ratio est de reliquijs aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traijciantur in magna quantitate, sed permistæ saliuæ, quod vitari non potest. Aliud autem est ieiunium Ecclesiæ quod instituitur ad carnis macerationem. Et tale ieiunium per prædicta non impeditur, quia prædicta non multum nutriunt, sed magis ad alterandum sumuntur. B

In Cor. ar.

AD quintum dicendum, quòd cùm dicitur, quòd hoc sacramentum priùs, quàm alij cibi, debet in os Christiani intrare, non est intelligendum absolutè, respectu totius temporis: alioquin, qui semel comedisset vel bibisset, nunquam posset posteà hoc sacramentum accipere, sed est intelligendum quantum ad eundem diem. Et licèt principium diei secundùm diuersos diuersimodè sumatur, nam quidam à meridie, quidam ab occasu, quidam à media nocte, quidam ab ortu solis, diem incipiunt; Ecclesia tamen Romana die à media nocte incipit. Et ideò, si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi vel potus, non potest eadem die hoc sumere sacramentum: Potest vero, si ante mediam noctem. Nec C D refert, vtrùm post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quātum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter insomneitatem vel indigestionem. Ex quibus, si mens multùm perturbetur, homo redditur ineptus ad sumptionem huius sacramenti.

AD sextum dicēdum, quòd maxima deuotio requiritur in ipsa sumptione huius sacramenti, quia tunc percipitur sacramenti effectus, quæ quidem deuotio magis impeditur per præcedentia quàm per sequentia, & ideo magis est institutum, quod homines ieiunent ante sumptionem huius sacramenti, quàm post. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem huius sacramenti & reliquos cibos. Vnde & in Missa, oratio gratiarum actionis post communionem dicitur, & communicantes etiam suas priuatas orationes dicunt. Secundum tamē antiquos canones statutum fuit à Papa Clemente (vt habetur de consecrat. dist. 2.) Si mane Dominicā portio editur, vsque ad sextam ieiunent ministri, qui eam sumpserunt, & si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vsque ad vesperum. Antiquitus enim rarius Missarum solennia celebrantur, & cum maiori præparatione, nunc autem, quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, nō posset de facili obseruari, & ideò per contrariam consuetudinem est abrogatum.

De consecr. d. 2. cap. Tribus gradibus.

LIttera Diui Thomæ clara est, de ipsa verò re statim disputabimus.

DISPVTAT. LXVIII.

De corporali dispositione ex præcepto necessaria ad suscipiendum hoc sacramentum.

Disputatio trigesima de Eucharistia.

IN præcedentibus disputationibus dictum est de præceptis pertinentibus ad spiritualem animæ dispositionem, sequitur ergo, vt dicamus de his, quæ conuenientem corporis dispositionem iniungunt. Possumus autem hic triplicem dispositionem distinguere; antecedentem, concomitantem, & consequentem, & quælibet harum esse potest, aut priuatiua, vt abstinentia cibi & potus, aut positiua, vt actus aliquis, aut decens corporis ornatus. Denique in his omnibus considerari potest, quid ex natura rei sit necessarium, quid verò ex Ecclesiæ præcepto. Hęc igitur omnia breuiter attingemus, & obiter declarabimus externum ritum in vsu huius sacramenti seruandum.

SECTIO I.

Vtrùm aliqua corporis bona diſpoſitio neceſſaria ſit ad hoc ſacramētum ſuſcipendum.

DIſpoſitio corporis poſitiua, de qua loquimur non poteſt intelligi, niſi aut in veſtitu, aut in habitu externo, aut in decēte corporis cōpoſitione, ſeu exteriori actione & geſtu: nā præter hæc non poteſt aliqua corporis qualitas excogitari, quæ ad dignè communicandū neceſſaria ſit, qualis eſt ſanitas aut pulchritudo, vel aliquid eiuſmodi: hæc enim, vt per ſe conſtat, neceſſaria nō ſunt, niſi fortaſſe interdū propter vitandā aliquā indecentiam, de quo dicemus ſectione ſequente. Deinde ſupponendū eſt, de huiuſmodi corporali diſpoſitione nihil eſſe diuino iure poſitiuo ſtatutū: tale enim ius, neque ſcriptū, nec traditū eſt; quinimò, vt Auguſt. dixit Epiſt. 118. c. 6. & ſignificauit Concil. Trident. ſeſſ. 21. c. 2. in his, quæ ad modū diſpenſandi hoc ſacramentū pertinent, & ſunt extra ſubſtantiam eius, Chriſtus Dominus nihil ſtatuit, ſed eam poteſtatem Eccleſiæ commiſit. *August. Concil. Trid.*

2. Concluſio. Secundò dicendū eſt, iure etiā Eccleſiaſtico nihil eſſe ferè in hac re ſtatutū: nulla enim ſpecialis ceremonia præcepta eſt cōmunicanti, neq; quoad corporis veſtimenta, neque quoad aliquā corporis actionem, ſeu geſtū, aut ſitum corporis. Probatur, quia nullū decretum de hac re ſcriptum inuenitur, neque Eccleſiaſtica conſuetudine aliquid huiuſmodi introductū eſt, vt experientia conſtat, & ſtatim ampliùs explicabimus. Solùm quoad ſacerdotes, quādo extra ſacrificiū communicāt more laicorū, inuenio præceptū in Concil. Brach. III. c. 2. & habetur in cap. Eccleſiaſtica. 13. d. vt ſtolam ſuper vtrumq; humerum impoſitā habeant, quādo communicant, & pœna excōmunicationis ferendæ imponitur eis, qui hoc nō obſeruant: quæ lex videtur etiam nunc vſu recepta & ſeruata. Sed in primis, ſi verba illius decreti attentè expendantur, non videntur generaliter hoc præcipere, ſed *cùm Sacerdos*, inquit, *ad ſolennia Miſſarum accedit, aut per ſe Deo ſacramentum oblaturus, aut ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini noſtri* IESV *Chriſti ſumpturus*. Quæ verba ſufficiēter vidētur intelligi de Sacerdote cōmunicāte in Miſſa, ſolenni ritu. Et ita exponit Nauar. in ſum. c. 21. nu. 54. cū Sylueſt. verb. Sacerdos. §. 4. cōtra Angelū eodem verb. Sacerdos. §. 4. quia textus loquitur de cōmunione corporis, & ſanguinis. Ita etiā exponit Iacobus de Graffis lib. 2. ſuarū deciſionū. c. 40. nu. 2. Vnde concludūt hi autores, nō peccare mortaliter ſacerdotē nō celebrantē, cōmunicādo ſine ſtola ob infirmitatē, vel aliā rationabilē cauſam: tamē Gloſſa dictū textū intelligit de cōmunione extra ſacrificiū. Quod videtur magis conſentaneū illi diſiūctiuæ locutioni, qua Concil. vtitur. Nec refert, q. loquatur de corpore & ſanguine, nā olim extra ſacrificiū etiā ita communicabant; tamen, hac etiā admiſſa expoſitione, non videtur obligare ſub mortali, ſecluſo contēptu: quia res nō eſt admodum grauis, nec communi vſu videtur eo ſenſu recepta, cuius ſignū eſt, quia, licèt interdū omittatur, nunquam ob hanc cauſam Sacerdos ab Epiſcopo punitur, nec ſcandalum inde oriri ſolet, imò viri etiā timorati ſolent hoc omittere facilè, quando commodè ſeruari non poteſt.

Vltima concluſio. Vltimò dicendum eſt, in vſu huius ſacramenti in communi ſolùm dici poſſe, ex iure naturæ illo corporis habitu & compoſitione accedēdum eſſe, qui animi reuerentiam ac deuotionem præ ſe ferat, neque aliquid aliud eſſe in hac re præceptum. Primum conſtat, quia illud principium traditum à Paulo 1. ad Corinth. 11. dijudicandum eſt corpus Domini à communibus cibis, non ſolùm quoad interiorem diſpoſitionem verum eſt, ſed etiam quoad exteriorem ſumendi modum: nam ſicut exterior reuerentia ſignum eſt interioris fidei, & religionis; ita è contrario indecens ac vulgari ſumendi modus, infidelem, aut irreligioſum animum indicat. Præterea, quia ſuprà docuimus, deberi huic ſacramento, non ſolùm internam, ſed etiam externam venerationem, & adorationem: quia Chriſtus medijs ſpeciebus ſenſibili quodam modo in eo exiſtit, atque tractatur: ſed ad hunc exteriorem cultum pertinet exterior deuotio, & reuerentia, quæ in illius ſumptione ſeruanda eſt. Denique ipſemet actus ſuſcipiendi ſacramentum, eſt actus ſacer, & religioſus, & ex ſe alijs hominibus manifeſtus: ergo ipſa ratio virtutis, & honeſtatis religionis poſtulat, vt decenti modo fiat: ergo eadem ratione neceſſe eſt, vt is, qui accedit, in ipſo habitu, & actione corporis conuenientem, ac decentem modum ſeruet, quem optimè tractat Cyrillus Hieroſol. Catech. 5. Miſtag. vbi inter alia inquit. *Pronus accedat adorationis in modum ac venerationis.* Et ſimilia legi poſſunt in Damaſc. 4. de fide. cap. 14. & hic etiam optimè accommodatur, quod dixit Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ, *Placendum eſſe diuinis oculis, etiam in habitu corporis.* Poſterior pars aſſertionis ex illo generali principio probanda eſt, quòd cultus externus ex natura rei non eſt definitus, & ideò in hac parte ſeruanda eſt Eccleſiaſtica conſuetudo, quæ pro locorum ac temporum diuerſitate varia ac multiplex fuit, vt latè tractat Claudius de Sainct. repe. 9. cap. 7. & in ſuperioribus agentes de reali Chriſti præſentia in hoc ſacramento nonnulla attigimus. Quod verò nunc ad mores attinet, ritus Eccleſiæ hac in parte eſt ſimpliciſsimus, atque omnibus notus: ille ergo ſeruādus eſt; neque aliæ indiſcretæ ceremonię ſunt introducendæ: id enim non carebit aliqua culpa: quanquam, ſecluſo contemptu & ſcandalo, nihil in hoc ritu ſit, quod obligationem mortalis culpæ inducere videatur. Duo verò poterant hoc loco inquiri. Primum, quod loco poſsit licitè hoc ſacramentum ſumi. Secundum, à quo miniſtro; ſed de priori dicemus infrà agentes de loco ſacrificandi; de poſteriori verò agentes de obligationibus miniſtri diſpenſantis hoc ſacramentum.

SECTIO II.

Vtrùm ſit præceptum accedendi ad hoc ſacramentum ſine vlla corporis macula, ex pollutione vel aliūde contracta.

POſtquam dictum eſt de poſitiua diſpoſitione, dicendum ſequitur de priuatiua, quæ ad duo tantùm capita reuocatur; quæ ſunt carentia corporalis maculæ, & abſtinentia cibi & potus. De

De priori multa in particulari tractantur à ſcriptoribus, vt de ijs, qui paſsi ſunt pollutionem de coniugatis, qui copulam licitam habuerunt, de fœminis menſtruatis, ſeu quæ ante breue tempus pepererunt, de leproſis, & ſimilibus. De quibus omnibus in primis ſeparanda eſt culpa ab externa macula, vt in comment. art. 7. adnotauimus: nam, ſi mortalis culpa adiungatur corporali defectui, ſiue vt cauſa, ſiue vt effectus, ſiue vt concomitans, vtendum eſt generali doctrina ſupra tradita de impedimento peccati mortalis: quia non interuenit hic peculiaris ratio, aut ſpeciale impedimentum, propter determinatam ſpeciem peccati. Rurſus aduertendum eſt, huiuſmodi defectum corporalem eſſe poſſe, vel iam præteritum, vel adhuc durantem, quando ſacramentum ſuſcipitur, ſi autem nondum contractus ſit, ſed in futurum timeatur, per ſe non refert ad præſentem cōmunicationem, niſi directe cedere poſsit in aliquam irreuerentiam ſacramēti, antequam Chriſtus ſub ſpeciebus eſſe deſinat, vt, verbi gratia, ſi vomitus timeatur: tunc enim potius eſſet omittenda communio, quam permittendus vomitus adeo indecens, & reuerentiæ Chriſto debitę contrarius. Vnde grauiter peccaret, qui cum huiuſmodi periculo ſacramentū acciperet, quod iterum attingemus infra, agentes de cōmunione in articulo mortis. Præterea eſt obſeruandum, huiuſmodi corporis defectum poſſe cōſiderari, vel ratione ſui, vel ratione aliquorum effectuū, quos ſecum affert, ſiue præſens ſit, ſiue pręteritus, vt v. g. mētis diſtractionē, aut tarditatem animi, & difficultatem ad res ſpirituales tractandas.

D. Greg. D. Thom. Bonau. Alex. Adria. Gabr. Richard. Palud. Maior. Durand. Sotus. Dico igitur primo, corporalem maculam per ſe non impedire ex neceſsitate, huius ſacramenti vſum ſeu cōmunionē. Hæc eſt ſententia D. Greg. in reſp. 10. & 11. ad Aug. Angl. Epiſc. vbi in particulari attigit omnes caſus ſuprà poſitos & eū ſecuti ſunt reliqui ſcriptores omnes. D. Th. hic Alex. Alē. 4. p. q. 47. Adr. q. 4. de Euch. Gab. lect. 10. in Can. Bona. Rich. Palu. & Mai. in 4. d. 9. Durā. & Sot. d. 12. Sūmiſtæ, verb. Euc. & verb. Cōmunio. Et ratio eſt, quia hic externus defectus corporis per ſe nō refert ad honeſtatē morū, nec pertinet ad bonitatem vel malitiā moralē. Præterea, vel huiuſmodi macula iam eſt omnino præterita, vel adhuc durat, ſi præterita eſt, nec impedire poterit, nec indecentiā afferre, cum iam non ſit. Si enim peccatum mortale, & macula eius, quæ iam ſunt omnino præterita & ablata, non impediunt ex neceſsitate, vt ſupra dictum eſt, multò minus impediet corporalis macula præterita, quæ iā ſit omnino extincta, ſeu ablata: ſi autē hęc macula adhuc durat, aut eſt de ſe perpetua ſeu diuturna, aut temporalis, quæ breui auferenda ſperatur: ſi ſit prioris modi, nō eſt homo priuandus, aut ſemper, aut multo tempore, fructu huius ſacramenti propter huiuſmodi defectum innoxium & inculpabilem. Solum ergo pro ratione maculæ, vel defectus, cauendus eſſet aliorum horror, vel etiam ſcandalum: ſicut in cap. Tua nos. de cleri. ægroto miniſt. pręcipit Innocentius III. vt clericus leproſus abſtineat ab altaris miniſterio, propter ſcādalum & horrorem populi. *Innoc. III.* Si vero macula ſit poſterioris modi, vt aliquam videatur afferre indecētiam, ad reuerentiam huius ſacramenti pertinebit, prius illam auferre, aut per breue tempus ſpectare, donec auferatur, & interdum eſſe poterit culpa venialis hoc negligere, mortalis vero non erit, ſecluſo ſcandalo, & contemptu. Et ita intelligendum eſt quod dixit Dionyſ. Alex. Epiſt. ad Baſilid. can. 2. *Ad ſancta Sanctorum, qui animo & corpore purus non eſt accedere prohibetur*, propter quod de fœminis menſtruatis ſubdit idem, *ſi piæ & fideles ſint, non debere ſic affectas attingere corpus & ſanguinem Domini*, & idem habet Timoth. Alex. in ſuis reſponſionib. c. 7. intelligendum eſt enim, quando commode differre & expectare poſſent. Atque eadem eſt ratio de fœminis, quæ nuper pepererunt, de quibus Theodorus Balſam. ſuper dictam Epiſt. Dionyſ. refert conſtitutionem Leonis Imperatoris, qui ſapiens dictus eſt, qua prohibuit, ne fęminæ ante quadrageſimū diem poſt partum accedant ad hæc myſteria, & Alexand. Alenſ. dicta. q. 47. membr. 4. dicit, conſuetudinem Eccleſiæ eſſe, vt aliquibus diebus abſtineant. *Dionyſ. Timoth. Alexand. Theod. Balſam. Leo Imperator. Alex. Alen.* Sed nec prior prohibitio vim aliquam habet aut efficaciam, tum quia huiuſmodi legem ferre, non ad Imperatorem, ſed ad Pontificem, & ſpiritualem poteſtatem ſpectat, tum etiam, quia non eſt recepta vſu, nec etiam illa conſuetudo, quam Alenſis refert, videtur introducta per modum legis, aut prohibitionis, ſed ſolum quaſi ex natura rei introducta eſt ex debilitate & ægritudine harū fœminarum, ob quam nec poſſunt ad Eccleſiam accedere, vt ſacramentum accipiant, nec ſunt in tanta neceſsitate conſtitutæ, vt ad earum domos deferri debeat. Itaque non exiſtimo, eſſe in hoc humanam prohibitionem aliquam, poſitiua lege, aut cōſuetudine introductam, vt colligi etiam poteſt ex capit. 1. de purificat. poſt part. & ideo ſolum eſt attendenda decentia, quæ ex natura rei neceſſaria eſt.

De congruo poteſt quis impediri ab vſu Eucharistiæ, ob effectū aliquem ex corporali macula dimanantem. D. Thom. Secundo dicendum eſt, huiuſmodi defectum, ſeu corporalem maculam, propter effectus aliquos ex illa reſultantes, poſſe aliquando impedire vſum huius ſacramenti, non ex neceſsitate, ſed ex congruitate, ſecluſo ſcandalo, & contemptu; id eſt, non ſub peccato mortali, ſed de conſilio, vel ad ſummū ſub veniali. Hæc regula colligitur etiam ex Diuo Thom. & cæteris autoribus. Ratio autem prioris partis eſt, quia ſupponimus in his effectibus non interuenire peccatum mortale, ſolum autem peccatū mortale in anima durans impedit ex neceſsitate vſum huius ſacramenti, vt in ſuperioribus probatum ac declaratum eſt. Ratio vero poſterioris partis eſt, quia homo ita ſe debet præparare ad vſum huius ſacramenti, vt non ſolum habitu, ſed etiam actu, deuote ac reuerenter accedat, quod negligere, ſæpe eſt peccatum veniale, ſed interdum propter corporis defectum aut maculam impeditur homo, ne poſsit ita ſe diſponere, vt cum debita deuotione ac reuerentia accedat: ergo, & ſæpe erit cōſilium ad tempus abſtinere, & interdum erit peccatum veniale, non facere. Sed quanquam in hac doctrina omnes conueniant, tamen, quando corporalis macula præterijt, differunt in præſcribenda mora temporis, quo abſtinendum eſt in huiuſmodi euentu. Et quidam aſsignant tempus trium, aut quatuor dierum, ex capit. Omnis homo. de conſecrat. diſt. 3. vbi in particulari eſt ſermo de copula coniugali. Alij ponunt tempus viginti quatuor horarū, vt D. Tho. & Alex. Alēſ. qui in particulari loquuntur de nocturna pollutione, ſumpto proportionali argumento ex Leuit. 15. & Deuteron. 23. Alij exiſtimant ſatis eſſe, vt defectus non accidat intra eundem diem naturalem, qui incipit à media

Universidad de Deusto Biblioteca

nocte. Sed, quia nulla temporis definitio potest sufficiente ratione fundari, existimo, non oportere aliquam in particulari tradere: quia, cum hoc pendeat ex dispositione hominis, vel ex defectibus, ex actu vel macula præcedente relictis, quandiu illi effectꝰ durauerint, durabit hæc congruitas, & illis cessantibus, cessabit, quod in vno vel altero casu particulari melius explicabitur, ex quibus facile erit similes definire.

Dubium an liceat communicare die insequẽte noctẽ in qua accidit inuoluntaria pollutio.

Ex hac enim generali regula intelligitur, quid dicendum sit de pollutione nocturna, seclusa culpa mortali, de qua omnes conueniunt, non obligare sub mortali ad abstinendum ab vsu huius sacramenti, etiam eodem die: quia neque ex natura rei hoc est intrinsece malum, neque etiam est aliquod positiuum ius, quo prohibeatur. Aliqui vero censent esse culpam venialem, communicare eodem die post nocturnam pollutionem, etiam inculpabilem, quæ videtur esse sententia August. serm. 144. de tempore, vbi absolute negat, licere, & postea inquit, *Peccatum quidem est, sed tamen paruum est, neque enim dicimus, esse capitale.* Idem sentit Gregor. dicta respons. 11. ad August. & multi ex Scholasticis citatis, & ex Summistis. Alij dicunt, per se quidem non esse peccatum veniale, tamen esse consilium ac melius, saltem illo die, abstinere. Hæc videtur esse mens D. Thom. hic, & eodem modo posset facile exponi Greg. & eandem opinionem tenet Glos. in cap. Testamentum dist. 6. Alij existimant, non esse consilium abstinere eodẽ die, sed, si homo, quod in se ex faciat, vt deuote ac reuerenter accedat, melius esse communicare, per se loquendo. Ita sentit Iustin. Martyr. quæst. 21. ad Gentes, dicens. *Non est æquum propter hanc inuoluntariam passionem abstinere a mysterijs*, & idem dicit Theoph. Alex. in suis responsionib. responsione. 8. nec multum discrepat Gregor. Quocirca existimo, non posse in vniuersum dari generalem regulam, quanquam hæc tertia sententia in hoc vera sit, quod considerando pollutionem in se, illa non potest impedire, nec sub præcepto, nec sub consilio: quia iam non est. Vnde per se non magis potest impedire, quam si non fuisset: consideranda ergo est, quatenus aliquo modo manet, vel in suis effectibus, vel in memoria hominis: nam, si ea de causa homo se sentit ineptum ad res spirituales & diuinas tractandas, vel si magnã mentis distractionem, vel varias cogitationes patitur, consultius erit abstinere, donec præteritæ passionis omnino obliuiscatur. Et quia hoc frequentius accidit in vulgaribus hominibus, hoc illis est regulariter consulẽdum. At vero, si pollutio nullũ huiusmodi effectum reliquit, & homo potest eadẽ reuerentia, & deuotione accedere, non aliter quã si nihil in somnis passus fuisset, non est cur communionem prætermittat, cum nulla rationabilis causa interdat. Præter hæc autem considerandæ sunt circunstantiæ extrinsecę, temporis, loci, &c. nam, si occurrat aliqua necessitas, vel specialis vtilitas, multum iuuabit, vt propter huiusmodi passionem inculpabilem non sit omittenda communio, vel sacrificium, etiam si interdum oporteat, cum minori actuali deuotione, aut actuali aptitudine ad sacramentum accedere: quia hæc, quę inuoluntaria sunt sæpe sunt propter maius bonum permittenda. Maximè autem conferet, causam huius passionis expẽdere: nam, si ex dæmonis tentatione oriri intelligatur, multo magis est contemnenda, signum autem

August. D. Greg. D. *Thom.* *Iust.* Martyr. *Theop.* Alex. *Responsio.*

huius inter alia esse potest, si eo præsertim die pollutio soleat accidere, quo habet homo propositum vel consuetudinem communicandi: intendit enim dæmon illum perturbare, & impedire, & ideo debet eum negligere, & prout potuerit, cum reuerentia, & deuotione debita ad hoc tantum sacramentum accedere. Et similiter, si creditur causa esse merè naturalis, minus impediet, magis autem, si fuerit ex negligentia, vel hominis distractione.

Quid dicendũ si præcessit coniugalis copula.

Secundo intelligitur ex eodem principio, quid dicendum sit de copula coniugali: cum enim hæc non sit actus malus, certum est, nõ impedire ex necessitate, idest, sub peccato mortali, tamẽ, quia multum auocat mentem ab spiritualibus rebus, & præ se fert quandam indecentiã, ideo multi existimãt, non solum esse consilium, eo die abstinere, sed etiã esse peccatum veniale, non abstinere, saltem ea nocte, quæ cõmunionẽ antecedit, eadem ratione, qua de pollutione ita aliqui sentiunt, vel certe maiori, quia hic actus magis est voluntarius, & in potestate hominis, quam nocturna pollutio, atque ita sentit Alber. in 4. d. 12. & Timoth. Alex. in suis respõsionib. in 5. & 13. & Aug. serm. 216. & 244. de tẽpore & D. Hier. in apolog. ad Pamach. pro libris cõtra Iouin. *Illorum*, inquit, *conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant.* & lib. 1. contra Iouin. dicit, *Ad munditiam corporis Christi omnem coitum esse immundum.* Ibiq; ex veteri testamento multa symbolica argumenta congerit. Nihilominus dicendum est, hoc quidem regulariter esse consulendum coniugibus, tamen intrinsece non continere venialem culpam, nec semper esse damnandum. Et in primis, quando alter coniugum operatur hunc actum non petendo, sed reddendo debitum, ex se multo minus impedit: quia tunc copula non tam ex voluntate, quam ex obligatione iustitiæ, processit: vnde non solum peccatum non fuit, sed etiam sine peccato non potuit excusari. Deinde, si non sit ex voluptate, sed ex pura intentione prolis, minus etiã de se impedit, quia nullã culpam continet, & interdũ pro ratione status, & circunstantiarũ potest esse, non solũ honesta, sed etiã expediens, & ita D. Greg. in prædictis responsionibus ad Aug. & habetur in c. Vir cũ propria. 33. q. 4. in his duobus casibus vniuscuiusq; iudicio committit, vt pro ratione impedimenti, aut spiritualis affectus, quem in se senserit, vel cõmunicet, vel abstineat, & eandem doctrinã significat Aug. serm. 46. de verbis Apostoli. At vero, quando copula est omnino voluntaria, & ex nimia concupiscentia carnis, & voluptate, cõsulendum est, vt eo die quis abstineat à cõmunione, & regulariter erit peccatum veniale, ita cõmunicare, vt sentit hic D. Tho. ad. 7. & Alens. 4. p. q. 47. membr. 2. Maior. d. 9. q. 2. & alij, quia illud est signum animi parum dispositi ad res diuinas tractandas, & alioquin ex huiusmodi actu, præsertim quando procedit ex hoc affectu, regulariter oritur magna distractio, seu hebetudo mentis ad res spirituales, & iuxta hæc limitanda est doctrina Hier. & Aug. in prioribus locis. Quod vero ex Conc. Elibertino refertur de Consecr. d. 2. in c. *Omnis homo ante sacram communionem à propria vxore abstinere debet, tribus aut quatuor aut octo diebus*, hoc (inquam) consilium est, non præceptum, concilij verba perpendenti facile patebit.

Albertus. Timot. Alex. Aug. D. Hiero. D. Gregor. Aug. D. Thom. Alex. Alens. Maior. Cõc. Elibertin.

SEC-

SECTIO III.

Vtrum ex præcepto necessarium sit ad hoc sacramentum non accedere, nisi ieiunum.

Nullum est diuinum præceptum de ieiunio ante vsum Eucharistiæ.

VNum est certum, iure diuino non esse præceptum impositum de sumenda Eucharistia ante omnem cibũ vel potum: quia hoc præceptum, nec est positiuum diuinum, cum nec sit scriptum, nec traditum, neque ex his, quæ in institutione gesta sunt, colligatur, nam potius ea nocte datum est sacramentum Apostolis post prandium, & post esum agni. Neque etiam esse potest præceptum naturale, nam ex sola excellentia, & dignitate huius sacramenti, non potest satis colligi aut oriri hæc obligatio: quanquam Sotus in 4. distinction. 8. quæstion. 3. dicat, hanc esse institutionem diuinam fundatam in reuerentia debita tanto sacramento. Sed, si per institutionem diuinam intelligat diuinum præceptum, nullo fundamento nititur; quia re vera, nec inuenitur prohibitum iure diuino, nec per se est intrinsece malum, communicare post cibum & potum. Atque hinc multo maiori ratione colligitur, non esse præceptum sumendi hoc sacramentum post cibum & potum, nam licet Christus ita fecerit, tamen factum eius non inducit obligationem, alioqui necessarium esset, noctu semper communicare, & feria quinta, & post esum agni, & lotis pedibus. Quod ergo tunc factum est propter speciales circunstantias, neque in præceptum, neque in exemplum adducendum est, vt Cyprianus recte docuit epist. 63.

Quid inde inferant hæretici.

Ex hoc autem vero principio tria falsa dogmata colligunt hæretici. Primum est, non potuisse Ecclesiam præcipere ieiunium ante communionem seruandum: quia, quod Christus liberum reliquit, non est in necessitatem redigendum. Secundum, contemnendam esse consuetudinem Ecclesiæ de hoc ieiunio seruando. Tertium, melius & commodius esse ante communionem aliquid cibi & potus temperate sumere. Primo, quia est magis consentaneum facto Christi. Secundo, quia tempore Apostolorum ita fiebat, vt colligitur ex primæ ad Corinth. 11. *Si quis esurit, domi manducet*, scilicet, prius quam ad Ecclesiam ad communicandum veniat: nam de hac re ibi agebat Apostolus. Tertio, quia, sumpto moderato cibo, est homo habilior ad opera mentis.

Ieiunium ab Apostolorum tempore ante sumptionem Eucharistiæ seruari solitum. Epiph. Naz. Chrysost. Aug. Isidor.

Dicendum vero est primo, à temporibus Apostolorum seruatam esse in Ecclesia consuetudinem non sumendi aliquem cibum vel potum ante Eucharistiam. Probatum primo ex eis, quæ antiquissimi Patres memoriæ prodiderunt. Epiphan. enim lib. 3. contra hæreses in fine, & Nazianz. orat. 40. quæ est de baptismo, sub finem, & Chrysost. hom. 27. in 1. ad Corinth. & Basil. in epist. ad Cæsariam Patriciam, hanc numerant inter Apostolicas traditiones. Vnde Aug. epist. 118. c. 6. & ex eo Isidor. lib. 1. de officijs Ecclesiast. capit. 18. *Placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.*

Idem Cyprian. epist. citata. 63. Ambros. serm. 8. in psalm. 118. circa illa verba, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Tertul. lib. 2. ad vxorem cap. 5. in illis verbis, *Non sciat maritus, quid ante omnem cibum gustas.* Secundo idem constat ex antiquissimis Concilijs Africano cap. 8. Carth. 3. cap. 29. in quibus tamen excipitur dies cœnæ Domini, atque in eo permittitur post sumptum cibum communicare. Sed hoc ipsum reuocatur in Concil. Bracharensi. 1. c. 16. expressius in. 6. Synodo, can. 29. vbi dicitur Patres Concil. Cartaginensis vsos fortasse fuisse illa exceptione propter speciales occasiones in ea regione occurentes: simpliciter tamen non oportere Apostolicam traditionem, etiam in eo die, immutari. Præterea in eodem Concilio Carthag. 3. c. 48. dicitur, hanc consuetudinem sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse in Concilio Niceno confirmatam, vbi est animaduersione dignum, non dicere fuisse institutam, sed fuisse confirmatam. Idẽ traditur in Concil. Matisconensi. 2. c. 6. vbi adduntur pœnæ in eos, qui hunc ritum non seruant, quæ solum ad Sacerdotes sacrificantes pertinent, nam de illis est ibi præcipuus sermo. Quod etiam colligitur ex Concil. Bracharens. 2. capit. 10. Dicitur autem ibidem, reliquias huius sacramenti solitas fuisse dari innocentibus quarta vel quinta feria, indicto prius eis ieiunio. Præterea habetur eadem traditio in Concilio Toletan. 7. capitul. 2. in quo notanda sunt illa verba, *Post cibum vel potum, quantumuis minimum.* Idem habetur in Concilio Altisiodorensi, capitul. 19. vbi etiam ministri altaris prohibentur post cibum & potum ministrare. Denique idem traditum est in Concilio Constantiens. sessione. 13.

Cõc. Africa. Carthag. 3. Brachar. 1. 6. Synod. Conc. Matiscon. Brachar. 2. Tolet. 7. Altisiod. Constantien.

Dico secundo, recte ac conuenienter ab Ecclesia præceptum esse, vt hoc sacramentum tantum à ieiunis sumatur. Est de fide, & in primis certum est, esse in Ecclesia hanc potestatem ad ferendas leges etiã in his rebus, quæ à Christo præcepta non sunt, vt supponimus ex materia de fide, & de legibus. Quod autem hic actus, & hoc obiectum sint apta materia legis positiuæ, probatur, quia in illis est sufficiens honestas, & quia hic ritus ad reuerentiam huius sacramenti conferre potest: ergo de potestate, tam generali, quam particulari circa hunc actũ dubitari non potest. Quod autem Ecclesia vsa fuerit hac potestate, satis constat ex decretis adductis, & ex consuetudine: ex qua etiam satis constat, hãc legem fuisse conuenientissimam, nam Ecclesia ab Spiritu sancto regitur; & ideo dixit Aug. non, nisi Spiritu sancto inspirante, hanc legem & consuetudinem introductam esse. Congruentiæ autem illius sunt. Prima, propter reuerentiam huius sacramenti, &, vt fideles assuescant discernere inter hũc sacrum cibum, & alios communes. Secunda, propter spiritualem significationem, vt indicetur fidelibus, debere esse Christum primum, ac primariũ eorum cibum. Tertia, ad vitanda pericula vomitus, vel alterius irreuerentiæ, & vt mẽs sit liberior, & expeditior ad res spirituales, & diuinas tractandas.

Ad primum hæreticorum fundamentum in superioribus agentes de institutione huius sacramenti diximus, quas ob causas Christus illud instituit ad vesperã, & post esum agni, quæ fuerunt propriæ illius temporis, & illius indiuiduæ actionis, & ideo quoad hoc non debet factum illud in exemplum adduci.

Universidad de Deusto Biblioteca

adduci. Ad secundum ex 1. ad Corint. 11. quidam concedunt, tempore Apostolorum fuisse consuetudinem communicandi post cibum, & potũ, quod, licet gratis admittatur, nihil nobis obstaret: potuit enim postea propter maiorem reuerentiam sacramenti illa consuetudo mutari, præsertim quia, refrigescente caritate, & crescente fidelium multitudine, potuit hoc magis expedire. Secundo vero dicitur ex loco Pauli non colligi talem consuetudinem, nam, cum Paulus dicit, *Qui esurit, domi manducet*, non agit de modo sumendi hoc sacramentum, sed de ordine ac decentia seruanda in conuiuijs cõmunibus, quæ tũc inter fideles solita erant fieri: huc enim spectant illa verba, *Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate*, de eadem igitur retractãs subdit, *Si quis esurit, domi manducet*. An vero cibus sumeretur ante vel post Eucharistiam susceptam, nihil de hoc Paulus differit: verisimile tamen est, fuisse consuetudinem, vt post Ecclesiastica officia, & communionem interdum fideles ad commune prandium conuenirent, & de hoc potest intelligi illud Pauli, *Qui esurit, domi manducet*, idest, qui alios expectare non potest, domum redeat, & ibi manducet, vel si ita interpretemur, qui est ita debilis, vt non possit expectare commune prandium, domi manducet, non possumus propterea colligere, huic permittere Paulum, vt post cibum ad Eucharistiam accedat. Ad tertium moraliter, & generatim loquendo, falsa sunt, quæ in eo assumuntur: nam fortasse, licet in aliqua particulari persona, & in aliqua occasione iuuare possit moderatus cibus & potus ad animæ attentionem: tamen generaliter & regulariter nõ ita est, & præsertim si vulgaribus hominibus hæc licentia tribuatur: leges autem morales feruntur de his, quæ regulariter omnibus magis expediunt.

SECTIO IIII.

Quale ieiunium seruandum sit ante communionem.

DVplex est ieiunium, vt D. Thomas, hic & 2.2. quæstion. 147. articul. 6. distinguit, vnum dicitur ieiunium naturæ, quod includit carentiam seu abstinentiam ab omni cibo & potu, alterum dicitur ieiunium Ecclesiasticum, quod, nec priuat potu, neque omni cibo, nisi definitis tẽporibus, & in certa qualitate, & quantitate, permittitque, vt sumi aliquid possit per modum medicinæ. Referunt ergo fere omnes scriptores, quosdam autores dixisse, ante communionem satis esse Ecclesiasticum ieiunium seruare. Quæ sententia tribuitur Godofredo, & Ioann. Paris. quia dixerunt, post sumptionem alicuius rei per modum medicinæ posse sacrum fieri, aut communicari: quia solũ est prohibita sumptio cibi & potus: quod autem sumitur per modum medicinæ, non habet rationem cibi: quia non sumitur nutritionis causa, sed curationis: intentio autem seu finis est, qui dat speciem actioni. *Godofred. Ioan. Paris.*

1. Conclusio. Dico primo, ante communionem necessarium esse ex Ecclesiastico præcepto ieiunium naturæ seruare, & contrariam sententiam erroneam esse: repugnat enim communi sensui & vsui Ecclesiæ. Atque ita ita sentiunt Theologi omnes. Diuus Thom. hic art. 8. ad 3. Scotus distinctione 8. quæstione. 3. Durand. quæstione 4. Paludan. quæstione. 2. Gabriel. quæstione 2. articul. 3. & lectio. 10. in can. Antonin. 3. part. titul. 13. capitulo. 6. §. 8. & colligitur ex Concilijs citatis in quibus hæc lex lata est, cuius optimus interpres est Ecclesiastica cõsuetudo. *D. Thom. Scotus. Durand. Palud. Gabr. Ambros. Antonin.*

2. Conclusio. Dico secundo, Quicunque cibus vel potus, etiã si sit in minima quantitate, & sub quacunque intentione medicinæ, vel salutis, si tamen per modum cibi vel potus sumatur, impedit ex præcepto communionem huius sacramenti. Ita docent prædicti Doctores. Et ita interpretatur præceptum hoc prædicta Ecclesiastica consuetudo, & pars illa, de quantitate minima, expressa est in Concilio Toletano 7. & Bracharensi. 2. supra citat. & colligitur ex capitul. Ex parte. de Celebration. Miss. vbi sacerdos secundam Missam dicturus, prohibetur in priori sumere calicis ablutionem, ne naturale ieiunium soluat, cum tamen illa sit minima quantitas, & non sumatur propter nutritionem, sed propter reuerentiam sacramenti. Sumptio autem ipsius sacramenti, quanuis ex speciebus possit homo nutriri, non computatur inter ea, quæ soluunt ieiunium naturæ propter excellentiam sacramenti, quod non censetur commune corporis alimentum, & ideo illa non iudicatur sumptio communis cibi & potus. *Conc. Tolet. 7. Brachar. 2.*

Dubium. Sed quæres, quando minima quantitas cibi sumpta est, an tunc sit peccatum mortale, postea communicare. Quibusdam enim visum est esse tantum veniale, quia illa est leuis materia: cur enim non potest ex hoc capite peccatum veniale fieri in hac materia, sicut in alijs? Respondetur, esse mortale, & cõtrarium non esse probabile practicè, si quantitas illa minima per modum cibi & potus sumpta sit. *Solutio.* Atque ita sentit Diuus Thom. Durand. Paludan. Soto, & alij, & hoc idem declarat consuetudo Ecclesiæ, & communis consensus omnium fidelium: vnde recte colligimus, ita esse interpretandum præceptum. Et præterea, quia hic non est leuitas materiæ in proprio actu, in quem cadit prohibitio: non enim hic prohibetur cibus, vel potus, sed prohibetur communio post cibum, vel potum hoc autem præceptum simpliciter violatur in suo actu principali, etiam si ieiunium in parua materia solutum sit.

Quæsito satis fit. Queres rursus, quid sit sumi aliquid per modum cibi, & potus, & cur illa particula addita sit. Respondetur, additam esse ad excludendum, si quid sumitur per modum saliuæ, aut, si per modum respirationis attrahatur aliquid, quod possit nutrire, vel alterare: hoc enim non violat ieiunium naturæ, quia illud non est comedere, vel bibere: dicitur ergo aliquid sumi per modum cibi, vel potus, quando aliquid huiusmodi ore accipitur, quod per se & propria actione vitali in stomachum traijcitur, comedendo, aut bibendo, & ita explicant hoc præceptũ omnes autores, & ipsa consuetudo. Vnde fit primo nihil referre, quod id, quod sumitur, per modum medicinæ sumatur: quia hoc pertinet ad extrinsecam intentionem, non ad proprium actum, quem intrinsece respicit præceptũ, qui est comedere, aut bibere: illa enim medicina vere comeditur, aut bibitur: ergo, quacunq; intentione fiat, frangitur ieiunium ad communionem necessarium. Secundo colligitur,

ligitur, si quis deglutiat sanguinem, aut aliũm humorem à capite in os descendentẽ, aut casu ex ore manantem, non frangere hoc ieiunium: quia illud nec sumitur, nec traijcitur per modum cibi. Ita Diuus Tom. in 4. distinct. 8. quæst. 1. art. 4. quæstiuncul. 2. vbi generalem tradit regulam, quidquid ab intrinseco prouenit, & ore non sumitur ab extrinseco, non vere comedi, & ideo nec tollere ieiunium naturæ, nec per se impedire susceptionem huius sacramenti. *D. Thom.*

Tertio infertur, si quis abluendo os, casu deglutiat guttam aquæ, aut vini, saliuæ admistam, hoc non impedire communionem: quia non traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Dicunt tamen Durandus & Gabriel supra, necessarium esse, huiusmodi guttam aquæ prius in ore alterari, & in saliuam conuerti. Sed hoc nimis scrupulosum est, & non necessarium nec morale, vt Paludanus & Syluester notarunt: quo modo enim de hac transmutatione constare posset? Aduertit autem Diuus Thom. oportere, quantitatem aquæ, aut vini, esse valde paruam, quia debet ita permisceri saliuæ, vt separari non possint, sed per modum vnius traijci. Atque idem iudicium est de his, qui degustant ius, vel aliquod simile condimentum, solum vt saporẽ percipiãt, & statim expuant: nam, licet contingat, aliquid manere saliuæ permistum, & cum ea deglutiri, non soluitur ieiunium: quia illa non est comestio. Ita Doctores citati, præsertim Paludanus, qui fuse hoc explicat. Denique idem dicendum est de reliquijs cibi casu manentibus in ore ex præcedente nocte: nam, licet postea traijciantur, non soluitur ieiunium, quia nec censentur sumi per modum cibi, & potus, sed per modum saliuæ, nec censentur venire ab extrinseco: sed ab intrinseco, ac denique censentur pertinere ad comestionem, quæ præcedente die præcessit.

Obiectio. Dices; ergo, si quis noctu misit in os aliquid, verbi gratia, saccari paulatim deglutiendi, quod duret vsque ad initium diei sequentis, non soluet ieiunium, etiam si post mediam noctem aliquas partes traijciat: quia illud non sumitur illo die ab extrinseco, nec traijcitur per modum cibi, sed per modum saliuæ. *Diluitur.* Respondetur, negando consequentiam, quia illæ non sunt reliquiæ cibi, sed verus cibus, & tota illa est quædam successiua manducatio quæ ex parte fit eadem die, oportet ergo, vt tota manducatio per se & ex intentione absoluatur præcedente die: reliquæ autem, dicuntur, quæ casu, & præter intentionem in ore manent, & traijciuntur quod significauit Diuus Thomas in illo verbo, *si casualiter transglutiantur*. Et idem docet Paludan. distinct. 8. quæst. 2. artic. 2. numer. 21. vbi significat, si contingat, reliquias cibi casu manere in ore vsque ad sequentem diem, & priusquam deglutiantur, præuideri ab homine, eumque non casu, sed ex certa scientia & intentione illas deglutire, hoc satis esse ad violandum ieiunium, & impediendam communionem, quod tamen Summa Tabien. verbo Communicare reijcit, vt scrupulosum. *Sum. Tabien.* Sed re vera non est improbabile, neque alienum à mente Diui Thomæ quia iam illa actio videtur esse noua comestio, cum ex vi prioris non sequatur, sed noua actione voluntaria fiat. Item, quia iam non videtur id sumi per modum saliuæ, quanuis ergo non sint scrupuli inijciendi, tamen semper secutior pars eligenda est. Et ideo consulendum est, vt in huiusmodi casu hæ particulæ expuantur potius, quam traijciantur.

3. Conclusio. Dico tertio, Hoc ieiunium hac lege præceptum ex necessitate solum seruandum est intra eum naturalem diem, in quo fit communio, scilicet, ab initio eius vsque ad communionem: quia, vt recte dixit Diuus Thomas hic ad quintum, non est absolute prohibitum hac lege, nec post cibum & potum sacramentum sumatur: alias, qui semel comedisset, & bibisset, non posset communicare: ergo oportet, vt hoc ieiunium definitis claudatur terminis: declarauit autem consuetudo Ecclesiæ, hoc tẽpus terminandum esse intra diem naturalẽ. Quod duobus modis posset intelligi, primo esse necessarium per integrum naturalem diem abstinere à cibo & potu ante communionem. Et hic sensus est falsus, alias oporteret, viginti quatuor horis integris prius ieiunare, totidem enim naturalis dies integer conficitur, quod est contra Ecclesiæ consuetudinem. Super est ergo, vt secundus sensus verus sit, scilicet, quod à principio diei naturalis vsque ad tempus communionis seruatum sit ieiunium. *Quæsito fit satis.* Sed quæres, vnde computandum sit naturalis diei principium, Respondetur, in nostris regionibus rem esse satis claram: nam iuxta Ecclesiæ consuetudinem fundatam aliquo modo in ipsa rerum natura, naturalis dies à media nocte incipit, quia tunc incipit sol ad nos redire, vt alibi latius tractaui. Et idem dicendum est de omnibus regionibus, in quibus natulis dies in diem artificialem, & noctem distinguitur: quia, licet in ordine ad communes vsus, vel actiones, in diuersis regionibus diuersæ sint cõsuetudines sumendi initium diei ab occasu, vel ab ortu solis, tamen in ordine ad res Ecclesiasticas in vniuersa Ecclesia computatur dies à media nocte in mediam noctem, nec scio alicubi esse aliam consuetudinem, si tamen est, illa est seruanda, vt hic Soto notauit. In illis vero regionibus, vbi non possunt distingui naturales dies per ortum & occasum solis: quia, vel præsentia, vel absentia solis continue durat per plures dies naturales nostros, in illis, inquam, regionibus oportebit lege Ecclesiastica designari, seu diuidi dies proportionatos nostris diebus naturalibus, eorum principia, & fines modo aliquo artificiali designando, vt in simili quæstione iterũ infra dicemus, agentes de hora sacrificandi.

Dubium. Sed quid, si quanuis post mediam noctem nihil sumptum sit, tamen, vel ob carentiam somni, vel propter nimium cibum, ita sit homo indigestus, ac si eadem die, vel parum antea comedisset. Quidam enim dixerunt, hanc dispositionem non minus impedire communionem, quam si cibus sumptus esset eadem die. Quod significauit Glossa in capitul. Nihil 7. quæst. 1. propter can. Tribus, de consecration. distinctio. 2. vbi dicitur, hunc sacrum cibum non esse prophanis cibis miscendum, & idem colligitur ex Gloss. in capit. Si constiterit. de accusationibus quæ in illo textu fundatur, in quo punitur Sacerdos, qui post cibum præcedẽte nocte sumptum, nulla dormitione interposita, Missam dixerat sequente die. *Dissoluitur.* Respondetur tamen, hoc non esse per se malum, quia re vera nullo est iure prohibitũ, finis enim præcepti non cadit sub præceptum, sed materia: quod autem hic præcipitur, solum est, vt eo die nihil cibi vel potus ante communionem sumptum sit, & hoc seruatur in eo casu: quod autem homo sit hoc vel illo modo dispositus, pertinet ad finem

Universidad de Deusto Biblioteca

nem præcepti, non ad rem præceptam, & ita est intelligendus ille canon. Tribus. Seclusa autem positiua prohibitione hoc non est per se, & ex obiecto malum, vt ex se constat. Dico autem, per se, quia ex accidente, si sit periculum vomitus, vel alterius similis irreuerentiæ, inde poterit contrahi aliqua malitia. Et hinc etiam fit, non esse necessarium, vt interponatur aliquis somnus, quia nullum est de hoc præceptum, & interdum sancti viri traducunt integras noctes insomnes in vigilijs, & orationibus, & statim sacrum faciunt. Neque in dicto cap. Si constiterit, punitur Sacerdos propter solam carentiam somni, sed quia tota præcedente nocte in taberna fuerat, & inde iuit ad publicã Missam cantandã: punitus ergo est propter scãdalũ, & propter irreuerentiam, & quia vehemens præsumptio esse poterat, etiam post mediam noctem aliquid comedisse, vel bibisse.

Ex quo tandem addendum est cum D. Thom. hic, hac lege non esse prohibitum, ne post communionem cibus sumatur post tempus aliquod, quia hæc lex solum requirit ieiunium antecedens, non consequens communionem: præcipitur enim ieiunium, tanquam dispositio ad ipsam communionẽ, in qua maxima deuotio ac præparatio hominis requiritur; & ideo præceptum est hoc ieiunium vsque ad communionem, qua finita cessat hæc obligatio & reliquum tempus relinquitur hominis arbitrio, vel naturali obligationi: ex qua sola colligi potest, non posse esse per se malum statim post cõmunionem aliquid cibi vel potus sumere, cuius signum est, quia in Missa, statim post communionẽ ablutionem sumimus, quod in illa actione non solum licet, sed etiam decet, quia non tã propter corporis refectionem fit, quam propter ipsius sacramẽti reuerentiam. Alias vero expedit regulariter post communionem aliquo tempore à communi cibo & potu abstinere propter maiorem deuotionẽ, maioremq; sacramenti reuerentiam. Sic Chrys. hom. 27. in 1. ad Corit. scribit. *Quid igitur ieiunare oportet post eius acceptionem? Non dico hoc, nec cogo, licet bonum sit, non tamen compello, sed admoneo.*

SECTIO V.

Quibus casibus liceat post cibum & potum hoc sacramentum accipere propter sumentis necessitatem.

CVm hoc præceptum naturale nõ sit, sed positiuum vel Ecclesiasticum, certum est, posse interdum propter graues causas non obligare: quia lex positiua nõ obligat tam stricte, quin aliquando cesset. Duo ergo sunt præcipua capita, ex quibus maxime fieri potest, vt hoc præceptum nõ obliget. Vnum esse potest ex parte ipsius hominis, scilicet, aliqua eius necessitas. Alterum ex parte ipsius mysterij, si ad illud consumandum, vel reuerenter tractandum, necessarium interdum sit, hoc ieiunium non omnino seruare, de priori capite dicemus in hac sectione, de posteriori in sequente.

In solo mortis articulo non ieiuno communicare licet.

In præsente ergo quæstione dicendũ est, in mortis articulo, & in solo illo, licere homini non ieiuno hoc sacramentum accipere propter necessitatem, quando, scilicet, oportet viaticum accipere, & ægrotus non potest sine graui detrimento & periculo ieiunius expectare, quod detrimentum seu periculum iudicio medici expendendum est. Ita docent omnes autores supra citati. Ratio vero esse potest, vel quia in eo articulo obligat præceptum diuinum communionis, vt infra dicetur, vel certe, quia, cum eo tempore maxime indigeat homo auxilio, & ope huius sacramenti, non fuit expediens, vt Ecclesia id prohiberet, cum tanto dispendio. In qua re illud etiam morale est, & obseruandum quãuis fortasse possit infirmus vna vel altera hora post mediam noctem ieiunus accipere hoc sacramẽtum amplius vero expectare non possit, non esse propterea necessarium ea intempestiua hora sacramentum dare, vel accipere: quia nec moraliter fieri potest sine magna difficultate, nec regulariter ad reuerentiam huius sacramenti expedit ita fieri, nec Ecclesiastica consuetudo, quæ est optima huius legis interpres, ita esse faciendam declarat. Illud etiam obseruandum est, huiusmodi casum non solum habere locum in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, quando nec anticipari potest communio, nec differi mors, vel supplicium, tunc enim eadem est ratio necessitas. Nec quicquam refert, quod ab intrinseco, vel ab extrinseco proueniat.

Dubium.

Duo vero dubia hic occurrunt, primum est, an in eadem ægritudine liceat sæpius Eucharistiam accipere post cibum & potum, nam Doctores fere omnes significare videntur, tantum semel licere. Et ratio adhiberi potest, quia per vnam communionem fit satis diuino præcepto communicandi in articulo mortis: ergo postea seruandum est Ecclesiasticum preceptum non communicandi post cibum & potum, quia iam nulla est sufficiens necessitas vel ratio, cur cesset huiusmodi obligatio. Nihilominus aliqui recentiores dicunt, licere communicare hoc modo sæpius in eadem ægritudine. Quam opinionem tenet summe Tabien. verbo, Communio. §. 48. & summa Armil. §. 18. Et mihi videtur pia satis & probabilis, & in primis, si status ægritudinis varietur, quia videlicet, homo prius fuit in periculo mortis, atque illud euasit, & aliquantulum conualuit, postea vero iterum incidit in simile periculum, & tunc non est dubium, quin possit iterum atque iterũ, totiesque communicare, quoties talis varietas accederit: quia illa censetur, quasi noua ægritudo, & nouus necessitatis articulus. Deinde, si perseueret, vel augeatur, periculum tamen duret aliquod diebus post primam communionẽ, v.g. octo aut decem diebus, existimo posse postea communicare post cibum, & potum, si ægrotus commode non possit sacramentum suscipere ieiunus. Ratio est, quia non sola obligatio diuini præcepti est in causa, vt Ecclesia in eo articulo nõ obliget ad ieiuniũ, sed etiam ipsa necessitas, quæ in illo tempore & periculo maxima est: non est enim verisimile, voluisse Ecclesiam, hominem maxime indigentem auxilio tanti sacramenti priuare illius ope & subsidio, præsertim, cum non sit in eius potestate murali ieiunus accedere, & alioqui possint eo tempore multa occurrere, quæ necessitatem augeant, vt v.g. tentationes peccatorum pericula, ad quæ vincenda & superanda maxime indiget homo auxilio & solatio huius sacramenti. Non est autem hoc extendendum extra tempus periculi mortis, tum quia nulla alia esse potest tanta, tamque vrgens

Sum. Tabien. Armilla. Solutio.

gens necessitas, tum etiam, quia secluso hoc periculo, vix potest esse moralis casus, in quo cogatur homo diu priuari hoc sacramento, eo quod non possit ieiunus accedere: leges autem humanæ dantur de his, quæ moraliter ac frequentius accidunt. Denique, si post sumptum viaticum ægrotus breui tẽpore viuat, non est illi sæpius dandum hoc sacramentum post cibum & potum, quia iam nulla est moralis necessitas, & ita sunt exponendi Doctores qui tantum semel communicandi hoc modo vidẽtur licentiam præbere: loquuntur enim de re morali, prout frequentius accidit moraliter autẽ loquendo, & vt in plurimum, hoc satis est.

Difficultas.

Secundum dubium est, an liceat Sacerdoti, communicare post cibum & potum propter similem necessitatem, non suam, sed alterius, idest, vt conficiat sacramentum ad communicandum ægrotum, qui est in probabili periculo mortis in eadem die futuræ. In qua re Maior in 4. distinct. 9. quæst. 3. ad 5. amplissimam facultatem Sacerdotibus concedit: dicit enim, propter similem necessitatem posse sine vestibus sacris conficere, & sine pane azymo, & sine integritate sacrificij. *Secrete*, inquit, *accipiendo frustrum panis, conficiendo & dando ægroto*. Iuxta quam sententiam non oportebit, vt sacerdos non ieiunus communicet, sed solum, vt conficiat, ad cõmunicandum alium. Veruntamen hæc sententia in illa amplitudine ab omnibus reijcitur, & merito, quia multa continet contra reuerentiam sacramenti, & contra Ecclesiæ consuetudinem, vt ergo in præsente casu habeat aliquã probabilitatis speciem supponamus, tantum deesse hanc circunstantiam ieiunij: & tunc sane videtur probabile, posse Sacerdotem conficere, vt proximo subueniat, nam, vt Bernard. dixit in lib. de præcepto & dispensatione, quæ propter caritatem introducta sunt, non debent contra caritatem militare: sed caritas obligat ad subueniendum proximo in tam graui necessitate: ergo non est verisimile, Ecclesiastico præcepto impediri, ne id fiat. Et confirmatur primo, nã tunc vrget præceptum diuinum communicandi in articulo mortis, quod, sicut obligat ægrotum ad communicandum, ita etiam ministros Ecclesiæ ad dandum sacramentum: ergo, sicut hac de causa potest ægrotus accipere non ieiunus, potest etiam sacerdos conficere non ieiunus. Confirmatur secundo, quia propter similem proximi necessitatem potest sacerdos conficere sine confessione præmissa: ergo multo magis potest conficere absque seruato ieiunio. Antecedens supra est à nobis traditum, consequentia vero probatur, quia obligatio præmittendi cõfessionem oritur ex iure diuino, hæc vero de præmittendo ieiunio ex iure Ecclesiastico: si ergo hæc censetur sufficiens causa, vt cesset obligatio iuris diuini, cur nõ erit etiã sufficiẽs, vt cesset obligatio iuris Ecclesiastici, nã etiã leges Ecclesiasticæ nõ obligant cum tanto rigore, sed cessant propter graues causas. Si autem potest tunc sacerdos conficere, potest, imo & debet etiam communicare, quia præceptum perficiendi sacrificium, & consumandi illud, strictius obligat, quam præceptũ ieiunẽ cõmunicandi, vt inferius latius tractabimus, & colligitur ex c. Comperimus. de Consecr. d. 2.

Sacerdoti non ieiuno ob alterius summam necessitatẽ nõ licet sumere Eucharistiam, ac proinde nec illam conficere. Palud. Sot. Gabr. Nauar. Palac.

Nihilominus autores frequentius censent, hoc non licere. Ita Palud. in 4. d. 8. q. 2. n. 9. Gabr. q. 2. ar. 5. Sot. & Ledes. hic Vict. in sum. 83. Nau. in sum. c. 21. n. 53. Palacios in 4. d. 9. qui addidit, ex dispensatione Episcopi posse hoc fieri, non tamen sine illa: quod mihi non probatur, quia si in eo casu hoc præceptum ex se non obligat, non est necessaria Episcopi dispensatio, si vero obligat, non potest Episcopus dispensare: quia est præceptum vniuersale totius Ecclesiæ, & nulla autoritate, vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo: per se autem non potest inferior in lege superioris dispensare. Fundamentum ergo huius sententiæ est, quia consuetudo Ecclesiæ ita interpretatur hoc præceptum. Item quia non est hoc minus graue, quam alia præcepta, pertinentia ad ritum seruandum in hoc sacramento conficiendo, vt sunt præceptum conficiendi in azymo, aut cũ vestibus sacris: hæc autem & similia prætermittenda non sunt propter communicandum ægrotum. Tertio est ratio vniuersalis, quia hoc sacramẽtum, sicut maioris est dignitatis, ita minoris est necessitatis, ergo in simili euentu maior est habenda ratio reuerentiæ debitæ sacramento, quam necessitatis proximi: quia hæc non est necessitas simpliciter seu medij; necessitas autem præcepti tunc non vrget ex parte sumentis: quia non est in potestate eius sumere, nisi sit, qui possit dare, neque etiam ex parte dantis, quia solum tenetur dare, quando commode potest cum debita exteriori reuerentia, & seruato conueniente ritu præscripto ab Ecclesia, quæ propterea prouidit, vt semper seruetur Eucharistia pro infirmis, ne propter euentus similes hoc auxilio priuentur, vt patet ex Concil. Niceno, capit. 14. & capitul. Presbyter. de Consecratione, distinctione secunda. Dices, his rationibus probaretur, etiam propter propriam necessitatem hominis ægrotantis, & communicaturi, non licere ei dare communionem post cibum & potum: quia etiam respectu illius non est sacramentum necessitatis, & maior est habenda ratio reuerentiæ sacramenti. Respondetur, Ecclesiasticam consuetudinem declarasse, in eo casu non obligare præceptum & hoc satis est. Deinde non est eadem ratio, quia propria necessitas hominis communicaturi est necessitas intrinseca, & quæ moraliter frequenter accidit; & ideo nec oportuit, neque decuit, vt tunc impediretur homo à susceptione sacramenti, propter humanum impedimentum, quod vitare non potest, at vero necessitas ex parte ministri est valde extrinseca, & accidentaria, quæ moraliter rarissime potuit accidere, supposita prouidentia, quam Ecclesia habet seruandi Eucharistiam pro infirmis. Et ideo non fuit expediens, vt propter similem necessitatem daretur occasio violandi hoc præceptum, & male illud interpretandi.

Conc. Nicen.

Ad exemplum ergo illud de confessione præmittenda, primo in genere dicitur, aliquod præceptum Ecclesiæ posse vniuersalius obligare, quam aliquod præceptum diuinum, si materia id requirat: quia, licet præceptum immediate feratur ab Ecclesia, tamen nititur in potestate à Christo data, & habet vim obligãdi iuxta exigentiã vniuscuiusq; materiæ, & sæpe est determinatio quædam iuris diuini ac naturalis, vt in proposito de iure diuino est, vt in hoc sacramento conficiendo exterior reuerentia ac decentia seruetur, modum autem huius reuerentiæ determinauit Ecclesia per potestatem sibi à Christo concessam. Deinde in particulari potest assignari differentia inter hæc duo præcepta,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cepta. Primò, quia necessitas conficiendi, absque confessione præmissa, est moralis, & quæ sæpe accidit, necessitas autem conficiendi post cibum & potum est rarissima, & quasi speculatiua: leges autem morales traduntur iuxta ea, quæ moraliter accidunt. Secunda, quia confessio non propter se præcipitur, sed vt medium ad iustificationem, quæ est dispositio per se necessaria ad hoc sacramentũ: desiciente autẽ illo medio potest aliud applicari, quo eadem dispositio obtineatur, scilicet, contritio, & ideo potest illud præceptum sæpius non obligare: quia, licet desit confessio, non necessario deest gratia, quæ est dispositio per se intenta, at vero in præsenti aufertur ieiunium, quod est exterior dispositio per se intenta per præceptũ. Tertia addi potest quia licet interior dispositio per se sit maior, tamen quoad homines exterior reuerentia solet esse valde necessaria, & ideo, ne hoc sacramẽtum indigne tractetur, aut tanquam vulgaris cibus conficiatur, & distribuatur, voluit Ecclesia, vt hæc præcepta de exteriori ritu, quoad fieri moraliter posit, inuiolabiliter seruentur, atq; adeo, vt propter priuatas causas rarissimas, & speculatiuas potius, quam morales, non prætermittantur. Magis enim expedire censuit, prorsus auferre occasiones male interpretãdi præceptum, & irreuerenter tractandi sacramentum, quam propter huiusmodi euentus raros licentiam dare operandi aliter, quam præceptum est.

Illatio.

Atq; hinc colligitur, non habere locum in hoc præcepto omnes casus supra enumeratos in præcepto de præmittenda confessione, propter rationes factas: quin potius, vt dixi, Doctores nullum alium casum expresse excipiunt ex parte necessitatis humanæ, nisi solum periculum mortis hominis cõmunicaturi. Adeo vt Nau. dict. c. 21. n. 53. dicat, etiã propter vitandũ scandalum, non licere hoc sacramentũ sumere post cibum & potũ. Sed fortasse per scãdalũ intellexit solam populi admirationem, vel certe loquitur moraliter, quia ex hoc, quod homo non sit ieiunus, moraliter loquendo, non sequitur scãdalum: quia multis de causis accidere potest, quod homo non sit omnino ieiunus absque vlla culpa: quod autem homo nõ ieiunus propter eam causam non communicet, non solum non est culpa quin potius est virtus ex hoc ergo moraliter loquẽdo, non potest sequi scandalum, vel, si sequatur, aut erit mere passiuum, aut facile aliis modis vitari potest. Nihilominus tamen, si constituatur casus, in quo re vera sequatur scandalum verum & graue, q, aliter vitari non possit, non dubito, quin propter illud vitandum cesset obligatio huius præcepti: quia spiritualis salus animarũ, & obligatio caritatis Dei & proximi, est maior; & ita hæc exceptio de vitando scãdalo, in omnibus præceptis locum habet vbi contrarium non est intrinsece malum. Maximè, quia cum huiusmodi scandalo semper est coniuncta grauis aliqua infamia eius, qui scandalum præbet, ob quam vitandam cessare etiam communiter solet obligatio legis positiuæ, quæ non obligat cũ tanto onere ac discrimine. Atque in hunc modum interpretandi sunt reliqui autores supra citati, qui hunc casum non exprimunt, non quia illum excludere intendant, sed quia & raro moraliter accidit, & regula, de vitando scandalo, & propria infamia, tam generalis est, vt eam in singulis rebus declarare non sit necesse.

Naua.

SECTIO VI.

Quibus in casibus liceat Sacerdoti non ieiuno communicare propter reuerentiam sacramenti, & perfectionem sacrificij.

Tres casus ponuntur in quibus licet non ieiuno communicare.

TRes videntur esse casus præcipui, in quibus licet Sacerdotibus propter suum altaris ministerium implendum, vel propter sacramenti reuerentiam, sacramentum hoc potest cibum & potum sumere. Primus communiter receptus est, si hoc sit necessarium ad perficiendum vel consummandum sacrificium, vt contingit, quando Sacerdos loco vini aquam calici infundit, atque id non auertit donec illam sumpsit post consumptam hostiam: tunc enim debet iterum conficere & sumere, vel vtramq; speciem, vel saltẽ sanguinẽ, vt perficiat sacrificiũ: quia hoc magis necessariũ est, quã cõmunicare ieiunũ. Ita D. Tho. infra. q. 83. ar. 6. ad 2. *D. Tho.* vbi de hac re iterũ redibit sermo, & nonulla supra attigimus, disp. 5. sect. 4. Præterea idem est, si aliquis post inchoatum sacrificiũ, præsertim post consecrationem alicuius speciei, recorderetur, se aliquid comedisse, aut bibisse, imo, licet mala fide & peccãdo ad sacrificium accessisset post cibum & potum, consecrata altera specie tenetur iam non desistere ab inchoato mysterio, donec illud consummet, & ideo, si sui peccati pœnitentiam agat, poterit etiam tunc digne communicare. Dico autem, post consecratam saltẽ alteram speciemtnã, si antea recordetur, D. Tho. supra totius reputat, omittere Missam etiam iã inchoatã quoad partẽ, quæ consecrationẽ antecedit, quod intelligendum est, quando potest fieri sine infamia, vel scandalo. Cum vero D. Tho. dicat, hoc esse tutius, plane sentit, non esse necessarium, vt ibidem latius dicemus. Præterea idem esse censeo, quando sacerdos, qui sacrificium inchoauit & ægritudine correptus non potest illud perficere & ab alio Sacerdote perfici debet iuxta decretum Conc. Tolet. 7. in c. Nihil 7. q. 1. Tunc enim, si nõ adsit Sacerdos ieiunus, qui possit perficere sacramẽtũ, potest, & debet illud perficere alius Sacerdos, etiã si aliquid comederit, vel biberit, propter eãdẽ rationẽ, scilicet, quia magis interest perfectio sacramentiinã q; personæ sint diuersæ vel eadem, nihil refert, vt idem Concil. Tolet. dixit, quia ex vtraq; persona vnus minister Christi componitur. *Cõc. Tolet.*

Secundus casus est, si necessarium sit sacerdoti sumere reliquias huius sacramenti, post fractum ieiunium, vt v. g. post sumptã calicis ablutionẽ: illa enim reliquiarum sumptio, vera est huius sacramenti cõmunio, quia tam est totus Christus sub qualibet reliquia sicut sub toto sacramento. Circa hunc vero casum diuisi sunt aliquo modo autores: quidã enim negant, licere sumere has reliquias post cibũ, vel potũ. Ita Palud. in 4. d. 9. q. 1. in fi. D. Ant. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 9. & sum. Rosel. verbo. Euchar. 3. §. 13. quibus fauet Concil. Matisc. can. 2. c. 6. quod præcipit has reliquias dari hominibus ieiunis. Et fundamentum huius sententiæ potest esse supra tactum, quia sumptio harum reliquiarum est vera communio huius sacramenti: ergo non est, cur permittatur homini non ieiuno. Contrarium vero, scilicet, hoc licere. Sacerdotitenet Caietanus in summa *Secundus.* *Palud. D. Anton. Sum. Ros. Conc. Matisc. con.*

Caietan. Silues. Ioan. Victor. Nauar.

in summa, verb. Miss. & latiùs tom. 2. Opusc. tract. 33. de celebrat. Missæ. q. 1. Sylvest. verbo, Eucharistia. 3. §. 3. Sot. in 4. distinct. 12. q. 1. ar. 8. Victor. in in summa, nu. 83. Nauar. in sum. cap. 25. nu. 89. Sed fortassẽ hi autores non docent contraria; nam priores intelligi possunt, quando reliquiæ sumũtur per se, ac per modum communionis integræ: nam tũc re vera sumi non debent, nisi à ieiunijs, per se etiam loquendo, ac secluſa alia graui necessitate, vt ratio facta probat. Posteriores verò autores intelligendi sunt, quando sumptio reliquiarum solum est circunstantia, & quasi complementum actionis sacrificandi, & conuiuij ibi peracti: atque ita fundamentum eorum est optimum scilicet, quia tota illa actio Sacerdotis est per modum vnius mortalis actionis integræ, & ad totam illã accessit ieiunus: ergo impleuit præceptũ Ecclesiæ, nec posteà frangit illud, etiã si aliquid sumpserit, priùs quàm totum sacramentũ consumat: quia totum illud ordinatur, & moraliter est necessarium ad perficiendam suam actionem, & ministerium suum huic sacramẽto debitum. Potest autem hæc ratio variis exemplis confirmari; primo in die Parasceues, quando particula hostiæ consecratæ vino miscetur, & posteà sumitur: tunc enim, moraliter loquendo, priùs sumitur aliqua pars vini, quã particula consecrata; & idem contingit, quoties cunque corpus Domini accipitur in vino, quod propter necessitate, seu nimiam ægroti sumentis siccitatem, interdùm fieri potest. Secundò, si contingat, particulam hostiæ consecratæ, quæ sanguini fuit mista, adhærere calici post sanguinis sumptionẽ; tũc enim non debet sacerdos illam digito trahere ad os calicis, vt illam absque vino sumat; id enim indecẽs est, quicquid sentiat Scotus in 4. distinct. 8. debet ergo vinum imponere ad purificandum calicem, & ita sumere, etiam si accidat, aliquid vini priùs bibere: imò, quanuis euenerit, vt, hausto illo vino, adhuc particula calici adhæreat, debet iterum, atque iterũ, si necesse sit, vinum ponere, & sumere, donec particulam hostiæ consumat. Tertiò licitum est, non solùm Sacerdoti, sed etiam cuilibet communicanti, si contingat; particulam hostiæ ita ori adhærere, vt nõ possit illam traijcere, sumere vinum vel aquam, semel, ac sæpiùs, donec traijciatur. In quibus omnibus conueniunt autores suprà citati, & præterea Sylvest. verbo, Eucharistia. 2. quæst. 9. & inclinat Angelus, verbo, Missa. §. 20. Et ratio omnium est suprà tacta, quia tota illa actio ordinatur ad consumptionem ipsius sacramenti, & per modum vnius fit. Idẽ ergo erit in præsente casu de quo agimus, propter similem rationem. Vnde tandem cõfirmatur, quia non potest aliter Sacerdos conueniente modo suum ministerium explere: sæpè enim nõ possunt reliquiæ in crastinum conseruari, neque ante ablutionem sumi: ergo non est verisimile, intentionem Ecclesiæ, præcipientis ieiunium ante communionem, esse, ne Sacerdos possit reliquias sacramẽti sumere post ablutionem, quando moraliter oportuerit.

Obiectio aliquot circa casus euentum.

Possunt verò circa hunc casum nonnulla interrogari. Primum est, cuius quantitatis esse oporteat huiusmodi reliquias, vt sumi possint. Soto enim dicit, si grandiusculæ sint, sumi non posse. Secundùm, intrà quod tempus possint consumi, an quando sacerdos est in altari sacris vestibus indutus, vel etiam postea, præsertim, si anteà non vidit reliquiam, quæ in patena adhærebat; atque idem est, si sacerdos post sacrum factum per horam fuit in altari communicando populum, an, finita communione, possit reliquias consumere. Vnde potest tertiò inquiri, an possint hæ reliquiæ dari alicui ex his, qui communi cauerunt, præsertim post sumptam aquam.

Eiusdantur.

Ad primum respondetur, non esse attendendam quantitatem, sed an reliquia sit pars illius sacrificij, id est, ab ipso sacerdote consecrata, & oblata in illa Missa: tunc enim consumi potest, etiam si sit grandiusculæ quantitatis. Vnde Clem. Papa in cap. Tribus gradibus. de cõsecr. distinct. 2. dicit, tot esse hostias consecrandas, quo populo sufficiant, si autẽ aliquæ superfuerint, esse consumendas à Sacerdote: quin potiùs addit, non esse reseruandas; quod verbum sano modo intelligendum est: nõ enim prohibet eas reseruare, hoc enim non est malum, vt ex suprà dictis constat, & ex vsu Ecclesiæ: vnde, si id cõmodè fieri potest, melius est & commodius ita facere, præsertim si sit integra forma, aut magna particula, quæ consumenda est. Sensus ergo est, per loquendo, non esse necessarium, reseruare id, quod superest ex sacramẽto, sed posse consumi, nisi propter infirmos aliquid reseruandum sit, vt ibidem subditur. Si autem reliquiæ non sint ex illo sacrificio, sed ex alio præcedente, regulariter loquendo, cõsumendæ sunt ante omnem ablutionem ritũ, quia illa sumptio priò propriè nõ est pars præsentis ministerij, neque ad illud pertinet; tum etiam, quia, moraliter loquendo, semper ita fieri potest, nec expectare oportet tẽpus post sumptam ablutionem. Quod quidẽ per se, vt dixi, verum est de reliquijs tam minimis, quàm maiusculis. Si autem ex accidente aliquid aliud interdùm necessarium sit, fieri quidem poterit, non autem ex vi huius casus, de quo agimus, sed ex vi eorum quæ in tertio dicemus.

Ad secundam interrogationẽ Doctores nihil in particulari dicunt, Sylvester tamẽ ait, requiri, vt nõ intercedat magna mora. Victoria addit, hoc licere quandiu Sacerdos suum ministerium non expleuit. Alij dicunt, oportere, vt nõ recesserit ab altari. Igitur prudẽti arbitrio opus est, vixque potest aliquid certius in particulari dici. Quanquam non videatur dubitandum, quin posit sacerdos, qui post peractũ sacrificium multo tempore fuit in altari, dispensando hoc sacramentum, purificare postea vasa sacra, & reliquias sumere tunc conseratas, quæ ad præsens sacrificiũ pertineant: quia tota illa est vna actio moralis, si autem sint ex præsanctificatis, cõsultius erit eas reseruare, sicut anteà conseruabantur. Postquam autem Sacerdos ab altari recessit, existimo, nõ posse reliquias consumere per se loquẽdo: quia iam expleuit ministerium suum: secus verò esset ex accidẽte, si non possent conseruari sine maiori irreuerentia, iuxta ea, quæ in tertio casu dicemus.

Vnde ad tertiam interrogationem similiter dicẽdum est, huiusmodi reliquias non esse dandas laicis post ablutionem: quia hoc non pertinet ad eorum ministerium; & ita eorum actio censetur omnino consummata in prima sumptione ipsius sacramenti: quare, nec dandæ illis sunt post finitam omnino cõmunionem, etiam si ablutionem nõ sumpserint, nisi, moraliter loquendo, simul dentur cum priori formula, ita vt censeatur vna moralis communio: quia non possunt iterum communicare post primam cõmunionem: sumptio autem reliquiarum est vera communio, si per se, ac separatim fiat.

Tertius casus, in quo non ie-

Tertius principalis casus est, si occurrat extrinseca necessitas consumendi sacramentum, propter vi-

iuno sacerdoti communicare licet.

candam gratiem aliquam irreuerétiam eius, vt, verbi gratia, quia igne comburendum est, aut quia deueniet in manus hæreticorum, vel infidelium, à qui bus iniuriosè tractabitur, aut propter aliam similem causam. Sicut enim dixit Bernardus, quod propter caritatem institutum est, non debere contra caritamilitare, ita dicere possumus, quod propter reuerentiam sacramenti introductum est, non debere cõtra reuerentiam sacramento debitam obligare. Hic ergo casus est veluti extrema, seu grauis necessitas ex parte ipsius sacramenti; & ideo tunc cessat huius præcepti obligatio.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm non habentes vsum rationis, debeant suscipere hoc sacramentum.

4.d.3.art.5.q.3.& 4.& d.25.q.2.ar.2.q.4.cor.& Ioan.6.lect.7.to.1.

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod non habentes vsum rationis, non debeant hoc sacramentum suscipere. Requiritur enim, quòd aliquis ad hoc sacramentum cum deuotione, & præcedenti sui examinatione accedat, secundum illud 1. Corin. 11. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Sed hoc non potest esse in his, qui carent vsu rationis. Ergo non debet eis hoc sacramentum dari.

¶2. Præterea, Inter alios, qui carent vsu rationis, sunt etiam arreptitij, qui energumeni dicuntur. Sed tales etiam ab inspectione huius sacramenti arcentur, secundum Dionys. in lib. Eccles. Hierarch. Ergo carentibus vsu rationis, hoc sacramentum dari non debet.

c.3.Eccl. hierar.part.2.

¶3. Præterea, Inter alios carentes vsu rationis, maxime pueri videntur esse innocentes. Sed pueris hoc sacramentum non exhibetur. Ergo multo minus alijs carentibus vsu rationis.

In Arausicano Cõc.can.3.habetur de consecrat.d.2.c. Qui recedunt.

SED contra est, quòd legitur in Concilio Arausicano (& habetur in Decret.26.quæst.6.cap. Qui recedunt.) Amentibus, quæcunque pietatis sunt, conferenda sunt. Et ita est eis conferẽdum hoc sacramentum, quod est sacramentum pietatis.

RESPONDEO, dicendũ, quòd aliqui dicuntur non habere vsum rationis dupliciter. Vno modo, quia habẽt debilem vsum rationis, sicut dicitur non videns, qui malè videt. Et quia tales possunt aliquam deuotionẽ huius sacaamenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Alio modo dicũtur aliqui nõ habere totaliter vsum rationis. Aut igitur nunquam habuerunt vsum rationis, sed sic à natiuitate permanserũt. Et sic talibus non est hoc sacramentum exhibendũ, quia in eis nullo modo præcessit huius sacramenti deuotio. Aut nõ semper caruerunt vsu rationis: & tunc, si prius quãdo erant compotes suæ mentis, apparuit in eis deuotio huius

A sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentũ exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Vnde in Concilio Carthaginensi legitur (habetur in Decret.26. quęst.2.) is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit, dẽt testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & sic continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionẽ, & infundatur ori eius Eucharistia.

In Conc. IIII. Carthag. ... & habetur, 26.q.6.ca. Is qui in infirmitate.

AD primum ergo dicendum, quòd carentes vsu rationis possunt deuotionem ad sacramentum habere, quãtum ad aliquos quidem præsentem, quantum ad alios autem B præteritam.

AD secundum dicendum, quòd Dionys. loquitur ibi de energumenis, nondum baptizatis, in quibus, scilicet, nondum est vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadẽ ratio, & de alijs amentibus. Vnde Cassianus dicit, Eis, qui ab immundis vexãtur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquã meminimus interdictã.

Loco citato in argum.

AD tertium dicendum, quod eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus, C qui nunquam habuerũt vsum rationis, vnde talibus non sunt sacra mysteria danda. Quauis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc, quod Dionys. 2. Cœlest. hierar. dicit, baptizatis esse sacram communionẽ dandam, non intelligentes, quòd Dionys. ibi loquitur de baptismo adultorum. Nec tamen per hoc aliquod detrimentũ vitæ patiuntur, propter hoc, quod Dominus dicit, Ioã.6. Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis cuius sanguinem, non habebitis vitã in vobis, quia sicut August. scribit Bonifacio: Tunc vnusquisqne fidelium, corporis & sanguinis Domini particeps fit, scilicet, spiritualiter, quando in baptismate membrũ D corporis Christi efficitur. Sed quando iam pueri incipiunt aliqualem vsum rationis habere, vt possint deuotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.

Cap.2. in par. 2. in fin.

Refertur de consec. d. 4. c. Nulli.

COMMENTARIVS.

DE his, qui vsu rationis carent, duplex est disputatio: vna, an sint capaces huius sacramẽ menti, non omnino materialiter, sicut brutum potest sacramentum comedere, sed aliquo modo formaliter, & spiritualiter; quod in re est quærere, an sint capaces effectus eius; & ideo hanc quæstionem suprà coniunximus disputationi de effectu, & cum ea ferè coincidit, seu connexa est quæstio, an

stio, an liceat huiusmodi hominibus dare hoc sacramentum. Altera verò disputatio magis moralis est, an sit necessarium, dari hoc sacramentum his hominibus; & hoc sensu tractat hic D. Thom. hanc quæstionem. Et in summa respondet, his, qui nunquam sunt vsi ratione, non esse dandum hoc sacramẽtum; quia nunquam erga illud proprium deuotionis actũ habuerunt: eis verò, qui aliquando vsi sunt ratione, & posteà illius vsum amiserũt, deberet dari hoc sacramentum in articulo mortis, si nullum sit irreuerentiæ periculum, quod solùm confirmat autoritate Concil. Arausicani. I. can. 3. & Carthag. IIII. cap. 76. Vnde concludit in solutione ad 3. infantibus & perpetuò amentibus non esse dandum hoc sacramẽtum; & ibidem explicat Dionysium, qui oppositũ dicere videtur, intelligendum esse de adultis. Sed, quod ad Dionysium attinet, suprà citato loco ostẽdi, negari non posse, quin aliquando scribat, Eucharistiam olim fuisse datam infantibus, id tamen solũ declarat, hoc non esse per se malum, nec iure diuino prohibitum, non tamen probat esse necessariũ, vel præceptũ, & ita non est contra doctrinã, quam hic D. Tho. intendit, quæ in prædicto sensu intelligenda est, vt latiùs disputatione sequente tractabimus, vbi etiam solutionem ad secundum explicabimus.

Secundùm D. Thom. ijs, qui nunquã ratione vsi sunt potiti, dari nõ debet Eucharistia; ijs verò qui aliquãdo, in mortis discrimine.

Cõc. Arausi. I. Cartha. IIII.

ARTICVLVS X.

Vtrùm liceat quotidie hoc sacramentum suscipere.

4.d.12.q.3. art.1. Et 1. Corinth. 11. lect.7.to.5.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quòd non liceat quotidie hoc sacramentum suscipere. Sicut enim baptismus repręsentat Dominicam passionem, ita & hoc sacramentum. Sed non licẽt pluries baptizari, sed semel tãtum, quia Christus semel tãtùm pro peccatis nostris mortuus est, vt dicitur 1. Petr. 3. Ergo videtur, quòd non liceat hoc sacramentum quotidie suscipere.

¶2. Præterea, Veritas debet respõdere figuræ. Sed agnus Paschalis, qui fuit figura pręcipua huius sacramenti (vt suprà dictum est) non mãducabatur, nisi semel in anno. Semel etiã in anno Ecclesia celebrat Christi passionem, cuius hoc sacramentum est memoriale. Ergo videtur, quòd nõ liceat quotidie sumere hoc sacramentum, sed solũ semel in anno.

Quæst.73.ar.6.

¶3. Præterea, Huic sacramento, in quo totus Christus continetur, maxima reuerentia debetur. Ad reuerentiã autem pertinet, quòd aliquis ab hoc sacramento abstineat. Vnde & laudatur Centurio, qui dixit Matt. 8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: & Petrus, qui dixit, Luc. 5. Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Ergo nõ est laudabile, quòd homo quotidie hoc sacramentum suscipiat.

¶4. Præterea, Si esset laudabile, frequẽter hoc sacramentum accipere, quantò frequentiùs sumeretur, tãtò esset laudabilius. Sed maA ior esset frequentia, si homo pluries in die sumeret hoc sacramentum. Ergo esset laudabile, quòd homo pluries in die communicaret. Quod tamen non habet Ecclesiæ consuetudo. Non ergo videtur esse laudabile, quòd aliquis quotidie hoc sacramentum accipiat.

¶5. Præterea, Ecclesia intendit suis statutis fidelium vtilitati prouidere. Sed ex statuto Ecclesiæ fideles tenentur solùm semel cõmunicare in anno, vnde dicitur extra. de pœnit. & remis. Omnis vtriusque sexus fidelis suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxe B rit abstinendum. Non ergo est laudabile, quòd quotidie hoc sacramentum sumatur.

In decr. lib.5. d.38.c. Omnis vtriusque sexus. cap.8.

SED cõtrà est, quòd August. dicit in lib. de verbis Domini: Iste panis quotidianus est accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit.

In ser.28. parum ante me. to.10.

RESPONDEO dicẽdum, quòd circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideò vtile est, quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde Ambros. dixit in lib. de Sacramentis. Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorũ effunditur, debeo sem C per accipere, qui semper pecco, debeo habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cũ magna deuotione & reuerentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideò, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quòd quotidie sumat. Vnde August. cùm dixisset, Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit, subiũgit, sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionẽ, vel animæ, non est vtile omnibus hominibus, quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescunque se ad illud homo inuene D rit præparatum. Vnde in lib. de Ecclesiastic. dogmatibus dicitur; Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.

Lib.4.cap.6. à me. to.4. de cons. d.2.c.4.

In ser. 28. de verb. Do. parum ante me. to.10.

Cap. 53. in princ. habetur liber hic inter opera August. to.3. habetur de consec. dist. 2. cap.13.

AD primum ergo dicendum, quòd per sacramentũ baptismi configuratur homo morti Christi, in se suscipiens eius characterem. Et ideò, sicut Christus semel mortuus est, ita solùm semel debet homo baptizari. Sed per hoc sacramentum non recipit homo Christi characterem, sed ipsum Christum, cuius virtus manet in æternum. Vnde Hebr. 10. dicitur, vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos; & ideò, quia quotidie ho-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramẽtum suscipere. Et quia præcipuè baptismus est spiritualis regeneratio, ideò, sicut homo semel carnaliter nascitur, ita debet semel spiritualiter renasci per baptismum, vt August. dicit super illud Ioan. 3. Quomodò potest homo nasci, cùm sit senex? Sed hoc sacramẽtum est cibus spiritualis, vnde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita & hoc sacramentũ quotidie sumere laudabile est. Vnde Dominus Luc. 11. docet petere, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. In cuius expositione, August. dicit in lib. de verbis Domini, Si quotidie accipis, scilicet, hoc sacramentum, quotidie tibi est hodie, tibi quotidie Christus resurgit, hodie enim est, quando Christus resurgit.

Tractat. 9. in Euang. Ioan. non multũ ante med. to. 9.

In ser. 28. de verb. Dom. à med. tom. 10.

AD secundum dicendũ, quòd agnus Paschalis præcipuè fuit figura huius sacramẽti, quantum ad passionem Christi, quæ repræsentatur per hoc sacramentum. Et ideo semel tantùm in anno sumebatur, quia Christus semel mortuus est, & propter hoc etiam Ecclesia celebrat semel in anno memoriam passionis Christi. Sed in hoc sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur. Et ideo quantum ad hoc significatur per mãna, quod quotidie dabatur populo in deserto.

AD tertium dicendum, quòd reuerentia huius sacramenti habet timorem amori coniunctum (vnde timor reuerentiæ ad Deũ, dicitur timor filialis, vt in secunda parte dictũ est) ex amore enim prouocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reuerendi. Et ideò vtrumque pertinet ad reuerentiam huius sacramenti, & quòd quotidie sumatur, & quòd aliquãdo abstineatur. Vnde August. dicit. Si dixerit quispiam nõ quotidie accipiendam Eucharistiam, alius contrà: faciat vnusquisque, quod secundum fidẽ suam piè credit esse faciendum. Neq; enim litigauerunt inter se Zachæus, & ille Centurio: cùm alter eorum gaudens suscepit Dominum, alter dixit, Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, ambo Saluatorẽ honorificantes, quanuis non vno modo: amor tamen & spes, ad quæ semper Scriptura nos prouocat, præferuntur timori. Vnde, & cũ Petrus dixisset, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, respondit IESVS, Noli timere.

1.2. q. 67. articu. 4. ad 2. & 2.2. q. 19. artic. 9. & aliis.

Epist. 118. c. 3. to. 2.

AD quartum dicendum, quòd quia Dominus dicit, Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie, nõ est pluries in die cõmunicãdũ, vt saltẽ per hoc, quòd aliquis semel in die cõmunicat, repræsentetur vnitas passionis Christi.

AD quintum dicendum, quòd secundum diuersum statum Ecclesiæ, diuersa circa hoc statuta emanauerunt. Nã in primitiua Ecclesia, quãdo magna vigebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt quotidie fideles cõmunicarent. Vnde Anacletus Papa, dicit, Peracta cõsecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerũt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodùm verò, diminuto fidei feruore, Fabianus Papa indulsit, vt si non frequẽtius, saltem ter in anno, omnes communicent, scilicet, in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Soter etiam Papa in Cœna Domini dicit esse communicandum, vt habetur in Decr. de Consec. dist. 2. Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente caritate multorum, statuit Innocentius III. vt saltem semel in anno, in Pascha fideles communicent. Consulitur tamen in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandum.

In Epist. 1. in med. illius, & habetur de consec. d. 1. c. Episcopi.

De consec. d. 2. c. Etsi non frequentius.

In Epistola ad Episc. Italiæ, d. 2. c. in cœna.

Innoc. III. in Conc. Latera. cap. 21.

Ca. 53. circa prin. habetur lib. hic inter opera August. tom. 3.

LItera D. Thomæ est elegantissima, sed adeò perspicua, vt nullo indigeat cõmentario, de re verò ipsa pauca in disputatione addemus; solũ aduerto, titulum artic. & cõsequenter totam doctrinã intelligendam esse præcipuè de cõmuni populo, seu laicis cõmunicantibus: nam de sacerdotibus, qui ratione sacrificij cõmunicant, est specialis ratio, ob quam facilius possunt quotidie communicare, vt infra dicemus.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm liceat omnino à cõmunione cessare.

AD vndecimũ sic proceditur. Videtur, quòd liceat cessare omnino à communione. Laudatur enim Cẽturio de hoc, quod dicit Math. 8. Dñe non sum dignus, vt intres sub tectũ meũ. Cui cõparatur ille, qui reputat à cõmunione sibi esse abstinẽdũ, vt dictũ est. Cũ ergo nunquã legatur, Christũ in eius domum venisse, videtur, quòd liceat alicui toto tempore vitæ suæ à communione abstinere.

3. d. 12. q. 3. artic. 2.

Art. præced. argum. 3.

¶2. Præterea, Cuilibet licet abstinere ab his, quæ non sunt de necessitate salutis. Sed hoc sacramentum non est de necessitate salutis, vt suprà dictum est. Ergo licet à sumptione huius sacramenti omnino cessare.

Quæst. 73. artic. 3.

¶3. Præterea, Peccatores non tenentur cõmunicare. Vnde Fabianus Papa, cum dixisset, Ter in anno omnes communicent, adiunxit, nisi fortè quis maioribus criminibus impediatur. Si ergo illi, qui non sunt in peccato, tenentur communicare, videtur, quòd melioris conditionis sint peccatores, quàm iusti, quod est inconueniens. Ergo videtur, quòd etiam iustis liceat à communione cessare.

Habetur de consec. d. 2. c. Etsi non frequentius.

SED

SED contrà est, quòd Dominus dicit Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

RESPONDEO dicẽdum, quòd (sicut suprà dictum est) duplex est modus percipiendi hoc sacramentum, scilicet, spiritualis & sacramẽtalis. Manifestum est autem, quòd omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari, vt suprà dictum est. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiẽdi hoc sacramentum, vt suprà dictum est. Et ideò sine voto percipiẽdi hoc sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideò manifestum est, quòd homo tenetur hoc sacramentum sumere, nõ solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis. Luc. 22. Hoc facite in meã commemorationẽ. Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum.

Art. 1. huius q. & q. 73. artic. 3. ad 1.

Quæst. 3. art. 3.

Ibidem.

Capit. Omnis vtriusque sexus.

AD primum ergo dicendum, quòd, sicut Gregor. dicit in pastorali, illa est vera humilitas, cum ad respuendum, quod vtiliter præcipitur, pertinax non est. Et ideò nõ potest esse laudabilis humilitas, si cõtra præceptum Christi & Ecclesiæ aliquis omnino à cõmunione abstineat, neq; enim Centurioni præceptũ fuit, vt Christũ in sua domo reciperet.

In 1. p. ca. 6. circa princip.

AD secundum dicendum, quòd hoc sacramentum dicitur non esse necessitatis, sicut baptismus, quãtum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc sacramento, non autem sine sacramẽto baptismi: quãtum verò ad adultos: vtrumque est necessitatis.

AD tertium dicendum, quòd peccatores magnum detrimentum patiuntur, ex hoc quòd repelluntur à perceptione huius sacramenti, vnde per hoc non sunt melioris conditionis. Et licèt in peccatis permanentes non excusentur propter hoc à trãsgressione præcepti, pœnitentes tamen, qui, vt Innocen. dicit, secundùm consilium sacerdotis abstinent, excusantur.

Innoc. in Cõc. Lat. can. 21. & habetur l. 5. decret. titu. 38. cap. 12.

DISPVTAT. LXIX.

De præcepto diuino circa vsum Eucharistiæ.

HActenus dictũ est de præceptis, quibus præscribitur modus seruandus in vsu huius sacramenti ex parte sumentium, tam in anima, quàm in corpore, nunc consequenter dicẽdum super est de præceptis pertinentibus ad exercitium huius sumptionis, seu sacramentalis manducationis Eucharistiæ: nam de spirituali manducatione non oportet interponere sermonem, ne materiã confundamus, vt multi ex scriptoribus faciunt: nam, si loquamur largè, & omnino metaphoricè, de spirituali manducatione, cõstat, illam esse tam necessariã, quã necessariũ est, viua fide credere in Christũ, tamen hæc necessitas nõ oritur ex præcepto pertinente ad hoc sacramentũ, sed ex præceptis fidei, & caritatis: quia hæc manducatio, vt suprà dixi, non est manducatio Eucharistiæ formaliter, sed valde materialiter; quia non terminatur ad Christum, vt sacramentum est, seu quatenus in hoc sacramento continetur, sed ad Christum secundùm se, vt est Deus & homo, hominumq; redemptor, si autem loquamur de manducatione spirituali Eucharistiæ formali & propria, qualis est per votum huius sacramenti, & sacramentalis vsus eius, in tantũ potest hæc esse in præcepto, in quantum ipsa realis & sacramentalis sumptio fuerit præcepta; vt rectè D. Tho. in hoc arti. notauit: & ideò tota disputatio reuocatur ad præceptum de sacramentali sumptione. Hoc autem præceptum duplex esse potest, diuinum, scilicet, & humanum, seu Ecclesiasticum: de hoc posteriori dicemus disputatione sequente, hic de priori: de quo priùs declarabimus, quid præceptum sit, & consequenter quando, & quos obliget, deinde, quid liceat, præter id, quod præceptum est, quid verò sit prohibitum.

Disput. 31. de Eucharistia.

SECTIO I.

Vtrùm iure diuino latum sit præceptum obligans ad sacramentalem vsum Eucharistiæ.

SVppono, in tota hac disputatione esse sermonem de communione laica, quæ non fit ratione sacrificij, sed per se propter vsum sacramenti, de quo nunc sermo est, nam de altera dicemus postea, tractantes de sacrificio. De hac ergo est prima opinio, negans esse præceptam iure diuino, quam tenuit Alexand. Alens. 4. par. quæst. 51. memb. 4. D. Thomas in 4. distinct. 9 q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. & ibi Carthus. quæst. 1. & Palacios disput. 2. Bonauẽ. distinct. 12. art. 5. quæst. 1. Gabr. lect. 87. in Canonem, Syluest. verbo, Eucharist. Ferra. 4. cont. Gent. cap. 61. Caiet. hic. Fundamentum est, quia nullum præceptum est admittendum sine sufficiente probatione: hoc autem probari non potest, nec ratione, nec autoritate. Primum per se euidẽs est; quia hoc præceptum, vt sit, non pendet ex sola rei natura, sed ex Christi voluntate, quæ solo discursu, vel ratiocinatione inuestigari non potest, præsertim, quia suprà diximus, hoc sacramentum non esse mediũ simpliciter ad salutem necessarium: nam inde fit, per se, & ex natura rei non esse præceptum, etiam supposita institutione. Secundum probatur, quia neq; antiqui Patres, neque Ecclesia, quidquam de hoc præcepto tradiderunt, neque in Scriptura continetur; duo enim testimonia, quæ hic affert D. Tho. & afferri tantùm possunt, non videntur vrgentia, nec sufficientia, vt in eorum expositione tractabitur.

Opinio quorũdam.

Alensis. D. Thom. Carthus. Palac. Bonauent. Gabr. Syluest. Ferra. Caietan.

Dicendùm nihilominùs est, præceptum communicandi iure diuino esse à Christo Domino latum. Hanc sententiã elegit hic D. Tho. non solùm vt tutiorem (quod Caiet. ait) sed etiam vt probabiliorẽ, & magis piam, quam etiam tenuerũt in 4. distinct. 9. Durand. q. 2. nu. 7. Palud. q. 1. art. 1. Gabr. q. 1. art. 1.

Communicandi præceptum de iure est diuino.

D. Thom. Durand.

Palud. Gabr. Richard. Domin. Soto. Ledesma. Adrian. Petr. Soto. Nauar. Victoria. Hosius. Claud. Innocen.

art.1.ad 2.Richard,distinct.12.art.6.q.1. Soto q. 1.art.11.Ledes.q.21.art.11.Adria.q.1.de Euch. Petr.Sot.lect.9.de Euchar.Nauar.in sum.c.21.nu. 57.Victoria in sum.nu.86.Hosius lib.3.cõtra Brentium.Claudius de Saint.repet.6.c.5.& inclinat Innoc.lib.4.de hoc myst.cap.42. & in primis est hæc sententia per se se valde credibilis; adeò, vt nonulli existimauerint, quanuis hoc præceptum absolutè non posit dici naturale; tamẽ supposita institutione huius sacramenti,& fine illius,& efficacia ac fructu eius,hominisq; fragilitate, necessariò consequi, & quasi naturaliter ex tali institutione;tũ quia vsus huius sacramenti est maximè vtilis, & moraliter necessarius ad salutem animarum: ergo ex lege propriæ caritatis obligatur homo ad vtendum illo,supposita eius institutione & efficacia. Antecedens cõstat ex dictis suprà de effectu huius sacramenti; & quæ anteà diximus de eiusdem necessitate, vbi inter alia adduximus Cyrillum de hac necessitate explicantem verba illa, *Nisi mãducaueritis carnem filij hominis,non habebitis vitam in vobis*: quia nimirùm homo huius sacramenti ope & auxilio destitutus spiritualem vitam conseruare non potest, moraliter loquendo. Ex quo facilè probatur prima consequentia, quia homo non solùm tenetur media simpliciter necessaria suæ saluti adhibere, sed etiam vtilissima, & quæ ita sunt opportuna, vt sine eis vix possit moraliter saluari. Accedit, quòd perpetua omissio huius communionis videtur esse quædam spiritualis prodigalitatis, valde grauis, & animæ perniciosa; imò addit Durandus, esse vrtualem contemptum tanti beneficij, qui est intrinsecè malus. Has autem rationes non ideò affero, quia censeam per se sufficere ad hoc præceptum demonstrandum: non enim ita est; nam, secluso positiuo, præcepto, posset sine dubio omitti sine contemptu; & sine prodigalitate, quæ sit peccatum, saltem graue, vt de sacramẽto Cõfirmationis suprà diximus, & idem est de extrema vnctione; nã, licèt hoc sit dignius, & vtilius, tamen homo etiam ex caritate propria non obligatur ad id, quod est optimum, vt de vsu consiliorum per se notum est, alioqui, si hæc ratio facta efficax esset, multùm probaret, nimirùm iure diuino præceptum esse, non tantùm aliquando, sed frequenter etiam hoc sacramẽtum sumere: hoc enim modo ad conseruandam spiritualem vitam vtilissimum est, nam semel in vita, vel in anno sumptum parũ certè iuuare potest. Afferuntur ergo prædicta rationes ad ostendendum congruentiam huius præcepti: est enim hic actus maximè accommodatus, vt à Christo Domino præciperetur, non solùm propter sumentium vtilitatem, sed etiam propter ipsius sacramenti dignitatem & reuerentiã, & alioqui tale præceptum nõ est præter rationem & libertatem (vt sic dicam) legis gratiæ; in qua esse debuerunt præcepta fidei & sacramentorum, pauca quidem, dignissima tamen & vtilissima: inter hæc ergo meritò cõstituitur hoc præceptum. Et à signo confirmari potest, quia tale præceptum Ecclesiæ futurum erat vtilissimum: hac enim de causa nunquam in Ecclesiæ defuit: essetq; intolerabilis error, si Ecclesia tentaret illud prorsus è medio tollere: cur ergo Christus Dominus præter misisset illud? Atq; hinc vlteriùs colligere licet, hũc fuisse semper fideliũ sensum, & Ecclesiasticam traditionem; nam à principio nascentis Ecclesiæ vsus huius sacramenti fuit fidedelibus omnibus in obseruatione maxima, tanquam pertinens ad Christi traditionem & mandatum; & hæc existimatio videtur semper in Ecclesia durasse, & ab illa manasse perpetua obseruatio, & cura pastorum Ecclesiæ, vt Christianus populus aliquãdo communicet. Vnde addit Paludanus, ex præcepto Ecclesiastico colligi hoc diuinum: quia non potuisset Ecclesia tempus communionis præscribere, nisi res ipsa esset à Christo præcepta. Sed hæc collectio, si (vt verba sonant) necessaria censeatur, non solùm est mala, sed grauem etiam continet errorẽ: potuisset enim Ecclesia hoc præcipere; etiam si Christus non præcepisset, cùm materia sit ad præceptum aptissima, & potestas ferendarum legum in Ecclesia non desit: si autem solum afferatur, vt probabile indicium traditionis, & voluntatis Christi, est, vt dixi, verisimilis coniectura.

Ab antiquitate petitur coniectionis probatio.

Sed ad Scripturæ testimonia veniamus. Primum est illud Ioan.6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ex quibus verbis hoc præceptum colligitur Iustin. Apolog. secunda pro Christian. in eis enim sermo est de hoc sacramento, & de proprio vsu seu sacramentali manducatione eius, vt suprà ostẽdimus: non potest autem illa conditionalis esse vera, nisi hæc manducatio sit aliquo modo ad salutem necessaria: quia, si non est necessaria, sine illa poterit homo saluari, & vitam habere; si autem est necessaria, aut est ex necessitate præcepti, & habetur intẽtum, aut necessitate medij, & hæc etiam necessitas respectu talis actus necessariò supponit præceptum: quia, cũ per se sumptus ex natura sua non sit necessarius ad gratiam vel gloriam obtinendam, non potest induere rationem medij necessarij, nisi mediante præcepto. Respõderi potest, significari his verbis necessitatem medij eo sensu, quo id, quod est maximè vtile, solet dici necessarium; & ideo non oportere, hãc necessitatem manare ex præcepto, sed ex institutione, iuxta expositionẽ Cyrilli suprà insinuatam, iuxta quã, verbum illud, *non habebitis vitam*, non significat necessitatem simpliciter, nec impossibilitatem contrarij effectus, sed morale periculum, id est, versabimini in magno periculo amittendi vitam, destituti eo speciali auxilio, quod manducantibus carnem meam daturus sum. Veruntamen hæc euasio nullo modo euacuat efficaciam huius testimonij, nam illa expositio Cyrilli singularis est, &, quanuis moralis sit, & sub hac ratione vtilis esse possit, & non reijcienda, non tamen vt vnica & literalis admittẽda est: sic enim esset perniciosa, cùm sit contra proprietatem verborum Christi, quæ maximè obseruanda est, & retinẽda, quoad fieri possit: veritas enim illius conditionalis locutionis significat necessariam connexionem, & infallibilem effectum in consequente significatum, si antecedens in esse ponatur: sicque intelligitur illud. *Nisi quis renatus fuerit, &c. non intrabit in regnum cælorum*, & illud, *Nisi pœnitentiam egeritis*, &c. & similia, quæ vim suã amitterent, si prædicto modo liceret subter fugere: est ergo testimonium hoc satis efficax. Duæ tamen oriuntur graues difficultates, nam illa verba sic exposita nimiùm probant, scilicet, non solùm adultis, sed etiam infantibus, necessarium esse hoc sacramentum, & non solùm in vna specie, sed etiam in vtraque; de quibus in sequentibus dicemus.

Ioan.6. Euasio. Refutatur.

Secundũ Scripturæ testimonium ad præceptum diuinum de communicãdo stabiliendum.

Secundum testimonium continetur in illis Christi verbis, quæ referunt Lucas cap. 22. & Paul. 1. ad Corinth. 11, *Hoc facite in meam commemorationem*: præmiserat autẽ, *Accipite, & comedite*, seu, bibite, & hoc solùm Apostoli tunc fecerunt communicando, & sacramentaliter suscipiendo hoc sacramentũ: ergo hoc præceptũ, significatum in illis verbis, *Hoc facite*, cadit super huiusmodi vsum talis sacramenti; & non pertinuit ad solas Apostolorum personas, sed ad vniuersam Ecclesiam, quæ in illis repræsentabatur: ergo per hæc verba datum est præceptũ vniuersæ Ecclesiæ recipiendi hoc sacramentum in Christi memoriam. Ita ferè D. Thom. hic. Hoc verò testimonium duplici ratione videri potest inefficax; primam persequitur Caietanus hic, quia in illis verbis non tam præcipitur vsus seu exercitium manducationis, quàm modus, seu intentio, qua debent fideles accedere ad hoc sacramentum, quando illud sumpserint, quod clariùs explicatum est in verbis canonis Missæ, vbi post verba vtriusque consecrationis dicitur, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*: quæ verba videntur continere interpretationem eorum, quæ Lucas posuit; & Paulus eandẽ indicauit, subdens post superiora verba, *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annũciabitis, donec veniat*. Vnde Chrysost. hom. 17. ad Hebræ. & Basil. in Moralibus, regula. 21. cap. 3. dicunt, his verbis significari, qua mente & reuerentia suscipiendum sit hoc sacramẽtum, in commemorationem obediẽtiæ Domini vsque ad mortem. Iuxta hanc igitur interpretationẽ, non est hoc præceptum de exercitio, sed de specificatione actus (vt sic dicam) id est, non est præceptũ de vsu, sed de fide, & reuerentia, qua suscipiendum est hoc sacramentum, cùm sumitur: quod præceptũ locum habet, etiam si ipsa susceptio præcepta nõ sit, sed voluntaria, vt, si dicamus, Ecclesiam præcepisse, vt hoc sacramentum à ieiunis sumatur: non est sensus præcepisse sumptionem, sed modum seruandum etiam in libera & voluntaria sumptione, scilicet, vt non fiat, nisi ab homine ieiuno, sicut etiam, cùm dicimus, attentè esse orandum, non significamus, orationem esse præceptam, sed modum. Secunda, & nõ minùs difficilis, euasio est, quia, cùm Christus dixit, *Hoc facite*, nõ designauit id quod Apostoli tũc fecerant, communicando, sed quod ipse fecerat, consecrando, offerendo, & sacramentum dispensando: ergo ex illis verbis non potest colligi, Apostolis, vt fidelibus, datum esse præceptum communicandi, sed eisdem, vt sacerdotibus, datum esse præceptum conficiendi, & dispensandi hoc sacramentum: &, si aliqua eius sumptio præcepta est, potius est illa, quæ aliquo modo ad integritatem sacrificij pertinet, & Sacerdotum est propria, eaq; verisimilius est, Christum tunc fuisse vsum, vt posteà dicemus. Antecedens expressum videtur in Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. dicente, Christum illis verbis Apostolos, noui Testamenti Sacerdotes cõstituisse, eisque, & eorum in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepisse: constat ergo, tunc Christum locutum esse ad Apostolos, non vt communem plebem repræsentabant, sed vt sacerdotes: non ergo communio laica illis præcepta est, sed sacrificalis oblatio & sumptio.

Duobus modis eludi potest hoc testimonium. Primum. Secundus. Conc. Trid.

Corroboratur testimonium prædictum.

Nihilominùs testimonium hoc, quanuis non sit omnino certum, neque euidenter conuincat propter rationes factas, est tamen valde probabile, & nullatenus reijciendum, cui magnam vin adhibuit huic Concilium Trident. sess. 13. cap. 2. dicens: *Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramẽtum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum veniat, sumi autem voluit sacramẽtum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum*, &c. Ex quibus verbis non solùm testimonium hoc roboratur, sed etiam ipsa sententia, quam confirmare intendimus, sufficienter probatur, & prima difficultas tacta expeditur: declarat enim Concilium, Christum non tantùm præcepisse nobis quasi sub conditione, vt recoleremus memoriam passionis eius in hoc sacramento, si vellemus illo vti, sed simpliciter præcepisse, vt in illius sumptione sui memoriam coleremus: nam, quia voluit, vt hæc memoria frequens in nobis esset, ideò & hoc diuinum memoriale nobis reliquit, & illo nos vti præcepit; & hoc est, quod Concilium adduxit, dicens, *Sumi autem voluit*, ibi enim verbum, *voluit*, volũtatem præcipientem indicat, & positum est, vt æquiualens superiori verbo, *præcepit*, vt planè ex contextu constat. Nec dici potest, Concilium ibi non loqui de sumptione laica, seu priuata, sed tãtùm de sacerdotali & publica, quæ à Sacerdotibus nomine omnium fieri censetur, ita vt sicut vniuersa plebs per sacerdotes censetur offerre, per eosdem etiam memoriam eius recolere, seu in memoriam eius sumere censeatur: hæc enim expositio est valde violenta: quia nullibi est talis vsus quendi, quòd plebs communicet, vel sumat per sacerdotes, quanuis interdùm dici soleat sacerdos in persona omnium sumere, vt patet apud D. Thom. infrà artic. 12. ad 7. Prætereà dicta expositio repugnat menti Concilij dicentis: *Sumi autem voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, Qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Vbi euidenter est sermo de manducatione singulorum fidelium: hanc ergo dicit Concilium, fuisse à Christo præceptam. Et re vera supposita institutione huius sacramenti sumere illud, vt sacramentum est, & sumere in Christi memoriam, non sunt duo, sed vnũ & idem: nec fideles, quando hoc sacramentum recipiunt, aliter tenentur illud sumere in Christi memoriam, quàm sumendo illud, vt re vera in se continens Christum ipsum, qui pro nobis mortuus est: ergo præcipere sumptionem huius sacramenti in Christi memoriam, nihil aliud fuit, quàm præcipere sacramentalem vsum eius.

Hic primus modus eludendi prædictum testimonium reijcitur.

Atque ex his patet solutio ad primam difficultatem, aliquando enim similes locutiones habent sensum ibi explicatum; tamen, quando illa determinatio seu modificatio continet propriam & essentialẽ rationem actus præcepti, non intelligitur tantùm præcepta conditio, vt specificatio actus, sed absolutè actus sub tali conditione, vt cùm dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, nõ tantùm est sensus, cùm dilexeris, diliges hoc modo, sed simpliciter est præceptum, vt diligamus tam perfecto amore: & similia possent multa afferri: sic ergo in præsenti additur illa determinatio, *in mei commemorationem*, non vt ad illam solam limitetur præceptũ, & non sit etiam præceptum faciendi id, in quo recolitur talis memoria, id est, sumendi Eucharistiam, sed ad explicandum potiùs, hanc sumptionem quæ præcipitur, debere esse sacramentalem, id est, ex fide Christi, & institutionis eius profectam, ad significandam, & recolendam passionem eius, & talem sumptionem esse, quæ præcipitur. Et, quanquã quis contendat hunc sensum esse saltem ambiguum, ta-

Universidad de Deusto Biblioteca

men nemo negare potest, esse verbis ipsis satis accommodatum, & ex verbis Cōcilij Tridentini ambiguitatem ferè esse ablatam. Quod tandem potest ex secunda difficultate tacta ita confirmari; nam si illa expositio admittitur, sequitur, etiam in illis verbis non contineri præceptum sacrificandi, consecrandi, aut dispensandi hoc sacramentū quoad exercitium, sed tantùm quoad specificationem, seu sub conditione, quòd, si hæc fiant, in memoriam Christi fiant: est enim in vtraque expositione æqualis ratio, consequens autem est apertè falsum, & contra expressam Conilij sententiam in altero loco citato: non est ergo ille sensus illorum verborum: sed per ea actus, & exercitium eius absolutè præcipitur; simul autem modus talis actus, & ratio institutionis eius significatur.

Reijcitur itē secundus modus.

Ad secundam difficultatem primò concedi potest, illa verba, *Hoc facite*, & cætera, directè ac per se dicta esse ad Apostolos, vt Sacerdotes, & actiones sacerdotales eis præcepisse, inter quas non sola oblatio, vel consecratio, sed etiam Eucharistiæ dispensatio continetur: has enim omnes Christus exercuerat, omnesque sacerdotalis muneris sunt: & pronomen, *hoc*, absolutè totum Christi factum demonstrat, & non est ratio, ob quam magis vna actio, quàm alia excludatur: præceptum est ergo Sacerdotibus per hæc verba, vt dispensent hoc sacramentū; & hinc alijs etiam consequenter præceptum est, vt sumant; quia dare & sumere, correlatiua sunt, nec vnum sine alio impleri potest: hoc enim modo ex eo, quòd Christus dixit Apostolos, *Baptizantes eos*, colligimus, alijs præceptum esse, vt baptismum accipiant; & ex eo, quod Apostolis dictum est, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, colligit Ecclesia, alijs præceptū esse, vt confiteantur; & ex eo, q. Petro dictū est, *Pasce oues meas*, colligimus, ouibus præceptum esse, vt pareant. Sed hæc responsio & deductio, quanuis sit probabilis, non tamē videtur omnino efficax, quia sanè præceptum donādi, vel dispensandi, per se non infert in alijs præceptum accipiendi: nam potest illud præceptum dari pro his, qui accipere voluerint, sicut diuites tenentur dare eleemosynam, quāuis pauperes non teneantur accipere; & nunc Episcopi tenentur interdùm dare sacramentum Ordinis & Confirmationis, & Sacerdotes sacramentum Extremæ vnctionis, vel matrimonij, quanuis alijs non teneantur accipere, & in hoc eodem sacramento sæpiùs tenentur Parochi dispensare illud, etiam, cùm fideles non tenentur accipere, voluntariè tamen id faciunt. Et quoad hoc est magnum discrimen de illis verbis, *Pasce oues meas*, quibus data est potestas gubernandi, quæ vi sua cōstituit subditos, ad quos intrinsecè relationem dicit, & ideò ex illis bene colligitur in alijs obligatio parendi: secus verò est de potestate dispensandi, quæ in altero extremo tantùm requirit capacitatē, non necessitatem; & similiter obligatio dispēsandi non requirit in alio extremo obligationem, sed solum voluntatem. Ex illis autem verbis, *Quorum remiseritis*, &c. præcisè sumptis, non colligeretur præceptū, nisi adiuncta fuissent alia, *Et quorum retinueritis, retenta sunt*: quæ virtute continent hanc conditionalem, nisi à vobis remittantur, non erunt remissa: quę optimè declarant præceptū, iuxta superiùs dicta in primo testimonio, vt latiùs tractabitur in sequente tomo, & idem dici posset de illis verbis, *Baptizantes eos*, quòd per se sumpta non satis ostendunt præceptū, nisi alibi esset posita conditionalis illa, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. & ideò post illa verba statim subdidit Christus, *Docentes eos seruare omnia quæcūque mādaui vobis*: posset etiam ex parte materiæ assignari differentia, nam ibi præcipitur Apostolis, vt per baptismum, & non aliàs, recipiant intra Ecclesiā Christi eos, quibus fidem prædicauerint: ex quo meliùs colligitur, alijs etiam esse præceptum suscipiendi baptismum, vt possint ingredi Ecclesiam, intra quàm solam est salus. Itaque in exemplis adductis non est sufficiens similitudo, nec prædicta responsio omnino euacuat difficultatem. Secundò ergò dicitur, cū Christus dixit, *Hoc facite*, per illud pronomen, *hoc* designasse totam illam actionem, omnesque partes eius, quæ in illa sacra ac mystica cœna peractæ fuerunt, tam ex parte Christi, quàm ex parte Apostolorum: & ideò Concilium in vno loco vnius partis meminit, & in alio alterius, in neutro verò alteram exclusit. Atq; ita sensus erit, *Hoc facite*, id est, quod nunc egimus, me consecrante, accipiente, & dante, vobis etiam recipientibus, hoc volo, vt in Ecclesia mea fiat, quæ, quia ex Sacerdotibus & laicis cōstat, aliquid in illis verbis continetur ad solos Sacerdotes pertinens, & aliquid, quod omnibus laicis commune est. Atque ita Sancti Patres ad vtrosque secūdùm id, quod singulis conuenire potest, verba illa applicanda esse significarunt: Chrysostomus enim homil. 17. ad Hebræos de oblatione sacrificij verba illa declarauit, idemque indicauit Damascenus lib. 4. c. 14. nam illa ad consecrationem refert, dum ait, *Ex quo à Domino dictum est, Hoc facite, omnipotenti eius verbo hoc efficitur*. Nec differt Cyprian. epist. 63. dicēs, illo verbo præceptum esse à Christo, vt in offerendo, cum ritum seruemus, quem ipse seruauit. Idem verò Cyprianus in serm. de Cœn. Dom. videtur, illud verbum Christi referre ad totam actionē, dicens, *Ex quo à Domino dictum, Hoc facite, panis ille solenni benedictione sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum existens & holocaustum*, Cyrillus autem lib. 12. in Ioan. c. 58. intelligit illa verba de participatione huius mysterij, quā dicit à fidelibus accipi in passionis Christi commemorationem: Basilius denique suprà citato loco Moralium, planè intelligit hæc verba de ipsa sumptione. Satis ergo probabiliter præceptum hoc ex Scriptura, & ratione colligitur, per quod fundamento contrariæ opinionis satisfactum est.

Chrysost. *Damasc.* *Cyprian.* *Cyril. Alex.* *Basil.*

SECTIO II.

Quas personas obliget hoc præceptum.

Quotquot baptizati, ratione vti possūt præcepto communicandi diuino obligantur.

VNum est certum, scilicet, omnes adultos baptizatos, qui ratione vti possunt, hoc præcepto obligari, quia omnes sunt capaces huius sacramenti, & effectus eius, & possunt ad illud recipiendum per proprium actum disponi, & alioqui verba præcepti generalia sunt, & sine exceptione: ergo dubium non est, quin saltem has personas omnes comprehēdat. De cæteris verò quadruplex breue dubium occurrit.

Primū dubiū de non baptizatis.

Primum est, de hominibus nondùm baptizatis, siue fideles sint, vt catechumeni, siue infideles de qdibus Soto d. 18. q. 1. ar. 3. negat, eos obligari hoc præcepto, quia ante baptismum solùm diuinum pręceptum baptismi obligat, & non aliud, sicut præcepta re-

pta religionis ante illius professionem non obligāt eum, qui ex voto tenetur religionem ingredi. Et confirmatur, quia præceptum cōfessionis non obligat ante baptismū: ergo neque communionis. Nihilominùs verius existimo, præceptum hoc absolutè obligare omnes homines, etiam non baptizatos, & infideles. Ratio est, quia verba Christi sūt generalia. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*: non enim loquebatur solùm ad fideles seu Christianos homines, sed simpliciter ad omnes, qui audiebant, & per eos ad omnes, qui quouis tēpore & loco futuri erant. Rursus, potestas Christi ad leges ferendas, omnes complectitur: est enim diuina, & vniuersalissima. Deinde, vt præceptum hoc obliget, non necessariò supponit baptismum, differt enim obligatio à sumptione: licèt ergo sumptio, vt licitè & cum fructu fiat, supponat baptismum; obligatio autem non est cur illum supponat: quin potius potest, etiā hoc titulo, obligari homo ad baptismum, vt possit præceptum hoc communicandi implere: sicut, qui peccauit mortaliter post baptismum, antequàm confiteatur, iam obligatur ad hoc sacramentum suo tempore sumendum: quanuis rectè sumere non possit, nisi confessione præmissa, si potest; ad quam, vel hoc titulo, obligari potest, scilicet, vt debitè cōmunicare possit.

Præceptum diuinum cōmunicandi infideles etiā adultos quoscūq; etiam nō baptizatos obligat.

Dubium dissoluitur.

Atque hinc colligo, si catechumenus in fine vitæ baptismum & Eucharistiam voluntariè omittat, duo peccata cōmittere, quia duo diuersa præcepta diuina per se se obligantia violat. Statim verò occurrit interrogatio, an, si communicet, & nō baptizetur, impleat hoc diuinum præceptū communionis. Sed de hoc dicemus cōmodiùs disputatione sequente: nunc solùm dicimus, valde materialiter illud implere, nihilq; illi deseruire ad vitandam culpā: grauius enim sic sumendo delinqui, quàm si omnino non sumeret. Ad fundamentum ergo Soti negatur assumptum, nā præcepta diuina obligare possunt, etiam ante baptismum, si aliunde non sit speciale impedimētū; vt patet de præcepto credēdi explicitè Incarnationē, vel Trinitatē: & de præcepto ipsiusmet baptismi: est enim eadē ratio de cæteris. Vnde Scotus. Richar. Adrian. & alij, etiā preceptum cōfessionis dicunt obligare infideles ante baptismum, quia diuinū est, qui, licèt in illa speciali materia falsum dicant, tamen in hoc, præsenti veritati fauent; quod censent, baptismum non esse necessarium, vt diuina præcepta obligēt, quia potestas, à qua manant, est suprema, & non supponit characterem in subditis. Vnde non est simile illud de religione, quod Soto affert: quia illa tantum sunt, vel humana statuta, quæ solum obligant membra illus politici corporis, quæ per professionem vniuntur: vel oriūtur ex speciali voto, quod non obligat, donec emittatur. Ad confirmationem negatur consequentia; quia non baptizatus non habet materiā cōfessionis, neq; est capax illius, etiam si baptizetur: quia neque etiam tunc confiteri potest, donec aliquid post baptismum peccet; sicut autem non potest obligari quis ad peccandum post baptismum, ita non potest obligari ad confessionem ante baptismum; & ideò ibi est specialis ratio, quæ non habet locum in Eucharistia.

Dubium 2. de infantibus.

Secundum dubium est de infantibus, sub quibus perpetuò amentes, cuiuscunq; ætatis sint, comprehēdimus, quos omnes clarū est, vel nō esse capaces, vel certè excusari ab obligatione præcepti: nec de hoc inquirimus: sed an teneatur Ecclesia illis hoc sacramentum dare, prout nōnulli hæretici affirmarunt, quod Caietanus hic art. 12. tribuit Nestorio & Pelagio: nescio tamen, vnde id sumpserit: quia, nec Cyrillus, nec Augustinus, nec alij antiqui hoc referunt: Vualdensis verò tomò. 2. de. sacrā. c. 91. huius erroris notat Armenos. Fundamentum suprà insinuatū est, quia illa Christi verba, *Nisi manducaueritis*, tā generalia sunt, sicut illa; *Nisi quis renatus fuerit*: ergo, sicut hæc cōprehendūt infantes, ita & illa. Cōfirmatur, nam ex multorum sententia hoc sacramentum est medium nessarium ad salutem, non solùm adultis, sed etiam paruulis, ex similitudine etiam prædictorū verborū, & ideò Augustinus vbiq; conatur, illorum verbotnm veritatem, etiam in infantibus, saluare, vt patet epist. 16. & 107. & li. 1. de peccat. merit. & remis. c. 20. & lib. 3. c. 4. & sæpe aliàs: ergo etiā est infantibus sacramentum hoc necessarium necessitate præcepti diuini: nam, sicut vnusquisque adultus tenetur accipere medium sibi necessarium ad salutem, ita tenetur Ecclesia prouidere infantibus de remedijs necessarijs ad salutem. Tandem, hac ratione antiqui Patres obseruarunt, ne hoc sacramentum negaretur infantibus, quia existimasse vidētur, iure diuino illis deberi.

Caietan. *Vualdens.* *August.*

Hoc præceptō infantes nō tenentur.

Conc. Trid.

Nihilominùs certa fides est, hos diuinum ius non extendi ad infantes, vel amentes prepetuos, seu Ecclesiam non teneri ad dandum illis hoc sacramentum. Ita definit Concil. Tridentin. sessione. 21. cap. 4. nam, licèt solùm dicat, hos paruulos nulla necessitate obligari ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, tamen intentio eius manifesta est, scilicet, infantes non obligari eo modo, quo obligari possunt, scilicet, aut necessitate medij, aut necessitate præcepti, per pastores Ecclesiæ, aut per parentes suos: nam obligatio præcepti, quæ immediatē obliget huiusmodi infantes, per se impossibilis est: vnde ad hanc excludendam non addidisset Concilium decretum illud. Atque hinc sumitur ratio à priori huius veritatis, quia hoc sacramentum non est medium necessarium infantibus, vt in superioribus latè ostensum est, & Concilium in citato loco planè docet, sed Ecclesia tantùm tenetur prouidere huiusmodi personis media ad eorum salutem necessaria, non verò omnia, quæ possunt esse vtilia: sed in his debet etiam ipsorum sacramentorum venerationi prospicere, vt idem Concilium, eandem sessio. cap. 2. significauit; ergo. Vnde sumitur secundum argumentum euidens ex Romanæ Ecclesiæ vniuersali consuetudine, quæ satis declarauit, obligatione hac paruulos non comprehendi: nam eis denegat Eucharistiam, etiā si in ea ætate moriantur, & non agit contra diuinum præceptum: impossibile enim est, vniuersam Ecclesiam approbare errorem contra bonos mores, & præsertim in vsu & dispensatione sacramentorum, vt significauit Concilium citato loco; & traditur in cap. Ad abolendam. de hæret. & latiùs in materia de fide. Tertio hinc etiam sumitur argumentum, declarans verba illa Christi, *Nisi manducaueritis*, solis adultis dicta fuisse; quia, cùm non sint dicta propter necessitatem medij, sed præcepti, ad eos tantùm diriguntur, qui sunt capaces præcepti; hi autem sunt tantùm adulti. Ac proptereà diuerso modo locutus est Christus Dominus in illis duobus locis de baptismo, & de Eucharistia; nā de baptismo passiuè dixit, *nisi quis renatus fuerit*, & nō direxit sermonem ad ipsos baptizandos, tanquam ad eos, qui intelligere poterant, & vim obligatio-

Universidad de Deusto Biblioteca

nis, & magnitudinem comminationis, quòd nimirùm amissuri essent vitam, nisi præceptum custodirent; sed ea tantùm forma locutionis vsus est, quæ proprissimè cadere posset in omnes homines, siue intelligere possent, aut præcepto obligari, siue non. De Eucharistia autem actiuè loquitur, sermonem dirigens ad eos, qui audiebant, & percipere poterant vim præcepti, dicens, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*: non est ergo eadem ratio vtrorumque verborū propriè intellectorum: Augustinus enim, quando verba illa ad infantes extendit, non secundùm proprietatem, nec de hoc sacramento ea interpretatur, sed de spirituali Christi mãducatione, quæ fit per vnionem fidei & caritatis, & ita dicit, paruulos mãducare Christum, cùm baptizantur: quia illi per fidem & caritatem vniuntur. Fundamentum ergo contrariæ sententiæ expeditum iam est. Ad consuetudinem autem antiquam in superioribus ostensum est, non fuisse vniuersalem, sed quarundam Ecclesiarum, præsertim Græcarum; deinde falsum est, illam consuetudinem, qualiscunque fuerit, ortam esse ex necessitatis seu obligationis existimatione, sed vtilitatis tantùm, & cuiusdam pietatis. Vnde ex illa consuetudine solùm potest colligi, non esse per se malum, dare hoc sacramentum paruulis, vel amentibus: atque adeò, seclusa Ecclesiæ prohibitione, esse licitum: non verò, quòd sit necessarium. Nunc verò in Ecclesia Latina non solùm necessarium non est, verùm etiam nec licitum: nam ita est hæc consuetudo introducta, vt prohibitionem induxerit: iam enim existimatum est, considerata personarum & temporum qualitate, ad debitam huius sacramenti venerationem ita expedire. Hic verò occurrebat dicendum; quando incipiat hoc præceptū obligare eos, qui ad vsum rationis perueniunt, sed de hoc dicetur commodiùs disp. seq.

Tertiū dubiū. Tertium dubium est de adultis, qui ratione vsi fuerunt, iam verò in phrenesim, vel amentiam inciderunt: de quibus, si infirmitas illa non est perpetua, seu continua, & tempore, quo durat, non occurrat necessitas, certum est, non esse tunc eis dandum sacramentum, sed expectandum esse, vt ad saniorem mentem redeant: quia hoc debetur reuerentiæ sacramenti, vt à fortiori patebit ex dicendis. Difficultas ergo est, quando dispositio illa perpetua censetur, aut quãdo, ea durãte, necessitas cõmunicãdi occurrit. Duo autē possũt inquiri primū, an liceat; secūdum, an necessariū sit, eos cõmunicare. *Prima opinio. Alens. Gabr.* Aliqui ergo Theologi negãt licere, Alē. 4. p. q. 49. mē. 4. Gab. d. 9. quæst. 2. articul. dub. 4. Fundamētum esse potest, vel quia hoc est contra reuerentiam sacramenti, Paulus enim, 1. ad Corinth. 11. ad dignam sumptionē requirit, vt priùs homo probet se ipsum; & ideò indignè videtur sacramentum tractari, quando ei datur, qui se probare non potest; vel quia hi homines existimantur incapaces effectus huius sacramenti: nã sacramentū non licitè datur ei, qui indispositus est ad effectum suscipiendum: antecedens probari potest, quia ad effectum huius sacramēti, necessaria est actualis dispositio recipientis. *Amentibus, qui aliquando rationis vsu gauisi sīt, Eucharistiã dare, illicitū nō est. D. Thom.* Dico tamen, certum in primis esse, hoc non esse illicitum. Ita D. Thomas hic, art. 9. & alij statim citandi; & præter iura, quæ D. Thom. citat, est obseruanda generalis regula ex cap. Quod in te, de pœnit. & remissionib. vbi sic dicitur; *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt neque ipsum decedentibus denegetur*: sunt autem frequentissima iura, in quibus statuitur, vt pœnitentia nō negetur ægrotis, qui in phrenesim inciderūt, si cōstiterit, priùs confessionem desiderasse, & signa contritionis dedisse: ergo intelligendum est, in eodem casu dandum esse illis viaticum, quæ consuetudo colligitur etiam ex Concilio Toletan. 11. cap. 11. *Cōc. Tol. 11.* ibi enim supponitur, interdùm licitè dari Eucharistiam ijs, qui à propria mente alienati sunt. Ratio autem est, quia hoc nullo iure positiuo prohibetur: nullum enim tale extat, aut ostendi potest: neque est per se, & natura sua malum, fundamenta verò contrariæ sententiæ valde debilia sunt, & ex falsis principijs procedunt, &, si quid probarent, etiam concluderent, non licere, infantibus Eucharistiam dari, quod omnino falsum esse suprà ostensum. Imò hinc potest à fortiori confici argumentum, nam, si per se & intrinsecè non est malum, dare Eucharistiam infantibus, & perpetuò amentibus, multò minùs erit malum eam dare ijs, qui aliquando ratione vsi sunt. Secundò verò addendum est, hoc non solere fieri ab Ecclesia, nisi in mortis periculo, & tunc non solùm licere, sed etiam debere ita fieri à pastoribus Ecclesiæ. *Imò in mortis articulo talibus amentibus dari debet.* Hoc sumitur ex Diuo Thoma, & ex vsu Ecclesiæ. Et ratio est, quia, vt Concilium Tridentinum suprà citato loco dixit, in sacramentorum dispensatione duo, quoad fieri posit, coniungenda & procuranda sunt, scilicet, sacramenti veneratio, & fidelium vtilitas; quòd ergo extra casum necessitatis non detur Eucharistia huiusmodi hominibus, spectat ad venerationem debitam huic sacramēto: quia non decet, vt hi, qui non possunt cum propria deuotione accedere, sine grauissima causa fiant tanti sacramenti participes; quòd verò in eo articulo non negetur sacramentum huiusmodi hominibus, eorum exigit vtilitas, & nulla fit irreuerentia sacramento: nam id facilè caueri potest, vt statim dicam. Est autem specialis ratio, ob quam hi potiùs, quàm perpetuò amentes, hoc beneficio fruantur: quia hi iam fuerunt re ipsa obligati præcepto accipiendi Eucharistiam, à qua obligatione semper alij fuerunt excusati: hæc autem obligatio maximè vrget in mortis articulo, vt dicemus: vnde, si huiusmodi homines statum suum & periculum aduertissent, debuissent, per Eucharistiæ susceptionem sese præparare, quod ergo propter impotentiam, vel naturalem inaduertentiam non impleuerunt, meritò in eis per Ecclesiā impletur: vnde etiam fit, vt hi homines vel explicitè, vel saltem implicitè, hoc sacramentum petierint, & petendo, speciale ius ad illud acquisierint, quod meritò Ecclesia eis obseruari vult: hoc autē locū habere nō potuit in his, qui nunquam ratione vti potuerunt. Denique hi homines potuerunt peccare mortaliter, & in amentiam incidere tantùm attriti, & nondùm perfectè contriti, vnde fieri potest; vt per Eucharistiam efficiantur contriti ex opere operato; quæ vtilitas, vel potiùs necessitas, locum non habet in alijs, semper carentibus vsu rationis. Nec refert, si dicas, illud beneficium sufficienter conferri per absolutionem, vel extremam vnctionem: contingere enim sæpè potest, vt neutrum horum sacramētorū applicari possit, posit autem Eucharistia, vt, si iam consecrata sit, & diaconus adsit, non autem Sacerdos. Quòd si tunc danda est, cur non etiam, quando simul absolutio, extremaque vnctio possunt applicari? quia, licèt videatur minor esse necessitas, est tamen maior

ior dignitas suscipientis, & maxima vtilitas. In quocunque ergo mortis articulo certissimum est, hoc licere. Quòd tamen sit etiam debitum, & pastoribus præceptum, non est ita clarum, & ab autoribus expressum: mihi autem omnino verum esse videtur, tum quia citata iura planè videntur hoc præcipere, tum etiam, quia sic ægrotans habet ius ad hoc sacramentum, & immeritò illo priuatur.

Primæ sententiæ fundamentum diruitur. Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ negatur, in hoc fieri irreuerentiam sacramento: nam, vel est sermo de irreuerentia corporali & extinseca, quæ contingere potest per vomitum, expuitionem, aut quid simile; & hæc non semper adiungitur, sed cauenda est, &, quando moraliter timetur periculum eius, à sacramenti administratione abstinendum est, aut est sermo de irreuerentia spirituali & intrinseca, & hæc etiam nulla necessariò est: nam, licèt huiusmodi homo tunc non possit probare se ipsum, potuit tamen priùs, quàm in phrenesim incideret, & iuxta dispositionem, quam tunc habuit, postea iudicandus est; & ideò tunc potiùs pertinet ad pastorem Ecclesiæ, probare illum, eiusque dispositionem examinare: nam, si de eo non constat, priùs fuisse in statu peccati mortalis, præsumendus est bonus, qui malus non probatur: si autem constiterit, peccasse mortaliter, oportet, vt constet, vel fuisse confessum, si potuit, vel, si non potuit, saltem signa contritionis dedisse: ad quod sufficiet vnum vel aliud fide dignum testimonium, vt ex prædictis Concilij sumitur. Itaque, quacunque probabili fide credatur esse bene dispositus, id satis est, vt rectè docent Paludan. distinct. 9. quæst. 4. Syluester. verbo Eucharist. 3. nume. 7. & in Catechismo Pij Quinti his verbis declaratus, *Si, antequàm in insaniam inciderint, piã & religiosam animi volũtatem præ se tulerint*: *Palud. Syluest.* ex quibus verbis aliqui colligunt, necessarium etiam esse, vt hoc sacramentum petierint, quod significant Armilla, verbo Communio, num. 25. & Victor. in sum. nu. 84. Ledesma q. 21. articul. 9. dub. 1. *Armill. Victor. Ledesm.* Sed, si hoc intelligant de expressa petitione, non est necessarium in re fauorabili hoc grauamē adiungi: sufficit enim implicita petitio, quę in ipsa cōtritione, & signis eius includitur, quatenus includit volũtatē implēdi omnia præcepta: imò, dū contrariū nō constat, nullus est, qui non velit, vt Ecclesia ei in necessitate subueniat remedijs ad salutem tam opportunis, & quasi necessarijs. Vnde altera pars illius fundamenti falsissimo nititur principio; sunt enim hi capaces effectus huius sacramenti, multò magis, quàm infantes: neque actualis deuotio est necessaria, vt suprà probatum est.

Dub. de energumenis. Quarto loco dubium est de energumenis sed obsessis à dæmone, de quibus Dionys. capitul. 3. de Ecclesiast. Hierarch. par. 2. negare videtur esse illis dãdū hoc sacramētū, quē D. Th. hic ad secundū interpretatur de energuminis, nōdū baptizatis; nã de baptizatis ait, idem seruandum cum illis esse, quod cum cæteris amentibus; *Dionys. D. Thom.* nimirùm, quòd, si absque periculo irreuerentiæ communicare possint, non est illis Eucharistia deneganda: nam eius virtute, & auxilio, aut dæmon expelletur, si ad hominis bonum expedit, vel certè iuuabitur homo, vt patienter, & cum fructu, laborem suum sustineat, quam doctrinam refert D. Thomas ex Cassiano, qui videri potest collatione. 7. capitul. 30. vbi nonulla miracula refert. *Cassian. Timot. Alex.* Sic etiam Timotheus Alexand. in suis responsionibus, capitul. 3. dicit, obsessos à dæmone communicandos esse, non singulis diebus, sed statis temporibus, in Concilio autem Elibertino *Conc. Eliber.* dicitur, *Qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, & fideles fuerint, dandam eis esse communionem*: quibus verbis significatur, solùm in illo necessitatis articulo communicandos esse: sed Concilium non addidit particulam exclusiuam, & Timotheus Alexand. latiùs loquitur, dicens, *statis temporibus*, & D. Thom. ac Cassianus generatim loquuntur: quarè non est hoc nimiùm restringendum, sed prudenti arbitrio pastoris relinquendum est: nam, si obsessus omnino priuatur rationis vsu, seruanda est regula de amentibus posita: si verò est compos suis tantumque corporaliter vexatur, illa solùm est quasi quædam corporalis ægritudo; & ideò per se non impedit, quominus Eucharistiæ auxilium & solatium sæpiùs his hominibus conferatur. Sed obijci potest canon. 39. eiusdem Concilij Elibertini, vbi statuitur, *Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomē neque ad altare cum oblatione esse recitandum*, ergo multo minùs illi erit danda communio. Sed, cùm Concilium non sit sibi coutrarium, exponendum videtur de his energumenis, qui propter publica aliqua scelera, publicè etiam à dæmonibus vexantur, & ab Ecclesia excõmunicantur, iuxta illum Pauli. 1. ad Corint. 5. *Iudicaui tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.*

SECTIO III.

Quando obliget hoc præceptum ex vi solius iuris diuini.

Prima sententia esse potest, tantùm obligare semel inuitã, siue id fiat in mortis articulo, siue antea, ita tamen, vt, si priùs expleta fuerit obligatio, iam amplius non obliget, etiam in mortis articulo. *Prima opinio.* Ita opinatur Caietanus in sum. verbo Communio, quem sequitur Ledesma. quæst. 21. articul. 11. in fine, & Victor. in sum. numero. 86. idemque priùs insinuauerat Palud. in. 4. distin. 9. quæst. 1. numer. 16. *Caietan. Ledesm. Victoria. Paludan.* qui consequenter ait, etiam nunc ex vi præcepti Ecclesiastici, non obligari hominem ad communionem in articulo mortis, quocunque anni tempore succedat, si tempore Paschatis iam communicauit, quia per hoc impleuit præceptum Ecclesiasticum, simulque diuinum. Ratio verò huius opinionis est, quia tota obligatio huius præcepti diuini nititur illis verbis. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*: sed in rigore fit satis veritati horum verborum, semel in vita communicando, quocunque tempore id fiat, sicut per vnicum baptismum satisfacit homo præcepto in illis verbis contento, *Nisi quis renatus fuerit*; & vnica confessione eorundem peccatorum satisfacit illis verbis, *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et confirmatur, quia, cùm hoc præceptum sit affirmatiuū, nō obligat pro semper: &, seclusa determinatione Ecclesiæ, nullū potest tempus rationabiliter designari, pro quo obliget: ergo perse nō obligat vsque ad articulum mortis: nã præcepta affirmatiua, quæ non designat tempus, tantùm obligat tempore necessitatis, vt est communis doctrina: solus autem articulus mortis potest quoad hoc dici tempus

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus necessitatis, quando nulla cõmunio antea præcessit: quia in hoc tantùm casu imminet periculũ trãsigendi totam vitam sine communione: antea enim semper potuit aliud, & aliud commodum tempus expectari. Atque eadem ratione è conuerso, si antea quis communicauit, illum non obligat necessitas articuli mortis, cùm iam præceptum impleuerit. Et cõfirmatur hoc vltimum, quia nullum potest assignari diuinum ius, in quo specialiter præcipiatur communio in articulo mortis, etiam si priùs facta fuerit: alioqui non posset Ecclesia priuare hominem in illo articulo communionis viatico: quia non potest Ecclesia ius diuinum violare, cùm tamen constet, sæpe Ecclesiam hoc fecisse, vt refert Innocen. 1. epistol. 3. & constat ex Concil. Elibertino, per plures canones; & Concil. Sardicensi. ca. 2. Multoque tempore fuit consuetudo in Gallia, & Hispania nõ dandi cõmunionẽ his, qui morte plectebãtur, quã non fuisse irrationabilem defendit Nau. in sum. c. 25. nu. 23.

Innocet. 1.
Conc. Elibet.
Sardicen.
Nauar.
Prima concl.

Dico primò, Probabile est, iure diuino obligari hominem ad communionem in articulo mortis per se, & ratione illius periculi, siue priùs communicauerit in vita, siue nõ, & cõsequẽter toties, vt minimùm, obligari ad communionem, quoties in illum articulum venerit. Hæc sententia non est admodùm recepta inter Theologos, & ideò solùm illam affirmo, vt probabilem & piam: nam autores citati in prima sententia illam absolutè negant, quanuis Paludan. significet, nunc quidem esse hanc obligationem inter fideles, non tamen ex iure diuino, sed ex cõsuetudine & præcepto Ecclesiæ ortam, quod etiã docuit Bonauent. in 4. d. 20. art. 3. q. 1. Syluest. autem, verbo Eucharistia. 3. in principio, & Armilla, verb. Communio, nu. 4. solùm dicunt esse mortale, omittere Eucharistiam in illo articulo ex contemptu, nõ tamen ex negligentia; vnde planè sentiunt, per se noe esse præceptum, tamen conclusionem posita tenent Richard. d. 11. art. 6. q. 1. Duran. d. 9. q. 2. art. 2. Gab. q. 1. Dominicus Sot. d. 12. q. 1. artic. 11. Petrus Soto sect. 9. de Eucharist. Et in primis, quòd huiusmodi præceptum nunc extet, Ecclesiastica consuetudo satis declarat: nam ex antiquissimis Concilijs & Pontificibus constat, semper ab Ecclesia diligentissimè curatum esse, ne morientes sine viatico decedãt, vt patet ex Concil. Niceno. can. 13. Tolet. XI. cap. 18. Agathens. ca. 11. Ancyrano, ca. 22. Arausican. cap. 13. Arelaten. II. aap. 12. Aurelian. cap. 24. in quibus sermo ferè est ex parte ministrorum: ex parte autem ipsorum communicãtium idem habetur in Concil. Carthaginen. IIII. cap. 77. & 78. Quæ consuetudo ita est recepta, vt sine magno scandalo violari non possit, quod est signum gravis obligationis: meritoque suæ salutis negligentissimus, & de statu animæ suæ, vel etiam de fide suspectus haberetur, qui voluntarie in mortis articulo viaticum negligeret: est ergo hæc res grauis, & sub obligationem cadens. Ex huius autem consuetudinis antiquitate vlteriùs colligere licet, eam, vt minimùm, esse traditionem Apostolicam: quia eius initium ignoratur. Ac denique ex eius immutabilitate coniectamus, in Christi mandato esse fundatam. Ac propterea semper hæc obligatio prælata fuit obligationi ieiunij communicandi: nam hæc Ecclesiastica est, illa diuina: quanquã hoc ex alijs etiam capitibus oriri potuerit. Alia etiam coniectura addi potest, quia in hoc præcepto illa tempora oportuit Ecclesiæ determinationi relinquere, quæ de se erant indifferentia, & pro tẽporum varietate immutari poterãt, & debebant: articulus autem mortis non est huiusmodi: sed de se est tempus maximè opportunum, & quandam communicandi necessitatem secum afferens: nec poterat vnquam nõ expedire Ecclesiæ, vt præceptum communicandi pro illo articulo obligaret: ergo, quoad tempus illud, non oportuit præceptum hoc indefinitum relinquere, sed determinatũ, vt pro illo articulo semper obliget: ita vt voluntaria eius omissio, & libera, etiam ex negligentia, speciale peccatum mortale sit: quia materia grauis est, & ad salutem animæ multùm pertinens.

Bonauen.
Sylnest.
Armilla.
Richard.
Durand.
Gabr.
Dominic. Sot.
Cõc. Nicen.
Tolet. XI.
Agathen.
Ancyr.
Arausic.
Arelat.
Aurelian.

Rogabis, quomodò sit designandum hoc tempus articuli vel periculi mortis (hæc enim duo nunc pro eodem reputamus, vt latiùs in materia de confessione dicemus) id est, quantum temporis necesse est, intercedere inter vltimam communionem, & mortis periculũ, vt nouo hoc titulo periculi mortis obligari ad cõmunionẽ censeamur. Aliqui enim existimant, non esse hoc explicandum per temporis breuitatem aut longitudinem, sed per cõmunicãtis intentionem; ita vt, qui sanus communicauit sine mortis existimatione, aut sine intentione sumendi viaticum, vt ex hac vita decederet, si paulo post, verbi gratia, post duos, aut tres dies, in periculũ mortis incidat, obligetur ad sumẽdã iterũ Eucharistiam in viaticũ; cui opinioni videntur fauere Cõcilia citata, dicentia; obligari hominem hoc præcepto ad sumendum viaticũ, vt ex hac vita migret; sed qui hoc animo nõ cõmunicauit, nõ propriè sumpsit viaticũ: ergo tenetur iterũ, occurrente periculo, eo animo cõmunicare. Et cõfirmatur, quia hæc obligatio est propria illius tẽporis, in quo adest tale periculũ: vnde orta nõ fuerat, quandiu periculũ nõ imminebat: nõ ergo impleri potuit per cõmunionem priùs factã: sicut è cõtrario, si, existente periculo mortis, homo peccasset, communionem omittendo, & postea periculum euaderet, non teneretur priorem obligationem implere, quia iam cessauit. Hæc tamen sententia, neque ab vllo autore expressè tradita est, nec videtur simpliciter amplectenda, quia nimis rigida, & scrupulosa videtur: & quia, si ratio facta firma est, etiam de tempore intrà eundem diem procedit: quòd, si quis mane communicauit, sine vlla viatici intentione aut mortis cogitatione, & vesperè incidat in mortis periculum, debeat iterum eodem die communicare per modum viatici: quia non ita sumpserat, nec diuinum præceptum impleuerat: consequens autem non solùm contra omnes Doctores, sed etiam contra Ecclesiæ consuetudinem esse videtur. Aliter ergo explicari potest hæc obligatio per breuitatem aut longitudinem temporis, ita vt sensus præcepti sit, vt homo teneatur paulò ante mortem communicare: nam finis præcepti esse videtur, vt per communionem se ad transitum ex hac vita homo præparet: quod satis assequitur, paulò ante mortem communicando: quantum autem futurum sit illud tempus, prudenti arbitrio videtur relinquendum, vt si, verbi gratia, octo, aut decem dierum esse censeatur, intrà quos si homo communicauit, non tenebitur, iterum communicare, etiam si mortis periculum occurat; quod significat Paludanus, dicens, *Si paulò post in morbum incidat*; & idem carinus docet Soto, qui adhibet limitationem, scilicet, dummodò inter talem communionem, & periculum mortis, peccatum mortale non intercedat. Sed hoc nihil refert, vt paulo inferiùs dicam.

Quæstio.

Responsio.

dicam. Atque hic modus explicandi hanc obligationem mihi etiam videtur probabilis: solum aduerto, aliud esse, quid consulendum sit, aliud, quid sub obligationem cadat: obligationi ergo censeo prædicto modo satisfieri; vel quia, quando tempus est breue, iam moraliter periculum imminet, quod in re verè existit, licèt homo illud ignoret; & ideò iam censetur adesse obligatio in re ipsa, quanuis homo ob ignorantiam excusetur; quod tamen non obstat, quominus homo per communionem eo tempore factam illi obligationi satisfaciat. Eò vel maximè, quòd vnusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtualem & implicitam implendi omnem obligationem, quam potest, & debet, licèt fortasse eam ignoret: hanc ergo virtualem voluntatem in eo casu habere censetur, quæ per hãc conditionalem rectè explicatur: quòd, si homo cognouisset suum periculum, per modum viatici communicare voluisset: quod meritò præsumitur, quando tempus est breue: nam, si esset longũ, potiùs credendum esset, velle iterum communicare. Quapropter nõ est hoc tempus, seu hæc licentia extendenda, sed restringenda potiùs: quia, & securius est, & animabus fructuosius. Quocirca, de consilio loquẽdo melius erit in simili euentu, iterum semper in occurrente periculo communicare, etiam si tempus in terceptum breue sit, verbi gratia, præcedentis diei: nam tunc licitum est, per modum viatici iterum communicare, etiam post cibum & potum: quia Ecclesia non limitauit hanc facultatem ad eos, qui ante longum vel breue tempus non communicarunt, sed simpliciter illam concessit omnibus, qui viaticum non acceperunt: in dicto autem casu proprie & formaliter nõ accepit homo Eucharistiam per modum viatici, si autem hoc licitum est, etiam erit melius, per seloquendo, vt per se constat: at verò intrà eundem diem non est hæc licentia danda, quia, non solùm non est in vsu, sed etiam iterata communio intrà eundem diem est simpliciter ab Ecclesia prohibita, vt infra dicam.

Secunda cõcl.

Dico secundò, Præceptum diuinum de sumenda Eucharistia non tantùm obligat in articulo mortis, sed etiam ante illum, nec semel tantùm, sed aliquoties in vita, si tempus eius nimium breue non sit. Ita ferè docent reliqui autores, qui hoc præceptum diuinum admittunt. Et ratio est, quia præceptum affirmatiuum, quanuis per se se non determinet temporis, non habet ex ratione sua, vt semel tantùm in vita obliget, quia, licèt indefinitè detur, non tamen limitatur ad vnum actum, seu ad vnum tantùm tempus, sed comprehendit, quicquid iuxta materiam præceptam diuersis temporibus occurrere potest, secundùm rectã rationem, & prudentem talis præcepti interpretationem. Exempla huius rei aperta sunt in præcepto fidei, diligendi Deum, sacrificandi, &c. quis enim dicat, hæc præcepta semel tantùm in vita obligare ad exercendum actum fidei, vel ad amandum Deũ, aut ei sacrificium offerendũ ergo neq; de præcepto cõmunicandi hoc potest rationabiliter dici. Probatur, quia si ex generali ratione præcepti affirmatiui hoc non colligitur, neq; ex speciali & propria ratione seu materia huius præcepti colligi potest, sed contrarium potiùs: quod probatur primò ex fine huius sacramenti & præcepti, qui est caritatis robur, & nutritio, ac perseueran tia: ad hos enim fines vnus solus actus in diuturna vita sufficeret, non potest, vt per se constat. Secundò ex materia, datur enim per modum cibi: sicut ergo nõ satis est, corporalẽ cibum semel in vita manducare, ita neq; hunc spiritualẽ: quia calor concupiscentiæ, & fomes peccati, nõ minùs debilitant animæ vires, quàm naturalis calor vires corporis. Atq; eisdem rationibus probari potest, esse valde alienum à natura, & præcepto huius sacramenti, vt vsus eius in finem vitæ reseruetur, cùm tempus cibãdi animam, nutriendi caritatem, & vincendi concupiscentiam, per totum vitæ tempus protrahatur: sicut est omnino alienum à natura cibi corporalis, vt eius vsus in extremam vitæ necessitatem reseruetur.

Difficultas.

Sed statim occurrit difficultas tacta in fundamentis contrariæ sententiæ, quænam sint hæc tempora, pro quibus hoc præceptum obligat, vel quomodò essent definienda, si Ecclesia suo præcepto ea non præscripsisset. Respondẽt aliqui, data hypothesi, impossibile esse talia tempora definiri; & ideo fieri non posse, vt Ecclesia hoc facere omittat: quia deficeret eius prouidentia in re necessaria ad bonos mores fidelium. Sed hoc est potiùs difficultatem fugere, quam expedire. Neque enim illa conditio videtur omnino impossibilis, imò in principio nascentis Ecclesiæ fortasse per aliquod tempus nulla facta est determinatio, quandiu, scilicet, duraut feruor fidelium; qui sua sponte frequentiùs communicabant, quam ex præcepto tenerentur. Item in alijs præceptis affirmatiuis, præsertim de actibus interioribus fidei aut caritatis, nulla est facta determinatio temporis per Ecclesiam; & non propterea relinquitur vt impossibilis explicatio obligationis talium præceptorum, neque in vltimum mortis articulum reijcitur. Aduertendum ergo est, hanc obligationem posse intelligi, vel per se ac præcisè ex vi præcepti obligantis ad communionem, vel per accidens ex alia occasione occurrente, mediante alio præcepto: hic de priori obligatione loquebamur, ad complementum autem doctrinæ dicemus etiam de posteriori.

3. Conclusio.

Dico ergo tertiò, Tẽpora, pro quibus per se & vi suæ obligat cõmunionis præceptũ, nõ possunt singulariduitibiliter designari, sed prudente arbitrio dijudicanda sunt, negatiuè potiùs præcauendo, ne talis communio nimium differatur, quàm præcisè determinando diem vel horam. Hanc conclusionem probat ratio difficultatis suprà tacta: & potest præterea in hunc modum declarari. Primò enim Ecclesiæ vsus ac determinatio probat, dilationem vnius anni non esse diuino præcepto contrariam: nam, qui nunc implet præceptum Ecclesiæ, non violat diuinum, etiam si frequentiùs non communicet: nam licet Ecclesia, præcipiendo vnum, non excludat aliud, nec expressè approbet tantam dilationem, tamen, dũ id permittit, & non damnat vt malum, tacitè declarat, hoc sufficere ad non peccandum contra hoc diuinũ ius. Maximè, cũ ad pastores Ecclesiæ pertineat curare, vt diuina iura communiter à Christiano populo seruentur; & hic videtur esse sensus totius Ecclesiæ; quare vanè, ac sine fundamento aliud introducere tẽtaretur, vt bene notauit Petrus Soto lectione 9. de Eucharistia. An verò duorum, vel trium annorum tempus nimium sit, ita vt, secluso præcepto Ecclesiæ, per id temporis differre communionem, sit contra ius diuinum, incertum quidem est, videtur tamen probabile propter rationes suprà factas. Vnde concludere possumus, obligare hoc præceptum diuinum ad communicandum aliquoties in vita, saltem tertio, vel quarto quoque anno: quia maior dilatio

Petr. Soto.

latio valde esset irrationabilis. Addit tamē Petrus Soto, hoc tempus non esse idem respectu omnium personarum: quidam enim frequentius obligantur, quam alij, quia in maioribus tentationibus, & periculis versantur. Sed hoc est miscere obligationem per accidēs cum obligatione per se; nam, si quæ obligatio interdum nascitur ex tētationibus, illa est per accidens, & non nascitur ex hoc præcepto, quod tractamus, sed ex præcepto caritatis, vel castitatis, vel ex alijs huiusmodi: per se ergo nō obligat hoc præceptum ad maiorem frequētiam hos, quam illos: nam, seclusis accidentalibus causis, & obligationibus, nulla fingi potest inæqualitatis ratio: est ergo vniformis hæc obligatio. Sicut præceptum Ecclesiasticum communionis annuæ vniformiter omnes obligat, etiam si demus, aliquem propter tētationes posse obligari ad communicandum frequentiùs. Loquimur autē de laicis, nam de obligatione Sacerdotum ad sacrificandum, & ad communicandum ratione sacrificij; posteà dicturi sumus.

4. Conclusio.

Dico tamen quartò, moraliter loquendo, obligationem ad communicandum, nunquā oriri per accidens ex alijs præceptis, neq; per extrinsecas circunstātias posse hæc tēpora cōmunionis designari. Probatur breuiter, discurrēdo per omnes modos huius accidētariæ obligationis, qui hactenus excogitati sunt. Primus est proximè tactus de tempore tētationis, quādo, scilicet, tā grauis est & diuturna, vt ad illā superandā huius sacramenti auxiliū moraliter necessariū existimetur: quia tentatis alijs remedijs, experimento cognitū est, ea nō sufficere. Ita Petrus Soto suprà. Ego verò, quanuis nō censeā esse hunc casum omninò impossibilē, existimo tamen esse rarissimū, & vix moraliter accidere posse: quia sunt multa alia remedia, orationis, pœnitētiæ, &c. quæ de se efficacia sunt, præsertim si otiū, & occasiones peccādi auferantur; & homo, quantum est de se, moralem diligentiam adhibeat. Quòd si ipse in his deficit, etiam communionis remedium inuenietur inefficax: ergo propter vincendam tētationem, raro obligabitur homo ad communionem. Accidere tamen potest, vt homo in se ipso expertus sit, quoties communicat, facilè abstinere à tali peccato, vel propter fidē & reuerentiam conceptam, vel propter singularē Dei prouidentiam: è contrà verò, quādo omittit communionem, facilè peccare, & tunc talis fortasse posset esse casus, vt, prudenter rem considerādo, iudicaretur huiusmodi homo obligatus ad communionem, & illam omittendo peccaret, non contra præceptum diuinum communicandi, sed cōtra præceptum illud, quo obligatur vincere talem tentationem, tamen, vt dixi, huiusmodi casus non est moralis, seu regulariter accidens; & ideò posui in conclusione, moraliter esse intelligendā. Atq; hinc cōstat, pari ratione nō posse hominem obligari ad communionē propter extrinsecam causam obtinēdi à Deo aliquod beneficiū, vel propriū, vel commune, vt ꝙ Ecclesiæ, vel Reipublicæ periclitanti subueniat, vel in gratiarū actionem propter aliquod beneficium à Deo susceptum, vel alias similes extrinsecas causas: nā, licèt vsus communionis accōmodatū medium sit ad hos fines, non est tamen necessarium, secluso voto, & humano præcepto, quæ in tota conclusione intelligi debent exclusa, quia non agimus de obligationibus ortis ex voluntate humana, sed ex diuina, vel ex rebus ipsis.

Domic. Soto.

Secundum modum huius obligationis tetigit Dominicus Soto suprà citatus, scilicet, ex peccato mortali superueniente post vltimam communionē, etiam si in fine vitæ per modum viatici facta sit: ita vt semper teneatur homo, postquàm mortaliter peccauit, communicare, priusquàm ex hac vita decedat: ita significat etiam Summa Tabiena, verbo Cōmunicare. numero 16. & Summ. Armilla, verbo Cōmunio. numero 11. Nullum tamen afferunt testimonium, aut efficacem vel probabilē rationē: & ideò, qua facilitate asseritur tale præceptum, reijciendum est, quia neque ex Scriptura colligitur, neque ex traditione aut consuetudine Ecclesiæ: nec denique ex institutione aut natura huius sacramenti, quia nō est institutum ad peccatum mortale tollendum: propter quam causam præceptum cōfessionis obligat, quoties mortaliter peccatur. Vnde neque institutum est hoc sacramentum, vt medium ad salutem necessarium, vt suo loco vidimus: præceptum autē eius sufficienter iam impletum fuit debito tempore, & in mortis articulo, vt patet, quia, si non intercessisset peccatum, obligatiō præcepti sufficienter iudicaretur expleta: peccatum autem non est vnde nouam obligationem induxerit. Dices, ideò eam inducere, quia hominem effectu huius sacramenti priuat. Sed hoc nullius momenti est, tum quia ille effectus non est simpliciter necessarius ad salutem; tum etiam, quia iuxta veriorem sententiam per pœnitentiam reparatur. Alioqui, si hæc ratio esset valida, etiam si intrà eundem diem homo peccasset mortaliter post viatici sumptionem, & eodem die timeretur mors, deberet iterum communicare: imò sæpiùs eodem die, sicut tenetur sæpiùs confiteri in tali casu. Accedit tandem, quòd regulariter huiusmodi peccatum est occultum: viaticum autem, non nisi publicè accipi potest: quomodò ergo obligabitur ægrotus paulò post acceptum viaticum ad iterum petendum illud propter occultum peccatum, ex fragilitate commissum? id sanè est præter morē Ecclesiæ, nec fieret sine admiratione & scādalo Christiani populi. Vnde communis vsus Ecclesiæ satis ostendit, non, quotiescunque occurrit in huiusmodi hominibus necessitas confitendi, esse etiam obligationem communicandi.

Summ. Tabiena. Armilla.

Tertius modus huius accidentalis obligationis excogitatus fuit à quibusdam hæreticis dicentibus, teneri hominem ad communicandum, quotiescunque sacrificio Missæ assistit, non vt sacerdos sacrificans, de quo posteà, sed vt laicus Missam audiens. Fundantur primò in Christi facto & verbis: ille enim, cùm primùm consecrauit, omnes adstantes communicauit, & subiunxit, *Hoc facite*: ergo præcepit, vt semper ita fieret. Vnde Chrys. hom. 61. ad populum sic scribit, *O consuetudinem, o præsumptionem, sacrificium frustrà quotidianum, incassum assistimus altari, nullus qui communicet. Omnis qui ministeriorum participatione non fruitur, impudens, & procax est, si adstas.* Secundò, nam, qui Missam audit, concurrit ad sacrificium, vt offerens: ergo debet etiam concurrere, vt participans: alioqui ex parte sua non consummat sacrificium; & ideò dicitur hæc obligatio oriri, non ex præcisa ratione communionis, sed ex ratione sacrificij. Tertiò fauet antiqua consuetudo, qua hoc legimus obseruatum, vt ex antiquis liturgijs constat, & in nostra ante vltimas orationes est versiculus, qui appellatur, *communio*, qui olim cantari solebat, dum populus communicabat, eademque intercedat. Sed hoc nihil refert, vt paulò inferius dicam.

Chrysost.

Clemēs. Rom. Dionys. Anaclet.

consuetudo sumitur ex Clemente libr. 2. constitut. capitul. 57. & lib. 8. capit. 20. & ex Dionys. cap. 3. de Ecclesiast. Hierarch. par. 1. Et (quod maximè vrget) Anacletus Papa, epistola 1. & habetur in cap. Episcopus. de Consecration. dist. 1. significat hoc fuisse præceptum Apostolicum, *Peracta*, inquit, *consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia*: cui decreto consonat Canon decimus Apostolorum. *Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt; non autem perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari*: & nunc etiam dicuntur AEthyopes sub Preste Ioanne hanc seruare consuetudinem: nam quotidie vna tantùm dicitur Missa, cui omnes, qui assistunt, communicant. Nihilominùs certa res est, ex hoc solo capite nunquam oriri communicandi obligationem præsertim ex viiuris diuini: primò enim ita definit Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 6. & can. 8. Secundò, vniuersalis vsus præsens Ecclesiæ hoc satis approbat. Tertiò, antiqua decreta, quæ approbant communionem certis temporibus factam, hoc sufficienter docent; vt patet ex Concilio Eliberrino, in capitul. Omnis homo. de Consecration. distinctione. 2. & ex Fabiano Papa, capitul. Etsi non frequentiùs. de Consecration. distinctione. 2. & ex Concilio Toletano. I. capitul. 13. nam tempore, quo illa decreta seruabantur, non prohibebantur fideles, plures Missas audire, quanuis in eis non communicarent, sed ter tantùm in anno. Vbi adiungere etiam possumus illud Pauli. 1. ad Corinthios. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.* loquitur enim ibi de fidelibus, qui ad Ecclesiam Christi conueniunt; & eam probationem in ijs non requirit, vt Missæ sacrificio assistant, sed vt communicent cum deuotione ac dispositione tanto sacramento debita, & ad illud ritè sumendum planè necessaria: non est ergo necesse, hæc duo esse semper coniuncta. Vltimò, nullum est fundamentum probabile ad hanc obligationem inducendam. Primum enim fundamentum hæreticorum nullius momenti est nam, licèt Christus dixerit, *Hoc facite* non tamen dixit, *hæc omnia simul facite*: neq; eodē modo quoad omnes circūstantias extrinsecas & accidentarias; aliàs nunquam esset sacrificandum, nisi coram duodecim, & omnibus communicantibus: item oporteret semper nocturna hora id facere: item, nunquam liceret ex præ consecratis communicare extra sacrificium: quod etiam est contra vsum Ecclesiæ.

Qui Missæ interfuit, vel assistit, communicare in illa non tenetur.

Concil. Trid.

Cōc. Eliber.

Tolet. I.

1. Cor. 11.

Ad secundum respōdetur, assistentes sacrificio Missæ, offerre quidem, non per se, sed per sacerdotem: vnde satis est, quòd ipse etiam Sacerdos sacrificium consumat: populus autem spiritualiter participet, sicut & offert, vt Concil. Tridentin. indicauit.

Ad tertium respondetur primò, non omnē antiquam consuetudinem ortam esse ex præcepto iuris diuini, sed ex feruore & sanctitate fidelium, quod ipsemet vsus ostendit, quando illa consuetudo facilè mutata est, absque perturbatione vel schismate orto in Ecclesia, sed potiùs Ecclesia vtrumque approbante, pro diuersa temporum ratione: fieri autem potuit, vt pro aliquo tempore consuetudo illa præceptū humanum induxerit, quod posteà fuerit immutatū, vt sentit D. Tho. hic art. 10. ad. 5. propter verba Anacleti, suprà citata, quanquam non dicit, fuisse præceptum communicandi in omnibus Missis, sed quotidie: ex quo potest nouum confici argumentum. Quia communicare sæpiùs eadem die nunquam fuit in Ecclesia vsitatum, audire autem plures Missas semper licuit: ergo non est præceptum, vt omnes, qui Missam audiunt, in illa communicent: nec tale præceptum, etiam Ecclesiasticum, vnquam fuit, sed, ad summum, communicandi quotidie; & ita etiam explicat hoc præceptum Durand. in. 4. distinctio. 12. & significat Ruard. artic. 15. Et ita potest exponi Chrysostomus in principio citatus, quā quā multa ibi per exaggerationē, concionātiū more, dicta esse videantur: omnia tamen eò tendunt, vt terreat, & reprehendat eos, qui in prauo statu sæpiùs ad Missas audiendas accedunt: non quia hoc per se & absolutè malum sit, sed quia est periculosum, & indecorum: vnde inter alia inquit, *Hæc, non vt temere communicetis, dico, sed vt vos dignos reddatis.* Item reprehendit eos, qui nunquam, vel rarissimè, non verò eos, qui non semper communicabant, cùm missæ assistebant. Addo etiam, probabilissimum esse, illam cōsuetudinem nunquam obligasse omnes fideles, ad communicandum quotidie, tum quia verba Anacleti potiùs sonant, referenda esse ad omnes, qui Missæ assistunt, sed ostensum est, consuetudinem nunquam ad hoc obligasse omnes fideles: Vnde Dionys. citato loco solum dicit, *Sacerdos, & ipse communicat, & alios, vt communicent, hortatur*; quo verbo satis indicat, non fuisse præceptum; tum etiam quia multi grauis autores censent, verba Anacleti non esse intelligenda absolutè de omnibus fidelibus, sed de clericis, qui Sacerdoti ministrabant, vt Alens. 4. part. quæstione. 51. mēbr. 1. artic. 2. Hosius in confess. capitul. 41. Turrianus lib. 1. pro canon. Apostol. capitul. 21. & est satis consentaneum intentioni Anacleti: nam de his specialiter loquebatur in illa epistola. 1. & cū dicit, Apostolos sic statuisse, citat canonem. 9. Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Episcopus aut Presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali cathalogo, facta oblatione, nō communicauerit, aut causam dicat, vt, si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut, si non dixerit, communione priuetur.* Vbi constat, sermonem esse tantùm de clericis, & adhuc de illis nō fuisse absolutum præceptum, sed vbi rationabilis causa non interueniret, vt, si aliquis eodem die iam communicasset, sufficientem causam heberent non communicandi iterum, quanuis posset, iterum ministrare; & fortasse ob hāc causam præceptum erat in Concil. Altisiodorens. capitul. 19. Clericis, vt ieiuni ad ministerium altaris accederent: quia, nimirùm, in Missis communicatori erant, tamen hoc totum iam est consuetudine abrogatum. Alter autem canon Apostolorum ibi citatus re vera difficilis est: vnde Glossa in capitul. Omnes fideles. de Cōsecratione. distinct. 1. exponit, esse intelligendum non de his, qui in eadem Missa non communicant, sed de his, qui temporibus statutis non communicant: nam absolutè est sermo de his, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt; non autem perseuerant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt; & in decretis collectis à Martino Bracharēsi, in 83. sic expressiùs legimus, *Si quis intrat Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit* (vel, *non audit*, vt habeat alia lectio) *& pro luxuria sua auertit se à cōmunione sacramenti, & in obseruandis mysterijs declinat cōstitutam regulam disciplinæ, illum talem proijciēdum de Ecclesia Catholica esse decernimus.*

Durand. Ruard. Dionys. Alens. Hosius. Turrian. Conc. Altisi. Marti. Brac.

mus: non ergo est ibi sermo de his, qui non communicãt in Missa, quã audiũt, sed de his, qui absolutè se præbent communione indignos, etiam legitimis tẽporibus. Quod in Antioch. Concil. cap. 2. clariùs sic dicitur, *Qui sanctam Eucharistiæ participationẽ propter aliquã insolentiam auersantur*, imò alia lectio sic habet, *Auersantur etiã sanctam assumptionem Dominici sacramẽti secundũ aliquam propriam disciplinam*: quo verbo insinuatur, fuisse aliquos, qui nolebant cum cæteris in oratione, & sacramentis communicare, sed tantùm in Scripturis audiendis, & cõtra eos editum esse canonẽ illum. Alia verò lectio illius canonis Apostolici sic habet. *Quicunq; fideles ingrediũtur, & Scripturas audiũt, in precatione autẽ, & sacra cõmunione non permanẽt, vt Ecclesiæ cõfusionẽ afferentes segregari oportet*. Vbi nõ est sermo de nõ cõmunicãtibus, sed de his, qui nõ assistunt integro sacrificio vsq; ad consummationẽ.

Cõc. Antioc.

Ad fundamenta contrariæ opinionis.

Ad fundamenta in principio posita pro contraria sententia respondetur, modum obligationis huius præcepti diuini nõ esse sumẽdũ ex nuda forma illorũ verborũ, *Nisi manducaueritis*: sed adiũcto vsu Ecclesiæ, qui est optimus legũ interpres, & cõsiderata etiã natura & materia talis præcepti, in qua re non sunt similia illa, quæ de baptismo & confessione ibi afferontur: illa enim præcipiũtur solũ vt media necessaria ad tollẽdã culpam, quæ vnico actu perfectè tollitur, baptismus etiam datur per modũ generationis, quæ vna tantùm est, & confessio per modũ iudicij, & Deus non iudicat bis in id ipsum: Eucharistia verò ad nutritionẽ datur, quæ vno actu non perficitur. Ad cõfirmationẽ iam declaratum est, quomodò possint tẽpora obligationis huius præcepti designari: quia nõ in omnibus præceptis affirmatiuis spectãda est æqualis necessitas, vt eorũ vrgeat obligatio.

Ad vltimam cõfirmationem negatur sequela, nimirùm, nõ posse Ecclesiam aliquem priuare viatico in articulo mortis; quia in hoc ipsa non violat prædictum ius diuinum: nam, licèt homo obligetur iure diuino suscipere viaticũ, tamen hoc ius non obligat Ecclesiam, vt semper det: potest ergo ex iusta causa negari, vel in pœnam, ad aliorum correctionem, vel ob maiorem sacramenti reuerentiam: sicut etiã tenetur homo sumere cibũ ad conseruandam vitã corporis, & tamen ex iusta causa potest illo priuari: quãquam autem hoc ita sit, tamen regulariter nõ expedit, vt Ecclesia tam graui censura & pœna vtatur: potest enim esse animarũ saluti valde nociua: & ideò reuocati sunt illi antiqui canones, vt Innocentius loco citato docuit: & in cap. Super eo. de hæreticis in 6. viaticum dari præcipitur hæreticis relapsis ante vltimum supplicium, si sufficientia signa fidei & pœnitentiæ dederint; & cap. Quæsitum. 13. q. 2. idẽ seruandum præcipitur cum alijs, qui propter alia delicta morte plectuntur; & idem nuper præcepit Pius V. motu proprio edito anno 1569. qui in Hispania receptus est, & lege Regia idem est confirmatum: quia re vera prior consuetudo nulla sufficiẽte ratione fundabatur.

SECTIO IIII.

Quisnam frequens vsus Eucharistiæ licitus sit, & consulendus.

EXplicuimus hactenus, quæ frequentia, vt minimùm, necessaria sit ex præcepto diuino in vsu Eucharistiæ, superest explicandum, an aliqua etiam frequentia sit nimia, & iuri diuino, vel animarum saluti contraria; & consequenter, quæ sit licita, & consulenda.

Nulla frequentia in Eucharistiæ vsu iure diuino est prohibita.

Dico primò, Nullus Eucharistiæ vsus propter solam frequentiam videtur iure diuino prohibitus. Probatur, quia frequentissimus vsus videtur quotidianus, & tamen hic nec diuino, nec Ecclesiastico iure prohibitus est, vt per se patet, tum quia nullibi est talis prohibitio, & Christus absolutè dixit, *Hoc facite*, vel, *Quotiescunque manducabitis panem hunc*: tum etiam, quia olim fideles quotidie communicabant, vt insinuatur Actorum 2. verbis illis, *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & orationibus, & in communicatione fractionis panis*, id est, Eucharistiæ, vt omnes exponunt: qui etiam intelligunt; communionem fuisse quotidianam, sicut orationem & doctrinam. Hoc etiam ostendit consuetudo, de qua in præcedente sectione dicebamus, communicandi in Missa, quam singuli fideles audiebant; nam inde fit, sicut vsus audiendi Missam quotidianus est, ita & communicandi fuisse, quod etiam constat ex Hieronymo epistola 28. ad Lucinum, vbi seruatam dicit eam consuetudinem in Ecclesia Romana; eamque laudat Basilius in Epistola ad Cæsariam Patritiam, quanuis etiam dicat sufficere quater in hebdomada communicare & festis diebus: colligitur etiam ex Tertulliano libr. 2. ad vxorem capitul. 5. in verbis illis, *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustas, &, si sciverit, panem, non illum credit esse, qui dicitur*. Augustinus eiusdem consuetudinis meminit libr. 2. de sermone Domini in monte, capit. 12. & sermon. 28. de verbis Domini, & epistola. 121. ad Probam; vbi in verbis illis Dominicæ orationis, *Panem nostrum quotidianum*, Eucharistiam intelligit, quod sumpsit ex Cypriano in eiusdem orationis expositione, qui addit, non parui esse detrimenti, à quotidiana communione abstinere, vel ex Ambros. libro. 5. de sacrament. capitulo 4. dicente, *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit, sic viue, vt quotidie merearis accipere*. De eadem re latè scribit Chrysost. homil. 17. & 61. ad populum, vbi præsertim reprehendit eos, qui per annum differunt communionem. Epiphanius verò in compendio doctrinæ solùm refert consuetudinem communicandi feria quarta, Sabbatho, & Dominica: significat verò hanc frequentiam fuisse præceptam, maiorem tamen non prohibitam; Iustinus verò Apolog. 2. tantùm indicat, communem totius populi consuetudinem fuisse singulis diebus Dominicis communicare. Tandem Ignatius epist. ad Ephesios solùm indefinitè consulit, *Date operam, vt frequentiùs congregemini ad Eucharistiam*.

Actor. 2. Hieronym. Basil. Tertull. August. Cyprian. Ambros. Chrysost. Epiphan. Iustin. Ignatius.

Satisfit obiectioni.

Dices, saltem esse iure diuino prohibitum sæpius eodem die communicare. Respondetur, hanc prohibitionem ex iure humano colligi, vt constat ex D. Thom. in 4. d. 12. Palud. Duran. & alijs, & Alẽs. 4. p. q. 52. memb. 3. Gabr. lect. 87. in canonem, scilicet, ex cap. Consuluisti. de celebrat. Miss. & capit. Sufficit. de consecrat. distinct. 1. in quibus de sacerdotibus sacrificantibus sermo est, & inde sumitur argumentum ad laicos communicantes, quam collectionem vsus Ecclesiæ approbauit, & præcepto confirmauit, præcipuè ob reuerentiam tanti sacramenti, ne, scilicet, ob nimiam frequentiam vilescat; & D. Thom. addit mysticam congruentiã, scilicet,

D. Thom. Palud. Durand. Alens. Gabr.

licet, vt saltem per vnicam vnius diei communionem vnitas & sufficientia passionis Christi repræsententur. At verò, stando in solo iure diuino, nulla est talis prohibitio, quia nec scripta est, nec tradita, nec sola ratione probari potest, & ex eisdem iuribus potest sumi proportionale argumentum: quia sæpiùs eodem die sacrificare, non est prohibitũ iure diuino: ergo nec communicare. Vnde, sicut Papa dispensat interdùm, vt aliquis eodem die sæpiùs sacrificet; ita posset dispensare in iterata communione extra sacrificium: non est ergo hoc prohibitum iure diuino. Dices, ergo nec singulis horis communicare, vel etiam sæpiùs eadem hora. Respondetur, verũ esse, de tota hac re positiuo iure diuino nihil declaratum esse: sed prudentiæ, quam ius ipsum naturale dictat, relinqui, quæ dictat, ea cauenda esse, quæ contemptum vel irrisionem sacramenti parere possunt, & ideò Ecclesiastica prouidentia in his modum &, ordinem adhibuit.

Dubiolo respondetur.

Quæri autem obiter potest, an in aliquo casu possit nunc aliquis bis in die communicare extra sacrificium (de quo postea dicemus) non obstante Ecclesiæ prohibitione. Syluester, verbo Missa. 1. quæstione. 7. negat vnquam licere. Sed excipiendus est casus, in quo, ad impediendam iniuriam huius sacramenti, vel irreuerentiam, id sit necessarium, vt, verbi gratia, ne in manus hæreticorum veniat, vel ne comburatur, aut in similibus: quemadmodum in superioribus de ieiunio diximus: ratio enim eadem est; nam quod propter reuerentiam sacramenti introductum est, non debet ita obseruari, vt in illius iniuriam, vel irreuerentiam vllo modo cedat, & ita meritò sentit Angelus verbo Eucharistia. 3. num. 39. & Summistæ frequentiùs, & Paludanus suprà.

Angelus. Palud.

Difficultas soluitur.

Tandem inquiri hic potest, quomodò computandus sit dies, intrà quem non licet bis communicare. Respondetur, à media nocte in mediam noctem esse computandum, eodem modo, quo suprà dictũ est de ieiunio, propter easdem causas, & propter Ecclesiæ vsum, qui hoc satis declarat: sicut enim datur communio statim post mediam noctem, etiã si homo ante paucas horas aliquid comedisset, ita etiam dari potest, etiam si communicasset. Est enim aduertendum, seruato ieiunio, & secluso scandalo, ac per se loquendo, in qualibet hora diei, posse hominem communicare: quia, licèt frequentiùs soleat communio dari vsque ad meridiem, quia illud est tempus opportunius: tamen nulla est lex, quæ ad hoc obliget, nec consuetudo hactenus ita introducta est, vt præceptum induxerit, quod notarunt Angelus suprà, & Syluester, verb. Eucharistia. 3. q. 14.

Angelus. Syluest.

2. Conclus.

Dico secundò, generatim loquendo, consultius est frequentiùs cõmunicare, quàm rariùs: magisque est, in frequentiam, quàm in raritatem inclinandũ, considerando actum ipsum absolutè, seu ex suo genere. Hæc est communis sententia Theologorum, D. Thom. hic, & in. 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 2. vbi etiam Bonau. Richard. Palud. Gabr. ibi, & lectio. 87. in canon. Adrian. q. 3. de Eucharis. Petrus Soto lectio. 9. de Eucharist. Et sumitur ex Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. vbi ad frequentiam hortatur, & sess. 22. capit. 6. *Optat Sancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes communicarent*: atque ad idẽ conferunt dicta Sanctorum Patrum citata præcedente conclusione; quibus addendus est Cyrill. lib. 3. in Ioann. cap. 37. & lib. 4. cap. 17. vbi inter alia notat, solam dilationem per se non conferre ad meliorem dispositionem: & regulariter contingere, vt, qui tardè accedunt, minùs dispositi sint quàm qui frequenter, Chrysostom. item multa de hac re scribit homil. 28. in. 1. ad Corinth. & inter alia dicit, semper esse tempus accedendi, si semper conscientia sit pura. Idem homil. 1. in. 1. ad Timot. & orat. de sancto Philogonio. August. et in epistola. 118. non præfert eum qui ex reuerentia abstinet, ei qui ex deuotione quotidie communicat: & de Eccles. dogmat. cap. 53. nec laudat, nec vituperat eum, qui quotidie communicat. Ambrosius verò. 4. de sacrament. cap. 6. hoc etiam consulit, & similia multa sumi possunt ex Bernard. in sermon. de cœn. Domini, nonnulla ex Hieronym. apologia pro libris contra Iouin. & Gregor. homil. 22. in Euangel. Innocet. lib. 4. de hoc myster. capit. 42. Rationes etiam sunt perspicuæ, Prima, quia communicare dignè per se bonum est, abstinere verò solùm est bonum per accidens, vel ex defectu dispositionis, vel vt homo ad reuerentiam excitetur: sed bonum per se præferendum ex genere suo est bono per accidens. Secundò, quia frequenter accedere est ex propositione caritatis: differre autem, aut est ex negligentia, aut ex timore: sed per se loquendo melius est ex caritate operari, quàm ex timore, ergo. Tertiò, quia, qui communicat, cæteris paribus, excedit alium in fructu sacramenti ex opere operato: potest autem facilè in alijs esse æqualitas: quia voluntas cõmunicandi dignè ex se non est minùs bona & meritoria, quàm affectus abstinendi etiam ex reuerentia: ergo ex suo genere illud est eligibilius. Quartò, quia, si propter aliquid est interdùm probanda abstinentia huius cibi, maximè propter conseruandam, vel concipiendam reuerentiam seu deuotionem, sed ad hoc ipsum nõ minùs iuuat ipse frequẽs vsus, si prudenter fiat, & mediocri diligentia adhibita: nam & bona cõsuetudo iuuat ad similes actus meliùs exercendos, & efficacia etiam sacramẽti multùm confert: ergo, simpliciter & generatim loquẽdo, fauendũ est potiùs frequentiæ, quàm dilationi.

D. Thom. D. Bonauẽ. Richard. Palud. Gabriel. Adrian. Pet. Soto. Conc. Tri. Cyril. Alex.

Chrysost. August. Ambros.

3. Conclus.

Dico tertiò, In particulari non potest vna regula dari de frequentia, quæ omnibus expediat, sed pro diuersitate statuum & morum id est prudenti arbitrio definiendum. Hæc conclusio tam per se nota est, vt non indigeat probatione. Vt tamen in re morali rationem aliquam insinuemus ad ferendum prudens iudicium, videtur sanè rarò esse alicui consulẽdum, vt ordinaria consuetudine frequentiùs, quã octauo quoque die communicet. Ita significat Doctores citati, & ita sentiunt prudentes & experti viri in hac materia, & communis vsus Ecclesiæ nõ parùm fauet. Ratio autem est, quia hoc modo, & sufficienter subuenitur fructui animarum, & ratio etiã habetur reuerentiæ debitæ sacramento, nam regulariter loquendo tot sunt humanæ vitæ negotia, & impedimenta, quæ & animum distrahunt, & tempus occupant, vt non possint homines frequentiùs accedere cum debita dispositione, nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par esset: hoc tamen semel in hebdomada præstare regulariter non est difficile: imò hinc sæpe eueniet, vt vna communio facta opportuno tempore cum maiori fiat fructu, quàm plures sine debita præparatione & gratiarum actione. Aduertit autem Bernardus suprà, non esse omittendam huiusmodi frequentiam propter sola peccata venialia, neque quia homo minorem feruorem deuotionis & caritatis in se sentire videa-

D. Bernar.

videatur: quia non est exiguus huius sacraméti fructus, *quod in magnis peccatis impedit consensum, & in minimis sensum minuit.* Vnde Bonauent. lib. de processu religionis, processu 7. cap. 21. sic inquit, *Licet tepide, accedas fiducialiter, confidens de misericordia Dei, quia quo magis æger, magis indiget medico*, & iuxta hoc piè sunt exponenda verba, quæ ex Hilario referuntur de consecration. dist. 2. cap. *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare*, id est, si non sunt mortalia, vel, si sunt, si iam est præmissa eorum confessio: reperiuntur autem illa verba apud August. epistola. 118. & Beda. 1. ad Corinth. 11. Non est autem negandum, interdùm posse huiusmodi frequentiam differri propter aliquam occasionem similem ad conciliandam maiorem reuerentiam, id tamen potiùs esse debet rarum, & extraordinarium, quàm frequens: nec tanta debet esse dilatio, vt plus nocere posit, quàm prodesse: ne fortè alicui contingat illud Psalm. 101. *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Deniq; ita est hæc doctrina accipienda, vt nõ intelligatur omnibus hominibus, omnibusque statibus vniformiter applicanda: nam continentibus frequentiùs conuenire potest, quàm coniugatis, & religiosis, quàm laicis: solùm ergo assignamus regulam, quæ faciliùs potest ferè in omnibus obseruari, qui timoratam conscientiam habent: reliqua prudentiæ confessorum, & pastorum relinquenda sunt.

D. Bonauent. Hilarius. August. Beda.

DISPVTAT. LXX.

De præcepto Ecclesiastico circa vsum Eucharistiæ.

Dispu. 32. de Eucharistia.

OMissa quæstione, an sit hoc præceptũ, quæ in præsente per se nota est, eadem fere occurrunt de hoc præcepto declaranda, quæ de diuino. Supponenda verò sunt verba legis latæ in cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remiss. quæ sunt fundamentum huius disputationis, Omnis (dicitur) *vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerenter, ad minùs in Pascha,* Eucharistiæ *sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: aliqui, & viuens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens* Ecclesiastica *careat sepultura.*

SECTIO I.

Quas personas obliget hoc præceptum.

Soli fideles baptizati tenẽtur semel in anno communicare.

DIco primò, solùm obligare fideles baptizatos. Hoc constat primò ex verbis ipsius legis, nomine enim fidelium intelliguntur illi, qui fidem Christi & Ecclesiæ professi sunt per baptismum. Item, quia solùm illi obligantur ea lege, qui possunt obligari ad confessionem, quando ea indigent: soli autem baptizati possunt obligari ad cõfessionem. Tandem hoc præceptum est purè Ecclesiasticum: sed potestas Ecclesiastica solùm est super baptizatos: nam, *de his, qui foris sunt, nihil ad nos*, ait Paulus. 1. ad Corinth. 15.

Ijs; non omnes, sed adulti.

Dico secundò, Hoc præceptum obligat omnes & solos fideles adultos. Patet ex verbis legis. Item, quia soli adulti sunt capaces proprij pręcepti & obligationis: omnes autem illi indigebant hac Ecclesiastica determinatione præcepti diuini. Vnde nullus, cuiuscunque status existat, siue sit clericus, siue laicus, siue religiosus, siue secularis, ab huius præcepti obligatione eximitur. Solùm de Summo Pontifice dubitari potest, an hoc præcepto obligetur: sed quia dubiũ hoc in hac speciali materia non potest moraliter ad praxim reuocari, & quia in eadẽ forma tractatur ab omnibus circa eandem legem in materia de confessione, illud differemus eousque.

D. Thom. Maior. Caiet. Soto. Nauar.

Sed explicandum superest, quando incipiat homo hoc præcepto obligari. De quare multa scribũt Theologi in 4. dist. 9. D. Thom. quæ. 1. art. 5. quæstiũcula. 4. Maior. quæst. 1. Caiet. hic, art. 9. Soto articul. 11. Nauar. in summ. cap. 21. num. 57. Summistæ, verbo, Eucharistia, & verbo Cõmunio. Qui omnes in primis notant, quanuis verba huius legis generatim loquantur de hominibus, postquam ad annos discretionis peruenerint, simulque obligationem confitendi & communicandi coniungant, nihilominùs non statim, ac homo habet vsum rationis, quo sit capax peccati mortalis, & obligationis confitendi, non statim (inquam) obligari hac lege Paschalis communionis, sed per aliquod tempus, vel etiam per aliquot annos posse ad confitendum priusquàm ad communicandum, obligari, tũ quia verba legis sunt accommodatè intelligenda, iuxta genus materiæ: est autem magnum discrimen inter vtrumque sacramentum: confessionis enim sacramentum magis necessarium est, & ex hac parte est anticipandũ: Eucharistiæ verò est lõgè dignius, & ideò ad illius vsum maturior ætas expectãda est, vt posit suscipiens conueniente deuotione accedere, & grauiori iudicio inter hũc & alios communes cibos discernere, tum etiá, quia in ipsismet verbis legis implicitè hæc differentia insinuatur: nam confessio absolutè præcipitur: communio verò cum quodam ordine ad prudens iudicium confessoris: omnes autem prudentes confessores iudicant expedire plus, communionem, quàm confessioné differri. Vnde cõmuni etiam vsũ Ecclesiæ ita hæc lex declaratur, quidquid Palud. sentiat. 4. d. 10. q. 1. n. 25.

Soto.

Deinde ferè omnes in hoc conueniunt, non posse generaliter definiri hác obligationé per hominum ætates, seu annorũ numerum: nam, licèt Soto dicat, hác obligationem incipere duodecimo ætatis anno quo tempore, inquit, obligari homines alijs legibus Ecclesiasticis, tamen neque illud principiũ potest esse vniuersale, quia non omnes pueri ea ætate habent omnino perfectum rationis vsum. Vnde alij hoc extendunt ad decimum quartum & decimum quintũ annum: quod etiam non potest generaliter affirmari, quia ante hoc tempus, imò & sæpe ante duodecimũ ætatis annũ, sunt multi ita doli capaces, itaque instructi in rebus fidei, vt sine dubio obligentur hoc præcepto. Neq; ratio generalis, quã secundo loco Soto posuit, video, quo fundamento niti posit, aut qua ratione id valeat vniuersè affirmari: nam præceptum ieiunij non obligat à duodecimo ætatis anno, præceptum autẽ abstinendi à carnibus die prohibito sine dubio antea obligat: & idẽ existimo de pręcepto audiendi Missam: nõ est ergo illa generalis regula. Dicendũ igitur est, hunc ętatis terminum non posse indiuisibiliter præscribi, sed, ad summũ, dici posse, hunc terminũ contineri posse à decimo vsq; ad decimum quartũ ætatis annũ: quia, moraliter loquendo, neq; ante decimũ incipit, neq; vltra decimũ quartum differtur hæc obligatio: sicut nec rationis vsus. In hac verò ætatis latitudine solet esse magna varietas: alij enim citiùs, alij tardiùs ratione vti incipiunt, & ideò non omnibus simul incipit hæc obligatio: satisfaciat autẽ vnusquisque, si parentum & confessorum iudiciũ sequatur, quos debet consulere, cũ dubitare incœperit, ipsi verò debent puerorũ capacitaté & iudicium examinare, vt prudẽter de eorum obligatione iudicent. Ita fere D. Thom. Palud. & Maior locis citatis. Alens. 4. part. q. 49. memb. 4. Caiet. in summ. verbo Communio, & Catechismus Pij. V. Addit verò Soto, & mihi etiam probatur, non statim ac hi pueri perueniunt ad ætaté, in qua possunt licitè communicare, ad id obligari, sed post aliquod tempus, verbi gratia, post vnum vel alterum annum: nam & vsus Ecclesiæ ita videtur hanc legem declarasse, & rationi consentaneum est, vt Ecclesia non obliget, cùm primùm potest: sed facultatem concedat expectandi per aliquod tempus, vel propter maiorem reuerentiam sacramenti, vel propter maiorem fructum recipientis, vel ne hi pueri facilè exponantur periculo transgressionis: securiùs autem hoc fiet, si consilio confessoris fiat: sic enim non discordabitur, etiam à verbis legis.

D. Thom. Palud. Maior. Alens. Caiet. Catec. Pij V. Soto.

Quæsitum.

Quæres tandem, an hæc doctrina, quæ de præcepto Ecclesiastico data est, eodem modo saluãda sit respectu diuini præcepti: nam in superioribus dubiũ hoc in hunc locum remisimus, & quidẽ aliqui autores simpliciter affirmant, quoad hoc, eandẽ esse rationem vtriusque præcepti. Ita Nauar. dicto c. 21. nu. 57. & Cordub. in summa Hispana, quæstione. 60. Sed aliqua declaratione & limitatione opus est, nam in communi vsu communionis, qui fit extra articulum necessitatis, prædicta regula seruãda est, quia hoc præceptum Ecclesiæ, est determinatio præcepti diuini, quoad tempus, in quo vtẽdum est hoc sacramento extra mortis periculum: hęc autem determinatio Ecclesiæ est sufficiens ad satisfaciendũ præcepto diuino eo modo, quo ab ipsa Ecclesia recepta, & eius vsu est declarata, & approbata: ergo quoad hoc est eadẽ ratio vtriusque præcepti, vt probant etiam rationes & morales cõiecturæ adductæ. At verò de communione facienda in articulo mortis non est eadem ratio, neq; hoc præceptum Ecclesiæ determinauit diuinum, quoad illud tẽpus: quia quoad hoc ex se erat sufficienter determinatũ. Vnde existimo, in illo articulo dãdam esse communioné cuicunq; homini habenti vsum rationis ad peccandũ, & capaci confessionis, & extremę vnctionis. Quod Nauarrus quidem fatetur esse omnibus consulendũ, ego verò existimo esse obligationem, tã ex parte petentis, quàm dispẽsantium: quia talis homo est capax fidei, & sufficientis reuerentiæ sacramenti, & est in eo periculo, in quo non expectat cõmodius tempus ad recipiendum sacramentum cum meliori dispositione: ergo debet tũc accipere eo modo, quo potest: patet consequentia quia in illo homine iã habent locum verba illa Christi, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, quorum vim & obligationem potest talis homo percipere, & voluntariè mãducare, ac se probare, vt digné recipiat: nihil ergo est, quod illum excuset, neque contra hoc video rationem aliquam, aut consuetudinem.

Nauar. Cordub. Soluitur.

SECTIO II.

Quando obliget hoc præceptum.

Baptizati adulti semel in anno communicare tenentur. D. Thom.

DIco primò, obligare tantùm semel in anno. Hoc patet ex verbis legis, cuius rationẽ vt declaremus, aduertendum est, hanc temporis obligationem, pro temporum diuersitate variã in Ecclesia fuisse, in principio enim, vt D. Thomas & alij sentiunt, obligatio illa determinata erat ad quotidianã communioné, quod tamẽ incertum est vt suprà dixi, imò probabile est, in principio nullã factã esse determinationem: quia fidelium deuotio obligationem præcepti pręueniebat, vt suprà etiam tetigi. Posteà creditur determinatio facta ad singulos dies Dominicos: de quo etiam non inuenio sufficientem traditionem, neq; expressum decretum alicuius Pontificis, vel Concilij: solùm in decretis Pij I. & in Concil. Nannetensi. c. 9. legimus, præcipi Sacerdoti, vt singulis Dominicis diebus panem benedictũ habeat, quem his fidelibus distribuat, qui cõmunicare non potuerint: hinc enim fit coniectura, priùs solitos fuisse fideles omnes diebus Dominicis communicare: quòd verò hoc fuerit in pręcepto, nõ satis cõstat. Posteà verò statutum est, vt ter saltem in anno, in Natali, scilicet, Domini, Paschate, & Pẽtecoste, fideles communicarent, vt patet ex Fabiano Pap. epist. 1. c. 4. Conc. Agath. c. 18. cap. Etsi nõ frequentiùs. de consec. d. 2. Refert autẽ Burch. lib. 5. decreti. c. 19. Syluer. Pap. quosdã alios dies addidisse: quam legem apud nullum alium reperio: Soter autem Pap. cap. In cœna Domini. de consecr. d. 2. præscripserat, vt in die cœnæ Domini omnes cõmunicarent, quam communionem videtur hic D. Thom. à Paschali distinguere. Tãdem verò, crescẽte nimiùm fidelium numero, & caritate refrigescente, visum est Ecclesiæ, sufficere vnam communionem singulis annis præcipere, ne fragilibus hominibus laqueos injcere videretur: quia, non obstantibus superioribus præceptis, introduci cœpit consuetudo differendi communionem per annum integrum, vt sumitur ex Chrysostom. homil. 61. ad populum, vbi eam consuetudinem reprehendit, & ex Augustin. sermone. 28. de verb. Domin. & Ambr. lib. 5. de sacram. capit. 4. dicentibus. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum in Oriente Græci facere consueuerunt?* Ex his ergo cõstat prima ratio huius præcepti, nam, vt esset certa aliqua ratio implendi diuinum ius, quem posset Ecclesia exigere, & transgressores punire, oportuit ab ea aliquam determinationem fieri, vt verò præceptũ esset accommodatum multitudini, & fragilitati, & præsenti rerum statui, non oportuit frequentiorem vsum præcipi. Vnde colligitur secundò (quod suprà dicebamus) stante hoc Ecclesiastico præcepto, neminé obligari ad maiorem frequentiam, nec peccare eum, qui semel tantùm in anno tẽpore ab Ecclesia præscripto communicat: nam implendo præceptũ Ecclesiæ simul satisfacit diuino, aliqui Ecclesia non sufficienter prouidisset fidelibus. Nauarr. tamen capitul. 21. num. 59. excipit nonnullas personas, quæ pluries tenentur communicare in anno, non ex solo diuino iure, neque ex hac lege Ecclesiastica, sed ex alijs: nam in Clementina. in agro. §. Sanè. de statu Monach. præcipitur Monachis Benedictinis, vt singulis mensibus communicent, & idem dicitur de Monialibus in Concilio Tridenti-

Pius. I. Cõc. Nãnet. Fabiã. Pap. Cõc. Agath. Burchar. Soter. Chrysost. August. Ambros. Nauar. Conc. Tri.

Universidad de Deusto Biblioteca

no.sess.25.cap.10.de regularibus. Sed in his decretis non sunt verba, quæ præceptum clarè exprimāt sed solum consilium, vel regularem constitutioné. Vnde Tridentin. sic ait, *Attendant diligenter Episcopi & ceteri superioris Monasteriorum Sanctimonialium, vt in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem singulis mensibus, &c.* Quapropter nisi speciale votū intercedat, aut nisi ex instituto religionis constet, constitutiones eius obligare sub mortali, nulla talis est rigorosa obligatio.

Hoc præcepto communicare teneatur fideles tēpore Paschatis.

Dico secundò, Hoc præceptum specialiter obligat tempore Paschatis, vt patet ex illis verbis legis, Ad minùs in Pascha, & Concilium Tridentinū, session.13.canone.9. definit, teneri omnes fideles singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, iuxta præceptum Sanctæ matris Ecclesiæ. Ratio autem huius determinationis fuit, & vt tempus esset magis determinatum & certum, & quia eo tēpore videntur esse fideles magis dispositi, & deuoti ad hoc sacramentum recipiendum, & quia eo tempore institutum ac celebratum fuit hoc mysteriū, nostraque redemptio consummata.

Difficultas.

Sed circa hoc tempus nonnulla supersunt explicanda. Primum, quid nomine Paschatis significetur, videtur enim significari tantùm ipsa dies Dominica Paschæ, in qua Christus resurrexit. Respondetur, quidquid sit de vi vocis, Ecclesiasticam consuetudinem declarasse ex decreto Eugenij. IIII. vt refert Nauar. dict. cap.21.num.45. hoc tempus cōplecti quindecim dies à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis, inclusiuè: nam quolibet horum dierum aliquis communicet, implet hoc præceptum: &, quanuis sæpiùs extra hos dies communicet, non implet præceptum, nisi communicet intrà illos dies: quia verba legis limitant actum ad illud tēpus, quod meritò ad omnes illos dies extensum est, ne omnes fideles ad vnum tantùm diem ex præcepto obligati facilè exponerētur periculo trāsgrediēdi illud. Quòd si alicubi introducta esset cōsuetudo extēdendi ampliùs hoc tempus, illam etiā seruare sufficeret: sicut referunt, Mediolani consuetudine receptum esse, vt quolibet die quadragesimali cōmunicando impleatur hoc præceptū. Quod etiam in Hispania fieri posse declaratum dicitur à Clement. VII. idque constituisse testimonio Laurētij Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorū, & Episcopi Prænestini, & vsu etiam receptum fuisse. Sed mihi nec de vsu, nec de cōcessione satis constat, vbi autem constaret, ita facere sufficeret. Hic verò aduertendum est, teneri fideles, ad hoc præceptum seruandum, Eucharistiā suscipere de manu proprij pastoris, aut alterius, qui vicē eius gerat, seu de eius facultate: ita enim & vsus Ecclesiæ decclarat, & Sūmi Pontifices in varijs rescriptis seu priuilegijs significarunt, & ex eodem capitul. Omnis vtriusque sexus. colligitur, dum confessionem dicitur faciendam esse proprio Sacerdoti, & non alieno, nisi de proprij licentia, sine qua alter non potest soluere, vel ligare, hic enim eadem est ratio, quia etiam alienus non potest alterius oues pascere sine licētia proprij pastoris, vt infrà dicemus agentes de obligationibus ministrorum, & ideò in eodem capite solùm iudicio proprij sacerdotis relinquitur, vt eius consilio possit cōmunio differri: sic igitur, solùm illius ministerio, vel de facultate eius, impleri potest hoc præceptum. Quomodò autem intelligenda sint aliqua priuilegia Pontificum, quæ de hac re loquuntur, dicemus infrà tractando de præceptis ministrorum.

Enodatur.

Secundum dubium explicandum est, an, qui in Paschate transgressus est hoc præceptum, liber maneat ab obligatione communicandi vsque ad sequens Pascha. Ita enim sentiunt graues autores D. Antonin.2.p.titul.9.cap.9.§.3. Syluest. verbo Eucharistia.3.quæst.15. Tabiena verb. Communicare. quæst.7. Medina codice de pœnit. quæst. de confess. semel in anno agenda. Soto in.4.distinct.18.q.1.artic.4. Victor. in summa, num.137. Fundamentum est, quia præceptum affirmatiuum obligās ad aliquem actum præscripto die, vel tempore, transacto illo, non obligat, etiam si per impotentiam vel malitiam in illo impletum non sit: sed huiusmodi est hoc præceptum respectu temporis Paschalis: ergo, &c. Maior constat apertissimis exemplis, in præcepto audiendi missam diebus festis, in præcepto ieiunij quadragesimalis, vel quocunque alio: & idem contingit in voto, quando fit de actu pro die seu tēpore determinato. Ratio autem est, quia præceptū affirmatiuum non obligat pro semper: vnde, quando ipsum designat tempus, ad illud limitatur obligatio: non enim potest vltra verba legis obligatio extendi, cùm verba explicent voluntatem legislatoris, à qua vis obligationis pēdet. Et potest in hūc modum explicari, quia, si transacto tempore à lege præscripto, homo teneretur ad actum præcepti, vel hoc esset ex directa intentione & obligatione legis, & hoc non, vt ratio facta probat, vel esset quasi ex consequenti per modum cuiusdam restitutionis & hoc non, quia nōn omnes transgressiones præceptorum obligant ad restitutionem, sed quæ sunt cōtra iustitiam commutatiuam: etenim, si quis hodie teneatur eleemosynam facere Petro indigenti, & peccet non faciendo, & crastina die Petrus iam non indigeat, iam non tenetur facere, nec restituere, quam priùs omisit, quia non peccauit contra iustitiam; & occasio ac materia præcepti transacta est. Minor verò prioris syllogismi constat ex verbis legis, ibi, *ad minus in Pascha: suscipiens reuerenter Eucharistiæ sacramentum.* Item, quia ibi constituitur differentia inter præceptum confessionis & communionis: in illlo enim tantùm dicitur semel in anno esse confessionem faciendam, & totum anni tempus indifferens relinquitur, hic verò Paschale tempus designatur.

D. Antonin. Syluest. Tabien. Medina. Soto. Victoria.

Alij verò autores distinctione hac in re vtuntur nam contingit non impleri præceptum die Paschatis pluribus de causis, aut ex impotentia ac legitima excusatione, aut ex malitia: quando contingit non impleri præceptum ex malitia, inquiunt extingui obligationem, vt prior sententia dicebat: quando verò est ex impotentia, dicunt durare obligationem, & teneri ad communicandum, quàm primùm possit: quia lex ipsa dat facultatem confessori ad differendum tempus illud, quando expedire iudicarit, & tunc non tollitur, sed differtur obligatio, quandocunque autem interuenit legitimum impedimentum, ita suspenditur obligatio, sicut iudicio confessarij suspendi potest: quia, per se loquendo, & iuxta verba legis, tale impedimentum iudicio confessoris declarandū esset: vnde, si accidat, omitti non confessoris iudicio, vel quia conueniri non potest, vel quia res est tam euidens, vt nō sit moraliter necessarium, nihilominùs eodem modo indicandum est, non tolli, sed suspendi obligationem propter tale impedimentum: nam huiusmodi esse debet prudens consilium proprij pastoris, quod ibi saltem interpretatiuè, interponitur, debet ergo aliquis in huiusmodi euentu, vt non peccet omittendo, habere propositum communicādi, cùm primū impedimentum auferatur. Quòd si obijcias, non debere esse melioris conditionis eum, qui peccando, quàm qui sine peccato omittit. Respondetur, nō esse melioris conditionis: nā ille astringitur obligatione præcise pro tempore Paschali, quādo nullum est impedimentum, & hoc non est priuilegiū, sed grauamen potiùs, at verò, quando occurrit impedimētum, augetur quodammodò vel differtur obligationis tempus, quod priuilegium potius est, quàm grauamen. Ita sentit Summ. Armilla. verb. Cōmunio. num.6. nec dissentit Tabiena loco citato. Et quidē posterior pars huius sententiæ mihi videtur valde conformis verbis & intētioni legis, atque omnino veratamen si prædicti autores rem attentiùs considerassent, ex hac eadem posteriori parte potuissent elicere, priorem sententiam esse falsam, & non esse idem iudicium ferendum de hac lege, & de omnibus alijs, quæ certa tempora designant: nam ieiuniū aut missa, siue per impotentiam siue per malitiā præscripto die omittātur, non cadūt ampliùs in obligationem subsequente die. Et per se se incredibile est voluisse legislatorem in hoc præcepto, vt nō extingueretur statim obligatio, sed differretur, quando propter iustum impedimentum non potest in Paschate communicari, & tamen nō multò magis voluisse, vt, quacunque ratione, vel temeritate omitteretur, non extingueretur statim obligatio sed permaneret, semperque vrgeret, donec impleretur.

Summ. Armil. Tabien.

Si quis, cùm Paschali tempore cōmunicare teneretur communionem omisit, deinceps ligatus manet, quā primum, præceptū implere.

Dico ergo, Paschale tempus ita designari hoc præcepto, vt, si in illo non impleatur, nō cesset obligatio vsque ad futurum Pascha, sed obliget semper idem præceptum ad non differendam communionem, sed statim communicandum, quàm primùm moraliter homo possit. Ita docet Nauarr. ca.21.n.45. & Viguerius in institutionibus. c.16.§.3. versi.19. & sumitur ex D. Thom. in 4. dist.13.q.3.ar.1. quæstiunc.4. quatenus codē modo loquitur de cōmunione, quo de cōfessione, & idem sentit Palud. in.4.d.10.q.1.n.25. Et probatur primò ratione insinuata contra præcedentem sententiam. Secundò, ex intentione huius legis, quæ duas partes principales includit: vna est, vt communio vltra annum nō differatur: altera est, vt saltem fiat tempore Paschatis: & vtraque est principaliter intenta, præsertim prior, posterior enim, vt suprà dicebam, addita videtur propter maiorem congruentiā illius temporis, & vt certiùs constet, priorem partem impleri, seu cōmunionē vltra annum non differri: ergo quāuis ex malitia cōmunio facta non sit tēpore Paschali, debet ex vi huius præcepti, quàm primum fieri: quia, licèt præceptum iam impleri nō possit, quoad illam partem, quæ talem diem determinat, potest tamen aliquo modo seruari, seu non magis aut magis violari quoad aliam partem, quæ prohibet dilationem communionis vltra annum. Atque, vt huius rationis vis ampliùs declaretur, distinguendi sunt varij modi, quibus potest certum tempus lege præscribi. Primò enim potest lex determinare tempus propter specialem solennitatem; aut circūstantiam illius, vt præcipitur ieiunium in vigilia alicuius Sācti, vel Missa in die festo. Secūdò designatur actus præceptus, vt proprium onus talis temporis, vt recitare horas canonicas est proprium onus singulorū dierum, & de his duobus modis procedunt rectè quæ prima sententia assumit: quia in eis obligatio talis præcepti omnino limitatur ad tempus illud. Tertiò interdùm principaliter & absolutè præcipitur actus quoad substantiam, temporis verò circunstantia designatur, vt magis cōgrua, seu conueniēs ex ratione accidentali, vt in præcepto recitandi horas canonicas, substantia præcepti est, vt intrà eundem diem omnes dicantur: congruentia verò est, vt singulæ horæ dicātur certis diei temporibus, in quibus, si omittantur, non cessat obligatio, quādiu durat dies: similiter, si confessor præcipiat, feria sexta ieiunare in satisfactionem, principaliter intendit vnius diei ieiunium, & propter maiorem congruētiam designat talem diem. Vnde, si tunc omittatur, non extinguitur obligatio. Item in obligatione soluendi tributum, id frequenter contingit, tenetur enim aliquis tantum tributum soluere quotannis: tamen ad maiorem certitudinē certa dies designatur, vt, verbi gratia, Sancti Ioannis: quòd si ea dies absque solutione tributi transigatur, nō cessat obligatio, sed potiùs post illum diem semper magis ac magis vrget: vnde Iuristæ dicunt, talem terminum non designari, vt in illo obligatio extinguatur, etiā si non impleatur, sed vt solutio vsque ad illum differri possit, & non ampliùs. Et eodem modo si Sacerdos ex beneficij seu capellaniæ obligatione teneatur singulis festis B. Virginis, vel similibus diebus Missam dicere, & id facere omittat, non extinguitur obligatio, sed tenetur alio die, quàm primū possit, obligationem implere: quia substantialis intentio instituentis est de substantia actus, de circūstantia autem temporis, solùm secundariò. Et in vniuersum, quando in præcepto aliquid est substantiale, illud faciendum est, quanuis circunstantiæ accidentales vel secundariæ impleri non possint, vt in præcepto ieiunij abstinentia à carnibus est quid substantiale, modus autem, scilicet, vt tantùm semel in die comedatur, est quid secundarium, & ideò quanuis hoc posterius impleri non possit, primum sine dubitatione seruandum est, si fieri potest, licèt è cōuerso, qui à primo excusatur, consequenter excusetur à secundo; vt communis tenet opinio. Præsens ergo præceptū, quod declaramus, in hoc tertio ordine collocandū est, vt ex principali fine & ratione huius præcepti colligi potest: præcipuè enim in eo intenditur, vt fideles non nimiùm differant vsum communionis: est ergo hoc præceptum determinatio iuris diuini ad temporis dilationem limitandā, & præscribēdam: substātia ergo huius præcepti est vt communio vltra annum non differatur: dies autē Paschatis propter speciales cōgruentias suprà notatas designatur, non quia actus cōmunicādi sit proprium onus illius diei, neque vt sit terminus ita præfixus ad solutionem huius debiti, vt, illo transacto implendum non sit, sed potiùs vt terminet dilationem temporis, intrà quod implenda est obligatio, vt saltem in illo impleatur, & multò magis post illum, si absque obseruatione, seu executione obligationis transigatur: sicut de solutione debiti ad diem Sancti Ioannis suprà declaratum est.

Nauar. Viguer. D. Thom. Palud.

Obiectio.

Dices, quanuis fortasse hic sit finis huius præcepti, hoc non satis est, vt præceptum ad hoc obliget: quia finis præcepti nō cadit sub præceptū, sed materia, sicut etiā dici potest, in præcepto audiēdi missam die Dominico, intendi, vt semel saltem in hebdomada Missa au-

Dissoluitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

audiatur, & non ampliùs differatur, & nihilominùs non propterea obligat statim post transactum Dominicum diem, etiam si in illo nõ fuerit impletum. Respondetur primùm, quanuis finis legis nõ cadat sub obligationem legis, nisi etiam sit materia legis, tamen quãdo ille finis est maximè proprius & principalis, ex illo rectè coniectamus sensum & intẽtionem legis, & materiam eius. Secundò dicitur, hunc finem nõ esse extrinsecum, sed intrinsecum, substãtialemque materiam huius legis: quod patet, tũ ex ratione facta, quia hoc præceptum est sufficiens determinatio diuini præcepti: non esset autem sufficiens determinatio, nisi ita præscriberet tempus, vt prohiberet maiorem dilationem, tum etiam ex verbis ipsius decreti, *Omnis fidelis semel in anno cõfiteatur suscipiens reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum*, ex quo cõtextu constat, illud verbum, *semel in anno*, æquè cum vtroq; actu cõfitendi & cõmunicandi coniungi: clauditur ergo hoc in materia huius præcepti, sicut de præcepto confessionis graviores Theologi sentiunt, vt suo loco decimus: nec sequẽtia verba, *ad minus in Pascha*, excludũt absolutã obligationem communicandi semel in anno, sed potiùs declarant, illam obligationem esse implẽdam, saltem in tali die, quod potius additum est cõmunionis, quàm confessionis præcepto: quia confessio propter necessitatem suam differenda nõ est, & postquàm semel est facta, non est iterum ex præcepto iteranda, & ideò nullus certus terminus illi potuit designari: quia, quàm primùm homo peccat confiteri potest, & satis implet obligationem suã: communio verò iterari potest etiam ex præcepto, & ideò potuit designari dies, in quo homo illã obligationem, ad minimùm, implere teneatur, etiam si priùs sæpiùs voluntariè communicauerit. Fuit autem ita expediens fieri propter rationes superiùs ductas. Atque in hoc sensu videtur hoc præceptum declarasse Concil. Trident. sess. 13. can. 9. dicens, *Si quis negauerit, omnes fideles teneri singulis annis, saltẽ in Paschate, ad communicandum, anathema sit*: ponit ergo hoc in materia & substãtia illius præcepti, & nõ tantùm in fine extrinseco. Præterea hoc etiam videtur declarare vsus Ecclesiæ: nam, si quis Paschalẽ communionem omisit, cẽsuris compellitur, vt quãprimùm communicet, nec permittitur vsq; in aliũ annum differre, & tamen Parochi vel pastores non imponunt ad hoc nouam obligationem, sed cogũt ad implendam obligationem dicta lege positam in Concilio Lateranensi, neque solùm puniunt prætéritam transgressionem, vt per se cõstat ex praxi, & sensu Ecclesiæ, & quia excommunicatio non solet ferri propter præteritum vt sic: sed in ordine ad futurum, vt aliquis non permaneat in peccato commisso, vel vt illud non continuet: ergo signum est, obligationem huius præcepti durare, & transgressionem eius magis ac magis continuari, quãdiu magis communio differtur. Tandem declaratur à simili, quia ex vi huius præcepti tenetur homo communicare in Parochia, seu ex facultate Parochi, si antè contingat non posse illam circunstantiam seruari, nihilominùs tenebitur homo, alibi communicare, si posit: quia hæc est substantia præcepti, & præcipuè intenta, quæ non est omittẽda, etiam si modus eius omnino impleri non posit: sic ergo, quanuis, transacto die Paschatis, non posit hoc præceptum impleri, quantum ad circunstantiam talis diei, implendum est, quantum ad substantiam actus communicandi, ne vltra tempus lege prescriptum differatur. Hæc ergo sententia est sine dubio vera, & rationabilis, magisque faciens bonis moribus fidelium: nec dubitari potest, quin in sensu explicato potuerit hæc lex dari, nec ratione probabilem video, ob quã existimemus non esse hanc Ecclesiæ intentionem. Solùm video dici posse, rationes factas non procedere de eo, qui, verbi gratia, in Natali Domini ex deuotione communicauit, & postea præceptũ Paschalis communionis tranigressus est; illi enim, quãuis differat communionem vsque ad aliũ Natalem, non differet vltra annum: ergo ex hac parte non de nouo trãsgredietur præceptum: ergo nec tenebitur statim communicare, quàm primùm posit. Respõdetur, quòd de hoc fortasse posset minùs improbabiliter id defendi: nihilominùs mihi nõ placet, quia illud est per accidens, & præceptum intelligẽdum est de communione præcepta, seu, quæ fit ad satisfaciendum Ecclesiastico præcepto, & hanc prohibet vltra annum differri.

Euasio cum fatuatur.

Difficultas.

Tertiũ dubiũ præcedenti simile est, si quis præuideat fore, vt intrà illos quindecim Paschales dies communicare non posit, an teneatur præuenire, & communionem anticipare: videtur enim ex dictis sequi, teneri hominem ad huiusmodi anticipationẽ quia tenetur seruare substantiam præcepti, quantũ potest, etiam si circunstantiam illius determinati tẽporis seruare non posit: sed ad seruandam substantiam præcepti necessarium est anticipare: quia, si expectet præfinitum diem, nec seruabit præceptum quoad circunstantiam, quia, vt supponimus, ita erit impeditus, vt communicare non posit, nec quoad substantiam, quia differet communionem vltra annum, præsertim, si supponamus à præcedẽte Paschate non communicasse. Confirmatur primò, nam in simili casu tenetur quis præuenire cõfessionem, vt probabilior est opinio, & inferiùs suo loco dicemus: ergo. Confirmatur secundò, nam, qui in die festo præuidet ab hora octaua, verbi gratia, non futurum sacrum, tenetur præuenire, & audire priùs, si potest, quanuis absolutè totũ tempus matutinũ, sit per se liberum ad audiendum sacrum. His ergo coniecturis videtur hæc pars probabilis fieri. Nihilominùs dicendum censeo, non teneri hominem in huiusmodi casu anticipare communionem ex vi huius præcepti. Ratio, qua moueor est, quia nullus obligatur ad anticipandum actum præceptum, nisi per talem actum posit satisfacere obligationi præcepti: sed per communionem anticipatam non implet quis obligationem huius præcepti: ergo ex vi eius ad hoc non obligatur. Maior videtur ferè per se nota ex terminis, quia lex non obligat, nisi vt impleatur: ergo ad actum, quo impleri non potest, nõ obligat. Minor verò patet, nam, si quis in eo casu anticipasset communionem, & postea Paschali tempore non occurrisset impedimentum quod timebat, teneretur illo tempore communicare: quia hoc præcipit lex, & tunc impleri potest, cùm factum non sit. Dices in eo casu iam non teneri, seu excusari, quia iam rationabiliter communicauit ex voluntate implendi præceptum, & præcipuè, si ex consilio confessoris hoc facit: quanquam enim hoc in lege non sit expressum, videtur tamẽ ex ea rationabiliter seu à fortiori colligi: quia, cæteris paribus, melius est anteponere, quàm postponere, sed lex ipsa dat facultatem postponendi ex rationabili causa: ergo multo magis censenda est dare ad anticipandum: ergo, si ita

Explicatur.

Replica.

si ita fiat, satisfiet præcepto, neq; erit obligatio postea iterum cõmunicandi: ergo ratio facta non obstat, quominùs præceptum hoc obliget ad anticipãdũ propter rationem suprà factam. Sed, licèt hic discursus probabilis etiam sit, non tamen auderẽ excusare ab obligatione communicandi in Paschate, eũ, qui sic anticipasset communionem, si postea nihilominùs communicare posset tempore præcepti: quia cùm lex ipsa expresse hoc præcipiat, nõ video, cur sit omittendum, cùm seruari possit. Vade, neq; aliquis Doctorum aliud docuit, neque aliud est in vsu Ecclesiæ. Et ideò consequenter nemo est obligãdus ad anticipandam communionem: quia illa cõmunio non est impletiua præcepti, & eandẽ obligationem relinquit, quæ antea erat. Neq; ex facultate differendi, quam lex concedit cum consilio cõfessoris, colligi potest facultas ita anticipandi, vt posit postea omitti Paschalis communio, etiam si illo tẽpore commodè fieri posit: sed potius videtur colligi contrarium: nam tunc solùm datur facultas postponendi, quãdo in illo tempore præscripto non est commoditas cõmunicandi, & fortasse ideò in lege datur hæc facultas differendi communionẽ quia iam supponit præsens impedimentum, de quo certò constare potest, quod non ita contingit respectu anticipationis. Atque hinc patet solutio ad rationem dubitandi, & ad exempla inducta; nõ enim sunt similia: quia illa præcepta nullam certam partẽ illius temporis requirunt ad suum actum, & ideò per actum anticipatum sufficienter impletur præceptum. Quo fit, idem esse dicẽdum in hoc præcepto si quæstio tantùm proponatur de illis quindecim diebus, intra quos potest hoc præceptum impleri: nam, si quis in primo aut secundo eorum prẽuideat fore, vt in omnibus sequentibus communicare non posit, tenebitur prænenire & implere præceptum quia in quacũque parte illius temporis sufficienter impleri potest, & præceptũ ipsum obligat, vt intrà illud tẽpus impleatur, eo modo quo fieri potuerit.

Improbatur

SECTIO III.

Per quem actum impleatur hoc præceptũ quæ ve pœna transgressori imposita sit.

Quærãdam opinio.

Durand. Capreol.

Adrian.

RAtio dubitandi est, nam interdùm aliquis indignè communicat (de communicantibus enim dignè debito tẽpore & loco nulla est dubitandi ratio) indigna verò communio, vt multi existimant, non sufficit ad explendum hoc præceptum: quod tenent Durand. in 2. dist. 28. quæst. 4. Capreol. in 2. dist. 41. quæst. 1. ar. 3. quatenus dicunt requiri gratiam sanctificantem ad implendum hoc præceptum: qui tamen generaliter loquuntur de supernaturalibus præceptis sacramentorum, & fortè intelligunt, esse necessariam gratiam, vt nullũ præceptum in eorum sumptione violetur: quod lõgè aliud est, Adrian. verò in 4. materia de Confess. q. vlt. generatim loquens de omni præcepto tam diuino, quàm humano, censet impleri non posse per malum actum, & hoc potest esse vnum fundamentũ huius sententiæ, quod erit magis apparens, si restringatur ad vsum sacramẽtorũ: cùm enim ad cultũ Dei ordinetur, non videtur, præceptũ eius posse impleri per sacrilegum vsum cultui diuino contrarium: vnde videtur maximè credibile, Ecclesiam nõ præcipere substantiam actus communionis sine hoc modo dignè communicandi: quia sine illo neque ad salutem animæ, neque ad cultum Dei spectat, & tamen ab Ecclesia, non nisi sub hac ratione præcipitur. Tandem verba ipsius decreti vtrũque præcipere videntur, *Suscipiens reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum*: nam vox illa, *reuerenter*, maximè intelligenda videtur de reuerentia (vt ita dicam) substantiali, qualis est dignæ sumptionis sicut quando in cap. Dolentes, de celebratione Missarũ, in præcepto recitãdi horas dicitur, *deuote recitentur*, omnes intelligunt, per vocem illam, *deuote*, significari præcipuè deuotionem substantialem orationis quæ cõsistit in attentione & integritate.

Qui sacramentum Eucharistiæ voluntarie in Paschate sumpsit, licet ob sacrilegam sumptionem peccare contingat, Ecclesiastico præcepto satisfacit. Cordub. Soto. Couar.

Nihilominus dicendum est, cum, qui voluntariè suscipit sacramentum Eucharistiæ, etiam si indignè sumat, implere præceptum communicandi, etiam si aliàs peccet mortaliter per sacrilegiũ indignæ sumptionis. Ita tenet in specie Cordub. in sum. Hisp. q. 35. & in genere Soto lib. 2. de Iustitia, q. 3. art. 10. Couar. in ca. Alma mater, 1. p. §. 5. qui alios refert. Et probatur, nam alia præcepta, tum sacramentorũ, tum in alijs materijs, impleri possunt per actũ peccaminosum, vt patet, si quis Missam audiat prauã intentione, vel ieiunet comedẽdo aliquid saluti cõtrarium, aut plus quàm indigeat, non tamen contra formam Ecclesiastici ieiunij. Item per susceptionẽ baptismi factã sine grãtia sanctificãte impletur præceptum, etiam diuinum, suscipiendi baptismum, & idem esset de sacramento Confirmationis, vel Ordinis, si de eis suscipiendis præcepta darentur, aut, si quis voto se obligasset ad suscipiendos Ordines, quanuis in peccato eos susciperet, votum impleret, quanuis aliàs peccaret contra reuerentiam debitam sacramento. Ratio autem sumitur ex principio generali, quod tradit D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. quia lex præcipiens actum præcipit substantiam eius, nõ autem modum, nisi modus sit essentialis actui secũdùm se, vel prout sub legem cadit: quemẽdo attentio est de essentia orationis, & formalis integritas de essentia confessionis, & talis forma abstinentiæ de ratione ieiunij, & dilectio super omnia est intrinsecus modus caritatis Dei: at verò suscipere Eucharistiam cum dispositione debita, non est modus essentialis sacramentali communioni vt sic: nam, licèt aliquis indignè communicet, tamen re vera sacramentaliter communicat, dummodo voluntariè & scienter sacramẽtum sumat. Quod ideò addo, quia si aliquis casu comedat hostiam consecratam, cogitans esse communem panem, illa sumptio non esset satis ad implendum præceptum: quia voluntas sumendi sacramentum est de essentia sacramentalis sumptionis: hæc autem est, quæ ab Ecclesia præcipitur: non autem sumptio etiam spiritualis: quia hæc pertinet potiùs ad effectum sacramenti, qui consequitur actum præcepti, quàm ad ipsum actum sumendi, qui præcipitur: &, quanuis hic effectus per dent aliquo modo ex actu ipsius hominis, tamen ille actus est merè interior, & non est de intrinseca ratione ipsius sumptionis sacramenti, prout actus humanus est, & ideò non comprehenditur sub præcepto ipsius. Neque etiam talis actus est expressius verbis huius legis: nam illa particula, *reuerenter*, non satis est ad inducendam hanc specialem obligationem: tum quia, cùm sit res valde difficilis, debuisset clariùs exprimi. Vnde probabile est, hanc particulam non esse additam ad aliquid specialiter præcipiendum, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantum ad exprimendum actum cum cõditione sibi debita ex natura suaitũ etiam, quia illa particula satis posset explicari de reuerentia exteriori, de qua potest Ecclesia iudicare, vel de reuerẽtia intrinseca, quæ consistit in recognitione sanctitatis huius sacramenti, & voluntate recipiendi illud, vt rem sacram & diuinam. Dices, si is qui indignè communicat, mortaliter in eo peccat, quid interest dicere, quòd impleat quasi materialiter huiusmodi præceptum? Respõdetur primò, ne duo peccata committat, vnum commissionis, & alterum omissionis, & quoad hoc omnia dicta procedunt, tam de præcepto diuino, quam de Ecclesiastico. Secundò, ne pœnas, vel censuras Ecclesiasticas incurrat, etiam si cõtra huius præcepti transgressores latæ sint.

Obiectioni sit satis.

A

Vltimo verò circa hoc præceptum Ecclesiasticũ est annotandum, iure communi nullam pœnam, seu censuram ipso iure incurrendam, latam esse contra huius præcepti transgressores, vt constat ex dicto cap. Omnis vtriusque sexus: sed solùm præcipitur, vt huiusmodi transgressor ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura, quæ pœnæ, donec imponantur, nõ incurruntur: tum poni autem debent, non solùm aduersus eos, qui vtrumque præceptum ibi positum confessionis & communionis violant, sed etiam, si hoc solum trãsgrediantur: quia lex contra omnes loquitur, qui vtrumque præceptum non implent: tamẽ, quia, regulariter loquendo, nullus transgreditur hoc communionis præceptum, nisi priùs trãsgrediatur præceptum confessionis; ideò communiter censentur pœnæ latæ contra eos, qui tempore debito non cõfitentur; & ideò de eis tractari latius solet in materia de confessione. Solent autem in singulis Episcopatibus esse circa hoc speciales leges synodales: solẽt etiã ipso facto excommunicari, qui post octo, vel quindecim dies, in ea transgressione perseuerãt; de quibus nihil aliud occurrit dicendum, quàm in singulis Episcopatibus proprias leges & consuetudines esse obseruandas. Contra indignè autem cõmunicantes nulla specialis pœna est ab Ecclesia imposita, vel quia de hoc etiam nulla est specialis prohibitio Ecclesiastica, eò quòd satis sit ipso naturali iure prohibitum, vel quia regulariter hæc indignitas ex interiori pẽdet dispositione, de qua Ecclesia nil iudicat: quòd si aliquando exterius de ea cõstaret, pro ratione scandali & delicti esset à pastoribus Ecclesiæ punienda.

B

C

ARTICVLVS XII.

Vtrùm liceat sumere corpus Christi sine sanguine.

D

Inf. q. 82. ar. 4. & 4. d. 12. q. 3. art. 1. q. 2. De cons. d. 2. c. Compe rimus.

AD duodecimũ sic proceditur. Videtur q̃ non liceat sumere corpus Christi sine sanguine. Dicit enim Gelasius Papa, & habetur de consecrat. distin. 2. Comperimus, quòd quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstinent, qui proculdnbio, quoniã, nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Non ergo licet sumere corpus Christi sine eius sanguine.

¶ 2 Prætereà, Ad perfectionẽ huius sacramenti concurrit & manducatio corporis & potatio sanguinis, vt suprà habitum est. Si ergo sumatur corpus sine sanguine, erit sacramẽtũ imperfectum, quod ad sacrilegiũ pertinere videtur. Vnde ibidem Gelas. subdit; Quia diuisio vnius, eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio prouenire nõ potest.

q. 74. ar. 1. & 76. arti. 2. ad arg. 1. Loco cit. ad arg. 1.

¶ 3 Prætereà, Hoc sacramẽtum celebratur in memoriam Dominicæ passionis (vt suprà dictum est) sumitur pro animæ salute. Sed passio Christi magis exprimitur in sanguine, quàm in corpore, sanguis etiam pro salute animæ offertur, vt suprà habitum est. Potiùs ergo esset abstinendũ à sumptione corporis, quã à sumptione sanguinis. Ergo accedentes ad hoc sacramentũ, non debent sumere corpus Christi sine eius sanguine.

q. 74. arti. & 76. arti. 2. ad 1.

SED contrà est, multarum Ecclesiarum vsus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.

q. 76. arti. ad 1.

RESPONDEO dicendum, quòd circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari. Vnum ex parte ipsius sacramenti, aliud ex parte sumentium. Ex parte quidẽ ipsius sacamenti conuenit, quòd vtrumque sumatur, scilicet, & corpus, & sanguis, quia in vtroq; consistit perfectio sacramenti. Et ideò, quia ad sacerdotem pertinet, hoc sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium requiritur summa reuerentia, & cautela, ne aliquid accidat, quòd vergat ad iniuriam tanti mysterij. Quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione, qui quidẽ, si incautè sumeretur, de facili posset effundi. Et quia creuit multitudo populi Christiani, in qua cõtinẽtur senes, & iuuenes, & paruuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelã debitam circa vsum huius sacramẽti adhibeãt, ideò prouide in quibusdam Ecclesijs obseruatur, vt populo sanguis sumendus nõ detur, sed solum à sacerdote sumatur.

Conc. Tol. 12. c. 5. de cons. dist. 2. c. Relatum.

AD primum ergo dicendum, quòd Gelasius loquitur, quantum ad sacerdotes, qui, sicut totum consecrant sacramentum, ita etiã toti communicare debent. Vt enim legitur in Concilio Toletano, Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?

AD secundum dicendum, quod perfectio huius sacramenti nõ est in vsu fidelium sed in confeccatione materiæ. Et ideò nihil derogat perfectioni huius sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodò sacerdos consecrans sumat vtrumque.

AD

AD nertiũdicendũ, quòd repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua nõ debet corpus sine sanguine confecrari. Potest autẽ à põpulo corpus sine sanguine sumi. Nec inde sequitur aliquod detrimentũ, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur, vt suprà habitum est.

A

COMMENTARIVS.

D. Tho. comitatus.

DIstinguit D. Thomas de sacerdotibus & laicis, & de prioribus dicit, nullo modo debere sumere corpus sine sanguine, quod formaliter intelligendum est de sacerdotibus, vt sacerdotes sunt, id est conficientibus, & sacrificantibus, & ita procedit tatio D. Thom. scilicet quia ad sacerdotem pertinet, hoc sacramentum perficere; nõ potest autem perfici sine ea integritate, quam sacramentum secundum se postulat. De qua conclusione, quia ad materiam de sacrificio spectat, infra dicemus in disputationibus de sacrificio, & nonnulla supra attigimus, tractando de materia remota huius sacramenti, de necessitate quæ vtriusque patris eius: de laicis D. Thom. solũ dicit, propter cautelã, & reuerentiam sacramenti, in quibusdam Ecclesijs dari laicis corpus sine sanguine; quã consuetudinẽ sentit esse rationabilem, & laudabilem: tamen, licèt considerando tantum ex parte sacramenti perfectionem eius, vtraque potiùs species sumenda esset tamen, considerando ex parte sumentium reuerentiam & cautelam, quam adhibere debent, meritò cõmunis plebs vnica specie corporis cõtenta est. Quæres longiorem postulat disputationem, in qua graues difficultates, quas D. Thom. in argumentis tangit, expediemus.

B

C

DISPVTAT. LXXI.

De præcepto communicandi, sub vna, vel duabus speciebus.

Disp. 73. de Eucharist.

QVæ hactenus de præcepto communicandi diximus, communia sunt, siue in vna, siue in duplici specie communio facienda sit superest ergo exponendum, quid in hoc sit prohibitũ, quid ve liceat; quid denique magis expediat, simulq; de iure diuino, & Ecclesiastico dicemus.

D

SECTIO I.

Vtrũ per se malum ac prohibitum sit in vna tantum specie communicare.

Naturali iure stando communio sub vtraque specie laicis vetita est.

DE communione sub vtraque specie non est quòd quæstionem moueamus: nam: stando in solo iure diuino, & naturali, certũ est nõ esse laicis prohibitam, nec esse per se malam. Quod, & de fide est, & euidẽs etiam, suppositis principijs fidei de institutione & veritate huius sacramenti. Primum horum satis probat antiquus Ecclesiæ vsus solebat enim Christianus populus frequenter sub vtraque specie communicare, vt constat ex Iustino apologia. 2. pro. Christian. & Hieron. Sophoniæ. 3. & refertur in c. Sacerdotes. 1. q. 1. & dialog. 2. contra Pelag. & ex Chrysost. homil. 18. in 1. ad Corin. vbi inter alia dicit, in participatione Eucharistiæ quoad vtramque speciem, nõ esse iure diuino inter sacerdotem & laicum differẽtiam constitutã, quod intelligendum est, quoad hoc, vt vtrique liceat, nõ vero quoad hoc, vt vtrique sit æquè necessarium: de quo infrà dicemus. Idẽ sumitur ex Amprosl. lib. de ijs qui initiantur. c. 9. & Theodoretus lib. 5. Histor. c. 18. refert eundem Ambrosium Imperatori Theodosio dixisse, *Quã audacia populum pretiosi sanguinis ore tuo participabis?* & plura in sequentibus referemus. Secundũ verò patet, quia supposita institutione, vtriusque speciei sumptio est actio sacra & sacramentalis & potest fieri sine vlla irreuerentia, & indecentia: ergo actio illa, neque ex obiectõ, neque ex circunstantijs, habet intrinsecam malitiam: nec; etiam ostẽdi potest scriptum aut traditum aliquod diuinum ius, in quõ aliqua ex his speciebus sit laicis prohibita. De iure autem Ecclesiastico quid dicendum sit, in sect. 3. dicemus.

Iustinus. Hieronym. Chrysost.

Ambros. Theodor.

Difficultas ergo proposita est, an è contrario liceat laicis in vna sola specie cõmunicare, ita vt hoc, nec per se malum sit, nec iure diuino prohibitum (nam de Ecclesiastico, vt dixi, nũc non agimus) & idem est quærere, an non solùm liceat, sed etiam necessarium sit, quoties communicatur, vtramq; speciem sumere. Ratio autem dubitandi est, quam tetigit hic D. Tho. arg. 2. quia vtraq; species est de integritate & perfectione huius sacramẽti: ergo nõ licet vnã sine altera sumere. Respondet D. Thom. perfectionẽ huius sacramenti non cõsistere in vsu, sed in consecratione materiæ; & ideò nõ esse cõtra perfectionem huius sacramẽti, quod in vna tantùm specie à laicis sumatur. Sed hoc non videtur satisfacere quia nõ solũ debitũ est reuerentiæ sacramenti, vt integrum fiat, sed etiam vt integrũ sumatur, & non mutilũ. Vnde Gelas. Papa in c. Comperimus, de Consecr. d. 2. *Quidam* (inquit) *sumpta tantùm corporis Christi portione à calice sacri cruoris, abstinent, qui proculdubio, aut integra sacramenta suscipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius, eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio prouenire non potest.* Leo etiam Papa serm. 4. Quadragesi. Manichæos reprehendit, quod panem sumerent, & calicem abstinerent; & ad idem propositum dixit August. apud Algerum libr. 2. de hoc myst. cap. 8. & apud Bedam. 1. ad Corinth. 10. *Nec carnem sine sanguine, nec sanguinem sine carne iure communicaris*; & fortasse hanc ob causam olim præcipiebatur dari ægrotis, qui calicem bibere non poterant, corpus sanguine intinctum, vt colligitur ex Prospero, in dimid. tempor. cap. 6. & aliquid ad hoc citant Concil. IIII. Carthag. c. 76. quia ibi dicitur, *Infundatur ori eius Eucharistia*. Sed hoc nihil probat, quia hæc verba optimè possunt de corpore solo verificari.

Gelas. Pap.

Leo Pap.

Concil. Carth. IIII.

Secundum argumentum sumi potest ex speciali Christi præcepto in illis verbis contẽto, *Hoc facite, quotiescunque sumitis*, in quibus verbis diximus suprà contineri præceptũ, tam respectu sacerdotum, de consecrãdo, sumẽdo, & dispẽsando hoc sacramẽto, quam respectu laicorum, de participando eodẽ mysterio: ergo, etiam ibi præceptũ est omnibus seruare ritum, quem Christus, & Apostoli seruauerũt sicut ergo ipsi in vtraque specie sumpserunt; ita omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus præceptum est sumere; quotiescunq; sumpserint. Et confirmatur primò, nã hinc colligunt omnes præceptum esse sacerdotibus, vtrãque speciem sumere quando conficiunt, quia Christus ita fecit, & dixit, *Hoc facite*: ergo idem concludi potest de alijs sumentibus: quia vt suprà diximus, ibi pronomen, *hoc*, non tantũ designat factum Christi, sed etiam Apostolorum sumentium. Confirmatur secũdò ex verbis subiunctis, *In mei memoriam facietis*, id est, in repræsentationem passionis meæ, vt omnes exponunt, representatio autem passionis non fit expressa sine sumptione sanguinis: nam per duas species distinctas significatur separatio sanguinis à carne, & animæ à corpore, facta in passione. Hæc sunt fundamenta hæreticorum; qui reprehendunt communionem in vna specie, prout est in communi vsu Ecclesiæ, vt refert Vvaldensis tom. 2. de sacram. c. 87. & Bellarm. lib. 4. de Eucharist. ca. 20. & sequẽtibus. Alij vero hæretici, vt refert Ioan. Alban. lib. de communione sub vna specie. p. 1. arg. 4. distinctione vsi sunt, aliquãdo enim fit communio prius tim ex præconsecratis; & tunc inquiunt non procedere argumenta facta: quia non oportet tunc fieri cõmunionem propter repræsentationem passionis Christi, sed propter effectum, qui in vna tantũ specie dari potest; aliquando vero fieri publicè in ipso sacrificio; & tunc dicunt concludere argumenta facta, præcipuè se eundum: quia illa communio pertinet ad consummationem sacrificij, & representationem passionis: & ita exponũt illa verba, *Hoc facite, quotiescunque sumitis in mei commemorationem*, ita vt illa particula, *in mei commemorationem*, coniungatur cum verbo, *sumitis*, non cum verbo, *facite*; & sensus sit, *Quotiescunque sumitis in mei* (id est passionis, meæ) *commemorationem, hoc facite*, id est, corpus & sanguinem sumite.

Vvaldens. Bellarm. Ioã. Alban.

Nec per se malum nec diuino prohibitum est ure, vbi Eucharistiæ speciem sine altera sumere

Veritas catholica est, nec per se esse malum, nec iure diuino prohibitum, vnam speciem huius sacramenti sine altera sumere. Ita definitur in Concilio Cõstantiẽs. sess. 13. & in epist. Martini. V. & clarius in Concil. Trid. sess. 21. c. 1. idemque traditum fuerat in Concilio Basilien. sess. 30. Et probatur, satisfaciendo duabus difficultatibus positis, quia neque ex sola rei natura, neque ex speciali mandato Christi colligi potest, esse necessarium, sumere sem per vtranque speciem: ergo ex nullo capite est malum aliquando vnam solam speciem sumere. Proba tur prima pars antecedẽtis, nã quatuor sunt in hoc sacramẽto, ex quibus hæc obligatio posset oriri, scilicet, effectus, significatio, res contenta, & species continentes: sed propter effectum non est semper necessarium, vtranque speciem sumere; tum quia in superioribus visum est, per se loquendo, totum effectum dari per singulas species, non minùs, quã per vtramque, tum etiam, quia, licet daretur maior effectus per duas, quam per vnam speciem, tamen neq; est necessarium ad salutẽ, neque est in præcepto, totum Eucharistiæ effectum semper recipere: ex hoc ergo capite non potest hæc necessitas oriri. Rursus neq; ex significatione, quia significatio, quæ per se pertinet ad hoc mysterium vt sacramentum est, & ad effectum eius, per fectè reperitur in singulis speciebus: præcipuè enim significat hoc sacramentũ vnionem membrorum cum suo capite Christo, & ipsorum inter se quæ repræsentatur in pane, quatenus ex multis granis vnus panis conficitur, & quatenus per modum cibi sumptus, sumenti coniungitur, & idem fere est in vino, nã etiam vnus liquor ex multis granis efficitur, & sumenti vnitur: repræsentatio autem expressa passionis magis ad rationẽ sacrificij, quam sacramenti pertinet. Dices, etiam sumptionem sacramenti esse participationem sacrificij; & ideò debere esse integram. Sed hoc nihil refert quia non est de ratione sacrificij, vt omnes, qui adstant, & consentiunt sacrificio, illudque per sacerdotem offerunt, de ipso participent; sed satis est, vt publicus minister illud consumat; & ideo suprà probauimus, non esse necessarium, vt omnes fideles cõmunicent in omnibus Missis, quas audiunt: multò ergo minus erit necessarium, saltem ex vi ipsius sacrificij & significationis eius, de vtraque illius specie participare: sed hoc, ad summum, pertinebit ad sacerdotem. Vnde in lege veteri, qui offerebant aliquid in sacrificium, non semper participabant de omnibus rebus oblatis; sed solũ ex parte, iuxta præscriptum legis: non est ergo hoc necessarium ex cõmuni ratione sacrificij; & in hoc nostro Eucharistico minor erit necessitas, cùm in singulis speciebus tota res oblata contineatur, vt iam dicam. Nam ex tertio capite, scilicet, ex re contenta multò minus colligi potest hæc obligatio, nam res hic contenta est Christus, qui totus continetur sub singulis speciebus, ergo nec ipsi rei contentæ, & principaliter manducatæ: nec mãducati aliqua fit iniuria vel detrimentum, ex eo quòd vna tantùm species sumatur: quia tantundem suffitur vno modo sicut altero: nam quod idem Christus bis sumatur, per se nõ refert ad integrã sumptionem eius, & ad perfectã cum ipso vnionem, magis quam quod sumatur sub hostia maioris vel minoris quantitatis, aut sub vna, vel duabus hostijs.

Obiectio vt ijcitur.

Vnde tandem concluditur, neque ex parte ipsarum specierum posse hãc obligationem nasci, quia specierum sumptio tantum est, aut propter significationem, aut propter effectum, aut propter rẽ cõtentam: si ergo his tribus rebus non derogat, quòd communio fiat in vna specie: profectò speciebus secundum se nulla in hoc potest fieri iniuria. Quocirca nec sacramento huic, vt sacramentum est, potest iniuria fieri ex eo, quod in vna tantum specie sumatur: quia, si consideretur id, quod est res & sacramentũ simul, hoc totum sumitur in singulis speciebus, si verò id quod est sacramentũ tantũ, licet materialiter pars tantũ sumi videatur, tamen formaliter in ratione signi, & virtualiter in ratione causæ, totũ sumitur in singulis partibus, quia totũ est in illis, vt declaratum est. Vnde facilè excluditur obiectio, si quis dicat, nõ significari integrũ ac perfectũ conuiuium in vna specie, & cõsequenter neq; perfectã refectionẽ. Respondetur enim, satis esse, hãc refectionem repræsentari in re cõtenta, & in effectu eius: nam etiam in corporali mãducatione interdũ fit sufficiens refectio per solum cibum, vel potum, nimirum si conferant totum illum effectum corporalem, quo homo indiget. Vnde, si esset aliquis corporalis cibus, qui sitim simul cum fame extingueret, non esset imperfecta corporis refectio, quæ per solum huiusmodi cibum fieret absque alio potu: idem ergo dicendum est de hoc sacramento.

Tacito stipulo respondetur.

Secunda pars probanda superest, nimirum, hanc necessitatem non haberi ex speciali Christi mandato, vel facto. Primò quidẽ, quia probabile est, quod multi opinantur, Christum in Castello Emaus dedisse discipulis corpus suum ad manducandum: cũ tamen certum sit non dedisse potũ sanguinis: *quia cognouerunt in fractione panis*, & *statim euanuit ab oculis eorum*. Et, quanuis mihi in superioribus probabilius visum sit, illam panis fractionem non fuisse cõsecrationem tamen negari non potest, quod Augustinus & alij frequenter dicunt, Christum illo facto adumbrasse communionem sub vna specie. & efficaciã eius, & consequenter significasse, illam esse licitam. Secundò hoc colligit Concilium Tridẽt. ex verbis illis Christi ioã. 6. *Qui manducat me viuet propter me*, manducatur autem Christus in vna specie: ergo etiam tunc viuificat: licita ergo est talis manducatio, quæ etiam significata est in illo conuiuio, quod paulò anteà Christus fecerat Ioan. 6. in quo multitudinem hominum ex quinque panibus satiauit: nullaq; ibi potus, aut vini fit mentio. Et ad idẽ adduci possunt veteres figuræ, de manna, & panibus propositionis, &c. quæ sacramentũ hoc sub ratione cibi, & non sub ratione potus significabant. Tertiò quod verba illa, *Hoc facite*, non induxerint hoc præceptum, declarari potest ex Luca, qui circa singulas species repetit illa verba: non est ergo illorum sensus, vt semper sumatur ac detur vtraq; species: sed, vt sumatur, & distribuatur hoc sacramentum modo conuenienter: nam etiam in superioribus dictum est, non esse intelligendũ, per ea verba fuisse præcepta ea omnia, quæ à Christo ea nocte peracta sunt, eodem modo & cum eisdem circunstantijs: hoc enim per se constat esse irrationabile: nam multa tunc acta sunt propter speciales rationes tũc occurrentes, quæ per se non sunt ad mysterium necessariæ; & consequenter, nec sub præcepto sunt cõprehensæ: quæ quidem, licèt coniecturis, & rationibus discerni possint, maximè tamen Ecclesiæ autoritate & traditione, quæ obtima interpres est verborum Christi: tunc igitur cõueniens fuit vtrãque speciem dari Apostolis, tum quia erat initium instituti, & erant pauci communicantes, nullumque periculum effusionis, & indecẽtia tum etiam, quia tunc illos Ordinauit Sacerdotes, & voluit, eos totũ sumere, quod postea sumpturi erant. Denique in signum specialis beneuolentiæ, & ad solatium passionis suæ, in qua sanguinem suum effusurus erat; voluit cum eis communicare totum id, quod ipse sumebat, eosque sui sanguinis poculo recreare, & animare. Hæ autem congruentiæ omnes non semper simul concurrunt in omni dispensatione huius sacramenti, vt per se notum est; & ideò non oportet ex illo singulari facto ad omnem aliam huius sacramenti dispensationem & participationem exemplum, & argumentum sumere. Denique quod Christus præceperit, hoc sacramentum sumi in sui memoriam, quid refert, vt communio in vna vel duplici specie fieri debeat? nam, & singularum specierum sumptio in Christi memoriam fieri potest, cum in singulis sit totus Christus. Vnde Paul. 1. ad Corinth. 11. post singularum specierum consecrationem, & elargitionem, ponit illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; & postea subiungit illa; *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem libebitis, mortẽ Domini annũciabitis, donec veniat*. Lucas verò solùm post consecrationem corporis ponit illa verba *Hoc facite in eam commemorationem*, ergo etiam sola sumptio corporis potest fieri in Christi commemorationem. Dices non tamen fiet in memoriam passionis: Paulus autem in omni sumptione corporis & sanguinis vult, mortẽ Christi annunciari. Respondetur, dupliciter posse fieri memoriam mortis, vno modo veluti per expressam repræsentationem eius; & hoc proprié fit per consecrationem corporis & sanguinis separatim, & per se pertinet ad hoc mysterium, vt sacrificiũ est, vt posteà dicemus. Alio modo, implicite vel tanquã quodã signo aut pignore, quo modo solemnis memoriam beneficij suscepti renouare aliquo speciali signo vel imagine eius, qui beneficium contulit; & hoc modo per quãlibet speciẽ per se sumptã recolimus memoriã mortis Christi, vel quia per ordinem ad præcedentẽ consecrationẽ, per quã solũ corpus, verbi gratia, ex vi verborum confectũ est, implicitè mors eius, & separatio à sanguine recolitur, vel quia sumendo in quacũq; specie totũ Christũ pro nobis mortuũ, qui etiã paulò ante e mortem hoc beneficiũ nobis cõtulit, sufficienter mors eius, quãtũ est ex parte mysterij, & talis cõmunionis, in memoriã reuocatur; vel, vt ait Algerus suprà, *Quia panis dum dentibus teritur, carnem Christi in passione attritam, &c. dum vinum in ora fidelium fundunt, sanguinem de latere Christi fusum signat*. Nulla ergo ratio superest, ob quam hæc actio per se mala sit; neque vlla autoritas, ob quam sit iure diuino prohibita. Neq; oportet distinguere de cõmunicantibus publicè vel priuatim, aut de hostijs præcõsecratis, aut de his, quæ consecrantur in missa: Ecclesia enim Catholica nihil inter hæc distinguit, & indifferenter vtitur vtroq; cõmunicãdi modo: quia nulla est distinctionis ratio: omnis enim cõmunio laica priuata est ex parte sumẽtis, siue fiat ex præconsecratis, siue in præsente Missa: quia semper sumens accipit vt priuata persona, & non vt publicus minister: qp vero hæc cõmunio fiat secretè, vel coram testibus, & ideò publica dicatur, impertinens est ad hoc, vt sub vna vel duplici specie fieri debeat. Et eadem ratione nil refert, quod fiat ex præconsecratis necne quia, etiã si laicus cõmunicet ex his, quæ sacerdos in eadẽ Missa consecrauit, semper accipit vt laicus, & priuata persona, & eius sumptio nil refert ad rationem sacrificij, sed pertinet ad secundariũ vsum eius, seu rei oblatæ: quam rationem etiam habet cõmunio facta ex præconsecratis: sola enim temporis distantia eam variare non potuit.

Euasionis via obseratur.

Nec per se malum nec diuino prohibitum est ure, vbi Eucharistiæ speciem sine altera sumere
Concil. Cõstantien. Trident. Basilien. Martin. V.

Argumenta in principio facta soluta sunt, quia non potest melius honestas, vel saltẽ indifferentia alicuius actus probari, quam excludendo omnem vmbram, seu speciem malitiæ, quod hactenus fecimus, nam communicare sub vna specie tantũ, quatenus dicit sumptionem vnius speciei, per se & ex obiecto bonum est: quatenus vero dicit negationẽ alterius, per se indifferẽs est: potest autem iustis ex causis honestari, & ex eisdẽ poterit etiam sub præcepto constitui, vt infrà dicemus. Exponendaverò supersunt quædã Patrum testimonia ibi adducta. Primum erat Gelasij Papæ, quem hic D. Thom. ad 2. exponit, loqui de Sacerdotibus sacrificantibus: quæ expositio sumpta est ex Graziano ibi, & antiquis Glosijs. & eandẽ sequitur Glossa tractatu de cõmunione laicorũ sub vtraq; specie: ibi vero reiecit ibi Antonius Democharcs, solum quia textus indefinitè loquitur, *Quidã sumpta tantummodo*, &c. & non dicit, quidam sacerdotes. Sed, si hoc ipsum verba expressè continerent, non indigerent interpretatione; satis ergo est, verba ipsa esse indefinita & ratione materiæ non posse, nisi de solis sacerdoti bus intelligi; vt de solis ipsis dicta esse interpretemur.

Hæreticorũ laquei dissoluuntur.

Universidad de Deusto Biblioteca

mur. Et fortasse Gratianus aut Glossa eam interpretationẽ sumpserunt ex integro decreto, seu rescripto Gelasij quod mihi videre non licuit. Alius etiam sensus sumi posset ex parenthesi in eo textu interposita (*quoniam nescio qua superstitione docentur astringi*) *aut integra sacramenta suscipiant*, &c. vbi nõ videtur hoc præcipi, quod per se esset necessariũ, sed quia ex nescio qua superstitione aliter fiebat. Prior tamen interpretatio mihi magis probatur. Secundum testimonium erat Leonis, cui meliùs accõmodatur secunda expositio data: Leo enim loquitur contra Manichæos, qui ideò respuebant speciem vini, quia dicebant esse quid malum, & à malo Deo factum; vel, quia negabant, Christum verè pro nobis mortuũ fuisse, & suum sanguinẽ fudisse, & hoc reprehendit Leo, non verò vnius speciei sumptionem absque superstitione factam.

Leo. Pap. August.

Tertiũ testimoniũ erat Augustini, qui ab Algero citatur in eodem sensu, quo Gelasius: vnde eodẽ sensu exponi potest, & similiter intelligendus est ipse Algerus; vel certè probabile est, Augustinum locutum esse cõtra Manichæos, prout frequẽter scribit. Alij verò exponunt, locutum esse contra quosdam, qui existimabant, sub specie panis non esse sanguinem Christi, & nihilominùs solam speciem panis sumebant, contra quos rectè dicit, *non posse iure carnem sine sanguine sumi*: sed quid horũ verũ sit, incertũ mihi est, quia illa opera Augustini non extant.

Prosper.

Quartũ erat Prosperi indicantis consuetudinẽ dandi corpus in calice tinctum: dicendum est autem, illam cõsuetudinem non fuisse vniuersalẽ, sed alicuius priuatæ, prouinciæ, quæ consuetudo ex speciali aliqua ceremonia introduci cœpit, paruoq; tẽpore durauit:

Cõci. Brach. III.

nam in Concil. Brach. III. cap. 1. prohibita est: vbi nõ prohibet mistio corporis, & sanguinis, quę fit in Missa, quæ antiquissima est in Ecclesia, à tempore Sergij Papę, vt creditur & probatur in Cõcil. Tolet. 4. c. 17. & refertur ab omnibus antiquis, qui de Officijs Ecclesiasticis scribunt, & videri potest Algerus lib. 1. c. 19. sed prohibetur cõmunio laica facta illo modo, vel propter irreuerentiã vitandam vel propter vitandã superstitionẽ, & varios errores in quibus ille vsus fundari poterat. Sed quæret aliquis, an hæc doctrina intelligenda sit indifferenter de vtraque specie, an potiùs de specie panis, quam vini: nã hoc posterius solũ potest Ecclesiæ cõsuetudine cõfirmari: de specie autẽ vini sola sumẽda nũquam fuit in Ecclesia cõsuetudo: at verò de corpore est cõsuetudo antiquissima: nã, licèt vsus vtriusque speciei antiquus etiã fuerit, tñ nõ creditur vnquã eo sensu fuisse obseruatũ, quin etiã corpus sine sanguine sumere liceret, & sæpe etiã ita fieret vt multi colligunt ex Actor. 2. & 20. vbi solius panis fit mentio, & significat etiã Hierony. in Apolog. pro libris cõtra Iouinian. & habemus triplex huius rei indiciũ antiquissimũ & certissimũ. Primũ, quia fideles Eucharistiã secum ad proprias domos deferebant: quia non poterant tã frequẽter in Ecclesijs ad cõmunicandũ conuenire, vt ex Tertull. Cyprian. August. & Hierony. suprà ostẽdi: deferebant autẽ secũ consecratũ panem: de vino autẽ nulla fit mentio, neq; est verisimile, tũ propter periculũ effusionis, & corruptionis, tũ etiã, quia non habebãt singuli sacra vasa, in quibus solis sacratũ sanguinẽ recipi mos semper extitit.

Cyrillus. Hierosol.

Deniq; quia panis sacratus solebat dari manibus communicantium: calix autẽ minimè, vt colligitur ex Cyrillo Hierosolymi. Catech. 5. Mystag. Secundũ indicium est, Eucharistię seruatæ pro infirmis, quæ in specie panis semper seruata est, vt suprà ex varijs Concilijs, & Historijs ostendimus: nũquã autem legitur seruata in specie vini, vt ex eisdem locis suprà citatis constare potest: quia, re vera, nec commodè seruari poterat absque periculo, vel effusionis, vel corruptionis. Vnde omnibus nota est historia illa, quã refert Euseb. lib. 6. histor. c. 36. de Serapione sene, qui, cũ esset morti vicinus ad Sacerdotem misit, vt sibi communionẽ afferret, ad quem sacerdos misit particulam Eucharistiæ non autẽ consecratũ calicem. Tertium indiciũ sumitur ex Officio Parasceues, in quo sumitur corpus sine specie sanguinis, quem morẽ esse antiquissimum cõstat ex Greg. in suo Sacramentali, Alcuino li. de Offic. Eccles. c. de die Parasc. Rabano lib. 2. de instit. Cleric. c. 37. & Mycrologo lib. de reb. Eccles. c. 19. & suprà etiã ostendimus, in Ecclesia Greca similem ritũ fere omnibus diebus quadragesimę fuisse seruatum; & indicatur in VI. Synod. Can. 52. Trullano.

Gregor. Alcuin. Raban. Mycrolog. VI. Synod. Dubij propositi solutio.

Respõdetur, ita quidem esse veritatem hanc certiùs constare de specie panis; nihilominus tamen mihi non est dubium, quin eodem modo locum habeat in specie vini, propter rationis paritatem, quia etiam in hac specie est totus Christus, & habet totum vel insufficientem effectũ: sufficientemq; significationem; & nullum est speciale præceptũ diuinũ, quod hoc prohibeat: igitur doctrina data indifferenter vera est in qualibet specie. Quòd verò magis sit ad praxim redacta in specie panis, quã vini, non est ex eo, quod aliud non liceat sed fortasse ex eo, quod aliud nõ expediat: quia nõ est in specie vini ea cõmoditas ad varios & cõmunes vsus, quæ est in specie panis. Non desunt autem viri docti qui existiment, fuisse olim cõsuetudinẽ communicandi aliquãdo sub sola specie vini, prȩsertim erga infantes quibus priùs, quàm possent edere, infundebatur Eucharistia sub specie vini; quod videtur indicari à Cypriano, libr. de lapsis: & erga infirmos, quãdo non poterant panẽ traijcere: tũc enim permittebatur infundi sub specie vini: quod citari solet ex Conc. Toletan. XI. c. 11. Sed ibi potiùs significatur, vtramq; speciem solitã fuisse dari. Quapropter incerta mihi hæc consuetudo est: ita verò sentiunt Ruard. art. 15. & Claud. repet. 10.

Cyprian. Cõc. Tol. XI Ruard. Claud.

SECTIO II.

Vtrùm omnibus fidelibus necessarium sit iure diuino, aliquando saltem, sub vtraque specie communicare.

QVanuis malum non sit, vnam speciem sine alia sumere; neq; sit necessarium, quoties cunque hoc sacramentum suscipitur, in vtraque specie suscipi: nihilominus possent esse pręceptum, vt aliquando saltem, seu aliquoties in vita, sub vtraque specie sumeretur; & ideò post definitã præcedentem quæstionem, hæc, quæ proposita est, examinanda superest. In qua nulla potest esse dubitandi ratio, stando in solo iure naturali, seu loquendo de necessaria consecutione ex vi solius institutionis: nã ex vi illius non oritur obligatio cõmunicãdi absolutè, vt supra ostẽsum est: ergo multo minus potest oriri obligatio communicãdi sub vtraque specie: patet consequentia, quia communicare

sub vtraque specie, est quidam vsus huius sacramẽti: ergo, si institutio per se non obligat ad vsum, neque ad hunc vsum obligabit, & alioqui ostensum etiam est, huiusmodi vsum non esse necessarium ad rectitudinẽ actus, etiam ex suppositione, quod aliquis communicare velit; ergo præcisè ex vi institutionis nulla oriri potest obligatio ad communicandum aliquando sub vtraque specie. Tota ergo dubitatio est de iure positiuo diuino, in qua multi hæretici errarunt, dicentes esse à Christo Domino pręceptum, vt omnes fideles aliquando vtrãque speciem sumant: qui error primum in Bohæmia ortus est, autoribus Petro Dresdensi, & Iacobello Misuensi, vt refert Æneas Syluius in historia Bohæmorum cap. 35. Hos secuti sunt Ioan. Vuicleff. & Ioan. Hus, & deinde Lutherus, ac Nouatores omnes, aliqui etiam ex Catholicis non recusant admittere in principio latum fuisse à Christo hoc præceptum, & ad tempus in Ecclesia durasse; differunt tamen ab hæreticis, quia non reprehendunt Ecclesiæ cõsuetudinẽ, sed dicunt autoritate à Christo accepta, vel interpretatã esse hoc præceptum iã cessasse; vel certè in eo dispensasse.

Heresis circa vsum Eucharistiæ. Pet. Dresd. Iacobel. Æneas. Syluius. Vuicleff. Ioan. Hus.

Claud.

Ita Claudius repetit. 10. c. 4. tamen eius sentẽtia nẽ minùs pugnat cũ Conc. Trid. vt videbimus, & minùs cõsequenter, valdeq; voluntariè loquitur ad defendendã cõsuetudinẽ Ecclesiæ. Hi omnes fundantur in illis verbis, Ioã. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sed ex vi horum verborum colligitur præceptum diuinum sumẽdi Eucharistiã, vt suprà visum est: ergo ex eisdem colligitur præceptũ diuinum cõmunicandi sub vtraq; specie, si non semper, saltem aliquãdo. Patet cõsequentia, quia sicut ibi dicitur necessaria ad vitam communio huius sacramẽti, ita dicitur necessaria vtriusq; speciei sumptio, & modus sumendi comedendo & bibendo: ergo est eadem ratio præcepti, quia illa necessitas nõ potest, nisi ex præcepto oriri.

Matth. 26.

Vnde Christus Dominus, Mat. 26. non sine mysterio dixit, *Bibite ex eo omnes*, vbi ad Apostolos in persona omniũ fideliũ loquitur, quia ibi de dispensatione, & sumptione sacramenti agebat, quæ communis est omnibus.

1. Cor. 10.

Vnde Paul. 1. ad Corin. 10. in figuram huius sacramenti & vsus eius dicit de antiquis fidelibus, *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt*: ad omnes ergo pertinent; atq; adeò necessarium est, nõ solũ manducare, sed etiã bibere de petra, quæ est Christus. Secundò argumẽtor ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ ita interpretata est hoc Christi præceptum: ideò enim dabatur hoc sacramentum omnibus sub vtraque specie, quia existimabatur ad salutẽ necessariũ; quod in primis colligi videtur ex Paulo 1. ad Corin. 10. dicẽte. *Vnum corpus sumus, qui de vno pane, & calice participamus*: &c. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: omnes ergo tunc edebant & bibebant;

Clem. Pap. Dionys. Ambros. Laurent. Cypr.

referũt etiã Clem. P. li. 8. cõst. cap. 13. & 14. Dion. c. 3. de Eccle. Hier. p. 2. & 3. Ignat. epist. 9. ad Philadelph. & sumitur etiã ex Ambr. 1. de offic. c. 41. vbi refert verba Laurẽtij ad Sixtũ Põtificem, *Experire, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*: & ex Cyprian. epist. 54. dicente. *Quomodo eos ad effundendũ pro Christo sanguinem prouocamus, si eis Christi sanguinem denegamus*; & epist. 63. *Quidam*, inquit, *vel ignoranter, vel simpliciter, in calice sanctificando, & populo ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit, & docuit*, & serm. de cœna Domini, obscuriùs dicit, *Lex esum sanguinis prohibebat, Euangelium præcipit vt bibatur*. Iustin. etiã Apol. 2. pro Christianis, & consuetudinẽ docet, & præceptum indicat: de consuetudine etiam expressum est testimonium Cyrill. Hierosol. Catech. 5. Mystag. & Chrysostom. homil. 48. in 1. ad Corinth. præter alia quæ præcedente sectione adducta sunt.

Iustin. Cyril. Hierosol. Chrys.

Tertio potest ratio adiũgi, seu cõgruentia, quia nõ est maior ratio de vna specie, quã de alia, & quia vtraq; propter vsum fideliũ instituta est: ergo de vtraque debuit dari præceptum; & hoc etiam suadent omnes congruẽtiæ, quibus suprà probauimus datum esse diuinum præceptum de vsu huius sacramenti, eò vel maximè, quod pręceptum nõ est credibile esse datum de parte sacramenti, sed de toto: ergo, saltem quandocunque diuinum præceptum communionis obligat, & communio fit ad implendum illud præceptum, tunc fieri debet sub vtraq; specie; atque hoc modo euitari facilè poterunt omnia pericula, quibus huiusmodi vsus censetur expositus: quia, nec pueris oportebit dare vtramque speciem, neque adultis, nisi rarò.

Nullo diuino præcepto tenentur laici vtramque Eucharistiæ speciem accipere.

Dico primò, Nullum est præceptum diuinum fidelibus laicis impositum communicandi aliquando sub vtraque specie. Est de fide definita in Concilijs citatis sect. præcedente; & primò probatur, quia tale præceptum, nec scriptum est, nec traditum: præceptum autem diuinum positiuum affirmandum non est, nec admittendum, nisi sufficiente autoritate constet. Prior pars probatur, nam, si ex aliquo testimonio colligeretur hoc præceptum, maximè ex verbis illis, *Nisi manducaueritis, &c.* Sed ex illis non colligi, probat Concilium Tridentinum sessio. 21. capitulo. 1. quoniam, *Qui dixit, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam; Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique, qui dixit: Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* In quibus verbis sic tacitè argumẽtatur Cõciliũ: Christus affirmat, panis, seu carnis manducationẽ ad vitã sufficere: ergo nõ asseruit in prioribus verbis, formalem vtriusq; speciei sumptionem esse ad vitam necessariã.

Obiectio.

Sed dicet aliquis, hanc concilij argumentationem non esse legitimã; primò, quia per panis manducationem intelligi potest integra refectio, tum quia nomen panis habet hanc in Scriptura sacra frequentem significationem; tum etiam, quia vsitatissimum est, totum à parte nominare, prȩsertim in his moralibus actionibus: ergo verisimile est, ita fecisse Christum ne toties eadem integra verba repeteret. Secundò, quia ad sic exponendum cogit vis priorum verborum conditionalium, quæ multò maior est, quam simplicis locutionis promissiuæ: nam prior locutio declarat apertam necessitatem; posterior verò non excludit illam: sed solùm proponit alterius speciei efficaciam: huiusmodi autẽ simplex affirmatio & promissio, non solet in Scriptura excludere alia cõcomitantia, & necessaria; sicut, cùm Christus dixit, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*; nõ exclusit necessitatẽ baptismi, aut Pœnitentiæ, vel cõmunionis, si cõmodè adhiberi

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhiberi posset, sed potius subintelligitur conditio, scilicet, nisi alia quæ necessaria sunt, voluntariè omittantur, seu (quod idem est) si id debito modo fiat: sic ergo in proposito dici poterit. Tertiò, & maximè, quia Concilium adducit quidem illa alia testimonia non tamen declarat, quomodò verba illa intelligenda sint, quæ apertissimè vtriusque speciei necessitatem proponere videntur. Respondetur, his argumentis ostendi, quàm sit necessaria animata regula ad sacram Scripturam explicandam, quæ per se sumpta, quasi mortua est & sui rationem reddere non potest: vnde fit, vt facile in hunc vel illum sensum trahatur: Concilium ergo, quod verè est animata, & infallibilis regula, indicare intendit verum sensum verborum Christi, qui maximè conformis est intentioni eius, vt facilè patebit totum illum Christi sermonem, & occasionem eius considerantibus: docuit enim Christus eo loco, vnionem cum ipso, tam spiritualem, quàm sacramentalem, esse hominibus necessariam ad vitam, quia verò hæc vnio fieri sufficienter potest per duas, vel per vnam speciem, ideo nunc de vtraque, nunc de altera loquitur, & vtroque modo sumentibus vitam promittit, & inter alia sic inquirit, *Qui venit ad me, non esuriet, & qui venit ad me non sitiet*, significans, quacúque ratione & modo ad ipsum veniatur, dúmodo re vera perueniatur, ipsum solum sufficere ad sitim & famem tollendam, & inferiùs comparat hoc sacramentum cum manna, vtque similitudo omni ex parte quadret, declarat solum cibum, etiá si potus non interueniat ad salutem sufficere, & ideò dicit: *Ego sum panis vitæ, patres vestri manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt, hic est panis de cælo descendens: vt, si quis ex ipso manducet, nõ moriatur.* Ac tandem sermonem concludit, totam sufficientiam, & efficaciam constituens in vnione ad ipsum dicens, *Qui manducat me viuet propter me.* Ex his ergo declarauit Concilium, Christi mentem non fuisse, loqui metaphoricè, aut sub aliqua conditione, sed simpliciter & absolutè, vt verba sonant: quia re vera Christus ipse manducatus, verèque animæ vnitus, ad salutem sufficit: non adhibuit autem clariorem priorum verborum expositioné: quia sciebat in hoc varias esse Patrum expositiones, quarum nullam voluit aut reijcere, aut definire: sed solum sumit ex omnibus, tale præceptum in eis verbis nõ contineri, *Vtcunque*, inquit, *iuxta varias sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligantur.*

Responsio.

Prima expositio verborũ Christi, Nisi manducaueritis carnem filij hominis: &c.

Quatuor igitur sunt illorum verborum expositiones. Prima vt non sit ibi sermo de hoc sacramẽto, nec de sacramentali vsu, sed de Christo, & de spirituali manducatione ipsius per fidem & caritatem. Hanc verò interpretationem suprà reiecimus: nunc ex illa solum sumimus, non posse esse de fide certum, à Christo Domino latum esse tale præceptum in illo loco, imò, vt suprà diximus, neque præceptum diuinum communicandi absolutè, seu sub aliqua specie, certa fide colligitur ex illo loco: vnde quando nulla alia ratio subesset subterfugiendi vim horum verborum, nisi hac expositione admittendo, quilibet fidelis ac prudens deberet potiùs hoc eligere, quam receptam Ecclesiæ consuetudinem sensumque damnare. Sed non desunt aliæ in

Secunda.

terpretationes. Secunda est, ibi præcipi sacramentalem sumptionem corporis & sanguinis Domini, non tamé præcipi modum sumptionis, id est, quod manducando & bibẽdo sumatur: nã quilibet horũ modorum sufficit, dummodo vtrunque seu totum sumatur: quia necessitas tota constituta est in ordine ad Christum sumendum, quia ergo totus in qualibet specie sumitur, quanuis sub specie panis non bibatur proprie sanguis, vt dixit Innocent. libro 4. de hoc Mysterio. capitulo. 21. quia tamen re vera sacramentaliter sumitur, ideò eminenter (vt sic dicam) bibitur, & id sufficit ad salutem: sicque dixit Tertull. libr. de resurrect. carnis. *Caro corpore & sanguine Domini vescitur, vt anima saginetur*: & Cyprian. sermon. de Cœna Domini, *Panis*, inquit, *in carnem & sanguinem mutatus vitam confert*, & huiusmodi panem dicit mãducari & bibi: nam *Potus*, inquit, *& esus ad eandem pertinet rationem*: & Bernar. serm. 3. in Dominicam Palmarum, dicit, *Alimonia corporis & sanguinis Domini à fidelibus frequentari*: est ergo hic sensus sufficiens, solúmque illi obstare potest, quia non cum tanto rigore singulorum verborum proprietatem sustinet. Tertia expositio est, in illis verbis contineri præceptum sumptionis vtriusque speciei, hoc tamen non eodem modo obligare omnes fideles, sed cum proportione, iuxta vniuscuiusque capacitatem, ita vt necessarium sit, corpus & sanguinem Christi in Ecclesia mãducari & bibi, non tamen vtrunque sit singulis necessarium, sed quibusdam, scilicet, sacrificantibus, vtrúque necessarium sit; non sacrificantibus verò, alterum sufficiat, iuxta Ecclesiæ dispositionem & interpretationem. Sed hæc expositio magis libera est, difficiliusque potest accommodari verbis, quæ plane ad omnes fideles indifferenter diriguntur: propter quod, vt existimo, nihil ex eis potest specialiter probari de sacerdotibus, magis quam de alijs. Quarta expositio, est vt illa, quæ speciem habet copulatiuæ locutionis, vim habeat disiunctiuæ, scilicet, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, vel biberitis eius sanguinẽ* solet enim particula, &, in Scripturis hunc sensum reddere. Exodi. 15. & 21. *Qui occiderit patrẽ, & matrem, morte moriatur*, id est, patrem, vel matrem; & Iob. 21. sæpissime repetitur particula, &, in hac significatione; & sæpe aliàs. Dices, multò magis videri hanc expositionem voluntariam, & non solum præter, sed etiam contra vim verborum, quãdoquidem signum vniuersale & distribuens in particulare conuertitur; neque in Scriptura vnquam illa expositio admittẽda est, nisi quãdo illa particula, &, nõ terminos, sed propositiones cõiungit; tũc enim in toto rigore reuocari potest ad sensum propositionis, de disiuncto extremo, vt in illo exẽplo, *Qui occiderit patrem, & matrem morte moriatur*, sensus est, *Qui occiderit patrem, morte moriatur; qui occiderit matrem, morte moriatur*; quæ duæ æquiualent huic disiunctæ, *qui occiderit patrem, vel matrem, morte moriatur*, & simile est illud Apocalypsis. 1. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius*: sensus enim est, *Beatus, qui legit, & beatus qui audit.* Respõdetur eũdẽ sensum hic esse adhibendũ, seruata proportione, & particulã, &, nõ esse extrahendã à propria, & rigorosa significatione, quã habet. Sed considerãda alterius est negatio inclusa in illa particula, *nisi*, in initio totius propositionis posita; *Nisi mãducaueritis*; q. perinde est, ac si diceretur, *si nõ mãducaueritis*, prout Græci etiam codices habent; illa autem particula, *non*, in principio talis propositionis copulatiuæ posita, vtramque partem negat, & iuxta phrasim Hebraicã, quasi bis, scilicet in vtraque parte repetita intelligitur, vt in illo Psal. 1. *Nõ resurgunt impij in iudicio*

Quarta.

Innocent.

Tertul. Cyprian.

Bernard.

Tertio.

Exod. 15. & 21.

Apocaly. 1.

Psalme 1.

iudicio, neque peccatores in consilio iustorum: Hebraica lectio habet, *Non resurgunt impij in iudicio, & peccatores in consilio iustorum*: recta autem est versio Latina quia illa particula, *non*, intelligitur repetita in vtraque parte: sic etiam Psalm. 128. *De quo non implebit manum suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit*, sensus est, *neque sinum suum*, subintelligendo repetitam negationem: sic etiam Actorum. 3. *Argentum, & aurum non est mihi*, id est, *neque aurum habeo, neque argentum*: sic etiam Ioan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem*, id est, *& nisi eis locutus fuissem*, repetita negatione: est enim frequens apud Ioannem, phrasim Hebraicam retinere, vt expositores eius notant; eundem ergo in præsente retinuit, sensúsq; erit: *Si non mandducaueritis carnem filij hominis, & si nõ biberitis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis*; iuxta quem sensum solus ille non habebit vitã, qui neque carnem Domini manducauerit, neque sanguinem biberit: ex quo sensu copulatiuo propositionum, rectè sequitur alia propositio affirmatiua de disiuncto extremo, *Qui comederit carnem, vel biberit sanguinem Domini, habebunt vitam*: iuxta quã prior comminatio solum cadit in eum, qui vtrunque omittit: & hæc expositio saluat omnium verborum vim & proprietatem, & est consentanea vsui scribẽdi Euãgelistæ Ioannis, & cum ea quadrant optimè antecedentia, & subsequentia: est ergo probanda: eamque moderni expositores magis probant.

Psal. 128.

Alter.

Ad alia testimonia respondetur.

Et ex his facilè excluduntur alia testimonia, quæ minoris momenti sunt, vt est illud. *Accipite & bibite ex eo omnes*: nam in primis hæc verba non sunt præcipientis, sed inuitantis, seu dantis, vt solet fieri in quocunque conuiuio; vt quando Christus dixit, Ioann. 10. *Accipite Spiritum sanctum*, nihil præcepit, sed dedit simulque explicuit, quid daret. Deinde illud signum, *omnes*, non distribuit pro omnibus fidelibus, sed pro Apostolis tantum, vt patet; tum ex contextu, tum ex Marco dicente; *Et biberunt ex eo omnes*; quod non potest esse verum de omnibus fidelibus. Sed vrgent hæretici, Christum non sine mysterio addidisse illud signum, *omnes*, dando potum, & non dando panem. Respondetur, falsum esse quod sumunt; nam, licèt Euangelistæ non exprimat Christum dixisse, manducate ex hoc omnes, non tamen negant, & canon Missæ ex Apostolica traditione affirmat, ita dixisse; & ita etiam legit Ambrosius. 4. de sacrament. c. 5. & Paschas. libro de Corp. & sanguin. Domin. cap. 15. Deinde, etiam si ita esset potest sufficiens ratio differentiæ dari absque tali præcepto, nam Christus obtulit panem in duodecim partes diuisum, & ideo non erat tam necessarium, explicare, ab omnibus esse sumẽdum, quando verò dedit potum, vnum & eundem calicem dedit, vt ex eo omnes biberent, & ideò oportuit dicere, bibite omnes; & alius Euangelista dixit, *Accipite, & diuidite inter vos*. Sed vrgebit aliquis, quia licèt Christus ad literam locutus sit cum Apostolis; tamen in persona eorum loqui potuit ad omnes fideles, constat enim ex Euangelio, Christum aliquando locutum fuisse cum Apostolis secũdum proprias eorum personas, vt cùm eis dixit, *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*; aliquando verò, vt repræsentabant omnes Episcopos vel sacerdotes, vt cùm dixit. *Hoc facite, vel, Quorum remiseritis peccata, &c.* aliquando tamen etiam fuisse ipsis locutum, vt repræsentabant omnes fideles; sicut ipsemet Christus explicuit. Matth. 13. dicens, *Quod vobis dico, omnibus dico*: sic ergo in præsenti fuisse locutum sentit Paschasius, dicto capitulo. 15. dicens, *Accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri, quam & reliqui credentes*. Respondetur, concedo Christum omnibus istis modis fuisse locutum variis locis, quorum sensus ex circunstantia literæ, ex materia, de qua agitur, ex Sanctorum expositionibus, & potissimum ex Ecclesiæ sensu discernendus est. In præsenti ergo loco mihil est, quod cogat ad intelligenda illa verba, nisi de solis personis Apostolorum: quia nec præceptum, neque aliquid aliud continent quod ad commune regimen Ecclesiæ pertineat; sed solùm familiarem quendam sermonem inter assidentes eidem mensæ. Posset etiam admitti, ibi Apostolos repræsentasse sacerdotes omnes: quia ibi sin dicatum est, quid sacerdotes agere debeant. Denique licèt concedamus, etiam posse illa verba vltimo modo intelligi, nil refert, quia illa verba non continent præceptum, sed facultatem bibendi, quæ iure diuino nemini denegata est, & hoc solum significat Paschasius, qui non exponit verba Christi, sed referens consuetudinem cõmunicandi in vtraque specie, quæ tunc vigebat, cõsiderat Christum per ministrum dicentem omnibus, *Accipite & bibite*.

Matt. 13.

Paschas. Solmitur.

Neque etiam colligi potest hoc præceptum ex testimonijs Pauli: illa enim verba, quæ explicãt veterem figuram (*Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt*) nullam vim habent, ad colligendum præceptum; tum quia argumentum ex figuris ex se est infirmũ; tũ etiã, quia in ipsamet figura non omnes qui manducauerunt manna, biberunt de petra: nã manna multò ante datum fuit, vt patet Exodi. 16. Numer. 20. Iosue. 5. &, qui manducauerunt, nõ ex speciali præcepto id fecerunt, sed voluntariè. Alia autẽ verba, *Probet autem se ipsum homo*, &c. solum probant, tam ad bibendum calicem, quã ad manducandum panẽ esse necessariam bonæ conscientiæ probationẽ; præceptum autem manducandi aut bibendi ex illis verbis, aut ex alijs eiusdem capitis, colligi non potest: vnde statim sub disiunctione addidit Paulus. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Vbi considerandum est, eum, qui manducat panem hunc indignè, quanuis non bibat, dici reum corporis & sanguinis Domini: quia re vera vtrúque sumit: sic ergo è contrario, qui digne manducat, corpus & sanguinem Domini dignè sumit; & ideo, tam præcepto sumendi, quã præcepto dignè sumendi satisfacit: nullibi ergo est scriptum diuinum præceptum, obligans laicos ad sumendum

Exodi. 16. Num. 20. Iosue. 5.

Hæreticorũ sophismata refutantur.

Ambros. Paschas.

Aliquando Eucharistiam sub vtraque specie.

Obiectio.

Altera vero pars, scilicet, quod nec traditum sit tale præceptum, euidentior est: quia non solùm nõ est in Ecclesia talis traditio, quin potiùs est cõtraria in qua potissimum fundatur fides conclusionis positæ: nam Ecclesia Romana & Catholica denegat laicis per totũ tempus vitæ vsum calicis, & iudicat eos satisfacere Christi præcepto esu corporis: iudicat ergo, nullum tale præceptũ esse à Christo impositum, in quo iudicio errare non potest: quia esset intolerabilis error contra bonos mores; nec refert, si quis dicat, hanc consuetudinem Ecclesiæ non esse valde antiquam, tum quia in nullo tempore potest vniuersalis Ecclesia errare in huiusmodi materijs, tum etiam, quia ex Concil. Constantiensi, D. Thõ. & alijs

Præceptum de sumenda à laicis vtraque Eucharistiæ specie traditũ non est.

Conc. const. D. Thom.

&alijs constat consuetudinem hanc ante quatuor centos, vel quingentos annos incœpisse: non constat autem, aliquando fuisse in Ecclesia vsum, vt omnes omnino aliquando sub vtraque specie communicarent: quia nec constat, illam consuetudinem fuisse vniuersalem in omnibus Ecclesijs, & multo minus in omnibus personis. Certum autem est, nunquam in vniuersali Ecclesia fuisse hanc consuetudinem obseruatam propter existimationem necessitatis, aut præcepti diuini: sed quia tunc commode fieri poterat, quia erat numerus fidelium minor & maior deuotio; & ideo non est nunc propria cōtrarietas in Ecclesiæ consuetudine: nam mutatis rebus & circumstantijs, mutare consuetudinē est quidem diuersum, non tamen cōtrarium. Et confirmatur, quia, si esset præceptum diuinum communicādi sub vtraque specie, maxime obligasse in articulo mortis, sed nunquam fuit vniuersalis consuetudo cōmunicandi infirmos sub vtraq; specie; sed potius in vita Basilij, & Ambrosij, & aliorū Sanctorū legimus eos communicasse in fine vitæ, accepto tantū corpore Domini, & antiqua decreta, quæ locuūtur de viatico dando ægrotis, aut de Eucharistia pro eis seruanda; ferè semper de solo corpore loquūtur.

Congruentiæ, quibus tale præceptum necessarium nō fuisse persuadetur.

Vltimò addere possumus congruentias explicantes hoc præceptum non fuisse necessarium, quæ ferè ex præcedente sectione sumi possunt: quia ad vtilitatem fidelium necessarium nō fuit, cùm illis satis sit per vnam speciē promissum, quoad omnes gratiæ effectus, præsertim, si per eos non est, quòminus dignè & frequenter illa vtantur, vt in superioribus dictum est. Nec etiam hoc pertinuit ad diuinū cultum, fidei professionem, aut Christi memoriā, vel repræsentationem passionis: quia hæc in ipso sacrificio fiunt, concurrentibus omnibus, qui assistunt, & per sacerdotem illum cultum. Deo offerentibus eandemque fidem profitentibus, & Christi passionem repræsentantibus; cuius memoriam etiam renouant, quando sacramentum summum in quacunque specie: ergo neque ex hoc capite opportuit dari tale præceptum; præter hæc autem nullum aliud videtur posse excogitari. Alioqui vero opportuit, hanc dispositionem prudentiæ, & iudicio Ecclesiæ relinqui, quia potuit ad reuerentiam sacramenti expedire, vt neque semper, neque omnibus, in vtraq; specie daretur, ita igitur factum est.

Nulla est diuina lex, quæ alterā determinatè ex his speciebus sumenda assignet.

Dico secundò, Etiam non est iure diuino præceptum sumere alteram ex his speciebus determinatè, sed solùm confuse, seu disiunctim, ita vt, quacūque earum accepta, præceptum diuinū impleatur. Hæc conclusio solùm ponitur propter speciem panis: nā de specie vini euidens est ex dictis, nullum esse præceptum sumendi illam, neque solam, neque cū alia specie, de specie autem panis aliqui Catholici putāt necessario esse sumendam de iure diuino, ita vt cō municando tantum sub specie vini, non satisfiat diuino præcepto de vsu huius sacramenti. Ita sentiunt Ioan. Alban. libr. de communione sub vna specie, tract. 1. ad 5. & Bellar. lib. 4. de Euchar. c. 25. ad 3. 4. & 5. Fundātur quia Lucas, & Paulus referunt, Christum statim post communionem sui corporis dixisse, *Hoc facite*, post communionem autem calicis, Lucas nihil refert, Paulus verò non absolutè, sicut priùs, sed sub conditione refert, dixisse, *Hoc facite, quotiescunque sumitis, in meam commemorationem.* ex qua diuersitate colligunt, sumptionem sub specie panis esse simpliciter præceptam; sub specie au-

Ioā. Alban. Bellarm.

tem vini solùm, quando fit Christi commemoratio in sacrificio. Ratio verò differētię reddi potest, quia vsus panis semper futurus erat cōueniens omnibus fidelibus, vt Ecclesiæ consuetudo satis probat; & ideò, hunc determinatè videtur pro omnibus Christus præcepisse: cuius indicium etiam est, nam in toto illo sermone, Ioann. 6. quandocunque Christus loquitur de vna tantum specie, seu sumptione eius, loquitur de carne, corpore, aut pane, & antiquæ figuræ huius sacramenti necessitatem cibi indicant, non potus, vt manna, agnus Paschalis panis propositionis, & subcinaricius panis Eliæ. Tandem additur congruentia, in significatione fundata; quia panis magis est necessarius ad vitam, quam vinum: debuit ergo magis determinatè præcipi vsus eius, ad significandam vnionis cum Christo necessitatem. Item panis repræsentat corpus, quod præstantius quid est, quam sanguis. Item species panis sunt aptiores ad memoriam Christi, quæ facilius per corporis quam sanguinis repræsentationem concipitur. Item quoad vsum, panis ab omnibus facilè sumi potest, vinum autem non item: multi enim sunt qui vino vti non possunt: verisimile ergo est præceptum determinatè esse positum de specie panis: solumque vsum speciei vini relictum esse indifferentem. Nihilominùs conclusio posita mihi videtur omnino vera, quam posteà expressè docuit idem Bellar. cap. 27. ad 8. & idem sentit Sebastian. Oxomensis hic ar. 12. n. 4. Et ratio est, quia totus discursus, factus in prima conclusione, hanc etiam conuincit, diximus enim, illa verba, *Nisi manducaueritis, &c.* reduci ad sensum disiunctiuum: ergo dicendum consequenter est, præceptum in eis contentū per quancunque disiunctionis partē sufficienter impleri. Item, quia sicut in Scriptura nullū est præceptum de vtraque specie, ita nec de specie panis determinatè. Item, quia illæ promissiones, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, nō copulatim sed copulatiuè intelligendæ sunt: ita vt per se, & sigillatim verificētur, & de mādūcāte carnē, & de bibente sanguinē: ergo quodlibet horum per se ad vitā sufficit. Item tā est totus Christus sub specie vini, quā sub specie panis: ergo ex vi iuris diuini, tā est sufficiēs sumptio illius, sicut huius. Patet consequentia; quia efficit æqualē vnionē tam sacramentalē, quā spiritualē cum Christo, propter quā est specierum sumptio, vt diximus, & significat Concilium Trid. vtens illo fundamento ad probandum, vnam speciem sufficere, quia totus Christus est sub illa; in quo multum huic sententiæ fauet. Præterea coniecturæ contrariæ nihil suadēt, quia illa verba *Hoc facite*, simpliciter dicta, vel cum illo addito, scilicet, *in meam commemorationem*, aut cum illa conditione; *Quotiescunque sumitis*, ad eundem sensum referuntur, vt præcedente sectione diximus, & significat Ecclesia, quæ in canone, solùm post vtriusque speciei consecrationem, refert illa verba, *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*: nullum ergo mysterium latet in illa diuersitate verborum Pauli, vt propterea censeatur magis determinatè præcepta vna species, quàm alia; sed solum in posteriori loco explicatur, quod in priori omissum fuerat. Tandem, licet verum sit, vsum panis communiter esse faciliorem & aptiorē pro tota communitate, non tamen propterea opportuit, sub præcepto, ac necessitate determinatè poni; præsertim, cum aliquando etiam posset appli-

Bellarm. Oxomens.

cari

cari vsus vini, & nō panis, vt in superioribus etiam diximus, probabile esse in aliquibus casibus, seu cum aliquibus personis, factum esse, & sufficiens existimatum.

SECTIO III.

An potuerit Ecclesia prohibere laicis vsum calicis, idque fuerit expediens.

Ratio dubitandi circa priorem partem est, nā licet Christus non præceperit omnibus huius speciei vsum, tamē pro omnibus illam instituit, omnibusque dedit ius illam petendi, cum dixit, *Accipite & bibite*, & sicut pro omnibus suum sanguinem fudit; ita omnibus suum sanguinem in testamento reliquit, dicens, *Hic est calix noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur*: non ergo potest inferior potestas priuare subditos iure, & facultate sibi concessa à superiori potestate: sicut non potest procurator, seu minister aut testamentarius priuare hæredem re à testatore sibi testamento relicta, aut vsu eius. Et optimum exemplum est in sacramento Confirmationis, & extremæ vnctionis, de quibus Christus speciale præceptum fidelibus non imposuit, tamen, quia pro ipsis ea instituit, insque illis vtendi eisdem concessit, non potest Ecclesia eorum vsum eis interdicere: idē ergo est in præsente sacramento. Secundo, nunquam expedire potest, vti hac potest, quia Ecclesiastica potestas non est in destructionem, sed in edificationem: priuare autē fideles vsu sanguinis Christi, non potest esse in ædificationem, sed in magnum detrimentū quia priuantur magno fructu gratiæ, magnaq; cōsolatione & deuotione, ratione cuius acciperent per vtramque speciem, maiorem gratiam ex opere operato, quam per alteram tantum. Et aliunde nulla est sufficiens ratio, cur tāto bono priuentur; quia reuerentia & decentia sacramēti posset multis alijs modis prouideri; præsertim, si non frequenter potus calicis omnibus daretur, sed raro, aut semel in anno, aut aliquoties in vita. Et hoc etiam modo certius esset, fideles omnes integre & perfecte implere diuinum præceptum, cum tamen aliud, vel sit dubium, vel saltem controuersijs & scandalis expositum: ergo expediret potius, vt Ecclesiam hanc partem eligeret: nam semper certa sunt præferenda dubijs, & quæ vnionem conciliant, his, quæ scandala parere possunt.

...siæ, quo ... in vnā ... duplici ... fideles ... municare ... decer... potest. ... Trid. ... 4. &

Dico primo, esse in Ecclesia potestatem ordinandi, quomodo sit à fidelibus hoc sacramentum sumendum; in vna, scilicet, vel duplici specie. Est de fide, ex definitione Conc. Trid. sessio. 21. c. 1. & 2. vbi hac occasione definit, esse in Ecclesia potestatem, vt in sacramentorum dispensatione ea statuat, vel mutet, quæ suscipientiū vtilitati, & sacramētorum venerationi, pro rerum temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicauerit, quo sensu intelligit, dictum esse à Paulo illud 1. ad Corint. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: Itemque colligit ex illo, 1. ad Corin. 11. *Cætera autem, cū venero, disponam*, ex quo eandem potestatem collegit Aug. epist. 128. c. 6. eandemq; veritatem confirmat traditio & consuetudo Ecclesiæ. Ratio autem moralis est euidens, nā erat hęc potestas in Ecclesia necessaria, quia ea, quę pertinent ad modum dispensandi sacramenta, pro temporum, & circumstantiarum varietate, possunt etiam requirere vsus, seu modos diuersos, vel ad fidelium vtilitatem, vel ad sacramentorum venerationem pertinentes: data est ergo Ecclesiæ huiusdi potestas, sicut ei data est ad alias Ecclesiasticas leges ferendas, & ad ea omnia, quæ ad perfectum regimen Ecclesiæ pertinent. Quod autem sub obiecto huius potestatis contineatur vsus seu modus sumendi hoc sacramentum sub vna vel duabus speciebus, constat ex præcedentibus, quia hoc non spectat ad substantiam sacramenti, neque ad effectum vel vsum eius ex præcepto diuino necessarium, sed tantum ad voluntarium vsum, vel (vt ita dicam) arbitrarium, & in eo potest committi irreuerentia huius sacramenti: ergo est ex his rebus, quæ sub prædicta potestate clauduntur.

Valide, prudēter ac rationabiliter Ecclesia laicis, sacerdotibusque extra sacrificiū, vtriusque speciei sumptionē prohibuit. Conc. Const. Trident.

Dico secundo, Ecclesia vtens hac potestatem iā prohibuit vsum calicis omnibus, præterquam Sacerdotibus sacrificantibus, quæ prohibitio & valida, & rationabilis, ac prudens fuit. Constat conclusio ex Concilio Constantiens. sessio. 13. clarius ex Tridentin. session. 21. capitul. 2. vbi dicit, Ecclesiam consuetudinem communicandi sub vna specie approbasse, & pro lege habendam decreuisse: Ecclesia autem non potest in his, quæ ad mores totius Ecclesiæ pertinent, errare; neque aliquid iniustum, aut malum præcipere: ergo talis lex est iusta & bona: ergo valida, & obligationem inducēs. Quod autem sit etiam prudens & expediens, declaratur, distinguendo duas res, quæ ad hanc legem ferendam, Ecclesiam mouere potuerunt, vna dici potest, occasio legis, alia, propria ratio eius. Prior sumpta est ex varijs hæresibus, vt notat Turrian. libr. 8. Constitut. Clementis capit. 13. In principio enim Ecclesiæ vsus vnius, vel duplicis speciei indifferens fuit, & pro rerum commoditate alterutro modo fiebat, vt facile ex hactenus dictis intelligi potest, postea vero ad vitandas hæreses Manichæorum, vsum calicis particulariter commendarunt Pontifices, vt sectio. 1. vidimus, illo vero errore extincto, alius exortus est, negans, totum Christum esse sub singulis speciebus, & ideo necessariū esse affirmans, vtramque speciem sumere, cuius occasione in contrarium extremum declinatum est, vsusque vnius speciei panis magis ac magis propagari cœpit, hic autem error ex hæresi Berengarij confirmatus necessario fuit, quia si Christus non esset realiter præsens in hoc sacramento, sed tantum, vt in signo, rectè sequeretur, nec adesse, nec sumi totum sub singulis speciebus. Quapropter necessarium etiam in ea doctrina fuisset, vtramque speciem sumere, & hac etiam occasione consuetudo communicandi sub vna specie in Ecclesia Catholica à temporibus Berengarij maxime aucta, & confirmata creditur, vt notat Vvaldensis tomo. 2. de sacrament. capitul. 87. Tandem vero orta est hæresis directè reprehendens communionem sub vna specie, & in huius hæresis detestationem Ecclesia Catholica hanc consuetudinem magis ac magis amplexa est, & ex hac ipsa occasione sumpsit aliquam causam probandi & retinendi hanc consuetudinem, nimirum, ad detestandos errores, & scandala vitanda. Accessit vero propria ratio, quæ per se mouit Ecclesiam ad consuetudinem hanc lege stabiliendam, & contrarium vsum interdicendum; quia per hoc nihil commodi, vel vtilitatis fidelibus adimitur, multum

Turrian.

Motiua ob quæ Eucharistiæ binæ species modo laicis cōcessa, modo denegata est.

Ratio ob quā nunc simplex Eucharistiæ species laicis concedatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem reuerentiæ & venerationis sacramento ipsi prouideatur. Primum constat ex supra tractatis de effectibus huius sacramenti, vbi ostensum est primum nullum effectū formaliter diuersum conferri per speciem vini, qui per speciē panis non detur: deinde, stante æquali dispositione ex parte recipiētis, tantam gratiam dari per vnam speciē, quantam per vtramque simul sumptam. Quod autē propter vsum vtriusq; specie existimetur futura maior deuotio, & dispositio ex opere operantis ipsorū recipientiū, id & gratis dictū est, & est omnino per accidens, & compensari præterea facile potest diligētia ipsorū fideliū, & maiori frequentia huius sacramenti in vna & eadē specie. Propter quā rationem etiam in superioribus dicebamus, q̄ licet verū esset dari maiorē gratiam per duas species, quā per vnā nulla fieret iniuria fidelibus, priuando illos vsu ealicis, quia diligentia, & maiori frequētia Eucharistię sub specie panis possent facile totū illum fructū gratiæ recuperare. Secunda pars constat, quia hoc modo vitat Ecclesia omne periculū effusionis sanguinis, q̄ moraliter vix posset caueri in tanta hominū frequentia, & multitudine, & præsertim eo tempore, quo religionis deuotio adeo tepida est, & res sacræ ita negligenter tractantur. Secundo, vt possit vinum in parua quantitate decentius consecrari; neq; necesse sit, illud consecratum seruare, quod fieri non posset sine periculo corruptionis. Tertio accedit congruentia, vt communis plebs fidelium assuescat ponere deuotionē suam in Christo sub speciebus contento magis, quā in vna vel duabus speciebus ipsum cōtinentibus. Quæ rationes maxime procedunt, vt sæpe dixi post magnā multiplicationē Christiani populi, & viuæ fidei remissionem.

Eaque panis non vini.

Rationes in oppositum diuimuntur.

Rationes dubitādi ex dictis ferè solutæ sunt. Ad primam enim respondetur, Christū non dedisse laicis absolutum ius vtendi vtraq; specie, quasi positi uè volendo, vt quoties peterent, eis daretur, sed dedit eis ius vtendi hoc sacramento, ita vt sine rationabili causa eo priuari non possent: hoc autem ius voluit esse subordinatum Ecclesiæ, quoad modum & alias circunstantias in ipso vsu seruādas. Et ideo non est simile, quod ibi affertur de Extrema vnctione, & Confirmatione: quia ibi priuarentur fideles vsu talium sacramentorū; hic autem non priuantur vsu, sed adhibetur modus seruādus in ipso vsu, quia sacramentum in vna vel duabus speciebus idē sacramentum est; & eandem virtutem ac substantialem perfectionem habet. Ad secundam ratione iam declaratum est, quomodo expediat huiusmodi lex seu prohibitio. Nec fuit conueniens, aliquam moderationem in huiusmodi prohibitione adhibere, tum quia nulla erat necessitas, vt dictum est; tū etiā quia, licet inde possent diminui incommoda, non tamen ita radicitus auferri; tum deniq;, quia, si hoc cōmitteretur arbitrio dispensantium, vel deuotione sumentiū, multa possent per imprudentiam fieri: si autem fieret personarum delectus, oriri possent, vel scandalum, vel schismata, aut querimoniæ, si vero certa tempora & rariora determinarentur, in eis fortasse concurreret maiori feruore tota fidelium multitudo, & ita esset maius periculum alicuius irreuerentiæ, & præterea maxime deberet concedi in articulo mortis, in quo maius potest esse effusionis periculum. Ac tandem hoc modo debuerunt hæreticorum orapenitus obstrui.

Ad secundam.

Quare, nec aliquoties, aliquibus ve laicis, vtramque speciem concedi oporterit.

Ex quibus principijs illa frequens dubitatio de cidenda est, an expediat, in hac lege dispensare cum aliquo regno, vel personis. Quandiu enim hoc petunt, persistentes in errore, tanquam si necessarium sit ad salutem, nullo modo concedendum est; tum quia esset, virtute confirmare errorem, tum etiam, quia esset, sanctum dare canibus: quia talis gens indisposita esset ad vsum huius sacramenti: vnde referunt autores citati in principio sectionis præcedentis, & Ruar. ar. 15. Paul. 3. dispensasse cum Bohæmis sub conditione, vt ab errore discederent, ipsis autem semper sentientibus, vtramq; speciem esse necessariam, dispensatio locum non habuit. Vnde fit, vt remoto errore, possit Ecclesia hoc concedere, vt de Paul. 3. dictum est, & refert Gaspar Casali. lib. 3. de cœna & calice Domini. c. 2. & de Clemente. 6. refertur, hoc concessisse Regi Galliæ, anno. 1341. quia, cum tota hæc res sit iuris Ecclesiastici, per supremam Ecclesiæ potestatem dispensationem recipit: nunc autem, pensatis omnibus, vix potest hoc expedire, & ad vitandum scandalum, & hæreticis omnem occasionem pertinacię auferēdam, & propter maiorem fidelium vnionem & cōformitatem. Quod tamen nō obstat, quod si in aliquo casu consuetudo obtinuit, vt alicui detur vtraque species, talis consuetudo seruetur, vt Romæ est consuerudo, vt diaconus, qui in Missa solenni ministrat Pontifici, sub vtraque specie communicet. Quam tamen interdum prætermissam esse à Paulo 2. in odium Husitarum, & Bohæmorum refert Turrian. lib. 8. constit. Clement. c. 31. ex August. Patritio, in libel. de aduentu Frederici. 3. Imperatoris Romani. Addit etiam Claud. repet. 10. c. 20. Parisijs seruare similem consuetudinem in conuentu Cluniacensi. Omitto alias consuetudines, quæ dicūtur esse apud Moscouitas, vt refert Petrus Comestor in Histor. Scholast. c. 151. & apud AEthiopes, vt refert Claud. supra, repet. 10. c. vlt. nam hi schismatici sunt, sicut etiam Græci, qui eundem vsum obseruant, quanuis Græci in hoc non videātur esse schismatici, quia nec ob eam consuetudinē ab Ecclesia Romana dissentiunt, neq; de nostra cōsuetudine male sentiunt, quantum ergo potui, vel audiendo, vel legendo, assequi.

Quæstionis.

Ruard. Paul. 3.

Clemens. 6.

Paul. 2. Turrian. Aug. Patri. Frederici. 3. Claud. Pet. Comest.

Dubitam.

Sed quæret tandem aliquis, an hæc prohibitio Ecclesiæ tanto rigore obliget laicos, vt in nullo casu, & nulla de causa, eis liceat bibere sanguinem Domini, absq; speciali dispensatione. Aliqui enim ita exaggerant hanc prohibitionem, in odium fortasse hæreticorum, vt nūquam huiusmodi casum admittant, in quo id permittere sit necessarium. Vnde Soto. d. 13. q. 2. art. 6. dicit, si contingat, sacerdotem sacrificantem mori post consecratum & ante consumptum sanguinem, & nullum adesse sacerdotem, à quo possit consumi, etiam si species vini corrumpendæ, & in acetum mutādæ, vel paulatim consumendā censeantur, non licere laico illas sumere. Sic etiam dicunt aliqui, si contingat, sanguinē Domini in terram cadere, & nullum esse sacerdotem, qui illum velit lambere, non permitti laico, vt id faciat, sed solum vt diligenter caueat, ne conculcetur; sed seruetur, donec exsiccetur, & posteà radatur, & comburatur. Sed hæc, & similia, valde rigida sunt, & sine sufficiente fundamento: nam hoc solum est Ecclesiasticum præceptum, & ob maiorem reuerentiam ipsius sacramenti introductum non est ergo, cur obliget cum tanto rigore, & cum euidente periculo, & occasione maioris irre-

Soto.

A irreuerentiæ eiusdem sacramenti. Dico igitur, solum propter vsum sacramenti, & vtilitatem suscipientis, nunquam licere laico sumere sanguinem Domini absque dispensatione. Probatur ex generali prohibitione absque vlla exceptione, & quia nulla occurrere potest sufficiēs causa, ob quam cesset hæc obligatio, solo illo fine durante: quia illo nō obstante, facta est prohibio. Dices, occurrere posse mortis articulum, in quo possit infirmus Dominici calicis haustum, non tamen Eucharistiam, id est, cōrpus deglutire, vt dicitur in Conc. Tol. 11. cap. 11. tūc enim licebit sumere: quia ius diuinum prætermittendum est Ecclesiastico. Respondeo, casum esse moraliter impossibilem, vel rarissimum, quia, qui potest trajicere species vini poterit etiam deglutire minimam hostiæ consecratæ particulam, aquæ aut vino non consecrato immissam: & quanuis admittatur casus, cū ille rarissimus sit, propter illum solum non cēnserem, dandam esse hanc licentiam, ne detur occasio indiscretis ministris ampliā di illam, & similes casus facile admittendi siue necessitate. Vnde minister nolens tunc dare sacramētum, iure excusabitur, quia propter grauissimam causam & publicam id facit: & consequenter etiam excusabitur ægrotus, vel quia non habet copiam sacramenti, vel quia moraliter censetur impotens, & ita non violabitur ius diuinum, quod cum affirmatiuum sit, non obligat semper, sed occurrentibus moralibus circunstantijs. Nec tunc ius humanum præfertur diuino, sed occasione humani iuris tales concurrunt circunstantiæ morales, vt ius diuinum affirmatiuum non obliget, quod frequens est in huiusmodi præceptis. At vero, si ex parte ipsius sacramenti occurrat necessitas, vt in prædictis casibus, aut, si calix consecratus venturus sit in manus infidelium, & effundendus, existimo, cōsumi posse à laico in absentia ministri consecrati: tunc enim seruare verba legis, esset agere contra finem legis, qui est, ne sanguis effundatur, aut illa fiat irreuerentia: solum ergo cauendū est scandalum, & procurandum, vt maxima reuerentia adhibeatur.

B sub hoc sacramento, si fuisset in triduo mortis reseruatum, aut consecratum.

Quæstio hæc solum per occasionem hoc loco est à D. Thoma interposita: omnia vero, quæ in ea tractantur, fere pertinent ad institutionem huius mysterij declarandam, prout à Christo Domino res gesta fuit, & ideo partim à nobis in superioribus tractata sunt, declarando primam institutionem huius mysterij in ratione sacramenti, partim addendur inferius, tractando de institutione eiusdem mysterij in ratione sacrificij, & ideo ne institutam seriem disputationum interrumpamus, hic solum circa literam D. Thomæ, si quid occurrerit, annotabimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sumpserit suum corpus & sanguinem.

AD primū sic proceditur. Videtur, q̄ Christus non sumpserit corpus suum & sanguinem. Nō enim de factis Christi, & dictis asseri debet, quod autoritate sacræ Scripturæ non traditur. Sed in Euangelijs non habetur, quod Christus corpus suum manducauerit, aut sanguinem suum biberit. Non ergo est hoc asserendum. *Inf. q. 84. a. 7 ad. 4. & 4. 11. q. 3. a. 1.*

¶ 2. Præterea, Nihil potest esse in se ipso nisi forte ratione partiū: prout, scilicet, vna pars eius est in alia, vt habetur. 4. Physic. Sed illud, q̄ māducatur, & bibitur est, in mā ducante, & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub vtraq; specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum. *L. 4. tex. 34 tom. 2.*

¶ 3. Præterea, Duplex est sumptio huius sacramenti, scilicet, spiritualis & sacramentalis. Sed spiritualis non competebat Christo (quia nihil à sacramento accepit) & per consequens nec sacramentalis, quæ sine spirituali est imperfecta, vt supra habitum est. Ergo Christus nullo modo hoc sacramētum sumpsit. *q. præc. a. 1 1.*

SED cōtrà est, quòd Hieron. dicit ad Lesbiam, Dominus Iesus Christus, ipse continua, & conuiuium, ipse comedens, & qui cōmeditur. *q. 2. ad Hedibiam tom. 4. refertur de cons. dist. 2. c. Nec mores.*

RESPONDEO dicēdum, quòd quidā dixerunt, quod Christus in cœna corpus & sanguinem suum discipulis suis tradidit, non tamen ipse sumpsit. Sed hoc non videtur conuenienter dici, quia Christus ea, quæ ab alijs obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde & ipse prius baptizari voluit: quàm alijs baptismum imponeret, secundum illud Actuum. 1. Cœpit Iesus face-

Universidad de Deusto Biblioteca

re,& docere. Vnde & primo ipse corpus suũ & sanguinẽ sumpsit, & postea discipulis sumendũ tradidit. Et hoc est, quod Ruth. 3. super illud, Cũq; comedisset & bibisset, &c. dicit Glos. quod Christus comedit & bibit in cœna, cum corporis & sanguinis sui sacramentũ discipulis tradidit. Vnde, quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem.

Glo. ord. ibid.

AD primum ergo dicendum, ꝙ in Euangelijs legitur, quod Christus accepit panem & calicem, non est autem intelligendum, ꝙ accepit solum in manibus, vt quidam dicũt sed eo modo acceperit, quo alijs accipiendũ tradidit. Vnde, cum discipulis dixerit, Accipite, & comedite, & iterum, Accipite & bibite, intelligendum est, quod ipse accipiens comederit & biberit. Vnde & quidam metrice dixerunt, Rex sedet in cęna, turba cinctus duodena, Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

q. 76. artic. 5.

AD secundum dicendũ, ꝙ (sicut supra dictũ est) Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur ad locum, non secũdum proprias dimensiones, sed secũdum dimensiones specierum sacramentalium, itaq; in quocunque loco, vbi sunt illę species, est ipse Christus. Et quia species illæ potuerũt esse in manibus, & in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore. Non autem hoc potuisset esse, secũdum quod comparatur ad locũ per proprias dimensiones.

q. 79. ar. 1.

AD tertium dicendum, ꝙ (sicut supra dictum est) effectus huius sacramenti est, non solum augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamuis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione huius sacramenti, habuit tamẽ quandam spiritualem delectationem in noua institutione huius sacramenti. Vnde ipse dicebat, Lucæ. 22. Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscum, quod Eusebius exponit de nouo mysterio noui Testamenti, quod tradebat discipulis. Et ideo spiritualiter mãducauit, & similiter sacramentaliter, in quãtum corpus suum sub sacramento sumpsit, quod sacramentum sui corporis intellexit & disposuit. Aliter tamen quam cæteri sacramentaliter & spiritualiter sumant, quia augmentum gratię suscipiunt sub sacramentalibus signis, quibus indigent ad veritatis perceptionem.

Alias, qui augmentum gratiæ suscipiunt, & sacramentalibus signis indigent, &c.

COMMENTARIVS.

AFfirmat D. Th. rationabiliter credi, Christum se ipsum communicasse, suumque corpus & sanguinem sumpsisse: non est enim hæc assertio certa, cum neque in Scriptura, nec certa traditione, aut definitione habeatur, & ideo merito D. Thom. solum vt probabilem eam proponit quam in argumento, Sed contra, probat ex Hier. Epist. ad Lesbiam, est autẽ in Epist. 150. ad Hedibiam, vbi de Domino Iesu inquit, *Ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur*, quæ verba referuntur etiam in capit. Nec Moyses. de Consec. dist. 2. Sed, si attente considerentur, non dicit in eis expresse Hieron. Christum comedisse se ipsum sed solum comedisse, & manducatum fuisse, quæ possent esse vera, etiam si se non comedisset, nam comedit agnum, vel alios cibos, & se præbuit alijs comedendum. Sed nihilominus sensus Hieronym. quem D. Thom. indicat, est valde probabilis; quia Hieronym. illis breuibus verbis significare voluit grande miraculum, quod in hoc potissimum declaratur, quod ipse comedens sit, qui comeditur, non tãtum respectu diuersorum, sed etiam respectu sui ipsius, quomodo etiam dixit autor carminum, quę D. Thom. citat ad 1. *Se tenet in manibus, se cibat, ipse cibus*, quod recte explicabitur, si verum esse supponatur, quod supra diximus, cęnam mysticam peractam esse à Christo post legalem, & ante inchoatã vsualem, in illa ergo cœna, etiam fuit Christus comedens, & qui comedebatur, in ea autem nihil comestum est, nisi ipse Christus, & in eodem sensu, autore D. Thom. de Christo canit Ecclesia, *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium*. Secundo hoc probat D. Tho. ex Glos. ordinaria Ruth. 3. in quã citatur etiam Teodor, qui ad hoc confirmandum vsus est verbis Pauli ad Hebræos. 2. *Quia pueri communicauerunt carne & sanguine, & filius Dei participauit eisdem*, quæ verba solum per accommodationem quandam adducta esse videntur: nam ibi non de hoc mysterio differit Paulus, sed de mysterio Incarnationis, in quo filius Dei mortalem carnem assumpsit, vt fratribus fieret similis. Tertio videtur hoc probare D. Thom. in solut. ad 1. ex illis verbis Euangeliorũ, *Accepit Iesus panem, &c.* quia non tantum intelligẽdus est accepisse in manibus, sed etiã vt ex eo comederet, sicut Apostolis dixit, vt acciperent & comederent. Sed hoc recte quidem dicitur, & præsumitur, vel à paritate rationis coniectatur, tamen ex verbis non probatur: quia verbum, *Accepit*, in rigore solum significat, *Accepisse in sanctas ac venerabiles manus suas*, vt in canone Missæ explicatur. Vnde postmodum Apostolis Christus dixit, *Accipite*, subdens, *& comedite*, acceptionem manuum á manducatione distinguendo: vnde videtur posse retorqueri argumentum, nã quia in Apostolis duplex acceptio fuit, manibus, & ore, duplici verbo explicatur, Christo vero sola acceptio manuum attribuitur: ergo altera tacite negatur. Sed hæc etiam collectio nullius momenti est, quia ex hoc, quod aliquid taceatur, non ideo sequitur negari; potest enim taceri, vel quia ad causam vel historiam, de qua agitur, non refert, vel quia ex alijs quæ narrantur, facile sub intelligi potest; & ita credendum est, in præsenti accidisse. Quarto adhibet Diuus Thomas congruentiam, ob quam decuit Christum comedere, quod alijs dabat, vt exemplo præiret, obseruando ea, quæ obseruari instituebat, in qua congruentia difficultatem habet exemplum baptismi, quod Diuus Thomas adducit, sed de eo videantur dicta superius quæstion. 72. artic. 3.

D. Thom. Conclusio. D. Hieron. D. Thom. Theodoret.

in

In solutione ad 3. tractat D. Tho. an hæc mãducatio Christi fuerit sacramentalis tãtum, vel simul spiritualis, sed de hac re, & de alijs, quæ ad illam spectant: dicemus infra, disp. 75. sect. 2.

ARTICVLVS II.
Vtrũ Christus dederit Iudæ corpus suũ.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Christus Iudæ non dederit corpus suum. Vt enim legitur Matt. 26. Postquam dedit Dominus corpus suum, & sanguinẽ discipulis, dixit eis, Non bibã amodo de hoc genimine vitis, vsq; in diem illũ, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Ex quo videtur, quod illi, quibus corpus suum & sanguinem dederat, cum eo essent iterum bibituri. Sed Iudas postea cũ ipso non bibit. Ergo non accepit cum alijs discipulis corpus Christi, & sanguinem.

¶ 2 Præterea, Dominus impleuit, quod præcepit secundum illud Act. 1. cœpit Iesus facere & docere. Sed ipse præcepit. Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus. Cum ergo ipse cognosceret, Iudam esse peccatorem, videtur, ꝙ ei corpus suum & sanguinem non dederit.

¶ 3. Præterea, Christus specialiter legitur Iudæ panem intinctũ porrexisse, Ioan. 13. Si ergo corpus suum ei dedit, videtur, quod sub buccella ei dederit, præcipuè cum legatur ibidẽ, quod post buccellã introiuit in eũ Satanas. Vbi Aug. dicit. Hinc nos docemur, quam sit cauendum male accipere bonum: si enim corripitur, qui non dijudicat, id est, non discernit corpus Domini à cæteris cibis, quomodo non damnabitur, qui ad eius mensam fingens se amicum, accedit inimicus? Sed cum buccellã intincta non accepit corpus Christi, vt enim Aug. dicit super illud Ioan. 13. Cum intinxisset panem, dedit Iude simonis Iscariotæ: non vt putant quidam negligenter legentes. Tunc Iudas corpus Christi accepit.

SED contra est, quòd Chrys. dicit Iudas particeps existens mysteriorum, conuersus non est. Vnde fit scelus eius vtrinq; immanius, tum quia tali proposito imbutus adijt mysteria, tum quia adiens melior factus nõ fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore.

RESPONDEO, dicendũ, quòd Hilarius posuit super Matthæum, ꝙ Christus Iudæ corpus suũ & sanguinem non dedit. Et hoc quidem conueniens fuisset, considerata malitia Iudæ. Sed quia Christus nobis debuit esse exemplum iustitiæ, non conueniebat eius magisterio, vt Iudam occultum peccatorem, sine accusatore & euidenti probatione, ab aliorum cõmunione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ, similia faciendi, & ipse Iudas exasperatus, inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, ꝙ Iudas cum alijs discipulis corpus Domini & sanguinem suscepit vt dicit Dionys. in lib. de Eccles. Hierar. & Aug. super Ioannem.

Dion. c. 3. Eccles. hier. p. 3. non longe à princ. Aug. trac. 62 in Euang. Ioa. to. 9. Loco citato in cor. art.

AD primum ergo dicendum, quòd illa est ratio Hilarij ad ostendendum, quod Iudas corpus Christi non sumpsit. Non tamen cogit, quia Christus loquitur discipulis, à quorum collegio Iudas se separauit, non autem Christus eũ exclusit. Et ideo Christus, quantum est in se, etiam cum Iuda vinum in regno Dei bibit, sed hoc conuiuium ipse Iudas repudiant.

AD secundum dicendum, quòd Christus nota erat Iudæ iniquitas, sicut Deo, non autẽ erat sibi nota per modũ, quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Iudam non repulit à cõmunione, vt daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab alijs sacerdotibus expellendos.

AD tertium dicendum, quòd sine dubio Iudas sub pane intincto corpus Christi non sumpsit, simplicem panem. Significatur autem fortassis (vt Aug. ibidẽ dicit) per panis intinctionem fictio Iudæ: vt enim inficiantur nonnulla, intinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat tinctio (scilicet dulcedinem bonitatis diuinæ, quia panis ex intinctione sapidior redditur) idem bonũ ingratum non immerito est secuta damnatio. Et propter hanc ingratitudinem, id, quod est bonum, factũ est ei malum, sicut accidit circa sumentes corpus Christi indigne. Et, sicut Aug. ibidem dicit, intelligendum est, ꝙ Dominus iam antea distribuerat omnibus discipulis suis sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut Lucas narrat. Ac deinde ad hoc ventum est, vbi, secũdum narrationem Ioannis, Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit proditorem.

Tract. 62. in Ioa. circa me. tom. 9. Ibidem.

COMMENTARIVS.

REijcit D. Th. sententiã Hilarij negãtis Christũ communicasse Iudã, & sequitur sententiã Dionys. Chrys. Aug. (quos citat) contrariũ asserentiũ. Solumq; hanc sententiã confirmat, quia non expediebat, Iudã occultũ peccatorem sine accusatore & euidente probatione ad aliorũ cõmunione separare, quæ ratio supponit, Iudã ad fuisse, quando Dominus cęteris discipulis Eucharistiã dedit, quod in solut. ad 3. D. Th. confirmat ex narratione Lucæ, & Ioannis: de hac vero re disputatũ à nobis est supra, disp. 41. sect. 2. quia ad tempus institutionis declarandum, necessarium fuit.

Conclusio D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sumpserit & discipulis dederit corpus suum impassibile.

4.d.11.q.3.ar.3.& d.12.q.1.art.3.q.1.cor. Gio.ordi. ibi.

AD tertium sic proceditur. Videtur, q̃ Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile. Quia super illud Matt. 17. Transfiguratus est ante eos, dicit quædam Glos. Illud corpus quod habuit per naturã, dedit discipulis in cœna, non mortale & passibile. Et Leuit. 2. super illud; Si oblatio tua fuerit de sartagine, dicit Glos. Crux super omnia fortis, carnẽ Christi, quæ ante passionẽ nõ videbatur esui apta, post aptã fecit. Sed Christus dedit corpus suũ, vt aptum ad manducandum. Ergo dedit tale, quale, habuit post passionẽ, scilicet, impassibile, & immortale.

Ibidem.

¶ 2 Præterea, Omne corpus passibile, per contactum & manducationem patitur. Si ergo corpus Christi erat passibile, per contactum & comestionem discipulorum passum fuisset.

¶ 3 Præterea, Verba sacramentalia nõ sunt modo maioris virtutis, quando proferuntur à sacerdote in persona Christi, quã tunc, quando fuerunt prolata ab ipso Christo. Sed nunc virtute verborum sacramentali ũ, in altari conficeratur corpus Christi impassibile & immortale, ergo multo magis tunc.

In lib. 4. de sacro myst. altaris c. 12. post med.

SED contra est, quod, sicut Innoc. 3. dicit, tale corpus tunc dedit discipulis, quale habuit. Habuit autem tunc corpus passibile & mortale; ergo corpus passibile & mortale discipulis dedit.

RESPONDEO dicendum, quòd Hugo de sancto Vict. posuit, q̃ Christus ante passionem diuersis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpserit; subtilitatẽ, scilicet, in natiuitate, quando exiuit de clauso vtero Virginis; agilitatẽ, quando ambulauit siccis pedibus super mare, claritatẽ in transfiguratione; impassibilitatẽ in cœna, quando corpus suum discipulis tradidit manducandum, & secundum hoc dedit discipulis suis corpus suum impassibile, & immortale. Sed quicquid sit de aliis (de quibus supra dictũ est, quid sentiri debeat) circa impassibilitatẽ tamen impossibile est, esse q̃ dicitur. Manifestũ est enim, quod idem verum corpus Christi erat, q̃ à discipulis tunc in propria specie videbatur, & in specie sacramenti sumebatur. Non autem erat impassibile, secundum q̃ in propria specie videbatur, quinimo erat passioni paratum. Vnde nec ipsum corpus Christi, quod in specie sacramenti dabatur, impassibile erat. Impassibili tamen modo erat sub specie sacramenti q̃ in se erat passibile: sicut inuisibiliter, q̃ in se erat visibile. Sicut enim visio requirit cõtactum corporis, quod videtur, ad circũstãs medium visionis; ita passio requirit contactũ corporis, quod patitur, ad ea quę agunt. Corpus autem Christi secundum q̃ est sub sacramento (vt supra dictum est) non cõparatur ad ea, quæ circunstant, mediantibus proprijs dimensionibus, quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis & vini. Et ideo species illæ sunt, quæ patiuntur & videntur, non autẽ ipsum corpus Christi.

q.76.ar.6.

AD primum ergo dicendum, quod Christus dicitur in cœna nõ dedisse corpus suum mortale & passibile, quia non dedit mortali & passibili modo. Crux autem fecit carnem Christi aptam manducationi, in quantum hoc sacramentum repræsentat passionem Christi.

AD secundum dicendum, quòd, ratio illa procederet, si corpus Christi, sicut erat passibile, ita passibili modo fuisset sub sacramento.

AD tertium dicendum, quòd (sicut supra dictum est) accidentia corporis Christi sunt in sacramento ex reali concomitantia, non autem ex vi sacramenti, ex qua est ibi substantia corporis Christi. Et ideo virtus verborum sacramentalium ad hoc se extendit, vt sit sub sacramento corpus Christi, scilicet, quibuscunque accidentibus realiter in eo existentibus.

q.76.art.6.

MAteria huius & sequentis articuli fuse tracta est supra, in disputationibus de præsentia.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum, si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum vel conficeratum, ibi moreretur.

q.d.13.ar.1. q.1.col.3. 1.q.3.conc. c.64. Eugub. 5.n.11.Adr.6 & n.12.6.dict. fin.& n.1.Cat. 11.dict.6.n. 1.fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod si hoc sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum in pyxide, vel ab aliquo Apostolorum consecratum, non ibi moreretur. Mors enim Christi accidit per eius passionem. Sed Christus impassibili modo etiam tunc erat in hoc sacramento. Ergo non poterat mori in hoc sacramento.

¶ 2. Præterea, In morte Christi separatus fuit sanguis eius à corpore. Sed in hoc sacramento simul est corpus Christi & sanguis. Ergo Christus in hoc sacramento non moreretur.

¶ 3 Præterea, Mors accidit per separationem animæ à corpore. Sed in hoc sacramento cõtinetur tam corpus, quam anima, Christi. Ergo in hoc sacramẽto non poteratChristus mori.

Ar. post. & 1.76.a.4. 5. & 6.

SED cõtrà est, quòd idem Christus, qui erat in cruce, fuisset in sacramento. Sed in cruce moriebatur. Ergo & in sacramento cõseruato moreretur.

RESPONDEO dicẽdum, quòd corpus Christi, idem in substantia, est in hoc sacramento & in propria specie, sed nõ eodẽ modo. Nã in propria specie, cõtingit circũstantia corpora per proprias dimensiones, non autẽ, prout est in hoc sacramento, vt supra dictũ est. Et ideo, quicquid pertinet ad Christum, secundum q̃ in se est, potest attribui ei, & in propria specie, & in sacramento existenti, sicut viuere, mori, dolere animatũ vel inanimatum esse, & cætera huiusmodi. Quæcunq; vero conueniunt ei per cõparationẽ ad corpora extrinseca possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem, prout est in sacramento, sic irrideri, conspui crucifigi, flagellari, & cætera huiusmodi. Vnde & quidã metricè dixerũt, Pyxide seruato poteris sociare dolorem. Innatum, sed non illatus conuenit illi.

In 4. sent. art. 1. q.a.1. ad 1.

AD primum ergo dicendum, quòd (sicut dictum est) passio conuenit corpori passo, per cõparationem ad agens extrinsecum. Et ideo Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest, potest tamen mori.

AD secundum dicendum, q̃ (sicut supra dictum est) sub specie panis est corpus Christi ex vi consecrationis, sanguinis autẽ sub specie vini. Sed nunc quidẽ, quando realiter sanguis Christi non est separatus ab eius corpore, ex reali cõcomitantia & sanguis Christi est sub specie panis simul cũ corpore, & corpus sub specie vini simul cum sanguine. Sed si, tẽpore passionis Christi, quando realiter sanguis fuit separatus à corpore Christi, fuisset hoc sacramentum consecratum, sub specie panis fuisset solum corpus, & sub specie vini fuisset solum sanguis.

In solut. prac. & loco ibi cit.

AD tertium dicendũ, q̃ (sicut supra dictũ est) anima Christi est in hoc sacramento ex reali concomitantia, quia non est sine corpore, non autẽ ex vi consecrationis. Et ideo si tunc fuisset hoc sacramentum consecratũ vel peractum, quando anima erat à corpore realiter separata, non fuisset anima Christi sub hoc sacramento, non propter defectum virtutis verborum, sed propter aliam dispositionem rei.

QVAEST. LXXXII.

De ministro huius sacramenti, in decem articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ministro huius sacramenti.

¶ *Et circa hoc quæruntur decem.*

Primo, vtrum cõsecrare hoc sacramẽtum sit propriũ sacerdotis.

Secundò, vtrum plures sacerdotes simul possint eandem hostiam consecrare.

Tertiò, vtrum dispensatio huius sacramenti pertineat ad solum sacerdotem.

Quartò, vtrum liceat sacerdoti consecranti à communione abstinere.

Quintò, vtrum sacerdos peccator possit cõficere hoc sacramentum.

Sextò, vtrum Missa mali sacerdotis minus valeat, quam boni.

Septimò, vtrum heretici, schismatici, vel excommunicati, possint conficere hoc sacramentum.

Octauò, vtrum degradati.

Nono, vtrum peccent, à talibus communionem recipientes.

Decimò, vtrum liceat sacerdoti omnino à celebratione abstinere.

ARTICVLVS I.

Vtrum consecratio huius sacramenti sit propria sacerdotis.

4.d.13.q.1.ar.1.q.1. & d.17.q.3.a.3.q.1.cor. & d.24.q.2.a.1.q.2.cor. col.2.& art.3.ad.2. q.78.art.4.

AD primũ sic proceditur. Videtur, q̃ cõsecratio huius sacramẽti nõ sit propria sacerdotis. Dictũ est enim supra, q̃ sacramentũ consecratur virtute verborũ, quæ sunt forma huius sacramenti. Sed illa verba non mutantur, siue dicantur à sacerdoto, siue à quocunq; alio. Ergo videtur, q̃ nõ solus sacerdos, sed etiã quilibet alius possit hoc sacramentum consecrare.

¶ 2. Præterea, Sacerdos hoc sacramentũ conficit in persona Christi. Sed laicus sanctus est vnitus Christo per caritatem. Ergo videtur, quod etiam laicus possit hoc sacramentũ conficere. Vnde & Chrys. dicit super Mat. quod omnis Sanctus est sacerdos.

Chry.ho.43. in Mat. in opere imperf. non remote à prin. tomo.2. Quæst.79. Quæst.63.ar.

¶ 3. Præterea, Sicut baptismus ordinatur ad hominum salutem, ita & hoc sacramentũ sicut ex supra dictis patet. Sed etiam laicus potest baptizare, vt supra dictũ est. Non ergo est proprium sacerdotis conficere hoc sacramentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ 4. Præterea, Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Sed alias materias consecrare, scilicet, chrisma & oleum sanctũ, & oleũ benedictũ, pertinet ad solum Episcopũ, quorũtamen consecratio non est tantæ dignitatis, sicut consecratio Eucharistiæ, in qua est totus Christus. Ergo non est proprium sacerdotis, sed solius Episcopi, hoc sacramentum conficere.

In decr. d. 25. c. perlectis. & dicitur Isid. id habere in Epist. ad Ludifredum.

SED contra est, quòd Isidor. dicit in quadam Epistola, & habetur in Decret. dist. 25. Ad presbyterum pertinet hoc sacramentũ corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere.

RESPONDEO, dicendũ, quòd (sicut supra dictũ est) hoc sacramentum est tantæ dignitatis, quod non conficitur, nisi in persona Christi. Quicunq; autẽ aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatẽ ab illo concessam. Sicut autẽ baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum Ordinatur, confertur potestas hoc sacramentũ consecrãdi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorũ, quibus dictum est à Domino: hoc facite in meã cõmemorationem. Et ideo dicendum est, quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum.

q. 78. art. 1. c. 4.

AD primum ergo dicendum, quòd virtus sacramentalis in pluribus consistit, & nõ in vno tantũ, sicut virtus baptismi consistit in ipsis verbis, & in aqua. Vnde & virtus cõsecrativa nõ solũ cõsistit in ipsis verbis, sed etiã in potestate sacerdoti tradita in suã cõsecratione & Ordinatione, cum ei dicitur ab Episcopo, Accipe potestatẽ offerẽdi in Ecclesia sacrificium, tã pro viuis, quã pro mortuis. Nam & illa virtus instrumẽtalis in pluribus instrumentis consistit, per quæ agit principale agens.

AD secundum dicendum, quòd laicus iustus vnitus est Christo vnione spirituali per fidẽ & caritatẽ, non autẽ per sacramentalem potestatẽ. Et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendũ spirituales hostias de quibus dicitur in Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem. Vnde & 1. Petr. 2. dicitur: Sacerdotiũ sanctum offerre spirituales hostias.

S. part. q. 11. ad. 3. & q. 73. art. 3.

AD tertium dicendum, quod perceptio huius sacramenti non est tantæ necessitatis sicut perceptio baptismi, vt ex supra dictis patet. Et ideo, licet in necessitatis articulo laicus possit baptizare, non tamen potest hoc sacramentum conficere.

AD quartũ dicendum, q̃ Episcopus accipit potestatẽ, vt agat in persona Christi super corpus eius mysticũ, idest, sup Ecclesiã. Quã quidẽ potestatẽ non accipit sacerdos in sua consecratione, licet possit eã habere ex Episcopi cõmissione. Et ideo ea, quæ non pertinent ad dispositionẽ corporis mystici, nõ reseruãtur Episcopo, sicut consecratio huius sacramẽti. Ad Episcopum vero pertinet, tradere nõ solum populo, sed etiã sacerdotibus ea, ex quibus possunt proprijs officijs vti. Et quia benedictio chrismatis, & olei sancti & olei infirmorum, & aliorum, quæ consecrãtur (puta, altaris, Ecclesiæ, vestium, & vasorum) præstat quandã idoneitatẽ ad sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium sacerdotum, ideo tales consecrationes Episcopo reseruantur, tanquã Principi totius Ecclesiastici ordinis.

COMMENTARIVS.

ACtio ministri in hoc sacramẽto duplex est scilicet effectio eius, & dispensatio: in cæteris enim sacramẽtis hæc duo non distinguũtur, quia consistunt in vsu, & ideo effectio, & applicatio ad vsum, quæ fit, cum dispẽsatur sacramentũ idem sunt in eis, hoc vero sacramentum consistit in facto esse, & ideo prius fit, & postea dispensatur seu applicatur ad vsum, distinguuntur ergo in illo hæ duæ actiones. Inter quas notari potest hæc differentia, quod confectio sacramenti quẽdam requirit ex parte ministri, vt rata sit & valida, quædam vero, vt digne ac debite fiat, dispẽsatio vero, cum iam supponat sacramentum factum, non potest esse irrita ex parte dãtis, dummodo ex parte rei, quæ datur, sit vera Eucharistia cõsecrata, & ideo in hac actione solum supersunt considerãda ea, quæ necessaria sunt, vt digne fiat. D. Thom. ergo in hac quæstione omnia hæc promiscuè tractat, & considerat, quæ nos claritatis & methodi seruandæ causa, distinguenda censuimus, & diuersis locis tractãda. De prima ergo actione, & de his, quæ necessaria sunt, vt effectio huius sacramenti sit rata, dictũ fuit supra, dispu. 42. Vbi ad declarandam causam efficientem huius sacramenti, necessario id attingẽdum fuit, & ibi explicatum reliquimus hunc primum articulum. Quia vero actio, qua fit hoc sacramentum, vt sacramentum est eadem omnino est cum ea, qua immolatur, vt sacrificium est, ideo de illa dicendum erit iterum, quanuis sub diuersa ratione, infra in materia de sacrificio, & in parte morali illius materiæ explicabimus obiter, quæ obseruare debet minister, vt huiusmodi actionem digne exequatur: & ideo nihil amplius hoc loco de illa superest dicendum, sed solum de his, quæ obseruare debet minister, vt digne hoc sacramentum dispenset, de quo statim sermo fiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum plures sacerdotes possint vnam & eandem hostiam consecrare.

AD secnndum sic proceditur. Videtur quod plures sacerdotes non possint vnam & eandem hostiam cõsecrare, dictum

q. 67. ar. 1. c. 6.

dictum est enim suprà, quod plures nõ possunt simul vnum baptizare. Sed non minor vis est sacerdotis consecrãtis, quàm hominis baptizantis. Ergo etiam non possunt simul plures vnam hostiam consecrare.

¶ 2 Præterea, Quod potest fieri per vnũ, superfluè fit per multos. In sacramentis autem nihil debet esse superfluum. Cum ergo vnus sufficit ad consecrandum, videtur, quod plures non possint vnam hostiã consecrare.

Tract. 26. in Ioan. to. 9.

¶ 3 Præterea, Sicut dicit Augustinus super Ioannem, hoc sacramentum est sacramentum vnitati. Sed contrarium vnitati esse videtur multitudo. Ergo non videtur, conueniens esse huic sacramento, quod plures sacerdotes eandem hostiam consecrent.

SED contra est, quod secundum consuetudinem quarundam Ecclesiarum, sacerdotes, cùm de nouo Ordinantur, concelebrãt Episcopo Ordinanti.

Art. prec.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut dictum est) sacerdos, cùm Ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui à Domino acceperunt potestatem consecrandi in cœna. Et ideo secundum consuetudinem quarundam Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cœnanti concœnauerunt, ita noui Ordinati, Episcopo Ordinãti cõcelebrãt. Nec propter hoc iteratur consecratio super eandem hostiam, quia sicut Innocent. III. dicit, omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.

Lib. 4. de sacr. altaris mysterio. c. 25. circa med.

AD primum ergo dicendum, quod Christus non legitur simul baptizasse cum Apostolis, quando iniunxit eis officium baptizandi. Et ideo non est similis ratio.

AD secundum dicendum, quòd, si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerunt alij celebrantes, vno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat, nisi in persona Christi, multi autem sunt vnum in Christo, ideò non refert, vtrùm per vnum, aut per multos, hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ seruari.

AD tertium dicendum, quòd Eucharistia est sacramentum vnitatis Ecclesiasticæ, quæ attenditur secundum hoc, quod multi sunt vnum in Christo.

COMMENTARIVS.

DE hac re tractauimus supra, in prædicta disputatione de causa efficiente huius sacramenti. Solum est circa literam Diui Thomæ aduertendum, cum quærit, an hoc possit fieri, non tantùm interrogare, an possit validè, sed etiã an possit licitè fieri, hac enim ratione potuit in solutione ad 1. illa verba, *Nisi quod oportet ritum Ecclesiæ seruare*, nam, licet, vt validum sit sacramentum, non referat; an per vnum vel multos conficeretur, vt ibidem dicitur, tamen, vt licitè fiat, oportet, vt iuxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ, & non aliter fiat: in re enim adeò graui non licet nouum ritum in Ecclesia introducere priuata autoritate; & ideò in argumento, Sed contra, ex quadam Ecclesiæ consuetudine probat D. Thom. hoc posse fieri; & in corpore nihil aliud agit, quàm congruentem quandam rationem illius consuetudinis reddere; ob quam rationabilis censeatur: nam, quòd ad valorem sacramenti sufficiat, D. Thom. nõ tam probat, quàm supponit. Et iuxta eundem sensum intelligendam censeo differentiam, quam in solutione ad 1. ponit inter Eucharistiam & baptismum, vt magis possit Eucharistia à pluribus ministris fieri, quàm baptismus, scilicet, quia Christus simul communicauit cum Apostolis, quando eis iniunxit officium consecrandi, non tamen legitur, simul baptizasse cum Apostolis, quando eis iniunxit officium baptizãdi; hæc enim ratio, ad summùm, probat, fuisse aliquam congruentiam, vt magis vna consuetudo introduceretur, quam alia, ratione cuius nunc magis vnũ etiã licear, quàm aliud. Quoad potestatẽ verò simpliciter, vt factu, scilicet teneat, nulla est differẽtia, si de eadẽ pluralitate ministrorũ sermo sit, vt patet ex tractatis citato loco. his ad iuctis, quæ in simili quæstione de baptismo diximus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dispensatio huius sacramẽti pertineat solum ad sacerdotem.

4. d. 11. q. 2. art. 1. q. 1. ad 3. Et d. 13. q. 1. art. 3. q. 1. & 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur, q̃ non pertineat solum ad sacerdotẽ dispensatio huius sacramenti. Sanguis enim Christi non minus pertinet ad hoc sacramentum, quàm corpus. Sed sanguis Christi dispensatur per diaconos, vnde & beatus Laurent. dixit beato Sixto. Experire, vtrũ idoneum ministrum elegeris, cui commissi Dominici sanguinis dispensationem. Ergo & pari ratione dispẽsatio corporis Christi, non pertinet ad solos sacerdotes.

Vt habetur in eius legenda.

¶ 2 Præterea, Sacerdotes constituuntur ministri sacramentorum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ, non in vsu, ad quem pertinet dispensatio. Ergo videtur, quod non pertineat ad sacerdotem, corpus Domini dispensare.

Cap. 3. Eccles. Hier. p. 1. & cap. 4.

¶ 3 Præterea, Dionys. dicit in lib. Eccles. Hierar. quod sacramentum habet perfectiuam virtutem, sicut & chrisma. Sed signare chrismate baptizatos, non pertinet ad sacerdotem, sed ad Episcopum. Ergo etiã dispensare hoc sacramentum, pertinet ad Episcopum, non ad sacerdotem.

De consecr. d. 2. c. peruenit.

SED contra est, quod dicitur de Consecratione, dist. 2. Peruenit ad notitiam nostram, quod quidã presbyteri laico aut fœminæ corpus Domini tradunt, ad deferendũ infirmis: igitur interdicit synodus, ne talis præsumptio vlteriùs fiat: sed presbyter

Universidad de Deusto Biblioteca

per semetipsum infirmos communicet.

RESPONDEO dicēdum, quod ad sacerdotē pertinet dispensatio corporis Christi, propter tria. Primo quidē, quia (sicut dictum est) ipse consecrat in persona Christi. Ipse autē Christus, sicut consecrauit corpus suum in cœna, ita & alijs sumendum dedit. Vnde sicut ad sacerdotē pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secūdò, quia sacerdos cōstituitur medius inter Deum & populū. Vnde sicut ad eū pertinet, dona populi Deo offerre, ita ad eū pertinet, dona sanctificata diuinitus, populo tradere. Tertiò, quia in reuerētiam huius sacramēti, à nulla re contingitur, nisi cōsecrata. Vnde & corporale & calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis, ad tāgendū hoc sacramētum. Vnde nulli alij tangere licet, nisi in necessitate, putà, si caderet in terrā, vel in aliquo alio necessitatis casu.

Ar. 1. huius q.

AD primū ergo dicendum, ꝙ diaconus, quasi propinquus Ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio, vt, scilicet, dispenset sanguinē, nō autē corpus, nisi in necessitate, iubēte Episcopo, vel presbytero. Primò quidē, quia sanguis Christi continetur in vase: vnde nō oportet, quod tangatur à dispensante, sicut tāgitur Corpus Christi. Secūdò, quia sanguis designat redēptionē à Christo in populū deriuatā: vnde & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populū. Et quia diaconi sunt inter sacerdotē & populum, magis conuenit diaconibus dispensatio sanguinis, quàm dispensatio corporis.

AD secundum dicendum, quod eiusdem est, hoc sacramentum dispensare, & consecrare, ratione iam dicta.

In corp. art.

AD tertium dicendum, quod, sicut diaconus in aliquo participat illuminatiuam virtutem sacerdotis, in quantum dispensat sanguinem, ita sacerdos participat perfectiuam dispensationem Episcopi, in quantum dispensat hoc sacramentū, quo perficitur homo secundum se, per comparationē ad Christum. Aliæ autem perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Episcopo reseruantur.

DISPVTAT. LXXII.

De præceptis & obligationibus ad ministros Eucharistiæ dispensatores pertinentibus.

Dispu. 34. de Eucharistia.

HAEc est vltima disputatio moralis pertinēs ad Eucharistiam, vt sacramentum est, in qua breuiter dicemus, quis possit licitè dispensare; deinde, quibus possit licitè dispensare, ac tandem quomodo dignè, & licitè dispensabit.

SECTIO I.

Vtrùm solus sacerdos possit hoc sacramentum iure ac licitè dispensare.

Quorundam placitum. Soto. Ledesma.

QVidam sentiunt ex diuino iure solos sacerdotes posse licitè ministrare hoc sacramētum, Soto dist. 13. q. 1. art. 3. Ledesma q. 23. ar. 3. Et videtur esse sententia D. Thom. hic, qui, licèt non addat, hoc esse diuinum ius, tamen absolutè docet dispensationem huius sacramenti ad sacerdotes pertinere. Et potest primò probari ex illo 1. ad Corinth. *Sic nos*, (id est, sacerdotes) *existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: nam, si in genere de sacramentis hoc dicit Paulus; multò magis de hoc sacraméto, quod omnium est dignissimum, & summa veneratione tractandum. Secundò ex verbo illo, *Hoc facite*; nā, vt hoc verbum demonstrabat Christi actiones, ad solos sacerdotes pertinet: Christus autem & consecrauit, & dispensauit: ergo vtrumque commisit sacerdotibus solis. Tertiò ex Cōcilio Rhemensi c. 2. in c. Peruenit. de Consecrat. dist. 2. vbi, horribile & detestandum dicitur, quòd per laicos Eucharistia ad infirmos mittatur, qua exaggeratione & dicendi modo satis indicatur, illam non esse nouam vel Ecclesiasticam prohibitionem, sed reprehensionem actionis per se iniquæ, & iuri diuino contrariæ; & videntur ibi omnes alij gradus excludi: nā concludit textus, *vt presbyter per semetipsum infirmum communicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiaceat*. Quartò accedit consuetudo Ecclesiæ ratione fundata; nam, quia solus sacerdos sacrificat, ideò ad illum solùm spectat, quæ Deo obtulit, populo communicare. Vnde ait Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch. part. 2. & 3. *Orat sacerdos, vt sacramenta sanctè conficiat, & castè distribuat*.

Concil. Rhemen. Dionys.

In contrarium esse videtur, quia ex antiqua Ecclesiæ consuetudine constat, hoc sacramentum interdum esse dispensatum à Diaconis, præsertim, quoad speciem sanguinis, quando hæc populo dabatur, vt colligitur ex Clem. lib. 8. cap. 1. & ex verbis Cyprian. lib. de Lapsis circa finem, *Solennibus adimpletis, Diaconus calicem offerre præsentibus cœpit*; & ex verbis Laurentij ad Sixtum, *Experire, vtrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*. Et ex antiquis Liturgijs idem constat, qui vsus fortè inde manauit, quod tunc frequenter fideles communicabant, & ideò, vt breuiùs & commodiùs fieret, commissum est diaconis, vt presbyteros in eo munere iuuarent: quia verò priùs dabatur corpus, quam sanguis, ideò præcedebat Sacerdos offerens corpus, & sequebatur Diaconus ministrans calicem: quod etiam ideò faciliùs concedi potuit, quia ad ministrandum corpus, oportet illud tangere manibus, ad dispensandum verò sanguinē, satis est calicem attingere. Vnde nunc etiam Romæ, cùm Pontifex solenniter ministrat, corpus priùs proprijs manibus sumit; Diaconus verò ei posteà sanguinem ministrat. Hæc autem differentia non refert, quominus intelligamus, iure diuino idem dicendum esse de vtraque specie: quia Scriptura indifferenter de eis loquitur. Quid? quòd aliquando etiam legimus, vtramque speciem per Diaconos fuisse ministratam apud Iustinum Apol. 2. pro Christianis circa finem. vbi sic scribitur,

Clemens. Cyprian. Iustin.

Absoluta gratiarum actione Præsulis, & omni acclamatione totius populi, Diaconi (quos vocamus) dant singulis præsentibus partē panis, & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia. Et, saltē in necessitate, Diaconus ministrasse corpus Domini, ex Episcopi, vel Presbyteri facultate, constat ex Concilio Niceno, can. 14. Arelat. c. 15. expressiùs Carthag. IIII. c. 38. *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget*. Adde, interdū, licèt rarò, legi Missam Eucharistiam ad infirmum per laicum, apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 36. Notauimus etiā suprà, agentes de reali præsentia, solitum esse dari corpus Christi in manibus laicorū, præsertim virorum, vt se cōmunicarent: retulimus etiam, solitos esse fideles secū deferre Eucharistiā in proprias domos, vt ibi priuatim cōmunicarent: hæc autem omnia essent contra ius diuinū, si solus Sacerdos posset hoc sacramentum dispensare: quia in his omnibus includitur administratio huius sacramenti per alios plures facta, quàm per Sacerdotes.

Conci. Nicen. Arelaten. Carth. IIII.

Notabile.

Vt veritatem explicemus, aduertēdum est, aliud esse dispensatiuè, seu ex potestate distribuere hoc sacramentum, aliud verò illud tangere, deferre, aut ad os sumentis applicare: quanuis enim hæc omnia sæpè in vna actione coniungantur, vt nūc in Ecclesia fit; tamen separabilis sunt, & interdum sunt separata, vt declaratur facilè in prima dispensatione huius sacramenti, quæ in cœna Dominica facta est, in qua solus Christus fuit proprius dispensator huius sacramenti, ex potestate & autoritate propria illud distribuens, & dicens, *Accipite, & comedite*, & tamen, vt est probabilior opinio, & ipsa verba indicant, non applicuit ipse propria manu panem consecratum ad ora Apostolorum, sed obtulit tantùm catinum, & ipsi proprijs manibus sumpserūt; quod in calice est euidentius ex illis verbis, *Accipite, & diuidite inter vos*; fuit ergo per proprias Apostolorū manus ab vno in alium delatus: ibi ergo separata fuit actio dandi seu distribuendi ab actione, qua proximè fuit applicatum sacramentum ad os sumentis: imò hæc posterior actio potiùs se habuit per modum vsus passiui, seu receptionis, quàm per modū vsus actiui, seu distributionis; & hoc ipsum declarat antiqua consuetudo dādi sacramentū in manibus communicantiū, vt ipsemet acciperēt, quod interdū statim fiebat in præsentia ipsiusmet dātis; interdum verò posteà in proprijs domibus, quādo sacramentum illuc deferebant: & illa receptio sic facta potest dici priuata respectu eius, quæ publicè & solenniter fit, coram Ecclesiæ ministro.

1. Conclusio.

Dico primò, Propriū ius, seu ordinaria potestas & autoritas dispensandi hoc sacramētum est penes solos sacerdotes ex diuino iure. Hic est sensus Diui Thomæ hic, & in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. vbi Richard. art. 1. q. 3. Durand. q. 4. Palud. q. 1. ar. 4. & sumitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 8. vbi ex traditione Apostolica descendere dicit, vt laici à sacerdotibus communionem accipiant: nam semper hic mos fuit in Ecclesia obseruatus. Et primo declaratur, quia nunc sermo est de potestate Ordinis, non iurisdictionis, de qua sectione sequente: supponimus enim, potestatem iurisdictionis non conuenire iure diuino omnibus sacerdotibus; & interdū etiam posse reperiri absque sacerdotali charactere, quanuis, per se loquendo, illum respiciat, & requirat, vt sit in subiecto veluti connaturali, & conuenienter disposito ad potissimos actus sacros, seu sacramentales exercendos. Quo fit, vt, quanuis aliquis habeat potestatem iurisdictionis, ante characterem sacerdotis, non possit legitimè per se ipsum corpus Dñi dispēsare: quia deest illi potestas Ordinis. Quòd ergo sacerdotalis Ordo in eo genere per se sufficiat ad hoc ministerium dispensandi hoc sacramentū, euidens est per se ex praxi, & perpetua consuetudine totius Ecclesiæ, & patet etiā ex Concilijs, Niceno, Arelat. Carthag. suprà citatis, quæ dicunt, Diaconos in necessitate & iussu Presbyteri hoc posse; de Presbytero autem minimè, sed ordinariè, & propria potestate. Vnde Clemens Papa lib. 8. Constit. cap. 28. aliàs 34. *Diaconus*, inquit, *non offert; oblationem verò ab Episcopo, vel Presbytero factam dat populo, non tanquam sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbytero*, id est, non tanquam is, qui ex vi suæ Ordinationis hoc potest quasi ordinario iure, sed vt organum seu instrumentum alterius, & ex his testimonijs simul constat, solum Presbyterum habere hoc: quia, si Diaconus nō habet, multò minùs alij inferiores. Item, Sacerdos habet hanc potestatem, tanquā necessario annexam potestati, quā habet supra corpus Dñi: nā, si potestatē habet ad consecrandū illud, rationabile est, vt multò magis habeat ad dispensandū, quantum ex vi potestatis Ordinis; inferiores verò nō habent potestatem conficiendi; & ideò neque ordinariam potestatem dispensandi ex vi suæ Ordinationis recipiunt.

D. Thom. Richard. Durand. Palud. Conc. Trid.

Clem. Rom.

Atque hinc etiam intelligitur, quare, & quo sensu dicatur hoc esse de iure diuino: nam in primis, ꝙ iure diuino hoc conueniat sacerdoti, probant omnia, quæ in prima sentētia allata sunt, & decreta nuper adducta; quæ non censent hoc conuenire Presbytero ex concessione Ecclesiæ, sed ex se. Et declaratur in hunc modum; quia potestas Ordinis sacerdotalis ex iure diuino sufficit in suo genere ad proprios actus circa corpus Christi exercendos, tā verum, quàm mysticum: hæc autē potestas dispensandi, & versatur circa corpus Christi verum, annexaque est potestati conficiēdi, vt dixi, & aliquo modo versatur circa corpus mysticum, quatenus hoc cibo pascitur, & ad illud suscipiendum disponitur. Quòd verò hoc conueniat soli sacerdoti iure diuino duobus modis intelligi potest. Primò, merè negatiuè, scilicet, quia ius diuinum hoc dedit sacerdotibus, non autem inferioribus; & hoc sensu est res clara, & certa: quia nulli, præterquam sacerdoti, data est potestas Ordinis in corpus Christi verum, neque etiam in corpus Christi mysticū, quantum ad proprios & perfectos actus sanctificādi, & pascendi illud. Ac denique, quia sacerdos est, qui ex proprio munere constituitur pro hominibus in his, quæ sunt ad Deum. Alio sensu potest hoc intelligi priuatiuè, ita vt, non solū non sit omnibus non sacerdotibus data iure diuino specialis potestas ad dispensandum hoc sacramentum, sed etiam prohibitum eis sit, huiusmodi actum exercere: & hic sensus nō est ita certus, sed, ad summùm, cum hac limitatione intelligendus est, scilicet, vt nullus inferior sine cōmissione sacerdotis hoc munus sibi vsurpet, vt ex dicendis patebit.

Illatio.

Dico ergo secundò, licet soli sacerdotes habeant hanc potestatem diuino iure, non tamē est eodem iure necessarium, vt per seipsos illam exequantur, neque est eis prohibitum, quin aliorū opera & ministerio in hoc vti possint, sed hoc est dispositioni Ecclesiæ

Quanquam solis sacerdotibus iure diuino data sit potestas distribuen-

de Eucharistiæ non tamen necessarium est, vt per se ipsos eam exequantur.

Ecclesiæ commissum. Hoc probant, saltem quoad Diaconos, quæ de antiqua Ecclesiæ consuetudine secundo loco adduximus, & omnia decreta citata. Ratio à priori sumenda est ex Christi voluntate, & institutione, quam vsus Ecclesiæ ita declarauit: potest autem fundari in propria ratione talis sacramẽti, in alijs enim non distinguitur vsus à sacramẽto ipso; & ideò, cui ex diuino iure datum non est, vt possit conficere sacramentum, eidem prohibitum est, ne possit illud dispensare: non enim possunt illa duo separari: hic verò effectio & collatio sacramenti sunt distinctæ & separabiles; & ideò non est necesse, vt, cui non est data potestas conficiendi, sit semper, & iure diuino prohibita dispensatio: & quia vsus huius sacramenti est extra substantiam eius, ideò non repugnat, vt alicui possit dispẽsatio committi, cui non potest sacramenti confectio delegari: quia ea, quæ substantialia sunt, sunt immutabilia; accidentalia verò facilius variationem recipiunt præsertim, quando iam substantia sacramenti effecta supponitur. Vnde hic etiam applicari potest doctrina Concilij Tridentini, scilicet, salua substantia sacramentorum, Christum commisisse Ecclesiæ, quæ ad eorum dispensationem pertinẽt: nam, quòd hoc sacramentum dispenterur à sacerdote, vel à Diacono, non spectat ad substantiam sacramenti: ergo in hoc nihil præcisè statuit ius diuinũ, sed commissum est Ecclesiæ dispositioni. Tandem addere possumus congruentiam, quia, nec tale ius diuinum satis ostendi potest, neq; fuit necessariũ; quia interdum potest ad vtilitatem fidelium pertinere; vt per aliũ, quàm per Presbyterũ, detur hoc sacramentũ; & potest fieri cum debita reuerentia.

Quæsito respondetur.

Sed quæret aliquis, an iure diuino prohibitũ sit, ne hoc ministeriũ committatur Diacono, extra casum necessitatis, inferioribus verò nec in necessitate. Respondeo, rem esse incertam, probabilius tamen videri, nihil circa hoc esse specialiter dispositum diuino iure, præterid, quod ipsa naturalis ratio dictat, supposita institutione huius sacramẽti, de veneratione & reuerentia, qua contrectandum & dispensandum est: & hoc indicant consuetudines variæ, quas retulimus: nemo enim prudens eas, vt diuino iuri contrarias, damnauit. Hoc etiã probat doctrina Concilij allegata. Et denique, quia nullum est principiũ sufficiens, in quo tale ius fundari possit. Dices, hæc actio dispensandi hoc sacramentum est supernaturalis: ergo exerceri non potest licitè absque supernaturali potestate: ergo hoc ipso, quod Christus non dedit inferioribus potestatem ad huiusmodi actionem, eam ipsis prohibuit. Respondetur, in primis negari posse, illam actionem esse supernaturalem propriè ac formaliter, sed tantùm materialiter ex parte rei, quæ sub speciebus sacramentalibus datur; & ob hanc causam dici posset, ad eam actionem nullam esse necessariã potestatem supernaturalem, sed solùm, quòd in re ipsa supponatur supernaturalis consecratio facta. Sed, licèt hoc verum sit, considerando actionem illam merè physicè, tamen considerãdo illam moraliter, merito dici potest supernaturalis: quia est dispensatio cuiusdam rei supernaturalis in ordine ad supernaturalem finem, & bonum animarum; & ideo ius illius secundùm potestatem excellentiæ ad solum Christum pertinet; secundùm potestatem autem participatam ad alios spectat, iuxta Christi Domini concessionem & ordinationem: vt autem actus licitè fiat, non tantùm physicè, sed moraliter considerandus est, vt per se constat; & ideò sine potestate & concessione aliqua supernaturali nõ potest hæc actio legitimè fieri. Respondetur ergo secundò, illas rationes solùm probare, iure diuino esse prohibitam hanc actionem inferioribus absq; concessione sacerdotis, vel absque necessitate, quæ illi æquiualeat, vt iam dicemus: facta autem huiusmodi concessione per eam aliquo modo extenditur, & communicatur illis potestas supernaturalis, per quandam delegationem extrinsecam, seu coniunctionem quandam moralem instrumenti cum suo principali agente: & hoc est satis, vt actio illa, per se loquendo, & stando in iure diuino, licitè fiat.

Ecclesiastica lege sanctum est, vt soli presbyteri se ipsis regulariter Eucharistiam, administrent, in necessitate verò soli Diaconi ex peculiari eorum commissione. Alensis.

Dico tertiò, nunc iuxta præsentem praxim Ecclesiæ solos Sacerdotes posse per se dispensare hoc sacramentum; in casu verò necessitatis posse id committere tantùm Diacono. Ita sentiunt Theologi citati, & præterea Alens. 4. part. quæst. 50. memb. 3. & Summistæ, verbo, Eucharistia, & verbo, Communio. Et ad hanc doctrinam declarandã est obseruandũ primò, supposita consuetudine, quã iam tenet Ecclesia cõmunicandi populum sub vna tantũ specie panis, doctrinam hanc consentaneam etiam esse traditioni & frequentiori vsui primitiuæ Ecclesiæ, quæ semper fuit, vt corpus Domini per solos Presbyteros ordinariè dispensaretur, dispensatio autem sanguinis, quæ olim per Diaconos fiebat, iam cessauit. Secũdò, quod in casu necessitatis hoc possit committi Diacono per Episcopum, vel Presbyterũ, constat, quia non est spucialiter ab Ecclesia prohibitũ. Quæri verò potest, an necessaria sit iusta aliqua causa vt hæc facultas cõcedatur, & vt is, cui cõceditur, ea legitimè vtatur. Nã Syluester, verbo, Diaconus, significat, præcepũ Episcopi vel Presbyteri sufficere, etiam si nulla subsit causa. Quod tamen absolutè dictũ, vt sonat, non videtur verum: nam iura, quæ concedunt hanc facultatem, expressè requirunt rationabilem causam; ergo nulla iusta causa intercedente iniquum, & contra iura esset tale mandatum: ergo non obligaret; imò neq; ei obediri posset, quando certo constaret, nullam interuenire huiusmodi causam: secus verò esset, quando hoc non constaret: nam tunc parendum esset superiori, vel credendum Episcopo, aut Presbytero causanti impedimentum, quanuis inferiori esset ignotum: maximè quia non oportet, hanc causam esse extremã, sed moralem, vt quod Sacerdos sit debilis, vel infirmus, &c. Quo fit, si præter Diaconum sint alij presbyteri, qui possint, & velint illud munus suscipere, non posse Episcopũ illud committere Diacono, neque Diaconum illud accepterè: quia iam cessat omnis necessitatis ratio; & fortasse propter hanc causam fere nunquam hoc munus per Diaconos exercetur, quia nunquam moraliter loquendo, talis occurrit necessitas: est enim magnus Sacerdotum numerus, Diaconi verò pauci sunt, & breui tẽpore in eo solo gradu persistunt: &, vbi contingit, vnum tantùm esse sacerdote, vix reperietur vnquam, quod Diaconum habeat, qui sibi ministret.

Dubium.

Difficultas verò est, quid facturus sit Diaconus, quando vrget necessitas communicandi infirmũ, & nullus adest Sacerdos, qui, vel id per se faciat, aut facultatem faciẽdi Diacono tribuat, vel certè, si adest, neutrum præstare velit, sed hominem potius deferre, vt sine viatico moriatur. Respodeo, in

in priori casu, si tanta sit necessitas, vt moraliter timeatur, proximum sine viatico decessurum, tunc Diaconũ posse illud dispensare, vel quia tunc præsumitur interpretatiua voluntas pastoris, vel certè quia pro tali casu iure communi cẽseretur illi talis facultas concessa. Vnde in dicto can. Concilij Carth. solũ requiritur iussus Presbyteri, quando Presbyter adest; & sumitur etiam ex Gelasio epist. 1. c. 9. & 10. vbi simpliciter hanc facultatẽ concedit Diacono in absentia Presbyteri ob necessitatem: & idẽ fere habetur Concil. Nicen. cap. 4. in alijs verò occasionibus extra mortis articulum raro concedendum est Diacono, vt hac facultate vtatur: præsertim iuxta præsentem Ecclesiæ statum, in quo fere omninò iam in desuetudinem abijt, vt Diaconi hoc munere fungantur. At verò in alio casu Syluester sentit, non posse Diaconum ministrare in præsentia Presbyteri, etiam si ille ex malitia Diacono facultatem deneget: quia Diaconus non potest hoc facere, nisi vt instrumentum Presbyteri; tunc autẽ non potest Diaconus habere rationem instrumenti, si principale agens illum mouere nolit. Soto autem tenet contrariũ, & mihi magis probatur, quãdo necessitas tanta est, vt viaticum sit ægro ministrandum: quia præsentia Sacerdotis sua potestate abutentis, ac si nulla esset, reputanda est, & recurrendum ad voluntatem interpretatiuam superioris Episcopi, vel Pontificis, seu ad commune ius; vel certè, si necesse sit, ad Christi voluntatem, quæ in eò casu censetur dedisse huiusmodi facultatem: semper autem supponendum est, & nullũ esse grauandum, & satis constare; Sacerdos vel superioris voluntatem, hanc facultatem negantis esse iniquam: nam, si fortasse aliquam iustam & rationabilem suæ negationis causam habeat, tunc cessaret ratio præsumptionis, eiusque voluntati meritò parendum esset.

Gelas. Pap.

Concil. Nicen.

Sylvest.

Soto.

Manus administrandi Eucharistiã nulli Diacono in seruor obire potest.

Vltimò dicendum est, munus hoc non esse committendum inferiori clerico infrà Diaconum, & multò minùs laico. Ita sentiunt communiter Doctores, citantque dictum cap. Peruenit, quod certè vel nihil, vel nimiùm probat, quia ibi nec Diaconus excipitur, sed solus Presbyter per se præcipitur ministrare. Vnde necesse est intelligi, quando potest, & nũ vrget alia necessitas. Magis videtur hoc suadere consuetudo Ecclesiæ: nunquam enim legimus, hoc sacramentũ fuisse ministratũ per subdiaconos, nedũ per inferiores, maximè laicos, quibus etiã sacra vasa tãgere prohibitũ est: ergo multò magis Eucharistiam tangere. Sed, quanuis hæc doctrina communis, regulariter & extra casum necessitatis vera sit, tamen de casu extremæ necessitatis meritò dubitari potest, an sit excipiendus, ne proximus sine viatico moriatur. Nam Doctores idem in eo casu sentiunt, quibus in re morali contradicere difficile est. Ratio tamen videtur oppositum persuadere, quia tunc nõ est ex natura rei malum, vel contra reuerentiã sacramenti, vt à laico, verbi gratia, ministretur: quia, vel id esset malũ propter cõtactũ, & hoc nõ quia vt suprà dixi, fideles solebãt hoc sacramentum manibus accipere, vel propter sacramenti vsum; & hoc non, quia supponitur ex parte recipientis, & necessitas, & dispositio sufficiens; & ex parte dantis, reuerentia debita & necessitas etiam, quia non adest alius, qui ministret: cur ergo talis vsus ex se malus est? Neque etiam est malus, quia iure diuino prohibitus: quia, vt dixi, nullum est tale ius, neque ostẽdi potest, neque etiã est malus, quia prohibitus iure Ecclesiastico, nullũ enim est, quod specialiter de hoc casu necessitatis loquatur; & iura, quæ generaliter loquuntur, nunquam hunc casum comprehendũt, qui semper censetur exceptus in huiusmodi prohibitionibus, vt patet de excommunicatis, schismaticis, &c. Denique consuetudo Ecclesiæ, cùm, ad summum, habeat vim legis positiui, eandem recipit interpretationem: præcipuè, quia hic casus tam rarus est, vt de illo non possit dici consuetudo introducta: nã, si quando occurrit, etiam interdum legitur datum sacramentum à laico: ergo ex nullo capite probari potest, hoc esse malum; sed de hac re iterum inferiùs redibit sermo.

SECTIO II.

Vtrùm omnibus sacerdotibus libernm sit Eucharistiam administrare.

Ratio dubij.

RAtio dubitandi oritur ex præcedẽte sectione, nam Sacerdos habet hanc potestatem ab ipso Christo, & eius actus nõ est iurisdictionis, sed Ordinis tantum: ergo potest suo arbitrio illum exercere, maximè; si non sit ab Ecclesia suspensus: sicut potest sua volũtate sacrificiũ offerre pro aliquo. In cõtrariũ est, quia non est liberũ Sacerdoti dare Eucharistiam in aliena Ecclesia, seu homini sibi non subdito, sine propri Pastoris facultate.

Potestas hoc sacramentum ministrandi, iurisdictionem exigit, vel facultatẽ ab eo qui iurisdictione fruitur.

In præcedente sectione explicuimus potestatem Ordinis ad hoc munus necessariã, quam diximus communem esse omnibus Sacerdotibus, nunc agimus de potestate iurisdictionis, an, scilicet, necessaria etiam sit, vt hũc actum Ordinis exercere liceat. In qua re dicendum est, præter potestatem Ordinis requiri etiam potestatem iurisdictionis; & ideò nõ esse liberũ cuilibet Sacerdoti hoc sacramẽtũ ministrare; se solũ habẽti iurisdictionẽ respectu eius, cui illud administrat, vel facultatem ab eo, qui talẽ iurisdictionẽ habet. Conclusio est certa, & recepta ab omnib⁹, & colligitur ex doctrina suprà tradita de sacramẽtis in genere, vbi osteẽdimus, sacramẽto nũ administrationẽ iurisdictionẽ requirere, vt licitè fiat, vt etiam colligitur ex Clem. Dudũ de sepulturis. In particulari verò de hoc sacamento in Conci. Carth. 1. cap. 7. sic legitur. *Statuat grauitas vestra, vt nusquisque clericus, vel laicus, non communices in aliena plebe sine literis Episcopi sui,* & omnes Episcopi responderunt, *In hoc, & clero, & laicis, conuenientissimè prouideri.* Et idem decernitur in Conci. Mileuit. cap. 18. quibus locis, licèt prohibitio fiat ex parte communicantium, ne ab alienis Eucharistiã percipiant; tamẽ relatio hæc mutua est, & reciproca obligatio. Quæ etiam in ipso naturali iure fundata est, supposita Christianæ Reipublicæ institutione, & debita gubernatione, vt nemo mittat falcẽ in messem alienã; nec ius alienũ vsurpet; alioqui nec iustitia aut pax seruari possunt, nec diuina mysteria cõueniente dispensari; neque animabus fidelium pro earum captu vel necessitate prouideri, & ideò antiqua etiam consuetudine seruatũ est, vt, qui præest, hoc sacramentum populo dispenset, vt colligere licet ex Dionys. c. 3. de Eccles. Hierar. & Iustin. apõlog. 1. pro Christian. & Tertull. lib. de corona militis. c. 3. & ex c. Omnis vtriusq; sexus, de pœnit. & remiss.

Conc. Carth. 1.

Milevit.

Dionys. Iustin. Tertul.

Universidad de Deusto
Biblioteca

remiſ. Tandem, paſcere gregẽ Chriſti non eſt munus cuiuſcunque ſacerdotis, ſed proprij paſtoris, propter quod etiã actus publicè cõcionãdi hoc ius aliquo modo requirit, quia eſt actus paſcendi oues: ergo multò magis requiritur in diſpẽſatione huius ſacramenti, quod, & eſt potiſsimus animæ cibus, & maiorem diſpoſitionem in ſuſcipiente requirit.

Illatio. Hinc ſequitur, eſſe peccatum mortale, miniſtrare hoc ſacramentum ſine debita iuriſdictione, aut facultate, vt omnes docent: quia eſt alienum vſurpare ius in re graui, & cum animarum periculo, per ſe loquendo, & contra pacem, & debitam gubernationem, & ordine Eccleſiæ: intelligendum autem hoc eſt ex ſuo genere: quia, ſi intercedat bona fides, & interpretatiua ſeu præſumpta voluntas paſtoris ex probabili cauſa, excuſari poterit peccatũ, vel omne, vel ſaltem mortale. In quo eſt notanda differentia inter hoc ſacramentum & pœnitentiã: nam in confeſsione neceſſe eſt, vt antecedat iuriſdictio, quia ab illa pendet ſubſtantia actus; & ideò nõ ſufficit ad illam ratihabitio de futuro, nec præſumptio conſenſus poſteà præſtandi, ſed requiritur præcedens voluntas dandi iuriſdictionem: hic verò iuriſdictio non requiritur ad ſubſtãtiam actus, ſed ad debitum ordinem, & modum; & ideò ſufficere poterit probabilis ſpes, & præſumptio voluntatis paſtoris: qui approbaturus creditur, quod geſtum fuerit; & ita ſentit Nauarr. c. 21. nu. 52.

Nauar. Quæſito reſpõdetur. Sed inquires, an huic peccato ſit aliqua pœna, vel cenſura annexa. Reſpondetur, nullam eſſe generatim latam prò omnibus ſacerdotibus: nam irregularitas, quæ contrahitur propter indebitam executionem Ordinis, non incurritur propter hoc peccatum: quia, vt in ſuperioribus etiam dixi, illa non eſt impoſita contra vſurpantes iuriſdictionem alienam, ſed contra exercentes ſolenniter actũ Ordinis, ſine tali Ordine ſuſcepto: in hoc autẽ caſu, de quo agimus, non interuenit defectus Ordinis, ſed iuriſdictionis. Iuxta dicta verò ſect. præcedente, qui hoc ſacramentum miniſtraret ſolenniter ſine debito Ordine, illam pœnam incurreret, non minus, quàm qui ſolenniter baptizaret: quia etiã diſpenſatio huius ſacramenti veré eſt actus Ordinis, & illa irregularitas generaliter lata eſt. At verò circa caſum, de quo nunc agimus, lata eſt excommunicationis cenſura in Clem. Religioſi. de priuilegijs, ſpecialiter contra religioſos, qui ſine facultate paſtorum Euchariſtiam miniſtrant: & ipſo iure incurritur, & Papæ reſeruatur: quam legem explicãt Sylueſt. verb. Excommunicatio. 7. Excom. 14. Cai. verb. Excommunicatio. c. 64. Nauar. c. 27. nu. 102. breuiter tamen hæc videntur obſeruanda. Primũ eſt, hanc legem, vt dixi, quæ ſpecialiter dirigitur ad religioſos, vt ex verbis eius conſtat, non eſſe extendẽdam ad cæteros Sacerdotes, etiã ſi quædã ſimilitudo, vel rationis æqualitas, ineercedere videatur: quia neque hoc ſufficit in huiuſmodi legibus, præſertim pœnalibus, quæ reſtringendæ ſunt, neque fortaſſe eſt verum, quia in religioſis potuit eſſe ſpecialis cauſa: quia, cùm non poſsint tam facilè ab Epiſcopis coerceri, liberius poſſunt prædictã iuriſdictionem vſurpare, vt tibi Gloſſa notat. Secũdò, vt hæc cenſura incurratur, neceſſe eſt, vt tranſgreſsio ex præſumptione nat: nã, qui ex ignorantia id facit, putans ſibi licere, vel ex ratihabitione probabiliter præſumpta, non incurrit hanc cẽſurã, vt Cai. notat: nam hãc vim habet verbum illud

Sylueſt. Nauar. Caiet.

A in hac lege poſitũ, *Religioſi, qui, &c. præſumpſerint.* Tertiò non tantum incurritur hæc excommunicatio, ſi Euchariſtia detur in neceſsitate per modum viatici (vt aliqui eam limitant) ſed in vniuerſum, ſiue in neceſsitate, ſiue extra illã, ſiue publicè, ſiue occultè miniſtretur: quia verba legis ſunt generalia, neque eſt vlla ratio, ad limitanda illa, præſertim cùm eadem cenſura ibi opponatur propter alios actus minùs graues, minuſque neceſſarios, quã ſit cõmunio quomodocunque data. Quartò hæc cenſura comprehendit religioſos, qui miniſtrant Euchariſtiam ſæcularibus clericis aut laicis, non verò eos, qui eam adminiſtrant alijs religioſis ſine Prælatorum facultate, etiam ſi in eo fortaſſe peccent: patet ex verbis legis: *Religioſi, qui clericis aut laicis ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrare præſumpſerint, &c.* in quibus verbis omnes interpretantur condiſtingui clericos & laicos, à religioſis. Et ex fine legis hoc licet colligere, quia illa lex lata eſt in fauorem Parochorum, ſub quibus nõ comprehenduntur ſuperiores religioſorum. Vnde, cum ibi requiritur licentia Presbyteri Parochiani, eo nomine non comprehenditur ſuperior religionis; nũquam enim ſic appellari conſueuit: ergo neque etiam comprehenditur adminiſtratio, quæ religioſis fit, qui nõ indigent licentia Parochiani Presbyteri. Quintò, cùm ibi exigitur licẽtia Paræcialis Presbyteri, à fortiori ſubintelligitur, vel comprehenditur omnis, qui ſuperiorem iuriſdictionem habeat in ſacramentorũ adminiſtratione, vt ſunt Papa, Epiſcopus, vel Vicarius eius, vt latiùs dicetur in materia de Cõfeſsione, quia hi comparantur cauſæ vniuerſali, quæ per ſe poteſt, quicquid poteſt particularis: vnde ibidẽ excipiuntur religioſi habẽtes priuilegia à Sede Apoſtolica: nam illi eis legitimè vtendo non malè faciunt, neque contra illum canonem, vnde nec cenſuram incurrunt. Tandem, quòd ibi Paræcialis Presbyter appellatur, modus loquendi tantùm eſt; nam, licèt contingat, non eſſe presbyterum, poteſt hanc concedere facultatem, quæ nõ à poteſtate Ordinis, ſed à poteſtate iuriſdictionis per ſe ac directè manat.

2. Concius. Secundo dicendum eſt, hanc poteſtatem diſpenſandi hoc ſacramentum quoad iuriſdictionem eſſe duplicem; ordinariam, & delegatam, & priori modo conuenire Epiſcopis, Parochis, alijſque, quibus ex officio animarum cura incumbit: poſteriori autem modo conuenire his, quibus ordinarij Paſtores per facultatem vel priuilegiũ illam concedunt: vnde his omnibus, & illis ſolis, licita eſt hæc diſpẽſatio. Tota hæc concluſio certa eſt, & quoad vltimam partem ſequitur ex præcedente: de illo autem duplici modo iuriſdictionis dicendum latiùs eſt in materia de Confeſsione: nam quia in illo ſacramento iuriſdictio magis eſt neceſſaria, & quodammodo ſubſtantialis, ideò illo loco magis ex profeſſo de illa diſſeritur. Nunc declaratur breuiter, nã hic actus diſpenſandi hoc ſacramentum maximè neceſſarius eſt ad oues Chriſti paſcendas: ergo poteſtas exercendi illum actum neceſſaria eſt paſtoribus: ergo ex proprio munere & officio illi conuenit: hoc autem ipſum eſt, habere hanc poteſtatem ordinariam, ſiue iure ordinario; & hoc modo habet illam ſummus Pontifex ſuprà totam Eccleſiam, Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, Parochus in ſua Parochia; & eadẽ proportione Generalis, Prouincialis, & Rector ſeu ſuperior in ſua religione: haben-

habẽtes autẽ ordinariã poteſtatẽ poſſunt illã committere ſeu delegare, ſicut in omni iuriſdictiõe cõſtat, & in præſenti Parochus poteſt hanc facultatẽ dare, vt conſtat ex c. Omnis vtriuſq; ſexus, & ex Clemen. 1. de priuilegijs: vnde à fortiori poteſt ſuperior poteſtas Epiſcopi, vel Põtificis: quia iuriſdictio ſuperioris vniuerſalior eſt, magiſque independẽs. Hoc autem in præſenti dupliciter fieri poteſt; vno modo ex parte miniſtrantiũ, dando eis facultatẽ ad diſpenſandũ hoc ſacramentũ, vel ex parte recipientiũ, dando eis facultatẽ ad eligendũ ſacerdotem, qui eis hoc ſacramentum miniſtret. Et hoc poſteriori modo conceditur fidelibus hæc facultas per bullam Cruciatæ (vt quidam putant (priori autẽ modo conceditur mendicantibus religioſis, & alijs per ſua priuilegia; & aliquibus eorũ nõ ſolũ datur, vt per ſe poſsint miniſtrare; ſed etiam, vt in eorum domibus, ſeu Eccleſijs id poſsint facere alij ſimplices Sacerdotes, ex facultate ſuperioris talis domus ſeu religionis, itemque hoc conceditur ipſis religioſis in alijs Eccleſijs, quando in eis concionantur, vt conſtat ex priuilegijs mendicantiũ, Cruciatis, & aliarum religionum.

Difficultas. Duo verò circa hæc priuilegia dubitari ſolent in praxi. Primũ eſt, an ad huiuſmodi miniſteriũ eligi poſsit ſimplex ſacerdos nõ expoſitus, ſeu approbatus ab ordinario, vel neceſſe ſit, eſſe expoſitum ab Epiſcopo ad miniſtrãda ſacramenta, iuxta nouum ius Concilij Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de reformat. & idẽ quæri poteſt de Parocho, an poſsit in ſua Paræcia delegare hanc facultatẽ cuilibet ſimplici Sacerdoti. Quidã enim non indocti ita conſulunt, vel etiã neceſſariũ exiſtimãt, fortaſſe quia ſub confeſsione ſolet etiam cõmunio comprehẽdi, quãdo expreſsè non excipitur, vt ſuprà dicebamus, quandocunq; in iure datur facultas abſoluendi in articulo mortis, dari etiã facultatẽ dandi Euchariſtiã. Et in bulla Cruciatæ nõ conceditur expreſsè facultas eligendi, qui Euchariſtiam miniſtret; & tamen in facultate eligendi confeſſorem, intelligitur conceſſa: ergo è contrario, ſicut requiritur ex decreto Concilij Trident. vt ſit ab Epiſcopo approbatus ſacerdos, cui deleganda eſt facultas audiendi confeſsiones, ita etiam cui deleganda eſt facultas miniſtrãdi Euchariſtiam. Nihilominùs tamen non exiſtimo, hãc ſententiam propriè & in rigore ſumptam, veré eſſe ex vi decreti Concilij Trident. quòd limitandum cenſeo ad ſolum ſacramentum confeſsionis, vt verba eius formaliter continent. Primò quidem, quia cùm illa lex ſit quodammodo odioſa, quatenus reſtringit & limitat iuriſdictionẽ, non eſt extendenda vltra verborum proprietatem, & formalem deciſionem; neque in eis rebus argumentum à ſimili eſt alicuius momenti. Secundò, quia, ſpectando intentionẽ illius legis, eſt valdè diuerſa ratio de confeſsione & de Euchariſtia: nã ibi multò maior ſcientia, & prudentia, & aliæ qualitates requiruntur in miniſtro, quàm in hoc ſacramento, vt per ſe conſtat, quia ille eſt iudex, & medicus ſpiritualis; hic autem nihil aliud præſtat, quàm conſecratũ ſacramentum ad vſum applicare, & ei diſtribuere, quem ſupponit à proprio paſtore iam eſſe approbatum, cùm ab illo habeat dandi facultatem. Neque ratio in cõtrarium facta vrget, nam, etiam ſi totũ, quod aſſumitur, concedatur, non rectè colligitur: quia, cùm adminiſtratio ſacramenti confeſsionis difficilior ſit, quàm communionis, conceſſo difficiliori, poteſt intelligi conceſſum, quod facilius eſt: negato verò actu difficiliori, non inde infertur, faciliorem etiam eſſe negatum vt per ſe ſeparatũ ab alio. Maximè cùm illud prius ad priuilegium pertineat; & ideò ampliandum ſit, aliud verò minimè; & ideò ſit potiùs reſtringendum.

Quæſtiuncula. Addo tamen, circa illud, quod in ea ratione aſſumitur, non immeritò dubitari poſſe, an, conceſſa alicui facultate adminiſtrandi ſacramentum confeſsionis, cenſeatur etiam conceſſa ad miniſtrandã Euchariſtiam, & è conuerſo, an habita facultate ad eligendum confeſſorem, intelligatur etiam habita ad eligendum miniſtrum Euchariſtiæ, ſeu ad ſuſcipiendum hoc ſacramentum, à quocunque Sacerdote voluerit. Quidam enim ita ſentiunt, & quia (vt Caietanus ait in ſum. verb. Excõmunicatio. c. 64.) non ſemper neceſſe eſt, vt in huiuſmodi licentijs hoc ſacramẽtum in ſpecie nominetur; ſed ſatis eſt, vt ex verbis licentiæ communiter intelligi valeat, concedentem licentiam dare etiam hanc facultatẽ: ſed ex prædictis verbis cõmuniter omnes hoc intelligunt propter rationes adductas. Nihilominùs hæc ſententia mihi non videtur vera, neque ſecura. Primò, quia hi actus ſunt diuerſi, & ſeparabiles, & ſimiliter poteſtas ad vtrumque requiſita, vt per ſe conſtat, quia ille eſt iudex, & medicus ſpiritualis; hic autem nihil aliud præſtat, quàm conſecratũ ſacramentum ad vſum applicare, & ei diſtribuere, quem ſupponit à proprio paſtore iam eſſe approbatum, cùm ab illo habeat dandi facultatem. Neque ratio in cõtrarium facta vrget, nam, etiam ſi totũ, quod aſſumitur, concedatur, non rectè colligitur: quia, cùm adminiſtratio ſacramenti confeſsionis difficilior ſit, quàm communionis, conceſſo difficiliori, poteſt intelligi conceſſum, quod facilius eſt: negato verò actu difficiliori, non inde infertur, faciliorem etiam eſſe negatum vt per ſe ſeparatũ ab alio. Maximè cùm illud prius ad priuilegium pertineat; & ideò ampliandum ſit, aliud verò minimè; & ideò ſit potiùs reſtringendum.

Addo tamen, circa illud, quod in ea ratione aſſumitur, non immeritò dubitari poſſe, an, conceſſa alicui facultate adminiſtrandi ſacramentum confeſsionis, cenſeatur etiam conceſſa ad miniſtrandã Euchariſtiam, & è conuerſo, an habita facultate ad eligendum confeſſorem, intelligatur etiam habita ad eligendum miniſtrum Euchariſtiæ, ſeu ad ſuſcipiendum hoc ſacramentum, à quocunque Sacerdote voluerit. Quidam enim ita ſentiunt, & quia (vt Caietanus ait in ſum. verb. Excõmunicatio. c. 64.) non ſemper neceſſe eſt, vt in huiuſmodi licentijs hoc ſacramẽtum in ſpecie nominetur; ſed ſatis eſt, vt ex verbis licentiæ communiter intelligi valeat, concedentem licentiam dare etiam hanc facultatẽ: ſed ex prædictis verbis cõmuniter omnes hoc intelligunt propter rationes adductas. Nihilominùs hæc ſententia mihi non videtur vera, neque ſecura. Primò, quia hi actus ſunt diuerſi, & ſeparabiles, & ſimiliter poteſtas ad vtrumque requiſita, vt per ſe euidens eſt: ergo conceſſa vna facultate non neceſſario conceditur altera, neque è contrario, ex vi & proprietate verborum: ergo ſine alio maiori fundamento non eſt extendenda talis facultas; nec rectè Caietani doctrina applicatur, quia ille ſolùm intendit docere, non eſſe neceſſarium, vt in huiuſmodi facultatibus hæc ſacramenta in ſpecie nominentur, ſed ſatis eſſe, quòd generalibus verbis, aut indefinitis, aut alia quacunque ratione, voluntas concedentis exprimatur: hic autem contendimus ſolam expreſsionem ſacramenti pœnitentiæ nõ ſatis eſſe, vt intelligatur conceſſa facultas ad ſacramentũ Euchariſtiæ, de quo Caietanus nihil dicit. Secundò, in bulla Cruciatæ conceditur facultas omnibus fidelibus eligendi confeſſorem approbatum ab Ordinario, quotieſcunq; voluerit, & tamen ibi non intelligitur poſſe eligere Sacerdotem, à quo recipiãt ſacramentum Euchariſtiæ; alióqui, ſicut ex vi illius clauſulæ generalis poſſunt ſatisfacere præcepto annuæ confeſsionis, cuicunque approbatio Sacerdoti ſimplici confiteantur; ita etiã poſſent implere præceptum annuæ communionis ab eodem ſuſcipiẽdo Euchariſtiæ ſacramentum; quod eſt planè falſum, & contra conſuetudinem Eccleſiæ, & contra verba contenta in alia ptiori clauſula eiuſdem bullæ. Vnde hic habemus euidens exemplum, vbi ſub facultate ad ſacramentum annuæ confeſsionis non intelligitur expreſſa facultas ad ſacramentum annuæ communionis: ergo idem intelligendum eſt de facultate ad confeſsionem abſolutè, quòd non neceſſario comprehẽdatur ſub illa facultas ad communionem.

Quocircà (vt hoc obiter notetur) ex vi illius clauſulæ bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas ad eligendũ confeſſoré, non intelligo, eſſe conceſſam facultatẽ ad recipiendam Euchariſtiã à tali confeſſore, vel ab alio ſimplici ſacerdote electo ad hoc munus per ipſummet pœnitentẽ: quia nullum eſt verbũ in ea clauſula, ex quo hoc colligi poſsit. Neque hoc mirum eſſe debet, quia etiam nõ datur facultas ad recipiendũ ſacramentum Extremæ vnctionis, vel Matrimonij. Et ratio eſſe potuit, vel quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia sacramentum confessionis est maioris necessi A
tatis, vel quia in eo est specialis difficultas, ratione
cuius, & conueniens sæpissimè, semperq; grata est
hominibus hæc libera facultas eligendi confessorem, qui, vel pœnitentem de facie nō agnoscat, vel
qui faciliùs conscientiam eius intelligat, vel denique qui propter alias causas gratior sit pœnitenti;
aut certè id fieri potuit, quia sacramentum pœnitentiæ magis priuatè & occultè ministratur, quàm
cætera, & ideò magis expedit, vt, quanuis quoad
sacramentum cōfessionis quodammodo eximatur
fidelis à subordinatione, quam suo ordinario pasto
ri debet, in vsu aliorum sacramentorum illam obseruet. Et hæ rationes confirmant etiam, quod intendimus, scilicet, non esse necessarium, vt in his facultatibus sub confessione cōprehendatur communio, quando, vel in iure expressum non est, vt in ar
ticulo mortis, vel ex alijs verbis facultatis id non B
satis colligitur. Exemplum etiam illud de Extrema vnctione hoc non parum confirmat, quia, data facultate ad ministrandum sacramentum confessionis, non intelligitur data ad Extremam vnctionē: ergo neque ad communionem. Dices, ergo simpliciter in tota bulla Cruciatæ nō datur hæc facultas. Respondetur, etiam si hoc concedatur, nullum esse inconueniens propter differētias assignatas. Deinde posset apparentiùs colligi hæc facultas ex alia clausula eiusdem bullæ, in qua conceditur fidelibus, vt possint tempore interdicti Eucharistiā recipere in Ecclesijs, Monasterijs, & religionibus, præterquam in die Paschatis: nam, si pro tempore interdicti datur hæc facultas, multò magis videtur data, pro alijs temporibus, Sed neque hac ex clausula rectè colligitur huiusmodi priuilegium, alioqui
ex vi illius etiam liceret sacramenta Extremæ vn- C
ctionis & matrimonij à quocunque sacerdote reci
pere: quia in ea clausula non tantùm de Eucharistia
sermo est, sed etiam de alijs sacramentis: hoc autē
planè falsum est, vt per se constat: in illa ergo clausula nullum speciale priuilegium conceditur circa
personam ministri, quæ datura est sacramentum,
sed per se & directè circa tempus, quod alias interdictū erat, concomitanter verò circa locū, scilicet, quòd in quacunque Ecclesia vel oratorio approbato id fieri possit: ex vi tamen illius concessionis nō tollitur, quin tale sacramentū suscipiendum sit ab eo, qui alioqui habeat potestatem illud administrādi: sicut ibidem conceditur, eo tempore posse audiri Missam in oratorio priuato, per quod non excluditur, quin Missa dicenda sit à Sacerdote, habēte à suo Episcopo facultatem rem sacram faciendi. Itaque in tota Cruciatæ bulla nullam ego clausulā D
inuenio, in qua hæc licentia concessa sit.

Dubium. Secundum dubiū est, circa hæc priuilegia regularium, an ex vi illorum possint in die Paschatis in suis Ecclesijs Eucharistiā ministrare, & è cōtrario, an possint fideles ibi illā recipere. Et ratio dubitandi est, quia in huiusmodi priuilegijs excipi solet dies Paschatis, seu dies Resurrectionis, in quo special ter exigitur Parochi aut diœcesani licentia, vt cōstat ex supplemento Minorū, cōcess. 169. & ex cōpendio Minorum, verbo, Cōmunicare, concess. 146. & 150. vbi Nicolaus V. Sixtus IIII. & Leo X. hanc exceptionē adhibuerūt. Vnde difficultas non est, quin hæc exceptio sit certa & indubitata; de sensu autē illius nō immerito dubitari potest. Multi enim intelligunt hoc de primo die Resurrectio-

Nicol. V. Sixti IIII. Leo. X.

nis, ita vt in eo non possit cōmunio fieri extrà prō
priam Parochiam, sine licētia Parochi, siue fiat ex
deuotione, siue ad implendum præceptum. Ita te
net Nauar. c. 21. nu. 52. quem multi recētiores se- *Nauar.*
cuti sunt, qui solùm fundari possunt in rigore &
proprietate illius verbi, *præterquam in die Paschatis*, seu, *in die Resurrectionis*. Quod si obijcias sequi, eū, qui feria quinta in Cœna Domini, in Parochia cōmunicauit ad implēdum præceptum, si velit in die Paschatis communicare, debere necessario in Parochia iterum communicare, & non alibi, nisi ex Parochi facultate: concedunt sequelam; quia ille dies est simpliciter exceptus, fortasse, quia voluerunt Pontifices eū diem reseruare, vt in eo omnes fideles ad suas Parochias conuenirent, & obedientiam Pastoribus debitam profiterentur.

Quòd si rursus obijcias, quia è contrario sequitur, extra primum diem Paschatis posse fideles communicare in Ecclesijs mendicantium, etiam ad implendum præceptum, seu, licēt non habeant animum iterum communicandi in Parochia in die Paschatis, quod planè videtur absurdum, & contra intentionem Pontificum facientium illam exceptionem, quæ facta est in fauorem Parochorum; hoc autem modo intellecta omnino derogaret eorum iurisdictioni, & obedientiæ: quia nullus fidelis cogeretur vnquam ex vi præcepti in Parochia communicare, sed solùm illi, qui præceptum communionis annuæ in primo die Paschatis implere vellent; vnde hoc etiam est contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ leges & priuilegia optimè interpretatur. Ad hanc obiectionem nihil Nauarrus respondet, nec alij, qui (vt opinor) sequelam non auderent concedere: nam potiùs aunt, eum, qui communicat feria quinta in Cœna Domini in Ecclesijs horum religiosorum, teneri nihilominùs an communicandū in Parochia alio die infrà octauas Paschæ. Quod licet in se verum sit, non videtur tamen consequenter dictum: quia tunc fidelis recipit Eucharistiam tempore præcepto, & de manu eius, qui habet à superiori facultatem ministrandi; cur ergo non implet præceptum? Dices, quia non recipit in Parochia. Sed contrà, quia nullum est præceptum specialiter obligans ad recipiendum in Parochia: nam in capitulo. Omnis vtriusque sexus, in quo præceptum hoc fundatur, nihil de hoc dicitur, sed solùm quòd accipiat Eucharistiam in Pascha à proprio sacerdote: in præsecto autem casu iam iste recipit in Pascha, nam hoc verbum per quindecim dies iam ampliatur, vt suprà diximus; & recipit à proprio Sacerdote: quia recipit ab eo, qui dandi facultatem habet à Summo Pontifice; sicut confitetur proprio Sacerdoti, eidē ex eadem facultate confitendo: ergo nulla est ratio cur per talem communionem nō impleat hoc præceptum. Accedit, quòd iuxta hanc expositionem, nimis & vltra rationem & intentionem Pontificis limitantur hæc priuilegia Religiosorū. Primum patet, quia iuxta prædictā interpretationem duplex fit exceptio vnico tenore, vel forma verborū. Vna est de tempore, seu de communione tali die facta, scilicet, primo die Resurrectionis; alia est de communione, qua Ecclesiasticum præceptū impletur, quæ distincta est à præcedenti: nam prior abstrahit à cōmunione præcepta, & nō præcepta: hæc verò abstrahit à cōmunione facta in illo primo die, vel alio ex quindecim suprà dictis: hoc autem præter

omnem

omnem rationē esse videtur, quia illa verba vnicū A
simplicē sensum, & vniuocā significationē habere
debent; illi autem sensus diuersi sunt, & in multipli
ci verborū significatione fundati. Secundū autē pa
ret, quia Pontifices in illa exceptione solùm intendūt, vt fideles semel in anno suos pastores recognoscant, ab eis Eucharistiam suscipiendo, ex eorū vi licentia & facultate: ad hoc autem satis est, vt communionem, qua præceptum implent, ab eis necessariò sint suscepturi, vel ex eorū facultate: ergo sine causa exciperent vltra hoc omnem cōmunionem primo die Paschatis factam, tum, quia ipsi non intendunt per hoc conferre illi diei aliquā specialē celebritatē aut solennitatē, sed solùm intendunt fauorem Parochorum; tum etiam quia, si fidelis iam pleuit præceptū in sua Parochia, & in die Paschæ potest non cōmunicare in sua Parochia, etiā si alibi nō communicet; cur, si communicare vult, cogetur in Parochia B
communicare magis illo die, quàm in alijs? aut quæ
ratio posset esse Pontifices ad hoc mouere?

Dubij enoda-tio. Censeo igitur, veriorem interpretationē esse, mē tem Pontificū fuisse, excipere communionē Paschalē, non materialiter (vt sic dicā) id est, quæ fit in ipso primo die Paschatis, sed formaliter, seu prout præcepta est lege; quæ præcipit, semel cōmunicare in Paschate: nam, quia cap. Omnis vtriusq; sexus, in initio solùm præcepit semel cōmunicare in Paschate, quā, cum postea declaratum sit, illud, *Pascha*, comprehendere octo, vel quindecim dies, omnis communio, qua impletur illud præceptum, dicitur Paschalis, seu in Paschate facta: exceptio autem, quæ fit in dictis priuilegijs, sine dubio respicit hoc præceptum, vt in sua vi maneat, & eodem modo impleatur, quo in eo statutum est: & ideò eodem sensu loquitur C
de cōmunione in Paschate; quo præceptū ipsum iuxta expositionē Pōtificū, & Ecclesiæ vsum excipitur ergo ibi (vt existimo) sola communio, qua impletur hōc præceptum in Paschate, siue fiat primo die, siue quolibet alio sufficiente; & è contrario, si præceptū iam impletum est in Pascha ante illū primum diē, vel postea implendum est, non censeo esse per se exceptum primum diem Paschatis, quominùs in eo possint religiosi vti suis priuilegijs, & miuistrare hoc sacramentū. Neq; cōtra hoc obstat, quòd in dictis priuilegijs dicatur, *Præterquā in festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ*, seu, *præterquam in die Resurrectionis Domini*: quia non est attendendus materialis sonus verborum, sed sensus & intentio Pōtificis, qui, vt dixi, communionem, qua impletur præceptum, vocat communionem in die Paschæ, seu, quod idem est, in die Resurrectionis, propter rationem suprà dictam. Neque hæc interpretatio est violenta, sed satis obuia, & clara, ac literalis, supposito modo loquēdi capti: Omnis vtriusque sexus, & intelligētia totius Ecclesiæ. Et, iuxta eandem interpretationem, intelligendam censeo similem exceptionem, quæ habetur in bulla Cruciatæ in clausula, qua conceditur facultas accipiendi Eucharistiam tempore interdicti, in alijs Ecclesijs, vel priuatis oratorijs, vbi etiam additur, *præterquā in die Paschatis*, id est, præterquam in ea communione, qua implent præceptum communicandi in die Paschatis. Quia, nisi sic exponamus, sequitur illud absurdum, quòd possent implere hoc præceptum in priuato oratorio, & postea in die primo Paschæ, neque ibi, neq; in Parochia communicare.

Corollarium. Vltimò verò est in hoc dubio aduertendum, hæc priuilegia intelligenda esse de ordinarijs communionibus, quæ extra mortis periculum fiunt, in quibus non accipitur Eucharistia per modum viatici: nam, quando hoc modo datur in mortis periculo, illius administratio etiam est proprio Parocho reseruata: & ita expressè excipitur à Paulo III. in priuile *Paul. 3.*
gijs Societati concessis in bulla anni 1549. Quòd si in aliquo alio priuilegio nō excipitur expressè, ipso iure, & communi sensu intelligitur excepta, vel, q̄ non sit de illa sermo, sed de illis solis, in quibus Eucharistia non accipitur per modū viatici, vt dixi; & hæc est communis omnium sentētia. Vnde licet ex dictis colligere, voluisse Ecclesiam, omnem communionem, qua impletur præceptum, siue diuinū, siue Ecclesiasticum, proprijs pastoribus reseruare, neque de ea aliquod priuilegium concedere, sed solum de alijs, quæ voluntariè fiunt. Quòd si inquiras, cur hoc potiùs fecerit Ecclesia in præcepto communio nis, quàm confessionis: hoc enim, siue sit diuinum in mortis articulo, siue Ecclesiasticum annuæ confessionis, satis impletur per confessionem factam religiosis per huiusmodi priuilegia, vel per bullam Cruciatæ: nam in hoc nulla fit exceptio. Respondetur, rationem sumendam esse ex differentijs suprà positis inter sacramentum cōfessionis & communionis, quòd illud magis necessarium est, & quādam habet difficultatem ex parte ministri, propter quam oportuit, priuilegia maiora & generaliora circa illud concedere: quod notauit etiam Palacios in 4. dist. in. 27. disp. 6. concl. 2.

Sed quæres, an, deficiente Parocho, & necessitate *Quæstiuncula.*
vrgēte, possint fideles in his casibus accipere Eucharistiā à religiosis vel alijs sacerdotibus. Aliqui enim
hoc negāt, etiā si necessitas sit extrema, & articulus *Nauar. Cardin. Sylvest.*
mortis. Ita sentit Nauar. c. 21. n. 52. citans Cardinalē in Clem. 1. de priuileg. q. 1. & Sylvest. verb. Excommu. 7. ex com. 14. §. 3. Et fundari possunt, quia Eucharistia nō est sacramentum simpliciter necessariū ad salutē. Sed, quod attinet ad articulū mortis, si Parochus nō adsit, & necessitas vrgeat, nō dubito, quin possit simplex Sacerdos licitè viatieū dare, siue sit religiosus, siue nō: quia hoc nec fundatur in priuilegijs religiosorum (quanquā Paul. III. in citata *Paulus 3.*
bulla Societatis, excipiendo festum Resurrectionis, & mortis articuli, addit, *nisi necessitas vrgeret*) neque eis magis, quā alijs, denegatur: fundatur ergo vel in iure cōmuni, quo suprà diximus explicatū esse, vt, cui cōceditur cōfessio in articulo mortis, censeatur etiā cōcessa communio ex cap. Quod in te, de pœniten. & remiss. vel in præsumpta rationabili voluntate Parochi, vel certè Episcopi, aut Summi Pōtificis, si foret aliter priuata voluntate iniqua constet. Ac deniq; est hoc valde consentaneum iuri ipsi naturali, quo tenemur, & tenetur Ecclesia proximis subuenire, præsertim in spiritualibus necessitatibus: necessitas autē huius sacramenti, quanuis non sit extrema, est tamen valde grauis. Et hanc sententiā tenēt Angel. citans Director. Hostiens. & Archidiac. *Angel. Direct. Hostien. Archidiac.*
verb. Excommu. c. 5. casu 12. nu. 5. In necessitate autē implendi Ecclesiasticū præceptū, non videtur vrgere ratio tantæ necessitatis, tamen ex alio capite interdū potest fieri: quia vel fidelis nō potest tempore debito in propria Parochia communicare: quia extra illam peregrinatur, & tunc iure peregrinationis potest ibi sacramentum accipere, vbi commodè potest, dummodò accipiat ab his, qui in eo loco habent potestatem administrandi; iuxta ea, quæ in-

Universidad de Deusto Biblioteca

ferius latius dicemus in materia de confessione. Si autē ex alio impedimento excusatur, debet, quanuis tunc communionē omittat, posteà, cùm primū possit, in Paræcia communicare, & satisfacere præcepto Ecclesiæ: & ideò, quanuis tunc de manu alterius cōmunicet, illa cōmunio nō erit impletiua præcepti; ac proinde, licèt fiat virtute dictorū priuilegiorū, non erit cōtra exceptionē in eis factā, iuxta datā à nobis expositionē. Semper tamen intercedit hæc notanda differētia inter articulū mortis, & alias necessitates, vel potiùs vtilitates, quòd in illo licitū est cuilibet Sacerdoti, ministrare hoc sacramētum, etiam si non habeat ad hoc specialem facultatem à Pastore cōcessam, vt dictum est; in alijs verò hoc nō licet, nisi supposita aliqua facultate vel priuilegio ministrandi hoc sacramentum: quia rationes factæ non aliter procedunt.

SECTIO III.

Cui debeat hoc sacramētum administrari.

Titulus explicatur.

MVlta possunt hoc titulo comprehendi. Primum est, obligatio ministri ad hoc sacramentum dispensandum: hactenus enim solùm diximus, quibus liceat hæc administratio: statim verò quæstio oritur, quinam ad illam teneātur; &, quoniā hæc obligatio nō est respectu omniū, sed habet ꝓpriū aliquē terminū, ideò simul explicādum est, respectu quorū sit talis obligatio. Hæc autē res breuissimè expediēda est ex principijs positis de sacramentis in genere, quia nihil habet hic propriæ ac specialis difficultatis. Duplex enim esse potest obligatio hæc, per se loquendo. Vna est, ex officio, quæ ad iustitiā pertinet, & propria est pastorū Ecclesiæ, vt sunt parochi, & reliqui superiores animarum, quibus ex officio incumbit, eas regere in ordine ad spiritualem salutem & finem, & consequēter hæc obligatio tantùm est respectu subditorum, vt per se constat. Altera est, ex caritate, quæ potest esse communis omnibus quibus hoc sacramentum ministrare licet, respectu cuiuscunq; in spirituali necessitate existentis: quia caritas omnia cōplectitur. Omitto obligationem omnino per accidens & extrinsecā, qualis potest esse ex voto, quia nihil ad rem præsentē pertinet; nec de obligatione caritatis aliquid hic addendū est, sed seruanda sunt & applicanda generalia principia, & præcepta caritatis ac misericordiæ vt etiā diximus citato loco de sacramentis in genere. De obligatione autē iustitię quęri potest: quando, vel quoties obliget Parochos ad dandum hoc sacramentū suis parochianis: quidā enim Theologi sentiunt, solùm obligare, quādo ipsos parochianos præceptum communicandi obligat. Ita Rich. in 4. d. 18. art. 2. q. 3. Syluest. ver. Cōfessor. 1. q. 18. itaque iuxta hoc, solùm tenebuntur semel in anno ministrare; quod sanè per se statim apparet improbabile, & absurdum; dicendum ergo est, teneri propriū pastorem ad ministrandum hoc sacramentum quoties oues rationabiliter & opportunè petunt; itaq;, si non nimis frequenter petant, neq; vltra id, quod earum statum, & reuerentiam sacramenti decet, tenebitur parochus, per se loquendo, sacramentum cōcedere, vt rectè docuit Adrian. in 4. q. 5. de Confess. dub. 8. Sot. d. 12. art. 6. Nauar. in cap. Placuit. de pœnitentia. d. 6. num. 152. Et ratio est, quia parochi nō

Richard.
Syluest.

Adrian.
Soto.
Nauar.

A aluntur à fidelibus solùm, vt sibi ministrent necessaria ad implenda præcepta, sed etiam ea, quæ sunt valde vtilia & oppurtuna saluti animarū, imò hoc maximè pertinet ad munus pastorum: alioqui non satis esset solutio omnium prouisum; & ideo non solùm in diebus festis, sed etiam in alijs tenentur Parochi ordinariè facere sacrum in sua parochia, & similiter tenentur, confessiones audire, quando subditi indigent; quanuis non vrgeat præceptum Ecclesiæ: sic ergo dicendum est de hoc sacramento, quod est valde vtile, & ad hoc institutum, vt frequenter accipiatur. Dixi autem, *per se*, quia ex accidente poterit excusari parochus, vel propter rationabilem occurentem causam, vel certè, quia habet alios coadiutores, ad quos possunt oues sine vllo dispendio vel difficultate accedere; & ideò potest eas ad illos remittere & se excusare, etiam si illi voluntariè & ex B priuilegio sacramenta ministrent, vt religiosi: regulariter tamen cauere tenentur parochi, ne se ostendant difficiles in hoc ministerio, ne animos suorum subditorum remittant, sed ad piam potiùs frequentiam alliciant.

Secundum in titulo contentum est, qualis debeat obseruari petentis dispositio, & conditio, vt ei possit, & debeat hoc sacramentum ministrari: sed omnia, quæ in hoc puncto dici possunt, in superioribus tractata sunt: nam primùm omnium obseruanda est ætas, de qua dictū est dis. 1. sect. 70. Deinde obseruādum est, an bene dispositus accedat, de qua re lōgissimè disputatū est suprà, dis. 67. Et huc spectat, vt recipiens accedat ieiunus, &, vt seruet omnia, quæ necessaria sunt, vt dignè petat hoc sacramentum. Vltimò obseruari potest status petentis, an, scilicet, vxoratus sit, vel continens, & similia, quanuis hoc rarò C necessitatis sit, sed consilij, ad prudenter iudicādū, quæ frequentia illi expediat: quæ tamen cura magis ad confessorem pertinet, quàm ad dispēsantem hoc sacramentum; & de ea re satis dictum est suprà, tractando de frequentia.

Tertio principaliter proposita est hæc quæstio, ad inquirendum, an oporteat, eum, cui datur hoc sacramentum, esse personā distinctā à ministrante; atque adeò, an liceat alicui cōmunicare se ipsum: & est quęstio de cōmunione, quę fit extra sacrificiū: nā de ipso sacerdote sacrificāte certa fides est, posse cōmunicare se ipsum, vt definit Trident. sess. 13. can. 10. cōtra quosdam huius temporis hæreticos, qui contrarium docere cœperunt sine vllo fundamento: nā, & Christus se ipsum communicauit, & infrà ostendemus, sacerdotem sacrificantem teneri ad participandum, quod obtulit: vnde, cùm in illo munere ipse sit su- D premus minister post Christum: non est alius, à quo accipiat, nisi à se ipso, & ideò se ipsum facit participem sacrificij: sicut etiā orando, & offerendo pro alijs, orat & offert pro se ipso. Difficultas ergo est de communione laica, siue persona, quæ recipit sacramentum, sit sacerdos, siue nō. Et ratio dubitandi est, quia in hoc semper est longè diuersa ratio, quam in sacrificante: quia sacrificans, vt dixi: est in eo munere supremus minister; & ideò se ipsum facit participem sacrificij alij verò omnes, qui non sacrificant, sunt inferiores, & tantum per sacerdotem offerunt: ita vt, licet contingat, aliquos esse ex se sacerdotes, illud fit per accidens & materialiter: quia tunc non se gerunt, vt sacerdotes: ergo nullus potest hoc modo communicare, nisi per sacerdotem, & de manu illius. Et confirmatur, nam in cæteris sacramentis

nullus

nullus potest sibi ipsi ministrare sacramentum: sed oportet semper ministrantem, & cui ministratur, esse personas distinctas: ergo idem erit in præsente, considerando tantùm rationem sacramēti. Propter quas fortè rationes Sūmistæ aliqui ita sentire videntur: Armilla enim, verb. Communio. num. 8. dicit, sacerdotem non sacrificantem non debere communicare se ipsum regulariter. Caiet. verò in sum. verb. Communio significat, hoc non licere Sacerdoti, nisi in necessitatis articulo, in quo casu affirmat, licere; de alijs verò inquit, nihil sancitum legisse. Et re vera nullum in iure inuenitur præceptum, ratione cuius necessarium sit; dantem & sumentem hoc sacramentum, esse personas distinctas: hoc enim ius, nec scriptum est, quod ego legerim; nec etiam potest ex sola consuetudine colligi: nam olim fideles communicabant se ipsos, vel in Ecclesia accipientes proprijs manibus, quod & de Apostolis in nocte cœnæ suprà diximus, vel ad proprias domos deferendo, ibique se communicando. Vnde, neque ex vi solius institutionis potest colligi hæc prohibitio, quia talis cōsuetudo non erat institutioni contraria, & ratio est clara, quia hoc sacramētum est institutum per modum cibi, & vsus eius per modum manducationis; hæc autem actio accommodatè fit ab ipsomet sumente: ergo ex vi talis institutionis nil repugnat, quòd aliquis sibi sumat hunc cibum; neque in hoc includitur indecentia aliqua aut iniuria sacramenti; nec repugnat effectui eius, quia potest sumi sine obice, & cum debita dispositione, & tunc sacramentum est, quod per se causat effectum, ministrans verò solùm se habet, vt applicans; nihil autem repugnat, vt idem sibi applicet causam, à qua foueatur, seu nutriatur. Tandem, differt multum inter hoc sacramentum & reliqua, vt notauit D. Thom. art. seq. ad 2. nam alia consistunt in vsu, & ex vi talis actionis seu formæ dicūt habitudinem ad personam distinctam: hoc vero sacramentum est permanens, & ab vna tantum persona fit, non circa aliam personam, sed circa materiam ipsam; & ideò potest sacramentum sic factum applicari ad vsum, vel ab ipso sumente, vel ab alio. Quocirca nullum fundamentum inuenio ad asserendum per se, & ex intrinseca ratione, ob solam identitatem dantis & sumentis, prohibitum esse; vt aliquis possit communicare se ipsum, quia nullum etiam fundamentum est ad dicendum, distinctionem personarū esse necessariam: nec satis est dicere, consuetudinem induxisse hanc necessitatem: quia hæc consuetudo magis est negatiua, quam positiua. Est enim aduertendū, hic nos loqui, ex vi identitatis & distinctionis personarum: nam ex vi iuris dispensandi clarum est, neminem posse sibi sumere, qui non habet ius dispēsandi: quia sibi sumere, etiā est dispensare; & hinc oritur, vt nec laici, nec inferiores clerici possint se ipsos cōmunicare; & idem est de diacono, saltem sine licentia Presbyteri, & de quolibet Sacerdote nō habente ius, vel facultatem dispensandi: consuetudo ergo prædicta magis in hoc fundata est, quam in necessaria distinctione personæ dantis & recipientis, præsertim, quia Diaconi iam nunquam administrāt hoc sacramentum, Sacerdotes verò regulariter communicant sacrificando: extra sacrificium verò, aut cum ægrotant, aut in Missa alterius Sacerdotis; & in vtroque casu necesse est, moraliter loquendo, vt ab alio accipiant. Vnde rectè dixit Durand. in 4. d. 13. q. 4. si contingat, Sacerdotem ægrotare, & non ad esse, nisi Diaconum, qui sacramentum deferat, debe-

Durand.
sacer- deficiente

A re Sacerdotē proprijs manibus se communicare; & in die Parasceues Sacerdos communicat se ipsum, quanuis non sacrificet: nulla ergo est cōsuetudo, ex qua talis prohibitio satis colligi possit: quia verò res non est vsitata, non deberet facilè fieri, nisi vbi vnus tantum esset Sacerdos, qui nō posset sacrificare; posset tamen ex præcōsecratis se ipsum deuotionis causa communicare: secluso enim scādalo, vt existimo, non peccaret. Rogabis, vtrum possit idem facere laicus, saltem in extrema necessitate mortis, quādo nō habet Sacerdotem; quia extra illam certum est non posse; nonnulli autem idem docent de illo casu, sed nullo iure probant: quia ex institutione præcisè non sequitur, vt dictum est, nec ostendi potest ius diuinum positiuum, Ecclesiasticum autem non obligat cum tanto rigore, maximè, cùm ius sibi subueniendi in tam graue necessitate, sit maximè intrinsecū; B & ideò Caiet. Matth. 26. opinatur hoc esse licitum, quod mihi maximè placet; & nostra ætate Regina Scotiæ martyrium subitura, priùs sacramentū, quod apud se habebat, proprijs manibus sumpsit cum summa omnium laude; &, quanuis fortasse habuerit amplam circa hoc Pontificis concessionem, tamen etiā sine illa piè & sanctè fecisset.

Alio sacerdote proprijs & nō diaconi manibus communicare debet.

Quæsito satis fit.

Caietan.
Reginæ Scotiæ laudabile factum.

SECTIO IIII.

Quibus modis peccet mortaliter, qui indignè ministrat hoc sacramentū, vel qui ab indignè ministrante suscipit.

C CIrca priorem partem huius quæstionis, quæ propriè ad præsentem disputationē spectat, generalis regula tradi potest, vt minister dignè dispenset hoc sacramentum, oportere, vt obseruet omnes leges, quæ tam ex parte sacramēti, quā ex parte recipientis, quàm etiam ex modo & circunstantijs, ac denique ex parte ipsius ministri, necessariæ sunt ad huius sacramēti reuerentiam. Primò itaque ex parte sacramenti necesse est, vt ministretur sub specie panis ritè consecrati, & huc pertinet, vt neque sub vtraque specie, nec sub sola specie vini dispensetur, iuxta superiùs dicta præcedente disputatione. Secundò ex parte sumentium obseruare debet omnia, quæ suprà tractata sunt; quæ omnia sub hoc verbo concluduntur, vt non det indignè accedentibus, vel irreuerenter tractantibus, hoc sacramentum, quando in foro Ecclesiæ constat de indigna sumptione: voco autem sumptionem indignam, D non solùm ratione peccati, sed etiam ætatis, vt infantiæ, supposita Ecclesiæ consuetudine; ratione amentiæ, aut phrenesis, cum euidente periculo expuitionis, aut ratione ægritudinis, cum simili periculo vomitus: quæ omnia sunt per se clara ex principijs positis, vt notauit Caiet. in sum. verb. Communio: quia in his omnibus interuenit iniuria sacramenti, quam vitare tenetur minister, quantum potest, & nullo modo illi cooperari, & in his omnibus interuenit peccatum mortale ex suo genere, excusari tamē potest interdum propter ignorantiam, vel inaduertentiam, præsertim facti, vel futuri euentus.

Minister Eucharistiæ ad quid teneatur vt rectè munus suum obeat.

Tertiò obseruare debet minister omnes circunstātias necessarias, quæ præcipuè considerandæ erunt iuxta Ecclesiasticas leges, vel receptas consuetudines, nam ex sola natura rei vix possunt particulares

 aliquæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquæ circunstantiæ designari, præter illud genê- A iuxta communem doctrinam de irregularitate.
rale principium, quod Paulus posuit, *Omnia vestra ordinatè fiant*, quod maximè obseruandum est in re tam graui, ac religiosa: Ecclesiæ autem ordinatione peccari in hoc grauiter potest, si, vel tempore ab Ecclesia interdicto ministretur, vel in loco prohibito, vt in priuata domo, sine debita facultate, & Episcopi approbatione. Item, si ministretur sine vestibus sacris, quæ iuxta morê Ecclesiæ necessariæ sunt. Itê, si ministretur sine debito cultu, & apparatu, & ceremonijs vsitatis. In qua re per pauca esse videtur iuxta vsum Ecclesiæ necessaria, loquendo præcisè de dispensatione sacramenti, quæ fieri potest ex præconsecratis: nam sufficit, vt fiat in loco sacro, aut approbato ab Episcopo, & quòd minister indutus saltê sit superpelliceo, & stola, vt notat Turrecrem. c. Ecclesiasti. d. 23. & Iaco. de Graffis. li. 2 ca. 40. qui dicunt hæc esse necessaria sub præcisa obligatione. B Præter hæc autê, nihil aliud esse videtur in rigore, & ex graui præcepto necessarium: nam licèt soleat accendi lumen, & præmitti generalis confessio, & aliquæ orationes, non videtur tamen hæc tã grauia, tamque rigorosa precepta, vt, secluso scãdalo, & cõtemptu, eorum omissio mortale peccatum esse videatur: omnino tamen cauendum est, ne id fiat: est enim nonnulla irreuerentia: quia grauis culpa venialis excusari non potest, præsertim si voluntariè & ex sola animi remissione fiat, absque alia causa rationabili.

Turrecr. Iac. de Graf.

Quartò, ex parte ministri, præter ea, quæ suprà dicta sunt de potestate Ordinis, & iurisdictionis, necessaria est conueniens dispositio, saltem vt non sit in statu peccati mortalis; alioqui nouum peccatũ mortale committet, vt sentiunt Doctores in. 4. dist. 13. Paludan. quæst. 1. Soto arti. 3. Syluest. verbo Eucharist. 3. num. 4. & colligitur ex Nicolao Papa, in cap. vltim. 15. q. 8. vbi dicit, *Adulterum Sacerdotẽ, ministrando hoc sacramentum, se tantum modò lædere, & vnde alij commodum exhibet, inde sibi dispendium præbere.* Ratio verò sumi potest ex dictis supra de sacramentis in genere; vbi hoc generaliter ostẽdimus de omni ministrante quòd liberè sacramẽtũ in peccato mortali. Dices, non videri hic esse eandem rationẽ, quia hic nõ agimus de conficiente Eucharistiam, sed præcisè de dispensante, qui nec sumit, nec conficit sacramentum; sed tantùm applicat iam factum. Respondetur, quanuis in hoc non sit rationis similitudo, tamen in eo est, quòd hæc dispensatio est sacrum & grauissimũ ministerium, ad quod sanctè perficiendum Sacerdos est peculiariter consecratus, & specialem gratiam accipit, & ideò graue peccatum committit, suo munere abutendo, & sacramentum sanctissimum non sanctè ministrando. A deoque superat hoc sacramentũ cætera, vt non sit actio minùs sacra & religiosa hoc sacramentum iam factum distribuere, quam vnctionem, verbi gratia, efficiendo ministrare: sicut ergo hoc est peccatum mortale, ita & illud: vnde fit, tantò fore grauius, quàtò peior fuerit status ministrantis, magis vt publicus; præsertim si sacrilegio scãdalum coniungatur: iugebitur deinde, si Ecclesiastica censura accedat, vt si sit hæreticus, vel alia ratione excõmunicatus: nam sola Ecclesiæ prohibitio, & censura est speciale impedimentum per se sufficiens, vt eius violatio speciale peccatum mortale sit, vt constat ex materia de censuris; & ex hoc titulo poterit irregularitas incurri, nam hæc administratio huius sacramenti re vera est actus Ordinis sacerdotalis; & ideò, qui illum exercet excommunicatus, irregularis fit,

Palud. Soto. Nicol. Papa.

Sed obijcies contra præcedentem assertionẽ, quia *Obiectio.* sequitur semper esse peccatum mortale, hoc sacramẽtum tangere in peccato mortali quia, quod maximè videtur facere, qui hoc sacramẽtum ministrat, est, illud tangere. Ad hoc quidam absolutè concedunt sequelam, vt Adriã. q. 3. de baptismo. 2. part. illius, circa finẽ; & fauet D. Thom. suprà. q. 80. art. 4. ad 1. vbi rationem in quandam assignat, ob quam peccatores, qui tangebãt Christum in propria specie existentẽ, non peccabant; nunc autem repelluntur à contactu huius sacramenti. Sed hoc non est vniuersaliter verum, primùm enim, si occurrente necessitate ex parte ipsius sacramẽti, verbi gratia, vt à terra eleuetur, tangatur ab aliquo in peccato mortali existente, nõ est peccatum mortale, secluso contemptu & scandalo: quia illud ministerium non est propriè sacrũ, quod requirat ministrum consecratum, sed potest exercerì à laico, vt hic dixit D. Thom. qui hanc etiã partẽ docuit in. 4. d. 24. q. 1. art. 3. quæstiũcula. 5. ad quartum, & Alens. 4. p. q. 52. membr. 7. Bonauẽt. in 4. d. 9 ar. 2. q. vl. Soto. d. 13. q. 1. ar. 3. Quin potiùs, etiam si causa adorationis aliquis deoscularetur hoc sacramẽtum in statu peccati moatalis, ex hoc capite non peccaret mortaliter; quanuis Bonauent. significet, esse aliquod peccatum, & Soto addat, fortasse esse mortale: sed nõ video, qua ratione; quia illa actio, neque est receptio, neque administratio sacramenti, nec per se requirit ministrum cõsecratum aut ex officio deputatum; licèt ergo sit aliqualis irreuerentia maximè si homo aduertat statum suum, tamen non est grauis iniuria, nec mortale sacrilegium: dico autem, præcisè ex hoc capite, quia suppono, huiusmodi contractum seu osculum non esse alioqui prohibitum, sed per se licitum esse. Ad argumentum ergo negatur sequela: quia administratio, vt dixi, est actus proprius ministri sacri, ad quem ex officio sanctificatur. Vnde fit, maiorem rationem scrupuli esse in Sacerdote, qui existens in peccato mortali tangit hoc sacramentum, vel immediatè, vt ab vno in aliud vas mutet, vel mediatè, vt deferendo in processione, vel in alium locum transferẽdo: nam totum hoc munus videtur per se propriũ Sacerdotis. Quapropter, vt minimùm, videtur res dubia, & in Sacerdote reprehendenda; sed nihilominus non audeo dicere, hoc esse peccatum mortale: quia res non videtur adeò grauis, neque quæ per se ita requirat ministrum consecratum, & ex officio ad hoc deputatum. Sed quid, si laicus non solùm tangat, sed etiam defrat hoc sacramentum ad infirmũ propter extremam necessitatem? Respondeò, non peccare mortaliter, etiam si in peccato mortali id f. ciat. Ita Palud. in. 4. d. 5. q. 2. concl. 3. & ratio est, quia licèt illa sit dispensatio sacramẽti, tamẽ nõ solenniter facta, neque à ministro per se consecrato ad illud munus; sed solùm priuatim ob necessitatem, sicut dictum est de laico baptizante in necessitate: est enim ferè eadem ratio. Vnde addit Palud. idem esse dicendũ de Sacerdote ministrante hoc sacramentum in simili necessitate; sed non est verum, per se loquendo. Poterit quidem interdùm excusari ob naturalem inaduertentiam ortã ex solicitudine & diligentia adhibita, ratione necessitatis, tamen, per se loquendo, reuera tenetur se disponere ad tale ministerium: quia Sacerdos exercet semper hoc ministerium vt minister ex officio ad illud cõsecratus, & tale ministerium, vt ab illo fit, semper est de se solẽne ac maximè sacrum: alioqui quotiescun-

Obiectio. *Adrian.* *Solutio.* *D. Thom.* *Alens.* *Bonauent.* *Soto.* *Palud.*

tiescunque Sacerdos præbet viaticum, excusaretur A ab hac obligatione: nam, quòd deferat cum maiori, vel minori pompa exteriori, aut ex obligatione iustitiæ, vel ex caritate, parùm interest ad obligationẽ prædictam. Non est autem necesse, vt ad huiusmodi ministerium confessionem præmittat, sed sufficiet contritio, cùm communicaturus non sit. Præter hãc autem dispositionem non inuenio aliam simpliciter necessariam ad hoc ministerium, vt. v. g. quòd dispensans hoc sacramentum sit ieiunus; vel aliquid simile: nullum enim de hoc extat positiuum præceptum, diuinum, aut Ecclesiasticum.

Vltimò ex dictis definitur, quod suprà huc remissi, & ad recipientes pertinet, quomodo, scilicet, peccet recipiendo hoc sacramentum ab indignè ministrante: seruanda enim est, & applicanda doctrina suprà data de sacramentis in genere: hoc enim per se *Nicol. Pap.* & intrinsecè malum non est, vt docet Nicolaus Papa, dicto capit. vltim. 15. quæstione. 8. quia hoc non est operari malum, sed permittere, & vti iuri suo, bene vtẽdo malitia alterius in proprium commodum. Quo fit, vt in duobus casibus posit hoc esse malũ. Primus, si in tali receptione includatur cooperatio, & peccatum alterius, quia cooperari ad peccatum, intrinsecè malum est: erit autem cooperatio, si quis sine causa, vel vtilitate, inducat alium non paratum ad tale ministerium, aut si facilè euitare posset tale peccatum proximi, talemque sacramenti irreuerentiam, accipiendo sacramentum ab alio digno ministro, & nolit facere: quæ omnia latiùs prædicto loco declarata sunt. Secundus casus est, si minister sit ab Ecclesia prohibitus, vel præcisus, quod iam intelligendum est, iuxta limitationem Concilij Constant. *Cõc. Const.* prædicto loco tractatam. Hic verò inquiri solet, an *Nauar.* sit specialis prohibitio recipiendi hoc sacramentum C à Sacerdote concubinario publico, sicut Nauar. affirmat. c. 25. nu. 80. ex. c. Nullius, & capit. Præter hoc, distinctio. 32. vbi etiam Missam prohibent audire ab huiusmodi Sacerdote. Sed verius censeo contrariũ, quod tenet Soto in. 4. distinct. 22. q. 1. artic. 4. *Soto.* quia illa prohibitio, vel per contrariam consuetudinẽ cessauit, vel, quod solidius est, reuocata videtur per Concil. Constant. nam regula ibi statuta generalis est ad omnes censuras & suspensiones, & illa sola iam est seruanda. Vltimo inquiri solet, an in casu necessitatis extremæ liceat à quocunque ministro recipere hoc sacramentum, etiam si sit præcisus ab Ecclesia, & maximè si sit hæreticus. Durand. enim, Palud. & alij distinction. 13. absolutè negant, & Greg. lib. 3. Dialog. c. 31. & habetur in capit. Superueniente. 1. q. 1. ca. vltim. 24. quæsti. 1. laudat Herminigildum, eò quòd in fine vitæ noluit ab heretico Eucha- D ristiam accipere. Nihilominus censeo, à quocunque licèt in eo casu accipere sacramentum pœnitentiæ, licere etiam sumere sacramentum Eucharistiæ, iuxta generalẽ regulam positam in cap. Quod in te. de pœnitẽt. & remiss. vbi, licèt formaliter tit sermo ex parte recipientis, est tamen eadẽ ratio ex parte ministrãtis: sicut ergo sacramentum pœnitẽtiæ permittitur accipi in extrema necessitate à quocunque Sacerdote, quantũuis præciso, & hæretico, ita etiam sacramentũ cõmunionis, quod, licèt non sit tanta necessitatis, est tamẽ maximæ vtilitatis, & grauissimæ ac sufficientis necessitatis, vt non sit verisimile, voluisse Ecclesiam suos fideles priuare tanto beneficio in extremo mortis articulo, præsertim quia huiusmodi censuræ sunt in odiũ iniquorũ Sacerdotũ, ita ta-

Durand. Paludan. Gregor.

men vt nõ cedant in grauissimum detrimentũ bonorũ fideliũ: vnde in hoc nullus fit fauor huiusmodi malis ministris, sed solũ ipsis fidelibus in extrema necessitate existentibus: licet ergo ab eis hoc sacramentũ suscipere, per se loquendo, id est, secluso periculo scandali publici, aut infamiæ religionis, aut periculi alterius mali; ad quod posit hominẽ talis minister inducere: quæ rationis maximè occurrere possunt, quando minister est hæreticus; &, quantum ex historijs colligi potest, in facto illo Herminigildi in teruenerunt, & ideò meritò laudatur, tum ob rectã intentionem, tum ob prudentem actionem, qualis Catholicum & sanctum Principem decebat.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm sacerdos consecrans teneatur sumere hoc sacramentum.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod sacerdos consecrans non teneatur sumere hoc sacramentum. In alijs enim consecrationibus, ille, qui cõsecrat materiam, non vtitur ea, sicut Episcopus consecrans chrisma, non linitur eodem. Sed hoc sacramentum consistit in consecratione materiæ. Ergo sacerdos perficiens hoc sacramentum, non necesse habet vti eodem, sed potest licite à sumptione eius abstinere. *Sup. q. 30. ar. 12. & 4. dist. 12. q. 3. arti. 2. q. 2.*

¶ 2 Præterea, In alijs sacramentis minister non præbet sacramentũ sibi ipsi, nullus enim baptizare potest seipsum, vt suprà dictũ est. Sed sicut baptismus ordinate dispensatur, ita & hoc sacramentum. Ergo sacerdos perficiẽs hoc sacramentum, non debet ipsum sumere à seipso. *q. 66. ar. 5. ad 4. arg.*

¶ 3 Præterea, Cõtingit, quandoque, quòd miraculosè corpus Christi in altari apparet sub specie carnis, & sanguis sub specie sanguinis, quæ non sunt apta cibo & potui: vnde (sicut suprà dictum est) propter hoc sub alia specie tradũtur, ne sint horrori sumentibus. Ergo sacerdos consecrans, non semper tenetur sumere hoc sacramentum. *q. 75. ar. 5. & q. 76. ar. 8.*

SED contra est, quod in Concil. Toletano legitur, & habetur de consecr. dist. 2. cap. Relatum. Modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus Christi, & sanguinem Domini nostri IESV Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi participem se præbeat. *In Cõc. Tolet. 5. can. 5. de cõsec. d. 2. c. Relatum.*

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) Eucharistia non solùm est sacramentum, sed etiam sacrificium. Quicunque autem sacrificium offert, debet sacrificij fieri particeps, quia exterius sacrificiũ, quod offertur, signũ est interioris sacrificij, quo quis se ipsum offert Deo: vt August. dicit. 10. de Ciuit. Dei. Vnde per hoc, quòd participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium *q. 79. ar. 5. & 7.* *Lib. 10. ca. 5. tom. 5.*

Universidad de Deusto Biblioteca

interius pertinere. Similiter etiam per hoc, ꝙ sacrificium populo dispensat, ostēdit, se esse dispensatorem diuinorum, quorum ipse primò debet esse particeps, sicut Dionys. dicit in libr. Eccles. Hierarch. Et ideo ipse ante sumere debet, quàm populo dispenset. Vnde & in prædicto cap. legitur, Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps, quod de sacrificio sumit, secūdum illud Apostoli. 1. Cor. 10. Nonne, qui edūt hostias, participes sunt altaris? Et ideo necesse est, quòd sacerdos, quotiescunque consecrat, sumat integrè hoc sacramentum.

Ca. 3. Eccles. hierar. de illuminando ad fi. Eod. can. 5. 11. Conc. Tolet.

AD primum ergo dicendum, quòd cōsecratio chrismatis, vel cuiuscūque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ. Et ideò non est similis ratio.

AD secundum dicendum, ꝙ sacramentum baptismi perficitur in ipso vsu materiæ. Et ideò nullus potest baptizare se ipsum, quia in sacramento nō potest esse idē agēs & patiēs. Vnde nec in hoc sacramēto sacerdos cōsecrat se ipsum, sed panē & vinū. In qua cōsecratione perficitur sacramētum, vsus autē sacramenti est consequenter se habens ad hoc sacramentum. Et ideò non est simile.

AD tertium dicendum, quòd si miraculosè corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, nō est sumendum. Dicit enim Hieron. super Leuit. De hac quidem hostia, quę in Christi cōmemoratione mirabiliter fit, edere licet: de illa verò, quam Christus in ara Crucis obtulit, secundùm se nulli edere licet. Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur, quia ea, quæ miraculosè fiunt, legibus non subdūtur. Consulendum tamē esset sacerdoti, quòd iteratò corpus & sanguinem Domini consecraret & sumeret.

Refertur de cōse. d. 2. c. De hac. Ex Orig. homil. 7. sup. Leuit.

COMMENTARIVS.

D. Thomæ cōclusio affirmat.

AFfirmat D. Thomas necessarium esse, vt Sacerdos consecrans integrè sumat hoc sacramentum, quia consecrando sacrificat: quia autem sacrificat, debet fieri sacrificij particeps, edendo ex illo: quia, vel hoc spectat ad perfectionem sacrificij, vel est obligatio consequens ipsum. De qua re hoc loco nihil amplius dicemus, pertinet enim ad materiam de sacrificio infrà tractandam. Solum aduerto, ex discursu D. Thomæ non videri probari conclusionem quad illam particulam, *integrè*: quia, vt minister ostendat, se esse dispensatorem diuinorum, & ad se sacrificiū pertinere, satis est, vt aliquid ex illo edat, non est autem necesse, quòd totum atque integrum sacrificium comedat. Respondetur, nō esse mentē D. Thomæ, necessariū esse, sacerdotē sumere totū, quod consecrat, sed sumere vtrāq; speciē, & hoc vocat, *integrè*: & hoc satis probatur, si supponamus, vtramq; speciē esse de essēntiam huius sacrificij, quia oportet Sacerdotē participare de eo, quod est essentiale in sacrificio. Solutio ad secundū explicata est disputatione præcedente, sect. 3. Solutio verò ad tertium, suprà disp. 55. sect. 4.

Satisfit obiectioni.

ARTICVLVS V.

Vtrùm malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit.

4. d. 13. q. 1. a. 2. q. 3. ad 2. Super illud Soph. 3. Sacerdotes polluerunt sanctum. tom. 6.

AD quintum sic proceditur. Videtur, ꝙ malus sacerdos Eucharistiā cōsecrare non possit. Dicit enim Hieron. super Soph. Sacerdotes, qui Eucharistiæ seruiūt, & sanguinem Domini populis diuidunt, impiè agunt in lege Christi, putantes Eucharistiam precantis facere verba, nō vitā, & necessariā esse solēnem orationem, & sacerdotis merita, de quibus dicitur: Sacerdos in quacunque fuerit macula, nō accedat offerre oblationes Domino. Sed sacerdos peccator, cum sit maculosus, nec vitam habet, nec merita huic cōuenientia sacramēto. Ergo sacerdos peccator non potest consecrare Eucharistiam.

¶ 2 Præterea, Damasc. dicit in 4. lib. ꝙ panis & vinū per aduentū sancti Spiritus, super naturaliter transit in corpus & sanguinē Domini. Sed Gelasius Papa dicit (sicut habetur in Decr. 1. q. 1. c. Sacrosancta.) Quomodò ad diuini mysterij consecrationē, cælestis Spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos, qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur? Ergo per malum sacerdotem non potest Eucharistia consecrari.

Li. 4. orth. fi. c. 14. nō longe à med.

In decr. 1. q. 1. cap. Sacrosanct.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentū sacerdotis benedictione consecratur. Sed benedictio sacerdotis peccatoris nō est efficax ad cōsecrationē huius sacramenti, cum scriptum sit, Malach. 2. Maledicā benedictionibus vestris; & Dionys. dicit in epistolā ad Demophilū monachum: Perfectè cecidit à sacerdotali Ordine, qui non est illuminatus, & audax quidem nimiū mihi videtur talis, sacerdotalibus manum apponens, & audet immundas infamias (non enim dicā orationes) super diuina symbola Christi formaliter enunciare.

Circa medium illius.

SED cōtrà est, quòd Aug. dicit in lib. de corpore Domini: Intra Ecclesiam catholicā, in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote, quia non immerito consecrātis, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus sancti.

Refertur. 1. q. 1. ca. Intra catholicā. Et de consec. d. 2. c. Vtrùm sub. ex lib. de corpore Domini.

RESPONDEO dicēdum, ꝙ (sicut suprà dictum est) sacerdos consecrat hoc sacramentum, non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc sacramentum. Non autē ex hoc ipso desinit aliquis

Art. 1. & 2. huius quæst.

minister esse Christi, quòd est malus: habet enim Dominus bonos & malos ministros, seu seruos. Vnde Matth. 24. dicit: Quis putas est fidelis seruus & prudēs? &c. posteà subdit: Si autē dixerit malus ille seruus in corde suo, &c. Et Apostol. dicit. 1. Corint. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & tamen posteà subdit: Nihil mihi cōscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Erat ergo certus, se esse ministrum Christi: tamen nō erat cert⁹, se esse iustū. Potest ergo aliquis esse minister Christi, etiam si iustus non sit. Et hoc ad excellentiam Christi pertinet, cui, sicut verò Deo, seruiunt, non solū bona, sed etiam mala, quæ per ipsius prouidētiam in eius gloriam ordinantur. Vnde manifestum est, quòd sacerdotes, etiam si non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharistiam consecrare.

AD primum ergo dicendum, ꝙ Hierony. per illa verba improbat errorē sacerdotum, qui credebāt, se dignè posse Eucharistiam cōsecrare, ex hoc solo, ꝙ sunt sacerdotes, etiā si sint peccatores. Quod improbat Hiero. per hoc, ꝙ maculosi ad altare accedere prohibentur. Non tamen remouetur, quin, si accesserint, sit verum sacrificium, quod offerunt.

Loco citato in arg.

AD secundum dicēdum, ꝙ ante illa verba, Gelasius Papa præmittit: Sacrosancta religio, quæ catholicā continet disciplinā, tantā sibi reuerentiā vendicat, vt ad eā quilibet (nisi pura consciētia) non audeat peruenire. Ex quo manifestè apparet, eius intentionē esse, quòd peccator sacerdos non debet ad hoc sacramentum accedere. Vnde per hoc, quod subdit: Quomodò cęlestis Spiritus inuocatus adueniet? intelligi oportet, quòd non aduenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cuius verba profert sacerdos.

In prin. c. citati in art.

AD tertiū dicendū, ꝙ sicut eadē actio, in quātū fit ex praua intētione ministri, potest esse mala, bona autē, in quantum fit ex bona intētione Dñi, ita benedictio sacerdotis peccatoris, in quantū ab ipso indignè fit, est maledictione digna, & quasi infamia, siue blasphemia, & nō oratio reputatur: in quantū autē profertur ex persona Christi, est sancta & efficax ad sanctificādum. Vnde signanter dicitur: Maledicam benedictionibus vestris.

DE quæstione huius articuli nihil occurit dicendum, præter ea, quæ de ministris sacramētorū in genere tractauimus, & quæ addidimus sub finem quæst. 78. disput. 61. sect. 3.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Missa mali sacerdotis minùs valeat, quam Missa sacerdotis boni.

4. d. 13. q. 1. ar. 1. q. 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur, ꝙ Missa sacerdotis mali non minus valeat, quam Missa sacerdotis boni. Dicit enim Gregor. in Registro; Heu in quam magnum laqueum incidunt, qui diuina & occulta mysteria, plus ab alijs sanctificata posse fieri credunt, cum vnus, idemque Spiritus sanctus ea mysteria occulte, atque inuisibiliter operando sanctificet? Sed hæc occulta mysteria celebrantur in Missa. Ergo Missa mali sacerdotis non minùs valet, quàm Missa boni.

Refertur hoc in decre. 1. q. 1. cap. Multi. ante med.

¶ 2 Præterea, Sicut baptismus traditur à ministro in virtute Christi, qui baptizat; ita & hoc sacramentū in persona Christi consecratur. Sed non melior baptismus datur à meliori ministro, vt suprà dictum est. Ergo etiā neque melior Missa est, quæ celebratur à meliori sacerdote.

q. 64. a. c. & q. 67. ar. 5. & alijs.

¶ 3 Præterea, Sicut merita sacerdotū differunt per bonum, & melius, ita etiam differūt per bonum & malum. Si ergo Missa melioris sacerdotis est melior, sequitur, quòd Missa mali sacerdotis sit mala. Quod est inconueniens, quia malitia ministrorum non potest redundare in Christi mysteria, sicut August. dicit in lib. de Baptis. Ergo neque Missa melioris sacerdotis est melior.

Lib. 2. contra literas Petiliani, c. 47. circa fin. alijs verbis, tom. 7.

SED contra est, quod habetur in Decretis. 1. quæst. 1. Quāto sacerdotes fuerint digniores, tantò faciliùs in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.

In decret. 1. q. 1. c. 92. Ipsi sacerdotes.

RESPONDEO dicendū, ꝙ in Missa duo est cōsiderare, scilicet, ipsum sacramētū, quod est principale, & orationes, quæ in Missa fiūt pro viuis & mortuis. Quātū ergo ad sacramētū, non minùs valet Missa sacerdotis mali, quā boni, quia vtrobiq; idē cōficitur sacramētū. Oratio etiā, quæ fit in Missa, potest cōsiderari dupliciter. Vno modo, in quātum habet efficaciā ex deuotione sacerdotis orantis. Et sic nō est dubiū, ꝙ Missa melioris sacerdotis magis est fructuosa. Alio modo, in quantū oratio in Missa pfertur à sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius sacerdos est minister. Quod quidē ministeriū, etiā in peccatoribus manet, sicut suprà dictū est de ministerio Christi. Vnde etiā, quātū ad hoc, est fructuosa nō solū oratio sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiā oēs ei⁹ orationes, quas facit in Ecclesiasticis officijs, in quibus gerit personā Ecclesiæ, licèt orationes eius priuatæ nō sint fructuosæ, secūdum illud Prou. 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis.

Art. præced.

AD primū ergo dicēdū, ꝙ Greg. loquitur ibi, quantū ad sanctitatem diuini sacramēti.

Loco citato in arg.

AD secundùm dicendum, quòd in sacramento baptismi non fiunt solennes orationes pro omnibus fidelibus, sicut in Missa. Et ideò, quantum ad hoc, non est simile. Est au-

tem simile, quantum ad effectum sacramēti. A

AD tertium dicendū, ꝙ per virtutem Spiritus sancti (qui per vnitatem caritatis communicat inuicem bona membrorum Christi) fit, ꝙ bonum priuatum, quod est in Missa sacerdotis boni, est fructuosum alijs. Malū autem priuatū vnius hominis non potest alteri nocere, nisi per aliquem consensum, vt August. * dicit in lib. contra Parmenianum.

Li.2.ex c.13. tom.7. & ex trac.5. in Ioā. tom.9.

COMMENTARIVS.

HAEC quæstio intelligi potest de effectu huius sacramēti, vt sacramentum est; qui potest duplex distingui, alter est effectus formæ, qui est consecratio, seu sacramentum in facto esse; & hoc modo constat ex dictis, art. præc. bonitatem vel B malitiam ministri nihil referre ad hunc effectum. Alter effectus est ipsius sacramēti applicati ad vsum, qui non pertinet propriè ad effectum Missæ vt sic; & ideò, nec D. Thomas de illo loquitur, nec aliquid addendum occurrit doctrinæ traditæ de sacramentis in genere: nam hic effectus per se, & ex opere operato, nec augetur nec minuitur ex conditione dātis, vt sic. Quòd ideò dico, quia etiā ipse minister, qui Missam dicit, sumit hoc sacramentum, & sic malitia eius potest impedire effectū, & bonitas potest conferre ad augmentū eius, nō tamē, vt est dispositio dātis, sed recipientis. Alio modo intelligi potest quæstio de effectu huius mysterij, vt sacrificiū est; & hoc modo distinguit D. Thomas substantiā sacrificij ab orationibus adiunctis ex institutione Ecclesię, quas dupliciter dicit considerari posse; vno modo in quātū fiunt in persona Ecclesiæ, cuius Sacerdos est mini C ster, alio modo in quantū Sacerdos, vt priuata persona orat. Et sic tria respōdet, primò, effectū sacrificij secundū se nō augeri, nec minui ob vitā Sacerdotis.

D. Thom. Conclusio.

Secūdò idē dicit de effectu orationū, vt fundantur in merito Ecclesiæ; & de his dicturi sum* in materia de sacrificio. Tertiū est, fructū illarū orationū, prout funduntur à ministro, vt priuata persona, multū pendere ex deuotione: quia, quò fuerit sanctior, & maiori deuotione orauerit, eò magis meritoriæ, magisq; efficaces erunt orationes eius corā Deo; si autē fuerit peccator, nō erunt fructuosæ. Quæ omnia cōstant ex materia de merito & de oratione: nam hæc doctrina generalis est. Solū indiget ex positione illud vltimū verbū, ꝙ huiusmodi orationes peccatoris non sunt fructuosæ; quod non est generaliter verū de omnibus orationibus peccatorū, vt constat ex eodem D. Tho. 2.2. q 83. art. 61. vbi ex sentētia Augustini & D Chrysostomi, docet etiā orationes peccatorū exaudiri, si debitis conditionibus fiant, quanquā non ex iustitia, sed ex diuina beneuolētia exaudiantur: quia tales orationes ex parte ipsius orantis; nullius valoris sunt: & hoc modo posset exponi, quod hic dicitur, tales orationes esse infructuosas. Vel aliter, & fortassè melius, aliud est, orationem fieri à peccatore, de quo est sermo in 2.2. aliud verò est, orationem ipsā esse peccaminosam, ita vt ipsa mala sit, & offensionē Dei contineat, & hæc infructuosa prorsus est, cùm Deū potiùs ad vindictā, quā ad misericordiā prouocet; & huiusmodi est oratio sacerdotis mali in Missa deprecātis Deū: quia tota illa actio male fit & indignè; & in hoc sēsu locutus est D. Thomas, & in eo rectè intelligitur testimoniū, quod affert ex Prou. 28.

Explicatur quædam Diui Thom. verba.

Prouer. 28.

A Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare.

AD septimū sic proceditur. Videtur, ꝙ hæretici, schismatici, & excōmunicati, Eucharistiā consecrare nō possint. Dicit enim Aug. * ꝙ extra Ecclesiā catholicam nō est locus veri sacrificij. Et Leo Papa dicit, † & habetur in Decret. 1. q. Aliter, scilicet, quam in Ecclesia, quæ corpus Christi est, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia. Sed hæretici, schismatici, & excommuni B cati, sunt ab Ecclesia separati. Ergo non possunt verum sacrificium conficere.

In lib. sent. ex Aug. collectarū. c.15. to.3. Leo in epistol. 38. habetur. 1.q.1. cap. In Ecclesia Dei.

¶ 2 Præterea, Sicut ibidē legitur, Innoc. Papa dicit; Arrianos, cæterasq; eiusmodi pestes, quia laicos eorū sub imagine pœnitētiæ suscipimus, nō videtur clerici eorū cū sacerdotij, aut cuiuspiā mysterij suscipiēdi dignitate esse, quibus solū baptisma ratū esse permittim*. Sed nō pōt aliquis cōsecrare Eucharistiā, nisi sit cū sacerdotij dignitate. Ergo hæretici, & cæteri huiusmodi, non possunt Eucharistiam consecrare.

1.q.1.ca.74. Arrianos.

¶ 3 Pretereà, Ille, qui est extra Ecclesiā, nō videtur aliquid posse agere in persona totius C Ecclesiæ, sed sacerdos consecrās Eucharistiā, hoc agit in psona totius Ecclesiæ; ꝙ patet ex hoc, ꝙ oēs orationes pponit in psona Ecclesię. Ergo videtur, ꝙ illi, qui sunt extra Ecclesiā, scilicet, hæretici, schismatici, & excōmunicati, non possint consecrare Eucharistiam.

SED cōtrà est, quòd Aug. dicit in 2. contra Parmenianum: Sicut baptismus in eis, scilicet, hæreticis schismaticis, & excommunicatis, ita Ordinatio mansit integra. Sed ex vi Ordinationis sacerdos potest consecrare Eucharistiā: Ergo hæretici, schismatici, & excōmunicati, cùm in eis maneat Ordinatio integra, videtur, ꝙ possint cōsecrare Eucharistiā.

Lib.2.ca.13. tom.7.

RESPONDEO dicēdū, ꝙ quidā dixe D rūt, ꝙ hæretici, schismatici, & excōmunicati, quia sunt extra Ecclesiā, nō possunt cōficere hoc sacramētū. Sed in hoc decipiūtur: quia, sicut Aug. dicit in 2. cōtra Parmenianū, aliud est, aliquid omnino nō habere, aliud autē, nō rectè habere, & similiter etiā est aliud, nō dare, & aliud, nō rectè dare. Illi igitur, qui intrà Ecclesiā cōstituti, receperūt potestatē consecrādi Eucharistiā in Ordinatione sacerdotij, rectè quidem habent potestatem, sed non rectè ea vtuntur, si postmodum per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem, ab Ecclesia separantur. Qui autem sic separati Ordinantur, nec rectè habent potesta-

Lib.2.ca.13. ante med. to. 7.

tē, nec rectè vtuntur. Quod tamen vtriq; potestatem habeant, patet per hoc, ꝙ (sicut Augustinus ibidē dicit) cum redeunt ad vnitatē Ecclesiæ, non reordinātur, sed recipiuntur in suis Ordinibus, & quia consecratio Eucharistiæ est actus consequens Ordinis potestatē, illi, qui sunt ab Ecclesia separati per hęresim, aut schisma, vel excōmunicationem, possunt quidē consecrare Eucharistiā, quæ ab eis consecrata, verū corpus & sanguinē Christi continet non tamen hoc rectè faciunt, sed peccant facientes. Et ideo fructum sacrificij non percipiunt, quod est sacrificij spirituale.

Lib.2. contra Parmenianū, c.13. to.7.

AD primū ergo dicendū, ꝙ autoritates illæ, & similes, intelligendæ sunt, quantum ad hoc, ꝙ nō rectè extra Ecclesiā sacrificiū offertur. Vnde extra Ecclesiā non potest esse spirituale sacrificiū, quod est verū veritate fructus, licèt sit verum veritate sacramēti; sicut etiā suprà dictū est, ꝙ peccator sumit corpus Christi sacramentaliter, sed nō spiritualiter.

Quæst.80. artic.3.

AD secundum dicendum, quod solus baptismus permittitur esse ratus hæreticis, & schismaticis, quia possunt licitè baptizare in articulo necessitatis. In nullo autem casu licitè possunt Eucharistiam cōsecrare, vel alia sacramenta conferre.

AD tertiū dicēdum, ꝙ sacerdos in Missa, in orationibus quidē loquitur in persona Ecclesiæ, in cuius vnitate consistit. Sed in cōsecratione sacramēti loquitur in persona Christi, cuius vicē in hoc gerit per Ordinis potestatē. Et ideò, si sacerdos ab vnitate Ecclesiæ præcisus, Missam celebret, quia potestatem Ordinis nō amittit, consecrat verum corpus & sanguinem Christi, sed quia est ab Ecclesiæ vnitate separatus, orationes eius efficaciam non habent.

COMMENTARIVS.

DE hoc articulo legenda sunt loca citata in artic. 5. Solùm est notanda solutio ad 3. D. Tho. in quā sentit, huiusmodi Sacerdotes ab Ecclesia præcisos, non amittere quidem ministeriū quod exercent in persona Christi; amittere autem ministerium, quod faciunt in persona Ecclesiæ: quia ab Eclesiæ vnitate separati sunt, contra quam rationem facere potest, nam etiam est separatus ab vnitate Christi, & maximè si sit hæreticus: sicut ergo Christus vtitur interdùm ministro à se separato, ita potest Ecclesia. Respon. huiusmodi ministrum semper esse vnitum Christo, vel per characterem sacerdotalem, qui est veluti participatio quædam potestatis Christi, vel per subordinationem instrumēti ad principale agēs, quomodò baptizare potest ethnicus; sufficit enim Chisto rationem suæ potentiæ prædicta subordinatio, quāuis sola in solo baptismi sacramēto sufficiat; nō quia non potuisset Christus aliter instituere, sed quia non oportuit, vt alibi dictū est. Dices, etiā respectu Ecclesię intercedit vnio A per characterē, & per subordinationē moralē, quia talis minister est illi subiectus: &, si fidelis sit est membrum eius. Respond. non esse sermonē de hac vnione, sed de illa, quæ per se ordinatur ad prædictū ministerium, scilicet, quòd talis minister sit ab Ecclesia deputatus, vt suo nomine preces ad Deum fundat; à quo ministerio separatur per censurā, qua dicitur separatus ab vnitate Ecclesiæ; quæ est ratio sufficiens, vt non offerat, neq; oret in persona Ecclesiæ, de qua re plura inferiùs, de sacrificio tractantes.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm sacerdos degradatus possit hoc sacramentum conficere.

B AD octauum sic proceditur. Videtur, ꝙ sacerdos degradatus non possit hoc sacramentum cōficere. Nullus enim cōficit hoc sacramentū, nisi per potestatē consecrandi, quā habet. Sed degratus nō habet potestatem consecrandi, licet habeat potestatē baptizandi, vt dicit Canon. 1. q. 1. c. quidam. Ergo videtur, quod presbyter degradatus non possit Eucharistiam consecrare.

4.d.13.q.2. art.1.q.4. Et quo.12. ar.16

Habetur in decret. 1.q.1.c. Quod quidam circ. med.

¶ 2. Præterea Ille, qui aliquid dat, potest etiā auferre. Sed Episcopus dat presbytero potestatē consecrādi, Ordinādi ipsum. Ergo etiam potest ei auferre, degradando eum.

¶ 3. Præterea, Sacerdos per degradationē, aut amittit potestatē cōsecrādi, aut solā exe C cutionē. Sed non solā executionem, quia sic nō plus amitteret degradatus, quē excōmunicatus, qui etiā executione caret. Ergo videtur, ꝙ amittat potestatē cōsecrādi. Et ita videtur, ꝙ nō possit cōficere hoc sacramentum.

SED contrà est, quòd August. in 2. cōtra Parmenianum probat, quod apostatæ à fide non carent baptismate, per hoc, ꝙ per pœnitentiā redeūtibus nō restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur. Sed similiter degradatus, si reconcilietur, non est iterum Ordinandus. Ergo non amisit potestatem consecrandi. Et ita sacerdos degradatus potest conficere hoc sacramentum.

Lib.2.c.13. tom.7.

RESPONDEO dicendum, quòd po D testas consecrandi Eucharistiam, pertinet ad characterem sacerdotalis Ordinis. Character autem quilibet, quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est, vt suprà dictum est, sicut & quarūcunq; rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt. Vnde manifestum est, quòd potestas consecrandi non amittit per degradationem. Dicit enim August. in 2. contra Parmenianum. Vtrumque, scilicet, baptismus & Ordo, sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur; illud, cùm baptizatur istud, cùm Ordinatur, ideoque, non licet à Catholicis vtrumque itera-

Quæst.63. artic.5.

Lib.2. to.13. à med. to.7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri. Et sic patet, quòd sacerdos degradatus po
test conficere hoc sacramentum.

AD primum ergo dicendum, quod Canō ille nō loquitur assertiue, sed inquisitiue, sicut ex circunstantia literæ haberi potest.

AD secundum dicendum, quòd Episcopus non dat potestatem sacerdotalis Ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei, cuius effectus per hominē tolli non potest, secundum illud Matth. 19. Quos Deus cōiunxit, homo non separet. Et ideò episcopus non potest hanc potestatem auferre, sicut nec ille, qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem.

AD tertiū dicendū, q̄ excōmunicatio est medicinalis. Et ideò excōmunicatis non aufertur executio sacerdotalis potestatis, quasi in perpetuum, sed ad correctionem, vsq; ad tempus. Degradatis autem auferetur executio quasi in perpetuum condemnatis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus, communionem recipere & eorum Missam audire.

Supra q. 64. ar. 9. ad 2. & 3. Et 4. d. 13 q. 1. art. 3. q. 3.

AD nonum sic proceditur. Videtur, q̄ aliquis licitè possit cōmunionem recipere à sacerdotibus hæreticis, vel excommunicatis, vel etiam peccatoribus, & ab eis Missam audire. Sicut enim Augustī cōtra Petilianū dicit: Neq; in homine bono, neq; in homine malo, aliquis Dei fugiat sacramētū. Sed sacerdotes, quanuis sint peccatores & hæretici, vel excommunicati, verum conficiunt sacramentum. Ergo videtur, quod non sit vitandum, ab eis communionem accipere, vel eorum Missam audire.

Refertur hoc in decre. 1. q. 1. cap. Neque in princip.

¶ 2. Præterea, Corpus Christi verum, figuratiuum est corporis mystici, sicut suprà dictum est. Sed à prædictis sacerdotibus verū corpus Christi confecratur. Ergo videtur, q̄ illi, qui sunt de corpore mystico, possint eorum sacrificijs communicare.

Quæst. 80. ar tic. 4.

¶ 3. Præterea, Multa peccata sunt grauiora, quàm fornicatio. Sed non est prohibitum audire Missas sacerdotū aliter peccantium. Ergo etiam non debet esse prohibitum audire Missam sacerdotum fornicatiorum.

d. 32. c. Nullus.

SED contrà est, q̄ Canon dicit. 32. distinct. Nullus Missam audiat sacerdotis, quē indubitanter concubinam nouit habere. Ex

Greg. lib. 3. Dial. c. 31. Parum à princ.

Greg. dicit in 3. Dialo. quod pater perfidus Arrianum episcopum misit ad filium, vt decius manū sacrilegæ consecrationis communionē perciperet, sed vir Deo deditus Arriano Episcopo venīēti exprobrauit, vt debuit.

RESPONDEO dicēdum, quòd (sicut suprà dictum est) sacerdotes si sint hæretici, vel schismatici, vel excōmunicati, vel etiam peccatores, quāuis habeant potestatē consecrandi Eucharistam, nō tamē ea rectè vtuntur, sed peccant vtentes. Quicunque autē cōmunicat aliqui in peccato, ipse particeps peccati efficitur. Vnde & in 2. Canō. Ioan. dicitur, quod qui dixerit ei, aue (scilicet, hæretico) communicat operibus illius malignis. Et ideò nō licèt à prædictis cōmunionem accipere, aut eorū Missam audire. Differt tamen inter prædictas sectas. Nā hæretici, & schismatici & excōmunicati, sunt per sententiam Ecclesiæ, executione consecrandi priuati, & ideò peccat, quicunq; eorū Missam audit, vel ab eis accipit sacramēta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiā Ecclesiæ, executione huius potestatis priuati. Et sic quāuis sint suspensi quantū ad se ex sentētia diuina, non autē quantū ad alios ex sentētia Ecclesiæ. Et ideò vsq; ad sententiā Ecclesiæ licet ab eis cōmunionem accipere, & eorū Missam audire. Vnde super illud 1. Corint. 5. Cū huiusmodi nec cibū sumere, dicit Glos. Aug. hoc dicendo, noluit hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum & conuictum.

Art. 5. 6. 7. & 8. huius q.

Circa finem illius.

Est Augustin. de vtilitate pœnit. à vltimo. 10. 9. habetur etiam hic dist. 10. tom. inter 50. hom. & est vltima.

AD primū ergo dicēdum, q̄ in hoc, quòd refugimus audire Missas taliū sacerdotium, aut ab eis cōmunionem recipere, nō refugimus Dei sacramēta, sed potius ea veneramur. Vnde hostia à talibus sacerdotibus cōsecrata est adoranda, & si reseruetur, licitè potest sumi à sacerdote legitimo. Sed refugimus culpam indignè ministrantium.

AD secundum dicēdum, quòd vnitas corporis mystici est fructus corporis veri percepti. Illi autem qui indignè percipiunt, vel ministrant, priuātur fructu, vt suprà dictum est. Et ideò non est sumendum ex eorum dispensatione sacramentum, ab eis qui non sunt in vnitate Ecclesiæ.

Quæst. 80. ar tic. 4. & art. 7. huius q.

AD tertium dicendum, q̄ licèt fornicatio non sit grauior cæteris peccatis, tamen ad eā proniores sunt homines propter carnis concupiscentiā. Et ideò specialiter hoc peccatū sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia, & ne aliquis audiat Missam cōcubinarij sacerdotis. Sed hoc intelligēdum est de notorio, vel per sententiam, quæ fertur in cōuictum, vel per confessionem in iure factam, vel per euidentiam facti, quando non potest peccatum aliqua tergiuersatione celari.

Hic articulus explicatus est in fine disp. precedētis.

ARTI-

ARTICVLVS X.

Vtrùm liceat sacerdoti, omnino à consecratione Eucharistiæ abstinere.

4. d. 12. q. 3. ar. 2. q. 3. & d. 13. q. 1. artic. 1. q. 1.

AD decimū sic proceditur. Videtur, q̄ liceat sacerdoti, omnino à cōsecratione Eucharistiæ abstinere. Sicut enim ad officium sacerdotis pertinet Eucharistiā consecrare, ita etiā baptizare, & in alijs sacramentis ministrare. Sed sacerdos non tenetur ministrare in alijs sacramentis, nisi propter curam animarum susceptam. Ergo videtur, quòd nec etiam teneatur Eucharistiam consecrare, si curam non habeat animarum.

¶ 2. Præterea, Nullus tenetur facere, quod sibi non licet, alioquin esset perplexus. Sed sacerdoti peccatori, vel etiam excommunicato, non licet Eucharistiam cōsecrare, vt suprà dictum est. Ergo videtur, quòd tales non teneātur ad celebrandum. Et ita nec alij, alio quin ex sua culpa commodum reportarent.

Art. 7. huius quæst.

¶ 3. Præterea, Dignitas sacerdotalis non perditur per subsequentē infirmitatem, dicit enim Gelasius Papa, & habetur in decretis, distinct. 55. Præcepta canonica, sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles corpore, ita si quis in eo fuerit constitutus, ac tunc fuerit fauciatus, amittere non potest, quod tempore suæ sinceritatis accepit. Contingit autem quandoq;, quòd Ordinati in sacerdotes, incurrūt aliquos defectus, ex quibus à celebratione impediuntur, sicut est lepra, vel moribus caducus, vel aliquid aliud huiusmodi. Non ergo videtur, quòd sacerdotes ad celebrandum teneantur.

Gelas. Caillado Episcopo scribens. Habetur in decret. dist. 55. Præcepta canonica. In princip.

SED cōtrà est, quod Ambr. dicit in quadam oratione: Graue est, quod ad mensam tuā mundo corde, & manibus innocentibus nō venimus, sed grauius est, si, dū peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus.

RESPONDEO, dicendum, q̄ quidam dixerunt, quòd sacerdos potest omnino à cōsecratione licitè abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo & sacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia vnusquisque tenetur vti gratia sibi data, cùm fuerit opportunū, secundū illud 2. ad Corint. 6. Exhortamur ne in vacuū gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem sacrificiū offerendi, nō solū attenditur per cōparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per cōparationē ad Deū, cui cōsecratione hu

Ethæc de Eucharistia Sacramento.

TRA-

in sacramēti sacrificiū offertur. Vnde sacerdoti, etiā si nō habeat curam animarū, non licet omnino à celebratione cessare, sed saltē videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueuerunt. Et hinc est, quòd 2. Mach. 4. cōtra quosdā sacerdotes dicitur, q̄ iā nō circa altaris officia deditierāt cōtēpto tēplo, & sacrificijs neglectis.

AD primū ergo dicendum, quòd alia sacramēta perficiūtur in vsu fidelium. Et ideò in alijs ministrare non tenetur, nisi ille, qui super fideles suscipit curam. Sed hoc sacramētū perficitur in cōsecratione Eucharistiç, in qua sacrificiū Deo offertur, ad quod sacerdos obligatur Deo ex Ordine iam suscepto.

AD secundum dicendum, quòd sacerdos peccator, si per sententiam Ecclesiæ sit executione Ordinis priuatus, vel simpliciter, vel ad tempus, redditus est impotens ad sacrificium offerēdum, & ideò obligatio tollitur. Hoc autē cedit sibi in detrimentum spiritualis fructus, magis quàm in emolumētum.

Si verò nō sit priuatus potestate celebrandi, non soluitur obligatio: nec tamen perplexus est, quia potest de peccato pœnitere, & celebrare.

AD tertium dicendum, quòd debilitas, vel ægritudo superueniens Ordini sacerdotali, Ordinem non tollit, executionē tamen Ordinis tollit, quantum ad consecrationem Eucharistiæ. Quandoque quidem propter impossibilitatem executionis, sicut si priuetur oculis, aut digitis, aut vsu linguæ. Quandoq; autem propter periculum, sicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel etiā quācunque alienationem mentis. Quandoque propter abominationē, sicut patet de leproso, qui non debet publicè celebrare. Potest tamen Missam dicere occultè, nisi lepra adeò inualuerit, quod per corrosionem membrorum eum ad hoc reddiderit impotentem.

COMMENTARIVS.

D. Thoma conclusio.

SEntentia D. Thomæ est, non licere sacerdoti; etiam si curam animarum non habeat, omnino à consecratione huius sacramenti abstinere: *quia consecratione*, inquit, *huius sacramenti sacrificium Deo offertur, ad quod* (dicit in solutione ad primum) *Sacerdos obligatur Deo ex Ordine iam suscepto.* Addit deinde D. Th. tēpus huius obligationis esse in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare cōsueuerunt. Quæ doctrina exponetur in disputationibus moralibus de sacrificio, vbi etiam declarabimus solutionem ad 3. in qua D. Thomas corporales ægritudines numerat, quæ exocutionem sacerdotalis Ordinis impedire possunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATVS DE MISSAE SACRIFICIO.

HActenus expediuimus omnia, quæ de mysterio Eucharistiæ, quatenus sacramentum est, dicenda nobis occurrerunt; nunc alterã rationem huius mysterij, quatenus sacrificiũ est, explanare aggredimur. Quam tractationem D. Thom. in his quæstionibus non distinxit, nec separauit, sed promiscuè de vtraque ratione sacramenti, & sacrificij disseruit: de priori quidem ex professo, de posteriori verò quasi incidenter, & breuissimè, optimè tamen accommodatur hæc materia ad octauagesimam tertiam quæstionem D. Thomæ, in qua, postquàm egit de sacramento, quod permanens est, de modo seu ritu conficiendi illud agere videtur: sic enim intelligendum censeo titulum sequentis quæstionis, qui est de ritu huius sacramenti, id est, de ritu conficiendi: quia omnis ritus est in ordine ad aliquã actionem: hic autem non agit de ritu seruando in vsu, quia de eo iam dictum est: agit ergo de ritu seruando in eius effectione; & ita in omnibus fere articulis agit D. Thomas de celebratione; idem autem est celebrare, quod consecrare, seu sacrificare. Tractat autem D. Thomas præcipuè de ritu accidentario in quinque posterioribus articulis, in primo verò breuiter attingit ritum substantialem sub ratione sacrificij; & ideò commodissimè tota doctrinã de sacrificio in hunc locum reseruata est.

QVÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius sacramenti, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandũ est de ritu huius sacramenti.

¶ *Et circa hoc quæruntur sex.*

Primò, vtrũ in celebratione huius mysterij Christus immoletur.

Secundò, de tempore celebrationis.

Aliàs aptitudinem. Tertiò, de loco, & alijs, quæ pertinẽt ad apparatum huius celebrationis.

Quartò, de his quæ in celebratione huius mysterij dicuntur.

Quintò, de his quæ circa celebrationem huius mysterij fiunt.

Sextò, de defectibus, qui circa celebrationẽ huius sacramenti occurrunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc sacramento Christus immoletur.

AD primum sic proceditur. Videtur, q̃ in celebratione huius sacramenti, Christus nõ immoletur. Dicitur enim Hebr. 10. Quòd Christus vna oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos. Sed il la oblatio fuit eius immolatio. Christus ergo non immolatur in celebratione huius sacri.

Infrà art. 2. cor. & ad 2. & 2.

¶ 2. Præterea, Immolatio Christi facta est in Cruce, in qua tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, vt dicitur Ephes. 5. Sed in celebratione huius mysterij Christus nõ crucifigetur. Ergo nec immolatur.

Lib. 4. c. 14. in fin. & c. 7. in princ. to. 3. ¶ 3. Præterea, Sicut Aug. dicit in 4. lib. de Trin. in immolatiõe Christi idẽ est sacerdos & hostia. Sed in celebratione hui⁹ sacramẽti nõ est idẽ sacerdos & hostia. Ergo celebratio huius sacramenti nõ est Christi immolatio.

Habetur de cõsecr. d. 2. c. Semel immolatus.

SED contrà est, quòd Augustinus dicit in lib. sent. Prosperi; Semel immolatus est in semetipso Christus, & tamen quotidie immolatur in sacramento.

RESPONDEO dicendũ, quòd dupliciter celebratio huius sacramenti dicitur immolatio Christi. Primò quidem, quia, sicut dicit Augustinus ad Simplicium, solent imagines earum rerũ nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut cum intuẽtes tabulam, aut parietem pictum, dicimus, ille Cicero est, & ille Salustius. Celebratio autem huius sacramenti (sicut suprà dictũ est) imago quædã est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. Et ideò celebratio huius sacramenti dicitur Christi immolatio. Vnde Ambros. dicit super Epistolam ad Hebræos. In Christo semel oblata est hostia, ad salutem sempiternam potens, quid ergo nos, nonne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis eius. Aliò modo quantum ad effectum passionis Christi, quia, scilicet, per hoc sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis. Vnde in quadam Dominicali oratione secreta dicitur, Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Quantum igitur ad primum modum, poterat dici Christus immolari etiã in figuris veteris testamenti. Vnde & Apocal. 13. dicitur, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi, sed quantum ad secundum modum, proprium est huic sacramento, quòd in eius celebratione Christus immoletur.

In lib. quæst. ad Simplicia, q. 3. parum ante med. to. 4.

Quæst. 79. ar. 1. & 3. & 73 ar. 6.

Inscp. 10. ad Hebr. non procul à princip. to. 5.

AD primum ergo dicendum, quòd, sicut Ambros. ibidem dicit. Vna est hostia (quam, scilicet, Christus obtulit, & nos offerimus) & non multæ, quia semel oblatus est Christus: Hoc autem sacrificium exemplum est illius. Sicut enim, quod vbiq; offertur, vnũ est corpus, & nõ multa corpora, ita & vnũ sacrificiũ.

Inscp. 10. ad Hebr. non remotè à princ. to. 5.

AD secundum dicendum, quod, sicut celebratio huius sacramenti est imago repræsentatiua passionis Christi, ita altare est repræsentatiuum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est.

AD tertium dicendum, quòd per eandem rationem etiam sacerdos gerit imaginẽ Christi, in cuius persona & virtute verba pronunciat ad consecrandum, vt ex suprà dictis patet. Et ita quodammodò idem est sacerdos & hostia.

Quæst. 82. artic. 1. & 3.

COMMENTARIVS.

RESponsio D. Thomæ est, Christum immolari in hoc sacramento, id est, in cõfessione seu celebratione huius sacramenti: cùm enim sacramentum hoc sit res permanens, potest quidem habere rationem rei oblatæ, non tamen potest habere rationem oblationis vel sacrificij, quod in aliqua actione consistit: dicitur ergo Christus immolari in hoc sacramento, quando ipsum sacramentum conficitur: tunc enim sacramentum celebrari dicitur; & hoc sensu ait D. Tho. celebrationẽ huius sacramenti esse Christi immolationem. Hanc autem assertionem duplici ratione satis difficili confirmat. Prima est, quia eo modo appellatur hæc celebratio, immolatio, quo imago solet appellari nomine rei repræsentatæ: celebratio autẽ huius sacramenti est quædam repræsentatio passionis Christi, quatenus in ea conficiuntur corpus & sanguis Christi separatim ex vi verborum: ergo, sicut passio Christi fuit vera immolatio, ita celebratio huius sacramenti est immolatio per modum imaginis alterius veræ immolationis. In quo discursu statim occurrit obiectio, quia sequitur, hoc mysterium nõ esse verum sacrificium, sed imaginẽ eius, neq; vniuocè sic appellari, sed solũ per extrinsecã amalogiã, sicut imago hominis, homo esse dicitur. Dicendũ verò est, rationem D. Tho. optimã esse, eius tamen expositionẽ pendere ex intelligentia rationis propriæ, & essentiæ sacrificij. Et ideo breuiter supponendũ est, sacrificiũ quasi materialiter cõsistere in actione facta circa rẽ aliquã in cultum Dei: formaliter autẽ constitui in genere signi, vel excellentiæ diuinæ, vel interioris sacrificij: quia ergo ex superioribus satis constat, celebrationem huius sacramenti esse quandam actionẽ sacram pertinentem ad cultum Dei, ideò D. Th. hic solũ fuit solicitus in explicando qua ratione & quẽadmodum sit in actione hac significatio sufficiens ad rationem sacrificij; quod rectè declarat per hoc, quòd repræsentat passionem Christi. Quod intelligendum est, non solùm de illa passione, quatenus mors cuiusdã hominis fuit, sed quatenus à summo sacerdote Christo oblata est Deo in sacrificium: nã eãdem intentione, & sub tali modo fit eius repræsentatio in hoc mysterio, & ideò non sequitur, hoc nõ esse propriè, vniuocè, & intrinsecè sacrificium: nam in his, quæ constituuntur in genere signi vel imaginis, esse tale per repræsentationẽ alterius, non excludit, verum esse in tali genere, sicut imago imaginis tam vera imago est, sicut prior imago repræsentata. Addi etiam potest, si vim faciamus in verbo immolationis, hoc sacrificium non dici propriè immolationem, nam immolatio propriè significat sacrificium cruentum, per veram interfectionem animalis, vel alterius rei destructionẽ; & hoc sensu mysterium hoc, quamuis sit verum sacrificium, non tamen est propriè immolatio; & hoc modo cõcedi potest, esse

Christum in hoc sacramento immolari affirmat D. Thom.

Obiectio.

Dilnitur.

A esse analogicè immolationem: quia re vera repræsentat immolationem in Cruce factam, quanquam non videatur hic sensus D. Thomæ, qui indifferenter loquitur de immolatione & oblatione, vt patet ex verbis Ambrosij, quibus suam rationem confirmat.

Explicatur secũda ratio D. Thom.

Secunda ratio D. Thomæ in forma est hæc, Per hoc sacramentũ efficimur participes fructus Dominicæ passionis: ergo in eo immolatur Christus. Quę illatio difficilis sanè est, quia participare fructũ passionis Christi, communiter fit per vsum sacramentorum omnium, in quibus non propterea Christus immolatur; & ideò hæc supponenda, vel subintelligenda videntur, vt hæc ratio vim habeat, nimirùm per celebrationem huius mysterij, non solùm quatenus est vsus & receptio sacramenti, sed etiam quatenus est consecratio ipsius corporis & sanguinis Christi, nobis applicari ex opere operato fructũ passionis eius; quo sensu intelligit hic D. Thom. quædam verba Ecclesiæ dicentis, quoties hoc mysteriũ celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur: dicitur enim exerceri, non tantùm secundùm repræsentationem, sed etiam secundùm efficaciam, quia nobis applicantur. Hinc ergo à posteriori cõcluditur, hanc celebrationem esse sacrificium, vel quia opus redemptionis non applicatur ex opere operato, nisi, aut per receptionem sacramẽti, aut per oblationem sacrificij: sed hæc celebratio Eucharistiæ vt sic, non est receptio sacramenti, & tamen per illam vt sic, applicatur ex opere operato passio Christi: ergo est oblatio sacrificij. vel certè, quia, sicut nostra redemptio quoad sufficientiam quodam sacrificio est perfecta, ita debuit per aliquod sacrificium applicari: nullum autem est aliud, præter hoc mysterium.

In solutione ad 1. tãgit D. Thomas locũ Pauli in Epist. ad Hebræos infrà latè tractãdum. In solutio- C ne ad 2. vno verbo dici poterat, argumẽtum solùm concludere, hic Christum non immolari cruenter: D. Thomas verò, vt magis explicet primã rationẽ articuli declarare voluit, sicut per consecrationem repræsentatur passio, ita altare Crucem significare. Et in eodem loco in solut. ad 3. declarat, Sacerdotẽ consecrantem gerere imaginem Christi, cuius personam induit, dum cõsecrat. Vnde concludit in hæc verba; *Et ita quodammodò idem est Sacerdos & hostia*, circa quæ verba dubitatum aliquando est, cur D. Tho. addiderit, *quodammodò*, cùm simpliciter Sacerdos & hostia idem esse videantur. Respõdeo, significasse D. Thomam, Christum esse hostiam, quæ im- D mediatè offertur, non tamen esse sacerdotem per se ipsum immediatè offerentem, sed per aliũ, verùm etiam sacerdotem; & ita sacerdotem & hostiam nõ esse omnino idem. Addi etiam potest, esse sacerdotem, prout in propria specie existit, hostiam verò, vt est sub alieno modo sacramentali.

D. Tho. verba explicãtur.

DSPVTAT. LXXIII.

De sacrificio in communi.

Disput. 1. de Sacrificio.

QVanquam D. Tho. de cõmuni ratione sacrificij tractauerit. 1. 2. q. 85. nihilominus hoc loco præmittenda necessariò est, vt ex proprijs principijs ostendere possimus, quomodò in mysterio Eucharistiæ vera sacrificij ratio inuenitur, quod ad huius materiæ cõplementum necessarium est, vt tota hæc doctrina de signis sensibilibus ad diuinum cultum institutis, perfecta sit ha- A ctenùs enim quædã signa declarauimus, quæ ad sanctificationem hominũ instituta sunt, quæ sacramenta vocamus; præter hæc autem necessarium est signum aliquod, quod directè & per se ritum ipsum colendi Deum cõtineat, quod sacrificium appellamus. De quo dicendum hoc loco est, quoniam re ipsa cõiunctum est cum Eucharistiæ sacramento.

SECTIO I.

Vtrùm sacrificium in genere signi rei sacræ constituatur.

Difficultatis causa.

RAtio dubitandi est, quia D. Th. suprà q. 60. art. 1. sacramentum definiẽs, dicit, *esse signum rei sacræ*: sed ratio sacrificij diuersa est à ratione sacramenti: ergo non potest hoc conuenire sacri- B ficio. In contrarium verò est, quia sacrificium dicit aliquid sensibile ad cultum Dei pertinens, sed nihil sensibile potest pertinere ad cultũ Dei, nisi aliquid significet ad honorem Dei pertinens; quod necesse est aliquo modo sacrum esse.

Quid nominis sacrificij explicatur.

Sacrificij definitio.

Sacrificij significatio multiplex & analoga est, vt sect. 6. declarabimus, nũc verò, vt procedere possit disputatio, supponẽda necessario est ꝓpria significatio huius vocis, in qua, & à nobis vsurpatur, & communi vsu recepta est. Sacrificiũ ergo ꝓpriè dictum est: *Externa, & sensibilis actio, qua res aliqua in Deo offertur, vt legitimo ac solẽni ritu in Dei honorem, & cultum aliquo modo immutetur à publico & legitimo ministro*: quibus verbis nũc solũ significationem vocis describimus, vt ita possimus ad essentiam rei declarãdam accedere. Hæc autem significatio primo sumpta est ex vsu omniũ Latinæ loquelæ ꝓfessorũ, apud quos C ferè nullus alius vsus huius vocis reperitur. Secũdò sumpta etiam est ex vsu Scripturæ sacræ: licèt enim verum sit, quælibet opera in cultũ Dei relata, interdùm in Scriptura appellari sacrificium, vt interna cõtritio, Psa. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; & vocalis laus, Psal. 49. *Sacrificiũ laudis honorificabit me*; eleemosyna, ad Heb. 13. *Talibus enim hostijs promeretur Deus*; & martyriũ, Sapien. 3. & corporis castigatio, ad Ro. 12. Nihilominùs tamẽ omnis hęc significatio, vt infrà videbimus, metaphorica est, & ex priori, quæ ꝓpria est, deriuatur. Quod facilè perspicere licet ex discursu veteris Testamenti, in quo ea propriè & simpliciter dicebantur sacrificia, in quibus res aliquæ in Dei cultum mactabantur, seu immolabantur; & hoc modo sæpè distinguitur sacrificium ab actibus aliarum virtutũ, vt à misericordia Oseæ. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*; ab obe- D dientia. 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quã victima*, & in hac significatione dicitur, Psal. 50. *Quoniam, si voluisses sacrificiũ, dedissem vtiq; holocaustis non delectaberis.* Et in nouo Testamento est frequens hæc significatio, præsertim in Epist. Pauli ad Hebræos, à quinto cap. vsque ad decimum, in quo adducit verba Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti. &c.* & cap. 5. dixerat; *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Ex quo loco possumus in hunc modum argumentari; nam Sacerdos propriè significat ministrum publicè deputatũ, vt nomine totius populi apud Deum intercedat, vt cõstat ex Pauli definitione & ex communi vsu: sed sacrificium propriè dictum significat proprium actũ Sacerdotis: ergo sacrificium non significat quemlibet

Psalm. 50. & 49. Hebr. 13. Sapient. 3. Rom. 12. Oseæ. 6. 1. Reg. 15. Psal. 50. Hebr. 5. Psal. 39.

bet actum virtutis, sed specialem actum à Sacerdote factum in cultum Dei, nomine totius populi: imò nec significat quęlibet actum Sacerdotis, sed potissimum ac supremum actum eius, qui cõsistit in oblatione aliqua, in qua sacrum aliquid in honorem Dei cõficiatur. Atq; hoc modo dicimus, in antiqua lege fuisse multa sacrificia; in noua vero esse vnum tantũ ac singulare sacrificium, quo Christianus populus ritu publico & solenni Deum colit: nam, si sacrificium in prædicta significatione propria non sumatur, nõ erit vnum sacrificium in lege noua, sed multiplex. Tãdem in hũc modum declaratur, quia prędictus actus colendi Deum, qualis per datam definitionem quid nominis sacrificij explicatus est, possibilis est, & honestus ac rationi conformis, si debito modo fiat, vt patet ex perpetuo vsu Ecclesiæ tam in lege gratiæ, & Scripta, ex diuina institutione manifesta, quã in lege naturæ ex interiori instinctu diuinæ gratiæ, & ex ipsa naturali propensione rationalis naturæ. Cùm enim homo anima & corpore constet, nõ solùm internis actibus, sed etiam externis, & rebus ipsis sensibilibus Deum colere debet; eiusque dominium, & principatum profiteri, quod fit accõmodatissimè, dum res aliqua ita Deo offertur, vt in eius honorem immutetur, seu conficiatur. Est ergo hic actus possibilis, & specialem habẽs honestatem: potest ergo proprio etiam nomine significari: hoc ergo dicimus esse nomen sacrificij, vt ex vsu monstratũ est, & ex etymologia ipsius nominis potest declarari: quia sacrificare idem est, quod sacrum facere: *Sacrificium* ergo significat sacrificationẽ ipsam seu actionem per quã res aliqua offertur, sacrum aliquid circa illam efficiendo. Neque est aliã vox Latina, quæ huiusmodi actum propriè significet; hæc ergo est propria significatio huius vocis, in qua à nobis in hac materia vsurpatur, & in hoc sensu loquitur de sacrificio D. Tho. in tota hac materia in 2. 2. quæst. 85. præsertim art. 3.

Sacrificiũ sub signo sacro, vt sub genere, collocatur. D. Thom.

Ex his facilis est resolutio propositæ quæstionis. Dicendum est enim, sacrificium constitui in genere signi sacri. Ita docet D. Tho. 2. 2. q. 85. art. 1. & 2. nã ex hoc principio ꝓbat, vsum sacrificij esse cõnaturalem homini, cui proprium est mentẽ & animũ suum signis sensibilibus declarare: & inde etiã concludit, sacrificium soli Deo esse offerendum, quia diuinam excellentiam aliquo modo significat: supponit ergo, sacrificium in genere signi sacri constitui. Quod etiam docuit August. lib. 5. de Ciuit. c. 5. dicens, *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij signũ esse*, Et Epist. 49. q. 3. dicẽs, *Significatiua esse omnia talia sacrificia, & quarundam rerum similitudines.* Ratione pa- D tet ex dictis, quia sacrificium significat quandam actionem externam & sacram: eò quòd cultum Dei externum continet: sed huiusmodi actio materialiter sumpta, vt quidam motus est, nihil in se habet, quod ad honorem Dei spectet, vt constat in occisione vituli, & similibus sacrificijs, de quibus sub hac ratione sæpè in Scriptura dicitur, nihil in se habere, vnde placeant Deo, & ab ipso postulentur: tota ergo ratio honoris & cultus talis actus in significatione consistit, scilicet, quia per talem actum homo significat existimationem, quam de Deo habet & submissionem animi sui ad ipsum, vel aliquid huiusmodi: est ergo de ratione sacrificij huiusmodi sacra significatio.

D. Aug.

Sacrificiũ signum est ad placitum inuentum.

Atq; hinc colligitur primò, sacrificium esse signum ad placitum, & ex institutione, qualia ferè sunt A omnia signa, quibus homo exprimit rationalẽ mentem suam. Patet, quia huiusmodi significatio non est naturalis tali actioni exteriori secundùm se consideratæ, verbi gratia, occisioni vituli, aut alteri simili: oportet ergo, vt ex impositione illi cõueniat: ad quam impositionẽ potest quidem in actibus ipsis externis considerari aliqua proportio & analogia, quæ ab Augustino suprà similitudo vocata est; & dici potest fundamẽtum remotum huius significationis; proximum autem est ipsa impositio, sine qua nulla esset talis significatio, vt de sacramentis etiam in genere suprà tractauimus: & diximus etiã in priori tomo in materia de adoratione, actus exteriores de se esse indifferentes ad cultum præbendũ, quia ex sola rei natura non habent determinatam significationem: vnde fit, vt eodem actu vtamur interdùm ad colendum Deum & Sanctos sub diuersa intentione sacrificium autẽ, vt diximus, significat B actum continentem proprium Dei cultum & honorem ratione suæ significationis: non ergo habet hãc significationem ex sola rei natura, sed ex institutione, neq; in hoc esse potest vlla dubitandi ratio. Atq; in hoc sensu videtur dixisse D. Tho. 2. 2. q. 85. art. 3. Sacrificium non habere aliunde laudem, nisi quia fit ob reuerentiam Dei: non enim est sensus sacrificium de se esse actum indifferentem, qui solùm fiat bonus ex relatione extrinseca: hoc enim est præter mentem D. Thomæ: nam sacrificium formaliter significat quendam externum actum religionis, qui ex propio obiecto, & intrinseco motiuo bonus est, eo modo quo actus exterior capax est bonitatis: sensus ergo est, actum illum externum, quem nomine sacrificij significamus, de se nõ habere honestatem, sed solùm quatenus impositus est ad significãdum Dei cultum & honorem: est ergo sacrificium sacrũ signum ad placitum significans.

D. Thom.

Responsio ad rationem dubitandi.

C Ad rationem dubitãdi in principio positã respondetur, rationem sacri signi esse cõmunem sacrificiò & sacramento, & neutrius propriã rationẽ, & differentiam cõtinere: quæ autem illa sit in sacramẽto, suprà dictũ est: de sacrificio autem explicãda superest.

SECTIO II.

Quid sacrificiũ significare debeat, seu quæ significatio de ratione sacrificij sit.

IN omni signo ad placitum duo sunt præcipuè consideranda, materiale scilicet, quod est res vel D actio ad significandũ imposita; & formale, quod est significatio ipsa, quę, cùm in relatione consistat, vel ad modũ relationis explicetur, à fundamẽto proximo, quod est impositio, & à termino seu re significata pendet. Hæc igitur omnia sunt à nobis in sacrificio sigillatim consideranda, primùm verò de termino & re significata dicendum est, quia species relationis solet à termino sumi, & ex illo maximè pendet aliorum cognitio. Duo igitur possunt per sacrificium significari; vnum est, internũ seu inuisibile sacrificium, vt Augustinus dixit; aliud est, mysteriũ aliquod fidei, v.g. passio Christi; quomodò dicitur Christus immolatus ab origine mundi in veteribus sacrificijs, vt ex Apocalyp. 13. notauit Diuus Thomas in hoc art. 1. hinc duplex significatio consurgit: vna dici potest moralis, quia consistit in significatio-

Apocal. 13. D. Thom.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficatione alicuius actus humani interioris, ac moralis, & quia per se pertinet ad bonos mores hominis; alia dici potest mystica, quia in repræsentatione alicuius reconditi & supernaturalis mysterij consistit. Declarandum igitur superest, quænam istarum significationum sit de ratione sacrificij.

De essentia sacrificij est aliqua moralis significatio.

Dico primò, Aliqua significatio moralis est de ratione sacrificij. Vnde aliquid in Deo, & aliquid in homine offerente significare debet; in Deo quidem supremam excellentiam, & dignitatem primi principij, vltimi finis, & supremi domini rerũ omnium; in homine verò subiectionem ad Deum, & recognitionem prædictæ diuinæ excellentiæ, ac potestatis. Hæc assertio sumitur ex D. Thoma, & Augustino, locis citatis præcedẽte sectione: hac enim ratione dixit Augustinus, sacrificium visibile esse signũ inuisibilis sacrificij: hoc enim inuisibile sacrificiũ nihil est aliud, quàm interna deuotio, & dispositio, qua homo, & per intellectum recognoscit Deum, vt supremum dominum; & per voluntatem vult se Deo submittere, colendo ipsum, & profitendo hanc eius excellẽtiam: ergo hæc significatio moralis est de ratione sacrificij, quæ tã ex parte Dei, quàm ex parte hominis, ea, quæ diximus, cõplectitur. Vnde ex hac significatione cõcludunt in primis dicti Patres, sacrificium esse de lege naturæ, quia naturale est homini, se interiùs subijcere Deo, & internũ hunc affectum externo signo prodere; deinde concludũt, sacrificium continere singularem cultum Dei, soliq; vero Deo esse offerendum, vt latè tractat Aug. contra aduersarium legis & Prophetarũ. c. 18. & lib. 8 de Ciuit. c. 27. & li. 10. c. 6. vbi hac ratione inquit, *Sacrificium, etsi ab homine offertur, res tamen diuina est:* & Epist. 49. q. 3. *Intelligẽdum est*, inquit, *quã sit res antiqua sacrificiũ, quod non nisi vni vero Deo offerri debere, veraces ac sacræ literæ monẽt*; & ob hanc causam, vt ibidem docet, dæmones omni tẽpore vehementer optarunt, vt homines sibi sacrificiũ offerrent, scilicet, vt diuinum honorem vsurparent: *Dæmones enim* (ait lib. 10. de Ciui. c. 19.) *non cadaverinis nidoribus, sed diuinis honoribus gaudent.* Vnde ex omnium hominũ cõmuni cõsensu & cõceptione, sacrificium, supremũ latriæ cultum cõtinet, qui per antonomasiam nomine adorationis simpliciter dictæ significari solet; & ideo eadem vox sacrificio tribuitur, Gene. 22. *Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*, & alijs locis infrà citandis: omnia autem hæc in prædicta significatione fundantur: est ergo illa de ratione sacrificij. Quod tandem exẽplo aliquo ex re ipsa sumpto declaratur, nam, quando in sacrificio aliquo interficitur animal in honorẽ Dei, illa actione significatur, omnia à Deo pcedere, & sub eius esse potestate; & ideo in illius cultum interimitur: dũ autẽ homo illã actionẽ exercet, vel nomine suo exerceri facit, profitetur se recognoscere, quod per illam significatur. Vnde Leuit. 1. & sæpe in veteri Testamẽto præcipitur, vt homo offerens sacrificium, manum imponat super animal, quod immolatur, vt significet ipsummet esse, qui in illa victima tanquã in signo quodã se immolat, Deoq; submittit. Et D. Tho. sup. q. 82. art. 4. dicit, eum, qui sacrificat, solere de re sacrificata participare, vt per hoc ostẽdat ad se sacrificiũ interius pertinere; quia exterius sacrificium signum est interioris sacrificij: est ergo hæc significatio maximè essentialis sacrificio. Deniq; ex hac significatione sumitur prima & potissima differẽtia inter sacrificium & sacramentum; nã sacrificium per se pri-

August. *Genes. 22.* *Leuitic. 1.* D. *Tho.* *Differẽtia inter sacrificiũ & sacramentum.*

A mò ordinatur ad diuinã excellentiam, & cultum ei debitum profitẽdum & significãdum: sacramentũ verò non item, sed ordinatur ad aliquã hominis sanctificationem significandam, vt suprà dictum est.

Mystica significatio non imbibitur in ratione sacrificij primaria, licet ei annexam esse non rarò cõtingat.

Dico secundo. Significatio mystica, etiam si cum sacrificijs præsertim à Deo institutis coniuncta sit, nõ tamẽ videtur esse de primaria ratione & essentia sacrificij. Probatur primò, quia, si sacrificiũ visibile habeat prædictã significationem inuisibilis sacrificij, hoc ipso erit verũ sacrificiũ: sed potest prædictam significationẽ habere absq; alia mystica significatione, vt per se manifestum est: nihil enim repugnat, actionem aliquam externã ordinari ad prædictum Dei cultum significandum, & nõ ad repræsentandum aliquod aliud mysterium: ergo talis mystica repræsentatio non est essentialis sacrificio. Dices, etiam potest per aliquã actionẽ huiusmodi B repræsentari aliquod mysterium reconditum, & non diuina excellentia, nec subiectio hominis ad Deum. Respõdetur, hoc quidem fieri posse, tale autẽ signũ nõ esse futurũ sacrificiũ, quia deest illi prima & essentialis significatio sacrificij. Dices, idẽ responderi posse de alia actione significãte prędictũ Dei cultũ & excellentiã, & nõ aliud mysterium. Respõdetur, nõ esse similẽ rationẽ: quia, posita illa priori significatione seruatur ratio & definitio sacrificij ab Augustino tradita, & ex cõmuni omniũ gentiũ vsu, & cõceptione sumpta. Vnde argumentor secundò ex vsu omnium hominũ tã fidelium, quã infidelium: omnibus enim fuit cõmunis sacrificiorum vsus, diuerso tamẽ modo: nam infideles falsis dijs sacrificia offerebant, qui, licet nulla alia mysteria per sua sacrificia repræsentare intẽderent, præterquã supremum cultum eius numinis, quod colebãt hoc ipso sacrifi- C cia offerebant: ergo signum est, hãc solam significationẽ esse de ratione sacrificij, quæ vera erit in vero sacrificio, falsa autẽ in falso, seu idolatriã continẽte. At verò fideles, & iusti vero Deo vera sacrificia semper obtulerũt, ex Adamo vsq; saltẽ post lapsum, vt D. Tho. docet, dict. q. 85. 2. 2. ar. 1. ad 2. & tamẽ non videtur necessarium, vt in omnibus illis sacrificijs fuerit mystica significatio, præsertim in his, qui tẽpore legis naturæ sacrificia offerebant, nõ ex speciali reuelatione diuina, sed proprio arbitrio & determinatione; in illis enim sacrificijs nõ potest facilè fingi mystica significatio, præsertim apud eos, qui nõ habebant explicitã fidẽ Christi: nõ est ergo prædicta significatio de ratiõe sacrificij. Vnde sumitur cõfirmatio, quia sacrificiũ est de lege naturę, vt dicemus; erat ergo possibile ex vi solius rationis naturalis: sed mystica significatio nõ dictatur solo lumine D rationis naturalis: ergo talis significatio non est de ratione sacrificij, sed sufficit altera moralis, quæ ratione naturali inueniri potest. Tandẽ, sacrificiũ ipsum mortis Christi fuit verum & perfectum sacrificium, habẽs prædictam moralem significationem; nulla tamẽ significatio mystica in eo excogitari potest, quia nõ est impositũ ad aliquod aliud sacrificiũ vel supernaturale mysteriũ, significãdũ: ergo. Atq; hinc à fortiori concluditur, non esse de ratione veri sacrificij, vt significet sacrificiũ mortis Christi, quia hæc significatio mystica est: si ergo nulla mystica significatio est de ratione sacrificij, neq; hæc etiam erit. Itẽ, quia ratio sacrificij prior est, & independẽs à lapsu humanæ naturæ, cõsequitur enim rationem ipsam naturalem secundùm se: vnde suprà etiã ostẽdimus, si, non interueniẽte peccato Adæ, status innocen-

Obiectioni occurritur. *Euasio refutatur.*

nocentiæ durasset, futurum in illo fuisse sacrificij vsum: sed sacrificium Crucis Christi posterius est, quàm lapsus humanæ naturæ, & ab illo suo modo pendens: ergo esse signum eius, non potest esse de primaria ratione sacrificij.

Contra prædictam cõclusionem obiectiones aliquot dissoluuntur. Prima.

Sed contra hanc conclusionem obijci potest primò, quia mystica significatio est de ratione sacramẽti, vt suprà declaratum est: ergo etiam erit de ratione sacrificij. Respondetur negando consequentiã; imò hæc esse potest altera notãda differentia inter sacramentum & sacrificium. Cuius ratio primum reddi potest ex notatione ipsorũ nominũ; nã sacramentũ idem est quod sacrũ mysterium; & ideo de ratione illius est, vt aliquod arcanũ in se recondat atque significet; at vero sacrificium idem est, quod sacrum factum, & ideo ad rationem illius satis est, quod respectu Dei religiosam mentem indicet.

Secunda.

Secundo obijcitur: quia omnia sacrificia habent B virtutem & valorem ex sacrificio mortis Christi: ergo est de ratione eorum, vt respectu illius mysticã aliquam significationem habeant; neque propterea necessarium erit, vt ipsummet sacrificium crucis similem significationem mysticam habeat; quia, cùm sit primum exemplar, superioris rationis esse debet satisque est, quod se ipsum repræsentet; quanquam respectu suorum effectuum non omnino carere videatur aliqua significatione mystica; nã mors Christi, peccati mortẽ significauit. Respondetur primò negando consequentiam, nã posset sacrificium participare virtutẽ & valorẽ ex sacrificio mortis Christi, quanuis solum diuinum cultum, & nullũ aliud supernaturale mysteriũ, neque ipsum crucis sacrificiũ significaret; sicut actus boni, quibus apud Deũ meremur, vel satisfacimus, ex Christi meritis valorem participant, quanuis non sint impositi ad signi- C ficandum illa: quia hæc participatio non fundatur in significatione, sed in morali causalitate, seu dimanatione, nimirũ quia omnes hi actus nostri innituntur Christo, tanquã primæ causæ in suo ordine. Secũdò dicitur, esse extra rationem sacrificij, vt sic habere aliquam virtutẽ vel valorem ex sacrificio Christi: nam in statu innocentiæ potuisset esse sacrificium, etiam si Christus in illo futurus non fuisset & idẽ potuisset Deus ordinare in statu naturæ lapsæ: quanuis ergo demus, omnia sacrificia, quæ de facto habent valorem aliquem à Christo, consequẽter habere aliquam significationem mysticam eius, vel passionis illius, non inde fit, talem significationem esse de ratione sacrificij. Vnde dicitur tertiò, aliud esse, declarare quid sit de primaria ratione & essentia sacrificij, quod hactenus fecimus; aliud ve- D ro inquirere, quid de facto habuerint omnia sacrificia, præsertim ea, quæ aliquo modo diuinam habuerunt institutionẽ, quod in prædicta obiectione insinuatur: sic enim verisimile est, omnia sacrificia supernaturalia & grata Deo, à morte Christi distincta, fuisse imagines & repræsentationes quasdã sacrificij cruenti Christi, quod quidem de sacrificio legis nouæ certissimũ est, vt postea videbimus; de sacrificijs autem legis veteris id docet August. 10. de Ciuit. c. 5. 20. cõt. Faust. c. 21. & 1. cõt. aduers. legis & proph. c. 18. & D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3. & sumitur ex Paulo fere tota Epist. ad Hebr. & ex generali regula, quã tradit 1. ad Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis*: & inductione posset ostendi, si res non esset valde prolixa, & à præsente insti-

August. D. Thom. Paul. ad Heb. 1. Cor. 10.

A tuto aliena. Et eadẽ ferè ratio est de sacrificijs legis naturæ, maximè quæ offerebantur ab hominibus habentibus expressam fidem mysteriorũ Christi & ex speciali reuelatione & instinctu diuino, quale fuit sacrificiũ Melchisedech, quod, & sacrificium nostrũ Eucharisticum, & consequenter crucis sacrificium significauit, vt in 1. tom. huius tertiæ partis circa q. 21. D. Tho. latè dictum est. Idemque credi potest de sacrificio Abel, qui de primogenitis gregis sui obtulit, vt dicitur Genes. 4. & Paulus ad Heb. 11. explicat fide obtulisse hostiã, quã Ecclesia in Canone declarat, fuisse verum sacrificium: vnde multi probabiliter existimant, obtulisse agnum aliquem ex fide passionis Christi, & ad repræsentandum illã, siue id fecerit ex speciali Dei reuelatione, vt ex his, quæ Aug. tradit lib. 1. de mirabil. sacræ Scrip. c. 5. colligi potest siue ex paterna traditione vtroq; enim modo fieri potuit. Adam enim statim post peccatũ, redẽptionẽ agnouit futurã per Chri- B sti mortẽ, vnde in eius fidei protestatione talia sacrificia instituisse probabile est. Et de hac fide Christi rectè intelligitur prædictus locus Pauli; atq; idẽ dici potest de sacrificijs Abrahæ, & alijs huiusmodi. Quod si aliquod sacrificium oblatũ fuit absq; fide explicita mortis Christi illud quidem repræsentare nõ potuit sacrificium Christi ex speciali impositione, saltẽ hominibus cognita: nã Deus fortasse in omnibus sacrificijs hanc repræsentationẽ intẽdebat; & ideo inspirabant modum sacrificij ad hãc significationẽ accõmodatũ, licet nõ semper homines mysteriũ perciperent: nihilominùs tamen, sicut tales homines saluabãtur in fide Christi implicita, ita dici possũt suis sacrificijs simpliciter; & in actu exercito; Christi sacrificiũ repræsentasse quia omnia faciebant ad colendum & placandũ Deũ, qui nisi per Christi sacrificiũ, placari non potuit. Atq; hoc mo- C do dici potest; in omnibus sacrificijs quæ de facto fuerunt, inuentã fuisse aliquã significationem mysticã sacrificij Christi; propter quod fortasse dixit Sãder. lib. 1. de visib. Monarch. c. 5. sacrificium Christi esse veluti primũ exẽplar cæterorum, quæ eò magis propria sacrificia sunt, quo perfectius illud repræsentãt. Et ratio reddi potest, quia, sicut voluit Deus, omnes homines per Christi mortẽ saluari, ita etiã voluit, vt hãc fidẽ suis sacrificijs profiterentur, ipsum sacrificiũ mortis Christi eis repræsentãdo.

Genes. 4. *Hebr. 11.* *Sander.*

SECTIO III.

Vtrũ ad rationem sacrificij necessaria sit diuina impositio, vel humana sufficiat.

D QVæstio hæc videtur magis ad causam, seu institutionem sacrificij explicandam, quàm ad essentiam eius pertinere; tamen quia impositio ipsa intrat essentialem rationem sacrificij, tamquam proxima ratio significationis eius, ideò non possunt hæc duo disputatione seiungi: quia ad declarandum, qualis requiratur impositio, necessarium est simul exponere, à quo, quaue autoritate fieri possit. Videtur ergo, solum Deum posse sacrificium instituere, seu ad significandum imponere, & hoc sensu impositionem hanc debere esse diuinam. Primò, quia solus Deus potest esse autor sacramentorum, ergo & sacrificiorum: quia non est

Deũ necessario esse sacrificiorum autorem, qualiter probetur.

Universidad de Deusto Biblioteca

sacrificium res minus sacra & diuina, quam sacramẽtum. Secundò, quia in sacrificio aliquid offertur, & quasi donatur Deo, quo ipse honoretur, & colatur sed non potest, sic donatio rata esse, nisi constet, Deum tale donum acceptare, aut oblatio esse honorifica, nisi ei sit grata: neutrum autem horum cõstare potest, nisi talis modus oblationis ab ipso Deo traditus sit: est ergo hoc necessarium ad legitimũ, & verum sacrificium: quis enim ausus fuisset per occisionem vituli Deum honorare, nisi ipsemet declarasset, se tali honore esse contentum, eamque actionem ad id significandum imposuisset? Tertiò, quia alias possent nũc in Ecclesia institui noua sacrificia ab Eucharistia distincta, & similiter in veteri Synagoga licuisset, diuersa instituere sacrificia ab his, quæ in ipsa lege tradita erant: vtrumque autem horum manifeste falsum est.

In hanc re supponendum est, sermonem esse de institutione seu impositione diuina propriè dicta, id est quæ immediatè à Deo, seu à Christo Domino facta sit: nam illa, quæ fit ab homine per potestatem à Deo acceptam, licèt referri possit in Deum, à quo est omnis huiusmodi potestas, simpliciter tamẽ humana est: nam humano arbitrio definitur, & statuitur; quomodo suprà diximus, institutionẽ sacramentalium esse humanam, quãuis sit ab Ecclesia per potestatem à Christo acceptã. Secundò statuendum est, non esse sermonem de potentia absoluta, quia suprà dictũ est, de potẽtia absoluta posse Deũ committere puro homini potestatem ad instituenda sacramenta: multò ergo certius est, posse etiã cõmittere potestatem instituendi sacrificia: loquimur ergo de potentia cõnaturali homini, seu naturæ humanæ, aut secũdũ se, id est, in pura natura, aut prout eleuata ad supernaturalẽ statum per ordinẽ gratiæ, nã in vtroq; statu exercere posset actũ sacrificãdi sibi accõmodatũ: quia sicut Deũ posset interiùs colere inuisibili sacrificiũ, ita etiam posset aliquo sacrificio visibili suum inuisibile sacrificiũ manifestare.

Homines in qualicũque statu existẽtes ex se poterant sacrificia instituere.

Dico ergo primò; Ex natura rei potest humanũ genus in quocunque statu viæ existens instituere sacrificia suo statui accõmodata, quibus Deum colat & honoret: quapropter, si sola essentialis ratio sacrificij cõsideretur, quanuis ex diuina institutione seu impositione esse posit, nõ tamen eam necessariò requirit sed potest etiã esse ex humana institutione. Probatur primũ ex generali principio posito, quòd ad rationẽ sacrificij visibilis sufficit significatio moralis inuisibilis sacrificij, hæc enim significatio est adeò proportionata humanæ naturæ, vt propterea dicatur sacrificium esse de lege naturæ: ergo impositio alicuius signi ad hoc significandũ nõ est adeò supra naturam hominis, vt semper requirat diuinã autoritatem, à qua immediatè proficiscatur. Secundò potest homo imponere voces, quibus significet interiorem existimationem, quam de diuina excellẽtia habet, & subiectionẽ ad illã: ergo etiam potest imponere res aliquas, vel actiones, ad idem significandũ; quia nõ solũ verbis, sed etiam rebus & actionibus potest homo interiorem mentem exprimere: ergo eadem ratione potest illam significationẽ tribuere alicui actioni ad sacrificium accommodatæ, quia non est in hoc vlla specialis repugnantia, vt clariùs ex duabus sectionibus sequentibus constabit. Tertiò id declaratur in singulis statibus humanæ naturæ; nã si constituamus hominẽ in pura natura, ille solũ posset cognitione & ratione naturali Deũ

A recognoscere, vt naturæ autorem & dominatorem & consequenter posset huiusmodi mentem suã signis visibilibus ostẽdere; & hæc potestas esset omnino connaturalis, ex solo naturæ lumine illi conueniens. Quia, sicut est naturale homini colere Deũ, non solũ interiùs, sed etiam exteriùs, ita etiam imponere signa ad hunc finẽ accommodata: externus namq; cultus non fit nisi signis visibilibus, ad placitum & ex impositione significantibus: nec deberet homo in eo statu expectare diuinam impositionẽ, & reuelationem: hæc enim non est debita homini secundùm se, sed excedit potiùs statum puræ naturæ. Si vero loquamur de homine eleuato ad statum gratiæ, consequenter in eo supponenda est fides, & supernaturalis cognitio; qua supposita, sicut est cõnaturale homini sic instituto interiùs colere Deũ su-

B pernaturali cultu, ita etiam est illi cõnaturalis potestas ad vtendum signis visibilibus, inter quæ, sacrificia cõprehenduntur, quibus talem interiorem cultum significet, propter easdem rationes, quæ seruata proportione, applicari possunt; quia neque in tali statu hominis necessariũ absolutè esset, specialem reuelationem, aut impositionẽ Dei expectare; quia hæc etiam nõ est illi simpliciter debita, cum possit homo per fidem & gratiam conuenienter operãdo huiusmodi opera & munera sufficienter exercere. Et ideò D. Thom. 2. 2. q. 85. ar. 1. ad. 1. sub distinctione dixit, oblationem sacrificij in communi esse de lege naturæ, sed determinationem sacrificiorũ esse ex institutione humana, vel diuina: in quo aperte docet conclusionem positam.

D. Thom.

Dico secundò, fieri posse à Deo, & sæpe etiam fa-

C ctum esse, vt sacrificiorum institutio in aliqua Republica solũ Deo reseruata sit. Hoc probat ex parte argumenta in principio posita. Et quidem potestas hæc diuina per se fere nota est, nam, licèt in humana natura, vel Republica sit potestas ad ferendas leges quibus se ipsam gubernet & regat: tamen, quia hæc potestas est sub potestate Dei, qui supremus est rector & prouisor humanæ naturæ, potest Deus præuenire illam humanam potestatem, proprias leges ferendo, quas humana potestas nec mutare, nec minuere vlla ratione posit, neque etiam augere, si Deus velit: eandem ergo potestatem habet circa leges sacrificiorum, nam eadem est de illis, quæ de cæteris, ratio, vel certè maior, quia proximiùs diuinũ honorem attingunt. Quòd verò ad vsum pertinet certum est in lege noua Christũ Dominum vsum esse hac potestate: ita enim vnicum Eucharistiæ sacrificium instituit, vt noluerit cum illo aliud multiplicari, aut misceri, vt inferius locis suis demõstra-

Sacrificiorũ definiendorum in aliqua Republica potestatem sibi Deus reseruare & potuit, & voluit.

D bimus. Atq; idem censendum est de statu legis veteris, vt ipse vsus satis probauit: nulla enim in populo Hebræo legitima ac vera sacrificia introducta sunt preter ea, quę in lege sunt à Deo tradita. Ratio autem huius rei ita potest explicari, nã, quod Deus specialiter voluerit aliqua sacrificia sua autoritate instituere, ex multis capitibus oriri potuit, videlicet vel quia opus, quo sacrificium perficitur, supernaturale est, & ex diuina omnipotentia pendẽs, vt cõtingit in nostro Eucharistico sacrificio; vel quia voluit in tali sacrificio non tantum esse significationem, sed etiam efficaciam, quam solus Deus tribuere potest, quod etiam cõuenit nostro sacrificio; vel certè, quia præter significationem moralem, voluit esse mysticam, quodammodo continentem diuinã testificationem alicuius mysterij absconditi, quod

Sic Eucharisticum sacrificium legitimaque ex veteribus instituta sunt.

etiam

etiam suo modo reperitur in nostro sacrificio, multò autem apertiùs in sacrificijs veteribus, quæ futura mysteria soli Deo cognita significabant; quod cõmune etiam est aliquibus sacrificijs legis naturę, vt sacrificio Melchisedech, &c. Quod autem interdum voluerit Deus potestatem humanã circa hoc coarctare, vt aliquis populus, verbi gratia: nunc Christianus, & olim Iudaicus, nullis alijs sacrificijs vteretur, nisi ab ipso Deo immediatè institutis, ex multis etiam capitibus oriri potuit; primò ex speciali Dei dilectione erga talẽ populũ: melius enim & honorificentius est sacrificijs diuinis vti, quàm humanis, & ideò in principio in lege naturæ, quando tam fides, quam alia dona supernaturalia, minus liberaliter hominibus cõmunicabantur, nulla talis lex hominibus imposita est, sed terminatio sacrificiorũ, hominũ arbitrio est relicta, paucis fortasse exceptis, quibus ex speciali gratia Deus interdum definita dedit sacrificia; in lege autem veteri, quãdo Deus specialem populum sibi specialiter dilectũ elegit, cœperunt etiam sacrificia specialiter diuina lege definiri. Secundò hoc potuit prouenire ex speciali dignitate & excellentia alicuius sacrificij, quæ ratio potissimè locũ habet in lege noua, vt infrà latè tractabimus; nã in lege veteri potius sumẽda est ratio ex multitudine sacrificiorum: tot enim ac tanta sunt à Deo instituta, & præcepta, vt vix potuerint homines alia superaddere; neq; id posse facere omnino opportuerit. Vnde in Christiano populo, quod vnico sacrificio cõtentus esse debeat, ad ipsius dignitatem & spiritualem libertatem pertinet; populum autẽ Iudaicum potiùs ob ignorantiã & imbecillitatẽ eius oportuit tot sacrificijs carnalibus à Deo institutis grauari, vt per illa ab idolorum cultu abstraheretur: & ideo non decuit, alia sacrificia ei permitti, ne diuinis sacrificijs prophana aliqua, & indecentia misceret.

Respõdetur oppositis rationibus.

Ad primũ igitur respondetur, negãdo consequẽtiam, quia sacramentum includit practicam significationem gratiæ sanctificantis, quam solus Deus potest sub signo sensibili infallibiliter, aut statim dare, aut in futurum promittere; & ideò potestas ad imponendum huiusmodi signum, nõ potest hominibus esse connaturalis: sacrificium autem ex primaria ratione sua non includit significationem, quæ potestatem humanam excedat: quia satis est, vt inuisibile sacrificium significet: & ideo non est similis ratio. Ad secundũ respondetur ad illam partẽ de donatione primum, in sacrificio non necessariò interuenire propriã aliquã donationẽ, quę Deo fiat sed rei alicuius consumptionem factam in protestationẽ excellẽtiæ diuinæ: quod si hæc appelletur donatio, nõ est talis, quæ requirat propriã acceptationem alterius, quia nõ trãsfert dominiũ rei in illum, sed solũ illã immutat vel consecrat in honorẽ eius. Deinde, estò admittamus propriã donationẽ, quæ acceptationẽ requirat, non oportet vt speciali reuelatione talis acceptatio à Deo fiat, sed satis est vt aliqua generali lege contineatur: sicut votũ, quod est promissio quædã, acceptationem requirit eius, cui fit promissio; & tamen vt votũ obliget, non est necesse, vt speciali reuelatione constet, Deũ illud acceptare: sufficit enim generalis lex, qua Deus vult, vota sibi rationabiliter facta adimpleri. Vnde ex materia voti & honestate rei promissæ, statim recta ratio dictat, an tale votum sit diuinæ voluntati consentaneũ & acceptũ: idẽ ergo dicendũ est de

A alijs oblationibus, seu sacrificijs. Vnde ad alterã partẽ de gratitudine sacrificij, seu, quod sit Deo honorificũ, similiter dicendũ est, ad hoc non esse necessariam specialem reuelationẽ, aut institutionem, sed duo sufficere; vnum est quod à Deo non sit prohibitus talis sacrificij modus; aliud est vt in ipsa re vel actione, quæ ad vsum sacrificij sumitur, nulla sit indecentia neq; improportio ad sacrũ vsum, & ad significandum animum subiectum Deo, vt supremo Domino: nã, vt D. Tho. rectè dixit, citata. q. 85. ar. 2. ad 2. Dignitas sacrificij non ex pretio occisi pecoris, sed ex significatione pensanda est. Ad tertiũ respõdetur, probare secundã assertionẽ positã. Aliquæ verò difficultates, quæ circa illud inculcari possent, propriè spectant ad sacrificium nouæ legis; & ideò commodius tractabuntur inferius.

SECTIO IIII.

B *Vtrùm sacrificium quod hominibus instituere licet, posit priuata autoritate institui, vel tantùm publica.*

RAtio dubitandi oritur ex dictis sectione precedẽte, nam hæc potestas instituendi sacrificium fundatur in potestate exprimendi interiorem mentem per sensibilia signa: sed hoc positũ est in potestate priuata cuiuscunq; hominis, quilibet enim potest, quibus voluerit, vti signis, præsertim cũ Deo loquens, qui omnia intelligit. Et cõfirmatur primò ex D. Tho. dicta q. 85. art. 4. vbi loquens de hominibus, qui non erant sub lege, *Tenebantur*, inquit, *ad aliqua exteriora facienda in honorem Dei, secundum condecentiam ad eos, inter quos habitabãt*

Difficultatis ratio.

D. Thom.

C *non tamen determinate ad hæc vel illa.* Itaque totã hãc determinationem eorum arbitrio committit, dũmodo decenter fiat; & ideo in solutione ad tertium videtur distinguere quædam sacrificia publica offerenda per Sacerdotes, alia priuata, quæ vnusquisque propria autoritate offerre potest: igitur impositio seu institutio sacrificij priuata autoritate fieri potest. Et fortasse Abel, & Cain ita coluerunt Deũ, alius ex fructibus terre, alius ex primogenitis ouiũ vnusquisque suo arbitrio & volũtate; dicere enim, diuina vel paterna autoritate id fecisse voluntarium est; quia nec vlla autoritate, nec necessaria ratione fundatur. Tandẽ ex alijs actionibus externis, quæ per solum motũ proprij corporis ab homine fiunt, potest homo eligere suo arbitrio, quas decentes iudicauerit ad colendũ Deũ, vt sunt genu flexio, manuũ eleuatio, pectoris tunsio, terræ de osculatio, quibus posset quilibet homo vti ad internam reue-

D rentiam significandam, etiam si nõ essent in freqũte vsu aliorum hominum: ergo idẽ facere potest oblatione sensibili alicuius rei materialis.

In hac re primò statuendum est, esse in humana Republica potestatem ad instituẽda sacrificia, quæ nomine totius populi Deo offerantur, quæ nõ possunt alicuius priuata autoritate institui, aut immutari. Hæc conclusio est certa, & communi omniũ gentium vsu satis probata: nam, vt Augustinus dixit. 19. cont Faust. ca. 11. *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt nisi aliquo signaculorum visibilium consortio colligentur*; quæ signa, visibilia potissimè, fuerunt semper sacrificia aut vero Deo, aut dæmonibus oblata: hæc enim

Humana Respublica potestate, ad instituenda in Dei honorem sacrificia gaudet.

August.

sola differentia semper fuit inter fidelē populū, & infidelē, cū vtrique sacrificiorū vsus communis fuerit vt idē Augustin. notauit 2. cōt. Faust. cap. 21. Hujusmodi autē sacrificia semper fuerunt publico & solenni ritu instituta communi & publica potestate. Huius autem rei ratio primò ex eo reddi potest, quòd natura hominū postulat, vt in vnū politicū corpus reipublicæ congregetur; hoc autē politicū corpus ad Dei cultū debet potissimū ordinari, ergo necesse est, vt nō solū singuli priuatè colant Deū, sed etiā, vt tota Respublica per modū vnius corporis cultum Deo exhibeat: ergo necesse est, vt talis cultus offeratur per sacrificiū publica autoritate institutū: quia alioqui non posset nomine totius populi offerri: ergo oportet, vt hec potestas sit in tota Republica, seu eius capite, aut Principe, sicut est in Republica potestas ad illa omnia, quę ad bonā eius gubernationē pertinent, vt: verbi gratia, ad prescribenda rerū pretia, & ad imponēda alia signa ad significandum, & ad definiendos titulos seu signa honoris, quibus vel Principes, vel magistratus, vel ciues inter se mutuo honorari debēt: ergo multò magis extenditur hæc potestas ad cultū, seu sacrificiū definiendū quod nomine totius populi Deo offerē dū est, & ideò Arist. 9. Polit. c. 8. & lib. 7. cap. 8. inter Magistratus, sine quibus respublica conseruari non potest, sacerdotes seu sacrificos ponit, quibus proinde in Republica principē locū tribuit. Et cōfirmatur, quia vt homines in vnū corpus reipublicæ debito modo congregentur, necesse est, vt etiā in vnum nomen religionis cōueniant; id autē fieri non potest, nisi in vsu sacrificiorū etiā conueniant sed neque id fieri potest, nisi illa sint publica, & cōmuni autoritate instituta; nā, si vnusquisque proprio priuatoque arbitrio sacrificaret, quod esset capita tot esset sacrificandi ritu.

Aristotel.

Sacrificium legitimum, nisi ab auctoritate publica, oriri nequit.

1. Corin. 5.

Ex his vlteriùs dico secundo, non solū posse sacrificiū publica autoritate institui, sed etiā solū illud esse propriè ac simpliciter legitimū sacrificiū, quod publica autoritate, vel diuina, vel humana, institutū est; atque adeo potestatē instituendi sacrificiū propriè dictū, prout est in hominibus, non residere in singulis priuatis personis, sed in tota Republica seu Principe gerente vicē eius. Quæ assertio potest primū probari ex Paulo 1. ad Corinth. 5. dicēte, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Ex quo loco in primis colligunt omnes, Sacerdotem & sacrificiū mutua quadam relatione connecti, nam & Sacerdos propter sacrificium offerendū potissimū constituitur, & sacrificium non nisi à Sacerdote offerri potest: sunt ergo hæc inter se coniūcta, vt notauit Concil. Tridentin. sessio. 23. cap. 1. & latè tractat Bellarm. lib. 1. de Missa, c. 2. Deinde colligitur ex eisdem verbis Pauli. munus Sacerdotis, non cuilibet homini proprium autoritate conuenire, sed ei, qui specialiter *constituitur pro hominibus in his, quæ sunt ad Deū*; & ideò subdit, *Nec quisquam sumit sibi honorē, sed, qui vocatur*

Cōc. Trid. Bellarm.

Paralip. 26.

à Deo tanquam Aaron, id est, qui ad tale munus legitimè deputatus est, vel immediatè à Deo, vel mediante eo, qui autoritatem habet, hanc dandi potestatē; & ideò 1. Paralip. 26. Ozias, qui sine autoritate sacerdotij, sacrificandi munus vsurpare voluit, lepra fuit à Deo percussus, est ergo Sacerdos minister publicus nomine totius populi deputatus.

Ex his ergo concluditur, sacrificium debere esse publica autoritate institutū; cùm requirat sacerdotale munus, quod publica etiam autoritate institui debet; nā si sacrificium à quolibet posset institui, à quolibet etiā posset exerceri & offerri: quia, & maius est instituere, quàm offerre, & qui potest sacrificū ordinare, potest etiā ministrū eius designare: nam hæc eiusdē sunt rationis & autoritatis, & se mutuò consequuntur. Secundò potest simile argumētum sumi ex Paulo ad Hebr. 7. dicente, *Trāslato Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat*; nam sicut dixit *translato Sacerdotio*, ita potuisset dicere, *translato sacrificio*: quia vt diximus, illa duo semper coniuncta sunt; & è contrario eiuam dicere potuisset, mutato legis statu, mutari etiā sacrificandi ritum. Et ita videmus inter Gētiles in diuersis Rebuspublicis, seu Nationibus, sicut diuersæ sunt leges, ita etiam esse diuersos sacrificiorum ritus. Et in populo Dei, quādocunque facta est legis mutatio, vel à statu legis naturæ in statū legis scriptæ, vel ab hoc in statū legis gratiæ, semper cū lege mutatus est sacrificiorū vsus: signū ergo est, sacrificiū absolutè dictum esse ex his quæ ex publica potestate & communi lege pendent. Tertiò sumitur nō dissimile argumētum ex circunstantijs ipsius sacrificij, propter quod introducta sunt tēpla, altaria, vasa sacra, & vestes, sine quibus sacrificiū offerre, nec decet, nec licet; sed nō est in priuata cuiusuis potestate huiusmodi circunstātias definire, vel immutare, ergo multò minùs sacrificiū ipsum quoad substantiale ritum eius. Quarò accedit moralis ratio suprà tacta, quia ad vnitatem & concordiam humanæ Reipublicæ expedit, vt omnes conueniant in substantiali modo colēdi Deū, qui consistit in sacrificio. Ad hoc autē requiritur, vt dixi, sacrificia autoritate publica esse instituta, & aliter introduci non posse; tū quia aliàs esset infinita varietas & cōfusio in Republica, tū quia alioqui daretur occasio superstitionibus, & variis idololatriis; vnde etiam Aristot. lib. Rhetor. ad Alexand. dixit necessarium esse, in sacrificiorum religione ritus patrios, & receptos seruari. Et cōfirmatur, nā sacrificiū est res maximè sacra inter omnes externas, & ideò oportet, vt decētissimè fiat: ergo decet vt ritus eius nō possit cuiusuis hominis priuati arbitrio institui, sed aliqua publica potestate.

Hebr. 7.

Aristotel.

Difficultatis ratio dilu soluitur.

Ad rationem dubitandi in principio positam responderi in primis potest, sacrificium nō significare quodlibet signū sensibile sed tale, quod aptū esse possit ad significandum, non solum ipsi vtentibus tali signo, sed etiam alijs, & ideo necessarium esse, vt tale signum non sit priuata autoritate inuentum, sed autoritate publica, vt habeat significationem omnibus notam: in quo est magna differentia inter oblationē sacrificij, & alios exteriores actus religionis, quos per proprij corporis mēbra potest homo priuatim exercere; nā hi solùm fiunt ad exercendū seu excitandum interiorem affectum iuxta priuatā deuotionē: illa verò est quasi publica professio cultus Deo exhibendi. Sed vrgebit aliquis; quia, licet verum sit, constitui posse in Republica huiusmodi sacrificia, quæ sunt signa publici cultus, adhuc reddenda est ratio, cur non possit vnaquæque priuata persona similia signa ad proprium & priuatū vsum deputare; quibus non significet allijs mentem suā, sed solùm Deo, suamque priuatam deuotionem ritu etiam priuato exerceat atque excitet. Respondeti potest, applicando hic doctrinam traditam sectione præcedente: nam sicut quando Deus per se ipsum

Obiectio.

Responsio.

ipsum instituit ac tribuit sacrificia alicui populo, consequenter prohibet, ne alia sacrificia ab hominibus in tali populo introducantur: ita quando Respublica autoritate communi determinat ritus sacrificiorū (eò quòd à Deo nihil immediate receperit, vt in lege naturæ accidebat) consequēter prohibet ne aliquod membrum Reipublicæ noua sacrificia propria autoritate introducat: nā cū hoc ad bonū regimen totius Reipublicæ necessarium sit, in ipsamet determinatione sacrificiorum, intrinsecè inclusa censendum est, ita vt talis institutio non solùm habeat vim directiuā approbandi talem sacrificij materiam sed etiam prohibendi alia quælibet priuata sacrificia. Sicut, quando lex præscribit certos titulos, aut certa signa honoris, consequenter prohibet alia, & lex Ecclesiastica instituens vestes, quibus sacrificium peragendum est, prohibet, ne alijs fiat; & similiter in vsu verborum, postquàm publico vsu vel autoritate imposita sunt ad significandum aliquid, non potest homo suo arbitrio alio modo illis vti, alioqui nec veritas, nec fidelitas inter homines firma esse posset.

Instantia.

Sed ex hac responsione videtur colligi, præcisè, & ex natura rei tantū hoc cōsiderando, esse in qualibet priuata persona potestatem ad instituenda sacrificia, saltem ad suum proprium & priuatū vsum sicut præcedente sectione dicebamus esse in humana Republica potestatem ad instituenda sacrificia, seclusa Dei prohibitione. Patet sequela, applicando doctrinam datam, seruata proportione, quia nulla ratio redditur, ob quam priuatæ personæ hoc non possint, nisi, quia est prohibitum à Republica: sed hæc prohibitio pertinet ad ius positiuum & humanum: ergo illo secluso, esset in priuatis personis talis potestas: ergo habēt illā ex iure naturæ præcisè considerato, quāuis possit Respublica vsum illius prohibere. Et confirmatur, nā fingamus, Rēpublicam nihil statuisse de sacrificiorū ritu: tūc sanè possent priuatæ personæ suo arbitrio determinare hæc sacrificia, quia iā non esset prohibitum à tali Republica: ergo huiusmodi prohibitione ablata, illa actio neq; excedit vim naturalem hominis, neq; est per se mala, vt rationes in principio factæ concludere videntur. Tandem, si cōtingeret aliquos homines tam solitariam vitam agere, vt nullius Reipublicæ essent membra, liberū vicuiq; esset vti decentibus signis externis proprio arbitrio determinatis ad colendum Deum: quia homo habet ius colendi Deū cultu externo, quem sibi potest definire, si non habet superiorem, à quo determinetur. Idē ergo erit, etiam si illa signa per modum sacrificiorum determinentur. Respōdetur, quoad rem ipsam argumēta conuincere, quod intēdunt; quod etiam videtur sensisse D. Thomas locis in principio huius sectionis citatis. Nihilominus tamen, quia neque est naturale homini solitariam vitam agere; neq; etiam est moraliter posibile, vt in Republica humana, præsertim bene instituta, non sint sacrificia publica autoritate definita; ideò, simpliciter loquendo de sacrificijs, prout moraliter veniunt in vsum hominū, dicendum est, vt legitima sint, necessariò publica autoritate fore instituenda, nec nomen sacrificij in propria & vsitata significatione posse attribui alicui signo, nisi publica lege sanctum sit, vt suprà in simili diceba-

bamus de sacramento.

SECTIO V.

Qualis debeat esse res vel actio, quæ in sacrificio ad significandum imponitur.

EXplicata significatione, quæ est veluti forma sacrificij, sequitur vt declaremus, qualis esse debeat materia cui talis significatio debet imponi, vt integra ratio sacrificij consurgat: huius enim rei cognitio necessaria omninò est ad concludēdam definitionem: & essentiam totam sacrificij, & ad distinguendum hūc actum à cæteris actibus exterioribus proprijs diuini cultus, qui non semper possunt à sacrificio ex formali distingui, sed solū ex materiali. Et in hoc consistit tota ratio præsentis difficultatis: quia licèt omne sacrificium consistat in aliqua actione sensibili pertinēte ad propriū Dei cultum (agimus enim nūc tantum de sacrificio visibili, imò illud solum propriè sacrificium vocamus iuxta primam nominis impositionē, vt dictū est) non tamen è contrario omnis actus sensibilis, quo redditur Deo religiosus cultus illi proprius, potest dici sacrificium; cum tamen habere possit eādem significationem & honestatem, quam habet sacrificium. Assumptum patet primò in vocali laude Dei, qua confitemur, illum esse supremum dominū, nosque illi subijcimus, quæ metaphoricè vocari solet sacrificium laudis: non est tamen propriè sacrificium, prout de illo nunc agimus; & tamen idem prorsus significat, quod sacrificium, vt ex dictis patet. Similiter tunsio pectoris, & genuflexio fieri possunt in recognitionem propriæ excellētiæ diuinæ, & ita idem significabunt, quod sacrificiū, & tamen, iuxta communem concipiendi modum, illa non sunt sacrificia propriæ dicta: vnde in his nō requiritur publicus minister, nec publica autoritas, sicut in sacrificio. Tandem, omnis cultus latriæ exterior est proprius Dei si sit perfectus & absolutus; & tamen non omnis talis cultus est sacrificium, vt patet de ipso vsu sacramentorum, quo profitemur, Deum esse principalem autorē sanctitatis; & in vsu etiam sacramentalium, vt, verbi gratia, erigere templum, consecrare altare, quæ in solius Dei cultum facere licēt: in his ergo omnibus est eadem significatio diuinæ excellentiæ, & consequenter eadem moralis honestas, quæ attingit Deum, vt subiectū cui honor & cultus debitus exhibetur. Quid ergo est proprium in sacrificio; per quod ab huiusmodi actibus distinguatur? Et augetur difficultas ex quo dam dicto D. Tho. allegata quæst. 85. ar. 3. vbi, cū dixisset, actus aliarum virtutum, prout à religione imperantur, & referuntur in cultum Dei, solere metaphoricè appellari sacrificia, ita concludit, *Sunt tamen quidam actus, qui non habēt ex alio laudem, nisi quia sunt propter reuerentiam diuinam, & isti actus proprie sacrificia dicuntur, & pertinent ad virtutem religionis*; nam, si D. Thom. intelligit, omnes actus huiusmodi esse propria sacrificia, falsum est, quod dicit: nam votum est actus religionis non habens ex alio laudem, nisi quia fit in honorem Dei; & tamen nō est sacrificium; & idem est de laudatione diuina, genuflexione, & alijs similibus: si autem intelligit, sacrificium contineri sub genere talium actuum, quāuis cum illo genere non conuertatur, ēstò id verum sit non tamen explicatum manet, quid speciale talis actus requirat, vt in genere proprij sacrificij consti-

Difficultatis punctus.

Universidad de Deusto Biblioteca

tuatur. Addē, & nō videri necessarium, vt propriū sacrificium sub tali genere actus constituatur; nam mors Christi fuit verissimum, & proprissimum sacrificium, & tamen infinitis alijs titulis laudem habens: fuit enim actus maximæ caritatis, fortitudinis, &c.

Sacrificandi actus circa rem aliquā permanentē debet versari, qua Deo offeratur Genes. 8. & 22. Isaie. 1. Ad Heb. 5. & 6.

Quid oblationis nomē importet.

Dico primò, de necessitate actionis, quæ est sacrificium, esse, vt sit oblatio alicuius rei permanentis Deo facta. In hac conclusione omnes conueniunt, & probatur ex modo loquendi sacræ scripturæ, in qua sacrificare, & sacrificium offerre, idem sunt: si ergo sacrificare est offerre: sacrificatio ipsa erit oblatio: antecedens patet Genes. 8. *Obtulit holocausta super altare*, & capitul. 22. *Offerēs filium tuum in holocaustum*. Isaiç. 1. *Ne offeratis vltra sacrificium frustra*, & Ad Hebr. 5. *Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*, & capitulo 9. vt declaret Paulus cruentum sacrificiū Christi, *Per Spiritum sanctum*, inquit, *semetipsum obtulit immaculatum Deo*. Et infrà, *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Prima verò cōsequentia probatur: nā sacrificiū propriè significat actionē sacrificādi, vt suprà visum est: si autē sacrificare est offerre necesse est, vt ipsa actio sacrificandi in oblatione cōsistat: erit ergo sacrificiū oblatio aliqua facta. Secundò declaratur, nam ex hoc capite differt actus, sacrificij à multis actibus religionis suprà numeratis: vt patet simul explicando, quid nomine oblationis propriè significetur; dicimur enim offerre Deo cor nostrum, precens seu orationes, seu vitulos labiorum, & res aliquas, quæ Deo immolantur, in quibus omnibus non est idem oblationis genus. Oportet ergo considerare, externum Dei cultum interdum fieri per puros actus externos, interdùm aliquibus etiā rebus. Puros actus externos voco, qui consistunt solum in aliquo motu vel actione hominis, & in ea perficiuntut & consummantur, absque aliqua re externa, circa quā versentur, vt sunt, genuflexio, vocalis oratio, & similes. Res autem appello quascunque res permanētes, quæ licēt non posśint in cultū Dei cedere, nisi media aliqua actione hominis, tamen, quia ille cultus fit per vsum, seu exhibitionem talium rerum, ideò dicitur fieri per ipsas res, vt distinguatur à priori modo cultus: huiusmodi ergo actio, qua ita vtimur aliqua re permanente, vt in cultum Dei illam transferamus, dicemus, aut cōsumamus: dicitur propriè hoc loco oblatio talis rei facta in cultum eius. Rursus considerandum est, aliud esse referre aliquid in Deum, aliud verò offerre aliquid Deo: quanquam enim hæ voces interdum confundi soleant, & vt synonymæ vsurpari, tamen secundùm propriam rationem differunt, quia referre in Deum, propriè dicit habitudinem finis vltimi, vnde proprie cadit in humanas actiones, quatenus propter Deum fiunt, offerre autem aliquid Deo, dicit habitudinem obiecti proximi seu personæ, cui aliquid donatur, seu exhibetur: quod quidem, quanuis conuenire posśit in aliquas externas actiones, quæ nō habent aliūde laudem, quam ex eo, quod Deo offeruntur in cultum & honorem, proprisśimè tamen dicitur de rebus permanentibus, quas homo, prout potest, Deo offert, & quasi dono dat in obsequiū eius. Etenim quia Deus rebus nostris non indiget, neque nouū earum dominium acquirere potest, ac si nullum antea haberet, non possunt hoc titulo vel ratione illi offerri, sed solum, vt in honorem eius consecrētur, immutentur, aut consumantur: quæ omnia nulla alia probatione indigēt, quia ex ipsa verborū proprietate, & communi omniū sensu, & cōsensu satis constat. Vltimò verò est circa rē hanc cōsiderandū dupliciter aliquid offerri Deo, etiam prædicto posteriori modo, seu intra latitudinem obiecti. Primò proxime & directe, vt quando animal interficitur in Dei honorē. Secundò, mediate, & remote; nam vt notauit D. Tho. 2. 2. dict. q. 85. ar. 3. ad. 3. decimæ, licet dicantur offerri Deo, quia ob cultū eius dantur ministris, qui diuino cultui vacant, tamen immediate nō offeruntur Deo, sed ipsis ministris: sacrificium ergo oportet, vt sit oblatio immediate & directe Deo facta, quia continet supremum Dei cultum externum: oportet igitur, vt per sacrificiū res aliqua directe & immediate offeratur Deo, in significationem supremi honoris & cultus eius.

D. Thom.

Illatū ex conclusione.

Dico secundo, ex hac conclusione infertur, in sacrificio ex parte rei, seu materiæ, quæ ad significandum imponitur: duo posse considerari præter significationem. Vnum est, res, quæ offertur; aliud est actio per quam offertur. Vnde, sicut in sacramentis, præter significationem, in re ipsa, quæ significationi substernitur, aliquid consideratur vt materia, & aliquid vt forma: ita in sacrificio fieri potest, seruata proportione; res enim, quæ offertur, potest dici materia sacrificij, quia est veluti primum fundamētum eius: actio autem, per quam offertur, est veluti forma sacrificij: quia per illam completur, & quasi constituitur. Res autem, quæ in sacrificio offertur, cōsiderari potest, vel vt antecedit actionē offerēdi, vel secundum eum statum, in quo constituitur in termino oblationis; & vtroque modo est materia sacrificij, seu res in sacrificium oblata, vt, verbi gratia, animal, quod offertur Deo in sacrificium per iugulationem, viuū supponitur huic actioni, at in termino eius est mortuū, & vtroque modo potest dici materia sacrificij, quanuis frequētiùs & generalius ac principalius dici hoc soleat de tali re, prout supponitur toti actioni sacrificādi. Et hinc vlteriùs ortū est, vt nomen sacrificij æquiuoce sumatur; nam, & res oblata & actio ipsa, per quam offertur, solent sacrificium appellari: proprisśime tamen dicitur de actione, & ex ipsa etiā voce patet, nihil enim aliud est *sacrificium*, nisi factio sacri; vnde apertius posset *sacrificatio* appellari: inde verò extenditur ad rem oblatā, seu, quæ iam est ad sacrificium proxime destinata, vt in sequētibus latius videbimus. Quocirca ad concludendam propriam sacrificij rationem duo supersunt explicāda. Primum est, qualem esse oporteat, rem in sacrificium offerendam. Secundū est, per quam actionem debeat offerri.

Illa tantum oblatio, quæ rei oblatæ immutatione sacrificationē neque includit, sacrificiū est proprie. D. Thom.

Quæ duo vt explicentur, dico secundò. Nō omnis oblatio proxime facta Deo est sacrificium, sed sola illa, quæ fit per aliquā immutationem rei oblatæ, circa quam necesse est aliquid sacrum fieri, quādo propriæ sacrificatur. Sumitur hæc conclusio ex D. Tho. citato articulo. 3. ad. 3. vbi distinguit duplicem oblationem Deo directe factam, alia vocatur oblatio simplex, quæ genericum nomē oblationis retinere solet, quæ non est proprie sacrificium; alia verò est oblatio magis sacra, per quam aliquid sacrum fit circa rem oblatam; & hæc est propriæ sacrificium, licet interdum hac voce omnis oblatio directe facta Deo comprehendi soleat, vt notauit D. Thom. 1. 2. q. 101. art. 4. ad 5. Quam diuisionē significauit etiam Paul. ad Hebræ. 5. in verbis illis, *Vt offerat dona, & sacrificia*. Vbi rebus oblatis Deo loqui

Heb. 5.

videtur, & quædam vocat dona, quia quasi per simplicē donationem offeruntur; alia vero vocat sacrificia, quia per actionem effectiuam alicuius rei sacræ offeruntur, vt ibi etiam notauit Chrysostom. homil. 28. afferens illud Psalm. 38. *Sacrificiū & oblationem noluisti*, & dicens, *Quidquid est extra sacrificium oblationem appellari*: quod intelligendū est, vt diximus quia commune nomen accommodatur speciei minùs perfectæ, quo modo potest oblatio à sacrificio distingui, quanuis alioqui commune nomen sit. Quod etiā notauit Theophylactus ad Hebræos. 8. dicens, *Sacrificium est, quod est per sanguinē aut ignem, oblatio autem est ex fructibus, & sine sanguine aut igne, aut alia immutatione fit*: vbi tradens prædictam diuisionem non tam proprijs & adæquatis definitionibus, quam vsitatioribus exemplis eam declarat. Additq; Etymologiam Græcorum verborū, quibus hæc duo genera oblationum significantur, nam quædam oblatio dicitur Græce, *Prosphora*, quæ vox simplicem oblationem significat, vt ex proprietate ipsius verbi constat; alia verò oblatio dicitur *Thysia*, quæ propriè de victima, seu de sacrificio dicitur: nam, licet in primæua significatione suffitum, seu oblationem per ignem factam, significare videatur, quia verbum græcum, vnde deriuatur, ardere significat, quia fortasse olim sacrificia apud Græcos hoc præsertim modo fiebant; iam vero deriuata vox est ad significandum etiam oblationem cum effusione sanguinis, aut alia simili immutatione. Quam doctrinam priùs tradidit Euseb. lib. 1. de Præparatione Euangelica, cap. 6. & indicauit Isidorus, libro. 6. Etymol. cap. de officijs. Pręterea hoc confirmat D. Thom. ex ipsa voce, *sacrificiū* quæ vt diximus, effectionem alicuius sacri significat; & ideò Gregor. in capitul. Multi 1. quæstione 1. sacrificiū interpretatur, *quasi sacrum factum*, quod à simplici oblatione distinguitur. Tādem ex rebus ipsis potest hoc declarari, nā constat, hæc duo oblationum genera in religioso Dei cultu interuenire: olim enim primitiæ offerebantur Deo, & primogeniti, & alia similia, quæ non sacrificabantur, & nūc etiam primitiæ offeruntur Deo, vt constat ex Can. 3. & 4. Apostolorū, & in profesśione religionis homo se ipsum offert Deo, & generaliter ait August. epistol. 59. *Multa offeruntur Deo, maxime tamen altaris oblatio*: est ergo in lege Euāgelica aliqua oblatio præter altaris oblationem, cū tamē sola altaris oblatio sit sacrificiū: igitur in re ipsa est hoc duplex genus oblationis: ergo illis etiā duabus vocibus oblationes & sacrificia rectè significantur. Et confirmatur, nā sacrificium fit in significationē, & protestationem diuinæ excellentiæ, ac supremi dominij Dei hoc autē expresśius significatur, quando res aliqua ita offertur, vt in illius honorem immutetur, seu cōsumatur, vel aliquid aliud sacrum fiat; nā simplex oblatio de se communis est alijs rebus: vnde nō habet tam proprie hanc significationem, nisi ex intētione offerentis: ergo proprie sacrificij nomen, prędictum genus oblationis significat.

Chrysost. Psalm. 39.

Theoph.

Euseb. Isidor. D. Greg.

August.

Oblatio in sacrificio requirit rei oblatæ consecratiua, & immutatiua esse debet. D. Thom.

Ex his ergo cōstat primò, qualis esse debeat actio quæ rationem oblationis in sacrificio habet: in cōmuni enim solū dicere posśumus, debere esse actionem consecratiuam aliquo modo rei oblatæ, & immutatiuam eius. Ita D. Thom. prædicta solutione ad 3. dicens. *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit*. Quid autem sit illud aliquid quod fieri debeat, nulla definitione, seu descriptione declarat, sed tantum quibusdam exemplis dicēs, *Sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur*. Vnde, quod quidam aiunt, necessarium esse, vt hæc actio talis sit, vt per eā res oblata interficiatur, seu pereat, quanuis ita sit secundum frequentiorē vsum animalia enim interfici solebant, & sanguis eorum fundebatur; aliæ verò res solebant igne torreri aut consumi, quia huiusmodi immutationū genera aptiora credebantur, ad repræsentandū, & supremū Dei dominium, & cruentū Christi sacrificiū; nihilominus tamē non fuit hoc ita perpetuū, & necessariū, quin absq; huiusmodi actione, vel tanta immutatione, interdum legamus sacrificiū oblatū: Melchisedech enim Genes. 7. sacrificiū Deo obtulit in pane & vino, vbi non legimus immutationem aliquam factam circa rem oblatam, nisi fortasse, quod panis ille & vinum aliqua externa demonstratione oblata sunt Deo cū aliqua benedictione, seu eleuatione, vel fractione, & distributione, ac sumptione per modū cibi & potus sanctificati; & in Leuitico similia sacrificia reperientur, præsertim in panibus Propositionis, & alijs sacrificijs ex similia & huiusmodi, semper tamē aliqua immutatio in re oblata reperietur: quia hoc modo, vt dixi, expresśius significatur, Deum esse omnium autorem: ergo in genere hoc satis est dicere, actionem illam debere esse aliquo modo consecratiuam, & immutatiuam rei in Dei honorem.

Genes. 7.

Quidā verò distinguūt triplicē actionē, aliā cōsecratiuā, aliā immutatiuam seu consumptiuam rei & aliā, quæ sit oblatio eiusdem rei Deo facta. Sed, quicquid sit de nostro Eucharistico sacrificio, de quo posteà videbimus, an hæ actiones in eo distinguantur, & ad illius essentiam pertineant; tamen in genere loquendo de ratione sacrificij, nō est necesse intelligere eas actiones re, sed, ad summū, ratione distinctas: actio enim illa, per quā res mactatur, aut frangitur, aut alio simili modo immutatur, est sufficiens immutatio ad rationem sacrificij, neq; aliqua alia cōsumptio est de illius essentia: nulla enim sufficiente necesśitate aut ratione fingi potest. Nā, licet in veteribus sacrificijs res oblatæ & sacrificatæ interdum consumerentur per vsum Sacerdotis aut populi; tamen, neque id erat commune omnibus sacrificijs, vt cōstat de holocausto, neq; in his, in quibus fiebat, pertinebat ad essentiā sacrificij, sed post consummatū sacrificiū fiebat ad significandū, hominem per sacrificiū acceptari ad diuinorum consortium, participationemq; eorū Donorū, quę iam Deo oblata fuerant, iuxta illud. 1. ad Corint. 10. *Qui edunt hostias participes sunt altaris*. Rursus hæc eadem immutatio rei oblatæ, quatenus fit ex institutione diuina, & ad diuinam excellentiam significādā, consecratio dicitur: quia vt sic est quid sacrum: vnde per eā sacratur, seu sacra efficitur res illa, quæ sic immutatur. Ac deniq; hec eadē sacra immutatio, quatenus in Dei cultū & honorem fit, est ipsamet oblatio sacrificatiua: quia per eā res oblata humanis vsibus inepta redditur, Deoq; dicatur; & in illius cultum transfertur. Non igitur his vocibus actiones diuersæ significantur, sed vna & eadem sub diuersis respectibus.

1. Cor. 10.

Atq; ex his tandem colligitur, recte dixisse Augustin. lib. 4. de Trinit. cap. 14. in omni sacrificio quatuor esse necessaria, qui offerat, cui pro quo, & quod offerat; distinguit enim ibi tantum personas

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu supposita, præter quæ, actionem etiam offerendi, seu sacrificandi interuenire necesse est: quæ omnia etiam indicauit Paul. ad Hbreæ. 5. dicens, *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deū, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*, & cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, vnde & necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat.* Vbi Deus est, cui sacrificiū offertur, homines, præsertim peccatores, pro quibus offertur, Pontifex, qui offert; quem necesse est, habere aliquid, quod offerat. Vnde Isaac. Genes. 22. cū videret patrē euntem ad offerendū Deo pro se ipsis, vbi esset victima, inquirebat. Obseruandum est autem, hæc quatuor, quæ numerantur, non semper esse re distincta, sed habitudine, Christus enim, & fuit offerens, & hostia oblata, & vt erat Deus sibi etiam sacrificium offerebat, & aliquo etiam modo pro se vt homine, nō quatenus sacrificiū illud propitiatoriū erat, sed quatenus etiā erat sacrificium laudis, & gratiarū actionis, & gloriæ ac claritatis sui corporis impetratorium, & alij Sacerdotes nō solū pro alijs, sed etiā pro se ipsis offerunt, vt dicitur ad Hebræos. Deniq; obserua, præter illa quatuor, quæ maximè substātialia sunt, posse addi quintum, quod licet magis extrinsecum videatur, tamen ex vsu sacræ Scripturæ & gentium omnium ad omnia sacrificia deputatum est, scilicet altare, de quo ait Fulgent. libro. 2. ad Monim. cap. 3. *Non ob aliud ædificari solitum, nisi ad sacrificium Deo offerendum, veteris Testamenti lectio frequenter insinuat* ac propterea August. 20. contra Faust. c. 21. ait, *Sicut sacrificium soli Deo offertur, ita & altare solum in diuinum honorem erigi: quia nimirum, non nisi ad sacrificandum construitur.* Quod etiam ex Genes. 8. colligere licet, vbi prima mentio altaris in sacra Scriptura fit & ad sacrificium Deo offerendum erectum esse legitur. Nam, quia sacrificatio, actio sacra est, publica & solēnis, ideo decentissimum semper fuit, certū ac sacrum locū destinare, in quo, & actio illa fieret, & res Deo oblata constitueretur, & offerretur: hūc autē locū altare vocamus, seu alio nomine arā, cui templū respondet, quod ampliorē locum significat qui & ipsum altare continet, & recipere eos potest, qui ad sacrificium conueniunt: nā licet hoc semper necessariū non sit, tamen regulariter & ordinariè ita fieri expedit, vt latius in sequentibus dicemus.

Genes. 22.

Fulgent. August. Genes. 8.

Sacrificij effectio legitimum ministrum sibi vēdicat. Heb. 5.

Vltimo ex his obiter etiam constat, esse de ratione actionis, quæ sacrificium est, vt à legitimo ministro fiat, quem Paulus Pontificem, seu Sacerdotem appellauit: vnde nullus alius potest legitimè hoc munus vsurpare; quod, si id facere tentet, non erit sacrificium, sed sacrilegium. Quia, vt dicitur ad Hebr. 5. solus Sacerdos est, qui pro hominibus constituitur, vt sacrificia offerat: neque vllus alius potest hunc honorē sibi vsurpare, nisi qui vocatur à Deo tanquā Aaron. Ratio verò est, quia sicut sacrificiū proprissime dictum, prout nunc de illo loquimur, requirit, vt publica autoritate institutū sit, & vt nomine totius populi, seu Reipublicæ fiat; ita etiā postulat ministrū, habētem publicā, & cōmunem autoritatem ad offerendum, quem Sacerdotem appellamus. Quale autem esse debeat hoc sacerdotiū, neque ad hūc locum id tractare spectat, nec potest eadem lege in omnibus definiri: pendet enim ex varia institutione, quę publica lege fit. Propter quod meritò dixit Paulus ad Hebr. 5. & sequētibus, hæc tria esse inter se connexa, *lex, Sacerdos, & sacrificium*. Vnde in lege naturę, vel ex institutione diuina, vel ex vsu & introductione hominū, primogeniti, & familiariū Principes simul erant Sacerdotes, vt autor est Hieronym. epist. 126. ad Euág. & in q. Hebrai. circa Genes. 7. & eandē traditionē Hebræorū amplectuntur alij expositores ibi, & Aug. Genes. 25. explicans, quæ fuerint primogenita, quæ Esau vendidit, D. Tho. 1. 2. q. 103. artic. 1. ad 3. dicit, hoc seruatum esse eo tempore ex humana determinatione; & idem sentit. 2. 2. q. 87. ar. 1. ad. 3. Postea verò in lege veteri ex institutione diuina. Leuitica Tribus ad ministerium diuini cultus deputata est, & familia Aarō ad fungendū Sacerdotio, quod tunc per carnalem successionem, quasi hæreditario iure obtinebatur. Iam verò in lege noua altius Sacerdotij genus à Christo institutū est, quod non per carnis originem, nec per solam populi designationem, sed per veram ac legitimam consecrationē datur vt in proprio loco copiosius dicturi sumus, de sacramento Ordinis disputantes.

D. Thom.

SECTIO VI.

Quænam ratio ac definitio proprij sacrificij ex dictis colligatur.

QVidam autores sine distinctione affirmāt omne opus bonum in Dei laudem & honorem relatum, esse verè ac propriè sacrificium Ita sentit Gab. lect. 85. in Canon. litera, D. & Castro, verbo Missa. hæres. 1. Quam sententiam libenter amplectuntur hæretici huius temporis, vt inde colligant, mysterium Eucharistiæ non aliter, nec propriùs esse sacrificium, quam cætera religionis opera; & consequenter, nullos esse necessarios speciales Sacerdotes, quia omnes homines sufficientes sunt ad operandum propter cultū & honorem Dei. Potestq; in fauorem huius sententiæ afferri Aug. li. 5. de Ciuitate c. 5. & 6. vbi, cū dixisset, missericordiam, & alia pia opera propter Deum facta, esse sacrificia, talem sacrificij definitionem concludit. *Sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo relatum, scilicet, ad illum finem bonum, quo beati esse possimus.*

Quorundā placitum.

August.

Cōmunis tamen ac vera sententia, quam sępe in superioribus insinuauimus, duplex genus sacrificij distinguit vnum proprium, alterum per metaphoram, seu analogiam ad illud. Quo posteriori modo verum est, quodlibet opus bonum in Dei honorē relatum, appellari posse sacrificium: propriè tamē sacrificiū esse specialē actū religionis distinctū, nō solū ab operibus aliarū virtutū relatis in honorem Dei, sed etiā ab alijs actibus externis virtutis religionis. Ita sētit D. Tho. 2-2 q. 85. ar. 3. & tenet Soto. li. 6. de iust. & iure. q. 1. ar. 3. Can. 12. de locis. c. 13. & omnes recentiores, qui contra hæreticos de de sacrificio disputant.

Vera sententia sacrificiū proprium ab improprio distinguit.

D. Tho. Soto. Cano.

Vt autē hęc sentētia explicetur, & probetur, oportet rationē veri & proprij sacrificij ex dictis colligere; quæ duobus modis tradi potest. Vnus est, per modū physicę definitionis ex materia & forma cōstātis, ita vt sacrificiū sit, oblatio facta Deo per immutationē alicuius rei, in signū legitimè institutū, diuinæ excellentiæ & reuerentiæ. Cuius definitionis partes omnes satis ex superioribus constat. Solūm circa vltimam animaduertendū est, per illā distin-

gui

Sacrificij proprij definitio per partes physicas.

gui verum à falso sacrificio, quod non tā sacrificiū est, quàm sacrilegiū & idololatria, quanquā in toto ritu externo possit cū vero sacrificio interdū cōuenire, tamen: si falsis dijs offeratur, aut non fiat ex intentione colendi, & profitendi diuinā excellētiā, sed ficto animo & fide, non erit verū, sed falsum vel apparens sacrificium. Vnde rectè Lactan. li. 4 de vera sap. c. 3. & 4. negat, posse vera religionem à vera sapientia seu fide separari, additq;, eum cultum, qui nō officio mentis, sed ritu corporis constat, nihil habere veritatis. Excluditur etiam aliud genus falsi sacrificij vel potiùs superstitiosi, quale est, quod non ritu legitimo, neque secundū debitā institutionem offertur: de quo Aug. epist. 49. *Sacrificium*, inquit, *cū ex hibetur Deo secundū veram eius inspirationem & doctrinam, vera religio est, quod si hoc non habeat, erit noxia superstitio.* Alter modus definiendi esse potest, si dicamus, Sacrifium est signum sensibile ad diuinā excellentiā & cultum illi debitum immediatè significandū impositum per alicuius rei immutationem. Vel aliter, Esse externū actū religionis, continentē supremum latriæ cultum, soliq; Deo debitum. Vbi, vt adæquata sit definitio, oportet, per actū externū intelligere actionē aliquā exteriorem distinctā à prolatione verborū, seu à laude & cultu, qui verbis datur. Vt enim in materia de adoratione in priori tomo latiùs dictū est, actus exteriores ex natura sua nō sunt definiti ad solius Dei cultū, neq; vllus est, qui ex se & natura sua habeat, solā diuinā excellētiā significare: ex institutione autem humana, vel diuina, sola actio sacrificandi ad hoc munus profitendi diuinā excellētiā prorsus determinata est, vt frequēter docet Augustinus locis suprà citatis, & ideo peccatum idololatriæ maximè relucet in actione sacrificij, quādo alteri, præterquàm Deo vero, offertur. Hoc autē intelligendum est de actibus, seu factis exterioribus: nam verba, cùm sint potissima instrumēta ad mentē & interiorem fidem explicādam, faciliùs etiā determinata sunt ad solius Dei cultum, & excellentiam significandam & profitendam, vt cū ore laudamus Deum tanquam supremum bonum, & finem nostrum. At que ita satis cōstat vera ratio proprij ac veri sacrificij.

Lactant.

August.

Per metaphysicas partes sacrificij definitio.

Ex qua colligi potest, reliqua omnia, quæ sacrificia dicuntur, per analogiā quādam & deriuationē à prædicta ratione hoc nomē accepisse: Primò ergo quia sacrificiū est signū interioris cultus, ipse etiam interior cultus solet inuisibile sacrificiū appellari, interdū enim nomen signi transfertur in rē signatā, sicut etiā è conuerso, aliquando nomen rei significatæ ipsi signo tribuitur. Imò interdū cultus internus appellari solet sacrificiū maximè verū, aut etiā veritas sacrificij, veritate, scilicet, rei, & perfectione virtutis: quia, scilicet, ipse cultus interior est id, quod præcipuū est in sacrificio, & veluti anima seu forma eius, à qua habet, vt sit actus virtutis, quāuis in ratione signi proprietas & veritas sacrificij maximè sit in ipso actu exteriori: sicut in superioribus dicebamus, in sacramēto Eucharistiæ corpus Christi esse præcipuū sacramentū in genere seu perfectione & veritate rei, quanuis in ratione signi species sensibiles propriùs sint sacramentū: quia veriùs & propriùs sunt signū sensibile. Et iuxta hæc intelligitur illud Psal. 50. *Si voluisses, sacrificium dedissem vtique*, vbi de sacrificio sensibili apertè loquitur: nā subdit, *Holocaustis non delectaberis.* Paulò autem inferiùs trāsfert sermonē ad inuisibile sacrificium, dicens. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, significans, hoc esse perfectissimum sacrificium, maximeque placens Deo, nam per illud interna & inuisibili oblatione se totum homo Deo offert, vt cùm per amorem, contritionem, aut internam deuotionem, cor suum & omnia Deo subijcit: hoc est enim, quod propriè appellamus sacrificium inuisibile. Alio autem modo potest etiam dici inuisibile sacrificium, voluntas seu propositum offerendi sacrificium externum ad eū modum, quo voluntas occidendi vocari solet internum seu mentale homicidium: hæc autem sacrificij appellatio non est tam vsitata: vnde ille actus propriùs & clariùs vocabitur propositum sacrificādi. Secundò translata est vox sacrificij ad significandos alios actus externos diuini cultus: nam, cùm sacrificium contineat supremum cultum Dei externum, vt dixi, quæ participant rationem huius cultus, facilè etiam potuerunt sacrificij nomen participare. Vnde, quia diuina laus, quæ per vocem fit, propriùs & clariùs indicare solet diuinam excellentiā propter expresiorem verborum significationem, ideò vocari solet sacrificium laudis, Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis, & sacrificium laudis honorificabit me*: & eodem facere sensu dixit Ambros. lib. 5. Epist. 28. *Simplex oratio sacrificium est.* Tertiò translata est vox sacrificij ad significandos quoscunque exteriores actus virtutum, qui ob Dei honorē seu laudem fiunt, vt corporis castigatio & mortificatio, ad Rom. 12. *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, Deo placentem.* Itē mors propter Deū suscepta, Sap. 3. *Quasi holocausti hostiam accepit illos.* Item eleemosyna, quia per eā aliquid videtur Deo offerri in persona pauperis, ad Hebr. 13. *Cōmunionis & beneficentiæ nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Iacobi. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo*, & iuxta hæc intelligenda est doctrina D. Thom. dict. q. 85. art. 3.

Quæ definitione hac nō claudūtur sacræ actiones analogicè sacrificia dici consueuere.

Huiusmodi sunt, interius cultus.

Sacrificandi propositū.

Vocalis laus diuina. Psal. 49.

Ambros.

Corporis mortificatiō Rom. 12. Martyriū. Sap. 3. Eleemosyna Heb. 13.

Iacobi. 1.

Vltimò facilè ex dictis constare potest, sacrificiū vt hæc omnia complectitur, non dicere vnam rationem vniuocam, nec in genere signi, nec in ratione actus virtutis: nam propria ratio sacrificij suprà explicata non eodem modo, nec secundùm proprietatem, in his omnibus reperitur: & quia ratio virtutis non cōuenit eodem modo internis & externis actibus, neque elicitis, & imperatis. Quapropter in Scriptura sacra illud, quod est propriè sacrificium, simpliciter, & absolutè ita appellatur, reliqua verò minimè, sed regulariter cum aliquo addito, vel explicatione aliqua, vt, cū dicitur. *Sacrificium laudis, sacrificium contriti cordis*, vel quid simile, ita vt saltē ex antecedentibus & consequentibus semper possit trāslata significatio colligi. Quocircà, quāuis sacrificiū cum alijs actibus exterioribus religionis conueniat vniuocè in ratione cultus externi & religiosi, tamē vt significantur hoc nomine, *Sacrificium*, non cōueniunt vniuocè: quia non participant eandem rationem: vnde multò minùs possunt interiores & exteriores actus caritatis, orationis, pœnitētiæ, misericordiæ, & similes, vniuocè cōuenire in ratione sacrificij, cùm vix conuiniant, nisi in communissima ratione virtutis, quam vox, *Sacrificium*, nō significat. Quod etiā inde facilè declarari potest, quia ea omnia, quæ diximus esse ad sacrificium necessaria, scilicet, altare, Sacerdos, victima, ad prędictos actus vir-

Illatio.

Universidad de Deusto Biblioteca

tutũ applicata, constat metaphoricè tãtùm dici, nõ propriè: hinc est enim illud Cypr. Epist. 77. dicentis, *Nos ipsos esse hostiam in sacrificio contriti cordis*, & Basilij Psal. 115. in fine dicentis, *Cor nostrum esse altare, in quo sacrificium laudis offerimus*, & Orig. homil. 9. in Leuit. dicit, *Corda nostra esse altaria, & nos omnes esse sacerdotes ad hostias orationis & pietatis offerendas* Deo, & Greg. 25. Moral. c. 7. dicit, *Cor nostrũ esse, diuinum altare, in quo præcipitur ignis semper accendi*, quæ omnia constat per translationem & metaphorã esse dicta: eodẽ ergo modo huiusmodi actus sacrificia dicuntur. Atq; iuxta hæc interpretandus est Augustinus, in fauorem prioris sententiæ citatus: locutus est enim generatim de sacrificio, magisque attendit rationem virtutis & honestatis, quæ est in diuino cultu, & in sacrificio, quàm illius vocis proprietatem, quam non omnino prætermisit: nam, cùm definit, sacrificium esse signum inuisibilis sacrificij, de proprio sacrificio videtur locutus.

Cyprian. Basil. Origen. Greg.

SECTIO VII.

Quotuplex sit sacrificium.

EX dictis in præcedẽte sectione possunt nõnullæ diuisiones sacrificij colligi: aliud est enim inuisibile, aliud visibile. Vnum verum, aliud falsum. Vnum proprium, aliud metaphoricum, de quibus satis dictum est, ac proinde hic iam nõ diuidimus, nisi proprium, verum, ac sensibile sacrificiũ: cuius partitiones iuxta quatuor causarum genera ad quatuor capita reuocari possunt.

Primò ergo ab origine, seu efficiẽte causa, diuidi potest sacrificium, in sacrificium legis naturæ, Veteris, aut Nouæ: nam, sicut hæ leges diuersæ sunt, ita diuersa sacrificiorum genera illas comitãtur, quæ multipliciter inter se differunt, primò, in autore: nã sacrificia legis naturæ non fuerunt à Deo immediatè tradita, sed determinatio eorũ hominibus commissa est, quod regulariter & iuxta frequentiorem vsum intelligendũ censeo, nã interdùm fortasse aliquod sacrificiũ institutũ tunc fuit ex speciali reuelatione, & instinctu diuino, vt de sacrificio Melchisedech credibile est. Sacrificia autem legis veteris omnia fuerũt à Deo immediatè instituta, licèt per Moysen fuerint promulgata: Sacrificij autem legis Nouæ solus Christus Deus & homo autor est, vt posteà dicemus. Secundò differunt in effectu: sacrificia enim legis naturæ per se & vi sua, seu ex opere operato, nullum habebant effectũ, sed solùm ex deuotione & fide operantiũ valere poterant ad satisfaciendũ Deo, vel aliquid ab ipso impetrandũ, nam, quod Greg. interdũ dicit, valuisse tunc aliquod sacrificiũ ad remissionẽ originalis peccati, quomodò intelligendum sit, superiùs in materia de sacramẽtis in genere explicatum est: nam ille effectus, quomodocũque datus fuerit, magis pertinet ad rationẽ sacramenti, quàm sacrificij. Sacrificia autem legis veteris in hoc etiam fuerunt præcedentibus similia, quia nullũ etiã spirituale, & internum donũ vi sua conferebant: differebant tamẽ, quia saltem irregularitates aut immunditias legales auferebant: at verò Sacrificium legis nouæ habet effectus proprios vi sua, & ex opere operato, de quibus posteà dicemus. Tertiò differunt in significatione & ritu externo, & de ritu quidem id satis patet ex historia veteris testamenti, præsertim ex Leuitico: de significatione verò declaratur, nã intelligendũ id est, quoad significationem mysticam passionis Christi, nã quo ad moralem omnia significabant eundem cultũ internum, eandemq; existimationem de diuina excellentia & maiestate. Passionem autem Christi vetera sacrificia significabant vt futurã, & ideò omnia erãt veluti vmbræ quædã aut figuræ, quanuis sacrificia legis veteris expressiùs ac pluribus modis hãc Christi passionẽ significauerint, quàm sacrificia legis naturæ, vno vel alio excepto, verbi gratia, sacrificio Melchisedech, quod satis expresse sacrificium legis nouæ repræsentabat, in sacrificio autem legis gratiæ non tantùm est figura rei futuræ, sed etiam veluti expressa imago passionis Christi iam exhibitæ, neq; etiã est tantùm vmbra, sed etiam ipsa veritas: quia in eo Christus ipse continetur, & æterno Patri offertur, vt dicemus.

Ab ipsa re oblata oblationes distingui solent.

Secũda principalis diuisio sacrificiorũ sumitur ex parte materiæ seu rei oblatæ, & ad tria præcipua membra reuocatur, primò enim solebãt offerri animalia, & in Dei honorem mactari, vt vituli, colũbę agni, &c. & tunc res oblata interdùm appellabatur hostia, interdùm victima, de quorũ nominum etymologia legi potest Isidorus lib. 6. Origin. Solebãt enim gẽtes hæc sacrificia præmittere, quãdo ad bellum cõtra hostes incedebant, & ideò hostiam vocabant, aut certè, quia in ostio templi mactabãtur, & similiter vocabantur victimæ, vel quia offerebãtur pro victoria impetranda, aut in gratiarum actionẽ pro iam obtenta, vel certè quia animal vinctum ad sacrificium afferebatur. Secundò offerri solebat sacrificiũ ex fructibus terræ, vt ex tritico, &c. & hæc propriè dicebãtur immolationes, à mola, vt multi existimant. Tertiò offerebantur liquores aliqui, vt vinum, &c. Et hæc propriè dicebantur libamenta, quanquã vsu iã hæ voces confundi soleãt, & quodlibet sacrificium his fere omnibus nominibus appellari: reperiuntur autem in lege veteri omnia hæc sacrificiorum genera, vt ex Genesi. Exod. & Leuit. constat, in lege autem noua vnicum sacrificium omnia hæc eminenter continet: in eo enim Christus offertur, qui est viua hostia, & excellẽtissima victima &, quia sub specie panis & vini offertur, & sumitur excellentiori modo habet, quicquid ad rationẽ immolationis & libamenti spectat.

Isidorus.

Ex varijs actionũ consecratiuarum modis, variæ sacrificia distinguuntur.

Tertia diuisio sacrificiorũ sumi potest ex forma, seu ex varia actione, per quam res oblata sacrari aut immutari solita est, in qua re tanta inuenitur varietas, vt vix possit ad pauca capita reuocari. Possumus autẽ ex veteri testamento tria potissimùm colligere, interdum enim tota res oblata igne consumebatur, & tale sacrificium vocabatur, *holocaustum*, quod verbum, iuxta proprietatem Hebraicam interpretatum, idem significare dicitur, quod ascendens: quia nimirum hoc sacrificium igne consumptum, totũque in vaporem & fumum resolutũ, quasi ascendebat. Alij verò, vt Isidorus suprà refert, existimant, *holocaustum*, nomẽ esse Græcum, idemq; significare quod totum incẽsum. Secundò, sacrificiũ post iugulationem seu interfectionem animalis, partim igne consumebatur, partim in vsum sacerdotum reseruabatur, illudq; in atrio, vel in templo comedebãt, vt in *hostia*, quę dicebatur, *pro peccato*. Tertiò erat sacrificium *hostia pacifica* dictum, quod partim igne, partim sacerdotũ, partim etiã ipsorum sacrificantiũ vsu consumebatur, vt cõstat ex Leuitico, pręsertim sex capitibus primis, vbi Cyrillus, Rupertus, & alij expositores, varias horum sacrificiorũ rationes tradunt,

Isidorus.

Cyrillus. Rupertus.

dũt, quas breuiter collegit D. Thom. 1. 2. q. 102. & priùs attigit Philo, lib. de victimis, & Ioseph. lib. 3. Antiquit. cap. 13. Hæc autem partitio potissimũ habet locum in sacrificijs animalium: accommodari autem suo modo potest etiam ad ea, quæ erant ex fructibus terræ, vt simila, tritico, &c. omnia enim aliquo ex prædictis modis consumebantur.

D. Thom. Philo. Ioseph.

Aliud sacrificium cruẽtum, aliud incruentũ.

Vnde etiam obiter declarata relinquitur alia diuisio sacrificij in incruentum, & cruentum, quæ tum ex parte rei oblatæ, tum ex modo offerẽdi, sumi potest: quandocunq; enim offerebãtur fructus terræ, aut aliquid ex illis cõfectũ, sacrificiũ fiebat incruentũ, quia nulla sanguinis effusio in eo fiebat, aut fieri poterat. Quando verò offerebãtur animalia, semper fiebat sacrificium cruẽtum: iugulabãtur enim, & sæpe ad humanos vsus parabãtur: quod fieri non poterat sine sanguinis seu cruoris effusione. Quod etiam maximè fiebat ad significandũ cruentum sacrificium, quod in Christi passione peractũ est; sicut per priora sacrificia adumbratum etiam fuit incruẽtum sacrificium, quod in nocte cœnæ Christus obtulit. Vnde in lege etiã naturæ vtrũq; sacrificij genus inuẽtum est; nam Melchisedech, sacrificium obtulit incruentum; de Abraham verò & alijs Patriarchis sæpè legimus, sacrificia cruẽta immolasse. Sacrificiũ autem legis nouæ, vt posteà videbimus, formaliter ac propriè incruentũ est, tum quia Christus in eo oblatus semel tantùm mori debuit; idque de se sufficientissimum fuit ad nostra exhaurienda peccata, tum etiam, quia ita decebat ad perfectionẽ & puritatem legis gratiæ: potest autem hoc sacrificium dici eminenter & mysticè cruentũ: quia in eo vera caro, & verus sanguis offertur cum quadã mystica repræsentatione sacrificij cruenti, & sacramentali eorum separatione, quantum est ex vi verborũ, quanuis propter realem concomitantiam minimè in re ipsa separentur, sed coniuncti sint.

Sacrificia ... pro sacrificantium fine & intentione fiunt variè.

Quarta diuisio sacrificij sumitur ex parte finis, & continet tria vel quatuor membra. Primò enim institui potest sacrificium solùm ad Deum venerãdum, eiusque excellentiam, & supremam dominationem protestandam, & huiusmodi erat holocaustum, quod propterea totum cremabatur, vt significaretur, id totum, quod creatura est, Dei esse, totumque in Dei honorem & laudem esse offerendũ & consecrandum: vnde hoc censetur esse perfectissimum sacrificiorum omnium, vnde & ad statũ perfectorum dicitur pertinere. Secundò potest institui sacrificium in expiationem peccatorum, & dicitur, *hostia pro peccato*, quæ in lege veteri frequẽs est, & multiplex pro diuersitate peccatorum, aut personarum: sæpè enim ad diuersa diluenda peccata, diuersa præcipiebantur sacrificia, non quidem in omni peccatorum genere: id enim fuisset immẽsi cuiusdã oneris, sed in quibusdam, quæ iuxta illius legis statũ censebantur grauiora, vel pro quibus talia sacrificia præciperentur aptiora. In quo etiam significatum est, illa sacrificia per se non fuisse sufficientia ad internam peccatorum remissionem quoad culpam: quia hoc modo vnum peccatum mortale sine alio non tollitur: sacrificia autem illa pro peccatis, mortalibus præsertim, offerebantur, non ergo ad remissionem culpæ ex vi illorum, sed vel ad satisfaciendũ pro pœna ex opere operantis, ad id enim valere poterant, si offerens erat sufficienter contritus, vel ad impetrandam à Deo talem contritionem, si saltem ex vera fide, & aliquali dispositione, & bono ac supernaturali motu cordis oriretur. Vel deniq; (quod certius erat) ad legalem iustitiam, seu veniam obtinendam. Tertiò, instituebatur aliud genus sacrificij quod *hostia pacifica* appellabatur, vt tradit D. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 3. vbi hoc modo trimembrem facit hanc diuisionem, ad eam omni sacrificia referens, quæ, vel in lege veteri instituta sunt, vel excogitari possunt. Maioris autẽ claritatis gratia possumus tertium hoc membrum in duo subdiuidere: sit ergo tertium sacrificij genus, quod ad gratias Deo agendas pro beneficijs susceptis instituitur, & hoc proprissimè vocabitur, *hostia pacifica*, & *sacrificium laudis*, seu, *gratiarum actionis*. Quartum verò genus est, quando sacrificiũ instituitur ad impetrãdum à Deo aliquod beneficium, præter remissionẽ peccatorũ, quod dici potest, *sacrificium impetratorium*. In qua tota diuisione obseruandũ est, sumptã esse ex motiuo virtutis, quatenus, vel ad finẽ virtutis pœnitẽtiæ, gratitudinis, religionis, aut alterius similis proximè ordinatur. Quapropter, quanuis ex vi & intẽtione instituẽtis fieri possit, vt sacrificia ad hos fines ordinata, sint etiã (vt sic dicã) realiter, seu materialiter diuersa: non tamen repugnat, hæc omnia motiua ad idẽ reale sacrificium applicari, vel ex intentione proximi offerentis, vel etiã ex mente, & institutione primi instituentis. Atq; ad hũc modũ vnicum sacrificium legis nouæ omnes has sacrificiorũ rationes perfectissimè continet. Est enim holocaustum, quia potissimũ fit in recognitionẽ diuinæ excellentiæ. Est propitiatoriũ, quia fit in satisfactionẽ peccatorũ. Est Eucharisticũ, quia fit in recognitionẽ & gratiarum actionem passionis Christi, quæ fuit summum Dei beneficium, & fons beneficiorũ omnium. Est etiam impetratorium, quia in eo Christum offerimus, in quo, & per quem, omnia diuina beneficia sperare debemus.

D. Thom.

Legis gratiæ vnicum sacrificium eminentissimè sacrificia omnia vetera continet.

SECTIO VIII.

Vtrùm sacrificium sit de lege naturæ.

HActenus sacrificij naturã & proprietatẽ cõtẽplati sumus, & obiter, quæ in cõmuni de causis & effectibus desiderari possunt, sufficienter attigimus: superest igitur, vt aliam partẽ de sacrificio tractemus, quę ad rem moralem pertinere potest, nimirùm, an huiusmodi ritus, & modus colẽdi Deum licitus sit, vel pręceptus, & quo præcepti genere, naturalis, scilicet, an positiui, diuini vel humani. Prima sentẽtia est hęreticorum quorundam, negantium, exhibendum esse Deo cultũ externũ, & præsentim per sacrificia cruenta. Ita refert Aug. 1. lib. cõt. Aduer. Leg. & Proph. c. 18. E cõtrario verò Eusebius lib. 1. de Demõstrat. Euãgelic. c. 10. refert, gentiles quosdam reiecisse incruenta sacrificia tanquam indigna Deo; cruenta verò approbasse. Auerroes autẽ. 12. metaph. in vniuersum hæc sensibilia sacrificia contemnenda putauit: imò apud Lactant. legimus, Senecã, vocem illam protulisse. *Quod est suprà nos, nihil ad nos*: quasi abijciendum putauerit omnem Dei cultum, fortasse sensibilem & externũ.

Hæreticorũ delirium.

August. Euseb. Auerroes. Seneca.

Sed, quod pertinet ad generalem quæstionem de cultu Dei externo, an sit licitus & honestus, non est hic disputandi locus: sed supponẽdum est ex. 2. 2. loco citato; & in primo tomo huius tertię partis tractãtes de adoratione idem ostẽdimus, nõ solùm ex Scripturis

Universidad de Deusto Biblioteca

pturis, & ex perpetuo vsu Ecclesiæ & iustorū omnium verum Deum colentium, sed etiam ex naturali ratione. Quia, cùm homo constet animo & corpore, & vtrumque à Deo habeat, eiusque prouidentia in vtroque conseruetur & gubernetur, per se se maximè decet, vt non solùm animo, sed etiam corpore ipsum colat, præcipuè cùm huiusmodi cultus externus, & ad proprium spiritualem profectū vtilis sit, & ad aliorum exemplum, & Reipublicæ conuenientem gubernationem. Est enim homo animal sociale, & ideò non satis est, vt veram de Deo existimationem habeat, sed necessarium etiam est, vt eam prodat, & coram alijs profiteatur, quod maximè fit per huiusmodi externum cultū religiosum. Vnde hæc veritas nō tantum est fide certa, sed etiā ratione generali euidens, & locum habet, non solū in hominibus ad supernaturalem finem eleuatis, sed etiam in pura natura respectu Dei vt autor est, & finis naturalis illius.

Deo iustorū externa sacrificia gratissima semper extitere.

Hoc autem principio supposito, non est difficile, ostēdere, etiam esse honestum, Deoque gratum externum cultum per sensibile sacrificiū, siue cruentum, siue incruentum, quod etiam de fide est, & rationi naturali consentaneum. Vnde probatur primò ex historia sacræ Scripturæ: nam à principio mundi consueuerunt homines iusti, Deoque grati, offerre Deo huiusmodi sacrificia, annuente Deo, & signis aliquibus significante sibi esse placitum, vt manifestè legimus de Abel, Genes. 4. ad cuius sacrificium *respexit Deus*, & c. 8. Noe, postquàm egressus est de arca, *Obtulit holocausta super altare, odoratusq; est Dominus odorem suauitatis*, & idem legimus de Melchisedech. c. 14. & de Abraham. c. 15. & 22. & de alijs posterioribus, excepto Isaac, sicut nulla etiam fit mentio in Scriptura sacrificij oblati ab Adam, licèt credibile sit, illud non omisisse post peccatum, quāuis Scriptura sacra id non commemoret, cuius rationem mysticam attigit D. Thom. dicta quæst. 85. articul. 1. ad secundum, fortasse tamen nullum mysterium in hoc latet: quia necesse non est, vt in Scriptura sacra omnia referantur, præsertim quia fortasse nihil speciale aut memoria dignum in horum Patrum sacrificijs accidit. Secundò, hæc veritas euidētiùs constat ex his, quæ Deus fecit in lege scripta, in qua Deus multa huiusmodi sacrificia, non solùm probauit, sed etiam præcepit, quæ lex non potuit non esse sancta, cùm à Deo fuerit data, de qua re legi possunt Eoseb. lib. 1. de Demonst. cap. vlt. Aug. epist. 49. q. 3. & ex recentioribus Franciscus Ribera Oseæ. 6. à num. 10. Tertiò, nota fuit etiam hæc veritas philosophis grauioribus, & qui de rebus moralibus meliùs senserunt, vt constat ex Platone Dialog. 8. de legib. Arist. 7. Polit. c. 8. & 8. Ethic. c. 9. & Cicer. de Nat. Deorū. Quartò accedit ratio, quia in huiusmodi genere cultus nulla est specialis deformitas aut indecentia: quia & finis eius religiosus est & actio ipsa est satis accommodata ad significandā excellentiæ diuinæ recognitionem, neq; aliunde ostēdi potest aliqua malitia, quæ per se sit tali actui annexa: ergo talis actus per se, ex obiecto & fine suo, & circunstantijs sibi debitis, honestus est. Confirmatur, quia honestum est, vt homo tributum soluat Regi seu Principi, eique honorem exhibeat in recognitionem dominij & dignitatis eius: ergo honestè etiam potuit ab hominibus introduci, vt de rebus suis aliquid Deo offerant, quasi tributum ei debitum persoluentes: hæc autem oblatio non potest

Genes. 4. 8. 14. 15. & 20.

Euseb. August. Ribera.

Plato. Arist. Cicer.

in vtilitatem Dei cedere, qui bonis nostris non indiget: decenter ergo factum est, vt huiusmodi oblatio interdùm in solum Dei cultum & honorem cedat, per aliquam immutationem seu consecrationē rei oblatæ, est ergo huiusmodi cultus ex genere suo decens, & honestus.

Scripturis proposita veritas impugnatur.

Sed obijci possunt nōnulla Scripturæ testimonia in quibus Deus significat, huiusmodi sacrificia sibi non esse placita. Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti.* Psal. 50. *Holocaustis non delectaberis*, apertius Isaiæ. 1. *Sanguinem hircorum & taurorum nolo, quis enim hæc requisiuit de manibus vestris?* Et similia ferè habentur Hierem. 7. imò Ezech. 20. Sacrificiorum præcepta appellantur *non bona*. Confirmatur, quia, si hæc sacrificia verum & honestum cultum Dei cōtinerent, essent excellentiora, quàm opera misericordiæ, eisque præferenda, quia religio excellētior est, quam misericordia: at verò Scriptura sacra præfert opera misericordiæ his sacrificijs. Oseæ. 6. *Misericordiam volo, non sacrificia*: hinc Lactant. lib. 6. de Vero cultu, cap. 1. obscurè loquitur de ritu & sacrificio, quo Deus colendus est, dicens, *Nihil sancta & singularis illa Maiestas ab homine desiderat, nisi solam innocentiam, quam si quis obtulerit, satis pie religioseque litauit.* Ad priora testimonia respondetur, in eis non improbari hæc sacrificia, sed in primis admoneri homines, non satis esse illis huiusmodi sacrificia, si alioqui negligenter viuant, quod rectè docuit Lactantius suprà, dicens: *Homines neglecta iustitia cum sint omnibus sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa & aras hostiarum sanguine cruentauerint.* Itaque non sacrificia, sed sacrificantes reprehenduntur, qui contemnentes alia opera virtutum, putant se per sola sacrificia fore Deo gratos: vnde in citato loco Isaiæ. 1. post superiora verba subditur, *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, & capitul. 66. *Hæc omnia elegerūt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.* Iuxta quod scribit etiam Clemens Papa libr. 6. Const. capitul. 22. *Recusabat sacrificia populi sæpenumero in eum peccantis, & existimantis eum sacrificiis, & non pœnitentia placatum iri*: & ferè idem habet Irenæus libr. 4. capitul. 32. & August. libr. quæstionū Noui & vet. test. quæst. 103. & hoc indicant verba illa Psalm. 50. *Si voluisses, sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis: Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & posteà subditur, *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* Non ergo hæc Deo displicebant, sed, vt à contrito corde procederent, requirebat. Secundò, ac præcipuè insinuatur in illis locis, omnia antiqua sacrificia debuisse valorem suū ex fide passionis Christi accipere, &, illa seclusa, per se se nullius fuisse existimationis, quod indicatum est in illis verbis Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio*, vt Paulus etiam exposuisse videtur ad Hebr. 10. Vnde Augustinus super eundem Psalm. dicit, multa ex prædictis verbis referenda esse ad tempus legis gratiæ, in quo, oblato iam Christi sacrificio, quod illa sacrificia prænunciabant, non possunt esse Deo grata, quod docuit etiam Chrysostom. in Demonstrat. quòd Christus sit Deus, & Anastas. Nissen. lib. quæstionū sacræ Scripturæ, quæst. 50. Tertiò docemur in prædictis locis, quanuis opera diuini cultus ex genere suo meliora sint, quam opera misericordiæ, interdū verò hæc esse magis necessaria, Deo-

Psal. 39. & 50. Isaiæ. 1. Hierem. 7. Ezech. 20. Oseæ. 6. Lactan.

Adductis Scripturis satisfit.

Isaiæ. Clemens P. Irenæus. August.

Psal. 39. Heb. 10. Chrysost. Anas. Nis.

Deoq; gratiora, ideoque sacrificijs præferenda, maximè cū relata in Dei honorem, & amorem, participent honestatem religionis & charitatis Dei: hoc enim modo dicitur Marci. 12. misericordiam esse maiorē omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs. Tandē vltimò significatur prædictis locis, dedisse Deū tot sacrificia carnalia illi populo, nō quia per se illi maximè placerent, sed vt eum ab idolorū cultu abstraheret. Ita Hieronymus interpretans citata Prophetarū testimonia, & Matth. 5. Chrysost. homil. 61. in Matth. & 24. in 1. ad Corinth. Epiphan. hæresi. 42. D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 3. Vnde constat quomodò exponendū sit verbum illud Ezech. *Dedi eis præcepta non bona*: nō enim possunt dici nō bona, quia fuerint mala: alioqui quomodo Deus illa dedisset? dicūtur ergo *non bona*, id est, laboriosa, onerosa, aut certè etiā minùs perfecta, & carnali populo, potiùs quā spirituali accōmodata, vt à maioribus malis arceretur. Ac denique *non bona* dicuntur, quia onus imponebant, gratiā autem non dabant, & iubebāt quidē, nō autem adiuuabant, vt latè persequitur August. toto lib. de spiritu & litera, & docet D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 1. Ad confirmationem satis ex dictis responsum est: Lactantius etiam piè exponendus est iuxta dicta, maximè quia in eis verbis, non tam de honestate, quàm de necessitate horum sacrificiū loquitur, de qua nondum dictum est.

Marci. 12. Hieron. Chrysost. Epiphan. D. Thom. August. D. Thom.

Difficultas.

Secundo igitur loco declarandū superest, vtrū sacrificiū sensibile nō solū licitum sit, sed etiā præceptū: est autē quæstio de præcepto Legis Naturæ, nā de iure positiuo diuino & humano dubiū non est, quin talis actus possit esse materia præcepti, sicut fuit in lege veteri, & posteà dicemus de lege noua; difficultas verò est, quid sit dicēdū, stādo in sola lege naturæ. D. Tho. enim. 2. 2. q. 85. ar. 1. ad 4. sentit, determinationē quidē sacrificij esse de iure positiuo, tamē vsum eius in cōmuni esse de lege naturæ, & ita interpretātur & sequūtur Caiet. & Soto ibi, & fauet Eusebius loco suprà citato dicens, hominē debere vitā suam offerre Deo in sacrificio, tamen, quia nō expediebat, humanū sanguinē sacrificari, ideò lege naturæ introductum esse, vt in sacrificiū animalis, vel aliquid eiusmodi, cōmutaretur: sicetiā Clem. Rom. lib. 6. cōst. c. 20. dicit, antiquos Patres naturali lege admonitos sacrificasse, & Casiā. coll. 8. c. 23. dicit, Abel naturali lege adductū sacrificasse. Sed in hac re aliud est loqui de cultu Dei absolutè, aliud de cultu externo, aliud denique de tali cultu externo, qui est per sacrificium. Rursus aliud est dicere, aliquid esse simpliciter præceptū in lege naturæ, aliud verò esse sufficiēs ad implēdum aliquod naturale præceptum.

D. Thom. Caiet. Soto. Euseb. Clemēs Ro. Cassian.

Deū colere naturæ iure præceptum est.

Dico ergo primò, Cultus Dei absolute loquēdo præceptus est naturali lege. Hāc cōclusionē probat optimè ratio, qua D. Th. vtitur loco citato, quia nimirū homo debet Deo nō tantū amorē, sed etiā honorē, tanquā supremo domino & autori suo, à quo habet, & originem, & cætera omnia. Et cōfirmatur, nā hæc ratione præceptum naturale est de honorandis parentibus, quantò magis de honorando Deo?

Idque cultu externo.

Dico secundò, etiam esse iure naturæ præceptū, colere Deum cultu externo. Hoc quidē non videtur esse tam euidens, sicut primum. Probatur tamē primò ex vsu omnium gentiū, nā omnes eo modo quo Deū cognoscunt, illum colunt aliquo externo cultu: ergo signū est, id fieri naturali ratione dictāte. Secundò, quia cùm homo à Deo habeat non solùm animam, sed etiam corpus, nō solùm animo, sed etiam corpore tenetur eum colere, nō quidem, quia Deus sensibili aliquo signo indigeat, vt mentis nostræ affectū cognoscat, vt hæretici argumentātur, sed vt nos totos, & nō solùm animas, sed etiam corpora Deo subijciamus. Honor enim est in honorante, & ideò exhiberi debet modo ipsi accōmodato. Vnde argumentatur tertiò D. Thom. quia naturale est homini, vt metem suam sensibilibus signis exprimat: ergo hoc etiam modo tenetur colere Deū. Primū, quia ex interno affectū naturaliter sequitur externa manifestatio: vix enim potest homo animi sui sensum & mentē interiùs omnino continere, & ideò, si interior cultus Dei est de lege naturæ, cōsequenter fit, vt sit etiā exterior. Deinde, quia hoc multū iuuat, & ferè necessariū est ad interiorē cultū: anima enim per actus corporis ad interiores animi motus excitatur. Deniq; (quod caput est) quia tenetur homo mentē & animū suū erga Deum, nō solū Deo, & sibi, sed etiā alijs hominibus significare: propter quod non solū fides, sed etiā confessio fidei, est ad salutē necessaria, vt significauit Paul. ad Rom. 10. & idē proportionaliter est in lege naturæ. Præsertim, quia, cū homines in vnius Reipublicæ seu populi corpus cōgregentur, naturalis ratio postulat, vt nō tantū sigillatim & priuatim, sed etiā publicè, & cōmuni nomine & autoritate Deū colant, quod facere non possunt, nisi externo cultu quia cultū merè internum homines non vident.

Rom. 10.

Sacrificii oblatio licet de iure naturæ strictè sumpto non sit, est tamen actio idonea ad præceptū naturale de cultu externo exhibendo Deo, exequendum.

Dico tertiò, Quanuis sacrificiū visibile satis accōmodatū sit ad prædictā obligationē implendā, tamē, propriè & in rigore nō est ex vi solius legis naturæ præceptū. Prior pars satis nota est ex dictis. Posterior sumitur ex Anacleto Papa, epi. 2. dicēte, antiquos Patres spontanea voluntate sacrificiū obtulisse, & Clemente, qui loco suprà citato dicit, nō ex obligatione, sed ex volūtate sacrificasse. Ratio verò est, quia, licèt hic modus colendi Deū sit honestus, & sufficiēs ad implendā obligationē colendi Deū, tamē præter hūc modū possunt esse alij, etiā honesti & sufficiētes, vt per vocalē orationē & laudē, per genuflexiones, vel alias similes actiones: cultus enim Dei externus multiplex est, & nullum est naturale principiū, ex quo sufficienter colligi possit, determinationē illius ad talē modū cultus, scilicet, per sacrificiū, esse omnino necessariā ad morū honestatē. Quando igitur aliqui Doctores significāt, sacrificiū esse de lege naturæ, vel loquūtur de sacrificio in cōmuni, prout includit nō solū propria sed etiā metaphorica sacrificia. Vel loquūtur de sacrificio formaliter, ratione cultus latriæ externi vt sic, nō ratione talis determinationis. Vel deniq; si hac etiā loquuntur, interpretādi sunt, esse de lege naturæ, id est, consentaneū illi, & impletiuum legis naturæ, non tamen simpliciter necessarium.

Anacletus. Clemens.

Obiectioni respōdetur.

Dices cōsiderando hoc præceptū eo modo, quo præceptū est, scilicet, in ordine ad cultū Dei externū vt sic, pro quo tēpore obligat, stādo in sola lege naturæ? Respōdetur breuiter (quoniam hoc magis spectat ad materiā de religione) hic occurrere generalē difficultatē & cōmunionē omnibus præceptis affirmatiuis, in quibus, si determinatio facta nō est per legē positiuā, difficile est designare tēpus, pro quo determinatè obligēt. Quocirca, ablata prædicta determinatione legis positiuę, nihil aliud dicere possumus, quā huiusmodi cultū esse ab homine exhibendum Deo, aliquoties in vita, & non esse nimium

Universidad de Deusto Biblioteca

miùm differendum; nec poteſt temporis pūctus & articulus generaliter definiri, ſed prudenti vſui, & arbitrio iu committendum eſt.

DISPVTAT. LXXIIII.

De Miſſa ſeu ſacrificio legis nouæ.

Diſp. 1. de ſacrificio. Doctrinæ ordo.

SVperiùs de ſacramētis tractantes priùs de ſacramentis legis nouæ in cōmuni, quàm de aliquo in particulari diſſeruimus, quoniam ſacramēta multa ſunt, & in quibuſdā rebus cōueniunt; in alijs diſſerunt, in lege autem noua non ſunt plura ſacrificia, ſed vnicū tantū, vt poſteà videbimus, & ideo de hoc ſingulari ſacrificio ſtatim diſputatiouē inſtituimus. In quo pertractādo duas illas partes diſtinguemus, ſpeculatiuā, ſcilicet, ſeu dogmaticā, & moralē, ſicut in ſacramentis obſeruauimus. Prior autē, quam nunc aggredimur, ſex vel ſeptē capita complectetur, ſcilicet, an ſit hoc ſacrificiū, quid ſit, quas cauſas habeat, & præſertim à quibus offerri poſsit, & pro quibus, & quam habeat efficaciam ſeu valorem, ac denique quo ornatu & ceremonijs peragendum ſit. In hac ergo diſputatione tantùm prima quæſtio, & conſequenter inſtitutio huius ſacramenti declaranda à nobis eſt.

SECTIO I.

Vtrùm in lege noua ſit aliquod verum ac proprium ſacrificium.

Hæreticorū pertinax inſania.

VNa ex præcipuis controuerſijs cum hæreticis huius temporis eſt de huiuſmodi ſacrificio: illi enim omnino negāt, inſtituiſſe Chriſtum in noua lege aliquod verum ſacrificium, & quanuis potiſsimum intendant, tollere ſacrificium propitiatorium, & impetratorium, tamen, vt hoc efficiant, abſolutè de ſacrificio loquuntur, & quicquid vel in Scriptura, vel in ſanctis Patribus, de Euchariſtiæ ſacrificio, vel inſinuatū, vel apertè ſcriptū reperitur, id totum de improprio ac metaphorico ſacrificio interpretātur. Fundamentū eorum præcipuū eſt, quia, vel hoc ſacrificiū eſt Eccleſię Chriſti neceſſarium, vel non, ſi non, ſuperfluè & ſine cauſa eſſet inſtitutum; ſi verò dicatur neceſſariū, fit iniuria ſacrificio crucis Chriſti, nam ſequitur, illud fuiſſe imperfectum, & inſufficiens. Hoc autē fundamētū, quanuis ſpecie videatur infirmū, magnū tamē robur ſumit ex epiſtola Pauli ad Hebræos, in qua ſimili argumēto vti videtur Apoſtolus, vt cōcludat, vetera ſacrificia fuiſſe infirma, quādoquidē poſt illa omnia neceſſariū fuit ſacrificiū crucis: hæc enim argumentandi ratio, ſi efficax eſt, eodē modo concludit de quocunque poſteriori ſacrificio: vnde apertè Paulus ex illius ſacrificij perfectione cōcludit, illud vnicū ad cōſummādā noſtrā ſalutē ſuffeciſſe. Igitur c. 9. dicit, antiquos Sacerdotes ſolitos fuiſſe frequenter introire in ſancta, ſacrificiorū officia cōſummantes, atq; iterantes, eò q; nihil ad perfectionē poſſent perducere: *Chriſtus autē* (ſubdit) *introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*, & infrà. *Nō enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit exēplaria verorum, ſed in ipſum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis, neque vt ſæpiùs offerat ſemetipſum, quēadmodum Pontifex, quando intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno, alio qui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem ſemel ad deſtructionem peccati in conſummatione ſæculi per hoſtiam ſuam apparuit.* In c. autem. 10. poſt quā dixerat, ſacrificia vetera repetita ſæpiùs fuiſſe propter ſuam imperfectionem, ſubdit, *Chriſtus autē vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei: de cætero expectans, donec ponantur inimici ſub pedibus eius: vna enim oblatione conſummauit ſanctificatos.* Poſtmodum verò exponens de tempore legis gratiæ, verba Hierem. 33. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor ampliùs*, ſubiungit Paulus. *Vbi horum remiſsio eſt, iam nō eſt oblatio pro peccato*: tollit igitur ſacrificium propitiatorium: vnde & ſubiungit, *Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.*

Fundamentum. *Heb. 9.* *Hebr. 10.* *Hier. 31.*

Secundò argumentari poſſumus ex Paulo ad Hebræos. 5. vbi dicit, neminem poſſe ſibi aſſumere dignitatem vel honorem Pontificis ſeu Sacerdotis, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron: ſed in lege noua nullus vocatur Sacerdos, niſi Chriſtus, quod maximè pertinet ad eius dignitatem, & ad excellentiam & perfectionem Sacerdotij eius: nam, vt ſubiungit Apoſtolus. *Alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem, eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Ex quo videtur Paulus tacitè concludere, illū eſſe vnicum Sacerdotē, poſt quē nullus alius ſuccedit, quod magis inferiùs ſignificat, dicens, *Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem iuris iurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.* Igitur poſt Chriſtum nullus eſt proprius inſtitutus Sacerdos, ſed omnes fideles ſunt ſacerdotes ea lata & metaphorica ſignificatione, quæ ſacrificio ſimili modo dicto correſpondet, iuxta illud, *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium*: ablato autem proprio ſacerdotio, neceſſe eſt, & ſacrificiū proprium auferre: nam hæc duo inſeparabili nexu coniuncta ſunt. Dices, ipſum Chriſtū eſſe perpetuū Sacerdotem, qui perpetuò poteſt ſacrificium offerre, & iterari. Sed obſtat Paul. ad Heb. 7. dicēs Chriſtum talem eſſe Pontificem, *qui non habet neceſsitatē quotidie (quēadmodum ſacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſe offerendo*: & idem repetit. c. 10. vt ſuprà viſum eſt.

Heb. 5.

Tertium argumentum ſumunt hæretici ex Ioā. 4. vbi Samaritana Chriſtū interrogauit, *Patres noſtri in mōte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Chriſtus autē reſpōdit. *Venit hora, quādo, neq; in mōte hoc, neq; Hieroſolymis adorabitis Patrē. Sed venit hora, & nūc eſt, quando veri adoratores adorabūt Patrem in ſpiritu & veritate*: quo in loco verbū, *adorare*, idē ſignificat, quod ſacrificiū offerre: nā quia (vt ſuprà dicebamus) in oblatione ſacrificij ſupremus cultus externæ latriæ poſitus eſt, ideò *ſacrificare* per antonomaſiam *adorare* dici poteſt. Hunc autem eſſe ſenſum conſtat, quia de hoc ſolum erat controuerſia inter Samaritanos & Iudæos: nam hi ſolùm in templo Hieroſolymitano dicebant, licere ſacrificia offerre, illi verò in monte Garizim, vbi templum ædificauerant, teſte Ioſepho libr. 11. Antiqu. capitul. 8. nam de alijs actionibus, quibus coli Deus poteſt, vt ſunt oratio aut ſimiles non poterat eſſe dubitatio, quin quouis in loco licitè fieri poſſent. Accedit, non eſſe nouum, ſed vſitatum in Scriptura, quòd verbum, *adorandi*, pro verbo, *ſacrificandi*, ponatur Geneſ. 22. *Poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos*, id eſt, poſtquam ſacrificium obtulerimus: ſunt enim illa verba Abrahæ, qui ad filium ſacrificandum ibat, & eodem ſenſu ſumi videtur, Ioanni 12. in illis verbis, *Erant autem quidam Gentiles ex ijs, qui aſcenderant vt adorarent in die feſto*: & Actor. 8. de Eunucho Cādacis Reginæ dicitur, *Venerat adorare in Hieruſalem*, &c. eodē ergo modo ſumitur in citato loco. Interrogatus ergo Chriſtus de loco, vbi ſacrificiū eſſet offerandum, reſpondere videtur, veniſſe iam tēpus legis gratiæ, vbi nullibi erat Deus ſacrificijs honorandus, ſed tantùm *in ſpiritu & veritate*, id eſt, ſacrificio ſpirituali & inuiſibili.

Ioan. 4. *Ioſeph.*

Ioan. 12. *Actor. 8.*

Chriſti Eccleſ. propriſsimo externo viſibilique ſacrificio gaudet, quo Deū colit.

Dicendum verò eſt, eſſe in Eccleſia Chriſti aliquod verum, proprium, externum ac viſibile ſacrificium, quo à Chriſtiano populo colitur Deus. Hęc eſt Catholica veritas, ac de fide certa. Quam oſtendo primò ex veteri teſtamento, in quo prædictum eſt, fore in lege gratiæ huiuſmodi ſacrificium, vt teſtis eſt Auguſtin. lib. 15. de Trinit. cap. 17. & epiſtol. 49. quæſtion. 3. De qua re poſſunt varia teſtimonia afferri, quale eſt illud Daniel. 12. Vbi de vltima ætate legis gratiæ, quæ erit tempore antichriſti, prædicitur, ceſſaturum in ea iuge ſacrificiū: ſupponitur ergo eſſe duraturū ſacrificium aliquod toto illo tempore, nec poteſt hic locus exponi de ſacrificio proprio, & inuiſibili: quia illud nō ceſſabit etiā tēpore antichriſti. Aliud teſtimonium eſt Iſaiæ. 19. *Cognoſcent Ægyptij Dominum, & colent eum hoſtijs.* Quo loco, AEgyptiorum nomine gentes intelligūtur, & eorum vocatio ad fidem Chriſti & verū Dei cultum prædicitur, vt Hieronym. ibi exponit, & ſignificat Tertullian. lib. contra Iudæos, ca. 5. Sed præcipuum teſtimoniū eſt illud Malach. 1. *Ad vos ò Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & offertis ſuper altare meum panem pollutum, & cæcum, claudum, ac debile immolatis, non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim vſque ad occaſum magnum eſt nomen meū in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meū in gentibus dicit Dominus exercituum.* Quorū verborū planus ac perſpicuus ſenſus eſt, eis prædicere Deū reprobationē Iudæorum, ſacrificiorum, ac ceremoniā legalium ceſſationem, vocationem gētium, & mūdiſsimam ſacrificij oblationem in gentium Eccleſia futuram: quæ tamen tanquam iam præſens deſcribitur prophetico more, propter certitudinem prophetiæ, & cum legalibus oblationibus comparatur eiſque præfertur. Nam ſacrificia Iudaica tantùm in vno templo offerri poterant, hoc autem offerendū dicitur in omni loco, illa, & carnalia erant, & ab hominibus pollui poterant: hoc autem dicitur ſacrificium mundum, quod nulla hominum nequitia contaminari, aut fœdari poteſt, vt Concil Thrident. dixit ſeſſ. 22.

Daniel. 12. *Iſaie. 19. Hieron. Tertull.* *Malach. 1.* *Conc. Trid.*

Hæreticorū [illegible] eludendi modus.

Aiunt verò hæretici, ibi non eſſe ſermonem de proprio ſacrificio viſibili, ſed de improprio & inuiſibili, aut de metaphorico, quod in oratione, vel alijs bonis operibus conſiſtit. Sed huic euaſioni repugnat primò proprietas verbi, *Sacrificium*, quod ſimpliciter dictum, & ſine vlla limitatione, quæ ex antecedentibus aut ſubſequentibus colligi poſsit, propriè ſumendum eſt, vt ex ſuprà dictis, & ex generali regula interpretādi Scripturā, oſtēdi poteſt. Secūdo, quia, ſi antecedentia, & ſubſequentia cōſiderētur, aliū ſenſum cōmodum nō patiuntur: nam ibi cōparatur vnū ſacrificiū cum alijs, & hoc approbatur, & reprobātur reliqua: ergo neceſſe eſt, totū ſermonē intelligi de proprijs, & viſibilibus ſacrificijs: nā illa ſacrificia, quæ reprobātur, propria & viſibilia fuerūt, & illud, quod eis præfertur, tātùm dicitur eſſe vnicū, quod ab omnibus gentibus offerēdum eſt, cùm tamen cōſtet, ſacrificia inuiſibilia eſſe varia & multiplicia. Accedit, q; illud vnicū ſacrificiū, prædicitur tanquam nouū, & ſingulare futurum, & alijs veteribus ſacrificijs ſucceſſurum, at verò inuiſibilia ſacrificia non fuerunt de nouo introducēda, nec propriè ſucceſſerūt veteribus ſacrificijs ſed ſimul etiā cum eis fuerūt, imò ſunt eis antiquiora, quia ſemper cū viſibilibus ſacrificijs debuerē inuiſibilia coniūgi, alioqui ficta eſſent, & impia talia ſacrificia. Deniq; ſpecialiter ibi prædicitur, futuram eſſe mundā hanc oblationē Eccleſiæ, quod poteſt duobus modis intelligi: primo ratione ritus externi, quod egregiè conuenit huic ſacrificio nouæ legis præſertim, ſi cum cruentis ſacrificijs veteribus cōferatur: nā in ſolis ſpeciebus panis & vini, facili & puriſsimo ritu offertur. Vel ſecūdo dici poteſt munda, propter ſanctitatem & puritatē ipſius ſacrificij, & hoc etiam optimè quadrat in idē ſacrificiū propter excellentiā rei oblatæ & ſanctitatē primi offerentis, qui eſt Chriſtus, ratione cuius ſemper hoc ſacrificiū mundū eſt, & infiniti valoris, etiā ſi cōtingat, proximū offerentē iniquū eſſe, q; nō ita erat in veteribus ſacrificijs, quæ à ſolis puris hominibus offerebātur, & ob eorū nequitiā totū valorē ſuū amittere poterāt, inuiſibili autē ſacrificio, cū totū pendeat ex iuſtitia, & ſanctitate offerentis, non poteſt prædicta differentia ſatis accōmodari; nā & in lege veteri offerebātur mūda ſacrificia inuiſibilia à iuſtis hominibus, & in lege noua poſſunt inquinari, vel potiùs omnino corrūpi, ſi abſque honeſtate, vel debitis circūſtātijs fiāt. Imò hæreticorū iudicio omnia opera noſtra, quātūuis bona ſunt aliquo modo coinquinata & immūda, quod, licèt ita vniuerſè dictū verū non ſit, ſæpe tamē ita accidere nō eſt dubiū: non ergo propter noſtra opera poteſt ſacrificiū legis nouæ mūdū appellari, ſed propter mūdiſsimā oblationē à Chriſto inſtitutā. Quapropter interpretatio hæc communi etiā omnium Patrum conſenſu firmata eſt, vt inter Latinos conſtat ex Clem. Rom. lib. 7. Cōſtit. c. 31. & Cyp. lib. 1. cōt. Iudæos. c. 16. Auguſt. 18. de Ciuit. c. 25. & lib. 1. cōt. aduerſar. leg & proph. c. 20. ex Græcis Chryſoſt. Pſal. 95. & orat. 2. cōt. Iudæos. Iren. lib. 2. cont. hæreſ. c. 33. Iuſtin. in Dialog. cū Tryph. Damaſcen. lib. 4. de Fide, cap. 14. & ex alijs tā Latinis, quàm Græcis, qui Prophetam ipſum exponunt, ac deniq; ex Hebræis Rabbi Samuel eādem expoſitionem eleganter perſequitur in libello, ſeu epiſtola de aduētu Meſsiæ. c. 21. & ſequentibus, & ex antiquioribus Hebræis eādem referunt Burgenſ. in Scrutinio Scriptur. 2. p. cap. 7. & Galat. lib. 10. cap. 4.

Clemens. Cyprian. Auguſt. Chryſoſt. Irenæus. Damaſc. Rabbi Samuel. Burgenſ. Galat.

Improbatur huius loci extranea expoſitio.

Quocirca ſæpe miratus ſum, cur Arias Mōtanus, vir alioqui eruditus & pius, hūc locū Malachiæ interpretās, ad peregrinū & improbabilē ſenſum deflexerit, dicens, non eſſe ibi ſermonē de Eccleſia per Chriſtū ex gentibus congreganda, ſed de ipſis gentibus, quæ eo tēpore viuebant, & eorū ſacrificia, & oblationes, quas lege naturali ducti Deo offerebāt, dicitq; appellari oblationē mundā oblationibus Iudęorū cōparatā, ad Iudęorū confuſionē. Hæc autē interpretatio, nō ſolū cū tota antiquitate pugnat, verū etiā cū verbis Prophetæ, & cū re ipſa, ſi per ſe ſpectetur: vix enim tunc erat in gētibus vnus vel alter;

ter, qui verũ Deũ agnosceret, eumq; sacrificijs coleret. Quomodo ergo in hoc sensu verũ est illud: *A solis ortu vsque ad occasum magnum est nomen meũ in gentibus, & in omni loco offertur mihi sacrificium mundum.* Deinde, quodnã est hoc sacrificiũ mundũ? nã etiã si admittamus, fuisse tũc in Gentibus vsum sacrificandi vero Deo, tamen, in primis dici non potest, illud sacrificium fuisse vnum in Gentibus, sed varia pro hominum arbitrio. Deinde, si illa sacrificia cũ sacrificijs Iudæorum conferantur, non possunt illis mũdiora existimari, neque in ritu sacrificandi, quia etiam erant sacrificia cruenta, neq; in re oblata quia tantùm esse poterãt ex animalibus, vel ex fructibus terræ, neq; in sanctitate offerentium: quia omnes erãt puri homines, & si inter Iudæos erant aliqui iniqui, multò plures erant in gentibus; &, si inter gentes erant aliqui iusti, qui sanctè offerebant, multò plures erant eo tẽpore inter Iudæos, quibus expressior Dei fides, & abũdãtior gratia, regulariter cõmunicabatur. Nullo ergo modo dicta expositio probari potest. *Respuitur hæreticorũ ficta euasio.* Longè verò improbabilior est alia euasio ab hæreticis inuenta, nimirùm, oblationem mundam, quæ in Ecclesia offerẽda dicitur, nõ esse aliã præter sacrificiũ crucis, quæ per fidem ac deuotionem fidelium Deo semper offertur. Sufficiunt enim, quæ dicta sunt, ad hãc expositionẽ reijciendam, tum quia huiusmodi oblatio non est propriũ sacrificium, quatenus solum per fidem, & deuotionem fit, tum etiã, quia hæc oblatio non est propria Ecclesiæ per Christum cõgregatæ, nec propriè succedit veteribus sacrificijs, sed cum eis coniũcta fuit: imò ab origine mundi fuit in Ecclesia fidelium: omnes enim fide Christi viuebãt, eiusq; passionẽ Deo offerebant, q; autem illi, vt futuram, nos, vt iam factam, offeramus, nihil ad propositum refert, nec in eo loco vlla de hac re mentio fit. Est ergo hoc testimonium satis efficax ad hanc fidem, & veritatem confirmandam.

Probatur cõclusio ex Scriptura legis gratiæ.

Secũdò potest suadéri hæc veritas ex nouo testamento, in quo, licèt non sint testimonia, quæ per se sumpta cõuincant, sunt tamen nonnulla, quæ alijs adiuncta plurimũ suadent. Vnum est illud Actor. 13. *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus, &c.* vbi verbũ, *ministrandi*, pro verbo sacrificandi positũ est, verbum enim Græcũ (*Leiturgeo*) quod ibi positum est, quanuis etiam ministrare significet, tamen in Scriptura frequẽter sumitur pro ministerio sacrificandi, vt ex ad Heb. 8. 9. & 10. & ex alijs locis colligere licet, & ita vertit Erasmus in citato loco Actorũ, & hoc maximè declarat illa particula *Domino*, nullum enim externũ ministeriũ tam propriè Domino exhibetur, sicut sacrificiũ: sic ergo ex hoc testimonio colligimus, fuisse in primitiua Ecclesia sacrificandi vsum. *Heb. 8. 9. & 10. Erasmus.* Aliud testimoniũ sumi solet ex verbis Christi, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare. &c.* nã licèt illa verba prçceptũ sacrificandi nõ contineant, tamẽ, quia pro tẽpore legis nouæ à Christo ipso dabatur, supponere videtur Christus futuram fuisse in sua Ecclesia oblationẽ ad altare, seu in altari: quæ sacrificiũ est, vt ex hoc loco colligũt Irenæ. lib. 4. cont. hæres. c. 34. & Optat. Mileuit. lib. 6. contra Parmen. in principio. *Matth. 5.* Tertiò, retorquere possumus argumentũ sumptũ ex Ioan. 4. rectè enim probatũ credimus, adorationẽ ibi pro cultu sacrificij sumi, de quo docet quidẽ eo loco Christus venisse tẽpus, in quo cultus sacrificandi, neq; ad templũ Hierosolymitanũ, neque ad Garizitanum erat limitandum, nõ tamẽ negat Christus Dominus, hoc tẽpore nullibi esse sacrificãdum Deo, imò apertè id affirmare videtur, cum dicit, *in spiritu & veritate adorabitis Patrem*, Namq;, ne in vsu eiusdẽ vocis in eodẽ contextu æquiuocationem gratis admittamus, fatendũ est, verbum *adorandi*, etiã in his verbis cultũ proprij sacrificij significare est igitur ex testimonio Christi huiusmodi cultus in Ecclesia, sed illum meritò dicit futurum *in spiritu, & veritate*, quibus verbis sapientissimè indicat nostrũ sacrificiũ, quod non fit carnali modo (vt sic dicam) seu actione valdè materiali, sicut fiebant antiqua sacrificia, sed fit actione quodãmodò spirituali: nam, si externum ritum spectemus, fit solo verbo, si verò immutationẽ, quæ ibi fit, cõsideremus, diuina quadã actione perficitur, & soli' Spiritus sancti virtute fit, meritò igitur hæc oblatio, seu adoratio dicitur *in spiritu* fieri. *In veritate* autem fit, quia iam nõ in vmbræ figura, sed verè ac realiter caro & sanguis Christi in illo offertur. Vnde cum his verbis rectè consonant alia verba, quæ Christus Ioan. 6. idẽ mysterium promittens, dixit, *Verba, quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt.* Vnde in priori etiam loco veluti rem nouã promittẽs dicit, *venit hora, & nunc, &c.* non ergo agit de sola adoratione interna, & spirituali, quæ antiquissima est, sed de nouo adorandi & sacrificandi ritu à se introducendo. Quam expositionem indicauit Martialis epistola ad Burdegalẽses, c. 3. & Euseb. 1. de Demonstr. cap. 6. Theodor. & Rupert. Malach. 1.

Irenæus. Optat. Mileuit. Ioan. 4.

Ioan. 6.

Martialis. Euseb. Theodor. Rupert.

Tertiò probari potest cõclusio ex his, quæ cum sacrificio necessariò coniuncta sunt, & à quibus ipsum separari non potest, qualia sunt in primis Sacerdos: nam, si in lege noua est proprium sacerdotium, necesse est, vt in ea sit proprium sacrificium, vt ex principijs suprà positis satis constat. Quòd autem in lege noua proprium sacerdotium sit, vt certũ sumimus, ex materia de Ordine, vbi hoc propriũ locũ habet, & nonnulla adduximus tractantes de ministro sacrrmentorum in communi, & de ministro consecrationis, vt per eam perficitur Eucharistia quatenus sacramentum est, & addemus aliqua inferiùs agentes de ministro huius sacrificij. Similiter, vbi est proprium altare, ibi necesse est proprium sacrificium esse, vt ex dictis etiam patet: sed in lege noua est altare, iuxta illud Isaiæ. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*, per quã metaphoricè significatur Ecclesia gentiũ, vt suprà vidimus, & iuxta citata verba Christi, *Si offers munus tuum ad altare.* Sic etiam à multis intelligitur illud Pauli ad Hebræos. 13. *Habemus altare de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deseruiunt*, & illud primæ ad Corinthios. 10. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*: mensa enim dæmoniorum erat ara, seu altare, in quo alijs immolabant: similiter ergo per mensam Domini intelligit Paulus altare, in quo Ecclesia Christi suum Deo sacrificium offert, & ideò dicit, *Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* quia videlicet edendo significant & confirmant, se consentire sacrificio. Atque hunc fuisse in Ecclesia vsum altaris, & mensam Domini, in qua corpus Christi dispensatur, verum altare fuisse semper existimatum, constat ex antiqua traditione, quæ sumitur ex Canone. 3. & 4. Apostol. vbi & altaris, & sacrificij fit mentio, & in eo seruanda dicitur Domini ordinatio. Item ex liturgijs antiquis præsertim Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, & ex Dionysio

Probatur item conclusio ex requisitis ad sacrificium consummãdum, quæ sunt. Sacerdos. Altare.

Isaiæ. 19.

Heb. 13.

1. Cor. 10.

Iacobi.

Basil. Chrysost. Greg. Nazian. *[illegible] Sanctorum testimo- [illegible]*

nysio de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. vbi & altaris & aræ mentionem facit; & optimè Gregor. Nazianzen. oratione 2. contra Iulian. & oratione funebri de sorore sua Gorgonia.

Quartò potest conclusio posita confirmari Sanctorum testimonijs: sed, vt prolixitatem vitemus, ab eorum recitatione abstinebimus: tum quia existimo, sufficere ea, quæ inter exponenda Scripturę testimonia indicata sunt, tum etiam, quia sunt tam multa, tamque communia, vt facillimè possint cuicunque occurrere; & necessariò erunt in sequentibus quæstionibus attingenda. Denique, quia hæretici non negant, Sanctos & antiquissimos Patres frequenter loqui de sacrificio nouæ legis, sed negant, eos loqui de proprio sacrificio, sed de improprio ac metaphorico; quod quam sit voluntarium, constabit facilè ex ipsorum Patrum lectione, & ex modo, quo de hoc sacrificio loquuntur, & illud cũ antiquis sacrificijs conferunt, & ex comparatione eius cum sacrificio crucis, quod fuit proprijssimũ ac verissimum sacrificium, quæ omnia in sequentibus videbimus.

Rationibus ac coniecturis suadetur.

Vltimò loco adiungere possumus rationes & coniecturas. Et potissima omnium est, nam nulla ratio patitur, vt Christiana Respublica careat sacrificio, quo, publico ritu & nomine totius sui populi Deum colat, magis, quàm Synagoga, vel Ecclesia, quæ fuit tempore legis naturæ: cur enim Christus Ecclesiam suam in hac parte, quæ præcipua est, & ad Dei cultum maximè spectat, imperfectam vllo modo reliquisset? Fortasse dicent hæretici, statum Ecclesiæ in lege gratiæ esse ita perfectum, vt non indigeat sacrificij vsu. Sed hoc falsum est primò, quia gratia non destruit naturam, sed perficit: vsus autem sacrificij, esto non sit absolutè præceptus de lege naturæ, est tamẽ valdè consentaneus illi, & accommodatus homini nõ videnti clarè Deum, viuentique in aliorum hominũ consortio ac societate, & vtenti sensibus, & signis sensibilibus ab aliorum sensu percipienda, & sua explicanda: Ecclesia autem Christi, quãdiu hic militat, semper est in hoc statu, nondum ergo attigit perfectionẽ, quæ sacrificij vsum excludat. Et ideò Clemens Roman. lib. 6. Const. cap. 23. ad hoc propositum dixit, Christum legem naturæ non sustulisse, sed confirmasse. Vnde subdit inferius, *Baptismum, sacrificium, Sacerdotium, localem adorationem alio permutauit:* & infra, *Pro sacrificio cruento, rationale & incruentũ, ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur:* & ad eundem ferè modum scribit Irenæus lib. 4. cont. hæres. cap. 34. *Nõ genus oblationum reprobatum est, oblationes enim & illic, oblationes autem & hic: sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia, sed species immutata est tantum; quippe cùm iam non à seruis, sed à liberis offeratur.* & Petrus Cluniac. epist. contra Petrobrus. in eandem sententiam scripsit: *Qui ab Ecclesia sacrificium tollunt, hoc tentant, dæmone suggerente: vt genti illi, quæ pluribus est à Deo cumulata beneficijs, minus grata illi sit, minoremque cultum & honorem illi exhibeat.*

Hæreticorum calumnia reijcitur.

Clem. Rom.

Irenæus.

Pet. Cluniac.

Secundò, quia in sacrificio visibili nihil designari potest, quod, vel cum perfectione legis gratiæ, vel cum perfecta Christi redẽptione pugnet. Tria enim sunt, quæ maximè possunt in sacrificio considerari. Primũ est, cultus Dei externus. Secundum, significatio moralis vel mystica. Tertium est, effectus satisfactionis pro peccato. Primum horum nõ solùm non repugnat perfectioni legis gratiæ, verum potius est ad illam necessarium, vt à fortiori patet ex dictis, quia cultus Dei externus cadit sub naturali præceptum: lex autem naturalis, etiã obligat in lege gratiæ; imò maiori obligatione debemus Deo tam externum, quàm internum cultum, qui in hac lege viuimus: quia maiora beneficia interna, & externa, ab illo accipimus. Item, quia nunc maximè congregatur tota Ecclesia in vnum visibile corpus, quod signis visibilibus indiget ad colendum Deum, vt in vnum corpus religionis conueniant, sicut Augustinus contra Faustũ scripsit: igitur, neque cultus externus vt sic, neque vt talis, scilicet, per sacrificium, alienus est ab statu Ecclesiæ in lege gratiæ. Neque alicuius momenti est, quod respondent hæretici, satis nunc esse sacrificium crucis. Quia, licèt illud fuerit satis ad redemptionem nostram, non tamen ad cultum nostrum (vt sic dicam) seu vt nos exhibeamus cultum Deo, quia nos neque obtulimus, neque offerimus sensibiliter illud sacrificium, vt in cruce oblatum est. Et quanuis in ratione rei oblatę illud sacrificium nobis sufficiat, quatenus idem Christus, qui tunc est oblatus, à nobis nunc offertur sub visibilibus signis; tamen in ratione oblationis nõ potest sufficere: quia oblatio illa cruenta semel tantùm facta est, & iterari non potest; vnde nec propriè pertinet ad legem nouam: quia sub eam non cadit, nec cum illa durat, sed ipsam antecessit: oblatio etiam priuata, quæ per internam fidem, & deuotionem ab vno quoque fieri potest, vt suprà dicebam, neque est propria legis nouæ, nec sacrificium visibile: est ergo aliud genus sensibilis oblationis in hac lege necessariũ. In qua secundùm considerandum erat significatio, de qua etiã facilè ostendi potest, nõ esse repugnãtẽ legi gratiæ: aut enim est significatio moralis, aut mystica: vtraque autẽ & verissima est, & decentissima. De priori constat, quia indicat cultum interiorem, quẽ & habere, & ostendere debent, qui cultum exteriorem exhibent. De posteriori probatur, quia potest hoc sacrificium non significare passionem Christi futuram, sed iam exhibitam, vt re vera est: potest etiam indicare corpus & sanguinem Christi, non tantùm vt absentia, sed etiam vt in ipso mysterio verè & realiter præsentia, & Deo oblata: tota autẽ hæc significatio, & vera est, & nobis maximè vtilis, tum ad renouandam passionis Christi memoriam, eiusque beneficia recolenda, tum etiam ad fruendum ipsa Christi præsentia. Nec verò vsus huiusmodi signorum visibilium indecens existimari potest mortalibus hominibus, vt suprà de sacramentis in genere tractantes latiùs vidimus.

[illegible] in sacrificio tria consideranda. Cultus Dei externus.

August.

Significatio mystica vel moralis.

Quod verò ad tertium caput de effectu satisfactionis pro peccato spectat, in primis id non habet locum in sacrificio in communi, sed tantũ in propitiatorio. Deinde, quanuis de illo in specie loquamur, nihil derogat sacrificio crucis: primò, quia Christus in cruce, non solùm sufficienter, & copiosè satisfecit pro peccatis hominũ in lege gratiæ viuentium, sed etiam eorũ, qui in lege veteri, & naturali fuerũt: sed illi sine iniuria, imò cum mera fide crucis Christi, obtulerunt sacrificia propitiatoria: ergo idem possumus nos facere in lege gratiæ. Secundò sumitur argumentum simile ex institutione sacramentorũ, quæ in lege etiã gratiæ ad remissionem peccatorum data sunt, & ad gratiam conferen-

Effectus satisfactionis pro peccato.

dam, quamuis Christus in cruce sufficienter fuerit nostram salutem operatus, & remissionem omniũ peccatorum copiosissimè nobis meruerit. Tertiò, ratio omnium est, quia Christus in cruce meruit & satisfecit infinitè quoad suffientiam, non tamen quoad efficaciam: quia illud meritum & satisfactio non applicantur nobis per solam crucem; & ideò necessaria sunt alia media, & hæc sunt ex parte nostra dispositiones & opera cum auxilio gratiæ facta: ex parte autem Christi sacramenta, & sacrificium etiam propitiatorium, per quod fructus passionis eius nobis applicatur; nulla ergo fit iniuria illi passioni; nam, quòd hæc applicatio necessaria sit, non est ex defectu, sed potiùs ex virtute passionis Christi: quia non solùm per se operari potuit, sed etiam alijs dare virtutem ad operandum: fuitque huiusmodi prouidentiæ modus ad conuenientem hominũ gubernationẽ maximè conueniens.

Hæreticorum destruitur fundamentum.

Superest respondeamus ad præcipuum fundamentum contrarij erroris, quod directè procedebat contra id, quod nuper diximus de sacrificio propitiatorio. Et ideò, vt clariùs respondeamus, & Apostoli mentem exponamus, distinguere possumus triplex sacrificium propitiatorium.

Sacrificium propitiatoriũ triplex.

Imperfectum.

Primũ est ita imperfectum, vt ex se, nec virtutem habeat ad remittenda peccata, neque ad applicandam virtutem vel satisfactionem, iam exhibitam per aliud sacrificium, sed solùm sit vmbra & figura alicuius rei futuræ, & ad summum, quatenus est quoddam virtutis opus, valeat, vel ad impetrandã remissionem culpæ, vel ad aliquam satisfactionem pro pœna, si alia necessaria concurrant ex parte hominis operantis. Secũdum sacrificium est adeò perfectũ, vt de se habeat valorem, & sufficientiam ad tollendã peccata, ita vt propter hoc etiam offeratur, scilicet, ad satisfaciẽdũ Deo sufficienter pro peccatis, & (vt ita dicam) ad exhibendum pretiũ ad eorum remissionem sufficiens.

Perfectissimũ

Tertium sacrificium est, vt sic dicam medium, scilicet, quod non offertur propter acquirendũ pretiũ, sed ad applicandũ iam acquisitũ.

Perfectum.

Primũ sacrificiorum genus inuentũ est in lege veteri, repugnat autem perfectioni legis nouæ: quia non expectamus redemptorẽ, qui pro nobis patiatur; sed credimus, redemptionẽ iam factã. In secundo ordine fuit solũ sacrificium crucis Christi, vltra quod nõ est aliud simile necessariũ: illud enim fuit tam diues ad pretiũ, vt post illud nullum aliud requiri possit ad pretiũ redẽptionis nostræ acquirendũ, vel augendũ; & petere tale sacrificium in lege gratiæ, esset magnam iniuriam Christi cruci irrogare. Tertium sacrificium habemus in lege noua, quod non solũ non derogat abundãti redemptioni Christi, verum potiùs eam in nobis perficit, & applicat. Et ita satis est hæreticis responsum.

D. Pauli testimonium dilucidè exponitur.

Atque ex eadem distinctione facilis est Pauli intelligentia, loquitur enim in illis locis de sacrificio cruento mortis Christi, per quod sufficiens pretiũ nostrorum peccatorum solutum est, & de hoc affirmat esse vnicum tantum, neque posse iterari, sicut vetera sacrificia. Hanc verò esse mentem Pauli constat ex fine & intentione epistolæ, quam ad Hebræos scribit, qui suis sacrificijs legalibus nimium adhærebant; & ideò in hoc potissimum incumbit, vt illorum sacrificiorum imperfectionem ostẽdat, & necessitatem alterius sacrificij, & sacerdotij perfectioris, quale fuit sacrificium crucis Christi. Secũdo idem ostenditur ex verbis Pauli, dicentis, *Introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Redemptio enim inuenta seu peracta est quoad sufficientiam per sacrificium crucis, de quo etiã dicit, *Vna oblatione cõsummauit sanctificatos*, nimirũ quoad sufficientiam: nam quoad efficaciam, neque ipsi hæretici dicunt, vna illa crucis oblatione consummatos esse omnes sanctificatos, quandoquidem, etiam illi aliquid aliud requirunt, vt illa sanctificatio nobis applicetur, scilicet, vel baptismum, vel fidem, vel aliquid huiusmodi. Rursus cum dixisset Paulus, Christum ingressum esse in cælum, *non vt quotidie offerat semetipsum*, subdit, *Alioqui oportere ipsum pati ab origine mundi*: loquitur ergo de oblatione per passionem: sicut autem non excludit spiritualem oblationem, qua Christus in cælo se pro nobis offert, passionem suam Patri repræsentando, quam idem Apostolus alibi significat, dicẽs, ascendisse Christum, *vt appareat vultui Dei pro nobis, & vt pro nobis interpellet*: ita etiam concludit quotidianam oblationem incruentam, qua per ministros suos in Eucharistia se ipsum offert: non enim magis vna oblatio, quàm alia derogat sacrificio crucis Christi, vtraque enim ordinatur, vt fructus sacrificij crucis nobis applicetur, non vt denuo compararetur. Verum est, Paulum eo loco nullam mentionem fecisse huius oblationis incruentæ, quæ per ministros Christi fit; vel quia proposito, & intentioni suæ non erat tunc necessarium, vel quia illud, ad quos scribebat, tunc non erant dispositi, & capaces, & non oportebat eos mysteriorum magnitudine obruere, vt latiùs in primo tomo circa quæstionem 22. dixi.

Pauli testimoniũ ad Hebr. 10. dilucidatur.

Ex his ergo omnia fere verba Pauli in argumento adducto exposita manent: illa verò ex cap. 10. speciali annotatione indigent, *Vbi horum remissio est, iam non est oblatio pro peccato*: duplicem enim sensum habere possunt. Primus est, vt intelligantur de oblatione legali, quæ in lege veteri pro peccato fiebat, quamque Iudæi magni faciebant; quibus Paulus respondet, illam potuisse quidem durare, & alicuius esse vtilitatis, quandiu oblatio in cruce facta non est, quæ & veram confert remissionem peccatorũ, & in alia legali oblatione figurabatur: illa verò iam completa, & remissione peccatorum per Christum facta, consequens est, vt illa prior vmbra transierit, & talis oblatio pro peccato cessauerit, & iã non sit. Secũdus sensus est, vt intelligãtur illa verba de oblatione pro peccato, quæ sit eiusdẽ rationis cum illa, per quam facta est remissio peccatorum, id est, acquisitiua pretij ad redemptionem sufficientis: talis enim oblatio pro peccato requiri non potest, vbi prior redemptio sufficiens & copiosa fuit. Atque ad eundem modum interpretari possumus alia verba eiusdẽ capitis, *Voluntariè enim peccantibus nobis, iam non relinquitur hostia pro peccato*: nam, licèt hic locus varias habeat expositiones, vt suprà in materia de baptismo insinuatum est, & in materia de pœnitentia fusiùs fortasse dicetur, hæc tamen non videtur contemnendã: scribit enim Paulus ad Hebræos, qui, vel fidem Christi non admittunt, vel cum illa coniungere volunt legales ceremonias, quibus dicitur, non relinqui hostiam pro peccato: quia nec vera hostia à Christo in Cruce oblata frui volunt, cùm ab eius fide ita voluntariè deficiant, nec legalis hostia pro peccato illis prodesse potest, neque etiam est, quod nouum Messiam, qui nouam redemptionem afferat, expectent.

Turrianus.

ctent. Plura de hoc testimonio legi possunt apud Turrianum libro 4. pro epistolis Pontificijs, capitul. 1.

Contra prædictam expositionem obiectio.

Sed adhuc instari potest contra responsionem, & expositionem datam, quia vel Paulus omnino excludit sacrificij vsum à lege gratiæ, vel non rectè concludit, sacrificia veteris legis fuisse imperfecta ex frequente & iterato eorum vsu. Probatur, quia, si in lege noua est sacrificij vsus: ergo oblatio eiusdem sacrificij sæpiùs iteratur: ergo, vel tale sacrificium imperfectum est, vel collectio Pauli de imperfectione antiquorum sacrificiorum, non est sufficiens. Quæ difficultas magis consistit in explicanda efficacia rationis Pauli, quàm in re ipsa: facilè enim dici posset, iterari sacrificium, non quia imperfectum sit, sed quia peccata iterantur, si de sacrificio propitiatorio sermo sit, sicut sacramentum confessionis sæpiùs iteramus, non quia illud sit imperfectum, sed quia sæpiùs peccamus; & ita loquuntur Patres dicentes, nos quotidie offerre Christũ; quia quotidie peccamus, vt patet ex Paschasio libro de corp. & sang. Domini. c. 9. & ex alijs, quæ referuntur de consecrat. dist. 2. Sed licèt hæc responsio quoad rem ipsam posset satisfacere, semper tamen manet difficultas de efficacia rationis Pauli.

Paschasius.

Respondetur.

Ad quam responderi potest, Paulum non loqui de iteratione eiusdem sacrificij; sed de multiplicatione sacrificiorum, in quibus variæ hostiæ, & diuersis ritibus offeruntur: nam hoc est signum, huiusmodi hostias esse imperfectas, & insufficientes ad hominem sanctificandum; & hoc modo multiplicabantur sacrificia in lege veteri; in nostro autem sacrificio, quamuis oblatio iteretur, hostia tamen, seu res oblata eadem semper est, ad de se sufficiens ad sanctificandos homines. Sed neque hoc omnino satisfacit, quia etiam videtur Paulus excludere iterationem eiusdẽ sacrificij: nã, si oporteret, mortem Christi iterari ad nostram redemptionem, argumentum certè esset, sacrificium semel in cruce oblatum fuisse imperfectum; & hæc est Pauli intentio. Respõdetur ergò, Paulum solùm agere de iteratione sacrificij facta ad acquirendum pretium remissionis, non verò de illa, quæ fit ad applicandã satisfactionem; & hinc rectè colligitur imperfectio veterum sacrificiorum: quia in ea lege per sacrificia ex vi illorum applicari non poterat redemptio, cùm nondum esset facta; & ipsa etiam erant insufficientia ad redemptionẽ operãdam, sed tantùm fiebant in fide & spe illius sacrificij futuri, per quod erat perficienda redemptio: atque hoc modo iteratio sacrificiorum ex imperfectione fiebat: vnde Paulus, non simpliciter ex iteratione colligit imperfectionem, sed ex tali iteratiõne cũ prædictis circunstantijs facta in vmbra & figura futurorum per sanguinem taurorum, aut vitulorum.

Replica.

Dices, etiam in lege noua potuisset Christus instituere sacrificium aliquod cruentum, verbi gratia, per interfectionem alicuius agni, & quòd tale sacrificium iteraretur, non solùm quoad oblationem, sed etiam quoad rem oblatam; atque hoc totum fieri posset sine iniuria sacrificij crucis Christi ad applicandum fructum eius; & non ad operandam iterum redemptionem, sicut instituta sunt sacramenta in varijs rebus sensibilibus & creatis ad applicandum fructum passionis Christi, absque vlla iniuria eius: ergo ex huiusmodi sacrificiorum ritu & iteratione non potest colligi imperfectio sacrificiorum veteris legis, vel fatendum est, legem gratiæ esse capacem eiusdem imperfectionis. Respondetur de potentia absoluta potuisse Christum hoc genus sacrificij in sua Ecclesia instituere: quia re vera nullam includit contradictionem, ad malitiam; vel falsam significationem; quia materia ipsa vel actio de se indifferens est, & posset ordinari, & imponi ad significandum cultum Dei, & sacrificium Christi cruentum, non vt futurum, sed vt iam factum: nulla est enim in hoc repugnantia. In eo autem casu tale sacrificium, quamuis in re proximè oblata, & in ritu externo haberet aliquam similitudinem cum sacrificijs veteribus, tamen in impositione, significatione, & efficacia, multùm ab eis differret; niteretur enim in redemptione Christi iam consummata, quam significaret; & ideò fructum eius ex opere operato applicaret, & hac ratione multùm superaret vetera sacrificia; nec esset infirmum & egenũ, sicut illa. Addendum est tamen iuxta suprà dicta, tale sacrificij genus, licèt absolutè non repugnet statui legis gratiæ, non esse tamen necessarium, nec consentaneum illi, vt tetigit Diuus Thomas suprà, quæst. 74. articul. 1. ad primum. Habemus enim iam hostiam viuam, rationalem, infinitam, ac perpetuam, quam semper possimus Deo in sacrificium offerre; & ideò nec necessarium, nec expediens fuit, aliam victimam mortalem, vel irrationalem, ad sacrificium nobis dari, seu designari. Vnde etiam fit consequens, cruentam sacrificationem non esse huic tempori decentem, non solũ propter maiorem munditiam, & puritatem ritus externi, sed maximè, quia viua hostia, quæ offertur, non debuit iterum mactari & interfici: quia iã non propter operandam, sed propter applicandam redemptionem offertur; & ideò non passibili, & cruento, sed mystico & impassibili modo offerri debuit. Et iuxta hæc interpretandi sunt autores, qui interdum dicunt, non posse in lege noua esse sacrificium cruentum, scilicet, secundùm decẽtiam & congruentiam, non secundùm absolutam Christi potentiam.

D. Thom.

Ad secundam hæreticorũ rationem responsio.

Ad secundum principale fundamentũ negatur, in Ecclesia Christi deesse proprium & verum sacerdotium. Cùm autem dicitur, nullam in Scriptura sacra fieri mentionem huius sacerdotij; primùm respondere possumus, hoc nihil referre; quia traditio sufficit ad faciendam fidem, quamuis Scripturæ testimonium desit. Deinde negatur assumptum, quia & Christus Dominus in nocte cœnæ ordinauit Sacerdotes, & in Actibus Apost. sæpe legimus, Apostolos Ordinasse Episcopos, & Presbyteros per manus impositionem, vt latiùs in propria materia dicendum est. Neque etiam obstat, quòd Christus sit Sacerdos in æternum: nam hinc potiùs colligunt Theophylactus, Oecumenius, & alij Pauli expositores, perpetuò esse Christum oblaturum sacrificium in Ecclesia sua per ministros suos vsque ad sæculi finem; quod in Scriptura sacra solet vocari in perpetuum, seu in sæculum, aut in æuum: nam, licèt toto hoc tempore etiam Christus oret, & interpellet pro nobis, quod ad Sacerdotem etiã spectat; tamen hoc non est tam propriũ munus Sacerdotis, nam commune est etiam alijs: sacrificare autem est proprijssimus Sacerdos actus, & ideò, si Christus est perpetuus Sacerdos, non est verisimile, vacare omnino ab hoc sacrificandi mune-

In Scriptura fit de sacrificio mentio, & de attinentibus ad illud.

Licèt Christus in æternum sacerdos sit, vt

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

visibiliter tamen offerat, vicarijs sacerdotibus vt ministris, vtatur oportet.

re; præsertim cum Ecclesia, quæ est populus eius, hoc subsidio maximè indigeat, vt salutem, & remissionem peccatorum cum effectu consequatur; tamen, quia Christus Dominus iam non est in statu, in quo proximè & per se ipsum possit sacrificiũ offerre, ideò indiget ministris sacerdotibus, per quos offerat; & hoc est nouæ legis sacerdotium. Vnde etiam intelligitur differentia assignata à Paulo inter sacerdotium veteris & nouæ legis: nam in veteri erant successiuè plures Pontifices, quorum vnus alteri succedebat in præcipuo munere sacerdotali; quia nullus perpetuò durabat, sed vnusquisque tempore suo erat principalis sacerdos: nunc verò vnus tantùm est principalis Pontifex & sacerdos, cui nullus propriè succedit, quia ipse perpetuò durat: reliqui verò solùm sunt vicarij eius & ministri, per quos humano ac sensibili modo sacerdotalia munera exercet; quia non fuit expediens, ipsum inter homines manere ad illa obeunda. Atque hoc modo dicitur, nunc esse in Ecclesia vnum Pontificem, sicut in regno est vnus Rex, quamuis habeat plures ministros, per quos gubernet, vel sicut Christus de se dixit, *Magister vester vnus est Christus*, quamuis ministerio hominum vtatur ad Ecclesiam docendam. Ad tertium fundamentum, sumptum ex Ioan. 4. iam responsum est.

SECTIO II.

Vtrum nouæ legis sacrificium in Eucharistiæ mysterio positum sit.

Hæretici Eucharistiæ effectionem nullatenus sacrificium esse, oblaterant, cœnæ Dominicæ nomine ipsam appellantes.

SEntentia hæreticorum huius temporis est, Eucharistiam nullo modo esse sacrificium; & ideò cœnam tantùm Dominicam illam appellant, quod suprà in principio quæstionis 73. notauimus. Cuius erroris fundamentum sic explicari potest, quia in conficiendo, vel consummando Eucharistiæ mysterio non possumus nos plus aliquid facere, quàm Christus fecit: sed Christus, quando perfecit hoc mysterium in nocte cœnæ, non obtulit sacrificium; ergo neque nos. Maior constat, tum quia exemplatum (vt sic dicam) non potest suum exemplar excedere; tum etiam, quia Christus solùm dedit potestatem faciendi, quod ipse fecit, dicens, *Hoc facite*. Minor verò probatur primò, quia neque in verbis, neque in factis Christi in cœna aliquod sacrificij vestigium inuenitur, sed tantùm cuiusdam mystici conuiuij: nam solùm accepit panem & vinum, deditque discipulis suis in symbolum sui corporis & sanguinis, vt hæretici volunt, vel, ad summùm dedit se ipsum in cibum, & sacramentum: hoc autem totum consistere potest sine ratione sacrificij. Secundò, quia aliàs tunc per illud sacrificium consummasset redemptionem nostram, quod est falsum, quia vna oblatione crucis consummauit sanctificator. Sequela patet, quia tale sacrificium fuisset propitiatorium, & tam infinitum, sicut sacrificium crucis. Item, quia, vel fuisset ad operandam redemptionem nostram, & habemus intentum; vel ad applicandam redemptionem iam factam; & hoc fieri non potuit, antequam esset consummata redemptio. Tertiò, quia si tunc Christus obtulisset sacrificium, per illud repræsentasset sacrificium crucis: ergo representasset illud vt futurum, cùm nondum esset factum: ergo, cùm nos nunc sacrificemus eodem modo, quo Christus in nocte cœnæ, etiam repræsentabimus passionem Christi vt futuram; erit ergo falsa & sacrilega nostri sacrificij significatio.

Fundamentum.

Ab inconueniente.

Secundò principaliter argumentari possumus, quia in hoc mysterio nulla est realis mactatio, aut sanguinis effusio, sed, ad summùm, est imago & repræsentatio quædã mactationis, & sanguinis effusionis in cruce factæ, vt loquuntur Patres, & colligitur ex illis Christi verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*: est ergo mysterium Eucharistiæ imago sacrificij, non sacrificium, sicut imago hominis non est homo; & in vniuersum sola repræsentatio non est veritas. Vnde mysterium hoc, signum sacrificij appellat August. epist. 23. & Euseb. lib. 1. de Demonst. c. 10. Chrysost. homil. 17. ad Hebr. Theoph. ad Heb. 8.

August. Euseb. Chrysost. Theophyl.

Tertiò, Eucharistia est sacramentum: ergo non est sacrificium. Probatur consequentia, quia sacramentum, & sacrificium diuersas habẽt rationes, & habitudines, seu significationes. Et confirmatur, nam mysterium Eucharistiæ dicitur testamentum Christi, iuxta illud. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*: sed ratio testamenti opposita est rationi sacrificij: nam testamentum consistit in promissione, seu donatione testatoris nobis facta: sacrificium verò in oblatione facta Deo: ergo, &c.

In hac quæstione initium sumendum est ex facto Christi, quod exemplar est actionis nostræ, & fundamentum ac primum initium huius mysterij. Deinde verò dicemus de actione huius mysterij, vt nunc in Ecclesia durat, semperque facta est per ministros & vicarios Christi, quod est præcipuè intentum in quæstione proposita. Circa priorem partem, quidam Episcopus Bitontinus (vt Cano & alij referunt) tentauit in Concilio Tridentino defendere, propter rationes in primo fundamẽto tactas, Christum in nocte cœnæ non obtulisse sacrificium. Alij verò indicabant, saltem non obtulisse propitiatorium sacrificium. Vtrumque autem meritò fuit à Patribus Concilij reiectum. Ideòque in sess. 22. cap. 1. absolutè docent, Christum in nocte cœnæ corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri in sacrificium obtulisse; quod proinde, vt de fide certum, iam habendũ est. Et confirmari potest primò ex veteri testamẽto; ex quo adduci solet illud Prouerbiorum 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, immolauit victimas suas, miscuit vinum & posuit mensam. &c.* Ita enim explicat hunc locum Cyprianus epistola 63. & Augustinus 17. de Ciuitate, cap. 20. Gregorius 17. Moralium capitul. 17. Adduci etiam alia solent in sensu mystico, aut quæ fuerunt huius sacrificij figuræ. Vnum tamen testimonium satis efficax insinuatum est à Concilio Tridentino, loco suprà citato, dicente, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* In quibus verbis alludit ad illud Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Nam Psalmum illum de Messia esse intelligendum, & tota antiquitas, etiam Hebræorum vnanimiter fatetur, & ipse contextus satis apertè id confirmat, vt præcedente tomo sæpiùs attigimus,

In Tridentino Bitontinus Episcopus ... modo Eucharistiam esse sacrificium, ... non propitiatorium, ... asserere ...

Christũ in vltima cœna Eucharistiam consecrando, sacrificium obtulisse, de fide est.

Trident. Prouerb. 9. Cyprian. August. Greg. Psalm. 109. Hebr. 7.

attigimus, & manifestè docet Paulus ad Hebr. 7. Hinc ergo argumẽtum cõficitur, nam Christus est Sacerdos secũdùm ordinem Melchisedech: sed offerre sacrificium, est proprijssimum sacerdotis munus: ergo necesse est, vt Christus aliquando obtulerit sacrificium secundùm illum ordinem sacerdotij, seu simile sacrificio, quod Melchisedech offerre consueuit. Sed Melchisedech obtulit sacrificiũ incruẽtũ in pane & vino, vt ex Gene. 14. latè ostẽdimus in primo tomo, circa quæst. 22. D. Tho. ergo aliquando Christus obtulit sacrificium incruẽtũ speciebus panis & vini: vnde & Ecclesia canit, *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit*, & Cyprian. dicta epist. 63. *Quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc ipsum, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, scilicet, corpus & sanguinem suum?* Constat autem, Christum, neque ante, neque post mysticam cœnam, tale obtulisse sacrificium; tunc igitur obtulit; de quo subiungit Cyprian. *Præcedit autem imago sacrificij Christi in pane, scilicet, & vino consistens; quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem & calicem mistum vino obtulit.* Similia habet Euseb. Emiss. homil. 5. de Paschate. cap. de sacrif. quamuis non dicat Christum primùm obtulisse, sed instituisse sacrificium, quod à Christianis Deo offertur, quando commendauit Apostolis corpus & sanguinem suum, priùs quam traderetur, sed intelligit instituisse simul perficiendo, vnde inferiùs addit, *Hoc itaque fit à nobis, quod pro nobis ipse Dominus fecit; quod non manè, sed in vesperum obtulit*, & alios Patres retuli dicto loco primi tomi.

Gen. 14. Euseb. Emiss.

Secundò principaliter colligenda est hæc veritas ex facto & verbis Christi, quæ ab Euangelistis referuntur, adiuncta Ecclesiæ traditione & expositione, sine qua sola Euangelica historia non potest satis conuincere: nulla nãque in ea fit expressa mẽtio sacrificij, vel oblationis, factum item Christi, quod narratur, potuisse certè de potentia absoluta ab illo fieri sine sacrificio, consecrando, scilicet, panẽ, & vinum, eaque discipulis dando absque vlla intentione offerendi immediatum cultum Deo: nam ratio sacrificij pendet ex intentione, quæ non est necessariò coniuncta cum tali exteriori actione, sed est voluntaria: potuisse ergo Christus totam illam actionem sine tali intentione, atque adeò sine oblatione, vel sacrificatione efficere; necessaria ergo est Ecclesiæ autoritas & traditio, quę de Christi intentione certam nobis faciat fidem. Ex historia tamẽ Euangelica coniectare possumus, hoc esse factis & verbis Christi valde consentaneum. Primò, quia illa actio, vt per se constat, de se sufficiens esse poterat ad offerendum Deo cultum per modum sacrificij: quia per illam factum est aliquid maximè sacrum, & res Deo maximè grata, scilicet, consecratio corporis, & sanguinis Christi, quibus maximè colitur, & honoratur Deus. Atque hoc ipsum factum est per modum mysticæ mactationis, separatim ex vi verborum corpus & sanguinem consecrando: ergo per se credibile est, super hac intentione cultus & sacrificij Christum hoc mysterium perfecisse: quia perfectissimo modo omnia operatus est; & in omnibus quoad fieri potuit, gloriam Deo quæsiuit. Et hoc etiam indicant illæ circunstantiæ eleuandi oculos in cœlum, & gratias agendi Deo, &c. imò supra agentes de forma sacramenti Eucharistiæ vidimus, Patres multos interpretantes illam benedictionem & gratiarum actionem de ipsamet consecratione, sentire, ipsam consecrationem Eucharistiæ esse cultum Deo oblatum in gratiarum actionem; quod pertinet ad rationem sacrificij.

Ex Christi ... imitabi- ... sacrificasse, conclu- ... probatur.

Ex mysteriorum in vltima cœna cõcursu, eadem veritas confirmatur.

Exod. 12.

Secundò hoc ipsum colligunt Sancti ex coniunctione mysteriorum, quæ Christus in ea nocte cœnæ peregit: nam prius legalem agnum, postea mysticum panem comedit; certum est autem, legalem agnum, qui fuit vna ex potissimis figuris Eucharistiæ, priùs sacrificari solitum, quàm comedi: ideò enim Exod. 12. *Victima Domini* appellatur, quia sacrificabatur, vt expressiùs dicitur Num. 9. & 34. ergo etiam ipsa veritas in illa figura repræsentata impleta est à Christo per modum sacrificij. Vnde Hesych. libro 2. in Leuitic. capitul. 8. *Priùs figuratiuam ouem cum Discipulis cœnans, posteà suum obtulit sacrificium*, & Chrysostomus homilia de proditione Iudæ, *Adimplenit Pascha, nouum condens, & offerens.* Sicque sumendum est, quod scribit Hieronymus Matthæi 26. *Absoluto priori Paschate, ad noui Paschatis transgreditur sacramentum, &c.* Multaque similia scribit Leo Papa in sermone de Passione Domini, & Cyprianus in serm. de cœna Domini, Rupertus libro 2. in Exod. cap 6. qui omnes sentiunt, sicut agnus Paschalis priùs sacrificabatur, posteà dabatur in cibum, ita Christum non dedisse Apostolis corpus suum, & sanguinem in cibum & potum, nisi vt victimum iam sacrificatam. Quod potest confirmari, quia caro animalis non solebat sanctificari, nisi per sacrificationem, nec res viuens apta censeri potest ad cibum, præsertim sacrum, nisi priùs mactetur: ita ergo credendum est, Christum consecrasse suũ corpus & sanguinem. Neque enim dici potest, carnem Christi in cruce fuisse immolatam, & in animarum cibum præparatam: tunc enim nondũ immolatio crucis præcesserat: debuit ergo antecedere aliud immolationis genus. Vnde eleganter Gregorius Nissenus homilia 1. de Resurrectione. *Qui omnia pro Dominica potestate & autoritate administrat, non expectat Pilati iudicium, sed per ineffabilem, & arcanum sacrificij modum, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac se se in oblationem, & victimã offert pro nobis sacerdos simul & agnus Dei. Quando hoc accidit? Cùm suum corpus ad edendum, & sanguinem suum familiaribus ad bibendum prebuit. Cuilibet enim perspicuum est, quòd oue vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit, cùm igitur dedit Discipulis suis corpus ad comedendum, apertè demonstrauit iam fuisse perfectam, & absolutam immolationem.*

Hesych. Chrysost. Hieron. Leo Papa. Cyprian.

Greg. Niss.

Tertium indicium sumi potest ex his verbis, *Hic est sanguis noui Testamenti*, allusisse enim videtur Christus ad figuram, quæ præcessit Exod. 24. Vbi in institutione & quasi promulgatione veteris Testamenti, oblatum est sacrificium, & Moyses sanguine aspersit populum, dicens, *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his*, vel, vt Paulus refert ad Hebræos 9. *Hic sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Sic igitur Christus in cœna nouum condens Testamentũ, vt præcedente tomo circa quæst. 49. latè probatum est, volensque suo sanguine illud confirmare, cum effudit in ora discipulorum:

Exod. 24. Hebr. 9.

ergo, vt veritas figuræ respondeat, dicendum est, sanguinem illum ex sacrificio manasse, seu sacrificatum esse: &, vt, sicut vetus Testamentum sacrificio figuratiuo, & sibi accommodato firmatum est, ita nouum suo proprio & perfectissimo sacrificio stabilitum sit. Quod etiam confirmari potest ex verbis illis, *Qui pro vobis datur*, seu, *effunditur*, ita enim de præsente legunt Lucas & Paulus: iuxta quam lectionem possunt illa verba referri non ad realem effusionem, quæ in Passione posteà accidit, sed ad mysticam, & incruentam, quæ in ipsamet cœna facta est; ait autem Christus factam esse pro nobis: quia nimirùm ibi etiam intercessit oblatio sanguinis in sacrificium pro hominibus facta: quæ solùm est coniectura probabilis, & licèt per se sola non conuincat, tamen cum alijs coniuncta nō parum confert.

Vltimò fieri potest argumentum à posteriori: quia non nihil aliud facimus, quam quod Christus fecit: sed nos sacrificamus, quando Eucharistiam conficimus: ergo & Christus. Maior rectè probatur ab aduersarijs ex verbis Christi, *Hoc facite, &c.* Et patet etiam, quia tota actio quoad substantialia & essentialia eadem est: intentio autem in nobis sufficiens erit, si totam intentionem nostram ad Christi intentionem referamus; & candē habere velimus, quam ipse habuit. Minor autem propositio in sequenti puncto confirmanda est: vnde hoc argumentum solùm est efficax contra eos, qui admittunt Eucharistiam, prout nunc fit, in Ecclesia, esse sacrificium.

Ad fundamenta hæreticorū.

Rationes, quas hæretici in primo fundamento afferunt contra hanc assertionem, facilem habent ex dictis solutionem. Ad primum negatur assumptum, scilicet, in verbis & factis Christi in cœna nullum esse sacrificij vestigium: multa enim nō solùm vestigia, sed etiam manifesta indicia à nobis explicata sunt: neq; oportet, vt nomē sacrificij vel oblatiōis ibi reperiatur scriptū; quia necesse nō est, vt, qui sacrificat, in actu significato (vt sic dicā) proferat verbum, *offero*, aut, *sacrifico*, sed, ꝙ actu exerceat opus sacrificij vt cōstat ex ratione sacrificij supra explicata, & exemplo omniū veterum sacrificiorum; & ex his, quæ de essentia nostri sacrificij infra dicemus. Sic igitur, quanuis non legamus, Christum protulisse verbum, *offero*, vel, *sacrifico*, legimus tamen, opere ipso satis exercuisse sacrificandi actionem, vt explicatum est. Ad secundum negatur sequela, scilicet, Christum illo sacrificio consummasse redemptionem nostram; alioqui idem argumentum fieri posset de quolibet opere Christi; nam quodlibet fuit infiniti meriti, & satisfactionis. Concedimus ergo, sacrificium illud fuisse propitiatorium, & habuisse vtramque rationem in argumento propositam: nam, quia tunc oblatum fuit à Christo in statu viatoris, fuit sufficiens ex dignitate offerentis ad infinitam satisfactionem, noluit tamen Christus per illud consummare redemptionem, sicut neque per alia opera, quia ex diuina ordinatione decreuit, omnes actiones vitæ suæ ita referre, & quasi suspendere, vt non haberent consummatum effectum vsque ad mortem. Potuit etiam sacrificium illud esse propitiatorium per modum applicātis satisfactionem Christi iam inchoatam, & in passione consummandam, sicut baptismus ante passionem institutus applicabat merita Christi in passione consumman-

A da. Ad tertium de significatione respondetur, idem argumentum procedere, etiamsi illa actio Christi non fuisset sacrificium, sed sacramentū tantùm: dicendum est, illud sacrificium tunc fuisse impositum, vt significaret passionem factam & consummatam; quod factum est sine vlla falsitate: quia impositio & significatio relata est ad tempus, pro quo sacrificium illud duraturum erat, & in Ecclesia exercendum, sicut supra de baptismo diximus, & amplius infra commodiori loco explicabimus.

Eucharistiæ mysterium verum est sacrificium.

Circa secundam partem huius sectionis, quæ hic est principaliter intenta, dicendum est, mysterium Eucharistiæ, prout in Ecclesia Christi conficitur, esse verum ac proprium nouæ legis sacrificium. Conclusio est de fide: ad quam probandam primum ex veteri Testamento applicari possunt B nonnulla ex his, quæ in superioribus adduximus: nam, sicut ex sacrificio Melchisedech sumitur argumentum ad probandum, Christum sacrificasse in pane & vino, ita etiam vlteriùs sumi potest ad probandum, sacerdotes, Christi ministros, eodem modo sacrificare, vel quia faciunt, quod Christus fecit, vel certè, quia ipsi non sunt veluti principales sacerdotes per se offerentes, sed sunt ministri, & instrumenta Christi, qui est principalis & æternus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui per eos perpetuò offert: hinc enim fit, eos etiam offerre sacrificium accommodatum ordini Melchisedech, scilicet, sub speciebus panis & vini: quod argumentum etiam concludit, durare debere hoc sacrificium, quandiu durat status militantis Ecclesiæ, vt eius summus Sacerdos Christus pro ea semper offerat sacrifi- C cium per ministros suos; ideò enim est sacerdos in perpetuum secundùm ordinem Melchisedech. Simili modo, sicut ex sacrificio agni Paschalis colligimus, Christum in nocte cœnæ sacrificasse, ita etiam mediatè colligere possumus, Ecclesiam Christi retinere, & imitari mysticum sacrificandi ritum, ea nocte inchoatum. Sicut enim sacrificium agni Paschalis ea nocte inchoatum fuit, in qua populus Iudaicus ex Aegypto eductus est, ex eo verò tempore fuit perpetua lege sancitum, vt quandiu status illius populi, seu Synagogæ duraret, tandiu eodem modo fieret, in suscepti beneficij recordationem, & gratiarum actionem: ita Eucharistiæ sacrificium in illo præfiguratum eo die inchoatū est, in quo nos redempti, & de captiuitate dæmonis liberati sumus; & ideò ex eo etiam die perpetua lege sancitum est, vt in memoriā tanti beneficij sem- D per in Ecclesia offeratur, iuxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*. Ita ferè ex his figuris argumentantur Castro, verb. Missa. hæres. 2. & Bellar. lib. 1. de Missa. Solent etiam ex alijs figuris alia argumenta desumi, quorum efficacia maximè posita est in autoritate & traditione Sanctorum, qui ita eas interpretantur: sæpe enim generatim docent, sacrificia vetera nostrum Eucharistiæ sacrifium adūbrasse, ideóq; per illud fuisse completa. Leo Papa sermo. 8. de Pass. August. 17. de Ciuit. cap. 20. & lib. 1. cont. aduers. Leg. & Proph. c. 10. Chrysost. in Psal. 95. Damasc. lib. 4. de fid. cap. 14. Tertull. lib. cont. Iudæos. c. 5. vbi specialiter docet, sacrificiū Abel fuisse figurā huius sacrificij. Quod interpretās Sander. lib. 1. de visib. Monar. c. 5. animaduertit, Abel priùs obtulisse optimū ex primogeni-

Probatio prima ex veteri testamento.

Leo. August. Chrysost. Damasc. Tertul. Sander.

tis

tis gregis sui; posteà verò ipsum fuisse iniustè occisum; & in priori sacrificio præfigurasse sacrificiū Eucharistiæ, in posteriori verò, scilicet, in morte eius, præfiguratum fuisse sacrificium crucis. Addit Iustinus Martyr in Dialog. cum Tryph. sacrificium ex simila fuisse etiam figuram huius Eucharistici sacrificij; & idem dicere possumus de panibus Propositionis, & similibus: cùm enim, teste Paulo, omnia in figura illi populo contigerint, verisimile est, hoc tam magnum mysterium, in ceremonijs illius legis sæpe fuisse præfiguratum. Præterea credēdum est à Prophetis fuisse prædictum, præsertim à Malachia cap. 1. vt ex testimonio suprà tractato non obscurè colligitur, vbi declarauimus, quam verè ac propriè sacrificium hoc sub speciebus panis & vini oblatio munda dicatur, tum ratione talis ritus externi, tū ratione rei oblatæ, quæ est agnus immaculatus, tum etiam, quia summam munditiā in offerentibus requiri: hanc autem vnā oblationem in vniuerso orbe Deo offerri per Ecclesiam ex Gentibus congregatam, ipsa experientia compertum est: vnde euentus ipse obscuritatem prophetiæ satis declarauit, vt suprà notauit Iustinus Martyr, & sumitur ex Clement. lib. 7. const. c. 31. & Iren. libr. 4. contra hæres. cap. 32. vbi videri potest Feruarden. nu. 16. Rabbi Samuel epist. suprà citata. c. 20. & 22. Denique adduci solet verba illa Psal. 71. qui de Messia sine dubio scriptus est. *Erit firmamentum in terra in summis montium*: vbi in Hebr. legitur, *Erit placenta, seu frustum frumenti, in capitibus sacerdotum*: & Chaldaic. Paraph. legit, *Erit substantificus panis*, vt latiùs tractat Galat. lib. 10. c. 4. Garet. lib. de hoc myst. clas. 9.

Iustin. Mart. Malach. 1. Clemen. Iren. Rabbi Sam. Psalm. 71. Galat. Garet.

2. Probatio ex nouo testamento.

Secundùm argumentum sumi potest ex nouo Testamento, adiuncta Patrum expositione: optimumque testimoniū est illud Psalm. 1. ad Corint. 10. *Non potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum*, vbi mensam Domini sine dubio appellat illam, in qua Eucharistia cōficitur: ad eam enim fideles accedunt, vt illius participes fiant: hanc autē mensam, vt suprà ponderauimus, opponit Paul. mensæ dæmoniorum, id est, aris Gentium, significans, hanc mensam esse verum altare, & aram, in qua Deo sacrificium offertur. Rursus est etiā probabile testimonium, quod suprà tractatum est, ex Ioan. 4. explicatumque est, quā aptè & propriè sacrificium hoc vocetur *adoratio in spiritu & veritate*. Tertiò declarari hoc potest ex illis verbis institutionis, *Hoc facite in meam commemorationem*: primò quidem expendendo verbum illud, *Hoc facite*, nā in Scriptura sacra idem significare solet, quod sacrificare, præsertim, quando iuxta materiam subiectam talis significatio conuenienter aptatur, cuius rei varia sunt in Scriptura exempla, sufficiat tamē vnum ex veteri, & alterum ex nouo Testamento, adducere. Leuit. 15. *Sumetque duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum pro holocausto*, & Lucæ 2. *Duxerunt eum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, & facerent, secundum consuetudinem legis, pro eo*, id est, vt offerrent, seu sacrificarēt: quod argumenti genus, quanuis per se nō conuincat, tamen rectè explicat, veritatem hanc cum verbis Christi conuenire. Deinde ponderari solet verbum illud, *In meam commemorationem*: ex eo enim colligunt Sancti, saltem hoc esse sacrificium laudis, & gratiarum actionis, propter hanc enim potissimam causam à nobis requirit Dominus hāc sui

1. Cor. 10. Ioan. 4. Leuit. 15. Lucæ 2.

A memoriam, vt pro tanto beneficio semper Deo gratias referamus: ergo instituens hoc mysterium, vt suæ mortis memoriale, sine dubio intendit, vt per illud colamus eū, cui ipse in passione sua sacrificium obtulit; & consequēter, vt ei gratias agamus; & consequenter etiam vt ei satisfaciamus, sicut ipse Christus per mortem suam fecit. Hinc Iustinus Martyr dicto Dialogo aduertit, dictum esse à Christo, vt hoc mysterium fiat in sui memoriam, quia in gratiarum actionem offerendam est; & optimè Chrysostomus homil. 17. in epist. ad Hebræos: *Nonne* (inquit) *quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius.* Sic etiam Eusebius lib. 1. de Demonstr. cap. vltim. dicit; *Cessarunt sacrificia animalium, quia iam venit victima pretiosa pro toto genere humano oblata, qui est Christus, qui instituit, vt per commemorationem suæ passionis sacrificaremus Deo*, Tandem ponderandum est illud B pronomen, *hoc*, quod, vt suprà vidimus, actionem designat, quam Christus fecerat: sicut ergo ipse sacrificauit, ita etiam sacrificare præcepit. Vnde Cyprianus dict. epist. 63. *In sacrificio* (inquit) *quod Christus obtulit, non nisi Christus, sequendus est: oportet enim nos obaudire, & facere, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit*, & Clem. libr. 5. const. cap. 18. *Facite sacrificium, de quo vobis constituit, cùm dictum est, Hoc facite in meam commemorationem.* Idem latè epist. 3. & Dionys. c. 3. de Eccles. Hierarch. dicit, Sacerdotem solitum esse apud Deum se excusare, eò quod ausus fuerit, tale ac tantum sacrificium offerre. Atque ita loqui cum Deo, *Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem.* Martin. etiam epist. ad Burdegal. cap. 3. *Quod Iudæi* (inquit) *per inuidiam immolauerunt, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus: hoc enim ipse Dominus iussit, nos agere in* C *sui commemorationem.* Similia habet Irenæus dicto libro 4. cap. 32. & optimè Chrysost. homil. 83. in Matth. & homil. de prod. Iudæ.

Iustin. Chrysost. Euseb. Cyprian. Clem. Rom. Dionys. Martin. Pap. Irenæus. Chrysost.

Ex consensu traditioneque Ecclesiæ eadē veritas communitur.

Tertium argumentum sumitur ex consensu, & traditione Ecclesiæ: nam ipso vsu constat, in Ecclesia Catholica fieri nunc hoc mysteriū, ritu, animo ac intentione sacrificandi, vt ex sensu omnium fidelium patet, & ex ipso canone Missæ, quē hoc nomine maximè reprehēdunt hæretici, quia in eo sæpe fit mētio oblationis, hostiæ, & sacrificij. Respōdēt tamen, morem hūc solùm à temporibus Gregorij esse in Ecclesia introductum. Sed, licèt hoc concederemus, ad veritatis confirmationē sufficeret, nā Ecclesia, quæ columna est & fundamentum veritatis, nō potest tota in re grauissima & ad mores pertinente, errare: tota autē ante mille annos consensit in hoc modo & ritu sacrificandi. Est autē præte- D reà euidens, hoc non incepisse à tēpore Gregorij, sed ab ipso initio Ecclesiæ, & ex Apostolica traditione perpetuò durasse, vt facilè ostēdi potest ex Liturgijs Iacobi, Basilij, & Chryso. & ex Clemēt. lib. 2. const. c. 61. lib. 3. Const. c. 10. Dionys. c. 3. de Eccles. Hierar. Cyrill. Hierosol. catech. 4. mystag. Ambros. lib. 5. & 6. de sacram. Secūdò id ostēdi potest ex his, quæ Apostoli, & eorū successores Pontifices circa modum celebrādi hoc sacrificium disposuerunt: nā in can. 3. prohibent Apostoli, ne aliquid præter Domini præceptum & ordinationē, super altare in sacrificiū offeratur, & can. 8. præcipiunt, vt facta oblatione omnes communicent, & apud Clementē, lib. 2. const. c. 63. est locus animaduersione dignus; tractans enim de Dominico die,

inquit, *Quam excusationem habere potest, qui hoc die nō conuenit ad audiendum salutarem de Resurrectione sermonem, in quo tres orationes stantes concipimus in memoriam illius, qui tertio die resurrexit, in quo Prophetarū lectio habetur & Euangelij prædicatio, & sacrificij oblatio, & sacri cibi dispensatio?* Idem late toto libro 8. earundem constit. & multa similia legūtur fere in omnibus epistolis decretalibus summorum Pontificum, præsertim apud Anacletum epist. 1. c. 1. & 2. Alexan. 1. epist. 1. *In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est.* & ex Sother. Pap. cap. Illud. 7. quæst. 1. & cap. Vt illud. de Conf. d. 1. vbi sacrificium distinguit à Psalmorum cātu, & Cælest. Pap. statuit, psalterium cani, antequam sacrificium offeratur. Syrici. epist. ad Himerium. cap. 7. hortatur Sacerdotes, vt in his sacrificijs, quæ quotidie offerunt Deo per pudicitiam placere studeāt, & Innocent. I. epist. 3. ad Exuper. sacrificium hoc ab oratione, & aliorum sacramentorum administratione distinguit. Leo Papa epist. 81. cap. 2. de huius sacrificij oblatione nonnulla disponit. Similia etiam leguntur in antiquis Concilijs, in Niceno canone 15. fit mentio sacræ oblationis; & in fine illorū canonum refert Surius alium canonem eiusdem Concilij ex Tonstalo Angliæ Episcopo, lib. 8. de verit. corp. & sang. Domini, qui sic habet, *Fide intelligamus, situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatum.* Itē in Concil. Ephes. in epist. ad Nestor. quæ est Cyrilli cum Concil. Alexand. & in Ephesino recipitur, incruentum sacrificium celebrari dicitur in mysterio corporis & sanguinis Domini; & similiter Cyrill. in defensione 11. anathe. *Sanctum* (inquit) *ac viuificum incruentumque in Ecclesia celebramus sacrificiū;* & in VI. Syn. can. 32. Trullano vocatur hoc mysterium, *sacrificium incruentum, & mysticum, & sacrū ministerium.* Similia legi possunt in Concil Tolet. I. cap. 9. Brach. III. can. 1. & 2. Altisiodoren. cap. 8. Laodicen. can 19. & 58. Later. in capit. Firmiter. Constant. in Bulla Martini V. Florent. in Decret. Eugenij. Trident. sess. 22. Testimonia Sanctorum Patrum satis multa adduximus explicantes sacræ Scripturæ testimonia, & plura erunt sæpiùs in sequentibus necessariò attingenda. Solùm est obseruandum propter hæreticos, qui hic etiam ad metaphoram detorquent nomen, *sacrificium*, sanctos Patres nunquam vocasse ministerium baptismi aut alterius sacramenti, nomine sacrificij, cùm tamen sacrificium metaphoricè sumptum, etiam in ea conueniat: cū ergo Eucharistiā frequētissimè & absolutissimè vocent sacrificiū, signum est, eos propriè de sacrificio loqui, præsertim, quia distinguunt illud ab oratione, Psalmorum cantu, & alijs ceremonijs, quæ etiam sunt metaphorica sacrificia: sentiūt ergo, hoc mysteriū esse proprium sacrificiū, imò sæpe vocāt, verū, plenum, ac perfectū sacrificium, vt videre licet in Chrysost. & Euseb. locis suprà citatis, August. 10. de Ciuit. cap. 20. & lib. 17. cap. 17. & 20. epist. 23. vbi dicit, *Christum hic verè immolari.* Cyprian. epist. 68. & epist. 77. vocat, *sacrificium diuinum*, Cyril. Hierosol. catech. 5. mystag. vocat, *spirituale sacrificium*, propter rationē suprà datam, scilicet, quia Spiritus sancti virtute perficitur. Vocat etiam, *cultum incruentum*, nimirùm, latriæ cultum, vt alij Patres loquuntur, quia supremus cultus latriæ externus, per sacrificium datur; & ideò

Anacle. Papa. Alexan. Pap. Sother. Papa. Cælest. Papa. Syric. Papa. Innocen. I. Leo Papa. Conci. Nicen. Tonstal. Conci. Ephes. VI. Synod. Conc. Tol. I. Brach. III. Altisiodor. Laodicen. Lateran. Constant. Florent. Trident. August. Cyprian. Cyril. Hiero.

Epiphan. in compend. fidei, latriam Oeconomiæ vocat.

Eadem veritas ratione fulcitur.

Vltimò adiungitur ratio, quia in hoc mysterio reperiuntur omnia, quæ ad sacrificium necessaria sunt, quod latiùs tractandum est explicando essentiam huius sacrificij; nunc breuiter numerantur. Nam primò hic est qui offerat, scilicet, Christus principaliter, & sacerdos vt minister proximus, ad hoc munus consecratus. Secundò est aliquid, quod offeratur, scilicet, Christus sub speciebus panis & vini. Tertiò est Deus, cui offertur: nam, licèt Christus etiam sit Deus, cui sacrificium offertur; tamen vt homo esse potest victima, quæ in cultum Dei offerri potest, sicut in cruce oblatus est. De quo sanctus Andreas dicebat, *Immaculatū agnum quotidie in altari sacrifico*, de quo testimonio plura in superioribus dixi. Quartò est, pro quo offeratur, scilicet, Ecclesia, & fideles, vt Sancti suprà citati docent, & suprà colligebamus ex illis verbis, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, & infrà latiùs dicemus: hic enim clarè ostenditur, hoc mysterium plus esse, quàm sacramentum, vt notauit Diuus Thomas supra quæst. 78. articulo 7. nam sacramentum illi tantùm prodest, cui applicatur, sacrificium verò pro alijs offertur. Quintò est altare, vt suprà ex Paulo probatum est, & est in ore omnium fidelium: vnde Optat. lib. 6. contra Parmen. *Quid est* (inquit) *altare, nisi sedes corporis & sanguinis Domini?* & eleganter Theodotus Ancyr. orat. de Natiuitate inquit, *Non iam in præsepe positus, sed in altari: illud enim præsepe mater factum est huius mensæ.* Sextò est etiam sufficiens actio sacrificandi, quæ in omnibus, vel aliqua earū continetur, scilicet, oblatione consecratione, fractione, & consumptione, de quibus infra dicēdum est. Nam, quòd institutio, seu impositio non desit, autoritate magis probandum est, quàm ratione, quod iam effectum est. Estque optimum testimonium illud August. 10. cont. Faust. cap. 21. *Sacrificamus non martyribus, sed Deo Martyrum, illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari noui Testamenti manifestatione præcepit.* Congruentia verò addi potest, quia ostendimus oportuisse, sacrificium aliquod in lege noua institui: sed nullum poterat excogitari aptius, aut perfectioni huius status magis consentaneum: decebat etiam tam grande mysterium ministerio hominum factum, in diuinum cultum, & recognitionem diuinæ potentiæ & maiestatis ordinari & institui, cùm eo tam diuina potentia, quàm sapientia, caritas, & reliqua attributa, excellentiori quodam modo manifestentur.

Optat. Milet. Theodot. Ancyr.

Secundum hæreticorum fundamentum destruitur.

Superest respondeamus ad secundum & tertiū fundamentum hæreticorum, quæ contra hanc partem procedebant. Secundū ergo in hoc nitebatur, q̄ in hoc mysterio fit repræsentatio sacrificij, ad quod breuiter dicendum est, si exclusiuè intelligatur, falsum esse assumptū, si absq; exclusione, nullā esse illationem. Sicut enim non sufficit ad rationē sacrificij esse figuram, vel signum sacrificij, ita non est contra rationem veri sacrificij, quod sit repræsentatio, vel imago alterius sacrificij, si cætera necessaria concurrāt, vt cōcurrere possunt. Primū patet, nam mors Abel fuit figura sacrificij Christi, & baptismus est repræsentatio mortis Christi, & multæ ceremoniæ fiunt ab Ecclesia in repræsentationē mortis Christi, quæ non sunt sacrificia, & hoc, ad summum, probat ratio hæreticorū, necesse non esse,

se, signum habere in se veram ac propriam rationem, eius rei, quam significat. Probatur autem altera pars, nam sacrificia vetera, & agnus Paschalis, & oblatio Melchisedech, fuerunt vera sacrificia, simulque fuere signa & repræsentationes sacrificij Christi, vt Augustin. sæpe docet, signatim 20. contr. Faust. capit. 18. Ratio autem est, quia interuenire potest actio sufficiens, per quam aliquid Deo in sacrificium offeratur, & tamē quod illa imposita sit ad aliud sacrificium significandum. Item in signis ad placitum sæpe contingit, dari signum rei, & signum signi, & vtrumque in suo genere veram signi rationem participare: sic enim hæc vox, *Petrus*, est signum ad placitum significans talem rem, & hæc vox, *nomen proprium*, est etiam signum ad placitum significans ipsum nomen, *Petrus*, & vtrumque verum nomen est, seu vocalis terminus: sic igitur, cum sacrificium sit signum ad placitum, & præter significationem, moralem habeat mysticam, dari potest sacrificium immediate significans rem aliquam, quæ sacrificium non sit, & dari etiam potest sacrificium significans aliud sacrificium, nā hoc etiam ad mysticam significationem spectare potest. Ita igitur contingit in præsente mysterio, in quo in primis interuenit sufficiens actio, & ceremoniæ sensibiles ad rationem seu significationem sacrificij, vt declaratum est, ac deinde impositum est ad significandum non solum realem Christi præsentiam, sed etiam præteritam eius mortem & passionem, quam pro nobis in sacrificium obtulit, & ideo non est solum imago sacrificij, nec solum sacrificium, sed vtrumque simul, sicut simul est verum corpus & sanguis Christi, & sacramentum, seu sacrum signum eius. Oportet autem ad intelligendos Patres aduertere, eos sub nomine immolationis interdum dicere in hoc mysterio non immolari Christum vere ac realiter, sed tantum mysticè, per repræsentationem veræ immolationis in cruce factæ, quia immolatio in rigore & proprietate vocis significare videtur cruentam oblationem, seu veram mactationem cum reali sanguinis effusione, & in hac proprietate verum est, non esse hic realem immolationem, sed tantum repræsentationem eius: atque in hunc modum loquuntur, non solum Patres, vt Chrysostom. Ambros. & alij ad Hebr. & August. epistol. 23. 120. & in Psalm. 79. sed etiam interdum Scholastici, Magister cum alijs in 4. distinctio. 12. & Diuus Thomas in hoc articul. 1. quæstione. 83. Immolatio autem in hoc rigore sumpta non est de ratione sacrificij vt sic, sed sacrificij tantum cruenti: nam ad rationem sacrificij vt sic, sufficit oblatio, quacunque ratione in ea aliquid sacrum fiat circa rem oblatam: & ideo, de sacrificio, seu sacrificatione loquendo, absolute dicendum est, in hoc mysterio non tantum imaginem & repræsentationem sacrificij, sed verum etiam sacrificium, veramque sacrificationem fieri.

Quare aliqui Patres, Christum in Eucharistiæ confectione immolari, concedere renuant.

Tertia hæretici argumentatio refutatur.

Tertium fundamentum sumebatur ex ratione sacramenti, & testamenti. Ad priorem ergo partem dicitur, posse idem mysterium diuersis rationibus participare seu induere rationem sacramenti & sacrificij: nam eadem res, quæ in Dei honorem consecratur, potest deinde ad nostram sanctificationem dari, & ordinari: hæ namque duæ rationes & habitudines in ordine ad diuersos terminos, non ita inter se repugnant, vt non pòssint eidem rei conuenire: vnde eadem etiam res, quę Deo in cultum offertur, potest esse cibus hominis, & vt sic, esse signum gratiæ sanctificantis, & ideo simul esse sacrificium, & sacramentum, ita fere Diuus Thomas 1. 2. quæstione. 101. articul. 4. ad 2. vbi significat, hoc non accidisse in sacrificijs veteribus, sed huius mysterij esse proprium propter eius excellentiam. Non desunt autem, qui existiment in agno Paschali, qui fuit potissima figura huius mysterij, illas duas rationes fuisse coniūctas: nam prius sacrificabatur; vel in templo à Sacerdotibus, vt contendit Abulens. Exodi. 25. quæstione. 27. vel in priuata domo à patre familias, de quo satis in præcedente tomo disputatum est, & postea vt sacer quidam cibus comedebatur sub certo ritu & ceremonijs, in quo videtur, rationem sacramenti habuisse. Quomodo autem hæ duæ rationes sacramenti, & sacrifij in Eucharistia coniungantur, & vtra earum prior aut potior sit, dicetur commodius disputatione sequente: oportet enim prius essentialem rationem huius sacrificij declarare.

D. Thom. Abulens.

Ad alteram partem de testamento primum negari potest, Eucharistiam esse aut dici testamentum, sed mysterium noui testamenti, aut etiam sanguinem noui testamenti, iuxta id, quod in forma calicis dicimus, ex traditione Ecclesiæ, & canone Missæ, *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti mysterium fidei*, & c. & iuxta illud, quod apud Matth. & Marc. legimus, *Hic est sanguis meus noui testamenti*, idest, quo nouum testamentum confirmatum, & stabilitum est. Atque hoc modo rectè respondet figuratum figuræ; propriè enim sanguis, quo Moyses populum aspersit, non erat ipsum vetus testamentum, sed erat veluti confirmatio eius. Secundo admittimus, Eucharistiam, & sanguinem Christi in illa contentum, dici posse testamentum eo modo, quo res sperata solet spes nostra vocari, & res promissa nomine promissionis, & hæreditas testamento legata nomine testamenti; sic enim id, quod præcipuè Christus in nouo testamento Ecclesiæ suæ legauit, fuit corpus, & sanguis eius in Eucharistia: vnde est illud ad Hæbræos. 7. *Melioris testamenti sponsor factus est Iesus*: dici etiam solet testamentum, instrumentum ipsum continens, & significans voluntatem testatoris, & hoc etiam modo Eucharistia dici potest testamentum, tanquam signum, & instrumentum continens, & significans Christi voluntatem, & liberalem omnium suorum bonorum largitionem nobis collatam. Huiusmodi autem testamenti appellatio non pugnat cum ratione sacrificij: quia idem sanguis, quo nouum testamentum confirmatum est, potest etiam in Dei cultum, & sacrificium consecrari, & eadem res, quæ nobis à Deo datur, & à Christo in hæreditatem huius vitæ, & in signum suæ voluntatis, & æternæ hæreditatis testamento donata est, potest & debet Deo à nobis offerri in eius honorem & sacrificium: nihil enim magis decens aut conueniens esse potest, quam vt donis, quæ Deus nobis contulit, ipsum colamus, ac veneremur; & hoc ipsum indicabit nobis Christus verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, iuxta expositionem in superioribus.

Hebr. 7.

Universidad de Deusto Biblioteca

SECTIO III.

Utrum Missa sit sacrificium, quod tantum à Christo Domino institui potuerit.

IN hac sectione non solum rē ipsam (quæ ferè iā ex dictis perspicua est) sed etiam ipsam Missæ vocem explanare ac defendere intendimus: hæretici enim vehementer inuehuntur in eam, irridentque & reijciunt tanquam nouam & barbaram vocem, quod eo animo faciunt, vt rē prorsus euertant: Catholici vero ècontra vocis antiquitatem & etymologiam erudite & accuratè inquirunt, vt veritatem rei significatę magis stabiliant. Dicendum ergo in primis est, vsum huius vocis, *Missa*, in Ecclesia Latina esse antiquissimum, Legitur enim in Conc. Carthag. 2. can. 7. Conc. Carth. 4. can. 84. Mileuit. c. 12. Valensi. c. 3. & 4. vbi etiam distinguitur Missa publica à priuata, Conc. Agathens. can. 21. de loco, vbi est Missa celebranda, & can. 47. de præcepto audiendi Missam die Dominico. Leo Papa. epist. 81. plures præcepit celebrari Missas, vbi pro multitudine populi, vna nō sufficit. Thelesph. epist. 1. instituit, vt in Missa hymnus angelicus dicatur, & tres Missæ nocte Natiuitatis. Fœlix. 1. epistol. 2. præcipit, Missas celebrari supra memorias Martyrum, Euaristus, vt Basilicæ cum Missa consecrentur, vt est apud Burchard. libr. 3. Decreti. c. 27. quod tamen Gratianus tribuit Higinio in cap. Omnes. de consecrat. dist. 1. qui omnes & alij Patres ibi relati hoc nomine Missæ vsi sunt, & præterea Ambr. libr. 1. epist. 33. & August. serm. 91. & 251. de tempore, & Greg. lib. 1. epist. 12. & lib. 4. episto. 10.

Conc. Cart. 2. Carth. 4. Agath. Leo Pap. Thelesph. Fœlix. 1. Euarist. Ambr. August. Gregor.

Secundo de origine huius vocis quidam existimant esse vocem Græcam, vt Couar. lib. 4. Variar. Resol. c. 22. non est autem verisimilis opinio, quia nullum eius vocis fundamentum in Græca lingua reperitur: vnde neque vsum eius in Græcis Patribus legimus, sed quam nos *Missam*, illi *Liturgiam*, vocant, vel *synaxim*, vel alijs vocibus vtuntur, quæ communes sunt huic mysterio, vt sacramentum est, Alij ergo censent, esse vocem Hebræam, à verbo *Missac*, quod spontaneam oblationem significat: ita Conc. Senon. in Decretis fidei. cap. 11. & Claud. de Sainct. in præfat. ad Græcas liturg. & Pamelius in præfa. ad Latinas, & in Scholijs ad Tertul. lib. de orat. in principio, & Democharės tract. 2. & 4. de sacrificio Missæ. Quæ opinio est probabilis: quanuis eam suspectam faciat autoritas negatiue Patrum Græcorum, & Syriorum, qui nunquā ea voce vsi sunt, cum tamen soleant frequenter vti illis vocibus Hebraicis, quas Ecclesia Latina retinuit; vt sunt *Hosanna*, *alleluya*, &c. Tertia igitur opinio est, hanc vocem esse Latinam à verbo, *mitto*, quam late tractat in Lindan. lib. 4. Panop. cap. 3. & Bellarm. lib. 1. de Miss. c. 1 & videtur fuisse sententia D. Thom. hac quæst. art. 4. ad 9. & Hug. Victor. lib. 2. de sacrament. p. 8. cap. 14. qui etymologiam huius vocis explicantes, oblationem sub intelligendam esse censent, ita vt *missa*, dicatur, quia oblatio sacrificij ad Deum mittitur, & missa est, vel quia Deus ad nos mittit hostiam huius sacrificij, quam nos ad ipsum, iterum per sacerdotem in

Couar. Alij Hebreā. Conc. Senon. Claud. Pamel. Lindan. Bellarm. D. Thom. Hugo Vict.

A sacrificio remittimus, iuxta illud, quod in canone Missæ dicitur, *Iube hæc perferri per manum sancti angeli tui in sublime altare tuum*. atque hoc modo sentit etiam Innocent. lib. 3. de hoc myst. cap. 12. & Bonau. opusc. de myster. missæ. At vero Isidorus sentiens etiam hanc vocem esse Latinam lib. 2. etymolog. cap. 19. censet dictam esse à dimittendo, quia, finito missæ sacrificio, populus mittitur, seu dimittitur, ita vt subintelligenda sit congregatio seu cōcio missa, vel dimissa; & in eadem sententia est Alcuinus lib. de officijs Eccles. capitul. de celebrat. Miss. & Gab. lect. 15. in can. & non dissentit Hugo Vict. loco citato. Ad quod intelligendum, obseruandum est, antiquam Ecclesiæ morem fuisse, vt dum Missæ sacrificium celebrabatur, populus non discederet, donec à Sacerdote, vel diabono dimitteretur, ita enim ad tanti sacrificij reuerentiam B decebat: & vt debitus ordo in Ecclesia seruaretur. Hæc autem populi dimissio bis in Missa fieri solita est: primo, finito Euangelio ante primam oblationem, tunc enim dimittebantur cathecumeni, vel si qui aderant Gentiles, qui mysterijs interesse, aut ea videre minime permittebantur, vt constat ex Clemente lib. 8. Const. Dion. c. 3. de Eccle. Hierar. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 50. & Aug. tract. 11. in Ioan. Greg. 2. Dialog. c. 23. Alia dimissio fiebat post sacrificiū finitū, ad quā videtur allusisse Cyp. lib. de specta. dicens, *Festinat ad spectaculum dimissus, & adhuc secum ferens*, vt assolet, Eucharistiā, & Tertul. lib. de anima, *Post transacta solennia, dimissa plebe*, &c. Hinc ergo factū est, vt hæc ipsa dimissio, *Missa*, dicta fuerit; & ita videtur sumi in Conc. Carth. 4. C c. 84. & in Conc. Illerdens. c. 4. in quibus dicitur, Hæreticos, Iudæos, & Gentiles permitti posse adesse vsque ad Missam catechumenorum, idest, vsque ad dimissionem, vt exposuit Glossa in c. De incestis, & in c. De his. 35. quæst. 2. & in c. Episcopus. de Consec. d. 1. & Aug. serm. 237. de tempore apertius dicit, *Ecce post sermonem fit missa catechumenis, & fideles manent*, idest, fit dimissio catechumenorum. Et eodem modo sumi videtur à Sancto Benedicto in regula sua, c. 17. & à Cassiano. lib. 2. instit. c. 13. & 15. & lib. 3. c. 7. & 8. & iuxta hanc deductionem, quod nunc in Missa dicimus, *Ite, missa est*, ita est interpretandum, *Ite, iam enim est dimissionis tempus*, quanuis exponi etiam possit iuxta priorem etymologiam, sub intelligendo oblationem, vel totam illam actionem sacrā, id est, *Ite, iam enim est oblatio ad Deum, missa, vel, iam tota hæc actio sacra est completa*. Quacunque vero ratione originem, & D impositionem huius nominis accipiamus, certum est tamen, iam deductam esse illam vocē ad significandam totam illam actionem, in cuius fine populus dimittitur; & inde duplex etiam missa distincta est; vna *catechumenorum missa*, que durabat vsq; ad primam oblationem exclusiuè, cuius fit mentio in citatis locis, & in Conc. Val. c. 1. & apud Cassia. lib. 11. institutionum c. 15. Alia dicitur, *Missa fidelium*, quæ incipit ab offertorio, & durat vsq; ad finē de qua Ambr. lib. 5. epist. 33. *Dimissis catechumenis, missam sacramentorum*, vt loquitur, *facere cœpit*, & hinc in plurali vocari solet totum officium, *Missarum solennia*, vt est apud Aug. serm. 91. de tempore, & Greg. hom. 21. in Euangelia. nunc vero missa etiam in singulari dicta significat totam actionē sacram à principio vsq; ad finem, quæ vtramq; prędictam missam complectitur: iam enim illa prior dimissio

Innocent. Bonau. Alij à dimitto. Isidor. Alcuin. Gabr. Clement. Dionys. Cyril. August. Cypr. Cōc. Carth. & Illerden. August. S. Benedict. Cassian. Conc. Valet. Ambr. August. Gregor.

dimissio sublata est, & tota res vna veluti continuā ta actione conficitur, & quæ nomine missæ iam significatur. Et hactenus de voce *Missa*, de qua plura eruditè congerit Ioan. Durant. lib. 2. de ritibus Eccles. c. 1.

Durant.

Quod igitur ad rem attinet, de missa loqui possumus, vel ratione totius actionis, vt includit omnes ceremonias & orationes, quæ ibi fiunt & dicuntur vel tantum de substantia sacrificij, quod inter illā actionem offertur. Dicendum ergo est primo, Missam, vt comprehendit totam illam actionem, complecti quidem sacrificium, non tamen solam substantiam eius, sed etiam accidentia (vt sic dicam) & ideo secundum hoc totum, non est à Christo Domino instituta. Conclusio hæc est certa & clara quoad omnes partes, suppositis, quę diximus, nam missa hæc complectitur totum Eucharistiæ mysterium à consecratione vsque ad consumptionem: ostendimus autem, hoc mysterium esse sacrificium, ergo missa, quoad substātiam suam sacrificium est, aut (quod perinde est) in missa sacrificium offertur vt Patres omnes supra citati loquuntur. Secunda vero pars, & tertia per se notæ sunt, nam canō missæ non à Christo, sed ab Apostolis, & eorum successoribus traditus est & compositus, vt Concil. Trident. dicit sess. 22. & idem est certum de alijs ceremonijs & collectis, & colligi potest ex Clemente & alijs Pontificibus, & Concilijs citatis, & ex Isid. lib. 1. de officijs, vbi dicit, ordinem missæ & orationum à S. Petro esse institutum, & supra agentes de forma ostendimus, Apostolorum tempore paucas ceremonias, & orationes adiunctas esse oblationi huius sacrificij, quæ postea successu temporis ab Ecclesia additæ sunt, de quibus in sequentibus dicendum est latè.

Conc. Trid. Isidor.

Dico secundo Missa, quoad substantiam sacrificij, à Christo Domino instituta est. Est de fide, & sufficienter probatur ex dictis in duabus præcedētibus sectionibus, nā Christus in nocte cęnæ obtulit hoc sacrificium, & potestatem ac legem perpetuo duraturam, de illo in Ecclesia offerendo, tradidit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt declaratum & probatum est, hoc autem ipsum, & nihil aliud, est sacrificium instituere: vnde Iren. lib. 4. cont. hæres. c. 32. & 34. *Nouam*, inquit, *docuit oblationem quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo*. Amb. in 1. præpar. ad Miss. *Ego, licet peccator, accedo ad altare tuum, & offero sacrificium, quod tu instituisti, & offerre præcepisti*. Aug. concio. 2. in psal. 33. *Ipse de corpore, & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech*. Leo pap. serm. 7. de passione, *Iesus vetus testamentum consummabat, & nouum pascha condebat, & docebat, qualis hostia Deo deberet offerri*. Deniq; Alex. 1. epi. 1. c. 4. *Veritas nos instruxit, calicem & panem offerre*: & similia multa citata sunt in superioribus, & alia sumi possunt ex modernis autorib[9] relatis, prǽsertim ex Duran. dicto lib. 1. c. 2. & 3. vbi multa cōgerit. Ratio addi potest, quia Christus est autor nouæ legis: ergo instituere debuit omnia, quæ sunt de substantia huius legis; huiusmodi autem est sacrificium, sicut & sacerdotium: nam hæc duo neçessario sunt connexa, & de sacerdotio ait Paulus, transferri simul cum lege, aut ipso translato necesse esse, legem etiam transferri. Et confirmatur primo, quia Christus instituit Eucharistiæ mysteriū, vt in superioribus tractatum est: ergo sub vtraq; ratione sacramē-

Iren. Ambr. Aug.

A ti, & sacrificij instituit: quia non est maior ratio de vna, quam de altera, nec minus requiritur Christi autoritas ad significationem & efficaciam eius, vt sacrificium est, quam vt est sacramentum. Deniq; quia ratio sacrificij prior est, & quodammodo potior, quam sacramenti, vt infra dicam. Confirmatur secundo, quia Christus, abrogando legem veterem, eius sacrificia abstulit: ergo è contrario stabiliendo legem nouam, eius sacrificium instituit.

Sed quæret aliquis, an potuisset Ecclesia, hoc sacrificium instituere: si Christus illud non instituisset. Respondetur, duobus modis hoc intelligi posse. Primo, quod Christus Dominus, neq; instituerit hoc mysterium quoad rationem sacrificij vt sic neq; etiam quoad actionem ipsam, in qua significatio sacrificij fundatur, idest, quod non dederit hominibus corpus & sanguinem suum. Secundo, vt B dederit quidem hanc potestatem in ordine tantū ad sacramentalem vsum, non vero quoad rationem oblationis seu sacrificij. In priori casu euidēs est, non potuisse Ecclesiam, tale sacrificium instituere, vnde enim illa habere potestatem ad conficiendū corpus Christi, si Christus non dedisset? est enim hæc potestas maximè supernaturalis, vt per se manifestum est. In secundo autem casu potuisset Ecclesia instituere, seu addere huic mysterio rationem sacrificij, dummodò Christus non prohibuisset, ita enim supponendum est. Ratio est, quia illa actio de se est apta, & decens ad rationem sacrificij, & alioqui est in Ecclesia potestas connaturalis, vel naturæ, vel gratiæ, ad instituendum sacrificium in qualibet actione ad illud munus proportionata: er C go potuisset hanc specialem actionem iam sibi possibilem in signum protestatiuum diuinæ excellentiæ ordinare, vt ad Deum colendum primario fieret, & ita posset instituere hoc mysterium sub ratione holocausti & sacrificij laudis seu gratiarum actionis, & impetratorij, & aliquo modo, propitiatorij, vel impetrando tantum, vel etiam aliquam satisfactionem applicando per modum indulgentiæ, quanuis non propriè, & in rigore ex opere operato.

SECTIO IIII.

D *Utrum Missæ sacrificium vnicum sit in lege noua, ita vt aliud in ea esse non possit.*

DVo in hoc titulo comprehenduntur. Vnū est, an ipsummet sacrificium Eucharisticum sit vnum tantum. Alterum est, an cum illo possint in Ecclesia Christi esse alia sacrificia. Circa primum, ratio dubitandi esse potest, quia in Missa, multa fiunt circa corpus Christi, quæ per se singula ad rationem sacrificij sufficiunt, vt sunt duplex consecratio, corporis & sanguinis, nam vnaquæq; per se sufficit, vt sacrificium integrum sit. Item fractio, quæ postea fit circa corpus Christi, cū sanguinis mistione: nam ibi fit aliquid sacrum circa rem oblatam, ac deniq; idem argumentum fieri potest de cōsumptione corporis & sanguinis Christi, prout fit à sacerdote. Vel aliter, quia prius sacrificantur panis & vinum: transmutantur enim in Dei cultum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum, & deinde offeruntur corpus, & sanguis Christi: nam prius conficiuntur, postea offeruntur, quoniam offerri, supponit esse: sunt ergo diuersa sacrificia, sicut & diuersæ res oblatæ. Tandem, habere plura sacrificia, videtur ad perfectionem & complementum alicuius legis pertinere, maximè quando talia sacrificia ad diuersos fines ordinantur, vt sunt holocaustum, gratiarum actio, propitiatio pro peccato: ergo decuit, vt Deus hanc sacrificiorū varietatem in lege noua institueret, si enim id fecit in lege veteri, multo magis in noua, quæ perfectior est: Christus autem Dominus extra mysteriū Eucharistiæ, nullum sacrificium instituit: ergo in hoc mysterio tota illa sacrificiorum varietas & multitudo continetur, vt si intelligamus, consecrationem ipsam habere rationem holocausti, quatenus per eā tota substantia panis in substantiam corporis Christi transmutatur: fractionem vero, quæ expressius passionem Christi significat, rationem habere sacrificij propitiatorij, aut oblationem ipsam corporis Christi, quacunque illa sit.

Conc. Trid. Conc. Tol. 12 Leo Pap.

Dicendum nihilominus est, sacrificium Eucharistiæ esse vnum tantum, illudq; solum esse à Christo Domino in lege noua institutum. Ita sentiunt omnes Theologi, imo Conc. Trid. in proœmio sess. 22. hac ratione dixit, *hoc esse vnum, verum, ac singulare sacrificium*; & ca. 1. de hoc solo sacrificio tradit fuisse à Christo Domino institutum, & de illo semper vt de vnico sacrificio, loquitur, & multo antea Cōcil. Tol. 12. c. 5. sacrificium hoc, *verum & singulare* vocauit, & cæteri Patres hac ratione dicunt, Christum Dominum multitudinem veterum sacrificiorum in vnum ac singulare sacrificium commutasse Leo Pap. serm. 7. de passione, *Omnem differentiam hostiarum vnius corporis & sanguinis tui complet oblatio*. Similia leguntur apud Chrys. psal. 95. August. lib. 10. de Ciuit. c. 20. & lib. 17. c. 10. libr. 3. de baptism. c. vlt. 20. cont. Faust. c. 18. & 21. & lib. 1. cōtra aduersarium leg. & Proph. c. 20. *Huic summo, veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt*, & alibi, *sacrificium, quod ipse est, in Ecclesia voluit pro illis omnibus celebrari, quia illis omnibus ipse prænūciabatur*. Deniq; Ecclesia in Collecta quadam sic habet, *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti, &c.* Ratione sic declaratur, nam quod præter hoc sacrificium, nullum aliud sit à Christo institutum, illa ratio satis probat, quia de Christi voluntate solum nobis constare potest per Ecclesiā declarantem Scripturam, vel traditionem. Sed Ecclesia, nec docuit, nec insinuauit vnquam institutionem alterius sacrificij, neq; in Scriptura aut traditione aliquod est eius vestigium, maxime cum nulla sit eius necessitas, vt ostendam. Quod autem sacrificium ipsum Eucharisticum vnum sit, præter autoritates adductas, patet ex dictis supra de vnitate sacramenti Eucharistiæ: est enim eadem ratio de sacrificio, & omnia ibi adducta, hic applicari possunt. Declaraturque breuiter, satisfaciendo simul rationibus dubitandi: duæ enim cōsecrationes corporis & sanguinis, quāuis per se sigillatim sumptæ possent institui in integrum sacrificiū, tamen, prout nunc facta est institutio, ordinatæ sunt ad consummandum vnum signum, atq; vnam mysticam Christi immolationem, & ideo ex vtraq; componitur vnum sacrificium. Rursus, panis & vinum, & corpus ac sanguis Christi, ad vnam met actionem sacram, seu sacrificationem concurrunt, tanquam terminus à quo & ad quem, & tanquā materia proxima & remota eiusdem oblationis; & ideo ex hoc etiam capite non est ibi duplex sacrificatio: imo neque est alia corporis Christi oblatio, præter ipsam consecrationem, vt in sequente disputatione latius dicemus. Denique gratis, & sine fundamento, assignantur distincti effectus seu fines distinctis partibus, vel actionibus huius sacrificij, sed ipsum totū perfectiori & altiori modo continet omnem illam perfectionem seu habitudinem, aut rationem, quæ in distinctis sacrificijs veteribus inuenta est, vt supra disput. præcedente section. 7. obiter attigimus est enim hoc sacrificiū ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, infinitæ dignitatis, & ideo ad omnem sacrificij rationem sufficiens est, & in cultum Dei, & gratiarum actionem, & recognitionem diuinæ excellentiæ simul offertur, & nihilominus simul etiā efficax est, & ad impetrandum & ad satisfaciendum pro peccato, vt latius infra, tractando de effectibus eius, explicabimus, & ideo necesse nō fuit, aliud sacrificium præter hoc à Christo Domini instituti. Dices, etiam Eucharistia in ratione sacramenti est summe perfecta, & nihilominus præter illud Christus alia multa instituit: cur ergo nō idē dicetur de sacrificio. Respondetur primo, quia sacramenta per se ordinantur ad fidelium sanctificationem, quæ pluribus modis perficitur, scilicet, per modum generationis, aut augmēti, aut per modum specialis remedij vel auxilij, quo pluribus etiā modis, & varijs ex causis, fideles indigēt, iuxta varias occasiones & status eorum, & ideo, vt conuenientius, & accommodato modo prouideretur hominibus, vtilis fuit sacramentorum varietas. At vero sacrificium per se ordinatur ad cultum Deo præstandum, & ex consequente, & quasi secundario, aliquem effectum habet in offerentibus, vel his, pro quibus offertur, quæ omnia facillimè potuerunt in eodem sacrificio coniungi, & ideo, supposita huius sacrificij perfectione & infinitate, nō oportuit alia multiplicare. Adde, mysterium hoc Eucharistiæ esse finem aliorum sacramētorum, & ideo illa multiplicari, quia homo indiget, pluribus modis disponi, & quia media multiplicari solent, quanuis finis vnus tantum sit.

Quoad secūdā quæstionem ratio dubitandi.

Circa secundam partem in primis esse potest quæstio de potestate Ecclesiæ ad instituendum aliud sacrificiū, Et est ratio dubij, quia hæc potestas est connaturalis, tam naturæ, quàm gratiæ, vt suprà dicebam, non est ergo ablata per institutionē Eucharistiæ, quia, quod naturale est, non aufertur, nec gratia destruit naturam, sed perficit. Neque etiam est impedita, nam Christus non prohibuit vsum talis potestatis: vbi enim est talis prohibitio? Neque enim per se tradita est, aut scripta, neq; intrinsece sequitur, ex sola institutione Eucharistiæ, nam etiam si hoc sacrificiū datum sit nobis à Deo non inde sequitur, esse intrinsece malum, aliud ab hominib' institui. Deinde potest esse dubitatio de facto, an sit aliud sacrificium ab Ecclesia institutū: nam canon. 3. Apost. dicitur, Thymiama posse offerri Deo: hoc autē erat in lege veteri quoddā sacrificij genus: ergo & nunc etiam est, quia ibi consumitur creatura in honorem Dei; ibidem etiam dicitur, offerri posse manipulum spicarum, & aliæ similes oblationes leguntur, de consecrat. dist. 2. Quod si quis dicat, illas esse simplices oblationes, & non sacrificia, inde fit argumentum, sicut Ecclesia

sia has instituit, ita etiam potuisse sacrificium instituere, vel si in his exerceat aliquid sacrum, hoc ipso facere sacrificium. Item ceremonia cerei Paschalis instituta est ab Ecclesia, & tamen est sacrificium iuxta id, quod in eius benedictione Greg. Papa dixit. *Suscipe Sancte Pater incensi huius sacrificium vespertinum*. Et ratione patet, quia ibi est oblatio, benedictio & consumptio cuiusdam rei creatæ, in Dei honorem. Præterea in celebratione Missæ ante cōsecrationem, atque adeo ante sacrificium à Christo institutum, offertur hostia, & calix, quæ actio sola habet sufficientem rationem, veri sacrificij, vt patet, tum ex verbis Ecclesiæ, quibus illa oblatio fit, *Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam*, tum ex ipsa actione & definitione sacrificij: nam ibi est oblatio in honorem Dei; faciēdo aliquid sacrum circa rem oblatam: nam ipsa eleuatio panis & calicis in altari coram Deo, cum benedictione aliqua, est sufficiens actio sacra ad rationem sacrificij: hoc enim in multis sacrificijs veteribus sufficiebat, vt in panibus Propositionis, in manipulo spicarum, in sacrificio similæ, & id genus alijs, vt patet Leuit. 7. c. 23. & 24. Vnde Scotus in 4. d. 13. q. 2. dicit, in Missa, & esse sacrificiū, quod non est sacramentum, scilicet oblationem hostiæ non consecratæ, & sacrificium, quod est sacramentum, scilicet, mysterium Eucharistiæ. Quod maxime declarari potest, quando contingit, illā hostiæ oblationem separari omnino à substantiali mysterio Missæ, vt fit in Missa, quæ sicca seu nautica dicitur, in qua fiunt Missæ ceremoniæ sine consecratione, aut præsentia corporis Christi: nam illa actio externa sic facta, re vera ordinatur ad cultum Dei: nō est enim actio superstitiosa nec ficta, sed religiosa, & ibi interuenit oblatio cuiusdam rei creatæ, cum aliqua benedictione, & consumptione, est ergo ibi actio & significatio moralis ad sacrificium sufficiēs: neq; etiam deest significatio mystica: nā illa actio fit in significationem & recordationem, & quasi ex desiderio & voto veri sacrificij incruenti, & cōsequenter etiam ibi intelligi potest significatio, & recordatio passionis Christi: cur ergo non erit illud verum sacrificium, quanuis non sit ita perfectum & efficax, sicut sacrificium Eucharistiæ?

Neq; institutū neque oblatum in Ecclesia aliud sacrificiū ab Eucharistia.
D. Thom. Caiet. Hosius. Clicthou. August.

In hac re incipiendo ab eo, quod certius est, dicendū est primo, Ecclesiā hactenus nullū instituisse sacrificiū, neq; aliud vnquā, vel alicubi obtulisse, præter Eucharistiam. Ita supponit D. Th. in tota hac quæst. & alij Doctores in 4. d. 12. & 13. Caiet. 2. 2. q. 85. ar. 4. Hosius in confes. c. 41. Clicthou. li. 1. de Euch. c. 14. & omnes scriptores Catholici idē sentiūt, & insinuatur à Patribus supra citatis, præsertim Aug. illis verbis, li. 20. de Ciuit. c. 21. *Sacrificamus Deo, illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari noui testamenti manifestatione præcepit*: vbi ponderanda est illa dictio exclusiua: & ideo li. 1. cōt. Crescō. c. 25. hoc appellat *vnicum sacrificium*, & lib. de spiritu & litera c. 11. vocat *vnicum & singulare*, & li. 8. de Ciuit. c. vlt. probat, epulas seu cibos, quos fideles afferunt ad sepulchra mortuorū, non esse sacrificium: *quia vnum tantum est sacrificium Christianorum*. Quæ ratio manifeste supponit, nullum aliud esse in vsu Ecclesiæ, neq; à Christo, neq; ab ipsa institutū. Præterea Cyp. serm. de Cęna Dn̄i dicit, Eucharistiam esse inconsumptibilem cibum: quia, *si consumeretur*, inquit, *nullum nobis relinqueretur sacrificium*: quæ ratio etiam supponit, nos tantum in Eucharistia sacrificium offerre. Præterea in Ecclesia nulla est actio sacra, quę per solos sacerdotes rite exerceatur, & verum altare requirat, præter Eucharisticū sacrificiū: ergo nullum aliud de facto est in Ecclesia: patet cōsequentia, quia sacrificiū, non nisi à Sacerdote, & in altari, offerri potest, vt supra dictum est. Antecedens patet ex traditione & sensu totius Ecclesiæ: nā sacerdotium Christi per se tantum ordinatū est ad sacrificandum Christi corpus: & similiter in altari Ecclesiæ solum Christi corpus & sanguis offerendus est: cætera vero proprie non offeruntur Deo, nisi quatenus ad hoc sacrificium ordinantur, vt colligitur ex can. 3. Apost. & ex alijs decretis de Consec. d. 2. à prin. Præterea, ratio, quæ Christū mouit, vt præter Eucharistiā, nullū aliud sacrificiū nobis relinqueret, mouere etiam Ecclesiā debuit, ne aliud sacrificium desideraret, ne videretur hoc Missæ sacrificium per se solū, vel imperfectum, vel ad colendum Deū, & fructū sacrificij percipiendū insufficiens existimare, quod etiam posset deuotionē fideliū circa hoc sacrificium remittere, & ab illius vsu, & frequentia aliquo modo diuertere. Tandem (vt respondeamus etiā dubitationibus posteriori loco positis) ex ipso Ecclesiæ vsu declaratur: nam ceremonię omnes, quas Ecclesia instituit, non eo animo ab ipsa fiunt, ac si per se contineant supremum Dei cultum, neq; vt immediatè ad hoc referātur, sed instituit eas ad ornatum, & cultum huius sacrificij, & ad fidelium deuotionem excitandam, quod his verbis egregiè docuit Cōc. Trid. sess. 22. c. 5. *Ceremonias adhibuit* (scilicet, mater Ecclesia) *mysticas benedictiones, lumina, Thymiamata, vestes, aliaq; id gen' multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij cōmendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur*. Quæ verba sufficiūt ad omnes difficultates supra tactas soluendas: nā de ratione sacrificij est, vt sit oblatio immediate ordinata ad Deū, & eius cultū, & non satis est, vt sit ceremonia ordinata ad ornatū eius oblationis, quæ verū sacrificiū est. Quocirca, sicut Ecclesia adhibēs ceremonias ad ornatū sacramentorū, non instituit noua sacramenta, sed ea sacramentalia vocamus, & quasi accidentia sacramentorū, ita instituendo ceremonias ad ornatū huius sacrificij, non instituit noua sacrificia, sed ea possumus sacrificalia vocare, seu accidentia huius sacrificij, de quib' postea videbimus. Quod si interdū aliqua ex his ceremonijs sacrificium vocatur, id est rarissimè, & interpretandum est de sacrificio late sumpto, prout attribuitur cuius actioni, vel oblationi sacræ.

Conc. Trid.

Hinc addo vltimo, probabile esse, non habere Ecclesiā potestatē ad instituēdū aliud sacrificiū. Quā assertionē existimo satis colligi ex doctrina Theologorū, quāuis fere nullus expresse & in terminis illā asserat. Itē ex modo, quo sancti, & Pōtifices loquūtur: negant enim, licitū esse in Ecclesia Christi aliud, vel aliter sacrificare, quā ipse instituit, & Cōcil. Trid. sess. 21. c. 2. dicit, Ecclesiā circa substantiā sacramentorū nihil posse immutare, sed solū in his quæ ad eorū administrationē, vel dispensationem pertinent, sub sacramentis autē videtur plane comprehendere mysteriū Eucharistiæ absolute & simpliciter, circa quod magna certe fieret immutatio, si aliud sacrificiū præter illud institueret, sicut institutio noui sacramenti esset magna immutatio in sub-

Universidad de Deusto Biblioteca

substantia sacramentorũ: non ergo habet Ecclesia talẽ potestatẽ, neq; pertinet ad bonũ vsum, vel dispensationẽ mysteriorũ Christi Præterea põt hæc res explicari, & ratio eius reddi ex his, quæ de sacrificio in cõmuni in superioribus dicta sunt: quia, licet potestas instituendi sacrificiũ hominibus cõueniat, non tñ singulis, sed vel toti corpori Reip. vel ei, in quo est suprema potestas illã gubernandi. In Ecclesia igitur Christi potestas hæc est in solo Christo, qui est caput eius: nã, sicut institutio huius Ecclesiæ ab ipso Christo manauit, ita potestas illã gubernandi nõ est primario in ipso corpore, sed in capite: in corpore autẽ, & in mẽbris est solũ secundũ modũ, & mensurã, qua ab ipso capite cõmunicatur nunquã aũt ab ipso cõmunicata est hæc potestas instituendi sacrificiã. Dices, quãuis hęc potestas principaliter resideat in capite, tñ etiã potest conuenire corpori, non ex cõcessione capitis, sed ex ipsa rei natura, vel certe potest conuenire Vicario eius, nõ ex speciali, sed ex generali potestate gubernandi, & administrandi ea, quæ ad cõmodũ huius Reip. spectant. Respondetur, si Christus nullũ instituisset sacrificiũ, probabile quidẽ esse, ipsum relictũ aut permissũ fuisse Ecclesiæ, vel Vicario suo sacrificij institutionẽ, sicut accidit in lege naturæ, tamen cum Christus iã instituerit, & definierit certum modũ & ritum sacrificandi, Deo in Ecclesia sua, hoc ipso censetur exclusisse ab ea omnẽ aliũ sacrificiorũ ritũ sicut in lege veteri, postquam Deus præbuit illi populo certa sacrificia, non licuit illi populo, vel Pontificib⁹ eius nouos sacrificiorũ ritus instituere, quia nimirũ determinatio à Deo facta, virtute includit prohibitionem introducendi alia. Et confirmatur, quia alias posset Ecclesia nunc instituere noua sacrificia hircorũ, aut vitulorũ, aut agni alicuius, vel similia, quæ sunt satis absurda. Tandẽ, vsus huius potestatis, neq; fuit hactenus in Ecclesia, neq; potest vnquam esse conueniens & alioqui nullũ est aliud indiciũ aut fundamentũ huius potestatis: non est ergo temere asserenda. Sed dicẽdũ est potius, sicut sacramenta sunt Ecclesiæ fundamenta, ita etiã sacrificiũ, vel æquali, vel potiori ratione: quia cũ omnia ordinentur ad Dei cultũ, qui potissimum per sacrificiũ tribuitur, videtur sacrificium esse veluti finis proximus cæterorũ sacramentorum: merito ergo inter Ecclesiæ fundamenta numeratur: sicut ergo ad Ecclesiæ vnitatem, consensionem & perpetuitatem conueniens fuit, vt sacramenta tam in substantia, quam in nu. essent immutabilia, ita fuit idẽ expediens in sacrificio, ideoq; non est Ecclesiæ relicta potestas ad sacrificium instituendum, sed solum ad ceremonias addendas, quæ ad conuenientem illius ornatum deseruirent: in quibus licet sit aliqua varietas in Ecclesia, nullum est inconueniens, dum modo substantia sacrificij nõ immutetur. Et ex his satis sunt expeditæ difficultates in principio tactę.

DISPVTAT. LXXV.

De essentia sacrificij Eucharistiæ.

Disp. 3. de sacrificio.

ESsentia sacrificij in duobus consistit, nempe in ritu externo, & in significatione. De hac posteriori parte nihil est, q in præsenti dicamus, nã significatio moralis eadẽ est in hoc, & in cęteris, omnia enim sunt signa interioris cultus latrię & recognitionis excellẽtiæ diuinæ: quod maxime fit per sacrificiũ, quod holocaustũ dicitur, nam sacrificiũ laudis specialiter indicat gratũ animum erga Deum: sacrificium autẽ propitiatoriũ est signũ animi contriti, quæ omnia perfectissime in hoc mysterio significantur. Rursus significatio mystica clara est in hoc sacrificio, q memoriale est passionis Christi: quæ omnia inter explicandum essentialem ritum huius mysterij magis declarabuntur. Igitur disputatio hæc tota est de essentiali ritu, & actione huius sacrificij, in qua duo possunt considerari, scilicet, obiectum actionis sacrificandi, & ipsa actio. Rursus in obiecto aliquid considerari potest vt materia sacrificij, quod potest vocari obiectum quod & huiusmodi est res, quæ in sacrificium offertur, aliquid vero cõsiderari potest vt vltimus terminus in quem tendit actio sacrificãdi, & appellari potest obiectum cui, & huiusmodi est persona, cui sacrificiũ offertur. Et de hoc posteriori obiecto nihil est etiam, quod in præsente dicamus: quia hoc obiectũ idem est in omnibus sacrificijs, scilicet; Deus, cui soli sacrificium offerendum est. Illud solum hic adnotandum est, sacrificium hoc non tantum Patri, sed etiam Filio & Trinitati toti offerri, in quo nonnulli hæretici male senserunt, quia circa Filij etiam diuinitatem errarunt: contra quos disputat Fulgentius lib. 2. ad Monimum à prin. supposita autem veritate de triũ personarum deitate, nulla ratio dubitandi relinquitur, quin omnibus, quatenus vnus Deus sunt, sacrificium offeratur: imo addere possumus, illud reperiri in hoc sacrificio maioris cuiusdã perfectionis, quod expressius in honorẽ Dei vnius & Trini offerri: quia ex fide expressiori totius Trinitatis procedit, & quandam illius confessionẽ continet, quatenus in illo offertur Christus, verus fili⁹ æterni Patris, in quantum Deus est, & spiritus sancti virtute Incarnatus seu conceptus, quatenus homo est. Poterat autem hoc loco impugnari error dicentium, aut B. Virgini, aut sanctis Martyribus sacrificium offerri. Sed cõtra hos videri potest Epiph. hæresi. 78. & 79. & Aug. 20. cõt. Faust. c. 21. Nos enim satis in tomo primo & secundo ostendimus, nec Sanctis, nec B. Virgini dandum esse cultum latriæ, sub quo certum est, sacrificium contineri. Dicendum ergo solum superest, quid, & per quam actionem in hoc hoc sacrificio offeratur.

Obiectum cui, Deus.

Epiph. August.

SECTIO I.

Vtrũ totus Christus sit res oblata in missæ sacrificio.

Difficultatis occasio.

RAtio dubitandi est, quia res oblata videtur esse panis & vinũ: ergo non Christus. Patet consequentia, quia in vno sacrificio vna tantum est res, quæ offertur. Antecedens vero probatur primo: quia illud offertur, quod sacrificatur, illud autẽ sacrificatur, quod immutatur, seu destruitur in honorẽ Dei, vt constat in sacrificijs veteribus: agnus enim, qui interficiebatur, sacrificabatur hic autẽ panis & vinũ sunt, quæ immutantur, dum in corpus & sanguinẽ Christi conuertuntur: ergo hæc sunt, quæ sacrificantur & offeruntur. Secũdo, quia in omni sacrificio res oblata est, quæ supponitur actioni sacrificandi, & nõ illa, quæ ex tali actione resultat, vt in immolatione agni, res oblata est agnus viuus, nõ cadauer eius, quod ex immolatione

tione resultat: sed in præsenti, quod supponitur, est panis & vinũ: ergo hæc sunt res oblata in sacrificiũ Christ⁹ autẽ, qui per talẽ actionẽ conficitur, solũ erit sacramentũ, seu sacer cibus, sicut erat agnus Paschalis post immolationẽ. Tertio ex vsu & verbis Ecclesiæ, & sanctorũ: nã Ecclesia in Missa prius offert panem & vinum, & illa vocat hostiam seu rẽ oblatam, & in quadam antiphona dicit, *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit.* Et similiter Cyp. epi. 63. *Panem & calicem mistum vino obtulit*, & Iren. li. 4. c. 32. *Præcepit Christus Apostolis, vt primitias creaturarum, scilicet, panem & vinum, Deo in sacrificium offerrent*, & Alex. 1. epi. 1. *Panis tantum & vinum aqua permistum in sacrificio offerantur.* Et idẽ sumi põt ex Greg. li. 2. Dial. c. 23. & li. 4. c. 55. & ex Fulg. de fide ad Pet. c. 19. qui hoc vocat sacrificiũ panis & vini, & ex Clemente P. epis. 2. dicente, *Tot holocausta in altari offerantur, quot populo sufficiant*, vbi ipsas panis hostias holocausta vocat.

Cypr. Ireneus. Alexan. I. Greg. Mag. Fulgent. Clemens.

Prima opinio duplex sacrificium subordinatum constituens exploditur.

Supponendum est, in omni sacrificio, in quo fit realis transmutatio, aliquid posse in re oblata considerari, quod supponitur actioni sacrificãdi, aliquid vero, quod per illam resultat: ex qua consideratione variæ opiniones in præsente quæst. ortæ sunt.

Prima opinio est, duplex esse sacrificium alterũ panis & vini, alterũ corporis & sanguinis Domini, prius autem esse præambulũ ad posterius, ad quod ordinatur, tanquã ad id, quod primario intentum est; ideoq; vnũ sacrificiũ appellari: quia vbi est vnũ propter aliud, ibi est vnum tantum. In priori ergo sacrificio dicunt, rẽ oblatã esse panem & vinum, in posteriori vero esse corpus & sanguinẽ Christi. Ita tenet Ruar. ar. 16. cont. Luth. & Cassal. lib. 2. de sacrificio Mis. c. 25. Hæc vero opinio, & procedit ex falso fundamento, vt constat ex disputatione præcedente, & non explicat, quid sit materia, quid vero terminus huius sacrificationis. Itẽ, cum duplex sacrificium distinguat, duplicẽ etiam oblationem assignare deberet, quod tamen facere non potest, quia illa oblatio ceremonialis, quæ circa panem & vinum antecedit in Missa, non est de ratione sacrificij Eucharistiæ, neq; ex Christi institutione, vt infra ostendemus. Vnde inquiri etiã ab his autoribus potest, an hæc duo sacrificia sint essentialiter coniũcta ex Christi institutione: nam si primum dicatur, oportet, distinctas actiones sacrificandi à Christo institutas designare, quod fieri non poterit. Si autẽ non sunt ita connexæ, separemus sacrificium illud quod solum circa panem & vinum vt sic versatur, & de alio quæstio relinquitur, quomodo ex parte rei oblatæ concurrant panis & vinum, & corpus & sãguis Christi, cũ hęc omnia sint in illo neccessaria.

2. Opinio.

Secunda opinio est, solum Christum esse rẽ oblatam in hoc sacrificio, ita vt, quatenus in propria specie existit, sit res oblata, vt materia sacrificij, quia vt sic supponitur actioni sacrificãdi, vt vero est sub speciebus, & habet modum existendi sacramentalem, sit res oblata vt terminus sacrificationis, quia vt sic fit per actionem sacrificandi. Sed hæc opinio & est plane falsa quoad priorẽ partem, vt infra ostẽdã: quia existentia Christi in propria specie, est omnino extra rationem huius sacrificij, quod attinet ad materiam eius, ac deinde malẽ excludit omnino panem & vinum, & nõ declarat, quomodo ad hoc sacrificium concurrant.

Reijcitur.

3. Opinio.

Tertia opinio est, Christum vt existentem sub speciebus esse materiã huius sacrificij, quæ actioni eius supponitur, vt oblatũ verò, seu vt mãducatũ, vel aliquid simile, esse rẽ oblatã per modũ termini sacrificationis. Iuxta quã sententiã consequenter dicendũ erit, cõsecrationem nõ pertinere intrinsecè ad actionẽ sacrificãdi, sed esse quasi preambulã; sicut Incarnatio Christi intrinsecè nõ pertinuit ad actionẽ sacrificij cruenti, sed fuit, quasi præparatio materiæ: sic enim Christus per cõsecrationem constituitur sub speciebus, & ita fit materia apta incruentæ sacrificationi. Hæc verò opinio supponit sententias valde dubias de actione sacrificandi, vt postea videbimus, & nõ explicat, quomodò panis & vini pertineãt ad rẽ oblatam in hoc sacrificio.

Improbatur.

Dico primò, Christus Dñs est res primò ac principaliter oblata in hoc sacrificio. Est conclusio certa, & ita in ea omnes Catholici consentiunt. Quæ probatur primò ex illis verbis Christi, *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis frangitur, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*: nã referendo hæc verba ad mysticã fractionem, seu effusionem, vt multi Sancti exponunt, ex eis colligitur, corpus & sanguinẽ Christi hic sacrificari, & pro alijs offerri. Accedũt prætereà verba illa, *hoc facite*, quæ duobus modis possunt exponi; primo, vt per pronomen, *hoc*, designetur id, quod Christus proxime ante illa verba discipulis dederat, scilicet, seipsum sub speciebus panis & vini, & verbum, *facite*, pro verbo, *sacrificate*, vsurpetur, iuxta phrasim Scripturę supra tractatã. Secundo modo potest exponi, *hoc facite*, idest, *quod ego feci, id vos facite*, ipse autem se ipsum sacrificauerat, vt in proxima disputatione late ex sanctis Patribus declaratum est, & adiungi nunc potest illud 1. ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, cõstituit enim Paulus differentiam inter Iudæorum pascha, & Christianorum, nam pascha Iudæorum erat materialis agnus immolatus Deo; Christianorũ autem pascha est Christus agnus Dei, non tamẽ sine immolatione, sed iam immolatus; non in cruce tantum, nã prius cępit esse pascha fidelium scilicet Apostolorum in vltima cęna, quã crucifigeretur: est ergo pascha, quatenus incruente immolatus est, vt in hoc mysterio perfectè impleatur figura agni paschalis. Vnde, sicut illud Pascha cum gaudio celebrabatur, & sacrificabatur in memoriam suscepti beneficij, ita immolatio, quæ hoc nostrum Pascha antecedit, non est tantum illa cruenta & luctuosa, sed est hæc incruenta, & gratiarum actionis in memoriam suscepti beneficij. Sicut ergo Christus est Pascha nostrum, ita etiam est res præcipue oblata seu immolata in hoc sacrificio. Et hanc expositionem indicat Chry. Bed. & alij, in eũ locum, & idẽ Chry. hom. de ieiunio paschatis. Et ad hoc confirmandum valent etiam illa verba. Pauli. 1. ad Cor. 10. *Panis, quem frangimus, non ne participatio corporis Domini est.* & infrà. *Qui edunt hostias, participes sunt altaris: non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum*: nam eo loco intendit Paulus, quod sicut Gentiles vel Iudæi fiebant participes sacrificiorum, comedendo ex carnibus immolatis, quæ erãt hostia sacrificij, ita nos efficimur participes huius sacrificij, corpus Christi edendo, est ergo Christus hostia in hoc sacrificio pręcipue oblata. Valent etiã ad hoc persuadendũ, quæ supra adduximus ex Andrea Apost. dicente. *Ego quotidie sacrificio Deo agnũ immaculatum*, & ex Hyppol. in orat. de consum. mũdi, vbi Christũ introducit, dicentẽ ad Sacerdotes,

Christus est in Eucharistico sacrificio res primario oblata.

1. Cor. 5.

Chrysost. Beda.

1. Cor. 10.

Andr. Apost. Hyppolitus.

Venitę

Venite, qui quotidie meũ corpus & sanguinem immolatis, & ex Dion. c. 3. de cælest. Hierar. p. 3. dicẽte sacerdotẽ immolare *hostiã salutarẽ, quæ supra ipsum est*; & Greg. Niss. orat. 1. paschatis, *Arcano sacrificij modo idẽ est sacerdos & agnus*. Idẽ fere Euseb. Emiss. hom. de corp. & sang. Dom. quæ habetur etiã inter opera Hier. to. 9. & in c. Quia corpus. de cõsec. d. 2. & Cyr. Alex. in defens. anath. 11. Greg. 4. Dial. c. 58. & optimè Ambr. 1. offic. c. 48. & super psal. 38. & libr. 1. in Luc. c. 1. *Cum sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur*. Deniq; facit, q; Patres omnes dicũt, quoad rẽ oblatã idẽ esse hoc sacrificiũ cũ sacrificio crucis, in quo certũ est, Christum fuisse victimã oblatã, de qua re legi põt Chry. hom. 17. in ep. ad Heb. & hom. 2. in 2. ad Timot. Amb. Theoph. Theod. sup ad Heb. 8. & 1. Aug. cõcio 1. in psal. 33. & ep. 120. c. 24. & in c. Semel. de cõsec. d. 2. & Cõc. Trid. ses. 22. vbi in c. 1. dicit, Christũ in cęna obtulisse Patri suũ corpus & sanguinẽ, & c. 2. dicit, eandẽ nunc esse hostiã, quæ fuit in cruce, sola offerendi ratione diuersam, & can. 2. definit Christum illis verbis, *hoc facite*, Ordinasse sacerdotes, vt offerrent corpus & sanguinẽ suũ. Vltimo adiungitur ratio: quia hoc pertinet ad excellentiã huius sacrificij, q; propterea *terribile, & honoris plenum* appellat Chry. hom. 60. ad popul. Euseb. verò 1. de Demõst. c. 11. vocat *sacrificium Deo plenum*, Aug. vero de Spirit. & lit. c. 11. *summum ac singulare*. Et cõfirmatur, quia hac ratione hoc sacrificium ex parte rei oblatæ dicitur, *oblatio munda, semperque efficax ad placandum Deum*. Ac deniq; est valde cõsentaneũ perfectioni Ecclesiæ, vt offerat Deo id, q; in ea maius & excellẽtius est: hoc autem est corpus & sanguis Christi. Etenim, sicut ad substãtiã religionis pertinet, sacrificiũ Deo offerre, ita ad perfectionẽ eius spectat, vt ex melioribus bonis sacrificiũ Deo offeratur. Item conueniens fuit ad significandã excellentiã & sufficientiã sacrificij crucis, vt hoc nostrum sacrificiũ vnum esset cum illo in re oblata, & in principali offerente, vt sancti supra citati docent, explicantes locum Pauli ad Heb. 10.

Greg. Niss. Euseb. Emiss. Greg. Mag. Ambr. Theop. Theodor. August.

Dico secundo, Christus vt in propria specie existens, nullo modo est res oblata in hoc sacrificio. Probat, quia in primis certũ est, nullo modo esse rẽ oblatã vt terminũ huius sacrificationis: quia, vt est in propria specie, nullo modo fit, aut immutatur per actionẽ, qua hic sacrificatur: ergo nullo modo est terminus eius. Deinde q; nec etiã sit res oblatã vt materia huius oblationis, probatur primo qui in hoc sacrificio nulla est actio, quæ versetur circa Christũ, vt in propria specie existẽtẽ, neq; vt materia ex qua neq; vt materia, circa quam aliquid fit quia sumptio nõ versatur circa Christũ vt existẽtẽ in ꝑpria specie, vt per se notũ est: quia solũ potest Christus sumi, vt est sub speciebus. Ideq; est de fractione, quę proxime fit tãtũ in speciebus solumq; per denominationẽ attribuitur corpori Christi sub illis existenti. Rursus idẽ est de oblatione externa siue per vocẽ, siue per aliã actionẽ sensibilẽ fiat, vt per eleuationẽ & altari, vel aliquid huiusmodi: quia semper hæc oblatio fit de re pręsente, quatenus sensibus subest, Christus aũt, vt existẽs in propria specie, est longè distans, & veluti insensibilis nobis, & ideo nõ est apta materia huius oblationis. Tãdẽ neque cõsecratio versatur hoc modo circa Christũ, vt in propria specie existentẽ: quia, vt supra vidimus, de transubstantione tractando, cõsecratio non est A actio, quæ Christũ aliunde adducat, vt sub speciebus illũ constituat, sed per se ac substantialiter illũ ponit sub speciebus: ergo actio, quæ ibi interuenit, nullo modo versatur circa Christũ, vt in ꝑpria specie existentẽ. Et cõfirmatur ac declaratur, quia Christus, vt in propria specie existẽs nõ est materia huius actionis, vt terminus à quo: nã huiusmodi materia est substantia panis & vini, nec etiã est materia vt subiectũ, ex quo fiat talis actio: quia, vt supra ostẽdimus, illa actio nõ fit ex subiecto: propter q; supra etiã diximus, existentiã Christi in propria specie per se & intrinsecè non esse necessariã ad huiusmodi actionẽ, quod etiã est euidens signũ, Christũ sub ea ratione non esse materiã huius actionis: nulla ergo actio interuenit in hoc sacrificio, cuius materia possit esse Christus, vt in propria specie existens. B Deniq; ratio generalis esse potest, quia materia, quæ ad sacrificiũ sensibile supponitur, debet esse sensibilis, & in altari sensibili, ita enim seruatum videmus in omnibꝰ alijs sacrificijs: quia hic est modus connaturalis homini, vtenti sensibus, & exercenti actiones sensibiles: Christus autem vt existẽs in propria specie, nec est præsens in altari sensibili, nec nobis est naturaliter sensibilis: ergo, vt sic, non est materia huius oblationis, atq; adeo, nec res oblata vllo modo in hoc sacrificio. Et re vera hoc satis confirmat intentio omniũ offerentium, nullꝰ enim est, qui intendat Christũ offerre, prout in cælo existit, sed prout in altari ponitur.

Dico tertio, Christus, vt existens sub speciebus sacramentalibus, est res oblata in hoc sacrificio, vt terminus sacrificationis, non proprie vt materia, quæ actioni sacrificandi supponatur. C Prima pars sequitur necessario ex dictis, quia Christꝰ est res oblata, & non vt materia: ergo saltẽ vt terminus, & nõ vt existit modo naturali: ergo, vt existens sub speciebus modo sacramentali. Itẽ probatur, quia Christꝰ est res oblata in hoc sacrificio, vt cõsecratus per actionẽ trãsubstãtiatiuã: sed vt sic est terminus ad quẽ talis actionis, & per illã habet esse sub speciebꝰ sacramẽtalibus: ergo. Posterior autẽ pars probatur supponẽdo, actionẽ, qua perficitur hoc sacrificium esse cõsecrationẽ, vel solam, vel potissimã, vt infra probabitur. Vnde sic potest ratio colligi, nã materia huius sacrificij debet præsupponi actioni sacrificandi, vt patet in cęteris omnibus sacrificijs: ergo debet supponi consecrationi, quia consecratio est actio sacrificandi: sed Christus vt sacramentaliter existens, non supponitur cõsecrationi, vt per se notum est: ergo neque est materia huius sacrificij.

D Dico quarto, Species sacramentales panis & vini intrinsece pertinent ad rem oblatam in hoc sacrificio, ita vt huiusmodi res oblata per modum termini, non sit tantum Christus nude sumptus, sed simul cum speciebus, seu quatenus cum ipsis vnũ compositum sacramentale constituit. Iuxta hanc conclusionem intelligenda existimo verba Concilij Trident. sess. 22. c. 1. dicentis, *Christus Dominus noster in nocte cœnæ, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternũ constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & sacerdotibus, vt offerrent, præcepit*, & infrà, *Nouum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandũ*. Ex quibus verbis hanc ratione cõficio, de ratione visibilis sacrificij est, vt res, quæ offertur sit vi-

sit visibilis sed hoc sacrificium est visibile: ergo res oblata est etiam visibilis: ergo, quod offertur, non est tantùm Christus, vt habens sacramentalem existẽdi modum; nam vt sic inuisibilis est: ergo vt per species est hostia aliquo modo visibilis, & à nobis contrectari, & participari potest: ergo ipsæ species intrinsecè pertinent ad hanc rem oblatam. Secunda ratio ex eisdẽ verbis sumpta est, quia Christus instituit, & obtulit hoc sacrificium, vt summus Sacerdos secũdùm ordinem Melchisedech: ergo obtulit aliquo modo panem & vinũ, nõ solùm vt materiam, sed etiam vt terminum oblationis: tale enim fuit sacrificium Melchisedech: ergo Christus est res oblata in hoc sacramento, quatenus est panis vitæ, quod habet, vt existit sub speciebus panis, & cum illis cõstituit vnum visibilem cibum. Et ita exponi possunt Patres, dicentes, obtulisse Christum panem, id est, seipsum: quia ipse de se dicit, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Vnde Aug. in cap. Hoc est. de consecrat. dist. 2. *Hoc est* (inquit) *quod dicimus; hoc est, quod modis omnibus probare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili sacramẽtorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine*. Vbi manifestè sacrificiũ pro re oblata sumitur: ideq; colligi potest ex eodem Aug. 17. de Ciuit. c. 6. Cypria. epist. 63. Tertia ratio sit, quia hostia in hoc sacrificio oblata cedit in vsum fidelium, tanquam verus cibus, & admirabile sacramentum: sed sacramentum hoc intrinsecè includit species sensibiles, simul cum corpore & sanguine Christi, vt in superioribus probatum est, ergo idẽ est dicendum de hostia oblata in hoc sacrificio. Denique consecratio, quatenus est aliquo modo sacramentalis & sensibilis, non terminatur ad solum Christũ secundũ se, sed etiã ad species, seu ad sacramentale cõpositũ: ergo totũ hoc est res oblata in hoc sacrificio, tanquam terminus actionis sacrificãdi, quæ, vel omnino, vel præcipuè, in consecratione consistit.

Cyprian.

Obiecta aliqua.

Sed cõtrã, nam sequitur, hoc sacrificium non esse idem in re oblata cum sacrificio crucis: quia ibi fuit solus Christus: hic autem dicitur esse cõpositum ex Christo, & speciebus. Itẽ sequitur, principaliùs hic offerri accidentia, quam corpus Christi: quia, licèt Christus sit res nobilior, tamen in ratione signi sensibilis excedunt species, propter quod suprà diximus, rationem sacramenti primariò illis conuenire: ergo idem est de sacrificio: nam sacrificium signum sensibile est, sicut sacramentum. Item sequitur sub speciebus panis tantùm offerri corpus, & sub speciebus vini solum sanguinem, & cõsequenter hic non offerri, vel animam, vel alia, quæ in Christo sunt, atque adeò, neq; totum Christum, quod est absurdũ. Sequela patet, quia solum corpus, & sanguis conficitur ex vi verborum, & significatur ex vi sensibiliũ specierum.

Singulorum solutio.

Ad primum negatur sequela, nam sicut substantiale indiuiduum idem est, quanuis diuersis temporibus diuersis accidẽtibus sit effectum; ita in præsente res oblata in vtroque sacrificio, cruento, & incruento, eadem simpliciter est: quia substãtialiter est eadem: quòd autem in hoc sacrificio sit nouis accidentibus coniuncta, non tollit vnitatem simpliciter rei oblatæ, sed indicat diuersum offerẽdi modũ. Ad secũdum negatur etiã sequela, quia Christus est qui principaliter consecratur in Dei honorem, species verò cõparantur ad ipsum, vt accidẽtia ad substantiam, sicut in sacrificio agni Paschalis, v.g. agnus secundùm substantiam principaliter offereba- A tur; quanuis necessarium omnino esset, illum esse suis accidentibus affectum, vt esset res apta ad humanum sacrificium. Quapropter non est eadem ratio de sacramento vt sic, & de sacrificio, quoad rem oblatam: nam sacramentum dicit formaliter rationẽ signi; at verò in sacrificio significatio potissimùm est in ratione sacrificandi: hostia verò, seu res oblata, principaliùs est res ipsa, quæ offertur, in qua magis considerãda est dignitas & valor, quàm accidẽtia sensibilia. Ad tertium negatur etiam sequela; sed dicendum simpliciter est, totum Christum hic offerri, sicut & in cruce oblatus fuit: diuerso tamen modo seu ordine: nam ibi materia oblationis fuit totus Christus, vt viuens vita humana: oblatio autem terminata fuit ad amissionem illius vitæ, & dissolutionẽ humanitatis. Vnde fit, vt terminus illius oblationis fuerit cadauer Christi, & sanguis eius effusus B & anima separata; at verò in præsenti Christus est res oblata, vt terminus oblationis, nõ per separationem realem vnius partis ab alia, sed per mysticam tantùm, quæ in hoc consistit, q; per diuersas formas consecrantur corpus & sanguis ex vi verborum, re tamen ipsa totus Christus consecratur per quãlibet formam, & ita etiam totus offertur. Quanuis enim possit sub distinctione dici, sicut cõsecratur aliquid ex vi verborũ, & aliquid per concomitantiã, ita etiã sacrificari: nihilominùs absolutè dicẽdum est, offerri totum Christum: quia intentio offerentis est totum offerre; & efficacia verborum ad totum se extendit, quanuis expressè non totum significet.

Dico vltimò, Panis & vinũ offerũtur in hoc sacrificio etiã tanquã materia, ex qua sacrificiũ cõficitur.

Panis & vinum offeruntur vt materia ex qua Eucharistiam sacrificium consurgit.

Declaratur ac probatur, in pane enim & vino duo possũt cõsiderari, substãtia, scilicet, & accidẽtia, substãtia C dici potest materia ex qua trãsiens, nã destruitur in ipsa effectione sacrificij, accidẽtia verò manẽt in re, quæ offertur: sicut in omni ferè sacrificio materia, quæ sacrificatiõi supponitur, partim destruitur, scilicet, quoad totum, partim manet, vtpote quoad materiã. Est autẽ differentia, quia in alijs sacrificijs immutatio est naturalis, & ideo dissoluitur totum, & quod manet, est verè materia vt subiectum sub vtroq; termino: hic verò trãsmutatio est alterꝰ ordinis, & per eã destruitur tota substãtia: vnde id, q; manet, nõ est subiectũ, sed quasi forma sensibilis, in se cõtinens vtrũq; terminũ. Iã ergo ꝓbatur conclusio, quia cõstat ex dictis, & ex locutionibꝰ Ecclesię, & Sãctorũ, panẽ & vinũ hic aliquo modo offerri, sed nõ offerũtur tantũ quoad accidẽtia, sed etiam quoad substantiã: ergo quoad vtrũq; pertinent ad rem oblatam: sed secundùm substantiã non sunt res D oblata, tanquã manens in termino sacrificationis: ergo vt materia trãsiens. Deinde hoc modo sunt materia cõsecrationis, per quã trãsmutantur, & eorum accidentia suo modo sanctificãtur: totumq; hoc fit in Dei honorem & cultũ, ergo pertinẽt aliquo modo ad materiã sacrificij. Tandem, in omni sacrificio, in quo aliqua res destruitur in honorem Dei, est aliqua res oblata per modum materia sensibilis, circa quam actio sacrificandi versatur, quæ per eandem actionem aliquo modo transmutatur: ergo similis materia reperitur etiam in hoc sacrificio: hæc autem non est alia, nisi panis & vinum: ergo.

Ad argumẽta in principio posita patet respõsio fere ex vltima cõclusione. Fatemur enim, nõ solũ Christũ esse rẽ oblatã, sed aliquo etiã modo panẽ, & vinũ. Neq; inde fit, esse duo sacrificia, quia illæ duæ

Oppositarum rationum dilutio.

Universidad de Deusto Biblioteca

In veteribus sacrificijs, materia ex qua erat quod principaliter offerebatur, in Eucharistia terminus ad quem.

res cōcurrunt, vt termini, à quo & ad quē eiusdē sacrificationis, qua panis cōuertitur in corpus Christi, per cuius presentiā species sanctificātur. Est autē hîc pro his, quę inferiùs dicemus, valde notāda differētia inter hoc sacrificiū, & alia antiqua: nā in illis materia sacrificij erat res principalis oblata, cuius destructio erat etiā præcipuè intenta in cultū Dei: hîc verò, nō materia, sed terminus sacrificationis est res præcipuè oblata: & destructio materiæ non est tam per se intenta, sicut effectio termini, ad quem tendit actio: nam desitio panis, tantū est quasi via ad introductionem corporis Christi. Ratio autem huius differentiæ sumenda est, tum ex dignitate ipsius rei, tū ex modo actionis tendentis magis ad efficiendum, quam ad destruendum, tum ex intentione offerentis: ex quibus omnibus constat, terminum consecrationis hîc principaliùs offerri, quanuis etiam materia suo modo offeratur; & vtrumque significatum est in Cano. 32. Trullano dicēte, *In sanctis nihil plus, quam corpus & sanguis Domini offeratur, vt ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mistum,* qui canon sumptus est ex Conc. Carth. 3. c. 24. vbi additur, *Neque amplius in sacrificijs offeratur, quam de vuis & frumentis:* vtrumque ergo ibi coniungitur: nā corpus & sanguis offeruntur, vt terminus, in quem panis & vinum conuertuntur: panis autem & vinum, vt materia, ex qua corpus & sanguinis conficiūtur.

Conc. Carth. III.

SECTIO II.

Quibus actionibus perfecerit Christus Dominus hoc sacrificium in nocte cœnæ.

Cyprian.

Dicturi de essentiali actione, in qua hoc sacrificium consistit, à sacrificio Christi, quod exēplar est nostri sacrificij, initiū sumimus quoniam vt eleganter dixit Cypr. epist. 63. *Si Iesus Christus Dñs noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & primus se ipsum in sacrificiū obtulit, & hoc fieri in sui cōmemorationē præcipit, vtiq; ille sacerdos vice Christi bene fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur; & sacrificiū verum ac plenū tunc offert in Ecclesia, si sic incipiat offerre, secundū quòd ipsum Christū viderit obtulisse.* Itaq; essentialis actio huius sacrificij ex factis & verbis Christi iuxta Ecclesiæ sensum & traditionem intellectis colligenda est: nā tota hæc essentia ex institutione pendet, institutio autē tunc facta est, cū Christus sacrificauit, & dixit, *Hoc facite.* Est autē vlterius cōsiderādum, sex potissimùm actiones fieri nūc in Missa, de quibus dubitatum est, in qua, vel in quibus earū, essentia huius sacrificij consistat: quia omnes videtur ad munus sacrificandi accōmodatæ, & ideò de illis sigillatim dicendum est: quas earum Christus exercuerit in nocte cœnæ.

Sex actiones in missa exercitæ, in harum quanam sacrificium cōsistit ambigitur.

Panis & vini oblatio.

Prima est oblatio panis & vini, quæ per eleuationem hostię & calicis, cum vocali oratione, & aliquibus ceremonijs ante consecrationem fit; & de hac nihil in Euangelio legimus. Aliqui autem existimant, Christū, loquendo ad Patrē, fuisse vsum verbo offerendi aut sacrificādi, quia hoc necessarium fuisse existimāt ad rationem sacrificij siue ante, siue post cōsecrationem factū fuerit, imò putant, hoc insinuari ab Euangelistis in illis verbis, *Gratias agēs benedixit.* Sed hoc, sicut nō potest euidenter improbari, quia fortasse ita factum est; nulla est enim repugnantia; ita non potest cū probabili fundamento affirmari: quia per Ecclesiam nihil de hac re nobis traditum est: nam, licèt vtatur in Missa

A illis verbis & ceremonijs, tamē, nec significat, Christum hęc fecisse, aut dixisse; neq; ipsa semper eis vsa est; neq; in omnibus liturgijs eodem modo habentur. Imò suprà, tractantes de forma sacramēti, ostendimus, in primæua Ecclesia consecrationem fieri solitam sine huiusmodi ceremonijs, paucis orationib* additis. Rursus ex Euangelio nihil colligi potest: quia illa verba longè alium habent sensum, vt in superioribus vidimus; neque vllus sanctorum Patrum ita illa exposuit, aut mentionem fecit huiusmodi ceremoniæ à Christo obseruatæ, cum talium verborū prolatione. Præterea ex ratione sacrificij id colligi non potest, quia, vt suprà dicebam, licèt opere ipso offerre, sit de ratione sacrificij, tamen quasi in actu signato exprimere oblationem per verbum offerendi, non est necessariū, nec talis necessitas potest exēplo aut ratione monstrari: nam in veteribus sacrificijs non legimus dici fuisse solita huiusmodi verba; B neq; Christus in cruce offerens, tale verbū protulit nam, si aliquod huiusmodi fingi potest, maximè illud, *In manus tuas Dñe commendo spiritum meum:* hoc autem magis fuit deprecantis, quàm offerentis. Ratio etiam nulla afferri potest, quia, vt aliquis visibilem honorem alteri deferat, non oportet, vt verbis proferat; *ego te honoro,* sed satis est, q; actione sensibili signum honoris exhibeat cum intentione honorandi: ergo similiter ad sacrificium offerendum non est necesse, voce proferre, *offero,* aut *sacrifico,* sed satis est exercere actionem sacrificandi cum intētione cultus: ergo ex ratione sacrificij colligi nō potest, Christum illa verba protulisse. Præterea, de tempore post consecrationem ex cōtextu Euangelico colligi potest, Christum nō dixisse huiusmodi verba, sic enim habetur, *Accepit panem, deditque discipulis, dicens. Hoc est corpus meum:* statim ergo post cōsecrationem distribuit, neq; vllam aliam oblationem interposuit. C Ante consecrationem verò exhibuit illa signa reuerentiæ diuinæ, gratias agendo, & benedicendo panem, quem in manibus accepit: in quo adumbrasse videtur illam præuiam oblationem, quā Ecclesia exercet, nō tamen propriè illam exercuit, neque verbum offerendi protulit, de quo nobis constare possit. Inter consecrandum verò protulit illa verba, *Qui pro vobis datur,* aut. *frangitur,* vel, *effunditur.* Quibus verbis potest mystica oblatio significari. Sed quanuis admittamus hunc probabilem sensum, tamen oblatio illis verbis significata, nō est aliquid ab ipsa consecratione diuersum: quia corpus Christi pro nobis dari, vel frāgi in hoc sensu, nihil aliud est, quàm pro nobis cōsecrari, sacrificari, aut in D cibum præparari: & similiter, sanguinē Christi mysticè effundi, nihil est aliud, quàm separatim à corpore ex vi verborū cōsecrari. Itaq; de hac prima actione vel oblatione, quæ cōsecrationem antecedit, simpliciter negandum est, Christum per illā sacrificari.

Consectio corporis ac sanguinis Christi.

Secunda actio est consecratio corporis & sanguinis, & de hac satis expressum est in Euāgelio, Christum eam perfecisse illis verbis. *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus:* vnde probabiliter credimus per illam sacrificasse, vt infrà videbimus, certum autem videtur, saltem in illa actione sacrificiū inchoasse.

Tertia actio, quæ in Euangelio expreſsè etiam legitur, est dispensatio, seu distributio sacramenti cōsecrati, quæ patet ex illis verbis, *Deditque discipulis suis, dicens, Accipite & comedite:* de hac verò etiam est certum, non pertinuisse ad rationem sacrificij, sed fuisse quid consequens, non vt necessariò pertinens ad rationem sacrificij, sed tanquam actus vltimus, ad quem sacrificium ordinatur, vt euidentiùs constabit sectione sequente.

Oblatio post consecrationē.

Quartò fit nunc in Missa alia oblatio post consecrationem in illis verbis. *Vnde & memores Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui Dñi nostri, offerimus præclaræ Maiestati tuæ hostiam purā, &c.* De hac verò actione idē dicendū est, quod de prima, vt ex rationibus ibi factis satis constat.

Hostiæ fractio & mistio cum speciebus vini.

Quintò post consecrationem frangitur nunc in Missa hostia consecrata, & particula eius miscetur sanguini; quæ actio sine dubio fit propter mysticā significationem. Quocirca sub ea ratione constat, Christum huiusmodi actionem non exercuisse, nec per illam sacrificasse: nā in primis de mystione nulla mētio fit in Euangelio. Quanuis enim Christus intinctum panem Iudæ porrexerit, tamen nec ille panis cōsecratus erat, neq; in vino intinctus fuit, sed iure aliquo, vt in superioribus visum est. Deinde, quanuis legamus, Christum fregisse panem, tamen, & dubium est, an illa fractio antecesserit consecrationem, vel subsecuta fuerit; ac fortasse probabilius est, antecessisse, & præterea, quidquid de hoc sit, cōstat, non fuisse mysticam, sed vsualem, vt sentit August. epist. 59. ad Paulinam, q. 5. quia Christus non fregit panē, nisi vt distribueret discipulis, vt patet ex illis verbis, *Fregit dedit q; discipulis suis:* vnde expositores colligunt in tot particulas panem diuisisse, quot erant ad communicandum discipulos necessariæ: sicut etiam de calice dixit, *Accipite, & diuidite inter vos:* nulla est ergo ibi significatio mystica. Atq; in hunc modum hoc factum Christi interpretantur omnes antiqui patres, apud quos nulla est mentio mysticæ fractionis, aut mistionis à Christo factæ.

August.

Sacramentalis specierū sumptio.

Sexta & vltima actio sacerdotis in Missa est sumptio vtriusque speciei cōsecratæ. De qua magna dubitatio est, an Christus in cœna se ipsum communicauerit. In qua hæretici huius temporis, vt consuetudinem Ecclesiæ improbent, negant, Christum se ipsum communicasse: quia, quod Scriptura non affirmat, nos Christo tribuere non debemus: præsertim, quia videtur indecens, q; Christus se cōmunicauerit sacramentaliter, cùm spiritualiter communicare non posset: quia non erat capax effectus sacramenti, cùm in gratia crescere non posset. Nihilominùs communior & probabilior sententia est, Christum hanc actionem in cœna exercuisse, communicando. Ita tenet D. Tho. suprà q. 81. art. 1. vbi eius fundamenta expendimus ac declarauimus. Idem tenet Alens. 4. p. q. 44. mēb. 1. & 2. Bonauen. in 4. d. 9. ar. 1. q. 4. Rich. d. 11. ar. 4. q. 1. Albert. Magn. d. 12. ar. 15. Gab. lect. 37. in Can. & alij recētiores. Et præter testimonia, quæ D. Tho. citato loco attulit, probari hoc potest ex illis verbis. Luc. 22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, &c.* quæ verba non solùm de veteri & legali Paschate, sed de nouo etiam & mystico intelligit D. Thom. cū Eusebio Emiss. in Caten. Luc. 22. & Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 40. & significat Hierony. Matt. 26. manducauit ergo Christus nouum Pascha, quod est corpus suum, cum discipulis suis. Bibisse autem sanguinem probabiliter etiam colligitur ex sequentibus verbis eiusdē Lucæ, *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat:* nā, licèt à Luca hæc verba referantur ante cōsecrationem, videtur tamen id factum esse per anticipationem: nam Matthæus & Marcus post consecrationem illa referunt; & ita in-

Se ipsum Christus Dominus cōmunicauit. D. Thom. Alens. Bonauent. Richard. Alb. Magn. Gabr. Luc. 22. Euseb. Emiss. Tertull. Hieronym.

A tellexit Aug. lib. 3. de consens. Euang. c. 1. & Chrysost. ho. 83. in Matthæum, qui addit coniecturam, quam D. Thomas, etiam suprà indicauit, dicens; *Ipse quoque bibit ex eo; ne, auditis illis verbis, dicerent: Quid ergo, sanguinem bibimus, & carnem comedimus, & perturbarentur: ne igitur hoc accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Idem tenet Euthym. in Lucam, dicens, *Si poculum accepit, vtique & panem;* & Theoph. Matth. 26. Potest etiā citari Dionys. c. 3. de Ecclesiastica Hierar. dicens, *Autor ipse signorum, eum, qui secum non piè, neque concorditer sacra concœnauerat, &c.* De quo testimonio plura diximus circa initium huius materiæ: citatur etiam Augustinus, concione 1. Psal. 33. sed ibi dicit quidem Christum se gestasse in manibus, sed non dicit, se ipsum comedisse. Aliud etiam Hieronymi testimonium, quod solet ad hanc rem afferri, B tractatum, & explicatum est suprà dicta q. 81. in Commen. articuli primi. Ratio seu congruentia pro hac sententia iam est ex Chrysosto. & D. Tho. exposita. Et alia congruentia addi potest, sumpta ex ratione conuiuij: decet enim, vt is, qui alios inuitat, cum eis simul comedat, & bibat. Item, quia ad dignitatem huius sacramenti pertinet, vt Christus Dominus illo vsus fuerit. Neq; est vlla probabilis cōiectura, ob quam credibile fiat, abstinuisse tūc Christū ab huiusmodi cibo, & potu. Quod enim de sumptione spirituali vel sacramentali dicebatur, magis pertinet ad modum loquendi, quàm ad rem, nam in re constat, Christum Dominum summa cum sanctitate, dignitate, ac decentia potuisse corpus suum & sanguinem manducare, non propter effectum, sed propter mysterium & exemplum.

August. Chrysost. Euthym. Theophyl.

Dubium. Alens. Bonauent. Palac.

An verò dicenda sit illa manducatio sacramentalis, C an spiritualis, variè loquuntur autores, Alensis, & Bonauent. quos sequitur Palacios in 4. d. 9. disput. 1. & 2. dicunt, fuisse sacramentalem, & non spiritualem; quia effectu caruit. Alij è cōtrario dicunt, Christum māducasse spiritualiter, quia magna deuotione & amore sacramentum accepit: non tamen sacramentaliter, quia respectu illius non erat mysteriosa illa sumptio: quia nullum eius mysterium eum latebat. D. Thom. autem dicit, sacramentaliter, & spiritualiter manducasse. Qui modus loquendi mihi magis placet; nam ad sacramentalem manducationem non est necesse ignorare mysteria in tali sacramento contēta; nec propterea sumptio non est mysteriosa, quia sumens intelligit sacramenta, quæ ibi repræsentantur: sed potiùs hoc ipsum supponit, quòd in tali actione sensibili altiora significantur mysteria, quæ ab eo percipi possunt, qui perfectam habet spi- D ritualem intelligentiam. Vnde, sicut vox nō desinit esse signum, eò quòd alius eius significationem intelligat; ita nec sacramentum desinit esse sacramentum, eò quòd sumens omnem eius significationem comprehendat. Neque igitur sumptio desinit esse sacramentalis propter mysteriorum cognitionē: sed satis est, q; ipsum sacramentū verè ac realiter māducetur cum intentione sumendi. Vt autem talis sumptio simul spiritualis dicenda sit, satis est, quod dignè & sanctè fiat: quicquid enim in Spiritu sancto fit, rectè dicitur spiritualiter fieri: Christi autē sumptio fuit dignissima, & sanctissima, & cum perfecta spirituali dispositione, tum habituali, tum actuali. Quòd autem ex tali sumptione non sit secutus effectus gratiæ sacramentalis, fuit per accidens, eò quod subiectum erat summè gratū, & habebat gratiam

D. Thom. Sacramentaliter & spiritualiter Christus proprium corpus manducauit.

Universidad de Deusto Biblioteca

in supremo gradu, vltra quem augeri non poterat: talis autem carentia effectus non impedit spiritualẽ sumptionem, sed solùm, quando prouenit ex alio obice, seu indignitate subiecti. Supposito autẽ Christum Dominum sumpsisse suum corpus & sanguinem, adhuc superest difficultas, an illa actio pertinuerit intrinsecè ad rationem sacrificij, an verò fuerit quid posterius, seu veluti quædã participatio hostiæ iam sacrificatæ: nam cùm Euãgelistæ debuerint satis clarè & expressè referre, quicquid ad essentiam huius sacrificij pertinet; & de hac sumptione nõ ita apertè loquãtur, videntur certè supponere, illam non pertinuisse ad essentiam sacrificij. Aliunde autem videtur, si Christus se communicauit, hoc potissimùm fecisse, vt suum incruentum sacrificiũ consummaret. De hac igitur re quid sentiendum sit, dicemus commodius in sequentibus.

SECTIO III.

Vtrũ oblatio vocalis, fractio, aut distributio Eucharistiæ, sint partes huius sacrificij.

INcipimus iam nostri sacrificij essentiã inquirere, discurrendo per sex actiones suprà enumeratas. Et primò dicendum est de oblatione, que antecedit consecrationem; quam Soto loco infrà citandõ cum alijs inuoluere, & confundere videtur, significans, pertinere aliquo modo ad substantiam huius sacrificij; & nonnulli eam vocant partem integralem sacrificij, quanuis non audeant dicere, esse de essentia. Dico tamen, hanc oblationẽ nullo modo pertinere ad substantiam huius sacrificij, neque vt essentialem partem, neque vt integralem, sed tantùm esse ceremonialem quandam præparationẽ ab Ecclesia institutam ad conciliandam deuotionẽ, & reuerentiam, animosque fidelium excitãdos ad mysterium ipsum peragendũ. Ita sentire videntur omnes, qui de hac materia scribunt, sed inter alios benè hoc explicuit Alan. lib. 2. de sacrif. c. 18. Et probatur primò ex dictis, nam Christus Dominus obtulit hoc sacrificiũ perfectum quoad omnes partes essentiales, substantiales, & integrales eius, & tamẽ nullam huiusmodi oblationem præmisit ante consecrationem: ergo illa nullo modo est pars sacrificij. Secundo, quia ostensum etiam est, illam ceremoniam non semper fuisse ab Ecclesia obseruatam, cùm tamen ex his, quæ sunt de substantia vel integritate sacrificij, nihil vnquam prætermissum sit. Tertiò, quia Ecclesia statim post illam oblationem orat, dicens, *Veni sanctificator, omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini præparatum*: ergo satis significat, illam solùm esse quandam præparationem materiæ ad futurum sacrificium, & quasi dedicationem illarum rerum sensibilium ad cultum Dei: ideoque oblationem vocauit. Tandem, quia per illam oblationem nihil fit circa rem oblatã, præter quandam extrinsecam orationem; nam eleuatio, quæ fit à Sacerdote, aut consignatio crucis, & aliæ similes actiones, merè accidentales sunt: vnde si contingat prætermitti, nihilominùs, si posteà ritè fiat consecratio, sacrificium Missæ censebitur perfectũ quoad substantiam, & essentiam suam; neq; in hoc videtur esse controuersia inter probatos autores, neque vlla probabilis dubitandi ratio.

Oblatio consecrationem præcedens, nullatenus est de essentia huius sacrificij.

Alanus.

Secundo dicendũ est de oblatione, quæ post consecrationem subsequitur, de qua maior est dubitatio inter Catholicos. Quidam enim videntur in ea ponere totã essentiam huius sacrificij, Eckius lib. 3. de sacrif. Miss. c. 9. Clichtouæus lib. 2. cõt. Luth. ca. 16. Ruard. ar. 16. qui obscurè dicit priùs, consecrationem esse sacrificationem, subdit verò posteriùs, cõsecrationem antecedere oblationem sacrificij, & sacrificium consistere in vsu Eucharistiæ consecratæ, qui fit per oblationem: vnde videtur priùs sacrificationem vocasse effectionem victimæ sacrificandæ. Alij verò sentiunt, hanc oblationem esse de essentia, quanuis nõ sit tota essentia sacrificij. Significat Scotus in 4. distinct. 13. q. 2. Gabr. q. 1. art. 3. clarius Soto q. 2. art. 5. vbi dicit, sacrificiũ consistere in oblatione, posteà verò requirit alias actiones, de quibus infrà; Cano etiam lib. 12. de locis, cap. 13. ad 4. inter quatuor actiones, quibus hoc sacrificium constare dicit, vnam ait esse hanc oblationem, & quanuis distinctè non explicet, an essentialis sit necne, tamen, cùm absolutè, & indifferenter eam cum alijs numeret, sentit esse ita necessariam, sicut sunt aliæ. Fundamentum esse potest, quia de essentia sacrificij est oblatio, nam est genus eius: sed hîc non est alia oblatio, quæ possit esse de essentia huius sacrificij præter hanc: nam illa, quæ antecedit consecrationem, neque est pars sacrificij, vt dictum est, nec versatur circa propriam victimam huius sacrificij, quæ est Christus Dominus: quia nondum ibi existit. Rursus, nec consecratio ipsa potest dici habere rationem oblationis, quia oblatio præsupponit rem offerendam; consecratio verò non supponit illam, sed potiùs eam antecedit, saltẽ ordine naturæ: vnde Concil. Triden. sess. 23. c. & can. 1. eas actiones distinguere videtur, & suo ordine numerare, dicẽs, Sacerdotibus datam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Eucharistiam, & D. Tho. q. 83. ar. 4. *Offertur* (inquit) *Eucharistia, vt sacrificiũ, consecratur & sumitur vt sacramentum*; sunt ergo hæ actiones diuersæ, & consecratio oblationem præcedit: ergo illa oblatio, quæ fit post consecrationẽ, est de essentia huius sacrificij. Dico tamen, iam certum videri, hanc oblationem non esse de essentia huius sacrificij, quàm est certum, antecedentem oblationẽ non esse de essentia. Et in primis dicere, totam essentiam sacrificij in hac oblatione consistere, prorsus videtur improbabile, tum propter ea, quæ infrà de consecratione dicemus, tum etiam, quia per illã oblationem nihil fit circa rem oblatam, sed est solùm extrinseca deprecatio, quæ non est propria sacrificij, sed fieri potest, & iterari sæpiùs suprà rem oblatam, etiã post peractũ sacrificiũ, sicut in lege veteri fiebant huiusmodi deprecationes circa res oblatas; & nos possumus hoc modo offerre Deo Christi passionem; & Christus in cœlo hoc modo sese perpetuò offert Patri pro nobis repræsentando illi passionem suam, quam pro nobis consummauit. Deinde, quòd talis oblatio, nec de essentia huius sacrificij sit, probatur ex dictis, quia Christus non adhibuit illam in nocte cœnæ. Item, quia non constat, semper Ecclesiam illam adhibuisse: vnde, licèt sit antiqua ceremonia, non tamen est de institutione Christi, sed Ecclesiæ. Item, quia ostendimus, non esse de ratione sacrificij vt sic, quòd offerens, verbo explicet oblationem, sed quòd opere illã exerceat ex intentione cultus: ergo, neque in præsenti est fundamentum ad asserendum, illam vocalem oblationem esse de essentia: nam sufficere potest actio ipsa consecrandi;

Eckius. Clichtouæus. Ruardus.

Scotus. Gabr. Soto. Cano.

Oblatio consecrationem subsequens nõ est de essentia Eucharistici sacrificij.

per illam nãque fit aliqua res maximè sacra in Dei cultum. Vnde Ambro. Psal. 38. *Vidimus*, inquit, *Principem Sacerdotum ad nos venientẽ: vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum*; nunquã autem audiuimus Christum offerentem pro nobis sanguinem suum, nisi quando dixit, *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*: hâc igitur consecrationem vocauit Ambrosius oblationẽ. Vnde subdit apertiùs, *Tunc ipse offertur in terris, quando corpus Christi offertur, & tunc ipse offerre manifestatur in nobis, quando sermo eius sanctificat sacrificium, quod offerimus*, & Cyprian. in serm. de Cœna Domini. *Ex quo dictum est à Domino, Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est corpus meũ, &c., Hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste ad totius hominis vitam, salutemque proficit simul medicamentum, & holocaustum existens*. Sẽsit ergo, verbis illis fieri Christum holocaustum & offerri. Vnde Gregor. 4. Dialog. c. 56. cõsecrationem ipsam immolationẽ vocat, dum inquit, *Quis fidelium habere in dubium possit, in qua immolationis hora, ad sacerdotis vocem cælos aperiri, angelorum choros adesse? &c.* hoc autem certũ est, dictum esse propter consecrationem: ipsam ergo cõsecrationem, immolationem vocat. Quapropter in Ordinatione Sacerdotis, quanuis primariò illi detur potestas consecrandi, nihilominùs in ipsa forma Ordinationis solùm exprimitur potestas offerendi, in quo satis indicatur, oblationem ipsa consecratione fieri; alioqui non satis vna potestas per aliam significaretur: ex quo etiã Concil. Trid. dict. c. & can. 1. sessio. 23. definit, illis verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, datam esse sacerdoti potestatem offerendi, cum tamẽ potissimùm data sit potestas consecrandi; igitur in ipsamet consecratione est intrinsecè ratio oblationis inclusa: non est ergo, cur alia oblatio vocalis fingatur esse de essentia huius sacrificij. Atque ita simul satisfactum est fundamento contrariæ sententiæ. Quòd verò Conc. Trident. distinctè numeret potestatem cõsecrandi, offerendi, &c. non arguit, hos actus re ipsa esse distinctos, sed positum est ad maiorem doctrinæ claritatẽ: quia illa verba non sunt omnino synonyma; & absolutè loquendo posset vna ratio ab altera separari, mutata institutione; & ideò ad vitãdas opiniones expressè docere voluit Concilium, vtrumque conferri sacerdoti, quanuis re ipsa eadem actione fiat. Atq; eodem modo D. Thomas distinguit veluti rationes formales, non physicas actiones.

Ambros. Cyprian. Gregor. Conc. Trid.

Tertiò dicẽdum est de fractione, & mistione. De quibus Cano loco suprà citato dicit, esse de substantia huius sacrificij. Quę sentẽtia fundari potest, quia illa actio fit in cultũ Dei: est enim ceremonia sacra, & habet mysticam significationem: nam per fractionem significatur passio Christi; per mistionem autẽ resurrectio. Vnde in Concil. Ephes. Epistola ad Nestoriũ dicitur, in hoc sacrificio repræsentari passionem, & resurrectionem Domini: vtrumque autem horum per aliam actionem non fit; & alioqui hæc actio ex suo genere est accommodata ad rationem sacrificij, quia per eam fit aliquid sacrum circa rem oblatam. Vnde D. Thom. 2. 2. q. 85. adhibens exempla actionum, quæ sunt aptæ ad sacrificium, numerat inter alia fractionem panis. Dico tamen, actionem hanc, neque ad essentiam, neq; ad integritatem huius sacrificij pertinere, sed esse merè accidentalem. Quæ est aperta sententia D. Tho. q. 83. art. 6. ad 6. vbi dicit, si contingat, fractionem omitti, non proptereà fieri imperfectum sacrificium: & dem sentiũt alij Doctores suprà relati, & multi alij, quos sequentibus sectionibus referemus. Et sequitur etiã ex principijs positis sectione præcedente: nulla enim actio est de substantia huius sacrificij, quam Christus in cœna non exercuit: sed ipse non fuit vsus fractione mystica, vt ostendimus, neque vlla mistione: ergo, Item, quia substantia sacrificij eadem est in vniuersa Ecclesia, & in omni tempore: hæc autem fractio, licèt sit valde antiqua, vt patet ex liturgia Iacobi, & Chrysostomi, tamen in liturgia Basilij nulla fit eius mentio, quod est signum, nõ fuisse vniuersalem; & consequenter, neq; ex Christi institutione. Imò ex eisdem liturgijs Iacobi, & Chrysostomi constat, huiusmodi actionem non fuisse factam eodem modo apud omnes, cum tamen in his actionibus modus ipse multum ad substantiam pertinere videatur. Præterea, aliquando potest tota hæc ceremonia omitti, non solũ absq; mutilatione sacrificij, sed etiam absque peccato, vt, si contingeret, vel ex naturali obliuione (si id accidere potest) vel ex ignorantia inuincibili, vt si quis existimaret, id licere propter diligẽtiam adhibendam, vt se citiùs expediret ad communicandum ægrotum, vel deniq;, si casu eueniret, vt hostia consecrata laberetur è manibus Sacerdotis, & caderet intra calicem: tunc enim nõ esset frangenda: quia fieri non posset, cum debita reuerentia sacramenti: ergo signum est, hanc actionem nõ esse simpliciter necessariam ad hoc sacrificium, & consequenter non esse de substantia eius. Denique ratio in contrarium facta, ad summùm, probat, potuisse actionem illam imponi à Christo Domino, vt esset de essentia sacrificij, non tamen probat, ita esse factã institutionem, cùm neq; à Christo ostendatur præcepta, neque ad significandum imposita; sed vtrũque introductum sit ab Ecclesia ad maiorẽ reuerentiam sacramenti, & declarationem mysteriorũ, quæ in consecratione continentur; sicut adhibuit etiam ad eundem finem alias ceremonias, quas indubitatum est, non esse partes huius sacrificij. Quod verò Concilium Ephesinum dicit, in hoc mysterio repræsentari passionem, & resurrectionem Christi; imò & ascensionem, & alia Christi mysteria, quæ ibi enumerat, primò exponi potest, non esse intelligẽdum de hoc mysterio quoad solam essentiam vel substantiam eius, sed de tota Missa, prout includit omnes Ecclesiasticas ceremonias; vel, si ad solam substantiã sacrificij referatur, per se clarum est, passionem satis expressè in illo repræsentari: consequenter verò, & quasi implicitè dici possunt alia mysteria, resurrectionis, & ascensionis significari; vel quia à passione duxerunt originem, & in illa quodammodò virtute continẽtur; vel certè, quia, dum in Christi persona, & verbis eius, cõsecratio fit in memoriam & honorem ipsius hoc ipso satis profitemur, & significamus ipsum viuere, & in cœlis regnare.

Conc. Ephes. D. Thom.

Fractio hostiæ mistioque partis illius cũ speciebus vini merè accidentaliter in hoc sacrificio se habet.

D. Thom.

Quartò dicendum est de distributione, seu dispẽsatione Eucharistiæ. Circa quam hæretici huius temporis, licèt non admittant, Eucharistiam esse sacrificium, docent tamen, huiusmodi actionem seu distributionem, esse de necessitate huius conuiuij seu cœnæ, ita vt contra diuinum præceptum sit, conficere hoc sacramẽtum, & non distribuere. Et fundari possunt in verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex quibus duplex sumitur argumentum; primum, quia Christus cõsecrauit, & distribuit, & præcepit facere, quod ipse fecit: ergo vtrumque fieri vo-

Hæreticorum placitum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lui, quoties hoc sacramentum fit. Secundũ est, quia Christi passio & memoria præcipuè recolitur in vsu,
1.Corin.11. iuxta illud. 1.ad Corint.11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Dñi annunciabitis.* Vnde Concil.Trid.sess.13.c.2.sic ait. *Sacramentũ hoc instituit, & illius sumptione recolere nos sui memoriam præcepit:* & Aug.cap. Cùm frangitur. de Cõsecrat.dist.2. *Dum corpus* (inquit) *frangitur* (loquitur
August. de fractione vsuali) *& sanguis Domini in ora fidelium mittitur, Dominici corporis immolatio, eiusq; sanguinis effusio designatur,* & 20.cont.Faust.c.18. *Christiani,* inquit, *peractis eiusdem sacrificij* (scilicet crucis) *memoriã celebrãt sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi:* actio ergo repræsentatiua passionis Christi includit vsum seu communionem fidelium: sed illa est actio sacrificatiua: ergo. Atque hinc
Soto. quidam etiam Catholici, quanuis non dicant, huiusmodi distributionẽ esse de necessitate huius sacrifi- B
cij: dicunt tamen, quando fit, aliquo modo ad complementum sacrificij pertinere: quod indicat Soto suprà, cùm dicit, populum fidelem sacrificio astantẽ dum sacramẽtum sumit, per ipsam sumptionem suo gradu & ordine sacrificare: quia mors Christi non
Cano. repræsentatur in consecratione, sed in consumptione; & Cano suprà ferè eodem modo loquitur de consumptione Sacerdotis, & de sumptione aliorum. Di-
Distributio Eucharistiæ inter fideles sacrificio astantes, nec ex iure divino fit necessariò, nec si fiat, ad sacrificium vllatenus spectat. co tamen, huiusmodi sacramenti distributionem fa-
ctam à Sacerdote inter fideles astantes, neque esse iure diuino præceptam, quoties consecratio fit; neque etiam, cùm fit pertinere vllo modo ad rationem vel substantiam sacrificij. Prior pars suprà satis probata
Concil.Trid. est, disp.69.sect.3. & definita est in Cõcil.Trid.sess. 22.c.6. & can.8. &, ne in re vulgari, & clara immoremur, plura de illa videri possunt apud Durantum, C
Durant. dict. lib.2. de Ritibus Eccles.ca.4. Posterior verò pars, quanuis non sit ita certa, nam Concil. Triden. sess. 22. can. 1. solùm dãnat eos, qui dicũt, *offerri hoc sacrificium, nihil aliud esse, quàm nobis Christum ad manducandum dari,* nihilominùs videtur mihi satis certa, & sequi ex prioris; nã, si quotidiana Ecclesiæ sacrificia integrèac perfectè fiunt sine huiusmodi distributione: ergo omninò extrinseca est ad substãtiam vel perfectionem sacrificij. Dices fortasse, hoc argumento solùm concludi, hanc actionem non ita pertinere ad perfectionem sacrificij, vt sine illa sit mutilum, vel imperfectum sacrificium, aut contra institutionem Christi; non verò concludi, cùm adhibetur, non pertinere ad quandam maiorem perfectionem seu integritatem, quasi extensiuam. Respõdetur ex primo inferri secundum: nam, si Christus non instituit, aut præcepit, vt, cũ Eucharistia sacrificatur, populo distribuatur, quia ratione dici potest, quando D
contingit, has actiones proximè coniungi, distributionem ipsam fieri partem sacrificij? Item, sæpe etiã contingit in Ecclesia, Eucharistiam distribui, & tũc non fieri sacrificium, vt quando ex præconsecratis ministratur; tunc que distributio non est vllo modo pars sacrificij, sed est mera dispensatio sacramenti, quæ fieri etiam potest in memoriã Christi, ergo nũquam est hæc distributio pars sacrificij: nam, quòd tempore coniungantur, vel parum inter se distent, nõ mutat rationem, significationem, aut institutionem harum actionum. Præterea hoc cõfirmat vsus Ecclesiæ: frequẽter enim non dispensatur communio, donec omnino est peractum sacrificium, & populo discedendi facultas data illis verbis, *Ite, Missa est,* non ergo censet Ecclesia, dispensationem sacramenti posteà subsecutam, ad perfectionem sacrificij vllo modo pertinere. Deinde, tota actio sacrificãdi proximè fit à Sacerdote: sumptio autem sacramẽti, quatenus dicit vsum passiuum, communis est laicis, quatenus verò dicit dispensationem actiuam, potest per diaconos proximè exerceri: nullo igitur modo pertinet ad actionem sacrificandi. Tãdem, in omni sacrificio, participatio victimæ, præsertim, quæ à populo fit, supponit sacrificiũ consummatum, non autem perficit illud, iuxta illud Prouerb. 9. *Immolauit* Prouerb.9.
victimas suas, posuit mensam suã, præcedit ergo immolatio, & inde conuiuium ex immolatis præparatur. Vnde est illud. 1.ad Corint.10. *Non ne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* & ideò 1.ad Corin.5. *Pascha nostrum,* dicitur, *Christus immolatus.* Ex quo etiã 1.Corin.10.
Greg.Niss. Greg.Niss. quem suprà citauimus, orat. 1. de Resurrect. colligit, priùs Christũ se sacrificasse, quàm discipulis in cibũ dederit. Et ita etiam intelligitur mo-
Greg.Mag. dus loquendi Gregorij 4.Dialog.cap.58. dicentis, *Pro nobis Christus in hoc mysterio immolatur; eius quippè corpus sumitur;* vis enim huius causalis in hoc posita est, quòd sumptio immolationem supponit. Neq; existimo, Doctores Catholicos aliquid contra veritatem hanc docere potuisse: nam, si aliquando dicunt, hanc dispensationem pertinere ad perfectionem sacrificij, non intelligunt de perfectione quasi intrinseca, & constitutiua sacrificij, sed de extrinseca, quæ est per modum actionis transeuntis. Et similiter, quando fideles dicuntur offerre, non est intelligendum, quòd per se offerãt, ratione communionis, quam recipiunt, sed quòd per Sacerdotẽ offerant modo infra explicando. Quod verò Soto ait, passionem Christi non repræsentari in consecratione, sed in sumptione, improbabile est: priùs enim repræsentatur in consecratione, vt dicemus latiùs sectionibus sequentibus. Deinde verò etiam repræsentatur in sumptione; vel quia vis consecrationis quodammodò manet in re cõsecrata; inde enim fit, vt, quantum est ex vi verborum, corpus separatim à sanguine sumi possit; vel certè, quia per sumptionem expressiùs repræsentatur Christi sepultura; & consequenter etiam mors. Ex quo obiter satis responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ. De verbis autem illis, *Hoc facite,* sæpiùs in superioribus dictum est, signatim verò dicta disputatione sexagesima nona, sectione tertia.

SECTIO IIII.

Vtrùm consecratio sit de essentia huius sacrificij.

PRima sententia est, consecrationem esse quidem aliquid præmium ad sacrificium, propriè tamen, neque esse de essentia, neque partẽ sacrificij. Quod declaratur exemplo suprà posito de Incarnatione, quæ necessaria quidem fuit ad sacrificium Christi cruentum, nõ tamen fuit pars eius, sed veluti præparatio quædam rei offerendæ, seu materiæ sacrificãdæ, iuxta illud ad Hebr.7. *Corpus autem* Hebr.7.
adaptasti mihi: ita enim se habet consecratio ad sacrificium incruentum, sicut se habuit Incarnatio ad cruentum: nã, sicut Deus factus homo, in cruce oblatus est, ita Christus factus panis vitæ, in altari offertur: sicut ergo ibi supponitur Incarnatio, ita hic cõsecratio: non ergo est pars ipsius sacrificij. Et simile argumentum sumi potest ex veteribus sacrificijs, verbi

verbi gratia, agni Paschalis, productio enim agni A
necessaria erat ad sacrificium, non vt pars eius, sed vt effectio rei sacrificandæ: sic enim cõparatur consecratio ad hoc sacrificium, seu ad rẽ in ipso offerendam. Et confirmatur, nam in die Parasceues offertur verum sacrificium absque consecratione, quæ iã supponitur antea facta, nã illa oblatio fit ex præcõsecratis: ergo signum est, cõsecrationem solùm requiri vt quid præuium, nam consecratio, quæ præcessit, non potest esse pars præsentis sacrificij. Primum antecedens patet ex oratione, quam Ecclesia in officio illius diei profert, *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine; & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus;* & posteà, dicit Sacerdos, *Orate fratres, vt meum & vestrum sacrificium,* &c. Et cõfirmari potest, quia non est verisimile, Ecclesiam illo die omnino priuari sacrificio, & oblatione ad Deum. Vnde Au-
Augustin. gust. Epist. 118. c. 2. generaliter & sine exceptione B
dicit, *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia,* & D.Tho.hic, art.2.ad 2.dicit, eo die offerri & D.Thom. consumi hostiam priùs cõsecratam, ne priuetur Ecclesia fructu passionis Christi: sentit ergo ibi fieri sacrificij oblationem, nam fructus passionis Christi non applicatur Ecclesiæ per mysteriũ Eucharistiæ, nisi vt sacrificium est: nam, vt est sacramentum, solùm prodest sumenti. Et confirmatur secundò, nam si dies Parasceues sit dies festus, tenẽtur fideles adesse Ecclesiastico officio: ergo signum est, ibi offerri sacrificium, & dici Missam quoad substantiam eius: quia fidedeles solùm tenentur ad audiendam Missam in die festo: vnde, si illa non esset Missa, nõ tenerentur illam audire. Confirmatur vltimò, nam
Concil.Laod. VI.Synod. in Concilio Laodic.c.49. & in VI. Synodo, can.52. C
sic dicitur, *In omnibus sanctæ Quadragesimæ ieiunij diebus, præterquàm Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum mysterium.* Quibus verbis significatur, fuisse Græcorum consuetudinem, vt in diebus ieiunij Quadragesimalis consecratio non fieret; sed q; fieret oblatio ex præconsecratis: non est autem verisimile, omnibus illis diebus fuisse sacrificium prætermissum: ergo censebantur fieri sacrificium absque consecratione. Vnde & sacrum ministeriũ appellatur; quo nomine sacrificium significari solet. Et hanc sententiam sic exposi tam tenet Ledesm. in 4.1.p.q.23. art.4. citans Albertum, distinct.13. art.24. Qui tamen ibi dicit, in die Parasceues fieri immolationem; mox subiungens, illo die non fieri immolationem in sacramento. Et Scotus, Gabr. & Ruard. sect. præcedente relati, videntur asserere consecrationem non esse essentialem sacrificio. D

Dico tamen, consecrationem esse omnino intrinsecam, & essentialem huic sacrificio. Hanc existimo esse sententiam D. Tho. q.83. art.4. & eam indicat Gab. lect.15. & 16. in can. Soto, Cano, & Alan. citati sect. præcedente. Cassal. lib.1. de sacrif.c.20. Tiletan. in Resp. ad Apolog. Illiric. c.15. Bellar. lib.1. de Miss. c.vlt. & alij citandi sect. sequẽtibus. Vt autem hãc sententiã probemus, oportet aduertere, eã non posse conuinci pura ratione, ex sola rei natura desumpta (quicquid multi ex prædictis autoribus conentur) quia ratio sacrificij, vt sæpè dixi, ex institutione pendet; institutio autem multis modis fieri potuit, neque per se & ex natura rei repugnabat, Christũ instituere hoc sacrificium in aliqua actione consequẽte consecrationem: ipsam autẽ consecratio-

1.Opinio. Eucharistico sacrificio consecratio est essentialis. S.Thom. Gabr. Soto. Cano. Alanus. Cassal. Tiletan. Bellarm.

nem solùm requirere, vt effectionẽ rei consecrãdæ, & tanquam præparationem ad sacrificiũ, sicut præcedẽs opinio dicebat. Et similiter, sicut cõsumptio animalis per ignem in sacrificium aliquãdo instituta est; ita cõsumptio Eucharistiæ consecratæ potuit in sacrificium institui, non vt est vsus sacramenti, sed vt est quædam immutatio rei sacræ facta à ministro publico ritu solenni in honorem Dei. Itaq; nulla ratione negari potest, hoc fuisse posibile: quia in huiusmodi genere institutionis nulla potest repugnantia ostendi. At verò, loquendo de posibili, etiã videtur per se notum & certum, potuisse consecrationem institui, vt essentialiter sit actio sacrificãdi, seu de essentia eius: nam etiam hęc actio est maximè sacra, & aptissima ad profitendam Dei maiestatem & omnipotentiam, vt ex dicendis euidentiùs constabit. Cùm igitur vtrũq; horũ posibile sit, quid iã sit factum, no ex sola ratione, sed institutione petendum est: quòd autẽ talis fuerit Christi institutio, qualis à nobis in conclusione explicatur, probatur primò ex facto Christi, prout ab Euangelistis narratur: nam expressè solùm dicunt, consecrasse panem & vinũ, & dedisse discipulis suis; & ex hoc solùm, colligimus cũ Patribus, illum sacrificasse: ergo maximè ratione consecrationis: distributio enim non pertinet ad sacrificium, vt dixi: ergo consecratio est de essentia sacrificij. Neq; enim est verisimile, Euãgelistas prætermisisse actionem maximè essentialẽ huic sacrificio. Et cõfirmatur ex illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem,* quibus consecratio principaliter præcepta est: nã per illam Christi passio expressiùs repræsentatur, dũ corpus & sanguis ex vi verborum separatim consecrãtur. Secundum argumentum sumimus ex sacerdotio legis nouæ, in quo præcipua potestas datur supra corpus Christi verum, ad consecrandũ seu conficiendum illud: nã forma, quæ formaliter & essentialiter constituit Sacerdotem nouæ legis, est character sacerdotalis: hic autem character per se primò est potestas consecrãdi, in qua fundatur alia potestas in corpus Christi mystcum. Acq; ita Concilium Trident. sess. 23.c. Conc. Trid.
1. primùm omniũ dicit, datam esse Sacerdotibus potestatem cõsecrandi, quam in c.4. dicit, dari per impressum characterem: est ergo potestas consecrandi de essentia sacerdotis nouæ legis: ergo & consecratio ipsa erit de essentia sacrificij. Probatur cõsequentia, quia sacerdotium per se primò est propter sacrificium: ergo illa actio, ad quam per se primò datur sacerdotalis potestas, erit etiam primariò de essentia seu ratione sacrificij. Dices, hoc argumento solùm probari, consecrationem necessario supponi ad sacrificium; ideòque datam esse sacerdoti potestatem consecrãdi, quia data est potestas offerendi, quæ potestates in re sunt vna, prout tamẽ ratione distingui possunt, potestas consecrandi dicetur prior ordine executionis: quia consecratio antecedere debet, & hoc sensu verum est, primò datã esse illam potestatem ad consecrandum: ordine autem intentionis, dicetur prior potestas offerendi: quia consecratio est propter oblationem; & ita in hoc genere erit oblatio prior consecratione. Sed cõtra, nam, si hoc verũ esset; ergo, per se loquendo, non esset necessarium habere potestatem consecrandi eum, qui habet potestatẽ offerendi: cur enim non posset aliquis offerre ab alio consecratã? Etenim, si nunc potest oblatio fieri ex præcõsecratis, potest vnus Sacerdos offerre hostiã ab alio consecratam: ergo similiter posset etiã

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquis non habens potestatem consecrandi, offerre consecrata ab alio; sicut sacramentum Extremæ vnctionis dari non potest, nisi ex oleo benedicto ab Episcopo; tamen, quia benedictio olei, non est pars essentialis aut intrinseca ipsius sacramenti, sed quædam conditio necessariò præsupponenda ex parte materiæ, ideò potest sacerdos simplex habere potestatem conferendi illud sacramentum, licèt non habeat potestatem benedicendi oleum: quia potest vti oleo ab Episcopo benedicto; & idem suo modo est in Confirmationis sacramento, cuius materia est Chrisma ab Episcopo consecratum; nec potest illa consecratio simplici sacerdoti committi, & tamen administratio ipsius sacramenti potest illi tribui, saltem ex Pontificis dispensatione: quia illa consecratio non est intrinseca pars sacramenti, sed conditio præsupposita. Sic igitur in præsenti, si consecratio non est de essentia, sed præsupposita ad sacrificium, posset aliquis sacrificare præconsecratum ab alio; & tunc non posset reddi ratio, cur potestas offerendi non posset conuenire, vel committi ei, qui non habet potestatem consecrandi, v.g. diacono, cui interdum etiam committitur dispensatio huius sacramẽti consecrati; solùm quia dispensatio non includit intrinsecè consecrationem, sed supponit eam; & ita potest illam supponere, vt ab alio factam.

Occurritur tacitæ euasioni.

Video, posse aliquem respondere, voluisse Christum illas duas potestates esse in re inseparabiliter coniunctas, & potestatem offerendi, vel intrinsecè supponere ex Christi ordinatione, vel identicè includere potestatem consecrandi in eodem supposito, & ideò non posse potestatem offerẽdi in esse, vel communicari ei, qui non habet potestatem consecrandi. Sed, licèt hoc verum sit, tamẽ hoc ipsum est probabilissimum signum, sicut potestas consecrãdi & offerendi eadem omnino est, ita etiam actionem offerendi & consecrandi eandem in re esse, &, quãuis ratione à nobis distinguantur hæ actiones, tamẽ in re ipsa, Christum consecratione offerri, & sacrificatione ipsa consecrari: nam hinc etiam fit, vt vtraque potestas simul, & vnico verbo, & influxu (vt sic dicã) cõferatur. Tertiò principaliter argumẽtari possumus ex testimonijs Patrũ, qui cõsecrationem, ipsam oblationem, seu immolationem vocant, vt ex Cypriano, Ambrosio, & Gregorio retulimus in sectione præcedente, & plures afferam sectione sequẽte, ne fiat repetitio. Quartò possumus argumentari ex congruitate ipsius actionis: est enim consecratio nis actio ad sacrificandum aptissima: nam, & est maximè sacra, & per eam sit aliquid maximè sacrũ, scilicet, caro & sanguis Christi, quibus Deus maximè colitur; sitq; admirabili modo, in quo diuina omni potẽtia, & sapientia maximè declaratur: vnde fit, vt per huiusmodi actionem, & eius vsum, fiat quædã professio, & recognitio diuinæ omnipotẽtiæ: est ergo huiusmodi actio ad rationẽ sacrificij aptissima: cur ergo dubitabimus, hanc potissimùm eleuasse & imposuisse Christum Dominum, vt esset nouæ legis sacrificium? Quintò est optima cõiectura, nã principale offerens in hoc sacrificio est Christus: ergo illa actio maximè est de essentia huius sacrificij, quæ potissimùm sit in persona Christi: hæc autẽ est actio consecrandi: ergo. Primũ antecedens infrà latè probandum est: prima verò consequẽtia per se nota videtur, quia in tantũ Christus est principale offerẽs, in quantum nomine eius, & in persona eius, actio sacrificandi exercetur. Secundum autem antecedẽs, A

præterquàm quòd est communis sententia Sanctorum, præsertim Amb. lib. 3. & 4. de sacram. pbatur sufficienter ex verbis consecrationis, quæ in persona Christi proferuntur: quia non materialiter, sed formaliter dicuntur, vt suprà vidimus: cætera verò fieri possunt à Sacerdote, vel in persona propria, vel vt à publico ministro Ecclesiæ, vt sunt sacramenti sumptio, & aliæ ceremoniæ, vel orationes. Sextò sumitur argumentũ ex alijs actionibus: etenim: si consecratio excluditur ab essentiali ratione sacrificij, nulla remanet actio, in qua possit hæc essentia consistere, præter sumptionẽ sacramenti: quia omnes aliæ actiones, de quibus esse posset aliqua apparentia, vel dubitatio, ex cluſæ sunt: incredibile autem videtur, totam essentiam huius sacrificij in sola sumptione sacerdotis positam esse. Primò quidem, quia consecratio est multò excellentior actio, & maiora continet mysteria. Secũdò, quia sumptio magis pertinet ad vsum sacramenti, magisq; videtur consistere in receptione, quam in actione ad offerendũ accommodata. Tertiò, quia alias, quoties Sacerdos aliquis communicaret, offerret, vel saltem posset offerre, si vellet ea intentione id facere: nam, quòd sit indutus vestibus sacris, vel alias ceremonias adhibeat, vel omittat, non obstat, quominùs sacrificiũ factum teneat, quanuis fortasse illicitè fiat, cùm illa omnia nõ sint de essentia, sicut, si verum est, sacrificium in consecratione consistere, quoties sacerdos consecrat, sacrificat, etiam si ex malitia id faciat sine vestibus, aut ceremonijs sacris. Et hoc eodem exemplo satis probatur prima sequela, & ratio eius est manifesta: nam potestas offerendi est inseparabilis, & indelebilis à Sacerdote; ita vt, licèt per Ecclesiam ligari possit, quoad vsum, nõ tamen radicitus auferri quoad vim & facultatem: ergo, si aliàs sufficiens actio ad sacrificandum est sola sumptio sacramenti à Sacerdote facta animo offerendi, nihil vetat, quominùs sacerdos quoties communicat, possit habere huic animum, & consequenter verum vsum talis potestatis: ac denique, quòd verum sacrificium efficiat, quod tamẽ per se videtur satis absurdum. Quartò, quia hinc sequitur, sacrificium hoc in exteriori actione visibili non differre ab vsu sacramenti, sed solùm in intentione interna, vel, ad summum, in conditione personæ, scilicet, quòd debet esse sacerdos, vt sumptio eius sit sacrificalis tamen in ipsomet Sacerdote non poterunt distingui, nisi per intentionẽ internã, supponendo præcipuè, quòd ipsemet sumat vtramque speciem, & non ab alio recipiat: hoc autem, & per se incongruum videtur, nam visibile sacrificium debuit, etiã in ipso ritu externo, distingui aliquo modo ab vsu sacramẽti, & nulla etiam ratione suaderi, aut probari potest. Vltimò probatur nostra sententia ab inconuenientes: nam, si consecratio non est de essentia sacrificij, sed solùm quid præuiũ, & sacrificatio cõsistit solum in vsu rei præconsecratæ, inquiro, cur non possit consecratio fieri, etiam si sacrificatio subsecutura non sit? suppositis enim illis principijs, nulla sufficiens huius rei ratio dari potest: quia illa duo non sunt per se & essentialiter connexa; imò sacrificio dicitur posse fieri sola, & separata à consecratione, quæ multo tempore antecesserit: ergo pari ratione poterit consecratio fieri sola; & separata à sacrificatione; faciliùs enim prius separatur à posterio ri, quàm è conuerso. Posset autem id fieri, vel propter sacrificationẽ, longo post tempore futurã, vt, verbi gratia, possit sacrificatio publicè & coram populo fieri, si fortasse tunc non posset fieri commodè consecratio; exemplum esse potest in die Paraſceues; si, verbi gratia, in die Cœnæ oblitus esset sacerdos consecrare hostiam pro sequente die, cur non posset paracta Missa illius diei nouam hostiam consecrare? non vt tunc sacrificaret iterum, sed pro die sequente, vel certè posset hoc fieri propter alios fines, vt, verbi gratia, propter communicandum ægrotum in periculo mortis existentem. *Ambros.*

Fundamenta contrariæ opinionis dissoluuntur.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ negatur, consecrationẽ esse præparationẽ ad sacrificiũ, & non potiùs ipsam essentialem actionem sacrificij, vel totam, vel precipuã. Ad probationem autem respondetur ex dictis, Christum hic esse rem oblatam, non vt materiam, sed vt terminũ sacrificationis, & ideò nõ oportere, vt tempore, vel natura supponatur actioni sacrificandũ quarè non est simile, quod de Incarnatione asserebatur, tum quia Christus, vt homo B vixit, fuit materia sacrificij cruenti; tum etiam, quia idemmet fuit principale offerens, nõ vt Deus tãtũ, (sed vt Deus homo) quomodò per Incarnationẽ esse cœpit: at verò in præsenti Christus, vt principale offerens, supponitur ante consecrationẽ, quia non offert, vt est sub speciebus, sed vt in propria specie existit: offertur autem, vt est sub speciebus, nõ vt materia, sed vt terminus oblationis, vt dictum est.

In die Paraſceues non offertur Eucharistia sacrificium.

In confirmationẽ petitur, quid dicẽdum sit de officio diei Paraſceues, an in illo fiat verũ sacrificium, nec ne. Respõdetur autem iuxta principium positũ, illo die non offerri sacrificium propriũ nouæ legis, & à Christo Domino institutũ. Ita sentit D. Tho. artic. 2. ad 2. vbi in argumento supponit, illo die non offerri sacrificiũ, & rationem inquirit, cur in die Natalis Domini ter celebretur hoc sacramentum, in Pa C raſceue autem totaliter omittatur. In responsione autem non negat, quod assumptũ fuerat, sed reddit rationem, cur in nocte Natiuitatis tres Missæ dicãtur, scilicet: propter tres Christi generationes, scilicet, eternã, temporalẽ secundũ carnẽ, & spiritualẽ; in Paraſceue autẽ significat, nullã Missam dici, seu nõ fieri sacrificium, in quo mysticè repræsentetur mors Christi: quia eo die recolimus realem mortem eius, seu sacrificium cruentum, prout in simili die, re ipsa gestum est. Vbi etiã animaduersione dignũ est, D. Thom. asserere, ideò nõ fieri tunc consecrationem, ne fiat expressa, ac mystica repræsentatio mortis Christi: supponit ergo, hanc repræsentationem fieri in ipsa consecratione, & consequenter in illa maximè consistere mysticam sacrificationem. Et idẽ sentiunt cõmuniter Theologi de officio illius diei Paraſceues in 4. distinct. 13. vbi Richa. artic. 2. quæst. D 2. eadem rationem tetigit. Palud. quæst. 2. Maior. distinct. 12. quæst. 2. Gabriel. lect. 14. in Can. Dum rationali diuinorum officiorum, libr. 6. c. 77. nu mer. 34. & sequentibus, Vvaldensis de sacram. cap. 88. & 89. Raba. li. de instit. Cleri. c. 67. vbi adducit figuram huius mysterij, nam in lege veteri eo die, quo semel in anno summus Sacerdos intrabat in sancta sanctorum, alij sacerdotes non sanctificabant. Vnde Hugo de Sanct. Vict. lib. 3. miscell. c. 43. *Nõ sacrificant* (inquit) *amici, dum trucidant inimici.* Et idem sentiunt Doctores iuris canonici, quos sequuntur, & partim referunt, Nauar. in sum. c. 25. n. 88. Coua. in cap. Alma mater. p. 3. §. 5. nu. 6. cum Gloss. in cap. Missam est. de Consec. d. 1. & in cap. Sabbato. de Consecr. d. 3. & in fine tur in allo rextu, vbi Innocentius dicit, Ecclesiam eo die sacramenta pœnitus non cele-

brare; celebrationem enim sacramẽtorum quasi per antonomasiam vocat Missæ sacrificium, vt omnes exponunt. Et confirmatur optima coniectura: nam de essentia, vel saltem de substantiali integritate huius sacrificij est, quòd fiat sub duabus speciebus consecratis, vt infrà ostendemus; sed eo die non cõsumitur, nisi vna species: ergo signum est, nõ fieri sacrificium: quomodò enim Ecclesia faceret sacrificiũ mutilum? cùm, vel in hoc dispensare non possit, vel certè nulla sit sufficiẽs ratio dispensandi. Tandem, tota illa ceremonia, prout illo die fit, est ab Ecclesia instituta, nihilq; in ea fit in propria Christi persona: imò fortasse ideò tunc nõ fit consecratio, ne Christus in propria persona viuens, & loquẽs introducatur eo die, quo mortuus recolitur: & eadem ratione non interponitur eius persona vt offerens sacrificium incruentũ, sed solùm fit repræsentatio eius vt offerentis cruentè: non ergo fit eo die proprium sacrificiũ in Ecclesia, quia nullum fieri potest in ea sacrificiũ: in quo Christus non sit principale offerens. Quãdo ergo in officio illius diei sacrificium nominatur, vel latè sumitur pro quocunq; sacro ministerio, vel significatur ipsa hostia consecrata, eo modo, quo victima sacrificij solet interdum sacrificium appellari. Generales autem locutiones, quòd omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia, non excludunt singularem exceptionem, quanuis illam expressè nõ exprimant. De consuetudine autem Græcorum nõ consecrandi in diebus Quadragesimæ, præter quàm sabbatis & Dominicis diebus, respondetur primùm illam consuetudinem non satis colligi ex Concil. Laodiceno; nam verba eius in cap. 49. sunt, *quòd non oportet in Quadragesimæ panem benedictum offerre, nisi in sabbatho & Dominica*: non enim consueuit nomine *panis benedicti* Eucharistia significari, quòd si fortasse ibi ita exponatur, ibidem absolutè dicitur non esse offerendum alijs diebus, de oblatione autem ex præconsecratis nulla ibi fit mentio: consequenter verò concedendum est, illis diebus non fuisse oblatum sacrificium: quòd si hoc inconueniens videatur, respõdemus, illam consuetudinem non fuisse receptã nec probatam ab Ecclesia Romana.

SECTIO V.

Vtrùm sumptio sacramenti, prout à Sacerdote fit, sit de essentia huius sacrificij, vel potiùs tota essentia in sola consecratione consistat.

PRima sententia est, sacerdotalem sumptionem esse de essentia huius sacrificij, nõ quatenus est qualiscunque vsus sacramenti, sed quatenus est perfecta consumptio, & immutatio victimæ oblatæ. Ita insinuat Gabr. lect. 26. in Can. & apertiùs docẽt moderni Thomistæ, Soto, dist. 13. quæst. 1. ar. 6. & 8. & quæst. 2. art. 2. qui etiam dicit, potiorem partẽ essentialem huius sacrificij esse sumptionem sacerdotis, idem tenet Ledesm. 1. par. 4. quæst. 13. ar. 4. Cano. 12. de locis. cap. 13. quos secutus est Bellarm. lib. 1 de Missa. c. vlt. fauet D. Tho. quæst. 80. ar. 12. ad 3. quatenus dicit, sacerdotem in persona totius populi, corpus & sanguinem sumere: nam in hoc significat, illam sumptionem non esse merum vsum sacramenti, qui est merè personalis, sed esse actionem sacri- 1. *Opinio.* *Gabr. Soto: Cano: Bellarm. D. Thom.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificalem: solùm enim actiones: quæ huiusmodi sunt, fiunt à Sacerdote in persona totius populi, & hac quæst.ar.4.dicit, Eucharistiam offerri, vt sacrificium, consecrari verò & sumi vt sacramentum; qui locus, quanuis aliàs difficilis sit, quia videtur vtramque actionem distinguere ab actione offerendi, in hoc tamen fauere videtur præsenti sententiæ: quia illas inter se æquiparat, vt ad rationem sacrificij admittantur, vel excludantur formaliter aut materialiter; & eadē quæst.ar.6.ad 3. significat, sacrificium perfici per sumptionē: dicit enim, si contingat, post cōsecrationem vtriusque speciei aliquid morti ferū reperiri in calice, propter quod non possit à Sacerdote sumi, debere iterum vinum apponi & cōsecrari, vt sacrificium perficiatur: at verò, si sola consecratio esset de essentia sacrificij, sacrificium iam fuisset perfectum: quia iam fuerat vtraque species consecrata. Ratione probari potest primò, quia de ratione sacrificij generatim est, vt sacerdos sacrificans de victima oblata participet, vt D.Tho. docet, q.82. art.

Cōc. Tol. 12 4. ex Concilio Toletano XII. & ex Dionysio, & August. quos ibi citat. Vnde concludit, etiam in hoc sacrificio, necessarium omnino esse, vt, quoties sacerdos sacrificat, toties corpus & sanguinem Domini sumat, iuxta illud. 1.Cor.10. *Nonne, qui edunt*

1. Cor. 10. *hostias, participes sunt altaris?* quod ad hoc propositū citatur à dicto Concil. Toletano XII. cap.5.

Secunda ratio, & præcipua huius sententiæ, est, quia de essentia sacrificij est, & præsertim holocausti, vt tota victima consumatur, & realiter immutetur: sed hoc nō fit in hoc sacrificio, nisi per sumptionem Sacerdotis, vt constat, quia ante illam Christus realiter manet sub speciebus, & vt sic est victima sacrificanda: ergo sumptio, per quam quodammodò perfectè immutatur, & amittit illud esse, quod sub speciebus habet, est de essentia sacrificij: nam hoc sacrificium est etiam holocaustum, in quo victima debet perfectè consumi. Respondeti potest, ibi fieri realem immutationem totius substantiæ panis & vini. Sed hoc non satis est, tum, quia panis non est præcipua res oblata, sed Christus, tum etiam, quia nec panis ipse omnino consumitur per illam immutationem, cùm adhuc species eius remaneant, & ita nondùm videtur holocaustum consummatum; tum denique, quia illa immutatio panis & vini insensibilis est, mutatio autem victimæ, cùm in sacrificio sensibili fit, debet esse sensibilis. Aliter respondent alij, hic fieri immutationem, non realem, sed mysticam, quatenus ex vi verborum corpus & sanguis separatim consecrantur, & per eas cruēta Christi mors, quæ fuit verum holocaustum, repræsentatur. Sed neque hoc satisfacit; alioqui hoc non esset verum, & reale sacrificium, sed tātùm figura & imago sacrificij: quia illa non est realis immutatio seu mactatio, sed tantùm signum & repræsentatio, realis mactationis: non ergo hoc satis est ad verum, & reale sacrificium.

2. Opinio. Secunda sententia est, sumptionem sacerdotalem sacramenti Eucharistiæ non esse de essentia sacrificij eiusdem Eucharistiæ, sed esse quid posterius, solumque pertinens ad perfectionem quasi extrinsecam talis mysterij, totamque essentiam sacrificij in consecratione consistere. Ita sentiunt ex Scholasticis, D.Thom. hic.q.79.ar.5. vbi dicit, Eucharistiam habere rationem sacrificij, in quantum offertur, rationem autem sacramenti, in quantum sumitur, & quæst.82.art.4.ad 1. ait, quòd Consecratio chrisma

D.Thom. tis, vel cuiuscunque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut est consecratio Eucharistiæ; & quæst.83. art.4. vbi omnes ferè ceremonias & actiones Missæ declarat, sic inquit, *Quarto petit* (scilicet Sacerdos) *hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit, Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, &c.* quam orationem profert Sacerdos statim post cōsecratam vtramque speciem: tunc ergo censet Diuus Thomas, iam esse peractum sacrificium; & inferiùs subdit. *Deinde agitur de perceptione sacramenti, primo percipiente sacerdote, postmodum alijs*: censet ergo, totū hoc fieri iam peracto sacrificio, & tam perceptionem sacerdotis, quàm aliorum, esse extra rationem sacrificij. Idem sentit Bonauent. in 4.distin.13.art.1.q.4. D. Bonauen. Maior dist.9. & ex modernis, Alan. lib. 2. de sacrificio Missæ, capit.25. Cassal. lib.2. de sacrif. capit.25. Alanus. Episcop. Oxom. tractatu de sacrificio. cap. 11. Catherinus Opusc. de sacrific. Missæ, Palacios in 4. distin.8. disput.1. & 4. Turrian. lib.8. Const. in Scholijs ad capit.5.10.11.12. & 14. vbi inter alia refert, Simeonem Archiepis. Thessalon. lib. de myster. Miss. cap.3. distinctè inquirentem, an Christus sacrificauerit ante vel post consecrationem, respondentemque, neque ante, neque post, sed in ipsa consecratione sacrificasse: *Quia tunc facta est mutatio ex pane non mactato in corpus Christi mactatum*: quæ verba fere habentur apud Nicolaum Cabasilam in expositione liturgiæ, cap.32. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia consecratio est sufficiens actio ad sacrificandum, & continet repræsentationem mortis Christi: est ergo sufficiens mactatio mystica: ergo in illa sola consistit essentia huius sacrificij. Quod fundamentum probabile est, indiget tamen maiori declaratione. Et ideò, vt radix huius dubitationis intelligatur, illud, quod suprà notauimus, hic etiam obseruandum est, sacrificij essentiam in particulari, & quoad actionem ad significandum impositam, pendere ex institutione: institutionem autem supponere quidem in ipsis actionibus aliquid, quod ex se illis conuenit: scilicet, aptitudinem & decentiam ad talem vsum, seu significationem, non tamen ex solis rebus ipsis oriri, aut in eis solis fundari posse, cū pendeat ex voluntate instituentis: fieri enim potest, vt aliqua actio de se apta sit ad sacrificium, & tamen non sit ad talem vsum assumpta. Item, quòd aliqua actio per se sola possit esse sufficiens ad sacrificandū, si imponatur, & tamen, quòd de facto non sufficiat, quia non est per se assumpta, & imposita, sed vt coniuncta cum alijs, sicut in sacramentis sola ablutio sine verbis, vel sola vnctio manuum, sine vnctione oculorum, &c. posset sufficere ad sacramentum baptismi, vel Extremæ vnctionis conficiendū, si Christus voluisset, de facto tamen non ita est. Triplex ergo hinc oritur quæstio. Prima est de aptitudine, an sola consecratio per se sumpta fuerit apta ad totam sacrificij essentiam constituendam. Secunda, an etiam consecratio simul cum sumptione potuerit coniungi, vt per modum vnius artificialis compositi vnum sacrificium constituatur. Tertia, si vtrumque horum est possibile, quomodò institutio facta sit.

Sola consecratio apta est ad integrum sacrificium faciendum. Dico ergo primò. Sola cōsecratio est sufficiēs, & de se apta, vt possit imponi, vt in ea tota essentia alicuius sacrificij consistat. Hæc cōclusio videtur mihi certissima, quia in cōsecratione potest fundari tota significatio, tā mystica, quàm moralis, ad sacrificiū sufficiēs: ergo illa per se est apta, vt in ea ponatur tota essen-

ta essentia sacrificij. Antecedēs patet, quia per illam repræsentatur passio Christi. Potest etiā imponi in recognitionē supremi cultus Deo debiti, vt autori rerū omniū, quatenùs per hanc actionem fit mirabilis quædā, & supernaturalis rerū immutatio, in hūc finē, vt Deo offeratur, seu in honorē eius in altari ipsius præsens fiat res nobilissima, maximēq; illi grata, quæ est Christus Deus homo: ergo est sufficiens de illa actio, vt integra ratio, & significatio sacrificij in ea fundetur: ergo, vt imponatur, vt sit tota essentia sacrificij. Neq; fundamentū secundæ sententiæ plus probat, quod tamē nō satis est ad ostēdēdā essentiā sacrificij, prout iam est à Christo instituta.

Satis fit ratio obijs in oppositum. Fundamentum autem primæ opinionis, quatenus contra hanc conclusionē procedit, debile est, & necessariò nobis soluendū: intendit enim concludere, consecrationē non esse totā essentiā huius sacrificij, ac si esset incapax huius impositionis, & inepta ad hoc munus, nisi ei cōiungatur consumptio sacramēti, quod tamen planè falsum est. Ad primū ergo negatur, de necessitate actionis sacrificatiuæ vt sic esse, quòd sacrificans proximus participet de sacrificio: hoc enim nulla ratione, vel inductione ostendi potest: nam, seclusa manducatione, seu participatione sumētis, potest esse aliud genus actionis, qua sufficienter consecretur, vel cōficiatur res oblata; ergo nulla est ratio, cur ille determinatus modus actionis dicatur necessarius ad rationē sacrificij, vt sic. Vnde in lege veteri multa erāt sacrificia, quæ omnino incēdebātur, neq; ex eis aliquid referebatur in vsum sacerdotū vel fidelium, &, licēt in aliquibus id fieret, ille tamē vsus, vel participatio Sacerdotū, nō erat de intrinseca essentia sacrificij, sed tanquam quid cōsequens, aut indicās effectum sacrificij, vel aliquid simile: de quibus legi potest D.Tho.1.2.q. 102.ar.3.ad 8.& 10. Vnde huius rei signū colligere licet ex distātia tēporis, loci, nam, quod sacrificabatur, nō statim comedebatur, sed vel eodē die, vel in aliquibus sacrificijs etiā in crastino; & nō comedebatur in eodē loco, sed, vel in atrio à Sacerdotibus, vel in proprijs domibus à reliquo populo. Nec D. Tho. loco ibi citato dicit, hoc esse de ratione sacrificij vt sic, sed solū, huiusmodi sumptionē seu participationē esse congruentē ad perfectionem sacrificij, meritòq; ex præcepto esse posse necessariā sacrificāti, quod potest esse verū, etiā si nō sit de essentia: an verò de facto ita sit in nostro sacrificio, dicemus statim: nūc enim solū explicamus, quid ex parte actionis imponendæ ad sacrificiū necessarium sit.

Ad secundā rationem rectè ibi responsum est, ad rationem sacrificij potuisse sufficere transmutationē panis & vini in corpus & sanguinē Christi, quæ per consecrationem fit; & ad primā replicā in contrarium respondetur, hoc esse singulare & excellēs in hoc sacrificio, quòd per se primò potius est propter efficiendum, quàm propter destruendū, in omni enim sacrificio, quod per realē immutationē fit, inuenitur destructio alicuius rei oblatæ, ex qua necessariò resultat aliud, quasi consurgens; & oblatum in honorē Dei. Est tamen differentia inter vetera sacrificia, & hoc nostrū, quod illa, quia erant imperfecta, & fiebant per actiones merè naturales & humanas, potissimum consistebant in destructione alicuius rei, per quam significabatur, Deum esse autorem omnium, vel aliquid simile. Vnde, quod principaliter offerebatur, erat res illa interficienda vel destruenda in Dei honorem: consequenter verò etiam, quod inde resultabat, offerebatur in honorem Dei, seu incendebatur, *in odorem suauissimum Domino*, vt sæpè dicitur in Leuitico: at verò in nostro sacrificio, quia per actionem supernaturalem & diuinā perficitur, licēt substantia panis & vini destruatur, tamē, quod potissimū intenditur, est effectio & præsentatio (vt sic dicā) corporis & sanguinis Christi, super altare Dei in honorē eius. Et ideò res oblata in hoc sacrificio principaliter ac simpliciter est Christus, qui est terminus talis actionis: vnde necesse non est, vt materia, quæ transmutatur, sit sēper res principaliter oblata, si terminus actionis, qua sacrificium perficitur, sit magis intentus, tam ex vi talis actionis, quàm ex intentione sacrificantis; & de se etiam sit dignior, & ad cultum Dei magis pertinens: tunc enim illa esse potest præcipua res sacrificata: & ita contingit in præsente sacrificio.

Obiectio. Vnde facilè soluitur obiectio, si in hunc modum fiat: nam, si quis agnum viuum sumeret, eumq; Deo offerret, solùm præsentando illum super altare, & illū nō interficiēdo, neq; immutādo, illud nō satis esset ad sacrificiū, sed esset quædā simplex oblatio: ergo similiter sola cōsecratio, per quā Christus præsentatur Deo in altari, si nō intercedat alia sumptio vel immutatio, non potest sufficere ad sacrificium. *Respon.* Respondetur enim, licēt, quod in antecedente assumitur, frequēting ita factum fuerit, iuxta communem vsum veterum sacrificiorum, tamen simpliciter id non esse necessarium, posset enim sacrificari agnus absq; immutatione reali & physica, si aliquid aliud sacrum circa illum fieret, quo censeretur manere moraliter sanctificatus, & ad sacros vsus deputatus, nam, vt suprà dixi, non est de absoluta ratione sacrificij, realis immutatio seu destructio alicuius materiæ oblatæ: quia, & in Leuitico interdùm legimus sacrificia facta sine tali immutatione, vt patet. c.23. & 24. & ipsum nomē *sacrificium*, solùm postulat, vt circa rem oblatam fiat aliquid sacrum, quo diuina excellētia recognosci possit, quod non repugnat, alio modo fieri, quàm per realem immutationem.

Secundò verò, & faciliùs, negatur consequentia & similitudo: quia ille agnus non præsentaretur Deo per actionem sacram, immutatiuam vnius creaturæ, vt efficiat agnum immaculatum in Dei honorem, repræsentando simul cruentum sacrificium talis agni, per quam actionem offertur Christus in Eucharistia, quæ sufficientissima est, vt dixi, ad rationē sacrificij. Præsertim, quia, sicut per actionem destructiuam potest coli Deus, & significari suprema eius potestas & dominium, ita etiam per actionem effectiuam ad hoc deputatam à Deo, maximè si illa effectio sit supernaturalis & diuina, & terminetur ad præsentandam Deo rem illi gratissimam, qua ipse maximè colitur, & honoratur: vnde, licēt demus, ne cessariam esse ad sacrificium realem immutationem alicuius creaturæ, non inde fit, esse necessariam per modū destructionis in re principaliter oblata: quia etiam esse potest per modum effectionis. Vnde ad secundam probationem de holocausto respōdetur, formalem rationem holocausti non consistere in hoc, quòd tota res oblata consumatur, vel combura tur. vel aliquid simile, alioqui sacrificium crucis non fuisset holocaustum: quia corpus Christi post mortem incorruptum mansit: ratio verò holocausti formaliter in hoc consistit, quòd totum sacrificium ordinetur in reuerentiam, & amorem diuinæ maiestatis & bonitatis, & consequenter, vt totum id, quod offertur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

offertur, maneat Deo consecratum, quod totum habet Eucharistia ex vi consecrationis, etiam si realiter non consumatur.

Ad tertiam probationem de signo sensibili respõ detur, actionem consecrativam, etiam esse sufficienter sensibilem, vt in ea posit sacrificium sensibile constitui, quia, licèt sensibus non perficiatur, prout in se intimè & substantialiter fit, tamen per verba consecrationis aliquo sensibili modo significatur, & hoc satis est in supernaturali sacrificio, quod non vtcunque consistit in actione, sed vt facta per talia verba sensibilia: alioqui, neque sumptio corporis Christi dicetur sensibilis, quatenùs versatur circa ipsum corpus: quia vt sic non sentitur, nisi ratione specierũ continentium & significantiũ ipsum Christum, quod totum fundatur in significatione & efficacia verborũ: si ergo illud satis est, vt Christus dicatur sensibiliter manducari, ita hoc erit satis, vt dicatur sensibiliter sacrificari, seu consecrari: quia, nimirum, signo sensibili cõsecratur. Nulla ergo ratione dubitari potest, quin consecratio Eucharistiæ, prout modò fit, potuerit esse actio sufficiens ad rationem sacrificij.

Cõsecratio & sumptio institui potuerunt vt simul, nec separatæ, sufficientes ad sacrificium fundandum.

Dico secundò, cõsecrationẽ simul cũ sumptione potuisse à Christo Dño institui ad integrãdum, seu constituendũ esse actualiter vnũ sacrificiũ, ita vt neutra actio sine altera per se illud cõpleret. Probatur, quia in hoc nulla est repugnantia, & aliunde institutio pẽdet tota ex volũtate instituentis. Et declaratur præterea, quia in hac duplici actione simul sumpta est maior quædam exterior & sensibilis mutatio, seu consumptio rei oblatæ, vt cõuincit argumẽtũ prioris sententiæ: est etiã maius quoddã fundamentũ ad plenius repræsentandã mortẽ Christi, vsq; ad sepulturã eius, & effectũ sanctificationis nostræ ex ea prouenientẽ: ergo propter has & similes causas, potuit Christus instituere, vt hæc duplex actio ad essentiã huius sacrificij pertineret. Præterea, potest hoc cõfirmari ex figura huius mysterij, quæ in sacrificio Melchisedech præcessit: in illo enim nulla fiebat mutatio sensibilis circa panem & vinum oblatum, præter esum & potũ eius. Similiter in iugi sacrificio agni, quod in figurã huius fiebat quotidie in lege veteri, videtur de substantia eius fuisse, præter interfectionẽ agni, sumptio panis & vini, vt ex ca. 29. Exodi, & 28. Numer. colligitur: ergo idem potuit in præsente institui. Neque obstat, quod sumptio victimæ debeat supponere immolationem eius: nã hoc est verum de sumptione, quæ ab alijs fit, solùm ad participandũ de sacrificio: non repugnat autẽ, sumptionem ipsius sacerdotis institui, vt sit consummatio ipsiusmet immolationis, & immutationis faciendæ circa rem offerendam.

Tota sacrificij Eucharistici essentia, in cõsecratione posita, præcisa sumptione, probabile.

Dico tertiò, Verisimilius est, de facto sumptionẽ sacerdotis nõ esse institutã, vt sit de essentia huius sacrificij, atq; adeò totã essentiã positam esse in consecratione. Hæc assertio non est certa; quia voluntas Christi, ex qua omnia hæc pendent, nõ est in hoc satis nota nobis, neq; ex Scriptura, neq; ex traditione, neq; etiã ex reuelatis, potest necessaria ratione colligi; & ideò solùm dixi, hoc esse verisimilius. Quod probatur primò ex autoritate quasi negatiua Euangelistarũ, quos verisimile est, narrantes historiam & institutionẽ tanti mysterij, nõ prætermisisse essentialẽ ritum huius sacrificij: referũt autẽ expressè, Christum Dominũ consecrasse Eucharistiã: nõ autem ita referũt, sumpsisse illã: nam, licèt id probabiliter colligatur ex quibusdã verbis Lucæ, tamẽ, & sensus illorum verborũ, ex quo id colligitur, incertus est, & præterea illa verba non sunt directè dicta ab Euãgelista, vt nobis referret, Christũ sumpsisse suũ corpus & sanguinẽ, sed solũ, vt referret quædã verba, quæ Christus protulit in cœna, scilicet, *Desiderio desideraui; hoc Pascha manducare vobiscũ*, & illud, *Nõ bibã à modò de hoc genimine vitis*; ex quibus nos quasi indirectè colligimus, Christũ manducasse & bibisse nouũ Pascha: si autẽ hoc esset de essentia sacrificij; debuisset directe & satis clarè ab Euãgelistis referri; sicut sæpe in superioribus diximus de his, quæ sunt essentialia huic mysterio, quatenus sacramentũ est, quia nõ minùs est necessariũ Ecclesiæ, vt sacrificiũ est.

Secũdò hinc sumitur secundum argumentum ex doctrina Sanctorum Patrum, qui sola consecratione contenti videtur ad explicandam huius sacrificij rationẽ: vnde sunt illa verba Ambrosij, quæ in superioribus citauimus. *Videmus Principẽ sacerdotum, &c.* vsq; ad illud, *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offerimus*: ponit ergo oblationem in sanctificatione sacrificij, quæ verbis Christi fit, quæ nihil aliud est, quàm consecratio. Et consentire videtur Cyprian. in sermone de Cœna Domini, quẽ suprà citauimus: dicit enim, ex vi verborum Christi incipere Eucharistiam simul esse medicamẽtum & holocaustum, videtur etiam expressum testimonium, quod ex Greg. refertur in c. Multi. 1. q. 1. reperitur autẽ apud Isiodorum lib. 6. Orig. cap. 18. *Sacrificium dicitur, quasi sacrum factum: quia pro mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis.* Vnde etiam Beda, homil. Dominicæ infrà octauam Epiphaniæ. *Memoria*, inquit, *passionis replicatur, cùm panis & vinus creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius, ineffabilis Spiritus sanctificatione transfertur*: docet autem D. Thom. in hoc ar. 1. & sup. q. 76. art. 7. hoc mysterium habere rationem sacrificij, quatenus in eo repræsentatur passio Christi, qua se obtulit hostiam Deo. Præterea in cap. Relatum. de Consec. dist. 2. ex Concil. Tolet. XII. cap. 5. sic legitur, *Relatum est nobis, quosdam è Sacerdotibus, nõ tot vicibus communionis sanctã gratiam sumere, quoties sacrificium in vna die videntur offerre: sed in vno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à cõmunione suspendant, & in sola tantum extremi sacrificij oblatione cõmunionis sanctæ gratiam sumant, quasi nõ sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis immolatio facta constiterit.* In quibus verbis in primis notãdum est, in eis supponi immolationem priùs esse factam, quàm de sacrificio participet Sacerdos: hoc enim significant illa verba, *participandum est de sacrificio, quoties immolatio facta constiterit*: vbi consecratio nomine *immolationis* significata videtur: nam perinde dicta videtur, ac si diceretur, communicandum esse Sacerdoti, quoties ab eo consecratio facta fuerit. Vnde non docetur, sacerdotem debere sumere, vt immolet vel offerat, sed vt de re iam oblata & immolata participet, iuxta illud, quod suprà ex Greg. Niss. orat. 1. de Resurrect. retulimus, & præsentem conclusionem non parum confirmat: dicit enim, in vniuersum sumptionem huius sacramenti supponere immolationem iam factam; & ad hoc propositum adducit eadem verba Pauli, quæ Concil. etiam Tolet. citauit. *Qui edunt hostias, participes sunt altaris.* 1. ad Corint. 10. id est, eduntur hostiæ ad participandum de altari, id est, de sacrificio in altari oblato, sumitur enim continens pro contento. Deniq; hoc confirmãt verba eiusdem Greg. Niss. lib. de baptismo prope initiũ. *Panis, in principio panis est, at, vbi illum mysterijs sacrificauerit, corpus Christi, & dicitur, & est*; vbi consecrationem, sacrificationem vocat, panem autem sacrificari dicit, vt materiam sacrificationis. Tertiò est optima coniectura suprà etiam indicata, quia in hoc sacrificio principalis sacerdos offerens est Christus: in tantum verò Christus est principalis offerẽs, in quantum proximus minister in persona eius operatur: ergo sola illa actio est essentialis oblatio huius sacrificij, quam sacerdos ministerialis in persona Christi exercet: hæc autem est sola consecratio, in illa enim loquitur in persona Christi, vt suprà ostẽsum est, in sumptione verò nihil operatur in persona Christi, sed in propria: nihil enim in ea fit, quod in persona Christi fieri sit necesse. Et potest in hunc modum declarari, nam in sumptione duo sunt, scilicet, collatio sacramenti, & acceptio: primum sit quidem à Sacerdote, vt ministro Christi, non tamẽ vt operante, & repræsentante formaliter personam eius, sed per potestatem ab eo receptam, sicut, quã do baptizat, vel aliud sacramentum confert: imò hæc actio per se & in rigore, licèt requirat potestatem ministerialem, non tamen sacerdotalem, niti ratione consecrationis: potest enim per se à diacono fieri. Vt autem sumptio est receptio sacramenti, multò minùs fit in persona Christi: fit enim à sacerdote vt membro Christi, participante victimam oblatam: vnde sacerdos sumpturus sacramẽtum, eodem modo pro se, & pro alijs orat, *Vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, omne benedictione cœlesti & gratia repleamur*, & ideò statim in propria persona dicit, *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*: dum ergo sumit, pro priam tantùm gerit personam, non Christi: ergo illa sumptio non pertinet ad essentialem actionem huius sacrificij.

Quartò potest addi congruentia, quia nulla fuit necessitas instituẽdi sumptionem vt essentialem sacrificio; & alioqui conueniens fuit, vnicuiq; actioni propriũ locum & gradum tribuere: ergo verisimile est, ita factũ esse. Maior sufficienter cõstat ex dictis in prima conclusione, & quoad mysticam significationem amplius declaratur: quia Christus ad hoc ordinauit hoc sacrificium, vt esset suæ passionis memoriale, iuxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*: propter quod dixit D. Tho. locis suprà citatis, hoc mysterium habere rationẽ sacrificij, quatenus in eo agitur repræsentatio passionis Christi: sed hoc agitur in cõsecratione ipsa, & propterea non debet corpus sine sanguine consecrari, vt dixit idem D. Tho. q. 78. art. 2. ad 2. & 7. & q. 80. art. 12. ad 3. ergo non oporteat, ad repræsentationẽ vel significationem huius sacrificij, addere sumptionem vt essentialem: nã cruentum sacrificium Christi in puncto mortis consummatum est, sepultura autem eius non fuit de substantia sacrificij, sed veluti quædam extrinseca perfectio seu consummatio, aut potiùs testificatio eius: sic igitur in præsenti, sacrificium hoc incruentum tunc substantialiter perficitur, quando mors Christi expressè repræsentatur, quod per consecrationem fit; in sumptione autem repræsentari potiùs videtur Christi sepultura: non ergo fuit necesse, illam adhibere, vt essentialem, sed iolùm vt participationem, & quasi testificationem sacrificij peracti. Atque hinc etiam patet minor propositio in argumento assumpta, nam sumptio Eucharistiæ, etiam si à Sacerdote

fiat, habet propriam rationem suam in ratione sacramenti, formaliter namque est vsus sacramenti: habere etiam potest suam propriam significationem distinctam à significatione sacrificij, vt declaratum est: ergo conueniens fuit, vt hic vsus sacramenti omnino distinctus ac separatus fuerit ab actione sacrificandi, & quòd hæc priùs consummata sit, vt sacerdos, sicut reliqui, de victima iam plenè immolata participet. Quo fit, vt tam verè immolatus sit Christus, vt manet sub hostia consecrata non sumpta à Sacerdote, quàm, vt fuit sub hostia, quam sacerdos consumpsit: imò, licèt contingat, post consecrationem non sequi sumptionem, re vera manet Christus sacrificatus, & perfectè immolatus, vt, si post consecrationem cõtingat, apparere carnem aut sanguinem, vel aliam similem immutationem in speciebus fieri: tũc enim, nec sumendum est sacramentum, nec necessarium est ex præcepto, iterum conficere ac sumere, vt constat ex D. Thom. quæst. 82. art. 4. ad 3. signum ergo est, iam fuisse perfectam immolationem, alioqui non esset sacrificium imperfectum relinquendũ. Vnde tandem solet coniectura sumi ab effectu sacrificij, qui non differtur vsque ad sumptionem, sed statim post consecrationem datur: alioqui in eo casu sacrificium maneret sine effectu. Quæ coniectura, licèt ex re æquè incerta sumi videatur, in hoc tamen habet congruentiam aliquam, quòd per se decens esse videtur, vt consecratio ipsa vi sua aliquem in nobis habeat effectum, vt, sicut passionem Christi nobis repræsentat ex ipsius institutione, ita etiam virtutem eius aliquo modo nobis applicet. Ac denique, vt sicut effectus sacrificij & sacramenti, diuersi sunt, ita etiam diuersis temporibus conferantur: nec sacrificium vt sic suo effectu careat, etiam si ad vsum sacramenti non perueniatur.

Obiectioni rẽspondetur.

Dices, cur ergo Ecclesia differt commemorationem & oblationem pro defunctis, vsque ad tempus post consecrationem, sic enim iam erit applicatus sacrificij effectus, quando defunctorum commemoratio fit, quod videtur magnum inconueniens, & contra mentem Ecclesiæ, quæ vult, vt sacrificium etiam ex opere operato prosit defunctis. Adde, q. post cõsecrationem fit noua oblatio sacrificij, & deprecatio, vt, & sit Deo acceptum, & prosit offerẽtibus, & his, pro quibus offertur. Respondetur, applicationem sacrificij quad effectum ex opere operato, quæ non fit, nisi per intentionem sacerdotis offerentis, fieri debere ante consecrationem, vt infrà dicam, siue viuentibus, siue defunctis applicetur, quia effectus esse non debet quasi suspensus, sed statim dari, ac sacrificiũ consummatur: consummatur autẽ in vtriusque speciei consecratione, vt dictum est, & dicetur sectione sequente, & ideò iam tunc adesse debet intentio applicantis, vt statim fiat applicatio. Neque ex ritu, quem Ecclesia seruat in Missa dicẽda, aliud colligi potest: nam potiùs statim post finitam consecrationem incipit Sacerdos deprecari pro sumentibus, & participantibus victimã oblatam, vt eis proficiat ad salutem, &c. Quòd verò sacerdos etiam tũc orat, vt Deus acceptum habeat sacrificium, non est, quia essentialis oblatio sacrificij non sit iam facta, sed quia ad huc habemus præsentem rem oblatam, & per illã possumus plura semper beneficia impetrare, & iterum atq; iterum Deum deprecari, vt, & maiorem in ipsum reuerentiam ostendamus, & vt ad plura beneficia nobis conferenda, sacrificium nostrum acceptet; ad denique, vt effectus sacrificij

propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter demeritum nostrum non impediatur, quâ rem explicuit optimè Cyrill. Hierosoly. Cateches. 1. mystag. dicens. *Deinde verò, postquàm confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace, &c.* & infrà. *Cùm hoc sacrificium offerimus, positâ facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierant,* & infrà. *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij*: quibus verbis satis declarat, post consecrationem otari pro defunctis, non de nouo pro eis sacrificium offerendo, sed interpellando & impetrando, ratione sacrificij oblati, & Deo iterum repræsentando oblatam hostiam, quæ præsens adest.

Cyrill. Hieros.

Dubium.

Vna verò superest difficultas circa dicta, nam videtur ex eis sequi, iure diuino non teneri Sacerdotē sacrificantē ad sumēdum sacramentum: consequens autē falsum est ergo. Sequela patet, quia nullum habemus præceptū positiuū à Christo specialiter latū, & sacerdotibus impositū de hac sumptione: si ergo hoc esse potest de iure diuino, solùm est in quātum hæc obligatio intrinsecè continetur in generali & naturali obligatione efficiēdi perfectū sacrificium: hæc autē obligatio nulla est, si sumptio nō est pars sacrificij: quia, si nō est pars, sacrificiū erit sine illa perfectum: obligatio autem participandi de hostia sacrificata, non est intrinseca & naturalis, cum necessaria nō sit in omni sacrificio, vt dictū est, stante ergo doctrina tradita, & sumptio non est de substantia sacrificij, non est, cur dicatur talis sumptio iure diuino necessaria, consequens autem est in primis contra D. Thom. q. 82. art. 4. imo videtur esse contra antiqua decreta in c. Comperimus. de Cōsec. d. 2. vbi dicitur, immane esse sacrilegiū, nō sumi vtramq; speciem abeo qui sacrificat, & in c. Relatū. de Consec. d. 2. vbi idem præceptum declaratur, dicitur, *Quale erit sacrificium, cuius, neq; ipse sacrificans, particeps esse dignoscitur?* Vbi hoc videtur fundari in ipsa ratione sacrificij. Idē colligitur ex Conc. Trid. sess. 13. c. 8. quin potius tā necessarium iudicatum est in Ecclesia, vt post consecrationem sequatur sumptio, vt si cōtingat, sacerdotem consecrantem non posse sumere, debeat alius loco eius substituī, vt consummet sacrificium; vt docet D. Tho. in hac quæst. art. 6. ad 1. ex cap. Illud, & cap. Nihil. 7. q. 1. & idem habetur in regulis Missalis de supplendis defectibus Missæ: indicatur ergo, hanc sumptionem esse præceptam tanquam de substantia sacrificij: alias, non oportuisset, Ecclesiam tā solicitam esse de supplenda re accidentali & extrinseca, si supponeretur iam perfectum sacrificium. Quin potius vix potest assignari ratio differentiæ, cur magis sit necessarium, sacerdotem sumere, quā distribuere alijs astantibus & per ipsum offerentibus, vt ipsi sumant, cùm certiùs constet, Christum distribuisse Eucharistiam, quàm sumpsisse; & vtrūque dicatur esse extra rationem sacrificij, & tantùm quidam vsus sacramenti, & participatio victimæ immolatæ. Respondetur, esse quidem præceptū Sacerdotibus, vt vtramque speciem sumant, cùm sacrificant, vt est satis constans ex dictis, & ex vsu Ecclesiæ. Addo verò deinde, non ideò hoc esse præceptum, vt per eam actionem sacrificent, sed vt participent de oblato sacrificio, & ipso opere ostendāt, se consentire sacrificio, iuxta illud 1. ad Corinthios 10. *Qui edunt hostias, participes sunt altaris.* Ita sumitur ex D. Thom. in hac & præcedente quæstio. vtrobiq; art. 4. Dici verò vlteriùs potest, de ratione huius sacrificij esse ordinem ad sumptionē: quia, licet per se primò sit propter diuinū cultū, consequenter verò etiam est institutū, vt hostia in eo immolata & cōsecrata, sit animarū, seu fideliū cibus; & hoc mōdo, ordo ad sumptionē potest aliquo modo dici de ratione huius sacrificij, quanuis sumptio ipsa non sit de substātia eius, sed extrinseca quædā perfectio, & consecutio cuiusdā finis intenti in ipsa re consecrata & sacrificata: & hoc sensu intelligendum est, quod ait Aug. 16. de Ciuit. c. 5. manducare panē esse in nouo testamēto sacrificiū Christianorū, scilicet, quātum ad rē oblatā: nam sicut sacrificia vetera post oblationem dabantur Iudæis in escam, ita loco illorum in lege noua datur fidelibus panis consecratus in cibum, ideòq; præcipitur Sacerdotibus, vt, vel ipsi, sumant, & de sacrificio participent. An verò hoc præceptum iuris diuini sit, nō satis mihi constat: nā Concilliū Trid. solùm dicit, Ecclesiæ morē semper fuisse, vt Sacerdotes celebrantes, se ipsos communi cent. *Qui mos*, inquit, *tāquā ex traditione Apostolica descendens sure ac meritò retinendi debet.* Vbi nihil dicit de diuino iure: quia, nec traditio Apostolica statim infert ius diuinū, nec tam intendit Concilium ibi docere, quid præceptum sit, quàm, quid liceat scilicet quòd liceat sacerdoti offerēti cōmunicare se ipsum, vt statim can. 10. definit. Alia verò antiquiora decreta, quanuis præceptum declarent, non tamen satis explicant, iure diuino latum esse: imo nec D. Thomas docet expressè, hoc esse præceptum iuris diuini. Si autem propter coniecturas adductas dicendū videatur, hoc esse præceptum diuini iuris, ad difficultatē propositam respondendum est, tale præceptum non colligit ex sola ratione, nec ex natura sacrificij vt sic, sed ex traditione & sensu Ecclesiæ, ex quo intelligimus, hanc fuisse Christi voluntatem, non quia sumptio sit de substantia sacrificij, sed vt mysterium Eucharistiæ omni ex parte, tam in ratione sacrificij, quàm sacramenti, consummetur, & ad vsum reducatur, saltē à ministro publico conficiente illud, & prætereà, vt ministet ipso opere se exhibeat perfectum ministrum, ostendendo adse sacrificium pertinere, seque illi consentire, esseque dispensatorem illius cibi, cuius primò fit particeps.

D. Thom.

Conc. Trid.

Soluitur.

1. Cor. 10.

Ordo ad sumptionem est de essentia Eucharistiæ sacrificij.

Sacerdos de sacrificio participare debet de iure diuino, probabile.

SECTIO VI.

Vtrùm consecratio vnius, an vtriusque speciei, sit de essentia huius sacrificij, & sub qua ratione.

HAEC sola quæstio superesse nobis videtur, vt tota huius sacrificij essentia explicata maneat. Duo verò in titulo coniungimus, quæ inter se connexa sunt. Vt verò id, quod quæritur, distinctiùs intelligatur, aduertendum est, tria posse in consecratione cōsiderari. Primum est, destructio panis & vini facta in honorem & cultum Dei, sicut olim animal interficiebatur. Secūdū est, quòd Christus sit præsens sub speciebus, similiter in Dei cultū & honorē. Tertium est, q̄ per cōsecrationē vtriusq; speciei fit mactatio mystica, quatenus ex vi verborum corpus & sanguis sacramentaliter separātur, licēt re ipsa cōiuncta sint per cōcomitantiam. Et quidē primū & secundum, quanuis ratione physica distincta sint, tamē in ordine ad sacrificiū per modum vnius

vnius considerandā sunt, quatenus vnā componūnt consecrationē & quasi mutationē, sicut in alijs proprijs mutationibus cōtingit, ex desitione termini à quo, & effectione termini ad quem, vnā cōponi mutationē. Itaq; primū illud (scilicet, destructio panis) præcisè sumptū nō constituit rationē sacrificij, sed est quasi via quædā seu dispositio ad sacrificiū; quia in ea solùm intelligitur id, quod se tenet ex parte materiæ, seu termini à quo, nondùm autem intelligitur terminus ad quē, qui est Christus immolatus. De secūdo igitur & tertio est disputatio. Et ratio dubij esse potest, quia in consecratione singularū specierū, est, non solū desitio materiæ quoad substantiā panis vel vini; sed etiā præsentia sacramētalis ipsius Christi in honorē Dei facta: est ergo in vnaquaque consecratione essentialis ratio sacrificij. Et confirmari potest ex dictis, quia statim ac consecratur panis, iam est aptus & sacer cibus fideliū, etiā antequā consecretur calix, ergo iam est victima immolata: quia ante immolationem non est victima apta in cibū; & ideò terminus consecrationis dicitur à Patri bº esse Christus immolatus, qui, propterea statim incipit esse hostia sancta, & immaculata. In contrariū verò est, quia hoc sacrificium essentialiter requirit expressam repræsentationē sacrificij cruēti; sed hęc non fit in cōsecratione vnius speciei, sed vtriusq; simul, quatenus separatim cōsecrātur ex vi verborū: ergo in vtraq; simul posita est substantia sacrificij.

In oppositum.

Opinio.

Duas in hac re inuenio extremè dissidentes sententias. Prima affirmat, cōsecrationē cuiuscunq; speciei per se sumptā, essentialiter esse verā sacrificatio nē: ratio enim facta ostēdit, insingulis esse, quicquid est de ratione sacrificij: quia per eā res oblata ex prophana efficitur sacra, & diuino cultui dicatur, quod satis est ad rationē sacrificij, iuxta doctrinā D. Tho. in 2. 2. q. 85. ar. 3. ad. 3. Ita tenet Ruard. & Cassal. locis suprà citatis. Quòd si obijcias primò, quia in singulis consecrationibus ex vi verborū nō conficitur totus Christus, sed corpus vel sanguis; respōdent, hoc nihil referre, nam satis est, quòd re ipsa consecretur totus Christus, siue id fit ex vi verborū, siue per cōcomitantiā: eò vel maximè, quòd corpus, vel sanguis Christi, per se sufficeret ad essentiā sacrificij, cùm sit infiniti valoris. Si obijcias secūdò, quia sequitur, duas cōsecrationes esse duo sacrificia, quia in vnaquaq; earū reperitur æqualis ratio sacrificij: quia per vtrāq; fit æqualis immutatio creaturæ, & offertur res infiniti valoris, tā ex vi verborū, quàm per cōcomitātiā, & vtrāq; Christus æquè adhibuit, & de vtraq; dixit, *Hoc facite*, & in vtraq; considerare licet æqualē significationē, tā moralē, quā mysticam: ergo vtraq; erit verū sacrificiū; & consequenter erunt duo sacrificia; respondebunt, negando sequelam: quia, licèt in singulis sit essentia sacrificij, tamen, quando moraliter vniuntur, non est in singulis earū per modum totius, sed per modū partis integrantis vnū integrū sacrificium. Sicut in rebus physicis, quanuis essentia aquæ sit in qualibet parte eius, tamen, cùm vniuntur, non sunt plures aquæ, sed vna. Et in hoc eodem mysterio in ratione sacramenti considerato, quanuis in singulis speciebus sit vera ratio sacramenti, nihilominus ex vtrisque vnum constat sacramentum; quod, licèt in specie sensibili heterogeneum videatur, tamen in ratione formali signi homogeneū est. Sic ergo erit in præsenti quoad rationem sacrificij: nam etiam sub hac ratione cōpletur vna significatio expressior ex vtraque consecratione, quæ ad ipsum sacramentum terminatur: vnde, sicut sacramentum est vnum, ita sacrificatio erit vnā. Quòd si tādē obijcias tertiò, in singulis consecrationibus nō esse perfectam imaginem, & repræsentationem passionis Christi; respondebunt, significationē mysticam non esse adeò intrinsecā, & essentialē sacrificio, sicut moralē, ideòque in hoc genere satis esse, quòd quælibet consecratio per se aliquo modo dictam passionē indicet; nam hoc ipso, quòd corpus solum consecratur ex vi verborū, vel solus sanguis, illud conficitur exangue, hic verò vt effusus, seu separatus à corpore existens; & ita per singulas consecrationes indicatur mors; quòd si per vtrāq; simul expressiùs repræsentatur, inde solùm fit, in eis esse magis integrum, & perfectum sacrificium, non verò totam sacrificij essentiam, ita vt tota sit in vtraque simul, & nō in singulis consecrationibus: erunt ergo hæ consecrationes, partes integrales, non essētiales vnius sacrificij.

Ruard. Cassal.

Secunda opinio extremè contraria est, consecrationem tam vnius, quā duarū specierum, quatenus est realis transmutatio, vel transubstantiatio, & includit illa duo, quæ in principio cōsiderari posse diximus, nō pertinere intrinsecè ad essentiam huius sacrificij, sed esse quid præsuppositū ad mactationē mystica, quæ consistit in repræsentatione corporis & sanguinis, ac si in re essent separata; sub qua ratione mysticè mactationis dicūt, consecrationē habere rationē & essentiā huius sacrificij: nā reliqua mutatio panis, neq; est primariò intenta à sacrificāte, neque in ea posita est aliqua religionis actio, quæ sacrificali modo fiat ad Deum placandū: quia solùm; potest placari respiciendo in faciē Christi sui sacrificati; est ergo solū veluti cōditio præsupposita, & quasi instrumentū quoddā, quo vtitur Deus ad mactandū mysticè Christū in altari, in qua mactatione posita est essentia huius sacrificij. Hāc opinionē tenet & latè exponit Sebastianus Episcopus Oxom. tract. de sacrifi. c. 11. &. 14. secutus Alanū, li. 2. de sacrifi. c. 19. & 20. Ex quibus vix colligere possum solidum huius sententiæ fundamentum, aut quomodò percipi possit mactatio mystica, quin intrinsecè includat aliquam actionē realem, vt infrà dicam. Potest tamē in hunc modum ex eorum doctrina fundari, nā ex tribus suprà numeratis, primū, quod est panis destructio, non potest per se ad rationē sacrificij intrinsecè pertinere, propter rationes insinuatas inter explicandam ipsam opinionem, scilicet, quia, neque est per se intenta, neq; fit ad placandum Deum; etenim aliàs panis esset res principaliter oblata in hoc sacrificio, sicut in veteribus sacrificijs, in quibus alicuius rei destructio vel interfectio fiebat ad honorandū, vel placandum Deum, res, quę periebat, erat principaliter oblata, quod in hoc sacrificio nullo modo dici potest: primum ergo illud non potest ad essentiam huius sacrificij per se pertinere. Secundum autem, scilicet, præsentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus, pertinet ad rationē sacramenti, quod conficitur per mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi sacramentaliter existētis: ergo illud etiam sub ea ratione non pertinet intrinsecè ad essentiam sacrificij; nam ratio sacrificij, & ratio seu constitutio sacramenti, diuersæ esse debent. Superest ergo tertium, scilicet, mystica mactatio in qua essentia sacrificij consistat. Sit, quia hæc mactatio intelligi non potest sine duplici specie separatim ex vi verborū continente corpus & sanguinem

Oxomensis. Alanus.

nem Christi; inde consequenter concludũt, consecrationẽ vtriusque speciei sub prædicta ratione ad essentiam sacrificij necessariò requiri. Non explicãt autem prædicti autores, an dicenda sit vtraque species de essentia, vel de integritate sacrificij, magis verò indicant esse de essentia: quia ad mactationem vt sic, non satis est quodcunq; signum, vel indiciũ mortis Christi, sed necessaria est veluti actualis effusio & separatio sanguinis à corpore: hæc autem non est, nisi ambæ species concurrant.

In vtraque harum opinionum aliquid verum reperitur, neutra tamen earum videtur omnino rem explicasse, & fortasse aliqua ex parte de modo loquendi magis, quàm de re disputant. Supponamus ergo, quod sæpe diximus, aliud esse loqui de institutione, quæ fieri posset circa has easdem actiones, aliud verò de institutione, quæ facta est: nã de possibili loquendo constat, potuisse Deum instituere, vel vnam, vel duplicem consecrationem, in ratione sacrificij, idque vel ratione mutationis panis, in honorem eius factæ, vel ratione termini sub speciebus panis cõstituti, vel præcisè propter ipsum, vel simul propter repræsentationem alterius realis mactationis: nihil enim horum per se repugnat, & in quolibet reperiri potest sufficiens aptitudo & proportio, vt ex impositione posit recipere significationem ad sacrificium requisitam, vt, si fingamus, hominem non peccasse, & consequenter Christum non fuisse pro illo mortuũ, Verbum tamen factum fuisse hominem: tunc enim institui potuisset sacrificiũ, in quo sub sola specie panis totus Christus consecraretur, & offerretur Deo in cultum eius absque vlla mactatione mystica, vel repræsentatione passionis: quia tunc illa actio posset ad cultum Dei ordinari, & per illam posset aliquid incruẽtè offerri: nulla est enim in hoc repugnantia: sicut, neque è contrario potest vlla assignari in hoc, quòd nunc vtriusq; speciei cõsecratio ad rationẽ sacrificij imponi potuerit. At modò de hoc non agimus, sed inquirimus institutionẽ prout facta est, de qua nõnulla tanquã certa & indubitata supponenda sunt. Primũ est, singulas cõsecrationes panis & vini per se se posse fieri ita, vt factæ teneant, quia, vt suprà dictũ est, vt vna fiat, non pendet essentialiter ab alia: nã statim ac verba consecrationis panis cõsummãtur, fit aliquid sacrum, etiam si contingat, vinum non sacrari; & idem esset, si è cõuerso calix ante panem, vel etiam sine pane consecraretur. Vnde fit, quamcunque ex his actionibus per se sumptam esse sufficientem ad efficiendum aliquid sacrum, & consequenter rationem hanc essentialiter conuenire cuilibet earum per se consideratæ, scilicet, esse effectricem alicuius sacri ad cultum Dei pertinentis: nam quoad hoc præcisè, neutra pẽdet ab altera: vnde quoad hoc non possunt dici partes essentiales alicuius totius: nam quando duæ partes sunt essentiales, si vna pars adhibeatur sine altera, nihil fit, vt patet in baptismo, si ablutio sine verbis, vel è conuerso applicetur. Quanuis autem hoc ita sit, adhuc superest quæstio, an illud sacrum, quod per vnam vel alteram consecrationem præcisè fit, secundùm præsentem institutionem habeat essentialem rationem sacrificij, vel quidnam illud sit.

Vnius speciei consecratio ab altera præcisa fieri potest.

Destio panis & vini nõ est primariò intẽta Eucharistica sacrificio.

Secundò est certum, mutationẽ illam panis, quæ in consecratione fit, non esse per se primò intentam in hoc sacrificio, vt panis, vel vinum, destruatur in honorem Dei, non quia hoc fuerit impossibile, sed quia tale sacrificium esset imperfectum ex parte rei oblatæ, vt rectè probant rationes secundæ sententiæ: nostrum autem sacrificium est perfectissimum & infinitum ex hoc capite: non ergo per se primò fit ob destructionem panis: essentia ergo huius sacrificij non potest primariò consistere in desitione panis. Adhuc tamen superest quæstio, an hæc desitio intret aliquo modo essentiam huius sacrificij, prout de facto institutum est.

1. Conclusio.

Dico ergo primò, cõsecrationem habere rationẽ sacrificij sub ratione mysticæ mactationis, ac separationis corporis & sanguinis ex vi verborũ, totũque hoc ad essentiã hui' sacrificij pertinere. Quoad hãc partem veram esse censeo secundam opinionẽ, quam tenet etiam quoad hoc Bellar. lib. 4. de Euch. c. 22. & sumi potest ex D. Tho. q. 80. art. 12. ad 3. quatenus dicit, repræsentationem Dominicæ passioni in consecratione peragi; ideóque non posse corpus sine sanguine consecrari; & ex hoc art. 1. in quo probat, in mysterio Eucharistiæ immolari Christum, quatenùs continet expressam imaginem, & repræsentationẽ sacrificij cruenti, quod etiã multi Patres docuerunt, quorũ testimonia in præcedẽtibus sectionibus retulimus. Ex quo principio potest in hũc modũ ratio cõcludi; hoc mysteriũ ita est sacrificiũ incruentum, vt esse debeat repræsentatio cruenti sacrificij, iuxta Christi verba in hunc modum ab Ecclesia intellecta, *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, in repræsentationem passionis meæ. Vnde est illud Cyprian. lib. 2. epist. 3. *Scriptura dicit, Quotiescunque ederitis panem istum, & calicem istum biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: quotiescunque ergo calicem in commemorationem Domini, & passionis eius offerimus, id, quod constat Dominum fecisse, faciamus*: & illud August. in c. Semel. de Cons. d. 2. *Semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen quotidie immolatur in sacramento*: & alia multa, quæ in ea distin. referuntur, præsertim in cap. In Christo, vbi Ambrosius ait, hoc sacrificium esse exemplum illius, quo semel in cruce Christus oblatus est: est ergo hoc de ratione & essentia huius sacrificij: vnde fit, quicquid fuerit de ratione huius expressæ repræsentationis, esse etiam de essentia, & ratione huius sacrificij.

Bellarm. *D. Thom.* *Cypr.* *August.* *Ambr.*

Hoc sacrificiũ vt à Christo institutum, vtriusque speciei consecrationem essentialiter includit.

Dico ergo secundò, vt hoc mysteriũ absolutè & simpliciter sit verũ sacrificium, prout à Christo est institutum, essentialiter requiri vtriusque speciei cõsecrationẽ. ita videtur mihi sentire D. Thomas. Et probatur ex præcedente conclusione, quia de essentia huius sacrificij est expressa repræsentatio mortis & passionis Christi, sed hæc intrinsecè requirit consecrationẽ vtriusq; speciei: ergo vtriusq; cõsecratio est de ratione sacrificij. Minor declaratur, quia aliud est loqui de quolibet signo seu indicio mortis Christi, aliud verò, de expressa repræsentatione passionis eius. Primũ enim reperiri potest in qualibet specie per se sumpta, tamẽ valde implicitè & obscurè: quia corpus, licèt ex se & ex vi verborũ non dicat determinatè corpus viuum, tamen etiã nõ excludit illud; & ideò cõsecratio corporis vt sic, non satis significat corpus mortuũ, cùm de se indifferens sit ad viuũ; & mortuũ; & idẽ fere est de consecratione sanguinis per se sumpta: nam etiã sanguis potest esse in venis, & extra venas: ergo sola illius consecratio ex vi sua non repræsentat sanguinem vt separatum à corpore: necessaria ergo est separata vtriusq; speciei consecratio, vt sit expressa repræsentatio passionis, atque adeò mystica mactatio. Accedit alia differẽtia notãda, nam sacrificiũ Christi cruentum non cõsistit in

Probatur ex conformitate ad sacrificiũ cruentũ Christi.

hoc,

hoc, quòd corpus eius fuerit mortuũ, vel quòd sanguis fuerit extra venas, sed in ipsamet actuali passione, & sanguinis effusione vsque ad separationem animæ à corpore. Vnde fit, vt, licèt demus, per vnã speciẽ corporis significari corpus mortuũ, & per sanguinis speciem per se sumptam significari sanguinẽ effusum; non inde fit, per singulas species per se sumptas repræsentari sacrificium cruentum, nisi fortasse in suo termino; at verò, quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viua imagine repræsentatur ipsa effusio sanguinis, & consequenter separatio animæ à corpore, quæ ex effusione sanguinis secuta est: nam (vt Scriptura interdùm loquitur) vita hominis in sanguine est, & ideò solet anima per sanguinem repræsentari.

Et Christi factis in cæna.

Secundò probari potest conclusio ex verbis & factis Christi, ipse enim in vtraq; specie obtulit, quas nõ sine causa in diuersis materijs, & diuersis verbis cõsecrauit, nec sine mysterio in consecrãdo calice addidit illa verba, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, indicans, per sui sanguinis effusionem perfectam esse remissionem peccatorũ, & ideò ad hunc effectũ applicandũ institui sacrificiũ, quod illã effusionẽ repræsentet per separatã sanguinis à corpore consecrationẽ. Post illud autẽ factum præcipit nobis, vt eodem modo offerremus, dicẽs, *Hoc facite in meam commemorationem*, & ita Ecclesia semper intellexit, & seruauit: est ergo vtraque consecratio simpliciter necessaria, vt hoc sacrificium constet, & hoc sensu dicitur de essentia eius, quæ non potest aliũde meliùs intelligi, quàm ex verbis & factis instituentis. Tertiò declaratur exemplis & figuris, etenim in lege veteri, quando plures actiones aut res præcipiebantur ad cõficiendum aliquod sacrificium, omnes illæ erant de substantia sacrificij, vt v. g. si præcipiebatur animal interfici, & cremari, similiter in sacrificio Melchisedech, panis & vinum censenda sunt fuisse de essentia, quia Scriptura simpliciter dicit, obtulisse panem & vinum, nec posset rationabiliter dici, vnam potiùs, quàm aliã materiã aut alterutram potiùs, quã vtramq; fuisse de essentia, cùm Scriptura simplici & copulatiua locutionẽ vtrãque æquè comprehendat, & (quod proximè ad rem spectat) sacrificium Christi cruentum, licèt in passione fuerit inchoatum, tamen essentialiter mortem requisiuit, ita, vt, si mors non fuisset re vera subsecuta, sacrificium non fuisset essentialiter perfectũ, nec consummasset redemptionẽ nostram, supposita Dei institutione & reuelatione; ergo, cũ hoc sacrificiũ multis actionibus, & speciebus cõstet, ex præcepto Christi, cũq; in vtraq; simul sumpta, & cõpleatur propriè figura sacrificij Melchisedech, & in illa consistat propria significatio sacrificij cruenti quantum ad id, quod in eo maximè essentiale fuit, verisimile valde est, vtriusq; speciei consecrationẽ esse de essentia. Quartò à simili sumitur alia coniectura à rebus artificialibus, in quibus illæ partes materiæ essentiales censentur, ex quibus resultat forma totius, & sine quibus esse non potest, vt, verbi gratia, in triangulo tres lineæ sunt de essentia, quia sine illis non potest esse talis figura, quæ est de essentia trianguli: & similiter in domo & alijs, sic igitur in præsenti, significatio propria & integra sacrificij, est quasi forma totius sacrificij, & ideò res illæ seu actiones, sine quibus talis significatio esse non potest, meritò existimandæ sunt essentiales, hoc autem modo se habet in præsenti vtraq; consecratio, vt satis explicatum est: quia, licèt in singulis speciebus per se sumptis posit intelligi aliqua significatio, ea tantùm est implicita & obscura: quando autem aliquod signum institutum est, vt explicitè repræsentet, non satis est ad essentiam eius implicita & obscura significatio: sicut in forma baptismi non satis est dicere, *In nomine trinitatis*, quia illa forma instituta est cum explicita significatione mysterij, per illa autem verba tantùm implicitè significatur. Nec refert, si quis dicat, per singulas consecrationes significari cultum Dei: quia nõ significatur, prout significari debet, iuxta voluntatem instituentis: imò non significatur ille cultus, qui per mactationem cruentam, & incruentam Christi exhibitus est, quia non repræsentatur Christi redemptio & satisfactio, donec vtraque consecratio finiatur; & ita illa potiùs est quædam inchoatio cultus, qui per vtramque speciem essentialiter consummatur.

Antiquorũ sacrificiorum figuris.

Similitudine ab arte facta.

Scrupulo occurritur.

Ad rationẽ in contrariũ respõdetur.

Ex quibus non solùm probata est conclusio posita, sed etiam responsum est ad fundamentum prioris sententiæ: nil enim refert, quòd per primam consecrationem aliquid sacrum fiat, quod factum maneret, etiam si secunda non sequeretur: inde enim solùm fit, in illa consecratione esse inchoatum sacrificium, non verò essentialiter perfectum, sicut etiam iacto fundamento, & erecto pariete, aliquid factum manet, quanuis ædificatio non vlteriùs progrediatur: nemo tamen dicet iam esse domum essentialiter factam, sed inchoatam, & in alijs sacrificijs idem est: nam, si animal, quod interfici & comburi præcipitur, vt in sacrificium offeratur, priùs interficiatur, & posteà non comburatur, re vera interfectum manet, non tamen propterea ibi fuit sacrificium essentialiter perfectum, sed inchoatum tantùm, & idem proportionaliter fuisset in sacrificio cruento Christi, si post flagella, & clauorum etiam infixionem, mors non fuisset secuta: nam re vera mansisset sanguis effusus, & corpus vulneribus seu cicatricibus effectum, & quodam speciali modo sanctificatum, nõ tamen fuisset sacrificium essentialiter perfectum. Ita igitur in præsenti per priora verba fit cõsecratio materiæ, quia hoc Christus instituit, & veritas formæ idem requirit, illa verò est quædam inchoatio sacrificij, cuius actio physica statim habet effectum circa suam materiam, expectat tamẽ (vt sic dicam) aliam partem, vt compleatur significatio sacrificij, & ideò non fuit in illa essentialiter completum.

Atque hinc intelligitur primò, proprium effectũ huius sacrificij vt sic, non dari consecrata vna specie, donec vtriusque consecratio consummetur, quia effectus non datur, donec sacrificiũ sit essentialiter perfectũ, sicut dicebamus de sacrificio cruento, non fuisse per illud consummatam redẽptionẽ, & propitiationem apud Deum, nisi quatenus in morte consumatũ est: idẽ enim dicendũ est in præsente sacrificio, nihil per illud fieri, donec mactatio mystica perfecta est. Ad quod applicari potest illud ad Heb. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio*, ergo neque hoc sacrificiũ est propitiatoriũ sine mystica sanguinis effusione; & ideò, vt dixi, Christus in consecratione sanguinis mẽtionẽ fecit remissionis peccatorũ. Non licet tamen hinc colligere, solam sanguinis cõsecrationem posse sufficere, tum quia in sacrificio præter sanguinem requiritur victima, tum etiam quia, vt dixi, consecratio sanguis per se sola non repræsentaret sanguinis effusionẽ. Vltimò colligitur, quàm sit verum, quod suprà diximus, non posse vnam speciem

Universidad de Deusto Biblioteca

sine alia cõsecrari, & quæ ibi diximus, possunt etiã ad præsentem doctrinam confirmandã applicari.

Qui prius sanguinẽ quam corpus in Eucharistia cõficeret, sacrilegio ligaretur, vere tamen sacrificiũ offerret.

Sed quæret aliquis, an non solùm vtraque species, sed etiam aliquis ordo in consecratione earũ seruandus, sit de essentia huius sacrificij, id est, quòd priùs corpus, posteà sanguis cõficiatur. Ratio autem dubitandi esse potest, quia hoc sacrificiũ est vnum per modũ entis artificialis: in artificialibus autẽ non solũ materiales partes cõponentes, sed etiam ordo in compositione earum est de essentia artificiati, vt patet in domo, & alijs. Et in præsenti declaratur, quia nisi ille ordo seruetur, non significabitur effusio sanguinis à corpore: quia, vt sanguis effundatur, necesse est, vt corpus præexistat, eademq; ratione non significabitur separatio animæ à corpore. In hoc dicendum quidem est, graue peccatum esse huiusmodi ordinem immutare contra totius Ecclesiæ consuetudinem, conformẽ Christi Domini facto ac verbis, ex quibus, & ex ratione facta, posset aliquis non omnino sine causa dubitare, an inuersio talis ordinis sit nõ solum peccaminosa, sed etiam contra substantiam sacrificij: vnde dubium non est, quin hoc sit graue sacrilegium. Nihilominus tamen non video sufficiens fundamentum ad dicẽdum, sacrificium, in quo prius sanguis quàm corpus consecraretur, non habere veram rationem huius sacrificij: quia in reperitur totũ id, quod Christus instituit, & præscriptus ordo non videtur ita necessarius ad prædictam significationẽ, seu mactationem mysticam: nam in eodem momento, in quo vltima consecratio absoluitur, quæcunq; illa sit, sufficienter repræsentatur separatio sanguinis à corpore, seu animæ à corpore. Neque ad hanc repræsentationem necesse est, vt corpus priùs tempore antecedat: nam si per posibile, vel imposibile simul possent verba vtriusque formæ proferri, & vtriusque speciei consecratio simul finiri, nihilominùs verum fieret sacrificium.

3. Conclus.

Dico tertiò. Actio essentialis huius sacrificij necessariò includit consecrationem, prout continet transubstantiationem panis & vini in corpus, & sanguinem Christi: vnde illi duo termini, scilicet, destructio panis & vini quoad substantias, & præsentia Christi sub speciebus, etiam suo modo pertinent ad essentiam huius sacrificij. In hac conclusione dissentio à posteriori sententia suprà relata, &, vt existimo, eam tenent reliqui autores citati. Et probatur ex dictis, quia huiusmodi actio & transmutatio necessaria est ad hoc sacrificium, prout institutum est, vt etiam autores secundæ sententiæ fatentur, & est per se euidens, quia sine hac actione imposibile est, Christum offerri sub speciebus: est ergo necessaria, & non vt aliquid præsuppositum ad sacrificium: ergo vt intrinsecè pertinens ad essentiam sacrificij. Probatur minor, quia realis sacrificatio non potest consistere in mera significatione, quæ, nostro modo loquendi, intelligitur esse in rebus jam factis seu constitutis in facto esse, qualis intelligi potest in speciebus panis & vini in pyxide cõsecratis. Tum quia sacrificium propriè consistit in actione, propter quod species, quæ conseruantur consecratæ, non tandiu sunt sacrificium, quandiu conseruantur, etiam si ambæ species conseruentur: quia non toto illo tempore offeruntur, cùm tamen sacrificium consistat in oblatione ipsa. Tum etiam, quia sacrificium cruentum Christi positum fuit in ipsa actuali oblatione passionis, quam vt sic, repræsentare debet hoc sacrificium: species autem priùs consecratæ & conseruatæ non repræsentant hoc modo actualem passionem, licèt repræsentent Christum passum, aut mortuum, vt suprà dicebam: ergo, vt sic, non sunt sacrificium: ergo sacrificium non consistit in significatione specierum cõsecratarum, vt sunt in facto esse: ergo vt est in actuali consecratione earum: ergo ipsa actualis consecratio intrinsecè & essentialiter pertinet ad hoc sacrificium, & non tantùm, vt conditio præsupposita. Patet consequentia, quia sacrificiũ nõ est significatio tantùm, sed est actio significãs, sicut sacramentum non est sola significatio, sed est res, vel actio aut receptio sensibilis significans: vnde, sicut ablutio sensibilis, vel alia similis actio, est de essentia sacramenti: ita hic actio consecrandi est de essentia sacrificij. Dices, hoc argumento, ad summũ, probari, prolationem sensibilium verborum esse de essentia huius sacrificij sensibilis. Respondetur, hinc vlteriùs consequi, ipsammet transubstantiationem, quæ in materia huius sacrificij fit, quatenùs per verba formæ aliquo modo sensibilis est, includi intrinsecè & essentialiter in mystica mactatione huius sacrificij: quia hæc mactatio mystica non fit per nuda signa, sed verè ac realiter præsentando, & offerendo res illas, quæ mysticè separari dicũtur, vt cõstat ex fide, qua credimus, tam perfectum esse hoc sacrificium, vt in ipso corpus & sanguis Christi offeratur, non in signo tantùm, sed verè ac realiter: ergo actio consecrandi, etiam vt per eam fiunt præsentes sub speciebus huiusmodi res, quæ Deo offeruntur, pertinet ad essentiã huius sacrificij, tũ ratione sui, tũ ratione sui termini, vt actualiter terminat ipsam actionem.

Soluitur obiectio.

Et confirmatur ac declaratur; quia hæc separatio mystica non ita fit, vt priùs supponantur præsentes res, quæ separari dicuntur, & posteà per aliquã actionem vel significationem separari dicantur, quia nec corpus & sanguis Christi adsunt in altari, antequàm consecratio fiat, nec postquàm ibi sunt, fit circa illa aliqua noua separatio mystica præter illam, quæ in ipsamet consecratione intrinsecè imbibita est; sed, quia per consecrationem ipsam separatim fiunt ex vi verborum, inde posteà separata manet, sed non fit posteà noua separatio: igitur solùm dicuntur separari mysticè corpus & sanguis Christi in hoc sacrificio, quia separatim fiunt ex vi verborum: ergo in hac mystica separatione, non præsuppositiuè tãtum, sed intrinsecè & essentialiter includitur ipsa effectio corporis & sanguinis Christi sub speciebus cum tali modo, vt ex vi verborum ponatur solũ corpus sub speciebus panis, & solus sanguis sub speciebus vini. Nec præter hãc potest fingi alia actio separatiua, sed per hanc formalisimè fit, mystica ratione, prout fieri potest. Et confirmatur secundò, quia de ratione veri, & realis sacrificij est, vt aliquid sacrum fiat circa materiam, & rẽ oblatam: sed hic non est alia actio, per quam fiat aliquid sacrum circa materiam & rem oblatam, præter actionem tansubstantiatiuam, per quam, & Christus, qui est res oblata, sub speciebus constituitur, & substantia panis excluditur, & eius accidentia sanctificantur per coniunctionẽ ad Christum: ergo totum hoc est de essentia huius sacrificij, & mactationis mysticæ. Tandem declaratur exemplo: nã in sacrificio, verbi gratia, agni Paschalis, est considerare realem mactationem ipsius agni, & mactationem mysticam Christi in agno repræsentati, qui propterea dicitur, *agnus occisus ab origine mundi*: non potest autem intelligi, quòd illa mactatio mystica fuerit de essentia talis sacrificij, nisi quatenus fundata

data in reali mactatione talis agni: nã in ea fundabatur significatio passionis Christi, & ideò necessariũ etiã fuit, vt illamet actio realis, per quã interficiebatur agnus, esset de essentia illius sacrificij: quia per illam vt sic fiebat aliquid sacrum circa rem oblatam & significatio passionis Christi non fiebat, nisi per illammet actionem vt terminatam ad talem terminũ: idem ergo est proportionaliter dicendum in nostro sacrificio, quod tam verum & reale sacrificium est, & multò perfectius.

Atque hinc infertur primò, illam habitudinem, quam dicit hoc sacrificium ad suum terminum ad quem, id est, ad corpus & sanguinẽ Christi sub speciebus, esse præcipuã ac maximè intentam & essentialem in hoc sacrificio; & consequenter includere intrinsecè huiusmodi terminum, vt actu terminantem hanc actionem, quod habet in ipsomet instante cõsecrationis. Probatur, quia res hic præcipuè oblata est Christus, qui non offertur, nisi vt terminus huius actionis, vt suprà declaratum est, neq; aliter hæc actio illum attingit, vt constat ex dictis suprà de trãsubstantiatione, ergo hæc actio sub prædicta ratione est maximè essentialis huic sacrificio. Patet consequẽtia, nã in omni sacrificio, actio quæ primariò versatur circa rem oblatam vt sic, est maximè essentialis vnicuique sacrificio. Et confirmatur, quia Christus non est res oblata prout existit in propria specie, sed prout existit sacramentaliter sub speciebus: ergo & oblatio debet attingere aliquo modo Christũ, vt est sub speciebus: quia oblatio dicit habitudinẽ ad rem oblatam vt sic, sed talis oblatio nõ dicit habitudinem ad Christum præsuppositũ sub speciebus: quia, postquàm ibi est, nihil vltra circa illum operatur: ergo vt ponit illum sub speciebus.

Habitudo … panẽ & … vt … destructa in … sacrifi- … essentia- … secunda- …

Secũdò infero, habitudinem ad terminum à quo, id est, destructionem panis, esse suo etiam modo essentialem huic sacrificio, eo nimirum modo, quo habitudo ad terminum à quo solet esse essentialis in qualibet mutatione. Probatur, quia, vt sæpè dixi, ad declarandam essentiam huius sacrificij, non est considerandum, quid Deus facere potuerit, sed quid facere decreuerit, aut instituerit: quia essentia præsentis sacrificij ex præsente institutione pendet: quanuis autem potuerit Deus, corpus & sanguinem hic efficere per aliam actionem, quæ non includeret habitudinem ad non esse panis, vt termini à quo, tamẽ de facto instituit, vt hæc actio fieret per admirabilẽ transmutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi: ergo de facto actio hæc sacrificandi essentialiter includit totam hanc transmutationẽ, primariò quidem actionẽ positiuam, quæ est ad terminum ad quem, secundariò verò mutationem termini à quo, quæ est destructio panis. Neq; hinc sequitur, panem & vinum esse res principaliter oblatas in hoc sacrificio, sed solùm sequitur, esse materiam sacrificij: quo modo nemo negare potest esse de essentia huius sacrificij, quatenus ex alijs materijs confici non potest. Ex quo etiam sequitur, id, quod fit circa huiusmodi materiam, qualis est separatio specierum sacramentalium, ad quam necessariò sequitur desitio panis & vini, essentialiter pertinere ad essentiam huius sacrificij. Patet consequentia, quia est aliquid sacrum quod fit circa rem oblatam, quæ nõ est tantùm caro & sanguis Christi per se ac nudè sumpta, sed vt coniuncta speciebus sacramentalibus: ergo tota illa actio, vel mutatio est de essentia huius sacrificij. Denique tota est supernaturalis, & aptissima, vt fiat in cultũ Dei, & tota fit per modũ vnius: ergo tota instituta est per modum vnius essentialis sacrificationis.

Accidentia … & vi… separatio … essentia … sacrificij.

Ad fundamẽta secundæ opinionis responsio.

Fundamẽtum igitur secundæ sententiæ fere ex dictis expeditũ est: ostẽdimus enim, quomodò tria illa suprà numerata, sint de essentia huius sacrificij: quòd autem dicitur, desitionem panis non esse per se intentam, neque fieri ad placandum Deũ, non obstat: quia terminum à quo nõ oportet esse per se intentum, quanquam ad essentiam mutationis suo modo pertineat, eo tamen modo, quo necessarius est ad mutationem, dici potest per se intentus, non vt fiat, sed potiùs vt ab illo recedatur, nõ propter se, sed vt ad terminum ad quem perueniri posit, & hoc modo, etiam desitio panis potest hic dici per se intẽta, nõ propter se, sed vt corpori Christi cedat. Et eadẽ ratione desitio illa ex se nõ habet, vnde placet Deũ, tamen, vt est via, vel dispositio ad introductionem corporis Christi, rectè dici potest fieri ad placandũ Deum. Neque hinc fit, panem esse rem principaliter oblatam: quia iam suprà ostensum est, in hoc sacrificio, non materiam sacrificij, sed terminum, ad quem tẽdit, esse rem principaliter oblatam, sicut est etiam principaliter intenta. Ad aliam vero partem de effectione corporis Christi sub speciebus, verum quidẽ est, per illã fieri Eucharistiæ sacramẽtum vt sic, sed hoc non tantùm non obstat, vt in ea ratio sacrificij consistat, vt potiùs sit valde consentaneũ, quòd ex ipsa sacrificatione resultet sacramentũ Eucharistiæ. Nam sacrificium consistit in actione seu in fieri, sacramẽtum autẽ Eucharistiæ est permanens, & ideò ipsamet sacrificatio est effectio sacramẽti. Terminus autem illius actionis, vt refertur ad Deum in cultũ eius, est res oblata in hoc sacrificio, eadem verò, vt est cibus fidelium, sacramenaum est, & habet vsum sacramenti. Cuius rei figura in sacrificio Melchisedech præcesisse videtur, certior autem in agno Paschali, in quo sine vlla controuersia offerebatur Deo sacrificium, vt suprà dixi, per interfectionem eius, per quam simul fiebat sacer cibus, & illius legis sacramentum.

DISPVTAT. LXXVI.

De comparatione huius sacrificij ad alia sacrificia & sacramenta.

Disp. 4. de sacrificio.

QVãuis essentia huius sacrificij satis videri posit explicata, tamẽ, vt ratio & perfectio eius exactiùs cognoscatur, vtile erit, eã cum alijs mysterijs conferre: priùs ergo comparabimus illud ad sacrificium cruentum Christi, & reliqua, quæ illud præcesserũt, tam in distinctione, quã in perfectione, deinde fiet collatio cum sacramentis, præsertim cum ipsomet mysterio Eucharistiæ, vt rationem sacramenti habet.

SECTIO I.

Quomodo distinguatur hoc sacrificium à sacrificio Christi, & reliquis, quæ illud præcesserunt.

SAcrificium Christi appello, quod ab ipsomet Christo mortalem vitam degẽte, vt à Sacerdote & offerẽte proximo oblatum est. Quod du-

Universidad de Deusto Biblioteca

duplex distingui potest, vnum incruentum, oblatum in cœna, aliud cruentum, oblatum in cruce: cũ vtroq; ergo comparari potest nostrum sacrificium, & inde obiter cõstabit, quomodò & illa duo sacrificia inter se, & hoc nostrum à reliquis distinguatur.

Missæ sacrificium numero tantũ & accidentalibus circunstantijs differt ab oblato in vltima cœnæ nocte.

Dico ergo primò, Sacrificium Missæ non differt specie aut essentia à sacrificio incruento, quod Christus obtulit in cœna, distinguitur tamen numero, & quibusdam accidentalibus cõditionibus. Prior pars recepta est ab omnibus, & necessariò sequitur ex principijs fidei, nam hæc duo sacrificia conueniunt essentialiter, primò, in materia oblationis; secundò, in re principaliter oblata, tertiò, in forma seu actione, per quam fit oblatio, quartò, in offerente principali: ergo essentialiter conueniunt. Consequentia est euidens, nam in his cõsistit essentia sacrificij: tria autem membra antecedentis per se nota sunt ex his quæ hactenus diximus, & continẽtur in illo verbo Christi, *Hoc facite*: nam, vt sæpe diximus, ibi virtute continetur totus ritus essentialis sacrificij: quartum autem membrum cõstabit ampliùs ex disputatione sequẽte. Posterior autẽ pars probatur, & declaratur primò, quia ex parte rei oblatæ intercedit quædam differentia, nam in cœna oblatus est Christus mortalis, nunc verò offertur immortalis & gloriosus, & ratio differentiæ est, quia ita offertur in sacramento, sicut est in propria specie, variato tantùm modo locali vel sacramentali: sicut autem hæc differentia non causat in ipso Christo, nisi accidentalem statum, ita etiam respectu sacrificij accidẽtalis est: quia, nec substantiam rei oblatæ, nec dignitatem, & valorem immutat.

Prima.

Secundò, differunt in proximo Sacerdote offerente, nam tunc obtulit Christus per se ipsum, nunc autem per manus & os sacerdotis, quæ differẽtia nonnulla etiam est. Quòd autem sit accidentalis, probatur facilè, quia, si principale offerens est idem, quòd per se, vel per ministrum operetur, non variat essentialiter actionem, neque secundùm rationem, vel valorem moralem: nam eleemosyna facta per se, vel per ministrum, eiusdem rationis est, neq; physicam speciem, præsertim, si proximum principium, seu instrumentum actionis, eiusdem rationis sit, vt in præsente contingit: nam, tam sacrificium, quod Christus per se obtulit, quàm quod nunc per sacerdotes offert, voce humana, & supernaturali actione ab illa vt ab instrumento procedente, perfectum est & perficitur.

Secunda.

Tertiò differũt in effectu morali, quia in nocte cœnæ sacrificium illud fuit meritorium, & satisfactorium, vt fuit à Christi persona, nunc autẽ, vt est ab eadem, nec meritorium est, nec satisfactorium: quia iam illa persona nõ est in statu merendi, & satisfaciendi, est tamen morale instrumentum ad applicandum effectum meriti vel satisfactionis in illo priori sacrificio inchoatæ, & in sacrificio crucis cõsummatæ, vt inferiùs latè dicetur: hæc verò differentia quoad priorem partem etiam est apertè accidentalis, cùm tantùm oriatur ex diuerso statu principalis offerentis, imò in hoc seruatur quædam proportio, nam etiam nunc proximus offerens per eã actionem meretur, & satisfacit ex opere operãtis, si in debito statu sit. Quoad posteriorem verò fere est nulla, quia etiam sacrificium cœnę fuit propitiatorium, vt suprà dixi, & efficax ad applicandam satisfactionem iã tunc inchoatã, & in passione cõsummãdam.

Tertia.

Quarta differentia assignari solet, quia sacrificium cœnæ significabat mortem Christi, tunc futuram, nunc autem significat præteritam. Quæ tamen differentia sano modo intelligenda est, nam, si ex parte ipsorum signorum orta esset, valde intrinseca videri posset, tamen re vera solùm oritur ex conditione seu statu rei significatæ. Quod ita declaro, nã significatio, quæ nõ in verbis, sed in rebus ponitur, nõ est (vt ita dicam) per modum cõpositionis, & ideò huiusmodi signa non significãt, rem preterijsse, vel futuram esse, sed simpliciter repræsentant rem, vt imago crucifixi simpliciter repræsentat Christum, nõ quidem crucifixum præterito tempore: quia re vera ita factum est, si autem fuisset ante tẽpus passionis depicta, significasset Christũ crucifigendũ ex parte rei repræsentatæ, nõ tamẽ ex parte ipsius imaginis. Ita ergo est in præsenti, & ideò hæc differentia accidentalis est, præsertim quia ex intentione Christi semper fuit hoc sacrificium institutũ, vt esset signum permanens pro eo tempore, in quo mors Christi iam esset peracta.

Quarta.

Quintò differunt, quia sacrificium cœnæ, nõ fuit imago alterius sacrificij incruẽti, sed potiùs veritas respectu præteritorum sacrificiorum, præsertim Melchisedech, & exemplar respectu nostri, nostrum autem, quanuis sit etiam veritas respectu antiquorum sacrificiorum, est vera imago, & repræsentatio ipsiusmet sacrificij cœnæ. Quæ differentia sumitur ex Dionysio cap. 3. de Ecclesiastica Hierar. par. 3. & est etiã planè accidentalis, spectat enim ad originem, & extrinsecam causalitatem non ad naturæ diuersitatẽ, sicut filius est imago Patris, & vna imago potest esse exemplar alterius, quanuis eiusdem rationis sint.

Quinta. *Dionys.*

Sextò differunt in alijs circunstantijs, vel physicis, vt sunt tempus, locus, hæc vel illa numero materia panis & vini, & similes: vel moralibus, vt quòd cum hoc ritu vel apparatu fiat: nam in hoc Christus ferè nihil adhibuit: quia ipse per se non indigebat, & pro Apostolis, vel non erat tempus opportunum, vel ipsi capaces non erant. Cõstat igitur satis, totam hanc diuersitatem accidentalem esse.

Sexta.

Ex his autem satis elicitur, quod vltimò est in cõclusióne propositum, hæc sacrificia saltem numero differre: nam ea, quæ in actióne consistunt, si diuersis temporibus tam physicè, quàm moraliter distãtibus, & à diuersis causis, & circa diuersas materias, & in diuersis locis fiant, necesse est numero distingui, ità verò cõparãtur hęc sacrificia nã, & in actione cõsistũt, & inter ea tota illa diuersitas reperitur: & ideò nõ satis est, vt res principaliter oblata eadem numero substãtialiter sit, vt sacrificia hæc non distinguãtur numero, quin potiùs in nostro sacrificio plures Missæ sunt sacrificia numero diuersa, vt sumitur ex Leone Papa, epistol. 81. solũ quia, vel diuersis tẽporibus, vel in distinctis locis, à diuersis personis offerũtur: ergo multò magis reperitur distinctio numerica inter sacrificium cœnæ, & nostrum sacrificiũ.

Sacrificium Eucharistiæ cum sacrificio crucis in re oblata conuenit in sacrificandi modo differt.

Dico secundò, Nostrum sacrificium cõuenit cũ sacrificio crucis in re oblata, differt tamen in actione & ritu sacrificandi. Tota conclus. sumitur ex Cõcil. Tridentin. sessiõne. 22. cap. 2. dicente. *In diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit*, & infrà. *Vna enim eademq; hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Et prior pars constat ex dictis, disput. præced. sect. 1. vbi ostendimus, rem oblatam in hoc sacramento esse eundem Christum, qui se in cruce obtulit: & quãquam in accidentibus seu statu corporis Christi Domini

Con. Trid.

sit aliqua diuersitas, illa tamẽ ad rationem sacrificij nil refert, vt ex ibidem dictis, & hic in præced. conclus. facilè constat. Posteriorem partem declarat bene Algerus, lib. 1. de Eucharistia, cap. 16. quia hac ratione vnum horum sacrificiorum, sacrificium est cruentum, & aliud incruentum, hæc enim diuersitas sumpta est ex ritu sacrificandi: nam sacrificium crucis per realem passionem & mortem oblatum est, non quatenus fuit actio praua interficientiũ Christum, sed vt fuit passio voluntariè suscepta, & oblata, vt in. 1. tom. 3. part. circa. quæstion. 22. D. Thom. latè declaraui, nostrum verò sacrificium absque reali morte per realem consecrationem & præsentiam corporis & sanguinis Christi per modũ mysticæ mactationis perficitur, differunt ergo in ritu sacrificandi: vnde fit, etiam differre in significatione mystica (quãquam in morali, quæ communis est omnibus sacrificijs, conueniant) nam sacrificiũ crucis non fuit alterius sacrificij repræsentatio, vel imago: sed potiùs fuit prototypon omnium supernaturalium sacrificiorum: nostrum autem sacrificium, & verum sacrificium est, & repræsentatio illius sacrificij. Præterea differunt aliquo modo in effectu, nam sacrificium crucis operatum est nostram redemptionem quoad sufficientiam, & aperuit ianuam regni, vt latè docuit Paulus in epistola ad Hebr. Missæ verò sacrificium applicat quoad efficaciam fructum illius sacrificij, vt docet Trident. sess. 22. cap. 1. & infrà latiùs dicemus. Ex his autem differentijs, secũda de significatione, & tertia de effectu, accidentales sunt, vt facilè constabit applicando ea, quæ in prima conclusione diximus.

Alger.

Dubium.

Circa primam verò de ritu difficultas est, an sufficiens sit ad essentialem, & specificam differẽtiam inter hæc sacrificia constituendam, nam de differẽtia numerica nulla est dubitandi ratio, vt à fortiori patet ex dictis in præcedente conclusione. Quidam ergo Catholici existimant, hanc etiam differẽtiam in ritu sacrificandi esse accidentalem, non enim audẽt concedere, hæc sacrificia esse specie & essentialiter diuersa, quia Paulus in epistola ad Hebr. significat, in Ecclesia Christi non esse aliud sacrificium, præter illud, quod Christus obtulit, sed hoc non est verũ, si intelligatur de alio sacrificio, solo numero distincto: nam hoc modo vt certum supponimus, esse nũc in Ecclesia plura sacrificia numero distincta, & inter se, & multò magis à sacrificio crucis: ergo oportet intelligi de sacrificio specie diuerso: ergo illud sacrificium, quod in lege noua est, secundùm essentiam & speciem nõ est aliud à sacrificio crucis: & hoc significare videtur Soto in 4. distinctione. 13. quæst. 2. art. 1. dum ait, nostrum sacrificium esse prorsus idem cum sacrificio crucis. Et ratione cõfirmari potest hæc opinio, nam essentia sacrificij potissimũ sumẽda est ex re oblata, & ex motiuo seu ratione, sub qua in diuinum cultum offertur: sed in his non differunt hæc sacrificia: ergo illa diuersitas in ritu est tantũ materialis & accidẽtalis. Maior declaratur in primis exemplo, nam, si quis offerat agnum Deo in gratiarum actionem, quòd offerat, gladio interficiẽdo, aut alio modo sacrificando illum, accidentarium erit. Ratio autem est, quia sacrificium est actus religionis, & ideò ex obiecto suo & motiuo, sumere debet speciem & essentiam.

Dubitandi ratio. *Soto.*

Ratio difficultatis in oppositum.

In contrarium autem est, quia in primis ex testimonio Pauli nihil ad rem pręsentem colligi potest: nam, vt suprà vidimus, Paulus loquitur de sacrificio oblato ad redemptionem nostram perficiendam & consummandã: vnde iuxta mentẽ suam non tantùm excludit aliud sacrificiũ specie, sed etiam numero diuersum: aliàs non rectè concluderet, non esse necessarium aliud sacrificium cruentum, seu aliam mortem Christi: loquitur ergo de vnitate etiam numerica talis sacrificij, iuxta illud, *Introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta* non tamen excludit sacrificium, quod offertur ad applicãdam redemptionẽ iam factã, siue hoc diuersum sit numero, siue specie, à priori sacrificio: hoc enim nihil refert ad perfectionem & sufficiẽtiam illius sacrificij, quam Paulus declarare intendit. Deinde neque ratio facta sufficere videtur ad specificam, & essentialem vnitatem horum sacrificiorum: aliàs eodem argumento probaretur, etiam diuersitatem in re oblata nihil conferre ad essentialem diuersitatem sacrificij: quia sacrificium est actus virtutis, qui sumit speciem suam ex motiuo operandi, & non ex re materiali, circa quã versatur, vt, si quis det in eleemosynam, ad subleuandam necessitatem proximi, pecunias, panem, aut vinum, actus eleemosynæ erit eiusdem speciei, quanuis res donatæ in suo esse specie differant: sic ergo, si quis offerat sacrificiũ Deo in gratiarũ actionem, siue offerat agnum, siue Christum, erit sacrificium eiusdem speciei. Ex quo vlteriùs fit consequens, nostrum sacrificium non differre specie à veteribus, si sub eodẽ motiuo virtutis cõsiderentur, & in vniuersum sequitur, omnia sacrificia esse eiusdem speciei, si in eis offerendis seruetur idem motiuum diuini cultus, &, ad summùm, posse distingui secundùm rationes formales ex illis motiuis suprà positis, scilicet, quòd, vel solùm in recognitionem diuinæ excellentiæ, vel in gratiarũ actionem pro beneficijs susceptis, vel ad impetrandum noua, vel in expiationẽ & satisfactionẽ pro peccato fiãt. Quæ diuersitas per se magis pertinet ad interiores actus, quàm ad externũ sacrificiũ visibile, quod potest idem manens omnes illas appellationes recipere per denominationem à diuersis actibus internis. Hæc autem omnia sunt valde absurda, & præter communem modum sentiendi, & loquendi de sacrificio. Quis enim dicat, nostrum sacrificium esse eiusdem speciei cùm veteribus? sacerdotium namque plusquàm genere differt: ergo & sacrificium.

Dubij enodatio.

Distinctione igitur vtendũ videtur, potest enim sacrificium considerari, vel pręcise sub ratione actus virtutis, vel sub ratione externi & sensibilis signi in Dei cultum ordinati. Priori modo procedit ratio facta, & rectè concludit, si motiuum offerendi idem sit in ratione virtutis, sacrificium etiã esse idẽ: quia hæc ratio magis consistit in interiori actu, quã in exteriori: actus autem interior sumit suam speciẽ ex motiuo operandi: propter quod etiam verum est posse sacrificiũ externũ esse idẽ, & in ratione virtutis posse diuersas denominationes accipere per ordinẽ ad diuersa motiua virtutis, vt in superioribus etiã tactum est, & in sequente sectione ampliùs declarabitur. At verò, loquẽdo de sacrificio sub ratione sensibilis signi, prout de eo frequentiùs loquimur, sic dicendũ est, essentiã sacrificij multùm pendere ex re sensibili, quæ ad offerendum assumitur, & ad significandum imponitur, & cõsequenter ex ritu etiã sacrificandi, & hoc conuincit argumentum factum: nam sacrificium propitiatorium legis nouæ, & veteris, essentialiter diuersa sunt, & idem est de holocausto, quanuis in motiuo virtutis non necessariò differant. Item, hoc constare potest ex communi ratione sen-

sensibilium signorum, & rerũ artificialium, quæ simpliciter ex parte materiæ differre censentur, & hoc modo loquela Latina & Græca censentur simpliciter diuersæ, & in sacramentis ipsis, quorum essentiã consideramus ex materia & forma, quibus constãt. Hac igitur posteriori consideratione dici potest, differentiam illam in ritu sacrificandi esse essentialem inter sacrificium Christi cruentum & incruentum. Quòd patet, quia ille ritus est essentialis, & est omnino diuersus, neque enim satis est, quòd res oblata sit eadem, quia sacrificium non consistit essentialiter in re ipsa permanente, sed in actione circa illam: vnde, si actiones sint omnino diuersæ rationis, quanuis circa eandem rem materialiter versentur, erunt sacrificia diuersa, sicut in lege veteri, erat sacrificiũ *agni paschalis*, & sacrificium agni, quod *iuge sacrificiũ* dicebatur, quæ erant essentialiter diuersa ex diuerso ritu, quanuis res oblata esset eiusdem rationis: multò autem maior est diuersitas in præsente inter ritũ sacrificandi per realem Christi mortem, vel per consecrationem. Quòd autem ita simpliciter loquendũ sit, probatur ex dictis, quia sacrificium vt sic magis sumitur pro ritu externo & sensibili, sicut sacramenta. Itẽ, quia sacrificium nostrum, vnum est propter vnum ritum externum, etiam si propitiatoriũ, vel laudis, aut holocaustum esse posit, ex diuersis motiuis. Præterea, quia Sacerdotium est diuersum, iuxta diuersum sacrificandi ritum, etiã si sub eadem ratione seu motiuo sacrificium offerre posit, & ita distinguimus sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, vel Aaron: ergo similiter sacrificia præcipuè dicenda sunt differre ex ritu externo. Quod maximè verum est, quando cum ritus diuersitate aliqua etiam differentia in significatione coniungitur, vt in præsenti contingit, vt satis iam explicatum est.

Sacrificium Eucharisticum, & vetera, essentialiter differunt.

Atque ex his manet etiam sufficienter expositũ, quantum intersit inter hoc nostrum sacrificium, & omnia antiqua, simpliciter enim dicẽdum est, essentialiter differre: nam, & in re oblata, & in modo seu ritu offerendi, & in persona principaliter offerente, infinitè inter se distant, & præterea in significatione: nam illa Christum, & passionem eius futuram, hoc verò Christum realiter præsentem, passionẽ verò eius præteritam, repræsentat. Atque hinc oriuntur aliæ differentiæ in valore & efficacia, de quibus in sequentibus dicturi sumus.

SECTIO II.

In quo perfectionis gradu sit Missæ sacrificium cum alijs comparatum.

Missæ sacrificium maximæ est dignitatis.

DVobus modis possumus perfectionem sacrificij Missæ declarare. Primo, absolutè, in illo considerãdo omnia, quæ ad dignitatem eius spectant. Secundo modo, illud cum alijs conferẽdo: vtrumque ergo breuiter præstabimus. Circa priorẽ ergo partem est rursus considerandum, in sacrificio reperiri, vt paulò antea dicebamus, & exteriorem ritum sensibilem, & significationem, & honestatem virtutis. Dicendum est ergo, in his omnibus habere sacrificium Missæ maximam quandam excellentiã & dignitatẽ: nam primò, quod ad ritum attinet, res oblata est infinitæ dignitatis, modus autem offerendi in se, & quoad substantiam suam (vt sic dicam) est maximè supernaturalis & diuinus, quoad sensibilẽ verò actionem est simplicissimus, mundissimus, & facillimus: nihil ergo amplius in ritu sacrificandi ad perfectionem eius desiderari potest.

In ritu.

In significatione.

Secundò, quod pertinet ad significationem, est etiam in hoc sacrificio suprema, quæ esse potest, tam in rebus significatis, quàm in modo significandi. Est enim expressa quædam, & viua imago passionis Christi, & consequenter Incarnationis, & aliorum Christi mysteriorum, quibus nihil altius & excellentius operatus est Deus. Et (quod mirabilius est) hæc ipsamet significatio fit media alia actione diuina prorsus ac supernaturali, per quam eadem res, quæ vno modo significatur, alio modo fit realiter præsens, & sub eisdem signis sensibilibus contenta. Vnde etiam fit, vt diuina virtus & sapientia in huiusmodi sacrificatione perfectissimè manifestetur. Ac denique in ordine etiam ad offerentem hoc sacrificium, quantum in se est, significat animum valde religiosum erga Deũ, & ad Christum maximè gratum, nam hic fit perfectissima quædã professio diuinæ potentiæ, & dominij in omnem creaturam, quam ad nutum voluntatis suæ vnico verbo transmutare potest, fit etiã eximia quędam cõfessio supremæ excellẽtiæ & maiestatis, quæ tanta est, vt res infiniti valoris, ei debeat in sacrificiũ offerri. Fit denique grata commemoratio beneficiorũ Christi, & caritatis erga humanũ genus: est ergo sacrificium hoc in sua significatione perfectissimum. Omitto efficaciam & valorem, de quibus inferiùs dicendum est.

Habet Eucharisticum sacrificium eminenter omnium aliorum perfectiones.

Tertiò, quod spectat ad honestatem virtutis, reperiuntur in hoc sacrificio coniũcta bona omnia, quæ in alijs sacrificijs diuisa reperiebãtur, vt in superioribus tactum est, & nunc breuiter explicatur, nam in primis hoc est honorariũ sacrificium, quod alio modo, *holocaustum*, dici solet, vt ex his, quæ nunc diximus, satis patet: nam prima ratio sacrificij est ad tribuendum Deo honorem, illi proportionatum, quantum homo potest, ad hũc autem finem aptissima sunt omnia, quæ in hoc sacrificio interueniunt, præsertim principale offerens, res oblata, & modus offerẽdi: ex perfectione ergo eius satis cõstat, hunc esse primarium finem huius sacrificij, quod, & verbis, & factis, quantum potest, Ecclesia declarat in modo offerendi hoc sacrificium: nam hoc maximè pertinet ad perfectionem & sanctitatẽ ipsius.

Est enim holocaustum.

Sacrificium laudis & gratiarum actionis.

Conc. Trid. Dionys. August.

Secundò, est hoc sacrificium laudis, & gratiarum actionis, vt eodem ferè discursu facilè ostendi potest, & tradidit Trident. sess. 22. cap. 2. idemque docuit Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch. par. 3. & August. in Enchiridion. c. 109. & epistola. 120. & lib. 20. cont. Faustũ. c. 21. & lib. 1. cont. aduersar. legis & Proph. c. 18. vbi de hoc sacrificio exponit illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, dicẽs. *Quod est sacrificium laudis, nisi gratiarum actio? aut vnde Deo maiores gratiæ sunt agendæ, quàm per Christum Dominum nostrum, quod faciunt fideles in Ecclesiæ sacrificio?* Hinc etiã Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 32. dicit, instituisse Christũ huius sacrificij oblationẽ, *ne nos ingrati esse Deo videremur*, affertq; verba Malach. 1. *Nomen meum glorificatur inter gentes, & nomini meo offertur sacrificium purum*, quæ verba ad priorem rationẽ sacrificij honorarij applicari possunt. Addit deniq; Chrysost. homil. 24. in 1. ad Cor. per hoc sacrificiũ specialiter esse laudandũ Deum, propter tantũ beneficiũ in ipsomet sacrificio nobis collatum.

Irenæus. Malach. 1. Chrysost.

Propitiatorium. Conc. Trid. August. Cyprian.

Tertiò, est etiã propitiatoriũ hoc sacrificium, vt idẽ Conc. Trident. docuit, & August. epist. 59. & lib. 1. cont. Crescon. c. 25. & serm. 32. de verb. Apostoli. Cypr. lib. 1. epist. 6. Amb. 1. Officior. c. 48. Damas. in serm. de defunctis (si tamen illius est) vbi etiã Athanasius refertur. Idq; ostendi potest, nã, teste Paulo, sacerdotium ordinatur ad propitiandum peccatoribus, iuxta illud ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: in lege autem noua institutum est perfectissimum sacerdotium: oportet ergo, vt aliquod sacrificium propitiatoriũ illi respondeat, quod pro peccatis offerat, quod non est, nisi in mysterio Eucharistiæ, vt suprà ostendimus. Tandem, quia hoc propitiatio est per modum applicationis & efficaciæ ex opere operato magis declarabitur in his, quæ de efficacia huius sacrificij posteà dicemus.

Ambr. Damas.

Impetratorium.

Et ex ibi dicendis constabit etiam esse hoc sacrificium impetratorium: nam in eo repræsentatur passio Christi, & ideò aptissimum est ad impetrandum omnia bona, quæ passione sua Christus nobis promeruit: nam, sicut Christus nunc in cælo pro nobis orans, & passionem suam Patri repræsentans, magna bona nobis impetrat, ita etiam per ministros suos sacrificium hoc Patri offerens, suamque passionem commemorans, idem impetrationis beneficiũ nobis cõfert. Sũt ergo in hoc vno sacrificio collecta bona omnia, omnesque virtutis rationes, quæ in cæteris omnibus sacrificijs excogitari possunt, vt rectè concludit Trident. in dicta sess. 22. cap. 1. dicẽs, hanc esse hostiam, *quæ per varias sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur, vt pote, quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur*, iuxta id, quod in Missa Dominicæ sextæ post Pentecosten, Ecclesia orat, *Deus, qui legalium differentiam hostiarum, vnius sacrificij perfectione sanxisti*. Qui modus loquendi Patribus etiam frequens est, vt patet ex Leone Papa, serm. 7. de pass. August. 20. cont. Faust. cap. 21. 17. de Ciuit. cap. 20. Chrysost. in Psalm. 95. qui id colligunt ex eo, quòd hic Christus offertur, qui per vetera sacrificia adumbrabatur, in eiusque fide propitiatoria erant, & impetratoria. Neque contra hanc veritatem occurrit noua hæreticorum obiectio, quæ difficultatem ingerat, præter eas, quæ in superioribus expeditæ sunt.

Trident.

Leo Pap. August. Chrysost.

Omnia simul antiqua sacrificia Eucharisticum infinitè superat.

Ex his facile est, alteram partem huius sectionis expedire, potest enim hoc sacrificium, vel cũ sacrificijs veteribus, vel cum sacrificio, quod Christus per se ipsum obtulit, conferri. In priori comparatione non est, quod denuo immoremur, satis enim ex dictis constat, non tantùm singula, sed etiam omnia illa sacrificia in vnum collecta, ab hoc nostrũ infinitè superari, tum in principali offerẽte & re oblata, quę infinitæ est dignitatis, tum in modo offerendi, vt sæpe dictum est. Item, in efficacia ex opere operato, & in valore ad impetrandum, propter realem Christi præsentiam & oblationem: Denique, quia excellentiori modo complectitur omnem honestatem sacrificij in illis diuisam. Solùm videri possunt sacrificia vetera superare hoc nostrum in proportione quadã ad repræsentandum sacrificium cruentum Christi, quia illa etiam cruenta erant. Sed neq; in hoc excellunt, quia illa significabant per alienum sanguinem: hoc verò per proprium Christi sanguinem, quẽ realiter præsentem continet: vnde illa proportio seu cõuenientia in effusione cruenta valde materialis est, quæ puritatem legis gratiæ non decebat, sed alia magis mystica, quę altior est, & à sensibus abstractior.

In secunda comparatione, si illa fiat cum sacrificio cœnæ, nulla ferè est: quia ostensum est, esse sacrificia eiusdem rationis, & consequenter eiusdem essentialis perfectionis, quanuis in accidentali aliquo modo differant, & mutuò se excedãt, vt ex dictis facilè sumi potest. Hinc est illud Chrysost. homil. 2. in epis. 2. ad Timoth. *Sacra ipsa oblatio, cuiusuis meritis Sacerdos illam offerat, eadem est, quam dedit Christus, nihil habet ista, quam illa minus, &c.* Si verò cõparatio fiat cũ sacrificio cruento crucis, cùm idẽ in vtraq; sit principale offerens, eademque res oblata, simpliciter dici possunt hæc sacrificia æqualia: nam hæc duo capita sunt, ex quibus simpliciter pendet perfectio sacrificij. In reliquis verò se habet sicut excedens, & excessum: nam in genere moris oblatio crucis superat in difficultate, & maiori quadam diuina dignatione assumpsit enim maxima mala pœnæ, quæ pro nobis obtulit, vnde ex hoc etiam capite, & ratione status offerentis, illud etiam sacrificium excessit in actuali merito & satisfactione, tamen hoc sacrificium excedit in modo oblationis, quia, & fit per actionem magis supernaturalem ac modo impassibili, & ideò sacrificium crucis magis aptum fuit ad operandam redẽptionẽ: vtrumq; verò in ratione sua optimũ est.

SECTIO III.

Vtrùm ratio sacrificij Missæ potior & prior sit ratione sacramenti.

COmparatio hæc fieri potest, vel ad rationem sacramenti in communi, vel in particulari ad illam rationem sacramenti, quæ in mysterio Eucharistię reperitur. Priori modo vix potest cõparatio fieri, cùm illæ rationes quasi genere differant, si formaliter sumantur præcise ac abstractè, si tamẽ considerentur, vt in his, vel illis rebus existere possunt, infinitam possunt recipere varietatem. Eo tamen modo, quo comparari possunt, iam suprà insinuauimus, rationem sacrificij vt sic, altiorem esse ratione sacramenti: quia immediatiùs ad diuinum cultum, diuinamque maiestatem & excellentiam significandam ordinatur, quanuis in particulari fieri possit, vt aliquod sacramentum, propter mysteria, quæ continet, aut propter efficaciam, vel alias similes causas, excellẽtius sit aliquo sacrificio, vt constat de nostris sacramẽtis ad sacrificia vetera comparatis. Hoc autem de isto sacrificio dici non potest: quia certum [illegible] solùm in formali ratione sacrificij, sed etiam [illegible]tia ipsius rei, & mysterijs, quæ continet, [illegible] sacramẽta ab ipso realiter distincta, vt [illegible] potest ex his, quæ suprà diximus de excel[illegible]sterij Eucharistiæ super omnia alia sacramen[illegible] illa manifestè procedũt de toto mysterio Eucharistię, sub quacũque ratione considerentur. Id quod euidentiùs cõstabit ex his, quæ statim addemus. Negari autem non potest, quin alia etiam sacramenta legis nouæ excedant hoc sacrificium in efficacia gratiæ, vt infrà videbimus: hic autem excessus est tantùm secundùm quid, oriturq; ex propria ratione sacramẽti: ordinatur enim magis directè & per se ad personas sanctificandas. Omissa ergo generali cõparatione, dicendum solùm est de ratione sacramenti & sacrificij, prout in mysterio Eucharistię inueniuntur, quæ in tribus comparari possunt, scilicet, in prioritate durationis seu temporis, in dignita-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

te seu perfectione, in ordine naturæ seu causalitate, & de singulis breuiter dicemus.

Ordine durationis Eucharistia, vt sacramentũ & sacrificiũ coæqualis.

Primò igitur de ordine durationis dicendum est, in mysterio Eucharistiæ, si propria comparatio fiat, nullum esse ordinem durationis inter rationem sacraméti & sacrificij. Probatur ac declaratur, nam, & in sacrificio considerari potest sacrificatio, ac terminus per sacrificationem effectus seu oblatus, & in sacramento considerari potest effectio sacramenti, & sacramentum iam factum (omitto vsum sacramenti, qui extra rationé huius sacramenti est, & constat esse tempore posteriorem, tam ratione sacramenti, quàm sacrificij, iuxta ea, quæ in præcedente disp. tractata sunt) vt ergo proportionalis fiat comparatio, debet actio cum actione, & terminus cum termino comparari: sic igitur constat, sacrificationem non solùm simul tempore esse cum effectione sacramenti Eucharistiæ, sed etiam secundùm rem, eãdem actioné esse, & eadem ratio est de terminis: nam illa res, quæ est terminus huius actionis, & est res sacrificata, & sacramentũ permanens. Quocirca, etiã si actionem sub quacunque ratione sacrificij, aut sacraméti in fieri, cũ huiusmodi termino comparemus, simul tépore sunt, neq; est propriè inter ea durationis ordo: quia, licèt exterior actio, quatenus fit per prolationem verborum, priùs tempore incipiat, quàm fit terminus seu sacramentum in facto esse, quia illa prolatio successiuè fit, & sacramentum non incipit esse perfectum vsq; ad vltimum instans prolationis, tamen actio propria & intrinseca, per quam fit terminus sacrificij & sacramentũm, non est successiua, sed in vnico instante perficitur, in eo, scilicet, in quo prolatio verborum absoluitur, & ita in eo instãte simul est effectio & terminus, tam sacrificij, quam sacramẽti. Solùm est consideranda differentia, nam sacramẽtum potest aliquo modo dici essentialiter perfectũ, cùm primum vnius speciei consecratio absoluitur, sacrificium autem minimè, donec vtriusque speciei consecratio finiatur, vt vidimus. Atque hoc sensu dici potest sacramentum priùs tempore incipere esse, quam sacrificium, saltem quoad essentiam sacrificationis, quanuis non quoad rem oblatam, quę tota incipit esse sub qualibet specie, neq; etiam quoad completam, & integram entitatem sacraméti. Cuius differentiæ ratio est, quia ratio sacramenti in hoc consistit, quòd significet, & contineat Christum, vt cibũ dantem vitam animæ, & spiritualem refectionem, & efficientem vnioné sui corporis mystici cum suo capite, & mẽbrorũ eius inter se; quę tota significatio essentialiter reperitur in qualibet specie, & quanuis per duas pluribus modis fiat, illi tamen necessarij nõ sunt ad essentiam, sed tantùm ad integritatem sacramenti. Sacrificium autem requirit mysticum mactationem, & expressam repræsentationé mortis Christi, quæ in consecratione vnius tantũ speciei nõ reperitur, vt suprà declaratũ est. Hac ergo ratione dici potest essentia sacraméti priùs tempore perfici, quã sacrificium. Atq; eadem ratione docent fere omnes, vtramq; specié magis esse necessariam propter perfectioné sacrificij, quã sacramenti, ideóq; faciliùs posse vnam speciem ab altera separari in vsu sacramenti, quàm in effectione sacrificij. Quin potiùs hinc fit posse in rigore, vsum sacramenti antecedere sacrificium essentialiter perfectum, posset enim aliquis cõmunicare, statim post consecrationé corporis, antequã sanguis conficiatur: posset, inquã, ita vt factũ teneret, nã licitè non existimo fieri posse, moraliter loquendo, vt excludam casum ignorantiæ inuincibilis, aut, si fortasse in aliqua necessitate extrema id fieri sine peccato posset: si tamen ita fieri contingeret, posset, non solùm vsus, sed etiam effectus sacramenti, antecedere perfectionem sacrificij, & effectũ eius: quia, si sumatur dignè vna species, statim datur effectus sacramenti: effectus autem sacrificij non datur vsque ad consummatã essentiam eius, per vtriusque speciei consecrationem. Quo fit, vt (secluso huiusmodi extraordinario euentu, qui moraliter nunquam accidet) effectus sacrificij ex se tempore antecedat effectum sacramenti: quia, cùm sacrificium cõsistat in actione, non habet vsum à se ipso distinctum, sed ipsamet sacrificatio est vsus sacrificij vt sic, & ideò statim ac essentialiter efficitur sacrificatio, datur effectus sacrificij, nimirùm cùm primum absoluitur vtriusque speciei consecratio: at verò in hoc sacramento distinguitur vsus sacramenti, & effectus datur in ipso vsu, qui semper fit posteriùs tépore, quàm consecratio.

In rei dignitate sacrificium & sacramentum, quoad terminos, æqualia in perfectione, si terminus cũ via comparetur.

Secunda cõparatio proposita est in dignitate seu perfectione, quæ fieri potest, aut in esse rei, aut in esse virtutis. Priori igitur modo, si comparatio cum proportione fiat, nulla ferè hic locum habet, quia, vt ex dictis patet, non solùm est æqualitas, sed etiã identitas: nam eadem actio, quæ est sacrificatio, est effectio sacramenti, & eadem, quæ est res oblata vt terminus sacrificationis, est sacramentum in facto esse: sub hac igitur consideratione non potest vnum esse perfectius alio. Quanquam, si sacrificiũ (vt solet) propriè sumatur pro actione sacrificãdi, & sacramentũ Eucharistiæ pro re permanente, & iam facta, sic dici potest sacramentum perfectius, quàm sacrificiũ eo modo, quo perfectior est terminus actionis, quàm actio, per quam fit: sic autem etiam dicendũ est, sacrificium hoc sumptũ pro re oblata perfectius esse sacrificatione & effectione sacramenti: est enim eadem proportio. Quòd si obiter quæras, comparando sacrificationem ipsam cum vsu sacramenti, quid perfectius sit, dicendum est, sacrificationem esse perfectiorem, quia vsus sacramenti solũ fit per localem applicationem sacramenti, sacrificatio autẽ fit per ipsam effectionem sacramenti: nobilior autẽ est sacramenti effectio, quàm applicatio, tum in ipsa actione sensibili, quæ est locutio, tum maximè in supernaturali actione, per quam fit: quæ tam est excellens, vt non solùm applicationem sacramenti, verũ etiã effectioné gratiæ sacramentalis, quæ ad illam applicationem consequitur, superare videatur: quia nobilioré habet effectũ, Christũ, scilicet, qui est totius gratiæ fons. Et hæc sufficiant de comparatione in esse rei.

Sacrificatio perfectior sacramenti vsu.

Sacrificatio in esse virtutis perfectior sacramenti effectione.

Altera verò cõparatio esse potest in esse virtutis, quæ nõ habet locum inter terminos, sed inter actiones, & hoc modo iam diximus, sacrificationé ex ratione formali sua perfectiorem esse vsu & effectione sacramenti: si ergo hæ duæ rationes ad idem mysterium, cæteris paribus, applicentur, perfectior etiã in illo erit ratio sacrificij: quod nihil aliud est, quàm dicere, melius esse, conficere corpus Christi in Dei honorem & cultum, quàm in vtilitatem fideliũ. Propter quod dixit D. Tho. suprà q. 63, art. 6. cultũ Dei potissimùm pertinere ad Eucharistiam, vt sacrificiũ est. Sed contrà, nam etiam sacrificium ad nostrã vtilitatem ordinatur, scilicet, vt aliquem effectum ex opere operato nobis afferat: quãquam in hoc minoré habeat excellentiã, quã eadẽ Eucharistia, vt sacramentũ est, quia nõ dat gratiã sanctificantẽ, sed ipsũ remittit

Obiectio.

remittit pœnam temporalem, vt infrà videbimus; alioqui verò, etiã vt sacramentum est, ad cultũ Dei refertur: nã vsus eius ad religionem spectat; & vnio caritatis ac sanctificatio, quæ inde consequitur, ad maximũ Dei cultũ pertinet: hæc enim est, quã Deꝰ maximè intendit, & propter illã præcipuè totum hoc sacramentũ instituit: ergo, pẽsatis omnibus, ratio sacraméti & vsus eius perfectior est. Et cõfirmatur, quia ipsummet sacrificiũ, quodãmodo ordinatur ad sacraméti vsum: hæc enim sacrificatio (quæ est ipsamet cõsecratio) eò tendit vt per eam fiat panis vitæ, qui fit animarũ cibus & refectio: ergo hic est finis maximè intentus ac præcipuus. Respondetur in his actionibus, quatenus rationem studiosi actus habét (sic enim nunc à nobis considerãtur) in primis respiciendũ esse ad id, quod vnicuiq; actui ex suo proprio obiecto cõuenit; & sub hac ratione actio sacrificandi excellentior dicitur ex vi obiecti sui: quia per se & immediatè ordinatur in cultũ Dei & significationé animi subiecti & grati erga ipsum quæ ratio honestatis maxima est inter omnes morales: nam ipsa nostra sanctificatio ordinari debet ad Dei gloriã, vt in finé; & ideò ratio sacraméti, vt sic non est tã perfecta, neq; tam proximè ac perfectè continet cultũ Dei vt sic. Neq; refert, quod ex opere operato effectus sacraméti maior, vel melior sit: nã hoc nõ pendet ex honestate actionis, sed ex institutione Christi qui voluit, & instituit, per actũ minùs nobilem in ratione virtutis maiorem effectum dare: quanquã hoc ipsum sit sub controuersia: non enim est certum, sacrificium vt sic, non dare gratiã ex opere operato; & præterea constat, posse impetrare illã, & aliunde etiam superaré in ratione causæ quia saltem per hunc modum impetrationis, quoslibet effectus gratiæ obtinere potest, & non solũ sumentibus prodest, vt sacramentum, sed etiam alijs, vt postea videbimus. Ad confirmationem respondetur sacramentũ propriè ac per se loquendo nõ esse finem sacrificij: nam per se solum tẽdit ad ré oblatam vt sic; quasi materialiter vero inde fit, quod eadem res, quæ fuit terminus sacrificij, aptissima fuerit, vt ad vsum sacramenti institueretur.

Dilutio.

Naturæ ordine terminum termino, vel actionem actioni adaptando, sacrificium & sacramentũ æqualia.

Circa tertium de ordine naturæ nihil fere dicendum occurrit: quia, si cum proportione fiat comparatio, nulla est hic causalitas propria, & consequenter nec naturæ ordo, id est, si actionem sacrificandi cum effectione sacraméti, & terminum sacrificationis cum sacramento iam facto comparemus: nam re ipsa sunt idem, & ita non habent inter se causalitatem; si autem sacrificationem cum sacramento iam facto conferamus, sic antecedit quidem sacrificatio naturæ ordine, si sola actio consideretur: quia actio antecedit suum terminum. Si autem sub sacrificatione terminum includamus (prout includi debet, saltem prout in ipso instante sacrificationis attingitur: quia non potest intelligi sacrificium peractum, nisi iam intelligatur res oblata) secundum diuersas rationes, sacrificium & sacramentum erunt prius, vel posterius: nam ordine intẽtionis videtur prior ratio sacrificij, vt ex dictis in præcedente pũcto sumi potest, nam est maxime intenta: vnde in genere causæ finalis, dici aliquo modo potest natura prior, cuius signum etiam esse potest, quia potestas sacerdotalis, quæ data est ad hoc mysterium efficiendum, primario ordinata est ad sacrificium offerendum: vnde in Ordinatione Sacerdotis hoc pręcipue exprimitur in verbis formæ. *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* Et sacerdotium Christi primario fuit ad offerendum Deo sacrificiũ crucis; & de omni sacerdotio id significat Paulus, cũ dicit sacerdotem constitui, *vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: cum ergo præcipuus actus sacerdotis, sit effectio huius mysterij, rectè dicitur, rationem sacrificij esse in illo primam ordine intentionis. At verò ordine executionis potest sacrificij ratio dici posterior, quia ex parte rei oblatæ supponit, quicquid pertinet ad rationem sacramenti: & vltra hoc requirit aliquid ad rationem sacrificij: ergo supponitur quodammodo sacramentum in genere causæ materialis: quia ad perfectionem sacrificij requiritur res oblata (vt dictum est) quæ in præsenti est Christus vt contẽtus est sub speciebus, in quo ratio sacramẽti saluatur, vltra quod ratio sacrificij requirit mactationem mysticam, seu ordiné ad illam, & quod ad Dei cultum supremum ordinetur.

Ordine intentionis sacrificiũ prius, executionis posterius sacramento.

Difficultas soluitur.

Sed supersunt duæ difficultates. Prima est, quia ex dictis sequitur, rationem sacrificij essentialiter includere rationem sacramenti, quod videtur impossibile: quia hæ duæ sunt rationes specificæ, & vltimæ, ac omnino diuersæ, quarum vna nõ potest aliã contrahere: ergo nec potest vna esse de essentia alterius. Respõdetur si sacrificium sumatur pro re oblata, sacrificium includere rationem sacramenti, quia de ratione eius est, vt sit sensibilis, & consequenter vt per sensibiles species significetur, in quo ratio sacrificij includitur. Nec satisfacit dicere, Christum significatum per species, esse rem oblatam in sacrificio, non tamen vt sic, seu quatenus significatur; & ideò necessarium non esse, vt species, quatenus significant, pertineat ad rem oblatam in sacrificio; hoc (inquam) non satisfacit, quia Christus non est res oblata in hoc sacrificio, nisi quatenus fit aliquo modo sensibilis per species: non fit autem per eas sensibilis, nisi quatenus per eas significatur, vt res sub illis contenta; in quo ratio sacramenti perficitur ergo ab illis speciebus pertinentibus ad rem oblatam non potest excludi ratio sacramenti, seu signi: quia non agimus de signo in actu, sed aptitudine, & impositione. Neque hoc est inconueniens, quia, quod res oblata dicatur hostia, vel sacrificium, solum addit habitudiné, seu denominationé ex actione sacrificandi sumptam, non est autem vllum incõueniés, quod sicut res mere sensibilis, vt agnus, verbi gratia, denominatur hostia ab actione offerendi ita etiam res mysticè sensibilis, quæ in se est sacramentum, denominetur hostia, seu sacrificium ab actione offerendi. At verò, si loquamur de sacrificio pro actione sacrificandi, sic non constituitur intrinsece ex ratione sacramenti, sed dicit habitudinem ad Eucharistiæ sacramentum, tanquam ad rem oblatam, quod nullum est incommodum, quia hęc habitudo eiusdé rationis est cũ illa quam quælibet actio sacrificandi dicit ad rem oblatam, tanquam ad materiam vel terminum suum.

Secũda difficultas est, quia sequitur, sacramẽtũ Eucharistię posse re ipsa separari à sacrificio per intẽtioné cõsecrãtis, quia sacrificiũ necessario supponit sacramentũ, & addit aliud; potest ergo minister intẽdere, verum efficere sacramentum, consecrando pané in vsum fideliũ, non intẽdendo per eã actionem sacrificare Deo: imò excludendo omnem intentionem cultus, sicut nũc faciunt Lutherani, & alij hæretici huius temporis, qui nullo modo volunt sacrificium efficere, sed cœnam Dominicam, vt ipsi aiunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aiunt, qui si supponamus, eos vti vera materia & forma, & esse veros sacerdotes, & habere sufficientem intentionem conficiendi sacramẽtum, re vera illud efficient, non obstãte quocunq; errore priuato, nõ tamen efficient sacrificium: quia, sicut sacramentũ cõfici non potest sine intentione ministri, ita neq; sacrificium offerri. Respõdetur primò, fortasse nullum esse inconueniens, totum hoc concedere, nam Doctores omnes, qui ponunt rationem sacrificij in sumptione, vel in aliqua alia actione, quæ post consecrationem fiat, necessariò concedent, posse re ipsa separari confectionem sacramenti à sacrificio, si minister iniquus velit consecrare, & nullam posteà actionem efficere ad offerendum sacrificium, quia cùm actiones illæ, non tãtum ratione aut intentione, sed etiam duratione distinguantur, facile poterunt separari, vel ex volũtate ministri, vel ex impotentia, si casu accidat, post consecrationem non posse rehquas actiones efficere. Si igitur, quanuis nos dicamus, consecrationem sacramenti, & oblationẽ sacrificij, realiter idem esse, tamen, cùm ratione formali distingui possint, vt Diuus Thomas suprà citatus significat, non est inconueniens, cõcedere, rationem sacrificij, quæ posterior est ordine excutionis, posse per intentionem ministri separari à ratione sacramenti, ita vt factum teneat, quanuis male fiat. Secundò, & fortasse probabiliùs, negatur sequela: nã ex institutione Christi hæc consecratio, & oblatio sacrificij, ita sunt necessario coniuncta, vt posita vna, non possit minister voluntate seu intẽtione sua aliã auferre; sicut substantia sacramenti & effectus eius ita sunt connexa: vt non possit minister intentione sua impedire effectum, si re vera habuit voluntatem conficiendi sacramentum. Quod quidẽ ita esse in præsenti declaratur, nam si minister re vera intẽdat conficere hoc sacramẽtum, nihilq; directè velit, quod substantiali intentioni conficiendi sacramentũ contrarium sit, consequenter necesse est, vt velit proferre verba in persona Christi, qui est principale offerens in hoc sacrificio: ergo: quãuis ex priuato errore putet, se non offerre sacrificium, aut ex iniquitate nolit cultum Deo exhibere tamen ex generali intentione necessariò offert, vel potius est instrumentum, per quod Christus offert, & cultum Deo exhibet: quanuis ergo priuata intentione excludat personalem cultum, non tamen ministerialem, maximè cum necesse sit, vt formali vel virtuali intentione velit facere, quod Christus fecit, & instituit. Quod præterea exemplo declaratur, nam, si Regis legatus in nomine & persona Regis Pontifici exhibeat honorem, factis ac verbis Regis personam repræsentans, quanuis ipse in propria persona nolit Pontificẽ colere, nihilominus vt minister alterius re ipsa id præstat: quia ad hoc sufficit intentio faciendi ministerium, quod in persona alterius fit per actiones & verba illi intentioni accommodata: sic igitur contingit in præsenti, & ideo illa consecratio, est etiam sacrificatio, & intentio necessario debet esse ad vtrunque sufficiens, quia priuatus error non abstulit absolutam voluntatem faciendi, quod Christus instituit.

DISPVTAT. LXXVII.

Disp. 5. de de Sacrificio.

De offerentibus Eucharistiæ sacrificium.

DIximus in superioribus quatuor esse necessaria in omni sacrificio, scilicet, quod, & cui offertur, qui offert, & pro quo offertur. Ex quibus duo priora explicata iam sunt: quia connexa sunt cum essentia sacrificij, quam hactenus tradidimus: qua iam exposita cum principijs intrinsecis sacrificij, reliquum est, vt causas eius extrinsecas declaremus, ad quas alia duo posteriora pertinent, nam, qui offert causa est efficiens sacrificij, de qua hic dicemus his autẽ, pro quo fit oblatio, ad causam finalẽ reuocari potest, de qua dicemus disputatione sequente.

SECTIO I.

Verùm Christus Dominus sit principalis offerens in hoc sacrificio.

Quærunt placitum.

QVidam Theologi necesse videntur, Christũ propriè in hoc sacrificio offerre, sed sacerdotis oblationem illi attribui, solùm remotè, quia oblationem huius sacrificij instituit, & iuxta eius voluntatem, & præceptum offertur, & præterea, quia merita eius in hoc sacrificio operantur. Ita videtur sensisse Scotus, quodlib. 20. & Gabr. lect. 26. & 27. in Canon. & Cord. lib. 1. q. Theolog. q. 3. circa opinionem secundam & quintam. Quæ opinio ita probari potest, quia Christus Dominus, neq; interna intentione, neq; externa actione, actu sem per offert, quoties Missæ sacrificium offertur: ergo nullo modo nunc offert tanquam offerens, seu causa aliquo modo per se: ergo solus sacerdos offert per potestatem sibi datam à Christo, & iuxta ritũ ab eo institutum: Christus autem solũ denominatione extrinseca, & vt causa remota ac per accidens poterit denominari offerens. Antecedens, quoad priorem partẽ de oblatione interna, probatur, quia gratis & sine fundamento fingeremus, Christum semper nunc esse attẽtum, & quasi solicitũ, vt semper habeat actualem intentionẽ offerendi in singulis Missis: *Non enim* (vt ait Paul. ad Heb. 9.) *in manus facta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis; neq; vt sæpe offerat semet ipsum.* Quoad secũdam verò partẽ de actu externo, sine quo sacrificiũ sensibile esse non potest, patet, tunc ex eisdem verbis Pauli tum etiam, quia tota actio externa à solo sacerdote fit. Quod argumẽtum maxime procedit si verum est, Sacerdotẽ, non formaliter, sed tantũ materialiter, verba consecrationis proferre. Vnde confirmatur quia non aliter Christus hic offert, quam baptizare vel absoluere dicatur: Christus autem non baptizat propriè & per se, sed solũ per accidẽs extrinseca denominationem: quia ab illo est virtus & institutio baptismi: ergo idem est in præsenti dicendum.

Scotus. Gabriel. Cardin.

Dico primò, Christus Dominus est summus Sacerdos qui principaliter offert sacrificium Eucharistiæ, quandocunque & vbicũque offertur. Hæc assertio ita simpliciter sumpta, certa nunc est, quam D. Thom. hic docuit ad 3. & q. præced. ar. 7. ad 3. & in 4. dist. 13. q. 1. art. 1. vbi cæteri Theologi, & Alger. lib. 3. de Euchar. à c. 5. Simeon Thessal. lib. de mysterijs Eccles. cap. 44. quem refert Turrianus, qui hanc etiam veritatem docet, lib. 4. pro Epistolis Pontif. c. 1. & in Schol. ad Clem. lib. 3. const. c. 12. Lindã. lib. 4. Panopl. c. 51. Bellarm. lib. 1. de Miss. c. 4. & probatur primò ex Scriptura sacra, tũ, quia Christũ appellat æternum *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech*, qui ordo in oblatione huius sacrificij cõpletur, & exercetur, vt in superioribus explicatum

D. Thom. Alger. Sim. Thessal. Turrian. Lindan. Bellarm.

plicatũ est, & ponderant Ansel. Theoph. & Œcumen. quia non potuit dici Christus Sacerdos æternus propter solã hostiam, quæ in cruce peracta est; sed, quia nunc perpetuo sacrificat per sacerdotes offerentes; tum etiã, quia Paul. in Epist. ad Hebr. differentiam constituit inter legem nouam & veterẽ, quod in illa plures erant sacerdotes secundum illud tempus offerentes, nunc autem vnus est sacerdos æternus, cui nullus succedit; sed reliqui omnes sunt ministri eius: sentit ergo Paulus, nunc etiam Christum offerre per sacerdotes: alioqui si Christus omnino ab hoc munere cessasset, nulla esset differẽtia in Sacerdotum pluraliter inter legem veterem, & nouam. Et iuxta hanc veritatem interpretãtur Paulum ferè omnes expositores, Chrysost. hom. 17. ad Heb. Theophil. ad Heb. 5. Haimo. 8. Ansel. 10. Secũdo insinuatur hæc veritas in Concil. Lateran. in c. Firmiter, de summ. Trinit. & fid. Cathol. quatenus in eo dicitur Christũ in hoc mysterio esse simul sacerdotem & sacrificiũ; & in Concil. Florent. in decr. Eugen. quatenus ibi dicuntur sacerdotes conficere hoc mysterium in persona Christi. Clarius hoc docuit Triden. sess. 22. c. 1. & 2. dicens eundem Christũ, qui in cœna, & in cruce obtulit, esse in hoc mysterio principalem offerentem, ideoque, propter sacerdotum offerentium iniquitatem, mundam hãc oblationem inquinari non posse. Tertio probatur ex Patrum traditione, Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 32. & 34. *Per Iesum Christum*, inquit, *offert Ecclesia.* Cyprian. Epist. 63. *Sacerdos in alt ari vice Christi fungitur, & sacrificium verum ac plenum Deo Patri offert.* Idem insinuat Euseb. lib. 1. de Demonst. cap. vlt. August. 4. de Trinit. c. 7. & 14. & lib. 10. de Ciuit. c. 20. *Christus ipse offerẽs, ipse & oblatio, cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium.* Ambros. 1. officior. c. 48. & super Psalm 38. *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificiũ, quod offertur.* Optimè Chrysost. hom. 83. in Math. *Qui tunc in illa cœna consecit, ipse nunc quoque operatur*, &c. & homil. 2. in 2. ad Timot. homil. 17. ad Heb. homil. 60. ad popul. & homil. de prodit. Iudæ, *Cum videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam*, & in Liturg. *Ipse est, qui offert, ipse, qui offertur.*

Chrysost. Theophyl. Anselm. Cæ. Later. Floren. Trid. Iuuenc. Cyprian. Euseb. August. Ambros.

Quarto agumentor ratione, quia Christus nunc potest semper offerre, vt principale offerẽs: ergo offert. Antecedens patet quia nũc etiam est verus sacerdos, & intercedit pro nobis, & omnia semper prospicit: nihil ergo eum impedit, quominùs possit semper offerre. Prima vero consequentia probatur, tum quia non est, cur sacerdos dignissimus perpetuò vacet ab offerendi munere, cũ illud, & pro dignitate sua, & ad maiorem Dei gloriam, exercere possit; tum etiã, quia hoc spectat ad excellentiã huius sacrificij: nam oblationis dignitas ex offerentis dignitate maximè pendet, iuxta illud, *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Et præterea hoc etiã quodammodo postulat dignitas rei oblatæ in hoc sacrificio, quæ infinita est, & purissima; & ideò à simili offerente principaliter offerri debet, vt talis oblatio nunquam fieri possit à persona, quæ non sit Deo grata, & in omnibus suis actionibus pura, & sancta: nam vt sacrificium sit purũ, nõ satis est, quòd res oblata pura sit, sed idẽ requiritur in persona offerente: quia sacrificiũ in actione & oblatione cõsistit sola autẽ Christi persona est per se sancta, & in omnibus suis actionibus rectissima: nõ ergo debuit hoc

Differẽtia inter sacrificij & sacramẽti efficiẽtem causam

sacrificiũ ab illo, quã à Christo, principaliter offerri. Vnde notanda est differentia inter sacramentũ & sacrificium nam ad sacramenti dignitatem per se necessarium non est, vt ministerium eius, quod consistit in applicatione ad vsum, sit omnino impollutum ex parte ministri, aut personæ exercentis illud ministerium; sed satis est, vt secundum eum ritũ applicetur, quo institutum est; at verò sacrificium ad suam excellentiam requirit, vt quatenus est ab aliquo offerente principali, sit omnino purum & gratum Deo: quod non posset semper infallibiliter habere hoc sacrificium, nisi Christus necessariò esset principalis offerens illius: quia solus ipse est per se immaculatus, & innocens, reliqui verò sacerdotes semper possent indigne offerre. Ecclesia verò, quanuis semper sit sancta, & in eius persona etiam offeratur sacrificium: tamen, & quandiu in hac vita militat, non omnino caret omni macula & ruga, donec in cælo triumphet; & præterea non est ipsi tam propriè offerẽs, sicut Christus, vt videbimus: neq; etiã est offerẽs simpliciter necessarium ex vi institutionis huius sacramenti: potest enim Sacerdote valide offerri, etiam si personam Ecclesiæ nõ agat, vt posteà videbimus. Ratio autem huius differentiæ inter sacrificiũ & sacramentũ nulla alia est, nisi quia sacrificium consistit in actione, cuius dignitas ex operante maximè pendet, sacramenti autem vsus magis consistit in receptione: per se enim ordinatur ad aliquid significandum, & faciendum in suscipiẽte, propter cuius vtilitatem proximè instituitur.

Actũ offert Christus & sacrificium licet per ministrũ

Dico secundò. Christus Dominus est principalis offerens in hoc sacrificio, non tantũ per accidens ac remote, sed etiam, quia aliquo modo actu offert, licet per sacerdotem offerat. Probatur, distinguendo multa, quæ in hoc sacrificio Christo possunt attribui, & declarãdo modũ, quo ad ea cõcurrit. Primũ sit institutio, qua voluit, vt in memoriam eius hoc sacrificium fieret. Sed hoc vel nihil, vel parum conducit, vt Christus principalis offerens dicatur. Primò, quia ratio seu habitudo offerentis, valde diuersa est à ratione instituentis: & hæc est omnino ab illa separabilis, nã Deus instituit vetera sacrificia, & non propterea erat principalis offerens in illis. Secũdò, hoc non satis est, vt oblatio sit mundata ex parte offerentis; Deoque accepta, vt in eisdem veteribus sacrificijs constat: erant enim à Deo instituta, & tamen, quando ab iniquis offerebantur, erant illi inuisa: quia ipse non respicit ad instituentem vt sic sed, ad offerentem, & eadem ratione hoc non satis est ad dignitatem, & quandam infinitatem sacrificij, vt in veteribus etiam sacrificijs constat: fuerunt enim instituta à Deo, qui est infinite dignitatis, & tamen in vsu habebãt solum valorem moralẽ iuxta dignitatem offerentium; & in sacrificio crucis, quanuis fuerit à Deo ordinatum (supposita iniquitate interficientium Christum) vt tamen habuerit infinitum valorem, requirimus infinitatem in persona Christi offerẽte. Quod etiam diligenter distinguendum est in sacrificio cœnæ, quòd fuit à Christo, vt ab instituente & ab offerente, infinitatem autẽ habuit ab ipso vt offerente, nõ præcisè vt instituente. Sunt ergo hę duæ rationes valde diuersæ: vt ergo Christus sit offerens, non satis est, quod fuerit instituens. Nec refert, si addas, ita fuisse instituentem, vt voluerit in sui memoriam celebrari: nã per hoc non additur habitudo offerentis, sed præcisè habitudo exẽplaris, seu rei repræsentatæ per sa-

Universidad de Deusto Biblioteca

crificium, quæ omnino etiam est extra rationem offerentis.

Secundò inuenitur in hoc sacrificio, quod tota eius virtus & efficacia in merito Christi fundatur; & hoc etiam non sufficit ad rationem offerẽtis. Primo, quia efficacia meritorum magis respicit effectũ sacrificij quam oblationem ipsam, in qua ratio sacrificij consistit: nam effectus quid secundarium est respectu sacrificij: ergo quod oblatio ipsa habeat efficaciam operandi ab ipso Christo, non satis est, vt propterea dicamus ab ipso offerri. Secundo ita explicatur, fingamus enim oblationẽ aliquã ita institui à Deo, vt habeat similem efficaciam ex sola volũtate diuina nũquid propterea dicẽdus esset Deus ipse offerens in tali sacrificio? Minimè quidem. Tertio potuisset Christus instituere aliquod sacrificiũ finitum, vt à solo ac puro homine offerretur, & haberet aliquã efficaciam, propter merita ipsius Christi: nam hoc etiam non repugnat: in tali ergo sacrificio, Christus non esset offerens, quanuis in efficacia niteretur meritis eius. Tandem, hoc nõ satis est, vt hoc sacrificium, prout nunc fit, dicatur ex parte offerentis æquale sacrificio crucis, aut cœnæ: nam illa non fuerunt infinita, quia niterentur meritis Christi, sed potius, quia illa fuerũt ab offerente infinito, ideo fuerunt etiam valoris & meriti infiniti.

Tertio considerari potest in hoc sacrificio, quod Christus per humanitatem suam physice concurrit ad actionem illam, per quam hoc sacrificium conficitur, scilicet, ad transubstantiationem, in qua ratione dici potest Christus, vt homo, principalis offerens respectu ministri, quia licet humanitas eius in ea actione instrumentaliter concurrat, est tamen instrumentũ coniunctũ, & (vt sic dicã) præcipuum organũ diuinitatis. Et hæc quidẽ efficiẽtia aliquid confert ad rem, de qua agimus: quia vnum ex requisitis ad offerẽdũ sacerdotali modo in hoc sacrificio est, vt, qui offert, concurrat ad actionẽ sacrificandi, non tamen hæc sola ratio per se sufficit: quia alia est habitudo efficientis, alia offerentis, Deus enim efficit eandem actionẽ, & tamen non offert. Quarto igitur addendum est, quod sacerdos conficit in persona Christi, & tanquã legatus eius, ipsum repræsentans; & in hoc videtur D. Tho. ponere hanc Christi oblationem, & re vera videtur sufficere, etiam si nihil aliud intercederet: ibi enim reperitur quædã habitudo moralis ad Christum, vt ad colentẽ Deũ, quamuis per aliũ, sicut qui dat eleemosynam per famulum, rectè dicitur principalis donans; & licet famulus sit iniquus, si ipse est iustus eleemosyna illa est mũda apud Deum. Et similiter orationes Ecclesiæ per sacerdotes dicuntur principaliter fieri ab Ecclesia & exaudiri, esseq; acceptę Deo propter Ecclesiæ sanctitatem, quanuis contingat, sacerdotes proxime orãtes prauos esse. Quinto ad maiorem perfectionem, & rei explicationẽ addere possumus, Christum Dominum in eo met concursu, quo concurrit cum sacerdotibus ad huius sacrificij actionem, se gerere, vt supremum Dei cultorem, & intercessorem pro hominibus: quia totam illã suam actionem ordinat in cultũ Dei, eamq; Patri repræsentat in memoriã suæ passionis, vt hominibus propitius sit. Quod quidẽ ita posse à Christo fieri est euidẽs, supposito priori principio, nam, si actu concurrit ad omnia sacrificia actu de illis cogitat, & vult cõcurrere: quia nõ concurrit tanquam inanime instrumentum, sed per intellectum & voluntatem: ergo eadem facilitate potest sub ea ratione & intentione cõcurrere: nil enim refert, quod loco distet, aut, quod per se ipsum sensibilia verba non proferat, cũ hæc non sint de ratione offerentis vt sic, vt per se constat: maximè cũ Christus in cælo existens intueatur omnes actiones ministrorum suorũ, & possit velle, in omnibus & per omnes Deũ colere, & pro hominibus intercedere. Quod autẽ ita fiat, facile ostẽdi potest ex dictis in prima assertione; & quia hoc est melius & perfectius, magisq; conducens ad dignitatem & valorem huius sacrificij: nã licet aliquis eleemosynã mittat per ministrum, tamen magis misericordẽ se ostendet, & meliori modo operabitur, si, dũ minister eleemosynã confert, ipse per se se (vt possit) ad elargitionem concurrat, eiq; actu consentiat, & similiter, quanuis honor à Rege per suũ legatũ exhibitus, habeat quandam specialem dignitatẽ à persona Regia, tanquam à principali honorante per suũ ministrũ, multum tamen secundũ moralem existimationẽ adderetur, si Rex per se ipsũ (vt posset) cõcurreret. Sic igitur in præsenti ad exactã perfectionem huius sacrificij, & vt omnino æquale sit ex parte offerentis sacrificio crucis, & cœne, oportet, vt Christus per se ipsum aliquo modo offerat, & non tantũ per legatum repræsentantem, & hoc modo melius saluatur, quod nunc exercet munus sacerdotis summi, & æterni: nã ad offerẽdum tantũ per aliũ repræsentantem, fuisset satis, aliquando exercuisse munus sacerdotis: nam potest aliquis repræsentare eum, qui fuit, & in persona eius offerre.

Quare Christus modo, quandocunq; hoc sacrificium offertur, principaliter offerre dicatur.

SECTIO II.

Vtrùm omnes & soli sacerdotes offerre possint hoc sacrificium, vt proprij ministri illius.

DVæ possunt esse esse extremę sententiæ. Prima docet, nullos requiri sacerdotes ab Ecclesia rite Ordinatos ad hoc sacrificiũ offerendum, sed quoslibet fideles ad hoc sufficere, vel saltem eos, qui à populo, vel magistratibus, deputãtur, tanquã ministri ad hoc munus peragẽdũ. Hæc est sẽtẽtia hæreticorũ, qui vel in eo fundãtur, quod in hoc mysterio nihil supernaturale fit, sed tantum ceremonia quædã & significatio exterior; vel quia simul negant hoc mysteriũ esse verũ sacrificiũ, sed solũ quoddã cõuiuiũ cũ aliqua significatione & cõmemoratione Christi, quod totũ à quolibet ministro ab hominibus deputato peragi potest; vel tandẽ, quia nunquã legimus, Christũ Dominũ aliquid aliud instituisse, vel postulasse in huiusmodi ministro, sed generatim omnibus dixisse, *Hoc facite, &c.*

Hæreticorũ absonũ placitum.

Secũda sententia extremè cõtraria est, nõ omnes Sacerdotes etiã rite Ordinatos, posse hoc sacrificiũ offerre, sed solũ eos, qui sunt ab Ecclesia tolerati: excludũtur itaq; ab hoc sacrificandi munere sacerdotes excõmunicati, suspẽsi, depositi, degradati, schismatici, hęretici; ac deniq; omnes ab Ecclesia pręcisi atq; ita excluduntur, vt nõ solũ malè faciãt, si sacrificare tentẽt, verũ etiã omnino nõ sacrificẽt. Hanc sententiã secutus est Magist. sent. dist. 13. vbi Scotus q. 2. in eam est propẽsus, cuius sententiã refert, & non improbat, Gab. ibi. q. 1. art. 3. dub. 2. eandẽ tenuit Guillel. Paris. in tract. de sacram. Ordinis, & Grat. in c. Quod quidã 1. quæst. 1. vbi multa ex Patribus adducit, vt hanc sententiam cõfirmet: dicũt enim interdũ Patres extra Ecclesiã esse nõ posse vera sacrificia. Hæretici ergo, etiã si alioqui sacerdotes fuerint Ordinati, non offerunt verum sacrificiũ: idẽ ergo erit de quibuscunq; alijs sacerdotibus ab Ecclesia præcisis: quia est omniũ eadẽ ratio. Assumptũ patet ex Aug. lib. sent. ca. 15. & ex Hiero. Aggæi. 2. Amos. 5. & Dialog. cont. Lucifer. vbi cũ dixisset malos sacerdotes posse offerre sacrificium, subdidit, *Hoc de Catholicis intelligendum est non de hæreticis*. Quæ omnia & similia in illa causa. & q. 1. referuntur.

Aliorum sententia.

Magister. Scotus. Gabr. Guillel. Par. Gratian.

August. Hieron.

Hæretici cõfutantur.

Prior harum sentẽtiarũ, simpliciter & sine distinctione vlla, hæretica est; nã & principijs nititur hæreticis, vt retulimus, & principijs fidei repugnat. Etenim verũ sacrificiũ offerri non potest, nisi à vero Sacerdote, ex Paulo ad Heb. 5. Sed hoc est verũ sacrificiũ: ergo. Item, hoc sacrificium offerri non potest, nisi in vero corpore & sanguine Christi: sed nullus habet potestatem in corpus Christi verum, nec potest validè illud cõficere, nisi solus sacerdos ritè Ordinatus, vt supra ostensum est, cũ de ministro sacramenti Eucharistiæ ageremus. Dicendum est ergo, solũ sacerdotẽ ritè Ordinatũ habere potestatẽ offerendi hoc sacrificiũ, ita vt, si alius id facere tẽtet, nihil efficiat. Quæ assertio de fide certa est colligiturq; ex Cõcil. Nicen. c. 14. negat enim, diaconũ habere potestatem offerendi hoc sacrificium ergo à fortiori, idẽ negat de omnibus inferioribus itẽ ex Cõc. Arelat. 1. c. 15. vbi idẽ rescribitur, & ex Flor. vbi ponitur hæc forma Ordinandi sacerdotẽ, *Accipe potestatem offerendi, &c.* est ergo hæc potestas tantũ apud illũ, qui Ordinatus est sacerdos. Idẽ significauit Conc. Trid. sess. 22. c. 1. docens, *Christum in nocte cœnæ Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, eorũq; in sacerdotio successoribus, vt offerent præcepisse per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*; & can. 1. anathema profert in eum, qui negauerit Christum prædictis verbis, *Hoc facite, &c.* instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliiq; sacerdotes, offerrent corpus & sanguinẽ suum, quod repetit sess. 23. c. & can. 1. dicens, sacrificium & sacerdotiũ esse coniuncta, & ideo esse in Ecclesia sacerdotiũ visibile, ad quod propriè spectat potestas offerendi hoc sacrificiũ. Eandẽ veritatem eleganter tractat Aug. lib. qq. veter. test. q. 46. Hieron. Epist. 127. ad Fabiol. de veste sacerdotali: preter illos quos de ministro Eucharistię suprà citaui. Ratio tacti est à Cõc. Trid, quia determinatum sacrificium requirit determinatũ sacerdotẽ: nã hæc duo iuxta diuinã ordinatiõnẽ coniuncta sunt. Vnde præcipuè in lege veteri, vbi sacrificia fuerunt diuinitus instituta, sacerdotes etiã fuerunt speciali lege & ritu ex diuina etiã institutione Ordinati multò ergo magis in lege noua, in qua omnia sunt perfectius constituta & ordinata, debuit speciale sacerdotiũ cũ speciali sacrificio institui debuitq; inter ea proportio seruari. Ideoq;, cũ sacrificiũ omnino supernaturale sit, ab eis tantũ debuit offerri, qui supernaturalẽ potestatẽ ad hoc munus haberent: huiusmodi autem sunt soli sacerdotes, qui in sua Ordinatione illã recipiũt, vt ex verbis formæ cõstat; alij verò, neq; ex se illam habent, cũ non sit naturalis; neq; à Christo receptã: nullibi enim eã dedit, quia verba illa, *Hoc facite*, ad solos Apostolos vt sacerdotes, & ad eorũ in sacerdotio successores dicta sunt vt traditio, & Ecclesia declarauit. Tandẽ solus sacerdos potest consecrare, vt suprà ostensum est; & nemo offert nisi consecrando, vt suprà etiam ostendimus: ergo solus sacerdos potest offerre. Quæ vltima ratio non sufficeret per se ad ostendendum, esse de fide prædictam veritatem: quia fundatur in opinione nostra supra tractata de essentia sacrificij, & ideo diximus, illam opinionem esse valde consentaneam atque conformem principij fidei.

Solus sacerdos ritè Ordinatus sacrificiũ hoc offerre potest.

Conc. Nicẽ.

Arelat. Florent.

Trident.

August. Hieron.

2. Sententia examinatur

Secũda sentẽtia triplicẽ potest habere sensum. Primus est, sacerdotes pręcisos, ideo nõ posse sacrificiũ validũ offerre, quia nec possũt sacramẽtũ Eucharistiæ validè cõsecrare; & hoc sensu hæretica est: ostẽdimus enim in superioribus, cõsecrationẽ factam à vero sacerdote sufficiente forma, & intẽtione circa debitam materiam, Validam esse secundum fidem.

Secundus sensus huius sententiæ esse potest, sacerdotes præcisos ab Ecclesia licet possit validè cõsecrare, & sacramentũ Eucharistiæ conficere, nõ tamen posse eã cõsecrationẽ efficere sub ratione oblationis & sacrificij: quia ad rationẽ sacrificij propriè dicti necesse est, vt offeratur à sacerdote, vt ministro publico, & mediatore inter Deum & populum sacerdos autem præcisus non potest iam subire vicem mediatoris inter deũ & Ecclesiam: quia nemo potest hoc munus subire, nisi consentiẽte Ecclesia, & per sacerdotẽ offerente atq; petẽte, quod tamen per sacerdotẽ præcisum facere nõ vult, sed potius illũ priuat hoc ministerio, quãtũ potest. Atq; in hoc sensu sentẽtia hæc nõ videtur aperte hæretica: quia nullibi est expresse damnata: est tamẽ omnino falsa. Dicendũ itaq; est, omnem sacerdotẽ, quantũuis ab Ecclesia præcisum, posse validũ sacrificiũ efficere, & offerre, etiã si non licitè faciat. Ita sentit D. Tho. q. pręced. art. 7. & 8. & in 4. dist. 13. vbi reliqui Theologi, Bonauent. ar. 1. q. 1. Albert. Magn. art. 30. 31. 32. Durand. q. 1. ad 2. Palud. q. 1. artic. 3. Soto. q. 1. art. 8. Alens. 4. part. quęst. 35. membr. 5. & 6. Gabr. lect. 27. in Can. Alger. libr. 3. de Eucharist. cap. 10. Probatur autẽ sigillatim de omnibus prauis sacerdotibus; & primò quidem de his sacerdotibus, qui solũ per peccatũ mortale sunt ab Ecclesiæ caritate interius separati, extra controuersiã est, si in eo statu offerant, sacrificium esse validum, quod videtur mihi de fide certum: quia, licet non inueniatur sub his terminis expresse definitum, tamen sub generalibus definitionibus satis continetur; scilicet quod potestas Ordinis supernaturalis non aufertur per peccatũ mortale; neq; ita ligatur, quin, si operetur, factum teneat, quando potestatẽ iurisdictionis simul non requirit; potestas autem sacrificandi potestas Ordinis est, & ad suum actum iurisdictionem non requirit: ergo eadẽ ratio est de illa, quæ de potestate conficiendi sacramentum: nõ ergo aufertur per peccatũ mortale, nec ita ligatur, quin, si operetur, factum teneat. Secundò hinc fit, idem dicendum esse de hæretico, propter eandem rationem cum proportione applicatã: nam potestas Ordinis, sicut non aufertur per alia peccata, ita nec per hæresim; neque magis necessaria est fides, quã caritas, vt actus talis potestatis validè exerceatur: quia sine fide potest quis habere sufficientem intentionem exercendi talem factum, & applicare omnia necessaria, sicut sine caritate: sed hæc omnia æquè procedunt de potestate sacrificandi: nam etiam hic actus per se loquendo, est solius potestatis Ordinis, & sine fide possunt applicari omnia necessaria ad illum

Charactere sacerdotali insignitus, qualis sit, si vere consecrat, verum itidem offerat sacrificium necesse est.

D. Thom. D. Bonauẽt. Albe. Mag. Durand. Palud. Soto. Alens. Gabr. Alger.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad illum cum sufficiente intentione, sicut & ad cõficiendum sacramentum: ergo sicut hæreticus potest cõficere sacramentum, ita & sacrificare. Et confirmatur, quia aliàs si Parochus esset hæreticus tantũ mẽtalis, hoc ipso priuaret fideles fructu veri sacrificij; quod cõtra omnem rationem est, vt magis patebit ex sequẽte mẽbro. Tertiò itaq; hinc efficitur, per nullam Ecclesiæ prohibitionem, censuram, aut pœnam posse fieri, vt sacerdos priuetur hac potestate; aut etiam vsu eius quoad hoc vt sacrificiũ factũ teneat, sed ne licitè fiat. Prior pars de potestate constat ex eo, quod character sacerdotalis est indelebilis: sed hæc potestas datur per impressionem characteris; & ideo in hoc sensu definit Cõc. Trid. sess. 23. can. 4. eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri non posse. Altera vero pars de valore actus sequitur ex præcedente, nam, suppositа potestate, quæ tantũ est potestas Ordinis, nõ potest impedire Ecclesia, quominùs, si ea potestas applicetur ad operandum, cum debita forma, materia, & intẽtione, validũ habeat effectũ: nõ enim potest Ecclesia irritare actũ solius potestatis Ordinis, suppositа debita materia, & alijs requisitis, vnde in hoc eadẽ est ratio de sacrificatione, quę de cõsecratione, vel cuiuscunq; alterius sacramenti effectione. Vnde sumitur vltima ratio, nã cõsecratio facta à quocunq; sacerdote præciso valida est, licèt præuè fiat: ergo sacrificium oblatum à quocunque sacerdote præciso, verum sacrificium est, quãuis præue fiat. Antecedẽs supra ostensum est esse de fide: consequentia probatur ex dictis, tum, quia est æqualis ratio; tum etiam quia ostendimus, sacrificationem in ipsa consecratione consistere nec posse vnam rationem ab altera re ipsa separari, si consecratio vtriusq; speciei perficiatur: quia necesse est, consecrationem fieri in persona Christi, & intentione faciendi, quod ipse fecit & instituit.

Conc. Trid.

Præcisus ab Ecclesia sacerdos: offerre poterit sacrificium, vt Christi minister nõ vt Ecclesiæ.

Tertius sensus illius secũdæ opinionis esse potest sacerdotes præcisos non posse offerre sacrificiũ, vt Ecclesiæ ministros, & in persona ipsius Ecclesię, & quoad hoc potest aliquid verum continere, si rectè explicetur. Nam in primis non est propter hãc causam negãdum, huiusmodi sacerdotem, sicut verus sacerdos est, ita etiam esse verum ministrum sacrificij, si illud offerat: nam ad hoc ministerium per se ac intrinsece necessarium non est, vt gerat personã Ecclesiæ, sed vt gerat personã Christi, ad quod habet potestatem, ratione sui characteris, & ideo semper potest in persona eius verba proferre, quod satis est, vt etiam offerat tãquam minister eius, & hic est sensus præcedentis assertionis. Vltra hoc autem habent sacerdotes ex commissione Ecclesiæ, vt nomine suo orent intercedant, & offerant; & quoad hoc, potest Ecclesia priuare sacerdotem præcisum, ne suo nomine sacrificet: nam, cũ hoc habeat ex cõmissione Ecclesiæ, ab eadem potest eo munere priuari; & hoc est, quod in hoc tertio sensu dicitur. Quod vt clarius fiat, distinguere possumus in Missa substantiam sacrificij ab alijs orationibus, & ceremonijs: nã licet totum illud ministeriũ fiat à sacerdote, vt à qublico ministro inter Deũ & homines constituto diuerso tamen modo: nam in his, quæ sunt de institutione Christi, id est, in substãtia sacrificij, per se gerit personam Christi, à qua habet potestatem, & cuius personam repræsentat, & minister existit: vnde sub hac ratione nõ comparatur Ecclesia ad sacerdotem, vt principale offerens ad ministeriale; sed vt populus ad publicũ ministrũ datum à Deo; & ideo non potest ab illo potestatem auferre sic offerẽdi pro quocunq; voluerit, quãuis possit non concurrere nec consentire cum illo, nec velle, quantum in ipsa est, per eum offerre eo modo, quo dicemus sectione sequenti, posse populum fidelem per sacerdotes offerre: nam huiusmodi modus concurrendi pendet ex voluntate Ecclesiæ, & cuiuscũque offerentis in sua proportione. In his autẽ, quæ sunt ex institutione Ecclesiæ, vt sunt orationes publicæ & ceremoniæ, propriè se habet sacerdos vt minister Ecclesiæ, in cuius persona loquitur, & operatur; & ideo ab eadẽ potest omnino tali ministerio priuari & ita fieri cẽsendũ est, per Ecclesiasticas cẽsuras, vt in proprio loco latius sumus dicturi. Et hæc doctrina sumitur ex D. Thom. q. præced. art. 6. & 7. ad 3.

D. Thom. Ad rationes oppositarũ oppinionum respõdet.

Ad hæreticos nihil est quod respondeamus, nã omnia quæ assumunt, falsa sunt, & in superioribus satis improbata. Catholicos autẽ reverà existimo locutos fuisse in tertio sensu explicato, quãuis fortasse rẽ totam nõ satis distinxerint, & vnũ ministeriũ cũ alio cõfuderint. Quod autẽ à Patribus dicitur, extra Ecclesiã non esse verũ sacrificiũ, exponitur à Glos. in c. In Ecclesia. 1. q. 1. *non esse verũ*, id est, efficax, & fructuosum, tam offerentibus, quam cooperantibus; quæ expositio est consentanea D. Thom. suprà q. 62. ar. 7. ad 3. & q. 82. ar. 7. ad 1. & 2. eãq; magis explanabimus, disp. 79. declarando, quibus possit esse fructuosum sacrificium ab iniquo ministro oblatũ. Alia vero expositio esse potest, extra Ecclesiam, id est extra ritũ, quẽ seruat Ecclesia, nullũ esse verũ sacrificiũ: quia in lege gratiæ nullũ est verũ sacrificiũ, & Deo acceptũ, nisi Eucharistiæ sacrificiũ quod proprium est Ecclesię Christi, & intra eam solã rite ac rectè offerri potest, & debet. Quod si hæreticus, vel alius ab Ecclesia exclusus, illud offerat, quãuis extra Ecclesiã offerat, sacrificiũ tamen Ecclesiæ offert, quod eatenus efficere potest quatenus characterẽ retinet, ratione cuius aliquo modo ad Ecclesiã pertinet, quod etiam in hæreticis verũ est. Vnde verba illa, quæ ex Hieronymo referebantur, scilicet, *Hoc de Catholicis dico, non de hæreticis*, re vera apud Hieronymũ non legũtur, sed eam expositionem addidit Hieronymo Gratianus, vt constat ex cap. Sicut Christus. q. Sed hoc de peccatore, cũ Glos. 1. q. 1. vnde potius ex eo textu apertè colligitur, Hieronymũ docuisse ita habere malũ sacerdotem potestatem sacrificandi, sicut & baptizandi.

SECTIO III.

Vtrùm alij fideles possint esse offerentes in hoc sacrificio.

Fideles etiã nõ sacerdotes offerre possunt hoc sacrificium. D. Thom. Alcuinus. Rupert. Raban. Pet. Dam. Innoc. Gab.

OMittimus infideles, quia cũ extra Ecclesiã sint nõ solũ offerre nõ possunt, verum etiã neq; pro eis potest hoc sacrificium offerri, vt disp. sequenti videbimus. De fidelibus antẽ concors est Catholicorum sententia, eos esse posse offerentes in hoc sacrificio, quã significatiõe D. Tho. hic. q. 82. ar. 6. & 7. ad. 3. vbi expressius loquitur de orationibus, quã de substantia sacrificij. Clarius hoc docuit Alcuinus de diuinis officijs, c. de cel. b. Miss. Rupert. lib. 1. de diuin. offic. c. 6. & 7. Rabã. lib. 1. de instit. cleric. c. 32. Pet. Dam. Epist. 12. c. 7. & 8. Innocẽt. lib. 3. de hoc myst. c. 5. & 6. Gabr. lect. 27. in Can. Turria. in Scholijs ad Clem. lib. 8. Const. c. 12. & ex antiquioribus Patribus significat Irenæus, lib. 4. cont. hæres. c. 32. & 34. & Aug. 10. de Ciuit. c. 20. dicens, *Quotidianum esse volunt Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerre*, & Leo Pap. Epist. 81. c. 2. dicit, iuxta populi amplitudinem plures eodem die Missas esse dicendas, *Ne aliqua pars populi sacrificium offerre non possit*, in quibus verbis supponit, populũ audientem Missam simul cum Sacerdote offerre. Colligiq; videtur hæc veritas ex illis verbis canonis Missæ, *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: quorum verborum Innocentius supra duas affert expositiones. Prior est, *pro quibus tibi offerimus*, id est, pro populo seu fidelibus laicis non sacrificantibus, *vel qui tibi offerunt*, id est pro sacerdotibus sacrificantibus. Posteriorem addit his verbis; *Vel ideo dicit; pro quibus tibi offerimus, quia non solum offernnt Sacerdotes, sed & vniuersi fideles*; & hæc est communior expositio & intelligentia, quæ clarius colligitur ex verbis, quæ in eodem canone inferius adduntur; *Hãc igitur oblationem seruitutis nostræ sed & cunctæ familiæ tuæ*: ideo enim oblatio totius familiæ dicitur quia tota ad illam offerendam aliquo modo concurrit. Vnde inferiùs additur, *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi tui Domini nostri Iesu Christi, offerimus præclarę maiestati tuæ*: ergo plebs fidelis simul cum Sacerdote offert; & similes loquendi modi in alijs liturgijs reperiuntur. Imo fundamentum etiam habet in Scriptura, in qua populus dicitur offerre & sacrificare, Exod. 3. *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto*. Num. 28. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debebis*. Leuit. 23. *Offerentis holocaustũ Domino*: vbi sermo est ad ipsam plebem: nã, vt ait August. lib. qq. veteris testamẽti. q. 46. ille dicitur offerre, cuius sunt oblationes, quas super altare ponit Sacerdos, ipsique imputatur sacrificium, cuius munere offeruntur. Ratio autem huius veritatis reddi potest ex natra ipsius sacrificij, quod esse debet cõmune omnibus: quia est cultus publicus & solennis totius populi; & quia offerre sacrificium Deo, omnibus hominibus est quodammodo naturale: ergo necesse est, vt in omni lege omnes possint offerre sarificiũ, per se, vel per manus Sacerdotis: ergo idem seruari debuit in lege gratiæ, vt, scilicet, non solũ sacerdotes, sed etiam reliqui fideles, offerre possent. Quo sensu dixisse videtur Concilium Tridentinũ, sess. 22. c. 1. reliquisse Christũ Dominum dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, *visibile sicut hominum natura exigit, sacrificium*: datũ ergo est hoc sacrificium vniuersæ Ecclesiæ, vt ipsa illud offerat, quãuis per sacerdotes, quibus potestas offerendi specialiter commissa est, vt inferius dicit idem Cõcilium; & ideò c. 6. addit, Missas omnes, quantũuis priuatim dicantur, cõmunes esse censendas; quia à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrẽtur: dicuntur enim pro eis celebrari, non tantum, quia pro eis offeruntur, sed etiam quia ipsorum nomine, tanquam eorum sacrificio, offerũtur. Et hanc rationem tetigit Paschas. lib. de corp. & sang. Domini, capit. 9.

Turrian. Irenæus. Augus. Leo Pap. Exod. 3. Num. 28. Leuit. 23. Augus. Cõc. Trid. Hebr. 5. Chrysost. Greger. Paschas. Rubsium.

Sed difficultas superest in explicando, qualis sit hæc denominatio offerẽtium, & à qua actione, vel concursu fidelium circa sacrificium, sumatur: nam

offerre, nihil aliud esse videtur, quã oblationem efficere; in actione enim consistit: vt ergo aliquis dicatur offerens, necesse eũ, vt ad ipsam oblationem efficiendam aliquo modo concurrat; quod non videtur posse attribui laicis, seu non sacerdotibus: ergo non possunt verè dici offerentes. Minor declaratur in hunc modum, nam duplex intelligi potest oblatio, vna est interna per interiorem deuotionẽ fidelium, alia est externa, in qua proprie cõsistit visibile sacrificiũ: aut ergo fideles dicuntur offerentes, solũ propter interiorem oblationẽ, vt significauit Per. Dam. supra dicẽs, quod Sacerdos offert, ab omnibus offerri. *Quia, quæ ille Deo offerendo manibus tractat, hæc multitudo fidelium intenta mentium deuotione commendat.* Sed hoc non satis esse videtur, quia sacrificiũ visibile consistit in actione externa, per quã fit aliquid circa rẽ oblatã: ergo actio mere interior non satis est: nam illa nõ est sensibilis; & quãuis possit circa rẽ oblatã, vel, etiam circa sacrificiũ ipsum, tanquam circa obiectum suum, versari tamen re vera nihil per eam fit circa rẽ oblatam: denominatio autem offerentis est denominatio operantis aliquo modo oblationem, vel aliquid circa rẽ oblatã, quasi transiens in illam; quod per illam actum merè interno non fit. Et cõfirmatur, quia multi possunt offerre interiori deuotioni, qui tamen non dicuntur offerre oblatione sacrificali (vt sic dicam) ergo hæc interior oblatio non satis est. Antecedẽs patet, quia beati, & angeli possunt interiori affectu offerre id, quod sacerdos offert in altari, vt significant Chrysost. homil. quadam de Euchar. & alia homil. in Encenijs, in 5. tomo. & Gregor. 4. Dialog. c. 58. & Beatissima Virgo assistẽs sacrificio crucis, quod Christus vt sacerdos offerebat, interiori effectu ipsum etiam Patri offerebat; & tamen non propterea poterat dici offerens, tanquam sacrificãs aliquo modo. Quin potius, non solũ præsens sacrificium, sed etiam præteritum, potest hoc modo interiori affectu offerri: quæ oblatio non satis est ad rationem sacrificij, neq; ad participationem eius in ratione sacrificantis: sic enim Christus Dominus etiam nunc in cælo existens, passionem suam pro nobis offert, & nos similiter possumus interiori affectu, non solum sacrificiũ Christi incruentum, sed etiã cruentũ offerre Deo. Hic ergo solus concursus per interiorẽ deuotionem non satis est, vt fideles dicantur offerẽtes, tanquam sacerdoti consacrificantes: necessarius ergo videtur aliquis externus concursus, quem tamen explicare difficile est: quia solus Sacerdos est proprium principium illius actionis, vt patet, tum ex illo ad Hebr. 5. *Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*; tum etiam, quia ad consecrationem nullo modo concurrunt fideles, sed solus sacerdos: sacrificatio autem in consecratione consistit. Et augetur difficultas quia interdum dicuntur offerentes hi, qui nullam actionem, neque internam, neque externam, circa sacrificium exercent: nam iuxta testimonia adducta vniuersa Ecclesia, & omnes fideles dicuntur offerre in singulis sacrificijs, & tamen non omnes habent aliquem actum, etiam interiorem circa singula sacrificij.

In hac re considerandũ est, hãc denominationẽ offerentium dupliciter posse fidelibus attribui, vno modo generalissima quadã ratione, solũ quia sunt membra Ecclesiæ, cuius nomine sacerdos offert. Secundo, speciali aliqua ratione, ac titulo. Priori modo potest dici talis denominatio, aut extrinseca, aut habitua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

habitualis, quia, vt argumentum factum concludit non potest sumi ab aliquo cõcursu actuali interno, vel externo. Denominatio autem extrinseca potest in hunc modum declarari, scilicet quia totum corpus Ecclesiæ, vt sacerdotem offerentem includit, retinet denominatur offerens: quia id præstat per membrũ suum, quasi per instrumentum ad id deputatũ sicut humanum corpus (seruanda est enim proportio) operari dicitur, quod facit manus. Si autem Ecclesia consideretur, vt condistincta à Sacerdote, tãquam populus, inter quem, & Deũ, sacerdos intercedit, dicetur offerre per sacerdotem denominatione quodammodo magis extrinseca, quatenus ille constitutus est, vt minister publicus ad præsentanda Deo totius Ecclesiæ munera: hæc ergo denominatio vtroque modo considerata ad singula membra Ecclesiæ extenditur magis adhuc impropriè: quia sunt mẽbra corporis, cuius publica autoritate, & quasi cõmuni consensu, Sacerdos deputatus est, vt sacrificiũ offerat vice totius corporis. Quatuis B enim in corpore naturali actio vnius membri, quæ tribuitur toti, nõ proprie tribuatur alteri parti: nõ enim dicitur pes videre, licet homo videat: quia nõ singula membra sunt suppositа actionum capacia, tamen in corpore mystico potest magis hæc denominatio extendi ad singula mẽbra; quia sunt per se, suppositа apta ad operãdũ, vel cõsentiendũ. Vnde etiam potest hæc denominatio habitualis, seu interpretatiua dicinã hoc ipso, quod aliquis est fidelis, censetur, consentire omnibus sacrificijs, quæ in Ecclesia fiunt, & virtualiter velle, vt suo etiam nomine offerantur, &, quantũ possit, eorũ fructũ participare: hoc ergo modo intelligenda videtur hæc denominatio, quæ valde remota est, & generalis. Alio ergo modo potest hæc denominatio esse magis specialis, & sic requirit aliquẽ specialem cõcursum, nõ tantũ internum, vt rationes supra factæ probãt, sed etiam externum, qualis erit, petere aut procurare sacrificiũ, dare eleemosynam, seu stipẽdium sacerdoti inseruire illi sacrificanti, vel denique, assistere consentiendo ac moraliter cooperando: & hæc est magis propria denominatio offerentis, non tanquam priucipij per se ac immediati actionis sacrificandi, quod est proprium sacerdotis, sed tanquam cooperãtis aliquo modo ipsi sacerdoti. Nam in moralibus qui aliquo ex prædictis modis cooperatur actioni, potest ab illa denominari; sic enim dicitur homicida, qui consulit, vel comitatur homicidam, protegẽdo illum: sic ergo in præsente dicuntur offerentes, qui aliquo modo cooperantur exteriùs oblationi. Vnde fit, vt tantò perfectius hanc rationem partici pent, quanto, vel magis, vel pluribus modis, cooperentur, & ita magis offert, qui in Missa ministrat, quã qui assistit, & sic de alijs. Et per hæc satisfactũ est rationi dubitandi propositæ.

DISPVTAT. LXXVIII.

De his, pro quibus hoc sacrificium offerri potest.

Disp. 6. de sacrificio. 2

IN hac disputatione: partim absoluemus ea, quæ pertinent ad cognitionem causarum huius sacrificij, iuxta ea, quæ in principio disput. præcedentis nota ta sunt; partim viam parabimus ad declarãdos effectus eiusdem sacrificij: nam eos causat, vel in his, qui offerunt, vel in his, pro quibus offertur.

A Dicemus ergo prius incõmuni de his, pro quibus offerri potest, deinde in particulari de viuentibus, & defunctis.

SECTIO I.

Vtrùm hoc sacrificium possit pro alijs ab offerentibus offerri.

VT tollatur ambiguitas vocis, & sensus quæstionis intelligatur, aduertendum est, offerre pro aliquo, dupliciter sumi posse. Primò, vt idem sit, quod offerre vice seu nomine alterius, quo modo sumitur apud Paul. ad Hebr. 5. dicentẽ, *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*, & hoc modo dicetur sacerdos, offerre pro omnibus his, qui cum illo, & per illũ, offerunt etiam si illis specialiter non applicet fructũ sacrificij nunc autẽ non vtimur hac voce, in hoc sensu: quia ex suprà, dictis satis constat, ad munus Sacerdotis pertinere, hoc modo pro alijs offerre. Alio igitur modo dicitur aliquis offerre pro alio, quando illi speciali intentione applicat fructum sacrificij, & ita sumitur in præsenti, & est frequẽtior vsus huius vocis, quia sacrificium non dicitur offerri pro alio, ratione sui, id est, ratione cultus: nam per sacrificiũ nõ datur cultus ei, pro quo offertur, sed cui offertur dicitur ergo pro aliquo offerri, solũ ratione fructus quatenus ei specialiter applicatur. Vnde obiter infero, ex quatuor sacrificiorum rationibus, quas suprà distinximus, scilicet, honorarij, laudis, impetratorij & propitiatorij, duas vltimas esse, sub quibus sacrificium potest pro aliquo offerri: nam in duabus primis non propriè locum habet huiusmodi habitudo nam quando sacrificium offertur solum ad honorãdum Deam propler id, quod est & propter maiestatem suam, in hoc nulla importatur habitudo ad aliquem, pro quo sacrificium offeratur, quia ibi non C consideratur fructus sacrificij, sed tantum cultus. Nisi fortasse dicatur aliquis tunc offerre pro se, quia offert ad implendam obligationem, quam habet colendi & honorãdi Deum, quod magis est habere rationẽ offerentis, quã eius, pro quo offertur; & ideo sub hac ratione non potest re vera sacrificium offerri pro alijs, quã offerentibus: quia illi soli per eum actum colunt Deũ, & consequenter illi soli possunt implere obligationem, quam habent colendi Deũ, non enim potest vnus pro alio ita collere Deũ, vt per hoc eum liberet obligatione colendi ipsum, vt principiũ suũ: quia hæc est personalis obligatio, quæ non potest per aliũ impleri, sicut est obligatio amãdi, credẽdi, & sperandi. Atq; hoc ipsum dicendum D est de sacrificio laudis, vel gratiarum actionis vt sicut quia eadem est de illo ratio. Solũ videtur posse excogitari discrimen, quia per sacrificium honorariũ tendimus in Deũ in se & propter se: colimus enim illum, propter maiestatem suã, & quia est dominus omnium, & in eo sistimus, in sacrificio autẽ laudis respicimus illum, vt benefactorẽ, & gratias illi agimus pro beneficijs collatis, Vnde fit, vt quodãmodò dici possit offerri pro his, quibus illa beneficia collata sunt, pro quibus gratiæ Deo aguntur, sub qua ratione offerri potest, non solum pro offerentibus, sed etiam pro alijs: quia nõ solũ possumus Deo gratias agere pro beneficijs in nos collatis, sed etiã pro his, quæ alijs confert. Tamen propter hanc solã causã impropriè diceretur sacrificiũ pro alio offerri: quia

ri: quia nihil per hoc ei confertur, imo neque ab eo tollitur obligatio agendi gratias Deo pro beneficijs susceptis: quia hæc etiã est personalis, & per se conueniens ac pertinens ad vniuscuiusq; rectitudinẽ & honestatem. Hæc igitur duplex ratio sacrificij nihil ad præsentẽ considerationem & habitudinem spectat. Attamen sacrificium impetratorium & propitiatorium, ex intrinseca ratione sua dicũt intrinsecam habitudinẽ ad aliquẽ, pro quo offertur: nam, qui petit, necesse est, vt alicui petat, & cõsequenter, si impetrat, pro aliquo seu alicui impetrare debet. Et similiter, qui satisfacit (quod ad sacrificium propitiatoriũ pertinet) necesse est, vt pro aliquo satisfaciat, quia propitiatio necessario est inter duos, vnũ, apud quẽ fit ppitiatio, & alterum, pro quo fit. Deniq; sacrificium sub hac duplici ratione fructum aliquem seu effectum habere potest, præter ipsum cultũ, & ideo sub his rationibus propriè B offertur pro aliquo.

Atq; hinc constat primo, sacrificiũ hoc Eucharistiæ posse pro aliquo offerri, quia constat ex dictis sacrificiũ hoc, non tantũ esse honorarium & laudis sed etiam impetratorium, & propitiatorium, necessario ergo consequitur, posse pro aliquo offerri.

Secundo vlterius manifestum est, hoc sacrificiũ posse pro ipsis offerentibus offerri; ita vt actio sit quasi immanens (vt sic dicam) & ad eam habeat offerens duplicem habitudinem, alteram agentis, alteram recipientis fructũ oblationis, quod non est propriũ huius sacrificij, sed ex generali ratione sacrificij consequitur: nam quilibet sacerdos, si impetratione aut ppiatione indigeat, potest, & debet pro se ipso offerre, dicente Paul. ad Heb. 5. *Et propterea debet* (scilicet sacerdos) *quemadmodũ pro populo ita etiã pro semetipso offerre pro peccatis*, & c. 7. *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habeat necessitatẽ quotidie (quemadmodũ sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populis*: possunt ergo sacerdotes pro se ipsis offerre. Et eadẽ ratione idẽ possunt reliqui offerentes, sacerdote inferiores; quia etiã ipsi indigent, & possunt pro se impetrare, vel satisfacere, & sunt magis priuati offerentes, quã sacerdos. De principali autẽ offerente, qui est Christus, non est sermo, quia, vt Paulus dixit, nullã necessitatem habet, vt pro se offerat, de alijs vero, qui nõ offerunt, constat etiã, ad præsentẽ quæstionẽ non pertinere: quia offerre pro aliquo supponit offerre; & ideo, qui nõ offert, nec pro se, nec pro alio offerre potest, neq; ad eũ spectat, fructũ sacrificij alicui applicare (q̃ est, pro aliquo offere) eũ sacrificiũ ad ipsũ non pertineat, neq; illius sit, quandoquidẽ illud non offert illi autem, qui offerunt, sunt veluti domini suæ oblationis, & ideo certum est, maxime pro se ipsis offerre posse.

Difficultas ergo supereſt, an etiã pro alijs à se offerre possint, q̃ primo inquiri potest de ipso sacerdote, deinde de alijs per ipsum, vel cũ ipso, offerentibus. Dico ergo tertio, Sacerdotẽ posse, hoc sacrificiũ pro alijs offerre. Est res omnino certa quam tetigit D. Th. supra q. 79. ar. 5. & 7. vbi in hoc sensu dicit, hoc differre inter mysterium Eucharistiæ vt sacramẽtũ, & vt sacrificiũ, quod vt sacramentũ prodest tantum sumenti, vt sacrificium vero etiam alijs pro quibus offertur, & in hoc sensu explicat illa verba formę sanguinis. *Qui pro vobis* (id est, sumẽtibus) *& pro multis effundetur*, id est, pro alijs, q̃ qui

A busofferri potest. Et hoc etiã confirmat cõmunis vsus & sensus Ecclesiæ, nã sacerdotes non solũ pro se, sed etiã pro alijs, sacrificia offerunt; vnde & in Can. dicunt. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Probatur præterea, quia hoc est intrinsece annexũ sacerdotali muneri: nã, vt ait Paul. ad Heb. 5. *Sacerdos pro hominibus constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*, non tantũ suis, sed etiã populi, vt posteà idẽ Apostolus explicat; & ita faciebant sacerdotes in lege veteri. Et in lege naturæ leb obtulit sacrificia pro filijs. Ergo multo magis hoc possunt sacerdotes nouæ legis: ergo & ipsum sacrificiũ nouæ legis de se aptum est, vt pro alijs offeratur. Tandẽ, id explicatur, quia sacerdos non solũ pro se, sed pro alijs orare potest, & ad hunc finem oblationem suam referre, vt eis impetret: & similiter potest fructũ satisfactionis eius alteri applicare: nam, si vnus potest pro alio satisfacere, multo magis potest sacerdos applicare alteri satisfactionis fructũ ex sacrificio prouenientem. Quod si sermonem extendamus etiam ad sacrificiũ laudis, etiam potest sacerdos offerre hoc sacrificium in gratiarũ actionem pro beneficijs collatis, vel vniuersæ Ecclesiæ, vel quibuscunque personis: sicut Melchisedech sacrificium obtulit pro victoria Abrahæ cõcessa. Dices, fieri non posse, vt hoc sacrificium pro sit alicui, nisi quatenus ipse offerens est: nam, vel denotionem habet ad sacrificium, vel non, si habet iam est offerens, si non habet, non potest ei oblatio ab altero applicata prodesse. Respondetur primũ, etiã si aliquis sit vna ratione offerens pro se, & hoc titulo suum fructum habeat, etiam posse pro eo alid quid vltra offerri, quasi ex donatione alterius, vt qui assistit Missæ debito modo, inde habet fructũ suum per modum offerentis, quanuis nihil speciale ei sacerdos applicet, vltra quem fructum potest sacerdos aliquid amplius ei applicare, pro eo offerendo: sunt ergo hæ duæ habitudines distinguendæ & notandæ, pro his, quæ de effectu huius sacrificij dicemus. Deinde respondetur, insufficiens esse illud dilẽma, fieri potest, vt aliquis sit bene dispositus, vt pro eo possit fructuosè offerri sacrificium, quanuis nullo modo offerat, concurrendo ad ipsum sacrificium, vt per se clarum est, & constabit magis ex dicendis.

Hinc vero obiter colligendum & annotandum est, sacrificium solum posse pro alio offerri iuxta capacitatem illius: quia ineptum est, operari velle in subiecto incapaci, aut dare sanctum canibus, aut sacramentum in dispositio, aut orare pro eo, cui prodesse non possit oratio, verbi gratia, damnato: sic ergo ineptum est, & contra rationem, sacrificium offerre pro eo, qui est incapax fructus eius. Vnde vlterius intelligitur, si sacrificium pro multis in cõmuni offeratur, qui non sint omnes eodem modo capaces effectus eius, ita interpretandam esse huiusmodi oblationem, & offerentis intentionem, vt pro vnoquoq; iuxta capacitatem suam offeratur, id est, vt vni prosit ad hunc effectum, alteri ad aliũ &c. Ratio est clara; quia offerentis intentio, quando aliud ab ipso non exprimitur, honesta & licita existimanda est ad hoc autem necesse est, eã prædicto modo interpretari.

Vltimo dicendum est, non solum sacerdotẽ, sed etiam quemlibet aliũ offerentẽ, posse pro alio sacrificiũ offerre eo modo, quo ad ipsum spectat, & ab ipso offerri potest. Probatur ex illis generalib?

Universidad de Deusto Biblioteca

principijs, nam vnus potest pro alio orare, & impetrare, & in hunc finem potest opera pietatis facere: ergo etiam potest sacrificiũ impetratoriũ offerre. Simile est, ꝙ vnusquisque potest satisfacere pro alio satisfactionem suam ei applicando: ergo eadem ratione potest suum sacrificium propitiatorium alteri applicare, quoad fructum satisfactionis, quod est pro illo offerre. Tandem, quia non repugnat ex natura sacrificij, quod omnis, qui offert, eo modo, quo offert, posit pro quocunq; offerre fructũ, cuius alter est capax, eiq; applicari potest: neq; etiam repugnat ex ratione talis sacrificij, aut ex speciali aliqua prohibitione, nulla enim talis ostẽditur: nõ est ergo, cur negetur hæc potestas omnibus offerẽtibus. Sed, vt hoc melius intelligatur, oportet distinguere in hoc sacrificio duplicem fructũ. Vnus est ex opere operantis, & de hoc sunt certa omnia dicta quantum ad fructum impetrationis & satisfactionis, qui de se alijs communicabilis est, vnde etiã in lege veteri, & naturæ suo modo locum habebãt quia etiam illis temporibus esse poterat, inter fideles, & Ecclesiæ membra, bonorum operum communicatio, quoad prædictos fructus. Alius fructus est ex opere operato, & quoad hunc est nonnulla difficultas, quam tractabimus disputatione sequenti.

SECTIO II.

Vtrum sacrificium Missæ debeat, vel possit, pro omnibus hominibus modo viuentibus offerri.

Ex hominibus viatoribus & in hac vita degẽtibus, quidam sunt infideles, alij fideles, vel baptizati, vel catechumeni, alij adulti, alij infantes, alij iusti, alij peccatores, & inter hos, quidã ab Ecclesia tolerati, alij vero quodammodo separati, & excommunicati. Et similiter inter infideles, quidam sunt Ecclesiæ iurisdictioni subiecti, & consequẽter eius censuris ligati, vt apostatæ à fide, quã in baptismo professi fuerũt, alij vero omnino sunt extra spiritualem & directam iurisdictionem Ecclesiæ, qui eius censuris non ligantur, vt Iudæi, & reliqui omnes non baptizati: de his ergo omnibus definienda est proposita quæstio. In qua considerari potest, quid ex natura rei liceat, seclusa positiua prohibitione, quid vero, aut ex Christi institutione, aut ex Ecclesiæ ordinatione liceat, vel prohibitum sit, ac denique, quid posit absolute fieri, ita vt factum teneat, siue licite, siue illicite fiat.

Quolibet Eucharisticum sacrificiũ pro Ecclesia membrisque ipsi colligatis offerri debet.

Dico primo, quodlibet Missæ sacrificium offerẽdum aliquo modo est pro vniuersa militante Ecclesia, & omnibus membris eius, idest, pro baptizatis viuentibus, qui, nec per infidelitatem, nec per excõmunicationem sunt ab ea eiúsue communicatione seiuncti. Conclusio est communis autorum omniũ quos statim referemus, specialiter vero circa illam legi potest Scot. quolib. 20. & Gab. lect. 20. & 27. in Can. & colligitur ex c. Visum. de consec. d. 1. ex Conc. Cabil. 2. c. 39. in verbis illis. *Nulla dies excipitur, in qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur*, & loquitur de deprecatione, quæ fit in sacrificio Missæ. Conc. itẽ Trid. ses. 22. c. 2. & can. 3. simpliciter definit, sacrificium hoc debere pro viuis offerri. Præterea ex vsu ipso

Scot. *Gabr.* *Conc. Trid.*

& verbis Ecclesiæ hoc constat: nam in Missa in primis fit oblatio pro vniuersa Ecclesia: signum ergo est, ita esse ab Ecclesia institutum. Quæ institutio, & supponit potestatem ex parte ministrorum, & aptitudinem ac sufficientiam ex parte sacrificij, & præterea obligationem inducit ita faciendi, nam sacerdotes tenentur, ritum Ecclesiæ in sacrificando seruare, & hęc est ratio à priori huius obligationis. Ratio autem potestatis ex parte sacerdotis sumitur ex munere eius, quia est mediator & intercessor apud Deum pro vniuersa Ecclesia. Ratio denique sufficientiæ ex parte sacrificij est, vel infinitas eius vel certe, quod est veluti commune bonum totius Ecclesiæ, quod omnium nomine offerri potest.

Quæsitum.

Sed quæres, quisnã fructus ex hac generali obligatione, & vniuersæ Ecclesiæ, & singulis eius mẽbris, proueniat, eis ve applicari debeat: multi enim existimant, applicandum esse singulis aliquem fructum ex opere operato. Sed, licet verum sit, posse sacerdotem, si velit, hoc facere, subintellecta conditione supra indicata, nempe, si ex parte eorum impedimentum nõ sit, vel quatenus ipsi fuerint capaces: quod tamen ita ex obligatione fieri debeat, mihi nec videtur verisimile, nec sufficiente fundamẽto affirmari. Existimo ergo, non teneri sacerdotes, quotiescunq; sacrificant, aliquem fructum ex opere operato, præsertim satisfactionis, singulis fidelibus applicare: quia neq; iure diuino ad hoc tenentur, neque ex præcepto Ecclesiæ: quia neutrum horum scriptum est, aut traditione habetur, neq; etiã ex ritu Missæ, vel omnibus verbis, quæ in canone, vel oblationibus eius dicuntur, id colligi potest: nã vt fiat vniuersalis oblatio, satis est, quod deprecatio sit vniuersalis, & quod ad efficaciam impetrationis sacrificium offeratur: nam alias, cum fructus satisfactionis definitus sit, vix aliquid superesset, quod pro aliquo speciali applicari posset; de quo latius dicemus disputatione sequente.

Qui fructus ita Ecclesiæ respõdeant, ex quolibet sacrificio.

Qui aliquem à communi oblatione excludit grauiter peccat.

Sed quæri rursus potest, an posit sacerdos aliquẽ excludere ab hac generali oblatione. Respondetur grauiter peccare, vel propter scandalum, si publicẽ id faciat, vel propter odium formale, aut virtuale: nam, licet non teneamur ex caritate pro singulis orare, tenemur tamen, eos à communibus orationibus non excludere, vt docet D. Thom. 22. q. 25. ar. 8. & 9. & tract. Nauar. lib. de orat. c. 19. n. 120. Vel deniq;, quia agit contra Ecclesiæ institutionẽ & intentionem, cuius minister & legatus est ipse sacerdos. An vero factum teneat, quanuis illicite fiat nonnullam difficultatẽ habere videtur, hinc enim apparet, fructum non applicari, nisi per intentionẽ ministri operantis, & ideo, si ipse aliquem excludit videtur fieri, vt ille sine fructu maneat, quia per intentionẽ ministri ei non applicatur, quanuis in hoc minister peccet. Sicut relinquitur aliquis absque sacramento, si minister non habuit intentionem conficiendi illud, quanuis in hoc peccauerit. Aliunde vero videtur non tenere factũ, quia oblatio & oratio Ecclesiæ generalis est ex intentione & verbis Ecclesiæ, & ideo hoc ipso, quod minister in persona Ecclesiæ, & verbis eius orat, non videtur habere potestatem ad excludendum aliquẽ. Et hoc quidem posterius verum est, quãtum ad fructum, qui prouenire potest ex parte Ecclesiæ impetrantis, & offerẽtis, illud autem prius procedit de fructu, qui prouenire posset, vel absolutè ex opere operato, vel ex priuata intercessione sacerdotis.

Quem fructum sic exclusus cõparet.

Super

Qui fructus in fidelibus ex generali oblatione prouenire possit.

Superest vero difficultas circa conclusionem ita vniuerse propositam, nam infantes baptizati in eo numero comprehendũtur, & tamen nõ potest pro eis sacrificium offerri: quia non sunt capaces alicuius fructus eius: item comprehenduntur existẽtes in peccato mortali, qui videntur indigni, vt pro eis offeratur. Tandem in Conc. Eliber. c. 29. prohibemur offerre pro energumenis, seu vexatis à dæmone, & tamen in prædicta conclusione comprehenduntur. Respondetur, infantes esse incapaces fructus ex opere operato, non tñ impetrationis, vt per se constat, & hoc esse, vt pro eis posit sacrificiũ offerri, vt ex dictis patet, & colligi potest à simili ex Clem. lib. 8. constit. c. 10. Atq; idem est de existentibus in peccato mortali: potest enim pro eis offerri, vt conuertantur, & à Deo bene disponantur. De energumenis autem certum est, excludi non debere, nam in primis illa non est culpa, sed pęna, qua non obstante, digni esse possunt, & capaces fructus, etiam ex opere operato. Deinde potest eis impetrari, vt ab illa met dæmonis vexatione, liberentur, vt patet etiam ex Clem. dicto lib. 8. c. 8. Canon autem ille Conc. Elibert. difficilis est ad explicandum, quo, scilicet, sensu, & qua ratione editus fuerit sed in primis ibi non dicitur, huiusmodi energumenos excludendos esse à generali oblatione; sed solũ, *ne illorum nomina ad altare cum oblatione recitentur*, quod forte tunc fiebat aliqua publica oratione, & propter decentiam, vel propter vitandum scandalum, eo tẽpore & loco visum est expedire, vt huiusmodi homines non nominarentur publice in altari. Vel certe intelligendus est ille canon de energumenis, qui propter publica peccata traditi erant potestati dæmonis: nam de alijs statim, can. 37. dicitur, non esse illis negandam communionem, cur ergo diceret, eis negãdam esse publicam orationem? ergo oportet, posteriorem canonem intelligere de energumenis, qui in bono statu esse credũtur, priorẽ vero de his, qui propter peccata sua, vel propter publicam correctionem, tali pœna digni censebantur: vtcunq; vero hic canon intelligatur, iam non est in vsu.

Quibus, qui letali peccato ligantur. *Qui energumenis.* *Clem. Rom.*

Eucharisticũ sacrificium pro catechumenis offerri licitum.

Dico secundo, hoc sacrificium posse etiam offerri pro catechumenis fidelibus nondum baptizatis, & fortasse, quando fit oblatio pro vniuersa Ecclesia, illi etiam comprehẽduntur: sunt enim substãtialiter (vt sic dicam) vniti Ecclesiæ per fidem, quãuis nondum sint per baptismum, vel characterẽ Ecclesiæ coniuncti. Hoc etiam confirmat antiqua cõsuetudo: refert enim Clemens, lib. 8. c. 4. 5. & 6. publicas orationes solitas fieri in Missa pro catechumenis, sicut nunc fit in die Parasceues, & idem legitur in liturgiã Chrys. Aug. etiam epist. 107. ad Vitalem dicit, Sacerdotem stantem ad altare, orare pro catechumenis, vt illis Deus inspiret desideriũ regenerationis, quam dicit esse antiquam traditionem Apostolicam, quæ etiam refertur in lib. de Eccles. dogmat. c. 30. *Obsecrationem*, inquit, *sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo, atq; in omni Catholica Ecclesia vniformiter celebrantur, vt lex credendi, legem statuat supplicandi: cum enim sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione fungantur apud diuinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscẽte, postulant & precantur, vt catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseretur.* Quæ verba leguntur etiam apud Cælest. Papam, epist. 1. ad Episcopos Gall. c. 11. & in 1. tom. operum Chrysost. hom. de Adam & Eua. An vero nunc necesse sit, semper ita fieri, vt omnia sacrificia pro ijs quoque offerantur, saltẽ generali oblatione, non constat: nam licet expositio data, scilicet, cum Ecclesia offert pro omnibus fidelibus, cõprehendi eos posse, qui reuera fideles sunt, probabilis sit, tamen etiam potest probabiliter intelligi de fidelibus tantum, qui fidem suam solenniter professi sunt, quæ professio fit per baptismum. Existimo autem consultius esse, vel pro eis offerre, vel generalem intentionem habere offerendi pro omnibus fidelibus, iuxta Ecclesiæ intentionem, vel Dei beneplacitum, nam in hoc potest esse aliquod cõmodum, & nullum periculũ. Rursus inquiri potest, quid posit hæc oblatio prodesse catechumenis, aut, quis fructus sacrificij eis posit applicari. Respondeo, posse eis prodesse, quoad fructum impetrationis, & ita esse intelligendam generalẽ oblationẽ, vt dixi: de fructu vero satisfactionis ex opere operato, probabilius existimo, non posse eis applicari, vt infra dicam. Et de hoc intelligi potest Cõc. Brach. 1. can. 35. vbi prohibetur oblatio pro catechumenis, quod etiã legitur apud Chry. hom. 3. in ep. ad Philip. loquitur, enim specialiter de catechumenis defunctis sine regeneratione baptismi.

Clem. pap. *Chrys.* *Augus.* *Cælest.*

Quem fructum catechumeni ex hac oblatione reportare queant.

Pro infidelibus non excommunicatis oblationem facere licet.

Dico tertio, Etiam potest hoc sacrificium offerri pro quibuscunque infidelibus, dummodo per Ecclesiam excommunicati nõ sint. Probatur primò, quia ex natura rei non est malum, pro his sacrificiũ offerre, neque etiam est à Christo Domino specialiter prohibitum, vt dictum est, & seclusa Ecclesiæ censura, nulla etiam interponitur Ecclesiæ prohibitio: ergo, sicut potest oratio fieri pro his infidelibus, quia sunt capaces spiritualium bonorum, seu quia sunt caritate diligendi, ita etiam potest offerri pro eis hoc sacrificiũ, quatenus impetratorium est, nam absolute & sine limitatione est institutum, & cum qualibet iusta oratione coniungi potest, vt impetrandi efficaciam augeat. Secundo probatur ex vsu veteris legis, in qua fiebãt sacrificia pro Gẽtibus, pro Dario. 1. Esdræ. 6. pro Spartiatis. 1. Machab. 12. Pro Heliodor. 2. Machab. 3. quæ consuetudo fundabatur in ratione sacrificij, quæ non erat tunc limitata ex speciali præcepto Dei: ergo idem nunc licet propter eandẽ causam: quia nostrũ sacrificiũ de se, magis sufficiens, magisq; vniuersale existit. Vnde argumentor tertio, nam idem fuit vsus hui⁹ sacrificij in Ecclesia, vt colligere licet ex Clemen. citato li. 8. c. 15. & sequentibus, vbi dicit, publicã orationẽ & oblationẽ fieri solitã pro Regib⁹ & exercitibus corũ, qui tunc infideles erãt, Cælest. etiã P. dict. ep. 1. c. 11. eodẽ modo loquitur de his infidelibus, quo de catechumenis, & in hũc modũ interpretari videtur. Paul. 1. ad Timot. 2. vbi præcipit, orationes & oblationes pro omnib⁹ fieri. Vbi idẽ sentiũt Chrys. hom. 5. & alij Græci & Latini, qui de obsecrationibus, qui fiunt in Missa, & de oblatione impetratoria, Paulum interpretantur, & Chrys. diserte dicit, pro Gentili Rege esse offerendũ. & hom. 77. in Ioa. *In mysterijs*, inquit, *communes pro non initiatis preces fundimus, & pro vniuersi orbis fructibus sacrificamus*, & Tertul. lib. ad Scapu. c. 1. *Sacrificamus*, ait, *pro salute Imperatoris*, qui tunc erat infidelis. Idẽ sentit Arnob. li. 4. cõt. Gent. in fine. Euseb. lib. 1. Demonst. c. vlt. & Prosp. lib. 1. de vocatione Gent. c. 4. tractãs in hunc modũ prædictũ lo-

1. Esdræ. 6. *1. Macha. 12.* *2. Machab. 3.* *Clem. Rom.* *Cælest. P.* *1. Ad. Tim. 2.* *Chrysost.* *Tertul.* *Arnob.*

Universidad de Deusto Biblioteca

cum Pauli,&optime omnium Aug.ep.59.Vltimo argumentor in hunc modum,nam sacrificiũ crucis pro omnibus oblatũ est etiã ꝓ infidelibus:ergo & hoc sacrificiũ,quantũ est ex se,potest pro eis offerri. Patet consequentia,quia sicut illud fuit vniuersale quoad sufficiẽtiam,ita hoc esse debuit suo modo vniuersale quoad efficaciam,seu ad applicandũ aliquo modo fructum illius sacrificij saltem per modum impetrationis. Vnde Paulus loco citato,quasi veritatis huius radicem declarans,postquam dixit obsecrationes & oblationes esse pro omnibus faciẽdas subdit. *Vnus mediator Dei & hominum,homo Christus Iesus,qui tradidit semetipsum pro omnibus.*

Est autẽ circa hanc conclusionẽ aduertendũ, dupliciter posse sacrificiũ pro his infidelibus offerri. Primo indirecte,vt quando offertur pro augmento Ecclesiæ,vel aliqua re simili,non enim aliter augetur Ecclesia,quã per infidelium conuersionem. Secundo,directe,vt quando offertur pro bono ipsorũ infideliũ,vel spirituali vel etiã tẽporali,vel in cõmuni,vel in particulari,pro hac aut illa natione, aut persona. Qui duo modi,quãuis in re sæpe coincidere videantur,differunt tamen in fine,seu intẽtione. In priori enim per se intenditur Ecclesiæ bonum. In posteriori vero magis videtur intendi bonũ aut cõmodũ ipsorũ infideliũ,quia in priori modo ex vi eius non ordinatur oblatio ad hos potius quã ad illos infideles,neq; ad hos potius, quã ad illos effectus,sed solũ ad id,quod fuerit connexũ cũ illo bono,vel quomodo Ecclesiæ,quod postulatur in modo autẽ posteriori recte potest determinari oblatio ad personas,vel effectus spirituales aut temporales,pro deuotione offerentis. Ex his ergo duobus modis,prior non solum est licitus,sed etiã frequenter in Ecclesia vsitatus fere ab initio,nam in liturgia Iacobi oratur pro extirpanda hæresi , in liturgijs autem Basilij &Chrysost.inter alia dicitur, *Domine miserere orbis terrarum,errantes reuoca,dispersos congrega*,& in Missali Romano habetur Missa ꝓ extirpando schismate, & hoc modo quotidie offerimus pro Anglia,Germania,&c.oramusq; , vt in pristinum statum Ecclesiæ suæ Catholicæ Deus prouincias illas restituat,& vt prædicatoribus gratiã conferat,auditores autem illuminet . Posterior autem modus etiam est licitus,non solum in generali(quod clarius est)sed etiam in particulari: quia nulla est prohibitio,nominãdi etiam personam,dũmodo excõmunicata non sit,erit tamen consultius & consuetudini Ecclesiæ magis consentaneum,nũquã expresse nominare personam aliquã infidelem ita vt ab alijs audiri possit,ne fortasse scandalũ aliquod,aut admirationem ingerat.

Obijci vero potest contra hanc doctrinam,testimonium August.lib.1.de Origine animæ, cap. 8. *Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his , qui sunt membra Christi?* quod de mẽbris viuis per caritatẽ explicat D.Th.supra,q.79.ar.7.ad 2.& subdit, *Et ideo in canone Missæ non oratur pro his,qui sunt extra Ecclesiã.* Ad Aug.respondet D.Tho.in 4.d.12. q.2.ar.2.quæstiun.1.ad 4.tunc offerri pro mẽbris Christi,quando offertur,vt fiant membra in actu, quæ tantum erant in potentia. Itaq; offertur hoc sacrificium pro mẽbris Christi,vel quæ iam sunt, vel,vt fiant:vnde non prodest nisi membris Christi,vel perficiendo ea,quæ iam sunt,vel impetrando,vt regenerentur : nam,licet offerri etiam possit ad impetranda eis temporalia bona , semper tamen fieri debet cum ordine ad spiritualia , & præsertim ad eorum conuersionem. Addo vero, si mẽtem Aug.spectemus,illum ibi loqui de oblatione pro defunctis, vt patet ex initio capitis, *De illis autem paruulis,qui morte præueniuntur,prius quam baptizentur,&c.*& infra refert sententiam hæretici,dicentis, *Pro eis oblationes assiduas,& offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia Sacerdotum*,in quo valde errabat,existimans,hos posse saluari,eisq; cælorum regnum posse impetrari,& ideo contra hunc errorẽ subdit Aug. *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi?* nam,cum alij,qui non sunt membra Christi, per mortem omnino fiant extra statum salutis,nullo modo potest pro eis sacrificiũ offerri,quandiu vero hic viuunt,capaces sunt salutis,eisque potest conuersio impetrari , & ideo pro eis offerri potest,& ita reuoluimur in D.Th.expositionẽ. Vlterius etiã addo,dictũ Aug.esse verũ de oblatione quoad effectũ ex opere operato,de quo etiam vera est expositio D Th.de mẽbris viuis,vt infra videbimus:nunc autẽ generaliter & absolute de oblatione loquitur,quacunque ratione fieri possit. Quod autem D.Th.addidit,in canone non orari pro huiusmodi infidelibus,verum quidẽ est, id tamen non vetat,quominus sacerdos pro eis orare possit : & in oblatione calicis Ecclesia orat, *pro nostra & totius mundi salute.*

Dico quarto & vltimo,pro excommunicatis maiori excommunicatione siue fideles sint, siue apostatæ,non licet,hoc sacrificiũ offerre publica oblatione,seu agendo publicam personam ministri Ecclesiæ. Ratio est,quia id est prohibitum in c.Nobis 2.& c.Sacris.de sentent.excom. est enim hic vnus ex effectibus maioris excommunicationis, de quo ex professo agendũ est in tomo sequente : pertinet enim ad materiam de censuris,interim legi possunt D.Th.in 4.d.18.q.2.ar.1.Sot.d.22.q.1.ar.1.Couar.in c.Alma mater.p.1.§.6.non omittam autem aduertere,sine vllo scrupulo(quidquid Sot.significet)posse sacerdotes in Memento orare pro excommunicatis,priuata oratione & intentione, quia de hoc nulla est facta ab Ecclesia prohibitio , imo aliqui dubitant,an fieri possit,de quo alias.

D.Thom. Soto. Couar.

SECTIO III.

Vtrum hoc sacrificiũ possit pro omnibus defunctis offerri.

DIstinguamus tres defunctorum ordines,quidam enim sunt valde mali,vt damnati, sub quibus infantes cõprehendimus sine baptismo decedentes. Alij valde boni, vt beati , sub quibus comprehendere possumus animas iustorum, quæ fuerunt in sinu Abrahæ,quia , licet ille status iã cessauerit,& ideo de illis nulla nobis sit quæstio, posset tamen moueri in ordine ad sacrificia,vel suffragia,quæ fuerunt in vsu veteris legis:cõputantur igitur in hoc ordine,quia nullũ malũ , nec reatum personalem habebant,sed expectabant totius naturæ remediũ,quod solus Christus in ara crucis oblaturus erat. In tertio ergo ordine sunt,qui in purgatorio existunt,qui non sunt mali , sed potius boni simpliciter,non tamen ab omni reatu immunes.

Primo igitur certũ est,non posse hoc sacrificiũ ꝓ valde malis offerri. Ita docet Aug.dicto c. 109. in Enchir.

Enchir.& li.1.de origine animæ,c.9.& 10.& li.de cura pro mortuis agenda,c.1.& Greg.34.Moral. c.13.alias 16.& 4.Dial.c.44.negat enim pro damnatis orandũ esse. Sic etiã Greg.2.epi.vlt.ad Bonifa.& habetur in c.Pro obeuntibus.13.q.2.dicit,nõ esse offerendum sacrificium *pro impijs defunctis* , id est,quando eos in mortali peccato mortuos esse cõstiterit. Similiter in Cõc.Brach.1.c.34.prohibetur offerri pro his,qui violentã mortẽ sibi inferũt. 16. q.5.c.Placuit. Et in hoc consentiunt omnes Scholastici in 4.d.45.& vniuersa Ecclesia sentit,non esse pro damnatis orãdum,quia eorum desperata est correctio,& hæc est ratio huius conclusionis. Quę vlterius explicatur primo,quia illi iã non sunt mẽbra Christi,neq; actu,nec potentia:ergo neq; illis prodesse potest passio Christi:ergo neq; pro eis potest offerri sacrificium Christi. Secundo , quia illis non potest prodesse hoc sacrificium ex iustitia, vt per se constat,neq; etiam ex misericordia:nam , vt recte dicit Bern.ser.8.in psal. *Qui habitat*,illi iam nõ sunt in statu misericordiæ,sed rigorosæ vindictæ. Tertio, damnatis nulla fit remissio culpæ,nec pœnæ,alias multiplicatis sacrificijs,posset auferri vniuersa pœna,quod est contra æternitatẽ & perpetuitatẽ illius status;sequela patet,nam,qua ratione per vnum sacrificium tolleretur aliqua pars pœnæ,per aliud simile,& cæteris omnibus paribus,posset tolli æqualis pars,ergo tandẽ posset tota absumi; quia illa pęna ex ea parte, qua diminueretur,scilicet,ex parte subiecti seu intensionis,finita est. Quod autẽ quidam dicunt de remissione per partes proportionales,fictitium & voluntarium est.

August. Greg. Mag. Greg. 2. Cõc Brac. 1. D. Bernard.

Contra conclusionem qui sentiunt.

Contra hanc conclusionẽ opinatur Glossa in c. Tẽpus.13.q.2.vbi partitionem supra positam ex Aug.in quatuor membra diuidit,addit enim quosdã mediocriter malos,qui re vera mali sunt & dãnati,non tamen propter ingentia,vel multa peccata,sed propter pauciora,vel leuiora mortalia, & ꝓ his dicit posse offerri hoc sacrificium,eisq; prodesse posse,non ad liberationem,sed ad quandam pœnæ relaxationem,& videtur posse fundari in Aug. in Enchir.c.110.dicente,quibusdam valere hoc sacrificium, *vt eis plena fiat remissio,alijs,vt tolerabilior fiat damnatio*,& c.112.permittit,opinari damnatorũ pęnas posse mitigari,dũmodo nõ asseratur,posse finiri:quin potius Innoc.3.in c.Cũ Marthæ. de Celeb.Miss.illa vtitur quadrimẽbri diuisione,quã quãm de reliqua parte huius sententię nihil asserat. Eam vero aliquos fuisse secutos refert Sixtus Senens.li.6.Biblioth.sanct.annot.47.& nõnulli Catholici,vt disp.sequenti videbimus,existimãt,hoc sacrificium posse prodesse homini existenti in peccato mortali ad remissionem pœnæ temporalis,cuius reatus mãsit ex prioribus peccatis remissis,Scot. autẽ alicubi opinatur,huiusmodi pęnã,debitam ꝓpter peccata remissa,vel etiã propter venialia,posse in inferno finiri,atq; ex hac parte posse diminui inferni pœnam. Ergo iuxta has saltem opiniones posset hoc sacrificiũ prodesse damnatis ad remissionẽ huiusmodi temporalis pœnæ.

August. Innoc. Sixtus Senen. Scot.

Respondetur authoritatibus adductis.

Respondetur,sententiam illius Glossæ omnino esse falsam,& à Theologis omnibus reiectã in 4.d. 45.vt videbimus latius in sequente tomo tractando de suffragijs. Et fundamẽtũ præcipuũ est supra tactum,quia ineptum,& contra rationẽ est,sacrificiũ pro his offerre,quibus prodesse nõ potest : sed hoc sacrificium non potest prodesse damnatis: *quia in inferno nulla est redemptio*,neq; bonũ vllũ,aut vlla misericordia,eis potest impetrari. Neq; Aug.quicquã fauet oppositæ sententiæ,nã potius illo c.110. sæpe docet,hoc sacrificium nihil posse prodesse dãnatis. *Quod si contingat*,inquit,*offerri pro his,qui damnati sunt,quia damnati esse ignoratur, valebit ad consolationem viuorum,non adiumentum mortuorum.* Quando ergo inquit,quibusdã valere hoc sacrificiũ, *vt tolerabilior sit damnatio*,nõ loquitur de his,qui sunt in inferno,nec *dãnatio* ibi sumitur pro dãnatione ęterna sed vt idẽ sit,quod *punitio, seu supplicium*; & ita verificatur dictũ Aug.in animabus purgatorij , quæ interdũ per hoc sacrificium à purgatorio omnino liberantur interdum vero minime,&sed solum aliquam pœnę diminutionem consequuntur. In c.autẽ.112.non affirmat Aug.esse probabilem sententiam asserentem,pœnas dãnatorum alleuari posse, sed non esse aperte hæreticam,sicut est illa,quæ affirmat,posse finiri:de qua re legi potest idem Aug. 21.de Ciuit.c.24. Ad Innoc.3.respondetur in primis,ipsum proponere quidem distinctionem illam quadrimembrem ,nihil tamen de ea affirmare , sed aliorum discretioni cõmittere,vt quid de illa sentiendum sit,inuestigent. Deinde,etiam illa distinctione supposita,neq; affirmat,neq; ex eius dictis colligi potest,per mediocriter malos,intelligendos esse aliquos damnatos,quomodo enim illi,qui in eo statu sunt,in quo Deum odio habent,nihilq; boni aut operari,aut sperare possunt , mediocriter mali existimari valent ? Melius ergo accommodabitur illa diuisio ad purgatorij animas,in quas, & propitiatio & expiatio cadere potest:& mediocriter boni dicentur,qui leuem aliquem reatũ pęnæ habent, & in hac vita sancte vixerunt , quibus sacrificium hoc ad expiationem valere dicitur , quia per illud facile possunt à purgatorio liberari:è contrario vero mediocriter mali sunt,qui in hac vita iniquè vixerunt,tandem vero à mortali culpa liberi,cũ magno reatu pœnæ,& aliquibus venialibus culpis,decesserunt,quibus hoc sacrificium raro ad omnimodam expiationem,frequentius vero ad propitiationem,id est , pœnarum mitigationem valere solet. Ad Scotum,& alios respondetur, eas sententias in primis falsas esse,deinde non bene applicari,nam licet demus,posse hoc sacrificium prodesse viatori in peccato mortali existenti,ad remissionem alicuius temporalis pœnæ,nõ inde fit, posse prodesse dãnato ad eundem effectum:quia hic magis est incapax salutis,totiusq; misericordiæ,& similiter,quanuis daremus,aliquam temporalem pœnam damnati posse finiri per rigorosam solutionẽ & vindictã, non inde sequitur , posse etiam per sacrificium remitti,nam tempus viæ definitum est,vt in eo possit fieri talis commutatio pęnæ,seu applicatio pœnarum Christi in remissionẽm pœnæ ignis : quia Christus solum viatorum redemptor est,non damnatorum,& ideo talis cõmutatio,vel in via debet fieri,si sub via purgatorium etiam comprehendamus,vel,si rigorose de via loquamur, in ea saltem homo debet ita vniri Christo,vt capax sit talis cõmutationis,seu applicationis passionis eius.

Secundo loco dicendum est de beatis,de quibus aliquid certũ est,aliquid vero dubium. Primo certum est,hoc sacrificium,vt est propitiatorium , nõ posse pro beatis offerri:liberi enim sunt omni malo tam culpæ,quam pœnæ:cũ plenissimã veniã & remissionem sint consecuti,imo incapaces facti sine om-

Sacrificiũ Eucharisticum vt propitiatoriũ, beatis non prodest.

omnis mali, & ideo nulla propitiatio in eis locum habeat. Secundo eſt certũ, poſſe aliquo modo hoc ſacrificium quatenus laudis eſt, & gratiarum actionis, offerri Deo pro Sanctis, ideſt, pro beneficijs in ipſos collatis, qui modus offerendi, vt ſupra dicebam, non tam propriè dicitur eſſe pro aliquo, quia re vera non applicatur ei fructus ſacrificij. Quicquid tamen de modo loquendi ſit, de re ipſa conſtat, eſſe ſanctam, Deoq; & ipſis Sanctis gratam, optant enim Deo gratias agi, non tantum ab ipſis, ſed etiam ab alijs pro ipſis, atq; in hunc modum explicantur ab aliquibus nonnullæ Patrum locutiones, qualis eſt illa Cyril. Hieroſ. catech. 5. myſtag. *Offerimus hoc ſacrificium pro defunctis ſanctis Patribus, & Epiſcopis.* Sed fortaſſe hæc verba poſſunt exponi non de Sanctis beatis, nam de illis paulo antea dixerat, *Cum hoc ſacrificium offerimus, poſtea facimus mentionem, etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum vt Deus orationibus illorũ, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras*, & ſtatim ſubdit alia verba ſupra citata. *Deinde pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis, deniq; pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificij*: non ergo ſatis conſtat, an loquatur de ſanctis iam beatis. Et quanuis de illis poſſint verba intelligi, nam in prioribus verbis ſolum Apoſtolos & Martyres nominauerat, poſtea vero mentionem facit ſanctorum Confeſſorum, tamen non eſt neceſſe, intelligi de gratiarum actione, ſed de Sanctorum commemoratione, vt iam dicã Cypria. enim epiſt. 34. de quibuſdam Martyribus ait, *Sacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones celebramus*, in epiſt. 37. quaſi explicans, quomodo pro Martyribus ſacrificium offeratur, dicit, *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*: in quorũ locorum collatione colligit Pamel. ibi nõ dici, ſacrificium offerri pro Sanctis propter gratiarum actionem, *ſed in eorum commemorationem*, ideſt, vt per eos, eorumq; recordationem, Deum deprecemur, quod ſignificauit etiam Cyril. illis verbis citatis, *Vt illorum deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras*, & ſimiliter Auguſt. 22. de Ciuit. c. 10. *Martyribus*, inquit, *non templa, ſicut dijs, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus*, & infra, *Sacrificiũ non Martyribus, ſed Deo immolamus, ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur* (ſcilicet, vt autor ſalutis, & bonorum omnium, quem per ſacrificium colimus) *Deo quippe, & non ſanctis, ſacrificat, quanuis in memoria ſacrifices eorum*, & tract. 84. in Ioan. *Ad ipſam menſam* (ſcilicet Euchariſtiæ) *non ſic eos commemoramus, vt etiam pro eis oremus, ſed magis, vt orent ipſi pro nobis.* Et eodem modo Chryſ. hom. 21. in Acta. *Pro Martyribus offerre*, inquit, *nihil aliud eſt, quam in illa hora ſacrificij vocari: nam etiam pro Martyribus magnus honor eſt nominari Domino præſente, dum mors illa perficitur, & horrendum ſacrificium, & ineffabilia ſacramenta.* Atque in hunc etiam modum exercet huiuſmodi pro martyribus & alijs ſanctis oblationem, idem Chryſoſtomus in liturgia. Et eodem fere modo hoc explicat Epiph. hæreſ. 75. ex Patribus ergo non ſatis colligitur ille modus offerendi ſacrificium pro ſanctis in gratiarum actionem.

Cyri. Hieroſ. — *Cypr.* — *Auguſt.* — *Chryſ.*

Ex his tamen teſtimonijs licet colligere alium modum offerendi ſacrificium pro ſanctis, ſcilicet, vt aliquis honor inde eis proueniat, iuxta id, quod Eccleſia dicit in Miſſa, *Vt illis* (id eſt ſanctis) *proſiciat ad honorem nobis autem ad ſalutem.* Hinc autem ſumunt hæretici occaſionem carpendi Eccleſiam, quod genus quoddam idololatriæ committat, ſacrificium Sanctis offerendo. Sed impudenter errãt nouit enim Eccleſia, ſoli Deo eſſe ſacrificium offerendũ, vt Conc. Trid. tradidit. ſeſſ. 22. c. 3. & prius Aug. li. 8. de Trin. c. 17. & lib. 22. c. 10. Oportet tamen diſtinguere ſubſtantiã ſacrificij ab alijs orationibus, quæ cum illo coniunguntur, ſacrificium ergo Deo tantum offertur in cultum, poteſt tamẽ offerri ipſi in honorem ſanctorum, ideſt, vt Deus ſanctos faciat honorari, vt par eſt, in quo nihil contra rationem fit, ſed poſtulatur à Deo quoddam honeſtum bonum, quod ex diuino auxilio maximè pendet. At vero orationes, quæ adiunguntur ſacrificio, & aliæ ceremoniæ, bene poſſunt directè offerri vel fieri in honorem ſanctorũ: quia illa non ſunt ſacrificia, nec continent cultum latriæ, ſed ſunt orationes quædam, quæ vel ſanctis directè funduntur vt pro nobis orent, vel Deo, vt ſanctos pro nobis orantes exaudiat: tamen, vt inde ſanctorum honor augeatur, talis oratio & cõmemoratio ſanctorum cũ ſacrificio coniungitur, vt Chry. loco ſupra citato notauit, quod etiã cõfert, vt huiuſmodi orationes maiorem habeant impetrandi efficacitatẽ.

Solum ſupereſt dubitandum, an poſſit hoc ſacrificium pro ſanctis offerri, etiam vt impetratorium eſt. Et ratio difficultatis eſt, quia licet ſancti nõ poſſint in gratia, & eſſentiale beatitudine augeri, poſſunt tamen denuo recipere aliquam beatitudinem accidentalem, vt nouam reuelationem vel gaudiũ aut extrinſecam claritatem, gloriam ſeu honorẽ: ergo poſſumus à Deo petere, vt hæc bona ſancto alicui conferat vel augeat: ergo poſſumus pro eis hoc ſacrificiũ, vt impetratoriũ eſt, offerre, vt nimirum hæc bona eis à Deo impetremus. Quod videtur cõfirmare vſus Eccleſiæ, ſic enim in oblatione, quam in Miſſa facimus, oramus, vt *Sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem*, & in collecta poſt cõmunionẽ interdũ petimus, vt, *ſicut Sanctis ad gloriam, ita nobis proſit ad veniam*, & in quadã oratione ſecreta Miſſæ B. Leonis P. petimus, *vt illum beata retributio comitetur.* Ac denique Chry. hom. 33. in Matt. dicit, poſſe nos aliquid facere pro ſanctis *ad mercedis retributionis adiectionem.* In contrariũ autem eſt, quia nõ videtur ad reuerentiã ſanctorũ pertinere, pro eis orare, ſed potius eos orare, vt pro nobis orent, vel Deũ, vt orationibus illorũ noſtras deprecationes ſuſcipiat, vt Cyril. Hier. dixit dicta catec. 5. Vnde Innoc. 3. in dicto c. Cum Marthæ. §. vlti. ait, ſanctos non indigere orationibus noſtris: quia, *cum ſint perfectè beati, omnia illis ad vota ſuccedunt*, & ideo mutatũ eſſe modũ orandi in quadã oratione B. Leonis: prius enim dicebatur, *Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*, poſtea vero dictum eſſe, *Vt interceſſione B. Leonis nobis hæc proſit oblatio.* Hoc autẽ cõfirmat. *Quia cum ſacræ Scripturæ dicat autoritas, quod iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem eſt ratione conſimili de alijs Sanctis ſentiendum*: q tamen dictũ non reperitur in ſcriptura ſacra, ſed ſumitur ex Aug. ſer. 17. de verbis Apoſt. & tract. 84. in Ioannem, vbi inter alia ait. *Non*

Chryſoſt. — *Cyril. Hieroſ. Innocent. 3.*

Non ſic Sanctos cõmemoramus quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed magis, vt orent ipſi pro nobis.

Sacrificio hoc impetrari poteſt beatis honor aliquis extrinſecus ex noſtrorum actibus reſultans.

Reſpondetur nihilominus, poſſe hoc ſacrificiũ, vt impetratoriũ eſt, offerri Deo ad impetrandum Sanctis gloriam & honorem: in quo, vt Innoc. citato loco notauit, non tam pro ſanctis, quam pro nobis noſtriſque proximis oramus: petimus enim, vt *magis ac magis à fidelibus glorificentur in terris*, quod noſtra eſt vtilitas & commoditas, quãtũis in ſanctorum gloriam redundet: ſicut in oratione Dominica petimus, *Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*: & poſſumus ſacrificium offerre ad hęc omnia impetranda; nec tamen propterea propriè dicemur orare, aut offerre ſacrificiũ pro Deo, ſed pro nobis, vt glorificemus Deum. Quod ſi ſit ſermo, non de honore extrinſeco Sanctorum, qui intrinſece eſt in nobis, ſed de accidẽtali gloria iam intra ipſis Sanctis, quæ cõſiſtit in illuminationibus, & gaudijs accidẽtalibus, dicendum eſt, directè nos nunquam petere Sanctis hanc gloriam accidentalem, ſed vel indirectè, quatenus ex noſtris actibus redundare poteſt: nam hæc viciſſitudo gloriæ accidentalis ſemper creditur oriri ex his, quæ in Eccleſia militante fiunt; ideoq; ſolũ vſq; ad diem iudicij eſſe duraturã, vel certe, ſi aliunde etiam oriri poteſt, habet in ſingulis beatis ſuam certam legem, ſtabilem, & independentem ab orationibus noſtris; & ideo ad nos non pertinet, pro eis orare, quantum ad augmentum huius gloriæ: propriè igitur loquendo, hoc ſacrificium non offertur pro Sanctis, niſi in quantum aliquo modo offertur pro nobis: ex quorũ actibus honor aliquis aut accidentalis gloria in Sanctos, redundat: & hæc eſt reſolutio Innoc. in d. c. Cum Marthæ. Iuxta quam intelligendum etiam eſt, quod D. Tho. ait in 4. d. 12. q. 3. ar. 2. quæſtiunc. 2. ad 2. hoc ſacrificium offerri poſſe pro pueris baptizatis, qui ante vſum rationis decedunt: cum enim certum ſit, illos ſtatim eſſe beatos, non poteſt magis pro illis, quam pro alijs Sanctis offerri. Vnde, quanuis D. Tho. dicat, illam oblationem fieri ad conſolationem viuorum, & ad ſignificandum, eos infantes eſſe de congregatione iuſtorum, ac vera membra Eccleſiæ, nihilominus neceſſe eſt, talem oblationem quoad intentionem impetrandi, vel applicandi fructum ſacrificij debito modo fieri; & adeo, licet offeratur Deo, aut in gratiarum actionem pro tãto beneficio huiuſmodi infantibus collato, aut ſimul, vt inde aliquis honor, vel gaudium in huiuſmodi innocentes redũdet, tamen quoad alios fructus non poteſt pro eis offerri, ſed vel alijs applicandum eſt ſacrificium, vel theſauro Eccleſiæ adiungetur fructus eius.

Qualiter etiã accidentalis gloria.

Pro animabus purgatorij perutiliter offertur hoc ſacrificium. — *Conc. Triden.*

Tertio loco dicendum eſt de animabus purgatorij, pro quibus certum eſt de fide, ſacrificiũ poſſe offerri, etiam vt impetratorium eſt: quia illæ animæ adhuc ſunt in pęnis, quæ per oblationẽ huius ſacrificij remitti poſſunt. Ita definit Cõc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. & can. 3. & confirmat ſatis vſus & traditio Eccleſiæ, & tradunt Doctores omnes in 3. d. 45. Qualis vero eis ſit hęc propitiatio, & an ſit omnino infallibilis, & propriè ex opere operato, attingemus diſp. ſequẽti: nam ex profeſſo diſputatio hæc, quæ vnã de ſuffragijs, & aliam de purgatorio ſupponit, pertinet ad materiam de ſatiſfactione & de clauibus, de quibus, in ſequente tomo dicendum eſt.

DISPVTAT. LXXIX.

De effectu, & valore huius ſacrificij.

Explicata eſſentia, & cauſis Euchariſtici ſacrificij, ſupereſt, vt dicamus de effectibus eius, & quia effect⁹ ex virtute ſeu valore procedit ſimul de valore dicemus. In qua re multa conſideranda occurrũt, ſcilicet, an hoc ſacrificium aliquid operetur, quid illud ſit, quomodo fiat, in qua perfectione & quantitate, in quibus ſubiectis ſeu perſonis, & à quibus ſeu per quam oblationem, quæ ſe re omnia permiſtè tractabimus: quia ita ſunt coniuncta, vt vix poſſint diſputatione ſeparari. *Diſp. 7. de ſacrificio.*

SECTIO I.

Vtrum ſacrificium Miſſæ habeat aliquẽ effectum ex opere operato.

1. Opinio.

Prima ſententia eſſe poteſt, ſimpliciter ac propriè loquendo hoc ſacrificium nullum habere effectum ex opere operato. Ita refert Pet. Soto, & tribuit hanc ſententiam Caiet. & Scot. & idẽ indicant Domin. Sot. & Cord. Sed re vera falſo imponitur hæc ſententia Scot. & Caiet. quæ omnia poſtea videbimus. Poteſt autem hæc opinio fundari, quia omnis effectus ex opere operato pendet ex Chriſti promiſſione: non enim conuenit operi vel ſigno externo, ex natura ſua: nulla autem promiſſio alicuius effectus gratiæ, legitur facta huic ſacrificio, quatenus ſacrificium eſt, diuerſa ab ea, quæ facta eſt huic myſterio, quatenus ſacramentum eſt, manducationi enim & potui carnis & ſanguinis Chriſti legimus vitæ promiſſionẽ factã: oblationi autẽ ſiu ſacrificationi, nihil legimus promiſſum. Et confirmatur, nã fortaſſe propter hanc cauſam Cõc. Trid. cum ſingulis ſacramentis tribuerit proprios effectus ex opere operato, agens de hoc ſacrificio, nullum ei effectum ex opere operato tribuit: ergo neq; à nobis ſine maiori fundamento tribuendus eſt. Confirmatur ſecundo, quia effectus ex opere operato non pendet ex voluntate miniſtri, omnis autẽ effectus huius oblationis pendet ex dignitate offerentis, magis quam ex dignitate rei oblatæ, vt D. Tho. ſupra dixit. q. 79. a. 5. quia non poteſt eſſe accepta oblatio, niſi offerens dignus ſit.

D. Thom. — *2. Opinio.*

Secunda ſententia extremè contraria eſt, hoc ſacrificium eſſe veluti vniuerſalem cauſam, quæ conferat ſeu concurrat ex opere operato ad omnes fructus, & effectus gratiæ, quos Chriſtus per paſſionẽ ſuam nobis meruit, & quacunq; via aut ratione nobis applicantur. Ita ſignificat D. Tho. Ioan. 6. lect. 6. dicens, cum hoc ſit ſacramentum Dominicæ paſſionis, continet in ſe Chriſtum paſſum, vnde quicquid eſt effectus Dominicæ paſſionis, eſt etiam effectus huius ſacramenti: vbi late loquitur de ſacramento, vt totum myſterium ſub quacunque ratione ſigni ſacri cõprehendit: q infra declarat, dicẽs, *Alia ſacramenta habent ſingulares effectus, ſed in immolatione huius ſacramenti, effectus eſt vniuerſalis pro tota Eccleſia, pro viuis & defunctis, quia cõtinetur in ipſo cauſa vniuerſalis omnium ſacramentorum, qui eſt Chriſtus*: & eandẽ ſentẽtiam indicat Ruar. art. 16. §. Manifeſta eſt, dicens, *Ad omnia valet ſacrificium altaris, ad quæ valuit victima crucis.* Fundamẽtum eſſe poteſt, quia hoc ſacrificium æquale eſt ſacrificio crucis, vt pa- *Ruar.*

tet ex principali offerente, & ex re oblata: ergo tã est vniuersale & efficax in causando, quã fuit illud in merendo & satisfaciendo. Ex qua ratione intulit vlterius (vt refertur) Catherinus in opusculo de sacrificio Missæ, & super ad Heb. 10. hoc sacrificiũ virtute operandi non niti in sacrificio crucis, neq; ab illo pendere, quia tã infinitũ est, sicut illud. Vnde, sicut illud ab hoc nõ pendet, neq; in illo nititur ita neq; hoc in illo, æqualia enim sunt, sicut in perfectione, ita & in valore, & in virtute: sunt ergo tã quã duæ causæ vniuersales, æquè primæ in suo genere: quanuis ex volũtate Christi diuersum vsum habuerint, nã sacrificiũ crucis ordinatũ tantũ fuit quoad sufficiẽtiã, hoc vero quoad efficaciã. Quod si obijcias, sequi, sacrificiũ Missæ ex opere operato dare effectũ baptismi, pęnitentiæ, & similes, respõdet, immediate & per se, negando sequelam, mediate autẽ & per alia sacramenta, concedendo illã, est enim eius virtus veluti vniuersalis causæ, quæ per se ipsam non immediate operatur, sed cum causis proximis, quæ in præsenti sunt cætera sacramenta ad hoc peculiariter instituta, vt vniuersalis virtus huius sacrificij ad speciales effectus applicetur.

Catherin.

Dico primo, sacrificiũ hoc habere effectum aliquem ex opere operato, vt proximã causam illius. Hæc conclusio non solum est contra primam sentẽtia, sed etiam cõtra secundam, quæ, nescio quã, vniuersalem causalitatem huius sacrificij excogitauit, omittit autem propriam & particularem. Est autẽ sententia hæc D. Th. sup. q. 79. ar. 5. & 82. ar. 1. & in 4. d. 12. q. 1. ar. 2. quæstiũ. 2. & apertissime d. 45. q. 1. ar. 1. quæstiũ. 3. & ar. 3. quæstiũ. 1. ad 3. Caiet. to. 1. opuscul. tract. 3. q. 2. dicit tamẽ, hunc effectũ pendere ex dispositione eius, pro quo sacrificium offertur, ex quo fortasse sumpta est occasio citandi Caiet. pro contraria sentẽtia, sine causa tñ, quia id non est contra rationẽ operis operati, vt in omnibus sacramentis constat: satis enim est, quod opus vi sua conferat talem effectum non ponenti obicẽ, & idem est sensus Scot. quodl. 20. & eandem sentẽtiam tenet Alber. in 4. d. 13. art. 31. Sot. q. 2. art. 1. & lib. 9. de iust. & iur. q. 2. ar. 2. Pet. Sot. lect. 7. de Euch. Can. 12. de locis c. 13. ad 9. Castr. verb. Missa. heres. 2. Cordub. libr. 1. quæst. q. 3. Couarr. in c. Alma mater. 1. p. §. 5. n. 6. & reliqui omnes recentiores, nec Catholicum contradicentem inuenio, ideoq; certam existimo veritatem hãc. Ne tamen fortasse sit in verbis æquiuocatio, aduertendũ est, hic non esse sermonem de causalitate physica, nec quidquam referre ad quæstionem præsentem, quia ille modus causandi, vel necessarius non est in præsente, vel fortasse non habet locũ, si verũ est, hoc sacrificiũ non dare ex opere operato gratiã gratũ facientẽ, sed solã remissionẽ pęnæ, quæ non est effectus physicus ac positiuus, sed moralis: quia nõ cõsistit in influxu alicuius qualitatis, vel entitatis physicæ, sed tantum est moralis condonatio cuiusdam debiti, quæ solũ moraliter causari potest, tñ in suo ordine dicetur cõferri ex opere operato, si ex vi sacrificij, vltra omne meritũ & satisfactionẽ operãtis infallibiliter cõferatur nõ ponẽti obicẽ. Propter q; nõnulli hũc effectũ vocãt per modũ infallibilis impetrationis, alij per modum solutionis ex thesauro meritorũ & satisfactionum Christi, non tamen refert, hoc vel illo modo loqui, quando de re cõstat.

Scot. Alber. Domi. Soto. Pet. Soto. Cano. Castro. Couar. Cordub.

Sic igitur explicata cõclusio, probatur ex cõmuni Ecclesiæ consensu, omnes enim persuasim habẽt sacrificiũ hoc ex vi suæ institutionis habere singularẽ vim & efficaciã ad applicandũ aliquẽ fructũ redẽptionis Christi, iuxta id, q; Conc. Trid. ses. 22. c. 1. dixit, Christũ instituisse hoc sacrificiũ, *vt illius* (id est, sacrificij crucis) *salutaris virtus in remissionẽ eorũ, quæ à nobis quotidie cõmittuntur peccatorum applicaretur*: q; in c. 2. latius docet: hæc autem applicatio cũ fiat ex vi institutionis, oportet, vt includat causalitatẽ ex opere operato: nam, si solũ esset ex merito vel satisfactione operantis, nihil haberet singulare hoc sacrificiũ ex vi institutionis: imo neq; in hoc superaret sacrificia veteris legis, vel naturæ: nã etiã illa habere poterant similẽ effectum ex opere operantis, vel per modum impetrationis. Quod si dicatur, hanc impetrationem esse maiorem in hoc sacrificio propter dignitatem eius, hoc nõ satis est, nã inde fit, hoc sacrificium nullam habere virtutẽ applicandi redemptionẽ Christi ex peculiari institutione ad hunc finem, sed solum quatenus ex natura rei sequitur ex ipsa institutione sacrificij secũdum substantiam eius: hoc autem non videtur consentaneũ doctrinæ Conc. Trid. Secũdo argumẽtor quia Ecclesia semper intellexit, fructũ huius sacrificij non pendere ex gratia seu sanctitate ministri offerentis: ergo signũ est, dari ex opere operato, quia si esset ex opere operãtis, magis pẽderet ex iustitia offerẽtis quã eius, pro quo offertur, sicut videre licet in quolibet alio opere satisfactorio. Ratio enim est eadẽ, scilicet, quia is, pro quo applicatur opus, nõ est moralis circunstantia operis sed solũ subiectum, in quo opus habiturũ est effectũ, quod est quid extrinsecũ & posterius ad valorẽ operis: offerẽs autẽ est moralis circunstãtia sacrificij, à qua maximè pẽdet moralis æstimatio & virtus eius, vt esse potest ex opere operantis. Quod si dicatur, hoc sacrificiũ esse fructuosum independenter à proxime offerente, quia Christus semper est principalis offerens, cõtra hoc est, quia hic fructus nõ est ex eo quod Christus sic offerẽdo, quasi de nouo satisfaciat: quia nõ est in statu satisfaciẽdi, vt infra dicã, ergo vt sic certus, & de se infallibilis, oportet, quod sit per modũ applicationis ex vi talis sacrificij, vt à Christo oblati, & hoc ipsum est esse ex opere operato. Tertio, sacramẽta legis nouæ omnia habent effectũ ex opere operato, ergo & sacrificiũ debet habere aliquẽ similem effectũ sibi proportionatũ: patet consequentia quia vtrumque spectat ad dignitatem & excellentiam nouæ legis; neque minus dignum aut perfectum est hoc sacrificium in ratione sacrificij, quàm sint in suo genere sacramenta. Quapropter, quod de sacramentis nouæ legis dicunt Concilia, efficere, quod significant, quia non sunt signa egena & vacua, sed plena virtute sanguinis Christi, in quo iam effuso nituntur, totum (inquam) hoc conuenit huic sacrificio: est enim eadem ratio: imò, quia cum vno sacramentorum idẽ realiter est, quoad hoc sub nomine sacramenti comprehendi potest. Quarto, quia alias sequitur, non magis posse hoc sacrificiũ offerri pro alio, quam ipsam Eucharistiæ sumptionẽ, quod est plane falsum, & contra omnium mentem. Sequela probatur, quia etiam sumptio offerri potest pro alio quoad satisfactionem ex opere operantis, & similiter quoad impetrationem: est enim opus satisfactoriũ, & meritoriũ seu impetratoriũ, sicut alia opera religionis, si autem ab oblatione sacrificij vt sic, tollamus vim ex opere operato, nihil aliud in ea manet, quod pro alio offerri possit, præter

Conc. Trid.

ter satisfactionem, & impetrationẽ ex opere operantis: nulla ergo erit diuersitas. Vltimò sequi ex contraria sententia videtur, oblationem sacrificij, qua in hoc mysterio Christus offertur, non esse de se magis fructuosam, magisque applicatiuam redemptionis, quàm sit oblatio interna eiusdẽ Christi, & passionis eius, quam vnusquisque fidelis sua priuata deuotione facere potest: consequẽs autem est etiam absurdum, & contra totius Ecclesiæ sensum & traditionem: nam sacrificium hoc re ipsa oblatum, censetur habere specialem efficaciam, vltra solum desiderium, seu internum actum.

Occurritur obiectioni.

Has autem rationes effugere posset aliquis seu eneruare, dicendo, sacrificium hoc habere specialem vim impetrandi, quæ diuersa est à causalitate ex opere operato, vt infrà videbimus. Sed hoc nõ tollit vim rationum factarum, quia si impetratio est infallibilis respectu subiecti non ponentis obicem, & est specialis ex vi ipsius externi operis, hæc est, quam nos vocamus causalitatem ex opere operato: quia necesse est fundari in promissione facta tali operi, & re vera impropriè vocatur impetratio, sed potiùs est realis executio, & applicatio eius rei, quam Deus, quantum est ex parte sua, iam contulit. Si autem impetratio non est infallibilis, non satis est ad dignitatem huius sacrificij, neq; ad effectus eius explicandos, neque ad reddendam rationem de omnibus, quæ de illo affirmantur, vt, verbi gratia, quòd nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: satis enim cẽseretur maculari moraliter, si redderetur inefficax ex offerentis malitia. Item, quòd non possit offerri pro iusto catechumeno defuncto, nam hoc nõ est verum quoad impetrationem: oportet ergo, vt sit verum quoad effectum ex opere operato, & hoc magis ex dicendis constabit.

Dico secundò. Hoc sacrificium nulla ratione dici potest causa vniuersalis ex opere operato, conferens vel concurrens ad omnes effectus gratiæ, qui ex redemptione Christi nobis proueniunt. De hac conclusione nihil ferè antiqui autores locuti sunt, quia, vt existimo, nunquam huiusmodi causalitatis modus in eorum mentem venit: ex recentioribus attigit illam Cano dicta solutione ad nonum, circa finem, & Lindanus, lib. 4. Panopliæ, cap. 51. 52. & 53. vbi dicit, neminem esse tam insanũ, qui quoad efficaciam faciat comparationem, nedùm æqualitatem, inter sacrificium crucis & Missæ, sumi etiam potest ex Hosio in confession. capit. 41. Corduba, dicta quæst. 3. Canisi. quæst. 7. de Eucharist. Pigh. controuer. 5. Pet. Sot. Lectione 7. de Eucharist. Cano. lib. 12. de locis. cap. 13. ad primum. Soto 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1. & nonnihil insinuat Gabr. lectione 26. & 27. in cano. Et probatur, quia, aut hæc vniuersalis causalitas fundatur quasi ex natura rei in excellentia vel satisfactione actuali talis sacrificij; vel in speciali promissione, & institutione Christi, nã præter hos nullus alius modus excogitari potest: neuter autem illorũ est probabilis. De primo patet, tum quia potuisset hoc sacrificium institui, & nullam omnino habere causalitatem ex opere operato: nam cur repugnat? Tum etiam, quia, si rei dignitas consideretur, etiam Eucharistiæ sacramentum est infinitæ dignitatis, & tamen non propterea est principiũ omnium gratiarum ex opere operato: imò seclusa promissione, nec proprium aliquem effectum haberet ex opere operato: si autem consideretur actualis satisfactio, hæc nulla est in hoc sacrificio ex parte Christi, vt statim ostendam, &, quanuis daremus, esse aliquã, potiùs esset per modum sufficientiæ, quam efficacis applicationis, sicut fuit in sacrificio crucis. De secundo verò, scilicet, de institutione aut voluntate Christi, probatur; nam vbi est talis institutio? Neque enim in Scriptura sacra habetur; neq; in Ecclesiæ traditione est aliquod eius vestigium.

Sacrificiũ Eucharistiæ non vniuersalis causa ex omni gratiæ sacramentis concurrens, censendum.

Cano. Lindan. Hosius. Corduba. Canis. Pighius. Pet. Soto. Domin. Soto.

Et ratione declaratur, nã fructus passionis Christi dupliciter considerari potest; primò secundùm perfectionem intensiuam singulorum effectuum, vt, verbi gratia, quòd fuit sufficiens ad merendam nobis gratiam, magis ac magis intensam, &c. vel secundùm extensiuam, id est, quoad multitudinẽ effectuum. Nemo autem modo potest efficacia ex opere operato conueniens huic sacrificio, esse adæquata sufficientiæ meriti, & satisfactionis sacrificij crucis: ergo nullo modo potest esse hoc sacrificiũ causa vniuersalis omnium gratiarum prouenientium ex redemptione Christi: suppono enim id, quod de fide certum est, sacrificium crucis fuisse causam redemptionis quoad sufficientiam, per se autem solum non habere efficaciam: hoc autem sacrificium è contrario non esse propter sufficientiam, nam hæc perfectè & copiosè completa est in cruce, vt suprà cum Paulo in Epistola ad Hebr. latè exposuimus, sed esse propter aliquam efficaciã, seu applicationem illius sufficientiæ, vt Concilium Trident. dixit. Vnde, si in hac efficacia non habet hoc sacrificium vniuersalem causalitatem, in nulla re potest illã habere. Probatur ergo minor quoad priorem partem de perfectione intensiua: nã Christus per passionem, non solùm nobis meruit sufficienter decem aut viginti gradus gratiæ, sed in quocunque gradu, ita vt, sicut ratione sui meriti nunc voluit, tantam gratiam in baptismo dari, ita velle potuisset, vt maior, vel maior daretur; & quicquid designauit, totum sufficienter cadit sub suum meritũ, & idem est de remissione pœnæ maioris, & maioris in quocunque gradu: hoc autem modo non potest efficacia sacrificij Eucharistiæ adæquari sufficientiæ sacrificij crucis. Cuius ratio euidens est, quia sufficiẽtia de se est infinita, & exhauriri non potest, neque oportet, vt sit ad certum gradum determinata, quia vt sic nõ applicatur ad operandum; at verò efficacia oportet, vt sit determinata ad certum gradum, quia includit applicationem, & institutionem ad operandum, & consequenter ad certum, & determinatum effectum. Et confirmatur, nam hac ratione diximus in superioribus sacramenta habere determinatam perfectionem effectus ex opere operato: quia supposita institutione operãtur per modum naturæ quantũ possunt in subiecto sic, vel sic disposito: sed quoad hoc eadem est ratio de sacrificio Eucharistiæ: quia oblatum etiam pro tali, vel tali persona operatur in illa determinatum effectum, & quãtum potest in subiecto ita disposito, supposita institutione. Vnde, si subiectum intelligatur infima dispositione præparatum, vel potiùs non positiuè dispositum, sed negatiuè, non ponens obicem; habebit in illo minimum quendam effectum finitum ac determinatum quoad efficaciam, quod de sufficientia sacrificij crucis dici non potest, non illud de se sufficiens est, vt ratione illius maior effectus fieret in tali subiecto, si Christus voluisset: ergo quoad hanc

Ratio pro conclusione.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

partem non est adæquatio inter efficaciam & sufficientiam vnius & alterius sacrificij.

Altera verò pars de perfectione extensiua, seu multitudine effectuum, multis modis ostendi potest. Primo quoad personas: nam sacrificium crucis fuit sufficiens prodesse omnibus hominibus, tam, qui Christũ præcesserunt, quã qui secuti sunt, nec solùm baptizatis, sed etiam ijs, qui nondũ baptizati sunt, nec tantũ iustis, sed etiã his, qui in peccato mortali existunt, eos illuminando & vocãdo, &c. At verò sacrificium Eucharistiæ nullam efficaciam habere potest in homines, qui Christum præcesserunt, neque in his omnibus, qui subsecuti sunt, potest habere propriam efficaciam ex opere operato, sed solùm in baptizatis, & iustis. Secundò idẽ ostenditur quoad varietatem effectuum, nam sufficientia sacrificij cruenti se extendit, verbi gratia, ad remissionem peccati originalis, ad quam nullo modo extenditur efficacia sacrificij Eucharistiæ ex opere operato: imò idem est de remissione cuiuscunque peccati mortalis quoad culpam, & de infusione gratiæ sanctificantis, vt infrà dicemus. Idemque argumentum fieri potest de charactere baptismi, Ordinis, vel Confirmationis, de dono perseuerantiæ, & de alijs similibus auxilijs, aut donis gratiæ.

Euadendi modus refutatur.

Nec quicquam iuuat, quod suprà dicebatur, sacrificium hoc habere omnes hos effectus, non per se immediatè, sed vt causam vniuersalem, operantem per aliam particularem, vt per sacramẽta: hoc enim, & falsum est, ac sine fundamento dictum, & insufficiens ad difficultatem expediendam: nam in primis, etiam omnia sacramenta simul sumpta cum hoc sacrificio non habent efficaciam adæquatam sufficientiæ passionis Christi: nam tota hæc efficacia est definita, etiam in varietate effectuum, illa verò sufficiẽtia est multò magis vniuersalior. Vnde etiam de facto plures effectus gratiæ propter sufficientiam illius sacrificij conferuntur, quàm possint per sacramenta conferri, vt facilè patet de illuminationibus, & de excitantibus gratijs, quæ dantur ante baptismum, vel ante pœnitentiæ sacramentũ, vel de omnibus operibus meritorijs ex opere operantis, & auxilijs, vel gratijs, quæ ad illa, vel propter illa dantur. Quòd si quis adhuc contendat, efficaciam huius sacrificij tam esse vniuersalem, vt non solùm per sacramenta, sed etiam per nostras dispositiones, & per omnia media, quibus Deus ad nostram sanctificationem vtitur, operetur; quid dicetur de prima illuminatione, interna vocatione seu excitante gratia, quam Deus in nobis sine nobis, id est, sine vlla dispositione nostra operatur? nam illa esse non potest effectus huius sacrificij, vt à causa immediatè operãte, vt per se notum est, & contraria opinio fatetur, neque vt à causa mediata, quia nulla ibi est alia, nisi Deus ipse influens talem gratiam. Dices tamen, hoc facere Deum ratione huius sacrificij. Sed hoc in primis, & dicitur inconstanter, quia re vera est dicere, sacrificium esse immediatam causam moralem talis effectus; deinde sacrificium hoc non est ratio talis effectus vt in re oblatum: quia supponimus, non esse oblatum, neq; applicatum ab aliquo offerente; neque etiam vt in voto existens: nam in eo, qui primam illuminationem, & fidem suscipit, nullum votum huius sacrificij præcessit: non ergo datur illa gratia intuitu huius sacrificij incruenti, sed cruenti solius. Tandem, quia ridiculum dictu est, sacramenta omnia habere efficaciam ab hoc sacrificio incruento vt sic, aut in illo niti, vt operentur: quia sacramenta solũ nituntur in merito, & satisfactione Christi: ergo solùm nitũtur in illo sacrificio, in quo Christus suum meritum, & satisfactionem consummauit: hoc autem fuit solum sacrificium crucis, vt suprà ex Paulo ostendimus: ergo in illo solo nituntur; & non propriè ac formaliter in sacrificio Eucharistiæ, prout ab illo distinguitur. Nam seclusis ab hoc sacrificio, nouo merito & satisfactione, nulla ratio excogitari potest, ob quam sacramenta dicantur suos effectus conferre in virtute huius sacrificij: quia in nullo genere causæ habent virtutem ab illo, neque in conferendis suis effectibus includunt habitudinem ad illud: qualis enim est hæc habitudo, aut quod habet fundamentum? Quod enim aliquis fingere potest, includere omnia sacramenta votum huius sacrificij, multo magis improbabile est, quam quod suprà reiecimus de simili voto Eucharistiæ, quatenus sacramentum est, in vsu aliorũ sacramentorum incluso; nullus enim hactenus dixit, hoc sacrificium esse medium necessarium ad remissionem originalis peccati, vel ad alios effectus sacramentorum omnium: id enim, nec fundamentum habet in Scriptura, Patribus, aut traditione, neque est consentaneum absolutæ virtuti & efficaciæ aliorum sacramentorum. Nec denique probabili ratione sustineri potest, quia, secluso præcepto audiendi Missam, nullo modo est hoc sacrificium necessarium ad salutem singulorum. Vnde nec votum eius necessarium est, imò cum proposito nunquam illud offerendi, posset aliquis saluari: præceptum autem audiendi Missam, quod Ecclesiasticum est, vel etiam si fingatur esse diuinũ, non constituit medium necessarium ad salutem, nisi ea ratione, qua obseruatio mandatorum ad salutem necessaria est.

Instantiæ occurritur.

Eucharistici sacrificij effectus ex opere operato ex crucis sacrificio manant.

Ex quibus infero, hoc ipsum sacrificium Eucharistiæ non habere effectum vllum ex opere operato, nisi quatenus nititur in sacrificio crucis, & ab illo habet virtutem & efficaciam. Quod censeo de fide certum, quia passio Christi est vniuersalis causa omnium effectuum gratiæ, siue per sacramenta, siue per quodcunque aliud instrumẽtum conferantur: ideo enim dicitur Christus, vna oblatione crucis consummasse sanctificatos: quia ab illa est omnis gratia, omnisquè sanctificatio nostra, & propter eandem causam ad Rom. 3. ait Paulus, Deum proposuisse Christum propitiatorem in sanguine ipsius. Ac denique Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & 2. ideò dicit, efficaciam huius sacrificij affirmari sine iniuria sacrificij crucis, quia institutum est, *vt per illud salutaris sacrificij crucis virtus applicaretur*: ergo huius efficacia nititur in illius sufficientia. Denique omnis efficacia huius sacrificij debet fundari in aliquo merito, vel satisfactione Christi: sed non in nouo merito & satisfactione, quæ Christus habeat, incruentè offerendo, vt sæpe dictũ est: Christus namque iam non est in statu merẽdi, vel satisfaciendi; & quia hoc sacrificium non est institutum propter sufficientiam, sed propter solã efficaciam: ergo fundatur in merito & satisfactione, quæ Christus habuit in vita mortali, & in cruce consummauit. Cauendum autem hic est aliud extremum quorundam, qui dicunt efficaciam huius sacrificij non solum fundari in satisfactione Christi,

Rom. 3. *Conc. Trid.*

Neutiquam tamen à Sanctorum meritis pendet.

sti, sed etiam in satisfactionibus Ecclesiæ & Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ seruantur, & per hoc sacrificium applicari possunt. Hoc enim verũ non est, loquendo prout loquimur de proprio effectu ex opere operato, qui in sola Christi institutione & promissione fundatur: Christus autẽ non fundauit institutionem suam, neque sacramentorum, neque sacrificij, in alienis meritis, sed in proprijs, quia neque alijs indigebat, neque aliter fieri decebat, cũ potestas excellentiæ eius ad hæc omnia sufficeret, & habitura esset effectum independenter ab operibus alienis, iuxta vim suæ institutionis & promissionis. Dico autem, propriè loquendo de effectu ex opere operato, quia per modum indulgentiæ interdum potest Ecclesia applicare de thesauro suo satisfactionem aliquam, mediante sacrificio Missæ, sicut id facere cõsueuit medijs alijs operibus, vel etiam media susceptione alicuius sacramenti, vt latiùs dicemus de indulgentijs disputantes: tunc autem ille effectus distinctus est ab effectu ex opere operato, & extrinsecùs atque accidẽtariò illi coniunctus.

Diruitur prioris opinionis fundamentum.

Fundamentum prioris opinionis nitebatur propriè in autoritate negatiua, quia, nimirùm, nõ constat de Christi promissione. Ad quod aliqui respõdent, nõ esse necessariam specialem promissionem, sed sufficere solam sacrificij institutionem, quæ secum necessariò adducit efficaciam sacrificij ad huiusmodi effectum: quoniam est sacrificium nouæ legis, & perfectum. Sed hoc indicat quidem congruentem rationem, ob quam institutio talis sacrificij postulat, vt ei talis promissio adiungatur, non tamen satis est, vt huiusmodi effectus vel efficacia possit sine promissione speciali intelligi: nam tota ratio sacrificij etiam in noua lege potest perfectè intelligi absque huiusmodi effectu, vel causalitate ex opere operato. In quo est nonnulla differentia inter sacramentum & sacrificium, nam sacramentũ per se primò est ad sanctificationem conferendam, & significandam; & ideò tale sacramentum intrinsecè includit in sua institutione, vt sit signum perfectè sanctificationis, quæ fit per gratiam ab ipsomet collatam, in quo continetur quidem promissio gratiæ, tamen illa intrinsecè includitur in institutione talis sacramenti, vt tale signum est: sacrificium verò per se primò instituitur in cultum Dei, quoad significationem moralem, & hoc sacrificiũ institutum est in repræsentationem passionis Christi quoad significationem mysticam; & hæc sunt, quæ per se pertinent ad institutionem talis sacrificij vt sic. Quod autem vltra hoc habeat virtutem conferendi aliquem effectum ex opere operato, est quidem decenter annexum tali sacrificio, nõ est tamẽ ita per se & intrinsecè inclusum in ratione, vel significatione sacrificij.

Inter sacrificium & sacramentum quoad effectus ex opere operato necessitatis differentia.

Obiectioni sit satis.

Dices, estò ita sit, considerata solùm communi ratione sacrificij, tamen, loquẽdo de sacrificio propitiatorio, necessariò includit habitudinem ad aliquem effectum remittendi peccatum quoad culpam, vel pœnam, nam in hoc propitiatio consistit. Respondebis, esse posse sacrificium propitiatoriũ absque effectu ex opere operato, per modũ solius impetrationis, vel ex merito operantis. Sed cõtrà, quia nõ agim⁹ de sacrificio propitiatorio, in cõmuni, sed in particulari de tali sacrificio ꝓpitiatorio, perfecto in suo genere. Respõdetur, estò hoc totũ concedamus, in hoc ipso necesse est includi promissionem, nam, vel in hoc sacrificio consideratur dignitas entitatiua (vt sic dicam) scilicet, quòd in eo Christus offert, & offertur, & hoc præcisè non sufficit: potuisset enim Christus instituere hoc sacrificium cum tota hac dignitate, non ordinando illud ad aliquem effectum, vel consideratur dignitas efficaciæ (vt sic dicam) in propitiando; & hanc necesse est esse adiunctam, media promissione, nã pendebat ex Christi voluntate. Et confirmatur, nã sacrificium hoc confert tantum effectum, & nõ maiorem neque minorem, sed hoc definitum est ex sola Christi voluntate: non enim est hoc sacrificiũ tanquam agens naturale ex se determinatum ad tantum effectum: ergo, quòd sacrificium hoc conferat hunc, vel illum effectum, & tantum, ac nõ maiorem, pendet ex Christi promissione: ergo & simpliciter, quod conferat effectum. Tandem declaratur, nam sacrificium crucis in esse suo tam perfectũ fuit, sicut sacrificium incruentum, & tamen nullũ habuit effectum ex opere operato, quoad efficaciam, solum quia ex Christi voluntate non fuit ad hoc ordinatum, sed habuit sufficientiam, quæ ex natura rei secuta est, supposita dignitate personæ offerentis, & alijs conditionibus ad satisfaciendum requisitis: ergo similiter hoc sacrificium, quantumuis perfectum in suo esse, non intelligitur habere prædictam efficaciam, nisi adiuncta ordinatione, aut promissione Christi: concedẽda ergo est huiusmodi promissio. Nec refert, quòd in Scriptura sacra non inueniatur expressa, sufficit enim Ecclesiæ traditio, ex qua sufficienter colligitur, vt ostensum est. Dici etiam potest, insinuatam esse à Christo in illis verbis consecrationis sanguinis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum*, intellectis de effusione mystica vel sacramentali.

Sacrificij huius effectus ex opere operato in Scriptura promissus.

Ad primam confirmationem ex Concilio Tridentino, respondetur; nec omnino omisisse hunc effectum, dicens, *per hanc incruentam oblationem vberrimè percipi fructum cruentæ oblationis*: nec expresè vti voluisse verbis significãtibus opus operatum, quia res non est tam constans & certa, vt ab ipso esset expresè definienda.

Ad secundam confirmationẽ respondetur, hunc effectum non pendere ex sanctitate proximi ministro offerentis, quòd verò esse non possit sine sanctitate Christi offerentis principalis, non est contra efficaciam ex opere operato, tum quia omnes effectus gratiæ, cuiuscunque rationis sint, pendẽt ex Christi sanctitate, & ex valore, quem habẽt ex eius dignitate; tum etiam, quia illa Christi sanctitas in hoc sacrificio per se cõcurrit, & necessaria est ad perfectionem ipsius sacrificij, & vt semper, atq; infallibiliter sit Deo gratum: ad effectum autem ex opere operato per se ac formaliter non esse necessaria: quia, vt sæpe dixi, huiusmodi effectus non fundatur in actuali merito, vel satisfactione Christi, quæ de nouo sint in hac obligatione incruenta, quia re vera nulla sunt; imò nec fundatur in actuali impetratione: quia simpliciter necessaria non est; fundatur tamen in merito passionis, & in promissione tunc facta, quæ infallibiliter habebit effectum, etiam si ponamus, Christum nõ ampliùs orare neque impetrare: sicut dicendum est de effectibus sacramentorum, nam eadem est ratio de hoc sacrificio, & de quolibet alio, quod potuisset Christus in lege noua instituere, in quo ipse neque offerret;

ferret, neque offerretur; & tamẽ, quod haberet effectum ex opere operato in virtute passionis suæ.

Respondetur rationibus secundæ opinionis.

Fundamenta secundæ sententiæ, si quæ sunt, ex dictis sufficienter expedita manent, nam, licèt hoc sacrificium sit in suo esse æquè perfectum, ac sacrificium crucis, differunt tamen in duobus, quæ ad rẽ præsentem multùm referũt. Vnum est, quod Christus offerens in vtroque sacrificio non est nunc in statu merendi & satisfaciendi, sicut fuit tẽpore passionis: hinc enim fit, vt hæc sacrificia non habeant æqualitatem in actuali merito vel satisfactione; & consequẽter, vt vnum posit in efficacia sua ab alio pendere. Alterum est, quod hæc duo sacrificia ad diuersos fines instituta & ordinata sunt, vnum ad sufficientiam, & aliud ad efficaciam, & ideò non oportet, vt tam vniuersalis sit causalitas vnius, sicut alterius: sunt enim diuersarum rationum, vt iã satis declaratum est. Autores autẽ ibi citati re vera nõ loquuntur de effectu ex opere operato, sed absolutè, siue sit illo modo, siue per modum impetrationis; & hoc modo tribui potest huic sacrificio vniuersalis causalitas, non quòd necessaria sit ad omnes effectus gratiæ, nec quòd de facto omnes ab illo proueniant, sed quod hoc sacrificium, quãtum est ex se, potest offerri ad impetrãdum quemcunque effectum gratiæ, qui propter Christi passionem nobis conferri potest: nam licèt sine hac impetratione posit etiam dari, & interdùm detur per alia media, tamẽ oblatio huius sacrificij potest etiã ad hoc iuuare, præsertim ad impetrandum, vt alia media applicentur, vel vt homo sit rectè dispositus, ne illorum effectibus obicem ponat.

SECTIO II.

Vtrùm hoc sacrificium sit alijs modis fructuosum, præterquam ex opere operato.

Ratio difficultatis.

RAtio dubitandi est, quia non videtur esse medium inter opus operantis, & opus operatum: sed huic sacrificio, vt est opus Christi, non est tribuenda causalitas ex opere operantis, vt sæpe dictum est, ergo solùm potest causare ex opere operato: nã quòd, vt est opus ministri, posit habere effectum ex opere operantis, non refert: quia, & est per accidens, & est quid commune omnibus alijs bonis operibus, propter quas causas etiã hoc non computatur inter effectus sacramentorũ, vt sic. Maior probatur, quia illa duo mẽbra videntur condistingui per immediatam contradictionẽ: aut enim effectus fundatur in promissione Christi facta ipsi operi externo, & sic est ex opere operato; vel non, & sic tantùm potest niti in merito operantis: ergo non est medium. Vel aliter, aut talis effectus pẽdet ex bonitate ministri offerentis; & sic erit ex opere operantis; vel non pendet; & sic erit ex opere operato. Vel aliter, aut talis effectus infallibiliter datur non ponenti obicem; & sic erit ex opere operato: aut non datur infallibiliter, & sic non erit effectus sacrificij, sicut non est effectus sacramenti ille, qui non datur infallibiliter per sacramentum non ponenti obicem, vt in superioribus dixi. Vnde sumitur aliud argumentum à simili, nã in sacramentis vt sic non est alius modus causandi, nisi ex opere operato; & omnis alius effectus pertinet ad opus operantis: ergo idem dicendum est in hoc sacrificio: est enim eadem ratio, quia omnia nituntur in promissione Christi, quæ, remoto obice, debet esse infallibilis, nã, si ablato obice adhuc posset non dari, iam non niteretur in promissione, sed ex mera Dei voluntate penderet.

Quorundam placitum.

In hac re graues autores tractãtes de effectu huius sacrificij dicunt, illud operari per modum meriti de condigno, per modum satisfactionis, & per modum impetrationis. Ita Caietanus, Soto, Corduba, & alij ex citatis dubio præcedente, & (quod amplius est) ita etiã loquitur Catechismus Pij V. tractatu de sacrificio circa finem. Non tamen explicant hi autores, sub qua ratione, vel in ordine ad quas personas loquantur de hoc effectu; neque an sit distinctus ab effectu ex opere operantis & operati, vel ad quem illorũ pertineat. Vnde fit, vt obscurè loquantur, & fortasse non propriè in omnibus. Vt ergo rem distinctiùs explicemus, distinguamus tria, quæ in hoc sacrificio considerari possunt. Primum est id, quod habet hoc sacrificiũ ex vi institutionis, aut promissionis Christi. Secundũ est id, quod habet ex vi actualis oblationis, vt est à proximo ministro offerente. Tertium est id, quod habet ex vi actualis oblationis, vt est à Christo principali offerente: diximus enim suprà, Christũ hic non tantum offerre, quia minister in persona eius offert ex vi prioris institutionis, sed etiã, quia per aliquem actum proprium actu concurrit ad ipsam oblationem.

Ex his igitur tribus duo postrema difficultatem non habent, quia de ministro proximè offerente certũ est, posse per hanc oblationem mereri de condigno, & satisfacere etiam, vel impetrare ex opere operantis, si sit in gratia, & debita intẽtione & circunstantijs offerat: est enim hæc oblatio honestũ & religiosum opus: sicut ergo per alia bona opera homo iustus meretur, & satisfacit, ita & sacerdos iustus per hoc opus. Item in lege veteri, vel naturæ, sacerdos offerens sacrificiũ merebatur de condigno & satisfaciebat, concurrentibus cæteris circunstantijs: ergo etiam nunc sacerdos: imò eo magis quo opus ipsum ex obiecto melius est & dignius. Et quoad hoc vocatur ab aliquibus hic effectus ex opere operato; quia opus ipsum ex se, & ratione rei oblatæ est dignum tanto effectu, si ex parte operantis cætera necessaria concurrant. Sed hoc impropriè dictum est, & præter vsum illius vocis: aliàs simili modo dici posset, amore Dei ex opere operato augere gratiam vel mereri: quia natura sua, & ex vi sui obiecti dignus est tali valore: sic enim in præsenti interior actus, seu voluntas offerendi tale sacrificium, est à quo pẽdet totus hic effectus, & valor exterioris oblationis, vt est à proximo operante: ipsa verò exterior oblatio comparatur ad interiorem solùm vt ad obiectum, dans actui specificam bonitatem, & dignitatem. Est ergo propriè loquendo totus hic effectus ex opere operantis. Vnde fit, vt quoad effectum meriti de condigno non habeat vim extra ipsum operãtem, nec posit alijs communicari: quoad effectum verò satisfactionis (& idem est de impetratione) possit alijs cõmunicari, seu pro alijs offerri, nã quoad hæc omnia eadem est ratio de hac oblatione considerata vt est opus operantis, quæ de alijs operibus meritorijs, satisfactorijs, & impetratorijs. At verò conside-

considerando hanc oblationẽ vt est à Christo principali offerẽte, sæpe dictum est, nõ esse actu vel de nouo meritoriam, seu satisfactoriam ex opere operantis Christi, quia iam Christus non est in statu merendi, vel satisfaciendi, vt in primo tomo huius tertiæ partis ad quæstionem 19. Diui Thomæ latè disputaui: oblatio ergo hæc sub hac consideratione nullum effectum habere potest, per modũ meriti, vel satisfactionis de condigno. Potest autem habere effectum per modum impetrationis, nam, vt dixi in eodem 1. tom. ad quæstionem 21. D. Thomæ, quamuis Christus nunc non sit in statu merendi, vel satisfaciendi, est tamen in statu orandi, & impetrandi; & ideo, quando hoc sacrificium actu offert, intelligi potest specialiter impetrare eodem modo, & cum eadem efficacia, qua id facit in cælo pro nobis orando, vt ibidem dictum est. Et hæc etiã impetratio, seu effectus eius non pertinet propriè ad opus operatum: hoc enim non pendet ex actuali oratione Christi, sed ex promissione, vt in fine sect. præced. dicebam: sed dici potest pertinere ad opus operantis Christi. Vnde hic effectus, seu modus causandi non est omnino certus, quia non est ita certum Christum nunc existentem in cælo actu coniungere orationem suam cum omni oblatione huius sacrificij, eamque ad aliquid impetrandum referre seu ordinare: est tamen certum posse ita fieri, vnde fit verisimile, aut semper, aut plerunque fieri; quando autem fit, indubitatum est etiam habere prædicta m efficaciam, & operandi modum.

Difficultatis [illegible]

Sic igitur, quæ pertinent ad secundam & tertiã considerationem huius sacrificij suprà positas, & clara sunt, & breuiter expediuntur, & tota difficultas huius dubij ad primam considerationem reuocatur. In qua locum iam non habet, si propriè loquamur, causalitas, seu impetratio per modum meriti vel satisfactionis de condigno, quæ de nouo sint in hoc sacrificio: quia nec sunt in illo vt est à Christo, vt sæpè dictũ est; vt verò esse possunt à ministro sunt omnino per accidens ad hanc considerationẽ: nam, licet contingat non esse ob malitiã ministri nihilominùs sacrificium eodẽ modo operabitur ex promissione Christi: sacrificium ergo sub hac consideratione non dicitur causare meritoriè, vel satisfactoriè, sed ex opere operato applicando iustissimum meritum, & rigorosam satisfactionem Christi iuxta promissionem eius: sic enim sacramenta non causant propriè meritoriè vel satisfactoriè, sed ex opere operato fundato in merito & satisfactione Christi. Quòd si quis contendat, hanc causalitatem dicẽdam esse meritoriè, vel satisfactoriè fieri, quia in merito, vel satisfactione Christi fundatur, quæstionem facit de modo loquendi, & præter modum vsitatum loquitur. Atque idem fere est, vt suprà dicebam, si hæc causalitas impetratoria vocetur, dummodo impetratio sit infallibilis: quia, nimirũ, hoc sacrificium potiùs nobis obtinet à Deo effectum suum, remissionem, scilicet, pœnæ, quàm per se se illam efficiat; quia moraliter illam causat, non physicè. Vnde illa moralis causalitas, impetratio dici potest. Quanuis alia ratione, vt suprà etiam attigi, deficiat à ratione impetrationis, quia iam supponit concessionem factã ex parte Dei; & solùm actu applicat, quod concessum est: vnde propriùs dicetur solutio pœnæ à nobis debitæ, quam ex satisfactionibus Christi per hoc sacrificium exhibemus. Solùm igitur superest explicandum, an, præter hoc genus solutionis vel causalitatis, habeat hoc sacrificium ex se, & ex institutione Christi alium modum operandi, vel impetrandi, distinctum à præcedente, & inferiorem illo.

Vltra opus suũ operatum, valet hoc sacrificium, effectus, pro quibus offertur, impetrare.

Dico primò, Hoc sacrificium prẹter effectum ex opere operato, habet ex vi suæ institutionis specialem vim ad impetrandum eos effectus, pro quibus obtinendis offertur. Colligitur ex Theologis suprà citatis. Et probatur primò ex vsu Ecclesiæ, quo vbique & semper seruatum est, vt in oblatione huius sacrificij oret minister pro viuis & defunctis, pro Ecclesiæ pacẽ, & alijs similibus rebus seu necessitatibus hominum: quia, nimirùm, semper existimatum est, sacrificium hoc plurimum valere ad conferendam huiusmodi orationi impetrãdi vim, vt colligitur ex Dionys. cap. 3. de Ecclesiast. Hierarch. Clemente, libro 8. Constit. Cyrill. Hierosol. Catech. 5. mystag. Tertullianus lib. de oratione. & lib. ad Scapulam. cap. 2. & præcedent. disputat. alia attulimus; & afferemus plura in sequent. sectionibus. Secundò declaratur ratione, nam impetratio propriè fit per orationem; per alia autem opera fit, quatenus adiunguntur orationi, fiuntque in Dei obsequium eo animo & intentione, vt eum inclinemus ad id nobis concedendum, quod petimus vel optamus: sed hoc sacrificium est magnum Dei obsequium, & illi valde gratum, & potest adiungi alicui petitioni, seu desiderio obtinendi à Dio aliquod beneficium: ergo est de se plurimum valens ad illud impetrandum. Dices, hoc solùm procedere de valore ex opere operantis. Sed contrà, nam, etiam si intelligamus, proximum ministrum esse indignum, & ex hoc capite oblationem non habere valorem, adhuc intelligimus, sacrificium ipsum ex vi suæ institutionis, à qua habet, vt in persona Christi offeratur, retinere valorem suũ, & vim ad impetrandũ, quia semper offertur in persona Christi, quod semper est quid distinctũ ab actuali oblatione interiori, quam Christus fortasse in cælo exercet, vt suprà declaratum est. Confirmatur, nam hoc ipsum sacrificium, vel aliæ Ecclesiæ orationes, quatenus nomine Ecclesiæ per ministros suos offerũtur, habet suũ valorẽ ad impetrandũ indẽpẽdenter à merito vel valore proximi operãtis: ergo multò magis id habebit sacrificium hoc per se se, & vt offertur in persona Christi. Confirmatur secundò, quia per se verisimile est, Christum Dominum directa ac propria intentione instituisse hoc sacrificium, vt esset nobis aptissimum remedium ad impetrandum à Deo, & ad dãdum vim & efficaciam petitionibus nostris, quod satis videtur Ecclesiæ consuetudo, & traditio declarasse: nam, si in lege veteri erant sacrificia specialiter ad hoc munus impetrandi instituta, & hoc vnicum sacrificium loco omnium illorum datum est, tanquam eminentissimè continens omnem eorum perfectionem, necesse est fateri, sacrificium hoc excellentiori modo habere hanc vim impetrandi ex vi suæ institutionis. Et fortasse ideò Christus voluit in persona sua semper offerri, quia voluit, vt semper habere valorem ad impetrandam apud Deum: & ob eandem fortasse causam, etiam voluit, vt fieret per mactationem mysticam, & repræsentationem passionis suę, vt inde etiam haberet specialem vim impetrandi, quoniam ex Christi passione omnes gratiæ in nos proueniunt.

Dionys. Clemẽ. Rom. Cyril. Hiero. Tertul.

Dico

In multis his effectus ab opere operato differt.

Dico secundò, Hic modus efficaciæ seu impetrationis, & effectus inde prouenientes, multis modis differt à propria causalitate, & effectu ex opere operato. Hanc conclusionem pono, vt res intelligatur, & tollatur vocum ambiguitas & controuersia, si fortasse quis contendat, impetrationem hanc seu effectum ab illa prouenientem, dicendum esse ex opere operato, q̃ non pendeat ex sanctitate aut merito proximi offerētis, quo sensu fere procedũt rationes dubitādi in principio positæ. Nos verò diximus, quanuis hi duo modi in hoc conueniant, tamẽ simpliciter esse diuersos, & priorẽ esse propriè ex opere operato: hunc verò posteriorem propriè

1. Diserimẽ. esse per modũ impetrationis. Quod probatur, declarando eorum differentias. Prima est, quòd prior causalitas fundatur in speciali promissione, distincta à substantiali institutione sacrificij, & non necessario ex illa consecuta, sed ex Christi beneplacito adiũcta, vt suprà satis declaratum est. Posterior autem modus impetrationis non requirit specialem promissionem, sed ex natura talis sacrificij necessario consequitur, nam ex sanctitate & maiestate talis sacrificij intrinsecè sequitur ille valor ad impetrandum: nam, sicut ipsum est altissimum Dei obsequium, & de se mundum & illi placitum, ita de se est idoneum, ad inuitandam diuinam voluntatem, vt postulata concedat. Et confirmatur, nam ex vi suæ institutionis habet, vt in persona Christi offeratur, quod non pertinet ad promissionem alicuius effectus, sed ad ipsam substantialem institutionem sacrificij; sed hinc habet intrinsecè prædictum valorem, mulcòque magis, si non solùm postulat institutio, vt in personaChristi offeratur, verum etiã

Secundum. vt ab ipso Christo actualiter offeratur.

Secunda differentia notanda est, quòd ad effectum ex opere operato, non est necesse, vt offerens specialiter petat, vel consequi intendat illum effectum, propter quod dixi superiùs, illum modum causalitatis non propriè dici impetrationem, cùm non indigeat, nec nitatur petitioni offerentis, sed Christi promissioni: ita enim operatur sacrificium illũ effectũ, sicut sacramentũ efficit, suum: sacramentum autem hoc ipso, quòd alicui applicatur, cõfert illi effectum, etiam si, neque minister, neque ipse hoc intendat, sed solùm nõ ponat obicem: ergo & hoc sacrificium alicui applicatum, seu pro aliquo oblatum, absque alia speciali petitione aut determinatione cõfert illi effectum suũ ex opere operato: at verò effectum per modum puræ impetrationis nullũ cõfert, nisi ex peculiari intẽtione sacrificãtis vel offerentis, specialiter applicetur ad hoc, vel illud beneficium obtinendum; & ratio est, quia, vt suprà dicebam, nullũ opus est impetratorium actualiter, nisi prout adiũgitur petitioni. Item, quia, licèt hoc sacrificium de se habeat hunc valorem, tamen de se est indifferens; & ideò, vt actu impetret, necesse est, quòd per aliquam petitionem vel desiderium, cui adiungitur, determinetur ad aliquid impetrandum.

Tertiam. Tertia differẽtia est, quia prior effectus ex opere operato est infallibilis, nam fundatur in promissione absoluta respectu eius, qui non ponit obicẽ; at verò posterior effectus de se non habet, vnde sit infallibilis. Patet, quia nec fundatur in promissione, vt dictum est, nec etiam debetur ex iustitia: quia non nititur in merito de condigno ipsius offerentis, vt etiam est dictum: ergo. Et confirmatur, quia hic effectus impetrationis habet adiunctã orationem, quæ interdum infallibiliter impetrat ex promissione, si habeat omnes requisitas conditiones; & tunc, si orationi adiungatur sacrificium, infallibilis quidem erit impetratio, magis ob promissionem orationi factam, quàm ex aliqua ratione propria illius: interdum verò oratio non infallibiliter impetrat, si caret aliqua conditione requisita: & tunc etiam ex sacrificio non habet infallibilem impetrationem: nullum enim est principium eius, quanuis conferat magnam vim orationi, vt obtineat, quod sine sacrificio fortasse non obtineret.

Obiecta aliquot dissoluuntur.

Sed contra, nam hæc impetratio nititur Christo, vt principali offerenti, & consequenter, vt impetranti; sed impossibile est, Christum non exaudiri: ergo impossibile est, hoc sacrificium non impetrare: ergo etiam in hoc operandi modo habet infallibilem efficaciam. Secundo, sacrificium de se est sufficientissimum ad hunc effectum: cur ergo non semper habet illum? aut enim hoc prouenit ex defectu dispositionis, vel offerẽtis, vel eius, pro quo offertur, & ita erit ratione obicis, nõ quia effectus de se non sit infallibilis; aut prouenit ex sola Dei voluntate, & hoc esset gratis dictum, nam Deus semper operatur iuxta exigentiam causarũ secundarum. Ad priorem partem recolenda est doctrina tradita in priori tomo, orationem Christi esse duplicem, vnam fundatam in voluntate absoluta & efficaci: & hanc infallibiliter impetrare; aliam verò fundatam in voluntate inefficaci & quasi antecedente, & hanc non semper impetrare: quia impetratio accommodatur voluntati. Hoc ergo supposito, dicendum est, Christi personam in hoc sacrificio dupliciter posse intercedere. Primò solùm vt repræsentatam in persona ministri ex vi primæ institutionis. Secundò, vt actu offerentem. Impetratio ergo, de qua nunc agimus, per se loquendo, solùm fundatur in persona Christi priori modo considerata; & vt sic non includit absolutam voluntatem ipsius Christi de effectu impetrando, quia illam non necessariò habuit, quando sacramentum instituit, quia neque in particulari, vt per se constat, neque in generali: non enim voluit absoluta voluntate, vt omnia, quæ per hoc sacrificium postularẽtur, omnino concederentur: talis enim volũtas æquiualuisset promissioni, quæ non interesset; neque cum vllo fundamento affirmari potest, cùm neque necessariò sit coniuncta cũ institutione sacrificij, neque vlla ratione, vel auctoritate probabili constet, Quin potius ostendi potest, non fuisse conuenientem, quia nõ semper expedit omne id dari, quod per hoc sacrificium postulatur: igitur ex vi institutionis solùm voluit Christus, hoc sacrificium tam esse purum, & perfectum, vt de se valeat ad diuinam voluntatem inclinandam, vt postulata concedat, quanuis necessitatem non imponat ad id faciendum, neque simpliciter, neque ex aliqua suppositione. At verò Christus Dominus, vt nunc offert, quanuis fortasse semper actu offerat, tamen non est necesse, vt semper efficaciter intendat obtinere effectum illum, quem sacerdos, vel alius offerens, intendit, & ideò etiam ex hac parte non est necesse, vt hæc impetratio sit infallibilis. Quòd autem illud necessarium non sit, patet; quia nulla lege vel promissione se obligauit Christus ad efficaciter petendum, quidquid priuatus offerẽs petit aut desiderat, neque hoc sequitur ex natura talis sacrificij; neque est semper expediens: vnde, vel rebus ipsis & effectibus, constat, non ita fieri. Ad posteriorem partem respondetur primò, absque speciali indispositione offerentis, vel eius, pro quo offertur, posse id prouenire ex solo libero beneplacito Dei, quo interdum concedit vni, quod alteri negat, etiam si fortasse ex parte illorum nulla sit differentia; quod commune est cuilibet causæ morali, quæ mouet causam liberam, nam hoc ipso, quod necessitatem non infert, etiã si ipsa parte ex sua sufficienter, & æqualiter moueat, potest alia non operari. Deinde, etiam si non interueniat obex, potest intercedere alia causa pertinens, vel ad commune bonum, vel ad priuatum alicuius personæ, vt si alicui postulatur salus, quanuis non sit indignus illa, & ex hac parte non ponat obicem impetrationi, fieri tamen potest, vt Deus præuideat eam non expedire, vel ipsi personæ, vel alijs, vel ad aliquem finem, quem Deus intendit, & ideò potest non concedere tale beneficium, cùm alioqui nulla promissione absoluta obligetur.

Quantum.

Quarta differentia est, quia hic posterior modus causandi vniuersalior est, quàm prior; tum ex parte personarum, quia ad plures personas extenditur hæc impetratio, quàm opus operatum, vt ex præcedente disputatione & sectione constare potest, & magis patebit ex sequentibus: tum etiam in effectibus, nam opus operatum definitum est ad certum ac definitum effectum; hæc verò impetratio ad quoslibet effectus diuinæ beneficentiæ extendi potest, vt dicebam in fine sectionis præcedentis, explicando Diuum Thom. & alios autores, & confirmat satis vsus Ecclesiæ in omnibus Liturgijs. Item, quia hæc impetratio tam latè patet, quàm oratio, & quàm sacerdotale munus: sacerdos enim, vt Chrysostomus ait, libro 6. de Sacerdotio, & Ambrosius 1. officior. capitulo 48. est vniuersalis legatus apud Deum pro vniuerso orbe, & pro omnibus deprecatur, quod maximè præstat per sacrificij oblationem: & sic etiam rectè intelligitur, quod Tridentin. ait, sessione 22. capitulo 2. per hanc oblationem vberrimè percipi fructus oblationis cruentæ: quia in vtraque idem est offerens, & quod offertur. Quo tandem tandem fit, vt hi duo modi causandi quodammodo se habeant, vt excedens & excessum: nam prior superat in infallibilitate & certitudine: posterior verò in vniuersalitate, & quadam infinitate, vt posteà dicemus.

SECTIO III.

Vtrùm sacrificium Eucharistiæ conferat gratiam primam, & remissionem culpæ mortalis, per se, & ex sua primaria institutione.

HActenus generatim explicuimus varios operandi modos huius sacrificij, superest, vt in particulari de effectibus eius dicamus, aperiendo, quos effectus vno modo confe-

rat, quos verò alio. Inter quos effectus, primus ac præcipuus esse potest primæ gratiæ infusio, & remissio mortalis culpæ: de quo variæ fuerunt hac nostra ætate sententiæ. Prima est, hoc sacrificium immediatè per se ratione rei oblatæ conferre primam gratiam & remissionem culpæ mortalis ex opere operato, faciendo hominem ex attrito contritum, non per mutationem actus attritionis in actum contritionis, sed per infusionem habitualis gratiæ, qua ipsa attritio formatur, sicut fit per baptismum, vel pœnitentiam. Itaque iuxta hanc opinionem, si sacerdos offerat sacrificium Missæ pro aliquo peccatore, & contingat, in eo instante, in quo sacrificium perficitur, illium peccatorem esse attritum, ex vi talis sacrificij dabitur ei gratia habitualis in eodem instante, siue intelligatur dari physicè per sacrificationem ipsam, vel per terminum sacrificationis, qui est Christus sub speciebus oblatus, siue solum, moraliter, infallibili tamen consecutione: quia nimirum per modum sacrificij ita reddit nobis Deum placatum, vt nos statim in suam gratiam & amicitiam restituat. Hæc opinio sic explicata solet tribui Gabr. lectio. 57. in Canon. & itari etiam solent Petrus Soto, lectio. 7. de Eucharistia. & alij, quos afferemus sectione sequente. Sed re vera nullus eorum in proprijs terminis hãc sententiam docuit. Potest tamen fundari primò in verbis illis consecrationis calicis; *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: quæ, vt suprà vidimus, à multis Patribus & Catholicis Doctoribus de incruenta effusione exponuntur; & sunt optima & annotanda verba Augustini sermone 4. de Innocent. *Super altare corpus Domini offertur; nec immeritò illic* (id est sub altari) *vindictam sanguinis postulabant, vbi & pro peccatoribus Christi sanguis effunditur*: sit ergo hæc sacramentalis & sacrificalis effusio in remissionem peccatorum, quę simpliciter dicta remissionem, non tantùm pœnæ, sed etiam culpæ mortalis, quæ propriè ac simpliciter peccatum est, significat, Vnde Alexander Papa, Epistola 1. decretali, capitulo 4. prædicta verba tractans, ita concludit, *Crimina atque peccata oblatis his Domino sacrificijs delentur*; & infrà. *Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia*. Quæ verba probasse & vsurpasse videtur Concilium Tridentinum, multùm, vt videtur, huic sententiæ fauens, sessione 22. capitulo 2. dicens. *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*. Quocirca, cùm paulò superiùs dicit, *per hoc sacrificium fieri, vt, si vero corde, & recta fide cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, hæc dispositio, quam Concilium requirit ad effectum huius sacrificij, intelligenda erit, non de contritione & pœnitentia perfecta, sed de attritione, quam idem Concilium, sessione 14. capitulo 4. contritionem imperfectam appellauit. Hinc etiam Cyprianus ser mon. de cœna Domini, ponderans eadem verba consecrationis, *Calix*, inquit, *solenni benedictione sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum existens & holocaustum, ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates*.

1. Opinio.

Gabr. Pet. Soto.

Augustin.

Alex. Papa.

Secundò probari potest dictis & traditione Sãctorum: Martialis enim in Epistola ad Burdegal. cap. 3.

Martialis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 3. *Quod Iudæi*, inquit, *per invidiam immolaverunt, nos in ara fundificatâ proponimus, scientes, hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam.* Augustinus libro quæstionum in Leuiticum, quæstione 57. dicit, in hoc sacrificio fieri veram peccatorum remissionem; & 20. de Ciuitate, cap. 25. generatim dicit, sacrificium offerri Deo, *vt, cum ei acceptum fuerit, tunc peccata dimittat.* Gregorius 4. Dialogo, capitulo 58. Hæc, inquit, *victima ab interitu æterno animam salvat*, &c. & infrà. *Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Vnigeniti Filij semper imitatur*: subdit verò statim capitulo 59. *Sed necesse est, vt, cùm hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: tunc ergo verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nos ipsos hostiam fecerimus*: quæ verba possunt latè de contritione intelligi, prout attritionem comprehendit. Gregorius Nazianzenus Oratione 1. in Iulianum. *Mox incruenti sacrificij manus commaculat, per quod Christo vnimur, nec non passioni & diuinitatis eius participes reddimur*, & Damascen. libro 4. de fide, capitul. 14. dicit, *Hæc pura hostia & incruenta, omnis nocumenti est reparatio, omnis sordis purgatio.* Denique Iul. Papa, vt Gratianus refert in capitulo, Cùm omne crimen. de Consecratione, distinctione 2. & in Concilio Brachar. III. capitulo 1. & VVormatiensi. capitulo 4. *Omne crimen atque peccatum* (aiunt) *oblatis Deo sacrificijs deleri*, quòd maximè fieri sentiunt hoc sacrificio. Tertiò argumentari possumus in hunc modum: nam hoc sacrificium offertur pro obtinenda remissione peccatorum mortalium, etiam quoad culpam: sed non offertur pro obtinenda remissione quoad sufficientiam: hoc enim fuit proprium sacrificij crucis: ergo quoad efficaciam: est ego hoc sacrificium efficax ad applicanda Christi merita ad hunc effectum: maior est in primis expressa sententia Ambrosij, libro 1. Officior. capitul. 48. vbi dicit, *Christum hic offerri, & se offerre, vt nostra peccata dimittat*, & Hieronymus Epistola 146. ad Damasc. de filio prodigo, vbi dicit, *Christum esse vitulum saginatum, qui ad pœnitentium immolatur salutem*, & super Epistolam ad Titum, capitul. 5. de Episcopo inquit, *Quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas*, & Cyrill. Catech. 5. Mystag. *Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt, & nobis, & illis, eum, qui est benignissimus, propitiū reddamus.* Iustinus Dialog. cum Tryph. dicit, Euharistiam offerri pro expiatione peccatorum, idem ferè Chrysostomus homil. 3. super epist. ad Ephes. & lib. 6. de sacerdotio, & Orig. homil. 13. in Leuit. Deinde constat ex vsu Ecclesiæ, nam in omnibus liturgijs fit oblatio in hunc modum, in liturgia Iacobi, *Vt ea deleantur delicta, quæ admisimus, & vt toti populo tuo fis propitius, vt tibi grato & diuino oblato sacrificio, digni habeamur vita æterna*, in Liturgia Basilij, *vt fiat acceptabile pro peccatis nostris, & populi ignorantia*, in Liturgia Chrysostomi, *Facnos dignos offerre tibi dona, & sacrificium spirituale pro nostris peccatis, atque ignorantijs populi, & præsta, vt inueniamus gratiam in conspectu tuo.* Et nunc in Cano. Miss. profitemur, hoc sacrificium offerri *pro redemptione animarū nostrarum.* Vnde interdū petit Ecclesia, vt sacrificiū hoc, *fit ablutio scelerum, fit fortitudo fragilium.* Denique id constat, quia de ratione sacrificij propitiatorij est, vt pro peccatis offeratur; & hoc est præcipuum sacerdotis munus, iuxta illud ad Hebræos 5. *Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: sed hoc sacrificiū est propitiatorium ex vi suæ institutionis, & in eo genere est summū ac perfectissimū: ergo offerri debet pro peccatis modo perfectissimo: ergo nō tantùm pro peccatis quoad pœnā, sed etiā quoad culpā; nec tantū venialē, sed etiā mortalē, & ad efficaciter propitiādū pro illius remissione, quod nō fit, nisi virtute ipsius sacrificij ex opere operato culpa tollatur, & gratia infundatur. Ex his ergo omnibus colligitur, hāc fuisse Christi institutionē, quā vsus Ecclesiæ, & Sanctorū traditio, satis declarauit; & ratio ostendit esse valde congruentē, & quæ deceat maiestatem rātī sacrificij.

Quartò, hoc ipsum declaratur, & cōfirmatur in hunc modum, nam Christus, in quantum sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, offerre potuit, & ſobtulit ſsacrificium remissiuum peccatorum quoad culpam; sed tale sacrificium obtulit in nocte cœnæ, vt suprà dictum est: ergo sacrificium illa nocte oblatum, fuit efficax ad remittenda peccata, & viuificandas animas: ergo & sacerdotium nouæ legis & hoc sacrificium, prout per sacerdotes offertur, est similiter efficax ad eundem effectum. Patet consequentia, quia, & hoc nostrum sacrificium est idem cum illo, & nostrum sacerdotium est quædā participatio sacerdotij Christi, imò quodammodo est idem cum illo habitudine quadam & repræsentatione, quatenus sacerdos Euāgelicus in potissimo actu suo, qui est actus sacrificandi, personā Christi gerit, ipsumque repræsentat. Maior autem propositio sumitur ex D. Tho. 3. part. quæst. 22. ar. 3. vbi agens de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, docet fuisse efficax ad expiāda peccata quoad culpā: quod sumit ex Paul. ad Hebr. 9. Quinto, sacramenta nouæ legis habet vim remittendi peccata: ergo decuit, vt sacrificium etiam nouæ legis similem vim haberet. Probatur consequentia, tum quia ratio sacrificij vt sic perfectior est, quā ratio sacramenti, & ex parte rei oblatæ, est etiam in lege gratiæ nobilissima, tum etiam, quia sacrificium propitiatorium magis intrinsecè ac per se videtur ad remissionem peccatorum ordinatū. Denique, quia in hoc sacrificio expressiùs repræsentatur passio Christi, per quam peccata remittūtur. Sextò tandem argumentor, nam Christus Dominus potuit hanc vim conferre huic sacrificio, vt per se notum est, & decuit ac conueniens fuit, vt eā daret, tum propter dignitatem tanti sacrificij, & isti finitatem suorum meritorum, tum propter hominū fragilitatem & indigentiā, tum denique ad ostensionē suæ benignitatis & liberalitatis, vt omnibus modis nobis peccata remittat, non solùm recipiendo, sed etiam offerendo Christum ipsum, à quo est omnis gratia & peccatorum remissio.

Secunda sententia extremè contraria est, hoc sacrificium nullo modo posse primam gratiam, vel remissionē culpæ mortalis conferre. Ita sentit Cano lib. 12. de locis. capitu. 13. ad nonum. Cordub. lib. 1. quæstione 3. notab. 4. Lindanus lib. 4. Panopliæ. capitul. 51. & 53. Aiala de tradition. parte 3. considerat. 5. Fundamentū eorum est, quia hoc sacrificium non habet effectum, nisi in homine iā iusto, vt Concilium Tridentinum, & alij Patres suprà citati magis significant: ergo non potest hoc sacrificium primum gradū conferre, saltem per se, & ex dicta institutione: quia nō potest cōferre effectum, quem supponere necessariò debet, vt possit operari,

operari, sicut de sacramentis viuorum suprà dicebamus. Dico autem, per se & ex directa institutione, nam, vtrùm saltem per accidens id possit, pendet ex alia quæstione tractanda in sectione sequente, an possit hoc sacrificium, gratiæ augmentum virtute sua conferre.

Hæ duæ opiniones, vt mihi quidem videtur, vel errarunt, vel indistinctè & obscurè locutæ sunt, quia non satis distinxerunt duos operandi modos suprà positos, qui in hoc sacrificio reperiuntur, quos præ oculis habere oportet, ad eius effectus declarandos.

Primā gratiā & mortalia etiam peccatorum remissionē, sacrificiū Eucharisticū impetrare valet.

Dico ergo primò, negari non posse, quin sacrificium hoc vim habeat ad obtinēdam à Deo remissionem peccatorum, etiam mortalium, & quoad culpam, & consequenter gratiæ primæ infusionem. Autores pro hac sententia referam in quarta assertione; neque existimo, autores citatos in secunda opinione eam negare, sed locutos esse de effectu ex opere operato iuxta sequentem assertionem, quia re vera in alio sensu magis vniuersali negari nō posset sine errore, vt conuincūt testimonia & rationes adductæ in prima sententia. Neque enim illis omnibus verisimiliter accommodari potest responsio Cani dicentis, peccata in illis locis significare pœnas peccatorum, iuxta illud secundi Machab. 12. *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, id est, à pœnis seu reatibus peccatorū: nam licèt hæc significatio interdùm vsitata sit, tamen, si rectè testimonia adducta ponderentur, plus docēt: nā dimittere crimina, & ingentia peccata, plus est, quàm remittere peccatorum pœnas. Item, offerre hoc sacrificium pro redemptione animarū, plus est, quàm offerre pro remissione pœnarū. Item, Concil. Trident. disertè dicit, sacrificium hoc offerri, *pro vniuersorum peccatis, pœnis, &c.* Item ibidem ait, per oblationem incruentam vberrimè percipi fructum oblationis cruentæ: &, si solùm quoad remissionem pœnæ perciperetur, non esset vberrima, sed valde imperfecta & diminuta participatio. Denique euidenter cōstat ex vsu Ecclesiæ, nō solùm offerri hoc sacrificium pro obtinenda remissione pœnæ, sed etiam pro iustificatione peccatoris: ergo ipsamet iustificatio potest aliquo modo esse effectus huius sacrificij; nā imprudenter offerretur sacrificium pro re obtinēda, quā nullo modo præstare posset. Ratio autē huius cōclusionis constabit, explicando modū huius effectus.

Ad remittenda peccata vel infundendam primā gratiā hoc sacrificiū per se & directe instituta non est.

Dico secundò, Hoc sacrificium non confert per se, & ex directa institutione sua, gratiam primam vel remissionem peccati mortalis ex opere operato. Dico, per se, quia, an possit per accidens, pēdet ex dicendis sect. sequente, & ideò ibi melius dicetur. De hac autē conclusione vix quicquā in propriis terminis reperietur in antiquis Theologis Scholasticis, nedū in sanctis Patribus; hoc autē suo silētio satis docent, nunquā agnouisse in hoc sacrificio huiusmodi causalitatis genus circa hunc effectum, nam, & alio modo explicant hunc effectum, vt videbimus, & alios effectus declarant per modum operis operati, non verò hūc. Vnde Ruardus art. 16. qui quæstionē hanc distinctiùs attigit, negat se audere contrariam opinionem defendere, & idē tenent autores suprà citati in secunda opinione, & quos in sequentibus citauimus. Ratio vnica est, quia hic effectus nō potest colligi ex sola rei natura, etiam supposita substātiali institutione huius sacrificij, sed necessaria est peculiaris lex & promissio Christi: hæc autem lex vel promissio affirmari nō potest vllo probabili fundamento: ergo non est temerè asserenda: nam diuina & supernaturalia mysteria, quæ ex Dei voluntate pendent, non sunt sine autoritate sufficiente, vel ratione admodùm cogente, seu principijs reuelatis valde consentanea, pro libito affirmāda. Maior propositio in prima sect. in discursu simili sufficienter probata est. Vnde inefficacia sunt argumenta, quæ ad cōtrariam opinionem suadendam sumi possunt, vel ex infinitate huius sacrificij, aut ex parte rei oblatæ, aut ex parte principalis offerentis; aut ex perfectione legis gratiæ, & sacrificij eius propitiatorij: quia hæc omnia non ostendunt, hunc effectum sequi intrinsecè ex tali sacrificio, sed, ad summū, ostendunt nonnullam congruentiam, quæ esset quidem si talis fieret lex vel promissio; sed oporteret priùs illam ostendere, quod fieri non potest. Et omnia illa argumenta inefficacia ostenduntur in sacrificio crucis, quod etiam fuit infinitum, &c. & tamen non habuit hunc effectum ex opere operato: est ergo necessaria promissio, seu diuina lex, & institutio. Quòd autem hæc nulla sit, ostendo, discurrēdo per omnia principia, quibus constare posset. Primò, quia in sacra Scriptura nullum est huius promissionis indicium: comedentibus enim & bibentibus carnem & sanguinem Christi, vita æterna promittitur; non autem ijs, pro quibus hoc sacrificium offertur. Verbū autem illud consecrationis calicis, scilicet, *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorū*, nihil probat, tum quia posset exponi sufficiēter de effusione cruēta; tum etiam, quia, licèt exponatur de mystica, posset exponi de remissione peccatorū; quoad pœnā, vel etiam quoad culpas veniales, tum etiam, quia, licèt exponatur de culpis mortalibus; non est necesse intelligi de remissione ex opere operato: satis enim esse posset alius modus impetrationis, vt dicemus. Denique posset exponi, effundi sanguinē in remissionem peccatorum: quia, cùm effunditur in ora fidelium, eis gratiam donat, vt Augustinus suprà citatus significat; & eodem modo potest dici cōsecrari, & mysticè mactari Christus in remissionem peccatorum, quia immolatur, vt sit fidelibus in alimoniā vitæ, & consequenter in remissionem peccatorum, si illa indigerint. Quæ vltima interpretatio potest accommodari multis Patrum locutionibus, si verba, & intentio eorum rectè perpendantur. Ruard.

Quia cōtritionis motum impetrare valet hoc sacrificiū, peccatorum remissio aliqua-liter ei tribuitur.

Secundò, vbicunque Concilia, vel Patres loquuntur de hoc effectu, nunquam significant, illum dari per sacrificium sine sufficiente dispositione & contritione, sed indicant, hanc ipsam dispositionē posse per hoc sacrificium impetrari: hunc enim sensum habent illa verba Concil. Trid. planè intellecta. *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*; & fortasse ideò in proximè præcedētibus verbis dixit, per hoc sacrificium fieri, *vt misericordiam consequamur, & gratiā inueniamus in auxilio opportuno*, vtique ad veram conuersionem cordis & pœnitentiam concipiendam: nunquam ergo indicauit Concilium, sacrificium hoc dare remissionē peccati mortalis immediatè absque contritione perfecta. Vnde, licèt gratis admittamus, priora verba intelligi de cōtritione imperfecta (quod etiā gratis dicitur: quia, licèt attritio, secundum quid & cum addito, aliquādo dicatur *contritio imperfecta*, tamen absolutè, *contritio*, fere semper sumitur pro contritione perfecta) estò, inquam, id cōcedamus, Concilium tamen non

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit, illam contritionem sufficere ad primam gratiam vel remissionem peccati per hoc sacrificiũ immediatè recipiendam, sed ad inueniendam misericordiam & gratiam in auxilio opportuno; nam, si prior contritio fuerit perfecta, inuenietur auxiliũ & gratiam, ad perseuerandum, vel crescendum in operibus iustitiæ: hoc enim est auxilium opportunum, seu conueniés tali dispositioni; si autem prior contritio fuerit imperfecta, inuenietur auxiliũ & gratiam ad perfectum dolum pœnitentiæ obtinendum. Denique, quòd Concilium ibi non loquatur definite de effectu ex opere operato, cõstat, tum quia absolutè de fructibus passionis Christi dicit, per hanc incruentam oblationem vberrimè percipi, quòd ita generatim non esset propriè dictum de effectu ex opere operato, vt patet ex dictis præcedentes sect. tum etiam, quia eodem modo dicit, offerri pro fidelium viuorum peccatis, & alijs necessitatibus: constat autem non subuenire hoc sacrificiũ omnibus necessitatibus ex opere operato.

Inconueniẽtia ortaex opinione oppositã.

Tertiò possunt ex opposito inferri multa incommoda, quæ non obscurè indicant, esse hoc alienum à sensu Ecclesiæ. Primum est, quia suppositis fundamentis suprà iactis de essentia huius sacrificij, sequitur, sacerdotem consecrãtem in peccato mortali, iustificari per solam consecrationem, dummodò in ea actualiter nõ peccet, & attritus sit: hoc autem inauditum est in Ecclesia: imò sequitur, licitè posse sacerdotem accedere ad sacrificandum pro se cum attritione cognita: quia accedit ad remedium per se institutum ad tollendum peccatũ, per quod statim iustificabitur, & sic iam iustificatus poterit etiam licitè sumere sacramentum cum eadem attritione facta contritione per informationem gratiæ. Secundum est, quia sequitur, aliquem existentem in peccato mortali, qui priùs attritionẽ habuit, ipso nihil ampliùs de sua salute, vel emendatione cogitãte, iustificari solũ, quia alius pro eo Missam offert, quod etiam est valdè absurdum. Tertium est, esse optimũ remedium ad consequendam peccati remissionem sine contritione, petere ab alio sacrificium, seu eleemosynã dare, vt pro me Missam faciat, ita vt, si quis sciens & videns se non esse contritum, sed tantùm attritum, hoc remedio vtatur, hoc ipso, quod alter pro illo sacrum faciat, iustificabitur. Nam hic non erit necessarium, attritionem esse existimatam contritionem, tum quia dicitur sacrificium per se habere hunc effectum, tum etiam, quia hic non interuenit obligatio implẽdi aliud præceptum, vt ad excusandam transgressionem eius, necessaria sit talis existimatio contritionis: quia non est præceptum existendi in gratia, vel habendi contritionem, vt licitè possit aliquis petere, pro se offerri sacrificium: ergo si cum attritione cognita id faciat, licitè faciet, etiã si id faciat intentione obtinendi gratiam in eo statu sine meliori dispositione: quia hæc intentio non erit mala, si verum est, sacrificium de se habere talem efficaciam: ergo, si alter sacrificium offerat, ipse consequetur effectum: hoc autem remedij genus adeuersus statum peccati hoc modo intellectum, alienum est à sensu omnium fidelium, & ad bonos eorum mores parum certè conducens: datur enim illis occasio, vt in agenda pœnitentia, veraque cordis contritione procurãda, desidiosi sint. Quartò, quia sequitur, eadem facilitate dici posse, quotiescunq; homo, qui peccauit mortaliter, audit Missam cum sola attritione, iustificari: nam suo modo offert sacrificium, & quantum est ex modo alis oblationis, consequi potest effectũ ex opere operato huius sacrificij, & alio qui non ponit obicem: quia ad hoc satis esse dicitur, quod sit attritus. Quòd si respondeas, oblationem illius non esse sacrificalem, seu sacramẽtalem, sed priuatam tantùm seu spiritualem, hoc nõ obstat, quia iam suprà ostendimus, hoc offerendi genus non esse merè spirituale & internum, sed esse aliquo modo sacramentale, non quatenùs immediatè exercetur à priuata persona, sed quatenùs fit à Sacerdote, vt offerente oblationes omnium, qui cum ipso offerunt, & specialiter concurrunt, quorum personas specialiter gerit, & ideò ipsi per illum specialiter offerunt, & effectum ex opere operato participant: ergo omnes etiam consequentur hunc effectum, si attriti sint; nec poterit sufficiens ratio reddi ad hoc negandum, si aliud admittitur.

Quintum & magnũ inconueniens est, quia peccator semel iustificatus hoc remedio sacrificij, non indigebit alio ad remissionem peccatorum obtinendam, quod est contra fidem: nam inde sequitur, confessionem non esse simpliciter necessariam ad salutem homini post baptismum susceptum mortaliter peccanti, quod est hæreticum. Dicetur fortasse, quãuis sacrificium habeat hunc effectum, tamen simul cum attritione postulare votum confessionis, semperque manere obligationem illud implendi; atque ita semper confessionem esse necessariam, non obstante prædicta efficacia sacrificij. Sed, licèt hoc ita necessariò dicendum sit in prædicta sententia, ne fidei sit contraria, tamen re vera non dicitur constanter, seu consequenter: quia, quando aliquod remedium est per se institutum ad aliquẽ effectum, & ad illum est sufficiens, non est necessarium aliud remedium, nec votum illius, sed hoc sacrificium dicitur per se institutum ad hunc effectum: ergo est sufficiens ad illum: quia virtute sua, & ratione suæ institutionis, & non ratione alterius, illum confert: ergo, cum hoc non rectè consonat, dicere, quòd simul indigeat alio remedio, vel voto illius. Respondeti potest, non esse superfluum, sed superabundantem gratiam, quod ad eundem finem duo sint remedia per se instituta, sicut inter homines ad obtinendam remissionem iniuriæ factæ, duplex via teneri solet, scilicet, vel submissionis, & pœnitentiæ, vel offerẽdi magnum aliquod donum. Sed contrà, nam, licèt demus, duo remedia, si sint, non propterea esse superflua, tamen, si singula per se sufficiunt, neutrum potest esse necessarium; & ideò, si vnum, vt necessarium præscribitur, aliud meritò supernumeraneum censetur. Vnde non est simile, quod adducitur, nam homines ad remissionem iniuriæ non requirũt, vt necessariam veram pœnitentiam de iniuria illata, sed interdum externis donis contenti sunt: quia magis vtilitatem propriam, quàm aliorum emendationem quærunt: Christus autem pœnitentiam & confessionem requirit tanquam omnino necessariam; & ideò nullum aliud remedium instituit, tanquam per se sufficiens. Et confirmatur, ac declaratur in sacramentis viuorum, quando enim faciũt hominem ex attrito contritum, ideò requirunt votum confessionis, quia non per se, sed per accidens id præstant; nã, si per se, & ex institutione sua, id haberent, non indigerent adminiculo alterius: nam ad suos proprios ac per se effectus ipsa per se sufficientia sunt: idem ergo haberet hoc sacrificium, si per se esset ad hunc effectum institutum, & hoc non parum confirmant verba

verba Concil. Trident. dicentis, sess. 7. in principio, *omnem gratiam amissam per sacramenta reparari*: nam illa doctrinalis propositio æquiualet exclusiuæ, scilicet, per sola sacramenta, tum quia de sacrificio vt sic, nunquam quid simile dictum est, tum etiam quia, si aliquã gratia amissa, per aliud remedium repararetur, iam non omnis gratia amissa per sacramenta restitueretur; vel, si illud aliud remedium non operatur nisi in ordine ad aliquod sacramentum, iam non est per se institutum ad talem effectum. Et confirmatur tandem, quia omnes ferè Theologi (& insinuat etiam Concil. Trident.) ex verbis Pauli, *Probet autẽ seipsum homo*, colligunt, ex diuino præcepto confessionem esse præmittendam communioni, si homo habeat conscientiam peccati mortalis, vt non tantũ dispositionem operantis, sed etiam remedium ex opere operato ad talem probationem adhibeat; supponunt ergo, non esse aliud remedium, quod per se & ex directa institutione Christi habere possit hũc effectum ex opere operato: nam, si sacrificium hoc id posset præstare, sufficeret sacrificium priùs pro se offerre cum attritione, & posteà Eucharistiam suscipere.

Occurritur obiectioni.

Sextum inconueniens est, quia eadem facilitate posset aliquis dicere, etiam hoc sacrificium oblatũ pro catechumeno attrito iustificare illum, in voto saltem baptismi. Video responderi posse, nõ esse parem rationem, quia baptismus, sicut est ianua ad alia sacramenta, ita & ad hoc sacrificium; & ideò nullus est capax huius effectus ex opere operato, nisi per characterem baptismalem. Sed, licèt hoc verum sit de proprio ac vero effectu ex opere operato, vt infrà dicemus, nihilominùs tamen argumentum factum vtile est ad ostendendum ineficacia esse fundamẽta, quibus prima opinio nitebatur. Nam etiam pro catechumeno potest offerri hoc sacrificium, vt Deus illi remittat peccatum, & gratiam conferat; & consequẽter ad hoc habet aliquam efficaciam: aliàs non rectè offerretur: ergo ex huiusmodi modo offerendi & causandi, non potest inferri efficacia talis effectus ex opere operato, neque impetratio infallibilis, etiam si sacrificium oblatum in ratione sacrificij infinitum sit. Ad similẽ argumentum est, nã hoc sacrificium offerri potest pro baptizato peccatore non attrito, vt ei gratia & remissio peccatorum cõferatur: non posset autem sic licitè offerri, si immediatè ex opere operato esset talis gratia conferenda: nam: sicut illicitum est, dare sacramentum homini indisposito ad effectum eius, ita esset illicitum applicare sacrificium homini indisposito ad effectũ eius ex opere operato: ergo, cùm illa applicatio licita sit, & in Ecclesia vsitata, signum est, posse ad aliquid aliud fieri, quàm vt conferat effectum ex opere operato: ergo ex illa, vt sic, nunquam licet inferre huiusmodi effectum, nisi assumptis aliud adiungatur; vnde cõstare potest.

Ex his ergo omnibus satis colligitur, ex Christi promissione aut institutione non posse colligi huiusmodi effectum, neque esse in Ecclesia sufficiens aliquod indicium talis institutionis, & potius esse multa, quæ satis indicant, nullam fuisse de hoc effectu Christi promissionem. Huius autem rei cõgruentia reddi potest: quia, licèt de potentia absoluta Christus hoc facere potuerit, non tamen fuit necessarium, neque expediens iuxta ordinatum prouidẽtiæ modum, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Instituit enim Christus Dominus ad remedium peccati originalis & mortalis duo medicamenta, quæ per se voluit esse ad huiusmodi effectum sufficiẽtia & necessaria, & ideò non fuit conueniens, remediũ aliud ab his distinctum ad eundem effectum per se instituere. Quod autem illud remedium magis in sacramento, quàm in sacrificio, positum fuerit, non fine sufficiente ratione factum etiam est; tum quia sacramentum per se primò ordinatur ad sanctificationem suscipientis; & ideò eleuatum est ad conferendam sanctificationem gratiæ omnibus modis: sacrificium verò ex se ordinatur ad colẽdum Deum, & consequẽter ad impetrandum aliquid ab illo, vel ad satisfaciendum illi pro pœna debita; & ideò non oportuit, sacrificium eleuari ad extraneum effectum quasi alienum, & sacramentorum proprium, nam Deus vnamquamque rem eleuat ad operandum cõueniẽre modo in suo ordine & ratione, tum etiam, quia sacramentum, vel in receptione consistit, vel per eam applicatur ad agendum, & ideò per illam aliqualiter homo disponitur, & saluti suæ cooperatur, at verò sacrificium de se, & per solam extrinsecam denominationem applicari potest, & ideò non erat proportionatum instrumentum ad huiusmodi effectum. Nam propter hanc fortasse causam, etiam ipsum sacrificium crucis, quòd ad sanctificationem hominum quoad sufficientiam fuit potentissimum, noluit Christus, vt per se solam esset efficax, vel ad minimum gradum sanctificationis conferendum, nisi per sacramenta, vel alia opera, applicaretur.

Non contrito homini remissionem peccatorum non impetrat hoc sacrificium immediatè.

Dico tertiò, Hoc sacrificium non potest valere etiam per modum impetrationis ad conferendã vel obtinendam immediatè gratiam aut remissionem peccati homini existenti in peccato mortali, & per solam attritionem disposito. Dico, immediatè, id est sine media contritione aut confessione, ita vt, perseuerante sola attritione, ei infundatur gratia absque vllo sacramento realiter suscepto. Huiusmodi enim effectus est contra, vel præter legem ordinariam à Deo statutam: & ideò inordinatũ esset, illum postulare: nam, quia Deus statuit, neminẽ iustificare, nisi per baptismum, vel absolutionem, in re suscepta vel in voto per contritionem, inordinatum esset, à Deo petere, vt paruulo det gratiã sine baptismo, vel adulto sine contritione aut sacramento, sicut esset etiam inordinatum, petere, vt det alicui characterem Ordinis sine sacramẽto Ordinis; & sic de alijs, quæ sine speciali miraculo & exceptione ab vniuersali lege fieri non possunt: ergo nec sacrificium potest licitè offerri ad hoc obtinendum à Deo, neque cum tali oratione coniungi: ergo, si id fiat, non proueabit Deum ad misericordiam, sed potiùs ad iram: talis ergo impetratio huius sacrificio non conuenit. Dices, interdum posse à Deo postulari aliquid præter legem ordinariã, aliàs nũquam liceret à Deo miraculũ petere. Respondetur, illud ipsum esse præter ordinariam legem ex aliquo extraordinario dono, seu motione Spiritus sancti: nos autẽ hic loquimur secundum legem ordinariam, ac propriam huius sacrificij institutionem: si autem interdum Spiritus sanctus speciali instinctu & dono moueret hominem ad id petendum, & propter eum finem daret sacrificium offerendum, iam tunc ipse etiam daret virtutem impetrandi, tamen huiusmodi motio seu instinctus Spiritus sancti, non facilè credendus est, quia vix esse potest vtile, nedum necessarium, vt sancti ficetur homo per solam attritionem sine vllo sacramento.

Obiectioni obuiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacrificiũ hoc impetrata dispositione necessaria, gratiam primam impetrare valet.

Dico quartò, hoc sacrificium posse nobis impetrare gratiam primam & remissionem peccati mortalis, impetrando nobis sufficientem dispositionem ad huiusmodi effectũ. Hæc conclusio sequitur euidenter ex præcedentibus à sufficiente enumeratione partium: nã hoc sacrificium potest offerri ad hũc effectum, iuxta primam conclusionẽ, & nõ ex opere operato, iuxta secundam: ergo per modum impetrationis: quia non est alius modus causandi præter hos, non autem impetrando immediatè, iuxta tertiã conclusionem: ergo saltem mediatè, media, scilicet, sufficiente dispositione, cùm non sit possibile aliud medium, quod à nobis possit ratione aliqua excogitari, & hoc esse videtur, quod dixit Concil. Trident. *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & ingentia peccata dimittit.* Et hic est sensus omnium Patrum, quos inter confirmandam primam sententiam citauimus, vt patet, tum ex eorũ verbis, tum ex omnibus, quæ dicta sunt. Est etiam hæc doctrina communis Scholasticorum. D. Thom. in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. quæstiuncul. 2. ad quartum dicit, Eucharistiam, in quantum est sacramentum, habere effectum in omni viuente, in quo requirit, vitam præexistere, sed in quãtum est sacrificium, habere effectum etiam in alijs, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm. *Et ideò si eos* (inquit) *dispositos inueniat, eis gratiam obtinet, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non, sicut causa proxima, sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat.* Idem sentit Durand. ibi. q. 4. Maior. q. 1. Soto. d. 13. q. 2. art. 1. nec aliud sensit Petrus Soto, dicta lect. 7. nec Gab. suprà, & lect. 26. & 27. & latiùs in 85. Albertus Pighius controuers. 5. & Gasp. Casal. lib. 2. de sacrificio Miss. & Canis. in Catech. cap. de Euchar. q. 7. Idem Turrian. lib. 1. pro canonib. Apost. c. 24. Ruard. Cano, & Corduba locis citatis.

D. Thom. Durand. Ambr. Dominicus Soto. Petr. Soto. Gabriel. Albert. Pig. Casal. Canisius. Turrian. Ruardus. Cano. Corduba.

Sed superest explicandum, qualis sit hæc impetratio, an scilicet, sit infallibilis, & ideò dici possit ex opere operato, vel non sit ita certa. In vtramq; enim partem graues rationes & coniecturæ occurrunt. Quòd enim hæc impetratio incerta sit, censent Durandus, Cano, & Corduba. Et probatur primò, quia ita experimur, non statim conuerti peccatorem, pro cuius conuersione sacrificium Missæ offerimus: imò nec specialiter moueri ad pœnitentiam agendam. Secundò, quia cõtritio est dispositio libera, pendens ex hominis voluntate: ergo ex hac parte non potest infallibiliter impetrari: quia, ad summum, impetrari potest diuinum auxilium, quod, aut est excitãs, aut adiuuans seu concomitans. Hoc posterius est, quod immediatè influit in ipsum actum contritionis: vnde, cùm non determinet volũtatem ad vnum (aliàs tolleret libertatem) non potest esse efficax in actu secundo, nisi concurrente simul libera cooperatione voluntatis; & ideò non potest in se infallibiliter impetrari, sed, ad summũ, veluti in actu primo, quatenùs intelligitur Deus esse paratus ad concurrendum, voluntate nostra cooperante, quod non satis est, vt ipsa actualis cõtritio sit infallibilis, quod nũc intendimus. Auxilium autem excitans seu præueniens, etiam si admittamus semper impetrari per sacrificium (quod satis incertum est, vt dixi) tamen ratione illius non est infallibilis conuersio. Dices, hoc esse verum generaliter loquendo de huiusmodi auxilio, esse tamen quoddam particulare auxiliũ accommodatum & efficax, quo posito infallibiliter

Quorundam placitum.

A sequetur conuersio: & hoc posse per sacrificium infallibiliter obtineri. Sed contrà, nam, vt alibi ostendendum est, nullum est tale auxiliũ efficax ex intrinseca perfectione seu motione talis auxilij, sed solùm ex præscientia Dei cõditionata, qua scit Deus, quid vnaquæque voluntas operatura sit, hoc vel illo modo excitata & mota: at verò, nec per orationem, nec per sacrificium, videtur posse impetrari infallibiliter hæc gratiæ opportunitas seu efficacia, quæ pendet ex diuina præscientia, sed, ad summùm, talis vel talis motio, quæ interdùm habebit effectũ in vno, & non in alio, & eodem tempore, pro quo vtrique impetratur per sacrificium; & similiter in vno & eodem pro diuersis temporibus accidere potest.

Aliorum sententia.

Aliorum verò sententia est, hunc effectum esse infallibilem aliqua ratione ex vi alicuius promissionis. Et primùm explicare oportet, hoc esse possibile, aduertendo, hanc promissionem non esse existimãdam ita absolutam, vt nõ pendeat aliquo modo ex hominis dispositione ac cooperatione: hoc enim commune est fere omnibus effectibus gratiæ: nam, si sint habituales, pendent ex actuali dispositione, vel saltem requirunt, vt non ponatur obex: si sint actuales, & perfectè humani, requirunt consensum liberum, & animi attentionem sufficientem, si verò tantùm sint motiones gratiæ excitantis vel præuenientis, saltem requirunt opportunitatem hominis accommodatam, nam, si homo sit actu dormiens, nec tunc est dispositus ad recipiendam Dei motionem, nec etiam excitandus statim est è somno, vt illuminetur, aut verò est prophetico modo illuminandus, & idem est, si ita sit intentus alijs rebus, vt moraliter non possit de sua conuersione cogitare. Et hoc, ad summum, probat experientia suprà adducta, quòd non omnes sentiunt in se huiusmodi motionem, est enim hoc verum de eo tempore, quo homo non est dispositus, vel potiùs inde solum inferri potest, nobis non esse notum tempus, pro quo datur hoc auxilium ratione sacrificij: quia fortasse expectat Deus opportunum tempus iuxta capacitatem nostram, & suæ sapientiæ dispositionẽ, & ideò à nobis ignorantur, quod nam illud sit. Quod ergo hoc modo possit impetrari hoc auxilium, non videtur dubium, nec contrarium potest experientia constare. Vnde multa ex his auxilijs numerantur, inter effectus sacramentorum ex opere operato, quos necesse est, aliquo modo esse infallibiles: ergo eodem modo potuit Christus promittere ratione huius sacrificij aliquod auxilium, quo peccator ad pœnitentiam excitetur, si ipse nõ ponat obicem, & sit capax, & in opportunitate debita ad tale auxilium suscipiendum. Neque enim necesse est, vt effectus cesset infallibilis, quòd statim eodem momento detur, quo sacrificium offertur, sed opportuno tempore, ad quod maximè ordinari debet intentio offerẽtis, de quo latiùs diximus, agentes de effectibus sacramentorum. Atque hoc eodem discursu ostendi potest, non solum auxilium sufficiens, sed etiam efficax, posse hoc modo impetrari infallibiliter: quia sine dubio potest licitè & sanctè ab offerente postulari & intendi, quod, scilicet, Deus peccatorem moueat, eo tempore & modo, què Deus ipse scit, opportunum futurum, vt ille conuertatur. Potuit etiam Christus hoc promittere: quid enim repugnat? cùm totum hoc pertineat ad opus gratiæ, & sub meritum Christi ceciderit. Solùm superest probandum, ita fe-

ciſſe,

ciſſe, potest autem verisimiliter probari ex illis verbis Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. *Per ipsumque fieri, vt gratiã inueniamus in auxilio opportuno*, &c. ex illis, *Donum pœnitentiæ concedens*, &c. nam auxiliũ opportunum idem videtur esse, quod auxilium efficax; donum autem pœnitẽtiæ est auxilium adiuuãs, in actu secundo, seu perfecta contritio; qua etiam ingentia peccata remittuntur: loquens autem absolutè cõcilium, & requirens ex parte hominis aliquam dispositionem, videtur loqui de impetratione infallibili. Et confirmatur, nam hic effectus gratiæ est val de necessarius hominibus: ergo oportuit, vt certa, & infallibili lege posset à Deo obtineri per aliquod remedium legis gratiæ à Christo instítutum, sed nullum est aliud præter hoc sacrificium, nam per nullum sacramentorum datur, vt de tractatis hactenus constat, & de reliquis certius est.

Per sacrificium hoc, auxilium etiã efficax impetrari potest.

B Hæc res mihi videtur obscura & incerta, tamen in primis verisimilius videtur posse interdum per hoc sacrificium impetrari, non solùm auxilium sufficiens, sed etiam efficax; atque adeo contritionem ipsam. Hoc, vt minimum, suadent verba Concilij Tridentin. & sumitur etiam ex verbis D. Thom. supra citatis, & ex alijs autoribus. Et ratio facta id etiam conuincit, quia hic effectus impetrabilis est (vt sic dicã) & pro eo impetrando potest hoc sacrificium sanctè offerri: ergo impetrabitur aliquando. Secundò verò existimo probabilius, non posse hũc effectũ vocari infallibilem. Primò quidem, quia effectus proprij sacramenti, & sacrificij, prout infallibiles sunt; non dantur iuxta præscientiam Dei respectu futurorũ, sed iuxta dispositione eius, cui sacramentum applicatur, vel pro quo offertur sacrificium: alias dicere quis posset, sacramentum dare gratiã ei, qui bene vsurus est illa, non autem ei, qui male vsurus est, etiãsi cætera sint paria, at verò; quod auxilium sit efficax, non semper est iuxta dispositionẽ eius, pro quo offertur sacrificium, nã fieri potest, vt sit minus efficax in melius disposito. Qua fere ratione suprà dicebamus, auxilium efficax ad perseuerandũ non esse effectũ ex opere operato sacramenti Eucharistiæ. Itẽ nullũ est sufficiens fundamentum, vt asseramus, Christum promisisse huiusmodi effectum, aut absolute, aut sub aliqua certa cõditione, quæ vel à nobis explicari, vel aliqua certa lege comprehẽdi possit. Deniq; nulla est congruẽtia ad huiusmodi promissionem suadendam: quia ad spem peccatorum erigẽdam, satis est quod intelligant se posse impetrare hoc donum per hoc sacrificiũ, si cum timore, & tremore accedãt. Addo etiã si pro se ipsis orent, vel offerant, & impedimentum non apponant, impetrationem fore infallibilem, saltem ex promissione orationi factã. Aliunde verò, ne nimiũ confidant, sed timeant, expedit, vt intelligant, effectum hũc non esse infallibilem, quatenus ex oratione, vel oblatione alterius prouenire potest. Accedit, quod supra in simili dicebam, ex alijs rationibus, vel cauſis vniuersalioribus diuinæ prouidentiæ fieri posse, vt sæpe non expediat, hoc donũ concedere alicui personæ, etiam si speciale impedimentum ex parte eius non intercedat. Quin potius addo, non esse infallibilem impetrationem alicuius auxilij specialis, seu extraordinariæ motionis, fundatam in aliqua speciali promissione: nam Concilũ Trident. non de hoc loquitur, vt supra ostendi. Et nunc addi potest aliud argumentum, quia Concilũ non fundat doctrinam suam in promissione, sed tã

Impetratio talis oblationis sacrificij infallibiliter non respondet.

A tùm in natura, & dignitate sacrificij, loquitur ergo de communi impetratione, quæ non semper infallibilis est. Et sunt præterea aliæ coniecturæ, quæ effectus infallibilis requirit certam aliquam dispositionem, qua posita datur, & sine illa non datur: hic autẽ nõ ita est, nam hic effectus interdum impetratur homini obstinatissimo in peccatis, non autẽ minus peccatori. Item gratia auxilians certa lege promissa & quasi sacramentalis, semper promittitur, vt annexa alicui gratiæ sanctificãti, vt patet in omnibus sacramentis: hoc autem auxilium vt impetretur, nec præsupponit gratiam sanctificantem, nec illam secum necessariò affert, vt ex dictis constat. Item effectus infallibilis, est determinatus, & in numero, & in perfectione: hic autẽ non est huiusmodi, sed impetrari potest, interdũ vni, interdum multis, interdum malus, interdum minus, iuxta intentionẽ vel petitionem offerentium, etiam si ex parte eorũ, pro quibus fit oblatio, non sit disparitas. Non est ergo hic effectus ex opere operato propriè, sed tantum per modum impetrationis.

Fundamenta aliarum opinionum ex dictis expedita sunt, nam omnia iuuant, & confirmant nostrã sententiam, & iuxta illam commode explicantur: quod præsertim de fundamentis primæ sententiæ magis patebit ex sectione sequenti.

SECTIO IIII.

Vtrùm sacrificium Eucharistiæ per se conferat ex opere operato augmentum gratiæ, & interdum, saltem per accidens, primam gratiam.

Opinio quorundam.

PRima sententia esse potest, hoc sacrificiũ oblatum pro homine iusto, conferre, illi vi sua, aliquod augmentum gratiæ habitualis, non ratione alicuius meritorij actus, qui in illo excitetur: hoc enim nec contingit, nec vllo fundamento affirmari potest, sed immediatè. Hæc opinio tribuitur Petro Soto, lect. 7. de Euch. & Dominico Soto in 4. dist. 13. q. 2. ar. 1. Sed hi autores, licet ob scurè loquantur, nunquam tamen hunc sensum satis declarant. Potest autem fundari omnibus coniecturis suprà adductis. Primò, quia sacramentum Eucharistiæ confert per se augmentũ gratiæ: ergo & sacrificiũ Eucharistiæ. Patet consequentia, quia, & in suo esse est tã perfectũ, & in ratione sacrificij est magis intrentum, quam in ratione sacramenti, vt supra dixi. Secundo quia hoc sacrificium est infinitum in ratione sacrificij: quia in eo Christus sacrificat: ergo, sicut in illo applicatur satisfactio Christi, quoad remissionem pœnæ, ita & meritum Christi quoad aliquam gratiæ infusionem: cur enim tanto sacrificio tribuendum est id, quod est imperfectum, non autẽ id, quod perfectius est? Aut cur in remissione pœnæ habet infallibilem impetrationem, nõ autem in gratiæ augmento? cum valor eius ad vtrunq; sufficiat superabundanter; maximè quia de ratione sacrificij est habere vim ad impetrandam gratiam: ergo nobilius sacrificium maiorẽ habet vim: ergo infinitum sacrificium infinitam vim: ergo infallibilẽ impetrationem. Tertiò, quia non est verisimile, sacrificiũ hoc, vt fuit in nocte Cœnæ à Christo obla-

Petrus & Dominicus Soto à calũnia vendicãtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum pro Apostolis, non eōtuliſſe illis ex opere operato aliquam gratiam, cum fuerit infinitæ efficatiæ ergo idem modo cenſendum eſt de noſtro ſacrificio. Iuxta hanc autem opinionem conſequenter dicendum videtur, hoc ſacrificium, quanuis per ſe nō ſit inſtitutum ad dandam primam gratiam & remiſſionem peccati mortalis, per accidens tamen poſſe hunc effectum dare, interueniente bona fide ac remoto obice per attritionem: nam iuxta communē opinionem Thealogorum, quicquid confert augmentum gratiæ ex opere operato, conferre etiam poteſt, ſaltem per accidens, primam gratiam & remiſſionem peccati, vt patet in ſacramento Euchariſtiæ, & in omnibus ſacramentis viuorū: ergo idē erit in hoc ſacramento.

Conſectarium ex hac opinione.

Euchariſtiæ ſacrificium, ex opere operato non auget gratiam

Dico primò, ſacrificium hoc non conferre gratię augmentum ex opere operato. Hæc concluſio colligitur ex omnibus autoribus ſupracitatis, & Soto etiā in 4. d. 11. q. 2. ar. 5. abſolutè negat, poſſe hoc ſacrificium dare gratiam, niſi per modum meriti. Sumitur etiam eodem modo ex tota antiquitate, quo doctrina tradita in ſect. præcedente: quia nimirum nulla mentio talis effectus ex opere operato in antiquis Doctoribus inuenitur, neque Chriſti promiſsio aut lex confingenda eſt ſine ſufficiente fundamento. Et declaratur breuiter, nam dupliciter poteſt intelligi hic effectus. Primò de immediato augmento gratiæ habitualis, ſine aliquo actu meritorio eius, cui augetur. Secundo, de augmento, mediāte actu, ita tamē vt ipſe actus detur ex opere operato ratione ſacrificij. Primus modus eſt certè improbabilis, non ſolum quoad efficaciam ex opere operato, ſed etiam quoad quācunque impetrationē: alias poſſet hoc ſacrificium offerri pro paruulo baptizato, vt ei gratia augeatur. Patet ſequela, quia ad hunc effectū nō eſt neceſſarius actus eius, qui recepturus eſt effectum ſed tantū offerentis, vt ſuppo nimus: ergo paruulus ex hoc capite capax eſt huius effectus, & alioqui ratione baptiſmi, etiā eſt capax effectuum ex opere operato, ſi aliunde non repugnet: ergo ex parte offerentis poteſt etiam fieri oblatio, & habebit effectum: conſequens autē eſt in audi tum in Eccleſia; & re vera eſſet valde temerarium, ſacrificium pro paruulo offerre hac intentione. Et idem argumentum fieri poteſt de homine dormiēte pro illo tempore, quod dormit, & de phrenetico amente, & ſimilibus. Neque enim conſequenter dici poteſt, requiri aliquem actum per modum diſpoſitionis neceſſariæ, quanuis gratiæ augmentum, nō detur tantūm ob meritum illius, ſed ob ſacrificium quotieſcunque enim augmentum gratiæ habitualis datur ex opere operato, non requirit actualem diſpoſitionem in ſuſcipiente, ſed ſolum: quod ſit in gratia, vt ſupra oſtenſum eſt de Euchariſtiæ ſacramento, & de cæteris ſacramentis viuorum; & ideo Confirmatio vel Euchariſtia data paruulo, auget eius gratiam ſine actu eius; idem ergo facere hoc ſacrificium applicatum paruulo, ſi ex ſe eſſet operatiuum talis effectus: cum ergo ex omnium conſenſu cōſter hoc ſacrificiū non poſſe ita operari in paruulo baptizato, ſignum eſt, hoc ſacrificium non eſſe operatiuum neq; impetratiuum talis effectus. Ratio autē à priori huius veritatis eſt, quia Chriſtus non inſtituit ad hunc finem hoc ſacrificium, neque ei promiſit huiuſmodi effectum. Huius autē rei cōgruentia reddi poteſt ex his, quæ D. Tho. ſupra citatus tradit, quia Euchariſtia, vt ſacramentum, ordinata eſt ad dandum augmentum gratiæ, & nutriendam earitatem; & ideo, vt eſt ſacrificium, ad alium effectū, nimirū ad ſatisfactionem peccatorū, ordinata eſt. Neque enim oportuit, ad eundem finem plures cauſas inſtituere, nec diuerſarum cauſarum effectus confundere: nam, ſicut conueniens fuit, ad effectus neceſſarios gratiæ cōuenientia media inſtituere, ita non oportuit ad eundem effectum ſine cauſa multiplicare. Quod præterea in hunc modum declaratur, nam augmentum gratiæ ex opere operato dupliciter dari ſolet. Primo, propter ſe ſe, ad nutritionem caritatis; & hoc modo datur per Euchariſtiam vt ſacrmentum non vero vt ſacrificium, ob rationem prædictam, quam magis in ſolutionibus argumentorum explicabo. Secundo modo datur augmentum gratiæ propter aliquem ſpecialem finem, ſeu effectum, Vt per Ordinem, ad digne miniſtrandum; per matrimonium, ad ſuſtinenda illius ſtatus onera, & ſic de alijs. Per hoc autem ſacrificium nō datur propter aliquem ſpecialem finem aut miniſterium: nullus enim cum aliquo fundamento aſsigna ri poteſt, nam remiſsio, vel ſatisfactio pro pœna, ad quam per ſe videtur ordinari hoc ſacrificium, nō requirit ſpeciale augmentum gratiæ: impetratio autē aliorum effectuū, ad quā etiam inſtitutum eſt hoc ſacrificium non requirit augmentum gratiæ in eo, pro quo offertur; quia nec impetratio debet in illa fundari, ſed in valore ipſius ſacrificij, nec ad impetrādos alios inferiores effectus ſupponi debuit impetratio altioris & nobilioris effectus, qualis eſt impetratio augmenti gratiæ habitualis ſine merito recipientis, & ſine applicatione alicuius ſacramenti. Atque hoc cōfirmari poteſt ex alijs adductis in. 2. concluſione, præced. ſect. nam hæc duo valde ſunt inter ſe, connexa, & ſimilia.

Ratio concluſionis.

Congruentia.

Atque hinc conſequenter fit, ſi hoc ſacrificium nō confert huiuſmodi augmentum ex opere operato, neque per illud impetrari poſſe, neque omnino debere à Deo pati, ſecūdū legem ordinariā loquēdo: quia eſſet petere effectum gratiæ præter ordinarium modum à Deo ſtatutum, & abſque vlla cauſa ſufficiente illius, id eſt, ſine merito operātis, & ſine vlla cauſa, quę poſsit ex opere operato illud conferre. Ex eiſdem etiā principijs ſupra poſitis facilè excludi poteſt alius modus augendi gratiam ex opere operato, medio actu meritorio ipſius recipientis quia talis actus nō poteſt eſſe effectus ex opere operato huius ſacrificij: ergo nec effectus gratiæ ab illo proueniens poteſt huic ſacrificio attribui ex opere operato. Antecedens probari poteſt eiſdē rationibus & coniecturis, quibus in præcedente ſect. vſi ſumus: eſt enim fere eadem ratio. Quocirca, loquendo de modo impetrationis, veriſimum quidē eſt, poſſe per hoc ſacrificium alteri impetrari auxilium, vel ſufficiens, vel efficax ad efficiendum actū quo in gratia creſcat: nam, ſi hoc poteſt impetrari homini peccatori, cur non magis iuſto? Qui effectus non videtur ita infallibilis, vt cenſendus ſit ex opere operato. Vnde nec omnino definitus eſt, ſed multiplex eſſe poteſt & varius vel iuxta intentionem offerentis, vel iuxta diſpoſitionem, & indigentiam eius, pro quo ſit oblatio, vel certe iuxta diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ. Quod ita explicari poteſt, nam auxilia gratiæ, quæ per ſacramenta dātur ex opere operato, tendūt ad certos & determinatos fines, & dantur iuxta diſpoſitionē ſuſcipientis, vt in Confirmatione, ad confitendam fidem

Corolariū.

fidem, &c. At vero hoc ſacrificium poteſt impetrare auxiliū ad omnes fines & ad omnes actus, & ad vincendam quancunque tentationem, & in maiori vel minori gradu, etiam ſi diſpoſitio inæqualis ſit, & ideo veriſimilius eſt, hoc auxilium non eſſe ad vnū determinatum, neq; etiam tā vniuerſaliter promiſſum infallibiliter ex vi inſtitutionis, nec in promiſsione fundari, ſed in valore ipſius ſacrificij, determinari autem ex intentione offerentis, adiuncta miſericordia Dei, qui interdū non concedit, quod petitur, vt aliud donet, quod opportunius eſt, magiſque expedit ei, pro quo fit oblatio. Nullo ergo modo augmentum gratiæ poteſt verè ac propriè dici effectus huius ſacrificij ex opere operato.

Nec per accidens per ſacrificiū Euchariſtiæ prima gratia poteſt dari.

Dico ſecundo, Per hoc ſacrificium nō poteſt cōferri prima gratia, aut remitti mortale peccatū etiā per accidens. Probatur oppoſito fundamento præcedentis opinionis: nam, quod non poteſt per ſe cōferre ex opere operato augmentum gratiæ, non poteſt, etiam per accidens, dare primam gratiam, ſed hoc ſacrificium non poteſt per ſe dare augmentum gratiæ: ergo nec primam gratiam per accidens: ergo nec remiſsionem peccati mortalis, quæ non fit ſine primæ gratiæ infuſione. Accedit, quod in hoc ſacrificio, reſpectu eius pro quo offertur, vix poteſt re ipſa diſtingui talis effectus per accidens aut per ſe factus: vnde, ſi per ſe fieri non poteſt, vt oſtenſum eſt, nec per accidens poterit. Antecedēs declaratur, quia tunc gratia prima dicitur dari per accidens, quando per ſe requirit contritionem, & ratione ignorantiæ ſuæ bonæ fidei datur cum ſola atritione, exiſtimata contritione: hic vero non habet locum hæc ignorantia, neque eſt neceſſaria talis exiſtimatio contritionis, vt ſupra dicebam: quia hic non interuenit aliquod præceptum, cuius tranſgreſsio excuſanda ſit per huiuſmodi ignorantiam, vel exiſtimationem, quia non tenetur homo prius conteri, quam pro ſe faciat ſacrificium offerri: ergo, ſi hoc ſacrificium poteſt aliquando dare primā gratiam homini attrito: hoc etiam poterit, etiā ſi attritio cognita ſit, quod eſt per ſe facere, & non per accidens: ſi ergo per ſe non poteſt, nec per accidens poteſt.

Ad poſitas in initio rationes reſpō ſio.

Ad primum ergo argumentum in principio poſitum negatur conſequentia: eſt enim diuerſa ratio de Euchariſtia, vt ſacramento, & vt ſacrificio. Primū ob generalem rationem præcedēte ſectione inſinuatam, quòd ſacramentū ex generali ratione ſua ad ſanctificationem fideliū ordinatur, ſacrificiū verò ad cultum Dei. Deinde, quia Euchariſtia, vt ſacramentum, datur in alimentum ſpirituale, vt in ipſa etiam exteriori ſumptione ſignificatur: vt ſacrificium autem, ordinatur ad Dei cultum, & ad impetrandum à Deo veniam peccatorum vel gratiam, media noſtra cooperatione & diſpoſitione. Nec refert, quod hoc myſterium primario inſtitutum ſit ſub ratione ſacrificij, quia inde ſolum ſit, non eſſe primario inſtitutum ad efficiendum in nobis aliquid, ſed ad colendum, & placandum Deum, & ad memoriam paſsionis Chriſti recolendā, & ideo nō eſt neceſſe, vt præcipuus effectus eius ex opere operato ſit ei promiſſus, vt ſacrificiū eſt, ſed quatenus ſumitur vt ſacramentum. Ad ſecūdum reſponſam iam eſt, ex ſacrificij infinitate nihil poſſe colligi, vt conſtat ex ipſo ſacrificio crucis ſed totam rem pendere ex inſtitutione & promiſsione Chriſti: cur autem huic ſacrificio non fuerit promiſſus hic effectus ſicut ſacramentis, iam plures congruentiæ & ratio-

nes ſunt à nobis datæ, quanuis voluntas Chriſti pro ratione ſufficiat. Sunt enim hęc remedia & cauſæ ſalutis noſtræ diuerſarum rationum, & ſingulæ in ſuo ordine habent ſuā propriā perfectionem & excellētiā; & ideo neceſſe nō eſt, vt quod vni cōuenit, conueniat etiā alteri, etiā ſi abſolutè perfectius ſit, maximè quia, cum Euchariſtia ſub vna ratione habeat promiſsionem gratiæ adiunctam, neceſſe nō eſt, vt ſub altera etiam ratione, ſcilicet ſacrificij, illā habeat, ſed ſub ea ratione habet alium modum operandi magis vniuerſalem, quem nō oportuit quoad omnia eſſe infallibilem ex vi alicuius promiſsionis, ſed ſolum per modum impetrationis. Neq; obſtat gradatio in argumento facta: concedo enim, ſacrificium hoc habere infinitatem quandam in impetrādo: quia de ſe habet infinitam dignitatem, ob quam Deo placeat; nihilominus tamen tota hæc infinitas ſine ſpeciali lege aut promiſsione non ſufficit ad infallibilem impetrationem, quia non infert neceſsitatem diuinæ voluntati, nec intrinſicè includit voluntatem Chriſti efficacem circa talem effectum, vt ſupra declaratum eſt. Ad tertiū reſpōdetur, quoad effectum ex opere operato, idem dicendum eſſe de ſacrificio à Chriſto oblato in cœna: quia eiuſdem rationis ſunt, &, quantum credi poteſt, eiuſdem efficatiæ & virtutis ex vi inſtitutionis, ſicut baptiſmus à Chriſto per ſe ipſum datus, vel per miniſtros ſolum eſt differentia, quod illa oblatio facta in cœna, fuit infiniti meriti & ſatisfactionis, nunc autem prout in miſſa fit, non eſt de nouo meritoria, vel ſatisfactoria, propter diuerſum ſtatum Chriſti offerentis, vt ſuperius dixi: ſed hoc nō refert ad effectū ex opere operato de quo nunc agimus, nam etiam ſacrificium Crucis fuit infinite meritorium & ſatisfactorium, & tamen non habet effectum vllum ex opere operato, proprie loquendo.

SECTIO V.

Vtrùm ſacrificium Miſſæ remittat peccata venialia ex opere operato.

Per modum impetrationis venialia delere valet hoc ſacrificium.

IN hac re vnum poſſumus ex ſuperioribus tanquam certum ſumere, ſcilicet, hoc ſacrificiū habere circa remiſsionem venialium, vt minimum totam efficaciam, quam habet ad remiſsionē mortalium, vt à fortiori ex dictis colligere licet: nam, ſi hoc ſacrificium ob ſuam infinitam dignitatem potens eſt ad impetrandum peccatori auxilium, quo conuertatur, multo magis erit potens ad impetrandam iuſto remiſsione venialiū peccatorū. Itē, quia hoc ſacrificium ſanctè offertur propter hunc finem ergo habet aliquam efficaciam ad illum: ergo ſaltē impetratiuam. Tandem id conſtat ex doctrina Sanctorum, qui citantur, de Conſecr. diſt. 2. c. Vtrùm ſub figura, & literatur. c. Quid ſit ſanguis, vbi dicitur hoc ſacrificium quotidie offerri, *quia quotidie peccamus*, ſcilicet, venialiter, nimirum vt horum peccatorum veniam conſequamur. Et Conc. Trid. cum ſimpliciter & indefinitè dicit, ſeſſ. 22. c. 2. hoc ſacrificium offerri *pro ſalutem vniuerſorum peccatis*, ſine dubio venialia includit. Vnde paulò ſuperiꝰ quaſi exaggerando, & augendo dixit, per hoc ſacrificium remitti peccata, etiam ingentia, ſupponēs ſine dubio multò magis remitti leuiora. Vnde etiam. c. 1. dixerat, per hoc ſacrificium applicari virtutē paſsionis

Conc. Trid.

Universidad de Deusto Biblioteca

Christi *in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum*: hęc autē maximè sunt venialia peccata. Itaque in hoc nulla est dubitandi ratio.

Difficultatis punctum.

Illud verò inquirendū superest, an ex promissione Christi aliquid amplius habeat hoc sacrificium circa remissionem venialium, quam mortalium. Et in primis est dubium an immediatè & per se illa deleat ex opere operato, ita vt sacrificium Missæ pro me oblatum, me etiam nihil cogitante, & sciēte, remittat omnes veniales culpas absq; vllo actu meo, quo illas formaliter, vel virtute detester, sed solùm quod obicem actualis, vel virtualis complacentiæ non ponam.

Aliquorum opinio.

Partem igitur affirmantem docuit Cano, nam in hoc sensu dicere videtur, hoc sacrificiū delere venialia peccata ex opere operato, quam dicit esse certissimā sententiā, cōmuni Ecclesiæ consensione, & Patrū ac Scholasticorū autoritate probatam nominè tamen in particulari refert, neq; in antiquis scriptoribus id ego inuenio ita expressē declaratum, quanquam recenciores supra citati, præsertin Soto & Corduba idem sentire videantur. Fūdamenta sunt. Primum, quia hoc sacrificiū potissimum videtur institutum, vt pro viuis membris Christi offeratur iuxta doctrinam Aug. & D. Tho. disp. præced. sect. 2. citatam: ergo maximè est institutum ad auferenda venilia peccata, hæc enim sola esse possunt in membris viuis & per caritatē Christo annexis. Secundum, quia ad conuenientem prouidentiam spectat, vt grauioribus morbis acriores medicinæ adhibeātur, pro leuioribus autem leuiora remedia sufficiant: ergo sufficiet hoc remedium oblationis sacrificij, quod leue dicitur, non quia in se non sit grauissimum, atq; dignissimum, sed quia respectu eius, pro quo offertur, nullum est grauamē cum nullam pœnitentiam, vel dispositionem in illo requirat. Tertium, quia sacramentalia, vt aqua benedicta, delent venialia prædicto modo; ergo multo magis hoc sacrificiū. Has rationes affert Cano, quæ habent suā probabilitatis speciem, tamē re verà nō sufficiunt ad eam sententiā suadendam, nedum ad illum certitudis gradum, quem ille significat, nam duæ primæ procedunt per principia valde vniuersalia & communia vnde non efficaciter inferunt determinate hoc remedium esse ad hunc effectum institutum hoc peculiari modo. Tertia verò assumit antecedens, & incertum, & fortasse falsum, quia fortè sacramentalia non delent venialia sine actu proprio ipsius hominis, vt dicetur in tomo sequente; & non efficaciter infert: alioqui idem inferri posset de quolibet opere, quod melius sit vsu sacramentalium: in his ergo, quæ ex institutione pendent, inualidum est argumentum à simili. Verum est, prædictos autores non satis explicare hanc remissionem venialium fieri per sacrificium sine actu ipsius hominis, sed solum aiunt per se fieri ex vi sacrificij.

Aliorū mēs.

Secunda opinio negat sacrificium hoc remittere culpas veniales ex opere operato immediatè & per se. Quæ opinio tribui solet Durando, distinct. 12. q. 4. vbi tamen nihil expresse dicit. Indicat tamen Soto, distinct. 11. quęst. 2. art. 5. affirmat enim, hoc sacrificium remittere pœnas ex culpis mortalibus, aut venialibus relictas, non tamen culpas. Atque idem sentiunt Lind. lib. 4. Panopliæ. cap. 51. & sequētibus. Albert. Pighius lib. 2. de Eccles. Hierarc. cap. 5. & 6. Aiala de tradit. 3. par. consid. 5. Caiet. opuscul. de celebrat. Missæ. quæst. 2.

Soto. Lindan. Albert. Pigh. Aiala. Caiet.

Soto vtitur hac ratione. Per hoc sacrificium non datur gratia, ergo nec remittuntur venialia peccata. Quæ collectio videtur valde inefficax, quia, vt D. Tho. inferius docet, ad remissionem peccati venialis per se non requiritur infusio gratiæ, sed potest in hunc modū declarari, quia licèt remissio pœnæ fieri possit per solam extrinsecam condonationem, non tamen remissio culpæ, etiam venialis, sine infusione alicuius doni habitualis, vel actualis, quo tollatur illa macula, quam veniale peccatū reliquit, & habet rationem habitualis culpæ: nō enim potest fieri homo ex malo bonus, aut ex peccatore non peccator, sine aliqua sui mutatione, vel actuali, vel habituali: sed hoc sacrificium per se non efficit in homine habitualem mutationem: nullum enim habituale donū infundit: ergo nō potest per se immeditè delere peccatū veniale. Quæ ratio adeò efficax aliquibus videtur vt etiā de potentia absoluta putēt id repugnare.

Sine peccatoris physica mutatione potest Deus illi veniale peccatū remittere.

Sed immeritò, neq; enim repugnat, Deum remittere veniale peccatum sine infusione habitualis gratiæ, & sine actu peccatoris: atque adeò sine physica mutatione illius: quia, cum veniale peccatum non relinquat propriam maculam, quæ priuationē alicuius doni includat, sed solum constat in deordinatione quadam, quæ moraliter manere cēsetur per habitudinem ad actum præcedentem: potest etiam Deus illam tollere per moralem condonationem absque aliqua mutatione physica facta in peccatore. Et quidem, si aliqua mutatio esset necessaria, illa omnino esse deberet actualis, per actū, scilicet, peccatoris aliquo modo contrarium peccato veniali; neque habitualis sufficeret: nullum enim habituale donum, seu augmentum gratiæ habitualis repugnat formaliter veniali peccato: possunt enim esse simul ex natura rei: ergo talis physica mutatio per se non sufficit ad tollendum veniale peccatum: ergo, si mutatio est necessaria, illa debet esse actualis. Etenim oportebit talem esse, quæ repugnātiam formalem includat cum veniali culpa, aliàs sine causa dicitur necessaria: constat autem, actualē mutationē necessariam non esse, sed cum infusione tantū gratiæ habitualis, vel augmenti eius, posse remitti venialem culpam, vt etiam in superioribus visum est: nulla ergo physica mutatio simpliciter est necessaria ad hoc negotium, sed moraliter transigi potest per liberalem condonationem Dei: sic igitur fieri potest, vt huius sacrificij oblatione placatus Deus condonet venialia peccata immediatè, ac sine infusione alicuius doni.

Id verò de facto non agit nec per hoc sacrificium ex opere operato fit.

Sed, quanquam hoc possibile sit, tamen quod de facto ita fiat, mihi est valde dubium, quia ille modus remittendi venialem culpam (quam suppono esse distinctam à reatu pœnæ, aliàs nulla esset quæstio) per solam extrinsecam condonationē, licet de potentia absoluta possibilis sit, tamen non videtur ita expediens, & consentaneus rebus ipsis, vel (vt ita dicam) proportionatus naturis rerum. Nam hęc culpa re verà aliquo modo maculat animam, & minuit animi puritatem, & perfectionem sanctitatis, & amicitiæ aliquo modo, & ideo, vt remittatur modo proportionato, oportet, vt anima aliquo modo perficiatur per actum aliquem virtutis, repugnantem aliquo modo culpę veniali, vel per aliquod augmentum sanctitatis, & amicitiæ diuinæ, quæ etiam virtute includit repugnantiam cum peccato veniali. Denique nullo sufficiente medio constat, promissam esse huic sacrificio remissionē venialis peccati

peccati prædictu modo faciendam, & alioqui nō est admodū consentanea rebus ipsis, & ideò probabile satis mihi videtur, non ita fieri. Tunc verò restabat vlteriùs inquirendum, an hoc sacrificium remittat venialia peccata, saltem mediante aliquo actu ipsius peccatoris, ita tamen, vt tota remissio fiat ex opere operato, nam, quòd per modum impetrationis id conferre possit, certissimè constat ex dictis de peccato mortali, adiunctis his, quæ in principio huius sectionis notauimus, sed an illa impetratio sit infallibilis, eodem modo hic tractari potest, quo de peccato mortali: nam eædem sunt rationes dubitandi, eademque indicia in vtramque partem.

Impetrare hoc sacrificiū potest veniaiium remissionem, nō tamē infallibiliter semper impetrat.

Et ideò eadem resolutio mihi sumenda videtur, scilicet, hanc impetrationem non esse prosus infallibilem, quanuis verisimile sit, frequentiùs quàm in peccato mortali, ac ferè semper habere effectum: quia, & culpa leuior est, &c, cùm subiectum supponatur gratum, magis est dispositum, & dignum, vt ei hoc beneficium impetretur. In quo etiam potest discrimen constitui inter eos, qui ad hoc sacrificium concurrunt vt offerentes, & eos, pro quibus tantùm offertur, neque alium concursum vel habitudinem habent ad hoc sacrificium: nam de his posterioribus maximè procedunt omnia, quæ diximus, & rationes factæ. De offerentibus autem, si pro se offerant, hac intentione formali, vel virtuali, vt à Deo obtineant remissionem suorum peccatorū, verisimile mihi est, si sint in gratia, infallibiliter consequi remissionem omnium culparum venialium, non solùm quia impetratio pro se ipso ex se est certior & infallibilior, si ex parte impetrantis non sit impedimētum; sed etiam, quia huiusmodi offerens non omnino caret actuali dispositione aliquo modo repugnāte affectui venialis culpæ. Nā in primis, qui prædicta intētione offert, vult, & desiderat carere venialibus culpis, &c, dū offert propter hunc finem, aliquo modo ostendit, voluntatē suā esse efficacē, & aliquid præstat de se sufficiens ad obtinendā à Deo remissionē venialiū peccatorū: est ergo verisimile, illā semper consequi, non ex speciali promissione facta sacrificio, & ideò non propriè ex opere operato, sed veluti ex natura rei, supposita institutione talis sacrificij, & voluntate ac modo offerendi illud.

SECTIO VI.

Vtrùm hoc sacrificium conferrat ex opere operato remissionem pœnæ.

Eucharistiæ sacrificiū ex opere operato aliquid tēporalis pœnæ remittit.

Dicendum in primis est, hoc sacrificiū remittere aliquam pœnam temporalem ex opere operato. Hæc est sententia omnium autorū, quos citaui in præcedentibus sectionibus, & expresse D. Th. suprà. q. 79. art. 5. vbi dicit, hoc sacrificiū habere vim satisfactiuā ex directa institutione sua. Sequiturq; hæc assertio ex dictis in præcedentibus à sufficiente enumeratione, nā hoc sacrificiū aliquid cōfert ex opere operato, vt in prima sectione statuimus, illud autē esse debet aliquod spirituale cōmodum, nā de temporali vt sic id dici nō potest, vt paulò inferiùs breuiter explicabo: hoc autem spirituale cōmodum, non est positiuū (vt sic dicam) id est, per collationem alicuius boni habitualis, vel actualis, vt ostensum est: ergo debet esse in ablatione alicuius mali, & non culpæ, vt etiā est ostēsum: ergo pœnæ ex culpa relictæ, quod intendimus. Deinde est hic effectus maximè accommodatus prouidentiæ, quā Christus de hominibus habuit, quia nullum sacramentum est per se primò institutum ad hunc effectum: nam, licèt per baptismum tollatur pœna, tamen, & illud est, quasi consequenter, quatenus est annexa culpę, & nō est illa pœna debita peccatis post baptismum commissis, de qua sola nunc agimus: supponimus enim ex suprà dictis sacrificium hoc non posse habere proprium effectum ex opere operato, nisi in baptizatis. Rursus, sacramentum pœnitentiæ per se quidem aufert pœnam æternam, nō tamē omnē temporalē, sed cōmutat æternā in temporalē maiorē vel minorē, iuxta dispositionē suscipientis vnde, si interdum nullam pœnam relinquit, id est, quia perfectè remittit culpam propter perfectam dispositionem, non quia directè sit insttitutum ad tollendum reatum pœnæ: habet tamen vim remittendi etiam pœnam temporalem per sacramentalem satisfactionem, tamen, id totum efficit, quatenus habet quandam annexionem cum culpa, & ad plenum & perfectum iudicium de illa pertinet vindicare, & curare illam. Reliqua etiam sacramenta suos proprios ac distinctos fines habent præter remissionem pœnæ: decuit ergo aliquod remedium directè ac per se esse institutum ad hunc effectum. Præterea fuit ad hoc accōmodatum sacrificium: nā hic effectus nō pertinet ad intrinsecam sanctitatem vel bonitatem hominis, propter quod cōueniēter fieri potest per solam extrinsecā condonationem ac denominationem absq; intrinseca hominis mutatione: sacrificium autē accōmodatū est ad huiusmodi effectū, quia non solum operatur in offerentibus, sed etiā in his, pro quibus offertur, & pro eis offerri potest, ipsis nihil operātibus aut recipiētibus. Et cōfirmatur, nam hac de causa potest vnus homo satisfacere pro alio; potestq; mihi remitti pœna per satisfactionem alienam, me nihil sciente: gratia verò aliena non ita potest mihi applicari.

Cōgruentia pro cōclusione.

Præterea afferri potest alia congruētia: quia Christus Dñs per sacrificiū cruentū secūdū actū externū eius potissimè operatus est nostrā redēptionem per modū satisfactionis pro pœna; & hoc videtur fuisse maximè proprium illius sacrificij; nam meritum & recōpensatio iniuriæ Deo illatæ, per actus interiores potissimùm facta fuerunt: crucis verò dolores ad satisfaciendū pro pœnis fuerūt maximè accōmodati; per hoc autē sacrificium incruentū, quanuis omnes fructus illius sacrificij applicari possint aliquo modo, tamē secūdū propriā causalitatem ex opere operato conuenientissimè applicatur fructus ille, qui est proprius illius sacrificij, secundū visibilē & exteriorē passionē eius vt, quod in illo fuit quoad sufficientiā, in hoc sit secūdū efficaciā: hac igitur ratione meritò institutū creditur hoc sacrificiū ad applicādā Christi satisfactionem pro pœna ex opere operato. Accedit præterea, quòd hoc pertinet ad cōsummatā rationē sacrificij propitiatorij, qualē esse oportuit ac decuit in hoc sacrificio: dupliciter enim potest sacrificiū propitiari pro peccatis, primò, impetrādo, secūdò, operādo seu satisfaciēdo: hoc ergo sacrificiū prout offertur in Christi persona, vtrāq; rationē & perfectionē participare debet: & priori quidē modo est propitiatorū pro culpa, vt dictū est, & pro pœna etiā, vt statim dicā, posteriori autē modo nō decuit esse propitiatoriū pro culpa propter rationes suprà allatas, & ideò debuit, saltē pro pœna esse illo modo propitiatoriū: & eodē sensu dicēdū est satisfactoriū non quia per illud de nouo Christus satisfaciat, sed quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia applicet nobis aliquam satisfactionē suæ passionis, vt aliqua pœna nobis remittatur. Atq; hinc etiā fit, vt, sicut hoc sacrificiū semper est impetratorium ob dignitatem Christi offerentis, ita etiā semper sit satisfactoriū indepēdenter à sanctitate ministri proximè offerentis ob applicationē satisfactionis Christi ex opere operato. Tādem ex modo, hic effectus obtinetur, & ex personis etiā, in quibus fit, rectè colligitur, propriſsimè esse ex opere operato, nā, vt sacrificiū hoc conferat hunc effectū, nō est necessaria specialis petitio, sed hoc ipso, quòd sacrificiū pro aliquo offertur, simpliciter applicatur illi hic effectus sine alia speciali intētione obtinēdi illum, deinde datur hic effectus, etiam animabus defunctorum, non omnium, sed baptizatorum, signum ergo est, hunc effectum dari ex opere operato.

Obiectio. Sed cōtrà, nam Conciliū Trid. imitatū antiquos Patres, nihil specialiter dicit de modo operandi hūc effectum, sed eodē generali modo de eo, & de cæteris loquitur: ergo nō est, cur magis dicamus, hūc esse ex opere operato, quā alios, nec de illo poterit specialior Christi promiſsio ostēdi, quā de reliquis. Respondetur, propterea nō esse veritatē hanc de fide certā, sed tamē esse cōmunē Theologorū sententiā, à qua discedere, magna esset temeritas, præsertim, cū fundata videatur in cōmuni sensu Ecclesiæ, & vrgētibus rationibus ac cōiecturis: Conciliū ergo Trid. vt suprà dixi, generatim locutū est, quia noluit rem non omnino certā, tanquā de fide statuere: nobis autē cū Theologis licet, generales sermones ad singulos effectus, iuxta vniuscuiusq; exigentiā & rationē applicare, ex qualitate autē & modo huius effectus

Solutio. & ex alijs signis & rationibus adductis, intelligimus in hoc effectu, esse specialē modū cōferēdi illū.

Dico secūdò. Præter effectū ex opere operato, etiā poteſt conferre hoc sacrificiū per modū impetratio

Impetrare etiam potest hoc sacrificium remissionem tēporalis pœnæ. nis ad alicuius pœnæ remiſsionē. Declaratur, quia, licēt per hoc sacrificium remittatur pœna ex opere operato, nō tamē semper tota, sed pro vniuscuiusq; deuotione, vt dixit D. Th. dict. q. 79. ar. 5. Vnde fit vt si aliquis reatus pœnæ maneat post effectum ex opere operato, ad illius etiā veniā obtinendā posſit hoc sacrificiū cōferre per modū impetrationis, quia, cū hoc sacrificiū sit de se sufficiens ad quodlibet bonū impetrandū, etiā si ex speciali Christi promiſsione vnū conferat ex opere operato, non amittit vim ad impetrādū aliud distinctū: ita ergo in præsenti accidit. Sed vlteriùs obseruare oportet, hoc dupliciter intelligi posſe; primò, vt remiſsio pœnæ immediatè impetretur, id est, nullo actu hominis mediante. Et, si hic modus verus est, in hoc cōueniet cū effectu ex opere operato, qui etiā immediatè fit per modū solutionis ex satisfactionibus Christi, vt probant omnia addūcta in præcedente assertione, & planè sentit D. Th. citato loco, cōstituens in hoc differentiā inter Eucharistiā vt sacramentū, & sacrificiū, ꝙ, vt sacramentū, nō remittit immediatè pœnā, sed vt sacrificiū, solū ergo erit differētia, ꝙ quādo remiſsio est ex opere operato, est infallibilis in personagrata, quę verò est per impetrationē, non est infallibilis, etiam in iusto. Itē illa fundatur in speciali lege & promiſsione: hæc verò non, sed in ipsa natura & dignitate talis sacrificij, adiuncta speciali petitione, & intētione offerentis, quæ ad remiſsionem ex opere operato necessaria non est. Alio tamē modo intelligi potest, quòd hæc remiſsio fiat solùm mediatè, quatenus hoc sacrificium nobis impetrat spirituales vires ad agenda opera pœnitētię, quibus Deo satisfaciamus. Ex his autem duobus modis hic posterior indubitatus mihi videtur, vt à fortiori probari potest ex omnibus dictis de remiſsione culpæ, nam, si hoc sacrificium impetrat auxilium gratiæ ad efficiēdos actus, per quos culpæ remittantur, multò magis impetrabit ad satisfaciendum pro pœnis. Itē, quia est in hoc genere impetrandi veluti viuersalis causa, per quam omnes fructus passionis Christi percipi possunt, vnus autem ex his fructibus est, quodlibet opus, quo Deo satisfacimus.

Impetrando vires ad operā pœnitentiæ præstandā.

Dubium. Prior autem modus valde dubius est, & generalē dubitationē continet, an talis modus remittēdi pœnā per gratuitā & liberalē remiſsionē, absq; alio medio seu opere satisfactorio ex opere operātis, vel ex opere operato, posſit rationabiliter à Deo peti, & impetrari; quæ tractāda à nobis latiùs est in sequēte tomo, materia de satisfactione & de suffragijs. Nunc pars affirmans videtur fieri probabilis his coniecturis. Prima, quia Ecclesia orat & petit à Deo remiſsionē harū pœnarum, non solùm pro viuis, sed etiam pro defunctis: ergo signum est, non petere solùm remiſsionem mediatam, vt sic dicam, id est, actū, per quem nos satisfaciamus, & nobis fiat remiſsio: quia in animabus purgatorij nulla esse potest satisfactio per propriū actum earum: ergo petitur immediata & liberalis remiſsio pœnæ, & ad impetrandū, quod petitur, adiungitur orationi sacrificium, & in hunc finem offertur: ergo potest hoc modo impetrare remiſsionē pœnæ. Dices, huiusmodi orationē esse satisfactoriā, eiusq; satisfactionē posse applicari defunctis, atq; ita non postulari à Deo, vt sine vlla satisfactione remitta: pœnā, sed vt acceptet ipsiusmet orationis satisfactionē in remiſsionē pœnæ, vel certè, vt effectus sacrificij, vel aliorū bonorū operū satisfactio, pro anima purgatorij acceptetur. Sed in primis hæc fuga non habet locū in oratione, qua solū petitur à Deo venia, seu liberatio animæ existētis in purgatorio, nā illa oratio nō habet (vt sic dicā) seipsam pro obiecto, priùs enim, quā intelligamus, illā orationē esse satisfactoriā, intelligimus aliquid per illā peti: non ergo petitur, vt satisfactio eius applicetur, sed absolutè, vt venia condonetur. Deinde, quid dicetur de orationibus, quibus beati orant pro animabus purgatorij, quibus liberationē earū impetrant, cū tamen eorū oratio satisfactoria non sit? Et idē argumētū fieri potest de orationibus, quæ in persona Ecclesiæ ab eius ministris fiūt, quę vt sic magis sunt impetratoriæ, quā satisfactoriæ. Præterea est moralis coniectura non contēnenda, nam hæc remiſsio pœnæ, per se non confert sanctitatē vel virtutē animæ, sed (vt ita dicā) ad quoddam cōmodum naturæ pertinet, vnde quodammodò dici potest temporale beneficium, seu extrinsecum: sed alia beneficia extrinseca & temporalia immediatè impetrari possunt: ergo & hoc. Vnde facilè soluitur obiectio, si quis di

Occurritur fugæ. cat, non esse petendū à Deo effectū gratiæ, nisi per media cōsentanea & proportionata, quia ideò dicebamus suprà, non esse petendam remiſsionem peccati mortalis, nisi per cōtritionem, vel sacramentū, neq; augmentum gratiæ, nisi per actum meritorium, vel per sacramentū: ergo similiter non est hic petenda remiſsio pœnæ, nisi per satisfactionem, vel propriam, vel alienam, applicatam ex opere operantis, vel ex opere operato. Respōderi enim potest primò nō esse eandē rationē de hoc beneficio extrinseco, & de intrinseca sanctitate, ad quam oportet, vt homo

homo aliquo modo cooperetur, vel agendo, vel recipiendo, iuxta capacitatem suam. Vnde secundò dici potest, ipsammet orationem esse vnum ex medijs ordinatis à Deo ad applicandam satisfactionē Christi ad hunc effectum: quātuis enim postuletur à Deo remiſsio huius pœnæ liberalis & gratuita respectu nostri, semper tamen intelligitur, vt fiat cum iusta recompensatione respectu Christi, applicando satisfactionem eius. Est ergo pia & probabilis hæc opinio, qua supposita, consequenter dicendum est, posse hoc modo remiſsionē pœnæ per hoc sacrificiū impetrari: quidquid enim per orationem impetrabile est, potest per hoc sacrificiū impetrari: semper enim offerri potest, vt quælibet iusta oratio exaudiatur, dabitq; illi efficaciam, atque impetrandi virtutem.

Impetrare potest hoc sacrificium, pœnæ remiſsionem immediate per ipsam donā dam.

SECTIO VII.

Vtrùm sacrificium Missæ ad bona temporalia conferat, & quo modo.

HActenus dictum est de spiritualibus bonis, superest, vt de temporalibus pauca adijciamus. De his enim etiam dubitari potest, an per hoc sacrificium ex opere operato conferantur, quia bona hæc non sunt extra latitudinem eorum effectuum, quæ per Christum ex opere operato conferuntur: nam salus corporis per sacramentum Extremæ vnctionis ex opere operato confertur, & aliū de sacrificium hoc etiam pro his bonis obtinendis offerri potest: ergo poterit illa cōferre ex opere operato. In contrarium verò est, quia hęc bona per se cōsiderata, non sunt talia, quæ digna sint infallibiliter obtineri à Deo, sed, ad summùm, vt necessaria, vel vtilia ad aliquod spirituale bonum: ergo, nec priori modo fiunt ex opere operato per hoc sacrificium, propter rationem dictam, neque etiam posteriori, quia nullum spirituale bonum datur ex opere operato per hoc sacrificiū, ad quod necessaria sint hæc bona temporalia: solùm enim datur ex opere operato remiſsio pœnæ, ad quam nil referre possunt temporalia bona.

Virtus; difficultatis ratio.

Bonorum tēporalium cōsecutio, sacrificij esse potest effectus.

In hac re dicendum in primis est, hæc bona temporalia posse aliquo modo esse effectus huius sacrificij. Hoc est certiſsimum, nam omne bonū, pro quo obtinēdo hoc sacrificiū offertur, potest aliquo modo esse effectus illius, vt sæpè dictum est, quia aliās inutiliter & imprudenter offerretur in eum finem: sed Ecclesia sæpe consueuit offerre hoc sacrificium pro tēporalibus beneficijs obtinēdis: ergo possunt hæc bona esse effectus huius sacrificij. Minor patet, tum ex antiquis liturgijs, & ex ritu Missæ, quę nūc seruat Romana Ecclesia, vbi inter alia offerimus, *pro nostra, & totius mundi salute*: quo modo etiā Tertul. lib. ad Scapul. dixit, *pro salute offerri*. Eusebius autem lib. 4. de vit. Const. c. 45. dixit, *offerri pro communi pace*, Chrysost. hom. 77. in Ioan. 18. & 21. in Acta, *pro terræ fructibus*, & pro alijs necessitatibus, vt significat Aug. li. 22. de Ciuit. c. 8. & clariùs tradidit Trident. sess. 22. c. 2. & can. 3. Alaque ad hanc rem cōprobādam adduximus, disp. præc. tractando de personis, pro quibus offerri potest hoc sacrificium.

Tertul. Euseb. Chrysost.

Impetrationē tantum bona temporalia per hoc

Secundò dicendum est, sacrificium hoc non præstare hæc beneficia ex opere operato, sed per modū tantùm impetrationis. Priorem partem conuincit, vt existimo, ratio dubitandi in principio posita po-

steriori loco, cui adiūgi possunt omnia adducta sect. 3. 4. & 5. nā hoc à fortiori probant, neque autorem aliquem hactenus legi, qui effectum hunc per modū operis operari declarauerit. Posterior ergo pars sequitur à sufficiente partium enumeratione. Cuius ratio est, quia impetratio orationis se extēdit ad bona temporalia, vt D. Thom. docet. 2. 2. q. 83. ar. 15. & 16. ergo etiam impetratio huius sacrificij, nā omnis iusta oratio potest hoc sacrificio iuuari.

possumus cō sequi sacrificium.

Satisfit obiectioni.

Vnde facilè soluitur obiectio, si quis dicat, cùm Christus, qui est res infinita, in hoc sacrificio offeratur, indecens videri, illud ordinare ad res caducas & temporales obtinendas. Respondetur enim, nō esse indecens, tum, quia non primariò, sed secūdariò ad hoc ordinatur, cùm primariò sit propter cultū Dei, tum etiam, quia ordinatur vt causa ad effectum iuū sic autem res nobilior potest ad minùs nobilem ordinari: causa nāq; esse nō debet effectu ignobilior: tū denique, quia hæc bona nō propter se, sed quatenus ad pietatem vtilia sunt, expetuntur. Vnde fit, vt tota hæc impetratio, vel formaliter, vel virtute, in Dei gloriā, quā Christus maximè intēdit, referatur, quod significauit Paul. 1. ad Timot. nam, cùm præcepisset, fieri *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus*. Quibus verbis (vt suprà cū Chrysostomo & alijs exposuimus) Ecclesiasticum ritum offerendi hoc sacrificium, & pro quibus personis, & pro qua re offerendum sit, declarat, subdit deinde, *Vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate: hoc enim bonum & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: explicat ergo, hæc bona ad pietatē ordinari, prout per hoc sacrificium expetuntur, & obtinentur, sub qua cōsideratione dici possunt spiritualia habitudine & relatione, vnde ita impetrari possunt, sicut alia spiritualia auxilia, quæ non ex opere operato, sed per modum impetrationis per hoc sacrificium comparantur: idem ergo de his temporalibus bonis dicendum est.

SECTIO VIII.

Vtrùm hoc sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato in omnibus offerentibus ipsum.

DIximus de omnibus effectibus huius sacrificij, & de modis, quibus per illud cōferūtur, nunc sequitur declarādum, quibus personis tribuat huiusmodi fructum. Sūt autem hoc loco diligenter distinguēdæ duæ personæ, seu duæ rationes aut habitudines personarū ad hoc sacrificiū, scilicet offerētis, & eius pro quo offertur: nā hæ duæ rationes inter dū personaliter separātur: potest enim aliquis esse offerens, & nullo modo pro se offerre; sed totū fructū sacrificij alteri applicare, & è cōuerso potest aliquis nullo modo offerre, & tamē pro ipso sacrificiū offerri: quare, licēt contingat in eadem persona vtrāq; coniūgi, rationes tamē ipsæ distinctæ manēt: & ideò, sigillatim videndū est, quid singulis sub proprijs rationibus respōdeat. In præsentī ergo nō inquirimus, cui detur fructus sacrificij: hoc enim pendet ex dicendis sectione sequenti, sed inquirimus, cuius oblationi respondeat talis fructus,

siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue illi dandus sit, siue alteri. Intelligitur autē quæ- A
stio de effectu ex opere operato: nam de impetratio
ne non est dubium, quin omnis offerens, eo modo,
quo offert, possit impetrare, quantum est ex parte
oblationis suæ: quia de se est actio dignissima, &
apta ad impetrandum. Distinguendi ergo sunt va-
rij offerentes iuxta suprà tractata disputatione præ-
ced. Et possunt nūc ad quatuor capita reuocari. Pri-
Offerentiū hoc sacrifi-cium varius ordo. mus offerens est Christus Dominus. Secundus dici
potest Ecclesia, cuius nomine etiam offertur, sub
qua aliquo modo comprehenduntur omnia mem-
bra eius. Tertius offerens est Sacerdos, qui vt mini-
ster, & in persona Christi offert. In quarto denique
ordine sunt omnes alij, qui specialiter concurrunt,
cum Sacerdote ad sacrificium offerendum: & de sin-
gulis breuiter est dicendum.

Circa pri-mam quæ-stionē. Sco-ti opinio im-probatur. Primò igitur de Christo Domino, Scotus quodli B
beto. 20. significat, oblationi huius sacrificij, vt à
Christo est, respondere quendam peculiarem fructū
ex opere operato, & aliqui addunt, ipsummet Chri
stum propria & peculiari intentione eis applicet sa-
crificij fructū. Ratio esse potest, quia oblatio huius
sacrificij est fructuosa ex opere operato: ergo omnis
offerens, eo modo, quo offert, est particeps huius
fructus, magis tamē vel minùs pro ratione & modo
offerēdi: sed isti omnes aliquo modo offerūt, cū om
nes sint offerētes: ergo omnes participant fructū ex
opere operato. Atq; hæc opinio sic expolita solet tri
bui Scoto, loco citato, & eā indicāt Sotus, & alij in-
frà citādi. Sed, licèt hæc sententia speciè quandā pie
tatis præ se ferat: mihi tamē, nec vera, neq; admodū
verisimilis videtur. Primū enim autores citati, neq;
illā expresse declarant, nec videtur in eo sensu locu-
ti, sed in alio, tractādo sect. sequente. Deinde nō ha-
bet solidū fundamentū: quia sola denominatio offe
rentiū per quādā remotā & extrinsecā habitudinē
non videtur esse satis ad percipiendū fructū ex ope
re operato. Vnde argumentor ratione, quia fructus
passionis Christi nō applicatur ex opere operato, ni-
si vel per propriā aliquā actionē, vel receptionē sen-
sibilē, vel per specialem applicationem alterius: sed
in præsenti nō datur hic fructus per specialem appli-
cationem alterius, vt supponitur, neq; etiā hi sic of-
ferentes aliquid recipiūt, per quod eis talis fructus
applicetur, vt per se notum est: neq; etiam aliquid
agunt, quia tantum habitu, vel extrinsecè denomi-
nantur offerentes: vnde illa denominatio non fun-
datur in aliquo actu hominis, qui per se pertineat ad
cultum Dei, aut valere possit ad meritum vel satisfa
D *Obiectio di-luitur.* ctionem sic offerentis. Dices, quòd sacerdos offerat
nomine Ecclesiæ, sufficit, vt illa oblatio sit impetra-
tiua speciali modo, adeò, vt, quanuis sacerdos sit ini
quus, nihilominùs illa actio suam vim impetrandi
retineat: ergo hoc etiam satis est, vt illa oblatio sit
satisfactiua independenter à sanctitate ministri, &
consequenter, vt illa satisfactio sit ex opere operato:
ergo illa satisfactio distribuenda erit inter Ecclesiæ membra, & vnicuique sua portiuncula eue-
nieret. Respondetur, Si argumentum quidquā valet,
non probat de applicatione satisfactionis Christi
ex opere operato, de qua nos loquimur, sed probat
de noua quadam satisfactione, quæ in illo opere repe
ritur ratione sanctitatis totius Ecclesiæ, quam nul-
lus hactenus posuit in huiusmodi actione. Quapro-
pter non existimo esse eandem rationem, de impe-
tratione, & de satisfactione, nam ad impetrandum
sufficit sanctitas habitualis totius Ecclesiæ, ad quam
respi-

Circa secun-dā quæstiō. aliorum placitum.

nobis plenè meruit & satisfacit, applicationē illius
fructus reliquit, vt ex opere operātis fieret peractus
& dispositiones ipsius hominis diuina gratia præue
ti & adiuti: ex opere autē operato per Ecclesiā & mi
nistros suos, iuxta illud, *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ideò
enim sacerdotes instituit, cū maxima potestate ligā
di, soluēdi, offerēdi, &c. nullus ergo specialis fructus
ex opere operato respondet huic oblationi, vt est à
Christo, qui distinctus sit à fructu, qui respondet cę
teris offerentibus, & sacerdoti, vt ministro eius.

Secūdò, de Ecclesia & mēbris eius, quatenus sunt
offerentes remotissimi, solū in habitu, & extrinseca
denominatione, vt suprà declarau, multi recentio-
res cēsent, illis omnibus, & singulis eorū respōdere
aliquā partē fructus ex opere operato, id est, cōsequi
ex opere operato remissionē alicuius pœnæ per om-
nia & singula sacrificia hoc sōlo, q; dicuntur offerre
quatenus sunt mēbra Ecclesiæ offerētis per sacerdo
tes, etiā si, neq; ipsi vllum actū habeāt circa sacrifi-
ciū, nec sacerdos speciali intentione eis applicet sa-
crificij fructū. Ratio esse potest, quia oblatio huius
sacrificij est fructuosa ex opere operato: ergo omnis
offerens, eo modo, quo offert, est particeps huius
fructus, magis tamē vel minùs pro ratione & modo
offerēdi: sed isti omnes aliquo modo offerūt, cū om
nes sint offerētes: ergo omnes participant fructū ex
opere operato. Atq; hæc opinio sic expolita solet tri
bui Scoto, loco citato, & eā indicāt Sotus, & alij in-
frà citādi. Sed, licèt hæc sententia speciè quandā pie
tatis præ se ferat: mihi tamē, nec vera, neq; admodū
verisimilis videtur. Primū enim autores citati, neq;
illā expresse declarant, nec videtur in eo sensu locu-
ti, sed in alio, tractādo sect. sequente. Deinde nō ha-
bet solidū fundamentū: quia sola denominatio offe
rentiū per quādā remotā & extrinsecā habitudinē
non videtur esse satis ad percipiendū fructū ex ope
re operato. Vnde argumentor ratione, quia fructus
passionis Christi nō applicatur ex opere operato, ni-
si vel per propriā aliquā actionē, vel receptionē sen-
sibilē, vel per specialem applicationem alterius: sed
in præsenti nō datur hic fructus per specialem appli-
cationem alterius, vt supponitur, neq; etiā hi sic of-
ferentes aliquid recipiūt, per quod eis talis fructus
applicetur, vt per se notum est: neq; etiam aliquid
agunt, quia tantum habitu, vel extrinsecè denomi-
nantur offerentes: vnde illa denominatio non fun-
datur in aliquo actu hominis, qui per se pertineat ad
cultum Dei, aut valere possit ad meritum vel satisfa
ctionem sic offerentis. Dices, quòd sacerdos offerat
nomine Ecclesiæ, sufficit, vt illa oblatio sit impetra-
tiua speciali modo, adeò, vt, quanuis sacerdos sit ini
quus, nihilominùs illa actio suam vim impetrandi
retineat: ergo hoc etiam satis est, vt illa oblatio sit
satisfactiua independenter à sanctitate ministri, &
consequenter, vt illa satisfactio sit ex opere operato:
ergo illa satisfactio distribuenda erit inter Ecclesiæ membra, & vnicuique sua portiuncula eue-
nieret. Respondetur, Si argumentum quidquā valet,
non probat de applicatione satisfactionis Christi
ex opere operato, de qua nos loquimur, sed probat
de noua quadam satisfactione, quæ in illo opere repe
ritur ratione sanctitatis totius Ecclesiæ, quam nul-
lus hactenus posuit in huiusmodi actione. Quapro-
pter non existimo esse eandem rationem, de impe-
tratione, & de satisfactione, nam ad impetrandum
sufficit sanctitas habitualis totius Ecclesiæ, ad quam
respi-

respiciens Deus, quādo nomine illius fit oratio vel A
oblatio, ratione illius inclinatur ad concedendū id,
quod petitur, in quo cōsistit impetrationis ratio; &
ideò ad illam sufficit illa habitudo, vel denominatio
extrinseca, quanuis ipsa Ecclesia per se ipsam specia-
liter non oret. Sicut, quando à Deo petimus, vt nos
exaudiat propter merita alicuius Sancti, illa re vera
concurrunt ad impetrādum nobis, quia Deus ad il-
la respicit, etiam si Sanctus ille nō oret pro nobis: &
sicut in lege veteri orabant fideles, *Propter Abraham seruum tuum*, &c. quando fortasse Abraham pro eis
non orabat, saltem illa oratione speciali: quia satis
erat, q; sanctitas eius repræsentaretur Deo ad inclī-
nandum ipsum: sic ergo nunc, quia sacerdos orans
in persona Ecclesiæ, illius sanctitatē Deo repræsen-
tat, etiam si sanctus non sit, ad impetrandum suffi-
cit: ad satisfaciendum autem non sufficit hæc repræ
sentatio, sed necessaria est realis actio, vel passio ali- B
cuius personæ gratæ Deo, de qua differētia inter im
petrationem & satisfactionem plura infrà dicturi su
mus. Nullus ergo fructus satisfactionis respōdet ex
opere operato his offerentibus. Si quis autem con-
tendat, illum modum offerēdi sufficere ad aliquem
fructum ex opere operato, de illo philosophari de-
bet ad illumq; applicare omnia, quæ nos in quarto
membro dicemus.

Sacerdoti offe-renti fructus portio ex ope-re operato hu-ius sacrificij respondet. D. Thom.

Tertiò, quod pertinet ad oblationem sacerdotis
vt sic, certū est, illi, prout offert in persona Christi,
respondere ex opere operato aliquem proprium fru
ctum huius sacrificij, vt D. Tho. sentit suprà q. 79.
art. 5. & 7. & reliqui Theologi citati & citādi. Ra-
tio est, quia hoc sacrificiū habet effectum ex opere
operato, vt ostensum est: ergo maximè respōdet il-
li, vt est actio ministrià Christo deputati, & per quē
Christus ipse operatur. Secundò ita fit in actionibus C
omnium sacramentorū: ergo & in oblatione huius
sacrificij: nam etiam hæc est instrumentalis actio ad
fructum Christi applicandum. Tertiò, quia hic est
effectus sacrificij vt ficti ed oblatio sacerdotis, vt fit
ab eo repræsentante personam Christi, est propriè
actuale sacrificium, seu sacrificatio ipsa: ergo illi ma
ximè respōdet fructus ex opere operato: quia vt sic
oblatio est propriè sacrificalis, in suo genere infini-
ta, semperq; munda & grata Deo. Tandē, sub hac
ratione hæc oblatio est maximè impetrativa: ergo
sub eadem etiam est operativa ex opere operato: nā
eadem est ratio vtiusque modi causandi, demq; est
omnino sacrificium, quod vtramq; vim habet.

Concurrentes ad hoc sacrifi-cium fideles fru-ctum aliquem ex opere ope-rato participant.

Quartò de cæteris priuatis offerentibus, qui pro-
prium aliquem concursum habent ad oblationem
sacrificij cum Sacerdote, seu per ipsum, dicendū cen
seo, omnibus ac singulis respondere proprium ali-
quem fructum ex opere operato. Ita vt, si cōstituta-
mus hominem adsistentem, vel ministrātem sacrifi-
cio Missæ, cui sacerdos intentione sua speciali nullū
fructum sacrificij, ex opere operato applicet; de hu-
iusmodi homine pie æ probabiliter credimus, con-
sequi proprium fructum suum ex opere operato.
Quod videtur sensisse Caiet. tom. 1. Opuscul. tract.
3. q. 2. Sylvest. verbo, Missa 1. quæst. 9. & alij infrà
referendi: & D. Tho. non nihil fauet; dicta quæst.
79. art. 5. vbi ait, oblationem huius sacrificij esse
satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam of-
ferentibus. Sic etiam rectè exponuntur illa verba,
can. Missæ. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, vbi apertè sermo est de offerentibus distinctis
ab ipso sacerdote, vt patet ex antecedētibus verbis,

Caietan. Sylvest. D. Thom.

Et omnium circumstantium, quorū tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, neq; sine causa illa duo membra distinguūtur,
sed (vt videtur) quia illæ duæ habitudines seu ratio
nes propriè sumptæ per se singulæ sufficiunt ad per
cipiendum aliquem fructū sacrificij ex opere opera-
to. Accedit præterea ratio in secundo puncto ta-
cta, quia oblatio huius sacrificij est fructuosa ex ope
re operato: ergo rationi consentaneū est, vt omnes,
qui ad illam verè concurrunt per proprium actum
seu concursum moralem, participēt huiusmodi fru-
ctum talis oblationis. Secundò amplius ita explica-
tur, quia ex huiusmodi concursu plurium offeren-
tium cum ministro resultat quasi vnum morale of-
ferens cum maiori deuotione, reuerentia, & dignita
te: ergo respondet illi maior fructus ex opere ope-
rato, cæteris paribus: nam, iuxta doctrinā D. Tho.
suprà, hic fructus definitur iuxta deuotionem offe-
rentium: ergo hac ratione respondet singulis offe-
rentibus, vt tales sunt, aliqua pars illius fructus, iux
ta vniuscu usq; deuotionem. Tertiò, sicut vtus sacra-
menti consistit in receptione, ita ratio sacrificij
in oblatione: sed omnes, qui recipiunt sacramen-
tum, partipant fructum eius: ergo similiter omnes
offerentes per proprium aliquem concursum, vel
actionem, participant fructum sacrificij. Tandem,
Christus potuit hoc modo instituere huius sacrifi-
cij efficacitatem; & est valde consentanea dignitati
eius, & hominibus cōueniens, vt, saltem spe fructus,
vnusquisque deuotē offerre studeat iuxta capacita-
tem suam: ergo credendum est, ita instituisse. Et cō-
firmatur, nam incōueniens esset, quod audiēs Mis-
sam non plus fructus accipiat ex operato ex Missa,
quam ille, qui non audit, si sacerdotis applicatio er-
ga vtrūque æqualis est; & alioqui in huiusmodi ef-
fectu, nullum est inconueniens, nec aliquid contra
illum obijci potest, quod difficultatem ingerat: cur
ergo negandus est?

Sacerdoti offe-renti duplex fructus ex ope-re operato sa-crificij respon-det.

Atque ex hac resolutione præcedenti punctō ad-
uncta infero, sacerdoti offerenti sacrificiū Missæ
duplicem fructum ex opere operato respondere:
nam sacerdos ibi duplicem induit personam, Chri-
sti, scilicet, & propriam; & sub vtraq; ratione offert:
ergo sub vtraque illi fructus respondet: nam, quates
nus offert in persona Christi, vt minister publicus,
respondet illius oblationi fructus ex opere operato,
explicatus in præcedente puncto. Propter hoc autē
publicum ministerium, quod gerit, nō exuit ratio-
nē personæ priuatæ, sub qua etiā cōcurrit; nā, vt Pau
lus ait, etiam ipse indiget, vt prosē offerat: neque
in hoc esse debet peioris conditionis, quam reliqui
D priuati offerentes. Vnde, si sit sacerdos iniustus,
eius oblationi respondet prior fructus, nihilque
ex illo minuitur, ipse tamen priuatur illo peculia-
ri fructu, quem haberet, si vt priuata persona
sanctè offerret; & ideò, quanuis hic offerrat ra-
tione stipendij recepti, nullam iniuriam facit ei, pro
quo offert, quia iam illi applicat totum fructum,
qui respondet sacrificij vt est à ministro publico:
sub hac enim ratione stipendium accipit, scilicet,
vt publicus minister Christi. Et hinc etiam fit con-
iectura, diuersum esse fructum, qui respondet
sacerdoti vt priuato offerenti: quia non est verisi-
mile, ipsum priuari omni fructu ex opere operato:
dat ergo alteri fructum communem (vt sic dicam)
ipse vero fruitur suo peculiari fructu, respondente
suæ priuatæ oblationi ac deuotioni. Neque aliquis

Etiam vt pri-uato offerenti duplex sacer-doti ex opere operato respō-det fructus.

vnquam

Universidad de Deusto Biblioteca

vnquam dixit, teneri sacerdotem ad applicandum hunc proprium fructum danti stipendium, imò Scotus significat, id fieri non posse: de quo posteà dicã. Et iuxta hunc duplicem fructum intelligi ac conciliari possunt varia dicta Doctorem, quæ posteà cõmemorabimus.

Differẽtiæ aliquot inter fructum publico ministerio sacrificij respondentem & priuatis oblationibus.

Sed quæres, quomodò inter se differant hi duo effectus, siue in vna sacerdotis persona, siue in illa & alijs considerentur. Respondetur, plures intercedere differentias notatu dignas. Prima est, ꝙ fructus, qui respondet oblationi sacrificij, vt in persona Christi à Sacerdote offertur, non est principaliter propter ipsum, sed propter populum, seu alios, pro quibus potest sacrificium offerri: quia tunc sacerdos gerit personam publicam, & est intercessor inter Deum & populum, at verò alius priuatus fructus præcipuè est propter singulos offerentes: quia non offerunt, vt publici ministri, sed vt priuatæ personæ, & ideò illis datum est, vt sua priuata oblatione aliquid ex sacrificio haurire posint. Et hinc vlteriùs certum est; priorem fructum posse alijs applicari, &, quoad hoc, commissum esse ipsi sacerdoti tanquam ministro; de posteriori autem fructu res est dubia, quia ex institutione id non sequitur, sed aliunde inuestigandum est, vt videbimus.

Prima.

Secunda.

Secunda differentia est, quia prior fructus de se est indifferens, & quasi vniuersalis, & ideò soli sacerdoti, Christi ministro, potestas est, data, vt huic vel illi applicet illum. In quo etiam est obiter notanda differentia, inter sacramenta, & sacrificium, nam sacramenta per se ordinantur ad sanctificationem recipientium, & ideò, sicut per receptionem applicantur ad operandum, ita per eandem receptionem determinantur ad agendum in hac persona, & non in alia, & ideò in hoc iam non pendent ab intẽtione vel applicatione ministri, sed tantùm remotè, in quantum necesse est, vt velit huic dare sacramentum, & hoc ipsum explicatur in formis sacramentorum, *Baptizo te, Absoluo te, &c.* Ratio autem sacrificij consistit in oblatione facta Deo, vnde intrinsecè determinat, cui sit offerendum, non tamen pro quo sit offerendum, & ideò necesse est, vt aliunde determinetur. Quandiu igitur cõsideratur oblatio, vt est à Christo per sacerdotẽ, ipsum repræsentantem, adhuc est indifferens & vniuersalis, tam ex parte eius, cui fit oblatio, quia ei pro quibuscunque offerri potest, quàm ex parte rei oblatæ, ob eandem rationem: tum etiam ex parte offerentis, qui etiam est publicus & cõmunis, tum denique ex parte eorum pro quibus offerri potest; quia de se ad nullum est determinata: fructus ergo, qui oblationi sic conceptæ respondet, indifferens est, donec per aliquem huic potiùs, quã illi, applicetur, quod in nullius potestate dici potest esse positũ, præterquàm ipsius ministri. Nec verò dici potest determinari ex se ad ipsum sacerdotem offerentem, sicut determinatur effectus sacramenti ad suscipientem: quia, vt diximus hic fructus non est principaliter propter ipsum, sed propter alios, inter quos & Deũ ipse est mediator. Item, quia in eo non concurrit ipse, vt talis persona, sed vt repræsentans personam Christi, non ergo limitatur ad ipsum, sed de se communis est, & indifferens. Et quoad hoc rectè intelligitur differentia, quam Diuus Thomas suprà posuit inter sacramentum & sacrificium, quòd illud operatur tantùm in suscipiente, sacrificiũ verò etiam in alijs, pro quibus offerri potest: hoc enim maximè verum est, quoad hunc fructum. At verò aliùs posterior fructus, qui priuatis offerentibus respondet, ex se, & absque alia applicatione, est vniuscuiusq; offerẽtis: quia hic fructus principaliter est propter ipsum, qui in ea oblatione non gerit personam publicã, sed propriam & priuatã, & ideò, vt sibi prosit sua oblatio, non est necessaria intentio sacerdotis pro tali persona specialiter offerentis, sed solùm, quòd ipsa cum sacerdote & per sacerdotem offerat; & quod Sacerdos, vt publicus minister, nomine eius offerat, vt superiùs declaratum est. Quin potiùs hinc fit, vt huiusmodi offerens excludi nullo modo possit à participatione huius fructus, etiam si sacerdos velit, aut tentet, eum excludere, dũmodò ille maneat offerẽs, & non excludatur à concursu seu communicatione in tali sacrificio. Adde etiam, ad obtinendum huiusmodi fructum non esse necessariam in tali offerente specialem intentionem consequendi illũ, sufficit enim intentio offerendi seu concurrendi ad sacrificium, ministrando, vel audiendo Missam, vel alio simili modo: quia per hoc satis determinatur talis fructus ad talem offerentem, nisi fortasse ipse velit illum alteri applicare, de quo posteà dicam.

Discrimen inter sacramenti & sacrificij effectus.

Tertia ex D. Thoma. Soto.

Tertia differentia est, quia ad priorem fructum non est necessaria sanctitas sacerdotis, vt docet D. Thom. suprà, quæst. 82. art. 6. & in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiũc. 3. & Soto, distinct. 13. art. 1. & omnes. Et hoc confirmari potest ex multis, quæ referũtur 1. q. 1. cap. Non nocet. c. Intrà Cath. & de consec. dist. 2. cap. Verùm sub figura. Ratio etiam est ex dictis manifesta, quia sacerdos quoad hoc non gerit personam suam, sed Christi, & ideò, sicut hac ratione oblatio est grata & munda, ita etiam est efficax, quia nõ applicat meritum eius, sed Christi. Accedit congruentia, quia, cùm hic fructus non fit propter personam Sacerdotis vt talis est, sed propter Ecclesiam, ideò non debuit pendere ex sanctitate eius: hac enim de causa institutum est, quòd sacramenta æquè per malos ministros ac per bonos perficerentur, & sanctificarent alios. Et cõfirmatur, quia aliàs Missa Sacerdotis peccatoris oblata pro anima purgatorij, nihil illi prodesset. Item sequeretur, sacerdotem recepto stipendio sacrificantem in peccato mortali non satisfacere suæ obligationi, sed teneri iterum in gratia sacrificare, quæ sunt absurda. Dices, ergo etiam si sacerdos sit hæreticus, & ab Ecclesia præcisus, sacrificiumq; offerat, illi, quantũ est ex se, respondebit prædictus effectus, & si alicui per talem sacerdotem applicetur, ei proderit, si non habeat obicem. Respondeo, concedendo totum, quia re vera ita est, neque habet maius inconueniẽs, quàm sit in fructu sacramẽti. At vero alter fructus, qui respõdet priuato offerẽti, requirit in illo gratiã & sanctitatem, vt eo frui possit. Quod quidẽ duplici ex capite prouenire potest; primo, ex incapacitate subiecti, quasi passiuè cõsiderati; quia nimirũ is, qui est in peccato mortali, est incapax omnis fructus passionis Christi ex opere operato; & hoc modo est res clara, & mihi certa, vt infrà latiùs dicã. Secundo potest hoc ꝓuenire ex indispositione offerẽtis vt sic, quod est difficilius, quia, licèt priori ratione huiusmodi offerẽs sit incapax perceptionis talis fructus in eo statu, nihilomin⁹ intelligi posset, illius oblationi respõdere suũ fructũ: quia, cum ille fit ex opere operato, nõ videtur pendere ex sanctitate sic offerẽtis, quia nõ fundatur in merito eius; ergo erit illa oblatio semper de se fructuosa, ita vt, quãuis tũc sit mortificata (vt sic dicam) posteà, ablato obice, posit reuiuiscere, vel, si tũc alteri applicaretur, seu donaretur, ille fructus, in quo non esset obex, in illo haberet effectum. Sed, quanquam ob hanc rationẽ res videatur dubia, tamen, cùm in hac oblatione priuata persona non operetur vt minister Christi, sed solùm concurrat vt priuata persona, verisimile satis est, requiri sanctitatem eius, vt tali oblationi respondeat proprius fructus ex opere operato: quia, licèt talis fructus non fundetur in merito eius, & ideò non requiratur gratia vt principium merendi, nihilominus requiri potest, vt dispositio necessaria in tali offerente. Et confirmatur, nam, vt sacramenti susceptio sit fructuosa ex opere operato, requirit sanctitatẽ in suscipiente: ergo & hæc oblatio in offerente. Item hic fructus primariò est propter huiusmodi offerentem: ergo meritò ab eo exigitur dispositio condigna sacrificio, vt sit ei oblatio talis fructuosa, & ideò etiam, vt statim dicam, quo dispositio fuerit melior, eò hic fructus erit maior. Tandẽ, quod dicebatur de reuiuiscentia talis fructus, si semel non acquiritur, friuolũ est, & sine fundamento vel aliqua necessitate dictũ. Quod verò dicebatur, posse talem fructũ donari alteri, incertum est, etiam in priuato offerente sancto & iusto, & ideò, simpliciter loquendo, veriùs videtur, absolutè talem oblationem esse infructuosam ex opere operato, quotiescunque extra gratiam fit.

Quarta ex D. Thoma. Soto. Corduba.

Quarta differentia similis præcedenti est, quòd prior fructus respondens sacrificio secundùm se nõ est maior, vel minor, propter maiorem, vel minorẽ sanctitatem ministri, vt sumitur ex D. Thom. dicta q. 82. art. 6. Soto, Corduba, & alijs. Quanquã Scotus, in 4. distinct. 13. quæst. 2. ad tertium, & Gabriel, lect. 26. in Can. oppositum sentiant, qui consequenter loquuntur, quoniam eodem modo opinati sunt de ministris sacramentorum. Nos autem contraria ratione vtimur, quia effectus sacramenti ex opere operato non augetur, nec minuitur ob ministri sanctitatem maiorem vel minorem: ergo nec effectus sacrificij. Patet consequentia, quia etiam datur ex opere operto, & in eo nõ consideratur dignitas personæ, sed officium ministerij: nam in tantùm operatur, in quantum est Christi minister. Itẽ, quia, si hic effectus augeretur ob maiorem sanctitatem ministri: ergo minueretur ob minorem: ergo omnino tolleretur ob carentiam sanctitatis ministri: ergo è conuerso; si non pendet effectus ex sanctitate ministri, neque etiam variabitur ob quantitatem eius. Denique rationes factæ in præcedente differentia hoc etiam probant. Vnde, quando Alexand. Papa in cap. Ipsi sacerdotes, 1. quæst. 1. dicit, sacerdotes, quo sanctiores sunt, eò magis prodesse fidelibus per sua sacrificia, intelligendus est quoad impetrationem, & meritum de congruo ex opere operantis: non verò quoad effectũ ex opere operato, vt suprà D. Thom. exponit, & in 4. distinctio. 13. quæst. 1. artic. 5. vbi Bonauent. Palud. & cæteri idem tradunt. At verò fructus posterior, qui respondet priuatis offerẽtibus, eò maior est, quò ipsi meliori affectu & dispositione offerunt. Ita sumitur ex D. Thom. dicta quæst. 79. artic. 5. & 7. & in hac quæstione 83. artic. 4. ad octauum. Et probatur contraria ratione sumpta ex præcedente differentia, nã vt sacrificium sit hoc modo fructuosum, necessaria est bona dispositio offerentis: ergo, quò hæc dispositio fuerit melior, eò erit sacrificium fructuosius quoad hunc effectum. Patet consequentia, tum ex regula topica, sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis tum à simili ex sacramentis, in quibus melior dispositio conducit ad meliorem effectũ ex opere operato, tum ex coniecturis superiùs adductis de sacramẽtis: est enim hic modus institutionis cõuenientior: quia in hoc modo offerẽdi, vnusquisque offert vt priuata persona, iuxta propriã deuotionem, & ita respondet illi proprius ac particularis fructus: ergo cõueniens fuit, vt, quò quis deuotiùs offert, eò maiorem fructum accipiat: nam, & talis oblatio Deo acceptior est, & hoc modo excitabũtur omnes ad deuotiùs & religiosiùs offerendum. Quæres, in quo ponenda sit hæc maior deuotio, vel dispositio melior. Respondetur, ex multis principijs posse desumi. Primò ex maiori sanctitate, cæteris paribus, ex meliori actu interiori, aut propter feruentiorem affectum, præsertim caritatis, vt D. Th. dixit, aut quia ex meliori motiuo, magisq; ad Dei cultũ pertinente, fit oblatio. Deniq; in actione etiã exteriori potest reperiri differẽtia, nam quò aliquis magis concurrit, seu ministrat in sacrificio, eo etiã censetur deuotiùs offerre, quod semper intelligendum est, cæteris paribus, nam, vt absolutè fiat comparatio, omnia pensanda sunt, vt illa censeatur dignior oblatio, quæ, pensatis omnibus circunstantijs, moraliter fuerit maioris valoris apud Deum.

Reiicitur Scoti & Gabr. opinio.

Alexan. P. locus exponitur.

SECTIO IX.

Vtrùm hoc sacrificium habeat effectum ex opere operato in his, pro quibus offertur, non ponentibus obicem.

HAEc quęstio tractari potest de fructu respõdente ipsi sacrificio secundũ se, vt est à ministro in persona Christi offerente: vel de fructu, qui respõdet vnicuiq; priuato offerenti. Circa primum, vnũ est certum ex dictis, nõnulla verò hic dubitari possunt. Certũ (inquã) est, sacrificium hoc dare suũ effectũ ex opere operato, ei, pro quo à sacerdote offertur, & talis fructus applicatur, etiam si ille, pro quo fit oblatio, nullo modo offerat, dummodò obicis impedimentũ non ponat. Hæc assertio est cõmunis omium, & fere probata est in sect. præcedente. Potest tamen adhuc in hũc modũ explicari, quia hic effectus, cùm sit ex opere operato, alicui infallibiliter dandus est, si non ponat obicem: nã hoc est de ratione effectus ex opere operato: sed ille, cui dandus est hic effectus, nõ est determinatus à Christo institutione sua, neq; nũc determinatur per voluntatẽ eius, vt existentis in cœlo, ergo non potest esse alius, nisi ille, quem sacerdos offerens sua intentione determinauerit, seu pro quo obtulerit, aut cui hunc effectũ applicuerit: hæc enim omnia in idẽ recidunt. Cõsequentia tenet à sufficiente partiũ enumeratione. Minor sic declaratur, quia varijs modis intelligi potest facta institutio. Primus est, vt hic fruct⁹ necessariò maneat in ministro offerẽte, & hoc modo facta nõ est, vt cõstat ex vsu Ecclesiæ, qui est, vt ꝓ alijs offeratur, & ex cõmuni ratiõe sacrificij publici, seu oblatiã sacerdote, vt publico ministro Christi, cuius officiũ est, vt ꝓ peccatoribus offerat, & ex alijs præcedẽte sect. adductis. Secũdus modus institutionis intelligi posset, ꝗ hic fructus sit totius Ecclesiæ,

Cui à sacerdote fructus sacrificij ex opere operato applicatur, non ponenti obicem infallibiliter confertur.

Universidad de Deusto Biblioteca

clesiæ,& distribuatur inter membra eius,iuxta capacitatem vel indigẽtiam vniuscuiusq; ex se, & ex vi institutionis absq; vlla noua applicatione. Quod videntur sensisse Præpositiuus, & alij antiqui;qui,vt D.Thomas & alij Theologi referunt in 4.dist.in&. 45.dixerunt, hoc sacrificium non magis prodesse his,pro quibus offertur,quàm cæteris: hoc tamẽ est contra communẽ Ecclesiæ sensum, & ideò hæc opinio D.Thom.& cæteris Theologis reiecta est: omnes enim pro certo habemus, hoc sacrificium magis prodesse ei,pro quo specialiter offertur, quod tamẽ esse non posset, si distributio effectus ex vi institutionis esset determinata,independenter ab applicatione offerentis. Et confirmatur,nam aliàs sequitur, sacerdotem offerẽdo vnum sacrificium pro multis, æquè satisfacere singulis,ac si pro vno tantùm offerret,quia non propterea maiorem vel minorem fructum accipere. Tertius modus institutionis intelligi posset,quòd Christus hanc applicationẽ suæ voluntati & intentioni reseruauerit, vt vidẽtur aliqui sensisse,qui,vt refert Scotus, quodlibet. 10. dixerunt,applicationem Sacerdotis non valere, nisi concordet cum Christi voluntate & intentione, quod est dicere,temerè & frustra fieri: quia non potest sacerdoti constare de tali Christi voluntate,vt ei concordet;&,si Christi volũtas adest, ac necessaria est, illa sufficiet,quidquid Sacerdos faciat, frustra ergo & temerè applicat alicui sacrificium, hoc verò est contra sensum & traditionem Ecclesiæ.Quare non debuit hoc pendere ex noua Christi voluntate hominibus incognita,sed aliqua certa lex circa hoc statui debuit, vt possent homines humano more sacrificiũ offerre & applicare: sicut factũ etiam est in sacramentorũ effectibus. Solùm ergo superest quartus modus institutionis, conueniens, rationabilis, & Ecclesiæ vsui consentaneus,scilicet,quod hic effectus detur illi, cui sacerdos offerens tanquam dispensator mysteriorum Dei illum applicuerit. Vnde hoc ipsum ius applicandi,quasi debitum erat officio sacerdotis, quod est intercedere inter Deũ & homines,& consequenter offerre etiam Deo sacrificium pro hominibus. Quocircà, sicut in sacramentis requiritur intentio ministri, vt sacramentum fiat ab homine, humano modo, ita in sacrificio requiritur intentio sacerdotis applicantis fructum sacrificij vt sic,vt oblatio pro vno homine fiat per alium hominem humano modo. Vt autem hæc oblatio infallibiliter habeat effectum,semper subintelligitur conditio,dummodò is,pro quo fit oblatio, non ponat obicem: nam hoc semper necessarium est ad quemlibet effectum ex opere operato.

Præpositiuus.

1.Quæsitum.

Sed circa hoc inquiri potest primò,si intẽtio ministri iniqua sit; & contra iustitiã vel obedientiã, an nihilominùs sit efficax,vt detur effectus,v.g.tenetur Sacerdos ex iustitia applicare sacrificium Petro,ratione stipendij accepti, & nihilominùs applicat illud Paulo:hæc applicatio iniqua est, quia contrà iustitiam:quærimus ergo, an nihilominùs detur effectus Paulo,vel potiùs Petro;Similiter iubet mihi superior,vel Episcopus, vel Summus Pótifex, vt sacrificium offeram pro tali defuncto : ego autem pro me offero, quæritur,cui prosit sacrificiũ.Quidã generatim docent in huiusmodi casibus, sacrificiũ operari, non iuxta voluntatem ministri, sed iuxta obligationem,id est,in eo,pro quo tenetur offerre, non pro quo offert. Ita significat Scotus, quodlib. 10.Gabr.lect.26.in Can.quanuis dubitando dicát, forte ita esse. Ratio in primis esse potest, quia Christus non applicat fructũ suum per iniuriosam actionẽ.Sed hæc ratio friuola est,quia, licèt Christus nõ velit iniuriosam actionem, permittit tamen illam, & illa existente bene vtitur,& per eam interdùm magna & supernaturalia beneficia cõfert, non ipsi peccanti,sed alijs. Vt videre licet in actionibus sacramentorum, nam, licèt minister cõferat sacramentũ per actionem iniustam,vel quãtumuis iniquã, Deus per illam sanctificat hominem, si nõ ponat obicem, de qua re certam,& immutabilem legem statuit:sic ergo in præsenti potuit generalem legem statuere, vt sacrificium operetur in eo, cui à sacerdote applicatur,siue sacerdos aliàs bene agat,siue iniquè. Videtur autem expediens, ita factum esse, vt Ecclesia aliquid certum & stabile haberet in hoc negotio.

Opinio Scoti & Gabrielis improbatur.

Placitum Ledesmæ & Corduba refellitur.

Alij nihilominùs distinctione vtuntur,nam obligatio sacerdotis ad offerendum pro aliquo potest oriri ex propria voluntate,seu priuato contractu,vt quia promisit, vel stipendium accepit, vel oriri potest ex voluntate superioris. Quãdo est prioris modi,dicunt præsentem voluntatem præualere obligationi,quia,cùm illa obligatio orta sit ex priori voluntate, per posteriorem retractatur prior voluntas:quia,licèt illa voluntas mala sit; tamen hoc ipso, quòd est posterior & absoluta, est efficacior; & ideo, licèt ille malè faciat,alteri applicando sacrificium,tamen factum tenet. Quando verò obligatio est posterioris rationis, dicunt voluntatem superioris seu Ecclesiæ vincere sacerdotis voluntatem propriam: est enim efficacior;& ideò non potest (aiunt) per sacerdotis voluntatem retractari, aut irritari. Vnde concludunt, non obstante tali voluntate sacerdotis,fructũ sacrificij applicari ei, cui sacerdos vel Ecclesia vult. Ita ferè Ledesma in 4.2.p.q. 16.art. 14. circa finem,& Cordub.lib.1.q.3.opin.6.qui existimat,hoc præcipuè locum habere in religiosis, quia nihil habent proprium, & ideò, si superior applicat eorum sacrificia,applicata manent, etiam si ipsi nolint.Sed hæc distinctio, neque in antiquis Doctoribus reperitur,neque habet solidum fundamentum: quia,sicut in administratione sacramentorum, Sacerdos operatur vt minister Christi, ita & in oblatione huius sacrificij: sicut ergo in administratione sacramenti intentio est propria & personalis, ita & in oblatione & applicatione huius sacrificij, in qua sacerdos etiam se gerit, vt habẽs immediatè à Christo potestatem & vices eius; propter quod intentio sacerdotis & Christi vna esse censetur: ergo quoad hoc intentio sacerdotis non subditur intentioni Ecclesiæ,vel alterius hominis, quantumuis superioris, ita vt per illam irritari possit, quanuis subdi possit, quoad obligationem faciendi, vel non faciendi. Quod eodem exemplo sacramentorum declarari potest; nam, si superior præcipiat,vt non baptizet,vel vt baptizet hunc, & non illum, vel vt non absoluat(dummodò iurisdictionem non auferat) nihilominùs,si subditus faciat, factum tenet; nec potuit superior eius intentionem seu voluntatem irritare.Idem ergo est in præsenti quoad voluntatẽ offerendi,vel applicandi sacrificium aliqui: vtriusque enim ratio est eadem,scilicet, quia tunc operatur sacerdos tanquam is,qui Christi vices gerit. Et cõfirmatur primò,quia etiam hic actus conuenit sacerdoti,ex vi potestatis & characteris sacerdotalis, vt patet ex forma Ordinationis eius. *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis.* Rursus, hic actus

Sacerdotis voluntas fructũ sacrificij applicat quoque, nersus per iniquitatem deflectat.

actus non requirit iurisdictionem, sed solam Ordinationem,vt per se constat;ergo non potest irritari per solã prohibitionem superioris hoc enim generatim verũ est in omnibus alijs actibus alicuius Ordinis,qui iurisdictionem non requirunt. Confirmatur secundò,nã,si sacerdos teneatur hodie Missam ob stipendium pro aliquo offerre,& nõ faciat, sed pro alio, tenetur,vel restituere stipendium,vel altera die munus suum implere,vt est omnium sententia,& praxis,infra tractanda:ergo signum est, præualuisse voluntatem sacerdotis, quanuis iniquam, & sacrificium de facto non fuisse applicatum ei, ad quẽ erat obligatio:alias in re ipsa non esset facta inæqualitas,neq; iniuria,neq; sacerdos amplius obligatus permansisset;& hoc totum secũda opinio supra citata concedit.Idem autem est in parocho, si ex officio,vel statuto Ecclesiæ,teneatur pro suis ouibus sacrificare:& sacrificet quidem, non tamẽ pro illis,sed pro alijs:quia re vera tenetur postea resarcire damnum, suamq; obligationem (quæ extincta non fuit)explere. Et idem censeo de religioso:nã si in simili casu inobediens sit,tenetur posteà, ex eadẽ obedientia superioris voluntatem explere, nisi fortasse constet,occasionem vel rationem talis præcepti omnino iã cessasse. Vnde nil refert, quod religiosus nihil proprium habeat, quia saltem non est priuatus intrinseco dominio suorum actuũ, quod est per libertatẽ,ratione cuius potest absolutè velle contrarium eius,quod superior vult;& quia aliàs tunc operatur vt Christi minister per potestatẽ ab eo, datam,ideo non potest illa voluntas à superiori irritari. Imò addo etiã, in satisfactionibus proprijs quas vnusquisque potest sua voluntate alteri applicare,vel donare,religiosum nõ ita se abdicasse earũ dominio,vt possit superior, ipso inuito vel inscio, eas, cui voluerit, applicare vel donare:quia paupertas religiosa ad huiusmodi res spirituales non extẽditur,quanuis obedientia extendi possit ad obligãdum religioso,vt eas applicet, cui superior præceperit:potest enim hoc præceptum interdum esse rationabile & iustũ.

2.Quæsitũ.

Secũdo inquiri circa idem potest, vtrum omnis sacerdos,quoties sacrificat,teneatur aliquam partẽ huius fructus ex opere operato offerre pro tota Ecclesia vt inter omnia mẽbra eius distribuatur, iuxta proportionem Deo cognitam,fundatam fortasse in singulorum deuotione & dispositione. Ratio dubitandi esse potest,quia fere omnes autores dicunt omnibus baptizatis habentibus reatum pœne, & non ponentibus obicem,obuenire partem aliquam huius fructus ex opere operato ex omnibus sacrificijs,quæ in Ecclesia fiunt. Vnde orta est illa vulgaris diuisio triplici fructus huius sacrificij, prout à sacerdote applicari potest.Primus dicitur specialissimus,& videtur esse ille,quem diximus respondere sacerdoti,vt priuatæ personæ.Secundus dicitur specialis,& videtur esse ille, quem sacerdos applicare debet ei,pro quo specialiter offerre tenetur. Tertius dicitur generalis vel generalissimus, & hic est, quẽ omnia Ecclesiæ membra participant: ergo tenetur sacerdos hanc partem eis applicare. Illam vero diuisionem primus omnium videtur inuenisse Scotus dicto quodlib.10.quem secutus est Gab. dict.lect. 26.& postea recentiores, Corduba & Ledesma supra & Soto dist.13.q.2.ar.1.Eius tamẽ diuisionis nullum aliud fundamentum afferunt quoad hoc tertiũ membrum,nisi quia iuxta vsum Ecclesiæ,omne sacrificium offerri debet pro tota Ecclesia, & omnibus membris eius.Itẽ,quia cõgruum & caritati cõsonum est,vt omnes de communi sacrificio,& fructus eius participent,sed non participant,vt offerẽtes,sicut supra diximus:ergo necesse est, vt pro eis offeratur.Sed hæ rationes rectè quidem procedũt de impetratione sacrificij, tamẽ de fructu ex opere operato nihil omnino vrgẽt.Probabilius ergo existimo,neque esse talem obligationem in sacerdote, neque de facto ita accidere, vt omnia Ecclesiæ mẽbra fructum aliquem ex opere operato recipiát per omnia sacrificia, Probatur,quia,vel illa obligatio, vel applicatio, fundatur in ipsamet institutione,& Christi voluntate,vel in ordinatione Ecclesiæ;neutrum autem dici potest cum fundamento probabili.Primum declaratur,aliter subdistinguendo; nã, vel sensus est, Christum Dominum imposuisse diuinum præceptum omnibus sacerdotibus applicandi hoc modo fructum sacrificij quoad aliquam partem eius;& hoc est friuolum & gratis cõfictũ: vbi est enim hoc præceptum? aut quo Scripturæ testimonio, quave Patrum traditione,vel Ecclesiæ declaratione cõstat?aut quænã sunt signa vel cõiecturæ illius;cũ totũ id,quod in Ecclesia fieri videmus, vel factum legimus,& sit ab ipsa Ecclesia institutũ & sufficienter per solã impetrationẽ saluetur. Addo,interdum Ecclesiam contrarium statuere circa aliquas personas,vt statim dicam,quod non faceret si derogaret diuino præcepto. Alius sensus esse potest, Christum Dominum sua autoritate & volũtate applicuisse hanc partẽ vniuersæ Ecclesiæ independenter à voluntate ministri, quanuis reliquam partem huius fructus ei applicandam cõmiserit. At hoc eisdem rationibus refutandum est, quia nõ est minus voluntariam:vnde,qua facilitate dicitur, reijcitur.Eò vel maximè, quod non est à Christo institutum,vt omne sacrificium necessario offerri debeat pro tota Ecclesia:quia neque ex vi institutionis sequitur,neque aliunde ostendi potest diuinum ius,sed solũ Ecclesiæ ordinatio:vnde ipsa etiam Ecclesia interdùm excludit aliquos à participatione omnis fructus huius sacrificij. Et deinde inquirendum esset,quæ vel quãta sit pars huius fructus,quæ sic est applicata. Item,an sit maior,quando sunt plura mebra capacia illius,& minor,quando pauciora; vel,si semper est æqualis,quò plura sunt huiusmodi Ecclesiæ mẽbra,eo minus singulis obueniat, cæteris paribus,quia illa portio non est infinita, quia nõ applicat totam Christi satisfactionem; neq; est fructus quoad sufficientiam,sed quoad efficaciam, secundũ quã non potest esse aliquid infinitum: est ergo finita:ergo diuisa inter plures, cæteris paribus, erit minor in singulis: quod nec prædicti autores admittere volunt.

Vulgaris partitio fructus sacrificij, à sacerdote applicabilis.

Item nec Ecclesiastico.

Secundũ,scilicet,quod,nec ex præcepto Ecclesiæ sit talis obligatio,eisdem fere rationibus cum proportione applicatis ostendi potest: quia nullibi est scriptum tale præceptum Ecclesiasticum,nec ex canone Missæ colligi potest:ibi enim solũ oratur pro omnibus in persona Ecclesiæ, & similiter generaliter offertur pro omnibus quoad impetrationẽ. Et idem sumi potest ex Concil.Cabil.II. c. 39.& habetur de Consecrat.dist. 1.c. *Visum nobis est,vt in omnibus Missarum solemnibus pro defunctorum spiritibus loco competẽti Dominus deprecetur; sicut enim nulla dies excipitur,qua non pro viuentibus & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur,ita nimirum nulla dies ex-*

Cõc.Cabil. II.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solemnibus fundātur. Ex quibus verbis potest sumi noua coniectura, quia non omnibus animabus purgatorij applicatur ex omnibus sacrificijs aliqua pars fructus ex opere operato: aliàs facillimo negotio omnes à purgatorio liberarẽtur. Imo etiam de viuis idem fieri potest argumentũ: præsertim de his, qui in statu gratiæ perdurant aliquãdiu nam vix possunt habere aliquem reatum pœnæ si per omnes Missas aliquam remissionem pœnæ reciperunt. Deniq; vt Ecclesia posset hoc præcipere, deberet designare, quanta, vel quota pars effectus esset sic applicanda pro vniuersa Ecclesia: hoc autem neq; fecit, neq; facilè fingi potest: nulla ergo est talis obligatio in sacerdotibus; sed in eorum voluntate positum est, vt totum hunc fructũ applicẽt, vel per specialem, vel per generalem intentionẽ, prout eis libuerit, vel licuerit: nõ est enim in hoc aliquod vniuersale præceptum positũ, sed vnusquisq; operari debet iuxta suam propriã peculiarem obligationem; vel, si nullã habuerint iuxta prudẽs & honestum arbitrium. Igitur prædicta diuisio, vt in eadem locum habeat aliquo modo ille fructus generalissimus, intelligenda est, vel de sola impetratione, vel in communi & abstractè de fructu, siue in rigore ex opere operato, siue per modum impetrationis eueniat. Nec fortasse Scotus & Gabriel aliud intenderunt, vt ex fundamentis, & discursu eorum colligi potest: occasionem tamen errandi dederunt: quia interdum vocant hunc fructum ex opere operato, quia illa impetratio nõ fundatur in merito sacerdotis offerentis, sed in sanctitate Ecclesiæ, & dignitate ipsiusmet sacrificij.

Distributio effectus huius sacrificij in specialissimum, specialẽ & generalissimã de impetratione intelligenda.

Tertiò inquiri potest, quid, si sacerdos nulli applicẽ hunc fructũ, vel ei applicet, qui non indiget, vel non est capax. Soto, Corduba, & alij, censent in eis casibus & similibus, seu quotiescunque applicatio nõ habet effectum, reponi in thesauro Ecclesiæ, vel (vt melius loquamur) manere in thesauro Ecclesiæ: quia fructus ille nõ est de nouo cõparatus, & à Deo acceptatus, sed est pars aliqua infiniti fructus passionis Christi, qui iam totus est in thesauro Ecclesiæ, & in acceptatione diuina; & ideò, quando efficaciter non applicatur, manet quidem in thesauro Ecclesiæ, nihil tamen illi thesauro additur ex vi talis sacrificij, quod spectat ad fructum satisfactionis, de quo modo agimus: quia in illo sacrificio, vt in persona Christi fit, nulla est noua satisfactio, vt sæpe dixi. Sicut quando baptismus, vel aliud sacramẽtum priuatur suo effectu, nihil noui reponitur in thesauro Ecclesiæ, sed solum impeditur, ne ex thesauro meritorum Christi aliquid conferatur suscipienti sacramentum. Nisi quis fortasse velit distinguere thesaurum Ecclesiæ à merito, & satisfactione Christi quoad sufficientiam, quatenus constat solũ ex satisfactionibus Sanctorum, & alijs, quæ speciali titulo iã sunt acquisitæ ipsi Ecclesiæ; inter quas an numeret hanc partem satisfactionis respondentem sacrificio ex opere operato: nam hoc ipso, quod Ecclesia per suum ministrum obtulit illud sacrificiũ, videtur acquisiuisse speciale ius ad illam satisfactionem; at que hac ratione dici posset, quando non applicatur alicui specialiter reponi in thesauro Ecclesiæ. Quod probabiliter consideratum est, parum tamen refert, hoc vel illo modo loqui: nam res eadem est, nimirum, facta hypothesi, quod per nullam intẽtionem ministri formalẽ vel virtualem ille fructus

3. Quæstiũ. Quorundã opinio.

applicetur, sacrificium carere actuali effectu, quia non est sufficienter applicatum ad operandum. Ad do tamen, ratissimè accidere posse casum, in quo sacerdos nulli applicet hunc fructum: nam ad hoc sufficit intentio formalis, vel virtualis: nam, si ad conficiendum sacramentum, vel offerẽdum ipsum sacrificium Deo, sufficit virtualis intẽtio; multo magis sufficiet ad applicandum fructum eius: hæc autem virtualis intentio vix deesse potest: nam omnis sacerdos, quando alteri non applicat sacrificium, saltem habet virtualem intentionem fruendi fructu illius. Applicat ergo sibi ipsi, vel, si aliquo titulo obligatus sit ad offerendũ pro alio, etiam habet vnusquisque intentionem virtualem implendi obligationem suam, & similiter in eo casu, quo applicatur sacrificium ei, qui non indiget, vel nõ est capax fructus illius, vnusquisq; habet intentionem, vt, vel ad se redeat, vel animabus purgatorij, aut alijs indigentibus applicetur. Itaq;, si sacerdotes mediocriter sint instructi, & aliquã diligentiã in sacrificando & offerendo adhibeant, vix eis prædictus casus eueniet. Quia vero impossibilis non est, statuamus ita accidisse, nunquid poterit postea sacerdos applicare præteritũ sacrificiũ? Non enim defuere, qui ita senserint, fortasse, quia sacerdos offerẽdo sacrificiũ, acquisiuit ius, & fecit quodammodo suã illã satisfactionem, & ideo videtur semper manere in potestate illius applicare illã. Sed hoc difficile creditu est; alias posset sacerdos etiã ex instituto & directa intẽtione suspendere hunc effectũ, & reseruare illũ, vt alio tempore fiat arbitrio suo; & consequenter, si ipse est in peccato, potest fructum seu applicationem eius suspendere, donec sit in gratia, vt possit, si velit, sibi applicare; & idẽ posset respectu alterius. Itẽ qui non habet stipendiũ, posset dicere sacrũ, & reseruare applicationẽ, & postea accepto stipendio satisfacere applicando sacrificium prius oblatũ, ei qui postea stipendium dedit: hæc autem & similia sunt inaudita in Ecclesia, & valde absurda, vt latius tractat Cordub. lib. 5. indulgentijs q. 42. Dicendũ ergo est, quod, sicut sacramentum solũ est in potestate ministri pro tempore & momento, quo conficitur, & tunc habet effectum, qui non potest à ministro suspendi, ita sacrificiũ est sub potestate & intẽtione ministri, quandiu offertur, & tũc debet applicari, & habere effectum; qui non debet suspendi arbitrio, vel in curia ministri, & ideo si hac de causa semel careat effectu, iã nõ est in potestate ministri, applicare illud: quia nõ est institutum, vt operetur, nisi dum sit seu existit suo modo; & ideo sacerdos nullum acquisiuit ius, vt applicet ad operandum, sacrificiũ iam præteritum. Dices quantum ad deprecationẽ potest aliquis applicare præterita sacrificia; ergo & quantũ ad satisfactionem ex opere operato. Respondetur negando consequentiam, nam quoad impetrationẽ ita potest applicari sacrificiũ præteritũ, sicut præterita bona opera: manẽt enim in acceptatione diuina; & vt sic possunt iterum, atque iterũ Deo repræsentari vt propter illa nos exaudiat; & idẽ est de sacrificio, quia hic effectus, neque habet definitã quantitatem, nec certum tẽpus, nec specialem promissionem aut institutionẽ; quæ omnia secus sunt in effectu ex opere operato. Vnde addo, quando applicatio fit ad impetrandum, non propriè fieri ad nouum effectum in eo ordine, nisi quatenus per nouam orationem & petitionẽ nouus effectus impetratur, & id, quod in sacrificio, vel bono

Si ante oblatum sacrificium ipsius fructus non applicetur, nihil potest applicare immobit

Cordubæ.

Obiectioni respondetur

no opere præterito quodammodo iam erat in virtute & quoad sufficientiam, applicatur ad efficaciã mediante oratione, non est ergo simile de impetratione & effectu ex opere operato.

Cõmunis.

Ex dictis colligo, si sacerdos applicet sacrificiũ, referendo intentionem suam ad intentionem alterius hoc modo; applico hanc Missam, cui Petrus applicuerit, tunc, si alius tempore oblationis conditionem impleuerit, & sacrificium applicuerit, validã esse & sufficientem applicationem: si autem contingat, alterum non applicuisse alicui sacrificium, tũc carere effectu suo. Quia, cum applicatio sacerdotis fuerit quasi conditionata, & non inuenerit cõditionem impletam, omnino inefficax redditur; sicut in conficiendo sacramento per intentionem conditionatam, si conditio non est posita in re, quando materia & forma consumantur, nihil fit: quia talis intẽtio nihil ponit in esse: & ideo inefficax redditur. Ita ergo est in præsenti propter eandẽ rationem, quam quam Cordub. lib. 1. q. 4. dub. 5. oppositum sentiat dicens, iam Deo esse præsentem futuram voluntatem alterius; & ideò fructum sacrificij statim applicari illi, cui Deus præuidet ab alio fore applicandũ; quod si Deus præuideat nullã futuram applicationem alterius, tũc ait sacrificiũ frustrari suo effectu. Sed certè primum illud nõ fuit ab illo satis animaduersum, alioqui pari ratione dicere posset, sacramẽtum datum sub conditione de futuro, si Petrus cõsenserit, statim esse validum, si Deus præuidet, Petrum consensurum: quia iam respectu Dei intẽtio conditionata transit in absolutam. Itẽ deberet idẽ dicere de hac applicatione; offero sacrificiũ pro eo, cui crastina die applicuero, vel pro eo, qui daturus est mihi eleemosynã; & de similibus, quæ sunt præter vsum Ecclesiæ, magnosq; abusus parere possunt si introducantur! Deus ergo, sicut nec punit, nec præmio afficit, nec ita confert effectus sacramentorum, aut sacrificij, ex his quæ præuidet futura: sed iuxta præsentem hominis intentionem & dispositionem; & ideo, si intentio, vt nunc est in homine, est conditionata, & conditio non est appositа, absolutè & secundum se est ineffica x, & suspendit effectum, donec conditio re ipsa impleatur, ideoque nihil operatur; quicquid Deus præuideat.

Cordubæ refutatur opinio.

Dubium.

Superest dicendum de alia parte quæstionis, scilicet, de priuatis offerentibus, an si pro alijs offerant fructum suum, illis prosit: nam Scotus & Gabriel supra agentes de illo fructu sacerdotis, quem vocãt specialissimum, negant posse applicari alijs, non videntur autem loqui de potestate simpliciter, sed vt licite, vel non licite fiat, nec loquuntur vniuersaliter sed cum limitatione, scilicet, quando ipsemet sacerdos indiget tali fructu: quia esset contra ordinẽ caritatis alteri applicare: hæc enim ratio, ad summũ, probat, tunc non posse fieri licitè, non verò, quod simpliciter non posset, aut, quod factum non teneret: interdum enim potest homo peccare donando quod suũ est, & quod nihilominus donatio sit valida. Vnde etiã illa ratio nullo modo procedit in his, qui non indigent, quia tunc nihil facient contra ordinem caritatis. Hęc autem doctrina, si vera est, eãdem ratione applicanda est cæteris priuatis offerentibus: quia vt sic sacerdos se habet vt priuatus offerens, sicut suprà diximus. Quanquam (vt verum fatear, & Ledesma prius intellexit) autores prædicti solum loqui videntur de fructu ex opere operãtis tamen in illo etiam procedit eadẽ ratio in alijs pri-

Scoti & Gabr. opinio.

A natis offerentibus, quę in sacerdote, vt per se cõstat. Quocunque autem modo illa doctrina intelligatur siue de fructu ex opere operato, siue ex opere operantis, non rectè probatur illa ratione Scoti. Quia hic fructus de quo agimus, nõ est remissio alicuius culpæ, neque gradus alicuius sanctitatis gratiæ, aut gloriæ, sed est satisfactio, vel remissio alicuius pœnæ: in huiusmodi autem malis pœnę non est contra caritatem propriam, quod aliquis cedat iuri suo, priuando se tali commodo, vt alteri benefaciat. Et hoc confirmat vsus omnium priorum: applicant enim satisfactiones suas pro animabus purgatorij, non quia existiment, se illis nõ indigere; esset enim hæc arrogans cogitatio, sed quia vel sperant alijs modis sibi interim prouideri posse, vel quia volunt, alijs benefacere, etiam si aliquid amplius ipsi patiantur, vel certè, quia in hoc ipso caritatis opere magis merentur; & hoc bonũ existimant meritõ, satisfactioni esse præferendum. Alijs igitur absolutè videtur, posse priuatos offerentes hunc fructum alijs donare: quia in hoc non peccant vt declaratũ est, & alioqui facultas eis nõ deest, nam suo modo sunt domini illius satisfactionis: nam, licèt ex opere operato detur, tamen re vera fit tamẽ propria, sicut illa, quæ est ex opere operantis: sicut ergo hæc liberè potest alteri dari, ita & illa.

B Dices fortasse, solis sacerdotibus, quatenus operantur vt ministri Christi, datam esse potestatem applicandi alijs fructum oblationis suæ: quia solum ministri Christi vt sic constituti sunt dispẽsatores mysteriorũ Dei; & ideo per solos illos potest cõferri effectus ex opere operato. Sed contra, nam, cùm Christus concesserit singulis fidelibus fructum aliquem ex opere operato ratione oblationis eorum, vt ab ipsis est; vnde constat, negasse illis potestatẽ applicandi alijs talem fructum? Quanquam enim demus, talem fructum respectu alterius, nõ esse ex opere operato, esse tamen poterit per modum communicationis spiritualium bonorum, nam hi duo modi diuersi sunt: quando enim applicatio est simpliciter ex opere operato, non oportet, vt applicãs sit in gratia, sicut antea de sacerdote vt sic diximus: quando vero applicatio est solũ per modum communicationis, oportet, vt iste qui applicat, sit in gratia: nam oportet, vt prius sibi ius acquirete possit, quod in alium transferat: vt autem acquirat tale ius oportet vt sit in statu gratiæ. Et in hunc modũ explicata hæc opinio est probabilis.

C Nihilominus censeo, cõtrarium esse probabilius scilicet, non posse hujusmodi offerentes alijs applicare hunc fructum: quia in vniuersum censeo omnem effectum ex opere operato esse proprium & personale beneficium, & quasi priuilegium personę cõcessum, quod non potest ipsa in alium transferre: sicut de indulgentia dicit D. Thom. in 4. dist. 20. art. 5. quæstiunc. 3. ad 2. enim, cui conceditur, non posse fructum illius in alium trãsferre, nisi speciali faculate in ipsamet indulgentia concedatur, idẽ ergo est de fructu ex opere operato, qui specialiter concessus est in fauorem talis personæ, & hoc constat inductione in effectibus sacramẽtorum; datur enim per baptismum remissio totius pœnæ, neque est in potestate baptizati, aliqua parte eius se ipsum priuare, vt eam alteri applicet, vt supra tactum est. Idemq; est in satisfactione sacramẽtali, quæ in confessione imponitur, vt suo loco dicemus. Idem ergo dicere debemus de hoc effectu sacrificij, quatenus

Priuati offerentes percipiunt ex opere operato huius sanctissimi sibi correspondẽtem, alijs applicare nõ valent.

tenus personalis est; quia nulla est specialis ratio ad exceptionem faciendam, nec sufficiente aliqua autoritate constare potest.

SECTIO X.

Quæ sint necessaria in eo, pro quo sacrificium offertur, vt in eo habeat effectum ex opere operato.

Qvid in offerentibus necessarum sit, iam supra diximus; in eo ergo pro quo sacrificiũ offertur, quatuor desiderari possũt vt effectum ex opere operato consequatur, capacitas, status, dispositio, indigentia, & de singulis pauca dicenda sunt.

Quilibet non baptizatus incapax effectus huius sacrificij ex opere operato.
D. Thom. D. August. D. Chrys.

Primò igitur requiritur capacitas: quam baptismus cõfert: nam sine charactere baptismali nullus est capax huius effectus, vt sentit D. Tho. q. 79. ar. 7. ad. 2. cum August. de anima & eius origine, lib. 1. c. 9. & idem sumitur ex Chrysost. homil. 3. ad Philipp. vbi dicit, hoc sacrificium non posse offerri pro catechumeno defuncto, quod verum esse nõ potest, nisi quoad effectum ex opere operato: nam quoad impetrationẽ, etiam pro illo offerri potest. Et hoc sensu omnes Theologi censent, baptismum sicut est ianua ad cætera sacramenta, ita etiam esse ad hoc sacrificium, scilicet, quoad effectum ex opere operato. Et hanc etiam rationem specialiter offert Ecclesia pro fidelibus, per quos baptizatos intelligit: nam illi sunt propriè fideles in foro Ecclesiæ, qui per baptismum fidem professi sunt; & hoc sensu intelliguntur illa verba Canonis, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt in signo fidei*: ita enim solet baptismus *signum* vel, *sigillum fidei* appellari. Item, sicut hoc sacrificium visibile est ita visibili Ecclesiæ est datum, vt pro se suisque membris illud offerat; eisque ex opere operato prosit: sed per baptismum constituuntur mẽbra huius Ecclesiæ visibilis: illi ergo tantum, qui baptizati sunt, sunt capaces huius effectus ex opere operato. Item illi soli possunt esse participes huius mensæ; priùs enim generari debent, quã nutriri, & reconciliari prius quã ad conuiuium amicorum admitti: ergo illi etiã soli sunt capaces fructus ex opere operato, vt sacrificium est. Patet consequentia, quia eadem mensa est altare, vnde ad eosdem ordinatur sub vtraq; ratione. Neq; est verisimile, Christum pluribus promisisse effectum sacrificij, quam sacramenti. Neque aliqua probabili ratione, vel autoritate potest in hoc differentia constitui. Eò vel maximè, quòd iuxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, catechumeni non permittuntur adesse mysterijs, ex quo incipit fieri oblatio sacrificij: semper ergo existimati sunt incapaces effectus huius sacrificij ex opere operato: alias cur prohiberentur adesse, & cũ alijs offerre? Atque hinc facilè soluitur obiectio, si quis dicat, catechumenũ esse posse membrũ viuũ Christi, & capacẽ remissionis pœnæ. Respondetur enim hoc non satis esse, vt eam possit cõsequi ex opere operato per hoc sacrificiũ: quia hoc remedium speciale datum est Ecclesiæ, pro his qui in Christo sunt regenerati, sicut & cætera omnia, quæ habere possunt effectum ex opere operato.

Occurritur scrupulo.

Solus viator huius fructus.

Secundo requiritur status viatoris, nam, si iam sit in termino vltimo beatitudinis, vel damnationis, vel nõ indiget, vel frui nõ potest hoc fructu sacrificij, vt ex disp. 77. constat. Difficultas vero est de statu, quasi medio, scilicet, animarũ purgatorij. Multi enim negant, hoc sacrificiũ habere infallibiliter effectũ in his animabus, vt Soto. d. 13. q. 2. ar. 1. Cano. lib. 12. de locis. c. 13. ad 9. Cordub. lib. 1. q. 3. opin. 4. Hinc autẽ necessario sequitur illũ effectũ nõ esse ex opere operato: quia talis effectus est infallibilis in eo, qui nõ ponit obicẽ sed in animabus purgatorij nõ potest esse obex: ergo ex hoc capite non potest in eis impediri effectus: ergo, si deficere interdũ potest, solũ est, quia nõ est ex opere operato. Ratio vero reddi potest, quia illę animę iã nõ sunt membra Ecclesiæ visibilis: ergo nec sunt in statu, in quo possit eis ex opere operato prodesse sacrificiũ visibile, sicut nec visibilia sacramenta eis vtilia esse possunt. Secundò, illæ animæ nõ sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiẽdi: ergo neq; vlla satisfactio eis iã prodesse potest, saltẽ ex certa lege & promissione. Tertio, propter hanc causam alia suffragia Ecclesiæ & indulgentiæ non applicantur eis infallibiliter, sed per modum suffragij (vt aiunt) vt Deus de congruo acceptet, & applicet illa, quod significat August. lib. de cura pro mort. agen. cap. 1. & in Enchir. c. 19. ergo idẽ erit in pręsente; nã est eadem ratio; & quotiescunque Sancti loquũtur de oblatione huius sacrificij pro defunctis, explicãt illam per modum deprecationis, & suffragij.

Ex opere operato capax. Dubium.
Soto. Cano. Cordub. August.

In purgatorio animæ detentæ capaces fructus ex opere operato huius sacrificij, vt pote quæ aliqualiter sint viatrices.
D. Thom. Albert. Mag. Durand. Pet. Soto. Lindan. Ruard. Hosius. Aiala. Bellar. Couar. Nauar. Cõc. Trid. Cyril. Hier. Chrys. August.

Nihilominus cõtraria sententia, sicut magis pia, ita & probabilior est; itaque, cũ dicimus, statũ viatoris requiri ad hunc effectũ, comprehẽdimus statum purgatorij: nã quatenus, qui illic sunt, ad vltimum terminũ nõdum peruenerunt, aliqua saltẽ ex parte viatores sunt, maximè quoad remissionẽ pœnarum, vel etiam culparũ venialiũ obtinendam. Est autem hæc opinio expressa D. Tho. in 4. d. 45. q. 2. ar. 3. ad 3. significat eam Alber. Magn. ar. 2. ad 6. Duran. d. 12. q. 4. & multi recentiores, Petr. Soto lect. 7. de Euchar. Lindan. lib. 4. Panop. c. 51. Ruar. art. 16. Hos. in cõfess. c. 41. Aiala de trad. par. 3. Bellarm. lib. 2. de purg. c. 18. qui generatim de suffrag. censet infallibiliter applicari, quod etiam tenẽt Couar. in c. Alma mater. p. 1. §. 5. num. 11. & Nauar. in cap. In Leuit. 110. ab. 22. Ex hoc autem necessario consequitur, idem à fortiori dicendum esse de hoc sacrificio: nam, vt Conc. Triden. dicit, sess. 25. c. 1. inter suffragia sacrificiũ Missæ maximè prodest defunctis: ergo si alia prosunt infallibiliter, hoc multò magis, vel, quanuis alijs operibus hoc negetur, nõ esset negandũ huic sacrificio, propter excellentiam eius. Accedit, quod Trident. sess. 22. c. 2. eodem modo dicit, sacrificium hoc offerri pro viuis, & defunctis; & eodem modo loquũtur Cyril. Hieros. catech. 5. mystag. & Chrysost. hom. 69. ad populũ. Multũque fauet dictum eiusdẽ Chrysost. homil. 3. ad Philippẽ. quod sumi etiã potest ex Aug. lib. 1. de Orig. animæ. c. 9. hoc sacrificium nõ posse offerri pro catechumenis defunctis, sicut potest pro baptizatis: nam vt suprà dicebam, hoc necessario intelligendum est quoad effectum ex opere operato: ergo operatur hoc modo in baptizatis iam defunctis: nam per modum impetrationis, etiam in catechumenis operari potest. Preterea in forma sacerdotij æqualiter dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis*: ergo verisimile est, hanc potestatem esse ęquè efficacem circa vtrosq;.

Ex

Ex his ergo omnibus sufficiẽs habemus fundamẽtum, vt credamus, Christum ita instituisse huius sacrificij efficaciam, in quo tota hæc res posita est quia sine tali institutione certum est, non posse sacrificium per se habere hanc efficacitatem. Neque item est dubium, quin ex institutione Christi potuerit illam habere. Neque etiam est vlla ratio, ob quam animæ purgatorij fuerint ab hoc effectu excludendæ, vt patebit facilè ex responsionibus argumentorum.

Ad primum enim respondetur, quod illæ animæ eo modo, quo viatrices sunt, pertinent ad Ecclesiã militantem, nundum enim triumphant. Vnde aliquo modo possunt ligari vel absolui: & cum eis habemus quandam spiritualium bonorum communicationem: hoc ergo satis est, vt sint capaces effectus huius sacrificij ex opere operato, quod excellentiã legis gratiæ nõ parũ cõmendat: habet enim remedia, quibus non solũ viuentibus, sed etiã fidelibus defunctis indigẽtibus efficaciter subueniri possit. Vnde non est similis ratio de sacramentis. Primò quidem propter diuersum finẽ sacramenta enim ordinata sunt ad gratiam conferendam, sacrificiũ autem ad pœnas peccatorũ tollendas: at verò animæ purgatorij non sunt capaces augmenti gratiæ, ab solui autẽ possun à reatu pœnæ. Deinde ratione modi efficiendi, seu applicandi effectũ, nã sacramentũ applicatur per aliquam actionem circa corpus, & ideò nõ operatur, nisi in anima vnita corpori: sacrificium verò operatur solũ per quandam extrinsecã ordinationem seu relationẽ, quæ terminari potest ad animã etiam à corpore separatam.

Ad secundum negatur consequentia, nam, licèt animæ illæ non sint in statu, in quo possint per se satisfacere, sunt tamen in statu in quo possunt frui aliorum satisfactionibus, præsertim Christi.

Ad tertium iam dictum est antecedens esse dubium, & consequentiam inualidam.

Tertiò requiritur dispositio, de qua non omnes eodem modo sentiunt: nam, qui existimant, pœnã debitam ex prioribus peccatis remissis, posse in statu pecati mortalis remitti, consequenter dicunt, id posse fieri per oblationem huius sacrificij, Vnde fit iuxta opinionem hanc, nullã dispositionem requiri ad hunc effectum in eo, pro quo sacrificium offertur nam, etiam si sit in peccato mortali habituali, consequetur illum, idem autem erit dicendum, etiã si sit in peccato actuali: quia si indignitas personæ non obest, actuale peccatum non addit specialẽ repugnantiam. Ita sentit in generali. Nauarrus cum Scoto & alijs in c. 1. num. 45. de Pœnitent. distinctione 6. & in speciali de hoc sacrificio, lib. de orat. cap. 19. num. 73. Nihilominus tamen dicẽdum est hoc sacrificium efficaciter operetur, postulare in eo pro quo offertur, gratiam gratum facientem, vt necessariam dispositionem. Ita D. Tho. quæst. 79. art. 7. ad 2. & omnes discipuli eius. Generale fundamẽtum est quia is, qui est in peccato mortali, non est capax satisfactionis pro pœna temporali; imo nec satispassionis. Quod fundamentum in sequente tomo ex professo tractandum est: nunc satis est dicere, hæc esse beneficia amicorum, neque esse rationẽ vllam, ob quam ad inimicos extendantur.

Nauarr. Scotus.
Fructus huius sacrificij ex opere operato habitualis gratia ornatũ requirit subiectum.
D. Thom.

Præter habitualem gratiam nulla necessaria.

Tria verò supersunt circa hoc declaranda. Primũ est, an præter dispositionem gratiæ habitualis requiratur aliqua alia (supposito etiam charactere baptismali) in eo, qui recepturus est hunc effectũ. Respondetur, nullam aliam dispositionem requiri Probatur: quia, vel illa est habitualis, vel actualis. Non primum, vt per se constat, quia cum gratia habituali comprehendimus omnes virtutes & dona, quæ illam comitantur, præter quæ nihil habituale ad salutẽ requiritur. Nec etiam secundũ, quia non est necessaria actualis deuotio, neque aliquis bonus effectus: quia etiam ad effectum sacramenti, hoc nõ est per se necessariũ: ergo multò minùs erit ad hũc effectum: imò nec actualis aliqua consideratio, necessaria est, nã etiam si contingat, alium nihil scire, nec cogitare de oblatione sacrificij pro ipso facta, vel etiam si sit dormiens, quãdo illi applicatur effectus dabitur illi si in gratia sit. Sicut etiam contingit in communicatione satisfactionis ex opere operantis; nam si ego applico alteri satisfactionẽ meã, ipso nihil sciente re vera Deus illam acceptat, & remittit alteri pœnam. Ratio autem huius est sumẽda ex modo, quo hic effectus applicatur: nõ enim fit per aliquam actionem recipiẽtis, sed solũ per intentionem, & quasi extrinsecam denominationem alterius. Item, quia hæc dispositio, neq; est necessaria ex parte sacrificij (nam ille, pro quo fit oblatio, nullo modo ad sacrificiũ concurrit) neque etiam ex parte ipsius effectus, quia cũ sit sola remissio pœnę, non requirit specialem præparationem ex parte hominis. Dices, saltem requirerere consensum eius, & voluntatem acceptandi tale beneficiũ. Respondetur, sufficere virtualem & interpretatiuã, quæ nulli deest: vnusquisq; enim cupit à pœnis liberara, & libenter hoc beneficium remissionis acceptat: sicut enim pœna est veluti intrinsecè, seu ex natura sua inuoluntaria, ita è contrario remissio pœnæ voluntaria censetur, saltem virtualiter & implicitè: & hoc satis est ad hunc effectum. Vnde vlterius addo, non requiri etiam carentiam omnis actualis peccati venialis: nã etiam ille, qui actu est peccãs venialiter potest consequi hunc effectum: quia non habet oppositionem cum illo, respectu pœnæ relictæ ex alia culpa remissa; non verò respectu pœnæ, quæ debetur propter culpã ipsam, quæ actu committitur: nã illa non potest ante culpam remitti; & ideo respectu illius dici potest obex talis culpa; nõ verò respectu alterius, quia sicut potest vna culpa venialis, sine alia tolli, ita multò magis potest tolli pœna relicta ex prioribus peccatis sine veniali culpa, secus verò est de peccato mortali actuali, quia hoc secum nõ compatitur habitualem gratiam.

dispositio ad percipiendũ fructum Eucharistici sacrificij ex opere operato.

Veniale actuale peccatum non impedit huius fructus perceptionẽ quoad pœnã pro alijs debitam.
Soto. Syluester.

Secundo inquiri potest, an hic effectus sit maior cæteris paribus, in eo, qui melius est per gratiam dispositus, vel per maiorem deuotionem. Diuus Thomas enim dicta quæst. 79. art. 5. absolutè dicit, hãc oblationem esse satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis; & ita etiam sentiunt Soto, lib. 9. de iustitia, quæstione 2. art. 2. & Syluester, verbo, Missa, quæst. 9. & ratio esse potest, quia si dispositio requiritur ad effectũ, ergo & melior dispositio conducit ad meliorem effectum. Ita enim supra de offerentibus argumentabamur; & de sacramentis, eorumque effectibus eodem modo ratiocinati sumus. Et generale principium est, quia causa perfectius operatur in subiecto melius dispositio.

Supposita in subiecto capacitate huius fru-

Nihilominus censeo, non esse sumendam ex hoc capite quantitatem seu variationem huius effectus. Ita tenet Caietan. tomo 2. Opusc. tractat. 3. quæstione 2. & idem sentit Derand. in 4. distinct. 45.

Universidad de Deusto Biblioteca

Eius quantitas explicationis intentione est desumenda.
Caietan.
Durand.
D. Thom.

quæstione 3.numer.7.&.8.&.D.Thom.ibi, quæstione.2.articulo 4.quæstiunc.1.dicit,suffragium, quod alicui prodest ex applicatione alterius, totũ pendere ex intentione applicantis; ita, vt remoto impedimento,tantum applicetur,quantũ ipse vult. Ex quibus verbis(quæ verissima sunt)sumenda est in præsenti ratio, nã hic effectus respectu eius, pro quo offertur vt sic,totus pẽdet ex intentione sacerdotis applicantis;ergo tantus est,quãtum esse vult applicans. Neque in hoc pendet ex dispositione alterius,nisi quoad hoc solum, vt obex nõ ponatur. Vnde,quoad hoc non est eadem ratio de offerentibus vt sic, quia effectus illis respondens, non pendet solum ex intẽtione alterius,neque extrinsecus (vt sic dicam)ab illa prouenit,sed in propria actione & oblatione fundatur, quam melior dispositio facit moraliter meliorem,& acceptiorem Deo. Atque eadem ratio differentiæ est de effectibus sacramentorum;quia non pendent in actione sua ex intentione alterius,sed veluti naturaliter agunt,iuxta dispositionem suscipientis. Denique non est simile de alijs causis,quæ per se agunt iuxta dispositionem passi:nam in præsenti hæc causalitas solum est moralis per modum cuiusdam donationis,quę tanta est,quantam vult is,qui donat; neq; aliud ex parte recipientis requirit; nisi capacitatem absque impedimento. Vnde potest retorqueri argumentũ, nam,quando dispositio solum requiritur,vt remouens prohibens,nihil ad effectum refert, quod dispositio sit maior vel minor,dummodo quælibet illarum totum impedimentum auferat:sic autem est in præsenti;nam quęlibet gratia,etiam minima,aufert totum impedimentum inimicitię diuinę,& ad hoc solum necessaria est, vt satis constat ex dictis. Ostendimus enim, actualem dispositionem per se hic non concurrere,quia neque effectus est talis, vt illam postulet,nec modus recipiendi illum,quia nõ est per aliquem concursum ipsius recipientis:maior autem vel minor intensio gratiæ habitualis, etiam, est impertinens ad hunc effectum,vt Soto ipse fatetur:quia,quicunq; est in gratia, ex capax remissionis pœnæ;neque aliquid amplius ad hoc cõfert maior intentio gratiæ.

Præterea declaratur res tota in hunc modũ, quia effectus respondens oblationis sacerdotis vt sic,determinatus est ex institutione: semperque est in se omnino æqualis:quia non habet,vnde varietur,cũ non pendeat ex despositione sacerdotis,neque ex illa augeatur, vel minuatur, vt supra ostensum est. Rursus hic effectus applicatur,vt diximus,per intẽtionẽ sacerdotis,quæ in hoc est libera, per se loquẽdo,& potest totũ effectum applicare, cui voluerit. Vnde si totum applicet Petro, ille consequetur totum,etiam si sit minus sanctus,quam reliqui omnes si vero applicet Petro & Paulo, & velit æqualiter inter eos diuidi,ita fiet,etiam si illi sint inæqualiter sancti,quia in hac applicatione sacerdos habet liberam potestatem:ergo effectus sacrificij non variatur ex varia dispositione eorum,pro quibus offertur. Quod si interdum velit sacerdos, vt effectus distribuatur inter plures, iuxta eorum dignitatem in genere gratiæ;tunc ita quidem fiet,non tamẽ ex vi inæqualis dispositionis, sed ex vi intentionis & voluntatis applicantis. Sicut contingit in applicatione satisfactionis ex opere operantis, quæ datur, vel distribuitur iuxta voluntatem applicantis, dũmodo alij sint capaces,id est,nõ sint in mortali peccato,quod autem sint magis,vel minus sancti, nihil refert ad hũc effectum,qui per se pendet solum ex donatione alterius. Ad rationes igitur in contrarium iam responsum est; Diuus Thomas autem, cum disiunctiuè loquatur,posset sufficienter de offerentibus intelligi,vel, si de vtrisque intelligatur, non oportet, vt eodem modo vtrisque conueniat sed cum proportione:nam in offerentibus per se requiritur talis dispositio ratione oblationis:in his verò,pro quibus offertur, solum quatenus necessaria esse potest ad remouendum impedimentum.

Quæsitum.

Tertio inquiri potest,an hic effectus detur,recedente fictione, quando per obicem fuit impeditus. Nauarr. enim supra docet, si hoc sacrificium offeratur pro homine existente in peccato mortali, qui non habeat reatum alterius pœnæ temporalis, quæ posset statim remitti(vt ipse putat)posteà, remissa illa culpa mortali,remitti ratione sacrificij præteriti pœnam aliquam temporalem, cuius reatus alioqui maneret post remissam culpam. Sed hanc sentẽtiam existimo falsam. Primo, quia nullum habet fundamentum;& alioqui non est rationi consentaneum, vt ei, qui in peccato mortali perdurat,iam sit,quantum est ex parte acceptationis diuinæ, remissa pœna temporalis,tali peccato debita, veluti sub ea conditione,si aliquando talis culpæ veniam consequatur. Secundò,quia supra dixi, sola illa sacramenta habere effectum,recedente fictione,quæ iterari non possunt,& ideò habent necessitatem aliquam:sed hoc sacrificium iterari facillimè potest,& nulla est necessitas huiusmodi priuilegij:ergo non est gratis& sine fundamento asserendum in fauorẽ hominis,qui in suo peccato perdurat. Tertio, quia hoc sacrificium oblatum pro iusto tunc non indigente satisfactione, non acceptatur,& quasi conseruatur illi,vt quando posteà indiguerit,recipiat fructum illius,vt iam dicam;ergo multo minus acceptabitur illo modo respectu peccatoris. Non igitur reddit posteà hic effectus, sed manet in thesauro Ecclesiæ,vt supra declaratum est.

Cui applicatus est talis fructus,dum obicem illi opponebat, obice remoto nihil tamen cõsequitur.

Quarto requiritur indigentia ad hunc effectũ sacrificij ex opere operato,id est, vt is pro quo offertur,habeat aliquem reatum pœnæ temporalis relictum ex culpa remissa:nam, si culpa nondum est remissa,iam dictum est,illam impedire remissionẽ pœnæ propter ipsam culpam; si autem est plenè facta remissio quoad totũ reatum pœnæ, nihil superest per hoc sacrificium agendum. Sicut in naturalibus, vt agens agat positiuè necesse est supponat aliquam priuationem;&,vt agat priuatiuè, id est, expellendo, necesse est,vt supponat aliquid formę in subiecto:quia, si tota est expulsa, nihil illi superest agendum;& ob hanc rationem, nihil potuit hoc sacrificium ex opere operato conferre Beatissimæ Virgini; & idem est de quocunque iusto pro eo tempore(si tamen aliquod est)in quo nullum habet reatum temporalis pœnæ. Sed quæri potest, an in eo casu maneat talis fructus in acceptatione diuina applicatus tali iusto,vt, quando postea illo indiguerit, eo fruatur. Respondetur, minimè ita applicari seu acceptari,non est enim conueniens prouidentiæ modus,vt ante cõmissam culpam, sit iam veluti satisfactum pro pœna; aliàs quodammodo posset posteà impunè peccare,nec culpa posteà cõmissa faceret propriè dignum pœna:quia inueniret iam solutam. Item, si quis recipiat sacramentum pœnitentiæ cum tali modo & dispositione,vt de se sufficiat

Quem reatus temporalis pœnæ non tenet ei huius fructus portio non respondet.

sufficiat ad tollendum reatum pœnæ vt centum, & in tali homine non sit nisi reatus pœnæ vt quinquaginta,non propterea reseruatur in posterum ille effectus, vt ex peccatis postea committendis veluti compleatur. Similiter in satisfactionibus ex opere operantis, si quis iustus eo die, quo nihil debet, actus pœnitentiæ faciat, non reseruatur illi talis satisfactio pro peccatis quæ postea committit: ergo multò minùs id fiet in effectu huius sacrificij. Vnde in eo casu dicunt aliqui, sacrificium quidem non operari in eo, qui non indiget neque etiam effectum eius manere suspensum aut prorsus amitti, sed dari alijs, qui indigent,ex diuina pietate & mutua hominum caritate. Ita Diuus Thomas in quarto, distinctione 45. seu in additionibus.quæst. 71. articulo 14.ad 3.

Addendum vero est,necessariam esse applicationem seu intentionem offerentis,ita vt ipsemet velit,vt si Petrus, pro quo sacrificium offert illo non indiget, fructus eius applicetur alijs indigentibus, siue in particulari eos designet, siue tantum in cõmuni; nam: si hoc non faciat, & intentio eius sistat in sola illa persona,quæ non indiget, fructus sacrificij non manet applicatus;& ideo nulli dabitur, sed in thesauro Ecclesiæ manebit,iuxta principia posita. Quapropter prudens consilium est, semper habere prædictam intentionem:imo hic est optimus modus offerendi pro aliquo sacrificium,secunda intentione vt vocant.

SECTIO XI.

Vtrùm effectus huius sacrificij sit infinitus intensiuè.

1. Opinio. Caiet.

HAEc quæstio est celebris, & valde controuersa,quanuis sine causa vt opinor:sunt ergo duæ oppositæ sententiæ. Prima affirmant, hunc effectum esse infinitum intensiuè. Hanc tenet Caietanus supra,quæstione 79.artic. 5. vbi hoc sensu dicit, vnam Missam esse valoris infiniti;& ideo ex sui quantitate sufficere,ad satisfaciẽdum pro pœnis omnium peccatorum, tam viuentium,quam mortuorum. Idem tenet idem Caietanus tomo 2.Opusc.tractatu.3.quæstione.2. Syluester, verbo,Missa.1.quæstione.9. Viguerius in institut.cap.16.§.2.Cano lib.12.de locis,cap. 13.ad 10.Ruard.art.16.§.2.inclinat Soto in 4. distinct. 11.quæst.2.art.5.dist.13.q.2.art. 1. retractans, quod prius docuerat,fortasse melius. Fundamentũ est, quia hoc sacrificium est infinitum ex parte rei oblatæ,& non est minus infinitum ex parte offerentis,quia licet Sacerdos videatur persona finita, tamen non offert in sua,sed in Christi persona, & est veluti æquiualenter Christus,qui est principalis offerens:ergo est tã infiniti valoris, sicut sacrificium Crucis,& nihil minus habet,quã illud, vt Chrysostomus intulit,homilia.2.super 2.ad Timot. Denique est hoc sacrificium infinitum in repræsentando & continendo virtutem passionis Christi: quia virtus instrumenti tanta est,quanta principalis agẽtis:imò est eadem:cum instrumentum non operetur,nisi in virtute principalis agentis:hoc autem sacrificium est veluti organum continens in se totam virtutem sacrificij Crucis,vt sumitur ex Concilio Tridentino,sess.22.c.1.

Syluest. Viguer. Cano. Ruard. Soto.

2. Opinio. D. Thom. Bonau. Richard. Palud. Durand. Maior. Scotus. Gabr. Soto. Couar.

Secunda opinio negat,sacrificium hoc habere valorem,vel effectum infinitum intẽsiue. Tenet expressè D.Thom.in.4.dist.45.quæst.2.articulo.4. quæstiuncul.3.ad 2. Bonauentura ibi,artic.2.quæstione.3.ad vltim. Ricard.ar.2.quæst. 3. Paludan. quæst.2.Durand.q.5.Maior.quæst.2.Scot.quodlib.20.Gabr.lect.26.& 27.in Canon. Soto lib. 9. de Iustitia,quæst.2.Couarruuias,qui alios refert in cap. Alma mater 1.part.§.5.numero 5.& sequentibus. Fundamentum horum autorum fuisse videtur,quia licet res oblata in hoc sacrificio sit infinita tamen oblatio ipsa,in qua essentia sacrificij consistit finita est,& ab offerente finito,qualis est sacerdos; quod videtur etiam insinuasse D.Thom.supra,q. 79.articulo 5.dicens, *In satisfactione magis attenditur affectus offerentis,quàm quantitas oblationis*:per quantitatem autem oblationis intelligit quantitatem rei oblatæ,& patet ex exemplo,quod statim subiungit dicens; *Vnde & Dominus dicit Lucæ 22. de vidua, quæ obtulit duo æra,quod plus omnibus misit*. In eodem igitur sensu addit D.Thomas, *Quanuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate* (id est,ex parte rei oblatæ) *sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis,pro quibus offertur,vel etiam offerentibus, secundũ quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna*: ac si diceret, quia actio offerendi finita est,limitatum habere effectum.

Distinctio valoris ab effectu.

Vt,&rem explicemus,& simul constet,quid sentiendum sit de relatis opinionibus, primum omniũ distinguere oportet in hac oblatione,valorem operis ab effectu. Valor enim significare videtur dignitatem moralem,quam oblatio habet, vt ex se sufficere posit,ad meritum,satisfactionem,vel impetrationem,si iuxta diuinam ordinationem ad aliquid horum referatur:effectus autem est id, quod de facto datur,vel dari potest, iuxta Christi institutionem,ob talem oblationem;loquimur enim de effectu ex opere operato. Vnde etiam consideramus sacrificium,vt est à Christo offerente, & à sacerdote vt gerente personam eius:hæc enim duo moraliter pro eodẽ reputantur:si autem consideretur hoc sacrificium,vt est ab Ecclesia,sic etiã potest in eo cõsiderari valor,saltem ad impetrandum & effectus inde proueniens: vt vero est à priuatis personis,sic etiam potest in eo considerari valor ex opere operantis,& effectus illi correspondens.

Huius sacrificij valor, vt à Summo Sacerdote Christo offertur, infinitus est tamen nullum meritũ vel satisfactio, sed impetratio sola est in ipso.

Dico ergo primo, Hoc sacrificium secundum se, & prout à suo principali offerente offertur,est infinitum in ratione sacrificij,atque adeo infinitum habet valorem, ratione cuius, si cætera necessaria concurrerent,potest esse infinitè meritorium,& satisfactorium;de facto tamen nulla est in eo satisfactio, nullumve meritum,vt est opus Christi, sed sola impetratio. Hanc conclusionem, maximè quoad priorem partem probat fundamentum primæ sententię quia hoc sacrificium,non solum ex parte rei oblatę sed etiam ex parte offerentis infinitum est,quod nõ satis videntur considerasse aliqui ex autoribus citatis in secunda opinione, nam licet hoc sacrificium immediate offeratur per os & manus sacerdotis, tamen re vera Christus est,qui per illum offert, vel actualiter,vt supra declaraui(quod non parum declarat & exaggerat dignitatem huius sacrificij)vel certè misticè seu repræsentatiue, quod in rigore etiam satis esset ad infinitatem in genere sacrificij, saltem in ordine ad impetrationem. Quod ita declaro,quia,quando sacerdos offert hoc sacrificium,

Pater æternus intuens donum illud, non sistit in sacerdote, sed in illo respicit personam filij sui, quē repræsentat; & ideo acceptat illam purissimam oblationem, vt summè gratam, & acceptabilem sibi: ergo sub hac ratione sacrificium hoc habet infinitatem quandam in genere sacrificij, non tantum ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte offerentis, non minus, quàm habuit sacrificium, quod Christus per se obtulit in Cœna: nam est prorsus idem, & eiusdem dignitatis: nam, quod nunc interueniat ministerium sacerdotis, est quidpiam valde materiale: quod non diminuit moralem æstimationem, seu valorem oblationis. Et confirmatur, nam hac ratione verba consecrationis prolata à sacerdote, non sunt minus efficacia ad mysterium perficiendum, quam fuere à Christo prolata; quia licet sacerdos non sit realiter Christus, tamen mysticè est Christus, in cuius persona loquitur, & verè profert eadem verba, quæ Christus protulit: ergo & oblatio, quatenus ab illo est, sub hac ratione est æquè digna, & eiusdem valoris. Atque hinc sequitur (quod in altera parte conclusionis dicebatur) oblationem hanc, si cætera necessaria concurrant, ex parte sua sufficere ad infinitum meritum, & satisfactionem: addita enim illa conditionali est res euidenter consequens ex priori parte: quia ex parte oblationis, nihil amplius desiderari potest, quã infinita dignitas & valor. Tamen ex defectu illius conditionis fit (quod tertio loco dicebamus) de facto nullam esse nouam satisfactionem, vel meritũ in hoc sacrificio, vt est à Christo, nam si consideremus Christum, vt nunc per proprium actum suæ voluntatis & intellectus offerentem simul cum sacerdote & per ipsum, sic actio Christi solum ratione status personæ est incapax noui meriti vel satisfactionis: quia iam Christus est extra statum merendi, vel satisfaciendi pro nobis, quod est certissimum, neque ab vllo Catholico negari potest: iam enim Christus nostram redemptionem cõsummauit. Si vero consideretur illa oblatio præcisè, vt est à Christo repræsentato in sacerdote, vel à sacerdote, vt repræsentante personam Christi, sic etiam nõ est meritoria, vel satisfactoria oblatio, non quidem ratione status personæ Christi, si propriè & in rigore loquamur; dici enim posset, Christum repræsentari hic à sacerdote, vt fuit in statu passibili, quãdo hoc sacrificium instituit; vel certè repræsentari simpliciter, vt est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, abstrahendo ab statu. Ratio ergo propria est, quia ille modus offerendi repræsentatiuè tantum, licet ad impetrationẽ possit sufficere, non tamen ad nouam satisfactionem vel meritum, propter rationem, quam supra de Ecclesia tetigi, sectione. 8. hęc enim oblatio per solam repræsentationem, solum per denominationem extrinsecam attribuitur ei, in cuius persona fit, & respectu illius vt sic, non est actio humana per propriam voluntatem, & libertatem eius, distinctam ab ea, qua in principio, & instituit nomine suo hoc offerri; & ideo potius est ibi repræsentatio & cõmemoratio prioris meriti, vel satisfactionis, quam nouum meritum, vel satisfactio; nam hæc non cõueniunt, nisi actioni, vel passioni humanæ, quaten⁹ humana & libera est. Nec refert, quod, vt est à sacerdote, sit humana & libera: quia illa libertas est priuata & personalis ipsius sacerdotis: vnde conducere potest ad eius meritum, vel satisfactionem ex opere operantis, non vero ad satisfactionem nouã infinitam, quę oriri debet ex Christi persona & voluntate. Neq; est omnino contemnenda prior ratio, quæ in hunc modũ explicari potest, quia sacerdos præcisè repræsentat Christũ, vt summũ Pontificẽ, & sacerdotẽ, nõ vero vt merentẽ, vel satisfacientẽ, hæc enim posteriora sunt, & quasi extrinseca ad munus sacerdotale; & ideo oblatio sacerdotis in persona Christi solũ id habet, q̃ præcisè est de ratione sacrificij: quia sacrificiũ & sacerdotiũ sibi inuicẽ respondent, & ideo etiam habet infinitatẽ in ratione sacrificij, nõ tamẽ in ratione meriti, vel satisfactionis. Atq; hinc tandẽ probata fere manet vltima pars assertionis nimirũ hoc sacrificiũ esse infinitũ in impetrando, ita vt de nouo sit in illo infinita vis impetrãdi, quoad sufficientiã: quod quidem ex parte rei oblatæ per se notum est ex parte autem personæ offerentis declaratur vtroq; modo supra posito. Etenim, si Christus consideretur, vt actu offerens, habet actũ de se infiniti valoris: & alioqui Christus nunc est in statu impetrandi: ergo de facto est illa actio infinitè impetratiua, quanquam in re nunquam impetret effectum intensiue infinitum, quia nunquam ordinatur, nec prudenter ordinari potest, ad talẽ effectum; & ideò dixi hanc impetrationem esse infinitam quoad sufficientiam, nõ quoad efficaciam: sicut alias dicitur de merito, & satisfactione Christi: nam, tam impetratiua est oratio, vel oblatio Christi gloriosi, quam fuit meritoria, vel satisfactoria actio Christi viatoris. Si autem consideretur hæc oblatio præcisè, vt est à sacerdote repræsentante Christum, sic etiam est infinitè impetratiua, tum quia nititur præcedentibus Christi meritis, ratione quorum habet vim ad impetrandum quidquid ex iustitia rigorosa Christus iam meruit; tum maxime, quia ad impetrandum sufficit illa habitudo extrinseca, vt supra declaratum est in impetratione Ecclesiæ, orantis per ministrum iniquum; & in hac oblatione sacerdotis in persona Christi, quia Deus non respicit donum, vt à sacerdote, sed vt à Christo oblatum.

Effectus ex opere operato huius sacrificij finitus intẽsiuè.

Dico secundò, Nihilominus effectus ex opere operato, quem hoc sacrificium potest conferre, est finitus intẽsiuè. Hic est proprius sensus secũdæ opinionis, & re vera est directa ac propria responsio quæstionis, quia propri⁹ effectus sacrificij vocatur ille qui est ex opere operato. Ratio vero nõ est illa quam asserebat secunda sentẽtia; illa enim ex dictis in præcedente assertione refutata est. Ratio igitur vera est, quia effectus ex opere operato nõ pertinet ad sufficientiã, sed ad efficaciã; quoad efficaciã autẽ nõ potest sacrificiũ esse infinitum: cũ nec sacrificiũ Crucis hoc habuerit, quia efficacia respicit effectũ in re ipsa dandum: nõ datur autẽ, nec dari potest effectus infinitè intensus. Præterea est ratio à priori, quia hic effectus non est mẽsurandus ex infinitate sacrificij, sed ex institutione & promissione Christi: quãuis enim hoc sacrificiũ incruentum, sit infinitũ tamen institutum est (inter alia) vt sit quoddam instrumentũ eiusdem Christi ad applicandum nobis satisfactionem sui sacrificij cruenti, vt sumitur ex Concilio Trid. sępe allegato. Non enim repugnat, Christum in propria specie existentẽ vti oblationẽ sui, vel seipso, vt sacramẽtaliter existente, ad applicandum nobis diuitias passionis suæ: non potuit autem assumi hoc sacrificium & instrumentum, nisi ad determinatũ & finitũ effectum, qui pro vo-
luntatem

luntatem Christi taxari debuit: hæc enim in aliud principium reuocari non potest, sic enim taxatus etiam est effectus Eucharistiæ, vt est sacramentum, quãuis sub ea ratione, etiam quid infinitum sit. Nec refert, quòd talis effectus non sit omnino determinatus ad eundem gradum, vel terminum respectu omnium, nam fortasse est maior in melius disposito, saltem in priuatis offerentibus, vt sic: satis enim est, quòd in vnoquoque habeat præfixum terminũ indiuisibilem, iuxta talem dispositionem, simpliciter tamen habebit aliquem terminum maximum, iuxta maximam ac perfectissimam dispositionem, sicut etiam contingit in sacramentorum effectibus.

Eucharisticum sacrificium, vt in persona Ecclesiæ offertur, tam in valore ad impetrandũ, quam in effectu finitum est.

Dico tertiò. Hoc sacrificium, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, habet effectum, & valorem finitum ad impetrandum. In hac conclusione omnes cõueniunt, quia hic valor fundatur in sanctitate Ecclesiæ, ad quam respiciens Deus, tanquam ad sponsam sibi gratam, cuius nomine hoc sacrificium sibi offertur, gratum illud habet & acceptum, vt propter illud postulata concedat: sanctitas autem Ecclesiæ finita est: ergo & hic valor est finitus, quoad hoc enim locum habet, quod D. Thomas dixit, oblationem magis attendi ex conditione offerentis, quã ex re oblata. Atque hinc infertur primò, hunc valorem posse crescere, & minui, quò in Ecclesia fuerint sanctiores: est enim eadem proportionalis ratio, vt rectè vidit Gabr. lect. 26. in Can. cui sine causa contradixit Soto, distinctione. 13. quæstione. 1. artic. 6. in fine. nullam enim rationem affert, sed laborat in æquiuoco, non distinguens inter hunc valorem, & illum, quem habet oblatio, vt est à Christo. Vnde infero secundò, hunc valorem meliùs dici ex opere operantis, vt loquuntur Corduba, Couarruuias & alij, quàm ex operato, vt loquuntur Scotus & Gabriel. Quanuis enim hæc differentia tantùm sit de modo loquendi, tamen est vtilis hic modus ad tollendam æquiuocationem, & habet fundamentum, quia hic valor fundatur in sanctitate Ecclesiæ, & nõ in speciali Christi promissione, vt ex superioribus satis constat.

Sacrificij huius valor, vt à priuato offerente dimanat, vndique est finitus.

Dico quartò. Valor & fructus huius sacrificij, vt est ex opere operantis, respectu sacerdotis, vel cuiuscunque alterius offerentis priuati, est finitus intensiuè tum in ratione meriti, quia non meretur, nisi vnum aut alterum gradum gratiæ aut gloriæ, tum in ratione satisfactionis, quia non delet, nisi certam pœnam & finitam, tum etiam in ratione impetrationis, quia persona sic offerens finita est, eiusque actio est simpliciter finita, etiam in genere moris, & hoc probat bene ratio secundæ sententiæ, & doctrina Diui Thomæ ibi adducta, quæ sumpta est ex Gregor. homil. 5. in Euangelia dicente, *Non perpendit Deus in suo sacrificio, quantum, sed ex quanto offeratur* & lib. 7. Registri, epist. 126. dicente, *Hinc patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt: quia in omnipotentis Dei iudicio, non quid datur, sed à quo datur, inspicitur*. Non est autem sensus honorum verborum, rem oblatam nihil conferre, sed illam non sufficere sine offerente, & dignitate ac affectu eius. (D. Thom. D. Greg.)

Obiectio. Dices, hinc sequi, infinitatẽ rei oblatæ sufficere, vt oblatio sit valoris seu meriti infiniti: nam, si aliquid confert, ergo quò fuerit melior plus conferre: ergo infinita conferet infinitatem: hac enim ratione sola persona offerens, si infinita sit sufficit ad infinitatem oblationis, etiam si res oblata non sit infinita.

Solutio. Respondetur, hoc argumentum esse vulgare & generale de omnibus actibus, qui habent obiectum infinitum: nam in præsenti res oblata solum se habet, vt obiectum seu materia circa quam, respectu oblationis. Probat ergo argumentũ infinitatem quandam secundùm quid, quia nimirùm ex parte rei oblatæ, nulla oblatio potest esse altior aut eminentior: est enim ex illo capite summa, quæ esse potest, atque adeò altioris rationis, quàm sit omnis oblatio rei finitæ: non est autem infinita simpliciter, quia hæc infinitas maximè pendet ex dignitate personæ operantis. Vnde actio, qua nos offerimus Christum, ex parte nostra finita est, & non adæquat dignitatẽ obiecti sui, ideòq; solùm habet meritum & satisfactionem finitam ex opere operãtis. Fundamenta aliarum opinionum non indigent noua responsione: nã ex dictis satis expedita sunt.

SECTIO XII.

Vtrùm effectus huius sacrificij sit infinitus extensiuè: ideòq; oblatum pro multis tantum valeat singulis, ac si pro solo vno offerretur.

QVæstio hæc confundi solet cum præcedente, est tamen valde diuersa: nam, licèt causa aliqua non possit formam producere vltra certum gradum intensionis, potest interdùm totam illam formam & æquè intẽsam in multis subiectis producere, vt, si ignis simul efficiat calorem, vt octo, in tribus vel quatuor subiectis sibi applicatis, aut si posset idem efficere simul in quacunque multitudine subiectorum, sicut potest successiuè. *Quæstionis sensus.* Sic igitur sacrificium, quanuis solùm possit tres, vel quatuor gradus satisfactionis applicare vni & eidẽ personæ, adhuc restat dubitandum, an eosdem seu æquales possit conferre duobus, vel tribus, & sic in infinitum, & hanc potestatem vocamus infinitatem extensiuam, an verò potiùs ita sit finitus hic fructus sicque limitata efficacia sacrificij, vt, si pro pluribus offeratur, prout offerri potest, diuidendus necessariò sit ille fructus inter ipsos; ideòque, quò fuerit pro pluribus oblatũ, eò minor fructus ad singulos perueniat.

1. Opinio. Prima opinio est, hũc effectum integrè multiplicari in omnibus & singulis personis, pro quibus hoc sacrificium offertur, in quocũq; numero sint absq; vllo termino, nec minui fructum vnius ex consortio aliorum, atq; hoc sensu esse hoc sacrificium infinitæ efficacitatis extensiuæ. Hanc opinionem tenẽt Caiet. Syluest. & Cano, citati sect. præced. & Cord. lib. 1. q. 3. Petrus Soto lect. 7. de Euch. (Caiet. Syluest. Cano. Cordub. Pet. Soto.) Hi verò autores fundant hanc sententiam solùm in infinitate rei oblatæ, seu ipsius sacrificij. Sed si intelligant, hanc infinitatem in agendo consequi necessariò ad infinitatem in essendo, non est verum nec solidum fundamentun, vt facilè constat ex dictis sect. præcedẽte: quia effectus ex opere operato huius sacrificij (de hoc enim pręcipuè loquimur) totus pendet ex promissione, & institutione Christi; & ideò ex illa petenda est etiam quantitas talis effectus. Si autem ex illa infinitate solùm sumant congruentiam, ob quam fuit expediens, Christum ita instituere & promittere efficaciam huius sacrificij, est probabi-

 lis

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis coniectura. Præsertim, si addamus, hāc esse naturam sacrificij, vt pro pluribus offeratur: ergo cōsentaneum est, vt sacrificium infinitum & summè perfectum, ita possit pro pluribus offerri, vt eā ob causam nihil detrimenti singuli patiantur. Et confirmatur, nam absurdū est dicere, quòd plures conueniunt ad idem sacrum audiendum, eò minui singulorum fructum. Aut, cùm Parochus sacrificium offert pro plebe sua, ex hoc solùm, quòd contingat, plures esse iustos & indigentes tali fructu, minorem singulis prouenire: ergo verisimilius est, institutionem ita factam esse, vt vnicuique promissus sit integer fructus iuxta suam dispositionem, siue plures, siue pauciores concurrant.

2. Opinio. Secunda opinio est, hunc fructum esse finitum etiam extensiuè, ideòque applicatum multis, non multiplicari, sed diuidi, atque ita esse minorem in singulis. Ita sentiunt Diuus Thomas, Scotus, Gab. Soto, & ferè alij autores citati sect. præced. opinione secunda. Addit verò Soto in. 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 1. quendam fructum sacrificij prouenire fidelibus ex generali applicatione, seu oblatione sacrificij: alium verò ex speciali intentione & voluntate sacerdotis. De priori ait, veram esse priorem sententiam, quòd talis fructus non minuitur in singulis, etiam si in infinitum multiplicentur: de posteriori verò, esse omnino finitum, &, pluribus applicatum, non multiplicari, sed diuidi. Contrario tamen modo distinguit Sylvest. verbo Miss. 1. quæstione. 9. nam, si sacrificium (inquit) speciali intentione offeratur pro multis, ita vt sacerdotis intentio ad vnū quemque determinatè feratur, tunc omnes accipiūt integrum effectum, & singulis ita prodest, ac si pro vno tantùm offerretur, at verò, si intentio (inquit) solùm feratur ad aliquid commune, vt, verbi gratia, pro Collegio, pro plebe, tunc ait, tali oblationi vnum tantùm adæquatum fructum respondere, illumque inter membra illius communitatis diuidi, & consequenter, quò plura fuerint, eò ad singula minorem partem fructus prouenire. Aliter distinguit Scotus dicto quodlib. 20. primarium, & secundarium fructum: primarium dicit esse, qui speciali intentione sacerdotis applicatur, & hunc dicit esse limitatum, pluribusque applicatum non multiplicari, sed diuidi, secundarium autem vocat illum, qui prouenit absque speciali applicatione sacerdotis, & quoad hunc non esse limitatum sacrificium, sed tantùm prodesse multis, & singulis, ac si vnus tantùm esset. Quæ distinctio videtur eadem cum illa, quam Soto tradit: vnde apparet illa ex Scoto sumpta fuisse. Aliæque similes distinctiones ab autoribus in hac materia traduntur, quæ nec satis fundatæ videntur, nec ad rem explicandam multùm deseruiunt. Vt ergo ex principijs positis materiam hanc faciliùs & clariùs expediamus, præ oculis habenda est distinctio offerentium vt sic, & eorum, pro quibus fit oblatio. Rursus recolenda est distinctio fructus ex opere operato, vel per solam impetrationem.

D. Thom. Scotus. Gabriel. Soto.

Varie circa opinionem hanc explicādam diuisi.

1. Conclus. Dico ergo primò, Quando plures offerentes concurrunt cum sacerdote ad idem numero sacrificium, omnes & singuli, quatenùs offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, non minorem, quàm si vnus tantùm esset offerens: vnde in hoc sensu fructus huius sacrificij potest quodammodò dici infinitus, vel potiùs augmentabilis in infinitum extensiuè. In hac conclusione habet verum prima sententia, quam à nullo autore existimo negari. Potest quidem inter eos esse controuersia, an isti offerentes, vt sic, recipiant aliquem fructum ex opere operato, vel solùm ex opere operantis, vel per modum impetrationis. Quod autem hic fructus, qualiscunque ille sit, fiat prædicto modo, nec minuatur in singulis ex aliorum consortio, à nemine, vt arbitror, negari potest. Et hoc in primis rectè probatur à posteriori, illo inconueniente suprà illato, quòd aliàs audientes Missam minorem fructum reciperent, solùm ob multitudinem audientium, quod sine dubio est valde absurdum. Secundò probatur à priori, nam supposita institutione, vt à nobis suprà declarata est, hoc videtur necessariò consequens, quia quando plures sic offerunt idem sacrificium, non potest in singulis minui fructus ratione rei oblatæ, neque etiam ratione oblationis, aut personæ proximè, vel remotè offerentis: ergo nullo modo. Prima pars antecedentis ita declaratur, nam in lege naturæ aut veteri, quando offerebatur agnus in sacrificium, si plures conuenirent ad vnum & eundem agnum offerendum, videtur futurum fuisse consequens, vt ex parte rei oblatæ vnicuiusque oblatio esset minùs fructuosa, & laudabilis, quàm si vnusquisque per se totum agnum offerret, quia agnus ille erat res finiti valoris, & ideò, quò plures conueniebant ad illum offerendum, eò vnusquisque minus offerebat. At verò in præsenti non ita est, nam agnus immaculatus, quem offerimus, est infinitus, & ideò, licèt ad illum offerendum multi conueniant, tantum vnusquisque offert, ac si solus offerret: vnde de merito & satisfactione ex opere operantis, nullum esse potest dubium, quia eadem sunt, si cætera sint paria, id est, si eadem deuotione & affectu vnusquisq; offerat, siue solus, siue simul cum alijs. Idem ergo erit de effectu ex opere operato, quantum est ex parte rei oblatæ. Quin potiùs, si vlteriùs res consideretur, in omnibus Missis & sacrificijs nostris, quæ vel successiuè, vel simul offeruntur, eadem res numero offertur, & nihilominùs integer est vniuscuiusque sacrificij fructus, & ab alijs independens. Secunda pars de oblatione explicatur in hunc modum, quia oblatio sacrificij ex concursu plurium offerentium non fit in singulis minùs grata & acceptabilis Deo: ergo ex hac etiam parte non minuitur fructus. Patet antecedens, quia, sicut multiplicantur personæ offerentes, ita multiplicantur oblationes quasi partiales, & ex omnibus conflatur quasi vna integra oblatio: quæ tota moraliter loquendo maioris est valoris & æstimationis, quò ex pluribus oblationibus partialibus constat, cæteris paribus: & illæ partiales, seu personales oblationes non minuuntur in se, propterea quòd cum alijs coniungantur ad vnam totalem moraliter cōponendam, ergo idem est proportionaliter de fructu: nam sicut oblatio illa extensiuè crescit, ita & fructus eius, &, sicut in vnoquoque oblatio eadem est, quando cum alijs coniungitur, quæ esset per se sola, ita etiam fructus: nam hæc oblatio est veluti proxima dispositio, & applicatio talis fructus. Tertia pars de offerente est per se nota ex dictis, quia, si remotus offerens vocetur Christus, ille est infinitus, & ex parte eius non minuitur effectus, si verò ita vocetur sacerdos, vt offerens in persona Christi, iam dictum est, eandem esse rationem de illo, quæ est de Christo, quem repræsentat & cuius

Probatur cōclusio à posteriori.

A priori.

ius minister est: præsertim quatenus exercet munus offerendi vt minister publicus, per quem cæteri omnes priuati offerunt. Et similiter, si proximè offerētes vocentur ipsæmet priuatæ personæ, neque ex parte illorum potest fructus minui: quia, qua proportione augetur numerus personarum, augetur & dispositio offerentium vt sic, & dignitas oblationis, & consequenter fructus, qui offerentibus vt sic respondet. Tandem confirmatur hoc & explicatur à simili; nam, si fieri posset, vt plures homines eandem hostiam consecratam sumerent, singuli reciperent tantum effectum sacramentalem, quantum, si vnusquisque eorum solus eam sumpsisset: quia, licèt sit idem numero cibus, tamen ille est infinitus, & totus in singulis: sumptiones autem tot sunt, quot personæ, & dispositio vniuscuiusque eadem est, & ideò multiplicantur effectus sine vlla diminutione, quia nulla fingi potest ratio illius: eadem autem est proportio in præsenti, si res attentè consideretur.

Quæstum.

Hic verò potest aliquis inquirere, si contingat, plures sacerdotes consecrare eandem hostiam & calicem, vt sit in Ordinatione sacerdotis, vel in consecratione Episcopi, an tunc multiplicentur effectus sacrificij ex opere operato, non solùm, qui respondēt sacerdotibus, vt priuatis personis offerentibus, sed etiam, qui illis respondent, vt sacerdotes sunt. Et ratio dubij esse potest, quia illi offerunt idem numero sacrificium: nam, licèt verba, quæ ad consecrandum proferunt, sint diuersa, tamen actio consecrandi, & consequenter offerendi, eadem est: ergo etiam effectus est vnus tantùm. In contrarium autem est, quia vnusquisque illorum sacerdotum sacrificat totum Christum, vt totalis minister eius, & tam independenter ab alio, ac si solus sacrificaret: ergo singulis respondet integer effectus, quia non est vlla ratio, cur in altero illorum minuatur. Nam quòd res oblata sit eadem numero, non obstat, cùm sit infinita, cùmque idem contingat in omnibus sacrificijs. Quòd etiam materia remota, & sacramentales species panis & vini sint eædem numero, nihil refert quandoquidem valor & substantia huius oblationis non est in illis posita, nec ex illis solis variari potest. Denique, quod actio transubstantiandi dicitur esse eadem, si intelligatur de actione ipsa miraculosa & substantiali, est quidem probabile, sed incertum, nam, licèt res facta sit eadem, fortasse per tot actiones fit, quot sunt instrumenta totalia, quibus fit. Tamen, id admissum non obstat, quominùs effectus multiplicentur, quia illa actio æquiualet multis, secundùm habitudines ad plures offerentes in persona Christi, ita enim est ab vnoquoque, ac si ab illo solo fieret, & per singulorū verba significatur, ac sic propria vniuscuiusque intentione, quod satis est, vt in ratione oblationis sacramentalis & sensibilis, multiplicetur iuxta numerum offerentium: ergo idem satis est, vt multiplicetur effectus.

Pluribus sacerdotibus eandem materiam consecrantibus idemq; sacrificium offerentibus, integer singulis respōdet effectus.

Primo cōfirmatur exemplo.

Cōfirmatur secundo.

Et confirmatur primò exemplo suprà posito de sumentibus eandem hostiam consecratam, nam, quæ est proportio plurium sumentium ad effectus sacramentales, est plurium consecrantium ad effectus sacrificales. Confirmatur secundò, nam si vtrique respondet vnus tantùm effectus, inquiro, an applicatio totius effectus pertineat ad aliquem illorum sacerdotum, vel quædam aliquota pars ad vnum, & quædam ad alium, seruata proportione inter numerum partium, & numerum sacerdotum. Primum horum dici non potest, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, cùm vterque sit æqualis potestatis, & vterque consecret, tanquam immediatus minister Christi. Secundum autem etiam apparet contra rationem, quia, vt diximus, tractando de ministris baptismi & Eucharistiæ, illi non sunt ministri partiales, sed vnusquisque agit vt integer minister, per se sufficiens, & independens ab alio: ergo vterq; operatur integra & absoluta potestate: ergo eandem habet in applicatione totius effectus: ergo vnicuique respondet proprius integer effectus, quem applicare potest. Neque impediri potest ex consortio alterius, cùm sit omnino per accidens, & vnus non minuat oblationem alterius. Hæc ergo pars videtur probabilior.

Quæsito re spondetur.

Sed tunc occurrit vlteriùs inquirendum, quid dicendum sit, si contingat, oblationem sacrificij compleri ex partiali operatione duorum sacerdotum, vt, verbi gratia, si vnus consecret hostiam, & deficiat, aliusque ad complendum sacrificium consecret calicem. Respondetur, in eo casu certum esse, tantùm dari vnum effectum, quia tantùm est vnū sacrificiū, & vna oblatio, & vnus integer minister, formaliter ac propriè loquendo: nā illa personarum diuersitas solùm materialiter concurrit ad vnū ministrum constituendum. Sed tunc est dubium, ad quam illarum personarū pertineat applicatio illius fructus. Et quidem, si alter illorum sacerdotum consummauit totū id, quod est essentiale huic sacrificio alter verò solùm supplet ea, quæ accidentalia sunt, vel solùm ad quandam extrinsecam perfectionem pertinent, non est dubium, quin fructus sacrificij, eiusque dispensatio ad eum pertineat, qui essentialiter sacrificium consummauit, vt in nostra sententia si alter vtraque speciem consecrauit, & sumere nō potuit, alius verò Missam perfecit: tunc enim sacrificij effectus ab eo, qui consecrationem perfecit, applicandus fuit, maximè, cùm dictum in superioribus sit, statim post perfectam consecrationem dari. Maior verò difficultas est, quando neuter perfecit totā essentiam sacrificij, sed alter consecrauit hostiam, alter verò calicem. Quoniam autē res tunc est dubia, optimè faceret posterior sacerdos, referendo intentionem suam ad intentionem prioris sacerdotis, neque aliam nouam applicationem faciendo, nisi sub hac conditione, si alter fortasse non applicuit: nam hoc modo tollitur omne dubium: in huiusmodi autem rebus via certa tenenda est, & incerta omittenda. Item, quia, per se loquendo, intentio offerendi pro hac vel illa persona antecedere debet inchoationem substantialem sacrificij, quæ non est mutanda post consecrationem inchoatam. Ac denique, quia posterior sacerdos solum assumitur ad supplendum defectum alterius, & consummandum, quod ille inchoauit. Igitur non rectè, neque ordinatè faceret is posterior sacerdos, si agere vellet contra intentionem prioris sacerdotis, & applicationem mutare. Non audeo tamen dicere, illum peccaturum mortaliter, tum quia res nō est adeò certa, quin possit ille quodammodò iure suo vti, quia verè est minister, & consecrat vltimam speciem, vnde veluti dat essentiam & formam sacrificio, ad eum modum, quo vltima vnitas dici solet forma numeri, tum etiam, quia materia non videtur adeò grauis, neque practicè, & in re ipsa, alicui periculo exposita: nā, si intētio prioris sacerdotis ita fuit efficax, & veluti accepta à Deo, vt per intentionē posterioris sacerdotis

Dubium.

Solutio dubij.

Grauis difficultas.

Difficultatis enodatio.

retractari

Universidad de Deusto
Biblioteca

retractari non posit, illa prior habebit effectum, & hæc posterior frustrabitur, quod non est inconueniens, per se loquendo, quia nec sacrificio, neque alteri, in hoc fit iniuria, & illa intentio virtualem includit conditionem, scilicet, quantum mihi pafsibile est: si verò coram Deo prior intentio non est ita efficax, sed retractari potest, tunc posterior habebit effectum, & nulla fiet iniuria priori sacerdoti: nam posterior vtitur potestate ac iure suo. Vtrùm autem horum verius sit, quæ ve intentio coram Deo tunc esset efficacior, incertum mihi est: nam in vtramque partem possunt fieri probabiles coniecturæ ex his, quæ adduximus: nam posterior intentio, cæteris paribus, hoc ipso, quòd posterior est, solet esse præcipua, & efficax ad retractandam priorem: hic autem vterque sacerdos est æqualis potestatis, & aliunde æqualiter concurrunt, singulas species consecrando: ergo intentio posterioris sacerdotis videtur ex hac parte efficax ad retractandam priorem. Aliunde verò apparet prior intentio in hoc casu præcipua: quia etiam prior sacerdos videtur præcipuus in hoc ministerio: nam alter solùm assumitur, quasi ad iuuandum illam, vel illius defectum supplendum. Item, quia post essentialiter inchoatum sacrificium, fortasse iam non potest mutari, vel retractari talis intentio, etiam in eadem persona, quanquam & hoc ipsum nimis incertum sit: nam, cùm nondùm sit datus effectus, non apparet, cur non possit aliquis retractare voluntatem suam, etiam post priorem speciem consecratam. Quòd, si vna & eadem persona hoc potest facere, verisimile est, posse idem fieri à persona distincta, quæ cum eadem potestate, & eodem iure succedit ad sacrificium consummandum. Quapropter, omnibus pensatis, verisimilius apparet, posteriorem intentionem esse efficaciorem, & habituram effectum.

Posterioremintentionem esse efficatiorem, verisimilius.

2. Conclus.

Dico secundò, effectus sacrificij respondens oblationi sacerdotis vt sic, quem ipse potest pro alijs offerre, finitus est, & vnus tantùm. Vnde, si pro multis offeratur, siue diuersis intentionibus specialibus, siue vna tantùm communi, vt pro populo, vel communitate, minuetur fructus in singulis, tantòque magis, quantò illi plures fuerint, suppolita vniformi applicatione. Hanc tenent autores secundæ sententiæ, &, vt existimo, non repugnant, Caietanus, Cano, Corduba, & alij suprà citati: quia non tractant de hoc effectu sic applicato, sed de illo, qui respondet offerentibus, vt offerentes sunt. Vt autem hoc probemus, quoniam propria huius rei ratio pẽdet ex Christi institutione, illam explicare oportet. Dupliciter enim potest intelligi, primò, quòd sacerdoti offerenti data sit à Christo potestas applicãdi tot gradus satisfactionis, vel vni personæ tantùm vel pluribus, in quouis numero pro sua voluntate. Ita tamen, vt omnes illi gradus singulis donentur. Alter modus institutionis intelligi potest, quòd vni oblationi sacerdotali, vnus respondeat adæquatus effectus, verbi gratia, decem graduum satisfactionis, qui omnes possint, vel vni personæ applicari, vel inter multas distribui, non verò, quòd omnes possint singulis donari, vel (vt ita dicam) totaliter multiplicari. Asserimus ergo, institutionem esse factam hoc posteriori modo & nõ priori. Quod probatur primò ex vsu Ecclesiæ (in Scriptura enim, aut Patribus, nihil habemus expressum) si enim institutio facta fuisset priori modo, nunquam deberent sacerdotes vni tantùm applicare sacrificij effectum: cur enim priuarent cæteros tanto fructu, si absque vnius detrimẽto possent multi alij æqualem fructum percipere? at verò iuxta vsum Ecclesiæ non ita fit, sed, quandocunque offertur sacrificium, verbi gratia, pro anima Petri, vt illi omnino prosit, quantum ex intentione sacerdotis potest, pro illa tãtùm, & non pro alijs applicari solet. Et confirmatur nam aliàs sequitur, per se loquendo, & ex vi institutionis, posse sacerdotem plura stipendia integra accipere, ratione vnius sacrificij, vel (quod idem est, post quàm à pluribus stipendium accepit, omnibus satisfacere vnico sacrificio, totum illud singulis applicando: quia æquè illis prodest, ac si pro singulis tãtum offerretur: consequens autem videtur absurdum, & contra vsum Ecclesiæ, vt infrà dicam. Dico autem, *per se loquendo*, nam respondeti potest, hoc non licere ratione dubij, sed hoc per accidens est ratione ignorantiæ, tamen, considerando rem ipsam, seu æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ in re ipsa fit, nulla est iniustitia. Præterea, ex vsu & sensu Ecclesiæ constat, plura sacrificia oblata pro eadem persona plus illi prodesse, quàm vnum, ergo etiam pro duabus personis plura sacrificia pro illis oblata plus illis proderunt, quàm vnum oblatum pro vtraque. Dices, id esse verum, si plures Missæ ita offerantur pro pluribus, vt singulæ offerantur pro omnibus, non verò, si sigillatim offerantur, id est vna Missa pro vna persona, & alia pro altera, & sic de reliquis: quia hoc modo oblata vna Missa pro duabus personis simul, vel duæ Missæ pro duabus personis diuisim, id est, vna pro vna, & alia pro altera, non magis proderunt eis plures, quam vna. Sed hoc valde voluntarium est, & gratis dictum: quia moraliter non plus est, eidem personæ bis remittere pœnam vt quatuor, quàm è duabus personis remittere vnicuique pœnam, etiam vt quatuor: nam ad vtrumque requiruntur octo gradus satisfactionis, & valde extrinsecum & accidẽtarium est, quòd hi gradus vni & eidem personæ applicentur, vel inter plures distribuantur: ergo, sicut eidem personæ non potest fieri duplex applicatio effectus totalis eiusdem sacrificij, sed requiritur duplex sacrificium, ita etiam diuersis personis non potest idem effectus vnius sacrificij totaliter applicari. Præterea est optima ratio, quia in hoc effectu satisfactionis non est alia intensio effectus, quàm multitudo satisfactionis: sed effectus sacrificij est limitatus intensiuè, simpliciter loquendo, sicut est limitatus effectus sacramenti: nam, quoad hoc, eadem est ratio, vt suprà ostensum est: aliàs etiam respectu eiusdem personæ non esset limitatus hic effectus quoad intensionem, seu multitudinem satisfactionis, quod est manifestè falsum: satisfactio ergo applicãda per hoc sacrificium simpliciter est limitata quoad intensionem, seu magnitudinem suam: ergo est limitata respectu cuiuscunque personæ, vel multitudinis personarum. Patet consequentia, quia quantitas effectus, eiusdem rationis est, siue vni, siue multis applicetur. Et in hoc est magna differentia in illa proportione, quæ à causis agentibus sumebatur: nam, quòd eadem causa possit interdum effectum æquè intensum in multis subiectis producere, quæ non posset intensiorem effectum in eodem subiecto efficere, hoc ideò est, quia multiplicatio effectus est quantitas valde diuersa à maiori intensione, & ideò potest virtus causæ ad vnam sufficere, & non ad aliam, tamen in præsenti multitudo

Optima quædam ratio.

Duplex institutionis Christi modus.

Ergo modo fit facta hæc institutio.

tudo satisfactionis, eiusdem rationis est, siue ad eandem personam, siue ad diuersas comparetur, & ideo, si respectu vnius augeri non potest, nec respectu diuersarum poterit multiplicari. Eò vel maximè, quòd hic effectus respondet oblationi sacrificij: oblatio autẽ nullo modo in se variatur ex hoc, quòd fructus eius vni vel multis applicetur: nam hoc est quid posterius, & extrinsecum oblationi: ergo non est, cur multiplicetur effectus propter solam voluntatem sacerdotis, volentis vni tantùm vel multis effectum tribuere. In quo est etiam magna diuersitas inter sacramentum & sacrificium: nam sacramentum non applicatur multis, nisi per realem multiplicationem, &, si contingeret, idem numero Eucharistiæ sacramentum dari multis, saltem sumptiones ipsæ multiplicarentur, quia in receptione consistit, & ideò mirum non est, quòd multiplicentur effectus, at verò oblatio sacrificij, vni vel multis applicata, quoad fructum eadem omnino est, solúmque ex trinseca voluntate applicantis est diuersa: ergo non potest illa sola efficere, vt effectus augeatur. Et re vera est per se incredibile, gratis & sine vlla causa posuisse Christum in sola libertate sacerdotis, vt vel multis, vel paucis, vel vni tantùm, omnino æqualiter sua oblatione prodesse posset, nec minùs incredibile est, dedisse Christum sacerdotibus hanc facultatem, & tanto tempore fuisse, tam ipsis, quã Ecclesiæ, incognitam. Vel è conuerso incredibile est illis esse notam, & tamen voluntariè non vti illa: sine causa enim limitarent sacerdotes hunc effectum ad vnam, vel paucas personas, si possent omnibus & singulis totum applicare: imò, si Christus voluisset, vt posset hoc modo omnibus applicari, melior institutionis modus fuisset, hanc virtutem dare ipsi sacrificio secundùm se, independenter à voluntate sacerdotis, quàm hoc gratis & sine causa ponere in eius arbitrio. Dices, idem argumentum posse nunc fieri, posita institutione, prout à nobis explicatur. Respondetur, non esse simile, quia nunc effectus est in se certus ac limitatus. Vnde non potuit ex vi sacrificij esse applicatus omnibus, quin necessariò esset inter illos diuidendus, quod tamen expediens non erat: & ideo oportuit, vt modus applicationis iudicio & arbitrio ministri relinqueretur, si autem institutio ita facta esset, vt ex vi eius sacrificium esset potens prodesse omnibus, dando illis totum aliquem effectum, quamuis sacrificium ex se semper hoc faceret, nulla sequeretur diuisio effectus, vel diminutio eius in singulis: nulla ergo esset causa, ob quam libera daretur sacerdotibus facultas priuandi, quos vellent, hoc effectu, vel omnino, vel ex parte.

Magna quædam diuersitas inter sacramentum & sacrificium.

Obiectio.

Solutio.

3. Conclus.

Dico tertiò, Sacrificium hoc ex se habet infinitum valorem ad impetrandum, & ideò, quantum est ex parte eius, oblatum pro multis, non minùs prodest singulis quoad impetrationem, quam si pro vno tantùm esset oblatum, quanquam aliunde fieri possit, vt non æquè prosit. Hæc conclusio sumitur ex Diuo Thoma, in. 4. distinct. 45. quæstio. 1. articul. 4. quæstiunc. 2. & ex alijs autoribus, quos suprà in secunda opinione citaui, & in primis constat ex suprà dictis, hoc sacrificium secundùm se esse infiniti valoris, & infinitè gratum Deo. Deinde etiam constat ex dictis, vim impetrandi, quæ est in hoc sacrificio, non esse fundatam in speciali promissione, sed in intrinseca dignitate & valore ipsius sacrificij: ergo hæc impetratio est de se infinita, id est, sacrificium de se sufficiens est ad impetrandum quodlibet beneficium, aut beneficiorum multitudinem, etiam si in perfectione, vel numero in infinitum augeantur: quia semper sacrificium ipsum, ratione rei oblatæ & principalis offerentis, maioris valoris existit. Atque hinc aperte sequitur, oblatum pro multis eandem vim impetrandi habere in singulis, quam haberet pro vno tantùm oblatum: quia, cùm sit infinitum, æquè potens est ad plura simul, & ad singula. Sicut etiam oblatum pro vno ad obtinendum maximum, vel minimum beneficium, tam potens est de se ad impetrandum vnum, sicut ad impetrandum aliud. Solent q; ad hoc confirmandum adduci Hieronymus in capit. Non me diocriter. de Consec. distinct. 1. vbi sic scribit, *Dum pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Sed illa verba non multum probat, vt ibi Glossa animaduertit: possunt enim referri ad offerentem, non ad eas animas, pro quibus fit oblatio: itaque offerẽti æquè proderit, pro vno, vel pro multis offerre, si alioqui cæteris sint paria. Vel certè sensus Hieronymi est, non esse minùs vtile, sed fortasse vtilius Psalmum vnum attentè ac deuotè dicere pro multis, quàm pro singulis Psalmos singulos remisse ac indeuotè recitare, vt illa verba eiusdem Hieronymi explicant; *Melior est quinque Psalmorum deuotatio, cum cordis puritate & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterij modulatio, cum anxietate cordis, & tristitia.* Iam verò, vt postremam partem conclusionis explicemus, aduertendum est, licèt sacrificium hoc ex se sit valens ad impetrandum, tamen non applicari ad impetrandum, nisi, vt oratio ni coniungitur: quia non impetratur, nisi quod petitur, vel desideratur ab alio, & ideò impetratio per se pertinet ad orationem, quam sacrificium facit exaudiri, & hoc modo impetrat. Oratio autem, cæteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari & speciatim facta, quàm si generarim pro multis fiat. Ita enim docuit contra Vvicleph Concilium Constantiense, session. 8. vt latius tractat Vvaldensis tomo. 3. de sacramental. capit. 105. Rationem autem attigit Scotus, quodlib. 20. quia, vt oratio impetret, requirit proportionem cum re postulata, nam eadem oratio, cæteris paribus, non æquè impetrabit rem difficilem, vel facilem, maiorem, vel minorem, & eadem ratione, non æquè impetrabit eandem rem vni, & multis: quia hoc ipso res postulata est maior, & consequenter variatur proportio, si cætera fiant paria ex parte orationis. Atque hinc viterius concluditur, efficatiorem fore orationem, si pro aliquo specialiter fiat, quàm si fiat pro eodem, solum vt est pars alicuius multitudinis, pro qua tantùm fit immediate oblatio, & hoc est proprium, orationem esse specialẽ, vel generalem: nam specialis est, quando fit pro aliquo in se ipso; generalis vero, quando fit pro aliquo tantũ vt contento in aliquo cõmuni, quod potest contingere, vel ex parte personarũ, pro quibus oratur, vt cùm oro pro Petro, vel pro Collegio, cuius pars est Petrus, vel ex parte rerũ, quæ postulantur, vt si peto humilitatem in particulari, vel solũ petendo virtutem, sub qua humilitas continetur. Vnde, vt rectè fiat comparatio, fieri debet respectu eiusdem, hoc vel illo modo cadentis sub oratione: nam, si fiat respectu diuersorum, non erit formalis, neque recta comparatio, vt si oratio facta pro salu-

Corolarium quoddam.

Hieronym.

Duplex vterborum Hieronymi sensus assignatur.

Postrema cõclusionis pars explicatur.

Conc. Cõst. Vvaldenses Scotus.

ea

Universidad de Deusto Biblioteca

te regni comparetur cum oratione facta pro salute Petri, fieri potest, vt illa sit efficacior ad impetrandum, quàm hæc, quia, licèt videatur generalis, quia habet communius obiectum, tamen respectu sui proximi obiecti, specialis est, & alioqui ratione communis boni potest esse gratior & melior, & ideò respectu eiusdem vt sic esse potest efficacior, quanuis respectu Petri, per se loquendo, non sit ita efficax, sicut illa, quæ pro eo speciatim fit, etiam si contingat, ipsum esse partem eiusdem regni, seu communitatis. Non est autem idem, si simul fiat oratio pro multis, speciatim & in particulari pro singulis orando, nam tūc omnes illæ orationes sunt plures & speciales, & ideò vnaquæque habet totam vim impetrandi, quam haberet sola: nam sola concomitantia impedire non potest, quia non minuit earum valorem & dignitatem, sicut vnum meritum non impedit aliud, si opera concomitanter multiplicentur, & easdem morales circunstantias habeant. Nec verò ex parte Dei potest esse impedimentum, quia ipse æquè potens est, & æquè paratus ad petitionem nostram exaudiendam, siue illa sola sit, siue cum alia cōiuncta. Nec promissio orationi facta, limitata est ad vnam orationem solā. Ex his ergo colligitur, quid sit de sacrificio dicendum, nam, si applicetur ad multa impetranda, quæ vna generali petitione continētur, sicut talis oratio minùs efficax est in singulis, ita etiam sacrificium minùs tunc impetrabit pro illis, quia proportionatur orationi. Ad quod etiam confert, quòd hic effectus impetrationis nō est semper infallibilis, vt suprà dictum est, quia nec fundatur in promissione, neque habet semper coniunctam absolutam Christi voluntatem, & ideò, vt de facto impetret, multùm iuuare potest modus petitionis, specialis vel generalis, si verò sit specialis oratio, quanuis hæc multiplicetur, & vnum sacrificium ad omnia illa impetrandum offeratur, æquè potens erit ad omnia & ad singula: quia ipsum de se semper est æquè sufficiens, & alioqui ex parte orationis est etiam æqualitas. Hoc autem non obstante, prodesse poterit multiplicatio sacrificiorum ad effectum impetrationis: quia, cùm nō sit infallibilis, fieri potest, vt, quod semel non conceditur, posteà obtineatur, vel propter dispositionem petentium, vel eorū, pro quibus fit oratio, vel propter alias occultas rationes diuinæ sapientiæ. Denique propter has etiam causas multùm expedit simul cum impetratione applicare effectum ex opere operato, ei pro quo fit oratio, vt sit purior magisque dispositus ad obtinendum petitionis effectum.

Egregiū notabile.

Consectarium quoddam notatu dignum.

Fundamenta aliarum opinionum ferè non indigent noua responsione. Ad fundamentum enim primæ opinionis, iam responsum est, infinitatem sacrificij per se quidem conferre ad impetrationem, non verò ad effectum ex opere operato, nisi media promissione, quam esse oportuit, de effectu definito, vt satis explicatum est. Vnde ad naturam & perfectionem sacrificij satis est, quòd oblatum à pluribus, omnes æqualem fructum percipiant, & oblatum pro pluribus, omnibus æquè impetrare potest. Quòd verò etiam ex opere operato æqualiter eis prosit, neque est consequens ad naturam sacrificij, neque pertinuit ad conuenientem institutionem, vt satis explicui. Vnde ad confirmationem respondetur, primum inconueniens ibi illatum non sequi, quia plures audientes sacrum sub ea ratione offerentes sunt, & ideò vnus non impedit alium, quominùs suum integrum fructum accipiat. Secundum autem quod ibi infertur, non est inconueniens, nam hoc ipso, quòd plures sunt in populo, pro quo generatim fit oblatio, eis minùs specialiter applicatur, fructusque finitus in plures partes diuiditur, & ideò mirum non est, quòd singuli minùs accipiant. In secunda opinione nihil adducitur, quod noua responsione, vel refutatione indigeat.

Ad fundamēta aliarum opinionum responsio.

Ad confirmationē respondetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterij. Hoc enim sacramentum est repræsentatiuum Dominicæ passionis, vt dictum est. Sed commemoratio Dominicę passionis fit in Ecclesia semel in anno. Dicit enim Aug. super Psal. 21. Quotiescunque Pascha celebratur, nunquid toties Christus occiditur? sed tamen anniuersaria recordatio repræsentat, quod olim factum est, & sic nos facit moueri, tanquam videamus in cruce pendentē Dominum. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari, nisi semel in anno.

4. d. 13. q. 1. a. 2. q. 4.

Art. præc. In præfa. in Psal. 21. circa princ. tom. 8.

¶ 2 Præterea, Passio Christi commemoratur in Ecclesia, sexta feria ante Pascha, nō autem in festo Natalis. Cùm ergo hoc sacramentum sit commemoratiuum Dominicæ passionis, videtur inconueniens esse, quòd in die Natalis ter celebretur hoc sacramentum, in Parasceue autem totaliter intermittatur.

¶ 3 Præterea, in celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi. Sed Christus consecrauit hoc sacramentum hora serotina. Ergo videtur, ꝙ hora tali debeat hoc sacramentum celebrari.

¶ 4 Præterea, Sicut habetur de cōs. d. 1. Leo Papa scribit Dioscoro, Alexādrino Episcopo, quòd in prima parte diei Missas celebrare licet. Sed dies incipit à media nocte, vt suprà dictum est. Ergo videtur, quòd etiā post mediam nectem licet celebrare.

Leo in epist. 81. c. 2. circa princip. Et habetur de cōsec. d. 1. c. Necesse est.

5 Præterea. In quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Concede nobis Domine quæsumus, hæc frequētare mysteria. Sed maior erit frequētia: si etiam pluribus horis in die sacerdos celebret. Ergo videtur, quod non debeat prohiberi sacerdos pluries celebrare in die.

SED in contrarium est consuetudo, quā seruat Ecclesia secundum Canonum statuta.

Art. præc. & q. 79. artic. 1.

RESPONDEO dicendum, quod) sicut dictum est) in celebratione huius mysterij attenditur repræsentatio Dominicæ passionis, & participatio fructus eius. Et secundum vtrumque oportuit determinare tēpus aptum celebrationi huius sacramenti. Quia enim fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Vnde & Dominus nos petere docet, Luc. 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quod exponens August. lib. de verbis Domini dicit: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in oriente facere consueuerunt? accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. Quia verò Dominica passio celebrata est à tertia hora vsq; ad nonā, ideò regulariter in illa parte diei, solenniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur.

Infer. 28. parum à medio.

AD primum ergo dicendū, quòd in hoc sacramento recolitur passio Christi, secundū ꝙ eius effectus ad fideles deriuatur. Sed tempore passionis recolitur passio Christi solùm secundùm hoc, quòd in ipso capite nostro fuit perfecta. Quod quidem factum est semel, quotidie autem fructum Dominicæ passionis fideles percipiunt. Et ideò illa commemoratio fit semel in anno, hoc autē quotidie & propter fructum, & propter iugem memoriam.

In corp. & locis ibidem citatis.

AD secundum dicendum, quòd veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quædam & exemplum Dominicæ passionis, sicut dictum est. Et ideò in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius sacramenti, ne tamen Ecclesia eā etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum in die præcedenti reseruatur sumendum in illo die, non autem sanguis, propter periculum, & quia sanguis specialius est imago Dominicæ passionis, vt suprà dictum est. Nec verum est, quod quidam dicunt, quòd per immissionem particulæ corporis Christi in vinum, conuertatur vinum in sanguinem: hoc enim aliter fieri nō potest, quàm per cōsecrationem factam sub debita ferma verborum. In die autem Natiuitatis plures missæ celebrantur propter triplicem Christi natiuitatē. Quarum vna est æterna, quæ quantum ad nos est occulta. Et ideò vna Missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua, scilicet, Christus oritur tanquam lucifer in cordibus nostris, vt dicitur. 2. Petri. 1. Et propter hoc cantatur Missa in aurora, in cuius introitu dicitur. Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi natiuitas tēporalis & corporalis, secundùm quam visibilis nobis processit ex vtero Virginali, carne indutus. Et ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce, in cuius introitu dicitur, Puer natus est nobis. Licèt è conuerso possit dici, quòd natiuitas æterna secundùm se est in plena luce; & ob hoc in Euāgelio tertiæ Missæ fit mentio de natiuitate æterna. Secundum autem natiuitatem corporalem, ad literam natus est de nocte, in signum, quòd veniebat ad tenebras infirmitatis nostrę. Vnde & in Missa nocturna dicitur Euangelium de corporali Christi natiuitate. Sicut etiam & in alijs diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures Missę celebrātur in die: putà, vna pro festo, & alia pro ieiunio, vel pro mortuis.

q. 78. ar. 3. ad 2. & q. 76. art. 2. ad 2.

De conf. d. 1. c. Nocte.

AD tertium dicendum, quod (sicut dictum est superius) Christus voluit vltimò hoc sacramentum discipulis tradere, vt fortiùs eorum cordibus imprimeretur. Et ideò post cœnam in fine diei hoc sacramentum consecrauit, & discipulis suis tradidit. A nobis tamen celebratur hora Dominicæ passionis, scilicet, diebus festis in tertia, quando crucifixus est linguis Iudæorum, vt dicitur Mar. 15. & quando Spiritus sanctus descendit super discipulos: vel diebus pro festis in sexta, quando crucifixus est in manibus militum, vt habetur Ioā. 19. vel diebus ieiuniorum in nona, quando voce magna clamans emisit spiritum, vt dicitur Matth. 27.

q. 73. ar. 5.

Potest tamen tardari, maximè quando sunt Ordines faciendi, & præcipuè in Sabbatho sancto, tum propter prolixitatem officij, tum quia Ordines pertinent ad diem Dominicam, vt habetur in Decre. d. 75. cap. Quod à Patribus. Possunt tamen Missæ celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, vt dicitur de cōsec. distin. 1. c. Necesse est, &c.

Decr. d. 75. c. Quod à Patribus.

De cons. d. 1. c. Necesse est.

AD quartum dicendum, quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte: quia ipse Christus est præsens in hoc sacramento: qui dicit Ioan. 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quādo nemo potest operari: quādiu in mundo sum, lux sum mundi. Ita tamen, quod principium diei accipiatur non à media nocte: nec etiam ab ortu solis, id est, quando substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora: tūc enim quodammodò dicitur sol ortus, in quā tum claritas radiorum eius apparet. Vnde & Mar. 16. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentū, orto iam sole, cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentum: vt dicitur Ioan. 20. Sic enim hanc A
cõtrarietatem soluit Augustinus, in libr. de
consen. Euang. Specialiter tamẽ in nocte na
Lib. 3. c. 24 aliquãtulũm à prin. to. 4. talis Domini Missa celebratur, propter hoc
quòd Dominus in nocte natus est: vt dicitur
De cõs. d. 1. c. Nocte. de consecrat. distinct. 1. cap. Nocte, &c. Et
similiter etiam in Sabbatho sancto circa no-
ctis principiũ, propter hoc, quod Dominus
nocte surrexit, id est, cùm adhuc tenebræ es-
sent ante manifestum solis ortum.

A D quintum dicendum, quòd, sicut habe
De cons. d. 2. c. Sufficit tur. de consecrat. distinct. 1. ex Decreto Ale
xand. Papæ, sufficit sacerdoti, vnam Missam
in die vna celebrare: quia Christus semel pas
sus est, & totum mundum redimit, & valde B
fœlix est, qui vnam dignè celebrare potest.
Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt,
alteram de die, si necesse sit. Qui verò pro pe
cunia aut adulationibus secularium, vna die
præsumunt plures celebrare Missas, non exi
Inder. lib. 3 tit. 41. cap. Consuluisti. stimo euadere damnationem. Et extra de ce
leb. Miss. dicit Innocent. III. quòd excepto
die Natiuitatis Dominicæ (nisi causa necessi
tatis suadeat) sufficit sacerdoti, semel in die
vnam Missam solummodò celebrare.

COMMENTARIVS.

DIuus Thomas in. 1. art. breuissimè explicuit
substantiam sacrificij nouæ legis, in hoc ve-
rò & sequentibus articulis copiosissimè tra-
ctat de circunstantijs & ceremonijs eiusdem sacrifi-
cij. Quam materiam in sequentibus disputationi-
bus, nos etiam prosequemur: nam, quoniam res non
est difficilis, & à D. Thom. fusè tractatur, satisque
perspicuè, nihil ferè ad expositionem literæ addere
oportebit, sed, disputando de rebus ipsis, sententias
D. Thom. simul explanabimus.

DISPVTAT. LXXX.

De tempore, in quo tenẽtur sacerdotes, vel eis licet, sacrificium Missæ offerre.

IN superioribus tractauimus omnia, quæ ad natu
ram vel institutionem huius sacrificij pertinẽt,
quæ doctrinam veluti speculatiuam huius mate-
riæ continent: nunc superest tractare partem mora-
lem, & præcepta omnia, quæ ad hoc sacrificium spe
ctant, quæ maxima ex parte ad sacerdotes pertinẽt,
& ideò de illis priùs dicemus, & in fine verò adde-
mus aliqua de præcepto audiendi Missam, quod cõ-
mune est omnibus fidelibus. Optimè verò doctrina
hæc moralis coniungitur cum declaratione circun-
stantiarum, & ceremoniarum huius sacrificij: nam
hæc omnia in tantum necessaria sunt, in quantum
aliqua lege obseruari præcipiuntur: quia igitur D.
Thomas in hoc articul. 2. de circunstantia temporis
disputauit, ideò in hac disputatione simul dicendũ
erit, an sit aliquod præceptum obligans ad sacrificã-
dum aliquo tempore, vel prohibens, alio tempore sa
crificare, ex quibus simul constabit, quibus tempori
bus sacrificare liceat.

SECTIO I.

Vtrùm teneantur sacerdotes aliquando Missam dicere, seu sacrificium offerre.

Sacerdotes tenentur cõmunicare saltem semel in anno tempore Paschatis.

SVpponimus teneri sacerdotes ad communican
dum, saltem semel in anno tempore Paschatis,
nam in hoc eadem est ratio ipsorum, quæ cæte-
rorum fideliũ. Vnde hæc obligatio non cadit in eos,
quatenus sacerdotes sunt, sed quatenus sunt fideles
baptizati, & adulti: vnde hanc obligationem exple-
re possent, non sacrificando, sed laicorum more com
municando. Vteriùs ergo inquirimus, an ratione
muneris sacerdotalis teneantur sacerdotes offerre
aliquando hoc sacrificium. Et ratio dubitãdi esse po
test, primò, quia nullum extat de hac re præceptum
obligans singulos sacerdotes: aut enim illud est Ec-
clesiasticum, & hoc non, quia nullum de hac re de-
cretum reperitur scriptum, nec potest allegari con-
suetudo Ecclesiastica, quę vim habeat legis, nam po
tiùs frequenter fit, vt multi sacerdotes longo, & diu
turno tempore non sacrificent, qui non propterea
censentur esse in statu peccati mortalis. Vel esset
hoc præceptum diuinum positiuum, & hoc eisdem
rationibus refelli potest, nam tale præceptũ, nec tra
ditione habetur, vt argumentum factum satis pro-
bat, neque ex Scriptura sacra colligitur sufficienter
nã, si quæ sunt verba in Scriptura, quæ indicent hoc
præceptum, maximè illa, *Nisi manducaueritis carnem fi
lij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã
in vobis*, vel illa, *Hoc facite in meam commemorationem*:
sed hæc testimonia, & habent varias ac probabiles
interpretationes ab huiusmodi præcepto & obliga-
tione alienas, vt in superioribus sæpius tactum est,
&, licèt gratis admittamus, ibi cõtineri aliquod præ
ceptum, non est necesse, vt illud obliget singulos sa
cerdotes, sed in communi Ecclesiam, ad cuius proui
dentiam spectat, curare, vt in ea sit vsus huius sacri-
ficij: quæ cura ad pastores præcipuè pertinet, non
verò ad sacerdotes singulos. Vel denique hæc obli-
gatio sequitur, veluti ex natura rei, ex munere sacer
dotali, & hæc etiam consecutio nulla sufficiente ra-
tione ostendi potest: quia, licèt sacerdotibus ex vi
sui muneris detur potestas sacrificandi, tamẽ ex po
testate non oritur necessitas, tum quia potestas ex
se latiùs extenditur, quàm necessitas, tũ etiam, quia
hoc est veluti priuilegium quoddam ipsius sacerdo
tis, seu quasi dominium, vel ius quoddam: ex vi au-
tem priuilegij nemo cogitur vti illo, nec dominium
seu ius in re, vel ad rem, per se inducit necessitatem
vtendi re propria, sed potest aliquis cedere iuri suo.
Tandem, etiam datur sacerdoti potestas remittendi
peccata, & tamen nunquam tenetur vti illa, etiam si
aliàs iurisdictionem etiam recipiat, dummodò pasto
ris officium non suscipiat. Et similiter per gradum
Magisterij datur alicui facultas explicandi Scriptu-
ram, quod tamen facere non tenetur.

Quærendum primum.

Propter hæc multi & graues Theologi censent,
nullũ esse præceptũ obligans sacerdotes sub pecca-
to mortali ad sacrificandum aliquando. Itaque, quã
uis Sacerdos nũquam in vita sacrum faciat, dummo
dò in Pascha te commnnicet, per se loquendo, non
peccabit mortaliter. Ita tenet Alex. Alens. 4. p. q. 51
memb. 2. Bonau. in. 4. d. 12. p. 2. ar. 2. q. 2. Gab. lect.
87. in Can. Rich. in. 4. d. 13. ar. 2. q. 2. & ibi Pal. di-
sput. 2. & Ledes. 1. p. 4. quæst. 23. art. 16. Victoria in
summa,

summa, nu. 94. & idem tenuit Caiet. suprà. q. 82. A
art. 12. quanuis eius commentarius iussu Pij V. ex-
punctus fuerit in Romana impressione. Addũt ve
rò nonnulli ex dictis autoribus, nonnullum pecca-
tum esse, saltem veniale, hoc facere. Primò, quia vi
detur esse quædã spiritualis prodigalitas longo tẽ-
pore se priuare vsu tam perfectæ potestatis, & fru-
ctu sacrificij. Secundò, quia, cùm potentia sit pro-
pter actum, inordinatum est, suscipere potestatem
consecrandi, & posteà illa non vti, sed quasi otio-
sam habere. Tertiò, quia præter caritatem esse vi-
detur priuare Ecclesiam magno illo fructu, quem
ex hoc sacrificio participat: sicut qui reciperet à
Deo gratiam gratis datam, malè faceret, nunquam
illa vtendo, & præter caritatem proximorum, in
quorum vtilitatem datur: hæc enim potestas conse
crandi est veluti quædã gratia gratis data propter
Ecclesiæ vtilitatem. Denique, quia sacerdos ex vi B
sui muneris accipit onus intercedendi pro populo
apud Deũ, & offerẽdi dona & sacrificia pro pecca
tis: peccat ergo, saltẽ venialiter, nunquã exequen-
do munus & officium suum; nam officium propter
ministerium & opus datur: & inordinatè retine-
tur, si executioni non mandatur.

Quoniã verò hæ posteriores rationes, si quic-
quam valent, plus probant, quã leuem obligationẽ
aut venialem culpã, ideò alij autores censent, quẽ-
libet sacerdotẽ teneri rigoroso præcepto, & sub
peccato mortali, ad sacrificandũ aliquando, & ali-
quoties, nõ solũm in vita, sed etiam in anno, nisi legi-
timo aliquo impedimento excusetur. Ita sentit Di-
uus Tho. suprà q. 82. ar. 10. & clariùs in 4. d. 13. q.
1. art. 2. quæstiuncula 1. ad. 2. Durãd. ibi. q. 2. Soto
q. 1. ar. 10. Palud. d. 11. q. 2. Maior. q. 5. Antonin.
3. part. titu. 13. c. 16. §. 12. Syluest. verb. Miss. 1. q.
7. Angel. nu. 44. Nauar. c. 23. nu. 88. & Petrus So-
to, quanuis subdubitans, lect. 13. de Euchar. circa
finem, & idem tenet Gloss. cum Iurisperitis in cap.
Dolentes. de celebrat. Miss. Fauetque huic senten
tiæ decretum illud: nam inter alia peccata quorun-
dam sacerdotum, quæ ibi recensentur, vnum est, q
vix quater in anno celebrabãt, & pœna illis suspen
sionis imponitur, non propter hoc delictũ solum,
sed cũ alijs, quæ ibi referuntur. Secundò fauet huic
sententiæ Conc. Trid. sess. 22. c. 1. dicẽs, *Christũ illis
verbis, Hoc facite in meam commemorationẽ, Apostolis,
eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præce-
pisse, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit*,
& can. 1. anathemate ferit negantes, Christum illis
verbis instituisse Apostolos sacerdotes, & ordinas-
se, vt ipsi, alijq; sacerdotes offerrent corpus & san-
guinem ipsius. Rursus, sess. 23. cap. 14. de reforma- D
tione. c. 14. præcipit Episcopis, *vt curent, quod sacer-
dotes, saltem diebus Dominicis, & festis solennibus, si au-
tem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo
muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Quibus verbis
non videtur Concil. nouam obligationem impo-
nere sacerdotibus, sed solùm Episcopos monere, vt
curent, quòd sacerdotes obligationem suam im-
pleant. Et, quanquam fortasse, non totum id, quod
Concilium significat, sit sacerdotibus in præcepto,
tamen etiam videtur manifestum, nõ id totum ad
solum consilium pertinere, sed quia non certò con
stat, quoties, vel quibus diebus, hæc obligatio vr-
geat, elegit Concilium id, quod in dubio sufficit
ad obligationem implendam, quanuis fortasse plus
aliquid moneat, quàm sub præcisam obligationem

D. Thome, & aliorũ opinio. Durand. Soto. Palud. Maior. Antonini. Sylueſt. Angel. Nauar. Sot. Soto.

cadat. Præterea potest in huius sententiæ fauorem
ponderari autoritas Pij V. cùm enim Caietan. in
hoc commentario docuisset, transgressionem hu-
ius obligationis tantùm esse peccatum veniale, illa
doctrina, eius autoritate (vt creditur) ab hoc com-
mentario expulsa est: satis ergo se sentire significa-
uit, esse non solùm minùs probabilem, verùm etiã
non esse dignam, quæ passim circunferatur. Præ-
terea referunt D. Tho. dicto art. 10. argumento,
Sed contra, & alij Scholastici, sententiam Ambro-
sij dicentis, Graue est, quòd ad mensam tuam mun
do corde & manibus innocentibus non venimus,
sed grauius est, si, dum peccata metuimus, etiam sa
crificium non reddamus. Quæ sententia dupliciter
potest intelligi, primùm de peccato veniali, & ita
sensus erit, celebrare cum conscientia venialiũ pec-
catorum esse nonnullam irreuerentiam, & aliquod
fortasse peccatum; & hoc appellari, *graue*, id est, tur
pè, & indecens (non est enim peccatum mortale)
vnde cùm addit, grauius esse hac de causa omitte-
re, significat, hoc esse posse mortale peccatum, seu
esse absolutam obligationem interdum sacrifican-
di. Alius sensus est, vt intelligatur de peccato mor-
tali, & hoc sensu esset magis rigorosa sententia, nã
re vera videtur grauius peccatũ, celebrare in mor-
tali, quàm omittere actum, tempore, quo obligat:
quia ex genere peccatũ commissionis est grauius,
quàm omissionis, & in particulari videtur illa ma-
ior irreuerentia sacramenti. Ratione probatur hæc
opinio primò, defendendo, hoc esse præceptum di
uinum positiuum, contentum in illis verbis Chri-
sti, *Hoc facite*, nam, quòd in illis contineatur præce-
ptũ sacrificandi, Concil. Trident. declarauit. Quòd
verò illud præceptum, non ad communitatem tan-
tùm, sed ad singulos sacerdotes pertineat, magis
etiam consentaneum est, & verbis Christi, & ver-
bis Concilij, & materiæ præcepti. Primum patet,
quia Christus æquè ad omnes Apostolos, & ad sin
gulos dixit, *Hoc facite*, Secundum patet, quia Con-
cil. declarauit, Christum locutum fuisse ad Aposto
los vt sacerdotes, & in ipsis ad omnes futuros sacer
dotes; & non tantùm ad pastores Ecclesiæ, vel in
cõmuni ad Ecclesiam: sentit ergo, præceptum sin-
gulos obligasse. Tertium declarauit optimè Diuus *Differentia inter sacramẽta & sacrificium.*
Thom. dicto art. 10. ad 1. ex differentia inter sacra
menta, & sacrificium: nã sacramenta ordinantur ad
vsum fidelium, sacrificium verò, vt offeratur Deo;
& ideò ad sacramenta ministranda, solũ teneri eos,
qui curam super fideles suscipiunt, etiam si potesta
tem habeant illa ministrandi: ad sacrificandum au-
tem teneri omnes ratione Ordinis suscepti ex præ-
cepto Christi: quia talis actus non requirit curam
animarum, nec iurisdictionẽ super fideles, sed per
se ad omnes pertinet. Secundo modo potest funda
ri hæc præceptum in sola natura rei: nam perpetua
omissio talis actus in eo, qui habet tale munus, ex
proprio obiecto, & non tantùm propter rationes
extrinsecas, est mala, & rationi dissona, vt fatentur
multi ex autoribus suprà citatis, & rationes suprà
factæ declarant; & alioqui materia talis obligatiõ-
nis est grauis: ergo ex genere suo illa omissio est
peccatum mortale.

Hæc res dubia quidem & incerta mihi videtur: *Autori rei hæc dubia & incertæ.*
quia præceptũ, præsertim sub peccato mortali, as-
serendum nõ est sine fundamento, quod moraliter
conuincat; hic autem nullum apparet huiusmodi,
propter quod non videtur posse negari, quin prior

Universidad de Deusto Biblioteca

opinio probabilis sit, ita vt, qui se illi practicè conformauerit, à peccato mortali excusari posit: vnde etiam de viris Sanctis interdum legimus ab huius sacrificij celebratione abstinuisse, vt Durandus etiam, & alij referunt; quanquã hoc non debet in exemplum adduci: nam multa interdum operãtur Sancti ex speciali Spiritus sancti motione, præter communem legem, quæ à nobis imitanda nõ sunt. Quocirca posterior opinio, & magis pia est & securior, & in praxi consulenda: quia re vera, & est magis cõsentanea rationi, & præterea vix potest sine magno scandalo contrarium fieri, &, vt minimùm, existimatur cõmuniter, huiusmodi omissionem diuturnam sacrificij, esse signum prauæ conscientiæ, & perditæ vitæ: sunt ergo, quoad fieri posit, sacerdotes monendi, vt frequenter celebrent, & suadendi, contrariũ non esse in conscientia securum.

Posterior opinio magis pia & secura.

Sed quæres, quoties teneantur in anno sacrificare ad vitandam culpam, Syluester. verbo, Missa. 1. quæst. 7. & Antoninus 3 part. titul. 13. capitul. 16. §. 11. referunt, quosdam iurisperitos asseruisse, teneri sacerdotes, per se loquendo, ad celebrandum quotidie. Sed hoc non habet fundamentum, vt statim quæst. sequente dicemus. Diuus Thomas igitur ait, teneri ad celebrandum in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles cõmunicare consueuerunt. Idem fere Sylnest. & Soto, qui expresiùs addit, esse peccatum mortale, sacrificium his diebus omittere sine causa. Sed hoc etiam videtur nimis rigidum, neque posse sufficienter probari; & ideò Nauarrus suprà dicit, satisfacere sacerdotem huic obligationi, ter vel quater in anno sacrificando. Quod videtur fieri probabile ex dicto capitul. Dolentes; & quia nullo iure vel ratione sufficiente potest hoc ius, seu præceptum, strictiùs declarari; imò (vt verum fatear) neque hoc ipsum potest sufficienter fundari per intrinseca principia; & ideò censeo, moraliter loquendo, consideranda esse principia extrinseca, qualia sunt, aliorum scandalum, proprium spirituale detrimentum, aut periculum liberiùs peccandi, omittendo sacrificium; vel (quod grauius est) quod propterea omittatur, vt peccandi licentia non impediatur, & similia: &, his omnibus pensatis, prudentis iudicio committendum est tempus, & modus huius obligationis: si autem hæ rationes extrinsecæ non intercedant, vix, credo, accidet casus moralis, in quo sacerdos aliquoties in anno nõ sacrificet: quod licèt raro faciat (vt Nauarrus dixit (non peccabit mortaliter; &, si bona intentione id faciat. posset etiam à veniali excusari. Neque aliquid certius, magisve determinatum inuenio, quod in hac quæstione dici posit.

D. Thom. sententia.

Sylnest. Soto.

SECTIO II.

Vtrùm sacerdos posit, vel debeat, singulis diebus celebrare.

HAEretici huius temporis non probant quotidiana singulorum sacerdotum sacrificia: quia necesse est, vt maiori ex parte priuatim fiant, ipsi verò Missas priuatas abominantur, & ideò solùm vnam communẽ cœnam Dominicam volunt quotidie fieri in singulis populis, vel Parochijs. Sed hæc sententia hæretica est contra Ecclesiæ vsum & traditionem, & fundamentis hæreticis nititur: nimirũ, quòd non liceat Missam priuatim dicere, in qua fideles non communicent, quod in superioribus partim refutatum est, & in sequentibus aliquid addemus. Item, quod hoc mysteriũ semper sit peragendum cum omnibus illis circunstantijs accidentarijs, quibus cœna Dominica peracta est; quod quam sit absurdum, sæpe in superioribus est ostensum. Catholici ergo quidam (vt suprà dicebã est) per contrarium extremum asseruerunt, debere sacerdotes, quotidie Missam celebrare. Alij verò, quamuis ad hoc non obligent singulos ratione Ordinis; obligant tamen Parochos ratione officij. Sed obseruandum est, aliud esse loqui de singulis sacerdotibus, aliud de tota Ecclesia; aut de singulis Ecclesijs, vel cathedralibus, vel parochialibus, vel conuentualibus. In quibus omnibus considerari potest, quid ex solo iure diuino necessarium sit, quid verò ex Ecclesiastico.

Hæreticorum quorundã sententia exploditur.

1. Conclusio.

Dico ergo primò, Stãdo in solo iure diuino, nec singulis sacerdotibus, nec singulis Ecclesijs, nec toti Ecclesiæ præceptum est, neque etiam prohibitũ, quotidie sacrificare. In hoc cõueniũt omnes Theologi, quia nullibi extat talis determinatio temporis iure diuino facta. Item, in die Parasceues omnino omittitur hoc sacrificium in Ecclesia, & idem fiebat olim in Sabbatho sancto, & posset Ecclesia. si rationabilis causa occurreret, idẽ statuere in alio, vel alijs diebus anni: non est ergo contraria temporis determinatio iure diuino facta. Præterea non fuit necessaria, quia ita sunt res Ecclesię ordinatæ, vt, seclusa prohibitione Ecclesiæ speciali, non posit in ea quotidianum sacrificium deficere: ad quod etiam pastorum Ecclesiæ cura multum deseruit; & ad eam ipsi ex offici- tenentur, quia est valde necessarium ad spirituale bonum fidelium, tam viuentium, quàm defunctorum; & quia ad debitũ diuinum cultum, moraliter loquendo, necessarium est. Quod verò hic quotidianus vsus sacrificij nõ sit etiam prohibitus iure diuino, eodem fundamento constat, & ex vsu Ecclesiæ; nam, si in aliquo die facta est prohibitio, illa per Ecclesiam introducta est.

2. Conclusio.

Dico secundò, In singulis Ecclesijs, Cathedralibus, Parochialibus, & Conuentualibus, debet quotidie sacrificium Missæ offerri, si conueniens seu mediocris sacerdotum numerus; atque ita fiet, vt in vniuersa Ecclesia, nõ solùm vnum, vel aliud, sed quàm plurima sacrificia quotidie offerantur. Ita docent communiter Doctores, & insinuatur in capitul. Cùm creatura. de celebratione Miss. patet etiam ex Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis habet; cuius signum etiam est, quia, si absque sufficiẽte causa omittatur, non fiet sine graui scandalo fidelium. Hæc ergo obligatio per se pertinet ad rectores Ecclesiarum: nam, licèt ipsi non teneantur per se quotidie celebrare, tenentur tamẽ curare, vt non omnino desit in sua Ecclesia sacrificium: hoc est enim vnum ex muneribus, propter quod à fidelibus aluntur. Addit tamen Victoria in summa. nume. 95. si interdum hoc prætermittatur, non esse

esse peccatum mortale. Sed hæc licentia nõ est extendenda; nam res hæc multùm pertinet ad commune bonum fidelium; & ideò talis obligatio grauis est, vt bene significauit Soto in 4. dist. 13. q. 2. artic. 1. Quapropter, per se loquendo, non poterit prætermitti sine graui culpa, nisi fortasse ob vrgentem causam & rationabilem; hæc enim intercedere aliquando potest, sicut in alijs obligationibus positiuis. Addunt verò aliqui, in parochialibus Ecclesijs, si sit sufficiens sacerdotum numerus, dicendas esse duas Missas, vnam pro viuis, & aliam pro defunctis; ex dicto cap. Cum creatura. Veruntamen, vt Soto & Victoria notarunt, non est hæc obligatio augenda & multiplicanda, quia nullum extat sufficiens ius, ex quo colligatur: nam in illo ca. Cũ creatura: solùm dicitur, propter Missam defunctorum non esse omittendam conuentualem Missam de feria, neque è contrario, sed vtramque, si commodè fieri posit, dicendam esse; non tamen imponit absolutam obligationem quotidie sacrificandi pro defunctis.

Soto.

Quorundam placitum.

3. Conclusio.

Dico tertiò, Singuli sacerdotes, nec iure diuino, nec Ecclesiastico, tenentur quotidie celebrare, per se loquẽdo. Hoc etiam est per se manifestum, tum quia nullibi extat tale ius, tum quia multi sacerdotes pij & timorati, interdùm aliquo, vel aliquibus diebus sacrificium intermittunt: imò aliqui etiam hoc consulunt, ob maiorem sacrificij reuerentiam. Quin potiùs, non solùm non ex vi Ordinis, verùm etiam neq; ex vi Parochialis beneficij, est hoc necessarium; tum quia satisfaciet Parochus suæ obligationi, si curet, in sua Parochia per alium sacrificium fieri; tum etiam, quia, si solus ipse sit, non est cogendus omnino quotidie sacrificare: quia esset nimis rigida & onerosa obligatio: quamuis teneatur frequenter id præstare, imò & regulariter non omittere absque aliqua causa.

4. Conclusio. certa est, & Theologorum cõmunis.

Dico quartò, Per se loquendo, & seclusa speciali prohibitione Ecclesiæ, non solùm est licitum sacerdoti, quotidie sacrificare, verùm etiam ex se melius est, magisque consulendum. Est conclusio certa & communis Theologorum. Et probatur primò ex consuetudine Ecclesiæ, quam, & nunc experimur, & in antiquisimis Patribus, & historijs legimus. Andræas enim Apostolus, vt suprà retulimus, de se aiebat tyranno, *Quotidie immolo Deo agnum immaculatum.* Hyppolitus etiam Martyr, oratione de consum. mundi sic introducit Christum iudicem, ad sacerdotes Euangelicos loquẽtem. *Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die, noctéque obtulistis, ac pretiosum corpus & sanguinem meum quotidie immolastis*; & Augustinus, Epistola 23. *Nonne*, inquit, *semel immolatus est Christus in se ipso, & tamen in sacramento, non solùm per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur?* & Cyprian. Epist. 54. *Vt sacerdotes*, inquit, *qui sacrificium Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Gregorius etiam homil. 37. in Euangel. memorat sanctũ Casium, Narniensem Episcopum, *cui mos erat, quotidianus Deo hostias offerre, ita vt pene nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret.* Quam consuetudinem, Deum speciali reuelatione approbasse inferiùs narrat, dicens, *Nocte quadam cuidam eius Presbytero Dominum per visum astitisse, atque dixisse, Vade, & dic Episcopo, Age, quod agis; operare, quod operaris; non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & mercedem tuam.* Et ibidem narrat aliud miraculum, quod cuidam mulieri contigit, quæ singulis hebdomadibus sacrificiũ pro marito offerri faciebat, eiusque à captiuitate liberationem miraculosè obtinuit. Denique, quæ adduximus suprà ex Patribus de quotidiana communione, à fortiori procedunt de quotidiano sacrificio. De quo videri potest Chrysostomus, homilia 3. super ad Ephes. Secundò argumentor ratione, quia quotidie sacrificare, non ex natura sua malum, sed bonum; neque est aliquo iure positiuo prohibitum, vbi est enim tale ius? ergo est per se licitum. Maior patet, nam id cedit in cultum Dei, quem illi perpetuò debemus, & est consentaneum dignitati huius sacrificij, quod propterea iuge appellatur, Daniel. 12. Est etiam valde vtile fidelibus, qui plurimùm indigent fructu huius sacrificij: ergo est hoc per se honestum & licitum. Quin potiùs ratio facta concludit, quod in vltima parte assertionis dicebamus, quia, licèt laicis, regulariter non sit consulendum, vt quotidie communicent, sacerdotibus autem consulendum est, vt quotidie sacrificent: est enim id, per se loquendo, meliùs, nam munus sacrificandi, non est priuatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ; & ideò, dummodo indignus non sit, & moralem ac humanam diligentiam adhibeat, quamuis sit imperfectus, non debet ad hoc sacro munere cessare. Accedit etiam, quia, cum sit specialiter ad hoc munus consecratus, & habet proprium ac peculiare ius ad offerendum, & habet paratum speciale diuinum auxilium, vt sanctè conficiat. Per hoc tamen non intendimus negare, quominùs ex reuerentia & timore, aliquo die interdum hoc munus intermittere, posit esse, & bonum, & vtile, & alicui fortasse consulendum, iuxta diuersas personarum conditiones, & varias Spiritus sancti diuisiones gratiarum.

Andræas.

Hyppol. Mar.

August.

Gregor. Mag.

Miraculum quoddam narratur.

Chrysost.

Fideles plurimùm indigent fructu huius sacrificij.

Superest verò explicãdum, an in aliquibus anni diebus prohibitum sit per Ecclesiam, sacerdotẽ sacrificare. Solet autem de tribus dubitari; nam in reliquis omnibus certum est, nullam esse prohibitionem factam. Primus dies est feria quinta hebdomadæ sanctæ. Sunt enim qui existiment, eo die non licere singulis sacerdotibus Missam dicere, sed solùm esse in singulis Ecclesijs Missam solennem ab Ecclesiæ rectore, vel qui eius locum teneat, dicẽdam, in qua alij sacerdotes cum laicis communicent. Ita tenet Marcel. Francol. in lib. de Horis canonicis. cap. 30. qui pro hac sententia, neque alium autorem refert, nec expressam legem seu prohibitionem Ecclesiæ. Sola ergo Ecclesiæ consuetudine nititur, quam ex eo colligit, quòd, iuxta ordinem Romanum, antiquum, omnes Presbyteri & Diaconi vniuscuiusque Ecclesiæ de manu sui pastoris communicant in solenni Missa, vt patet ex ordine Romano. c. de Cœna Domini, & ex Alcuino, libr. de diuinis offic. capit. de Cœna Domini. Fuit autẽ hæc consuetudo conuenienter introducta primo, propter mœrorem, quem Ecclesia, illo præsertim die, repræsentare incipit. Secundò, vt officium illius diei sit solennius & celebrius. Tertiò, & maximè, propter repræsentationem Christi Domini, qui eo diẽ primam Missam celebrauit, & Apostolos communicauit: in huius enim facti memoriam solus primarius sacerdos celebrat, & reliquis sacramentum distribuit. Hæc tamen funda-

Dubiũ quoddam.

Marcel. Frãc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

menta debilia valde sunt ad affirmandum præceptum seu prohibitionem, sine expresso iure, & contra communem sententiam. Quæ mihi quidem certa videtur. Nimirũ, per se loquendo (id est, secluso scandalo, si alicubi fortasse sit, vel propter pusillorum ignorantiam, vel propter aliquam consuetudinem) licitum esse cuiuis sacerdoti, eo die sacrificare, quanuis prudens consilium sit, secretò & absq; concursu populi, propter aliquas ex congruentijs adductis, & alias, quas statim explicabo, id facere. Ita tenet Soto. distinct. 13. quæst. 2. art. 2. & Nauar. in summa, cap. 21. numer. 88. Angles in floribus. quæst. 8. de valore Missæ, artic. vltimo. alij verò antiquiores hoc in dubium non reuocarunt. Et probatur, quia circa hoc nulla est scripta lex expressè prohibens, vt constat; neque etiam est consuetudo, quę vim legis habeat; quia licèt multi sacerdotes eo die non sacrificent, tamé alij plures docti, pij, ac timorati sacrificant, sine vllo scrupulo, vt autem consuetudo obliget, oportet vt sit omnium, & nõ tantùm aliquorum. Rursus, qui omittunt, non id faciunt, quia existimant oppositum esse malum, sed vel ex deuotione quadam, vel certè ob nimiam illius diei occupationem, & alia impedimenta. Existimo enim, hoc cœpisse introduci, quoniam illo die ministri Ecclesiæ & templa ipsa occupantur, vel propter monumenti fabricam, vel propter omnia præparanda, quæ ad illius temporis officium sunt necessaria, vel quia magna pars Christiani populi eo die communicat, & necessarium est, sacerdotes in audiendis confessionibus occupari: verisimile etiam est, hoc introductum esse propter solennitatem, vel repræsentationem, vt dicebamus: id tamen potiùs factum est consilio ac voluntate Prælatorum, quàm rigorosa prohibitione; nulla est ergo consuetudo, quæ talem prohibitionem sufficienter indicet. Tandem, nullum est peculiare mysterium, quod eo die ab Ecclesia celebretur, & repræsentetur per cessationem sacrificiorum singulorum sacerdotum, sicut fit in feria sexta; nam institutio ipsius mysterij, & Dominica cœna sufficienter repræsentatur in Missa, præsertim solenni, in qua sacramentum populo dispensatur: neque impeditur hæc repræsentatio, nec ferè minuitur, propterea quod alij sacerdotes sacrificent, & non communicent in Missa solenni: præsertim, quia Apostoli, non vt sacerdotes, sed vt laici, communicarunt: nondum enim erant sacerdotes, quando communicarunt: priùs enim Christus illis sacramentum dedit, & posteà dixit; *Hoc facite*: nulla ergo est sufficiens ratio ad hanc prohibitionem faciendam, nedùm vt credamus, consuetudine fuisse introductam.

Soto. Nauar. Angles.

Secundus dies est Parasceues, seu feria sexta maioris hebdomadæ. Quo die certum est, Ecclesiastico iure esse prohibitum sacerdotibus, offerre sacrificium, quod ius Innocentius I. declarauit, Epistola 1. ad Decentium, cap. 4. & habetur in cap. Sabbatho. de consecrat. distinct. 3. vbi æqualiter sermo est de Sabbatho sancto, & de feria sexta, cũ tamen non sit de vtraque die eadem certitudo, vt statim videbimus, nihilominùs tamen de feria sexta autores omnes sine controuersia ita docent, & decretũ illud vim suam retinet; & omnes, qui scribũt de diuinis officijs, referunt, hanc esse antiquissimam traditionem, qua non solùm priuata sacrificia, sed etiã solenne & publicum omitti consuecit; vt enim in superioribus diximus, officium illius diei non est sacrificium. Denique D. Thom. hic ad 1. rationem affert huius prohibitionis, scilicet, quia illa die passio Domini ab Ecclesia recolitur, prout realiter gesta est, & ideò non repræsentatur mysticè per consecrationem huius sacramenti. Alias congruentias adducit Durandus in rationali, lib. 6. c. 77. Rogabis obiter, an eo die liceat communicare laicorum more. Marcellus suprà dicit, esse prohibitũ, nisi tantùm ob necessitatẽ viatici. Fundatur in verbis Innocent. dict. capit. Sabbatho: ait enim eo die sacramenta penitus non celebrari. Item, quia in officio illius diei, solùm præcipitur, seruari sacramentũ pro infirmis. Sed quia alij authores nihil de hac prohibitione dicunt, & prædictis fundamentis non satis probatur, existimo probabilius, licitum esse, per se loquendo, eo die communicare; nam cùm hoc sit per se bonum, & prohibitio non probetur, non est, cur tanquam malum damnetur. Etenim Innocentius in eo capite manifestè loquitur solùm de sacrificio: *nam celebrare sacramenta*, non est propriè ministrare Eucharistiam, sed conficere. Quòd autem iubeatur seruari Eucharistia pro infirmis (etiam si id gratis demus) non ideò est, quia illis solis licitè possit dispẽsari; sed quia illa fuit causa maximè necessaria seruandi sacramentum. Addo tamen ex Amalario, lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 11. non solùm pro infirmis, sed etiã, *pro his omnibus, qui sequenti die communicare voluerint, sacramentum in die Cœnæ Domini reseruari*. Durand. verò, lib. 6. cap. 75. dicit, seruari pro infirmis *& religiosis* (fortasse non tantũ statu, sed actu & pietate) qui communicare voluerint. Vnde in ordine Romano antiquo, in officio diei Parasceues, in fine eius dicitur, *& communicent omnes cum silentio*. Et Gregor. Magn. in lib. sacramẽtorum (vt Pamelius refert in liturgijs Latinis) dicit, *Communicet sacerdos & omnis plebs*. Olim ergo non solũ non erat prohibitio, verũ potiùs opposita consuetudo. Dices, per non vsum introductã esse prohibitionem. Respondeo, falsum id esse: tũ quia sola negatio actus inualidissima est ad introducendam legem, tum etiam, quia ille non vsus, solũ introductus est, quia omnes ferè communicant feria quinta, & quotidiana communio iam abijt in dissuetudinem, ideòque nullus iam communicat feria sexta. Ad quod etiam confert, quòd regulariter nõ poterit commodè fieri.

D. Thom. Innocent. Amalarius. Durand. Greg. Mag. Pamelius. Obiectio soluitur.

Tertius dies est Sabbathi sancti, de quo maior est dubitatio, quia in dicto capitulo Sabbatho. eisdem prorsus verbis dicitur, in illo die sacramenta penitus non celebrari, sicut in feria sexta. Propter quod Nauarrus, capitul. 25. num. 88. & Marcel. suprà, simpliciter docent, esse peccatum mortale, in illo Sabbatho aliam Missam dicere, præter vnam publicam, & solennem in singulis Ecclesijs: quia illud antiquum ius, nec contrario iure abrogatũ est, neque etiam cõsuetudine, nisi solũ quoad publicum officium: ergo, quoad reliqua, vim suam retinet: nam à iure antiquo non licet recedere, nisi quatenus, vel alio iure, vel consuetudine abrogatum est. Et confirmatur; nam in Missa illius diei nullus ponitur introitus pro Missis priuatis: ergo signum est, supponi, non esse dicendas: neque enim sine introitu dicendæ sunt. Vnde in vigilia Pentecostes, quæ solenne officium habet, simile officio Sabbathi sancti, assignatur peculiaris introitus pro Missis priuatis, quia eo die dicendæ sunt:

sunt: ergo è contrario, quia in Sabbatho sancto non sunt dicendę, ideò nõ assignatur. Nihilominùs alij existimant, non esse peccatum mortale, eo die priuatim celebrare, præsertim ab ea hora, in qua iam incipit, vel incipere potest solenne & Paschale officium: censent enim, hoc ipso, quòd antiqua prohibitio abrogata est quoad solenne officium, cessasse etiam pro eodem tempore quoad omnia sacrificia, & ideò per se licere, secluso scandalo. Ita opinatur Soto, distinct. 13. quæst. 2. artic. 2. quẽ alij moderni scriptores, & multi viri docti ac timorati sequũtur, etiam in praxi & vsu: quia non est maior ratio de Missa publica, quàm de priuata, vel quia iã consuetudo ad vtramque extenditur, vel certè, quia ex vi prioris consuetudinis cessauit ratio illius prohibitionis, non tantùm in particulari, sed etiam in generali: quando autem hoc modo cessat finis & ratio legis, cessat etiam obligatio, vt ex materia de legibus constat: assumptum declaratur, nam olim per totum diem Sabbathi Ecclesia repræsentabat requiem Christi in sepulchro, & solitudinem suã; & erat quasi in mœrore posita, Christi resurrectionem expectans, & ideò toto illo die, vsque ad mediam noctem, & initium Dominicæ diei, ab oblatione sacrificij cessabat: posteà verò anticipauit tempus illud, & ab illa hora, in qua officium Sabbathi sancti celebrat, incipit iam cum gaudio & alacritate recolere Christi resurrectionem; ideòque iam ab illa hora, cessauit etiam ratio, ob quam poterat sacrificium prohiberi: reuocata ergo priori consuetudine, censetur etiam reuocata generaliter prohibitio sacrificandi. Est ergo hæc opinio satis probabilis, & practicè secura, non tamen consulerem vsum illius, nisi in aliquo casu cum causa, vel occasione rationabili, & scandalum omne diligenter vitando.

Soto. Albert. Pap. II. Innocent. Honor. III.

SECTIO III.

An, & quomodo liceat, eodem die plures Missas facere.

PRimò certum est, communi ac ordinario iure non licere sacerdotibus, nisi tantùm semel in die sacrificare: hoc autem ius non est naturale, etiam supposita institutione sacrificij, quia nõ sequitur intrinsecè ex illa; neque est diuinum, quia neque in Scriptura habetur, neque traditione constat, esse à Christo latum, sicut de vsu communionis suprà diximus: nam hic est eadem & maior ratio: sed est præceptum Ecclesiasticum, quod primũ latum est ab Alexandro II. in cap. Sufficit de consecratione, distinct. 1. *Sufficit sacerdoci*, inquit, *vnam Missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: non modica res est, vnam Missam facere, & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest*. Quòd verò verbum illud, *sufficit*, in vi præcepti intelligendum sit, ita vt hoc solùm liceat, verba sequentia declarant; *Qui verò pro pecuniis aut adulationibus secularium, vna die præsumunt plures facere Missas, non æstimo eundere damnationem*: hoc autẽ præceptum in eodem sensu confirmarunt Innocent. III. in capitul. Consuluisti. & Honorius III. in capitul. Te referente. de Celebratione Miss. vb Honorius addit, hoc esse intelligendum *de quocunque sacerdote, quamcunque dignitate præfulgeat*. Denique Ecclesiastica consuetudo præceptum hoc satis confirmauit: ex quibus decretis duplex ratio huius præcepti sumitur. Vna est mystica, scilicet, ad repræsentandam sufficientiã vnici sacrificij cruenti Christi Domini. Secunda est moralis, nimirùm, quia, supposita hominum fragilitate, & cura ac solicitudine humanarum rerum, vix possunt homines dignè se ad vnum sacrificium præparare, & ideò, vt maiori cum reuerenti sacrificent, meritò eis præscribitur, vt semel tantùm vno die sacrificent, vt etiam hic D. Thom. ad 5. docuit, & in hoc conueniunt omnes Doctores.

Innocent. I.

Secundò notandæ sunt aliquæ exceptiones huius præcepti. Prima habetur in dicto capitulo Consuluisti, quæ est de die Natiuitatis, in qua licitum est sacerdotibus, tres Missas dicere ex decreto Telesphori Papæ, in Epistola decretal. capitul. 2. in capitul. Nocte sancta. de Consecratione. distinct. 1. vt citat Glossa in dicto capitulo Consuluisti, tamẽ ibi Telesphorus nihil dicit de numero Missarum, sed tantùm dicit, ea nocte licere; Missam facere ante diem, & hymnum, *Gloria in excelsis*, decantare; quia illum eadem nocte Angeli cecinerunt. Neque de hoc numero scriptum aliquod decretum inuenio: imò neque Innocentius illum ponit, sed absolutè dicit, excepto natiuitatis die. Vnde videtur id supponere ex consuetudine Ecclesiæ, cuius rei causas & mysteria explicat Diuus Thomas hic in solutione ad 2. scilicet, vt per tres Missas triplex Christi generatio indicetur, scilicet, æterna ac diuina, temporalis & humana, & spiritualis, qua oritur tanquam lucifer in cordibus nostris. Glossa verò in dicto capitu. Consuluisti, dicit, per has tres Missas significari tres status hominum, ante legẽ, sub lege, & post legem seu in lege gratiæ. Hic verò occurrebat dubium de hora, in qua licitum est, has tres Missas dicere, sed hoc tractabitur commodiùs sectione sequente.

Exceptiones aliquæ cumsdam præcepti, Telesph. Pap.

Secunda exceptio fit in dicto capit. Sufficit, his verbis. *Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit.* Ex quo colligit Glossa in dicto cap. Consuluisti. Si quis priùs de die celebrauit, & posteà contingat, aliquem mori, posse etiam pro illo celebrare: imò inferiùs addit, verbũ, *Sufficit*, non continere expressam prohibitionem, & ideò simpliciter posse celebrari vnam Missam de die, & aliam pro defunctis. Sed de priori casu particulari dicemus statim, secundum autem genere dictum, in quo significatur, hoc esse absolutè licitum, absque alia causa, est contra omnes Doctores, & planè falsum; & contra mentem Alexandri: qui, vt notauimus, satis explicuit, hoc esse præceptum, comminando damnationem transgressoribus: & addendo illa verba, *si necesse fuerit*, satis etiã declarauit, hoc simpliciter non licere, sed in casu necessitatis, quanta verò debeat esse hæc necessitas, declarabitur statim.

2. Exceptio.

Tertia enim exceptio generaliter fit ab Innoc. his verbis, *Nisi causa necessitatis suadeat*. vbi Glossa hoc extẽdit ad causam honestatis, vel vtilitatis, & in particulari hoc explicat in aliquibus casibus. Primus est suprà cõmemoratus de morte alicuius superuenientę, postquam sacerdos semel sacrificauit; quem aliqui ita intelligunt & limitant, scilicet, si oporteat, statim sepeliri defunctũ, & iuxta consuetudinem debeat Missa præcedere seu cantari. Palu-

3. Exceptio.

Primus casus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dan. verò hoc ampliat, quoties post factam Missam de die, occurrat causa rationabilis dicendi pro defunctis, vt si Parochianus petat anniuersarium. Secundus casus illius Glossæ est, si, dicta Missa, superueniat aliqua magna persona, quę velit Missâ audire. Quem casum alij autores admittunt, & intelligunt habere locum, etiam in diebus profestis: nam in diebus festis, pro quibuscunque peregrinis existimant, licere. Tertius casus addi solet, si occurrat necessitas communicandi infirmum. Quartus, si necessarium sit ad benedicendas nuptias, ne id fiat sine sacro. Quintus, si eodem die occurrat duplex officium, verbi gratia, vnum de festo, & aliud de vigilia, vel rogationibus: & hunc significauit Diuus Thomas hic, ad secundum, vbi post exceptionem noctis Natiuitatis, subdit, *Sicut etiam & in alijs diebus, in quibus occurrunt plura Dei beneficia, vel recolenda, vel expetenda, plures Missæ celebrantur in die, putà, vna pro festo: & alia pro ieiunio, vel pro mortuis.* Sextus casus est, quando sacerdos habet duas Ecclesias Parochiales, & non potest commodè habere coadiutorem; & in vtraque est populus, qui auditurus est Missam. Atque hos casus numerat Paludanus in 4. distinctione 12. quæstione 1. articulo 4. quem imitatur Antonin. 3. parte. titul. 13. capitul. 6. §. 4. & 5. ac ferè Soto, distinctione 13. quæstione 2. articulo 2. Turrecrem. dicto capitulo, Sufficit. & Durandus in rationali, libro 4. capitulo 1. Nauarr. in summa, capitulo 25. numero 87. Septimum casum addunt Syluester, verbo, Miss. 1. quæstione 7. & Angelus, §. 46. Victoria, numero 96. scilicet, si sit consuetudo in Ecclesia, vt duo fiant sacra à duobus sacerdotibus, & contingat, alterum ægrotare; nam tunc aiunt, posse alium supplere, & duas dicere. Denique alij addunt casum octauum, scilicet, si propter paupertatem Ecclesiæ vel sacerdotis, iudicio prudentium id censeatur necessarium. Nonum addit Durantus, libro 2. de ritibus Ecclesiasticis, capitulo 7. ex Leone Papa, Epistola 81. ad Dioscor. scilicet, si ob solennem festiuitatem tam numerosus est populi conuentus, vt vna Basilica eum simul capere non possit, nam tunc sacrificij oblatio iteratur ab vno sacerdote, si alij desint, nec hi tantùm, qui primi aduenerunt, ad sacrificium recipi videantur, & cæteri excludi. Imò refert ex Strabone de rebus Ecclesiasticis, capit. 21. eundem Leonê vna die septies ac nouies hac de causa Missarum solennia celebrasse.

Vt autem de huiusmodi casibus aliquod ponamus practicum ac morale ferre iudicium, supponendum est, nullum sacerdotem posse vllam Missam dicere, nisi sit ieiunus, vt suprà latè dictum est de communione huius sacramenti, quod de sacrificante adeò verum est, vt is, qui vinum, vel aquam, quæ ad purificandum calicem infundi solent, acceperit, non possit aliam Missam dicere, vt præscribit Innocentius III. in capitulo, Ex parte. de celebratione Missarum. Secundò obseruare oportet dupliciter posse sacerdotem bis sacrificare, primò ex directa, & præconcepta intentione, nimirum, quia, cùm vnam Missam dicit, habet animum dicendi aliam. Secundò, ex subsequente tantùm voluntate ob repentè natam occasionem, vel nouam rationem consideratâ post dictam primam Missam. Hoc igitur posteriori modo moraliter loquendo, non potest casus accidere, in quo post vnâ Missam liceat, aliam dicere: quia, quandocunque sacerdos celebrat absque animo iterum celebrandi, sumit calicis purificationem: non ergo potest iterum celebrare. Hinc ergo excluduntur nonnulli ex prædictis casibus, nam primus locum non habet; supponit enim casus accidisse occasionem pro mortuo sacrificandi. Dices, potuisse præuideri periculum mortis futuræ, & ob eam causam non esse sumptum vinum perfusionis. Sed contra, nam, si præuisa fuit occasio, non debuit priùs sacrificari, sed expectari tempus, in quo illi necessitati satisfaciat, & idem argumentum fieri potest in quolibet casu simili: quia quandocunque potest sacerdos, differendo paululum sacrificandi tem, vna Missa occurrere pluribus necessitatibus, non est, cur illi demus licentiam bis sacrificandi. Sed dicetur, occurrere posse necessitatem non differendi sacrificium expectando nihilominùs, an infirmus moriatur, necne; ergo licebit tunc statim sacrificare ad satisfaciendum populo, verbi gratia, volenti audire Missam, vel ob aliam similem causam; & nihilominùs præcauere à sumptione ablutionis, vt subueniat necessitati proximi, si fortè paulò post moriatur. Sed in primis huiusmodi casus cum tot circunstantijs vix potest moraliter occurrere; &, quanuis illum admittamus, iam tunc non est sola vna necessitas causa, prout in illo casu dicebatur, sed duplex, vna ad non differendum, alia ad iterum sacrificandum; & fortasse sola occasio mortis alicuius personæ non est sufficiens causa ad Missam iterandam: quia neque propter solennitatem, & pompam sepulturæ; illa enim per se non est causa grauis, cùm sæpè fieri soleat post prandium & sine sacro; neque etiam propter suffragium: quia id fieri poterit subsequente die, nec necesse est, vt quàm citissimè fiat: alioqui etiâ liceret tribus & quatuor sacrificijs eodê die, mortuo succurrere, nec totidem diebus suffragia differrantur. Atque idem discursus fieri potest in secundo casu: in quo adhuc leuior causa ponitur, quæ re vera per se non sufficit ad iterandum sacrificium, vt cum Turrecremata notauit Durantus suprà, quia illa non est vera necessitas. Quod enim inconueniens est, si Episcopus, vel alia persona nobilis Missam non audiat, quia nullus adest sacerdos, qui iure possit illam dicere? Et idem ferè est de tertio & quarto casu. Quocirca hæc tot casuum enumeratio solùm est arbitrio horum autorum multiplicata: quia fortasse ob sacerdotum penuriam existimabatur, prohibitionem hâc bis in eodem die sacrificandi non tam rigorosè obligare. Si autem consideremus verba legis, quæ causam necessariam postulant, & præsentem consuetudinem, & moralem praxim, quatuor primi casus vix possunt venire in vsum. Quintus verò aliquâdo habebit locum, vt, verbi gratia, si sit dies Paschæ solennis, vel similis festiuitas, & in eo oporteat, dicere Missam pro defunctis tunc, si vnus tantùm sit sacerdos, erit sufficiens ratio, vt rursus Missam diei post Missam defunctorum dicat; quia nullus esse potest casus necessitatis moralis, in quo magis hoc liceat, quàm in prædicto; & tamen Alexander Papa dicit, in casu necessitatis licere, vnam Missam diei dicere, & aliâ de defunctis; & ita etiâ posset, quoad hanc partem, exponi Diuus Thomas ibi citatus, quanquam, vt Soto notat, Diuus Thomas ibi non loquitur de pluribus Missis dicendis ab eodem sacerdote, sed solenniter à Clero, vel vel Conuentu.

Sextus autem casus de pluribus parochijs est proprius, ac ferè solus in vsu. Solùm addo, in eo casu non tantùm duas, sed etiam tres Missas dici posse, si eadem sit proportionalis necessitas: quod tamen dicti autores sine causa generaliter negant, dicentes, bis Missam dicere, interdùm licere, ter verò, nunquam: cuius rei nullam rationem adducũt, cùm tamen iura indifferenter loquantur de pluralitate. Quocirca, non solùm in hoc casu, sed etiâ in quocunque, si eadem grauis causa, vel necessitas occurrat ad tertiam Missam dicendâ, quæ ad secundam, æquè licebit, quia lex & exceptio est eadem, solùm ergo poterit esse differentia, quia non tam facilè occurret necessitas dicêdi tertiam Missam, sicut secundam. Sed quæri potest, an hic sextus casus extêdêdus sit ad dies feriales, vel limitandus ad festos. Videtur enim in his tantùm occurrere vera necessitas. Autores in hoc nihil dicunt, mihi tamen videtur, si in vtraque Parochia sit sufficiens populi multitudo, non esse hoc limitandum ad dies festos; & ad necessitatem præcepti audiendi Missam: quia satis est grauis causa, quod populus non priuetur suo sacrificio, & opportunitate audiendi Missam. Videtur ergo hoc licitum in quocunque die. Erit autem optimum consilium, seruare consuetudinem, quæ in his rebus magnam vim habet. Aliud verò dubium circa hûc casum interrogatum est de sacerdote habente plures parochias, si feria quinta Cœnæ Domini in singulis sacramentũ in monumento reponat, quomodò in feria sexta vtrumque consumet: & est ratio dubij, quia in feria sexta non cõsecrat sanguinem, sed sumit vinum cum particula hostiæ consecratæ in illo immissa; vnde fit, vt non maneat ieiunus ad consumendum sacramentum in alia parochia, quid ergo faciet? Quidam dicunt, posse tunc secundò communicare post vini sumptionem, ne, vel alteram Parochiam priuet Missa, seu officio illius diei, & solennitate monumenti vel Ecclesiasticas ceremonias prætermittat. Sed hæc licentia est contra commune ius, & nulla autoritate vel consuetudine nititur; & ideò nullo modo probanda est. Debet ergo sacerdos, si solus sit, & adiutorem non habeat, eo die solùm in vna Parochia principaliori, monumentum erigere & officium illius diei perficere, neque propterea alia Ecclesia patietur graue aliquod incommodum: nam facilè possunt eo die omnes Parochiani ad vnam Ecclesiam principaliorem conuenire. Sed quid: si priùs non præuidit sacerdos impedimentum, & in vtroque loco sacramentum reposuit in monumento, & postea, visa difficultate, perplexus est. Respondetur, si nondum peregit officium in altera Parochia, posset non sumere vinum in priori officio, neque illud in calicem mittere, sed solam particulam hostiæ: quia illa ceremonia non est adeò essentialis. Si autem iam sumpsit vinum, in altera Parochia non peragat officium, sed recondat sacramentum in sacrario. Septimus autem casus mihi videtur insufficiens, quia causa illa valde leuis est. Octauus autem reprobatus videtur ab Alexandro, dum specialiter hoc prohibet fieri propter lucrum. Nonus autem mihi videtur per se valde probabilis, quanuis Leo Papa non loquatur apertè de eodem sacerdote.

SECTIO IIII.

Qua hora licitum sit Missæ sacrificium offerre.

SVpponendum est, diem naturalem, in quo semel tantũ sacrificare licet, iuxta dicta in præcedente sectione, à media nocte vsque ad mediam noctem computandam esse, vt constat ex Ecclesiæ consuetudine, & ex præcepto ieiunij, vt suprà, tractando de vsu communionis, tactum est. Deinde sumendum est vt certum, ex eadem consuetudine Ecclesiæ, & ex iuribus infrà citandis, non omnes partes huius diei naturalis esse indifferentes, seu libere permissas ad sacrificandum: quia, ex se ac regulariter loquendo, neque nocturno, neque etiam toto vespertino tempore, licitum est, Missam dicere; & ideò oportet in primis duos terminos designare intra hoc tempus naturalis diei, intra quos debeant Missæ, vel inchoari, vel finiri. Deinde declarandum erit, an intra illos terminos sint aliquæ horæ specialiter deputatæ ad Missam dicendum.

Dico primò, Initium autoræ est terminus, ante quem regulariter non licet Missam inchoari. Ita Diuus Thomas hic, ad 4. distinctione 13. quæst. 1. ar. 2. & ibi reliqui Doctores, Alexand. Alens. 4. part. quæst. 36. membr. 2. D. Antonin. 3. part. titu. 13. cap. 6. §. 4. Gabr. lection. 14. in Can. & omnes Summistæ, verbo Missa; & patet ex consuetudine Ecclesiæ, & ex regulis Missalis. Ratio vero mysticа redditur, quia in hoc sacrificio offertur Christ⁹, qui est candor lucis æternæ, & de se dicit, Ioann. 9. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Item, quia hoc sacrificium est legis gratiæ, in qua diuina claritas illustriùs communicatur. Literalis autem seu humana ratio esse videtur, quia ante illud tempus, communiter loquendo, non sunt homines conuenienter dispositi ad huiusmodi religionis opus, quod publicè & cum debita reuerentia fieri debet; & fortasse etiam hoc factum est, ne ex nocturnis conuenticulis ad Missam dicendam, superstitionis occasio sumeretur.

Sed quæri potest primò, an, sicut ante illum terminum sacrificare non licet, ita ab illo liceat. Et ratio dubitandi sumi potest ex Telesphoro Papa, in Epistola decretali, cap. 2. vbi dicit, *Missas non esse celebrandas ante horam tertiam diei, quia & illa hora Dominus crucifixus est, & ad Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur.* c. Nocte sancta de Cõsec. d. 1. At verò hora tertia longè distat ab initio auroræ per quatuor horas vel circa. Respõdetur nihilominùs ab illo puncto diei licitum esse Missam dicere. Ita D. Tho. & reliqui Doctores, & sufficiẽter id probat Ecclesiæ cõsuetudo: imò sequitur planè ex præcedente assertione, sine causa enim assignaretur autora, vt terminus, ante quẽ nõ licet sacrificare, nisi ab illo liceret. Ratio verò est, moralis quidẽ seu literalis, quia totũ illud matutinũ tẽpus est aptissimũ ad huiusmodi ministeriũ: est etiã tempus lucis, & ideò etiã mystica ratione aptũ est, vt in eo Christ⁹, qui lux vera est, offeratur. Decretũ autẽ illud Telesphori exponi in primis põt à Missis diei solẽnib⁹,

seu conuentualibus, de quibus est peculiaris ratio, vt infrà dicam. Deinde, si generatim intelligatur, dicendum est, per contrariam consuetudinem esse reuocatum, & fortasse olim Missæ tardiùs inchoabantur, quia, & minor erat numerus sacerdotum, qui poterant paucioribus horis Missas absoluere: erat etiam maior fidelium deuotio, vt quacunque diei hora, intermissis etiam priuatis operibus seu laboribus, ad Missam audiendam conuenirent: faciliùs etiam ieiunabant, tardiusque prandebant, & ita, licèt Missæ tardiùs inchoarentur, poterant faciliùs ante prandium absolui: nunc autem, & sacerdotum numerus maior est, & aliæ circunstãtiæ magna ex parte sunt immutatæ; & ideò mirum non est, quòd tempus etiam dicendi Missam fuerit anticipatum. Quod si ad repræsentationem passionis Christi attendamus, non deerit congruentia: quia Christus summo mane oblatus est Pilato & Gentibus; & ideò ex tunc quodammodo morti tradi incepit.

Aliud quæsitum.

Secundò inquiri potest, quid nomine auroræ intelligendum sit, Diuus Thomas & autores omnes docent, non esse per auroram intelligendum ortũ solis, id est, ascensum corporis solaris supra nostrũ horizontem, sed initium crepusculi diei, seu primam lucis irradiationem. Hinc Gabriel suprà cum Scoto in 4. distinctione 13. quæstione 1. dicunt, licitum esse inchoare Missam vna hora, & quarta parte alterius ante ortum solis. Sed nimis est ad rem moralem mathematica hæc mensura: nõ enim possunt res morales tam indiuisibiliter præscribi, præsertim, quia crepusculum diei non semper est æquale, non erit ergo peccatum, hora & dimidia ante ortum solis sacrificare: imò addit Paludanus suprà, quæst. 2. & clariùs Victoria in sua summa, numero 97. posse licitè inchoari Missam dimidia hora ante crepusculum, ita vt finis Missæ sit sub initium crepusculi, plus minusve. Et hoc est in praxi seruandum.

Gabr. Scotus. Quæsito satisfit. Palud. Victoria.

Quæsitum. Responsio.

Tertiò inquiri potest, an sit aliqua exceptio ab hac generali regula. Prima & certa est de nocte Natiuitatis, quæ est indubitata quoad primã Missam, quæ inchoanda quidem non est ante mediam noctem: quia antea non incipit dies natalis Domini, neque ante illam horam natus est Christus, vt in superiori tomo ostendi, ab illa tamen hora, completo matutino, dici potest iuxta Ecclesiæ consuetudinem. Tamen de secunda & tertia, est res dubi, nam ferè omnes censent, priuilegium illud esse limitatum ad primam Missam, & ideò non licere, cæteras anticipare ante certam horam. Ita Syluester, Angelus, Tabien. Armilla. verbo, Missa, Nauarrus in summa, capitul. 25. numero 87. & Diuus Thomas hic, ad quartum, in singulari dicit, *In nocte Natalis Domini Missa celebratur*, non dicit Missæ. Huius autem sententiæ nullum in iure fundamentum reperire potui: nã in dicto capitul. Nocte sancta, nec de prima Missa, nec de Missa in singulari sermo est, sed absolutè dicitur, *Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent Presbyteri*: cur ergo limitabimus hoc priuilegium ad primam potiùs, quam ad cæteras Missas? Præsertim, quia statim subditur, reliquis verò temporibus nõ esse Missas ante diem celebrandas: ergo non solùm vna Missa illius festiuitatis, sed absolutè tempus illius noctis excipitur, vt in eo possint Missæ celebrari. Accedit, quòd Platina in vita Teleph. sic inquit, *Statuit, vt in Natali Iesu Christi, noctu tres Missæ celebrarentur*: prima in dimidio noctis, quando Christus in Bethleem nascitur; secunda, illucescente aurora, quando à pastoribus agnitus est: tertia, eadem hora diei, qua nobis dies redemptionis & veritatis illuxit. Quæ distributio ab ipso Platina accommodata videtur: nam in Decreto Pontificis non continetur. Vnde solùm fuisse videtur ab eo statutum, vt tempore nocturno possint illę tres Missæ inchoari. Quòd autem necessariò debeant interrumpi, & post finitam primam Missam expectari lux diei, vt secunda inchoetur, hoc non legitur ab eo statutum, nec videtur posse colligi ex illo mysterio, seu repræsentatione pastorum: nam vnde constat, eos non venisse ad Christum adorandum ante lucem diei? Ex textu enim Euangelico colligi non posset; nam Lucæ 2. dicitur Angelus apparuisse pastoribus custodientibus vigilias noctis super gregem suum, & statim subditur, eos festinantes iuisse ad videndum Verbum sibi reuelatum. Deinde, neque ex officio illius secundæ Missæ colligi potest, non posse dici tempore noctis; nam introitus eius sic incipit, *Lux fulgebit hodie super nos*: quæ verba proprijssimè videntur posse dici tempore nocturno, quin potiùs, etiam de tertia Missa ait Diuus Thomas hic, ad secundũ, posse ad generationem æternam accommodari; quia in ea Euangelium dicitur de æterna generatione; & hac ratione poterit dici in nocte, quia illa generatio, quantum ad nos, est occulta, & in diuina caligine; vel, si referatur ad natiuitatem temporalé, quia introitus incipit, *Puer natus est nobis, &c.* etiam illa noctu perfecta est: ergo hac ratione non repugnabit, etiam tertiam Missam noctu dicere. Denique esse potest congruentia: quia tota illa nox propter Christi claritatem dies ab Ecclesia reputata est, & ideo facultatem nobis fecit, Missam ea nocte dicendi: ergo non est, cur limitemus hoc priuilegium, sed ex quo tempore possunt ea nocte tres Missæ inchoari, censendum est iam absolutè illud esse tempus legitimum ad sacrificandum; & consequenter, finita prima Missa, posse inchoari secundam sine respectu ad lucem auroræ. In hac re verum esse censeo ex primaria institutione huius ceremoniæ intentionem Ecclesiæ fuisse, vt prima Missa dicatur post mediam noctem; secunda in aurora; tertia in plena luce, vt hic Diuus Thomas dicit ad secundum. Vnde, solùm in prima Missa dicitur, *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*; in secunda autem & tertia dicitur, *& diem sacratissimum celebrantes*; & ita est in Missis solennibus obseruandum, ad quas præcipuè respicit institutio, & horarum distributio. Nihilominus tamen in Missis priuatis existimo, hoc nõ esse sub præcepto necessarium, sed quouis tempore, in quo prima Missa legitimè absoluitur, posse inchoari secundam, & consequenter tertiam Missam: quia, neque ex iure potest aliud præceptum satis ostendi, vt declaratum est, neque ex consuetudine: nam potius regulariter ita fit sine scrupulo; neque ex ratione, quia iam illud tempus designatum est, vt legitimum ad sacrificandum; & non est res admodum grauis, vel necessaria, in Missis priuatis seruari illam temporum distributionem, quod ferè in alijs horis, vel officijs Ecclesiasticis semper ita seruatur. Item, nã, si quis fortasse nõ posset Missam festiuitatis ea nocte dicere, posset pro sua deuotione dicere Missam de Beata Virgine, eamque posset noctu dicere, & similiter, qui non posset dicere tres Missas, sed tantum vnam, posset pro deuotione sua dicere tertiã, omissis prima & secunda, eãq; noctu dicere posset quia priuilegium non est limitatum ad officium primæ Missæ: ergo eadem ratione, quanuis quis dixerit primam Missam, poterit consequenter dicere secundam & tertiam, quanuis nox duret, quia etiam non est priuilegium limitatum ad vnam tãtum Missam. Vnde non refert, quod in secunda & tertia Missa dicatur, *Et diem sacratissimum celebrantes*, tum quia à tempore noctis computatur totus ille dies naturalis, tum etiam, quia verba non semper referuntur ad tempus, in quo dicuntur, sed ad tempus, pro quo præsentando & commemorando dicuntur: sicut (& est optima confirmatio totius sententiæ) in prima etiam Missa dicitur; *Et noctem sacratissimam celebrantes*: & nihilominus, quoad Missas priuatas non est necesse semper eam Missam noctu dicere, sed absque vllo peccato dici potest in plena luce: ergo similiter fieri potest è conuerso. Est ergo hæc sententia satis probabilis & secura.

Lucæ 2.

D. Thom.

Sententia autoris.

Syluest. Angel. Tabien. Armill. D. Thom.

Platina.

Secunda exceptio esse potest de nocte resurrectionis, in qua iuxta antiquam consuetudinem Missa noctu dicebatur: quoniam Dominus noctu resurrexit; imò ait hic Diuus Thomas ad 4. illam Missam dici solitam circa noctis principium, ex cap. Solenn. de Consec. d. 1. c. Quod à Patribus. d. 75. quod intelligendum est, quantum ad prophetias, & alias ceremonias, quæ illa nocte fiebant ante Missam: nam Missa ipsa non inchoabatur ante dimidiã noctem: quia neque Christus Dominus antea resurrexit. Nunc vero iam illa consuetudo cessauit: dicitur q; illa Missa in Sabbato sancto paulò ante meridiem. Quapropter non censeo, iam esse licitum illa nocte facere sacrum ante consuetum tempus auroræ: quia iam consuetudo cessauit, quod maximè verum est de Missis priuatis nam Missæ solennes in aliquibus locis adhuc consueuerunt cantari nocte illa: curandum vero est, vt id semper fit circa initiũ auroræ, maxime ob motum proprium Pij Quinti statim citandum.

3. Exceptio.

Tertia exceptio generalis nulla est, sed ex priuilegio aliquibus concessum est, vt vna vel duabus horis ante auroram celebrare possint; quæ priuilegia semper sunt intelligenda secundum anticipationem totius temporis in priuilegio concessi ad totum tempus illud, in quo sine priuilegio potest Missa legitimè dici. Itaq; si priuilegium concedit vnius horæ anticipationem, poterit Missa inchoari tribus horis ante ortum solis, cum sine priuilegio possit inchoari duabus horis ante solem. Et ratio est clara, quia priuilegium tantum operatur, quantum sonat. Hæc autem priuilegia non sunt generalia, aut in iure contenta, sed vel personalia, vel regularia (vt sic dicã) & ideo non cadunt sub scientiam, sed vnusquisque scire debet, quo priuilegio vti sibi liceat. Non omittam autem aduertere, Episcopum hoc frui priuilegio, quod, dum iter agit, potest Missam ante auroram dicere; vel altari concedere, vt eam sibi dicat, quod notauit Glossa in cap. vlt. de priuilegijs in sexto, quãuis id nullo iure probet, nam in illo textu solùm eis conceditur priuilegium, vt possint deferre secum altare viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrare in quocunque loco non interdicto: Glossa vero extendit priuilegiũ etiam ad tempus, quia ratio videtur esse eadem, estque illa Glossa communiter recepta; & fortasse hoc non est, tam ex priuilegio, quam ex ordinaria Episcopi potestate. Nam omnes citati autores dicunt, posse Episcopum dispensare in hac prohibitione, & facultatem concedere celebrandi ante prædictũ tempus auroræ: ergo multo magis poterit Episcopus iter agens, vel secum dispensare, vel cũ alio qui sibi ministrat: quod vero Episcopus eam potestatem dispensandi habeat, omnes supponunt, vel quia ordinario iure id sibi competit, cum non sit specialiter reseruatum, vel certe, quia hæc lex, sicut est consuetudine introducta, ita eadem consuetudine est hoc modo intellecta, seu declarata.

Priuilegiũ tãtum operatur quantũ sonat.

Notabile.

Dico secundo, Tempus legitimum, intra quod debent Missæ absolui vel inchoari, est antemeridianum tempus, ita vt antemeridiem debeant, per se loquẽdo, Missæ inchoari, vt legitime dicatur. Hęc est magis recepta sententia, magisq; secura, quam tenet Gab. lect. 14. in can. Maior, in 4. d. 13. q. 4. Sot. ibi q. 2. ar. 2. & lib. 10 de Iustitia, q. 5. ar. 4. Ioãnes And. in c. 1. de celeb. Miss. & alijs, quos refert, & sequitur Marcellus, lib. de horis canonicis, c. 41. & Durant. lib. 2. de ritibus Ecclesiæ, c. 7. Et potest confirmari ex rubricis Missalis, vbi dicitur Missas priuatas dicendas esse ab aurora vsq; ad meridiem: & Conc. Trid. sess. 22. c. de obseruandis in ritu huius sacrificij, præcipit, ne sacerdotes alijs, quam statutis horis celebrent; sed prædictum tempus est iã statutum in Missali: ergo nõ licet, illud præterire. Est etiam hoc iam consuetudine introductum, quę fortasse ex hominum fragilitate incepit, tamẽ propter reuerentiam sacrificij introducta est, & in ea fundatur: pertinet enim ad reuerentiã huius sacramenti, vt ante prandium conficiatur, vt tam qui celebrat, quam qui assistit, decentius ac deuotius id agat: est autem iam cõmunis consuetudo, vt prandium vltra meridiem non differatur, & ideo merito, introductum est, & consuetudine receptum, vt etiam sacrificia in meridie plus minus ve absoluantur.

2. Conclusio.

Gabr. Maior. Soto. Ioan. André. Marcellus. Durant.

Quod autem hæc consuetudo vim præcepti induxerit, præter adducta omnia, constat ex communi sensu populi Christiani: generatur enim graue scãdalum, si aliter fiat sine priuilegio aut graui causa. Colligi etiam potest ex priuilegijs, quæ interdũ Pontifices concedunt dicendi sacrum vna vel duabus horis post meridiem; item ex eo, quod Episcopi grauiter puniunt eos sacerdotes, qui post meridiem Missam dicunt, in obsequium quorundam magnatum, qui vsque ad illud tempus, sacrum audire differunt, & ante paucos annos, quia in Regis Catholici curia multi abutebãtur huiusmodi priuilegijs, ea Sixtus Quintus per Nuncium suum reuocauit. Est ergo hoc, per se loquendò, sub præcepto: quanquam non desint autores graues, qui dicant, licere, Missam dicere per totam horam nonã diei, vsq; ad tertiã horam post meridiem. Ita Nauar. in sum. c. 25. n. 85. & lib. de orat. c. 21. nu. 22. in quã sententiam inclinant Scot. & Duran. id 4. d. 13. q. 2. & Sum. Angel. & Rossel. verbo, Missa, n. 46. & alij, quos refert Durant. supra, sed re verá id non clare dicunt, nec generaliter. Fundamentũ Nauarri est, quia hoc licuit olim in Ecclesia, & hora nona erat aptissima: quia in illa passus est Christus, &

Consuetudo hæc vim præcepti induxit.

Nauar.

Scot. Durand. Sum. Angel. Sum. Ros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contraria consuetudo non videtur causa deuotionis, aut religionis introducta, sed propter humanã commoditatẽ, & ideo non videtur inducere obligationem. Sed, neq; constat, hoc aliquando generaliter licuisse, saltem à multis annis, nam, vt supra retuli, Telesph. Papa dicit, hora tertia esse Missas celebrãdas, quia illa passus est Christus, & iam est declaratum, quanuis fortasse illa consuetudo inceperit occasione humanæ fragilitatis & commoditatis, tamen rationem eius præcipuam, esse reuerentiam sacrificij.

Sententia autoris. Quocirca non existimo, sententiam hanc posse tuto, & in praxi seruari, regulariter, & absq; alia causa. In aliquo autem raro casu, vt verbi gratia, si festum sit solenne, & Missa publica & concio non finiantur vsque ad vnam, vel duas horas post meridiem, tunc posset Missa priuata incheari post finitum solenne officium, maxime, ne aliqua pars populi Missa priuetur, iuxta doctrinam Leonis Papæ, dicta Epi. 81. ad Dioscor. c. 2. Idemq; permitti potest, si ratione itineris occurrat necessitas celebrandi in die festo paulò post meridiẽ, dummodo vnius horæ tempus non excedatur, quod significauit Soto supra, & fauet consuetudo, imo & regula Missalis, in qua nõ sine causa additur illa particula, *communiter*. Ac deniq;, quia res morales, quando nõ sunt per legẽ omnino declaratæ ac limitatæ, non possũt indiuisibiliter definiri, præsertim, quia hæc res non est tam grauis, vel necessaria ad honestatẽ, vt intercedente rationabili causa, non possit prædicto modo ampliari.

Soto.

Quæsito satisfit. Sed quæres primo, an à prædicta regula facienda sit aliqua exceptio. Respondeo, ex priuilegio certũ est, posse fieri, & de facto fieri ab aliquibus religiosis, & alijs personis. Item existimo, posse Episcopũ in hoc dispensare ex rationabili causa, quia non videtur esse maior ratio de temporis anticipatione, quam de postpositione. In neutro autẽ casu existimo posse Episcopũ concedere priuilegium generale, hoc enim proprium est summi Pontificis propter supremam potestatem, sed potest tantum in particulari casu dispensare ex rationabili causa occurrẽte. At vero iure ordinario nulla videtur esse exceptio facienda, de qua certo constet, iuxta præsentẽ Ecclesiæ consuetudinem. Dici enim solet communiter, in diebus ieiunij, præsertim quatuor temporum, & in sabbato sancto, posse Missam dici post horã nonam diei, id est, in quarta & postrema diei parte, quæ ab hora tertia pomeridiana incipit, quia ita olim fiebat. Vt colligitur ex c. Solent. de cõsec. d. 1. & c. Quod à Patribus. & c. vlt. d. 75. & notat hic D. Th. ad 3. at vero licitũ est, antiquã consuetudinẽ renouare. Atq; ita sentit Nauar. præsertim de Missis solennibus, lib. de orat. c. 3. n. 42. Sed existimo iam illos ritus fuisse omnino abrogatos, & ideo non licere, etiã illis diebus, Missæ sacrificium, etiam si Ordinationes sint faciendæ, vel officium Sabbati sancti sit dicendum, vel pertina hora illud inchoare: quia oportet esse in Ecclesia aliquid certum & stabile in huiusmodi ritibus, ne licuat vnius cuiusq; arbitrio res nouas introduci; & ideo, postquã prior ritus abrogatus est, & alios introductus, hic est seruandus, nec licitum est vnicuiq; sua autoritate priorẽ reuocare. Præsertim, quia Pius V. speciali quodã motu proprio vetuit omnes nocturnas, vel matutinas Missas, etiam in Sabbato sancto, & Concilium etiam Tridentinum, loco supra citato huic fauet sententiæ.

Nauar.

Pius. V.

Vltimo inquiri potest, an inter hos duos terminos à nobis designatos sint aliquæ horæ certius determinatæ, in quibus Missæ dicendæ sint. Respondetur, pro Missis peculiaribus, nullas esse horas præfixas, sed in quacunque parte illius temporis indifferenter dici posse. Ita sentiunt omnes Theologi in 4. d. 13. Alens. 4. p. q. 36. Gab. lect. 14. in canon. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 6. & omnes Summistę, verbo, Missa, Nauar. lib. de orat. c. 21. nu. 31. & sequent. & in sum. c. 25. n. 85. Turrec. in dict. c. Nocte sancta. At vero de Missis solennibus ijdem autores cum D. Th. hic ad tertium, dicunt solennẽ Missam celebrandam esse ea hora, qua Christus pro nobis passus est: Euãgelistæ autẽ vario modo narrant horam passionis Christi, nã Marcus dicit, crucifixum esse hora tertia, Ioan. hora sexta, & omnes narrant, horam nonam expirasse. Quõ factum est, vt prædictæ tres horæ ad solennes Missas dicendas designatæ sint, quanquam non eodem modo, vt iam dicam. Est enim obseruandum ex ijs quæ in præcedẽte tomo late tractabimus de hora passionis Christi has horas non esse ex his vsualibus, quæ naturalem diem in viginti quatuor partes diuisum cõponunt sed significare tria tempora diei, ad orationem vel sacras actiones deputata, & vnumquodq; horum tres horas vsuales complecti, illamq; horam seu tempus, quod tertia dicitur, regulariter incipere hora nona vsuali totius diei, quæ solet esse tertia hora ab aurora, seu ab ortu solis. Olim ergo consuetudo Ecclesiæ tenuit, vt in diebus festis Missa solennis fieret hora tertia, id est, ab hora nona vsuali diei vsq, ad meridiem; quia illa hora crucifixus est Dominus non tantum linguis Iudæorum, vt communiter dicitur, sed & re ipsa, vt veritas Euangelij Marci requirit: quia saltem in fine illius tẽporis crucifixus est, in quo iam instabat hora sexta; & ideo idem tẽpus, quasi hora sexta appellatum est à Ioanne. Hæc autem Ecclesiæ consuetudo constat ex decreto Telesph. dict. Epist. decretali. c. 2. & ex Conc. Aur. 3. c. 11. vbi alia ratio literalis huius statuti redditur, scilicet, vt possint sacerdotes, citius expedito ante meridiano officio, commodius ad vespertinũ conuenire. Colligitur etiam ex Aug. prout refertur in c. Et hoc. de consec. d. 1. & apud Burch. lib. 2. c. 74. vbi alia ratio redditur, scilicet, quia expedit, vt populus ante officium sacrum peractum, ad cibum nõ accedat, quod fiet commodius & suauius, si maturẽ circa meridiem totum diuinum officium, & sacra concio, quæ illi adiungi solet, absoluantur; colligitur etiam prædicta consuetudo ex Greg. homil. 37. in Euangelia in illis verbis, quæ de sancto Cassio scribit. *Quibus auditis Episcopus se in orationem cum magna cordis contritione prostrauit, & cui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensa orationis magnitudine ad horam nonam vsque protelauit.* Hinc etiã in c. Non liceat. d. 44. Hora tertia sacra dicitur, ante quam non oportet clericos, vel laicos inire conuiuia, quia nimirum, ad officiũ Missæ solenne deputata erat. Denique hoc ipsum constat ex omnibus antiquis scripteribus de rebus & officijs Ecclesiasticis, Vvalf. Strab. c. 22. Amalario lib. 3. c. 42. & lib. 4. c. 40. Durand. lib. 4. Rational. Alcuin. lib. de diuinis officijs. Et adhuc hæc consuetudo fere in Ecclesia retinetur, quia re vera est etiam humanis vsibus valde accomodata. Neque solum, quoad horam seu tẽpus diei, sed etiã quoad ho-

Conc. Trid.

Alteri quæsito satisfit.

Alens.
Gabr.
Antonin.
Nauar.
Turrecrem.
D. Thom.

Ioann.

Greg. Mag.

Hora nona vsualidiei crucifixus est Dominus.

Ioannes Thelesphori.
Conc. Aur. 3.

August.

Burchar.

Vvalf. Strab.
Amalarius.
Durand.
Alcuinus.

horam Ecclesiasticam (vt sic dicam) hoc seruatur, nã in diebus festis prius canitur tertia in choro, & statim Missa solennis inchoatur. At vero in diebus profestis dicebatur Missa solennis hora sexta, id est in meridie, vt hic D. Th. & alij autores citatis locis referũt: nã circa hoc nullũ speciale decretũ inuenio insinuatur vero ab Amb. loco statim citando. Hęc vero cõsuetudo iã nõ seruatur in Ecclesia, nisi quoad horã tantum Ecclesiasticã, quia, scilicet, in diebus profestis prius recitatur seu canitur sexta in choro & statim Missa solenis inchoatur; quoad diurnum vero tẽpus eodem tempore dicitur Missa solennis in diebus profestis, quo in festis, imo maturius dici solet in diebus profestis, quia minor solet esse populi conuentus, & ideo existimatur humanis vsibus magis accommodatum, & mystica ratio, quæ sumi solet ex eo, quod Christus est crucifixus hora sexta, re vera non est solida, quia vt dixi Christus fuit B se crucifixum hora quasi sexta apud Ioannem, & est se crucifixum in fine horæ tertiæ, apud Marcum, non sunt duo, sed vnum & idem. Tandem referũt dicti autores, horam nonam fuisse deputatam, vt in diebus ieiunij Missa eo tempore diceretur, id est hora tertia vsuali pomeridiana. Ita colligitur ex c. Solent. de cõsec. d. 1. & ex Amb. serm. 8. in Psalm. 118. circa illa verba, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Indictũ*, inquit, *est ieiunium, caue, ne negligas, & si te fames quotidianum cogit ad prandium, vt intemperantia declinet ieiunium, tamen cælestẽ magis te seruato conuiuio, non epulæ paratæ exterqueant, vt cælestibus sis vacuus sacramentis, differ aliquantulum, non longe finit est diei*: significat ergo, fuisse consuetudinem dicendi Missam, & dandi communionem in diebus ieiunij, circa finem diei: de alijs vero communibus diebus subdit. *Plerique sunt eiusmodi dies, vt statim meridianis horis* (hoc est hora sexta) *adueniendum sit in Ecclesiam canendi hymni, celebranda oblatio*. Hæc autem consuetudo etiã cessauit, solumq; seruatur, quoad Ecclesiasticam horam, quia his diebus consueuit prius hora nona in choro recitari, & deinde Missa cantari; quoad tempus vero ipsum diei, cessauit illa consuetudo, quia iam etiam prandium dierum ieiunij ad meridianum tempus, & adhuc amplius anticipatum est, vnde consequens etiam fuit, vt tẽpus celebrandi Missam anticiparetur. In his ergo omnibus iam nihil videtur esse sub præcepto, nisi quod solennis Missa consueto tempore fiat pro populi commoditate; quanuis anticipari, vel postponi aliquantulum possit ex causa rationabili. Per Missam autem solennem semper intelligimus Missam illã, quæ Missa diei dicitur: non enim hoc omnis Missa quæ cum cãtu dicitur, solẽnis appellatur: hæc enim D iuxta varias consuetudines & deuotiones, fere indifferenter toto matutino tẽpore dici potest, sicut Missa priuata. Ita enim habet consuetudo, neq; aliqua Ecclesiastica constitutio in cõtrariũ obstat.

D. Thom. Ambros.

Conciliantur. Iuã. & Mar.

Per missam solennẽ quid intelligatur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm oporteat hoc sacramentum celebrari in domo & vasis sacris.

3. d. 13. q. 1. ar. 3. q. 5. & 4. d. 24. q. 2. ar. 1. ad 9.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd non oporteat hoc sacramẽtum celebrari in domo & vasis sacris. Hoc A enim sacramentum est repræsentatiuũ Dominicæ passionis. Sed Christus non est passus in domo, sed extra portam ciuitatis, secũdum illud Hebr. vlti. Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portã passus est. Ergo videtur, quod hoc sacramẽtum non debeat celebrari in domo, sed magis sub dio.

¶ 2 Præterea, In celebratione huius sacramenti debet Ecclesia imitari morẽ Christi, & Apostolorum. Sed domus in qua primo Christus hoc sacramentum confecit, nõ fuit cõsecrata, sed fuit quoddam commune cœnaculum, à quodam patre familias præparatum, vt habetur Lucæ. 22. Legitur etiam Actor. 2. quod Apostoli erant perdurantes vnanimiter in templo, & frangẽtes circa domos panem, & sumebant cibũ cum exultatione. Ergo nec modo oportet, domos esse consecratas, in quibus hoc sacramentum celebratur.

¶ 3 Præterea, Nihil frustra in Ecclesia fieri debet, quæ Spiritu sancto gubernatur. Sed frustra videtur adhiberi consecratio Ecclesiæ, vel altari, & huiusmodi rebus inanimatis, quæ non sunt susceptiuæ gratiæ vel spiritualis virtutis. Inconuenienter igitur huiusmodi consecrationes in Ecclesia fiunt.

¶ 4 Præterea, Solum diuina opera debent recoli cum quadam solennitate, secundum illud Psalm. 91. In operibus manuum tuarum exultabo. Sed Ecclesia, vel altare, opere humano consecratur, sicut & calix, & ministri, & alia huiusmodi. Sed horum consecrationes non recoluntur celebriter in Ecclesia. Ergo neque consecratio Ecclesiæ vel altaris, cum solennitate recoli debent.

5 Præterea, Veritas debet respondere figuræ: sed in veteri testamento, quod gerebat figuram noui, non fiebat altare de lapidibus sectis. Dicitur enim Exod. 20. Altare de terra facietis mihi: quod si altare lapideũ feceris mihi, non ædificabis illud de sectis D lapidibus. Exodi etiam 27. mãdatur fieri altare de lignis Sethim vestitis ære, vel etiam auro, vt habetur Exod. 25. Ergo videtur inconuenienter obseruari in Ecclesia, quod altare fiat solum de lapide.

¶ 6 Præterea, Calix cum patina repræsentat sepulchrum Christi, quod fuit excisum in petra, vt in Euangelijs habetur. Ergo calix debet de petra fieri, & non solum de argento, vel auro, vel stanno.

¶ 7 Præterea, Sicut aurum pretiosius est inter materias vasorum, ita panni serici pretiosiores sunt inter alios pannos. Ergo, sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

cut calix sit de auro, ita pallæ altaris debent de se rico fieri, & nō solum de panno lineo.

¶ 8 Præterea, Dispensatio sacramentorū & ordinatio eorundem ad ministros Ecclesiæ pertinet, sicut dispensatio rerum temporalium subiacet ordinatione principū secularium, vnde & Apostolus dicit. 1. Corin. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Sed si circa dispēsationem rerum temporalium aliquid fiat contra statuta principum, habetur irritum. Ergo si hæc, quæ dicta sunt, conuenienter sunt statuta per prælatos Ecclesiæ, videtur, quod sine his corpus Christi cō fici nō possit. Et sic videtur sequi, quod verba Christi non sint sufficientia ad hoc sacramentum conficiendum, quod est inconueniens. Non ergo videtur conueniens fuisse, quod hæc circa celebrationem huius sacramenti statuerentur.

Dicta in titu. & in argum.

SED contra est, quod ea, quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur qui dicit, Matth. 18. Vbicunq; fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

RESPONDEO dicendum, quòd in his, quæ circunstant hoc sacramentum, duo considerantur. Quorum vnum pertinet ad repræsentationem eorum, quæ circa Dominicam passionē sunt acta. Aliud autem pertinet ad reuerentiā huius sacramenti, in quo Christus secundū veritatem continetur, & non solum in figura. Vnde & consecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in vsum huius sacramenti, tum propter sacramenti reuerentiam, tum ad repræsentandum effectum + sacramenti, qui ex passione Christi prouenit, secundum illud Hebræorum vltimo. Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, &c.

Al sanctitatis.

AD primum ergo dicendū, quòd regulariter hoc sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia, secundum illud. 1. ad Timot. 3. Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quę est Ecclesia Dei viui. Extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificij, vt Augus. dicit. Et quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis Iudaicæ, sed erat in vniuerso mundo fundanda, ideo passio Christi non est celebrata intra ciuitatem Iudæorum, sed sub dio, vt sic totus mūdus se haberet ad passionem Christi, vt domus. Et tamen, vt dicitur de consec. d. 1. c. Concedimus, in itinere positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentorio, si tabula altaris consecrata, cætera que sacra mysteria ad id officium pertinentia, ibi affuerint, Missarum solennia celebrari concedimus.

In lib. sen. qua ex Aug. decerpta sunt c. 15 tom. 3. in fin.

De cons. d. 1. c. Concedimus in med. illius.

AD secundum dicendum, quòd domus, in qua hoc sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, & Ecclesia nominatur: conuenienter tamen consecratur: tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatē, quæ requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent. Per altare autem significatur ipse Christus: de quo dicit Apostolus, Heb. vltim. Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo. Vnde & consecratio altaris significat sanctitatem Christi: de qua dicitur Lucæ. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Vnde, de consecrat. d. 1. dicitur: Altaria placuit, non solum vnctione chrismatis, sed & sacerdotali benedictione sacrari. Et ideo regulariter non licet celebrare hoc sacramentum, nisi in domibus consecratis. Vnde, sicut habetur de consec. d. 1. Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis. Propter quod etiam, quia Pagani non sunt de Ecclesia, nec alij infideles, ideo eadem distinctione legitur, Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus & rasis pietatibus vel tignis eius loci, reædificetur: sed si hæc consecrata prius fuerit. Missas in ea celebrare licet, tamen si fideles fuerunt, qui in ea sepulti sunt. Propter necessitatem tamē potest hoc sacramentum peragi in domibus non consecratis vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi. Vnde, in eadem distinctione legitur: Missarum solennia, non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Non tamen sine altari portatili per Episcopum consecrato. Vnde in eadem distinctione legitur. Concedimus, si Ecclesiæ fuiri[illegible]t incensæ vel combustæ, in Capellis cum tabula consecrata, Missas iterum celebrari. Quia enim sanctitas Christi fons est totius Ecclesiasticæ sanctitatis, ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramētum, altare sanctificatum. Propter quod etiam nunquam Ecclesia sine altari cōsecratur, tamen sine Ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquijs Sanctorum, quorum vita abscōdita est cum Christo in Deo. Vnde in eadē distinctione legitur. Placuit, vt altaria, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur.

De cons. d. 1. c. altaria in 2.

De cons. d. 1. c. nullus presbyter.

De cons. d. 1. c. Ecclesiam.

De cons. d. 1. Missarum.

Ead. d. 1. de cōs. c. 28. Concedimus, etc. Concil. Tribur.

De cons. d. 2. c. Placuit.

AD tertium dicendum, quod Ecclesia, &

& altare, & alia huiusmodi inanimata, consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quādam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui, vt scilicet, homines deuotionē quandam exinde percipiant vt sint paratiores ad diuina, nisi hoc propter irreuerentiam impediatur. Vnde, & 2. Machabæorum. 3. dicitur. Verè Dei virtus quædam est in loco, nam ipse, qui habet in cœlis habitationem, visitator & adiutor est loci illius. Et inde est, quod huiusmodi ante consecrationem emundantur & exorcizantur, vt exinde virtus inimici pellatur. Et eadem ratione Ecclesię, quę sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine, pollutæ fuerint, reconciliātur, quia per peccatum ibi cōmissum, apparet ibi aliqua operatio inimici. Propter quod etiam in eadē distinctione legitur. Ecclesias Arianorum vbicunque inueneritis Catholicas eas diuinis precibus & operibus absque vlla mora consecrate. Vnde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ, homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut & per aspersionē aquæ benedictæ, inducentes, quod in Psal. 84. dicitur. Benedixisti Domine terram tuā remisisti iniquitatem plebis tuæ. Et ideo propter virtutem, quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non iteratur. Vnde in eadē distinctione ex Cōcilio Niceno legitur. Ecclesijs semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque seminæ pollutę fuerint: quia sicut infans à qualicunque sacerdote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterū baptizari: ita nec locus Deo dicatus, est iterum consecrandus, nisi propter eas causas, quas superius nominauimus, si tamen fidem sanctę Trinitatis tenuerint, qui consecrauerunt, alioquin, qui sunt extra Ecclesiam, cō secrare non possunt. Sed sicut in eadem distinctione legitur. Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur. Propter hoc etiam, quod aliquam spiritualem virtutem adipiscuntur per consecrationem, in eadem distinctione statutum legitur: Ligna Ecclesiæ dedicata non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam vel igni comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in laicorum autē opera non debent admitti. Et ibidem legitur: Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in bapti

De cons. d. 3. c. Eccles. Arianorum.

De cons. d. 1. Eccles. semel, ex Con. Niceno. 2.

De cons. d. 1. c. Altaria.

sterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pauimentum iacentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.

AD quartum dicendum, quod quia consecratio altaris repræsentat sanctitatē Christi, consecratio vero domus sanctitatem totius Ecclesiæ, ideo conuenientius recolitur cum sanctitate & solennitate consecratio Ecclesiæ vel altaris, quam aliorum, quæ cōsecrantur. Propter quod etiam octo diebus solennitas dedicationis agitur ad significandam beatam resurrectionem Christi, & vitebrorum Ecclesiæ. Nec est opus solius hominis consecratio Ecclesiæ & altaris, cum habeat spiritualem virtutem. Vnde de consecratione, distinctione eadem dicitur. Solennitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos solenniter sunt celebrandæ. Quod autem octo diebus encænia sint celebranda, in lib. Regum, perfecta dedicatione templi, reperies, scilicet. 3. Reg. 8.

De cons. d. 1. c. Solēnitates.

AD quintum dicendum, quod, sicut legitur de consec. d. 1. altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis vnctione non consecrentur. Quod quidem competit & significationi huius sacramenti, tum, quia altare significat Christum. Dicitur autem 1. Corin. 10. Petra autem erat Christus: tū etiam, quia corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad vsum sacramēti. Lapis enim, & solidus est, & de facili potest inueniri vbique, quod non erat necessarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare. Quod autem mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus infectis, fuit ad idolatriam remouendam.

De cons. d. 1. c. 29. Altaria.

AD sextum dicendum est, quod, sicut in dist. eadem dicitur, c. Vasa, quondam sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibus vtebātur. Zepherinus autem XIIII. Papa, patinis vitreis Missam celebrari constituit, deinde Vrbanus omnia fecit argentea. Postmodū autem statutum est, vt calix Domini cū patina, siue ex auro omnino, siue ex argento fiat, vel saltem stanneus calix habeatur. De ære autem, aut ex aurichalco non fiat, quia hoc vini virtute eruginem parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autē in ligneo, seu vitreo calice præsumat Missam cantare, quia, scilicet, lignū porosum est, & sanguis consecratus in eo remaneret vitrum autem fragile est, & posset fractionis periculū imminere: & eadē ratio est de lapide. Et ideo propter reuerentiam sacramenti statutum est, vt ex prædictis materijs calix fiat.

De cons. d. 1. c. Vasa, in quibus habetur hoc totum.

AD septimum dicendum, quod, vbi potuit sine periculo fieri, Ecclesia statuit circa hoc sacramentum, id quod expressius repręsentat

Universidad de Deusto
Biblioteca

sentat passionem Christi. Non erat autem A
tantum periculum circa corpus, quod poni
tur in corporali, sicut circa sanguinem, qui
continetur in calice. Et ideo, licet calix nō
fiat de petra, corporale tamen fit de panno
lineo, quo corpus Christi fuit inuolutum.
Vnde in Epistola Syluestri Papæ, in eadem
distinctione legitur, Consulto omnium sta
tuimus, vt sacrificium altaris non in serico
pāno aut intincto, quisquam celebrare Mis
sam præsumat, sed in panno lineo ab Episco
po consecrato, sicut corpus Christi in syn
done linea & munda sepultum fuit. Compe
tit etiam pannus lineus propter sui mundi
tiam, ad significandam conscientiæ puritatē B
& propter multiplicem laborem, quo talis
pannus præparatur, ad significandum Chri
sti passionem.

De cons. d. 1. c. 44. Consulto.

A D octauum dicendum, quod dispensa
tio sacramentorum pertinet ad ministros
Ecclesiæ, sed consecratio eorum est ab ipso
Deo. Et ideo ministri Ecclesiæ non habent
aliquid statuere circa formam consecratio
nis, sed circa vsum sacramenti, & modum
celebrandi. Et ideo, si sacerdos verba con
secrationis proferat super materia debita,
cum intentione consecrandi, absque omni
bus prædictis, scilicet domo, & altari, ca
lice, & corporali, consecratis, & cæteris hu
iusmodi per Ecclesiam institutis, conse
crat quidem in rei veritate corpus Chri C
sti, peccat tamen grauiter, ritum Ecclesiæ
non seruans.

DISPVTAT. LXXXI.

De loco, & vasis sacris, in quibus sacrificium Missæ celebrandum est.

Disp. 9. de sacrificio Missæ.

POst circunstantiam temporis tractat Diuus Thomas de circunstantia loci. Possumus autem triplicem locum huius sacrificij, seu sacramenti distinguere, communem, scilicet, proprium, & propriſsimum, ferè philosophorum more. Communem appello templum, in
D tra quod fit sacrificium; proprium, altare, quod intra templum collocatur, & peculiariter ad sacrificium peragendum dedicatur; propriſsimum vero appello, vasipsum, quod corpus, vel sanguinem Christi continet. De his ergo omnibus sigillatim dicemus, simulque de alijs vasis & rebus sacris, quæ ad hoc ministerium remotius deseruiunt, & sunt veluti instrumenta huius sacrificij, vel ornamenta illius loci, in quo sacrificium peragitur: nam hæc omnia inter se connexa sunt, & ferè eandem doctrinam requirunt, & illa omnia D. Thomas attigit in præsente articulo.

(.i.)

SECTIO I.

Vtrum oportuerit in Ecclesia Christi templa, & loca sacra dicari ad sacrificium, & alia religionis opera peragenda.

Persecutores templorum Christi ad duo capita reuocantur.

QVi templa Christianorum persecuti sunt, ad duo capita reuocantur, vt docte Bellarminus notauit, lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 1. Quidam enim tanquam manifesti hostes Christi, quia religionem Christianam odio habebant, Christianorum etiam templa destruere conati sunt, vt Diocletianus apud Eusebium, lib. 4. histor. c. 2. & alij similes, & cum his non est nobis modo disceptatio: quanuis enim impiè agerent, tamen ex falso principio, necessariā consecutionem inferebant: si enim religio mala est, & euertenda, templa etiam & loca ad actus talis religionis exercendos dicata, simul destrui necesse est: hac enim ratione etiam nos Gentium templa auersamur, & quantum in nobis est, destruimus, vt monemur, Deuteronomij. 7. & 12. & rectè tractat August. serm. 6. de verb. Domini, circa finem; & similiter, quia Iudaica religio cessauit, ideo etiam Iudaicū templum euersum est; & quanuis sæpius Iudæi illud instaurare conati fuerint, sæpe sunt diuina prouidentia; & cælestibus signis impediti, vt in historijs Ecclesiasticis vulgare est; igitur contra huiusmodi nostrorum templorum euersores non aliter disputandum est, quam nostram religionem defendendo, seu veritatem eius & credibilitatem demonstrando, quod fit in materia de fide. Alij ergo fuerunt hostes templorum Christi sub nomine Christiano, profitebantur enim se in Christum credere, & Christianam religionem defendere, ei tamen contrariam esse putabant templorum erectionem, ideoque illa destruere conati sunt. Huius erroris primus autor videtur fuisse Eustacius. Constantini & Syluestri tempore vt significat Nicephorus lib. 9. historiæ. c. 16. clarius Socrates lib. 2. c. 35. idemque sensisse Messalianos constat ex August. serm. contra Arianos & Donatist. & Epist. 50. ad Bonifacium, & Damas. lib. de hæres. & de Manichæis idem significat August. 20. contr. Faustum. c. 3. & 4. Atque in eodem errore versati sunt ferè omnes posteriores hæretici Petrobrusiani, Albigenses, Vvaldenses, Vvicleſistæ, Lutherani, & reliqui fere omnes; vt videre licet in Prateolo sub eorum nominibus; & alijs, qui contra hæreticos scripserunt. Sed hi omnes non eodem modo, neque ex eodem fundamento, templa detestantur. Quidam enim simpliciter templum reijciunt, quoad, omnem vsum religionis: quia *Deus spiritus est, eumque in spiritu & veritate oportet adorari.* Ioan. 4. non ergo in loco corporeo ac determinato Deus colendus est: *Non enim in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur*, vt dicitur Actor. 7. & 17. Alij vero, quia sacrificium nouæ legis negat, templus solum formaliter, quatenus templum est, reijciunt: nam, teste Aug. 8. de Ciuit. c. 27. & lib. 1. contr. Maximinū, aliquantulum à principio, templum vt sic, ad sacrificium offerendum destinatur; & ideo, si in Ecclesia non est sacrificiū, neque templum, vt templum esse potest, non negant

Eustatij error.

Prateolus.

Ioann. 4.

Act. 7. & 17.

August.

gant tamen hi hæretici posse in Ecclesia esse loca A
publica destinata, in quibus fideles ad orādum, vel
ad verum Dei audiendum conueniant. Quibus
videtur fauere Hieronym. in Epist. 53. ad Ripariū
dicens, Iulianum Apostatam Ecclesias Christianorum, aut euertisse, aut in templa conuertisse signi
ficat ergo, Ecclesias Christianorum non fuisse templa. Vnde etiam Optatus, lib. 6. contra Parmenia. *Quis nostrum*, inquit, *intrauit templum?* Adiungunt denique verba Ioann. Apocalyps. 21. *Et templum non vidi in ea*, quæ de Ecclesia militante dicta putant, quia de eadem statim dicit, *Ambulabunt Gentes in lumine eius*, &c. quæ verba de militante Ecclesia dicta fuerunt ad Isaia. c. 60. Alij denique, non tā templa, quam eorum ornatum, benedictionem, vel consecrationem impugnant, de quibus postea videbimus.

Apoc. 21.

Dico tamen primo, & sanctum, & necessarium B
esse destinari in Ecclesia publica loca, in quibus singulariter colatur Deus, & plebs Christiana ad religionis opera perficienda conueniat. Conclusio est de fide, vt constat ex vsu Ecclesiæ, & antiquissima traditione. Quæ primum fundari potest in Scriptura sacra. 1. ad Corint. 11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare?* & infrà, *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Ibi enim Ecclesia, nō fidelium congregationem, sed locum illum seu templum, in quo fideles, ad Christi corpus manducandum conueniebant, significat, vt Chrysost. Ambr. & reliqui expositores Græci & Latini intelligunt: constat enim, non potuisse fideles conuenire in vnum, nisi in aliquo certo loco ille C
autem locus non erat domus priuata alicuius: nam illum locum à priuatis dominus distinguit, & Ecclesiam illum appellat, cum dicit, *Nunquid domos nō habetis ad manducandum?* &, *Qui esurit, domi manducet*, & c. 14. est locus expressus, *Mulieres in Ecclesijs taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Hinc Basilius in reg. breuior. Reg. 310. ex priori loco colligit, non esse Eucharistiam in communi domo celebrandam, sed in Ecclesia, neque cō munes epulas in Ecclesia esse manducandas, sed in priuata domo. Similiter Hesych. lib. 2. in Leuit. c. 8. ex hoc loco colligit, Eucharistiam esse celebrandam in Ecclesia, id est, in loco sancto. Atque hanc esse significationem huius vocis valde vsitatam constat ex antiquis Patribus & decretis: nam licet *Ecclesia*, primæua significatione congregationem hominum significet, vt est commune apud Græcos, & notat Cyril. catech. 18. & patet ex illo act. D
19. Erat *Ecclesia confusa*, tamē inde translata est vox ad significandum locum continentem animatam Ecclesiam, vt ex prædicto loco Pauli notauit August. lib. 3. in Leuit. q. 57. quæ significatio etiam in testamento veteri reperitur Iudith. 6. *Et per totam noctem intrā Ecclesiam orauerunt.* Vnde est etiam illud Tert. lib. de idololatria. c. 7. *Ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire: de aduersaria officina in domum Dei venire:* vbi, quam prius Ecclesiam, postea domum Dei appellat, & in sequētibus docet, in illa domo Eucharistiam sumi & distribui; & ibi Pamelius multa alia loca congerit, tum eiusdē Tertulliani, tum etiam aliorum Patrum, & apud Clement. lib. 2. const. cap. 61. & 63. est optimus locus: ibi enim, & illa voce, *Ecclesia*, in vtraque significatione sæpe vtitur, & formam ac modum Ecclesiastici templi describit. Athanas. etiam in Apologia ad Constantium longum habet sermonem de Ecclesijs, & de vsu earum, & de magnitudine, quam requirunt multitudini populi accommodatam.

Conclu. 1.

Chrys. admir.

Basilius.

Cyril. Hier. 19.

August.

Pamel.

Secundo ostenditur hæc veritas.

Secundo ostendi hæc veritas potest ex antiqua traditione sumpta ex sacris Concilijs, sanctis patribus, & Ecclesiasticis historijs, quæ omnia persequi longum esset. Vnde, quia res est vulgaris, & carens fere difficultate, pauca breuiter attingam. Igitur in sexta Synodo, Canon 74. Trullano, *Nō oportet*, dicitur, *in Dominicis locis vel Ecclesijs agapas facere, aut intus in æde comedere, & accubitus sternere*, & in Concil. Laodiceno. c. 28. eadem est prohibitio, & vocātur, *Domicilia diuina, & Ecclesiæ.* In cap. autem. Non oportet, dist. 42. idem Canon refertur sub nomine Basilicarum, & in cap. Si quis obiecerit. 1. q. 3. vocantur, *Ecclesiæ corporales*, & vendi, & emi prohibentur, propter locorum sanctitatem, & eodem nomine appellantur in Concil. Aurel. 1. canon 19. & habetur in cap. Omnes Basilicæ. 16. quæstio. 7. Vnde Hieron. in Epitaphio Nepotiani, seu Epist. 3. & Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 4. Basilicas Christi, eas appellant, quas Aug. cum templis Gentilium confert nimiumque excellere declarat, & de Eccles. dogm. cap. 73. eas nominibus martyrum interdum dicit esse nominatas, quia, vel Deo in honorem martyrū dicabantur, vel in eis reliquiæ martyrum recondebantur. Vnde & martyria interdum appellantur, vt constat ex Isid. lib. 15. Originum. capit. 4. & ex August. 22. de Ciuit. cap. 8. & Euseb. lib. 4. de vita Constantini, cap. 40. & Chrysost. hom. 13. in 1. ad Thessalonicens. & ex Niceph. lib. 8. hist. capit. 50. vbi refert, templum Hierosolymis à Constantino ædificatum in caluariæ loco, *Magnum Martyrium*, fuisse appellatum: frequentius tamen dicuntur, *domus* Dei, more Scripturarum, Matt. 21. Marci. 11. Lucæ. 19. Ioan. 5. & ita appellatur in Concil. Gangrensi cap. 5. vbi damnator contrarius error: quia nimirum soli Deo propriè consecrantur, vt sæpe repetit Aug. locis supra citatis, & 20. cont. Faust. ca. 21. & attigit Leo Magn. serm. 7. de Natiuitat. Vn de Hilar. psalm. 136. agens de Ecclesia, inquit, *Conuentus noster, vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum.* Vnde etiam solet appellari *Dominicum*; Græce, (*Kiriakon*,) id est domus seu templum Domino dicatū, sicut dies Dominica sic appellata est, quia specialiter est Domino consecrata, vt Aug. notat serm. 15. de verbis Apostoli. Quanquam enim aliqui disputent, an idem sit *Dominicum*, quod *Ecclesia*, vel, *templum*, tamen non est necesse de nominibus disputare: quia res est eadem, licet etymologia nominum sit diuersa, vt patet ex citatis Concil. & ex Clem. libr. 2. constit. c. 63. iuxta translationem Caroli Bouij: nam Turr. ibidem, cap. 59. *Ecclesiam* vertit. Optimè vero Euseb. orat. de laudibus Constantini, *Templa*, inquit, *quæ erant Deo consecrata, Domini nomen obtinuerunt*, &c. & Ruffin. lib. 1. histor. cap. 23. narrans historiam de Episcopo illo, qui in Nicena Synodo simplici fidei propositione philosophum acriter prius contra fidem disputantem ad fidem conuertit, ad illum dixisse commemorat, *Hæc si vera esse credis; ô Philosophe, surge, sequere me ad Dominicum, & huius fidei signaculum suscipe.* Ex his igitur & alijs multis, quæ in sequentibus necessario attingemus, imo ex his, quæ nunc etiam oculis cōspicimus, euidenter constat, hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ traditionem.

Synod. 6.

Conc. Laod.

Cōc. Aur. 1.

Isidor. August. Euseb. chrys. Niceph.

Conc. Gangr.

Leo Mag. Hilar.

Bouius.

Ruffin.

Perpetua Ecclesiæ traditio.

Tertio

Tertio est euidens ratio, quia huiusmodi religio dicandi templa diuino cultui, non est mala, sed sancta, & valde consentanea rectæ rationi, etiam naturali, & in lege gratiæ non est specialiter prohibita, neque est minus necessaria, quam in quolibet alio hominum statu: ergo merito in Ecclesia retineri debuit. Maior constat in primis ex vsu omnium nationum, vnaquæque enim eo modo, quo Deum agnouit, illi templum dicare studuit, sed præcipuè id constat, quia Deus ipse in lege veteri templum sibi ædificari præcepit, ex quo argumentum sumebant Manichæi, illum non fuisse verum Deum, vt autor est August. libr. contra Adimantum Manicheum, c. 10. Quibus ipse rectè respondet, eundẽ Deum, qui templum illud facere præceperat in lege veteri, illius honorem in Euangelio defendisse, *domum suam* &, *domum orationis*, illud appellando, Ioan. 2. nec solum templum, sed etiam aliæ synagogæ à Iudæis erigebantur. De qua re laudatur Centurio, Lucæ. 7. vt notauit Ambr. serm. 89. dicens, *Commendatur à Domino, qui ædificauit synagogam, quantò magis commendatior est, qui ædificauit Ecclesiam.* Est ergo hoc ex se pietatis & religionis opus. Nec naturalis ratio in hoc inuenit in ordinationem aliquã, sed potius maximam decentiam, & moralem necessitatem, vt statim amplius declarabimus. Minor propositio quoad partem negatiuam per se nota est: vbi enim extat talis prohibitio? neque enim scripta est, neque tradita: quin potius & traditione constat euidenter contrarium, vt vidimus. Quoad partem autem positiuam constabit facile discurrendo per omnes vtilitates seu fines, propter quos potuerunt sacra templa quouis tempore erigi: illi enim omnes excellentiori modo in lege noua reperientur.

2. Conclusio.

Dico ergo secundo. Præcipuus finis, propter quem templa eriguntur in Christi Ecclesia, est, vt in eis Deo sacrificium offeratur, consequenter vero etiam fiunt, vt in eis alia etiam sacramenta ministrentur, & vt ibi ad orationem fideles conueniãt, & ad sacras conciones & lectiones, & vt reliquiæ Martyrum & aliorum Sanctorum in eis custodiantur, & vt ipsi Sancti in eis honorentur, ac denique, vt fideles omnes in eis sepeliantur. Tota hæc conclusio certa fide constat, sufficienterque approbari potest ex vsu Ecclesiæ. Tamen sigillatim probatur breuiter discurrendo per partes singulares; & prior quidẽ de sacrificio probari in primis potest ex omnibus, quæ de veritate sacrificij Eucharistiæ adduximus, ideo enim ante legem gratiæ templũ Dei ædificabatur: quia sensibilia sacrificia erant Deo offerenda, & ideò oportebat sacrum aliquem locum ad illud sacrum ministerium esse deputatũ, vt maxime constat de Hierosolymitano templo: sed in lege noua est etiam verum ac sensibile sacrificium, quod vbique inter Gentes Deo offerendum est: ergo propter hunc finem necessariũ fuit in Ecclesia Christi templa ædificari. Vnde Cypr. lib. de eleemosyna. In Dominicum, inquit, sine sacrificio venis: & infra afferemus varia decreta, in quibus non solũ dicitur, huiusmodi loca sacra exstrui propter sacrificium, verum etiam non posse ordinariè sacrificium extra illa offerri. Præterea templum dicit quandam habitudinem ad sacrificium: ob eã enim causam, sicut sacrificium soli Deo offertur: ita & templum illi soli propriè dicatur, vt ex August. supra dictum est, qui idem habet epist. 49. q. 3. & libr. contra serm. Arianorum, cap. 20, sed Ecclesiæ Christianorum eriguntur, vt sint vera templa Deo dicata: ergo eriguntur, vt in eis sacrificiũ offeratur. Minor constat ex modo loquendi Sanctorum omnium, qui eo nomine nostras Ecclesias appellant, vt supra ex Hilar. notaui, & idem habet Ambr. lib. 2. de officijs cap. 21, & cap. 28. vocat, templum Dei, & aulam Domini. August. citatis locis, & 8. de Ciuit. c. 27. de Christianis loquens, dicit, non erigere templa Martyribus, sed Deo, quia non sacrificant Martyribus, sed vnum, inquit, Deo illic offertur sacrificium Christianorum. Idem serm. 252. & 255. de tempore. Et eodem modo loquitur Hieronym. in cap. 7. Ieremiæ, & Saluian. lib. 4. de Prouidentia, *Ecclesia*, inquit, *vel potius templum*, Euseb. lib. 3. de vita Constãtini, c. 29. 30. & 63. & Niceph. lib. 2. histor. c. 39. de Philippo & Bartholomæo refert, in Syriæ & Asiæ ciuitatibus templa construxisse, & c. 40. 41. & 42. idẽ refert de Thoma, Andrea, & matthæo in suis regionibus. Chrys. hom. 18. in Acta hortatur fideles ad templa Christo exstruenda. Idẽ hom. quod Chrystus sit Deus, & eodem modo loquitur, homil. 51. in Matth. & Basil. psalm. 114. & Nazianzen. orat. 11. in Gorgoniam sororẽ, & Greg. Nissi. orat. penul. in Theodor. Martyrẽ. Vltimo, altare non erigitur, nisi propter sacrificium, vt ex supra dictis patet, sed templa Christianorum eriguntur, vt in eis sint altaria, non enim fiunt in Ecclesia Christi Ecclesiæ sine altari, vt in sequentibus latius videbimus: ergo. Denique, quod hic sic primarius finis templorum, ex eo facile constat, quod sacrificium etiam est primarius cultus Dei, templa vero ad Dei cultum præcipuè ordinantur. Atque hinc etiam facilè suadetur, deseruire etiam ad alia sacramenta ministranda, quia eorum etiam ministerium est maximè sacrum vnde etiam oportet, vt in sacro loco fiat, & ad cultum Dei destinato. Vnde in verbis illis, quæ suprà ex Ruffino retulimus, *Surge, sequere me ad Dominicum, & huius fidei signaculum suscipe*, clarè supponitur, baptismum solitum esse in Ecclesijs celebrari. Vnde etiam erant in templis designata loca, quæ baptisteria dicebantur, vt supra vidimus, agentes de baptismo, & latè Durant. libr. 1. c. 19. Similiter Tertul. Nazian. & alij Patres citati, imo & Paulus 1. ad Corint. 11. dicunt, solitos fuisse fideles, in Ecclesiam conuenire ad Eucharistiam sumendam: imo vnus ex præcipuis & maxime necessarijs vsibus nostrorum templorum est, vt in his Dominicum corpus seruetur, pro infirmis & alijs necessitatibus, & vt ibi à fidelibus adoretur, quæ vtilitas est propria legis gratiæ; de qua re multa dicta sunt supra, tractando de permanentia Eucharistiæ. Est autem eadem ratio de cæteris sacramẽtis, quæ, vel solenni ritu dantur, vel commodè in templis ministrari possunt, quod maximè dico propter sacramẽtũ Extremę vnctionis, quod, cũ non detur, nisi grauiter ægrotantibus nõ potest in Ecclesia ministrari ministratur tamen ex Ecclesia: nam ibi oleum benedictum seruatur, vt sit illius sacramenti materia, vt constat ex Concil. Meldensi, apud Burchar. lib. 4. cap. 75. & Iuonem p. 1. c. 268. Sacramentum autem matrimonij, quanuis priuatim extra Ecclesiã fiat, tamen solennis eius benedictio in templo datur, vt suo loco dicemus: & similiter sacramentum pœnitentiæ proprissime ministratur in Ecclesia, quanuis, quia magis priuatim fit, possit etiam extra

Conclusio sigillatim probatur. *S. Cyprianus.* *Templi habitudo ad sacrificium.* *Hier.* *Saluian.* *Greg. Nissi.* *Sacrificiũ est primarius Dei cultus.* *Ruffin.* *Durant.* *Tertull.* *Nazian.* *D. Paulus.* *Cõc. Meldens.*

tra Ecclesiam ministrari. Tertia vtilitas templorum est, propter communem orationem, iuxta illa verba, Matth. 21. sumpta ex Isaiæ. 56. *Domus mea domus orationis vocabitur*, quod de templo Hierosolymitano dictum est, quia factum fuit, vt esset orationis locus. Reg. 8. 2. Paralip. 6. Sed non minùs indigent fideles Christiani vsu orationis, tum priuatæ, tum publicæ: ergo fuit valde conueniens, etiam ob hãc causam, Ecclesias erigi. Quod ab initio fuit Christianis in vsu, tamen priùs fuere angustiores, quãdo, & ipsa Ecclesia minùs propagata erat, & tunc loca illa, *oratoria* dicebantur, posteà verò in ampliores Ecclesias commutatæ sunt, vt sumitur ex Euseb. lib. 8. historiæ. c. 1. & Niceph. lib. 7. c. 2. quas etiam antiqui Patres *domos orationis* vocant. Origenes, homil. 2. in Exodum. Ruff. lib. 2. hist. c. 33. August. 22. de Ciuit. c. 8. qui oratorij meminit, Epist. 109. Nec refert, quòd oratio ad Deum, quouis in loco fundi possit, vt significatur Ioã. 4. vel *intra cubiculum*, vt dicitur, Matth. 6. quia, licèt hoc verũ sit, tamen locus sacer ad orandum specialiter consecratus, multùm iuuare potest ad deuotiùs orandum, vt notauit Chrysost. homil. 3. de incomprehẽsibili Dei natura, & Basil. lib. 2. de Baptismo, in c. 8. & q. 40. ex fusiùs disputatis. Quod prouenire potest, vel ex naturâ rei, quia vel locus ipse, & sacer eius ornatus, vel aliorum exẽplum, excitat ac mouet hominem ad maiorem reuerentiam, & deuotionem, vel ex speciali Dei promissione, qui orationem in templo factam peculiariter exaudit, vt constat. 3. Reg. 9. Propter quam causam specialiter Deus in templo habitare censetur, quia ibi specialiter operatur: qua ratione sæpe Apostolus nos vocat, *templa Spiritus sancti*. 1. ad Corinth. 3. & 6. quia singulari modo in nobis operatur: & simili modo August. lib. ad Simplicianũ. q. 4. dixit, Dauidem orasse ante Arcam, quia ibi sacratior, & commẽdatior præsentia Domini erat. Accedit, 9, præter orationes priuatas, oportet esse in Ecclesia publicas orationes, quæ nomine totius Ecclesiæ ab eius ministris fiant: & ideò oportuit, esse sacra & publica loca, ad huiusmodi orationes deputata, quæ non potuerunt esse aptiora, quàm templa ipsa, in quibus Deus, vt Deus, peculiariter adest, vt diximus, & Christus, etiam secũdùm humanitatem, realiter præsens est. Et ideò antiquissimum fuit in Ecclesia, esse in templis peculiarem locum ad huiusmodi orationem deputatum, qui chorus dicitur: de quo legi potest Durantus, dicto lib. 1. c. 17. Quarta vtilitas erat ad conciones audiendas, de qua Tertul. in Apolog. c. 39. dicit, fideles conuenire in Ecclesia, primò ad orationem, deinde ad lectionem & exhortationem. Alij verò Patres ferè semper coniungũt vtrumque vsum templi, scilicet, sacrificandi, seu participandi diuina mysteria, & audiẽdi cõciones seu lectiones sacras, vt colligere licet ex Iustino, Apolog. 2. circa finem, & ex Eusebio, lib. 2. hist. c. 17. vbi dicit, Christianos in initio Ecclesias construxisse ad mysteria celebranda, & sacros libros legendos. Ratio etiã est manifesta, nam concio sacra fieri debet in conuentu publico, vbi populus conueniat, neque enim singuli priuatim aut sigillatim doceri possunt aut moneri, neque id fieri semper expedit, neque sufficit ad populi instructionem, exhortationem, & correctionẽ: ergo etiam est valde expediens, vt sit aliquis certus locus ad hoc ministerium deputatus: tũ, quia, licèt interdùm possit verbum diuinum in plateis & sub dio prædicari, non tamen id semper fieri potest, neque omnibus auditoribus est accommodatum ac decens. Vnde nullo modo expediebat Ecclesiæ, semper ita fieri, tum etiam, quia, si ad alia publica munera, vt ad iudicia peragenda, ad docẽdum, & similia, publica eriguntur ædificia, cur non multò magis ad sacras conciones habendas? ergo ad hoc munus conuenientissimè deputantur Ecclesię, seu templa; tum, ne oporteat, loca sine necessitate multiplicari, tum, quia conciones sacræ aptissimè & vtilissimè diuinis officijs interponuntur, tum denique, vt locus sacer sit tali actioni sacræ proportionatus. Quod cõfirmat Christi, & Apostolorum exemplum, qui, quãdo cõmodè poterant, in templo, & synagogis prædicabãt Matth. 16. Ioã. 18. Act. 5. & 13. Quinta vtilitas de sepultura, & honore Sanctorum, sufficienter tractata est in primo tomo huius tertiæ partis, disputãdo de adoratione Sanctorum, & reliquiarum veneratione. Videantur ibi dicta: res enim est facilis, & cõmunis apud antiquos Patres, & Concilia, in quibus Ecclesiæ hac ratione *martyria*, vocantur, vt suprà diximus, vocantur etiam, *Basilicæ Martyrum, & Apostolorum*, vt patet ex Concilio Gangrensi, can. 20. Con. Cabil. can. vltimo, & ex Hieronymo, libr. cõtra Vigilantium, & August. 1. de Ciuit. cap. 1. qui capit. 26. *memorias martyrum* vocat, & 20. cont. Faust. cap. 21. Imò in Concil. Carthag. V. canon. 14. statuitur ne alicui Martyri dedicetur Ecclesia, nisi in ea fuerint eiusdem Martyris reliquiæ, aut traditio de habitatione, possessione, vel passione eius, quòd ibi fuerint, fidelissima habeatur.

Chrysost. *Basil.* *1. Cor. 3. & 6.* *August.* *Duran.* *Tertull.* *Iustinus.* *Eusebius.* *Matth. 20.* *Ioan. 18.* *Act. 5. & 13.* *Conc. Gãg.* *Cõc. Cabil.* *Hieron.* *Concil. Carth. V.*

Notabile quoddam.

Est autem obseruandum in primis, in antiquis Patribus frequentiùs fieri sermonem de Martyribus, quia ipsomet actu martyrij quodammodò canonizãtur, & ideò statim in veneratione publica habebantur: tamen eadem est ratio de alijs Sãctis, quãdo de eorum beatitudine satis Ecclesiæ constat. Vnde Greg. lib. 2. Dialog. c. 8. meminit duarum Ecclesiarum, quas in honorem sancti Ioannis, & sancti Martini, Sanctus Benedictus dicauit. Omitto innumeras Ecclesias in honorem Beatissimæ Virginis structas, & Bonifacium. IIII. Romæ quãdam Ecclesiam in honorem omnium Sanctorum dicasse. Deinde obseruandum est, *memorias martyrum*, frequentiùs dici solitas, vbi Martyrum reliquiæ iacebant, vel martyria acciderant, quæ etiam, *confessiones Martyrum*, dici solent, præsertim in historijs Pontificũ, apud Damasum & alios, & hoc sensu vetuit Cõcil. Carthagin. dicari Martyrum monumenta absque reliquijs, vel certa aliqua historia, seu traditione, ne populus decipiatur falsis traditionibus & superstitionibus, non tamen prohibitum est, nominibus Sanctorum aliquas Ecclesias inscribere, vt vel hac memoria ipsi honorentur, vel, vt excitentur fideles ad eorum patrocinium in eis locis specialiter impetrandum, atque ita seruat vsus Ecclesiæ, ac propterea etiam in huiusmodi templis imagines affiguntur eorum Sanctorum ad quorum honorem peculiariter deputata sunt: atque ita constat, huiusmodi vsum templorum esse decentissimum, & Ecclesiæ vtilissimum, quia non eo modò dicantur Sanctis tẽpla, quo ipsi Deo, nam, quatenùs sunt loca sacrificiorum, soli Deo eriguntur, & quia hæc est primaria institutio, & quæ maximè sub nomine templi indicatur, ideò simpliciter soli Deo templa erigi dicenda sunt: quatenùs verò monumenta esse possunt, in quibus, vel Sanctorum reliquiæ, vel eorum saltem imagines vel memoriæ retineantur, secundariò dicuntur

Greg. Mag. *Bonifac. 4.* *Damasus.* *Conc Carth.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur dicari Sanctis, vel propriùs Deo in Sanctorum honorem. Vnde August. 22. de Ciuit. capitulo. 10. Nos, inquit, „*Martyribus nostris non templa, sicut Dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum spiritus apud Deum viuunt, fabricamus*, non ergo hac in re diuino honori derogatur, sed totum potiùs in augmẽtum illius cedit, & est consentaneum honori debito Sanctis, tum quia reliquiæ eorum, quæ res valde sacræ sunt, in locis sacris recondi debent, tum etiam, quia cùm memoria & veneratio Sanctorum religiosa sit, meritò in sacris ac religiosis locis conseruatur, ac denique, quia frequenter ad Deum per Sanctos accedimus, & ad eos orationes fundimus, vt pro nobis orent: decet etiam, vt in sacris concionibus eorũ gesta & laudes sæpe prædicentur, & ideò meritò loca ad orationes & conciones sacras destinata, Sanctis nuncupantur. Atque hic templorum vsus est magis proprius & peculiaris legis gratiæ: quia ante Christi aduentum nondum sancti homines in beatitudine regnabant, de sanctis autem angelis, obscurior erat notitia.

Sextus templorum vsus.

Sextus vsus templorum est, vt in eis fidelium corpora sepeliãtur, de quo Ambros. lib. 2. de offic. cap. 28. *Nemo potest accusare, quod templum Dei ædificatum est, nemo potest indignari, quia humanis fidelium reliquijs spatia laxata sunt.* Vnde de Sancto Ioanne Euangelista referunt Abdias Babyl. & Hieronymus, super epistolam ad Galatas, cùm esset morti vicinus, se in Ecclesiam deferri fecisse, viuumque in monumentum, quod sibi parari fecerat, ingressum, ibidẽ obijsse. Verum est, olim in reuerentiam templorum cautum fuisse, ne intrà templorum ambitum fidelium corpora sepelirentur, sed in atrio aut cæmeterio, vt constat ex capitulo. Præcipiendum, de consecratione, distinctione. 2. ex Concil. Nannetensi. capitulo 6. & ex Concil. Bracharensi. apud Burch. libr. 3. decreti, capitulo. 157. At hoc vniuersali consuetudine Ecclesiæ iam non seruatur, neque antiquitus generatim obseruatum videtur: nam in Concil. Mog. capitulo. 52. sic dicitur. *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fideles laici*, quod verbum exponens Glossa in capit. Nullus. 13. quæstione. 2. per fideles laicos, intelligit eos, qui ita in fide præstant, vt miracula faciant. Sed nimis violenta est, & voluntaria expositio meliùs ergo intelliguntur fideles baptizati, quos verisimile est in fide viua discessisse, vt colligitur ex capit. Ecclesiam. primo & secundo de Consecrat. distinctione. 1. Vnde Augustin. lib. de cura pro mortuis agenda capit. vltimo, & Gregor. libro. 4. dialog. capitulo. 50. commemorat vtilitates, quæ fidelibus proueniunt ex eo, quòd in sacris ædibus sepeliantur, nimirùm, quòd altaris sacrificio, & viuentium fidelium orationibus ac eleemosynis frequentiùs iuuantur: est ergo hic vsus etiam conuenientissimus. Et accedit præterea, quòd hæc corpora fidelium propter spem gloriosæ resurrectionis, & quia creduntur fuisse Spiritus sancti templa, & in eo statũ decessisse, speciali honore digna sunt, meritoque in locis sacris reconduntur. Quòd verò intrà Ecclesiam, vel in eius vestibulo, seu atrio aut cæmeterio sepeliantur, nil refert: vtrumque enim potest, vel in religiosa pietate, vel in Christiana humilitate fundari, de qua re legi possunt plura apud Durantum, dicto lib. 1. cap. 23.

Ad fundamenta contrarij erroris respondetur, ad priorem partem, quanuis Deus spiritus sit, vbique præsens, & loco non incluſus, homines tamen colentes Deum, corporei sunt, & corpore ac spiritu adorare debent Deum, neque *adorare Deum in spiritu & veritate*, excludit actiones externas, sed requirit, vt illæ ex interiori affectu, & spiritu procedant, ideòque, quanuis hæc adoratio non necessariò limitetur ad certum ac definitum locum, vt Christus in citatis verbis Ioan. 4. significauit, & exposuit Athanas. quæstione. 70. ad Antioch. requiriri tamen alium locum, & ideò non est contra spiritum & veritatem diuinæ adorationis, vt sint aliqua loca ad hoc ministerium specialiter designata, vt cum maiori decentia & reuerentia ibi colatur Deus, quia neque ideo tollitur, quin alijs etiam locis possit vnusquisque Deum colere priuatim, suo arbitrio ac deuotione, neque etiam existimamus, vt Gentiles, Deũ ita loco aliquo corporeo seu templo includi, vt non sit vbique præsens.

Athanas. Ioan. 4.

Ad aliam partem iam satis ostensum est, in Ecclesia Christi esse verum sacrificium visibile, & ideò in ea esse posse ac debere templum vt sic, seu quatenus dicit habitudinem ad sacrificium. Ad Patres autem ibi citatos respondetur, ibi loqui de templis Gentilium, quæ deputata erant ad offerenda falsa & cruẽta sacrificia, non vero Deo, sed idolis. In hac enim significatione erat tunc vulgatum nomen templi inter Gentiles, & ideò, iuxta eorum sensum & intelligentiam loquendo, negabãt interdùm Patres, Christianos habere templa vel aras, scilicet, ad similia sacrificia deputatas, tamen, puriùs ac sincerius de templo loquendo, iam satis ostendimus, eosdem Patres, Ecclesias Christianorum frequenter templa appellare. Locus autem Apocalyp. ibi citatus, *Et templum nõ vidi in ea*, euidenter intelligitur de Ecclesia triumphante, vt August. notauit, lib. 20. de Ciuitate, cap. 17. & ibi omnes expositores, Ansel. Beda, Rupert. &c. nam status illius Ecclesiæ dicitur futurus post diem iudicij, vt patet ex discursu capitis. 20. & 21. & de illa Ecclesia subditur, *Quod nihil coinquinatum introibit in eam*. Nec refert, quòd Ioannes imitetur verba Isaiæ: quia, & probabile est, vt ibi notat Hieronymus, illa etiam intelligi de Ecclesia triumphante, & quanuis ab Isaia dicta fuerint de Ecclesia militante, potuit Ioannes, vel per sensum anagogicum vel per quandam imitationem, eis vti ad loquendũ de Ecclesia triumphante. In ea ergo dicit, non futurum templum, quia iam tunc non erunt sacrificia, nec sacramenta, & similia.

Est in Ecclesia Christi verum sacrificium sensibile.

August. Anselm. Beda. Rupert.

Hieron.

SECTIO II.

Vtrùm decens ac vtilis sit, Ecclesias solenni ritu dicari, benedici, aut consecrari.

MVlti ex hæreticis citatis in hoc potissimũ damnant Ecclesiæ consuetudinem in templis erigendis, quòd ad ea consecranda & benedicenda varijs vtatur cæremonijs, & quòd speciali solennitate & celebritate vtatur eo die, quo templum aliquod perficitur, seu dicatur Deo: nam primum dicunt esse superstitiosum & Gentilicum, secundum verò esse Iudaicum. Sed isti praua contradicendi spiritu ducti, siue fundamento loquuntur, & ea damnãt, quæ, neque à Deo prohibita sunt, neque rectæ rationi repugnant.

Primò

Perpetua ecclesiæ consuetudo ecclesias dedicandi.

Primò ergo, quod attinet ad Ecclesiæ seu templi dedicationem, certum est, fuisse perpetuam ecclesiæ consuetudinem, vt magna pompa & celebritate fiat tiimo de aliquibus insignioribus templis obseruatum esse, vt eorum dedicationes annuis festiuitatibus recolantur ac celebrentur, sicut nunc ecclesia Romana celebrat festa dedicationum templorum sanctæ Mariæ Maioris, Lateranensis ecclesiæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: Ecclesia Hierosolymitana celebrat quotannis dedicationem Magni templi à Constantino dicati, teste Niceph. lib. 8. hist. cap. 50. & ecclesia Toletana sui templi dedicationem celebrat: & idem seruant aliæ insignes ecclesiæ, & in Breuiario ac Missali Romano propria officia huius celebritatis designantur, & apud Augustinum legimus varias conciones in huiusmodi festo dedicationis habitas, sermone. 251. de tempore & sequentibus, & apud Bernardum sex conciones de dedicatione ecclesiæ, & Chrysostomus, tomo. 3. orationem etiam habet de encæniis, seu dedicatione templi, & Nazianzen. oration. 23. *De encæniis*, inquit, *honorandis sex versus est, eoque præclare constitutus*, & Gaudẽt. tractarũ habet de dedicatione, in quo refert, conuenisse multos Episcopos Brixiæ ad cuiusdam ecclesiæ dedicationem, & quid simile refert Sozomen. libr. 4. capit. 15. & similia multa passim leguntur in antiquis historijs, vt apud Eusebium lib. 9. capit. 10. lib. 10. capit. 3. & 4. & alia multa congerit Durantus dicto lib. 1. capit. 24. Ratio autem huius consuetudinis sumitur, tum ex virtute religionis, tum ex naturali hominis conditione: cùm enim templum ad Dei cultum ordinetur, ipsamet ratio religionis postulat, vt, quando aliquod templum diuino cultui dicatur, id magna voluntate & alacritate fiat, & quia templum est ad publicum & communem vsum religiosum totius ecclesiæ seu populi, ideò rationabile etiam est, vt totius populi voluntate, & quasi communi consensu dedicetur: sed ad hunc finem ordinatur hæc celebritas, & publica solennitas, quæ in dedicatione templi fit: est ergo religiosa, atque laudabilis. Et confirmatur: nam quid quæso est reprehensione dignum in huiusmodi opere? Fortè dicent, quòd Iudæi quidquã simile faciebant in sui templi dedicatione. Sed contra, quia sancti Patres hoc exemplo consuetudinem ecclesiæ confirmant, vt patet in Felice IIII. Epistola ad omnes Episcopos, Isidoro lib. 1. Eccles. officio. capit. 35. quia neque in Iudæis id erat reprehensibile, sed valde religiosum, neque ecclesia malè facit, sed honestè & sanctè, eos in hoc religionis opere imitando: quia illud non erat opus ceremoniale aut figuratiuum, sed morale: natura enim & ratione instigante id faciebant, tum vt gratias Deo agerent pro beneficio suscepto, habere enim templum ad Deum colendum accommodatum, singulare Dei beneficium est, tum etiam, vt propensum animum ostenderent ad diuinum cultum. Ac denique, vt à Deo impetrarent gratiam ad eum dignè colendum & deprecandum in huiusmodi templo, & alia beneficia ab ipso obtinenda, vt colligere licet ex. 2. Paralip. 7. & alijs similibus locis: sed hæc omnia intendit ecclesia in prædicta celebritate: est ergo res sancta & honesta, neque ostendi potest aliquod diuinum præceptum, aut illius vestigium, cui talis ritus seu consuetudo repugnet.

Ratio cõsuetudinis vtilitas.

2. Paral. 7.

1. Conclus.

Dico secundò, Etiam est sancta ac decens ecclesiæ consuetudo consecrandi & benedicendi ecclesias, ad sacrificium Eucharistiæ offerendum destinatas. Hoc etiam est de fide certum, sufficienterque probatur ecclesiæ autoritate, quæ ferè ab initio, præsertim à temporibus Syluestri, vsa est huiusmodi ecclesiarum consecratione. De qua multa congerit Gratianus, de Consecratione, distinctione prima, & specialiter in capit. ecclesijs (quod etiam habetur decima sexta quæstione septima) refert Canonem Concilij Niceni, ecclesias semel consecratas non debere iterum consecrari. Additur verò in Concilio Meldensi, capitulo. 8. prout ibidem refertur, capit. ecclesiæ, & in Concilio Carthaginens. V. canon. 6. quotiescunque de consecratione ecclesiæ dubitatum fuerit, *sine vlla trepidatione esse consecrandam*, & Concilio Bracharens. 11. canon. 6. præcipit, vt Episcopus non consecret ecclesiam, nisi pro Sanctorum patrocinio obtinendo condita sit. De qua consecratione dixisse videtur Clemens Papa, epistol. 2. *Ecclesias per congrua, & vtilia facile loca, quæ diuinis precibus sacrare oportet*: & de eadem consecratione est integra Epistola ad omnes Episcopos Fœlices. IIII. Gelasius etiam. 1. epistola. 1. ad vniuersos Episcopos, capitulo. 6. præcipit, *vt Basilicas nouiter institutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare nõ audeant*: cap. autem. 27. id declarans, ait, consecrationes ecclesiarum absque præcepto Sedis Apostolicæ faciendas non esse, quod habetur de Consecrat. distinctione. 1. capit. De locorum. & per nonnulla subsequantia capita confirmatur, sed, vt Glossa ibi notat, vel hoc iam reuocatum est, vel intelligendum videtur in aliquo extraordinario casu, nimirùm, quando ecclesia de nouo consecratur in honorem alicuius Sancti, seu fidelis defuncti, nõ priùs canonizati, aut, si de nouo erigitur in ecclesiam Episcopalem: ita enim significatur in prædicta epistola, præsertim quoad priorem casum, vel certè intelligitur, quando ecclesia erigitur in locis exemptis, vt ait Syluest. verbo ecclesia, 2. numer. 2. ex capit. Autoritate. de Priuileg. in. 6. extra hos autem casus, certum est, posse ecclesiam ab Episcopo consecrari, vt constat ex capit. Aqua. Extra. de Consecratione ecclesiæ vel altaris, & in cap. Perlectis, & capit. Nemo, & capit. Nullus. de Consecratione, distinctione. 2. Addunt etiam Pontifices, dicendam esse Missam, quando ecclesia consecratur, vt patet ex Euaristo Papa. capit. Omnes de Consecratione, distinctione. 1. & apud Burch. libr. 3. capitulo. 27. & ex Vigilio Papa, epistola. 1. ad Eleuth. capitulo. 4. & habetur in capit. De fabrica. de Consecratione, distinctione 1. Vnde Gloss. in capit. Omnes Basilicæ. de Consecratione, distinctione. 1. in dubium reuocat, an Missa sit de substantia cõsecrationis. Et aliqui existimant, ita esse, addunt verò non esse de substantia, vt dicatur ab Episcopo consecrante, sed satis esse, si ab alio Presbytero dicatur. Sed tamen certum est, non esse de substantia, vt docet D. Antonin. 3. parte, tractatu. 12. capitulo. 6. in principio, Syluest. verbo, Consecratio, & Turrecrem. in dicto capit. Omnes Basilicæ, quia, neque in vllo textu, neque in ordine Romano præcipitur vt substantialis, & quia, quicquid est de substantia consecrationis, fit ab Episcopo, vt à ministro consecrante: ergo, si Missa dicta ab ipsomet Episcopo, non est de substantia, absolutè & simpliciter non est de substantia consecrationis. De hac præterea consecratione ecclesiarum multa scribit Euodius Ticinen-

Gratian.

Cõc. Nicen.
Cõc. Meld.
Cõc. Cart.
Cõc. Brac.

Felix. 4.
Gelasius 1.

Euarist. P.
Burch.
Vigilius.

D. Antonij
Syluest.
Turrec.

Enodius

Hieron. August. Vualf. Strab.

fis, epistola ad Magimum Episcopum, & Hierony. in capitulo.43. Ezech. *Indignatio Dei commouetur, quãdo in consecratis Deo indignus habitator est:* & August. libro.4. cont. Cresconium, cap.40. *Fælicianus*, inquit, *positus in ciuitate Deo omnipotenti parietes consecratos, ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendum.* Denique Vualf. Strabo de rebus eccles. capit.9. ex superstitionibus Paganorum, argumentum sumit, *Nam, si illi suis falsis Dijs, deceptorijsque ceremonijs, sua templa sacrabant, multò magis nos tẽpla nostra & altaria, nostræ religionis indicia, Deo saluatori nostro per illibata & vera sacramẽta dedicare curemus vt cum nostræ deuotionis officijs, diuinæ Maiestati placeamus, & ipse nos semper inuisere, & mansionem sibi in nobis facere dignetur, qui per prophetam dicit, Pauete ad sanctuarium meum, Leuit.27.* Satis ergo ex his cõstat hũc consecrationis vsum esse antiquissimum, & vniuersali consuetudine ecclesiæ receptum.

Cõsecrationis vsus antiquissimus.

Ratio autem, ob quam huiusmodi ritus est per se se decens & honestus, est, quoniam locus esse debet proportionatus ministerio & actioni, ad quam deputatur. Sed templum dedicatur ad sacrosanctum ministerium, ergo decens est, vt etiam locus ipse suo modo sacretur, & sanctificetur.

Obiectio.

Dices, templum, cùm sit inanimatum, non esse capax sanctificationis, & consequẽter nec consecrationis, ideòque sola voluntate; seu extrinseca deputatione, posse ecclesiam ad prædictum ministerium destinari.

August.

Sed, vt rectè dixit Augustin. libro.2. de peccatorum meritis & remissione. capitulo.26. non vnius modi est sanctificatio, nam non solum homo, sed etiam panes & cibi sanctificari dicuntur per verbum Dei & orationem. 1. ad Timot.4. & de templo Salomonis dicit Deus.3. Reg.9. *Sanctificaui domum hanc.* Sic igitur templum nostrum, quanuis inanimatum sit, sanctificari & consecrari potest, non quòd per eam consecrationem illi imprimi credatur aliqua sanctitas, vt realis qualitas inhærens, sed, quod per eam segregetur à communibus & prophanis vsibus, & ad sacros destinetur, & per sacra signa, & ecclesiæ deprecationem specialiter custodiatur à dæmonum infestatione, & diuino fauore protegatur. Vnde, licèt interdùm possit oratorium per simplicem voluntatem, & ecclesia per simplicem benedictionem ad hæc sacra ministeria destinari, tamen ad ampliorem reuerentiam hominum conciliandam, & ad expressius significandum excellentiam diuinæ Maiestatis, cui templum dicatur, expedit interdum etiã pluribus signis & ceremonijs consecrari. Tandem hæc actio non est per se mala, nam, & in lege veteri fuit vsus illius, Exod.40. & Num.7. imò & in lege naturæ fuit quoddam illius vestigium, vt patet in Iacob. Genes.28. & 35. quod est signum, etiam esse consentaneum rationi naturali. Et non est specialiter in lege noua prohibita, quia non continet ceremoniam aliquam propriam legis veteris, seu venturum Messiam significantem, sed continet tantũ moralem ceremoniam, ordinatam ad excitandos animos in diuinum cultum, meritò ergo in ecclesia obseruatur.

Exod.14. Num.7. Genes.28. & 35.

3. Concl. D. Thom. Bernar.

Dico tertio, Templorum consecratio non tantùm per se decens est, sed etiam hominibus vtilis. Ita docet D.Thomas hic ad.3. ac propterea dixit rectè Bernard. sermone.1. in dedicatione ecclesiæ, *Domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est; non solum, qui præsentes sumus, sed & quicunque vsque in finem seculi Domino sunt in hoc loco militaturi, in nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietatibus visibilibus præcesserunt, &; si vultis scire, hæc vtique, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc vtique in hac visibili domo fecere Põtifices, hæc & Christus assistens Põtifex futurorum bonorum inuisibiliter quotidie operatur in nobis.* Ac deinde latè prosequitur harum ceremoniarum significationes, & vtilitates: potest autem hæc vtilitas dupliciter explicari, primò, solùm quasi ex natura rei, & hoc modo multum deseruit huiusmodi consecratio, vt animi hominum ad maiorem reuerentiam excitentur: est enim homo sensibilis, ideòque plurimùm sensibilibus signis mouetur. Hæc autem templi consecratio homini indicat, & sanctitatem sacramentorum, quæ in Ecclesia ministrantur, & sanctitatem, quæ ad illa ministranda, & recipienda requiritur. Nam, si in loco ipso, in quo perficienda sunt, sanctificationem illi proportionatam prærequirunt, multò magis in homine propriã sanctitatem postulabunt, & prætereà significat sanctitatem, quam Christus per sacramenta ecclesiæ suæ confert, vt Diues Thomas hic docet ad secundum. Hanc igitur ob causam templum consecratum ex se homines excitat ad maiorem reuerentiã & deuotionem.

D. Thom. Caiet. Greg. Mag. Bernar. Salomon.

Secundò potest explicari ex speciali efficacia, quam templum acquirit ratione consecrationis, vt hic Diuus Thomas ad tertium indicat, & latiùs Caietanus exponit. Quæ virtus præcipuè cẽsetur extẽdi, vel ad coercendos dæmones, ne adeò infensi sint hominibus in loco consecrato orantibus, quod sumi potest ex Gregorio.3. Dialog. cap.30. vel ad remittenda venialia peccata, & consequenter ad maiorem aliquam hominis sanctificationem, vel ad conferenda aliqua gratiæ auxilia, vt Bernard. significat, dicto sermone.1. dedicatione ecclesiæ. Sed, vt latè suprà tractaui, disputat.15. sectione.4. hæc omnia intelligenda sunt, solùm per modũ impetrationis, fundatæ in sanctitate ecclesiæ, in cuius persona orationes fundũtur: sicut enim Salomon.3. Regum.8. Deum deprecabatur. *Respice ad orationem serui tui, & ad preces eius Domine Deus meus, vt sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die*, ita ecclesia orationibus suis, quas in ecclesiæ consecratione interponit, à Deo impetrat prædictæ beneficia, cuius deprecationis exemplum optimum est apud Ambrosium libr. de Exhortat. Virg. circa finem. Cætera, quæ de hac vtilitate desiderari possunt, in prædicta disputatione & sectione videantur. Quibus autem ceremonijs fiat consecratio, & quomodo solennis consecratio templi à simplici benedictione differat, ex libr. Pontificali, seu Ordine Romano petendum est, de significatione autem singularum ceremoniarum legi potest Hugo de Sancto Victore, libro.1. de Sacramentis, parte.5. capite.2. & 3. & Durandus in Rationali, libr.1. capit.6. & 7. & Diuus Antoninus, tertia parte, titulo duodecimo, capite sexto. Turrecremata in capit. Omnes Basilicæ. de Consecratione, distinctione prima, & alij autores recentiores suprà citati.

Ambros. Hug. de S. Vict. Durant. Antonin. Turrecrem.

(;)

SECT.

SECTIO III.

Vtrùm teneatur sacerdos non offerre hoc sacrificium, nisi in loco sacro.

D. Thom. Syluest. Angel. Nauarr. D. Antoni. Laodicen. Carth. Mogunt. Aquisgran.

IN hac re vnum est certum, nimirùm, ordinario & communi iure non posse licitè hoc sacrificium extra Ecclesiam, seu locum sacrum ad hoc peculiariter deputatum, offerri. Ita docet Diuus Thomas hic, & omnes Doctores, in quarto, distinctione.13. Syluester, Angel. & alij Summistæ, verbo, Missa, Nauarr. capit.25. numero.82. D.Antonin. 3. parte, titulo.13. capit.6. Fundamentum est, quia ita est iure Ecclesiastico statutum & præceptum, vt constat ex Concilijs antiquis, Laodicen. capit.58. Carthag.II. capit.9. & Moguntino. capite.9. & ex Concil. Aquisgran. sub Ludouico Pio, capit.84. & decretis Pontificum, Clem. Epistol.2. Fœlicis, Epistol.1. & alijs, quæ referuntur. de Consecrat. distinctione.1. & reuocantur in Concilio Tridentino, sessione.22. capit. De obseruandis in celebratione Missæ. Ratio autem huius præcepti nõ est alia, nisi quia ita visum est Ecclesiæ expedire (& sanè meritò) tum ad debitam reuerentiam huius sacramenti, vt cum debito honore tractetur, tum etiam ob maiorem fidelium deuotionem. Ex quo infero, transgresionẽ huius præcepti ex suo genere esse peccatum mortale: quoniam iura simpliciter dicunt, hoc non licere, & loquuntur tanquam de re graui, & maximè necessaria, quæ prætermittẽda nõ est, nisi in summa necessitate, vt dicitur in capit. Sicut. de Consecratione, distinctione prima, & aliter non ritè celebrare, vt ibidem additur in capit. Hic ergo, & (quod grauius est) ibidem, in capit. Nullus. prohibetur Sacerdos celebrare in locis non sacratis ab Episcopo, sub cõminatione depositionis, verba Syluestri sunt, *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotij.* Et hoc etiam confirmant verba Basilij in regul. breuiorib. regul.310. *Quemadmodum ratio non permittit, quod vas vllum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari.* Quæ comparatio planè indicat oblationem grauem sub mortali, & idem indicat alia comparatio cum lege veteri, quam subdit, dicens, *Cùm ex iussu Dei in veteri testamento nihil isto modo fieri permittatur*, & quod infrà ait, *In contumelia haberi sacrificij, si absque necessitate in priuata domo fiat.* Atque ita sentiunt citati autores.

Basil. Soto.

Quocircà nimis excedere videtur Soto, hic, distinctione.13. quæstione.2. articul.3. dicens, non esse opus magna necessitate, vt in hoc peccatum mortale excusetur, cùm tamen in dicto capitulo Sicut. dicatur, non licere, *nisi summa cogente necessitate*: liberiùs autem subiungit Soto: *Imo vero, vbi nullus sit contemptus, vel scandalum, vix arbitror posse contingere peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam.* Sed, si hoc verum esset, sequeretur non esse peccatum mortale, celebrare propria autoritate, in propria ac priuata domo seu oratorio non ex contemptu, sed ex deuotione, neque cum scandalo, sed secretè: consequens autem est absurdum, & contra communem sensum totius Ecclesiæ. Non est ergo necessarium scandalum, vel contemptus, vt hoc peccatum graue sit, sed sufficit, quòd sit voluntaria transgresio Ecclesiastici præcepti.

Syluest.

Addit verò Syluester, verbo, Missa.1. quæstione.5. §.5. *Qui celebrant vel celebrare faciunt; nisi in locis à iure concessis*, esse ipso facto interdictos ab Ecclesiæ ingressu, citatque capit. Episcoporum. de priuilegijs. in.6. Sed ibi non est sermo de omnibus, qui celebrant, vel celebrare faciunt propria autoritate in loco non sacro, sed de his tantùm, qui celebrant, vel celebrare faciunt in loco interdicto per specialem Ecclesiæ censuram: itaque illa pœna imposita est contemptoribus, seu transgressoribus illius censuræ, non verò transgressoribus eius præcepti, de quo modò disputamus. Vnde verba illa, quæ in illo textu interponuntur (*nisi quatenus eis à iure conceditur*) non intelliguntur generaliter de quocunque celebrante alicubi, *nisi quatenus ei à iure conceditur*, sed specialiter de celebrante in loco interdicto, *nisi quatenus ei à iure conceditur*, id est, nisi in eis casibus, vel temporibus, in quibus de iure licitum est, in loco interdicto celebrare: de hoc enim erat sermo in prędicto textu, & non de celebrante in quocunque loco.

1. Notabile

Est autem circa hoc præceptum obseruandum primò, iuxta iura antiqua requiri locum seu Ecclesiam consecratam ad offerendum hoc sacrificium, vt ex decretis citatis constat, iam verò (quoniam Ecclesiarum consecratio rara & difficilis est) vsus obtinuit, vt ad sacrificandum iure ordinario & communi sufficiat Ecclesia benedicta, quæ, si fundata sit autoritate Papæ vel Episcopi, ad sacramenta ministranda, eisdem iam priuilegijs gaudet, quibus Ecclesia consecrata, vt notant Glossa & Doctores in capit. vltimo de Consecrat. Ecclesiæ. & ideò in conclusione non sum locutus de Ecclesia consecrata, sed absolutè de Ecclesia, vel loco sacro ad hoc ministerium deputato: semper tamen requiritur, vt saltem altare sit consecratum, vt statim declarabimus.

Altare semper consecrari debet.

2. Notab.

Secundò obseruandum est: hoc præceptum intelligi ex communi & ordinario iure, vt in conclusione proposui, nam extraordinariè in multis casibus aliter sacrificare licet.

1. Exceptio.

Prima itaque exceptio sit, quod ex licentia Episcopi licet extra Ecclesiam sacrificare in priuata domo, seu oratorio, nec consecrato, nec benedicto. Patet, quia ita explicatur hæc lex in prædictis decretis, capit. Missarum de Consecratione.1. *In locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit.* & in capit. Hic ergo, *In locis, in quibus Episcopus proprius iusserit.* capit. In his, de priuilegijs. Vnde rectè colligunt Doctores, posse Episcopum hanc facultatem dare absque vlla necessitate: quia non est dispensatio in lege, sed est vsus propriæ potestatis, & iurisdictionis. Ita ferè Syluest. Soto, Nauarr. suprà.

Syluest. Soto, Nauar.

Potest autem Episcopus, hanc facultatem dare, vel ex parte loci, designando, scilicet, locum aliquem, vt in eo possit sacrificium fieri, aut permanenter, aut pro vna tantum vel altera die, vel ex parte personæ, dando, scilicet, subdito sibi sacerdoti, vt sibi possit ad sacrificandum locum eligere, quod summa Angel. limitat intrà propriam diæcesim, Syluest. verò hoc ampliat, etiam extra propriam diæcesim ex capit. In his. de priuilegijs, ex quo re verâ id non colligitur: nam ibi nõ dicitur, posse Episcopum facultatem concedere suis subditis sacrificandi, vbicunque terrarum voluerint, cum altari portatili, sed solùm declaratur, huiusmodi priuilegium Apostolicum concessum mendicantibus, non esse ita interpretandum, vt requiratur prælatorum consensus: quia alias priuilegium illud nihil operaretur;

Sũ. Angel. Syluest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex qua ratione solùm colligitur, Episcopum posse in sua diœcesi concedere hanc facultatem cuilibet sacerdoti habenti aliàs facultatem sacrificandi, non tamen sequitur, quod possit illam facultatem concedere pro alterna diœcesi. Et sanè videtur hoc rationabilius, quia ad vnumquemque Episcopum spectat in propria diœcesi designare loca, in quibus, vel sacrificium offerri, vel sacramenta ministrare liceat. Vnde priuilegium illud tam amplum concedere, ad summum Pontificem spectat. Addit verò Nauarr. supra, hanc facultatem Episcoporum restrictam esse in Concilio Tridentino, dicta sessione. 22. vbi Episcopis præcipit, *ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscunque peragi*: nam ex his verbis planè colligi videtur, præter Ecclesias, solùm posse nunc Episcopos designare priuata oratoria ad religiosa tantum munera deputata, vt in eis etiam sacrificari liceat. Quæ sententia vera mihi videtur, si solùm intelligatur de facultate, quam nunc potest dare Episcopus ex absoluta potestate, absque vlla necessitate, sed solùm ex quadam gratia & liberalitate, habita semper ratione decentiæ loci, & reuerentiæ debitæ sacramento: nam, si rectè intentio Concilij & verba eius ponderentur, huiusmodi licentiam, & facultatem coarctare voluit. Vnde non posset nunc Episcopus liberam facultatem concedere alicui sacerdoti faciendi sacrum vbi voluerit, cum altari portatili, etiam intrà propriam diœcesim, nec posset sine causa, vel necessitate dare facultatem dicendi Missam in aliquo loco honesto & bene præparato, non tamen deputato ad religiosum tantùm ministerium, sed conuertendo statim in communes vsus: nam vtrumque horum derogaret decreto Concilij prohibentis vniuersaliter, & sine exceptione, dicere Missam extra Ecclesiam, aut oratorium, ad diuinum cultum dedicata, & per Episcopum approbata. Nihilominùs tamen non existimo, ablatam esse ab Episcopo potestatem concedendi licentiam in casu necessitatis, vt in aliquo honesto loco fiat sacrum, quanuis talis locus non sit ad diuinum tantùm cultum deputatus: quia, vt statim dicam, iure ordinario potest hoc fieri, vel concedi in casu necessitatis: Concilium autem non abstulit hoc commune ius, neque de casu necessitatis quidquam locutum est, sed absolutè de communi modo celebrandi. Item, quia facultas hæc est per modum dispensationis: Concilium autem non abstulit ab Episcopo potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in huiusmodi rebus, maximè, cùm re vera sit moraliter necessaria: quia multi casus occurrunt, in quibus, & fieri potest sine irreuerentia sacramenti, & fieri etiam oportet. Tandem vsus hoc confirmat, quia ita fit sine vllo scrupulo.

Nauar. Conc. Tri.

Concilij verba ponderãtur.

Sententia auctoris.

3. Exceptio

Tertia exceptio est de casu necessitatis, nam in eo licitum est, Missam dicere extra Ecclesiam & oratorium, imò & extra domum, in quocunque terræloco decente. Ita declaratur de Consecratione, distinctione. 1. capitulo. 1. & capitulo Concedimus. & ita notat D. Thom. hic, ad. 1. & Alens. 4. part. quæstion. 36. membr. 1. Paludan. Soto, & alij in 4. distinction. 13. Sylvester, Nauarr. & alij suprà citati. Ratio non est alia, nisi quia hæc gratia est iure communi concessa. Verum quidem est, illa

D. Thom. Alens. Palud. Scot. Sylvest. Nauar.

A duo capita non multùm vrgere, quia non sunt alicuius Pontificis, vel Concilij Generalis. Primum enim solius Gratiani est. Secundum autem est Concilij Triburiensis Prouincialis. Nihilominus tamen illud ius consuetudine probatum est, & receptum, & per se est rationi conforme, quia necessitas (vt aiunt) caret lege, præsertim, cùm simul possit seruari reuerentia sacrificio debita. Et ideò dixi, in decente loco, & addidi, debere esse terræ locũ, quia super mare aut flumen celebrari non potest, etiam titulo necessitatis, propter periculum effusionis sanguinis, vt prædicti autores notant. Qui etiam addunt, non esse prætermittendam Episcopi facultatem, si commodè peti potest, si autem non potest, tunc sufficere necessitatem solam. Vnde etiam inferunt, in bello posse celebrari in tentorio, vel sub dio, si alia necessaria habeantur, quia tunc sufficiẽs

Super mare aut flumen celebrari non potest.

B vrget necessitas. Quoniam verò talis necessitas præuisa semper est, ratio postulat, vt in huiusmodi euentu Episcopi seu superioris voluntas & licentia præueniatur, & ita docent prædicti autores. Addit deinde Diuus Thomas hic, etiam ratione itineris, posse Missam sub dio fieri, si Ecclesia desit, quia ita conceditur in dicto capit. Concedimus, quod semper intelligitur, dummodò altare portatile, & alia necessaria habeantur. Dices, in capit. vltim. de priuilegijs, in 6. conceditur Episcopis speciale priuilegium, vt in itinere possint extra Ecclesiam celebrare, cum altari portatili: ergo non licet omnibus ordinario iure. Respondetur, priuilegium Episcoporum esse, vt absque necessitate propter solam commoditatem possint id facere, quando, & vbi voluerint: alijs verò hoc non concedimus, sed solùm in ca

D. Thom.

Obiectio.

Solutio.

C su necessitatis qualis est, si in multis diebus itineris non occurrat Ecclesia, vel alius locus aptus ad celebrandum. Atque ita sumitur ex Paludano, Sylvestro, & alijs suprà. Idemque erit dicendum in alio casu ordinario, cuius Soto meminit, scilicet, quando magna multitudo confluit ad templum, seu eremitorium, quod illam capere non potest: nam tunc est sufficiens causa erigendi altare in loco commodo, in quo possit vniuersus populus Missam videre: quanuis enim, iuxta probabilem sententiam suprà tractatam, possit tunc sacerdos (supponimus enim vnum tantùm adesse) bis aut ter Missam dicere, vt omnes successiuè possint Missam audire, tamen illud aliud remedium facilius est, & minora habet incommoda, atque est etiam vniuersalius: nam sæpè euenire potest, vt tam paruum sit templum, tãtaq; hominum multitudo, vt non possit omnibus satisfieri, etiam si sæpiùs Missa iteretur, quod tamen faciendum non est: est enim indecens, & inusitatum. Denique exceptio hæc, seu facultas ita dicendi sacrum in casu necessitatis, non est reuocata per Concilium Tridentinum, vt etiam in prædictis casibus Nauar. notat, & satis ex dictis constat.

Paludan. Sylvester. Soto.

Nauarr. 4. Exceptio

Quarta exceptio esse potest ex aliquo priuilegio quale habent Prædicatores, & Minores, celebrandi in quocunque loco honesto, cum altari portatili, vt constat ex cap. In his. de priuilegijs, eodemq; priuilegio fruuntur multi alij religiosi: hæc tamen priuilegia reuocata fuerunt per Concilium Tridentinũ, loco suprà citato, vnde illis vti non licebit, nisi quatenùs post illud renouata fuerint. Est autem in his priuilegijs valde considerandum, an dirigantur ad personas tantùm religiosorum, vel ad loca ipsorũ: nam, si priori modo concessa sint, non possunt ad alios

alios extendi, si autem posteriori modo sint concessa, secus erit: quia priuilegij verba tantum valent, quantum sonant, vt, verbi gratia, post Concilium Tridentinum, concessum est Societati priuilegium, vt Presbyteri eius in missionibus vti possint altari portatili, vbique Gentium, ibique Eucharistiam ministrare, hac ergo facultate ita illi vti possunt, vt tamẽ alijs sacerdotibus, etiam si socij itineris eis sint, non liceat in huiusmodi altari alicubi erecto, ex tali priuilegio Missam dicere. Est autem aliud priuilegium eidem religioni concessum, vt in suis domibus in priuato oratorio, à Prouinciali approbato, possint Missæ dici sine alia Episcopi approbatione, non obstante Concilio Tridentino: in huiusmodi igitur loco sacrum facere poterunt, non tantùm religiosi ipsi Societatis, sed etiam quilibet alij sacerdotes: quia priuilegium, vt ex verbis eius constat, non dirigitur ad solas personas sacrificantes, sed ad locũ seu ad Prouincialem, cui communicatur illa Episcopi facultas approbandi absolutè locum illum ad sacrum faciendum.

Priuilegia Societati cõcessa.

A

B

SECTIO IIII.

Vtrùm liceat celebrare in Ecclesia violata, & quid in hoc seruandum sit.

D. Thom. Palud. Soto. Sylvest. Nauarr.

HAEc quæstio tangitur à D. Thoma hic, ad 1. & 3. & à Doctoribus in. 4. d. 13. Palud. q. 2. art. 3. Soto. quæst. 2. ar. 3. ad. 2. Sylvest. verbo, Consecrat. 2. Nauar. cap. 25. num. 85. & cap. 27. num. 150. Et breuiter supponendum est prius, sex modis Ecclesiam violari. Primo, per homicidiũ voluntarium, & iniuriosum, ex capit. Proposuisti. de conseratione ecclesiæ, & capit. Si motum. de consecrat. distinct. 1. in quo sermo est de homicidio, quod per contentiones & rixas contingit. Vnde, si homicidium sit casuale, non violatur ecclesia. Itẽ, nec per homicidium factum ex amentia, quia hæc inuoluntaria sunt. Item, nec per homicidium secutum ex pura defensione, quia hoc iniuriosum non est. Addo, nec per homicidium, cuius causa, etiam iniuriosa, extra ecclesiam data est, etiam si mors in Ecclesia contingat, vt si vulnus est extra Ecclesiam datum, & posteà homo in Ecclesia moritur: nam tunc re vera non homicidium, sed sola mors in ecclesia contingit. Addit etiam Gloss. in cap. vnico, de Consecrat. eccles. in. 6. sufficere homicidium ad huiusmodi violationem, etsi fiat sine effusione sanguinis per suffocationem, quia illud est verum homicidium. Si autem in ecclesia fit percussio mortifera, donec moriatur homo non est violata ecclesia, quantum est ex hoc capite, secus ratione effusionis sanguinis, de qua statim, &, vt clariùs intelligatur, si sermo sit de percussione, quæ de se non vulnerat nec effundit sanguinem, & sufficiens est ad occidendum hominem per nimiam contusionem, quia donec homicidium sit consummatũ, nõ incurritur violatio: imo existimo, tunc necessarium esse, vt mors ipsa in Ecclesia contingat, quia aliàs re vera non fit homicidium in ecclesia. Vnde, si iudex suspenderet aliquem in ecclesia, violaret illam. Dices, illud homicidium non esse iniuriosum. Respondetur primùm, esse posse iniuriosum ipsi reo: quia, licèt fortasse dignus sit illo supplicio, tamen habet ius, vt in illo loco vim non patiatur, deinde, estò non fieret iniuria ei, qui interficitur, sit tamen iniuria loco sacro, & hoc satis est, vt, si quis interficiat se ipsum in ecclesia, polluat illam, quia, licèt sibi propriè non faciat iniuriam, facit tamen Deo, & ecclesiæ. Sed quid si iudex suspendat hominem super Ecclesiæ tectum vel ex parietibus ecclesiæ, extra illam? Respondetur, non violari ecclesiam, quia homicidium non fit intrà illam, vt notant Sylvester, & Nauarr. cũ alijs: quia canones solùm loquuntur de homicidio intrà ecclesiam perpetrato. Sed quid, si tale homicidium sit verum martyrium? videtur enim, non posse pollui ecclesiam sacro cruore Martyris. Respondetur, non pollui sanguine Martyris, vt ab ipso fluit pollui tamen sacrilega actione & intersectione, quia illud est verum homicidium.

Sex modis Ecclesia violatur.

Obiectio. Solutio.

Quæstion. Responsio. Sylvest. Nauarr.

C

D

Secundò violatur Ecclesia per iniuriosam sanguinis effusionem, ex cap. Si Ecclesia. de cõsecr. Eccles. & cap. Ecclesijs. de Cons. d. 1. vbi nõ dicitur expresse, oportere illam effusionem esse iniuriosam, aut voluntariam, ita tamen ab omnibus Doctoribus intelligitur, vt patet ex citatis suprà, & ex Sylvest. verbo, Interdictum. 4. q. 3. Vnde eodem modo explicãdus est iste casus, quo præcedens, quoad omnes circunstantias ibi notatas, scilicet, de effusione non casuali, aut naturali, aut medicinali licita, aut quæ est in propriam defensionem. Sed de illa effusione, quæ ioco contingit, potest dubitari. Respondetur, hanc debere inter casuales computari: aliàs non erit ioco sa, maxime si sit in parua quantitate, quæ non sufficit ad ecclesiæ violationem, vt Sylvester notat cum Panormitano & alijs, quia effusio sanguinis copiosum fluxum significat, vt notauit Gloss. in cap. Cũ illorum. verbo Effusionem sanguinis, de sententia excommunicationis, & in simili optimè Hieron. Malach. 3. & refertur in cap. Reuertimini. 16. q. 1. Quòd si cõtingat, per actionem iocosam, magnam copiam sanguinis effundi, attendẽda est ratio voluntarij: nam si omnino inuoluntariè accidat, non violat, si verò ita sit imprudens, & periculosa actio, vt moraliter cẽseatur effectus in causa voluntarius, tfic Ecclesia violabitur: quia iam actio est iniuriosa. Imò addunt aliqui, quomodocũq; actio fuerit iniuriosa Ecclesiæ, si ex ea sequatur effusio sanguinis copiosa, violari ecclesiam, etiam si cõtingat, esse merè casualem, vt si actio iocosa erat turpis, qualis esset repræsentatio tragediæ inhonestæ ac prophanæ, in qua casu cõtingeret talis effusio. Sed hoc nimis incertũ est quia talis actio, nec ratione sui violat Ecclesiã, quia nullo iure cauetur, nec ratione effectus subsecuti, cũ sit omnino casualis, & iniuriã Ecclesiæ non augeat de quo latiùs in simili dicetur, in materia de irregularitate. Sed, an violetur Ecclesia propter vulnus in ea inflictũ, quando sanguis intra eam nõ effluit, sed homo priùs egreditur, vel, si effluit, non cadit in terram, sed in vas recipitur: vel si è contrario cõtingat, vulnus esse leue, sufficientẽ tamẽ copiam sanguinis effundi. Deniq; quid, si aliquis suum proprium sanguinẽ fundat? Respondetur, si vulnus mortiferum sit, vel graue, violari Ecclesiã, etiã si intrà eam nõ effundatur sanguis, vt omnes docẽt: nã in dict. c. Proposuisti. de cõsec. Eccle. propter vulnera dicitur violari Ecclesia, nulla facta mentione effusionis sanguinis, & quia effusio, quantũ est ex parte actionis iniuriosæ, iã est facta. Secus verò esset, si actio in Ecclesia facta, esset iniuriosa, nõ tamen vulneris inflictiua, vt est alapa: per illã enim nõ violatur Ecclesia: quia nul

Sect. IIII.

Obiectio. Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lo modo ibi interuenit vulnus aut sanguinis effusio. Quòd autem sanguis effusus Ecclesiæ pauimentum, vel parietes non attingat, sed in vase recipiatur, nil refert, quia non violatur Ecclesia propter cō tactum sanguinis, sed propter violentam effusionē in illa factam. Vnde etiam nil refert, quòd sanguinis effusor sit extra ecclesiā, vt si iacto lapide percutiat alium in ecclesia existētem: satis enim est, quòd vulneratio, seu effusio in Ecclesia fiat, secus verò esset, si è contrario, qui existit intrà ecclesiam, sagitta vulneraret alium, extra ecclesiam existentē, tunc enim non violaretur ecclesia: nam, licèt actio vulneratiua & effusiua sanguinis in Ecclesia inchoetur, tamen ipsa vulneratio seu effusio extra ecclesiam fit. Et eadem ratione, quanuis sententia sanguinis in ecclesia detur, non violatur ecclesia, si executio extra illam fiat. De effusione autem proprij sanguinis, eadem ratio est, quæ de alieni: nam, si fiat per iustam & honestam vulnerationem, seu flagellationem, non violat ecclesiam, vt per se constat, si autem fiat per illicitam mutilationem, aut alterius vulneris inflictionē violabit ecclesiā: quia, licèt respectu sui ipsius actio iniuriosa propriè non sit, tamen est iniqua, & iniuriosa Deo, & Ecclesiæ. In vltimo autem casu, scilicet, quando percussio leuis est, aut vulnus modicum sanguis verò effusus est copiosus, Victoria in sum. nu. 99. absolutè sentit, non violari tūc Ecclesiā, & forrasse regula generalis esse potest; quòd, nisi percussio grauis sit ita vt ad peccatum mortale sufficiat, etiam si contingat, copiam sanguinis effundi, non violatur Ecclesia, quia tunc illa effusio est velut materialis & casualis. Quotiescūque verò cum percussione graui, quæ ad peccatum mortale sufficit, coniungitur copiosa sanguinis effusio, tunc ad Ecclesiæ violationem sufficit.

Regula generalis.

Dubium.

1. Tertiò violatur Ecclesia per humani seminis effusionem, vt habetur in citatis iuribus, quod omnes autores intelligunt in primis de effusione voluntaria: quia alia non est humana, nec iniuriosa Ecclesiæ qualis est pollutio nocturna, vel etiam si in vigilia, inuoluntariè tamen accidat. Requirunt etiam omnes autores, vt fiat in sufficiente quantitate: nam vnius vel alterius guttæ effusio ad violationem nō sufficeret, tum propter vim verbi *effusionis*, vt suprà notauimus, tum etiam, quia illa modica effusio, quātis ex parte interioris voluntatis sit peccatum mortale intemperantiæ, tamen, in ratione exterioris iniuriæ loci sacri, non est res adeò grauis neque iniuria (vt ita dicam) consummata. Præterea necessarium est, vt talis effusio fiat intrà ecclesiam, nec erit satis, si fiat in locis ecclesiæ adhærentibus, vt in cubiculis ecclesiæ coniunctis, vel in turri, vel suprà tectum, vel in spelunca sub pauimento ecclesiæ, sicut dictum est de homicidio, vel effusione sanguinis: est enim eadem ratio, vt notauit Soto in. 4. dist. 32. articul. 3. Cordub. in sum. quæst. 12. Præterea ad huiusmodi violationem omnes censent sufficere effusionem seminis copiosam, voluntariam, publicam, ac illicitam quocunque genere turpitudinis, siue sit per pollutionem, siue per quamcunque illicitam copulam, in quocunque genere personarum, fideliū, vel infidelium: quia iura absolutè & simpliciter loquuntur. Difficultas autem superest, an per copulam de se licitam, scilicet coniugalem, in Ecclesia factam, polluatur ecclesia. Aliqui enim absolutè affirmant, quia iura citata absolutè loquuntur de effusione seminis. Item, quia talis copula, quanuis

2. Opinio.

A non sit iniusta, neque ex obiecto intemperans, tamen hoc ipso, quòd fit in ecclesia, est sacrilega, & peccatum mortale. Ita tenent Palud. in. 4. dist. 18. q. 8. artic. 4. Soto. d. 32. art. 3. Caiet. in summ. verb. Matrim. peccata. nu. 6. & Sum. Angel. Consecratio. 2. quæst. 7. Nauar. cap. 16. nu. 33. & cap. 27. nu. 253. qui alios citat. Idem Victoria in summa, num. 99. Gloss. recepta in capit. vnico de consec. Eccles. in 6. Secunda opinio absolutè, & in vniuersum negat, Ecclesiam violari per copulam coniugalem. Ita tenet Glossa, in cap. Ecclesijs. de consecrat. distin. 1. & significat Soto. dist. 15. q. 2. art. 3. ad 2. addit tamen, forsan ita esse, quia pœnæ sunt restringendæ. Vnde significat, ita esse piè interpretanda suprà citata decreta, maximè, quia in cap. Si motum. de Consec. dist. 1. solùm fit mentio adulterij, sicut etiam in cap. Significasti. de adulterijs. Vnde in quadā lege huius regni, partit. 1. tit. 10. l. vlt. per adulterium & fornicationem dicitur pollui ecclesia. In dicto autē cap. ecclesijs. solùm dicitur, ecclesias esse purgandas cuiuscunque semine pollutæ fuerint, nō explicatur autem, cuius semine polluantur: ergo rectè exponi potest, pollui iniqua seu polluta seminis effusione: quia per actū de se honestum & licitum non est, cur polluatur Ecclesia, & ita erit distributio tantū accō moda, non verò absoluta, id est, vt intelligatur, non de semine, quomodòcunq; & à quocunq; effuso, sed de illo, quod tā iniquè effunditur, vt ecclesiā polluat. Et cōfirmatur, nam vsus matrimonij in ecclesia nō videtur res adeò turpis, vt, secluso contēptu, sit peccatū mortale, quia non est specialiter prohibitus aliquo iure positiuo: considerata verò sola ratione naturali, cū ille actus nō sit malus, sed honestus, non videtur adeò grauis irreuerentia loci sacri, quòd in illo fiat, secluso contēptu & scandalo. Vnde Soto, dicta d. 32. dicit, si concubitus sit occultus, fortè non esse peccatū mortale: quia tūc non violatur ecclesia, quia non violatur, nisi publico actu, vt statim dicetur, ob idque (inquit) iniuria nō est adeò atrox censenda. In quo discursu significat, quādo coniugalis copula est publica, esse peccatū mortale, quia violat Ecclesiā. Quod (vt verū fatear) non videtur rectè animaduersum, quia actio nō fit peccaminosa, quia polluit ecclesiā, sed potiùs, quia ipsa est turpis & repugnās Ecclesiæ sanctitati, ideò ex institutione ecclesiæ, illi adiuncta est veluti cēsura, seu interdictio talis loci: si ergo copula coniugalis occulta in ecclesia facta, non est peccatū mortale, etiā publica non erit peccatū mortale, secluso scandalo: dicitur enim publica, nō quia fit corā omnibus, id enim per se est turpe & contra honestatē, sed quia omnibus nota est ex publica cohabitatione in Ecclesia, & in eodē toro: quo sensu illa circunstantia est impertinens ad honestatem, vel turpitudinē, secluso scandalo: ergo nec etiam publica copula polluet locū sacrum: quia, vt polluere possint, debet supponi peccatū mortale.

Palud. Caiet. Soto. Sum. Ang. Nauar. Victoria.

2. Opinio.

Soto.

3. Opinio.

Tertia opinio distinctione vtitur: nam quando cōiuges ex iusta causa coguntur in Ecclesia habitare, & dormire, præsertim longo tempore, tunc censet, non violari ecclesiam per copulam cōiugalē, secus verò esse, si absq; legitima causa ibi coniungantur. Fundamentum esse potest, quia, quando fit hoc posteriori modo, talis vsus matrimonij est illicitus & sacrilegus, contra reuerentiā loco sacro debitā: priori autē modo est licitus, tū quia non sunt obligādi homines ad rem adeo difficilem, qualis est diuturna cō tinentia in ea occasione, & veluti tentatione, solū pro-

propter quandā extrinsecam decentiam loci sacri; tū etiam quia non sunt coniiciendi in periculū morale illicitæ pollutionis; & ideo, quādo solum hac de causa coniunguntur ad vitandum tale periculum, potius in hoc videntur locum sacrum reuereri, quā illi iniuriam facere. Et hāc opinionem sic expositā tenet Rich. in 4. d. 32. ar. 3. q. 1. Maior. q. 1. Sylvest. verbo Consecr. 2. q. 5. & verbo. Debitū. q. 3. Castro, lib. 1. de lege pœn. c. 7. documē. 2. Couar. in 4. lib. Decretal. p. 2. c. 7. §. 2. n. 3. & Vict. in sum. nu. 276. dicit hanc opinionē esse probabilem, & securā practicè. Et re vera ita est, vnde, formaliter potius, quā materialiter, eā explicando, hæc videtur generalis regula assignāda. Per copulā cōiugalē illicite, & iniuriosè factam in Ecclesia, pollui Ecclesiā: quia tunc, eadē est ratio de tali effusione seminis, & de cęteris: nā licet nō sit cōtra iustitiā, tamē respectu circunstantiæ loci, est intēperās, atq; etiā sacrilega. Vnde, cū iura, quę de huiusmodi effusione loquūtur, quāuis interdū nominēt vnā vel aliā specié illicitæ effusionis, tamē, generatim loquēdo, vt minimū, cōprehendāt voluntariā, & illicitā effusionē seminis, necessario etiā dicendū est, cōplecti etiam copulā cōiugalem, prędicto modo factā. At vero, quādocunq; cōiuges excusantur à peccato mortali in huiusmodi copula, verisimilius est nō pollui tūc Ecclesiā, etiā si publica sit, quantū moraliter de tali actu publicè constare potest: quia in prædictis de cretis nullū est verbū, ex quo possit contrariū elici vt satis declaratū est; & alioqui nulla est ratio, cur ex tali actu licito, qui cū reuerentia & timore Dei fieri potest. Ecclesia polluatur. Item effusio sanguinis: si ex iusta causa fiat, vt, v. g. ad defensionē vitæ corporalis, nō polluit Ecclesiam: ergo neq; effusio seminis honesta, & honestè facta ex iusta causa, verbi gratia, in defensionē vitæ spiritualis, seu ad vitandū periculū incontinentiæ, polluet Ecclesiā. Quando autē talis copula licite, vel illicite fiat in Ecclesia ad materiam de matrimonio spectat: nunc autē breuiter possumus hac regula vti. Quotiescūque moraliter, & iuxta humanā fragilitatem vitari potest, aut in alio loco fieri, peccatum mortale erit, intra Eccesiā illā perpetrare, nō verò quādo humana necessitas, vel fragilitas, cōpellit. Vnde, si cōiuges nō coguntur dormire intra Ecclesiā, quia licet fortasse cogantur in ea habitare, tamē possunt in cubiculis adiunctis dormire, tunc grauiter peccabūt in Ecclesia coeundo. Item, si iusta ex causa in Ecclesia dormiant, tamen breui tempore, vna, scilicet, vel alia nocte, vt verbi gratia, si voti causa in Ecclesia maneant, grauiter peccabunt coeundo, quia facili negotio possunt se continere, & seperare, quoad torum, ita vt morale periculū pollutionis, & similis intemperantiæ euitent; & in huiusmodi casibus non solum peccat, qui petit debitum, sed etiam qui reddit; quia alter non habet ius petendi tali tempore, & loco. At vero, si iusta ex causa cogantur habitare longo tempore in Ecclesia, in qua nullus sit locus adiū ctus, in quo dormire possint, prēter ipsum templum; verbi gratia, propter obsidionē, vel propter aliquod crimen, vel quid simile; tunc copula coniugalis in Ecclesia non erit peccatum mortale, propter rationes suprafactas. Vnde addo, etiam si non vterque coniux, sed alter tantum in Ecclesia perpetuo manere cogatur, ita vt extra illam nullo modo possit petere aut reddere debitum nō videri peccatū mortale, si, altero coniuge illuc volūtariè

Richard. Maior. Sylvest. Castro. Victoria.

Alia regula

A accedente, actum matrimonij consument: quia etiā tunc intercedit morale periculum incontinentiæ: neque est verisimile, Ecclesiam obligare cum tanto rigore ad vitandum illum actum in Ecclesia: neque etiam ex sola ratione naturali in hoc apparet irreuerentia præsertim grauis.

Secundo dubitari solet circa hunc casum, an per occultam pollutionem, vel fornicationem, aut simlem actum, polluatur Ecclesia; an vero requiratur, crimen esse publicum. & quomodò. Vera, & cōmunis sententia est, per crimen occultum, Ecclesiam non violari. Ita tenet Sylvest. verb. Consecratio. 2. quęstione. 5. & verb. Missa. 1. quęstione 3. & verb. Confessio. 3. quæstione. 18. qui refert alios Nauarr. capit. 27. num. 251. Soto. distinct. 13. quæst. 2. art. 3. ad 2. & dist. 32. art. 3. Palud. in 4. distinct. 18. q. 8. art. 4. & affert exemplum; nam, sicut solennis pœ

B nitentia nunquam pro occulto crimine imponenda est, ita neque Ecclesia est reconcilianda propter occultum crimen: quia reconciliatio semper fit cum solennitate. Eandem opinionem tenet Greg. Lopez; dicta l. 20. tit. 10. partit. 1. & Iacobus de Grafis lib. 2. q. 7. num. 25. qui omnes adducunt. cap. Significasti. de Adulterijs. vbi ideo censetur Ecclesia polluta per adulterium, quia adultera publicè delictum confessa est. Ratio vero est, quia Ecclesia nō iudicat de occultis. Neque esset conueniens, cuncta delicta prodere, reconciliando Ecclesiam. Item, quia sequerentur magna incommoda, si sacerdos, verbi gratia, ob occultam pollutionem, quæ sibi in Ecclesia contigit, deberet abstinere à celebrando in tali Ecclesia, & similia. Quocirca doctrina hæc de occulto, vel publico delicto, licet specialiter tradatur in hoc casu de effusione seminis, quia frequentius in illo accidere potest; nō tamen limitanda est ad solum illum, sed extendendā etiam ad effusionē sanguinis, & ad omnem alium casum, qui possit esse occultus: quia est eadem omnino ratio, & ita sentiunt autores citati. Sed quæres, quæ publica notitia delicti, aut facti necessaria sit. Respondent ferè omnes citati autores, necessariam esse, aut facti euidentiam, aut quod iuridice probatum sit delictum per iuridicam confessionem, vel sufficientem probationem. Vnde quanuis duo, vel tres sciant delictum, si taceant, nō est polluta Ecclesia: quia adhuc est delictum absolutè occultū, respectu populi. Eui dentia autem facti non est ita intelligēda, vt necesse sit, factum ipsum videri publicè ab omnibus: id enim, nec necessariū est, nec sæpè, moraliter possibile: satis ergo est, cp iuxta negotij, seu facti qualitatem sufficiens notitia illius communiter in plebe, aut in Parochia habeatur. Vnde ait Soto, si publicè

D constet, virū & fœminā in Ecclesia cohabitare in eodem toro, id satis esse ad euidentiam illius facti, & vt Ecclesia polluta censeatur. Et Nauarrus addit quanuis ob delictum factum coram duobus, Ecclesia nō sit polluta, quādiu illi tacent, tamē, si post aliquod tempus illi publice prodant delictum, ex tūc incipere Ecclesiam esse pollutam, ex quo delictum incipit esse publicum, sufficit ergo publica notitia, vel sufficiēs testimonium morale; vel talia indicia, quæ testibus æquiualeant, & moralem certitudinē efficere possint. Addi vero vlterius probabiliter potest post decretū Concil. Cōstātiensis restringētis censuras & neminē obligent ad se abstinendū vsq; ad iuridicam denunciationem, nisi in casu publicæ perculsionis clerici; addi (inquam) potest, etiam in

Vera & cōmunis sentētia.

Sylvest. Nauarr. Soto. Paludan.

Greg. Lop. Iacob. de Grafis.

Ecclesia non iudicat de occultis.

Quæstum. Responsio

Soto.

Nauarr.

Cōcil. Cōstātiense.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsente casu non sufficere quamcunque notitiam delicti, donec per sententiam iudicis declaratũ sit, Ecclesiam illam esse pollutã; sicut Ecclesia nunc nõ est interdicta, ita vt obligemur abstinere, & interdictum seruare, donec per iudicis sententiã cẽsura interdicti publicè denunciata sit. Ratio est, quia verba decreti sunt, vt nemo teneatur abstinere à quibuscunque diuinis, prætextu cuiuscunq; sententiæ aut censuræ, à iure vel ab homine generaliter promulgatę, donec in particulari seu nominatim declaretur interdictum autẽ est censura quædã: hæc vero pollutio Ecclesiæ est quodam interdictũ, vt significat Palud. supra, & Sylvest. verb. Interdictũ. 4. q. 3. & quasi sententia quædam iure lata: ergo meritò censeri potest comprehensa sub illo decreto Cõcilij Constantiensis: & ita docuit Salmanticæ ante plures annos grauis quidã Theologus Dominicanę familiæ; & est probabile: plenior autẽ huius rei resolutio vsque ad materiam de interdicto differatur. Videtur enim res valde incerta, nam hæc Ecclesiæ pollutio impropriſsimè inter censuras numeratur; non est enim propriè interdictum, vt planè colligitur ex cap. Is qui. iuncto. §. Is vero; de sent. excommun. in 6. vt inferius clarius adnotabimus.

Palud. Sylvest.

Quarto violatur Ecclesia, si in ea fidelis excommunicatus sepeliatur, vt tradũt omnes citati ex ea. Cõsuluisti. de Consecr. Ecclesiæ vel altaris, vbi de cœmeterijs sermo est; est autem eadem vel maior ratio de Ecclesia, cum ipsa sit principalis in hoc negotio: cœmeterium autem sit, quasi accessoriũ, c. vnico, de Consecr. Eccl. in 6. Solùm est annotandum ex Victoria in Sum. dub. 99. nunc post decretũ Cõcil. Constant. supra tactum, necessarium esse, vt huiusmodi excõmunicatus, sit, vel nominatim excõmunicatus, aut manifestus percussor clerici: quia hos tantũ tenemur vitare; & ita etiã hos tantũ tenemur in loco sacro nõ sepelire. Deniq; reliqui omnes iã censentur vt occulti excõmunicari. Ex hoc tamẽ casu inferunt à simili Doctores, idem dicendum esse, Ecclesiam, scilicet, violari, si ab Episcopo excõmunicato consecretur, vel benedicatur. Ita docent Paludanus, & Sylvester supra cũ Abbate & Hostiẽsi in dicto capit. Consuluisti. qui nullo iure id probant, sed tantum argumento à simili ex eodem c. Consuluisti: inam, si sepultura corporis excommunicati (inquiunt) polluit ipsum locum, multo magis consecratio ipsa transiens per os excommunicati eundem locum polluet. Itaque consecratio, vel benedictio facta ab Episcopo excommunicato, tenet & rata est: quia substantialiter iurisdictionem non requirit, sed potestatem Ordinis, quam non aufert excommunicatio: manet ergo talis Ecclesia consecrata, vel benedicta: dicitur tamen ab his autoribus simul manere polluta, seu quasi suspensa, ne munus suum loci sacri exercere possint: sicut, qui excommunicatus Ordinatur, Ordinatus quidem manet, suspensus tamen relinquitur, ne Ordines exercere possit. Ego autem (vt verum fatear) quanuis non inueniam autores contradicentes huic sententiæ, illi assentire nõ possum, quia in huiusmodi legibus pœnalibus, & odiosis argumentũ à simili est inefficaciſsimum. Vnde, quod de irregularitate in iure cautum est, scilicet non incurri, nisi in iure sit expressa, verum esse existimo de quacunque censura, aut pœna ipso iure incurrẽda: quia, si in iure lata nõ est, quomodo ipso iure incurretur? Sed in præsente casu non est lata hæc censura ipso iure ergo neq; etiam incurritur ipso iure: nã, licet ius voluerit, Ecclesiã pollui per sepulturã excõmunicati nõ tamẽ voluit idẽ, fieri per actionem excõmunicati. Neque argumentum à paritate rationis sufficit, quia esto concedamus esse parem rationẽ, potuit Ecclesia vti ea ratione in vno casu, & non in alio, ne aut casus multiplicaret, aut omnes impunitos relinqueret. Vel negari potest esse parẽ rationem: quia iniuria, quæ fit Ecclesiæ per sepulturam hominis excommunicati, est, vel maior, vel permanẽtior, quia corpus ab Ecclesia præcisum, quasi in custodiã cõmittitur loco sacro. Adde, scilicet argumentari à paritate rationis, fortius argumentum in contrarium sumi ex c. A nobis. de sacramen. nõ iterand. vbi dicitur non pollui altare, vel Ecclesiam ex eo, quod schismaticus, vel excommunicatus in ea celebret; ergo pari ratione non polluetur ex eo, quod excõmunicatus eam consecret. Item; si argumentum à simili esset efficax: sicut Ecclesia polluitur, quia in ea excommunicatus sepelitur, etiam polluetur, si sacerdos excommunicatus aliquem solenniter in Ecclesia sepeliat; quod tamen sine dubio falsum est: est ergo illud argumentandi genus inualidũ. Tandem, si metaphysicè hoc velimus expendere, quãdo Ecclesia ab excommunicato consecratur, nihil fit in Ecclesia consecrata vt sic, quo possit pollui: quia pollutio Ecclesiæ supponit cõsecrationẽ eius, talis autẽ consecratio non supponit, sed facit Ecclesiã consecratã; & circa illam consecratam nihil amplius operatur; non est ergo, cur polluatur vel suspẽ datur, quo minus exercere possit munus loci sacri; hæc ergo sententia mihi videtur verior propter vim rationum, etiam si autoritate destituta sit.

Victoria.

Palud. Sylvest. Abbas. Hostiensis.

Autoris sententia.

Quinto violatur Ecclesia, quando aliquis pagan us seu infidelis in ea sepelitur, vel sepultus iacet, ex c. Ecclesiam. 1. &. 2. de Consecra. d. 1. nomine autẽ pagani & infidelis comprehendũtur etiã pueri, qui ante baptismum moriuntur; sunt enim infideles, saltem negatiuè. Addunt vero Sylvest. & alij hoc procedere quãdo huiusmodi infidelis, in seipso (vt sic dicam) sepelitur: secus vero esse, si sepeliatur in alio, vt si mulier fidelis prægnãs in Ecclesia sepeliatur: quia tũc fœtus non reputatur vt persona per se distincta, sed vt pars matris. Hoc autem accidere potest, si puer, vel antea, vel simul cũ matre moriatur: nam si viuere credatur, aperienda est mater, vt baptizetur infans, vt in superioribus dictum est. Quod si ex negligentia, vel malitia non ita fiat: sed cõtingat, matrẽ mortuã habentem in vtero filium viuũ ita sepeliri, ratione homicidij, polluetur Ecclesia, si, dum mater sepelitur, infans in ipsa Ecclesia occidatur, quia quoad hoc non reputatur filius, vt pars matris; & ideo illud est verũ homicidiũ, sicut etiã patet à simili in aborsu; si vero Extra Ecclesiã permitteretur prius mori, vel etiã intrà vterum interficeretur; & postea mater sepeliretur in Ecclesia non pollueretur hoc titulo; quia puer tũc per se nõ sepelitur, sed per accidens fertur cum matre. Atq; hi quinque casus à nobis enumerati locum habent, non solum in Ecclesijs consecratis, sed etiam simpliciter benedictis, vt colligitur ex dictis duobus capitibus. Ecclesiã. & ex c. Consuluisti. &. c. si Ecclesia. de consecr. Eccl. vel altaris. Nec solũ in Ecclesijs, sed etiam in cœmeterijs locum habent, quæ eodem modo benedicuntur, sicut Ecclesia, vt const at ex cap. Vnico. de Consecr. Eccles. in 6. vbi etiam additur, violata Ecclesia, consequenter violati cœmeterium

5. Casus in quo violatur Ecclesia

Notatu dignum.

terium illi annexum, quanuis è cõuerso, violato cœmeterio, non violetur Ecclesia, quia accessorium sequitur principale, non vero è contrario, vnde necesse est, cœmeterium esse cõtiguum Ecclesiæ; nam si sit remotũ, non censetur illi annexum; & ideo non violabitur, quanuis violetur Ecclesia, vt in eodem cap. dicitur, & similiter, si duo sunt cœmeteria distincta; si etiam ita sint coniuncta, vt pariete tantũ interiecto diuidantur, & communem habeant portam: per quã sit transitus ab vno ad aliud, nihilominus, violato vno, nõ censetur violari alterum, quia non censetur alteri annexum, sed vtrũque Ecclesię.

Accessorium sequitur principale non vero è contrario.

Sylvestri quæsitum.

Quærit autẽ Sylvester, verbo, Cœmeterium. quid sit dicendum, si contingat, pollutionem fieri in ipsa parte intermedia; & refert quosdam asserentes, tunc pollui cœmeterium illud, cui propinquior est pars illa, in qua accidit pollutio. Sed hoc est difficile ad iudicandum, & non est sufficiens responsio; quid enim dicetur, si totum ianuæ spatium polluatur, vel pars æquè distans? Dici vero potest, cũ spatiũ illud ianuæ cõmune sit vtrique cœmeterio, dimidiam partem eius ad vnum sibi contiguum pertinere, aliã vero ad aliud; ideóq;, si pollutio in altera parte tantum contingat, illud cœmeterium pollui, quod ei contiguũ est; si autem in vtraque parte fiat, vtrũque pollui. Si autem paries, & ianua tota censeatur, pertinere ad vnum cœmeterium, & non ad aliud; quia, verbi gratia in illius solo facta est, tũc illud tantum cœmeterium polluitur, ad quod ianua illa pertinet. Et eodem modo iudicandum est de Ecclesia, si pollutio contingat in porta Ecclesiæ, nam, si sit in parte interiori, quam contingunt, & claudunt ianuæ Ecclesiæ, tũc polluetur Ecclesia; secus vero, si contingat in exteriori parte, quia iam tunc censetur totum id fieri extra Ecclesiã. Deniq; hi casus nõ habent locũ in oratorijs, vel similibus locis, quæ nec cõsecrata sunt, nec benedicta, quia iura citata tantum loquuntur de Ecclesijs, Ecclesiæ autem nomine solum significatur templum consecratum aut benedictum.

Quæsito satisfit.

In quibus locis hi casus locum nõ habent.

Sylvester.

Sextus casus est, quando parietes Ecclesiæ comburuntur, vel ita destruuntur, vt eã integrè reædificari oporteat; tunc enim iterum consecranda est: quia consecratio perditur, destructa re, in qua fundatur, oportet tamen, vt parietes simul ruant, nam, si paulatim & successiuè destruantur ac reparentur, non perditur consecratio: quia semper censetur manere idem numero templum; quod intelligendum est, dummodo pars non consecrata, quæ additur, non sit maior: quia tunc id quod est maius, ceſsetur ad se trahere, quod minus est: secus vero est, si tectũ ruat, & parietes integri maneant; quia tunc consecratio non amittitur; quia potiſsimum circa parietes versatur, vbi linitio, & cruces fiũt; atq; hæc colligũtur ex capitul. Ligneis. de Consecratione Ecclesiæ. Et ex capitul. Ecclesijs. de Consecration. distinctione. 1. & tractat latè Sylvest. verbo Consecratio. 2. q. 4. Hic tamen casus non habet locum in Ecclesia, vel cœmeterio benedicto, vt significat suprà Sylvest. quia tantum benedicitur ipsum solũ, quod semper idẽ manet; cõsecratio autẽ fit in parietibus. Vnde hic casus nõ propriè pertinet ad Ecclesiæ consecratæ pollutionem, sed ad destructionem potius ipsius consecrationis; & ideo in eo non reconciliatur Ecclesia, quæ instaurata est, sed iterum consecratur, vt dicitur in prædictis iuribus, quæ solum de Ecclesia consecrata loquuntur.

Sextus casus

A His positis, in proposita quæstione dicendũ est, ex suo genere ac per se loquendo, peccatum mortale esse, in Ecclesia violata Missam dicere, antequàm purificetur. Ita docent omnes Doctores in 4. distinct. 13. vbi Paludan. dict. quæstione. 2. artic. 3. & distinctione. 18. quæstion. 8. Sylvest. verbo Consecratio. 2. Nauarr. c. 25. numero. 83. & capitul. 27. numer. 250. Ratio vero est facilis, si intelligatur, quid sit hæc pollutio Ecclesiæ: nihil enim est aliud quam censura quædam, seu prohibitio iure Ecclesiastico introducta, ne sacrum, aut alia diuina officia fiant in huiusmodi Ecclesia, quando aliquod ex prædictis delictis, seu impedimentis interuenit, vt constat ex citatis decretis; hoc autem præceptum est iustum & graue, pertinetq; ad reuerentiam Ecclesiarum; ergo obligat sub mortali. Addit verò hic S. Thomas, de licentia Episcopi posse fieri sacrũ

Conclusio.

Palud. Sylvest. Nauarr.

B in Ecclesia violata ante reconciliationem: quia si Episcopus potest dare licentiam, in loco non consecrato sacrificandi; ergo & in loco nondum reconciliato. Item quia in capitul. Missarum absolutè dicitur Missam posse dici *vbi Episcopus permiserit*, & in capitul. Hic ergo. de Consecratione, distinctione. 1. *vbi Episcopus iusserit*: ergo sub hac generali regula comprehenditur etiam Ecclesia polluta, si Episcopus in ea iusserit, vel permiserit celebrari. Addit vero Soto (& videtur quidem verum) vt hoc instè fiat, requiri grauem causam; quia est dispẽsatio quædam in lege Ecclesiastica & graui. Et tanta posset esse necessitas, vt, si non posset accersiri Episcopus, etiam sine facultate eius id liceat, quia Ecclesiasticum, præceptum non obligat cum tanto rigore. Atque his modis excusantur, quia in regionibus Septentrionalibus sacrificant in locis, in quibus sepulti sunt hæretici; quia, vel necessitate coguntur, quia alibi commode sacrificare non possunt, vel etiam Episcopi videntes & consentientes facultatẽ præbere censentur.

D. Thom.

Soto.

Sed quæret aliquis primò, an sit aliqua pœna, vel censura imposita ei, qui in Ecclesia violata contra canones Ecclesiæ sacrificat. Respondetur; primò tum est, ratio ne huius delicti nou incurri proximè & immediate irregularitatẽ aliquã, vt docẽt omnes citati autores. Palud. Soto, Nauar. Sylvest. verbo Cõsecratio. 2. q. 9. & est expressè declaratũ in c. Is qui. de sententia excom. in 6. & ibidẽ ratio redditur, quia nõ est in iure expressum. Dices, licet nõ sit expressum sub specifica ratione, tamẽ est expressum sub generali ratione interdicti; nã (vt ibidem dicitur. §. Is vero qui.) qui celebrat in loco interdicto, irregularis sit. Sed Ecclesia violata est interdicta: ergo. Respondetur hoc esse manifestũ argumentum, hoc impedimentum violationis Ecclesiæ nõ esse interdictũ, nec censuram aliquã, sed esse aliud genus impedimenti, seu inhabilitatis illius loci. Addit vero Sylvest. supra, cum quibusdã iurisperitis, eũ, qui celebrat in Ecclesia violata, manere ipso iure suspensum; & cõsequenter, si iterũ post talem suspensionem celebret, aut similes actus Ordinis exerceat, fieri irregularem, iuxta dictum cap. Is qui. hanc autem suspensionem colligunt ex cap. Episcoporum. de priuilegijs in 6. Sed ex illo textu non colligitur talis pœna, vt in section. præcedente in simili casu annotaui: nam ibi solum imponitur ea pœna celebranti in loco interdicto, sed locus violatus, propriè & in rigore loquendo, nõ est interdictus, vt ex dict. cap. Is qui. manifestè probatum est; ergo,

Quæsitum.

Responsio.

Palud.

Soto.

Nauarr.

Sylvester.

Universidad de Deusto Biblioteca

ergo, qui in illo celebrat, non incurrit pœnam illam: quapropter, neque immediate, nec mediate, fit irregularis, etiam si semel aut sæpius in eodem loco violato celebret, vt latius dicemus, agentes de censuris.

Soto. Iacobus de Grasis.

Secundo quæret aliquis, Quid faciet sacerdos, si, dũ celebrat, Ecclesia violatur? De hoc legi possunt autores suprà citati præsertim Soto, distinction. 13. quæstion. 2. artic. 3. & 4. & Iacobus de Grasis, lib. 2. capit. 47. num. 10. & breuiter dicitur, si violatio cõtingat post canonem inceptum, absoluere debet Missam absque interruptione: quia iam censetur, quasi substãtialiter inchoatum sacrificium; & ideò interrumpi non debet, propter Ecclesiasticum loci impedimentum superueniens, si autem nondũ canonem inchoauit, debet cessare, donec Ecclesia reconciliata sit. Quod si Ecclesia sit tantum benedicta, ipse potest statim eam reconciliare, iuxta cap. Si Ecclesia. de Cõsecr. Ecclesiæ vel altaris, per aspersionem aquæ benedictæ, & alias breues & faciles ceremonias, prout habentur in ceremoniali Ecclesiastico: si autem illam reconciliare non possit, exui debet vestibus sacris, & sacrificium omittere. Quod maxime necessarium erit, quãdo Ecclesia, quæ violatur, est consecrata: quia non potest à simplici sacerdote reconciliari, sed tantum ab Episcopo proprio vel ab alio Episcopo, ex licentia eius: simplici enim sacerdoti id committi nõ potest, nisi per summum Pontificem, sicut neque Ecclesię consecratio. Ita colligitur ex c. Aqua. & c. Proposuisti. de consecr. Ecclesiæ vel altaris, vt notant reliqui autores supra citati.

SECTIO V.

Vtrum requiratur altare consecratum, vt possit licite Missa celebrari.

Dionys. Strabo.

POstquam dictum est de communi loco & remoto, dicendum sequitur de propinquiori, quod est altare; de quo frequens mentio est apud antiquos Patres, vt patet ex can. 3. & 30. Apost. & ex Dionys. c. 3. Ecclesiast. Hierarch. & alijs Patribus supra citatis, & inferius citandis; quia altare maiorem connexionem habet cũ sacrificio, quàm templum, Ecclesia, aut tabernaculũ; & ideo, vt notauit Strabo, de reb. Ecclesiast. capit. 1. antiquius est illis, Abraham enim, Isaac, & alij Patriarchæ, Deo altare erexerunt, priusquam tabernaculũ, vel templum ędificatũ fuerit: quia ad sacrificandũ Deo, necessarium eis fuit aliquem certũ locum eligere, in quo hostiam immolarent, qui altaris nomine significatur.

Etymologia nominis, altare ostenditur.

De cuius etymologia multa scribũtur ab autoribus, breuiter tamẽ illa deductio nobis placet, quod altare ab ara dictum sit, vt altare sit, quasi alta ara: locus enim sacrificij in altum erigi solet, tum propter reuerentiã, tum propter significationem, tum propter sacrificandi commoditatem: ara vero dicta est, vel à precationibus, quæ coniũguntur sacrificijs, quia Græci precationes aras vocant, vel ab ardore, quia ibi incensæ victimæ ardere solebant, ex Strabone supra, cap. 7. & Isidor. lib. 15. Originum. cap. 4. In Ecclesia autem Catholica, vt Gregor. Nazian. notauit, orat. 4. à purissimo & incruento sacrificio ara nominatur, quæ etiam altare dicitur ad Hebr. 13. *Habemus altare, de quo edere nõ habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*. Ad quod allusit Christus, Matth. 5. dicẽs. *Si offers munus tuũ ante altare, &c.* nam verba illa non tantum ad præsentes, qui tunc aderãt, sed ad nos etiam dirigebantur, qui super Christi altare oblaturi eramus; & eodem modo intelliguntur optime verba Pauli, primæ ad Corinthios. 9. *Qui altari deseruiunt; de altari viuere debent*, quod altare statim mensam appellant, cap. 11. *Non potestis mensæ Domini participes esse & mẽsæ dæmoniorum*: nam eadem ara, quæ altare est ad offerendum Deo sacrificium, mensa est, in qua cibus vitæ fidelibus proponitur. Vnde Optatus Mileuit. lib. 6. cont. Parmenian. altare vocat, *Sedem corporis & sanguinis Christi*. August. autem 20. cont. Faust. c. 21. dicit esse locum, *in quo corpus Christi offertur*, & serm. 11. de Sanctis, corpus Christi dicit esse in altari, *& altare esse formam corporis Christi*. Quod etiam dixit Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 2. & lib. 5. cap. 2. adducẽs illud Psal. 42. *Introibo ad altare Dei, ad Deũ qui lætificat iuuentutẽ meã*. Vnde Iren. lib. 4. c. 20. probat Apostolos veros fuisse sacerdotes: quia altari seruiebant. De quo insignis etiam fit mentio apud Greg. Nazian. orat. 11. Amb. epi. 33. Aug. epi. 50. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, & homil. 41. in 1. ad Corin. Hieron. epist. 3. quæ est epitaph. Nepotiani. *Subuersæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ*. Quibus verbis nostri potius, quam sui, temporis calamitatẽ deplorare visus est. Idemque Hieronym. libr. contra Vigilantium dicit tumulos martyrum esse Christi altaria, quia nimirũ sub altaribus, in quibus Missæ dicuntur, corpora Sanctorum collocari solebant.

Strabo. Isidor. Nazianz. Math. 5. 1. ad Cor. 9. Optatus. August. Ambros. Irenaus. Hieron.

Altare duplex.

Ex his ergo satis constat necessarium esse altare, ad hoc mysteriũ Eucharistiæ conficiendum & offerendũ: quod ex cõmuni etiam ratione sacrificij satis constat: nã ad offerendum sacrificiũ, necessariũ est altare: sed hoc mysterium est verum sacrificiũ: ergo ab illud cõficiendũ necessariũ est altare. Quale vero, vel cotuplex illud sit explicandũ superest. Principio igitur claritatis gratia distinguendum est duplex altare. Vnum dicitur fixum, aliud portatile; altare fixum est tota illa mensa, in qua integrũ Missæ ministerium fit, quia in altari interdũ totus integer superior lapis, qui proprissimè vocatur mẽsa altaris, cõsecratus est, & superædificatus alijs lapidibus, quibus totum altare erigitur & cõstat, & de hoc altari frequentius loquũtur Patres, vbicunque altaris mentionẽ faciunt: interdũ vero altare fixũ nõ habet superiorẽ lapidẽ consecratũ, aut certè nullum est altare fixũ, sed solum ligneæ, & facilè mutabiles mensæ; & tũc necessarium est altare portatile, quod aram vulgo appellant. De quo plura statim.

2. Conclus.

Dicendũ ergo secundò est, Ad offerendũ Missæ sacrificium, necessariũ omnino est altare lapideum consecratum; siue illud fixũ sit, siue portatile, hoc enim per se loquendo, non refert. In hac conclusione multa continentur, primum est, materia, ex qua altare erigi seu confici debeat, scilicet, quod sit lapidea, ita enim statutum est in Concil. Hipponens. c. 6. vt Gratian. refert c. Altaria. de Consecr. dist. 1. vel in Concil. Epaunensi cap. 26. & 27. vt referunt Burch. libr. 3. capit. 25. & Iuo part. 3. cap. 30. Et inter Euaristi Papæ decreta, quoddam simile refertur, scilicet, altaria, si lapidea nõ fuerint, ad celebrãda diuina officia non consecrentur. Est ergo hæc consuetudo in Ecclesia antiquissima, quam multi existimant à temporibus Syluestri incepisse: nam

antea

Cõc. Hippõ. Gratian. Burch. Conc. Epaun. Iuo.

antea propter tyrãnorum persecutionem, quoniam fideles vix habere poterant certa loca, in quibus sacrificarent, sed in cauernis, cryptis, & alijs occultis locis, prout poterãt, rem diuinam faciebãt, ideo altaribus ligneis vtebantur, quę facile de loco in locũ transferri possent: postea vero cõcessa Ecclesiæ pace per Constantium, statutum est, atque vsu receptum, vt altare lapideum sit, quãuis antiquissimum altare ligneum, quo Apostoli & Pontifices vsi fuerant, propter eorum reuerẽtiam, iussu Syluestri cõseruatum sit, vt in eo solus Pontifex certis tẽporibus sacrificet, reliqua autẽ omnia lapidea sunt. Ad quod videtur allusisse Chrysostom. hom. 20. in posteriorem ad Corinthios, de altari scribens, *Lapis quidem est natura, sanctum autem fit, quoniam corpus accipit Christi*. Et Greg. Nissen. orat. de sancto baptismate, dicẽs, *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, sed Dei cultui dedicatum, atque consecratum*, & Augustinus sermone. 255. de Tempore. *Consecrationem altaris hodie celebramus, & iuste ac merito gaudentes celebramus festiuitatem, in qua benedictus vel vnctus est lapis*. Rationem autem huius cõsuetudinis tradidit D. Tho. ad 5. tum mysticam, tum literalẽ: mystica est, quia altare repræsentat, vel Christũ de quo scriptum est, *Petra autem erat Christus*; vel sepulchrum Christi, quod lapideum fuit; olim vero altare ligneum significabat crucẽ, quæ fuit altare in quo Christus sacrificium cruentum obtulit; sed illa materia mutata est propter cõmoditatẽ vsus: vnde ratio literalis est, quia materia lapidea, & vulgaris est, facileq; haberi potest, & est firmior ac durabilior, qualem opportebat esse, vt immutabilem consecrationem acciperet.

Chrys. Greg. Niss. August. D. Thom.

Notatu dignum.

Solum est obseruandum in altari fixo nõ oportere, vt totum altaris edificiũ lapideum sit; potest enim esse ligneũ, vel terreum, quãtũ ad omnes remotiores partes. Solùm ergo requiritur, vt superior mensa lapidea sit: illa enim sola consecratur. In vniuersum autem loquendo sufficit, vt ara lapidea sit, dũmodo alia necessaria habeãtur, vt dicemus: oportet tamen, vt sit tantæ longitudinis & latitudinis, vt capere possit pedẽ calicis, & hostiam seu patenam, vt possint post consecrationem supra illam collocari. Nõ oportet autẽ scrupulosè in hoc laborare, vt calix & patena seu hostia quoad omnes partes suas super lapidem constitui possint, satis enim est, vt quoad maiorem partem supra illum collocari valeant, dummodo firma sint & sine periculo cadendi; quæ omnia sunt assumpta ex communi Doctorum sententia in 4. d. 13. vbi specialiter videndi sunt Paludan. q. 2. artic. 4. Soto artic. 3. & Alens. 4. part. q. 38. memb. 5. aliàs. quæst. 10. mẽbr. 5. artic. 2. Syluest. verb. Altare Nauarr. cap. 25. num. 83.

Soto. Palud. Alens. Syluest.

Secundo explicatur in conclusione posita forma seu quasi forma huius altaris, quæ est cõsecratio: nõ enim agimus de forma materiali & physica, qualis in præsenti esse posset figura: hæc enim nulla certa requiritur ex aliquo Ecclesiæ decreto, sed cõmuni vsu esse solet quadrata seu quadrangularis figura, quod obseruandum est, tum propter consuetudinẽ tum etiam quia est aptior ad vsum altaris: agimus ergo de forma veluti spirituali, quæ in consecratione consistit: quam etiam esse antiquissimam in Ecclesia constat ex Dyonis. de Ecclesiastic. Hierarch. c. 4. & ex Martiali epistol. 1. ad Burdegal. & Aug. serm. 255. de tempore, & Hieronym. Ezech. 43. & aliorum Patrum, qui huius consecrationis meminerunt. De hac autem cõsecratione sic legimus ex Euaristo Papa apud Burch. lib. 3. capitul. 27. & ex Concilio. Agath. c. 14. apud Gratianum, capit. Altaria. 2. de Consec. d. 1. *Altaria placuit, non solum vnctione Chrismatis: sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*. In quibus verbis ponuntur requisita ad consecrationem: primum est vnctio Chrismatis, de qua S. Cyprian. serm. de vnctione Chrismatis, *Altarium lapides oleo delibuti spiritualem significant sacris mysterijs inesse pinguedinem*: & Augustin. dicto serm. 255. de tempore, *Celebramus* (inquit) *festiuitatem, in qua benedictus, vel vnctus est lapis, vt quod in altari visibiliter colitur, in nobis inuisibiliter compleatur*, & Rabanus libr. de instit. Clericor. capit. 45. *Altare*, inquit, *post aspersionem aquæ Chrismate perungitur ad imitationem Patriarchæ Iacob*, Et infrà, *Chrismatis linitur vnguento, vt demonstretur, quod omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto*. Ex quorum Patrum sententijs plures rationes huius ceremoniæ colligi possunt. Secundo requiritur benedictio, quæ partim fit aspersione aquæ benedictæ, vt Raban. supra indicat; partim signo crucis, vt Augustinus sermone 19. de Sanctis; partim alijs orationibus, & ritibus, quæ in Pontificali traduntur; de quibus videri potest Guillel. Durand. lib. 1. Rational. Capitul. 7.

Nauarr. Dionys. Martial. August. Hieronym. Ezech. 43. Euarist. P. Burch. Cõc. Agath. Gratianus. Cyprian. August. Raban. Raban. August. Durand.

Tertio additur, hanc benedictionem debere esse sacerdotalem; quod intelligendum est, quasi per antonomasiam de Episcopali, quia nullus alius pręter Episcopum potest hanc consecrationem efficere, vt constat ex Hormisda in capit. Nullus Presbyter. de Consecr. dist. 1. Vnde Damas. Papa, in epistola 4. decretal. negat posse Chorepiscopos altare erigere, Vngere aut sacrare; quod intelligendum est ordinaria potestate: Papa enim rectè potest cõmittere hanc potestatem simplici sacerdoti, ordinariè autem non facit: solum inuenio, hoc esse concessum Presbyteris Societatis Iesu, pro locis remotissimis infidelium, in quibus Episcopi Chatholici non adsunt in Bulla Pauli. III. anni. 1549. Obseruandum vero in hoc est, hanc altaris consecrationem tandiu durare, quandiu lapis consecratus integer manet: si autem frangatur, consecrationem amittit; de qua re multa scribunt Syluest. verbo Altare quæst. 8. & sequentibus. Paludan. Nauarr. & allij locis supra citat. & Iuo. epistol. 32. & 128. qui omnes docent, oportere fractionem esse notabilem, vt consecratio amittatur, ita vt in neutra parte confracti lapidis possint commode calis & hostia collocari: nã si altera pars maneat in quantitate sufficiente, illa consecrata manebit, quia hæc consecratio non requirit certam figuram in materia consecrata, sed tantum sufficiẽtem magnitudinem, vt dictum est.

Hormisda. Damas. P. Syluester. Palud. Nauarr. Iuo.

Quæsitum.

Sed quæri potest, Vtrum absque fractione possit interdum alteris consecratio amitti. Et ratio dubij est quia in cap. 1. cap. Quod in dubijs. c. Ligneis de cõsecr. Eccl. vel altaris, sub disiunctione dicitur; *Si altare motum, vel confractũ fuerit, iterũ esse consecrandũ*; & loquuntur de altari fixo; & de lapide illo, cui cõsecratio adhibetur: ergo quanuis ille nõ frangatur, si remoueatur ab inferiori structura altaris, amittit consecrationẽ; & ita explicatur cap. Si motum, de Consecr. distinction. 1. vbi dicitur; *Si motum fuerit altare, denuo consecretur Ecclesia*, scilicet quantum ad altare non enim propter solam altaris remotionẽ, tota Ecclesia iterum consecranda est, vt in dict. c. 1. declaratur quanuis illa correctio potius, quã declaratio alterius canonis videatur. Aliqui interpretãtur

hæc

hæc iura, vt nõ intelligantur de sola motione locali, sed de mutatione quoad formam. Sed est violenta expositio: quia, vt dixi in huiusmodi lapide non requiritur aliqua determinata forma seu figura pręter conuenientem magnitudinem, quæ non amittitur, nisi per fractionem: ergo in eo sensu motio lapidis, nihil aliud esset, quã fractio. *Quæsito satisfit.* Concedendum ergo est, lapidem aliũ amittere consecrationẽ, nõ tantũ per fractionẽ, neq; etiã per solã motionẽ localẽ, sed per separationẽ à reliqua structura altaris. Itaq; si fingamus totam altaris structuram cum suo lapide superiori integram & eandem retinendo cõpositionẽ, ab vno in aliũ locũ Ecclesiæ mutare: existimo non amittere consecrationem; quia vt argumẽtũ probat, nõ pendet à sola præsentia locali; nec tũc remouetur seu dissipatur altare. Si tamẽ ipsa altaris structura dissoluatur, & superior lapis ab inferioribus separetur, tunc amittit consecrationem, iuxta supradicta iura. Vnde intelligitur, consecrationẽ huiusmodi altaris præcipuè inesse in cõiunctione superioris mensæ cum structura inferiori, vt Gloss. in dicto c. 1. notauit, & ita tenet Palud. distinct. 13. q. 2. art. 4. concl. 2. Syluest. Nauarr. & alij supra citati. *Palud. Syluest. Nauarr.* Sed quid erit dicendum de altari portatili, quod ab vno loco in aliud transfertur, & non amittit consecrationem. Respondet Paludan. supra, hæc altaria non consecrari, nisi affixa alicui tabulæ, vel capsulæ ligneæ, in qua sunt veluti in proprio loco, & propria structura, quod etiã affirmat Astens. lib. 4. summ. titul. 14. artic. 4. *Palud. Astensis.* Vnde addit Palud. quod, si ab ea capsula remoueantur, amittent consecrationẽ, non tamen si intra illam ab vno in alium locum transferantur, & ita etiam in hoc altari saluatur proportionaliter deficio illorum canonum; & hanc opinionẽ sequitur Durantus, dict. lib. 1. c. 25. citatque Iuonem epist. 32. & 128. *Durant.* Quæ opinio est securior, nullum tamen ius inuenio, in quo fundetur, cùm tamẽ tota hæc res ex iure positiuo pendeat, vnde contrariam sententiam tenet Syluest. verbo Altare. §. 19. *Syluest.* & in re idem tenet Angel. §. 2. quamuis quibusdam distinctionibus vtatur minime necessarijs, & idem fere sentit Tabiẽ. §. 5. qui addit, idem esse de altari fixo, quando mensa priùs per se consecratur, & cõpleta consecratione superponitur structuræ. *Tabien.* Quocirca facile dici posset, priora decreta intelligi solũ de altari fixo, & immobili: quando vt sic consecratur, id est, vt fixum & immobile sit; & ideo mirum nõ est, quod per remotionẽ consecrationẽ amittat. At vero altare portatile sub alia ratione cõsecratur, scilicet vt mobile sit, & ideò non est eadem de illo ratio: nam certe illud ornamentum ligneum, quo huiusmodi lapis circundari solet, nõ videtur adeo essentiale huic consecrationi: nam interdum videntur huiusmodi lapides sine illo consecrari. *Quæsitum.* Sed vlterius circa hoc inquiri solet, an sit de essentia huius consecrationis, vt in altari seu lapide consecrato reliquiæ Sanctorum ponantur; ita enim statutũ fuisse legimus in can. Placuit. de Consecr. d. 1. ex Conc. Carth. V. c. 14. & in Cõc. African. c. 50. & in VII. Synodo. c. 7. *Cõc. Carth. Cõc. Afric. VII. Synod.* Propter quæ decreta aliqui Iurisperiti in dict. c. Placuit. censent hoc esse necessarium, saltem in consecratione altaris fixi, Durandus vero in rationali lib. 1. c. 7. n. 23. addit, requiri reliquias, vel corpus Christi. *Durand.* Itaq; censet, cũ desunt, reliquiæ, particulam hostiæ consecratæ debere recondi in altari consecrando. Sed hoc indecẽs mihi videtur, & improbabile, vt respõdisse fertur Innocẽ. Pap. & docẽt *Innoc. Pap.* Turrecrem. cũ alijs in dict. can. Placuit, & Abbas in c. 1. de Consecrat. Ecclesiæ vel altaris. *Turrecre.* Existimò ergo reliquias non esse de essentia huius cõsecrationis vt ex vsu cõstat; & fortasse nunquã fuisse: *Quæsito satisfit.* nã illud c. Placuit aliã expositionẽ habere potest quã supra tradidimus; &, quãuis demus, illud tũc fuisse præceptũ, nõ tamẽ inde, fit fuisse de substantia cõsecrationis: præceptũ autẽ iã cessauit; vel quia cessauit ratio & occasio eius, quę fuit ad resistendũ hæreticis, honorẽ debitũ reliquijs Sãctorũ oppugnãtibus; tũ etiam quia in tanta templorum, & altarium multitudine, iam id commode impleri non potest.

In tertia parte conclusionis declaratur necessitas altaris consecrati, quæ tãta est, vt absq; mortali peccato non possit hoc sacrificiũ celebrari in altari nõ consecrato, & docẽt omnes citati autores; & cõstat aperte ex iuribus supra citatis. Additur vero in vltima parte conclusionis, sufficere altare fixum, vel portatile: alterutrum enim horum ita necessarium est vt nulli omnino liceat, etiam ex priuilegio, aliter conficere hoc sacramentũ: nã Episcopus nõ potest in hoc dispensare, vt constat ex perpetua Ecclesiæ cõsuetudine. Sũmus autẽ pontifex, licet ex graui causa dispensare possit (est enim hoc ius Ecclesiasticũ) nunquã tamẽ legitur id fecisse: nec videtur mortaliter esse posse necessariũ, aut conueniẽs. At vero, si altare cõsecratũ sit nõ refert, quod sit fixũ, vel portatile, nã quodcunque sufficit, quantum est ex parte altaris, quod dico; quia ex parte loci, seu tẽpli aut domus, in qua est altare, requiritur sua propria benedictio vel consecratio, vt dictum est. Et in hoc est aliqua differentia inter hæc duo altaria, quia altare fixum, nunquam est consecratũ, nisi sit intrà Ecclesiã consecratã, aut benedictã; & ideo, regulariter loquendo, vbicunq; est huiusmodi altare, fieri potest sacrificium, *Casus notandus.* quanquam fingi potest casus, in quo altare consecratum sit & tamẽ tẽplum, vel sit pollutum vel certe nõ consecratũ vel benedictum, vt si combustum fuit vel destructũ, altari integro manente, & posteà reædificetur, & nõ benedicatur: tunc enim in illo altari non posset fieri sacrum absque speciali priuilegio, vel licentia Episcopi. Altare vero portatile, quia facile transfertur de loco in locum, facile potest in loco benedicto, & non benedicto collocari; & ideo de illo dici solet, non posse aliquẽ eo vti ad sacrificãdum, nisi ex priuilegio, quod intelligendum est, quantum ad absolutam & generalẽ facultatem vtendi illo, in quolibet decente loco, vt supra dictum est, vt colligitur ex cap. In his, de priuileg. & capitul. vltim. eodem titul. in 6. In Ecclesia autem benedicta quilibet absq; priuilegio potest sacrum facere cum solo altari portatilli, vt cõstat ex vsu, & ex cap. Concedimus. de Cõsecrat. d. 1. Vltimo loco tractari hic poterat de situ altaris, quẽ in Ecclesia habere debet, an, scilicet, oporteat, illud ap orientẽ respicere, nec ne. Sed quoniam hæc quæstio de oratione versus orientẽ vulgaris est, & alijs locis tractari solet, dicendũ est breuiter in hac re nihil esse simpliciter necessariũ ex pręcepto. Fuit quidẽ antiqua Ecclesiæ consuetudo, vt in tẽplis seu Ecclesijs altare maius seu principale ad plagã oriẽtalẽ respiceret, vt fideles ad eũ cõuersi, oriente versus orarẽt, vt refert Vualfrid. Strab. de reb. Ecclesiast. c. 4. *Vualf. Strabo.* & cõstat ex alijs statim citandis; & ex cõmuni vsu Romanę Eccles. & ex antiquis Patribus, Clem. epi. 2. & ex alijs qui meminerũt consuetudinis orãdi ad oriẽtem, vt Iust. quæst. 118. ad orthodoxos. *Clem. Athan.*

Athan.

Greg. Niss. Athan. q. 14. ad Antioch. Greg. Niss. orat. 5. Basil. lib. de Spiritu sancto ca. 27. Epiph. heres. 19. Orig. homil. 4. de fide capit. 13. Tertull. lib. cont. Valẽt. c. 3. & in Apolog. c. 16. Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 9. Germ. in Theor. rerũ Eccles. Paul. epistol. 12. & D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 3. ad 3. *Tertull. Augusti. Paulin.* Veruntamen hæc consuetudo, nec tã vniuersalis fuit, quin contrarium alicubi factum fuerit, vt de Ecclesia Antiochena referũt Niceph. lib. 12. c. 34. & Socrates. lib. 1. c. 21. *Niceph. Socrates.* nec modo pertinet ad necessitatẽ præcepti, sed ad decentiam quandam, vt D. Tho. supra dicit, & ideo non oportet semper seruari, sed quando cõmode potest. Vnde de reliquis altaribus particularibus cõstat, indifferẽter posse versus quãcunque mũdi plagam erigi, vt patet ex vsu omniũ Ecclesiarum. Idemq; fere est de his, quæ constituũtur in priuatis oratorijs. Cur autem in veteri lege altare tabenaculi, seu templi versus occidentem constitutum fuerit, legi potest in Anastas. Niss. in libr. quæstionum sacræ Scripturæ, quæstione. 48. & D. Tho. 1. 2. quæst. 102. ar. 4. ad. 5. *Anastas. D. Thom.*

SECTIO VI.

Quomodo ornari debeat tẽplũ & altare, in quibus sacrificium est offerendum.

TRactare hoc loco possumus, aut de licito & decente ornatu, aut de necessario simpliciter ad sacrificium offerendũ, de necessario, inquã, ex præcepto Ecclesiæ: nam ex sola rei natura, aut ex substantia ipsius sacramẽti seu sacrificij, nulla oritur necessitas alicuius ornatus: agimus autem nunc non de ornatu pertinente ad ministros altaris qui consistit in vestibus sacris; nec de vasis sacris, eorumque ornatu, de quibus omnibus posteà dictũri sumus, sed solum de ornatu, seu apparatu ipsius templi vel altaris.

Conclusio. Dico ergo primo, vt fieri possit sacrificium, necessarium est, altare esse præparatum aliquibus rebus seu ornamentis ad sacrificium necessarijs, præter quæ nullus alius ornatus templi est simpliciter necessarius. Prior pars declaratur breuiter: nam in primis necessarium est, vt super altare, seu arã consecratam extendatur linteum aliquod, quo operiatur superior pars, seu superficies altaris, vt cõstat ex vsu Ecclesiæ: solet enim altare mappa, seu syndone munda cooperiri. Deinde requiritur palla linea, super quam immediate extendatur corporale: ita vt, ante corporale, ad minus duę pallę, seu toballiæ sint extensæ super altare, vel vna saltẽ plicata: illa enim duabus æquiualet, nec refert, quod in aliqua parte continua sit. De his fit mentio in cap. Altaris palla. de Consecr. dist. 1. & in cap. Nemo, vbi dicitur, nõ esse mortuum obuoluendum palla, quæ fuit in altari; & infrà dicitur, *Pallas & vela sanctuarij, si sordida fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lauẽt*: & infrà, *Syndonẽ nõ foris abluãt.* Sed in his decretis non satis declaratur, quæ sint, vel quod istæ pallæ: neque an ab ipso corporali distinctæ sint. In cap. autem. Si per negligentiam. de Consecr. dist. 2. pręter corporale (quod ibi vocatur *linteum altaris*) numerantur alia tria lintea: Sic enim dicitur, *Si aliquid de sanguine stillauerit super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenit, quatuor diebus pœniteat; si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat; si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat.* Vnde probabile est, præter oblongam mappam, quæ totum altare cooperit, supponi duas alias pallas corporali; quod videntur obseruare, qui has res diuinas diligentius tractant. Consuetudo autem tenet, vt duæ pallæ sufficiant, ac necessariæ sint: & ita docent autores cõmuniter, vt videre licet in Syluestro, verbo Missa. 1. q. 1. cum Palud. Innocen. & Direct. curat. contra Summam Angel. quæ dicit, vnam pallam sufficere. *Palud. Innocent. Direct. Cur.* De his autem pallis nihil dicendum occurrit, nisi quod esse debent ex materia linea, vt colligitur ex citatis iuribus; non tamen est necesse illas esse benedictas: quia neq; aliquo iure cauetur; neq; consuetudine obseruatur. Quod autem altare his pallis cooperiatur, antiquissimum est in Ecclesia: nam eius facit mentionem Clemens. Epist. 2. Et Optatus, lib. 6. *Clement. Optatus.* *Quis fidelium*, inquit, *nescit in peragendis mysterijs ipsa ligna linteamine cooperiri, inter ipsa sacramenta velamen tangi potuit, non lignum.* & Burch. libr. 3. c. 97. refert ex Concil. Rhemensi hæc verba, *Burch. Cõc. Rem.* *Altaria, in quibus corpus Dominicum consecratur, sanguisque eius hauritur cum omni veneratione honoranda sunt; & mundissimis linteis ac pallis cooperienda.* Ad hoc etiam alludit Isidorus, Epistola ad Gudifr. in c. Perlectis. dist. 25. *Isidor.* vbi dicit, ad Diaconum pertinere *componere mensam Domini, atque vestire*; & infra dicit pertinere ad Archidiaconum *ordinationem vestiendi altaris à Leuitis.* Vnde in Concil. Tolet. XIII. in c. Quicunque. 26. q. 5. grauiter præcipitur, *Cõc. Tolet. XIIII.* *ne vllus ministrorum Ecclesiæ altare diuinum vestibus sacris exuere præsumat*; vbi vestis altaris vocari videtur mappa illa, qua totum altare cooperitur, & illa exui non debet, nisi in feria quinta hebdomadæ sanctæ, ob specialem significationem Christi nudati à vestimentis suis, vt notant Alcuinus de diuinis officijs, & alij: & iuxta hæc explicari potest, quod ait Innocent. lib. 2. de myst. Miss. c. 56. *Alcuin. Innocen.* vbi ait duplicem esse pallam, *vnã quam Diaconus super altare totam extendit; alterã, quã super calicem plicatam imponit, pars extensa signat fidem pars plicata signat intellectum*: forte enim hæ duę pallæ intelliguntur præter mappam, qua totum altare semper vestitum est. Sed fortasse hæc verba alium habent veriorem sensum, vt infra dicam.

Secundo, præter pallas non benedictas requiritur corporale benedictum, quod debet esse lineum & ab Episcopo consecratum, vt statuitur in cap. Cõsulto. de Consecr. dist. 1. ex Eusebio Papa, & Syluestro, *Euseb. P. Syluest. P.* prohibentibus, ne sacrificium altaris fiat in serico panno aut tincto, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato; *terreno, scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in syndone linea munda sepultum fuit.* Et hanc esse receptã Ecclesiæ consuetudinem docuit Beda super Marcum. c. 44. & lib. 6. in Lucam, c. 7. & Burch. lib. 3. c. 98. refert simile decretum ex Concil. Rhem. c. 3. *Beda. Burch.* & in c. Sacratas, dist. 24. appellatur *palla sacra*, quia est veluti pallium seu indumentũ Christi in altari. Communiter tamen appellatur *corporale*, quia syndonẽ repręsentat, qua corpus Christi inuolutum fuit, vt notauit Isidor. Pelleusiota, epist. 123. *Isidor.* vel quia in eo corpus domini superponitur, vt notauit Alcuinus, lib. de diuinis officijs, capit. de Celebr. Missæ, & Durand. lib. 4. Ration. cap. 29. & Germ. in Theor. rerum Ecclesiasticarum, & Amalar. libr. 3. de Eccles. officijs. c. 15. & Raban. lib. 1. de institut. Cler. c. 33. quia alia etiam mysteria, & morales significationes *Alcuin. Durand. Germ. Amalarius. Rabanus.*

tiones in hac Ecclesiæ consuetudine considerant ac declarant, quas hic etiam attigit D. Tho. ad. 7. & in opusc. 58. Materia igitur huius lintei linea esse debet, imo additur in citato decreto Concili Rhemensis, quod in eo alterius generis materia pretiosior, aut vilior nō misceatur. Sed hoc intelligendū est quoad interiorē partem eius, in qua corpus Domini & calix collocantur; & ideo in Missali Romano dicitur in medio nō debere serico ornari; in ora autem seu extremitate non est prohibitum, quod auro, vel serico ornetur. Forma autem huius lintei est consecratio Episcopalis, quæ cum fiat per simplicem benedictionem absq; Chrismatis vnctione, simplicibus sacerdotibus interdum committitur; & multi superiores religionum habent in hoc speciale priuilegium. Durat autem hæc benedictio, quandiu corporale integrum manent; per ruptionem autem, seu diuisionem amittitur, dummodò notabilis sit sicut dictum est de ara; & notauit Sylvest. verbo *Corporalia*. q. 2. Atque hinc concluditur esse peccatum mortale ex suo genere, Missam dicere sine huiusmodi corporali: quia præceptum hoc, & hæc consuetudo Ecclesiæ est valde grauis; multumque pertinet ad huius sacramenti reuerentiam vt colligitur ex D. Thom. hic ad. 8. Et hoc est multo certius in hac sacra palla, quam in cæteris non benedictis: in quibus vnam tantum adhibere, & alteram omittere ob necessitatem, secluso contemptu & scandalo, fortasse non esset peccatum mortale: quia res, neque est tam constans, neque tam grauis. Vtrāque vero omittere graue peccatum esset, quia est contra vniuersalem, & indubitatam consuetudinē Ecclesiæ, & est maior indecētia, & irreuerentia. An vero in huiusmodi rebus possit interdum excusari peccatum, dicemus disputatione sequente, de vestibus sacris tractando.

D. Thom. Cōc. Rhem. Corporalis sacri benedictio quandiu duret. Sylvester. D. Thom.

Tandem circa hoc præceptum aduertendum est olim vnicum tantum fuisse corporale oblongum, super quod corpus & sanguis Christi collocabantur, & residua parte eius cooperiebātur; & hoc tantùm est de substantia & rigore huius præcepti; &, vbi fuerit in vsu, obseruari potest; iā vero vsus obtinuit, vt in duas partes diuisum sit, quarum altera maior est, & altare seu aram cooperit, & hostiam ac calicem in se recipit; & hæc retinuit *corporalis* nomen; & de ea sine dubitatione procedunt omnia, quæ diximus; alia vero pars minor est, qua calix cooperitur, & vulgo, *filiola* vocari solet: de qua Soto dist. 13. quæst. 2. art. 3. dicit, nō esse de essentia ornamentorum altaris; & ideò non esse tantum scrupulum, quòd sit serica, vel aurea. Ego tamē existimo, quanuis absolutè non sit necessaria, suppositotamen, quòd corporale non sufficit ad cooperiendum calicem, eodem præcepto esse necessariā; quia hoc pertinet ad integrum munus corporaliū. Quo fit, vt talis filiola ad hoc munus assūpta, debeat esse beneuicta, sicut corporale, quia est veluti quædam pars eius; & ita seruat vsus Ecclesiæ; & hinc concluditur, debere esse lineam, quia nulla alia materia est capax illius benedictionis: & præterea propter eandem causam, scilicet, quia est pars corporalis. Et fortasse de hoc duplici parte loquitur Innoc. dicto lib. 2. de mysterijs Missæ. c. 56. Sic enim scribit, *Diaconus corporales pallas super altare disponit, quæ significant lineamina quibus inuolutum fuit corpus Iesu; pars autem quæ plicata ponitur super calicem: signat sudarium, quod fuerat super caput eius*, & infrà, *Duplex*

Soto. Autoris circa hoc sentētia. Innocentius

A *est palla, quæ dicitur corporale: vna, quam Diaconus super altare totam extendit; altera, quam super calicem plicatam imponit.* Nam Romæ pars illa, quam nos *hijnela* vocamus fieri cōsueuit ex parte corporalis plicata, & conuenienter composita. Vnde ad vtrunq; corporale applicat Innocentius explicatum præceptū. Eusebij, in dict. cap. Consulto. Atque ita vult, etiā partem illam; quæ calici superponitur, debere esse lineam, & benedictam: ita ergo obseruandum est, saltem quoad interiorem partem, quæ calicem tangit: exterior enim serica esse potest, vel auro elaborata.

Innocentius

Tertiò requiritur ad sacrificium, vt in altari sit lumen, seu lucerna aliqua ardens, sine qua Missam dicere, omnes docent esse peccatum mortale. Palu. Durand. Soto, & alij d. 13. Sylvest. Nauar, & alij, loc. citatis: qui afferunt caput vltimum de celebr. Missar. vbi inter excessus graues cuiusdam presbyteri ponitur, quod sine igne sacrificabat: consuetudo etiam Ecclesiæ hoc præceptum sufficienter ostēdit, quam esse antiquissima colligimus ex Concil. Carthag. IIII. Can. 6. vbi de Acolytho, quādo Ordinatur, dicitur, *Vt ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat, se ad accendenda Ecclesiæ luminaria manciparis*; & Isidorus, lib. 7. Etymologiarum c. de Clericis, explicat, Acolythum solitum esse portare cereum, quando Euangelium legitur, aut sacrificium offertur. *Tunc enim*, ait, *accēduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum sol eodem tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Similiter Hieronym. contra Vigilantiū dicit, in Ecclesia Catholica solere accendi cereos in meridie: quādo Euāgelium canitur; & epist. 20. ad Marcellam, mysticā rationē declarat, *Vt, accenso lumine, sponsi spectetur aduentus.* Et Aug. serm. 215. de tēpore fideles hortatur, *vt oblationes, quæ in altari conseruantur offerant, & cereolos aut oleum*, significans solere accendi, quādo sacrificium offertur; & serm. 155. figurā affert, *quod in altaris à Salomone dedicatis ingiter quotidianas ignis ardebat*; & significationē moralem declarat, scilicet, *vt Christus ignem caritatis accendere, & nutrire in nobis dignetur.* Denique fuit Ecclesiæ antiquissima cōsuetudo accendendi luminaria, præsertim ad honorem Christi Domini, & ad realem præsentiam eius significandā, qui est lux vera; & ideò maximè accēdi solent in templis, vbi corpus Christi Domini seruatur: ergo maiori ratione accendi debent tempore sacrificij. De illa vero consuetudine legi possunt multa apud Durant. lib. 1. de ritibus Ecclesiæ. cap. 8. Ex qua vero materia constare debeat huiusmodi lumen, autores non declarant; & in dict. c. fin. de celebr. Miss. solum damnatur ille presbyter, *quia sine igne sacrificabat.* Respondetur tamen, Ecclesiæ consuetudinem esse, vt cerea candela accensa sit; & hoc est seruandum: nam licet ex oleo soleant etiam in Ecclesia lucernæ accendi; & regulariter huiusmodi sint, quæ coram diuino sacramento ardent, dum in sacrario conseruatur, & tempore etiam sacrificij soleant etiam huiusmodi luminaria accendi; tamen, quod sola lucerna ex oleo tempore Missæ accensa sit nunquam fieri solet; neque existimo licere, præsertim sine necessitate: in illa vero, quando candela cerea haberi non posset, non damnarem peccatī mortalis eum, qui sine scandalo & contemptu, sed ex deuo-

Paludan. Durand. Soto. Syluester. Nauarr. Cōc. Carth. Isidor. Hieronym. Augost. Antiquissima quædam Ecclesiæ consuetudo. Durand.

ex deuotione cum sola huiusmodi lucerna Missam dicerem, quanuis ergo non consulerem, inferior autē materia nullo modo adhibēda est, vt ex seuo, vel simili: est enim valde indecens, & ab Ecclesiæ vsu prorsus aliena. De numero autem lucernarum dicē dum est, vnam in rigore præcepti sufficere, minus verò decere, vt notauit Iacobus de Graffis, lib. 2. capitul. 41. num. 1. Vnde communiter duę saltem adhibentur & adhibendæ sunt, quòd si plures addantur, ad maiorem ornatum & reuerentiam pertinebunt. Solum cauendum est; quod Concil. Tridentin. admonuit, sess. 22. in decreto de observandis in celebr. Missæ, ne certus aliquis numerus candelarum ex aliquo superstitioso cultu adhibeatur.

Cōc. Trid.

Quarto requirunt autores omnes, vt in altari sit liber Missalis, qui sufficienter contineat ea, quæ in Missa dicēda sunt, saltem integrum Canonem. Ita docent Sylvest. verbo, Missa. 1. Nauar. c. 25. num. 84. & 85. cum Antonin. & alijs, quos referunt; nullum tamen afferunt decretum, in quo specialiter hoc præceptum sit. Vnde id solum videntur colligere ex eo, quod huiusmodi liber videtur instrumentū necessariū ad Missam dicendam, iuxta ritū quę Ecclesia seruat. Sed contra hanc rationē obiici potest, quia hęc necessitas suppleri potest memoria sacerdotis dicētis Missam: ergo, si sacerdos totum Missæ officium, & Canonem, optimè memoria retineat, non peccabit, Missam dicendo sine Missali, maximè si illo careat, & nullū sequatur scādalum. Et confirmatur: nam dicti autores significent, sufficere, vt liber contineat Canonem Missæ, sentiūt ergo, reliquam partem officij posse suppleri memoria sacerdotis; cur ergo non poterit idē fieri, quoad Canonem? Maximè, quia multi sacerdotes, etiam si librum præsentem habeant, canonem in eo non legunt, sed memoria recitant, in quo nihil peccant: ergo illa libri præsentia valde materialis est. Et alioqui non est specialiter præcepta, neque habet aliquam spiritualem significationem, nec per se requiritur ad specialem ornatum altaris: nō est ergo, cur dicamus, hoc esse simpliciter necessarium sub peccato. Nihilominus non est recedendum à communi sententia in re morali, quam confirmat Ecclesiæ vsus. Ratio verò est, quia memoria facile labi potest; & ideo non debet sacerdos se exponere periculo aliquid omittendi, præsertim ex canone; nam, vt infrà dicemus, præceptum est, illum integrè dicendi, quod fortasse non ita est, vel saltem non ita obligat in alijs orationibus, vel lectionibus, quæ in Missa dicuntur: & ideo magis requiritur, vt liber Missalis, saltem canonem cōtineat; nec refert, quod memoriter dici possit præsente Missali, quia tunc minus est periculi, & si quid erroris vel perturbationis contigerit, facilè suppleri potest aut emēdari, quod nō ita esset, si omnino liber nō haberetur. Denique leges attendunt id, quod cōmuniter contingit: rarissimū autem est, vt aliquis dicere possit Missā sine libro; & ideò lex illa simpliciter lata cēsetur, quanuis in vno aut altero posset minor esse necessitas: hoc ergo simpliciter asserendum videtur. An verò in aliquo casu, vbi liber deest, & sacerdos esset ita instructus, & de sua memoria confidēs, vt moraliter non dubitaret, posse se omnia integrè dicere sine libro, an, inquā, in eo casu esset peccatum id facere, aliorum iudicio relinquo; nam ego propter multorum autoritatem licentiam dare nō audeo; & aliunde sufficientem rationem peccati nō inuenio.

Sylvest. Nauar. Antonin. Obiectio. Ratio moralis à communi sententia non est recedendum.

Quinto addere possumus, necessarium esse vt altare cruce saltē ornatum sit, de quo autores nihil dicunt, neque antiquum decretum. Solum in regulis Missalis, & in ceremonijs, & ritibus Missæ, vel præcipitur, vel supponitur, crucem esse in altari; & ita seruant communiter omnes timorati, & sui muneris studiosi sacerdotes: non existimo autem hāc esse obligationem peccati mortalis, ne multiplicemus præcepta, quæ non satis constant; & quia res non videtur adeo grauis, secluso contemptu: videtur ergo ita obligare, sicut aliæ ceremoniæ, vel ritus Missæ. Offerebat autem se hic occasiō defendēdi hanc ceremoniam, & crucis veneratione ab impugnationibus hæreticorum: sed quia, quātum in tituto scholastico postulat, hoc satis egimus in primo tomo huius tertiæ partis; ideo ab ea disputatione nunc supersedendum est, addendo solum huiusmodi crucis vsum adeò esse antiquum in Ecclesia, vt in Conc. Aurelian. vetitum sit, Ecclesiā ædificari, in qua Episcopus non prius crucem figat, vt habetur in cap. Nemo de Consec. d. 1. & apud Burchard. lib. 3. c. 6. & Iuonem, lib. 2. cap. 6. Vnde est illud Ambros. serm. 56. *Sine cruce Ecclesia stare non potest.*

Necessarium est vt altare cruce saltem, sit ornatum. Crucis vsus antiquissimus. Conc. Aurel. Burch. Iuo. Ambr.

Vltima pars conclusionis, nimirum, præter hæc, quæ dicta sunt, nullum alium templi ornatum esse ad sacrificandum necessarium, non aliter probatur, nisi quia nullum Ecclesiasticum ius, aut consuetudo illum præscribit, neque etiam ex sola rei natura ostēdi potest, vt per se manifestum est. Loquor autem de proprio, & (vt ita dicā) positiuo ornatu: nam debita templi, altaris, & ornamentorum eius, munditia, quæ ad decentiam & reuerentiam necessaria est ex natura rei, non est dubium, quin cadere possit sub præceptum, si nimia esset immūditia re vera posset esse peccatū. Vnde Innoc. III. in cap. 2. de Custodia Eccleſię, vel altaris, præcipit, vt oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta sacra, munda & nitida conseruentur, & grauiter reprehēdit clericos, qui Ecclesias dimittunt inculatas; aut qui in eis admittunt suppellectilia prophana, sine vrgente necessitate: erit ergo nonnullum peccatum, non seruare debitam munditiam in huiusmodi rebus, præsertim ad sacrificium eis vtendo, tum, quia est contra præceptum Ecclesiasticum, vt notat Palud. distin. 13. quæst. 2. artic. 6. conclus. 3. tum etiam, quia est contra ius naturale, quod res sacræ indecēter tractentur, vt addit Caiet. in sum. verbo, Missę. celebratio: vbi dicit, esse hoc crimen intolerabile, significans esse peccatum mortale ex suo genere, quod etiam sentit Sylvest. verb. Missa. primo, quæstion. 2. dicens, esse peccatum mortale, quando vestimenta sunt enormiter immunda: quod maximè videtur verum de corporalibus, quæ proximè corpus Domini attingunt: communiter tamen, quando immunditia non est nimis enormis, & non fit cum scandalo, neque ex contemptu, sed ex necessitate, non erit peccatum mortale, sed, ad summum, veniale.

Paludan. Caietan. Sylvest.

Dico secundo, quanuis maior templorum ornatus simpliciter necessarius non sit, illū tamen adhibere cū debita decētia, malū nō est, sed potius, per se loquendo, ad pietatē spectat. Hanc conclusionem pono contra huius temporis hæreticos, qui ornatū templorum, eorumq; magnificentiam & amplitu-

2. Conclusio.

Universidad de Deusto Biblioteca

dinem damnãt, & vt superstitiosam, reijciunt; contra quos disputat late Bell. lib. 3. de Cultu Sanctorum. c. 6. & nonnulla congerit Duran. lib. 1. de ritibus Eccles. c. 4. Nobis vero sufficit ipsius Dei exẽplum, qui veteris tabernaculi, & templi amplitudinem, eiusq; ingentem ornatum ac diuitias probauit. Num. 7. 3. Reg. 8. nam, vt ait Fœlix. 4. epist. 1. *Si Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebãt, hæc faciebant, multò magis, quibus veritas patefacta est, & gratia & veritas per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & prout melius possumus, ornare, eaque diuinis precibus, & sanctis vnctionibus cum suis altaribus & vasis, vestibus quoque, & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus, deuote & solenniter sacrare debemus.* Atq; hæc fuit consuetudo Ecclesiæ ab eo tempore, quo Principes catholici & pij in ea esse cœperunt, idest, à temporibus Constantini, vt constat ex eius edicto, & ex Damaso in vita Syluestri, & Eusebio in vita Constantini: idemq; fecerunt sanctissimi Pontifices, Syluester, Damasus & alij, & Leo. 1. serm. 3. Quadragesimæ testatur, suo tempore Christianos solitos fuisse, diebus festis maiori cultu tẽpla ornare. Idemq; docẽt omnes Patres antiqui, quos prędicti autores citant. Ratio etiam est euidens: nã, cum hæc templa, ad altaria Deo ipsi dicentur, ad religionem & pietatem spectat, vt honorificè tractentur, pertinet etiam hoc ad reuerentiam sacrificij & cæterorum sacramentorum: excitat etiam animos fideliũ ad deuotionem, & præsertim adiuuat simpliciores, vt de rebus sacris aliquid excellens & reuerentia dignum concipiant; & ex se nulla est in tali actu inordinatio, nulla ve superstitio: quia totum fit ad reuerentiam conciliandam Deo, & rebus sacris. Dico autem, *ex se*, quia ex circũstantijs extrinsecis potest interdum huiusmodi opus, aut vitiari, aut certe minus expedire, meliusq; esse, in alia pietatis opera huiusmodi sumptus expẽdere, vt v. g. si vrgeat necessitas subueniendi pauperibus, aut si ad ornandum, vel construendum templum aliena surripiantur, vel, si vltra loci oportunitatẽ vel proportionem, templi magnitudo aut ornatus augeatur, vel denique, si rebus indecentibus vel minus aptis templum ornetur. Sed hæc per acidens sunt, his enim modis cuiuslibet virtutis externus actus vitiari potest. Et iuxta hæc facile explicantur nonnulla Patrum dicta, quibus hæretici abutuntur, in quibus videntur huiusmodi templorum ornatum vel reprehendere, vel despicere, tamen re vera non ita est: sed loquuntur de tempore, quo vrget necessitas subueniendi pauperibus, & hæc cura negligitur propter ornamenta templorum non adeo necessaria, vt videre licet. 12. q. 2. c. Aurum. & cap. Gloria. ex Ambr. 2. Offic. c. 28. & Hieronym. epist. 2. ad Nepotian. & ex eodem Hieronym. epistol. 8. ad Demetriadem. 12. ad Gaud. & August. serm. 32. ad fratres in eremo, Isidoro Peleusita, epist. 174. & alijs, quos Bellarm. latè exponit citato loco. Hic vero dubitandum occurrebat, an possint templa, imaginibus, figuris, & reliquijs Sanctorum ornari; sed de his disputauimus satis in primo tomo, ad quæst. 25.

Bellar. Durant. — Fœlix. 4. — Damasus. Euseb. Leo. 1. — Ambr. Hieronym. August. Isidor. Bellarm.

Diui Thomæ.

(.:.)

A

SECTIO VII.

Vtrum hoc sacrificium debeat in vasis sacris offerri.

DIco primo, hoc sacrificium offerri non posse sine calice & patena ad hoc sacrum ministerium deputatis. Ita habetur in cap. Vasa. de consecr. dist. 1. ex Concil. Triburien. c. 18. Et quidem vsus calicis necessarius fuit, quia vinum non poterat nisi in aliquo vase simili consecrari, vt notauit Paschas. libr. de corp. & sang. Dom. c. 20. Vnde & Christus Dominus calice ad hoc sacrificium offerendum vsus est. Vnde Optatus, lib. 6. calices vocat, *Christi sanguinis portatores*, de quorum veneratione legi possunt Clemens, epist. 2. & Hieronym. epist. 20. ad Marcellam: & Aug. lib. 3. contra Crescon. c. 29. & Greg. lib. Dialog. c. 7. & German. in Theoria rerum Ecclesiast. Patena autem, quæ ab recipiendum Christi corpus deseruit, non erat ita necessaria simpliciter ad hoc ministerium sacrificandi, vel conficiendi hoc sacramentum, poterat enim, & manibus teneri, & super corporale immediate collocari. Ecclesia tamen ab initio vsa est patenis in hoc ministerio, vt constat ex vitis Põtificum, Syluestri, Damasi, & ex antiquis decretis, quæ statim citabimus; imo hunc vsum miraculo cõfirmatum esse, refert Greg. Turonen. in hist. Marty. cap. 85. Fundatus autem est hic vsus fortasse in Christi exemplo, creditur enim in catino, seu patina panem consecrasse, suisq; discipulis dedisse: nam licet hoc Euangelistæ non referant, tamen per se est verisimile; quia, vt Ioannes refert, in mensa illa erat catinum, & id erat commodius, saltem ne micę panis consecrati è manibus super mensam laberẽtur. Et hæc etiam ratio mouit Ecclesiam ad patenæ vsum, super quam hostia consecrata ponitur, quando fit fractio, vt si quæ particulæ decidant, in illa recipiantur, & facilius inueniri possint, vt consumantur. Accedit etiam ratio mystica; nam calix significare dicitur sepulchrum Domini, patena vero lapidem sepulchro superpositum: vtrumq; ergo est præcepto necessarium ad hoc sacrificium conficiendum.

1. Conclusio. — Conc. Triburiens. — Paschasius. Optatus. Clemens. — Hierony. Augus. Germ. Greg. Magn. — Greg. Turonens.

Dico secundo, tam calicem, quam patenam, debere esse ex debita materia confecta, & consecrata. Materia horum vasorum olim fuit lignea, postea vero Zeph. Papa, vt cœpit vasis vitreis, postea vero Vrbanus ea fecit argentea, vt refertur in cap. Vasa. de Consec. dist. 1. ex Conc. Tribur. c. 18. vbi solum prohibentur sacerdotes, *ne in ligneis vasculis vllo modo conficere præsumant*. In Conc. autem Rhem. vt ibidem refertur, c. Vt calix. præceptum fuit, *vt calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat*. Additur vero, *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat*. Vnde videtur, hoc non permitti sine aliqua causa, vel ratione paupertatis, tamen simpliciter potest ex hac materia fieri absq; peccato, vt hic D. Thom. ad 6. significat, & ibidem prohibentur aliæ materiæ, scilicet æs, & aurichalcũ, quia vini virtute ęruginem recipiunt, & ad vomitũ prouocant, vitrũ, quia fragile est; lignũ vero, quia est porosum: in qua prohibitione solum fit mentio calicis, tamen ad patenam etiam extenditur: nam per modum vnius comprehenduntur sub nomine vnius partis: maximè, quia hæc prohi-

bitio

Zeph. P. Vrban. P. — Conc. Rhem. — D. Thom.

bitio sub priori præcepto affirmatiuo comprehensa erat; & ita ibi intelligitur prohibita omnis alia materia, tã in calice, quã in patena, quanuis ibi speciatim nominata non sit, vt de lapidea hic docet D. Thom. & est eadem ratio de ferrea, & similibus quanuis de plumbea possit aliquis dubitare: nam aliquibus in locis videtur esse vsus calicis plumbei fortasse, quia existimatum est, plumblum eiusdem esse rationis cum stanno. Et ita existimauit Astens. in summa cõtrarium vero tenet Syluest. cum alijs, verb. Calix. Quod censeo verius; quia revera plumbum non est stannum, & eadem in commoda, quæ aurichalcum, habere videtur: est ergo præceptum, vt hęc vasa sint argentea, aut aurea, aut stannea: & frequentius obseruatur, quod sint argentea, & ita semper curandum est: nam stannea non sunt tam decentia, aurea vero rariora & difficiliora sunt quãuis etiam sint in Ecclesia antiquissima, vt constat ex vita & donationibus Constantini, & ex gestis Syluestri, Damasi, & aliorum Pontificum, & ex citato loco Augustin. libr. 3. cont. Crescon. capitul. 29. & in Psalm. 113. *Sed & nos*, inquit, *pleraque instrumenta & vasa ex auro & argento habemus in vsum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur*. Et ex Optato Mileuit. lib. 6. vbi conqueritur. Donastitas eripuisse Ecclesiæ pretiosa vasa sacramentorum. Ac denique ex Teoph. in c. 14. Marci, vbi exponens verba illa, *Pauperes semper habebitis vobiscũ*, piè satis scribit, *Audiant, quo modo Christus præfert sui curam pauperibus: Christi antẽ corpus proprie; quod in disco aureo, & sanguis, qui in poculo; qui igitur abstulerit discum pretiosum; & cogit, vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens, scilicet, pauperes intelligat suus partis fit*. Solũ quæri potest an oporteat, totum calicem esse argenteum, aut stãneũ; vel sufficiat, superiorem cuppam esse argenteam, verbi gratia, quanuis sit ex aurichalcho, vel ex alia materia ex prohibitis ad conficiendum calicem. Circa hoc nihil inuenio ab autoribus scriptũ, scio autem in vsu alicubi reperiri calices, in quibus sola cuppa est ex legitima materia; & probabile est, hoc sufficere, tum quia rationes illius decreti supra allegati non aliud requirunt, tum quia illa solum pars est, quæ proximè deseruit ad vsum sacramenti; tum denique, quia probabile est, solam cuppam calicis essentialiter requiri ad consecrationem eius, vt statim dicam. Nihilominus consulendum est, vt totus integer calix fiat ex prædictis materijs. De forma autem physica seu figura horum vasorum nihil etiam reperio scriptum, & ideo solum dicendum est, seruandam esse Ecclesiæ consuetudinem, iuxta quam patena solet esse orbicularis; & olim videtur fuisse maioris magnitudinis, & ponderis triginta librarum, vt constat ex Damaso, in vitis Põtificũ, quanuis fortasse illæ patenæ nõ haberent eũdẽ vsum, quẽ nunc habẽt: vix enim fieri potuisset: nunc ergo patenæ, quæ sunt in vsu, minores sunt, neq; eam magnitudinem excedere debent, quæ ad vsum Missæ, & ceremoniarum eius, sufficiat. Figura autẽ circularis ex se non est simpliciter necessaria, quia etiam si esset, verbi gratia, quadrata patena, posset esse satis apta ad vsum sacrificij, nihilominus tamen omnino seruanda est Ecclesiæ consuetudõ. Atque idem dicendum est de figura calicis, in quo solet esse nonnulla maior varietas, quæ accidẽtalis est; nam in ea figura, quæ adhunc vsum, prout in Ecclesia fit, & ad ceremonias eius deseruit, omnes habẽt eandẽ proportionẽ, & in hoc seruãda est idẽtitas talis figuræ: solent autẽ calices picturis & imaginibus ornari, quod antiquissimum est in Ecclesia, vt colligitur ex Tertul. lib. de Pudicit. & ex alijs, prout attigimus in dicto loco de adoratione, in primo tomo.

Astens. Syluest. — August. — Optatus. — Theophyl. — Quæsitum. — Responsio. — Damasus. — Qualis esse debeat figura patenæ & calicis. — Tertull.

Alia autem forma spiritualis seu Ecclesiastica horum vasorum est consecratio: oportet enim, illa esse consecrata, non tantum per contactum corporis & sanguinis Domini, prout aliquis posset ex verbis Aug. supra citatis colligere, sed consecratione ceremoniali & Episcopali, quæ fit per vnctionem chrismatis, & specialem benedictionem, prout habetur in Pontificali, quæ consecratio antecedere debet alium vsum & contactum corporis & sanguinis Domini; & ante illam sanctificationem, quam ex illo censentur accipere huiusmodi vasa. De hac consecratione fit mentio in c. vnico; de sacra vnctione. §. vlt. & ideo Sixtus Pap. epist. 2. prohibet, sacra vasa tangi à laicis, quia nimirum, cõsecrata sunt vt habetur cap. In sancta. de Consec. dist. 1. & in capit. Sacratas. & cap. Non liceat. capit. Non oportet. d. 23. & ideo in c. vltimo, de celebr. Missarum, deponitur sacerdos, qui sine sacro calice consecrauerit. A quo autem possit hæc cõsecratio fieri tractãt Syluest. & alij Summistæ, verb. Calix. & verb. Benedictio. Certum vero est, à solo Episcopo posse fieri, & non committi alteri, etiam ex priuilegio nisi, licet benedictiones simplices committi soleant, nõ tamen illæ, quæ fiunt cũ vnctione chrismatis: quæ, sicut sanctioris esse censentur, ita etiam sunt magis propriæ Episcoporum: huiusmodi autem est hęc calicis & patenæ consecratio eadem, vel maiori ratione, qua consecratio altaris. Solum reperio Priuilegium Pauli. 3. in quo id concedit Presbyteris Societatis, in locis remotissimis: sicut supra dictũ est de consecratione altaris. Vnde, quæ diximus de cõsecratione altaris, hic applicari possunt, præsertim, quod hæc consecratio durat quandiu hæc vasa integra manent: mittitur vero, si notabiliter diuidantur, seu frangantur; ita vt eam formam & quantitatem amittant, quæ ad conuenientem eorum vsum necessaria est. Solet vero specaliter inquiri, quando hæc vasa sunt deaurata, & vsu aurũ tollitur, iterũque deaurantur, an consecrationem amittant, iterũque consecranda sint. Respõdetur, si interior pars laicis, & illa superficies patenæ, in qua corpus Domini collocatur, denuo deaurentur, iterum esse vasa consecranda, tum quia hæc consecratio præcipuè fit, propter contactum corporis, & sanguinis Domini, sed id, in quo proxime fit contactus, non est consecratum: ergo consecrandum est, tum etiam, quia, licet sensus non discernat aurum ab argento, tamen re'vera per illam deaurationem fit veluti quoddam vasculum aureum subtilissimum intra aliud argenteum: in quo proxime effunditur sanguis Domini, & idem est probabiliter in patena: ergo oportet, vt consecrentur. Dices, ergo, quando deauratio amittitur, per hoc solum amittitur consecratio: quod tamen est falsum, & cõtra vsum. Respondetur, negando consequentiam, quando materia illa, quæ manet, est capax consecrationis, vt est argẽtea vel stannea: quia totius calix deauratos per modum vnius consecratur; & ideo, quanuis aurum amittatur, argenteus calix cõsecratus manet: sicut, quando calix est pure argenteus, etiam si cõtingat, illam exteriorem superficiem paulatim vsu consu-

Forma spiritualis vasorũ est consecratio — Sixtus P. — Syluest. — Priuilegium Paul. 3. Presbyteris Societatis Iesu in locis remotissimis concessum. — Quæsitum. — Responsio. — Obiectio. — Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi,semper tamen calix manet consecratus, quia li A tum,deseruiebat tad vsum populi;neq; in eis con-
cet inunctio vel consecratio verseatur circa superfi- secrabatur sanguis,sed infundebatur ex alio,in quo
ciem,tamen simpliciter totum consecratur: quan- sacrabatur;& hi fortasse sunt,qui dicuntur in anti
do vero postea noua deauratio superadditur,requi quis historijs & gestis Pontificum, *calices minores,*
ritur noua consecratio:quia id,quod additur,nul- *seu ministeriales*, quos adhuc in nonnullis Ecclesijs Linda.
lo modo consecratum erat. Nec dici potest,manere seruari testatur Lind.lib.4. Panopl.c.56. De his er
consecratũ ex sola adiunctione ad aliud,sicut su go inquiri merito potest,an fuerint consecrati,seu
pra dicebamus de minima parte adicta Ecclesiæ cõ benedicti;& idem nunc inquiri potest de aurea fi-
secratæ, vel sicut dicitur de parte cõmunis aquæ ad stula,per quam summus Pontifex,cum solenniter
dita magnæ quantitate aquæ benedictæ:quia cõse sacrificat,sanguinem consecratum attrahit, & su-
cratũ,quando principalius est,trahit ad se non con mit,magis autem practica quæstio est de arcula seu
secratũ:hoc (inquã)hic dici non potest:nã licet in pyxide,in qua corpus Christi seruatur,cuius vsum
dicto casu pars argentea videatur principalior antiquissimum esse supra ostendimus,cum de du-
quoad magnitudinẽ materiæ,tamen,quoad vsum ratione corporis Christi sub speciebus consecratis,
id quod per deaurationẽ additur, principalius est, & de seruanda Eucharistia disputauimus:de illa er
non solum,quia est nobilior materia,sed maxime, go inquiri potest,an cõsecrari vel benedici debeat,
quia in ea fit contactus corporis & sanguinis Do- B prius quam Eucharistia in ea recondatur . In qua
mini,& quia est veluti forma respectu alterius. dubitatione Soto,d.13.q.1.artic.3.negat,requiri, Soto. Paludan. Sylvest.
pyxidem esse consecratam. Clarius Palud.q.1. art.
4.negat,requiri,esse consecratam aut benedictam,
quod sequitur Sylvest. Euchar.3.q.4. Fundamen-
tum est,quia in iure hoc non præcipitur;sed solum
quod custodiatur honorifice Eucharistia in loco
mundo & securo c.Sane,de celebr.Miss.& c.1. de
Custodia Euchar. At vero Durant.lib.1.de ritibus Durant.
Eccles.cap.16.simpliciter,& sine disputatione af-
firmat,pyxidem prius benedici & consecrari debe
re,neminem citans,nec decretum aliquod osten-
dens,quo id cautum sit:addit tamen,formulam be
nedicendi pyxidẽ in ordine Romano legi;ex quo
non potest sumi argumentum admodum efficax,
quod hoc necessarium sit,sed tantum,quod deceat
nam, ibidem ponuntur formulæ ad benedicenda C
vasa reliquiarum, & ad benedicendas mappas , &
alia vasa & ornamenta altaris,quæ tamen non sem
per benedicuntur;neque id censetur esse præceptũ.
Addo vero in regulis Missalis,de ingressu sacerdo
tis ad altare, expresse dici,formulas consecrari de-
bere in patena,vel super corporale,vel in calice,vel
in alio vase mundo consecrato collocari. Quanuis
igitur hæc sententia certa non sit, quia non satis
constat de hoc præcepto;& inter doctos & timora Sententia d
tos viros contrarium sine scrupulo fit;mihi tamen torũ.
hoc videtur securius & consulendum;ac per se val
de conueniens,rationi consentaneum ac verisimi-
le. Potestq; his coniecturis suaderi:nam si corpora
le,& patena benedicuntur seu consecrantur, quia
immediate recipiunt,& contingunt corpus Chri-
sti:cur non etiã pyxis? Dices, illa non benedici so-
lum propter contactum,sed quia in eis conficitur
corpus Christi.Sed contra hoc in primis est , quia D
hostia nõ cõsecratur incorporali,vel patena,sed in
manibus sacerdotis:quin potius frequẽtius formu-
læ cõsecrantur in pyxide,quã super corporale, vel
patenam,quanuis omnibus modis fieri possit. De-
inde,Sanctior ne est cõfectio corporis Christi,quã
ipsummet corpus iam consecratum ac præsens per
seueras,vt propter conficiendũ sacramentũ sint ne
cessaria vasa cõsecrata,non autẽ propter custodien
dũ? Præterea,illi calices ministeriales,qui olim erãt
in vsu,videntur fuisse consecrati,sicut cæteri:nam
eodẽ modo sacri censentur,& nominantur in histo
rijs:imo interdũ videtur facta in eis cõsecratio san
guinis,ita vt plures calices consecrarentur in altari
quod prohibet Greg.3.epist.ad Bonifacium , non Greg. 3.
quia calices illi consecrati non essent , sed propter
exemplum Christi,qui in vno tantum calice conse
crauit.

Alij quæsito satisfit. Palud.

Sylvest.

Opinio Paludani securior.

Calices tornatiles etiãsi partes separẽtur, non indigent noua consecratione.

Aliud quæsitum.

Claudius de Sainctes.

D. Thom. crauit.Tandem Diuus Thom.supra q.82.artic.3. A
absolute dicit,propter reuerentiam huius sacramẽ
ti,à nulla re contingi nisi consecrata. Vnde & cor-
porale(inquit)& calix consecrantur, & similiter
manus sacerdotis ad tangendum hoc sacramen-
tum. Denique est alia coniectura,quia sicut patena
debet esse argentea,vel,vt minimum,stannea, ita
etiam vasculum hoc,in quo Christi corpus conser
uatur,vt probat vsus omnium piorum:ergo signũ
est,quando decreta Ecclesiastica præscribunt , vt
hæc vasa sacra ex his materijs fiant , subillis com-
prehendere omnia , quæ ad corpus Christi conti-
nendum spectant:ergo idem erit , quoad benedi-
ctionem seu consecrationem. Hæ quidem rationes
sunt apparentes,non tamen concludunt , alioqui
nimium probarẽt,nimirum huiusmodi vasculum
debere consecrari,& chrismate inungi , quod ta-
men necessarium non esse certum est;quia in Pon B
tificali Romano tantum ponitur simplex benedi-
ctio illius, & illa censetur sufficiens . Vnde etiam
constat,quando ibidem ponitur consecratio calicis
& patenæ,non comprehendi hoc vasculum: alias
non oportuisset postea specialem eius benedictio-
nem tradere. Quocirca nullo etiam sufficiente fun
damento dici potest,esse ab Ecclesia determinatã
aliquam materiam,ex qua huiusmodi custodia con
fici debeat:quia,quod de calice aut patena præseri
bitur,nullo sufficiente fundamento ad illam exten
ditur;& de illa nullum reperitur speciale ius: ergo
nullum est in hoc præceptum Ecclesiasticum, sed
ex natura rei id seruandum est,quod deceat reue-
rentiam tanti sacramenti. Hac igitur de causa fre-
quentius est argenteum hoc vasculum,quod est an
tiquissimum in Ecclesia,vt constat ex gestis Pon-
tificum in Sylvestro,Symmacho & alijs,& ex Ba- C
silio,& alijs,quos in superioribus adduximus agen
tes de custodia Eucharistiæ : cum autem hoc non
sit præceptum,si ob paupertatem vel aliam causam
rationabilem,fiat ex inferiori materia,non erit pec
catum,dummodo tale sit,vt in eo fideliter.& sine
vlla irreuerentia seruari possit corpus Domini,iux
ta ea,quæ tradit Innocent.in capit.1. de Custodia
Eucharistiæ. Potest autem intra huiusmodi pyxi- Innoc.
dem poni corpus Christi in alio vasculo ex linteo
aliquo confecto,quod maxime fieri deceret,quan
do pyxis non esset argentea;& tunc omnino obser
uandam videtur;vt illud internum vasculum sit
ex materia linea,& non ex alio panno aut serico,
est enim hoc magis consentaneum vsui,& decretis
Ecclesiæ,& ideo omnino est seruandum ; quoad
consecrationem verò,seu benedictionem optimum
erit consilium,vt ea adhibeatur,quæ in Pontifica- D
li continetur.

Vltimo loco hic desiderari potest,vt de alijs va-
sis,quæ altari deseruiunt,aliquid dicamus,vt sunt
scyphi,ampullæ,phyalæ,& alia huiusmodi.Sed de
his nihil specialiter occurrit dicẽdum,quod ad mo
ralem doctrinam pertineat, videri autem possunt
ex antiquis,Damasus in Pontificali,ex modernis
vero Onuphrius,in libr.de præcipuis vrbis Romę
Basilicis,& in libr.de interpretatione vocum
Ecclesiasticarum,& Durant.dict.li-
br.1.de Ritib.Eccl.per
varia capita.

(*.*)

SECTIO VIII.

Quis cultus aut veneratio prædictis locis seu vasis sacris debeatur.

HAEc quæstio fere à nobis est explicata in his,quæ de veneratione imaginum & reli-
quiarũ,in primo tomo huius tertiæ partis diximus,quæ iterum breuiter attigimus supra de adoratione sacramenti Eucharistiæ disputãtes: hic vero cogimur nonnulla dicere,tum vt ea,quę sunt huius loci,ppria,& quæ magna est parte iure positiuo sunt introducta,& ad moralem vsum harum rerum pertinent,declaremus;tum etiam,vt doctri nam ibi datam circa huiusmodi rerum adorationẽ amplius confirmemus,& nonnullas obiectiones de nuo obortas clarius expediamus . Hæretici ergo multis titulis & nominibus negant,huiusmodi res venerandas esse aliquo cultu religioso . Primum, quia in vniuersum negant,creaturam aliquam pos- *Hæreticorum obiectiones dissoluuntur.*
se piè ac religiosè adorari : quia in hoc derogatur cultui soli Deo debito. Secundo,quia multo magis negant,res inanimatas esse adorandas;quia sunt in capaces honoris,& seruitutis:quia neq; intelligũt, neque excellẽtiam aut dominium habere possunt: adoratio vero est quidam honor , & genus quod-dam seruitutis,quæ exhibetur rei , quæ adoratur. Tertio specialiter,quia negant veritatem sacrificij Eucharistiæ,vnde consequenter aiunt,hæc omnia, quæ ad illius ministerium ordinantur,non religio-nem cõtinere,sed superstitionem: vnde necessario fit,non posse,nisi superstitiosè coli. Alia eorum fun damenta,& Patrum testimonia,quibus abutuntur omitto,quia prædictis locis satis tractata sunt. Ca-tholici vero nonnulli,licet ab hæreticis simpliciter differant,quia absolute cõcedunt,has res esse vene randas seu adorãdas,ita tñ hoc explicãt , vt verbis potius,quã re,id confiteri videantur. Dicunt enim externã actionẽ adorationis circa huiusmodi res sacras versari debere,piè namq; calicẽ,vel patenam aut altare scolamur;& coram templo caput aperi-mus;intentionem tamẽ interiorem honoris & cul tus nullo modo debere ordinari ad huiusmodi res, sed ad solũ Deũ,propter quem prædictos actus ex ternos circa huiusmodi rẽs exercemus. Fundamen tum eorũ est secundo loco tactũ,quia nõ potest ra tionabiliter intẽtio cultus referri ad huiusmodi res inanimes,cum honorem sibi exhibitum non perci piant,& ideò in 7.Synod.act.6.tom.4.circa finem dicitur,huiusmodi rẽs non esse adorandas in spiri- 7.Synod.
tu & veritate:quia nimirum interior intentio,quę spiritualis est,& à qua sumitur veritas & subsẽtia cultus,non est ad illas referenda. Ex quo inferunt, huiusmodi res non esse adorabiles(si actum interio rẽ respiciamus)nisi medio actu perfectæ latriæ,qua Deus ipse propter se adoratur : quia tota actio ex terioris adorationis,quæ circa huiusmodi res exer cetur,oritur ex sola intentione adorandi Deum in tali re propter summam eius excellentia:hæc autẽ est absoluta & perfecta latria,secũdum se sumpta, quanuis,prout versatur circa huiusmodi res sacras deficiat à perfectione latriæ:quia intentio cultus non refertur ad illas:& hoc modo conciliant duo dicta septimæ Synodi,scilicet,quod hæ res adoran tur eadẽ adoratione,qua Deus,& tñ non adorãtur perfecta latria,neq; in spiritu & veritate. Vt rẽ hãc distinctius explicemus:duplicẽ externã venerãtio

Universidad de Deusto Biblioteca

Externa veneratio duplex.

nem harum rerum declarare oportet, & de eis ſigillatim dicere. Alteram vocare poſſumus negatiuã, quia in negatione conſiſtit; & circa eam verſantur præcepta quædam negatiua, quibus actiones iniurioſas, vel minus decentes circa huiuſmodi res facere prohibemur. Altera eſt poſitiua, quæ conſiſtit in aliqua poſitiua actione, quam iubemur, vel conſulimur facere in harum rerum venerationem.

Circa priorẽ venerationem 1. Conclu.

Circa priorem partem dicendum eſt primo, iure ipſo naturali prohiberi nos facere, quidquid in iniuriam, vel irreuerentiam harum rerũ cedere poteſt, quod pertinet ad quendam earum honorem, ac reuerentiam. Hæc concluſio eſt certiſsima, quã nullus, quantumuis infidelis negare poteſt, ſi ſemel admittat veritatem ad ſanctitatẽ myſterij ac ſacrificij Euchariſtiæ: nam inde neceſſario ſequitur has res, quæ proxime ad eius miniſteriũ ordinãtur, debere ita ſanctè tractari, vt ſaltẽ nihil iniurioſum ac indecens circa eas fiat. Deinde explicatur introductione & exẽplis, nã primo hac ratione tẽpla vel altaria euertere, vel cõtumelijs afficere, intrinſecè malũ eſt. Vnde merito cõquerebatur Elias 3. Reg. 19. *Domine altaria tua deſtruxerunt*, non quia actio illa proprio ac poſitiuo iure illius legis eſſet prohibita, ſed quia hoc ipſo, quod altare erectum erat in cultũ legitimũ veri Dei, per ſe malũ eſt, illud cõtemnere atq; deſtruere: at vero altare noſtrũ non minus eſt erectũ in legitimũ cultũ veri Dei, quam illud; imo in altiorẽ & excellentiorem cultũ. Vnde Optatus Mileuit. lib. 6. contra Parmenia. *Quid eſt* (inquit) *tam ſacrilegũ, quã altaria Dei, in quibus & vos aliquãdo obtuliſtis, frangere, radere, remouere?* & in Conc. Aquenſi, ſeu Aquiſgr. 3. ſub Pipino c. 17. ita ſumitur à contrario argumentum, *Si Abraham pro eo, quod Dei altaria erexit, cultũque eius veneratus eſt, tot à Deo prærogatiuis donatur, dubiũ non eſt, quin altariũ ſanctorum euerſores, & ſacrarum rerum, quibus in eiſdẽ altaribus famulandũ eſt Deo, ſubreceptores damnentur:* & c. 25. *Si Moyſes ob gratiarũ actionẽ, & populi liberationẽ, hoſtiũque ſuorũ internecionem, Domino altare erexit, cauendum illis eſt, qui altaria Domini obruendo dehonorant, & dehonorando obruunt, ne, quando ſe aduerſus hoſtes ſuos proripiunt, ſe ipſos eiſdem triumphũ exhibeant*, & infra de eiſdem dicit, *Aduentu & benedictione Dei ſe indignos vſquequaque fore*. Simili modo cõqueritur Deus per Ezech. c. 23. de his, qui templa violant, *Hoc fecerunt mihi, polluerunt ſanctuarium meũ in die illa*. Et infrà, *Cum ingrederẽtur ſanctuariũ meum in die illa, vt pollueret illud, etiã hæc fecerunt in medio domus meæ, &c.* Hinc templorum euerſores & contẽptores grauiſsimè à Deo punitos legimus in Eccleſiaſticis hiſtorijs: Theod. lib. 3. c. 12. & 13. & Caſſiod. lib. 6. Tripartitæ. c. 32. referunt, Iulianũ præfectum ad ſacram menſam miſiſſe lotiũ, & furioſæ audaciæ pœnas perſoluiſſe, nam ſtatim graui morbo correptus putreſcentibus inteſtinis interijt. Niceph. etiã lib. 10. c. 29. eiuſdem diuinæ animaduerſionis aliam cauſam refert non diſsimilem dicens, *Cauſa morbi erat: quod ſacris vaſis, quæ terra illi ſerat: proſedili vſui fuerat*: & eiuſdem diuinæ vltionis meminit Chryſ. hom. 4. in Matth. dicens, *Quæſtorem regium, qui iuſſu Apoſtatæ Iuliani ornamenta & ſacra vaſa templorum diripiebat, per medium diruptũ expiraſſe, & Iuliani auunculum à vermibus corroſum interijſſe.*

Elias. 3. Reg. 19. — Optatus. — Conc. Aquẽſ. — Theodor. Caſsian. — Niceph. — Chryſ.

Secundo ex hoc principio reprehenditur à Chriſto Domino omnis negotiatio in templo. Matt. 21. dicente, *Domus mea, domus orationis eſt*, &c. Vbi id non prohibuit, quia eſſet ſpecialiter vetitum poſitiuo iure illius legis, ſed ex ipſa naturali ratione, quia id erat contra ſanctitatem illius loci. Vnde in Sexta Synodo, can. 76. Trul. ſic ſcribitur, *Non oportet intra ſanctos ambitus cauponatoriam officinã, vel quæ ſiũt per aromata, ſpecies proponere, vel alias venditiones facere, ſuam venerationem Eccleſijs ſeruantes*, & ſtatim adducit exẽplũ Chriſti Dñi, & excommunicari iubet aliter facientes. Vnde colligunt Doctores, non eſſe licitũ aliquid venale in Eccleſijs, vel cœmeterijs earũ exponere, niſi fortaſſe in vſum ipſius Eccleſię. De quo videri poteſt Antonin. 3. p. tit. 1. c. 16. §. 2. Caiet. in ſum. Verbo. Immunitas Eccleſiaſtica, qui dicit, ſi vna, vel altera venditio, quaſi per tranſitum fiat, poſſe aliquo modo à peccato excuſari; ſi autem fiat permanenter, quia nimirum in eo loco ponitur, quaſi officina ad vẽdendum, non poſſe excuſari à peccato, tamen in cœmeterio videri veniale, quia non videtur notabilis irreuerentia, vnde facili negotio toleratur à paſtoribus Eccleſiæ, tamen intra templum eſſe peccatum mortale, quia eſt grauis irreuerentia contra diuinum ius, vt ſignificant illa grauiſsima verba Chriſti; *Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*, Matth. 21. & illa Ioan. 2. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Addit vero Caiet. hoc tunc maxime eſſe peccatum mortale, quãdo per ſe, & ex inſtituto eligitur ille locus ſacer ad huiuſmodi negotiationẽ: nam tũc propriè domus Dei fit domus negotiationis. At vero, ſi tãtum ex accidente id contingat fieri ad breue tempus, vt v.g. ſi propter vitãdam iniuriam temporis, aliquis venditor cum menſa ſua intra Eccleſiam ſe recipiat, vel, ſi is, qui per plateas aliquid vendendo incedit, Eccleſiã ingrediatur, ſimiliter res ſuas venditioni exponendo: nã in his & ſimilibus caſibus cẽſet excuſari à peccato mortali. Quæ tota doctrina mihi non diſplicet, quanquã prudentia opus eſt ad conſiderandas circunſtantias, & ponderãdum, an irreuerentia, quæ hic & nunc fit Eccleſiæ, grauis mortaliter exiſtimetur, vt v.g. tam indecens eſſe poteſt res, quæ venditur, vt ſemel tantũ ſeu per trãſitum illã in Eccleſia vendere, peccatũ mortale cenſeatur, & quendã Eccleſiæ contemptũ cõtinere; & ſic de alijs. Quod autem de venditione dictum eſt intelligendũ eſt de alijs actionibus externis ac ſecularibus, vt ſunt, ſecularia iudicia, præſertim in cauſis tẽporalibus, & maxime in criminalibus. Itẽ, cõuentus ſeu conſilia publica ſecularia, ſeditiones & alia huiuſmodi, quæ, licet iure etiam humano prohibeantur, varijs decretis de immunitate Eccleſiarũ c. 1. c. Cum Eccleſia. & c. Decet. eodẽ tit. in 6. tamen non ideo mala ſunt, quia ibi prohibita; ſed potius ideo prohibentur, quia mala ſunt, & contra reuerentiã loci ſacri, vt ibidem ſignificatur. De qua ſelegi poteſt etiam Nauarr. libr. de orat. c. 5. Hinc etiam conuiuia ſeu agape in Eccleſia prohibentur à Paulo 1. ad Corint. 11. quod poſtea multa Eccleſiaſtica decreta confirmarunt, Sexta Synodo. can. 74. Concil. Altiſiodor. cap. 1. Africanum capit. 27. Carthag. cap. 45. Laodicen. cap. 28. Aquiſgran. 1. cap. 59. & 80. c. Nullus, cap. Non oportet. diſt. 42. quod intelligendum eſt, niſi ex neceſsitate aliqua id fiat, vel ob piã cauſam cũ debitis & honeſtis circunſtantijs. Vnde fit, idẽ à fortiori dicendum eſſe de alijs actionibus humanis, quæ locum ſacrum minus decent, vt ſunt hoſpitari ibi, dormire, &c. quomodo in Sexta Synodo canon 74. prohibetur.

Matth. 21. — 6. Synod. — Antonin. Caiet. — Matth. 21. Caiet. — 1. ad Cor. 11. 6. Synod. Cõc. Altiſ. African. Carth. Laodic. Aquiſgran.

Accubitus in Eccleſia ſternere, & cap. 88. *Ne quis intra ædem ſacram quoduis iumentum introducat*; de quibus, pro qualitate materiæ iudicandum eſt, quanta loco ſacro irreuerentia irrogetur. Omitto actiones alias, quæ per ſe prauæ ſunt & inhoneſtæ, multoq; magis ſanctitati illius loci ſunt contrariæ, vt ſunt otioſæ & diuturnæ confabulationes, nedum inhoneſtæ, furta, & aliæ iniurioſæ actiones; de quibus grauiter loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. de obſeruandis in celeb. Miſſ. & Conc. Colon. tit. de Metropolitan. c. 25. & priùs multis Eccleſiaſticis decretis id cautum fuerat, vt patet ex iam citatis, & ex cap. Cantantes diſt. 92. & cap. Nullus. de Conſecr. d. 5. & cap. Cum decorem. de vita & honeſtate cler. De qua re legi poteſt Chryſ. hom. ſpeciali de non contemnenda Eccleſ. & hom. 36. in 1. ad Corin. & hom. 74. in Matth. in imperfecto. Quod autem dictum eſt de Eccleſia, vel altari, applicari facile poteſt ad vaſa ſacra & res ſimiles, quæ cõſtringere, aut ad prophanos vſus conuertere, per ſe & natura ſua malum eſt.

Cõc. Trid. Conc. Colon. — Chryſ.

2. Concluſio.

Dico ſecundo, ſpeciali iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico, quædam eſſe prohibita fieri circa huiuſmodi res ſacras, ob reuerentiam earum; quæ ſi fiant, ſacrilegium erit, ſaltem contra ius poſitiuum. Probatur ac declaratur varijs exemplis: nam primo huc ſpectat immunitas Eccleſiarum quoad hoc, vt qui ad illas confugiunt, per vim extrahi non poſſint, vt ſtatuitur. 17. q. 4. per multa capita. c. Definiuit. ca. Id conſtituimus c. Si quis contumax c. Reum. Itẽ c. Inter alia, extra de immunit. Eccleſ. c. autem vltimo eiuſdem tit. declaratur, hoc priuilegium non gaudere, qui ſpe talis immunitatis in Eccleſia delinquunt, & in c. Eccleſiæ. eodem tit. declaratur, hac immunitate gaudere omnes Eccleſias, in quibus diuina myſteria celebrantur, etiam ſi conſecratæ non ſint: quod intelligo, etiam ſi non ſint benedictæ, dummodo autoritate Epiſcopi ad hoc ſint deſtinatæ: nam verba textus generalia ſunt, & ſimiliter ratio, quæ illis verbis cõtinetur, *Quia diuinis obſequijs dedicata, nullius eſt temerarijs auſibus prophananda*. De hac autem immunitate plura diſputare nõ tam noſtri negotij eſt, quam Iuriſperitorum; & fortaſſe in ſecunda ſecundæ agentes de virtute religionis, plura dicemus, ne hic prolixiores ſimus. Interim videri poſſunt Sylueſter. in ſum. verbo, Immunitas. 1. à principio, & Nauar. c. 25. n. 17. & Couar. lib. 2. Variar. c. 20. & Remig. de Gonni, in tractatu de Immunit. Eccl. Solum annotabo breuiter, hoc ius conceſſum eſſe Eccleſijs ad imitationem veteris templi ac tabernaculi, vt ſumitur ex 21. Exodi, & 3. Reg. c. 1. & 2. & non eſſe nouum, ſed antiquum in Eccleſia, vt ſumitur ex citatis decretis, & ex Nicepho. lib. 14. hiſt. c. 32. Socrate, lib. 7. c. 33. & ex 12. Tripart. c. 4. & inſinuatur ab Amb. epiſt. 33. inverbis illis, *Nec altaria tenebo, vitam obſecrans*, & ad idẽ videtur alludere Gregor. Nazian. orat. 20. dicens, *Ad ſacram menſam confugit, &c.* nam quia potiſsimũ conceditur Eccleſiæ hoc priuilegium, ratione altaris, in quo Deo ſacrificium offertur, ideo de altari ſpecialiter mentionem faciunt. Vnde etiam fit, hãc immunitatem maxime conuenire ipſi altari, maiuſque ſacrilegium eſſe, ſi ab ipſomet altari homo diuellatur & extrahatur, quãquam non ſolum altare ſed tota Eccleſia, & porticus Eccleſiæ; & cœmeteria hoc priuilegio gaudeant. Secundo in honorem peculiarem altaris, prohibitum fuit olim laicis, non ſolum fœminis, ſed etiam viris, altaria ingredi; & quidem de fœminis legimus in Conc. Aquiſgra. 1. capit. 82. *Quod non oporteat fœminas ad altare ingredi*: quod eiſdem verbis ſtatutũ fuerat in Conc. Laodic. can. 44. quãuis in can. 19. eiuſdem Concil. generalius dicatur; *Solis miniſtris altaris licere ad altare ingredi, & ibidem communicare*. Hoc autem ita explicatur in Concil. Agath. cap. 66. *Quod non oporteat miniſtros non ſacratos in ſecretarium (quod Græci diaconion appellant) ingredi*, c. Non oportet. d. 23. In cap. autem 69. Trullan. *Solo excepto Imperatore omnes laici ab ingreſſu altaris arceantur*. Quid autem nomine altaris his loci intelligatur, non eſt facile ad explicandum; aliqui ſacrarium explicant, quod ſecretarium ſeu diaconium videtur appellatum in dicto Conc. Agath. quod nunc idem eſſe videtur, quod *ſacellum maius*, quod *Sancta ſanctorum* appellatur, apud Euſebium. lib. 10. Hiſt. cap. 4. cum dicitur, *In templo à Paulino extructo altare, tãquam ſancta ſanctorum ſitum fuiſſe in medio ſanctuarij, quod cancellis ex ligno fabricatis circundatum erat, quo eò à multitudine accedi non poſſet*. Et eodem ferè modo loquitur Germ. in Theor. rerum Eccleſ. dicens, *Intra cancellos eſſe ſancta ſanctorum ſolis ſacerdotibus peruia*: & eodem modo appellatur in Conc. Turonic. 2. cap. 4. & habetur in cap. 1. de vita & honeſtate clericorum. Ibidem vero additur, *Ad orandum, & communicandum, ſicut mos eſt, pateant Sancta ſanctorum*. Quibus videntur explicari priora decreta, ſcilicet, prohibitum fuiſſe laicis ingredi ad ſancta ſanctorum ad miniſtrandum, vel etiam ad aſsiſtendum diuinis officijs, multoq; magis ad ſedendum, & confabulandum: hæc autem decreta, maxima ex parte, iã diſſuetudinẽ vel prorſus abuſum abierunt. Vnde non videtur hoc in rigore cadere ſub obligationem, neque in tranſgreſſione huius antiquæ legis committi aliquod peccatum ſecluſio, contemptu & ſcandalo; quanquã cõſuetudinem honeſtam vniuſcuiuſq; Eccleſiæ ſeruare oporteat, curandumque ſit, vt antiquorum canonum termini, quoad fieri poſsit, cuſtodiantur, vel ſaltem, vt aliqua ex parte eorum religionem plebs fidelis imitetur.

Syluest. Nauar. Couar. Remig. de Gõni. — Notabile. Niceph. Socrates. — Greg. Naziã. — Conc. Aquiſ. Conc. Laod. — Conc. Agath. — German. — Conc. Tur. 2.

3. Exemplum.

Tertium exẽplũ ſit, quod propter hanc venerationẽ prohitum eſt laicis, & maximè fœminis, tangere altaria (ſcilicet, quoad lapidem conſecratum) vaſa ſacra (ſimiliter conſecrata) & veſtimenta ſeu ornamenta benedicta, præſertim corporalia. Ita pręcipitur diſt. 23. per multa capita, pręſertim c. Sacratas, vbi ſacræ fœminæ, vel monachæ prohibentur tangere ſacra vaſa, vel ſacras pallas. In capit. autem Non oportet. 1. ex Concil. Laodicen. cap. 21. dicitur, non oportere, etiam ſubdiaconos contingere vaſa Dominica. In c. autem Non oportet. 2. ex Cõcil. Agath. c. 66. ſolum hoc prohibetur miniſtris in ſacratis, ſeu non ſacratis. In c. autem Non liceat 1. ex Conc. Brach. 1. c. 28. dicitur, hoc licere ſubdiacono, non tamen cuilibet ex lectoribus. In c. autem Non liceat 2. ex Concil. Martini Papæ cap. 41. dicitur, hoc licere ſubdiacono, & acolytho in ſecretario, non vero cæteris. Similia multa habentur de Conſecrat. diſtinct. 1. præſertim, cap. In ſancta, & cap. Veſtimenta. ex quibus omnibus licet colligerẽ, non ſemper fuiſſe circa hoc idem ius, neq; eandem vbique conſuetudinem. Vnde neque hoc tempore videntur eſſe in vſu omnia, quæ in antiquis canonibus præſcribuntur. Vt ergo explicemus, quid in praxi ſeruãdum ſit, oportet breuiter per ſingula

Conc. Laodic. — Conc. Agath. — Cõc. Brac. 1. — Cõc. Martini Papæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

Notatu digna. discurrere. Primū igitur ornamenta omnia altaris, etiam si benedicta sint (& idem est de omnibus vestibus sacris) quæ non attingunt immediatè corpus Christi, nec chrismate consecrantur, possunt sine scrupulo tangi à laicis, etiam fœminis, quanuis de his oppositum teneat Syluest. verbo, Missa. 1. q.2.§.2. quia ita habet consuetudo, & quia iura citata præsertim loquuntur de vasis sacris: solum in c. Vestimenta. loquitur Stephan. Papa generaliter de vestimentis Ecclesiasticis. *Quæ*, inquit, *neque ab alijs debent contingi aut ferri, nisi à sacratis hominibus.* Quæ verba, aut præceptum non continent, quia illud verbum, *non debent*, non videtur in rigore significare obligationem, sed decentiam quandam; aut nō intelliguntur de quolibet tactu, sed de illo, qui ordinatur ad prophanū & cōmunem vsum, vt ex antecedentibus, & sequentibus verbis potest non obscure colligi, vel certe, si admittamus ibi præceptum, dicendum est, in dissuetudinē abijsse quoad hanc partē. Deinde addendū est, tangere calicem consecratum immediate & nuda manu, nonnullū peccatum esse laicis, & idem est dicendum de ara consecrata. Hoc patet ex citatis decretis, & ex vsu; quanquā Sot. d.13. q.2. ar.3. ad 7. dicat, secluso cōtēptu, forte hoc non esse peccatū, etiā veniale, vel esse leuissimū. Sed licet, secluso contemptu, recte hoc excusetur à peccato mortali, quia non apparet materia grauis, tamen à peccato veniali, si absq; rationabili causa & morali necessitate fiat, excusari non potest. Et confirmatur, nam Pontifices concedunt priuilegia aliquibus religiosis, vt laici eorum possint calices tangere; vt constat ex priuilegijs Minorū: ergo signum est, hoc per se non licere omnibus. Tertio, quando vasa sacra continent corpus aut sanguinem Domini, non possunt licitè contingi, nisi à sacerdote, vel, ad summum, à diacono. Ita notat Palud. d.13. q.1. ar.4. concl.2. & ita potest exponi dictū c. Non oportet 1. & oppositum temere ac sine causa facere, vix posset à peccato mortali excusari: quia videtur certe res grauis. At verò, quādo calix est vacuus, potest à subdiacono, non solū tangi, sed etiā portari ministrando, ideo enim hæc vasa tangit, quando Ordinatur; & ita intelligitur rectè dictū c. Non licet. primum, quod tamen extenditur ad acolythū in dict. c. Non licet. 2. quia etiam ille potest aliquo modo contingere calicem in ministerio sacro, vt colligitur etiam ex Syluest. Papa cū Conc. Rom. c.9. & habetur in c. Nullus 1. d.24. Extra sacrum autem ministeriū, quilibet minister sacer, id est, quocunque minori gradu Ordinatus, non peccabit, contingendo hæc vasa, vt colligitur ex dict. c. Non oportet, & ex vsu, qui videtur hoc etiam extendere ad Ordinatos tantum in prima tonsura; quanquā nostra Societas priuilegiū habeat, vt nostri laici possint tangere calices, si modo primam habeāt tōsuram, quod est signum, hoc non simpliciter licere omnibus.

Syluester. *Stephan. P.* *Soto.* *Palud.* *Syluest. Papa. Conc. Rom.* *Priuilegium quoddam Societatis Iesu.*

Quarto addendū est, idē esse dicendū de corporalibus, quæ in hoc, calici æquiparātur in omnibus citatis iuribus, rectēq; intelliguntur, *per sacratas pallas*, in dict. c. Sacratas. Vnde ad hanc venerationem spectat, quod de modo lauādi corporalia statuitur, in c. Nemo 2. de cons. d.1. vbi statuitur, vasa in quibus lauantur debere esse ad hoc tantū munus destinata, deinde, vt à diacono lauentur, ac deniq;, vt lotio ipsa foras non mittatur, sed in piscinā sacrā, *ne fortè pulus Dominici corporis malè decidat*, quę omnia seruanda sunt, saltē in prima lotione: hoc enim nulla consuetudine abrogatū est, neq; rationabiliter abrogari potest, vt Syluest. ait, verbo, Corporalia q.1. & verbo, Benedictio. q.7. Quod si in secunda, vel tertia lotione hoc idē seruetur, optimum erit. Idemq; intelligendū est de purificatorio: nam licet benedictū non sit, tamē valde propinquè attingit sanguinē Domini, & interdum fortasse aliquæ reliquiæ corporis vel sanguinis illi adiunguntur: de alijs verò pallis, aut ornamentis altaris, etiam si benedictæ sint, non est similis ratio, & ideo sine scrupulo possunt lauari, etiam à fœminis, & prima lotione. De corporalibus itē post primam lotionē, multi probabiliter tenent, posse sine scrupulo secundo lauari vel refici à fœminis, præsertim virginibus Deo sacratis. Quod tenet Caiet. verbo, Mulierum peccata in fine, quia hæc tangere ex causa rationabili nō est peccatū: hic autem solū interuenit quidam cōtactus; & interuenit causa rationabilis, scilicet, vt corporalia mundiora sint & politiora: ergo in hoc nullum est peccatū: nam, ad summum, posset esse veniale: hoc autem, interueniente prædicta causa, facilè excusatur. Addit etiā Syluest. verbo, Benedictio. q.7. & verbo, Corporalia q.1. citās Palud. excusari etiam consuetudine. Verum est, interdum hoc concedi ex priuilegio monachis laicis & monialibus, vt constat ex compendio Minorū, tamen hoc interdum fit propter maiorem certitudinē, nihilominus tamen opinio Caiet. est probabilis, & practicè seruari potest. Deniq; ex his constat multo magis prohibitum esse, vti huiusmodi rebus sacris ad cōmunes seu prophanos vsus; vt v.g. si quis vteretur calice in communi mensa, vel palla benedicta, vt communi linteolo, aut sacra veste ad prophanam repræsentationē, vel ludum: hoc enim multo magis prohibitum est in capitibus citatis; & præ se fert contemptum quendam huiusmodi rerū & ideo vix potest à peccato mortali excusari, vt Sot. notat. Ad quod etiam confirmandum valet c. Quæ semel. 19. q.3. vbi, quæ semel monasterio dedicata fuerunt, prohibentur vltra fieri secularia habitacula. Et simile quid colligitur ex c. Xenodochijs. de religiosis domibus. Imo (quod mirabilius est) in dict. c. Nemo. 2. de cons. d.1. prohibetur, ne mortuus obuoluatur palla, quæ fuit in altari, aut quæ data est in mensam Domini, & ita Syluest. verbo, Benedictio. 1. q.7. absolute dicit, non esse mortuos prætextu pietatis sacris vestibus induendos. Et loquitur etiā de sacerdotibus: nā subdit, quādo sacerdotes, vel Episcopi huiusmodi vestibus sepeliūtur, illas non debere esse benedictas, vel, si sint, & nihilominus ita fiat, consuetudine excusari. Certū tamen est, si de vsu sit sermo, solere Pōtifices & sacerdotes vestibus benedictis indutos sepeliri, eāque consuetudinē licitam esse, & religioni ac pietati satis consentaneā: nam actus sepeliendi defunctū actus pietatis seu misericordiæ est, & circa personā sacrā potest esse actus religionis: ergo vti vestibus sacris ad hunc actum non est, conuertere illas ad vsus prophanos, sed ad actum pietatis & religionis ergo in hoc nihil est indecens, minus ve expediēs. Item, nam vt statim dicemus, quando huiusmodi vestes iam sunt attritæ, religiosè cōburuntur: ergo maiori ratione possunt (vt ita dicam) cum persona sacra sepeliri, & illam simul decenter ornare. Vnde legimus apud Damasum in Pōtificali c.28. & apud Platinam & alios in Eutychiano, Eutychianum ordinasse,

Syluest. *Caietan.* *Opinio Caiet. probabilis.* *Soto.* *Syluest.*

dinasse, vt Martyres sine dalmatica, seu collobio purpureo non sepelirentur. Neque existimo, hoc esse contra ius commune, vt necessariū sit, consuetudine excusari: nam dictum cap. Nemo. primùm exponi posset de palla, quæ est corporale, de qua inferiùs subditur, à solis diaconibus esse lauandā; & de corporali verissimum est, non debere in huiusmodi vsum conuerti, propter reuerentiam debitam sacramento, quod immediatè in se recepit, ac tetigit. Secundò potest exponi de laicis defunctis, vt Glossa ibi interpretatur, citans cap. Nullus. 13. q.2. vbi nihil de hac re dicitur; tamen, cùm verba textus indefinita sint, satis cōmodè hoc modo exponuntur, & ad eas personas accommodātur, quibus conuenienter applicari possunt. Tandem, ibi non est sermo de vestibus sacerdotalibus, quibus corpora defunctorum Sacerdotum indui solent, sed est sermo de palla, seu mappa altaris; de quibus facilè concedi potest, nō debere in hunc vsum conuerti, vt in eis corpora defunctorum, etiam sacerdotum, obuoluantur (ita enim textus loquitur) quod propriè significat, vti huiusmodi pallis tanquam syndone quadam ad nuditatem corporis defuncti immediatè cooperiendam, quod non est in vsu, etiam circa corpora sacerdotum, nec decet fieri sine magna necessitate, vt per se manifestū est.

Vltimò pertinet ad hoc genus venerationis id, quod antiquis etiam decretis statutum est, vt huiusmodi res sacræ ad prophanos vsus seu communes ampliùs non reuertantur, non solùm quandiu consecrationem retinēt, de quo iam dictum est, sed etiam postquam illam amiserunt per dissolutionē, vel scissionem, aut fractionem. Hoc notauit hic Diuus Thom. ad 3. Palud. Soto, & alij, dist. 15. Syluest. verbo, Benedictio, & sumitur ex distin. 1. de Consecr. vbi in cap. Ligna. præcipitur, ne ligna Ecclesiæ dirutæ ad aliud opus sumantur, nisi ad aliā Ecclesiam, vel ad profectum in Monasterio Fratrū, non verò in vsum laicorū, sed igni potiùs esse comburenda, vbi Glos. notat, etiam in conuentu religiosorum nō debere assumi ad fabricam coquinæ, vel alterius loci similis, sed ad capitulum, seu dormitorium, vel alia similia honesta loca. Rursus in cap. Altaris, sic dicitur, *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, malè tractari; cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, &c.* & hoc ipsum intelligendum est de vestibus sacerdotalibus, & de alijs ornamentis vel rebus sacris, præsertim de benedictis, & quæ immediatiùs attingunt altaris ministerium, vel Ecclesiæ ornatum. Solùm videtur posse esse dubium de vasis argenteis, nam, postquā confracta sunt, vendi possunt, & consequenter materia eorum conuerti in communes vsus. Respondetur in primis, nō posse vendi, nisi in certis casibus, quos attigit Ambros. 2. offic. c.28. & de his tractant Summistæ, verbo, Alienatio, & alibi latiùs dicendum est. Deinde, cùm illi casus semper ex necessitate oriantur, & ad pietatem pertineant, talis vsus non est à religione alienus, eò vel maximè, quòd, vt possint huiusmodi res ad alios communes vsus deseruire, debēt iterum ferro & igne quodammodo transmutari; & ideò, moraliter loquendo, iam videntur esse omnino aliæ; & ideò nullum est incommodum, quod postea alijs vsibus deseruiant.

D. Thom. Palud. Soto. Syluest. *Dubiū de vasis argenteis.* *Responsio. Ambros.*

Sed quæres, an è cōtrario ex his rebus, quæ prophanis vsibus deseruierunt, possint res sacræ confici. Aliqui enim existimant, hoc esse prohibitum, & Minores habent priuilegium, quo eis cōcessit Sixtus IIII. vt secura conscientia possint conuertere vestes, & pannos prophanos in paramenta, & alios Ecclesiasticos vsus: ergo tale priuilegiū supponit, hoc, iure cōmuni, non licere. Sed in vniuersum hoc dici nō potest, nam constat, spolia domus prophanæ dirutæ posse sanctissime dedicari ad templum, vel monasterium ædificandum. Item, ex veste pretiosa potest fieri casula, vt constat ex piorum vsu. Vnde, quotiescunque res prophana mutat figuram seu artificialem formam, nō est dubium, quin hoc possit fieri: difficultas verò nonnulla esse posset, an, retenta etiam eadem figura, possint res prophanæ ad vsus sacros dedicari. Sed in hoc etiam dicendum, si secundùm illam figuram aptæ sint ad aliquem vsum sacrum, id posse fieri, per se loquendo, si alioqui non interueniat scandalum, vel specialis aliqua indecētia: quia hoc nulibi est prohibitum, & per priorem vsum non contrahunt aliquam maculam, &, si quam videntur moraliter habere quadam extrinseca denominatione, per benedictionē, vel dedicationem ad vsum sacrum, purgantur: sic enim constat, cōmunes domos in templa esse conuersos: Marcell. enim Papa, domum Lucinæ consecrauit. Vrbanus domum Ceciliæ; nec solùm vulgares domus, sed templa idolorum in Ecclesia conuersa sunt, vt constat de celebri Romana Ecclesia, quæ *Rotunda* dicitur, quæ *Pantheon* priùs dicebatur, quam Bonifacius IIII. in honorem Sanctorū omnium consecrauit, & idem constat de alijs innumeris, quæ longum esset, referre. Idem ergo fieri potest in paramentis, & alijs huiusmodi rebus.

Circa posteriorem partē huius sectionis, in primis statuo, simpliciter & absolutè concedendum esse, huiusmodi res sacras aliqua conuenienti adoratione, & honore prosequendas esse. Itaque quāuis hæc obligatio non semper vrgeat, quia est per modum affirmatiui præcepti, tamen non est dubium, quin suum locum habeat, vel semper quoad specificationem, id est, quòd, si huiusmodi res tractandæ sunt, honorificè tractentur; vel opportunis temporibus quoad exercitium. Sic autem explicata hæc veritas probatur apertè ex Septima Synodo, Act. 7. in definitione fidei, quæ est veluti conclusio rerum omnium, quæ in præcedētibus actionibus disputata, & adducta fuerant: definitur autē ibi, sacris imaginibus salutationem & honorariam adorationem adhibendam esse, non secundùm fidem nostram veram latriam, quæ solùm diuinæ naturæ competit; & deinde hanc honorariam adorationem explicat Concilium per comparationem ad librum Euangeliorum, luminaria & alias res sacras, *Ad quas*, inquit, *reuerenter accedimus, quemadmodum veteribus pie in consuetudinem hoc adductum est.* Sicut ergo ex hoc loco, & ex multis alijs, quæ in 1. tomo adducta sunt, de fide certum est, imagines absolutè & simpliciter adorandas esse: ita idem est omnino certum de huiusmodi rebus sacris. Quod ex eodem Concil. confirmatur act. 6. tomo 5. vbi Epiphanius nomine totius Cōcilij dicit, *Quæcunque Deo offeruntur, aut consecrantur, siue diuina fuerit veneranda crucis figura, siue sacer Euangelij codex, siue venerandæ imagines, siue sacra vasa; ea complectimur, & veneramur; vt qui spem habeamus sanctificationis ab ipsis reddenda, & ob id illis adorationem honorificam exhibe-*

Sixt. IIII. *Quæsito satisfit.* *Marcel. Pap.* *Vera latria solùm diuinæ naturæ cōpetit.* *Epiphan.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nazian.

mus. Et infrà afferuntur optima verba Grego. Nazian. *Præsepe adora, nam, quæ Deo oblata sunt, eius participatione, & contrectatione sancta fiunt.* Ac tandem adducitur illud

Psalm. 98.

Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, vbi per *scabellum* intelligitur arca testamenti, iuxta illud

1. Paral. 28.

1. Paralip. 28. *Paraui domum, vbi requiesceret arca Domini, & scabellum pedum Dei nostri*: & ratio illius metaphoræ colligitur ex 2. Reg. 6. vbi dicitur Deus sedere in Cherubin super arcam: erat enim super arcam inter duo Cherubin, propitiatorium tanquam sedes Dei, & ideò dicitur arca *scabellum pedum eius*: quòd si (vt alij volunt) per *scabellum* intelligatur templum, etiam sic confirmatur, quod intendimus: nã inter res sacras, de quibus agimus, templa computamus. Vnde

Hieron.

Hierony. in Epist. 18. ad Marcellam. *Venerabantur*, inquit, *Iudæi sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim & propitiatorium, & arca testamenti: ergo multo magis nos venerabimur templa nostra, in quibus Christus Dominus præsens adest*; & eadem ratio est de alijs rebus sacris. Vnde ponderanda etiam est illa ratio, *Quoniam sanctum est*, quam etiam tetigit

Nazian.

Nazian. dicens, has res fieri sanctas per cõiunctionẽ ad Deũ, seu, quia eius cultui dicatæ sunt: qui modus loquendi est frequens in Scripturis, Exod. 3. *Locus, in quo stas, terra sancta est*; & hoc modo dies festi dicuntur sancti, Exod. 12. & alibi sæpè: & vestes sacerdotales vocantur sanctæ, Exod. 28. Sic igitur hæ res, de quibus agimus, sanctæ sunt: si ergo scabellum pedum Domini adorandum dicitur, *Quoniam sanctum est*, eadẽ ratione omnes istæ res sanctæ adorãdæ erunt. Hinc

Chrysost. Ambros. Amal.

Chryso. homil. 20. in 2. Epist. ad Corinth. hortatur fideles, vt honorem debitum præstent altari, quod corpus Christi recipit; & Ambros. Epist. 14. dicit, solitos esse osculari altaria venerationis causa, sicut solemus reliquias, vel imagines osculari, quod inter sacrificandum facere solemus, vt notat Amal. libro 3. de Eccles. offic. c. 5. propter quod altare

Euseb. Emiss. Paulinus. Ambros. Dionys. Optatus.

venerandum appellatur ab Euseb. Emiss. homil. 4. de Pascha. *Sanctum* à Paulino, Epist. 12. ad Seuerũ. *Sacrosanctum*, ab Ambros. lib. de ijs, qui initiantur. c. 28. *Diuinum* à Dionysio. c. 3. de Eccles. Hierarch. & à Concil. Tolet. XII. c. 5. Denique vocatur *sedes corporis & sanguinis Christi* ab Optato Mileu. lib. 6. contra Parm. vbi immane sacrilegium Donatistarum deplorat, quòd altare Dei radere, frangere, & remouere ausi fuerant. Vnde elegãter

Greg. Nissen.

Gregor. Niss. oratione de sancto baptismate. *Mensa*, inquit, *sancta altare immaculatum est, quod non ampliùs ab omnibus, sed à solis sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur.* Similia ferè de templis habet

Chrysost.

Chrysost. homil. 30. in 2. ad Corinth. *Nonne videtis, quod vestibula templi huius exosculantur, illi quidem flectentes, alij autem manu continentes, & ori manum admouẽtes?* & de cæteris vasis sacris, idem Chrysost. homil. 3. ad Ephes. & 61. ad popul. &

August. VIII. Syn. Anastas. Pap.

August. concione 2. in 113. Psalmũ. Et de libro Euangeliorum, esse venerandum docet Octaua Synodus, canon. 3. nam verba Euangelica cõtinet, quæ adorãda esse dicit, Anastas. Papa, Epistola. 1. c. 1. & in. c. Apostolica. de Consecr. dist. 1. & hinc manauit illa vetus consuetudo osculandi librum, postquam Euangelium in Missa lectum est,

Ionas Aurel. Rupert. Hugo de San. Vict.

vt notarunt Ionas Aurel. libr. 2. de cultu imaginũ. Rupertus lib. 2. de diuinis officijs. cap. 1. Hugo de sancto Victore, libr. 2. de officijs Eccles. c. 21. Ratione constat hæc veritas ex dictis, quia cuilibet rei sanctæ & consecratæ debetur aliqua veneratio: hæ

A autem res sunt aliquo modo sanctæ. Et confirmatur primo ex his, quæ de veneratione negatiua (vt sic dicam) dicta sunt, nam illa cura, quam homo adhibere debet, ne prophanas actiones circa huiusmodi res exerceat, procedit ex debita æstimatiõe sanctitatis harum rerum: ergo ex eadem procedit debita veneratio harum rerum, quando contrectãdæ sunt, vel aliqua actio circa illas est exercenda. Confirmatur secundò, quia irreuerentia circa huiusmodi res, est peccatũ sacrilegij; ergo è cõtrario eis debita est religiosa veneratio. Antecedens certũ est, & commune omnium Theologorũ, vt latiùs tractatur in 2. 2. quæst. 99. art. 3. vbi & conclusionem hanc docet

D. Thom.

D. Tho. & totam hanc doctrinam confirmat, quæ magis ex sequentibus patebit.

2. Conclusio.

Secundò dicendum est, non solùm exteriorem actũ honoris, vel adorationis, exercendum esse circa huiusmodi res sacras, verùm etiam internã mentis intentionem ad huiusmodi res esse dirigẽdam. B Hanc assertionẽ existimo æquè certam esse ac præcedentem, nam ex illa euidenter sequitur: nam

VII. Synod.

Septima Synodus loco citato dicit, huiusmodi rebus deberi honorariam adorationem: actio verò exterior circa aliquam rem exercita, si nõ procedat ex intentione & voluntate honorandi illam, non est honoraria; quia re vera non est verus honor, sed apparens & fictus. Vnde si talis res loqui posset, rectè diceret illud Isaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Dicetur fortasse, in ipsomet actu interiori distinguendam esse duplicem rationem, seu voluntatem; vna est exercendi actionẽ exterionẽ honoris, verbi gratia, osculandi, vel similem: alia est formaliter honorandi. Quãdo ergo veneramur has res sacras, volumus quidẽ actus ipsos exterioris honoris circa illas exercere, & hoc C satis est, vt illas venerari dicamur, quanuis formaliter non intendamus eas colere, aut eis nos subijcere, sed Deo tantũ, ad cuius cultum ordinantur. Sed hoc & rationi & verbis citati Concilij repugnat. Primum patet, quia actio exterior totam suam moralem, & studiosam rationem accipit ab interiori: ergo, si interior voluntas, qua ego volo osculari calicem, nullo modo est voluntas honorandi calicem ipsum, sed tantùm exercendi circa illum, eum actũ externum in honorem Dei, nõ potest dici illa actio exterior honoraria respectu calicis; sed solũ deosculatio volũtaria, quæ de se indifferẽs est ad honorandum, vel non honorandum, nisi per intentionẽ interiorem determinetur. Propter quod meritò dixit

Leontius.

Leontius, relatus in Septima Synod. Act. 4. *In omni salutatione & adoratione intentio ipsa requiritur, & spectatur.* Secundò declaratur exemplo, nã aliter D se gerit, qui ad honorandum Deum, vel se corã illo humilandum, terram osculatur, & qui calicem, vel aliam rem similem religionis ergo veneratur: vterq; enim directa voluntate intẽdit exteriorem actum deosculationis exercere circa terram, vel calicem, vt per se constat, & tamen, qui priori modo osculatur terram, nulla ratione dici potest terram adorare aut colere; quia nullo modo intendit, illum actum exercere in honorem vel cultũ terræ: ergo, vt prior verè dicatur calicem adorare, necesse est, vt non solũ velit actum exteriorem illum quasi materialiter exercere, sed etiã, vt formaliter velit honorare talem rem; alioqui nulla erit inter eos actus differentia, nec magis dicetur quis adorare imaginem aut calicem, quando deosculatur eam, quod est

est plusquam falsum & absurdum, & contra mentem Concilij, & sensum omnium fidelium. Vnde argumentor tertiò, nam tota ratio cultus & intentio colendi pendet ex existimatione: sed longè diuersa existimatione pertractam', aut deosculamur huiusmodi res sacras, quã res alias communes, vel, quã terram, cum deosculamur eam: de illis enim habemus hãc existimationẽ, quòd aliquo modo sanctæ sint, eáque ratione debent sanctè & honorificè tractari: ergo ex hac existimatione secundùm rectam rationẽ sequi debet intentio exercendi hos actus externos circa huiusmodi res, non solũ animo colendi Deum, sed etiam animo & intentione colendi, seu honorificè tractandi res ipsas propter Deum, seu (quod perinde est) propter sanctitatem, quam habent ex eo, quòd cultui diuino dedicatæ sunt. Quartò argumentor ex varijs locis prædictæ septimæ Synodi, in qua sæpè huiusmodi res sacræ æquiparantur quoad venerationem & adorationẽ imaginibus, vt suprà visum est, & patet etiã ex Act. 4. vbi ex lib. sancti Maximi legitur, *Salutamus sancta Euangelia, venerandas Cruces, & imagines*; & subdit

Constantinus. Tharasius.

Constant. Episcopus Cyri. *Verbum*, salutarunt, *sumpsit pro*, adorarunt. Tharas. autem inferiùs subdit, *Verbum illud accipiendum esse reuerenda acceptione: nã latria reseruatur Deo*: & postea totum Conciliũ animaduertit, imagines sacris rebus & vestibus in honore æquiparari. Ac tandem adducitur dictum Basilij, *Omne, quod in nomine Domini factum est, venerandum & sanctum est.* Quin potiùs etiam hæretici, qui conciliabulo Constantinopol. præsentes fuerant, videntur admisisse adorationem huiusmodi rerũ sacrarum, quando consecratæ aut benedictæ sunt, quanuis de imaginibus illam negarent. Vnde Act. 6. tom. 4. in principio referuntur hæc verba illius Conciliabuli, *Imaginis appellatio, neque precationem sacrã vllam habet, qua sanctificari possit*: quibus significatur, quòd, si aliquo modo esset cõsecrata aut benedicta, posset adorari. Ad quod respondet

Epiphan.

Epiphanius, sufficere imaginis repræsentationem absque alia precatione, quod in tomo etiam 3. sæpiùs dixerat. Vnde inter alia dicit, *Typus salutiferæ crucis sine sacrata precatione, sine dedicatione, apud nos honorabilis existit; satisfacit enim nobis figura, quæ tunc sanctificationem accipit, cùm à nobis fuerit adorata.* Igitur adoratio harum rerum cõsacratarum certior habebatur, etiam apud hæreticos; re tamen vera æquiparatur adorationi imaginum, vt Concilium definit; scilicet, quoad modum & rationem adorandi. Quod etiam confirmari potest ex

VIII. Synodus generalis.

octaua Synodo Generali. can. 3. *Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi, & omnium Saluatoris, æquo honore cum libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus*; sed imagines adorandæ sunt ex intentione & animo adorandi, non tantũ prototypa, sed etiam imagines ipsas: ergo & huiusmodi res sacræ, de quibus agimus. Minor probari potest, applicando rationes factas, & præterea ex varijs locis eiusdem Concilij: nã in primis

Basil. Theodos. Adrian. Tharas.

Basil. Act. 1. in sua confess. sic inquit, *Honorifice veneror, venerandas imagines suscipio, & amplector, honoremque debitũ eis exhibeo.* Apertiùs Theodosius in sua confessione, *Sanctorum imagines suscipio, nõ vt Deos, verùm mentis meæ affectum, quo in illos affectus sum, hoc modo indicans*; Adrian. in Epist. relata Act. 2. *Ex animi (inquit) desiderio eas veneramur*; & inferiùs, post Epistolam Adriani, ait Tharas. *Imaginum picturas secundùm priscam Patrum nostrorum traditionẽ re-*

A *cipimus, & has desiderio nostro adoramus, vt in nomine Christi, Deiparæ, & Sanctorum factas, sed apertis verbis testamur nos latriam & fidem nostram duntaxat in vnum Deum verum referre & reponere*, & infrà ait

Euthy. Epiphan.

Euthym. *Venerandas imagines ex toto corde cum debito honore, & salutari adoratione suscipio, iuxta Patrum traditionem*; & Epiphan. infrà, *Recto corde adhæreo, venerorque & adoro*; & simili modo loquuntur alij Patres. Sed inter alia notandum est illud verbũ Eliæ, *Perfectè eas adorans*: nam si adoratio hæc tantũ esset in externo actu, & non ex animo & intentione, re vera non esset perfecta adoratio, imò, vt suprà dicebam, neque esset vera adoratio; sicut, qui exteriùs colit idolum metu mortis, si id non faciat animo adorandi, non est simpliciter ac verè adorator idoli, & ideò non est perfectè idololatra, neque incurrit pœnas Ecclesiasticas contra fideles ad idolo- B latriã apostatantes, quanuis alioqui mortaliter peccet, exteriùs fidem abnegando: vera ergo & perfecta adoratio intentionem, & animum requirit colendi illam rem, quæ adorari dicitur. Et hoc etiam declarat verbum eiusdem Concilij, quo huiusmodi adorationem *honorificam* appellare solet, & imagines ipsas *honorabiles*, vt suprà tactum est: vnde in Act. 7. in Epist. totius Synodi ad omnes Eccles. dicitur, *Honorabiliter adoramus, & salutamus*: idẽ enim significant hæc duo verba: &

Conc. Trid.

Concil. Triden. sess. 25. in decreto de inuocatione, veneratione, &c. definit, *Sanctorum reliquijs venerationem atque honorem deberi, & eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus vtiliter honorari*: & similiter de imaginibus ait, *Eis debitum honorem & venerationem impertiendam*: verus autem honor neque intelligi potest sine volũtate honorandi: propter quod dici solet, honorem esse in C honorãte: quia vis eius non est posita in exteriori signo, vel actione, quæ sæpè est extra honorantem, sed in interiori existimatione, & intentione: sine hac ergo nullus est verus honor, neq; esset circa imagines. Propter quod in eodẽ Concil. Act. 6. in fine, in demonstratione de imaginum vtilitate, quasi ad hanc radicem respiciendo, dicitur, *Non indignas habemus imagines honore, salutatione, & veneratione, debitamque illis adorationem dare debemus*: & infrà damnantur dicẽtes, *imagines retinendas esse solùm ad memoriam, non verò ad salutationem.* Vnde confirmatur vlteriùs, quia, si intẽtio adorãtis nullo modo fertur ad imaginẽ (& idẽ est de qualibet re sacra, vt dixi) sequitur, adorationẽ nõ fieri ad imaginẽ, sed iuxta imaginem, vel occasione imaginis, quod est incidere re ipsa in opinionẽ Durãdi ab omnibus dãnatam, dicentis, imaginem non propriè, sed abusi- D uè adorari: non enim alia ratione illam vocauit abusiuam adorationem imaginis, nisi, quia, licèt fiat coram ipsa, vel iuxta ipsam, tamen animus adorantis vt sic, longè est ab ipsa. Quod etiam parum, vel nihil differt ab alia opinione asserentium, hæc tantũ deseruire vt signa excitantia memoriam Dei, vel Sanctorum, qui ad præsentiam talium rerum coluntur.

Differẽtia inter orationem & adorationem.

Quod tandem rectè explicatur ex differentia inter adorationem, & orationem; nam oratio, licèt fiat coram imagine, vel iuxta imaginem; non tamẽ fit ad imaginem: quia imago, cùm non possit percipere verba, aut desiderium orantis, non est capax orationis: vnde oratio directè & ex intrinseca ratione sua dirigitur ad personam intelligentem, vt sic. At verò adoratio nõ solùm fit coram imagine, sed etiam ad imaginem ipsam, vt Concilia loquuntur:

tur: ergo ex intentione adorantis dirigitur externa adoratio ad venerandam ipsam imaginē, & non tantum ad venerandum prototypon in illa, seu coram illa: aliàs nulla esset differentia inter illā & orationem. Et hinc tandem sumitur ratio à priori huius veritatis, quia de ratione adorationis non est, vt res, quæ proximè adoratur vt materiale obiectum adorationis, percipiat honorem sibi exhibitum per adorationem: quia adoratio nō ad hoc ordinatur, vt res adorata percipiat mentē adorantis, sicut oratio; sed ad hoc solùm, vt adorans conueniente modo cōtrectet rem illam, quam veneratur, iuxta existimationem, quam de illa habet, vel ad hoc, vt eādem existimationem, quā habet de tali re, suis actibus externis manifestet, nō necessariò ipsi rei, quæ adoratur, sed alijs, & præsertim ei, propter quē adoratur: hoc autem totū conuenientissimè potest habere locum circa res etiam inanimatas, quæ alioqui sacræ vel sanctæ sunt, & ideò cultu aliquo dignæ.

3. Conclusio.

Tertiò, iuxta doctrinam suprà datam de imaginibus, & de adoratione Eucharistiæ, dicēdum est, adorationem harum rerum sacrarum, quanuis pertineat ad eandem virtutem, qua Deus ipse colitur, tamē in eo ordine esse respectiuam, & imperfectā, comparatam ad latriam absolutā, quæ ipsi Deo secundū se debetur. Hæc conclusio constat primò ex doctrina, prædictis locis tradita. Secūdò colligitur ex varijs locis prædictæ Septimæ Synodi, nā Act. 6. tomo. 5. §. Papæ quanta infamia, inter alia dicit Epiphan. *Habemus item & alia plurima consecrata vasa: hæc, quia in nomine tuo facta sunt, & consecrata, exosculamur*; & idē ibidem dicitur de imaginibus, & sæpissimè in eodem Concilio, præsertim, Act. 6. tomo 4. nō longè à principio, ait Epiph. imaginis honorem in primum exemplar reuerti, & ibidem sumit argumentum à contrario: nam qui typum alicuius contumelia afficit, in eum, quem typus repræsentat, iniurius est, & ad hoc citantur Basil. Chrysost. & alij inferiùs, tomo. 5, & ab Adrian. Papa, in Epist. Act. 2. & ad idem refertur Anastas. Episco. Theopoleos, Act. 4. & Cyril. Hiero. & Simon Stilita, Act. 5. & deinde in Act. 7. in definitione fidei, & post illam in acclamationibus Patrum, eodē modo explicatur tota hæc adoratio, scilicet, per respectum ad aliū, vt notauit etiam Photius Patriarch. Constantinop. in lib. de septem Synodis, circa septimā, vbi inter alia, inquit, *Omnibus perspicuum est, honorem imaginibus habitum ad eos transire, quos illæ referunt*; & infrà dicit. imaginem adorandam, atq; colendam ad honorem, & venerationem illius, quē ipsa refert; & subdit, *Cum adoratio atque honor adhibeatur eodem modo, quo in alijs sacris notis, & formis sanctissimæ latriæ vtimur: neque enim in illis consistimus, honoremque & adorationem concludimus, neque ad alios diuersos ac varios fines distrahimur, sed per diuersum, & singularum ipsorum cultum, & adorationem, quæ cernitur, sacra conuenientique ac minimè diuisa ratione, animos nostros ad indiuisibilem illam, singularemque atque vnicam diuinitatem dirigimus*, & infrà subdit, *Sic & Sanctorū templa & sepulchra, & reliquias fideliter adoramus*, & infrà, *Et, si quid his in mysticis & sanctis nostris sacrificijs simile est, per munus & gratiam in illis exhibitam, præcipuū autorē, & principem causam agnoscimus ac commēdamus*. Est igitur quoad hoc eadē ratio de his rebus sacris, quæ de imaginibus: sicut ergo adoratio imaginum est respectiua, ita etiam hæc. Ratio vero est suprà tacta in principio sectionis, quia res inanimatæ non sunt capaces honoris & adorationis propter se ipsas: quia nō sunt capaces propriæ excellentiæ, aut intrinsecæ sanctitatis, sed tantum per quandam denominationem, seu relationem extrinsecam, vt superiùs etiā in his rebus, de quibus agimus, declaratum est: ergo, neque etiā sunt propter se capaces adorationis, sed tātū propter aliud; talis enim est adoratio, qualis excellentia vel sanctitas; est ergo legitima adoratio harum rerum, respectiua tantum. Præterea, quòd hæc adoratio pertineat ad eandem virtutem, qua colitur Deus, probatur, quia tota ratio adorandi has res est diuina excellentia, ad cuius cultum & sacrificium, templa, altare, & vasa sacra, & omnia similia ordinantur: ergo eadem virtus, quæ inclinat ad colendum Deum, inclinat ad venerandū hęc omnia propter Deū. Tandem, quod hæc adoratio sit minor, quam latria, sæpè traditur in prædicto Concil. Act. 2. post Epistolam Adriani, Act. 4. sæpissimè, præsertim in cōfessione fidei totius Concilij, quæ in fine habetur; ac tandem Act. 7. in ipsa definitione fidei. Et ratione patet, quia adoratio propter rationem extrinsecam multo minor est, quam propter intrinsecam excellentiam, vt per se manifestū est: sed perfecta latria illa est, quæ datur Deo propter intrinsecam & summam excellentiam: hæ autem res sacræ solum adorantur propter excellentiam extrinsecam Dei: ergo earum adoratio miner est, quam latria. Vnde etiam intelligitur, quomodo hæ res dicātur in prædicto Concilio non adorari in spiritu & veritate: non enim ideo hoc dicitur, quia adorentur in solo corpore & falsitate; alioqui vt dicebamus, fictè tantum, & specie tenus adorarentur: quomodo videntur exponere, qui dicunt, ideo non adorari in spiritu & veritate, quia, licet corporalis actio adorationis circa illas exerceatur, tamen intentio adorantis ad illas nullo modo refertur: dicuntur ergo, non adorari in spiritu & veritate: quia animus adorantis eis non subijcitur, tanquam seruiēs illis propter se ipsas, sed tanquam seruiens Deo in ipsis, vel tanquā seruiens ipsis propter Deum: vtrumq; enim rectè dici & fieri potest: nam, licet humana natura, quæ dignior est insensibilibus rebus, illis subijci nō debeat, in eis sistendo, seu propter se ipsas, tamen propter rem excellentiorem rationabiliter potest eis subijci aut seruire, conuenientem honorem eis tribuendo, & tunc non dicitur, eis seruire in spiritu & veritate, sed illi propter quem has res veneratur & honorifice tractat. Vnde Germ. Patriarch. Constantinop. in Epist. relata in Sept. Synodo, Act. 4. Hæc, inquit, *imaginum apparatus ratio est, non quod nos adorationem in spiritu & veritate, incomprehensibili & ininuestigabili deitati decentem, in manu factas imagines, aut in opera hominum arte facta, aut sane in ea, quæ subsunt Deo, siue visibilia sint, siue inuisibilia, transferre studeamus, verum: vt dilectionem nostram, quam in sanctos Dei seruos habemus, per istum modum exhibeamus; & per honorationem illorum in eum: qui per illos glorificatus est, quique illos glorificauit in confessione omnipotentiæ suæ, Christum scilicet, glorificationem & cultū referimus*. Quin potius ex his verbis, & ex multis alijs eiusdem Concilij intelligitur, non solum res inanimatas, verum etiam nec sanctos ipsos esse adorandos in spiritu & veritate: nemo autem negabit quando Sancti adorantur, intentionem honoris & cultus ad eos immediate dirigi: ergo non negatur adoratio in spiritu & veritate, quia posita sit in actu

Epiphan. — Basil. — Chrysost. — Adrian. Pap. — Anastas. — Cyril. Hiero. — Simon Stil. — Photius. — Humana natura in rebus insensibilibus est dignior. — Germ.

actu externo sine intentione cultus, sed quia non tendit in rem adoratam, tanquam in vltimum terminum adorationis, in quo mens fidem suam, & spem collocat. Denique adoratio in spiritu & veritate, idem est, quod adoratio latriæ perfectę, & absolutæ: & ideò Actione 6. tom. 4. §. Ex his Epiphanius veros adoratores vocat, qui in spiritu & veritate Deum colunt, & proptereà non cessant imagines amplecti & venerari: & in §. sequente ait, *Nos supernis honoribus magnificare Sanctos, sinceram autem & inuiolatam fidem & cultum in spiritu & veritate soli Deo offerre, minimè verò creaturis illis, quæ sunt sub cælo.*

Adoratio in spiritu et veritate quid. — Epiphan.

Difficultas.

Ex his satis responsum est ad fundamentum seu rationes dubitandi tactas in principio sectionis. Vna verò suboritur difficultas, quæ licèt in citatis locis tacta sit, tamen, vt multis ampliùs satisfaciamus, & varias locutiones prædictæ septime Synodi exactiùs declaremus, pressiùs hic est vrgenda & examinanda. Difficultas ergo est, quia sequitur ex dictis; nos diuidere & multiplicare adorationes, nā vnam dicimus tribuendam esse Deo, quam absolutam & perfectam latriam vocamus; aliam verò rebus sacris, quam vocamus respectiuam, vel secūdariam, atq; imperfectam latriam: consequens autem videtur falsum, & contra prædictum Concilium, in quo sæpissimè dicitur, ideò adorationem hāc legitimam esse, quia per eam non diuiditur imperiū, neque honor: quia tota illa adoratio tendit in Deū & ab illius illius adoratione non diuiditur. Vnde sunt illæ frequentes locutiones, *Imaginis honor exhibitus ad ipsum prototypon refertur*; & illa, *Adorantes, non ad ea, quæ oculis repræsentantur, respicimus, sed ad ea quæ per res significantur*. Vnde est etiam illud Adriani, in sua Epistola, Act. 2. *Non in coloribus & tabulis honorem constituentes, sed eorum prædicantes gloriam, quorum appellationes imagines referunt*: & ibidem ex Grego. Nissen. refertur, *animum adorantis reduci debere ad contemplationem primi exemplaris*; & Chrysostom. dicens, *Quando imago Imperatoris in ciuitatem infertur, populus non imaginē honore prosequitur, sed veluti præsentiam regiam suscipit*; & hoc modo dicitur ibidem, quòd hæc veneratio per recordationē exhibetur, & similia habentur in actione 3. in Epist. Orientalium, circa finem, quā legati Pontificis posteà laudant, dicentes, in omnibus consentire cum Episto. Adriani. Similia leguntur in Act. 4. in Epistol Nili ad Olympiodorum, & citantur Chrysostom. & Athanas. & Basilius, præsertim lib. de Spiritu sancto, cap. 17. dicens, *Adorationem Imperatoris, & imaginis eius esse vnam: quia, sicut est vnum imperiū, ita imaginis honor ad primum veluti fontem dirigitur*; & similia leguntur in Epistol. Germ. & in his, quæ ex Leontio, eadem Act. 4. referuntur. Vbi specialiter notari possunt illa verba, *Non illa honorantes, sed Patrem desiderantes ac venerantes*, quæ de reliquijs dicūtur: eadem ferè habentur in Epist. Greg. ad Germ. eadem Act. 4. & Act. 5. in disput. Leontij cum Iudæo, & in dictis Ioannis Thessalonicēsis, & in Act. 6. tom. 2. Ac denique Act. 7. in ipsa fidei definitione dicitur, *Imaginis honor in prototypon resultat, &, qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum*. Nec refert, quòd in his locis ferè semper sit sermo de imaginibus; quia, vt ostendimus, imaginum & harum sacrarum rerū adorationes æquiparantur, eademque est vtriusque ratio. Et confirmatur primò, quia imago Dei, vel res sacra, nūquā legitimè adorari potest, quin in ipsa adoretur Deus, vt constat ex omnibus citatis testimonijs, sed quotiescunque adoratur Deus, illa est perfecta, & absoluta latria: ergo alia secundaria latria est conficta, quia nunquam hæ res possunt adorari, nisi adoratione, quæ procedat ex perfecta latria interiori. Et confirmo secundo; nam, si præter hunc modum adorādi potest esse alius, interrogo de quo loquatur Septima Synodus in sua fidei definitione: nam, cū illa vnica sit, & simplici eorundem verborum tenore tradatur, non potest de duplici, sed de vno tantùm adorationis genere intelligi. Rursus, cum illa definitio sit veluti cōclusio omnium, quæ in eodem Concilio disputata fuerant, & adducta, necesse est, & illam intelligi modo consentaneo locutionibus omnibus Sanctorum adductis in superioribus actionibus, & ècōuerso omnia, quæ priùs allegata fuerant, intelligi iuxta sensum illius definitionis. Aut ergo illa definitio intelligitur de adoratione secundaria & respectiua, aut de absoluta, & primaria. Primū dici nō pōt; tū quia in superioribus actionibus sæpiùs declaratū fuerat ex Patrū sententijs, imagines adorari eadē adoratione, qua exemplaria: illa autē adoratio est perfecta, & absoluta: tū etiam, quia in eadē definitione subditur talis ratio huius adorationis, *Imaginis enim honor in prototypon resultat: &, qui imaginem adorat, in ea adorat quoque descriptum argumentum*. At verò, quando in imagine Dei adoratur Deus, illa est perfecta & absoluta latria: ergo iuxta mentem Concilij, sermo est de tali adoratione; & per eam dicitur imago adorari. Tum denique, quia Concil. Trident. sess. 25. loco citato, ita videtur, tam rem ipsam, quàm Septimæ Syn. definitionem explicare, dicēs, *Imaginibus debitum honorem & venerationem impertiendā, non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quā sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petēdum, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Christū adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur, id quod Conciliorū, præsertim verò Secundæ Nicenæ Synodi decretis, contra imaginum oppugnatores est sancitum*: Constat autem, hāc adorationem, quā his verbis Concilium explicuit, esse absolutam & perfectam: ergo de illa locutum est etiam Concilium Nicenum: ergo alia secūdaria adoratio, & respectiua, non habet fundamentum in his Concilijs, neque asserenda est.

Ad principalem difficultatem respondetur, in nulla opione negari posse, quin adoratio imaginis & exemplaris, reliquiarū & sanctorum, cuius sunt reliquiæ; rerum sacrarum, quæ ad cultum Dei deputantur, & ipsius Dei; aliquo modo vna sit, & aliquo modo duplex. Vna quidē propter omnia adducta difficultate proposita; &, quia, vt Aristoteles dixit, vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantùm: constat autem in præsente vnum propter aliud adorari, verbi gratia, vasa vel templa sacra propter Deum. Duæ autem, quia in illo Cōcilio sæpè dicitur, imagines, verbi gratia, honorificè esse adorandas, latriam autem seu diuinam venerationem eis non esse exhibendam, vt patet ex Act. 6. tomo 2. parū à principio; & sæpè aliàs. Vnde in Act. 4. hæc verba referuntur ex Anastas. Episcop. Theopoleos. *Nemo offendatur in adorationis vocabulo; siquidem & homines & sanctos Angelos adoramus, non*

autem

Adrianus. — Grego. Nisse. — Chrysost. — Nilus. — Basil. — Germ. — Greg. — Conc. Triden. — 2. Nic. Syno. — Conc. Nicen. — Aristot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem quod latriam, hoc est, cultum diuinū, exhibeamus. Et adducit illud Deuter. 6. *Deum tuum adorabis, & illi soli latriam præstabis* (vt ipse legit) ponderās, exclusiuam dictionem additam esse in verbo, *latriā*, non in verbo, *adorabis*.. Vnde cōcludit, *quam ob rem adorare licet: quid enim aliud est, quam honoris alicui exhibiti velut emphasis adoratio? latria verò nequaquā, &c.* Nec refert, quòd hoc loco sermo est de adoratione Dei, & sanctorum, quas certum est duas esse; tū quia in eodem Conc. sæpè comparatur adoratio imaginum adorationi sanctorum; & adoratio sanctorum dicitur aliquo modo esse vna cum adoratione Dei: quia adoratio sanctorum ad Dei honorem refertur; & in sanctis adoratur Deus, vt patet ex locis suprà adductis; tum etiam, quia eodem modo distinguuntur in eodem Cōcilio, adoratio imaginis, & latria, vt patet ex Tharasio post Epistolā Adriani, in actione secunda: & in Act. 6. in fine, in demonstratione de imaginum vtilitate. Vbi sic dicitur, *Quapropter non indignas habebimus imagines honore, salutatione & veneratione; debitamque adorationem illis dare debemus; siue igitur placebit, salutationem, siue adorationem appellare, idem profectò erit; modo sciamus excludi latriam: hæc enim est alia à simplici adoratione, vt sæpè alibi est ostensum*: si ergo est alia & alia; necesse est aliquo modo esse duas. Varijs ergo modis potest intelligi, quòd sit vna, & duplex hæc adoratio. Primò, quòd sit vna realiter seu physicè, duplex autem moraliter, in hoc sensu, quòd res sacra & Deus vnomet actu externo adorantur: & hoc modo dicitur adoratio vna physicè seu realiter; tamen, quia illa exterior adoratio respectu Dei ex intētione cultus est; respectu verò calicis vel alterius rei sacræ non ita fit ex intentione cultus eius, sed solius Dei, qui in illa vel per illam rem adoratur, ideò moraliter illamet actio est latria respectu Dei, non verò respectu calicis: hæc tamen expositio satis reiecta est ex superioribus: est enim contra mentem Concilij, & contra rationem; nam, licèt iuxta illam rectè intelligatur, quomodo illa actio sit latria respectu Dei, non autem respectu calicis, non tamen saluatur, quòd respectu calicis sit vera adoratio: quia secluſa intētione, nullus verus honor alicui deferri potest: non ergo erit ibi duplex adoratio moralis in vna actione reali, sed potiùs vnamet actio respectu vnius erit adoratio, & non respectu alterius: sicut dicebamus suprà de osculatione terræ in honorem Dei: illa enim est adoratio respectu Dei, non verò respectu terræ: quia non ea intētione fit. Secūdo ergo modo potest è conuerso dici hæc adoratio duplex actu reali ac physico; vna verò moraliter seu radicaliter in vno habitu, aut ratione formali communi, aut fine. Quomodo dilectio Dei & proximi dici potest vna caritas, quanuis nō admittamus, Deum & proximum vno actu diligi: quia vna Dei bonitas est ratio diligendi Deum & proximum, & ita est vtriusque vna caritas habitualis: & vna dilectio propter relationem ad eandem personam, propter quam cæteræ diliguntur. Et simile exemplum est in intentione finis, & electione medij propter finem: nam, estò physicè & realiter nō sint vnus actus intentio & electio, nihilominùs ille censetur esse vnus motus moraliter, vnus ratione vnius termini vltimi, qui est ratio tendendi in reliqua, & ratione etiam vnius principij seu vnius habitus & inclinationis. Et hæc expositio in rigore posset sufficere ad vnitatem requisitam inter adorationem Dei, & rerum sacrarum vel imaginum eius, &c. vt talis adoratio sancta sit, & cōformis rationi, quandoquidem tota tendit formaliter in Dei honorem, quatenus ipse est ratio, propter quam cętera omnia adorantur: vnde non diuiditur imperium. sed vnitur potius in vna Dei maiestate, quæ est ratio adorandi cætera, & in vna radice inclinante ad Dei cultum, ex qua prouenit, vt etiam in veneratione habeantur omnia, quæ ad Dei cultum spectant: sicut non diuiditur caritas seu amicitia ex eo, quod diligatur proximus propter Deum, sed vnitur potius in Deo: physica enim illa distinctio actuum parum ad rem moralem refert, nec diuidit animum, eius ve intentionem aut æstimationem, qtando omnia in vnum tendunt, & hoc reuera est, quod præcipuè intendit Concilium.

Tharasius. *Concilij intentio.*

Vlterius vero addo, hanc adorationem non tantum habitu esse vnam; sed etiam actu reali & physico, quanuis semper sit aliquo modo duplex. Et quidem, si solum esset sermo de actu exteriori nulla esset difficultas, nam constat eodem actu exteriori posse simul Deum & imaginem, seu rem sacram coli, qui habebit duplicem rationem adorationis, si à duplici actu interiori procedat, vt facile fieri potest. Sed non loquimur tantum de actu externo sed etiam de interno, in quo etiam est verū, quod diximus. Quod vt explicemus, duo extrema cauēda sunt, primum est dicentium, has adorationes in actibus internis semper esse physicè & realiter distinctas, solumque habere vnitatem moralem seu radicalem, iuxta superiorem interpretationem, & hoc sentit Gabr. in 3. dist. 9. cuius sententia nobis non placet; quia nullam inuenimus repugnantiam vt hoc fieri possit interdum vno actu interno, quo posito, melius explicantur plures Conciliorum locutiones supra adductæ, vt statim etiam dicetur. Aliud extremum est, has adorationes semper ac necessario debere fieri per vnum ac eundem actum interiorem, ita vt non possit recte ac honestè adorari imago Dei, vel calix, verbi gratia, nisi per interiorem actum apprehendatur Deus, vt adorandus cum calice, seu vt adorandus in calice, & per calicem: calix autem, vt coadorādus etiam suo modo propter Deum. Cuius ratio reddi potest, quia non potest honestè adorari calix, quin Deus sit ratio adorandi illum: non potest autem Deus esse ratio adorandi, quin etiam simul sit res adorata, quia in voluntate quidquid est ratio volendi, est etiam obiectum volitum vt quod, vt multi existimant, & hoc significatur in locutionibus adductis ex Septima Synodo, cùm dicitur, totum hunc honorē referri in Deum, qui in talibus rebus adorant. Sed hoc etiam extremum est falsum, vt ostendam: mediaitaquè via tenenda est. Existimo ergo hunc modum adorandi rem sacram & Deum per vnū actū, quo vtrumque adoretur vt obiectum quod, esse possibilem, & honestum ac licitum. In quo recedo à priori extrema sententia, & hoc latè probaui, tractando de imaginibus & reliquijs in 1. tom. est autem eadē ratio in rebus sacris, de quibus nunc agimus. Et patet breuiter, quia hoc modo probabilius est, Deum & proximum posse amari vno actu, & similiter finem & medium. Item, idem actus potest habere duplex materiale obiectum, vnum primarium, & aliud secundarium, vt eadem visio esse potest Dei, & creaturarum in Deo: ergo & in præsenti similiter. Tandem ex re ipsa declaratur: nam Deus

Gabr. *Sententia auctoris.* *Idem actus potest habere duplex materiale obiectum.*

Deus & res sacræ in ratione obiecti adorabilis possunt apprehendi cum mutuo quodam respectu, nā & res sacra colitur propter Deum, & Deus colitur in re sacra, seu per rem sacram: ergo totum hoc potest mente concipi per modum vnius obiecti, & voluntas potest in vtrumque tendere vnico simplici motu, propter mutuam habitudinem, quam hæ res inter se habent. Vel aliter, quia Deus & res sacra adorantur propter excellentiam Dei, potest vtraque illa res apprehendi, vt informatā vnica excellentia Dei, & voluntas vnico motu tendere in vtramque per modum vnius adæquati obiecti materialis adorabilis: est ergo hic modus adorationis possibilis. Quòd autem licitus sit, per se notum est ex dictis, quia vtraque illa res adoratur illo actu, prout secundùm rectam rationem adorabilis est. Item quia, si duobus actibus illo modo adorarentur, licitè fieret: ergo & vno actu, nam hoc nihil variat honestatem moralem. Tandē, quia de hoc modo adorationis videntur loqui Patres, cùm dicunt, adorando has res vel imagines, in eis adorari exemplaria seu personas, propter quas coluntur. Et tunc ille actus adorationis interioris, quanuis realiter vnicam habeat speciem, tamen moraliter, vel secundùm distinctionem rationis & inadæquatos conceptus, dici potest duplex adoratio: nam ille actus, vt terminatur ad Deum propter se, est latria absoluta & perfecta: prout verò terminatur ad rem sacram propter Deum, est adoratio respectiua, & latria secundùm quid: sicut, quando vno actu diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, ille actus, prout terminatur ad Deum, est dilectio absoluta & super omnia: vt terminatur verò ad proximum, est respectiua, & non super omnia, sed infrà Deum, & hoc modo facilè conciliantur, & intelliguntur omnia dicta illius Concilij. Ex hoc verò vlteriùs sequitur (vt existimo) euidēter, posse hoc genus adorationis fieri diuersis actibus, imò & reipsa posse interdum separari hos adorādi modos. In quo recedo à posteriori extrema sententia; declaratur autem & probatur: nam primò manifestum est, interdum posse absolutam Dei adorationem fieri sine respectiua adoratione aliarum rerum sacrarum, non solùm, quando per se consideratur Deus sine vllo concursu, vel occasione harum rerū sensibilium, sed etiam quādo ex illis excitatur animus ad adorandum Deum eo modo, quo Durand. sentit, adorari exemplar ad præsentiam imaginis, non adorata propriè ac per se ipsa imagine, vel etiā eo modo, quo dicebat opinio suprà recitata, exteriorem actionem adorationis fieri coram imagine vel re sacra, totam verò mentis mentis intētionem ad Deum seu exemplar dirigit: nam, licèt prædictæ sententiæ in hoc falsæ sint, quòd negant imagines vel res sacras esse adorabiles alio verò ac proprio modo adorationis: tamen ille modus, quem ponūt adorandi Deum vel exemplar, non est impossibilis, nec falsus, nec illicitus: quia cùm exercitium adorationis voluntarium sit & liberum, potest homo suo arbitrio præscindere vnam rem ab alia, seu vnum obiectum materiale ab alio, & ita dirigere mentis intentionem ad adorandum vnum præcisè, nō coadorato alio, etiam si fortasse occasio sumpta sit ab alio obiecto sensibili, quod memoriā excitauit. Et declaratur exemplo, nam, licèt Eucharistiæ sacramentum, vt constat ex Christo & speciebus, vnico actu & animi motu adorabile sit, ita vt species simul cum Christo coadorentur, nihilominùs potest homo mente præscindere, & Christū ibi sub speciebus latentem considerare, eumque solùm ac præcisè adorare, non coadoratis speciebus ex intentione sua, quanuis exterior actio in præsentia specierum exerceatur: nam in hoc nulla est repugnantia, & eorum pēdet ex hominis libertate. Est ergo hic modus possibilis. Quod autem licitus sit, probatur, quia neque est malus ratione eius, quòd in eo omittitur, neque etiam ratione, quòd per eū fit: ergo per se nō habet vllam malitiam, & alioqui habet bonum & honestum obiectum: ergo per se bonus est. Assumptū declaratur, & probatur, quia in eo actu omittitur propria, & per se coadoratio imaginis vel rei sacræ: hæc autem omissio non fit per malā est, quia non omittitur ex aliquo errore, propterea, scilicet, quòd mala existimetur, sed solùm, quia animus omninò applicatur ad superioris rei considerationem, & reuerentiā: quòd licitè facere potest, quia nullam habet obligationē exercendi semper adorationem circa rem sensibilem, etiam si sacra sit, & ex illa sumat occasionem adorandi Deum: quia hoc præceptum, vel nullum est, quod absolutè obliget ad exercitium actus, sed solùm ad specificationem, si homo velit illum exercere, vel, si est aliquod, illud est affirmatiuum, & non obligat pro semper: ergo ratione illius omissionis seu præcisionis non est actus malus: aliunde verò per illum actū colitur Deus adoratione absoluta & perfecta, illi debita propter eius excellentiam, vt supponitur: ergo ille actus ratione eius, quòd per eum fit, non est malus, sed potiùs ex obiecto bonus, neque intrinsecè includit aliquam circunstantiā, quæ illum inficiat.

Alia autoris sententia. *Opinio Durā.* *Medus adorādi possibilis & licitus.*

Simili discursu probari potest, adorationem respectiuam harum rerum sacrarum esse separabilem ab adoratione absoluta latriæ ipsius Dei; talemque adorationem sic exercitam esse licitam. Et primum quidē, scilicèt, hoc esse possibile, probatur primò, ipso vsu & experientia: frequētissimè enim tractamus has res sacras religiosa veneratione, non exercendo proprium, & absolutum actum latriæ circa Deum ipsum, vel Christum: tunc ergo exercemus solam adorationem respectiuam, quā Septima Synodus vocauit simplicem adorationem à latria distinctam. Antecedens videtur adeò euidens experientia, vt à nemine negari possit, sed declaratur amplius, quia absoluta Dei adoratio esse nō potest, sine actuali consideratione absoluta ipsius Dei & excellentia eius: sæpè autē veneramur has res sine tali actuali memoria & consideratione Dei, sed solùm, vel confusè apprehendendo has res, vt sacras & religiosas; vel, ad summum, considerando illas vt cultui diuino dicatas. In quo non consideratur Deus, vt per se adorabilis est, sed solùm vt extrinsecè facit adorabile rē suo cultui dicatam, seu (quod idem est) vt est ratio adorandi illam. Declaratur etiam hæc experientia in hunc modum, nam longè aliter veneramur calicem vacuum, vel plenum Christi sanguine: quando enim hoc posteriori modo illum apprehendimus, statim exercemus actum perfectæ latriæ, quo tendimus in ipsum Christum, vt obiectum primarium, & absolutè adoratum: cætera verò ipsi coadorantur, quando verò apprehendimus calicem vacuum, non excitamur ad talem adorationis modum, sed solùm ad reuerenter tractandam rem illam, quia, vt sacram & religiosam, illam

Septima Synodus.

illam apprehendimus: ergo signum est, in hoc posteriori genere adorationis, communiter loquẽdo, non exerceri perfectam & absolutam latriam circa Deum, vel Christum, sed solũ respectiuã circa res sacras. In quo est obiter notanda differentia inter imagines & res sacras: nã, licèt in hoc conueniant, quòd etiam imagines sunt adorabiles sola adoratione respectiua, vt aliàs diximus; tamen, si imago propriũ imaginis officium exerceat, nunquã adoratur, quin prototypon in eum primariò & absolutè adoretur, quia proprium officium imaginis est referre suum exemplar. Vnde, si interdum sola imago honoratur, vt materiale obiectum, quod adoratur, potiùs sumitur vt res quædam sacra, quàm formaliter & in actu exercito vt imago, & quia prior vsus imaginis proprior est & frequentior, ideò prior modus adorandi imaginem, frequentior etiã est: minus autem, & propriùs vsus rerum sacrarũ, de quibus modo agimus, non est referre, aut repræsentare Deum, ad cuius cultum ordinantur, sed solùm deseruire, aut esse instrumenta ad aliquod ministerium diuini cultus, vel ad illud esse consecrata, seu benedicta, & ideò frequentior modus venerandi has res, est solùm per respectiuam adorationem, absque formali, & propria tendẽtia mentis & intentionis in Deum secundum se; & hæc est valde notanda differentia ad intelligenda varia dicta de adoratione imagidum, & harum rerum sacrarum, & ad reddendã rationem huius experientiæ, quæ, vt opinor, negari non potest, & sufficiens est ad probandum, quod intendimus. Sed prætereà probatur ratione, sumpta ex generali principio, quòd in voluntate, non semper ratio volendi est volita vt quoad, formaliter & propriè, sed solùm virtualiter, quatenus est ratio volendi aliud: quod patet exemplis, nam primò in intellectu assensus scientificus conclusionis non versatur circa principia tanquam obiectum quod, seu cui intellectus assentitur: imò nec semper requirit talem actualem assensum principiorũ, quanuis semper nitatur ipsis principijs, tanquam rationi assentiendi, &, qui credit articulum fidei vt reuelatum à Deo, non semper actu credit, Deum esse primam veritatem tanquam obiectum creditum vt quod, quanuis illi veritati nitatur, vt rationi assentiendi. Deinde in voluntate, quanuis proximus ametur propter Deũ, non, quoties amatur proximus illo amore respectiuo, necesse est amari formaliter Deum, vt obiectum, quod diligitur; & idem est in electione medij propter finem, quæ non semper requirit actualem intentionem, quæ formaliter tendat in finem vt obiectum volitum vt quod.

Differẽtia inter imagines & res sacras.

Proprius vsus rerum sacrarum quis.

Notatu dignũ

Ratio quædã generalis.

Ratio autem generalis est, quia non est necessaria connexio inter obiecta dicto modo volita: nã, vt vna res sit ratio volendi, vel colendi aliam, satis est, quod intellectus apprehendat respectum vnius ad aliam, & iudicet, hanc rem, quæ ad aliam habet respectum, esse amabilem vel honorabilem ratione illius termini, quem respicit: quo posito iudicio, potest voluntas immediatè ac præcisè ferri in obiectum illud sub ea ratione respectiua: hoc enim nullam repugnantiam inuoluit, vt per se notum videtur, & pendet ex libero exercitio actuum voluntatis: ergo potest ita fieri, vt in præcedente puncto argumentabamur. Imò, supposita tali apprehẽsione & iudicio, hic modus operandi est magis connaturalis voluntati: nam, si ego non considero hũc finem, vt per se amabilem, sed medium vt vtile ad talem finem, & amabile propter illum, non est, cur voluntas excitetur ad tendendum in finem, vt in obiectum quod, amando illum propter se, sed solũ in medium, amando illud propter finem: sic ergo in præsenti potest intellectus non considerare actu Deum, vt summè excellentem, & per se adorabilẽ, sed solùm apprehendere hanc rem sacram vt diuino cultui dicatam, & ea ratione iudicare, eam esse reuerenter tractandam: ergo potest voluntas id præcisè velle, non intendendo actu absolutam latriam & cultum Dei secũdùm se. Est ergo siue dubio hic modus adorandi possibilis.

Probatur primò.

Quòd autem licitus sit, eisdem ferè argumentis probari potest; primò quidem, quia ex communi vsu omnium piorum, & religiosorum hominum, qui, vt ostendimus, frequentiùs hoc modo venerãtur has res, & certi moraliter sũt, in hoc se nihil peccare, sed potiùs bene agere. Secundò, quia, siue consideremus id, quod ibi fit: siue id, quod omittitur, nulla est deordinatio, & alioqui obiectũ talis actus est per se consentaneum rectæ rationi: ergo actus hinc habet honestatẽ, & ex nullo capite habet malitiam. Assumptũ declaratur, nã ibi omittitur absoluta adoratio latriæ Dei, à quo habẽt hæ res sacræ, quòd adorabiles sint: hęc autem omissio nõ est mala, quia præceptum adorandi Deum hoc modo nõ semper obligat. Neque etiam eo tempore occurrit specialis aliqua ratio, propter quam tunc semper & specialiter obliget. Rursus ibi exercetur adoratio respectiua præcisè: hæc autem est commensurata obiecto: nam tale obiectum materiale propter talẽ rationem, secũdùm rectam rationem adorabile est seu hororabile, vt Septima Synodus, locis adductis sæpè loquitur, & ideo act. 5. in Epistola Orientalium, approbantibus Legatis Pontificis, absolutè & generaliter dicitur, adorare imagines licitũ esse, sed prototypi causa. Idem autem est, vt sæpè dixi, de rebus sacris: quotiescunque ergo propter debitam rationem, & cum debita existimatione honorantur, licita est adoratio, quanuis in ea præcisè sistatur. Vnde argumentor vltimò, quia hæc adoratio respectiua, seu minor, quàm perfecta latria, aliquando est licita & sancta, vt euidenter docet dicta Septima Synodus multis in locis, quorũ aliqua designauimus; &, quãdo coniunctim fit cum latria perfecta respectu Dei, est licita, vt in præcedente modo declaratum est: ergo, etiam si fiat præcisè ac separatim, erit licita; patet consequentia, quia ex hoc non adiungitur illi aliqua mala circunstantia, neq; aliquid omittitur, quod simpliciter sit ad honestatem necessarium. Dicet fortè aliquis, his rationibus rectè probari, illum modũ reuerenter tractandi has res sacras cum prædicta existimatione absque actuali exercitio perfectæ latriæ, esse quidẽ possibilem & licitũ, non tamen mereri nomen adorationis, quæ debet esse emphasis honoris, vt dicitur in Septima Synodo, loco citato: ibi enim nõ est emphasis honoris, sed solùm quædam existimatio, & prudens discretio inter res ipsas. Sed hoc est reuocare rem totam ad quæstionẽ de nomine, & modus ille loquendi est falsus, & præter communem modum loquendi, etiam vsitatum in prædicta Septima Synodo: nam illa re vera non est tantùm existimatio, sed ex diuersa existimatione procedit diuersa operatio, quæ non potest non esse adoratio, quanuis secundaria & respectiua, quia est veneratio

Secundò.

Synod. VII.

Vltimum argumentum. Synod. VIII.

Modus loquendi falsus reijcitur.

tio quædam, & significatio honoris, & religiosæ existimationis, quę de illa rehabetur adoratio enim nihil aliud est, quã significatio honoris, seu honorificæ existimationis, vt in eadem septima Synodo sępe dicitur, & in illis eisdem verbis, cum dicitur adoratio, *emphasis honoris*, quia emphasis nil aliud est quam significatio recondita & minus explicita, quanuis etiam si per emphasim honoris intelligeremus excelentẽ aliquem honorem, posset hoc attribui huic adorationi respectiuæ rerum sacrarũ, etiã præcisè sumptæ, quia, quatenus in diuina excellentia nititur, religiosa est, & altioris ordinis ab omni alio honere, quanuis in illo ordine secundarium & infimum locum teneat: ille igitur modus tractandi has res sacras cum veneratione & reuerẽtia, modus quidam adorationis est: vnde rectè Tharasius in Septima Synodo, actione 4. nõ longè à fine, paulo post illa verba Anastasij, quod *adoratio est emphasis honoris*: ex eis ita infert. *Omnes qui sacras imagines se venerari confitentur, adorationem autem recusant, à sancto Patre, tanquam hypocritæ, redarguuntur*; idem ergo nos dicemus de adoratione & veneratione rerum sacrarum.

Adoratio quid.

Emphasis quid.

Tharasius. Anastasius.

Constat igitur, respectiuam istarum rerum adorationem posse licitè fieri solam ac separatam à perfecta & absoluta latria. Tũc autem dicitur illa adoratio esse vna cum adoratione ipsius Dei, vel habitu, vt dixi, vel, quia, quantum ex se, potest coiungi in vnum cum adoratione Dei, quanuis contingat per accidens actualiter separari ex libertate operatis vel certè, quia ille met actus virtute continet adorationem Dei, quatenus propter illum fit, & in illius excellentia fundatur, quanuis in ipsum non tendat vt in obiectum formaliter adoratum: sicut, qui diligit proximum propter Deum, dici potest ibi diligere Deum, non formaliter sed virtute: propter quod dicitur ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit*, & eodem modo in electione medij dicitur ihtendi finis, vt loquitur D. Tho. 1.2.q.12.art.4. Quin potius, etiam honor Sanctis exhibitus, dicitur sæpè in prædicta Synodo tendere in Deum, vt loquitur expressè Leontius dicta actione 4. dicens, *Honor qui Sanctis impẽditur, in ipsum recurrit*, &, *qui Martyrem colit, Deum ipsum colit*, &, *qui Matrẽ illius adorat, ipsi honorem assignat*, & similia. quæ etiam leguntur ibidem in epistolis German. ad Ioan. & ad Thom. & actione. 5. in disputatione Leontij cũ Iudæo, & actione. 3. in epistola Orientalium, circa finem, & tamen certum est, quando Sancti adorantur, formaliter expressè non adorari Deum, vt obiectum, quod adoratur, sed solos Sanctos ipsos; imo neq; proximè adorari propter Deũ, vt propter immediatã rationẽ adorandi, sed propter intrinsecam sanctitatem eorum, nã, vt rectè dixit Adrianus ibidem, actione. 1. in sua Epistola, circa finem, *Decet Sanctos honor, & veneratio propter iustitiam eorum*. Nihilominus tamen, quia totus hic honor Sanctorũ cedit in Dei honorem, & in Deo radicaliter fundatur, ideò, quando Sancti honorantur, dicitur Deus honorari in illis: ergo multò magis cultus harũ rerum sacrarum, qui immediate fundatur in Deo, vt in ratione adorandi, dicetur esse virtualis honor & cultus ipsiusmet Dei.

Rom. 13.

D. Thom. Leontius.

Germ.

Adrianus.

Adoratio Dei & rerũ sacrarum, quomodo

Ex his ergo satis constat, quomodo sit vna adoratio harum rerum sacrarum & Dei, & quo modo etiã sit duplex, diuersa consideratione & ratione. Per quod sufficienter responsum est ad principalẽ difficultatem, suprà tactam. Et hinc etiam exponũtur facilè omnes locutiones ibi adductę: nã in eis interdũ sermo est de adoratione imaginum, vt exercent imaginem officium atque adeo, vt in eis adoratur prototypon, vt obiectum quod. Interdũ vero loquuntur de adoratione respectiua, & hoc modo est in vniuersum verum, has res non adorari, nisi vt relatas ad aliud, nec respiciendo ad ipsas vt sic seu ad naturas earum, sed respiciendo ad excellentiam alterius, saltem vt ad rationem adorandi, & hoc est, quod primo ac principaliter intẽditur in illo Concilio, quia hoc est, quod per se honestat hãc adorationem. Vnde ad primam confirmationẽ plana est etiam responsio, quia in his rebus dupliciter potest adorari Deus, scilicet vel implicitè, &, vt obiectum quo tantum, vel explicitè, & vt obiectũ quod, & vterque modus sufficit ad honestam adorationem, & de vtroque loquitur Concilium in diuersis locis: prior vero ratio per se pertinet, & requiritur ad propriam adorationẽ harum rerum, quatenus ad illas terminatur, quia illæ non sunt adorabiles, nisi ratione alterius; quod vero simul cum illis adoretur aliud, vt obiectum adoratũ vt quod formaliter non pertinet ad adorationem earũ, sed cõncomitanter fieri potest ex perfecta apprehensione & motione adorantis.

Vnã, quo modo etiam sit duplex.

Hinc ad secundam confirmationem in primis dici potest, Septimam Synodum in definitione fidei, cum docet, vel imagines, vel has res sacras esse adorabiles, formaliter loqui de adoratione respectiua & secundaria, tũ quia eam expressè à latria distinguit, tum etiam, quia hæc est adoratio per se debita his rebus, &, quod aliquid aliud attingatur, est quasi accidẽtariũ, & eodẽ modo intelligi potest Cõcil. Tridentinum, cùm dicit hic rebus esse *debitum honorem & venerationem impertiendam*. Neque huic expositioni obstat, quod eadem Concilia subiungũt; honorem his rebus seu imaginibus exhibitum, ad prototypa referri, & hæc eadẽ prototypa in imaginibus adorari, quia hoc totum verificari potest de prototypo, vt est ratio adorandi imaginem, vt iam declaratum est, sicut honor sanctorũ dicitur referri in Deum, & Deum adorari in Sãctis; nam, quod prototypon adoretur in imagine, vt obiectũ quod, quãdo formaliter vtimur imagine vt imagine, licet sit verum, non est tam de fide certum, neque existimo, ibi esse definitum. Vnde dicitur secundò. Concilia hæc solum id definire, quod per se pertinet ad fidem, & ad defendendam legitimam adorationem harum rerum à calumnijs hæreticorũ: hoc autem in duobus vel tribus consistit. Primum est, quod res vere ac propriè & sub aliqua honesta intẽtione adorantur. Secundum est, quod non adorantur ratione sui, sed ratione alterius: vnde fit tertiò, vt totus honor harum rerum ad aliud referatur, quod in ipsis aliquo modo adoratur: & hæc tantũ sunt omnino certa, reliqua vero relinquunt Concilia disputationi Theologicæ, scilicet an res illa, quæ est ratio adorandi aliã, simul cum illa, & in illa adoretur, vt quod, vel tantum vt quo, &, quãdo adoratur vt quod, an fiat vno actu interiori, vel duobus &, an ita semper fiat, vel solum aliquando. Insinuãt tamen prædicta Concilia in alia ratione & explicatione, quam subdunt post definitionem suam, quotiescunque adorantur imagines, vt imagines sunt, in eis adorari exemplaria, etiã vt res primario adoratas, non tamen inde sequitur, idem atque eodem

Ad 2. cõfirmationem responsio.

Cõc. Trid.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo fieri, quandocunque adorantur res sacræ aut ipsæmet imagines, quatenus quædã res sacræ sunt, vt in superioribus explicatum reliquimus. Ex illis ergo definitionibus nihil colligi potest diuersum à doctrina tradita.

DISPVTAT. LXXXII.

De præparatione ad Missam necessaria, & de vestibus sacris.

Dispositio sacerdotis sacrificaturi duplex.

POstquam dictum est de tempore & loco, quæ magis extrinsecus circunstant actionem sacrificandi, explicandę sequũtur aliæ circunstãtiæ vel ceremoniæ, quæ magis intrinsece ipsimet actioni sacrificãdi adiunguntur. Sed priusquam ad hæc accedamus, explicare oportet, quomodo sacerdos parare se debeat vt conuenienter dispositus ad altare Dei sacrificaturus accedat. Potest autẽ hæc dispositio requiri, aut ex parte animi, aut ex parte corporis, & de vtraque aliquid sumẽdum est ex dictis in superioribus, de dispositione ad cõmunionẽ sacramenti Eucharistiæ necessaria, aliquid vero addendum est tanquam huius loci proprium. Quia ergo sacerdos sacrificaturus, communicaturus etiam est, ante omnia necesse est, vt sine conscientia peccati mortalis accedat: atrita vt, si talem conscientiam prius habeat, cõfessionẽ præmittat, si potest; vel si nõ potest, saltem contritionem habeat cũ proposito confitendi, cũ primũ posit iuxta tractata in superioribus. Præter hanc autem dispositionem nulla alia spiritualis præparatio occurrit, quę simpliciter necessaria sit ex præcepto, præter voluntatem & intentionem ritè & honestè sacrificandi: quia neque ex sola natura rei aliquid aliud colligi potest, neq; inuenitur aliquod speciale præceptũ positiuũ, quod aliquid huiusmodi præscribat, ita vt eius trãsgressio peccatum sit; nonnulla enim, quæ in Missali designantur, solum pertinent ad quandam directionem & consilium, quod obseruare, optimum quidem erit, nihil tamen peccabitur, si omittatur, secluso cõtemptu: maxime, si aliqua alia præparatio præmittatur, quæ iuxta vniuscuiusque consuetudinẽ, magis eum posit ad deuotionem iuuare, hoc enim seruare debent sacerdotes omnes, vt sacrificiũ hoc debita religione ac pietate celebrare possint, vt rectè docet S. Germ. in Theoria rerum Ecclesiasticarũ, cuius rei illustre exemplũ legi potest apud Dionys. epistola ad Demoph. Addit vero innocent. lib. 1. de hoc myst. c. 47. celebrantem debere quõdam Psalmos & orationes præmittere, sed vt dixi, de hoc nõ inuenio expressum præceptũ, sed consiliũ. Solum potest quoad hãc partem superesse quæstio de præmittẽda recitatione diuini officij, quã statim tractabimus. Rursus ex eodem principio, quod sacerdos sacrificaturus, communicaturus etiam est, quod ad corpus pertinet, necesse est, vt ieiunus accedat, in quo seruanda sunt, quæ superius de cõmunione annotauimus, & quæ addidimus disput. 80. quod sacerdos bis sacrificaturus eodẽ die, nõ debet etiam calicis purificationem accipere in priori Missa, nihil enim aliud speciale hic occurrit addendũ: quia neque maius, neque minus ieiunium requiritur ad sacrificandum, quã ad simpliciter cõmunicãdum, neque specialis aliqua pœna ipso iure imposita est sacerdoti non ieiuno sacrificanti, quanuis deponi interdum, vel excommunicari præcipiatur, in

A Cõc. Brach. II. can. 10. Toler. VII. can. 2. cap. Nihili 7. q. 1. Deinde necessaria est ea dispositio corporis quæ excludat omnẽ periculũ irreuerentiæ, vel relinquendi inchoatum sacrificium, & ideo in cap. Cõmuniter. 13. distinct. & 2. q. 7. per totã excludũtur ab hoc munere sacrificandi omnes illi, qui caducũ morbum, aut capitis vertiginen, aut similem ægritudinem patiuntur, & idem est de eo, qui patitur periculũ vomitus, aut aliquid huiusmodi, quia tũc iniuria fieret tanto mysterio, cũm tali dispositione sacrificando. Vnde in illis iutibus cauetur, vt qui talj morbo caduco laborant, non solum, vt prius curentur, sed etiam, vt, postquam conualuerint, priũs quã ad altare accedãt, per annũ probentur. Quod, seruata proportione, in alijs ægritudinibus obseruandum est, in quibus tale periculum intercedit, vbi vero nullum periculum, est sed horror quidã, vt in lepra & similibus, cõ omnino prohibetur hoc ministerium, sed solum, vt non publicè, sed occulte fiat, vt supra diximus de communione agentes. Quocirca necessarium etiam est, vt decens munditia corporalis adhibeatur, quantũ recta ratio dictat, & ideo iuxta Missalis regulas sacerdos celebraturus, manus corpotaliter lauat: nam, licet id etiam fiat in significationem spiritalis munditiæ, quam habere debet, vt notat Innocẽt. lib. 1. de hoc myst. c. 49. tamen hoc etiam fit propter ipsam corporalem munditiam, & omitti facile non debet, quãuis non videatur illi sufficiẽs materia rigorosi præcepti. Igitur nulla alia corporalis dispositio necessaria est præter eam, quæ in sacris vestibus posita est, de quibus erit altera pars huius disputationis.

Cõc. Brac. II.
Toler. VII.

Innocent.

SECTIO I.

Vtrùm teneatur sacerdos præmittere diuinum officium ante Missam.

Sententia quedam vel de cõmuni. Veruecẽsis.

IN hac dubitatione est sententia valde communis, esse peccatũ mortale dicere Missam ante recitatum saltẽ matutinũ officium. Ita tenet Veruecensis à Syluest. citatus, tribuitur etiam Palud. in 4. dist. 13. q. 2. ar. 2. concl. 2. vbi solũ dicit, nõ debere Missam dici, nisi post dictum matutinum: idem vero inferius subdit de Prima; quod est signum, ipsum nõ intellexisse, hãc esse obligationem sub peccato mortali. Clarius tenuit hoc Antonin. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 1. Gabr. lectione. 13. in Canon. Angel. verb. Missa. n. 42. & Armilla, verb. Horę canonicę. n. 18. & Sũmistæ frequentius his verbis. Idẽ tenet Nauarr. lib. de Oratione, c. 3. n. 70. vbi potius videtur dicere, contrarium in rigore iuris esse verum. *Quanuis non auderem* (inquit) *id consulere, neque facere sine graui causa*: in c. Autem. 21. n. 30. illud dictũ declarat de hora Prima, de Matutina autem dicit, se se qui opinionem cõmunem, limitando illam, ne procedat, quando aliqua iusta causa id fieret. Eandẽ opinionem tenet Marcell. referens plures Canonistas lib. de horis canonicis, c. 42. Fundantur hi autores in consuetudine Ecclesiæ, quam satis ostendunt tot graues autores, & ex vsu cõstat. Certum est autem consuetudinem habere vim legis, & cõsequenter in re graui obligare sub mortali, quòd autẽ talis sit hæc res, de qua agimus, probatur, quia grauitas materiæ iudicio prudentum pensanda est: sed communiter sapientes in hac materia iudicant, rem hãc esse grauem. Item, quia ex institutione Ecclesiæ matuti-

Antonin.

Marcellus.

matutinũ est officium nocturnũ, Missa vero diurnum: ergo inuersio huius ordinis, ex se est culpabilis, & contra rationem: ergo adiuncta cõsuetudinẽ Ecclesiæ, erit grauis trãsgressio. Accedit, quod in Missali Romano prius traditur regula, vt Missa dicatur matutino saltẽ absoluto, & postea inter defectus Missæ numeratur, si celebrans nõ dixit matutinum cum Laudibus, non videtur autem ibi numerari; nisi graues defectus.

1. Opinio.

Secunda sententia est, esse quidem obligationem aliquã præmittendi matutinũ ante Missam; quãdo cõmode potest, & nulla est rationabilis causa inuertendi hũc ordinẽ. Nihilominus tamẽ, si id fiat, etiã sine legitima causa, nõ esse peccatũ mortale, sed venialẽ: quia nullũ est sufficiens fundamentũ ad asserẽdũ, in ea trans̃gressione aut inuersione ordinis esse maiorem grauitatẽ: quia neq; de præcepto satis cõstat, neq; res est adeo grauis. Vnde si ex aliqua rationabili causa id fiat iuxta hãc opinionẽ nulla erit culpa etiã venialis: erit autẽ sufficiẽs causa, si instat hora dicẽdi Missam, & populus vel aliqua persona grauis expectat, vel cõmodum tẽpus ad Missam dicẽdã elabitur, vel alia similis. Ita tenet Soto. lib. 10. de iustit. q. 5. ar. 4. & in 4. dist. 15. q. 2. artic. 2. & in idẽ inclinat Sylu. verb. Missa. 1. q. 6. quanuis subdubitans; antiquiores vero de hoc nihil dicũt, in eo autẽ huic sententiæ fauent, quod agẽtes de obligationibus sacerdotũ, & de peccatis quæ in celebratione Missæ cõmitti possunt, nunquã huius meminerũt.

Soto. Sylues.

Vt veritatẽ explicemus, distinguamus inter priuatam officij recitationem, quæ secreto à particulari persona, quæ Missam dictura est, vel priuatã, vel solennem, & publicam recitationem officij, quę fit in choro ante Missam solennem.

1. Conclusio.

Dico primo, Nullũ est præceptum obligans sub peccato mortali singulos sacerdotes ad recitandum Matutinum prius, quã sacrificiũ Missæ offerant, siue priuatim, siue solẽniter missam cantando. Probatur, quia certũ est, tale præceptum, neq; à Christo, neq; ab Ecclesia, esse vnquã expressè traditũ. Quod vero nec cõsuetudine sit introductũ, ita declaratur nã tribus modis possumus hos duos actus considerare. Primo, quatenus vnusquisq; eorũ postulat certum ac definitum tẽpus, vt recte fiat: fieri enim potest, vt in dicendo Missam ante Matutinum, vel illa nimiũ anteponatur, vel hoc nimis postponatur, & inde aliqua culpa contrahatur. Sed hæc consideratio nihil ad præsentẽ cõsiderationem refert: quia, si aliquod peccatũ in hoc interuenit, est valde per accidens ad inuersionẽ eius ordinis, de quo agimus nam, si Sacerdos peccat, noctu Missam inchoando, solũ propter anticipationem, nihil minus peccabit, siue dixerit Matutinũ, siue non. Addo, ex hoc præciso titulo, nũquã peccari mortaliter: si vtraq; actio intra legitimum tẽpus fiat, id est, si missa à summo mane vsque ad meridiem. Matutinum vero ante ela psum totũ naturalẽ diem, pro quo currit obligatio dicãtur. Secundo possunt illę duæ actiones considerari, ita vt vna sit, veluti dispositio, & veluti præparatio ad aliã, scilicet, recitatio matutini ad Missam; & quidem, si sub hac ratione esset latum præceptũ, materia eius esset satis grauis, & trans̃gressio eius per se esset peccatum mortale, nam hac ratione est peccatũ mortale dicere Missam nõ seruato ieiunio, quia illa obseruatio præcepta est tãquã grauis quędã dispositio, & similiter est peccatum mortale, dicere Missam, sine vestibus sacris, quia hoc etiã præ-

A ceptum est ad corporis conueniens ornamentũ, seu dispositionẽ: ergo, si recitatio matutini esset præcepta, vt dispositio præuia, esset sine dubio materia grauis eius trans̃gressio. Nullo autẽ sufficiente, imò nec probabili fundamẽto ostendi potest, hoc esse sub hac ratione præceptum, neq; autores supra citati ita præceptũ hoc explicant: quia nec ex sola consuetudine id sumi potest, sed, ad summũ, solere talẽ ordinem inter duas illas actiones seruari: quod potest fieri sine eo, quod vna earũ intelligatur esse dispositio ad alterã, sicut inter ipsas horas canonicas vna prius est dicenda, quam alia, non quia sit dispositio ad illam: sed ratione ordinis. Et quidẽ Nauar. supra dicit, recitationẽ Matutinæ & Primæ disponere hominẽ ad Missam deuotius & reuerẽtius dicendã, & in vltimo loco ait, Ecclesiã dũ ad Missam maiorem attentionẽ & præparationẽ requirit, quã ad aliud Ecclesiasticũ officiũ, per hoc satis significare, vt horæ saltẽ nocturnæ, sint quædã præparatio ad Missam, quia nullã aliam præparationẽ præfixit Ecclesia faciendam. Sed hoc leue indiciũ est ad præceptũ sub hac ratione cõstituẽdũ: quia, licèt demus hanc recitationẽ per se cõducere ad maiorẽ deuotionẽ, tamẽ Ecclesia nõ præcepit, quidquid ad dicẽdã Missam cum maiori deuotione potest conducere neque hanc præparationem vnquam specialiter designauit: nã, licet in Missali de hoc admoneantur Sacerdotes, tamen ibi nullũ est verbũ præceptiuũ, & ex modo, quo illa regula proponitur, constat, nihil ibi nouũ statui, sed solũ declarari, & proponi, quod fieri solet & expedit, imò ibidẽ clarius admonentur sacerdotes, vt prius aliquantulũ vacent orationi, & tamẽ illud non intelligitur esse præceptũ, sed cõsiliũ. Tandẽ recitatio diuini officij per se nõ est instituta, vt sit dispositio, vel præparatio ad Missam, sed propter se præcipitur ad publicã orationẽ in Ecclesia faciendã: non est ergo, cur sine maiori fundamẽto dicamus, esse sub hac ratione præceptã: quia, licet aliquid ad hoc conferat, tamen alijs etiã modis potest animus conuenienter præparari. Et cõfirmatur tandẽ, nã si hæc recitatio esset præcepta, vt necessaria dispositio, nõ liceret ob solam ægritudinẽ, vel aliam similẽ ordinariã causam, dicere Missam sine tali preparatione: sicut nõ licet dicere, non seruato ieiunio, etiam si quis ob ægritudinem non possit ieiunus ad Missam accedere: est autem certũ apud omnes, quòd si quis ob capitis debilitatẽ vel similem causam, ab obligatione recitandi officium excusetur, nihilominus posse Missam dicere; ergo, &c. Tertio modo possunt illæ duæ actiones considerari solũ quoad ordinẽ, id est, quod oporteat in ordine & successione tẽporis vnã præcedere aliam, non ob causalitate, sed ex præcisa ratione ordinis, sicut ordinantur horæ canonicæ inter se. Et neque sub hac ratione interuenit hic tale præceptum. Primò quidem, quia nulla potest hic ostendi consuetudo, quæ vim præcepti habeat, nã, vt consuetudo inducat præceptum, nõ solũ est considerãdum, quid fiat, sed etiã, qua ratione, vel animo fiat: in præsente ergo verum est, regulariter solere dici Matutinum ante Missam; tamen hoc non fit, vt seruetur ordo inter illa duo, sed vt singula suis tẽporibus ac commodatè fiant: ex quo per accidens consequitur vt frequẽtius Matutinum dicatur ante Missam, ex hac ergo consuetudine nõ potest colligi, ordinem, ipsum esse præceptum, cum non fuerit per se intentus. Quod autẽ consuetudo hæc talis sit, patet pri-

Universidad de Deusto Biblioteca

Soto. mò ex ipsa rei natura, supposita institutione, quia vnum officiũ nocturnũ est, aliud diurnum. Secundò, quia, vt Soto ait, diuinũ officium nõ habet ordinem per se cũ sacrificio Missæ, neq; ex vllo principio constare potest, consuetudinem eo animo esse introductã, vt ille ordo iam sit per se. Tertiò, quia consuetudo sub ea apprehensione & ratione nõ est recepta: nam plures viri docti, & timorati illam negant sub tali ratione, vt Syluester etiã notauit, quapropter non sufficit pluriũ Doctorum autoritas ad talem consuetudinẽ sub tali ratione persuadendã: (Sylvest.) quia neq; ad eis sufficienter probata est, neque etiã modus eius satis videtur ab illis perspectus, & examinatus. Quare hic vti possumus testimonio eiusdẽ Nauarri, in cap. Placuit. dist. 6. num. 186. dicẽtis, (Nauarr.) non esse credendũ multis autoribus, asserentibus aliquam consuetudinẽ, nisi ab eis probetur. Secundò, licet daremus illam consuetudinem esse introductam directè ratione ordinis, nihilominus eius trãsgressio per se non esset peccatũ mortale: quia ordo ille non est res magni momenti: neque enim ad cultum Dei multum spectat, neq; ad reuerentiã sacramenti, neque ad aliquem alium grauem finẽ, qui ad Dei vel proximi caritatẽ pertineat. Præsertim, cũ solùm agamus de officio & sacrificio priuatim factis, ex quorum mutatione quoad ordinẽ per se nõ sequitur scandalum, neq; aliud graue incommodũ. Nam, quod Nauarrus ait, hanc opinionẽ præbere occasionem valde indeuotè & indecenter recitãdi matutinũ interdiu, etiam post prandiũ & meridiẽ, hoc: inquã, non ita est, nam opinio hæc nullam præbet huiusmodi occasionem, si autem aliquis ex malitia sua illam sumat, erit scãdalũ passiuum, non actiuum: alias idem dici posset de cęteris horis, quę matutino tempore dicẽdæ sunt. Adde, illam etiam serotinam recitationẽ matutini, secluso cõtemptu non esse peccatum mortale: ergo multò minus trãsgressio huius ordinis erit peccatum mortale propter illam occasionem. Tandem magis per se est ordo præscriptus inter Matutinum & cæteras horas canonicas, quam inter Matutinũ & Missam, sed recitare alias horas ante Matutinum, non est peccatũ mortale ex obiecto, vt omnes docent: quia illa inuersio præcisè sumpta est materia leuis. Maior patet quia horæ canonicę sunt eiusdẽ rationis, & cõponũt vnum officium inter se, non autẽ cum Missa.

1. Cõsectar. Ex his vero duabus vltimis rationibus sequitur, si admittamus consuetudinem sub hac posteriori ratione, esse peccatum veniale, illam transgredi sine legitima causa: si vero eam negemus sub prædicta ratione, vt mihi quidem probabilius videtur, dicẽdum consequenter est, ex vi talis ordinis, aut immutationis eius, nec peccatum veniale esse, dicere Missam ante Matutinũ, etiam sine legitima causa; quia in hoc, neq; contra, neq; præter præceptum fit, ex hoc præcise capite: aliunde vero non excusabitur quis à culpa veniali: quia, scilicet irrationabiliter, & sine causa nimiùm postponit matutinum officium.

2. Cõsectar. Secundò sequitur, multò certius esse, si ex rationabili causa hoc fiat, nullum esse peccatum, etiã veniale, vt fere omnes docẽt; etiam autores primæ opinionis, quanuis fortasse illi grauiorem causam requirerent: ego vero existimo mediocrem sufficere, illam, scilicet, quæ satis esset ad differendam Matutini recitationem toto illo tempore absque culpa veniali, vel aliam similem, vt supra exemplis insinuatum est. Et confirmatur, nã etiam inuertere ordinẽm inter illas horas canonicas, si ex aliqua causa rationabili fiat, excusatur etiã à veniali culpa. Tandẽ interdũ dici potest Missa, nõ dicto Matutino, ex causa, quæ excuset ab illo dicendo, non solum ante, sed etiam post Missam: ergo multo magis poterit hoc excusare moralis impotentia dicendi illud ante Missam, quanuis postea dicendum sit. Vnde infero tertiò, licet contingat, male fecisse sacerdotem, nimiũ differendo Matutinũ officium, tamẽ si post illã negligentiã occurrat occasio dicendi Missam, nec possit commode expectare, donec Matutinum recitet, tunc sine noua culpa, posse dicere Missam prius, & posteà recitare Matutinum: quia iã tunc sufficiens causa ad illam maiorẽ dilationem est, ne ammittat opportunitatem dicẽdi Missam. (Quarto.) Quartò colligitur multo minus peccare sacerdotem, si celebret, non dicta Prima, quod quidẽ de peccato mortali non est dubiũ, vt docent etiã Syluest. Soto. & Nauar. dict. c. 25. n. 79. (Syluest. Soto. Nauarr.) quanuis nõnulli Sũmistæ videantur contrariũ docere, vt Nauarr. alijs locis refert, sed sine fundamento, vt à fortiori patet ex dictis. De peccato autem veniali aliqui dubitant, sed nihil est, quod timeatur, per se loquendo: id est, si diuinum officium suo tempore persoluatur: quia de alio ordine nullũ est præceptũ nec cõsuetudo, neq; est res tanti momenti. (Vltimo.) Vltimò infero, si è contrario totũ officiũ etiã cõpletoriũ, recitetur, & Missa postea dicatur per se loquẽdo nullũ esse peccatũ, id est si alias diuinũ officiũ ex legitima causa anteponatur: quia, hoc stante, in reliquo nulla est indecẽtia, vel irreuerentia, quod postea fiat sacrificiũ. Nec refert, quod iuxta cõmunem consuetudinẽ nõ soleat ita fieri, quia hæc consuetudo non est per se propter ordinem, sed quia aliunde, quasi ex natura rei consequitur, vt moraliter & frequenter ita fiat, & hoc bene declarat, quod de priori consuetudine prius dicebamus.

(Vltimã cõclusio.) Vltimò dicẽdum est, si loquamur de publica recitatione seu cantu diuini officij in choro, etiã hoc modo non habere per se ordinẽ cũ Missa nihilominus tamẽ, regulariter non posse publicã & solẽnem Diei Missam dici ante recitatum in choro Matutinũ, imò neque ante Primã, sine graui culpa. Prior pars cõstat ex dictis: quia officiũ Missæ est officiũ distinctum ab horis canonicis, tam in choro, quàm extra chorum, & tam in Missa & officio solenni, quam in priuatis: ergo nulla est ratio, cur ordo per se requiratur inter ipsa. Altera vero pars probatur, quia in hoc Officio publico, multò magis necessariũ est, vt horæ canonicæ dicantur suis definitis tẽporibus, quæ notabiliter postponere, vel anteponere contra receptam Ecclesiæ consuetudinem graue peccatũ est, nisi aliqua rationabilis causa excusaret: quia ad cõmune bonum, & bonum regimen Ecclesiæ spectat, vt hic publicus cultus Dei, statutis tẽporibus & debito ordine fiat, idẽque in superioribus dixi de solenni & publica diei Missa: si autem Missa diceretur ante Matutinũ in hoc publico Officio, non posset non immutari notabiliter hic ordo & tempus præscriptum ad Missam, vel Matutinũ: ergo ex hac parte esset culpa grauis, & ita sentiunt cõmuniter autores: & sine dubio generaret graue scandalũ, si aliter fieret: quod est signum, hanc existimari cõmuniter rem grauẽ. Sed intelligrndũ hoc est de his Ecclesijs, in quibus est obligatio, & recepta consuetudo dicendi in choro publicum officiũ nam vbi non est talis obligatio, nihil vetat dicere Missam

Missam solennem absq; præuia recitatione officij in choro: quia vt dixi, inter hæc non est ordo per se, & eodẽ cessante vnius obligatione, potest aliud ministerium solum suo tempore fieri. De his etiam Ecclesijs, in quibus est hæc obligatio, hoc intelligẽdum est, regulariter, ac moraliter: in aliquo enim raro casu potest id fieri sine culpa, duabus seruatis cõditionibus, scilicet, quod vitetur scãdalum, vel aliqua grauis & publica causa intercedat.

SECTIO

Vtrũ conuenienter sit in Ecclesia institutum, vt sacerdos ad hoc sacrificium offerendum vestibus sacris induatur.

(*Hæreticorũ quorundam sacra vestimenta reijcientium error.*) HAEretici, dicti Vvaldenses seu paupetes de Lugduno, quos noui heretici imitati sunt, vsum sacrorum vestimentorum reijciunt, tũ quia Christus Dominus absq; vestimẽtorũ apparatu, sed cõmunibus vestibus vtens, hoc sacrificiũ instituit, & obtulit, tũ etiã quia omnes Ecclesiæ benedictiones, vel cõsecrationes, putant esse superstitiosas, & nullius momẽti aut efficaciæ. Quidã vero eorũ quãuis dicant, harũ vestiũ vsum non esse malũ, dicũt tamẽ esse indifferentẽ, neq; potuisse ab Ecclesia institui seu præcipi, vt necessarium ad rectè, & sine peccato hoc munus exercendũ. De quo dicemus sect. sequente.

Dicendũ est primo, potuisse Ecclesiã instituere peculiares vestes, quibus sacerdotes vtãtur in sacris ministerijs, distinctas ab illis, quibus communiter induũtur, quibusq; vti non liceat, extra sacrum ministeriũ, cõuenienterq; fecisse Ecclesiã, vtendo hac potestate. Vtrũq; horũ probatur primò ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, cœpit enim horum vestimentorũ vsus ferè à tẽporibus Apostolorũ. Nã Anaclet. Papa, successor Clementis, & tertius vel quintus à Petro, harũ vestiũ mentionẽ facit in epist. 1. decretali. *Episcopus* (inquit) *ministros secum habeat sacris indutos vestimentis*. Stephanus autẽ. I. ep. 1. sic scribit. *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusq; diuinus, omni cũ honorificentia: & honestate à sacerdotibus reliquisq; Ecclesiæ ministris, celebratur, & sacra debent esse, & honesta: quibus, alijs in vsibus, cum Deo, eiusque seruitio consecrata & dedicata sint, nemo debet frui, quam in Ecclesiasticis, & Deo dignis officijs: quæ, neq; ab alijs debent cõtingi, nisi à sacratis hominibus*, & habetur in c. Vestimenta. de Cõsecr. d. 1. & eiusdẽ decreti meminit Damasus in pontific. c. 14. & omnes antiqui autores, qui de rebus Ecclesiasticis scribunt, refert etiã Beda, lib. 1. historiæ, c. 29. & Ioãnes Diaconus, li. 2. Vitæ Gregorij. c. 37. Greg. Papã inter alia dona, misisse in Angliã vestimẽta sacerdotalia & clericali, & idẽ Beda ibidẽ refert Carolũ Magnũ Ecclesias ornasse vasis ac vestibus sacris ita vt neq; ianitoribus liceret cõmuni habitu in Ecclesia ministrare, & Theodor. lib. 2. historiæ. c. 27. meminit cuiusdam vestis sacræ, quã Constantinus Machario Episcopo misit. Hieron. etiã, li. 1. cõt. Pelag. scribit, Episcopos, Presbyteros, & omnẽ Clerũ in sacrificij administratione candidis vestibus vti solere, & ep. 3. ad Heliodor. refert. Nepotianũ morti vicinũ ad auunculũ dixisse, *Hanc tunicam, qua vtebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi ætate Patri, fratri collegio, &c.* Vbi Marian. Victorius, vestẽ illã, capsulã vel planetã fuisse interpretatur. Idẽ Hieron. in c. 54. Ezech. *Religio*, inquit, *diuina alterũ habitũ habet in ministerio, alterũ in vsu vitaq; communi.* Similiter Crysost. hom. 83. in Matth. vestiũ Sacrarũ mentionem facit, (*Chrysost.*) & in Liturgia ponit orationes quas dicit Sacerdos cum sacras vestes induit. Denique in Cõc. Later. sub Innoc. III. c. 19. & habetur in c. 2. de Custodia Eucharistiæ, dicũtur hæc vestimẽta *sacra*, &, *nitida*, ac *mũda* conseruari præcipiuntur. Et Concil. Trid. sess. 22. c. 5. harum vestium vsus probatur, & naturæ hominũ cõformis esse dicitur. Secundo potest hæc veritas confirmari exemplo veteris testamenti, in quo Deus propria & sancta vestimẽta instituit, quibus sacerdotes & ministri Dei in tẽplo, & sacrificijs Domini vterentur, vt cõstat Exod. 28. ergo multo magis (vt rectè colligit Iuo Carnotẽsis. epist. 124.) in lege noua oportuit, sacerdotes vti sacris vestimentis ad diuinũ cultũ, & ministeriũ, & præsertim ad cõsecrandũ corpus & sanguinẽ Domini. Quin potius vestimenta illa vetera fuisse typos & figuras nostrorum sacerdotaliũ vestimentorũ, declarãt latè graues & antiqui autores qui de eis scribunt, vt statim referemus. Est autem differentia inter veterẽ, & nouam legẽ: quia in illa sicut Deus ipse immediatè instituit ritus omnes, & speciales ceremonias, ita etiam singula vestimenta sacerdotalia ipse præscripsit, in noua autẽ lege, quæ est lex libertatis & spiritus, per se solũ instituit ea quæ sunt de substantia sacrificij & sacramentorum, potestatem vero instituendi, & determinãdi reliqua, Ecclesiæ cõmisit: illi ergo data est potestas instituendi, seu designandi huiusmodi vestimenta: quæ, cũ nõ sit frustra data, sed in Ecclesiæ ædificationẽ, conuenientissimus fuit vsus eius, quem in Ecclesia esse conspicimus. Et confirmari etiã hoc potest ex vsu omniũ gentiũ: nã eo modo, quo templa & sacrificia habuere, vestibus etiã peculiaribus, & suo modo sacris, seu religiosis, ad id muneris vtebãtur, vt licet colligere ex Plinio, li. 19. c. 1. & ex illo Virgilij lib. 12. Æneidos. *Paraq; in veste sacerdos.* Tertio accedit naturalis, seu literalis ratio, quę Exodi. 28. insinuatur illis verbis. *Faciesq; vestem sacram Aaron fratri tuo in gloriam & decorem*: pertinet enim ad splendorẽ & decorẽ cuiuslis sacri ministerij, & pręsertim tanti sacrificij, vt nõ fiat tantũ veste vulgari & cõmuni, sed vt ipso exteriori apparatu, & sacris indumentis, indicetur, actionẽ illã non esse cõmunẽ & vulgarẽ, sed sacram. Etenim, si absq; sacris indumentis, communi modo & vulgari fieret, vilesceret quodammodò, præsertim apud homines rudes & sensibiles, qui non facilè distinguunt pretiosum à vili: igitur ad decorem, & debitum honorem huius sacrificij cõueniẽs fuit hæc institutio. Quarto accedit etiã ratio mystica: nã hæc sacra indumenta nõ tantum ad ornatum, sed etiã ad significationẽ instituta sunt, quæ interdum moralis est: *Sunt enim hæc ornamenta* (ait Iuo Carnotensis serm. de feb. Eccles.) *virtutũ insignia, quibus, tanquam scripturis, vtentes admonentur, quid debeãt appetere, quid vitare*; & Innocent. lib. 1. de hoc myst. c. 64. *Ipsa*, inquit, *sunt arma, quæ Pontifex debet induere, contra spirituales nequitias pugnaturus.* Et infra. *Attendat ergo sacerdos studiose, vt signũ sine significato non ferat; & vestem sine virtute non portet*, &c. Ac denique Hieron. dict. c. 44. Ezech. ait, his vestibus significari, *celebrare sacerdotes munda conscientia, & virtutum vestibus ornata, Domini sacramenta tractare*. Interdum vero hæc

Universidad de Deusto Biblioteca

significatio est mystica seu tropologica, v.g. alba vestis significat illā, qua Herodes Christū illusit, &c.

2. *Conclusio Sacerdotum sacrificātiū sa vestes præcipuæ sex.*

Dico secūdo, vsum horū vestimētorū, prout de facto est in Ecclesia esse conuenientissimū, ac decētissimū. Vt hoc declaremus, supponendū est primò sex esse vestes præcipuas, pro sacerdotibus sacrificātibus institutas, scilicet, Amictū, Albā, Cingulum, Manipulū, Stolā seu Orariū, & Casulā seu Planetā: *Conc. Rhem.* quæ omnes numerantur in Conc. Rhem. c. 4. apud Burch. lib. 2. c. 50. Ex quibus omnibus rectæ compositis resultat grauis quidam ac decens ornatus sacerdotis ad sacrificandū accedentis, quod in huiusmodi vestimentis primū omnium considerari debuit, nā hoc est veluti primum fundamentū & literalis ratio horū indumentorum. Sed vltra hoc habent hæc omnia optimas & sacras significationes, tū in odine ad mores, tū in ordine ad Christi passionē, *Innocen. III.* quas latè exponunt Innoc. III. li. 1. de hoc myst. *Rupertus.* Rupertus li. 1. de diuinis officijs, à c. 18. *Alcuin.* Alcuin. li. de diuin. offic. c. de vestibus sacris. *Hugo de sancto Victore.* Hugo de Sancto Victore, li. 2. de sacram. p. 4. & alij. Ex quibus, quæ ad mores pertinent, illæ videntur esse præcipuæ, quæ in orationibus illis indicantur, quas Ecclesia dicendas instituit à sacerdote, quando singulis vestibus prædictis induitur. Primum ergo indumētum est, *Amictus*, cuius meminit etiam Innocen. III. in epistola decretali ad Patriarcham Constantino- *Innocen. III.* politanū, per quē significatur fiducia seu spes, qua debet sacerdos accedere ad offerendū Deo tantum sacrificiū. Vnde orat *Impone Domine capiti meo galeā salutis, &c.* galea enim salutis metaphoricē spē significat, vt ex Paulo sumitur ad Ephes. 6. & clarius. 1. ad Thessal. 5. *Induti loricam fidei & caritatis, & galeam spem salutis*: sub spe autem fides subintelligitur *Hugo Vict.* quia ipsa est, *sperandarū substantia rerū*. Addit etiam Hugo Vict. li. 2. de sacr. p. 4. quia amictus per humeros ponitur, operū fortitudinē signari. *Alba*, de qua *Innocen. 3.* mentio etiā fit in dicta epist. Innoc. III. & in Conc. *Cōc. Carth.* Cart. IIII. c. 41. munditiā cordis, atq; adeo totā hominis iustitiā indicat, & ideo orat Sacerdos. *Dealba me Domine, & mūda cor meum, &c.* ac propterea etiā totū hominē vestit, & vsq; ad talos extenditur, in *Alcuin.* quo perseuerantia etiā vsque ad finē significari dicitur, vt Alcuinus, & alij supra citati notāt. *Cingulū* carnis cōtinentiā & castitatē indicat: cingit enim *Hieron.* lumbos, stringit, & mortificat, vt ait Hieron. Psal. *Innocent.* 132. vnde in oratione ait Sacerdo, *Præcinge me Domine singulo puritatis, &c.* Vnde Innoc. li. 1. c. 15. *Circa lumbos debet accingi, vt restringat concupiscentiā, iux* *Alcuin.* *ta id: quod Veritas ait, Sint lumbi vestri præcincti.* Addit etiam Alcuin. per cingulum, quo Alba restringitur ne supra pedes defluat, & gressum impediat, significari prudentiam & discretionē sine qua, quę videtur esse virtutes, facile in vita transeūt *Manipulum*, cordis cōpunctionē, verāq; pœnitētiā indicat, quā sacerdos ad altare deferre debet: vnde orat, *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, &c.* quod *Beda.* rectè declarari potest ex eo, quod Beda in Martyrolog. decimo quarto kalendas Augusti, refert, sanctum Arsenium propter copiā, & affluentiā lacrymarū, quas perpetuo effundebat, mappulā, seu sudarium semper ad manū habuisse, quo fletū abstergeret: hāc ergo mappulā significat Manipulū, quod in sinistro brachio collocatur, vt dextra manus expedita sit ad reliquas actiones præstandas. Vnde Stephanus Heduens. lib. de sacramē. altar. cap. 10. *Mappula, qua solent siccari stillicidia oculorū, excitat ao*

A *ad vigilandum.* Addit Amal. lib. 2. de Eccl. officijs. c. 24. *In manu sinistra poneri, vt ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui amoris, & carnalis delectationis, & esse veluti sudarium, quo detergamus sordes,* &c. Sola in antiquis Patribus & Concilijs *Orarium* appellatur, vt patet ex Conc. Brach. I. can. 17. vbi Diaconi præcipiuntur deferre Orariū super scapu- *Conc. Brac.* las; & in Cōc. Brach. 3. can. 3. dicitur, *Sacerdotē vtroque humero Orario ambiri, vt, qui imperturbatus præcipitur cōsistere inter prospera & aduersa, virtutū semper ornamento vtrobiq; circunseptus appareat*: & infrà præcipitur sacerdoti, *Vt sacrificium oblaturus, aut sacramentū corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quā Orario vtroq; humero circunseptus ita vt de vno eodēque Orario ceruicem pariter & vtrunq; humerū premens, signum in suo pectore præparet crucis.* Et in Conc. Loadic. cap. 22. & 23. & habe B tur in c. Non oportet. 13. d. prohibentur Subdiaconi Orario vti: solum enim Diaconis conceditur: de quibus dicitur in Conc. Tolet. IIII. cap. 39. *Vnū Ora-* *Cōc. Tolet.* *rium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat: dexteram autē partem oportet habere liberam vt expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat.* Vnde Alcuin. supra, & Raban. lib. 1. de institut. Cleric. c. 19. putant Orariū esse dictū, quod oratoribus seu prædicatoribus Euangelij conceda- *Cōci. Aurel.* tur. In Cōcil. Itē Aurelian. can. 22. prohibentur monachi habere in monasterio Orarium: quamuis Gloss. in c. Monacho. 27. q. 1. per Orariū ibi mulierum ornamentū significari dicat, nescio tamē quo fundamēto: nullo enim alio loco illa significatio reperitur, & rectè intelligi potest, prohiberi monachis vsum Orarij in suis domibus, scilicet: extra sa- C cra ministeria. Solum obstare potest, quia in c. Ve presbyt. 17. q. 4. ex. Cōc. Tribur. præcipitur Pres- *Cōc. Tribur.* byteris, vt nunquā incedant, nisi stola, aut Orario induti. Sed ibi non videtur Orarium sumi pro sacra stola, de qua nunc agimus, sed pro sacerdotali veste *Cōc. Magū.* honesta, & talari, vt sumitur etiā in Conc. Maguntiaco, sub Carolo, c. 28. vbi monētur Presbyteri, vt sine intermissione vtātur Orarijs propter differentiā Sacerdotij dignitatis. Et eodē modo, in cap. 27. Trul. & habetur in c. Nullus. 21. q. 4, clerici admonētur, vt stolis induti incedant. Itaq; stola sacra, de qua nunc agimus, propriè significat suaue iugum Christi. Vnde in ordinatione Sacerdotis, cū ei stola imponitur, dicitur, *Accipe iugum Domini*, &c, quia per obedientiā ad Christū restituēdus est homo in eū statum, quē per inobedientiā amisit, ideo sacer- D dos, quando sibi stolā imponit, orat, *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi, &c.*

Vltimum indumentum est Casula, seu Planeta, quæ ex omnium sententia caritatē significat, quæ cunctis virtutibus supereminet, easq; protegit, & illustrat. & quia vndiq; integra est, vnitatē fidei designat, ait Innocē. lib. 1. de myst. Miss. c. 58, & Rupert. lib. 1. de diuin. Officijs. c. 22. Tamen, vt cōstat ex oratione, quæ dicitur cum casula induitur, etiā illa iugū Domini significat, sic enim orat Sacerdos, *Domine qui dixisti Apostolis tuis, iugum meū suaue est, & onus meum leue, fac vt istud portare sic valeam: quod tuam gratiam consequar.* Sed diuersa fortasse ratione: *Iugū Christi duplex, crucis scilicet, & amoris.* nam stola significat iugum crucis Christi. Planeta iugum amoris, illa patientiam & fortitudinem, quę ad iugū illud ferendū necessaria est, hæc vero suauitatem & dulcedinem iugi huius, quæ ex caritate prouenit significat: & hæc de morali significatione.

tione. Si ad Christum Dominum hæc referantur, Amictus significare censetur, vel linteū illud, quo Iudæi Christi faciem velabant, dicentes, *Prophetiza* *Gab.* *quis est, qui te percussit*, vt putat Gab. lect. 11. in Cā. vel certe significat ipsam Christi humanitatem, qua diuinitas velata est, sicut caput sacerdotis Ami- *Bonauent.* ctu tegitur: vt ait Bonauent. in expositione myste- *Rupert.* riorum Missæ, Rupertus, & Innocent. suprà. Alba *Innocen.* dicitur significare diuinitatis splendorem à sancto German. in Theor. rerum Ecclesiast. vel gloriā Dominicę resurrectionis à Stephano Heduensi, loco citato, vel certe vestē albā, qua Herodes Christū illusit, vt ait Gabr. suprà, & Durand. in Rational. li. 5. c. 3. Cingulū (ait German. suprà) est ad indicādū decorem ac fortitudinē, quam Christus Dominus induit, & præcinxit se. Alij vero dicūt, significare funes seu vincula, quibus Christus in horto primum ligatus est, vel certè flagella, quæ Christi corpus ambierunt. Manipulus (ait Bonauen. suprà) significat humanitatē Christi in hac vita, vel pugnā eius pro iustitia. Stola obedientiā repręsentat, qua Christus crucē sustinuit, vt aiunt Rupert. Innocent. & alij supra; vel, vt Bonauen. ait, designat Christi pas- *S. Germ.* sionē, quā debet sacerdos in pectore & corde semper ferre. Casula apud sanctum Germ. suprà, indicat vestē coccineā seu purpureā, qua Christus ob militū irrisionē indutus est; vel, vt alij volūt, designat tunicā Christi incōsutilē, quā Christus exutus est, vt crucifigeretur: nā etiā extēsio manuum sacerdotis extra casulā, extensionē Christi in cruce denotare dicitur. Hæc ergo & multa alia mysteria in prædictis vestimentis declarāt autores citati: ex quibus satis constat institutionem hanc religiosam esse, & huic sacro mysterio valde cōuenientem. Dixi, hæc sex indumenta esse præcipua & propria huius mysterij, de quo nūc agimus; nā præter hæc sunt in Ecclesia aliæ vestes sacræ, quæ vel non sunt propriæ sacerdotū, vel non sunt ad sacrificiū peragendū necessariæ, vt sunt superpelliciū, quod inter vestimenta sacra numerari potest, quia, licet nō benedicatur, tamen ad munera clericalia deputatum est, & sacrā significationē habere potest, indicat enim vitę innocentiā & puritatē, co tamē omnes clerici ad sacra ministeria vti possunt, ad sacrificandū vero necessariū nō est, quāuis, si cōmode indui potest ante sex vestes supra numeratas, congruū sit ita fieri, vt in Missali admonetur. Aliud indumentū est Dalmatica, cuius vsus antiquissimus est in Ecclesia, nā, vt suprà visum est, à tēporibus Eutychiani mentio il- *Cyprian.* lius reperitur, Et Cyprian. vt in eis gestis refertur, martyriū subiturus Dalmatica se expoliauit; & Au- *Aug.* gust. lib. q. veter. & noui testam. q. 46. dicit, *Leuitas vti solere Dalmaticis*, quod à tēporibus Syluest. initium sumpsit vt ex gestis eius cōstat; & ex Cōc. *Conc. Rom.* Rom. sub Syluest. can. 6. prius enim Episcopi tantū Dalmaticis vtebantur: imo aliquando id etiam Episcopis non licuit absq; sumi Pontificis licentia, vt colligere licet ex Greg. lib. 7. epist. 111. nunc autē illis tam Diaconi, quā subdiaconi vtuntur. Ad Missam autem dicendam soli Episcopi interdū eis vtūtur sub casula in solenni & Pontificali Missa; qui etiam vtuntur sandalis, chirothecis, annulis, mitra, baculo, & alijs insignibus, quæ ad nostrū institutū nunc non spectāt, de illisq; latissime tractat Durāt. lib. 2. de ritib. Eccl. c. 9. ex quo nonnulla ex his quę diximus mutuati sumus.

Secundo obseruandum. Secūdo est obseruādum circa materiā horum ve- A stimentorū; nihil reperiri expresse præscriptum in Ecclesiasticis decretis; & ideò cōsulendus est vsus, ex quo, & ex modo loquendi antiquorū de his vestimentis, colligitur, Amictū & Albam ex linea materia cōfici debere. Vnde Raban. de instit. Cleri. c. 15. & Alcuin. suprà, dicūt, Amictū corrispōdere superhumerali, seu Ephod. Bad, quo sacerdotes & Leuitæ in veteri tabernaculo & tēplo vtebātur, quod lineū erat, vt ex Agust. colligitur, lib. 7. q. in Iudicum q. 41. & ex Hieronym. lib. 1. cont. Iouinian. ali quantulū à principio, & epist. 128. ad Fabiolam, de veste sacerdorali, & Epist. 130. ad Marcellā, qui in hoc distinguunt Ephod Pontificale à sacerdotali seu leuitico, quod illud ex quatuor rebus contextū erat, hoc vero erat lineū; cui noster amictus respondere dicitur; & quidem, si vsus eius attentè cōsideretur, hęc est ad illū aptissima materia. Alba etiā B linea esse debet, vt constat ex Rabano supra, & ex Innoc. lib. 1. de hoc mysterio, cap. 36. & ex Ruperto lib. 1. de diuin. offic. c. 20. Vnde correspōdere censetur vesti sacerdotū veterū *Poderis* dicta est, & linea erat, vt cōstat ex Hierony. dict. epist. 128. vnde & Isidor. lib. 19. Etymolog. c. 21. *Poderis* (inquit) *est tunica sacerdotalis linea vsque ad pedes descendens*: imo hinc videtur hæc vestis *Alba* dicta, imo & vulgo *camisia* vocari solet, vt Isidorus notat, quæ omnia denotant ipsam futuram lineam, & hæc materia apta est, tā ad vsum, quā ad significationē huius vestis. Circa alia vero quatuor indumenta nihil inuenio de illorum materia à veteribus indicatum; & ideo certū est, posse esse vel lineam, vel laneam, vel sericā, vel ex quacūque alia simili materia, dum modo id tātum seruetur, quod apta sit ad tegendū C humanū corpus, tanquā eius indumentū seu vestimentum, nā cū hæc instituta sint tanquā vestimenta sacerdotalia, oportet, vt saltem constent ex materia ad hūc vsum apta. Nullus autem color certus ac determinatus est de essentia talis materiæ, quamuis ex cōgruitate quadam ordinatū sit, vt hæc indumēta certis quibusdam tēporibus seu festiuitatibus certi etiam coloris existant, vt ex Missali constat; vbi nec propriū etiam præceptum traditur, sed regula tantum directiua.

Tertio obseruandum. Tertiò obseruandum est circa formā horū vestimentorum, duplicē distingui posse, vnā artificialē, alterā moralē seu sacrā. Prior consistit in figura, de qua nihil aliud dicendum occurrit, nisi in hoc seruandā omnino esse Ecclesiasticā formā: nā, sicut in alijs rebus artificialibus vt sic, essentialis forma est ipsa figura, ita & in his vestimentis. Quaprop- D ter, si illa notabiliter varietur, vel destruatur, non erunt vestimenta sacerdotalia, quæ vt essent determinata, necessarium fuit, vt determinatā formā haberent, quā, tam ad vsum, quam ad significationē, aptam esse oportet: huiusmodi autem esse hanc Ecclesiasticam formam, satis ex dictis cōstat. Posterior autem forma est benedictio, quæ ex institutione Ecclesiæ necessaria est in prædictis sex vestimentis, vt cōstat ex c. Vestimenta. de Consec. d. 1. & ex vsu, & ex Pontificali Romano: de hac autē benedictione idem iudicium est, quod de alijs ornamentis altaris, de quibus supra dictum est. Pertinet enim ad essentiam eius vt iuxta ritum Ecclesiæ fiat, qui habetur in Pontificali, & quod fiat à legitimo ministro qui est Episcopus, vel simplex sacerdos habēs priuilegium ad hoc, vt supra dictum est. & latè Sylu. verbo, Benedictio. quæst. 4. qui addit. quæst. 6. Vestes

Universidad de Deusto
Biblioteca

De duratione benedictionis sacrarum vestium quid sentiendum.

ab Episcopo schismatico benedictas, iterum esse benedicendas, quod nullo iure probat; & mihi valde incertũ est; sed de hoc alibi latius. Similiter de dutatione huius benedictionis eodem modo loquendum est, sicut de alijs rebus sacris supra diximus; nã si ita dissoluantur, vt figura amittatur vel inepta sint ad vsum sacrum, amittitur benedictio, arg. c. Quod in dubijs. de Consec. Eccles. vel altaris. Vnde si manica Albæ omnino separetur, perditur benedictio: vnde, licet postea assuatur, iterum benedicenda est, secus vero erit, si priusquam figura seu forma destruatur vestis ipsa reficiatur paulatim, & assuatur, quia tunc semper vestis censetur manere eadem 3 &, quamuis aliqua pars addatur non benedicta, nihilominus tota vestis semper censetur manere benedicta, & accessorium sequi reliquum, quod principale est, sicut supra dictum est de templis; & ita in præsenti docent Palud. d. 13. q. 2. & 24. q. 3. Sylu. supra cum Gloss. dicto c. Quod in dubijs; qui etiam addunt, si cingulum omnino frangatur, ita vt neutra eius pars per se sufficiat ad cingendum, amittere benedictionem, & ideo nõ posse iterum vsum venire, etiam si reficiatur: secus vero esse, si post ruptionem altera pars est sufficiens, nã in illa manet benedictio, sicut supra dictum est de altari si vero, antequam omnino diuidatur, reficiatur, vel etiam modo aliquo connectatur, sufficiet ad vsum, quia nondum formam amisit, nec benedictionem. Kursus dicunt prædicti autores, posse stolam deseruire loco cinguli, quia habet sufficientem formam ad illum vsum, nec cingulũ determinat sibi aliquã aliam specialẽ figuram, & eadem ratione potest stola in manipulum commutari, quia sunt eiusdem figuræ, & maior vel minor longitudo non refert, si vsum non impediat; qua propter etiam manipulũ posset loco stolæ apponi, vt ait Paludanus si sufficientem contingat habere longitudinem. Denique si hæ vestes duplices sint, id est ex duplici parte interiori & exteriori cõstãtes, singulæ partes benedictæ manẽt etiã si inter se separẽtur, quia vtraque per se est integra casula, vel stola, &c. cõstat enim sufficiẽte materia, & habet integrã formã, & ideo ita benedicuntur, ac si essent plures casulæ, vel stolæ, quæ simul possunt vna benedictione benedici. Vltimo, de reuerentia & veneratione, qua hæ vestes tractandæ sunt, idem iudicium est, quod de alijs rebus sacris, tam quoad actus negatiuos, quam quoad positiuos, vt in sectione vltima disputationis præcedentis sectionis delarauimus.

SECTIO III.

Vtrum teneatur sacerdos sub præcepto non facere sacrum sine vestibus sacris.

Doctorũ cõsors sum.

IN hac re pauca dicenda occurrunt, suppositis his quæ supradiximus de loco, & vasis sacris: eadem enim doctrina, proportione seruata, hic applicanda est. Primo ergo omnes Doctores conueniunt, sex vestimenta supra numerata esse simpliciter necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici ad hoc sacrificium celebrandum: ita, vt si non solum omnia, sed aliquod eorum voluntariè omittatur, peccatum mortale sit. Ita Palud. Soto, & omnes in 4. d. 13. Sylvest. verb. Missa. 1. & ibi alij Sũmistæ. Nauar. c. 23. n. 84. Qui ad hoc præceptum probandum solum afferunt c. Ecclesiastica. d. 23. vbi præcipitur Sacerdoti, sub pœna excommunicationis, vt cũ sacrificat, stola vtatur; quod caput sumptum est ex Cõc. Brach. l. 11. c. 3. cuius verba supra cituimus ex quo sumi potest argumentum á simili vel á pari tate rationis ad cætera vestimenta: quod tamen argumentũ videtur inefficax ad probandũ præceptum & præterea in illo textu est specialis difficultas quia eodem modo præcipitur sacerdoti vsus stolæ ad communicandum, sicut ad sacrificandum: diximus autem supra, illud præceptum non obligare sub mortali in ordine ad communionem: ergo neque in ordine ad sacrificium inde colligitur sufficienter præceptum. Quo circa fundamentum huius præcepti maximè sumendum est ab vniuersali consuetudine & obseruantia Ecclesiæ, quæ hunc ritum obseruat, tanquam necessarium, & maximè pertinentẽ ad reuerentiam huius sacramenti, & hoc modo potest etiam induci prædictum decretum: nã illa lex retenta est quoad vsum stolæ, & aliorũ vestimentorũ in sacrificio, nõ vero extra illud. Et confirmari potest; quia eadem est ratio de his vestibus sacris, & de alijs ornamentis altaris, quæ ex præcepto necessaria esse diximus. Colligitur denique hoc præceptũ ex c. Vestimenta de Consec. d. 1.

Cõc. Brach. 5.

2. Coucl.

Secundo dicẽdũ est, necessariũ, etiã ex præcepto esse vt hæc vestes sint benedictæ. Ita docent citati autores, & reliqui omnes. Fundamentũ est idẽ, scilicet, quia hæc est consuetudo Ecclesiæ. Addit vero Scot. in 4. d. 13. q. 2. in quibusdam locis consuetudinẽ obtinuisse, vt nõ oporteat, cingulũ benedici, & ideo licitũ videri, vti cingulo nõ benedicto, & cõsentit. Rich. ibi. ar. 3. q. 4. Sed hæc sententia, vt notauit Nauarrus suprà, non videtur tuta: quia in Pontificali Romano eodẽmodo assignatur benedictio pro cingulo, sicut pro alijs vestimẽtis: & quãtũ mihi constare potest, eadem est in hoc cõsuetudo de cingulo, quæ de alijs. Dubitari vero solet primo, an hoc præceptũ tã rigorosè obliget, vt neq; propter mortis periculũ liceat sine his vestibus sacrificare: nã Cajet. 1. 2. q. 96. artic. 4. ita affirmare videtur. Quod durũ visum est Nauar. loco supra citato. Sed nihilominus illa sententia, moraliter intellecta, vera est de qua satis diximus in superioribus agentes de materia remota huius sacrificij, est autẽ intelligẽda de omnibus vestimentis simul; ita vt Missa dicatur solis cõmunibus & vsualibus vestimentis, quod fieri non potest sine scãdalo, & sine periculo magnæ irreuerentiæ. Prætermittere autẽ in casu necessitatis vnum vel alterũ ex his vestimentis, præsertim ex minoribus, vt stolam vel cingulũ, viri graues censent non esse peccatum mortale.

Scotus.

Richard.

Dubium. 1.

Secundo dubitari solet, an interdũ possit excusari à mortali huiusmodi transgressio. Respondetur, dupliciter posse intelligi huiusmodi lapsũ excusari à culpa mortali, primo ex leuitate materiæ: & hoc modo nõ potest propriè hic intercedere talis excusatio: quia omnes autores docẽt, omissionẽ cuiuscũq; vestis ex sex prædictis, esse sufficientẽ materiam peccati mortalis nõ potest autẽ esse minor materia, quam sit omissio vnius vestis, amictus aut cinguli, verbi gratia. Nisi quis dicat, posse aliquem vti veste non benedicta, & illam esse minorem materiam: sed re vera non est iuxta cõmunem etiam sententiam: quia vestis non benedicta perinde existimatur ac vestis non sacra. Aliter posset dici parua materia, si quis vteretur omnibus vestimentis benedictis, tamen immundis ac nimiũ laceris. Sed in primis hoc non est contra præceptum, de quo agimus: quia ille re vera vtitur omnibus vestibus præce-

Dub. 2.

præcepis iure positiuo: sed erit contra præceptum naturale sanctè & reuerenter tractandi res sacras: in quo fateor sæpissimè posse peccari venialiter, quamuis Sylu. verbo Missa. 1. q. 2. §. 3. dicat, esse peccatũ mortale, si vestes (inquit) sint enormiter immundæ, quia est contra præceptum Ecclesiasticũ, latũ in ca. 2. de Custodia Eucharistiæ, sed ibi magis est sermo cum ministris vel pastoribus Ecclesiæ, ad quos pertinet cura & custodia rerũ sacrarũ, quam cuiscerdotibus, qui eis vtũtur vestibus quib⁹ possunt, seu quas in Ecclesia inueniunt; & ideò grauitas huius culpæ magis ex ipsa rei natura, quàm ex iure positiuo pruderer dijudicanda est. Ex alio capite potest excusari hæc culpa à mortali lapsu, vel etiã omnino à ratione culpæ, ex defectu voluntarij; & hoc modo dicũt omnes, si hoc accidat ex oblitione quadam naturali, vel negligentia, excusari á culpa, præsertim mortali. Ita dicit specialiter Soto. d. 13. q. 2. art. 3. ad 8. & art. 4. Et videtur indicare in hoc esse aliquid speciale: quia hæc obligatio est de iure positiuo, & eodẽ ferè modo loquitur Vict. in sum. nu. 98. Cajet. verbo, Missæ celebratio. Sed ego in hoc nihil inuenio speciale, quia non est maior ratio de hoc præcepto positiuo, quã de alijs: quia pro ratione inaduertẽtiæ, vel negligẽtiæ erit maior vel minor excusatio, siergo inaduertẽtia sit prorsus naturalis, quia, vel illud nõ venit in mentẽ, vel bona fide existimatũ est, nõ oportuisse maiorẽ aliquã diligentiã adhibere, &c. excusabit ab omni culpa: si verò negligentia fuerit culpabilis, leuiter tamẽ & absq; perfectã aduertẽtia & voluntate, excusabit à peccato mortali, quamuis nõ á veniali. Si verò sit crassa & supina, nõ excusabit á mortali, vt Cajet. etiã fatetur. Et ratio est, quia nõ tollit sufficiẽs volũtariũ, & alioqui præceptũ est validũ, & hæc est regula seruanda in omnibus præceptis, & ideò dixi, formaliter nullã esse differẽtiam, quãuis fortasse materialiter cõtingat, in hac materia facilius accidere naturalẽ inaduertentiã aut negligẽtiã minùs culpabilem: quia, regulariter loquendo, bona fide proceditur, accedendo ad locũ, vbi solẽt esse omnia vestimenta sacra & benedicta. Tertiò dubitari solet, an in hoc aliqua obligatio occurrat circa vestes vsuales, quibus accedere debet sacerdos indutus, vt sacris vestibus superinduatur. Et primùm de calceis solet inquiri, an sit peccatũ, nudis pedibus facere sacrum, ita vt oporteat accedere calceatum. De quæ re nullum ius scriptum reperio, tamen consuetudo hæc esse videtur, quòd sacerdos ad altare sine calceis, sandalijs, vel aliquid huiusmodi non accedat, & ita seruandum est, & sentit Sylvest. esse præceptum, citãs directoriũ, & idem significant Scotus & Rich. suprà citati, qui aduertũt nõ oportere, calceos esse benedictos, quod certissimũ est. Nam hæc consuetudo non videtur introducta propter aliquã sactã significationẽ, seu ceremoniã, sed ppter maiorẽ honestatem ac decentiã. Secus autem est de sandalijs, quibus Episcopi vtũtur, vt constat ex Pontificali, & ex Bernard. Epist. 42. & Innoc. 3. in epist. ad Patriachã Constantin. & ex Greg. in c. Peruenit. d. 93. ex lib. 7. epist. epist. 18. vbi significatur, inferioribus Clericis non licere vti sandalijs seu compagis, quanquam, vt Alcuinus suprà refert, olim sacerdotes sandalijs etiã vterẽtur, quãuis diuersis ab illis quibus Episcopi vtũtur, in quibus varia mysteria & significationes, tam ipse Alcuinus, quã alij scriptores de rebus Ecclesiasticis cõsiderant. Sed iam vsus ille sandaliorum in sacerdotibus cessauit, vsus autem

Sylvest.

Soto.

Victoria. Cajet.

Cajet.

Regula in omnibus præceptis seruãda

Dubium. 3.

Sylvest. Scotus. Richar.

Bernar. Innoc. 3. Gregor.

Dubium. 4.

calceorum, vt dixi, non ad ceremoniam, sed ad decentiam pertinet. Vlteriùs verò inquiri solet, an é cõtrario necessariũ sit, caput sacerdotis sacrificantis nudum, seu discoopertum esse, ita vt nonnullum peccatum sit, cooperto capite, celebrare. Respondetur, circa hoc reperiri prohibitionem in iure, cap. Nullus. de Cons. d. 1. vbi, tam Episcopus, quàm Presbyter, aut Diaconus ad solennia Missarum celebrãda, prohibetur introire cum baculo, aut velato capite altari Dei assistere, &, qui temerè præsumpserit, cõmunione priuari iubetur, & est decretum illud Zachariæ Papæ in Synodo Rom. cap. 13. Vnde, per se loquendo, hoc fieri nõ potest sine peccato absque dispensatione, quæ in cæremoniali Romano exigi videtur. Nihilominùs tamẽ, si grauis infirmitas aut necessitas id exigeret, nec posset tam facilè dispensatio postulari, id fieri posset sine graui culpa, vt notat Sylvest. verbo, Missa, 1. quæst. 2. §. 1. & fauet citatus textus in verbis illis, *qui temere præsumpserit*, & hoc maximè verum est, quando talis necessitas, & celebrandi modus non est continuus, sed solùm semel aut iterum occurrit, & tunc etiam obseruandũ est, vt secretò sacrum fiat ad tollendum scandalum. De reliquis verò corporis indumentis nihil inuenio esse specialiter præceptum, sed id est obseruandum, quod in Missali admonetur, scilicet, vt sacerdos accedat decenter vestitus, ita vt superior vestis talum pedis attingat, quantum commodè fieri possit. Vltimò occurrebat hic dicendum, de vsu aliorum vestimentorum sacrorum, vt de his, quibus vti debent Diaconus, vel Subdiaconus in Missa solenni, & similibus. Sed in hoc nihil speciale occurrit dicendũ, sed solùm seruandam esse Ecclesiæ consuetudinem, & si aliquid contingat omitti, cauendum esse scandalum vel contemptum, nam ex aliquo horum capitur facilè potest peccatum mortale cõmitti: aliàs verò ferè semper erit veniale, nisi materia sit admodùm grauis, & quæ nimiam aliquam irreuerentiam includere videatur.

Quæstio facti est.

Zachar. P.

Sylvest.

ARTICVLVS IIII.

Virum conuenienter ordinentur ea, quæ circa hoc sacramentum dicuntur.

4. ar. 1. q. 1. ar. 5. q. 1. ad secundũ Etd. 8. in expo. lit. & d. 13. in expos. lit. principio & d. 15. q. 4. ar. 3. q. 1. cor. Et 1. Tim. 2. lect. 1. col. 2. in princ.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter ordinentur ea, quæ circa hoc Sacramentum dicũtur. Hoc enim sacramentum verbis Christi consecratur, vt Ambros. dicit in lib. de Sacramẽtis. Non ergo debent aliqua alia in hoc sacramento dici, quàm verba Christi.

2. Præterea, Verba & facta Christi nobis per Euangelium innotescunt. Sed quædam dicuntur circa consecrationẽ huius sacramẽti, quæ in Euangelijs non ponũtur, nõ enim legitur in Euangelio, quod Christus in consecratione huius sacramenti oculos ad cælũ leuauerit, similiter etiã in Euãgelijs dicitur, Accipite, & comedite, nec ponitur omnes, cũ in celebratione huius sacramenti dicatur: Eleuatis oculis in cælum, & iterum, Accipite & manducate ex hoc omnes. Inconueniẽter ergo huiusmodi verba dicuntur in celebratione huius sacramenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ 3 Præterea, Omnia sacramenta ordinantur ad salutem omniũ fideliũ. Sed in celebratione aliorũ sacramentorũ, non fit cõmunis oratio pro salute fideliũ defunctorũ. Ergo inconuenienter fit in hoc sacramento.

¶ 4 Præterea, Baptismus dicitur specialiter fidei sacramentum. Ea ergo, quæ pertinẽt ad instructionẽ fidei magis debẽt circa baptismũ tradi, quàm circa hoc sacramentũ, sicut doctrina Apostolica & Euangelica.

¶ 5 Præterea, In omni sacramento exigitur deuotio fideliũ: Nõ ergo magis in hoc sacramento, quã in alijs deberet excitari deuotio fideliũ per laudes diuinas, & per admonitiones, putà, cũ dicitur: Sursum corda.

¶ 6 Præterea, Minister huius sacramenti est sacerdos, vt dictũ est. Omnia ergo, quæ in hoc sacramento dicuntur, à sacerdote dici deberent, & non quædam à ministris, quædam à choro. *q.82. ar.1*

¶ 7 Præterea, Hoc sacramentum per certitudinem operatur virtus diuina. Superfluè ergo sacerdos petit huius sacramenti perfectionem, cùm dicit: Quam oblationem tu Deus in omnibus, &c.

¶ 8 Præterea, Sacrificiũ nouæ legis multò est excellẽtius, quàm sacrificium antiquorum Patrum. Inconueniẽter ergo sacerdos petit, q hoc sacrificiũ habeatur, sicut sacrificiũ Abel, Abrahæ, & Melchisedech.

9 Præterea, Corpus Christi, sicut non incipit esse in hoc sacramento per loci mutationem (vt suprà dictum est) ita etiam nec esse desinit, Inconueniẽter ergo sacerdos petit, Iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum. *q.75.ar.2.*

De cõsec. d. 1. c. Iacobus frater Dñi.

SED contra est, quòd dicitur de Consec. dist. 1. Iacobus frater Dñi secundũ carnẽ, cui primũ credita est Hierosolymitana Ecclesia & Basilius Cæsariẽsis Episcopus addiderunt Missæ celebrationẽ. Ex quorũ auctoritate patet, conuenienter singula circa hoc dici.

RESPONDEO dicẽdum, quòd quia in hoc sacramento totũ mysterium nostræ salutis cõprehẽditur, ideò præ cæteris sacramẽtis cum maiori solẽnitate agitur. Et quia scriptum est, Ecclesiast. 4. Custodi pedẽ tuũ, ingrediens domũ Domini, & Ecclesiast. 18. Ante orationẽ præpara animam tuam, ideò ante celebrationem huius mysterij, primò quidẽ præmittitur præparatio quædam ad dignè agenda ea, quæ sequuntur. Cuius præparationis prima pars est laus diuina, quę fit in introitu, secundum illud Psalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Et sumitur hoc vt pluries de Psalmis, vel saltem cum Psalmis cantatur, quia, vt Dionysius dicit in. 3. cap. Eccles. hierarchiæ, Psalmi comprehenduat per modum laudis, quicquid in sacra Scriptura continetur. Secunda pars continet commemorationẽ præsentis miseriæ, dum misericordia petitur, dicẽdo, Kyrie eleison, ter quidem pro persona Patris, ter autẽ pro persona Filij, cùm dicitur, Christe eleison, & ter pro persona Spiritus sancti, cum subditur Kyrie eleyson, cõtra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ: vel ad significandum, quod omnes personæ sunt in se inuicem. Tertia autem pars commemorat cælestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam & miseriam, dicendo, Gloria in Excelsis Deo, quę cantatur in festis, in quibus commemoratur cælestis gloria: intermittitur autem in officijs luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinẽt. Quarta autem pars continet orationem, quam sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis mysterijs. Secundò autem præmittitur instructio fidelis populi, quia hoc sacramentum est mysterium fidei, vt suprà habitũ est. Quæ quidem instructio dispositiue quidem fit per doctrinam Prophetarum & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores & Subdiaconos. Post quam lectionem cantatur à choro Graduale, quod significat profectum vitæ, & Alleluia, quod significat spiritualem exultationem, vel tractus in officijs luctuosis, qui significat spiritualem gemitũ: hæc enim consequi debẽt in populo ex prædicta doctrina. Perfectè autem populus instruitur per doctrinam Christi in Euangelio contentam, quæ à summis ministris legitur scilicet à Diaconibus. Et quia Christo credimus, tanquam diuinæ veritati (secundum illud Ioan. 8. Si veritatẽ dico vobis, quare non creditis mihi?) lecto Euangelio, Symbolum fidei cantatur, in quo populus ostendit, se per fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autẽ hoc symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi, & beatæ Virginis, & Apostolorum (qui hanc fidem fundauerunt) & alijs huiusmodi. Sic igitur populo præparato & instructo, consequenter acceditur ad celebrationẽ mysterij, quod quidem & offertur vt sacrificium, & consecratur & sumitur, vt sacramentum. Vnde primò peragitur oblatio, secundo consecratio materiæ oblatæ. Tertiò eiusdem perceptio. *q.78.ar.3.*

Ca. 3. Eccl. hier. inter principium & medium.

Circa oblationem verò duo aguntur, scilicet, laus populi in cantu offertorij (per quod significatur lætitia offerentium) & oratio sacerdotis, qui petit, vt oblatio populi sit Deo accepta: vnde & 1. Paralipomen. 29. qui dixit Dauid. Ego in simplicitate cordis

dis mei lætus obtuli vniuersa hæc, & populũ tuũ, qui hic repertus est, vidi cum ingẽti gaudio tibi offerre donaria, & postea orat, dicẽs: Domine Deus custodi hanc voluntatẽ. Deinde circa consecrationem, quæ supernaturali virtute agitur, primò excitatur populus ad deuotionem in præfatione, vnde & monetur sursum corda habere ad Dominũ. Et ideo, finita præfatione, populus deuotè laudat diuinitatem Christi, cum Angelis dicẽs. Sanctus, Sanctus, Sanctus: & humanitatẽ cum pueris dicens, Benedictus, qui venit. Deinde sacerdos secretò commemorat, primò quidem, pro quibus hoc sacrificiũ offertur, scilicet, pro vniuersali Ecclesia, & pro his, qui in sublimitate sunt constituti. 1. Timoth. 2. & specialiter quosdam, qui offerũt, vel pro quibus offertur. Secundò commemorat sanctos, quorũ patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit, communicantes & memoriam venerantes, &c. Tertiò, petitionem concludit, cum dicit, vt hæc oblatio sit illis, pro quibus offertur, salutaris. Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit, quam oblationem tu Deus, &c. Secundò, cõsecrationem peragit per verba Saluatoris, cùm dicit. Qui pridie, &c. Tertiò, excitat præsumptionẽ per obedientiam ad mandatum Christi, cùm dicit. Vnde & memores. Quartò petit, hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cùm dicit. Supra quæ propitio, &c. Quintò petit huius sacrificij & sacramenti effectum. Primò quidem, quantum ad ipsos sumentes, cùm dicit. Supplices te rogamus. Secundò, quãtum ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cùm dicit, Memento etiam Domine, &c. Tertiò, specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cùm dicit. Nobis quoq; peccatoribus. Deinde agitur de perceptione sacramenti, & primò præparatur populus ad percipiendum. Primò quidem, per orationem communem totius populi, (quæ est oratio Dominica, in qua petimus, panem quotidianum nobis dari) & etiam priuatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cùm dicit. Libera nos quæsumus Domine, &c. Secundò præparatur populus per pacem, quæ datur, dicendo: Agnus Dei. Est enim hoc sacramentum vnitatis & pacis, vt suprà dictum est. In Missis tamen defunctorum in quibus sacrificium offertur, nõ pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur preceptio sacramenti, primò percipiente sacerdote, & postmodũ alijs dante, quia, vt Dionysius dicit. 3. ca. Eccles. Hierar. ille, qui alijs diuina tradit, primò debet ipse particeps esse: vltimò autẽ tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultãte pro sumptione mysterij (quod significat cãtus post communionẽ) & sacerdote per orationẽ gratias offerẽte sicut & Christus, celebrata cœna cũ discipulis hymnum dixit, vt dicitur Matthæi. 26. *q.79.ar.1. & q.73.ar tic.4.* *C.3. Eccl. hier. nõ multum procul a fine.*

AD primum ergo dicendum, quòd consecratio solis verbis Christi conficitur. Alia verò necesse est addere ad præparationem populi sumentis, sicut dictum est.

AD secũdum dicendũ, quòd, sicut dicitur Ioan. vlt. Multa sunt à Domino facta vel dicta, quæ Euangelistæ non scripserunt. Inter quæ fuit hoc, quòd Dominus in cœna oculos leuauit in cælum, quod tamẽ Ecclesia ex traditione Apostolorũ habuit. Rationabile enim videtur, vt, qui in suscitatione Lazari vt habetur Ioan. 11.) & in oratione, quã pro discipulis fecit, Ioan. 7. oculos leuauit ad Patrẽ, in huius sacramenti institutione multò magis hoc fecerit tã quã in re potiori. Quod autẽ dicitur, Mãducate & cõmedite, non differt quantum ad sensum, nec multum refert quòd dicatur, in præsenti, cum verba illa nõ sint de forma, vt suprà dictum est. Quod autem additur, omnes, intelligitur in verbis Euãgelij, licet non ex primatu: quia ipse dixerat, Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. *In cor. infi. tio.* *q.78.ar.3. & ar.1.ad 2.argum.*

AD tertiũ dicẽdũ, quòd Eucharistia est sacramẽtũ totius Ecclesiasticę vnitatis. Et ideo specialiter in hoc sacramẽto magis, quàm in alijs, debet fieri mẽtio de omnibus, quæ pertinent ad salutem totius Ecclesiæ.

AD quartũ dicẽdũ, quòd instructio fidei est duplex. Vna, quæ fit nouiter imbuẽdis, scilicet, catechumenis: & talis instructio fit per baptismũ. Alia autẽ est instructio, qua in struitur fidelis populus, qui cõmunicat huic mysterio, & talis instructio fit in hoc sacramẽto. Et tamẽ ab hac instructione nõ repelũtur etiã catechumeni & infideles. Vnde dicitur de cõsec. distin. 1. Episcopus nullũ prohibeat ingredi in Ecclesiã, & audire verbũ Dei, siue Gẽtilẽ, siue hæreticũ, siue Iudẽũ vsq; ad Missã catechumenorũ, in qua scilicet continetur instructio fidei. *Alias circa.* *De consec. d. 1. c. 64. Episcopus.*

AD quintum dicendum, quòd in hoc sacramento & maior deuotio requiritur, quã in alijs sacramentis (propter hoc, quod in hoc sacramento totus Christus continetur) & etiam communior: quia in hoc sacramento requiritur deuotio totius populi Christi pro quo sacrificium offertur, & non solum percipientium sacramenum, sicut in alijs sacramentis. Et ideo, vt Cyprianus dicit, Sacerdos præfatione præmissa parat Fratrum mentes, *In li. de ora. dom. nõ mul tũ remotè ante finem.*

Universidad de Deusto Biblioteca

mētes, dicēdo, Sursum corda, vt, dū respōdet plebs, Habemus ad Dominū, admoneatur nihil aliud se, quàm Deum, cogitare debere.

In solu. ad 3. arg. in isto art.

AD sextum dicendum, quòd in hoc sacramento (sicut dictum est) tanguntur ea, quæ pertinēt ad totā Ecclesiam. Et ideò quædam dicuntur à Choro, quæ pertinet ad populū. Quorum quædam chorus totaliter prosequitur, quæ, scilicet, toti populo inspirantur. Quædam verò populus prosequitur, sacerdote inchoante, qui personam Dei gerit, in signum, quòd talia peruenerunt ad populū ex reuelatione diuina: sicut fides & gloria cælestis. Et ideò sacerdos inchoat Symbolū fidei, & Gloria in excelsis Deo. Quædam verò dicuntur per ministros, sicut doctrina veteris & noui testamenti, in signum, quòd per ministros à Deo missos, est doctrina hæc populis annunciata.

Quędam verò sacerdos solus prosequitur quæ, scilicet, ad proprium officium sacerdotis pertinent, vt, scilicet, dona & preces offerat pro populo, sicut dicitur, Hebr. 5. In his tamen quædā dicit publicè, scilicet, quæ pertinent, & ad sacerdotem, & ad populum, sicut sunt orationes cōmunes. Quædam verò pertinēt ad solum sacerdotem, sicut oblatio & consecratio, & ideò, quæ circa hæc sunt dicenda, occultè à sacerdote dicūtur: In vtrisque tamē excitat attentionem populi, dicendo, Dominus vobiscū, & expectat assensum dicentiū. Amē. Et ideò etiā in his, quæ secretè dicuntur, publicè pręmittit. Dominus vobiscū, & subiungit, Per omnia secula seculorum. Vel secretè aliqua sacerdos dicit, in signum, quòd circa Christi passionē, discipuli non nisi occultè confitebantur Christum.

AD septimum dicendum, quòd efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionē sacerdotis. Nec tamen est inconueniens, quòd à Deo petamus id, quod certissimè scimus ipsum facturū, sicut Christus Ioannis. 17. petijt suam clarificationē. Non tamen videtur ibi sacerdos orare, vt cōsecratio impleatur, sed vt nobis fiat fructuosa. Vnde signanter dicit. Vt nobis corpus & sanguis fiat. Et hoc significant verba, quæ præmittit, dicens. Hanc oblationem facere digneris benedictam, secundum August. id est per quam benedicamur, scilicet, per gratiam adscriptam, id est, per quam in cælo adscribamur: ratam, id est, per quam visceribus Christi traijciamur: rationabilem, id est per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilē, vt, qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio simus.

De conse. d. 2. cap. 72. Vtrum sub à medio.

AD octauum dicendum, quòd, licèt hoc sacrameutū ex se ipso præferatur omnibus antiquis sacrificijs, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum deuotione. Petit ergo sacerdos, vt sic hoc sacrificium acceptetur à Deo ex deuotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo.

AD nonum dicendum, quòd sacerdos nō petit, neq; quòd species sacramentales deferantur in cælum, neq; corpus Christi verum quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro corpore mystico (quod, scilicet, in hoc sacramento significatur) vt, scilicet, orationes sacerdotis & populi, Angelus assistens diuinis mysterijs, Deo repræsentet, secundum illud Apocalyp. 8. Ascendit fumus incensorū de oblationibus Sanctorum de manu Angeli. Sublime autem altare Dei dicitur, vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cuius participationē petimus, de hoc enim altari dicitur, Exod. 20. Non ascendes ad altare meum per gradus, id est, in Trinitate gradus nō facies. Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni cōsilij Angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit, & Ecclesiæ triūphanti. Et propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum, sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Vnde & in fine Missæ Diaconus in festiuis diebus, populum licentiat, dicens: Ite, Missa est, scilicet, hostia ad Deum per Angelum, vt, scilicet, sit Deo accepta.

DISPVTAT. LXXXIII.

De ritibus Missæ, qui in verbis consistūt.

HActenùs diximus de his, quæ Missam antecedunt, seu illi extrinsecùs adiacent, aut ad illam præparant, nunc dicendū sequitur de his, quæ in ipsa Missa fiunt, quæ possunt in verba & facta distingui, prout à D. Thoma, in hoc, & in art. sequente distinguūtur. Verba appellātur orationes omnes, quas sacerdos inter sacrificandum profert, vel publicè, vel secretè, item lectiones, benedictiones, & similia: facta verò appellamus, genuflexiones, manuum eleuationes, & alia signa, vel gestus, de quibus dicemus, disput. seq. hic enim solùm dicēdum est de his, quæ in Missa recitantur.

SECTIO I.

Vtrùm conueniens fuerit, præter verba cōsecrationis, aliqua alia adiungi, quæ in Missæ sacrificio dicerentur.

Hæretici canonem Missæ damnant.

HAEretici, qui alias ceremonias reijciunt, multò magis has, quæ in varijs orationibus ac deprecationibus consistunt, & præsertim dānant canonem Missæ, quem erroribus refertum esse dicunt. Vnde ipsi existimant, nihil addendum esse his, quæ Christus in cœna fecit, & ita ipsi celebrare dicuntur cœnam Dominicam, legendo solum historiam Euangelicam de illa cœna, & panem aut vinum

vinum consecrando, distribuendo, ac sumendo: specialiter etiam inuehuntur in quosdam peculiares ritus, quos Ecclesia seruat in his, quæ in Missa dicuntur, scilicet, quòd non vtitur lingua vulgari, quòd non omnia altè proferuntur, sed quædam summissè & similia, quæ posteà dicemus.

1. Conclus. de fide certa.

Principiò verò statuendū est, sanctè & religiosè potuisse Ecclesiam in celebratione huius sacrificij præter verba, quæ sunt de substantia illius, adiungere quædam alia, partim antecedentia, partim subsequentia, quæ vel ad Dei laudes & gratiarum actiones, vel ad populum instruendum in fide, vel ad deuotionem excitandam, vel ad eius petitiones, & vota Deo præsentanda, pertineant. Hæc est veritas certa de fide, quę satis probatur traditione & vsu Ecclesiæ. Potest autem in primis in hunc modum ratione declarari: nam, si in huiusmodi verbis omnibus, quæ huic sacrificio adiūguntur, nihil est superstitiosum id est, vel falsitatem continens, vel aliquid indecēs diuinam maiestatem & reuerentiam, vsus talium verborum per se consideratus, religiosus est, & sanctus, quòd autem hæc verba coniungantur cū actuali & substantiali oblatione sacrificij Eucharistici, ita vt totum id fiat per modum vnius moralis actionis sacræ, nihil etiam habet indecens, aut indecorum: ergo optimè potuit Ecclesia huiusmodi ritum instituere. Consequentia certa est ex principio suprà posito, & significato à Paulo. 1. ad Corinth. 11. dicēte, Cætera autem, cùm venero, disponam, & declarato à Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. scilicet, *dedisse Christum Ecclesiæ potestatem, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ, suscipientium vtilitati, vel ipsorum venerationi, magis expedire iudicaret.* Quanuis enim Concilium de sacramentis loquatur, sub illis sacrificium comprehendit, vt in superioribus dictum est, tum quia eadem est omnium ratio, tum etiam, quia vnum ex sacramentis ipsa actione sacrificandi conficitur, & ideò idem Conciliū sess. 22. cap. 4. 6. &. 8. & à can. 5. vsq; ad 9. definit, rectè fecisse Ecclesiam, hunc ritum instituendo, supponit ergo Ecclesiæ datam esse hanc potestatem. Et confirmatur ex ipso vsu: quāquam enim quidam vocent hanc diuinam institutionem, non est tamen existimandum, Christū immediatè per se ipsum ita hęc instituisse, sicuti substātiam sacrificij, constat enim id esse falsum ex dictis suprà, disp. 74. sect. 3. & quæ ibi citauimus: sed intelligendum est, hāc institutionem manasse à Christo mediatè, quatenus ipse dedit potestatē Apostolis, eam faciendi, & fortasse, quia etiā dedit præceptum generale ordinādi ea, quæ ad cōuenientē vsum huius mysterij expedirēt, quāuis modū & determinationē eorū eis reliquerit. Vel deniq; quia credendū est, ipsummet Christū per Spiritū sanctum Apostolis, & Ecclesiæ inspirasse ea, quæ ad hūc ritum pertinent, vt videbimus. Maior propositio, prout in hoc discursu sumpta est, cùm tantùm sit conditionalis, per se nota ex terminis est, suppositis alijs principijs fidei: nā Deo gratias agere pro beneficijs acceptis, ex obiecto religiosum & sanctū est, & similiter orare Deum, instruere populum in rebus fidei, & similia: ergo, si in his rebus seu verbis nihil falsum, vel superstitiosum miscetur, ex se honestus, & sanctus erit eorū vsus: igitur solùm superest, vt videamus, an in hoc ritu Ecclesiæ, huiusmodi cōditio seruetur, quod statim præstabimus. Priùs enim oportet alterā propositionem assumptam declarare & confirmare, nimirùm, si aliunde nihil est irreligiosum in huiusmodi verborū ritu, neq; etiā reprehēdi posse ex eo solùm, quòd cum substātia Eucharistici sacrificij cōiungatur, & ad hoc ordinetur, vt illud sacrificiū cū maiori decentia, & reuerentia Dei, nostraq; maiori vtilitate fiat.

D. Paulus. Conc. Trid.

Sacrificium Eucharisticum est sacrificium laudis & gratiarū actionis.

Nam primò vnde potest in hoc malitia ostendi? nā ex sola natura rei hoc nullam habet inordinationē, cùm totus ille ritus religiosus esse supponatur, & consequenter maximā conueniētiā habeat cū hoc sacrificio: est enim hoc sacrificiū laudis, & gratiarū actionis, & ipsum per se est maximū Dei beneficiū: optimè ergo cū illo coniungitur gratiarū actio. Est itē sacrificium impetratoriū, & de se potens ad præstandā nostris petitionibus efficaciā: optimè ergo cum illo coniunguntur petitiones & orationes, non solùm pro offerentibus, sed etiā pro alijs, tam viuis, quàm defunctis; quia omnibus hoc sacrificium prodesse potest. Est denique sacrificium hoc, mysterium fidei, noui que testamenti cōfirmatio, & ideò aptissimè cum illo coniungitur instructio Christiani populi, circa res fidei, seu eiusdē fidei professio: in his ergo ex natura rei nulla est inordinatio. Neque etiam ex speciali prohibitione, vel diuina, vel Ecclesiastica, nulla enim talis ostendi potest, neque scripta, neque tradita: neque fuisset Ecclesiæ conueniens, quid enim vtilitatis in ea potest excogitari? Vnde è contrario possumus positiuè argumentari: quia huiusmodi ritus orandi, & in hoc sacrificio, inspirante Spiritu sancto, ab ipsis Apostolis inchoatus est, & posteà à Pontificibus & Concilijs auctus & confirmatus: est ergo sanctus & religiosus. Antecedens patet primò ex illo Paul. 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, &c.* Circa quem locū primò est obseruādum, dupliciter posse exponi, primò, vt illa quatuor verba, & præsertim tria priora, tanquam synonyma accipiantur, ita vt illa repetitio solū facta sit ad exaggerationem, & vehementiam orationis, vt Theod. ibi significabit, & sumi potest ex similibus verbis Pauli ad Philippen. 4. *Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum*, & ad Ephes. 6. *Per omnem orationem & obsecrationem orantes.* Quæ expositio probabilis est. Nihilominus tamen est secunda expositio, sicut illæ voces, tam Latinæ, quā Græcæ, diuersæ sunt, ita & per illas aliquid diuersum significari, quòd variè ab autoribus exponitur quidā aiunt, obsecrationem esse, quando petimus liberari à malis, orationē, cum aliquid Deo vouemus, postulationē verò, cum pro alijs petimus: ita Cassio. coll. 9. c. 11. 12. &. 13. Sed hoc nō placet D. Thom. neque habet fundamentum, vt ex dicendis patebit. Alij, obsecrationem exponunt etiam esse supplicationem, quæ fit, vt liberemur à malis: nā vox Græca, *Lensis*, hoc propriè significat orationem verò esse bonorū petitionē, Græcè, *Proseychis*, postulationes verò esse interpellationem, seu querimoniam, qua apud Deum conquerimur de his, qui nos iniuria afficiunt, vel ad malum impellunt: nam vox Grçca, *Entexis*, hoc etiā propriè significat. ita ferè Chrysost. Theoph. Oecum. Theod. Aliter D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 17. hæc quatuor distinguit, nā per orationē dicit significari, eleuationē mētis in Deū, quæ ad petitionē necessaria est, per postulationes verò, petitionē cuiuscunq; rei seu beneficij, prout nomē ipsum sonat, obsecrationē verò esse rationē aliquam, quam

Pauli testimonium expenditur. 1. Ad Ti. 2.

Theod.

Cassiodori expositio reijcitur.

Universidad de Deusto Biblioteca

Augus.

quam Deo proponimus, ad obtinendum ab illo aliquid, vt, cùm Ecclesia orat, *Per Natiuitatem tuam, &c.* gratiarum actio per se nota satis est: ait verò D. Thomas, adiungi petitioni, vt rationem ex parte nostra ad obtinendum à Deo aliquod beneficium, & hæc accommodat Diuus Thomas ad quatuor Missæ partes cū Glossa ordinaria. 1. ad Timoth. 2. Sed illa Glossa planè loquitur, iuxta mentem August. qui epist. 59. ad Paulin. illa quatuor accōmodat ad quatuor Missæ partes, vt videbimus, tamen, quid illa significent, obscurissimè exponit: videtur tamē per obsecrationē intelligere petitiones, quæ absque vlla oblatione fiūt, per orationes verò, petitiones, quæ fiunt cum aliquo voto seu oblatione, iuxta vim Græcæ vocis, nam, *Eychi*, votum significat, vnde, *Proseychi*, idest, oratio, quæ ad votum, seu cum voto vel oblatione fit: postulationes autē seu interpellationes nō exponit Aug. quid sint, sed solū, ait, tūc fiūt, cū populus à Sacerdote benedicitur, *Tunc enim Antistites, velut aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati*, indicare ergo videtur, interpellationem esse, quando post petitionem factā, & aliquod votū Deo oblatū ad petionē obtinendā, vehementiùs orationi insistitur, & familiariùs cū Deo agitur ad impetrandū, quod postulatum est. Sunt præter has aliæ horū verborum interpretationes, sed ad rem præsentem hæ sufficiunt.

Secundo obseruandum.

Secundò obseruandum est, hæc omnia, quæ Paulus eo loco fideles obsecrat, optimè posse ad singulorum priuatas orationes accōmodari: omnibus enim incumbit, pro omnibus orare, & pro Regibus, Principibus, & vniuerso mundo, quod facere vnusquisq; potest, & simpliciter orando seu petendo, & rationes aliquas interponēdo, vel vota offerēdo, vel orationi vehementiùs instando, vel gratias agēdo, vt, quod postulat, consequatur. Alio tamen modo possunt illa verba referri ad publicas orationes, eas præsertim, quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt, dum Missæ sacrificium offertur, & hoc modo intellectus hic locus maximè confert ad rem, de qua agimus, cōfirmandam: ex illo enim habemus, hunc ritum, saltem in communi, & quoad has orationis partes, esse à temporibus Apostolorum inchoatum. Est autē hic sensus consentaneus Paulo, qui non singulis loquitur, sed simpliciter obsecrat Timotheum, tanquam Episcopū, & Ecclesiæ pastorem, vt in eius Ecclesia illa omnia fiāt, scilicet, in quotidiano sacrificio, & communi oratione, atque ita interpretantur hunc locū sancti Patres, Chrysostom. homil. 6. sic inquit, *Quasi communis quidam totius orbis pater sacerdos est, dignum igitur est, vt omnium curam agat, omnibusque prouideat, sicut & Deus, cuius ministerio seruit, & fungitur vice: idcirco ait, Obsecro igitur, &c.* & infrà dicit, *hoc esse faciendum in obsequio quotidiano, perpetuoque diuinæ religionis ritu*: & inferius, hoc apertiùs declarans, dicit, ex hoc loco colligi, *Sacramentorum tempore, etiam pro Gentilibus oportere offerre, seu orare*, quia Reges tunc Gentiles adhuc erant: quā expositionem sequuntur Theoph. Oecumenius, & alij Græci, & insinuatur à Prosp. lib. 1. de vocat. Gent. c. 4. dum hunc locū exponit de cōmuni Ecclesiæ oratione, & idē significat Ambros. lib. 6. de sacrament. cap. vltim. & idē significat Tertul. in lib. ad Scap. cap. 2. dum alludens ad hunc locum, dicit, *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, Latiùs & distinctiùs Augu. dicta epist. 59. vbi, quatuor illa, quę Paulus numerat, quatuor partibus Missæ accōmodat, *& obsecrationes fieri dicit in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici, orationes, cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur*: quia, scilicet, tunc fit oblatio, *quam partem* (ait) *ferè omnis Ecclesia Domini ea oratione concludit*: vnde in reliqua parte, vsque ad consumptionem sacramenti, sentit, fieri postulationes, seu interpellationes. Vnde subiungit, *Quibus peractis, & participato sacramento, gratiarum actio cuncta concludit*. Quæ distributio est probabilis, & placet D. Thomę loco suprà citato. Fortasse tamē nō minùs probabiliter dici potest, illa omnia fieri in ministerio Missæ promiscuè, nunc petēdo, nūc obsecrando, nunc iterum atque iterum gratias agendo: nam ante consecrationem etiam reperimus non tantùm obsecrationes, sed etiā petitiones varias, in Collectis, & laudes Dei in Introitu & alijs versiculis, & præsertim in illo Hymno Ecclesiastico, *Gloria in excelsis*, & in Præfatione. Videtur enim Ecclesia in hoc imitata diuinū Spiritū, quo ipsa regitur: solet enim Spiritus sanctus hominem orantem, & aliquanto tēpore cum Deo colloquentē & familiariùs agentem, nunc ad suorum peccatorum confessionem, nunc ad diuinas laudes, nunc ad aliquid petendum, vel obsecrandum monere: posteà verò ad gratiarum actionem redire, & iterum ad peccatorum contritionē, prout ipse vult, & inspirat. Ita ergo in hoc sacro mysterio Ecclesia fecisse videtur, & ex illa varietate gratissimum Missæ officium composuisse. Vtcunq; verò exponamus, constat ex Paulo, adiunctis Sanctorū expositionibus, hunc morem coniungendi hunc ritū orādi cum substātia sacrificij, esse antiquissimū & probatissimum in Ecclesia. Id quod etiam cōstat ex liturgijs Græcis & Latinis, quæ partim tomo. 4. Bibliothecæ Sanct. referuntur, latiùs verò eas Pamel. congessit, præsertim verò ex liturgijs Iacobi, Basilij, & Chrysost. quorum testimonio vtitur Sexta Synod. Item, cōstat antiquitas huius ritus ex Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch. Clement. lib. 2. Constit. Apost. c. 54. & li. 8. c. 5. Iustino Apolog. 2. pro Christian. Cyrill. Hierosol. catech. 5. mystag. Tertull. toto lib. de Orat. Chrysost. homil. 18. in 2. ad Corint. Amb. 4. de sacram. c. 11. & ex alijs, quos statim cōmemorabimus, aliquid in particulari dicēdo de singulis partibus huius ritus. Neq; cōtra hanc veritatē, ita generatim sumptā, aliquid video ab hæreticis obijci, quod nostra responsione dignum sit.

Chrysost. Theoph. Oecumen. Prosper. Ambros. August. D. Thom. Iacobus. Basilius. Chrysost. VI. Synod. Dionys. Clement. Iustin. Cyrill. Tertul. Chrysost. Ambro.

2. Conclusio.

Dico secundò, In toto verborum, seu deprecationū ritu, quē nunc Ecclesia in Missa obseruat, nihil est, aut ab Apostolica doctrina alienū, aut q ab antiqua traditione originē nō ducat, aut, q. ad pietatē & religiosum Dei cultū nō pertineat. Hæc cōclusio expressis verbis solū definitur à Conc. Trid. quoad canonē Missæ: est autē certissima, etiā quoad ea, quæ antecedūt, & subsequūtur. Potest autem tripliciter probari, primò, ratione generali desumpta ex dictis in precedēte cōclusione: quia in toto hoc ritu, prout nūc fit, nihil reperitur, quod nō pertineat ad aliquā ex illis quatuor partibus orationis: quas Paulus in prædicto loco ponit, nisi fortasse sacra lectio Epistolarū ac Euangeliorū, quæ & ad orationē reduci potest, quatenus per eā mēs ad diuina eleuatur, &, quāuis sit diuersa, ad pietatē pertinet, & ad populi instructionē de diuinis rebus, & antiquissima est, vt colligi potest ex Paul. 1. ad Corin. 14. dicente, *Cum conuenitis, vnusquisq; vestrū Psalmū habet, & doctrinā habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationē habet*. Et Iustin. Marty. quasi exponēs hæc verba, dicta

Iust. Mart.

cta Apolog. 2, inquit, *Die solis vrbanorum ac rusticorū cœtus fiunt, vbi Apostolorum, prophetarūque literæ, quoad fieri potest, præleguntur: deinde, cessante lectore, præpositus verba facit adhortatoria.*

Secundò probari potest hæc veritas, discurrendo breuiter per singulas partes huius ritus: quod vt distinctiùs faciamus, distinguamus priùs duplicem Missam, seu duplicem huius ritus partem. Prior dicitur Missa Catechumenorum, quæ durat à principio Missæ vsque ad Euangelium, vel symbolum inclusiuè: quia ad eam Catechumeni admittebantur, & in fine illius dimittebantur, reliqua verò pars, à prima oblatione vsque ad finem Missæ, dici potest Missa fidelium, quia tantùm hi, qui fidem per baptismum professi fuerāt, illi assistere permittebātur vt ex Aug. Cyrill. & alijs Patribus suprà notauimus disp. 74. sectio. 3. & alia statim afferemus.

August. Cyrill. Quoddam aduertēdū.

Circa Missam ergo Catechumenorum est aduertendum, in illius initio præmitti cōfessionem peccatorum, & breues quasdam orationes, quæ ad maiorem sacerdotis, & populi præparationem pertinent, quod, & per se pertinet ad reuerentiam Deo debitā & est consentaneum cōsilio Sapiētis, Prou. 18. *Iustus in principio accusator est sui*, & cōferre potest ad accedendum ad altare cum maiori conscientiæ puritate. Incipit ergo sacerdos ab illo versiculo Psalm. *Introibo ad altare Dei*, vt significat Gregor. Nazian. orat. 28. sub fin. & Ambros. lib. 4. de sacrament. cap. 2. finito autem toto illo Psalm. 42. confessionem generalē dicit, cuius autorem fuisse Damasum Papā refert Platina in vita eius, alij verò Pontiano Papæ id adscribunt, vt Berno, lib. de officio Missæ, cap. 25. tamen ferè in sensu similis confessio reperitur in principio Missæ Iacobi. Vnde totam hāc partem esse antiquissimam constat ex Micrologo, lib. de Eccles. Obseruat. cap. 23. & Rodulpho, lib. de canonicis obseruātijs. proposit. 23. Secūdo sequitur. Introitus, ita appellatus, vel quia in eo Missa inchoatur, vel certè, quia, dum à choro cantatur, sacerdos ad altare ingreditur. Est autem sciendum, Apostolorum tempore solitos fuisse eo tempore, quo fideles ad mysteria peragenda conueniebant, plures Psalmos cantari in laudem Dei, vt ex liturgijs antiquis constat, & ex Dion. c. 3. de Eccle. Hierar. vbi ait, *Psalmos comprehendere per modum laudis, quidquid in sacra Scriptura continetur*. Posteà vero loco illorū positus est introitus, quo etiā dicitur significari aduentus Christi in hunc mundum, seu antiqua desideria veterū Patrū de aduētu eius; vt notat Maximus Monach. in exposit. liturg. Rupert. Innocē. & ferè alij, qui de officijs Ecclesiasticis scribunt, ac denique Rabant. lib. 1. de institut. Clericor. ca. 30. *Bene*, inquit, *ingressu sacerdotis concrepantibus choris auditur modulatio diuinæ laudis, vt dominicæ celebrationis mysteria ministrorū præcedat consonātia, & corporis & sanguinis Christi venerabile sacramentum, antecedat dignæ laudis sacrificium*. Quando vero inceperit hæc consuetudo, nō satis constat, quidam existimant incepisse à temporibus Cælestini Papæ, nā, vt Alcuin. & alij scriptores de rebus Ecclesiasticis referunt, Cælestinus instituit Psalterium in Missæ initio recitari seu cantari: quod ita exponit Amalar. lib. 3. de Eccles. officijs. cap. 5. instituisse videlicet, vt antiphonæ ex omnibus Psalmis sumerentur, quæ in Missæ initio dicerentur. Tamen, quod hoc fuerit in vsu, etiam ante Cælestinū, colligi potest ex Cassian. lib. 3. Instit. cap. 11. Cælestinus ergo fortasse antiquum vsum ad nouam formam redegit, quando vero cœperit hic vsus, prout nunc in Ecclesia seruatur, nō satis constat, quod nō eleuat, sed confirmat potiùs autoritatem eius: nam signum est, rem esse antiquissimam.

Greg. Naz. Ambros. Platina. Berno. Rodulpho. Dionys. Maximus. Rupertus. Innocenc. Rabanus. Alcuin. Amalar.

Cōc. Vasen.

Tertiò, *Kyrie, & Christe eleison*, nouies repetit sacerdos, quem vsum esse antiquissimum constat ex liturgia, Sancti Iacobi, & ex Vasensi Concil. sub Leone. I. can. 3. vbi præcipitur ad Matutinū, & ad Missas, & Vesperā *Kyrie eleison* dici, *quia in sede Apostolica, & per totas orientales, atque Italiæ prouincias, dulcis* inquit, *& nimiùm salubris consuetudo intromissa est, vt Kyrie eleison frequentiùs cum grandi affectu & compunctione dicatur*, & eādem consuetudinē indicat Aug. epist. 178. circa finē, vbi & vocem interpretatur, scilicet, *Domine miserere*, & rationē reddit, cur Græca voce, vbiq; proferatur. Clariùs Greg. vbi tā in Græca, quā in Latina Ecclesia ait esse hunc morē dicendi in Missa *Kyrie eleison*: tamen diuerso modo, quia inter Græcos simul sacerdos, & populus hæc dicunt inter Latinos vero priùs sacerdos incipit, & populus respōdet, itē Græci non addunt, *Christe eleison*, sicut Latini, qui in Missis etiā quotidianis, *Kyrie eleison, & Christe eleison* dicūt, vt in his deprecationis vocibus paulò diutiùs occupentur. Deniq; D. Thom. hic reddēs rationē huius ritus, ait, rectè post laudē diuinā, quæ fit introitu, sequi cōmemorationē & recordationē propriæ miseriæ, & diuinæ potētiæ, & gratiæ, hoc autē fit toties repetitis illis vocibus ad cōfessionē Trinitatis; cōtra triplicem miseriā ignorantiæ, culpæ, & pœnæ, vel cōtra nouē genera peccatorum, vt latiùs Innoc. lib. 2. de hoc mysterio, cap. 19. de quo plura apud Durand. in rationali, lib. 4. c. 12. & alios scriptores de Ecclesiasticis officijs, & Turrecrem. in c. Iacobus. de Consec. d. 1.

Gregor. Innocen. Durand. Turrecrem.

Quartò additur hymnus, *Gloria in excelsis*, quem Angeli inchoarunt, & Ecclesia cōsummauit, totusq; est plenus diuinis laudibus, gratiarū actione & deprecatione, cœpit autē hæc cōsuetudo à Telesphoro Papa, vt Damasus refert in Pontif. cap. 9. & colligitur ex epistol. 1. Telesphor. quanuis ibi solùm dicatur, vt in Missis noctis Natiuitatis hymnus angelicus decantetur, & inferiùs additur, *ab Episcopis autē idem angelicus hymnus pro tempore & loco in Missarum solennijs celebrandus est, atque solenniter recitandus*: vbi (vt existimo) specialiter nominat Episcopū: quia ad illū maximè spectat, Missas celebrare, nō quia ab eo solū dicendus esset ille hymnus, sed etiā à quolibet sacerdote. Rursus ibi solùm fecit mentionē angelici hymni, qui cōtinetur illis solis verbis, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, reliqua vero non constat esse addita à Telesphoro, sed vel ab Hilario, vt cēset Alcuinus, de diuin. officijs, c. de Celebr. Missæ, & Hug. Victorin. lib. 2. de sacram. vel à Symmacho Papa, vt sentit Berno de Officio Missæ. c. 25. Innoc. vero. III. lib. 2. de Myst. Miss. c. 20. potiùs existimat, totū hymnū fuisse à Telesph. cōpletū, dicens, Symmachū præcepisse, vt die Dominico, & in Natalitijs Martyrū, in Missis decātaretur. Si tamē fides adhibēda est (vt re vera est) ijs quæ scribit Clemēs, lib. 7. Cōstit. c. 47. & c. 48. potiùs dicendū est, illū ab Apostolis fuisse cōpositum: nā totus ferè ibi recitatur. quanquam in Concil. Tolet. IIII. capit. 12. in communi dicatur, Ecclesiasticos Doctores illum composuisse, vtcunque vero sit, cōstat, eum morem, & antiquissimum, & sanctissimū esse. Cur autem in Missis pro defunctis; & in diebus luctus, & ieiuniorum, & in cōmunibus ferijs, hymnus

Alcuinus. Hug. Vict. Berno. Innoc. 3. Clem. Cōc. Tol. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus hic non dicatur, attigit hic D. Thomas, & in. 4. distinctione. 13. quia, scilicet, in hoc hymno cõmemoratur cælestis gloria, quæ meritò reticetur, quando lugetur propria miseria. Quæ ratio satisfacit, quoad priorem partem, & sumitur ex capitul. Hi duo. de Consecration. distinctione. 1. in cap. autem Porrò. sequente, fit exceptio feriæ in Cœna Domini, in qua hymnus angelicus canitur propter sacrificij institutionem eo die factam, quoad posteriorem verò sumi potest ex eã. Consilium. de Celebration. Missarum, scilicet, vt inter communes dies & solennitates differentia ostendatur. Propter quam rationem ibidem dicitur, hunc hymnum non esse dicendum in Missis votiuis, etiam B. Virginis, quod tamẽ hodie nó est in vsu iuxta Missale Romanum, nam in Missis votiuis B. Mariæ, & Angelorum dicitur, non verò in alijs, nisi ex aliqua graui causa.

Quinto. Quintò post hymnum angelicum salutat sacerdos populum, dicens, *Dominus vobiscum*, Cuius salutationis exempla habemus in lege Veteri. Ruth. 2. & 2. Paralip. 15. Potest verò dici quodãmodò propria legis gratiæ, in qua post susceptam carnem peculiari modo Deus hominibus dominatur: antea enim dæmon quodammodò dominatum obtinebat quod ex Dionysio notauit Anastas. Sinaita, lib. 7. Hexameron, adducens, illud Psalm. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* & illud Psalm. 117. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, & illud Ioã. 20. *Dominus meus, & Deus meus*, & illud Lucæ. 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* & alia multa similia: iuxta quam considerationem, dicere possumus, salutationẽ hãc etiam fuisse ab angelo inchoatam, cùm Virgini dixit, *Dominus tecum*. Est autem hæc salutatio antiquissima, vt constat ex Dionys. capitul. 3. de Ecclesiastica Hierarc. vbi, *diuinissimam*, illam appellat, *sanctam, mysticam, & supra mundanam*. Ad quam eleganter alluSit Augustin. 14. de Ciuit. capit. 12. dicens, *Non omnes cum illo sunt eo modo quo ei dictum est*, [Ego semper tecum (Psalm. 72.) *neque ipse cum omnibus eo modo quo diximus, Dominus vobiscum*, quam esse ab Apostolis institutam dicit Concil. Brach. II. capit. 21. vbi hęc salutatio sic legitur, *Dominus sit vobiscum*, tamen in capitul. Hoc quoque. de Consecrat. distinctione. 1. Sother vel Anacletus Papa, illam proponit, prout est in vsu Ecclesiæ: ibique Glossa aduertit, Episcopos in prima Missæ salutatione, loco huius solere dicere, *Pax vobis*: quia hæc fuit prima vox Christi ad Episcopos post resurrectionem, quod etiam esse in Ecclesia antiquissimũ, cõstat ex liturgijs Iacobi & Basilij, & ex Cyrillo, lib. 12. in Ioan. capitul. 14. & ex Ambrosio, lib. de Dignitat. Sacerd. cap. 5. & Chrysost. hom. 33. in Matth. & hom. 3. ad Colloss. de quo illud memoriæ proditum est, etiam post mortem, cùm corpus eius à Proclo Patriarcha in throno esset collocatum, salutasse populum, dicendo, *Pax vobis*. Nicep. libr. 14. hist. capit. 43. Ad prædictam autem sacerdotis salutationem, minister seu populus respondet, *Et cum spiritu tuo*, qui vsus etiam est antiquissimus, vt patet ex eisdem liturgijs, & Patribus, & ex Chrysostomo, homil. 36. in 1. ad Corinthios, & 18. in 2. ad Corinth. *Bene precatur*, inquit, *sacerdos populo, & bene precatur populus Sacerdoti; nam, cum spiritu tuo, nil aliud est, quam hoc*: & ex Isidoro Pelleusiota, epist. 122. & Petro Damiano, epistola. 12. quæ aliàs inscribitur liber, *Dominus vobiscum*, c. 4. & 13.

Sexto. Sextò subiungit publicam orationem, quæ collecta vocari solet, de qua appellatione multa congerit Durant. lib. 2. de ritib. Ecclesiast. cap. 16. probabilis est illa deductio, quòd *collecta* dicatur, quia nomine totius populi in vnum collecti fundatur, vel quòd omnium petitiones cõpendiosè colligat, vt ait Hug. Victorin. lib. 2. de Officijs Eccles. cap. 16. vnde in. c. Conuenit. de Consecration. distinct. 5. ex Concil. Arelat. cap. 30. *Collationes, seu Collationes dicuntur*: & Apud Cass. lib. 2. Instit. cap. 7. legimus. *Cum is, qui orationem collecturus est, surrexerit, alij surgant, &c.* & infrà, *Qui precem colligit, &c.* vel certè *collecta* vocatur quod per eam omnium audientium animi ad Deũ colligãtur: vnde sacerdos præmittit, *Oremus*, de quo Aug. epistol. 106. ad vitalem. *Vbi audieritis sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad orandum, non respondebitis, Amen*, & Chrysostom. hom. 18. in 2. ad Corinthios. Quin & in precibus videtur quis populum multum simul offerre: cõmunes enim preces à sacerdote & ab illis fiunt, & omnes vnà dicũt orationem. In nonnullis verò collectis, & quibusdã specialibus diebus luctuosis, & ad pœnitentiam deputatis post, *Oremus*, ante orationem dici solet, *Flectamus genua*, & statim, *Leuate*, quam consuetudinẽ esse valde antiquam constat ex Basilio, lib. de Spiritu sancto, c. 27. dicente. *Quoties genuflectimus, & rursus erigimur, re ipsa ostendimus, quod propter peccatum in terram delapsi sumus, & per benignitatem eius, qui condidit nos, ad cælum reuocati sumus*. Denique sequitur oratio, quæ esse solet, vel vnatantũ, vel tres, vel quinq;, vel, ad summùm, septem. Vna quidem necessaria est & sola interdùm dicitur propter solennitatẽ, tres verò, quinque, aut septem, propter varias petitiones, aut commemorationes faciendas: vltra eum verò numerum non solent multiplicari, vt aliquid sit fixum & certum, ne vnicuique ad libitum in infinitũ progredi liceat: in illis autem numeris mysterium inesse censetur: nam, vt dici solet, *numero Deus impare gaudet*, & Hieronym. libr. 1. contra Iouinian. numerum imparem mundum esse dicit, & ternarius orationum Trinitati conuenit, vel trinæ orationi Christi in horto. Quinque verò orationes dicuntur interdùm, *propter quinque partitam Domini passionem*, vt ait Innocent. libr. 2. de hoc myst. capit. 23. Septem autem dici possunt, propter septiformem Spiritus sancti gratiam, vel quia oratio Dominica septem petitionibus concluditur, vt ait Durand. in ration. lib. 4. capitul. 15. Concluduntur autem hæ orationes illa adiuratione seu obsecratione, *Per Dominum nostrũ, &c.* vt firma sit spes impetrandi, iuxta illud Ioã. 16. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: & quia Christus est vnicus mediator, propter cuius meritum omnia nobis donãtur, de qua re, & de hac Ecclesiæ consuetudine, plura dixi in 1. tom. agens de Christi merito, ad quæst. 19. D. Thomæ. Vnde hac ratione in Concilio Carth. III. scapit. 23. præcipitur, vt, cum altari assistitur, semper ad Patrẽ dirigatur oratio, vt in Filio, seu per filium concludatur: cùm autem ad Patrem oratio dirigitur, non excluduntur aliæ personæ, sed vnitas deitatis indicatur, vt notauit Fulgent. libr. 2. ad Monym. Interdũ aliqua oratio aliter solet concludi pro sensus commoditate, & verborum consecutione, semper tamen fit aliqua Christi commemoratio, & totius Trinitatis confessio, & diuinæ gloriæ, ac vitæ perpetuæ commemoratio, in verbis illis, *Per omnia secula seculorum*.

Quæ verba esse antiquissima, præter antiquas liturgias,

Durantus. Hug. Vict. Conc. Arel. Cass. Augustin. Hieronym. Chrysost. Durand. Conc. Carth. III. Fulgent.

Irenæus. turgias, constat ex Irenæo, lib. 1. contra hæres. c. 1. vbi refert, Valentinianus voluisse deliramenta suorum Aeonum confirmare ex verbis, quibus nos in gratiarum actionibus vtimus, dicentes, *In secula seculorum*. Ex quo idem sumpsit Epiphanius, hæresi. 31. significatur autem æternitas illo dicendi modo, quia omnia secula in se cõcludit, & excedit, & superat, tum perfectione, tum etiam duratione, vt sumi potest ex Augustin. in Psal. 71. Hieron. ad Galat. 7. Innoc. lib. 2. de hoc myster. c. 26. Finita autẽ oratione, populus respondet, *Amen*, quæ vox Hebræa est, & interdum ad affirmandum adhibetur: Sic Christus sæpè dicit, *Amen, amen, dico vobis*; id est verè ita est, vt interpretatur Isidor. lib. 6. Etymolog. cap. 18. ex Origene, tractatu 35. in Matth. & Hieron. Epist. 137. ad Marcellam; & hoc sensu legimus in Liturgijs antiquis, finitis verbis consecrationis, fideles solitos esse respõdere, *Amen*: quod non potest tunc esse verbum optandi, sed affirmãdi & credẽdi, ita esse. Vnde Ambros. lib. de ijs, qui initiãtur, cap. 9. *Post consecrationem*, inquit, *corpus & sanguis Christi nuncupatur, & tu dicis, Amen, hoc est, verum est*. Interdum verò adhibetur ad consentiendum orationi, idemque optandum seu petendum, & hoc sensu adhibetur in fine orationum; ita vt sensus sit, *fiat*, sicut interpretatur Iul. I. epistola pro Athanasio, cap. 1. Iustinus, apol. 2. Hieron. supra, & epistol. 134. ad Sophron. & Bernardus, serm. 7. in Cœna Domini. Et hoc modo Deuter. 27. populus ad maledictiones respondet, *Amen*, & 1. Paralipo. 16. *Benedictus Dominus Deus Israel, ab æterno vsque in æternum, & dicat omnis populus, Amen*. Sic etiã Paulus 1. ad Corinth. 14. *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem?* ex quo loco constat, hunc modũ respondendi esse antiquissimum in Ecclesia: quod etiã cõstat ex Iustino suprà, & Augustin. quem supra citaui, epist. 106. Hieron. libro 2. in epistolam ad Galatas in eius præfatione. Tertullian. lib. de Spectacul. cap. 25.

Epipham. Augustin. Hieron. Innocen. Chrysost. Isidorus. Ambros. Iul. I. Iustinus. Hieron. Bernard. Tertul.

Septimo. Septimo in suo ordine sequitur lectio alicuius epistolæ, sumptæ, aut ex testamento veteri, aut ex epistolis canonicis noui testamenti; qui mos cœpit à temporibus Apostolorum, vt constat ex eorum canone 9. & ex Dionysio, & Iustino, locis sæpe citatis, Clem. lib. 2. cap. 61. Et priùs quidem, quam scriberetur nouum testamentum, legebantur libri Moysis, aut Prophetarum, vt ex eisdem Patribus constat; posteà verò legi cœperũt epistolæ ab Apostolis scriptæ, vel à Clemente, vt constat ex eodem supra, & ex Hieronymo, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente; qui etiam in Polycarpo scribit, epistolam eius ad Philip. vsque ad sua tempora in Asiæ conuentu legi solitam, quanuis non constet, huiusmodi lectionem factam esse tempore Missæ, sicut, quod Paulus ait ad Colos. 4. *Cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc facite: vt & in Laodicensium Ecclesia legatur*; & 1. ad Thessalon. 5. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus*. Hæc, inquam, non est necesse intelligi de lectione, quæ fit in Missa; inde tamen sumitur argumentum ad probandum & confirmandum ritum, quem nunc seruat Ecclesia, de quo videtur loqui Damasus, cùm in 2. ad Hieronym. epistola scribit, die Dominica Apostoli epistolam esse legendam: & idem constat ex Augustin. sermon. 236. de tempore, & serm. 10. de verbis Apostoli; & ex Ambrosio, epistola 33. & idem est frequens apud alios antiquos Patres. Clariùs in Concil. Brac. I. canon. 20. *Placuit, vt per solennium dierum vigilias, vel Missas, omnes easdem, & non diuersas lectiones in Ecclesia legãt*. Plura de hac lectione, cur, scilicet, antecedat Euangelium; & cur interdum ex nouo, interdum ex veteri testamẽto sumatur, & alia similia, legi possunt in Innocent. libro 2. de hoc myst. capitu. 29. Rupertus, libro cap. 23. & alijs scriptoribus de diuinis officijs.

Octauò. Octauò, post epistolam versus aliquis seu antiphona interponi solet, quæ interdũ lugubria sunt, quando animi sunt ad timorem, vel pœnitentiam excitandi, interdum verò sunt lætiora, iuxta temporum & festiuitatum exigentiam: ex his autem versiculis primus *Graduale* vocatur: quia iuxta pulpiti gradus cantatur, vel propter alias rationes mysticas, quæ legi possunt in Innoc. lib. 2. c. 31. & Raban. lib. 1. de instittut. Cleric. c. 36. & alijs; alia vocantur *Responsoria*; quia vno canente chorus respondet, ait Isidor. lib. 6. etymolog. c. 18. & lib. 1. de Eccles. officijs. cap. 8. Est autem hic aduertendum, in Concil. Tolet. IIII. capit. 11. sic legi, *In quibusdam Hispaniarum Ecclesijs, laudes post Apostolum, decantãtur, cùm canones præcipiant post Apostolũ, non laudes, sed Euangelia annunciari; præsumptio est enim, vt anteponãtur ea, quæ sequi debẽt, nã laudes Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Euangelium prædicatur*; & statim hic ordo seruari præcipitur. Vnde apparet, eo tempore nondùm fuisse Graduale institutum, saltem vt post epistolam diceretur: vel si instituta fuit à Gregorio, vt aliqui volunt, nondùm in Hispania fuerat illa consuetudo recepta: nam Greg. paulò ante Honorium præcesserit, cuius tempore dictum Concilium celebratum est; alij tamen volunt fuisse à Cælestino institutum, vt patet ex Ruperto, lib. 2. de diuinis officijs, capitu. 21. Vnde fortasse in illo Concilio non est sermo de Graduali, sed de Alleluya, quæ post Graduale cantari solet; & fortasse tunc in Hispania non canebatur, nisi post Euangelium: nam, quòd ad altare canatur, antiquissimum est, vt cõstat ex August. epistola. 119. ad Ianuar. capit. 15. & 16. & Hieronymo contra Vigilant. Gregor. lib. 7. epistola. 63. Isidor. libr. 1. de Ecclesiastic. officijs. capitul. 13. Et quidẽ in principo solùm cani cœpit primo die Resurrectionis, vt colligere licet ex Niceph. lib. 12. c. 34. & Sozomeno, lib. 10. hist. cap. 19. deinde toto tẽpore Paschali, vt sumitur ex Aug. suprà: posteà diebus etiam Dominicis, vt significant idem Aug. & Isidorus; iã verò omnibus diebus dicitur, præter quã in his qui nó sunt gaudij, sed mœroris, vt dicitur vt in Cõcilio Tole. IIII. can. 10. Sed quãuis vox, *Alleluia*, interdùm taceatur, omni tamẽ die cogitãda est, vt Aug. dixit Psal. 106. quia vox illa nihil aliud, quàm laudem Dei, continet, quæ semper in ore (saltẽ cordis) habẽda est. Psalm. 33. Quãdo vere, *Alleluia*, tacetur, solet nonnunquam Tractus addi in signum gemitus & tristitiæ, nõnunquã verò etiam post alleluia additur Prosa seu Sequentia, de quibus legi possũt autores suprà sæpè citati, & Durãd. in Rationali, lib. 4. c. 22. Durã. lib. 2. de ritib. Eccles. capit. 12. & 22. & copiosè Demochar. li. de obseruandis in Missarum celebr. c. 15.

Gregor. Rupertus. Innocent. Rupertus. Augustin. Hieron. Isidorus. Nicep. Conc. Tolet. 4.

Nonò. Nonò legitur Euãgelium. Quem morem esse antiquissimum constat ex Concil. Valent. Hispã. can.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. vbi sic dicitur, *Antiques canones relegentes, inter cætera hoc esse censuimus: obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum oblationem in Missa Catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur*, & ratio subiungitur, *vt verba Christi, & sacerdotis sermones, omnes audire possint*: vnde obiter etiam colligimus, fuisse etiã consuetudinem concionandi post lectum Euangelium, sed & ante illa tempora Anastas Papa, in epist. 1. iubet omnes stare, dum sacrũ Euangeliũ legitur, & attentissimè audire: vbi supponit, consuetudinẽ legendi Euangelium esse antiquorem. Imò in Concilio Laodiceno, quod antiquius est, can. 16. statuitur, vt in Sabbathis Euãgelia cum alijs scripturis legantur. Hieron. etiam aduersus Vigilant. *Per totas*, inquit, *Orientis Ecclesias, quando Euangelium legendum est, accenduntur luminaria, sole rutilante*; & Greg. lib. 4. epist. 44. dicit, hoc officium ad Diaconos pertinere, quod etiam constat ex Synodo Rhem. can. 4. & 5. Eadem consuetudo colligitur ex August. serm. 144. de tempore, Ambros. lib. 1. Offic. c. 8. & 11. & lib. de Helia, & Ieiunio. c. 10. & alij Patres in Concionibus ad plebem, sæpè id supponunt. De ritu autem, & modo, quo legi solet, videri possunt autores sæpe citati; ex quibus licet colligere, totum esse, & religione plenum, & valde antiquum, specialiter illud, quod populus, audito Euangelij nomine, respondet, *Gloria tibi Domine*, scilicet, quia verbum salutis nobis locutus es, vt ait Innoc. dict. lib. 2. c. 46.

Anastas. Conc. Laod. Hieron. Greger.

Decimo. Ambros. August. Innocent. Durand. Marcus. Damasus. Conc. Tolet. III.

Decimò, post Euãgelium, Symbolum recitatur, vt quod, audito Euãgelio, corde creditur, per Symbolum ore confiteamur; & ideo Ambr. de velan. virg. Symbolum appellat, *signaculum cordis nostri*, quod quotidie recensendum esse, non tantũ semel, sed etiam sæpiùs, ait August. lib. 50. homil. homil. 42. & tribus libris de Symbolo. In Missa verò non semper dicitur, sed interdũ omittitur, vel propter aliquod mysterium, vel propter minorem solennitatem, vt latiùs Innoc. lib. 2. cap. 52. Durand. in Ration. lib. 4. capit. 25. est autem obseruandum ante Concilium Nicenum, solitum fuisse recitari in Ecclesia Symbolum Apostolorum, vt ex Dionysio, cap. 3. colligitur; post Concil. autem Nicenũ, Marcus Syluestri successor, præpit cantari symbolum Nicenum ad confutationem hæresis Arianæ, postea verò Damasus statuit, vt diceretur Symbolũ Constantinopolitanum, in quo addita illa particula, *Filioque*, Trinitatis mysterium magis explicatur; & ita fieri specialiter in Ecclesijs Hispaniæ statutum est in Concil. Toletan. III. can. 2. Et hæc sunt, quæ ad Missam Catechumenorum pertinẽt, ex quibus euidenter constat, nihil in eis esse, quod ab hæreticis iure carpi possit, cũ omnia antiquissima sint, & ad illa quatuor capita reuocentur, quæ Paulus enumeraut. Quod si aliqua minutiora minus antiqua videantur, vt fortasse aliqui Tractus vel Prosæ, tamen in his eadem est religio & pietas, quæ in antiquioribus, & sunt cõsentanea Paulo ad Ephes. 5. dicenti, *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in Psalmis, & in hymnis, & canticis spiritualibus*, vt egregiè notauit Concilij Tolet. IIII. capit. 12.

Conc. Tolet. IIII.

Circa alteram partem, seu Missam fidelium in primis sufficiens argumentum sumi posset ex dictis de priori Missa Cathecumenorum; nam Missa fidelium propria continet Christianorum mysteria, quæ traditione constant, vt Basilius dixit libro

Basil.

A Spiritu sancto, capitul. 27. possumus autem hæc ria in tres partes distinguere, in eam, scilicet, quæ canonem antecedit, & quæ subsequitur, & canonem ipsum. In prima igitur parte post populi salutationem iam supra tractatam, *Dominus vobiscum*, Sacerdos omnes ad orandum inuitat, dicens, *Oremus*; quod videtur in alio sensu dici, quam supra explicuimus: quia hic non subsequitur aliqua publica oratio, quam sacerdos nomine totius populi publicè dicat; inuitat ergo populum, vt attendat ad sacrificium, & vt vnusquisque ad offerendum se præparet, vt eius oblatio acceptabilis sit Domino, vt Innocentius, libro 2. capitul. 53. & alij notant. Secundò dicitur offertorium, seu in choro canitur, nam eo tempore sacerdos suscipit oblationes populi, & ideò versiculus, qui tunc canitur, *Offertorium* apellatus est, vt aiunt Innocent. dicto libro 2. capitulo. 53. Rabanus, libro. 1, cap. 33. & alij, & in idem redit, quod ait Isidorus, lib. 6. Etymol. cap. 19. licet obscuriùs id deducat. Est autem antiquissima in Ecclesia hæc consuetudo offerendi aliquid in Missa: nam Pius I. in suis decretis mentionem facit harum oblationum; Fabian. Papa, epistola. 3. monet, vt Dominicis diebus omnes aliquid offeran. Item, Synodus Gangrens. can. 7. & 8. harum oblationum meminit, & Concil. Aurelian. I. can. 16. & Augustin. sermon. 215. de tempore, & epistola. 122. Hieronym. epistola. 3. ad Heliodor. Cyprian. lib. de opere & eleemosyn. Tertutllian. in Apologetico capitul. 39. & Theodoret. libr. 5. historiæ, capitul. 18. vbi refert illustre exemplum Theodosij offerentis ad altare, Ambrosio sacrificante. Quod autem tempore huius oblationis aliquid cuanatur, non constat semper fuisse obseruatum, nec à quo primum institutum sit. Alij enim Adriano, alij Gregorio, alij Cælestino id attribuunt; certum est tamen, à quocunque iutroducta sit hæc consuetudo, ad excitandos fidelium animos inductam esse, vt hilari animo offerant: quoniam hilarem datorem diligit Deus. Vnde etiam in veteri Testamento legimus, solitos esse Leuitas canere, dum immolabantur victimæ, vt notauit Isidorus, libro 1. de offic. Eccles. capitu. 14. ex Ecclesiasticis. 50. & idem iumitur ex 2. Paralipom. 29. Tertiò Sacerdos, dum panem offert, & aquam vino miscet, & calicem etiam offert, quasdam orationes & deprecationes profert, quibus, & oblationem suam ac totius populi ad Deũ dirigit, & ab eo postulat, vt ei placita sit, & vt dignis mentibus offeratur. Quem morem esse antiquissimum constat ex citatis Liturgijs, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, & ex Dionysio, Clemente, & alijs: semper enim, quando panis, & vinum in altari ad sacrificandum proponitur, adhibentur orationes & benedictiones sacræ, quæ sunt veluti præparationes quædam oblationis sacrificalis. Vnde illa obligatio, prout tunc fit, non est sacrificiũ, vt supra dictum est, sed est tantùm quædam dedicatio materiæ sacrificandæ per futuram consecrationem; ad quam omnia, quæ tunc dicuntur, referenda sunt. Quòd autem illæ orationes tunc secretè dicantur, & in silentio oblatio fiat, fortasse literalis propria ratio est, vt cum maiori reuerentia, & deuotione interiori, omnes Deo offerant oblationẽ suam; item, vt eo tempore, instante iam Dominicæ Passionis repræsentatione, illam possint ad memoriam reuocare. Vnde & in illo silentio esse aliquam signifi-

Innocen. Rabanus. Isidor. Pius I. Fabian. Pap. Synod. Gang. Cõc. Aurel. I. August. Hiero. Cyprian. Tertul. Isidor.

significationem mysticam initij passionis Christi, quando iam non palam ambulabat inter Iudæos, docet Innocent. dict. lib. 2. c. 54. quæ omnia ex sequentibus erunt euidentiora.

A

Quartò, dum sacerdos manus abluit, profert illa verba Psalmi 25. *Lauabo inter innocentes manus meas*, indicans ad futurum sacrificium, non solùm à grauioribus culpis, sed etiam à leuioribus, esse hominem mundandum; quod per ablutionem pedum significauit etiam Christus, cùm Petro dixit, *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*: vnde etiam hæc ceremonia optimaest, & antiquissima, vt cõstat ex Dionysio, dicto cap. 3. Clemete, lib. 8. cap. 11. Cyrillo Hierosolym. Catech. 5. Mystag. Nec refert, quòd in veteri lege similes ablutiones fierẽt, Exodi 30. nam, vt D. Thomas notauit, art. sequente ad 1. nunc non seruatur, tanquam ceremonia illius legis, sed tanquã aliquid per se decens ac conueniẽs, vnde neque eodem modo fit. Quintò, finito prædicto Psalmo, Sacerdos secretè profert quandã orationem ante altare, postulans, vt oblatio à Deo acceptetur in memoriam passionis Christi, honorem Sanctorum, & nostram vtilitatem, & deinde ad populum conuersus, ad idem petendum hortatur, & populus annuendo & orando respondet. Ac tandẽ secundam orationem seu collectam sacerdos submissa voce pronunciat, quæ propterea secreta oratio dicitur, quæ omnia esse valdè antiqua & mysteriis plena, constat ex Clemente, dicto lib. 8. c. 12. & ex Cõcilio Laodicen. can. 19. vbi dicit, tres orationes solere dici in Missa, primam sub silẽrio, alias verò altiori voce: nunc verò secunda sub silentio dicitur; per quod silentium inter alia significari censetur Christus secreto in horto orans ante passionem suam, vel alia similia, quæ legi possunt in D. Thoma, hic ad 6. & Innocent. dicto lib. 2. cap. 60. Rupertus lib. 2. c. 4. & alijs.

Dionys. Clement. Cyril. Hier. Clement. Concil. Laod. D. Thom. Innocent. Rupert.

B

C

Sextò post prædicta omnia adiungitur Præfatio, de qua Cyprianus, lib. de expositione orationis Dominicæ, circa finem, quem hic Diuus Thomas ad 5. adducit, Sacerdos, inquit, *ante orationem Præfatione præmissa, præparat fratrum mentes, dicendo, Sursum corda, vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere.* Ad eam Præfationem alludit August. lib. de bono viduitatis. cap. 17. dicẽs, *illud, quod inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur, ipso adiuuante in valemus; quo iubente admonemur; & ideò sequitur, vt de hoc tanto bono sursum leuati cordis, non nobis sortiam quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus: hoc enim continuò commonemur, quia hoc nostrum esse recordari; hæc verba vnde sint, & quanta sanctitate commendentur, agnoscis*, & ad idem videtur alludere. 10. de Ciuitat. cap. 4. dicẽs, *Cùm ad illam sursum est, ejus est altare cor nostrũ.* Præfation etiam sub hoc nomine meminit Chrysostom. homil. 3. ad Coloss. & Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto. c. 18. ex verbis huius præfationis mysterium Trinitatis confirmat, numerum, scilicet, triũ personarum ex triplici *Sanctis* appellatione, vnitatẽ verò deitatis ex singularitate nominis, *Deus sabbaoth*, quod argumentum elegantissimè vrget Athanas. lib. de Humananatura suscepta, contra Apollinarem, non longè ab initio, & lib. de communi essentia Patris, & filij, & Spiritus sancti, & oratione in illud, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; tamẽ his locis non satis declarat, an Ecclesia hoc genere lau-

Cyprian. Augustin. Chrysost. Ambros. Athanas.

D

dis vtatur; sed suum argumentum sumit ex Isaiæ 6. & Apocalyp. 4. ex quibus locis Ecclesia hãc partem huius præfationis mutuata est, quod magis significauit Ambrosius in illis verbis, *In oblationibus inuocatur*; & illis, *Nos quoq; nihil pretiosius inuenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi vt sanctum appellemus.* Denique fere tota hæc Ecclesiastica præfatio quoad sensum, parum immutatis verbis, reperitur in antiquis Liturgijs Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & apud Clement. libro 8. Constitut. capit. 12. & 16. & Cyrill. Hierosol. Catech. 5. mystag. est igitur antiquissima. Quod autem aptissima etiam sit ad præparandas mentes audientium ad futuram consecrationem, per se manifestum est, cùm omnium corda ad Deum subleuet, & ad Angelorum coniortium in diuinis laudibus canendis, gratisque Deo agendis. De cuius longiori expositione videri possunt scriptores sæpè citati de Ecclesiasticis officijs, & latissimè ac nouissimè Durantus, libro 2. de Ritibus Eccles. capitul. 31. nobis enim hoc loco plura addere non videtur necessarium, tum quòd res per se satis clara sit, tum etiam, quòd nihil in eo specialiter occurrat ad præsens institutum pertineos. Solum aduerto præter communem præfationem, esse alias speciales in Ecclesia, in quibus aliqua verba interponuntur communi præfationi, paucis verbis in ea immutatis, quæ nouem tantùm numerantur à Pelagio Papa, Epistola 2. in capitul. Inuenimus. de Consecrat. distinct. 1. scilicet, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Natiuitatis, Epiphaniæ, de Apostolis, de Trinitate, de Cruce, de Quadragesima; decimam verò de Beata Virgine addidisse fertur Vrbanus II. in Cõcilio Placentiæ celebrato, vt Gratianus refert, distinctione 70. in vltimis verbis. De autoribus autem harum Præfationum non constat: nam, quod attinet ad communem præfationem, quamuis aliqui eam tribuant Gelasio, alij vero Sixto Primo; tamẽ ex dictis constat esse antiquiorem, & ad Apostolorum tempora esse referendam, vt notauit Nicephorus, libro 18. Iusto. capitul. 5. & sumi etiam potest ex Iustino, Apolog. 2. Cyprianus, de Cœna Domini. Chrysostomus, homilia 18. in 2. ad Corinthios. & 26. in Matth. Augustinus, libro 2. de Bono perseu. capitul. 13. de Spiritu & litera. cap. 11. epistola 57. & 120. capitul. 19. & ex Concilio Vasensi, sub Leone I. can. 4. vbi præcipitur, In omnibus Missis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, eo ordine recitari, quo ad Missas publicas dici debet. De alijs verò peculiaribus præfationibus solùm dicere possumus, non esse in Missa dicendas, nisi quæ fuerint ab Ecclesia receptæ & probatæ, vt cautum etiam est in Concilio Mileuitan. capitul. 12. & in Concil. African. cap. 70. Et hæc sufficiant de hac prima parte Missæ fidelium.

Ambros. Clement. Gratian. Nicephor. Cyprian. Chrysost. Augustin.

De secunda verò parte, quæ in canone continetur, specialè statim sectionem instituemus; nũc supponamus, omnia etiam illa, quæ in canone continentur, antiquissima etiã esse, & veritatis ac religionis plena. Tertia verò pars, quæ post canonẽ sequitur, breuissima est: vnica enim salutatione Sacerdotis ad populum, & responsione, & alia oratione seu collecta, & populi dimissione, ferè cõcluditur, quæ omnia ex dictis declarata sunt. Itaque, finito sacrificio & canone Missæ, primò dicitur versiculus, qui *Communio* seu *Communicanda* appellatur: solebant enim fideles, finito sacrificio, comunicare, & inte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Clemens. Turrian. rium canebatur antiphona cum Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*, vt constat ex Clem. lib. 8. cap. 13. vbi Turrian. ex Missa Iacobi, Dionysio, Hesychio, & alijs, notat Psalmum illum ad sacrificium Missæ pertinere, & communionem indicari in illo versiculo, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus*: inde ergo posteà solùm retentum consuetudine est, vt aliquis versiculus eo tempore in Missa recitetur, qui à communione nomē accepit. Secundò sequitur salutatio Sacerdotis, *Dominus vobiscum*, suprà explicata. Tertiò, sequitur oratio seu collecta, quæ communiter continet gratiarum actionem, & perficit numerum ternarium, qui solet perfectionē significare. Quod enim suprà diximus de numero harum collectarū seu orationum, intelligendum est, totum illum numerum ter in Missa recitari, in principio, medio, & fine,

Conc. Laod. eodemque sensu dictum est in Concilio Laodicen. B suprà citato, tres orationes in Missa dici. De qua

Innocent. Durand. oratione plura apud Innocentium, lib. 6. cap. 8. & sequent. Durand. lib. 4. Rational. c. 55. & sequentibus. Quartò, repetita iterum dicta salutatione *Dominus vobiscū*, fit populi dimissio, per illa verba, *Ite Missa est*, quod esset antiquissimum constat ex Alcuino, cap. de celebrat. Missæ. & Amalar. lib. 3. de

Alcuin. Amalar. Eccles. officijs. cap. 36. De qua re, & de sensu horū verborum, diximus suprà, agentes de nomine Missæ. Antiquitus verò dimissio fieri solebat per hæc verba, *Ite in pace*; vt constat ex citatis Liturgijs: &

Clemens. ex Clem. lib. 8. cap. 15. Interdum autē fit alijs modis, scilicet, per, *Benedicamus Domino*, in diebus profestis; vel *Requiescant in pace*, in Missis defunctorū; de quo legi potest Rupertus lib. 2. cap. 20. & Mi-

Rupertus. Micrologus. Augustin. Dionys. crologus de Ecclesiast. obseruat. cap. 46. & 47. Populus autem respondere solet, *Deo gratias*, vt gratiarum actio cuncta concludat, sicut Augustin. dixit, epist. 59 quæstione. 5. & Dionys. dicto capitul. 3. *Participam* (inquit) *& tradam Therarchicam communionem, in gratiarum actionem sacram desinit cum omni Ecclesia sacra plenitudine*: vel aliter, *Accepta data quæ diuina communione in sacram gratiarum actionem desinit*. Vnde Chrysostom. homil. 32. in Matth. *Gratias*

Chrysost. *agit, & humanis dictis, postquam de lit, vt & nos hoc ipsum faciamus*. Quintò subiungit Sacerdos illam orationem, *Placeat tibi sancta Trinitas*, prout habetur in

Durand. Democh. Missali. De qua potest legi Durand. in Ration. lib. 4. cap. VIIII. & Demochares, lib. de Missæ celeb. cap. 15. in fine, vbi ex Bernone, cap. 25. de Officio Missæ, indicat, hanc orationem dici finitis omnibus, etiam data benedictione, & osculato prius altari; nunc autem non ita fit, sed ante benedictionē

D præmittitur hæc oratio, & fortasse ita intelligendi sunt dicti autores, cùm dicunt, *finitis omnibus*, scilicet, vsque ad populi dimissionem. Sextò sequitur populi benedictio ad imitationem eorum, quæ leguntur, Leuit. 9. & Num. 6. *Benedicetis filijs Israel, &c.* & ad imitationem Christi, qui discessurus ab Apostolis, benedictionem illis prius impertiit, Luc 24. Vnde hanc consuetudinem & benedictionē

Conc. Agath. commendat Concil. Agathens. cap. 30. in cap. Conuenit. de Consecratione, distinctione 5. & cap. 47. prohibet egredi populum ante benedictionem sacerdotis: idem habetur in Concil. Aurelian. II. can. 18. & Concil. Arelat. III. apud Burchar. lib. 3. cap. 29. & Iuonem, part. 3. cap. 34. De hac etiam benedictione loqui videtur Isidorus, libr. 1. de Officijs Ecclesiasticis, cap. 17. cùm ait, *Benedictionem in popu-*

A *lo dari à sacerdotibus antiqua per Moysen benedictio prædicit & comprobat*; & clarius Cæsarius, homilia 5. *Rogo vos fratres charissimi, vt quoties in die Dominico, aut aliis festiuitatibus Missæ sunt, nullus de Ecclesia discedat donec diuina mysteria cōpleantur*: & infrà. *Monete eos, qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt*. Obseruandum autem, Augustinum Augost. dicta epistola 59. significare, benedictionem hanc sacerdotis antecedere gratiarum actionem; sed fortasse loquitur de benedictione, quæ dari solet statim post communionem. Septimò, post datam benedictionem, sacerdos recitat Euangelium, *In principio erat Verbum*, nisi aliud, iuxta prædictum ordinem Missalis, dicendum sit; de qua re nihil inuenio scriptum ab antiquis Doctoribus, quod est signū, consuetudinem hanc non esse valde antiquam: constat tamen esse optimam, & vtilissimam ad tanti beneficij iugem recordationem, quòd, scilicet, Verbum pro nobis caro factum sit; & quòd de sinu Patris ad nos descenderit: habet etiam aliam vtilitatem, quod bis in Missa Euangelium recitetur, vt si contingat, proprium Dominicæ, vel feriæ Euangelium propter festum omitti, ponsit in fine Missæ recitari; & ita fit, præmisso eo die initio Euangelij sancti Ioannis. Denique illud etiam commodi est, vt, si qui fortasse priùs Euangelium audire non potuerunt, saltem in fine Missæ audiant. Vltimò, discedens sacerdos ab altari, seque sacris vestibus exuens, recitat hymnum Trium puerorum, Conc. Tolet. iuxta decretum Concilij Toletani IIII. capitulo IIII. 13. vbi præcipitur decantari canticum illud in omnium Missarum solennitate. Quod tamen nunc minimè obseruatur, sed secretò tantùm prædicto tempore dicitur.

Tertio principaliter ostendi potest hæc veritas, satisfaciendo obiectionibus, quæ in contrarium ab hæreticis fiunt: nam si in tota hac actione, nihil inordinatum, aut præter rationem ostenditur, cùm alias ex obiecto bona sit, & ad cultum Dei pertineat, vt à nobis probatum est, euidens erit, esse conuenienter & sanctè institutam. Prima ergo & præcipua obiectio hæreticorum est: quia, licèt in substantia huius actionis nihil esse superstitiosum videatur, tamen in modo, præter rationem est, quòd lectiones sacræ & orationes, & alia, quæ in Missa dicuntur, Latina & peregrina lingua, & non vulgari dicantur. Nam, si hæc dicuntur ad populum instruendum, vel excitandum, oportet in eo idiomate dici, in quo possint ab omnibus intelligi, nam, *Si nesciero virtutem vocis, ero, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus*, vt Paulus argumentatur, primæ ad Corinth. 14. ex quo loco difficilis redditur hæc obiectio: nam, vt ibidem dicitur, *Nisi vos per linguam manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur, eritis enim in aera loquentes*; & infrà, *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? quoniam, quid dicas, nescit: nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur*. Et confirmatur, quia non solùm in Missa ferè omnia proferuntur in lingua Latina, sed etiam quædam in Græco, vel Hebraico idiomate retinētur, quæ non solùm à populo, verum etiam ab ipsis sacerdotibus frequenter ignorantur, quid significent, aut quæ mysteria contineant. Hæc obiectio generalis valde est, quia non solùm de sacrificio Missæ, sed etiam de cæteris omnibus sacris ministerijs, vel publicis

A blicis orationibus, fieri potest; neque de his solùm, sed etiam de vniuersis sacræ Scripturæ libris cum hæreticis huius temporis magna controuersia est, an expediat, vulgari sermone translatos communiter circunferri, vt ab omnibus legi possint. De

Bellarm. quo argumēto scripsit eruditè Bellar. lib. 2. de Verbo Dei. c. 15. & 16. Et ideò pauca hic attingemus, quæ sufficiant ad defensionem Ecclesiasticæ consuetudinis, & definitionis Concilij Tridē. sess. 22. c. 8. vbi sic inquit, *Etsi Missa magnam contineat populo fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim lingua celebraretur*; & in can. 9. dicit anathema in eos, qui hunc ritum damnant. Ad hoc autem suadendum sufficit vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, *quam damnare insolentissimæ insaniæ est*, vt Augustinus dixit, Epist. 118. maximè cùm huius consuetudinis nullum possit initium designari, quod est signum Apostolicæ tra-

August. Leo. B ditionis, iuxta regulam Augustini, lib. 4. de Bapt. cap. 24. quod sumitur etiam ex Leone, sermone 2. Pentecostes, & clarius sermone 2. de ieiunio Pentecost. Assumptum verò nunc constat experiētia in tota Ecclesia Latina, cùm tamen nō legamus, Pontificem, vel Concilium aliquod hoc instituisse aut

August. præcepisse, & Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana; capit. 13. refert, Psalmos in Ecclesia Latinè cantari consueuisse suo tempore in Africa. Idemq;

Isidor. in Hispania seruatum esse in diuinis officijs, sumi

Tolet. IIII. Valent. 1. potest ex Isidoro, lib. de diuinis officijs, & ex varijs Concilijs Hispanis, quæ suprà citauimus, præsertim ex Toletano IIII. & Valentino 1. De Gallia

C idem constat ex Alcuino & Amalario; de Germania, ex Ruperto, & Rabano, de Anglia, ex Beda in Initio Historiæ de rebus Anglicis: de Italia res est per se manifesta, vt patet ex antiquissimo ordine Romano; & ex Gregorio, in suo Sacramentali, & ex alijs multis, quæ à Gratiano referuntur de

Aduertendū. Consecratione, distinct. 1. In Ecclesia autem Græca idem idem proportione seruatur: nam, licèt diuina officia in Græca lingua celebrentur, quia illa est doctrinalis lingua (vt ita dicam) in illa regione, qua necesse est vti pastores & Doctores illius Ecclesiæ; tamen etiam illa distincta est à vulgari, seu corrupta lingua, qua cōmuniter populus vtitur, idemque esse dicitur in linguis Syriaca, & Arabica, & vulgaris est distincta à doctrinali, etiam in suo idiomate; & diuina officia semper in doctrinali lingua peraguntur. Quòd si alicubi, vel aliquo tempore, non fuit lingua doctrinalis distincta à vulgari, saltem in regione aliqua, id est per accidens: nunc enim loquimur, suppositā hac distinctione, quæ nunc est, & ferè semper fuisse legimus. Ratio autē

D est, quia in primis hoc non est malum per se & ex obiecto, sed indifferens; neque est iure diuino prohibitum, vt per se constat; deinde non est simpliciter necessarium ad ædificationem fidelium: nam, quidquid eis scire, aut intelligere de his mysterijs

Conc. Triden. expedit, potest facilè per pastorum & Doctorum disciplinam suppleri; & ideò Concilium Tridentinum suprà præcipit, vt, retento antiquo ritu, ne oues Christi esuriant, pastores frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, & præsertim de ipso Missæ sacrificio; quod etiam indicauit Paulus citato loco: cùm enim dixisset,

Maior est, qui prophetat, quàm, qui loquitur linguis, subdit exceptionem, *Nisi forte interpretetur, vt Ecclesia ædificationem accipiat*. Aliunde verò sunt multæ & graues rationes, propter quas ita fieri magis expedit. Primò, quia, etiam si vulgari lingua omnia dicerētur in Missa, communis plebs magna ex parte illa nō intelligeret; vt verbi gratia, Psalmos, Prophetas, Paulum, Apocalypsim, Cantica, & similia, quæ vix possunt eruditi intelligere; vnde consequenter fieret, vt eis daretur multiplex errandi occasio, vel intelligendo aliqua verba secundùm proprietatē, quæ metaphoricè dicta sunt, vel alijs modis similibus. Secundo, quia nō omnia mysteria communi populo facilè proponenda sunt; sed aliqua occulta esse oportet, ne, vel apud idiotas vilescant, aut cum errore concipiantur, quando ea scire illis non est necessarium, vt in hoc proposito an- Dionys. tiqui Patres docuerunt, Dionysius cap. 1. & vlti- Basil. mo, de Ecclesiast. Hierarch. Basilius, lib. de Spiritu Gregor. sancto, cap. 17. Gregor. 4. Dialog. cap. 56. propter August. hanc enim causam inter alias voluit Deus Scriptu- Chrysost. ras esse obscuras, & sub tropis & figuris mysteria contineri, vt notauit Augustinus, lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 6. & Chrysostomus homil. 44. Imperfecti, & Gregorius, homil. 6. in Ezech. Tertiò, quia ad decentiam & venerationem diuinorū officiorum pertinet, vt non vulgari lingua, sed alia secretiori, & grauiori recitētur: sicut enim ob hāc causam decet, vt non fiant in communi loco, vel communibus vestibus, ita etiam nec communi lingua. Quartò, hoc etiam confert ad maiorem Ecclesiæ vnitatem, vt diuina officia eodem modo vbique fiant, & omnibus temporibus: nā vulgaris lingua facilè mutatur, doctrinalis autem durabilior est. Quintò hinc etiam vitatur periculum, ne cum mutatione linguæ, aliquam etiam magni momēti mutationem, vel etiam substantialem in diuinis officijs fieri contingat. Sextò denique hoc ipso admonentur, vel quodammodò coguntur Ecclesiæ ministri, ne vulgari lingua contenti, doctrinalem, & consequenter doctrinam ipsam negligant.

Ad difficultatem ergo propositam, quod ad rationem spectat, satis ex dictis responsum est, nam illa vtilitas, quæ ibi proponitur, & incerta est, & multis periculis exposita; & alio securiori, & sufficiente modo suppleri potest. Addè optima verba Chrysostomi. homil. 3. de Lazaro, *Etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia*: & similia habet Origen. hom. 12. in Iosue. Origē. Quod verò attinet ad testimonium Apostoli, quoniam per se obscurum est, maiori indiget explicatione; & præsertim oportet in primis exponere, quid sit *loqui lingua*; quid verò, *interpretari*, seu *prophetare*, pro quo est animaduertendum, consuetū fuisse fidelibus in primitiua Ecclesia, quando religiosos conuentus faciebant, seu ad sacra officia conueniebant, partim in diuinis laudibus occupari, partim in doctrina explicanda seu concione ad plebem: quæ consuetudo constat, tum ex citato loco Pauli, tum ex alijs ad Ephes. 5. ad Coloss. 3. tum ex Clemens, lib. 8. capitul. 4. & se- Clemē quentibus, tum ex Dionys. capitul. 3. de Eccle- Dionys. siastic. Hierarch. Iustino, Apologia. 2. pro Chri- Iustin. stianis. *Prophetare* ergo, in citato loco idem est, quod concionari, vel ad populum de rebus diuinis loqui, quod necesse est vulgari lingua, & omnibus nota fieri, si ad omnium vtilitatem fit, quod satis idem Apostolus exposuit dicens, *qui prophetat: hominibus loquitur ad ædificationē, & exhortationē & consolationem.*

Aduertendū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lationem. Nõ excluditur autẽ, quin talis prophetia
posſit etiã futurorum prædictionem cõtinere, dũ-
modò, qui propheratpoſsit mentem ſuã ad populi
ædificationem proponere, & interpretari, quanuis
etiam neceſſaria nõ ſit talis futurorũ prædictio ad
prophetandũ, prout ibi ſumitur, ſed ſufficiat Scri-
pturarũ, aut myſteriorũ fidei interpretatio. Vnde
inferiùs ait Paulus. *Quid vobis prodero, niſi vobis lo-
quar, aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia,
aut in doctrina?* vbi ſtrictiùs videtur ſumi prophe-
tia, quã in ſuperiori verbo prophetandi, nã, vt ex
contextu conſtat, ad prophetandum ſatis eſt, loqui
in Eccleſia ad ædificationem fideliũ aliquo ex di-
ctis modis, ſcilicet, vel *in reuelatione*, id eſt, declaran
do myſteria ex Dei reuelatione, vel *in ſcientia*, id eſt,
ex dono ſcientiæ, aut certè ex diligente ſtudio &
eruditione myſteria explicando, vel *in doctrina*, id
eſt accomodando ſermonem ad auditores; vt ad di
ſcipulos, vel, *in prophetia* in rigore ſumpta, id eſt,
annuntiãdo futura; ita tamen, vt ab omnibus poſ-
ſit intelligi. At verò *linguis loqui*, prout verbũ ipſũ
ſonat, nihil aliud eſt, quàm habere donum linguarum; ſed in eo loco ſpecialiter ſumitur, pro vſu ta-
lis doni ad laudes Deo canendas, vel ſpirituales
hymnos recitandos in peregrina lingua, quàm alij
non intelligunt. Solebant enim fideles in his reli-
gioſis conuentibus ita in diuinis laudibus occupa-
ri, vt vnuſquiſque, iuxta Spiritus ſancti inſtinctũ,
aliquid ex proprio ingenio in Dei laudem & gra-
tiarum actionem caneret aut recitaret, vt ex Dio-
nyſio, cap. 3. de diuinis nominibus licet colligere,
& ex Tertulliano, in Apologet. cap. 39. *Coimus in
cœtum & congregationem, vt ad Deum, quaſi manu fa-
cta, precationibus ambiamus oeantes, cogimur ad diuina-
rum literarum commemorationẽ, ſi quid præſentium tem-
porum qualitas, aut præmonere cogit, ſeu recognoſcere.* Et
infrà, *Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de
Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouoca-
tur in medium Deo canere.* Circa quem locũ Pamel.
& ſuper lib. Cypriani de oratione Dominica, nu. 2.
multa ex antiquiſsimis Patribꝰ, & hiſtorijs ad hãc
rem congerit. Quantum ergo ex hoc loco, quem
tractamus, colligi poteſt, eo tempore, quo donum
linguarum frequenter fidelibus conferebatur, ac-
cidebat interdum, vt in Eccleſia aliquis diuinas
laudes caneret, aut recitaret, in ea lingua, quã alij
non intelligebant: imo etiam in eo idiomate, quod
ipſemet recitans non perciperet, vt indicant illa ver
ba, *Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea
ſine fructu eſt*; quæ verba Chryſoſtomus, Theophy-
lactus, Ambroſius, & Anſelmus, exponunt de his,
qui loquentes linguis, ſe ipſos non intelligebant,
qui dicuntur orare ſpiritu, quia interiori affectu ad
ita loquendum, & orandum mouentur: mens au-
tem eorum ſine fructu eſt, quia verborum vim nõ
percipiunt: nam, aut eorum ſignificationem igno-
rant, aut (quod veriſimilius eſt) licèt ſignificatio-
nem verborum intelligant, myſteria tamen, quæ il
lis verbis continentur, non percipiunt, vt Auguſti
nus ſentit 12. Geneſi ad literam, capit. 8. & 9. Alij
verò hoc referunt ad alterum fructum, nimirũm,
quòd, qui hoc modo orat, ſe ipſum ædificat, ſuum-
que ſpiritum excitat, ſine aliorum tamẽ fructu: ita
Theodoretus & alij, quod ad noſtrum inſtitutum
nihil refert; nam *loquis lingua* in vtroque ſenſu idem
eſt, quod diuinas laudes ita loqui, vt alij quidem
non intelligentes in admirationem rapiantur, fru-

Quid ſit, linguis loqui

Dionyſ. *Tertul.*

Pamel.

Chryſoſt. *Theophyl.* *Ambroſ.* *Anſelm.*

Auguſt.

Theodor.

ctum tamen, & interiorem ædificationem nõ per-
cipiant. Huiuſmodi ergo vſus linguarum videtur
fuiſſe maximè familiaris Corinthijs, & in tanta
æſtimatione & pretio, vt de illo maximè gloria-
rentur, illudque donum, dono prophetiæ præfer-
rent: Paulus autem in prædicto loco huiuſmodi do
num, aut vſum eius, non reprehendit, nec contem-
nendum putat, ſed repræhendit inordinatũ vſum
eius, & docet, prophetiæ donum illi eſſe præferen-
dum. Vnde concludit in fine capitis. *Itaque fra-
tres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite pro-
hibere: omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant
in vobis.* Conſtat igitur ex vera huius loci intelli-
gentia, nullum ex eo argumentum ſumi poſſe con
tra prædictum vſum Eccleſiæ: tum quia in eo non
eſt ſermo de officijs diuinis, quæ in Eccleſia recitã-
tur, aut canuntur, ſed de ſermone exhortatorio ad
plebem, aut de precibus, ſeu laudibus, quas vnuſ-
quiſque proprio dono ſeu ſpiritu ductus, coram
alijs profert, tum etiam, quia Apoſtolus non im-
probat illum vſum linguæ, ſed vſum & æſtimatio
nem eius moderatur: & illum maximè approbat,
quando cum eo adiungitur interpretatio. Ad ver-
ba autem ſuprà citata, quoniam ex eis ſumi poteſt,
ſaltem argumentum à ſimili, ſpecialiter reſponden
dum eſt. In illis ergo primis verbis, *Si neſciero vir-
tutem vocis, ero, cui loquor, barbarus*, &c. nihil aliud
ſignificatur, niſi, quòd neque intelligam, neque
intelligar, iuxta illud Ouidij.

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor illi.

Quod quidem eſt inconueniens in ſermone exhor
tatorio, non tamen in ſermone deprecatorio: nam,
vt ibidem dicitur, *Qui prophetat ſeu exhortatur, homi-
nibus loquitur, & ideò vanè & in aera loquitur, ſi non
intelligitur, quod loquitur*, vt Paulus parum antea
dixerat. Qui autem loquitur lingua, deprecan-
do, ſcilicet, ſeu orando, non hominibus loquitur,
ſed Deo, qui optimè non ſolum linguam, ſed &
mentem nouit; & ideò neceſſe non eſt, quòd ab ho
minibus intelligatur, imò nec ſemper neceſſe eſt,
vt ipſemet, qui orat, intelligat, ſatis eſt enim, quòd
ſciat, ſeu credat illa eſſe verba, quibus laudatur vel
exoratur Deus: tunc enim re vera ſpiritus orat,
& mouet linguam, quanuis mens verborum ſigni-
ficationem non ſatis percipiat, vt ibidem ſignifi-
cauit Paulus in verbis ſuprà declaratis. *Si orem
lingua, ſpiritus meus orat, mens autem ſine fructu eſt*; &
hac ratione non malè faciunt, qui Latinè orant,
quanuis linguam Latinam non intelligant, vt ſu-
mitur ex Chryſoſtomo & Origene ſuprà citatis, &
Auguſt. libr. de Baptiſmo, capitul. 25. & 3. de do-
ctrina Chriſtiana, capitul. 9. vbi dicit, Iudæos ritè
coluiſſe Deum figuris & ſignis, quorum vim &
ſignificationem non ſatis intelligebant; & multi
etiam nunc religioſè pſalmos recitant, quos nõ in-
telligunt, quãuis Latinam linguam ſciant. Vltima
denique verba ita exponuntur à Diuo Thom. Pri
maſio, Haymone, & alijs, vt per eum, *qui ſupplet lo-
cum idiotæ*, intelligant miniſtrum, qui loco populi
reſpondet: vnde ſignificãt, oportere, vt ſaltem mi-
niſter intelligat, vt loco populi reſpondere poſsit.
Quæ interpretatio eſt apparens, iuxta vulgatam
verſionem; tamen, iuxta Græcam editionem, habet
difficultatem, quia non dicit, *qui ſupplet*, ſed, *qui ad-
implet locum idiotæ*, id eſt, qui eſt idiota & ignarus.
Atque ita interpretantur Theophyl. & Chryſoſto
mus, homilia 53. & *idiotam* (ait Chryſoſtom.) pro-

Exponitur Apoſtolus.

Chryſoſt. *Orig.* *Auguſt.*

D. Thom. *Primaſius* *Haymo.*

Theophyl. *Chryſoſt.*

miſcuam plebem vocat: imò eo tempore tota plebs ſo
lebat reſpondere ſacerdoti, vt ex his, quę ſuprà ad-
duximus de aliquibus reſponſionibus populi, ſu-
mi poteſt, & ex Hieronymo in præfatione libri 2.
ad Galatas. Et augetur tandẽ difficultas, quia etiã
nunc non eſt neceſſe, vt miniſter linguam intelli-
gat, in qua Miſſa dicitur. Quare dici poteſt, iuxta
ſuprà dicta, Apoſtolum nõ loqui de officijs Eccle-
ſiaſticis, ſed de illis Canticis vel laudibus, quas ſin-
guli ex proprio ſpiritu vel ingenio recitabant, vt
ſe inuicem excitarent, & commonerent; & ideò fie
ri oportebat in lingua, quam alij intelligerent; vel
ſaltem, vt eorum interpretatio ſubſequeretur. In
diuinis autem officijs, quæ potiſsimè ad cultũ Dei
ordinantur, magis expediens fuit propter alias ra-
tiones ſuprà adductas, vt non fiant vulgari lingua,
ſed vt ſuis opportunis locis & temporibus, paſto-
rum interpretatio adiũgatur. Addo denique, quã-
uis neceſſarium non ſit, vt, qui reſponſionem datu-
rus eſt alteri oranti, (ſiue ille miniſter ſit, ſiue popu
lus) proprium idioma, ſeu verborum ſignificatio-
nem intelligat, ſaltem neceſſarium eſſe, vt ex inſti-
tutione & conſuetudine intelligat, ſaltem confu-
ſè, quid faciat ſacerdos, id eſt, an orationem profe-
rat, & quando illam finiat, alioqui accommodatè
reſpondere non poterit. At verò in illo vſu linguæ,
de quo Paulus loquitur, neque hoc fieri potuiſſet;
tum quia, qui loquitur lingua, non loquitur iuxta
aliquem ritum vel inſtitutionem, ſed prout Spiri-
tus ſanctus dat eloqui illi, tum etiam, quia talis lin-
gua interdum eſt omnino peregrina, ita vt audien-
tes prorſus ignorent, quid loquatur, & an oret, vel
aliud proferat, vel quando orationem finiat; & ſi-
milia; & ideò de tali vſu linguæ facilè concede-
mus, eſſe ineptum ad publica officia; neque id erit
contra conuenientem Eccleſiæ ritum, vt ſatis de-
claratum eſt.

Vnde facilis eſt reſponſio ad vltimam confirma
tionem: nihil enim incommodi eſt, q̃ Latina Eccle
ſia, quaſdã voces Hebraicas, vel Græcas in Miſſa,
aut in officijs Eccleſiaſticis retinuerit; vel quia pecu
liarem emphaſim habent, vt de voce, *Alleluia*, di-
cit D. Thom. Apocal. 19. quæ non vtcunque diui-
nam laudem perſonat, ſed cum peculiari lætitiæ ſi-
gno, vt Auguſt. etiã Pſal. 106. notauit, vel ad vni-
tatem Eccleſiæ, eiuſdemque fidei confeſsionem in-
dicandam, vt de voce *Kyrie eleiſon* indicat Auguſt.
epiſt. 178. circa finem; ex quo loco poteſt hæc con
ſuetudo varijs exemplis confirmari. Vel etiã pro-
pter commendãdam antiquitatem, vt ſumitur ex
Gregorio, lib. 7. epiſt. 63. vbi de voce *Kyrie eleiſon*
tractat, Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 10.
& 11. & ponit exemplum in voce, *Amen*, & *Alle-
luia*; in quibus dicit ſeruatam eſſe antiquitatẽ pro-
pter Sanctorum authoritatem: vel denique, quia
interdum tales ſunt voces, vt commodè trãsferri
in aliam linguam non poſsint, vt de voce *Oſanna* &
Racha, eodem loco dicit Auguſt. & Iſidor. etiã has
duas poſtremas rationes attigit, libr. 6. etymolog.
cap. vltimo. Neque eſt incommodum alicuius mo-
menti, quòd propria harum vocum ſignificatio à
multis etiam ſacerdotibus ignoretur: quia, vel ſa-
tis eſt, quòd in fide totius Eccleſiæ proferantur: ea-
rum enim cognitio non eſt admodũ neceſſaria ſin
gulis; vel certè ex ipſo vſu & accõmodarione iam
ſunt veluti Latinæ factæ, ſicut de verbo baptizan-
di in ſuperioribus diximus, & ita etiam ſufficiẽter

Aduertendũ.

Gregor.

Ruffin. *Iſidor.*

ta eſt earum ſignificatio. Quis enim ignorat, *Alle-
luia*, eſſe vocem gaudij, & lætitiæ, qua prouocatur
homo ad Dei laudem; & ſic de alijs.

Secunda obiectio eſt, quia in his, quæ in Miſſa di
cuntur, quædam ſub ſilentio & ſecretè, alia verò
publicè proferuntur; quod videtur inordinatum;
& contra rationem; nam oratio, quæ in Miſſa fit,
non eſt priuata, ſed publica; non ergo ſecretè inter
Deum & hominem, ſed publicè fieri debet. Quæ
item vtilitas in huiuſmodi ſecreto eſſe poteſt? ſi
verba ſancta ſunt, cur non ab omnibus audientur?
& ſi oratio nomine omnium fit, cur non, audienti-
bus omnibus & aſſentientibus, fiet? Dices fortaſſe,
id fieri ad occultandum aliquod myſteriũ. Sed cõ-
trà, nam quod maiùs poteſt eſſe myſterium, quàm
ipſummet conſecrationis? & tamen verba, quibus
illud conficitur, alta voce prolata ſunt. Et ſtatim
ſubdidit, *Hoc facite in meam commemorationem*, & ita
fiebat exemplo Chriſti in antiqua Eccleſia, vt licet
colligere ex antiquis Liturgijs, in quibus ad ver-
ba conſecrationis populus reſpondet, *Amen*; cuius
conſuetudinis meminit etiam Euſeb. libr. 7. hiſtor.
capit. 9. & Auguſt. lib. 65. quæſtionum. quæſt. 49.
quanuis ibi non ſit ſermo de Conſecratione, ſed de
diſpenſatione ſacramẽti, de qua etiam loquitur Cy
ril. Catechеſ. 5. myſtag. Tandẽ Chryſoſt. hom. 18.
in 1. ad Corinthios dicit, omnia, quæ in Miſſa fi-
delium fiunt, communia eſſe populo & ſacerdoti.
Et confirmatur, ſeu augetur difficultas, quia etiam
videtur incongruum, vt in Miſſa aliquando ca-
nendo, dicantur orationes, & alia: quia hoc non
videtur decere grauitatem, & reuerentiam tanti
officij.

Ad confutandum hunc errorem docuit Concil.
Tridentin. dicta ſeſsione 22. capit. 5. probandum
eſſe ritum Eccleſiæ Catholicæ, quo obſeruatur, vt
quædam, ſubmiſſa voce, alia vero elatiori, in Miſ-
ſæ ſacrificio pronuntientur; quod in can. 9. ſpecia-
liter definit de verbis conſecrationis, & de alia par-
te canonis, quæ ſecretè & ſubmiſſa voce dici con-
ſueuit. Hunc autẽ ritum antiquiſsimũ eſſe, conſtat
ex Liturgijs ſæpè citatis, præſertim Baſilij, & Chry
ſoſtomi, & ex Cyrillo, Catechеſ. 5. idẽ colligitur.
Deinde per ſe notum eſt, hunc ritũ ex ſe intrinſecè
non eſſe malum aut contra rationem, ſicut neque è
contrario eſſe malũ, totam Miſſam alta voce pro-
nunciare: neutrum enim eſt contra aliquã virtutẽ,
nec per ſe fert aliquam indecentiam: Chriſtus etiã
nihil de hoc ſtatuit, aut prohibuit; neq; enim Scri-
ptura, aut traditione, conſtat tale Chriſti præce-
ptum: diſpoſitioni ergo Eccleſiæ hũc, ſicut cæteros
accidentales ritus, commiſit; cur igitur repræhen-
di poteſt Eccleſia, quòd in re de ſe indifferente al-
teram partem obſeruandam, & vſu retinendã, exi-
ſtimauerit? nõ enim expediebat, arbitrio cuiuſuis
ſacerdotis hoc relinquere; tum quia inde orta fuiſ-
ſet infinita quædã varietas; tũ maximè, quia multa
indiſcretè & inordinatè fierent. Ad eligẽdum autẽ
& ſtatuendum hunc ritũ potiùs, quàm alium, ha-
buit Eccleſia rationes morales ſufficiẽtiſsimas. Pri-
mò, quia illamet varietas nunc publicè, nunc ſe-
cretè & in ſilentio orando, recreat & delectat au-
dientium animos, & quandam præ ſe fert graui-
tatem, & venuſtatem. Secundò ex Concilio Tri-
dentino, ſuprà, *quia his adminiculis exterioribus indi-
gent homines, vt ad rerum diuinarum meditationem ſu-
ſtollantur.* Itaque, vt ſinguli fideles, qui Miſſam

Secunda obiectio.

Concil. Trid.

Concil. Trid.

audiunt, possint melius se colligere, &, iuxta propriam deuotionem, Deum deprecari, aut sacra mysteria meditari, expedit interdum secretè in Missa orare; & ideo egregiè dixit Concilium Colonien- *Concil. Colon.*
se, part. 7. cap. 10. *Tunc esse in Missa præcipuas populi partes, quando submissis legente, aut tacente sacerdote, vnusquisque cum Deo loquitur.* Et Cypria. in exposit. orat. Domin. & refertur in cap. Quando autem. de Consecr. dist. 1. Ideò (inquit) Sacerdos ante oratio- *Cyprian.*
nem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo, *Sursum corda*, vt, dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil se aliud, quam
Dominū cogitare debere. Et hoc modo vult Chry- *Chrysost.*
sostom. vt in sacrificio omnia sint sacerdoti, & populo communia, quia vnus orat nomine omnium; alij verò eius orationi consentiunt; vel ei attendūt, si publicè orat, aut si secretè, cum illo simul erant.
Tertia causa est, vt significetur, non omnia mysteria esse omnibus æquè diuulganda, vt ex Patribus suprà retuli, quibus addi potest Orig. homil. 5. in *Orig. Chrysost. Innocent.*
Num. & Chrysost. homil. 24. in Matth. & Innocent. 1. epistol. 1. c. 1. in verbis illis, *Cum post omnia; quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda.*

Quartò accedit ratio mystica, sumpta ex significatione Christi seu imitatione eius: ille enim, quando se in cruce in sacrificium obtulit, nunc alta voce orabat, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciūt*, &, *In manus tuas, Domine, commēdo spiritum meum*; &, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Nunc ad astantes loquebatur, vt ad Matrem, ad Discipulū, ad Latronē: nunc verò tacebat, & intrà se orabat. Ita etiam sacerdos in Missa, nūc ad populum loquitur, nunc ad Deum clara voce, nunc verò sub silentio orat. Oratio ergo secreta sacerdotis, commemoratio quædam est secreta orationis Christi, vel in horto, vel in Cruce.

Ad argumentum ergo respōdetur, sacerdotem, etiam vt ministrum publicum, posse secretè orare, cum inter homines & Deum sit cōstitutus, vt pro hominibus intercedat, siue id faciat publica voce, siue secreta, dummodo pro vniuersa Ecclesia, & nomine eius id faciat, orat vt minister publicus: cuius orationi omnes auditores consentiunt, vel assistendo, vel simul cum illo orando, imò Innocent. suprà *Innocent.*
ait, osculum pacis esse in fine dandum, vt per eam constet, populum ad omnia, quæ in mysterijs agūtur, atq; in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum. De vtilitate autē, quæ in hoc ritu esse potest, iam satis dictum est. Quòd verò Christus Dominꝰ verba consecrationis altè protulerit, nullum argumentum est ad id, de quo agimus; quia ipse coram eis consecrauit, quibus modum consecrandi tradebat: quem nunc Episcopi imitantur, quando Sacerdotes creant. Quòd denique aliquādo fuerit in Ecclesia vsus altè proferendi verba consecrationis, recētè declarat, illud etiam non fuisse malum; non tamen propterea necesse fuit, eam consuetudinē semper retineri. Vltima confirmatio longam petebat occasionem de Canticis Ecclesiasticis; sed ea res proprium habet locum in 2. 2. q. 83. & 91. nunc satis est, hunc etiam morem canendi in Missa esse antiquissimum, vt constat ex Liturgijs citatis, etiam Iacobi, & ex Clem. lib. 8. & ex Dionys. c. 3. & Iustino, apolog. 2. pro Christianis, & ex Tertul. in Apolog. c. 39. & ex antiquis historijs, quæ hūc morem ad Apostolos, eorumque discipulos referunt; vt videre licet in Niceph. lib. 9. c. 19. lib. 13. cap. 8. *Clem. Dionys. Iustin. Tertul. Niceph.*

A lib. 18. c. 51. Theodor. lib. 4. c. 29. Socrate, lib. 6. capit. 8. Denique est hoc consentaneum Paulo ad Ephes. 5. dicenti, *Loquentes vobismet ipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus*, & ad Colos. 3. imò Concil. Tolet. IIII. c. 12. dicit. de hymnis canendis habere nos Christi & Apostolorū exemplū, significans, verba illa, Matth. 26. *Et hymno dicto*, per cantū esse intelligenda, nam hoc propriè hymnus significat, vt August. dicit in principio Psalm. 72. Neq; hoc est contra grauitatem tanti muneris, cum hoc totū ad Dei laudem, & honorem referatur, & ad excitandos homines ad deuotionem ordinetur; & ideò sanctè à Concilijs est statutum, vt in his canticis nihil misceatur, quod sanctum & purum non sit, & ad reuerentiam & deuotionem animos prouocare possit. Concil. Trident. sess. 22. de Observand. in Missa. *Socrat. Theodor. Conc. Tolet. IIII. Conc. Trident.*

B Tertiò afferri possent aliæ obiectiones, quæ fundantur in alijs erroribus, vt sunt, quòd in his, quæ in Missa dicūtur, & ad Sanctos sæpè dirigitur oratio, & ad eos colendos & honorandos multa ordinantur. Item, quòd oratur pro defunctis. Item, q; vtimur verbis significantibus oblationem & sacrificium, & similia, quæ omitto, quia errores, in quidantur, in superioribus impugnati sunt. Addunt præterea, quædam interdum in his orationibus aut antiphonis Missę misceri, quæ, vel errorem aliquē continent, vel superstitionem redolent. Quod licèt non possint vniuersaliter ostēdere, vno vel alio exemplo confirmant; Potissimumque est de Missa, quæ dicitur pro defunctis, in qua orat Ecclesia, vt animas defunctorum Deus *liberet de pœnis inferni, & de profundo lacu*, & similia, quæ videntur errorē continere: nā, aut Ecclesia orat pro animabus, quæ sunt iam in inferno, & hoc ineptissimum esse t, & inuolueret errorem negantem æternitatem pœnarum inferni, vel orat pro animabus purgatorij, & sic superfluè orat, vt liberentur à pœnis inferni, & de profundo lacu; quia iam liberatæ sunt, cùm in purgatorio esse supponantur. Dices, per infernum, & profundum lacum, ibi intelligi purgatoriū. Sed contrà, quia statim subditur, *Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus*, &c. & infrà, *Fac eas, Domine, de morte transire ad vitam*; & illud, *Gratia tua illis succurrente, mereantur euadere iudicium vltionis*, & in quadam collecta dicitur; *Vt, quia in te speranti, & credidit, non pœnas æternas sustineat, sed gaudia sempiterna possideat*; & similia multa in orationibus pro defunctis leguntur, in quibus alius error inculcari videtur, nimirū, animas existētes in purgatorio, adhuc posse damnari, & esse incertas de æterna sua salute. Dices, interdum peti à Deo aliquid, quamuis certò futurum sit, quia per orationes est futurū; sicut Patres antiqui petebāt aduentum Christi. Sed contrà primò, quia nihil certò futurū petitur, nisi, quatenus à nobis aliquo modo pendet: quòd autē anima in purgatorio existens non damnetur, iam nō pendet ex nobis, sed est in te ineuitabile. Secundo, quia licèt cōtingat, petere rem certò futuram, quandiu futura est, nō tamen iam factā. Quis enim à Deo petat, vt anima Christi beata perpetuò sit? sed, q; anima in purgatorio existēs ab æterna morte liberetur, nō est iam futurū, sed factum: non ergo conuenienter petitur. Nec satisfacit, quòd quidā dicunt, quamuis in his animabus peractum sit particulare iudicium, non tamen vniuersale; & ideo adhuc pro illis orari posse, vt euadāt iudicium vltionis; *Socrat. Theodor. Conc. Tolet. IIII. Conc. Trident.*

nis: nā, si hoc verū esset, etiā pro beatis orare posse A
mus, vt euadāt iudiciū vltionis, quia etiā illi nōdū iudicati sunt vniuersali iudicio. Præterea sunt alia multa in his collectis Ecclesiasticis, quæ difficultatē habēt, quale est illud, quod Innoc. refert, in cap. Cum Marthæ de celeb. Miss. *Annue, quæsumus Dñe, vt anima B. Leonis hæc prosit oblatio*, quæ verba, licet emendata postea fuerint, vt ibidē Innoc. dicit, tñ hinc summus argumentū, in his collectis interdū inuolui errorē; & præterea ibidē non omnino subla tus est: nā in secreta oratione eiusdē S. Leonis, nūc petitur, vt *per hæc piæ placationis officia, & illā beata retributio comitetur, & nobis gratia tua dona conciliet*, & in alijs collectis sanctorū sæpè oratur; *Vt, sicut ista mysteria Sanctis prosunt ad gloriā, ita nobis proficiant ad medelā*, quæ cōparatio falsum supponere videtur quia hæc mysteria nō prosunt Sanctis ad gloriam. Itē in quadā collecta Dominicæ quartæ post Pētecost. dicimus Deo, Et *ad te nostras, etiā rebelles, cōpelle propitius voluntates*: quod videtur etiam ineptum, quia hoc est petere à Deo, vt voluntates nostras cogat & necessitet. *Innoc.* *Medina.*

Circa hanc difficultatē Medina, Codice de orat. q. 6. de ijs, pro quib⁹ orandū est, tractās eas, quæ ad Missas defunctorū pertinent, in primis dicit, non esse necessariū, omnia, quæ in eis dicuntur, ab omni ineptitudine excusari; multa enim (inquit) in Ecclesia legi permittuntur, quanuis non omnino vera sint, vel omnino apta, quia cōferunt ad deuotionē fidelium excitandam vel augendā, vt in legēdis Sanctorū, & in opinionibus Doctorū, ita ergo (inquit) dici potest de illis orationibus, quæ à priuatis personis factæ sunt, & nō à Conc. aliquo, neq; in eo sunt probatæ. Sed hæc responsio, neq; pietati, neq; veritati consentanea est: nā in primis, quicquid sit de autoribus illarū orationū, vel antiphonarū, certū est tamen, cōmuni vsu & consensu totius Ecclesiæ Romanæ esse receptas: ergo nemo potest sine magna temeritate sentire, in eis aliquem esse errorem, à sana doctrina alienum. *Medina sentētia reijcitur.* C

Quocirca in Ecclesiasticis officijs oportet distinguere ea quæ ab Ecclesia proponūtur, tantū vt humana fide certa aut probabiliora, vt sunt historiæ Sanctorū, & alia similia, quæ tantū proponit Ecclesia, vt piè & probabiliter credita, qualis est, verbi gratia, immaculata cōceptio B. Virg. aut quod in Epiphania ait, tribus Christi apparitionibus, seu miraculis illū diē ornatū esse; & si quid aliud est simile. Et in his nullus est error; quia non sunt res, quæ per se pertinēt ad Catholicā doctrinā, neq; vt huiusmodi proponuntur. Vnde, licet cōtingeret, in re esse falsum id q; Ecclesia, vt piū & probabile proponit, nō esset propria deceptio, quia ipsamet Ecclesia hæc nō proponit vt certa, sed tantū vt pia & probabilia, prout re vera sunt. Aliud verò est, loqui de rebus, quæ pertinent ad certā & indubitatā doctrinā fidei: in his enim fieri nō potest, vt vniuersalis Ecclesia decipiatur; & ideo, neque in eis officijs, & orationibus, quæ ab vniuersali Ecclesia recipiūtur, misceri potest aliquid huic doctrinæ contrariū, quā aliquid fortasse possit interdū esse obscurum, quod aliqua interpretatione indigeat. Loquor aūt de ijs, quæ ab vniuersali Ecclesia recipiuntur: quia, si aliqua à priuatis personis, vel etiā Ecclesijs, priuata autoritate adiūgantur, nil mirū erit, quod interdū error misceatur, & ideo grauiter vetant Concilia, ne preces in Missa dicantur, nisi in Conc. proba- D

tæ, vel frequēti & laudabili vsu receptæ fuerint, vt Cōc. Trid. loco citato loquitur, & ante illud significatū fuerat in Cōc. Cart. 3. can. 23. & Cōc. Mileuit. can. 12. Afric. can. 70. Ad primā ergo partē difficultatis respōdetur breuiter, Ecclesiā eis verbis nō orare pro animabus dānatis, tū, quia solū orat pro fidelibus; tū etiā, quia expressè dicit, *Ne cadant in obscurū*, supponit ergo nondū ea dixisse: orat ergo pro animabus Purgatorij. Dupliciter autē intelligi potest oratio pro illis facta, primo considerando eas solū prout tunc existunt, quando pro eis oratur; & hoc modo petimus, vt eis remittantur pœnæ; & vt æterna requie donentur, & lux perpetua eis luceat, & multa ac fere omnia, quæ in illis officijs continētur, possunt ad hūc sensum adaptari; alio modo orātur pro illis animabus, secundū quādā anticipationē seu repræsentationē: repræsentat enim Ecclesia statū illarū animarū in eo puncto, in quo à corpore exeunt, & ad iudiciū feruntur, & hoc modo intercedit pro illis; & orat, *Ne absorbeat eas tartarus*, & similia: sicut etiā nunc, quando Christi aduentū repræsentat, orat, *Rorate cæli desuper*: & in die Resurrectionis, *Hæc dies, quam fecit Dominus*; &c. Neq; est inutilis talis oratio aut repræsentatio; tū, quia viuētibus potest esse vtilis, vt periculū illius momenti, in quo iudicandi sunt, tibi proponant; tū etiā, quia cedit in verū Dei cultū, quē Ecclesia confitetur, & recōgnoscit, vt suprēmū animarū iudicē; & patrē misericordiæ, qui orationibus placari potest; tū de niq; quia potest esse vtilis animabus defunctis; vel vt propter has Ecclesiæ orationes aliquid pœnæ eis remittatur, vel etiā fortasse, vt propter tales orationes Ecclesiæ præuisas, quādo ab hac vita decedūt, à Deo recipiāt auxilium, & dispositionē, secundū quam benignè ac misericorditer possint iudicari. Hunc verò esse Ecclesiæ sensum in citatis verbis, cōstat ex illis, *Fac, eas Domine transire de morte ad vitā*: illa enim nō possunt intelligi de morte secūda, quę est inferni, quia ab illa nullius potest ad vitā trānsire intelliguntur ergo, vel de morte corporali, vel de morte peccati. Ad aliā verò partē de orationibus ꝓ Sanctis, facilis est responsio ex supra dictis: primū enim huiusmodi oratio magis est gratiarum actio, quæ Deo fit propter gloriā Sanctis concessam, quā nouæ gloriæ, seu beatitudinis postulatio. Deinde, si quid eis petitur, solū est accidētalis aliqua gloria seu gaudiū de nostris cōmodis, vel de honore, aut cultu, qui Deo in terris exhibetur per hoc Missæ sacrificiū; vel etiā eis postulatur gloria apud homines seu in Ecclesia militante, scilicet, vt in ea existimatione eos habeamus, eoq; honore illos prosequamur, qui eis debetur. Et in quocunq; istorū sensuū possent optimè retineri sine mutatione verba illa, quæ in Collecta S. Leonis habebantur, vt Innoc. 3. in prædicto c. declarauit, sed propter ambiguitatē, & ne indocti falsum aliquē sensum cōciperent, mutatio illa facta est. Deniq; ad vltimā obiectionē de illa collecta in qua petimus, vt Deus nostras cōpellat voluntates, respondetur, neq; ibi, neq; in rigore *cōpellere*, significare propriè cogere, aut necessitatē inferre, sed magna quadā gratiæ virtute voluntatē inducere aut mouere: sumptusq; est ille modus dicēdi ex similibus verbis ipsius Christi, Luc. 14. *Exi in vias & sepes, cōpelle intrare, vt impleatur domus mea*, & eadē fere vim habent illa verba, Ioā. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, & ex cōmuni modo loquendi cōstat, dici aliquē compelli, *Concil. Trid. Carthag. 3. Conc. Milen.* *Ecclesiæ sensus assignatur* *Innoc. 3.* *Cōpellere, proprie & in rigore non significare cogere, aut necessitare.*

quando importunis precibus aliquid facit, quãuis voluntariè & liberè facit; sic Genes. 19. *Compulit illos, vt diuerterent ad eum*. Atq; ad hunc modũ facile erit, exponere, si quid in reliquis Missarum officijs obscurum, aut ambiguum occurrat, præsertim, si debita reuerentia ac pietate legatur.

SECTIO II.

Vtrum in omnibus, quæ in canone Missæ dicuntur, integra veritas & debita Deo religio seruetur.

Conc. Trid.

Conciliũ Trid. sess. 22. c. 4. & can. 6. propter hæreticos hui⁹ tẽporis, qui infestissimi sunt in hũc Missæ canonẽ, singulari prouidentia quatuor de illo specialiter docet, ac definit, quæ à nobis breuiter sunt declarãda, confirmanda, ac defendẽda. Primũ est, Ecclesiã Catholicã multis ante seculis illũ instituisse. Secundũ est, constare hunc canonẽ ex Christi verbis, Apostolorũ traditionib⁹ & Sanctorũ Pontificũ pijs institutionibus. Tertiũ est, esse ab omni errore purũ. Quartũ, nihil eo esse, quod non maximẽ sanctitatẽ, ac pietatẽ redoleat, mentesq; offerentiũ in Deũ erigat. *Canon Missæ quid vocetur.* Vocatur autem Canon Missæ totũ id, quod in Missali legitur ab illis verbis, *Te igitur clementissime Pater*, vsque ad cõsumptionẽ sacramenti: vocatur autẽ Canon, quia est veluti regula præscripta & seruanda in actione huius sacrificij, qua vocẽ vsus est D. Greg. lib. 7. Epistolarũ, epist. 63. in illis verbis, *Mox post canonẽ, orationem Dominicam dici statuistis*. *D. Greg.* Quæ verba non sunt Greg. sed aliorũ, quos, refert, & in eis significatur, canonẽ solitũ fuisse finiri in posteriori hostiæ eleuatione, post quã immediatè Dominica oratio recitatur, ipse vero Greg. inferius, *Gregor.* *Mox, inquit, post precem orationẽ Dominicã dicimus*; vnde videtur, ipsum canonẽ, precẽ appellare, de quo infra videmus. Ad vero Isid. 1. offic. *Ordinẽ Missæ, seu orationẽ*, appellat. Et Vigil. Pap. in epist. ad Euther. vocat, *Ordinẽ precũ in celebritate Missarũ*. Optatus vero, lib. 2. cõt. Parm. vocat *legitimũ; quod in sacramentorũ mysterio præteriri non potest*: vocatur etiã *actio sacra* à Vvalf. Strab. c. 22. de rebus Eccles. quia in ea parte Missæ dicitur, in qua sacrificiũ conficitur: vsus vero maximè obtinuit nomen *canonis*, qui maxime accommodatus est, propter rationẽ dictam. *Isidor. Vigil. Pap. Optatus. Vvalf. Strab.*

Circa primã ergo Conc. propositionẽ primũ cõsiderandũ est, prudentissime Conc. Eccles. in communi tribuisse huius canonis institutionem, vt à q. dubia de illius autore abstineret. *De autore canonis quid certum.* Est itaq; certum, canonẽ, secundũ eã formã, qua nunc in Missa dicitur, neq; esse de substantia sacrificij, neq; à Christo Dño esse institutũ, nullibi enim extat talis institutio. Quin potius Greg. supra dicit, Apostolos interdũ sacrificasse, adiungendo verbis cõsecrationis tantũ orationẽ Domicam, *Greg.* quod videtur sumpsisse ex Hieron. lib. 3. cont. Pelag. quanuis Hieron. ibi dictionẽ exclusiuã nõ adiungat. *Hieronym.* Est autẽ hoc intelligendum nõ vniuersaliter, sed indefinite. Apostoli enim fortasse statim post ascensionẽ, ita cõficiebãt, postea vero paulatim cœperũt res omnes in maiorẽ ordinẽ redigere, atq; etiã huic sacrificio orationes & ceremonias adiungere, vt partim in superioribus visum est, partim ex sequentibus constabit. Hinc vero fit, præceptũ dicendi hunc canonẽ tempore huius sacrificij, non posse esse ex institutione diuina: totũ ergo hoc est ex institutione Ecclesiæ, vt Conc. dixit. Quis vero fuerit autor huius canonis, vel præcepti, recitandi illũ, ab autoribus diligẽter inquiritur: hæretici vero, vt canonis autoritatẽ eleuent, dicunt, autorẽ eius fuisse Scholasticũ quẽdã, cuius mentionẽ fecit Greg. dicto lib. 7. epi. 63. *Greg.* dicens, *Valde mihi inconueniens visum est, vt precẽ quã Scholasticus cõposuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionẽ quã Redẽptor noster cõposuit, super corpus & sanguinẽ eius nõ diceremus*. Dicendũ vero est, non posse vnũ certũ autorẽ huius canonis designari: nã, vt Isid. loco supra citato docet, *Isidor.* ab ipso Petr. Apost. initiũ sumpsit; ideo dicit, ab ipso fuisse institutũ; non tamen ab illo fuit plene cõpositus & traditus, prout nunc extat: sed successu tẽporis paulatim perfectus est, posterioribus Põtificibus aliquid addentibus, præsertim vsq; ad Greg. 1. ex quo tẽpore nullã nouã additionẽ accepit. Quæ omnia cõstabunt euidentius ex his, quæ statim de singulis partibus huius canonis dicemus. Nũc autẽ declaratur breuiter ex altera parte, quã in illa propositione prima Conc. docuit, scilicet, *hanc canonis institutionẽ multis ante seculis cœpisse*. Quæ verba dupliciter possunt intelligi, primo de initio canonis, saltem quoad aliquas partes eius, & hoc modo constat cœpisse à tẽporibus Apostolorũ, ex Isid. supra, & ex Clem. lib. 8. & ex Basil. tũ in liturgia, tũ lib. de Spiritu sancto, c. 27. *Isidor. Clemens. Basil.* vbi inter traditiones non scriptas dicit, contineri ea, quæ ante, & post consecrationẽ dicuntur, & multũ momenti habere dicit ad mysteriũ; & Vigil. Pap. dict. epist. 1. c. 5. *Vigil. Pap.* *Canonicæ*, inquit, *precis textũ direximus subter adiectum, quem (Deo propitio) ex Apostolica traditione suscepimus*, & idem habet Innoc. 3. in c. Cum Marthæ. de celeb. Miss. *Innoc. 3.* Cõfirmatur, ac declaratur ex vulgari regula Aug. quod, quæ sunt ita antiqua in Ecclesia, vt eorũ initiũ & autor ignorentur, ad Apostolicã traditionẽ sunt referenda, huiusmodi autẽ est canon Missæ, saltẽ quoad aliquas partes eius, vt constat ex dictis Amb. libr. 4. de sacram. c. 4. 5. & 6. vbi cõmemorat plures orationes canonis, vt antiquas iã & receptas in Ecclesia, quarũ tamẽ initiũ, vel autor ante Amb. nõ lenitur; & idẽ sumere licet ex Chrys. hom. 3. ad Philip. & ex August. tract. 84. in Ioã. & ex multis alijs, quæ supra adducta sunt, tractando de oblatione huius sacrificij pro viuis & defunctis. Hoc denique confirmant antiquissimæ liturgiæ, in quibus, quæ præcipua sunt in hoc canone, vel quoad sensum, vel etiã fere eisdem verbis reperiuntur.

Secundo modo possunt intelligi illa verba Conc. de toto canone, prout nũc extat, & hoc sensu est etiã verissima doctrina Cõc. quoniã, licet non constet, quando primũ cœperit totus integer canon haberi, tamen constat, ante octingentos annos fuisse totũ expositũ ab Alcuin. lib. de offic. Eccl. quẽ posteriores imitati sunt. *Alcuin. Greg. Magn.* Itẽ de Greg. Magn. legimus addidisse in canone verba illa, *Diesq; nostros in tua pace disponas*, vt petet ex Bed. lib. 2. Hist. Angl. c. 1. & ex Ioã. Diac. lib. 2. Vitæ Greg. c. 17. *Beda. Ioan. Diac.* post Greg. autẽ nihil ei additũ esse legimus; & inde sumitur argumentũ, quoad cætera omnia ante Greg. fuisse perfectũ. Ideq; argumentũ sumi potest, quod de Leo. 1. refertur in vita eius, addidisse in Canone illa verba, *Sanctũ sacrificiũ, immaculatã hostiã*, quod est signũ, ante Leonem fuisse ordinatũ canonem, fere quoad reliquas omnes partes, & idẽ argumentum

est de alijs Pontificibus, qui alia addiderunt, vt infrà videbimus. Deniq;, quãuis daremus, Scholasticũ illũ, cuius Greg. meminit, fuisse personã aliquã certã, cui compositio huius canonis aliqua ratione tribuatur, nõ esset intelligendũ, illũ dedisse primũ initiũ canoni, aut omnes eius orationes cõposuisse, cũ ostensum sit, multas earũ esse antiquissimas, sed vel ad talẽ formã illũ redigisse, & aliqua fortasse ex parte cõsummasse; ad eũ modũ, quo Basil. & Chrys. liturgias cõposuerunt, vel quo Gelas. fertur officia Ecclesiast. emẽdasse & ordinasse, & postea Greg. 1. vt ex ipso constat, lib. 7. Epistolaaũ, dict. epis. 63. & Greg. etiã 7. vt cõstat ex c. In die. de cõsec. d. 5. *Basil. Chrysost. Gelas. Greg. 1. Greg. 7.* Iuxta hunc ergo sensum, quanuis demus, canonem esse ab Scholastico institutũ, verũ nihilominus est, quod Conc. dixit, canonẽ multis ante seculis fuisse institutũ, quandoquidẽ Greg. qui hoc refert, ante mille annos præcessit. Quanquã etiam dici potest, Greg. non dicere, canonẽ fuisse ab Scholastico compositũ, sed precẽ aliquã, quę post canonẽ diceretur de qua non satis constat, qualis fuerit; & aliqui existimãt fuisse orationes, quæ dicũtur proximẽ post, *Agnus Dei*, alij vero illã, *Per quẽ hæc omnia, Dñe semper bona creas*. Addo deniq;, non constare, ibi, *Scholasticum*, significare certã personã, sed generatim hominẽ doctũ, aptũq;, vt Scholæ Christianæ præesse posset: in hoc enim sensu interdũ Greg. vtitur illa voce, vt patet ex varijs eius Epistolis, libro. 10. Epist. 2. lib. 12. epis. 30. quomodo etiam vtitur illa voce Aug. Psal. 44. & Hiero. lib. de Scripto. Eccle. in Serapione, *August. Hieron.* atq; in hac significatione sensuserit, canonẽ cõpositum à viris doctis Ecclesiæ, recitari in sacrificio; vnde recte refert Greg. multo magis recitandam esse orationem à Christo ipso traditã.

Ex his declarata & cõprobata manet secunda propositio Conc. in qua, non tã de autore, quam de materia canonis, seu de partibus, quibus constat Cõc. tractat, docetq; totum constare ex verbis Christi, Apostolorũ, aut Põtificũ: Christi enim verba sunt in primis oratio Dñica, vt per se cõstat; deinde ea, quæ ad formã sacramẽti pertinent, eaq; omnia, quę in ipsomet canone à Christo dicta esse referũtur, siue in Euãgelio cõtineantur, siue non: nam, vt dixit Innoc. 3. in c. Cum Marthę. de celeb. Miss. *Innoc. 3.* formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis, eorũ acceperũt successores: neque enim esse est, vt omnia, quæ Christus fecit, aut locutus est, ab Euangelistis fuerint relata, vt ibidẽ latè probat Innoc. Neq; est verisimile, aliquid in canone Missæ referri, vt à Christo dictũ, nisi ex Apostolica traditione, à quo enim alio id disci potuisset? *Cõsectarium notatu dignũ.* Atq; hinc fit, Apostolos, vt minimũ, addidisse Canoni illa verba, quæ ad historiã pertinẽt, seu quib⁹ referuntur actiones seu verba, quibus Christus in hoc mysterio cõficiendo, vsus est, qualia sunt saltẽ ab illis verbis, *Qui pridie, quã pateretur*, vsque ad illa, *Hæc quotiescunq; feceritis, &c.* hæc enim omnia infallibilẽ veritatẽ habere credũtur, non solum, quia in Scriptura cõtinentur, aliqua enim ex eis in Scriptura nõ sunt, quæ tñ non sunt minus certa; ergo omnia habẽt certitudinẽ ex Apostolica autoritate, quã perpetua traditio, & vniuersalis Ecclesiæ cõsensus ostendit. Nã, vt dixi, cũ in his omnibus historia referatur, & nõ sit recepta ex speciali reuelatione, nõ potuit ab Ecclesia infallibili autoritate recipi, ꝓut in canone refertur, nisi ex Apostolica traditione, & autoritate, & ideo hæc omnia verba in speciali quadã reuerẽtia semper sunt habita, tũ ꝓpter rationẽ dictã, tũ propter specialẽ cõmemorationẽ actionis ipsius Christi, tum maximẽ, quia semper cõiuncta sunt cum effectione diuinissimi mysterij. Et ita in liturgia Iacobi, & alijs fere eadem habentur, & apud Amb. 4. de sacra. c. 5. Cyril. & alios antiquos Patres. *Ambr. Cyrill.* De reliquis autẽ verbis canonis, quæ sint ex ore Petri, aut aliorũ Apostolorũ desumpta, quę vero à Põtificibus eorũ successoribus addita, non satis cõstat, neq; historiæ, aut Doctores antiqui hęc accuratẽ distinguũt, præter pauca quædã, quę, vel Leoni, vel Greg. tribuũtur, vt annotauimus. Vtendo tñ supra adducta regula Aug. lib. 4. de Bapt. c. 24. possemus è contrario dicere, omnia illa, quæ in canone cõtinẽtur, quæ nulli Põtifici attribuuntur, nec tẽpus, seu initiũ, ex quo in Ecclesia dici cœperunt, agnoscimus, verisimile esse, ab Apostolis esse desumpta. Quod præcipuẽ verũ erit, si non de minoribus rebus, nec de singulis verbis, sed de substãtia canonis, seu orationũ eius, saltẽ quoad sensum, sermo sit: hoc enim modo oratio pro vniuersa Ecclesia, pro Regibus, pro viuis ac defunctis, & similia, ex Apostolica traditione sine dubio fuere desumpta, quanquã circa modũ, vel ordinem, vel aliqua etiã verba credendũ sit, multa esse addita à posterioribus Põtificibus, ab his præsertim, qui diuinũ officiũ in meliorẽ formã redegerunt. Deniq;, q in canone nihil, nisi ex Christo, Apostolis, aut Põtificibus, cõtineatur, in hoc sensu accipiẽdũ existimo, q omnia in canone cõtenta, prout ibi sunt, Põtificiã saltẽ habeant autoritatẽ, & approbationẽ, nã cũ canõ sit regula quædã vniuersę Ecclesię præscripta, quæ in mysterijs cõficiendis præteriri non potest (vt Optat. dixit lib. 2. & 3. cont. Parm.) saltem requirit Pontificiã approbationẽ, & autoritatẽ. *Optatus.* Nihil autẽ vetat, quominus aliqua verba canonis ab alijs fuerint prius inuẽta, vt de illo Scholastico multi censent, aliquã precẽ canonis ordinasse, imo etiã fieri potuit, vt aliqua verba ab alijs prius dici inceperint priuata deuotione alicuius particularis Ecclesiæ, vel religionis, & quod postea, approbãte Põtifice, in vsum Romanũ accepta sint, vt Microl. c. 18. cẽset, *Microlog.* de orationibus, quæ dicũtur post, *Agnus Dei*, ante cõmunionẽ, quanuis ipse dicat, illas non pertinere ad canonẽ, de quo infra dicemus, nã, vt videtur, ad modum tantum loquendi spectat.

3. & 4. Propositio Conc. simul explicãtur.

Tertia, & quarta propositio Conc. simul explicãdæ sunt, & cõfirmandæ, nã eodẽ fere pertinent, nimirũ nihil esse in canone, quod ad fidẽ & religionẽ Ecclesiæ nõ pertineat. Vtrũq; autẽ potest in primis generali ratione probari, quia vniuersa Ecclesia nõ potest errare in his, quæ ad fidẽ mores pertinẽt, cũ sit *sancta & colũna, ac firmamentũ veritatis*, & consequẽter, nec Põtifices errare posũt in rebus ad fidẽ, & mores pertinẽtibus, quas Ecclesiæ credẽdas, aut obseruandas tradunt, & præscribũt: sed omnia, quę in canone continentur, ab vniuersa Ecclesia approbata, & vsu recepta sunt, & Põtificũ, ac Cõciliorũ autoritate sunt firmata: ergo nihil potest in eo esse quod verũ, ac religiosum nõ sit. Secundo in speciali hoc est ostẽdẽdũ, breuiter per singulas partes canonis discurrẽdo, & si quid obscuritatis vel difficultatis occurrerit, explicando. Solent autem partes canonis varijs modis diuidi, vt videre licet in Innoc. & alijs autoribus: *Innocent.* nos ad octo, vel nouem capita eas redigemus.

1. Pars canonis.

Prima ergo pars continet orationem, quæ dicitur

Universidad de Deusto Biblioteca

tur ante viuorũ cõmemorationẽ, in qua fit oratio ad Patrẽ, per Iesum Christũ, pro vniuersa Ecclesia, nihil ergo in ea oratione reprehendi potest, nã, & talis oratio fit à debito ministro, exercente munus suum mediatoris, & intercessoris inter Deũ, & homines; fit etiam ad eum, ad quem maxime fieri debet, scilicet, ad Deum: specialiter vero dirigitur ad Patrem, iuxta Ecclesiæ consuetudinem, vt constat ex Conc. Carth. 3. c. 23. nec propterea excluduntur Filius, & Spiritus sanctus (vt supra dicebamus cum Tertul. lib. de orat.) nam propter essentiæ vnitatẽ sub vna persona, aliæ intelliguntur in his, quæ de se cõmunia sunt; fit autem specialis mentio Patris, vt cõmodè possit per Christũ oratio fieri, ne aut tanquam filius totius Trinitatis, aut tanquam persona à tota Trinitate distincta nominentur, & ita in hac oratione (sicut in alijs fere Ecclesiasticis) seruatur forma insinuata à Christo Dño, dicente, Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis*. Rursus fit hæc oratio pro his, pro quibus maxime fieri debet, scilicet, ꝓ Ecclesia Catholica, primũ in generali, deinde in speciali, pro Pontifice, pro Episcopo, ac Rege, vel Imperatore, ac tandem pro omnibus Orthodoxis, & fidei cultoribus, ꝙ non est superfluum, vt quidã putant, eo quod Ecclesia, seu fideles idem sunt, quia prior oratio generalior fuit, hæc autem specialior: vnde in priori verbo, licet directe videatur tantum fieri oratio pro mẽbris Ecclesiæ, tamen indirecte etiã pro alijs oratur, vt ad Ecclesiam adunentur, & mẽbra eius fiãt, postea vero applicatur petitio specialius ad cultores fidei. Tandem, quidquid in ea oratione petitur decentissimũ, ac sanctissimũ est, nimirum, vt Deus Ecclesiam suam, eiusq; membra pacificare, regere, & custodire dignetur, & ad hoc præstandum, acceptum habeat sacrificium sibi offerendum. Vnde tota hæc oratio cõsentanea est his, quæ Paul. monet. 1. ad Timot. 2. *Vt orationes fiant pro omnibus hominibus, Regibus, &c.* Sed dices, cũ eo tempore, quo fit hæc oratio, nondum sit consecratio facta, nec præsens Christus, incongrue vocare illa dona *Sancta sacrificia illibata*: & magis incongrue propter ea aliquid peti. Respondetur, panem & vinum, propter distinctionem & pluralitatem materiæ, vocari in plurali *munera &c.* quæ sic etiam vocantur, quia, & nobis sũt à Deo donata, & quia, quæ de manu eius accepimus, prout possumus, redonamus illi; panis etiam & vinum in eius obsequium consumuntur, & hac ratione vocantur; *sacrificia*, per anticipationem, quia sunt materia, ex qua conficiendum est sacrificium, & eodem modo dicuntur, *sancta*, quia, & Deo dicata, & per consecrationẽ sanctificanda sunt: *illibata*, vero dicuntur, idest, pura, & immaculata, & ad differentiã veterum sacrificiorũ, quæ libaminibus indigebant, vt immolarẽtur. Per hæc autem dona, vt nunc corã Deo proponuntur, nihil postulatur sed potius petitur, vt ea ita acceptare & benedicere dignetur, vt per eorũ sanctificationem ea concedat, quæ postulantur. Dices, quid necesse est, benedictionẽ munerũ postulare, cum talis benedictio in cõsecratione cõsistat, quæ non est nunc impetranda, sed infallibili lege, ex efficacia verborum perficienda? Respondet D. Thom. hic ad 7. primo non esse incõueniens petere à Deo id, quod certissime scimus, eum esse facturum, vt noua ratione & titulo id promereamur. Secundo, posse consecrationem impediri per intentionẽ sacerdotis. Ter

Carth. 3.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Responsio.
D. Thom.

tio, & maxime ad rem, in his orationibus non tam postulari effectum consecrationis per verba, quam effectum ipsius sacrificij in his, pro quibus offertur & ita in hac oratione petimus, vt Deus acceptet, & benedicat hæc dona, ad totius Ecclesiæ fructum & vtilitatem. Deniq; totam hãc oblationem insinuat Clem. Pap. lib. 8. cõstit. c. 12. Vnde eam illi tribuit Rodul. de canonis obseru. prop. vlt. eiusq; vsum insinuat Optat. lib. 2. cont. Parm. illis verbis, *Offerre vos dicitis pro Ecclesia, quæ vna est*. Imo in illo c. 12. indicatur etiam specialis mentio; quę in hac oratione fit, summi Pontificis: sic enim dicitur, *Adhuc obsecramus te pro me; qui sum nihil*, quãdo enim Summus Pontifex Missam dicit, non potest aliter suimet facere mẽtionẽ. Hinc etiam Pelag. referente Alcuin. lib. de diuinis offic. c. de celeb. Miss. à cõmunione separatos esse dicit, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostoli Pontificis memoriam secũdum consuetudinem, non frequentant, & in Cõc. Vasensi, sub Leone 1. c. 4. ita præcipitur.

Clemens. P.
Rodolphus.
Optatus.
Pelagius. P.
Alcuinus.
Conc. Vasen.

2. Pars canonis.

Secunda pars canonis continent cõmemorationem viuorum ab illo verbo, *Memento Domine*, vsq; ad illud, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ*: in qua nihil etiã difficultatis occurrit, nã in hac parte conuenientissime orat sacerdos specialiter, tũ pro his, qui eius curæ aut deuotioni peculiariter cõmissi sunt, tum etiam pro his, qui cum illo offerũt: petitq; illis spiritualia, & temporalia bona, & protectionẽ in omnibus diuini auxilij per Sanctorum intercessionẽ. In hac vero parte videri in primis possunt obscura verba illa, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, sed hæc supra explicata sunt, cũ de offerentibus, & pro quibus offertur, ageremus. Secundo hærere quis potest in illo verbo, *Pro redemptione animarum suarum*, quomodo enim redemptionem petimus, quæ iam facta est? Sed non petimus redemptionem quoad sufficientiam, sed quoad efficaciam: primũ, quoad remissionem culparũ, deinde, quoad remissionẽ pœnæ: rursus, quoad perseuerantiã in gratia, vt non permittamur iterũ delinquere, ac deniq; quoad consecutionem gloriæ, in qua est consũmata redemptio, iuxta illud, *Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*. Lucæ 21. Tertio inquiri potest, quæ sint illa vota, quę dicũtur Deo reddere, qui hoc sacrificium offerũt. Respondetur ex Alcuin. Innoc. & alijs, hæc vota esse, sancta desideria, seu proposita pie deuotionis, & ipsamet sacrificij oblationem, quæ Deo potius reddere, quã donare dicimur: quia per diuinã gratiam illa accipimus, & Deo reddimus. Vnde Aug. 10. de Ciuit. c. 4. *Ei dona eius in nobis, nosq; ipso vouemus, & reddimus*. Quarto dubitari potest de sensu illius verbi, *Cõmunicantes*, & connexione eius cũ reliquis. Respondetur, totam hanc orationem esse vnã vnoq; contextu legendam, ita vt sensus sit; Tibi reddunt vota sua æterno Deo: viuo & vero, cõmunicantes, vel inter se, tãquam membra corporis tui vel cum Sanctis tuis, per societatem, & coniunctionem, quã cũ illis habent; quorũ propterea memoriã venerantes per eorum intercessionẽ exaudiri petunt. Quinto inquiri potest, cur sancti Martyres nominẽtur in hac oratione: & non Cõfessores. Respondetur primum, quia fortasse, quando hæc oratio canonia facta est, nondum Confessores in Ecclesia colebantur, vt ait Innoc. libr. 3. de hoc myst. c. 10. nam licet cultus sanctorum Confessorum per festa publica satis sit antiquus, vt constat ex Cõc. Mogunt.

Dubij enodatio
Lucæ 21.
August.
Quæsito satisfit.
Innocen.

Cõc. Mogun.

Mogunt. sub Carolo Magno, capit. 36. tamẽ huius orationis canonis institutio antiquior esse creditur vt ex supra dictis constat; & nonnulli putant habuisse originem à Syricio Pap. & Amb. eius æqualis, idem in sua Missa Ambrosiana ordinauit, & Cyril. Hierosl. Catechef. 5. mystag. & Aug. ser. 17. de verbis Apostoli, & tract. 84. in Ioan. & 22. de Ciuit. c. 10. & Chrys. hom. 21. in Acta, eiusdẽ Ecclesiasticæ consuetudinis meminerunt. Sed & his omnibus antiquior est hæc traditio, vt constat ex Clemen. lib. 8. Const. c. 13. & Dionys. c. 3. de Eccles. Hierar. Vel certe hoc factum est ad cõmendandam Martyrij dignitatem: nã, quia in illo quodãmodo Deo sacrificium offertur, merito in sacrificij oblatione specialis fit Martyrum mentio, vt significauit Aug. lib. de S. Virg. c. 45. seu quia, sanguinem pro Christo fundendo, eius passionis facti sunt vere imitatores, cuius in hoc sacrificio fit expressa repræsentatio. Non omittitur autem B. Virginis memoria, tum propter eius singularem excellentiam tum etiam, quia plusquã martyr fuit, vt alibi latius. Quo loco se offerebat disputatio de cultu Sanctorum, sed de ea re in primo tomo dictum est. Vltimo inquiri potest, an illi, pro quibus sacerdos hic specialiter orat, sint ab eo vocaliter nominandi, sicut nominantur Sancti, quorum hic fit mentio. Respondetur, antiquam Ecclesiæ consuetudinem huiusmodi fuisse, vt colligitur ex Innoc. 1. Epi. 1. ad Decent. & ex Gelas. Epist. ad Anastas. Augustũ, & ex Aug. epi. 137. iam vero non est in vsu: sufficit ergo, vt aut mente, aut voce huiusmodi oratio fiat vt notauit Gab. lect. 25. in canonem.

Ambr.
Cyrill. Hi. et August.
Chrysost.
August.
Innocent. 1.
Gelas.
Aug.
Gabr.

3. Pars canonis.

Tertia pars continet illam orationem, *Hanc igitur oblationẽ seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias, deisque nostros in tua pace disponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi & in electorum tuorum iubeas grege numerari, per Christum Dominũ nostrum*; quæ oratio continet petitiones rerum maxime decentium, vt per se manifestũ est, quare nulla indiget expositione aut defensione. Solum est aduertendum (propter hæreticorum calumnias) cum in his orationibus, quæ cõsecrationem antecedunt, fit mẽtio oblationis, vel sermonẽ esse non de oblatione, quæ iam facta sit, sed quæ iã proximè paratur, & instat, ita vt signum illud demonstratiuum, *hanc oblationẽ*, non designet ad sensum præsentem materiam, quæ tunc præ oculis habetur, sed ad mentem designet oblationem proximè faciendam, quæ in intentione præsens habetur: vel certe magis iuxta literalem sensum ipsorũ verborum (qui ex præcedentibus orationibus, & ex sequente colligitur) possumus hæc interpretari de ipsa oblatione panis & vini iam facta, non tamẽ est in illa sistendum, nec existimandum (vt hæretici calũniantur) quod per illam aliquid petamus, sed petimus potius, vt illam oblationem Deus ad exitum perducat, eius sanctificationem & consecrationem ita acceptando, vt nobis per eam placatus postulata cõcedat. Et vterq; sensus eodẽ reuoluitur, nam, vt supra dixi, prior oblatio panis & vini non est sacrificium, sed præparatio sacrificij, vt euidenter etiam constat ex orationibus, quæ post illã oblationem subijciũtur, scilicet, *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur, à te Domine & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus*, nondum ergo factũ est sacrificium, sed faciendũ paratur, & clarius in sequente oratione. *Veni sanctificator, omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini præparatum*: vera ergo sacrificalis oblatio non intelligitur esse, donec materia illa, quæ ad diuinũ cultum dicata iã est, benedicitur, & sanctificatur, nulla ergo petitio fit per hanc oblationem, sistendo in pane & vino, sed in ordine ad eorum cõsecrationem, per quã Christus vere sacrificatur, & offertur, quod est petere per incruentam Christi sacrificationẽ ex pane & vino, sub eorũq; speciebus faciendam, & propterea hæc *oblatio*, dicitur, *Seruitutis nostræ*; seruitutis quidem per antonomasiam, illius scilicet, quæ soli Deo debetur, & *latria* dicitur: huiusmodi enim est seruitus sacrificij, vt in superioribus diximus; & ideo à S. Clem. lib. 8. Const. c. 15. Missa vocatur, *latria mystica*, vt ibi notauit Turriã. & lib. 2. de Euchar. c. 13. Epiph. vero in Epitome Fidei, vocat, *latriam Oeconomiæ*; Aug. autem lib. 20. contr. Faust. c. 21. simpliciter vocat, *latriæ cultum, Deo debitum*. *Nostræ*, autem dicitur in plurali, vel, quia plures sunt offerentes simul cũ sacerdote, vel certe, quia nomine totius Ecclesiæ hic cultus Deo offertur. Quomodo autẽ petamus à Deo, *numerari in grege electorum*, cum electio æterna sit, & absque meritis facta, attigit Gab. lect. 33. in Can. sed non pertinet ad hunc locum, breuiter ergo dicitur, peti à Deo consecutionẽ electionis, quod est petere æternã beatitudinẽ, in qua numerus electorũ cõgregandus est.

Notab.

4. Pars canonis.

Quarta pars illam orationẽ continet, *Quam oblationẽ tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictã, adscriptã, ratam, rationabilemque facere digneris, vt nobis fiat corpus & sanguis dilectissimi Filij tui, Domini nostri Iesu Christi*. Circa quam orationem, quoniã obscurior est reliquis, primo obseruandum est, illam esse antiquissimam: nam eisdem fere verbis illam commemorat Amb. lib. de sacram. c. 5. dicens, *Dicit sacerdos, Fac nobis hanc oblationem adscriptam rationabilem, acceptabilem*. Ex quo sumo coniecturam, ante Gregorium, hanc & præcedentem orationem vnam & eandem fuisse: nam vt fere omnes scriptores referunt, ex Beda, & Ioan. Diacono supra citatis, Gregorius addidit præcedẽti orationis tres petitiones: ab illis verbis, *Diesq; nostros, &c.* vsq; ad finem huius orationis. Quibus sublatis, necesse non erat, has duas orationes distingui, sed ita continuari, *Hanc oblationem, quæsumus Domine, placatus accipias, & benedictam, &c. facere digneris*, ne eiusdem oblationis tam frequens fieret repetitio absq; necessitate, & paucissimis interiectis verbis. Quicquid vero sit de hac coniectura, facta tamen illa additione per Gregorium, optimè orationes hæc distinctæ sunt. Secundo est obseruandum, eiusdem oblationis mẽtionem esse in hac, & in præcedente oratione, vt manifestè constat ex illo relatiuo, *quam oblationem*, & ideo vtraque commodius intelligitur de oblatione panis & vini, iuxta secundum sensum supra tractatum: quia statim petitur, vt panis & vinum fiant corpus & sanguis Christi; quamuis etiam possit hæc oratio ad alium sensum accomodari, vt statim dicam.

Obseruandum

Aliud notabile.

Tertio igitur, vt explicemus, quid in hac oratione, & cur petatur, obseruandum est: ex D. Thom. hic ad 7. dupliciter posse exponi. Primo, vt tota petitio referatur ad ipsius materiæ consecrationem; nihilque aliud in summa petatur, quam, vt ex pane corpus, & ex vino fiat sanguis Christi: & vt hoc modo, ac per talem transmutationem, oblatio ipsa

D. Thom.

.L. panis

Universidad de Deusto
Biblioteca

panis & vini fiat *benedictio*: illa enim est summa benedictio & sanctificatio, quæ in illam materiam superuenire potest: vnde ipsamet consecratio, *benedictio*, solet à Patribus appellari, vt supra vidimus, agentes de forma huius sacramenti. Item, vt fiat *adscripta*, id est, diuina virtute, & quasi nomine eius, subscripta & firmata. Potest etiam referri hoc verbum ad ea, quæ de hac consecratione scripta sunt: ita vt postuletur, vt hæc oblatio talis fiat, qualis scripta est, & promissa illis verbis Christi; *Hoc facite*, adscriptum enim dici potest, quod est scripto cõforme: vnde hoc etiam verbum referunt quidam ad veterem Scripturam, in qua Christus sub velamine literæ, & figuris sensibilibus latebat, ita vt petitio sit, vt Christus ipse sub pane & vino nobis detur, qui sunt Scriptura veteri & figuris eius latebat. Melius vero priori modo exponitur *adscripta*, id est definita, & statuta à Deo, vt per eam nobis propitius fiat aliter Alcuinus *adscriptam*, exponit, id est, annumeratam in his, quę Deo maxime placent. Alter Odo Cameracensis, *adscriptam*, id est, Verbo diuino incarnato adiunctam. *Est enim*, inquit, *Verbum veluti scriptum quoddam, quatenus est figura & imago Patris*: Aliter Turrian. lib. 8. Constit. c. 12. *adscriptam* interpretatur, id est, *incircunscriptam*, seu quodãmodo immensam & infinitam, & ne vim verbo facere videatur, ait, se legisse in quadã Missa Græca, quã B. Petrus dicebat, loco illius vocis hanc Græcam, (*aperigraphton*,) quæ *incircunscriptum*, significat. Præterea postulatur, vt per consecrationem fiat, *rata*, id est, vera: nõ enim est hæc vera sacrificalis oblatio, nisi consecratio valida sit, & efficax: quomodo dicere solemus, sacramẽtum esse ratum, quãdo verè factum: dici etiam potest *rata*, id est, firma, stabilis, ac perpetua: nam corpus Christi quo sanctificatur, perpetuum est. Vnde aliter ex Turrian. supra, *rata*, id est, firma & constantis defensionis pro peccatis nostris coram tribunali Dei, hoc est, vt sit firma ad impetrandum, & efficax ad operandum virtute propria. Petitur etiã, vt fiat *rationabilis*, id est, rationalis hostia, vt sumitur ex Clem. lib. 2. c. 24. & lib. 6. c. 13. quia per illam consecrationem fit, vt iã non simplex panis & vinum, nec sanguis hircorũ, aut vitulorum, sed Christus ipse, qui non solum rationalis est, sed æterna sapientia & ratio, offeratur. Denique per eandem mutationem fit maximè acceptabilis hæc oblatio: quia iam, non ex dignitate offerentium, sed ex re ipsa oblata, gratissima Deo est, & maximè accepta: nam per illam mutationem panis fit corpus illud, quod Deus adaptauit, vt veteribus repudiatis sacrificijs, eo placari posset, ad Hebr. 2. Iuxta hanc vero expositionem solum restabat exponẽdum, cur hæc petitio fiat, sed ad hoc responsio data est circa primam orationem.

Alcuin. Turrian. Clemens. Cyril.

Secundo modo exponi potest hæc petitio, vt nõ simpliciter fiat de consecratione ipsius materiæ, sed de illa in ordine ad effectum in nobis faciẽdum, & ad oblationem nostram, & vis fieri potest in verbo illo, *Vt nobis fiat*; quia nõ petitur, vt simpliciter fiat sed *vt nobis*, id est, ad profectum & bonum nostrũ fiat. Sicut pastoribus dictum est ab angelo, *Natus est vobis Saluator*, id est, in commodum & vtilitatẽ vestram. Vt ergo hoc modo nobis fiat corpus & sanguis Christi, postulamus, vt eius oblatio fit *benedicta*, id est, benedictionem Dei ita continens, vt eam cumulatissimè nobis conferat. Quomodo Cyril. libr. 4. in Ioan. cap. 17. Eucharistiam ipsam *benedictionem*, vocat, dicens. *Sicut paruum fermentum totã massam fermentat, ita parualis benedictio totum hominẽ in semetipsum attrahit, & sua gratia replet.* Item petitur, vt fit *adscripta*, id est; per quam nos in cælo adscribamur; *rata*, per quam in visceribus Christi cõseamur; *rationabilis*, per quam à bestiali sensu exuamur; *acceptabilis*, per quã ei acceptabiles reddamur. Ita legitur nomine Aug. in c. Vtrum sub figura. de Consec. d. 2. habet autem ea verba Paschasius, lib. de corpore & sanguine Dñi, c. 4. potest etiam dici, *adscripta*, in hoc sensu, id est, in numerum placitorũ Deo recepta, vt dixit Alcuin. vel *adscripta*, id est, vero corde, & quasi proprio nomine fideliter subscripta, *rata* etiam, id est, stabilis, constans, atque fidelis, *rationabilis*, id est, recta ratione & honesta causa facta: nam, si hæc omnia habeat, non poterit non esse acceptabilis, & ideo merito petimus, vt oblatio, quæ per se acceptabilis est, ex parte nostra non displiceat, & in acceptabilis reddatur. Est ergo in vtroque sensu, optima atque irreprehensibilis prorsus hæc oratio.

Paschasius. Alcuin.

Quinta pars canonis continetur illis, verbis, *Qui pridie*, &c. vsque ad illa, *Hæc quotiescunque feceritis*, &c. de qua nihil nobis dicendũ superest, nisi quod hæc eadem verba leguntur apud veteres, vt patet ex Ambr. lib. 4. de sacrament. ca. 5. & fuisse in vsu Apostolis ab Ascensione Domini, vt Alcuin. supra dixit. Alij vero existimãt, Alexandrum Primum hæc verba Canoni addidisse, quia in Epi. 1. sic scribit, *In sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Dñi miscenda est, vt eius, cuius corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur*, & refertur in c. Sacramentorum. de Consec. d. 1. Non videtur autem, quid sit, passionẽ Domini misceri, vel celebrari, nisi expressam eius mẽtionẽ fieri, vt in illis verbis sit, *Qui pridie, quam pateretur*, & ita intelligunt Vvalf. Strab. de reb. us Eccl. c. 22. & Microl. de Eccl. Obseru. c. 12. Sed, vt verũ fatear, hoc ex prædicta Epist. colligi nõ potest: nã statim post prædicta verba additur, *Ita vt repulsis opinionibus superstitionem, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificio offerãtur*; & infra reddit rationem, cur aqua & vinum permista offerenda sint: *Quia, sanguis, & aqua ex latere Christi in passione sua profluxit*: ergo, quantum ex illo loco colligitur, illa passionis commemoratio, nõ in verbis, sed in factis ipsis posita fuit. Nihilominus tamen, quod etiã in verbis hoc addiderit Alex. significat Damasus in pontificali, dicens, *Hic passionẽ Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando Missa celebratur*, & clarius Platina, Alexander, inquit. *Primus ob memoriam passionis Christi in sacrificio addidit, Qui pridie, quam pateretur, vsque ad hanc clausulam, Hoc est corpus meum.* Sed, cum in his verbis aliqua concineantur, & referantur de Christo, quæ in Euangelijs non leguntur qualia sunt, eleuasse oculos in cælum, & dixisse in verbis calicis, *Æterni testamenti mysterium fidei*, vt notauit Innoc. in c. Cum March. de Celeb. Miss. Imo & illa particula, *Manducate ex hoc omnes*, illo modo in Euangelio non legitur: sed solum *comedite* aut *sumite*: postea vero circa calicem legitur, *Bibite ex eo omnes*. Cum hoc (inquam) ita sit, dubitari non potest, quin hæc verba ab Apostolis manauerint, vt supra dixi, & quod in Ecclesia Romana, traditione retenta fuerint: forsasse tamen non erat quasi lege receptum & sancitum, vt omnia hæc dicerẽtur, & nonnulla forte varietas, successu temporis introduci cœperat,

5. Pars canonis. Amb. Alcuinus. Damasus. Platina. Innocen. Vvalf. Strab. Microl.

ci cœperat, & ideo Alex. 1. ordinare & præcipere potuit, vt omnia illa verba, præscripta & certa forma dicerentur. Cætera, quæ ad explicationem horum verborum pertinent, in superioribus copiosè tractata sunt.

Alex. 1.

6. Pars canonis.

Sexta pars canonis continet illam orationem, *Vnde, & memores. Domine, nos serui tui*, &c. vsq; ad illud, *Memẽto etiã Domine*: nã licèt illa videatur tripartita oratio, tamen vna est quasi continua, quæ illis verbis concluditur, *Per eundem Christum Dominum nostrum*, & magna ex parte habetur apud Ambr. lib. 4. de sacram. c. 6. & lib. 5. c. 4. & similia fere habentur in omnibus liturgijs, & apud Cleme. libr. 8. cap. 12. In principio igitur huius orationis, solùm fit quædam repetita oblatio eiusdem hostiæ, quæ ob requerentiam, & deuotionem augendam dignissimis encomijs laudatur, cũ dicitur, *Hostia, pura & sancta, immaculata*, Quæ verba posita videntur ad imitationem Pauli ad Roman. 12. dicentis, *Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*. Dicitur verò hæc hostia offerri ex Dei donis ac datis, vel quia ex pane & vino effecta est, vt sentit Innocentius, libr. 5. capit. 3. vel certè, quia Christum ipsum continet, qui nobis à Deo datus est, Isaiæ. 9. & Ioã. 3. prius ut redemptorem, postea in sacram hostiam, panem & sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis, seu potum salutis perpetuæ. Rursus hæc oblatio meritò fieri dicitur in memoriam Christi, & mysteriorum Passionis, & Resurrectionis eius, tũ, quòd ita ipse præceperit, dices, *Hoc facite in meam commemorationem*, tum, quòd in hoc mysterio, quædam confessio & cõmemoratio sit, quòd pro nobis Dominus mortuus sit, & reuixerit, vt ait Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 58. tum denique, quia hæc commemoratio sola est, quæ Deum faciat hominibus propitium, vt ait Origen. homil. 13. in Leuit. In altera vero parte huius orationis ab illis verbis, *Supra quæ propitio*, postulatur, vt Deus acceptet hoc sacrificiũ sicut Abelis, Abrahæ, & Melchisedech, sacrificia acceptauit. In quo primùm obseruandum est propter hæreticorum calumnias, hic non orari, vt Pater in Filio suo complaceat, neque, vt propitio ac sereno vultu Christum respiciat, sed vt oblationem corporis & sanguinis Christi, quatenùs à nobis progreditur illi acceptã ipso adiunãte, reddamus; atq; ita, vt nos propitio vultu aspiciat, quatenus hoc modo acceptã habeat nostram oblationem, etiam vt â nobis offerentibus progreditur. Atque hoc modo fit comparatio cum sacrificijs Abelis, & aliorum; scilicet, quantum ad fidem & iustitiam offerentiũ, per quã sacrificia Abelis & Abrahæ placuerint, Genes. 4. ad Hebr. 11. non quantum ad valorem ex parte rei oblatæ: quia in hoc nulla est comparatio, sed infinita quædam distantia. Hic vero se offerebat disputatio de his sacrificijs, præsertim Melchisedech, sed de illo fusè à nobis dictum est in primo tomo, circa quæstionem 122. D. Thomæ.

Cyrill. Origenes. Innocent. Isaiæ. 6. Ioan. 3. Leo. 1.

Vltimo notanda sunt illa verba vltima huius partis, *sanctum sacrificium immaculatam hostiam*, quæ addita sunt à Leone Primo, vt supra notauimus, & affirmãt omnes autores supra citati, qui de his mysterijs scribunt. Est autem obscurum, quod nam sacrificiũ dicatur hic *Sanctum & immaculatum*, an scilicet, sacrificium Melchisedech, ita vt hæc verba sint coniungenda cum his, quæ immediate præcedunt, *Et, quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*; an vero in eis verbis sit sermo de Eucharistiæ sacrificio, & verba hæc cõiungenda sint cum illis prioribus, *Et accepta habere digneris sanctum hoc sacrificium, immaculatã hostiam, sicuti accepta habere dignatus es*, &c. Vtroque enim modo possunt accipi hæc verba, quæ in omni rigore & proprietate in nostrum sacrificium conueniunt: illud enim solum per se sanctum est, & immaculatum, & si sacrificio Melchisedech, tribuantur, maximè illi conueniunt, quatenus fuit propriissima figura huius sacrificij; ideo enim illius hic fit specialis commemoratio: sicut etiam fit commemoratio sacrificij Abel, & Abrahæ, quia fuerunt singularis figuræ sacrificij cruenti Christi, in lege naturæ: sacrificia enim vetera hic commemorari non debuerũt, quia per Missæ sacrificiũ euacuata sunt.

Additur vltimo in tertia parte huius orationis, deprecatio angelicj ministerij, seu intercessionis, vt *per participationem huius mysterij omni benedictione cælesti, & gratia repleamur*. Cum ergo petimus, *deferri hæc dona in sublime altare in conspectu diuinæ Maiestatis*: non sunt verba materialiter intelligenda de motu locali, aut altari corporeo: crassa enim esset hæc interpretatio; sed intelligẽda sunt metaphoricè, & spiritualiter; ad eum modum, quo Apocal. 5. vigin ti quatuor seniores dicuntur habere phialas aureas plenas odoramentorum; quæ sunt orationes Sanctorum, & clarius, c. 8. *Angelus venit, & stetit ante altare, habẽs thuribulũ aureum, & data sunt illi incẽsa multa vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureũ, quod est ante thronum Dei; & ascendit fumus incẽsorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* Et Tobiæ. 12. Angelus dicit Tobiæ, *Ego obtuli orationem tuam Domino*. Sic ergo in præsente oratione petit Sacerdos, vt nostra oblatio angelorum intercessione, & oratione Deo præsentetur, & iuuetur, vt q; nobis impetrent dispositionem necessariã vt per hanc oblationem, eiusque participationem, diuinam benedictionem consequamur. Altare ergo Dei in cælo nihil aliud est, quam Thronus diuinæ Maiestatis, vt in dicto loco Apocalypsis significatur, vel humanitas Christi, per quem vota nostra Deo præsentamus, vel certe est cælũ ipsum, in quo non solum altare, sed etiam templum & tabernaculum esse dicitur, vt notauit Iren. lib. 4. contr. Hæres. c. 34. & Aug. enarrat. 2. in Psalm. 25. Dicuntur autem vota nostra deferri ante conspectũ Dei per angelos, non quia per illos innotescant apud Deũ, sed, quia, & nostram imbecillitatem suis precibus adiuuant, & diuinam voluntatem super eis consuluntur: & quod Deo iubente implendum esse cognouerint, sic nobis apportent, sibut oportere intellexerint, vt scribit Aug. Epist. 121. de orando Deũ ad Paulinam, cap. 9. & libr. de diligendo Deum, c. 5. & ad hanc petitionem Ecclesiæ confirmandam confert, quod Chrys. hom. in Encænijs latè tractat de modo, quo angeli assistentes huic sacrificio pro hominibus intercedunt, quod in superioribus etiã sæpè à nobis tactum est. Sunt verò, qui nomine *sancti angeli*, in hac oratione Christum Dominum, qui est magni consilij Angelus interpretentur, vt hic D. Tho. ad nouum attigit, & Alger. libr. 1. de hoc sacram. c. 14. Tamen Ambr. citato loco, in plurali dicit, *per manus angelorum suorum*.

Apocal. 5. Tobiæ. 12. Iren. Aug. Chrysost. D. Thom. Alger. Ambr.

7. Pars canonis.

Septima pars continet orationem pro defunctis, in illis verbis, *Memento etiam Domine*, &c. quæ, quia solum fit pro iustis, ideo dicitur fieri pro his, *Qui nos præcesserunt, in signo fidei; & in Christo quiescunt &*

dor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dormiunt in somno pacis, nam de iustis dicitur, *Vt requiescant à laboribus suis*. Apoca. 14. *eorumq; mors, nō mors, sed dormitio, & somnus appellatur*, vt ait Hiero. epist. 29. ad Theodor. Quia vero solū hæc oratio fit pro his, qui adhuc purgantur, ideo eis locum refrigerij, lucis, & pacis deprecamur. Quam etiam consuetudinem in Ecclesia esse antiquissimam, cōstat ex omnibus liturgijs sæpe citatis, & ex Clem. lib. 8. c. 47. esseque Apostolicam traditionem docet Chrys. hom. 3. in Epist. ad Philipp. & Aug. ser mon. 32. de verbis Apostoli, & Cyril. Hier. Catec. 5. mystag. & plura supra adduximus, agentes de his, pro quibus hoc sacrificium offertur. Quin potius olim solebat fieri hæc defunctorum cōmemoratio, eorum nomina aperte recitando ex diptychis, vt ait Alcuin. supra, ideſt, ex tabellis, in quibus erant scripta. Vnde est illud Cypr. lib. 1. epi. 9. *Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altaris sacerdotes & ministros auocare voluit*. Et Amb. oratio. de obitu Valentiniani, *Quis prohibet iuuoxios nominari?* Epiph. hæres. 75. *In his, qui vitæ defuncti sunt, ex nomine memorias faciunt*, &c. Sic etiam intelligitur, quod ex 5. Syn. Act. 1. legitur in c. Sane. 24. quæst. 2. *Eos, qui inuste cōdemnati sunt reuocauerunt postmortem, & in sacris dyptychis scripserunt*, &c. Iam vero illa consuetudo cessauit, & pro arbitrio, vel obligatione sacerdotis sit secrete hæc cōmemoratio, sicut de oratione pro viuis diximus.

Octaua pars, quæ incipit illis verbis, *Nobis quoque peccatoribus*, continet aliam orationem, in qua iterū fit Sanctorum commemoratio, eorumque consortium, & societas eo sibi & alijs sacerdos humiliter postulat per Christum Dominū nostrum. In quæ oratione illud in primis annotatione dignum est, ex duodecim Apostolis priori loco commemoratis, solius Ioānis nomen hic repeti: propter quod Vvalf. Strab. c. 22. censet, hunc Ioan. non esse Euā gelistā, sed Baptistā: Innocētius autē dicit Ioānem Euāgelistā bis nominari propter virginitatis prærogatiuā, illud etiā est cōsideratione dignū, q. Stephanus hic prius nominatur, quām Matthias, fortasse, quia prius Martyr fuit, Matthias verò priori loco præmissus est, fortasse, quia Apostolatū post Christi ascensionē assumptus est, Paulus vero propter singularē prærogatiuam prius nominatus, est quanquā in huiusmodi rationibus reddendis non oporteat immorari: quia hæc, & similia, sæpè, vel casu vel ex aliqua peculiari deuotione possunt accidere. Inquirere verò aliquis potest, quomodo dicatur Deus *non æstimator meriti*, in admittendis hominibus ad Sanctorum societatem, & partem beatitudinis, cum constet, illam beatitudinem non dari, nisi pro ratione meritorum. Respondetur, ad consortium Sanctorum obtinendum, non solum gloriam, sed etiam gratiam, & peccatorum veniā esse necessariā. Atq; hoc totū in hac oblatione postulatur, vt patet ex verbis illis, *nō æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus largitor, admitte* & considerando Deū vt largitorē omniū horū bonorū, verissimè dicitur, nō esse æstimatorē meritorū: nā licēt, post collatā gratiā & veniā peccati, æstimet merita ad dandam gloriā, tamē gratiam ipsam dat sine meritis proprijs, per Christum Dominum nostrū. Addunt vero consequenter in illa oratione, ad commendandam Christi maiestatem & excellentiam, illa verba, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*; &c. ex quibus primum illud verbum, *creas*, proprièe referri videtur ad materiam remotam panis & vini, quæ per Christum quotidie procreantur potest etiam referri ad ipsum sacramentum: eo loquendi genere, quo sancti interdum dicunt, hic corpus Christi creari, vt supra visum est: propriſsime vero illi conueniunt sequentia verba, scilicet, *Sanctificas*, cōsecratione, scilicet, qua cibus hic sacerdos & sanctus efficitur, *Viuificas*, quia fit caro Christi viua, & viuificatiua, *Benedicis*, quia benedictionem & efficaciam recipit ad spiritualia bona nobis præstanda, *Et præstas nobis*: quia totum hoc beneficium nobis collatum est. Ita fere Alcuinus supra & Amalar. libr. 5. de Ecclesiast. offic. capite. 26. & Hugo Victor. in lib. 2. diuin. offic. c. 36. Tandem additur de eodem Christo. *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria, per omnia secula seculorum*. Quæ verba fere reperiuntur apud Amb. lib. 6. de sacram. c. 5. vbi habet illa duo verba, *In quo & cum quo*, non tamen illud, *Per quem est tibi gloria*. Itaq; illa duo videntur proprie ratione diuinitatis Christi in eum cōuenire, nam vt idem dicit Ambr. lib. 4. de fide. c. 4. *Cum Patre, & in Patre semper est Filius, & ideo cum ipso glorificatur, tanquam æqualis, & in ipso tanquam imagine substantiali glorificatur Pater*, per ipsum autem videtur referri ad Christum, vt Deum hominem, per quem, vt per mediatorem, Deus honoratur. Vnde eleganter Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 7. *Vobis*, inquit, *qui Christum diligitis, dico, Ecclesiam vtrumque harum vocum vsum agnoscere, neutrumque reijcere, quasi alter alterum destruat, cum enim in Vnigenito naturæ maiestatem ac dignitatis excellentiam cōtemplamur, tribuimus illi gloriam cum Patre, rursus, cum consideremus, quæ bona in nos contulerit, aut quomodo nos ipsos ad Patrem adduxerit, confitemur, hoc beneficium per ipsum, & in ipso peractum esse in nobis, vt altera particula*, cum quo, *propria sit glorificantium, altera*, per quem, *sit propria gratias agentium*. In quibus verbis videtur Basilius non distinguere inter illos duos terminos, *cum ipso*, & *in ipso*: possunt tamen distingui modo suprà dicto, vt, *cum ipso*, autē dicat cōcomitantiam, & æqualitatem adorationis, *in ipso*, autem dicat, identitatem substantiæ: sicut dici potest Pater videri cum Filio, & in Filio. Imo & patricula, *per ipsum*: potest Christo, vt Deo attribui, nā sicut Pater per Verbum omnia creauit; ita per Verbū glorificatur ab omnibus. Verum est, Arianos olim abusos esse his vocibus; ad significandam enim inæqualitatem trium personarum, non dicebant, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, sed, *Gloria Patri, per Filium, in spiritu sancto*, vt refert Theodor. lib. 2. histor. c. 24. & Sozom. libr. 3. c. 19. Ecclesia vero Catholica, ad euitandam fraudem huius erroris, instituit (vt creditur) in Concil. Nicen. vt diceretur, *Gloria Patri, & Filio, & spiritui sancto*. Tamen, seclusa fraude & abusohæreticorū, in illis terminis nulla in rigore significatur inæqualitas, vt declaratum est. Possunt denique illæ tres voces Christo, etiam vt homini accommodari nam per ipsum, tāquam per mediatorem, & in ipso radicati & fundati, tanquam palmites in vite, & cū ipso, tanquam cū capite nostro, omnes nos glorificamus Patrem, Filiū & Siritum sanctum, semperque glorificabimus, per omnia secula seculorum. Et in his verbis censetur canon finiri: nam quæ sequūtur, magis sunt præparationes quędam ad communionem, vnde in die Paraſceues, quando non fit consecratio, neq; offertur verū sacrificiū, omittuntur omnia, quæ dicta sunt, sed immediate post ablutionem manuum, fit transitus ad orationē Dominicā. Ex quo potest obiter confirmari, quod suprà dicebamus; sumptionē sacramenti non pertinere ad essentiam sacrificij: nā canon, qui cōtinere censetur actionem sacrificandi, priùs finitur, & posteà ad cōmunionem fit præparatio. Atq; ita sumitur, vt suprà notaui, ex Greg. lib. 7. Epist. 63. & Micrologo, c. 18. & Vvalfrido Strabone, c. 22. Recentiores autem expositores sub canone cōprehendunt omnia, quę sequuntur vsque ad consumptionem sacramenti, quod pertinet, vt suprà dixi, ad modum loquendi, & ita etiam nos procedimus: quia non habemus aliud nomen, quo hęc omnia comprehendamus, & omnia hæc continētur sub regula præscripta sacrificandi, quam nomen canonis propriè significat.

Igitur post omnia prædicta nono loco recitatur Dominica oratio, & quidem nonnulli putant, Gregorij primū institutum esse, vt oratio Dominica in Missa diceretur, propter ea, quæ ipse dicit, lib. 7. Epist. 63. tamen sine dubio est multò antiquior consuetudo: imò Hieronymus, lib. 3. contra Pelagium, significat, Christū docuisse Apostolos, vt *quotidie in corpore illius sacrificio audeant loqui, Pater noster, qui es in cœlis*, &c. & idem sumitur ex Tertull. lib. de Orat. cap. 9. Ambr. 5. de sacr. cap. 4. August. serm. 28. de Verbis Domini, & lib. 50. homiliar. in hom. 42. & Epist. 59. Cyrillo Hierosolymitano, Catech. 5. mystag. imò & Greg. ipse citato loco dicit, Apostolos, antequàm alias Missæ preces instituere inciperent, ad hanc solummodò orationem oblationis hostiam consecrasse, & ibidē ait, apud Græcos solere dici ab omni populo, apud Latinos autem à solo sacerdote: nō ergo hāc consuetudinē (vt quidam volunt) Gregorius introduxit, sed veterem, si in aliqua re fortasse collapsa erat, reparauit, vt ibidē ipse significat: vel si fortè in alio loco Missæ dicebatur, ipse ordinauit, vt statim, sicut nunc dicitur, post canonē diceretur optimè enim in eū locum cadit, nā, cum in ea panē nostrum quotidianum, seu super substantialem petamus, rectè tunc dicitur, quando sacerdos se & populum ad huius cælestis & supersubstātialis panis sumptionem proximè incipit præparare.

Nec solum recitatio huius orationis, sed etiā illa verba præambula, quæ ab Ecclesia dicuntur, *Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati*, &c. satis antiqua sunt, vt ex Alcuino, citato loco sumere licet, & indicatur hoc ipsum à Hieronymo, dicto lib. 3. cont. Pelag. in illo verbo. *Vt quotidie audeam dicere qui, Pater noster*, & fundamentū habit in Cyp. in expositione orationis Dñicæ dicēte, *Quoniam cæteris salutaris sua monita & præcepta diuina, quibus populo suo cā fuluit ad salutē, etiā orandi ipse formā dedit*, & infrà, *quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare*. Deinde addit sacerdos illā orationem, *Liberanos, quæsumus, Domine*, in qua illam vltimā petitionē orationis Dominicæ, *Libera nos à malo*, amplificat, & magis in specie proponit, vt Alcuinus, & alij scriptores Ecclesiastici notāt, applicādo, & ad mala præterita, vt nobis remittātur, & ad præsentia, vt ea declinemus, & ad futura, vt eacauea mus, vt in simili ait Amb. serm. 8. in Psal. 118. Item applicatur ad liberationē à malis culpæ, & à malis etiā tēporalibus, seu perturbationibus omnibus, ad quod obtinendū, pax etiā à Deo postulatur, adiuncta aliquorū Sanctorū intercessione. Addūt verò Micrologus, c. 23. & Rodulph. de Can. obseru. propos. 23. posse sacerdotē nominare alios, si voluerit, q̄ non video, cur hoc loco potiùs, quā alijs illi permittendū sit: securius ergo, meo iudicio videtur, nihil addere his, quę ab Ecclesia in canone præscripta sunt vt inferiùs latiùs dicemus. Quia verò sacerdos pacē postulauerat, pacē verā deinde populo imprecatur. dicēs, *Pax Domini sit semper vobiscum*: populo autē respōdente, *Et cum spiritu tuo*, sacerdos, dū Christi Domini corpus sanguini miscet, profert illā orationē. *Hæc commistio, & consecratio*, &c. quæ omnia sunt satis antiqua, vt cōstat ex Alcuino, & alijs scriptoribus, imo & pacis dāde in Missa meminit Clemēs, li. 8. Const. c. 18. Dionys. c. 3. Eccle. Hierarch. Chrys. homil. 18. in 2. ad Corint. & Optatus Mileuit. lib. 3. cōt. Parmen. *Non potuisti*, ait, *prætermittere, quod legitimum est. Vtique dixisti, Pax vobiscum*. Sed circa illā orationē, *Hæc commistio & consecratio*, &c. diligenter obseruandū est, aliquos nō legere verbū *consecrationis*, sed *commistionis* tantū, vt Amalarius, lib. 3. ca. 31. & Innoc. lib. 5. cap. 2. qui etiam legunt, *Fiat commistio*, vnde, quia consecratio tūc nō fit, sed facta iam est, ideo fortasse illud verbum omittūt. Tamē in ordine Romano antiquo vtrūq; verbū, *commistionis*, scilicet, & *consecrationis*, habetur, & apud Micrologū, c. 18. & ita est seruandū, prout nūc in Missali habetur, *Hæc commistio & consecratio*, non enim petimus vt cōsecratio de nouo fiat, sed, vt fiat accipientibus nobis in vitā æternā, vel certè, quod probabilitate nō caret, consecratio ibi nō sumitur pro cōfectione sacramenti, sed pro noua quadā significatione, quā species sacramentales per illā cōmistionē accipiunt, priùs enim passionem tantùm Domini significabāt, iā verò cōmistæ, eius gloriā resurrectionē indicare incipiunt. Quomodo autē corpus & sanguis Dñi misceri dicantur per quandā denominationē ab ipsis speciebus sacramentalibus, dictū est suprà, cùm de mutationibus huius sacramenti ageremus. Post hæc sequitur, *Agnus Dei*, &c. ex institutione Sergij Papæ, vt referūt Amalar. li. 3. c. 33. Strabo, c. 22. Micrologus, c. 18. sed Chrysost. Sergio antiquior, homil. 41. in 1. ad Corint. hāc ceremoniā indicat, dū ait, *Nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro ipsis, agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes*. Continent autē hæc verba in primis, verā de sacramēto Eucharistiæ confessionē, dū per illa ad Christū ibi realiter præsentē oramus, cōtinent etiā latriæ adorationē, quia, vt August. dixit, Psal. 98. *Nemo Christi carnem manducat, nisi prius adorauerit*, cōtinent nostrorū peccatorū, & infirmitatis nostræ confessionē, ac deniq; diuinæ misericordiæ & potētiæ confessionē continent. Tādē adiūgit sacerdos tres orationes, quibus, & Ecclesiæ pacē, & sibi cōdignū sacramenti fructū postulat: atq; ita sacramentū sumit, adiungens sacras alias ac breues precationes, quę in Missali habētur, & nulla indigent declaratione. Ex his ergo omnibus satis constat, verissimū esse, quod Concilium dixit, in toto canone Missæ nihil esse, quod verum non sit, & pietatem sanctitatemque redoleat.

SECTIO III.

Vtrū teneatur sacerdos sub præcepto omnia dicere, quæ in Missali præscribuntur.

DVo possunt in hoc dubio quæri. Primū, an teneatur Sacerdos, nihil omittere eorū, quæ

Universidad de Deusto Biblioteca

prescripta sunt. Secúdú, an teneatur nihil eis addere.

1. *Conclus.* Dico primò, teneri sacerdotes ad seruandum integrum ritú Missæ, prout in Missali statutus ac definitus est, Probatur primò ex Concilio Tridentin. sessione. 22.c. de obseruandis in celebratione Missę Secúdò, ex verbis Pij Quinti, in principio Missalis, *Mandantes, & strictè omnibus & singulis in virtute sanctæ obediétia præcipientes, vt Missam, iuxta ritum, modum ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur decátent, ac legant*, quod intelligendú est, seclusis priuilegijs, tamen, qui illis gaudent, tenebútur, seruata proportione, ea dicere, quæ in Missali sibi permisso continentur. Tertiò accedit ratio huius præcepti, quia hæc res grauis est, & ad debitú cultú diuinú spectat vtque tantú ministeriú ordinatè fiat. *Notabile.* Quando verò hæc omissio sit peccatú veniale, quádo verò mortale, ex materiæ grauitate, & ex contéptu, vel negligentia, iudicandú est. In quo in primis notare oportet, aliud esse, mutilare ordinem Missæ, omittendo aliquid eorú, quę dicéda sunt, aliud verò, dicere Missam alterius diei, seu de alia re, quá in Missali pręscribatur. In posteriori mutatione nó semper est culpa, dúmodò in ea Missa, quæ dicitur, integer ritus seruetur: quia túc re vera in rigore non prætermittitur ritus dicendi Missam, neq; videtur esse latum præceptú propriè & in rigore de Missa dicenda de feria aut de festo: nam, cùm sacerdos absolutè non teneatur hodie, verbi gratia, Missam dicere, non est cur obligetur ad dicédam hanc determinatè, si Missam vult dicere: quanuis enim non repugnet huiusmodi obligatio, tamé in præsenti, neq; ostendi potest, neque est vlla sufficiens necessitas, & causa illius.

In quo est magna differétia inter Missam & diuinú officiú, assignatur nã ad hoc dicédú tenétur sacerdotes, & ideò mirú nó est, q obligentur ad dicendú singulis diebus illud officiú, quod pro vnoquoq; signatur, in Missa verò non ita est. Et hoc confirmat consuetudo, nam sine scrupulo solet hoc fieri, etiam à viris timoratis & doctis. Hoc tamen intelligendú est in Missis priuatis, quæ proprio arbitrio voluntariè dicuntur, ná in Missis solennibus, quæ dicuntur in Parochijs, vel Ecclesijs cóuentualibus, maior erit obligatio dicédi Missam diei, iuxta præscriptú Missalis ordinem, arguméto c. Quidam, & c. Cùm creatura, de celebratione Missę. Item, quádo aliquis ob stipédium, vel capellaniæ institutionem, vel ob aliá similé causam, obligatur ad specialé Missam dicédá debet, si commode potest, præscriptam obligationé implere, quáuis, si absq; scádalo id omittat, vt Missalis ordiné seruet, nó peccabit: imò, si propter solenne festú id faciat, meliùs faciet. Denique, in vniuersum loquendo, optimú consilium est, nó prætermittere, etiam in hoc, Missalis ordinem, absque rationabili causa. Ita ferè Syluest. verbo Missa. q. 1. 4. 7. 8. & 10. Soto distinct. 13. q. 2. art. 1. in fine. Nauar. cap. 21. num. 7. Vict. in summ. nu. 95. At verò in priori defectu, qui est per omissioné alicuius partis pertinentis ad integrum ritum Missæ, semper intercedit aliqua culpa, nisi, vel ob inaduertentiam naturalem, & inuoluntariam excusetur, vel materia sit adeò leuis, & tam rationabilis causa intercedat, illam omittendi, vt prudenter iudicetur ad excusandum sufficiens. Priorem partem probant, quæ in conclusione adductæ sunt, consuetudo etiam Ecclesiæ eam confirmat. Ex qua, & ex institutione Ecclesiæ, constat, totum Missæ officium esse actioné sacram, moraliter vná, miro ac religioso artificio ex varijs partibus cópositam: eá ergo mutilare, per se loquendo, indecens est, & irreligiosum: est ergo aliqua culpa, mortalis quidem, si notabilis pars omittatur, vt v. g. Epistola, Euangeliú, vel alia similis, quæ sunt velut membra principalia, vt sic dicam, vnius corporis heterogenei, si verò, quod omittitur, sit aliquid leue, erit peccatum veniale. Sunt autem, qui censeant, in canone vel minimú verbum omittere, esse mortale peccatum, si intercedat culpabilis neglegétia. Sed quanuis ea, quæ dicuntur in Missa fideliú, maiori cura dicenda sint, &, quæ ad canoné pertinét, sub obligationem strictiorem cadere videátur, quia, & propinquiora sunt sacrificio, & antiquiori ac sacratiori lege sunt sancita, iuxta cómunem Ecclesiæ sensum, nihilominùs tamen non video, cur etiam in his ex leuitate materiæ nó possit veniale peccatú intercedere, cùm nó sit hic maior ratio, quá in multis alijs præceptis religionis, vt in materia voti, & similibus. Ité, in his potest intercedere peccatú veniale ex indeliberatione, & omnimoda excusatio ex totali inaduertétia, vt in prima exceptione dixi, quæ per se nota est: ergo etiam poterit ex leuitate materiæ, esse veniale peccatum, vt si, verbi gratia, vnú vel aliud nomé alicuius Sancti omittatur, vel, si tépore Paschali, verbi gratia, omittátur ea, quæ interponenda sunt in oratione, *Communicantes*, vel in oratione, *Hanc igitur oblationé*. Vnde secundá exceptioné addidi, quia sunt aliquæ partes vel orationes, nó simpliciter necessariæ ad vsitatá Missę integritaté, vt verbi gratia, Symbolum, aut quod dicátur in collectis vna vel duæ commemorationes, vel orationes; & harú partium omissio faciliùs potest à culpa mortali excusari, quia re vera non propriè mutilatur tunc Missa, vel sacra actio, & ideò etiam accidere potest, vt, si ex aliqua vrgente causa aliquid huiusmodi sine irreuerentia omittatur, nulla propterea culpa incurratur. Sed quæri poterit, an, si quis ex obliuione naturali aliquid in Missa omittat, verbi gratia, *Gloriá* aut *Credo*, postquàm verò aliquantulum progressus est recordetur, an, inquá, debeat repetere, quæ omisit. Respondetur, regulariter non esse necessarium, vt notat Syluest. verbo, Missa. 1. q. 5. §. 4. & 5. quia moraliter id non potest fieri cómodè, & omnia, quę in Missa dicuntur, ita sunt ordinata, vt, variato ordine, & extra propria loca (vt ita dicam) constituta, non rectè cohæreant, supponimus autem, ea, quæ omittuntur, non esse de substantia sacrificij: nam, si huiusmodi sunt, semper sunt repetenda.

Magna differentia inter Missam & diuinum officium assignatur.

Opinio quorundam ab autore reijcitur.

Responsio. Syluest.

Dico secundò. Etiam tenetur sacerdos non addere ex propria deuotione nouas precationes, aut alia verba, præter ea, quæ iuxta ritum Ecclesiæ præscripta sunt. Hoc expressiùs cautum est Ecclesiasticis cóstitutionibus: nam Pius V. post citata verba, *Mandantes, & strictè omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes*, subdit; *Ne in Missæ celebratione alias ceremonias vel preces quá quæ in hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumat*, & Cócil. Trident. sess. 22. c. de obseruandis in celeb. Missæ, post verba præcepti, illa subdit. *Ne vè ritus alios aut alias ceremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequente & laudabili vsu receptæ fuerint*. Et iuxta hæc noua decreta moderanda sunt antiqua: quale est illud Conc. Carthag. III. can. 23. vbi dicitur, *vt nemo precibus aliunde descriptis vtatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit*, & quod additur in Concil. Meleuit. c. 12. scilicet, *huiusmodi preces debere esse à prudentioribus tractatas, & in Concilio, vel Synodo approbatas*: iá enim Pontifices Ecclesiæ certum statuerunt ordinem, cui nihil addere licet. In quo, ex genere suo, maior est culpa, quàm in priori defectu, tum quia commissio ex suo genere grauior est, quàm omissio, tum etiam, quia hoc genus peccati ex se est magis expositú periculo superstitionis & erroris, & ideò expressiùs ac grauiùs in citatis locis hoc prohibetur. Item, quia in hoc quodammodò vsurpatur Ecclesiastica potestas ad quam pertinet, in his ponere debitum ordiné & modum. Quapropter in hoc genere peccandi facillimè erit culpa grauis, si materia sit alicuius mométi. Atq; ita sentiunt Syluest. verbo, Missa. 1. q. 2. & 3. Soto, dist. 13. q. 2. art. 4. & alij Summistæ, & Doctores. Sed hoc maximè verum est, si in his, quæ publicè dicuntur, hæc additio fiat, quanuis etiam neque secretè facienda sit: nam, si addatur ipsi officio Missæ, procedunt omnia dicta, si vero sacerdos non intendat aliquid addere officio Missæ, sed, vt priuata persona, eo tempore priuatam aliquam deuotionem secretè recitare, non peccabit quidem directè contra prædictum præceptum, malè tamen & imprudéter faciet, sacrum ministerium priuatis precibus omnino ab illo distinctis interrumpendo.

Pius. V. *Con. Trid.* *Con. Carthag. III.* *Cõ. Mileu.* *Syluest.*

ARTICVLVS V.

Vtrum ea, quæ in celebratione huius sacramenti aguntur, sint conuenientia.

4. sen. d. 12. in expo. lit. & opu. 65. c. 5. & opu. 66. per tot.

AD quintum sic proceditur. Videtur, q ea, quæ in celebratione huius sacramé ti aguntur, non sint conueniétia. Hoc enim sacramentum ad nouum testamentum pertinet, vt ex forma ipsius apparet. In nouo autem testamento non sunt obseruandæ ceremoniæ veteris testamenti, ad quas pertinebat, quod sacerdos & ministri aqua lauabátur, quando accedebant ad offerendum: legitur enim Exod. 30. Lauabunt Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare. Non est ergo conueniens, quòd sacerdos lauet manus suas inter Missarum solennia.

¶ 2 Præterea, Ibidem Dominus mandauit, quòd Aaron adoleret incésum suaue fragans super altare, quod erat ante Propitiatorium. Quod etiam pertinebat ad ceremonias veteris testamenti. Inconuenienter ergo in Missa sacerdos thurificatione vtitur.

¶ 3 Præterea, Ea, quæ in sacramentis Ecclesiæ aguntur, non sunt iteranda. Inconuenienter igitur Sacerdos multoties iterat crucesignationes super hoc sacramentum.

¶ 4 Præterea, Apostolus dicit, ad Hebr. 7. Sine vlla contradictione, quod minus est, à maiori benedicitur. Sed Christus, qui est in hoc sacramento post consecrationé, est multò maior sacerdote. Inconuenienter igitur sacerdos post consecrationem benedicit hoc sacramentum cruce signando.

¶ 5 Præterea, In sacramento Ecclesiæ nihil debet fieri, quod ridiculosum videatur. Videtur autem rediculosum, gesticulationes facere, ad quas pertinere videtur, q sacerdos quandoque brachia extendit, manus iungit, digitos complicat, & se ipsum inclinat. Ergo hæc non debent fieri in hoc sacramento. *Alias incuruat.*

¶ 6 Præterea. Ridiculosum etiá videtur q sacerdos multoties se ad populú vertit, & multoties populum salutat. Non ergo debét hæc fieri in celebratione huius sacramenti.

¶ 7 Præterea, Apostolus. 1. ad Corint. 1. pro inconuenienti habet, quòd Christus diuisus sit. Sed post consecrationem Christus est in hoc sacramento, inconuenienter ergo hostia frangitur à sacerdote.

¶ 8 Præterea, Ea, quæ in hoc sacramento aguntur, passionem Christi repræsentát. Sed in passione Christi corpus fuit diuisum in locis quinq; vulnerú. Ergo corpus Christi in quinque partes frangi deberet magis, quàm in tres.

9 Præterea, Totú corpus Christi in hoc sacramêto seorsum cósecratur à sanguine. Inconuenienter ergo vna pars eius sanguini miscetur.

10 Pręterea, Sicut corpus Christi proponitur in hoc sacramento vt cibus, ita & sanguis Christi vt potus. Sed sumptioni corporis Christi nó adiúgitur in celebratione Missæ alius corporalis cibus. Incóuenienter igitur sacerdos post sumptioné sanguinis Christi vinum non consecratum sumit.

11 Præterea, Veritas debet respondere figuræ: Sed de agno Paschali, qui fuit figura huius sacramenti, mandatur, quòd non remaneret ex eo quicquá vsque mane. Inconuenienter igitur hostiæ consecratæ reseruantur, & non statim sumuntur.

12 Præterea, sacerdos pluraliter loquitur audientibus, cú dicit: Dominus vobiscú, & Gratias agamus. Sed inconueniens videtur pluraliter loqui vni soli, & maximè minori. Ergo inconueniens videtur, quòd sacerdos, vno tantú ministro præsente, celebret Missá. Sic igitur videtur, q incóueniéter aliqua agátur in celebratione huius sacraméti.

SED in contrariú est, Ecclesiæ consuetudo, quæ errare non potest, vtpote Spiritu sancto instructa.

RESPONDEO dicendum, quòd (sicut suprà dictum est) in sacramentis dupliciter aliquid significatur, scilicet, verbis & factis, ad hoc quòd sit perfectior significatio. *q. 60. ar. 5. & 6.* Significantur autem verbis in celebratione huius sacraméti, quædá pertinétia ad passionem Christi, quæ repræsentatur in hoc sacra-

Universidad de Deusto Biblioteca

mento,vel etiam ad corpus mysticum,quod significatur in hoc sacramento,& quædã pertinentia ad vsum huius Sacramenti, qui debet esse cum deuotione & reuerẽtia. Et ideò in celebratione huius mysterij quædam agũtur ad repræsentandã passionem Christi,vel etiam dispositionẽ corporis mystici, & quædam aguntur pertinentia ad deuotionem & reuerentiam huius sacramenti.

AD primum ergo dicendum, ꝙ ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reuerentiam huius sacramenti.Et hoc dupliciter.Primò quidem,quia aliqua pretiosa tractare non consueuimus,nisi in manibus ablutis,vnde indecens videtur,quod ad tantũ sacramentũ aliquis accedat, manibus etiã corporaliter inquinatis. Secundò propter significationẽ, quia vt Dionys. dicit. 3. eccles. hier.extremitatum ablutio significat emundationem etiam à minimis peccatis,secundũ illud Ioann.3. Qui lotus est,non indiget,nisi vt pedes lauet.Et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc sacramentum. Quod etiã significatur per confessionẽ,quæ fit ante introitum Missæ.Et hoc quidẽ significabat ablutio sacerdotum in veteri lege, vt ibidẽ Dionys.dicit.Nec tamen Ecclesia hoc seruat,tanquã ceremoniale veteris legis præceptum,sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundũ se conueniens.Et ideò nõ eodem modo obseruatur,sicut tunc,prætermittitur enim pedum ablutio,& seruatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu,& quæ sufficit ad significandã perfectam mundationem. Cùm enim manus sit organum organorum (vt dicitur tertio de anima)omnia opera attribuuntur manibus, vnde in Psalm.23.dicitur, Lauabo inter innocentes manus meas.

C.3. Eccle. hic à med. illius.

Eodem loco nunc dicto.

Lib.3.tex. 38.tom.2.

De thurificatione.

AD secundum dicendum, quòd etiã thurificatione non vtimur, quasi ceremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto. Vnde nõ eodem modo vtimur, sicut in lege veteri erat statutum:pertinet autem ad duo. Primò quidem ad reuerentiam huius sacramenti,vt,scilicet,per bonum odorem depellatur,si quid corporaliter praui odoris in loco fuerit quod posset prouocare horrorem. Secundò pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ,qua,sicut bono odore,Christus plenus fuit (secundùm illud Genes.27.Ecce odor filij mei,sicut odor agri pleni)& à Christo deriuatur ad fideles,officio ministrorum secundùm illud.2.Corinth.2.Odorem notitiæ suę spargit per nos in omni loco.Et ideõ vndique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem.

AD tertium dicendum, quòd sacerdos in celebratione Missæ vtitur crucesignatione, ad exprimendam passionẽ Christi, quæ ad crucem est terminata.Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam primò fuit Christi traditio, quæ facta est à Deo, Iuda, & Iudæis, quod significat trina crucesignatio, super illa verba, Hæc dona, hæc munera,hæc sancta sacrificia illibata.Secundo fuit Christi venditio, est autem venditus Sacerdotibus,Scribis,& Pharisæis. Ad quod significandũ fit iterũ trina crucesignatio super illa verba,Benedictam,ascriptã,ratam.Vel ad ostendẽdum pretiũ venditionis scilicet,triginta denarios.Additur autẽ & duplex crux super illa verba, Vt nobis corpus & sanguis,&c.ad designandam personam Iudæ venditoris,& Christi venditi. Tertiò autem fuit præsignatio passionis Christi facta in cœna.Ad quod designandum fiunt tertiò duæ cruces, vna in consecratione corporis, alia in consecratione sanguinis. Vbi vtrobique dicitur, Benedixit. Quartò autem fuit ipsa passio Christi. Vnde ad repræsentandũ quinq; plagas Christi,fit quartò quintuplex cruce signatio super illa verba, Hostiam puram,hostiã sanctam, hostiam immaculatam, panẽ sanctum vitæ æternę,& calicem salutis perpetuæ. Quintò repræsentatur extensio corporis & effusio sanguinis,& fructus passionis per trinã cruce signationẽ, quæ fit super illis verbis,Corpus & sanguinẽ sumpserimus omni benedictione,&c.Sextò repræsentatur triplex oratio,quã fecit in cruce. Vnã pro persecutoribus,cũ dixit, Pater ignosce illis.Secundã pro liberatione à morte, cũ dixit,Deus meus,Deus meus, vt quid dereliquisti me?Tertia pertinet ad adeptionẽ gloriæ,cũ dixit,Pater in manus tuas cõmendo spiritũ meũ.Et ad hoc significandũ fit trina cruce signatio super illa verba,sanctificas, viuificas,benedicis,&c.Septimò, repræsentantur tres horæ,quibus pepẽdit in cruce, scilicet,à sexta vsq; ad horã nonã. Et ad hoc significandũ fit iterũ trinã cruce signatio ad illa verba,Per ipsum, & cum ipso, & in ipso. Octauò autẽ repræsentatur separatio animę à corpore per duas cruces subsequenter extra calicẽ factas.Nonò autẽ repręsentatur resurrectio,tertia die facta,per tres cruces,quæ fiũt ad illa verba,Pax Domini sit semper vobiscũ. Potest autem breuiùs dici, quòd cõsecratio huius sacramẽti,& acceptatio huius sacrificij,& fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi.Et ideò, vbicũq; fit mentio de aliquo horũ,sacerdos cruce signatione vtĩt.

De crucis varia in Missa significatione.

AD quartum dicendum, quòd sacerdos post cõsecrationẽ non vtitur cruce signatione ad benedicendum & consecrandũ,sed solũ ad commemorandam virtutem crucis, & modum

In sol.præc.

modũ passionis Christi, vt ex dictis patet.

AD quintum dicendum,quòd ea, quæ sacerdos in Missa facit,non sunt ridiculosæ gesticulationes,fiũt enim ad aliquid repræsentandũ.Quòd enim sacerdos brachia extẽdit post cõsecrationẽ, significat extẽsionẽ brachiorũ Christi in cruce. Leuat etiam manus orãdo,ad designandũ,ꝙ oratio eius dirigitur pro populo ad Deũ, secũdum illud Thren.3.Leuemus corda nostra cũ manibus ad Dominum in cælos.Exod.17.dicitur, quòd,cũ leuaret Moyses manus, vincebat Israel. Quòd autẽ manus interdũ iungit,& se inclinat,est suppliciter & humiliter orantis, & designat humilitatẽ & obedientiã Christi, ex qua passus est.Digitos autẽ iũgit post cõsecrationẽ,scilicet,pollicẽ cũ indice, quibus corpus Christi cõsecratũ tetigerat,vt, si qua particula digitis adhæserit, nõ dispergatur, quod pertinet ad reuerentiam sacramenti.

AD sextum dicendũ, quòd quinquies se sacerdos vertit ad populum ad significandũ, ꝙ Dñs,die resurrectionis, quinquies se manifestauit,vt suprà dictum est, in tractatu de resurrectione Christi.Salutat autẽ septies populũ, scilicet,quinque vicibus,quibus se conuertit ad populum,& bis,quando se non cõuertit(scilicet,cùm ante præfationẽ dicit Dominus vobiscum,& cũ dicit,Pax Domini sit semper vobiscũ)ad designandam septiformẽ gratiã Spiritus sancti. Episcopus autẽ celebrãs in festis,in prima salutatione dicit, Pax vobis,quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus:cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus.

q.55.ar.3. arg.3.

AD septimum dicendũ,quòd fractio hostiæ tria significat.Primò quidẽ ipsam diuisionẽ corporis Christi, quæ facta est in passione.Secũdò distinctionẽ corporis mystici, secundũ diuersos status. Tertiò distributionẽ gratiarũ,procedentiũ ex passione Christi,vt Dion.dicit.5.c.Eccle.hier. Vnde talis fractio non inducit diuisionem Christi.

Cap.3.Eccles.hier. à med.

AD octauum dicendum,quòd, sicut Sergius Papa dicit (& habetur de consecratio. distinct. 2.) triforme est corpus Dñi. Pars oblata in calicẽ missa, corpus Christi,quod iam resurrexit,mõstrat,scilicet, ipsum Christũ,& beatã Virginẽ,vel,si qui alij Sancti cũ corporibus,iã sunt in gloria. Pars comesta, ambulans adhuc super terrã,quia,scilicet,viuentes in terra,sacramẽto vtuntur, & passionibus conteruntur, sicut & panis comestus cõteritur dentibus.Pars in altari vsq; ad finẽ Missæ remanens, est corpus in sepulchro, quia vsq; in finẽ seculi corpora Sanctorũ in sepulchris erũt,quorũ tamẽ animæ sunt, vel in purgatorio,vel in cælo. Hic tamen ritus nõ seruatur modo,vt,scilicet, vna pars seruetur,vsq; in finẽ missæ,propter periculũ. Manet tamen eadẽ significatio partium. Quam quidã metricè expresserunt,dicentes.

De conse. d. 2.cap. Triforme.

Aliàs. vniũtur.

Hostia diuiditur in partes, tincta beatos, Planè sicca,notat viuos,seruata sepultos. Quidam tamen dicunt,quòd pars in calicẽ Missa, significat eos,qui viuunt in hoc mũdo,pars autem extra calicem seruata, significat plenè beatos, scilicet,quantum ad animam & corpus: pars autem comesta,significat cæteros.

AD nonum dicendũ, ꝙ per calicem duo possunt significari. Vno modo ipsa passio Christi,quæ repræsentatur in hoc sacramẽto.Et,secũdum hoc,per partẽ in calicẽ Missam significantur illi,qui adhuc sunt participes passionũ Christi, Alio modo potest significari fruitio beata,quæ etiam in hoc sacramẽto præfiguratur.Et ideò illi,quorũ corpora iam sunt in plena beatitudine,significatur per partẽ in calicẽ Missam.Et est notandũ ꝙ pars in calicẽ Missa,nõ debet populo dari in supplemẽtũ cõmunionis,quia panẽ intinctũ nõ porrexit Christus,nisi Iudæ proditori.

AD decimũ dicendũ, quòd vinũ ratione suæ humiditatis est ablutiuum. Et ideò sumitur post susceptionem huius sacramẽti, ad abluendũ os,ne aliquæ reliquiæ remaneant, quod pertinet ad reuerentiã sacramenti. Vnde extra de celebratione Missarũ,cap.ex parte.Sẽper sacerdos vino os perfundere debet, postquàm totũ percepit Eucharistiæ sacramentũ,nisi,cũ eodẽ die aliã Missam debuerit celebrare,ne,si forte vinũ perfusionis acciperet,celebrationẽ aliã impediret.Et eadẽ ratione perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat.

In decr.l.3. tit.41.c.ex parte,& est cap.5.

AD vndecimũ dicẽdũ est,ꝙ veritas,quãtũ ad aliquid debet respondere figuræ,quia, scilicet,non debet pars hostiæ cõsecratæ, de qua sacerdos & ministri,vel etiã populus cõmunicat,in crastinũ reseruari. Vnde,vt habetur de consecration.d.2.Clemens Papa statuit,quòd tãta holocausta in altari offerãtur quãta populo sufficere debeãt,quòd si remãserint,in crastinũ nõ reseruẽtur,sed cũ timore & tremore,clericorũ diligentia consumãtur.Quia tamen hoc sacramentũ quotidie sumendũ est (non autẽ agnus Paschalis quotidie sumebatur)ideò oportet, alias hostias cõsecratas pro infirmis conseruare. Vnde in eadem distinctione legitur, Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, vt, quando quis infirmatus fuerit,statim eum communicet,ne sine communione moriatur.

De conse.d. 2.c.Tribus gradibus.

De cõse. d. 28.c. presbyter.

AD duodecimum dicendũ,quòd in solenni celebratione Missæ,plures debẽt adesse. Vnde Soter Papa dicit, vt habetur de consecra-

De conse.d. 2.cap. Hoc quoque statutum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secration. d. 2. Hoc quoq; statutũ est, vt nullus presbyterorũ Missarũ solẽnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respõdentibus, ipse tertius habeatur, quia, cũ pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum & illud in secretis, orate pro me, apertissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi. Vnde & ad maiorem solennitatem, ibidẽ statutũ legitur, ꝙ Episcopus cum pluribus Missarũ solẽnia peragat. In Missis tamẽ priuatis sufficit, vnũ habere ministrũ, qui gerit personam totius populi catholici, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet.

DISPVTAT. LXXXIIII.

De ritibus Missæ, qui in actione cõsistũt.

DVo tantũ in hac disputatione tractãda sunt, primum de conuenientia & ratione harum ceremoniarum, secundum de obligatione exercendi illas, & quomodò in hac re peccari possit.

SECTIO I.

Vtrùm ceremoniæ Missæ, quæ in actione consistunt, conuenienter sint ab Ecclesia institutæ.

IN hac dubitatione idẽ sentiunt hæretici, quod de alijs ceremonijs, neq; aliquid noui afferunt, & ideò à nobis prætermittendi sunt. Vt ergo hanc rem breuiter expediamus, oportet eas ad pauca capita reuocare, sicut alijs locis fecimus.

Finis ceremoniarum Missæ redditur.

Primò ergo quædam ex ceremonijs Missæ inductæ sunt solùm, vt hoc sacrum mysterium debita honestate, modestia, ac reuerentia peragatur: vnde cõstat, huiusmodi ceremonias non solùm conuenientes, sed moraliter etiam esse necessarias, ideòque summa prudentia esse ab Ecclesia institutas. Exempla sunt quàm plurima in Romano Rituali, vt, verbi gratia, quòd sacerdos, antequàm vestibus sacris induatur, lauet manus, ad quandã decentiam spectat. Item, ꝙ *incedens ad altare, procedat oculis demissis, incessu graui, erecto corpore, propter modestiam, & decentem grauitatem*, præscriptũ est. Simile est in multis alijs ceremonijs, vt, verbi gratia, ꝙ, dum se ipsum manu dextera signat, sinistrã ponat sub pectore, solùm ordinatũ videtur, quia ille est decentior modus, è cõtrario vero, quòd, dũ benedicit oblata, manum habeat super altare, maiorem habet ad illam actionem cõmoditatem & venustatem. Rursus interdùm aliquid huiusmodi præscribitur, vt actio locutioni conformis sit, quod etiã pertinet ad decorem quẽdam, vt, quòd sacerdos pectus suũ percutiat, cùm dicit, *Mea culpa*, ꝙ iungat manus, cũ dicit, *In vnitate Spiritus sancti Deus*, vel, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*. Quòd eas eleuet, cùm dicit, *Sursum corda*. Quòd benedicturus aut salutaturus populum, ad illũ conuertatur, & sic de multis alijs, quæ, si rectè ponderentur, nihil aliud continent, quàm cõmodum, modestum, ac prudentẽ operandi modũ. Vnde quoad hanc partem hic ritus fundatus est in illis verbis Pauli, primæ ad Corinthios. 14. *Omnia secundum ordinem fiant in vobis*, & ideò oportet in his omnibus, etiã minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui, tum quia, si hæc relinquerentur vnijscuiusque arbitrio, multa indecorè & imprudẽter fierent, tũ etiã, quia existimauit Ecclesia in tam alto & sacro ministerio nihil esse leue existimandũ, quominùs maxima decentia & grauitate fiat, vbi optimè quadrat illud Cypr. in expositione orat. Domin. *Placendum est diuinis oculis, etiam in habitu corporis.* Deniq;, quia hæc vniformitas, quæ in his omnibus seruatur, ad splendorem officij Ecclesiastici spectat, & vnitatẽ Ecclesiæ cõmendat, & Pastorum eius curã ac solicitudinẽ. Cuius exẽplum habemus in Paulo. 1. ad Corinthios. 11. & 14. vbi præcipit, vt mulieres taceant in Ecclesia, vt orent velato capite, viri autem nõ velato. Itẽ huiusmodi est illud, *Cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate, & si quis esurit, domi manducet*, & posteà cõcludit, *Cætera autem, cum venero, disponam*, vtique similia, & ad eundem ordinẽ pertinentia, ergo de huiusmodi rebus disponere, & in eis ordinem ponere, ad prouidentiam Ecclesiæ pertinet.

Cyprian.

1. ad Cor. 11. & 14.

Secundò sunt aliæ ceremoniæ institutæ per se primò propter exteriores actus latriæ exercendos, quę etiã conuenientissimè institutæ sunt. Exempla sunt quàm plurima, ex his enim ceremonijs quædã ordinantur ad Deum adorãdum & colendũ, vt est, capitis aut corporis inclinatio, aut genuflexio, & similes, quæ reuerentiã, & animi subiectionẽ demõstrãt & ideo, quodammodò ex natura rei, accommodatę sunt ad colendum Deum, quem non tantùm interiùs, sed etiã exteriùs per actiones corporis esse nobis adorandum, alibi latiùs ostendimus. Vnde de Christo Domino legimus, genibus positis, orasse ad Patrem, & huc etiam spectat manuum, vel oculorũ eleuatio, quã in oratione cõmendat Paul. 1. ad Timoth. 2. & sæpè Scriptura, iuxta illud Psalm. 141. *Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum*, & de Christo sæpè legimus, leuasse oculos in cælũ ad orandum vel gratias agendũ Deo, Ioan. 11. & 17. Idemque in hoc ipso mysterio fecisse constat ex canone Missæ, & ex his, quæ suprà diximus. Denique huc etiam spectat, quod sacerdos sit discooperto capite, dum Deo sacrificat, nam hoc etiam reuerentiæ & humilitatis signũ est. Vnde Tertull. in Apolog. cap. 30. dicit, *Christiani illuc* (id est in cælum) *suspicientes, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, precantes sumus.* Aliæ vero ex his ceremonijs ordinantur ad cultũ Sanctorũ, vt inclinatio capitis ad nomẽ Sancti, quod in oratione profertur, &c. Aliæ ordinantur ad imaginum, aut rerũ sacrarum venerationẽ, vt inclinatio capitis ad crucẽ vel imaginẽ, reuerentia ad altare, osculum altaris, Missalis, aut patenæ, & similia, de quibus satis dictum est suprà, de adoratione tractãdo. Aliæ denique spectant ad reuerentiã, & adorationẽ ipsiusmet sacramenti, vt est genuflexio coram ipso, tunsio pectoris cũ illa oratione, *Agnus Dei*, vel, *Domine non sum dignus*, & huc etiã spectat antiqua illa ceremonia eleuãdi sacramentũ statim post cõsecrationẽ, vt ab omnibus adoretur, de qua suprà, disput. 65. sess. 1. dictũ est. Itẽ, ad hoc genus spectat summa diligẽtia, quæ adhibetur in pertractãdo hoc sacramentũ, ne quid illius decidat, vt, non disiungendo digitos, & cautè purificãdo vasa: de quibus D. Tho. hic, ad. 5. & 10. Cùm ergo hi omnes sint actus veræ religionis, cõstat, cõuenienter esse ab Ecclesiæ ordinatos & institutos. Neq; in his omnibus aliquid superstitiosum ostẽdi potest, si debita intẽtione fiãt, prout ab Ecclesia institutũ est, vt fiãt, & in superioribus est declaratũ, de varijs generibus adorationũ tractãdo.

1. ad Tim. 2.

Tertul.

D. Thom.

1. ad Cor. 14.

Tertio

Tertiò sunt aliæ ceremoniæ, quæ specialiter sunt propter significationẽ institutę, non ꝙ nõ pertineãt etiam ad ornatũ, neq;, quod cultũ etiã aliquẽ nõ cõtineãt, sed, quòd principaliter propter significationẽ ordinatæ sint. Hæc autẽ significatio duplex distingui potest, vt in similibus sæpe visum est in superioribus, vna est moralis, alia mystica. Prior cõmunis est omnibus ceremonijs secũdo loco numeratis, nã esse signũ morale, nihil aliud est, quã esse id, quo exteriùs indicamus bonũ interioris animi motũ seu affectũ: omnis autẽ adoratio exterior, est signũ interioris reuerentiæ & affectus, & ita de ceremonijs habẽtibus hãc solã significationẽ, nihil in speciali dicere oportet, solũ de aliquibus, quæ insigniores esse videntur, pauca notanda sunt. Prima ac præcipua est eleuatio panis & vini consecrandi, oculis & manibus ad Deũ eleuatis, quæ ceremonia est valde vsitata in sacrificijs, vt patet Leuit. 8. & cap. 9. nam est aptissima ad significandã oblationẽ, quæ fit Deo, & qua homo se totũ Deo offert per sacrificiũ. Secunda est, tunsio pectoris, quæ signũ est veluti naturale interioris cõtritionis: nã & publicanus ille percutiebat pectus suum, Lucæ. 18. & cap. 23. *Alij reuertebantur, percutientes pectora sua.* Vnde Augustinus Psal. 146. *Significamus, nos cor comerere, vt à Domino dirigatur*, & lib. 50. homiliar. homil. vlt. cap. 8. *Quotidie tundimus pectora quod nos quoque Antistites ad altare astistentes cum omnibus facimus*, & Nicol. I. ad consulta Bulgar. cap. 54. *Pectus percutimus, significantes, quod vrquiter egimus, displicere nobis.* Tertia ceremonia est, osculũ, quod sub duplici significatione morali datur in Missa. Vna est significatio reuerẽtiæ, & hoc modo osculatur sacerdos sacras vestes, cùm illis induitur, altare in principio, & in fine missæ, & Missale, finito Euangelio, & minister vel diaconus osculatur manum sacerdotis.

Nicol.

Cyrill. Chrysost. Tertul. Iustin. Dionys. Innocent.

Gabr.

Alia significatio est amoris, vel beneuolentiæ, & huiusmodi est osculũ pacis, quæ est antiquissima ceremonia, vt constat ex antiquis liturgijs, & ex Cyrillo, Cateches. 5. Mystag. Chrys. hom. 77. in Ioan. lib. 1. de Cõunct. cordis, & hom. de Prodit. Iudæ, &. 51. ad Populũ, & ex Tertullian. lib. de Oration. cap. vlt. Iustin Apolog. 2. Dyonys. de Eccles. Hier. 3. Qui omnes explicant, hoc signo indicari animorum consensionẽ & vnitatem. Vnde, quanuis Innocent. I. epist. 1. cap. 1. aliã significationem assignet, scilicet, pacis osculum dari post confecta mysteria, vt appareat, populum ad omnia, quæ in mysterijs aguntur, suum præbuisse consensum, non tamen excludit priorem significationẽ, quæ maximè propria atq; moralis videtur. In quacunq; autẽ harum significationum, est hæc ceremonia aptissima, &, ne aliquid indecentię contingere videretur, cautum est, vt viri laici laicos, fœminæ fœminas osculentur, vt est apud Clementem, lib. 8. Constit. cap. 11. iam verò, quia malitia nimiùm excreuit, & caritas refrixit osculum non proximè datur oris tactu, sed media imagine, aut alia re sacra, de quo Gabr. lection. 81. in Canonem.

Alia significatio harum ceremoniarũ est mystica de qua etiã ex suprà dictis satis constat, per se loquẽdo, licitam esse, & conuenientẽ, si debito modo fiat nam homines his sensibilibus signis mouentur ad spiritualem cognitionem, vel considerationem. In particulari verò, prima ceremonia in hoc genere esse videtur, mistio aquæ & vini, de qua satis dictum est suprà, cùm de materia remota huius sacramenti ageremus. Secunda est, manuũ seu digitorum ablutio: bis enim sacerdos manus abluere præcipitur. Primò ante Missam, cũ accedit ad vestes sacras induendas, & hæc ablutio primariò ordinatur ad munditiã corporalẽ ipsarum manuum, quæ etiam necessaria est ad decenter tractandum hoc sacramentũ, & de hac loqui videtur Chrysostomus cùm dicit, homil. 61. ad popul. *Die mihi, illotis manibus ad sacrificium eligeres accedere? Non puto.* Nec tamen ab illa ablutione excluditur spiritualis significatio, & ideò illi adiungitur oratio, qua spiritus & corporis munditia postulatur ad dignè ministrandum ac seruiendũ Deo. Altera ablutio est, de qua nunc agimus, quæ fit post priorẽ oblationem ante sacrificium, de qua tractans Cyril. Catech. 5. mystag. expresse dicit, nõ esse ad abluendas corporis sordes, sed in symbolum, oportere nos à peccatis omnibus mundari. Additq; D. Thomas hic ad. 1. non integras manus, sed digitorũ summitates ablui, ad significandum, non tantùm grauiora sed etiam leuissima peccata esse tollenda, quod sumptum est ex Dionys. cap. 3. de Eccles. Hierarch. vbi huius ablutionis, & significationis eius expresse meminit, & Clem. lib. 8. Constit. c. 15. & eadẽ ceremonia reperitur in antiquis liturgijs. Tertio loco numerari potest illa manuũ extẽsio, quæ fit super oblata, dum recitatur illa oratio, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, &c.* de qua nihil in particulari dictũ reperio, neq; in antiquis, neq; in recentioribus autoribus, quanuis plures consuluerim. Vnde non videtur intellexisse, continere singularem aliquam significationẽ mysticam, sed solùm grauem quandã & reuerentẽ demonstrationem sacrificij, correspondentẽ illi signo demonstratiuo, *Hanc igitur.* Addere verò possumus, illam esse veluti quandã manuũ impositionẽ, per quã significari solet, vel diuina protectio, vel efficacia diuinæ gratiæ: quia ergo in illa oratione peculiariter postulatur hæc protectio diuina per eãoblationẽ, ideò sacerdos, dũ ita orat, veluti manus imponit super oblata, vel etiã significatur, sacrificiũ hoc esse holocaustum & hostiam pacificã, ac pro peccato sufficientissimam ad placandũ Dominũ, præfiguratam, Leuit. 1. 3. & 4. vbi de holocausto dicitur, quòd sit masculũ immaculatum, *Ponetq; manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Quarto loco numerari possunt omnes illæ ceremoniæ, quas sacerdos in ipsa cõsecratione, ad Christi imitationem facit, accipiendo panẽ & calicẽ in manus, eleuando oculos in cælũ, & benedicendo oblata: nam his omnibus significari intẽditur, sacerdotẽ induere Christi personam ad conficiẽda mysteria, seu factũ Christi imitari. Solũ est obseruandũ, in huiusmodi actione, quantũ fieri potest, opere ipso imitari sacerdotẽ, quod verbis profert, id tamen nõ potuit in omnibus seruari, neq; semper cũ perfecta similitudine, sed cũ proportione: cũ enim dicit, *Eleuatis oculis, & accepit panem vel calicem in manus*, potest hæc ad literam imitari, atq; ita facit, cũ autem dicit, *Benedixit*, certũ est non imitari ad literã Christi factũ: nam Christus nõ fecit signum crucis super panẽ, vel calicẽ, sicut facit sacerdos: imo, cũ non constet, qualis fuerit illa benedictio Christi, nõ potuit eadẽ à sacerdote exerceri: fit ergo cũ quadã proportione, vtendo meliori magisq; sacro ac religioso vsu benedictionis, quẽ nunc habemus in cõmemorationẽ eius, quã Christus adhibuit. Quãdo verò sacerdos dicit illa verba, *Fregit, dedit q; discipulis suis*, nullã actionẽ eis correspondentẽ exercet, quia re vera actiones illis verbis significatæ nõ fuerũt in ipsomet actu cõsecrationis à Christo ex

D. Thom.

Clem.

Observandum.

Universidad de Deusto Biblioteca

hibitæ, sed vel per anticipationē, vel per recapitulationē positę sunt: actio enim dādi sine dubio fuit posterior cōsecratione: de actione verò frāgēdi dubia res est, an antecesserit, vel subsecuta fuerit; de qua re satis suprà diximus, agentes de forma huius sacramenti. *Dubium.* Quinto loco poni potest: quòd sacerdos brachia extēdit post cōsecrationē in repręsentationem crucifixionis Christi, vt meminit hic D. Thom. ad 5. *D. Thom.* sed hæc ceremonia iā nō est in vsu. Sexta & vna ex præcipuis ceremonijs est, fractio hostiæ; de qua agit D. Thom. hic, arg. 7. & 8. & in solutione ad 7. triplicem significationē huius fractionis adducit ex Dionysio; ex quo cōstat ceremoniā hāc esse antiquissimā. Eiusdē frationis meminit Chrysostom. homil. 24. in 1. ad Corint. *Chrysost.* explicās illa verba Pauli, *Panis, quē frāgimus*, & ex eo significatio sumi potest valde diuersa à prima, quā hic ponit D. Thom. dicēs, illa fractione significari diuisionē corporis Christi, quę facta est in passione, quod intelligēdū est, vel de diuisione animæ & corporis, vel de diuisione corporis, quæ facta est, flagellis, clauis, spinis, & lāncea, quoad partes similares, sine ossiū cōfractione: Chrysostomus verò ait, hac fractione significari, *voluisse Christū in sacramēto pati, quod in cruce passus nō est*. tamē, quia Christus in se re vera nihil patitur, quādo hostia frangitur, dicere possumus, hac fractione significare, quod, sicut ipsa fit in speciebus, corpore Christi manēte integre, ita, licèt caro eius exterior in passione diuisa fuerit, tamen ossa eius infracta, & robur eius planè integrum, ac persona eius omnino intacta, permanserunt.

In solutione verò ad octauū argumētū, reddit, vt vidimus, D. Thom. rationem, cur hoc Eucharistiæ *D. Thom.* sacramētum in tres partes diuidatur, significationē mysticā declarādo, supponit tamē, olim fuisse in vsu vt ex illis partibus vna comederetur à sacerdote; alia vsq; ad finē Missæ reseruaretur: quod tamē iam nō est in vsu, vt idem D. Thom. notauit. Alia de hac ceremonia & significatione eius videri possunt apud *Sergius. P. Iuo. Innocen. Raban. Guitmund.* Sergium Papam, in c. Triforme. de Consecr. d. 2. & Iuonem libr. 1. de sacrament. Euharist. c. 18. Innoc. libr. 6. de hoc myst. c. 13. Raban. lib. 1. de institut. Cleric. c. vltim. & Guitmund. libr. 1. cōtra Bereng. Septima ceremonia est mistionis particulæ corporis Domini cum sanguine, quam tāgit hic D. Tho. ad 9. dicēs, posse per illam particulā signari, vel eos, qui adhuc in hac vita sunt participes passionis Christi, vel eos, quorū corpora iā sunt in plena beatitudine; communiter verò cēsetur per hāc mistionem, *Microlog. Amalar. Tolet. 4. Brach. 3.* resurectionē Christi Domini significari, vt videre licet in citatis autoribus, & Micrologo, cap. 18. & Amal. lib. 3. c. 31. & de hac mistione fit mētio in Cōcilio Tolet. IIII. can. 17. Vnde rectè aduertit D. Thom. hic, nō esse hāc mistionē eā, quæ prohibetur in c. Cùm omne crimē. de Cōsecr. d. 2. & Cōcil. Brach. III. cā. 1. Sed ibi prohibetur mistio seu intinctio panis, quæ à quibusdā fiebat ad communicādā plebem, & dicebatur fieri ad supplemētum communionis. De qua re iterum in superioribus dictum est.

Octauo loco ponere possumus, multiplicem vsum signi crucis; nunc circa ipsummet sacerdotem, nunc circa populum, eum benedicendo; nunc circa librum, vel circa altare; ac demum super oblata ante, *Effectus signi crucis.* & post consecrationem. De quibus omnibus nō est nunc sigillatim dicendum: supponimus enim, vsum signi crucis religiosum, sanctumque esse, tum ad commemorationem passionis Christi, tum etiam ad impetrandū aliquid à Deo, intuitu illius passionis; & præsertim ad animæ custodiā, & ad dæmones fugandos; de qua re latè disseruimus in primo tomo, agētes de vsu, & adorationē crucis. His ergo de causis, vsus signi crucis tā frequēter adhibetur in hoc sacro ministerio; quod esse antiquissimū cōstat ex omnibus liturgijs, & ex Basilio, lib. de Spiritu sancto, c. 27. *Basil. Chrysost. August.* Chrysost. homil. 55. in Matth. Aug. tractatu. 118. in Ioā. & serm. 18. de tēpore, & 19. de Sāctis, & Cyprian. serm. de baptismo Christi, quibus locis nō tātùm de hoc sacrificio, sed etiā de cæteris rebus sacris loquūtur. Omissis autē eis benedictionis, quæ per hoc signū fiūt circa sacerdotē, vel res alias, quæ nō habēt peculiare mysterium pręter inuocationem diuinam aut commemorationē mortis Christi, circa eas, quæ fiūt super oblata, est in primis cōsiderandū nūquam fieri huiusmodi signa in numero pari, sed, aut semel, aut ter, aut quinquies. *Semel* (ait Micrologus. c. 14.) *propter essentiæ vnitatē. Ter propter Trinitatem personarum. Quinquies propter quinque vulnera Christi Domini, & expressā repræsentationē passionis eius* Fiūt autē huiusmodi benedictiones propter iugem commemorationē eiusdē passionis Christi, & propter multiplicē fructū ab illa percipiēdum, & propter alias significationes mysticas, quas latè persequitur hic *D. Thom. Innocen.* D. Thom. in solutione ad 3. & Innoc. lib. 3. de hoc myst. c. 11. & Alcuin. c. de celebrat. Miss. & Amal. lib. 3. de Eccles. Officijs. c. 24. Addit verò D. Thom. hic, in arg. 4. difficultatē ex verbis Pauli ad Heb. 7. *Qui maior est, à minori nō benedicitur.* Vnde videtur incōueniēs esse, quòd post cōsecrationē sacerdos signū crucis faciat super oblata, quasi Christū ipsum benedicat. Respōdet autē, post cōsecrationē nō vti sacerdotē signo crucis super oblata ad benedicēdum, sed tātum ad commemorādam Christi passionē, & modū eius, ac virtutē crucis.

Annotandū. Vltimò loco annotari possunt aliquę ceremonię quę specialiter adhiberi solēt in Missis solēnioribus vel in alijs peculiaribus Ecclesiasticis tēporibus, vt in Quadragesima, & præsertim in hebdomada sancta in quatuor tēporibus, & vigilijs, in diebus Rogationū seu stationū, ac deniq; in Missis defunctorū. Sed de his omnibus in particulari tractare, nō est nostri instituti sed videri possunt autores sæpè citati, qui de his ritibus copiosè scribūt. In cōmuni verò omnes illæ ceremoniæ reducūtur ad tria capita à nobis distincta. Nā propter primā causam, scilicet, propter decētē ornatū, & ob maiorē solennitatē adhibētur in Missa solenni cātus, de quo suprà dictū est, instrumēta Musica, quorū vsus antiquus satis est in Ecclesia, saltē à tēporibus Vitaliani Papæ, vt Platina & alij colligūt ex Pōtificali Damasi. *Platina. Concil. Trid.* De quo illud statuit Cōcil. Tridēt. loco sæpè citato, *Ab Ecclesijs eas musicas, vbi, siue organo, siue cantu, lasciuū aut impurū aliquid miscetur, arcēdas esse.* Significās, instrumēta musica, si débita grauitate eis vtamur, retinēda esse in diuinis officijs: quia & deuotionē excitāt, & solennitatē augent, & commēdāt. Vnde; & eorum exemplum in veteri testamento habemus. Præterea huc etiam spectat thuribuli, incensi, & thurificationis vsus, quem esse antiquissimū constat ex Damaso in vita Sotheris, *Damasus.* & Syuestri vbi inter alia vasa sacra numerat thuribula, thimiamametaria; & in antiquis liturgijs, fit mentio thuris & thurificationis, quæ fit ad altare; & apud Dionys. c. 3. de Eccles. Hierarch. *Dionys.* imò in canonibus Apostolorū, c. 3. alias. 4. inter ea, quę offerre licèt ad altare, numeratur thimiama seu incēsum; de

quo D. Th. ad. 2. ait, primò & per se pertinere ad reuerētiā *D. Thomas* huius sacramēti, vt, si cōtingat, esse, prauū odorē, etiā in corporale loco, depellatur; secūdò vero pertinere ad repręsentādū effectū gratię, cuius egregius odor in Christo plenissimè fuit, & ab illo ad alios deribat; & ideo, inquit, thurificato altari, oēs: alij thurificātur: nā altare Christū significat: quanuis etiā ipsū thuribulū, Christū ipsū significare possit, teste *August.* Aug. hom. 6. in Apocalyp. & serm. 98. de tempore. Vnde hæc ceremonia etiā ad secūdū & tertiū caput pertinere potest; nā hæc sæpè cōiuncta sūt. Denique ad hoc c. spectat apparatus pluriū ministrorū, vt Diaconi, Subdiaconi, &c. de quibus, aliqua attingemus infrà, in disputatione de ministro. Et hoc etiā spectat, quòd in Missa solēni, sacerdote procedēte ad altare, ministri procedūt cum lumine, vt etiā in liturgia *Chrysost.* Chrysostomi habetur: in quo etiam aliqua significatio mystica cōtinetur, scilicet, quod lucernæ modo debēt Ecclesiastici virtutū splēdorę lucere, & similia. Vnde, vt dicebā, plures ex his ceremonijs, pertinēt etiā ad secūdū & tertiū c. nā ad cultū & reuerētiam Dei, & ipsius sacramēti spectāt; & ad augēdā deuotionē, & orationē fideliū; ad quod etiā specialiter ordināntur stationes seu processiones, quę diebus Dominicis, vel alijs solēnioribus ante Missā dici fieri solēt, & alia similia: multa denique pertinēt ad aliquā significationē sacrā spiritualiū rerum vel etiā ad aliquā efficaciā, vt specialiter creditur de aspersione aquæ benedictæ, quæ diebus etiā Dominicis ante Missā solennē fieri solet. De qua re alibi latiùs dicemus, & de his omnibus latius videri potest Duran. lib. 1. de Ritib. Eccles, cap. 8. 9. & 10. & 13. & lib. 2. cap. 10. & 11.

SECTIO II.

Vtrum teneatur sacerdos ex præcepto omnes Missæ ceremonias seruare, quæ in actione consistunt.

Aduertendū HAEc quæstio eadē proportione expediēda est, qua similem tractauimus de ijs, quæ in Missa sunt dicēda, disputatione præcedēti. Primò itaque certum est, latum esse ab Ecclesia præceptum seruandi ritū ab ipsa institutum in Missæ celebratione, nō solū quoad verba, sed etiam quoad actiones. Nā Concilium Trident. dict. cap. sessione *Cōc. Trid.* 22. & Pius Quintus in Missali, de hoc etiam ritu disserte loquuntur; & rationes suprafactæ non minus præcedunt de actionibus, quā de verbis; scilicet, quia ita expedit, vt omnia ordinatè fiant in tam graui ministerio, & superstitiones vitentur.

Secundo est certum, hoc pręceptū dupliciter violari posse, scilicet, vel solū omittendo, vel etiam addendo nouos ritus & ceremodias, præter eas quæ ab Ecclesia approbatæ sunt: nā præceptū nō tantū est affirmatiuū, sed etiā exclusiuū, vt sic dicā. Vnde Pius Quintus distinctè prohibet, addere, tā alias ceremonias, quā alias preces, & Conciliū Triden. similiter *Pius. V. Cōc. Trid.* dicit, *Ne ritus alios, aut alias ceremonias & preces, &c.* & in specie prohibet ritum vtendi certo candelarū numero, tanquā continēte aliquid efficaciæ, vel mysterij. Vnde etiam fit, hunc modum transgrediendi hanc legem per additionem nouorum rituum, esse ex se grauiorem, & maioribus periculis expositum, sicut dictum est de verbis & propter easdem rationes.

Tertio dicendum est hoc peccatū ex genere suo mortale esse, tamen ex leuitate materiæ, vel inaduertentia posse esse veniale. *3. Conclus.* Probatur eadem ratione, qua de verbis idem asseruimus. Et quidem, quando peccatur per additionem, si id re vera fiat, animo immutandi vel addēdi nouum ritum, pertinentem ad nouum modum cultus, vel adorationis, qui non est in vsu Ecclesiæ vel ad specialem significationem mysticā ab Ecclesia non statutam, regulariter loquēdo semper erit peccatum graue quia est materia grauis superstitionis, eo quod fit in publico & grauissimo ministerio Ecclesiastico: vnde ex se scandalum inducet. Si autem hoc non fiat animo inducendi nouum omnino ritum, sed ex peculiari deuotione aliquis faciat actionem aliquam ex se bonam & religiosam, non tamen in ritu Missæ contentam, quanuis indiscrete faciat, & venialiter etiam peccet (si ob aliquam ignorantiam non excusetur, tamen non peccabit mortaliter: quia sine dubio materia leuis est. Atque idem fere iudicium est de omissione; nam, si solum sit in aliqua re pertinente ad conuenientem modū agendi, regulariter non videtur mortale peccatū si autem omissio sit alicuius cæremonię grauioris, continentisque specialem significationem, materia erit grauis, vt si quis omitteret mistionē aquæ & vini, fractionē hostiæ, aut mistionem, vel signa omnia vel plura, quæ fiūt super oblata, vel alia huiusmodi.

Solum in hoc secundo genere peccandi per omissionem inquiri potest, *Quæsito satisfit.* an propter impotentiam excusari possit è culpa talis omissio, vt verbi gratia, si quis mistionem aquę omittat, quia illam non habet, &c. In quo dicendum est, dupliciter hoc accidere posse primò, vt in potentia præuisa sit ante inchoatam Missam; secundo vt bona fide Missa sit incepta postea vero eo tempore quo facienda est ceremonia cognoscatur impotentia. Quando contingit priori modo, regulariter loquendo, potius est omittenda Missa, quam cum tali defectu dicenda, nisi intercedat specialis dispensatio: quia actio, quæ non potest debito modo fieri, potius omittenda est quā indebitè exercenda: hoc autē moraliter est intelligendum, cōsiderata rei grauitate, & necessitate dicendi sacrū, seu incōmodo, quod ex eius omissione consequi potest; & præsertim verū habet in his ceremonijs, quæ vel proximè ad substātiales accedūt, vt sunt mistio aquæ, panis azymus, fractio sacramēti, & mistio, vel si etiā sint adeo publicę & solennes, vt sine scādalo omitti nō possit, vt sunt eleuatio sacramenti, dicere missam stando, & non sedendo, vel similes. In his tamen, cū sint de iure positiuo, cadere posset dispensatio ex rationabili causa: & præcauēdo, vt in illius vsu nullum sit scandalū: secus vero est in alijs quæ substātialia sunt, vel ita proxima, vt iure diuino cēseantur necessaria, vt est consecratio vtriusq; speciei, & cōsumptio; de quibus supra dictū est. At verò, si defectus seu impotētia nō sit pręuisa ante inchoatā Missam, potest ordinariè seruari regula, quę ex D. Tho. ar. sequenti ad secundum sumitur, quod, si impotentia præuidetur post consecrationē, absoluendū est sacrificium; quia cū sacrificium sit substantialiter inchoatum, non debet, propter accidentalem ritum, imperfectum dimitti; at vero, si antea cognoscatur, & ceremonia grauis, sit, omittendum est sacrificiū, quia, cum nondū sit substātialiter inchoatū, potius est omittendum, quam indebito modo faciendū, vt, verbi gratia, si tempore oblationis calicis, sacerdos

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligat, deesse aquam, & nō posit expectare, donec afferatur, potius debet omittere, quàm vlterius progredi, aut consecrare sine mistione aquæ; quia, iuxta ritum Ecclesiæ, illa censetur res valde grauis, si autem res esset leuior, prudenter pensandum est, quod videatur maius incommodum, aut ministeriū inchoatum relinquere, aut cū illo defectu perficere; & si vnusquisq; in eo casu id faciat; quod magis expedire cenluerit, non peccabit. Illud tolum præ oculis habendum est, vt scandalum semper caueatur.

Supererat hic dicendū de ritu celebrandi cū vno vel multis ministris, quod hic D. Tho. tangit in solutione ad 12. de hoc autē dicemus cōmodius infrà, speciali disputatione de obligationibus ministrorū. Quod verò D. Tho. attingit in solutione ad 11. de reseruatione huius sacramenti, tractatum latè est supra disputando de permanente presentia Christi in hoc sacramento, & de vsu eius, atque ita explicata sunt omnia, quæ D. Thom. tangit in articulo.

D. Thom.

ARTICVLVS VI.

Vtrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius sacramēti occurrentibus, statuta Ecclesiæ obseruando.

4. d. 13. in exposit. lit.

AD sextū sic proceditur. Videtur, q nō possit sufficienter occurri defectibus, qui circa celebrationē huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiæ obseruando. Contingit enim quandoque, quod sacerdos ante cōsecrationē, vel post, moritur, vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramentū sumere possit, & Missam perficere. Ergo videtur, q nō possit impleri statutū Ecclesiæ, quo præcipitur, q sacerdos consecrans, suo sacrificio communicet.

¶ 2. Præterea, Contingat quādoq;, quod sacerdos ante cōsecrationē, vel post recolit, se aliquid comedisse vel bibisse, vel etiā alicui peccato mortali subiacere, vel etiā excōmunicationi, cui⁹ prius memoriā nō habeat, necesse est ergo, q ille, qui est in tali articulo cōstitutus, peccet mortaliter, cōtra statutū Ecclesiæ faciens, siue sumat siue non sumat.

¶ 3. Præterea, Cōtingit quādoq;, q in calicē musca vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadit post cōsecrationē vel etiā cognoscit sacerdos, calici venenū esse immissum ab aliquo maleuolo, causa occidēdi ipsum. In quo casu, si sumat, videtur mortaliter peccare, se occidendo, vel Deū tentādo: similiter, si nō sumat, peccat, cōtra statutū Ecclesiæ faciēs. Ergo videtur esse perplexus, & subiectus necessitate peccādi, q est inconueniēs.

¶ 4. Præterea, Cōtingit quandoq;, quod per negligentiā ministri, aut aqua non ponitur in calice, aut etiā nec vinum, & hoc sacerdos aduertit. Ergo in hoc etiā casu videtur esse perplexus, siue sumat corpus sine sanguine (quasi imperfectū faciens sacramētū) siue non sumat, nec corpus nec sanguinem.

Alias Sacrificium.

¶ 5. Præterea, Cōtingit quādoq; quod sacerdos non recolit se dixisse verba consecrationis, vel etiā alia, quę in celebratione huius sacramenti dicūtur. Videtur ergo peccare in hoc casu, siue reiteret verba super eandē materiā, quæ forte iā dixerat, siue vtatur pane & vino non consecratis, quasi consecratis.

¶ 6. Præterea contingit quandoq; propter frigus, quod sacerdoti dilabitur hostia in calicē siue ante fractionē, siue post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos ritum Ecclesiæ implere, vel de ipsa fractione, vel etiā de hoc quod sola tertia pars mittatur in calicem.

¶ 7. Præterea, Contingit quandoq;, quod per negligentiā sacerdotis sanguis Christi effunditur, vel etiam quod sacerdos sacramentum sumptū vomit, aut etiam, quod hostiæ consecratæ tandiu conseruātur, vt putrefiat, vel etiam à muribus corrodantur, vel etiam qualitercunque perdantur. In quibus casibus non videtur posse huic sacramento debita reuerentia exhiberi secūdum Ecclesiæ statuta. Non videtur ergo, q his defectibus, seu perculis occurri possit, saluis Ecclesiæ statutis.

SED Contra est, quod sicut Deus, ita Ecclesia non præcipit aliquid impossibile.

RESPONDEO dicendum, quod perculis, seu defectibus circa hoc sacramentū cōtingentibus dupliciter potest occurri. Vno modo, præueniendo, ne scilicet periculū accidat. Alio modo, subsequēdo, vt, scilicet, id quod accidit, emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per pœnitentiam eius qui negligenter egit circa hoc sacramētum.

AD primum ergo dicendum, quod si sacerdos morte, aut infirmitate graui occupetur ante consecrationem corporis & sanguinis Domini, non oportet, vt per alium suppleatur. Si vero, incepta cōsecratione, hoc acciderit (putà, consecrato corpore ante consecrationē sanguinis, vel etiam cōsecrato vtroque) debet Missæ celebritas per alium expleri. Vnde, vt habetur in Decretis 7. quæstione 1. capit. Nihil in Toletano Concilio legitur: Censuimus conuenire, vt cum sacerdotibus Missarū tempore mysteria sacra cōsecrantur, si ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cœptū nequeat expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri consecrationem exequi incepti officij, Non enim aliud competit ad supplementum initiatis mysterijs, quam vt aut incipientis aut subsequentis benedictione sint cōpleta sacerdotis, quia nec perfecta videri

Conc. VII. Tolet. can. 1. vel 2. diuersor codicum. Et habetur 7. q. 1. c. Nihil.

deri possunt nisi perfecto ordine cōpleātur. Cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil cōtrariū diuersitas personarū formāt, vbi efficaciā prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Ne tamē, quod naturæ languoris causa cōsulitur, in præsumptionis perniciē conuertatur, nullus absque præuētu patētis molestiæ, minister, vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere: si quis hōc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam substinebit.

Ad secundum dicendū, quod, vbi difficultas occurrit, semper est accipiēdū illud, quod habet minus de periculo. Maxime autē periculosum circa hoc sacramētum est, quod est contra perfectionem huius sacramenti, quia hoc est imane sacrilegium. Minus autem est illud qmod pertinet ad qualitatem sumentis. Et ideo si sacerdos post consecrationem inceptam, recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium, & sumere sacramentum. Similiter, si recordetur se peccatum aliquod comisisse, debet pœnitere cum proposito confitēdi, & satisfaciendi, & sic non indignè, sed fructuosè sumet sacramentum. Et eadem ratio est, si meminerit, se excōmunicationi cuicunq; subiacere; debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi, & sic per inuisibilem pontificem IESVM Christum absolutionem consequetur, quantum ad hunc actum, quod peragat diuina mysteria. Si vero ante consecrationem alicuius prædictorū sit memor, totius reputarem, maxime in casu māducationis & excommunicationis, quod Missam inceptam deserat, nisi graue scandalum timeretur.

Ad tertium dicendum, quod, si musca vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehēderit esse immissum, debet effundi, &, abluto calice, de nuo aliud vinum poni consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lauari & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse deprehenderit immissum nullo modo debet sumere, nec alij dare, ne calix vitæ vertatur in mortē: sed debet diligēter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquijs conseruari. Et, ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere.

AD quartum dicendum, quod, si sacerdos ante consecratiodem sanguinis & post consecrationem corporis percipiat, aut vinū, aut aquam non esse in calice, debet statim apponere, & cōsecrare. Si verò post cosecrationis verba percepetit, quod aqua desit, debet nihilominus procedere, quia impositio aquę (vt supra dictum est) non est de necessitate sacramenti. Debet tamen puniri ille, ex cuius negligentia hoc cōtingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam cōsecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte, vt supra dictum est. Si vero percipiat post verba cōsecrationis, q vinū nō fuerit positum in calicē, si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, deposita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & sumere à verbis consecrationis sanguinis. Si vero hoc perceperit post sumptionē corporis, aliā hostiā apponere debet, iterum consecrā dā simul cū sanguine. Quod ideo dico, quia si diceret sola verba cōsecrationis, sanguinis non seruaretur debitus ordo cōsecrādi: & sicut dicitur in prædicto can. Toleta. Cōc. perfecta videri nō possūt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet à cōsecratione sanguinis, & repeteret omnia verba consequētia, nō cōpeteret, nisi adesset hostia cōsecrata, cū in illis verbis occurrāt quędam dicenda & fienda non solū circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum sumere hostiā consecratam, & sanguinem, non obstante etiam si prius sumpserit aquā, quę erat in calice: præceptum de perfectione, vel de perceptione huius sacramenti maioris est ponderis, quā præceptum, quod hoc sacramentum à ieiunis sumatur, vt suprà dictum est.

In conc. Tol. 7. can. 1. vel 2. secundū aliquos conditores.

AD quintum dicendum, quod, licet sacerdos nō recolat, se dixisse aliqua eorū, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari, nō enim, qui multa dicit, recolit omniū, quæ dixit: nisi forte aliquid in dicendo apprehēderit sub ratione iā dicti, sic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde: si aliquis attente cogitet illud, quod dicit, nō tamē cogitet, se dicere illud: nō multū postea recolit se dixisse. Sic enim fit aliquid obiectū memoriæ in quātū accipitur sub ratione præteriti, sicut dicitur in lib. de memoria. Si tamē sacerdoti probabiliter constet, se aliqua omisisse, si quidē nō sunt de necessitate sacramenti, nō existimo q propter hoc debeat resumere immutādo ordinē sacrificij: sed debet vlterius procedere. Si vero certificetur, se omisisse aliquid eorū, quæ sunt de necessitate sacramēti scilicet formā cōsecrationis, cū forma consecrationis sit de necessitate sacramenti, sicut & materia, idē videtur faciendū, quod dictū est in defectu materiæ, vt scilicet, resumatur à forma consecrationis, & cætera per ordinē reiterentur ne mutetur ordo sacrificij.

q. 80. ar. 8. & q. 82. ar. 4.

q. 74. ar. 7.

q. 77. ar. 8.

In lib. de memoria. c. 1. tō. 2. inter opera Arist.

In so. ad 4. arg. hic in illo art.

AD

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD sextum dicendũ, quod fractio hostiæ consecratæ, & quod vna sola pars mittatur in calicẽ, respicit corpus mysticũ, sicut admistio aquæ significat populũ. Et ideo horum prætermissio nõ facit imperfectionẽ sacrificij, vt propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti.

De cõsec. d. 2. *Si per negligentiam.*

AD septimũ dicendum, quod (sicut legitur de cõsecr. distinct. 2. ex decreto Pij P.) si per negligentiã aliquid de sanguine stillauerit in tabula, quæ terrę adhæret, lingua lãbetur, & tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, terra radetur, & igni consumetur, & cinis intra altare condetur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si autẽ super altare B stillauerit calix, forbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuordecim diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouẽ diebus pœniteat. Si vsq; ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lauet minister calice subtus posito, & aqua ablutionis sumatur & iuxta altare recondatur: posset etiam sumi in potum à ministro, nisi propter abominationẽ dimitteretur. Quidã autem vlterius partem illam linteaminum incidunt, & comburunt, & cinerẽ in altari, vel sacrario reponũt. Subditur autem ibidẽ ex pœnitẽtiali Bedæ presbyteri, Si quis per ebrietatem, vel voracitatẽ C

Ead. d. 2. Si quis per ebrietatem.

Eucharistiã euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicꝰ est, clerici, vel monachi, seu diaconi & presbyteri, septuaginta diebus pœniteãt: Episcopus, nonaginta. Si autem infirmitatis causa euomerint, septẽ diebus pœniteãt. Et eadem distinct. legitur ex Cõc. Arelatensi: Qui nõ bene custodierit sacramentum, & mus vel aliquod aliud animal, illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus pœniteat. Et eadem pœnitẽtia videtur dignus sacerdos, per cuius negligentiam hostiæ consecratæ putrefiunt. Prædictis autem diebus debet pœnitens ieiunare, & à cõmunione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotij & personæ potest minui; vel addi ad pœnitentiã prædictã. Hoc tamẽ obseruandum est, quod, vbicũque species integre inueniuntur, sunt reuerenter cõseruandæ, vel etiam sumendæ, quia manentibus speciebus manet ibi corpus Christi, vt supra dictum est. Ea vero, in quibus inueniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacrario recondito, sicut de rasura tabulæ dictum est.

Ead. d. 2. c. Qui bene nõ custodierit. Alias sacrificium.

Quæs. 77. ar. 8. & locis ibi citatis. Iustitiæ solutionis principio.

DISPVTAT. LXXXV.

De obligatione suplendi defectus inter sacrificandum commissos.

DVplex obligatio hic interuenire potest, vna est præcauendi huiusmodi defectus, antequã Missæ sacrificium inchoetur, vel etiam antequam fiat, & de hac nihil fere nobis superest dicendum præter dicta in superioribus, & proximè tacta in fine disputationis præcedentis. Altera obligatio esse potest de cauendis his defectibus post inchoatũ sacrificium Missæ, vel supplendi illos, si commissi iam sint. De qua re multa dicit hic D. Tho. multaq; habentur in Missali, vt tamen breui methodo omnia cõprehẽdamus, reducemus hos omnes defectus ad duo capita, quidam enim sunt in rebus substãtialibus, sub quibus comprehendo, non tantũ ea, quæ in rigore essentialia sunt, sed etiam omnia, quæ pertinẽt ad cõsummationẽ sacrificij. Alij vero defectus esse possunt in ritibus merè accidentalibus.

D. Thomas

SECTIO I.

Quomodo sint cauendi, vel supplendi defectus substantiales huius sacrificij.

Prima regula certa.

PRima regula certa sit, si in materia vel forma cõmissus sit essentialis defectus, illũ esse omnino supplendum. Probatur, quia facere sacrificium mutilum & imperfectum, intrinsecè malum est; tale autẽ sacrificiũ imperfectũ fuit essentialiter: ergo necesse est illud perficere, supplendo defectũ; atque hinc à fortiori constat, si defectus nondũ sit cõmissus omnino præcauendũ esse, si sit in hominis potestate, & præuideatur, vt, verbi gratia, si post consecrationem hostiæ, ante consecrationẽ calicis sacerdos præuideat in eo non esse vinum, omnino debet illud apponere, priùs quã progrediatur, vt per se constat; quod si fingatur casus, in quo nullo modo possit vinum ad manum haberi, nullo modo potest verba consecrationis calicis proferre, cum materiam commodam non habeat, imo nec debet vlterius progredi, cum sine præsentia sanguinis vix possit villã ex sequentibus ceremonijs rite & vere peragere. Nihilominus in Missali Romano dicitur, in eo casu procedendum esse, & Missam absoluendã: ita ergo fit, tamen non esset facienda mentio sanguinis in signis, & alijs locis, vbi fieri solet. Neque tunc imputabitur ei imperfectio sacrificij, quia, vt supponimus, D neque illam præuidit antea, neque post potuit vitare. Quocirca, si ante consecrationem hostiæ, illum *Notabile.* defectum, & impotentia vitandi illum, præuidisset, nulla ratione posset licitè hostiam consecrare: neque admittenda est vlla ratio vel causa incommodi vitãdi propter quam hoc liceat, nulla enim esse potest, cùm hoc intrinsecè malum sit. Et eadem ratione, si post consecrationem hostiæ præuideretur defectus aliquis non omnino essentialis, valde tamen grauis, vt, verbi gratia, defectus aquæ, quãuis ille vitare nõ posset, non esset propterea omittenda sanguinis consecratio in solo vino: quia magis necessarium est, essentiam sacramenti perficere, quam cæteros defectus vitare. Imo addit D. Thomas, ad 4. quod si post cõsecratum purum vinum, recordetur sacerdos non miscuisse aquam, non debet illam postea miscere etiam

D. Thomas

etiam si possit, *Quia sequeretur*, inquit, *corruptio sacramenti pro aliqua parte*, quæ ratio non est magni momenti, nam potius aqua corrumpetur ab speciebus sacramentalibus, sicut corrumpitur à vino. Ratio ergo est propter reuerentiam sacramenti, & quia iam non habet locum illa ceremonia, vt instituta est, & per hæc de alijs similibus iudicandum est.

Quæsitum.

Sed circa hanc regulam inquiri potest primo propter argumentum quartum D. Thomæ, quomodo supplendus sit hic defectus, quando, v. g. sacerdos cõsecrauit calicem cum sola aqua, & postea sentit defectum, nam D. Thom. hic ad 4. dicit, si sacerdos ante sumptionem corporis intelligat huiusmodi defectũ debere statim vinũp aponere, & sanguinem cõficere, ac sic perficere sacrificium, quod est per se clarũ, & omni carens difficultatẽ, quicquid Palud. infra citandus dicat. Si vero, sumpto iã corpore, sentit defectũ, tunc ait D. Tho. non debere sacerdotem solũ vinum opponere & consecrare, sed iterum etiã hostiã apponere, & consecrare simul cũ sanguine: quia alias

Cõc. Trid. Vll.

non seruaretur debitus ordo consecrãdi. Dicitur autem in Conc. Tolet. VII. c. 1. nõ esse perfecta sacrificia, nisi perfecto ordine cõpleantur: sequela vero patet, quia, si solus sanguis postea consecraretur absq; corpore, nõ possent conuenienter repeti omnia, quę in Missa dicuntur post consecrationem calicis, quia in eis multa occurrunt facienda & dicenda, non solũ circa sanguinẽ, sed etiã circa corpꝰ. Et hãc opinionẽ

Palud. Sylues.

sequuntur Palud. d. 11. q. 1. art. 2. Sylu. Euch. 2. q. 10. Et potest hæc opinio cõfirmari quia, si iam prior hostia consecrata, consumpta fuit, quoad illam iam fuit omnino transacta actio sacrificandi: ergo, vt postea possit sanguis consecrari, debet iterum consecrari etiam corpus, ne vna species sine alia confici & cõsumi videatur. Confirmatur secundo autoritate Pij Quinti, in cuius Missali præcipitur, vt hic defectus suppleatur hoc modo à D. Thom. tradito. Nihilominus Scotus in 4. dist. 8. quæst. 3. dicit, etiã in hoc secundo casu, scilicet, quando consumptum est corpus, sufficere, calicẽ iterum consecrare, & statim sumere absq; aliarum ceremoniarum repetitione: quã opinionem docuit vt æquè probabilẽ D. Tho. in 4. d. 11. in expositione literæ circa finẽ, & Soto. d. 13. q. 2. ar. 6. ad. 4. dicit hanc opinionem esse sequendã in praxi, quando Missa fit in publico, propter vitandum scandalum; & eandem opinionẽ tenet Nauarr. c. 25. nu. 91. Angel. Verb. Missa, num. 17. Ratio huius opinionis est, quia hic modus est sufficiẽs ad perficiendum sacrificiũ; & alioqui est aptior, vt sine scãdalo fiat, & absque eo, quod populus intelligat defectum; ergo. Maior patet; quia, cum iam cõsecrata sit hostia, & non desit nisi sanguis, vt sacrificium compleatur, satis erit, sanguinis consecrationem & sumptionem adiungere. Quin potius, si vtriusq; speciei consecratio iteretur, vt D. Tho. vult, id non erit, sacrificium prius inchoatum perficere, sed nouum integrum sacrificium facere, priori imperfecto relicto. Et confirmatur, quia, si ante consumptum sacramentum percipiatur defectus, satis est, consecrare calicẽ. vt D. Thom. fatetur: ergo & post sumptionem corporis: patet consequentia; quia si in eo casu repetenda sunt omnia, quæ super corpus & sanguinem dici solent post consecrationem, eadem ratione repetenda erunt, quæ super panem & vinum dici solent in canone ante consecrationem: quia etiam illa non fuerunt rite peracta; neque etiam de nouo iterari possunt, nisi noua hostia consecranda adiungatur:

D. Thom. Soto. Nauarr.

A quia insignis, quæ tunc fiunt, & verbis, quæ dicuntur, vtriusq; speciei fit mentio, & vtriusq; grata oblatio, & benedictio postulatur; quod si illa priora non est necesse repetere, quia accidentalia sunt, neq; etiã erit, necessarium, repetere, signa & verba, quæ post consecrationem dicuntur: quia etiam illa sunt accidẽtalia. Vnde Palud. supra consequenter ait, etiam si *Palud.* prior hostia consecrata consumpta non sit, nouam esse consecrandam: quia putat, in huiusmodi euentibus semper esse necessarium, totum canonem iterare. Quod tamẽ sine fũdamẽto aut probatione dicit; nulla est enim huius rei necessitas, alioqui, etiã prior oblatio, & quæ post illam sequuntur, essent omnia iteranda. Non est ergo necesse iterare, quæ accidentalia sunt, maxime, cum sint rite peracta quoad omnes actiones exteriores, & quoad omnia verba, quæ formaliter, & ex intentione proferentis vere etiam B prolata sunt, & referuntur ad verum panem & vinum consecrandum: ergo nihil in his repetere oportet: ergo ex hoc capite non erit necessarium hostiã iterum consecrare, siue illa consumpta prius fuerit, *Regula ab Innocẽtio tradita suf ficit.* siue non, in his ergo sufficiet, seruare regulam ab Innocẽt. traditam, in c. 1. & 2. de sacram. nõ iterandis. *In talibus nihil esse iterandum, sed caute suppletum, quod incautè fuerat prætermissum.* Et per hæc responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Ad primam confirmationem respondetur, quandiu durat actio sacra vsque ad consumptionem, totam censeri vnam moralem actionem; & ideo, quamuis post consumptum corpus, solus calix consecretur, non censetur vna species confici sine alia, quia hæc consecratio sanguinis moraliter cõiungitur priori consecrationi hostiæ: & ex vtraque fit vna moralis actio, & vnum sacrificium. Ex quo obiter intelligitur, si sacerdos non percipiat defectum, donec C Missam iam omnino absoluerit, non posse consecrare solum sanguinem, ad integrandum prius sacrificium, quia iam actio esset omnino distincta moraliter nec coniungeretur cum priori ad vnum sacrificium integrandum. Et eadem ratione non tenetur in eo casu vtramque speciem iterum cõsecrare, quia per hoc etiam non redintegraret prius sacrificium, sed nouum omnino distinctum offerret, ad hoc autem non tenetur, imo nec potest illud offerre quia, vt supponimus, iam non est ieiunus, cum calicem aquæ sumpserit. Quod vero Paludanus su- *Palud.* pra dicit, etiam durante eodem Missæ officio, si sacerdos non percipiat defectum, donec aquam calicis sumpsit, nihil debere repetere, quia iam (inquit) D functus est officio suo, & quia non est ieiunus, hoc omnino falsum est, debet enim supplere defectum sanguinis: vt diximus; &, donec hoc adimpleat, nõ est functus, prout debet, officio suo; quod verò non sit ieiunus, nihil obstat, vt hic Diuus Thomas expressè dixit, quia præceptum diuinum de integritate sacrificij magis obligat, quam præceptum Ecclesiasticum ieiunè communicandi; & in hoc conueniunt omnes Doctores: addit vero Nauarr. cum alijs *Nauarr.* ob ignorantiam, vel facilius ob inconsiderationem, & perturbationẽ, posse sacerdotẽ excusari, non perficiendo sacrificium, & supplendo defectum in eo casu, quod est in praxi notandum, quia sæpe talis perturbatio accidit, etiam viris doctis. Addunt denique Angel. & Sylues. & direct. si sacerdos, dum in *Angel. Sylues.* ore habet potum, prius, quam deglutiat, sentiat esse aquam, & non vinum, non debere consumere, sed in calicem mittere, & vinum aliud consecrare & sumere,

Universidad de Deusto Biblioteca

mere, & posteà priorem potum consumere. Sed hoc moraliter est difficillimum, & ideo sine scrupulo potest sacerdos semper deglutire potũ calicis, & deinde seruare quæ dicta sunt. Ad secundã confirmationẽ respondetur, illa, quæ in Missali proponũtur sub titulo *de defectibus*, solũ esse instructiones quasdã doctrinales, nõ vero speciales constitutiones, inducentes nouã obligationẽ, sunt autẽ illę instructiones datæ iuxta probabilẽ doctrinã, non tamen magis obligant, quàm res ipsæ, vel doctrina, in qua fundantur.

Atque ex his constat, idem esse dicendum, seruata proportione, si similis defectus circa hostiam contingat, quanquã in hoc nõnulla maior difficultas esse videatur: quia, si in eo casu sola hostia iterũ consecretur, nimirũ, quia prior inuenta est ordeacea, vel cũ alio simili defectu, sequitur immutari ordinem in consecratione harũ specierũ, scilicet, quia prius consecraretur sanguis, & postea corpus: hoc autẽ videtur esse magnum incõmodum, iuxta superius dicta. Propter quã causam in eo casu cẽseo valde probabilẽ opinionẽ D. Thom. quã etiã sequitur Missale Pij Quinti, & expressẽ Palud. suprà. Scotus vero, qui tenet oppositã sententiã, quãdo defectus cõtingit in vino, nihil in particulari dicit de specie panis, neq; attingit difficultatẽ hanc de mutatione ordinis, in consecratione vtriusq; speciei; & eodẽ modo loquitur Nauarrus, Angelus verò aperte dicit, quãdo hic defectus contingit in hostia, & deprehenditur post cõsecrationẽ vini, ante vtriusq; sumptionẽ, non esse iterandã cõsecrationẽ sanguinis, sed solius corporis: quod etiã affirmat Palud. saltẽ, quando nõ potest cõmode aliud vinũ adhiberi, vt cõsecretur; vnde sentit illum ordinẽ inter consecrandã vtramq; materiam, non esse ad modum necessarium: quod si hoc verũ est, idẽ erit consequenter dicendũ, etiam si defectus percipiatur post sumptionẽ: est ergo hæc opinio probabilis, quanuis in hoc casu libẽtius vterer remedio consecrandi iterũ vtramq; speciem, si cõmode possem: quia ille ordo consecrationis vtriusque speciei semper mihi videtur magni momenti: & aliũde nõ potest, quod ad scandalum pertinet, vel adstantium notitiam, magis vno modo vitari, quàm alio.

Nauarr. *Angel.* *Palud.* *Autoris sententia.*

Secundo etiam constat ex his, quid faciendum sit si contingat similis defectus in forma; nam si omissum est aliquod verbum essentiale, vel talis facta mutatio, quæ necessarium formæ sensum abstulerit, iteranda est consecratio, vel in vtraq; forma, si in ambabus talis defectus acciderit; vel solum in vna, si in ea tantum inuentus fuerit defectus. Ratio est eadem quia hoc, & necessarium est, & sufficit ad sacrificiũ integrè perficiendum. Vnde, etiãsi contingat, huiusmodi defectum cognosci post sumptionem corporis vel speciei non rite consecratæ, iteranda erit talis cõsecratio, propter eandem causam; & in eo casu, non oportebit, vtramque consecrationem repetere, si in altera tantum defectus accidit, vt in simili dictum est de materia: est enim eadem proportio. Addo, etiam si contingat, antea fuisse defectum præuisum, & ex malitia ministri non fuisse emendatum, vel, etiam si à principio, ex sola malitia fuerit talis defectus commissus; vel, omittendo verba, vel, non habendo debitam intẽtionem (de hoc enim defectu idem est proportionale iudicium, eademq; ratio) nihilominus in his casibus debere sacerdotem etiam post sumptionem, supplere defectum: quia, licet malicia sua in eam necessitatem inciderit, tamẽ postquam in eum statum res adducta est, non est curandum, cur sacrificium imperfectè actum sit, sed quod mutilum sit; & ideo omnino est perficiendum, non obstante priori culpa; poteritque sacerdos sine noua culpa id facere, si prioris culpæ ipsum pœniteat, & cum debita reuerentia id faciat. Hoc autem intelligendum existimo, quando defectus accidit in consecratione vnius tantum speciei, & altera fuit rite consecrata: nam si defectus in vtriusque consecratione accidisset, & panis aut vinum sumptum iam esset, non deberet in alia materia consecratio suppleri: quia tũc re vera nõ fuit factũ, nec perfectũ, nec imperfectũ sacrificiũ, sed totũ fuit fictũ; & ideo tũc nõ obligat præceptum de integrando seu perficiendo sacrificio, & alioqui obligat præceptum non conficiendi vel sumendi hoc sacramentum post cibum & potum; ergo tunc hoc præceptum seruandum est; & ideo aliter iudicandum est de tempore ante sumptionem, quando nondum fractum est ieiunium: nam tunc si fortasse ex defectu intentionis vel formæ neutram speciem consecrauit, tenebitur secretę iterare, & consecrare, antequàm sumat, & quam primum possit, non ex vi præcepti, perficiendi sacrificium substantialiter inchoatũ, quia hoc re vera nondùm obligat, sed ex vi præcepti, non fingendi aliquid falsum in hoc ministerio, & consequenter non perseuerandi in inchoata fictione, nec sumendi potum & cibum per modum sacramenti, quod verum sacramentum non est; nec dandi alijs occasionẽ adorandi merum panem & vinum. Sed quæres, quid agẽdũ sit, quando sacerdos non iudicat quidem positiue, se aliquid de forma omisisse, tamen non recordatur dixisse, & consequẽter dubitat negatiue, an dixerit. Respondetur, quod non recordetur dixisse, nil referre, nec propter eam solam causam quicquam repetendum esse (quod, non solum in hoc negotio, sed in quacunque recitatione officij Ecclesiastici, obseruandum est) quia præterita actio facillimè ẽ memoria labitur, quando cum ipsa actione nõ coniungitur actualis reflexio, & consideratio illius: nã ex hac actuali consideratione nascitur memoria. Si autem cum illa obliuione cõiunguntur aliqua indicia, & rationes probabiles dubitandi, an aliquid substantiale omiserit, tunc pro ratione dubitationis agere debet: quanquam D. Thom. hic ad 5. solum dicit, si certificetur, aliquid substantiale in forma omisisse, tunc esse iterandam formam: hoc enim est moraliter verum nam qui bona fide & mediocri diligentia hoc ministerium facit etiam si non recordetur, omnia dixisse, non potest habere probabilem rationem dubitandi, quod ea dixerit, nisi etiam habeat motiuum aliquod sufficiens ad probabiliter iudicandum, se aliquid omisisse. Si tamen re vera accideret dubiũ ex vtraque parte sufficiens, tunc iteranda esset forma, saltẽ sub conditione, mente concepta: quia hoc modo, & collitur dubium, & periculum iterandi consecrationem super materiam consecratam.

Quædã documẽta traduntur. *Quæsito satisfit.* *D. Thom.*

Sed quæres tandẽ circa hoc, quæ nam verba sint in huiusmodi casibus repetenda; autores enim variè loquuntur. Angelus sentit, primam oblationem & orationes sequentes esse repetendas, quando deficit debita materia, Palud. à principio canonis vult repetitionem fieri: Scotus, si cõsecrtio panis iteranda sit repetendum esse ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur*, si vero sola consecratio calicis, ab illis, *Simili modo posteà quam cœnatum est*, ipse enim putat, hæc omnia verba esse necessaria, vt consecratio fiat; & hic modus repetitionis ponitur etiam in Missali:

Aliud quæsitum. *Angel.* *Palud.* *Scotus.*

sali; &, si cõmode fieri potest, est aptior propter expressiorẽ Christi cõmemorationẽ, & repræsentationẽ, tamẽ simpliciter nõ est necessarius: quia sola verba formæ sufficiũt ad cõficiẽdũ sacramẽtũ, & ita illa sola satis erit repetere, dũmodo in forma sanguinis cõprehẽdãtur omnia verba, quæ communiter proferũtur & proponũtur per modũ formę. Vnde in missali Romano, in defectibus formæ dicitur, si aliquid in forma fuerit omissum, quod si de necessitate sacramenti, formam esse iterandã, si autẽ, quod omissum est, nõ sit de necessitate sacramenti, nõ oportere illud resumere: ergo: quãuis omissa sint essentialia, & aliqua accidentalia, sufficiet, essentialia repetere, & multo magis si accidentalia prolata sint sine essentialibus, vel sine efficacia eorũ, ex defectu materiæ, vel intentionis, sufficiet essentialia verba repetere.

Secunda regula.

Secunda regula sit, Si post cõsecrationẽ ritè factã accidat vel inueniatur defectus, sumptionẽ impediẽs curandũ est, vt tollatur, & sacramentũ consumatur quod si id fieri non possit, necessarium regulariter erit consecrationem repetere, & supplere quod defuerat. Hæc regula declarabitur melius nonnullis exemplis, in particulari adductis: & primũ suppono, per se loquendo, teneri sacerdotem ad cõsumendã vtranq; speciem sacramẽti, nã, vel id est de substantia sacrificij, vel ita pertinens ad perfectionem eius, vt de iure diuino præceptum sit, sicut est suprà ostensum. Vnde sequitur, si sacerdos præuideat, esse in materia aliquid, quod impediat sumptionẽ, vel ob aliquam causam fore impediendã, non debere, neq; licere illi, sacrificiũ inchoare, aut sacramentum conficere: quia exponit se periculo morali non perficiendi sacrificiũ iuxta ritum & modum à Christo institutum. Potest autem vsrijs modis fieri vt post consecrationẽ tale impedimentum accidat, vel agnoscatur. Primò, si, verbi gratia, materię panis aut vini venenum admistum sit, & tunc non sunt sumendæ species consecratę ex omnium sententia; quia sacramentũ vitæ non est cũ periculo mortis sumendũ. Sed tunc est dubiũ, quid sit agendũ, tam circa illas species consecratas, quàm circa sacrificiũ. De priori parte. Dicendum est illas species esse seruandas, donec corrumpantur, vel exsiccentur, & postea in sacram piscinam proijciendæ sunt; iam enim Christus ibi nõ adest, & illæ vel physicè, vel saltẽ moraliter, omnino immutatę sunt. Additur vero in Missali Romano, si fuerint species vini, in pãno lineo vel stuppa esse imbibẽdas, & pãnũ seruandum donec, deficcetur, & comburatur: & ita sunt corrigẽdi vel interpretandi Palud. d. 9. q. 1. in fine, & Syluest. Euch. 1. q. 9. §. 3. & alij Sũmistæ, dũ dicunt, esse sacrilegium, huiusmodi species cõbuirere: hoc enim est verũ, quãdiu sub illis intelligitur perseuerare Christus; de quo legi etiã potest Altisio. lib. 4. Sũm. tract. 5. c. 3. & Soto hic de posteriori parte, quidã dicũt in huiusmodi casu, etiã si solus sanguis, v. g. cõsumi nõ possit: vtrãq; speciẽ esse iterum consecrandã, & sumendam. Ita Palud. d. 11. q. 1. ar. 1. concl. 5. & Syluest. Euch. 1. q. 9. idem affirmat, quando defectus deprehenditur post consumptam hostiam; & idẽ dicit Victor. in summ. dub. 101. de Euch. putãt enim eandem esse rationem de hoc casu & de illo in quo inuenitur in calice materia inepta ad consecrationem. Sed re uera non est eadẽ ratio. Vnde etiam si in illo casu oporteret, vtramque speciem consecrare, hic non esset necessarium: qnia verus Christi sanguis fuit in calice, toto tempore sacrificij post consecrationem: vnde rite, & conuenienti ordine peracta sunt omnia, quæ post consecrationem super oblata dicuntur: solumq; superest supplendum, quod ad integram sumptionem est necessarium: solùm autem deest illa species, quæ sumi non potest: satis ergo erit, illam consecrare, siue altera sumpta sit, quando sentitur defectus, siue non: & ita sentit apertè D. Th. hic ad. 3. & Soto, distin. 13. q. 1. ar. 4. ad. 3. & 4. & q. 2. ar. 6. ad. 3.

Palud. *Syluest.* *Altisiod.* *Soto.* *Victor.* *D. Thom.* *Soto.*

Secundò.

Secundo potest accidere, vt post consecrationem animal aliquod in sanguinem cadat; & tunc, si sacerdos potest sine graui detrimento, & sine periculo vomitus totum sumere, id erit optimum consilium: imò ita est omnino faciendum, propter reuerentiam sacramenti, & perfectionem sacrificij, si absque magna difficultate fieri potest. Si verò sine incommodo hoc fieri nõ potest, primùm extrahatur animal, & fiat, quod D. Thomas docet in art. ad. 3. Deinde, si animal fuerit venenosum, & consequẽter timeatur, venenum manere calici immistũ, fiat, quod in præcedente casu dictum est. Si verò in calice nullũ relinquitur venenum, sumendus est, nisi sacerdos horrorem sentiat, & timeat periculum vomitus: tũc enim non debet sumi propter reuerentiam sacramẽti: tũc autem, vel sumendus erit sanguis ab alio sacerdote, iuxta dicenda statim regula sequente; vel cõsecrãdus erit alius sanguis, & ab eodẽ secerdote sumẽdus, ne sacrificiũ imperfectũ maneat: alius verò calix cõseruãdus erit, donec, vel ab alio sacerdote, qui vomitũ nõ timeat, cõsumi possit, vel certe naturaliter corrumpatur, iuxta dicta in puncto præcedente.

Tertiò.

Tertio accidere potest, vt post consecrationẽ calix congeletur; & tunc facile est remedium, debet enim extrinsecùs calor adhiberi, prout commodè fieri possit, donec liquefiat, ita vt sumi possit. Quòd si fingatur casus, in quo tale remedium adhiberi nõ possit certe in eo casu neq; inuenietur vinum non congelatum, quod consecrari & sumi possit; maximè, quia saltem poterit digitis comminui, & in particulas redigi vt sumi possit.

Quartò.

Quartò accidere potest, vt post consecrationem hostium incursus timeatur, priusquàm consumi possit sacramentum; etenim, si ante consecrationem tale periculum timeatur, certum est, non esse consecrationem faciendam, etiam si Missa sit inchoata, tum propter reuerentiam sacramenti & sacrificij, tum propter periculum mortis vitandum. At verò, si iam sit facta consecratio, nulla ratione debet sacerdos propter periculum mortis fugere, sacrificio imperfecto, & sacramẽto in manibus hostium relicto, maximè, si infideles sint, & irreuerentia sacramenti timeatur; potest tamen, si necessarium fuerit, accelerare sumptionem sacramenti, prætermissis intermedijs; nam, cùm hæ sint tantùm de iure Ecclesiastico, & sine irreuerentia & mutilatione sacrificij omitti possint, non obligant cum tãto rigore; quod intelligitur, per se loquendo, id est, secluso scandalo, vel alia iniuria aut infamia Christianæ religionis, iuxta generalia principia materiæ de legibus.

Quintò.

Quintò potest accidere, vt hostia consecrata dispareat miraculosè, aut certè, quòd in ea appareat caro aut sanguis, ita vt sumi nõ possit, iuxta suprà tractata, quæst. 76. art. 8. & quæ D. Thomas docet. q. 82. art. 4. ad 3. & idẽ accidere potest in specie sanguinis. Et in hoc casu in Missali Roman. simpliciter dicitur, quando miraculosè hostia disparet, iterum esse consecaandam. Vnde videtur, idem esse dicendũ, quotiescunque, propter apparens in ea miraculum, sumi

Universidad de Deusto Biblioteca

D.Thom. Aduertēdū.

sumi non potest: est enim eadem omnino ratio. At verò. D.Tho. citato loco solum dicit, *cōsulendū esset sacerdoti in eo casu, quod iterato corpus & sanguinem Domini consecraret, & sumeret.* Sed in primis, quòd D. Tho. vtrāq; speciē copulatiue coniungit, intelligēdum est, vel quando in vtraque specie tale miraculū accidit, vel distributione accōmoda, scilicet vt hostia iterū cōsecretur & sumatur, quando in illa acciderit miraculū; & sanguis similiter quādo in illo euenerit. Deinde dicens D. Tho. hoc esse consulēdum, sentit: non esse praeceptum vt dict. loco notaui. Vnde videtur aliter sentire de hoc casu, qui supernaturaliter accidit, quā de alijs qui humano modo contingunt quia ea, quae miraculose fiunt, legibus non subduntur; at vero regula Missalis eodē modo loquitur de casu miraculoso, vel naturali. Nec deest probabilis ratio; quia licet per miraculū tollatur obligatio circa id quod, illo supposito cōmode fieri nō potest: quale esset, sumere hostiā in specie carnis apparentē tamē nō tollit obligationē faciendi id, quod cōmode fieri potest ad implendū praeceptū, non obstante miraculo. Potest autē commodè & facilè alia hostia consecrari & sumi, ad perficiendum sacrificiū; cur ergo tolletur haec obligatio propter miraculū? Vel certe, si non est praeceptū perficiendi sacramentū hoc modo, in hoc casu, neq; etiā erit in alijs euētibus cōtingentibus, sed generaliter dicemus, praeceptum solū obligare ad cōsumendū sacramētū in ipsa sacrificatione cōsecratū: quod si id, quocunq; casu fieri nō possit, cessat obligatio, quia lex non obligat ad impossibile: quod autē noua cōsecratio & consumptio facienda sit, non videtur intrinsece ex praedicta lege inferri, sed ad summū, erit consiliū: & ita posset secūdus casus supra numeratus explicari, seu limitari iuxta praecedentē doctrinā D. Tho. de casu praesente, qui discursus nō videtur sane omnino improbabilis. Sed quia. D. Tho. diuerso modo in vno, & alio casu loquitur, & quia autores cōmuniter significāt: in secundo casu suprà posito, & in alio quem statim tractabimus, esse praeceptum iterandi cōsecrationem, & perficiendi sumptionē, ideò in illis casibus, hoc est, tanquā securius, sequēdū: in casu autem miraculoso, vel potest probabiliter idem consequenter dici; vel propter autoritatē D. Tho. responderi, Deū, miraculosè trāsmutando sacramentum, tacitè acccepta re illā vt sufficientem consumptionē sacramenti, & auferre obligationem iterum consecrādi, vel potius casum illum, cū sit extra ordinem naturae, nullo modo esse sub lege comprehensum.

Pius Pap.

Sextò euenire potest, vt sanguinis omnino effūdatur, & ideo à sacerdote sumi nō possit: idēq; erit, si hostia à vento valido rapiatur, ita vt omnino dispareat, aut si à mure comedatur. In quo casu duo videnda sunt, primum, quin remedij adhibendum sit sacrificiū, secundum, quid sit agendum circa sacramentum: circa primum, res est facilis ex dictis, nam, si post effusionem aliquid mansit in calice, quod sumi possit etiam si sit minima quaedam pars specierū sacramentalium, illud sufficiet ad perfectionem sacrificij, neque oportebit, aliquid iterari: quia sub qualibet minima parte specierum est totus Christus; & idem est in illo casu, quo hostia consecrata à mure corroditur: nam, si aliquid eius tolli posset, & consumi à sacerdote, id etiam sufficiet, quia iam vere comedit totum corpus, & bibit totum sanguinem Christi: si verò totum sacramentum effundatur, seu dispareat, iteranda est consecratio circa talem speciē, iuxta dicta in secundo & quinto casu. Circa secūdū, quādo hostia omnino rapitur, & disparet, nullum remedium adhiberi potest, cùm iam non subiaceat sensibus, vel facultati humanae: quando verò ab animali rapitur, si pars sacramenti haberi potest, consumenda est, iuxta modum positum in secūdo casu; de ipso verò animali additur in Missali, q. 9, si haberi potest, interficiatur & comburatur, & cineres eius in piscinam sacram proijciantur; quidam verò Summistae cum Palud. d. 9. q. 1. in fine, addunt prius esse aperiendum animal, & sacramentum extrahendum. Sed hoc non sine causa praetermissum est in Missali: quia nec, moraliter loquendo: fieri potest, quia, cùm dentibus prius conteratur, & alijs humoribus misceatur, quomodò poterit discerni aut extrahi? Nec videtur pertinere ad decentiam sacramenti, sed maiorem quandam indecentiam prae se ferre videtur. Quādo verò sanguis effunditur, quid agendum sit, statutum est à Pio Papa in cap. Si per negligentiā. de Cōsecr. d. 2. & explicatur à D. Thoma, hic in solut. ad. 7. Aut ergo effusio est vsque ad terram, aut tantùm super altare. Rursus, quando cadit in terram, vel super tabulam, vel immediatè in terram ipsam, *quando super tabulam*, ait Pontifex, *lingua lambetur, & tabula radetur*. Idem autem intelligendum censeo, si cadat super tapetem, vel quamlibet aliam rem similem, qua terra cooperiatur: nam est omniū eadem ratio. Imò additur in Missali Romano, tunc partem tapetis, in qua cecidit sanguis, abscindendam esse, & comburendam, & cineres in sacrarium immittendos, quando verò immediate cadit in terram, non praecipitur lambi in eo textu; & ideò nō est necesse id fieri; solum ergo est accuratè obseruandum, ne locus ille conculcetur priùs, quā bene corradatur, vt in illo textu praecipitur. Additur verò ibi, rasuras esse igne consumendas, & cineres intrà altare recondendos. In Missali vero Pij Quinti dicitur, *iuxta altare*, Sed pro hoc Doctores intelligunt, sacram piscinam, seu locum in Ecclesia specialiter ad haec munera deputatum. Quando vero sanguis cadit super altare, aut tantùm attingit linteum altaris vnum, vel plura *& tunc* (ait Pontifex (*linteamina, quae tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice supposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur*. Vbi per ministrum intelligo sacerdotem ipsum: quia nulli alteri licet, sanguinē Domini proximè attingere. Quod autem dicitur *& sumat lotionem illam*, non intelligitur, quod bibat illā: non enim ad hoc obligatur; quanuis, si id velit facere rectè faciet, sed intelligitur, quod accipiat & reponat iuxta altare, seu in piscina sacra, vt explicatū est. Et in Missali Romano extenditur hoc ad vestes sacerdotales; & aliunde limitatur ad corporale, seu (vt opinor) ad pallas benedictas, de quibus eadem ratio est, quae de vestibus sacerdotalibus, nā de alijs linteaminibus additur, post ablutionem, partem intinctam esse abscindendam, & comburendam; & cineres in sacrario reponendos. Aut denique stilla sanguinis penetrat vsque ad altare ipsum, *& tunc solum*, ait Pontifex, *sorbeat minister stillam*, id est, lambat, seu sumat & purificet, vt potuerit. Hic autem nihil additur de radendo altari: vnde intelligo, sermonem esse de ipsa ara, seu altari consecrato: propter hanc enim causam non precipitur radi; & ita in Missali Roman. vocatur, *lapis altaris*. Quocirca, si extra altare consecratum cadat sanguis in reliquam partem altaris, illam censeo esse radendam, sicut dictū est

D.Thom. Palud. Scoto. Syluest. Nauar.

est, quādo cadit in terram. Additur vero, vt locus bene abluatur, & ablutio in sacrariū proijciatur: notat autē Palud. d. 9. q. 1. in fine; & d. 11. q. 1. art. 1. in fine, posse in eo casu lambi sanguinem, etiā à nō ieiuno, propter reuerentiam sacramenti, quando nō adest ieiunus, à quo lambi possit: secus vero esset de particula corporis: nam illa seruari potest in alium diem. Atq; hinc obiter constat, quid agendum sit, quando hostia consecrata cadit in terram, mappam aut linteum: est enim eadem diligentia & cautio, seruata proportione, adhibenda, vt etiam in Missali Romano ferè annotatur. Poenae autem, quae in illo textu ponuntur, & hic explicantur à D. Thom. iam non sunt in vsu, & ita in Missali omittuntur: sunt ergo imponendae arbitrio superioris, consideratis circunstantijs. Tamen, donec aliqua poena imponatur, sacerdos nullam subire tenetur, nisi ad satisfaciendum Deo, si quid in hoc peccauit. Caetera de hac re legi possunt in Palud. supra, Sot. d. 13. q. 2. ar. 6. ad 7. Sylu. verb. Eucharistia 2. q. 9. verb. Cōfess. 4. 2. & verb. Poenitentia, q. 6. Nauar. c. 25. nu. 89. Et, iuxta haec, expediendi sunt alij casus, quos D. Tho. & alij autores citatis locis attingunt, scilicet, quid sit agendum, quando Eucharistia euomitur, aut quando putrescit, vel ex ea vermes generantur, aut, quando à mure corroditur; &c.

Regula quædā generalis traditur.

Regula enim generalis est, in his omnibus casibus, si species sacramētales integrae vel in aliqua particula haberi possint, reuerenter seruandas esse, vel cōsumēdas: quia sub eis manet Christus, ea vero, quae tales species contigerunt, vel comburenda sunt, vel purificanda, iuxta modū supra declaratū. Imponuntur autem in iure aliquae poenae ijs, ob quorum negligentiam huiusmodi casus, seu defectus accidūt, vt videre licet in c. Si per ebrietatem, & c. Qui bene. de Consec. d. 2. & c. 1. de Custod Euc. Sed, vt dixi nulla poena est, vel censura ipso iure lata, & iam prudenti arbitrio iudicis committitur.

3. Regula. Tolet. 7. D.Thom. Soto. Syluest. Palud. Nauar.

Tertia regula sit, Quando hic defectus substantialis non potest ab eodem sacerdote suppleri, id debet fieri per alium. Ita habetur in c. Nihil 7. q. 1. ex Conc. Tolet. 7. c. 1. & docet D. Tho. hic ad primū. Sot. hic, Sylu. verb. Euch. 1. q. 8. verb. Miss. 1. q. 2. Palud. d. 8. q. 3. Nau. c. 25. n. 87. & alij Summistae. Et declaratur breuiter: vt enim haec necessitas contingat, in primis necessarium est, vt sacerdos nō solum inchoauerit Missam, sed etiam aliquam speciē consecrauerit, quia, si ante consecrationē moriatur, verbi gratia, non est necesse, vt Missa per alium sacerdotem finiatur: quia, cum non sit sacrificiū substantialiter inchoatum, nullus ibi interuenit substātialis defectus supplēdus: nec manebit sacrificium imperfectum, etiam si non perficiatur: quia proprie & vere nondum erat inchoatum. Deinde necesse est, vt sacerdos, qui sacrificium inchoauit, non possit illud perficere, scilicet, quia vel morte, vel aegritudine subita ita impeditur, vt progredi non possit: quia, si ipse per se illud possit perficere, non potest illud inchoatum relinquere sine grandi sacrilegio, vt in citato textu dicitur, & ex dictis satis constat. Quando verò haec duo cōcurrunt, vt sacrificiū sit ab vno substantialiter inchoatum, & ab illo perfici & consumi nō possit, defectus est per alium sacerdotem supplendus. Itaq;, si alter vtramq; speciē consecrauit, & vnam tantum consumpsit, alter debet alteram sumere; si vero prior neutram sumpsit, debet alius vtramq; sumere. Si autem prior hostiā tantum consecrauit, dicunt quidam, debere alium sacerdotem vtramque speciē iterū consecrare, & postea simul consumere cū alia hostia, per priorem sacerdotē consecrata.

Innocent. D.Thom. Soto.

Ita sentit Innoc. lib. 4. de Mysterijs Missae, capit. 22. qui in hoc fundari videtur, quod dubium esse existimat, an consecratio vnius speciei, sine alia, facta teneat. Sed in hoc nulla est dubitandi ratio, vt supra visum est, & ideo non est dubiū, quin in eo casu sufficiat, vt alius sacerdos alterā tantū speciē consecret, & vtrāq; sumat, quod aperte sentit D. Th. in 4. d. 8. q. 2. ar. 4. quāuis ibidē, vt probabilē relinquat opinionē Innoc. Sot. vero, in 4. 13. q. 1. ar. 1. licet vtroq; momo fieri posse dicat, addit tamen consultius esse, non consecrare iterum hostiam, quod ego verum existimo.

D.Thom. Palud. Syluest.

Regula igitur generalis sit, vt alter incipiat, vbi alius desijt, si id sciri possit, si vero id nesciatur, ait D. Th. supra, debere à capite incipere, & idem dicit Palud. supra, concl. 2. Sylu. autē late id declarat, supponit tamen, hoc supplementū fieri posse ante & post consecrationē inchoatam, quod tamen, vt dixi, non est necessarium. Neque existimo, iuxta mentem D. Tho. debere vnquam fieri, propriè loquendo, & per modum supplementi. Itaque, si certum sit, priorem sacerdotē defecisse, ante perfectā consecrationē panis, etiam si verba formae incepisset proferre, dūmodo non absolu[illegible], nō est, quod ministerium illud per alium sacerdotē suppleatur, vt dixi, vnde, si alius velit, illud sacrificium perficere, debet à principio inchoare, & Missam integram dicere; quia, cū nulla sit necessitas componēdi seu integrandi ministeriū illud ex duabus personis, melius est, vt ipse totum officium Missae complerè perficiat, neque oportet (vt quidam putant) vt aliam hostiam, vel vinum offerat: nam, cū priorano fuerint consecrata, possunt iterum offerri, & consecrari: hoc ergo videtur melius magisq; rationi consentaneū, quanuis fortasse, etiam posset sine peccato secūdus inchoare, vbi alius desijt, etiam ante consecrationem, si hoc ei constet: nam, si id ignoret, tunc optime applicatur regula D. Tho. quod à capite incipiat.

Rursus, si certum sit, priorem sacerdotem consecrasse hostiam, & calicem, non autem constet, quid dixerit, aut fecerit eorum, quae post consecrationē sequuntur, à capite incipere debet secundus sacerdos, id est, dicere omnia, quae post cōsecrationem dicuntur, scilicet, ab illa oratione, *Vnde, & memores, Domine*, & eadem proportione, si constet, priorem consecrasse hostiam, & non calicem, sacerdos secūdus incipere debet ab illis verbis, *Simili modo, postea* &c. & quanuis constet, priorem aliqua eorum dixisse, dūmodo non absoluerit totam formam sanguinis, debet secundus sacerdos, vt minimum, dicere omnia verba formae, & melius faciet, inchoādo ab illis, *Simili modo, postea quam coenatum est*: quia in hoc nihil est periculi, vel incōmodi; & alioqui Christi repraesentatio & commemoratio expressius fit.

Si deniq; non constet, an prior sacerdos consecrationem hostiae absoluerit, & res dubia sit, debet posterior incipere à capite canonis, vt certum sacrificium, & integrum conueniente modo possit efficere: quia vero dubium esse supponitur, an talis hostia sit consecrata, vel sub conditione, saltem mēte concepta, eam iterum consecret, vel (quod melius erit) adhibeat aliam hostiam, & post consumptum sacrificium, priorem etiam sumat. Sed quid, si non

Universidad de Deusto Biblioteca

Necessitatis perficiendi sacrificiũ maior est, quã ieiuni cõmunicandi.

ad est Sacerdos ieiunus, vel, si sit in peccato? Respõdetur, etiam si nõ sit ieiunus, posse sacrificium absoluere; quia necessitas perficiendi sacrificium, maior est, quam ieiuni cõmunicandi, vt supra in simili dicebamus, & hic Soto affirmat. Quod vero ad statum peccati atttinet, facile respõdetur, posse bene disponi, saltẽ per contritionem, si non sit illi copia confessoris. Sed quæres rursus, an teneatur sacerdos ad perficiendum hoc modo sacrificium, quod alter inchoatum reliquit. Sot. enim dubius esse videtur, & tandẽ sentit, non teneri nisi ex accidente ob scãdalum, nam in prædicto Conc. & c. solum dicitur, *Censuimus cõuenire, vt in eo casu sit liberũ alteri Episcopo, vel presbytero, consecrationẽ exequi officij cœpti.* Nauar. dict. n. 88. sentit teneri, & hoc videtur magis consentaneum orationi, quia ad munus Sacerdotis pertinet, vt sacrificium non maneat imperfectum, quantum in ipso est, ad hoc suum officium exhibere, etiam propter reuerentiam tanti sacramenti, neque vox illa, *liberum sit*, in prædicto textu sumitur in sensu contrario, sed idem significat, quod hoc esse in facultate & potestati sacerdotis, qui potest cũ alio veluti vnus minister reputari. Atq; hinc tandẽ infertur, hoc ministerium non posse per aliũ, quam per sacerdotẽ, suppleri, quia nullus alius potest esse huius sacrificij minister. Quapropter, si sacerdos non adsit, non oportebit, sacramentum ab alio consumi, sed reuerenter seruandum erit; vel, adsit, qui illud reuerenter sumere posit, id fieri licebit, non ad complendum sacrificium, sed ad reuerenter tractandum sacramẽtum. An vero in eo casu possit laicus sumere sanguinem, si timeatur, non posse reuerenter, aut sine corruptione conseruari, dixi supra, tractando de cõmunione sub vtraque specie.

Soto. *Nauar.*

SECTIO II.

Quomodo accidentales defectus huius sacrificij cauendi sint, vel supplendi.

Defectus huius sacrificij in quibus rebus reperiantur.

HI defectus possunt considerari, vel in materia aut forma cõsecrationis, vel in sumptione ipsa, vel in alijs accidẽtalibus ceremonijs aut in verbis, seu precibus, quæ in Missa dicuntur. De quibus omnibus duo in genere dicere possum⁹ quæ in superioribus tacta sunt. Primum est, debere sacerdotẽ, moralẽ diligentiã adhibere, vt omnes huiusmodi defectus caueat, atq; præueniat. Hoc constat, quia tenet perfectè ac integrè exequi hoc ministeriũ: ergo & cauere defectus omnes: hæc enim duo necessario se consequũtur, vel sunt potius moraliter idẽ. Vnde fit, in tantũ teneri, præcauere huiusmodi defectus, in quantũ moraliter potest, nam si interdum fortasse non possit defectum euitare, nisi omittendo totum Missæ officium, tunc nõ possumus generalẽ regulã tradere, quod teneatur potius Missam omittere, quam cũ tali defectu eam dicere: quanuis enim hoc verum sit, quando defectus est in re vel ceremonia, aut circunstantia graui, tamẽ, si defectus sit in re leui aut non omnino necessaria, & vitari non possit, permitti interdum potest ne sacrũ ommittatur: & tunc ille nõ est censendus moralis defectus, cũ nõ sit voluntarius, sed erit quasi naturalis: horũ autẽ omnium exempla in superioribus tacta sunt, & aliqua statim insinuabimus.

1. Conclu. *Notandum.*

2. Concl.

Secundo in genere dici potest, defectus accidentales, postquã iã cõmissi sunt, regulariter loquẽdo, non esse supplendos, iterando aliquid, vel præpostero ordine dicendo, aut faciendo, quod prius efficiendum erat: hoc insinuatur sæpè in regulis Missalis, & sumi etiam potest ex dictis, tam sect. præced. quam in sect. vlt. disput. præcedentis. Ratio vero in genere est, quia, cum hæc non sint de substantia sacrificij, non oportet illa iterare propter sacrificij perfectionem, & alioqui, quando non dicuntur suo loco, ac tẽpore, & debito ordine, non conferunt ad decorẽ, & splendorem huius officij, vel ad significationem, propterquam sunt instituta. Ac deniq; magis perturbat illa repetitio, quã ad reuerentiã sacrificij iuuet, & interdum etiã potest scandalum generare. Dixi autem, *regulariter*, quia, si in aliquo casu aliud esset statutum, illud esset seruandum. Item, si aliquando tã parua esset mora, vt sine incõmodo posset fieri repetitio, tũc suppleri posset defectus. Quæ omnia intelligentur melius, applicando illa breuiter in particulari ad capita supra numerata.

Primo.

Primo igitur in materia defectus accidẽtalis erit & valde grauis, si panis sit fermentatus; vel, si vino non misceatur aqua; & hic omnino præcauendus est ante consecrationem; post cõsecrationem vero suppleri nullo modo potest, vt supra dictũ est: solũ ergo potest per pœnitentiam emendari. Leuior autem defectus erit, si hostia non sit omnino integra aut, si maculam aliquam habeat; aut, si vinum sit aliquantulum acidum, ita tamẽ, vt certum sit, esse verum vinum. Et in his casibus, si à principio Missæ præuideatur defectus, & vitari non possit, quia nõ potest haberi alia materia, tolerari sæpè potest, si nõ sit tanta deformitas, vt scãdalum generet, vel irreuerentiam præ se ferat. Et eadem ratione, si talis defectus præuideatur post factã primã oblationẽ, dissimulandus est, & vsq; ad finem Missæ progrediendũ, secluso scandalo: ante oblationẽ vero, vel etiam post illam, si scandalum vel irreuerentia intercedat mutari debet hostia vel vinum: si vero iam consecratio est facta cum illo defectu, nihil est, quod suppleatur, sed solum est prudenter curandum, vt defectus tegatur, vt sine scandalo res fiat.

Regula quædã obseruãda circa leuiores defectus.

Secundo, in sumptione nõ potest esse propriè defectus in substantia eius, nisi fortè quis vocet sumptionem defectuosam, quando non tota hostia cõsecrata, vel totus sanguis cõsumitur. Sed in hoc proprie & formaliter non est defectus, quia in quacunque parte specierũ totus Christus sumitur. Itẽ, ex causa rationabili potest sacerdos, si distinctã formulã non posuit ad cõmunicandũ aliũ, reseruare particulã hostiæ ad cõmunicandum illum, vt notat Palud. in 4. d. 12. q. 1. ar. 5. concl. 2. Sylu. Euch. 2. q. 10. §. 7. & Euch. 3. q. 15. quia non tenetur sacerdos consumere totã quantitatẽ specierum, quam consecrat, vt patet, quando offert, & consecrat duas hostias. Imo, vt notat Palud. cum olim; seruabatur tertia pars hostiæ, vsq; ad finẽ Missæ, videbatur reseruari ad cõmunicandum alios, c. Trifor. de Consec. d. 2. Solum ergo potest in sumptione esse defectus, vel in ceremonijs, aut verbis, quæ in illa fieri solẽt, de quibus eadem est ratio, quæ de cæteris ceremonijs, neq; aliquid occurrit specialiter dicẽdum, vel potest hic defectus fingi in dispositione sumentis: quia scilicet, recordatur, se non esse ieiunum, aut esse excõmunicatum, vel in aliquo peccato, quod nõ est confessus, quem casum attigit D. Thom. hic ad secũdum, & de illo multa in superioribus diximus summa omnium est, in eo casu, si cõsecratio iam fit facta tolerandum esse defectum, & per pœnitentiã

Palud. Sylu.

supplendũ, quantũ secundũ præsentẽ statũ cõmodè fieri possit: imo probabile est, idẽ etiã fieri posse ante consecrationẽ, si iã Missa sit inchoata: quãuis tunc etiã possit, propter vitãdum talẽ defectũ, Missa omitti, vt D. Tho. dicit. In eo vero casu, in quo peccati confessio fuit omissa, tenebitur sacerdos, quam primum possit, cõfiteri: quia ita est ab Ecclesia specialiter statutum, vt supra visum est.

Tertio in accidentalibus ceremonijs, atq; etiam in verbis, potest aliquid omitti propter obliuionẽ, de quo iã supra diximus, quomodo non oporteat, illud repetere aut iterare, quãdo iã cõmisso defectu & interpositis alijs actionibus aut verbis, recordatur sacerdos defectus cõmissi. Quod vero attinet ad præcauendos huiusmodi defectus, moraliter loquendo, semper id fieri potest, nisi inaduertẽtia aut aliquid simile intercedat. Specialiter tamen tangit D. Th. hic ad 6. casum, in quo contingit, hostiã elabi de manibus sacerdotis intra calicẽ, ita vt ob eam causam frangi nõ possit; & rectè respõdet, illũ esse accidentalẽ defectũ; & ideo, licet prætermittatur, nihil propterea esse iterãdũ, sed sacrificiũ esse consumandũ; idẽ ergo est in similibus obseruandum.

DISPVT. LXXXVI.

De iusto Missæ stipendio, & pro quo sit Missa ex obligatione dicenda.

HAEc sola superest disputatio, pertinẽs ad obligationes sacerdotũ in hoc ministerio sacrificandi: hactenus enim diximus, tã de obligatione sacrificãdi, quoad exercitũ actus (vt si dicam) quã de ijs, quæ seruare debent in modo sacrificandi: restat ergo dicendũ, pro quo aut quibus sacrificare teneãtur; & quia hæc obligatio frequenter oritur ex stipendio accepto, simul etiã declarabimus, quæ sint iusta Missarũ stipendia. Nõ oportet autẽ inquirere quid sit offerẽdum in hoc sacrificio, vel cui sit offerendum: nã hęc partim ex ipsa institutione, partim iure ipso naturali definita sunt, & de eis in superioribus est dictũ. At vero is, pro quo sacrificium est offerendũ, neq; ex institutione, neq; ex natura rei est in particulari definitus; sed voluntati & iudicio sacerdotis cõmissum hoc est, vt supra vidimus. Potest autẽ sacerdos varijs modis obligari ad sacrificiũ pro aliquo offerendũ, scilicet, ex obedientia, caritate, ex voto, aut promissione simplici, aut ex iustitia & pacto. De prioribus autẽ obligationibus nihil occurrit hoc loco specialiter dicẽdũ: quia nihil habent magis speciale in hac materia, quã in alijs. Itaq; certũ est, posse superiorem, qui iurisdictionẽ habet, præcipere subdito sacerdoti, vt Missam pro aliquo offerat: tũc ergo, si præceptum ex iusta causa sit, vt supponimus, obligabitur subditur, saltem ex obedientia, ad ita offerendũ. At vero ex caritate rarissimè occurret hæc obligatio, quia non est de re simpliciter necessaria ad salutẽ proximi: nam, licet interdũ caritas obligare possit ad orandum pro alijs, præsertim pro cõmuni bono, tamẽ, quod hoc fiat, etiam adiungendo sacrificium orationi, & pro hac speciali intentione illud offerendo, vix potest casus excogitari, in quo sola caritas ad hoc obliget quãuis interdũ maxime inclinet: tanta vero posset interdũ esse necessitas, vt aliqua ex illa oriatur obligatio. Regulariter autem solum obligat caritas, vt nemine excludamus à generali oblatione huius sacrificij, quæ pro Ecclesia fit, nisi sit ab ipsa Ecclesia exclusus seu præcisus: quia, & hoc esset signum quoddã odij, & præterea est contra intentionẽ Ecclesiæ, quæ pro omnibus vult offerri illa generali oblatione. Deinde constat, etiã ex voto posse aliquẽ obligari ad Missam pro aliquo dicendã: nã, cũ sit opus religionis & pietatis, potest esse materia voti; & cũ res sit grauis, tale votum in rigore & sub culpa mortali obligabit. Eadẽq; ratio est de ꝓmissione humana, seu homini facta: ita enim in hac materia obligationẽ inducit, sicut in alijs. Solum est pro cõmuni vsu obseruandum, non semper fieri promissionẽ, quando vnus alteri dicit, se Missam ꝓ illo esse oblaturum, nã sæpè tantum est simplex declaratio animi, & propositi, quod tunc habet, sine intentione se obligandi ad non mutandum illud, sed omnino implendum; & tunc non manet rigorosa obligatio, sed solum ex quadã decentia, vt sine graui causa animus non mutetur. Cæteris ergo obligationibus omissis, solum illa, quæ ad iustitiam pertinet, nonnullam difficultatem habet.

Potest sacerdos varijs modis obligari ad sacrificium pro aliquo offerendum.

SECTIO I.

Quando sacerdos teneatur ex iustitia ad sacrificium pro aliquo offerendum.

Obligatio ad sacrificandũ ex iustitia pro alio, duobus modis oriri potest.

DVobus modis potest huiusmodi obligatio oriri: primo ex beneficio aliquo, adhoc specialiter instituto, Secundo ex peculiari stipendio propter hanc causam dato: non enim potest alio modo intelligi, quod oriatur hæc obligatio ex iustitia cõmutatiua, de qua nunc agimus: vterq; autẽ ille modus est in Ecclesia vsitatus: nã cõstat, esse plures Capellanias ad hoc specialiter institutas, vt sacerdos certis diebus Missas pro tali intentione faciat: sunt etiã in Ecclesijs anniuersaria, & c. Ex quibus sine dubio oritur obligatio ex iustitia: quia beneficium datur ratione officij, & stipendium propter actionẽ. Similiter constat, præter has generales & veluti stabiles institutiones, esse in Ecclesia vsitatum, vt sacerdotibus dentur priuata stipendia, vt semel aut pluries pro elargientibus, vel eorum intentione, sacrificent, qui sacerdotes ob acceptum stipendium ex iustitia obligantur ad id faciendum, vt omnes Doctores statim citãdi docẽt. Et constat primo ex intentione dantium, & recipientium huiusmodi stipendium: nã, & qui dant, intendunt obligare alios ad illud munus exequendum, iuxta cõdictum modum, & similiter, qui recipiunt acceptant hanc obligationẽ: interuenit ergo ibi vera ratio iustitiæ, fundata in mutuo consensu vtrinque oneroso; qui explicatur illis verbis, *Do vt facias*, hic autẽ est titulus iustitiæ. Itẽ, qui dat stipendium, tenetur ex iustitia soluere illud, vt, si fortasse prius promisit, & sacerdos ea spe Missã dixit, tenetur, qui promisit, ex iustitia soluere: ergo & è contrario, si sacerdos recepit stipendium, tenetur ex iustitia satisfacere ei, qui dedit illud, Missam dicẽdo, iuxta intentionem illius.

Sed circa primum modum in particulari inquiri potest, ex quibus beneficijs, seu Ecclesiasticis redditibus, huiusmodi obligatio ex iustitia oriatur. In quã re primum distinguamus beneficia simplicia à Curatis; & de simplicibus quidem regula generalis sit, attendendam esse eorum institutionem, & finem: nam, quæ ex institutione sua hanc obligationem imponunt, quia ad hunc finem sunt directè instituta, huiusmodi inducunt obligatio-

De simplicibus beneficijs regula generalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem propter rationē factam, & quia hæc est voluntas eorū, qui huiusmodi redditus Ecclesię tribuūt & sub hac conditione onerosa, illos tribuunt, & huiusmodi sunt Capellaniæ, & huc etiam reuocantur anniuersaria, & alia huiusmodi. Reliquaverò beneficia simplicia, propter alios fines instituta, quæ huiusmodi onus ex vi suæ institutionis non imponūt expressē, nec de illo sufficienter constat ex consuetudine, aut alia lege vel statuto, non inducunt huiusmodi obligationem. Ratio est clara, quia beneficium datur propter officiū, solum ergo obligat ad illud officium, propter quod datur; sed hæ beneficia nō dantur propter hoc officium dicendi Missam pro hac vel illa intentione, sed propter officiū psallēdi, aut alio modo Ecclesiæ inseruiēdi: ergo nō obligant ad officium offerēdi Missam pro hac vel illa particulari intentione; huiusmodi autem sunt multæ dignitates Ecclesiasticæ, Canonicatus, Portiones, Præstimonia, & alia similia beneficia simplicia. Quin potius, quanuis cum officio seu munere horum beneficiorum interdum coniunctū sit onus cantandi, vel dicendi Missam in tali Ecclesia, tamē per se, & ex vi eorum, non oritur obligatio applicandi illam Missam pro hac; vel illa intentione, ni si aliunde ex peculiari consuetudine aut statuto talis Ecclesiæ hoc constet: quia illa duo sunt valde diuersa, & vnum per se ac directe non sequitur ex alio, vt magis ex sequenti puncto constabit.

Regula quædā specialis.

Soto.

De beneficijs igitur Curatis solet specialiter dubitari, an huiusmodi obligationem inducant. Quidam enim affirmat, Parochos ratione beneficij teneri quotidie ad offerendū sacrificium pro suis ouibus: ita tenet Sot. lib. 9. de iust. q. 3. ar. 1. & in 4. d. 13. q. 2. ar. 4. Ratio ei⁹ est, quia à suis ouibus alitur. Confirmari potest, quia supradictū est, Parochū teneri quotidie ad sacrificādum in sua Ecclesia per se, vel per alium: ergo etiā tenetur pro suis ouibus offerre. Confirmatur secundo, quia Parochus tenetur aliquando pro suis ouibus sacrificare, sed non est maior ratio de vna parte sacrificiorum, quam de alia: ergo tenetur omnia sacrificia sua pro Parochianis offerre. Hæc vero sententia nullum habet suffi ciens fundamentum, & ideo verius est, non habere Parochos huiusmodi obligationem, saltē ad sacrificandū quotidie pro ouibus. Quod tenent Maior. in 4. d. 45. q. 3. dub. 3. Nau. c. 25. n. 104. Cord. lib. 1. Quæstionū q. 4. & probatur, quia talis obligatio nullo iure posit iuo cauetur: quia nec scriptū oste dí potest, nec consuetudine declaratū; nullibi enim talis extat cōsuetudo. Et hoc ipsum satis ostēdit, re vera nullum esse tale præceptū: quia non est verisimile in vniuersa Ecclesia esse cōsuetudinē receptā, Ecclesiæ præcepto contrariā. Præterea non potest colligi hoc præceptū ex institutione & fine taliū beneficiorū, institutа enim sunt ad officium pascēdi animas doctrina; & sacramentorū ministerio, nō vero ad sacrificandū pro illis, nā hoc non est per se necessariū ad animarū regimē, nec pertinet ad alimentū spirituale, quod Pastor suis ouibus præbere debet: ergo talis obligatio nō sequitur ex vi huius beneficij: nā, vt dixi, solū obligat ad officiū, propter q̄ datur. Cōfirmatur ac declaratur primo, nā Episcopus nō tenetur quoridie facere sacrū pro suo Episcopatu; nec Papa pro vniuersa Ecclesia, sed habēt alia pastoralia munera, ratione quorū redditus Ecclesiasticos recipiūt: ergo idē est de Parochis, seruata proportione. Secundo cōfirmatur, nā superior religionis, verbi gratia, subit in omnibus munus Parochi respectu suorū subditorū altiori & perfectiori modo, & tamen non tenetur pro eis quotidie sacrificare: ergo. Argumentū autē Soti solutū est ex dictis, quia, licet Parochi alantur à subditis, tamē habent aliud opus, propter quod digni sunt eo stipendio, neq; enim obligandi sunt ad quodlibet spirituale beneficiū præstandū suis subditis ꝓpter eā causam. Ad primā confirmationē in primis negatur consequentia: nā, vt dixi, aliud est, teneri ad dicendā Missā, vt Parochiani possint eā audire, aliud vero teneri ad offerendū pro ipsis: quāuis enim demus, teneri ad sacrificandū quotidie per se, vel per aliū in sua Parochia, priori titulo, nō tñ inde sequitur, teneri ad offerendū pro subditis: quia hoc est valde diuersum, & nō est per se cōiunctū cū priori. Deinde dicitur ad antecedens, non satis cōstare de illa obligatione; sed solū esse certū, teneri Parochos ad celebrandū, vel efficiēdū, vt in sua Parochia celebretur omnibus diebus, in quibus populus sacrū audire tenetur: quia saltē illis diebus est hoc ministeriū necessariū populo, vt ipse possit obligationē suam implere: parochus autē ex officio tenetur saltē ad omnia præstāda, quæ hoc modo sunt ouibus necessaria. Vnde si Parochus absit, vel non resideat tenetur prouidere, & sufficienter alere aliū, qui hoc munus explere possit. Quod vero pertinet ad obligationē quotidie sacrificandi, cōsulenda sunt, quæ superius diximus, disp. 80. sect. 2. nā ex dictis ibi cōstat, cōmuniter esse hāc obligationē in Parochijs vbi est sufficiens sacerdotū numerus; at vero, vbi solus est Parochus, nō est facile talis obligatio imponenda, maximè cū Conc. Trid. sess. 23. c. 14. de reformatione, hoc attingens, solū dicat, *Curet Episcopus, vt Presbyteri, saltē diebus Dñicis, & festis solēnibus: si antē curam habuerint animarū, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Itaq; in hoc præcipuè est attendenda consuetudo, vel, si quid est in Episcopatu circa hoc statutū. Quod si alicubi esset hæc obligatio quotidie celebrādi, intelligēda esset moraliter & regulariter: quia alias esset on⁹ intolerabile. Nisi fortasse tale sit beneficiū, taliq; cōsuetudo, vt obliget ad prouidendū quotidie Ecclesiæ de sacrificio per se, vel per aliū: tunc enim cū maiori rigore vrgebit talis quotidiana obligatio, vt Panor & alij notant in c. Significatū. de Præbēdis, Sylu. verbo, Mis. 1. q. 7. & Nau. supra, & in hoc etiā consentit Sot. Ad 2. confir. aliqui dicunt, teneri Parochū ad sacrificandū pro suo populo diebus Dñicis & festis. Sed hoc solū videtur colligere ex eo, q̄ illis diebus tenetur sacrificare, quæ tamē illatio non est sufficiens, vt ostēdi, nulla ergo certa regula in hoc dari potest, sed consulenda est consuetudo; aut, si de illa non satis constat, Episcopus deberet aliquid certum in hoc statuere, quod si hoc non faciat, prudenti arbitrio ipsius Parochi relinquendum erit.

Superior religionis subit in omnibus munus Parochi respectu suorū subditorum.

Cōc. Trid.

Soti sententia reijcitur.

Maior.

Nauar.

Cordub.

Panorm.

Sylues.

Nauar.

Soto.

Circa aliū modū prædictæ obligationis ortæ ex priuato stipendio, est specialis difficultas, quia talis obligatio non potest oriri, nisi medio aliquo pacto vel conuentione, sed omnis huiusmodi pactio est iure reprobata, c. Tua nos. de Simonia. c. vl. de Pactis c. Quā piè. 1. q. 2. quia videtur esse simonia ea, cum in ea detur spirituale ꝓ temporali. Vnde D. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. & 3. ad 2. dicit, licere quidem accipere stipendium, dummodo pactum non intercedat, quia alias erit simonia, & in 4. d. 25. q. 3. artic. 2. q. 1. ad

Difficultas specialis.

Obligatio ex caritate ab obligatione ex iustitia quomodo distinguatur.

Cōc. Trid.

D. Thom.

1. ad 4. dicit, pacisci de Missa dicenda, semper esse simoniā. Dicere autē omnia stipendia Missarum, quæ in Ecclesia dantur & recipiuntur, esse simonia ea, impius error esset & intolerabilis, cum vniuersa Ecclesia, eiusq; Pastores huiusmodi consuetudinē approbent, ex illis principijs traditis à Christo, Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*, & à Paulo. 1. ad Cor. 9. *Qui altari deseruit, ex altari viuere debet.*

Lucæ. 10.

1. ad Cor. 9.

Quæ ipsa etiā naturali ratione nitūtur, quia vnusquisq; meretur ali ab eo, cui deseruit, vel in cui⁹ ministerio & officio occupatur: nā hoc maximè necessariū est ad vitā transigendā: ergo, cū præcipuum munus & officiū sacerdotis sit sacrificare, si in alicuius vtilitatē illud exhibet, & in hoc occupatur, naturalis ratio postulat, vt ab ipso alatur. Ad hanc difficultatē in primis negare nō possumus, quin in hoc negotio aliquod pactū interueniat inter dantē stipēdiū, & sacerdotē: nā ille dat, vt hic faciat, hic vero facit, quia recepit, seu vt recipiat stipēdiū. Et docent Adria. quodl. 9. ar. 1. Cai. 2. 2. q. 100. ar. 2. Dom. Sot. lib. 9. de Iust. & iur. q. 6. ar. 1. Nauar. in Sum. c. 23. n. 102. & patet ex dictis; nā sine huiusmodi pacto, quod intercedat inter sacrificantem & stipendia dantē, nulla ratione intelligi posset, quo pacto oriatur aut oriri possit obligatio ex iustitia.

Difficultatis Solutio.

Adrian.
Cajet.
Soto.
Nauar.

Quod ita breuiter declaro, nā si quis sacerdotē alat, non tamen postulans hoc nomine ab eo sacrificium pro se fieri, neque sub hac conditione ab illo acceptata, sed solum ex misericordia, aut intuitu religionis, vel ex mera sua liberalitate, aut alias quascunque ob causas ad hoc motus; sacerdos in huiusmodi casu non obligatur ad sacrificium offerendū pro illo; imo sine omni iniustitia potest ab alio iustum Missæ stipendium accipere, vt pro illo sacrificium offerat: & è contrario, quanuis sacerdos offerat sacrificium pro me, mihiq; id ipsum euidenter constet, non propterea tenebor ex iustitia illi stipēdium dare, quia non ex mea, sed ex sua liberali voluntate id fecit. Vt ergo vtrinque oriatur obligatio ex iustitia, necessariū est pactum, saltem implicitū: quia hæc obligatio pendet ex mutuo consensu, & ex mutua ꝓmissione, sub cōditione onerosa vtrinque etiā acceptata, in quo ratio pacti & cōuentionis consistit, & re vera hoc modo, tacito vel expresso, fit cōuentio inter dantē stipendiū, & recipientem, nam ille hoc animo dat, vt alterum obliget; & hic animo se obligandi illud recipit, & faciendi id, cuius causa datur: nam hoc ratio mutuæ æqualitatis requirit. Præterea, etiam in anniuersarijs, & capellanijs, & alijs beneficijs Ecclesiasticis, hoc pactum expressum vel tacitum intercedit; quia, & fideles tenētur ex iustitia alere ministros, & ipsi ministri tenentur, etiā ex iustitia, facere ministeria, propter quæ aluntur: non enim obligantur tantum ex caritate aut misericordia, obligatio enim caritatis oritur tantum ex necessitate alterius, non ex re accepta: hæc autem obligatio oritur ex re accepta: vnde per se conuenit, etiam omni secluſa speciali necessitate. Neque etiam est obligatio orta ex religione tantum: non enim fundatur in promissione Deo facta, neque ad Deum immediate ordinantur, sed ad hominem, cui fit iniuria, si non impleatur, & ideo ad restitutionem obligat: est ergo obligatio ex iustitia, quæ in huiusmodi rebus vel actionibus, sine pacto nequit intelligi: non est ergo in hoc pacto intrinseca malitia.

Ad autoritates vero adductas quidā respondent, quanuis hoc pactum per se malum non sit, olim tamen fuisse prohibitum, quia habet speciem mali & indecentiam quandam; eam vero prohibitionem per contrariam cōsuetudinem esse abrogatam. Sed hæc sententia falsa est, quia nec talis prohibitio ostē di potest, neque habet locum, vbi ratio stipendij interuenire potest; semper autem in Ecclesia licuit, stipendium dare ministris sacrificiorum ad eorum sustentationem: in ratione autem stipendij intrinsece includitur pactio aliqua sicut in rinsecè ex illo oritur obligatio iustitiæ, & ideo mercedi operarij, & stipendio militis à Christo & Paulo merito comparatur: Num. autem 18. tale stipendiū sacerdotis, *pretium pro ministerio*, appellatur. Secūdo respondent alij, duo considerari posse in actione sacrificandi: primum est, sacrificiū ipsum, & fructus spiritualis eius, sub qua ratione certa fides est, non posse vlla ratione pretio æstimari aut in pactum deduci: esset enim hoc aperta simonia, & magna irreuerentia rei sacræ; secundum est corporalis labor seu occupatio; & quoad hoc dicitur ministerium illud, pretio æstimabile, & deduci posse in pactum quia res materialis non amittit suum temporalē valorē, propter spiritualē cōditionē annexā, vt de calice consecrato, & alijs similibus rebus constat. Atque hoc modo dicitur in Conc. Agat. c. 36. 1. q. 2. c. vlt. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterq; deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundam seruitij sui meritum, per ordinationem canonum à sacerdotibus consequantur.* Et huic sententiæ fauent locutiones sacræ Scripturæ supra adductæ; est ergo probabilis, non tamen omnino satisfacit: nā, vt latius dicitur in materia de simonia, quanuis labor corporalis, qui non per se, sed ex accidenti, ad spirituale ministerium requiritur, pretio vero æstimari possit, & quod idem est, vendi, tamen ille, qui est per se coniunctus cum spirituali ministerio, nō potest vendi: quia tanquam vnum omnino cum ipsa re spirituali reputatur; quod præcipue verum habet quando actio ipsa corporea nullius esset æstimationis & valoris, nisi spiritualitatem haberet adiunctā tunc enim tota æstimatio oritur ex ratione spirituali; & ideo talem actionem corporalem vendere, re vera esset vendere rem spiritualem. Tertio ergo respōdetur, hic nō dari stipendium, tanquā pretium operis; & sub hac ratione excluditur pactum, scilicet, extrinsecus superadditum, quo videatur res ipsa spiritualis vendi, vel locari, aut stipendium taxari, iuxta valorem & æstimationem ipsius rei spiritualis: datur ergo stipendium solum ob sustentationem necessariam, & naturali lege ministris debi tam: vnde non excluditur pactio de huiusmodi stipendio, quod intrinsecè cōtinetur in huiusmodi humanis actionibus, iuxta illud, *Non alligabis os boui trituranti*; & ideo in hoc nulla fit iniuria rei spiritualis, sed potius humanæ subuenitur necessitati, quia minister sine alimento viuere nullo modo posset, nec spirituali ministerio, vt par est, vacare: quanuis ergo homo ex se gratis ministret, tamen ratio iustitiæ postulat, vt ab eo alatur, cui ministrando seruit. Quæ doctrina sumitur ex D. August. lib. de Pastoribus, c. 2. & idem est sensus D. Thom. loco citato, & Durand. in 4. senten. d. 25. q. 3. Palud. militer. quæst. 5.

Ad autoritates adductas quorūdam respōsio. Illorum respō sio ab autore reijcitur.

Num. 18.

Nō tabile.

3. Responsio.

August. D. Thom. Durand.

Sed quæret tandem aliquis, ad quid obligetur sacerdos, seu quid applicare teneatur ei, qui stipēdiū dedit. Sed hæc res ferè in superioribus explicata est.

Quæsito satisfit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primũ enim nõ est satis, vt pro eo generaliter offerat, quia hoc cõmune est omnibus, vnde hęc obligatio non oritur ex stipendio, sed potius ex cõmuni lege Ecclesiæ. Secundo neq; etiã in alio extremo tenetur, proprij & personalẽ fructũ alteri applicare: primo quidẽ, quia adhuc incertus est, an talis fructus possit alteri tribui; secũdo, quia, quanuis sacerdos dicat Missam in peccato mortali, plene satisfacit huic obligationi, nec tenetur aliquid restituere, & tamen nullũ habuit personalẽ fructũ, quem applicaret. Tertio, quia esset irrationabile, obligare sacerdotẽ, vt se omni fructu priuaret: quare, neq; ipse habet intentionẽ se ad hoc obligandi, neque alter potest aut debet habere intentionẽ hoc postulãdi. Supereſt ergo, vt dicamus, teneri sacerdotẽ ratione stipendij ad applicandum ei, pro quo speciali ter offert, fructũ illum sacrificij, seu illã portionem satisfactionis, quę illi, vt ministro publico ad distribuendũ seu applicandũ cõmissa est. Probatur à sufficiente enumeratione, quia sacerdos tenetur specialiter offerre, & applicare sacrificiũ ei, qui stipendiũ dedit; sed non tenetur personalem fructũ applicare: ergo saltẽ tenetur applicare hunc fructũ quẽ vocare possumus ministerialem. Item, quia hac ratione censetur speciali modo operari vt minister alterius. Item, quia hæc est rationabilis intentio petẽtis sacrificiũ, & dantis stipendiũ. Ac denique, quia non potest hæc obligatio cõmodius declarari, & in hoc modo nulla occurrit difficultas.

Conclusio.

Probatur conclusio à sufficiente enumeratione.

SECTIO II.

Quæ sint iusta Missarum stipendia.

QVando obligatio offerendi sacrificiũ pro aliquo oritur ex aliquo Ecclesiastico titulo, seu ex redditibus certis & stabilibus, nulla est difficultas; quidquid enim tali titulo annexũ est, vel ob eam piã causam relictũ seu donatum est Ecclesiæ, est iustum stipendiũ talis obligationis; neq; in hoc potest esse excessus, tũ quia huiusmodi redditus voluntariè donantur Ecclesiæ, tum etiam, quia decens status sacerdotis habet latitudinẽ; & ideo, si is, qui instituit Capellaniã, vel simile beneficium, vult pinguiores redditus, seu maius stipendiũ, ob singula sacrificia relinquere, totũ id subit rationẽ iusti stipendij. E contrario vero possent interdum redditus ita esse tenues, vt non attingerent medio crem vel minimũ stipẽdiũ sufficiẽs, q; raro cõtingit: si vero id accidat, pertinebit ad Ecclesiæ Episcopũ onus seu obligationẽ ad eũ numerũ Missarũ redigere, in quo vnicuiq; iustũ stipendiũ respondeat, saltem moderatum, iuxta ea, quæ in sequẽtibus dicemus de his ergo redditibus & obligationibus nihil amplius dicendum supereſt, sed solum de his stipendijs, quæ voluntariè dantur à fidelibus, quas Hispani *Pitanças* vocant.

Aduertendũ.

1. *Concl.* De quibus primo dicendũ est, Si stipendia taxata sint à superiori habente potestatẽ, illa censenda sunt iusta, ita vt maiora nõ possint iustè exigi. Ratio est, quia, licet stipendia nõ sint verè pretia tamẽ quatenus in eis dandis & recipiendis ratio iustitiæ intercedit, seruãt proportionẽ qnandã, & in eis necesse est, aliquod medium æqualitatis inueniri: sine qua, nec vera ratio iustitiæ, nec mediũ illius, reperiri potest: ergo, sicut pretia rerũ possunt cõmuni lege, publica potestate taxari, ita & hæc stipẽdia. Patet cõsequentia, tũ à paritate rationis, tũ etiã, quia, cũ hoc medium nõ sit ex natura rei definitum, non potest certiori modo aut via præscribi: est ergo hęc potestas in Ecclesia, vel vniuersalis in Põtifice, vel particularis pro suis diocesib⁹ in Episcopis: si ergo ipsi certã aliquã regulã statuũ, illa est obseruãda, ni si euidẽtè iniustitia cõtineret, q; præsumẽdũ nõ est.

Notabile.

Difficultas.

Sed circa hoc est difficultas, nã aliqui dicunt, non licere hoc stipẽdiũ ita taxari, vt neq; plus neq, minus iustè accipi possit, vt sentiũt Sot. lib. 9. de iusti. q. 6. ar. 1. ad 2. & Nau. c. 25. n. 106. quia hoc esset impedimentũ & obstaculũ ponere pijs fideliũ voluntatibus: ergo videmur in cõclusione supponere id, quod licitũ nõ est. Respõdetur, neminẽ negare, nec negare posse, hoc stipendiũ ita posse taxari, vt sacerdotibus nõ liceat maius exigere, neq; etiã fideles minus dare possint, prædictã obligationẽ iustitiæ imponẽdo; & hoc satis esset ad conclusionem positã, & hoc probat etiã ratio pro illa adducta; & est valde necessariũ ad vitanda scandala & sacrilegia, quæ in exactionibus iniquis stipẽdiorũ cõmitti possunt; & alioqui, si sacerdotibus definitur terminus, vltra quẽ plus nõ exigant, ratio æqualitatis postulat, vt etiã alijs possit imponi, ne minori stipẽdio velint sacerdotes ad hoc obligare. Imò maiori prouidentia curandũ est, vt sacerdotes habeant cõgrua stipendia, quibus honestè sustentari possint: vnde in hoc etiã expedire potest, præcauere, ne laici, pauperes sacerdotes cogãt, vt vili stipendio contenti ad hoc ministeriũ obligentur, quod significauit Cord. lib. 1. Quæst. q. 4. Per hoc tamen nõ prohibetur, nec, per se loquẽdo, prohiberi potest, quominus fideles dent maiora & duplicata stipendia, si velint, dũmodo omnino spontaneè & voluntariè id faciant, & hoc probat ratio in cõtrariũ adducta, & præterea, quia aliud est ex iustitia exigere, aliud quod gratis donatur, accipere: lex ergo iustitiæ nõ impedit misericordiæ aut liberalitatis, vel religionis opus. Et eadẽ ratione illa lex nõ impediret, quo minus sacerdos possit minori stipendio esse contẽtus: quia, non obstante lege iustitiæ, potest ipse gratis remittere, & cedere iuri suo. Etenim, cum possit omnino gratis & sine vllo stipendio ad offerendũ sacrificiũ se obligare, à fortiori poterit minori stipendio esse contentus. Imo ait D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 2. illiciũ esse, si in aliqua Ecclesia talis lex feratur, vt pro nullo fiant suffragia: nisi tali stipendio dato: quia per tale statutũ (inquit) præcluderetur via gratis impendendi pietatis officiũ, quæ sententia D. Thom. moraliter loquendo, vera est, maxime, si respectu singularum personarum talis lex fieret; tamen respectu alicuius cõmunitatis illa statuta non sunt semper malatimò sunt in vsu multarũ Ecclesiarũ: quia pertinent ad quandam decentiã vel totius Capituli, vel ad congruã sustentationẽ totius Ecclesiæ, & expensarũ, quæ in illa sunt: nunquam tamen intelligẽdum est, per hæc statuta prohiberi, quominus, si misericordiæ vel pietatis ratio postulauerit, vt huiusmodi suffragiũ sine tali stipendio fiat, id licite fieri possit, saltem ex voluntate & consensu eorum, ad quos tale ius pertinet talis enim prohibitio in eo sensu intellecta, prorsus contra rationem esset, & æquitati minime consentanea, neque Christianæ pietati; & hoc præcipuè intendit D. Thom. citato loco; neque aliud ratio eius persuadet.

Soto. Nauar.

Resp̃sio.

Cordub.

D. Thom.

D. Thom.

2. *Conclus.* Dico secundo, Si lex Missarum stipendium non taxauit, illud earum erit iustum stipendium, quod communi cõsuetudine communiter receptum est & approbatum, seu quod à viris prudentibus & Deum timentibus communiter peti aut dari solet. Ita docẽt prædicti autores, & ratio est eadem, quia sclusa lege, taxante, hæc est via censendi seu iudicãdi iusta pretia rerũ, hoc autẽ stipendiũ, licèt nõ sit pretium, seruat tamen cũ illo proportionem, vt dixi. Et confirmatur, quia non debet hoc committi cuiuscunq; voluntati, vt suo arbitrio possit iustum stipendiũ augere, vel minuere: repugnat enim hoc rationi iustitiæ: ergo oportet, vt aliqua autoritate publica hoc definitum sit ergo, quãdo nõ intercedit lex, ex communi æstimatione & cõsuetudine, quæ vim legis habere solet, definiẽdũ hoc est. Quo fit, vt in hoc casu, in quo tale stipendium non est lege taxatum, eius æqualitas iusta nõ possit in indiuisibili consistere, sed aliquã latitudinẽ habeat, sicut contingit in pretijs rerũ, quæ cõmuni tantùm æstimatione præscribũtur; quia communis æstimatio nõ semper est ita fixa & certa; & ideò, sicut in his pretijs distingui solẽt infimũ, mediũ, & summũ; ita etiã possunt hæc stipendia distingui. Cauendũ tamẽ est sacerdotibus, ne more venaliũ rerum hoc negotiũ tractent, cũ fidelibus contendendo, vt rigorosa & summa stipendia exigãt, nam licèt in rigore nõ sit iniustitia; est tamẽ quædã irreuerẽtia, ex qua communiter scandalum sequi solet. Si autem semel sacerdos contentus est mediocri, vel infimo stipendio, tamẽ iusto nõ potest deinceps arbitrio suo reducere illud ad rigorosum stipendiũ, minuendo, verbi gratia, Missarum numerũ: nam hoc ipso esset contra iustã dantis voluntatem; & ita esset acceptio rei alienæ, inuito domino rationabiliter.

Notabile.

3. *Conclus.* Dico tertiò, iustã æqualitatẽ huius stipendij nõ esse pensandã ex integra quantitate pecuniæ, qua sacerdos indiget ad suã congruã sustentationem; posset enim existimari, hoc stipẽdium, vt sit iustũ ita esse taxandum, vt totum id quod, necessariũ moraliter est ad cõgruã sacerdotis sustẽtationẽ per annũ integrũ, sit etiã iustũ stipendiũ omnium Missarũ simul sumptarũ, quæ intrà annũ moraliter dici possunt; & consequẽter, quod singularũ Missarũ iustũ stipẽdiũ sit illa pars aliquota, quę in xta dictam proportionem respondet. Et hunc modum assignandi hoc iustum stipendium, videtur sequi Soto, & alij qui cõsiderant Missam, tanquã integrum sacerdotis ministerium; & ideò volunt, vt illi integra diei sustentatio respondeat. Conclusionem tamen positã tenet Corduba citans Medinã, & Nauar. suprà, dub. 2. Et probatur primò ex cõsuetudine Ecclesiæ; nam, quãdo hæc stipẽdia lege taxãtur non solent esse tã pingua, vt sola sufficiant ad integrã sustentationẽ sacerdotis: ergo non sunt maiora exigenda, quando cõmuni æstimatione definiũtur. Et ita etiã seruat vsus, vt hæc etiã non sint admodũ pinguia, nec per se sola sufficientia. Secũdo, quia actio sacrificandi non requirit integrum diẽ, neq; maiorẽ partẽ eius: ergo non est, cur sacerdos propter hoc solũ ministeriũ integrè alatur ab eo, pro quo sacrificiũ offert. Patet cõsequẽtia, tũ quia sacerdos non tantum habet hoc ministerium, sed etiam exercet alias actiones sacras, ratione quarum potest aliquid in sustentationem recipere ex fidelium largitionibus; vel alijs Ecclesiasticis redditibus, tum etiam, quia propter hoc ministerium, nõ impeditur sacerdos, quominus alia honesta via, possit aliquid ad vitam sustentãdam lucrari; vt habetur in c. Cleric. vitũ 91. d. ex Conc. Cart. 4. c. 52. Atq; hinc obiter intelligitur ratio, ob quã maius stipendiũ taxetur pro solẽni Missa, quã pro priuata, quia scilicet, neutri debetur integra sustentatio: & ideo quo maius ministeriũ sacerdos exhibet eo aliquid amplius ad sustentationem suam recipere potest, & eadẽ ratione, quo die sacerdos plures Missas facit, potest plura stipendia, etiam ab eodẽ recipere: imo, licet contingat, eum peccare contra obedientiam vel religionem, plures Missas eodem die dicendo; si tamen pro eis plura stipendia accipiat, contra iustitiam non peccabit, quia licet iniqs agat, secundo aut tertio sacrificiũ eodem die offerendo, tamen sacrificium ipsum valiũ est, & pro aliquo oblatum eundem effectum habet ex opere operato. Denique ac ratione in agendo funere, seu officio integro defunctorum, aliquod stipendium datur sacerdoti, ratione Missæ, & aliud ratione Vigiliæ seu Nocturni officij, & sic de alijs, signum ergo est, quod libet horũ esse veluti inadæquatũ ministeriũ sacerdotis, & consequenter nulli eorũ per se debere adæquatã sustentationem respõdere. Neque cõtra hoc inuenio rationẽ, aut motiuũ aliquod contrariæ opinionis, cui satisfacere necesse sit.

Cõc. Cart. 4.

Notabile.

4. *Conclus.* Dico quarto, Nõ potest sacerdos, seruata iustitiæ æquitate, ratione vnius Missę accipere nisi vnũ adæquatum stipendium, siue ab vna, siue à multis personis. Cõclusio hæc cõmunis est, neque inuenio autorem aliquem, qui contrarium in communi & absolute sentiat, ex vi talis muneris & stipendij: nã licet contrariam sententiã aliqui Caiet. attribuant, eo quod ex alia eius opinione de valore Missæ, sequi videatur, tamen directè & formaliter nunquã id docuit, neque esset practicè probabile, in prædicto sensu: nam, vt tum fieri possit aliqua exceptio propter particulares rationes in aliquo speciali casu occurrentes, postea videbimus. Respectu ergo eiusdem personæ conclusio euidenter sequitur ex principijs positis: nam, si iustum stipendiũ habet certũ terminum, lege vel consuetudine taxatũ: ergo, seruata lege iustitiæ, non potest ille terminus excedi: ergo nõ possunt ab eodem duo stipendia pro vna Missa exigi: alioquin esset terminus seu quantitas iusti stipẽdij, inuito eo, qui dat: supponimus enim, eum duo stipendia dare, vt sibi duæ Missæ dicãtur, sacerdotem autem velle illi vnã Missa satisfacere, quod plane est contra rationabilem alterius voluntatem, & cõtra pactum implicitum in priori acceptione, & elargitione contentum: nã alter dedit duo stipendia sub conditione, & promissione duorũ sacrificiorũ, & sacerdos sub eadem conditione acceptauit, ac recepit, postea vero non implet, nec stat promissis. Vnde etiam iniuste, priuat alterũ maiori fructu duplicis sacrificij. Ex hac vero parte sequitur altera, scilicet, idẽ dicendum esse respectu diuersorũ: quia medium iustitiæ, quod est mediũ rei, in ipsis rebꝰ cõsistit, siue ad vnã siue ad plures personas dicat habitudinẽ, vt si furati de cẽ aureos peccatũ mortale est, idẽ erit, siue ab vno, siue à pluribus hominibus subripiãtur; & idẽ est, si res carius vẽdatur, quã iustè æstimatur, siue ab vna persona totum pretium, siue partim ab vna partim ab alia accipiatur. Sic ergo in præsente iustũ etiã stipẽdium pro vna Missa in re ipsa certum ac præfixum est: ergo quacunque ratione minus accipiatur, siue ab vno, siue à multis, iniustum est. Accedit, quod secundum veriorem sententiam, fridem

Non possunt ab eodem duo stipendia pro vna Missa exigi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificium pro multis offeratur, singulis defraudâ
tur aliquo fructu, quem sacerdos posset, & debe-
ret applicare: ergo nulli eorũ ad æqualitatem satis-
facit, neq; adimplet iustum pactũ & promissionẽ.
Et hinc soluta manet obiectio, quæ fieri solet ex eo
quod Missa pro multis oblata tantum valet singu
lis, ac si pro vno solum offerretur. Negatur enim
assumptum, in eo sensu, quem in præsente habere
debet, vt ex dictis patet. Ac deinde dicitur, vt mi-
nimum, esse rem incertam, & periculis expositam
& hoc satis esse, vt iniuste fiat contra rationabilem
voluntatem eius, qui stipendium dedit.

SECTIO III.

Vtrum sacerdotes diuites possint stipendia pro Missis accipere.

D. Thom. Sylu. Adrian. Gratianus.

PRima sententia negat, quã multum indicat D. Tho. in 4. d. 25. q. 3. ar. 2. quæstiunc. 1. ad 4. & Caiet. 2. 2. q. 100. ar. 1. Sylu. verbo, Simonia. q. 3. Adrian. in 4. materia de restit. fol. 91. & Gratian. in c. Pastores. 5. Verum. q. 2. vbi, vt videre est, multa iura congerit, in quibus significatur, nõ posse iuste sacerdotes diuites redditibus Ecclesiasticis frui, & sustentari quod etiam significatur in c. Illi autem. 12. q. 1. vbi Prosper ait. *Sacerdotes diuites, qui possident sua, non peccare, dummodo propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiant.* Et similia referuntur ex Aug. in c. vlt. eiusdem q. vbi significat, si hæc stipendia Ecclesiastica accipiantur ab huiusmodi diuitibus, non in eorum vsus, sed pauperum, esse distribuenda. Eadem autem ratio est de his Missarũ stipendijs: nam, quatenus spirituali titulo accipiũtur, inter Ecclesiastica bona computantur. Ratio autẽ esse potest, quia hoc stipendium solum accipi potest in sustentationem: ergo, qui hac non indiget, non potest illud accipere: alioqui conuincetur illud sumere vt sui operis pretium.

Aduertendum est, sacerdotem posse esse diuitẽ vel ex bonis temporalibus & hæreditarijs, vel ex redditibus Ecclesiasticis, ex quibus (vt vidimus) quidam dantur sine obligatione dicendi Missam pro alio, sed ob alios titulos, quidam verò interdũ dantur specialiter propter hoc onus offerendi Missam pro aliquo. Dico ergo primo, Quãuis sacerdos proprium habeat patrimonium, seu temporalia bona, quibus sufficienter ali possit, sine iniustitia potest stipendium pro missa accipere. Ita D. Thom. quodlib. 6. art. 10. Sot. lib. 9. de Iust. q. 6. ar. 1. Nauar. in sum. c. 23. n. 101. Glos. & Doctores, in c. Cleric. 1. q. 2. Probatur, quia sacerdoti ministranti, ex iustitia debetur alimentum: ergo iuste potest illud accipere etiam si alioqui temporaliter diues sit; patet consequentia, quia hoc est valde extrinsecum, & per accidens, quod nõ tollit proprium ius, quod per se conuenit. Confirmatur primo, quia quanuis possit sacerdos propria industria, vel labore integrum victum lucrari, non tenetur, sed potest de alitari viuere: ergo similiter potest idem facere, quanuis habeat temporales redditus: nam vsus artis, vel propria industria interdum æquiualet temporalibus diuitijs. Confirmatur secundo, nam sacerdotes temporaliter diuites habent beneficia Ecclesiastica, eorumq; redditibus sine scrupulo fruuntur; sed nulla est maior ratio de his, quam de Missarum stipendijs: ergo. Tandem, miles, quãuis alias diues sit, iuste accipit suæ militiæ stipendium: nam in illo etiam verum habet illud, *quis militat suis stipendijs vnquam?* ergo eadem est in præsente ratio.

Dico secundò, Sacerdos habens beneficiũ Ecclesiasticũ, quo sufficienter ali potest, si ratione illius nõ obligatur ad Missas speciali intentione dicẽdas, potest sine iniustitia stipẽdia Missarũ accipere. Sumitur ex eisdẽ autoribus, & probatur eisdẽ rationibus: quia, quòd hi reditus sint Ecclesiastici, impertinens est, cum ratione illorũ stipẽdiorũ Missæ non debeatur: nã ad iustitiæ rationem in presenti non pertinet qualitas, seu modus diuitiarũ, sed hoc solùm, quòd ratione illarũ non debeatur hoc ministeriũ, & consequenter, quòd peraccidens omnino sed habeãt vt possint auferre ius percipiendi hoc stipẽdium. Quæ ratio non solùm conuincit, posse accipi hoc stipẽdium omnino gratis oblatũ: hoc enim modo etiã si sacerdos habeat redditus cũ obligationi dicẽdi Missam, post nouũ est stipendiũ gratis oblatũ accipere, dũ modo constet, aliũ scienter & spõtaneè donare, vt in specie statim dicemus de Parochis: cõuincit ergo ratio facta posse huiusmodi sacerdotẽ iustè exigere, & eodẽ mõdo pacisci ac si aliàs nihil haberet, quod sine causa Nauar. cũ Cai. negat; & patet, quia iustitiæ ratio eadẽ est, nec pactum illam minuit aut violat, neq; magis est simoniacũ tale pactũ indiuite, quam in paupere: cur enim nã etiã diues nõ petit, vt pretiũ, sed vt alimẽtũ sibi per se debitum quo iure semper vti potest, bona alia, quæcunq; illa sint, in alios vsus reseruando. Atq; hinc etiam; sit nõ teneri huiusmodi sacerdotes specili obligatione, stipendia sic accepta pauperibus donare, Vt quidã ex dictis autoribus signi ficant: quia re vera acquirũt illorum dominum & persistẽdo in vi & obligatione iustitiæ, possunt eis liberè vti: ex caritate tamẽ poterũt obligari; quia cùm his stipendijs ditioris efficiantur, poterunt faciliùs habere superflua, vnde pauperibus subuenire possint. Potest etiã quæ obligatio in eis esse maior ratione sui status, tamen intrà latitudinem sẽper misericordiæ & caritatis: quia nõ est, vnde obligatio alterius rationis eis oriatur.

Nauar. Caiet.

Dico tertiò, Sacerdos, qui ex obligationi sui beneficij, Capellaniæ, aut aliorum reddituum Ecclesiasticorũ tenetur Missam pro aliquo dicere, nõ potest pro eadem dicenda, stipendium ab alio accipere. Dico, *pro eadem*, quia, licet habeat obligationem aliquoties in hebdoma, mẽse, aut anno, pro aliquib⁹ sacrificium offerẽdi ratione beneficij, nihilominus alijs diebus, quibus nõ obligatur, potest stipẽdia accipere, vt per se constat ex præcedentibus cõclusionibus: quia pro illis diebus habet ius suum integrũ ac si nullos redditus haberet. Sic ergo explicata cõclusio sequitur aperte ex dictis dubio præcedente: nã sacerdos nõ potest duo integra stipẽdia pro eadẽ Missa accipere: ergo neq; potest stipendiũ accipere pro Missa, ad quã specialiter offerendã tenetur propter alios Ecclesiasticos redditus: patet consequentia, quia illi redditus nõ solũ æquialẽt adæquato stipẽdio, sed etiã superabundanti, regulariter loquẽdo, hoc enim in hac disputatione supponimus: nã, si redditus sint insufficiẽtes, iã sacerdos nõ obligabitur ratione illorũ plane ac integrè, vt supra insinuatũ est, & dicem⁹ etiã sectione sequẽte.

3. Concil.

Ex iuxta hãc cõclusionẽ, adiunctis his, quæ in 1. sect. dicta sunt, expediendũ est cõmune dubium de Parochis, an possint stipendia Missarum accipere &c.

re. Soto enim loco citato, quãuis teneat, Parochũ teneri, quotidie sacrificare pro suis ouibus, nihilominùs addit, posse accipere stipendiũ ab eisdẽ ouibus suis, vt sacrificiũ pro aliquo in speciali offerat, quia Parochiani non debẽt quærere extraneum sacerdotem, qui pro eis specialiter offerat. Vnde offerendo voluntariè eleemosynã suo Parocho, consequenter etiã volunt, & contenti sunt, vt pro eis ipse offerat eo modo, quo potest. Neque intendũt eum obligare, vt aliunde sacerdotes vocet; vel, vt Missas alijs dicendas cõmittat, neque etiã ipse huiusmodi obligationẽ suscipit, aut ea intẽtione eleemosynã acceptat. Ab extraneis verò (ait Soto) nõ potest stipendium accipere, quia nõ potest pro eis specialiter offerre. Sed hæc non videntur admodũ consequẽter dicta. Dico igitur, cũ Parochi non teneãtur quotidie pro subditis celebrare, vt ostẽdimus, pro illis diebus, pro quibus non obligantur, posse accipere stipendiũ, tam ab extraneis, quàm à proprijs ouibus. Patet ex præcedente conclusione: quia quoad eos dies habet Parochus ius suum integrum, ac si beneficiũ non haberet. Vnde infero, quotiescunque Parochus accipit stipendiũ, Missã dicere eo die, quo non obligatur offerre pro suis subditis, debet id facere, & pro illo integrè offerre: quia, per se loquẽdo, ad hoc obligatur, & potest talẽ obligationẽ implere: ergo tenetur. Item, quia hæc est iusta volũtas dantiũ stipendiũ, vt, scilicet, pro eis integrè offeratur, maximè, si cõmodè fieri potest. Imo addo, per se loquendo, non posse Parochũ accipere stipendiũ, etiã à proprijs subditis, eisque satisfacere, pro illis offerendo illis diebus, quibus ex obligatione offert pro suo populo. Patet ex conclusione tertia, quia non potest accipere duplicatũ stipendiũ integrũ. Dico autẽ, *per se loquendo*, quia, si re vera non possit aliter singulis Parochianis satisfacere, tunc faciẽdo, prout potest, implebit obligationem suã: oportebit autẽ, vt eo casu Parochiani intelligant, Parochum ipsum nõ posse aliter pro eis offerre, vt voluntariè contẽti sint illo offerendi modo: quia alias fieret eis iniuria, accipiendo ab eis integrũ stipendiũ, non declarando eis impedimentũ seu impotentiã, quã Parochus habet ad offerendũ pro eis solis, & ex singulari, ac propria intentione. Sufficiet autẽ, vt ex consuetudine, vel publico mandato intelligant subditi, Parochũ suũ teneri, vel omnibus, vel talibus diebus, pro sua plebe sacrificiũ offerre: nã, si nihilominùs aliquis eorũ, ei voluntariè præbeat stipendiũ, vel eisdem diebus pro se sacrificiũ offerat, signũ est, ipsum cedere iuri suo, solũq; velle illo specialiori modo ad sacrificiũ concurrere, vt pro ipso simul cũ alijs specialiter offeratur: hoc autẽ modo, & hac sciẽtia interueniente, etiã à quocunque extraneo posset accipi stipendiũ, nã etiã ille potest suo iuri cedere, & illo genere oblationis esse contentus, & Parochus potest offerẽdo primũ pro suo populo simul pro alio offerre, vt illi tantũ prosit, quantũ absque iniuria sui populi potest. Quãdo verò Parochi impedimẽtum nõ est adeò publicũ, quia non sunt certi & destinati dies ad offrendũ pro populo, sed solũ in genere, seu in communi scitur, quosdã dies habere liberos: quosdã verò ad offerendũ pro populo obligatos, tunc oportebit, vt, quãdo subditi, vel extranei stipendium offerunt, eis Sacerdos suum impedimentum, & onus aperiat, vt, vel illi voluntariè consentiant, vel alium sacerdotem quærant.

Soti opinio reijcitur.

Sacerdos non potest accipere duplicatum stipendium integrum.

Ex quo tandẽ infero, quando in Ecclesia nõ est solus Parochus, sed sunt alij etiã sacerdotes stipendiarij, tunc multò minùs posse Parochũ satisfacere dantibus stipẽdia, siue Parochiani sint, siue extranei, offerendo pro illis, quãdo pro suo populo celebrare tenetur: quia tunc, licèt per se non possit, per alios potest plenè illis satisfacere: ergo debet. Item, quia hæc censetur esse iusta voluntas dantiũ stipendiũ; & ira interpretãda est, nisi aliud euidenter cõstaret aliunde, & ita etiã habet ius. Quæ omnia cõfirmantur, quia aliàs posset Parochus à suis Parochianis simul accipere plura stipẽdia, partim ex testamentis, patrim à viuis offerẽtibus, & omnibus, & obligationi suæ Parochiæ simul vna Missa satisfacere, quod est valdè absurdum. Quãdo ergo tot eleemosynis seu stipẽdijs onustus est, debet, quoad cõmodè possit, curare, vt per se, vel alios, omnibus integrè satisfaciat; vel, si hoc nõ potest (quod rarissimè eueniet) admoneat eos, qui stipendia offerunt, vt, vel ipsimet sibi prouideãt, vel certè cõtẽti sint ea oblatione, quã ipse pro eis facere potest. Cui doctrinæ videtur consentire Nauar. c. 25. nũ. 92.

Cõsectarium.

Nauar.

Hac verò occasione hic obiter queri solet, an Parochus, qui plura stipendia Missarũ congregat, eaque postea inter sacerdotes stipẽdiarios distribuit, possit licitè aliquã partem sibi retinere, vel ratio, ne solicitudinis, & laboris, vel certè, quia stipendiũ sibi datũ est pingue, vel summum intra latitudinẽ æqualis stipendij, quod autẽ ipse dat alijs, est etiã iustum, magis tamen moderatum, vel etiam minimũ. Quidã negant hoc licere, Maior in 4. d. 45. q. 3. dub. 2. Nauar. c. 25. num. 91. Cordub. dict. q. 4. dub. 1. quia voluntas dantis stipendiũ est, vt totũ illud detur sacerdoti pro se Missam dicẽti; & ideò alius non habet iustũ titulum partem aliquã vsurpandi. Contrariũ tenet Soto, dict. lib. 9. de Instit. q. 3. artic. 1. vbi peculiariter loquitur de Parochis, qui in sua Parochia hoc onus suscipiunt, ratione cuius possunt aliquid accipere. Ego verò censeo intrinsecè non esse hoc contra iustitiam non solũ ratione illius oneris, sed etiã, quia nulli fit iniuria in ea distributione, seu quasi cõmutatione. Suppono enim dari stipendiario sacerdoti iustũ stipendium in omni rigore: nã alioqui fieret illi iniuria: hoc autem seruato nulla fit, etiã si intra latitudinem iusti minimũ detur, neq; etiã fit iniuria ei, qui dedit stipendiũ; quia Missa eiusdem valoris pro illo offertur: nulli ergo fit iniuria. Ratio autem à priori est, quia Parochus, vel sacerdos, qui primò accipit stipendiũ; statim acquirit dominiũ illius sub obligatione dicendi Missam alteri, quã potest per se; vel alium implere: ergo, si postea satisfaciat integrè illi oblationi, nulli facit iniuriam, etiam si minori stipendio dato id assequatur; quia iam nõ se gerit, vt purè Oeconomus, sed vt Dominus accepti stipendij, ad quem spectat, obligationẽ illã implere, vt cõmodè potuerit. Vnde potest exemplis moralibus hoc declarari, nã, si dominus cõmittat famulo tãtã pecuniæ quantitatẽ, vt triticũ talis qualitatis tantimat; quanuis famulus minori pretio illud postea comparet, non potest sibi vsurpare residuam pecuniæ quantitatẽ, quia non erat dominus illius: vnde non habet titulũ ad retinendam illã. Si verò famulus statim fieret dominus illius pecuniæ ex consensu dantis, sub obligatione dãdi triticum talis qualitatis & conditionis, quanuis postea minori pretio emeret, reliquã pecuniam retinere posset. In præsenti

Maior. Nauar. Cordub.

Soto.

Autoris sententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sentiigitur Parochus nō se gerit priori, sed hoc posteriori modo: ergo in rigore nō est iniustus, eam partem retinendo. Aliud exemplum esse potest, si quis, anticipata pecuniæ receptione, vendet triticū posteà reddendū, illudque deinceps minori pretio emat, satisfaciet priori emptori, integram tritici quantitatē illi reddens. Potest verò differentia aliqua in his exēplis assignari, quia in eis, sicut potest quis retinere residuā pecuniæ partē, ita si opus esset, aliquid de suo adijcere, vt obligationē impleret, teneretur id facere, & ita potest interdum accidere; at verò in præsenti nullū est periculū, ꝙ oporteat interdū Parochū pius stipendij dare, quā acceperit. Dico tamen hoc esse accidentariū, nam ex vi obligationis, vel per se ipsum debet satisfacere obligationi, vel certè dare totum stipendium necessarium, vt per alium satisfaciat. Hoc denique patet quotidiano exemplo habentium capellanias, quibus satisfaciunt, per alios Missas dicēdo, dando eis stipendia iusta, quanuis ipsi multò vberiora recipiant, & apud se reliquam partem retineant. Sed, quanquā hæc in rigore vera sint, nihilominùs hæc veluti cōmutatio habet speciem turpis lucri; & ideò consulenda non est, sed potiùs corrigenda, quoad fieri potest; quod si non possit erit tolerāda.

A *duertēdum.*

SECTIO IIII.

Vtrùm sacerdotes pauperes possint accipere duplicata stipendia.

ALiqui graues autores ita affirmant, saltem, quando vnum stipendiū nō sufficit ad integram Dei sustentationē, non solū quoad victum & vestitum propriæ personæ, sed etiam ad alendam suā familiam, & consanguineos etiam, si sub illius cura, & in eius familia sint. Vnde consequenter dicunt, tot posse accipere stipēdia pro vna Missa, quot sufficiant ad huiusmodi sustentationē integram. Ita sentit Cano 12. de locis. c. 13. ad 10. Soto lib. 9. de Iustit. q. 3. art. 1. in fin. & in 4. distin. 13. q. 2. artic. 1. in fin. & nonnulli eiusdē Ordinis, Theologi idē docent, & consulunt. Fundamentū est, quia, qui altari deseruit, de altari viuere debet. Item, quia nō est cogendus sacerdos pauper mendicare, aut aliquo indecente modo victū quærere, vt constat ex Tridentino, sess. 22. c. 2. de Reform. Et confirmatur, nā Papa interdū concedit pauperibus religiosis, vel Ecclesijs, vt minori sacrificiorum numero pluribus stipēdijs satisfaciant: Episcopi etiā, si expedire iudicant, interdū minuunt numerum Missarū ex obligatione dicendū, vt suprà insinuauimus, & probat etiā Trid. sess. 22. c. 4. ergo signū est, hoc nō continere intrinsecam iniustitiam, quia aliàs nō posset Papa, vel Episcopus alios priuare iure suo, si illud haberēt. Soto verò & alij addūt limitationem, scilicet, nisi is, qui dat stipendiū, expressè postulet, vt pro se solo Missa dicatur, & ipse illā promittat: nam tunc tenetur seruare pacti fidem.

Cano. Soto. Trident. Soto.

Sed in primis hi autores in duobus nō videntur mihi consequenter loqui: primò in prædicta limitatione: nā, si fundamentum huius sententiæ verū est, stipendiū illud, quod est insufficiens ad prædictā sacerdotis sustentationē, non est æquale neque iustum: ergo, qui, illo tantū dato, postulat, vt pro se solo sacrificiū offeratur, iniustā rem postulat: ergo, quāuis alius fortasse paupertate coactus id promittat (iuramentum secludo) nō tenetur talē promissionem implere, sed potest se indemnem seruare: vel, si è contrario tale stipendiū non est ita inæquale, quin alter possit iustè petere, vt pro se solo offeratur sacrificiū, sufficiet ad candē obligationē implicita seu virtualis volūtas, quā habent omnes, qui huiusmodi stipendia conferunt sub hac existimatione & spe. Secundò, nō videntur prædicti autores consequenter loqui, limitādo hanc sententiā ad solos pauperes sacerdotes: quia vel illud stipendiū integrum, ad sacerdotis sustētationē sufficies, & ex multorum eleemosynis resultans, est de se iustum stipendiū, vel super excedens: hoc secundum ab eis nō dicitur, nec dici potest consequenter; si autem dicatur primū, sequitur etiam sacerdotē, aliàs diuitem, posse totū illud stipendium accipere: quia etiam ipse habet ius viuendi ex altari, cui deseruit: quòd autem aliàs diues sit, est per accidens, & nihil impedit, quominùs ille possit vti iure suo, vt suprà declaratum est: quòd si absurdum est, hanc licentiā dare diuitibus sacerdotibus, vt re vera est, nullum est fundamentum, vt pauperibus tribuatur.

A

B

Autores prædicti reijciuntur.

Conclusio. Nauar. Corduba.

Dico ergo, non posse pauperes sacerdotes plura stipendia iusta, seu lege aut cōmuni æstimatione taxata, pro vna Missa accipere. Ita tenet Nauar. c. 25. nu. 92. Corduba, dicta. q. 4. dub. 2. Ratio est, quia paupertas (secluso extrema necessitate, de qua nūc non agimus) non dat facultatem accipiēdi rem alienam, inuito domino, aut vendendi rem cariùs, quā valet; nec mercenarius aut miles potest aliquid vltra suam mercedē, aut iustum stipendiū accipere ratione paupertatis: ergo nec sacerdos ob paupertatē potest accipere aliquid vltra iustū stipendium: ergo nō potest duo stipendia accipere: nam supponimus ex dictis, vnum eorū esse iustum & æquale: ergo alterū erit vltra iustitiæ æqualitatē. Et confirmatur, quia sacerdos, qui ob infirmitatē vel aliud impedimentū non potest facere sacrum non potest vel vnum stipendiū accipere, decipiendo aliū, pro quo nō est Missam dicturus, vt suę paupertati subueniat: ergo neque ille, qui potest vnum tantū facere sacrū, potest titulo paupertatis post primum stipendiū accipere secundū: quia, postquam obligatus est ad Missam pro vno dicendā iusto & æquali stipēdio, perinde se habet respectu alterius, ac ille, qui celebrare nō potest. Dices, hæc argumenta supponere quodlibet ex illis stipēdijs esse per se iustū, & æquale, quod tamen alij autores non admittunt. Sed hoc sufficienter fundatū est in sectione 2. & ex ipsismet terminis, quib⁹ vtimur, videtur per se notū: supponimus enim, hoc stipendiū esse iustā lege taxatū, vel cōmuni consuetudine & æstimatione, quæ sunt regulæ iusti pretij, vel stipendij. Sed adhuc dicere possunt, hanc æquitatem iusti stipendij non esse omnino absolutā, sed respectiuā. Vnde, licèt respectu diuitis, quodlibet illorū sit sufficiēs & æquale stipendium, tamen respectu pauperis, est inæquale. Sed hoc facilè refellitur ex dictis; nam conditio paupertatis, vel diuitiarum impertinens est ad æqualitatem, seu condignitatem stipendij, quæ non ex conditione personæ, sed ex ministerio pensenda est, vt patet ex dictis, sectione præced. & exemplis militum, & aliorum operariorum. Et ratio est, quia paupertas obligare potest ad subueniēdum indigenti ex misericordia, non tamen obligat ex iustitia ad dandum ministro omnia, quibus indiget, sed quod ministerio eius, iuxta præscriptam legem seu mensuram, debitum est.

C

Occurritur obiectioni.

Vnde

Cōsectarium.

Vnde consequenter infero, si talia stipendia nō sint integra qualia lege taxata sunt, tunc posse sacerdotē, vel à diuersis, vel ab eodem, tot stipendia prò vna Missa accipere, quot sufficiant ad iustum stipendiū, & lege taxatum conficiendū: quia tunc fit iniuria sacerdoti, & ipse potest se indemnem seruare, & hoc probant rationes Soti, & Cani, qui nō tam differūt ab alijs autoribus, in hac formali conclusione, quòd pro vna Missa tantū licēt, vnum iustum stipendiū accipere, quā in modo definiendi & taxandi hoc iustū stipēdium. Limitat autē Corduba hoc vltimū corollariū, nisi sacerdos expressè promittat, se dicturū Missæ tantū pro vno, etiā si inæquale dederit stipendiū: sed, vt dixi, stādo in rigore iustitiæ, hæc limitatio non videtur necessaria: quia tali sacerdoti fit iniuria, cogitur enim ob paupertatē inæquale stipēdiū acceptare, potest ergo, nō obstante priori pacto, se indemnē seruare, sicut famulus, aut operarius, cui cōdigna merces nō tribuitur, potest damnū suū, vt potuerit, resarcire, etiam si in principio ob paupertatē coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio; & similiter, qui ob necessitatem cogitur triticū emere iniusto pretio, potest sine iniustitia, alia via se indemnem seruare. Dixi autē, *ex vi institutis*, nā si sacerdos omnino voluntariè contentus sit illo stipendio, & promittat, se integrè sacrum oblaturū pro tali persona, tunc ad id implendum tenebitur magis ratione promissionis simplicis, quam stipendij.

Rationes Soti & Cani, quid probent.

Corduba.

Ad fundamentū prioris sententiæ iam suprà declaratū est, iustum stipendium Missæ non esse pensandū ex his omnibus, quibus sacerdos indiget ad integram diei sustentationē. Quocirca, si sacerdos pauper sit, fideles ex misericordia & pietate debēt illi subuenire, ipse tamen non potest iniusto titulo res alienas vsurpare. Sed, ne mendicare cogatur, ꝙ non decet in his, qui paupertatem voluntariā non profitentur, ad Episcopi curā pertinet, vel eum nō Ordinare, vel ei de necessarijs prouidere. Ad confirmationē, in primis posset argumentū illud in cōtrariū retorqueri: nam, si ad id faciendum Pontifici autoritas, & dispensatio necessaria est; ergo per se ac ꝓpria autoritate id facere nō licet. Deinde dicitur, nec Episcopos id posse facere, nisi, vel quādo redditus sunt insufficientes ad tantum Missarum numerū, vel, quando alijs iustis de causis, ita possunt instituentis voluntatē interpretari: neque etiā summus Pontifex potest id facere ex mera voluntate sua; quia nō est dominus omnium temporaliū bonorū, etiam, quæ Ecclesiæ relicta sunt, sed dispēsator; & ita solū non potest per modum iustæ dispensationis ex causa rationabili, quæ esse potest, vel aliqua ex dictis, vel certè, quia iā est moraliter impossibile, omnibus obligationibus ad æqualitatē satisfacere; & ideò, vel dispensat, vel interpretatur, vt satisfactio fiat aliquo prudenti modo possibili. Accedit, quòd potest Pontifex ex Thesauro Ecclesiæ applicare, quidquid satisfactionis in eo casu minuitur ijs, qui stipendia Missarū reliquerunt: vnde piè ac probabiliter creditur ita facere.

Notatu dignū

C

DISPVTAT. LXXXVII.

De ministro ad sacrificium necessario, eiusque obligatione.

Sacerdotes sunt proprij

EXplicuimus obligationes omnes, pertinentes ad sacerdotes, qui sunt proprij ministri huius sacrificij: quia verò ipsi etiam indigent aliquibus, vel saltem aliquo sibi in hoc ministerio deseruiente (quod etiam inter ceremonias Missæ ab aliquibus computatur) ideò de huiusmodi ministro duo breuiter videnda sunt. Primum, quanta, & qualis sit eius necessitas; deinde, quænam obligationes ad illum pertineant.

A

ministri huius sacrificij.

SECTIO I.

Vtrùm ad sacrificium Missæ peragendum, vnus aut plures ministrantes necessarij sint.

RAtio difficultatis est, quia Sother Papa, vt Gratianus refert, in c. Hoc quoque. de Consecr. distin. 1. præcepit, vt nullus Presbyter Missarū solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, quod etiam præcepisse Anacletum, colligi potest ex eius epistola 1. vbi de sacerdotibus agens, sic inquit: *Ipsi, quando Domino sacrificant, non solis hoc agere debēt, sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in sacratis Deo sacrificare locis, probentur*, & posteà de Episcopo addit, vt plures testes adhibeat, quā alius sacerdos, vt refertur etiam in c. Episcopus. de Cōsecr. d. 1. Vnde præceptum hoc ex Sothero, & Anacleto, refert Burch. libr. 3. c. 68. ex Concil. Nanneten. c. 30. Et ratio, quæ ex his decretis sumitur, est, quia sacerdos in Missa sæpè loquitur cum multis, vt, cū dicit, *Dominus vobiscum*, & *Orate fratres, Benedicat vos omnipotens Deus*, &, quod difficilius est, sæpe canon facit mentionē plurium offerentium & circunstantium, imò & communicantiū, vt patet ex illis verbis, *Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* Vnde Vvalfrid. Strabo, lib. de reb. Eccles. c. 22. illam dicit esse legitimam Missam, in qua adsunt sacerdos, respondens, offerentes, & communicantes. In contrariū verò est Ecclesiæ consuetudo, qua receptū est, vt sæpè Missæ dicantur, vno tantū assistēte, & respōdente. Vnde in Concil. Mogunt. 1. c. 43. solū requiritur, vt Presbyter non celebres solus, quāuis eadem ratio suprà tacta ibi adiungatur, scilicet, nā, quomodo dicet, *Dominus vobiscum, Sursum corda*, & alia similia, cùm alius nemo cum eo sit.

Sother. Papa.

B

Anacletus.

Micrologus. Burchar. Cone. Nan.

Vvalf. Strabo.

Cone. Magunt.

In hac re possunt esse duæ extremæ sententiæ. Prima est hæreticorū huius temporis, qui grauiter reprehendunt Missas solitarias, quas vocāt, seu priuatas, & præsertim eas, in quibus nulli cōmunicant præter Sacerdotem. Fundanturq; in exēplo cœnæ Dominicæ; Christus enim, multis astātibus, hoc sacrificiū perfecit, & simul sumpsit, & distribuit omnibus, qui præsentes aderant: & subiunxit, *Hoc facite*: ita ergo ex ordinatione illius peragendum est. Secunda sententia esse potest, Missam posse celebrari sine vllo ministro; quia iure diuino hoc non est prohibitū, neque iure etiam Ecclesiastico constat in hoc aliquid esse præscriptū, nam illa iura Pontificia antiquata sunt, vt videbimus. Concilium autē Moguntinum Prouinciale est, vnde nō potest generalem obligationem inducere, neque ratio eius videtur conuenienter adiuncta: aliàs etiam sacerdos non posset Ecclesiasticum officium dicere sine ministro, quia etiā dicit, *Dominus vobiscum*. Respondent aliqui, non esse simile, quia, quando sacerdos solus recitat, non debet decere, *Dominus vobiscum*, sed,

D

Durantus. Nauar. Petr. Damia.

sed, *Domine exaudi orationem meam*. Ita Durant. lib. 2. de Ritib. Eccles. c. 15. qui falso in eandem sententiam citat Durãdum, lib. 4. Ration. c. 14. & re vera est falsa sententia, vt docet Nauar. lib. de horis canonocis. cap. 22. & multò anteà significauit Petrus Damian. in epistola suprà citata, de *Dominus vobiscum*; & constat satis ex vsu Ecclesiæ. Addo, etiã esse alia verba in canonico officio, quæ videntur requirere plures astantes, vel saltem ministrum respondentem, quæ nihilominùs dicuntur à sacerdote, dum solus recitat, vt, *Oremus, Benedicamus Domino, &c.* ergo idem potest in Missa fieri.

1. Conclusio.

Dico primò, circa hoc nihil esse iure diuino præceptũ, aut prohibitum. Hæc conclusio ex parte de fide est, & quoad omnia videtur mihi certa. Quòd enim iure diuino nõ sit præceptũ, vt, quoties Missa offertur, & Eucharistia cõsecratur, assistentibus distribuatur, in superioribus latè probatũ est: vbi etiam è conuerso ostendimus, non esse præceptum iure diuino eis, qui Missæ assistunt, vt in ea communicent: hæc enim duo correlatiua sunt; nec posset vnum sine alio præcipi. Videantur suprà dicta, ne eadẽ repetantur. Deinde est etiam de fide, non esse iure diuino præceptũ, vt Missa coram multis ministrantibus, & assistẽtibus dicatur, & non possit cũ vno solo dici: hoc etiã probat satis vsus Ecclesiæ, qui, cũ sit ferè vniuersalis, & ab Ecclesia generaliter approbatus, non potest errorem continere, non est ergo contra diuinã prohibitionem. Neque existimo hanc consuetudinem esse parum antiquam, quãuis id significet Odo Cameracensis in expositione canonis, dicens. *Cùm primitùs Missæ sine collecta non fierent, postea mos inoleuit Ecclesiæ, solitarias, & maximè in Cœnobijs, fieri Missas*. Nihilominùs tamen hunc morem esse valde antiquum colligi potest ex Gregor. lib. 4. epistolarum. c. 43. aliàs 87. vbi prohibet, Missas publicas fieri in quodam monasterio, *Ne in seruorum Dei secessibus, popularibus occasio præbeatur vlla conuentibus*: simile quid habet, lib. 5. epistol. 46. alias. c. 146. vbi prohibet, Missas publicas in quodam loco celebrari, vbi tamen Missam fieri permittit idem, lib. 7. epist. 71. & lib. 8. epist. 3. quibus locis, etiã facit mentionem Gregor. priuatorũ oratoriorũ, in quibus Missæ dici solebant, nõ tamẽ publicè, nec cũ populi concursu, & homilia 37. in Euangel. refert, Cassium, Narniensem Episcopum, aliquando in priuato oratorio celebrasse, quod ad Ecclesiam ire nõ valeret, August. etiam. 22. de Ciuit. c. 8. meminit cuiusdam Missæ priuatim dictæ in priuato loco, & de S. Gregor. Nazian. refert. Sozomenus, lib. 7. historiæ. c. 5. sacrificare solitum in exigua cellula in priuato oratorio; & Niceph. lib. 8. c. 31. ait, Lucianũ Martyrem sacrificasse in carcere, & suo pectore pro altari vsum esse, cũ iaceret onustus catenis. Constat autem ad hæc loca, & in huiusmodi sacrificijs, non potuisse audientium, seu ministrantiũ multitudinẽ congregari. Item de Cõsecrat. dist. 1. in cap. Et hoc. refertur ex Augustin. *Vt Missæ peculiares, quæ diebus solennibus fiunt, non ita publicè fiant, vt propter eas populus à publicis Missarum solennibus abstrahatur*. Deinde probatur ratione; quia nullibi tale præceptum diuinum habetur scriptũ, neque ex traditione colligitur, sed potiùs contrarium, vt ostensum est. Neque ex facto Christi, tum quia, vt sæpe dictũ est, non omnes circunstantiæ illius facti positæ sunt in præcepto; tum etiam, quia aliàs oporteret, vt minimum, duodecim personas

Odo Camera. Gregor. Gregor. August. Sozomen. Niceph.

A Missæ astare, quia Christus coram totidem celebrauit; & eadem ratione oporteret non plures adesse: quæ cõstat satis esse absurda. Vnde etiam sumitur argumentum, quia non potest, vel apparenti argumento, designari numerus astantiũ, vel ministrantium, qui ex iure diuino necessarius sit ad Missam dicendam, ita vt cum minori licitè fieri nõ possit: ergo signum est, nullam multitudinẽ esse necessariam. At verò, quòd neque vnus minister, qui sacerdoti inseruiat, necessarius sit iure diuino, nõ est ita de fide certum, vt oppositum asserere, hæreticũ sit, vel erroneum: quia non est contra vllam definitionẽ, aut traditionem Ecclesiæ: imò, cùm factum ipsum sit consentaneum consuetudini, & præcepto Ecclesiæ, vt infra dicam, non est, cur sit erroneum, dicere ex diuino iure manasse. Nihilominùs tamẽ existimo hoc esse omnino falsum, & conclusionẽ positam, etiam quoad hanc partem, esse verissimã: B quia in Scriptura nullum est fundamẽtũ huius diuini iuris, vt constat ex argumento facto; neq; etiã in traditione, quia nulla est huius præcepti mentio in antiquis Patribus, imò de illis Missis, quæ priuatim fiebant à Sanctis antiquis, vel in oratorijs, & solitarijs locis, vel in cryptis, aut carceribus, nõ cõstat, vtrũ aliquem ministrum in eis haberent. Præterea nulla est sufficiens ratio ad fingendum huiusmodi præceptum diuinũ: nã, si ratio sacrificij secundũ se consideretur, non repugnat à solo sacrificante fieri, vt ex supra dictis constat, neque in hoc excogitari potest aliqua intrinseca malitia; si verò cõsideretur peculiaris institutio hui⁹ sacrificij, tota substãtia ei⁹ potest fieri à sacrificãte sine vllo ministro; imò, & interdũ fieri põt cũ debita reuerentia, quæ per se nõ pẽdet ex alterius ministerio: ergo nõ est, cur fingatur tale præceptũ iure diuino latum.

Notabile. Autoris sententia.

2. Conclusio.

C Dico secundò, iure Ecclesiastico necessariũ esse, per se loquẽdo, saltem vnum ministrum præter sacerdotem sacrificantem, non tamen plures, nisi in Missis solennibus. Hæc est communis sentẽtia autorum, quos statim referam, ad quam explicandam est in primis supponenda illa distinctio Missæ in solennem seu publicam; & particulatem seu priuatã. Quibus vocibus cautè hoc tempore vtendum est, propter hæreticos, qui Missas priuatas damnãt, eas autem præcipuè vocant priuatas, in quibus nemo præter sacerdotem communicat sacramentaliter; quorum sensum damnans Concilium Tridẽt. sess. 22. c. 6. & can. 8. dicit, *Has Missas communes censendas esse; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet, partim verò, quod à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur*: quæ posterior ratio D vniuersalior est, semper enim sacerdos offert, Ecclesiæ nomine, vt publicus legatus pro toto orbe, vt ex canone Missæ constat; & ex Chrysostomo, homil. 5. de verbis Isaiæ, & 26. in Matth. & ex alijs multis suprà adductis. Sed quanquam in hac verborum significatione hoc verum sit, tamen alijs rationibus constat, quasdam Missas peculiares vel priuatas dici, vt à publicis vel communibus distinguantur: sic enim interdum dicuntur Missæ peculiares, quæ iuxta propriam deuotionem dicuntur de aliquo Sancto, vel de Trinitate, &c. & non iuxta commune officium Ecclesiæ; & ita sumitur hæc vox in cap. Quidam laicorum. de celebratione Miss. & nunc communiter hæc dici solent, *Missæ votiuæ*, distinguunturque à Missis *de die*, aut *de tempore*,

Conc. Trid.

Quot, quibusque modis dici soleãt Missæ, tum priuatæ, tum publicæ.

tempore. Alio modo dici solent Missæ priuatæ seu peculiares, quæ speciali intentione pro aliquo negotio, vel pro aliqua persona offeruntur, vt pro defunctis, pro Rege, fructibus, &c. à quibus nõ excluditur generalis oblatio, & deprecatio, hoc enim nũquam fieri licitè potest, vt suprà diximus; sed quia ex peculiari intentione pro aliqua re speciali fiunt, hoc titulo priuatæ dici possunt; & è cõtrario, quæ absolutè pro omnibus offeruntur sine peculiari applicatione, dicũtur communes seu publicæ; quæ tamen vocum significatio ad præsens institutum nil refert. Alio item modo, & satis iuxta vulgi cõsuetudinem, nunc dici solent Missæ publicæ seu solẽnes, quæ canuntur; priuatæ verò, quæ tantùm recitãdo dicũtur: nam communiter cantus adiungitur propter populi frequẽtiam & solennitatẽ, & ideò, quãdo sine cantu dicitur Missa, per se non censetur requirere hanc populi frequentiam, & ideò priuata dicitur. Vnde ad hæc duo mẽbra sic explicata potest facilè applicari cõclusio posita, quanuis, formaliter loquendo, si solam solennitatem cantus attẽdamus nihil repugnet, Missam hoc modo cãtari cum vno solo ministro, etiam si nulli alij assistãt; quod neq; per se malũ est, neque aliquo iure Ecclesiastico prescritur prohibitũ: imò in aliquibus paruis oppidis interdùm ita fit, nec reprehensione dignum censetur; quanuis enim raro accidat, ad huiusmodi Missam aliquem popolum non congregari, tamen, si id acciderit propter inertiam, aut occupationẽ, vel raritatem populi, nõ ideò malè ageret sacerdos, suam solennitatem, quãtum in se est, adhibendo. Alio ergo modo dicitur Missa publica, quæ signo dato cũ publica populi cõuocatione in publico loco, & certo tempore ad populi cõuẽtum destinato, fit; quomodò loquitur Greg. citatis locis, & Augustin. in dict. cap. Et hoc attendẽdum. Et hę quidem Missę quanuis de se publicæ sint, nõ tamen ita requirunt populi cõuẽtum, vt, si fortasse deficiat, sine illo dici, aut fieri licitè nõ possint: quia licèt populus, vel præcipiatur, vel inuitetur, vt ad illas conueniat, tamen sacerdos nõ prohibetur eas dicere, si per possibile, vel impossibile, populus aduenire negligat. Ex hoc ergo solo capite, nõ requiruntur etiam ad has Missas in rigore plures assistẽtes, vel ministrantes. Adiungi tamẽ solet his Missis quædam peculiaris solennitas, iuxta Ecclesiasticum ritum, iuxta quem dici solẽt cũ Diacono, Subdiacono, acolythis, &c. & hæ dicuntur propriè Missæ solennes, de quibus loquitur D. Thomas, hic articu. 5. ad. 12. dum ait, *Quòd in solenni celebratione Missæ plures debent adesse*: quod in sensu cõposito (vt sic dicã) est per se notũ, quia de intrinseca ratione huius solẽnitatis est pluralitas ministrantiũ: si ergo Missa debet esse solennis, necesse est, vt plures in ea ministrent. An verò necesse sit, Missam interdum fieri cũ hac solennitate, id quæri potest. Et dicendum videtur in primis non esse necessarium, ita semper fieri, vt constat ex vsu Ecclesiæ, & ex facto etiã Christi Domini, deinde satis esse consentaneum, iuri etiam diuino, vt interdum ita fiat; non enim sine causa distincti Ordines instituti sunt, Diaconatus, Subdiaconatus, &c. sed, vt eorum munera exerceantur, maximè autem exercentur in his Missis solennibus. Item, hoc multũ refert ad splendorem & solennitatem Ecclesiasticorum officiorũ, & ad maiorem reuerentiam huius sacrificij, & ad differẽtiam festiuitatum, vt cum maiori, vel minori põpa & solennitate fiant; ac de-

Gregor. August. D. Thom. Quæsito satisfit.

A nique ad populi instructionem, & deuotionẽ excitandam. Vnde tandem concluditur, posse quidem alicubi esse obligationem aliquas Missas dicendi cum hac solẽnitate, sed quia de hac obligatione nõ est vna generalis lex pro tota Ecclesia lata, in diuersis locis seu Ecclesijs, iuxta diuersas consuetudines aut peculiares leges, consideranda, & seruanda erit talis obligatio: &, ea supposita, in modo solennitatis adhibendo, seruandus erit ritus ab Ecclesia institutus, iuxta ea, quæ in disput. 83. & 84. dicta sunt.

Iuxta hanc ergo acceptionem Missæ solẽnis seu publicæ, Missa priuata dicetur omnis illa, quę cum prædicta solennitate non fit; & hoc sensu intelligitur conclusio posita, quod in Missis priuatis non requiratur pluralitas ministrantiũ, seu assistentiũ, etiã ex Ecclesiastico iure, quod etiã docet D. Tho. citata solutione ad 12. & alij autores; & constat ex B comuni vsu, qui declarat, vel nunquam fuisse tale præceptum ab Ecclesia latum; vel, si aliquãdo fuit, contraria cõsuetudine generaliter recepta, videntibus & consentientibus Episcopis & Pontificibus, fuisse abrogatum. Et quidẽ D. Thom. supra significat, nunquã in Ecclesia fuisse hoc præceptum: nã decretum illum Sotheris exponit de Missis solennibus, fortasse, quia ibi dicitur, *Nullus Missarum solennia celebrare præsumat, &c. nisi duobus præsentibus*; sed hæc difficilis est expositio, tum, quia hoc sensu superfluũ esset tale præceptum; quia, vt supra dicebã, fieri non potest, vt Missa solennis sine pluribus ministris celebretur, quia in hoc eius solennitas cõsistit: vel certè dicendũ erit, ibi præcipi, quòd omnes Missæ cũ ea solennitate dicantur, quod est difficilius, & contra D. Thom. mentem, tũ etiam, quia ratio, quæ ibi subiungitur, generaliter omnes Missas comprehendit, scilicet, vt Sacerdos aptè possit C dicere, *Dominus vobiscum*, & similia. Vnde Innocent. III. libr. 2. de Mysterijs Missæ. c. 25. referens hoc præceptum, addit hæc verba. *Verùm aliud est, necessitatis articulus, aliud, religionis contemptus*; quibus significat, præceptũ illud obligare, quãdo cõmodè impleri potest; tamen ob necessitatem prætermitti posse. Sed re vera, nulla alia interueniente necessitate, nisi quia non sunt plures, qui velint Missæ assistere, aut ministrare, potest Missa, vno solo ministrante, dici: quia re vera nullũ est de hac re præceptum, à cuius obseruatione oporteat ob necessitatẽ excusari. Aliter ergo Alens. 4. part. q. 36. membr. 5. aliàs, q. 10. membr. 5. artit. 2. §. 7. dicit, quædam retroactis tẽporibus statuta fuisse ob reuerentiam tanti mysterij, quæ posteà abrogata sunt per vsum, propter necessitatem, & vtilitatem. Et D huiusmodi est hoc, de quo agimus; multiplicato enim numero Presbyterorũ, & vtile, & necessariũ fuit cum vno ministro celebrare, ne frequenter cogerentur sacerdotes sacrificiũ omittere. Ratio autem in prædicto decreto allata congruitatẽ quidẽ habet, non tamen necessitatem: nam, cùm sacerdos dos dicit, *Dominus vobiscum*, Ecclesiam alloquitur, ad eamque intentionem suam referre debet. Vnde Odo Cameracensis, vbi suprà, de sacerdotibus hoc modo priuatè ministrantibus ait, *Cũ nõ habeant, quã pluraliter collectam salutent, nec plurales mutare possint salutationes, conuertunt se ad Ecclesiam, dicentes, se Ecclesiam in Ecclesia salutare, & in corpore totum corpus alloqui; & virtute totius communiores in Ecclesia confici sancta mysteria per gratiam Dei. Neque esse quenquã alicubi fidelium, qui vinificorum non fiat particeps sacrosan-*

Innoc. III. Alens. Odo Cameracensis.

ctorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctorum, dum in corpore Ecclesia adhæret capiti, velut vtile membrum. Et, iuxta hunc sensum, exponit particulam illã canonis, Et *omnium circunstantium*, non tantùm de ijs, qui corporali adsunt præsentia, sed de omnibus, qui in fide cum sacerdote communicant, & Christo capiti adhærent, vt ibidem latiùs Titelmanus exponit, qui eodem modo exponit illa verba, *vel qui tibi offerunt*, & illa, *quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus*, scilicet, vel sacramentali sumptione, vel spirituali, per fidei & caritatis vnionem. Dici etiam posset, meritò illa verba in plurali dici à sacerdote, quia regulariter solent multi adesse, & ita ex intẽtione sacerdotis referri possunt ad circunstantes, siue vnus sit, siue plures. Alia verò verba Anacleti Papæ minorem difficultatem habent, quia, neque voces continent, quæ satis apertè præceptum indicent, sed consilium vel admonitionem, neque fundantur in ratione aliqua necessitatis, sed cuiusdam congruitatis & decentiæ, quæ fortasse eo tempore magis habebat locum, quando sacerdotum multitudo, & sacrificiorum frequentia tanta non erat. Denique, quod Strabo ait, legitimã Missam esse, in qua sunt Sacerdos, respondens, offerentes, & communicantes, licèt impropriè dictum sit, piè tamẽ potest exponi, vocari *legitimam*, quoad perfectum vsum, & participationem huius sacrificij, & sacramenti; nõ verò quoad necessitatem legis impositæ circa modum sacrificandi.

Titelman. Strabo.

Decreta verò in contrarium citata in principio sectionis, probant primam huius conclusionis partem, nimirum vnum saltem ministrum esse necessarium ad Missam dicendam; & confirmari potest ex capitul. Proposuit, de filijs Presbyterorum, quanuis ibi eodem modo de Missa, & de alijs diuinis officijs, sit sermo. Vnde videtur exponi posse textus ille de Missa solenni, seu publica quoad cantum; tamen in Concil. Basilien. sess. 21. inter alios abusus aliquarum Ecclesiarum ibi prohibitos ponitur, *quod Missa priuata sine ministro dicitur.* Et, (quod caput est) hæc omnia decreta sunt vniuersali consuetudine confirmata; quæ consuetudo, etiam si alia deessent, haberet vim præcepti, & ita sentit Diuus Thomas suprà, Palud. in 4. distinct. 13. quæstione 2. articul. 1. Soto, quæstione 1. art. 5. ad 12. Syluest. verb. Missa. quæst. 2. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 5.

Conc. Basil. D. Thom. Palud. Soto. Sylvest. Antonin.

Sed dubitari circa hoc solet, an oporteat, hunc ministrum esse virum, vel possit esse fœmina. Respondetur, quanuis remotè possint fœminæ interdum respondere sacerdoti, vt ex choro facere solẽt in Missa solenni; tamen proximè ad altare ministrare, respondendo, aquam & vinum præstando, & alia similia faciendo, nec possunt, nec debent, vt docent autores supra citati ex capitul. 1. de Cohabitat. clericor. & mulierum, vbi dicitur, *Vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.* Item, quia est per se indecens, & nonnullum periculum continet, saltem contra puritatem & munditiam tanti sacramenti. Vlteriùs interrogari solet, an in aliquo casu liceat soli sacerdoti, nullum ministrum habenti, sacrificium offerre, ita vt ipsemet sibi respondeat, & inseruiat, sicut dicebat secunda opinio supra citata. Et ratio dubij esse potest, quia, licèt Ecclesia id prohibeat, tamen in casu necessitatis non videtur Ecclesiasticum præceptum obligare; ergo, saltem in illo, licebit hoc facere. Atque ita sentit Glossa, dicto capitul. Hoc quoque. de consecrat. distinction. 1. vbi ait, quòd inclusus seu solitarius posset solus Missam cantare, & citat textum in capitul. Quæsiuit. de verbor. significatione, in quo dicitur, quod sacerdos, vno præsente clerico, vel etiam solus, potest infirmum vngere, vbi Glossa aduertit, id intelligẽdum esse in necessitate, quæ legem non habet: idè ergo probabiliter dici potest in præsenti. Et hanc opinionẽ tenet Durant. libro. 2. de ritib. capitul. 15. & Soto in eandem sententiam citat Paludanum, distin. 13. quæst. 2. artic. 1. tamen ibi Paludanus, conclus. 2. solùm dicit, vnum ministrum sufficere, & dist. 13. quæst. 2. artic. 3. conclus. 1. dicit, quòd, licèt solus sacerdos possit vngere, si adiutorem non habeat, nunquam verò sine adiutore celebrare debet. Antonin. etiam supra. §. 6. ait, quòd, si aliquid eorum defuerit, quæ requiruntur ad ritum celebrationis, potiùs est omittenda Missa, etiam in die festo, quã sit celebrandum; at verò inter requisita ad huiusmodi ritum priùs numerauerat ministrum, quanuis in eo §. 6. repetens & numerans aliqua alia in particulari, de hoc nihil specialiter meminerit. Denique Soto, distinct. 13. quæst. 2. articul. 5. ad 12. admittit, in aliquo casu necessitatis posse hoc fieri, non tamen adeo frequenter, vt Glossa supra citata significat, sed in vrgenti casu necessitatis; vt, si esset dies festus, & non posset sacerdos Missam audire, nec socium habere sibi ministrantem, & hoc sequitur Iacobus de Graf. libro 2. sum. capitul. 42. num. 3. citans Antonium de Butr. in capitul. 2. de vita & honestate clericor. &. num. 11. Mihi videtur, hoc non esse sine dispensatione agendũ ob causam aliquam regularem (vt sic dicam) seu ordinariam, vt, verbi gratia, si quis eremita omnino solus viueret sine socio, non posset licitè, nec quotidie, nec diebus festis solus celebrare, sine dispensatione: quia illa non potest propriè dici necessitas, sed voluntas: nemo autem potest sua voluntate instituere talem viuendi modum, in quo, præter communem Ecclesiæ consuetudinem, & contra ordinariam legem, celebret; at verò, si necessitas casus fortuito & extraordinariè accidat, probabile existimo, posse hoc fieri sine culpa, quia autoritas prædictorum autorum facit rem moraliter probabilem. Item, quia hoc præceptum solùm fundatur in Ecclesiastica consuetudine, quã meritò interpretari possumus, extra articulũ necessitatis. Addit verò Soto, consultius esse, non ita celebrare propter cuiuscunque festi necessitatem, sed propter festum magnæ solennitatis: quod quidem ego ita consulerem, sed non damnarem peccari mortalis eum, qui in quocunque festo id facere. Vnde fit, multò magis hoc licere propter periculum mortis ad sumendum viaticum, vel ad dandum illud alteri, & sic de alijs similibus. Ac denique addendum censeo cum Soto suprà, si in huiusmodi casu necessarium sit, aut solùm ministrare, aut fœminam adiutricem habere, potiùs esse celebrandum sine ministro, quam cum fœmina ministrante, tum quia hoc expressiùs est iure prohibitum, & de se videtur esse quid indecentius, magisque vitandum.

Durant. Soto. Palud. Antonin. Soto. Iacobus de Graf. Autoris sententia.

Quæsitum.

SECTIO

SECTIO II.

Ad quid obligetur is, qui sacerdoti in sacrificando ministrat.

Aliud quæsitum.

munus ad eos pertinuerit. Deinde inquiri potest, supposito q; huiusmodi ministri, siue voluntariè, siue ex obligatione solenniter ministrãt, quid obseruare debeant vel teneãtur in huiusmodi ministerio. In quo dicendum est, teneri ad ea obseruanda, quæ iuxta ritum ab Ecclesia institutum circa solennẽ Missæ celebrationẽ instituta sunt, prout in Missali, vel Pontificali Romano habẽtur, sicut de sacerdote dictũ est: omnia enim, quæ de illa dicta sunt, hic possunt cũ proportione applicari. Itaq; vti debẽt vestibus sacris ab Ecclesia institutis in suo ministerio, seruare etiã debent ceremonias omnes, tã in verbis, quã in actionibus consistentes, quæ ad illos pertinent, peccarentque, hæc leuiter omittẽdo, vel negligenter aut irreuerenter tractãdo, secluso autẽ contemptu & scandalo, tarò erit in hoc graue peccatum, quia ministerium hoc minùs principale est; & accidẽtarium in officio Missæ, ita materia huius defectus communiter nõ appatet admodũ grauis; interdum tamen esse potest, si, aut redundet in aliquam irreuerentiam grauem ipsius sacramenti, aut, si eã ob causam aliquid omittatur, quod, licèt accidẽtale sit, tamen maioris momenti in Missa cẽseatur, vt, si ob negligentiam Diaconi ministrãtis calicẽ, mistio aquæ omitteretur; aut si Subdiaconus vellet in Missa ministerium Diaconi vsurpare, nolletque epistolã dicere, aut aliquid huiusmodi. Tandem inquiri posset, an teneãtur hi, præsertim Diaconus & Subdiaconus, disponi ad gratiã, vt dignè solenniter ministrẽt, sed hoc sufficiẽter attigimus supra, tractando de sacramentis in genere, & de dispositione, quæ ad illa ministranda requiritur.

Responsio.

Dubij enodatio.

De alio ministro, qui absque vlla solennitate vel consecratione Missæ inseruit, solùm necesse est, vt duo ibseruet: Primũ, vt iuxta ritũ ab Ecclesia prescriptum respondere sciat, atque respondeat: quia alioqui malè faceret, vsurpando ministerium, quod nõ potest nisi ineptissimè præstare. Item, quia, si nõ rite respondeat, re vera nõ erit minister. Vnde perinde erit quoad hanc partẽ, cum illius præsentia, ac sine ministro, sacrificare. Sed quæres, an in casu necessitatis, quãdo nullus adsit, qui respondere sciat, possit sacerdos vti aliquo, quem ipsemet sacerdos in eadem Missa ad respondendum instruat, præeũdo, seu verba responsionũ simul cum illo dicendo. Respondeo, si tanta sit necessitas, in qua liceret etiã sine ministro conficere, nõ est dubiũ, quin hoc etiã liceat: imò, cæteris paribus, potiùs esset vtendũ huiusmodi ministro, quã omnino sine ministro celebrãdum, quia hoc modo minùs violatur, etiam materialiter, Ecclesiastica consuetudo & præceptum. Vnde consequẽter existimo, minorem necessitatẽ sufficere ad vtendum huiusmodi ministro, quã ad celebrandum omnino sine ministro: sine aliqua tamen legitima causa, & magna indigẽtia ministrorum, nõ est hoc faciendum, quia est minùs decens, & valde alienum à consuetudine Ecclesiæ, & à ritu eius, ad quem spectat, vt sacerdos ea tantùm profe rat, quæ sui muneris sunt, &, alio respondente, taceat. Secundò tenetur hic minister actiones ad se pertinentes ea diligẽtia, & animaduersione tractare, vt eius occasione nullus defectus in Missa committatur: hoc cõstat, quia hæc obligatio ex natura rei sequitur, supposito vsu talis ministerij: quoniã aliàs talis defectus meritò ipsi ministro, & negligẽtiæ eius tribueretur; vt, si, dũ ampullas ministrat, loco vini offerat aquã, vel aliquid huiusmodi, quod tale

Quæsitum.

Responsio.

Autoris sententia.

Quæsito satisfit.

Universidad de Deusto Biblioteca

tale est, vt, si volũtariè fiat, graué culpã contineat, regulariter vero excusantur huiusmodi ministri à graui culpa, quando aliquid simile cõmittunt ob naturalem inaduertentiã: quoniam verò sæpè contingit, huiusmodi ministros, aut non esse satis instructos, nec per se omnino sufficientes, nec perfecta ratione vtẽtes, vt in villis seu paruis oppidis sæpè accidit; ideo tũc maximè debẽt sacerdotes ipsi vigilare, ne aliquis defectus eorũ occasione cõmittatur. Alia, quæ ad huiusmodi ministros pertinere possunt, cõmunia sunt cæteris, qui Missam audiũt, scilicet, quòd reuerenter & attentè assistant, ac similia; an verò huiusmodi minister peccet, ministrãdo sacerdoti peccatori, in superioribus tractatum est, agendo de indignis ministris sacramentorum.

DISPVTAT. LXXXVIII.

De præcepto audiendi Missam.

D. Thomo

QVanuis materia hui⁹ disputationis ad tertium Decalogi præceptũ pertinere videatur, de quo tractat D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. quoniã præcipua pars sanctificationis festorum, prout in Ecclesia obseruatur, in Missæ auditione posita est; nihilominùs non potuit in præsentia omnino prætermitti: quoniã ad integrũ atque completũ Missæ tractatum necessaria est. Diximus enim in superioribus, quãuis sacerdos sit, qui propriè ex officio offert hoc sacrificiũ Missæ, cæteros tamẽ, qui assistũt, etiã suo modo per illum offerre, & ideo, sicut de sacerdotibus diximus, quando, & quomodo offerre teneantur, ita etiã de cæteris offerentibus, qui Missæ assistunt, id explicare necesse est; præsertim, quia cũ dictũ sit de sacerdote offerẽte, & ministro adiuuãte: oportet etiã de assistentibus dicere, & de eorũ obligationibus: nã in cæteris, qui remotè dicuntur offerre, nulla specialis obligatio cõsiderari potest; ad assistentes autẽ propriè pertinet præceptũ de Missa audienda. De quo primo videdũ est, an sit, deinde, quomodo sit implendũ, & quæ possint ab illius obseruatione excusare.

SECTIO I.

Utrùm sit in Ecclesia præceptum de Missa audienda.

Angelus. Sum. Rosell. Turrecrem.

NOn defuerunt, qui huiusmodi præceptum esse negarent, quam opinionem aliqui tribuunt Angelo, verb. Feriæ, nu. 42. qui citans Richar. quodlib. 1. q. 19. negat, omissionem Missæ in die festo esse peccatũ mortale, nisi ex contemptu formali vel virtuali fiat. Quod etiã affirmauit Sum. Rosell. verb. Missa, & Turrecrem. in cap. Missas. de Consec. d. 1. vocãt autẽ cõtẽptũ virtualẽ, quãdo quis absq; vlla legitima causa assuefit omissioni Missæ in prædictis diebus. Sed hi autores nõ omnino negant præceptũ, sed malè illud declarãt.

Conclusio.

Dicendũ est ergo esse in Ecclesia præceptũ impositum fidelibus audiendi Missam certis diebus, quos festos appellamus, quod inferiùs declarabimus. Hoc est de fide certum, absolutè loquendo, quanuis Soto in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. in fine solũ dicat, *qui negaret hanc veritatem, puniendũ esse, tanquam inspectum aduersus sancta mandata*. Probatur autem conclusio; Primò ex multis decretis, quæ habentur de consecr. dist. 1. c. Missas. c. Omnes fideles, & alijs, quæ in sequẽtibus afferemus, in quibus; & præceptum datur, & per verbũ præcipiendi expressè proponitur, quod ex vi & proprietate sua necessitatem inducit, vt August. ait, lib. de Sancta Virginitate. c. 14. & 15. Secundo ex vsu & consuetudine Ecclesiæ; nã inter prima fidei rudimẽta hoc præceptum tertio loco inter Ecclesiastica numeratur: & ita est cõmuni sensu omniũ Catholicorũ receptũ. Tertiò ex cõmuni Doctorũ omniũ consensu, D. Thom. citato loco. Soto 2. de Iustit. q. 4. ar. 4. & in 4. dist. 13. vbi suprà, & ibi Palud. q. 15. & Summistarum omniũ, verb. Missa, verb. Feriæ. & verb. Festorum obseruatio. Nauar. d. c. Quando. & in Summ. c. 13. nu. 16. & c. 21. Castro, lib. de leg. pœn. cap. 5. & vltim. & aliorum Canonist. in dictis capitibus de Consecr. dist. 1. Quartò accedit congruẽtia: nã illi dies deputati sunt ad diuinũ cultũ; & ideo, sicut aliquid illis diebus ab Ecclesia prohibetur, quo possint homines expediti esse ad vocãdũ diuinis rebus, ita etiã aliquid positiuè præcipi oportuit, quo fideles eisdẽ dieb⁹ Deũ colerẽt, sed nihil accõmodatius præcipi potuit, quã vt Missæ assisterẽt, in qua supremus Dei cultus exterior cõtinetur.

August. D. Thom. Soto. Palud. Nauar. Castro.

Quæsito satisfit.

Hinc autẽ oritur quæstio, an hoc præceptũ merè Ecclesiasticũ sit, vel aliquo modo ex naturali, aut diuino iure descendat. Respõdeo, supposita institutione huius sacrificij (nam sine illa constat, nullum posse esse huiusmodi præceptũ) præceptũ hoc esse valdè consentaneũ iuri naturali. Primo quidẽ, quia præceptũ sacrificãdi quodãmodo est de iure naturæ; & ideo apud omnes etiã Gentes seruatũ est, vt omnes, qui ad aliquẽ populũ vel Rempublicã pertinent, aliquo modo & aliquibus diebus congregentur & conueniãt ad colendũ Deũ eo ritu sacrificandi, quẽ vnaquæq; Republica profitetur: nam, sicut sacrificiũ est cõmunis & publicus cultus, qui nomine omnium offertur, ita etiã ratio ipsa postulat, vt omnes aliquãdo assistãt, suumq; consensum & cooperationem, quomodo possunt præbeant. Secũdò, quia, sicut cultus externus Dei est de iure naturæ, ita etiã, ꝙ tẽpus aliquod ad hunc cultũ deputetur, ad ius naturæ pertinet; quãuis huius vel illius diei designatio sit de iure positiuo, vt D. Tho. dict. ar. 4. ad 1. docet, & omnes cũ illo: hoc autẽ naturale ius optimè impletur, deputãdo aliquos dies ad colendũ Deum per Missæ sacrificiũ, ei assistẽdo: hoc ergo modo ducit originem hoc præceptũ à iure naturæ. Et eadẽ ratione est valdè consentaneum iuri diuino; nã Deus præcepit ac voluit, se coli in Ecclesia Christi hoc genere sacrificij, iuxta illud, *Hoc facite*: ergo valdè consentaneũ huic præcepto est, vt omnes fideles obligentur ad colendũ Deũ aliquando hoc sacrificio, vnusquisque eo modo, quo potest: ergo, vel offerendo, vel saltẽ assistendo. Imò, si factũ Christi cõsideretur, probabiliter intelligi potest verbũ illud, *Hoc facite*, ita vt hoc totũ comprehendat, nã ibi, & Christus sacrificauit, & discipuli astiterunt sacrificio: ergo Christus præcipiens, vt id fieret in Ecclesia, voluit, & à sacerdotibus offerri, & vt fideles ei aliquãdo assisterent; quãuis enim ex illis verbis nõ colligatur, necessariã esse præsentiam populi, vt hoc sacrificiũ offeratur, neq; teneri populum toties huic sacrificio assistere, quoties ipsum offertur; colligitur tamen probabiliter, teneri populũ aliquãdo assistere huic sacrificio ad memoriã passionis Christi recolendã, & per eius repræsentationẽ, realemq; ipsius Christi præsentiam & oblationẽ, Deũ colere, deprecari, eiq; pro susceptis beneficijs gratias agere. Sed, quãuis hæc, quæ probabilia

Cultus externus Dei est de iure naturæ. D. Thom. Notabile.

babilia sunt non cogãt, vt simpliciter asseramus, præceptũ hoc audiendi Missam, etiã in cõmuni sumptũ esse de iure diuino, satis ad rẽ moralẽ est; quod sit illi valde consentaneũ, licet absolute Ecclesiasticũ tantum sit; non est enim dubium, quin possit Ecclesia in tali materia ad diuinũ cultũ adeo pertinẽte, & ad spiritualẽ fructum fidelium vtilissima; præceptum ponere, etiam si diuino iure latum non sit.

Corollariũ.

Atque hinc sequitur primò, præceptũ hoc inducere graue obligationẽ, ita vt illud trãsgredi omnino, vel vno tantũ die, pro quo obligat sine vlla legitima causa excusante peccatũ mortale sit, etiã si non ex cõtemptu, iuxta interpretationẽ Angeli, & Richardi, sed ex mera voluntate, aut negligentia, & vecordia culpabili, vel ex affectu ad aliã actionẽ, aut alio simili modo voluntariè omittatur. Ita sentiũt omnes autores suprà citati: quia materia ex suo genere grauis est cũ ad cultum diuinũ pertineat, & in particulari integra Missa, vel eius omissio etiã est res satis grauis: nõ ergo solũ ex assidua omissione fit hæc culpa mortalis, sed etiã ex singulis actibus, seu omissionibus integris omissio enim alicuius partis potest esse tantũ venialis culpa, vt infra dicemus. Et confirmatur, nã, si quis voto se obligaret ad audiendã Missam vno die, & id omitteret, peccaret mortaliter. Sed non minus obligat Ecclesiæ præceptũ, quã votũ propriũ; neque est minus grauis auditio Missæ respectu præcepti, quam respectu promissionis. Item trãsgressio ieiunij Ecclesiastici vnius diei est peccatũ mortale. Itẽ in sacerdote omissio officij canonici in vno die est mortale peccatũ? sed non est res minus grauis oblatio sacrificij, & auditio Missæ; ergo pro singulis diebus seu vicibus obligat hoc præceptũ sub mortali. Et hic iam est omniũ fideliũ sensus, intelligendũ est autem, hanc culpã esse mortalem ex suo genere, nã ex accidente potest esse, vel venialis, vel nulla. Idq; duplici ex capite; primo ex parte materię, si nõ tota Missa, sed aliqua pars eius omittatur, quæ autẽ, & quanta hæc sit, infra declarabitur; secundo ex parte operantis; quia, scilicet, ex naturali inaduertentia, vel ignorãtia inculpabili, vel saltẽ non grauiter culpabili, omittit; vt, si habens animũ audiendi Missam incipiat actionẽ aliquã occupari, & postea adeo obliuiscatur, vt prius, quã aduertat, elapsum sit tẽpus cõmodũ ad Missam audiendam tunc enim excusatur à culpa non solũ, si actio illa, in qua occupatur, studiosa sit & honesta, vt quidã putãt sed etiã si sit cuiuscunque ordinis: quia illa nõ excusat, eo quod bona vel mala sit, sed propter inuoluntariũ, quod occasione illius accidit, per inaduertentiam omnino naturalẽ, & nullo modo præuisam: supponimus enim, actionẽ illã de se nõ esse talẽ, quæ mortale periculum afferat illius obliuionis, vel omissionis vel saltẽ, ꝙ tale periculũ nõ sit præuisum, neq; animaduersum; quod cõmune esse potest, tam actioni malæ; quã bonæ. Similiter (ait Caiet. verb. Festorũ violatio) si quis absq; sufficiẽte causa omittat sacrũ in die festo bona fide putãs causam esse sufficientẽ, cũ re vera nõ sit, excusari potest à culpa, vel saltẽ à mortali; & idẽ notat Nauar. c. 21. n. 14. quod generale est omnibus peccatis, vt constat ex materia de cõscientia, & notat idẽ Nauar. c. 23. n. 42. est autẽ difficile, in particulari iudicare, quando hæc ignorantia, sit nimiũ, vel leuiter culpabilis: non enim semper hęc existimatio excusat, si temere habeatur, vel si quis negligat interrogare, cũ dubitat, & potest: sed considerandæ sunt circũstantiæ, & cõditiones personæ; & præsertim an bonã illã fidẽ simpliciter, & sine hæsitatione habuerit: nam tunc ordinariè est inuincibilis, & excusat, saltẽ à culpa graui.

Notabile. Caiet. Nauar.

Aliud corollariũ. Angeli opinio reijcitur.

Secundo sequitur ex dictis, falsò dixisse Angelũ, dict. verb. Feria, n. 45. si quis nõ possit in die festo simul Missæ & prædicationi interesse, potius debere Missam quã cõcionẽ omittere, si alterutrũ audire possit. Sed errat grauiter, quia audire missam est in præcepto; audire autẽ cõcionẽ nõ ita; ergo, per se loquendo, præferenda est Missa concioni. Dico autẽ, *per se*, quia in aliquo raro casu; si quis non posset in fide instrui, aut ab hæreticis defendi, nisi audita cõcione vel instructione alicuius Doctoris, seu cõcionatoris Catholici, posset interdũ ea occasione excusari ab obligatione audiendi Missam, sicut potest excusari propter alias causas minus etiam graues & necessarias, vt infra videbimus.

3. Coroll.

Tertio sequitur posse Pontificẽ in hoc præcepto dispensare cũ Ecclesiasticũ sit, quanuis talis dispensatio non videatur esse in vsu quia vix potest esse necessaria aut conueniẽs. Dispensare enim cũ aliquo, vt nũquã in tota vita Missam audiat, si nolit, etiã si possit, neq; vlla rationabili causa impediatur, nõ potest esse expediens: talis enim dispensatio non esset in ædificationẽ, sed in destructionẽ; & aliquo modo repugnaret iuri, & cultui diuino: dispẽsare autem, vt, interueniente aliquo impedimẽto, Missa possit sine culpa omitti; moraliter necessariũ nõ est: quia si tale impedimentũ rationabile sit, per se sufficit ad excusandũ vt infra videbimus: imo tot sunt hæc impedimẽta, tãq; ampla facultas in hac re conceditur ab autoribus, vt aliã præter illa omnia in hac re desiderare, ab animo fideli & religioso videatur alienũ; at propterea hæc dispensatio, neque in vsu est, neq; expedit eam esse.

SECTIO II.

Quæ sit materia huius præcepti, seu quid intelligatur nomine Missæ, quæ audire præcipitur.

Diuisiones Missæ assignantur.

MIssa, vt supra vidimus, diuidi potest in Missã catechumenorũ, & fidelium, & ex vtraque constantem. Itẽ in solennẽ, seu quæ cum cãtu dicitur; & priuatã, seu quæ tãtum recitatur. Item, in Missam votiuã, & de die; & de his omnibus dubitari in præsente potest, quam Missam vnusquisque audire teneatur, vt huic præcepto satisfaciat.

Circa primã diuisionem quid certũ.

Et quidẽ circa primã diuisionẽ certũ in primis est, præceptũ hoc obligare fideles ad audiendã totã Missam, à principio vsq; ad finẽ, vt constantẽ ex Missa catechumenorũ & fideliũ. In hoc omnes Doctores cõueniũt, & probatur sufficienter ex c. Omnes fideles. de Consecr. d. 1. *Omnes fideles, qui cõueniunt in solẽnitatibus sacris ad Ecclesiã, & Scripturas Apostolorũ, & Euangeliũ audiant, qui autem non perseuerãt in oratione vsque dũ Missa peragatur, cõuenit cõmunione priuari*, & in cap. Missas sic dicitur, *Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus*. Verũ est in aliquibus antiquis codicibus deesse in Conc. Agath. c. 47. particulã illã, *totas*, tamẽ in Cõcilijs à Surio editis nõ deest & in decreto Gregoriano nihil circa hoc notatur, quod est signũ, indicatũ esse, illã particulã ita fuisse in vero originali Concilij, sicut à Gratiano posita est vnde in eodẽ textu, & in c. Cũ ad celebrandas. eadẽ distinctione, prohibetur fidelibus, ne ante cõpletam Missæ solẽnitatem, & benedictionẽ sacerdotis dicedant; Et in hoc sensu intellectũ est, & receptum hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptum cõmuni consensu, & cõsuetudine totius
Cõc. Col. 1. Ecclesiæ quod ita etiã obseruãdũ declaratur in Cõc.
Colon. 1. part. 7. c. 26. in 2. tom. Cõc. Quocirca, quod
in prædicto canone dicitur, debere fideles missas to-
tas audire, quãuis distributione accommoda sufficien
ter intelligatur, vt vnusquisque Missam integram au
diat; nullus enim tenetur plures audire, sed vnã tan-
tũ, vt infra d. cã; tamen si etiam ad singulos velimus
Missas in plurali referre, rectè etiã intelligi potest, de
bere vnũquẽque fidelium audire integras Missas ca-
techumenorũ & fideliũ; sic enim totũ Missæ officiũ
Notabile. dici sæpe solet, Missarũ solẽnitas seu celebratio, vt pa
tet ex c. Quoq; c. Cũ ad celebrandas. & alijs eadẽ di
stinctione. Ratio autem huius cõclusionis nulla alia
est, nisi quia ita præceptũ est: fuit autẽ hoc valde con
ueniẽs quia, sicut institutũ est ab Ecclesia propter re
uerẽtiã sacramẽti, & propter instructionẽ & admoni
tionẽ fideliũ, vt Missæ sacrificiũ cũ toto illo ceremo
niarũ apparatu fiat, ita merito omnib⁹ fidelib⁹ præci
pitur, vt toti sacrificio, prout in Ecclesia fit, assistãt.

Corollar. Ex hac certa conclusione sequitur, nõ posse fideles
volũtarie, & sine legitima atq; excusante causa, omit
tere aliquã partẽ Missæ, etiã minimã, sine culpa quia
vel in toto, vel in parte, non adimplebunt hoc præ-
ceptũ. Itẽ quia sacerdos voluntarie omittens aliquã
partẽ totius officij canonici, peccat quia tenetur, offi
ciũ illud integrũ dicere: ergo similiter, &c. Itẽ, quia
in die ieiunij nihil omnino comedi potest extra tem-
pus præscriptum, sine culpa seclusa rationabili causa
excusante pro ratione materiæ, quia illo præcepto
simpliciter prohibetur cibus; sed similiter in præsen-
te præcepto, licet affirmatiuum sit, tamẽ ob integri-
tatẽ, quẽ præcipit, includit negatiuum, scilicet, vt ni-
hil de tota Missa omittatur: ergo. Tandẽ, quia ideo
Aduertãd. in iure expressè cauetur, vt ante benedictionẽ sacer- C
dotis nullus discedat. 1. Vbi obiter adnotari potest, cũ
nuper introductum seu ordinatũ sit, vt post benedi-
ctionẽ sacerdotis, initium Euãgelij D. Ioannis dicatur, fortasse nõ peccari venialiter, etiã si statim post
datã benedictionẽ aliquis discedat, illo Euãgelio non
audito, quia iã seruat præceptũ, etiã iuxta tenorẽ, &
verba legis: & quia illud Euangeliũ nõ videtur ad in
tegritatẽ Missæ pertinere. Nihilominus tamẽ hoc nõ
est vulgari populo dicẽdum, sed potius reprehẽdẽdi
sunt, qui hoc faciũt: nã re vera nõ id faciũt, quod, per
se loquẽdo, decet, & nonnullã inquietudinẽ cæteris
cõmouent, q. maxime cauendũ dicitur in dicto cap.
Omnes fideles. Ac deniq; satis probabile est, iã illud
Euangeliũ esse partẽ totius officij Missæ, & cõprehẽ
di sub illa particula, *totas*. Quod autẽ in antiquis iu-
ribus præcipiebatur fidelibus ne dicederẽt ante bene
dictionẽ, nõ materialiter, sed formaliter sumendũ est,
id est, vsq; ad finẽ Missæ, ideo enim tũc benedictio-
Notabile. nis mẽtio facta est, quia ibi Missa finiebatur. Illud etiã
hic adnotandum censeo, quod Doctores aduertunt,
eos, qui Missæ inseruiũt, quãuis aliquas eius partes nõ
videãtur percipere vel audire, dũ per Ecclesiã discur
runt, vel ad sacellũ accedũt, vt vinũ, thus, aut similia
ad Missam necessaria afferant, nõ tamẽ propterea esse
censendos, partẽ vllã Missæ omittere, sed potius toti
assistere, cũ toti interuiãt, & ad hoc semper intendãt.
Ita Syluest. verb. Missa. 2. q. 1. Tabiena, verbo, Missa
num. 10. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 1. Nauarr. in c.
Quando. de consecr. d. 1. notab. 10. n. 18. quod intel
ligendum est, dũmodo bona fide procedãt, & medio
crẽ diligentiam adhibeãt, ne plus iusto, & sine neces-
sitate absint, aut in sacello, vel alijs locis immorẽtur.

A Debent etiã nõ reseruare in illud tẽpus earũ rerũ præ-
parationẽ, quæ ante Missam præueniri possunt, vt in
illo tẽpore solũ his actionibus incumbant, quas solẽ-
nitas officij requirit, & quæ antea cõmode præueniri
nõ possunt; si tamen contingat, alia etiam, quæ præ-
ueniri poterant, ex obliuione vel in curia fuisse omis-
sa, & inter Missarũ solẽnia esse quærẽda, vel præparã-
da, tunc licitũ erit, ob eã causam abesse, quia omnino
expedit, vt ad integrã Missæ solennitatẽ nihil desit;
& minister excusabitur ratione iã dicta, quanquã, si
oporteret magnã partẽ Missæ omittere ex accidenta
li occasione, vt v. g. si deesset vinũ, & extra Ecclesiã
quærendum esset, tunc teneretur aliam Missam au-
dire, si posset, si autem non posset excusaretur ratione
iusti & debiti ministerij.

B Secundo sequitur hanc culpã seu transgressionẽ, *Aliud certi larimm.*
quæ cõmitti potest in omissione partis Missæ, nõ esse
semper æqualẽ, sed grauiorẽ aut leuiorẽ, iuxta quãti-
tatẽ partis omissæ, & cõsequẽter esse mortalẽ, si pars
omissa grauis est; venialẽ autẽ, si sit leuis, in quo etiã
omnes Doctores conueniunt. Difficultas autẽ inter
eos est in iudicio ferẽdo de parte, quæ sufficit ad mor
tale peccatũ, vel in qua omittenda solũ venialiter pec
cabitur. Videntur tamẽ in hoc cõuenire, quod dimi-
dia pars Missæ, vel etiã tertia, sit grauis & sufficiens
ad peccatũ mortale, si tota omittatur; è cõtrario verò
partem minorem quarta parte Missæ ex his quæ acci-
dentalia sunt, præsertim si ex principio aut fine Missæ
sumatur, solũ esse materiã venialis peccati. Vnde ali-
qui designant introitũ Missæ cum his, quæ præcedũt
vsque ad Epistolã exclusiue. Atq; ita videtur loqui
Antonin. Tabien. & Syluest. supra, nõ tamẽ satis ex-
plicãt; apertius id declarauit Sandoual. tract. de offic.
Eccles. part. 6. c. 14. Alij vero hoc extendunt vsq; ad
Euangelium exclusiuè. Itaq; si ab initio Euangelij
vsq; ad finẽ Missæ audiat, nõ peccabit mortaliter, q. *Soto.*
expressis moderni declararunt, vt Soto, dist. 13. q. 2. *Nauarr*
art. 1. Nauar. c. 21. n. 2. & cap. Quando. de Consecr.
dist. 1. notab. 10. n. 19. quia illa pars nõ dum censetur
quarta pars Missæ, nec notabilis. Intelligendum autẽ
hoc est, dummodo Missam reliquã vsque ad finem au
diat: nã si quis in principio vsq; ad epistolam inclusiue omitteret, & posteà, statim post cõmunionem sa-
cerdotis, egrederetur, nimia esset licentia, nec careret
scrupulo peccati mortalis: oportet ergo, vt saltẽ assis-
tat vsque ad dimissionem populi, vel sacerdotis be-
nedictionẽ. Si autẽ quis à principio Missam audiat, & *Aduertẽd.*
vsq; ad cõmunionẽ assistat, quanuis reliquũ omittat,
non erit peccatum mortale, quia illa nõ est pars nota-
bilis; imò quanuis aliquid ex principio, & fine omit-
tat, poterit nõ esse mortale, si ex vtroq; nõ cõficiatur
notabilis quantitas, vt, v. g. si à principio epistolæ vs-
que ad integram communionem sacerdotis inclusiuè
assistat: quia epistola æquiualere censetur orationibus
quæ post communionem sequuntur.

Addit vero Nauarr. quod licet quis ab offertorio *Nauarr.*
vel symbolo incipiat Missæ assistere, satisfaciet præ-
cepto, ita vt mortaliter non peccet, dũmodo posteà
legat, vel sibi legi faciat Euangelium Missæ. Sed in
primis hæc limitatio videtur impertinẽs, quia lectio *opin. Na-*
Euangelij extra missam neque est pars Missæ nec fa- *uar. reiicit.*
cit vnum cum illa, nec cadit sub hoc præceptum; vn-
de impertinens est ad implendum illud: nam, si quis
absque culpa ob impotentiam, initium Missæ omit-
tat vsque ad Euangelium inclusiue, nõ tenetur po-
steà ex vi huius præcepti ad legendum Euangelium
non enim est, vnde hæc obligatio oriatur, nec cõsue-

tudo id

suetudo id habet. Quapropter illa licentia nimia esse
videtur, nã ex ea sequitur posse totã illã partẽ omit- A
ti absq; peccato mortali, siue legatur posteà Euange-
lium, siue nõ: quia, vt dixi, hoc est impertinens: conse
quẽs autem videtur absurdũ, quia re vera illa est pars
notabilis: nã, vt minimum, est quarta pars Missæ, quæ
pars in qualibet re existimatur notabilis; & cum hæc
res sit moralis, non est ampliãda. Posset autem hæc
opinio Nauarri practicè tolerari in alio sensu, scilicet,
si is qui Euangelium omisit, audiat totam missam re-
liquã vsque ad Euangelium Ioannis inclusiue: nam il
lud Euangelium iã est aliquo modo pars Missæ, vt su
pra dicebam; & alioqui est probabile, non teneri fi-
deles ad audienda duo Euangelia, neque ad assistẽ-
dum, nisi vsque ad dimissionem vel benedictionem;
& ideo audiendo postremum Ioannis Euangelium,
videtur posse compensari aliud Euangelium in prin- B
cipio omissum, & ita satisfieri præcepto.

Vltimo deniq; circa hæc aduertere oportet, in his
partibus Missæ nõ tam esse cõsiderandam tẽporis mo
rã, quã dignitatẽ, & propinquitatem, vel necessitatẽ
ad substantiam sacrificij; & ideo autores facilius per-
mittunt, omitti ea, quæ antecedunt, vel sequũtur ca-
nonem Missæ, in quo maxime necessaria sunt, quæ à
consecratione vsq; ad cõsumptionẽ continentur; &
ideo est valde probabile, non impleri præceptũ, etiã
quoad substantiam eius, si quid eo tẽpore omittatur
vel intermittatur, etiã si tempus breue esse videatur,
vt v. g. si quis egrederetur Ecclesia, quando sacerdos
vsque consecrare, & finita consecratione, statim ingre
deretur, nam amitteret substantiã sacrificij; & idem
fortasse esset, si ante cõmunionẽ discederet, quia vel
est de substantia, vel maxime pertinens ad perfectio C
nem sacrificij. Sed quanuis hæc tutiora sint, nõ est ta
men semper scrupulus inijcienduas quando tẽpus est
admodũ breue, dũmodo consecratio & sumptio simul non omittantur: quia res hæc moraliter iudican
da est, & adhuc non satis constet, in quo præcisè con-
sistat substantia sacrificij.

Quæsito sa-tisfit. Sed quæres, quid agere debeat, qui aliquam partẽ
missæ omittit, vt culpam euitet. Respondetur, varijs
modis posse hoc accidere: primo, vt pars illa non sit
notabilis, & à principio inuoluntariè omnino omitta
tur, vt si quis accedat ad Ecclesiam animo audiendi
integrã missam, & casu inueniat aliquam inchoatã in
orationibus, vel epistola, & illã audiat. Vel, si à princi
pio eã audiuit, & posteà, iusta aliqua orta occasione,
cogitur discedere statim post cõmunionem sacerdo-
tis; & in his casibus existimo non peccare, etiam ve-
nialiter, quia illa partialis omissio tunc, non solum est
leuis sed etiam est inuoluntaria & casualis, vel habet
sufficientem excusationem; neq; necessarium est ad D
hanc culpam venialẽ excusandam, quod ille defectus
suppleatur in alia missa, etiam si fieri possit: quia iam
præceptum est substantialiter impletum, & ille defe-
ctus inuoluntariè admissus est; illeq; modus supplen
di illum est valde imperfectus, & non multũ conduc-
cens ad missæ integritatem. Secũdo fieri potest, vt hæc
partialis omissio à principio cõmittatur voluntariè,
vt si quis sciens, & videns nolit ingredi Ecclesiam,
donec epistola dicta sit, animo adimplendi præceptũ
reliquum missæ audiendo, & tunc semper venialiter
peccatur. Neque existimo necessariam moderationẽ
Moderatio aliquorum non est neces saria. quã aliqui addũt, scilicet, missi illa pars, quæ omittitur,
minima sit; quantumuis enim sit parua, est irrationa-
bilis voluntas omittẽdi illam, nisi legitima causa ad-
sit: neque oportet etiã excipere confessionem sacerdo

A tis, vt aliqui excipiunt quia nõ putãt esse partẽ missæ
est enim hoc gratis dictũ, nã sub ritu, & nomine mis-
sæ totum id cõprehenditur, & ita hoc totũ etiam cõ-
plectitur præceptum audiendi missam; postquam ve-
rò hic defectus iam cõmissus est, non est obligatio il-
lum supplendi in alia missa, propter rationes insinua-
tas, & quia res morales non sunt adeo rigorosè expẽ
dendæ, præsertim, quando leuiores sunt.

Tertio fieri potest, vt pars omissa sit notabilis, &
quod à principio fuerit inuoluntariè omissa, vt si quis
veniens ad Ecclesiã, inueniat sacerdotẽ iã est progres
sum in missa ferè vsq; ad cõsecrationẽ, & illã missam
audiat, timens, non futurã aliã: tunc ille, quanuis pro-
priè nõ adimpleat præceptum excusabitur tamen à
culpa, si mora illa inuoluntaria fuit, si tamẽ quocũq; ca
su accidat, vt posteà alia missa dicatur, tenebitur ita
supplere defectũ impleat, quia nõdũ illud impleuerat *Valde aduer-tendum.*
& iã tollitur ratio excusationis. In huiusmodi autẽ
casibus valde aduertẽdum est, sæpe priùs peccari gra-
uiter ratione periculi, cui homo se exponit, non inue-
niendi missam, quãuis posteà fortè casu accidat, vt illã
inueniat; nã ille iã dedit, quantũ est ex se, moralẽ cau
sam omissionis, quanuis posteà casu acciderit, vt illa
causa nõ habuerit effectũ: quia fortuiti euentus non
excusant priorẽ culpã. In quo debent confessores es-
se soliciti, vt culpã discernant, & non ab euentu, sed à
negligentia, & volũtaria mora cũ periculo morali, de
illis dijudicent. Quarto deniq; potest hæc pars nota-
bilis missæ voluntariè omitti, & quidẽ, si id fiat, ani-
mo nõ audiendi aliã missam, nec supplendi illũ defe-
ctũ, iã peccatur mortaliter, nihilominus tamẽ semper
manet obligatio supplendi illum defectũ, quoad fie-
ri possit, quia illud peccatũ magis cõsistit in proposi-
to interiori, quã in exteriori omissione; quæ nõ est in *Notabile.*
re posita, donec elapsum sit totũ tẽpus, in quo potest
impleri præceptũ, & ideo tale præceptũ semper obli-
gat ad mutandũ illud propositũ. Si autẽ illa pars amit
titur, animo audiendi aliã missam, vel supplendi defe-
ctũ, nõ peccatur, audiendo eã partẽ missæ, dũmodo
posteà præceptum impleatur, vt per se constat.

Sed tũc inquiri potest, quomodo supplẽdus sit ille *Quæsitum.*
defectus, an, scilicet, necesse sit audire aliã missam in-
tegram, vel sufficiat, in alia audire eam partẽ, quæ in
altera omissa fuit, ita vt sufficiat à principio habere
hãc intentionẽ. Cõmuniter autores docent, satis esse *Communis au-torum sentẽ-tia.*
in huiusmodi casu audire in altera missa partem omis
sam in alia, adeo vt, licet ex directa intentione id fiat,
censeãt, sufficere ad substantiã præcepti implendam,
quãuis si absq; causa fiat, peccatũ veniale sit propter
nõnullã irreuerentiã. Ita tenet Maior in 4. dist. 12. &
dist. 45. q. 2. Soto, dist. 13. q. 1. ar. 1. Nauar. in sum. c. *Soto.*
21. numer. 2. & in capitul. Quando, de Consecrat. D *Nauar.*
d. 1. notab. 10. n. 18. & sequentibus, & recentiores cõ *Maior.*
muniter hoc sequũtur. Fundamẽtũ eorũ est, quia præ
ceptũ solũ obligat ad audiendã totã missam, non ve- *Fundamẽtũ cõmunis sen-tentiæ.*
ro, quod ab vno sacerdote cõtinenter audiatur: hoc
enim nõ habetur in verbis legis, vt patet in citatis iu
ribus; sed qui ab vno sacerdote audit missam vnã ab
offertorio, verbi gratia, vel consecratione, ab alio ve
ro auditaliam à principio vsq; ad offertorium vel cõ
secrationẽ, re vera audit totã missam, licet nõ ab vno
sacerdote: ergo implet præceptũ. Dices, illũ nõ audi-
re missam debito ordine, cum prius posteriorẽ partẽ,
postea priorem audiat. At vero in dict. c. Missas. sig-
natim præcipitur, vt *speciali ordine* audiat. Quod si di
cas, saltem posse è contrario fieri, vt prius pars prior
missæ, & deinde posterior audiatur, contra hoc est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia saltē iā illa sententia nō erit in vniuersum vera; & deinde, etiā in prædicto casu, non videtur seruari debitus ordo missæ, quādoquidē nō cōtinuè, nec per modū vnius integri officij sacri auditur. Hoc argumentū fundatū in illo verbo prædicti textus. *Missas audire speciali ordine præcipimus*, non habet magnā vim quia illud verbum, *speciali ordine*, nō videtur cōstruēdū cum verbo, *audire*, sed cum verbo, *præcipimus*, ita vt sensus sit, speciali ordinatione seu lege præcipimus, missas audire. Fundatum autem prædictum argumentū in verbo illo, *totas Missas*, adiuncta, & morali, & physica ratione, non videtur contēnendū: quia totū propriè non significat partes disiūctas, & quouis modo aggregatas, sed vnitas, & debito ordine cōiunctas, maximè, si totū artificiale sit: sed illæ duæ partes missæ sunt disiunctæ & diuisæ, nec debito ordine & modo cōiūgūtur ad vnā missā, cōponēdā: ergo audire illas duas partes nō est audire missā vel totā missam.

Propria totius significatio.

Et confirmatur, nā hac ratione, si vnus sacerdos nunc consecraret corpus & post horam consecraret sanguinē, facta interruptione morali, v.g. exuendo se vestibus sacris, & aliquid aliud interim agendo non efficeret vnum sacrificium, neq; vnā missam diceret, quia, licet in re efficeret vtranque partem, nō tamen efficeret illas coniunctas & vnitas, prout necesse est ad hoc sacrificium, ergo idem est de audiendo. Et augetur præterea difficultas, quia aliàs sequitur, posse aliquem implere missæ præceptū, audiendo simul duas partes missæ, vt si, v.g. in vno altari vna inchoetur, & in alio altera continuetur à consecratione (& idem argumentum fieri potest de tribus altaribus, &c.) consequens autem est valde absurdū, quod nemo hactenus concessit, quem ego viderim; sequela vero patet, quia etiam ille audit totā missam, potest enim vtrique esse sufficienter præsens, & sufficientē attentionem adhibere. Quod vero simul id fiat, non refert: quia etiam potest quis simul duo præcepta implere, scilicet recitare horas canonicas, & audire missam in die festo, Neque etiam refert breuitas tēporis, quia hæc est per accidens, vt patet in dicto exemplo: nam, qui tempore missæ recitat horas, breuius tēpus in diuinis rebus consumit, quā si singula suis temporibus faceret. Propter hæc suspecta mihi semper fuit illa doctrina, quā nōnullis etiam modernis Theologis & Iurisperiti displicere video, quia re vera est parum consentanea intentioni Ecclesiastici præcepti & religioni ac reuerentiæ debitæ huic sacrificio. Et saltem censeo valde pertinere ad substantiam huius præcepti, vt tota missa fidelium, ab oblatione vsque ad consumptionē, cōtinuè & per modū vnius sacrificij audiatur, vt debito modo possit audiēs suas partes exhibere ad integre offerendum sacrificium per sacerdotem eo modo, quo sibi possibile est, quoad accidentalia vero facilius admitterem, posse prædicto modo suppleri, maximè ob aliquā probabilem causam seu necessitatem: nā sine illa res est reprehensione digna.

Autoris sententia.

Nihilominus propter autoritatē dictorum autorum nō potest practicè cōdemnari contraria sententia, & ideo, qui ex illa fuerit operatus, nō peccabit mortaliter; & ad rationes in contrarium dici potest cum Glossa in cap. Quorundā. dist. 23. in missa, quia eius vnitas est cuiusdā solennitatis, posse ex duobus imperfectis vnū aliquo modo cōstitui; ita vt saltē sufficiat ad implēdū præceptū: nā si quid deest ad perfectionē, nō censetur sufficiēs ad culpā mortalē, & talis posset intercedere causa, vt excuset etiam à veniali.

Quæsitum.

Circa secundā missæ diuisionem de solenni & pri- **A** uata, inquiri potest, an teneātur fideles audire in sua Parochia missam, quā maiorem vocant, quæ pro vniuersa plebe cum cātu dici solet. Multi enim autores Canonistæ tenent, ex vi iuris cōmunis teneri fideles ad audiendā missam diebus festis in sua parochia: quibus fauet Sixtus IIII. in cap. 2. de Tregua & pace. in Extrauagant. cōmun. vbi in concordia inter fratres mendicātes & parochos ponitur, quod fratres mēdicantes non prædicent, *Populos parochianos nō teneri audire missam in corū Parochijs diebus festiuis & Dominicis, cū iure sit cautū, illis diebus teneri Parochianos audire missam in corū Parochiali Ecclesia, nisi forsam ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarēt*: vnde in cap. 2. de Parochijs statuitur, vt *Dominicis, vel festiuis diebus Presbyteri, antequā missam celebrent, plebē interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui, proprio contēpto Presbytero, ibi velit missam audire, quē, si inuenerint statim ab Ecclesia abijciant.* **B** In his autem decretis, quanuis nō sit expręssa mentio de missa solenni & maiori, tamē re vera videtur de illa esse sermo: nā ad illā solebāt semper fideles diebus Dominicis, & solennibus conuenire, vt supra ex Iustino, & multis Patribus ostensum est. Itē de illa plane est sermo in c. Omnes fideles. c. missas. c. Cū ad celebrādas. de Cōse. d. 1. in quib[9] præcipitur, vt populus non discedat ante benedictionem sacerdotis; & in c. Et hoc attendendum. eadem dist. cauetur, vt per dies solennes, priuatæ missæ non ita in publico fiant, ne populus à publicis missarum solēnibus abstrahatur; & vt sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut eadem vrbe sunt, & populus in vnum ad missarum publicam celebrationem cōueniant. Idemque colligi potest ex c. Si quis extra Parochias. eadē dist. Et confirmatur, nam fideles debent his diebus aliquam oblationem in missa facere; c. Omnis Christianus. de consecr. d. 1. hæ autem fit in missa solenni, **C** & debet fieri in propria parochia: ergo signum est, in eadem debere audire missam maiorem.

Sixtus. IIII.

Iustinus.

Confirmatur secundo, quia in missa maiori parochiæ solent publicari fidelibus dies festiui, ieiuniorū, excommunicationes, & similia, quæ culpabiliter ignorabunt, si non adsint: imò illa consuetudo indicat obligationem illic audiendi missam.

1. Concl.

Sed in primis quicquid sit de antiquo iure, dicendum est, nunc satisfacere fideles huic præcepto, audiēdo missam vbiq; extra propriam parochiā. Ita docet latè Nauarr. c. 21. n. 5. Angel. in sum. verb. Missa. num. 59. Syluest. verb. Missa. 2. q. 5. & verb. Excommunicatio. 2. n. 20. Turrecrem. in c. Missas de Consecr. d. 1. Antonin. 2. par. tit. 9. c. 10. §. 1. & alij verb. Missa. Potissima ratio est, quia Ecclesiastica cōsuetudo ita habet, quæ ab omnibus posterioribus Ecclesiæ toleratur, per quā, si quod fortasse fuit de hac re ius **D** antiquum, abrogatum est. Præsertim, quia dicto c. 2. de Parochijs, solum videtur reprehendi quia ex cōtemptu proprij Parochi alibi missam audit; qui ergo non hac de causa id facit, sed ob maiorem douotionē vel commoditatem, satisfacit præcepto. Vnde Conc. Trid. sessione 22. in Decret. de obseru. in celebrat. miss. sic inquit, *Moneant etiam eundem populū, vt frequenter ad suas Parochias, saltē diebus Dominicis, & maioribus festis, accedāt*: supponit ergo Concilium, nullū de hoc esse præceptum, & ideo non dicit esse præcipiendos, sed monendos fideles; & nō in omnibus diebus festiuis, sed præcipuè in aliquibus. Imo addunt Syluest. & Nauarr. supra, nō posse Episcopum cogere, per legem vel excommunicationem, subditos ad audiendas missas in propria parochia, quia nō potest

Nauar. Angel. Syluest. Turrecre. Antonin.

Cōc. Trid.

Syluest. Nauar.

ipse ius cōmune restringere: hoc autem cōmune ius de audienda missa in die festo, cum hac locorū amplitudine, cōsuetudine ipsa aniuersali explicatū est. Accedit, quod iā esset valde difficile, & incōmodū omnibus fidelibus limitari ad missam audiendā in propria parochia, nec posset fieri sine scandalo, tum laicorū, tum etiā religiosorū, qui etiā habent specialia priuilegia, vt in suis Ecclesijs possint fideles hoc præceptum implere. Aliqui vero excipiunt ab hac generali regula præcipuas quasdam festiuitates, vt Natale Domini, & alias, quæ numerātur in c. Si quis etiā. de Consecrat. d. 1. Sed in rigore præcepti nullā oportet exceptionē facere, quia consuetudo generalis est, cōsulendum tamen esset fidelibus, vt saltē his diebus vel aliquoties in anno, ad diuina officia, & pręsertim ad missas audiendas, suas parochias adirent; & interdū posset hoc eis præcipi ab Episcopo, in aliquo speciali die ob rationabilem aliquā causam: vel in aliquā etiā parochia nōnullis anni diebus, si ad splendorem diuinorum officiorum, vel ad subueniendum alijs Ecclesiæ necessitatibus, videtur necessariū. Sicut etiam in Conc. Trid. session. 24. c. 4. de reformatione dicitur, teneri vnumquēq; fideliū parochiæ suæ interesse, vbi cōmode fieri possit, ad audiendum verbū Dei: quanquam, vt Nauarrus notat, ibi nō sit sermo de auditione missæ; sed verbi Dei; & illa obligatio, si in rigore sumatur pro obligatione præcepti, non est absoluta, sed, supposita commoditate (vt Concil. dicit) & doctrinæ necessitate, sine qua præceptū affirmatiuū non solet obligare, quando lex ipsa tempus non determinat, ad audiendam enim concionem nullum hactenus est tempus lege præscriptum.

Cōc. Trid.

2. Conclus.

Secundo dicendum est in hac dubitatione, nō teneri fideles ex vi huius præcepti ad audiendam missam maiorem, seu quæ cum cantu dicitur, sed satisfacere, audiendo missam priuatam, etiā si in propria Parochia hoc præceptū impleant. Ita docēt omnes autores citati; & probatur sufficienter eadem consuetudine in vniuersa Ecclesia recepta & approbata: imo, etiam si antiqua iura consulamus, nullum est, ex quo possit hæc obligatio colligi: nam in c. Missas. solum præcipitur, vt fideles totā missam audiant: qui autem priuatam missam audit, si audiat totam, satisfacit verbis hui[9] legis; &, quod ibi & alijs decretis dicitur; vt *fideles non exeant ante benedictionem sacerdotis*; potest etiā de priuata benedictione intelligi. Et quanuis interdū, & Sancti, & Decreta loquantur de fideliū conuentibus, qui diebus Dominicis fieri solent & debēt ad publicas missas & officia, non ideo significant præceptū esse impositū singulis fidelibus, vt illis intersint, sed solū indicant expedire, vt cōueniant; & pastores Ecclesiæ ac sacerdotes, id curare debere; & hoc modo in c. Et hoc attendendum. dicitur, cauendum esse, ne propter missas priuatas impediantur fideles ab audienda missa publica & solenni. Ad primā ergo confirmationē de oblationibus respondetur primum eam oblationem, quæ in missa solēni post Euangeliū fieri solet, voluntariā esse, & non cadere sub obligationē, nisi specialis necessitas Ecclesiæ aut cōsuetudo ad eā obliget, vt latius tractat D. Thom. 2. 2. q. 86. ar. 1. Turrecrem. cum alijs in c. Omnis. de Consecr. d. 1. Syluest. & alij Summ. verb. Oblatio: & quādo hæc obligatio intercederet, posset talis oblatio per alium mitti, vel alia via cōpensari. Et eodē modo dicitur ad secundam confirmationem, vbi est illa consuetudo, vt in missa solenni aliqua publicentur, debere fideles, vel interrogare, vel alia via discere, an ea hebdomadā sit aliquis dies ieiunij, & similia.

D. Thom. Turrecrem. Syluest.

A Atq; ex his facile expeditur aliud dubiū, quod circa tertiā diuisionē missæ supra positā oriri solet, an scilicet ad satisfaciendum huic præcepto, oporteat, missam de die seu festo audire, vel satis sit audire missam votiuā, aut pro defunctis, &c. Et ratio dubitandi sumi potest ex c. 1. de Celeb. missar. vbi videtur prohiberi laicis, vt missas non audiant, nisi de eodem die, quod videtur intelligēdū de missis quæ audiūtur ad implendū præceptum, nā de alijs non est vlla prohibitio. Et ita opinati sunt aliqui vt refert Syluest. verb. missa. 1. q. 4. & ipse ait, *Credo, quod seculares audientes ex ignorantia excusentur, licet non celebrantes*; & inferiùs ait, *Licere quidem sacerdoti interdū dicere missam votiuā in die festo, dūmodo non sit de præcepto, quod missa audiatur vel si sit, tam audiens, quam celebrans, audiat aliam de festo.* Sed hæc secundum congruitatem non secundū necessitatē, intelligenda sunt, vt infra declarat. Dicēdum est ergo nō esse necessariū ex vi huius præcepti, **B** audire missam de die; sed, quacunque audita, etiā de defunctis, satisfieri huic præcepto. Ita Syluest supra, & verb. missa. 2. q. 4. Sot. d. 13. q. 2. ar. 1. Nauar. cap. 21. n. 7. Caiet. verb. Festorū violatio. Anton. 2. part. tit. 9. c. 10. §. 1. & Sūmistæ communiter, & probatur sufficienter consuetudine Ecclesiæ. Itē, quia decreta, quæ de hac re sunt, solū pręcipiūt, audire missā, quælibet autē est vera missa. In illo autē c. 1. de celebrat. miss. nō est sermo de hac re, sed de superstitione quorundā, qui nō videbātur sibi missam audire, nisi principium Euangelij Ioannis, & missas peculiares de Sācta Trinitate, aut de sancto Michaele audirēt, *Et ideo sancitur in eodē Conc. vt vlterius hoc nō fiat, nisi suo tēpore.* Et additur præterea in illo textu alia exceptio his verbis, *Et, nisi aliquis velit propter reuerentiā Sanctæ Trinitatis, non pro alia deuotione, audire.* Vbi etiam approbatur audire missam votiuam, legitimā intentione & reuerentia, & nō pro alia deuotione, quod Glossa exponit, dicens, quasi melius sit, istas missas audire, quam alias canonicas de die. Tamen in Conc. Solegunstadien. c. 10. vbi text[9] ille habetur loco illorū verbor. *non pro alia deuotione*, legitur, *non pro aliqua diuinatione*. Igitur superstitio est, quæ prohibetur ibi, & nō aliud cōsulendū tamen est fidelibus, vt missam de die audiant, præsertim Dominicis, & festis diebus, & maximè hi, qui Ecclesiastica officia intelligunt: nam reliquum vulgus, neque in hoc facit differentiam, neque moraliter potest; quod etiam est signum, non fuisse conueniens, hoc præceptū aliter imponi.

Dubiū expeditur.

Syluest.

Syluest. Soto. Nauarr. Caiet. Anton.

Cōc. Solegūstadiense.

Vltimo hic quæri potest, an interdum obligentur fideles ad audiendas plures missas, quod maximè interrogari solet, propter diē Natiuitatis, nam de alijs diebus nulla potest esse ratio dubitādi, vt supra di- **D** ctū est esse ratio dubitādi, vt supra dictum est. Respondetur tamen breuiter, etiā de die Natiuitatis esse rē certā, non teneri fideles ad audiendas tres nec duas missas, sed satisfacere, qualibet audita, vt expressè docuit Nauar. dict. c. 21. n. 2. quia nulla est lex, quæ ad hoc obliget. Itē, quia neq; ipsi sacerdotes tenentur tres dicere; illa enim indulgētia est, nō obligatio. Ex vi ergo huius præcepti nunquā tenētur fideles audire nisi vnā missā. Secus vero erit, si huic præcepto adiungatur votū, vel speciale aliud præceptū sacerdotis, imponentis in satisfactionem audire aliā missam. Vbi obiter inquiri poterat, an huiusmodi præceptum à confessore impositū de audiēda missa, tali die festo in satisfactionē, obliget ad distinctā Missam audiēdam, vel possit verūq; vna missa impleri, idēq; interrogari potest de voto audiendi missā in die festo. Sed hæc alterius considerationis sunt, nunc breuiter di-

Responsio.

Nauar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

citur pẽdere ex intẽtione vel vouentis, vel cõfessoris præcipiẽtis, quæ intẽtio explicãda & declaranda est, vt tollatur omne dubiũ, vel si hoc prætermissum est, ex verbis & circunstantijs erit coniectãda. Notat autem Maior in 4.d.12.q.8. quòd cũ quis tenetur audire duas missas aliquibus ex prædictis titulis, potest illas simul audire à duobus sacerdotibus in duobus altaribus: quia ex vi illarum obligationum non tenetur illas audire diuersis temporibus, iuxta ea, quæ in simili dicemus in fine sectionis sequentis.

SECTIO III.

Quibus actibus, quæve attentione debeat hoc impleri præceptum.

EXplicuimus veluti obiectũ seu materiam circa quã versatur hoc præceptũ, nũc sequitur declarãdũ, quo modo, seu quo actu implẽdum sit. Et est ratio dubij, quia in d.c. missas, præcipiũtur fideles audire totas missas, est autẽ difficile ad explicandũ, quid significetur illo verbo, *audiendi*, nã primo; qui surdus est, potest implere hoc præceptũ, quãuis nihil audiat. Itẽ, qui à lõgè priuatæ missæ assistit, nihil audit, & censetur implere præceptũ. Quod si dicas, *audire*, ibi latè sumi, prout includit videre, vnde alia litera non habet *audire*, sed, *tenere missas*: & ita legit Surius in Cõcil. Agath. c. 47. cõtra hoc adhuc obstat quia nec audire, nec videre necessariũ est, vt constat si fidelis fingatur surdus & cæcus. Itẽ, quia interdũ contingit propter magnã populi frequẽtiã, vt is, qui assistit, nec videre quicquã possit, nec audire; est ergo difficile ad explicãdũ, quæ actio exterior ab homine exigatur circa missã in hoc præcepto. Dici fortassẽ posset, solum requiri corporalẽ præsentiam ad audiẽdum & videndum. Sed cõtra, nã inde sequitur, si quis corpore adsit præsens in missa, etiã si animo alibi sit; vel si ibi de alijs rebus confabuletur, nihilominus implere præceptum. Et consequenter etiam, qui ibi dormit. Quæ sunt valde absurda.

In hac re duo explicãda sunt, quæ in prædicta difficultate tãgũtur. Vnũ pertinet ad exteriorẽ actionẽ. Aliud ad interiorẽ animi attẽtionẽ. Circa priorẽ partẽ, quæ facilior est, dicũt cõmuniter autores, ex vi huius præcepti teneri, vt fideles secũdũ moralẽ & corporalẽ præsentiã missæ adsistãt; ita vt quantũ in ipsis est, audire possint, & videre, seu percipere aliquo modo sacerdotis ministeriũ. Ita D. Anton. Sylues. Nauarr. Caiet. & Sot. locis suprà citatis. Et cõstat ex vi verbi *audiendi*, vel *tenendi*, quod nõ potest alia ratione cõmodius explicari, vt ex obiectionibꝰ factis cõstat. Secũdo, quia propter hãc causam, iuxta vsum Eccl. necesse est audire tẽplũ vel locũ, in quo missa celebratur; nec satisfaciet quis, etiã si domi maneꝫ per totũ missæ tẽpus sit intẽtus rebus diuinis: ergo præcipitur corporalis præsentia & adsistẽtia; cũq; hęc cordi netur ad, percipiendũ sensibiliter verba aut ceremonias Missæ, talis præsentia præcipitur, qualis ad hoc moraliter sufficit: ergo hanc tenentur fideles exhibere.

Circa posteriorẽ partẽ maior est difficultas, quę cõsistit in duobus; primo in intẽtione; secũdo, in attẽtione; nã de intentione frequẽter dicitur, ad implendũ hoc præceptũ, necessariũ esse, vt quis interfit Missę ex intẽtione implẽdi hoc præceptũ, vt patet ex Antonin. 2.p.tit.9.c.10.§.1. & Nau. in c. Quando not. 13.n.27. & ratio esse pòt, quia ad implendũ quodcũque præceptũ necessaria est voluntas implẽdi illud: quia implere præceptũ, actus est obedientiæ, qui sine voluntate nõ sit. Sed, vt hæc sentẽtia veritatẽ habeat sano modo explicanda est. Primũ itaq; necessaria est volũtas audiẽdi Missam: nã si quis coactus, & contra voluntatẽ suã ibi adesset, nõ impleret præceptũ, quia nullo modo ei obediret. Et iuxta hoc intelligẽdũ est q. Antonin. ait famulos, seruus alũnos, vel similes, qui Missæ adsunt, quasi coacti à dñis seu pedagogis, aliàs nõ adfuturi, nõ implere præceptũ: hoc enim est verũ, quãdo ipsi habent illã actualẽ voluntatẽ, etiã dũ actu audiũt Missam; & maximè si ratione illius nõ sunt attẽti, sed distracti. Si autẽ ipsi talẽ volũtatẽ nõ habent quãuis fortassẽ cõditionalis illa in intellectu diuino vera sit, nihil refert ad implẽdũ, vel nõ implendũ præceptũ. Imo, licet prius habuerint illã volũtatẽ præcepto repugnãtẽ, & in ea grauiter peccauerint, si tñ postea volũtariè adsint & attẽdãt, sufficiẽter implebũt præceptũ. Ita vt, licet aliqua cẽsura imposita esset trãsgressoribus talis præcepti, illã nõ incurrerẽt. Deinde necesse est, vt cũ voluntate audiẽdi Missam, nõ cõiũgatur volũtas formalis cõtraria præcepto: quia re vera tunc per illũ actũ hoc modo exercitũ nõ impleret præceptũ: quia nullo modo obediretur illi, vt ratio suprà facta ꝓbat: vt, si quis, dũ ex deuotione Missam audit in die festo, hũc actũ formalẽ habeat; nolo, hanc Missa implere præceptũ, & in ea volũtate pśistat per illũ actũ vt sic re vera nõ implet. Vnde si illũ haberet fine spe ac proposito audiẽdi aliã Missã, grauiter peccaret; quia simpliciter haberet voluntatẽ nõ implendi præceptũ. Dices ergo omnino tenebitur postea audire aliã Missã. Respõdetur, ita cõcedũ aliqui, quia suo arbitrio voluit excludere priorẽ actũ à præcepto & consequẽter in eo statu manere, ac si nihil egisset. Probabiliꝰ vero est, secluso voto, nõ relinqui hãc præcisam obligationẽ, sed satis esse, vt voluntatẽ muret tẽpore oportuno, id est intra tẽpus præcepti, & velit auditione præcedentis Missæ, satisfacere præcepto quia prior actus exterior volũtariè factus, quoad exteriorẽ actũ vt humanũ & moralẽ habuit totũ id, q. ad substãtiã præcepti implẽdã sufficit; neq; hoc potuit excludi per priorẽ intentionẽ agẽdi illũ actũ ex deuotione; & nõ ex obligatione; solũq; ibi defuit obediẽtia volũtatis: ergo si hęc postea adiũgatur per subsequẽtẽ voluntatẽ, & moralẽ relationẽ ab illa prouenientẽ, hoc satis est, ad implendũ præceptũ per priorẽ actũ sic relatũ, & hæc est cõmunis sentẽtia, tã in hoc præcepto, quã in alijs similibus, vt cõstat ex materia de legib. Tertiò, si nõ adsit volũtas cõtraria præcepto, sufficit ad illud implẽdũ, volũtas audiẽdi missam etiã si formaliter nõ sit sub intẽtione implẽdi præceptũ, quia omnis, qui nõ excludit, cẽsetur virtualiter includere intẽtionẽ implẽdi præceptũ in ea volũtate, qua vult efficere actũ præceptũ. Et hoc etiã cõmune est apud autores. Vnde infertur, eũ, qui summo mane missã audiuit ex deuotione, existimãs nõ esse diẽ festũ, quãuis postea id sciat, nõ teneri ad aliã missam audiẽdã; sed ad summũ, ad volẽdũ satisfacere præcepto per priorẽ actũ: imo, neq; hoc in rigore necessariũ est, sed solũ, vt iudicet, se satisfeciſle præcepto. Vltimò addẽdũ hic est, prauã intẽtionẽ adiũctã volũtati audiendi missam, nõ esse cõtrariã impletioni huius præcepti, ꝙ aliũde nõ excludat sufficiẽtẽ attentionẽ. Itaq;, quãuis quis eat ad Ecclesiã ex libidinosa intentione videndi fœminam, vel etiam si officio missæ cũ eadẽ intẽtione adsistat, tamẽ, si nõ excludat volũtatẽ implẽdi hoc præceptũ Ecclesiasticũ, & sufficienter si attentus, implet illud. Ita Medina, Cadice de confess. q. de Pœnit. in iuncta tẽpore, quo missa celebratur, & Nauarr. c. 21. n. 10. contr. D. Antonin. & Adrian. vt in simili superius etiam dictum est tractãdo de do de præcepto cõmunionis: est enim hic eadẽ ratio, scilicet, quia ille implet subst antiã actus præcepti, cui intentio illa cõtraria nõ est. Et cõfirmatur, quia álias, qui ex intentione vanæ gloriæ audiret sacrũ, nõ impleret præceptum, quod valde rigorosum est, & per se improbabile: sequela patet, quia si aliqua intentio extranea impediret, nihil referret, quod esset magis, vel minus praua, quia satis erit, quod maculet actum: hoc ergo nõ impedit, sed satis est, quod maneat actus substãtialiter bonus, moralis & voluntarius, formaliter, aut virtualiter factus ad præceptum implendum. Et hoc de intentionẽ.

Sylues. Circa alterã partẽ de attẽtione, Sylues. verbo missa. 2.q.6. dicit interiorẽ attentionẽ nõ cadere sub hoc præcepto, sed solum exteriorẽ; & insinuat rationem, quia humanũ præceptũ nõ cadit in interiorẽ actum. Sed hoc nullius momenti est, nã licet actus pure interior per se nõ præcipiatur lege humana, tamẽ vt coniunctus exteriori, & tanquã forma illius, præcipi potest, sic enim præcipitur intẽtior attentio per legem humanã, quã præcipitur vocalis oratio, vt cõstat ex materia de Oratione: sic ergo præcipi potest præsenti præcepto. Imo, si interior attentio nõ esset præcepta, neq; exterior esset, quia hæc non est, nisi propter interiorẽ: cãsistit enim hæc exterior attentio, vt ipse *Sylues.* explicat, in hoc, quod homo non occupetur in alijs actionibus auditione missæ repugnantibus ꝙ solũ est necessariũ propter attentionẽ interiorẽ. Dicẽdum ergo est, requiri aliquã actionẽ ex obiecto religiosam & ad cultũ Dei pertinẽtẽ, ad hoc præceptũ implendũ. Ita docẽt autores omnes statim citãdi: ratio vero clara est, quia hac lege præcipitur auditio missæ vt est actus humanus, sufficiens ad moralẽ præsentiã, sed sine attentione vlla non potest actus esse humanus; nec præsentia moralis; ergo. Confirmatur ratione suprà insinuata, quia, qui ibi dormire, vel attentissimè studeret, legendo aut scribendo, sine vlla cõtrouersia nõ haberet præsentiã necessariã: sed perinde se habet, qui nullo modo attendit, sed omnino mẽtis attentione voluntariè est in alijs rebus occupatus: ergo, &c. Rursus præcipitur hic actus, nõ tãtum, vt humanus & moralis, sed etiã vt religiosus, & ad cultũ Dei pertinẽs: ergo non quãcunque attentionẽ requirit, sed religiosam, & ad cultũ Dei pertinentẽ; ita vt Deum oret, vel ei se submittat, eũ ve honorare velit, vel saltẽ attendat ad ea, quæ sacerdos facit, tanquam ad res sacras. Et cõfirmatur, nã hac ratione ad orationẽ est necessaria attentio religiosa; vt latius traditur 2.2.q.83. Cõtrouersia autẽ est inter autores, quænã attento ad implendũ hoc præceptum sit necessaria. Quidã enim putant, toto illo tempore necessariã esse attentionẽ ad Deũ ipsum, vel orando seu petendo, vel gratias agendo, vel etiã dẽ peccatis dolendo, vel aliquid simile. Quod sentire videtur Scot. in 3.d.9. & Gab. lect.29. in Canonem.

Scot. Gab. Caiet. Soto. Alijs vero, nec tã exacta, nec tã cõtinua actualis attentio necessaria videtur, vt latè tractãt Caiet. 2.2. q.122.ar.4. & Soto, lib.2. de Iustit. & iure, q.4. ar.4. Sed quanuis inter hos & alios autores cõtrouersia sit de actibus interioris, vel exterioris cultus & religionis qui per totum tempus diei festi ex præcepto exercendi sunt, quæ cõtrouersia nũc ad nos non pertinet; quia nõ de tota festorũ obseruatione, sed de sola missæ auditione, disputationẽ instituimus, tamen quòd spectat ad tẽpus audiẽdi missam nullã credo esse dissensionẽ aut difficultatẽ, eadẽ enim fere ratio est de hoc actu, quę de oratione vocali, de qua D. Tho. 2.2

q.83.ar.13. triplicẽ attentionẽ distinguit, ad verba ad sensum verborũ, & ad Deũ, quas hic etiã cũ proportione applicare possumus. Alia est enim attẽtio ad ea, quæ sacerdos dicit vel facit, nõ vltra progrediẽdo nec distinctè intelligẽdo, sed solũ attendẽdo, vt ad rẽ quandã sacrã; sicut suprà dicebã; & hæc attẽtio est infima omniũ; tamẽ sufficiens: quia illa satis est, vt illa missę auditio seu præsentia sit humana, moralis; & ex obiecto religiosa. Secunda attentio est ad ea, quæ illis verbis, vel factis significantur; & hæc est melior, & nõ solũ sufficiens ad substantiã præcepti, sed multum etiã accedens ad finẽ eius, qui est cõmemoratio beneficiorũ Dei, & præsertim Christi Domini nostri passionis, & redẽptionis: nõ est autẽ necessaria tã perfecta attentio, cum prima, quæ lõgè minor est, sufficiat imò interdũ multis est impossibilis magna ex parte hæc attentio, qui nec verborũ sensum, neq; actionũ significationẽ percipere valent, vt ex supradictis cõstat: nulli tamẽ sunt, qui saltẽ in cõfuso cõsiderare nõ possint, illis verbis & actionibus significari Christi Domini passionẽ, doctrinã & similia. Vltima deniq; attentio est ad Deũ, quę est suprema, & finis cæterarũ, & maximè cõsulenda; & procuranda etiã in auditione missæ, vt ex illo verbo, *Sursum corda*, significatur in c. Quando. de Cõsec. d. 1. ex Cyprian. in expositione orationis Dñicæ, sub hac autẽ attentione ad Deũ includitur omnis interior reuerentia ad cultus, omnis oratio & petitio, vt eleganter describit Greg. X. in c. Decet. de immunit. Eccl. in. 6. Ex quo obiter infertur, quòd, si quis, dũ missam audit, ita eleuet mẽtẽ in Deũ vt totus à sensibili auditione, & ab omni mysteriũ missæ cõsideratione abstrahatur, totusq; in cõtẽplationẽ Dei rapiatur, nihilominus perfectè implet hoc præceptũ, quia perfectè assequitur finẽ præcepti, & volũtariè se applicuit, & adhibuit præsentiã necessariã ad audiendã missam; & in ea voluntate formaliter vel virtualiter perstitit, cũ attẽtione maximè intenta per ipsum præceptũ, & ideo nullo modo est hic cõparãdus cũ eo, qui volũtariè distrahitur ad res omnino alienas à Deo, & à rebus sacris, nã ille priorẽ intentionem, & voluntatem interrumpit.

Atq; hinc etiã facilè intelligitur, quo modo necessariũ sit, in aliqua ex his attentionibus, toto tempore missæ perseuerare: est enim necessaria hęc actualis attentio, quantũ est ex volũtate & intentione audiẽtis missam; nõ verò necesse est, vt actu semper duret: nã potius, moraliter & humano modo loquendo, id est impossibile: satis ergo est, vt virtute durare cẽseatur ratione prioris voluntatis nõ retractatę. Quocirca necesse est, vt à principio quis accedat ad missam audiẽdã, animo & intentione attendẽdi aliquo modo sufficiente ex prædictis, inter quos potest etiã voluntariè attentionẽ mutare ab vno in aliũ pro suo arbitrio: tamen nõ debet volũtariè distrahi ad alia quæ necessariæ attentioni omnino repugnãt; sic enim iã interrũperet priorẽ voluntatẽ & attẽtionẽ. Si autem (quę sæpe cõtingit) inuolũtariè distrahatur, etiã si ad magnam missæ partẽ actualiter & formaliter nõ attendat, implet sufficienter præceptũ ex vi prioris voluntatis nõ retractatæ, ratione cuius virtualis attẽtio manet, quia reliquũ nõ est in hominis potestate, vt eleganter dixit Ambros. lib. de fuga seculi c. 1. & Basil. lib. de vita perfecta c. 2. Dicitur autẽ inuolũtariè distrahi, quã diu nõ aduertit, se nõ attendere ad rẽ diuinã, quanuis volũtariè de alijs rebus cogitet, tamẽ sine reflexione & sufficiente aduertentia, quòd id faciat tẽpore missę & quando deberet ad diuina attendere. Atq; ita rem

1. Attentio.
2. Attentio.
Cyprianus.
Gregor.
Ambros. Basil.
Annonin. Sylues. Nauarr. Caiet. Soto.
Notabile.
Cõc. Agath.
Obiectioni occurritur.
Obseruãdũ
Medina Nauarr. D. Antonin.
D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Medin. hác explicuerũt autores citati, & præſertim Medin. codice de orat. q. de poteſtate Eccleſ. circa actus internos, & q. de attent. in orat. haben. & videndus eſt etiam *Gabr.* Gabr. lect. 62. & 86. in can.

Ex his auté colligunt ferè omne citati autores, ꝙ ſi quis dũ audit miſsã, voluntariè exerceat actiones aliquas exteriores, repugnãtes debitæ attentioni miſſæ, peccat in primis venialiter cõtra attentioné & reuerentiã debitã rei ſacræ: ac deinde, ſi eo modo magnã miſſæ parté audiat, peccabit mortaliter, & nõ implebit præceptũ, ſi, nimirũ, tãta ſit pars, cuius omiſsio ſufficeret ad præcepti trãſgreſsioné. In quo quidem grauiter errauit *Medin.* Med. cod. de Cõfeſ. q. de pœnit. tẽp. Miſſæ impleta, dicens, ſi quis miſſæ interſit, ſemper tamé cõfabuletur, aut alia negotia futura cũ mercatoribꝰ tractet, nihilominus implere præceptũ, quia implet ſubſtãtiã eius, quanuis agat cõtra finé eius; quod planè falſum eſt, quia attentio nõ eſt tantũ finis huius præcepti, ſed eſt ſubſtãtia eius, vt oſtéſum eſt; & ideo qui voluntariè omnino diſtrahitur, nõ ſolũ cõtra finé ſed contra ſubſtãtiã pręcepti agit: perinde auté eſt voluntariè exercere actiones, quæ ſecũ nõ cõpatiuntur neceſſariã attentioné, quales ſunt, ſemper cõfabulari, aut, ꝙ peius eſt, mercaturã tractare, ac volũtariè nõ attẽdere: nã qui vult cauſam, vult effectũ intrinſecè cũ illa cõiũctũ. Atq; ita tenet *Syluest.* Syluest. verb. miſſa. 2. q. 6. & *Nauar.* Nauarr. in Sũm. c. 13. n. 17. & c. 21. & in cap. Quãdo. de Cõſec. d. 1. notab. 10. n. 13. *Caiet.* Caiet. verb. Feſtorum violatio. *Soto.* Soto vero in 4. d. 13. q. 2. ar. 1. in fine, dicit, quod licet indecentia ſint colloquia inter audiendã miſſam, nõ tamen propterea ſit trãſgreſsio præcepti. Hoc auté intelligendum eſt, vel, quando colloquia nõ ſunt cõtinua, ſed per prauã miſſæ parté, quanuis ſæpius miſceantur, nunc colloquendo, nunc attẽdẽdo, prout cõmuniter fieri ſolet; vel certe, quãdo cõfabulatio non eſt de re ſeria, nec nimis attenta, quæ nõ omnino impedit attentionem ad miſſam ſed ſolum remittit illã, relinquit tamé ſufficiẽté, vt actio illa humano modo fiat, ſicut etiã recitando horas canonicas, poteſt exerceri aliqua actio exterior, quãdo talis eſt, vt nõ omnino diuertat animum, neq; omné tollat attentioné: ergo idem eſſe poteſt in miſſa. Præſertim, quia, vt Soto, & Nauarr. etiã annotant, minor attentio in miſſa neceſſaria eſt, quã in horis canonicis recitandis, quia oratio eſt actio magis rationalis, quã illa moralis præſentia, quæ neceſſaria eſt ad implendũ præceptum de audienda miſſa; & hoc modo eſt vera hæc ſententia Soti, & ita poſſet etiam exponi ſententia Medinæ: & deſeruit, vt non condemnemus peccati mortalis multorum conſuetudinem, *Soc. & Medina exponuntur.* quanuis reprehendenda grauiter eſt; nam vt minimum, eſt graue peccatum veniale, & facilè poteſt declinare in mortale, præſertim ſi confabulatio ſit admodum continua & maximè ſi poteſt generare ſcandalum, & impedire alios à miſſa audienda.

Corolar. Vltimò infertur ex dictis, poſſe aliquem, dum miſſam audit, quaſcunque orationes, vel Pſalmos pro ſua deuotione recitare; imò ait *Maior.* Maior in 4. diſt. 12. q. 8. quod, dum ſacerdos ſubmiſſè loquitur, tenetur audiens precationes aliquas recitare, quod non eſt intelligendum de precationibus vocalibus, quia de hoc nihil præceptum eſt, ſed ſolum de attentione, quæ explicata eſt, tamen, ſi vult, poteſt pro deuotione ſua, etiam vocaliter orare, cauere tamen debet, ne, vel ſacerdotem, vel alios impediat. Ratio vero eſt, quia huiuſmodi oratio non impedit præſentiam, neq; attentionem ad miſſam neceſſariam. Quo fit, vt licet tunc

A tacitè ea, quæ alias ex obligatione recitare tenetur, aut ratione Ordinis, aut beneficij, aut ex voto, aut ex pœnitentia iniuncta, nihilominus ſufficienter impleat præceptum audiendi miſſam; quia cum illa oratione non tollat præſentiam, & attentionem neceſſariam, impertinens eſt, quod illa oratio ſit ex alia obligatione, vel non. Atq; ita docent Maior ſupra, & ibi Gabr. Caiet. Soto, & Medin. locis citatis. Et prętereà Caie. tom. 3. opuſc. opuſc. de valore orat. Adrian. materia de ſatisfact. q. 7. Nauar. in ſum. c. 21. n. 89. & in c. Quando. notab. 19. nu. 184. *Gabr. Caiet. Soto. Medina. Caiet. Adrian. Nauarr.* An vero ille tunc ſimul impleat aliud præceptum de recitandis horis, nõ eſt præſentis cõſiderationis, ſed in materia de oratione tractatur; ex dictis autem facilè intelligitur, eſſe veram partem affirmantem, quam tenent citati autores contra Syluest. Angelum, Armillam. & alios ſummiſtas verb. Miſſa. & verb. Feriæ.

B

SECTIO IIII.

Quas perſonas obliget hoc præceptum.

RAtio dubitandi eſſe poteſt, quia in dict. c. Miſſas. de Conſecr. d. 1. dicitur, *Miſſas totas audire ſecularibus præcipimus*: ex quo verbo nonnulli Canoniſtæ collegerunt, præceptum hoc non obligare perſonas Eccleſiaſticas, vel religioſas quia obligatio legis non eſt extendenda vltra verba legis, ſed vox illa *ſeculares*, non comprehendit omnes perſonas, vt ex eius ſignificatione cõſtat: ergo neque obligatio huius legis.

1. Concl. Dicendũ tamen eſt primò, legem hãc obligare omnes fideles adultos baptizatos cuiuſcunque conditiõnis vel ſtatus. Concluſio eſt certa, & communis; & patent breuiter ſingulæ partes: nã in primis conſtat, eos, qui ratione vti non poſſunt, non poſſe obligari hoc præcepto, tum quia generaliter non ſunt capaces præcepti, tum etiam quia actum hac lege præceptum exercere non poſſunt. Deinde etiam eſt certum, hoc præceptum non obligare infideles, tum quia generaliter non obligantur legibus Eccleſiaſticis per ſe & directè, nam *de his, qui foris ſunt, nihil ad nos*. 1. ad Corinth. 5. *1. ad Cor. 5* tum etiam quia cum, non ſint membra Eccleſiæ, non ſunt propriè capaces huius ſacrificij, nec poſſunt illud offerre, nec pro eis offerri poteſt quoad fructꝰ ex opere operato. Vnde neq; ei aſsiſtere permittũtur. Quocirca, nõ ſolũ infideles, verũ etiam nec catechumeni hac lege obligantur propter eandem cauſam, quia adhuc non ſunt in ſtatu, in quo Eccleſiaſticis legibus ſubdantur, neque etiam ad proprium miſſæ ſacrificium admittuntur, ſed ſolum ad miſſam catechumenorum vſque ad offertorium, vt ſupra dictũ eſt, & patet ex Concil. Carth. IIII. cap. 84. *Cõc. Carth. IIII.* nec vero ad illam catechumenorum miſſam audiendam ex præcepto obligantur, tum ratione generali iam dicta tũ etiam, quia, qui nõ obligatur ad ſubſtantiam actus, neq; ad ea, quæ accidentaria ſunt, poteſt obligari.

Iam vero, quod omnes adulti baptizati hac lege obligentur, per ſe loquendo, certa etiam, & indubitata res eſt, quam omnes ſummiſtæ docent verb. miſſa, & verb. Feria. *Gab. Antonin. Soto. Palud. Nauarr.* Antonin. 2. p. ſummæ, tit. 9. cap. 10. §. 1. Gabr. lect. 14. & 29. in Canon. Soto. diſt. 15. q. 2. articulo 1. Paludan. diſtinct. 15. quæſt. 5. Nauarr. c. 21. & conſtat ſatis ex conſuetudine Eccleſiæ. Et ratio etiã id conuincit; nam in primis cõſtat ex prædict. cap. miſſas, omnes ſeculares ad hoc obligari, non rectè autem exiſtimantur ſeculares à clericis diſtingui, ſed à regularibus, ſeu religioſis, frequens eſt enim in iure

iure, vt ſeculares, in clericos & laicos diſtinguatur: omnes ergo ex vi illius vocis cõprehẽduntur: quãuis per ſe notũ ſit, ſacerdotes, celebrãdo, huic præcepto ſatisfacere, perfectius enim Miſſam audiũt, ſeu tenẽt quã aſsiſtẽtes. Religioſi auté ſeu regulares à fortiori cõprehenſi intelliguntur, ita vt ſeculariũ ſpecialis facta ſit mentio, quia, vt per ſe notũ relinquitur, multò magis debere religioſos hanc obligationé implere: cur enim illi, qui ratione ſtatus maximè ad diuinum cultũ obligantur, ab huiuſmodi præcepto excluderẽtur? Accedit, quòd in c. Omnes fideles, & c. Cum ad celebrandas, & c. Qui die. & c. Et hoc attendendum. de Conſec. d. 1. ſatis oſtẽditur, hoc præceptum generale eſſe, omneſq; fideles cõprehendere.

Quin potiùs quæri hoc loco poteſt, an clerici, vel religioſi teneãtur ex aliquo Eccleſiaſtico præcepto frequẽtius Miſſam audire, quã cæteri fideles, ꝙ maximè quæri ſolet de Epiſcopis, de quibꝰ in c. vlt. de Priuil. in 6. dicitur, nõ decere eos vllã diem trãſire ſine Miſſa abſq; rationabili cauſa. *Concluſio.* Dicendũ verò eſt, nullã eſſe circa hoc vniuerſalé legẽ omnibus clericis, vel religioſis impoſitã: religioſi ergo cõſulãt ſuas ſpeciales inſtitutiones, & ſtatuta, nã illis obligari poterũt, iuxta modũ vniuſcuiuſq; regulæ, ex vi auté Eccleſiaſtici præcepti nullã habẽt ſpecialé obligationé. Similiter clerici ex peculiari titulo beneficij obligari poterũt, vt frequẽtius Miſſam celebrẽt, vel ei aſsiſtant, tamé ex vi huius legis, quã explicamus, vel alterius Eccleſiaſticæ, nullã habẽt ſpecialioré obligationé. Denique idẽ eſt de Epiſcopis ſentiẽdũ, quia, licèt in dicto cap. dicatur decere, nõ eſt tamé verbũ vllũ, quod præcepti obligationé inducat, vt notauit *Angel.* Angel. ver. Miſſa. n. 57. *Nauar.* Nau. dict. c. 21. & Canoniſ. cõmuni. citato loco. Vltimò inquiri poteſt, quo ætatis anno incipiãt fideles hoc pręcepto obligari. Reſpõdetur, de hoc nihil eſſe iure præſcriptũ, & ideò regula generalis, eſt, eos incipere obligari, cũ iã ita poſſunt ratione vti, vt poſſint ſufficiẽter diſcernere inter bonũ, & malũ, & capaces eſſe peccati mortalis, quia tũc iã ſunt capaces obligationis naturalis colẽdi Deũ, & ita etiã poſſunt hac lege Eccleſiaſtica obligari, quo auté ætatis anno incipiãt in huiuſmodi ſtatu cõſtitui, nõ poteſt generali regula definiri, ſed ad parẽtũ, Parochorũ, & cõfeſſorũ curã, & prudẽs iudiciũ hoc ſpectat. *Aduertẽdũ.* Illud ſolũ eſt aduertẽdũ in huius præcepti executione nullã eſſe occaſioné differẽdi executioné eius, quã primũ probabilia ſigna appareãt diſcretionis & rationis vſus, ſicut ſuprà dicebamus de præcepto cõmunicandi propter maioré reuerentiã, & deuotioné, quæ ad illũ actũ requiritur, nã ad audiendã Miſſam nõ eſt tãta cognitio ac perfecta rerũ cõſideratio, & deuotio neceſſaria, & ideò multi exiſtimãt, ſtatim poſt ſeptenniũ, incipere pueros hac lege obligari, & Anton. meritò monet, vt à tenera ætate inducantur à parentibus, & deferantur ad Miſſam audiendam, vt ita aſſueſcant hanc Eccleſiaſticam legem obſeruare.

SECTIO V.

Quando vel quibus diebus obliget hoc præceptum.

PRincipio certũ eſt, hoc præceptũ obligare ad audiendã Miſſam omnibus diebus Dñicis. Ita enim ſpecialiter explicatur in dicto c. Miſſas. de Conſec. d. 1. huius enim diei obſeruatio propter mirabilia, quæ Deus in eo operatus eſt, & præſertim propter Domini reſurrectionem, quæ hoc die facta eſt,

A celebris fuit ſemper in Eccleſia, & ad diuinum cultũ ſpecialiter ſanctificata, & ad vſum huius diuini ſacrificij & ſacramẽti, vt colligũt expoſitores omnes Græci, & Latini ex illo Actor. 20. *Vna Sabbathi, cum conueniſſemus ad frangendum panem*, & 1. ad Corint. 16. *1. ad Cor. 16* *Per vnam Sabbathi vnuſquiſque apud ſe reponat*, &c. ſicut Marci. 16. dicitur Chriſtus reſurrexiſſe vna Sabbathorum, Sabbathum enim pro hebdomada ſumitur, more Hebræorũ, qui vnã diẽ appellãt, id eſt, primã, *Vna ergo Sabbathorum* dicitur, prima dies hebdomadæ, quæ eſt Dominica, quã hoc etiã nomine appellauit Ioã. Apocal. 1. *Apocal. 1. Iuſtin.* & ad antiquis vocabatur etiã dies Solis, vt cõſtat ex lege Omnes dies C. de ferijs. Vnde de hac die loquitur Iuſtin. Apolog. 2. in fine cùm dicit, Die ſolis ſolitos eſſe Chriſtianos in vnũ locũ conuenire ad diuina officia, & præſertim ſacrũ Euchariſtiæ myſteriũ cõficiendũ. Et Tertull. in Apolog. ca. 16. cũ inquit, *Æquè, ſi diem ſolis lætitiæ indulgemus*, vbi Pamel. n. 248. & in epiſt. 33. Cyprian. n. 7. & Bellar. lib. 3. de cultu Sanctorũ, c. 11. *Tertul. Pamel. Cyprian. Bellarm. Gratian.* multa de antiquitate huius feſtiuitatis congerunt, & à Gratiano referũtur nonnulla. d. 75. ex Anacleto epiſt. 2. & ex Leone Papa epiſt. 79. & d. 76. c. Ieiuniũ. ex Hieron. Zach. 8. & c. Scire. ex Amb. ſerm. 61. & alijs. Vnde in c. Licèt. de ferijs. dicitur, tam veteris, quàm noui teſtamenti paginã ſeptimũ diem ad humanã quietẽ deputaſſe, nõ quòd huius diei obſeruatio de iure diuino ſit, vt quidã putarunt, & refert Sylu. verb. Dominica. q. 1. *Syluest.* ſed quòd iuri diuino valde cõſentaneum ſit, vt vna dies hebdomadæ ad diuinũ cultũ deputetur, quæ in lege veteri erat dies Sabbathi ex præcepto diuino, quoad hanc partem ceremoniali, & in lege noua in qua ceremonialia ceſſarunt in diẽ Dominicã meritò tranſlata eſt, tum vt Chriſtiana obſeruatio à Iudaica diſtingueretur, tũ etiã, vt vmbras, & figuras iam ceſſaſſe, & in Dominica reſurrectione omnia eſſe cõpleta oſtenderetur, & propter alias cauſas, quas hic referre ſuperuacaneũ eſſet, ſed videri poſſunt in citatis autoribus, attigitq; hoc D. Tho. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad 4. & Soto, lib. 2. de Iuſt. q. 4. art. 4. & q. 5. art. 8. Med. Cod. de pœnit. q. 6. Nauar. latè in c. Quãdo. de Conſec. d. 1. notab. 3. nu. 18. & ca. Inter verba. 11. q. 3. nu. 50. & in Manuali cap. 13. quanuis autem certũ ſit, diem Dominicam ab Apoſtolorum tẽporibus diuino cultui dicatã eſſe: quando verò cœperit in ea obligare præceptũ audiendi Miſſam, non ſatis conſtat, nã in dicto cap, Miſſas, cũ dicitur, ſpeciali ordinatione hoc præcipi, ſignificatur anteã hoc nõ fuiſſe in præcepto, quãquam, licèt hoc ita eſſet, nõ eſſet recens illud præceptũ, ſed valde antiquũ; nam Concil. Agathenſe tẽpore Cæleſtini Papæ celebratũ eſt ante mille & ducẽtos annos: exiſtimo tamen, quanuis antea non fuerit hæc lex ſcripta, tamen traditione & conſuetudine Eccleſiæ ſemper ſeruatã eſſe, vt ex traditione Sãctorũ Patrũ quos indicauimus colligere licet: cùm enim dies illa diuino cultui fuerit à principio dicata, veriſimile eſt, hunc maximè cultum fuiſſe ſemper in Eccleſia præceptum, quidquid verò ſit de antiquitate præcepti, certum tamen eſt, nunc præcipuè his diebus obligare.

2. Concluſ. Dico ſecundò, hoc præceptum nõ tantũ obligare ad Miſſam audiendã in diebus Dominicis, ſed etiam omnibus diebus feſtiuis: nã licèt in dicto cap. Miſſas. ſolùm diei Dominicæ fiat mentio, tamen ex conſuetudine & cõmuni conſenſu Eccleſiæ conſtat, idem eſſe de cæteris diebus feſtis intelligendũ, quod etiam apertè colligitur ex cap. Si quis. eadem diſtinct. quod ſumptum eſt ex eodem Concilio Agat. cap. 21. *Conc. Agat.* Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex c.Et hoc.c.Omnes fideles.&c.Qui die.eadem.d. Vnde in.c.2.de Parochijs dicitur, vt Dominicis, & festiuis diebus Presbyteri, ante quàm Missas celebrẽt inquirant, an ex aliena Parochia aliquis ibi adsit, &c. Deniq; ratio est eadẽ, quia etiã dies festi ad diuinum cultũ deputati sunt: nullus autẽ alius cultus proprio affirmatiuo præcepto mandatur fidelibus omnibus in Ecclesia, præter hũc cultum audiendi Missam, reliqua enim festorũ obseruatio magis est negatiua, scilicet, vacãdi ab omni opere seruili. Quotiescũq; ergo in Ecclesia dies aliquis tãquã festiuus à fidelib⁹ omnib⁹ obseruari præcipitur, hoc ipso intelligitur tẽpus illud determinari, vt in eo obliget Missæ præceptũ, nam hæc est præcipua pars sanctificationis cuiuscunq; diei festi in lege gratiæ, & ideò præceptũ hoc sub hac generali ratione fidelibus proponitur in omnibus Catechismis Christianæ fidei. Sed inquiri potest, quinam sint hi dies festi, in quibus obligat hoc præceptũ. Respondetur, quosdã esse iure cõmuni institutos & præceptos, alios verò antiquissima & vniuersali Ecclesiæ cõsuetudine, alios priuata lege alicuius Episcopatus, ciuitatis, aut oppidi. In primo ordine sunt in primis quædã Domini festiuitates, vt Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ. Resurrectionis, Ascensionis, & Pẽtecostes, de quibus fit mentio in c.vlt de ferijs, & post additũ est festũ Corporis Christi ab Vrbano IIII & Clem.V. in Clemẽtina vnica de reliquijs, & veneratione Sãctorũ, & festũ Inuentionis S. Crucis, ab Eusebio epist.3.in c.Crucis, de Cõsec.d.3. Festum autẽ Transfigurarionis, licẽt ab vniuersa Ecclesia celebretur, & sit valde antiquũ, vt cõstat ex cõcionibus Leonis, Cyrilli, & aliorũ apud Surium, nõ tamen vniuersali lege Ecclesiastica obseruari præceptũ est: vnde nõ est ex his festis, in quibus iure cõmuni obligat hoc præceptũ. Rursus in eodẽ ordine sunt quædã festiuitates B. Virginis, quæ in dicto cap. vlt. de ferijs speciali ter nõ declarantur, sed generatim dicitur Festiuitatũ omniũ Virginis Gloriolæ, tamẽ in c.1.de Consec.d.3. numerantur Purificatio, Assumptio, & Natiuitas sanctæ Mariæ. Et postea additũ est festũ Cõceptionis in Extrauag. cõmunib. de Reliquijs, & venerat. Sanctorũ, quanuis ibi nõ præcipiatur expresse, festũ illud obseruare, aut Missam in eo audire, sed indulgẽtiarũ concessione inuitãtur fideles ad id faciendũ, iã verò consuetudine hæc etiã festiuitas recepta est. Rursus ad hũc ordinẽ pertinent festiuitates quorũdam Sanctorũ, vt Ioãnis Baptistæ, duodecim Apostolorũ, B. Laurẽtij, Dedicationis Sancti Michaelis, & festiuitas Sanctorũ omnium, S. Stephani, & Sanctorũ Innocentiũquæ numerantur dicto c.vlt. de ferijs, & dict.c.i. de Cõsec.d.3. de quibus omnibus videri possunt citati autores, & latissimè Couar. lib.4. Variar. c.19. Est autẽ aduertendũ in illis decretis, præter hæc numerari alios dies, qui nõ sunt in vsu, nimirũ, festum S. Syluestri, quod, licẽt Romæ obseruetur, nõ tamẽ in vniuersa Ecclesia. Itẽ festũ sancti Martini, quod etiã non seruatur. Itẽ tota hebdomada Paschæ, cùm tamen sola feria secunda & tertia ex præcepto seruentur, sicut etiã in festo Pentecostes. Item omnes dies hebdomadæ sanctæ, qui etiã nõ seruãtur sub obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus seruilibus. Igitur vel cõsuetudine huiusmodi festiuitates reuocatæ sunt, vel certè ibi non numerantur tantũ festiuitates, quæ sub præcepto obseruãtur, sed etiã illæ, in quibus Ecclesia singulare aliquod officiũ vel mysterium aliquod rẽpræsentat, aut Deum specialiter deprecatur; vnde etiam ibi numerantur tres dies

Quæstio satisfit.

Clemen. V.

Couar.

A Rogationum post Ascensionem, quibus tamen non est obligatio audiendi Missam, quapropter multùm pendet hæc res ex vniuersali consuetudine, nã aliqua etiam ex illis pertinere potuerunt ad speciales leges aut vsus Ecclesiæ Romanæ, aut Lugdunensis, sicut etiam in Concil. Mogunt. c.36. vbi eædem ferè festiuitates numerantur, additur festũ S. Remigij & aliorũ. Potest ergo consuetudo aliquam huiusmodi legẽ abrogare, quanuis hæc admittenda non sit in præcipuis quibusdã festiuitatibus, vt notauit Angel. ver. Feriæ. num.3. In secundo ordine est in primis festum Trinitatis, de quo in cap.2. de Ferijs dicitur, quanuis in aliquibus Ecclesijs celebretur, in Ecclesia tamẽ Romana eam consuetudinem non seruari, at verò iã est receptum eiusdem Romanæ Ecclesiæ vsu. Item huc pertinet festum Incarnationis, de quo nihil inue

B nio iure expressum, imò, quantum colligi potest ex Concil. Tolet. X. cap. 1. antiquitus non celebratur, quòd in Quadragesima, & circa Paschale tempus frequẽtiùs incidat, posteà verò iam est cõmuni consuetudine receptum. Aliqui etiam putant ad hunc ordinem pertinere festum Transfigurationis: sed consuetudo obseruandi illud non est ita vniuersalis, neque etiam festum Visitationis B. Virginis, aut S. Sebastiani, aut Barnabæ, in his ergo & similibus peculiares consuetudines obseruandæ ac retinẽdæ sunt, de duobus autem Euangelistis Marco, & Luca, etiam nihil inuenio in iure expressum: nam, licẽt in cap. vnico de Reliq. & venerat. Sanct. in. 6. Euangelistarum festiuitas speciali solennitate agit præcipiatur, tamen ibi nihil de diei festi obseruatione dicitur, & eodem modo fit sermo de celebratione Doctorũ Ecclesiæ, tamẽ communi ferè consuetudine etiam festa Euãgelistarum seruantur, sicut & festũ S. Mariæ Magdalenæ, &c. In tertio ordine sunt dies alij festiui, qui non sunt vniuersales, sed peculiares aliquorum loquorum, de quibus solùm dicere possumus, tribus modis posse has festiuitates introduci. Primo, antiqua & recepta consuetudine, quæ vim habet legis, quando sub ea ratione introducta & acceptata inuenitur. Angel. ver. Feriæ, num. 7. & alij. Secundo, præcepto Episcopi: habet enim Episcopus hanc potestatem in sua diœcesi; vt constat ex c.1. de Consec.d.3. & c.vlt. de ferijs, vbi nõ soli Episcopo, sed cũ clero, & populo, idest, cũ eorũ cõsilio, vel cõsensu hæc potestas tribuitur, iã verò vsu obtinuit, vt in his rebus populi iudicium vel cõsensus nõ expectetur: satis ergo erit, vt Episcopus cũ cõsilio Capituli id decernat, & ita videtur intelligẽdi Angel. Rossel. & alij Sũmistæ, verb. Feriæ, qui etiã populi suffragiũ seu cõsensum requirũt, cũ Innocent. & alijs in c. Licet. de Ferijs. Gloss. & alijs in ca. 1. de Reliq. & venerat. Sãct. in. 6. Nam re vera non esset conueniẽs iuxta morẽ, quẽ nũc Ecclesia seruat, hoc modo populi cõsensum postulare, quandoquidem obseruare debẽt Episcopi, vt, populis cõtradicentibus, festiuitates nõ multiplicẽt, sed saltẽ tacitè & virtute cõsensum populi expectẽt, vt prædictis iuribus cauetur. Atq; hinc fit, maiori ratione posse has festiuitates introduci per decretũ Synodi prouincialis, prout in Cõcil. Tolet. X. legimus de festo Expectationis, quod in Hispania celebramus, multoq; magis poterit hoc fieri, in quacunque Prouincia ex cõcessione seu decreto Sũmi Pontificis, vt per se notũ est. Ex lege autẽ ciuili Principis seculatis non potest propriè hæc obligatio introduci, vt notat Sylu. v. Dũica. n. 1. quia est de re, & actione spirituali, quãuis autẽ interdũ in historijs legamus, Imperatores instituisse aliqua

Conc. Mog.

Angel.

Dies festi peculiares tribus modis possunt introduci.

aliqua festa Sãctorũ, vt patet ex Niceph. li.17.c.28. & insinuatur in tit. Cod. de Ferijs, tamẽ ad illos non propriè spectat festorũ institutio, vt ad religiosum cultũ ordinatur, sed interdũ præcipiũt vacationẽ ab operibus seruilibus, vel in propriũ honorẽ, seu lætitiã, vt in memoriam natalis sui, vel quid simile, vel interdũ etiã in honorẽ Dei, & Sanctorũ, nõ quidẽ primò instituẽdo talia festa, sed iã ab Ecclesia instituta corroborãdo. Tertiò solet hæc obligatio introduci voto populi. De quare.2.2.q.88. in materia de voto dispu

Tertio.

tatur: nũc breuiter dicitur, votũ propriè in ratione voti, etiã si iuratũ sit, nõ posse propriè ad successores trãsire, est enim actio personalis. Vnde neq; hęc obligatio trãsit in vi voti, propriè sumpti, sed, vel in ratione legis à populo cũ cõsensu Episcopi latæ, vt enim hæc vota valida sint & durabilia, approbationẽ Episcopi requirũt, vel certè in ratione cuiusdã pacti, cuius obligatio trãsit ad successores, vt latiùs citato loco. Est autẽ in his festiuitatibus obseruãdũ, cũ vniuersales nõ sint nõ trãscẽdere terminos loci aut tẽporis, quibus præscribũtur, iuxta rationẽ cõsuetudinis aut legis. Itaq; interdũ in ciuitate tãtũ seruãtur, & nõ in oppidis, interdũ in vno oppido, & nõ in reliquis, aliquãdo in vna tãtũ Parochia, & non in tota ciuitate, & tunc obligatur Parochiani illius Parochiæ, & nõ alij. Itẽ interdũ totus dies integer, interdũ verò solũ vsq; ad meridiẽ seruari præcipitur, & tũc, si præceptũ propriè est sub ratione diuini cultus, & cũ obligatione vacãdi eo matutino tẽpore ab opere seruili, cõsequẽter etiã obligat ad Missam audiẽdã: quia dies ille, quoad illud tẽpus, est verè festiuus, & diuino cultui dicat⁹, &, vt dixit, hic cult⁹ potissimũ in hoc actu cõsistit: imò ideò specialiter illud matutinũ tẽpus præcipit, quia in illo huic diuino sacrificio vacari potest.

Nõnullæ breues dubitationes.

Prima.

Sed hinc oriũtur nõnullæ dubitationes. Prima est de dieb⁹ specialiter dicatis cultui diuino, saltẽ quoad tẽpus matutinũ, vt dies Rogationũ, & feria quinta & sexta hebdomadæ sanctæ, & nõnullæ vigiliæ celebriores, vt Natalis Dñi, Paschæ, & Pẽtecostes, an in eis obligẽtur fideles ad audiẽdã Missam. Respõdetur nõ obligari: nã in primis de vigilijs nullũ est speciale præceptũ, magis quã de alijs diebus ieiuniorũ, Quadragesimæ, vel Quatuor tẽporũ, in quibus certũ est, nullã esse talẽ obligationẽ, quãuis quidã Canonistæ dubitauerint, quia in c. Solẽt. de Cõsec. d. 1. dicitur, *in diebus ieiunij nõ esse comedendã ante vespertinum officiũ* & subditur, *Cõcurrẽdũ est enim ad Missas, & auditis Missarũ solẽnibus & vespertinis officijs, & elargitis eleemosynis, ad cibũ accedẽdũ est.* Sed cap. illud cõsuetudine abrogatũ est, vt cũ Sylu. & alijs notat Nauar. c.21. nu.2. Quod est verũ, quantũ ad hotã prandij in diebus ieiunij, nã quãtũ ad Missæ auditionẽ nõ fuit necessaria abrogatio: quia ibi nõ præcipitur, magis quã audire vespertinũ officiũ, vel elargiri eleemosynas: sed solũ dicitur id, quod facere oportet in diebus ieiunij ante prandiũ, vel certè declaratur, esse intẽtionẽ Ecclesiæ vt in diebus ieiunij sit ante prandiũ sufficiẽs tẽpus ad illa omnia, vel similia opera religionis ac pietatis, vt in eis possint fideles, si velint, occupari. De diebus autem Rogationũ, licẽt antiqua iura, vt dixi, eos seruari præceperint, vt apertiùs cõstat ex ea. Rogationes, de Consec. d. 3. tamẽ, vt Turrecremata ibi notat, & experiẽtia stis cõstat, cõtraria cõsuetudine abrogatũ est ius illud, quæ cõsuetudo à Pastoribus Ecclesiæ approbata est. Ideq; dicẽdũ est de festijs hebdomadæ sanctæ. Neq; oportet, feriã sextã excipere à cæteris diebus, vt quidã existimãt, nã sanè consuetudo eadẽ ferè est: neq; populus ex præcepto obligatur à pasto

Solutio.1.

Turrecrem.

A ribus Ecclesiæ, vt officio illius diei assistat: imò, cùm illud officium in rigore nõ sit Missa, minor ratio est obligandi ad officiũ illius diei, vt in superioribus tactũ est. Est autẽ optimũ cõsiliũ, illis diebus, præsertim feria quinta & sexta, atq; etiã Sabbatho, matutinis tẽporibus ab operibus seruilibus vacare, saltem in publico, & Missæ seu diuino officio assistere.

Secunda dubitationis solutio.

Secũda dubitatio est de quibusdã diebus, qui non sunt festiui toti populo, sed hominibus talis cõditionis, vel officij, vt. v.g. scholasticis, quibus peculiares dies festiui sunt. Respõdetur, iuxta cõmunẽ cõsuetudinẽ, hos dies nõ cẽseri propriè festiuos: q. in primis est certũ de diebus, quibus vacatur à laboribus, solũ propter requiẽ corporalẽ, vt in Academijs fieri solet vno die hebdomadæ, & aliquibus ante, vel post pascha, vel in æstate: quia cõstat, eos dies nõ esse dicatos

B ad diuinũ cultũ. Maior difficultas est de alijs, in quibus vacatur à lectionibus, vel alio simili labore in honorẽ aliquorũ Sanctorũ, vt Doctorũ Ecclesiæ. v.g. &c. Et in his, quibus dã visum est, teneri Scholasticos ad audiẽdã Missã, q. quidẽ securũ est, & optimũ cõsiliũ, tamẽ in rigore nõ cẽseo esse præceptũ, quia nõ est præcepta illis diebus, etiã his personis, cessatio ab opere seruili, sed tãtũ est cõcessa indulgẽtia vacandi à lectionibus, vel alio simili munere: signũ ergo est, illos dies nõ esse simpliciter festiuos: quãuis fortè ea licẽtia cõcedatur in honorẽ Sãcti alicuius, vt liberiùs possint vacare diuinis rebus, si velint. Itẽ cõsuetudo hoc satis declarat, & cõmuniter omnes ita intelligunt, tantum ex consilio, Missam esse audiendam illis diebus.

3. Dubium.

Tertiũ dubiũ est, an elapso die præscripto ad audiẽdã Missam, si nõ fuit tũc audita, maneat obligatio ad audiẽdã alia die. Respõdetur, nõ manere: quia præceptũ affirmatiuũ tantũ obligat pro tẽpore, eidẽ designato. Vnde, si tũc nõ est impletũ, debet culpa pœnitẽtia deleri, nulla tamẽ alio obligatio manet, sicut etiã cõstat de diebus ieiunij & similibus. Quo fit, nõ excusariã peccato mortali eũ, qui sine iusta causa die Dominico Missam omittit, animo supplẽdi defectũ die Lunæ, vel etiã si præueniat audiẽdo illã die Sabbathi quia illud est propriũ onus illius diei, vt in simili docẽt Nauar. in c. Quãdo. notab. 3. n. 18. Medin. C. de orat. q. de horis can. reiterãdis. Et eadem ratione (vt vtraq; ex parte seruetur æqualitas) qui in die festo sacrũ iusta ex causa omisit, nõ tenetur die sequẽte illud audire, neq; etiã tenetur anteriori die præuenire, etiã si futurũ impedimentũ præuideat, quia præceptũ tantũ obligat ad præscriptũ tẽpus. Dices, ergo etiã si intrã idẽ festũ præuideat, se nõ posse audire sacrũ ab hora nona, nõ tenetur præuenire & audire hora septima vel octaua. Respõdetur, negãdo cõsequẽtiam: quia quoad horã, in qua sacrũ est audiẽdũ, nõ est tẽp⁹ omnino limitatũ hac lege, sed tantũ præceptũ est, vt ea die sacrũ audiatur, quæcũq; hora, moraliter loquẽdo, id fieri possit. Vnde, si vsq; ad meridiẽ. v. g. differri potest, ideò est, quia eo tẽpore solet Missa dici, & potest audiri: vnde, si tardiùs dici posset, etiã auditio Missæ amplius differri posset, tamẽ, si Missa nõ sit dicẽda, nisi in principio diei, obligat præceptũ ad audiẽdã tũc illã: quia obligat simpliciter, vt eo die impleat,

Nauar. Medina. Obseruãdũ

SECTIO VI.

Quibus modis excusari aliquis possit ab audiẽdã Missa in die, quo præcepta est.

Conclusio.

CErtum est apud omnes autores, & ex praxi ipsa satis cõstat, posse fideles varijs modis excusari, vt absq; peccato Missam omittant eo die,

quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo præceptū est, Missam audire, nā hoc præceptum A
solū est de iure positiuo Ecclesiastico, & de re sancta
quidē & honesta, nō tamē simpliciter ad salutē neces
saria, & ideò nō obligat cū tāto rigore, quin, interue
niēte rationabili causa, possit etiā legitima excusatio
intercedere, vt notarūt Sūmistę oēs, ver. Miss. & ver.
Feria. Anton. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 1. Caie. 2. 2. q. 122. a.
4. Soto hic. d. 13. q. 2. ar. 1. & latiùs lib. 2. de Iust. q.
4. ar. 4. Nauar. in sum. c. 21. Numerātur autē ab his
autoribus varij casus, in quib⁹ potest homo legitimè
excusari ab obseruatione huius præcepti, quos om
nes sigillatim persequi infinitū quid esset, & præter
ordinē scitiæ: nā ex circunstantijs per accidēs occur
rentibus multis modis variari possunt, qui necessariò
prudētis arbitrio relinquēdi sunt, suppositis nonnul
lis generalibus principijs, quę attingemus, pauca quę
dam capita numerando.

Prima igitur excusatio sit, spiritualis (vt sic dicā) B
impotētia seu impedimentū, vt si quis sit excōmuni
catus, vel interdictus speciali aut generali interdicto
nā huic prohibitū est ab Ecclesia, diuinis officijs in
teresse, etiā diebus festis: vnde necesse est, vt alia obli
gatio cesset. Quod quidē verū est, etiā si fortasse ali
quis sua culpa talē censurā cōtraxerit: nā, licèt in eo
peccauerit, tamē, postquā iā est factus impotēs ad au
diendā Missam, nō peccat nō audiēdo, maximè, si mo
ralē diligentiā adhibuit, vt absolutionē cēsuræ cōse
queretur: nōnulla verò difficultas est, quādo negligit
absolutionem obtinere: nā tūc videtur per eū stare,
quominùs potēs sit audire Missam, & implere præce
ptū: ergo illi imputandū est, si nō audit, neq; hoc titu
lo iustè excusari poterit. Et cōfirmatur, quia simplici
ter obligatur tali præcepto, solūq; excusatur propter
impedimētū, ergo in tantū excusabitur, in quātū im
pedimentū illud fuerit inuolūtariū: ergo, si volūtariū
sit, nō excusat. Cōfirmatur secūdò, nā, qui annuā cō
fessionē vel cōmunionē omittit propter excōmunica
tionē, si ipse sit negligēs in obtinēda absolutione, nō
excusatur à culpa, vt sumitur ex his, quæ Nau. tradit.
c. 21. n. 34. & 45. ergo idē est in præsenti. Nihilomi
nus idē Nau. eodē c. 21. n. 3. expressè docet, etiā si ali
quis sit negligēs in obtinēda absolutione, & in hoc
forta ſſepeccet alio peccati genere, nō tamē in omissio
ne Missæ, quā, supposito tali impedimēto, iure omit
tit. Quā sentētiā multi viri docti ꝓbant, & est sanè
ꝓbabilis, quia nō tenetur quis tā remotè, & à lōge (vt
sic dicā) se disponere ad Missam audiēdā: ergo ex vi
huius præcepti nō obligatur ad procurādā absolutio
nē excōmunicationis: ergo, dū in hoc est negligēs, nō
peccat cōtra hoc præceptū: sed neq; etiā postea peccat
nō audiēdo cū excōmunicationis vinculo: ergo nū
quā peccat in hoc. Itē infirmus, si sit negligēs in ꝓcu
rāda salute & viribus, vt possit Missā audire, & qui
est in vinculis, si sit negligēs in ꝓcurāda libertate, &
ideò Missā omittat, nō peccat specialiter contra hoc
præceptū, quia nō obligat ad tollēda impedimēta tā
remotè: ergo similiter in ꝓposito. Tādē à cōtrario, si
quis præuideat, se fieri impotentē ad audiēdū sacrū,
incurrēdo excōmunicationē, nō peccat specialiter cō
tra hoc præceptū, dādo causam excōmunicationi: er
go neq; è cōtrario, &c. De præcepto autē cōfessionis
& cōmunionis nō est eadē ratio: quia præceptū cōfes
sionis per se obligat ad mūdandā animā, & cōsequē
ter ad omnē dispositionē necessariā ad peccatorū ab
solutionē obtinēdā, præceptū autē cōmunionis, etiā
cōsequēter obligat ad præmittēdā cōfessionē, si neces
saria ut, vt re vera est in eo, q peccati mortalis cōsciē
tiā habet: illa ergo duo præcepta multò maiorē cōne

Antonio. Caiet. Soto. Nauar.

Nauar.

Aduertēdū.

Prima excusatio.

xionē habēt cū diligētia adhibēda, vt cēsura tollat.

Solet etiā hic interrogari, an qui habet priuilegiū Quæstum.
vt audire possit Missā tēpore interdicti, teneatur eā
die festo audire. Et ratio dubitādi est, quia nemo obli
gatur ad vtēdū priuilegio suo, alioqui gratia onerosa
fieret, & libera facultas in obligationē verteretur: er
go habēs tale priuilegiū nō tenetur vti illo, sed, non
vtēdo illo, nō obligatur ad audiēdā Missā: ergo. Pro Responsio.
pter hoc aliqui cēsent partē negatiuā probabilē, sed
mihi nō videtur practicè probabilis: vnde nō est du
bium, quin habēs hoc priuilegiū teneatur Missam au- Nauar.
dire, vt tenēt Nau. c. 21. n. 3. Soto. d. 13. q. 1. art. 1. Et Soto.
d. 22. q. 3. ar. 1. & ratio est, quia interdictū in tātū ex
cusat ab obligatione audiēdi Missā, in quantū ponit
impedimentū ad audiendā illā: ergo, quacūq; ratio
ne hoc impedimētū tollatur, obligatio præcepti suā
vim retinet, & tollitur excusatio. Cōfirmatur & de
claratur, nā, si quis in vinculis detinēatur, excusatur
ab executione huius præcepti, & tamē, si ex priuile
gio ei cōcedatur libertas diebus festiuis, tenētur im
plere illud quia iā est ablatū impedimentū. Idēq; es
set de infirmo, etiā si per diuinā gratiā supernaturalē
ei pro die festo sanitas cōcederetur. Neq; in eo casu
cogitur quis vti priuilegio, sed, supposito priuilegio,
cogit seruare præceptū: possumus enim in priuilegio
intelligere quēdā effectū quasi formalē, qui est, tolle
re in habilitatē vel impedimētū, & hūc necessariò ha
ber, hoc ipso, q acceptatur, posito autē hoc effectu for
mali, ab sq; alio vsu tollitur excusatio, & cōsequenter
manet obligatio præcepti. Vltimò reuocatur ad hoc
caput, impedimētū ignorātiæ, q spirituale est, & ab
aliquibus inter impedimēta excusantia in præsenti cō
putatur, vt videre licet in Sylu. & Rossell. & Anton. Sylues. Rossell.
suprà, & est per se clarū, si ignorātia sit inuincibilis, Antonin.
qualis hic sæpè esse potest facilè, si sit ignorātia facti,
scilicet, q hic sit diēs festiuus, sub qua ignorantia cō
prehēditur naturalis obliuio, vel incōsideratio: igno
rātia autē iuris, si sumatur generaliter de toto hoc prę
cepto, scilicet, q prorsus ignoretur, fideles habere
hāc obligationē, vix admitti potest inuincibilis, nisi
in homine valdē stupido, aut in syluis enutrito, aut in
pueris, quibus rationis vsus incipit elucescere. Si verò
sumatur hæc ignorātia circa obligationē huius præ
cepti in particulari, scilicet, in hoc die festo, cū his cir
cūstantijs, &c. sic facile accidere potest, vt præceptū
existimetur nō obligare, quādo re vera obligat, & ta
mē, q ob ignorantiā homo excusetur, vt in sect. 1. cū
Caie. tetigimus. Quādo verò talis circūstantia cēsen
da sit inculpabilis, ex generalibus regulis de ignoran
tia, cōsideratis in particulari circūstantijs, & cōditio
nibus personæ prudēter iudicandū est. Secūdū caput
huius excusationis est impotētia corporalis, quę, si sit
impotentia simpliciter, nō habet difficultatē: quia ad
impossibile simpliciter nemo obligatur, huiusmodi
autē impedimētū est, si aliquis in vinculis detineatur
vel quacūq; alia ratione cogatur nō exire domo, aut
nō ingredi Ecclesiā, seu locū, vbi Missa dicitur. Itē, si
desit sacerdos, qui sacrū faciat, & Ecclesia adeò distet
vt nō possit adiri. Itē, si aliquis ita ægrotet, vt nō pos
sit ex lecto surgere, &c. Et, quia id solum proprie pos
sumus, quod licitè possumus, ad hoc caput reuocan
dus est casus, in quo aliquis fide data, & maximè, si
iuramento firmata sit, vel præcepto superioris, domi
suæ iustè manere cōpellitur, quāuis corporaliter non
cogatur: nā, cū inde non possit licitè exire, simplici
citer impotēs reputatur. Solū posset in his, & simili- Dubium.
bus casibus dubitari, an is, qui vi, vel ęgritudine, vel
quacūq; ratione alia, cogitur domi manere, si habeat
priui-

Caie. Nauar.

priuilegiū, seu oratoriū approbatū, in quo domi pos- A
sit audire sacrū, ad hoc teneatur diebus festis. De quo
nihil inuenio ab autoribus dictū, videtur autē ex dic
tis in præcedēte pūcto sequi, tunc ratione priuilegij
tolli excusationē, & cōsequēter vrgere obligationē
præcepti. Nihilominus verisimilius existimo, in eo ca Autoris sen
su nō teneri ad vtēdū priuilegio, & in primis, si neces tentia.
sariū sit stipendiariū quærere sacerdotē, nemo ad hoc
tenetur, sed solū ad audiendū Missam, quæ in Eccle
sia dicitur, quia præceptū nō obligat ad procurandā
Missam, etiā dato stipēdio sacerdoti. Deinde, cū dice
re Missam in domibus priuatis, etiā approbatis, de se
sit odiosum minūsq; dicēs reuerētiā debitā huic sa
crificio, & præter generales canones Ecclesiæ, nemo
obligatur ad vtēdū tali priuilegio, vt possit aliud præ
ceptū Ecclesiasticū implere, nā hoc nō est tāti momē
ti, quale esse potest, vt sacrificiū in priuatis locis non B
fiat. Itē, quia ob causas minùs graues & vrgētes, ex cu
satur quis interdū ab executione huius præcepti, vt
videbimus: ergo etiā propter hāc poterit excusari.
Et in his omnibus est magna differētia inter hūc ca
sum, & illū de priuilegio interdicti: nā in illo, ablato
impedimēto, nulla posteà dispensatio fit in iure, sed
regulari modo Missa dicitur, & auditur, quod in hoc
casu nō itatit. Vnde hic meliùs, quā ibi, accōmodatur
principiū illud, q *nemo cogitur suo priuilegio vti*, nā per
hoc priuilegiū formaliter ac per se nō tollitur impedi
mētum audiēdi Missam: nō enim tolluntur vincula,
nec coactio manēdi domi, &c. Vnde necessarius est C
vsus, quasi effectiuus ipsi⁹ priuilegij, vt possit aliquis
Missam audire: ad illū autē vsum nemo obligatur. Ad
hoc caput reducitur impedimētū nauigātiū, qui nec
possunt ad terrā accedere, vt Missā audiāt, neq; etiā
in naui eā audire, cū ibi dici nō possit, vt suprà dictū
est: nā, licèt interdum ibi Missa dicatur, quæ vocatur
sicca, tamē, & illud rarū est, & re vera illa non est Mis
sa, & ideò in rigore ad illā audiēdā nō obligat præce
ptū, quāuis optimū cōsiliū, & deuotionis ac religio
nis indicium sit, illā audire, & aliquādo etiā possit es
se, saltē ad vitandū scādalū, necessariū. Hæc autē pro
cedūt in nauigatione, quę omnino est à terra remota
& postquā inchoata est, nā de cæteris iudicandū est,
sicut de alijs iter agētibus vel inchoātibus, de quib⁹
infrà dicemus. Tertiū caput est, impotētia moralis au
diēdi Missam, quæ difficilior est ad explicandū: quia
nec cōsistit in physica impotētia, nec in indiuisibili
cōsistit, neq; vno tantū sed plurimis modis accidere
potest. Regulatamē generalis, quæ à Doctoribus as
signatur, est, tūc cēseri impotētiā moralē, quādo sine
iactura alicuius boni mediocris æstimationis, aut sine
magna difficultate vel labore Missa audiri nō potest D
cuius ratio nulla est alia, nisi quia hoc præceptū iuxta
cōmunē Doctorū interpretationē, & iuxta cōmunē
etiā cōsuetudinē cū hac moderatione latū est, & rece
ptū, vt nō sit necessaria causa admodū grauis ad excu
sandū. Possumus autē exēpla adhibere in omni gene
re bonorū corporaliū seu tēporaliū, nā spiritualium,
per se loquēdo, nō potest ex hoc actu timeri iactura,
nisi in casibus in primo vel secūdo cap. cōprehēsis, ni
si fingatur casus, in quo aliquis timeat occasionē ruī
næ spiritualis, si Ecclesiā adeat ad Missam audiēdā, de
quo inferiùs in vltimo cap. nōnihil dicemus. Primū
ergo corporaliū bonorū est vita: si ergo in eūdo, vel Primum cor
redeūdo ab Ecclesia, periculū vitæ quis timeat, vel poralium bo
ab hostibus & inimicis, vel ab aere pestifero, vel ab norum est vi
alia simili causa, clarū est excusari, dūmodò timor ꝓ ta.
babili saltē cōiectura nitatur, & nō sit sola imaginatio

illi

Secundum bonum est salus corporalis.

3. Genus bonorum corporalium.

4. Genus bonorum corporalium.

Caiet. Armill.

Vltimum genus bonorū corporaliū.

Universidad de Deusto Biblioteca

illi sit longū inter. v. g. vnius leucæ, peditē cōficere,
ideq; est, quãuis nō sit tāta distantia, tamē est aliqua
notabilis, & aliūde tēpestates ingruūt, & pluuiæ, ita
vt, prudēter rē cōsiderando, notabile cēseatur detri-
mentū. Ex hoc etiā capite iudicandū est de iter agēti
bus, vel nauigātibus per flumina, aut iuxta maris lito
ra, nā in primis, si iter inchoēt in die festo (quicquid
sit de alia quæstione, an id sit cōtra obseruationē fe-
sti, quātū ad præceptū negatiuū de nō exercēdis ope
ribus seruilibus) certū est, per se loquēdo, nō excusari
ab audiēda Missa eo die, priusquā inchoent iter, nisi
probabiliter sperēt audire illā in via: quia tūc nulla
est ratio excusationis, nisi tāta sit necessitas accelerā
di iter vt graue detrimentū timeat, si quis in audiēdā
Missa immoretur, vt. v. g. si ea de causa nauigationē
sit amissurus, aut comites viæ sibi necessarios ob ali-
quā grauē causam, vt suprà insinuatū est, aut certè, si
occasio alicuius grauis negotij transigendi & obtinē
di, ea de causa perdatur, & idē fere iudiciū est de quo
uis die, in quo iter continuatur, nā eadē est ratio. Rur
sus ex hoc cap. excusantur, qui Missam audire nō pos-
sunt propter vrgētia negotia, quæ dilationē non pa-
tiūtur, sine magno detrimēto boni tēporalis cuiuscū
que quod intelligēdū est, quādo neq; huiusmodi ne-
gotia cōmodè præueniri possunt, ne Missæ auditio-
nē impediāt; vel è cōtrario Missa prȩueniri potest, vt
negotijs vacetur: nā si quis priùs velit nimio somno
indulgere, & posteà nō possit vtriq; oneri satisfacere
nō ꝓpterea, excusabitur à culpa, ratione præteritȩ ne
gligētiæ, ꝙ ꝓcedit, quādo futurū impedimentū prȩ
uisum est, & nihilominus nō fuit diligētia adhibita
ad implēdū præceptū. Et per hæc iudicādū est de si-
milibꝰ casibus, qui in infinitū multiplicari possunt.

Quartum caput ex titulo caritatis sumitur.

Quartū caput sumi potest ex titulo caritatis, pro-
pter quā, vt alias Bernardus dixit, cōueniēter omitti-
tur, ꝙ propter eandē est introductū. Duobus autem
modis potest hæc excusatio accidere, primo, si neces-
sariū sit, Missā omittere ad subueniendū proximo in
necessitate existēti, & hoc titulo excusant oēs Do-
ctores, & præsertim Caiet. Sot. & Nau. locis suprà ci-
tatis, eū, qui ꝓpter infirmū, cui inseruit, ne illū solū,
vel absq; necessario ministerio relinquat, Missā omit
tit, quod intelligitur, quādo vtrūq; fieri potest, &
quādo graue proximi ægrotātis detrimentū inde ti-
meretur, vt prȩdicti autores declarāt, & per se euidēs
est, nā si vtrūq; cōmodè potest fieri, nulla est excusa
tionis ratio: si autē ex absentia, quæ fieri potest ad au
diendā Missam, nō timetur graue detrimētū, morali
ter loquēdo, nō vrget propriè necessitas caritatis. Cū
autē de graui detrimēto agimus, nō est intelligendū,
oportere, vt vita infirmi periclitetur, aut ꝙ ȩgritudo
ipsa multū augeatur, vel aliquid simile, sed satis est, ꝙ
vel ea de causa ægroto nō possint cōueniēte tēpore re
media adhiberi, maximè, cùm ægritudo est alicuius
momēti, vel certè, si grauis sit, satis erit, ꝙ infirmus,
solus relictus illo tēpore toto pati debeat laborē, &
animi anxietatē, vel aliquid simile. Deniq; quando
ægritudo nimiū grauis est, vel extremè vrget, si quis
bona fide, & ex animi pietate, vt ministret infirmo,
eiusq; curā gerat, Missam omittat, rarò peccabit mor
taliter, etiā si fortasse in re ipsa eius ministeriū nō sit
admodū necessariū, vel quia satis est, ꝙ sit valde vti-
le, vel certè, quia bona fides, & perturbatio, quæ inter
dū adiūgitur, excusant, in qua re, sicut ferè in alijs,
quæ huiusmodi sunt, prudēs arbitriū adhibēdū est,
ꝙ si homo nō habet, quē cōsulat, & bono animo faciat
quod videtur caritati cōsonū, nō peccauit mortaliter.

Caiet. Soto. Nauar.

A Quod autē dictū est de hoc misericordiæ opere, iudi
candū est de reliquis, siue corporalia sint, siue spiritua
lia, quādo re vera proximus est in necessitate, & dif-
ferri nō potest remediū, sine graui eius detrimēto, vt
si ꝓpter audiēdā cōfessionē periclitātis infirmi, Mis-
sam amittā, vel quid simile. Dices, Hæc opera miseri
cordiæ in his casibus nō sunt simpliciter in præcepto
quāuis ex se bona sint, & in cōsilio, sed opus prȩcepti
nō est omittendū ꝓpter opus cōsilij: ergo. Responde
tur, sæpè accidere, vt huiusmodi opus sub præceptū
cadat, & tūc nulla est difficultas, quia præceptū cari-
tatis, maioris est necessitatis, nō tamē semper opor-
tet expectare eam præcepti obligationē, sed satis est,
quòd necessitas proximi grauis sit, modo explicato,
vt propter beneficiū illi prȩstandū excusetur quis ab
obligatione huius prȩcepti, sicut propter vitādū pro

Obiectio.

Solutio.

B priū incōmodū licet mihi Missam omittere, quāuis
ex præcepto nō tenear illud incōmodū vitare, nā ca-
ritas facit, vt aliū diligā, sicut me ipsum. Nec tūc præ
fertur opus cōsilij operi præcepti, sed res cōstituitur
in tali statu, & cū talibus circunstātijs, vt propter bo
nū proximi, cessēt obligatio præcepti, nā, cùm affir-
matiua præcepta nō obligent pro semper, facilè po-
test, mutatis circūstātijs, corū obligatio cessare. Alio
modo potest cōtingere hæc excusatio, non tā ad be-
neficiū præstandū proximo, quā ad nō afferendū illi
aliquod malū; quod vix potest intelligi, nisi per mo-
dū vitādi scandalū: quia ire ad Missam audiendā nō
est actio, quæ per se possit in damnū proximi redūda
re, solū ergo potest inde damnū euenire, vel quia ea
de causa omittitur actio, ꝓximo necessaria, quod per
tinet ad præcedentē modū, vel, quia inde sumet pro
ximus aliquā occasionē peccādi, & hoc modo inter-
C dū nō peccabit fœmina cōtinēdo se domi die festo,
ne sit occasio peccādi alicui, à quo scit ex nimia fragi
litate se perditè adamari, nā, licèt ad hoc nō teneatur,
quia illud scandalū nō est datū, sed acceptū, quod ho-
mo nō tenetur vitare cū tanto detrimēto, nihilomi-
nùs tāta potest esse necessitas & fragilitas proximi,
vt liceat hoc modo ei subuenire, vt tetigit Soto hic,
d. 13. q. 2. art. 1. Et eadē ratione, si quis eūdo ad Ec-
clesiā, timeat fore, vt ea occasione graues rixæ sequā-
tur, aut propter veteres aliquas inimicitias, aut ꝓpter
locorū ordinē & dignitatē, vel aliquid simile, suffi-
ciens cēseri debet excusationis ratio. Atq; hoc titulo
inter alios excusant autores mulierē, quæ timēs gra-
uē rixā seu irā mariti, Missam omittit, vt ei cōueniē
ti tēpore & modo omnia præparet, & occasionē per
turbationis auferat, quod intelligēdū est, quādo per
turbatio est grauis, & alicuius momēti, nā si sit leuis,
D potius dissimulanda & ferēda est. Et idē est si mari-
tus ob zelotypiā nolit, eam domo exire, nā si nō pos-
sit cōiux vitare id sine graui incōmodo, potest, etiā
in hoc, marito obtēperare, seu cōdescēdere, licèt op-
positum significet Antonin. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 2. sed
fortasse intelligit, quādo nō est periculū grauis incō
modi. Et per hæc de similibus iudicandum est.

Antonin.

Quintum caput excusationis est ratione officij; &
huc etiā reuocatur excusatio, ratione iustæ obedien-
tiæ, hac ratione excusantur milites custodientes ca-
strū aut portas ciuitatis, aut vigilias faciētes, quando
sine periculo aliquo non possunt suo muneri deesse:
sic etiam excusantur pastores, quādo per aliū, munus
suū supplere non possunt. Excusantur vectores mer-
ciū, & cursores, qui muneri suo satisfaciētes, non pos
sunt sine magno incōmodo ad audiendā Missam de
tineri, vt notauit Caiet. verb. Festa. Excusantur etiā
matres

Quintum caput excusationis.

matres, vel nutrices, quæ neq; infantes deserere pos-
sunt, neq; frequēter expedit, eos ad Ecclesiā deferri,
&c. Sed præcipuè hoc titulo solent excusari famuli,
qui, vt dominis suis ministrēt, Missam amittunt, quȩ
res, quoniā valde practica est, nonnulla expositione
indiget. Nā in primis, si ministeriū sit necessariū, iux
ta cōmunē & ordinarium viuendi modum, vel iux
ta occurrētes morales, & rationabiles occasiones, cer
tū est, nec dominū peccare præcipiēdo, nec famulos
parēdo: quia illa est grauis & rationabilis causa, & mo
ralis necessitas: ꝙ semper intelligēdū est, cū limitatio
ne supra insinuata, quādo famulus nō potest, medio-
cri diligētia adhibita, opportunū tēpus præuenire,
vt Missam audiat, nō tamē tenētur adhibere extraor
dinariā diligētiā. v. g. citiùs surgēdo, aliquid ab ordi
nario, & secundū rationē moderato, somni tēpore, de
trahēdo, vel aliquid simile: quāuis enim hoc cōsulen
dū sit, tamē præceptū ad id nō obligat. At verò, si mi
nisteriū nō sit ita necessariū, sed possit, vel in aliū diē
vel in aliā horā sine incōmodo differri, dñi quidē ma
lè faciūt, & grauiter peccāt, id præcipiēdo, cū nō so-
lū teneātur nō impedire sibi subiectos à Missa audiē
da, verū etiā debitā curā & diligentiā adhibere, vt
Missam audiāt, quia ad eos pertinet cura familiæ suȩ,
vt in ea Ecclesiastica præcepta seruētur, vt in ꝓposi-
to notauit Soto hic, & li. 2. de Iust. q. 4. art. 4. Syluest.
verb. Missa. 2. q. 1. Nauar. c. 21. n. 9. & 10. Antonin.
2. p. tit. 9. c. 10. §. 2. & significauit Amb. in hom. 33.
quadrages. & citatur in c. An putatis. 86. d. & colligi
tur ex illo Pauli. 1. ad Cor. 5. *Si quis suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infide li deterior.* At verò famuli, si absq; magno incōmodo
possint subterfugere, & Missam audire, nō obediēdo
dominis, debēt id facere, etiā si aliqua leuis rixa inter
cedat, si tamē necesse est, aut dominos deserere, aut
graue aliquod detrimētū ea causa pati, ea ratione ex-
cusari possunt, nec cēsentur præferre hominis præce-
ptū diuino aut Ecclesiastico mādato, ꝙ nunquā licet
sed cēsetur tūc Ecclesia nolle obligare cū tāto detri-
mēto. Et hæc est differētia inter res ꝓhibitas, quia ma
læ sunt, & malas, quia prohibitæ: quia ab illis nūquā
potest separari malitia & prohibitio, & ideò propter
nullū incōmodū fieri possunt, etiā si à dño præcipiā-
tur: ab his verò separari potest ratio præcepti seu pro
hibitionis, & cōsequēter ratio malitiæ, & ideò, si, pro
pter vitandū incōmodū, obligatio prȩcepti cesset, fie
ri, vel omitti possunt ad obediēdū homini præcipiē-
ti. Sicut etiā, si quis minetur mortē alteri, si Ecclesiā
adeat ad Missam audiēdā, potest illā omittere, dūmo
dò id nō fiat in cōtēptū vel iniuriā religionis in quo
nō præfert timorē humanū Ecclesiasticæ obediētiæ,
sed cessat Ecclesiastici præcepti obligatio, occurrēte
tali periculo & incōmodo: ita ergo est in prȩsenti, quā
do sine graui incommodo vitare nō potest famulus,
quin dño suo obsequatur, supponimus enim, tale mā
datū nō esse in cōtēptū religionis, sic enim illud face-
re esset intrinsecè malū, & ideò ꝓpter nullū incōmo-
dū vitandū licere ptest, sed loquimur de cōmuni mā
dato, seu ministerio de se indifferēte, & propter com
modū humanū, vt regulariter cōtingit. In quo etiā
aduertere oportet, debere famulū in tali euētu, priùs
certiorē facere dñm, ꝙ Missam nō audierit, & procu-
rare, quoad cōmodè possit, ab illo obtinere, ne se im-
pediat, quominus Missam audiat, quia debet ꝙ in se
est, facere, vt præceptū seruet, & iniquū impedimen
tū euitet: quod si nō possit, tūnc excusabitur, vt di-
ctū est: tenebitur autē, si hoc sit frequens & quasi in
cōsuetudine, nacta opportunitate, tale ministeriū re-

Caiet.

Syluest. Nauar. Antonin. Ambros.

Aduertendum.

A linquere, & cōmodū aliud, seu dñm quærere, cui in
seruiēdo, Ecclesiæ præcepta possit seruare. Et in his fe
rè cōueniūt autores, Antonin. 2. p. tit. 9. c. 7. §. 5. &
c. 10. §. 2. Palud. in 4. d. 15. q. 5. cōcl. 2. Caiet. 2. 2. q.
122. art. 4. & in sum. verb. Festa circa finē, Syluest. su
prà, & verb. Dñica. q. 4. Nauar. suprà, & c. 13. nu. 7.
qui citat Rossell. & iuxta hæc loquēdū est de vxore
respectu mariti, & de filijs respectu parētū, & de mi-
litibus respectu dicis, & de omnibus similibus.

Sextum caput excusationis.

Sextum caput excusationis est consuetudo ex ali
qua rationabili causa introducta, & à pastoribꝰ Eccle
siæ tolerata. Huiusmodi sunt nōnullæ cōsuetudines,
præsertim ad fœminas pertinētes. Vna est ꝙ post par
tū per aliquos dies, etiā si plenè cōualuerint, ab Eccle
siæ ingressu abstinēt, ꝙ si nō faciāt ex superstitione,
aut Mosayco ritu, sed ex quadā reuerētia ac deuotio-
ne, nō improbatur in c. vnico de Purificatione post
B partū, & ideò, si de hoc sit introducta cōsuetudo, nō
est improbāda, sed excusare potest, vt Caie. notauit,
verb. Festa. Propter cōsuetudinē autē mēstruam (vt
hoc obiter adnotemus) nō est Missa omittēda, per se
loquēdo, & seclusa ægritudine, vel debilitate, quæ il-
li æquiualeat, vt notabit Nauar. c. 21. n. 9. ex dicto c.
de Purificatione post partū, & ex. c. vlt. d. 5. vbi Gre
gor. ait, *Mulier quæ ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare, non debet, nec à communionis mysterio.* Addit autē ibidē Greg. *Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est:* ergo eodem
modo dicere possemus, si abstinere voluerit ab in-
gressu Ecclesiæ, laudādā esse, ergo ex illo textu po-
tiùs videtur colligi, hanc posse piam & sufficientē
excusationē, quāuis nō necessariā. Respōdetur, Gre-
goriū in illis verbis vltimis non loqui de cōmunione
prȩcepta, nā, si quȩ mulier eā omitteret ob huiusmodi
C causam, nō esset laudāda; si ergo dicēdū est de ingres
su Ecclesiæ, & ita sine dubio, regulariter loquēdo, im
pedimētū hoc nō est sufficiēs, nec de hac re introdu-
cta est, nec, moraliter loquēdo, introduci potest con-
suetudo: si verò aliquādo timeretur exterior aliqua
indecētia, seu irreuerētia loci sacri, tūc posset excusa-
tio esse sufficiēs. Alia cōsuetudo est viduarū, quȩ post
viri mortē, per aliquot dies domo nō exeūt, & ea de
causa Missam omittūt, quā cōsuetudinē omnes Do-
ctores approbant, Caiet. 2. 2. q. 122. art. 4. & in sum.
ver. Festa. Antonin. Syluest. Nauar. locis suprà citatis
& ferè oēs Sūmistæ: nā cōsuetudo illa fundatur, tū in
quadā decētia & honestate viduali, tū etiā in rationa
bili significatione & ostēsione tristitiæ. Adhibēt ta-
mē fere omnes autores prædicti moderationē, scilicet
vt tēpus: illud nō prolōgetur nimiū. v. g. per annū,
aut plures mēses, sed, ad summū, per mēsem, vt ex pres
D siùs notāt Syluest. & Rossell. Sed nō existimo posse
hāc moderationē vna regula pro omnibus definiri,
nā in fœminis nobilioribus solet esse cōsuetudo, vt lō
giori tēpore domi maneāt, quā in alijs, vnde Nauar.
supra n. 4. ait nō posse dānari hanc cōsuetudinē in fœ
minis nobilibus, etiā si per annū extēdatur, quanuis
laudabilius esset, illā nō seruare. Itaq; si re vera cōsue-
tudo introducta est, & præscipta, & prælati Ecclesiæ
nō cōtradicūt, ab vnaquaq; fœmina seruari potest:
quia per talē cōsuetudinē abrogatū est præceptū au-
diēdi Missā in hac parte, pertinebit tamē ad Episco-
pos modū ponere huiusmodi cōsuetudini, vt nō ni-
miū extēdatur. Benè autē aduertit Nau. oportere, vt
quȩ hāc cōsuetudinē seruāt, quoad Missā nō audiēdā
in Ecclesia, simpliciter eā seruēt, nec domo egrediā-
tur ad res alias, quod & nos supra de infirmis in simi-
li notauimus. Alia cōsuetudo est virginū nobilium,
quȩ

Exponitur Gregorius.

Caiet. Antoninus. Syluest. Nauar.

Rossell.

Notabile.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ cũ iã sunt nubiles, nõ exeũt in publicũ, & ideò Missam omittũ. Quã (si re vera introducta sit tolerata, & sufficiẽter præscripta) sufficientẽ esse ad abrogandũ hoc præceptũ in hac parte, & cõsequenter ad excusandũ tã ipsas virgines, quã earũ parẽtes, docẽt Caiet. Soto, Sylvester, Nauar. & reliqui autores locis citatis: nã, licèt consuetudinem hanc laudent, tamen, si semel introducta sit, sufficere censent ad prædictũ effectũ: nã, cum non sit intrinsecè mala, potest humanã legem abrogare. Quin potiùs addũt ijdẽ autores, quòd si propter talẽ cõsuetudinẽ iam non decet, huiusmodi virginẽ nubilẽ domo exire, & alioqui mater timeat aliquid honestati, & bonæ famæ eius contrariũ, si sola domi maneat, consequenter etiam excusari matrem ab audienda Missa, nõ hoc titulo consuetudinis, sed alijs, scilicet; quia sinẽ graui detrimento, & satisfaciendo, vt debet, muneri suo, Missam audire non potest. Sed re vera hoc ipsum declarat, consuetudinẽ hanc esse valdè irrationabilem, &, vnò inconueniente dato, alia multiplicari: multò enim meliùs custodirent matres filias suas, secũ eas ad Missam ducendo, quàm domi relinquendo. Neq; in hoc potest esse morale periculũ pudicitiæ, regulariter loquẽdo. Vnde magis autoritates, quàm pudicitiæ causa, hoc introductũ videtur, eo vel maximè quòd huiusmodi virginis, quæ hoc titulo Missam omittunt, fenestras nũ fugiũt, & domo exeunt ad ludos & alia publica spectacula videnda. Quapropter, licèt cõsuetudo hæc simpliciter damnari non possit, tamen magna prudentia moderanda est; &, quoad fieri possit auferenda, præsertim (vt Nauar. notat) omnino laudendũ est, vt, saltẽ solennioribus festis, huiusmodi virgines Missam audiant, nam perpetuò illam omittere, intolerabile, & Christianis hominibus indignum est.

Septimum caput excusationis.

Septimũ caput excusationis addi solet, scilicet, maior vtilitas vel necessitas spiritualis, sic Angelus suprà excusat eũ, qui propter concionẽ audiendam, sacrum omittit. Similiter alij excusant eũ, qui tẽpore Missæ confitetur peccata sua, maximè, si eo tempore habeat copiam confessoris, quam posteà cũ difficultate obtinebit. Sed huiusmodi excusationes, & similes, per se ac moraliter loquẽdo, insufficientes sunt; quia opus præcepti non est omittendum propter huiusmodi voluntaria opera, etiã si vtiliora esse fingantur: aliàs posset quis sacrũ omittere, vt in suo cubiculo contẽplationi Dei vacet, ex qua maiorem fructũ spiritualem sibi cõparare existimat: nã per se nullus est maior fructus, quã seruare mãdata eo tẽpore, quo ipsa obbligant. Igitur huiusmodi casus solũ habeat locum, quando vrget aliqua moralis necessitas.

Vltimum caput excusationis.

Vltimũ caput excusationis sumi solet ex parte sacerdotis, quando, scilicet, ille est nominatim excõmunicatus: tunc enim ita iudicandũ est, ac si omnino deesset copia ministri. An verò idẽ sit dicendũ de sacerdote publicè concubinario, suprà tactũ est in materia de sacramentis in genere, nam, licèt antiquo iure prohibitum esset, ab huiusmodi sacrũ audire, ca. vlt. de cohabit. Cleric. & mulierũ. c. Nullus. cũ sequẽte: 32. d. c. Si qui sunt. 81. d. tamẽ nouo iure Cõcilij Cõstantiensis hoc ius limitatũ seu correctum est, vt nõ obliget, donec huiusmodi sacerdos sit ab Ecclesia denunciatus tanquã excõmunicatus seu præcisus: vt docent Ledes. 1. p. 4. q. 5. art. 6. dub. 9. & Nauar. de Pœnit. d. 6. c. 1. § Laborer. nu. 21. & in Sum. c. 25. num. 79. & ex antiquis videri potest Gab. in 4. d. 13. q. 1

Cõc. Const.

A Maior. d. 9. q. 4. Caiet. 2. 2. q. 11. art. 1. Propter iniquitatem ergo sacerdotis nunquã excusatur aliquis à Missa audiẽda, nisi sacerdos sit ab Ecclesia nominatim præcisus, & excommunicatus, vt prædicti autores sentiunt, & Antoni. Sylvest. & alij suprà citati.

Quæstium.

Sed inquiret nõ immeritò aliquis, an eo casu, quo aliquis rationabili causa excusatur à Missa audienda, teneatur, loco illius aliquas orationes fundere, vel externum aliquem cultũ Deo exhibere. Ita enim affirmarunt Scotus in 4. d. 9. & 17. q. vnica, & indicat Angel. verb. Feriæ, nu. 43. quia præceptum orandi & colendi Deũ, diuinũ est ac naturale, tẽpus autem implẽdi illud, definitũ est ab Ecclesia, vt fit diebus festis, simulq; statutũ est, vt per actũ audiẽdi Missam impleatur, vnde, si nõ sit opportunitas exercendi illũ actum erit obligatio implendi illud præceptũ diuinũ alio

B actu orationis vel cultus. Sed hæc sentẽtia non habet sufficiens fundamentũ, quia quanuis finis huius præcepti sit diuinus cultus, tamẽ non cadit in præceptũ, nisi quatenus est materia eiusdẽ præcepti: sed materia huius præcepti solùm est actus audiendi Missam, ergo solùm ad hunc actum obligat tale præceptum: ergo, intercedente excusatione sufficiente in tali actu, nulla succedit obligatio alterius actus, quia nullũ est præceptũ, in quo fundetur: illud enim diuinũ præceptum orandi, vel colendi Deum, solùm definitur ad tale tempus diei festi, quatenus per talem actum exhiberi potest, & nõ aliàs. Et confirmatur, nã, qui absq; excusatione, & peccando mortaliter, omisit sacrum, nõ tenetur eodẽ die alijs actibus colere & orare Deũ ergo multò minùs tenebitur, qui excusatur: est ergo optimũ illud consiliũ, nullum tamen est latum ea de re præceptũ, vt latiùs docuit Nauar. in Manuali. ca. 21. nu. 7. & in cap. Quãdo. de Consec. d. 1. notab. 3. n. 5. cum Antonino, Adriano, & alijs.

Responsio.

Vltimo quæsito satisfit.

Vltimò inquiri potest, vtrũ aliqua pœna iure imposita sit huius præceptitransgressoribus. Respondetur, nullam esse propter hanc culpã, censuram ipso iure impositam, neque aliã Ecclesiasticam pœnam, quæ ipso facto incurratur, solùm in dicto ca. Missas. de Consec. d. 1. de transgressoribus huius præcepti dicitur, *Ab Episcopo publice confundantur*. Quod intelligi potest, vt Doctores ibi exponunt, vel de publica correctione, & reprehensione, vel etiã, si opus sit, de excõmunicatione. Atq; hinc manauit cõsuetudo, quæ præsertim in aliquibus villis vel paruis oppidis seruatur, vt si quis Missam nõ audiat, publicè à Parocho denunciẽtur, quod tamen prudenter faciendum est, ita vt priùs certò constet de delicto, & q. aliquo modo sit publicũ & frequens, vel eum pertinacia cõmissum post aliquam secretã correctionem: nã alioqui periculum esset, vel puniendi interdùm iunocẽtes, vel infamandi proximum sine sufficiente causa. Quando verò huiusmodi correctio nõ sufficit; & frequenter Missa omittitur; adiungi potest & debet excommunicationis seueritas: nam præterquàm quòd huiusmodi culpa grauis est, quãdo est ita frequens & diuturna, magnum scandalũ generat, adeò vt, qui per longũ tempus Missam audire negligit, suspectus de sua fide habeatur: sicut è cõuerso optimum indicium fidei & deuotionis est, etiam in diebus profestis Missarum solẽnijs interesse, Deoque condignum cultum offerre, cui sit honor & gloria per infinita seculorum secula. Amen.

Hactenus de arcano Missæ sacrificij mysterio.

INDEX QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM DIVI Thomæ, qui in hoc tomo tertio exponuntur.

Prior numerus paginam indicat, posterior columnam.

Quæstio sexagesima.

De sacramentis, in octo articulos diuisa.

1 Vtrùm sacramentum sit in genere signi. 3. 2.
2 Vtrum omne signum rei sacræ sit sacramentum. 4. 2.
3 Vtrùm sacramentum sit signum vnius rei tantum. 5. 2.
4 Vtrùm sacramentum sit semper aliqua res sensibilis. 17. 1.
5 Vtrùm ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis. 18. 1.
6 Vtrùm ad sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba. 19. 2.
7 Vtrum requirantur determinata verba. 20. 2.
8 Vtrùm illis verbis possit aliquid addi, vel subtrahi. 22. 1.

Quæstio LXI.

De necessitate sacramentorum.

1 Vtrùm sacramenta fuerint necessaria ad salutem humanam. 37. 2.
2 Vtrùm fuerint necessaria in statu ante peccatum. 39. 1.
3 Vtrùm fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum. 46. 1.
4 Vtrùm fuerint necessaria post Christi aduentum. 64. 1.

Quæstio LXII.

De principali effectu sacramentorum, qui est gratia.

1 Vtrùm sacramenta sint causa gratiæ. 67. 2.
1 Vtrùm gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum. 69. 1.
3 Vtrum sacramenta contineant gratiam. 70. 1.
4 Vtrùm sit in eis aliqua virtus ad causandam gratiam. 70. 2.
5 Vtrùm talis virtus in sacramentis deriuetur à passione Christi. 1101.
6 Vtrùm sacramenta veteris legis gratiam causarint. 111. 1.

Quæstio LXIII.

De effectu sacramentorum qui est character.

1 Vtrùm ex sacramentis causetur character aliquis in anima. 115. 2.
2 Quid sit ille character. 127. 1.
3 Cuius sit character. 129. 1.
4 In quo sit, sicut in subiecto. 130. 2.
5 Vtrùm sit indelebilis ab anima. 136. 1.
6 Vtrùm omnia sacramenta imprimant characterem. 149. 1.

Quæstio LXIIII.

De causa sacramentorum.

1 Vtrùm solus Deus interius operetur in sacramentis. 150. 1.
2 Vtrùm institutio sacramentorum sit solum à Deo. 152. 2.
3 De potestate, quam Christus habuit in sacramentis. 153. 2.
4 Vtrùm illam potestatem potuerit alijs communicare. 154. 2.
5 Vtrùm potestas ministerij in sacramentis conueniat malis. 160. 1.
6 Vtrùm mali peccent dispensando sacramenta. 161. 1.
7 Vtrùm angeli possint esse ministri sacramentorum. 162. 2.
8 Vtrùm intentio ministri requiratur in sacramentis. 163. 2.
9 Vtrùm requiratur ibi recta fides, ita quòd infidelis non possit tradere sacramentum. 167. 1.
10 Vtrùm requiratur ibi recta intentio. 168. 1.

Quæstio LXV.

De numero sacramentorum.

1 Vtrùm sint septem sacramenta. 190. 2.
2 De ordine eorum ad inuicem. 196. 1.
3 De comparatione eorum. 197. 1.
4 Vtrùm omnia sacramenta sint de necessitate salutis. 199. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstio LXVI.

De pertinentibus ad sacramentum Baptismi.

1 Quid sit Baptismus, an, scilicet, sit ablutio. 229.2.
2 De institutione huius sacramenti. 232.1
3 Vtrùm aqua sit propria materia huius sacramenti. 237.1.
4 Vtrùm requiratur aqua simplex. 238.1.
5 Vtrùm hæc sit conueniens forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c.* 246.2.
6 Vtrùm in nomine Christi possit dari Baptismus. 248.2.
7 Vtrùm immersio sit de necessitate baptismi. 259.1.
8 Vtrùm requiratur trina immersio. 259.2.
9 Vtrùm Baptismus possit reiterari. 261.1.
10 De ritu Baptismi. 266. 1.
11 De distinctione Baptismatum. 267.2.
12 De comparatione Baptismatum. 268.2.

Quæstio LXVII.

De ministris, per quos traditur Baptismus.

1 Vtrùm ad Diaconum pertineat baptizare. 270.1.
2 Vtrùm hoc pertineat ad presbyterum, vel solum ad Episcopum. 270.2.
3 Vtrùm laicus possit sacramẽtum Baptismi cõferre. 271.2.
4 Vtrùm hoc possit facere mulier. 272.1.
5 Vtrùm non baptizatus possit baptizare. 272.2.
6 Vtrùm plures possint baptizare simul vnum, & eundem. 273.2.
7 Vtrùm necesse sit esse aliquem, qui baptizatũ de sacro fonte suscipiat. 284.1.
8 Vtrùm recipiens aliquem de sacro fonte obligetur ad eius institutionem. 285.1.

Quæstio LXVIII.

De suscipientibus Baptismum.

1 Vtrùm omnes teneantur ad suscipiẽdum baptisma. 289.2.
2 Vtrùm aliquis possit saluari sine baptismo. 290.2.
3 Vtrùm baptismus sit differendus. 291.2.
4 Vtrùm peccatores sint baptizandi. 292.2.
5 Vtrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria. 297.1.
6 Vtrùm in baptizãdis requiratur cõfessio peccatorum. 298.2.
7 Vtrùm requiratur intentio ex parte baptizati. 300.1.
8 Vtrùm requiratur fides. 300.2.
9 Vtrùm pueri sint baptizandi. 301.2.
10 Vtrùm pueri Iudæorum sint baptizandi, inuitis parentibus. 303.1.
11 Vtrùm aliqui sint baptizãdi in maternis vteris existentes. 321.2.
12 Vtrùm furiosi & amentes sint baptizandi. 323.1.

Quæstio LXIX.

De effectibus Baptismi.

1 Vtrùm per baptismum auferantur omnia peccata. 324.2.
2 Vtrùm per baptismũ liberetur homo ab omni pœna. 325.2.
3 Vtrùm baptismus auferat omnes pœnalitates huius vitæ. 326.2.
4 Vtrùm per baptismum conferantur homini gratiæ, & virtutes. 328.2.
5 De effectibus virtutum, quæ per baptismum conferuntur. 335.1.
6 Vtrùm etiam paruuli per baptisma gratias, & virtutes accipiant. 336.1.
7 Vtrùm per baptismum aperiatur baptizatis ianua regni cælestis. 337.1.
8 Vtrùm baptismus æqualem effectum habeat in hominibus baptizatis. 352.2.
9 Vtrũ fictio impediat effectũ baptismi. 355.1
10 Vtrùm, recedente fictione, baptismus obtineat effectum suum. 356.2.

Quæstio LXX.

De circuncisione, quæ præcessit Baptismum.

1 Vtrùm circũcisio fuerit præparatoria, & figuratiua baptismi. 400.1.
2 Vtrùm fuerit conuenienter instituta. 401.2.
3 Vtrùm ritus circuncisionis fuerit cõueniens. 407.1.
4 Vtrùm circuncisio contulerit gratiam. 412.2

Quæstio LXXI.

De præparatorijs, quæ simul concurrunt cum Baptismo.

1 Vtrùm catechismus debeat præcedere baptismum. 416.1.
2 Vtrum baptismum debeat præcedere exorcismus. 420.2.
3 Vtrùm ea, quæ agũtur in catechismo & exorcismo, aliquid efficiãt, vel solũ significẽt. 422.2
4 Vtrùm baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes. 424.1.

Quæstio LXXII.

De sacramento Confirmationis.

1 Vtrùm Confirmatio sit sacramentũ. 445.2.
2 De materia huius sacramenti. 453.1.
3 Vtrum sit de necessitate sacramenti, q̃ Chrisma fuerit per Episcopũ cõsecratũ. 454.2.
4 De forma ipsius. 456.
5 Vtrùm imprimat characterem. 474.2.
6 Vtrùm character Cõfirmationis characterem baptismalem præsupponat. 475. 2.
7 Vtrum conferat gratiam. 477.1.
8 Cui competat recipere hoc sacramentum. 482.2.
9 In qua parte recipiatur. 486.1.
10 Vtrùm requiratur aliquis, qui teneat confirmandum. 487.1.
11 Vtrùm hoc sacramentum per solos episcopos detur. 488.1
12 De ritu Confirmationis. 500.2.

Quæstio LXXIII.

De Eucharistia secundum se.

1 Vtrùm Eucharistia sit sacramentum. 510. 1.
2 Vtrum sit vnum, vel plura. 511.2.
3 Vtrùm sit de necessitate salutis. 517.2
4 De nominibus eius. 530.2
5 De institutione ipsius. 534.1.
6 De figuris eius. 554.1

Quæstio LXXIIII.

De materia Eucharistiæ, quantum ad speciem.

1 Vtrum panis & vinum sint materia huius sacramenti. 564.1
2 Vtrùm ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas. 565.1
3 Vtrùm materia huius sacramenti sit panis triticeus. 582.1
4 Vtrùm sit panis azymus, vel fermentatus. 583.1
5 Vtrùm materia huius sacramenti sit vinum de vite. 593.1
6 Vtrùm sit admiscenda aqua. 593.2
7 Vtrũ aqua sit de necessitate huius sacramẽti. 594.2
8 De quantitate aquæ, quæ apponitur. 595.1

Quæstio LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

1 Vtrùm in hoc sacramento sit corpus Christi, secundum veritatem. 606.2
2 Vtrùm in hoc sacramẽto remaneat substantia panis, vel vini post consecrationem. 677.2.
3 Vtrùm sustantia panis post consecrationem huius sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resoluatur. 694.1
4 Vtrùm panis possit conuerti in corpus Christi. 695.2
5 Vtrùm in hoc sacramento remaneant accidentia panis, & vini. 697.2
6 Vtrùm remaneat forma substantialis panis. 698.1
7 Vtrùm ista conuersio fiat in instanti. 699.1
8 Vtrùm hæc sit falsa, *Ex pane fit corpus Christi.* 700.1

Quæstio LXXVI.

De modo, quo Christus est in Eucharistia.

1 Vtrùm totus Christus sit sub hoc sacramẽto. 733.1
2 Vtrùm totus Christus sit sub vtraque specie. 735.1
3 Vtrùm totus sit sub qualibet parte specierũ. 754.1
4 An dimensiones totæ corporis Christi sint in Eucharistia. 762.2
5 An corpus Christi sit localiter in Eucharistia. 763.2
6 An moueantur ad motum hostiæ. 764.2
7 An bene videri possit ab oculo glorificato. 766.2
8 An, quando apparet puer in hostia, remaneat verum corpus Christi. 788.1.

Quæstio LXXVII.

De remanentibus in sacramento accidentibus.

1 An accidentia sint sine subiecto. 794.2
2 An quantitas sit subiectum accidentiũ. 797.1
3 An hæc accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum. 807.1
4 Vtrùm possint corrumpi. 808.1
5 Vtrùm ex eis possit aliquid generari. 809.2
6 Vtrùm possint nutrire. 812.1
7 De fractione panis consecrati. 813.1
8 An vino cõsecrato possit aliquid permisceri 814.1

Quæstio LXXVIII.

De forma sacramenti Eucharistiæ.

1 Quæ sit forma huius sacramenti. 823.1
2 An sit conueniens forma consecrationis panis. 843.1
3 An sit conuenies forma consecrationis vini. 849.2
4 De virtute vtriusque formæ. 859.2
5 De veritate locutionis. 860.2
6 De comparatione vnius formæ ad aliã. 862.1

Quæstio LXXIX.

De effectibus sacramenti Eucharistiæ.

1 An Eucharistia conferat gratiam. 876.2
2 An effectus Eucharistiæ sit adeptio gloriæ. 879.1
3 Vtrùm effectus huius sacramenti sit remissio peccati mortalis. 880.1
4 An per hoc sacramentum remittatur peccatũ veniale. 881.2
5 An per Eucharistiam remittatur tota pœna peccati. 882.2
6 An præseruet à peccatis futuris. 883.2
7 An prosit alijs, quàm sumẽtibus. 884.2
De impedimento effectus Eucharistiæ. 885.2

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstio LXXX.

De vsu Eucharistiæ in communi.

1 De modis sumendi Eucharistiam. 925. 2.
2 An soli homini conueniat communicare. 927. 1.
3 An solius iusti sit manducare sacramentaliter. 928. 1.
4 An peccator communicans peccet. 929. 2.
5 De quantitate huius peccati. 932. 2.
6 An sit repellendus peccator volens communicare. 651. 2.
7 An nocturna pollutio impediat communionem. 963. 1.
8 An solis ieiunis danda sit Eucharistia. 966. 1.
9 An sit exhibenda non habenti vsum rationis. 978. 1.
10 An sit quotidie sumendum. 979. 1.
11 An liceat omnino abstinere. 980. 2.
12 An liceat percipere corpus sine sanguine. 1000. 1.

Quæstio LXXXI.

De modo, quo Christus vsus est hoc sacramento.

1 An Christus sumpserit suum corpus, & sanguinem. 1011. 2.
2 Vtrum Iudæ dederit corpus suum. 1013. 1.
3 An sumpserit corpus passibile. 1014. 1.
4 Quomodo se Christus habuisset in triduo, si hoc sacramentum fuisset seruatum, aut consecratum. 1014. 2.

Quæstio LXXXII.

De ministro huius sacramenti.

1 Vtrum consecratio Eucharistiæ sit propria sacerdotis. 1015. 2.
2 An plures sacerdotes possint eãdem hostiam consecrare. 1016. 2.
3 Vtrum dispensatio Eucharistiæ solùm pertineat ad sacerdotem. 1017. 2.
4 An liceat consecrãti abstinere à communione. 1029. 2.
5 An sacerdos peccator possit conficere hoc sacramentum. 1030. 2.
6 An Missa boni sacerdotis magis valeat, quàm mali. 1031. 1.
7 An hæretici possint consecrare. 1032. 2.
8 An degradati possint consecrare. 1033. 2.
9 An peccẽt recipientes communionem à talibus. 1034. 1.
10 Vtrum liceat sacerdoti omnino abstinere à celebratione. 1035. 1.

Quæstio LXXXIII.

De ritu huius sacramenti.

1 An Christus immoletur in celebratione Eucharistiæ. 1036. 2.
2 An conueniens sit tempus celebrationis. 1150. 2.
3 De loco, & apparatu Missæ. 1163. 1.
4 De ijs, quæ in Missa dicuntur. 1209.
5 De ijs, quæ fiunt in celebratione Euchatistiæ. 1235.
6 De defectibus, quæ occurrunt in celebratione Eucharistiæ. 1242. 1.

IN-

INDEX DISPVTATIONVM, AC SECTIONVM, QVÆ in hoc tomo continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam designat.

DISPVTATIO I.

De essentia, ac definitione sacramenti.

1 2 Sectio prima. Vtrum sacramentũ sit signũ sanctificans. 6. 2.
Quam sanctificationẽ conferat, & an vniuocè dicatur de sacramẽtis veteris, & nouæ legis. 8. 2.
3 An oporteat esse signũ sensibile ex institutione sua. 13. 1.
4 Vera definitio sacramenti. 16. 1.

Disputatio. II.

De materia, & forma sacramentorum.

1 An res & verba sint materia & forma eorum. 23. 1.
2 An materia & forma componant sacramentum. 25. 1.
3 An sit determinata materia, & forma. 29. 1.
4 An materiæ, aut formæ mutatio sit contra eorum substantiam. 30. 2.
5 An ex intentione ministri pendeat quod mutatio illa sit substantialis. 33. 2.
6 An sit eadem materia, & forma eorum in vniuersa Ecclesia. 36. 1.

Disputatio. III.

De sacramentis, quæ futura essent in statu innocentiæ.

1 An in eo statu esset colẽdus Deus, & quomodo. 40. 2.
2 An tunc forent sacrificia. 41. 1.
3 An forent sacramenta si non esset peccatum. 42. 2.

Disputatio. IIII.

De necessitate sacramentorum legis naturæ.

1 An tunc esset remedium infantibus ad peccatũ. 47. 1.
2 An sufficeret fides parentum ad istud peccatum delẽdum. 49. 1.
4 An tunc esset sacramentum delens originale peccatũ. 51. 2.
4 An in lege naturæ fuerint alia sacramenta. 53. 1.

Disputatio. V.

De institutione circũcisionis, & aliorũ sacramentorũ.

1 An fuerit verum sacramentum circuncisio. 55. 2.
2 An fuerint tunc alia sacramenta. 80. 2.

Disputatio. VI.

De necessitate sacramentorum legis gratiæ.

1 An sint necessaria in lege gratiæ. 64. 2.
2 An sint perfectiora antiquis sacramentis. 66. 1.

Disputatio. VII.

De efficacia sacramentorum ad gratiam conferendam.

1 An ex opere operato illam conferant. 72. 1.
2 An omnia sacramenta gratiam conferant. 75. 2.
3 An præter virtutes, & dona, specialem gratiam conferant. 79. 1.
4 An semper effectus suos conferant. 80. 2.
5 An omnia æqualem gratiam conferant. 83. 2.

Disputatio. VIII.

De tempore, quo gratiam conferant.

1 An ante receptionem causent gratiam. 86. 1.
2 An in instanti conferant gratiam. 88. 1.
3 An post receptionem causent gratiam. 94. 1.

Disputatio. IX.

De modo, quo sacramenta efficiunt gratiam.

1 An possint esse instrumenta physica gratiæ. 95. 2.
2 An sint instrumenta physica gratiæ. 105. 2.

Disputatio. X.

De inefficacia veterum sacramentorum ad gratiam conferendam.

1 An in sacramentis antiquis data sit gratia absque meri to operantis. 112. 2.
2 An ex opere operato illam darent. 117. 1. (tiã. 121. 2.
3 An alia sacramenta præter circũcisionem darent gra-

Disputatio. XI.

De natura, ac necessitate characteris.

1 Quæ sacramenta characterem imprimant. 131. 2.
2 An character sit qualitas ab anima distincta. 135. 1.
3 In qua specie qualitatis sit character. 136. 2.
4 In quo subiecto sit character. 142. 2.

Disputatio. XII.

De causa instituente sacramenta.

1 An à Deo, vel à Christo sint instituta. 155. 2.
2 An alius potuerit illa instituere. 158. 2.

Disputatio. XIII.

De causa proxime ministrante sacramenta.

1 An homines tãtũ possint ministrare sacramẽta. 169. 2.
2 An necessaria sit intentio ministri. 170. 2.
3 Qualis intẽtio sufficiat. 176. 1.
4 An bonitas ministri sit de necessitate sacramẽti. 180. 1.

Disputatio. XIIII.

De subiecto apto ad suscipiendæ sacramenta.

1 Qui nam sint capaces sacramentorum. 186. 1.
2 An requiratur dispositio in suscipiente. 187. 2.

Disputatio. XV.

De ceremonijs sacramentorum in genere.

1 Quid sit ceremonia. 200. 2.
2 An vsus ceremoniarum sit sanctus. 201. 2.
3 Quis possit instituere ceremonias. 203. 1.
4 An habeant aliquem effectum spiritualem ceremoniæ. 205. 1.

Disputatio. XVI.

De præceptis sacramentorum ad ministros pertinentibus.

1 Quis possit & teneatur illa ministrare. 211. 1.
2 An possint ministri mutare materiam aut formam. 212. 1.
3 An, quando ministrant, debeant esse in gratia. 214. 2.
4 An, qui non ex officio ministrat, debeat esse in gratia 218. 1.
5 An teneantur ritum Ecclesiasticum seruare ministri. 220. 1.

Disputatio. XVII.

De præceptis pertinentibus ad recipientes sacramenta.

1 Vtrùm sacramentorum vsus sit in præcepto. 223. 1.
2 Quomodo peccent qui indignè ea recipiunt. 224. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Disputatio. XVIII.
De obligatione non cooperandi indignè danti, vel recipienti sacramentum.
1 An debeant omnes non suscipere sacramenta ab iniquis ministris. 223. 2.
2 An semper debeant, ministri non dare sacramenta indignè petentibus. 227. 2.

Disputatio. XIX.
De institutione Baptismi.
1 An fuerit institutus ante Christi mortem. 233. 1.
2 Quo vitæ tempore instituerit Baptismum. 235. 2.

Disputatio. XX.
De materia Baptismi.
1 An aqua elementaris sit matetia Baptismi. 239. 2.
2 An ablutio sit materia proxima. 242. 1.
3 Quæ ablutio sufficiat, vel requiratur. 244. 2.

Disputatio. XXI.
De forma Baptismi.
1 Vtrum hæc sit necessaria, & sufficiat, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 249. 2.
2 Vtrum expressio actus baptizãdi sit de necessitate huius formæ. 250. 2.
3 An requiratur explicita inuocatio Trinitatis. 252. 2.
4 An inuocãda sit sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 257. 1.

Disputatio. XXII.
De vnitate sacramenti Baptismi.
1 An sit vnum sacramentum in specie. 262. 1.
2 An reiterari possit Baptismus. 263. 2.

Disputatio. XXIII.
De causa efficiente sacramentum Baptismi.
1 Quis sit minister necessarius Baptismi. 274. 2.
2 Quis sit ex officio minister Baptismi. 277. 1.
3 An minister debeat esse vna persona. 279. 2.

Disputatio. XXIIII.
De Baptismo adultorum.
1 An requiratur consensus baptizandi. 294. 1.
2 An dispositio sit necessaria in suscipiente. 296. 1.

Disputatio. XXV.
De Baptismo parvulorum, & potestate baptizandi illos.
1 Vtrũ ante vsum rationis sint capaces Baptismi. 304. 1
2 An expediat baptizare ante vsum rationis. 307. 1.
3 An liceat inuitis patribus filios infidelium baptizare. 309. 1.
4 An id liceat facere, quando patres infideles sunt subditi Christianis. 312. 2.
5 Vtrùm seruus serui filius, antequam à patre separetur, possit baptizari. 316. 2.
6 Vtrùm Christiani debeant hos baptizare. 319. 2.

Disputatio. XXVI.
De effectibus Baptismi.
1 An Baptismus remittat omnem culpam. 329. 2.
2 An conferat gratiam, & alia dona. 333. 1.

Disputatio. XXVII.
De necessitate Baptismi ad gratiam, & gloriam.
1 Vtrùm simpliciter sit necessarius ad gratiam. 338. 1.
2 Vtrùm sit necessaria actualis receptio Baptismi. 340. 2.
3 An saltem infantibus sit necessaria ad salutem. 345. 2.
4 Quando cœpit Baptismus esse necessarius. 350. 2.

Disputatio. XXVIII.
De dispositione ad Baptismum; & eius effectibus.
1 An Baptismus petat dispositionem ad effectũ. 357. 2.
2 Quæ pœnitentiæ dispositio requiratur. 361. 1.
3 An effectus Baptismi augeatur, vel minuatur ob dispositionem. 366. 1.
4 An recedẽte fictione detur effectus Baptismi. 369. 2.
5 Quæ dispositio tollere fictionem sufficiat. 376. 2.
6 An sit proprium Baptismi habere effectum recedente fictione. 382. 2.

Disputatio. XXIX.
De effectu Baptismi sanguinis, & dispositione ad illum necessaria.
1 Vtrùm per hunc Baptismum absque aquæ Baptismo saluentur infantes. 385. 1.
2 Vtrùm adultis sufficiat Baptismus sanguinis. 387. 1.
3 Baptismus sanguinis quam requirat dispositionem in adulto. 391. 1.

Disputatio. XXX.
De ceremonijs obseruandis in solenni Baptismo.
1 Ad quid sint ceremoniæ Baptismi instituræ. 414. 1.
2 Qui ritus obseruandi sint in solenni Baptismo. 415. 2

Disputatio. XXXI.
De morali doctrina pertinente ad Baptismum.
1 An teneantur homines iure diuino baptizari. 425. 1.
2 Pro quo vitæ tempore obliget præceptum Baptismi. 427. 2.
3 Causæ excusantes ab obseruatione præcepti huius. 431. 1.
4 Quis possit, & debeat Baptizare. 433. 1.
5 Quibus modis peccetur indignè Baptizando. 437. 2.
6 An sit irregularis qui Baptismum iterat. 438. 2.

Disputatio. XXXII.
De institutione sacramenti Confirmationis.
1 An confirmatio sit perfectum sacramentum. 447. 2.
2 An, & quando à Christo institutum sit. 451. 2.

Disputatio. XXXIII.
De essentia Confirmationis.
1 An oleum cum balsamo sit necessaria materia illius. 458. 1.
2 An Chrisma necessariò ab Episcopo consecrandum sit ad confirmandum. 463. 1.
3 De materia proxima confirmationis. 467. 1.
4 An sola vnctio sit necessaria materia proxima confirmationis. 468. 2.
5 An tota hæc forma sit essentialis, Signo te signo crucis, &c. 472. 1.

Disputatio. XXXIIII.
De effectu Confirmationis.
1 An imprimat characterem. 478. 1.
2 Quos effectus gratiæ habeat confirmrtio. 480. 1.

Disputatio. XXXV.
De suscipientibus Confirmationem.
1 An quilibet homo sit capax confirmationis. 483. 2.
2 Quibus expediat conferri confirmationem. 484. 2.

Disputatio. XXXVI.
De ministro Confirmationis.
1 Vtrùm solus Episcopus confirmet. 489. 2.
2 An ex commissione Pontificis possit sacerdos confirmare. 492. 1.

3 An

3 An Episcopus hæreticus, vel ab Ecclesia præcisus siue prohibitus, possit confirmare. 497. 2.

Disputatio. XXXVII.
De ceremonijs sacramenti confirmationis.
1 An chrisma conuenienti ritu conficiatur. 501. 1.
2 An Ecclesia vtatur conuenienti ritu in confirmatione. 501. 2.

Disputatio. XXXVIII.
De præceptis ad confirmationem pertinentibus.
1 An omnes fideles teneantur confirmari. 503. 2.
2 Obligatio ministri confirmationis. 506. 2.

Disputatio. XXXIX. Quæ est prima de Eucharistia.
De institutione Eucharistiæ.
1 An Christus instituerit Eucharistiam. 512. 2.
2 An hoc sacramentum distingutur à reliquis. 513. 1.
3 An sit vnum tantum sacramentum. 514. 1.
4 De vnitate numerica Eucharistiæ. 516. 2.

Disputatio. XL.
De necessitate Eucharistiæ.
1 An sit necessaria ad primam iustificationẽ. 519. 2.
2 An sit medium necessarium ad perseuerandum in gratia. 523. 2.

Disputatio. XLI.
De tempore institutionis huius sacramenti.
1 An sit institutum. 14. Luna finiente, & 15. inchoante. 536. 1.
2 An sit institutum post lotionem pedum. 547. 2.
3 An sit institutum, Iuda præsente. 547. 2.
4 Qua hora sit institutum, & num ante cœnam. 549. 2.
5 An conuenienti tempore sit institutum. 551. 1.

Disputatio. XLII.
De essentia, & partibus Eucharistiæ in communi.
1 An species consecratæ sint sacramentum hoc. 554. 2.
2 An verba consecrationis sint de essentia Eucharistiæ. 556. 2.
3 An corpus & sanguis Christi, intrinsecè constituat Eucharistiam. 558. 2.
4 An sumptio Eucharistiæ sit sacramentum. 561. 2.

Disputatio. XLIII.
1 An panis & vinum sint materia propria Eucharistiæ. 566. 1.
2 An species panis, & vini sint de necessitate Eucharistiæ. 567. 2.
3 An sit aliquod præceptum de cõfectione Eucharistiæ in duplici materia. 569. 1.
4 An ex dispẽsatione Pontificis in altera materia tantum possit confici. 571. 1.
5 An materia consecranda necessario futura sit præsens ministro. 575. 1.
6 An materia debeat esse certa, & definita. 577. 2.
7 An materia consecranda habeat certum terminum paruitatis. 578. 2.
8 An hæc materia apta sit consecrationi in quauis magna quantitate. 580. 1.

Disputatio. XLIIII.
De materia remota Eucharistiæ.
1 Ex quo grano conficiendus sit panis consecrandus. 584. 2.
2 An materia Eucharistiæ sit solus panis vsualis. 588. 1.
3 An panis azymus sit de necessitate Eucharistiæ. 589. 2.

Disputatio. XLV.
1 An vinum vitis sit necessaria materia Eucharistiæ. 596. 1.
2 An necesse sit aquam vino miscere. 598. 2.
3 Circunstantiæ in mistione aquæ seruandæ. 601. 2.
4 An ex aqua vino admista fiat sanguis. 602. 2.

Disputatio. XLVI.
An sit realis præsentia Christi in Eucharistia.
1 An sit de fide Christum realiter esse præsentẽ Eucharistiæ. 609. 1.
2 An præsentia hæc colligatur ex verbis Christi. 610. 2.
3 An ex verbis institutionis conuincatur præsentia hęc. 615. 1.
4 Sententiæ Patrum de præsentia Christi in Eucharistia. 620. 2.
5 An miracula satis probent istam præsentialitatem. 626. 1.
6 Quid antiqua historia & Ecclesiæ praxis de hoc dicant. 627. 2.
7 Quid ratione naturali de hoc mysterio ostendantur. 630. 1.
8 An Christus sit permanenter in Euchatistia. 634. 1.

Disputatio. XLVII.
Quid sit præsentia Christi in hoc sacramento.
1 An sit aliquid reale & intrinsecum corpori Christi. 636. 2.
2 In quo prædicamento sit hęc præsentia. 638. 1.
3 An includat realem vnionem corporis Christi ad species sacramentales. 641. 2.
4 Quæ denominationes consequantur corpus Christi ex hac præsentia. 648. 1.

Disputatio. XLVIII.
1 An differãt specie præsentia sacramentalis Christi, & naturalis. 648. 1.
2 An sacramentalis pẽdeat à naturali præsentia. 656. 2.
3 An sacramentalis & naturalis præsentia simul eidem corpori conuenire possint ex natura rei. 661. 1.
4 An idem corpus possit esse in pluribus locis distantibus. 663. 2.
5 An tunc eaidem proprietates vtrobiq; haberet. 671. 1.
6 An mutatio facta in aliquo corpore necessario fiat in omnibus locis, in quibus illud existit. 673. 1.

Disputatio. XLIX.
De absentia panis & vini ab Eucharistia.
1 An de potentia Dei absoluta, manente substantia panis, potuerit Christ⁹ hic fieri realiter præsens. 678. 2.
2 An de facto desinat substantia panis post consecrationem. 683. 1.
3 An maneat aliqua pars physica substantiæ panis, & vini sub speciebus. 688. 2.
4 An maneat aliqua entitas metaphysica substantiæ panis. 691. 1.

Disputatio. L.
De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.
1 An Eucharistia perficiatur per veram transubstantiationem 702. 1.
2 Quæ requirantur ad veram conuersionem. 703. 2.
3 An ibi detur actio realis, quæ circa corpus Christi versetur. 708. 1.
4 Qualis sit hæc actio, & quis terminus eius. 709. 2.
5 An hæc actio sit vera mutatio in corpore Christi. 717. 2.
6 Ex vi cuius actionis, panis esse desinit. 720. 1.
7 An substantia panis annihiletur. 723. 1.
8 An prædicta actio & desitio panis ad transubstantiationem sufficiant. 726. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 Quomodo loquendum sit de hac cõuersione. 728.1.
10 Virũ quodlibet possit conuerti in quodlibet. 729.1.

Disputatio. LI.

De ijs, quæ sunt sub singulis speciebus Eucharistiæ.

1 An tota Christi substãtia sit sub singulis speciebus. 736.2.
2 An ibi sit quantitas corporis Christi. 737.2.
3 An ex vi verborum corpus & sanguis sint in Eucharistia. 740.1.
4 An ex vi verborum sit aliqua forma substantialis in Eucharistia. 742.1.
5 An ex vi verborum quantitas & accidentia humanitatis sint in Eucharistia. 748.2.
6 An personæ diuinæ sint in Eucharistia ex vi verborum. 750.2.

Disputatio. LII.

De ijs quæ sunt in qualibet parte specierum panis & vini.

1 An totus Christus sit in qualibet parte. 755.1.
2 An sit totus Christus in singulis partibus continuis. 756.1.
3 An totum corpus Christi sit in punctis specierum. 760.2.

Disputatio. LIII.

De ijs, quæ Christus, prout in sacramento est, agere potest aut pati.

1 An Christus, prout est in sacramento, possit moueri localiter. 769.1.
2 An, prout ibi est, aliam actionem physicam efficere possit. 771.2.
3 An possit virtute naturali, prout est ibi, actus immanentes exercere. 773.2.
4 An possit videri naturaliter oculo corporeo, prout ibi est. 775.1.
5 An possit cognosci ab intellectu creato, prout ibi est. 778.2.

Disputatio. LIIII.

Quomodò desinat esse Christus sub speciebus sacramentalibus.

1 An, quando desinit esse in Eucharistia, aliquid adquirat, vel amittat. 783.1.
2 An semper succedat substantia, quando desinit Christus esse in Eucharistia. 785.2.
5 An hæc successio substantiarum sit conuersio. 787.1

Disputatio. LV.

De apparentibus mutationibus in Eucharistia.

1 Quot modis fiant hæ mutationes. 789.1.
2 An vera Christi caro videatur in Eucharistia. 791.1.
3 An caro & sanguis maneant sacramentaliter, quãdo in Eucharistia apparent. 792. 1.
4 Quid agendum, quando apparent huiusmodi mutationes. 793.2.

Disputatio. LVI.

De modo, quo accidentia existunt post consecrationem.

1 Quæ accidentia sint in Eucharistia sine substantia. 799.1.
2 Quæ mutatio fiat in quantitate, vt sit sine subiecto. 801.1.
3 An alia accidentia à quantitate mutent existendi modum. 805.2.

Disputatio. LVII.

Quæ possint agere, & pati species sacramentales.

1 An species consecratæ possint, quidquid antea, efficere. 815.2.
2 An hæ species possint mutari. 817.1.
3 An ex his speciebus possit generari aliqua substantia. 818.1.
4 An, quando species miscentur, maneat ibi corpus, vel sanguis Christi. 811.2.

Disputatio. LVIII.

De forma sacramenti Eucharistiæ in communi.

1 Quibus verbis Christus consecrauerit. 815.2.
2 An benedictio, & gratiarum actio fuerit consecratio. 827.1.
3 An verba, quibus Christus consecrauit, sint forma Eucharistiæ. 830.1.
4 An minister proferat verba recitando solum. 834. 1.
5 De veritate verborum, cum non supponant consecrationem. 836.2.
6 An verba mysterium proficiant ob suam veritatem. 838.2.
7 Quid designet in forma ly, *hoc*, vel, *hic*. 840.2.

Disputatio. LIX.

De forma consecrationis panis.

1 An hæ voces solum, *Hoc est corpus meum*, sint de essentia huius formæ. 844.2.
2 An aliquod verbum formæ mutari possit. 847.2.

Disputatio. LX.

De forma consecrationis sanguinis.

1 An hæc solum verba; *Hic est calix sanguinis mei*, vel, *Hic est sanguis meus*, sint de essentia huius sacramenti. 852.1.
2 An hæc verba prædicta sint immutabilia. 857.2.
3 An Ecclesia conuenienter addiderit aliquas particulas. 858.2.

Disputatio. LXI.

De casu efficiente Eucharistiæ, & efficacia formæ, ac ministri.

1 An verba consecrationis sint causa physica præsentiæ Christi. 863.2.
2 An verba actione physica expellant substantiam panis. 865.1.
3 A quo proferri debeant verba consecrationis. 866.2.
4 An plures formæ possint eandem materiam consecrare. 868.2.
5 An hæc virtus principalius sit in verbis. 871.1.

Disputatio. LXII.

De suscipientibus hoc sacramentum.

1 Quid sit, & quot modis fiat sumptio huius sacramenti. 871.2.
2 An solum homines possint communicare. 873.1.
3 An omnes adulti possint communicare. 873.2.
4 An infantes possint communicare. 875.1.

Disputatio. LXIII.

De Effectibus Eucharistiæ in anima.

1 An conferat gratiam, vel augmentum eius. 886.2.
2 Quam requirat dispositionem ad primam gratiam. 889.2.
3 Quam dispositionem requirat ad augmentum gratiæ. 893.1.

4 Quando

4 Quando conferat Eucharistia hanc gratiam. 896.1.
5 An plures species sacramentales successiue sumptæ conferant eundem effectum. 900.2.
6 An per species panis & vini detur idem effectus gratiæ. 902.1.
7 An Eucharistia causet gratiam post sumptionẽ, quãdiu Christi præsentia durat. 907.2.
8 An habeat effectum gratiæ, recedẽte fictione. 909.2.
9 An causet gratiam actualem, & quando. 911.1.
10 An Eucharistia remittat venialia, & temporales pœnas. 912.2.

Disputatio. LXIIII.

De effectu Eucharistiæ in corpore.

1 An Eucharistia aliquid deficiat in corpore recipientis. 913.1.
2 An resurrectio, & gloria corporis sit effectus Eucharistiæ. 915.1.
3 An fiat vnio realis inter corpus Christi, & suscipientis. 916.2.

Disputatio. LXV.

De adoratione debita Eucharistiæ.

1 An sit præceptum, vel liceat adorare Eucharistiam. 921.1.
2 An debeat absolutè adorari. 623.2.

Disputatio. LXVI.

De necessaria dispositione de præcepto ad communicandum.

1 An sit mortale cõmunicare in peccato mortali. 634.1.
2 De grauitate peccati communicantis in peccato mortali. 936.1.
3 An habens conscientiam peccati mortalis teneatur ante communionem confiteri. 938.1.
4 Quibus de causis communicare liceat existẽti in mortali. 941.1.
5 An, quando non potest præcedere confessio, sit necessaria contritio. 946.1.
6 Qui in peccato communicat, quando teneatur confiteri. 948.2.
7 An, qui cum conscientia mortalis communicat, iure ecclesiastico teneatur confiteri, cum primum potest. 949.2.
8 An iam confessus teneatur differre communionem. 950.2.

Disputatio. LXVII.

De obligatione repellendi indignos à communione.

1 An ministri teneantur non dare Eucharistiam existẽti in peccato mortali. 953.1.
2 An publico peccatori semper neganda sit Eucharistia. 954.2.
3 An deneganda sit occulto peccatori occultè petenti. 955.1.
4 An occulto peccatori publicè petenti Eucharistiam, neganda sit. 957.1.
5 Quis sit censendus hic publicus, vel occultus peccator. 960.2.
6 An danda sit Eucharistia suspectis de aliquo crimine. 961.1.

Disputatio. LXVIII.

De corporali dispositione ad communionem ex præcepto necessaria.

1 An sit necessaria aliqua bona corporis dispositio ad communionem. 968.1.
2 An sit præceptum accedendi ad Eucharistiam sine aliqua corporis macula. 968.2.
3 An teneatur ieiuni cõmunicare ex aliquo præcepto. 971.1.
4 Quale ieiunium seruandum sit ante communionem. 972.1.
5 Quando liceat communicare non ieiunis. 974.1.
6 Quando liceat sacerdoti non ieiuno communicare ob perfectionem sacrificij. 976.2.

Disputatio. LXIX.

De præcepto diuino circa vsum Eucharistiæ.

1 An sit præceptum diuinum obligans communicare. 981.2.
2 Quas personas obliget hoc præceptum. 984.2.
3 Quando obliget ex vi solius iuris diuini. 687.2.
4 Quam frequens vsus Eucharistiæ sit consulendus. 992.1

Disputatio. LXX.

De præcepto Ecclesiastico circa vsum Eucharistiæ.

1 Quas personas obliget hoc præceptum. 994.1.
2 Quando obliget hoc præceptum. 995.2.
3 Per quem actum impleatur hoc præceptum, & de pœna transgressoris. 999.1.

Disputatio. LXXI.

De præcepto communicandi sub vna vel duabus speciebus.

1 An malum ac prohibitum sit sub vna specie tantum communicare. 1001.1.
2 An omnibus fidelibus necessarium sit iure diuino, ali quando sub vtraque specie communicare. 1004.2.
3 An potuerit Ecclesia prohibere laicis vsum calicis. 1009.1.

Disputatio. LXXII.

De præceptis, & obligationibus ad ministros Eucharistiæ pertinentibus.

1 An solus sacerdos possit dispensare Eucharistiam. 1018.2.
2 An omnibus sacerdotibus sit liberum administrare Eucharistiam. 1021.2.
3 Cui debeat hoc sacramentum ministrari. 1026.1.
4 Quibus modis peccet, qui indigne ministrat, vel qui ab indigno suscipiat. 1027.1.

Disputatio. LXXIII.

De sacrificio in communi.

1 An sacrificium sit in genere signi rei sacræ. 1038.2.
2 Quid debeat significare sacrificium. 1039.2.
3 An sufficiat humana impositio ad rationem sacrificij. 1041.2.
4 An requiratur publica autoritas ad institutionem sacrificij ab hominibus instituti. 1043.2.
5 Qualis debeat esse res ad significãdũ imposita. 1045.2
6 Quæ ratio sacrificij ex dictis colligatur. 1048.2.
7 Quotuplex sit sacrificium. 1050.1.
8 Vtrum sacrificium sit de lege daturæ. 1051.2.

Disputatio. LXXIIII.

De Missa seu sacrificio legis nouæ.

1 An in lege noua sit proprium sacrificium. 1054.1.
2 An nouæ legis sacrificium positum sit in mysterio Eucharistiæ. 1060.1.
3 An Missæ sacrificium tantum à Christo potuerit instituí. 1066.1.
4 An in in noua lege possit esse aliud sacrificium à Missa. 1067.2.

Disputatio. LXXV.

De essentia sacrificij Eucharistiæ.

1 An totus Christus sit, quod offertur in Missa. 1070.2.
2 Quibus actionibus perfectum sit hoc sacrificium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1074.1.
3 An oblatio vocalis fractio, aut distributio sint partes huius sacrificij. 1076.1.
4 Vtrũ cõsecratio sit de essentia huius sacrificij. 1078.2
5 An sola cõsecratio sit de essẽtia hũius sacrificij. 1081.2.
6 An consecratio vtriusque speciei sit de essentia huius sacrificij. 1081.2.

Disputatio. LXXVI.

De comparatione huius sacrificij ad alia.

1 Distinctio huius sacrificij à sacrificio Christi, & antiquis. 1091.2.
2 Cõparatio perfectionis huius sacrificij ad alia. 1094.1.
3 An ratio sacrificij Missæ sit prior ratione sacramenti. 1095.2.

Disputatio. LXXVII.

De offerentibus Eucharistiæ sacrificium.

1 An Christus sit principalis offerens in Missa. 1098.2.
2 An omnes, & soli sacerdotes possint offerre hoc sacrificium. 1100.2.
3 Vtrum alij fideles possint offerre hoc sacrificium. 1102.2.

Disputatio. LXXVIII.

Pro quibus hoc sacrificium offerri possit.

1 An possit offerri pro alijs ab offerente. 1104.2.
2 An pro videntibus omnibus possit offerri. 1106.1.
3 An pro omnibus defunctis possit offerri. 1108.2.

Disputatio. LXXIX.

De effectu & valore huius sacrificij.

1 An habeat aliquem effectum ex opere operato. 1111.2.
2 An sit alis modis fructuosum hoc sacrificium. 1116.1.
3 An conferat gratiam, & remissionem culpæ mortalis per se. 1119.1.
4 An per se conferat ex opere operato augmentum gratiæ. 1125.2.
5 An remittat venialia ex opere operato. 1127.2.
6 An conferat remissionem pœnæ ex opere operato. 1129.1.
7 An, & quomodo conferat ad bona temporalia. 1131.1.
8 An habeat aliquem effectum ex opere operato in omni offerente. 1131.2.
9 An habeat effectum in ijs, pro quibus offertur, nõ ponentibus obicem. 1135.2.
10 Quæ requirantur in eo, pro quo sacrificium offertur. 1140.1.
11 An effectus Missæ sit infinitus intensiuè. 1143.1.
12 An sit infinitus extensiuè. 1145.2.

Disputatio. LXXX.

De tempore, quo debent, vel licet sacerdotibus celebrare.

1 An teneantur sacerdotes aliquando Missam dicere. 1152.2.
2 An sacerdos possit, vel debeat quotidie celebrare. 1154.1.
3 An, & quo modo liceat, eadem die plures Missas facere. 1157.1.
4 Qua hora licitum sit celebrare. 1158.2.

Disputatio. LXXXI.

De loco, & vasis sacris, in quibus celebrandum est.

1 An oportuerit templa, & loca sacra dicari ad religionis opera peragenda. 1156.2.
2 An decens sit, templa consecrari. 1170.2.
3 An teneatur sacerdos non celebrare, nisi in loco sacro. 1173.1.
4 An liceat celebrare in templo violato. 1175.1.
5 An requiratur altare consecratum ad celebrandum. 1180.1.
6 Quo modo ornari debeat templum & altare. 1183.1.
7 An hoc sacrificium debeat offerri in vasis sacris. 1186.2
8 Quę veneratio debeatur sacris locis, & vasis. 1189.2.

Disputatio. LXXXII.

De præparatione ad missam, & vestibus sacris.

1 An teneatur sacerdos præmittere officium diuinum ante missam. 1201.2.
2 An conueniens sit institutio vestiũ sacrarum. 1205.1.
3 An teneatur sacerdos sub præcepto non celebrare sine vestibus sacris. 1208.1.

Disputatio. LXXXIII.

De ritibus missæ, qui in verbis consistunt.

1 An præter verba cõsecrationis alia adiungi debuerint. 1212.1.
2 Verum in omnibus, quæ in canone dicuntur, integra veritas & religio seruentur. 1226.1.
3 Vtrũm teneatur sacerdos sub præcepto omnia dicere, quæ in Missali præscribuntur. 1233.2.

Disputatio. LXXXIIII.

De ritibus Missæ, qui in actione consistunt.

1 An ceremoniæ Missę cõueniẽter sint institutę 1238.1
2 An teneatur sacerdos ex præcepto omnes has ceremonias seruare. 1241.1.

Disputatio. LXXXV.

De obligatione supplendi defectus in celebratione commissos.

1 Quomodo sint cauendi, & supplendi defectus substantiales 1246.2.
2 Accidentales defectus quomodo cauendi, vel supplendi. 1250.1.

Disputatio. LXXXVI.

De iusto missæ stipendio, & pro quo sit missa ex obligatione dicenda.

1 Quando teneatur sacerdos ex iustitia, pro aliquo celebrare. 1251.2.
2 Quæ sint iusta Missarum stipendia. 1254.1.
3 An sacerdotes diuitis possint pro Missa stipendium accipere. 1256.1.
4 An sacerdotes pauperes possint accipere duplicata stipendia. 1258.1.

Disputatio. LXXXVII.

De ministro ad sacrificiũ necessario, eiusq; obligatione.

1 An ad Missã celebrãdã sint necessarij ministri 1259.2.
2 Obligatio eius, qui ministrat sacerdoti 1263.1.

Disputatio. LXXXVIII.

De præcepto audiendi Missam.

1 An sit tale præceptum in Ecclesia. 1264.1.
2 Quæ Missa audiri præcipiatur. 1265.2.
3 Qua attẽtione debeat impleri hoc præceptũ. 1270.1.
4 Quas personas obliget hoc præceptum. 1273.1.
5 Quibus diebus obliget hoc præceptum. 1273.2.
6 Quomodò excusetur quis ab audienda Missæ in die obligationis. 1275.2.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ in hoc volumine explicantur.

Prior numerus capita, posterior numeros designat.

Genesis.

2 23 HOC *nunc os ex ossibus meis, quia ex osse eius facta.* 687.1.B.
4 4 *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Primum causa secundi. 1099.1.D.
17 10 *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos: circunuidetur in vobis omne masculinum.* Late explicatur hoc præceptum. 404.1.C.
4 14 *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Latè iuxta sententiam Augustini exponitur. 58.1.C.
22 5 *Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*, id est, postquam sacrificium obtulerimus. 1054.2.D
49 11 *Lauauit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ*, id est, Christi in Eucharistia, ex Cypriano. 553.2.C.
28 20 *Si fuerit Dominus meus mecum, & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad operiendum.* De Christo pane vitæ. Ioan. 6. & indumento fidelium, qui in ipso baptizãtur. Galat. 3. 553.2.C.
17 9 *In semine tuo benedicentur omnes gentes, & ero Deus tuus, & semini tuo post te.* Hoc semen est Christus de filijs enim secundum carnem conditionata tantum promissio. 338.2.B.
18 7 *Tulit vitulum, dedit puero, & coxit illum, & posuit coram eis.* Non ita vt tulerat, sed ad prandiũ paratum. 687.2.A.
19 3 *Compulit illos*, id est, importunis precibus ab illis obtinuit. 1226.1.A.

Exodus.

4 16 *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* 1103.1.B.
12 6 *Et seruabitis eum vsque ad decimam quartam diem mẽsis huius, immolabitque vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Latè tractatur, & exponitur de vespera vltima decimæ quartæ diei, à 536. vsque ad 537.
12 8 *Et edent carnes nocte illa*, quæ scilicet, immediatè sequitur vesperam decimæ quartæ lunæ, qua agnus immolabatur, 542.2.D.
12 10 *Nec remanebit quidquam ex eo vsque mane*, illius scilicet, diei proximè sequentis noctem esus agni, qui erat decimæ quintæ luna dies. 543.2.D.
12 12 *Et transibo per terram AEgypti nocte illa.* Exponitur *nox*, prout. n. 3. 541.2.D.
12 16 *Dies prima erit sancta atque solennis:* ostenditur, hãc primam diem solennem esse primam ex septẽ diebus azymorum. 540.2.A.
12 17 *In eadem ipsa die eduxam exercitum vestrum de terra AEgypti*, festiua, scilicet azymorum, ac decima quinta luna. 543.1.C.
12 18 *Decima quarta die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.* Exponitur de vltimis vtriusque diei vesperis. 539.1.B.
12 22 *Nullus vestrum egredietur ostium domus suæ vsque mane*, id est prope mane, transacta media nocte. 544.1.B.
12 29 *Factum est autem in noctis medio*, exponitur dictio *noctis*, iuxta. n. 3. 542.2. ad fin.
12 31 *Vocatisque Pharao, Moyse, & Aarõ nocte*, exponitur *nocte*, iuxta. 543.1.A.
12 42 *Nox ista est obseruabilis Domino*, iuxta. n. 3. exponitur. 543.1.A.
12 41 *Quando eduxit eos de terra AEgypti*, id est, nocte, in qua eduxit eos, vt iuxta. 543.1.A.
12 42 *Omnis alienigena non comedet ex eo, omnis autẽ seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet*, id est, si comedere voluerit, circuncidatur, & sic comedat similiter & mercenarij. 405.1.D.
12 48 *Si quis peregrinorum ad vestram voluerit transire coloniam, circuncidetur prius omne masculinum eius*, eo modo & sensu, quo omne masculinũ Abrahæ iuxta dicta supra, Genesis. 406.1.B.
21 15 *Qui occiderit patrem, & matrem, morte moriatur*, id est patrem vel matrem. 1006.2.C.
24 8 *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscũ*, vel iuxta Paulum, *testamenti, quem misit ad vos Deus, ad Hebr. 9.* Exponitur continere figuram sanguinis Christi, quem initio noui testamenti in ora discipulorum, idem Christus effudit. 553.2.D.
28 2 *Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Pertinet enim ad honorem sacerdotis speciali veste vti in sacrificio. 1205.2.C.

Leuitici.

1 3&4 *Ponetq; manus supra caput hostiæ, & acceptabilis erit* figuram manus extensionis, quæ à sacerdote fit supra oblata, cõtinere exponitur. 1239.2.C.
12 8 *Sumetque duos turtures, dabitque sacerdoti, qui faciet* id est sacrificabit, *vnum pro peccato.* 1063.1.D.
23 27 *Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit affligetisque animas vestras in eo*, scilicet, decimo die, qui à posteriori vespera die noni, vsque ad vesperam decimi durabat. *Affligetisque animas vestras die nono*, id est, ad vltimam vespera diei noni. 541.2.A.
23 32 *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, id est, ab vltima vnius diei, vsque ad vltimam alterius. 541.2.C.
23 25 *Offeretis holocaustum Domino*, ad omnem plebem loquitur. 1103.1.B.

Numerorum 20.

28 17 *Septem diebus vescentur azymis*, quarum, scilicet, septem dierum, *Prima venerabilis, & sancta erit.* 540.2.A.
33 8 *Profecti de Rameſſe in mense septimo, in quinta decima die altera die à phase*, id est, mane proximè in sequente Phase, quod erat initium decimæ quintæ lunæ. 543.1.C. Vel aliter, *Profecti de Rameſſe* prouincia non ciuitate, quod si à ciuitate, in ea vsque ad meridiem congregati, & statim ante

solis

Universidad de Deusto
Biblioteca

solis occasum ordinate profecti. 544. per totũ.
28 3 *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis.* Ad omnẽ populum loquitur. 1103. 1. B.

Deuteronomij.

26 1 *Observa mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase*, id est, immolés agnum, *Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus de* AEgypto *nocte*, ea nempe, qua agnus decima quarta luna ad vltimam vesperam immolatus, esus fuit, quæ principiũ fuit decimæ quintæ lunæ, in qua egressi sunt de AEgypto. 543. 1. B.
16 2 *Immolabis quæ Phase Domino Deo tuo*, id est, sacrificia quæ per septem dies azymorum ex variis rebus fiebant, ibidem, & 544.
16 4 *Et non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere, & in die primo azymorum.* Exponitur eodem modo, ibidem.
16 5 *Non poteris immolare Phase, in qualibet vrbium tuarum*, id est, agnum, ibidem.
16 7 *Et coques, & comedes*, vtrumque verbum generale rem sue coctam, siue assam significans, ibidem.
16 6 *Immolabis Phase ad solis occasum*, id est nocte, *quando*, id est, in qua, licet non eadem hora, *egressus est de* AEgypto, ibidem.

Paralipomenon.

Omnis populus Amen. id est, fiat. 1217. 1. B.

Iosue.

7 6 *Cecidi in terram coram arca Domini vsque ad vesperam*, id est vsque ad finem diei. 541. 2. C.

Tobias.

12 7 *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, id est, secretum. 2. 2. A.
12 12 *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Spiritualiter & metaphorice intelligendum. 1231. 2. B.

Machabæorum.

2 12 46 *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, id est, à peccatorum pœnis. 1221. 1. B.

Ex Psalmis.

22 5 *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Exponitur de Eucharistia cum Bernardo. 911. 2. B.
22 5 *Calix tuus inebrians quam præclarus est.* Id est, potus vini in tuo calice contentus, & Eucharistiæ applicatur cum Hieronymo. 553. 1. B. 566. 2. D.
71 16 *Erit firmamentum in terra.* Hebraice, *pugillum*, seu, *placentam frumenti*, per quam, sacrificium Eucharistiæ, sub specie panis figuratur. 586. 1. A.
49 23 *Sacrificium laudis honorificabit me.* De Eucharistia. 1094. 2. D.
80 17 *Cibauit eos adipe frumenti*, id est tritici. 585. 2. D.
109 4 *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* De Christo, quatenus sacrificium obtulit Eucharistiæ exponitur. 1060. 2. D.
110 4 *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* In sensu literali de manna, in mystico de Eucharistia explicatur. 611. 1. C.
115 12 *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* De Eucharistiæ calice, cuius sumptio vera gratiarum actio. 543. 1. B.
128 7 *De quo non implebit manum suam qui metet, & sinũ suum.* Id est, nec sinum. 1007. 1. A.
140 5 *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* De oleo adulationis vel voluptatis. 183. 2. D.
147 14 *Qui posuit fines tuos pacem & adipe frumenti satiat te*, id est, tritici. 585. 2. D.
14 2 *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Similibus enim exterioribus actionibus sæpè Deum colimus.

Prouerbiorum.

9 1 *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, miscuit vinum, & posuit mensam. Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Explicantur de Eucharistiæ mensa, & illa mistio de mistione aquæ & viui in calice, ex multorum Patrũ sententia. 553. 1. C. 601. 1. D.
9 2 *Immolauit victimas suas, posuit mensam suam.* Immo latio enim conuiuium ex immolatis præcedit. 1078. 2. A.
20 19 *Et qui reuelat mysteria*, id est, secreta. 2. 2. B.

Sapientiæ.

2 22 *Nescierunt sacramenta Dei*, id est, sacra secreta. 2. 2. A.

Isaiæ.

1 16 *Lauamini, mundi estote.* Continet exhortationem ad baptismum, ex Diuo Hieronymo, & Cyrillo. 240. 1. C.
12 3 *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Explicatur cum Diuo Hieronymo, de sacramentis nouæ legis. 1. 1. A.
29 21 *Cognoscẽt* AEgyptij, id est, Gentes, *Dominum, & colent eum hostijs*, id est sacrificijs. 1055. 1. B. ex Hieronymo.
19 19 *In die illa erit altare Domini in medio terræ* AEgypti, id est in Ecclesia gentium. 1056. 2. C.
62 8 *Si dedero triticum tuum vltra cibum, inimici tui.* Exponitur de Eucharistia cum Hieronymo. 586. 1. A.
63 2 *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* De rubore sanguinis Christi, qui per vinum significatur, exponitur cum Cypriano. 596. 2. A.

Hieremiæ.

11 19 *Mittamus lignum in panem eius.* Id est, crucem in corpus Christi. 553. 2. C.
31 12 *Confluẽt ad bona Domini super frumento, vino & oleo.* Exponitur cum Hieronymo de tritico, ex quo panis Eucharistiæ conficitur. 585. 2. D.

Ezechiel.

16 9 *Effundam super vos aquam mundam. Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te.* Explicantur de mundatione per aquam baptismi salutaris, cum Hieronymo. 240. 2. B.

Daniel.

2 30 *Mihi sacramentum hoc reuelatum est. Explicare hoc sacramentum*, id est, reni hanc tam magnam, & occultam. 2. 2. B.

Micheas.

7 19 *Proijciam in profundum maris omnia peccata vestra* exponitur de baptismo. 331. 1. A.

Zacharias.

9 17 *Quid bonum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* De lege Euangelica, & vtraque Eucharistiæ specie cum Hieronymo & aliis Patribus. 631. 1. D. Et dictio *frumentum*, exponitur iterum. 585. 1. D.
13 1 *Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum.* Promissionem baptismi exponitur continere,

nere, ex Hieronymo. 240. 1. C.

Malachias.

2 11 *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum. Et munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Reprobationẽ Iudæorum, sacrificiorum ac ceremoniarum legalium cessationem, gentium vocationem, mundissimam Eucharistiæ sacrificij oblationem in Ecclesia futuram prædixisse, exponitur. 1055. 1. B vsque ad 1056. per totam.

Mathæus.

3 11 *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne*, id est, eũ dabit, & per Spiritum sanctum in hac vita, &, si opus fuerit, in futura per ignem, ex Hieronymo. 239. 2. C.
5 23 *Si offers munus tuum ad altare, &c.* non continet præceptum sacrificandi, sed supponit futurum. 1056. 1. D. Imò ad Eucharistiæ sacrificium alludit. 1180. 1. A.
28 3 *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum.* Id est, secreta. 2. 2. A.
19 24 *Facilius est camelum per foramen acus introire, quã ditem intrare in Regnũ cælorum, apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia.* Ostenditur possibile ex vi penetrationis partium. 654. 1. D.
26 11 *Me autem non semper habebitis.* Secundum corporalem præsentiã, modo visibili. Quo modo *pauperes habebitis vobiscum.* 611. 2. A.
26 25 *Qui intingit mecum manum in paropside, &c.* cõmune signum, multi enim intingebant. 549. 1. B.
26 25 *Tu dixisti.* Id est, satis est tu videris. 549. 1. C.
26 26 *Cœnantibus autem eis, &c.* Id est, recumbentibus, omnibusque paratis ad cœnandum cœna vsuali quæ legalem, pedumq; lotionem subsecuta est. 549. 2. D. 550. 1. B
26 26 *Accepit, benedixit, fregit, dedítque, &c.* Eundem ordinẽ in se, quẽ in enarratione, retinuerunt, licet inter duo vltima cõsecratio interceserit. 830.
26 27 *Accipite, & bibite ex eo omnes.* Solis Apostolis & nõ præcipiendo, sed inuitando, dicta. 1007. 2. A.
26 28 *Hic est sanguis meus.* De toto Christi sanguine exponitur. 741. 2. B.
26 28 *Qui pro multis effundetur*, vel vt in Græco, *effunditur*, de effusione cruenta passionis exponitur. 836. 1.
26 30 *Et hymno dicto.* Id est decantato, ex Concilio Toletano. 111. 1224. 2. A.
28 10 *Iesum, qui crucifixus est, quæritis? non est hic, surrexit enim.* Simplex facti enarratio, non illatiua argumentatio est, vel aliter. *Surrexit*, id est, corpus, quod hic iacebat mortuum, hinc viuum egressum fuit, & ideo non est hic. 668. 1. A.
28 19 *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, &c.* Contra hæreticos exigentes verbum cõcionatorium, ponderantur dictio, *in nomine*, &, *docentes eos.* 29. 2. A.
28 19 *Baptizantes eos in nomine, &c.* Non noua baptismi institutio, sed solennis huius præcepti promulgatio: nec sola concessio facultatis, sed iuris ad baptizandum ex officio. 235. 1. D. 276. 1. D. 240. 1. C. ostenditur, *baptizantes*, in omni rigore intelligendum. 250. 2. B. Dictio, *in nomine*, de exteriori inuocatione exponitur.
Vlt. 10 *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Licèt probabiliter de Christi præsentia in Eucharistia, nihilominus de præsentia per singularem eius prouidentiam erga Ecclesiam, exponitur. 611. 1. D.

Marcus.

14 1 *Erat autem Pascha, & azyma post biduum.* Id est, vltima vespera decimæ quartæ lunæ, ab agno in eo occiso Pascha dicta, dies vero azymus, quia initium decimæ quintæ lunæ, in qua propriè azymi incipiebant. Vnde Pascha, & azyma post biduum simul futura dicuntur. 537. 2. C. vsque ad 538. 1. per totam.
14 12 *Primo die azymorum, quando pascha immolabant?* Prout numero præcedenti. ibidem.

Lucas.

Natus est vobis saluator. Id est, in commodum vestrum. 1230. 1. D.
2 22 *Vt sisterent eum Domino, & faterent secundum consuetudinem legis pro eo.* Id est, vt offerrent, & sacrificarent. 1063. 1. D.
14 23 *Compelle intrare*, non necessitando, aut cogendo, sed magna gratiæ virtute inducẽdo. 1225.
21 28 *Appropinquat redemptio vestra.* Id est gloriæ consecutio, in qua vestra redemptio consummatur. 1228. 2. C.
3 3 *Nisi pœnitentiam egeritis.* Necessitas medij indicatur. 529. 2. A.
22 1 *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Id est, decima quinta luna, quæ Pascha dicebatur, quia in eius prima vespera, quæ est vltima decimæ quartæ diei, *Pascha*, id est agnus occidebatur. 538. 1. B.
22 15 *Desiderio desideraui hoc Pascha*, id est hunc agnum vel hoc tempore & die, vel hanc sacramentalẽ cœnã *manducare*, seu celebrare, *vobiscũ*. 550. 2. A. & 1075. 1. D.
22 18 *Non bibam amodò de generatione vitis.* De calice sanguinis exponitur. 1075. 1. D.
22 19 *Hoc facite in meam commemorationem.* Id est hoc sacrificate, & eo modo, quo ego, verunq; præceptum sumptionis important. 1064. 2. D.
Hoc est corpus meum. Vide Eucharistiæ forma.
22 21 *Verumtamen manus tradentis me, mecum est in mensa* Id est quamuis hoc non ignoro, adhuc vobis meum corpus trado. 546. 1. B.
23 46 *In manus tuas commendo spiritum meum.* Deprecationem continent, non oblationem. 1074. 2. B.
23 48 *Reuertebantur percutientes pectora*, interioris contritionis signum. 1239. 1. B.
24 49 *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Nõ tantum de gratis datis, sed & de sanctificante gratia exponitur. 447. 1. B.
24 35 *Cognouerunt eum in fractione panis.* Exponitur de azymo. 590. 2. C.

Ioannes.

2 6 *Cum gustauit Architriclinus aquam vinum factam*, Id est, vinũ, in quod fuerat aqua, cõuersa. 687. 1. B.
2 16 *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*, cum quo rigore obliget, exponitur. 1190. 2. B
3 5 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* De regeneratione, quæ fit per baptismũ. 294. 1. A. 341. 2. A. 339. 2. A. de aqua propriè, & non metaphoricè ostenditur intelligendum.
3 6 *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu*, per baptismum, scilicet, *spiritus est*, quia vitam spiritualem consequitur. 333. 2. B.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 14 *Oportet exaltari filiũ hominis*, id est, necesse est. 255. 2. D.
4 20 *Patres nostri in monte hoc adorauerũt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet, sed veniet hora, quando neque in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis Patrem, sed veniet hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrẽ in spiritu & veritate.* Adoratio pro sacrificij oblatione sumitur, quæ in noua lege vbiq; futura prædicitur, per Eucharistiæ sacrificium non sola corporali actione, nec in vmbra, *sed in spiritu & veritate.* 1054. 1. C. Et 1170. ostẽditur quo modo ex hoc nõ inferatur, esse in Ecclesia futura tẽpla.
6 27 *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* De quolibet animę bono, cũ Chrysostomo, vel de Christo per fidem manducato, cum Augustino, exponitur. 611. 2. A.
6 94 *Nisi pater meus traxerit eum*, non necessitãdo aut cogendo, sed magna gratiæ virtute mouendo. 1225. 2. D.
6 53 *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Latè tractatur, exponiturq; de reali manducatione. 611. 2. D. vsque ad 615. Et ostenditur eandem esse sententiam Augustini. Et 911. 2. B. cũ Cyrillo & Cypriano de vitæ spiritualis conseruatione, ad quam moraliter necessaria est Eucharistiæ mãducatio. Et 529. 2. B. De necessitate nõ medij, sed præcepti, solos adultos obligatis, & dictio *non habebitis*, nõ retinebitis, nec conseruabitis. 523. 2. B. Et 587. & 588. ostenditur illã conditionalem importare necessariã connexionem & infallibilem effectum in consequente significatum supposita veritate antecedentis, & 1005. & 1006. latè tractatur, & copulatiuæ, *Et*, vis disiunctiuæ tribuitur.
6 63 *Caro autem non prodest quidquã.* In propria scilicet specie non autem sacramentaliter manducata: vbi numero præcedenti in principio.
6 57 *Sicut misit me viuẽs Pater, & ego viuo propter Patrẽ sic quis manducat me, & ipse viuet propter me.* Nullam necessitatem, sed efficacitatem indicant huius cibi. 529. 1. D.
12 20 *Erant autem quidam gentiles ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo*, id est sacrificiũ offerrẽt. 1055. 1. A.
6 54 & 56 *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Non copulatim tãtum, sed copulatiue intelligẽda ita vt de singulis membris veritatem habeant. 903. 1. B.
6 32 *Non Moyses dedit vobis panem de cælo*, id est, Eucharistiam. 618. 2. B.
6 35 *Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam: Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet & ego in illo.* Exponũtur iuxta numerum præcedentem. 903. 2. C.
7 39 *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* De visibili missione Spiritus sancti exponitur. 235. 2. A.
6 41 *Ego sum panis viuus.* Datur enim caro mea viua, & nõ mortua, *Qui de cælo descendit.* Ratione scilicet diuini suppositi. 737. 1. B.
13 1 *Ante diem festum Paschæ*, qui erat decima quinta luna, prima azymorum dies, festiuaq;. 540. 1. A.
13 2 Et *cœna facta*, Legali, scilicet, quæ in esu agni consistebat. 546. 1. A.
13 4 *Surgit à cœna.* Legali, scilicet, non vsuali, quam nondum cœperat. 546. 2. C.
13 12 *Cum recubuisset iterum.* Id est, cum post lotionem pedum, iterum sedisset ad esum cœnæ vsualis. 546. 2. A.
13 10 *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.* Explicatur ex Augustino, de lotione quę per baptismi sacramẽtum præcesserat in Apostolis. 234. 2. B.
13 26 *Cui intinctum panem porrexero.* De pane non consecrato explicatur. 549. 1. C.
14 16 *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Latè tractatur, & ostenditur contenere specialem promissionem dandi spiritum sanctũ Ecclesiæ; quæ promissio visibiliter in Apostolis, inuisibiliter in sacramẽto Cõfirmationis quotidie impletur. 448. 1. B.
15 22 *Si non venissem & locutus eis fuissem.* Id est, & nisi eis. &c. 1007. 1. A.
17 22 *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, claritatem quam mihi dedisti, dedi eis, vt sint vnum sicut, nos vnum sumus, ego in eis & tu in me, vt sint consummati in vnum.* De reali vnione fidelium cum Christo in Eucharistia, & per ipsum cum Deo; exponitur. 633. 1. B.
18 28 *Non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Ibi, *Pascha*, non significat agnum, quem nocte proxime præcedente manducauerunt, sed sacrificia, quæ singulis diebus azymorum immolabãtur. 540. 2. B.

Ex Actibus Apostolorum.

2 38 Et *baptizetur vnusquisq; vestrũ in nomine Iesu Christi.* Id est, in fide, virtute, vel potestate Christi. 256. 1. A. vsque ad. 257. 1. per totam.
8 12 Et *nomine Iesu Christi baptizabãtur viri ac mulieres.*
10 48 Et *iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.*
19 5 *His audientes, baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, vt numero primo, ibidem.
2 18 *Musto pleni sunt isti.* Id est, vino. 597. 1. C.
2 39 *Filij Israel audite verba hæc, vobis enim est repromissio & filijs vestris, & omnibus qui longe sunt.* Siue Iudæis, longè dispersis, siue ex gentibus ipsis. Propter quod addit, *Quoscunq; vocauerit Deus.* 427. 2.
3 38 *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Exponitur, vt remissio peccatorum diuersus effectus sit à receptione Spiritus sancti, & illa per baptismum, hæc per sacramentum Confirmationis detur. 448. 1. D. & 430. dictio, *Peccatorum*, exponitur de actualibus.
3 6 *Argentum, & aurum non est mihi*, id est, vel aurum. 1007. 1. A.
6 6 *Orantes imponentesque eis manus.* Id est, Ordinantes eos. 478. 2. B.
8 18 *Cum vidisset autem Simon, quod per impositionem manus Apostolorum, &c. Per*, Veram causalitatem significat. 448. 2. ad finem.
9 17 *Abijt Ananias & introiuit domum, & imponens ei manus, &c.* De manuum impositione curatiua exponitur. 479. 2. A.
13 2 *Ministrantibus autem illis Domino.* Id est, sacrificãtibus. 1036. 1. C.
13 3 *Orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos.* De manuum impositione deprecatiua explicatur. 479. 2. D.

19 32 *Erat autem Ecclesia confusa*, id est fidelium cõgregatio. 1167. 1. D.

Ex epistola ad Romanos.

4 11 *Signaculum iustitiæ fidei.* Late explicatur contra quosdam hæreticos nostri temporis. 7. 2. C.
5 15 *Non, sicut delictum, ita & donum.* Adæ enim lapsus vnum tantum delictum potuit in posteros trãfundere, Christi meritum gratiam, qua multa tollerentur delicta. 325. 2. A.

Ex prima ad Corinthios.

1 13 *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Adducitur ad probandũ effectum sacramenti non crescere ex merito ministri. 851. 1. A.
4 1 *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Id est, sacramentorum, ex Ambrosio. 7. 1. C.
5 7 *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Non in cruce tantum sed in vltima cœna. 1171. 1. B.
7 14 *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent*, id est, illegitimi *nunc autem sancti sunt*, scilicet legitimi, ex vero vtique matrimonio nati. 340. 1. B.
10 3 *Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt*, scilicet, Manna Eucharistiæ figuram. 553. 1. D.
10 3 *Et eundem potum spiritualem biberunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Illa Apostoli collatio inter ipsos Hebræos est, non nobiscũ, qui verum Christi corpus manducamus. 618. 2. B.
10 4 *Bibebant autem omnes de spirituali*, per figuram scilicet. & fidem. 631. 2. C.
10 11 *Omnia in figura contingebant illis.* Quatenus omnia eorum sacrificia Christi mortem, & sacrificium mysticè significabant. 1041. 1. D.
10 16 *Calix, cui benedicimus.* Id est, quem consecramus. 30. 2. B. vel cum Cyrillo, calix benedictionis dicitur ab Apostolo, quia Christus eulogizans, id est benedicens, instituisse dicitur. 533. 2. D.
10 16 *Panis quẽ frãgimus, nõne cõmunicatio corporis Christi est? Vnus panis: vnũ corpus multi sumus omnes qui de vno pane participamus.* Exponitur de Christo sub speciebus panis, quatenus eius cõmunione vnũ corpus Christi efficimur. 532. 1. D.
10 18 *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Id est, hostiæ immolatæ, participatio enim victimæ supponit sacrificiũ consummatum. 1086. 1. D.
10 21 *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Id est, altaris, seu aræ in qua vtrisq; sacrificatur, cõmunicare. 1056. 1. D. vel vt. 1109. Non potestis rem in Eucharistia oblatam comedere, si oblata in Gentilium sacrificijs comedatis.
11 20 *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicã cœnam manducare.* Exponitur de Eucharistia, cũ D. Thoma. Anselmo, & alijs. 531. 2. D.
11 24 *Similiter*, id est, eodẽ modo quo panem post cœnam legalem consecrauerat, ita, *& calicem postquam cœnauit*, eadẽ scilicet legali cœna. 550. 1. A.
11 26 *Quotiescunque manducabitis panem hunc.* Hoc est hũc spiritualem cibum, qui sub forma panis datur. 728. 2. D.
11 28 *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat, qui enim mãducat & bibit indignè, iudicium sibi mandcat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quod in Eucharistia realiter contineri & manducari, Ex hoc loco cum Cypriano, & alijs Patribus ostenditur. 560. 1. A.
11 34 *Si quis esurit Domini manducet.* De ordine seruãdo in conuiuijs communibus Paulus loquitur, non de Eucharistia. 972. 1. B.
11 34 *Cætera autem, cum venero, disponam*, vtiq; similia, & ad eundem ordinem pertinentia. 1278. 1. A.
13 2 *Si nouerim mysteria omnia.* Id est, sacramenta, ex Augustino. 2. 2. A.
15 51 *Ecce mysterium vobis dico*, vt numero præcedenti ibidem. B.
13 3 *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest.* Id est, si nullo modo habuero, neque vt principium, neq; vt terminum, vel effectum talis actus. 388. 1. D.
14 3 *Qui prophetat, hominibus loquitur.* Id est, qui cõcionatur. 1232. 2. B.
14 6 *Quid vobis prodero, nisi vobis loquar in reuelatione, aut in scientia, vel in doctrina, vel in prophetia.* Hæc quatuor diuersas omnino orationes important, ibidem. A.
14 11 *Si nesciero virtutẽ vocis, ero cui loquor barbarus.* Id est, nec intelligar, nec intelligam. ibidem. 2. B.
14 13 *Si orem linguã.* Hoc est, si ex dono linguę diuinas laudes concinam ignoto idiomate, vel saltem recondita mysteria verborum non intelligẽdo, *spiritus meus orat*, moueor enim interiori affectu ad orandum, *mens autem mea sine fructu est*, proprio vel alieno. ibidem. 1. C.
14 16 *Qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet*, Amen. Id est, fiat. Non de Ecclesiasticis officijs sed de sermone linguarum exponitur, qui si à respõsuro non intelligatur, quo modo poterit suo tempore respondere. 1222. 1. D.
14 26 *Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, &c.* Euangeliorum & Epistolarum vsus ex hoc loco colligitur cum Iustino. 1214. 1. D.
14 39 *Æmulamini prophetare*, id est, cõcionari, & *loqui linguis*, id est, ex dono linguarum diuinas laudes cantare, *nolite prohibere.* 1222. 2. A.

Ex secunda ad Corinthios.

1 22 *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Exponitur cum D. Thom. de charactere, quo à Deo signamur, qui effectus & ab vnctione quæ per gratiã fit, & à pignore spiritus testimonio scilicet bonæ conscientiæ distinctus est. 1273. 1. B. Et cõtrahitur explicatio cum Ambrosio ad charactere Confirmationis. 131. 2. D.

Ex Epistola ad Galatas.

2 4 19 *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* De formatione per iustificationem exponitur. 232. 1. A.
3 5 9 *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Id est, fermentat, vt in Græco. 590. 2. D.

Ex Epistola ad Ephesios.

1 9 *Vt notum faceret sacramentum voluntatis suæ.* Id est, secretum. 2. 1. A.
3 3 *Secundum reuelationem notum est mihi sacramentum*, & infra, *In mysterio Christi.* Vtraque vox, mysterium, & sacramentum, de re diuina hominibus occultaeorumque cognitionem superante, exponitur ibidem.
4 5 *Vnus Deus vna fides, vnum baptisma.* Non tantũ vnitate specifica, sed etiam numerica. 262. 2. B.
4 30 *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, vel vt cap. 1. *In quo creden-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

credentes signati estis, spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Non tantum designatione per gratiã cũ D. Thom. sed per baptismã lecharacterẽ, perquẽ grex Christi efficimur exponitur. Ex Chrysost. & Theodoret. 130. 1. D
5 32 *Sacramentum hoc magnum est*, id est, res mirximè supernaturalis & occulta, vt pote quæ Christi cũ Ecclesia coniunctionem significet. 2. B. 7. C.
5 26 *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* De verbo consecratorio, cum Chrysostomo, Ambrosio, & alijs. 24. 2. B. Et dictio, *lauacrum*, de baptismo ex Augustino. 252. 1. D. & 330. 1. B.

Ex epistola ad Philippenses.

4 6 *In omni oratione & obsecratione cum gratiarũ actione*; idem hæc tria significant, sed exaggerationis gratia geminata. 1213. 2. C.
6 18 *Orationem, & obsecrationem*, vt numero præcedẽti

Ex prima ad Timotheum.

2 1 *Obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus*, latè tractatur, & de publicis orationibus, quæ nomine totius Ecclesiæ in Missa fiunt, exponitur. 1213. 1. B.
3 16 *Magnum est pietatis sacramentum*, id est, mysteriũ. 2. 1. A.
4 14 *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est, per impositionem manus Presbyterii.* Id est, perquã Presbyter Ordinatus es. 479. 2. B.
5 21 *Nemini cito manus imposueris*, id est, eum Ordinaueris. 479. 2. B.

Ex epistola ad Colossenses.

4 16 *Cum lecta fuerit apud vos Epistola*, non necessariò intelligitur de lectione, quæ fit in missa. 1217. 1. D

Ex prima ad Thessalonicenses.

5 27 *Vt legatur Epistola hæc*, non necessario intelligitur de lectione, quæ fit in Missa. 1217. 1. D.

Ex secunda ad Timotheum.

1 6 *Admoneo te, vt resuscites gratiã, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Per quam, scilicet, te Ordinaui. 479. 2. B.

Ex epistola ad Titum.

3 5 *Lauacrum regenerationis.* Exponitur de baptismo. 7. 2.

Ex epistola ad Hebræos.

1 3 *Et figura substantiæ eius.* Non quia veritate substãtiæ careat, sed quia per suam substantiam Patrem repræsentat. 614. 2. B.
5 4 *Nec quisquam sumit sibi honorem*, Sacerdotij, scilicet, *sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*, id est, qui legitima publicaque autoritate ad hoc munus consecratus est. 1044. 1. D.
6 1 *Non rursus iacientes fundamenta ab operibus mortuis & fide in Deum baptismatum doctrina, impositionisque manuum.* Cum Ambrosio & Augustino exponitur de manus impositione; per quam ab Apostolis Spiritus sanctus dabatur, sicut modo ab Episcopis in sacramẽto Cõfirmationis. 449. 1. B, C. Et 478. 2. D. ex illis verbis, *Non rursus iacientes fundamenta*, colligitur baptismum & Cõfirmationem non posse iterari:
6 4 *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati*, scilicet, per baptismum, *Et participes facti sunt Spiritus sancti*, per sacramentum, scilicet Confirmationis *Iterum renouari ad pœnitentiam*, scilicet, iterum illa duo sacramenta recipiendo, & sic, *rursus crucifigentes in semetipsis filium Dei.* Cum Ambrosio Augustino; & alijs. 264. 1. D.
5 1 *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Id est, vice & nomine hominum *vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Non tantum suis, sed etiã populi. 1103. C. 1104. 2. D.
7 18 *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem.* De lege veteri exponitur, etiã ante Passionẽ Christi. 123. 2. A
9 1 *Habuit quidem iustificationes culturæ.* Id est ad cultum externum pertinẽtes. *Et sanctũ seculare*, seu *mundanum*, vt in Græco. Exponitur de templo, quod ideo mundanum dicitur, quia in eo ex vi legis sola iustitia exterior, & in oculis mundi dabatur. 132. 2. B.
9 12 *Christus autem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Exponitur de sacrificio cruẽto mortis Christi, qua *vna oblatione*, quoad sufficiẽtiam, *consumauit sanctificatos*, eorũq; redẽptio *inuenta*, id est, peracta est. 1054. 1. D.
10 12 *Vbi horum remissio est, iã non est oblatio pro peccato.* Exponitur vel de legali oblatione, quæ dicitur iã non necessaria, vel de oblatione quæ precium denuo acquiratur; & quæ facta iam peccatorum remissione per Christi passionẽ, non est cur requiratur, secus oblatio applicans tale pretium. 1058. 2. B.
10 26 *Voluntariè enim peccantibus nobis, iam non relinquitur hostia pro peccato.* Ad Hebræos loquitur, quibus nec Christus, in quem non credunt, nec alius Messias venturus, qui nullus est, nec legale sacrificium prodesse potest. ibidem. C.
12 28 *Habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo* Id est, Eucharistiæ sacramentum cũ Turriano. 533. 1. D.
13 10 *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* De ara, vbi Christus offertur in Eucharistia explicatur. 1056. 2. D.

Ex epistola prima Petri.

1 20 *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, latè tractatur. 74. 2. B.

Ex epistola prima Ioannis.

3 6 *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Dictio, *semen*, de gratia exponitur, quæ valde efficax est ad superandas tentationes. 113. 1. C.
3 15 *Omnis homicida non habet vitam æternam in se manẽtem.* Id est perdet illam. 523. 2. B.
4 3 *Omnis spiritus qui soluit Iesum*, aut humanitatem à Diuinitate, aut corpus à sanguine separans, *ex Deo non est.* 737. 1. C.

Ex Apocalypsi.

1 20 *Sacramentum septem stellarum.* Id est, res supernaturalis & occulta. 2. 1. C.
13 8 *Agnus occisus ab origine mundi.* De mystica Christi occisione in agno Paschali, exponitur. 1090. 2. D.
19 9 *Beati qui ad cœnam agni vocati sunt.* Id est, ad conuiuium. 532. 1. B.
21 22 *Et templum non vidi in ea.* De Ecclesia triumphante exponitur. 1167. 1. A.

INDEX RERVM QVAE hoc volumine continentur.

Prior numerus paginam indicat, posterior columnam, literæ vero, sub eis res indicatas contineri.

Abel.

1 Probabile est obtulisse agnum Deo ex fide mortis Christi. 141. 2. A.

Ablutio.

1 Vide verbum, Missæ ceremoniæ, & Baptismi materia.

Abraham.

1 Cur magis ei, quam alij ex Patribus Christi promissio facta sit, & circuncisio tradita. 403. 1. B.
Vide verbum, Circuncisionis institutio.

Absolutio.

1 Absolutio ab excommunicatione licèt cæremonia sacra & aliquam sanctificationem conferens, cur non sacramentum. 11. vsque ad 12.

Accidens.

1 Accidentia Eucharistiæ. Vide, *Eucharistia*, versiculo, Species sacramentales.
2 Non est capax vnionis hypostaticæ. 643. 2. C.
3 Dum inhæret subiecto, non potest priuari omni suo effectu formali. 652. 2. B. C.
4 Habet distinctam existentiam à substantia. 720. 1. B
5 Non esse de eius essentia actualem inhæsionem sola ratione fit satis probabile. 797. 1. A.
6 Esse sine subiecto non est contra, sed supra eius naturam. 693. 1.
7 Ex vi suę entitatis intrinsecè indiuiduatur, in ordine ad agens extrinsecè tantũ, in fieri vero à subiecto cum talibus circunstantijs. 796. 1. D. 2. A.
Vide verb. forma accidentalis.

Actio.

1 Actio educens formam de potentia materiæ, essentialiter petit actualẽ vnionẽ cum subiecto. 101. 2. C
2 Actioni cur per aliã actionẽ fieri repugnet. 646. 2. B
3 Non potest esse sine termino extrinseco, qui per illam fiat. 743. 1. A. B.
4 Vt detur noua actio circa terminum, non est necesse Aliquid in ipso produci, sed sufficit vt nouã dependentiã habere incipiat in esse, quod præhabebat. 680. 1. D.
5 Non potest dici potens influere, sed influẽs. 713. 1. C
6 Non variatur, variato modo existendi effectus, nisi talis modus intrinsecus sit actioni. 715. 1. D.
7 Non distinguitur essentialiter ex diuersitate instrumentorum, quibus fit. 717. 1. A. B.

Actus.

1 Actus vitales contrarij non possunt simul esse in eadem potẽtia, etiã in duplici loco posita. 676. 2. C.
2 Actus sensuũ internorũ & appetitus sensitiui, nõ possunt naturaliter fieri, nisi à potẽtia materiali extẽsa. 774. 1. Actus quos Christus est in Eucharistia.
Vide Christum in Eucharistia simili vers. Adã.
1 Etiam si non peccasset, probabile est homines in illo statu peccaturos. 42. 1. A.
2 Non est cur negetur ante peccatum obtulisse sacrificium. 42. 2. B.
Obtulit sacrificium post peccatum, licèt de eo non sit mentio in Scriptura. 1051. 1. C.
3 Adæ matrimonium non fuit sacramentum. 44. 1. C.
Significauit tamen desponsationem Verbi cum natura humana. ibidem. 2. A.
4 Prius cognouisse incarnationem, posteà proportionem Matrimonij cum ipsa ibidem. 2. C.
5 Generatio hominum in Adamo, & regeneratio in Christo, quo differant. 358. 2. D.
6 Adde filij non haberent scientias naturales per accidẽs infusas 43. 1. D. Vide Verb. Status Innocẽtię.

Adoratio.

1 Non nititur sensibus, sed fide, nec, vt licitè fiat, necesse est esse de illa speciale præceptum. 921. 1. B.
2 Actus, quo quis adorat hostiam, quam prudẽter existimat esse consecratam, licet de facto nõ sit, est actus latriæ. 925. 1. A. Vide, verb. Cultus, & verb. Eucharistiæ dignitas & cultus.

Adultus.

1 Vt iustificaretur ab originali, non indigeret pœnitẽtia, sed solo Dei Amore. 321. 1. C.

Agens.

1 Quãdo vis agentis potest proximè attingere effectũ non requiritur impressio alicuius impetus. 647. 2. D
Vide, verbo Causa.

Agnus Paschalis.

1 Eius oblationem, probabile est fuisse sacramentum simul & sacrificium. 7. 1. 1065. 1. A.
2 Non solum cruenti sacrificij Christi, sed incruenti Eucharistiæ figura fuit. 7. 1. 63. 1. C. 552. 2. D. 553. 2. D.
3 Per eius oblationẽ ad aliquã sanctificationẽ obtinẽdam disponebantur homines. 8. 1. B.
4 Decima quarta luna, vergente iam sole ad occasum, immolabatur, post occasum verò, oriente iam decima quinta, comedebatur. 539. 2. C. 541. 1. D.
5 Dies immolationis agni simpliciter dicebatur azymus. 537. 2. A.
9 Imolatio agni naturalis & typici intra eundem naturalem diem peracta est. 542. 2. C.

Amictus.

Vide verbum. Missæ Minister.

Alba.

Ibidem.

Altare.

Vide verb. Missa vbi celebranda.

Angelus.

1 Modus quo indiuisibiliter est in loco, accidentalis est in Angelo, non tamen est relatio prædicamentalis. 639. 1.
2 Non mouetur ex vi motus corporis assumpti. 645. 2. B.
3 Fortasse cum mouet cælum, nullum illi impetum imprimit. 647. 2. D.
4 Quanuis non sit quantitatiuè in loco non potest cum mutare, sine intrinseca sui mutatione. 649. 1.
5 Eius præsentia in loco in ordine ad subiectũ per se

Universidad de Deusto
Biblioteca

& intrinsecè est indiuisibilis, licèt diuisibilis esse posit in ordine ad spatium. 648.1.D.
6 Quo modo hæc præsentia dici possit localis. 651.1.A
7 Cur non possit constitui diuisibiliter in loco, sicut substantia materialis indiuisibiliter. 655.1.
8 Pro quantitate suæ perfectionis maiorē vel minorē locum sibi determinat. 661.1.D.
9 Non potest in duobus locis discretis naturaliter existere. 662.1.B.
10 Si sit in loco inadæquato, alium acquirere potest sine desertione prioris. 681.1.
11 Non solum totus toti spatio locali singulisque eius partibus, sed cunctis indiuisibilibus est præsens. 761.1.D.
12 Si Angelum Deus conuerteret in animam, magis esset illa transubstantiatio, quam formalis aut materialis conuersio. 729.2.D.
13 Dæmon in Eucharistia non videns substantiam panis nō potest certo inferre carētiā eius. 780.1.A
14 Angelis natura perfectioribus datum est perfectius auxilium, quo se disponerent ad gratiam, quæ ex vi illius perfectior data est. 366.2.B.
Vide verb. Sacramenta nouæ legis, &. v. Eucharistiæ subiectum, & verbum. Christus in Eucharistia. v. Christi cognoscibilitas.

Annihilatio.

1 Vt substantia annihilari dicatur, non obstat remanere accidentia. 723.1.C.
2 In annihilatione non tantum rei desitio, sed modus desitionis attendendus. 724.1.A.
3 Manere in potentia obedientiali actiua, non tollit annihilationem. 724.1.C.
4 Nulla actio ad esse positiuū ordinata potest esse annihilatio. 724.2.A.
5 Annihilatio non potest esse per actionem positiuam sed tantum per suspentionem influxus conseruantis. 724.2.C.D.
6 Quo modo in hoc differat à corruptione. 725.2.
7 Quanuis desitio vnius rei ad positionem alterius ordinetur, potest esse annihilatio. 724.2.B.
8 Si separata forma à materia, noua forma non introduceretur, & ideo materia desineret, illa esset vera annihilatio talis compositi. 726.1.C.
An panis Eucharistiæ annihiletur, vide verbum Transubstantiatio.

Anima.

1 Cur altera actione producatur anima rationalis, altera vniatur materiæ, formæ autem accidentales non item 98.1.B.
2 Animæ potentiæ solum sunt capaces qualitatū, per quas ad actum secundum reducuntur, vel ad melius operandum disponuntur. 146.1.A.
3 Anima non potest informare duo corpora discreta, quanuis simul sumpta non habeant maiorem quantitatem, quam vnum continuum. 662.1.A.
4 Non potest mouere corpus suum nisi per membra organica, nec per imperium volūtatis transferre de vno loco in alium. 769.2.D. 770.1.C.
Anima Christi, vide verb. Christus, & verb. Christus in Eucharistia.
An possint Animæ separatæ ministrare sacramenta. Vide sacramēta nouæ legis. v. Minister. Vide etiam verb. Forma substantialis.

Antitypa.

1 In rigore sermonis id significat q; loco figurarū, vmbrarūq; succedit, nonnunquā tamē protypo, seu figura vsurpatur à Patribus. 626.1.A.2.A.B.

Apparitio.

Christi apparitiones in Eucharistia, vide Christus in Eucharistia, simili verficulo.

Apostoli.

1 Ante noctem cœnæ fuerunt baptizati. 234.2.B.
2 In nocte cœnæ sacerdotes instituti. 453.1.C.
Episcopi creati, cum illis dictum, Ioan. 20. accipite Spiritum sanctum. ibidem.
An in nomine Christi baptizauerint, & an eadem forma, qua modo, vti fuerint in sacramento Confirmationis. Vide verb. Baptismus, & verb. Confirmatio. vers. forma.

Aqua.

1 Aqua lustralis licet ceremonia sacra & aliquā sanctificationē cōferens, cur non sit sacramentū. 11.2.C.
2 Eius consecratio per extrinsecam benedictionem instituta ab Ecclesia, iuxta cuius voluntatem potuit ad partes miscendas extendi. 822.1.D.
3 Aqua rosacea simpliciter non est aqua. 30.2.D.
Vide verbum, Baptismus, vers. Materia.

Attritio.

1 Attritio quæ est dispositio ad primam gratiam in sacramento nō est meritoria noui augmenti in eodē instanti conferendi. 86.1.A.
2 Sola attritio etiam cum voto sacramenti non sufficit impetrare remissionem peccati. 87.1.D.
3 Attritio cognita sufficit in sacramento pœnitentiæ. 214.1.A.
4 Quæ sufficit ad effectum Baptismi, sufficit ad effectum pœnitentiæ. 366.1.A.
5 Non sat est habere in voto. 364.1.A.
Vide verb. Sacramēta nouę legis, verb. Dispositiones verb. Effectus, & verb. Baptismus, eisdē versiculis verb. Sacramenta in communi. vers. Minister.

Azymus, & Azymorum dies.

1 Azymus panis vere & simpliciter panis. 590.2.C.
2 Azymorū dies septē, à vespera, qua agnus comedebatur, quæ erat vltima decimæ quartæ lunæ, à qua prohibebatur fermenti vsus, vsq; ad vltimam vigesimæ primę cōputabātur. 537.1.C. 538.1.D. 539.2.
3 Azymorum obseruantia magis in priuatione fermēti, quam in vsu azymi consistebat. 538.1.A.
4 Solum hi septem dies erant azymi, nec vllus vnquā alius institutus. 539.1.B.
5 Primus dies azymorum supponit in veteri testamēto pro decima quinta luna. 539.2.A.
6 Cum autem in testamento nouo decima quarta luna dicitur dies azymorum; de eius vltima vespera intelligendum. 539.2.D.
7 Primus tantum & vltimus dies festiui erant in solennitate azymorum. 540.1.A.
8 Decima quinta luna non solum primus solennitatis azymorum, sed primus azymorum dies simpliciter dicebatur. 540.1.C.
9 Sola vltima vespera decima quartæ lunæ sacra erat. 540.1.A. 541.2.D.
10 Inter vesperā, qua agnus immolabatur, & festiuū diē azymorū, nullū feriatū tēpus mediabat. 541.C.D.

Balsamum.

1 Tempore Plinij in sola Iudæa reperiebatur, & in parua quantitate. 459.1.A.
2 Postea magna eius copia in Palestina. 462.1.B.C.
3 Balsami plantam Salomoni obtulit Regina Sabba ibi.
4 Nunquam defecit in Ecclesia ad conficiendū Chrisma. 462.1.A.

5 Ex

Ex India allatum vnicè Balsamum cum Syriaco. ibid.
Vide verbum, Sacramentum confirmationis. §. Materia.

Baptismus.

Nomen Baptismi.

1 Exteriorem corporis ablutionem sub præscripta forma verborum significat. 130.2.D.

Institutio Baptismi.

1 Primò & per se ad remittendum originale peccatū, & primam gratiā dandam institutus. 76.1.A. 134.
2 Secundario ad consignandum nos charactere Christi. ibidem.
3 Immediate à Christo institutus. 283.1.A.
4 Et ante Christi passionem, tam quoad materiā, quā formā, & intrinsecam efficaciā. 235.1.B. 236.1.
5 Non tamen, antequam Christus baptizaretur à Ioanne, institutus, sed eo die, quo Christus baptizatus est, vera materia & forma indicata, & opportuno tēpore institutio tradita fuit. 236.1.A. 236.2.D.
6 Significat Christi passionem, & resurrectionem, vt præteritam, non vt futuram. 235.2.C.

Essentia & Individuatio Baptismi.

1 In quo à cæteris sacramētis distinguatur. 80.1.
2 Sacramentum regenerationis, seu ad spirituale fideliū regenerationem institutū definitur. 134.1.C.
3 Statim ac perficitur forma supra sufficiētem ablutionem, licet non supra totam, quæ à ministro fit, perficitur sacramentum. 244.1.
4 Est vnus vnitate specifica & athoma. 262.2.A.
5 Multiplicatur numerice pro diuersitate subiectorū, in quibus recipitur. 263.1.C.
6 Iterari non potest in eodem subiecto. 264.1.A.
Iterantis Baptismum culpa & pœna, infrā, vers. Minister, & vers. Subiectum.
7 Si sit probabile dubium, an fuerit datus, debet sub cō ditione iterari. 265.2.A. 439.1.
8 Hoc dubium & facti & iuris esse posse, & quid trū que faciat probabile. 265.2.C. 266.1.A.B.
9 Si, omnibus ceremonijs seruatis, subst ātialis error intercedat, substantialia iteranda, non ceremoniæ. 443.1.B.

Materia Baptismi.

1 Materia remota est aqua. Et congruentiæ huius materiæ ad significandū effectum baptismi. 237.2.
2 Debet esse aqua simplex & vsualis; quę in quauis quātitate sufficit, dummodò ad ablutionem sit satis. 241.1.A. 242.1.
3 Aqua congelata, vel quælibet alia ex herbis vel alijs rebus distillata, similiter & nix, insufficiens materia. ibidem.
4 Ablutio est materia proxima. 242.1.A. Vt habet modum passionis. 248.1.
5 Ablutio est contactus corporis liquidi cum corpore abluendo, per successiuam partium effusionē, faciliemque earum diuisionem per corpus. 242.1.D. 242.2.C.D.
6 Vera ablutio sine emundatione à sordibus, quæ est eius effectus, inueniri potest. ibidem.
7 Non infert in corpore abluti passionem aliquam ex propria sui ratione, sed illum tantū successiuum contactum. 242.2.C.D.
8 Solum addit supra aquam, modum successiuæ applicationis. 243.2.A.
9 Hæc ablutio in aliqua principali parte corporis debet fieri, vt in capite, pectore, humero, vel scapulis. 243.1.D.2.A.
10 In pede fieri poterit in periculo mortis, eo autem ea so, debet conditionatè iterari baptismus. 243.2.
11 Non requiritur minor ablutio in extrema necessitate, quàm extra illam. Ibidem.
12 Ablutio, siue per aspersionem, siue per immersionē, vnam vel trinam, sufficit ad sacramentū. 245.2.B.

Forma Baptismi.

1 *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti* sufficiens & necessaria forma. 250.1.B.C.
2 *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sufficiens, & Græcis legitima. 250.1.D
3 Necesse est in hac forma exprimi actum baptizandi vt exercitum, per verbum, *baptizo*, vel alia synonyma. 250.2.C. 251.2.A.
4 Similiter & personam, cui applicatur, proprio vel demōstratiuo nomine, singulari, vel plurali. 252.1.D
5 Expressa inuocatio trium personarum distinctarum necessaria. 253.1.C.
6 Et quatenus sunt vnum in natura, vt significatur per particulam, *In nomine*. 254.1.D.
7 Non tamen est de eius essentia, vt exprimat personā ministri, etiam in Ecclesia Latina, licèt conformius sit Christi institutioni, illam exprimere. 251.2.B.
8 Baptismus in nomine Dei vel Christi datus, nullus est. 254.1.C.&.2.A.
9 Nunquam Apostoli baptizauerunt *in nomine Christi* etiam speciali dispensatione. 255.2.A.
10 *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*, sufficiens forma. 255.1.D.
11 Omnis forma, in qua expressa inuocatio Trinitatis mutatur in implicitam vel cōsuetam, insufficiens est. 258.1.D.
12 *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque*, probabilis forma, probabilius tamen oppositum, vnde baptismus sub ea datus, sub conditione iterandus. 258.1.C.

Minister Baptismi.

1 Potestas baptizandi absoluta est, non iurisdictionis, & ab eo tempore data, quo sacramentum institutū. 276.1.C.
2 Minister ex officio huius sacramenti Episcopus seu presbyter, qui quidem non pendet ab Episcopo in potestate baptizādi: sed in iurisdictione tantùm. 277.1.C.2.C.
3 Diaconus verò non, nisi ex delegatione Episcopi vel Presbyteri. 277.2.D.
4 Subdiaconus & alij inferioris Ordinis nō nisi ex delegatione Pontificis. 278.1.B.C.2.B.
5 Diaconus, necessitate occurrente, potest solēniter ministrare in absentia sacerdotis. 278.1 B.
9 Priuata ministratio sacramenti facilius potest committi diacono, quàm subdiacono. 278.2.C.
7 Solis pastoribus animarum, & vnicuique suas proprias oues baptizare licet, extra casum necessitatis. 433.1.D.2.A.B.
8 Cum populus vel regnum de nouo conuertitur, debet baptizari à ministro designato ad id munus à Christi Vicario. 434.1.A.B.
9 Aliter faciēs, licèt peccet grauiter, nullam ob id incurrit Ecclesiasticam censuram. 434.1.B.C. 436.2
10 In necessitate quilibet homo, cuiusuis status seu conditionis, dummodò loqui & lauare possit, & habere intentionem baptizandi, potest ministrare baptismum. 255.1.D. 212.1.C. 275.2.B. 434.1.C.
11 Et etiam si necessitas non sit extrema, dūmodo maximæ sit vtilitatis. 275.2.D. 434.1.D.
12 In necessitate, sacerdos Diacono, is Subdiacono, hic inferioribus clericis, hi omnib⁹ laicis, & in vniuersum viri fœminis, in hoc ministerio præferēdi. 434.2.A.B

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ceteris verò paribus, sanctior præferēdus. 435.2.A.B
13 Simplex sacerdos etiam in necessitate baptizans inuito Parocho, qui ministrare potest & vult, grauiter peccat. 434.2.B.C.
14 Similiter laicus baptizans in necessitate in præsentia sacerdotis volentis baptizare. 435.1.A.
Etiam si sacerdos det facultatē. ibid. D. Secus, si baptizare nolit. 435.2.B.
15 Ministri, inferiores sacerdote, non peccant grauiter, peruertendo ordinem inter se in administratione huius sacramenti. 435.2.A.B.
16 In ministerio Baptismi solennis præferre precatorē iusto, cæteris paribus, mortale est, nisi in iurisdictione sint inæquales. 435.2.
17 Infidelem aut hæreticum fideli anteponere, ferè semper est mortale. 435.2.436.1.
18 Qui ex officio non est minister, grauiter peccat, solēniter ministrando, &, si inferior sacerdote sit, manet irregularis. 436.1.C.&.2.D.
19 In qua irregularitate solus Pontifex potest dispensare, quoad suscipiendos nouos Ordines, Episcopus vero ad ministrandum in susceptis. 437.1.C.
20 Baptismus à laico extra necessitatem datus, tenet. 212.1.B.
21 Nec ideò laicus irregularis. 436.1.D.
22 Aliquid in hoc sacramento omittens ex substantialibus grauiter peccat. 437.2.B.C.
2 Similiter ministrando solenniter in peccato mortali 437.2. Secus si priuatè. 220.1.C.
24 Ab Ecclesia interdictus vel excōmunicatus, sine gravi necessitate baptizans, grauiter peccat. 438.1.B.
25 Quod si clericus sit, solenniterque baptizet, irregularis erit, secus si priuatè. Ibidem.
6 Tenetur minister non dare baptismum nisi conuenienter dispositō, talemque dispositionem examinare & quæ hæc sit. 228.1.A. 438.1.C. 296.1.A.
27 Pastores Ecclesiæ ex officio, omnes autem ex charitate, in necessitatis articulo baptizare tenētur. 433.1. Nec excusantur ob periculū propriæ mortis, si infans sit in extrema necessitate. 432.2.
28 Etiam si aliquis intendat baptizare trina mersione, si in prima vel secunda perficiat verba formæ, perficiet tunc sacramentum. 244.1.C.D.
29 Quòd si vsque ad tertiam non dicat verba formę, parulusque anteà decedat, vel habeat periculum decedendi, grauiter peccat. 244.2.432.1.C.
30 Non quælibet acceleratio mortis per applicationem baptismi redddit ministrum irregularem. Ibidem. B
31 Nemo potest se ipsum baptizare. 252.1.D.
32 Plures homines, si omnia requisita adhibeāt, possunt simul baptizare vt integri ministri: nō verò vt partiales. 279.1.A. 281.2.A. 283.
33 Tenetur minister omnes ritus Ecclesiæ seruare in solēni baptismo, per se loquendo & quo grauiorem omiserit, grauiùs peccabit. 438.1.C.D.
34 Qui rebaptizat sub conditione, quando non est moraliter dubius de baptismo priori, grauiter peccat. 438.2.C.D.
35 Similiter & parentes qui offerunt puerum vt rebaptizetur. 439.1.C.
36 Rebaptizans nullam incurrit Ecclesiasticam censuram. 439.2.B.
37 Incurrit tamen ipso facto irregularitatem, si verè, id est, cum intentione, & sine conditione tacita vel expressa, rebaptizet. 439.2.D. 440.1.C. 441.1.A. 441.1.C.D. 441.2.C.
38 Si hæc irregularitas sit publica, Pontifex solus potest in ea dispēsare, si occulta, Episcopus. 441.1.B. ibid. C
39 Sola ignorantia facti vel iuris, quæ excusat rebaptizātem à peccato mortali; excusat ab hac irregularitate, 442.1.B. 442.1.&.2.
40 Qui probabiliter dubitans de Baptismo, rebaptizat sine appositа conditione, nō est irregularis. 442.2.B.
41 Secus, qui ex metu rebaptizat, dummodò veram habeat intentionem. 443.1.A.
42 Propter solam ceremoniarum iterationem non contrahitur irregularitas. 443.1.B.
43 Ministrans Presbytero solenniter rebaptizanti, irregularis. 443.1.D.

Necessitas Baptismi.

1 Necessitate medij, & præcepti, omnibus est baptismus necessarius, etiam his, qui per contritionem sunt iustificati. 65.2.C. 425.2.D. Et magis, quàm pœnitentia. 275.2. ad fin.
2 Aliter ad remissionem originalis, aliter ad infusionē baptismalis characteris necessarius. 80.2.B.
3 Saltem in voto implicito est medium necessarium ad remissionem peccatorum, & ad gratiam & gloriam consequendam. 339.2.A. 341.1.A. 345.1.D.
4 Realis eius susceptio regulariter necessaria ad beatitudinem consequendam. 341.2.D.
5 Et infantibus simpliciter necessaria de lege, & oppositum de aliquo asserere sine expressa reuelatione temerarium. 346.2. 348.1.D.
6 Nequit suppleri per sacramentum legis naturæ, vt poterat circunciſio, & cur. 349.2.
7 Hæc necessitas, & respectu adultorum, & parulorū, non cœpit vsque ad sufficientem promulgationem Euāgelij, post Resurrectionē Christi factā. 351.2.C
8 Non est simpliciter necessarius Baptismus, vt aliquis diuinis obligetur præceptis. 985.1.

Effectus Baptismi.

1 Paruulis confert Baptismus primam gratiam, quam per nullū aliud sacramētū habere possunt. 76.1.C.D
2 Originalem culpam, omneque peccatum ante Baptismum commissum remittit. 330.2.B.
3 Et omnem pœnam proprie dictam, confert gratiam, & dona infusa, tam adultis, quàm pueris. Ibidem. 2. 333.2.D. 334.1.C
4 Et sacramentalem gratiam, quæ consistit in specialibus auxilijs ad exercendum ea, ad quæ Baptismus obligat. 334.2.D.
5 Imprimitque characterem, qui magis accedit ad rationem potentiæ passiuæ. 132.1.C. 478.2.C.
6 Duobus simul baptizantibus, character producitur à Deo vnica tantum actione, ab vtroque verò sacramēto, vt à partiali instrumento. 280.2.B.
7 Per Baptismum illuminari, fœcundari, & Christo incorporari dicimur, & cur. 336.1.A.
8 Quomodo Baptismi proprium sit, ianuam cæli aperire. 337.2.D.
9 Quanuis ante Christi mortem hunc effectum non habuerit, intrinseca sua efficatia nō caruit. 235.2. B.
10 Omnes infantes æqualem gratiam Baptismalem recipiunt. 366.1.C.
11 Quæ licet minima inter baptismales, tamē eam excedit, quę dabatur per sacramentū legis naturæ vel per Circuncisionem, & minimam, quæ cōfertur per pœnitentiam. 367.1.D. 369.1.A.
12 Potest conferre fidem & spem, sine gratia habituali. 369.1.B.
13 Pro qualitate dispositionis augetur, minuitur, aut omnino impeditur effectus eius. 467.2.B. 368.2.A.

14 Effectus per accidens Baptismi qui, & quomodò in habentibus æqualem dispositionem possint esse diuersi. 354.1.A.
15 Redit effectus eius, recedente fictione, simul vel per partes, prout fictio fuerit ablatā. 370.1.A. 371.1.B. 372.1.C. 272.2.D.
16 Tunc tolluntur per accidēs omnia mortalia post Baptismum commissa, venialia verò iuxta dispositionē, per quam tollitur fictio. 375.1.A.
17 Redit in minima intēsione, quā potest habere. 373.2.A.
18 Dici etiam potest dari, iuxta qualitatem actus, quo fictio remouetur. 375.1.B.
19 Vt fictio tollatur, attritio sufficit, dūmodò sumptio sacramenti non fuerit mortale peccatum, tunc enim necessaria est contritio, vel attritio cum sacramento pœnitentiæ. 376.2.D. 380.2.B.C.D. 378.1.B. 379.1.D.
20 Cùm tollitur fictio per sacramentum pœnitentiæ, vtrumque sacramentum per modum vnius agentis integri concurrit ad dandam gratiam. 382.2.B. Quę maior est, quàm si ab vno tantùm daretur. 382.2.B.
21 Cur per Baptismum fomes peccati, & reliquæ huius vitæ pœnalitates nō auferantur. 327.2.D.&.328.1. per totum. 328.1.D.&.2.A.B.C. 331.2.A.

Dispositio ad Baptismum.

1 Nec fides, nec vlla alia dispositio, aut confessio interna vel externa, etiam non sacramentalis, requiritur ad Baptismi valorem. 296.1.B.2.C.D. Necessarius est tamen in adultis voluntarius consensus, saltem præcedens, non retractatus. 394.2. Et quanuis sit inuolūtarius secūdū quid, sufficiet. 296.1.D.2. 95.2.D.
2 Qua dispositione effectus Baptismi recipitur, Baptismus etiam sanctè suscipitur. 296.2.D.
3 Sola voluntas suscipiendi Baptismum sufficienter disponit ad characterem. 357.2.C.
4 Ad gratiam verò habitualē fides requiritur. ibidem.
5 Imò pœnitentia & detestatio prioris vitæ in accedēte cum mortali. 359.1.B Licet in habente tantùm originale, volūtas seruādi legē Christi, quæ alia est à voluntate suscipiendi Baptismum, sufficiat. 359.2.B. 360.1.D.
6 Non requiritur in peccatore contritio, sed cognita attritio sufficit, vera quidem, non existimata. 361.2.A. 362.2. 363.2.
7 Quæ attritio debet esse supernaturalis volūtas & efficax, detestationē prioris vitæ, & propositū emēdæ, ex aliqua ratione supernaturali cōtinēs. 363.1.A.
8 Probabile est, in articulo mortis teneri baptizandū præmittere contritionem. 394.2.
9 Ita quis potest accedere dispositus, vt nec gratiam cō sequatur, nec accedendo peccet, propter ignorātiā. 366.1.B.

Subiectum Baptismi.

1 Paruulis ante vsum rationis solā Christi intentio sufficit, vt capaces sint Baptismi. 304.1.D. 305.2.A.
2 Infantes Christianorum ante vsum rationis baptizare, non tantùm licitum, sed in casu necessitatis, iure diuino, & extra illum, iure Ecclesiastico præceptum est. 307.1.C. 308.1.B.C.2.B.
3 Pro quo tempore obliget hoc præceptū. ibidē. 2.C.
4 Infantes infidelium, qui directè subduntur Ecclesiæ, sine parētum consensu, possunt licitè baptizari, aliàs secus, nisi in extremo mortis periculo, vel si omnino amisit pater patriam potestatem. 311.1.A.
5 Sufficit tamen cuiuscuis parentis consensus, etiam alte 10 renuente, siue vterque infidelis, siue alter tantum. 311.2.B.C. 312.1.A.
6 Filij seruorum infidelium iustè capti, & à parentibus separati, licitè baptizantur, omnino inconsultis parētibus. 314.2.A. 315.1.C.D. 317.1.A.
7 Non tamen tenentur domini, vel eos separare, vel sic separatos baptizare. 320.2.A.
8 Si tamen dominus de facto ante separationem baptizet, probabile est, non peccare contra iustitiam, licèt oppositum securius, & in praxi seruandum. 319.1.C
9 Filij Iudæorum qui inter Christianos versantur non reputantur filij seruorum etiam quoad præsentem materiam. 319.2.B.
10 Sed hi tantùm qui ex patribus iusto bello captis, vel à vero domino pretio emptis, nati sunt. ibidem. C.
11 Nulla autoritate potest impediri adultus à Baptismi susceptione, & tàm ipse quàm Ecclesia habet ius ad se defendendum, à tali impediente. 526.2.C.
12 Baptizādus vel offerens paruulum vt recipiat Baptismum ab eo qui non habet ius dandi, extra casum necessitatis, grauiter peccat, etiam si infidelis sit. 434.1 A. 437.1.D.
13 Et sumendo extra necessitatem ab indigno ministro. 438.1.
14 Et permittendo rebaptizari, etiā ob periculū mortis violentæ. 439.1.B.
15 Rebaptizatus qui ob ignorantiam non excusatur à mortali; irregularis fit, si veram habuit intentionem, aliàs secus. 443.2.A. 444.2.A.B.
16 Si tamen postea sciat, quantunuis consentiat, irregularitatem non incurrit. 444.2.A.
17 Solus Papa in hac irregularitate dispensare potest. 444.1.C.
18 Qui habuit voluntatem Baptismi, quam nec retractauit, si amens fiat, non debet sine vrgente necessitate baptizari, nisi amentia perpetuò duratura præsumatur. 295.1.B.
19 Quā primùm quis potest peccare mortaliter, potest & sine parentum consensu baptizari. 312.1.C.
20 Cum dubitatur an sit rationis capax, & baptizari renuit, non sufficit parentum consensus. ibidem. 2.A.
21 Puer ægrotans debet per aspersionem, modica quantitate aquæ calore temperatæ, in qua parte minùs noceat, baptizari. 432.1.B. 441.1.C.

Præceptum de Baptismo.

1 Est de iure diuino. 425.2.A.
2 Quando impositum. 426.1.D.
3 Omnes homines obligat, imò beatam Virginem Apostolosque comprehendit. 426.1.D.
4 Non obligat paruulos, nec parentes ad eos baptizandos, nisi instante necessitate. 426.2.D.
5 Tenētur tamen fideles ex Ecclesiæ consuetudine & præcepto filios in infantia baptizare. 427.1.
9 Non obligauit diuinū præceptum vniuersum mūdū donec sufficienter Euangelium promulgatum. ibid.
7 Cum primum quis commode potest, tenetur nō multum differre baptismum, seque disponere vt rectè suscipiat. 428.1.D.& 2.D.
8 Nulli adulto potest Ecclesia præcipere vt intra tale tempus baptizetur, licet possit declarare pro quo tēpore præceptum obliget. 430.1.C.
9 Nunquam fuit præceptum determinans tempus baptismi infidelibus adultis. ibid. 2.B.
10 Licèt Ecclesia illud possit determinare Christianorū filijs. 431.1.A.
11 Propter grauem causam differri potest, propter nullam tamen omitti, etiam si immineat periculum violētæ mortis. 431.1.D.&.2.A.B. 432.1.D.&.2.B.D

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ritus & Ceremoniæ Baptismi.

1 Præter baptizantem & baptizatum adhibendus est patrinus vel fideiussor, qui illum de fonte suscipiat. 284.2.B.C.
2 Tenetur susceptor baptizatum instruere in rebus fidei si indigeat. 286.1.B.C.
3 Abbas, vel Monachus, nō possunt hoc munus obire. 285.1.B.C. neque hæreticus, neque olim publici pœnitentes. ibidem.
4 Vnus tātùm & vna admitti possunt, ibid. 286.1. B.
5 Solùm inter patrinū & baptizatū, patremq; & matrē eius oritur impedimētū matrimoniū irritans. 287.1.B. C. 289.1.B. 286.1.D.2.A. & quomodo. ibidem.
6 Maritus & vxor non debent simul hoc munus obire. 286.1.D.
7 Inter patrinum & matrinam nulla spiritualis cognatio contrahitur. 287.1.B.
8 Pater qui vrgente necessitate filium suscipit, velietiā sine illa, nullum impedimentum contrahit cum vxore, debiti petitionem impediēs, licēt peccet si absque necessitate faciat. 287.2.A.
9 Qui in priuato baptismo materialiter tantum tenet baptizatū, hāc cognationē non cōtrahit, secus si animo hāc ceremoniā exercendi. 288.1.B.C. 289.1.A.
10 Hæc ceremonia in priuato Baptismo non est necessaria. ibidem.

Votum Baptismi.

1 Non potest proprie esse nisi in adultis. 347.1.A. 347.2.D.
2 Non est specialis promissio. 426.1.B.
3 Cur necessarium. ibid. 428.2.C.

Dignitas Baptismi.

1 In tribus excedit Circuncisionem, quia ianuam cæli aperit, copiosiorem gratiam, & omnium culparum & pœnarum remissionem largitur. 119.2.C.

Nomina quibus in Scriptura & Patribus vocatur.

1 Lauacrum regenerationis & sigillum. 9.2.A.
2 Signaculum quo consignantur qui sunt de populo Dei. 232.1.A.
3 Dicitur regeneratio hominis, & cur. 231.2.D.
4 Spiritualis Circuncisio. 59.2.D.
5 Custodia dicitur à D. Tho. & D. Damas. 232.1.A.
6 Dicitur, gratia, illuminatio, perfectio, lauacrum, tessera militum Christi, amictus splendens quo consignatur super nos lumen vultus Domini, sigillum fidei, vnctio, principium, & ianua sacramentorum, ex varijs Patrum testimonijs. 232.1.
7 Mare, in quo nostra obruuntur peccata. 234.1.D.

Baptismus sanguinis.

1 Non est sacramentum, imò à sacramento baptismi plusquàm specie differt. 194.1.D. 263.1.B.C.
2 Martyrium eius, qui baptizari non potuit, propriè dicitur Baptismus sanguinis. 263.1.B.
3 Non potest reperiri in iam baptizatis, bene tamē in infantibus, & perpetuo amētibus, quibus sufficit absque Baptismo aquæ. 263.2.B. 385.2.C. 386.2.A.
4 Obtinet in adultis vim Baptismi aquæ. 389.1.D. 390.1.B.
5 Causare potest remissionē peccati originalis & mortalis, & primam gratiam. 390.2.C.
6 Imò semper quasi ex opere operato aliquam gratiam gratū facientē cōfert. 394.2.D. 397.1.A. 397.2.A.
7 Non, quia inster Baptismus sanguinis, debet Baptismus aquæ voluntariè omitti. 387.1.C.D.
8 Quo differat à Baptismo aquæ in dispositione requisita. 394.2.A.B. Vide verbum, Martyrium.

Baptismus flaminis.

Nihil aliud est, quàm interior contritio cum proposito Baptismi aquæ, sed neque analogicè conuenit cum sacramento Baptismi. 263.1.C.D. & 2.A.B.

Basilica.

Vide verbum, Missa vbi celebranda.

Beati.

1 Externo cultu Deum laudabunt. 41.1.A.
2 An sint sacramentorum capaces, Vide, Sacramentum nouæ legis, versiculo, Subiectum.

Buccella panis.

Qualis fuerit, & quando Iudæ data, vide verbum, Iudas.

Bulla.

Ex vi clausulæ, qua per bullam Cruciatæ datur facultas eligēdi cōfessorē, non intelligitur concessa ad accipiēdā Eucharistiā à quolibet sacerdote. 823.2.D.

Calix.

In Scriptura quandoque vas continens vinum, quandoque potum ipsum contentum significat. 466.2.D.

Caro.

Caro Christi in Eucharistia, vide verbum Christus in Eucharistia. 5. Caro.

Catechumeni.

1 Nullum cum Ecclesia pactū ineūt, de suscipiē do Baptismo, ob cuius trāsgressionē puniri possint. 470.1.C
2 Quomodò ipsi & infideles possint Ecclesiæ subdi. 431.1.B.C.
3 Vt indigni Eucharistiam prospicere, ante cōsecrationem exire à Missa iubebantur. 630.1.A.
4 Dabatur illis panis benedictus in Missa, in significationem corporis Christi. ibidem. 6.
5 Bene possunt ante realē susceptionē Baptismi iustificari per contritionē & Baptismi votū. 341.2.C.

Causa efficiens.

1 Quod nō est, etsi immediate antea fuerit, si virtutē aliquā nō reliquit, nequit effectiuè causare. 92.1.A.
2 In ordine ad diuersa posse esse mutuam efficientiam inter aliqua duo, probabile. 647.2. licēt probabilius sit oppositum. ibidem.

Causa formalis & materialis.

1 Quæ non habent intrinsecam repugnantiam, non se expellunt formaliter, etiam per potentiam obedientialem. 72.1.2.A.B.
2 Harum causarum causalitas, in intrinseca compositione ex subiecto & forma cōsistens, nequit suppleri, secus quæ in extrinseco influxu. 796.2.
3 Causa materialis non habet concursum circa formā, nisi quando sibi vnitur. 100.1.B.

Causa instrumentalis.

1 Si res à nouo agente incipiat cōseruari, durāte actione priori, qua simul ab alio agente conseruetur, non repugnat esse instrumentum alterius actionis cōseruatiuæ. 717.1.C.D.

Cœna nox, & mysteria in ea gesta.

1 Tres fuerunt à Christo factæ cœnæ in illa nocte, & quæ 545.1.D. & 2.A.
2 Finita cœna legali, & nondùm inchoata vsuali, & ante Eucharistiæ institutionem, lotio pedum facta. 547.1.C.D.
3 Gratiarum actio & benedictio, quibus Christus vsus est in cœna mystica, & inter se, & à consecratione distinctæ fuere. 828.2.A.C.D.
4 Nec fuit hæc cōmunis benedictio mensæ. 829.1.C.
5 Probabile est ante panis cōsecrationē præcessisse fractionem, ante diuisionem, verò calicis consecrationē præcessisse certum. 756.1.C.D.
6 Consecrauit, Christus simul proferendo verba,

Hoc

Hoc est corpus meum. 838.1.C.
7 Quomodo per illa verba, *Comedite ex eo omnes*, non inuitauerit Iudam ad peccatum indignæ sumptionis. 963.2.D.
8 Probabilius est, Christum se ipsum communicasse & sacramentaliter & spiritualiter manducasse. 1012.1. D. 1075.1.C.2.C.
9 Quando ipse in Emaus fregit panem, probabilius est nō consecrasse, obumbrauit tamen illo facto communionem sub vna specie. 1000.1.C.
10 In vino aqua misto calicem consecrauit. 621.1.A. Et tunc sacrificium obtulit. 1003.1.

Vide verbum, Christus, Eucharistiæ institutio, Azyma.

Ceremonia.

1 Omnem cultum Dei externum certo ritu factū significat. 100.2.C.
2 Non omnes ceremoniæ antiquæ legis sacramenta fuere. 8.1.C.
4 Cur tot ceremonias Deus in veteri lege instituerit. 53.2.C.
4 Ceremoniæ Baptismi, & Confirmationis, & Missæ, vide, verbum, Baptismus, Confirmatio, in versiculis Ceremoniæ & Ritus.

Character.

1 Sine baptismali, non est capacitas ad cætera sacramenta. 81.1.C. 133.2.D.
2 Non solū denominationē signi importat, sed absolutū tali denominationi subsitās. 133.1.C.D.
3 Non est relatio realis vel rationis, neque extrinseca denominatio. 135.1.C. & 2.A. Sed quid reale, ab anima eiusque potentijs, vt res à re, distinctū. 136.1.D.
4 Est supernaturalis qualitas à Deo infusa, & in vltima specie qualitatis. 136.2.B. ad primā speciem pertinens. 141.2.C.D. Non est enim potentia physica passiua, vel actiua. Ostenditur de baptismali. 137.2.A. De sacerdotali. 139.1.D. De Episcopali. 140.2.B.
5 Quodāmodo dici potest moralis potestas. 141.1.D.
6 Nec instrumentaliter, nec dispositiuè potest concurrere ad causandam gratiam. 96.2.D. 109.1.C. Nec ad consecrationem. 871.1.B.C.
7 In nullo genere causæ consequitur fidem. 135.1.A.
8 Quicūq; eius effectus suppleri potest à Deo. 134.1.B
9 Non potest conferri per sacramētū in voto. 87.1.B.
10 In omnibus hominibus recipi potest, imò & de Angelis est probabile. 141.2.B.
11 Nequit esse in corpore, sed in ipsa essentia animæ, nō in intellectu aut volūtate. 143.1.C.2.A. 144.1.A.2.A.
12 Et physicè & moraliter incorruptibilis. 148.1.B.C.
13 Necessario efficitur per sacramentum, etsi sit voluntas non suscipiendi characterem, sed sacramentum tātùm. 148.2.B.
14 In delebilis est in vita, & ita esse post mortem, probabile est. 147.2.A.
15 Vide verbum, Sacramentum, Sacramenta nouæ legis Baptismus, Confirmatio, in. §. effectus.

Caritas.

Quæ caritatis motiua in Eucharistia, Vide, Eucharistiæ institutio.

Chrisma.

1 Tria miracula virtute sancti Chrismatis facta. 151.1.A.B.
2 In nocte cœnæ à Christo confectum. 452.2.D.
3 Quamlibet vnctionem significat, specialiter tamen iam supponit pro materia, qua vngimur in sacramento Confirmationis, quæ ex oleo, balsamoque debet esse confecta. 458.1.D. 459.2. 460.1.B.C.
4 Cum à Sanctis oleum appellatur, totum à maiore parte significatur. 461.2.C.
5 Gratis ab Episcopis dandum. 461.1.A.
6 Facultas conficiēdi chrisma, quo in vertice vngitur baptizatus, potest ab Ecclesia presbytero committi, 466.1.A.
7 Chrisma conficere ad potestatem Ordinis pertinet. 465.2.D.
8 In solis, & omnibus, quantumuis hæreticis & schismaticis, Episcopis hæc potestas residet ex iure diuino, quamuis probabile sit, posse Pontificem eam delegare simplici sacerdoti. 466.1.C.D.2.A.C.D.

CHRISTVS.

1 Solus Christus mereri potuit primam gratiam dandā sine opere eius, cui datur. 533.1.A.
2 Christi merita in omni tempore & lege eiusdem valoris. 118.1.B.
3 Non dicitur in Scriptura baptizare, quia propriis manibus baptizasset, sed quia eius nomine discipuli baptizabant. 234.1.B.
4 Baptizauit B. Virginem manibus suis. 234.2.C.
5 In Christi baptismo, descensu columbæ, cæli apertione, nostri baptismi effectus significatur. 236.1.D.
6 Aquam, quæ miraculosè de eius latere manauit, verā ac naturalem fuisse, de fide est. 602.2.D.
7 Totum sanguinem in passione pro nobis effudit. 741.1.D.
8 Plus sanguinis habet modò, quàm, cùm erat passibilis. 742.1.C.
9 Ad formationem corporis Christi potuit concurrere secunda causa propria virtute. 680.2.A.
10 Ad vnionem verò hypostaticam solùm vt instrumētum Dei. ibidem.
11 Christi passio diuerso modo per sacrificiū, quàm per sacramentum, significatur. 8.2.
12 Quomodo humanitas & passio Christi vt instrumenta coniuncta, gratiam causent per sacramēta vt instrumenta separata. 109.1.D.
13 Verè apparuisse aliquādo post ascēsionē, probabileq; est propriū locū in cælo non deseruisse. 668.1.A.
14 Sacrificiū cruentum Christi, licèt in passione inchoatū, essentialiter mortē requisiuit. 189.1.C.2.C.
15 Licèt in æternum sacerdos sit, vt visibiliter nūc offerat, sacerdotibus vt vicarijs vtitur. 1059.
16 A præsentia locali, vel sacramentali essentialiter non pendet. 657.1.D.1.A.B.
17 Nec est magis essentialis illi actio, qua in cælo conseruatur, quam illa, qua in Eucharistia constituitur. 719.2.A.B.

vide verb. Cœnæ nox.

Christus in Eucharistia.

Præsentia Christi in Eucharistia.

1 Præsentiam corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento, fidei dogma esse, ex traditione Ecclesiæ, & Conciliis ostēditur a. 218.2.C. ad. 229.2.D. Ex promissionibus Eucharistiæ in Scriptura contētis. à. 611.A. ad. 615.1.C. Ex verbis formæ cōsecrationis. 615.1.D. Ex sanctis Patribus, quorū varia testimonia explicantur. à. 620. ad. 626.1. Ex miraculis in fidē huius præsentiæ factis. a. 626.2.D. ad. 627.2.C. Ex antiqua praxi Ecclesiæ, & summa veneratione, qua semper hoc sacramentū tractatū est. 628.2.A.
2 Licèt non possit ratione naturali ostendi, imo neque ab angelo vt possibilis cognosci, potest tamen maxima eius conuenientia ratione naturali ostendi, estq; euidenter credibilis. 630.1.D.2.A. 631.1.D.
3 Incipit, finita cōsecratione, ante omnē vsum. 634.2. A.D. Permanet absque vsu. 635.1.D.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Durat, quandiu sub illis speciebus substantia panis vel vini duraret. ibidem. 2. C. 636. 1. D. & 2. A. B.
5 Aliquid reale est. 636. 1. D. Intrinsecum, præter substantiam corporis Christi, ab ipsa, accidentibusque omnibus, quæ habet in cælo, distincta tanquam modus rei à re. 637. 1. B. C. 1. B. D.
6 Non est modus substantialis. 638. 1. D. Nec relatio prædicamentalis. 639. 2. A. Nec actio Christi circa species, nec passio aliqua. 640. 1. A. B. Nec conuersio panis in Christum, sed hæc via est ad præsentiã. 640. D
7 Sed est modus accidentalis realis, qui ad prædicamentum Vbi reducitur. 640. 2. B. C.
8 Ex hac præsentia & habitudine ad species consurgit esse sacramentale Christi. 643. 1. C.
9 Pendet essentialiter ab existentia naturali corporis Christi, non verò à præsentia naturali. 656. 2. A. B. Est tamen probabile, pendere ab illa in genere causæ efficientis & exemplaris quodammodo. 659. 1. B. 2 C. 661. 1. A. B.
10 Licèt amitteret omnem præsentiam naturalem, probabile est, non amissurum sacramentalem, de facto tamen oppositum est probabilius. 660. 2. B. 661. 1. A.
11 Sine nouo miraculo præsentiæ sacramentales multiplicantur, licèt oppositum probabile. 665. 1. D. 2. A 662. 1. A. B.
12 Non est definitiuè in loco ex vi huius præsentiæ, licèt sit in spatio finito, neque etiam est circũscriptiuè. 663. 1. B. 2. A. B.
13 Præsentiæ sacramentales numero multiplicantur, in diuersis spatijs. 664. 1. A. B.
14 Præsentia naturalis & sacramentalis non possunt simul conuenire Christo naturaliter. 662. 2. A.
15 Potuit habere præsentiam sacramentalẽ & per actionem substantialem, vel accidentalem, immutata manente substantia panis. 679. 1. C. D. & 2. C. 681. 1. D
16 Illa verò mutatio nõesset trãsubstãtiatio. 727. 2. B. C
17 Relatio præsentiæ, quã Christi corpus habet nõ fundatur in conuersione, sed in modo existendi per conuersionem acquisito. 682. 2. D. Vide etiam. 648. 1. C. D. 651. 2. D.
18 Præsentia sacramentalis nõ addit modum supra præsentiã naturalẽ, sed supra existentiam, quæ à naturali præsentia omnino diuersa est. 658. 1. A. B.
19 Sacramentalis compossibilis est cũ alio corpore quãto, secus naturalis. 648. 2. A. B.
20 Per naturalẽ in ordine ad locum extenditur corpus, secus per sacramentalem. 648. 2. B. C.
21 Naturalis ex parte subiecti & spatij diuisibilis, sacramentalis ex parte subiecti tantum. 648. 2. D. 649. 1. A. B. 650. 1. A. 2. per totum.
22 Differunt essentialiter & specificè. 649. 2. A. 650. 2. A. B.
23 Extensio quantitatis in ordine ad locum est præsentia naturalis Christi. 649. 2. C.
24 Præsentia sacramentalis est quædam participatio præsentiæ substantiarum spiritualium, ab illa tamen diuersa. 650. 2. A. B.
25 Supernaturalis est, nec vlli corpori aut quantitati cõnaturalis esse potest. 651. 1. C.
26 Nullo modo cõtinetur sub obiecto sensibili. 777. 2. B
27 Non est propriè præsentia localis, vt hæc supponit pro vbi physico, quodammodo tamen localis dici potest. 651. 1. D. 2. A. B.

Diuinitas, Verbum, & vnio hypostatica in Eucharistia.

1 Natura Diuina speciali modo est in hoc sacramento, licèt per concomitantiam tantum, eamque mediatã nostro modo intelligendi. 753. 2. C. D.
2 Verbum diuinum & vnio hypostatica speciali modo in hoc sacramento. 750. 2. B. C. D.
3 Vtrumque est per concomitantiam, licèt potuerint esse ex vi aliquorum verborum. 751. 2. D.
4 Qua actione ibi constituantur. 753. 1. A.
5 Per communicationem idiomatum. Verbum consecrari dici potest, & panis in Verbum conuerti, sicut & in Christum. 753. 2. B.

Forma substantialis & anima Christi in Eucharistia.

1 Est in hoc sacramento ex vi verborum, non in quantum anima, sed vt constituit corpus organicum humanum. 744. 1. D. 745. 1. B.
2 Quæcunque sit hæc forma, per efficientiam verborũ constituitur in hoc sacramento, secundùm suam rationem specificam. 746. 1. D.
3 A Christi corpore posset anima extra sacramentum separari, in sacramento manens. 756. 1. C. D. Esset tamen nouum miraculum. ibidem.

Corpus & sanguis Christi in Eucharistia.

1 Christi corpus cum speciebus sacramentalibus componit Eucharistiæ sacramentum, ad quas, vel vt materia, vel vt forma potest comparari. 750. 1. B. 751. 2. B. 489. 2. D.
2 Quanuis in se sit quantum, impeditur, ne connaturali & extenso modo existat, sed indiuisibiliter. 653. 2. D. 588. 2. D. 589. 1. A. B.
3 Prout sacramentaliter existit, non pendet à seipso vt existente in cælo. 647. 2. C. D. 658. 1. C.
4 Posset Deus, destructis speciebus, illud immutatum relinquere. 639. 2. B.
5 Sub speciebus panis continetur ex vi verborũ, vt dicit hanc indiuiduam materiam, cum omnibus organicis partibus ad integritatem corporis humani pertinẽtibus. 740. 2. B. D. 741. 1. A. B.
6 Semper est idem numero & specie, quantum est ex parte materiæ, quantitatis, & suppositi, licèt in omni rigore physico alius dici posit ratione formæ, si habeat diuersam. 707. 1. C.
7 Licèt admittatur ex vi verborum constitui subsistens non tamen subsistentia creata aut increata. 750. 2. D. Probabile tamen est ex vi verborum non constitui subsistens. 752. 1. D.
8 Per solam actionem, qua Christi corpus conseruatur in cælo, an possit conseruari præsens in Eucharistia. 715. 2. A.
9 Sanguis Christi, vel spiritus vitales non sunt partes corporis eius prout est in Eucharistia ex vi verborũ. 742. 1. D. 2. A.
10 Ex vi verborum continetur sub speciebus vini non solùm sanguis in passione effusus, sed totus, quem habebat in nocte cœnæ, & qui nũc est in corpore glorioso. 742. 2. A. B.
11 An autem per modum vnius continui, nec ne, vtrũq; est probabile. 742. 1. A.
12 Forma sanguinis solũ ponitur ex vi verborũ sub speciebus vini, vt dat esse sanguinis. 707. B. C. D.
13 Corpus sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis, tantùm per concomitantiã. 742. 1. C. & 2. B. C.

Caro Christi in Eucharistia.

1 Habet præcipuam efficientiam instrumentalem circa Eucharistiæ effectum. 561. 1. A. B.
2 Aliter concurrit in hoc sacramento, quàm in alijs. ibidem. 2. C. D.
3 Ex vi verborum, est sub speciebus panis. 741. 1. A. B.

Substantia & partes Christi in Eucharistia.

1 Tota Christi substãtia, cum omnibus & singulis partibus, etiam ad ornatum pertinentibus, sub hoc sacramento. 736. 2. D. 737. 2. A. B. C.
2 Partes corporis Christi in Eucharistia, quanuis non distent loco, distant quantitate. 656. 1. A.
3 Christi præputium probabilius est poni in sacramento ex vi verborum. 741. 2. A.

Accidentia Christi in Eucharistia.

1 Christus in Eucharistia propriam retinet quantitatẽ, eiusq; effectũ formale primariũ. 652. 1. A. B. 738. 1. D
2 Habetque veram figuram organicam, non localem vel situalem. 615. 1. C. D.
3 Et omnes modos quantitatis, & omnes qualitates, quæ, media quantitate, illi vniuntur. 739. 2. C.
4 Hæc tantùm sunt per concomitantiã, licèt aliter quã alia accidentia magis extrinseca. 749. 1. C. 2. B. C.
5 Nequeunt emittere species, vt videantur. 768. 1. A.
6 Habet etiam Christus omnia accidentia spiritualia. 737. 2. D.

Modus existendi Christi sub speciebus.

1 Pluribus distinctis speciebus per modum vnius consecratis, totus Christus sub singulis manet. 755. 2. C.
2 Et sub singulis partibus hostiæ post consecrationem diuisæ, in quibus panis cõseruaretur. 756. 1. A. 2. B.
3 Sub singulis etiam hostiæ partibus cõtinuis, quantũuis minimis. 757. 2. A. Imo & sub singulis indiuisibilibus. 761. 1. D.
4 Semel est in actu sub tota quantitate specierum, in potentia autem in finities in singulis partibus. 760. 2. A.

Vnio Christi cum speciebus Eucharistiæ.

1 Inter Christũ & species, nulla est formalis vnio physica. 645. 1. B. C. D. 2. B. C. vsq; ad. 645. 1. per totam.
2 Probabile est, dari vnionem per efficientiam mutuã vnius ad alterum. ibidem. 2. A.
3 Ad efficientiam Christi circa species, quæ prior natura est, quàm efficientia specierum in corpus Christi, non præ requiritur præsentia Christi ad species. 644. 2. B. C. D.
4 Non sufficit hæc effectiua vnio, vt se tenet ex parte Christi, vt Christus moueri dicatur, motis speciebus. 646. 1. C. D.

Mutationes Christi sub speciebus Eucharistiæ.

1 Cùm per accidẽs mutatur, propriũ recipit motũ, nõ tantũ denominationẽ extrinsecã. 765. 2. D. 766. 1. A.
2 Potest de potentia absoluta moueri localiter à Deo, non tamen à propria anima, virtute naturali, nec per se nec per accidens, secus si agat, vt instrumentum Verbi. 769. 2 A. B.
3 A nullo agente naturali potest per se primò moueri aut pati. 770. 1. C. 771.
4 Nec inter eius partes heterogeneas dari potest mutua actio virtute naturali, nec augeri, nutriri, minui, corrumpi, aut interfici potest. ibid. 2. A. B. C. D.
5 Per accidens verò moueri potest ab eo, qui sacramentales species mouet. 770. 2. D.
6 Potest de potentia absoluta, in aliquas partes diuidi, & quomodò. 655. 2. B. C.
7 Ex eo, quòd in loco naturali alteretur, nõ patitur mutationem, vbi est sacramentaliter. 673. 2. A.
8 Si in vno loco naturaliter mutaretur, mutarẽtur etiã sacramẽtaliter, non virtute agentis naturalis, sed Dei. 677. 1. C.

Actiones Christi sub speciebus Eucharistiæ.

1 Probabile est, non posse habere actionem transeuntem. 773. 1. A.
2 Nec naturaliter exercere actus sensuum externorum vel internorum, etiam circa se ipsum, bene tamen supernaturaliter. 773. 2. B. 774. 1. B.
3 Quæ per conuersionem ad phantasmata intelligit, ne quit intelligere, nisi, per conuersionem, quam habeat in cælo, secus, quæ per species infusas. 774. 2. B. C. D.

Desitio Christi sub speciebus Eucharistiæ.

1 Non definit sub speciebus per intrinsecam mutationem sui. 783. 2. A.
2 Per hanc mutationem (quæ priuatiua est) nil acquirit, sed solùm amittit præsentiam sacramẽtalem. 784. 1. B. 785. 1. A.
3 Si non esset alibi, quàm in sacramento, cũ species desinerent, cõsentaneũ est rationi, Christũ aliud vbi, iuxta propriũ arbitriũ acquisiturũ. 785. 1. C. D.
4 Christo deferente species, semper succedit alia substantia, in qua subiectentur, quæ nunquã est panis, vel vinum. 785. 2. C. 786. 1. B. & 2. C.
5 Quæ substantiarum successio, non est transubstãtiatio, sed plurium mutationum ex diuina voluntate aggregatio. 787. 1. D. 788. 1. C. D.
6 Non recedit statim, ac species deglutiũtur. 786. 2. C.

Christus in Eucharistia quomodo cognosci possit.

1 Modus, quo Christus existit, nec oculo corporeo videri, nec interno sensu cognosci potest. 775. 2. C. 776. 1. C. Nec ipsum corpus, præcisè hoc modo, etiã de potentia absoluta. 776. 1. B.
2 Christi oculus in sacramento se ipsum videt per concomitantiam. 778. 1. per totam.
3 Nulla cognitio supernaturalis abstractiua, nisi euidens in rectificante, potest haberi de hoc mysterio. 779. 1. B. D.
4 Nec Angelus, neque vlla creatura videre potest naturali virtute hunc præsentiæ modum, nec Christum sub illo. 780. 1. B. 781. 1. B.
5 Est tamen probabile. Angelum & animam separatã videre posse Christi animam in Eucharistia, non viso corpore, nec vnione ad corpus. 781. 2. C. D.
6 Nullus Angelus per speciem infusam, quam habet corporis Christi Domini, cognoscit, quòd in Eucharistia sit, amissa tamen naturali, & præsentia sacramentali conseruata, cognosceret Angelus Christum existere, non vbi existat. 782. 2. B. C.

Prædicata, quæ dicuntur de Christo in Eucharistia.

1 Omnia prædicata, quæ Christo secundũ se cõeniũt, de illo dicuntur, prout in Eucharistia. 648. 1 D.
2 Non verò, quæ modum existendi localiter significãt sed quæ indicant modũ sacramentalẽ. 648. 2. A. Item quæ præsentiam realem, & vnionem, vel præsentiam cum speciebus important. ibid. C.
3 Speciebus circulariter motis, probabile est, Christũ non mutari. 649. 2. C.
Nec dicitur corrumpi, aut in aliam substantiam conuerti, corruptis aut conuersis speciebus. ibid. D.
4 Aduerbia loca, & nomina propinquitatẽ, vel distantiã significantia, de Christo dicuntur. 650. 1. A. B.
5 Christus à se ipso non distat, secus præsentiæ inter se. ibidem. B. C.
6 Mutationes, quæ circa species fiunt, si aliquo modo trãseãt ad Christũ, illi propriè tribuuntur. 649. 1. C.
7 Alioqui vel nullo modo, vel solum metaphoricè. 650. 1. D. Vt frangi, videri, tangi, misceri. 650. 2. B. C. D. & 651. A. B. C.
8 *Hoc album est corpus Christi*, si pro nomen designet subiectum albedinis, est falsa, si contentum sub albedine, vera est. 647. 1. A.
9 Corpus Christi, prout sic, verè dicitur sensibile vel tangibile, quoad proprietates corporis, non quoad modum existendi. 647. 2. B. C.
10 Propositiones significantes successionem terminorum, vel transitum vnius in alium, verè dicuntur de

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo, ratione transubstantiationis. 738. 1. A.
Et declaratur per totam.

Apparitiones Christi in Eucharistia.

1 Negari non potest, plures huiusmodi apparitiones propter varios fines esse factas. 789. 2. D.
2 In apparitionibus factis ad confirmandam fidem præsentiæ, quæ iam præterijt, Christus non manet sub speciebus. 789. 2. B. C.
3 Interdum apparitio fit, per solam potentiæ immutationem, absque falsitate. 790. 2. B. Et tunc non amittit Christus præsentiam suam. 879.
4 Interdum verò apparitio est per realem immutationem specierum, quæ sit tanta sit, vt ad corrumpendum panem sufficeret, amittitur Christi præsentia. 792. 2. A. 793. 1. B. C.
5 Quod apparet non est vera caro aut sanguis, sed figura, & color ipsis speciebus inhærens. 790. 2. D. 791. 1. D. 2. B. C.
6 Et species sic affectæ sæpè diuturno tempore conseruantur, fortè miraculosè. 793. 2. B.
7 Quousque appareant corruptionis signa, vt veræ species Christum continentes venerandæ, posteà vt vestigium tantùm Christi. ibidem.
8 Hæ species, quandiu apparitiones durant, conseruandæ, si verò ad priorem redeant formam, consumi poterunt. 793. 2. C. 794. 1. A.
9 Si mutatio accidat in Missa post consecrationē vtriusque speciei, non tenetur sacerdos in alijs iterum consecrare, potest tamen, & rectè faciet, si consecret. ibidem. 1. B. C.
10 Adoratio harum rerum non sistit in re, quæ apparet, sed per illam transit ad Christi corpus. 792. 1. B.

In triduo Christus sub Eucharistia.

1 Eius corpus capax fuit præsentiæ sacramentalis, quòd si de facto tunc consecraretur, sub speciebus constitueretur mortuum. 660. 1. D. & 2. per totam.
2 Totus sanguis, tā qui effusus in passione, quàm alius, si in corpore remāsisset, poneretur in triduo ex vi verborum sub speciebus vini. 742. 1. A.
3 Quòd si nil sanguinis in corpore remāsisset, nec Christi corpus sub speciebus vini, nec sanguis sub speciebus panis, etiā per concomitantiā poneretur. 742. 2. B. C.

Cultus Christi in Eucharistia.

1 Non minus in Eucharistia venerādus, quàm si in propria videretur specie. 92. 1. 1. B.

Circumcisio.

1 Cur vocetur carnalis. 69. 2. D.
2 Est figura Baptismi. ibidem. C. latiùs. 400. 2. D.

Institutio.

1 Cur instituta, & an propter peccatum originale tollēdum. 62. 1. B. Et quomodo in hoc à baptismo differat. 60. 2.
2 Data plus. 400. annis ante Moysen, & cur. 402. 1. D. 403. 1. C. D.
3 Conuenienter pro solis masculis instituta. ibid. 2. D.

Essentia & effectus.

1 Verum sacramentum antiquæ legis, primò & per se gratiam futurā, consequenter vero præsentem, quæ in eo dabatur, significans. 62. A. B.
2 Etiam si ante legem veterem sit instituta, eius fuit sacramentum. 62. 1. D.
3 Non iteranda, etiam si absque debita intentione fieret. 115. 1. C.
4 Non erat causa physica gratiæ, quæ in ipsa dabatur. 117. 1. B.
5 Nec proprié eam dabat ex opere operato, licèt daretur paruulis, quibus peccatū originale remittebatur. 114. 1. C. 120. 2. D.
6 Adulti non consequebantur maiorem gratiam in circuncisione, quàm per contritionem, quæ illis erat necessaria. 115. 2. B. 116. 1. C. D. & sequen.
7 Idem erat in sacramento legis naturæ, eisdem locis citatis.
8 Circuncisio vt verum sacramentum in remedium originalis, potuit esse in vsu omnium gentium, licèt non se obligarent Iudaicæ legi. 412. 1. B.

Ritus.

1 Cur in ea corporis parte fieret. 408. 1. B.
2 Nō ex præcepto debebat fieri cultro lapideo. 409. 2. B
3 Nec templum, nec alium locum habebat designatū, vt in eo fieret. 411. 2. C. D.
4 Danda erat octauo die, & anteà data, non fuisset sacramentum. 410. 1. A. C. 2. B.
5 Poterat tamen ex iusta causa vltra octauū diem differri. 410. 2. C. 411. 1. B. vt in deserto. ibidem.
Cur octaua dies ad circuncisionem designata. 411. 1. C. 2. B. C.
6 Ritus imponendi nomē in circūcisione. 412. 1. C. D
7 Significatio sacramentalis circuncisionis, nēpe ablatio originalis peccati, optimè cum eius ritu quadrat. 60. 1. A.

Minister.

1 Nullus specialiter designatur in lege, sed poterat esse quandoque vir, quandoque fœmina, imo probabile est, adultū potuisse circūcidere se ipsum. 411. 2. C. D.
2 Infidelis poterat esse minister circūcisionis. 412. 1. A.

Præceptum.

1 Fuisse necessariā ex præcepto adultis, infantibus verò necessitate medij, probabilius est. 61. 2.
2 Cur hoc præceptum non fuerit scriptum à principio. 403. 2. B. Nec pro omnibus gentibus, sed certo populo datum. ibid. C.
3 Hoc præceptum obligauit Abraham ad circunciendum Ismael, An verò teneretur, Ismaele renuēte, incertum. 404. 2. A. 407. 1.
4 Et ad circuncidendos omnes infantes, siue seruos, siue liberos, qui sub eius potestate erant. 406. 1. C.
5 Non verò adultos famulos, vel mercenarios, vel seruos, sine proprio eorum consensu, nec infantes seruos sub cura parentū existentes. ibid. 2. B. C. D.
6 Gentiles, qui ritu Iudaico circuncidebantur, quomodo tenerentur circuncidere filios. 405. 1. A.

Duratio.

1 An post Christi mortalis aliquādo fuerit, & quandiu. 60. 2. D. 352. 1. B.

Cognitio.

1 Ad cognoscendum totum, non sufficit cognoscere partes, nisi adsit species, quæ harum inter se vnionem repræsentet. 781. 1. C. D.

Commemoratio.

Pro viuis & pro defunctis in Missa, Vide verbum, Missa versiculo, Ceremoniæ.

Compositio.

An sit, & qualis, & ex quibus rebus, in sacramentis vide verbum, Sacramentum, & Sacramenta nouæ legis, in. §. Essentia, Materia, & Forma.

Communicatio idiomatum.

Non est inter partes & abstracta. 617. 2. B.

Communio.

1 Variæ huius vocis significationes. 532. 1. B.
2 Communio laica & clericalis quid sint, & in quo distinguantur. 533. 1. A. B.
3 Communio peregrina quid. ibidem. B.

Vide

Vide, Eucharistiæ vsus & sumptio, & verb. Missa. §. Essentia.

Concilium.

1 Concilium generale, sine autoritate Pontificis congregantis & confirmantis, nil potest statuere, vniuersam Ecclesiam obligans. 204. 1. D.
2 Autoritas negatiua Conciliorum quando faciat argumentum probabile. 525. 1. B.

Concomitantia.

1 Quæ adæquata vnione vniuntur, necessariò se se comitantur. 734. 2. C.
2 Quæ realiter sunt vnita, non possunt non se comitari, nisi priuentur vnione. 735. 1. A.
3 Quid sit, aliquid per concomitantiam poni in sacramento, quid ex vi verborum. 740. 2. B.
4 Localis continentia per se sola non sufficit ad concomitantiam. 742. 2. B. C.
5 Quæ concomitanter ponuntur sub aliqua ex speciebus sacramentalibus, per quam actionem constituantur. 707. 2. D. 708. 1. A.

Condensatio.

1 Probabilius est, per condensationem non amitti quā titatem. 648. 1. A.

Conditio.

1 Quæ, & qualis conditio apposita intentioni ministri, destruat sacramentum. Vide verbum, Sactamentum, & Sacramenta nouæ legis, & verb. Eucharistia, & Baptismus, in. §. Minister.

Confessionis sacramentum.

1 Confessionis sacramentum quomodò verbis, & rebus, vt materia & forma constet. 24. 1. D. 1. A.
2 Ex illis verbis Ioannis. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. colligitur materia, & forma huius sacramenti. 2812. A.
3 Ad formam confessionis requiruntur verba in rigore & proprietate. 33. 1. D.
4 Omnibus adultis, qui post baptismū mortaliter peccauere, necessaria est confessio necessitate præcepti & medij. 65. 2. C.
5 Per se primò instituta ad dandam primam gratiam. 76. 1. A. Sed non simpliciter primam. 80. 1. B.
6 Præter hanc autem, credibile est dare specialia auxilia ad derestanda peccata. ibidem.
7 Requirit in ministro iurisdictionem, vt sit sacramentum, secus in alijs sacramentis. 201. 1. A.
8 Qui accedit cum attritione cognita, nō grauiter peccans, nisi sit in articulo mortis. 214. 1. B. C.
9 Ministrare hoc sacramentum in mortali, ex quacunque necessitate, mortale est. 220. 1. C.
10 Tenetur minister diligenter examinare dispositionē accedentis ad sacramentum. 228. 1. C.
11 Peccata ante baptismum commissa non possunt esse materia huius sacramēti. 299. 2. C. 300. 1. A. B. 377. 2. C
12 Confessio non sacramentalis nunquam est homini necessaria, aut præcepta. ibidem.
13 Omnia peccata venialia remittit non ponenti obicē, quantumuis minister aliud intendat. 578. 1.
14 Sigillum confessionis, non solùm respectu aliorum, sed etiā ipsius pœnitētis obligat, & quomodò. 279. 2. A
15 Denegare aliquid extra confessionem ex scientia in confessione comparata, secluso periculo, non est cōtra rationem sigilli. 280. 1. A.
An hoc sacramentum esset in statu innocentiæ. Vide, Status innocentiæ.

Confirmationis sacramentum.

Essentia.

1 Est speciale sacramentum, à reliquis condistinctum. 447. 2. D. Tres definitiones eius. 457. 2. C. D.
2 Est sacramentum viuorum. 480. 2. D.
3 Confirmatio actus Ordinis est, non iurisdictionis. 498. 2. B. C.
4 Cur nō fuerit aliqua eius figura in lege veteri. 63. 1. D
5 Non potest iterari in eodem subiecto. 478. 1. C.

Institutio.

1 A Christo immediatè institutum nocte cœnæ quoad aliqua, & perfectè post resurrectionem, in illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum*, Ioan. 20. 471. 2. C. 472. 1. B.
2 Ad danda specialiora auxilia gratiæ ad fidem profitendam, institutum, & ad consignandum nos militari charactere Christi. 134. 2. A.

Materia.

1 Materia remota & omnino necessaria, est chrisma, ex oleo & balsamo confectum. 456. 1. D. 460. 1. C. Ex Christi institutione. 462. 2.
2 Qui solo oleo vngeretur, iterum cōfirmandus, saltē sub conditione. 461. 1. C. D. 2. C.
3 Balsamum ex India delatum, quanuis forte differret specie à Syriaco, sufficiens materia. 462. 1.
4 Non singulæ partes olei debent esse cū balsamo substantialiter mistæ. 462. 1. A.
5 Chrisma, si omnino amisit balsami fragrantiā, maximè dubia materia. 462. 2. C.
9 Ex iure diuino requiritur materia præconsecrata ab Episcopo, licèt ritus consecrationis ab Ecclesia determinetur. à. 455. 2. B. 456. 1. per totam. 463. 1. C. D. 465. 1. B. Nec refert, quòd Episcopus hæreticus vel schismaticus sit. 466. 2. D.
7 Vnctio Chrismatis est materia proxima huius sacramenti. 467. 1. B.
8 De cuius necessitate est fieri in figuram crucis. 467. Et in ea quantitate, quæ satis sit ad imprimendum crucis signum. 467. 2. D.
9 Et in fronte Confirmati. 468. 2. B. Pollice Episcopi, quod est de necessitate præcepti, & probabile est, esse essentiale. 468. 2. B.
10 Et debet fieri pollice dextro, sed licèt alio fiat, sufficiet. ibidem. B.

Forma.

1 *Signo te signo crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, forma huius sacramenti. 432. 1. D. 2. C.
2 Singula verba, & expressa inuocatio Trinitatis, sunt de essentia formæ. 473. 1. B.
3 Non debet fieri verbis deprecatiuis, sed indicatiuis aut imperatiuis. 474. 1. B. C.
4 Apostoli hac forma vtebantur, quoad substantialem sensum. 473. 1. D.

Effectus.

1 Imprimit characterem realiter & specificè à baptismali distinctum, magisque accedentem ad rationem potētiæ actiuæ, quàm passiuæ. 478. 1. C. 2. B. C.
2 Datur hic character vt militare signum, quo consignamur ad pugnandum pro Christi fide. 134. 1. A.
3 Satis probabile est, maiorem gratiam conferre, quàm baptismum. 481. 2. D. 482. 1. A. B.
4 Propriam sacramentalem gratiam confert, & in quo hæc consistat. 482. 1. D.
5 Quando eam conferat. 482. 2. C.
6 Per se primò non dat primam gratiam, sed auget & roborat. 482.

Dispositio.

1 Ex natura rei prærequiratur prima gratia. 481. 1. B.
2 Et in his, qui non amiserunt baptismalem, hæc sola est sufficiens dispositio. 481. 1. B. C.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Gratiæ effectus per mortale peccatum impeditur, nó verò character. 481.1.C.D.
4 In mortali existens indiget contritione, non confessione, nisi ex consilio. ibidem.
5 Non tamen sufficit attritio cognita, nisi adiungatur confessio. ibidem.
6 Attritio existimata contritio ex ignorantia inuincibili, sufficiens dispositio. ibidem.

Subiectum.

1 Omnis baptizatus, sine vlla ætatũ, sexuum, aut statuũ distinctione, est capax huius sacramenti. 483.2. D. 484.1.D.
2 Expedit tamẽ nó dari ante vsum rationis, regulariter vsque ad septennium. 484.2.C.D.
3 Qui aliquando ratione vsus sunt, nisi probetur, in statu peccati in amentiam incidisse, Confirmandi sunt. 485.1.D.
4 Qui sunt in articulo mortis, Confirmandi sunt, licèt eis non sit simpliciter necessarium. 486.1.A.C.

Minister confirmationis.

1 Quilibet Episcopus, siue hæreticus, siue excommunicatus, sufficiens minister, quod si alienus ouis Confirmet, factum tenet, licèt ipse peccet. 489.2.B. 498.1. C.D. 507.2.B.
2 Solus Episcopus ordinarius minister, imò necessarius necessitate præcepti & sacramenti. ibidem. & 490.1. B.C.1.C.
3 Potest summus Pontifex (non autem alius inferior) ad hoc delegare simplicem sacerdotem. 491.1.A. 493 1 B. 495.1.A.
4 Nec cessat hæc concessio morte Pontificis, nec, causa cessante, si absolute concessa sit, potest tamen reuocari. 496.1 B C.D.

Præceptum.

1 Nullum est obligans per se ad suscipiendam Cõfirmationem. 506.1.B C.
2 Tenentur Episcopi sub mortali ritè celebrare hoc sacramentum aliquoties opportunis temporibus in sua diœcesi. 506.2.C.
3 Grauiter peccat Episcopus Chrismate veteri vtendo sine graui necessitate. 507.2 A.
4 Episcopus, qui bis dat hoc sacramẽtum, grauiter peccat, non tamen manet irregularis, similiter & qui recipit. 507.2.A. 504.1.A.D.

Ceremoniæ.

1 Balsami benedictio conuenienter fit per signum crucis. 501.1.D. Et ibi consequenter de alijs ceremonijs quæ in conficiendo Chrismate seruantur.
2 Chrismatis salutatio, adoratio quædam respectiua. 501.2.C.D.
3 Vbi deest Episcopus, Chrisma aliunde deportandũ. 502.2.A.
4 Nõ est aliquod tempus designatum ad ministrandũ hoc sacramentum. 502.2.C.
5 Imò nec locus, licèt quoad fieri possit in Ecclesia sit ministrandum. 503.1.A.B.
6 Vestibus sacris indutus debet Episcopus ministrare. ibidem.
7 Ex sola decentia, tenẽtur confirmans & confirmatus ieiuni accedere. ibidem.
8 Ligario frontis confirmati vita lineanõ prætermittenda. 503.1.D.2.A.
9 Confirmatus cur cædatur alapa. 485.1.B.C.D.

Conscientia.

1 Habere conscientiã peccati mortalis, est recognoscere hominẽ nondũ sibi peccatũ dimissum. 362.2.B.
2 Accedere ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis sine præmissa confessione, quando & quomodo liceat. Vide verbum Eucharistia. §. Dispositiones.

Consecratio.

1 Licèt fiat à sacerdote hæretico vel degradato, vel quacunque ratione prohibito, valida est. 498.2.C.D.
2 Vt supponit pro transubstantiatiua actione, non est sacramentum, nec pars eius, sed via tantùm ad illud. 556.2.B.
3 Prolatio verborum Consecrationis non est actio conuersiua panis in corpus Christi. 709.1.C.
4 Consecratio sufficiens actio vt possit in ea sola sacrificium consistere. 1082.2.D.
5 In consecratione cuiuslibet speciei seorsum, potuisset essentia sacrificij consistere. 1088.1.A.

Vide verb. Eucharistia. § Forma & §. Efficacia.

Conseruatio, & conseruare.

1 Conseruatio rei & eius productio quãdoque eadem, quandoque diuersa actio est. 109.2. B.C.
2 Conseruari potest aliqua res noua actione absque cessatione prioris, qua conseruabatur. 680.1.A.
3 Vna quæque res, vt conseruetur sine suo naturali modo, indiget maiori influxu causæ agentis. 715.1.A.

Vide verbum Deus.

Constantinus.

1 Romæ à Syluestro baptizatus, & diuinitus à lepra mundatus. à. 354.1.B.C.2.A.

Contactus.

1 Non inuenitur propriè nisi inter res extensas in ordine ad locum. 647.1.A.
2 Quo modo Christus possit contingi in Eucharistia. Vide Christus in Eucharistia. §. Quæ de ipso prædicata dicantur.

Contritio.

1 Contritionis actus pars est materiæ sacramenti Pœnitentiæ. 24.1.D.
2 Non semper est necessaria, vt sacramẽta effectum sortiantur. 76.2.D.
3 Semper est hominibus possibilis cũ diuina gratia. 873.1.D.
4 Ad quæ sacramenta sit dispositio. Vide verbũ Sacramentum, & Sacramenta nouæ legis, & in quolibet sacramento particulari. §. Dispositio.

Conuersio.

1 Transitum vnius rei in aliam significat. 703.2.A.
2 Requirit duas res positiuas, vt terminos à quo, & ad quem. ibidem. B. Vnde necesse est, vt vnus terminus desinat, alter aliquo modo incipiat. 704.1.
3 Conuersiones naturales & supernaturales in modo differunt. 703.2.C.D.
4 Omnis conuersio requirit vt minimum, vnam realẽ actionẽ & duas quasi mutationes partiales. 701.1.A.
5 Si cõuersio substãtialis sit, oportet vt terminus à quo & ad quẽ substãtialiter mutẽtur. 707.2.A. 712.2.B.
6 Necessaria etiã est cõnexio inter vtriusq; termini mutationes, ita vt vna quodãmodo sequatur ex alia. 707.2.A.B.
7 Qui ordo non semper fundatur in formali repugnãtia terminorũ, sed etiam in intentione, vel in limitata via agentis. 726.2.C. 727.1.B.
8 Hi termini tertium aliquod requirũt, circa quod versentur. 707.2.D.
9 Quale hoc sit, in formali, vel in sacramentali conuersione. 708.1.A.B.
10 Dum modò substantia desinat, etsi per actionẽ accidẽtalẽ, substantialis conuersio perfici potest. 717.2.A.
11 Cõuersio formalis vel materialis nec inter res simplices esse potest, neq; inter simplicẽ & cõpositã. 729.1.B
12 For-

12 Formalis conuersio non est nisi inter formas inter se pugnantes & habentes commune subiectum, saltẽ per potentiam obedientialem. 730.1.A.
13 Quælibet res existens sub accidentibus realiter distinctis, & ab illis dependens, potest conuerti in aliam, quæ sub eisdem accidentibus cõstituatur. 730.2.C.
14 Res quæ omnino, etiam quoad accidentia destruitur non potest dici in aliam conuerti. 731.1.B.C.
15 Omnes creatura potest in aliam conuerti aliquo modo. 731.1.B.
16 Deus verò nec potest conuerti in creaturam, nec è cõuerso. ibid.C.
18 Vide verbum Transubstantiatio.

Corpus.

1 Duo corpora quanta nequeunt naturaliter penetrari. 648.2.A.

Vnum corpus, vnica præsentia, vnum locum occupat naturaliter. 661.1.D.

2 Idem corpus simul esse potest in duplici loco distãte, per diuersas præsentias sacramentales vel quantitatiuas. 664.1.B.2.A.
3 Corpora, cùm penetrantur, non amittunt propriam quantitatem, nec localem extensionem. 967.1.C.D.
4 Corpus per omnia mundi loca replicatum non esset vbique. Neque, si esset præsens omnibus spatijs creatis, in infinitum, propterea immensum esset. 668.2.A.
5 Deus potest pluries idem corpus constituere in eodẽ spatio. 669.2.B. Et ponere corpus quantum sub indiuisibili. 761.2.D.
6 Corpus existens in duobus locis, singulis est æquale. 970.1.D. & vtrique simul quoad præsentiã. 671.1.A
7 Debetque necessario habere varietatem in accidentibus importantibus habitudinem ad locum. 671.2.B.
8 Et potest habere in alijs. 671.2.D.
9 Licèt hoc non sit connaturale. 672.1.C.D.
10 Si in vno loco alteretur, non necessario alteratur in alio virtute agentis naturalis. 673.2.A. Quod de alijs mutationibus declaratur, vsque ad. 676.
11 In omnibus autem his mutationibus Deus suppleret effectũ causæ secũdæ, vt fierent in alio loco. 677.1.
12 Corpus mortuum suam etiam partium integritatem exigit. 741.1.C.
13 Idem corpus non potest se ipsum cõtingere. 770.1.A
14 Forma corporis humani organici abstrahit ab anima & à forma cadaueris. 745.1.D.
15 Duplicem habet organizationem secundùm duplicẽ statũ, perfectionis, scilicet, & corruptionis. ibid.
16 Viuum & mortuum in ratione humani corporis vniuocè conueniunt. 747.2.A.

Vide Christi corpus in Eucharistia.

Creatura, creatio, & creare.

1 Emanatio à Deo per modũ creationis non præcedit ordine naturæ in omni forma ante actionem causæ secundæ, nec in omnibus formis creatis includitur depẽdentia à Deo per modum creationis. 102.1.B. D.
2 Creatio pro signo quo præintelligitur termino, non est in aliquo tanquam in subiecto. 719.2.C.
3 Probabilius est creationem substantiæ nõ esse de prædicamento actionis, sed substantialem modum ad substantiæ prædicamentum reductum. ibid.
4 Creatio passiua in ipsa creatura existit. 719.2.A.

Creatura potest assumi vt instrumentum creationis. 864.2.C.D.

Cultus.

Cultus quo fiebat Circuncisio, vide Verbum Circuncisio. Materia & Ritus.

Cultus & colere.

1 Ratio cultus externi Dei, latiùs patet ratione sacramenti, ab eaque longè differt. 40.1.D.
2 Cultus Dei externus, siue à Deo institutus, siue ab Ecclesia vel à priuata persona prudenter introductus, licitus est. 202.1.A.
3 Cultus Christi in Eucharistia. Vide Christus in Eucharistia. §. Christi cultus, vide etiam verbum Adoratio, & verbum Eucharistia. §. Species sacramentales.

Dæmon.

1 Potestas ad expellendos Dæmones. Vide verbum Sacramentalia.

Deus.

1 Sua naturali immensitate est præsens rebus omnibus & spatijs imaginarijs. 661.2.B.
2 Potest eundem effectum per duas totales actiones, numeroque diuersas, simul producere. 681.1.B.
3 Potest rem quam creauit annihilare, & postea alia distincta actione reproducere eandem. ibidem.

Diaconus.

1 An peccet, officium suum in mortali exercendo. Vide sacramentum in communi. §. Minister. Vide etiam Sacramentum nouæ legis, Eucharistia, Baptismus, in §. Minister.

Dies.

1 Dies ceremoniales Hebræorum à vespera vsque ad vesperam incipiunt, & in quolibet duæ vesperæ numerantur. 541.1.A.
2 Dies festi peculiares quibus modis possint institui. 1274.2.C.

Dies Azymorum. Vide Azyma, & Azymorum dies.

Dispositio.

1 Dispositiones manent in instanti generationis, si autem corrumpuntur, non possunt effectiuè concurrere ad generationem. 92.2.A.
2 Dispositio moralis non petit esse in eodem immediato subiecto in quo est forma. 143.2.A.
3 Quæ dispositiones ad sacramentum in genere, & ad quodlibet in particulari. Vide in genere, & in singulis. §. Dispositio.

Distantia.

1 Duplex, alia localis, alia quantitatiua, quidque vtraque sit. 656.1.A.
2 Non attenditur propriè secundùm entitatem sed secundùm locum. 669.1.A.

Distinctio.

1 Præter res inter quas versatur solùm addit negationem. 653.1.B.

Dominus.

1 Suo arbitrio potest separare filium seruum à patre seruo. 314.2.B.C.
2 Imò ex intentione baptizandi filium à patre separatum, patrem vendere potest. 315.2.B. 316.1.

Ebrius.

1 An possit ministrare aut recipere sacramentum. Vide Sacramentum nouæ legis. §. Minister.

Ecclesia.

1 Non accepit à Christo potestatem excellentiæ supra sacramenta, sed ministerialem tantùm. 36.2.D.
2 Specialem potestatem habet in Dæmones. 209.1.C
3 Non potest cogere catechumenos vt tempore ab ipsa præfinito baptizentur. 430.
3 Non potest dispẽsare in his quæ sunt de iure diuino. 574.1.C.
4 Licitè potest priuare aliquem viatico in articulo mortis. 992.1.C.
5 De potestate Ecclesiæ circa varias res. Vide Baptismus. §. Præceptum. Verbo Catechumenus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia vt templum. Vide verbum Missa. §. Vbi celebranda.

Effectus.

1 Idem effectus à duabus causis totalibus simul potest produci supernaturaliter, & duplici actione totali conseruari. 680. 1. B. D.
Effectus sacramentorum in communi, & cuiuslibet in particulari. Vide in genere, & in singulis. Effectus Missæ. Vide verbum Missa. §. Effectus.

Episcopus.

1 Priuati Episcopi possunt ritus & ceremonias pro sua diœcesi instituere. 204. 1. D.
2 In aliena diœcesi absque licentia proprij Episcopi Ordinans, peccat. 212. 1. D.
3 Existens in mortali non peccat mortaliter, corrigêdo subditum. 217. 2. C.
4 Dignitas Episcopi distincta est à dignitate presbyteri 490. 2. B. Vide verbum Sacramentalia, Sacramentũ Confirmationis. §. Materia & Minister, & verbum Missa. §. Vbi celebranda.

Eucharistiæ sacramentum.

Nomen.

1 Eucharistiæ nomen, sacramentum nouę legis sub speciebus panis & vini significat. 512. 2. B.
2 Propria eius significatio & etymologia. 533. 2. B.
3 Propriè pro corpore Christi sub speciebus, interdum pro illis tantũ, vel corpore tantũ, supponit. 563. 2.

Institutio.

1 Quàm expediens in spirituale cibũ animarũ. 512. 2.
2 Non per se ad remissionem originalis vel mortalis, nec ad primã gratiam dandã institutũ. 520. 1. B. C.
3 Non oportuit ante incarnationẽ institui, bene tamẽ ante passionem & eius ingressum. 551. B. C. D.
4 In nocte cœnæ, inchoato vltimo anno vitæ Christi, qui fuit. 34. primo mense lunari. 14. luna ad vltimam vesperã. 1. vel 2. horam noctis institutum. 536. 2. A. B. D. 2. A.
5 Et post lotionem pedũ, finita cœna legali, necdũ incepta vsuali, præsente Iuda, & antequam illi daretur buccella panis, simul sub vtraq; specie institutũ. 547. 1. C. D. 2. D. 548. 2. C. D. 549. 2. B. D.
6 Quàm conuenienter sub reali Christi præsentia instituta, ex collatione cum incarnatione ostenditur. 631. 1. D. 2. A.

Dignitas & cultus.

1 Omnia sacramenta excellit in dignitate. 198. 1. D. 513. 2. 608. 2. A. B. C.
2 Semper illi exhibita adoratio. 928. 2. B. C.
3 Variæ Ecclesiæ consuetudines & sanctiones de tali cultu. 629. 2. per totam.
4 Totum vt ex Christo & speciebus cõstat vnico latriæ actu adorandum. 921. 2. D. quo Christus adoretur, & coadorentur species. 923. 2. B.
5 Externo cultu venerandum, & quali. 922. 2. A. C.
6 Sine conditione adorandum, nisi sit vehemens suspicio hostiam non esse consecratam. 924. 1. & 2. D.
7 Quàm laudabilis consuetudo aliquoties cum pompa deferre Eucharistiam. 921. 2. C.
8 Eucharistiam non irreuerenter tractare omnes tenẽtur præcepto negatiuo, positiuo verò, aliquem honorẽ exhibere, & quando obliget. 913. 1. A. B. C.
9 Huius præcepti affirmatiui transgressio, secluso contemptu, non est mortale, imò interdum posset nulla esse culpa, ibidem. 2. A.

Essentia & partes integrantes.

1 Verũ sacramentum vnumque vnitate specifica vltima, & à reliquis distinctũ. 513. 1. B. D. 514. 2. B. C.
2 Quam rectè congruant species panis & vini, earũq; distinctio ad significationem sacramentalem Eucharistiæ. 514. 2. D. 515. 1. B. C. 567. 1. C. Et quam analogiam habeat ad corporalem cibum. 511. 1. B.
3 Totalis significatio Eucharistiæ distincta à significationibus partium, licèt ex illis composita. 516. 1. C. D.
4 Vnitas numerica Eucharistiæ ex physica vnione specierum, non obstante diuersitate formarum consecrationis, sumenda. 516. 1. 2. B. 517. 2. B.
5 Nec solum corpus & sanguis Christi, nec verba consecrationis sunt integrè hoc sacramentũ, sicut nec species consecratæ, quanuis eius essentiã intrent, sed compositũ ex his & Christi corpore. 555. 1. B. C. D. 2. D. 556. 2. B. 559. 1. D.
6 Sumptio Eucharistiæ, nec est Eucharistia, nec pars eius. 562. 1. D.
7 Tres definitiones Eucharistiæ. 563. 1. D.
8 Quid in hoc sacramento, res tantum, sacramentum tantum, res & sacramentum simul. 563. 2. B. C.
9 Est signum plenum, rem quam significat in se continens. 623. 2. C. D. 624. 2. A.

Materia Eucharistiæ.

1 Non est quoad maximum terminata. 565. 2. C. D.
2 Panis & vinum materia simpliciter necessaria ad cõficiendum corpus & sanguinem Christi. 566. 2. C.
3 Vna prius alia consecratur, licèt nullus ordo concomitantiæ, aut præcedentiæ inter earum cõsecrationes sit de essentia, licèt sit de præcepto iuris diuini, quo vna cum alia, & panis prius consecrari iubetur. 567. 2. C. D. 568. 1. 2. C. D. 570. 1. 570. 2. A.
4 Vnde de illo præcepto constet. 574. 2. B.
5 Non solum ob physicam impotentiã, sed etiã ob moralem, post vnius speciei consecrationẽ subortã, potest omitti alteri? speciei cõsecratio. 572. 1. C. D. 573. 2. C
6 Probabile est Papam propter communẽ causam posse dispensare, probabilius tamẽ oppositum & propter particularem certum, sicut nec interpretando declarare aliquando licere. 573. 1. D. 574. 2. A.
7 Necessaria est sensibilis præsentia materiæ respectu ministri. 575. 1. D. practicè & moraliter. 577. 1. D.
8 Et aliquo modo esse coram illo. 576. 1. D. & sequẽt.
9 Non est necesse vt tangi possit. ibidem. 2. D.
10 Debet materia in particulari definiri ex intentione consecrantis, quam nec in Deum nec in alium potest remittere. 576.
11 Massa nondum cocta, aut fermentum coctum, aut panis ex leguminibus factus, non sunt sufficiens materia hui? sacramẽti. 31. 1. B. 590. 2. D. 684. 2. D. 588. 2. C
12 Solus panis triticeus sufficit. 585. 1. D. Non verò ex alio grano, seu frumẽto, 586. 1. C. & seq. de siligine, & Alicastro, 586. 1. D. De Spelta, & alijs ibi, & 589. 2. A
13 Tam azymus quàm fermentatus sufficit vbique, & quanuis azymi conuenientior vsus, vnusquisque tenetur in hoc suæ Ecclesiæ consuetudinem seruare. 591. 1. A. 590. 1. D. 591. 1. C. D. Vide verbum Græcus & Græca Ecclesia.
14 Hic panis tantùm ex farina triticea & aqua naturali coagmentandus & solo igne coquendus. 588. 1. C. D. 2. B. & sequent.
15 Potest in illi? cõfectione misceri nõnihil salis. 586. 1. D
16 Alterius verò rei, farinæ, aut liquoris mistio illicita est, si tamen sit in parua quantitate, nõ irritat materiã. 387. 2. A. 589. 1. D.
17 Panis malè coctus & digito quasi in massam redactus sufficiens materia, sed indecens, ibid. D.
18 Sufficit etiam panis coctus, licet præ duritie nequeat comedi. 598. 2. A.
19 Vinum vitis necessaria materia. 596. 1. B. C.
20 Agresta, sapa, vinum coctum, vel quomodolibet ita permistũ, vt propriam amittat speciem non est materia. 596. 2. 597. 2. B.
21 Nec acetum, secus vinum acescens, licet grauiter peccet in eo conficiens. ibidem. Idem est de musto. 697. 1. B.
22 Vinum consecratum si congeletur retinet consecrationem. 597. 2. B.
23 Congelatum si liquefiat sufficiens materia consecrationis, imo & licita, quanuis consultius in ea non cõsecrare. 598. 1. D. 2. A.
24 Si sacerdos putãs se habere vnã hostiã cõsecret, & postea inueniat duas, ambæ manebũt cõsecratæ. 578. 2. C
25 Imo si plures attulerit intentione consecrandi, quarũ posteà in actuali cõsecratione fuit oblitus. 578. 1. C.
26 Sacerdos cõsecrans dimidiã partẽ hostiæ, si illã designat, verè cõsecrat, licet grauiter peccet. 578. 2. A. B. Secus si per partes proportionales velit conficere. ibidem. 2. C.
27 Panis non potest consecrari, nisi in parte sensibus perceptibili. 579. 1. B. 2. A.
28 Materia quæ ex vi formæ consecrari potest, non habet terminum magnitudinis. 580. 2. A.
29 Solũ quæ potest fieri simul moraliter præsens, potest vnica consecratione consecrari. 581. 1. A.
30 Partes materiæ consecratæ continuari possunt non consecratis. 579. 2. C.
31 Vinum consecratum si misceatur non consecrato tan diu permanebit consecratum, quandiu potuisset conseruari non consecratum. 580. 1. A.
32 Mistio aquæ in vino, solum necessitate præcepti Ecclesiastici necessaria est. 599. 1. C. 600. 1. A. 600. 1. C. 2. A.
33 Hoc præceptũ à tẽpore Apostolorũ manauit, licet Alexander Primus, prior scriptũ tradiderit. ibidem.
34 Sine dispensatione in nulla necessitate potest omitti. ibidem.
35 Dispensatio vero moraliter vix potest accidere, licet simpliciter non sit impossibilis. ibid.
36 Aqua miscenda naturalis, & in minore quãtitate, quã vinum. 601. 1. C. 602. 1. A. B.
37 Qui vero misceret paruam quantitatem aquæ nõ naturalis simul cum naturali, licet sacramentum conficeret, peccaret grauiter. 601. 1. D.
38 Sacrificij tempore, & ante calicis consecrationẽ miscenda. 602. 1. D. 2. A.
39 In missę initio vel post Euangelium ex consuetudine ptopriæ Ecclesiæ, ibidem. 2. A. Quod si tunc ob negligentiam omittatur, statim adhibenda, dummodo nõ sit facta consecratio ibidem.
40 Aqua quæ miscetur an in Christi sanginem conuertatur, & quo modo. 603. 1. D. & sequẽt. vsque ad 606.
41 Licet aqua non transeat in vinum, dicitur vinum mistum ratione qualitatum aquæ. 217. 1. A.

Forma Eucharistiæ.

1 Verba consecrationis sunt forma huius sacramenti, & quomodo. 558. 1. C. D. 2. A. B. C.
2 Si ponantur esse forma Eucharistiæ vt sacrificiũ probabile est nõ esse nisi extrinsecã formã eius, vt sacramentum est. 557. 1. D. 2. A. B. 558. 1. C.
3 Determinata verba, quibus Christus cõsecrauit sunt forma huius sacramenti. 830. 2. C. 831. 1. B. 2. A.
4 Non alia verba, aut orationes, seu precationes Missæ. 832. 1.
5 Cur non deprecatiua. 833. 1. C. D.
6 Meli? in facto esse, quã in fieri, significatur. 844. 2. B
7 Solum hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sunt de necessitate formę, licet alia sint ex præcepto necessaria. 844. 2. C. D. 845. 2. B. C. 846. 1. B. D. & 2. B. D. Idem est de particula *enim*. 846. 2. D. 847. 1. A. B.
8 Verba formæ dicuntur à sacerdote formaliter & significatiuè 834. 2. C. 835. 1. A. & in persona Christi. 825. 1. B. C. D.
9 Hæc formalis significatio, simpliciter necessaria ad consecrationem, secus recitatio. ibidem. 2. A. B.
10 Qui ex errore ea materialiter proferre intenderet, ad hue consecraret ex intentione virtuali faciendi, quæ Christus fecit, ibidem. 2. D.
11 Prædicta propositio, cum operatiua sit, non potuit ante instans, quo terminata est habere veritatem, habuit tamen prò illo. 838. 2. A.
12 Non causat quia vera, sed vt vera sit, vnde prius natura significat, quam efficiat, licet non prius natura sit vera. 840. 1. B. 838. 2. D. 839. 1. A.
13 Verba formę virtute sua & physicè, efficiunt conuersionem & consecrationem, & corpus Christi in hoc sacramento. 864. 1. C. 2. A.
14 Per illam actionem realem qua accidentia per se constituunt, expellunt effectiuæ substantiam panis. 865. 2. A. B. 866. 1. B. C.
15 Eorum efficientia limitata ad ea tantum, quę Christus habet in propria specie. 746. 2. D. Et ad modũ ex institutione definitum. 660. 1. B. 688. 1. C.
16 Hæc virtus effectiua formaliter est in verbis, radicaliter residet in ministro. 871. 1. D. 1. A.
17 Vt sint efficacia, debent proferri à sacerdote consecrato & rite Ordinato & non ab alio, etiam in quauis necessitate. 867. 1. 1. A.
18 Non vero requiritur, quod sanctus sit aut fidelis, sed quod debitam intentionem habeat. 868. 1. A. B.
19 Aliud est constituì in sacramento ex vi verborũ aliud per efficientiam verborum. 746. 2. B.
20 Quid pronomen, *Hoc*, in forma designet, tractatur latè. 840. 2. B. C. 840. 2. D. vsque ad. 882. 1. B.
21 Mutatio pronominis, *Hoc*, in, *illud*, vel in aduerbium *Hic*, substantialis, secus, si in, *istud*, vel in *Hic*, pronomẽ quod etiam de ecce probabile est. 348. 1. A. C. D.
22 Quam commode verbum, *Est*, positum sit. 848. 1. D. 2. per totam.
13 Mutare verbum, *Est*, in quodlibet aliud verbum, grue peccatum, imo probabile est. formam substantialiter mutari. 848. 2. C. & vbi de alijs dictionibus eiusdẽ formæ, & mutationibus earum, vsque ad. 849.
24 Cur Christus Dominus posuerit in forma, ly, *Corpus* non generalius nomen. 849. 1. B.
25 Verba formæ virtualiter, & quasi in actu exercito, significant conuersionem. 848. 2. C.
26 Sola hęc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sunt de essentia alia verò solum ex præcepto necessaria. 856. 2. D. 2. A. 857. 1. C. 852. 1. C.
27 Sequentia verba. *Qui pro vobis. &c.* non sunt de substãtia sacramenti. 855. 2. D.
28 De pronomine, *Hic*, & *Mei*, idem iudicium, quod de *Hoc*, & *Meum*, in forma corporis. 857. 2. B.
29 Hæc omnia verba Christus protulit in consecratione calicis. 858. 2. B.
30 Quam conuenienter ab Ecclesia posita. ibidem. C. Cur magis hac forma, quam Marci & Matthæi vsa sit 857. 2. B. C.
31 Mutationes horum verborum, licet accidentales sint non fiunt sine grani peccato. 857. 1. A. 858. 1. B. D.
32 Cum dictio, *Calix*, sumatur pro contento, ly, *contentũ* non supponit pro vino, sed pro sanguine. 857. 2. D.
Accipite & manducate hoc est enim corpus meum. Latè ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 Obligat omnes homines adultos. 984. 2. D. Non vero infantes, aut amentes perpetuos. 985. 1. A. 2. A.
6 Obligat in articulo mortis, siue ante cõmunicauerit homo, siue non. 988. 1. B.
7 Extra periculum mortis obligat aliquoties in vita. 989. 1. C.
8 Non obligat pro determinato tempore, sed ne nimiũ differatur. 989. 2. C.
9 Nunquam oritur ex obseruantia aliorum præceptorũ hęc obligatio. 990. 1. D. 2. A. B. C. D. 991. 1. per totã.
10 Soli fideles baptizati adulti, tenẽtur Ecclesiastico præcepto communicandi. 994. 2. A.
11 Nec ante decimum annũ obligantur nec excusantur post decimũ quartũ regulariter loquendo. ibid. 2. D.
12 In articulo mortis debet dari cuicunque rationis & peccati capaci. 995. 1. C. D.
13 Semel in anno tempore que Paschatis sumendum hoc sacramentum de manu parochi, vel alterius cum eius facultate. 995. 1. C. D. 996. 1. A. D.
14 Qui in Paschate non communicauit, tenetur quãprimum possit implere præceptum. 997. 1. B.
15 Nõ obligat ad anticipandã cõmunionem. 998. 2. C.
16 Indigne cõmunicãs præcepto satisfacit. 999. 2. A. B.
17 Qua pœna transgressores huius præcepti puniendi. 100. 1. A. B. C.
18 Diuino iure cõmunio sub vtraq; specie laicis non prohibita. 1001. 1. D. Neq; sub alterutra seorsim. 1002. 1. C. 1004. 2. B.
19 Non est præceptũ diuinum obligans laicos ad communicandum sub vtraque specie, nec sub altera definitẽ. 1005. 2. B. 1008. 1. C.
20 Potuit Ecclesia laicis prohibere calicis vsum, meritoque id fecit. 1009. 1. D. 2. A. 1010. 1. D.
21 Potest in hoc dispensari, & quando. 1010. 2. A.

Species sacramentales Eucharistiæ.

1 Vt instrumentum influunt in effectum sacramenti. 561. 1. D.
2 Non existunt, aut subsistunt existentia aut subsistentia Verbi. 643. 2. A.
3 Modus quo per se existunt, non potest esse vnio cum corpore Christi. 644. 1. A.
4 Nullo intrinseco modo accidentali vniuntur corpori Christi. 645. 2. D. Sed effectiue solum. 645. 2. C.
5 Nullã corpori Christi imprimũt qualitatẽ. 647. 2. D.
6 Prædicata propria corporis Christi, vel substantiæ panis valde metaphorice de speciebus dicuntur. 647. 2. B. C. D.
7 Seorsus denominationes quæ mutuas Christi & speciẽ actiones consequuntur. ibid. C. D.
8 Ita dici possunt extrinsecus locus corporis Christi, sicut dicitur locus Angeli corpus, cui applicat operationem. 648. 1. A.
9 Repugnat, subsistere subsistentia panis præexistẽtis. 691. 2. C. D.
10 Nullum habẽt subiectum. 796. 1. A. B. C.
11 Certum est, aliqua accidentia panis, & vini manere eadem numero in Eucharistia, secundum essentiã & existentiam. 799. 1. B. C. D.
12 Manent omnia, quæ per se possunt sensibus obijci. 220. 2. B.
13 Et quæ sunt realiter distincta à substantia, non vero modi ex natura rei tantum distincti. 800. 1. C. 2. D.
14 Quantitas cum separatur, priuatur modo positiuo & reali vnionis ad subiectum. 802. 2. B.
15 Probabile est recipere modum positiuum, quo per se existat, non vero entitatem distinctam. ibid. 2. D.
16 Conseruatur per nouam actionem. 805. 1. A.
17 Quæ actio est modus accidentalis quantitatis, illam vt terminum tantum respiciens. ibid. 1. C. D.
18 Cæteræ qualitates post consecrationẽ inhærent quãtitati. 805. 2. C. Eadem inhærntia, qua ante. 806. 1. D. Vnde non mutantur nisi quæ pendebant effectiuè à forma panis. 806. 2. D. 807. 1. A.
19 De potentia absoluta posset Deus has qualitates, sine proximo subiecto conseruare. ibid. A.
20 Omnem intentionalem actionem & naturalem, quam anteà, efficere possunt. 815. 2. B. C. 816. 1.
21 In qua virtute attingat productionem formæ substãtialis. 816. 1. D. 2. A.
22 Cum qualitates remissæ in vino reducuntur se ad pristinum statum. Deus supplet efficientiam substantialis formæ. ibid. 2. C. D.
23 Loco moueri ab agente naturali alterari, augeri & diminui possunt. 817. 1. B. C.
24 Quantitas Eucharistiæ, nec per se, nec per accidens, Ad corruptionem specierum corrumpitur. 818. 1. D.
25 Necessaria est materia prima vt noua generatio fiat. 818. 2. B.
26 Vnde prius naturà supponitur. 819. 2. D. Et fit à Deo, immediatè licet probabile sit, Christi humanitatem concurrere vt instrumentum. 820. 1. C.
27 Quæ aliæ actiones ibi intercedant, & quo modo. 821. 1. A. C. D.
28 Permistionem specierum vini cum alio liquore non desinit ibi esse sanguis Christi, donec species corrumpantur. 821. 2. D. 822. 1. A.
29 Si in mistione prædominentur species sacramentales, alter liquor in vinum, non in sanguinem Christi, conuertetur. 822. 1. C. D.
30 Si misceantur vino non consecrato, semper manet sub eis sangis. ibid. D.
31 Hoc vinum separandum, & ad sacros vsus seruandũ. 823. 1. A.
32 Vtraque simul species perfectius significat ex parte modi, non vero ex parte rei significatæ.

Figuræ Eucharistiæ.

1 Oblatio Melchisedech, panis propositionis, panis primitiarum, & subcinericius Eliæ, imo & quinq; panes, quibus Christus saciauit hominũ multitudinẽ, figuræ Eucharistiæ, quoad sacramentum tantũ. 553. 1. B. C.
2 Illius vero, quod est res tantum, Manna, Lignum vitæ, Mel, quo aperti oculi Ionathæ. 553. 1. C. D.
3 Aliæ figuræ sanguinis Christi. 553. 1. D. 2. C. Vide Agnus Paschalis.

Nomina, quibus vocatur in Scriptura & Sanctis.

1 Vocatur panis vitæ, & cur hoc, & similia nomina habeat. 531. 2. D. 687. 1. A.
2 An dicenda cœna Dominica. 531. 2. D. 532. 1. A. B. C. Cur Vocetur communio. 532. 1. C. D. Metalepsis. 533. 1. C. D. Viaticum. ibidem. B. Eucharistia. ibid. C.
3 Varia nomina illi propter suum effectum à Sanctis data. 542. 543. 2. A.
4 Plura alia ex Sanctorum testimonijs. 622. 2. C.
5 Dici potest testamentum, & quo sensu. 1065. 2. B. C

Errores circa Eucharistiam.

1 Hæretici omnino negãtes hoc sacramẽtũ. 512. 2. B. C
2 Qui illud simpliciter & absolute necessarium dicant. 135. 1. A.
3 Varij errores circa materiam huius sacramenti. 566. 1. B.
4 Alij circa Christi præsentiam. 609. per totam.
5 Qui asserans manere simul in Eucharistia substantiam panis cũ corpore Christi. 683. per totam.
6 Eucharistiæ sacrificium. Vide verb. Missa.

Excom-

Excommunicatus.

1 Sumendo Eucharistiam vnico tantum peccato peccat aggrauatur tamen ex illa circunstantia, quam teuetur in confessione exponere. 935. 1. C.
2 Vide verbum Eucharistia, Baptismus, Confirmatio, Sacramentum in communi. Sacramenta nouæ legis. §. Minister.

Extrema vnctio.

1 Cur nulla eius figura in lege veteri. 63. 1. D.
2 Licet vtilis, non tamen necessaria necessitate medij, aut præcepti. 65. 2. C.
3 Non datur sine voluntate suscipientis, saltem vitali, vel habituali. 189. 1. D.
4 ad Eucharistiam ordinatur, & quo modo. 198. 2. B.
5 Licèt à sacerdote degradato vel heretico ministretur verum est sacramentum. 490. 2. C. D.
6 Donec omnes partiales formę & materiæ absoluãtur nullum effectum confert, etiam partialem. 568. 1. A.
7 Effectus Extremæ vnctionis quis sit. 79. 2. B.
7 Sanitas corporis non est infallibilis effectus huius sacramenti, nisi id magis expediat infirmo. 527. 2. C.
9 Habet effectum recedente fictione. 383. 2. B.

Far.

1 Variæ eius acceptiones apud autores. 587. 1. B. An sit materia Eucharistiæ. vide Eucharistia. . Materia.

Farina.

1 Farinæ eandem diuersitatem specificam retinent, quã habent res, ex quibus fiunt. 587. 2. D.

Fides.

1 Species rerum fidei non infunduntur cũ fide. 43. 2. A
2 Non solum fides, sed fidei professio hominibus necessaria ad salutem. 50. 2. C.
3 Eides parentum non est ad paruulorum iustificationẽ necessaria. 74. 1. C.
4 Inculpabiliter existimans se habere fidem, excusabitur à peccato infidelitatis, non tamen sine ipsa in re habita iustificabitur. 3 4. 1. C.
5 Fides non potest haberi in voto. ibidem.
6 Non pendet à gratia habituali in prima infusione, sicut nec in conseruatione. 369. 2. A.
7 Habitus fidei regulariter infunditur Catechumeno ante baptismum ibidem. C.

Filius.

1 Quid sit, & quotuplex possit esse in Baptismo. 355. 2 D. 356. 1. D.
2 Tantum habet locum in adultis. 356. 1. B.
3 Vide Baptismus, & cætera Sacramenta. §. Effectus.

Figura.

1 Figuræ Christi in Eucharistia, vide Christus in Eucharistia. §. Accidentia.
2 Figura corporis humani quanti, duplex, organica & situalis, quidque vtraque sit. 654. 1. D.
3 Situalis figura motu locali mutatur, secus organica ibidem. 2. A.

Fœmina.

1 Fœminæ Iudeæ remedio ad salutem non caruerunt, Circuncisionis loco. 48. 2. D. An possint Missæ ministrare. Vide Missa. §. Missæ ministrans.

Forma substantialis, & accidentalis.

1 Forma accidentalis non prius creatur & posterius vnitur. 100. 1. A. B. 101. 1. B.
2 Forma pendens à materia, eadem actione qua fit, vnitur. 105. 2. A. Et similiter conseruatur. 99. 1. B.
3 Non implicat eandem formam simul creari & educi de potentia materiæ. 101. 2. C.
4 Repugnantia inter formas substantiales, formalis est, non effectiua. 975. 2. D.

Formæ sacramentorum.

Vide Sacramentum, Sacramenta nouæ legis, & singula sacramenta. §. Forma.

Fractio.

1 Diuisionem & discontinuationem partium essentialiter importat. 656. 2. C.
Vide verbum. Cœnæ nox, & Missa. §. Essentia, &. §. Missæ ritus.

Frumentum.

1 Hæc vox licet per antonomasiam triticum significet comprehendi tamen generaliter omnia semina, quæ falce metuntur. 584. 2. C. 585. 2. C. D.
Vide verbum Eucharistia. §. Materia.

Gratia.

1 Gratia ex opere operato, & ex opere operantis, quæ. 73. 2. C. D.
2 Inter hos modos causandi gratiam potest dari mediũ. 121. 1. C.
3 Sacramentales gratiæ quomodo differant à gratia virtutum & donorum. 79. 2. B. 902. 1. D.
4 Quodlibet auxilium gratiæ sacramentalis potest dari Extra sacramentum. 80. 1.
5 Gratia non creatur, aut concreatur, sed ex potentia obediẽtiali animæ educitur. 99. 2. B. 100. 1. A. 103. 1. C.
6 Nulla qualitas naturalis est dispositio requisita ad gratiam. 96. 1. C.
7 Dilectio Dei super omnia supernaturalis, etiam vt precisa à formali dolore, potest sufficienter disponere ad gratiam. 391. 2. C.
8 Gratia actualis in actib⁹ nostris liberis cõsistit. 611. 1. A
9 Gratia licet in instanti producatur, potest tamẽ successiuè augeri. 897. 1. B.
10 Sæpe solet in sacra Scriptura aquæ nomine significari adducuntur Patres, qui iuxta hanc metaphoram optima sacræ Scripturæ loca explicant. 140. 2. B.
11 Primo gratia quibus, & per quæ sacramenta conferatur, & qualis. Vide sacramentum nouæ legis. §. Institutio, & Effectus, & in singulis sacramentis. §. Effectus.

Græcus, & Græca Ecclesia.

1 Græci qui ad obedientiam Ecclesiæ redeunt, non iterum baptizantur. 250. 2. A.
2 Non ideo Græci fuerunt schismatici, quia in fermento cõsecrant. 491. 1. A. B.
3 Debent cõsecrare in fermẽtato in tẽplis suis. 591. 2. B
4 Quando & quo modo liceat sacerdoti Græco peregrinanti in Ecclesia latina, & ei, qui domicilium omnino mutauit, cõsecrare in fermẽtato. 591. 2. D. 592. 1. A. D
5 Posset in propria Ecclesia cõsecrare in azymo, ex gravi necessitate, non vero Latinus in fermentato. 592. 2. B. C.
6 Græci miscent vino aquam in consecratione calicis, secus Armeni. 599. 1. B. C.
7 Fuisse apud Græcos consuetudinem non consecrandi in quadragesima, nisi Dominicis diebus & sabbathis non satis ex Laodicẽsi cõcilio colligitur. 1081. 2. B. C

Habitus.

1 Habitus ex specie sua indifferentes probabile est dari in voluntate. 128. 2. A.
2 Habitus intellectus bene & male moraliter vti possumus, non vero physice & in esse naturæ. 128. 2. B.

Hæretici.

1 Censuras ipso iure latas nõ incurrit, qui fidẽ animo retinens, hæresim exterius profiteturr. 441. 2. A.
2 An possint hæretici ministrare, vel recipere sacramenta. Vide sacramentum, sacramenta nouæ legis, & singula quæque sacramenta. §. Minister, & subiectum.

Hoc.

1 Pro varietate rerum quibus applicatur, varia significat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cat. 686. 1. C. Quid significet, & pro quo supponat in verbis consecrationis. vide Eucharistia. §. forma.

Homo.

1 Idem affectus est in homine ad res corporales, in pura atque in lapsu natura. 38. 2. C.
2 Plures homines saluandos, quàm Angeli ceciderint, probabilius, in quibus, & maior & minor gloria erit, quàm fuit in Angelis. 367. 1. A. B.

Hostia.

Vide verbum Eucharistia. §. Species sacramentales, & verbum Missa. §. Missæ ritus.

Humilitas.

1 Quæ humilitas motiua in Eucharistia. Vide Eucharistia. §. Institutio.

Hypostasis.

Vide subsistentia, & Vnio hypostatica.

Ieiunium.

1 Aliud naturale, aliud Ecclesiasticũ, & quid vtrumq; 672. 1. C. Vide Eucharistia, & cõfirmatio. §. Dispositio

Immensitas.

1 Est quædam præsentia. per quam res sint & sui mutatione potest esse præsens omnibus spatijs vsque in infinitum. 668. 2. B.

Immolatio.

1 In rigore vocis cruentam oblationem significat, secus ex vsu. 1065. 1. C.

Inceptio & desitio.

1 Nulla res incipere potest in tempore indeterminato ante hoc instans. 88. 2. C. Nec si tota fiat simul, eius inceptio coexistere potest tẽpori determinato bene tamen indeterminato. 89. 2. B. 90. 2. D.
2 Quot sint inceptionis & desitionis modi, ostenditur à priori. 89. 1. B.

Infans.

1 Infantibus in vtero morientibus cur non sicut reliquis
2 prouisum, neq; derogat prouidentiæ Dei, his qui baptizari nequeunt, aliud non reliquisse remedium. 48. 2. C. 350. 2. A. 349. 2. A. 350. 1. C. 2. B.
3 Quomodo non minus prouisum fuerit infantibus legis gratiæ, quam reliquis. 349. 2. B.
4 Infantibus Gentilibus, qui à parentibus circuncidebãtur, quo modo communicaretur circuncisionis effectus. 114. 2. D.
5 Infans in fluuium proiectus à ministro cum debita intentione forma baptismi proferente baptizatus manebit, quanuis nunquam emergat. 246. 1. C.
6 Sanctificatio infantium in vtero speciale priuilegium 350. 1. C.
7 Infantes per æqualia media iustificati, & in eo statu mortui, æquales etiam in gloria. 367. 1. B. C. Quilibet infantes sunt capaces martyrij. 386. 1. C.

Vide verbũ Baptismus & verbũ Eucharistia. §. Subiectũ.

Infidelis.

1 Vide verbũ Baptismꝰ, & verbũ Eucharistia. §. Subiectũ.

Infinitum.

1 Licet probabilius sit non posse fieri à Deo, non tamen de fide certum. 695. 1. B.

Innocentia & innocentes.

1 Innocentiæ status. Vide status Innocentiæ.
2 Innocẽtes pro Christo occisi, verè martyres. 386. 1. B.

Instrumentum.

1 Propinquitas ad principale agens sufficit ad rationẽ instrumenti coniuncti. 645. 1. C.
2 In supernaturalibus instrumentis non est simpliciter necessaria præuia actio connaturalis instrumento. 105. 1. B.
3 Vide Sacramentum, & Sacramenta nouæ legis, & singula. §. Efficientia, vel Effectus.

Intentio.

1 Intentio habitualis, actualis, & virtualis, quid sint. 176. 1. D.
2 Actualis & virtualis intentio vbi, & quandiu manere censeantur. 177. 1. C. 178. 1. A.
3 Intentio ministri qualis debeat esse, vide Sacramentũ & sacramenta nouę legis. §. Minister.

Israel.

1 Filij Israel egressi de AEgypto noctu, prope matutinum tempus diei decimæ quintæ lunæ. 543. 1. A.
2 Quomodo profecti de Rameste, & quomodo in eã cõgregati. 544. 1. D. vsque ad 545. 1. per totam.

Iudas Iscariotes.

1 Præsens fuit lotioni pedũ, & institutioni Eucharistiæ, & eum Christus cõmunicauit, licet non quãdo buccellam panis intinctam dedit. 546. 1. B. 548. 1. A. 2. B.
1 Ordinatus fuit Episcopus & sacerdos, quando reliqui Apostoli. 548. 1. B.
3 Nõ manifestauit Christus (potuisset tamen) omnibus Apostolis, sed Ioanni tantũ Iudæ peccatũ. 549. 1. B. C

Iudex.

2 Iudex etiam Ecclesiasticus, si existens in mortali sentẽtiam proferat, vel alios actus iurisdictionis exerceat, non peccat mortaliter. 217. 2. D.

Iustificatio.

1 Ad nostram iustificationem fides, pœnitentia & sacramenta, suo quæque modo concurrunt. 74. 2. A.
2 Ad iustificationem & ex parte intellectus & voluntatis supernaturalis dispositio requiritur. 363. 1. D. 2. A.

Kyrieleison.

Vide verbum, Missa. §. Ritus, & ceremonia.

Latro.

1 Bonus latro, nec aquæ Baptismo, nec sanguinis, nec fleminis baptizatus. 352. 2. B. C.

Lex Naturæ.

1 Quid hoc nomine intelligatur, quod eius tẽpus, etiã respectu aliorum à populo Israel. 47. 1. B. C. D.
2 Tunc adulti per conuersionem ad Deum ex fide possent iustificari. 47. 2. B.
3 Erat etiam remedium ad infantium salutem, à Deo institutum. 48. 1. D.
4 Quod consistebat in aliquo exteriori ac religioso cultu, & in quo. 49. 1. C. D. 2. B. 50. 1. D.
5 Erat verum sacramentum, non tamen conferebat gratiam ex merito Ecclesiæ. 52. 1. C.
6 Non poterat infantibus absque parentum voluntate applicari. 52. 1. C. 2. D. 310. 2. B. C.
7 Nullum aliud sacramentum ad hũc finem in hac lege institutum, licet alia impropriè sacramenta fuerint, & interdum aliquod speciale pro aliqua familia. 53. 2. D. 55. 1. A. B. C.
8 Cur plura sacrificia quam sacramenta in hoc statu. 54. 2. C.
9 Implicita fides Christi sufficiebat tũc ad salutẽ. 52. 1.
10 Nulla lex, aut determinata ceremonia creditur co tẽpore data. ibidem. B.
11 Nihilominus tenebantur parẽtes remedium originalis applicare filijs. 51. 1. D.
12 Fuit in hoc statu cultus Dei externus per sacrificia & oblationes. 53. 1. D. 2. B.
13 Hic status imperfectior statu legis scriptæ. 120. 1. D plura, quæ sacramentum huius legis communia habet cum Circuncisione, vide Circuncisio. §. Institutio, Efficientia, & effectus.

Lex vetus.

1 Non fuit mortifera, donec Euangelium sufficienter promulgatum fuit. 352. 1. B.
Vide verbum sacramentum veteris legis, & sacrificiũ.

Libertas.

1 Non potest esse in actu, si prius natura intelligitur factus à Deo, quam à nobis. 99. 2. A. 100. 2. D.

Locus locatum.

1 Aliquid potest esse in loco, vel intrinseca præsentia, vel extrinseca circũscriptione ab alio corpore. 640. 2. A. B
2 Immutabilitas loci physici ex præsentia ad spatiũ, nõ ex superficie circundante, desumitur. 671. 1. D.
3 Esse definitiue in loco, in rigore includit negationem aptitudinis existendi naturaliter in alio loco. 663. 1. C. D. 666. 1. A.
4 Non omnes modi existendi in loco reducũtur ad circunscriptiuum & definitiuum. 665. 2. A.
5 In locato, præter superficiem ambientem, est modus intrinsecus præsentiæ, qui non corrumpitur, nisi corpore mutato. 640. 2. D. 641. 1. A.
6 Actu occupare locum, distinctum est in locato abesse quantum. 654. 1. A.
An idem corpus possit esse in duplici loco, & his similia, vide verbum, Corpus.

Manipulus.

1 Manipulus primitiarum secundo die azymorum offerebatur. 540. 2. C. Vide Missa. §. Quibus vestibus debeat celebrari.

Manna.

1 Manducatio manna, licèt rei sacræ signum, cur non sacramentum. 12. 1. D.

Manus impositio.

1 Multiplex in sacra scriptura. 479. 2. A. B. C.

Mare.

1 Maris rubri transitus, licet rei sacræ signum, cur non sacramentum. 12. 1. D.

Maria.

1 Aucta est ei gratia per baptismum. 116. 1. C.
2 Capax fuit baptismi, licet nõ potuerit per illum primã gratiam recipere. 186. 2. A.
A quo, & quando Baptizata, vide verbum, Christus.

Martyrium.

1 Priuilegium Martyrij ante Christi aduentum, cœpit. 398. 1. B. C. D.
2 In quantum actus fortitudinis, non reperitur in infantibus; secus, quà est actualis mors pro Christo. 386. 2
3 Requirit in adultis actum honestum & supernaturalẽ, quo velint pro Christo mori, & veram fidem supernaturalem profiteri. 387. 2. A. B. 387. 1. D.
4 Nõ est de eius ratione, procedere ex formali dilectione Dei super omnia. 388. 1. D. 2. A. B. 396. 1. C.
5 Confert gratiam martyri in aliquo instanti vitæ, in quo videtur mors naturaliter ineuitabilis. 398. 2. A.
6 Existens in mortali, data occasione martyrij, tenetur conteri, licet attritio possit ex accidenti sufficere. 392. 2. C. 393. 1. C.

Materia.

1 Per ordinem ad determinatam formam, determinatã accipit quantitatem, & quo modo. 566. 1. A. B.
2 Licet naturaliter informari duabus formis non possit bene tamen supernaturaliter. 675. 2. C.

Massa.

1 A pane cocto differre verisimilius. 588. 2. D.
Vide verbum, Eucharistia. §. Materia.

Mater.

1 Matrẽ iam iã moriturã non licet aperire, ne proles sine baptismo moriatur, posset tamen ob id accelerari supplicium, si morti esset dãnata. 322. 2. D. 323. 1. A. B.

Matrimonium.

1 Quæ sit in hoc sacramẽto materia & forma. 24. 2. B. C
2 Solum habet determinatam formam in genere, quæ, scilicet ad humanum contractum sufficiat. 29. 1. A.
3 Per decretũ Tridẽtini clãdestina irritãs, quo modo nõ fuerit mutata materia, nec forma huiꝰ sacram. 37. 1. B.
4 In lege veteri non erat sacramentum. 101. 2. A.
5 Nulli in particulari necessarium, sed Ecclesiæ. 65. 2. C. 199. 2. D. 223. 2. B.
6 An ex intentione contrahentium possit matrimoniũ contrahi, quin fiat sacramentum. 175. 2. B.
7 Error personæ in matrimonio substantialis est. 180. 2
8 Matrimonij minister cõtrahẽtes ipsi, Parochꝰ vero sola assistit, vt testis simpliciter necessarius. 212. 1.
9 Cõtrahẽtes in mortali, in quantũ ministri sunt, nõ peccãt mortaliter, secus in quãtũ recipiũt cũ obice. 219. 2
10 Non etiam peccat sacerdos, qui in statu peccati assistit contractui, benedicitq; contrahentes. 220. 1. A.
11 Habet effectum, recedẽte fictione, etsi fictio tollatur soluto iam matrimonio. 378. 1. A. 384. 1. B. C. 2. B.
An esset in statu innocentiæ, vide verbum, Status Innocentiæ.
Matrimonium Adæ & Euæ, vide verbum, Adam.

Matutinum.

1 Matutini recitatio an debeat præcedere Missam. Vide Verbum, Missa. §. Minister.

Melchisedech.

1 Oblatio Melchisedech in pane & vino, sacrificij & sacramenti rationem habuit. 55. 1. B.
2 Obtulit panem triticeum. 586. 1. B. C.
3 Tã panis, quã vinũ de essetia illiꝰ sacrificij. 1088. 2. C.

Meritum.

1 Ad omne meritum de congruo non sufficit fides informis. 49. 2. B.
2 Meritum de congruo quando infallibiliter effectum habeat. ibid. C.
3 Solis adultis potest aliquis mereri de cõgruo, nec ideo amittit suum præmium de condigno. 85. 2. A.
4 Acquisitio iure ad primam gloriam, nullus deinceps gloriam meretur, nisi merendo eius & gratiæ augmẽtum. 124. 2.
Meritum Christi, vide verbum, Christus.

Metalepsis.

1 Assumptionem & participationem, proprius tamen transmutationem significat. 533. 1. C. D.

Minister.

Quis & qualis sacramentorũ in cõmuni, & cuiuslibet in speciali, Vide in singulis sacramentis, & in verbo sacramenta & Sacramenta nouæ legis. §. Minister.

Miraculum.

1 Pro quo hæc vox in rigore supponat. 528. 1. D.
2 Alia, vt credantur, alia, vt ad credẽdum iuuent occulta illa, hæc publica & nota ibidem.

Missa.

1 Vsus huius vocis in Latina Ecclesia antiquissimus. 1066. 1. A. B. C. D. 2. A. B. Eius etymologia. 1067. 1. A
2 A Christo instituta, quoad substantiam. ibid.
3 Missa alia catechumenorum, alia fideliũ, & quæ. 1066. 1. A. B. alia solennis, & quæ. 1261. Nomina & figuræ Missæ. 1071. 2. 1072. 1. 2.

Essentia & significatio.

1 Mysterium Eucharistiæ, prout in Ecclesia cõficitur, & Missa appellatur, verũ sacrificiũ est, licet sit repræsentatio sacrificij cruenti. 1062. 2. A. 1063. 2. C. 1064. 2.
2 Vnicũ est & à Christo institutum, neque ab Ecclesia instituì potuisset. 1068. 1. B. 1069. 1. C. 2. D.
3 Eius significatio moralis cõmunis cũ ceteris sacrificijs mystica vero in commemoratione Christi passionis consistit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

consistit, quæ non propriè fit, nisi per vtriusq; speciei consecrationem & oblationem. 1070.1.D.2.A.
4 Obiectū cui huius sacrificij, tota Trinitas. 1070.2.A Sola consecratio vtriusque speciei cū ordine ad sumptionē est de essentia huius sacrificij. 1079.1.D.1084.1.D. & seq. vsque ad. 1089.
5 Hęc consecratio essentialis est, prout continet transubstantiationem panis in Christi corpus, & separationē accidentium à substantia. 1089.2.C.1091.2.A.
6 Quid primario intentum in hoc sacrificio. 1083.1.1088.1.D.1091.1.A.B. Solum accidentaliter & numericè distinguitur à sacrificio incruento, quod Christus per se obtulit, à cruento vero essentialiter quoad actionē offerēdi. 1091.2.D.1092.1.C.D.2.A.B.C.
7 Essentialiter distinguitur à sacramentis legis veteris. 1093.1.C.D. Si pro re oblata sumatur, rationem sacramenti includit. 1097.2.B.C.D.

Res oblata.

1 Christus vt est sub sacramentalibus speciebus, res oblata per hoc sacrificium. 1072.1.C.2.B.1071.2.A.
2 Principalius pertinet ad rem oblatam Christus, quam Sacramentales species. 1074.1.D.2.A.
3 Panis & vinum vt materia ex qua, pertinēt ad rē oblatam. ibid 2.B.
4 Quomodo in hoc differat Missa à veteribus sacrificijs. ibid.D.
5 Cur aliquando Patres, Christum in Eucharistia immolari, concedere renuant. 1065.1.C.

Dignitas.

1 Maxima est, & vnde sumenda. 1094.2.C.D. Nec minor quam in sacrificio cœnæ vel crucis. 1095.2.A.
2 Bona omnia & rationes aliorum sacrificiorum in hoc vno reperiuntur. 1094.2.B.C.D.1095.1.C.
3 Omnia sacramēta à se realiter distincta superat in dignitate. ibidem.C.
4 Sibi ipsi vt sacramento omnino æquale in dignitate, & ni intentione prius, in executione posterius. 1095.2.D.1096.1.B.C.2.B.1097.1.C.D.

Valor.

1 Missæ valor in quo ab eius effectu distinguatur. 1143.2.B.
2 Vt est à suo principali offerente, infinitum habet valorem intensiuè. 1143.2.C.
3 Quatenus à Christo, vel à ministro eius nomine offertur, est infinitus in impetrando, nunquam tamen ad id de facto applicatur. 1144.2.A.
4 Quatenus ab Ecclesia offertur, finitam habet efficaciā. 1145.1.A.B.
5 Multoq; magis prout est à priuato offerēte. 1145.1.C
6 Multiplicatio orationum in missa non impedit earum valorem ad impetrandum. 1150.1.A.

Effectus.

1 Qui illi correspondet ex opere operato, statim post cōsecrationē vtriusq; speciei datur, nō ante. 1089.2.C.
2 Non est causa physica sui effectus, quem habet ex opere operato, sed moralis proxima. 1112.1.B.C.
3 Non est causa omnium effectuū qui ex Christi redēptione proueniunt. 1113.1.C.
4 Nititur crucis sacrificio, non tamen Sanctorum meritis. 1114.2.C.D.
5 Inter sacramentum & sacrificium vt causa sunt variæ differentiæ. 1115.1.C.1134.1.C.1149.1.
6 Differentia inter hoc sacrificium & incruentum Christi cerca idem. 1116.1.A.
7 Ex opere operantis Christi, effectum habet impetrationis. 1117.1.A.
8 Qualiter per modum impetrationis obtinere possit gratiam, eius augmentum, & remissionem peccatorū tā mortalium quam venialium. 1121.1.A.C.1123.2.B.D.1125.1.B.2.A.B. 1126.2.D.1127.2.D.1128.2.1129.1.B.
9 Impetratio in multis ab opere operato distinguitur. 1118.1.A. Cur impetratio non semper sit infallibilis. 1118.2.C.
10 Cur efficacia ad dandam & augendā gratiam ex opere operato, & remittenda peccata sit in sacramento, & non in sacrificio. 1113.1.D.1127.1.C.D.
11 Aliquam pœnā temporalē remittit ex opere operato & etiam per modū impetrationis, sine aliqua actu eius cui remittitur. 1129.1.D.2. per totam. 1130.1.A.B.
12 Bonorum temporalium consecutionem impetrat. 1131.1.C.D.2.A.
13 Non causat distinctum effectum, vt à Christo primario offertur, & vt à sacerdote. 1132.1.B.
14 Nullū effectum causat ex opere operato in in fidelibus, nisi pro eis à sacerdote offeratur. 1132.2.B.C.
15 Inter impetrationem & satisfactionem quædiuersitas. 1132.2.D.
16 Sacerdoti etiam vt priuato offerenti aliquis fructus respondet ex opere operato. 1133.1.B.2.C.D.
17 Aliquem etiam participant fideles ad sacrificium concurrentes. 1134.1.
18 Differentiæ inter fructum publico, ministerio sacrificij respondentem, & priuatis oblationibus. à 1134.1. ad. 1135.1. per totam, 2.A.B.
19 In eo pro quo specialiter offertur, si non ponat obicē sortitur effectū ex opere operato, non autem in omnibus alijs Ecclesiæ membris. 1135.2.C.1137.2.A.
20 Diuisio effectus huius sacrificij in specialissimum, specialem, & generalissimum, de effectu impetrationis tā tum intelligenda. 1138.1.B.
21 Si nulli applicetur effectus, intētione formali vel virtuali ministri, nullum effectum sortitur. 1138.1.D.
22 Qualis debeat esse hæc applicatio, & quando facienda. 1138.2.B.C.D.1139.1.A.B.
23 Hic effectus finitus est intensiue, quodammodo tamē in infinitum augeri potest. 1144.2.C.1141.2.D. vnde eius quantitas desumatur. 1146.1.D.
24 Quis fructus respondeat toti Ecclesiæ, singulisq; eius membris, ex generali oblatione huius sacrificij. 1106.2.C.D.1107.1.A.B.C.

Pro quibus possit offerri.

1 Quilibet sacerdos vel alius inferior offerens potest tā pro se quam pro alijs offerre. 1105.1.B.D.2.C.D.
2 Pro Ecclesia omnibusq; membris illi colligatis offerri debet. 1106.1.D.2.C.
3 Pro Catechumenis & pro infidelibus non excommunicatis offerri potest. 1107.1.C.2.B.
4 Secus pro excōmunicatis excomunicatione maiori, & pro damnatis. 1108.2.A.B.C.
5 Qualiter possit offerri pro beatis. 1109.1.D.1111.1.A
6 Pro animabus purgatorij peruti liter offertur. 1111.1.D
7 Effectus ex opere operato nequit offerri, nisi pro baptizatis viatoribus, hoc nomine purgatorij animas cōprehendendo. 1140.1.B.D.2.B.

Minister.

1 Sēper principale offerēs est Christus, qui actu offert, quāuis per sacerdotē. 1098.2.C.1099.2.C.1100.1.C
2 Omnis, & solus sacerdos, ritè Ordinatus, hoc sacrificiū offerre potest vt proximus minister. 1101.1.A.2.B.C.D.
3 Omnes fideles aliquo modo offerre possunt. 1102.1 D.1105.2.C.

4 Sacer-

4 Sacerdos mereri satisfacere, & impetrare potest ex opere operantis per hoc sacrificium. 1116.2.C.
5 Offerentium hoc sacrificium varius ordo. 1132.1.A
6 Applicatio fructus sacrificij à voluntate ministri pendet. 1136.2.C.D.
7 Non tenetur semper partem fructus ex opere operato offerre pro tota Ecclesia. 1137.2.A.
8 Priuati offerentes fructum sibi ex opere operato respondentem alijs applicare non valent. 1139.2.C.
9 Ex duobus ministris, quorum vnus vnam speciē, alius aliam consecraret, verisimilius est, applicationem fructus à posterioris voluntate pēdere. 1147.2.C.1148.1.B.
10 Qui ab hoc ministerio excludendi, ob corporis morbum. 1202.1.D.2.A.
11 Dispositiones, quæ ad communicandum necessariæ, eædem & ad rite celebrandum, nec vlla alia interior necessaria. 1202.1.A.B.C.D.
12 Nullum est præceptum obligans sub mortali sacerdotes ad recitandum Matutinum ante Missam. 1203.1.C.1204.1.C.D.1.A.B.

Quibus vestibus debeat celebrari.

1 Ecclesia conuenienter deputauit vestes, quibus sacerdotes vterētur in hos mysterio. 1205.1.B.1206.1.A.
2 Singularum vestium significationes: Amictus & Albæ. 1206.1.B.C.
3 Cingulū. ibi. D. Manipuli. 1206.2.D. Casulæ. ibi. 1.C.
4 Aliæ significationes harum vestium per comparationem ad Christum. 1207.1.A.B.C.
5 Dalmaticæ vsus antiquissimus in Ecclesia. 1207.1.C.
6 Quid circa earum benedictionem, eiusque durationē. 1208.1.A.B.C.
7 Omnia hæc vestimenta, eaque benedicta, simpliciter necessaria, & quando per earum omissionem peccetur 1208.1.D.2.B.D.
8 Debet sacerdos accedere calceatus. 1209.1.C.D.
9 Potest, cooperto capite, celebrare, ex grauiinfirmitate, maximè ex dispensatione pontificis. ibid.D.

Quo tempore.

1 Nec ante auroram, nec post meridiē, dicenda. 1138.2.B.C.D.1161.1.B.C.
2 Seclusis specialibus priuilegijs Episcoporum, vel religiosorum. 1160.2.C.D.1161.1.A.B.2.C.D.
3 Vel si necessitas occurrat, ratione itineris vel alterius rei grauis. 1181.2.A.B.
4 Vim præceptiobtinuit cōsuetudo circa hec. 1181.1.B.C
5 Missæ particulares possunt dici quicunque hora ab aurora ad meridiem, solennis verò à nona vsque ad duodecimam. 1162.1.D.2. per totam.
6 Olim tardus Missæ inchoabantur, maximè in diebus ieiunij. 1160.1.A.1163.1.C.
7 Non est mortale, hora & dimidia ante solis ortum celebrare, imò licite inchoatur dimidia ante crepusculū, 1160.1.B.C.
8 Communi iure Ecclesiastico quidem, non diuino, nō licet nisi semel quotidie celebrare. 1157.1.C.D.2.C
9 Discutiuntur exceptiones, & casus varij de hac re. à 1157.2.A.B.ad.1158.col.1.
10 An aliquo die non liceat celebrare, nisi solennem Missam. 1155.2.C.D.1156.1.A.B.
11 Feria quinta in cœna Domini licite potest, seclusoscādalo celebrari. 1156.1.A.B.C.
12 An liceat in Sabbatho sancto & in die Parasceues. 1156.1.D.2.A.B.C.D.1557.A.B.

Vbi.

1 Quam conuenienter templa ad hoc designata sint. 1166.2.A. per totam. 1170.2.A.B.C.
2 Eorum vtilitates. 1169.1.C.D.1170.1.C.D.
3 Simpliciter soli Deo erigūntur, quandoque tamen nō solum Martyribus, sed alijs etiam Sanctis dicantur 1170.1.B.C.D.2.A.
4 Consuetudo consecrandi solenniter templa, à quo tēpore cœperit, & quam sit laudabilis, & vtilis. 1170.2.D.1171.2.A.1172.1. per totam. 2.B.C.D.
5 Non potest nisi sub mortali extra Ecclesiam offerri, quæ olim requirebatur consecrata, modo sufficit bene dicta, dummodo altare sit consecratum. 1172.2. per totam. 1173.2.B.
6 Qui loco interdicto sacrificat, interdictus manet. 1173.1.D.2.A.
7 Potest Episcopus facultatem concedere ad sacrificandum in oratorio priuato, ibidem. 2.C.D.
8 Non potest dare facultatem Episcopus sacerdoti celebrandi vbique, in altari portatili. 1174.1.B.C.D.
9 In casu necessitatis vbique potest sacerdos celebrare Episcopus vero extra necessitatem, neuter tamen in mari. 1174.1.D.2.C.D.1175.1.A.C.
10 Alijs etiam idem licet ex priuilegijs. ibidem.
11 Ecclesiæ pollutio est prohibitio iure Ecclesiastico introducta. 1179.1.A.
12 Quibus modis polluatur Ecclesia, & à quo lustranda. 1179.1.A.B.C.
13 Quā pœnā incurrāt celebrans in Ecclesia violata. ibi.
14 De altari, & eius etymologijs. 1180.1.C.D.2.A.
15 Altare duplex, fixū, & portatile. ibi. 2.C. 1182.2.B
16 Necessarium est altare lapideum consecratum, & quale in quantitate & consecratione. ibid. 2.C.D.1181.1.B.C.D.2.A. & seq.
17 Non opus est, altare maius ad plagam Orientalem respicere. ibidem.
18 De ornatu altaris. 1183. fere per totam &. 1185.1.B.C.D. & 2.D & 1186.1. per totam.
19 Præter pallas non benedictas requiritur corporale linteum benedictum, qualeq; esse debeat, & quotuplex. 1183.2.C.D.1184.1.
20 Requiritur etiam lumen seu lucerna cerea ardens, liber Missalis, & crux aliqua. 1184.2. per totam. 1185.1. per totam. 2.A.

Defectus quomodò supplendi.

1 Quicunque defectus substantialis in materia vel forma commissus, necessario supplendus. 1246.2. Secus accidentalis. 1250.1.C.D.
2 Quid faciendum ei qui panem iam consecrato aduertit nō misceuisse aquam, nec cūc miscere potest. 1246.2.C.
3 Qualiter qui insola aqua consecrauit, debeat supplere hunc defectum. 1245.1.C.2.B.1246.1.B.C.
4 Si in forma cuiuslibet ex speciebus mutatio substantialis fiat, quouis tēpore suppleda, secus si in vtriusq; speciei forma essentialis mutatio contigerit. 1246.1.D.2. per totam.
5 Quæ verba in huiusmodi casibus repetēda. 1246.2.D
6 Quid faciendum, si venenum alicui ex speciebus inueniatur admistum. 1247.1.C.
7 Quid in alijs casibus qui frequenter accidunt. ibid. A. B. 1247.2.D.1248.1.A B.C.D.
8 Cum sacrificium ab aliquo inchoatum ab eodem perfici non potest ab alio cōplendū, & quo modo. 1249.1.C.D.2.A.B.C.

Ritus Missæ.

1 Bene potuit Ecclesia alia verba addere præter essentialia, & quā cōuenientia verba addiderit, per singula discurrendo ostenditur. 1213.1.A.1214.2.C. Confesso. 1215.1. B. Introitus. ibidem. C.D. Kyrie eleison ibid. 2.A. Gloria. ibidem. 2.D. Dominus vobiscum 1216.1.B. Collecta. ibid. 2.A. Flectamus genua. ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B. Orationes, ibidē. C. D. 1217. 1. A. B. Epist. ibid. D. Graduale. ibid. 2. B. Alleluya. ibid. D. Euangelium. 1218. 1. A. Symbolum. ibid. C. Secunda populi saluta tio. ibid. 1. A. Offertoriū. ibid. B. C. D. Manuū ablutio 1219. 1. A. B. Secretę orationes ante Præfationē. ibid. B. Præfatio. ibid. C. D. Cōmunicāda. 1219. 2. D. Alię duæ salutationes populi & collecta. 1220. 1. A. B. Ite Missa est. ibid. C. D. Populi benedictio. ibid. D. &. 2. A. Euangelium vltimum. ibid. B.
3 Cur addatur deprecatio illa, quæ fit supra munera consecrata. 833. 1. D. 2. per totam.
4 Quam conueniens fuerit non celebrari vulgari sermone. 1221. per totam.
5 Et alia in Missa clara voce, & alia submissa, proferri. 1223. 2. C.
6 Exponuntur difficilia verba quæ ante offertorium dicuntur in Missa defunctorum. 1224. 2. B.
7 Quæ, ceremoniæ specialiter institutæ sint, vt hoc mysterium debitè peragatur. 1278. 1. B. C. D.
8 Quæ, propter exteriores latriæ actus. 1278. 2. B.
9 Quæ propter moralem & etiam mysticā significationem. à 1239. per totam. ad 1240. 1.
10 Multiplex vsus signi crucis in Missa quid significet. 1240. 2. A.
11 Vsus musicæ, thuribuli & apparatus ministrorum in solennibus Missis, conueniens. 1285. 1. D.

Canon Missæ.

1 Regulā ad significandum præscriptam propriè significat. 1233. 1. B.
2 A quibus verbis incipiat, & quib⁹ finiatur. 1223.
3 Non est de substantia sacrificij, sed iure tantum Ecclesiastico præceptum. ibid. A.
4 De eius autore & antiquitate. ibid. B. & 1226. 2. C. D
5 Per singulas partes & verba difficilia, exponitur à 1228. 1. A. ad 1253. per totam.
6 Cur in Canone mētio Martyrū tantū, & nō Cōfessorū 1228. 1. D.

Vasa.

11 Calix & patena requiruntur, & ex qua materia. 1186. 2. B. C. D. 1187. 1. per totam. Ab Episcopo consecrata. ibid. 2. B. D.
2 Quādo opus sit recōsecrare calicē. ibid. 2. C. &. 1188. 1. per totam.
3 Qualia vasa consecrata requirantur. 1188. 1. D. 2. A. C. D. 1189. 1. per totam.

Cultus qui debetur locis & vasis sacris.

1 Qualis veneratio illis dāda ex ipso iure naturali. il90. 1. per totam.
2 Iure positiuo multa prohibita circa huiusmodi res, quæ si fiant, erunt sacrilegium. ibid. 2. A.
3 Qualiter liceat laicis & mulieribus has res tangere, ibid. 2. A. B. C. 1192. 1. A. B. D.
4 Episcopi & sacerdotes possunt sepeliri induti vestibus sactis. 1191. 2. D. 1193. 1. A. B.
5 Non possunt hę res ad prophanos vsus cōuerti. 1193. 1. B. C.
6 Vasa argentea confracta, quibus casibus vēdi possint. ibid. 1. B.
7 Simpliciter aliqua adoratione prosequenda, & quali. 1193. 2. C. 1194. 2. A. B. C. D. 1195. 1. A. B.
8 Ad quam virtutem hæc adoratio pertineat. 1196. 1. B. C. D. 2. A. B. C.
9 Hęc adoratio quodāmodò vna, quodāmodo duplex. à 1197. 2. C. ad 1199. 2. B. 1201. 1. D. 2. A. D.
10 Adoratio respectiua separabilis ab absoluta. 1199. 2.

Ministrans sacerdoti.

1 Non est iure diuino aliquid cautum de numero illorū qui astare vel ministrare debent sacrificio, ex iure tamen Ecclesiastico, vnus saltem minister requiritur. 1260. 1. A. 2. C.
2 Hic non debet esse fœmina. 1261. 1. C.
3 An in aliquo raro casu possit sacerdos sine ministro sacrificare. 1262. 2. B.
4 Ad quid teneatur qui ministrat. 1263. 1. C. D. 2. A. B.

Missa stipendium, & pro quibus ex obligatione dicenda.

1 Ex obedientia, & voto & iustitia potest oriri obligatio offerendi Missam pro aliquo, ex caritate autem raro. 1251. 1. C. D.
2 Inter beneficia simplicia ea sola, quę ex speciali institutione id onus disponunt, eius obligationem inducūt. 1251. 2. D. 1252. 1. A. B.
3 Ratione beneficij Curati non tenetur Parochus quotidie pro ouibus sacrificium offerre. 1252. 1. B.
4 Ex stipendio accepto oritur obligatio iustitiæ. 1253. 1. B. Et an interueniat iustū & quale, ibi. &. 1253. 2. C.
5 Quid sacerdos teneatur offerre ratione huius obligationis. ibid. 2. D.
6 Quidquid ab Ecclesia ob hanc causam datur, licitum stipendium est. 1254. 1. C.
7 Cùm redditus Ecclesiæ relicti non attingunt mediocre stipendium, Episcopus Ecclesiæ potest illam obligationē ad minorē numerū missarū redigere. ibi. D.
8 Non possunt iustè recipi maiora stipendia taxatis, nec pro vna missa plus quam vnum stipendium accipi, quantumuis pauper sit sacerdos. ibid. D. 2. A. B. 1255. 2. B. 1258. 2. B.
9 Vnde pensanda quantitas iusti stipendij, cum non est lege definitum. 1255. 1. A. B. C.

Præceptum celebrandi.

1 Sacerdotes non tantū semel in anno tēpore Paschatis, sed aliquoties tenētur celebrare. 1152. 2. A. B. C. D. 1153. 1. D. 2. A. B. D. 1154. 1. A. B. C.
2 Stando in iure diuino non est prohibitum quotidie celebrare, posset tamen aliquando Ecclesia id prohibere. 1154. 2. B. C.
3 Licet in singulis Ecclesijs Cathedralibus quotidie offerēdum sit sacrificium, nullus tamen sacerdos obligatur ad quotidie sacrificandum, licet id melius sit. 1154. 2. D. 1155. 1. A. B. C.
4 Miracula circa hoc. ibidem. 1. D. 2. A.

Præceptum audiendi Missam.

1 Tale præceptum est in Ecclesia, & per se loquēdo sub mortali obligat. 1264. 1. C. 2. B. C. 1265. 1. A. B. C.
2 In hoc præcepto Pōtifex dispēsare potest. 1265. 2. B.
3 Qualiter obliget ad audiendam totā missam & quotię partis omissio censeatur mortale. 1265. 2. C. & à 1266. 2. B. ad. 1267. 1. C.
4 Qui omisit vnam partem missæ, quomodo possit hunc defectum supplere. à 1267. 1. C. ad. 1268. 1. per totam.
5 Per quamlibet missam vbique auditam satisfit huic præcepto. 1268. 2. C. 1269. 1. B. 2. A.
6 Nunquam tenentur fideles audire nisi vnam missam, debent tamen ei esse moraliter præsentes. 1269. 2. D. 1270. 1. B. C.
7 Qualis voluntas necessaria vt impleatur præceptum, quæ etiam attentio, & qualiter ex eius defectu peccetur. 1270. 1. D. 2. per totam. 1271. 1. D. 2. A. 1272. 1. A.
8 In Missa potest quis alias orationes, & psalmos recitare, & implere præceptum recitandi. ibidem. 2. D. & 1272. 2. A.
9 Omnes fideles adultos, obligat, & à quo ætatis tempore. 1272. 2. B. 1273. 1. B.

10 Quibus

10 Quibus diebus obliget. 1273. 1. D. 2. D. 1274. 1. B 1275. 2. B.
11 Transacto die quo missa erat audienda non manet obligatio audiendi alio die. 1275. 2. C.
12 Habens priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, teneatur vtrillo. 1276. 1. A.
13 Excommunicatus etiam si per ipsum steterit non absolui non peccat non audiendo Missam. 1276. 1. A. B.
14 Quæ impedimenta excusent ab obseruātia huius præcepti. 1275. 2. D. Et sequentibus vsque ad. 1280.
15 Qui excusantur non tenentur loco Missæ aliquas orationes fundere. 1280. 2. A.
16 Nulla pœna à iure imposita transgressoribus huius præcepti. 1280. 2. C.

Mistio.

1 Mistio per iuxta positionem, includit diuisionem & misscibilium in partes, per contactum partium inter se. 647. 1. A.
Mistio aquæ & vini in calice, vide Eucharistia. §. Materia & verbum Missa. §. Ceremonia.

Modus.

1 Modus rei non potest esse sine re quam modificat. 656. 1. A. B.

Mors.

1 Quando quis in articulo mortis esse dicatur. 988. 2. A

Motus.

1 In omni motu datur mutatio instantanea, qua acquiritur terminus. 92. 2. B.
2 Solum per accidens est causa caloris. ibid. 1. B.

Mustum.

1 Non differt essentialiter à vino. 557. 1. B.
Vide Eucharistia. §. Materia.

Mutatio.

1 Quæ & qualis in formis & materijs sacramentorum in terā reduci possit, vide Sacramentum, & sacramenta nouæ legis, & singula. §. Forma. &. §. Materia.

Necessitas.

1 In sacramentis necessitati medij semper adiūgitur præcepti necessitas. 522. 2. C.
2 Quādo necessitas medij, & quādo præcepti. 529. 1. D
3 Quid necessitas medij & præcepti in sacramentis. Vide sacramenta nouæ legis. §. Necessitas.

Nox.

1 Nox Cœnæ. Vide Cœnæ nox.
2 In nocte Natiuitatis ter licet sacerdoti celebrare. 1157. 2. C.
3 Qui ordo tā inter ipsas missas, quā in tēpore celebrationis earum, tam in solēnibus quā in particularibus, seruandus. à 1160. 1. C. ad 1161. per totam.
4 In nocte resurrectionis olim noctu Missa dicebatur, modo verò non licet. ibidem.

Obiectum.

1 Non effectiuè, sed finaliter tantum mouet voluntatē. 676. 1. D.

Oblatio.

1 Propria huius vocis significatio. 1046. 1. A. B.

Obseruantiæ.

1 Actiones quibus cultores Dei se ad talem cultū disponunt, obseruantiæ dicuntur. 200. 1. D.

Obstetrix.

1 Non tenetur ex præcepto scire necessaria ad baptizandum, etiam vernacula lingua. 417. 2.

Offertorium.

Vide verbum, Missa. §. Ceremonia.

Officium diuinum.

Inuersio ordinis inter horas, dummodo intra eundem diē recitentur, non est mortale, imo, si ex rationabili causa fiat, non erit veniale. 1205. 1. D. 1205. 2. C. D.

Opus.

1 Opera pœnalia ad tria præcipuè deseruiunt. 297. 2. D

Oratorium.

Vide verb. Missa. §. Vbi celebranda.

Ordo.

1 Ordinis sacramentū in Ecclesia necessariū. 65. 1. C. D
2 Effectus huius sacramenti. 79. 2. C.
3 Imprimit characterem. 132. 2. C.
4 Primario institutum ad dandam potestatem Ordinis secundario ad danda gratiæ auxilia, quibus hoc præstetur. 134. 2. B.
5 Ordine per saltum recepto, factum tenet, & character imprimitur. 138. 2. B.
6 Quatuor minores ordines possunt à simplici sacerdote conferri ex dispensatione Pontificis. 497. 1. B. imò & Subdiaconatus. 140. 2. C.
7 Ordinatio ab Episcopo hæretico facta, valida est. 498. 2. C. D.
8 Qui inuiti ab hæreticis Ordinantur, cur non irregulares. 444. 2. B.
Vide, Status Innocentiæ.

Organizatio.

1 Nō potest perfectè intelligi sine quantitate. 739. 2. A.
2 Organizatio alia substātialis, alia accidētalis, & vtriusque expositio. 749. 2. D.
Vide verbum Corpus.

Panis.

1 Panis essentia in quo consistat. 590. 2. D.
2 Panis substantia non manet in Eucharistia, vnita hypostaticè Verbo diuino. 684. 1. B.
3 Panis azymus & fermentatus, qui dicātur. 584. 1. C.
4 Quid nomine panis cōmuniter intelligatur. 584. 2. C.
5 Solus panis triticeus hominibus accommodatus. 586. 1. B. C. Ex fructibus vel leguminibus factus, solū est panis secundum quid. 584. 2. C.
Vide Azymus, & verbum Eucharistia. §. Materia.
De substantia panis, quæ in Eucharistia desinit, Vide verbum transubstantiatio.

Paganus.

Vide verbum, Infidelis.

Papa.

1 Habet supremam potestatem Ecclesiasticam, & solus potest instituere aliquid vniuersam Ecclesiam obligās 496. 1. B.
2 In his, quę sunt iuris diuini ordinarij, quo modo possit Papa dispensare. 495. 1. B.
3 Non potest ritum substantialem sacrificij aut sacramēti mutare. 545. 2. A.

Parasceue.

1 Hac die non offertur verum Eucharistiæ sacrificium. 1081. 1. B.

Parochus.

1 Diebus, quibus non obligatur pro ouibus celebrare, tam ab ipsis, quā ab extraneis potest missarum stipendia accipere. 1257. 1. A.
2 Non satisfacit huic obligationi, offerēdo missam pro dantibus stipendium, quando simul etiam pro populo offert. ibidem. B. 2. A.
3 An, qui multa missarum stipendia congregat, & inter alios stipendiarios distribuit, possit sibi aliquam partē retinere. ibid. 2. C.
Vide verbum, Missa. §. Minister. §. Pro quibus possit offerri.

Pascha.

1 Nomine Paschæ quid intelligatur. 996. 2. C.

Peccatum, & peccator.

1 Peccatum mortale, & gratia immediatè opponuntur natura sua. 81. 2. B.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Originale non remittitur de lege sine habituali gratia nec sine alijs mortalibus, si adsit. 112.2. C. 358.2.
3 Neque Originale nec mortale remittuntur sine aliquo sacramento in re, vel in voto. 370.2.B.
4 Neque vnum mortale remittitur sine alijs mortalibus bene tamen sine venialibus, & vnum veniale sine alijs. 115.2.A. 368.1.B.C.
5 veniale de facto non remittitur sine mutatione intrinseca peccatoris, potest tamen remitti. 1128.2.D.
6 Peccatum, quod ex iuxta causa in cõfessione tacetur, non remittitur nisi in voto alterius confessionis, in qua aperiendum. 370.2.D.
7 Peccator pnblicus, & occultus, quis dicatur. 960.2.D 954.2.A.
8 Peccatores publici & occulti quando admittendi ad Eucharistiam, & quomodo peccet eos admittens. Vide Eucharistia. §. Minister.

Pentecostes.

1 Hoc festũ post quinquaginta dies ab illo, quo offerebatur primitiarũ manipulus, celebrabatur. 540.2. C.

Permissio.

1 Permissio, quam Deus habet respectu eorum, quibus præuidit non applicanda media pro omnibus instituta, non pugnat cum voluntate generali omnes homines saluandi. 49.1.B.

Perseuerantia.

1 Perseuerantiæ donũs quid tribuere debeat ei cui datur. 526.1.C.
2 Nulla humana dispositio antecedens sufficit ad obtinendum ex iustitia vel infallibiliter perseuerantiæ donum. 526.1.D.
3 Non oportuit hoc donum esse effectum alicuius sacramenti ex opere operato. 529.1.B.
4 Auxilium efficax concomitans ad perseuerandum potest promitti sub conditione, si non ponatur obex, vt vero dici auxilium antecedens, non ita. 532.2. D. An sit effectus Eucharistiæ, vide Eucharistia. §. Necessitas.

Personæ diuinæ.

1 Pater & Spiritus sanctus sunt in Eucharistia per concomitantiam mediatam. 554.1.A.B.

D. Petrus.

1 Immediate à Christo baptizatus, baptizauit duos filios Zebedæi, ipsi vero reliquos Apostolos. 234.2.A.

Pœnitentia.

Vide verbum Confessio.

Phase.

1 Tempus Phase, quoad immolationẽ Agni, incipiebat à vespera vltima decimæ quartæ lunæ, vergente iam sole ad Occasum. 539.2.B.

Præceptum.

1 Præceptum generale non solum eos, qui sunt præsentes promulgationi, sed omnes præcepti capaces comprehendit. 530.1.A.
2 Præceptum affirmatiuum semper obligat, non tamẽ pro semper. 427.1.429.1.B.C.
3 Intra omne tempus, quo præceptum affirmatiuũ obligat, potest absque vlla causa eius impletio licite differri. 528.1.D.
4 Præceptum Baptismi, & cuiuslibet alterius sacramenti. Vide Baptismus. §. Præceptum, & similiter in singulis sacramentis.

Prædicamenta.

1 Nullum nisi substantia, quantitas, vel qualitas, habet entitatem realiter distinctam à cæteris. 637.2.D.

Præputium.

Christi præputium, vide Chtistus in Eucharistia. §. Substantia, & partes.

Præscientia.

1 Præsciens Deus aliquibus futura impedimenta, ne remedia ad salutem illis applicarentur, id permittere voluit. 49.1.B.

Præsentia.

1 Præsentia ad locum in qualibet re creata, modus accidentalis est. 540.1.B.C. 638.2.D.
2 Præsentia ad locum, genus est ad modum indiuisibiliter, vel diuisibiliter existendi. 639.1.A.
3 Non petit vnionem inter res, quæ inuicem sunt præsentes. 623.2.D.
Præsentiam tantum ordinis in Eucharistia ponere, hæreticum, & in descensu Christi ad inferos erroneum. 639.2.D.
Præsentia Christi in Eucharistia. Vide Christus in Eucharistia. §. Christi præsentia.
Præsẽtia naturalis & sacramẽtalis quid sint, & in quo differant. ibidem.
Præsentia quantitatis, substantiæ spiritualis & materialis. Vide verbum, Quantitas, Angelus, Substantia.

Prima tonsura.

1 Cur non sit sacramentum. 111.1.B.

Professio.

1 Professio in Religione, licet cæremonia sacra sit, & aliquam sanctificationrm conferat, cur nõ sacramentum. 111.1.B.D.

Propositio.

1 Instans, in quo propositionie sensus consummatur, quomodo intrinsecum propositioni. 837.2.A.
2 Propositionum de præsenti veritas, pro quo temporis instanti sumenda. 837.2.D. 838.1.A.
3 Stat ex efficientia alicuius propositionis, eiusdem resultare veritatem. 839.2.D. 840.1.A.
4 Prius natura in propositione intelligitur significatio, quam veritas. ibid.1.A.
5 Veritas practica propositionis potest esse prior veritate speculatiua. 840.1.C.D.
6 In propositionibus practicis, si subiectum sit pronomẽ demõstratiuũ, designare solet prædicatũ. 841.1.A.

Puer.

Vide infans.

Qualitas.

1 Qualitas naturalis, & supernaturalis vniuocè conueniunt. 136.2.D.
2 Nulla qualitas potest esse effectiua gratiæ, nec vt causa principalis, neq; vt naturale instrumentũ. 139.2.D.
3 Qualitates spirituales non sunt actiuæ ad producẽdas sibi similes. 140.1.C.D.

Quantitas.

1 Extensio in ordine ad locum non est de essentia quantitatis. 649.2.C.
2 Præsentia naturalis quantitatis, & eius extẽsio in loco vnica tantum quantitatis passio. ibid.
3 Habet quantitas suam propriam præsentiam naturalẽ distinctã à præsentia substantiæ, & ab illa ex Dei potẽtia separabilem. 650.2.B.C.
4 Primario habet reddere substantiam in se extensam, & impenetrabilem. 655.2.D.
5 Actualis vero impenetratio solum est proprietas consequens. ibidem. 2.C.
6 Quantitas ex diuina virtute constitui potest indiuisibiliter in loco. 654.2.C.D.
8 Quantitas à substantia separata, & replere locum, & alteri potest virtute naturali. 771.2.A.B.
9 Est immediatum subiectum qualitatum naturalium, & cur. 806.2.A.
10 Quantum comparatur ad localem præsentiam, tanquam prius ad posterius. 654.1.A.

Quantitas Christi in Eucharistia. Vide verbum, Christus in Eucharistia.
Quantitas panis, quæ remanet in Eucharistia, Vide Eucharistia. §. Species sacramentales.

Ramesse.

1 Quandoque significat prouinciam, quæ eadem erat cum terra Gesse. 544.2.C
2 Quandoque ciuitatem in eadem prouincia ædificatam in extremis Aegyptifinibus. Ibidem. D.
Vide verbũ, Israel, & indicẽ sacræ Scripturæ, Numerorum. 33.

Relatio.

1 Relationes diuinæ cur non possint esse supernaturalia instrumenta, neque habere potentiam obedientialem actiuam respectu alicuius effectus. 104.1.B.

Religio, & Religiosus.

1 Propter Religionis statũ cur necesse non fuerit, speciale sacramentum institui. 195.2.C.
2 Religiosis inuitis, vel inscijs, nõ potest Superior ipsorũ sacrificia, vel aliorũ operũ satisfactiones alijs applicare, licèt quãdoq; id iustè præcipere possit. 1137.1.B
3 Perfectissimus actus exterior religionis in sacrificandi cultu consistit. 633.2.A.

Religionis votum. Vide verbum, Votum.
Religiosi quando, & quomodo, & quibus possint Eucharistiam ministrare. Vide Eucharistia. §. Minister.
Quæ motiua in Eucharistia ad extollendam Religionis virtutem. Vide Eucharistia. §. Institutio.

Remissio.

Remissio peccati. Vide, peccatum.
Remissio pœnæ. Vide, Baptismus & Missa. §. Effectus.

Reprobatio.

Cùm quis ex defectu intentionis Ministri non manet baptizatus, & ideò reprobatur, suo peccato mortali aut originali, tanquam causæ per se, Ministro verò, vt causæ per accidens, eius reprobatio tribuenda. 175.1.A.

Ritus.

Ritus seruandi in vniuscuiusque sacramenti administratione. Vide Singula sacramenta. §. Ritus.

Sacerdos & Sacerdotium.

1 Quanta semper reuerẽtia habiti. 629.2.A.B.
2 Cum plures sacerdotes, quando Ordinantur, simul cum Episcopo consecrant, componunt cum illo vnum integrum ministrum. 575.1.A.
3 In naturæ lege, primogeniti erant sacerdotes, in lege scripta erant ex tribu Leui & Aaron familia, in lege gratiæ supernaturaliter consecrantur. 1048.2.A.
4 Potestas sacrificandi & consecrandi non distinguuntur in Sacerdote. 1080.1.B.C.
5 Sacerdos tenetur de sacrificio participare, & probabile est, hanc obligationem esse à iure diuino. 1086.1.D.2.A.
6 Alienis ouibus sine licentia ministrans sacraméta peccat. 212.1.D.
7 Sacerdos, si extra sacrificium communicet, tenetur vti stola, sed non sub mortali. 968.1.C.D.
8 Quantumuis ab Ecclesia præcisus, non amittit ministerium, quod in persona Christi exercet. 1033.1.D.
9 Sacerdos, cùm degradatur, vsu Ordinis, non Ordine ipso perpetuò priuatur. 498.2.A.

Qualiter se habeat respectu matrimonij, & pœnitentiæ, vide eisdem verbis. An possit ex dispensatione Papæ aliquos Ordines conferre, & quos. Vide, Ordo. Omnia, quæ ad ipsum pertinent, quatenus minister Missæ est. Vide. Missa. §. Ministe. Vide ver. Confirmatio. §. Minister.

Sacramentalia.

1 Sunt ceremoniæ & circũstantiæ religiosæ, adiũctæ sacramentis vel sacrificio extra eorũ essentiã. 100.2. D.
2 Mediatè tantùm respiciunt cultũ Dei, hominũque sanctificationẽ, in quo differunt à sacramentis & sacrificio. 201.1.C.
3 Eorũ vsus pius & ad religionẽ spectans. 201.2.B.D.
4 Ex fine vel ritu distinguuntur. 201.1.D.
5 Ad quatuor vtilia. 202.1.D. 203.1.D.
6 Materia, & formæ eorũ, & ritus à potestatem habente instituenda. 203.1.D.
7 Interdum ad imitationem Christi introducta, non tamen ab eo immediatè instituta. 203.2.A. Sed per Apostolos, vel eorum successores. 203.1.D.
8 Quæ ab Apostolis, quæ à Concilijs instituta, qui cognoscendum. 204.2.A.
9 A quo possint mutari. 204.2.C.D.
10 Ministri eorum ab eo designati possunt, à quo & ipsa institui. 205.1.A.
11 Regulariter qui potest sacramentum, ad quod ordinantur, cõferre, potest ea ministrare. ibid.B.
12 Possunt esse valde meritoria, licèt non conferre gratiam habitualem, aut auxiliantem ex opere operato. ibid. 206.1.A.
13 Speciale auxilium gratiæ impetrant, si ad id ex se ordinentur. 206.1.D.2.A.
14 Quomodò interdum remittant venialia. 206.1.C.D
15 Non sunt ad reatum pœnæ remittendum instituta, licet potuerint institui. 209.1.A.
16 Multa habent efficaciam coercendi, & expellendi dæmones. 209.1.B.C.
17 Quæ efficacia supernaturalis est, & à sanctitate Ministri independens. 209.2.C.D. 209.1.D. Sed moralis tantum. 209.2.D. 210.2.A.
18 Aliqua habent vim conferendi beneficium temporale, & quomodo. 210.2.B.

Sacramentum.

1 A sacro dictum. 2.1.C.D.
2 Variæ huius nominis significationes. 2.1.C.D. 2.A.B
3 Accommodatum iam est ad significandum signa sensibilia, specialem gratiam cõtinentia, & significantia. ibidem. D.
4 Apud Latinos idem significat, quod apud Græcos mysterium. 3.1.A.
5 A sanctitate denominatur, vt à forma extrinseca, & vt à termino. 4.1.A.B.
6 Dicit habitudinem signi sanctitatis. ibid. B. 4.2.C. Et quasi causæ formalis conferentis sanctitatẽ aliquam saltem extrinsecè. 7.2.B.

Sacramentorum Doctrina.

1 Licèt difficilis, suauis & vtilissima. 1.2.B.
2 Partim speculatiua, partim practica. 2.1.A.

Sacramenti essentia, & significatio.

1 Est signum sacrum ex parte rei significantis, & significatæ seu significationis. 6.2.D. 7.2.C.
2 Sacramentum & sacrificium in quo conueniant & differant. 8.1.C.D.
3 Debet sacramentum esse ceremonia ex parte materię instituta ad conferendam aliquam sanctificationem & perfectam animæ sanctitatem significandam. 10.2.B. 11.1.A.B.D.
4 Non significat, aut necessariò cõfert gratiam ex opere operantis. 10.2.C.
5 Vniuoca ratio sacramenti ex vniuoca sanctitatis significatione sumenda. 12.1.B.
6 Significare potest perfectam gratiam, & conferre imperfectam. ibid.C.
7 Abstrahit à signo demonstratiuo, vel promissiuo seu hypognostico. ibid.C.

Universidad de Deusto
Biblioteca

8 Quomodò signum practicum. ibidem. D.
9 Conferre & significare sanctitatem, quomodo constituant essentiam sacramenti. 12. 2. D.
10 Cur magis in ratione signi, quàm causæ sanctitatis, eius essentia consistat. 13. 1. C.
11 Est signū humanum & sensibile. 16. 1. C. 14. 2. A. B
12 Est signum ad placitum, & qualiter ex impositione significans. 1. 4. 2. B. C.
13 Eius partes ad modum partium entis artificiosi vnitæ, aliquo modo vnum per se constituunt. 16. 1. C.
14 Duæ definitiones sacramenti. ibid. C. 16. 2. A. D.

Materia.

1 Constare debet sacramentum re sensibili aliquâ analogam similitudinem habente cum re, quâ significat. 13. 2. A. 14. 2. C. D.
2 Hæc proportio interdum est in vocum significatione, quæ respectu sacramentalis, se habet vt materia. 24. 1. D.
3 Non omne sacramentum constat rebus & verbis vt materia & forma. 23. 1. D.
4 Materiæ huius determinationem, potest Deus homini committere. 51. 2. A. 29. 12. D.

Institutio sacramentorum.

1 A solo Deo, vel ab eius potestatem habente institui possunt. 11. 2. D. 12. 1. A.
2 Publica & stabili lege eis significatio imponenda. 15. 1. D.
3 Etsi nullum esset peccatum expiandum, poterant à Deo institui. 44. 1. A. B. C.

Votum sacramenti.

1 Per sacramentum in voto nequit dari effectus directè pugnans cum reali eius susceptione. 525. 2. A.
2 Sacramentum in voto non causat effectum ex opere operato. 376. 1. B.

Vtilitas.

1 Non sunt ex se sacramenta necessaria. 43. 1. C.
2 Sola sacramenta, quæ per se primo conferunt primā gratiam, sunt media necessaria ad salutem ex institutione. 528. 2. D.
3 Vtilitates significationis sacramentorum. 43. 1. C.

Efficientia sacramentorum.

1 Suppositā diuina promissione, effectus sacramēti est infallibilis, obice deficiente. 527. 1. A. B.
2 Seclusa promissione, non habet effectum. ibid. 2. A.

Minister.

1 Iocosa intentio ministri non semper destruit sacramentum. 174. 1. A.
2 Nec contrariæ eius voluntates, si sufficientem intentionem non excludant. 175. 2. A. B.
3 De intētione ei⁹ sufficit moralis certitudo. 174. 2. C
4 Vt sacramentum fiat, ministri intentio requiritur, saltem virtualis. 176. 1. & 2. B. 177. 1. C.
5 Absoluta vel conditionata, quæ statim transeat in absolutam. 178. 1. C. Peccat vero minister sine causa adhibens talem conditionem ibi. 1. A. Quòd si conditio sit de futuro, nullū reddit sacramentum. 178. 2. C. Si de diuina scientia seu prædestinatione, reddit sacramentum incertum. 179. 1. B. C.
6 Non est contra substantiam sacramenti omnis intentio, quæ est contra bonos mores. 245. 2. C.
7 Debet cadere in determinatam personam, & materiam, sine substantiali errore. 174. 2. D. 175. 1. A. 179 2. D. 180. 1. A.
8 Qui error substātialis in intētione ministri. 179. 2. C
9 Membra, etiā abscissa, assumit Christus vt ministros sacramentorum. 185. 2. C. 174. 2. D.
10 Ministrare sacramenta pertinet ad pastores Ecclesiæ. 212. 1. C.
11 Potestas ministrandi licitè, supponit potestatem cōficiendi sacramentum, & addit ius seu iurisdictionem. 212. 2. D. 213. 1. A. 212. 1. A. C.
12 Quibus conueniat hoc ius, & vnde. ibid.
13 Minister, si de hac potestate ita dubitet, vt non probabilius iudicet se habere illam, non potest nisi ex vrgēte causa ministrare. 211. 2. A. B. C. D.
14 Solus qui licite potest ministrare, potest ad id obligari. 212. 2. A.
15 Hæc obligatio interdum ex caritate, interdum ex iustitia oritur, & quomodò. ibidem. 1. D.
16 Peccat grauiter minister, mutando formam vel materiam, & vtendo incerta, licèt probabili, cùm potest certam adhibere, & non habendo debitam intentionem. 212. 2. D. 213. 1. A. D. 213. 2. C.
17 Imò mutando vel omittendo ritum accidentalē, nisi ex leuitate materiæ sit tantùm veniale. ibidem. D. 220. 1. C. & seq.
18 Ignorantia facti sæpe posset illum excusare, non verò iuris regulariter. 213. 1. A. B.
19 Minister ex officio, si non sit in gratia, tenetur sub mortali se præparare ad illam, vt ministret sacramentum. 214. 2. C. 215. 1. D. 2. A.
20 Aliàs erit mortale, eōq; grauius, quò minister indignior fuerit, & dignius sacramētū. 215. 2. C. D. 216. 2.
21 Per solam attritionē cognitam non se præparat, nisi conteratur vel confiteatur, alterum enim sufficit. 215. 2. C. D. 216. 1. B.
22 Clerici inferiores subdiacono licèt in peccato mortali proprii munus exerceant, nō peccāt mortaliter, imo nec diaconus aut subdiaconus regulariter. Nec Episcopus sacramentalia exercens. 216. 2. C. 217. 1. B. C. D.
23 Nec qui non ex officio, sed ob necessitatem priuate ministrat. 219. 1. D.
24 Solum nominatim excommunicati & notorius percussor clerici, vt non roleratus vitandus est in sacramētorum ministerio. 215. 1. C. D.
25 Dans sacramentum indispōsito & contra speciale sui muneris præceptum, & contra generale non cooperā di alterius delicto, peccat grauiter. 217. 2. C. 228. 1. D.

Vsus sacramentorum.

1 Aliquando diuino, interdum Ecclesiastico iure præceptus. 223. 2. C.
2 Per accidens potest esse obligatio sacramenti, cuius per se non est præceptum. ibid. 224. 1. A.

Nomina sacramentorum ex Scriptura & Patribus.

2 Verba visibilia rerum diuinarum, signacula, sacra signa, signa mystica. 7. 2. D. 8. 1. A.
2 Spiritualis medicina contra vulnera peccati. 38. 2. D

Sacramenta noua legis.

An sint & quot.

1 Sunt in noua lege vera sacramenta. 65. 1. A.
2 Septem tantùm species vltimæ sacramētorum. 193. 1. A. B. 194. 1. B. C.
3 Cur non plura sacramenta, ex proportione vitæ corporalis, & spiritualis ostenditur. 194. 2. B.
4 Ordo inter illa ex ipsorum fine. 197. 1. A.

Essentia & significatio.

1 Essentialiter habēt significare gratiā, gloriā & Christum vtriusque auctorem & sanctitatem, quam conferunt. 9. 2. B. C. D.
2 Sex immediate significant gratiam & gloriā mediate Christum, Eucharistia è conuerso. 10. 1. A.
3 Sunt signa commemoratiua passionis, & prognostica gloriæ. ibid. B.
4 In eis prius sanctificatio, quā significatio intēditur. 13. 1. B.

5 In omnibus reperiuntur res tantùm, sacramentum tantùm, res & sacramentum simul. 16. 1. D.
6 Eorum definitio. 17. 1. A.
7 Sacramentum in his, quæ in vsu consistunt, pro toto composito, subiectoque sacramentalis significationis supponit. 262. C. In quibus applicatio & vsus sacramēti non distinguuntur. 563. 1. B.

Materia, & partes componentes.

1 Cur sub sensibili materia condita. 1. 2. A.
2 Nec dedecebat perfectionē nouæ legis. 65. 2. D.
3 Materia sacramenti aliquando est determinata in specie, aliquando in genere tantùm. 29. 1. B.
4 Iuxta vsum humanū eadē vel diuersa cēsenda. 31. 1. B
5 Omnia nouæ legis sacramenta componuntur ex rebus & verbis, saltem secundùm aliquam proportionē. 23. 2. C. 25. 2. C.
6 Compositio hæc sit media aliqua vnione. 24. 1. B. 26. 2. D. 27. 1. B. Morali potiùs, quàm physica. 27. 2. C. D. 28. 1. A.
7 Non est necessaria physica concomitantia, vel aliqua rum partium coexistentia. 27. 2. A. C.

Forma & significatio.

1 Forma sacramenti magis determinata, quàm materia. 19. 1. B.
2 Mutatio verborum formæ in alia non destruit sacramentum, dummodò substantialem sensum nō mutet. 31. 1. C. 1. A. B.
3 Etiam si fiat à ministro volente nouum ritum introducere, nisi ponat verbum ambiguum ex intentione sensus falsi. 33. 2. C. D. 35. 2. B. D.
4 Verba æquiuoca, in sensu formæ prolata, & ex intentione & alijs circunstantijs, non mutant formam sacramenti. ibidem. D.
5 Subtractio particulæ, & omnis mutatio, quæ sensum non variat, accidentalis est. 32. 2. A. 32. 2. D. Et ibi de alijs mutationibus.
6 Communioribus verbis secundùm Ecclesiæ vsum, est forma explicanda. 32. 1. D. 2. A.
7 Non oportet vulgari lingua proferri. ibidē. 31. 2. C.
8 Mutatio verborum formæ in scripturam, vel nutus, in matrimonio solùm valet. 33. 1. D.
9 Error in forma non expressus, non destruit sacramentum. 35. 1. A. B.

Communia materia, & formæ.

1 Vtraque significat. 26. 1. A.
2 Debent esse determinatæ iusta Christi institutionē 28. 1. D. 29. 1. A.
3 Mutatio substantialis in qualibet destruit sacramentum, secus accidentalis. 30. 2. B. C. D.
4 Materia & forma eadem vbique, non tamen ritus. 36. 2. A. 1. C.

Institutio.

1 Quæ à Christo facta, nullo modo ab Ecclesia potest mutari. 36. 2. A. 151. 1. D.
2 In multis excedit institutionem sacramentorum legis veteris. 157. 2. D.
3 Delegata potestas instituendi sacramenta, licèt potuerit cōmunicari, nulli tamen creaturæ communicata, nec communicanda. 158. 2. C. 159. 2. C. D.
4 Nec secundùm rationem generica, nec specificā, omnia ad dandā primā gratiam instituta, sed vel illā, vel aliquod gratiæ augmentum. 75. 1. A. 77. 2. A. 87. 2. D

Necessitas.

1 Omnia vtilia, non tamen omnia necessaria. 199 2. D
2 Necessitas medij & præcepti respectu sacramentorū quæ. ibidem. 78. 1. B.

Efficacia.

1 Per vtramque partem efficiunt. 26. 1. A. 561. 1. C. D
2 Nō addit illis aliqua qualitas, per quā causent. 71. 2. D
3 Per quid eleuentur. 104. 1. A.
4 Vt instrumenta physica causant gratiam habitualem sacramentalem moraliter tantùm. 109. 1. 110. 2. D. 111. 1. A. 88. 1. B. 96. 1. C.
5 Neque ad hoc indigent præuia actione. 104. 1. C. Quando causant. 92. 2. A.
6 Ad effectum, qui interdum datur, recedente fictione, moraliter tantùm concurrunt. 109. 1. D.
7 Magis repugnat sine gratia reddere hominem gratū quàm gratiam producere. 97. 2. B. C.
8 Vt in voto, non causant gratiam ex opere operato. 87. 1. A. 88. 1. D. 2. A.

Subiectum Sacramenti.

1 Omnes & soli viatores sunt sacramentorum capaces, Angeli tantùm de potentia absoluta, irrationalia verò sacramentalium tantùm. 186. 1. C. 2. B. C.
2 Status viæ, quoad hoc, à natiuitate inchoatur. 187. 1. A
3 Tenetur suscipiens adhibere necessaria ex parte sua ad substantiam, & decentem modum recipiendi sacramentum. 162. 2. B. 224. 2. C. 223. 1. B.
4 Non semper tenetur accedere in gratia. 222. 2. D. Sed dispositus, vt illam suscipiat. 222. 2. C. 223. 1. B.
5 Grauiter peccat petēdo à non habente, vel irritè vtēte potestate. 223. 2. B.
6 Et à prohibito, excommunicato, & hæretico, licèt ritè daturo, & parato. 223. 2. D.
7 Non verò semper peccat recipiens sacramentum à publico cōcubinario. ibi. & etab eo, qui, cū possit licitè dare, daturus nō est sine peccato. 225. 2. C. 226. 1. A.
8 Ex iusta causa interdū hoc licere, & quando, ac quo modo, late tractatur. 226. 1. A. Vsque ad. 227. per totum.

Dispositio.

1 Per ordinē ad gratiam habitualem pensanda. 78. 2. C
2 Quodcunque mortale, actuale, vel habituale, non detestatum, saltem per attritionem, impedit effectum sacramenti. 81. 2. A. 82. 2. A. Secus veniale. ibid. B.
3 Ad recipiendam remissionem peccati mortalis, & primā gratiam per sacramentū, requiritur dispositio per aliquē actū saltē attritionis, quæ in sacramentis viuorum non sufficit nisi per accidens. 81. 2. B. 82. 1. C.
4 In habente tantùm originale, sufficit voluntaria conuersio, qua propriā iustificationem, & diuinā amicitiā amplectatur. 820. 1. C.
5 Ad augmentū gratiæ sufficit status gratiæ. ibi. 2. D.
6 Quæ dispositio ad sacramentalem gratiā. 83. 1. C.
7 Et vt detegat sacramenti effectus. 86. 1. A. B.
8 Dispositionum æqualitas vnde sumenda. 368. 2. D.
9 Nulla qualitas per modum ornatus producitur à sacramentis. 96. 2. B. vsque ad. 97 2. B.
10 Vt sacramentum adulto collatum, sit validum, requiritur eius voluntas formalis, virtualis, vel interpretatiua. 188. 1. D.

Effectus.

1 Omnis vera iustitia per sacramenta incipit, augetur, vel reparatur. 1. 2. B.
2 Omnia causant gratiam habitualem ex opere operato, obice deficiente. 75. 2. C. 80. 2. C. 73. 2. B.
3 Aliqua conferre possunt primam gratiam, imò omnia aliquando. 76. 2. C. 78. 1. B.
4 Virtutes & Spiritus sancti dona, simul cum gratia cō feruntur, vel augentur. 78. 2. A.
5 Vnum quodque suam propriam gratiam sacramentale efficit. 78. 2. D. 79. 1. A.
6 Sacramenta viuorum non remittunt mortale nisi in voto pœnitentiæ. 81. 2. D.
7 Effectus sacramenti, nec ex Dei voluntate vel prædestinatione, nec ex ministri merito, vel impetratione auge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

augetur. 84. 1. A. D. 2. C.
8 Quò maior dispositio effectus est maior. 85. 2. B.
9 Effectus propriè sacramentalis, non datur per votum sacramenti. 87. 2. C.
10 Omnia quæ imprimunt characterem, habent suum effectum recedente fictione. 383. 1. C. 384. 2. C.
11 Non omnia characterem imprimunt. 132. 1. C.
12 Quæ imprimunt, prius moraliter efficiũt illum, quã gratiam. 132. 2. C.

Minister.

1 Ille verus est minister, quem Christus designauit seu instituit. 178. 1. B.
2 Medio sacramento efficit effectum sacramenti, nec habet alium influxum. 151. 1. C. 2. A.
3 Consecratio, bonitas, vel fides ministri, nihil confert ad substantiam vel maiorem effectum sacramẽti. 151. 2. C. 180. 2. D. 185. 1. B. C. 2. A.
4 Soli homines ministri sacramentorum, licèt non omnes. 169. 1. D. 170. 2. A. B.
5 Neque angeli de potentia ordinaria, nec anima separata, bene tamen homo, etiam cum corpore glorioso resurgens. 163. 2. C.
6 Minister sacramenti non se gerit vt præcise referens alterius voluntatem sed vt potestate vtens. 173. 1. A.
7 Minister ab Ecclesia prohibitus, si omnia requisita adhibeat, licèt ministrando peccet, verum conficit sacramentum. 37. 2. B.
8 Triplex potest haberi intẽtio circa sacramẽtũ. 164. 2. D
9 Requiritur intentio faciẽdi, quod Christus & Ecclesia, nõ externas operationes tãtũ. 165. 1. C. D. 172. 1. C
10 Defectus intentionis irritat sacramentũ. 165. 1. C.
11 Semper præsumenda nisi defectus constet exterius. 166. 1. B.

Dignitas.

1 Cur perfectiora & digniora sacramẽtis veteris legis. 1. 2. A. Et latius. 66. 2. A. Et sequent.
2 Quem ordinem perfectionis seruent. 198. 2. D.

Nomina ex Scriptura & Patribus.

1 Septem columnæ, quas sibi diuina sapientia excidit, vt supra eas Ecclesiæ domum ædificaret. 1. A.
2 Septem vberrimi gratiæ fontes, quos Verbũ Dei in sua domo perennes esse voluit. ibid. B.

Errores varij.

1 Error dicentium non requiri determinata verba sed verbũ cõcionatoriũ tantũ, impugnatur. 29. 1. A. 30. 1.
2 Qui hæretici omnia hæc sacramenta negarint. 64. 2.
3 Error dicentium, non conferre gratiam nisi excitando fidem refellitur. 73. 2. D.
4 Error etiam confutatur dicentium, non significare sanctificationem sed diuinam tantum beneuolentiam aut prædestinationem vel esse sigillum iustitiæ acceptæ per fidem. 9. 1. A.

Sacramenta veteris legis.

1 Alia præter circuncisionem, quæ ad tria capita reducuntur. 62. 2. B. 63. 1. C.
2 Non omnes ceremoniæ illius legis fuere sacramenta, sed quæ circa inanimata, sacramẽtalia tantum. 63. 2. A.

Essentia.

1 Eorum definitio. 17. 1. A.
2 Vniuoce conueniunt cum sacramentis nouæ legis. 10. 1. B. 62. 2. D. Eorũq; discrimen. 12, 2. B.
3 Fuere nostrorum figuræ, & significabant gratiã per Christum dandam. 11. 2. A. B. 63. 1. C. 12. 1. C.
4 Non significabant gloriam, vt post illum statum cõsequendam. 13. 1. A.
5 Non habuerunt propriam materiam & formam, determinatum tamen ritum. 29. 1. D.
6 Omnia à Deo immediate instituta. 157. 2. B.
7 Ex præcepto tantum necessaria his qui ex lege circũcidebantur vel legem profitebantur. 63. 2. B. C. D.
8 Nec vt physicæ nec vt morales causæ gratiam conferebant ex opere operato, quia eam non continebant. 120. 2. A. C. 122. 2. A.
9 Merebantur per illã iusti de cõdigno gratiæ augmẽtum. 124. 1. D.

Sacra.

1 Sacra dicuntur omnia deputata ad sacramenta vel sacrificia peragenda. 200. 2. D.

Sacrificium.

1 Aliquæ significationes metaphoricæ huius nominis. 1039. 2. B. C. Eius etymologia. 1039. 1. C.
2 Quid proprie sacrificium dicatur. 166. 2. B.
3 Prius de actione sacrificandi, quàm de re sacrificata dicitur. 1046. 2. C.

Essentia.

1 In quo conueniant & differant sacrificium, & sacramentum. 1040. 1. D. 1041. 1. A.
2 Sacrificium sub genere signi ad placitũ cõstituitur. 1039. 1. C. D.
3 Præcipua sacerdotis actio est sacrificium. ibid.
4 Supremum latriæ cultum continet. 1040. 2. C.
5 Moralis significatio de eius essentia, nõ mystica, licèt probabile sit, omnia sacrificia à Deo instituta mysticã habuisse. 1040. 1. 2. A. C. 1041. per totam.
6 Duplex sacrificij definitio. 1048. 2. B.
7 Internus cultus, sacrificãdi propositum, vocalis laus diuina, mors martyrum, solùm analogicè dicuntur sacrificia. ibid. D. & 1049. 2. A. B. C.
8 Non est de iure naturæ, licèt sit valde accommodatũ ad implẽdũ præceptũ naturale colẽdi Deũ. 1053. 1. B.
9 In vnoquoque sacrificio, cultus Dei externus, mystica significatio, & satisfactio pro peccato, considerandа. 1057. 1. D. 2. C. D.
10 Ratio sacrificij potior ratione sacramenti, licèt non in omnibus inferioribus. 1095. 2. B.
11 Diuersus ritus in sacrificando, si idem semper motiuum adsit, constituit diuersa specie sacrificia, quatenus sensibilia signa sũt, nõ quà actus virtutis. 1093. 2. C. D
12 Non est de essentia sacrificij, quòd proximũ offerẽs de illo participet. 1083. 1. A.

Vide Sacramentum. §. Essentia.

Materia & forma.

1 Materia sacrificij consistit in oblatione rei permanẽtis Deo immediatè facta. 1046. 1. A.
2 Oblationem & rem oblatam comparando, hæc vt materia, illa se habet vt forma. 1046. 2. B.
Per hanc oblationẽ debet immutari res oblata, & qualiter. 1046. 2. D. 1047. 1. D. 2. A.
3 Nõ est necesse in omni sacrificio re distinguia actiones quibus res cõsecratur, offertur, & immutatur, seu cõsumitur, sed sufficit esse ratione distinctas. 1047. 2. B. C
4 Requiritur tamen in quouis sacrificio aliquid, quod ab aliquo alicui pro aliquo offeratur, non tamen oportet hæc omnia esse realiter distincta. ibid. 2. D.

Institutio.

1 Ad sacrificia instituẽda satis magna causa est gratiarum actio. 41. 2. D.
2 Sacrificiorum vsus fidelibus & infidelibus communis. 1040. 2. B. Semper potuerunt homines sacrificia instituere, licèt Deus in aliqua republica hanc potestatẽ sibi reseruauerit. 142. 1. A.
3 Necessaria est ad hoc publica autoritas. 1043. 2. D. 144. 1. C

Quotuplex sit.

1 Aliud honorarium, aliud in expiationẽ peccati. §. 2. D Aliud legis naturæ, aliud scriptæ, aliud gratiæ, & in quo hæc inter se differant. 1050. 1. B. D.
2 Sacrificia, quæ ex animalibus fiebant, hostia & victima, quæ ex terræ fructibus, immolationes, quæ ex liquoribus, libamenta dicebantur. 1050. 2. B. C.
3 Aliud holocaustum, aliud hostia pro peccato, aliud hostia pacifica. ibid. 2. D.
4 Aliud cruentum, aliud incruentum. ibidem. 2. B.
5 Alia in varios quæque fines instituta. 1051. 1. C. D. 2. A. B.
9 Sacrificium propitiatorium triplex. 1058. 1. B.

Effectus, & Minister.

1 Cur idem sacrificium multis prodesse, & pro pluribus offerri possit, non verò sacramentum. 8. 2. B.
2 Minister sacrificij sacerdos, qui publica debet autoritate designari, vel consecrari. 1044. 1. C.

Sacrificium nouæ legis.

1 Cur Deus sibi reseruauerit institutionẽ sactificij, in hac lege. 1043. 1. A.
2 Est in hac lege verum sacrificium, quod, vnicum cũ sit, omnes sacrificiorum rationes perfectissimè continet. 1055. 1. A. 1057. 1. B. C. D. 1051. 2. B.
3 Potuit esse in hac lege sacrificium cruentum, quod valde excederet cruenta legis veteris. 1059. 2. A. B.
4 Cur in hac lege vnicũ sacrificium, cùm tot sacramenta. 1068. 2. B.

Vide verbum, Missa.

Sacrificia veteris legis.

1 Multa fuere, quæ tamen nõ erant sacramenta. 8. 2. A.
2 Vniuocè participãt rationẽ sacrificij cũ nostro. 11. 1.
3 In alicuius rei interitu potius quàm in effectione seu productione, institura. 1083. 1. D.

Sacrificia legis naturæ.

1 Etiam in lege naturæ fuit sacrificium cruentum & incruentum. 1051. 1. B.

Vide verbum Lex naturæ, & verbum Melchisedech.

Sanctificatio.

1 Duplex, alia interna & perfecta, alia legalis & imperfecta. 9. 1. A.

Sandalia.

1 Sandalia Episcoporum specialem habent benedictionem. 1209. 1. C.
2 Olim sacerdotes vtebantur sandaliis. ibid. D.

Sanguis.

1 Pars est corporis humani viui, nõ verò mortui. 736. 1. D.
2 Semper habet diuersam formam intrà corpus, & extra. 707. 2. D.

Satisfactio.

1 Non est pars essentialis, sed integralis sacramenti Pœnitentiæ, valetque sacramentum, licèt illa omittatur vel non iniungatur. 461. 1. A. B.
2 Intensio satisfactionis in multitudine satisfactionis consistit. 1148. 2. C.
Opera satisfactoria qualiter imponi possint baptizando. 297. 2. D. 298. 1. D. 2. A.

Signum.

1 Signum ad placitum non constituitur per relationẽ realem nec rationis, sed per extrinsecam denominationem. 24. 2. B.
2 Supponit pro tota adæquata materia imposita ad significandum. 26. 2. C.
3 In eo totalis forma est significatio imposita, reliqua vt materia se habent. ibidem.
4 In his signis sæpe contingit dari signum rei, & signũ signi. 1065. 1. A.
5 Signi ad placitum ratio non mutatur Metaphysicè ex eo quòd magis vel minus duret, mutatur tamen moraliter. 15. 2. B.

Siligo.

1 Delitias tritici, Hispanè, *Candeal*, significat. 101. 2. D.

Simon Magus.

1 Ab Apostolis baptizatus, nunquam tamẽ Confirmatus fuit. 382. 1. C.

Spes.

Quæ spei motiua in Eucharistia. Vide Eucharistia. §. Institutio.

Species.

Species rerum fidei. Vide verbum, Fides.
Species sacramentales. Vide Eucharistia. §. Species sacramentales.

Spelta.

1 Variæ eius acceptiones apud autores. 586. 2. B. C.

An sit materia Eucharistiæ. Vide Eucharistiæ materia.

Status innocentiæ.

1 In eo esset cultus Dei externus, quo homines publicè Deum colerent. 40. 2. D. 41. 1. A.
2 Haberet si duraret vera sacrificia. 41. 1. C. D. 42. 2. A. B. 45. 1. C.
3 Per species & signa sensibilia cognoscerentur res fidei. 43. 2. A. Essent in eo statu imagines, scripturæ, signa vocalia, & aliæ figuræ. 43. 2. B. C.
4 Homines cõtẽplationi cõtinuò ferè vacarẽt. 45. 1. D
5 Si Christus tunc nõ esset venturus, probabilius quòd sacramenta non forent, si autem esset venturus non essent ante eius aduentum. 45. 1. B.
6 Ex qua suppositione probabilius est futurum Eucharistiæ sacramentum. 45. 1. D. latiùs. 551. 2. D.
7 Baptismus, Pœnitentia, Extrema vnctio & Confirmatio, non potuissent esse, secus matrimonium & Ordo. 45. 2. A. B. C.
8 Hominibus, si tunc peccarent, sufficiens remedium esset contritio. ibidem.
9 Illis autem spatium pœnitentiæ concedendũ vt Adæ probabilius est. 45. 2. A.

Vide verbum, Adam.

Stola.

1 Idem quod orarium significat. 1206. 2. A.
2 Stolæ vsus inferioribus Diacono non conceditur, illi verò cur sub humero gestare præcipiatur. ibid. B. C.

Vide verbum, Missa. §. Minister.

Subdiaconos.

An peccet exercendo suum officium in mortali. Vide Sacramentum nouæ legis, & Baptismus, & Eucharistia. §. Minister.

Substantia.

1 Propriam præsentiam habet, cum qua potest secluſa quantitate manere. 623. 1. A. B. 650. 2. B. C.
2 Hæc præsentia diuisibilis est in ordine ad spatium ex propria ratione. 616. 1. A. B.
3 Substantia secluſa quantitate siue rediret ad punctũ, siue diuisibili spatio præsens maneret (quorum vtrũque est possibile, neutrum necessariũ) non necessario esset tota in toto, & tota in qualibet parte. 748. 1. D. 2. A.
4 Implicat partes substãtiæ sublata quãtitate redire ad vnam indiuisibilem entitatem. 653. 1. C.
5 Habet propriam extensionem substantialem, substãtialiq; indiuisibilia, quibus hæ partes contiuantur. 653. 1. A. C. 2. A. 762. 1. A.
6 Sicut per quantitatem habet duplicem extensionem in ordine ad se & ad locum, ita & duplicem æqualitatem. 670. 1. B. D.
7 Separata à quantitate capax est præsentiæ & actionis ex diuina virtute. 682. 1. B. C. D.

Substantialis modus.

1 Modus, qui ad cõstitutionẽ vel cõplementũ substãtiæ nõ cõcurrit, nõ potest esse substãtialis. 638. 2. A.

Sympathia.

1 Sympathia potẽtiarum nõ pendet ex loco, sed ex idẽtitate animæ, in qua potentiæ radicantur. 676. 2. D.

Templum.

Vide Ecclesia, & Missa. §. Vbi celebranda.

Tempus.

1 Tempus intrinsecum non potest in eadem re secundum idem esse multiplicari. 669. 2. D.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Index Rerum.

Theologia.

1 Enidenter soluit argumenta contra fidei mysteria, nō negatiuè tantùm, sed positiuè. 630.2.D.
2 Vt suprema sapientia de reliquis scientijs iudicat, illasque corrigit. 693.1.D.

Traditio.

1 Traditio Ecclesiæ circa rem fidei, quando ab Apostolis, quando à Christo immediatè emanasse intelligatur. 156.2.D.

Transubstantiatio.

1 Quàm conuenienter hoc nomen significet conuersionem, quæ fit in Eucharistia. 703.1.A.B.
2 Includit quidquid est de ratione conuersionis, & aliquid supperaddit, per quod à cæteris conuersionibus differt. 708.1.C.
3 Vt passiua, & vt actiua considerari potest, & quid vtraque sit. 709.2.A.B.
4 Nullatenus in prædicamentali relatione consistit, sed in dependentia effectus à causa per modum cuiusdam fieri. ibidem.
5 Substantia panis, quæ transubstantiatur, nullo modo manet in Eucharistia, imò neque in rerū natura nec secundùm materiā, nec secundū formā, sed secúdùm accidentia tantū. 684.2.C.688.2.C.689.1.C.
6 Nec manet subsistentia, suppositalitas, neque existētia panis. 691.2.C.692.1.C.693.2.A.
7 Non solùm transubstantiatio, sed nec trāsmutatio fieri potest inter specificas differentias tantùm, manente eodem individuo generis, vt subiecto talis tranmutationis. 694.1.A.B.
8 In transubstantiatione vera & realis actio intercedit, qua corpus Christi sub speciebus constituitur, quæ circa Christi corpus versatur. 708.2.C.709.1.B.
9 Terminus transubstantiationis non est præsentia corporis Christi in loco, vbi erat panis, nec aliqua eius vnio cum speciebus. 714.2.C.711.1.B.C.D.
10 Proprius eius terminus est substantia corporis Christi, quatenus illam iam præexistentem & productam attingit per modum veræ conseruationis. 713.2.A.
11 Transubstantiatio non est actio tantùm adductiua, etiāex mente D. Thom. 620.1.D.621.1.A.
12 Implicat, panem transubstantiari in Christi corpus, nisi in aliquare, vel modo aliter se habeat corpus Christi. 712.2.A.B.C.D.717.2.D.
13 Transubstantiatio, vel acquisitio præsentiæ, quæ illā comitatur, non est propria mutatio. 718.1.B.C.
14 Licèt habeat, quidquid influxus creatiuus, non tamē fit per modum creationis. 719.1.C.D.
15 In transubstantiatione panis substantia desinit ex vi actionis positiuæ, & qualis sit. 721.2.D.
16 Substantia panis in transubstantiatione non annihilatur, imò etiam si illi non succederet Christi corpus, nō annihilaretur ex via actionis, qua modò desinit. 723.2.D.724.2.C.725.2.C.
17 Tota transubstātiatio in vno instāti perficitur, quod est primum esse corporis Christi sub speciebus, & primum non esse substantiæ panis. 727.2.D.
18 Per illam totus panis in totum Christi corpus conuertitur, ita vt materia in materiam, & forma in formam conuertatur. 748.2.B.
19 Non repugnat per transubstantiationem aliqua etiā accidentia desinere. 800.1.D.
20 Actio instrumenti ad transubstantiationem concurrentis, vbi recipiatur. 860.2.B.C.
21 Actio est ex omni parte supernaturalis, & mirabilius opus creatione, non vero incarnatione. 8..A.
22 Plura concurrunt miracula in hoc opere, & quæ sint. 616.2.A.B.C.D.
23 Egregia comparatio Eucharistiæ & Incarnationis. 631.2.A.B.

Typha.

1 Materia dubia est sacramenti Eucharistiæ. 587.1.D.

Verbum.

1 Verbum concionatorium non est necessarium sacramentis. 29.2.
2 Verba, ex quibus constant sacramenta, quæ sint, quando mutentur, & cum qua mutatione destruatur sacramentum. Vide Sacramentum, & Sacramenta nouæ legis. §. Materia. & 6. Forma.

Verbum diuinum.

1 Quomodo sit in Eucharistia. Vide Christus in Eucharistia. §. Verbum diuinum, & Vnio hypostatica.

Veritas.

Vide, Propositio.

Vespera.

1 Vespera alia meridiana, alia nocturna, & quid vtraq; sit. 541.1.A.B.
2 Vespera nocturna sequentis festiuitatis initium apud Hebræos. ibidem. Finem diei in Scriptura significat 541.2.C.

Vinum.

1 Solum vinum vitis simpliciter vinum, reliqui liquores, secundùm quid tantùm. 596.1.D.
2 Vinum album & nigrum solùm accidentaliter differunt. 596.2.A.
3 Vinum congelatum non amittit verā vini substantiam. 598.1.B.
Vide Eucharistia. §. Materia.

Virtus.

Virtutes quomodò infundantur per sacramenta. Vide Sacramenta nouæ legis. §. Effectus.

Visio.

1 De potentia absoluta fieri potest visio obiecti non existentis. 776.2.D.777.1.A.

Viuens & vita.

1 Vita spiritualis cur non indigeat tanquā medio simpliciter necessario, cibo extrinsecùs adueniente, sicut corporalis. 530.2.B.C.
2 De viuentibus proprie intelligitur principium Aristotelis, *Omnium natura constantium datum esse certum terminum magnitudinis & paruitatis.* 566.1.A.

Vnctio.

Vide Confirmatio. §. Materia.

Vnio.

1 Alia formalis, alia effectiua, & quid vtraque sit, & per quid inter se distinguantur. 643.1.A.646.2.D.
2 Inter substantiam & accidens nō potest esse vnio substantialis, neque ex accidentali & substantiali mista. 643.1.D.2.A.
3 Cùm subiectum & accidēs vniuntur, necesse est, vnū quodam modò esse actum alterius. 643.2.A.B.
4 Vnio hypostatica non fit in natura, sed in persona. 684.2.B.
5 Quæ vniuntur, priùs debent fieri sibi inuicē præsentia. 711.1.B.

Votum.

1 Vouens ingredi religionem, tenetur, quàm primùm moraliter possit, votum implere. 428.2.C.
Vide verbum, Sacramētum, Sacramenta nouæ legis, Baptismus. §. Votum, & Eucharistia. §. Necessitas.

Vsus.

1 Vsus rei aliquid supra rem ipsam addit. 561.2.B.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca